

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VI
39
1

+5002 999 01

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

(VINCENT DE BEAUVAIS)

SPECULUM QUADRUPLEX

SIVE

SPECULUM MAIUS

NATURALE / DOCTRINALE
MORALE / HISTORIALE

1965

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

SPECULUM HISTORIALE

1965

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

25
phi c
82602
S 741

96.163

VI
9g
1

5.002.999.01

Photomechanischer Nachdruck der
Akademischen Druck- u. Verlagsanstalt
Graz / Austria

Printed in Austria
230. 64

Philos. Institut
der Universität
Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

BIBLIOTHECA MVNDI.

SEV

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII BVRGVNDI

PRÆSVLIS BELLOVACENSIS,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

THEOLOGI AC DOCTORIS EXIMII,


TOMVS QVARTVS,

QVI SPECVLVM HISTORIALE INSCRIBITVR:

In quo vniuerſa totius orbis, omniumque populorum ab orbe condito vſque ad Auctoris tempus HISTORIA continetur, pulcherrimum actionum ciuilium & eccleſiaſticarum THEATRVM.

Omnia nunc accuratè recognita, diſtinctè ordinata, ſuis vnicuique autori redditis exactè ſententijs; ſummarijs præterea & obſeruationibus, quibus anteà carebant, illuſtrata.

Operâ & ſtudio Theologorum BENEDICTINORVM Collegij VEDASTINI in Alma Academia DVACENSI.



DVACI,

Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo.

ANNO M. DC. XXIV.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HISTORIÆ VTILITAS, ET JVCVNDITAS.

Cicero lib. 2. de Oratore.

HISTORIA eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.

Diodorus Siculus.

NIhil vtilius, jucundiúſque excogitari poteſt, quàm ſedentem in humanç vitæ Theatro, (quod hiſtoria partibus omnibus mirè inſtructum habet) periculis aliorum ſine ſuo periculo cautum ſapientémq; fieri: exempla capere omnigena, quæ ad cõmodum tuum vtiliter qualibet in re traducas. Cumq; præſtantiſſimis hominum ſummis conſiliis maximis de negotiis interfueris, (id quod cupidiſſimè homines auemus,) eorundem etiam euentibus intereſſe; &, quod alioquin per anguſtiam breuitatémq; vitæ noſtræ ſit impoſſibile, ſæcula tota memoriæ ope conjungere, maximorum imperiorum exordia, progreſſus, & exitus intueri; malorum ſiue priuatorum, ſiue publicorum initia, cauſas, remedia, ſupplicia cognoſcere; in omni denique re ardua ſuſcipienda, qui ante te fuerit periclitatus, qui in diſcrimine te prçceſſerit, quaſi ducem habere, nec vſpiam experimento certo & illuſtri deſtitui: ſed, (quod ſapientis viri proprium eſt officium) è retroactis præſentia exactè judicare, futura prudenter proſpicere.

C. Plinius Secundus, lib. 5. Epiſt. ad Capitonem.

MIhi pulchrum imprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorúmq; famam cum ſua extendere. Me autẽ nihil æquè ac diuturnitatis amor & cupido ſolicitat: res homini digniſſima; præſertim qui nullius ſibi conſcius culpæ, poſteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito, ſiquâ me quoque poſſim Tollere humo; *id enim voto meo ſufficit: illud ſuprà votum,* victórque virûm volitare per ora *Quanquam ô! ſed hoc ſatis eſt, quod prope ſola hiſtoria polliceri videtur. Orationi enim, & carmini eſt parua gratia, niſi eloquentia ſit ſumma: hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat. Sunt enim homines natura curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui ſermunculis etiam fabelliſq; ducantur.*

Io. Ludouicus Viues, lib. de cauſis corrupt. artium.

HIſtoria eſt imago veritatis. Eſt autem imago ea abſolutiſſima, quæ rem neque maiorem, neque minorem reddit: non vt vmbræ in ortu & occaſu Solis longiſſimæ, in meridie prope nullæ.

Idem lib. 5. de tractandis diſciplinis.

HIſtoria facit vt prçteritis non minus videamur interfuiſſe, quàm prçſentibus; illiſq; perinde vti poſſimus, ac noſtris. Meritò ſacerdos Ægyptius, Grçcos, qui recordationem priſcę memorię non tenerent, pueros appellauit: Hiſtoria enim, ſi adſit, ex pueris facit ſenes; ſin abſit, ex ſenibus pueros.

Incerti

Incerti Autoris; Hiſtoria loquitur.

ILLA ego, quæ geſtis præſum cuſtodia rebus,
Digero quod caueas, quódque ſequaris iter:
Priſcáque ne veteris vaneſcat gloria ſæcli,
Viuida defendant quæ monimenta damus.
Et ſua virtuti per me ſunt præmia, rurſum
Impia famoſis crimina pingo notis.
Eloquor & ſummi quantum jactantur, & imi;
Eloquor & cæcæ fasq; nefasq; Deæ.
Quis melior Campus, circúſue capacior, aut quæ
Aptior humanas Scena referre vices?
Me ſine quis prudens? vnde experientia major?
Quis me adijt, qui non doctior inde redit?
Omnis enim à noſtro pendet Sapientia cenſu,
Nec quicquam, noſtra qui caret arte, ſapit.

Perioche totius Speculi Hiſtorialis.

HIſtoria veteris Teſtamenti: libris ſex prioribus.
Hiſtoria noui Teſtamenti, libris quatuor ſequentibus.
Hiſtoria perſequutionum à Paganis illatarum: tribus ſequentibus, 11. 12. 13. vſque ad Conſtantinum Magnum.
Tempora Doctorum contra hæreſes pugnantium; vſque ad Gregorium Magnum: libris octo ſuccedentibus, ſcil. à 13. ad 21.
Tempora incurſionum Barbaricarum, vſque ad Carolum Magnum, lib. 22. & 23.
Imperium Occidentis ſub Germanis principibus; vſq; ad ſæculum Luthero Hæreſiarchæ proximum: libris cæteris.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

TOMVS QVARTVS;

SPECVLVM HISTORIALE NVNCVPATVS,

VNIVERSAM AB ORBE CONDITO, VSQVE AD AVCTORIS tempora omnium gentium, ac populorum Hiſtoriam continens in libros xxxj. diſtinctus.

Cum Hiſtoriarum Annorum ſequentium appendice.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

NVltimæ Partis huius capite Speculi, videlicet Hiſtorialis, placuit quãdam hiſtoriæ naturalis, & omnium artium, atque virtutum epitomen, id eſt recapitulationem breuem præmittere. Quatenus, & pars hæc, ſicut & reliquæ, cæteras vtrimq; contineat; cauſa dicta in Prologo generali exigente.

Epilogus de vnitate diuinæ ſubſtantiæ.

CAP. I.

DEVS eſt ſubſtantia incorporea, ſimplex, & incommutabilis, immenſa, & æterna, incomprehenſibilis, & ineffabilis, multifarie tamen vtcumque nominabilis. Nam dicitur breuiter quicquid eſt, nihil tamen de ipſo digne dici poteſt, ſed eo ipſo iam indignum eſt, quod dici poteſt. Nam verius quidem cogitatur Deus quam dicitur, & verius eſt quam cogitatur, & hoc ſolum videlicet eſſe de ipſo proprijſſime dici videtur quoniam omnia cætera ipſius eſſentiæ comparata merito non eſſe dicuntur: vnde *ego ſum ait, qui ſum; hoc nomen mihi eſt in æternum:* Itaque dicere, quid eſt Deus ſecundum ſubſtantiam, eſt impoſſibile, meliuſque innoteſcere poterit ex omnium rerum ablatione. Negationes ſiquidem in diuinis veræ ſunt, affirmationes autem incompactæ. Non enim eſt aliquid eorum, quæ ſunt, non quia ſit non ens, ſed quia ſuper omne ens, & ſuper eſſe exiſtens. Ipſe eſt enim, *vt ait Dionyſius, arcanum bonum rationi omni ſupereſſentiale; vnitas vnifica omnis vnitatis, ſupereſſentialis eſſentia, intellectus inuiſibilis, inſcrutabilis tanquam non exiſtente veſtigio vllo in occultam eius multitudinem peruenientium; non tamen incommunicabile eſt bonum vlli eorum quæ ſunt.* Nihil enim vniuerſaliter boni participatione priuatum eſt: ipſe eſt ratio ſimpla, & vere exiſtens veritas circa quam, vt puram, & non errantem ſcientiam diuina fides eſt: vnicum credentium fundamentum, eos collocans veritati, & eis veritatem. Ipſe eſt ſubſtantia adunatrix cognoſcentium & cognitorum: reſtituens à malo, magis autem ſtatuens in bono; ordinans, & ornans, & integritatem perficiens, & omnium maculas ſoluens.

Deus incomprehenſibilis.

Ipſe, vt ait Gregorius Nazianzenus, cuius eſſe totum eſt inſuperabile quoddam ſine fine ſubſtantiæ pelagus, nullis terminis limitibuſque circundatus, omnem ſenſum, omnem naturam, omne tempus ſupergrediens.

Ipſe eſt, *vt ait Auguſt. quem amat omne, quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſcius.* Ipſe eſt quem nemo amittit, niſi deceptus, quem nemo quærit, niſi admonitus, quem nemo inuenit, niſi purgatus.

Ipſe eſt, cui nos fides excitat, Spes erigit, Charitas iungit. Ipſe eſt per quem omnia (quæ ſine eo nihil eſſent) tendunt ad eſſe. Ipſe eſt, qui malum non facit eſſe, ne peſſimum fiat. Ipſe eſt, de cuius regno lex etiam in iſta regna deſcribitur, cuius legibus arbitrium animæ liberum eſt, boniſque præmia, & malis pene fixis per omnia neceſſitatibus diſtributæ ſunt, cuius legibus in æua ſtantibus, motus inſtabilis rerum mutabilium perturbatus eſſe non finitur, frænſque circumeuntium ſæculorum ſemper ad ſimilitudinem ſtabilitatis reuocatur. Ipſe eſt, per quem vniuerſitas etiam cum ſiniſtra parte perfecta eſt. Ipſe eſt, in quo ſunt omnia, cui tamen vniuerſæ creaturæ nec malitia nocet, nec error errat. Denique ipſe eſt, *vt ait beatus Bernardus quod ad vniuerſum ſpectat, finis, quod ad delectationem, ſalus, quod ad ſe, ipſe nouit; ipſe eſt non minus peruerſorum pœna, quàm gloria humilium.* Eſt enim rationalis quædam æquitatis directio inconuertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens vbique, cui illiſa omnis prauitas conturbetur, neceſſe eſt. Ipſe eſt longitudo propter æterni-

tatem interminabilem: latitudo, propter charitatem immensurabilem: sublimitas propter maiestatem inattingibilem: profundū propter sapientiam inscrutabilem. Hunc sancti secundum Apostolum comprehendunt.

Porro, vt ait Secundus Philosophus, ipse est immortalis mens, & contemplabilis celsitudo, forma multiformis, incogitabilis inquisitio, insopitus oculus, omnia continens lux, bonum. Hunc etiam volens, (sicut poterat) Cicero diffiniret, *Mens quędam est (inquit) soluta, & libera, ab omni concretione mortali secreta, omnia sciens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno.*

Deus incorporeus & immutabilis.

Empedocles quoque sic eum diffinire fertur. *Deus est sphera, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.* Hic vtique corpore non eget, vt fit, nec loco, vt alicubi: nec tempore, vt aliquando: nec causa, vt aliunde: nec forma, vt aliud: nec aliquo genere subiecti, in quo substet, vel cui assistat. Denique mutari omnino non potest: neque enim potest augeri, qui immensus est: neque minui, qui vnus est, nec loco mutari, qui vbique est: nec tempore, qui æternus est: nec cogitatione, qui sapientissimus est: nec affectu, qui optimus est.

De Trinitate Personarum.

CAP. II.

Cur Deus vnus & trinus.

CVmque sit omnium Deus excelsus, inaccessibilis, omnique virtute inæstimabilis, vnus est in substantia, trinus in personis. Vnus quidem est, ne differentia contrarietatem, & contrarietas pugnam, pugna vero corruptionem inducat. Trinus vero, ne solitudo vel singularitas eum vel minus potentem, vel minus bonum, vel minus etiam fœlicem ostendat. Pater namque fontalis omnium bonitas, quia potuit, & voluit, filium dilectum genuit, cui beatitudinis suæ delicias plenissime communicauit, non enim inopi dando subuenit, sed ipsam copiam genuit, alioquin beatius esset dare, quam accipere. Ac per hoc sibi per omnia coæqualem genuit, ne si hoc non posset, infirmus, & si nollet, inuidus videretur. Sed, & coæternum genuit, quia nunquam sine illo fuit. Ne autem sine generatione imperfectus, aut post generationem superfluus arguatur, consubstantialem quoque ne diuinitatis substantia duplicetur. Hic est sapientia, veritas, & verbum, figura, & splendor patris eius, imago perfectissima, per quam ipse secretissimis dignis animis innotescit, per hunc etiam omnia digna facit, non quasi per organum ministrale, sed naturali, & subsistente virtute, sicut ignis lucet eo quod ex ipso prouenit lumine. Et quoniam in Deo nulla indigentia est, ac per hoc etiam nulla in eo necessitas est, præire autem voluntas sapientiam non potest, nec voluntate præcedente, pater filium genuit, nec vlla necessitate, sed semper manente bonitatis plenitudine. Ne autem immoderata esset diuina generatio, filius non genuit, sed ex vtroque Spiritus sanctus procedit, vt ambo se mutuo diligentes, tertium quoque condilectum haberent cui charitatis suæ delicias omnino communicarent, in quo etiam, vel per quem creaturæ rationales pro modulo suæ capacitatis eisdem participarent.

Dei filius coæternus & consubstantialis patri.

Spiritus sanctus ab vtroque procedit, & quare?

Ipse est enim secundum Aug. charitas vtrumque coniungens, nosque subiungens; quoniam igitur ad summum bonum pertinet, & summa perfectio, & summa iocunditas; filius à patre processit per modum generationis, quæ est emanatio perfectissima, & Spiritus sanctus ab eodem per modum liberalitatis. Hæc est iocundissima atque gratissima, nihil enim est iocundius quàm diligere, & diligi, simulque delicijs frui communibus, nec vllius boni possessio iocunda est sine socio.

Liberalitatis donum præcipuum, Amor.

Primum autem, & præcipuum liberalitatis donum, in quo & cætera cuncta donantur amor est, omnia enim amato gratis communicantur. A fonte igitur bonitatis, qui pater est, procedit donum amoris qui Spiritus sanctus est. Si autem à patre consequenter, & à filio, quia pater nihil sibi retinuit, quod non filio suo gignendo dederit, sicut ipse ait: *Omnia, quę habet pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Est autem Spiritus sanctus æqualis vtrique, quia ex summa liberalitate oportuit summum donum procedere, ergo, & summum bonum. Est etiam Deus, quia donum intrinsecum est, & quicquid est in Deo, Deus est. Ob hoc, & vtrique coæternus est, quia donum intrinsecum prius in Deo fuit, quàm esse, vel aliud quicquam creaturis communicaret exterius, & distribueret. Tempus autem, & creatura coæua sunt. Est autem vnicus in substantia, multiplex in donis, quia diuisiones gratiarum sunt. Idem autem, & Spiritus, &c. Exemplum quidem Trinitatis vnius substantiæ, nullum in creatura satis expressum inuenitur, ob hoc tamen in igne maxime Deus apparuisse legitur, quia in eo tria, scilicet ignis splendor, & calor simul consistunt, & vnum lumen sunt, quæ cum inseparabiliter operentur, igni tamen attribuitur vstio, splendori illuminatio, calori calefactio.

Cur Spiritus sanctus æqualis vtriquè & cur Deus? cur q3 coæternus?

De Communitatibus, & proprietatibus personarum.

CAP. III.

Æqualitas Trinitatis.

SIc autem tota Trinitas sui perfectione æqualis est, vt exceptis proprietatibus personalibus, quicquid de vna persona dicitur, digne de tribus intelligatur, nec maior in omnibus personis, quam in singulis, sed tanta in solo patre, vel in solo filio, vel in solo Spiritu sancto: quanta in Patre simul, & Filio, & Spiritu sancto, nam, & Christus vna persona est, geminæ substantiæ, quia Deus, & homo est, nec tamen Deus huius personæ pars dici potest, alioquin filius Dei creuit cum homo diuinitati eius accessit. Quod si in vna persona absurdissime dicitur, quia pars rei vllius non potest esse Deus, quantomagis Trinitatis pars esse non potest quicunque vnus in tribus. Dicit pater genuisse alterum se, scilicet alteram personam, quę est hoc quod ipse est: dicuntur etiam pater, & filius diligere sese Spiritu sancto, id est, dilectione, quæ appropriatur Spiritui sancto, alioquin videretur sequi, quod pater, & filius essent à Spiritu sancto, cum idem sit Deo esse, & diligere. Denique nec pater dicitur sapere filio, sed seipso sapientia, scilicet ingenita, filius sapientia genita, licet per quasdam appropriationes attribuatur patri potentia, filio sapientia, Spiritui sancto bonitas, vel clementia, vel dilectio.

Pater fons diuinitatis.

Pater principium totius diuinitatis est, quia filius, & Spiritus sanctus ab illo, & ille à nullo est, ideoque legitur *solus non missus*, non propter naturæ diuersitatem, cum ibi nulla sit, sed propter auctoritatem, quia solus non habet auctorem, à quo procedat, vel à quo genitus sit. Neque enim splendor, aut calor ignem, sed ignis vtrumque mittit; & nota quod *cum persona sit natura rationalis, individua substantia*, in tribus tantum est personalitas. Vnde triplex est distinctio personalis: scilicet in Deo tantum, secundum originis conditionem, in angelo tantum, secundum qualitatem, in homine secundum vtrumque, quia, & secundum qualitatem vnus differt ab alio, & secundum originem, vnus est ab alio; sicut in personis diuinis, vbi hæc distinctio tripliciter variatur, aut enim est origo, & non habet originem, & sic est in patre, aut habet originem, & est origo, & sic est in filio, aut habet originem, & non est origo, & sic est in Spiritu sancto. Ecce distinctio personalitatis in tribus personis secundum tres differentias. Quarta vero differentia quæ faceret quartam personā, scilicet, quæ, nec esset origo, nec haberet originē, ibi esse non potest. Talis enim persona increata, creatura esse non potest, quia distinguibilis ab alijs non esset, sed hęc est diuina essentia, quę nec distinguit

Triplex distinctio personalis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nec diſtinguitur, ſed communiter congruit tribus perſonis. Notiones autem harum perſonarum ſunt, paternitas, filiatio, proceſſio; hæ ſolæ tres proprietates perſonales ſunt, quia, ſcilicet perſonas faciunt; adduntur, & aliæ duæ, ſcilicet innaſcibilitas, & communis ſpiratio, & ita quinque ſunt in vniuerſum, quarum tres inſunt perſonæ patris, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, ſpiratio communis, duæ vero filio, ſcilicet filiatio; & communis ſpiratio, vna autem Spirituiſancto, ſcilicet proceſſio. Appellantur autem plerunque notiones, quia notificant perſonas. Aliquando diſtinctiones, quia diſtinguunt eas. Quandoque etiam relationes, quia perſonas ad inuicem referunt. Aliquando vero proprietates, quia propriè perſonis inſunt, non autem accidentales tales ſunt, ſed in ipſis perſonis, ab æterno incommutabiliter ſunt. Nihil itaque de Deo ſecundum accidens dicitur, ſed quædam ſecundum relationem, vt paternitas, &c. quædam vero ſecundum ſubſtantiam, vt potentia, ſapientia, clementia.

Notiones perſonarum quæ?

De Potentia Dei, & Sapientia.

CAP. IIII.

DEus quidem omnipotens eſt, & tamen mori, vel falli vel vinci non poteſt, quin potius ſi huiuſmodi paſſionibus ſubijci poſſet omnipotens non eſſet; eius itaque omnipotentia in duobus apparet, ſcilicet, quia nec aliquid ad patiendum ei corruptionem valet inferre, nec ad faciendum quod vult impedimentum, afferre; itaque, & nihil omnino pati poteſt, & omnia facere poteſt, præter ea ſola quibus eius dignitas lædereretur, & eius excellentiæ derogaretur, in quo tamen minus potens non eſt, quia hoc poſſe, non eſſet poſſe, ſed non poſſe. *Vnde Auguſt.*

Omnipotentia Dei in quo conſiſtit?

Deus non poteſt facere iniuſta, quia ipſe ſumma iuſtitia, & non poſſe mentiri, magna Dei eſt potentia; in eius autem ſapientia quaſi in theſauro quodam reconditæ ſunt omnes inuiſibiles rationes eorum, quæ per eam fiunt, vel factæ ſunt, nec audeo dicere alio modo, hoc ei innotuiſſe cum ea feciſſet, quam illo, quo ea nouerat, vt faceret, apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio. Vnde ſi Dei ſcientiam vel præſcientiam tantum ad notitiam referamus, dicimus eam, non eſſe cauſam eorum, quæ fiunt, niſi talem ſine qua non fiunt. *Vnde Origenes. Non propter hoc aliquid erit, quia Deus id futurum ſcit, ſed quia futurum eſt; ideo ſcitur à Deo antequam fiat.* Si vero nomine ſcientiæ etiam diſpoſitio vel beneplacitum includitur, tunc recte poteſt eorum cauſa dici, quod Deus facit. *Vnde Aug. ideo ſunt quia nouit*, id eſt, quia ſcienti placuit, vel quia ſciens diſpoſuit, ſcilicet, vt eſſent; itaque præſcientia Dei hominem non cogit, vt talis ſit, qualem Deus eum præſciuit. Omnes autē huiuſmodi locutiones duplices ſunt, (aliter non poteſt fieri quam Deus præſciuit, & conſimiles.) Si enim intelligantur coniunctim, vt conditio ſit implicita, ſic, ſcilicet non poteſt aliter fieri qua Deus præſciuit, id eſt non poteſt ſimul eſſe vtrunque, ſcilicet, quod Deus præſciuerit ita fieri, & aliter fieri verum eſt: Si autem diſiunctim, vt dicatur hoc aliter euenire non poſſe quam euenit, ſicut Deus futurum præſciuit, falſum eſt.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio verò, eſt gratiæ præparatio, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt. Sicut autem prædeſtinationis effectus eſt gratia in præſenti, & gloria in futuro; ſic reprobatio Dei ſecundum duo conſideratur, quorum alterum præſcit, & non præparat, ſcilicet iniquitatem, alterum præſcit, & præparat, ſcilicet pœnam æternam. Verum eſt autem vno modo, quod ait Aug. numerum electorum non poſſe augeri, vel minui, quia non poteſt vtrumque ſimul verum eſſe, ſcilicet, vt aliquis ſaluetur, & non ſit prædeſtinatus, vel etiam, vt aliquis prædeſtinatus ſit, & damnetur, intelligentia enim conditionis implicitè veritatem facit in dicto. Si autem ſimpliciter intelligatur, falſum eſt; nam, & prædeſtinatus poteſt damnari, & reprobus poteſt ſaluari: non eſt autē ita populis prædicanda prædeſtinatio, vt dicatur ſiue dormiatis, ſiue curratis: (quod vos fore præſciuit, qui falli non poteſt) hoc eritis. Sed dicendum; *ſic currite, vt comprehendatis*: atque hoc ipſo curſu veſtro, ita vos prægnitos eſſe noueritis, vt legitime curratis.

De voluntate Dei, & iuſtitia & miſericordia.

CAP. V.

VOluntas Dei ſumma, & prima cauſa eſt omnium rerum, nihil enim fit, quod non de interiori, & intelligibili aula ſummi imperatoris egrediatur: impletur autem ſemper voluntas Dei, vel à nobis, quando benefacimus, vel de nobis quando peccamus, multiq́ue eam peragunt, vnde mutare contendunt, quia hoc eius diſpoſitioni militat, quod per humanum ſtudium hæc reſultat. Voluntas tamen Dei dupliciter ſumitur, propriè quidem dicitur voluntas beneplaciti, quæ in ipſo eſt, & eius eſſentia eſt, hęc quidem vna eſt, & inexpleta eſſe non poteſt, vnde omnia quæcumque voluit, fecit. Impropriè autem ſignum beneplaciti, & hæc multiplex eſt, & inexpleta ſemper remanet, quia fallere ſigna ſolent, ſcilicet præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, operatio, *vnde verſus,*

Voluntas Dei.

Voluntas Dei duplex.

Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.

Porro miſericordia, & iuſtitia in ipſo conueniunt abſque vlla diſſonantia, nam & cum malos punit iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit, & cum malis parcit iuſtum eſt, quia bonitati ſuæ condecens eſt: parcendo igitur malis iuſtus eſt, non ſecundum nos, ſed ſecundum ſe id eſt non quia reddat debitum, ſed quia facit quod decet ſummum bonum, miſericors autem ſecundum nos, non ſecundum ſe, quia ſcilicet non ſentit compaſſionis affectum, ſed nos effectum, ſic itaque ſine repugnantia, & iuſtè punit, & miſericorditer parcit.

Quod Deus malorum non ſit author, ſed ordinator omniumque rerum creator, & gubernator.

CAP. VI.

MAli quidem actor Deus non eſt, à quo in nullo deficere bonum, deficere verò malum eſt, nec vllo modo in regno ſuo mala fieri fineret, niſi adeò potens, & bonus eſſet, vt etiam de malo benefaceret, nam quod fit ab homine propria voluntate per culpam, ordinatur illius æquitate per pœnam, rectęque vtitur etiam voluntatibus malis, cum illæ abutuntur naturis bonis: præterea & mala voluntas grande teſtimonium eſt naturæ bonæ, nō enim eſſet vitium recedere à Deo, niſi naturæ, cuius id vitium eſt; potius competeret eſſe cum Deo, & iterum vitium contra naturam eſt, quia naturæ nocet, nec noceret niſi bonum eius minueret. Hinc etiam maximè commendatur, quale bonum Deus eſt, quando nulli ab eo recedenti bene eſt. Item mala, quæ ab iniquis fideles perferunt, ipſis vtique proſunt, vel ad demenda peccata, vel ad exercendam probandamque iuſtitiam, vel ad demonſtrandam huius vitæ miſeriam, adeo quoque Deus electis ſuis omnia cooperatur in bonum, vt ſi qui eorum peccando deuiant, hoc ipſum eis cedere faciat ad profectum, dum ſcilicet humiliores redeunt, & feruentiores, timoratiores, prudentiores, & cautiores fiunt. Item contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo decenter contexitur, iuxta illud, *contra malum bonum, &c.* Nam ſicut in pictura color albus pulchritudinem reddit picturæ, cum colore nigro loco ſuo bene ordinato, ſic vniuerſitas rerum (ſi quis intueri poſſit) etiam cum peccatoribus pulchra eſt, licèt per ſe conſideratos ſua deformitas turpet,

Deus non eſt author peccati.

Quomodo Deus omnia gubernat.

omnium autem, quæ sunt, solus Deus creator est: & omnium gubernator. Nam in superna cęlesti curia Dei volũtas in spiritibus summa pace copulatis, & in vnam voluntatem quodam charitatis igne conflatis, tanquam in secreta sede præsidet, & inde se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffunditur, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, & sicut crassiora, & inferiora corpora per subtiliora, & superiora quodam ordine reguntur: sic omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, & pium, & iuitum, & ille per ipsum Deum, sicque vniuersa creatura per creatorem suum, nihil enim fit visibiliter ac sensibiliter, quod non de interiori, & inuisibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum, aut pænarum, gratiarum, aut retributionum. Mouet itaque creator spiritus seipsum sine tempore, & loco; mouet & spiritum conditum per tempus sine loco, mouet & corpus per tempus, & locum. *Stabilisque manens dat cuncta moueri.*

Qualiter Deus sit in rebus.

Cap. VII.

Immensitas Dei.

NOn enim Deus loco continetur, nec tempore variatur, nec alicubi est, quia corpus non est, sed omnia in ipso, & ipse in omnibus non partialiter diuisus, sed vbique totus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non depressus, vbique nẽpe est per diuinitatis præsentiam, in sanctis autem familiariter per inhabitationis gratiam, propter quam non dicimus, pater noster qui vbique es, licèt & hoc verum sit, sed qui es in cælis, id est in sanctis quodam scilicet excellentiori modo. Cælum autem, quod dicitur Trinitatis, non est aliquis locus corporeus extra mundum vel intra, scilicet vbi habitet Trinitas, sicut Angeli in Empyreo, sed est ipsa Trinitatis excellens maiestas, quæ vbique est, & omnia implet, & continet, & excedit, ac superat omnia, non loci positione, sed naturæ dignitate, & omnipotentiæ sublimitate. Vnde Lucifer ait, *In cælum conscendam*, id est ad æqualitatem Dei ascendam.

Quomodo Deus est in rebus.

Sciendum est igitur, quòd Deus incommutabiliter in se existens, præsentialiter, essentialiter, potentialiter, est in omni natura sine sui diffinitione, & in omni loco sine circumscriptione, & in omni tempore sine sui mutabilitate, & præterea in sanctis spiritibus, & animabus est excellentius, scilicet per gratiam inhabitans, & in homine Christo excellentissime, scilicet non per gratiam adoptionis, sed per gratiam vnionis.

Quinque modis dicitur Deus in rebus.

In summa nota, quod quinque modis dicitur Deus esse in rebus, scilicet per naturam, per gratiam, per gloriam, per vnionem, & per loci circumscriptionem. Per naturam tripliciter, scilicet potentialiter presidendo, præsentialiter cognoscendo, essentialiter sustentando. Per gratiã tripliciter, inhabitatione vt in iustis, efficacia vt in Sacramentis, mysterio vt in columba. Per gloriam tripliciter, scilicet in vi rationabili, inquantum est veritas; per cognitionem: in concupiscibili, inquantum est bonitas; per delectationem: in irascibili, inquantum est potestas, vel maiestas; per reuerentiam. Per vnionem tripliciter, scilicet ad humanam naturam in Christo, ad carnem tantum in sepulchro, ad animam tantum in inferno. Per loci circumscriptionem siue per præsentiam corporalem tripliciter, scilicet in vtero virginis per conceptionem; in mundo per eruditionem; in cœlo per dextræ patris confessionem.

Epilogus de mundi creatione.

Cap. VIII.

Deus inuisibilis quomodo visibilis?

HIc Deus cum sit natura inuisibilis, vt etiam à visibilibus sciri posset, opus fecit, quod opificem sua visibilitate manifestaret, mundum scilicet vnicum, vt exemplari cuius æmulationem intuebatur in numero simul esset, fecit autem eum vt potens, maximum, vt sapiens, pulcherrimum, vt bonus, vtilem *, & in suo genere optimum, diuersis rerum gradibus ordine congruo distinctum, si enim omnia fecisset æqualia vnicum esset genus bonorum, non omnia bona. Nunc autem ideo singula bona sunt, & omnia simul valde bona, quia sunt alia alijs meliora, & bonitas inferiorum addit laudibus superiorum.

**manuscrip. habet humiliem.*

Stupenda dispositio vniuersi.

Ea verò, quæ peccando proprium decus amittunt, vt non sint etiam ipsa rectè ordinata cum vniuerso bona, nullo modo efficiunt. Nihil etiam vniuersaliter est naturæ contrarium, quia quod vni præter naturam, alij naturale est, itaque laudabilis quidem est mundus pro suis quibusque speciebus, sed multo laudabilior ex harmonia omnium, & compage vniuersorum, in quo summè est stupenda ex contrarietate concordia, dum inter se inuicem diuersa sunt & ad vnius mundi perfectionem cum singulis cuncta conueniunt. Cumque ibi sunt vbi esse per naturæ ordinem debent quantum acceperunt, suum esse custodiunt, pax enim omnium rerum est tranquillitas ordinis, ordo autem est parium dispariumque rerum sua cuique tribuens dispositio?

Omnis igitur natura, quoniam est, & ideo modum suum, & speciem, & quandam secum pacem habet, bona est: malum autem nihil aliud est, quam corruptio modi vel speciei, vel ordinis naturalis. Intelligimus autem mundum factum non in tempore, sed cum tempore, nec Deum in eum faciendo consilium, aut voluntatem mutasse. Cumque dicimus Deum aliud facere, non aliquem illi in operando motum intelligimus inesse, sed eius æterna voluntate aliquid nouiter existere absque ipsius agitatione, vt actus propriè dici non queat, cum actus omnis in motu consistat. Sicut ergo ex calore solis contingit aliqua fieri, nulla tamen in ipso vel in eius calore facta mutatione vel motione, sic ex Dei voluntate noua habent esse sine actoris mutatione. Solius autem Dei est vbique, & secundùm idem operari differenter, ipse est, & creator, & opifex, & factor, sed primum sibi proprie retinuit, reliqua verò creaturis communicauit.

Epilogus de creatione Angelorum.

Cap. IX.

Angeli sunt desin, siuè in loco, sed non circumscripti d. mensionibus.

INter hæc autem quæ creauit, primum fuit cœlum empyreum mox Angelis suis repletum, & informis materia quatuor elementorum. Sunt quidem omnes Angeli circũscriptibiles suo modo, quia scilicet spiritualis creatura concluditur diffinitione, vel termino loci, cum ita sit alicubi, quod non alibi, non autem, quia dimensionem recipiat, & distantiam faciat sicut corporalis, quia si multi spiritus hic essent locum non coangustarent, quominus de corporibus contineret. Ideoque Augustinus mutationem loci corpori attribuit non spiritui, quia licet spiritus transeat de loco ad locum, non tamen ita vt dimensionibus circumscriptus, interpositione sui faciat distantiam circunstantiæ, sicut corpus. Ob hoc etiam esse possent infiniti spiritus in minimo loco, nec tamen vnus esset in altero, sed omnino ab inuicem discreti essent, quia spiritus locum non replent, nec quanti sunt quantitate; sed virtute, & ad hoc valet exemplum de luminibus corporalibus, quæ vno loco comprehendi possent infinita, cuncta tamen ab inuicem discreta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Descriptio Angeli eiusque quatuor attributa.

Prima imago Dei Angelus est, scilicet *substantia intellectualis semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundum gratiam non natura immortalitatem suscipiens.* Angelis ab initio quatuor videntur esse attributa, scilicet essentiæ subtilitas, rationis perspicacitas, liberi arbitrij facultas: & personalis discretio, in qua sola differunt ab anima humana. Creati sunt autem, nec miseri, nec beati, quia euentus sui fuerunt ignari, necdum etiam habebant charitatem, sed naturaliter, amore concupiscentiæ, diligebant Deum super omnia; scilicet in ipso delectando super omnia, amore vero amicitiæ seipsos super omnia, scilicet volendo sibi bonum super omnia: natura enim sibi amica est, & motus eius circularis est, nec ideo sequitur, quòd fruerentur se, quia frui est delectari, quod est tantum in amore concupiscentiæ.

De lapsu malorum, & confirmatione bonorum.

CAP. X.

Cur cecidit de calo Lucifer?

ITaque Lucifer omni lapide precioso opertus, & ornatus, quia in aliorum comparatione præclarus, eminentiam naturæ suæ perpendens, & profunditate scientiæ in tantum superbiuit, quod etiam Deo æquare se voluit, sicque factus; statim à veritate se auertit, & beatæ vitæ dulcedinem non gustauit, itaque cecidit non ab eo tantum, quod accepit, sed ab eo, quod acciperet si Deo subdi voluisset. Cadens autem ille draco, *tertiam partem stellarum secum traxit*, id est multitudinem Angelorum, quæ sibi sponte, & absque vlla suggestione in malitia consensit. Omnes igitur hi sua potestate delectati, velut summum bonum sibiipsis essent, à communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt, & habentes elationis fastum pro excellentissima æternitate, vanitatis astutiam; pro certissima veritate, studia partium; pro indiuidua charitate, superbi, fallaces, inuidi, facti sunt, & in malitia obstinati nocendique auidissimi atque callidissimi: & alij alijs vitijs præsunt, & in hunc aërem caliginosum detrusi iugiter humanis sensibus insidiantur; homines ad peccandum prouocant, quosdam etiam corporaliter vexant, somniorum imagines nociuas imprimunt, falsis transmutationibus, & fantasmatibus etiam vigilantes illudunt: per eos artes magicæ, & diuinationes exercentur; assidentes simulacris, cultores suos falsis oraculis decipiunt, aliquando tamen & vera prædicunt, vt ea, quæ ipsi facturi sunt, vel quæ signis naturalibus futura prænoscunt, vel quæ de dispositionibus hominum per exteriora signa deprehendunt; plerunq; tamen cum suis prædictionibus falluntur, & fallunt, humoribus corporis ad malum suggerendum se miscent, nonnulli etiam mulieribus importuni ad coitum esse solent. In his alij alijs prælati sunt, & in ipsis quoque quibus oblectantur vitijs concordes esse non possunt.

Malitia malorum Angelorum quanta?

Triplex malum in Angelis malis.

Est autem in eis malũ triplex, scilicet furor irrationalis, amens concupiscentia, fantasia proterua. Dum autem isti per inuidiam à creatore auersi sunt, & in malo obstinati, cæteri ad eundem per gratiam adiuti conuersi sunt, & in bono confirmati. Hos itaque humiliter sibi adhærentes, Deus seipso beatificans iuxta capacitatem singulorum spiritualibus charismatibus repleuit, & pro varia munerum dignitate diuersis ordinum gradibus distinguens, per tres hierarchias decenter ordinauit.

Confirmatio bonorum Angelorum.

De distinctione nouem ordinum.

CAP. XI.

Cur nouem ordines Angelorum cælestium?

EST autem ordo cælestium spirituum multitudo quæ inter se in aliquo gratiæ munere famulantur: sicut in naturalium datorum munere conueniunt: Verbi gratia. Seraphin dicuntur, qui charitate præ alijs ardent. Cherubin, qui scientia præ alijs eminent. Throni in quibus Deus sedens iudicia sua decernit: vel ipsimet ea, sedentes exercent. Dominationes qui prælatos qualiter subditis dominari debeant, docent, & principatus transcendunt. Principatus autem sunt, qui sibi subiectis, quæ sunt agenda disponunt. Potestates qui virtutes aduersas refrenant, ne tantum homines tentare valeant, quantum desiderant. Virtutes, per quos signa & miracula frequenter fiunt. Archangeli qui maiora nunciant. Angeli, qui minora; & omnia quidem dona omnibus insunt, non tamen æqualiter, dumque superiores ordines sublimius & perfectius dona omnia perceperunt, ex præcipuis tamen, vocabula sortiti sunt, inferioribus ad cognominationem cætera relinquentes. Verbi gratia, maius donum est charitas, quàm scientia, & maius est scire, quàm iudicare: quia scientia iudicium informat: & sic de alijs: assignatur ergo excellentia ordinum secundùm excellentiam donorum. Quod autem ait Greg. *Vnusquisque ordo eius rei censetur nomine, quam plenius accepit in munere:* Sic intelligi potest vt referatur comparatio, non ad omnes ordines, sed ad quosdam, scilicet ad inferiores: nec etiam nominatur quilibet ordo ab omni re, quam plenius accepit, sed ab aliqua re: potest referri comparatio, non ad ordines, sed ad alia dona, nec ad omnia, sed ad quædam, fortassis enim & Angeli sicut homines quibusdam donis magis pollent, & alij minus.

De triplici hierarchia cœlesti in qua refulget imago supercælestis.

CAP. XII.

Nouem ordines per triplicem hierarchiam colliguntur.

SIc autem ordines per tres hierarchias colliguntur, vt in vnaquaque, tresordines contineantur. Prima & suprema dicitur epiphania, media hyperphania, vltima hypophania. Epiphania igitur est superior manifestatio ministerij incalescentis affectionis altioris intuitus, iudicijq; libera resultatio distributa. Hyperphania est media manifestatio id est diuina cognitio sui participem insigniens scalari reuerentia, vsumque edocens eiusque arcens contrarium. Hypophania, id est, subterior manifestatio, est diuinum participium naturæ legibus currens, arcana reserans, per discretam capacitatem. Est autem Hierarchia rerum sacrarum & rationabilium ordinata potestas in subditos debitum retinens dominatum. Item Hierarchia est ordo diuinus, & scientia & actio, deiforme quantum possibile est similans ad illuminationes ei inditas proportionabiliter, in Dei similitudinem ascendens. Hæc tria referuntur ad tres Hierarchias. Scientia scilicet ad primam, quia in hac prima tria dona intelliguntur, eo quòd ipsa discernit, & prælegit: & ita diligit. Ordo diuinus id est ordinata potestas ad mediam: quia principatus & dominatio & potestas omnia sunt potestatis vel ordinis. Actio ad tertiam: quia virtutum est exercere miraculosas actiones. Archangeli quoque & Angeli frequentius mittuntur ad agendum circa nos: hoc autem dico, non secundùm ordinem Dionysij: sed Gregorij: & aliorum qui ponunt virtutes in tertia Hierarchia. Aliter ordo diuinus refertur ad patrem id est ordinata potestas: Scientia ad filium: Actio ad spiritum sanctum: ideo enim & Angeli per tres Hierarchias, & singulę Hierarchiæ per tres ordines distinguuntur: vt super cælestem Hierarchiam, quæ est trinitas personarum: non solum in essentia munerum acceptorum: sed etiam in numero sacrato ternarij: & in omnibus quantum possibile est: Dei similitudinem imitari ostendatur.

Ardent igitur Seraphin sed igne diuino. Lucent Cherubin: sed veritatis participio. Sedent Throni & iudicant: sed insidentis beneficio: & ita de alijs. Hæc igitur omnia contulit illis spiritibus eorum conditor summus spiritus: diuidens singulis prout voluit: hæc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

operatur in illis: hæc dedit etiam operari illis: in alijs amantem ſe exhibens: in alijs agnoſcentem: in alijs alia facientem. Itaque Deus amat, vt charitas: nouit vt veritas: ſedet, vt æquitas: dominatur, vt maieſtas: regit vt principium: tuetur vt ſalus: operatur vt virtus: reuelat vt lux: aſſiſtit vt pietas. In prima igitur Hierarchia refertur æquitas Throni ad patrem: cognitio Trinitatis ad Filium: ardor amoris ad Spiritum ſanctum. Similiter in ſecunda maieſtas dominationis ad patrem: rectitudo principandi ad Filium: ſalus in tuendo poteſtatiue ad ſpiritum ſanctum. In tertia quoque operatio virtutum ad patrem: reuelatio lucis ad filium, inſpiratio intellectus ad Spiritum ſanctum.

De Miniſterio Angelorum.

Cap. XIII.

Cur Angeli mittuntur in miniſterium?

OMnes autem mittuntur in miniſterium propter ſalutem hominum: & propter ipſorum meritum: & etiam propter Angeli & hominis mutuum amorem: & vt agnoſcat homo dignitatem ſuam: diſcatque ſanctam ſuperbiam. Vnde eſt illud. *Videte ne contemnatis &c.* Ex his ſunt Angeli prouinciales ſingularum gentium diſpenſationi prælati, alij vero perſonales ſingulis animabus ad cuſtodiam deputati. Habet enim homo poſt peccatum duplex nocitiuum, ſcilicet fomitem intra, & dæmonem extra: ideo duplicem cuſtodiam prouidit ei Deus, ſcilicet gratiam contra fomitem, Angelum contra dæmonem. Item placuit miſericordi Deo homini à facie eius in hoc exilium expulſo contra tres hoſtes: eiuſdem naturæ tres conferre cuſtodes, ſcilicet contra diabolum, Angelum bonum, contra carnem, carnis dominicæ paſſionem, contra mundum orationes, & exempla ſanctorum, qui de mundo aſſumpti ſunt ad regnum. Hi ergo ſcilicet Angeli cuſtodes animarum, magna cura circa nos intendunt. Bonas cogitationes in nobis tripliciter immittunt, ſcilicet exteriora ſenſibilia immutando: vt ex eis eliciatur bona cogitatio; bonas effigies imaginationi vtiliter imprimendo, intellectum ad diuinum lumen recipiendum præparando, ſcilicet impedimenta remouendo, vel excitando: & huiuſmodi. Soliciti quoque inter Deum & nos medij diſcurrunt; gemitus noſtros, & omnia bona noſtra facta, vel dicta, vel cogitata, fideliter ad Deum deportant: exultant, & gratias agunt. Conciues enim ſuos diligunt, eiſque congaudent, confortant, inſtruunt, protegunt, & in omnibus prouident. Ipſi enim aduentum noſtrum deſiderant: quia de nobis reſtaurari ciuitatis ſuæ ruinas expectant, quamobrem cum magno tripudio interſunt pſallentibus: quieſcentibus proſunt. Denique etiam animas eorum portare dicuntur in Paradiſum, & hoc quadrupliciter: videlicet, quia eas ad bonum prouocant: per quod illuc aſcendunt: item quia ad gaudium paradiſi deſiderandum, in articulo mortis eas affectu prouocant, & accendunt, ita quod poſtpoſito naturali affectu, quem habent erga corpus, libenter exeant: item quia dæmones arcent: ne eas exeuntes impediant: item quia quaſdam priuilegiatas etiam aſſumpto corpore, viſibiliter in cœlum deferunt, vt animam beati Benedicti & beati Martini.

Duplex hominis poſt peccatum nocitiuum.

Cura Angelorum erga humanum genus quanta?

Angelus non videt cogitationes hominum.

Animæ autem degentis in corpore non videt Angelus ex natura ſua cogitationes: ſicut nec Diabolus: quia anima mortali corpore inſerta non eſt cognoſcibilis actiuè vel paſſiuè niſi per corpus. Vnde nec Angelus cognoſcit interiora eius, niſi per geſtum, & habitum corporis: vel ex virtute ſpeculi illuminantis. Angeli cum ad homines miſſi veniunt ex myſterijs ſuis nomina trahunt, vt Michael, Gabriel, Raphael. Michaeli quatuor ſpecialiter attribuuntur, ſcilicet quòd pugnat cum dracone, id eſt diabolo, quòd venit in adiutorium Dei populo, quòd animas defert in paradiſum cœli, quòd eſt præpoſitus Paradiſi id eſt militantis eccleſiæ, quæ ante paſſionem domini fuerat, ſynagogæ.

Officia Michaelis.

De Præmio & merito, & ſcientia eorum.

Cap. XIIII.

LIcet autem in miniſterium mittantur Angeli, ſemper tamen faciem patris vident, & ſemper videre deſiderant, vt enim non ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur. Ne autem ſit in ſatietate faſtidium ſatiati deſiderant, hæc eſt eorum beatitudo, de qua quibuſdam placet, quod eam meruerunt per gratiam, quam in confirmatione perceperunt, nec meritum tempore præceſſiſſe præmium, ſed cauſa, dicunt. Alijs videtur, quod tunc non fuit eis gratia data ad merendum, ſed ad bene viuendum. Quod autem tunc in præmium acceperunt per obſequia nobis exhibita ex Dei obedientia ac reuerentia mereri dicunt & ita præmium præceſſit meritum, & hoc mihi placere fateor: exemplum accipi poteſt de patreſamilias, qui dat alicui ſeruienti centum ſolidos, pro miniſterio, quo ſeruiturus eſt ei per vnum vel per plures annos: ſic Angeli pro præmio iam accepto ſeruient ei vſque ad diem iudicij: ante confirmationem verò; gratiam tunc ſibi datam non meruerunt, quia iam non eſſet gratia, niſi eſſet gratis data. Poteſt tamen dici, quod ipſum ſtare fuit eis loco meriti, quia dum fecerunt, quod erat in eis, congruum fuit, vt daretur eis, non tamen debitum, quia ſine gratia non eſt vere meritum; & ita meruerunt eam quodam modo. ſ. merito congrui non condigni; licèt autem in confirmatione beatitudinem acceperint æternam, atque perfectam, augetur tamen in eis quotidie, quia magis ac magis cognoſcunt, & diligunt, & ipſa charitas eſt eis, & meritum, & præmium, quia & per eam proficiunt, & in ipſa beati ſunt, non enim ideo beati non ſunt, quia conſummationem præmij ſui futuram expectant, quia licet non eis ſuccedant omnia, quæ optant habere in futuro, tamen omnia ſuccedunt quæ optant habere modò, nec iſtud deſiderium eos affligit dilatione, ſed potius lætificat expectatione.

An meritum Angelorum præceſſit præmium?

Scientia temporalium vilis reſpectu cognitionis Dei.

His omnis temporalium ſcientia, qua dæmones inflantur vilis eſt, quia Dei charitas, qua ſanctificantur chara eſt, pro cuius amore ſancto, omnia quæ infra ſunt ſeque ipſos inter illa deſpiciunt, & ideo etiam certius iſta nouerunt, quia cauſas eorum principales in Dei verbo conſpiciunt, quibus, ſcilicet cauſis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur: illic ergo in æternis ſapientiæ Dei legibus mutationes temporum præuident, eiuſque voluntatem ſpiritus eius participatione cognoſcunt, & futura niſi Deo reuelante non nouerunt. Quod autem ait Greg. *Quid eſt, quod ibi neſciant vbi ſcientem omnia ſciunt;* accipiendum eſt de his, quæ cognitione ſui cognitorem ſuum beatum faciunt. Gaudium verò, quod de conuerſione peccatoris habent, non eſt gaudium, niſi per accidens ſcilicet quia per bonitatem quæ eis in præmium data eſt, de bono hominis gaudent, & licet incipiant aliquando gaudium illud non habere, ſcilicet quando incipit homo peccare, non tamen dicuntur aliquid de hoc amittere, quia eadem diſcretione, qua prius gaudebant, modo non gaudent, nec de illius ſubuerſione dolent, & forte loco illius gaudij æquipollens vel maius habent ſcilicet de gratulatione diuinæ iuſtitiæ dum agnoſcunt qua cauſa permittat illum cadere.

De locutionibus eorum ſpiritualibus.

Cap. XV.

ANgelorum autem locutio ſpiritualis, qua ſibi inuicem oſtendunt affectus ſuos; & intellectus, de his rebus quarum cognitio non erat in eis à principio duplex eſt. Vna ſecundùm naturam ſuam, in qua communicant boni, & mali Angeli, ſcilicet cogitatio directa per voluntatem oſtendendi alteri ipſum cogitatum vel intentum, non enim in Angelo loqui eſt cogitare

Locutio Angelorum qualis?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gitare tantum vel intelligere, sed cogitatum vel intentum aliqua luminositate irradiante, alij voluntarie exprimere, & quod vni exprimitur, non semper ab alijs intelligitur, nisi ille velit qui loquitur. Alia verò per gratiam scilicet secundum virtutẽ speculi siue motoris supremi, in qua communicant Angeli boni tantum & animæ sanctorum. Vnicuique enim innotescit intellectus vel voluntas alterius secundum speculi representationem, & ipsius motoris supremi voluntatem, qui ostendit cui vult, & quantũ vult. Non enim omnes Angeli omnia vident in speculo, sed hæc plena reuelatio reseruatur plenitudini gloriæ, qua consummabitur eorum præmium in futuro.

Quomodo loquitur Angelus animæ

Ad animam quoque loquitur Angelus bona suadendo sine medio corporali cooperante, vel impediente, quadam virtute occulta, intentionem suam ei imprimendo; sic magnes attrahit ferrum etiamsi interponatur argentum: & etiam imagines imprimendo incitantes ad bonum, sicut diabolus ad malum.

Quomodo loquitur Deo?

Est autem tertia locutio qua vtuntur Angeli dominum laudando, scilicet secundùm intellectum, & secundum affectum, quia intellectus comprehendit secundùm modum suum, & miratur bonitatem Dei, & affectus consentit, & adhæret, & conformat se ei; vnde ijs laudare Deum, est bonitatem Dei cognitam protestari, & cognitio quidem pertinet ad intellectum, protestatio verò ad effectum.

De Materia informi huius mundi sensibilis.

Cap. XVI.

Materia prima informis.

ILen Græci primam rerum materiam dicunt nullo modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem, qua visibilia hæc elementa formata sunt, quæ sibi quadam concordia, & communione conueniunt, nam sic inter se naturali ratione iuncta dicuntur, vt ignis quidem in aerem desinat, aer in aquam densetur, aqua in terram crassescat, rursusque terra diluatur in aquam, aqua rarescat rursus in aerem, aer extenuetur in ignem: quapropter omnia elementa omnibus insunt, sed vnumquodque eorum ex eo, quod amplius habet; accepit vocabulum, hæc singula proprijs qualitatibus, quasi quibusdam brachijs se inuicem tenent, & discordem sui naturam concordi fœdere vicissim commiscent. Nam terra frigida, & arida, frigidæ aquæ connectitur: aqua frigida, & humida aeri humido astringitur: aer humidus, & calidus; calido igni associatur: ignis calidus, & aridus aridæ terræ copulatur. Ex his terra vtpote grauissima; imum, ignis vtpote calidissimus, supremum locum obtinet, alia duo medium quasi soliditatis vinculum quoddam, quorum aqua grauior proximum terræ, aer leuior igni proximum locum possidet. Deputantur vero terræ gradientia, aquæ natantia, aeri volantia, igni radiantia.

Concordia, & discordia elementorum.

Augustus. *super Genesim;* probat ordinem naturalem elementorum ad oculum in hunc modum. Primo, quod aqua sit superior terra, patet ex hoc, quod terra non potest stare super aquam, nam si super eam iaciatur, ea perrupta demergitur, & pergens ad terram ibi quasi in loco proprio conquiescit, aerem verò superiorem esse aqua, hinc patet quia nullum vas ab ore impressum aquis repleri valet: Videtur enim vas esse vacuum, sed aere plenum esse probatur, cum ore imo in aqua deprimitur, nam quia superius non inuenit locum exeundi, nec inferius irruptis aquis subter eas eum ire natura permittit, plenitudine sua repellit eas, nec in vas intrare finit. Cum autem vas ita collocatur, vt non habeat os deorsum, sed in latus inclinatum, tunc intrat aqua inferius, aere exeunte superius. Hinc etiam probatur nihil esse vacuum. Ignem quoque naturaliter aerem velle transcendere patet ex hoc, quia si quis accensam faculam capite deorsum teneat, nihilominus flammæ crinis adsuperiora conscendit, sed constipatione aeris circumfusi, & superfusi superatus extinguitur, & in eius qualitatem commutatur.

Natura non admittit vacuum.

Epilogus de operibus sex dierum.

Cap. XVII.

ITaque duo creauit Deus ante omnem diem scilicet Angelicam naturam, & materiam mundi informem. Mundum autem istum visibilem fecit Deus de informi materia per sex dierum distinctionem, quæ .s. distinctio dupliciter accipitur, vel secundum Aug. in Angelica cognitione, vel secundum alios doctores in temporis successione. Nam secundum opinionem Aug. omnia simul in forma, & materia creata sunt, & nomine cæli, & terræ intelligitur informitas spiritualis, & corporalis creaturæ; cuius conuersionem siue formationem tanquam à digniori, Moyses incipit explicare, cum dicit. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, id est per verbum suum vitam informem spiritualis creaturæ, quæ prius vocabatur tenebræ, vel abyssus, ad principium suum reuocauit, vt ex ipso formam sapientiæ capiens, fieret lux; in nac luce veritatis, Lucifer non stetit, sed ei subijci nolens ad tenebras suas relapsus cecidit, sicque Deus lucem Angelicam approbans, & confirmans, à tenebris his loco & merito diuisit. Hæc autem creata lux statim in ipsa conuersione, & illuminatione sua, contemplata est in luce creante rationes omnium creaturarum, quas Philosophus ideas vocauit; nihilominus etiam in eodem instanti res ipsas creatas in generibus proprijs agnouit, sed prima cognitio, quia clarior, & maior; dicitur matutina, secunda quia minor, vespera, siue vespertina; prima etiam rectè precedit secundam, quia Angeli non per creaturas agnoscunt creatorem, sicut nos; sed potius èconuerso, vtramque enim præcedit ratio rei cuiuslibet existens in verbo ab æterno. Vbicumq; ergo de quolibet opere dicitur, dixit Deus, *fiat*, intelligitur ratio operis in verbo. Cum autem subditur *& factum est*, intelligitur cognitio eiusdem rationis facta in Angelo. Cum verò additur, *& fecit Deus*, factura ipsius operis in genere proprio intelligitur: itaque prius in æterna ratione cognoscit Angelus vniuersam creaturam tanquam in sua vera luce, & ob hoc tanquam in mane. Deinde ipsam in proprio genere in quo naturaliter tenebrescit, & deficit lux eius, quia in nihilum tendit cum ex nihilo fit, & ob hoc tanquam in vespere; sed continuò fit mane, quia non remanet Angelus in eo, quod creatum est, ei per delectationem adhærendo, sed statim refert illud ad laudem eius in quo id faciendum esse cognouit, & ibidem percipit cognitionem alterius rei faciendæ in qua veritate stans; dies est. Nam si vel seipso vel alia creatura plusquam illa luce delectaretur, eo ipso tenebrescerer, & de die nox fieret, sed quia semper lucem illam omnibus præponit, ideo per omnes sex dies nox nusquam nominatur, sed post vesperam statim mane subiungitur; & sic dies vnus, deinde secundus, & tertius, & sic vsque ad sextum propter senariam distinctionem operum. Dies autem vnus, & non primus dicitur ad commendationem vnitatis Angelorum, qui concordissimè luci veritatis adhærent, & ei obediunt. Quibus mirabili fœlicitate semper est dies; immo meridies, quia semper Deum clare vident, & eius amore feruent: semper mane, quia vident rationem cuiusque rei faciendæ in speculo: semper vespera, quia vident quamlibet creaturam in genere proprio. Vnde Dauid, *vespere, & mane, & meridie, &c.*

Quid per lucem intelligatur cum dixit Deus fiat lux?

Adhuc de eodem.

Cap. XVIII.

IDeo autem propter senarium numerum, scilicet perfectum, explicatur creatio rerum, vt ostendatur, quòd Dei perfecta sunt opera, cuius, scilicet numeri, partes constitutiuæ vnum, & duo & tria sunt quæ etiam gradatim in trigonum surgunt. In requie verò diei septimæ intelligitur Deus in conspectu Angelorum requie-

Numerus senarius perfectus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

requieuisse, non nisi in seipso, vt scilicet illa lux Angelica, quæ cognoscendis eius operibus tanquam dies, cum vespera præsentata est, nihil melius esse cognosceret, quàm illum qui ab omnibus operibus suis in seipso requiesceret, quia nullo eorum vt sit beatior indiget, & hæc septima cognitio, quia vesperam non habuit (cum non de creatura, sed de creatore sit) ideo benedici, & sanctificari meruit. Denique omnia, quæ à principio Geneseos enarrantur vsque ad locum illum vbi legitur. (*Fons ascendebat de terra, &c.*) arbitratus est Augustin. non in tempore, vel per tempora, sed in radice temporum fuisse facta; exinde verò scripturam explicare temporum volumina. Aliter etiam idem doctor hos septem dies exponit, diem intelligi volens cuiuslibet rei creatæ speciem, noctem verò eiusdem speciei priuationem, vespere autem conditionis perfectæ terminum, mane verò sequentis exordium. Septima dies mane habet, & non vesperam, quia perfecta creatura quoddam habet initium suæ conuersionis ad quietem sui creatoris, in quo pro sui generis modulo stabilitur, vt quiescat, id est vt momenti sui ordinem teneat; sed alij doctores communiter tradunt, quòd per interualla sex dierum opera illa Dei primaria facta sunt.

cap. 2. vers. 6.

De Opere primæ diei.

CAP. XIX.

PRima ergo die ipse qui est vera lux qui lucem diligit, & omnia in luce facit, rectè mundi fabricam à luce inchoauit, quæ trium dierum spacio, scilicet vsq; ad quartum diem, in qua cœlestia luminaria formata sunt, circuitu suo diem naturalem peregit, meritoque lux inter corpora primum obtinet locum, vt dicit Aug. quia omnis substantia duabus substantijs communis, vtraque prior est secundùm naturam, lux autem est substantia communis igni, & stellis; quæ omnia alia corpora præcedunt, quare primum omnium corporum est lux. Item ipsa est nobilissimum corporum, quia spirituali creaturæ vicinissima est, quæ est nobilior omni corpore. Ipsa est quasi vinculum animæ, & corporis, & quasi medium communicans naturam extremorum, vt dicatur corpus spirituale. Vnde dicit Aug. super Genesim, quod lux est corporum subtilissimum, & ob hoc animæ vicinissimum, ideoque per ipsam anima agit operationes suas in corpore. Item ipsa est omnium corporum pulcherrimum, quia pulchritudo est ex similitudine, & conuenientia partium in habentibus partes, sicut ergo Deus cum sit vera lux, omnium pulcherrimus est, quia nihil in eo dissimile, vel disconueniens est, & sic lux corporalis inter corpora pulcherrima est, quia partes omnes habet simillimas. Item ipsa est omnium corporum optima: Cum enim bonum sit, quod sui communicatiuum est, inter omnia autem corpora lux se, & suam pulchritudinem maximè communicat, vnus enim lucis punctus vel ictus subito totius mundi spacium replet, igitur inter corpora summè bona est. In hoc etiam spiritui simillima est .s. & Deo qui vbique est, & animæ, quæ totum suum corpus replet. Ipsa præterea est bonitas omnis naturæ corporeæ, quia nullum corpus sui communicatiuum est nisi per lucem, & quod in vno tantum loco est per substantiam, ipsa lux in infinitis locis facit esse per formam. Quoniam igitur etiam punctus lucis suam pulchritudinem, quæ maxima est suamque bonitatem toti mundo communicat, & omnia quoque corpora suas inuicem facit communicare pulchritudines, ipsa sola est, qua totus mundus bonus, & pulcher est. Vnde Ambr. Ipsa facit vt cętera mundi membra digna sint laudibus; & cum suam bonitatem ac decorem omnibus communicet, in eorum tamen fœditate non communicat, non enim fœdatur vel inficitur per immundissima quæque transiens, nec vllo modo corrumpitur.

Lux omnium corporum primum, & nobilissimum.

Lux spiritui simillima.

De Opere secundę diei.

CAP. XX.

SEcunda die Deus firmamentum, quod cœlum dicitur rotundum, & mobile, cætera sensibilia continens intra se, ex aquis congelatis in modum crystalli solidauit, eo quòd interiecto superiores, & inferiores aquas ab inuicem diuisit. Aiunt autem quidam ipsum subtilissimæ naturæ velut fumum esse, ac sphericè circundare terram, & circumferri cum suo acutissimo motu, solem & lunam, & reliquos planetas; qui cum aduersè cælo faciunt motum, & super terram quidem existente sole diem hic fieri, sub terra verò descendente, hic quidem noctem; illic verò diem. Alij verò hemisspherium, & semicirculum esse cœlum imaginati sunt, quando dicit Dauid, *Qui extendit cœlum sicut pellem*, & Isaias: *Qui statuit cœlum sicut cameram*, id est arcum. Et quoniam Occidens Sol, & Luna, & astra, circumeunt terram, ab occidente in aquilonem, & ita rursus in Orientem deueniunt. Sphæra cœli cum syderibus in ea fixis duobus axibus voluitur, quorum vnus est Septemtrionalis, & appellatur Boreas, qui nunquam occidit, & alius australis, qui nunquam videtur, & vocatur Austronothus. Voluitur autem ab Oriente vsque ad Occidentem, & èconuerso. Septentrionibus breuiores gyros iuxta cardinem peragentibus: & hoc semel in die vel in nocte. xxiiij. horarum spacijs, quibus sol spacium suum super terras, & sub terras sua volubilitate concludit. Et tanta celeritate Sphæra cœli currere dicitur, vt nisi aduersus cursum eius præcipitem, astra currerent, qui eam retardarent mundi ruinam faceret, sed & cœli naturam artifex mundi Deus aquis temperauit, ne conflagratione superioris ignis elementa inferiora succenderet. De his aquis supercælestibus dicunt quidam, quòd ad modum crystalli solidatæ sint ne igne solui possint.

Firmamentum qualis natura?

August. super Gen. dicit eas posse vaporaliter trahi, & leuissimis guttis suspendi, sicut aer nubilosus exhalatione terræ aquas vaporabiliter trahit, & per subtiles minutias suspendit, & postea corpulentius conglobatas pluualiter refundit.

De primo opere tertiæ diei, & de Aquarum congregatione.

CAP. XXI.

TErtia die Deus aquas inferiores, quæ totum aeris spacium vaporales occupabant solidatas, in vnam matricem congregans, terram aridam reliquit. Sicque quatuor elementa per proprias spheras iuxta propria pondera gradatim intra ambitum firmamenti disposuit, scilicet Ignem priorem in supremo collocans iuxta firmamentum, tanquam omnium corporum leuissimum, ac tenuissimum, vnde & luminaria facta esse conijciuntur. Aerem verò secundo loco, cuius superiori parte in puritate sua permanente, inferior humida exhalatione pingueſcit, commotusque ventos, & vehementius concitatus ignes, & tonitrua, contractus nubila, conspissatus pluuiam, congelantibus nubibus niuem, & turbulentius congelantibus nubibus densioribus, grandinem, distentus serenum facit occultis de imperijs. Hinc quoque tenues halitus vaporaliter inserti auras intexunt, quæ nocturnis frigoribus aggrauatæ sereno rore distillant, si autem vehementius frigus est, etiam gelu candidius inalbescunt. Aquam tertio loco, quam in vnam (vt dictum est) matricem collegit; inde etiam per sinus, & occultos terræ meatus ad irrigandam, & fœcundandam terram, & ad varios hominum vsus, per fontes, & puteos, & stagna, lacus, & riuos, & flumina vsquequaque deriuauit. Terram verò quartum elementum in medio mundi tanquam centrum æqua lance librauit, venis metallorum, & gemmis, glebis, ac lapidibus diuersi generis repleuit.

Ordo elementorum.

Ignis.

Aer.

Aqua.

Terra.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Duplex mare.

Mare bipartitum est, scilicet in Oceanum, & Mediterraneum. Sinus maris dicuntur maiores eius recessus, vt in mari magno Ionius. In Oceano Caspius, Indicus, Persicus, Arabicus qui & mare rubrum vocatur. Flumina famosa sunt; vt Geon, qui & Nilus, Physon, qui & Ganges, Tigris, & Euphrates, Iordanis, Hydaspis, Indus Pactolus, Tanays, Padus, Meander, Danubius, qui & Hister. Rhodanus, Rhenus, Hiber, Tagus, &c. Lacus famosi sunt vt mare mortuum, & mare Tyberiadis, Genesar, Benacus, Auernus. Ex aqua prodeunt spuma, sal, vitrum, bitumen, & alumen, &c.

Terra in quinque Zonas diuiditur.

Terra per quinque Zonas, id est circulos diuiditur, scilicet septentrionalem, solstitialem, æquinoctialem, brumalem, australem. Horum duo extremi sunt inhabitabiles algore, medius autem calore. Intermedij verò habitabiles vtroque temperati. Sed solstitialis tantum à nobis inhabitatur, qui in tres partes diuiditur, in Asiam, & Europam, & Aphricam. In terra sunt glebæ diuersi generis, vt argilla, creta, & sulphur, & puteolanus puluis. In quibus etiam quidam natiui colores reperiuntur vt minium, & auripigmentum. Septem quoque genera metallorum, scilicet aurum, argentum, æs, cuprum, stannum, plumbum, *& quod domat omnia ferrum.* Sed & alia quædam, quæ ex his originem trahunt, vt lithargirum corintheum. Lapidum verò quidam sunt vulgares, vt silex, cotis, & pumex; quidam insigniores vt albestos, magnes, gagates; quidam verò marmorei, vt alabastris, parius, alabandicus; quidam autem precioſi qui & gemmæ dicuntur, quorum venustate colorum etiam aurum non minime decoratur. Itaque gemmarum aliæ virides sunt, vt berillus; crisoprasus, iaspis, topasius, & smaragdus: Aliæ vero rubeæ, vt emathites, succinus, onix, sardonix & corallius. Aliæ purpureæ, vt chelidonia, saphirus, iachintus, & ametistus: Quædam autē candidæ, vt Margarita, asterites, gallacia, solis gemma, galactites. Quædam nigræ vt absyctos, achates, dyonysia, pyrites. Quædam etiam variæ vt pocrus, oppalius, exacontalitus. Porro quædam crystallinæ, vt adamas, carbunculus, allectorius, calcedonius, & cristallius. Quædam, quoque aureæ, vt crisopis, hyenia, chrisocolla, chriselectros, & chrisolitus.

De secundo opere eiusdem diei ideſt de Germinibus terræ.

Cap. XXII.

EAdem quoque tertia die terram ipse Deus aquis nudatam, cunctis herbarum generibus decenter vestiuit, omnisque generis ligna fructifera ex eadem produxit, non per moras temporum sicut nunc, sed statim in maturitate viridi in qua herbas seminibus, & arbores pomis onustauit, nam & paradisum in oriente eadem die plantauit, quam mox omnium amænitate fontium, & terræ virentium, lignorumque fructificantium venustauit.

Diuisio herbarum.

Herbarum quædam sunt communes, vt agrestes, vel siluaticæ, sicut ambrosia, centaurea, cicorea, cicuta, vrtica, betonica, & huiusmodi: quædam hortulanæ, vt olera, caulis, rapa, napus, lactuca, beta, borago, sinapis, cucurbita, caparis, & huiusmodi: inter quas sunt etiam olera quædam odorata, vt apium, abrotanum, saluia, ruta, menta, fæniculum, anetum, coriandrum, cimium, &c. Sunt & herbarum quædam aromaticæ, vt aloes, ferula, nardus, &c. ineſt autem nascentibus singulis, aut semen aut virtus aliqua seminaria, mediante qua ex similibus oriantur similia, inter semina verò communia præcipuum locum videntur tenere fruges, & legumina. Sunt & alia quędam semina, quibus vtuntur in medicinis, & in saporum condimentis, vt anisum, ciminum, synapis, &c. Extant etiam herbarum succi, quibus in medicinis vtuntur Physici, vt aloes, elacterium, scamonea, opium, galbanum, &c.

De Arboribus.

Cap. XXIII.

Diuisio Arborum.

ARborum varietas multiplex est, nam aliæ sunt vrbaniores, aliæ siluestres, alijs decidunt folia, vt vlmo, fago, piro. Aliæ coma virent sempiterna, vt ex vrbanis, Olea, Laurus, Palma, Myrtus, Cypressus, Pinus, Hedera, Rododendrus. Ex siluestribus autem Larex, Pinaster, Iuniperus, Cedrus, Therebinthus, Buxus. Ilex, Aquifolium, Suber, Taxus, Tamarix. Ex fructibus quoque rubus, & calamus, inter vtraque verò generalunt in Græcia, Andrasile, & vnedo. Vbicumque n. his folia decidunt præterquam in cacumine, in ipsis quoque folijs multa est differentia. Sunt enim folia latissima fico, viti, Platano: angusta verò oleæ, Myrto, putrico: capillata, Pino, Cedro: aculeata, Aquifolio, Iuniperi quoque spina est pro folio, carnosa Cypresso, crassissima verò Tamarici, & alno, longa Arundini, salici, palmæ, & duplicia circinata Piro, mucronata Malo, anguloſa Hederæ, diuisa Platano, piceæ verò, & abieti, insecta pectinum modo, robori toto ambitu sinuosa, rubro spinosa. Aliæ quoque sunt à radice brachiatæ, vt Vlmus, alię in cacumine ramosæ vt Pinus. Alijs est cortex tenuis, vt Tiliæ & Lauro, alijs crassus, vt Robori, alijs lenis, vt Malo, Fico, omnibus autem senecta, rugosior, quibusdam sponte rumpitur, vt viti, quibusdā etiā cadit vt Malo, quibusdā tunica est multiplex, vt viti, Tiliæ, Abiei, quibusdā verò simplex vt fico, arundini: magna & radicū differentia, sunt enim copiosæ Fico, Robori, Platano; breues & angustæ Malo; singulares Abieti, Larici crassiores, Lauro inæquales. Robori carnosæ, & in profundū actæ. Alijs etiam recto meatu descendunt, vt oleæ, & Lauro, alijs simioso, vt Fico. Humor & cortici arborum ineſt, qui sanguis eorum intelligi debet, nec est omnibus idem: ficis namq; lacteus est, cui ad caseos figurandos coaguli vis est. Cerasis gumosus, vlmis fulinosus. Malis, & Piris ac vitibus aquosus.

Præterea arborum quædam florent, vt Malus, Pirus, & omnium prior Amigdalus. Aliæ verò tristes nullo flore exhilarantur, vt Ilex, Picea, Pinus, Larex, Iuniperus. Omnes autem germinant etiam, quæ non florent. Magna, & locorum differentia, nam ex eodem genere, quæ sunt in paludibus priora germinant, deinde campestria, in siluis autem nouissima. Sunt & biferę quædam arbores, vt siluestris malus, quædam verò triferę vt Cypressus. Arborum etiam natura per situs distinguitur, nam aliæ montes amant, vt Cedrus, Larex, &c. ex quibus resina gignitur. Alię verò valles, vt Ilex, Tilium, & Abies: aliæ quoque in plana descendunt, vt Cornus, Corulus, Quercus, & Ornus: quędam frigidis gaudent, vt Forbus: quædam etiam non nisi in aquosis proueniunt vt Salices, Alni, Sileres, Populi.

De Fructibus, & gummis vel succis.

Cap. XXIIII.

Diuisio fructuum.

FRuctus proprie dicuntur agrorum, & arborum, licet aliquando largius sumantur. Ex his autem, quæ mollia sunt dicuntur mala: nuces vero, quæ corio duro tecta, vt nuces, amigdalæ, glandes, castaneæ. Quibusdam fructus primo candidus est, vt cerasis, & omnibus verè baccis, alijs mox viresçit, vt oliuis, & lauris, rubet vero moris, cerasis, cornis, deinde nigresçit moris. Alijs intus corpus, & foris lignum, vt nucibus, alijs èconuerso, vt persicis, & prunis, putamine clauduntur nuces, corio castaneæ, quod his quidem detrahitur, & in mespilis mandatur, crusta teguntur glandes, cute vuæ: corio & membrana punica. Carne, & succo constant mora: cute, & succo cerasa. Quædam statim à ligno recedunt, vt nuces, & palmæ. Quędam adhærent, vt oliuæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Communia pomis, & omnium saporum genera iuxta Plinium 13. reperiuntur, scilicet dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus: magna quoque in colore succi differentia, est enim sanguineus moris, cerasis, cornis, & etiam vuis nigris, albis verò candidus, lacteus in capite ficis, & in corpore non, item spumeus, malis, persicis nullus, id est nullius coloris. Porro succorum, & lachrymarum, diuersa genera sunt, quæ ex arboribus vel eorum fructibus eliciuntur, aut sponte fluunt, vt armoniaca gutta ex melo flore: Myrrha quoque ex eiusdem nominis arbore: Thus ex libano: Mastix ex lentisco: Pix ex pino: Cedria ex Cedro: Opobalsamum ex balsamo: Oleum ex oliua: Vinum ex vua, &c.

De Opere quartæ diei.

CAP. XXV.

Cælestia luminaria creata.

QVarta die superiorem mundi partem Deus cælestibus luminaribus adornauit, quæ diebus ac noctibus terram vicissim illuminarent, ac multiformi suo motu in cuncta æui tempora distinguerent. Luminaria magna sunt Sol, & Luna, syderum multitudo apud Deum numerata est, horum propria quibusque vis est, & pro sui natura fertilis. Alia sunt in liquorem soluti humoris fœcunda. Alia concreti in pruinas, aut coacti in niues, aut glaciati in grandines. Alia flatus temporis, alia vaporis. Alia frigoris.

Stellæ verò, quibus qualitates temporum significantur sunt hæ. Arcton, qui etiam septentrio dicitur. Arthofilax qui & bootes, arcturus orion, hyades, pliades, quæ & vergiliæ, canicula, cometes, lucifer, vesperus. Planetæ autem id est stellæ erraticæ sunt septem scilicet Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus. Signa in Zodiaco sunt duodecim, scilicet *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.* Tempora anni quatuor etiam sunt, quorum fines, & initia secundum ecclesiam his versibus habentur.

Festum Clementis hyemis caput orientis.
Cedit hyems retro cathedrato Symone Petro.
Ver fugat Vrbanus, æstatem Symphorianus.

In his quatuor temporibus celebrat ecclesia quatuor ieiunia, quæ sciuntur his versibus.

Dat Crux, Lucia, cineres, charismata dia.
Vt sit in angaria quarta sequens feria.

In his etiam fiunt solstitia, & æquinoctia. Tempora autem momentis, horis, diebus, mensibus, annis, lustris, sæculis, ætatibus diuiduntur. Dies naturalis habet horas vigintiquatuor, continet enim quatuor quadrantes, & quilibet quadrans sex horas, & hora, quinque puncta, & punctus octo momenta, momentum duodecim vncias, & vncia quadraginta septem athomos; hunc ecclesia inchoat à media nocte, quia tunc ortus est verus sol Christus. Arabes, & Astronomici à meridie secundum quem procedunt tabulæ Astronomicæ. Iudæi à principio noctis, iuxta illud. *Factum est vespere, & mane, &c.* Communis autem plebs ab ortu solis. Dies vsualis, & artificialis est sol lucens super terram, huius partes sunt tres, scilicet mane & meridies, & sero. Noctis verò partes sunt septem scilicet, crepusculum, vesper, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum. Annus diuiditur in solarem, & lunarem. Solaris est spacium quo circuit sol totum Zodiacum, quem circuitum absoluit spatio 365. dierum & circiter sex horarum; quater autem sex singulis quaternis annis diem constituunt & hinc annus bissextilis dicitur. Hunc Arabes & Ægyptij incipiunt à Septembre, quia in creatione mundi leguntur arbores fructum habuisse. Romani verò à Ianuario, quia tunc sol incipit nobis appropinquare, vel paulo ante. Iudæi à Martio, quia sol in eo factus est. Annus lunaris dicitur quadrupliciter. Vno modo spacium, quo luna circuit Zodiacum continens vigintiseptem dies, & octo horas. Alio modo idem, quòd lunatio, scilicet continens vigintinouem dies, & dimidium. Tertio modo annus communis, scilicet spacium, duodecim lunationum continens dies. 354. Vnde minor est solari vndecim diebus, vel duodecim si est annus epactalis. Quarto modo annus emboliſmalis, cui scilicet additur vna lunatio propter vndecim dies, quibus annus solaris excedit lunarem communem.

Distinctio diei in suas partes.

De Opere quintæ diei, & primo de Auibus.

CAP. XXVI.

Creatio volatilium & natatilium.

QVinta die ornauit Deus aerem volatilibus, & aquam natatilibus, vtraque quidem ex aqua producens, eo quod facilis sit transitus aquæ in aera tenuando, & aeris in aquam spissando. Volucrum aliæ carne vescuntur, aliæ semine reperto, aliæ diuerso, & fortuito cibo: aliæ copulæ gratia carent, vt Aquilæ, & Accipitres, quę rapinis intendunt, quia refugit auaritia plurimorum consortia, aliæ vero connexione gaudent, vt Columbæ, & Grues. Aliæ quoque sunt incolæ, quia semper in locis manent, aliæ aduentitiæ, quæ regiones alias abeunt, & hyeme peracta redeunt, aliæ ad manum se subijciunt, & mensæ herili assuescunt, tactuque mulcentur, aliæ verò reformidant, aliæ secretam in desertis vitam degunt, aliæ domicilijs, quibus & homines delectantur, aliæ vocibus tantum strepunt, aliæ canoro suauique modulamine delectantur. Quædam etiam ex instructione, & quædam ex natura diuersarum obloquuntur vocum discrimina: aliæ vero simplices sunt, vt Columbæ: aliæ vt perdices astutæ: aliæ iactantiores, vt Gallus: aliæ speciosiores, vt Pauo.

Cæterum quædam ambulant, vt Cornices, quædam saliunt vt Passeres, aliæ currunt vt Perdices, aliæ ante se pedes iaciunt, vt Ciconiæ, & Grues, quędam sine voce non volant, aliæ semper in volatu silent; hæc quoque mira naturæ differentia, quod alia volatilium, alijs locis negat, sicut frugum fructicumve genera. Auium generatio multiplex est: Quædam infecundæ sunt vt quæ aduncos habent vngues, aliæ plurima oua pariunt, vt Gallinæ, Perdices. Quorum quoque alia sunt cãdida; vt Columbis, & Perdicibus: alia pallida vt aquaticis; alia punctis distincta, vt Meleagridis, alia rubri coloris vt Fasianis. Intus autem omne ouum volucrum bicolor, piscium vero vnicolor in quo nihil est candidi. Auium oua ex calore fragilia sunt. Serpentum ex frigore leuia. Piscium ex liquore mollia. Volucrum, parit Vespertilio tantum, & lacte nutrit vbera admouens. Sunt & minuta diuersi generis volatilia, quæ auium numero non computantur, quorum etiam plura ex putredine carnium vel fructuum oriuntur, vt sunt Apes, Bibiones. Aliæ tantum nocte volant vt Vespertilio, & Bubo, & Noctua.

De Piscibus.

CAP. XXVII.

PIscium alij herbis pascuntur ac minutis vermibus, alij se inuicem deuorant, alij in aquis reptant, alij & ambulandi in terris vsum, & natandi in aquis officium habent, alij oua generant, vt Tructæ, alij viuos de corpore suo fœtus emittunt, vt Mustelæ, Caniculæ, Cete, Delphines, Focæ, & huiusmodi. Item marinorum piscium, alij sunt plani, vt Rumbi, Soleæ, Passeres; alij vero longi, vt Murena, Cancer. Pinnarum quoque discrimina fiunt, quæ vice pedum eis datæ sunt. Nonnullis sunt quatuor pedes, quibusdam trini, quibusdam bini, pleriſque vero nulli. Aquatilium quoque tegumenta, plura sunt, alia namque corio, & pilis teguntur, vt Vituli, & Hyppotami, alia corio tantum, vt Delphini, alia cortice, vt Testudines: alia filicum duritia, vt Conchæ, & Ostreæ, alia crustis, vt Locustæ,

alia

alia crustis, & spinis, vt Echini: alia squamis, vt Piscis: alia aspera cute, vt Squatina, qua ligna poliuntur, & ebora: alia molli, vt Murena, alia nulla, vt Polipes: Piscium species *ait Plinius*, esse septuaginta quatuor, præter crustis intexta, quæ sunt triginta. Piscium sanguine carentium tria sunt genera, in primis, quæ appellantur mollia, deinde crustis tenuibus contexta, postremo testis duris concluſa. Mollia sunt Lolligo, Sepia, Polypi, & cæteri huiusmodi. His caput, inter pedes, & ventrem, pediculi octoni, ex quibus sepiæ, & lolligini duo longissimi, & asperi sunt, quibus ad ora cibos admouent, & in fluctibus se velut anchoris stabiliunt. Nomina piscium instituta sunt, aut ex similitudine terrestrium animalium vt Ranæ, Vituli, Leones, aut ex moribus terrestrium vt Lupi, & Canes, aut à colore vt Vmbræ, & Auratæ, aut à figura, vt Orbis, quia rotundus, aut à sexu, vt Musculus, eo quod Balænæ sit masculus.

Quod autem in aquis complura sunt maiora, etiam terrestribus animalia, causa euidens est, luxuria humoris: alia sors alitum quibus vita pendentibus; in mari autem tam late supino mollique ac fertili, pluraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, & in semetipsis, aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus, vt vera fiat vulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari esse.

De primo opere sextæ dici ideſt animantibus terræ.

CAP. XXVIII.

ORnatis igitur cunctis superioribus mundi partibus, id est cœlo, & Aëre, & Aqua; tandem sexta die ornauit Deus infimam partem .i. terram: produxit enim è terra tria genera animalium scilicet Iumenta, Reptilia, Bestias. Sciens enim Deus hominem per peccatum casurum, in pœnam laboris dedit ei Iumenta, quasi iuuamenta, ad opus vel esum. Reptilia vero, & Bestiæ sunt ei in exercitium.

Triplex compoſitio in corpore animalis.

In corpore animalis sunt tres modi compositionis. Prima scilicet mixtio elementorum in membris consimilibus. Secunda mixtio consimilium in officialibus. Tertia organorum ex dissimilibus: sicut manus componitur ex neruis, & ossibus, & huiusmodi. Sensus quidem prior est in omnibus membris consimilibus, operationes autem sunt in membris organicis scilicet per virtutem sensus, & motus, & appetitus animalium. Vnumquodque autem animal habet corporis instrumenta virtuti animæ competentia, nam Leo cum sit animi audacis, & iracundi, corpus habet forte, & graue, in pedibus vngues, & acutissimos in ore dentes. Lepus autem cum sit timidissimus, habet membra leuitate nimia fugæ aptissima. Homini fecit natura manus vt in eis operaretur, in quibus digiti multi sunt, & diuisi vt per eos magna, & minima possint retineri. Eparfecit rubeum, prout competebat creando sanguini. Mammillas, & testiculos ad creandum lac, & sperma fecit albos. Hoc modo fecit omnia membra proprijs actionibus conuenientia. Actiones autem sunt tres scilicet animalis, spiritualis, naturalis, quibus similia sunt instrumenta corporis. In quibusdam animalibus creata sunt cornua propter vigorem & iuuamentum. Quædam autem debilia habent cornua, nec ad vigorem nec ad pugnam conuenientia. Quædam verò omnino non habent, quia natura dedit eis alium modum vigoris, & iuuamenti, vt velocitatem Equis; magnitudinem corporis Elephantis, & Camelis, culmos prominentes Porcis. Quibusdam posuit vigorem in soleis, & ideo eorum capita priuauit cornibus, nisi forte habeant vnum cornu, sicut Asinus Indicus, multitudo vero ramificationis cornuum in Ceruis nocumento suo propinquior est, quàm iuuamento; ideo datum est eis aliud iuuamentum scilicet velocitas cursus. Vacca quoque siluestris habet cornua declinantia ad inuicem, & ob hoc ei dedit natura aliud iuuamentum scilicet eiectionem stercoris longe, vt ab ipso detineatur venator. Elephas autem habet nasum longum, & fortem, quo vtitur loco manus in accipiendo potum, & cibum, & in omnibus quibus indiget etiam in eradicando arbores. Animal quoque multos habens digitos in pedibus, vtitur anterioribus sicut homo manibus, quia pugnat cum eis, & eijcit à se nocumentum. Animal vero soleas habens facit hoc cum posterioribus, quoniam anteriores non sunt ad hoc conuenientes. In his autem à se inuicem animalia differunt, differunt & ingenio, voce, cibo, somno, copula, & generatione, amicitia, & dissensione, locorum, origine, vel habitatione.

De Reptilibus.

CAP. XXIX.

REptilium autem tria sunt genera trahentia, vt vermes, qui ore se trahunt. Serpentia, vt Colubri, qui vi costarum se rapiunt. Repentia pedibus, vt Lacertæ, Bocratæ. Vermium genera multa sunt. Sunt enim vermes, aut terræ, aut aquæ, aut aëris, aut carnium, aut frondium, aut lignorum, aut vestimentorum. Serpentium tot venena, quot genera, tot pernicies, quot species, tot dolores, quot colores habentur: omnes autem Serpentes natura sua frigidæ sunt, nec percutiunt nisi quando calescunt. Nam quando frigidæ sunt, nullum tangunt, vnde & venena earum, plus die nocent, quàm nocte, torpent enim noctis algore, & merito, quia frigidæ sunt nocturno rore. Serpentium quidam morsu venenum inferunt, quidam punctione, aut sola expuitione, aut etiam quadam occulta virtute siue spiritu, vel voce, & aspectu, sicut in quibusdam alijs animalibus, & fascinantibus hominibus accidit: quædam autem ex natura venenosa sunt, quædam ex translatione. Et quædam quidem præcipitium inferũt, quædam passionem, quædam periculum. Sciendum est quoque, quoniam & loca, & tempora, & escæ differentem faciunt morsuum varietatem, hyeme namque cum foueas intrant, aut continuo post foueam, infirmantur morsus, & ferè innocui sunt. In montanis autem, & asperis locis, velut aridis, & calidioribus omnes mordaciores sunt, quia ibi fortiores; in altera verò parte humidi sunt, & dissoluti, per hoc etiam circa coitum plurimum sæui. Sed à quacunque esca potest augmentare quis eorum impetum, & fortitudinem. Non omnibus autem animalibus reptilia nociua sunt, nam & Sues, & Cerui, Serpentes comedunt, & alij ab alijs innocuè deuorantur: multaque alia inuenire est quibusdam nociua, quibusdam salutaria. Quædam autem reptilia non solum mordendo, sed etiam flatu per media arma, & ligna aut lapides nocendo interimunt, talis est mordentium virtus, vt si radicem arboris momorderint, omnis arbor folia proijciat.

Multiplicia venena ſerpentium.

Quando morſus ſerpentum innocui.

Quanta vis ſerpentum quorundam mordentium.

Omnium autem animalium minimorum, quæ vel ex cadaueribus, vel ex humoribus nasci solent, sex genera sunt: quædam exhalationibus esse habent: vt Bibiones ex vino: Papiliones ex aqua. Quædam ex corruptione humorum, vt Vermes in cisternis. Quædam ex cadaueribus: vt Apes ex iumentis: Scarabei, & Crabrones, ex Equis. Quædam ex corruptione lignorum: vt Teredines. Quædam ex corruptione herbarum: vt Tineæ ex oleribus. Quædã ex corruptione fructuũ: vt Gurgulliones ex fabis: De his ergo dicitur: quia quæ sine corruptione nascuntur: vt illa, quæ exhalationibus in illa prima animalium conditione facta sunt: quę autem ex corruptionibus, post peccatum ex rebus corruptis orta sunt, & omnia quidem animalia mitia tunc, & innoxia creata sunt: sed post peccatum quædam homini nociua facta sunt, scilicet propter eius punitionem, correctionem, & instructionem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Creatione hominis, & requie Sabbati.

CAP. XXX.

Cur de limo terra factus homo?

EAdem die, tanquam mundi huius habitatione perfecta, & ornata, Deus hominem eius habitatorem introducens ex duabus naturis constituit, scilicet limo terræ rationalem spiritum, miscens, ad humilitatis custodiam: quia iam Angelus spirituali natura purus corruerat per superbiam: & corpus quidem ipsum, ad monumentum humilitatis (vt dictum est) de limo terræ formans, erectæ staturæ, omniumque membrorum dispositione rationabili, venustauit. Animam verò ad imaginem, & similitudinem suam, de nihilo creans idem corpus viuificando, ac regendo inspirauit. Itaque *sicut ait Aristoteles, nobilissimus, & altissimus, inter animalia terrestria est homo, solus ratione vtens;* cuius etiam corporis partes creatæ sunt, & dispositæ secundum creationem, & situm totius mundi. Vnde etiam dicitur Microcosmus, id est minor mundus. Ipse solus inter animalia ridet, solus titillationem recipit: quia corium habet valde tenue: vnde, & præ cæteris, melioris est tactus, ideoque caro eius mollior est præ cæteris; cæteri vero sensus hebetiores sunt in eo quàm in cæteris. Ipse solus habet corpus eleuatum, soluſque multorum pilorum est in capite, caput eius paucæ carnis est, vt melioris sit ac perfectioris sensus: & ex pluribus fructis: ob hoc indiget custodia capillorum. Habet, & pilos solus apud pubem. Proprium est eius in senectute canescere, nisi quod hoc conuenit, & equis. Inter animalia quoque propriè, caluus est, & solus habet pilos in vtraque palpebra, cætera tantum in superiori. Item claudit oculos plus omnibus animalibus, quia tenuis est corij. Solus aures non mouet, & in comparatione sui corporis parui oris est. Item facies homini tantum: cæteris os, vel rostrum, fons etiam alijs inest, sed homini tantum tristitiæ, & hilaritatis, clementiæ, & seueritatis index. Mentum quoque nulli præter hominem inest, nec male; homini tantum pectus latum, cæteris autem carinatum, in homine pars sinistra, pars superior est, quàm in cæteris animalibus. Item cum cæteris cor sit in medio, in homine declinat ad sinistram, vt eam scilicet temperet. Item inter animalia cætera: comparatione sui corporis, pauci seminis est, & caudam non habet, sed ancas. Terrestrium solus homo bipes est: & huic pedes maximi sunt, sed fœminis tenuiores. In omni quoque genere, suræ hominum, & crura carnosa.

Homo nobilissimus animalium.

Hunc itaque talem factum Deus cæteris creaturis in mundo sensibili, dignitate & imperio quoque, præposuit, ac multiplicandi sui generis benedictionem dedit. Sicque cunctis mundi creaturis senario numero perfectis, id est creatis, dispositis, & ornatis, septima die à condendis nouis creaturæ generibus requieuit. Qui tamen vsque modo, & deinceps assiduè operari non desinit, scilicet creata gubernando, conseruando, propagando, administrando.

Epilogus de formatione corporis humani.

CAP. XXXI.

Corpus factum ad ministerium animæ.

FOrmauit igitur Deus hominem de limo terræ quantum ad corpus, in quo videlicet corpore, quamuis iam nobis sit cum bestijs mortalitate commune: magna tamen bonitas, & prouidentia creatoris apparet, quoniam ita sunt in eo loca sensuum, & cætera membra dispositа, speciesque ipsa, ac figura, ac statura totius corporis ita modificata, vt ad ministerium animæ rationalis se indicet factum, neque vt animalia rationis expertia prona esse videmus in terram, ita creatus est homo, sed erecta in cœlum corporis forma admoneteum, quæ sursum sunt sapere.

Porro mira mobilitas quæ linguæ ac manibus attributa est, ad loquendum, & scribendum apta atque conueniens, & ad artium plurimarum opera officiorumque complenda, nonne satis ostendit, quali animæ, vt seruiret, tale sit corpus adiunctum? Quanquam, & detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numerosa sit & pulchra sibi parilitate respondeat, vt nescias, vtrum in ea condenda maior sit vtilitatis habita ratio, quàm decoris. Certe enim nihil creatum videmus in corpore vtilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum, plus autem id nobis appareret, si numerus mensurarum, quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata nosceremus, sicut est tanta perplexitas venarum atque neruorum, & viscerum secreta vitalium, quibus coaptatio (quæ harmonia Græcè dicitur) tanquam cuiusdam organi extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat, quod si non esse potuissent in interioribus quoque visceribus, quæ nullum ostentant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, vt omni formę apparenti, quæ oculis videtur, prę ferretur arbitrio.

Quædam venustatis ergo in corpore humano.

Sunt verò quædam posita in corpore, vt tantummodo decorem habeant, non etiam vsum, sic habet pectus virile mammillas, sic facies barbam: Vnde puto facile intelligi in conditione corporis dignitatem necessitati fuisse prælatam, transitura est quippe necessitas, tempusque venturum, quando sola inuicem pulchritudine sine vlla libidine perfruamur, quod maxime ad laudem referendum est conditoris, cui dicitur in Ps. *Confessionem, & decorem induisti.*

De diuisionibus membrorum.

CAP. XXXII.

Triplex genus actionis.

OMnia vero corporis humani membra fecit proprijs actionibus conuenientia. Actiones autem (vt dictum est) sunt tres, scilicet animalis, spiritualis, naturalis, quibus similia sunt instrumenta corporis, vnde membra virtutem animalem sequentia vocantur animata, spiritualem spiritualia, naturalem naturalia. Animata membra fecit Deus in omnibus animalibus, propter sensus, & voluntarios motus. In homine verò, & propter hoc, & propter intellectum atque rationem ea fecit, vt cerebrum, oculos, nares, auriculas, linguam, neruos, atque lacertos. Membra spiritualia facta sunt propter spiracula flatus, & caloris naturalis conseruantia, vt sunt pectus, & eius panniculi, cor, pulmo, cum canalibus suis fauces, & diafragma, & arteriæ.

Naturalia membra bipartita.

Membra naturalia bipartita sunt. Quædam enim sunt nutritiua. Quædam generatiua. Nutritiua mutant cibum in substantiam membrorum totius corporis, omnia enim humana, & bestialia corpora consumuntur ab aere, & naturali calore, ideo necesse est, vt ad conseruandam integritatem eorum consumptio cibis reparetur. Itaque nutritiua sunt os, dentes, stomachus, intestina, hepar, splen, fel, renes, vesica, venæ. Generatiua vero facta sunt, vt specificarentur generalia, & indiuiduarentur specificata. Nam quoniam omnia indiuidua naturaliter consumuntur, necesse est, vt per genitalia reparentur, quæ sunt matrix, vel vulua, virga, testiculi, & vasa spermatis.

Cerebrum principale membrum animatorum.

Horum autem trium generum, scilicet animatorum, & spiritualium, & naturalium membrorum, singula habent vnum principale membrum, cuius causa facta sunt alia, quæ vel actionis suæ sunt adiuuamenta, vel superfluitatis expulsiua, vel eiusdem defensiua. In membris animatis principale est cerebrum, quia in ipso sunt memoria, ratio, & intellectus, & de ipso virtus sensualis, ac motus voluntarius ad alia membra progrediuntur: actionis eius adiuuamenta sunt oculi, & cætera supra nominata, vnumquodque enim horum; exteriora portat ad cerebrum, quod sibi portata disponit. Nerui autem, & lacerti ad opera à cerebro discreta atque dispositа mouentur, neruis etiam ab ipso ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

totum corpus ſenſualia feruntur. Iſtorum etiam quædam ſuperfluitatis expulſiua ſunt, vt nares emunctionum, oculi lachrymarum, quędam vero defenſiua ſunt, vt panniculi ſuper cerebrum.

Cor principale membrorum ſpiritualium.

Spiritualium membrorum primum, & principaliſſimum eſt cor, caloris enim naturalis fundamentum eſt, qui de ipſo in alia omnia viuificanda procedit; huius adiuuamenta ſunt pulmo, panniculi, lacerti pectoris, motu enim iſtorum attrahitur aer ad cordis calorem refrigerandum, & calor fumoſus expellitur, qui circa cor adunatur, portantia verò ab ipſo ad alia ſunt arteriæ, à corde namque calorem naturalem, & virtutem vitalem accipientes portant ea ad omnia corporis membra: Cordis autem defenſiua ſunt eius panniculi pectoris.

Hepar principale nutritiuorum membrum.

Nutritiuorum membrorum principale eſt hepar, vbi mutatur ciborum ſuccus, & ſanguis efficitur, de ipſo ad totum corpus nutriendum ſpargendus. Huius adiuuamenta diuerſa ſunt: quædam enim cibum præparant, vt leuiorem ſtomacho reddant ſicut dentes: quædam autem calefaciunt, & mutant, vt hepar: quædam ad mutandum in ſanguinem alleuiant, vt ſtomachus: quædam illum à ſtomacho in hepar portant, ſicut inteſtini gibboſitas, quod medici ieiunium vocant: alia vero ab hepate, ad totum corpus, vt vena concaua: alia quoque tantum ſuperfluitatem ſanguinis expellunt, & mundificant, vt ſplen, fel, renes: alia partem cibi ſuperfluam recipiunt, & expellunt, vt inteſtina groſſa, & veſica; quod enim à ſtomacho reijcitur, ab his recipitur, & expellitur; veſica enim recipit ſuperfluitates aquoſas à renibus de ſanguine depuratas.

In membris generatiuis teſticuli principales ſunt: Horum adiuuamenta ſunt ſpermatis vaſa, quæ de vno ad aliud ferunt, & de ſpermate fœtus faciunt: Mammillæ etiam adiuuant cum infantes nutriant.

Aliter etiam diuiduntur membra ſcilicet in conſimilia, & compoſita: Similia dico partes toti totumque parti aſſimilantia, vt ſunt oſſa, nerui, & conſimilia: Compoſita verò vocantur officialia, vt caput, manus, pedes, & cætera talia. Cum autem omnia membra, tam mollia, quàm ſolida, ortum habeant à ſanguine, tanquam à nutrimento; pinguedo tamen ſolidior eſt ſanguine, caro pinguedine, neruus ſenſibilis carne, motiuus ſenſibili, cartilago quoque neruo motiuo, & oſſa cartilagine.

Epilogus de anima humana.

CAP. XXXIII.

TRadit Auguſtinus animam Adæ, cum Angelis ſine corpore creatam fuiſſe, & poſtea ad corpus acceſſiſſe, quia naturaliter inditum fuerat ei hoc velle. Alij verò dicunt, eam creatam in corpore, ſed quicquid de illa æſtimetur, certiſſime de alijs credendum eſt, quod in corpore creando, infunditur. Nec illa tunc præſcia fuit operis ſui futuri iuſti, vel iniuſti.

Quid anima?

Anima igitur humana, eſt ſubſtantia rationis particeps, regendo corpori, accommodata. In hoc autem differt, ab Angelo, quia eſt corpori vnibilis, & quia non habet diſtinctionem perſonalitatis, & quia vim quandam habet componendi, & diuidendi intelligibilia, cum ſenſibilibus, quam non habet Angelus; & quia licèt inter eam, & Deum, non ſit medium, quantum ad naturam, & etiam quantum ad æternam fruitionem, eſt tamen quantum ad præſentem illuminationem, quam ſcilicet ipſa recipit ab Angelo, Angelus autem à Deo: Item quia anima, ad beatitudinem ordinata eſt, & in ſe, & in corpore; Angelus autem tantum in ſe: non eſt autem anima ita ſimplex, vt careat omni compoſitione: eſt enim compoſitio multiplex. Prima partium ad totum, & hæc diuerſificatur ſicut & partes: ſunt enim partes integrales, vt paries, & tectum, & cætera in domo: eſſentiales, vt materia, & forma in compoſito, artificiales, vt ſtatua, æs, & figuratio: quædam etiam ſunt partes multitudinis, vt in numeris: quædam magnitudinis, vt in continuis. Secunda compoſitio eſt accidentium tantum ad ſubiectum ſuum, quæ dicitur concretio. Tertia eſt potentiæ ad actum. Quarta cauſæ ad effectum, & hæc variatur ſecundum quadruplex genus cauſæ. ſ. vt dicatur compoſitum, quod eſt ab alio, vt efficiente: vel ſub alio: vt ſub forma: vel in alio, vt in materia: vel ad aliud, vt ad finem: Omni tali compoſitione Deus caret, vnde ſimpliciter, & omnino ſimplex eſt: Angelus autem, & anima primo genere, id eſt compoſitione partium carent, ſed tres alias habent. Habet igitur anima, quod eſt, & quo eſt, in ſui compoſitione. i. potentiam paſſiuam ſiue receptiuam, quę ſe habet ad modũ materiæ, & actiuam, quæ ad modum formæ: ſed hæc in anima differunt tantum ratione, & non re: quia ipſa ſecundum ſubſtantiam ſuam eſt vtrumq́; ſcilicet & paſſibilis ſiue receptiua, & etiam actiua: & ita ſecundum idem: In rebus autẽ corporeis differũt, & re, & ratione. Angelus quidem compoſitionẽ habet * creationis, & etiam cauſalitatis, ſcilicet ad efficientẽ, & finem: item comparatio eius ad nihilum ex quo; eſt quædã compoſitio: anima verò plures habet etiam, quàm Angelus, quia componitur alij, ſcilicet corpori ad faciendum vnum, ſcilicet hominem: præterea vnus Angelus alio, & vna anima alia ſimplicior eſt, ſecundum maiorem acceſſum ad diuinæ naturæ ſimplicitatem.

Deus incompoſitus & ſimplex.

** manuſcripta habent concretionis.*

Differentia inter animã & Angelũ.

De immortalitate animæ, & imagine Trinitatis in ea.

CAP. XXXIV.

ANima humana etiam à Philoſophis immortalis eſſe probatur, quia ſeipſam mouet, & cum aliud viuificet in ſemetipſa viuit, & quia natura ſimplex eſt, nec à contrarietate originali corrumpitur. Nos autem immortalem eam eſſe facile approbamus, quia ad imaginem Dei in æternum viuentis facta legitur. Præterea cum certum ſit Deum eſſe iuſtum, conſequens eſt, vt animæ poſt mortem viuant, ac pro meritis ſuis recipiant, quod vtique non ſentiunt, niſi teſte Salomone, pariter eadem cunctis eueniunt. Verumtamen nota, quòd anima conſiderata ſecundum originem ſuam. ſ. in quantum habet eſſe poſt non eſſe, ex natura corruptibilis eſt, quia apta eſt redire ad non eſſe, niſi voluntas primi impediat: conſiderata verò ſecundùm eſſentiam ſuam, vel ſubſtantiam eſt incorruptibilis, quia eius ſubſtantia non ex contrarijs eſt, nec aliquid eius naturæ contrarium habet à quo poſſit corrumpi. Similiter conſiderata quantum ad formam, quæ eſt potentia intelligendi, quia intellectus capax eſt omnium formarum intelligibilium, quæ per ſe ſunt incorruptibiles: ſimiliter ſi comparetur ad finem ſuum, quia data eſt ei virtus ſpeculatiua, & motiua, per quam poteſt ordinare ſe ad ſummum bonum, ſecundùm hoc etiam (voluntate primi) incorruptibilis manet ad magnitudinem pœnæ, vel præmij: & ex creatione quidem habet, vt ex actione alterius non poſſit corrumpi, niſi ex actione Dei, à relatione verò ad finem habet, quòd Deus velit eam non corrumpi.

Anima immortalis, & quare?

Trinitatis imago eſt in anima, quoad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, vel amorem, & hoc triplici ſimilitudine, quia ſcilicet hæc tria ſunt, vna eſſentia, vna vita, & tamen ad ſe inuicem referuntur, ſicut illæ tres perſonæ; & etiam, quia æqualia ſunt, & quia ſe inuicem recipiunt: in his tamen etiam triplex eſt diſſimilitudo, ſcilicet quia ita ſunt in homine vno, quòd tamen non ſunt homo, & quia homo habens iſta tria, non eſt tres, ſed vna perſona, & quia ſunt hominis vnius, non autem homo vnus. Aliter etiam aſſignatur in anima hæc imago, ſcilicet quantum ad mentem, & ſui notitiam, & amorem. De mente enim ſui notitia naſcitur, quia ſi ſuper ſeipſam reflectatur, ſciet, quòd eſt, & quòd imago Dei eſt, à quo eſt, & ad quem finem eſt, & ex vtroque ſcilicet mente, & ſui notitia, procedit amor ſui ipſius: & hæc quoque tria æqualia ſunt, & inuicem ſe capiunt.

Imago Trinitatis eſt in anima.

Similitudinem autem Dei habet anima in ſe quò ad virtutes, & effectus earum: Nam & ſi Deo non

Anima habet ſimilitudinem Dei quoad virtutes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

conueniat credere, vel sperare, proprius tamen effectus fidei est assentire primę veritati super omnia, & propter se, quod vtique facit Deus etiam verius, quàm homo: Effectus spei est confidere de Deo super omnia, & propter se, hoc etiam facit Deus: similiter est de effectu charitatis, quod est diligere, hæc tamen similitudo multiplex est. Prima omnimodæ identitatis qua filius Dei similis est patri: secunda proprietatum conformitatis, de qua dicit Aristoteles, *proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile dici:* tertia representationis, qua scilicet imago alicuius est ei similis: quarta scilicet imitationis, qua scilicet aliquis patri suo similis dicitur, quando mores eius imitatur: & hoc vltimo modo assimilatur homo Deo, scilicet discreta operatione, quæ est virtutis effectus.

De localitate & qualitate animæ.

CAP. XXXV.

Anima quomodo est in loco?

ANima dicitur esse in loco multipliciter: Dicitur enim aliquid esse in loco propriè per circumscriptionem, & sic conuenit soli corpori propriè; minus autem propriè per diffinitionem, vel determinationem, & sic conuenit Angelo, & animæ separatæ, quia ita est vterque alicubi, quod non alibi: tertio modo per præsentiam in operatione, & sic dicitur Deus esse in omni loco. Animæ autem conueniunt omnes isti modi, primus tamen non propriè, sed per accidens, scilicet quoniam vnita est corpori, & corpus quidem prohibet aliud corpus à loco in quo est, sed nec anima corpus est, nec è conuerso; verum, sicut corpus, sic anima, animam prohibet à loco suo, quia separantur ab inuicem essentia, & operatione, & loco. Vnde non possunt esse duæ animæ in vno corpore; nihil tamen prohibet dæmonem esse in humano corpore, licet anima sit in qualibet eius parte, quia anima est ibi per vnionem: dęmon autem nequaquam, ideo possunt simul esse. Quidam etiam dicunt, quod dæmon in vacuitate ventris, vel capitis est, vbi anima non est, nam licèt prima essentia sit continens omnes spiritus circunscriptos, non tamen habent in ea proprie circunscriptionem differentem, quia non habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, secundùm quàm in ea diuersi spiritus creati situentur intelligibiliter, sicut est de loco corporali, sed habet ambitum virtutis in operatione, intra quem possunt currere diuersæ animæ, & Angeli, qui dicuntur extra mitti respectu cœli Empyrei.

Quomodo dæmon in corpore humano.

Anima localiter mouetur.

Porrò anima quando à corpore separatur, localiter mouetur, dicitur tamen per locum non moueri, quia non transit per locum eodem modo, quo corpus, ita scilicet vt pars commetiatur parti, cum spiritualis substantia partem non habeat se metientem parti corporali. Dicitur etiam moueri per tempus, quia modo est in vno loco, modo in alio, motus tamen eius est subitus, & simul totus. Est autem in singulis partibus corporis tota, quantum ad totalitatem essentiæ, id est perfecta in esse, non tamen tota, id est secundùm omnem sui potentiam, vel virtutem, vel operationem, multitudo verò potentiarum non infert maioritatem in anima, sed multiplicitatem. Tanta est igitur in sui corporis vna parte, vel in duabus, quanta in omnibus, sed non tam multiplex, Non est ergo propriè quanta quàtitate, sed virtute, & hæc quantitas penes operationem attenditur: Prima autem eius operatio est viuificare, alia verò fiunt mediante illa. Aliter autem potest dici quanta, scilicet quantum ad certum naturæ suæ terminum, vel modum, quem habet omnis creatura, quia solus Deus est immensus.

De vnione animæ ad corpus.

CAP. XXXVI.

DE vnione animæ ad corpus, nota quod anima potest considerari, vel vt est substantia, & sic propriè dicitur spiritus, & in corpore per coexistentiam non per informationem, vel vt est forma, & sic dicitur anima quasi animans, & perficiens corpus, secundùm hoc est in eo, vt perfectio in suo perfectibili, sicut forma in materia: vnde destructo corpore, destruitur anima inquantum forma, non tamen in quantum est substantia, id est spiritus. Quod autem *dicit Augustinus animam non esse in corpore, vt formam in materia;* est intelligendum secundum omnem modum: quia scilicet anima separatur à corpore secundum, quod est substantia, forma verò secundùm rem, nullo modo separatur à materia. Itaque non est anima vnita corpori per modum continuationis, quia continuatio terminum habet, secundum quem res alteri coniungitur; nec est per totum id, cum quo continuatur, anima autem est per totum corpus absque termino, & situ. Vnde dicit Augustinus, *quod non est in corpore sicut vinum in vtre, sed toti corpori coniuncta est:* eadem ratione nec per modum contiguitatis: imò nec per modum mixtionis, quia in mixtione oportet esse partium diuisionem, & quia non potest quodcumque quantocumque misceri: anima verò quantocumque coniungitur corpori; similiter nec per modum impressionis: impressum enim non subsistit sine eo, cui fit impressio, sicut patet in forma impressa statuæ, vel sigillo; sed per modum agglutinationis, quando enim egreditur, vel exciditur semen ab homine in generatione pueri, quidam spiritus, qui dicitur ædificator, vel artifex simul egreditur, qui dispositiones acquirit in corpore priusquam anima infundatur, & quasi ad eam recipiendam corpus habilitat, vel coaptat, ficque ista duo in vnum agglutinat: sunt enim vnum non vt continuum, vel indiuisibile, sed vnum ratione, non quia eadem sit ratio vtriusque, sed quia faciunt vnum, cuius est vna ratio, scilicet hominem.

Quomodo anima est in corpore?

Triplex vnitas corporum.

Est autem triplex vnitas in corporibus: Prima est, quæ surgit ex duplici dependentia, scilicet materiæ ad formam, & è conuerso; & talis est in eis, quæ sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, vt corpora cœlestia, est autem hæc maior vnitas in corporibus, quæ scilicet nec materiam separari sinit à forma, nec è conuerso. Secunda, quæ surgit ex vnico respectu, vel dependentia, scilicet formæ ad materiam, & non è conuerso, talis est in omnibus corruptibilibus, & hæc est minor, scilicet, quæ materiam separari sinit à forma, & non è conuerso, vt quando ex igne fit aer, perit forma ignis, & manet materia, transiens in aliam formam. Tertia, qua aliqua duo ita coniunguntur, vt vtrumque separabile sit, & hæc est minima, talis est inter animam, & corpus.

Verumtamen miro modo cum homo habeat in se continuare superiora, & inferiora, hanc triplicem vnitatem habet in se secundùm diuersa. Prima est enim in anima secundùm se considerata. Secunda in corpore. Tertia in toto homine. Notandum autem, quod quasdam dispositiones habet anima in se tantum, vt complexionem, & compositionem, & solutionem continuitatis: quasdam verò dispositiones habet anima ex hoc, quod est habens corpus, vt sunt concupiscentia, & iracundia, & imaginatio, quæ sunt etiam in anima separata per comparationem ad corpus: quasdam verò habet corpus in quantum est habens animam sicut somnus, & vigilia, ægritudo, & sanitas: quasdam verò habet homo ratione coniuncti ex corpore, & anima, sicut ædificare; & artificia perficere.

Epilogus de viribus animæ.

CAP. XXXVII.

Tres potentia animæ.

VNa est igitur anima in homine, cuius potentiæ sunt tres, scilicet vegetabilis, sensibilis, rationalis, in vna substantia fundatæ. Videtur quidem Aristoteles velle, quod corpus hominis in vtero matris prius vegetetur, quàm sentiat, & prius etiam in eodem sit sensus, quàm intellectus; non tamen oportet, quod ibi

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſint tres animæ, vel incorporeæ ſubſtantiæ, ſed vna, quæ prius habuit vim vegetandi, poſtmodum accepit vim animandi, vel ſenſificandi, & tandem vim intelligendi. Prima eſt quaſi materialis diſpoſitio ad ſecundam recipiendam, & ſecunda ad tertiam, quæ eſt vltima perfectio, ſiue completio, vnde & ſola dicitur anima. Ideoque etiam, licèt videatur puer eſſe animal antequam homo, quia corpus habet, & animam ſenſibilem, antequam rationalem, non ob hoc ſequitur, quod ſit Aſinus, vel Capra, vel aliquod aliorum ab homine, quia nondum eſt animal perfectum, illud enim, quod habet materiale, eſt ab vltimo completiuum, id eſt ab intellectu, qui eſt perfectio corporis. Eſt enim completiſſima omnium virtutum, quæ ſunt in corporibus, & eſt in corpore mediante ſenſibili, quæ tamen non eſt medium per modum materialis diſpoſitionis ex toto, quia exercet operationes ſuas in corpore, nec eſt medium rationalis, vel intellectiuæ ad hoc, vt ſit, ſed ad hoc, vt ſit in homine, vnde illa deſtructa, deſtruitur, & iſta, non in ſe, ſed in homine, id eſt ad hoc, vt non ſit in homine. Itaque illæ duæ, quæ ſunt quaſi materiales ad tertiam, corrumpũtur cum corpore, ſcilicet in morte, & tertia manet ab alijs ſeparata, & ab ipſo corpore: In viuentibus quoque nihil prohibet eam ad operationes intelligibiles rapi, nec ob hoc poteſt ab alijs ſeparari potentijs omnino, ſed ea ex toto illuc conuerſa (ſicut in raptu Pauli) remanent aliæ duæ penes quas conſiſtit regimen corporis; & per quas conſeruatur in eſſe vitali.

Diuiſio potentiarum.

Potentiæ vegetabilis animę tres ſunt, ſcilicet nutritiua, augmentatiua, generatiua. Potentia ſenſibilis diuiditur in apprehenſiuam, & motiuam. Apprehenſiua quoque ſubdiuiditur in apprehenſiuam exteriorem, & interiorem. Exterior diuiditur in quinque ſenſus ſcilicet viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum. Interior ſimiliter in quinque, ſcilicet ſenſum communem, imaginationem, vim cogitatiuam, æſtimatiuam, memoratiuam. Potentia motiua duplex eſt. Vna, quæ imperat motiuis: alia quæ efficit motum. Imperatiua quoque motus duplex eſt, ſcilicet concupiſcibilis ad propinquandum, & iraſcibilis ad repellendum. Potentia verò rationalis diuiditur in virtutem ſciendi, & agendi, quarum vnaquæque vocatur intellectus ſcilicet theoricus, & practicus.

De ratione, & ſenſualitate.

Cap. XXXVIII.

Quid ratio & quotuplex.

Ratio eſt aſpectus animi, quo per ſeipſum non per corpus verum intuetur. Ratio bipartita eſt, ſecundùm officia ſcilicet ad ſuperiora contemplanda, & inferiora adminiſtranda; In hac homo præcellit brutis. Senſualitas autem eſt vtriuſque communis, & hoc ſecundùm vnam rationem ſcilicet ſecundum ſe, non tamen ratione peccati, ſed propter ordinationem, quàm habet in homine ad vlteriorem potentiam, id eſt rationalem, in qua abundat ſuper bruta, propter hunc enim ordinem aliquo modo perfectior eſt in homine, quàm in brutis, & ideo in humana contingit eſſe peccatum, in brutali non. Differunt autem fantaſia, & ſenſualitas, quia fantaſia eſt vis, ſecundum quam apparet aliquid eſſe bonum, & malum: ſenſualitas verò vis, ſecundùm quam præcipitur eſſe bonum vt nunc, aut malum. Diuiditur autem propriè ratio, contra ſenſualitatem, & intellectus contra fantaſiam. Quidam etiam diuidunt ſenſualitatem ſicut & rationem in duas partes, ſcilicet inferiorem, quæ mouet ad illicita, & ſuperiorem, quæ ad licita, & corpori neceſſaria: primæ motus pœna eſt, & culpa: ſecundæ verò ſi eſt moderatus, nec culpa, nec pœna; ſi immoderatus, & culpa, & pœna. Tripliciter autem accipitur ſenſualitas, aliquando pro vi ſenſitiua interiori, quam vocat Ariſtoteles ſenſum communem, id eſt virtutem quandam cui creduntur omnia ſenſibilia, & diſcernit à ſingulis, ſingula: aliquando verò pro vi motiua interiori, quæ extenditur in quinque corporis ſenſus, & appetitus: aliquando etiam pro inferiori parte rationis, quæ circa ſenſualia negociatur.

Ratio quoque multipliciter accipitur. Dicitur enim quandoque mens, in qua præcellit homo beſtijs, & ſic tres vires comprehendit ſcilicet rationalem, concupiſcibilem, & iraſcibilem, ſecundum hoc intellectus non eſt ratio, ſed potentia quædam rationis; quandoque verò ſumitur in diuiſione contra concupiſcibilem, & iraſcibilem, & ſic intellectus, & ratio ſunt eadem potentia, ſed intellectus dicitur, inquantum apprehendit, ratio inquantum iudicat. Tertio modo ſumitur, & fortè magis propriè ſecundum, quod eſt vis quædam media inter ſenſum, & intellectum conferens ſ. intelligibile cum ſenſibili, ſicut ſenſus cõmunis, ſenſibile vnius ſenſus cũ ſenſibili alterius; quia ſicut vnus ſenſus particularis non apprehẽdit, quod alius, ſic nec intellectus ſenſibilia ſuo modo, nec ſenſus intelligibilia ſuo modo. Horum igitur * collatiua vis dicitur ratio, quæ eſt animæ rationalis ſecundum, quod eſt coniuncta corpori, & ab ea ſumitur hæc differentia rationale in diffinitione hominis: nam quia per eam ſolam homo ſeparatur, & à ſuperioribus, & ab inferioribus (per intellectum enim conuenit cum Angelis, & per ſenſum conuenit cum brutis) ideo à neutro horum ſumitur eius differentia, ſed à ratione, quæ * collatiua eſt vtriuſque; ſuper hæc autem eſt intellectus conferens intelligibile cum intelligibili, ita quod tres ſunt * collatiuæ in homine .ſ. ſenſus comunis, & ratio, & intellectus: Et ſenſum quidem neceſſe eſt corrũpi cum corpore, ſimiliter, & rationem ſecundùm hunc modum, ſolus autẽ intellectus corrumpi non poteſt, quia ſeparabilis eſt.

* *alias collatera vis.*

* *alias collatera.*

* *alias collatera.*

De libero arbitrio.

Cap. XXXIX.

Quotuplex rationis officium?

Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, malum verò gratia deſiſtente: voluntas autem eſt motus animi cogente nullo ad aliquid non admittendum, vel adipiſcendum. Itaque rationis officium multiplex eſt. Primum eſt comprehendere, & ſecundùm hoc dicitur intellectus. Secundum ratiocinari, id eſt rationes ad aliquid oſtendendum indùcere, & ſecundùm hoc dicitur vis rationalis. Tertium diſcernere, & ſic propriè dicitur ratio. Quartum media inuenire, & ſic ingenium. Quintum eligere, & ſic voluntas liberi arbitrij. Liberum enim arbitrium dicitur ſecundùm vtrumque officium, ſcilicet diſcernendi, & eligendi. Sextum cœleſtia contemplari, & ſic ſyndereſis. Septimum inferiora diſponere, & ſic ſenſualitas, vel inferior pars rationis. Et quantum ad duo vltima comparatur Viro, & Mulieri propter quatuor: nam ſicut vir regit mulierem, ſic ſuperior ratio ſecundùm quod intelligit Dei voluntatem à malo retrahit, & ad bonum mouet inferiorem; vnde & ex ea tanquam filios bonos generat bona opera, & hæc eſt ſecunda cauſa. Tertia quia ſicut de Adam ſumpta eſt Eua, ita ex contemplatione cœleſtium, & cognitione diuinæ voluntatis oritur diſcreta adminiſtratio temporalium. Quarta quia non poterat aliqua vis animæ dari ſyndereſi in adiutorium ſimile ſibi, niſi ratio inferior. Nam aliæ vires per ſe ſine diſcretione ſunt, voluntas quidem nunquam contradicit rationi, ſecundùm quod dicitur eſſe eadem potentia cum ratione. Eſt enim voluntas appetitus ſecundùm rationem, qui eſt in vi rationabili, non tamen inquantum eſt rationabilis, ſed inquantum eſt appetens ſecundùm rationem, vel imperans appetitui. Appetitus autem ſecundùm fantaſiam, qui eſt deſiderium, eſt in vi concupiſcibili, & hoc dico ſecundùm quod concupiſcibilis, & iraſcibilis communes ſunt nobis cum brutis, nam rationalis nullo modo conuenit eis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod autem dicunt ſancti; liberum arbitrium eſſe liberius in Angelis, & hominibus bonis, quàm in malis, intelligendum eſt liberius, id eſt pluribus libertatibus liberum. Triplex enim eſt libertas, ſcilicet à neceſſitate, à peccato, à miſeria. A neceſſitate autem dupliciſcilicet ineuitabilitatis,& coactionis, maior ergo eſt libertas, in Angelis, quàm in hominibus, quia illi tres habent plenarias libertates, ſcilicet à peccato, à miſeria, à neceſſitate coactionis, ſed ineuitabiliter volunt bonum, nec hoc minuit libertatem eorum, ſed potius auget, quia ita liberè volunt bonum, quòd omnino nolunt peccare, nec ſentiunt aliquod impulſiuum ad malum. Boni autem homines tres habent libertates, ſed non omnes plenarias, ſcilicet à neceſſitate coactionis, & à peccato, ſed non ex toto, & à miſeria, ſed adhuc ſpe, nondum re: liberiores ergo ſunt, quàm mali, quia duas tantùm habent, ſcilicet à neceſſitate duplici; mali quoque homines liberiores ſunt quàm dæmones, qui vnam tantùm habent, ſcilicet à neceſſitate coactionis.

Triplex libertas.

De Syndereſi.

CAP. XL.

SYndereſis eſt ſcintilla conſcientiæ in ſpecula mentis conſtituta, cuius eſt peccato remurmurare,& errata corrigere,& hæc eſt quę mouet liberum arbitrium in bonum commune, & retrahit à malo communi; huius enim iudicium eſt circa commune tantum immediate, rationis autem circa bonum ſingulare. Præterea, ratio indicat cum deliberatione, ſyndereſis autē abſq; vlla deliberatione dictat malum non eſſe faciendum, ſed bonum; non enim eſt apud eam iudicium deliberationis, ſed tantùm executionis. Differt autem à voluntate naturali ſecundùm rationem, quia iſta eſt pura potentia; ſyndereſis autem potentia habitualis; idem tamen ſunt in ſubiecto. Voluntas etiam naturalis in plura bona mouet, quàm hæc, quia non ſolum in bona rationabilia, ſed etiam in naturabilia,& vitalia. Motus autem ſyndereſis eſt tam in cognitiuis, quàm affectiuis, ſed magis propriè in affectiuis, ſub hoc nomine ſyndereſis; nam ratione lucis, vel cognitionis dicitur intelligentia, ratione affectus ſyndereſis. i. diuiſio, quia ſemper eſt diuiſiua inter bonum, & malum, & videtur eſſe vis ſeparata ab alijs tribus ſcilicet rationabili, concupiſcibili, & iraſcibili, ſecundùm hoc nullo modo peccat, quia non ipſa ſe præcipitat, ſed inferior ratio nebula peccati lumen eius obnubilat, ita quod minus potens eſt in executione ſui effectus, vt in remurmuratione contra peccatum,& hæc ipſa obnubilatio, vel declinatio dicitur eius præcipitatio; vnde nec ei primo,& propriè debetur pœna in inferno, ſed ſicut in corpore, dolente vno membro dolent & omnia alia, quia vnita ſunt in vna vita, ſic & in anima dum puniuntur aliæ vires ſiue anima ſecundum illas, per quas peccauit, torquetur etiam & dolet, in ſyndereſi per quam non peccauit: veruntamen propriè loquendo nec vires animæ puniuntur, nec anima etiam in viribus, ſed in ſubſtantia ſua pro operibus virium.

Officium Syndereſis.

Syndereſis non ſe præcipitat nec peccat.

Non eſt autem extincta ſyndereſis etiam in hæreſiarchis, licèt enim errant in particulari, ſupponentes hanc eſſe veram fidem, quàm credunt in communi, tamen placet eis veritas, & bonitas, & diſplicet error ac malitia: vnde quandoque cognito errore redeunt ad veram fidem. Et eſt ſimile de illo, qui ſcit in vniuerſali omnem mulam eſſe ſterilem, & tamen cum videt aliquam groſſam, credit eam habere in vtero, ſed quando pertractat, & confert recedit error. Non eſt itaque error in ſyndereſi, quæ in communi conſiſtit, ſed in ratione, quæ ad particulare deſcendit. Similiter in Iudæis non eſt extincta, ſed nec in deſperatis omnino, nec etiam in damnatis. Ad quod videndum nota, quod duo ſunt principales effectus ſyndereſis, ſcilicet cognitio, & affectio. Affectio duas habet partes: Inſtinctum boni, qui duplex eſt, vel boni ſimpliciter, vel in collatione ad gratiam, vel gloriam:& diſplicentia mali, quæ ſimiliter eſt duplex: vel mali ſimpliciter, vel in collatione ad pœnam. In diabolo extincta eſt ſyndereſis, ad inſtinctum boni omnino, vel etiam quò ad deteſtationem mali, niſi tantùm in collatione ad pœnam: In damnatis animabus extincta eſt ſimiliter, quò ad inſtinctum boni vtroque modò, ſed remanet quò ad diſplicentiam mali vtroque modo, habent enim remorſum conſcientiæ: vnde patet, quod eis diſplicet culpa præterita quadam pœnitentia infructuoſa. Alia tamen eſt opinio, quod tam in his, quàm in diabolo extincta eſt abſolute, quantum ad diſplicentiam mali culpæ. Diſplicentia verò mali in collatione ad pœnam reſeruatur eis ad ipſius pœnæ accumulationem: in deſperatis autem extincta eſt vno tantum modo, ſcilicet quò ad inſtinctum boni comparati ad gratiam, vel ad gloriam, ſed remanet quò ad inſtinctum boni ſimpliciter, & quò ad diſplicentiam mali vtroque modo.

Syndereſis nō eſt extincta in hæretico, vel Iudæo.

De dignitate hominis, & creatione mulieris.

CAP. XLI.

PORrò excepta illa potiſſima Trinitatis imagine, quæ eſt in mente hominis, in qua cōmunicat cum Angelo; in quinq; ſpecialiter imaginem Dei gerit homo. Primum; eſt auctoritas dominationis, quia ſicut Deus omnium Dominus ſcilicet cœleſtiū, terreſtrium, & infernorum, ſic & homo mundo ſenſibili prælatus eſt. Secundum; auctoritas principij, quia ſicut Deus principium eſt omnium per creationem, ſic Adam omnium hominum per generationem. Tertium, quia ſicut Deus habet conuenientiam cum omnibus, vel è conuerſo, vnde & dicitur mundus Archetypus, ſic & homo, vnde dicitur Microcoſmus. Quartum, quia ſicut Deus omnium finis eſt, ſic & homo totius creaturæ, quæ propter ipſum facta eſt; vnde licèt primus omnium ſit ſecundùm ordinem rationis, vltimus tamen eſt ſecundùm ordinem naturæ, quia vltimus omnium creatus eſt. Quintum, quia ſicut Deus eſt vbique totus, in maiori mūdo, ſic & anima hominis in ſuo mundo, id eſt in corpore humano; itaque non exprimit ſcriptura de Angelo, quòd ad imaginem Dei ſit factus, ſed tantum de homine, quia in pluribus aſſimilatur Deo, quàm Angelus, licèt Angelus magis aſſimiletur quantum ad ſimplicitatem intellectus, vel forte, quia magis de eo dicitur, ſcilicet, quòd ſit lux, & hoc ſufficit ad exprimendum dignitatem illius, vel etiam quia de Angelo nihil dicit ſcriptura, quod videatur eius nobilitati derogare; de homine autem dicit vile quid, ſcilicet quòd ſecundùm corpus ſit formatus de limo terræ: ideoque oportuit eius dignitatem inſinuari, quæ eſt ex parte animæ: hominem itaque perfectum de agro Damaſceno, vbi eum formauerat, in Paradiſum tranſtulit, de latere ipſius dormientis coſtam detraxit, vnde mulierem formauit. Adam euigilans nomen ei imponit, & de matrimonio carnali, ac ſpirituali prophetauit. Mulier quoque licet prædita ſit ratione ſicut vir, dicitur tamen eſſe gloria viri, non tamen imago Dei, eadem ratione, qua nec Angelus, & etiam maiori, quia ſcilicet viro ſubdita eſt, non domina, & quia non eſt origo omnium ſicut ille; & quia non eſt à Deo facta immediatè, ſed formata de viri latere: & quia non habuit ab initio rationem ita limpidam ſicut vir: vnde à Diabolo ſeducta eſt, non vir. Item propter duplex myſterium, ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ, ſuperioris, & inferioris partis rationis: in vtroque enim vir præfertur mulieri.

In quibus gerit homo imaginem Dei.

Cur vir præfertur mulieri?

De primo ſtatu amborum parentum, & lapſu in peccatum.

CAP. XLII.

PORrò in ſtatu innocentiæ cum eſſent nudi, nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerunt refrænandum. His itaque datum eſt præceptum naturæ à

Deo

Triplex præceptum datum primis parentibus.

Deo triplex. Primum pertinens ad ſuſtentationem corporis ſui de comedendo, ſcilicet ex omni ligno Paradiſi. Secundum ad multiplicationem generis ſui, quod implendum erat per legem matrimonij. Tertium ad dilectionem Dei, & proximi, quod in corde eius ſcriptum erat digito Dei. Quartum quoq; præceptum diſciplinæ, datum eſt eis ad probationem obedientiæ, ſcilicet de ligno ſcientiæ boni, & mali non tangendo. Horũ verò fœlicitati Diabolus inuidens tentare agreſſus eſt mulierem per Serpentem, & virum per mulierem; mulier ad ſuggeſtionem Serpentis elata, quatuor modis peccauit, ſcilicet diuinitatem rapere volendo; contra prohibitionem comedendo; virum ad comedendum inuitando; ad interrogationem domini culpam ſuam excuſando.

Quis grauius peccauit Adam an Eua?

Vir autem non quidem ſeductus, vt deitatem ſe poſſe rapere crederet, ſed quadam amicabili beneuolentia illectus, vt mulierem offendere ſe timeret, ſi non oblatum pomum comederet, duobus tamen modis peccauit, ſcilicet comedendo, & ſe excuſando: vnde Mulier plus peccauit, quàm vir, quia pluribus peccatis, & etiam in plures, ſcilicet in Deum, in proximum, & in ſe, & iterum, quia ex maiori tumore, & quia peiori intentione, ſcilicet vt eſſet ſicut Deus, ideoque etiam alio modo plus peccauit, id eſt damnoſius, quia punita eſt grauius. Veruntamen vir vno modo grauius peccauit, id eſt grauiori peccandi origine, quia ſcilicet ex certa ſcientia, cum mulier ſeducta quodammodo peccauerit ex ignorantia.

Peccatum parentum tripliciter punitur.

Denique peccatum eorum in tribus punitum eſt, ſcilicet in ſe, & in tota poſteritate ſua, & in tota viſibili creatura. In ſeipſo quidem tripliciter, ſcilicet quia gratia Dei nudati, & in natura ſua corrupti, & de Paradiſo eiecti; excepta etiam pœna gehennali, qui profecto, donec per pœnitentiam ſui reatus obtinuerunt indulgentiam; fuerunt obligati. Porrò inter illud peccatum primum apoſtaſiæ, & vltimam pœnam gehennæ, media, quæ ſunt peccata, ſunt & pœnæ: iuſto enim iudicio Dei crimina criminibus vindicantur, & ſupplicia peccantium non tantum ſunt tormenta, ſed vitiorum incrementa.

De multiplici diuiſione peccati.

Cap. XLIII.

Peccatum variè diuiditur.

Peccatum autem diuiditur in originale, & actuale: Actuale in duo, ſcilicet veniale, & mortale: Mortale verò in delictum, & commiſſum: Delictum autem in duo, ſcilicet ignorantiam, & omiſſionem: Ignorantia præcipuè culpabilis eſt in ſacerdotibus, & Prælatis, & iudicibus, qui maximè tenentur ſcire, & quorum officium eſt interrogati de lege reſpondere, maximè verò in furioſis excuſabilis eſt, in dormientibus, & in ebrijs, qui rationem habentes ligatam, non valẽt inter bonum & malum diſcernere. Ad omiſſionem verò pertinet etiam negligentia.

Vitia capitalia ſibi inuicem connexa.

Commiſſum diuiditur in ſeptem vitia capitalia, quorum radix eſt Superbia, germina verò multiplicia, ex Superbia quidem naſcitur inanis gloria, ſuperbus enim vult ab omnibus laudari, vt ab omnibus poſſit honorari: ex hac autem, inuidia, quia dum laus appetitur, eadem alij inuidetur: ex hac iterum, Ira, quia dum mens de aliena fœlicitate torquetur, neceſſe eſt, vt oculus mentis per iracundiam turbetur: ex Ira autem, Accidia, quia dum mens inordinatè turbatur, omne bonum in faſtidium ei vertitur: ex Accidia verò, Auaritia, quia dum turbata mens, & triſtis nullam interius conſolationem ſentit, foris eam in terrenis per Auaritiam quærit: ex Auaritia quoque, Gula, quia quod Auaritia congregauit, Gula depaſcit, vnde diuites ſolent eſſe guloſi, *ſicut ille, qui epulabatur quotidie ſplendide:* ex Gula autem, Luxuria, quia venter, & genitalia, vicina ſunt, & pro vicinitate membrorũ ſequitur confæderatio vitiorum.

Ex his itaque vitijs ſibi inuicem connexis quaſi catena efficitur, qua peccator ligatur, & ad infernum trahitur.

Superbia quatuor ſpecies habet, iuxta illud.

Ex ſe pro meritis falſo plus omnibus inflant.

De peccato cordis, & oris, & operis.

Cap. XLIIII.

Alia diuiſio peccati.

Aliter peccatum diuiditur in peccatum cordis, oris, & operis. Peccatum cordis in tria ſcilicet cogitationis, delectationis, & conſenſus. Peccatum cogitationis eſt proprie error; qui triplex eſt ſcilicet error conſcientiæ, & infidelitatis, & praui iudicij: Ex errore conſcientiæ oritur perplexitas: ex prauo iudicio perſonarum acceptio, quæ committitur tripliciter ſcilicet in honorum exhibitione, in iudicij exactione, in promotione quoque ad dignitates. Peccatum oris multiplex eſt, in ſermone enim requiruntur tria, ſcilicet veritas, bonitas, æquitas ſiue rectitudo. Contra veritatem peccatur in verbo tripliciter; aut quia veritas violatur, quod fit per mendacium: aut quia contemnitur, quod fit per periurium: aut impugnatur, quod fit per contentionem. Contra bonitatem verò dupliciter ſcilicet contra honeſtatem per ſcurrilitatem: contra vtilitatem per vaniloquium, & multiloquium ſiue garrulitatem; contra rectitudinem dupliciter ſcilicet in laude, & vituperatione, in laude quando laudatur non laudãdum, quod fit dupliciter: Vel in laude aliena, quod fit per adulationem, vel in propria per iactantiam; In vituperio ſimiliter quando vituperatur Deus, quod fit per blaſphemiam, aut proximus, & hoc dupliciter: aut imprecando pœnam, quod fit per maledictionem, aut improperando culpam, & hoc dupliciter: aut apertè, quod fit per contumeliam: aut occultè, quod fit per detractionem. Mendacium triplex eſt ſcilicet pernitioſum, officioſum, iocoſum: Aliter verò diuiditur in octo genera ſecundum Aug. Periurium triplex eſt, contra tres comites iuramenti ſcilicet veritatem, iuſtitiam, diſcretionem. Iuramentum quoq; diuiditur in aſſertorium, & promiſſorium, ſpontaneum, & coactum, licitum, & illicitum. Adulatio eſt triplex ſcilicet bonum, non habitum alicui attribuens, habitum extollens, malum nutriens. Maledictum, eſt triplex, ſcilicet ſubreptionis ex motu ſubito: ſimulationis non ex animo, & hæc duo genera venialia eſſe dicũtur: tertium verò ſcilicet odij, mortalis eſt. Detractio fit ſeptẽ modis ſcilicet bonum alterius negando, ſupprimẽdo, deprimendo, deprauando, malum occultum reuelando, augmentando, adinueniendo. Peccatum operis triplex, ſcilicet impietas ad Deum, flagitium in ſeipſo, facinus in proximum.

Periurium.

Adulatio.

Detractio.

De ſpeciebus impietatis, quæ committitur in Deum.

Cap. XLV.

Impietas in Deum triplex.

Impietas triplex eſt, aut enim fit derogando diuinæ ſublimitati, quæ attribuitur patri, aut veritati, quæ filio, aut ſanctitati, quæ Spiritui ſancto. Eius ſublimitati debetur honor, cui derogatur tripliciter. ſ. aut cultum ei debitum, alij impẽdendo, quod fit per idololatriam, aut cultũ indebitum ei impẽdendo, quod fit per ſuperſtitionẽ iudaicam, aut à cultu eius debito retrocedendo, quod fit per apoſtaſiam: quæ triplex eſt, aut enim receditur à fide, & ſic eſt perfidia, aut à præcepto, & ſic inobedientia, aut à religione, & ſic irregularitas. Inobedientia eſt triplex, tribus enim debemus obedientiam ſcilicet primo Deo, deinde Prælatis, tertio Parentibus. Apoſtaſia fit irregulariter multis modis ſcilicet coronam, vel tonſuram dimittendo, vxorem ducendo, veſtem religionis, vel clericalem abijciendo, ad ſæculum redeundo.

Apoſtaſia.

Veritati diuinæ cui debetur fides, derogatur tripliciter, ſcilicet aut ei contradicendo, quod fit per hæreſim, aut quod eius eſt proprium, ſibi falſo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aſcribendo ſcilicet futura prædicere, quod fit per diuinationem, aut mendacijs innitendo, quod fit per ſortilegium.

Diuinatio. Diuinatio multiplex eſt, fit enim corporibus mortuorum illa, quæ dicitur Nigromantia; in igne, Pyromantia; in aere, Aeromantia, in aqua, Hidromantia; in terra, Geomantia, &c. Ad ſortilegium pertinet diuinatio ſortium, carmina Vetularum, obſeruantia Calendarum Ianuarij, quaſi in præſagium boni euentus futuri per totum annum, & omnia huiuſmodi ſuperſtitioſa: omnes quoque ligaturæ, ac remedia, quæ medicorum condemnat diſciplina: ad hæreſim verò pertinet ſchiſma.

Similiter ſanctitati diuinæ derogatur tripliciter, ſcilicet aut ſanctitatem falſo ſimulando, quaſi in eius deriſionem, quod fit per hypocriſim, aut eius ſacra dona vilificando, id eſt ſub vili precio ponendo, quod fit per ſymoniam, aut ei ſanctificata violando, quod fit tripliciter, ſcilicet aut violatione ſacri loci, quod fit per ſacrilegium propriè, aut ſacri temporis, quod fit per tranſgreſſionem Sabbati, aut feriarum; aut ſacræ rei; & hoc tripliciter, ſcilicet aut rei, quam ipſe Dominus ſibi ſanctificauit, vt ſunt decimæ, & primitiæ, aut quam ipſe homo ſponte Deo conſecrauit; vt ſunt vota, vel votiua; aut quam Deo ſanctificauit, vel inſtitutio Eccleſiaſtica ſanxit, vel conſuetudo approbauit, vt ſunt oblationes, & huiuſmodi, hæc enim omnia retinere eſt ſanctificata Deo violare.

Symonia. Symonia tres habet differentias, venditur enim aliquando ſpirituale, vt ſacramenta, aliquando annexum ſpirituali, vt præbenda, aliquando verò ſpirituale, & annexum ſpirituali, vt prædicatio.

Sacrilegium. Sacrilegium ſimiliter tres habet differentias, committitur enim quandoque ratione perſonæ, vt cum clericus, vel religioſus verberatur, quandoque ratione loci, vt cum Eccleſiæ, vel cœmeterij immunitas violatur; quandoque verò ratione rei, vt cum ſacra, vel ſacro vſui deputata, vſurpantur. Sabbati violatio triplex eſt, contra triplicem requiem, vel ocium ſanctum, eſt enim ocium ſanctum corporale, contra quod peccatur primo modo, ſcilicet die dominico ſeruilia operando, & eſt ſpirituale, contra quod eſt ſecundo modo, ſcilicet mentis contemplationem penitus deſerendo, & ocium cœleſte, contra quod tertio modo, ſcilicet ab eius deſiderio torpendo, & in præſenti vita male ociando. Fractio voti duplex eſt, eſt enim votum ſimplex, & ſolemne.

De Speciebus flagitij, quod in ſeipſum.

CAP. XLVI.

Homo dupliciter peccat in carne ſua. FLagitium verò duplex eſt: cum enim in corpore humano ſit duplex vis conſeruatiua, ſcilicet vna ad conſeruationem indiuidui, hæc eſt nutritiua; alia ad conſeruationem ſpeciei, ſcilicet generatiua, peccat homo in carne ſua, aut ex inordinatione generatiuæ, & hoc per Luxuriam, aut nutritiuæ, & hoc per Gulam, ſed dupliciter, aut quantum ad cibum, & ſic eſt ingluuies, ſiue guloſitas, aut quantum ad potum, & ſic eſt ebrietas. Guloſitas autem committitur quinque modis iuxta illud.

Præ, proprie, laute, nimis ardenter, ſtudioſe.

Luxuria. Luxuria quoque plures habet ſpecies, aut enim committitur in coitu naturali, aut contra naturam: Si primo modo, aut in vxorem propriam, quod fit per immoderatum vſum, vel amorem, vel in aliam, & tunc aut in conſanguineam, & eſt incœſtus, aut in extraneam, & tunc aut in virginem, aut in corruptam: In virgine autem dupliciter, illa conſentiente, & ſic eſt ſtuprum, aut renitente, & ſic eſt raptus. In corruptam ſimiliter dupliciter, aut in coniugatam, & eſt adulterium, aut in ſolutam, & tunc aut in priuatam perſonam, & dicitur fornicatio, aut in publicam meretricem, & ſic eſt meretricium.

Contra naturam verò peccatur dupliciter, ſcilicet aut in ſeipſum, & dicitur mollicies, aut in alium, & ſic eſt Sodomia, quæ etiam ipſa quatuor habet ramos: hanc enim turpitudinem aut facit maſculus, cum maſculo, vel fœmina, cum fœmina, vel maſculus cum fœmina, in membro, ſcilicet ad hoc non conceſſo, vel maſculus, aut fœmina, cum bruto. Ad luxuriam quoque pertinet vtcunque nocturna pollutio, quæ tamen aliquando euenit ex naturæ ſuperfluitate, aliquando ex infirmitate, aliquando ex crapula præcedente; aliquando ex turpi imaginatione, & hoc dupliciter, aliquando ex præcedenti vigilantis cogitatione; aliquando ex ſola ſomni illuſione. *Contra naturam peccatur dupliciter.*

De ſpecibus ſacinoris, quod in proximum, & de peccato in Spiritum ſanctum.

CAP. XLVII.

Homo tripliciter peccat in proximum. FAcinus ſimiliter triplex eſt: committitur enim lædendo proximum, aut in anima, aut in corpore, aut in poſſeſſione. In anima læditur per ſcandalum. Eſt autem ſcandalum duplex, ſcilicet actiuum, & paſſiuum. In corpore autem nocetur tripliciter, ſcilicet aut corporaliter eum vexando, quod fit per angariam, aut corporaliter lædendo, vel percutiendo, quod fit per iniectionem manuum violentam, aut vitam corporis omnino deſtruendo, quod fit per homicidium. In poſſeſſione ſimiliter tripliciter læditur, ſcilicet vt debitum ei negando, quod fit per auaritiam, vel tenacitatem, quæ negat pauperi eleemoſynã, vel rem ab eo poſſeſſam furripiendo, quod fit per rapacitatẽ, vel eam pœnitus deſtruendo, quod fit per incendia, & huiuſmodi.

Res autem proximi furripitur dupliciter, ſcilicet apertè, & occultè; apertè dupliciter, vel ipſo vtcunque permittente, quod fit per vſuram, vel pœnitus renitente, quod fit per rapinam: occultè ſimiliter dupliciter, vel in eius abſentia, quod fit per furtum, vel in præſentia, quod fit per fraudem, vt in negocijs.

Quod peccatorum maximum. Omnium autem peccatorum maximum, & quaſi ſummum, & finis omnium, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, cuius ſpecies ſunt ſex, ſcilicet præſumptio, deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio; fraternæ charitatis inuidentia; obſtinatio, & impænitentia. Peccatum enim in Spiritum ſanctum; propriè dicitur malitioſa, & obſtinata impugnatio diuinæ bonitatis. Impugnatur autem dupliciter, quia duplicem habet reſpectum, ſcilicet vnum ad ipſum Deum, alium ad nos: Reſpectu Dei poteſt dupliciter impugnari, ſcilicet nimis extendendo, quod fit per præſumptionem, vel nimis reſtringendo, quod fit per deſperationem. Reſpectu noſtri poteſt quis eam impugnare dupliciter, vel in ſeipſo quod fit per finalem impænitentiam, id eſt per finale propoſitum non pœnitendi, vel in alio, & hoc dupliciter, vel quò ad intellectum, & ſic eſt agnitæ veritatis impugnatio, vel quò ad effectum, & ſic eſt fraternæ charitatis oppugnatio.

De ſequela peccati, & reparatione lapſi per pœnitentiam, & virtutes.

CAP. XLVIII.

Contra incommoda peccati triplicia; remedium. PEccatum autem generaliter tria maxima incommoda ſequuntur, ſcilicet ſubtractio omnium gratuitorum; corruptio naturalium, obligatio pœnæ æternæ, ſed & peccatum peccato punitur, vt ſupra dictum eſt. Veruntamen etiam illum primum parentem, noſtræ perditionis auctorem, legimus, & credimus per pœnitentiam, & fidem futurorum à reatu ſuo fuiſſe purgatum, ac ſeptiformi ſpiritus gratia renouatum. Vnde & Dominus eum, vt pius pater filium de peccato ſuo corripuit, eiq́ue pœnitentiam iniunxit, ſcilicet laborem manuum, & abſtinentiam ciborum, veſtemq́ lugubrem ei circundedit, ac de loco voluptatis ad exilij locum eum eduxit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pœnitentia tres habet partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem: per contritionem quoque remittitur peccatum, & dicitur à doctoribus, quòd in iuſtificationem impij quatuor concurrunt, tempore ſimul, non natura, ſcilicet gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij, contritio, peccati remiſſio. Confeſſio debet eſſe ſimplex, & humilis, verecunda, &c. Satisfactionis tres ſunt partes, ſcilicet oratio contra Superbiam, ieiunium contra carnis concupiſcentiam, eleemoſyna contra Auaritiam. Species pœnitentiæ ſunt tres, ſcilicet ſolemnis, & publica, & priuata; dicitur autem Sacerdos aliquem ligare, & ſoluere tripliciter, ſcilicet vno modo ligatum, vel ſolutum oſtendendo: item pœnitentiæ ſatisfactionem iniungendo, vel aliquid ex ea, virtute clauium remittendo: item excommunicando, vel ſententiam relaxando. Per pœnitentiam recuperantur virtutes, quarum tres dicuntur Theologicæ: in quibus totus Trinitatis cultus conſiſtit, Fides ſcilicet, qua delectamur in Deo per modum æſtimationis: Spes, qua per modum confidentiæ, & Charitas per modum coniunctionis.

De Fide, & Spe.

Cap. XLIX.

Quid fides? Septem articuli de diuinitate.

Fides, eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Articuli fidei ſunt quatuordecim, qui in ſymbolo exprimuntur, ſeptem de diuinitate, quorum primus eſt vnum Deum eſſe: Secundus Patrem eſſe vnum Deum. Tertius Filium eſſe vnum Deum. Quartus Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum: vnum Deum eſſe trinum, & vnum, non eſt alius articulus, quàm iſti quatuor. Quintus eſt Deum peccata remittere his tantùm, qui ſunt de Eccleſia Catholica. Sextus Deum mortuos ſuſcitaturum. Septimus ipſum eſſe remuneratorem bonorum in vita æterna, ſub quo etiam comprehenditur ipſum eſſe punitorem malorum in gehenna.

Septem articuli de humanitate.

Septem verò de humanitate ſunt: Filium Dei conceptum eſſe de Spirituſancto, ex Maria virgine natum eſſe, mortuum fuiſſe, ad inferos ſecundum animam deſcendiſſe, à mortuis reſurrexiſſe, ad cœlos aſcendiſſe, & ad dexteram Patris, id eſt ad æqualitatem eius per omnia in quantum Deus, vel in potioribus bonis eius potiſſimo modo ſecundùm, quod homo, ſedere, ſcilicet tanquam iudicem venturum. Vnde ſeptimus Articulus eſt ipſum bonos, & malos iudicaturum eſſe.

Eadem fides modernorũ & antiquorum.

Eſt autem eadem fides modernorum, & antiquorum: Idem enim eſt articulus Chriſtum eſſe naſciturum, & eſſe natum; ſed olim ſufficiebat ſimplicibus explicitè credere vnum Deum eſſe creatorem, ac remuneratorem omnium, & huiuſmodi, dummodo crederent implicitè quicquid credebat Moyſes; modò verò oportet credere explicitè omnes illos articulos, de quibus Eccleſia ſolemnizat, vt Conceptionem, Natiuitatem, Circunciſionem, Paſſionem, Reſurrectionem, & huiuſmodi, quia veritas propalata eſt, non ſolùm per rei exhibitionem ſed etiam per Apoſtolorum prædicationem, per miraculorum confirmationem, per ſolemnitatum frequentationem, quod non fuit in veteri teſtamento. Veruntamen etiam tunc maiores in populo, quibus facta eſt reuelatio tenebantur explicitè credere omnes articulos ſibi reuelatos.

Spes à fide differt.

Spes autem à fide differt, quia Fides eſt de bonis proprijs, & alienis; Spes autem tantùm de proprijs. Differt autem à timore, virtute etiam quò ad extrema; nam extrema Spei, ſunt deſperatio, & præſumptio, extrema timoris puſillanimitas, & temeritas: licèt autem ſpes ſit certa expectatio futuræ beatitudinis proueniens ex gratia, & meritis præcedentibus, tamen Sancti, qui ſunt in patria ſpem non habent, quia ſtola corporis, quam expectant, non eſt beatitudo, neque pars beatitudinis, ſed quædam redundantia glorificationis animæ.

An Chriſtus in via habuit fidem vel ſpem?

Chriſtus etiam in via, nec habuit fidem, nec ſpem, quia ſemper fuit verus comprehenſor, habuit tamen quandam certam boni expectationem, iuxta illud: *In te Domine ſperaui:* Quod non fuerit alicuius virtutis propriæ, ſed rationis. Sancti verò, qui olim erant in Limbo, habebant, & fidem, & ſpem, licet non mererentur ſibi, quia non erant in loco merendi, ſed certitudo ſpei eorum, quaſi media erat inter certitudinem viæ, & patriæ, maior iſta, minor illa. Certitudo viæ timorem habet, & ſeparationis, & pœnæ, certitudo patriæ poſſeſſionem rei ſperatæ. Certitudo verò illorum neutrum; & ſic in parte conueniebat cum vtraque.

De Charitate.

Cap. L.

Ex quibus procedit charitas?

Charitas procedit ex fide, & ſpe tanquam ex cauſis ſuis originalibus, non tamen ab eis formatur, ſed ipſa potius eas informat. Quidam tamen aiunt, quòd fides non informatur à Charitate, ſed in ſeipſa eſt perfecta virtus, & inclinatur ad bonum ſuum proprium per ſe, ſcilicet ad primum illuminans: ſicut Charitas ad ſuum, quod eſt prima bonitas.

Charitas radix omnium virtutum.

Dicitur autem Charitas radix, vel mater omniũ virtutum propter motus earum, quia mouet omnes ad actus proprios, vnde Charitas omnia credit, omnia ſperat. Differunt autem hæ tres ſecundùm actus ſuos, nam fides facit aſſentire Deo; Spes confidere; Charitas diligere: Item ratione ſubiecti, quia Fides eſt in rationabili, Spes in iraſcibili, Charitas in concupiſcibili: Item ratione obiecti, quia Fides eſt circa verum, Spes circa arduum, Charitas circa bonum: Item ratione finis, quia quælibet animæ vis ſuam habet beatitudinem creatam qua quieſcit in Deo.

Qua diligenda?

Charitate, diligenda ſunt quatuor tantùm, primo, & præcipuè, ſcilicet quod ſupra nos eſt. Deinde, quod nos ſumus, ſiue quod eſt intra nos, ſcilicet anima noſtra. Tertio, quod iuxta nos, id eſt proximus, ſcilicet homo, vel Angelus. Quarto quod infra nos, id eſt corpus proprium, & proximi. Diligendus eſt Deus ex toto corde, & propter ſe. Proximum autem debet quiſque diligere ſicut ſe, id eſt citra Deum, vt ſupra corpus proprium, vel ad id, ad quod ſeipſum. Ordo Charitatis nihil aliud videtur eſſe, quàm ordo diligendorum in animo diligentis, qui poteſt eſſe in quatuor, ſcilicet in affectu, in effectu, in bono viæ, quod eſt gratia, in bono patriæ, quod eſt gloria. In affectu verò diligentis ordinat naturas conditio ipſius diligendi: quod enim magis mouet affectum diligentis rectè diſpoſitum ad ſe diligendum hoc affectuoſius diligit, vt Deum, quàm hominem, parentes, quam filios, ſcilicet propter beneficia, quæ ab eis ſuſcepit, & mala, quæ pro eis paſſi ſunt. Cognatos, & ſecundùm gradus cognationis cęteris paribus. In effectu verò ordinat ipſorum neceſſitas, eo quod potius ſubuenit magis indigenti, cæteris paribus. Alioquin in quo plures diligendi rationes æque fortes concurrunt, illi potius ſuccurrendum eſt: & ſecundum hunc ordinem magis diligendi ſunt filij, quàm parentes, quia naſcuntur paruuli, & ideo magis indigent exterioris exhibitione beneficij. Ad bonum viæ omnes æqualiter diligendi ſunt. Ad bonum verò patriæ ſecundùm gradus participandi bonum, vnde maiorem gratiam habentes ad maiorem gloriam diligendi ſunt: & ita etiam extraneum quem ſcio meliorem eſſe me, debeo plus diligere, quàm me, id eſt ad maius præmium. Alijs tamen modis debeo me plus diligere, id eſt affectuoſius, & effectuoſius. Veruntamen præ omnibus circunſtantijs, quas attendit Charitas, eſt communis vtilitas, vnde duobus æqualiter indigentibus, illi potius ſuccurrendum eſt, ex cuius ſuccurſu maior vtilitas Eccleſiæ ſecutura eſt, & in hoc caſu videtur, quòd debeat quis ſibi alium præferre, ſcilicet in beneficij exhibitione, & in extrema neceſſitate, verùm ad ſalutem æternam nullus debet alium ſibi proponere.

In aliquo ſenſu magis diligendi ſunt paruuli quam parentes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quatuor virtutibus Cardinalibus.

CAP. LI.

VIrtutes Cardinales ſunt quatuor, ſcilicet prudentia in præcauendis inſidijs. Iuſtitia in ſubueniendo miſeris. Fortitudo in perferendis moleſtijs, Temperantia in coërcendis delectationibus prauis. Prudentiæ ſpecies ſunt ſex, ſcilicet ratio intellectus, circumſpectio, prouidentia, docibilitas, & cautela. Temperantiæ verò nouem, ſcilicet modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, pietas, ſobrietas, pudicitia. Caſtitas ſiue continentia triplex eſt ſcilicet coniugalis ab omni coitu illicito, vidualis ab omni coitu ſimpliciter, virginalis ab omni coitu cum integritate corporis, & talis habebit aureolam. Sed & illa, quæ omnino præter voluntatem ſuam corrumpitur, virgo reputatur, & habebit aureolam (ſecundùm quoſdam) quia ſecundum Aug. *non poteſt corrumpi corpus, niſi prius corrumpatur animus.* Aureola quidem, vel fructus centeſimus non eſt de eſſentia præmij, ſed accidentalis decor ſuperadditus: vnde non ſequitur: ſi quis habet æquale præmium virgini, quòd habeat fructum centeſimum. Virgo, quæ propria voluntate nubit, vel nubere proponit, pro coniugata habetur, & debetur ei fructus triceſimus. Quæ autem ex voluntate parentum hoc facit, & non ex propria, ante carnalem coitum debetur ei fructus centeſimus. Fortitudinis ſpecies ſunt ſeptem, ſcilicet Magnanimitas, Fiducia, Securitas, Conſtantia, Tolerantia, & Firmitas, ſiue Patientia, & Perſeuerantia. Iuſtitiæ verò ſeptem, ſcilicet Innocentia, Amicitia, Concordia, Pietas, Religio, Affectus, Humilitas. Aliter diuidit eam Tullius in ſex ſpecies, ſcilicet Religionem, Pietatem, Gratiam, Obſeruantiam, Vindicationem, Veritatem. Ad iuſtitiam verò pertinet miſericordia, qua reddimus inferiori, quod ſuum eſt, obedientia, qua ſuperiori, & latria qua Deo. Eſt autem triplex adoratio ſiue honoris exhibitio. Prima, ſcilicet latria, quæ ſoli Deo debetur. Secunda dulia, quæ homini, & Angelo, proprijſſime autem Chriſto, in quantum homo. Tertia verò hyperdulia, qua honoratur Crux, vel corona, & huiuſmodi. Oratio ſpecies eſt duliæ. Ad iuſtitiam quoqùe pertinet iudiciorum executio, maleficiorum punitio, alienæ rei reſtitutio.

Caſtitas triplex.

Septem fortitudinis ſpecies.

Latria cui debetur, cui dulia, & hyperdulia.

De ſeptem donis Spiritus ſancti, & ſeptem beatitudinibus.

CAP. LII.

SEptem quoque ſunt dona Spiritus ſancti, per quæ ſufficienter excluduntur omnia vitia: nam timor excludit ſuperbiam, pietas inuidiam, ſcientia iram, fortitudo accidiam, conſilium auaritiam, intellectus gulam, ſapientia luxuriam, ideo tot ſunt, & non plura. Item quia data ſunt ad regimen humanæ vitæ, cuius partes ſunt duæ, ſcilicet, actiua, & contemplatiua. Contemplatiua duobus primis donis ſufficienter regitur: nam per donum ſapientiæ perficitur ad contemplandum Deum in ſe, per donum intellectus ad contemplandum Deum in creaturis: Item dono Sapientiæ guſtatur Dei ſuauitas: dono intellectus videtur Dei veritas. *Vnde Pſal. guſtate, & videte.* Actiua in duobus conſiſtit, ſcilicet in declinatione mali, & in operatione boni. Declinatur autem malum dupliciter, ſcilicet, aut ipſum fugiendo, quod fit per timorem: eſt enim timor fuga mali; aut ei reſiſtendo per fortitudinem: quę quia ſine conſilio præceps eſt (*vt ait Gregorius*) adiungitur ei conſilium, tanquam rector. Alia verò pars ſcilicet operatio boni, pietatis dono regitur, quæ ſcilicet pietas neceſſarium habet ſcientiæ donum, *quia ſecundum Gregorium non bene operatur pietate, qui ſine diſcretione ſcientiæ quomodo miſereatur, ignorat.* Species timoris ſunt ſex. Naturalis, quo timet quilibet naturaliter nociuum naturæ; iſte timor nec eſt bonus nec eſt malus, quia non ſubeſt libero arbitrio, & hic fuit in Chriſto. Item humanus, quo timet quis pelli ſuæ plus debito; hic eſt malus, & quandoque veniale, quandoque mortale ſecundum quòd amor huius vitæ ex quo oritur minor vel maior eſt. Item mundanus, quo timet aliquis nimis rebus ſuis, & hic ſimiliter eſt, naſcens ex amore rerum temporalium. Item ſeruilis, quo timet quis peccare propter gehennam, principaliter. Item initialis, quo timet quis, & gehennam, & Dei offenſam; & hic habet quaſi duos oculos, ſcilicet, vnum ad pœnam; alterum ad Deum, & hic eſt principalior. Item Filialis, quo timet quis principaliter offenſam Dei vel ſeparationem à Deo. Nec ſunt plures timores, *quia vt ait Auguſt. timor, eſt fuga mali, ſicut amor, appetitus boni.* Et ſicut triplex eſt bonum, ſcilicet, delectabile, expediens, & decens, ita triplex malum, ſcilicet, triſtabile, damnoſum, & indecens. Malum triſtabile duplex, ſcilicet temporale, & æternum. Temporale duplex, ſcilicet naturale, quod in omnibus triſtabile eſt, vt mors, & innaturale quod non in omnibus ineſt, ſed alicui igitur fuga mali triſtabilis, temporalis, naturalis: Timor naturalis eſt fuga mali triſtabilis temporalis. Innaturalis timor humanus eſt, fuga vero mali triſtabilis æterni, timor ſeruilis eſt, & ſic reſpectu mali triſtabilis ſumitur triplex timor. Item malum damnoſum, aut æternum eſt; & fuga huius eſt propriè timor initialis: aut tẽporale: & fuga huius eſſe propriè timor mũdanus: & ita reſpectu damnoſi ſumitur duplex timor, reſpectu vero indecentis ſumitur vnicus, ſcilicet timor reuerentiæ, qui dicitur filialis, bonus enim filius indecens æſtimat, & ob hoc vitat quicquid credit diſplicere patri. Timor itaque naturalis communis eſt omni homini, & eſt à Deo, humanus, & mundanus, nec ſunt à Spiritu ſancto, nec cum Spiritu ſancto. Seruilis eſt à Spiritu ſancto, ſed non cum Spiritu ſancto. Initialis, & finalis ſunt à Spiritu ſancto, & cum Spiritu ſancto, ſcilicet cum gratia Spiritus ſancti, ſiue cum charitate; ex hac itaque triplex tantum timor, ſcilicet ſeruilis in quantum ceſſare facit à peccato initialis, & filialis, ſunt dona Spiritus ſancti, alij vero tres non ſunt dona Spiritus ſancti. Vita actiua, & contemplatiua ſe habent ad inuicem, per modum excedentis, & exceſſi: nam actiua meritorum fæcundior eſt, & huic vitæ congruentior, & pluribus vtilior. Contemplatiua vero iucundior, & diuturnior atque ſecurior. Ad reparationem quoque vel renouationem hominis pertinent etiam ſeptem beatitudines, in euangelio ſeptem virtutibus attributæ, quibus etiam adaptantur ſeptem petitiones, in oratione dominica, & ſeptem Spiritus ſancti dona.

Species timoris.

Triplex bonum & triplex malum.

Timor naturalis omnibus communis.

De diuiſione ſcientiarum, quæ & ipſæ datæ ſunt homini lapſo in remedium.

CAP. LIII.

LIcet autem primus homo quantum ad ſe de reatu ſuo pœnitendo ſatisfecerit, non tamen continuo priſtinum fœlicitatis ſtatum recuperare potuit, miſerias quoque pœnales huius vitæ mortalis ſibi ac poſteris eius inflictas, iuſto Dei iudicio non euaſit. Verùntamen pius, & miſericors Deus in ira ſua miſericordias ſuas non continuit, ſed hanc ipſam calamitatem ac miſeriam humani generis multiplicibus bonis magnifice repleuit. Itaque præter illa duo bona hominis, quaſi extra eum, ſcilicet mundum infra in quo fuerat homo beatus, & Deum ſupra, in quo beatificandus, dederat ei Deus à creatione ſua tria bona ſibi naturaliter, & originaliter inſerta. Primum quod eum fecerat ad ſuam imaginem. Secundum quoad ſimilitudinem. Tertium vero corporis immortalitatem: quæ tria bona corrupta ſunt per tria mala ſequentia, ſcilicet per ignorantiam; diuina imago, per concupiſcentiam, ſi-

Primus homo non recuperauit priſtinum gradum innocentia.

Tria bona data homini, per peccatum corrupta.

militudo,

militudo, per infirmitatem, corporis immortalitas. Homine namque à Deo recedente: facta eſt via eius tenebræ per ignorantiam, & lubricum per concupiſcentiam, & Angelus domini, id eſt infirmitas corporis ad vindictam immiſſa, perſequens eum per mortalitatem donec reuertatur in terram, de qua, ſcilicet eſt.

Tria bona in remedium peccati data homini.

Propter hæc tria incommoda repellenda, data ſunt ei diuinitus tria remedia, ſcilicet ſapientia, contra ignorantiam; virtus, contra concupiſcentiam; neceſſitas, contra infirmitatem; propter quæ tria inuenta eſt omnis philoſophia, vel artis diſciplina, ſcilicet propter ſapientiam, theorica; propter virtutem, practica; propter neceſſitatem verò mechanica: & vt de his omnibus rectius, veracius, & honeſtius diſſeratur, inuenta eſt logica. Theorica diuiditur in Theologiam, Phyſicam, Mathematicam.

Theologia.

Theologia tractat de inuiſibilium viſibilibus eſſentijs, id eſt de Deo, & ſpiritualibus creaturis, *vnde inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur.* Opus autem duplex eſt, ſcilicet conditionis, ſcilicet creatio mundi cum omnibus elementis ſuis; & reſtaurationis, id eſt incarnatio verbi cum omnibus ſacramentis ſuis. Primum in ſex diebus factum eſt. Secundum in ſex ætatibus, vt cognoſcatur idem eſſe redemptor, & creator.

Phyſica.

Phyſica, id eſt naturalis ſcientia tractat de inuiſibilibus viſibilium cauſis, nam corpus, & ea quæ ſunt corporis, principaliter conſiderat. Corpus autem, aut conſideratur in generali cum partibus ſuis, aut in ſpeciali: ſi primo modo ſic determinat illud Ariſtoteles in libro phyſicorum: ſi in ſpeciali, aut igitur eſt corruptibile, aut incorruptibile, ſi incorruptibile ſic eſt in libro de cœlo, & mundo: dicit enim Ariſtoteles ibidem quod cœlum eſt corpus non fabricatum, nec generatum, nec recipiens impreſſiones aliquas: ſi ſit corruptibile, aut ergo eſt ſimplex, aut compoſitum, ſi ſimplex, ſic eſt in lib. de generatione, & corruptione, & loquor de ſimplicitate illa, quæ opponitur compoſitioni naturali ex quatuor elementis: Si compoſitum; aut igitur animatum, aut non; ſi non, ſic eſt in lib. metheororum; vbi Ariſtoteles determinat de impreſſionibus aëris, & de generatione grandinis, & niuis, & corporum mineralium, & conſimilium: ſi vero ſit compoſitum animatum; aut igitur anima vegetatiua eſt animatum, & de tali determinatur in libro de vegegetabilibus, aut anima ſenſitiua, & de tali in lib. de animalibus, aut anima intellectiua, & de tali in lib. de anima. Cætera vero in libro de ſomno, & vigilia de morte, & vita, de ſenſu, & ſenſato, & differentia ſpiritus animæ, &c. ſupponuntur libro de anima, & libro de animalibus.

Mathematica.

Mathematica quantitatem abſtractam conſiderat, & ſic tractat de inuiſibilibus viſibilium formis. Quantitas autem alia diſcreta, quæ multitudo dicitur: alia continua quę dicitur magnitudo diſcreta; Alia diſcreta per ſe, vt duo tria, & hoc eſt materia Arithmeticæ; alia diſcreta ad aliquid, vt ſexquiquartũ, ſexquitertiũ, & hæc materia muſicæ. Magnitudo alia immobilis, vt ſphera terræ, & hæc eſt materia geometriæ: alia mobilis, vt ſphera firmamenti, & hæc aſtronomiæ. Hæ igitur ſunt quatuor ſpecies mathematicę; ſcilicet arithmetica de numeris, muſica de proportione, geometria de ſpacio, aſtronomia de motu. Elementum arithmeticæ, eſt vnitas, muſicæ vniſonum, geometriæ punctum, aſtronomiæ inſtans.

De practicis, & mechanicis artibus.

CAP. LIIII.

PRactica diuiditur in Ethicam, & Oeconomicam, & Politicam.

Ethica.

Ethica eſt, quæ ſui curam gerens cunctis ſe erigit, & exornat, augetque virtutibus, nihil in vita admittens quo non gaudeat; nihil faciens pœnitendum.

Oeconomica.

Oeconomica eſt quæ familiaris officij curam mediocri diſpoſitione componens diſtribuit.

Politica.

Politica eſt quæ reipublicæ curam ſuſcipiens, cunctorum ſaluti ſuæ prudentiæ ſolertia, iuſtitiæque libra, & fortitudinis ſtabilitate, ac tempesantiæ patientia medetur.

Mechanica.

Mechanica ſeptem habet ſpecies, ſcilicet lanificium, armaturam, nauigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. Ad hanc omnium rerum fabrica concurrere videtur in his, quę humanis neceſſitatibus inueniuntur grata, commoda, neceſſaria.

Lanificium.

Lanificium eſt prima ſpecies, ad quam pertinet omnis opera vẽdendi, retorquendi, conſuendi, quicquid fit inſtrumento, colo, fuſo, acu, pectine, calamiſtro, girgillo, alibro. In materia lini, lanæ, canapi, & omnis vſus floccorum, filtrorum, ſagorum, ſaginarum, marularum, & ſportarum.

Armatura.

Armatura duas habet ſpecies, ſcilicet architectonicam & fabrilem. Architectonica diuiditur in cæmentariam & carpentariam. Fabrilis in malleatoriam & excluſoriam. Ædificiorum partes ſunt tres, ſcilicet diſpoſitio, conſtructio, venuſtas. Porro fabrica ferraria duabus rebus conſtat, ſcilicet ventis & flamma.

Agricultura.

Agricultura quatuor habet ſpecies, ſcilicet aruum, id eſt agrum, qui ſulcationibus aratri & culturæ deputatur: Conſitum, qui nemoribus, vt ſunt pomeria, vineta, oliueta: Paſcua, quæ paſcuis, vt prata: Floridum, vt horti roſaria. Cultura agri multiplex eſt, cinis, id eſt incendium per quod ager inutilem humorem exſudat: deinde aratio, intermiſſio, ſtipularum incenſio, ſtercoratio, ſatio, occatio, iruncatio. Bene colendi agri ratio quatuor rebus conſtat, ſcilicet, aere, aqua, terra, induſtria. Oportet enim, vt eis locis, quos colere deſtinabis, aer ſit ſalutaris & clemens, aqua ſalubris & facilis; vel ibi naſcens, vel adducta, vel imbre collecta: terra vero fęcunda & ſitu commoda. In vitibus putandis tria conſideranda ſunt, ſcilicet fructuum ſpes ſucceſſura; materies, & locus, qui ſeruet ac refocillet.

Bene cultus ager requirit quatuor.

Venatio.

Venatio tres habet ſpecies, ſcilicet ferinam, aucupium, piſcaturam. Ferina fit multis modis, ſcilicet retibus, pedicis, laqueis, præcipicijs, arcu, iaculis, cuſpide, andagine, pennarum odore, canibus, accipitribus: Aucupium fit laqueis, pedicis, retibus, arcu, viſco, hamo. Piſcatura fit ſagenis, retibus, gurguſtijs, hamis, iaculis.

Medicina.

Medicina corporis, vel tuetur, vel reſtaurat ſanitatem, hæc continet occaſiones & operationes. Occaſiones ſunt ſex aer circundans nos, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies; inanitio & repletio, & accidẽtia animæ. Operationes sũt intus & foris: intus, vt ea quæ intromittuntur per nares, per os, per anum: ad excitandas ſternutationes, vomitationes, purgationes. Foris, vt amplaſtra, inciſio, vſtio.

Theatrica.

Theatrica continet ludos diuerſi generis; nam ludus aut eſt gymnicus, aut circenſis, aut ſcænicus, aut gladiatorius. Gymnicus eſt ludus, qui in gymnaſio exercetur, cuius quinque ſunt genera, ſcilicet ſaltus, curſus, iactus, virtus atque luctatio. Saltus dicitur ab altius exiliendo, vel longius: Virtus eſt immenſitas virium in labore & pondere corporis. Agonum genera fuere virium immenſitas, curſus celeritas, ſagittandi peritia, ſtandi patientia: ad cytharam quoque vel tybias incedendi geſtus. De moribus quoque, de forma, de cantandi modulatione, terreſtris quoque & naualis prælij, perpetiendorumque ſuppliciorum certamina. Circenſes ludi dicti ſunt à circumeundo: vel quod vbi nunc metæ ſunt, olim gladij ponebantur, quos quadrigæ circumibant. Scena locus erat in terra infra theatrum in modum domus inſtructa cum pulpito, vbi cantabant comici, & tragædi, ſaltabant hiſtriones & mimi. Gladiatores pugnabant in amphitheatro, illic iuuenes vſum armorum diuerſo motu condiſcebant, & modo inter ſe, aut gladijs, aut pugnis certabant, & modo contra beſtias incedebant. Eſt & ludus aleæ, coreæ, pilæ. Alea ſiue tabula luditur pirgo, calculis teſſeriſq;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ab aleis nunquam abeſt fraus mendacium, & periurium.

ab hac arte fraus, & mendacium & periurium nunquam abeſt, poſtremo & odium & damna rerum. Vnde & aliquando propter hæc ſcelera, legibus fuit interdicta. Pila dicitur quia pilis plena. Inter pilarum ſpecies ſunt trigonaria, qua inter tres luditur, & harenata qua in grege.

Nauigatio.

Nauigatio eſt mechanicæ ſpecies, ad quam pertinet omnis induſtria vendendi & emendi, hæc inuiſa littora addit: pacem & familiaritatem cum exteris nationibus componit, & priuata bona communia facit.

De Sermocinalibus ſcientijs, & artibus magicis.

CAP. LV.

Logica diuiditur.

LOgica diuiditur in Grammaticam,& rationem diſſerendi. Et ratio diſſerendi in probabilem, & neceſſariam,& ſophiſticam: probabilis autem in dialecticam, & rhetoricam.

Grãmatica.

Grammatica eſt ſcientia rectè loquendi: origo & fundamentum liberalium Litterarum; & diuiditur in literam, ſyllabam, & dictionem, & orationem: literæ Latinæ & Grecæ ab Hebræis videntur exortę,apud illos enim prius dictum aleph. Deinde à ſimili apud Græcos tractum eſt alpha. Inde apud Latinos A. Hebræi viginti duobus elementis ſecundum veteris teſtamenti libros vtuntur: Græci verò 24. Latini inter vtramque linguam progredientes habent viginti tres, quinque apud Græcos literæ myſticæ ſunt ſcilicet y. quæ humanam vitam ſignificat: e. quæ mortem: t.quæ dominicæ crucis figuram demonſtrat: Chriſtus vero ſibi primam & vltimam vendicat, qui dicit. Ego ſum alpha& omega,omnes autẽ litteræ apud Grecos, & verba componunt & numeros faciunt. Nam a. apud eos ſignificat vnum, b. duo, c. tria, & ſic de cæteris.

Dialectica.

Dialectica ipſa eſt quæ propriè dicitur logica .i. rationalis, diffiniendi, quærendi, ac differendi potens. Itaque dicibile aliud eſt complexum, aliud incomplexum: Incomplexum aliud inhærens intra,& de hoc agitur in libro prædicamentorum, aliud extra, & hoc in libro ſex principiorum. Complexum autem aliud inordinatum ſiue abſolutum, & de hoc liber perihermenias vbi de enunciatione ſiue reſpectu. Aliud ordinatum & hoc dupliciter; vel ad omnem materiam indifferens, & hoc in libro Priorum: vel ad materiam determinatam contractum, & hoc tripliciter, vel ad neceſſariam, & hoc in libro poſteriorum: vel ad probabilem, & hoc in libro Topicorum: vel ad ſophiſticam, & hoc in libro elenchorum.

Rhetorica.

Rhetorica, eſt bene dicendi ſcientia in ciuilibus quæſtionibus; ad perſuadendum iuſta & bona, in rerum perſonarumque & negocij cauſa. Rhetor ſiue orator eſt vir bonus dicendi peritus: vir bonus conſiſtit natura, moribus, vita, artibus: dicendi peritus conſiſtit artificioſa eloquentia, quæ conſtat partibus quinque ſcilicet inuentione, diſpoſitione, memoria, pronunciatione, & fine officij, quod eſt aliquid perſuadere. Ipſa autẽ dicendi peritia cõſiſtit in tribus ſcilicet natura, doctrina,&vſu. Cauſarum tria ſunt genera: Deliberatiuũ,in quo quid debeat fieri vel nõ fieri tractatur. Demonſtratiuum, in quo perſona laudabilis vel reprehenſibilis oſtenditur. Iudiciale, in quo de ipſius facto, aut pœnæ, aut præmij ſententia datur. Deliberatiuum genus eſt duplex ſcilicet ſuaſio & diſſuaſio. Suaſorium autem in tribus diuiditur ſcilicet honeſto, vtili & poſſibili. Demonſtratiuum duas habent ſpecies ſcilicet laudem & vituperationem. Partes orationis rhetoricę quatuor ſunt,ſcilicet exordium,narratio,argumentum, concluſio.

Magica.

Magica vero ſub philoſophia non continetur, ſed foris falſa profeſſione de vero mẽtiens & veraciter animas lædens. Hæc quinque maleficiorum genera continet ſcilicet mantice, mathemathicam, maleficia,ſortilegia, præſtigia. Mantice, id eſt diuinatio ſpecies habet quinque ſcilicet nigromantiam, geomantiam, ydromantiam, aëromantiam, piromantiam. Mathematica vero tres, ſcilicet aruſpicium, augurium, horoſcopicam.

De Exilio primorum parentum, & generatione eorum.

CAP. LVI.

Incipit hiſtoriam ſuam author.

HÆc de continentia priorum partium epilogando tranſcurrimus: nunc ad hiſtoriam per volumina temporum explicando tranſeamus.

Annus 1.

Adam & Eua (ſicut creditur) ipſa die creationis ſuæ id eſt ſexta die mundi, in Paradiſo circa meridiem præuaricati ſunt, & paulo poſt circa horam nonam electi ſunt, vnde & nouus homo Chriſtus eadem die poſt multas annorum reuolutiones; id eſt ſexta feria 8. kal. Aprilis, hora itidem ſexta, crucifixus, peccati eiuſdem debitum ſoluit, & circa nonam expirans, latroni aditum Paradiſi reſerauit.

Adam eiectus è paradiſo ipſa die creationis ſuæ.

Proiecti igitur in exilium currunt ad humanum ſolatium: virgines enim de Paradiſo egreſſi ſunt, & ex tunc carnaliter coierunt: *vnde dicit Hieronymus, quod nuptiæ replent mundum, virginitas Paradiſum.*

Annus 15.

Anno itaque vitæ Adam 15. ei natus eſt Cayn,& ſoror eius Calmana.

Annus 30. Naſcitur Abel.

Poſt alios autem 15. ei natus eſt Abel, & ſoror eius Delbora. Creditur autem Adam filios in ſpiritu docuiſſe Deo decimas & primitias offerre. Cayn itaque auarus agricola, ſpicas contritas & corroſas fortaſſis circa viam, Deo obtulit & meliora ſibi retinuit. Abel vero ſimplex & innocens de pinguioribus gregis obtulit, & quoniam eius vita Deo placuit, ipſius etiam oblatio grata fuit, & hoc ipſum, Deus per inflammationem ſacrificij, eius innotuit. Ignis enim de cœlo deſcendens oblationem eius incendit. Cayn ergo malignus, bonitati & gratiæ fratris inuidens, eum in agro Damaſceno per dolum occidit, & accepta à Deo maledictionis ſententia, vagus & profugus à facie Domini, à Lamech in generatione ſua ſeptima, caſu percuſſus interijt. Septem enim peccata commiſit, quia ſcilicet nec rectè diuiſit, fratri inuidit, doloſe egit, occidit, procaciter negauit, deſperauit, nec damnatus pœnitentiam egit. Ideoque punitus eſt ſeptuplum, id eſt vſque ad ſeptimam generationem, in qua pœna eius ſimul cum vita finita eſt. Lamech vero ſeptuageſies ſepties, id eſt multo plus quia prohibitio homicidij iam fuerat promulgata, vel quia tot animæ de eo egreſſæ diluuio perierunt.

Abel placuit Deo, Cayn. vero exoſus fuit Deo.

Cayn 7. peccata cõmiſit.

De ortu Eccleſiæ ab Abel.

CAP. LVII.

Ab Abel incæpit eccleſia.

IN his itaque duobus primis filijs Adæ, ſcilicet Cayn & Abel ortum habuerunt duæ ciuitates ſecundum Auguſt. vna ſanctorum, quæ peregrinauit in terris, & habitationem expectabat in cœlis, hæc eſt Hieruſalem cæleſtis. Altera reproborum, quę hic habitationem ſuam conſtituit ſpem futurorum non habens, hæc eſt Babylon ſpiritalis. Vnde & ab Abel dicitur incæpiſſe eccleſia: quia ſi ab Adam incæpiſſet non fuiſſet continua, & quia in Cayn ſęuire cœpit in ſanctos reproborum malitia, in Abel vero proficere vita ſanctorum & patientia, proinde quoque vita eorum lõge diſpar fuit. Abel enim vir ſimplex, in paſtu ouium occupatus,de pecoribus gregis munera grata Deo obtulit, perſecutionem fratris propter conſcientiam Dei patienter ſuſtinuit, non ob aliud, ſcilicet niſi quia bonus erat, & ille malus, vnde & primitus in ipſo, figura & ſimilitudo paſſionis Chriſti expreſſa præceſſit, qui peccatum non fecit; & in eodem primo iuſto, eccleſia pati cæpit, quæ in ſingulis iuſtis patitur, & vſque ad

A Cayn incæpit perſecutio eccleſiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

finem patietur dicente Gregorio. Abel esse renuit, quem Cayn malitia non exercet.

Malitia Cayn quanta.

Cayn verò nequissimæ auaritiæ inseruiens, terram coluit, ac de peioribus fructibus Deo obtulit, post peccatum in fratrem, de salute æterna desperat; & quasi ciuis terrenus ciuitatem in terra, primus condidit, rapinis & violentia opes congregans, suos ad latrocinia inuitauit, ac simplicitatem vitæ hominum, adinuentionem mensurarum, & ponderum permutauit, atque ad calliditatem, & corruptionem perduxit; terminos terræ primus posuit, ciuitates mutauit, & timens quos lædebat, ob securitatem suos in vrbibus collegit. Ideo autem prius natus est Cayn pessimus, quàm Abel iustus, vt ostenderetur quod in Adam tota generis humani massa iure damnata est, & quando aliquis ex ea vas in honorem efficitur, non hoc prouenit ex natura, sed ex vocantis Dei misericordia. Denique studia filiorum Cayn manifestè indicant, ad quam prędictarum ciuitatum pertineant. Lamech enim primus contra naturam, & mores bigamiam introduxit, & sic adulterium commisit, cuius etiam progenies artes quasdam mechanicas, & curiositates adinuenit Iabel, scilicet, portatilia tentoria pastorum, Iubal verò peritiam sonorum musicorum, siue consonantiarum, quæ pertinent ad voluptatem aurium, Tubalcain, artes ferrarias & sculpturas illorum, deseruientes concupiscentiæ, & libidini oculorum. Noema quoque soror eius inuenit artem variæ texturæ, & omnes pene sæculares artes, vel scientiæ, vel mechanicæ siue liberales, vel physicæ, curiositati, vel etiam necessitati, siue exercitationi humanæ deseruientes, à filijs huius sæculi leguntur inuentæ: huiusmodi enim artes, quæ non erant ad salutem, eorum studio ac labore erant inueniendæ, qui non erant filij salutis æternæ, quæ tamen sunt filijs lucis vtcunque necessariæ. Illis ergo talibus, talis labor debebatur; his autem fructus seruabatur, sicque ab Hebræis Ægyptij spoliantur, vt etiam in hac parte merito ipsis scilicet veris Hebræis à Domino dicatur: *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*

Cur prius natus Cayn pessimus quàm Abel iustus.

Qui primi inuentores Artium.

Nota hic breuiter quod Torniellus putet Adam genuisse Caynan 1. anno Mundi sub finem scilicet: & sub finem secundi anni genuisse Abelem.

De generationibus Seth vsque ad Noe.

CAP. LVIII.

ADam itaque post mortem Abel vehementer amore prolis æstuans, cognouit vxorem, & genuit Seth cum esset 130. annorum secundum hebraicam veritatem, qui scilicet Seth genuit Enos, anno ætatis suæ, 105. ab initio verò mundi, 235.

130. *Seth nascitur.*

Enos genuit Caynan anno ætatis suæ, 90. muudi verò trecentesimo, 25.

235. *Enos nascitur.*

Caynan genuit Malaleel, anno ætatis suæ, 70. mundi vero 395.

325. *Cainan nascitur.*

Malaleel genuit Iared; anno ætatis suæ, 65. mundi vero, 460.

395. *Malaleel nascitur.*

Iared genuit Enoch, anno ætatis suæ, 162. mundi vero sexingentesimo, & 22.

460. *Iared nascitur.*

Enoch genuit Mathusalem, anno ætatis suæ, 65. mundi vero sexingentesimo, & 87.

622. *Enoch nascitur.*

Post hoc vero cum esset Enoch 365. annorum translatus est diuinitus in paradisum voluptatis ad tempus; vt in fine temporum cum Helya veniat, & corda filiorum ad patres conuertat. Hic enim septimus in generatione piorum scilicet filiorum Seth fuit optimus: sicut Lamech in generatione impiorum scilicet filiorum Cayn fuit pessimus.

687. *Mathusalem nascitur.*

Mathusalem genuit Lamech, anno ætatis suæ, 187. mundi vero octingentesimo & 74.

Nota nos differre in hoc computu à Torniello tantum vno anno quia ipse dicit Seth fuisse natum anno 131.

Lamech genuit Noe, anno ætatis suæ, 182. mundi verò 1056.

874. *Lamech nascitur.*

De Noe, & arca diluuij fabricata ab eo.

CAP. LIX.

NOe genuit Sem, anno ętatis suæ quingentesimo, mundi verò millesimo quingentesimo, & 56.

1056. *Sem nascitur.*

Tunc inundante malitia hominum; præcepit Dominus arcam fabricari, arcamque fabricauit Noe, 100. annis ante diluuium, qui dati sunt ei ad pœnitendum. In quibus Noe qui solus in generationibus illis erat perfectus; dum fabricabat arcam prædicabat hominibus pœnitentiam, vt imminentem euaderent pœnam, omnis quippe caro corruperat viam suam, nam primo quidem filij Cayn vxoribus fratrum suorum nimis fornicationibus abusi fuerant, & mulieres in vesaniam versæ, viros supergressæ turpiter egerant. Tandem etiam exardescentes homines in adulterium coierunt, & filij Seth quondam religiosi, contra prohibitionem Adæ patris sui, concupiscentia victi filiabus Cayn commixti sunt, vnde & gigantes genuerunt homines scilicet immanes corporibus, superbos viribus, inconditos moribus. Denique fabricata est arca bicamerata & tricamerata scilicet in fundamento quadra ab angulis in arcum conscendens, quinque cameras habens quas Augustinus ait, præter sentinam ibi fuisse: dicit enim eam super tabulatum sentinę fuisse bicameratam, & erant camerę laterales, vna stercoraria, alia verò apothecaria. Super hanc autem mansionem erat alia similiter tricamerata, eratque vna immitium, alia mitium animalium, media verò auium & hominum. Alij verò has omnes in altitudine sola disponunt: Iosephus autem dicit quatuor fuisse, forte sentinam non includens.

Arcam fabricauit Noe.

De diluuio & arcu.

CAP. LX.

INgressoque Noe cum familia, cunctisque generis animantibus, non cessantibus peccatis hominum inundauit diluuium, pluit enim 40. noctibus diebusq, continuè, & eleuata arca ferebatur in sublime. Excreuit enim aqua super omnem altitudinem montium, vt ablueret sordes aeris vsquequo ascenderant opera hominum: (ob cuius etiam aeris purgationem, ascendet & ignis iudicij vsque ad eundem locum.) Aquæ sic exaltatæ terras obtinuerunt 150. diebus ab ingressu Noe, & tunc cœperunt minui donec requieuit arca super montes Armeniæ: Noe verò ad explorandum, emisso coruo, post columba: tandem iubente Deo egressus est de arca cum vniuersis, quæ ibi erant eadem die, qua ingressus fuerat reuoluto anno, & ædificato altari obtulit sacrificium Domino, quasi pro pace, & gratiarum actione; quæ ei benedixit & filijs eius, repetita benedictione, quam prius dederat Adæ, quia per ipsum iterum multiplicandum erat genus humanum. Hæc autem benedictio in tribus consistit scilicet in prolis multiplicatione, in cæterorum animantium subiectione, in ciborũ concessione, quæ tandẽ ciborũ concessio hic amplificatur, tum propter terræ infœcunditatem, tum propter hominis infirmitatem; & concedirur esus carnium absque sanguine, in quo prohibetur homicidium ad literam, & quia timebatur adhuc diluuium, pepegit Dominus cum eis securitatis fædus, in cuius signum posuit arcum pluuialem in nubibus, qui licèt dicatur habere, 6. colores, duos tamen habet principales, in signum duorum iudiciorum, exterius autem cæruleum, qui & aquosus est, in signum iudicij per aquam præteriti, ne amplius timeatur: interius verò rubrum, in signum futuri per ignem, vt expectetur. Inundauerunt autem aquæ diluuij anno Sem * 98. Noe vero sexingentesimo. Ab initio autem mundi 1656. & tunc prima mundi ætas est terminata, quasi infantia, obliuioni data, & initium habuit secunda.

Quousque excreuit altitudo aquarum.

Benedixit Deus Noe & filijs eius.

* *alij legunt* 190. *Sed sic lego cum Torniello.*

1656.

De

De generationibus Sem vsque ad Heber.

Cap. LXI.

Arphaxad nascitur. 1658.

SEm vixit post diluuium annis duobus antequam generaret Arphaxad, quem genuit anno mundi 1000. sexingentesimo, 58.

Huius tempore accidit post diluuium illa famosa æbrietas patris sui Noe, cuius occasione idem pater sibi & fratri suo Iaphet, pro honestate & verecundia, honore paterno benedixit, tertio verò filio scilicet Cham pro impudenti patris sui irrisione, in filio suo primogenito Chanaam, maledixit.

Comestor 37. cap. in Genesim.

Texuntur autem ex tribus filijs Noe generationes 72. scilicet 15. de Iaphet, 30. de Cham, 27. de Sem: vnde & Dominus Iesus sicut prius, 12. Apostolos, ad 12. tribus Israel direxit, sic postmodum, 72. discipulos misit, qui totidem linguarum gentibus Euangelium prædicarent: ex illis tribus Noe adhuc viuente iuxta Philonem nati sunt 24. millia virorum & 100. (extra mulieres, & paruulos) habentes super se & tres duces. Primus enim Nemrod de filijs Cham regnauit super fratres suos, eruditus à Ionitho quondam filio Noe sapiente (de quo Moyses tacet) qui & Astronomiam inuenit, & futuros quosdam euentus præuidit, maximeque de ortu & occasu quatuor regnorum, de quibus & Daniel prophetauit. Exemplo verò Nemrod cæpit regnare Iectan super filios Sem. Suphene autem super filios Iaphet.

* Arphaxad genuit Caynan 1694. ait Torniellus & Caynan genuit Sale 1724. in his igitur variat à nobis Torniellus, nos tamen sequimur lectionē scriptura & lectionem nostri authoris. Sale nascitur 1693. Heber nascitur 5723. Phaleg nascitur 1757. In domo Heber remansit lingua Hebræa.

* Arphaxad autem genuit Sale, anno vitæ suæ 35. ætatis autem mundi secundæ 37. ab initio verò 1000. sexingentesimo, & 93.

Sale verò genuit Heber, anno vitæ suæ 30. ætatis secundæ 67. mundi vero 1000. septingentesimo 23. Sub his duobus scilicet Sale & Arphaxad nihil in mundo famosum legitur euenisse.

De Phaleg & diuisione linguarum ac gentium in tribus orbis partibus.

Cap. LXII.

HEber autem genuit Phaleg anno vitæ suæ 34. ætatis secundæ 101. mundi verò 1757. Ab Heber (secūdùm Iosephum) dicti sunt Hebræi, nam & in domo eius sola remāsit lingua Hebræa, quæ etiam ante diuisionem linguarum nō dicebatur Hebræa, sed humana simpliciter, vtpote qua omnes homines communiter vtebantur. Huius quoque filius nomen habuit ab euentu scilicet Phaleg, id est diuisio, quia in diebus eius diuisa est terra. Tres enim supradicti duces conuenerunt in campum Sennaar & timentes diluuium consilio Nemrod, volentes regnare; cæperunt ædificare turrim ex lateribus & bitumine quæ vsque ad cælos pertingeret. Dominus autem linguas eorum confudit, vt vnusquisq; vocem alterius non intelligeret sed aquam petenti, lapides, vel aliud quicquam porrigeret, sicque cessantes à proposito per orbem tripartitum in diuersis regionibus secundum linguarum suarum varietates disseminati sunt. Filij Sem obtinuisse referuntur Asiam: Cham Aphricam: Iaphet verò Europam.

Confusio linguarum.

Nota nos in correctione nostra legere Isidorum vbiq; iuxta impressionē Colonien sem anno Domini 1617.

Isidorus decimo quarto libro Etimologiarum cap. 2. sic dicit: In tres partes, orbis non æqualiter diuisus est, nam Asia à meridie per Orientem vsque ad Septentrionem peruenit: Europa verò à Septentrione ad Occidentem; & inde Aphrica vsque ad meridiem. Sicque medium orbem sola tenet Asia, Europa vero & Aphrica, aliam medietatem sunt sortitæ, quæ ideo duæ factæ sunt, quia inter vtramque ab Oceano mare magnum progreditur quod eas intersecat.

De Asia & eius capite quod est paradisus, ex Isidoro libro citato cap. 3.

Cap. LXIII.

ASia ex nomine cuiusdam mulieris appellata est, quæ apud antiquos imperium tenuit orientis; hæc in tertia orbis parte dispositа, ab oriente; ortu solis; à meridie, oceano; ab occiduo, nostro mari finitur, à septentrione, mæotide lacu, & Tanay fluuio terminatur: habet autem prouincias multas, & regiones, quarum breuiter nomina & situs expediam sumpto initio à paradiso.

Lege Isidorum citato cap. & libro & Bartholomæum Anglicum lib. 13. Nomina prouinciarum ac vrbium Asiæ.

Paradisus locus est in orientis partibus, cuius vocabulum ex Græco in Latinum vertitur hortus. Porrò Hebraicè Eden dicitur; quod in nostra lingua delitiæ interpretatur: quod vtrumque iunctum facit hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborum consitus, habens etiam lignum vitæ; non ibi frigus, non æstus, sed perpetua aeris temperies, è cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat. Diuiditur autem in quatuor nascentia flumina; cuius loci aditus post peccatum hominis est intercluſus: septus est enim vndique romphæa flammea id est muro igneo accinctus, ita vt eius cum cœlo pene iungatur incendium. Cherubin quoque id est Angelorum præsidium arcendis spiritibus malis, super rompheæ flagrantiam ordinatum est: vt homines flammæ, Angelos verò malos Cherubin submoueant, ne cui carni vel spiritui transgressionis; aditus paradisi pateat.

Paradisus hortus deliciarum.

De India & eius mirabilibus.

Cap. LXIIII.

INdia ab Indo flumine dicta est, quo ex parte occidentali clauditur; hæc à meridiano mari porrecta, vsq; ad ortum solis & à septentrione, vsque ad mōtem Caucasum peruenit, habens gentes multas & oppida. Insulam quoque Taprobanam gemmis & elephantibus refertam, Chrysen & Argyren auro & argento fœcundas: vtilem quoque arborem folijs nunquam carentem; habet & fluuios Gangem, Nidam, & Hypanem, illustrantes Indos. Terra Indiæ Fauonij spiritu saluberrima in anno bis metit fruges, vice hyemis Ethesijs potitur. Gignit autem tincti coloris homines, elephantes ingentes, Monoceron bestiam; Psitacum auem, hebenum quoque lignum, & cinnamomum, & piper, & calamum aromaticum: mittit ebur, lapides quoque precioſos, beryllos, crisopraſos, adamantem, carbunculos, lychnites, margaritas, & vniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio; ibi sunt & montes aurei quos adire propter dracones & gryphas & immensorum hominum monstra impossibile est.

India.

Commoditates India.

Terra bis ferens fructus in anno.

Solinus cap. 58. Polybis: In India traduntur fuisse quinque millia oppidorum præcipua capacitate; populorum 9000. Diu etiam credita est tertia pars terrarum, nec mirum sit, vel de hominum, vel de vrbium copia, cum soli Indi nunquam à natali solo recesserint. Indiam Liber pater ingressus est, vtpote qui Indis subactis omnium primus triumphauit; maximi in ea amnes, Ganges & Indus; minima Gangis latitudo, per 8. millia passuum, maxima per 20. patet, altitudo vbi vadosissimus est, mensuram 100. pedum deuorat.

In Gange, insula est populosissima, amplissimam continens gentem, quorum rex, 50. millia peditum, equitum quoque 4. millia in armis habet; omnes sane quicunque præditi sunt regia potestate, non sine maximo elephantorum, equitum etiam peditumque numero militarem agitant disciplinam.

Prasia gens validissima Palybotram vrbem incolunt, vnde quidam, gentem ipsam Palybotros nominauerunt, quorum Rex sexcentena millia peditum,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

equitum 30. millia, elephantorum 8. millia omnibus diebus ad stipendium vocat.

Vltra Palybotram mons Maleus est, in quo vmbræ, hyeme, in septentriones, æstate, in Austros cadunt, vicissitudine hac durante, senis mensibus. Septentriones in eo tractu in anno semel, nec vltra 15. dies apparent; sicuti auctor est Bethon, qui perhibet hoc in pluribus Indiæ locis euenire. Indo flumini proximantes versa ad meridiem plaga vltra aliorum torrentes, habent calores; denique vim syderis prodit hominum color. Montana Pygmei tenent, at illi quibus est vicinus oceanus sine regibus degunt. Pandea gens à fœminis regitur, cui Reginam primam assignant Herculis filiam. In India sunt monstra diuersi generis, serpentes enormes, Leucrocata; Eale Tauri mirabiles, Manticora, Monoceros, Anguillæ tricenorum pedum, pomaria, 40. passuum, hirundines immensæ, & alia plura mirabilia.

Lege Solinum in Polyhis cap. 55.

De cæteris Asiæ regionibus Isidorus cap. 3. lib. 14.

Cap. LXV.

Parthia. PArthiam Parthi à Scithia venientes occupauerunt eamque ex suo nomine vocauerunt, huic à meridie mare rubrum est, à septentrione Hircanum salum; ab occidua solis plaga; Media: regna in ea 18. sunt porrecta à Caspio littore ad terram Scytharum.

Assyria. Assyria vocata est ab Assur filio Sem, qui eam post diluuium regionem primus incoluit: hæc ab ortu, Indiam; à meridie, Mediam tangit, ab occiduo, Tygrim, à septentrione, montem Caucasum; vbi portæ Caspiæ sunt. In hac regione primum vsus inuentus est purpure Inde primùm crinium, & corporum vnguenta venerunt, & odores, ex quibus Romanorum, ac Græcorum effluxit luxuria.

Lege Bartholomæum Angl. lib. 15. de propriet. prouinciarum.

Media & Persia. Media & Persia à regibus Medo & Perso cognominatæ sunt, qui eas prouincias debellando aggressi sunt. Ex quibus Media ab occasu transuersa, Parthia regna amplectitur, à septentrione, Armenia circundatur, ab ortu, mari Caspio diuiditur, à meridie, Persida. Huius terra medicam arborem gignit, quam alia regio minimè parturit. Sunt autem Mediæ duæ, maior & minor.

Persida. Persida tendens ab ortu solis vsque ad Indos, ab occasu, mare rubrum, ab aquilone verò, Mediam tangit, ab austro, Armeniam, quæ Persidæ annectitur, quibus est Susa oppidum nobilissimum. In Perside primum orta est ars magica, ad quam Nembroth gygas post confusionem linguarum abijt, ibique Persas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur.

Ars Magica orta in Perside:

Mesopotamia. Mesopotamia Græcam etymologiam possidet, quod duobus fluuijs ambiatur; nam ab oriente Tygrim habet, ab occiduo Euphratem: incipit autē à septentrione inter montem Taurum & Caucasum, cuius à meridie sequitur Babylonia, deinde Chaldæa, nouissimè Arabia Eudemon, quæ inter sinum Persicum, & sinum Arabicum angusto terræ tractu orientem versus extenditur.

Babylonia. Babyloniæ regionis caput, Babylon vrbs est, à qua nuncupata, tam nobilis, vt Chaldæa, & Assyria & Mesopotamia, in eius nomen aliquando transierunt, *plura de Babylonia vid. in Bartholomæo Angl. lib. 15.*

Ex eodem Authore.

Cap. LXVI.

Arabia. ARabia est appellata sacra .i. thurifera hoc enim significare interpretatur, eo quod sit regio thuriferos odores creans, hinc eam Græci Eudemon nostri beatam nominauerunt. In cuius saltibus myrrha & cinamomum prouenit. Ibi nascitur auis Phœnix, sardonix gemma, & iris melotidis; & pæderos ibi inuenitur. Ipsa est & Saba appellata à filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Hæc autem (vt prædiximus) angusto terræ tractu ad orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionem Chaldea claudit, occasum sinus Arabicus.

Syria. Syriam Syrus quidam perhibetur indigena, à suo vocabulo nuncupasse. Hæc ab oriente fluuio Euphrate, ab occasu nostro mari & Ægypto terminatur, tangens in septentrione, Armeniam & Cappadociam, à meridie sinum Arabicum; situs eius porrectus in immensam longitudinem; in lato angustior. Habet autem in se prouincias Commagenam, & Phœniciam, & Palæstinam, cuius pars est Iudæa, absque Saracenis, & Nabathæis.

Commagena. Commagena est prima prouincia Syriæ, vocabulo commagæ vrbis nuncupata, quæ quondam ibi metropolis habebatur. Huius est à septentrione* Armenia, ab ortu Mesopotamia, à meridie Syria, ab occasu mare magnum.

* *Isidorus habet Cappadocia.*

* *Isid. dicit Cadmi.* Phœnix * Cathini frater, de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus apud Sydonem regnauit, eamque prouinciam ex suo nomine Phœniciam appellauit. Ipsa est vbi est Tyrus, ad quam Isaias loquitur, habet autem Arabiam ab Oriente, mare rubrum à meridie.

Palæstina. Palæstina prouincia Philistinam vrbem metropolim habuit, quæ nunc dicitur Ascalon, ex qua ciuitate omnis circa eam regio Palæstina est nuncupata. Huius ab oriente mare rubrum occurrit, à meridiano latere, Iudæa excipitur, à septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur, ab occasu Ægyptio limine terminatur.

Iterum ex eodem authore.

Cap. LXVII.

Iudæa. IVdæa ex nomine Iudæ est appellata, ex cuius tribu reges habuit. Hæc est Palestinæ regio, quæ Chanaan dicta est à filio Chan. siue à 10. Chananæorum gentibus, quibus expulsis, eandem terram Iudæi possederunt. Initium longitudinis eius à vico Arpha vsq; ad vicum Iuliasen porrigitur, in quo Iudęorum pariter ac Tyriorum communis habitatio est. Latitudo autem eius à monte Libani vsque ad Tyberiadis lacum extenditur. In medio autem Iudeæ ciuitas Hierosolyma est quasi vmbilicus regionis totius. Terra est variarum opum diues, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam existimauerunt Iudęi eam promissam patribus terram fluentem lacte & melle, cum hinc illis Deus resurrectionis gratiam polliceretur.

Hierosolyma in medio Iudæa.

Samaria. Samaria regio Palæstinæ, ab oppido quodam nomen accepit, quod vocabatur Samaria, ciuitas quondam regalis in Israel, quæ nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Hæc regio inter Iudæam, & Galilæam media iacet, incipiens à vico, cui nomen est Eleas deficiens in terra Agrabat: situs eius est natura consimilis, nec vllo differens à Iudæa.

Galilæa. Galilęa regio Palæstinę vocata est, quæ gignit candidiores homines quàm Palæstina. Hæc autem duplex est, superior & inferior sibi tamen connexæ, Syriæ & Phœniciæ adhærentes, terra earum opima, & ferax & fructibus satis fœcunda.

Pentapolis. Pentapolis regio in confinio Arabiæ & Palæstinæ sita est: dicta à quinque ciuitatibus impiorum, quę igne cœlesti consumptę sunt: terra amplius à Hierosolymis olim vberrima, nunc autem deserta atque exusta. Nam pro scelere Incolarum de cœlo descendit ignis, qui regionem illam in cineres æternos dissoluit; cuius vmbra quędam & species in fauillis & arboribus ipsis etiam adhuc videtur. Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant, quæ si carpas, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, & fumum exhalant, quasi adhuc ardeant.

Adhuc ex eodem Iſidoro.

Cap. LXVIII.

Nabathea. NAbathea à Nabath filio Iſmahel nuncupata eſt. Iacet autem inter Iudæam & Arabiam, & ſurgens ab Euphrate, in mare rubrum porrigitur, & eſt pars Arabiæ.

Ægyptus. Ægyptus, quæ prius Aërea dicebatur ab Ægypto Danai fratre poſtea ibi regnante nomen accepit. Hæc ab oriente Syriæ ac Rubro mari coniuncta ab occaſu Lybiam habet, & à ſeptentrione mare magnum, à meridie vero introrſus recedit, pertendens vſque ad Æthyopes. Regio cœli imbribus inſueta, & pluuiarum ignara. Nilus ſolus eam circumfluens irrigat, & inundatione ſua fœcundat, vnde & ferax frugibus multam partem terrarum frumento alit, cæterorum quoque adeo copioſa, vt impleat neceſſarijs mercibus etiam orbem terrarum. Finis Ægypti Canopia à Canope Menelai gubernatore ſepulto in ea inſula, quæ Lybiæ principium & oſtium Nili facit. *Helinandus.* Plato tradit in Ægypto nunquam pluiſſe. *Iſido. lib. 14. cap. 3.*

Seres. Seres oppidum eſt orientis, à quo genus Sericum & etiam regio nuncupata eſt. Hæc à Scythico oceano & mari Caſpio ad oceanum orientalem inflectitur, nobilibus frondibus fertilis, à quibus vellera decerpuntur, quæ cæterarum gentium populis Seres ad vſum veſtium vendunt.

Bactria. Bactriæ regioni proprius amnis Bactrus vocabulum dedit. Partes eius quæ planæ ſunt, propanſis montis iugis ambiuntur; quæ aduerſæ ſunt Indi fluuij fontibus terminantur, reliqua includit Ochus fluuius. Mittit Bactria fortiſſimos camelos nunquam atterentes pedem.

Scythia. Scythia ſicut Gothia à Magog filio Iaphet fertur cognominata, cuius terra olim ingens fuit; nam ab oriente India, à ſeptentrione per paludes mæotides inter Danubium, & Oceanum; vſque ad Germaniæ fines porrigebatur; Poſtea verò minor effecta, à dextera orientis parte, qua oceanus Syricus tenditur vſque ad mare Caſpium, quod eſt ad occaſum. Deinde de meridie vſque ad Caucaſi iuga deducta eſt, cui ſubiacet Hyrcania ab occaſu, habens pariter gentes multas, propter terrarum infœcunditatem late vagantes. Ex quibus quædam agros incolunt, quædam portentuoſæ, & truces; carnibus humanis, & eorum ſanguine viuunt. Scythiæ plures terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen plures, nam dum in pleriſque locis auro & gemmis affluant, Gryphorum immanitate acceſſus hominum rarus eſt. Smaragdis autem opima hæc patria eſt, Cyaneus quoque lapis & cryſtallus puriſſimus Scythiæ eſt. Habet & flumina magna, Phaſiden magnum, Oſcoron, atque Araxen.

Hyrcania. Hyrcania dicta eſt à ſilua Hyrcania, quæ Scythiæ ſubiacet, habens ab oriente mare Caſpium, à meridie Armeniam, à ſeptentrione Albaniam, ab occaſu Hyberiam. Eſt autem ſiluis aſpera, copioſa immanibus feris, tygribus, pantheriſque, & pardis.

Item ex eodem Iſidoro.

Cap. LXIX.

Albania. ALbania eſt à colore populi nuncupata, eo quod albo crine naſcantur. Hæc ab oriente ſub mari Caſpio ſurgens, per ora oceani ſeptentrionalis vſque ad Mæotides paludes per deſerta & inculta extenditur. Huic terræ canes ingentes ſunt, tantæque feritatis, vt tauros premant, leones perimant.

Armenia. Armenia vocata eſt ab Armeno Iaſonis Theſſali comite, qui amiſſo rege Iaſone collecta multitudine eius, quæ paſſim vagabatur Armeniam cæpit & ex ſuo nomine nuncupauit. Sita eſt autem inter Taurum & Caucaſum, à Cappadocia vſque ad Caſpium mare protenſa, habens à ſeptentrione Ceraunios montes, ex quorum collibus Tygris fluuius naſcitur, & in quibus montibus arca poſt diluuium reſediſſe perhibetur. Duplex eſt autem Armenia, ſuperior & inferior, ſicut duæ Pannoniæ.

Hyberia. Hyberia; regio eſt Aſiæ prope pontum Armeniæ iuncta: in hac herbæ tincturæ vtiles naſcuntur.

Cappadocia. Cappadociam vrbs propria nominauit. Hæc in capite Syriæ ſita, ab oriente Armeniam tangit, ab occaſu Aſiam minorem, ab aquilone mare Cimmericum & himiſcerios campos, quos habuere Amaſones; à meridie verò Taurum mõtem, cui ſubiacet Cilicia & Iſauria vſque ad Cilicum ſinum, qui ſpectat contra inſulam Cyprum. Terra eius ante alias, nutrix eſt equorum. Albis amnis per eam fluit, qui quondam Lydiæ regna diſiunxit à Perſis.

Aſia minor. Aſia minor ab oriente Cappadocia cingitur, ab alijs partibus vndique mari circundatur, nam à ſeptentrione Pontum Euxinum habet, ab occaſu Propontidem, à meridie Ægyptiũ mare. Habet prouincias Bithiniam, Phrygiam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam, Iſauriam, Liciam, atque Ciliciam.

De prouincijs Aſiæ minoris.

Cap. LXX.

Bithinia. Ex Iſidoro cap. citato. BIthinia in ponti exordio ad partem orientis aduerſa Thraciæ iacet, multis antea nominibus appellata; nam prius Beritia dicta, deinde Migdonia, mox à Bithinio rege Bithinia nuncupata eſt, ipſa eſt & maior Phrygia. Nichomedia vrbs in ea eſt, vbi Hannibal fugiens veneni hauſtu animam expirauit.

Galatia. Galatia dicta eſt à priſcis Gallorum gentibus, à quibus extitit occupata, nam Galli in auxilium à Rege Bithiniæ euocati regnum cum eo, peracta victoria diuiſerunt, ſicque deinde Græcis admixti, primum Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum regio Galatia nuncupatur.

Phrygia. Phrygia ab Europis filia dicta; hæc & Dardania à Dardano Iouis filio dicta, de quo, *Homerus ait.*

Quem primum genuit cœleſti Iupiter arce.

Hic enim profectus de Corinthia ciuitate primus venit in Phrygiam. Eſt autem regio Troiadi ſubiecta, ab aquilonis parte Galatiæ, à meridiana, vicina eſt Lycaoniæ; ab oriente Lydiæ adhæret, ab occidente Helleſponto mari terminatur. Huius regio Troia eſt, quam ex ſuo nomine appellauit, Tros Troianorum rex, Ganymedis Pater. Duæ ſunt autem Phrygiæ maior & minor. Maior Phrygia Smirnam habet, minor verò Ilium Lycaoniam. Cariam autem Hermus fluuius diſcernit à Phrygia.

Lydia. Lydia ſedes antiqua regum, quam Pactoli vnda extulit in diuitias torrentibus aureis. Lydia autem à Lydo regis fratre, qui in prouincia remanſerat cognominata eſt. Coniungitur autem minori Phrygiæ ab occidente, ab ortu Smirnam habet vrbem; quam Helles fluuius cingit, cuius campos Pactolus & Hermus circunfluunt, arenis aureis ditiſſimi.

Pamphilia ſiue Iſauria. Pamphylia Ciliciæ ſociatur, cuius vltima Phaſelis; de hinc Lycaonia, quæ ab illa parte qua Galatiæ conterminata eſt, habet ciuitates 14. Iſauria ex ſitu loci perhibetur cognominata, quod vndique aperta aurarũ flatibus pateat, Metropolim vrbem Seleuciam habet.

Cilicia. Cilicia à Cilice quondam nomen traxit, quem ortu Phœnice dicunt, & antiquiorem Ioue fuiſſe aſſerunt, plurima iacet campis recipiens ab occiduo Lyciam, à meridie mare Perſicum, à tergo montis Tauri iuga, hanc * Cignus amnis interſecat, matrem vrbium habet Tharſum. In ea & * Coriſcos oppidum eſt, vnde crocum plurimum, & optimum venit in ſpiramine fragantiſſimum & colore pulchrius auro.

* *alias Cydnus.*
* *alias Corycus.*

Lycia. Lycia nuncupata, quod ab oriente adiuncta Ciliciæ, ſit, nam habet ab ortu Ciliciam, ab occaſu, & meridie mare, à ſeptentrione Cariam. Ibi eſt mons Chymæra, qui nocturnis æſtibus ignem exhalat, ſicut in Cicilia Ætna, & Veſeuus in Campania.

De

De Europa & eius regionibus.

CAP. LXXI.

Europa Iſidorus lib. 14. cap. 4.

POſt Aſiam ad Europam ſtylus vertendus eſt. Europa quippe Agenoris Lybiæ regis filia fuit, quam Iupiter ab Africa raptam Cretam aduexit, & partem tertiam orbis ex eius nomine appellauit. Incipit à flumine Tanai, deſcendens ad occaſum per ſeptentrionalem oceanum vſque ad fines Hiſpanię, cuius pars orientalis, & meridiana, à Ponto conſurgens, tota mari magno coniungitur, & in inſulis Gadibus finitur.

Nomina prouinciarũ Europæ.

Prima Europæ regio eſt Scythia inferior, quæ à mæotidis paludibus incipiens inter Danubium & Oceanum ſeptentrionalem vſque ad Germaniam porrigitur. Quæ terra generaliter propter Barbaras gentes, quibus inhabitatur, Barbarica dicitur. Huius pars prima Alania eſt, quæ ad Męotidas paludes pertingit, poſt hanc Dacia vbi & Gothia, deinde Germania, vbi plurimam partem Sueui incoluerunt.

Germania.

Germania poſt Scythiam inferiorem, à Danubio inter Rhenum fluuium Oceanumque concluſa; cingitur à ſeptentrione & occaſu Oceano; ab ortu verò Danubio; à meridie, Rheno flumine dirimitur; terra diues virium, ac populis numeroſis & immanibus, vnde & propter fœcunditatem gignendorum populorum Germania dicta eſt. Gignit aues hyrcinas, quarũ pennæ noctu perlucent; Biſontes quoque feras, & vrſos atque alces parturit. Mittit & gemmas, cryſtallum, & ſuccinum, callaicum quoque viridem, & ceraunium candidum. Duæ autem ſunt Germaniæ, ſuperior iuxta ſeptentrionalem Oceanum, inferior circa Rhenum. Prouinciæ autem ſunt, quas Danubius à Barbarico ad mediterraneum mare ſecludit.

Meſia.

Prima eſt Meſia à meſſium prouentu vocata, vnde & eam veteres Cereris horreum vocabant. Hęc autem ab oriente oſtijs Danubij iungitur; ab Euro verò Thraciæ; à meridie Macedoniæ; ab occaſu, Hyſtriæ, copulatur.

Pannonia.

Poſt Meſiam autem Pannonia eſt. Inde Noricus ager frigidus, & parcius fructuoſus, poſt Rheticus frugibus ferax, qui excipit Galliam Belgicam.

Thracia.

Thraciæ Tyras Iaphet filius veniens nomen dediſſe perhibetur. Alij à ſæuitia Incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab oriente Propontis, & vrbs Conſtantinopolis oppoſita eſt; à ſeptentrione verò Iſter obtenditur; à meridie vero Ægeo mari adhæret; ab occaſu Macedonia illi ſubiacet, cuius regionem olim diuerſarum gentium populi, Maſſagetæ, Sarmatæ, Scythæ, & alię plurimæ nationes incoluerunt, ampla eſt enim, ideoque plurimas continuit gentes. Ebrum fluuium Thracia fundit, qui etiam gentes barbarorum plurimas tangit.

De Græcia & eius prouincijs.

CAP. LXXII.

Græcia. Iſidorus lib. & cap. citatis.

GRæcia à Græco Rege dicta eſt, qui cunctam illam regionem regno incoluit. Sunt autem prouinciæ Græciæ ſeptem, quarum prima eſt ab occidente Dalmacia, deinde Epyrus, inde Helladas, inde Theſſalia, inde Macedonia, inde Achaya: & duæ in mari, Creta & Cyclades. Illyricum autem generaliter omnis Græcia eſt.

Dalmatia.

Dalmatia à Delmi maxima eiuſdem prouinciæ ciuitate traxiſſe nomen ęſtimatur. Adhæret autem ab oriente Macedoniæ, à ſeptentrione Miſiæ, ab occaſu Hiſtria terminatur, à meridie verò Adriatico ſinu clauditur.

Epyrus.

Epyrus à Pyrrho Achillis filio dicitur, cuius pars Chaonia, quæ ante Moloſſia dicta eſt à Moloſſo filio Pyrrhi, quem de Andromacha habuit, ſed poſtquam occiſus eſt Pyrrhus Oreſtis inſidijs, Andromacham Helenus ſuſcepit, tenuitque regnum Priuigni, qui ſucceſſerat patri ſuo à quo Moloſſia dicta eſt pars Epyri, quam Helenus poſtea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidiſſe, Chaoniam nominauit, quaſi ad ſolatium fratris extincti.

Hellas.

Hellas dicta eſt à Rege Hellene Deucalionis & Pyrrhæ filio: à quo & prius Græci Hellenes nuncupati à Rege Hellene ſunt. Ipſa eſt igitur & Attica terra, Atta prius dicta; nam Graius quidam Græciæ indigena fuit, ex cuius filia Attis nomine, Attica terra vocata eſt. Hęc inter Macedoniam & Achaiam media iacet; Archadię à ſeptentrionali parte coniuncta. Ipſa etiam & vera Græcia, vbi fuit Athenas ciuitas mater literarum liberalium, & Philoſophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius, atque nobilius. In ea eſt Maratonius campus, opinione quondam prælij cruentiſſimus.

Hellades autem duæ ſunt prouinciæ: Boetia & Peloponeſſus: * Boetia autem dicta eſt hac ex cauſa, dum Cathmus Agenoris filius Europam ſororem à Ioue raptam ex præcepto genitoris quæreret, nec reperiret, patris iram formidans cõfirmato animo elegit exilium, nam bouis forte conſpectæ ſecutus veſtigia amplexus eſt ſedem, vbi recubauerat illa, ſicque locum de nomine bouis Boetiam nominauit, vbi & Thebas vrbem conſtruxit, in qua olim ciuilia bella detonuerunt, & vbi nati ſunt Apollo & Hercules maior ille Thebanus. Eadem eſt Aonia vocata, à fonte quondam Apollini & Muſis conſecrato, qui in eadem Boetia eſt. Peloponeſſus verò ſecunda pars Helladis à Pelope rege Atticæ vocata eſt.

* *Iſidorus legit Bœotia Bartholomæus autem Ang. ſicut hic legimus.*

Iterum ex eodem Iſidoro.

CAP. LXXIII.

Theſſalia.

THeſſalia à Theſſalo rege dicta eſt, quæ ad meridianã plagam Macedoniæ coniuncta eſt, cuius à tergo Pieria eſt. Multa ſunt in Theſſalia flumina & oppida, inter quæ præcipuè Theſſalonica, ibi eſt & mons Pernaſſus quondam Apollini conſecratus. Theſſalia patria Achillis, & origo Lapitharum fuit, de quibus fertur, quod hi primo equos frænis domuerunt, vnde & Centauri dicti ſunt. In Theſſalia primum ſolidi aurei facti ſunt, domandorum quoque equorum vſus primum repertus eſt.

Macedonia.

Macedoniæ in exordio ab Emathio rege Emathiæ nomen erat, ſed Macedo Deucalionis maternus nepos, poſtquam ibi accepit principatum, mutauit vocabulum, Macedoniamque à ſuo nomine dixit. Eſt autem confinis ab oriente Ægeo mari, à meridie Achaiæ, ab occaſu Dalmatiæ, à ſeptentrione Miſiæ patria Alexandri magni, & regio aureis venis argenteiſque optima. Lapidem quem Peranitem vocant iſta gignit. Mons Olimpus in ea eſt, qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes, nec venti ſentiantur.

Achaia.

Achaia ab Achæo rege, & vrbs, & prouincia appellata eſt. Hæc penè inſula eſt. Nam abſque ſeptentrionali parte, qua Macedoniæ iungitur, vndique ſepta eſt mari. Ab oriente enim habet Myrtheum mare, ab Euro, Creticum, à meridie Ionium, ab Aphrico & occaſu Caſſiopas inſulas; à ſola ſeptentrionali parte Macedoniæ vel Atticę terrę adiungitur; huius caput eſt vrbs Corinthus Græciæ decus. Inachus eſt Achaiæ fluuius.

Archadia.

Archadia verò ſinus Achaiæ eſt, vt platani folium, inter Ionium & Ægenum mare, ab Euro expoſita, quam Archas Iouis & Caliſtæ filius, Pelaſgiſque in deditionem redactis, ex ſuo nomine Archadiam nuncupauit. Ipſa eſt & Sicyonia à Sicyone rege, à quo & regnum Sicyoniorum eſt dictum. Habet autem Archadia fluuium magnum Erimantum. Aſbeſton quoque lapidem, qui ſemel accenſus, nunquam extinguitur. Candidiſſimæ etiam merulæ ibi naſcuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris Europę prouincijs.

CAP. LXXIIII.

Pannonia. PAnnonia ab Alpibus Appenninis dicta est, quibus ab Italia secernitur: regio fortis & solo læta, duobus satis acerbis fluuiis, Drabo Saboque vallata est. Coniungitur autem cum Norico & Rhecia, habens ab oriente Misiam, ab Euro Istriam, ab Aphrico verò Alpes Appenninas, habens ab occasu Galliam Belgicam, à septentrione Danubij fontem vel limitem, qui Germaniam Galliamque secernit.

Istria. Istriam Ister amnis vocauit, qui eius terram influit, ipse est Danubius. Habet autem Istria à septentrione Pannoniam.

Italia. Italia olim à Græcis populis occupata, magna Græcia appellata est, deinde à Regis nomine Saturnia, mox & Latium dicta est, eo quod idē Saturnus à Ioue sedibus suis pulsus, ibi latuerit: postremo ab Italo Siculorum rege ibi regnante, Italia nuncupata est: cuius situs longitudine amplius quam latitudine à Cyrcio in Eurum extenditur, à meridie Tyrrheno mari; ab aquilone Adriatico clauditur, ab occiduo alpium iugis finitur; terra omnibus in rebus pulcherrima, soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Habet lacus, Benacum, Auernum atque Lucrinum: fluuios Eridanum, Tyberim, & tepentes fontibus Baias. Gignit gemmas, Serciten, corallium, & lygurium; Boam quoque serpentem, Lyncem feram, & Diomedias aues. Italia autem & Hispania idcirco Hesperiæ dictæ sunt; quod Græci Hespero stella nauigent, & in Italiam, & Hispaniam quæ hac ratione discernuntur, aut Hesperiam solam dicis, & significas Italiam; aut addis vltimam, & significas Hispaniam; quæ in occidentis est fine.

Thuscia Vmbria. Tuscia pars est Italiæ; Vmbria verò pars Tusciæ.

Vmbria verò (vt historiæ narrant) ab eo, quod tempore aquosę cladis imbribus superfluerit, & ob hoc Vmbria grece cognominata. Est enim in iugis Appennini montis sita in parte Italiæ iuxta meridiem.

Hetruria pars est Italiæ, dicta, quod eius fines tendebantur vsque ad ripam Tyberis, quasi ἕτερος ὅρος id est alter finis vocatur. Romæ enim finis antea vnam tantum Tyberis ripam tenebat. Hæc & Thuscia. Thuscia autem à frequentia sacrificij, & Thuris dicta est, ἀπὸ τῆ θυεῖν: illic, & aruspicia dicunt esse reperta.

Apulia est vbi Brunduśium, quam Etholi secuti Diomedem ducem condiderunt. Campania prouincia Italiæ, habet terras, hyeme omni, atque æstate vernantes, & sol ibi mitis, grata temperies, aer purus & blandus.

Adhuc ex eodem Isidoro.

CAP. LXXV.

Gallia. GAllia dicta est à candore populi, γάλα enim Græcè lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte solis ardorem excludunt, quo fit, vt candor corporum non coloretur. Hanc ab oriente alpium iuga tuentur, ab occasu oceanus includit, à meridie præcipua Pyrenæi, à septentrione Rheni fluenta atque Germania: cuius initium Belgica, finis, Aquitania est regio gleba vberi, ac pabulosa, & ad vsum animantium apta; fluminibus quoque ac fontibus irrigua, perfusa duobus magnis Rheno, & Rhodano fluuijs.

Belgis. Belgis autem ciuitas est Galliæ à qua Belgica prouincia dicta est.

Cisalpina, quia citra alpes.

Transalpina id est trans alpes contra septentrionem.

Rhetia verò quod sit iuxta Rhenum.

Aquitania autem ab obliquis aquis, Ligeris fluminis est appellata, quia ex plurima parte terminus eius est, eamque pene in orbe cingit.

Hispania. Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata; postea ab Hispano Hispania cognominata est; ipsa est & vera Hesperia ab Hespero stella occidentali dicta. Sita est autem inter Aphricam, & Galliam; à septentrione Pyreneis montibus clausa, à reliquis partibus vndique mari concluśa, salubritate cœli æqualis; omnium frugum generibus fœcunda; gemmarum, metallorumque copijs ditissima. Interfluunt eam flumina magna, Betis, Mineus, Iberus, & Tagus, aurum trahens vt Pactolus. Habet prouincias 6. Taraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galliciam, Beticam, & Transfreta in regione Africæ, Tingitaniam. Duæ sunt autem Hispaniæ: Citerior, quæ in septentrionis plaga, à Pyrenæo vsque ad Carthaginem porrigitur. Vlterior, quę in meridiem à Celtiberis, vsque ad Gaditanum fretum extenditur.

De Africa & eius regionibus ex Isidoro cap. 5.

CAP. LXXVI.

Africa. AFricam autem nominatam quidam inde existimant, quasi Apricam, quod sit aperta cœlo vel Soli sine horrore frigoris. Alij Africam dicunt appellari ab vno de posteris Abrahæ de Cetura, qui vocatus est Afer, de quo supra meminimus. Incipit autem à finibus Ægypti pergens iuxta meridiem per Æthiopiam vsque ad Atlantem montem; à septentrionali vero parte mediterraneo mari coniuncta clauditur, & in Gaditano freto finitur, habens prouincias Libiam Cyrenensem, Pentapolim, Tripolim, Bizantium, Carthaginem, Numidiam, Mauritaniam, Tingitaniam, & circa solis ardorem Æthiopiam.

Libia Cyrenensis. Libia Cyrenensis in parte Africæ prima est, à Cyrene vrbe metropoli, quæ est in eius finibus nuncupata. Huic ab oriente Ægyptus est, ab occasu Sirtes maiores & Troglodítæ, à septentrione mare Libicum, à meridie Æthiopia, & Barbarorum variæ nationes, & solitudines inaccessibiles, quæ etiam Basiliscos serpentes creant.

Pentapolis. Pentapolis Græca lingua à quinque vrbibus nuncupata id est Berenice, Cirene, Centria, Apolonia, Ptolomais, ex quibus Ptolomais & Berenice, à regibus nūcupatę sunt. Est autem Pentapolis Libiæ Cyrenensi adiuncta, & eius finibus deputata.

Tripolitanam quoque prouinciam Gręci lingua sua designant de numero trium magnarum vrbium, Ocea, Thabracæ, Leptis magna. Hæc habet ab oriente Sirtes maiores & Troglodítas, à septentrione mare Adriaticum, ab occasu Bizantium à meridie Getulos & Garamantes vsque ad Oceanum Æthyopicum protendentes.

Bizancena. Bizancena regio ex duobus nobilissimis oppidis nomen sortita est, ex quibus vna Adrumetus vocatur; altera Bizantium, hæc sub Tripoli est patens passuum ducenta, vel amplius millia, fœcunda oleis, & glebis ita prępinguis, vt iacti ibi seminis incrementa pene centesima fruge renascantur.

Zeugis. Zeugis vbi Carthago magna, ipsa est & vera Africa inter Bizantium & Numidiam sita, à septentrione mari Siculo iuncta, & meridie vsque ad Getulorum regionem porrecta, cuius proxima quæque frugifera sunt; vlteriora autem bestijs & serpentibus sunt plena, atque Onagris magnis in deserto vagantibus.

Getulia autem Africæ pars mediterranea est.

Numidia. Numidia ab incolis passim vagantibus sic est vocata, quod nullam certam haberent sedem, nam lingua eorum incertæ sedes & vagæ Numidiæ dicuntur. Incipit autem à flumine Amisiga, & in * Tingitanum limitem desinit, habens ab oriente Sirtes minores, à septentrione mare, quòd tendit in Sardiniam, ab occasu Mauritaniam Sitifensem; à meridie Æthyopum gentes: regio campis præpinguis; vbi autē siluestris est feras educit, vbi ardua iugis equos & onagros procreat.

* *Isidorus vero in Zeugitanum: Plinius tamen in Tingitania Ampsagam fluuium statuit.*

eximio

eximio etiam marmore prædicatur, quòd Numidicum dicitur. Habet autem vrbes præcipuas Hipponem, Rhegium, & Suſicadam.

Item ex eodem Iſid. cap. 5.

CAP. LXXVII.

Mauritania. MAuron Græci nigrum vocant, ſicut ergo Gallia à candore populi, ita Mauritania à nigro colore nomen ſortita eſt. Cuius prima prouincia Mauritania Sitifenſis eſt, quæ Sitifi habuit oppidum, à quo & vocabulum traxiſſe regio perhibetur.

Mauritania vero Cæſarienſis coloniæ, Cæſariæ ciuitas fuit, & nomen prouinciæ ex eo datum, vtræque enim prouinciæ ſibi coniunctæ ab oriente Numidiam habent, à ſeptentrione mare magnum, ab occaſu flumen Maluam, à meridie montem Aſtrixim, qui diſcernit inter fœcundam terram, & arenas iacentes, vſque ad oceanum.

Mauritania. Mauritania Tingitana, à Tingi metropolitana huius prouinciæ ciuitate vocata eſt, hæc vltima Africæ ſurgit à montibus, 7. habens ab oriente flumen Maluam, à ſeptentrione fretum Gaditanum; ab occiduo oceanum Atlanticum; à meridie Gaulalum, gentes vſque ad oceanum heſperium pererrantes. Regio gignens feras, ſimias, & dracones, & ſtruthiones. Olim etiam & elephantis plena fuit, quos ſola nunc India parturit.

Garama notabile. Garamantis regionis caput Garama oppidum fuit. Eſt autem inter Cyrenenſem & Æthiopiam, vbi eſt fons qui friget calore diei, & calet frigore noctis.

Æthiopia. Æthiopia dicta eſt à calore populorum, quos ſolis vicinitas torret. Denique vim ſyderis prodit hominum color: eſt enim ibi iugis æſtus. Nam quicquid eius eſt, ſub meridiano cardine eſt, circa occiduum autem montuoſa eſt, arenoſa in medio, ad orientalem verò plagam deſerta, cuius ſitus ab occiduo Atlantis montis ad orientem vſque in Ægypti fines porrigitur, à meridie, oceano: à ſeptentrione Nilo flumine clauditur, plurimas habens gentes diuerſo vultu, & monſtruoſa ſpecie horribiles. Ferarum quoque & ſerpentium referta eſt multitudine, illic quippe Rinocerota beſtia, & Cameleopardus, Baſiliſcus, dracones ingentes, ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur, Iacynctus & chryſopraſus ibi reperiuntur, Cinnamomum ibi colligitur. Duæ ſunt autem Æthiopiæ, Vna circa ortum ſolis, alia circa occaſum in Mauritania.

Extra tres autem partes orbis, quarta pars trans Oceanum interior eſt in meridie, quæ ſolis ardore incognita nobis eſt; in cuius finibus Antiopodes fabuloſe inhabitare produntur. Proxima autem Hiſpaniæ, Mauritania eſt, deinde Numidia, inde regio Carthaginenſis, poſt quæ Getuliam accipimus, poſt eam Æthiopiam; inde loca exuſta ſolis ardoribus.

De inſulis Oceani quo cingitur orbis.

CAP. LXXVIII.

Reliqua lege in Iſidoro circa finem cap. 5. lib. citati. INſulæ dictæ ſunt, eo quod in ſalo ſint, id eſt in mari. Ex his quoque notiſſimæ & maximè, quas plurimi veterum ſolerti ſtudio indagauerunt notandæ ſunt.

Britannia. Britãnia oceani inſula interfuſo mari toto orbe diuiſa, à vocabulo ſuę gentis cognominata eſt, hæc aduerſa Galliarum parte ad proſpectum Hiſpaniæ ſita eſt. Circuitus eius quadragies octies ſeptuaginta quinque millia, multa & magna flumina in ea, fontes calidi, & metallorum copia larga & varia. Gagates lapis ibi plurimus, & Margaritæ.

Thanatos. Thanatos inſula oceani freto Gallico à Britania eſt, varia, tenuis, ſeparáta, frumentarijs campis & gleba vberi. Dicta eſt autem Thanatos à morte ſerpentium, quos dum ipſa neſciat, aſportata inde terra quocunque gentium vecta ſit, angues illico perimit.

Thyle ſecundum Plinii in habitabilis eſt. Thyle vltima eſt inſula oceani inter ſeptentrionalem & occidentalem plagam, vltra Britanniam, à ſole nomen habens, quod in ea æſtiuum ſolſtitium ſol facit, & continuus in ea ſolſtitiali tempore dies, brumaliqúe nox perennis exigitur; vltra quam nauigatione vnius diei pigrum & concretum eſt mare.

Solinus cap. 55. Tylos Indiæ inſula eſt. Ea fert palmas, oleum creat, vineis abundat. Terras omnes hoc miraculo ſola vincit, quod quæcunque in ea naſcitur arbor, nunquam caret folio. Ibi mons Caucaſus, qui maximam orbis partem perpetuis iugis penetrat, fronte qua Soli obuerſus eſt, arbores piperis oſtentat, quas ad Iuniperi ſimilitudinem diuerſos fructus edere aſſueuerant, qui pene immaturi exeunt, dicitur piper longum, quod incorruptum eſt piper album, quorum autem rugoſam & torridam calor fecerit, nomen tradunt de colore.

Iſidorus vt ſupra. Orcades inſulæ oceani vltra Britaniam poſitæ num.* 33. quarum 20. deſertæ ſunt, 13. coluntur.

* *differt in his numeris Iſidorus ab Authore & manuſcriptis.*

Scotia. Scotia eadem & Hibernia proxima Britaniæ inſula ſpacio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior, hæc ab Africo in Boream porrigitur, cuius partes priores in Iberiam & Cantabricum oceanum intendunt. Vnde & Hibernia dicta eſt: Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata. Illic nullus anguis, auis rara, apis nulla, adeo vt aduectos inde pulueres vel lapides, ſi quis alibi ſparſerit inter aluearia examina fauos deſerant.

Gades. Gades inſula eſt in fine Beticæ prouinciæ ſita, quæ dirimit Europam ab Africa, in qua Herculis columnæ viſuntur, & vnde Tirrheni maris faucibus oceani æſtus immittitur. Eſt autem à continenti terra, 120. paſſibus diuiſa, quam Tyrij à rubro mari profecti occupantes lingua ſua Gades id eſt, ſeptam, nominauerunt, pro eo quod circumſepta ſit mari. Naſcitur in ea arbor ſimilis palmæ, cuius gummi infectum vitrum Cerauniam gemmam reddit.

Item ex eodem Iſidoro lib. citato cap. 6.

CAP. LXXIX.

FOrtunatæ inſulæ ſuo vocabulo ſignificant omnia fere bona quaſi fœlices & beatę fructuum vbertate, ſua enim apte natura, precioſarum poma ſiluarum parturiunt; fortuitis vitibus iuga collium veſtiuntur: Ad herbarum vicem meſſis & olus vulgo eſt; vnde gentilium error, & ſæcularia carmina poetarum, propter ſoli fœcunditatem eaſdem paradiſum vocauerunt. Harum prima Membriona dicitur, ſecunda Iuniona, tertia Theode, quarta Capraria, alia Viuaria, quæ aere nebuloſo & concreto eſt, mox Canaria, canibus immenſæ magnitudinis plena; omnes auibus plenæ, nebuloſæ, palmiferæ, nuceæ, pineæ, mellis copia, animalibuſque ſilueſtribus ac piſcibus abundantes. *Lege Plinii lib. 5. cap. 33.*

Inſulæ fortunatæ. Sitæ ſunt autem in oceano contra læuam Mauritaniæ occiduo proximæ, & inter ſe interiecto mari diſcretæ.

Gorgones. Gorgones inſulæ ſunt oceani obuerſæ promontorio, quod vocatur Heſpuceras, quas incoluerunt Gorgones fœminæ, aliti pernicitate, hirſuto & aſpero corpore; & ex ijs inſulæ cognominatę, diſtant autem continenti terra bidui nauigatione. *Alias Plin. Heſperion ceras.*

Heſperides. Heſperidum inſulæ vocatæ ſunt à ciuitate Heſperide, quæ fuit in fine Mauritaniæ: ſunt enim vltra Gorgones ſitę, ſub Atlanteum littus in intimis finibus maris, in quarum hortis fingunt fabulæ draconem peruigilem, aurea mala ſeruantem. Fertur enim ibi eſſe maris æſtuarium, adeo ſinuoſis lateribus tortuoſum, vt viſentibus procul lapſus angueos imitetur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Chryſe & Argyre. Chryſe & Argyre ſunt inſulæ in Indico oceano ſitæ, adeo fœcundæ copia metallorum, vt plerique eas auream ſuperficiem & argenteam habere prodiderint, vnde & vocabula ſortitæ ſunt.

Taprobana. Taprobana inſula eſt Indiæ, ſubiacens ad Eurum, ex quo oceanus Indicus incipit, patens in longitudine octingentis, 75. millibus paſſuum; in latitudine ſexcentis, 25. millibus ſtadiorum. Scinditur amne interfluo, tota Margaritis repleta, & gemmis: pars eius beſtijs & elephantis repleta eſt, partem verò homines tenent: homines autem ibi grandiores vltra omnium menſuram, rutilis comis, cæruleis oculis truciores ſunt, nullo linguæ commercio alteri genti ſociantur. Cum negociatoribus alijs in ripam fluminis merces opponunt, ac vix complacitas mutuant. Ætas illis vltra humanam fragilitatem prolixa eſt, vt immature pereat, qui centenarius moritur, nulli per diem ſomnus, annona ſemper eodem tenore. Ædificia humilia paruaq́; vitem neſciunt, redundant pomis, culturas & venatus amant, verum Tigridum aut Elephantorum * paſtationibus delectantur, præſertimque Teſtudinum, quarum ſuperficie domus familiarum capaces operiunt. In hac autem inſula dicunt in vno anno duas eſſe æſtates, & duas hyemes, & bis floribus vernare locum. Telos eſt inſula Indiæ, virens omni tempore folijs.

**manuſcrip. habet piſcationi.*

Hucuſque oceani inſulæ.

De Inſulis maris magni, ſcilicet, Mediterranei, ex Iſidoro cap. & lib. citatis.

CAP. LXXX.

ITem ſunt aliæ inſulæ, quæ ab Helleſponto vſque ad Gades in mari magno ſunt conſtitutæ.

Cyprus. Cyprus inſula à ciuitate Cypro, quæ in ea eſt, nomen accepit, ipſa eſt & Paphos Veneri conſecrata, in Carpathio mari vicina Auſtro, famoſa quondam diuitijs, & maximè æris; ibi enim prima inuentio huius metalli fuit, & vtilitas.

Creta. Creta inſula Græciæ pars eſt inngẽs contra Peloponenſem, dicta à Crete quodam indigena, quem aiunt vnum Cretarum fuiſſe, à quibus Iupiter ibi abſconditus eſt, & enutritus. Eſt autem inſula Græciæ inter ortum ſolis, & occaſum longiſſimo tractu porrecta, à ſeptentrione Græciæ æſtibus, ab auſtro Ægyptijs vndis perfuſa. Fuit autem quondam centum vrbibus nobilis: vnde & hæc Centopolis dicta eſt. Prima etiam remis & ſagittis claruit, prima litteris iura finxit, equeſtres turmas prima docuit, ſtudium muſicæ in ea primò repertum ab Idæis Dactylis mundo tradidit & exercendo ampliauit, capris copioſa, ceruis eget, lupos & vulpes, aliaque ferarum noxia nuſquam gignit. Serpens nullus ibi, nulla noctua, & ſi inueniatur, ſtatim moritur; larga autem eſt vitibus & arboribus. Dictamnus herba in Creta naſcitur, & Almus quæ ad morſa diuturnam famem prohibet: phalangos autem venenatos gignit, & lapidem, qui Idæus Dactylus dicitur.

Abydos. Abydos inſula eſt in Europa ſuper Helleſpontum poſita, anguſtior, & periculoſo mari ſeparata, & Abydos Græce dicta, quod ſit introitus Helleſponti maris, in quo Xerxes pontem ex nauibus fecit, & in Græciam tranſiuit.

Coos. Coos inſula eſt adiacens prouinciæ Atticæ in qua Hippocrates medicus natus eſt, quæ (vt Varro teſtis eſt) arte lanificij prima in ornamentum fœminarum inclaruit.

Item ex eodem Iſidoro cap. 6.

CAP. LXXXI.

Cyclades. CYclades, Græciæ quondam inſulas, inde autumant quidam dictas, quod licèt ſpacijs longioribus à Delo proiectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſunt, nam orbem Cyclon Græci loquuntur. Quidam verò nõ quòd in orbem digeſtæ, ſed propter ſcopulos, qui circa eaſdem ſunt, dictas Cyclades putant. Hæ in Helleſponto inter Ægeum & Malelum mare conſtitutæ, circundantur etiam myrteo pelago. Sunt autem omnes numero 53. tendentes à Septentrione in meridiem, per millia quingenta: ab oriente, in occaſum per millia ducenta; Metropolis earum Rhodus.

Delos. Delos eſt inſula in medio Cycladum ſita, & dicta Delos fertur, quia poſt diluuium quod Ogygij temporibus notatur, cum orbem multis menſibus continua nox inumbraſſet, ante omnes terras radijs ſolis illuminata eſt, ſortitaque ex eo nomen, quod prima viſibus manifeſta fuiſſet, nam Delon Græci manifeſtum dicunt. Ipſa eſt & Ortygia, eo quod ibi primum viſæ ſunt Coturnices aues, quas Græci Ortygas vocant. In hac inſula Latona enixa eſt Apollinem & Dianam. Delos autem, & ciuitas dicitur & inſula.

Rhodos. Rhodos Cycladum prima eſt ab oriente, in qua roſæ capitolium dicitur eſſe inuentum, dum ibi ciuitas conderetur, ex quo & vrbs & inſula Rhodus eſt appellata. In hac vrbe ſolis Coloſſus fuit æreus, 70. cubitorum altitudine, fuerunt & alij centum numero in eadem Coloſſi minores; fertur autem quondam hanc inſulam adeo magno terræmotu concuſſam fuiſſe, vt labentibus in illa tectis ingens quoque ille Coloſſus rueretur.

Carpathos. Carpathos eſt vna ex Cycladibus à meridie poſita contra Ægyptum, à qua Carpathium mare appellatum eſt, vocata propter celerem fructuum maturitatem: eſt enim inter Ægyptum & Rhodum. Ex hac inſula dicuntur Carpaſiæ naues magnæ & ſpacioſæ.

Cytherea. Cytherea vna eſt ex Cycladibus à parte occidua ſic vocata, quod ſit ibi Venus orta.

Icaria. Icaria eſt vna de Cycladibus quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Miconium procurrentibus ſaxis inhoſpitalis eſt, & nullis finibus portuoſa. Dicitur autem Icarum Cretenſem ibi naufragio interijſſe, & de exitu hominis impoſitum nomen loco.

Paron. Hiſtoria dicit ex Iaſone natum fuiſſe Philomelum & Plutum, & ex Philomelo Pareantum genitum, qui de ſuo nomine Paron inſulam & oppidum appellauit.

Prius autem Minoia, deinde Paros eſt dicta: *de qua Virg.*

Niueumque Paron.

Gignit enim marmor candidiſſimum, quod Parium dicunt, mittit & Sardan lapidem, marmoribus quidem præſtantiorem, ſed inter gemmas viliſſimum.

Chion. Chion inſula Syra lingua appellatur, eo quod ibi Maſtix gignitur. Syri enim maſticem Chio vocant.

Samos. Samos inſula eſt in mari Ægeo, vbi nata eſt Iuno, ex qua fuit Sibylla Samia, & Pythagoras Samius à quo Philoſophiæ nomen inuentum eſt: in hac inſula reperta prius Fictilia vaſa traduntur; vnde & vaſa Samia vocata ſunt.

Tenedos. Tenedos, vna ex cycladibus ad ſeptentrionem ſita, in qua olim ciuitas à Tene quodam condita. Qui infamatus, quod cum Nouerca ſua cõcubuiſſet, fugiens, hanc inſulam vacuam cultoribus obtinuit, & ei nomen indidit.

Item ex eodem Iſidoro.

CAP. LXXXII.

Sicilia. SIcilia à Sicano rege Sicania dicta eſt, deinde à Siculo Itali fratre Sicilia, prius autem Trinacria dicta propter tria acra id eſt, promontoria, Pelorum, Pachinum, & Lilibæum. Hæc ab Italia exiguo freto diſcreta eſt, Africum mare proſpectans, terris frugifera, auro abundans, cauernis tamen & fiſtulis penetrabilis, ventiſque & ſulphure plena: vnde & ibi Ætnæ montis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

æstuant incendia; in cuius freto Scylla & Carybdis, quibus nauigia, aut absorbentur, aut colliduntur. Fuit autem quondam patria Cyclopum, & postea nutrix Tyrannorum, frugum fertilis, ac primum terris omnibus commissis seminibus aratro proscissa. Principem vrbium Siracusam habet,& fontem Arethusam, & Alphæum fluuium, magnorum generatorem equorum. In ea insula primum est inuenta comædia; Achaten lapidem ipsa primum ex Achate flumine dedit,parturit & mare eius corallium, gignit & sales Agrigentinos, in igne solubiles,crepitantes in aquis. Omnis ambitus eius clauditur stadiorum trium millium.

Æoliæ insula. Æolię insulę Siciliæ,appellatę sunt ab Æolo Hippotæ filio,quem Poetæ finxerunt regem fuisse ventorum, sed (vt Varro dicit) rector fuit istarum insularum, & quoniam ex earum nebulis & fumo futuros prædicebat flatus ventorum, ab imperitis visus est sua potestate ventos retinuisse. Eædem insulæ & Vulcaniæ vocantur, quod & ipsæ sicut Ætna ardeant. Sunt autem nouem habentes propria nomina, quarum prima Lyparus,quam Liparen vocauit,qui eam ante Æolum rexit. Altera Hiera vocatur,quod sit collibus eminentissimis ornata. Tertia Strongyle in qua Æolus regnasse fertur, reliquæ vero id est Didyme,Ericusa, Phenicusa, Euonymos,Erycodes,Phænicodes quæ quoniam nocte ardent Æoliæ siue Vulcaniæ dicũtur: ex his quædam ab initio non fuerunt, postea mari editæ sunt.

Item ex eodem authore.

Cap. LXXXIII.

Sardinia. Sardis Hercule procreatus, cum magna multitudine à Lybia profectus Sardiniam occupauit, ex suo vocabulo insulæ nomen dedit; hæc in Africo mari facie vestigij humani tam in orientem,quam in occidentem latior prominet: terra patens in longitudine millia 140. in latitudine 40. In ea neque serpentes gignuntur,neque lupus,sed solifuga tantum,animal exiguum, hominibus pernicioſum; venenum quoque non nascitur ibi, nisi herba per scriptores plurimos, & Poetas, memorata, Apiastro similis,quæ hominibus rictus contrahit,& quasi ridentes interimit. Sardinia calidos fontes habet infirmis medelam præbentes, furibus cæcitatem, si sacramento dato oculos aquis eius tetigerunt.

Corsica insula. Corsicæ insulæ exordium incolę Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis, hæc Græcè Κύρνη dicitur, à Cyrno Herculis filio habitata. Diuiditur autem à Sardinia 20. millium freto; cincta Liguſtici æquoris sinu ad prospectum Italiæ. Est autem multis promontorijs anguloſa, gignens lætissima pabula, & lapidem, quem Catochiten Græci vocant.

Plinius legit Ebusus. Ebosus insula est Hispaniæ dicta; quod à zonis non procul sit, quasi Ebozos, cuius terram serpentes fugiunt, huic contraria est Colubraria,quæ referta est anguibus.

Baleares insulæ Hispaniæ duæ sunt, Aphrosiades & Gymmasides, in his primum inuentus est vsus fundarum, quibus lapides emittuntur,vnde & baleares sunt dictæ, balin enim Græce emittere dicitur, vnde & balista, quasi missa, & fundibulum.

Virgil. *Balearis verbere fundæ.*

Commune est insulis vt promineant, vnde & loca earum promontoria dicuntur.

De Montibus ex Isidoro lib. 14. cap. 8.

Cap. LXXXIV.

Montes sunt tumores terrarum altissimi, dicti quod sint eminentes,quidam autem proprijs ex causis vocati sunt: ex quibus notandi sunt, qui opinione maximè celebrant.

Caucasus. Mons Caucasus ab India vsque ad Taurum porrectus, pro gentium & linguarum varietate, quaque versum vadit, diuersis nominibus nuncupatur, vbi autem ad orientem in excellẽtiorem consurgit sublimitatem, propter nimium candorem Caucasus nuncupatur,nam orientali lingua,Caucasum signat candidum id est densissimis niuibus candicantem.

Taurus. Mons Taurus à plerisque idem vocatur qui & Caucasus.

Libanus. Libanus mons est Phœnicum altissimus, cuius meminerunt Prophetæ, dictus à Thure, quia ibi colligitur, cuius ea pars, quæ est super eum ad orientalem plagam respiciens Antilibanus appellatur,id est contra libanum.

Ararath. Ararath mons Armeniæ,in quo arcam historiæ post diluuium sedisse testantur,vnde & vsque hodie ibidem lignorum eius videntur vestigia.

Acroceraunij. Acroceraunij montes propter altitudinem & fulminum ictus vocati sunt, Græci enim fulmen κεραυνος dicunt. Sunt autem inter Armeniam & Iberiam, incipientes à portis Caspijs vsque ad fontem Tygridis fluuij.

Hyperborei. Hiperborei montes Scythiæ dicti sunt, eo quod supra,id est vltra eos flat Boreas.

Riphæi. Riphæi montes in capite Germanię sunt à perpetuo ventorum flatu nominati, nam ῥιπὴ Græce impetus.

Olympus. Olympus est mons Macedoniæ procelsus, ita vt sub illo nubes esse dicantur, *de quo Virg.*

Nubes exceſsit Olympus.

Comestor. Olympus vsque ad limpidum aera euadit, super quem litteræ inscriptæ in puluere per annum repertæ sunt stetisse immobiles, vbi pro nimia aeris raritate, nec aues viuere possunt, nec Philosophi ascendentes absque spongijs plenis aqua, aliquantulum ibi manere potuerunt, quas naribus apponentes crassiorem inde aerem attrahebant: hic Macedoniam diuidit à Thracia.

Isidorus vt supra.

Athos. Athos est mons Macedoniæ, & ipse altior nubibus, tantoque sublimis, vt in lemnum vmbra eius pertendat, quæ ab eo 76. miliaribus separatur.

Parnasus. Parnasus est mons Thessaliæ iuxta Boeociam, qui gemino vertice est erectus in cœlum: hic in duo finditur iuga, Cirra & Nisa, vnde & nuncupatur, eo quod in singulis iugis colebantur Apollo & Liber.

Ceraunij. Ceraunij sunt montes Epiri, à crebris dicti fulminibus: Græce enim fulmen ceraunos dicitur.

Appenninus mons appellatur, quasi alpes Pœninæ, quia Annibal veniens ad Italiam easdem alpes aperuit.

Iuuenalis. Et montem rupit acceto.

Item ex eodem.

Cap. LXXXV.

Ætnas ex igne & sulphure dictus est, vnde & gehenna; constat autem hunc ab ea parte, qua Eurus vel Africus flat,habere speluncas plenas sulphuris & vsque ad mare deductas. Quę speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant; qui exagitatus ignem gignit ex sulphure, vnde est quod videtur incendium.

Solinus. cap. 11. In Ætnæ vertice duo hyatus sunt crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmisso prius fremitu, qui per æstuantes cauernarum latebras longo mugitu intra terræ viscera,diu voluitur; nec ante flammarum globi attolluntur, quam interni strepitus antecedant. Mirum est,nec illud minus,quod in illa feruentis naturæ pertinacia mixtas ignibus niues profert, & licèt vastis exundet incendijs, apicis canicie perpetua brumalem detinet faciem. Itaque in vtroque inuicta violentia est, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore dissoluitur. Sicut autem in Campania vesuuius, in Sicilia Ætna; sic in Lycia mõs Chimęra est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pyrenaus.

Isidorus vt supra. Pyrenęus, & ipse à crebris fulminũ ignibus nuncupatus est, Græcè enim ignis πῦρ vocatur. Iste est, qui inter Galliam atque Hispaniam quasi de industria munimentum interiacet.

Solurius.

Solurius à singularitate dicitur, quod omnibus Hispaniæ montibus solus altior videtur.

Calpes.

Calpes est mons in vltimis Oceani finibus qui dirimit Europam ab Africa, quem Atlantis finem esse dicunt. Atlas frater Promethei fuit, & Rex Africæ à quo Astrologiæ artem dicunt prius excogitatam, ideoque dictus est sustinuisse cælum. Ab eruditione igitur disciplinæ & scientia cœli, nomen eius in montem Africæ deriuatum est, qui nunc Atlas cognominatur, qui propter altitudinem suam, quasi cœli machinam, atque astra sustentare videtur.

Solinus cap. 27. Atlas mons est è media arenarũ consurgens vastitate, & eductus in viciniam lunaris circuli, vltra nubila caput condit. Qua ad oceanum extenditur, cui à se nomen dedit. Vacat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet ieiunio, humo nuda, nec herbida. Qua Africam contra versus est, fœlix nascentibus sponte frugibus arboribus proceris opacissimus, quarum odor grauis, comæ Cupressi similes, vestiuntur lanugine, sericis velleribus nihilo vtliore. In eo latere est herba Euphorbia copiosa, cuius succus ad oculariam proficit claritatem, nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex semper niualis. Saltus eius quadrupedes ac serpentes feræ, & cum his Elephantes occupauerunt.

Alpes.

Isidorus qui supra. Alpes sunt propriè montes Galliæ *de quibus Virg.*

Aereas alpes. Nam Gallorum lingua alpes montes alti vocantur. Hæ sunt enim quæ Italiæ murorum exhibent vicem.

Plura de his lege in Isidoro loco citato.

Colles sunt præeminentiora iuga montium, quasi colla, iuga enim montium ex eo appellata sunt quod propinquitate sua iungantur. Valles sunt humilia loca quasi vulsa: hinc, & conualles, sunt depressa loca terrarum inter montes.

De Moribus extraneis quarundam gentium.

Cap. LXXXVI.

HÆc de diuisione terrarum ac regionum: & locorum nominibus atque proprietatibus dicta, sufficiant. Nunc de diuersis moribus viuendi quarundam gentium Barbararum, de monstruosis quoque gentibus pauca subiungamus.

Hier. contra Iouinianum lib. 2. Quis ignorat vnamquamque gentem non communi lege naturæ, sed his quorum copia est apud se vesci solitam? verbi gratia, Arabes & Saraceni, & omnis eremi Barbaries camelorum lacte viuit & carnibus; quia huiuscemodi animal pro tempore & sterilitate regionum facile apud eos & gignitur & nutritur. Hi nefas arbitrantur porcorum vesci carnibus. Sues enim qui glande & castaneis & radicibus, saligine & hordeo ali solent, aut raro apud eos, aut penitus non inueniuntur; & si inuenti fuerint, alimenta non habent, quæ supra diximus. E regione septentrionales populos si ad esum Camelorum, Asinorumque compellas, simile putabunt eorum vesci carnibus ac si Lupum comedere cogantur & coruum.

In Ponto & Frigia vermes albos & obesos, qui nigello capite sunt, & nascuntur in lignorum carie pro magnis redditibus paterfamilias exigit. Rursum orientalis & Lybiæ populis, quia per desertam & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est. Compelle Phrygem & Ponticum vt locustam comedat, nefas putabit. Coge Syrum, Afrum & Arabem vt vermes Ponticos glutiat, ita eos despiciet vt muscas, millepedias, & lacertos: quanquam Syri & crocodilis terrenis: Afri etiam lacertis viridibus vesci soleant. In Ægypto, & Palæstina propter boum raritatem nemo vaccam comedit. In nostra prouincia scelus putant vitulos deuorare. Vnde & Imperator Valens nuper legem dedit per Orientem, ne quis carnibus vitulorum vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens; & pessimam Iudaizantis vulgi emendans consuetudinem, pro altilibus & lactentibus vitulos consumentis. Nomades, & Trogeoditæ & Scythæ & Hũnorum noua feritas, semicrudis vescuntur carnibus. Porro Ichthyophagi gens errans in littore maris rubri, super petras solis calore feruentes assant pisces, & hoc solo alimento victitant. Sarmatæ, Quadi, Vuandali, & innumerabiles aliæ gentes equorum & vulpium carnibus delectantur. Quid loquar de cæteris nationibus cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britanicam humanis vesci carnibus, & cum per siluas porcorum greges & armentorum pecudumque reperirent, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas delicias arbitrari?

Item ex eodem Hieronymo libro 2. *contra Iouinianum duobus foliis à principio.*

Cap. LXXXVII.

SCotorum natio proprias vxores non habet, sed vt cuique libitum fuerit, pecudum more lasciuiunt. Persæ, Medi, Indi, & Æthiopes, regna non modica, & Romano Imperio paria, cum matribus & auijs & cum filiabus copulantur.

Massagetæ, & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, iugulatos deuorabant, rectius esse dicentes, vt à se potius, quam à vermibus comedantur.

Tibareni quos dilexerunt senes suspendunt in patibulo. Hircani volucribus & canibus semiuiuos proijciunt. Caspij ijsdem bestijs mortuos. Scythæ eos, qui à defunctis amati sunt viuos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis subijciunt senes: quod cum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset penes amisit prouinciam.

Solinus. Post inhumanos situs primos hominum Seres cognoscimus, qui aquarum aspergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt, liquorum & lanuginis teneram subtilitatẽ humore domant ad obsequium: hoc illud Sericum est in vsum publicum damno veritatis admissum, eo quod ostendere potius corpora, quam vestire; primo fœminis, nunc etiam viris, luxuriæ persuasit libido.

Seres ipsi quidem mites & inter se quietissimè viuunt, alias vero reliquorum mortalium cętus refugiunt, adeo vt cæterarum gentium commercia abnuant: primum eorum fluuium mercatores ipsi transeunt, in cuius ripis, nullo inter partes linguæ comercio, sed dispositarum rerum precio oculis æstimantes, sua tradunt, non emunt nostra.

Clemens lib. 9. Apud Seres neque meretrix, neque adultera, neque fur ad iudicium deducitur, neque occisus homo fertur ibi aliquando; sed est apud eos legum suarum metus vehementior; quam Geneseos constellatio; hi in initio orbis terræ habitant. Seres quia caste viuunt, nec erugine, nec grandine, nec pestilentia, & malis affliguntur, quia nec post conceptum adire apud eos vltra fœminam fas est, neque cum purgatur. Carnibus immundis nemo ibi vescitur, sacrificia nemo nouit, secundum iustitiam omnes sibiipsis iudices fiunt ideo non castigantur huiusmodi plagis, sed plurimum temporis in vita durantes absque ægritudine vitam finiunt, morbidæ autem immunditiæ pro peccato solent accidere.

Solinus cap. 20. Essedonum mos est parentum funera prosequi cantibus & proximorum corrogatis cætibus; corpora ipsa dentibus laniare, ac pecudum mixta carnibus dapes facere; capitum etiam ossa auro incincta,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in poculorum tradere miniſterium. Scythotauri pro hoſtijs cædunt aduenas. Satàrchæ auro & argento damnato, in æternum ſe à publica auaritia vendicauerunt.

Adhuc ex eodem Solino cap. vigeſimo.

CAP. LXXXVIII.

SCytharum interius habitantium aſperior eſt ritus ſpecus incolunt; pocula non vt Eſſedones, ſed de inimicorum capitibus moliuntur; amant prælia, interemptorum cruorem, ex vulneribus ipſis bibunt. De numero cædium honor creſcit, quarum expertem eſſe apud eos probrum eſt; hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt; non ſuo tantum more, ſed Medorum, quorum vſurpata diſciplina.

Iuſtinus iuxta impreſſionem Antuerpienſem 1600.

Iuſtinus lib. 2. paulo poſt initium. Scythæ agrum non exercent, nec domus vlla, aut tectum, aut ſedes illis eſt; armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errantibus: vxores & liberos ſecum in plauſtris vehunt, corijs tectis, imbrium hyemiſque cauſa pro domibus vtuntur. Iuſtitia gentis ingenijs; non legibus culta eſt, nullum ſcelus apud eos grauius furto eſt, tecto quippe ſine munimento q; pecora & armenta habentibus quid ſalnum eſſet, ſi furari liceret. Aurũ & argentum non appetunt, lacte & melle viuunt, lanæ ac veſtium vſus eis ignotus eſt, quamquam continuis frigoribus vrantur; pellibus ferinis ac murinis vtuntur. Hæc continentia illis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus, quippe ibi diuitiarum cupido eſt vbi & vſus.

Solinus iuxta impreſſionem Francfurtenſem cum annotationibus Draudij 1603.

Solinus cap. 33. Garamantici Æthyopes matrimonia priuatim neſciunt, ſed omnibus in venerem vulgo licet, inde eſt quod filios matrem tantum recognoſcant. Nam paterni nominis nulla reuerentia eſt. Quis enim verum patrem nouerit in hac luxuria inceſti laſciuientis? Ea propter Garamantici Æthyopes inter omnes populos degeneres habentur; nec immerito, quia afflicta caſtitatis ſuæ diſciplina ſucceſſionis noticiam, ritu improbo perdiderunt. Nomen Æthyopum late patet; in parte Africana, qua Meroën videt Lybia, plurimæ eorum ſunt, & variæ nationes; harum è numero, Nomades Cynocephalorum lacte viuunt. Syrbotæ longi ſunt ad pedes 12. Attacæi captos venatibus Elephantos deuorant.

Solmus cap. 36.

Arabes Scenitæ cauſam nominis inde ducunt, quòd tentorijs ſuccedunt, nec alias domos habent; ipſa etiam tentoria cilicina ſunt, ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. Præterea ſuillis carnibus prorſus abſtinent. Sane hoc animalis genus, ſi inuectum illo fuerit moritur illico.

Arabes longe lateque diffuſi, diuerſis & moribus & cultibus plurimis viuunt; Plurimis crines intonſi mitrata capita, redimitu pari, pars raſa in cutem barba. Commercijs ſtudent, aliena non emunt; vendunt autem ſua; quippe & mari & ſiluis diuites. Vmbræ quæ nobis dextræ ſunt, illis ſiniſtræ: pars eorum, quibus aſper victus eſt, angues edunt; nulla illis vel animi cura vel corporis; ac propterea Offiofagi nominantur.

Solinus cap. 34.

Trogeoditæ, ſpecus excauant, illis teguntur, nullus ibi habendi amor, à diuitijs paupertate ſe abdicauerunt voluntaria. Tantum lapide vno gloriantur, quem Hexecontalithon nominamus, tam diuerſis notis ſparſum, vt 60. colores gemmarum in paruo orbiculo eius deprehendantur, homines iſti carnibus viuunt ſerpentum, ignarique ſermonis ſtrident potius, quam loquuntur. Augylæ vero ſolos colunt infernos; fœminas ſuas primis noctibus nuptiarum adulterijs cogunt patere, mox ad perpetuam pudicitiam, legibus ſtringunt ſeueriſſimis.

Gamphaſantes abſtinent prælijs, fugiunt commercia, nulli ſe extero miſceri ſinunt.

De eodem.

CAP. LXXXIX.

THracibus barbaris ineſt contemptus vitæ, & ex quadam naturalis ſapientiæ diſciplina concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reuerti. Alij non extingui, ſed beatas fieri magis. Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia. Denique recentem natum fletu parens excipit, & è contra læta ſunt funera, adeo vt exemptos gaudijs proſequantur. Fœminæ eorum tenacis ſunt caſtitatis, inſiliunt rogos defunctorum coniugum, & quod maximum eſt ſignum caſtitatis ſe præcipites in flammas tradunt. Thraces corporum magnitudine omnes homines antecedunt, ceruleis oculis, ac truci viſu, terrifico ſono vocis, annoſa ætate; ædificia modice ab humo eleuant; annona ſemper eodem tenore eſt, vites neſciunt, pomis abundant. In regis electione non nobilitas prævalet, ſed ſuffragium vniuerſorum: populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueterata clementia, etiam annis grauem: ſed hoc in eo quæritur, cui liberi nulli ſint, nam qui pater fuerit, etiam ſi vita ſpectatus ſit, ad regendum non admittitur, & ſi forte dum regnat, pignus ſuſtulerit, poteſtate exuitur: idque eo maximè cuſtoditur, ne fiat hæreditarium regnum. Deinde etiamſi rex maximam præferret æquitatem, nolunt ei totum licere, 40. ergo rectores accipit, ne in cauſis capitum ſolus iudicet. Quod ſi etiam ipſe in peccato aliquo arguitur, morte mulctatur, non tamen vt cuiuſquam manu attrectetur, ſed conſenſu publico, rerum omnium interdicta ei facultate: etiam colloquij poteſtas primò denegatur. Chelonophagi non alia quam teſtudinum carne viuunt, hirſuti omnium, facie tenus, quæ ſola lenis eſt. Idem corijs piſcium veſtiuntur.

Solinus cap. 16.

Solinus cap. 56.

Ex eodem Solino cap. 55.

CAP. XC.

INdiæ montana Pigmei tenent, at hi quibus vicinus eſt Oceanus, ſine regibus degunt. Pandea gens à fœminis regitur, cui reginam primam aſſignant Herculis filiam. Indis omnibus eſt promiſſa Cæſaries, non ſine fuco cærulei aut crocei coloris, cultus præcipuus in gemmis, nullus funerum apparatus, præterea vt Iubæ & Archalai regum libris editum eſt, in quantum populorum mores diſſonant, habitus quoque diſcrepantiſſimus eſt. Alij lineis, alij laneis peplis veſtiuntur, pars nudi, pars obſcena tãtum amiculati, plurimi etiam flexibilibus libris circundati. Quidam populi adeo proceri, vt Elephantes velut equos, facillima inſultatione tranſiliant. Plurimis placet, neque animal occidere, neque veſci carnibus, plerique tantum piſcibus aluntur, & è mari viuunt. Sunt qui proximos & parentes priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant, antè velut hoſtias cædunt: deinde peremptorum viſcera epulas habent, quod ibi non ſceleris, ſed pietatis loco numerant. Sunt etiam qui cum incubuere morbi, procul à cæteris in ſecreta abeunt, nihil anxiè mortem expectantes. Philoſophos habent Indi, & Gymnoſophiſtas vocant, qui ab ortu ſolis vſque ad occaſum contentis oculis orbem candentiſſimi ſyderis contuentur in globo ignis rimantes quædam ſecreta, areniſque feruentibus perpetem diem alternis pedibus inſiſtunt.

Hiero. contra Iouin. lib. 1. Indi vt omnes pene Barbari vxores pulcherrimas habent. Apud eos lex eſt, vt vxor chariſſima cum defuncto marito cremetur; hæ igitur contendunt inter ſe de morte viri, & ambitio ſumma certantium eſt teſtimonium caſtitatis digna morte decerni. Itaque victrix in habitu ornatuque priſtino iuxta cadauer defuncti accubat, amplexans illud & oſculans,

lans, & suppositos ignes pudicitiæ laude contemnens puto, quæ sic moritur secundas nuptias non requirit.

Item lib. 2. contra Iouinian. Bardesanes vir Babylonicus in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas diuidit, quorum vnum appellat Bragmanas, alterum Samanæos, qui tantæ continentiæ sunt, vt vel pomis arborum iuxta Gangem fluuium, vel publico orizæ & farinæ alantur cibo, & cum Rex ad eos venit; adorare illos solitus sit, pacemque prouinciæ suæ in eorum precibus arbitrari sitam.

De eodem.

CAP. XCI.

Ambros. lib. 2. Lyciorum feruntur esse præcepta, qui viros iubeant muliebrem vestem induere, si mœrori indulgeant, eo quod mollem & effeminatum iudicauerunt in viro luctum. Deforme est enim eos, qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate iudicij, atque intentione virtutis, obuium mortis pectus offerre debeant; mærere, in alio grauius, quod in se, si causa exegerit, expendendum sit.

Iulius Celsus. Britones Leporem aut Gallinam, aut Anserem gustare fas non putant, hæc tamen alunt animi voluptatisque causa. Loca sunt ibi temperantiora quam in Gallia remissioribus frigoribus. Interiores, pleriqué frumenta non serunt, sed lacte & carne viuunt, pellibusque vestiuntur, omnes vero Britanni se vltro inficiunt cæruleo colore, atque horridiores sunt in pugna aspectu, capilloque sunt promisso, atque omni parte corporis raso præter caput & labrum superius Vxores habent deni duodenique inter se communes, & maximè fratres, cum fratribus; parentesque cum liberis: Sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, ad quos primùm virgo quæque deducta est.

Helinandus lib. 17. Zenophon in lib. de vita Tyri. Polenta, & cardomo, & sale, ac pane, Persas asserit victitare.

Valerius lib. 2. cap. 6. Persę non aspiciunt liberos suos priusquam septem annos impleuerint, quo paruulorum amissionem æquiore animo sustineant.

Hieron. contra Iouin. lib. 2. Coge Ægyptium vt ouium lacte vescatur, impelle si vales, Pelusiotem, vt manducet cæpas. Singulæ pene in Ægypto ciuitates singulas bestias & monstra venerantur, quodcunque coluerint, hoc inuiolabile & sacrum putant, vnde & vrbes quoque apud eos ex animalium vocabulo nuncupantur Leonto, Cyno, Lyco, Busyris, Thmuis, quod interpretatur Hircus, & vt sciremus quales Deos semper Ægyptus recepisset, nuper ab Hadriani amasio vrbs eorum Antinoys appellata est. Prouidet igitur, quod non solum in esu, sed & in sepulturis, & in conuiuijs, & in omni conuersatione vnaquæque gens suo in ritu & proprietatibus victitet, & hoc eam putare naturæ legem; quod didicit.

De quibusdam monstruosis gentibus.

CAP. XCII.

Isidorus lib. 11. cap. 3. Sicut autem in singulis gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium, vt Gigantes, Cynocephali, Cyclopes &c.

Gigantes. Gigantes dicuntur iuxta Græci sermonis etymologiam, qui eos Gegenas id est terrigenas existimant, eo quod omnes eos fabulosè parens terra immensa mole, & similes sibi genuerit. Ge. enim terra appellatur, genas genus, licèt & terræ filios vulgus vocet, quoque genus incertum est. Falso autem opinantur quidam imperiti de scripturis sanctis, præuaricatores Angelos cum filiabus hominum ante diluuium concubuisse, & exinde natos Gigantes idest nimium grandes & fortes viros: de quibus terra completa est.

Glossa super Gen. Gigantes homines potentes, immanes corporibus, superbi viribus inconditi moribus.

Isidorus vt supra. Cynocephali vocantur, eo quod canina capita habeant, quosque ipse latratus magis bestias, quam homines confitetur: hi in India nascuntur. *Cynocephali.*

Cyclopes eadem India gignit, dictos Cyclopes: eo quod vnum habere oculum in fronte media perhibentur, hi & Agriophagitæ nuncupãtur, propter hoc quod solas ferarum carnes edunt. *Cyclopes.*

Lemnias. Lemnias in Lybia credunt truncos sine capite nasci, & os & oculos habere in pectore; alios sine ceruicibus gigni, oculos habentes in humeris.

In vltimo autem orientis monstruosæ gentium facies scribuntur, aliæ sine naribus, æquali totius oris planitie informes habentes vultus; aliæ labro subteriori adeo prominenti, vt in solis ardoribus totam ex eo faciem contegant dormientes; alijs concreta ora esse, modico tantum foramine calamis auenarum pastus haurientes: nonnulli sine linguis esse dicuntur, inuicem pro sermonibus vtentes nutu siue motu.

Panotioi. Panotios apud Scythiam esse ferunt tam diffusa magnitudine aurium, vt omne corpus ex eis contegant. Pan. enim in Græco sermone omnes Othi. aures dicuntur.

Artabatitæ. Artabatitæ in Æthiopia proni, vt pecora ambulare dicuntur, quadragesimum, æui annum nullus supergreditur.

Satyri. Satyri homunciones sunt, aduncis naribus; cornua in frontibus habent, & caprarum pedibus similes, qualem in solitudine Antonius sanctus vidit, qui etiam interrogatus seruo Dei respondisse fertur, dicens: Mortalis ego sum vnus ex accolis eremi, quos vario errore delusa gentilitas, Faunos Satyrosque & incubos colit. Dicuntur quidem & siluestres homines, quos nonnulli Faunos sicarios vocant.

Sciopoda. Sciopodum gens fertur esse in Æthyopia, singulis cruribus, & celeritate mirabili, quos inde Sciopodas Græci vocant, eo quod per æstum resupini in terra iacentes, pedum suorum magnitudine adumbrantur.

Antipodes. Antipodes in Lybia plantas versas habent post crura, & octonos digitos in plantis, *ἀνθρώποδες* in Scythia sunt humanam formam, & æquinos pedes habentes.

Ex eodem Isido.

CAP. XCIII.

ITem in India ferunt esse gentes, quæ Macrobij nuncupantur, duodecim pedum staturam habentes. Est etiam gens ibi, statura cubitalis, quos Græci à cubito Pigmæos vocant, de qua supra diximus. Hi montana Indiæ tenent, quibus est vicinus oceanus. Perhibent & in eadem India gentes esse fœminarum, quæ quinquennes concipiunt, & octauum vitæ annum non excedunt.

Solinus. Arimaspi gens circa Clyteolon posita. Monocula gens est, vltra hos & Ripheum iugum regio est assiduis obsessa niuibus. Humantopodes fluxis nisibus cruribus serpunt potius quam incedunt, & pergendi vsum, lapsu magis destinant quam gressu. Apollonides perhibet in Scythia, fœminas nasci, quæ Bithyæ vocantur: Hasque in oculis pupillas geminas habere, & perimere visu, si fortè iratæ aspexerint: hæ sunt & in Sardinia. Megasthenes per diuersos Indiæ montes esse scribit nationes, capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum, nulla voce, sed latratibus tantum sonantes ructibusque. *Solinus cap. 55.*

Apud Ctesiam legitur fœminas semel parere, natosque canos illico fieri. Esse rursum gentem alteram, quæ in iuuenta cana fit, in senectute nigrescat, vltra æui nostri terminos perennantem. Legimus Monoscelos quoque ibi nasci, singulis cruribus & singulari pernicitate, qui vbi defendi se velint à calore, resupinati plantarum suarum magnitudine inumbrentur.

Gangis fontem, qui accolunt, nullius ad escam opis

indicent

indigent;odore pomorum viuunt syluestrium,longiusque pergentes eadem illa in præsidium gerunt,vt olfactu alantur. Quod si deteriorem forte spiritum traxerint, exanimari eos certum est. Perhibent & gentem esse fœminarum, quæ quinquennes concipiant, sed vltra octauum annum viuendi spacium non protrahunt. Sunt qui ceruicibus carent,& in humeris habent oculos.Sunt qui siluestres,corpore hirti, caninis dentibus, stridore terrifico. Apud eos vero quibus ad viuendi rationem exactior cura est, multæ vxores in eiusdem viri coeunt matrimonium;& cum maritus decesserit, apud grauissimos iudices suam quæque de meritis agunt causam;& quæ officiosior cæteris sententia vicerit iudicantium,hoc palmæ refert præmium, vt arbitrio suo ascendat rogum coniugis,& supremis eius semetipsam det inferias; cæteræ cum nota viuant.

Idem asserit Isid. supra.

De Fabulosis portentis.

Cap. XCIIII.

Scylla.

Cerberus.

Hydra.

Centaurus.

ISidorus libro vndecimo cap. 3. Dicuntur autem, & alia hominum fabulosa portenta, quæ non sunt, sed ficta:& in causis rerum interpretantur, vt Gerionem regem Hispaniæ triplici forma proditum. Fuerunt enim tres fratres tantæ concordiæ, vt in tribus corporibus, quasi vna anima esset. Gorgones quoque Meretrices crinitas serpentibus fertur, quæ aspicientes conuertebant in lapides,habentes vnum oculum quo inuicem vtebantur. Fuerunt enim tres sorores vnius pulchritudinis, quasi vnius oculi: quæ ita spectatores suos stupescere faciebant,vt vertere eos putarentur in lapides. Sirenas tres fingunt fuisse, ex parte virgines,& ex parte volucres,habentes alas, & vngulas,quarum vna voce, altera tibijs,tertia lyra canebat,quæ illectos nauigantes sub cantu, in naufragium trahebant. Secundum veritatem autem Meretrices fuerunt, quæ transeuntes deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia, alas autem habuisse, & vngulas, quia Amor & volat, & vulnerat. Quod inde in fluctibus commorasse dicuntur, est, quia veneream artem exercebant.

Scyllam quoque ferunt, fœminam capitibus succinctam caninis cum latratibus magnis propter fretum Siculi maris, in quo nauigantes verticibus in se concurrentium vndarum exterriti latrare existimant vndas quas sorbentis æstus vorago collidit. Fingunt & monstra quædam irrationalium animantium vt Cerberum inferorum Canem tria capita habentem, significãtes per eum tres ætates,per quas mors hominẽ deuorat,id est infantiam, iuuẽtutem, senectutem,quem quidam ideo dictum cerberum putant, quasi Creo boros, id est carnem vorans. Dicunt & Hydram serpentem cum nouem capitibus,quæ latine scedra dicitur, quod vno cæso,tria capita excrescebant,sed Hydram constat locum fuisse euomentem aquas,vastantem vicinam ciuitatem,in quo vno meatu clauso, multi erumpebant, quod Hercules videns loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus: nam Hydra ab aqua dicta est. Huius mentionem facit Ambro. in similitudine Hęresum dicens. Heresis enim velut quædam Hydra fabularum vulneribus suis creuit, & dum sæpe reciditur, pullulat, igni debita incendioque peritura.

Fingunt & chimæram triformem bestiam, ore leonem, postremis partibus draconẽ; media, capram vomentẽ ignem, quam quidam Phisiologi non animal, sed Siliciæ montem esse aiunt, quibusdam locis Leones, & Capras nutrientem;quibusdam ardentem, quibusdam plenum serpẽtibus. Hanc Bellerofontes habitabilem fecit vnde chimęram dicitur occidisse.

Centauris autem species vocabulum indidit, id est hominem equo mixtum, quos quidam fuisse equites Thessalorum dicunt, sed pro eo quod discurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur,inde Centauros fictos asseruerunt. Porro Monocentaurum nomen sumpsisse ex tauro & Homine, qualem bestiam dicunt fabulose in Labyrintho inclusam fuisse *de qua Ouid.*

Minocentaurus.

Semibouemque virum,semiuirumque bouem.

Onocentauri vocati sunt, eo quod media pars hominis species,media esse Asini dicatur, sicuti & Hipocentauri, quod equorum hominumque in eis natura coniuncta fuisse putatur.

De Transformatis ex eodem Isidoro cap. 4.

Cap. XCV.

SCribuntur autem & quædam monstruosæ hominum transformationes & commutationes in bestias,sicut de illa maga famosissima Circe, quæ socios quoque Vlyssis mutasse fertur in bestias; & de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in Lupos. Nam & Diomedis socios in volucres fuisse conuersos, non fabuloso mendacio, sed historica affirmatione confirmant,sed etiam quidam asserunt Strigas ex hominibus fieri; ad multa enim latrocinia figuræ sceleratorum mutantur,siue magicis cantibus,siue herbarum veneficio totis corporibus in feras transeunt. Siquidem & per naturam pleraque mutationem recipiunt, & corrupta in diuersas species transformantur, sicut de Vitulorum carnibus putridis,Apes:sicut de Equis, Scarabei, de Mulis, Locustæ, de Cancris, Scorpiones. *Ouidius.*

Concaua littorei si demas brachia cancri,
Scorpion exibit, caudaque mutabitur vnca.

Solinus. Neuri vt accepimus, æstatis temporibus in Lupos transfigurantur, deinde spatio exacto, quod huic sorti attributum est, in pristinam faciem reuertuntur. Populis istis Deus Mars est, pro simulachris enses colunt, homines victimas habent, ossibus adolent ignes focorum. Gelonij ad hos proximant, de hostium cutibus & sibi indumenta faciunt, & equis suis tegmina.

Helinan. lib. 13. Memini me adolescentulum audisse à nonnullis pro vero narrari, quod in territorio Beluacensi erat quidam rusticus, qui, dum vxor eius lauaret ei caput,quosdam articulos manuum pueri ex ore euomuit.Opinio autem nimis vulgata erat in lupum illum per diuersa tempora transformari. Hæc autem opinio per illum vomitum articulorum pueri vehementius confirmata est.

Idem lib. 8. Lemures autem siue Laruæ nihil aliud sunt quàm terribiles vmbræ, vel animarum damnatarum, vel nequissimorum & immundorum spirituum, quorum natura (teste Hieronym.) dicitur esse terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis, sed horum terror inutilis, signo crucis opposito, vt fumus euanescit.

De ortu Ragau & regni Scytharum.

Cap. XCVI.

Ragau nascitur 1787.

Author. His de diuisione terrarum ac varietate gentium prosecutis; nunc ad historiam redeamus. Phaleg cum esset annorum 30. genuit Reu seu Ragau, anno scilicet ætatis secundæ 131. Mundi verò M.septingentesimo & 87.sub Ragau regnum Scytharum exortum est, quòd licèt antiquissimum sit, inter quatuor tamẽ principali. regna non computatur, quia Barbarorum fuit.

Iustinus lib. 2. Viri Scytharum, Parthorum, & Bactrianorum, fœminæ verò Æmazonum, regna condiderunt. Inter Scythas, & Ægyptios diu contentio de generis antiquitate habita est. Scythæ antiquiores visi sunt: primum eis bellum intulit Vexoris rex Ægypti. Qui cum eum fugauerunt, & Ægyptum occupassent,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& paludes prohibuiſſent, inde reuerſi Aſiam domuerunt modico tributo impoſito, magis in titulum Imperij, quam in præmium victoriæ quindecim annis pacandæ Aſiæ immorati, ab vxoribus reuocantur. His Aſia per mille quingentos annos vectigalis fuit, cuius tributi pendendi finem Ninus impoſuit, medio autem tempore duo Reges iuuenes Ylinos & Scolopitus domo pulſi per factionem optimatum ingentem iuuentutem ſecum traxere, & in Cappadociæ ora iuxta amnem Thermodonta conſedere, vbi occupatis Themiſcyreis campis, per multos annos ſpoliantes finitimos, conſpiratione populorum, per inſidias trucidantur; quorum vxores, arma ſumentes, viros, qui domi remanſerant, interficiunt: tunc armis pace quæſita finitimorum concubitus ineunt. Mares, qui naſcebantur interficiunt; virgines reſeruant, quas non lanificio, ſed armis, & equis & venationibus aſſuefaciunt inuſtis infantium dexteris mammis ne ſagittarum ictus impediretur. His, duæ fuere Reginæ, Marthesia & Lampeto viciſſim terminos defendentes: Marte ſe genitas prædicantes. Itaque maiore parte Europæ ſubacta Aſiam occupauere. Epheſo multiſque alijs vrbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum dimittunt, reliquæ ad tuendam Aſiam remanſerunt, quæ cum Marthesia, concurſu Barbarorum interficiuntur; cui ſucceſſit Orithya filia, cui præter ſingularem belli ſcientiam, eximia ſeruatæ in omne æuum virginitatis admiratio fuit.

Meminit Themiſcyræ regionis Plin. lib. 6. cap 3.

Vnimammæ inde dictæ.

De ortu Sarug & regni Aegyptiorum.

CAP. XCVII.

Sarug naſcitur 1819.

AVthor. Reu verò, qui & Ragau, cum eſſet annorum, 32. genuit Sarug ſcilicet anno ſecundæ ætatis, 163. mundi 1819. ſub hoc ortum eſt regnum Ægypti, quod durauit vſque ad Octauianum Auguſtum, non tamen continuè, ſed factis quibuſdam interruptionibus, vbi primum regnauit * Zoues.

Ex chronicis Euſebij. Porro à tempore natiuitatis Abrahæ præfuerunt Ægyptijs Thæbei annis 190. Deinde paſtores, ipſi ſunt Pharaones; annis 103. Deinde poſt 18. Politanorum dynaſtiam. Primus regnauit Amaſis annis 24. alio in loco Euſebij inuenio 25. & cæpit anno 92. ducatus Ioſeph. Secundus Chebron annis 13. Tertius Amenophis, 21. Quartus Mephres, 12. Quintus Miſpharmutoſis, 26. Sextus * Tuthinoſis, 9. Septimus Amenophis, 31. Octauus Orus, cognomine Pharao Magnus regnauit annis 38. Nonus * Acencris, 12. Decimus Achoris, 9. Vndecimus Chencres, 16. Duodecimus Acherres, 8. Tertiuſdecimus alius * Acheres, 15. Decimuſquartus Armegis qui & Danaus, 5. Decimuſquintus Remeſſes qui & Ægyptus, 68. Decimuſſextus Menophis, 40.

Poſt 18. Dinaſtiam, Ægyptij imperatore ſuo vti cæperunt. Quorum primus Zebtus vel Zethus annis 55. Secundus Ramſes, 66. Tertius Amenophis, 40. quartus Ammenemes, 26. quintus Thuoris, 7. Hunc Græci vocant Protheum ab Homero vero vocatur Polybus vt ait Euſebius.

Poſtmodum verò ſequitur, 20. Dinaſtia Diopolitanorum, & imperauerunt eis Diopolitani annis, 177.

21. Autem dinaſtia regnauit Smendis annis 26. Pſeuſenes, 41. Nephercheres, 4. Ammenophis, 9. Oſochor 6. Spinaces, 9. Perſuennes qui & Cheopes 35.

22. Dinaſtia. Seſonchoris regnauit annis 21. Oſorthon, 15. Tachelotis, 13.

23. Dinaſtia. Petubaſtis annis 25. Oſorthon, 9. Pſammus, 10.

Poſt; 24. Dinaſtia. Bochorus, qui Ægyptijs iura conſtituit, ſub quo agnus locutus eſt; regnauit annis, 44.

25. Dinaſtia Sabachon Æthyops annis 12. Sebicus; 12. Thrachus Æthyops, 20. Mertes æthyops, 12. Stephinatis, 7. Nichepſos, 6. Nechoa, 8. Pſammeticus, 44. Nechac ſecundus, qui & Nichephos, 6. Pſammites qui & Pſammeticus, 12. Vaphres, 30. Anamaſis, 42.

Quibus completis obtinuit Ægyptum Cambyſes qui & Nabuchodonoſor Rex Perſarum anno, 6. imperij ſui, & ſic finitum eſt regnum Ægyptiorum vſque ad tempus Artaxerxis, qui & Aſſuerus.

** Vt ait Beda in ſua chronica, alij legunt Zoes vt Iſidorus. Hic Zoes, ſiue Zoues Mineus dictus eſt, vt ait Herodotus & Ioſephus lib. 8. antiq. cap. 6.*
** alias Thuthenoſis.*
** alias Acencres.*
** alias Cherres.*

De ortu Nachor & regni Aſſyriorum.

CAP. XCVIII.

Nachor naſcitur 1849.

SArug cum eſſet annorum 30. genuit Nachor anno ſcilicet ætatis ſecundæ, 193. mundi verò, 1849. ſub hoc orta ſunt duo regna ſcilicet Aſſyriorum & Sicyoniorum. Belo, his & Ægyaleo illis regnantibus, vt ait Beda in chronicis ſuis. Porro *iuxta Euſebium in chronicis* anno primo Abrahæ, qui fuit à diluuio, 206. à mundi verò principio, 1948. primus rex Aſſyriorum Ninus, filius Beli cum quo regnauerat annis 42. & deinceps regnauit annis 10. regnauit enim annis 52. quorum, 43. natus eſt Abraham. Poſtmodum regnauit Semiramis vxor Nini annis 42. Tertio Ninias qui & Zameis, filius Nini & Semiramidis annis 38. Quarto Arius annis 30. Quinto Aralius, 40. Sexto Xerxes, 30. Septimo Armamitres, 38. Octauo Belonis, 35. Nono Baleus, 52. Decimo Altadas, 32. 11. Mamithus, 30. 12. Mancaleus, 30. 13. Iphereus, 20. 14. Mamilas, 30. 15. Sparetus, 40. 16. Aſchades, 40. 17. Amyntas, 45. 18. Bellorus, 25. 19. Belepares, 30. 20. Lampridis, 32. 21. Soſares, 20. 22. Lapares, 30. 23. Panuias, 45. 24. Soſarmus, 19. 25. Mithreus, 27. 26. Tautanes, 32. 27. Tauteus, 40. 28. Thineus, 30. 29. Dercilus, 40. 30. Eupales, 38. 31. Laoſthenes, 45. 32. Piriciades, 30. 33. Orphateus, 10. 34. Ophratanes, 50. 35.* Ocrazapes, 42. 36. Sardanapalus, qui & Tonoſconeoloros, 20.

Ex tunc Arbates Medus imperio Aſſyriorum deſtructo, regnum tranſtulit in Medos ſcilicet* quarto anno Oziæ regis Iudæ, & ſupputantur omnes anni regni Aſſyriorum à primo anno Nini; vſque ad Mccxl.

** alias Acraſapes.*

** Comeſtor dicit vſque ad 7. annum Ozia.*

De ortu regni Sicyoniorum.

CAP. XCIX.

Vide Euſebium in ſuis chronicis.

HElinandus. Regnum verò Sicyoniorum quod etiam ſub Nachor habuit initium, durauit vſque annum Heli ſacerdotis, 29. & fuerunt reges, 26. à primo Ægyaleo vſque ad vltimum Zeuxippum, hoc modo: Ægyaleus regnauit annis 52. Europs, 45. Stelchin vel Stelchinus, 20. Apis, 25. à quo Apia quæ prius Ægyalea. Thelaſion vel Celxion filius Apis, 5. Ægidius, vel Ægidrus, 34. Tiramacus, 45. Leucipus vel Leucippus, 53. Meſappus, 47. Herathus, 46. Plenneus, 48. Orthopolis, 43. Marathus, 30. Marathus ſecundus, 20. Echireus, vel Eritreus, 55. Corax, 30. Epopeus, 35. Laomedon, 40. Sycion, 45. à quo Sicyonij nuncupati ſunt qui Ægyalæi vocabantur Polybus 40. Inachus, 42. Pheſtus, 8. vel 7. Adraſtus, 4. Poliphides, 31. Pelaſgus, 20. Zeuſippus, 31. vel 2. Qui anni omnes in ſimul faciunt 862. vel duobus minus propter diuerſum numerum, Pheſti & Zeuxippi. Poſt hos conſtituti ſunt ſacerdotes Carnij, qui carni offerendæ præfuerunt per annos, xxxiij. ſicut legitur in chronicis.

De ortu Thare & fine ſecundæ ætatis.

CAP. C.

Thare naſcitur 1878.

AVthor. Nachor autem cum eſſet annorum xxix. genuit Thare anno ſcilicet ætatis ſecundæ 222. mundi 1878. In Thare terminatur ſecunda ætas, quæ tamen vſque ad ortum Abrahæ extenditur, id eſt vſque ad annum Thare lxx. & habuit annos ccxcij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

prima ætas autem habuit 1656. ſicque ab initio mundi vſque ad ortum Abrahæ fluxerũt anni 1948. & hoc ſecundum veritatem Hebraicam, ſecundùm autem lxx. interpretes longe plures.

Oroſius in præfatione libri primi de hiſtoria mundi cap. 1.

Ab Adam enim vſque ad Ninum regem quãdo natus eſt Abraham ſunt anni 3184.* qui ab omnibus hiſtoriographis vel omiſſi vel ignorati ſunt. Anno autem vel ab Abraham vſque ad natiuitatem Chriſti ſub Auguſto, anni duo militia xv. in quibus auctores & ſcriptores inter ſe omnium ocia negociaque triuerunt.

* *Hebræi hic à Græcis diſſidẽt vid. Aug. de ciuitate Dei lib. 15. c. 10.*

Author. De his autem generationibus ait Clemens in li. 1. recognitionum ſic. Nona generatione nati ſunt Gigantes immẽſis corporibus editi aduerſum quos diuina prouidentia diluuium mundo introduxit [Decima generatione, à paucis genus humanum iterum multiplicatũ prodijt. Vndecima generatione homines omnia proprijs viribus, nihil Deo aſcripſerunt] Duodecima verò generatione acceperunt homines præceptum Dei, ne ſanguinẽ degustarent, propter hoc enim etiã diluuium factum eſt. Tertia decima verò generatione medius ex tribus filijs Noe patri faciens iniuriam, poſteritati ſuæ ex maledictione conditionem ſeruitutis induxit. Quartadecima generatione quidam ex maledicta progenie propter artem magicam primus arã ſtatuit dæmonibus honorem ſanguinis litans. Quintadecima generatione homines idolum ſtatuentes adorauerunt, vſque ad quod tempus data diuinitus Hebræorum lingua, tenuit monarchiã. Sextadecima, vnuſquiſque ſortis ſuæ locum proprij vocabuli appellatione ſignificauit. Decimaſeptima apud Babylonem primus regnauit Nemroth, & vrbem conſtruxit, inde migrauit ad Perſas, eoſque ignẽ colere docuit. Decimaoctaua vrbes muratæ factæ ſunt, exercitus inſtituti, arma & iudices & leges ſancitæ, templa conſtructa, & Principes gẽtium tanquam Dij adorantur. Decimanona poſteri Cham proprios terminos excedentes quos in occidentalibus partibus ſorte ſuſceperant, eos qui medium terræ ſortiti fuerant in terras orientis expulerũt, & vſque ad Perſidem fugauerunt, & in locum eorum iniqua ſorte ſucceſſerunt. Viceſima ob inceſtus crimẽ, primùm morte propria filius ante patrẽ defunctus eſt.

Decima & vndecima generatio nõ inueniuntur in Clemente. nec etiam in manuſc. Cham ſeruorũ pater.

Ex Geneſi apocrypha. Tunc cæperunt homines inſpicere in aſtris, & inchoauerunt imaginari ex his, & diuinationes facere, & filios & filias traijcere per ignem.

Bellorum origo.

De ortu Abrahæ & de Nino quoque & Zoroaſtre.

Cap. CI.

Author. Thare igitur cum eſſet lxx. annorum genuit Abraham in quo tertia ætas habuit initium.

1948. *Euſebius in Chronicis.* Anno ſeptimo Abrahæ Ninus condidit ciuitatem Niniuem, in regione Aſſyriorum, quam Hebræi vocant Niniuem ſcilicet anno regni ſui xlix.

Comeſtor. In diebus Sarug Belus * Memrothides Rex Babylonis intrauit Aſſyriam, ſed parum obtinuit in ea, quo mortuo filius eius Ninus totam obtinuit Aſſyriam, & ciuitatem in qua caput regni erat itinere trium dierum ampliauit, & à ſuo nomine Niniuẽ dixit. Inde eſt, quòd quædam hiſtoriæ dicunt regnum Aſſyriorum cæpiſſe ab antiquo Belo, quod verum eſt, quantũ ad initium; Alij dicunt cæpiſſe à Nino, quod verum eſt, quantum ad ampliationem regni.

* *quia fuit alter Belus Rex Gracia.*

Ninus vicit Cham, qui adhuc viuebat, & regnauit in Bactria* . & dicebatur Zoroaſtres inuentor magicæ artis, qui & ſeptem liberales artes inuenit, & quatuordecim columnis ſcripſit, ſeptem æneis, & ſeptem latericijs, contra vtrunque ſcilicet ignis & aquæ diluuium. Ninus verò libros eius combuſſit.

* *alias Thracia.*

Ex libro Clementis quarto. Cham filius Noe, cuidam ex filijs ſuis qui Meſraim appellabatur à quo Ægyptiorum & Babyloniorum, & Perſarum ducitur genus, male compertam magicæ artis tradidit diſciplinam, hunc gentes, quæ tunc erant, Zoroaſtrem appellauerunt, cuius nomine libri ſuper hoc plurimi habentur. Hic volens apud homines videri Deus, multum & frequenter aſtris intentus velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producebat, vt rudes in ſtuporem miraculi traherentur, tandem ab ipſo dæmone, quem importunus frequentabat, ſuccenſus eſt, cui extruxerunt ſepulchrum tanquam amico Dei vehiculo fulminis ad cælum ſubleuato, vnde & hoc nomen poſt mortem ſortitus eſt Zoroaſtres, tanquam viuens aſtrum.

Helinandus lib. 4. De Zoroaſtre ſcribit Ariſt. quod vicies centum milia verſuum ab ipſo condita indicijs voluminum eius declarantur, miror tamen quomodo libros eius reperit Ariſto. cum Ninus omnes libros eius combuſſiſſe legatur. De eodem Zoroaſtre dixit Solinus, quòd mox vt natus eſt riſerit.

Auguſtinus de ciui. Dei libro 21. Quis autem non exhorreat & mori eligat, ſi proponatur aut mors percipienda, aut rurſus infantia, quæ cum non riſu, ſed à fletu ordinatur, hãc lucem quid malorum ingreſſa ſit neſciens prophetat quodammodo. Solum quando natus eſt ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, nec boni aliquid monſtruoſus riſus ille portendit, nam licet Magicarum artium inuentor, à Nino tamen rege Aſſyriorum cum eſſet ille Bactrianorum Rex, bello ſuperatus eſt.

De ortu Idolatriæ ſub Nino.

Cap. CII.

Comeſtor. Ab eodem Nino orta ſunt idola in hunc modum. Mortuo Belo Ninus in ſolatium doloris imaginem patris fecit ſibi, cui tantam exhibebat reuerentiam, vt quibuſlibet reis qui ad eam confugiſſent parceret. Proinde homines de regno eius diuinos honores imagini eius cæperunt impendere. Huius exemplo plurimi charis ſuis mortuis imagines dedicarunt. Et ſicut ab idolo Beli cætera traxerunt originem, ſic ab eius nomine generale nomen fuit idolorum. Sicut enim Belus dictus eſt ab Aſſyrijs ſic & aliæ nationes ſecundum idiomata ſuæ linguæ dixerunt, aliæ Bel, aliæ Beel, aliæ Baal, aliæ Baalim, immo & nomina ſpecificauerunt aliæ Beelphegor, aliæ Beelzebub dicentes.

Iſidorus in libro etymologiarum octauo cap. vndecimo. Quos igitur Pagani Deos aſſerunt, homines olim fuiſſe produntur, & pro vniuſcuiuſque vita, vel meritis coli apud ſuos poſt mortem cæperunt, vt apud Ægyptum Iſis, apud Cretam Iupiter, apud Mauros Iuba, apud Latinos Faunus, apud Romanos Quirinus. Eodem quoque modo apud Athenas Minerua, apud Samum Iuno, apud Paphos Venus, apud Lemnos Vulcanus, apud Naxos Liber, apud Delos Apollo. In quorum etiam laudibus acceſſerunt poetæ, & compoſitis carminibus in cœlum eos ſuſtulerunt.

Author. vt autem in libro Sapientiæ legitur, ad imaginum huiuſmodi cultum prouocauerũt homines tria, ſcilicet affectio erga morientes, timor & adulatio erga reges, diligentia artificum in ſculpendo & depingendo imagines.

Clemens in itinerario Petri li. 5. Veteres quoq; Ægyptiorum, qui de cæleſti curſu & aſtrorum natura, rationem ſibi nacti ſunt reperiſſe, dæmone ſenſus eorum obſidente, nihilominus cõtumelijs nomen incommunicabile ſubiecerunt, nam alij eorum * Ouem, alij Hyrcũ, alij Serpentem, Piſcem quoque & Cæpas aut Cloacas aut Strepitum ventris pro numinibus eſſe docuerunt habendos, & alia innumera quæ pudet nominare.

* *Clemens dicit Bouem iuxta impreſſionem Baſileenſem anno 1536.*

Tullius lib. de natura Deorum. Ægyptij autem nullam Beluam, niſi ob aliquam vtilitatem, quam ex ea caperent conſecrauerunt.

Clemẽs li. 1. Itaq; cæteris omnibus errantibus, Abrahã cum arte eſſet Aſtrologus, ex ratione & ordine ſtellarum potuit cognoſcere conditorẽ, eiuſque prouidẽtia intellexit

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

intellexit cũcta moderari, vnde & Angelus ei per visũ apparẽs plenius eum de his, quæ ſentire cæpit, edocuit.

De Ninya filio Nini & eius matre ſemiramide.

Cap. CIII.

Iuſtinus lib. 1. Mortuus eſt autem Ninus relicto filio impubere Ninya & vxore Semiramide, quæ ſe pro vxore Nini filium ſimulauit, pro fœmina puerum, quia vtrique ſtatura mediocris fuit, & vox gracilis, & forma ſimilis: ideoque brachia & crura calciamentis, caput * thiara tegit, & eodem ornatu populum veſtiri iubet, quem morem veſtis, gens illa * exinde tenet, poſtquam puer credita eſt, & res magnas geſſit, quæ ſicut fatetur, Aſiam tenuit; propter inundationem aggeres conſtruxit plurimas, Babyloniæ vrbes inſtaurauit.

* alias tiara.

* exinde pro in hunc vſque diem.

Valerius maximus. Semiramis cum ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum eſſet Babyloniam defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta ad eam expugnandã currit, nec prius decorem capillorum in ordinem poſuit, quam tantam vrbem in poteſtatem redegit. Statua eius ibi poſita eſt in ipſo habitu.

Oroſius li. 1. *cap.* 4. Semiramis libidine ardens, ſanguinẽ ſitiens, cum omnes, quos concubitu oblectaſſet, occideret, tandem filio flagitioſè concepto, impie expoſito, inceſtè cognito, priuatam ignominiam publico ſcelere obtexit: præcepit enim vt inter parentes & filios nulla delata reuerentia naturæ, coniugis appetendis cui libitum eſſet liberum fieret

Iuſtinus lib. 1. Semiramis cum filij concubitum petiſſet, ab eodem interfecta eſt, quæ * 30. annis poſt Ninum regnauit; Ninya autem tãquam ſexum cum Matre mutaſſet, raro à viris viſus, in fœminarum turbæ conſenuit. Poſteri eius id exemplum ſecuti, reſponſa gentibus per internuncios dabant.

* Iuſtinus habet duos & 40 annos poſt Ninum regno potita.

De peregrinatione Abrahæ & eius prælio & de Melchiſedech.

Cap. CIV.

2013. *Author.* Abraham cum eſſet annorum circiter 75. ad imperium Domini relicta patria & gente, acceptaque promiſſione ſeminis & terræ poſſidendę venit in terram Chanaam & habitauit in Damaſco, illic ingraueſcente fame deſcendit in Ægyptum; timẽſque mortem propter Ægyptiorum libidinem, & Saræ pulchritudinem, dixit eam eſſe ſibi ſororem, & tacuit vxorem, vt ſe à morte eriperet, & eius pudicitiam Deo committeret, vnde & illa in domum Pharaonis ſublata, dominus impediuit eius deſiderium ægritudine, & tumultu cauſarum, cauſaque per ſacerdotes cognita, ambo per Dei prouidentiam euaſere periculum.

Abraham egreſſus dives in ære & famulis, & iumentis partitaque terra cum Loth, & optione ei conceſſa propter paſtores, qui rixabantur pro paſcuis, dum habitaret in valle Mambre, audita victoria quatuor Regum de Sodomitis, irruit ſuper eos cum expeditis 318. ſuis vernaculis, & Loth, populumque & totam prædam reduxit, quam gratis reſtituens, nihil inde ſibi pro victoria retinere acquieuit, cui ſacerdos Dei Melchiſedech occurrens, panem & vinum ei in miniſterio obtulit, ſignans ſcilicet Aaron ſacerdotem legis, vel etiam Chriſtum ſummum & verum ſacerdotem ex eo naſciturum, qui pro nobis ſeipſum Deo obtulit. Ipſe quoque Melchiſedech typum Chriſti prætendit, qui carnem ſuam & ſanguinem in ſpecie panis, & vini diſcipulis dedit, vnde & Abrahæ in typo Chriſti benedixit, qui & ei decimas ex omnibus ſpolijs obtulit, & huie primo decimæ leguntur datæ, ab Abel vero primitiæ. Hunc Melchiſedech aiũt Hebræi Sem primogenitum Noe fuiſſe, & omnes primogenitos à Noe vſque ad Aaron ſacerdotes extitiſſe, qui in conuiuijs & oblationibus populo benedicebant & primogenita habebant id eſt dignitates quaſdam ad primogenitos pertinentes, ſcilicet veſtem ſacerdotalem, qua tantum induebatur, quando velut Pontifex ſacrificia Deo offerebat, & quando finalem benedictionem à patre recepturus erat. Ipſe etiam in ſolemnitatibus, in conuiuijs (vt dictum eſt) minoribus benedicebat, & in his duplam ciborum portionem recipiebat, tradunt etiam quod in diuiſione hæreditatis ſimiliter duplum accipiebat, ab hac quoque victoria pro iam dicta remiſſione captiuorum, tradunt Iubilæum habuiſſe initium.

Abraham per inflammationem ſacrificij diuinitus ſigno accepto de promiſſione adimplenda, primo quidem ſuſcepit Filium de ancilla, poſtea verò certam promiſſionem ſeminis de libera, mutationem quoque ſui nominis & caracterem circunciſionis.

De ſigno implendæ promiſſionis & cauſa inſtituendæ circunciſionis.

Cap. CV.

HVius inſtituendæ multiplex fuit cauſa ſcilicet vt per obedientiam mandati Deo placeret Abraham, per cuius præuaricationem diſplicuerat Adam. Item vt hoc ſigno Dei populus diſcerneretur à cæteris nationibus. Item vt in eo membro circunciſus, quo libido dominari ſolet, impudicitiam ſibi reſcidendam eſſe cognoſceret. Item vt eſſet in ſignum magnæ fidei patris ad imitandum filijs. Item, vt eſſet ſignum fœderis vel amoris inter Abraham, vel ſemen eius, & Deum, ſicut vulnera Chriſti inter nos, & ipſum. Item vt eſſet in remedium contra idem originale peccatum. Idem enim conferebat Hebreis, quod Baptiſmus Chriſtianis, quantum ad peccati ipſius dimiſſionem; non quantum ad gratiæ collationem, ante circunciſionem verò iuſtificati ſunt paruuli quidem in fide parentum, parentes autem per virtutem ſacrificiorum id eſt per fidem paſſionis Chriſti, quam in illis ſacrificijs intelligebant: fœminæ verò, quæ prodierunt ex Abraham iuſtificatæ ſunt per fidem, & operationem, vel pãrentum ſi paruulæ, vel propriam ſi adultæ Ideo autem in tali membro facta eſt circunciſio, vt in quo primum Adam inobedientiæ culpam ſenſit, in eo Abraham obedientiæ ſignum acciperet. Item, quia in eo luxuria viget, quam à nobis reſcidi oportet. Item vt in eo, per quod propagatur originale peccatum, contra idem præparetur remedium. Fiebat autem octaua die cultro lapideo, vt legitur in Ioſue, quia in generali reſurrectione, quæ futura eſt octaua ſæculi ætate, per Chriſtum petram omnis corruptio abſcindetur ab electis, & quia per Chriſti reſurrectionem, quæ octaua die facta eſt anima cuiuſlibet in eum credentis, circumciditur à peccatis; vnde duæ ſunt res huius ſacramenti ſcilicet circunciſio à peccatis in præſenti ſæculo, & circumciſio ab omni corruptione in futuro.

Causa multiplex inſtituendæ circunciſionis.

Effectus circunciſionis.

Cur octaua fiebat die circumciſio?

De repromiſſione & de culpa & pœna Sodomorum.

Cap. CVI.

Item. Dominus, Abrahæ per ſubiectam Angelicã creaturam apparuit, filium de Sara repromiſit, eamque hæſitantem redarguit. Pentapolim ſubuertit, & Loth precibus Abrahæ liberauit, & (vt ait Gregorius) qualitate vltionis innotuit macula criminis. Nã quia Sodomitæ fœtore & ardore luxuriæ computruerunt, meritò ſulphure, & igne perierunt. Et nota, tria circa hoc peccatum ſcilicet cauſam, & culpam, & pœnam. In cauſa fuerunt quinque quę tanguntur *in Ezechiele cap.* 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: Superbia, Saturitas panis, & abundantia, & ocium ipſius, & filiarũ eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ ſunt & fecerunt abominationes coram me.*

Cur Sodomita ſulphure perierunt & igne?

In culpa fuerunt ſeptẽ ipſam aggrauantia quibus reſpõdent alia ſeptem in pœna, nã in culpa fuit corruptio naturę, quę oſtẽditur in clamore; ſicut quę defloratur,

clamat

clamat vt liberetur à corruptione; ideo & innaturalis factus est locus ille; versus est enim in lacum salsum, & sterilem, qui dicitur mare mortuum, quia contra naturam aliorum nec aues, nec pisces in eo viuunt; nauem non patitur, nisi forte tota supernatet: vel nisi bituminata propter homines intus viuentes; si quid viuum aliqua arte immerseris superexilit; lucerna ardens supernatat, extincta mergitur: multis locis nigras glebas bituminis vomit; dicitur etiam quod poma nata in arboribus circumpositis vsque ad maturitatem coloris sunt viridia, matura si incidas fauillas intus inuenies, *vnde Iosephus ait, fabula terræ Sodomorum fidem habet;* Item fuit in eis libertas & impudentia peccandi, propter quam facti sunt omnibus exemplum æterni supplicij. Item sterilitas commixtionis; ex huiusmodi enim coitu nihil potest generari, cui respondet perpetua sterilitas ipsius loci, qui nihil omnino gignit. Item ardor desiderij, plus enim exardescere dicuntur in viros huiusmodi homines; quam cæteri, in mulieres; cui in pœna respondet ardor ignis. Item fætor carnis, omnis enim luxuria & ista maxime; causa est fætoris, cui respondet in pœna fætor sulphuris. Item tenacitas voluptatis, quæ homines in huiusmodi turpitudine inueteratos vix vnquam euadere finit, cui congruit gleba bituminis, quam ipse lacus multifarie vomit. Itẽ contagium, quo inficitur & aer, & multitudo cohabitantium, vnde vitanda est maxime societas talium, huic respondet in pœna, quod tota circa regio simul cum illis vrbibus est subuersa; quasi mala vicinitate infecta: subuertit autem Dominus & paruulos pro peccatis parentum, in hoc eis piè prouidens, ne diutius viuendo sequerentur exempla patrum, *& vt ait Greg. Est aliquod bonum reum non esse, qui glorioſus non est, prodest enim pauperem non esse, qui Rex esse non potest.* Hinc autem colligitur pœnam paruulorum esse mitissimam scilicet solæ visionis diuinæ carentiam; malunt enim etiam sic esse quam omnino non esse, quoniam vtcunque iucundũ est eis ipsum esse. Vxor autem Loth retro respiciens in statuam salis versa perijt: ipse quoque Loth licet cõparatione Sodomorum dicatur iustus, in quatuor tamen peccauit, quia filias suas Sodomitis prostituit, flagitium flagitio volens commutare: *periculosissime siquidem, vt ait Augustinus admittitur compensatio talis, vt faciamus mala, ne fiant ab alijs grauiora.* Item quia Angelo sibi salutem in monte, vel in Segor promittenti non credidit, & quia se inebriauit, & quia incęstum commisit.

Notanda.

Peccata Sodomorum & pœna eis correspondentes.

Ex historia sacra, cap. 20. Abraham autem peregrinatus in Geraris Saram iterum vt vxorem habens, similia prioribus simulauit, geminumque periculum per Dei prouidentiam euasit.

De ortu Isaac & tentatione patris in eo.

Cap. CVII.

ABraham cum esset annorum centum, corpusque iam naturaliter habens emortuum ad generandum. Sara vero sterilis & nonagenaria iuxta repromissionem natus est eis Isaac, anno scilicet ab institutione circumcisionis secundo; ab ortu Ismaelis 14. ab initio vero mundi secundo millesimo, & 48. saac ablactato, Ismaelem iniquè cum eo ludentem Abraham cum matre simul eiecit; quem pro meritis Abrahæ Dominus custodiens, multiplicauit, & xij. Duces tribuum generauit.

2048.

Post hæc, obedientiam, & fidem Abrahæ, Dominus; non quia nesciret, sed vt nobis ad exemplum innotesceret, in illo vnigenito suo dilecto, tentauit. Qui indubitanti animo vtique propter conscientiam Dei eum mactare voluit: in vtroque laudandus, & in constantia offerendi, & in fide filij, de quo promissionem acceperat suscitandi, nec tamen falsum credidit, quia non simpliciter eum suscitandum, sed sub hac conditione, si ipsum immolaret, quod patet per id quod ait Deus, Prouidebit sibi victimam; quod & factum est.

Tentauit Abraham Deus.

Origenes super Genesim homilia 8. ** Tolle inquit filium tuum vnigenitum quem diligis &c.* Charis ac dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitant affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret: & quia dictum fuerat ei: *In Isaac vocabitur tibi semen*: fit & commemoratio nominis pueri, vt & promissionum, quæ sub hoc nomine factæ sunt, desperatio subeat, sed hæc omnia, quia tentabat Deus Abraham: Quid post hæc? *vade inquit in terram excelsam &c.* Intuemini per singula, quomodo fiunt tentationis augmenta, prius enim dicitur ei quod filiũ offerat, deinde vt in montem ascendat non econuerso; vt dum iter agit per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc vrgente præcepto, hinc vero vnici affectu obluctante cruciaretur, propter hoc & via iniungitur, & montis ascensio, vt in his omnibus spacium certaminis accipiant affectus & fides, amor Dei & amor carnis, gratia præsentium, & expectatio futurorum.

* Iuxta impressionem Basileensem anno 1571.

Gen. 22.

Tentationis augmenta.

Die autem tertio vidit locum procul, sapientiam & consilium tentantis intueor, sic in proximo non erat mons aliquis, sed per triduum iter protenditur, quo recusantibus curis, paterna viscera cruciãtur, vt omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus puer in amplexibus patris penderet, pectori inhæreret, in gremio cubitaret. *Ego inquit & puer postquam adorauerimus, reuertemur ad vos:* dic mihi Abraham, verum dicis, an fallis? si verum, non facies puerum holocaũstum, si fallis, tantum Patriarchã non decet fallere: verũ inquit dico, & holocaustũ puerum offero & cum ipso ad vos redeo, credo enim quod à mortuis potens est Deus eum suscitare.

Dilemma.

Pater mi inquit Isaac ad Abraham, quomodo putas immolandus est filius: per hanc vocem viscera paterna concussit.

Putasne aliquis nostrûm ex ipsa historica narratione tantum animi robur acquirit, vt cum forte amittitur filius morte communi, & omnibus debita, etiam si sit vnicus, & dilectus, Abraham sibi in exemplum deducat & magnanimitatem eius ante oculos ponat?

Apostrophe ad parentes lugentes obitum filiorũ.

Comestor, cap. 58. Refert autem Iosephus verba patris ad puerum dicentis: quia sicut ex volũtate Dei ingressus fuerat mundum mirabiliter, ita ex voluntate Dei necesse erat ei mundum egredi mirabiliter, quem dominus quidem dignum iudicasset, non ægritudine, non bello, non aliqua passione, humanam vitam finire, sed cum orationibus & sacrificijs ipsius animam ad se vocare, & quod suscitaret eum ob implendas promissiones; & sic Isaac libens accessit ad aram & ad mortem.

De Spelunca duplici, de Cetura & Rebecca & partu illius.

Cap. CVIII.

AVthor. Abraham verò mortua Sara, agtum Ephron comparauit, ad sepeliendam eam in spelunca duplici, in qua sepulti erant Parentes primi. In quo contractu secundum Hieronymum Ephron peccauit, quia ius sepulchri, quod prius gratis concesserat, postea pretio victus carè vendidit, ideoque nomen eius mutatum dicit. Abraham vero non reprehenditur, quia speluncam non emit, sed agrum in quo erat spelunca; sicut non peccaret qui emeret fundum, in quo sita est ecclesia, non enim propter speluncam carius agrum emit nec, emit ius sepulchri, sed agrum ad vsum cœmeterij. Abraham misso in Mesopotamiam Eliezer, Rebeccam de genere suo adductam, filio suo Isaac quadragenario desponsauit; ipse quoque aliam vxorem Ceturam duxit, de qua filios suscepit, & separans eos ab Isaac omnem quidem possessionem suam Isaac vt hæredi dedit, ac cæteris munera tribuit. Isaac in Geraris peregrinatus ibique in operibus multiplicatus, fœdus cum Abimelech iuramento firmauit, vbi & dominum

ſibi promittentem, quæ & patri ſuo promiſerat audiuit. Rebecca longo tẽpore ſterilis, orante pro ea Iſaac, vt implererur promiſſio, tandem geminos concepit, quorum mutua colliſione, multam afflictionem in vtero ſuſtinuit. Conſultoque Domino, & accepto de duobus populis, ex eis naſcituris, diuino oraculo, geminam prolem edidit, primo egreſſus dictus eſt Eſau, quia piloſus erat; alter verò Iacob, quia fratrem ſupplantabat.

De ortu regni Argiuorum & primogenitura Iacob.

CAP. CIX.

SExagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli ſcilicet anno ætatis tertiæ 160. mũdi vero ſecundo milleſimo, & 108. in quo ſcilicet anno regnum Argiuorum exortum eſt ſub Inacho primo rege, & duranit per reges 14. vſque ad tempora Iudicum Iſrael Barach & Delbora. Tunc Perſeus Acriſio non ſponte interfecto, timens reliquit Argos, & tranſtulit regnum in Mycenas, poſtquam illic regnauerunt Euriſteus, Atreus, Thyeſtes, Agamemnon, Ægiſtus, Oreſtes, Cyſamenos &c.

2108.

Lege Euſebium in Chronicis.

Eſau fame laborante, Iacob emit ſuam primogenituram cibo lenticulæ, cuius ſcilicet primogenituræ ius conſiſtebat in ſex, ſcilicet in veſte ſacerdotali, in ſacrificijs offerendis, in finali benedictione patris ſuſcipiẽda, in benedictione, qua in ſolemnitatibus & cõuiuijs benedicebat; in duplæ portionis ſuſceptione, & in hoc quod Dominus aliorũ erat. Nec peccauit Iacob fratrẽ eſurientẽ non reficiendo gratis, etiam cum poſſet, quia laborabat ille (ſecũdum Greg.) vitio gulæ, non naturæ neceſſitate; ſed nec ius primogenituræ, cũ ſit ſpirituale quid, dicendum eſt emiſſe proprie, ſed potius redemiſſe, quia reuelatum ei fuerat, quod ſibi deberetur, & licet vnicuique ius ſuum redimere, ſicut clericis ius decimarum, quia ſibi debentur. Alij tamẽ dixerunt, quod ius primogenituræ non erat ſpirituale, ſed annexũ erat eis ſpirituale ſcilicet ius benedicẽdi, quod tranſit cum principali, ſicut ius patronatus, annexum fundo tranſit cum eo. Similiter ergo nec poſtmodum peccauit, quãdo benedictionem Primogeniti non quidem per fraudem arripuit, ſed ſecundum Greg. ſibi debitam, accepit, quam à fratre comparauit; nec falſo dixit patri ſe eſſe Eſau, quia Eſau erat ipſe, non perſona, ſed primogenituræ dignitate, ſicut Ioannes, Helias non natura, ſed virtute; benedictus eſt autem, non ſecũdum intentionem patris, quæ ad Eſau erat; ſed ſecundũ virtutem verborum, quæ proferebat: ſicut Epiſcopus ordinat alienum, quem putat ſuum, & verè eſt ordinatus; vnde & poſt loquente Eſau expauit Iſaac ita, vt quædam extaſis ſequeretur, in qua à domino hoc factum eſſe vidit, & ſignificationem piæ fraudis intellexit, ideoque non iraſcens ſed confirmans quod fecerat, ait; *venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.*

Iacob non propriè emit ſed redemit ius primogenituræ.

Gen. 27.

De peregrinatione Iacob & de filijs eius & de Phoroneo & Iſide, Api, & Minerua.

CAP. CX.

ESau itaque æmulante Iacob pro benedictione accepta, Iacob de conſilio Matris ad Laban confugit, in itinere dormiens ſcalam erectam vidit, cuius ſummitati Dominum innitentem, ſibique terram & benedictionem ſeminis promittentem audiuit; procedens inde in Siriam ad Laban 14. annis pro duabus filiabus eius ſeruiuit, ex quibus & ancillis earum, duodecim filios ſuſcepit. Ex Lia: Rubeu, Simeon, Leui, Iudam, Iſachar, Zabulon, filiam quoque Dinam. ex ancilla vero illius Zelpha: Gad & Aſer. ex ancilla quoque Rachel Bala; Dan, Neptalim: ex Rachel, Ioſeph & Beniamin.

Gen. 35.

Comeſtor cap. 70. His temporibus Phoroneus filius Inachi & Yobes, primus Græciæ leges dedit, & ſub iudice cauſas agi iuſtituit, locumque iudicijs deſtinatum forum à ſuo nomine appellauit. Soror ipſius Iſis in Ægyptum nauigauit, & quoſdam apices litterarũ Ægyptijs dedit, de agricultura etiam multa docuit eos: vnde cum Io diceretur, Iſis ab eis dicta eſt; quod in lingua eorum ſonat terra, ob hoc poſt mortem in numero Deorum in Ægypto recepta eſt. Filius etiam Phoronei qui Apis dictus eſt, eodem tempore in Ægyptum nauigauit, quem quidem virum Iſidis fuiſſe tradunt, & ſimiliter ab Ægyptijs Deificatus eſt

Tunc etiam apud lacum traconidem virgo apparuit, quam Greci Mineruam dixerunt. hæc plures artes adinuenit, & maxime lanificium, eadem dicta eſt Pallas à Palleñe inſula Thraciæ, in qua nutrita eſt, vel à Pallante Gigante, quem interfecit.

Apologia contra Fauſtum Patriarcharum reprehenſorem.

CAP. CXI.

Auguſtinus contra Fauſtum, libro 22. *cap.* 14. Reſpondere compellor his, qui vel temperantiam ſuam audent præferre Prophetis, vel nequitiæ ſuæ quærunt patrocinia de Prophetis: qua in re hoc primũ dicimus illorum hominum non tantum linguam, ſed etiam vitam, fuiſſe propheticam, totũque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam quia & magni fuiſſe cuiuſdam prophetam. Similes autem ſunt, qui in magnis iſta reprehendunt, pueris imperitis in ſchola; qui cum pro magno didicerunt nomini numeri ſingularis verbum numeri ſingularis eſſe reddendum, reprehendunt latinæ linguæ doctiſſimum doctorem; quia dixit, *pars in fruſta ſecant*. Debuit enim dicere ſecat: & quia norunt religionẽ dici, culpant eum, qui dixit geminata littera relligione patrum. Vnde fortaſſe non abſurde dicatur, quod genere ſuo, quantum diſtant Schemata & Metaplaſmi doctorum à ſolæciſmis & Barbariſmis impetitorum, tantum diſtare figurata facta prophetarum à libidinoſis factis iniquorum.

Iuxta impreſſionem Baſilecenſem anno 1569.

Peccatum enim eſt dictum, vel factũ, vel concupitũ, contra legẽ ęternã: lex verò æterna eſt ratio diuina, vel voluntas Dei, ordinem naturalẽ obſeruari iubens, perturbari vetans. Quiſnam igitur ſit in homine naturalis ordo, quærendum eſt; nulli autem dubium eſt, animam corpori naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis ineſt ratio, quæ pecori non ineſt. Proinde ſicut anima corpori, ita ipſius animæ ratio cæteris partibus eius, quas cum pecoribus communes habet * pręponitur. In qua ratione ipſa quæ partim contemplatiua eſt, partim actiua, proculdubio contemplatio præcellit, in hac enim & imago Dei eſt, qua per fidem ad ſpeciem reformatur. Actio itaque rationalis contemplationi debet obedire, ſiue per fidem operanti, ſicut eſt quandiu peregrinamur à Deo, ſiue per ſpeciem, ſicut quando ſimiles erimus ei, quia videbimus eum, ſicut eſt: quapropter hominis actio ſeruiens * homini ſeruienti Deo, refrenat omnes mortales delectationes, & eas coercet, ad naturalem modum; ſuperiora, tanquam meliora, inferioribus ordinata dilectione præponens.

Cap. 27.

Ex cap. 27. *&* 28.

* *Naturali lege.*

* *Alias fidei apud Auguſti.*

Apologia Abrahæ ſuper concubitu Ancillæ.

CAP. CXII.

IGitur æterna lege conſulta, videamus quid peccauerit: id eſt contra legem hanc fecerit pater Abraham; quando cum Ancilla concubuit, lex enim illa æterna, conſeruando naturali ordini conſulens, non vt ſatiandæ libidini ſeruiatur, ſed vt ſaluti generis proſpiciatur ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari ſinit: proinde Abraham naturæ ordinem ſeruans, nihil illo concubitu agebat, niſi vt homo naſceretur; neque Sara (vt Fauſtus obijcit) conſcientiam ſuam flagitio coniugis miſcuit, quo ille ſuam libidinem turpi & illicita voluptate ſatiaret, ſed naturę ordine filios volens, ſeque ſterilem ſciens; ancillaris vteri fæcunditatem in vſum

Aug. contra Fauſtum lib. 22. *cap.* 30.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iuris sui potestate licita vendicauit: non cedens viro concupiscenti, sed iubens obedienti: cum enim in cæteris actibus ad humanam pacem pertinentibus, mulier viro debeat seruitutem: tamen secũdum A- 1.Cor.7. post. doctrinam, vnius huius rei qua sexus vtriusque carnali sorte distinguitur, & carnali commixtione concernitur, similem in se habent potestatem, & vir in vxorem, & vxor in virum. Prolem igitur, quam de se habere non poterat Sara, de Ancilla habere voluit, ex eo tamen semine, ex quo & de se; si posset habere, desiderabat: nunquam hoc faceret mulier, si in corpore, viri carnali concupiscentia, teneretur, zelaret enim potius pellicem, non facere matrem, nunc vero propterea sic propagandi voluntas pia fuit; quia cumbendi libidinosa non fuit.

Apologia Abrahæ de libera, & Isaac, & Rebecca.

Cap. CXIII.

ILlud autem Abrahæ factum, quo Faustus eum Auaritiæ & ventris causa, dicit duobus regibus Sa- Cap. 33. ram coniugem, suam sororem mentitum; Lenocinio, quidem simile videtur, sed non valentibus ex illius æternæ legis lumine à peccatis, recte facta discernere; quibus constantia pertinacia videri potest, & virtus fiduciæ, vitium putatur audaciæ: & quæcunque similiter obijciuntur, quasi non recte agentibus, à non recte cernentibus. Neque enim Abraham Hagitio consensit vxoris eius, neque vendidit adulterium, sed eam castam & casto corde sibi adhærẽtem, nullomodo dubitans, tacuit vxorem, dixit sororem, ne se occiso, ab alienigenis, ac impijs captiua possideretur: certus de Deo suo, quia nihil eam turpe perpeti sineret. Nec eum fides & spes fefellit, nam Pharao territus monstris, multis est propter eam malis afflictus, vbi eam vxorẽ eius credidit, illæsam cum honore restituit. Abimelech autem commonitus in somnis similiter fecit.

Diceret aliquis, cur non potius ita de Deo suo præ- Cap. 36. sumpsit Abrahã, vt fateri non timeret vxorem? respondeo, quia si interrogatus illam indicasset vxorem, duas res committeret Deo tuendas, scilicet vitam suam, & vxoris pudicitiam: pertinet autem ad sanam doctrinam, vt quando habet quod faciat homo, non tentare debet dominum Deum suum.

Quæ autem pro Abraham aduersus Faustum crimi- Cap. 46. nantem diximus, eadem etiam pro Isaac contra simile obiectũ valent; si forte aliquis studiosus quærat, in cuius figuræ sacramento accipiendum sit, quod Rex alienigena Rebeccam viri sui coniugem, tunc esse agnouit; quãdo eum cum illa ludentem vidit; quod non cognouisset, nisi cum coniuge ille sic luderet, quomodo cũ ea, quæ coniunx non esset, ludere nõ deceret. Quod cum sancti coniugati faciunt, non inaniter faciunt sed prudenter: descendunt enim quodammodo ad fæminei sexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate, vel dicant, vel faciant, non eneruantes, sed temperantes virilem rigorem: quod tamen ei quæ vxor non est, qui dixerit, aut fecerit, turpis est.

Apologia Iacob super quatuor vxoribus.

Cap. CXIV.

IAm verò Iacob, quod pro ingẽti crimine quatuor Cap. 47. obijcũtur vxores, generali prælocutione purgatur; alia enim sunt peccata contra naturã, alia cõtra mores, alia contra præcepta. Si igitur naturam consulas non lasciuiendi, sed gignendi causa illis est vsus. Si mores, in illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus est contrarium? & quia videlicet isti cooperantes, non alios, quorum animi virtutem prorsus nosse non possunt, sed sicut dixit Apostolus. *Semetipsos sibi ipsis* 2. Cor. 10. *non intelligunt*: Et quia ipsi etiam si vnam habuerint, ad eam non solum generandi officio ducti viriliter accedunt, sed sæpe coeundi stimulo victi quo communiter pertrahuntur, quasi veraciter sibi videntur conijcere, quàm maiore huius morbi incentiuo alij captiuentur, quando vident se in vna temperantiam non posse seruare. Verum nos eis, qui hanc virtutem non habent, Cap. 48. ita de sanctorum virorum moribus, committere iudicium non debemus, sicut de ciborum suauitate & salubritate iudicare febrientes non sinimus, potiusque illis ex sanorum sensu & præceptorum medicamine quæ ex eorum ægritudinis affectione alimenta præparamus.

Author. Sed nonne Lamech reprehenditur, quia diuisit carnem suam in duas? Respondeo, quia non hoc amore prolis fecit, sed ex libidine. Et nota, quod secũdum Augustinũ ante legem non erat peccatum habitare cum pluribus vxoribus causa prolis, sed hoc facere causa libidinis, semper fuit mortale peccatum; quia vt dictum est supra, lex naturalis non permittit voluptatem carnis relaxari, nisi ad propagationem vel conseruationem humani generis. Quidam tamen dicunt quod siue causa prolis, siue causa voluptatis, nunquam licuit homini diuidere carnem suam, & excusant Abraham & Iacob; diuina, dicentes, hoc eos fecisse dispensatione, *& priuilegia paucorum non faciunt legem communem, vt dicit Hieronymus.*

De Stropha naturæ quam inuenit Iacob circa pecora.

Cap. CXV.

EX *historia sacra.* Prius autem quam Beniamin nas- Cap.Genes. ceretur, Iacob finitis quatuordecim annis seruitij 30. pro vxoribus suis, pro futuro seruitio postulauit, quicquid ex vnicoloribus quos gregibus pascebat nasceretur varij coloris. Quod annuente Laban; Iacob nouam naturæ stropham commentatus, contra naturam arte naturali pũgnauit, virgas scilicet varias in canalibus ponens & in feruore diei, dum ad potandum auidè pecora pergerent, oues & capras ascendi faciens, vt tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum & hircorum supra se ascendentium in aquarum speculo conspicerent, * varius enim erat color vmbrarum. Ex virgis enim ibi positis varius erat color umbrarum.

Dicit autem *Aug. in lib. de tri.* 11. quod in quolibe sensu apparet imago trinitatis. In visu enim tria sunt attendenda, scilicet corporis obiecti species, quæ videtur exterius; & forma in visu impressa ab illa, quæ est proles eius, genita ab ea ad similitudinem suam. Hæc duo in tanta coeunt vnitate, vt in ipso actu videndi, vix possint discerni, etiam per rationem; tertium est voluntas siue intentio animi, quæ tantam habet vim copulandi illa duo, vt & sensum formandum admoueat rei, quæ cernitur & in ea etiam formatum teneat; & si tam violenta est, vt possit vocari amor, vel cupiditas, siue libido: id est si cum magna auiditate respiciatur res exterior, sicut fit in libidinosis aspectibus mulierum, non solum ipsum visum, sed cæterum corpus animantis vehementer afficit, & vbi non resistit, durior pigriorque materies in similem speciem & colorem commutat. Vnde licet videre corpus Cameleontis, ad colores quos videt facillima conuersione variari: aliorum animalium quorum non est ad conuersionem facilis corpulentia; fœtus plerumque produnt libidines matrum tales, quale est illud quod cum magna delectatione conspexerint; quanto enim teneriora & formabiliora sunt primordia seminum, tanto efficacius & capacius sequuntur intentionem vel appetitum animæ maternæ, & fantasiam, quæ in ea facta est per corpus, quod cum auiditate conspexit: & ponit ibi hoc exemplum de Iacob.

Comestor cap. 78. *super Genesim.* Non ergo miror similem conspectæ imagini sobolem fieri in extremo voluptatis, cum hoc ipsum in equorum gregibus apud Hispanos fieri dicat Hieronymus: & Quintilianus matronam accusatam, quod Æthiopem peperisset, ex

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

imagine conspecta hoc accidisse argumentans, defenderat: & in libris Hippocratis scriptum reperitur quãdam puniendam, eo quod pulcherrimum puerum peperisset, vtrique parenti & toti generi eorum dissimilem, nisi monuisset Hippocras quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo.

De reditu eius in patriam, & agro Sichen, de Promotheo quoque & Tricolemo ac Cerere.

Cap. CXVI.

Iacobus Angelum luctãdo superauit.

Author. Sic ergo Iacob non parum ditato, & ob hoc Laban contra se ad inuidiam cõcitato, cum vxoribus suis & filijs & substantia clam recessit. Laban eum persequentem dominus per somnum cohibuit, & fœdere inito cum Iacob ad locum suum redijt. Iacob vero cœptum iter pergens, Angelos Dei confortantes se contra fratris iram, quam timebat, obuiam habuit, cui & munera ad placandum eius animum præmisit. Angelum quoque superauit, secum vsque ad mane luctãtem in signum quod inuictus staret contra fratrem, vnde & ibi vocatus est Israel, id est princeps vel fortis cum Deo. Itaque occurrẽs ei Esau munera quidem recusauit, ipsum vero cum suis amabiliter cum amplexu & osculo ac fletu susceperit. Eo que reuerso in Seir, Iacob transiens, habitauit in agro Sichen. quem emit ab Emor rege cẽtum agnis, & Dina egressa vt videret mulieres regionis illius, corrupta est à Sichen filio regis, propter quod filij Iacob in dolo totam vrbem ingressi sunt & cunctis maribus interfectis, cætera depopulati sunt, vnde territus Iacob propter incolas terræ; sed à domino cõfortatus recessit, sed purgata prius domo sua ab idolis Laban, Bethel peruenit: vbi ædificato altari iuxta id quod prius in itinere Mesopotamię ibidem vouerat, Domino obtulit: deinde in via, quæ ducit Bethleem, Beniamin ortus est, cuius partus dolore periclitata Rachel; ibidem sepulta est. Post hæc venerunt trans turrim gregis vbi dormiuit Ruben cum Bala concubina patris.

Comestor cap. 76 super Genesim. Eo tempore Prometheus frater Atlantis primus dictus est fecisse homines, tum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur fecisse hominum imagines, quas arte quadam deambulare fecit: inuenit etiam primus annulum, sed ferreum, & inclusit gemmam, vnde & vngulum vocauit, quia sicut vnguis carne sic gemma metallo circũdatur. Tradidit autem vt in quarto digito poneretur, quem medicum vocant ad ornatum digniorem hunc reliquis dicens, quia ab eo vsque ad cor quædam vena pertingat.

Nota pulchra.

** Comestor habet Triptolemus.*

Dicitur etiam ea tẽpestate * Tricolenius in naui in qua pictus erat draco in Græciam venisse, & ampliasse agriculturam. Ceres vero præter instrumenta arandi, etiam mensurari granum adinuenit cum prius in arconijs, segetes ponerentur, & triticum per aceruos numerabatur vnde & à Græcis Demetra dicta est. Tunc etiam Telchines victi & exules, Rhodum condiderunt.

De venditione Ioseph & liberatione de carcere.

Cap. CXVII.

** Sic Gordonius legit 91. & Torniellus. 2199.*

Ioseph natus anno patris sui 91.* ætatis tertiæ 1251. mundi vero secundo millesimo. 199. cum sexdecim esset annorum, & pasceret gregem, inuidiam & odium fratrum incurrit, propter familiarẽ erga se patris dilectionem & propter somniorum narrationem, & propter ipsorum fratrum accusationem, qui eum ad se missum tunica talari nudatum, in cisternam veterem deposuerunt; deinde consilio Iudæ extractum, Ismaelitis vendiderunt, & simulantes eum occisum patri magnum luctum induxerunt. Inter hæc Iudas fornicario concubitu de Thamar nuru sua, Phares & Zaram genuit, eamque deprehensam comparatione sui iustificauit, quia non eam Sela filio suo tradiderat, cuius adolescentiam, eam in viduitate manentem expectare præceperat Madianitæ verò qui & Ismaelitæ vendiderunt Ioseph in Ægyptum Putifari eunucho, magistro militiæ Pharaonis. Alij dicunt Archimatero id est principi coquorum; nec abhorret à vero, quia apud plures nationes Dapifer Principis, honorabilior est, & Princeps militiæ; hunc Iosephus vocat Putefrem, sed Hieronymus non bene translatum nomen asserit. Hic habuit vxorem & liberos, quia & Ioseph filiam ipsius duxit vxorem; nec de eunuchis regis fuit, qui paruuli castrabantur, sed tradunt Hæbrei, quod videns Ioseph elegantem, emit eum vt ei misceretur, Dominus autem custodiens Ioseph, illum adeo infrigidauit, vt deinceps impotens fuerit coire tanquam Eunuchus esset. Itaque videntes eum adeo frigidicate arefactum de more suo eum Pontificẽ * Heliopoleos creauerunt; & honoratior fuit quam ante erat in principatu. Ioseph autem in Ægyptum ductus, & à Putifar emptus; in conspectu eius magnificatur; sed propter morem castitatis, & fidei, à Domina sua accusatus incarceratur. Somnia Pincernæ interpretatur, & interpretationis veritate probata, iussu Pharaonis educitur, atque ad eius somnium exponendum in eius præsentia sistitur.

** Ideest domus solis.*

De sublimatione eiusdem & arrogantia Asseneth.

Cap. CXVIII.

Ioseph triginta annorum erat quando stetit coram Pharaone, somnioque eius expositio, sublimatus & dux Ægypti constitutus. scilicet anno Iacob.* 121. vt postea patebit, ac per hoc anno tertiæ ætatis 281. mundi verò secundo millesimo 200. & 29. Dedit autem ei Pharao vxorem Asseneth filiã Putifaris virginem, ex qua nati sunt ei filij Manasses & Effraim. Inter hæc autem Apis rex Argiuorum in Ægypto Menphin condidit.

** Sic concordat cum Gordonio 2229.*

Ex historia Asseneth. In primo enim anno 7. annorum vbertatis, milit Pharao Ioseph, vt congregaret frumenta, qui venit in fines Heliopoleos, cuius regionis Princeps erat Putifar sacerdos Princeps Satraparum, & Cõsiliarius Pharaonis, huius filia erat Asseneth pulchra super omnes virgines terræ, per omnia similis filiabus Hebræorum, elata, & superba, despiciens omnem virum, quam etiam nullus vnquam viderat virorum. Erat enim turris coniuncta domui Putifaris magna & excelsa, super quam erat cœnaculum habens thalamos decem, quorum primus magnus & decorus, lapidibus porfireticis stratus, parietes lapidibus pretiosis induti laquearea aurea; & erant intus Dij Ægyptiorum aurei & argentei, quos colebat Asseneth, & timebat, & quotidie eis immolabat. Secundus thalamus seruabat ornatum Asseneth, in auro & argento, & lapidibus & linteaminibus pretiosis. In tertio thalamo erãt omnia bona terrę, erat enim promptuarium Asseneth, reliqui 7. septem virginum erant, quæ illi seruiebant pulchræ nimis, quibus locutus non erat vir, neque puer masculus. In thalamo Asseneth erant tres fenestræ, prima magna valde prospiciens ad Oriẽtem, secunda ad Meridiem, tertia ad Aquilonem: Erat ibi lectus aureus stratus peplis purpureis, auro textis ex iacintho & purpura, & byssо, in quo dormiebat Asseneth sola, & vir nunquam federat super illum, & erat atrium magnum in circuitu domus, cuius paries excelsus valde, lapidibus quadratis erat constructus, in quo atrio erant quatuor portæ ferreæ, quas custodiebant simul 18. viri fortissimi iuuenes armati, erat in dextra parte atrij fons aquę viuentis, & deorsum fontis cisterna suscipiens eius aquam & irrigans omnes arbores in atrio plantatas, quæ pulchræ erant, & fructiferæ. Erat autem Asseneth magna vt Sara, speciosa vt Rebecca, formosa vt Rachel.

Descriptio Palatij Asseneth.

Lege Comestorem cap. 88. super Genesim.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De hoc quod Ioſeph eam de cultura idolorum redarguit.

Cap. CXIX.

MIſit ergo Ioſeph ad Putifarem nuncium, quod vellet diuertere ad domum eius, & gauiſus eſt Putifar, & dixit filiæ ſuæ, quod veniret Ioſeph fortis Dei, & vellet eam illi tradere in vxorem. Quæ indignata reſpondit, ſe nolle dari viro captiuo, ſed filio regis. Illis autem loquentibus venit qui diceret Ioſeph adeſſe, fugit Aſſeneth in cænaculum ſurſum, & venit Ioſeph ſedens in curru ſcilicet Pharaonis, qui erat totus aureus, quem trahebant quatuor equi albi ſicut nix, frenis deauratis, & erat Ioſeph indutus tunicâ candida ſplendidiſſima, & pallio purpureo & auro texto, & corona aurea ſuper caput eius, & in circuitu coronę erant duodecim lapides electi, ſuper quos erant duodecim aſtra aurea, & virga regia in manu eius, & ramus oliuæ fructu pinguiſſimo. Et venerunt Putifar & vxor eius in occurſum eius, & adorauerunt eum, & intrauit Ioſeph in atrium, & clauſa ſunt oſtia atrij, & vidit Aſſeneth Ioſeph, & conturbata eſt ſuper ſermonem, quem dixerat de eo; & dixit: Ecce ſol venit de cælo ad nos in curru ſuo, neſciebam quod Ioſeph filius Dei erat. Quis enim hominũ tantam potuit generare pulchritudinem, aut quis venter mulieris tantum portare lumen. Et intrauit Ioſeph in domum Putifaris & lauerunt pedes eius; & ait Ioſeph, quæ eſt mulier illa, quæ erat in cænaculo ad feneſtram? abeat nunc de domo iſta: timebat enim ne moleſta eſſet illi, ſicut omnes aliæ quæ certatim mittebant nuncios ſuos ei cum muneribus diuerſi generis, quos proijciebat cum indignatione & iniuria: & ait Putifar: Domine filia mea eſt virgo, & odio habens omnem virum, quam nunquam vidit vir, niſi ego & tu hodie; ſi vis veniat & ſalutet te. cogitans ergo Ioſeph, quod ſi odiebat omnem virum, nunquam ei importuna eſſet, ait patri eius, ſi virgo eſt filia veſtra, diligo eam ſicut ſororem meam, & aſcendit mater eius, vt adduceret eam quam ſtatuit in conſpectu Ioſeph, & ait pater eius, ſaluta fratrem tuum, qui odit omnes mulieres alienigenas, ſicut tu omnes viros; & ait Aſſeneth: Aue benedicte à Deo excelſo; & ait Ioſeph, Benedicat te Deus qui viuificat omnia, & dixit Putifar filiæ ſuæ, vt oſcularetur Ioſeph, quod cũ illa vellet facere, extendit Ioſeph manum ſuam, & poſuit ad pectus eius dicens, non decet virum colentem Deum viuentem, & manducantem panem vitæ, & calicem incorruptionis bibentem, oſculari mulierem alienigenam; oſculantem ore ſuo idola ſurda & muta & manducantem à menſa eorum panem Anchonis & bibentem de ſpongijs eorum calicem anedras, calicem occultum, & vngentem ſe oleo inſcrutabili.

Splendor ac magnificentia Ioſeph.

De pœnitentia Aſſeneth & conſolatione Angelica.

Cap. CXX.

AVdiens Aſſeneth verba Ioſeph contriſtata eſt valde & plorauit, & miſertus eſt eius Ioſeph, & poſuit manum ſuper caput eius & benedixit eam, & gauiſa eſt Aſſeneth in benedictione ſua, & miſit ſe ſuper lectũ ſuum, & infirmata eſt præ timore & gaudio, & egit pœnitẽtiam à Dijs quos colebat, & abrenũciauit eis Et manducauit Ioſeph & bibit, & cum vellet recedere voluit eum Putifar retinere vna die & non potuit, ſed receſſit Ioſeph promittens ſe octaua die reuerſurũ; & accepit Aſſeneth tunicam nigram, quod erat indumentum triſtitiæ eius, quando mortuus erat frater eius minor, & clauſo ſuper ſe oſtio fleuit & proiecit omnia idola ſua per feneſtram, quæ reſpiciebat ad Aquilonẽ, & omnem cænam ſuam regiam proiecit canibus, & poſuit cinerem ſuper caput ſuum & ſuper pauimentum, & fleuit amare per ſeptem dies, octaua die diluculo galli cantauerunt, & canes latrauerunt, & proſpiciens Aſſeneth per feneſtram, quæ reſpiciebat ad Orientem, vidit; & ecce ſtella lucifer, & prope eam fiſſum eſt cælum, & apparuit lux magna; & videns Aſſeneth cecidit in faciem ſuam ſuper cineres, & ecce vir deſcendens de cælo ſtetit ſuper caput Aſſeneth; & vocauit eam ex nomine, quæ præ timore non reſpondit; & vocauit eam ſecũdo Aſſenech, Aſſeneth, quæ reſpõdit, ecce ego domine quis es? annuncia mihi. Qui ait; ego ſum princeps domus Dei, & princeps exercitus domini: ſurge & ſta ſuper pedes tuos & loquar ad te. Et leuauit Aſſeneth caput, & ecce vir per omnia ſimilis Ioſeph, ſtola, & corona, & virga regia, cuius vultus ſicut fulgur, & oculi eius, ſicut radij ſolis, capilli capitis vt flamma ignis, & videns Aſſeneth timore percuſſa cecidit in faciem ſuam, quam confortans Angelus & eleuans ait, depone cilicium iſtud nigrum, quo induta es, & cinctorium triſtitiæ tuæ, & ſaccum de lumbis tuis, & excute cinerem de capite tuo, & laua faciem tuam, & manus tuas aqua viuente, & orna te ornamentis tuis & loquar ad te, quæ cum ornaſſet ſe feſtinanter redijt ad Angelum, cui Angelus: Denuda caput tuum à ceriſtro, quia virgo es, confortare & gaude Aſſeneth virgo, quoniam nomẽ tuum ſcriptum eſt in libro viuentium & non delebitur in æternum. Ecce ab hodierna die renouata es & viuificata, & manducabis panem benedictionis & potum bibes incorruptionis, quia vngeris chriſmate ſancto. Ecce dedi te hodie ſponſam Ioſeph, & nomen tuum non vocabitur amplius Aſſeneth, ſed multi refugij: nam pœnitentia exorauit pro te altiſſimum, quæ eſt filia altiſſimi, virgo hilaris ridens ſẽper & modeſta. Cumque quæreret Aſſeneth ab Angelo nomen eius; reſpondit, nomen meum ſcriptum eſt digito Dei in libro altiſſimi. & omnia quæ in libro illo ſcripta ſunt ineffabilia ſunt, nec conuenit homini mortali, vel audire illa, vel dicere.

Aſſeneth abiecit Idola.

Angelus apparet Aſſeneth & eam conſolatur.

De menſa & fauo, quem illa appoſuit Angelo.

Cap. CXXI.

ET ait Aſſeneth tenens ſummitatem pallij eius, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ſede nunc paululum ſuper lectum iſtum, ſuper quem nemo vnquam ſedit, & præparabo tibi menſam; & dixit Angelus affer cito; & appoſuit panem & vinum ſuaue olens vetus; & mẽſam nouam; & ait Angelus, Affer mihi & fauum mellis. Cumque illa contriſtata ſtaret, eo quod fauum non haberet, ait ei Angelus, intra in cellarium tuum & inuenies fauum mellis ſuper menſam tuam, & inuenit fauum candidum ſicut niuem, & mel mundiſſimum, & odor eius ſuauis; & ait Aſſeneth; domine non habebam fauum, ſed dixiſti ore tuo ſancto, & factum eſt, vnde & odor eius eſt, ſicut ſpiramen oris tui; & ſubriſit Angelus ſuper intelligentiam Aſſeneth, & extenſa manu tetigit caput eius dicens: beata es tu, quoniam dimiſiſti idola & credidiſti in Deum vnum, & beati aduenientes domino Deo in pœnitentia, quoniam comedent de hoc fauo, quem fecerũt apes paradiſi Dei, de rore roſarum in paradiſo, & ex hoc comedunt omnes Angeli Dei; & quicunque ex illo comederint non morientur in æternum; & extenſa manu confregit de fauo partem minimam, & comedit ipſe, reliquumque dedit in os Aſſeneth, & dixit: Ecce comediſti panem vitæ, & vncta es chriſmate ſancto, & ab hodierno die carnes tuæ renouabuntur, & oſſa tua ſanabuntur: & virtus tua erit indeficiens, & iuuentus tua ſenectutem non videbit, & pulchritudo tua non deficiet; & eris ſicut Metropolis ædificata omnium confugientium ad nomen domini Dei Omnipotentis Regis ſæculorum: & extendit manum, & tetigit fauum, quem fregerat & factus eſt totus integer ſicut prius. Extenſaque manu dextera tetigit digito ſuo indice ſummitatem mellis proſpicientem verſus orientem, & retraxit digitum ſuum ad ſeipſum, & induxit ſuper extremũ faui quod reſpiciebat ad occaſum, & via digiti eius facta eſt in

Præparat menſam Angelo.

Comedit panem vitæ Aſſeneth.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sanguinem. Extendit manum suam secundò, & tetigit summitate digiti sui fauum mellis, iuxta partem respicientem ad Aquilonem, & traxit eum super partem respicientem ad meridiem; & facta est via digiti eius in sanguinem, aspiciente Asseneth, & ait, inspice fauum; & exierunt de fauo Apes multæ candidæ sicut nix, & alæ earum purpureæ sicut Hiacinthus; circumdederunt omnes Asseneth & operabantur in manibus eius fauum mellis, & manducauerunt ex eo, & ait Angelus apibus, ite in locum vestrum; & abierunt omnes versus orientem in paradisum, & ait Angelus; sic erunt omnia verba quæ locutus sum ad te hodie, & extendit tertiò Angelus manum suam & tetigit fauum, & ascendit ignis de mensa & comedit fauum, & mensam non tetigit, & fragrantia incendij faui dulcis valde facta est.

De benedictione septem virginum & coniugio Asseneth.

CAP. CXXII.

ET dixit Asseneth ad Angelum, domine sunt mihi septem virgines nutritæ mecum ab infantia mea, & vna nocte mecum genitæ, vocabo eas & benedices eas sicut me, quas ille iussit vocari, & benedixit eis, dicens; benedicat vos dominus Deus altissimus, & sitis sicut columnæ septem ciuitatis refugij, & iussit Angelus Asseneth, vt leuaret mensam, quam cum leuatâ deponere pergeret, recessit Angelus ab oculis eius; & reuersa, vidit sicut currum quatuor equorum procedentem versus orientem in cælum. Cumque oraret Asseneth vt indulgeret ei, quod tam audacter locuta fuerat cum eo: ecce vnus adolescens ex famulis Putifaris nunciauit dicens; ecce Ioseph Dei fortis venit, iam enim præcusor eius est ad portam atrij vestri; festinauitque Asseneth in occursum Ioseph, & stetit in hipodromo domus, & cum intrasset Ioseph atrium, salutauit eum Asseneth & dixit ei verba quæ erat locutus Angelus ad se; & lauit pedes eius. Crastina die rogauit Ioseph Pharaonem, vt daret ei Asseneth in vxorem, & dedit eam illi Pharao, & imposuit eis coronas aureas meliores quas habebat, & fecit eos osculari adinuicem, & fecit eis nuptias & cænam magnam vltra septem dies, & præcepit vt nemo faceret opus in diebus nuptiarum Ioseph, & vocauit Ioseph filium Dei & Asseneth filiam altissimi.

Angelus disparuit.

Ioseph capit Asseneth in vxorem.

Comestor. Nati sunt ei filij duo priusquam veniret fames, & vocauit primum, Manassem quod est obliuio, dicens, obliuisci me fecit Deus laborum meorum & domus patris mei; secundum, vocauit Effraim, quod est fructificatio, dicens: Crescere me fecit dominus in terra paupertatis meæ.

De descensu Israel in Ægyptum, & seductione Dan & Gad.

CAP. CXXIII.

Ex historia sacra. Itaque cum per septem annos vbertatis collegisset Ioseph frumentum, & ingrueret fames super omnem terram, iuxta somnij coniecturam, aperuitque horrea, vendiditque Ægyptijs, insuper & his, qui de alijs ad emendum veniebant prouincijs; inter quos fratres suos agnoscens, sed ab eis incognitus, durius allocutus est eos, exploratores eos esse dicens: ideo exploratorum pœna dignos, maximeque si de Beniamin vera non dicerent; de quo timebat quod in eum aliquid deliquissent, quo tandem ab eis cum muneribus abducto, seipsum illis cum fletu in notuit, vultuque ac verbis placidissimum ostendit. Datis insuper muneribus priorem ad se venire mandauit, Iacob itaque per visionem à domino confortatus descendit in Ægyptum cum 66. animabus: ita quod ipse cum eis & Ioseph cum duobus filijs simul fuerunt 70. Eratque 130. annorum quando Ioseph eum, in conspectum Pharaonis introduxit; eique terram Gessen ad habitandum dedit.

Fames magna in Ægypto.

Iacob descēdit in Ægyptum.

Ex parua Genesi. In anno secundo famis, mense secūdo 21. die mensis venit Israel in Ægyptum cum vniuersa cognatione sua, & intrauit terram Gessen, viditque Asseneth Iacob, & admirata est quoniam senectus eius erat speciosa sicut iuuentus. Erat quippe caput eius candidissimum sicut nix, & barba candida sedens super pectus eius, oculi eius fulgurantes, & nerui eius, & humeri, & brachia firma, genua, & crura, & pedes vt gigantis, & benedixit eis Iacob, & osculatus est. Et reuersi sunt post prandium, Ioseph & Asseneth in domum, & Leui cum eis & Simeon. Et cum vidisset filius Pharaonis Asseneth in domo patris sui deambulātem, exarsit, in pulchritudine eius, & locutus est Leui ac Simeon vt interficerent Ioseph, & haberet eam vxorem, quæ illi debebatur, & daret eis aurum & argentum multum. Qui non intenderunt in sermones eius, & cæpit filius Pharaonis accusare Ioseph apud fratres suos Dan & Gad, qui erant filij ancillarum Iacob; dicens, se audisse Ioseph dicentem apud Pharaonem, quod post mortem patris sui destrueret eos, ne essent hæredes cum fratribus suis, eo quod essent filij ancillarum, & eum vendidissent Ismaelitis, & inuiderent ei, persuasitque eis vt interficerent Ioseph, & ipse interficeret Pharaonem priorem suum, qui erat tanquam pater Ioseph. Quod cum vellet facere nocte prohibuerunt eum custodes patris sui introire ad eum dicentes, pater tuus doluit caput & modo dormit, & prohibuit nobis, ne quis ad eum intret, nec etiam filius suus primogenitus, & assumptis 50. viris armatis perrexit ad locum insidiarum, vbi erant Dan & Gad, quoniam illuc debebant pergere Ioseph & Asseneth cum 600. viris, qui omnes ab insidijs trucidati sunt præter vnum, qui fugit ad Simeonem & Leui; Asseneth autem fugit in curru & cum ea Beniamin. Simeō autem & leui assumentes omnes qui secum erant armatos; persecuti sunt eos, & irruerunt in eos subitò; & plurimos occiderunt Dan autem & Gad absconsi sunt in densitate calami.

Filius Pharaonis struit insidias vt interimat Ioseph.

De morte Pharaonis & Iacob & Ioseph.

CAP. CXXIV.

Helinandus 7. lib. Anno principatus Ioseph 12. mortuus est Pharao sub quo dux erat Ioseph, quem Comestor altero nomine dicit appellatum Nefrem De huius autem morte sic dicit historia Asseneth: post illud bellum scilicet superius memoratum, inter filium Pharaonis, & Simeonem, & Leui; Beniamin inquit sedens in curru cum Asseneth videns filiū Pharaonis venientem contra se vt tolleret Asseneth, lapidem de torrente arripiens, percussit eum in ceruice sinistra, & deduxit eum de equo super terram quasi mortuum. Postea videns Beniamin Simeonem & Leui venientes confortatus est, quia quærebant fratres suos Dan, & Gad, vt interficèrent eos, quorum iram compescuit; illi vero leuantes filium Pharaonis à terra, lauerunt plagā eius, & ligauerunt eam, & duxerunt eum ad patrem suum Pharaonem, & narrauerunt omnia verba hæc. Pharao vero gratias egit, quia non interfecerunt eum. Tertio vero die mortuus est filius Pharaonis de vulnere. Et Pharao nō multo post mortuus est dolore mortis filij sui anno 29. & reliquit regnum suum Ioseph, qui regnauit pro puero in Ægypto annis 48. & post hæc dedit diadema filio Pharaonis, qui erat ad vbera, quando mortuus est Pharao, & Ioseph nuncupatus est pater eius in terra Ægypti.

Filius Pharaonis ex vulnere obijt.

Author. Ipse vero Ioseph domino suo prudenter & fideliter obsequens, venditione frumenti, Ægyptios omnes in seruitutem subdidit Pharaoni, qui vtique tali necessitati meruerant addici. Denique Iacob cum esset, 147. annorum videns obitum suum imiminere,

vocauit

vocauit Ioseph,& vt eum in Abrahamio sepeliret, ad iurauit, filijsque eius Manasse & Effraim cancellatis manibus benedixit, & ei præter sortem hæreditatis agrum Sichen, quem acquisierat dedit. Conuocatis autem filijs suis pluribus eorum benedixit, omnibus bene ac propheticè ventura prædixit scilicet de diuisione terræ ad literam; & de futuro tribuum statu, aptissime autem de vtroque Christi aduentu; quæ omnia quia nota sunt breuitatis causa prætermitto, & tãdem collectis super lectulum suum pedibus obijt, quo à filijs suis in terram propriam pertranslato & in spelunca duplici sepulto; Ioseph adiuratis fratribus, vt exeuntes Ægyptum ossa eius deferrent, mortuus est & ipse, cum esset 110. annorum, & repositus in loculo in Ægypto, anno scilicet ducatus sui 80. à prima promissione Abrahæ facta in via Mesopotamiæ 286. à natiuitate Abrahæ in qua tertia cæpit ætas 361. ab initio vero mundi secũdo millesimo 309. nec inde motus est donec egressi sunt filij Israel de Ægypto. Alij fratres, (vt dicit Iosephus) quisque in obitu suo; deferebatur & sepeliebatur in Ebron, post translati sunt in Sychen.

Moritur Iacob.

Ioseph ex hac vita migrat 2309.

De testamento Ruben & Simeon.

Cap. CXXV.

EXtant autem testamenta duodecim Patriarcharũ in quibus sunt apertissimæ atque pulcherrimæ de Christo prophetiæ; quas nuper transtulit magister Robertus grossum caput, Linconiensis Episcopus de græco in latinum; ideoque hic eas inserere placuit.

Testamẽtum Ruben.

Testamentum Ruben. Quis noscet legem domini, & diuidet in iudicium & sacrificia pro omni Israel; vsque ad cõsummationem temporum principis sacerdotum Christi, quem dominus dixit. *Et post pauca.* Quoniam in eo elegit dominus regnare super omnes populos,& adorare semen ipsius, quoniam pro nobis morietur in bellis visibilibus & inuisibilibus, & erit in nobis Rex sæculorum, *& mortuus est Ruben.*

Testamẽtum Simeon.

Testamentum Simeon. Dominus Deus magnus apparebit in terra, vt homo, & saluabitur in ipso Adam; tunc dabuntur omnes spiritus erroris in conculcationem,& homines regnabunt super pernitiosos spiritus; tunc resurgam in lætitia, & benedicam altissimum in mirabilibus suis, quoniam Deus corpus assumens & comedens cum hominibus saluabit homines: & nunc filioli obedite Leui, & in Iuda lætabimini,& non efferamini super duas tribus has, quoniam ex ipsis orietur vobis salutare Dei: suscitabit enim Deus ex Leui vt principẽ sacerdotum, & ex Iuda vt regem; Deum,& hominem, iste saluabit omnes gentes, & genus Israel: *& dormiuit Simeon cum patribus suis.*

Testamẽtum Leui.

De testamento Leui.

Cap. CXXVI.

COgnoscite quia faciet dominus iudicium super filios hominum, quoniam petris scissis & sole extincto, & aquis siccatis, & igne timente, & omni creatura turbata, & inuisibilibus spiritibus liquefactis, inferno spoliato, in passione altissimi, homines non credentes permanebunt in iniustitijs; & propter hoc in punitione iudicabuntur. *Et postea dicit.* Et nunc cognoui à scriptura Enoch, quoniam in fine impie agetis, in dominum manus imponentes in omni malitia; & confundentur in vobis fratres vestri,& in omnibus gentibus fiet illusio; etenim pater noster Israel mundus erit ab impietate principum sacerdotum, qui imponent manus in Saluatorem mundi. *Et post dicit.* Quid facient omnes gentes, si vos tenebrascatis in impietate, & inducatis maledictionem super genus nostrum, pro quibus mundi lumẽ datum est in nobis ad illumiñadum omnes homines, hunc volentes occidere contraria mandata docentes Dei iustificationibus. *Et post dicit.* Cognoui in libro Enoch quoniam per 70. hebdomadas errabitis, & sacerdotium inquinabitis, & sacrificia polluetis, & legem exterminabitis, & contemnetis sermones Prophetarum: in peruersitate persequemini viros iustos, & pios odio habebitis, veracium sermones abominabimini, & virum renouantem legem in virtute altissimi erroneum appellabitis; & in fine vt æstimabitis, occidetis eum nescientes ipsius resurrectionem, innocentem sanguinem in malitia super capita recepturi: propter ipsum erunt sancta vestra, deserta; vsque ad pauimentum prophanata, & non erit locus vester mundus, sed in gentibus eritis in maledictionem & in desperationem, donec ipse rursus visitabit & miserans recipiet vos in fide & aqua. *Et post sequitur.* Suscitabit dominus sacerdotem nouum, cui omnes sermones Dei reuelabuntur, & ipse faciet iudicium veritatis in terra in multitudine dierum; & orietur astrum ipsius in cælo, sicut rex illuminans lumen cognitionis, & solem diei,& magnificabitur in orbe terrarum vsque ad assumptionem ipsius. Iste resplendebit sicut sol in terra, & tollet omnes tenebras de sub cælo, & erit pax in omni terra. Cœli exultabunt in diebus ipsius, & terra gaudebit, & nubes lætabuntur; & cognitio Dei fundetur in terra vt aqua marium & Angeli gloriæ faciei Dei gaudebunt in eo. Cæli aperientur, & ex templo gloriæ veniet super ipsum sanctificatio cum voce paterna, sicut ab Abraham patre Isaac & gloria altissimi super ipsum dicetur, & spiritus sanctificationis, & intellectus, requiescet super ipsum in aqua. Ipse dabit magnificentiam Dei filijs suis in veritate in sæculum. Ipse aperiet portas Paradisi, & stare faciet minantem gladium aduersus Adam;& dabit sanctis comedere de ligno vitæ; & Belial ligabitur ab ipso, & dabit potestatem filijs suis ad conculcandum super pernitiosos spiritus; tunc exultabunt Abraham Isaac & Iacob, & ego gaudebo, & omnes sancti induentur lætitia.

Testamentum Iudæ.

Cap. CXXVII.

VIsitabit vos dominus in misericordia & delectatione & in captiuitate inimicorum vestrorum;& post hæc orietur vobis astrum ex Iacob in pace, & exurget homo ex semine meo, & sol iustitiæ ambulans cum filijs hominum in mansuetudine & iustitia, & omne peccatum non inuenietur in eo; & aperientur super ipsum cœli ad effundendum spiritus benedictionem patris sancti, & effundet spiritum gratiæ super vos & eritis ei in filios in veritate, & ambulabitis in præceptis illius primis,& vltimis. Hic est germen Dei altissimi, & hic est in vitam omnis carnis, tunc effulgebit sceptrum regni mei, & à radice mea nascetur vas plantationis; & in eâ ascendet virga iustitiæ gentibus, iudicare & saluare omnes inuocantes dominum.

Testamentum Iuda.

Testamẽtum Isachar.

Testamentum Isachar. Omnem agrestem feram seruituti subicietis, habentes vobiscum Deum cæli,ambulantem cum hominibus in simplicitate cordis, *& extendit pedes suos, & mortuus est.*

Testamẽtum Zabulon.

Testamentum Zabulon. Noui in scriptura patrum meorum, quoniam in vltimis diebus recedetis à domino & diuisi eritis in Israel, & duos reges sequemini, & omnem abominationem facietis &c. *Et post dicit.* Et post hæc orietur vobis lumen iustitiæ, & sanitas & misericordia in pennis eius. Ipse redimet omnem captiuitatem filiorum hominum, & Belial & omnes spiritus erroris conculcabit, & conuertet omnes gentes in æmulationem eius, & videbitis Deum in forma hominis, quoniam iam elegerit dominus Hierusalem nomen ei; & rursum in malitia sermonum vestrorum ad iracundiam prouocabitis eum, & abiecti eritis vsque ad tempus consummationis.

De Testa-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De testamento Dan, & Neptalim, & Gad.

Cap. CXXVIII.

Testamentum Dan. DAn vero post enumerationem malorum filiorũ suorum dicit, reuertentes ad dominum misericordiam consequemini,& ducet vos in sanctificationẽ suam clamans vobis pacem, & orietur vobis ex tribu Iuda & Leui salutare domini, & ipse faciet aduersus Belial prælium & vltionem victoriæ dabit terminis vestris, & captiuitatem capiet à Belial animas sanctorum: & conuertet corda incredula ad dominũ, & dabit inuocantibus eum pacem æternam, & requiescent in eodem sancti:& in noua Hierusalem lætabuntur iusti,quæ erit in glorificationem Dei vsque in sæculum; & non amplius sustinebit Hierusalem desolationẽ,neque captiuabitur Israel,quoniam dominus erit in medio eius cum hominibus cõuersatus,& sanctus Israelis regnans super ipsos in humilitate & paupertate,& qui credit in eum,regnabit in veritate in cælis: & nunc timete dominum filij mei & attendite vobismetipsis à Sathana & spiritibus eius,appropinquate autẽ Deo & Angelo excusanti vos quoniã hic est mediator Dei & hominum, & in pace Israelis contra regnum inimici stabit. Propter hoc studet inimicus subuertere omnes inuocantes dominum,nouit enim quoniam in qua die credet Israel consummabitur regnum inimici.

Testamentũ Neptali. *Testamentum Neptalim.* Ecce filij mei ostendi vobis tẽpora extrema, quoniam omnia fiant in Israel, & vos ergo mandate filijs vestris vt vniãtur Leui & Iudæ;per Iudam enim orietur salus Israel,& in ipso benedicetur Iacob;per sceptrũ enim apparebit Deus habitans inter homines, vt saluetur genus Israel; & congregabit iustos ex gentibus.

Testamẽtum Gad. *Testamẽtum Gad.* Auferte odiũ ab animabus vestris, & diligite ad inuicem in rectitudine cordis;dicite autẽ & vos filijs vestris vt honorent Iudam & Leui, quoniam ex ipsis oriri faciet dominus Saluatorem Israel.

Testamentum Aser.

Cap. CXXIX.

Testamẽtum Aser. LOquens filijs suis dicit; noui quoniam peccabitis & trademini in manu inimicorum vestrorum, & terra vestra desolabitur, & vos dispergemini in quatuor angulos terræ; & eritis in dispersione despecti velut aqua inutilis, vsquequò altissimus visitabit terram; & ipse veniens vt homo cum hominibus manducans & bibens & in silentio conterens caput draconis per aquam, hic saluabit Israel & omnes gentes, Deus in virum absconditus; dicite ergo vestris, vt non diffidant ei.

Testamẽtum Ioseph. *Testamentum Ioseph.* Vidi quoniam ex Iuda nata est virgo habens stolam byssinam,& ex ipsa prodijt agnus immaculatus, & à sinistris eius: id est agni vt Leo, & omnes bestiæ impetum fecerũt aduersus eum, & vicit eas agnus, & perdidit in cõculcationem. Et gaudebunt in ea Angeli & homines, & omnis terra, hæc autem fient in tempore suo in vltimis diebus; vos ergo filij mei custodite mandata domini,& honorate Iudam & Leui, quoniam ex ipsis orietur vobis agnus Dei, gratia saluans omnes gentes & Israel, regnum enim eius æternum quod non præteribit.

Testamentũ Beniamin. *Testamentum Beniamin.* Loquens filijs suis ait: Custodite mandata Dei vsquequò Deus salutare suũ reuelet omnibus gẽtibus. Tunc videbitis Enoch, Noe,& Sem, & Abraham, Isaac, & Iacob, resurgentes à dextris in exultatione. Tunc & nos resurgemus vnusquisque in sceptrum nostrum; adorantes regem cœlorum, qui in terra apparebit in forma humilitatis hominis;& quotquot crediderunt ei,& in terra congaudebunt ei; tunc & omnes resurgent, hi quidem in gloriam; hi vero in ignominiam, & iudicabit dominus in primis Israel, de ea, quæ in ipsum, iniustitia, quoniam aduenientem Deum in carne liberatorem non crediderunt. Et tunc iudicabit omnes gentes quotquot non crediderunt ei in terra apparenti, & arguet in electis gentium Israel.

De Hebræorum afflictione post mortem Ioseph.

Cap. CXXX.

Author. AVthor. Fuit autem Ioseph princeps Ægypti sub quinque regibus, quorum primus, qui eum sublimauit; apud veteres historiographos non legitur alio nomine appellatus, quam Pharao, licet Comestor eum Nefrem appellatum fuisse dixerit. Siquidem quãdo natus est Abraham vt in Chronicis legitur, apud Ægyptios erat 16. potestas, quam dinastiam vocant. Ex tunc apud eos Thebæi regnauerunt annis 190. Sicque completa est illa dinastia anno scilicet Iacob 30. post hoc in 17. dinastia regnauerunt pastores; ipsi sunt Pharaones annis 103. nec alijs nominibus leguntur appellati quam Pharaones; horum vnus sublimauit Ioseph; cuius sublimationis anno 9. qui fuit secundus famis intrauit Iacob in Ægyptum & stetit in conspectu Pharaonis. Porro in 18. dinastia quæ cæpit anno ducatus Ioseph. 13. Primus regnauit Amasis annis 2. cuius anno 13 obijt Iacob. Secundus vero Chebron, annis 13. Tertius Amenophis 21. Quartus Mephres 12. cuius anno 9. Ioseph 110. annorum obijt, & Hebræorum seruitus incæpit quæ duravit 144. annis, vt impleretur numerus 430 annorum à prima promissione facta Abrahæ, vsque ad dationem legis

Hic itaque Mephres, qui beneficia per Ioseph Ægypto collata ignorauit, Hebræorum populum multipliciter afflixit inuidentibus, scilicet eis Ægyptijs, propter ingenij virtutem, & laboris industriam, & opum affluentiam, ac sobolis nobilitatem. Imposuit ergo eis graues angarias operum, quibus fracti non vacarent amplexibus, vt coquentes lateres in finibus Ægypti, ciuitates tabernaculorum regi ædificarent, & vt lutum platearum & sordes vicorum cophinis exportarent, & vt fluuium per multas deriuationes diuiderent, vrbesque ne fluuius eas inundare valeret, fossatis circundarent. Quanto magis opprimebantur,tanto magis authore Deo,multiplicabantur;vnde Pharao alium contra eos dolum excogitans, primo iussit vt omnes masculi ex illo populo nascentes obstetricando necarentur. Deinde vero obstetricibus, eis ex timore Dei parcentibus, præcepit Pharao vt in flumen proijcerentur. Mares ideo necare volebat, ne multiplicati ac roborati contra regnum eius insurgerent, & maxime quia quidam sacrorum scriba,prædixerat eo tempore nasciturum in Israel,qui regnum Ægypti humiliaret, & vniuersos virtute transcenderet. Tertia quoque causa super principium Matthæi tangitur scilicet quod diabolus præsagiens Christum nasciturum ex Hebræis,populum illum extinguere nitebatur. Fœminas autem reseruari volebat, quia sexus imbecillis, ac per hoc imbellis est, & vt libidini Ægyptiorum deseruiret.

Timuerunt obstetrices Deum & seruauerunt mares vt ait Comestor.

Comestor. Itaque multi eo tempore submersi perierũt pro quo peccato creditur Deus Ægyptum tradidisse in hunc errorem vt Apim pro Deo colerent.

De Api & Serapi quos colebant Ægyptij.

Cap. CXXXI.

ERat autem Apis (vt ait Plinius qui & testatur se eum vidisse) quidam Taurus, qui ex improuiso egrediebatur de flumine habens in humero dextro signum candidum, ad instar Lunæ corniculatæ;ad quem cum statim confluerẽt Ægyptij. omni genere musicorum psallentes,leuabatur in aere,& super eos tanquam psallens ferebatur, & ad motum vel ad stationem ipsius ipsi in terra mouebantur, vel stabant & eadem die euanescebat. Dicunt autem quidam quod in festo Serapis annuatim emergebat, vnde & ipsũ Serapin id est

Quia Deus Ægyptiorũ

Serapi

Serapi conſecratum autumant vocatum : alij tamē per decennium ſemel apparere dicunt; alij tantum tempore iuſti ſacerdotis Heliopoleos, iniuſti nō; vt quaſi diuinitus indicaretur iuſtitia ſacerdotum: Peccatum autem fluminis puniuit Deus, in errore fluminis.

Author. Duo itaque erant Apis & Serapis, & vtrumque colebant Ægyptij, veruntamen & Serapis, ipſe quidem fuit Apis filius Phoronei Rex Argiuorum; qui cum fratrem Ægyaleum Achayæ pręfeciſſet, ipſe cum populo ad Ægyptum nauigauit.

Auguſtinus in lib. de ciu. Dei 18. cap. 5. Apis Rex Argiuorū nauibus trāſuectus in Ægyptum ibidē mortuus eſt, & Serapis factus omnium maximus Ægyptiorū Deus. Dictuſq; eſt Serapis (vt ait Varro) littera mutata, quia prius vocabatur Sorapis, quaſi Soronapis, eo quod Soron græcè ſarcofagum vocant, vbi eum ſepultū, venerari cæperunt, antequam ei templum conſtruerent. Conſtitutum eſt etiam de illo, vt capite puniretur, ſi quis eum hominem dixiſſet fuiſſe, & quoniam in omnibus fere templis, vbi colebantur Iſis & Serapis erat ſimulacrum, quod digito labijs impreſſo admonere videbatur ſilentium; hoc ſignificare Varro exiſtimat, vt eos, homines, fuiſſe taceretur; ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta, Ægyptus delicijs affluentibus, in eius honorem alebat, quoniam eum ſine ſarcofago viuum venerabantur, Apis non Serapis vocabatur; quo boue mortuo, quandō quærebatur, & reperiebatur vitulus eiuſdem coloris, hoc eſt albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus, mirum quiddam & diuinitus procuratum ſibi eſſe credebant, non enim erat magnum dæmonibus ad eos decipiendos, fantaſiam talis tauri (quam ſola cerneret) oſtentare vaccæ concipienti atque prægnanti; vnde libido matris attraheret quod in eius fœtu iam corporaliter appareret, ſicut fecit Iacob de virgis varijs.

Solinus cap. 41. Apim bouem Ægyptium pueri gregatim ſequuntur, & repentè velut lymphatici futura præcinunt, bos illi oſtenditur fœmina ſemel in anno, & ipſa non abſque certis inſignibus quæ vt inuenta & ablata eſt, eadem die neci datur. Apis natalem Mēphitici, celebrant iactu pateræ aureæ, quam ſtatim proijciunt in Nili gurgitem, hæc ſolemnitas per 7. dies agitur, quibus diebus cum ſacerdotibus crocodili, quaſdam inducias habent, nec attrectant lauantes.

Octaua die ceremonijs iam peractis velut reddita ſœuiendi licentia ſolitam aſſumunt atrocitatem.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER SECVNDVS.

De ortu & educatione Moyſi.
CAP. I.

COMESTOR *cap. 5. ſuper Exodum.* Egreſſus eſt poſtea vir leuita nomine Amram, qui accepit vxorem contribulem nomine Iacobeth, qui nolebat accedere ad vxorem poſt edictum Pharaonis, mallens carere liberis quam in necem procreare. Cui dominus per ſomnum aſtitit (vt ait Ioſephus) dicens ne timeret vxorem cognoſcere, quia puer quem timebunt Ægypti; naſciturus erat ex ea; ſed & de ſacerdotio Aaron ei ſignificauit.

v alias Aram.

Naſcitur Moyſes.

Sic igitur Moyſes natus eſt ex his; anno ſeruitutis Hebræorum, quæ cæpit poſt mortem Ioſeph 64. à prima promiſſione facta Abrahæ 350. ab initio tertiæ ætatis id eſt à natiuitate Abrahæ 425. ab initio vero mundi ſecundo milleſimo 373. regnante in Ægypto Amenophe qui fuit octauus à Pharaone illo, qui ſublimauit Ioſeph, nam poſt Mephrem ſub quo mortuus eſt Ioſeph; & qui regnauit poſt obitum Ioſeph annis tribus, regnauit Miſpharmuthoſis annis 26. poſt hunc autem Thuthomoſis annis 9. deinde vero iſte Amenophis, cuius anno 26. natus eſt Moyſes.

2373.

Hunc itaque poſt tres menſes à matre propter edictum regis expoſitum in carectō ripę ne impetu fluminis raperetur. Teremith filia Pharaonis inueniens, Ægyptiarum vbera reſpuentem per matrem propriam educari fecit, & ablactatum ſibi in filium adoptauit; quem cum quadam die obtuliſſet Pharaoni vt & ipſe eum adoptaret, admirans rex pueri venuſtatem, coronam quam forte geſtabat capiti illius impoſuit; Erat autem in ea imago Hamonis fabricata; puer autem coronam proiecit in terram & fregit. Sacerdos autem Heliopoleos à latere regis ſurgens exclamauit, hic eſt puer, quem nobis occidendū Deus monſtrauit, vt de cętero timore careamus, & voluit irruere in eum, ſed auxilio regis liberatus eſt, & perſuaſione cuiuſdā ſapiētis, qui per ignorantiā hoc factū eſſe à puero aſſeruit.

Comeſtor cap. citato.

Nota.

In cuius rei argumentum, cum prunas allatas puero obtuliſſet, puer ori ſuo appoſuit, & linguæ ſuæ ſummitatem igne corrupit: vnde & Hebræi impeditioris linguæ eum fuiſſe autumant; tantæ vero (vt ait Ioſephus) pulchritudinis fuit, vt nullus adeo ſeuerus fuiſſet, qui eius aſpectui non hæreret, multique dum cernerent eum per plateam deferri, occupationes in quibus ſtudebant, deſererent.

De vxore illius Æthiopiſſa.
CAP. II.

ET cum adultus eſſet, Æthiopes vaſtauerunt Ægyptum vſque ad Memphim, & mare. Quocirca conuerſi ad diuinationes Ægyptij, reſponſum acceperunt, vt auxiliatore vterentur Hebræo, & vix obtinuerunt à Teremith, vt exercitui, quem parauerant, Moyſem præficerent ducem, prius præſtitis ſacramentis, ne ei nocerent. Erat autem Moyſes vir bellicoſus, & peritiſſimus, qui fluminis iter tanquam longius prætermittens, per terram duxit exercitum via breuiori, vt improuiſos Æthiopes præueniret: ſed per loca ſerpentibus plena iter faciens tulit in arcis papyrijs ſuper plauſtra Ibices Ciconias, ſcilicet Ægyptias naturaliter infeſtas ſerpentibus, quæ roſtro per poſteriora immiſſo aluum purgant, caſtraque metaturus proferebat eas, vt ſerpentes fugarent & deuorarent, & ita tutus tranſibat per noctem exercitus.

Comeſtor cap. 6 ſuper Exodum.

Tandem

Tandem præuentos Æthiopes expugnans inclusit eos fugientes in ciuitatem * Sabam regiam, quam post Cambises, à nomine sororis suæ Meroem denominauit. Quam, quia inexpugnabilis erat cum diutius obsedisset; iniecit oculos suos in eum * Taybis filia regis Æthiopum, & ex condicto tradidit ei ciuitatem, si duceret eam in vxorem; & ita factum est. Inde est quod Maria & Aarõ iurgati sunt aduersus Moysen pro vxore eius Æthiopissa. Dum autem redire voluisset, non acquieuit vxor, proinde Moyses tanquam vir astrorũ peritus duas imagines sculpsit in gemmis, huius efficaciæ; vt altera memoriam, altera obliuionem conferret. Cumque paribus annulis eas inseruisset; alterum scilicet obliuionis annulum vxori præbuit, alterum ipse tulit, vt sicut pari amore, sic paribus annulis ipsi insignirentur. Cæpit ergo mulier, amoris viri obliuisci, & tandem libere in Ægyptum regressus est.

* *alias Sabba.*

* *al. Tarbis.*

De percussione Ægyptij & fuga Moysi in Madian.

CAP. III.

IN diebus illis egressus Moyses ad fratres suos in terram Gessen vidit afflictionem eorum, & præfectum operis Ægyptium, percutientem quendam de Hebræis, & secreto percussum Ægyptium abscondit in Sabulo.

Author. Hic obijcit Faustus Moysi crimen homicidij; cui respondet, *Aug. in 22. lib. contra eundem Faustum cap. 70.* quod reuera æterna lege consulta manifeste patet quod Moyses quidem hunc Ægyptium licet iniurioſum, & improbum, non debuit occidere; quia nullam adhuc legitimam gerebat potestatem nec diuinitus acceptam, nec humana societate ordinatam. Vnde alibi, *dicit scilicet contra Petilianum.* Iure culpandi sunt, qui turbidè & inordinate in eos coercendos insiliunt, qui sibi nulla lege subiecti sunt; tamen animæ, virtutis (inquit) capaces, sæpe præmittunt quædam vitia, per quæ apparet, quibus virtutibus aptæ sint si præceptis diuinis essent excultæ. Sic etiam Agricolæ cum viderint ingentes herbas, licet inutiles, terram aliquã producere, frumentis aptam esse prædicunt; & montem, quem oleastris siluestrem conspexerint oleis esse aptũ cultura accedente non dubitant: sic ille motus animi, siue zelus quo Moyses fratris sui iniuriam, non obseruato ordine potestatis in Ægyptio vindicauit, adhuc quidem incultus erat & inordinatus, sed magnæ fertilitatis indicium præferebat. Vnde & illa sæuitia Pauli, cum secũdum æmulationem paternarum traditionum persequebatur ecclesiam; putans se obsequium præstare Deo, siluestre quidem vitium erat, sed magnæ feracitatis indicium; hinc etiam illud Petri, cum euaginato gladio volens defendere dominum, aurem persecutoris abscidit, quod tamen factum dominus satis minaciter reprehendit.

Hoc factum futurum aliquid præsignauit.

Omnes ergo hi secundum Augustinum zelum quidem habuerunt in his factis suis, sed nondum secundũ scientiam, & ideo inordinatum; qui tamen postea per spiritum sanctum ordinatus est, & abundauit in bono, sicut prius in malo; vnde sicut Moyses post illud factũ constitutus est princeps synagogæ, sic Petrus post illud, pastor ecclesiæ; hoc tamen in glossa magis excusat Moysen; per hoc, quod dicit beatus Stephanus in actibus Apostolorum scilicet quod quando percussit Ægyptium existimabat intelligere fratres, quia per manum ipsius daret Deus salutem illis; sed illi non intellexerunt, per hoc inquit testimonium videtur Moyses iam diuinitus admonitus hoc audere potuisse scilicet vt iam fratrum suorum iniurias in Ægyptios inciperet vindicare. Super hoc tamen accusatus apud Pharaonem timuit, & fugiens in terram Madian, filiam Ietro sacerdotis Sephoram in vxorem duxit, ex qua filios duos scilicet Gersan, & Elyezer suscepit, & curam alendorum gregum à socero accepit.

De oppressione populi & missione Moysi.

CAP. IV.

TAndem mortuus est ille Pharao, à cuius timore Moyses Ægyptum reliquerat, & alius in regnum surrexit; qui iam illo sub quo natus est Moyses secundum chronicas quintus fuit, nam Amenophis ille regnauit vsque ad annum Moysi septimum, post hunc Orus annis 38. deinde * Acecris 12. Achoris autẽ 7. * post hanc Chencres iste 16. sub quo Moyses ducatum populi suscepit & signa coram eo fecit.

* *alias Acengeres.*

* *Eusebius ait 8. imo 9.*

Cum igitur pasceret oues Ietro in deserto apparuit ei dominus in Oreb in flamma ignis in rubo, eumque ad filios Israel, & ad Pharaonem propter eorum liberationem misit & signa quæ coram eis faceret ostendit, excusantique se de impedimento linguæ, Aaron in solatium & adiutorium loquendi dedit. Cumque pergeret cum vxore & filijs, angelus in via occurrens, eum corripuit, tuncque relictis illis, solus abijt, & cum venisset Ægyptum cum Aaron qui ei occurrerat in monte Dei, seniores Israel simul congregauerunt, qui auditis domini verbis, & visis signis, crediderunt, simulque cum eis ad Pharaonem ingressi; mandatum Dei nunciauerunt. At ille contemnens derisit. Moysen quoque seruum fugitiuum appellauit, & populum magis quam prius afflixit; tunc dominus Moysen constituit Deum Pharaonis id est ad signa in ipso, & in terra eius facienda potentem. Aaron vero ipsius prolocutorem.

Afflictio Israelitarum in Ægypto.

De plagis Ægypti & phase & exitu populi.

CAP. V.

ITtaque cum Moyses esset 80. annorum Aaron autem 83. ducatum populi suscepit, quem per signa & portenta de Ægypto educens, leges ei in eremo per 40. annos dedit: in hoc autem anno primo ducatus eius, finem habuit seruitus Hebræorum in exitu de Ægypto, qui durauerat à tempore mortis Ioseph, annis 144. finita quoque est eorum peregrinatio in terra aliena, quæ prædicta fuit Abrahæ scilicet annorum 430. vt dicetur infra, fuitque hic annus ætatis tertiæ quingentesimusquintus, mundi vero 2453.

Moyses accepit ducatum populi Israel.

2453.

Ingressi sunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem & signa coram eo fecerunt ad confirmandum sermonem. Primo quidem virga Moysi versa est in colubrum, insuper & conuersas similiter deuorauit virgas magorum: Indurato adhuc Pharaone, & incredulo permanente, percussa est Ægyptus 10. plagis; his breuiter versibus comprehensis.

Decem plagæ incredulorum Ægyptiorum.

Sanguis, rana, culex, muscæ, pecus, vlcera, grando.
Bruchus, caligo, mors pignora prima necando.
Vel aliter.
Prima rubens vnda; ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis; post, musca nocentior istis.
Quinta pecus strauit, vesicas sexta creauit.
Post sequitur grando; post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem; primam necat vltima prolem.

Per hanc vltimam plagam eduxit dominus populũ suum, transiuit enim angelus domini nocte per omnes domos Ægyptiorum, interficiens omne primogenitum hominum atque iumentorum quam scilicet plagam vt euaderent filij Israel, qui inter Ægyptios habitabant, & vt transitus huius ac liberationis suæ memoriam haberent, antequam dominus hanc plagam infligeret, instituit Hebræis primo mense solemnitatẽ phase id est trãsitus in qua scilicet immolarent agnũ vel hædum, cuius sanguine linirent superliminaria domorum suarum, & vtrosque postes ostiorũ, vt angelus exterminator, qui angelus malus fuisse videtur, videns sanguinem, domos eorũ transiret, eisque non noceret; huius tamen institutionis ratio principalis fuit præfiguratio dominicæ passionis, per quã à diabolo liberati sumus. De hoc igitur agno insinuatur, quãdo debeat sumi, vel segregari, & quãdo immolari, qualis esse debeat,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& qualiter, & à quibus comedi. Dicitur autem phase id est transitus, quem transijt angelus per domos Ægyptiorum primogenita interficiens, & quia transijt domos Hebræorum propter sanguinem agni nihil eis nocens,& quia eadem nocte transijt Israel ab Ægypto ad terram promissionis festinanter, vrgebant enim eos Ægyptij propter plagam.

De spoliatione Aegypti & annis seruitutis & sanctificandis primogenitis.

CAP. VI.

SPoliauerunt autem Ægyptios diuina permissione vel dispensatione, quasi pro mercedis suæ recompensatione, quia.s. gratis & diu cum labore eis seruierant, nec quicquam eis pro mercede rependerant,ideo etiam tulerunt ab eis vestes, & aurum & argentum, vt inde fieret tabernaculum: *nam vt ait Aug.* Ægyptij auro ipso Dei.s.creatura male vtentes, ad iniuriam creatoris idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito iniustè ac vehementer affligebant. Digni igitur erant & isti quibus talia iuberentur: & illi qui talia paterentur; & fortè secundum cogitationes suas, magis permissi sunt Hebræi hoc facere quam iussi.

Tunc ergo finita est eorum seruitus, quæ fuit(vt dictum est) 144. annorũ. Cum autem legitur in Exodo*, quod habitatio eorum in Ægypto fuit 430. annorum nomine Ægypti intelligitur omnis incolatus eorũ, qui cœpit à prima promissione facta Abrahæ in via Mesopotamiæ,à qua vsque ad legem datã tot anni fluxerunt, vt in epistola ad Galatas legitur, & in actib. Apostolorum idem numerus ponitur; In Genesi tamẽ ad Abraham dicitur, quod futurum sit semen eius peregrinum annis 400.sed illi incipiunt computari ab ortu Isaac,in quo promissum est semẽ; natus est enim 25.anno postquam facta est illa promissio.s.anno Abrahæ 100. quibus subtractis de præfato numero remanẽt 405.sed ibi scriptura more suo prætermittit num.5. quæ plerumq; vim non facit in minutijs numerorũ. Erant autẽ in populo quasi 600.millia virorum peditum absque paruulis, vulgoq; innumerabili famulantium eis, & animalibus diuersi generis. Tuleruntq; secum ossa Ioseph & farinam conspersam de qua fecerunt subcinericeos panes, quibus vsi sunt per 30.dies. Et quia in eorum liberatione percusserat dominus primogenita Ægypti, ipsorumq; primogenita liberauerat de manu angeli, voluit ea sibi deinceps sanctificari,maximeq; quia de omni fructu ille primitùs est honorãdus,à quo omnia bona proueniunt omnibus. Primogeniti ergo filiorũ Leui offerebantur, nec redimebantur sed seruiebant iugiter domino: primogeniti aliorum offerebantur, & 5. siclis redimebantur: primogenita pecorum apta ad immolãdum,oblata erant sacerdotũ; immundorũ vero oblata, quædã redimebãtur, vt primogenitũ asini mutuabatur oue,quæ pro eo offerebatur. Quædam autẽ nec etiam redimebantur,sed occidebantur,vt primogenitũ canis.

** cap. 12.*

De transitu maris rubri & mãna,& coturnice,& aqua de petra.

CAP. VII.

AScederũt igitur de Ægypto quinta progenie filij Israel; Moyses enim quintus fuit à Iacob; vel per tribum Iudæ, à Phares vsque ad Salomon quinque fuerũt generãtiones. Dominus autẽ præcedebat eos in columna nubis per diem; cõtra solis feruorem, & ignis per noctem cõtra caliginẽ. Quibus coarctatis inter mare rubrum & asperitatem montium; immutatus Pharao,cum sexcentis currib.& 50.millibus equitũ, & ducentis millibus peditum armatorũ insequitur: Hebræi exterriti à Moyse in domino confortantur. Moyses iubente domino tactu virgæ in 12. diuisiones mare diuidit*, cæterisque tribub.primogenitis reformidantibus: Iudas post eum primus intrauit, vnde & ibi per obedientiam& fidem regnum promeruit. Ægyptij vesanos eos iudicantes temere insequuntur, imbres & tonitrus & lãpades super eos cęlitus iaciuntur. Dumque fugere vellent,tactu virgæ Moysi mare in se recluditur, Ægyptijque omnes aquis operti suffocantur.

** vt quæque tribus perturmas suas incederet.*

Orosius de historia mundi libro.1. cap.10. Extant adhuc certissima monumẽta gestorum, nam tractus curruum & orbitæ rotarũ,non solum in littore,sed etiam in profundo, nunc quousque visus admittitur, peruidentur. Et si forte ad tempus,casu,vel curiositate conturbẽtur, mox diuinitus in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur, vt quisquis non docetur timorem Dei vel propalatæ religionis studio, ita eius transactæ vltionis terreatur exemplo.

In vitas patrum,sanctus Apollonius. Ægyptij vero, qui tunc cum Pharaone non fuerunt vnusquisq; id in quo occupabatur vt olera vel animalia, Deum reputabat dicens.Hic fuit mihi hodie Deus vt non sequerer Pharaonem & in mare mergerer.

Author. Moyses igitur carmen hexametrum domino decantabat venientibus in Marath aquas impotabiles immisso ligno dulcorat, deficientibus victualibus ex Aegypto sublatis,populus murmurat,pristinas delicias in memoriam reuocat; orante Moyse, dominus ei coturnices & manna de cœlo misit,quod cõtra præceptũ eius in crastinum reseruatũ: computruit*. Gomor autem ex eo futuris generationibus ad monumentum reseruari fecit,datum est autem die dominica,quia 30.die ab exitu de Aegypto, qui fuit 6.feria, eadem.s.die qua Christus verus agnus paschalis assatus est igne passionis. Item in Raphidim pro defectu potus Israel murmurauit; Moyses petram Oreb virga percutiens aquã eduxit, quæ.s.virga quandoq; dicitur Aaron quandoq; Moysi,quandoq; Dei,sicut spiritus Dei,Helyæ,& Helisei. Moyses ad pugnandum contra Amalech Iosue misit,& ipse in monte orans eleuatis manibus* vsq; ad solis occasum ei victoriam impetrauit. Consilio Ietro ad partiendum onus solicitudinis suæ diuersos magnatum gradus in populo constituit.

** Et scatebat vermibus vt ait Comestor*

** In huius rei figura sacerdos manus eleuat immissa; etiam in figura Christi agrantis in cruce; vt notat Comestor. Exod.19.*

De lege Moysi data in monte Sinæ.

CAP. VIII.

MEnse tertio egressionis de Ægypto.s.Iunnio prima die mensis venerunt ad montem Sinay 47. scilicet die à Phase; in exponendo enim scripturas, 30. dies pro mense ponimus tanquam inter lunares & solares menses viam mediam eligentes; lunares enim infra tricenarium quidem inueniuntur, sed vltra non,solares vero plures hunc numerũ excedunt. A Phase ergo restabant 16.dies mẽsis primi,& postea fluxerũt 30.secũdi,vnde restat quod dies Iunij prima sit a Phase 47.

Tunc domino iubente Moyses populum biduo sanctificauit,& die tertia,quę fuit à Phase 50.populo stãte ad radicem montis & audiente, legem à domino accepit; quæ continet diuersa mandata,s.affirmatiua & negatiua, siue præcepta, & prohibitiones. Item quædam sunt præcepta moralia,quædam iudicialia,quædam cęremonialia,siue legalia. Prima data sunt ad merendum, secunda ad lites dirimendum; tertia vero perfectis in signum,duris in flagellũ,rudibus in pædagogum. Inter hæc autem decalogus tanquam omnium præceptorum moralium summa præmittitur; ibi enim omnes virtutes præcipiuntur,& omnia vitia implicitè,vel explicitè prohibentur; ideoq; lex moralis sub denario,qui constat tribus,& 7.data est, quia ternarius significat personarũ diuinarum Trinitatem; in qua summè credẽdum est; septenarius autem morum perfectionem, quia numerus perfectus est,& in fide, & moribus perfecta vita hominis consistit. Itẽ quia denarius est primus limes in numeris;& in impletione decalogi consistit prima perfectio spiritualis. Itẽ vt per obseruãtiam 10.mandatorũ resartiatur decimus ordo,qui cecidit angelorum. Item vt sicut populus Ægyptiorum propter impietatem Idolatriæ, & populi Dei oppressionem, exterminatus erat 10. plagis, sic populus Hebræorum à Deo vocatus,ad cultum Dei reformaretur decem præceptis.

Moyses accepit legem à domino.

Cur lex moralis denario numero concluditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ratione numeri in præceptis decalogi.

CAP. IX.

AD idem etiam poteſt ratio ſumi ex parte ipſorum rerum quæ iubentur, ſiue cauſarum præcipiendi. Ad hoc enim præcepta omnia data ſunt, vt homo per illa bene ordinetur ad Deum & proximum; ad Deum ordinatur per prima tria; in his enim præcipitur latria, quæ conſiſtit in tribus ſcilicet in fide, ſpe, & charitate; & hæc tria ſingula, in ſingulis præceptis intelliguntur, & per quaſdam appropriationes ad tres perſonas in Trinitate referuntur.

In primo enim mandato prohibetur inanis confidentia & per conſequens præcipitur ſpes. ſ. vt non ponatur in idolo, nec in homine; ſed in ſumma poteſtate, quæ patri attribuitur. In ſecundo (ſecundum Iſidorũ) prohibetur error, & ſic præcipitur fides, quę vnitur primæ veritati & ſapientiæ quæ filio attribuitur. In tertio prohibetur amor ſæculi, & ſic præcipitur amor Dei. ſ. charitas; quæ à Spiritu ſancto infunditur. Sic ergo per illa tria, ordinatur homo ad Trinitatem; vnde iſta tria vocat Deus, vnum mandatum, cum dicit: *diliges dominum Deum tuum &c.* i. fortiter, ſapienter, dulciter, ſ. vt nec frangaris iniurijs, nec ſeducaris fallacijs, nec abducaris blanditijs; *hoc eſt (inquit) primum & maximum mandatum. Secundum autem eſt ſimile huic*, ſecundum, quia. ſ. dependet ab iſto. Qui enim verè diligit Deũ conſequenter in proximo diligit imaginem Dei, ideo dicitur etiam ſimile. Ad hanc autem proximi dilectionem pertinent vltima præcepta 7. per hæc enim ordinatur homo ad proximũ: ſed differenter, aut ei beneficium impendendo; & hoc per illud; *honora Patrem tuum & Matrem tuam:* ibi enim intelligimus, ſynecdochicè nomine patris & matris, omnem proximum; & nomine honoris, omne beneficium. Aut non nocendo, & hoc tripliciter. ſ. dicto, facto, voto. Iniuria verbi prohibetur ibi: *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Iniuria facti duplex. ſ. realis, & hæc prohibetur ibi, *non furtum facies.* i. nullum damnum proximo tuo in rebus ſuis inferas. Perſonalis & hæc duplex. ſ. vel in perſona propria, & hæc prohibetur ibi, *non occides.* i. nullum perſonæ proximi malum inferes; vel in perſona aliena. ſ. vxoris aut filiæ, & hæc prohibetur ibi, *non mæchaberis*, id eſt nulli fœminæ illegitimæ commiſceberis.

Iniuria voti ſiue voluntatis duplex eſt, aut perſonalis, quæ prohibetur ibi: *non deſiderabis vxorem proximi tui:* aut realis, & hæc ibi: *non concupiſces rem proximi tui.*

Hæc ſunt 10. Pſalterij chordæ ſecundũ Aug. quibus occiduntur beſtiæ ſpirituales. i. vitia, quæ vaſtant animam: nam tange primam chordam, & primam beſtiam occidiſti, i. imple primum mandatũ, & primũm vitium euacuaſti: & ita de alijs: vt enim dicit Iſidorus, primum mandatum, prohibet ſubreptionem: ſecundum, errorem: tertium, interficit ſæculi amorem: quartum, impietatem: quintum, credulitatem: ſextum, fornicationem; ſeptimum, rapacitatem: octauum, falſitatem: nonum, mundi cupiditatẽ: decimũ, adulterij cogitationẽ.

Superbia quoque primo præcepto prohibetur, quia contraria eſt adorationi: & etiam gula, quia idolum, eſt venter, Guloſi. Inuidia quarto, quia odit bonum proximi. Accidia tertio, quia intus quieſcere non poteſt, qui habet tædium boni; de cęteris patet quibus præceptis prohibeantur. Data ſunt autem in lapideis tabulis in ſignum duritiæ cordis illius gentis; in duabus vero propter duo teſtamenta ſignificanda, vel quoniam omnia reducuntur ad duo charitatis præcepta. In diſtinctione autem doctores diſſentiunt, nam primum mandatum quod ſecundum Augu. vnum eſt: Origenes in duo diuidit, & vltima quæ ſecundum Augu. duo ſunt, Origenes in vnum colligit, cui etiam Ioſephus conſentit. Præterea ponit Aug. tria, quæ ad dilectionem Dei pertinent in vna tabula, & 7. quæ ad dilectionem proximi in alia. Ioſephus autem & Hebræi quinque in vtraque.

Qui diligit Deum diligit & proximum.

Gen. 20.

Vitia per obſeruationem mandatorum emarceſcunt.

Cur in lapideis tabulis dantur præcepta.

Solutio quarundam dubitationum circa decem præcepta.

CAP. X.

IDeo autem pene omnia negatiua ſunt, quia lex moralis potius dabatur Iudæis ad cauendum peccatum quam ad * percipiendum bonum. Duæ ſunt enim partes iuſtitiæ. ſ. declinare à malo prius, quod pertinet ad vetus teſtamentũ; & facere bonũ, poſterius, quod pertinet ad nouum teſtamentũ: ſpiritualiter tamen intellecta, non ſunt purè negatiua, quia negationibus nõ meremur: ſed aliquo modo aſſertiua. Nam illo præcepto: *non occides*, præcipitur voluntas non occidendi, & in illo: *non mæchaberis:* voluntas non mæchandi & ſic de alijs. Quod autem dicitur lex conibere manũ, non animum, verum eſt ſecundum carnalem intellectum Iudæorum: ſed ſecundum Apoſtolum, lex ſpiritualis eſt, id eſt ſpiritualiter intelligenda.

Ideo autem primũ præceptum refertur ad patrẽ, quia adoratio, principio debetur, in quantũ eſt principium, & primũ principium eſt pater: ſecundũ, ad filium, quia periurium quo nomen Dei in vanũ ſumitur, eſt directè contra veritatem: tertium, ad Spiritũ ſanctum, propter ſanctificationem: licet autẽ cæremoniale ſit, ponitur tamen inter præcepta moralia, quia ſignificat rẽ excellentiſſimam. ſ. pacẽ & quietẽ mentis, quæ omnium præceptorũ moralium, eſt finis: & etiam quia licet cæremoniale ſit, quantum ad principalẽ cauſam inſtitutionis: tamen quantũ ad ſubſtantiam præcepti, morale eſt, maxime perfectis, quibus nihil eſt moralius quam vacare ab operibus exterioribus ad contemplandum Deum: iuxta illud: *vacate & videte, &c.*

Licet autem affirmatiuum ſit quantũ ad vocem: negatiuum tamen eſt, quantũ ad rem, quia ſabbathũ ſanctificare, nihil aliud eſt, quam opera ſeruilia non facere. Solũ igitur quartum mandatũ eſt affirmatiuum, quantũ ad vocem & quantum ad rem vel intellectum: quia in eo ſolo præcipiuntur opera pietatis. Ideo & ei ſoli additur promiſſio, quia operibus propriè promittitur retributio: *opera enim illorum ſequuntur illos.* Et etiam quia pietatis opera pluſquã aliquid aliud nos aſſimilãt Deo: *vnde eſtote (inquit) miſericordes ſicut & pater veſter.*

Ideo autem talis promiſſio. ſ. longioris vitæ huic apponitur, quia iuſtum eſt, vt qui vitam alterius ſuſtẽtat, eius quoque vita à Deo prolongetur; hic autem præceptum non obligat ad ſemper, ſed pro loco & tẽpore. De patre infideli, & extraneo fideli, quis tibi pręponendus ſit dicitur, quod extraneus patri præponendus eſt in charitatis dilectione, quia quanto melior eſt ſecundũ Deum, tanto magis diligendus eſt propter Deum; patet vero extraneo, propter naturam, & propter beneficij recompenſationem, & propter mandatum in nutrimenti exhibitione. Concupiſcẽtia & actus Mæchiæ diuiſim prohibentur, quia in tantum differunt ſecundum Aug. vt aliquando mæchetur qui non concupiſcit. ſ. vt cũ alienæ miſcetur vxori præ ebrietate, vel odio proximi, vel alio huiuſmodi. Aliquando etiam concupiſcat, non tamẽ miſceatur, vt præ timore, vel pudore, vel quia non poteſt ad eam acceſſum habere, & ita neutra prohibitio ſuperfluit. Similiter & de concupiſcentia de rapina rei alienæ. Item cũ dicitur *non mœchaberis, non deſiderabis vxorem proximi tui*, vtrobiq; præcipitur volũtas non mæchandi; quia non ſunt mandata pure negatiua; ſed alterius eſt hæc voluntas, alterius illa. Cum enim dicitur *non mæchaberis*, præcipitur voluntas non faciendi opus exterius. Cum autem dicitur, *non deſiderabis vxorem proximi tui*; præcipitur voluntas non faciendi opus interius, id eſt non concupiſcendi ſiue non delectandi, & ita non idem vtrobique præcipitur. Similiter de concupiſcentia, & rapina rei alienæ; ideo vtrobiq; duo pręcepta ſunt, quia ex quo peccauit Adam, proni ſunt homines naturaliter ad voluntatem & actum mæchiæ & rapinæ. In homicidio autem non ſic eſt: quia & actũ eius & voluntatẽ homo naturaliter abhorret, ideo ſufficit vnicũ de vtroque mandatũ & etiam fortaſſis de-

* *perficiendum.*

Quæ præcepta affirmatiua & quæ negatiua?

Vt ſis longeuus ſuper terram Exodi 20.

claratio

claratio voluntatis, & actus homicidij, non ſunt ita ſeparatæ ſicut mæchiæ vel rapinæ: Hebræi tamen dicunt in hoc præcepto, *non deſiderabis vxorem proximi tui*, ſolicitationem ad mæchiam tantummodo prohiberi quæ ſcilicet fit in munuſculis & colloquijs, nuncijs, litteris, oſculis, nutibus, aſpectibus, amplexibus, & huiuſmodi. Vnde cum in Matth. dictum eſt, *non mœchaberis, ego autem dico vobis &c.* non eſt additio ſed explanatio. Octauum mandatum differt à ſecundo, quia illud pertinet ad dilectionem Dei; hoc ad dilectionem proximi; & qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium licet peccet contra ſecundum mandatum periurando, nihilominus facit & contra octauum in hoc quod proximo ſuo nocet verbo, vt ſupra dictum eſt.

De cauſa & forma dationis legis moralis.

CAP. XI.

EX gloſſa *ad Galatas*. Non eſt lex hominibus etiam moralis ad iuſtitiam vel ad beatitudinem data, ſed in medio, ſcilicet inter promiſſionem, & ſemen, id eſt inter Abraham, & Chriſtum ordinabiliter poſita; propter tranſgreſſionem ſcilicet cohibendam id eſt vt homines primo quidem timore ſaltem tranſgredi ceſſarent, & idipſum quandoque voluntariè facerent. Item vt homo ſuperbe de viribus ſuis fidens, præcepta acciperet, in quibus deficiens, & præuaricator effectus, liberatorem & ſaluatorem requireret: videns enim liberum arbitrium ſibi nõ ſufficere ad iuſtitiam, nec ſic humiliauit ſe ad poſcendam gratiam, ſed ſuperbè legem ſcriptam legi naturæ adiunctam ſufficere putans, clamabat, non deeſt qui impleat, ſed qui iubeat: vt igitur de ipſa temeritate etiam conuinceretur, antequã Deus filium mitteret, legem ſcriptã dedit, quæ peccati morbum detexit, non conſumpſit. Qua data, etiam morbus inualuit, & infirmitas eſt aucta, non legis, ſed naturæ vitio, & Diaboli inſtantia, vt ſic cognita vtriuſque legis inſufficientia & infirmitate ſua, clamaret ad medicũ & quereret gratiæ auxiliũ: & ita factum eſt: *multiplicatę enim ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt ad medicum:* Et lex quidem per Moyſem data eſt: gratia, autem per Ieſum Chriſtum facta eſt: Hic eſt ille Samaritanus, qui per formam ſerui, & compaſſionẽ, languido appropiauit, eiuſque vulnera ſanauit, quem ſacerdos & leuita, inaniter pertranſibant, quia ſacerdotium, & lex vetus, neminem ad perfectum duxit; hic eſt etiam Helyſeus qui baculum legis ad ſuſcitandum Sunamitis filium miſit, per quem cum ille non ſurgeret: tandem ipſemet veniens, & contrahens ſe, puero coaptauit & mortuus ſurrexit. Hic eſt & omnipotẽtis ſermo, qui dũ medium ſilentium tenerẽt omnia à regalibus ſedibus venit; primum enim ſilentium fuit ante legem. ſ. ignorantia languoris; ſecundum ſub lege, ſcilicet deſperatio curationis, tertium erit in gloria ſcilicet adeptio ſanitatis.

Infirmitas humana delecta.

Ieſus Chriſtus verus largitor gratiæ.

Triplex ſilentium.

Ante legem namq; morbũ ſuum homo non agnoſcebat, & ideo remedium non quęrens ſilebat vt autem lex ſubintrauit & languidus vulnera ſua oſtendit, mox ruptum eſt ſilentium, & cæperunt ægri poſcere remedium. Sed dum per opera legis vbi ſalus non eſt, ſanari volebant, quod quærebant inuenire nequibant. Tandẽ igitur homo quaſi diuturno clamore fatigatus, & deſperans ſecundo ſiluit, & tunc omnipotens ſermo à regalibus ſedibus venit.

Dabatur lex modo quodam terribili, ſed non ſine myſterio.

Author. Porro in ipſa legis datione, multa facta ſunt terribilia, ſed non ſine cauſa; primo quidem, vt per hæc corda Iudæorum ab eius tranſgreſſione deterrerentur, quæ in tanto terrore dabatur. Item vt per hæc aſpera, tanquam per contraria, gratiæ ſuauitas exprimeretur; item vt per hæc ſenſibilia ea quæ ſpiritualiter circa legem erant figurarentur; ignis enim ſignificat Spiritum ſanctum, per quem data eſt lex, quæ conſumit peccati rubiginem; turbo, legis comminationem; caligo, eius obſcuritatem, procella, eius vindictam, &c. Data eſt autẽ per angelos in quibus Deus loquebatur, ita tamen vt eſſet poſita in manu mediatoris. i. in poteſtate Chriſti. ſ. vt ſtaret quamdiu vellet, & cum vellet, ceſſaret.

De Cæremonijs & Iudicijs.

CAP. XII.

HÆc tamen ceſſatio, quantum ad cærimonialia intelligenda eſt, quæ proprie in ſignum futurorum data ſunt, & ideo adimpleta veritate ceſſare debuerũt, nam & hæc omnia vt ait Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæũ, ſcilicet ſacrificia baptiſmatis &c. de ritu gẽtium originem traxerunt; ſed Deus miſericors ob deceptorum ſalutem, per ea ipſa, ſe coli paſſus eſt, per quę illi demones coluerunt; aliquamdiu in melius illa flectens donec à conſuetudine ſua cuius amicitia ligati erant, eos paulatim reuocaret, & ad philoſophiam altiorem perduceret. Sic & magis condeſcendens per hoc eos vocauit, quod eis familiare, conſuetudo fecerat. ſ. per ſtellam, ſic & Philiſtæos per diuinationem. Erant autem etiam illa ſacrificia vetera ſemper offerentibus meritoria & iuſtificantia, quantum ad opus operans. i. quantum ad ipſam actionem offerendi, quando fiebat ex charitate, vt patet in Abel, Noe, & Abraham. Vnde in canone miſſæ dicitur, ſicuti accepta habere dignatus es munera, pueri tui iuſti Abel, &c. ſed quantum ad opus operatum nũquam, ipſum enim oblatum .ſ. caro vituli vel Agni & huiuſmodi, neminem vtique iuſtificabant. Sacramenta vero legis nouæ iuſtificant, quia efficiunt, quod figurant inuiſibilem. ſ. gratiam.

Sacrificia vetera qualiter iuſtificabant.

Sed obijcitur de Euchariſtia, quia caro non prodeſt quicquam.

Reſponſio: verum eſt per ſe, ſed diuinitati coniuncta duobus modis iuſtificat; vno modo, ſpiritualiter, per fidem. ſ. dum enim Chriſtus ſub forma panis latere creditur, credens meretur, & ipſius diuinæ carnis virtute, dilectio in eo augetur, qua ei peccata dimittuntur, iuxta illud, *dimittuntur ei peccata multa &c.* Alio vero modo per modum ſacramenti, quia ſcilicet ipſa eſt vas omnium gratiarũ refertiſſimum, & ipſam recepimus quaſi pixidem medicinalem omnium vulnerum noſtrorum, quæ & nos à peccatis purgat, & in nobis virtutes augmentat, ſicque iuſtificat non in quantum caro, ſed in quãtum ſacra caro, ſcilicet verbo Dei vnita. Sacramentum enim nouæ legis non ſolum eſt ſacræ rei ſignum, ſicut veteris legis, ſed ſacratum ſacræ rei ſignum, & ideo iuſtificat, & ſanctificat, quia ſacrum eſt quantum ad opus operatum.

Caro prodeſt & iuſtificat duobus modis.

Inter hæc inſeruntur (vt dictum eſt) iudicia quædam ad cauſas determinandas, vt ſeruitutis, homicidij, furti, fornicationis, his autem omnibus præceptis promiſſio temporalis annectitur, & in aſperſione ſanguinis fœdus domini cum populo firmatur.

De Iudicijs plura legere potes apud Comeſtorem.

De tabernaculo faciendo & omnibus ad eius ritum pertinentibus.

CAP. XIII.

DEnique Moyſes cum ſenioribus vſque ad terminos montis iuxta domini præceptum aſcendit, qui eis domum ſaphirini coloris, exemplar ſcilicet tabernaculi faciendi, cum vtẽſilibus ſuis oſtendit. Moyſes cum ſolo Ioſue terminos tranſiuit eoque in planicie quadam montis dimiſſo, ſolus medium caliginis introiuit, vbi & 40. diebus ac noctibus abſque cibo, & potu cum domino permanſit. Audiens ſcilicet eum iubentem de tabernaculo conſtruendo, de arca & propitiatorio, de menſa, & panibus propoſitionis, ac vaſis libaminum, de candelabro cum lucernis, de parietibus tabernaculi, & diſtinctione eiuſdem, ac velis & cortinis, atque ſagis, de modo tegendi tabernaculum, de altari holocauſtorum, & ſitu eius, ac vaſis, de atrio tabernaculi, & oleo præparando lucernis, de veſtibus ſacerdotum communibus; & proprijs ſummi pontificis, de modo conſecrandi ſacerdotes, de altari aureo, & compoſitione thymiamatis, & confectione vnguenti ſacri, de labio quoque eneo, & de redemptione numeratorum, & electione artificum tabernaculi, iuxta ſimilitudinem, inquit, tabernaculi, quod oſtendi tibi; ita facies illud.

De modo conſtruendi tabernaculum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Author. Hinc ait Apostolus ad Hebræos quod sacerdotes munera secundum leges offerentes, deseruiunt exemplari & vmbræ cælestium. Exemplar ibi dicitur ordo cælestis curiæ, quam ostendit Deus Moysi (secundum glossam) quando vocauit eum in montem: scilicet quomodo angeli Deo deseruiant, obediant, eumque laudent, & diligant, & quomodo inuicem se, & nos diligant; & profectibus nostris studeant & huiusmodi, in quibus à nobis imitandi sunt, & quorum figuræ vel vmbræ Iudæis traditæ sunt, nam quia carnalis populus veritatem capere non posset, præcepit dominus Moysi, vt eam sub figuris traderet Iudæis id est traderet eis cæremonias obseruandas, prædictam veritatem signantes in quibus puerilis populus tandiu enutriretur, donec posset transire de pueritia figurarum, ad maturitatem veritatis, deseruiunt inquam sicut responsum est Moysi à domino, non cum incipere-ret, sed cum consummaret tabernaculum. Iam enim secundum glossam multa sibi de veritate ostẽsa per figuras expresserat, sed per seipsum inuentas: sed cum per se non posset consummare, consuluit dominum, qui etiam de figuris sicut de veritate eum edocuit, vide (inquit dominus) facito omnia ideſt omnes figuras scilicet tabernaculi & omnium vtensilium eius, ideſt sacrificiorum & huiusmodi secundum exemplar id est veritatem, quod scilicet exemplar tibi ostensum est apertè in monte.

De schemate tabernaculi.

Cap. XIIII.

Comestor. cap. 52. in Exodum. Tabernaculum autem erat domus Deo dicata, quadrata, & oblonga, tribus clausa parietibus, aquilonari, meridiano, occidentali: liber patebat introitus ab oriente, vt oriente sole radijs eius illustretur, longitudo erat 30. cubitorum latitudo 10. altitudo 10 In meridiano latere erant tabulæ de lignis Sethim stantes 20. quarum vnaquæque in longitudine habebat cubitos decem in spissitudine digitos quatuor. Iungebantur autem mutuo incastraturæ ne rimula ibi esset, aut planicies parietis inequalis, & erant inauratæ ex vtraq; parte, superpositæ singulę duabus basibus argenteis perforatis, in quarum foraminibus cardines aurei immittebantur, in vtroque angulo tabulæ eminentes, sicut in scrineis fieri solet. Eodem schemate factus erat paries aquilonis, ab occidente autem erant * 6. tabulæ per omnia similes alijs, & eodem modo stantes in basibus, sed cum non implerent nisi nouem cubitos, dimidius cubitus ex vtraq; parte vacuus patebat; & ideo vno cubitu lata tabula secta est per medium, & factę sunt duæ tabulæ semicubitales quæ vtrinque appositæ parietem occidentis, aliis duobus compaginauerunt, quæ etiam singulæ duabus basibus innitebantur.

* *Comestor habet 7. Iosephus vero sex vt author.*

Ne vero ventorum impulsu aut aliqua alia causa parietes concuterentur, singulæ tabulæ annulos aureos habebant per ordinem, velut quibusdam radicibus confixos; per quos vectes per transuersum parietis immissi, tabulata firmiter cõtinebant. Erant autem vectes de lignis Sethim inaurati, singuli quinque cubitorum, immittebaturque caput vnius vectis in caput alterius in modum cocci; vt ex pluribus sic innexis, quasi vnus vectis immensæ longitudinis videretur sicut in baculo cambuce pontificalis eburneo fieri solet. Erat autem iuxta summitatem parietis supremam, vnus ordo vectium extensus in longum per totum parietem; & iuxta summitatem inferiorem, alius ordo in eundem modum & in media planicie tres ordines. Et quod dictum est quinque vectes fuisse in vno latere, potius ad numerum ordinum, quam vectium referatur. Erant itaque in vnaquaq; tabula 5. annuli & in quolibet duorũ parietum, vectes. 30. quia quinq; ordinum quilibet sex vectes habebat: In latere occidentali 10. vectes, bini per singulos ordines.

De distinctione inter sanctuarium & sanctasanctorum.

Cap. XV.

Comestor cap. 53. in Exodum. Templum sanctum, Sanctasanctorum. Sanctuarium.

TAbernaculum hoc in duas partes distinctum, posterior pars ad occidentem 10. cubitis protendebatur, & ita quadra erat in longum scilicet & in latum, & in altum 10. cubitorum, hæc pars aditum dicebatur vel sanctasanctorum, anterior pars ad orientem 20. cubitis protendebatur, qui communis erat sacerdotibus, & hæc dicebatur sancta vel sanctuarium. Ad alterutras vero partes separandas, positæ erant in medio quatuor columnæ de lignis Sethim deauratæ, capita habentes aurea & bases argenteas. Super capita vero columnarum erant superpositi duo vectes 10. cubitorum à pariete in parietem protensi, in quibus per circulos aureos immissum dependebat velum ante quatuor columnas extensum; factum de byssо retorta, & de filis sericis hyacinthini, purpurei, & coccinei coloris opere plumario compositum, ideſt opere acu picto; pulchra varietate contextum ex vniuersis (vt dicit Iosephus) floribus, quos gignit humus: & alijs picturis, quas poterant interserere pictores præter animalium formas.

* *Comestor habet egressu sed Iosephus legit ingressu.*

In * ingressu vero tabernaculi 5. columnæ erant de lignis Sethim deauratę capita habentes aurea, bases vero æneas, super quas duo vectes, vel vnus 10. cubitorum protendebatur à pariete in parietem, vtroque sui capite vtrique parieti insertus ad modum trabis in domo, à quo dependebat aliud velum per circulos aureos insertum, ad modum prioris operatum, sed secundum Iosephum vsque ad medietatem columnarum dependebat: tegens eas per 5. cubitos, reliqui vero vsque ad terram ad ingressum sacerdotum patebant, super hoc dicit aliam cortinam lineam superpositam vsque ad terram pertingentem, funibus per angulos eam ducentibus & retrahentibus, vt in diebus festis reducta præberet aspectum tabernaculi.

De tecto tabernaculi & modo.

Cap. XVI.

Tectum tabernaculi. Comestor cap. 54 & 55.

TEctum tabernaculi non concameratum, sed planum ad modũ palæstinæ fuit, quatuor operimentis aptatum: & secundum Bedam, protendebantur 10. cortinæ sibi copulatæ per transuersum, totum operientes tabernaculum: & descendentes per latera vno cubito distabant ex omni parte à terra: & quia simul iunctæ 40. cubitos implebant longitudinem tabernaculi, quæ erat 30. cubitorum tegebant & 5. cubiti dependebant iuxta latus occidentale, alij quinque descendebant ante aperturam, quę erat ad orientem. Tamen ne incompositæ penderent, vtrobique cortinæ transgredientes, duo magna latera tabernaculi vsque in medium operturæ trahebantur; ibique mutuo iungebantur; & similiter in latere occidentis; & ita ex omni parte tabernaculum tectum erat cortinis, vno cubito tantum circa terram ex omni parte non velato. Superponebantur saga similiter per transuersum; sed quia erant 30. cubitorum, per latera descendebant vsque ad terram, & ita cubitum cortinis non velatum ipsa velabant, & quia ex transuerso 44. cubitos habebant, cum essent 11. simul iuncta, & vnumquodque eorũ quatuor cubitorum erat, longitudinem tabernaculi 30. cubitis tegebant: & de 14. qui supererant 7. descendebant ad orientem 7. vero ad occidentem: partes vero sagorum, quæ supererant pendentium iuxta duo latera magna vsque ad terram, ex vtraque parte reducebantur ad tegendum introitum orientalem. Sed quia 7. cubiti ex vtraque parte veniebant: In spatio vero introitus 10. tantum erant, superfuebatur sagum sago: vel forte in summitate cuiusque duo cubiti retroplicati consuebantur: instar orarum vestimenti, & tunc ex æquo venientia saga de lateribus in medio introitus copulabantur in eodem loco, in quo cortinæ, & similiter in latere occidentis, vt impetum ventorum possent sustinere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Secundum disposition hanc, tabernaculum ex omni parte tegebatur sagis, vsque ad terram, & nihil ex eo videbatur, & tentorium quod erat in introitu preciosum inutiliter ibi erat: & cum sacerdotes intrabant tabernaculum, vel nécesse erat attollere saga, & cortinas; vt subintrarent; vel si in medio iungebatur vncinis & annulis ad introitum eorum dissoluebantur.

Expositio Iosephi

Alia est Iosephi expositio, cui consentit Origenes & videtur probabilior; ait enim 10. cortinas sibi mutuo iunctas (vt dictum est) à fronte tabernaculi super introitum extendi per transuersum, & tegere totum tabernaculum: & descendere iuxta latus occidentis vsque ad terram. Introitum vero non tegi aliqua parte cortinarum, cum proprium haberet velum. Similiter & de sagis totum dicit operiri tabernaculum: excepto introitu: sed quia duo cubiti sagorum, supersunt cortinis, ex vtraque parte dicit eos replicari sub cortina, ne ventus intrans inter saga, & cortinas, totum concuteret operimentum: pro quo dictum putat: sextum sagum in fronte tecti duplices.

Sed secundum hæc speciosa, & preciosa plurimum pars extrinseca tabernaculi non videbatur, nec illud cortinarum, quod quasi circa vel citra tabernaculum defluebat: frustra ergo tanti facta videbantur. Quo circa forte ex omni parte cortinæ & saga funibus extendebantur circa tabernaculum, & paxillis æreis colligebantur funes: & in modum tecti dependentis attollebantur, vt tabernaculum vndique videri posset, & circuiri ab ingredientibus sub cortinis.

Sane tertium erat operimentum de pellibus arietum rubricatis, quæ superiora tantum tegentes, ad latera non descendebant, funibus & paxillis æreis affixis terræ circumligatæ.

Quartum quoque operimentum in eundem modum erat superpositum de pellibus arietum hyacinthinis: superposita verò erant hæc propter æstum & imbrium effusionem. Multos itaque (vt ait Iosephus) stupor habebat longe aspicientes, nam colorem eius in nullo putabant differre à cœlo.

De arca & propitiatorio.

Cap. XVII.

Comestor cap. 46.

ERat autem in interiori sanctuario, arca cum his, quæ in ea reposita erant, & quæ ei superposita. In anteriori vero candelabrum, ad austrum: mensa, ad aquilonem. In medio autem, velum: non longe ab aditu, altare aureum. Erat autem arca de lignis sethim, cuius longitudo habebat duos cubitos & semissem, latitudo cubitum vnum & dimidium: altitudo similiter cubitum & dimidium & intelligitur cubitus humanus non geometricus quod apparet in altari Lateranensi, infra quod dicitur arca esse: & dicitur non habuisse pedes, & deaurata scilicet intus & foris: factaque supra corona est aurea, admodum scilicet labij, quod in mensis & in scacarijs fieri solet. Per vtrumque latus longitudinis bini erant circuli aurei totum lignum penetrãtes, & per eos vectes de lignis sethim deaurati mittebantur, quibus arca ferebatur: & nunquam extrahebantur, in qua postea posita est testificatio .i. tabulæ in quibus scriptum erat testamentum: tamen quæque ibi reposita testimonia dici possunt. Posita est ibi & vrna aurea, plena manna, in testificationẽ, quod panẽ dedisset eis de cœlo: Tabulæ, in testificationẽ, quod legẽ naturalem sopitã in cordibus suscitauerat in scripto: virga Aaron: in testimonium quod omnis potestas à Deo est, Deuteronomium: in testimonium pacti quod dixerant: *Quæcunque nobis dixerit dominus faciemus*; ob hoc dicta est arca testamenti vel testimonij. Similiter & ob hoc tabernaculum testimonij dictum est, & ideo etiam quia causæ præ foribus eius agebantur.

Intelligitur cubitus humanus non geometricus & Iosephus vocat cubitum duos palmos.

Propitiatorium aureũ. Responsum diuinũ oraculum dicitur quia orãtibus datur.

Factum est etiam propitiatorium aureum super arcam id est tabula aurea eiusdem longitudinis & latitudinis, cuius & arca, vt eam tegere sufficeret: Hoc dicebatur oraculum, quia dominus de loco illo dabat responsa orantibus: Propitiatorium, quia exinde loquens dominus propitiabatur populo, vel quia die propitiationis dicebant ibi semper gloriam domini descẽdere; ex vtraque vero parte oraculi scilicet in duobus angulis anterioribus positi sunt duo Cherubin aurei & productiles. Sunt autem (vt dicit Iosephus) animalia volatilia, habentia figuram quæ à nullo homine est inspecta; hęc dicit Moyses se in sede Dei conspexisse figurata, Cherubin vnus respiciebat alterum, versis tamen vultibus in propitiatorium, duobus quoque alis expansis & mutuo se tangentibus velabant oraculum, alas ex opposito extendebant. *Cherubin.*

De mensa & Candelabro.

Cap. XVIII.

Comestor. cap. 48.

MEnsa quoq; est de lignis sethim habẽs duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitũ & in altitudine cubitũ & semissem & inaurata ex omni parte. Erat autem (vt dicit Iosephus) proximè velut Delphica, i. rotunda, habens 4. pedes, qui dicuntur eius altitudo. Erantq; ex medietate partis inferioris rotundi & tornatiles; pars superior operis quadrangula erat. In singulis vero pedibus, annulus aureus immissus erat. In annulis vero vectes aurati, quibus ferebatur mẽsa; erat in ea labiũ per circuitũ sicut in arca, & labio affixa erat aurea corona, alta digitis 4. ita quod medietas eius super mensam eminebat, ne superposita caderent ex ea, altera medietas inferius pendebat ad decorem: Et erat corona hęc interasilis .i. interpolata cęlaturis & plano. Erant autẽ (vt aiunt Hebræi) cælaturæ illæ quasi imagines propheticæ. Tot sunt ibi imagines factæ, quot reges futuri erant in Hierusalem à Dauid vsque ad Sedechiam, tamen Iosephus videtur velle non fuisse in ea aliud labium, nisi hanc coronam interasilem. i. reticulatam. Huic verò superposita erat alia corona minor ista scilicet aureola. Hebræi dicunt & hanc propheticè additam, ad præsignandam diuisionem regni, in duo regna, fuit enim regnum Israel populosius regno Iuda; sed tamen minus dignum: & ideo aureola superposita erat: & tamen minor mensa hæc ponebatur in tabernaculo ad aquilonem non longe ab aditu.

Comestor. cap. 49.

Et ponebantur super eam 12. panes azymi de Simila, mundi valde, & ponebantur seni altrinsecus: & constabant singuli de duabus decimis ephi: quas Iosephus duos assarios vocat, & singulis superponebatur patena aurea, & super patenam, pugillus thuris: hi diluculo sabbati, calidi & recentes imponebantur mẽsæ, & erant ibi immoti vsque ad sabbatum sequens. Tunc illis sublatis, & toto thure incenso super altare, noui cum alio thure substituebantur. Sublatos vero soli sacerdotes comedebant, vnde sacerdotales dicebantur; vel etiam, quia (vt ait Iosephus) dominus præceperat quod soli sacerdotes panes illos formarẽt & coquerent, & ponerent in mensam, & tollerent, ipsi tamen non obseruauerunt hoc*. Dicebantur etiam panes propositionis, quia positi erant coram domino in memoriam sempiternam. 12. tribuum filiorum Israel.

** Postquam diuites facti sunt.*

Comestor. cap. 51.

Pręcepit dominus parari ex auro purissimo quatuor genera vasorum, ad offerenda libamina, & poni super mensam scilicet acetabula, in quibus acetum præuidebatur, vtrum dignum esset offerri an non. Postea subdiuidũt acetabula in tria sc. in phialas, in quibus vinum; thuribula in quib. thus, & similia, & granũ, & sal; & cyathos, in quibus oleũ. Candelabrũ ex auro purissimo ductile erat, cuius hastile basi infixũ erat, & ferreũ superuestitũ calamis aureis quinq; geniculatis ad modũ caunę, vbi autẽ capita calamorum inter se iungebantur capita habebant tumentia, & inuicẽ ad modũ cyphi (quẽ cuppã dicimus) iungebãtur tanquã duo cyphi in modũ nucis, & ex fundo cuiusq; cyphi procedebãt flores recurui, quasi lilia, & in ipso fundo inter cyphũ & lilia, erat spherula volubilis, sicut in capitibus cathedrarum subsunt; tamẽ nõ videtur quibusdã spherulas fuisse in fundo ciphorũ (vt dictũ est) sed in media planicie cuiusque Spherulã volubilem superpositam. Quocũque vero modo tactum fuerit in summo 7. calami habebat

Spherulæ volubiles.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

capita æqualia ſuper quæ ponebantur 7. lucernæ aureæ. Infuſoria etiam 7. ex auro erant, quibus oleum lucernis infundebatur. Erantque ibi forcipes ex auro, dicti emunctoria, ad emungenda vel extinguenda licnia. Item ex auro vaſcula erant, ad extinguendum in aqua, quæ emungebantur; ne tetrum redderent odorem, dicta extinctoria. Omne pondus eius cum ſuis vaſis habuit talentum auri ad pondus ſanctuarij, tria enim habebat talenta, minus 50. librarũ, quod erat inſtitorum: medium 70. quod erat ciuium; maximum 120. quod erat ſanctuarij, poſitum autem erat contra menſam ad auſtrum, non rectè quidem ſed obliquè.

De vtroque altari.

CAP. XIX.

Comeſtor cap. 59. Altare holocauſtorum.

DE lignis ſethim altare, quod dicebatur holocauſti, vel holocauſtorum, poſſet dici & ſacrificiorum, ſed à digniori nomen accepit. Erat autem in longitudine & in latitudine 5. cubitorum ſcilicet quadrum, & in latitudine trium. Cui tanquam nimis alto, ad horam miniſtrationis aliquid apponebatur; in quo ſtaret miniſter, quod impleta miniſtratione tollebatur, altare enim habere gradus alibi prohibetur. Eratque concauum in modum arcę ſine operimento; parietes lignei, ſed operti erant ære intus, & extra; licet vri non poſſent ſicut nec antiton vel lignum paradiſi quodlibet, quod vrendo fit mundius.

Ærea eius ſiue arula ærea erat tanquam fundus arcæ, ſuper quam fiebat ignis, qui per feneſtram, quæ erat à latere orientali, imponebatur, in quatuor angulis ſuperioribus, erant extra quatuor cornua recurua, in quibus quatuor catenæ annulis inſerebantur; in quibus dependens craticula ærea in modum retis facta, vſque ad medium altaris intus deſcendebat; ſuper quam cremanda in odorem domino ponebantur, quæ ignis per circulos craticulæ aſcendens de arula conſumebat; circa vero angulos inferiores quatuor erant annuli ærei, in quibus imponebantur de lignis ſethim vectes operti ære ad portandum altare.

Comeſtor cap. 60. De ſitu altaris & vaſis eius.

Poſitum erat altare ante tabernaculum ſub diuo non directe ante introitum, ſed aliquanto ad meridiem deſcendens, ita vt ante ipſum immolãtes ſtantes ad Aquilonem, in ipſum tabernaculum vſque ad ſancta ſanctorum inſpicere poſſent; & quia ſtabant ad Aquilonem; & contra meridiem, quandoque legitur eos ſacrificaſſe ad Aquilonem; quandoque ad meridiem. Erantque in vſus eius lebetes, ad colligendos cineres cum abundabant; & deportandos qui in locum ſecretum & mundum reponebantur, & forcipes ad emundandum ignes altaris, & fuſcinulę quas Grecè creagras dicimus, quòd inde de caldarijs coctæ carnes extrahebantur; vel proferebantur, & patilla quaſi vatilla à vehendo, quibus prunæ ab hoc altari ad altare thymiamatis deferebantur; præter cacabos & ollas ad carnes coquendas, quæ tamen non iuxta altare coquebantur, omnia verò ænea erant.

Comeſtor cap. 67. Altare incenſi ſiue thymiamatis.

Erat autem aliud altare de lignis ſethim, quadrum, veſtitum auro puriſſimo, cornua habens, & craticulam auream & catenas & annulos & vectes aureos inſtar prioris. Vtrum vero arulam haberet an cineres exciperet terra; ambiguum eſt. Ioſephus addit quod per angulos ſingulos, coronas ſex habebat ex auro puriſſimo, quod ſingulariter forte in Exodo dictum eſt; ita: *faciesque coronam auream per gyrum*. Hoc altare dicebatur incenſi vel thymiamatis, quia ſingulis diebus mane & veſpere ad conſummandum iuge ſacrificium ſuper illud incendebatur thymiama, nec eſt putandum in dubium veniſſe quin eſſet in ſanctuario; cum Hebræus hoc dicat, & Ioſephus plane; & hæc prima poſitio tabernaculi facta à Moyſe innuit, niſi quia Paulus ad Hebræos; thuribulũ aureũ ponit intra ſancta ſanctorũ; ſolũmodo potuit ſane eſſe, quod in templo vbi omnia ampliata fuerunt & multiplicata, præter altare aureum, quod erat extra velum, ad quod bis in die neceſſe erat ingredi, erat ſuperadditum thuribulum in aditu, in quo ſummus ſacerdos prunas & thymiamata, quæ ſecum ferebat, adoleret, quando ad interiora contingebat ipſum penetrare.

De veſtibus Sacerdotum communibus.

CAP. XX.

*Comeſtor cap. 63. Prima veſtis ſacerdotum. * alias famoralia. Secunda.*

QVatuor erant veſtes omnibus etiam minoribus ſacerdotibus communes, quibus ſecundum ordinem hunc induebantur. Purificatis prius manibus & pedibus aqua, ſacerdos induebat * fęminalia de byſſo retorta, & vſque ad genua deſcendebant.

Secunda byſſina ſyndone duplici veſtiebatur, quam nos lineam ſtrictam ſiue camiſiam dicimus. Erat autem deſcendens vſque ad talos, & decenter corpori coaptata ſed manicis brachia valde conſtringens, * naſtilibus hinc inde ſuper humeros capitium ſtringentibus. ** alias naſtulis.*

Tertia veſtis.

Tertio cingebatur baltheo lato, quaſi digitis quatuor, ſic reticulato vt quaſi pellis viperea quam ætate exuit videretur, contexto floribus coccineis, purpureis, & hiacynthinis, ſtamen vero tantum byſſinum erat, ſumens initium cingendi à pectore circunductis lateribus, iterum ante vmbilicum redibat, ibique modice ſtringebatur & vſque ad tibias dependebat ad decorem, dum ſacerdos nil operabatur; cum autem ſacrificabat, ne impediretur, pendentes ſummitates ſuper læuum humerum reflectebat.

Quarta veſtis.

Quarto ſimplicem tyaram geſtabat in capite, à cidari pontificali plurimum differentem; erat enim in modum parui caſſidis, modice medietatem verticis excedens, habens vittas quæ inuolutæ ſępius nectebantur, ne facile laberetur; habens deſuper aliud velamen byſſinum vſque ad inferiora barbæ deſcendens, cælans pilei ligaturas, & totam capitis ſuperficiem, aptatumque perfectè ne laborante rueret ſacerdote.

De pontificali tunica & ſuper humerali.

CAP. XXI.

Comeſtor cap. 64. Tunica Hyacinthina.

SVper hæc quatuor veſtibus proprijs induebatur Sarabarchus, quarum prima erat tunica hiacynthina, poderis dicta id eſt talaris, eratq; de duabus inciſionibus facta, ſuper humeros conſuta, & per latera in modũ dalmaticæ facta; manicas eiuſdẽ coloris aſſutas habens, capitium vero ex trãſuerſo ſuper ſcapulas, ſed in longum ſectionem habebat à pectore, vſque ad medias ſcapulas, cui aperturæ ne ante & retro turpiter appareret, aſſuta erat vitta, quæ ſuper ſcapulas hinc inde naſtilibus aſtringebatur, habebat autem pro fimbrijs 72. tintinnabula aurea, quibus erant immixti totidem naſtuli quaſi mala punica, ex hiacyntho, & purpura, & cocco bis tincto, ita vt poſt tintinnabulum eſſet malogranatum, quaſi intercalari modo poſitum, vt audiretur ſonus, cum ſacerdos ſolus ingrederetur, vel egrederetur ſanctuarium, & non moraretur.

Super hanc tunicam videtur velle Ioſephus accingi pontificem cingulo prædicto, quo alij ſacerdotes ſuper tunicam lineam. Alij nondum ipſum accingi dicunt, ſed ſuper Ephod, vt ſuper omnia indumenta ad vltimum cingeretur; fueruntque qui dicerent duas zonas habuiſſe pontificem; primam ad modum ſacerdotum; ſecundam ſuper Ephod, quæ duæ tamen pro vno habebantur indumento.

Ephod.

Secunda veſtis erat Ephod ſimilis ſuperhumerali græcorum, de prædictis quatuor coloribus, auroque contextum, ſine manicis ad modum colobij, deſcendens vſque ad renes, adeo vt ſupercingi poſſet, ſuperiorem partem tunicæ hiacynthinæ tegens, inferiorem relinquens intactam, ore vero laterum vncinis, & annulis aureis iungebantur, aperturam habens in pectore quadram

dram ad modum palmi, in qua logion inſerebatur; in cuius parte ſuperiori ſuper vtrunque humerum, infibulati erant auro, duo lapides onichini ſardonices (ſecundum Ioſephum) (ſecundum 70. interpretes, ſmaragdi,) in quibus erant ſculpta nomina 12. filiorum Iſrael, prouincialibus litteris, lingua Hebræa iuxta ordinem natiuitatis eorum, ſex nomina ſeniorum in humero dextro, minorum in ſiniſtro *, habebat autem capitium ex tranſuerſo ſuper humeros fortibus oris contextum. Quod legitur Samuelem & Dauid indutos Ephod, aliud erat, & propriè ephotar dicebatur. Erat vero lineum iſtud mira pulcritudine vermiculatum.

* Ob recordationem filiorum Iſrael.

De rationali.

CAP. XXII.

TErtium ornamentum erat, quod Hebræus eſſin; Græcus logion, Latinus rationale, dicit; quadrãgulum, & duplex, ne pondere gemmarum rumperetur; habens menſuram palmi ſcilicet aperturam ſuperhumeralis implere ſufficiens; ex prædictis quatuor coloribus & auro contextum, eodem ſchemate quo & ſuper humerale. Erant quæ in eo duodecim lapides auro firmiter incluſi per quatuor ordines trini in ſingulis, in quibus erant ſculpta 12. nomina filiorum Iſrael, iuxta ordinem natiuitatis ſuæ, ſingula in ſingulis, vt geſtaret ſacerdos memoriale filiorum Iſrael in humeris, & in pectore, vt ſcilicet populus videns nomina patrum ſuorum ſatageret, ne à virtute priorum degeneraret Sacerdos vero vitam & fidem patriarcharum imitari meminiſſet, meminiſſet & populum ex his patribus ortum: ſacrificijs & orationibus Deo commendare, appellabatur etiam rationale iudicij, quia ſcripta erant in eo hæc duo nomina iudicium & veritas: vel doctrina & veritas. Sane vbi nos habemus pones in rationali iudicium & veritatẽ; Hebræus habebat Phurim & Thummym, vnde ſortes quibus iudicium veritatis ſolet inquiri * purim dicunt. Tradunt autem in medio rationalis fuiſſe lapidem quadrum magnitudine duorum digitorum, in quo ſecundum coloris mutationem perpendebant vtrum Deum placatum haberent, an offenſum. Ioſephus dicit ſardonicem, qui in humero dextro gerebatur cum ſacrificium ſacerdotis Deo placebat, tanto ſplendore micare quod etiam procul poſitus radius eius appareret; egreſſuri vero ad prælium, ſi Deus cum eis eſſet, tantus fulgor in lapidibus rationalis apparebat, vt omni foret multitudini manifeſtum, eorum auxilio Deum adeſſe, & ob hoc rationale iudicij nuncupari. Aſſerit autem hunc fulgorem ſardonicis & rationalis ceſſaſſe annis ducentis, antequam ipſe ſcripſiſſet hoc, cum Deus moleſte ferret tranſgreſſiones legis. Erant etiam in quatuor ſummitatibus rationalis quatuor annuli aurei, quorum duobus ſupremis inſertæ erant duæ catenæ aureæ ſibi inuicem cohærentes, id eſt obliquatæ ad modum io litteræ ſimul in medio coniunctę vel potius facturam exprimit catenæ in qua maculæ maculis cohærent, pro quo Hebręus habet plexas opere perplexo. Ioſephus dicit per fiſtulas venientes iuxta Chaldeum ſonat terminatas, id eſt ad quantitatem ſpacij in quo protendebantur factas; quæ ſurſum ferebantur, vſque ad ſcapulas pontificis; ſuper quas inſerebantur duobus vncinis aureis, ſuperhumerali fortiter inſertis. duobus vero inferioribus annulis aſſutæ erant duæ vittæ hiacynthinæ quæ circa latera ductæ duobus annulis aureis inter ſcapulas inſerebantur, quæ ſub vtroque ſardonice in Ephod fixæ ſtabant, vt vtraque ligatura Ephod & Logion ſibi inuicem firmiter cohærerent; ſuper hoc dicit Ioſephus zonam ex quatuor coloribus & auro conſertam ex vtroque latere circunductam, & iterum reuolutam ante pectus, & in vtraque ſummitate infra pendentem, habentem ex aureis fiſtulis fimbrias miro ordine compoſitas.

Comeſtor cap. 64. Rationale.

* Comeſtor habet puram

Notabile.

Gemma in pontificali ornatu miraculum.

De Tyara.

CAP. XXIII.

VLtimum erat capitis ornamentum, quod communius tyara vel mitra vel infula dici poteſt: ſpecialius vero cydaris. Eratque tyara ad modum prædictæ facta, quæ communis erat ſacerdotibus, ſuper quam ab occipite ſtabant flores aurei plantagini ſimiles, à tempore, ad tempus. A fronte vero ſupra ſtabat flos aureus ſimilis herbæ quam græci dicunt iuſquiamum, magnitudine digiti vnius. In ſuperiore vero tyaræ planicie, ex omni parte in circuitu vſque ad ſummitatem eius quæ in acutiſſimum deficiebat cacumen, particulatim per loca erant aurea malogranata, cum ſpinoſis extremitatibus ſuis fabrefacta; ſuper frontem vero pendebat lamina aurea quam petalum dicunt, ad modum dimidiæ lunæ facta, que arcuationem ſurſum habens, & in medio annulum aureum, vncino aureo inſerebatur, qui tyarę inſertus erat, in qua ſcriptum erat Ayoth Adonay, id eſt ſanctum domini nomen ſcilicet Tetragrãmaton, quod ineffabile dicitur, non quia dici non poſſit, ſed quia rem ineffabilem ſignificat. Quod his literis ſcribitur. He. Ioth. Beth. Vau. & hoc quidem ſonat, principium vitæ paſſionis iſte; quod eſt, per paſſionem huius quem præfigurat hic ſacerdos, reſtaurabitur vita in Adam perdita, ne vero cum moueretur pontifex, moueretur & lamina ſancta ſurſum, ligabatur vitta hiacynthina perſpicua, cælante vncinum & annulum, quæ circundata capiti, & ligata occipiti dependentes ſummitates ſuper humerum vtrunque diffundebat.

Comeſtor cap. 65. Tyara.

De myſterio veſtium & totius tabernaculi.

CAP. XXIIII.

HIs veſtibus ornatus pontifex imaginem totius orbis ſuper ſe præferebat; fæminalia enim & linea ſtricta, quia byſſina erant, terram figurabant; balthei vero quotquot erant circunuolutiones oceani; Tunica hiacynthina ipſo colore aëra præferebat; per tintinnabula, ſonitus tonitruum; per malogranata, coruſcationes ſignabantur, Ephod vero ſui varietate cælum ſydereum; quod aureis coloribus intertextum erat; ſignificat quod calor vitalis penetrat vniuerſa. Duo ſardonices ſolem & lunam, vel duo hemiſpheria, 12. gemmæ pectoris, 12. ſigna in Zodiaco. Pulchra quod in medio erat, appellabatur rationale; ratione enim cuncta ſunt plena, & terrena hęrent cœleſtibus. Immo ratio terrenorum & temporis, caloris, & frigoris, & duplex inter vtraque temperies; de cæli curſu, & ratione deſcendit: cidaris, cælum empyreum: Lamina ſuperpoſita; Deum omnibus præſidentem.

Comeſtor cap. 66. Significatio veſtium.

In ipſa quoque compoſitione tabernaculi patet Deum & non hominem ſic diſpoſuiſſe, quia (vt ait Ioſephus) ſingula ad formam rerum facta reperiet; ſiquis abſque inuidia velit hoc conſiderare: * Aditum enim quod ſoli pontifici peruium erat, figurabat cœlum Deo & angelis attributum. Sanctuarium vero, quod in duplo erat, terram & mare cunctis greſſibilia: ſicut & illa pars communis erat ſacerdotibus: cortinæ, cælum ſydereum: ſaga, aquas, quæ ſunt ſuper firmamentum: pelles rubricatæ, cælum empyreum, in quo ſunt angeli: hyacinthinæ, cælum ſuperius vbi Deus ſuper omnia.

Comeſtor cap. 57. Significatio tabernaculi. * Comeſtor habet Abditum.

Tamen in quatuor coloribus velorum (dicit Ioſephus) ſignari quatuor elementa: per byſſum, terram, quia & de terra eſt, & primo terreum & viridem colorem habet, per purpuram, mare, quia ex conchis marinis tingitur, per hiacynthum, aerem quia in colore ei ſimilatur: per crocũ, ignem, quia in colore ei ſimilatur, per menſam, annum, vel tempus, per panes, 12. menſes, per coronam quatuor digitorum, annum ſolarem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quatuor temporum, per minorem, annum lunarem, per ſeptem lucernas candelabri, ſeptem planetas, per ſeptuaginta partes eius, decharmoniam planetarum, forte quia quiſque planeta habet dignitates 10. vel poteſtates quinque naturales. 5. accidentales, in quibus armonice, id eſt proportionaliter ſe habent, in candelabro notatur, quia quæ ſub eis ſunt, ad ipſos tendunt id eſt motus naturales & effectus habent ex eis, quod etiam notat ornatus eius; cyphi id eſt vaſa liquoris, aquam: Sphærulæ, ſolem ſphæricum. Lilia, aerem qui ſolum vitiatur odoribus. Completis autem prædictis ſermonibus dedit dominus Moyſi duas tabulas lapideas decalogo inſcriptas digito Dei.

De peccato populi in vitulo ac precibus Moyſi & conſtructione tabernaculi.

Cap. XXV.

Author. Inter hæc populus moræ illius impatiens: Deos itineris duces inſtanter petijt, & Hur reſiſtentem (ſputis vt traditur) ſuffocauit, vnde timore coactus Aaron, * inaures eorum accipiens, vitulum ex eis inſtar bouis, quem in Ægypto adorauerunt, opere fuſorio formauit, quē & populus ſolēnizans & hoſtias offerens adorauit. Quod cū dominus Moyſi reuelaſſet, Moyſes, eo placato, deſcendit, viſoq; eorū ſcelere, iratus tabulas proijciens in ſignū abolēdi veteris teſtamenti confregit, vitulū quoque combuſſit, & maſſam in puluerē redactam atque in aqua ſparſam, potum ex ea dedit, vt ſcilicet colere erubeſcerent, quod in ſeceſſum emitti viderent. Cumque accuſaret Aaron, quia populum exaudierat, ille ſe excuſans, ait ſe timuiſſe populum quia pronus erat ad malum. Videns ergo Moyſes populum nudatum, ſcilicet ornamentis aureis, de quibus fabricatum erat idolum (vel ſecundum Hebræos) videns ſibi indicatos à Deo ſceleris authores, per puluerem bibitum, qui miraculoſe apparuit in barbis eorum, ad vltionem iniuriæ domini, filios Leui ſibi adiunxit, & ex illis, quaſi tria millia * occidit.

Altera igitur die Moyſes obnixius pro populo dominum deprecaturus aſcendit, à quo non quidem plenam indulgentiam, ſed vltionis dilationem ſcilicet vſque ad tempus Babylonicæ vel Romanæ captiuitatis obtinuit, ac de ornatu populi remouendo, præceptum accepit. Quod commode intelligitur de tranſlatione prioris tabernaculi à radice montis, antequam prius iura tractauit. Moyſes tandem veniam, quam petebat, obtinuit, & poſteriora domini ideſt tergum ipſius in humana effigie tranſeuntis cum magna claritate vidit, & duas tabulas inſtar priorum præſcidit, in quibus 10. verba fœderis deſcripſit, iterumque 40. dies in ieiunio cum domino faciens, ſplendida facie & quibuſdam radijs oculos intuentium reuerberante deſcendit, ideoque coram populo faciem velauit.

Tertio iterum (vt Hebrei tradunt) ad impetrandam veniæ certitudinem aſcendit. Completoque cum domino tertio ieiunij quadragenario nona die Septembris redijt, in craſtino ſolemnizantes pro venia data, ieiunijs animas ſuas afflixerunt, & deinde decimam diem huius menſis diem propitiationis vocauerunt. Moyſes itaque de conſtructione tabernaculi cum populo tractat, prius tamen ne forte in hoc ipſo opere putarent ſibi licere operari in ſabbato, præceptum de ocio ſabbati eorum memoriæ inculcat, populumque ad offerendum & artifices ad operandum inuitat: omnis itaque multitudo à 20. annis & ſupra mente promptiſſima quicquid habebat precioſius offert. Sicque totum opus in menſibus 7. completum eſt.

* *Hoc erat quod pretioſius habebant.*

* *Alia trāſlatio habet 23. millia.*

Impetrat veniam Moyſes pro delicto populi licet nō ſine magna difficultate.

De lege ſacrificiorum in generali.

Cap. XXVI.

Igitur anno ſecundo ab egreſſu ex Ægypto menſe primo *, prima die menſis Moyſes tabernaculum erexit, & gloria domini illud operuit, per diem incubans ſuper illud in nube, & per noctem in igne, ad cuius eleuationem deinceps filij Iſrael caſtra mouebant, ea vero ſtante & ipſi ſtabant. Inde dominus Moyſen vocauit eique legem ſacrificiorum tradidit.

Comeſtor. De doctrina & traditione ſacrificiorum quinque conſideranda ſunt hic, ſacrificia, quæ Deo offeruntur, perſonæ à quibus offeruntur, tempora, quando; loca, vbi: cauſæ, pro quibus. Triplex autem eorum, quæ ritè offerebantur occurrit diſcretio; aut enim erat oblatio de animalibus & ſacrificium dicebatur, nec ante octauum diem natiuitatis poterat offerri, nec eadem die mater & fœtus eius. Aut de ſicca materia, vt de ſimila, & pane, vel thure, & proprie dicebatur oblatio, aut de liquidis, vt vino, & oleo, quæ proprie libamen vel libatio dicebatur, licet his nominibus ſcriptura quandoque indifferenter vtatur.

Perſonæ vero offerentium duæ, ſcilicet anima vel ſynagoga. Animarum vero alia ſacerdos, alia princeps, alia priuata, de quibus ſuis locis dicetur, ſimiliter de locis & temporibus ſuo loco. Cauſarum etiam triplex erat differentia, offerebāt enim quandoque neceſſariò, quandoque ſponte, quandoque caſu. Neceſſario autem vel ex voto, vel ex præcepto; ſane ex præcepto offerebant primitias frugum, vuarum, fructuum: decimas quoque eorundem, & inſuper animalium, primogenita animalium & liberorum, & oblationes etiam trium ſolemnitatum, & cætera in hunc modum: mel autem & fermentum nunquam offerebantur Deo, tantum primitiæ eorum ſuis temporibus offerebantur ſacerdoti: Sed nihil ex his ſuper altare ponebatur, communiter autem à nullo ſacrificio ſal deeſſe licebat, & ideo dicebatur ſal fœderis, quia non erat fas hoc tranſgredi.

* *Comeſtor dicit menſe ſeptimo, Ioſephus habet menſe Aprilis, anno mundi 2455.*

Comeſtor cap. 2. in Leuiticum.

Simplex oblatio: Sacrificium.

Oblatio Libamen.

Primitiæ Decimæ.

De holocauſtis.

Cap. XXVII.

Sacrificiorum alia holocauſta dicebantur, illa quæ tota incendebantur, Holon enim totum; cauma incendium dicitur; fiebat autem in tribus tantum; in armentis, in pecudibus, ſed tantum de ouibus & capris. In auibus, ſed tantum in turture & columba.

De armentis & pecudibus ſic, offerebatur tantum maſculus anniculus, id eſt vnius anni vel circa, ſupra annum non, vnde quandoque hoſtia agnus, quandoque Aries, appellabatur. Bos enim ſupra annum poterat offerri, vt ait Ioſephus *. Erat quoque immaculatus, quod non de macula velleris, ſed corporis intelligendum eſt, id eſt non debile aut fracto membro, aut papulas habens, aut ſcabiem, aut cæcum, & huiuſmodi, offerebaturque primo ſacerdoti ad oſtium atrij, vt videret ſi idoneus eſſet ad offerendum, poſtea ad oſtium tabernaculi domino, per manuum impoſitionem ſuper caput; lotis prius manibus, quia præter mare ſacerdotum, erant in atrio duo maria: vnum virorum, alterum mulierum, vnde & à loco offerendi ab Hæbræis hoſtia dicebatur; gentiles autem ab hoſtibus vincendis hoſtiam, & à victis hoſtibus victimam, conſueuerant appellare. Oblatamque ſic hoſtiam reducebat Sacerdos ad altare holocauſtorum, & ſtans ad Aquilonem immolabat eam coram domino ad latus altaris id eſt in conſpectu ſanctorum, fundebatq; ſanguinem circa crepidinem altaris in circuitu, detractaque pelle hoſtiæ quæ erat ſacerdotis, ſacerdos artus in fruſta conſcindebat. Quibus lotis cum capite, pedibus & inteſtinis, adolebat omnia ſuper altare in holocauſtum & odorem ſuauem Domino.

Comeſtor cap. 3.

* *Bouem licet mactare etiam grandiorem.*

Hoſtia. Victimam vero Hebræi à vinceindo dixerunt; quia vinctū adducebatur animal.

De

In his ſacrificijs non erat credendum quod in nidore ſeu odore carnium delectaretur Deus, ſed potius in re ſignificata & deuotione offerentium.

De Auibus offerebatur pullus Turturis vel columbæ, cui ſacerdos frangebat collum ſola manu, non enim licebat leuare ferrum ſuper Auem,& retorto capite ſub aſcella,vngue cutem colli vbi fractum erat,rumpebat: & fuſo ſanguine,circa crepidinem altaris, veſiculam gutturis,& plumas,proijciebat ad orientem, in loco ſecreto vbi cineres effundebantur; confractiſque aſcellis manu adolebat eam ſuper altare in holocauſtum; & hæc minora & ſimplicia erant holocauſta,quæ voluntarie fiebant. Erant enim quædam maiora,quadam neceſſitate facta;quæ & ſanctiora quodammodo,quia totum incendebatur,& pellis & fimus; de quibus poſt dicemus,quodammodo tamen minus digna,quia ſuper altare non cremabantur.

De ſacrificijs ſpontaneis.

CAP. XXVIII.

Comeſtor cap.4.

NVnc de ſacrificijs partialibus proſequamur; & voluntarijs. Horum quædam pacifica, quædam ſalutaria, quæ ſcilicet pro ſalute danda, vel data, vel conſeruanda, offerebantur: ſimiliter & pro pace vel ad Deum vel ad homines; vel quia ad modum pacis fiebant; cum cuique,quod ſuum erat dabatur, Deo ſcilicet ſacerdoti & offerenti, fiebat autem cum erat de animalibus, de armento tantum, & de pecudibus prædictis;de auibus vero non. Sane in modo offerendi ab homine vel ſacerdote idem fiebat cum hoſtia holocauſti: Sed in hoc erat differentia,quia hic offerebatur maſculus,vel fœmina,& anniculus,& grandiora immaculata, pars vero hoſtię offerebatur domino; pars vero ſacerdotum,reliqua offerentium. De armento hæc offerebantur domino; omnis adeps, (qui eſt pinguedo interiorum) offerebatur,pinguedo enim ſuper carnem, aruina, vel lardus dicitur, quæque carni admixta proprie pinguedo, quæ inteſtinis adeps.

Eſt autem triplex adeps; ſcilicet adeps vitalium, id-eſt cordis & ventris, adeps iecoris id eſt epatis, quem reticulum dicimus,quia inuoluitur ad modum retis;& denique adeps renum: Hos tres adipes, duoſque renes id eſt ilia & renunculos adolebat ſacerdos ſuper altare; eadem & de capra domino offerebantur. Si vero de ouibus erat oblatio, præter prædicta offerebatur de ea cauda integra*, pellis vero erat ſacerdotis qui offerebat illud; armus vero dexter qui dicebatur ſeparationis, & pectus quod dicitur eleuationis cedebant in vius ſacerdotum; & lingua cum faucibus (vt tradunt) forte enim pectori adhærebant. Et his veſcebantur ſacerdotes in domibus ſuis cum vxoribus, & liberis, & domo tota mundis tamen. Illi quoque qui in domibus immolabant cauſa epuli vel religionis, pectus & armum ſacerdoti dabant,reliqua vero erant offerentium, & epulabantur inde coram domino,in locis ſcilicet ad hoc deputatis, in ipſo atrio vel iuxta: licebat etiam ex his tam ſacerdotibus quam alijs edere duobus diebus, ſi quid ſupererat in diem tertium cremabatur; & nota quod nullum animal offerebatur, vel in ſacrificium, vel in holocauſtum,ſine libamentis ſuis.

* *Quã lumbum vocant ſeptuaginta.*

Comeſtor cap 5.

Si vero manus hominis animal inuenire non poterat, offerebat pro ſalute vel pro pace ſimilam farinam ſcilicet delicatiſſimam, fundens ſuper eam oleum*: & thus offerebatur cum ea. Sacerdos autẽ totum thus & pugillum plenum ſimilæ oleatæ adolebat ſuper altare in memoriale offerentis, vt ſcilicet dominus memor eſſet eius; vel ſacerdos ad Deum; reliquum erat ſacerdotum. Si vero ſacrificium de ſimila coctum, offerebat panes ſine fermento conſperſos oleo,coctos in clibano vel in craticula,offerebat & lagana azyma id eſt latos panes & tenues non conſperſos ſed linitos oleo. Quidam tamen per laganam panem coctum in aqua intelligunt, vt ſit tertium genus panis à cocto in clibano & cocto in craticula, ſi vero offerebat coctum in ſartagine, conſperſum oleo & ſine fermento erat, & diuidebatur minutatim. Ex his oblatis ſacerdos memoriale adolebat coram domino; de panibus vnum, & de fruſtis vnum: reliquum erat Aaron & filiorum eius ad edendum cum omni domo ſua,& æqua ſorte diuidebatur eis.

* *Et dicebatur ſimila oleata vel oleo fermentata.*

Poteſt eſſe tertia ſpecies ſacrificij à ſalutari & pacifico,pro gratiarum actione,vel pro victoria ſcilicet vel pro aliquo bono euentu inopinato; & poteſt dici fieri caſu;hæc omnia erant voluntaria.

De ſacrificio pro peccato ſacerdotis vel ſynagogæ.

CAP. XXIX.

Comeſtor capit.6.in Leuit. Peccatum graue & leue.

ALia vero erant neceſſaria & debita; vt pro peccato, & pro delicto: Dicitur autem peccatum grauius ſcilicet quod ex induſtria factum eſt;delictum leuius ſcilicet quod ex ignorantia. Vel peccatum cum fit, quod faciendum non eſt, delictum quaſi derelictum, cum non fit quod faciendum eſt. Iuxta perſonas peccantium erat diuerſitas ſacrificiorum.

Comeſtor cap. 7. De peccato Sacerdotis.

Si ergo ſacerdos, qui vnctus erat peccauerat delinquere faciens populum, quia ſcilicet peccatum cuiuſlibet ſacerdotis trahitur in exemplum; vel ſicut in Hebræo habetur, ad culpam populi id eſt ita viliter & aperte quaſi vnus de populo quod valde indecens erat, hic offerebat pro peccato ſuo, per manus impoſitionem ad oſtium tabernaculi vitulum immaculatum, & coram altari immolabat eum, haurienſque de ſanguine inferebat illum in tabernaculum,& intingens in eo digitum, aſpergebat illum ſepties contra velum ſanctuarij,& de eodem ponebat ſuper cornua altaris incenſi, & egrediens, reliquum ſanguinis fundebat circa crepidinem altaris holocauſti,& omnem adipem cum renibus & renunculis adolebat ſuper altare, ſicut de vitulo hoſtiæ pacificorum: pellem vero,& omnes carnes cum fimo offerebat etiam extra caſtra, in locum mundum, vbi cineres effundi ſolebant, & incendebat ea ſuper ſtruem lignorum.

Comeſtor cap.8.in Leuiticum.

Quod ſi omnis turba per ignorantiam peccauerat, offerebant ſeniores populi ad oſtium tabernaculi,per manuum impoſitionem vitulum,& fiebat de hoc ſicut & de priori pro peccato ſacerdotis; & orante pro eis ſacerdote, propitius erat eis dominus. In duobus tamen hic innuitur differentia inter peccatum ſacerdotis & peccatum populi, quia ſcilicet ſacerdos non dicitur peccare per ignorantiam: non enim licet ei ignorare mandata domini. Item quia non legitur quis orare pro ſacerdote,quia ſi percuſſus fuerit incantator à ſerpente, quis medebitur ei? Ecce patet differentia inter holocauſta hæc & prædicta,quia nihil ex his erat ſacerdotum,ſed totum domino cremabatur, neque membra iſtorum cum capite & pedibus & inteſtinis lotis ponebantur ſuper altare. Generalis enim regula erat quod de cuius ſanguine inferebatur in ſanctuariũ, nihil ex eo licebat remanere,nec aliud ex eo ſuper altare adolebatur,niſi adeps cũ renibus & renũculis, in modo etiam offerendi,& numero ſacerdotum offerentium erat differentia. De carnibus enim holocauſti ſalutaris fiebant nouem partes quas ſuper altare ponebant nouem ſacerdotes,quiſque ſuam. Vnus quoque quatuor ſimul offerebat,ſcilicet caput,& pedes, iecur,& inteſtina lota aqua,duo vero ſanguinem offerebant, vt omnes ſimul eſſent duodecim.

Sacerdos non debet ignorare mandata Domini.

De ſacrificijs pro peccato principis & anime.

CAP. XXX.

Comeſtor cap.9.in Leuiticum.

SI princeps peccauerat per ignorantiam, & poſt intellexerat peccatum ſuum; offerebat hyrcum, quo immolato,tingebat ſacerdos digitum in ſanguine,quo tingebat ſacerdos cornua altaris holocauſti, reliquum fundens ad baſim eius,& adolebat adipem,renes & renunculos, reliqua erant ſacerdotum, ſed quia hoſtia erat pro peccato & de ſanguine eius tincta cornua

altaris

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

altaris Holocauſti; carnes eius erant ſanctæ & ſanctificabant quæ ab eis erant tacta, ſed non quælibet, immo in genere ſuo caro carnem, ſimila ſimilam, panis panem, & non veſcebatur eis niſi ſacerdos vnctus & mũdus, & non niſi in loco ſancto, & non niſi in eadem die qua offerebantur; ſi quid reſiduum eſſet igne comburebatur, ſi veſtis polluebatur eius ſanguine, abluebatur, vt nullum remaneret ſanguinis veſtigium in eo, alioquin vrebatur: vas teſteum, in quo coquebatur caro, ſtatim frangebatur, æreum defricabatur, & lauabatur aqua.

Comeſtor cap. 10. De hoſtia pro peccato anima.

Cum autẽ peccabat per ignorantiam anima de populo terrę, offerebat capram immaculatam, eo modo quo & alij, vel agnum & fiebat de hac hoſtia eodem modo, quo & de Hyrco principis, ſi autem non poterat habere pecus, offerebat duos pullos turturis, vel columbæ; quorum alter offerebatur domino in holocauſtum, alter vero erat ſacerdotum, eius tamen ſanguis ad fundamentum altaris holocauſti diſtillabatur, quia pro peccato erat. Quod ſi nec auiculas poterat inuenire, offerebat ſimilam, decimam partem Ephi, nec mittebat in ea oleum aut thus, quia pro peccato erat, & eius memoriale ſacerdos adolebat, ſuper altare, reliquum habebat ipſe in munere.

De igne ſacro nutriendo & de adipe & ſanguine non edendo.

Cap. XXXI.

Comeſtor cap. 11. & 12.

Authoꝛ. Inter hæc addidit dominus de igne per ſacerdotes iugiter in altari nutriendo, & de adipe non edendo, ſed domino offerendo, quod de animalibus oblatis intelligitur, de ſanguine quoque non comedendo, in quo eſus ſuffocati tantum prohiberi accipitur, in tantum tamen ſanguinis eſum prohibuit, quod & auem vel feram, aucupio, vel venatione captam, fuſo ſanguine in terram, & operto comedi voluit, quia anima in ſanguine eſt.

Additur etiam de forma conſecrationis ſacerdotum & tabernaculi, & altarium, & de poteſtate eorum ſcilicet offerendi & partes ſuas accipiendi. Qua conſecratione per Moyſem vice domini completa, terreno igne amoto, diuinus ignis ſuperueniens deuorauit oblata, qui iugiter ſeruatus vſque ad tranſmigrationem Babylonis permanſit, nec alium deinceps in altari vnquam ponere licuit; vnde Nadab, & Abiu, quoniam eadem die cum igne alieno incenſum obtulerunt, igne diuino conſumpti ſunt; quos eorum cognati efferentes, ſicut erant induti lineis, & tyaris, ſepelierunt. Aaron autem & filij eius propter vnctionis ſanctitatem, & diuini iudicij reuerentiam, eos lugere vetati ſunt.

Miniſtri altaris ſepeliuntur, vt induti veſtibus miniſterij ſui.

De conſecratione tabernaculi.

Cap. XXXII.

Comeſtor. In die qua vnxit Moyſes tabernaculum & ſanctificauit, obtulerunt 12. principes tribuum, ſex plauſtra tecta, cum 12. bobus; ſinguli bouem vnũ, & bini plauſtrum vnum, & data ſunt duo plauſtra Gerſonitis ad ferenda onera eorum, & 4. Meraritis, poſtea ſinguli ſingulis diebus obtulerunt vaſa, altari neceſſarea; 12. enim diebus ſolemnitas protelata eſt, prima die obtulit Naaſon de tribu Iuda acetabulum argenteum 130. ſiclorum, Hebræus tamen ſcutellam habet, phialamque argenteam 70. ſiclorum, vtrumque plenum ſimila; in phiala thus ponebatur, mortariorum quoque aureum 10. ſiclorum plenum incenſo: in hoc vaſe aromata tenebantur. Hæbræus habet coclear quo ſcilicet thus in thuribulo ponebatur, bouem quoque & arietem &c. Eiuſdemmodi vaſa & eaſdem hoſtias obtulerunt alij principes, quiſque die ſuo.

Authoꝛ. De ordine autem temporis huius dedicationis, & conſecrationis ſacerdotis, & tabernaculi, & Phaſe, quatuor ſunt opiniones inter quas probabilior eſt, quæ dicit quod eadem die inchoata eſt conſecratio ſacerdotum & vnctio tabernaculi, & oblatio 12. principum, ſcilicet prima die, primi menſis, ſecundi anni. Et cucurrerũt hæc omnia ſimul per 7. dies, poſt quos ſecuta eſt oblatio principum per 5. dies, 13. die conſecrati ſunt Leuitæ; 14. celebratum eſt Phaſe, & ſic tempore ſuo celebratum eſt; alioquin ſi hęc omnia fierent ſucceſſiue primo menſe ſecundi anni, non potuiſſet Phaſe celebrari tempore ſuo, quia conſecratio ſacerdotum, & dedicatio tabernaculi protelarentur 19. diebus, vel ad minus 18. nec licebat duo feſta generalia ſimul celebrare, ſcilicet dedicationem, & Phaſe.

De immunditia ciborum legali.

Cap. XXXIII.

Ex ſacra hiſtoria. Quoniam autem officium ſacerdotum erat, non ſolum offerre, & orare, ſed etiam inter mundum, & immundum diſcernere, poſt eorum conſecrationem additur de his, quæ immũda erant ſecundum legem ſcilicet de cibis immundis, de lege puerperæ, de leprę cognitione, de viro ſpermatico, & muliere.

Quorundam enim animalium eſum prohibuit dominus Iudæis, non quia ſint aliqua immunda ſecundum naturam, cum omnis creatura Dei bona ſit, ſed vt eorum caſtrimargiam reſtringeret, & vt in animalibus mundis bonorum hominum: immundis autem malorum mores figuraret.

Animalia immunda deſignant hominum vitia.

Dicuntur ergo quędam immunda, vel quia ad eſum prohibita, ſicut carnes in quadrageſima: vel quia deſignant immunda ſcilicet hominum vitia. Igitur animalium alia in terra viuunt, alia in aquis, alia in aere. Item quæ in terra, alia repentia ſunt ſuper terram, quæ omnia immunda; alia latentia, vt talpa, quæ de luto naſcitur, & hæc omnia ſimiliter immunda. Alia vero gradientia ſuper terram, & de his eſt regula generalis quod omne quod ruminat *, & findit vngulam ſimul, mundum eſt, reliqua autem immunda. De piſcibus autem eſt regula generalis, quod habens pinnulas & ſquamas mundus eſt, reliqui omnes immundi. De auibus autem non expreſſit dominus generaliter quæ mundæ eſſent & quæ immundæ: hoc tamen in genere dixit, quod volatile gradiens quatuor pedibus immundum eſt, niſi habuerit crura retro longiora, ſuper quæ ſaliat, vt locuſtæ, quibus Ioannes veſcebatur in deſerto.

* ruminat, *dicit propter camelum, qui tamen findit vngulam; Findit dicit propter camelum qui ruminat.*

De purificatione puerperæ.

Cap. XXXIIII.

Comeſtor cap. 18. in leuiticum. Addidit quoque dominus legem purificationis mulierum talem: ſi mulier peperit maſculum, immunda erit 7. diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ id eſt eiuſdem immunditiæ iudicabitur, cuius eſt cum ſeparatur à mundis, quando patitur menſtruum: in tantum enim immunda eſt, quod quicquid tangit, reddit immundum, cibum, lectum, veſtem, ſedem; vnde non licet communicare ei, nec in cibo, nec in lecto. Octauo die circuncidebatur puer poſt 7. dies inquinationis manebat 33. in ſanguine purificationis ſuæ, vt ita omnes dies purificationis fierent 40. quia tot diebus dicunt phyſici carnem maſculi formari in vtero: in purificatione vero 33. dierum licebat ei ſurgere, & deambulare in domo, ſed non egredi vel operari. In tangendo non polluebat, & licebat alijs communicare ei in ſede & cibo ſed non in lecto, accedere vero ad tabernaculum non poterat, niſi expletis 40. diebus.

Si vero pareret fœminam, duplicabantur priores dies inquinationis, & poſtea dies purificationis, vt fierent ſimul 80. quia tot diebus formatur fœmina: poſt

offerebat

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

offerebat pro filio,vel filia agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ vel turturem pro peccato ſuo,quia in libidine conceperat. (Vnde dicit gloſſa: Pro peccato id eſt libidinoſa concupiſcentia, in qua concepit quæ eſſet peccatum, niſi per bonum matrimonij excuſaretur. Aug. tamen aliter exponit ſic, pro peccato,ſcilicet filij:& huius expoſitionis rationem ſumit ab illo loco. Lucæ 2. obtulerunt pro eo, domino, non dicit pro ea.) Et erat ſacerdotis, quod ſi non poterat manus eius inuenire agnum, offerebat duos turtures vel duos pullos columbarum, alterum in holocauſtum pro puero,alterum pro peccato ſuo; vel pro originali filię,quia filio in circunciſione dimiſſum erat: Hebræi tamen paruulos non habere peccatum tradunt: propter hoc dicit Ioſephus primogenitum redimi 5. ſiclis.

De iudicio leprę.

Cap. XXXV.

Author. Lepra triplex erat, prima hominis; quæ maxime apparebat in tribus, ſcilicet in cute, carne,& in pilis. In cute cognoſcebatur,quando apparebat in ea albor, ideſt pallida albedo, vel puſtulæ,ideſt veſicæ putridæ, vel cicatrix alba ſiue ſubrufa. In carne, quando corroſa erat à lepra, ita quod locus lepræ humilior erat carne reliqua.

Non facilè quis excommunicari debet.

In pilis autem, quando mutati erant in candorem, ſolito tenuiores, nec ſine deliberatione diuturnavé examinatione eijciebatur de caſtris; in quo notatur ſecundum myſterium, quod cum maxima maturitate debet quis eijci de eccleſia per excommunicationem. Cuius autem perſpicua erat lepra, ſeparabatur arbitrio ſacerdotis,& habebat veſtimenta diſſuta, facilia ad induendum & exuendum, & caput nudum vt poſſet agnoſci,os veſte contectum,ne fætorem loquēdo diffunderet, & habitabat ſolus extra caſtra.

Secunda eſt lepra veſtis, erat autem triplex, ſcilicet lepra veſtis laneæ, vel lineæ, vel pellis, macula ſcilicet albida, vel rufa: humilior ſuperficie reliqua. Quæ poſt examinationem,ſi perſpicua erat,comburebatur veſtimentum. Si adhuc dubia,rumpebatur locus lepræ à ſolido;& ſi iterum alibi macula apparebat, lepra volatilis erat, & comburebatur veſtis. Tertia erat lepra domus, ſi enim ſimilis macula corroſiua apparebat in domo,vt eſſent valliculæ in pariete, pallore vel rubore deformes. Similiter examinabatur à ſacerdote,vt patet in litera Leuitici,vbi etiam plane agitur de mundatione leproſi: deque viro quoque ſpermatico & muliere patiente fluxum ſanguinis ex morbo.

De purificatione Emorrhoiſſæ & menſtruatę.

Cap. XXXVI.

EAdem enim lex erat immunditiæ & purificationis vtriuſque, ſcilicet ſpermatici & Emorrhoiſſæ. Similiter eiuſdem immunditiæ menſtruata mulier erat: non tamen purificabatur ſolemniter, ſed ipſam cum veſtibus ablui ſufficiebat,morbidæ namque immunditiæ pro peccato ſolent accidere, & ideo pro eis, & pro peccato offerebatur ſalutare:non autem pro menſtruo, quoniam eſt naturale. Sciendum vero quod in Leuitico 15. accedenti,ad menſtruatam,purificatio 7. dierum conceditur, quod de ignoranter accedente intelligendum eſt. In eodem autem 20. vterque perimendus dicitur,quod de illis,qui faciunt ex induſtria dictum eſt. Nec mirum tales immundos reputari à lege,cum etiam legitime cognoſcentem vxorem propriam, voluerit dominus veſtem & totum corpus abluere, & vſque ad veſperam immundum permanere: ſi autem propter corruptionem fætus, ſecundum Hierony. prohibetur acceſſus ad menſtruatam, cur non magis ad leproſam; ſed menſtruata cito curatur, & non leproſa; ideoque

Tradunt Hebræi quod ſi quis dormierit cum muliere prima die ſui menſtrui & ſi puer inde concipitur & vixerit infra 10. annos leproſus erit; ſi vero ſecunda die menſtrui tunc infra 20. & ſic vſque ad 7. diem.

propter fidem matrimonij leproſæ reddendum eſt debitum,non tamen ſimpliciter petendum.

Porro ſicut lex quoſdam cibos immundos reputari fecit: vt in Iudæis vitium gulæ coercet, ſic etiam non abſurdum videri poteſt, quod à quodam Hebræo audiui, quaſdam domos eorum lepræ condemnari,vt eorum ſuperbiam in ędificijs reprimeret. Cum enim quis domum pulchram,& vltra modum curioſam ædificaſſet,dominus illam plagam, quæ lepra dicitur, in ea immittebat:ita quod eam dirui oportebat. Idem quoque poteſt æſtimari de lepra veſtis, & etiam carnis: nam quidam ſuperbiebant de precioſitate veſtis,quidam de pulchritudine corporis: horum omnium diſcretionem oportebat(vt dictum eſt) habere ſacerdotem ſanctuarium ingredientem.

Ex ſuperbia oritur grauis lepra.

De vitula rufa & Hyrco apompeio.*

** alias apopompeio.*

Cap. XXXVII.

POſt hæc itaque ſubiungitur de ingreſſu Pontificis in Sanctaſanctorum ſemel in anno tantum, ſcilicet decima die Septembris, cum ſanguine animalium,ideſt vitulæ rufæ & Hyrci, qui cum Hyrco apompeio* ſegregatus, cedebat in ſortem domini, cuius etiam ſanguinis aſperſione fiebat expiatio altarium & totius tabernaculi. De corporibus autem eorundem animalium combuſtis & in cinerem redactis fiebat aqua aſperſionis, à qua per totum annum purificabantur immundi: vnde certè mirandum eſt, cum hic cinis ad purificandum immundos fieret, & etiam hoc ſacramentum, quaſi ſanctiſſimum, dominus religionem victimæ appellet, cur illi qui eum tractabant omnes immundi erant? ſcilicet & ille, qui corpora ipſa efferens, comburebat,& alius qui,illo redeunte,remanens ad ignem, vſque ad cinerem omnia conſumi faciebat; tertius quoque qui cineres reſeruandos ad aquam aſperſionis colligebat; quartus etiam qui immundum purificabat: quilibet iſtorum, non niſi lotus intrabat caſtra, & immundus erat vſque ad veſperam: forſitan in ſignum, quod illi, qui purificant alios, vt prædicatores, & confeſſores: multos inde contrahunt neuos, & vnde alij purgantur, ipſi vtcumque maculantur: ille quoque qui caprum emiſſarium dimiſerat in deſertum, ſimiliter immundus erat:ſed huius ratio facilis eſt, quia ſcilicet populi peccata ſecum Hyrcus ferebat, ſcilicet capiti ſuo impoſita; & vt tradunt quidam chartæ inſcripta; mittebatur autem in deſertum non rediturus, & ideo dictus eſt græce apompeius & emiſſarius: & hoc per hominem ad ipſum paratum. Tradunt enim Hebræi quoſdam paruulos tribualiter* ad hoc parari, medicinaliter eis ſplene ſubtracto; vt expeditio res eſſent. Qui ſcilicet Hyrcus ſi forte rediret, non erant Iudæi à peccatis purgati: ſi vero non redibat, purificati erant à peccatis ſcilicet illius anni, quæ per fragilitatem vel ignorantiam contraxerant.

** Hyrcus qui emittebatur non rediturus apompeius Græcè, Latine emiſſarius vocabatur.*

Iudæi prorſus de hoc reſpondere ſe neſcire fatentur.

** Id eſt de tribu ad hoc deputata.*

De commixtionibus illicitis.

Cap. XXXVIII.

TRadidit etiam filiis Iſrael multitudinem præceptorum recapitulando prædicta; & ſuperaddendo noua. Inter quæ prohibuit ne homo domeſticam ſuæ carnis accederet. In primorum quidem parentum coniugio propter hominum raritatem, ſolum duas perſonas excluſit dominus à coniugio, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem; ideſt nec filius matri,nec patri filia copulabitur: ſub lege vero plures excepit,quę ſunt fere 12. mater, nouerca, ſoror, neptis, amita, matertera, vxor patrui, nurus, vxor fratris, ſed hæc determinationem recepit. Intelligendum eſt enim de fratre mortuo, qui filios reliquit, vel etiam de viuo, qui vxorem ſuam repudiauit priuigna,

Leuitic. 18. Comeſtor cap. 24.

Gen. 2.

Paucas tunc excluſit, vt multiplicarentur homines & replerent terram.

filia

filia priuigni, vel priuignæ; ſoror vxoris: ſub gratia plurimæ excluduntur, vbi continentia locum habet. Coitum quoque cum maſculo & iumento ſub interminatione mortis prohibuit; diligi amicum ſicut ſeipſum præcepit; vbi 70. proximum ponunt; nec agrum ſeri diuerſo ſemine, nec iumenta diuerſi generis coire, nec veſte ex duobus texta indui; nec comam in rotundum tonderi: quibus & ſimilibus ad literam intelligendum eſt ſecundum ritum gentium, & maxime Ægyptiorum cum quibus habitauerant: nam Dauid * mulam legitur habuiſſe: ſed Ægyptus omnigena venerans monſtra Deorum. In honore diuerſorum Deorum, quos putabat talibus præeſſe, diuerſa ſemina in agro, diuerſas materias in veſte ſociabat, diuerſos etiam cincinnos capitis diuerſis Dijs ſacrabat: vnde & in principio horum præceptorum dixit dominus: Iuxta conſuetudinem terræ Ægypti in qua habitaſtis non facietis &c.

* *Super quã poſitus eſt Salomon & delatus ad fontem Geon ad inungendum.*

De præputijs arborum auferendis & de panibus ac ſanctimonia ſacerdotum & de talione.

CAP. XXXIX.

Comeſtor cap. 25. & 26.

ADdidit etiam cum intrarent terram promiſſionis, vt auferrent præputia arborum, quas plantarent; & videtur velle, quod fructus primorum trium annorum immundus eſſet, & abiiciendus; fructus quarti anni ſanctus domino, & communis pauperibus, ſed in quinto anno & deinceps domini ſui eſſent & eſibiles.

Tria genera panum ſacerdotum.

Ad euidentiam quoque eorum, quæ hic in Leuitico traduntur: ſciendum eſt ſacerdotes panum habuiſſe tria genera. Panes ſacerdotales, Leuiticos, laicos. Sacerdotales erant panes propoſitionis, qui de publico ſumptu fiebant, quos non licebat edere, niſi ſolis ſacerdotibus, panes Leuitici qui offertorij quibus ſoli de genere Leui veſcebantur, etiam qui propter maculam non poterant miniſtrare, & filiafamilias, ſed non vxorata vel vidua repudiata, niſi neceſſitate rediret ad domum patris, vt eſſet quaſi filiafamilias. His non adueſcebatur aduena, inquilinus, mercenarius ſacerdotis, verna tantum vel emptitius ipſius veſci poterat. Laici communes, quibuſcumque poterat veſci.

Comeſtor cap. 27.

De ſanctimonia quoque ſacerdotum agens dominus, prohibuit ne contaminarentur in mortibus ciuium ſuorum; niſi tantum ſuper patre, & matre, filio, & filia, fratre, & ſorore virgine; ne ſcilicet lauarent eos, vel ſepelirent. Pontificem vero ad nullum omnino mortuum voluit ingredi: vnde & dominus Papa nullis exequijs intereſſe dicitur.

Pœna blaſphemiæ.

Præcepit etiam dominus hominem lapidari pro culpa blaſphemiæ, ſubintulit quoque de talione, quę non erat in iniurijs rerum, ſed in læſione corporum, quia furta reſtituebantur in duplum vel quadruplum. Determinabaturque talio per neceſſitatem vt lædens virum mulier in virilibus, puniebatur manu; quia virilia non habet; vir lædens prægnantem, vt abortiuum faceret nondum, animatum mulctabatur pecunia. Quod vero iniuriatus ſine iudice poſſet vlciſci: forte inde videri poteſt, quod ad ciuitatem refugij; fugiebat homicida non volens vt interficeretur à proximis occiſi.

Comeſtor cap. 29. de pœna talionis.

De ſabbatiſmo anni ſeptimi & quinquageſimi, ideſt iubilei & decimatione animalium.

CAP. XL.

ADdidit quoque de ſabbatiſmo ſeptimi anni in quo nullum debitum repetere licebat; ſerui egrediebantur liberi; agri quidam colebantur & ſeminabantur, ſed non colligebantur à diuitibus, ſed pauperibus dimittebantur, & quod pauperibus remanebat feris relinquebatur.

De obſeruatione Iubilæi.

Addidit etiam dominus de obſeruatione iubilei qui ſeptimanam hebdomadarum annorum ſequebatur: ad cuius præſignationem ſeptem annis præcedentibus, vt tradunt quidam in ſingulis neomenijs clangebant tubis, & ſeptem diebus continuis ante ipſum ſolemnizabant clangentes tubis. In hoc anno omnes diſtractiones rerum ad priſtinos redibant poſſeſſores, præter domos, quæ erant in vrbibus muratis. Quas tamen primo anno venditionis venditori redimere licebat, exceptis domibus Leuitarum, quæ in quocunque eſſent loco in anno iubileo redibant. Eodem anno requieſcebat terra, & debita eodem anno ſerui liberi dimittebantur: alienigenas tamen voluit ſeruos in perpetuum poſſidere.

Bene merentibus promittitur benedictio.

Talium præceptorum obſeruatoribus, promiſit dominus benedictiones ſuas, dicens: Dabo vobis pluuias &c. vbi 30. clauſulæ promiſſionum inueniuntur: tranſgreſſoribus vero longe plures ingeminat maledictiones.

De decimis & votuis.

In decimatione animalium, quod decimum veniebat vel naſcendo vel numerando ſanctificabatur domino nec licebat immutari in melius vel deterius: ſimiliter animal quod vouebatur domino non licebat immutari, ſi quis quod vouerat immutaret, & votum & mutatum erat domini; ſed diſtinguendum eſt: aliquando enim ſic ex voto aliquid ſanctificabatur domino, quod anathematizabatur, illud non poterat vendi à ſacerdotibus vel alienari; quandoque non ſic obligabantur votiua, ſed poterant à ſacerdotibus vendi determinato pretio ſecundum vtilitatem, quæ ex his poterat prouenire, ſiue eſſet animal, ſiue eſſet fundus; qui tamen votum dederat, ſi volebat illud emere ſupra æſtimationem, pro quo alij daretur, adderet eius quintam partem. Quod ideo ſtatutum eſt, ne qui vouerat ad recipiendum, quod vouerat aſpiraret, quaſi pœnitentia ductus, ne digniorem etiam ſe alijs putaret in emptione eiuſdem rei, quia eam dederat.

Incipit hiſtoria numerorum.

De numeratione populi bellatorum & excubijs tabernaculi.

CAP. XLI.

Comeſtor cap. 1. Numerorum.

MOyſes prædictam conſtitutionem legum dum ſub Sina moraretur, à Deo cognouit, & Hebræis ſcriptam tradidit. Cumque circa legiſlationem hæc ſufficere putaret; ad exercitij militaris iura conuerſus eſt, & numerauit populũ, capita ſcilicet pugnare volentium. Itaque Moyſes & Aaron & 12. principes tribuum ex præcepto domini anno 2. menſe. 2. die prima menſis; numerauerunt viros, præter tribum Leui à 20. anno & ſupra, vſque ad 50. fuerunt autem in ſumma ſexcenta tria millia virorum, quingenti, quinquaginta.

De excubio circa tabernaculum.

Præcepit etiam dominus vt ſemper ponerctur tabernaculum in medio caſtrorum, & filij Iſrael per gyrum excubarent per turmas *, ternæ tribus per quatuor partes tabernaculi: ita tamen remoti, vt maximas in medio plateas haberent. Eratque ornatus quaſi fori rerum venalium, ſingulis in ordine conſtitutis. Opifices etiam artium, in ſtationibus ſuis erant, ita vt vrbi competenter ædificatæ caſtra eorum ſimillima viderentur. Iudas itaque Iſachar & Zabulon, caſtrametabantur ad orientem; Ruben, Symeon, & Gad, ad meridiem; Effraim, Beniamin, & Manaſſes, ad occidentem, Dan, Aſer, & Neptalim, ad Aquilonem. Inter tabernaculum vero & caſtra excubabant Leuitæ in tabernaculis ſuis, propinquiores tabernaculo, quam caſtris, & excubabant ſimiliter per quatuor plagas; Moyſes, & Aaron, cum ſuis ad orientẽ, reliqui ab his Chaatitæ ad meridiem, ſub cuſtodia Eleazar filij Aaron: Gerſonitæ ad occidentem, Meratitæ ad Septentrionem, & erant vtrique ſub cuſtodia Ithamar.

* *Turma propriè conſtat 30000.*

De

De ſeparatione Leuitarum & numero ac miniſterio eorum.

CAP. XLII.

SEparauit ſibi dominus tribum Leui pro primogenitis iumentorum, quaſi commutationem faciens cum populo: primogenita enim omnia ſpecialiter tunc erant ſua, quia cum occideret primogenita Ægypti, pepercit primogenitis eorum reſeruans ea ſibi. Deinceps tamen propter idipſum, omnia primogenita eorum ſibi ſanctificauit in perpetuum. Pro his ergo primogenitis quæ tunc habebant, tulit ſibi tribum Leui, & populus primogenita illa habuit pro Leuitis & iumentis eorum: & ne duodenarius numerus tribuum minueretur, tribum Manaſſe quaſi pro Leuitis inſtituit: Effraim vero pro Ioſeph: ne autem maior videretur numerus Leuitarum, quam primogenitorum, & ita iniqua eſſet commutatio, ait dominus ad Moyſen, numera filios Leui, maſculos ab vno menſe & ſupra, & cum numerati eſſent inuenti ſunt 22. millia. Nota tamen, quia ſi diligenter attendas in lib. Numeri, numerum eorum per familias inuenies 22. millia & trecentos, dicit Hebræus quia trecenti in eis erant primogeniti, & ita iam erant domini. Iterum ait dominus ad Moyſen, numera primogenitos maſculos à menſe vno & ſupra, & inuenti ſunt 22. millia 273. Tulit autem Moyſes in pretio ducentorum ſeptuaginta trium, qui ſupererant per ſingula capita, quinque ſiclos ad menſuram ſanctuarij, & dedit eos Aaron & filijs ſuis, iuxta verbum domini.

Iacob in benedictione filiorum ſuorum promiſerat filijs Ioſeph quod vterq; eſſet facturus tribum.

De ætate miniſtrantium in tabernaculo.

Iterum ait dominus ad Moyſem, numera Leuitas à 30. anno, vſque ad quinquageſimum, vt ſeruiant mihi in duobus, ideſt in tabernaculo portando, & collocando. Et cum numerati eſſent inuenti ſunt 8. millia quingenti octoginta; 70. tamen (dicunt) à 25. anno, quem numerum annorum in ordinatione ſacerdotum & nos obſeruamus. Iſti deferebant tabernaculum; primo intrabant ſacerdotes & inuoluebant omnia interiora. Tunc intrantes Chaathitæ proprijs humeris hæc inuoluta deferebant. Gerſonitæ vt breuiter dicamus, deponentes tectum tabernaculi, mollia ferebant in curribus *, Meraritæ dura, vnde verſus:

**ſc. cortinas, ſaga &c.*

Interiora Chaath Merari duriſſima, mollia Gerſon.

Emeriti Leuitæ non ſeruiebant ſic in opere, ſed poſito tabernaculo ſedebant cuſtodes.

Tunc præcepit dominus per manus ſacerdotum à caſtris leproſos eijci, ſemineq; fluentes; & factum eſt ita.

De reſtitutione rei alienæ & iudicio zelotipiæ & Leuitarum conſecratione.

CAP. XLIII.

De modo quo reſtituatur ablatum.

ADdidit quoque de redditione rei alienæ; ſed alienæ rei poſſeſſio fiebat, aliquando ex induſtria, furto, vel rapina, aliquando per negligentiam, aliquando ignoranter. De re ſublata ſcienter in Exod. dicitur quod reſtituatur in quadruplum ſi perierat res. Quod ſi extabat, in duplum; ſi ibi legis 5. boues pro vno, alia eſt tranſlatio. Et quod in quadruplum verius dicatur; ex verbis Zachei probatur. De ſublatis per ignorãtiam dicitur hic, quod reddatur caput, & quinta pars deſuper. Si vero non eſſet qui reciperet, redderetur domino & eſſet ſacerdotis. Pro peccato vero furti, vel negligentiæ, fiebat aliqua oblatio ſecundum quantitatem rei. Ioſephus vero dicit aurum & argentum reddi in duplum; iumenta, in quadruplum, ſolum bouem, in quintuplum.

Zelotipia.

Addidit quoque dominus de iudicio zelotipiæ per aquas, quæ dicebantur ſanctæ, propter nomen domini dilutum in eis; maledictæ, propter maledicta congeſta; & amariſſimæ propter effectum qui quandoque ſequebatur: hæc autem lex introducta fuit ad duritiem cordis eorum; ſicut permiſſus eſt libellus repudij, quia prompti erant ad effundendum ſanguinem.

De Sanctimonia Nazareorum & conſecratione leuitarum.

Addidit etiam de ſanctimonia Nazareorum & de benedictione ſacerdotali ſuper populum. Leuitæ quoque iubente domino, ſanctificati ſunt, raſis omnibus pilis carnis ſuæ vbi non includuntur capilli: exinde habuerunt in vſus ſuos, quæ domini erant; de decimis enim viuebant, & his contenti erant: ſacerdotum vero erant ſacrificia, primitiæ, primogenita vota. Quibus omnibus veſcebantur cum domo ſua: mundi tamen præter oblata pro peccato, quia ſacerdotes ſoli peccata populi comedebant. Decimam decimarum ſuarum dabant Leuitæ ſummo ſacerdoti, & de melioribus dabant. Ideoque ſortem non habuerunt in terra quod & melius eis ceſſerat. Tunc enim tantum duodecimam partem bonorum terræ haberent, modo decimam habebant & ſine labore.

De tubis argenteis ad conuocandum populum & de receſſu Iſrael à monte Sinay.

CAP. XLIIII.

Erat tuba fiſtula cantatoria, penè magnitudine cubiti, vt ait Ioſephus, calamo capacior, præbens in principio latitudinem quæ conueniat ori

NVmerato populo & oblatis Leuitis, præcepit dominus fieri duas tubas argenteas, non fuſiles, ſed ductiles quas habebant in quatuor vſus ſcilicet ad conuocandum multitudinem, ad mouenda caſtra, ad bella, ad feſta; & erat diuerſitas in clangendo, nam ad conuocandum omnem populum clangebant vtraque tuba ſimul ſimpliciter, & vno impulſu & ſine interruptione; ad conuocandum ſolos principes ſemel clangebantur id eſt vna tuba tantum. Similiter ſi quando principes volebant conuocare populum ſuum, quilibet in eccleſia ſua clangebat, & ſemel & in vno impulſu, vt dicit Ioſephus. Ad mouendum autem caſtra non ſimpliciter, ſed conſcisè & prolixius clangebant. In primo ſonitu mouebant, qui erant ad Orientem. In ſecundo, qui ad Meridiem. In tertio qui ad * Aquilonem. In quarto qui ad Occidẽtem; modus clangendi in bellis, & in feſtis non diſtinguitur in lib. Numeri; clangebant autem ſacerdotes.

** Comeſtor habet occidentem, & in quarto qui; ad Aquilonem.*

Anno ſecundo, menſe ſecundo, vigeſimo die menſis eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis, & profecti ſunt de monte domini via trium dierum, quia præceſſit eos nubes de tabernaculo nec quieuit per tres dies & noctes: vnde ſtatim murmurauerunt pro labore itineris, ſed legitur Exod. 19. quod ipſi venerunt ad montem Sinay, prima die Iunij, & per tres dies ſanctificati, in quarta legem acceperunt, quæ fuit quinquageſima dies ab exitu de Ægypto, ſecundum Aug. & Hiero. & eadem die reuoluto anno, qua receperunt legem, receſſerunt à monte, vt dicit gloſſa ſuper Exod. quod etiam innuit hic Hieronymus in gloſſa dicens, quod fuerunt ad montem per annum & quatuor dies; ergo receſſerunt quarta die tertij menſis, quia eadem die receperunt legem, non ergo 20. die ſecundi menſis. Ad huius quæſtionis euidẽtiam nota, quod annus quadrupliciter accipitur.

Eſt enim annus naturalis, vſualis, legitimus, emergens. Annus naturalis eſt ſpacium, quo ſol ſemel peragrat circulum ſuum, hic annus quolibet die & qualibet hora poteſt incipere. Vſualis incipit à Kalendis Ianuarij & terminatur in eiſdem: hunc habent Iudæi communem nobiſcum in contractibus & negocijs agendis. Annus legitimus eſt, quem obſeruant Iudæi in legitimis & feſtiuitatibus ſuis: & incipit à prima die lunationis Aprilis & terminatur ad eandem. Annus emergens incipit à Phaſe & terminatur ad aliud Phaſe: Iudæi enim in memoriam liberationis ſuæ cæperunt numerare annos ſuos ab exitu de Ægypto, ſicut Græci à prima Olympiade, Romani ab vrbe condita, Chriſtiani ab incarnatione domini.

In hac manſione media pars Exodi & totus Leuiticus & Numerorum precepta non modica deſcripta ſunt.

Dicimus ergo, quod anno ſecundo legitimo menſe tertio. i. Iunio quarta die menſis, receperunt legẽ, & eadem die anno reuoluto, receſſerũt à monte, quæ. ſ. dies erat 20. dies ſecundi mẽſis anni emergẽtis, quod patet; à

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Phaſe enim vſque ad aliud Phaſe tranſierat annus vnus emergens, & de ſecundo anno 50. dies ſcilicet 16. de Aprili, & 30. de Maio, & 4. de Iunio: ideo in ſecundo anno iam tranſierat vnus menſis 30. dierum, & ſecundus iam fecerat 20. dies: & ita patet quod receſſerunt 20. die ſecundi menſis ſecundi anni, ſicut hic dicitur, & nihilominus quarta die tertij menſis ſecundi anni, ſecundum aliam computationem, quia eadem eſt dies 4. tertij menſis ſecundi anni legitimi, & 22. menſis anni emergentis, & ſic nulla eſt contrarietas. Et nota, quod non fuerunt ad montem per annum naturalem integrum, ſed defuerunt 7. dies. Annus enim ſolaris 11. diebus ſuperat annum legitimum.

De murmure populi & proſtratione eorum in deſerto, & de ſecundi populi numero.

Cap. XLV.

IGitur anno ſecundo, vt dictum eſt, ab egreſſu de Ægypto 20. die ſecundi menſis moti ſunt de monte Synai, vt irent in terram promiſſionis; ſed quia murmurantes & tentantes Dominum multotiens ipſum contra ſe exacerbauerunt, ac terræ ſibi promiſſæ detraxerunt, iuxta numerum dierum, quibus 12. exploratores eandem terram conſiderauerunt. Quadraginta annis impediti, per deſertum circuierunt, donec omnes, qui ſigna domini viderant in Ægypto à 20. annis & ſupra præter Caleph & Ioſuè, qui pro parte domini ſteterant, mortui ſunt: neque enim terram illam etiam ipſe Moyſes totius populi dux, & Aaron ſummus Pontifex intrauerunt, quoniam & ipſi ad aquas contradictionis murmurante populo, turbati diffidenter egerunt. Interim ergo tam in ſepulchris concupiſcentiæ, quàm in ſeditione Chore, multa millia Iudæorum perierunt: propter conſecrationem quoque Beelphegor ob amorem mulierum, per quas à Madianitis conſilio Balaam ſeductus eſt populus 34. millia ex eis proſtrati ſunt: poſt hæc igitur numeratus eſt iterum populus à 20. annis & ſupra, & inuenti ſunt ſexcenta millia & mille, 700. & 30. inter quos nullus eorum fuit qui numerati fuerant à Moyſe & Aaron præter Ioſue & Caleph. Leuitæ numerati ſunt ſub vno menſe & ſupra, & inuēti ſunt maſculini generis 23. millia. Tunc igitur locutus eſt dominus Moyſi de diuiſione terræ promiſſionis, & de iure hæreditario ſucceſſionis, quis videlicet, cui in hæreditate ſuccederet, de ſubſtitutione quoque Ioſue, qui populum introduceret, eiúque terram ſorte diuideret.

Murmurantes puniuntur grauiſſime à Deo.

De libaminibus & iugi ſacrificio.

Cap. XLVI.

PRæcepit quoque dominus Moyſi de iugi ſacrificio & de ſacrificijs legalium: ſed quia non offerebatur hoſtia ſine libamentis ſuis: etiam de his breuiter premittendum eſt. Libamen vel libamentum erat ſimila oleo conglutinata, & vinum, quæ cum hoſtia adolebantur, vt quaſi panis & vinum & caro domini offerrentur. Cuique vero hoſtiæ proprium libamen determinatum erat, pro Agno, ſimilæ decima pars Ephi: vini quarta pars Hin. Erant enim Ephi & Chorus menſuræ aridorum, & Hin & bathus liquidorum: pro vitulo de ſimila, tres decimæ: de vino, media pars Hin. Eadem erant libamenta Hyrci: ſi quandoque legas pro agno de ſimila dari decimam decimæ, intelligendum eſt de conſueta decima decimandi quaſi decimam decimationem.

Comeſtor cap. 39. in Num.

Quid libamen.

Iuge ſacrificium vel indeſinens, quotidie fiebat de ſumptu publico; mane offerebatur Agnus anniculus in holocauſtum cum ſuis libamentis, vt tota die cremaretur in odorem ſuauem domino; quo impoſito ſuper altare Sacerdos cum prunis & thymiamate lotus intrabat tabernaculum; ponebatque prunas cum thymiamate ſuper altare incenſi, & hæc vocabatur conſummatio ſacrificij. Tunc etiam quatuor de ſeptem lucernis mortificabat, in veſpere ſimiliter ponebatur alius Agnus in eundem modum; & intrans cum thymiamate Sacerdos accendebat omnes lucernas & ſic tota nocte erat ſuauis odor in altari domino; veſpertinum tamen ſacrificium melius erat, & pinguius matutino, quia ſæpe in die præter illud plura imponebantur, & ideo dicebatur illud gratius domino; quia pinguius, & nos dicimus gratius, quia mortem domini factam in veſpere figurabat; in hunc modum Eccleſia mane & veſpere offert laudes domino, & completorium, vel potius in prima & completorio offert confeſſionem; quia ſacrificium noſtrum Deo, eſt ſpiritus contritus.

Comeſtor cap. 40.

De ſabbatho, & Neomenia, & Phaſe, & Penthecoſte.

Cap. XLVII.

POſt legem ſacrificiorum, & oblationum; addidit Dominus de ſolemnitatibus, in quibus offeruntur. Et nota, quòd ſeptem erant legales ſolemnitates; ſcilicet Sabbathum, Neomenia; Phaſe, Penthecoſtes, feſtum clangoris, feſtum propitiationis, Scenopegia.

Sabbathum dicebatur ſpiritualiter feſtum Domini, quia in eo requieuerat Deus ab operibus ſuis. Et inde etiam priuilegiatum erat in duobus, ſcilicet in hoc, quòd in eo non licebat cibum parare nec vltra mille paſſus ire: hac die præter iuge ſacrificium, offerebantur duo agni immaculati in holocauſtum cum libamentis ſuis. *Sabbathum.*

Neomenia dicitur à neos, quod eſt nouum, & mene luna; quaſi innouatio lunæ, hic erat prima dies menſis id eſt lunationis quem vocabant diem Kalendarum, & erat apud eos ferialis: in hoc offerebant duos vitulos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem, cum libamentis ſuis: Hircum vnum pro peccati declinatione, omnia in holocauſtum. *Neomenia.*

Phaſe id eſt tranſitus dicebatur nox illa, in qua immolabatur agnus 14. die menſis ad veſperum, in die ſequenti inchoabat feſtum azymorum, quod protelabatur ſeptem diebus, quarum prima & vltima ſolennis erat ab omni opere ſeruili. Poſt primam autem diem ſcilicet 16. luna, tollebant ſpicas recentes & torrebant igni, & grana manibus fricata offerebant domino aſſarium vnum, cuius pugillum vnum adolebat ſacerdos ſuper altare, reliquum erat eius. *Phaſe.*

Penthecoſtes erat quinquageſimus dies à prima die azymorum, qui celebratur in memoriam legis datæ, 30. die à Phaſe. Dicebatur etiam feſtum hebdomadarum, quia ſupputatis ſeptem hebdomadis à prima die azymorum celebrabatur. Dicebatur etiam feſtum primitiuorum, quia tunc offerebantur duo panes duorum aſſariorum, de nouis frugibus. Erat autem & hoc feſtum ſeptem dierum, ſicut & feſtum azymorum, & ſingulis diebus offerebantur eædem hoſtiæ, quæ & in Neomenia. *Penthecoſtes*

De feſtis Septembris.

Cap. XLVIII.

FEſtum clangoris ſiue tubarum fiebat prima die Septembris in memoriam liberationis Iſaac; qui eo die liberatus eſt, ariete pro ipſo immolato. Hac die duplex erat feſtum ſcilicet Neomeniæ & tubarum; vnde Pſalm. *Buccinate in Neomenia tuba:* hac autem die præter iuge ſacrificium & hoſtias Neomenię offerebatur in holocauſtum vitulus vnus, aries vnus, agni anniculi ſeptem, hircus vnus pro peccato cum libamentis ſuis. *Feſta tubarum.*

Feſtum propitiationis fiebat decima die Septembris, quia in ea retulit Moyſes filijs Iſrael dominum placatum ſuper offenſam vituli. Eadem die ieiunabant homines & iumenta, & etiam pueri ſeptennes, vſque ad veſperam, pro memoria mortuorum: Et inde dies afflictionis dicebatur, & etiam dies expiationis quia tunc expiabatur tabernaculum, & altare, ſanguine vitulæ *Feſtum propitiationis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ne vitulæ rufæ; & fiebat cinis ad expiationem immundorum. Ipſi etiam filij Iſrael ipſa die expiabantur per miſſionem hirci apompei. Oblatio autem huius diei erat vitulus vnus, aries vnus, agni anniculi ſeptem, hircus vnus cum libamentis ſuis pro peccato.

Scenopegia. Scenopegia id eſt fixio tabernaculorum, celebrabatur quintadecima die eiuſdem menſis, ſic dicta, quia tunc ſeptem dies habitabant ſub vmbraculis in memoriam 40. annorum quibus ſub tabernaculis fuerant in deſerto; horum 7. dierum, quibus protelabatur ſolennitas prima, & vltima, ſolennes erant, octauus etiam dies ſolennis erat, in quo faciebant collectam forte in vſus pauperum, vel alios communes vſus. Fiebat etiam oblatio magna in hoc feſto, vt poſt dicetur. Et nota, quod illæ tres ſolennitates hebdomadales præcipuæ dicebantur, & ſabbatum quod intercidebat, dicebatur magnum ſabbatum, vel ſabbatum ſabbatorum; alias autem ſolennitates addiderunt Hebræi propter varios euentus, vt Encenia & Phurim id eſt feſtum Heſter, ſed non dicuntur legales quia non in lege inſtitutæ.

De votis mulierum, & vrbibus Leuitarum, & matrimonio contribulum.

Cap. XLIX.

PRæcepit etiam dominus vt Leuitæ in omnibus tribubus diſperſi haberent 48. ciuitates ad habitandum, & à muris forinſecus per circumitum terram mille paſſuum obtinerent, in qua eſſent ſuburbana ad alenda pecora. Ex his 48. ciuitatibus, ſex erant refugij ſcilicet tres vltra Iordanem, & tres citra, filiabus Salphaat, ipſo mortuo ſine filijs, iubente domino ceſſit hereditas. Quarum etiam occaſione data eſt lex generalis, vt ſi quis moreretur ſine filijs, filia ſuccederet patri in hæreditate. Si autem nec filiam haberet, frater vel patruus, vel cognatus.

Iterum autem ne in iubilæo confunderentur ſortes, ſi filiæ ſuccedentes patri in hæreditate, nuberent alterius tribus hominibus, quia hæreditas earundem ad aliam domum perpetuo transferretur: ideo earundem occaſione alia lex à domino per Moyſem promulgatur ſcilicet vt omnes viri ducerent vxores de tribu & cognatione ſua, vt hæreditas in familijs permaneret: hoc autem intelligendum eſt tantum de illis mulieribus, quæ locum primogenitorum tenebant, id eſt quæ patri in hæreditate ſuccedebant. Alijs enim mulieribus licebat contrahere cum viris alterius tribus: vnde patet quod beata Virgo cum eſſet primogenita & hæres paternæ hæreditatis erat de tribu Iuda, de hac enim tribu erat vir eius Ioſeph.

De recapitulatione legis.

Cap. L.

DEnique Moyſes anno 40. ab exitu filiorum Iſrael de Ægypto, videns diem mortis imminere, omnem populum ad Iordanem conuocauit: ibique Deuteronomium condidit, quod Latine dicitur ſecunda lex, non quia ſit alia à prædicta, ſed eadem ſecundo repetita. In hoc enim libro materia trium præcedentium librorum breuiter iteratur: quędam enim ſuperius prætermiſſa hic ſuperadduntur. Fit autem hæc legis iteratio triplici de cauſa. Primo vt nouę legis typus præhabitus commendetur: in hoc enim quod liber iſte multa in breui recolligit, & quędam etiam ſuperius prætermiſſa ſuperaddit, euangelium præfigurat, quod imperfecta legis ſupplet. Secundo vt vtilitas prædictorum inculcetur. Quod enim vtile eſt, ſæpe dicere, non debet eſſe pigrum; nec audire moleſtum. Tertio vt dutitia Iudæorum condemnetur, qui toties dicta non intellexerunt, nec cuſtodierunt. Vnde & ipſum Deuteronomium iuſſit Moyſes reponi in arca fœderis, vt eſſet ibi in teſtimonium contra eos.

Lex iteratur tribus de cauſis.

Et nota, quod in hoc libro tria principaliter iterantur ſcilicet præcepta, & cæremoniæ, ad commendationem memoriæ, & ipſorum confirmationem: beneficia Dei ad roborandum in eis eius dilectionem; flagella, quæ ſuſtinuerunt ad incutiendum timorem, vt quos amor non prouocabat ad bonum, ſaltem timor à malo reuocaret. Inter hæc igitur addidit de iudicibus per ſingulas vrbes inſtituendis, & de appellatione ad ſummum Pontificem, & de timidis & ſolicitis ab exercitu remouendis, de Chananæis in fœdere deuitandis ac penitus extirpandis; & quibuſdam ab ingreſſu Eccleſiæ coercendis; de plagis infra quadragenarium numerum cohibendis; de ſuſcitatione quoque ſeminis defuncti, & de libello repudij; repudium quidem promiſſio fuit; quia Iudæi proni erant ad vxoricidium, & ideo ſecundum gloſſam ad duritiam cordis eorum, ſcripſit eis hanc legem, mallens ſufferre diſſidium, quam committi homicidium. Dare autem libellum in repudiatione præceptum fuit; vnde non dicit, qui voluerit dimittat & det ei libellum, ſed ſi quis dimiſerit, det ei libellum; vir quidem in hoc libello ſcribebat, quod nunquam conueniebat cum vxore, & cauſam propter quam ei diſplicebat, & tradebat ei libellum hunc, vt coram ſacerdotibus legeretur, & poſtquam iurauerat vir verum eſſe, quod ſcripſerat, permittebatur vtrique copulari alij: ita inquam permittebatur, quia nulla lege puniebatur, vnde permiſſio erat comparatiua, non abſoluta & potius humana quam diuina. Vnde Moyſes inquit ad duritiem cordis veſtri permiſit &c. Iudęi ſecundum Aug. prudenti conſilio dicunt hoc eſſe ſtatutum ſcilicet vt in repudiatione daretur libellus repudij: quia quando veniebat cauſa coram iudicibus & ſapientibus, ipſi nitebantur reformare pacem inter virum & mulierem. Si autem nullo modo poterant, tunc permittebant diuortium propter maius malum vitandum ſecundum quod dictum eſt.

Tria in Deutero nomio præcipuè iterantur.

De libello repudij.

De tertia decimatione.

Cap. LI.

ADdidit etiam de illis decimis, quæ fiebant tertio anno. Tres enim fiebant decimationes prima & ſecunda ſingulis annis, tertia tertio anno: primæ decimæ Leuitarum erant, quas ipſi decimabant ſacerdotibus, vt habetur in Numeris 18. & non ſolum Leuitarum qui erant in Hieruſalem, ſed etiam aliorum vbicunque eſſent; ſecundæ ſemper afferebantur in Hieruſalem ter in anno, & comedebant inde offerentes, & familiæ eorum & Leuitæ in paſtoforijs quæ erant in atrio tabernaculi, vt habetur in Deuteronomio. In tertio autem anno duabus primis decimis ſublatis fiebat tertia decimatio; itaque in anno illo fiebat triplex decimatio ſcilicet duæ prædictæ quæ fiebant ſingulis annis, & inſuper hæc tertia, quæ tantum tertio anno; hæ autem tertiæ decimæ non ferebantur ſicut nec primæ in Hieruſalem, ſed dabantur pauperibus per ſingulas ciuitates. De his habetur in Deuteronomio 16. verumtamen remotis longe à templo, quia non poterant illuc venire ſingulis annis; indulgebatur tantum venire tertio anno. Hi ſicut alij ſeparabant ſingulis annis, decimas primas, & dabant Leuitis, qui habitabant cum eis, ſeparabant & ſecundas, & has quia remoti erant apud ſe referuabant primo & ſecundo anno. Tertio autem anno, quo ipſi veniebant in Hieruſalem, ſeparabant tres decimas, & primam quidem dabant Leuitis, tertiam tertio anno collectam dabant pauperibus, ſecundam autem tribus annis collectam, tertio anno ferebant in Hieruſalem, & inde fiebant expenſæ, & oblationes.

Tres fiebant decimationes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De benedictionibus populi & morte Moysi.

CAP. LII.

Transgressor legis non debet desperare sed panitere.

FInita recapitulatione legis proposuit Moyses benedictiones obseruatoribus : maledictiones vero transgressoribus. Deinde hortatur eos, vt si forte contingeret eos legem transgredi, & ob hoc in manus hostium tradi, & captiuari,ne desperent ; sed conuersi ad deum agant pœnitentiam,& ostendit beneficia, quæ ex pœnitentia consecuturi sunt;& sunt quatuor in summa scilicet reductio in terram promissionis ; circuncisio cordis; rerum abundantia; cordis lætitia. Post hæc autem tradidit Deuteronomium Leuitis vt reponerent illud in arca domini , & esset ibi contra transgressores in testimonium, & vt semper in 7. repromissionis anno legeretur à summo sacerdote,& in edito loco,vniuersis vtriusque sexus audientibus in die Scenophegiæ. Moriturus quoque Moyses ad instar Iacob Patriarchæ,populum quem à Deo regendum susceperat benedixit; vbi tamen Simeon inter ceteras tribus benedici non meruit, quia nec à patre benedictus est,sed maledictus pro Sichimitis, quos in dolo occidit. Leui vero quamuis eiusdem sceleris particeps fuerit,benedictionem tamen à Moyse suscepit, fortè quia per Simeon ad hoc inductus, non adeo grauiter peccauit , vel potius quia scelus illud postea redemit , dum zelo Dei accensus, idolatras,id est vituli adoratores interfecit.

Moritur Moyses.

Tandem vero Moyses iuxta præceptum domini ascendens in montem Abarim, & inde in montem Nebo vsque ad verticem ipsius;qui dicitur Phasga,& inde contemplatus terram promissionis & mortuus est;cum esset annorum 120.& non cognouit homo sepulchrum eius,quod ideo diuinitus factum Hebræi autumant,ne ipsum mortuum Iudæi pro Deo colerent, quia proni erant ad idolatriam. Hieronymus super Amos videtur velle quod Moyses ad instar Enoch & Heliæ diuinitus in cœlũ raptus sit,sic enim dicit: Edificat inquit in cœlo ascensionem suam, ascendit cum Enoch, ascendit cum Helia, ascendit cum Moyse, cuius sepulturæ locum (quia in cœlum ascenderat) inuenire non potuit. Octogenarius(vt supra dictum est) Moyses ducatum populi suscepit,& annis 40.populum rexit,itaque Pentatheucus duorum millium 493. annorum historiam comprehendit. 2493.

De ortu regni Cretensium.

CAP. LIII.

** aliàs Apteras iuxta Eusebium.*

Helinandus 20. *libro.* Moysis temporibus in Creta regnauit * Abderas, qui& vrbem condidit, puto autem quod vrbem sui nominis, quæ & Abdera dicitur, de qua fuit Demetrius Abderides. De Cretensibus autem sic loquitur *Iustinus lib.* 44. Curetes saltus Tartesiorum incoluere, in quibus dicitur Tytanas aduersus Deos pugnasse,horum Rex vetustissimus Gargoris, colligendi mellis vsum primus inuenit; huius filia incestu cum filium procreasset, pater pudore flagitij eum iussit varijs generibus mortis exponi; post dies cum ad corpus expositi missum esset,inuentus est vario ferarum lacte nutritus : postmodum hunc domi relatum, in callem angustum proijci iussit, per quem armenta commeare consueuerant. Cumque etiam ibi ab armentis non tangeretur , sed aleretur , canibus eum proijci iussit, multo ieiunio ad eius esum incitatis,post hæc etiam Suibus,à quibus cum aleretur, in oceanum demergi iussus est, vbi iactus ab æstu, in littore sanus exponitur,& ibi à cerua quadam est nutritus.Inde eximia velocitas puero fuit, & inter ceruorum greges diu peragrauit; ad vltimum laqueo captus,regi dono datus est, quem recognoscens & miserans, successorem sibi constituit nomen illi impositum est Habidis, qui rex factus; leges populo suo adinuenit, boues primo aratro domari, & frumenta sulco quærere docuit, ab hoc & seruilia ministeria populo interdicta, & plebs in 7. vrbes diuisa;quo mortuo regnum per multa sæcula à successoribus possessum est.

Gargoris mellis vsum inuenit.

Gargoris sauitia in nepotem.

Habidis.

Eusebius in Chronicis. Anno Moysi 35. Cecrops regnabat in Attica, à quo vsque ad Troyæ captiuitatem fuerunt anni 375.

De ortu regni Athenicnsium.

CAP. LIIII.

EX tunc ergo scilicet post annum prænotatum regni Athenicnsium annotatur principium , in quo Cecrope regnante,primum in arce,oliua nata est; & ex Mineruæ nomine,quę Græce Athena dicitur,Athenæ nuncupatę sunt; huius autẽ regni annotãtur anni 50. post hũc regnauit ibidẽ Granaus annis 9. Amphitryon 10. Erictonius 50. Pandion 40.hic fuit Erictonij filius, cuius filiæ Progne & Philomela. Post hunc Ericteus annis 50. Cecrops secundus 40.Pandion secundus 25. Egeus Pandionis filius 48. Theseus 30. qui aduersus Thebas dimicauit.* Menesteus 24.Demophoõ,Thesei filius 33.Oxyntes 12. Aphidas 1. Thimœtes 8. Melanthus 37. Codrus 21.qui iuxta responsum seipsum morti tradens , bello Peloponesiaco interimitur , in quo Heraclidarum imperium destructum est, quod 382 annis perseuerauerat. Post Codrum vero fuerunt principes, quorum primus Medon, regnum in fine vitæ,Athenis obstinuit , & post eum cęteri reges, præfuit autem Athenienſibus annis 20. Post hunc Agastus 36. Archippus 19. Thersippus 41. Phorbas 31. * Megathe 30. Dyogenetus 28. Pheredus 19. Ariphron 10. Thespicus 27. Agamnestor 20. Eschilus 23. Alcamenon 2. Post hoc Athenis principes, qui vsque ad mortem suã reipublicæ præerant, desierunt, & in 10. annis magistratuum consuetudo inducta est. Regnauitq. primus Carops filius Eschili annis 10. Æsimedes post eum 10. * Hypomenes 10. Leocrates annis 10. Abisander 10. Erixias 10. Post hæc Athenis annui principes constituti sunt cessantib. regib. nouemque principes ex nobilibus vrbis electi præfuerũt, annuo imperio rempublicam agentes.

** alias Mnesthcus.*

** alias Megades.*

** Eusebius hic interserit Elidicum qui annis regnauit* 10.

Temporibus quoque Moysi Hercules primus fertur Ancheam luctæ vicisse certamine; primus Cecrops bouem immolans, Iouem appellauit. Deucalion apud eos regnare orsus est, qui circa Parnassum morabatur Io Inachi filiæ,Iupiter mixtus est, quæ in bouem (vt dicitur) versa Bosforus appellata est. Diluuium quod sub Deucalione in Thessalia, & incendiũ quod à Phaetonte factũ est in Æthiopia;& mutæ pestilentiæ locales (vt Plato memorat) fuerunt, Apollinis Delij templum à Cecropis filio fabricatum est.

De gestis Iosue.

CAP. LV.

Author. Iosue Moysi successit anno egressionis Ægypti 41.ætatis autẽ tertiæ quingentesimo 46. Mundi vero secundo millesimo 494. hic confortatus est à domino : præmissis exploratoribus : per patentem Iordanis alueum Hebræos transduxit, & expugnatis Chananeis,terram 12. tribubus sorte distribuit. 2494.

*Comestor cap.*11.*in libr.Iosue* Concessit autem tribui Iudamontana ad meridiem,quę iam acquisierant:sed nõdum sorte tradidit. Effraim quoq; concessit montana ad Aquilonem:inter vtrunq; mediam tribum Manasse collocans; his tribubus cõmisit terram alijs in castra manentibus,tum quia bellicosæ erãt,tum quia digniores. Sciebat.n.regnum Iudæ esse promissum;& Manasse & Effraim benedisse Iacob pro beneficio Ioseph patris eorum. Dedit aũt Effraim extra sortẽ aliorũ agrũ Sichem.

Author. Nota, quod primogenitura diuisa videtur in tres tribus,ad primogenitum enim pertinebat regnum & sacerdotium, vnde Melchisedech Rex erat & sacerdos,& etiã primogenitus diuidebat alijs hæreditatem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De tribu Iuda orti sunt Reges fortissimi.

Regni ius datum est Iudæ. De Iuda enim fuerunt Reges fortissimi scilicet Dauid & successores eius; & etiã Christus, qui regnauit super totum mundum, & hoc ius regni meruit Iudas, quando trepidantibus fratribus in ingressu maris rubri, primus ingressus est post Moysem. Sacerdotium datum est Leui: distributio hæreditatis Effraim. Iosue enim qui diuisit terram 12. tribubus fuit de stirpe Effraim. De hac etiam tribu fuit Ieroboam, qui primus regnauit super 10. tribus partito regno, propter peccatum Salomonis. Et totum regnum Israel frequentissime in Prophetis vocatur Effraim, propter caput regni, quod erat in Samaria. Vnde primo Paralipomenon 5. Ruben quidem primogenitus fuit Israel, sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph. Porro Iudas, quia erat fortissimus; de stirpe eius principes germinati sũt.

Comestor cap. 13. in lib. Iosue. Iterum conuocauit Iosue Ecclesiam in Sylo; proiectisque sortibus; prima sors Iudæ egressa est, secunda Simeonis qui tamen, quia paucus in numero fuit, in sortem Iudæ receptus legitur, fortè vt Iudas eum defenderet. Tertia Beniamin, hæc sors angustissima propter terræ fertilitatem: tulerunt enim Hierico & Hierosolimam; quarta Effraim; quinta medietati Manasse; sexta Isachar; septima Zabulonitis; octaua Aseritis; nona Neptalitis; vltima Danitis. Soli autem duo, qui priuilegiati, sine sorte terram habuerunt; Caleph, Hebron habuit. Iosue Tamnatha vel Thanasara, & etiam Sichem secundum Iosephum; Sed & Leuitis separauit 40. & 8. ciuitates ad inhabitandum, quarum 10. acceperant prius in Amorrea; de reliquis 38. tres constituit ciuitates refugij; Hebron, de Iuda Sichen, ex Effraim; de Neptalim Cedes.

Author. Iam vero tres alias constituerat Moyses trans Iordanem scilicet Bosor de sorte Ruben, & Ramoth, de sorte Gad, & Golam de Manasse.

Incidentia tempore Iosue.

Sub Iosue quidem Iordanis alueus, miraculosè nudatus aquis, liberum iter populo præbuit, clangentibus sacerdotibus Hierico corruit. Ipso quoque Iosue contra hostes pugnante, sol vnius diei spacio stetit.

Moritur Iosue & sepelitur in Tanassara 2520.

Tandem Iosue mortuus est cum 110. annorum esset. Erat enim annorum 44. quando ad Moysen accessit eique 40. annis in deserto seruiuit. Vnde colligitur quod 26. annis populum trans Iordanem rexit.

Tempore ducatus Iosue, Cath filius Hermetis, Termegisti dignoscitur fuisse Phœnix & Cathmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sydonem regnauerunt. Europæ Phœnicis filiæ Iupiter mixtus est, quam postmodum Asterius Cretensium rex vxorem cæpit, & ex ea Minoem procreauit, qui scilicet Minos postmodum in Creta regnauit: historiam quoque de idolo Myche, & de vxore Leuitæ dicit Iosephus contigisse post mortẽ Iosue & ante Othoniel.

De temporibus Iudicum.

CAP. LVI.

POst Moysen & Iosue duces, successerunt in populo iudices, qui nil iuris habentes in eo nequaquã vt illi principabantur, sed in tribulationibus suis eorum consilio & prudentia populus vtebatur. Sciendum est autem, quod in chronica iudicum varia est computatio annorum, si quidem in libro iudicum, plerumque inter duos iudices ponitur tempus afflictionis Iudæorum; quarum videlicet afflictionum tempora secundum Hebræos annis posteriorum iudicum aggregantur vt habeatur præcisè numerus annorum 480. ab egressu Ægypti vsque ad ædificationem templi, qui in tertio Regum computantur.

Itaque post mortem Iosue, Iudæos alienigenæ annis 8. subiectos tenuerunt, qui temporibus Othoniel primi iudicis secundum Hebræos adiuncti sunt. Item inter Othoniel & Aoth anni seruitutis 18. leguntur, qui temporibus Aoth secundum eos copulantur. Similiter post Aoth 20. post Delboram 7. post Iair 18. post Abdon 40.

Qui omnes simul computati 111. fiunt. Denique si ab annis iudicum separati cum eis numerentur, ab egressu Ægypti vsque ad fundationem templi, sexingenta & vnus anni reperiuntur, computatis scilicet annis decem, Abyalon qui in septuaginta non habetur. Nos autem Eusebium Cronographum & Hebræos ex parte sequentes, sic annos iudicum numerabimus vt minorem illum numerum præcisè qui in tertio Regum legitur habeamus.

De gestis Othoniel, & Sangar, & Delbora.

CAP. LVII.

Othoniel.

HOrum igitur primus Othoniel frater Caleph ex tribu Iuda iudicauit populum annis 40. cæpit anno egressionis Ægypti 67. ætatis autem tertiæ quingentesimo millesimo 73. mundi vero 2520. hic liberauit Israel de manu regis Mesopotamiæ Syriæ. 2520.
Huius temporibus regnauit Athenien sium quintus Pandion Erictonij filius, cuius filiæ fuerunt Prognes & Philomela. Cadmus vero Thebis regnauit, ex cuius filia Semele, natus est Dionysius id est liber pater, sub quo & Linus Thebeus musicus fuit. Ea quoq; quæ de Dimetra dicuntur: quã Isidem esse aiunt deam Ægyptiorum & Danae ex qua Perseus nascitur: his temporibus gesta sunt. Tunc etiam dicit Iosephus occisionem in Beniamin factam pro vxore Leuitæ.

Aoth.

Post mortẽ Othoniel, Aoth filius Iera iudicauit populũ annis 80. Cæpit anno egressionis Ægypti 107. ætatis autem tertiæ sexingentesimo 12. mundi vero secũdo millesimo quingentesimo 60. hic Ambidexter liberauit Israel de manu Eglon Regis Moab ipso in cænaculo suo interfecto. Huius temporibus Athenis sextus regnauit Erichtheus, cuius filiam Orithiam, Boreas Trax rapuit, quem fabula vẽtum fuisse confingit: fabula quoq; Proserpinæ, huius temporibus fuit, Post mortem Aoth Philistæis volentibus intrare terram Israel, Sangar vno vomere sexingentos ex eis viros occidit, & sic ipse quoque populum Israel defendit, sed eodem anno vitam finiuit. 2560.

Delbora & Barach.

Post hoc iudicauerunt Israel Delbora & Barach, qui .s. Barach creditur fuisse vir Delboræ Lapidoch, quia vtriusque nominis eadem est interpretatio, cæperunt anno egressionis Aegypti 187. ætatis autem tertiæ, sexingentesimo 92. mundi vero secundo millesimo 640. & iudicauerunt Israel annis 40. hæc mulier liberauit Israel de manu Iabin Regis Asor, exercitus illius duce Sysara per manum mulieris Iael interfecto. His temporibus Mida regnauit in Phrigia. Ilium ab Ilo est cõdita. Argiuorum regnum defecit & in Micenas translatũ est, vbi primum Perseus regnauit, deinde Euristeus, Atreus, & Thiestes, Agamẽnon Ægystus, & Orestes Tysamenos & Penthilus, & Comethes vsque ad Heraclidarum descensum. 2640.

De Gedeone & Abimelech, & Thola, & Iair.

CAP. LVIII.

Gedeon 2680.

POst Delboram quoque Gedeon, qui & Ieroboal dictus est iudicauit Israel annis 40. cœpit anno egressionis Ægypti 227. ætatis tertiæ septingentesimo 32. mundi vero 2680. hic signo victoriæ à domino accepto in vellere, liberauit Israel de manu Madian, terrore lampadum ac tubarum hostibus subito perturbatis, & alijs mutua cæde cadentibus, alijs in fugam versis. Duobus quoque Regibus eorum Oreb & Zeb, insuper & Zebee ac Salmana interfectis.

Huius temporibus Orpheus Trax, habetur clarus, cuius discipulus fuit Museus; Linus quoque magister Herculis omnibus efficitur notus; Hercules certamina consummat, Antheum interfecit. Ilium vastat.

Abimelech 2720.

Post Gedeonem filius eius Abimelech de concubina natus 70. fratres suos de patris vxoribus procreatos, omnes præter vnũ Ioathan, qui minimus erat absc ̃ditus, occidit; sicq, regnũ fraudulẽter arripuit; cæpit anno

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

egressionis Ægypti 267. ætatis tertiæ septingentesimo 72. mundi vero secundo millesimo septingentesimo 20. & regnauit in Sichen annis tribus, ex tunc ab ipsis Sichimitis, qui eum elegerant expulsus est, & tandem dum expugnaret oppidum Thebes, à muliere fragmen molæ desuper iaciente excerebratus est.

Thola 2723. Post hunc Thola de Isachar iudicauit Israel in Sanir 23. annis cæpit anno egressionis Ægypti 270. ætatis tertiæ septingẽtesimo 75. mundi vero secundo millesimo septingentesimo 23.

Huius temporis sunt ea, quæ de Minotauro dicuntur. Theseus Athenienſium decimus regnauit, qui contra Thebas dimicauit. Androcheus Athenis, dolo interficitur, Theseus Helenam rapit.

Iair 2746. Mortuo Thola successit Iair Galaadites anno egressionis Ægypti 293. ætatis autem tertiæ septingentesimo 98. mundi vero secundo millesimo septingentesimo 46. & iudicauit Israel annis 22. habens 30. filios quos fecit principes 30. ciuitatum & nomine suo vocauit eas Aniothair.

Eo tempore Minos leges & iura constituit; Hercules agonem olimpicum instituit: Theseus Athenas profugus dereliquit.

De Iepte & Hercule.

Cap. LIX.

Iepte 2768. POst Iair iudicauit Israel Iepte Galaadites, cuiusdam meretricis filius, & ob hoc tanquam spurius à filijs suis eiectus, sed vrgente necessitate postmodum in principatum vocatus. Cæpit anno egressionis Ægipti 315. ætatis autem tertiæ octingentesimo 20. mundi vero secundo millesimo septingentesimo 68. & iudicauit annis 6. Hic contra filios Amon populum Israel viriliter defendit. Sed de prælio reuersus ex voto filiam immolauit, & in vouendo stultus, & in soluendo impius.

Eo tempore Menelaus in Lacedemone regnat, Agamennon Mycenis imperat, Hercules in morbum pestilentem incidit, & ob hoc in remedium doloris in flammas se iecit, sicque mortuus est. De hoc ait Crisantus ad Dariam, quæ in Hercule sanctitas, qui vitiorum suorum interfectione fatigatus, etiam se viuum combussit, cum machæra & pelle, quam gestabat, hunc Herculem Seneca vocat Etheum, de quo est vltima tragediarum eius, quæ dicitur Hercules. Etheus ab Ethea monte in quo incensus est: *& Varro in lib. 4. rerum diuinarum,* putat Herculem ideo victorem dici, quod omne genus animalium vicerit, Hercules Iouis filius ab alijs inuictus: Oniphale præ amore subiacuit, quæ illum nere fecit, & muliebria exercere officia.

Albericus. Hercules deuicto Gerione veniens Italiam ab Euandro tunc Rege susceptus est, & cum se Iouis filium dixisset & virtutem suam probasset, pro numine habitus est; & aram meruit, quę maxima dicta est, & ei data est, quam delphicus Apollo ei in Italia fore prædixerat, primo tamen susceptus non est apud maiores, quia raro aduenæ nisi ius hospitalitatis haberent, suscipiebantur, eo quod in certum erat quo animo venirent. Cum ergo de suo armento ad sacrificia boues dedisset Pinario & Poticio duobus senibus, cum circa solis occasum sacrificia essent peragenda, Poticus prior aduenit, Pinarius autem posterior, iam extis redditis; vnde Hercules iratus statuit vt Pinarij familia ministraret epulantibus Poticijs, & sacra complentibus, vnde Pynarij dicti sunt à Græco pinas id est fame.

De causa belli Troyani.

Cap. LX.

Helinandus. Anno quo mortui sunt Iepte & Hercules, Alexander qui & Paris Priami filius rapuit Helenam, & bellum decennale surrexit, ab hoc anno vsque ad quartum annum Regis Achaz, qui est primus annus vrbis conditæ, inueniuntur in chronicis anni 438. quamuis teste Augustino, quidam scripserunt Romam esse conditam sub Ezechia. Orosius autem dicit anno ante vrbem conditam 430. pro raptu Helenæ coniurationem Græcorum, & concursum mille nauium extitisse, & deinde obsidionem decennem. Porro Frigius Dares dicit, quod Duces Græcorum contra Troyam fuerunt 69. qui adduxerant naues mille 200. duas*. Priamo vero venerunt in auxilium duces 33. Causa autem belli fuit, vt scribit Eusebius quod trium mulierum de pulchritudine certantium præmium fuit, vna earum Helenam pastorali iudici pollicente, de qua re talis fabula ficta est: Iuppiter cum Thetidem amaret prohibitus est à Protheone, quem generaret, qui se à regno depelleret, ille persuasus dedit eam vxorem Peleo, qui fuit Rex in Peloponensi, frater Esonis, patruus Iasonis & illorum nuptijs interfuit cum omnibus Dijs, & Deabus excepta discordia, quæ prohibita est adesse, quæ irata malum aureum in medio trium Dearum iecit, sic inscriptum, pulcherrimæ detur: illæ de formæ pulchritudine contendentes, Iouẽ iudicem elegerunt, qui eas ad Paridem transmisit, qui Venerem alijs præfecit: ex Peleo autem & Thetide Achilles natus est.

* *Dares dicit in summa fuisse naues numero 1140. licet plures computauit in numero separato computando naues quas quisque dux secum attulerat: hæc iuxta impressionem Lugdunensem 1569.*

De Abessan & Ahyalon & Abdon.

Cap. LXI.

Abessan. * *alias Hesebon.*

Author. Post Iepte iudicauit Israel Abessan* Bethleemita. Cæpit anno egressionis Ægypti 321. ætatis autem tertiæ octingentesimo 26. mundi vero secundo millesimo 774. Iudicauit annis 7. habens 30. filios, & totidem filias. Filias siquidem maritis dans foras emisit, filijs autem vxores accipiens in domum suam introduxit. 2774.

Ahyalon 2781. Lege hic Torniellum. Post hunc Ahyalon Zabulonites cæpit anno egressionis Aegypti 328. ætatis autem tertiæ octingentesimo 33. mundi vero secundo millesimo 781. & iudicauit annis 10. Sed iste cum annis suis in 70. non habetur, pro cuius damno supplendo Eusebius Iosue & Samuelis, & Sauli, quorum annos scriptura non exprimit, plures annos quam in Iosepho legeret, annotauit, vt ab egressu ex Aegypto vsque ad ędificationem templi 480. annorum summam quam scriptura prædicat haberet.

Abdon. Post hunc Abdon Thecuites de Effraim cæpit iuxta Eusebium eo anno quo supra diximus cæpisse Ahyalon, annis scilicet eiusdem Ahyalon prætermissis, & iudicauit annis 8. sub his tribus iudicibus Israel à domino non recessit, & terra quieuit, ideoq; nihil memorabile fecisse leguntur.

Capta Troya Huius Abdon anno tertio, qui fuit Agamemnonis Micenarum regis decimusquintus secundum Eusebium capta est Troya. Vnde greci ob gloriam victoriæ suæ ex tunc annotare tempora sua cæperunt à captiuitate Troyæ. Tunc dicit Homerus Menelaum & Helenam ad Thuorim regem Aegypti, quem Polybum vocat, diuertisse, repetentes Græciam, post bellum captæ Troyæ. Menesteus autem Athenienſium rex à Troya rediens in medio obijt; post quem Athenis Demophon regnauit.

De initio belli Troyani.

Cap. LXII.

Causa & modus capiendi Troyam. *Helinandus.* Summam belli Troyani ex historia Daretis, quam transtulit Cornelius nepos ad Salustium Crispum quam se inuenisse dicit Athenis scriptam manu ipsius Daretis, summa breuitate in hoc capitulo perstringam.

Castor & pollux audientes sororem suam raptam Helenam scilicet vxorem Menelai, fratris Agamemnonis, nauem ascendentes secuti sunt eam: Et cum in

Lesbio

Lesbio littore nauem soluerent, maxima tempestate orta, nusquam comparuerunt. Quos Lesbij vsque ad Troiam quæsierunt, & non inuenientes crediderunt immortales factos; conuenerunt igitur apud Athenas duces Græcorum 69. cum nauibus 1222*. missi sunt primo legati ad Priamum, Diomedes & Vlysses, infectoque negocio pugnatum est. In primo bello Hector Protesilaum interfecit. In secundo Patroclum, & Mirionem, & Aiacem Thelamonium occidisset, nisi eum de suo sanguine recognouisset. Erat enim natus de Hesione sorore Priami; primæ induciæ datæ sunt in biennium, Graijs petentibus. In tertio prelio Hector, Boëton, Archilocum, Prothenorem, duces occidit. In quarto bello Alexander Menelai femur sagitta transfigit. In quinto bello Hector 7. fortissimos duces interfecit Æneas 2. Achiles 4. Diomedes 2. In bello 6. continuis 80. diebus pugnatum est. Graij secundas petunt inducias in triennium. Quo completo iterum pugnatur. Hector in prima acie interfecit tres duces fortissimos, Achilles duos, pugnatur diebus 30. Priamus tertias petijt inducias mensibus sex. Item Agamemnon quartas petit inducias, dierum 30. In nono bello Andromache voluit Hectorem retinere, quia in somnis viderat ei non expedire, vt in bellum prodiret. Quod cum facere non posset. Astyanactem filium ante pedes eius proiecit; sed nec sic eum retinuit, Hector in bellum prodiens tres duces fortissimos occidit, duos vulnerauit, & tertium Achillem: à quo tandem * occiditur. Graij quintas petunt inducias duorum mensium, post bellum decimum Græci sextas petunt inducias in annum.

* *Præter Palamedem qui vltimo cum suis aduenit, sic lego cum Martino Polono impresso Antuerpiæ 1574. Homerus autem scribit fuisse Naues 1186. & certe si quis ex Darete velit cõputare numerũ Nauiũ quas secum adduxit quivis dux hũc numerũ magis appropinquare veritati inueniet. Itaq; cõuenerunt Græcorũ vniuersus exercitus apud Athenas maior quam à mundi exordio visus est.*

* *discooperto pectore scuto post terga posito cũ quondã Græcum Regem captiuũ duceret, lancea vulneratus est & occisus*

* *à Paride.*

De consummatione eiusdem.

Cap. LXIII.

IN bello 11. Palamedes, qui rex per commotionem factus fuerat,* occiditur. In bello 12. Troylus multos occidit. In 13. similiter pugnatur continuis diebus 7. Agamemnon septimas petit inducias, duorum mensium; post iterum pugnatur acriter per dies aliquot; Agamemnon octauas petit inducias 6. mensium, post iterum pugnatur acriter per dies aliquot. Agamemnon nonas petit inducias dierum 30. In bello 18. Troylus Achillem sauciat, pugnatur continuis diebus sex. In 19. bello Troylus ex equo cadens* ab Achille occiditur. In 20. cadit Mennon dux Persarum. Priamus decimas petit inducias dierum 30. In bello 21. Alexander Achillem interfecit in Fano Apollinis, vbi eum quasi ad colloquium connocauerat. Græci iterum petunt vndecimas inducias. In 22. bello Alexander Aiacem sauciat, & Aiax saucius eum interfecit, & de vulnere statim moritur. In bello 23. & 24. Penthesilea regina Amazonum viriliter pugnat, & Neoptolemum Achillis filium sauciat: à quo tandem ipsa occiditur. Antenor & Polidamas & Æneas Priamo dicunt, vt faciat pacem; quo nolente, patriam produnt. Qua capta Agamẽnon prædam omnem æqualiter diuisit; pugnatum est ad Troyam annis 10. mensibus 8. diebus 12. ruerunt ex Argiuis sicut acta diurna iudicant, quæ Dares Frigius conscripsit octingenta & 86. millia hominum. Ex Troianis autem vsque ad ciuitatem proditam, circiter sexingenta 76. millia hominum, ciuitate prodita 200. millia 76. Æneas nauibus profectus est cum quibus Alexander Græciam ierat numero 22. quem secuti sunt circiter 3400. hominum Antenorem secuti sunt duo millia * quingenta: Helenus cum Cassandra, & Andromache, & Hecuba, & alijs mille sexingentis Termissum petijt. *Dares Frigius dicit Cherronesum.*

* *à Mirmidonibus circundatus denudato capite viriliter ab Achille occiditur.*

Proditione capitur Troya 2784

* *alias sexcenta.*

De Diomede & socijs eius in volucres vt putatur conuersis.

Cap. LXIV.

Augst. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 16. Græci victores Troyam deletam relinquentes, diuersis & horrendis cladibus dilacerati, atque contriti sunt; & tamen etiam ex eis Deorum suorum numerum auxerũt: nam &* Diomedem fecerunt Deum, quem pœna diuinitus irrogata, perhibent ad suos non reuertisse; eiusque socios in volucres fuisse conuersos, non fabuloso poeticoque mendacio, sed historica attestatione confirmant, quibus nec Deus (vt putant) factus, humanam naturam reuocare, vel ipse potuit, vel certè à Ioue suo Rege, tanquam cælicola nouitius impetrauit. Quinetiam templum eius esse aiunt in insula Diomedæa non longe à monte Gargano, qui est in Apulia: & hoc templum circumuolare, atque incolere has alites tam mirabili obsequio, vt rostrum aqua impleant & aspergant, & eò si Græci venerint vel Græcorum stirpe progeniti, non solum quietas esse, verum etiam insuper adulari. Si autem alienigenas viderint, subuolare, & capita eorum tam grauibus ictibus, vt etiam perimant, vulnerare, nam duris & grandibus rostris satis ad hęc prælia perhibentur armatæ.

Hæc Varro vt astruat, commemorat alia non minus incredibilia, de illa Maga famosissima Circe, quæ socios Vlyssis mutauit in bestias; & de Archadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos; & cum similibus feris per illius regionis deserta viuebant. Si autem carne non vescerentur humana, rursus post 9. annos eodem renato stagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expressit Demenetum gustasse de sacrificio, quod Archades immolato puero Deo suo Lyceo facere solerent; in lupum fuisse mutatum, & anno 10. in figuram propriam restitutum, ad pugillatum sese exercuisse, & olimpiaco vicisse certamine. Nec idem propter aliud arbitrabatur historicus in Archadia tale nomen afflictum Pani Lycæo & Ioui Lycæo, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quod ea nisi vi diuina fieri non putaretur: lupus enim Græcè Lycos dicitur, vnde Lycæi nomen apparet inflexum, Romanos etiam lupercos, ex illorum velut mysteriotum semine dicit exortos.

* *Diomedes Tydei & Deiphiles filius ad Troyam militauit; cuius virtutem mirifice extollit Homerus cumq; Achilli fere æquat.*

Plinius lib. 10.

Augustinus vt supra cap. 17.

Quid de his & huiusmodi senserit Augustinus cap. 18. eiusdem libri.

Cap. LXV.

NOs cum essemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant; quibus vellent, seu possent viatoribus: vnde in iumenta illico verterẽtur, & necessaria quæq; portarẽt postq; perfuncta opera iterũ ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque seruari; nec sane dæmones naturas creant*, si quid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio: Sed specie tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, vt videantur esse quod non sunt: Proinde quod homines dicuntur per sacrificium Archadum mutati fuisse in lupos; & carminibus Circe socios mutauit Vlyssis secundum istum modum quem dixi mihi videtur potuisse fieri; si tamen factum est. Diomedeas autem volucres quandoquidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis, credo fuisse suppositas, sicut cerua pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia: Neque enim dæmonibus iudicio Dei permissis huiusmodi præstigiæ difficiles esse poterant, sed quia illa virgo postea viua reperta est, suppositam pro illa cer-

* *creare vocat aliquid de nihilo facere: & hoc modo nihil aliud quam Deus creare potest; idque Theologi omnes vnanimi consensu asserunt licet disputent an hac potentia creandi non possit communicari creatura.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uam facile cognitum eſt. Socij vero Diomedis quia nuſquam ſubito comparuerunt, & poſtea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos vltoribus, Angelis malis, in eas aues, quæ pro eis occultè ex alijs locis vbi hoc genus eſt auium ad ea loca productæ, ac repente ſuppoſitæ; creduntur eſſe conuerſi. Quod autem in tẽplo Diomedis aquam roſtris afferunt, & quod blandiuntur Græcis atque alienigenas perſequuntur, mirandum non eſt fieri dæmonum inſtinctu, quorum intereſt perſuadere, Deum factum eſſe Diomedem.

De ortu regni Latinorum, & Francorum.

Cap. LXVI.

De ortu regni Latinorum 2784. Ex *chronicis Euſebij*. Poſt captiuitatem Troyæ, quæ facta eſt anno tertio Abdon, qui fuit à natiuitate Abrahæ 825. Primus apud Latinos regnauit Æneas, ante quem regnauerunt Ianus, Saturnus, Pixus, Faunus, annis circiter 150. Regnauit autem Æneas tertio anno, vel vt quidam volunt, poſt annos 8. à captiuitate Troyæ annis tribus. Secundus filius eius Aſcanius annis 38. Tertius Siluius 29. Quartus Æneas Siluius 31. Quintus Latinus Siluius 50. Sextus Alba Siluius 39. Septimus Ægippus Siluius 24. Octauus Capis Siluius 28. Nonus Calpetus 13. Decimus Tyberinus 8. Vndecimus Agrippa 40. Duodecimus Aremulus 19. Tertiuſdecimus Auentinus 37. Decimuſquartus Procas 23. Decimuſquintus Amulius 44. Huius anno 20. Remus & Romulus generantur à Marte & Ilia, poſt Amulium ergo Roma condita, Latini vocati ſunt Romani. Quibus primus regnauit Romulus annis 38. & cæpit anno Regis Achaz 6. Poſt eum regnauerunt ſenatores anno vno. Deinde ſecundus rex Numa Pompilius 41. Tertius Tullius Hoſtilius 32. Quartus Aneus Marcius 23. Quintus, Tarquinius Priſcus 37. Sextus, Seruius 34. Septimus Tarquinius Superbus 35. Hi 7. Reges imperauerunt annis 240. vel vt quibuſdam placet 243. Inde apud Romanos finito regio dominatu primum conſules duo à Bruto eſſe cæperunt. Deinde tribuni plebis, ac dictatores, & rurſum conſules rempublicam obtinuerunt per annos ferme 464. vſque ad Iulium Cæſarem, qui primus ſingulare arripuit imperium; à quo etiam Romanorum principes Cæſares appellati ſunt.

Latini vocantur Romani.

De ortu Francorum. *Ex hiſtoria Francorum.* Tempore Aoth ædificata eſt Troya, tempore Abdon capta eſt, poſt cuius euerſionem multitudo magna fugiens, & in duos populos ſe diuidens, alia Franconem Priami regis Troyæ nepotem ſcilicet Hectoris filium, alia Turcum filium Troili Filij Priami ſecuta eſt; & inde tradunt quidam duos populos ſcilicet Francos & Turcos vſque hodie vocari.

De Sanſone & Pyrrho rege.

Cap. LXVII.

POſt Abdon iudicauit Iſrael Sanſon de tribu Dan. Cæpit anno ab exitu Ægypti iuxta Euſebium 336. * Ætatis autem tertię octingenteſimo 41. mundi vero 2789. * & iudicauit annis 20. Hic ante natiuitatem ſuam ab angelo prænunciatus & à natiuitate domino conſecratus fortiſſimus omnium fuit. Itaque filios Iſrael contra Philiſtæos potenter defendens; etiã ab eis ſponte ſe nouis funibus ligari permittens, ſubito vincula rupit, & in mandibula aſini, quam in terra iacentem reperit, mille viros ex eis interfecit, ac cæteros in fugam conuertit, ſed tandem per mulierem Dalilam deceptus, cum cæſarie capitis ſui domino conſecrata, ſimul & fortitudinem amiſit, & hoſtibus in deriſum expoſitus, ad extremum renaſcentibus crinibus, ac redeunte fortitudine ſeipſum vna cum eis proſtrauit.

**alias 346. *alias 2799 hanc computationem in poſterum ſeruabimus Euſebij, omiſſis decem annis Abyalon. Samſon occidit mille viros. Samſon moritur.*

Aug. de ciuit. Dei lib. 1. Non autem aliter Sanſon excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quia ſpiritus hoc latenter iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. *Item in quodam ſermone.* Sanſon namque fortitudinem habuit, non de natura, ſed de gratia: nam ſi fortis eſſet natura, cum ei capillus demeretur, fortitudo non adimeretur, ſed ad ſpiritum domini pertinebat illa potentiſſima fortitudo, dicente ſcriptura: *Incedebat cum illo ſpiritus domini*; huiuſmodi myſterium in Chriſto completum eſt, quem adduxerunt inimici, vt illuderent ei, qui expanſas manus ad duas columnas, quaſi ad duo ligna crucis extendit, ſed aduerſarios ſuos moriens, interemit: ſic & paſſio Chriſti facta eſt interfectio perſequentium, & ideo dicitur, quia plures occidit mortuus, quam occiderat viuus.

Author. Hoc tempore ea quæ de Vlyſſe fabulæ ferunt, ſcribit Palephatus. Aſcanius Æneæ filius Albam condidit, Pyrrhus ab Oreſte, Delphis occiditur in templo Apollinis *.

Valerius lib. 5. Mitis animus Pyrrhi Regis, qui cum audiſſet quoſdam in conuiuio Tarentinorum parum honoratum de ſe ſermonem habuiſſe, accerſitoſque qui illic interfuerant, percontabatur an de ſe talia dixiſſent, tunc vnus ex eis, niſi inquit vinum nobis defeciſſet, hæc, quæ tibi relata ſunt, præ his, quę de te locuturi eramus, luſus fuiſſent ac iocus, tam vrbana crapulæ excuſatio, tanquam ſimplex veritatis confeſſio, iram Regis conuertit in riſum. Qua quidem clementia & moderatione aſſecutus eſt, vt etiam ſobrij ſibi Tarentini gratias agerent, & ebrij bene precarentur.

**proditione ſacerdotis Machærei.*

De Hely ſacerdote.

Cap. LXVIII.

Author. Poſt Sanſonem iudicauit Iſrael Hely, qui & ſacerdos à digniori officio agnominatus eſt, tranſlato enim ſacerdotio à filijs Eleazar, hic primus de filij Ithamar ſacerdotium accepit, & forſitan ipſemet factus iudex, ſacerdotium ad ſe tranſtulit. Quidam tamen tradiderunt hunc eſſe Phinees, filium ſcilicet Eleazari. Cæpit anno ab exitu de Ægypto 356. ętatis autem tertiæ 861. mundi vero 2809. & iudicauit annis 40.

Hely 2809.

Huius temporibus (vrgente fame) peregrinatus eſt Elymelech cum vxore & filijs de Bethleem, in regionem Moab; vbi Noemi vxor eius orbata viro ac filijs, tandem cum nuru ſua Ruth Moabitide redijt, quam ſcilicet Ruth Booz de tribu Iuda ratione propinquitatis ad ſuſcitandum conſanguineo ſuo ſemen accepit, & ex ea filium, Obeth nomine, genuit, qui fuit pater Iſai patris Dauid.

Samuel naſcitur.

Sub Hely quoque Samuel natus puer in templo miniſtrauit, & anno 12. pleno (vt ait Ioſephus) prophetauit. Denique iuxta reuelationem Samueli factam à domino, quod peccatum Hely ac filiorum eius puniturus eſſet, filiis eius coram Philiſtæis in bello proſtratis, etiam arca domini capta eſt. Ipſe quoque Hely hoc audiens de ſella retrorſum cecidit, & fractis ceruicibus expirauit.

Arca domini capta eſt. Moritur Hely 2849.

Eo tempore filij Hectoris Ilium receperunt, expulſis Antenoris poſteris.

Sciendum autem quod licet Ioſephus & liber Regum conſentiant Hely iudicaſſe per annos 40. Septuaginta tamen, & liber Paralip. dicunt 20. ſed poteſt dici, quia poſt Sanſonem fluxerunt abſque iudice anni 20. qui aggregati ſunt annis Hely: quidam tamen dicunt annis 20. quibus iudicauit Samuel aggregandos annis Hely magiſtri ſui, ſed verius anni Samuelis iuxta Euſebium & Comeſtorem aſcribuntur annis Saulis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Samuele & Saule.

CAP. LXIX.

SAmueli igitur & Sauli post mortem Hely simul annotantur anni 40. Et arca quidem domini capta sub Heli, apud Philisteos 7. mensibus fuit, sed diuino nutu reducta, in domo Aminadab, in Gabaa 20. annis permansit. Interim senescente Samuele, populoque Regem pertinaciter postulante. Saul de tribu Beniamin vir bonus & humilis, statura quoque corporis ab humero, & sursum eminens super omnem populum, diuino nutu eligitur, & à Samuele inungitur: hic cum Ionatha filio suo defendit Israel. Primo quidem ab Amonitis, postmodum à Philisteis, sed quia domino & Samueli inobediens fuit à domino reprobari meruit.

Saul electus in Regem.

Itaque Dauid pro eo regnaturus adhuc puer inungitur, Saul spiritu nequam exagitatur. Dauid interfecto Goliath in populo suo gloriam acquirit. Inde Saul contra eum spiritu liuoris inardescit, insidiose fraudulenterque facit eum generum suum, vt prælia domini gerens traderetur in manus hostium. Denique dum eum instanter persequitur, Dauid vsquequaque diffugiens, tandem apud Achis Regem Geth Philistinorum quatuor mensibus peregrinatur, ac vicinos hostes depredatur. Interim Saul Accepto à * Phitonissa responso, contra Philisteos in bello progreditur, & in monte Gelboe cum filijs suis prosternitur, atque à vitis Iabes; quos prius contra Amonitas defenderat, sepelitur.

Saul persequitur & quarit mortem Dauid.

** quidam tradunt Phitonem esse artem suscitandi mortuos quam Phitones adinuenit.*

A Saule itaque cæperunt in Israel tempora regum, & à Samuele tempora nominatorum prophetarum, viuente quidem Samuele, Saul annis 18. regnauit, & eo mortuo duobus; hos annos tamen sacra scriptura non annotauit; in morte Saulis terminatur ætas sæculi tertia, habens annos 941.

Ortus Regū in Israel à Saule incepit.

2889.

De ortu regni Laced. & Corinthi. & de Codro Rege Athe.

CAP. LXX.

HVius temporibus à quibusdam fuisse putatur Homerus, duo regna exordium habuerunt Lacedemoniorum scilicet & Corinthiorum; Athenienſium vero 17. hoc tempore regnauit Codrus.

Eusebius in chronicis. Anno igitur Saulis 15. Lacedæmoniæ primus regnauit Euristeus annis 42. Post hunc vero Agis anno vno. Post quem tertius Archestratus annis 35. quartus Labotes 37. Quintus Doristus 29. Sextus Agesilaus 44. Septimus Archelaus 60. Octauus Thelecus 40. Nonus Alcamenes 37. Ex tunc reges Lacedemoniorum defecerunt scilicet anno Azariæ qui & Ozias 49.

Anno quoque prænotato, scilicet regni Saulis 15. primus Corinthi regnauit Athletes annis 35. Secundus Tryon 37. Tertius Agilaus 37. Quartus Pryminas 35. Quintus Bacis 35. à quo reges Bacide cognominati sunt. Sextus Agelas 30. Septimus * Eudemus 25. Octauus Aristhemedes 35. Nonus * Egemon 16. Decimus Alexander 25. Vndecimus Phelesteus 12. Duodecimus Anthomenes anno vno. Ex tunc Corinthiorum reges defecerunt scilicet anno præfati Azariæ qui & Ozias 42.

** alias Eridemus.*
** alias Egemon.*

Valerius lib. 5. cap. 6. Codrus Rex Athenienſium, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata, ferro & igni vastaretur; humani auxilij diffidentia, ad Apollinis oraculum confugit, ac per legatos scisitatus est, quo nam modo tam graue bellum istud discuti posset; * respondit deus ita finem ei fore si ipse hostili manu occidisset. Hoc non solum in Athenienſium castris percrebuit, sed etiam in contrarijs; ob hoc illic edictum est, ne quis Codri corpus vulneraret, id postquam cognouit, depositis insignibus imperij, familiarē cultum induit, ac Pabulantium hostium globo se obiecit, vnumque ex his falce percussum, in cædem suam compulit; ne Athenæ occiderent.

** alias respōsūq; est.*

Pietas Codri ergapatriam

De gestis Dauid.

CAP. LXXI.

EX *chronicis* Dauid itaque primus de tribu Iuda regnauit apud Hebræos annis 40. in ipso Regni eius principio exordium habuit quarta ætas, non vt quidam volunt, pro regni Iudæorum initio cum inchoasset à Saule; sed pro innouatione promissionis olim patribus factæ de Christo, & regno Christiano. Siquidem iurauit dominus Dauid veritatem: de fructu ventris eius sessuro super sedem suam.

Promissio facta Abrahæ renouata.

Cæpit autem anno ab egressione Ægypti 436. à natiuitate Abrahæ noningentesimo 41. Ab initio vero mundi 2889. & regnauit primo quidem in Ebron super tribum Iuda 7. annis: postmodum in Hierusalem super omnem Israel 33. annis.

2889.

Hic quidem pius ac iustus rex, etiam hostibus fidem seruans, eorum necem iniustam vindicauit, atque vir bellicosissimus contra hostes viriliter pro populo suo stetit arcam domini cum honore & gaudio in arcem Syon, quam acquisierat & edificauerat, adduxit, denique pro peccato, quod in Vriam & vxorem eius commiserat, se humilians diuinam misericordiam obtinuit; & tam à filio proprio, quam ab alijs persecutiones, & opprobria non modo patienter, verum etiam libenter sustinuit.

Dauid pius ac iustus.

Tandemque pro plaga populi numerati, altare in area Areuna Iebusei, vbi templum domini construendum erat, extruxit, & holocausta pacifica offerens, Dei propiciationem obtinuit, Denique præparatis impensis ad fabricam templi, Salomonem filium suum adhuc viuens, in regem inungi fecit, eoque instructo, de cultu diuino, & de regni gubernaculo, in pace dormiuit. Huius temporibus prophetauerunt Gad, & Nathan, & Asaph.

Codrus Athenienſis (vt dictum est) iuxta responsum, seipsum morti tradens, bello Peloponesiaco interemptus est, in quo Heraclidarum regnum destructum est.

De Hymnologia Dauid.

CAP. LXXII.

Augustinus de ciu. Dei lib. 17. cap. 14. Dauid vir in canticis eruditus harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate, dilexit, eaque Deo suo mystica rei magnæ figuratione seruiuit. Diuersorum enim eius sonorum rationabilis moderatusque concentus, concordi varietate compactam, bene ordinatæ ciuitatis Dei vnitatem insinuat.

Author. Hic dicitur eximius prophetarum, quia non solum futura de Christo prædixit, sed etiam ipsum sibi de semine suo nasci promissum annunciauit; & soliloquia id est psalmos vel hymnos, qui solitudinem mentis exigunt, vtpote qui omni affectu spirituali & diuina contemplatione pleni sunt, deuotissime domino decantauit: de quib. dicit Apostolus ad *Ephesios cap. 5. nolite inebriari vino, in quo est luxuria,* sed implemini Spiritu; loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis Spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Vnde patet quod frequentatio eorum, & carnalia desipere facit, & mentes psallentium spirituali deuotione reficit, tristitiam, quoque sæculi, & fastidium boni ab animis repellit, dicente Iacobo, tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo; & psallat.

Diony. in lib. de Hierarchia Angelica. Psalmorum sacra oratio, & omnis Agyographia ad deificationem animorum nostrorum opportunè narratur. Continua

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quoque ſacratiſſimorum Hymnologia, animales noſtros habitus, coadunatè diſponit.

De virtutibus eiuſdem.

CAP. LXXIII.

Ambr. lib. 1. de officijs cap. 35. Cumque vero Dauid niſi laceſſitus, nec niſi prius conſulto domino bellum intulit: prudentiam enim in bello vel prælio comitem fortitudinis habuit; ideo in omnibus prælijs, vſque ad ſenectutem ſummam manu promptus, victor extitit.

Idem in lib. de exceſſu ſatyri in ſecunda oratione de fide reſurrectionis vno folio poſt initium. Dauid mortuo filio, quem de Berſabee ſuſceperat, luctum cohibuit, dicens: Ego ibo ad eum, non ipſe reuertetur ad me. O maximum deſiderantis ſolatium! O verum ſapientis iudicium! idem parricidam filium fleuit, qui non fleuerat innocentem: fili mi (inquit) Abſalon, quis mihi det, vt ego moriar pro te; non ſolus fletur Abſalon, fletur patricida; fletur & Amon, fletur & ſceleratus, non fletur dilectus: vna ergo fides, & illos mortuos fleuit, & flendum infantem mortuum non putauit: illos enim ſibi perijſſe credebat, hunc reſurrecturum ſperabat.

Idem in apologia Dauid cap. 7. Idem Dauid Abner, licet aduerſarij agminis ducem interemptum fleuit, & poſt luctum eius ambulans, depoſitis infulis poteſtatis, exequiarum buſta curauit: quo facto, docuit etiam fidem eſſe aduerſarijs ſeruandam; honorandam quoque & in hoſte virtutem.

De pœnitentia eiuſdem.

CAP. LXXIIII.

Dauid reprehenſus à Nathan agnoſcit culpam.

DIxit quoque Dauid ad Nathan: Peccaui domino, quem nunc mihi facile reperias honoratum, ac diuitem, qui ſi arguatur alicuius culpæ reus, non moleſtè ferat? at iſte regio clarus imperio tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato homine corriperetur, quod grauiter deliquiſſet, non indignatus infremuit, ſed confeſſus ingemuit culpæ dolore. Maturitas enim veniæ profundam eius pœnitentiam fuiſſe declarauit, quæ tanti erroris offenſam tranſduxit, dicente Nathan: quoniam pœnituit te, Dominus tranſtulit peccatum tuum. Alij homines cum corripiuntur, peccatum ſuum ingrauant, dum negare cupiunt, aut defendere; ibique eorum maior eſt lapſus, vbi ſperatur correctio. Sancti autẽ domini, qui cõſummare certamen pium geſtiunt, & viam ſalutis currere; ſicubi forte vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo maiora reparantes certamina; vt non ſolum nullum æſtimetur attuliſſe lapſus impedimentum; ſed etiam velocitatis incentiua cumulaſſe.

Salutaris eſt pœnitentia cum luctu.

Dauid occidit Vriam, non ſtudio crudelitatis impulſus, ſed vt pudorem obumbraret concupiſcentiæ, verecundiam tegeret, voluit enim eum dominus ſubiacere tentationi, ne aliquid ſibi ſupra hominem arrogaret. Cæterum in Pſalmo illo pœnitentiali. *Miſerere mei Deus &c.* vide quot verſibus propheta peccatum ſuum reſonet, nec vllus verſus ſit ſine confeſſione delicti: pro vno peccato, poſtulat miſerationum multitudinem; & nos pro pluribus peccatis vix ſemel eius miſericordiam credimus obſecrandam, delictum quoque noſtrum confitentes, potius perſtringimus, quam repetimus.

Apologia eiuſdem contra Manichæos.

CAP. LXXV.

Humilitas & patientia Dauid.

Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 66. Legant autem Manichæi, & videant in Dauid; Deum plura redarguiſſe quam Fauſtum: ſed ibi eſt & pœnitentiæ ſacrificium, ibi eſt incomparabilis manſuetudo, vſque ad atrociſſimum inimicum. Ibi eſt illa incomparabilis humilitas ſub flagello Dei, & ceruix regia ita Dominico iugo ſubdita, vt armatus & armatis comitatus, amara ex ore inimici conuitia patientiſſime ſuſtineret: ſuumque comitem accenſum iracundia, quod talia rex eius audiret; & iam iamque in conuitiatoris caput, dextera vltrice pergentem, modeſtiſſime refrænaret, regali ſuæ iuſſioni diuini timoris pondus adijciens, & dicens meritis ſuis hoc redditum ſuperno iudicio, quo ille iniurioſus miſſus eſſet, vt talia in eum iacularetur opprobria.

Dilectio eius paſtoralis.

Ibi in gregem ſibi commiſſum tanta dilectio paſtoralis, vt pro eis vellet mori: quando populo numerato, peccatum elationis eius ſic punire placuit Deum, vt eundem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat ſuperbia pertentatum; in quo occulto Dei iudicio Deus, apud quem non eſt iniquitas, & quos nouerat indignos hac vita, huius vitæ ſubtraxit; & in eo, qui de hominum copia ſe extulerat, tumorem animi humani eiuſdem copiæ diminutione ſanauit.

Timor Dei reſplenduit in Dauide.

Ibi tam religioſus Dei timor ſacramentum Chriſti in ſancta vnctione ſeruabat, vt cor eius pia ſolicitudine trepidauerit, quando exiguam particulam de veſte ipſius Saulis latenter abſcidit, vt haberet vnde illi fidem faceret, quod nollet eum occidere, cum poſſet. Hæc & multa alia in iſto ſancto viro reperiuntur imitanda, neque prætermiſſa eſt in iſto ſecundum comminationem Dei paterni flagelli diſciplina; vt & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Intelligebatque vir ſanctus, & non contra Deum, ſed ad Deum leuans animam ſuam; niſi dominus eſſet confitenti, & pœnitenti propitius; quantum pœnarum æternarum eius eſſent digna peccata; pro quibus cum temporalibus emendationibus vteretur: videbat erga ſe, & manere veniam, & non negligi diſciplinam.

1. Reg. 15. Cor contritum reſpicit Deus.

Cur autem Saul per Samuelem correptus, cum diceret etiam ipſe ſicut Dauid peccaui, non meruit audire quod Dauid, ſcilicet quod dominus ei ignouiſſet, nunquid perſonarum acceptio eſt apud Deum? abſit, ſed in ſimili voce, quam ſenſus humanus audiebat: diſſimile pectus erat, quod diuinus oculus diſcernebat.

Aug. cap. 68.

Itaque multi nullius appetentes vxorem, nullumve maritum appetitæ vſque ad mortem perſequentes: tamen Dauidicum meritum; quod ipſe fecerit apud Deum, habere non poſſunt. Tantum intereſt quid cuique in ſeipſo, quantumque diſpliceat, vt penitus extirpetur: & quid pro eo fructiferum, & opulentum ingenti conſurgat fertilitate: quia & agricolæ plus placent agri, qui ſpinis etiam eradicatis, centenum proferunt, quam qui nullas vnquam ſpinas habuerunt, & vix ad tricenum perueniunt.

De Salomone & fabrica templi.

CAP. LXXVI.

Ex chronicis. Salomon regnare cæpit anno ætatis quartæ 41. ab egreſſione Ægypti 476. A natiuitate Abrahæ 981. Ab initio vero mundi ſcilicet ſecundo milleſimo 929. & regnauit annis 40. hic filiam Pharaonis regis Ægypti ſibi deſponſauit: de qua vt dicunt Hebræi, cum adhuc 11. annum ageret contra naturam filium genuit, & in oratione ſua ſapientiam quam 2929.

cæteris

cæteris omnibus donis præpoſuit à domino impetrauit.

Ædificatur templum Domini 2933.

Anno regni ſui quarto, qui fuit 480. egreſſionis Iſrael ab Ægypto menſe Maio templum domini ædificare cæpit de marmore candido, quod parium dicitur. Et in anno 11. menſe Octobri conſummauit, ita quod in 7. annis & ſex menſibus ipſum cum ſuis vtenſilibus compleuit.

Comeſtor in lib. 3. Regum cap. 9.

Ioſephus tamen dicit anno quingenteſimoſecundo, egreſſionis de Ægypto deſcribens etiam annos ætatum præcedentium dicens, ab Abraham fluxiſſe annos 1020. A diluuio 1430. ab Adam 3102. Habebat autem domus in longitudine 60. cubitos, in latitudine vero 20. pars quidem anterior, quæ ſancta dicitur, & erat ab oriente, 40. erat cubitorum in longitudine, reliqua pars ad occidentem 20. cubitorum erat & dicebatur Sanctaſanctorum. Porro in altitudine 30. cubitos habebat vſque ad primum tabulatum ſuper quod ſecunda manſio erigebatur 30. cubitis vſque ad ſecundum tabulatum. Tertia vero manſio erat 60. cubitorum vſque ad tertium tabulatum, quod erat tectum domus, & ſic tota templi altitudo in 120. cubitos aſcendebat. Ioſephus tamen mentionem non facit niſi de duabus manſionibus vnicuique 60. cubitos aſcribens, ſed duas inferiores manſiones ſub vna comprehendit. Eratque porticus ante faciem templi, habens longitudinem iuxta templi menſuram 60. cubitorum & latitudinem 10. cubitorum, ſurgens in altum (vt dicit Ioſephus) vſque ad celſitudinem templi; & fecit in templo feneſtras obliquas id eſt exterius anguſtas, & interius obliquando diffuſas; has excogitauit Salomon.

Deſcriptio templi.

Altitudo, longitudo, & latitudo templi.

Porticus ante templum.

Trabes templi.

Trabes autem poſuit in domo per tranſuerſum per tria loca in ſummitatibus trium manſionum adeo longas, vt forinſecus capita earum prominerent ex vtraque parte. Et ædificauit ſuper capita forinſecus prominentia, tria tabulata ad deambulandum circa templum, quæ in Euangelio pinnacula templi dicuntur; latitudo vero tabulatorum differens erat. Tabulatum enim quod erat ſubtus, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium ſex cubitos, & tertium ſeptem. Quod ad litteram quidam tradunt factum, vt in ſuperioribus tabulatis manentes, non impedirentur ad aſpiciendum inferius per obſtaculum inferiorum: Hebræus tamen dicit tria tabulata parem habuiſſe latitudinem, vt ſi à ſummo vſque ad imum plumbata cæmentarij dimitterentur, eorum perpenderetur æqualitas. Verumtamen inferius tabulatum quinque cubitorum erat in latum; medium vero 6. quia murus ſuperior arctior factus, quaſi per cubitum erat retractus: vltimum vero tabulatum ſeptem cubitos habebat pro retractione muri ſuperius ſimiliter factum: hæc autem tabulata ſic erant coniuncta muro, vt ei infixa non eſſent. Porro in extremitatibus cuiuſlibet tabulati, vt deambulantes ab iniuria lapſus defenderentur; ædificauit luriculas, tanquam appodiationes quæ in libro Regum latera vocantur; in Paralipomenon cancelli; de quarum altitudine neſcimus; niſi de ſupremo, quod habuit in altitudine 5. cubitos.

De ornatu interioris domus & ſuperioris manſionis.

CAP. LXXVII.

Comeſtor cap. 10. Trabes & parietes auro incruſtati.

PORro murus manſionis inferioris intrinſecus opertus erat tabulis cedrinis. Trabibus vero ſolarij affixa erant laquearia cedrina, pauimentum domus tectum erat tabulis abiegnis. Tabulata vero laterum, & laquearia trabium, & pauimenta, tabulis aureis operiebantur cum clauis aureis; quorum ſinguli erant quinquaginta ſiclorum; nihilque erat in illa inferiori parte templi, quod auro non tegeretur, vt vultus ingredientium faceret auri lumine reſplendere. Porro in iunctura tabularum fecit Anaglypha id eſt tornaturas, vel cælaturas in iuncturis fabrefactis, ne locus iuncturæ deprehendi poſſet. In medio vero tabulæ erant imagines prominãtes Cherubin & palmæ. Hæc quidem in tabulis cedrinis cælata erant, ſed auro tecta, vel in ipſis tabulis aureis. Oraculum autem quod dicitur Sanctaſanctorum, habebat 20. cubitos longitudinis & 20. latitudinis, & 30. in altitudine. In littera tamen habetur, & 20. cubitos altitudinis; quod intelligendum eſt de pariete cedrino interpoſito inter oracula, & ſanctaſanctorum; vt fumus aromatus aſcendens de altari per aperturam ſuperiorem, libere intraret in oraculum.

Anaglypha

Cherubin

Sancta Sanctorum.

Erat autem totus paries tectus auro, habens Anaglypha, Cherubin & palmas, ad modum parietum. Huic parieti appenſum erat velum de quatuor coloribus, cui intexta erant Cherubin tantæ tenuitatis vt parietis non prohiberent aſpectum; quod legitur in euangelio ſciſſum fuiſſe à ſummo vſque deorſum. De interiori ſchemate ſuperiorum manſionum non legi, niſi quod dum conſummaretur ædificium, poſitus eſt lapis in angulo ſuperiori, non ſine grandi omnium admiratione. Cum enim ædificantes & in fundamento, & in muro eum locare niterentur, non eſt inuentus locus eius, donec in angulo ſuperiori, & poſtremus omnium conuenienriſſime poſitus eſt; ſecundum quod prædixerat Dauid. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes &c.* In ſummitate vero muri per gyrum affixa erant aurea verna ad magnitudinem hominis, propter aues abigendas, vt de longe aſpicientibus, quaſi ſilua aurea videretur. Per gyrum vero muri erat labium exterius, à quo dependebant grandes vuæ aureæ cum * pampinis aureis adeo fabrefactis; vt ſurſum aſpicientibus quaſi ad inſtar auium ſæpe moueri viderentur. Porro iuxta terrã oſtium lateris medij in pariete erat domus dextræ id eſt meridianæ, per quod cocleam aſcendebant in medium cænaculum; & à medio in tertium, hoc eſt per aſcenſum tortuoſum, qui vitis vulgo dicitur, qui factus eſt ad ſimilitudinem cocleę teſtudinum.

Velum de quatuor coloribus.

Lapis caput Anguli.

Pſal. 117.

** Pampinus eſt folliculus ſub quo fructus vitis à frigore vel ardore defenditur.*

Fecit autem in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulos, & duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus, & ſculpſit in eis Cherubin & palmas, & celaturas valde eminentes, & operuit omnia laminis aureis opere quadro ad regulam, foras iſtæ multæ venuſtatis erant, & (vt ait Ioſephus) non erat in eis lignum maius palmo, quod forte notatur in Regum, cum dicitur; *opere quadro ad regulam:* & erat altitudo earum 30. cubitorum ſecundum altitudinem inferioris cænaculi; & latitudo 20. Erat quippe latitudo muri 10. cubitorum, & apertura in qua fores erant ſimiliter 10. & ita in muro orientali altrinſecus ſupererant 5. cubiti. In apertura vero erant quatuor fores, duæ extrinſecus, & duæ intrinſecus, quarum vnaquæque habebat latitudinem 5. cubitorum; & ſic erant artificioſè poſitæ vt clauſæ, quaſi continuum parietem facerent intus & extra; apertæ, ſibi in medio ſpiſſitudinis muri obuiabant; & totam eius latitudinẽ tegebant, & ſic artificioſè ſibi adhærebant; vt quando claudebantur exteriores; clauderentur ſimul & interiores. Nullus enim in templo nocte remanebat, qui clauderet eas interius.

Poſtes, & fores aureis laminis operta.

De ornatu & oraculo eiuſdem.

CAP. LXXVIII.

PORro in pariete oraculi fecit duo oſtiola de lignis oliuarum, & poſtes angulorum 5. vt in quinto angulo medio cardines affixi ſtarent, circa quos oſtiola mouebantur, & erant in oſtiolis Anaglypha, Cherubin, & palmæ: in oraculo autem erat palma, arca, & propitiatorium; & Cherubin, quæ fecerat, Moyſes in deſerto.

Comeſtor cap. 11. Cherubim duo.

Fecit autem Salomon Cherubin duo, de lignis oliuarum 10. cubitorum altitudinis; ſtantes ſuper pauimentum in lateribus arcæ, & habentes pedes obliquatos, quaſi ad iubilandum, & eleuatos, opertos auro puriſſimo, habentes alas aureas ſingulas, 5. cubitorum, quarum duę extendebantur ſuper arcam, & obuiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sibi venientes coniungebantur super eam, tegentes sanctuarium infra se positum,alias autem duas extendebant altrinsecus vsque ad parietes.

Mensa & candelabra. Porro extra parietem in sanctasanctorum posuit mensam ad Aquilonem, & candelabrum ad Austrum; inter quæ medium erat altare aureum, quod fecerat Moyses in deserto. Sed præter illud candelabrum,posuit alia candelabra aurea eiusdem schematis,sed maioris quantitatis 5. hinc, & 5. inde. Similiter cum mensa quam fecerat Moyses in deserto, posuit alias mensas 10. eiusdem schematis sed maioris quantitatis 5. hinc, *Altare thymiamatis.* & 5. inde. Inter hæc autem posuit altare thymiamatis, & vestiuit illud cedro,quod etiam dicitur altare oraculi id est coram oraculo. Intelligitur hoc altare fuisse de lapidibus,quos ferrum non tetigit,& erat opertum per circuitum tabulis cedrinis,sed illæ opertæ erant ex omni parte laminis aureis, cuius quantitatem non memini me legisse. Illud vero modicum altare, quod fecit Moyses in deserto, forte repositũ erat in sanctasanctorum; non ad vsus quotidianos thymiamatis, sed ad aliquos vsus singulares; quando semel in anno ingrediebatur sacerdos, cum sanguine; hoc autem inde potest perpendi,quia dicit Apostolus,in sanctasanctorum fuisse thuribulum aureum; & hic erat ornatus templi in interioribus.

De Porticu & columnis eius.

Cap. LXXIX.

Comestor cap.12. Porticus. IN facie vero templi erat porticus, quæ in euangelio dicitur vestibulum templi; habens columnas æreas in longitudine sui dispositas, in medio quarum erant duæ mirabiliores cæteris, positæ ante fores templi,habentes in medio sui spacium 10. cubitorum,secundum latitudinem portæ templi; quarum talis erat compositio: stilus,vel stipes columnæ, habebat 18. cubitos altitudinis,non planus sed valliculatus, habens in circuitu cannales cauationis 4. digitorum & erat fusilis;& li- *Epistilium.* nea 12. cubitorum ambiebat illum.Epistilium vero columnæ,latius erat stipite,& rotundum,opere reticulato *Capitellum.* cælatum. Capitellum quoque superpositum epistilio, fusile erat & 5. cubitorum altitudinis,& suprema parte erat liliatum. latera vero ipsius ex omni parte in modum retis, & catenarum erant contexta, septena versuum retiacula,erant in capitello vno, idest 7. ordines habentes eandem cælaturam. Super capitellum vero erat quasi funiculus, super quem in duobus ordinibus positum erat retiaculum tegens eius summitatem, & descendens aliquantulum circa latera capitelli in circuitu. In cuius extremitate dependebant in duobus ordinibus ducenta malagranata. In epistilio quoque dependebant malagranata, legitur enim quod capitella erant super summitatem malagranatorum. Eiusdem compositionis erat altera columna.

Columnæ. De compositione vero basium non legi,hæ duæ columnæ proprijs nominibus vocabantur, tum propter sui magnificentiam, tum propter futurorum multam præfigurationem, dextera dicebatur Iachim , sinistra ** alias Boz id est robur.* * Booz, de reliquis columnis vestibuli modicũ agit historia. Capitella eorum minora dicit vno cubito prioribus capitellis. De schemate eorum tantum dicit quod erant liliata & habebant retiacula superposita. Has columnas & omnia vtensilia templi ærea, & quicquid in **Tyrius plenus sapientia de tribu Nephthalim.* eo de ære factum est,fudit * Hyram. Aliquando tamen de auricalco dicuntur facta,quod idem est,cuius splẽdor & pulchritudo similis erat auro,vt dicit Iosephus. In hoc vestibulum ascendebatur ab atrio sacerdotum 12. gradibus secundum Iosephum. Quidam tamen dicunt 7. secundum visionem Ezechielis, dicunt enim in multis concordare compositionem templi materialis, cum compositione templi spiritualis, quod vidit Ezechiel.

De domunculis & atrio sacerdotum

Cap. LXXX.

ÆDificauit autem Salomon in circuitu templi post vestibulum 30.paruulas domos,quę sui copulatione totum templi spacium extrinsecus ambiebant;harum singulæ habebant 5. cubitos latitudinis & tantundem longitudinis & 15. etiam in altitudine. Ingressusque earum ita fecit adinuicem, vt ex alia ingrederetur ad aliam , aliquo spacio interposito. Et supra eas ædificatæ erant aliæ æquales eis,& mensura & numero,ita vt latera templi tria,per circuitum tegerentur domunculis vsque ad primum tabulatum exterius. Reliqua vero pars templi superior circumædificata non erat,sed libere videri poterat. Non fuerunt hæ domunculæ pastophoria, vel exedræ, sed cubilia, & cænacula Hebdomadariorum & gazophilacia vasorum, & vestium templi.

Domus in circuitu templi.

Comestor cap. 13.

Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum & vno ordine lignorum cedri. Porro plura fuerunt atria citra templum, vt in psalmo legitur. *Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri.* De interiori tantum atrio mẽtio fit in Regum; de eodem, & de secundo tractat Iosephus; sed præter hęc duo fuerunt alia duo . Igitur atrium interius erat platea grandis, & ex omni parte circa templum diffusa per quadrum, quæ præ foribus templi ad orientem plurimum extendebatur,quia ibi erat altare æreum, & lutetes;& ibi ministrabant sacerdotes,& leuitæ coram domino; circa vero vtrumque latus templi, non adeo diffusa erat,ab Occidente vero strictior,cuius pauimentũ vario marmore stratum erat,& diuersis imaginibus venustatum; hoc atrium cingebat murus breuis in latitudine tantũ trium cubitorum:itẽ erat cubitus vnus,lapidum vnius coloris;secundus, alterius; & tertius, tertij. Intus autem vestitus erat cedro; & positus est per gyrum in extremitate huius atrij; vt cæteros à ministris ab ingressu atrij prohiberet. Ad hunc appodiabant se psallentes,& conuersi ad populum super hunc inclinati loquebantur . In eodem muro stabant columnæ æquis interuallis dispositæ,populum extra stantem ad legem sanctimoniæ prænonentes , aliæ , litteris Hebræis,aliæ, Græcis,aliæ Latinis, & ne intrarent locum sanctum prohibentes,hic ambitus muri proprio nomine vocabatur Gion: Latinè vero cãcellus;vnum solum habebat introitum ab Oriente, contra portam templi, habens aperturam 25. cubitorum, sine foribus vsque ad hunc introitum ascendebant viri,& mulieres, deferentes oblationes suas ad ministros sibi occurrentes; nec licebat eis vlterius transire nisi in quibusdam casibus. Et ascendebant ad ipsum per 14. gradus. Hoc atrium dicebatur interius,vel atrium sacerdotum quod etiam illi, qui erant Aaronitæ , sed propter maculam aliquam offerre non poterant, non intrabant, licet de sacrificiorum partibus alerentur.

Comestor cap.14.

Atrium interius.

De ceteris atrijs templi.

Cap. LXXXI.

POst istud atrium, & infra ipsum in decliui latere positum erat secundum atrium quod dicebatur sanctum; quod Iosephus vocat aulam, vel basilicam grandem . Erat autem diffusum per circuitum circa atrium interius; longe tamen maius eo,& pauimentum vario marmore,eratque circumseptum muro in altitudine 25. cubitorum interius; exterius vero altitudinis 40. cubitorum, secundum decliuitatem collis, & licet sic esset altus, non ascendebat tamen vsque ad fabricam templi; nec ipsius aspectum prohibebat;erat autem murus iste ad occidentem simplex, & nullam habens portam. In vtroque vero latere,& in fronte orientali, habebat porticus circumiacentes instar clausstri

Comestor cap.15. Aula siue Basilica.

monacho-

monachorum; in quibus erant columnæ ſingulorum lapidum diuerſi coloris, cum baſibus argenteis. Camera vero porticuum, & laquearia, cedrina erant: latitudo vero porticus 30. cubitorum.

Quatuor porta. In latere meridiano erant quatuor portæ duplices valuas habentes, quæ laminis aureis, & argenteis miro opere erant decoratæ: eiuſdem numeri, & eiuſdem ſchematis erant portæ in latere ſeptentrionali.

Ianitores portarum. In his ſedebant Ianitores, vt arcerent immundos ab ingreſſu huius atrij. Porro in orientali fronte erat porta, quæ dicebatur ſpecioſa, habens valuas de ære Corinthio factas. In angulis huius frontis erant duæ portæ modicæ, per quas aſcendebant mulieres ad offerendum, vel forte miniſtri deſcendebant in occurſum earum ibi, ad ſuſcipiendas earum oblationes; per has portas, quas diximus, aſcendebant vndequaque viri mundi in atrium ſecundum, vt orarent ſub diuo, tempore ſerenitatis; ſub porticibus tempore tempeſtatis. In platea orientali huius atrij, vendebantur animalia, & volucres ad offerendum, & menſæ numulariorum ſtabant ibi, quas euertit dominus.

Gazophilacia. In porticibus autem circa portas ſtabant gazophilacia diuerſi generis. id eſt, arcæ Muſach, in qua reponebatur oblatio regum, & magnarum feſtiuitatum. Corban in qua oblatio ſacerdotum, & votiua. Tertia quoque quæ propriè dicebatur gazophilacium, in qua oblatio pauperum, & oblatio quotidiana ad opera templi, vel ad vſus pauperum.

In porticibus laterum erant paſtoforia id eſt loca ſeparata ad comedendum, in quibus ſacrificantes de partibus ſacrificiorum, quæ eos contingebant, veſcebantur coram domino. Quidam tamen volunt, quod ibi tantum à foris venientes de finibus Iſrael comedebant; & ob hoc dici paſtoforia.

Cathedra in porticibus. In eiſdem porticibus erant cathedræ id eſt tria genera ſedilium, vt ait Iſidorus, in cathedris ſedebant Doctores in gymnaſio. In ſynedris auditores in conſiſtorio, & dicebantur ſynedræ quaſi conſeſſus. In exedris aſſeſſores cum iudice, quando ſecretius aliquid tractabant, quaſi in locutorio, & dicebantur exedræ quaſi aſſeſſus; licet exedra improprie legatur pro thalamo. Hoc atrium ſecundum, ſæpe in euangelio dicitur templum, vt vbi dicitur quod oues & animalia vendebantur in templo, & quod Ieſus docebat in templo, & quod filij Iſrael orabant in templo, & cætera in hunc modum.

Comeſtor cap. 16. Atrium mulierum. Porro ſub hoc atrio erat tertium atrium, ſimiliter in decliui latere montis poſitum eiuſdem compoſitionis cum ſecundo; & ſi non tantæ venuſtatis; nec tam precioſi ornatus; in hoc orabant mulieres mundæ tantum.

Atrium immundorum. Infra atrium illud erat & quartum, in quo orabant viri immundi, & mulieres & gentiles, cuius murus exterior in radice collis poſitus erat, & aſcendebat 400. cubitis vſque ad verticem tantum collis; in quo templum erat ſitum, & ita muri atriorum in nullo prohibebant aſpectum templi, nec eorum, qui miniſtrabant in atrio interiori.

De altari & mari æneo & luteribus.

CAP. LXXXII.

Comeſtor cap. 18. Altare. IN atrio interiori erat altare æneum factum ex lapidibus impolitis, circumtectum ex omni parte ære, longe maioris quantitatis, quam illud portatile, quod fuit factum in deſerto; & erat ſub eo fouea grandis, in quam per foramen in medio altaris poſitum, cineres defluebant, & ſanguis, qui ad crepidinem altaris fundebatur, influebat in eam. Quandoque vero mundabatur fouea per feneſtram, quæ erat ad orientem, altare vero quod fecerat Moyſes propter reuerentiam ſui, in aliqua parte atrij reſeruatum eſt. Quod quidam tradunt ibi permanſiſſe vſque ad euerſionem templi factam per Romanos: immo etiam poſtea cum gentiles habitauerunt Hieruſalem, fecerunt ex eo horologium ſibi.

Mare æneum. In eodem atrio poſuit Salomon mare æneum fuſile, quod nos lauatorium dicere poſſumus, vt in eo ſacerdotes miniſtraturi abluerent pedes, & manus in ſchemate hemiſpherij factum, cuius latitudo 10. cubitorum erat per diametrum, à labio vſque ad labium; altitudo vero erat 5. cubitorum, à labio, vſque ad fundum; ſpiſſitudo erat trium digitorum. In lateribus autem eius extrinſecus duo ordines erant ſculpturarũ hiſtoriatarum, id eſt hiſtorias aliquas habentium.

Luteres ænei. Fecit quoque Salomon 10. luteres æneos & fuſiles, altitudinis quatuor cubitorum, in quibus abluebantur inteſtina & pedes holocauſtorum, & erant eiuſdem ſtaturæ omnes, ſicut & baſes, quibus inſidebant. Erat autem baſis compoſita ex quatuor tabulis, & iuncturis tabularum, per quatuor angulos erant ſculpturæ eminentes ad modum columnarum, quas quidam dicunt vocari media intercolumnia; & habebant columnæ proprias cælaturas, homines, arbores, & aues; omnia adeo fabrefacta erant vt non cælata, ſed quaſi appoſita per circuitum viderentur, & baſis quaſi rotis circunſtantibus vehi videbatur: horum luterum 5. in atrio templi ſteterunt ad dexteram, 5. ad ſiniſtram ad hunc vſum. Natinnei prius lauabant hoſtiarum membra in probatica piſcina, & lota tradebant ſacerdotibus, qui ne quid eis interim ſordis adhæſiſſet, luteribus ea immergebant, vt reſincerata ſuperponerent altari.

Porrò lauatoria hæc in hunc modum erant poſita, quod ingredientibus atrium ſacerdotale, primo occurrebat ad meridiem mare æneum, ad abluendas maculas, poſtea progredientibus occurrebant 10. luteres ad intingenda membra hoſtiarum: Rurſumque progredientibus, occurrebat altare æneum: ſimiliter ad meridiem; poſitiſque hoſtijs ſuper altare redibant offerentes ad mare æneum & abluebant ibi pedes, & manus, vt ſic loti conſummarent ſacrificia, id eſt intrarent in templum cum prunis & thymiamate.

Vtenſilia altaris. Vtenſilia vero altaris ęnei fecit Hyran ex ære lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & prunas altaris: ollas quoque & caldarias ad coquendas carnes, & amulas, & fuſcinulas, ad extrahendas carnes vel diſponendas: & ſcutras, vaſa ſcilicet æqualis amplitudinis in ore, & fundo, ad calefaciendum. Porro vtenſilia templi aurea erant vel argentea. Sic ergo Salomon (vt dictum eſt) templum in 7. annis & 6. menſibus cum ſuis vtenſilibus compleuit, & 7. menſe, forte quia ferè totus ſolennis erat, eam dedicauit.

De Baſilica & domo Regia.

CAP. LXXXIII.

Comeſtor cap. 22. POſtea domum ſuam regalem ædificare cæpit, quam per annos 13. vix compleuit, quia nec adeo circa illam ſtudium populi feruens, nec ſic ad eam à patre ſicut ad templum opulentia præparata fuerant.

De domo ſaltus. Domus ſaltus duplex erat, & ex duplici materia, pars inferior erat lapidea, & dicebatur nephota id eſt pigmentaria: in qua reponebantur aromata, & pigmenta ad vſus templi, & domus regiæ, vt ex beneficio terræ & muri diu vigerent quaſi recentia. Superior pars domus lignea erat de lignis libani facta, vnde & dicta eſt domus ſaltus libani. Quidam tamen putant eam ob hoc ſic dictam, quia circumquaque conſita erat arboribus & viridarijs miræ recreationis iuxta denſitatem ſaltus libani: In ea reponebantur arma, vt beneficio ligni rubiginem non ſentirent; nec ſolum arma ad pugnandum, ſed etiam ad decorem, & * oſtenſionem regij faſtus. Fecit enim Rex Salomon 200. ſcuta aurea; & 200. peltas aureas, quarum quædam rotundæ erant, aliæ inſtar ſemicirculi factæ, his vtebantur cuſtodes regis ante oſtium excubantes; & quando Rex

* alias oſtentationem.

Arma regis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

egrediebatur, præcedebant eum equitantes & ferentes huiuſmodi arma; iuuenes flaui, & vſque in equorum ſeſſionem diffundentes cæſariem comis ſuis adijcientes auritinctu ram, vt eorum capita ſole percuſſa radiarent; hos ſequebatur rex vectus in curru, & ad locum quendam ſolitus erat exire, qui à Hieroſolymis abeſt duobus funiculis; & dicebatur hortus Eden id eſt delitiarum.

Comitatus Regis.

Porro pars illa ſuperior quæ dicebatur ſaltus domus, habebat longitudinem 100. cubitorum, & in latitudine 50. in altitudine 30. cuius camera tota veſtiebatur tabulis cedrinis. Suſtentabatur autem tribus ordinibus columnarum, vnuſquiſque ordo habebat columnas 15. è regione ſe reſpicientes; & pari modo à ſe diſtantes, & ita inter muros & tres ordines columnarum erant quatuor deambulatoria; præ foribus autem domus fecit porticum columnarum 50. cubitorum longitudinis, & 30. latitudinis. De compoſitione inferioris partis domus lapideæ, tacet liber Regum, forte quia eiuſdem compoſitionis erat cuius & ſuperior.

Domus Regis. Comeſtor cap. 23.

E regione ſtabat domus regis grandi interiacente viridario, eiuſdem longitudinis, latitudinis, & altitudinis, & ſimiliter inter columnata, veruntamen ſimplex erat & vnius manſionis. Muri cuius altitudo, habebat quatuor diſtinctiones, quarum tres diuerſis variabantur coloribus. Quarta vero pars cælaturis erat ornata. Erant ibi arbores ſculptæ, diuerſi generis ramis, & folijs, & pomis obumbratæ: ita vt propter miraculum ſubtilitatis agitari quodammodo putarentur. In medio totius amplitudinis erat domuncula habens latitudinem 30. cubitorum; & in ea erat ſolium validis columnis extenſum; in quo ſedens rex iudicia proferebat, in poſteriore parte domus, laquearia & parietes veſtiti erant auro, vbi fecit rex thronum de ebore grandem; & veſtiuit eum auro, huius aſcenſus facilis erat per 6. gradus & de marmore porfirio factus: fecit etiam circa domum reliqua habitacula, & ſedilia, vbi poſt cauſas explicitas reſidebat, ſtrata omnia marmore & tabulis cedrinis. Fecit & domum reginæ in latere deſcendentem marmore cedro, auro & argento opulentiſſime decoratam. Fecit & vtenſilia vtriuſque domus præclara, nec non vaſa quæcunque epulis ſunt opportuna, omnia ex auro fecit. Perfecit itaque Salomon 20. annis templum, & domos regias cum ſuppellectili ſua, Hyran rege Tyri præbente ſibi auxilium in lignis & auro.

Solium Regis. Non fuit tale opus in vniuerſis regnis.

Domus Regina.

De ceteris operibus & gloria Salomonis, & de fine eius.

CAP. LXXXIIII.

POrro cõuertit animum Salomon ad muros ciuitatis conſtruendos, quos miro robore ampliauit. Vias quoque regias, quæ ad Hieruſalem ducerent nigro lapide ſtrauit: in pluribus vero locis ruinas ciuitatum reparauit; ſed & nouas ciuitates pro opportunitate locorum fundauit.

Comeſtor cap. 25.

De filijs Iſrael nullum fecit Salomon ſeruum, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, Chananeos autem fecit ſibi ſeruos tributarios; claſſem quoque fecit in inſula quadam Ægyptiaca rubri maris, quæ dicitur Aſiongaber; & deferebat de ofir aurum multum & argentum, & dentes Elephantorum, & ſimias, & pauos, & gemmas, & ligna thina multa nimis, quæ erant ſimilia lignis ſethin & odorifera; de quibus fecit rex fulcra, & ſedilia domus domini; & domus regiæ; & cytharas cantoribus & lyras; nam cinaram & nablum ex electro conſtituit, quaſi nullius precij erat argentum in diebus eius; nam & ſedilia præ foribus domorum plurima in Hieruſalem argentea erant.

Munera Salomoni allata.

Ad horum incredibilem opinionem regina Saba excitata venit, tentare eum in ænigmatibus; & ingreſſa eſt Hieruſalem cum comitatu multo, & diuitijs inæſtimabilibus. Eſt autem Saba quandoque nomen regionis, ſed hic eſt ciuitas regalis Æthiopiæ: huius nominis ſignificationes apud Hebræos diſtinguuntur per apices literarum, ſin, & ſamech: docuit eam Salomon in omnibus his quæ propoſuerat, & admirans non habebat vltra ſpiritum: verumtamen tria præ cæteris admirabatur, domum ſaltus, etiam ſupra templi fabricam, ordinem quoque & frequentiam miniſtrantium in templo. Tertium vero ordinem & diſtinctionem ſeruientium regi in menſa. Dedit autem regi munera 120. talenta auri & gemmas precioſas, & aromata, quanta, & qualia viſa non fuerant in Hieruſalem. Dicit autem Ioſephus eam dediſſe regi radicem balſami, vnde propagatæ ſunt in Engaddi vineæ balſamitæ, cui & Salomon multa redonauit, quæ regina gratis ſuſcipiens ad propria remeauit.

De Regina Saba Comeſtor cap. 26.

Salomoni Regina ſplẽdida donat munera.

Tradunt quidam eam reſcripſiſſe Salomoni, quod principaliter ei dicere timuit ſe vidiſſe in domo ſaltus quoddam lignum: in quo ſuſpendendus erat quidam: pro cuius morte regnum Iudæorum periret, & certis indicijs illud regi indicauit. Quòd timens Salomon in profundiſſimis terræ viſceribus occultauit illud. Sed quomodo circa tempora Chriſti in probatica piſcina ſupernatauerit, incertum eſt, & creditur hoc fuiſſe lignum crucis dominicæ.

Salomon Regina liberalitatem remunerat.

Author. Itaque Salomon operibus ſuis, & ſapientia, atque diuitiarum gloria vbique nominatus, tandem, per mulieres alienigenas deprauatus, vſque ad idolatræ culturam deſipuit; habuit enim vxores ſeptingentas, & concubinas 300. ideoque & dominus aduerſarios ei adhuc viuenti ſuſcitauit; & regnum eius poſt mortem ſcindendum prædixit; ſicque prius, qui ſecundum nomen ſuum pacem habebat vndique per circuitum, vitam in tribulatione finiuit. Dicunt tamen Hebræi quod ante mortem pœnituit: & ob hoc, librum de contemptu mundi, qui Eccleſiaſtes dicitur, compoſuit. Huius temporibus Sadoch & * Ahias Silonites prophetauerunt: quidam etiam Homerum & Heſiodum eo tempore fuiſſe dicunt.

Salomon exteras matrimonio ſibi iungens ab ijs deducitur

Moritur Salomon.

** alias Achias.*

De Roboam, Ieroboam, Abya, & Aſa.

CAP. LXXXV.

POſt mortem Salomonis regno bifariam diuiſo, ſuper duas tribus; Iudã ſcilicet & Beniamin regnauit in Hieruſalem, Salomonis filius Roboam, & ſuper 10. tribus in Samaria ſeruus eiuſdem, de tribu Effraim Ieroboam. Cæpit itaque Roboam anno quartæ ætatis 81. mundi vero ſecundo milleſimo 969. & regnauit annis 17. Ipſe quidem populo ſciſmatis occaſionem dedit, dum eis alleuiationem regalis imperij poſtulantibus non ſecundum conſilia ſeniorum, mitia, ſed ſecundum conſilia iuuenum, dura reſpondit.

Roboam 2969.

Itaque 10. tribus, eo derelicto, Ieroboam ſecutæ ſunt, inſuper eo relicto domino, vitulos aureos, quos fecit in Dan & in Bethel coluerunt, contra hunc prophetauerunt Ahias & Abdo, ad cuius vocem altare ſciſſum eſt.

Ieroboam Idololatria ſuaſor.

Sub Roboam quoque peccauit Iuda, ædificauitque ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper excelſa: habuitque Roboam vxores 18. & concubinas 30. & nati ſunt ei filij 28. filiæ vero 60.

Roboami vxores & liberi.

Anno quinto regni eius * Suſach rex Ægypti in Hieruſalem aſcendit, & templum ſpoliauit. Hunc autem Suſach refert Herodotus multas gẽtes ſibi ſubiugaſſe, & quaſdam ſine bello cæpiſſe, atque in earum ſubſannatione, in ſtatuis earum, quæ triumphanti præferebantur, genitalia mulierum inſculpſiſſe. Refert etiam Æthyopias & Phœnices circunciſionem ab Ægyptijs didiciſſe.

** alias Seſach Suſacus magnis copijs Iudæam inuadit.*

Roboam ſucceſſit Abia filius eius, anno ætatis quartæ 98. mundi vero ſecundo milleſimo 986. & regnauit annis tribus: hic patris ſui malitiam imitatus; habuit & ipſe aduerſarium Ieroboam, ſicut & pater eius.

Abia Rex Iudæ 2986.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Asa 2989. Huic quoque succeſſit & filius eius Asa, anno ætatis quartę 101. mundi vero ſecundo milleſimo 989. & regnauit annis 41. Hic bonitatem Dauid imitatus effęminatos de terra, & ſordes idolorum purgauit: excelſa tamen non abſtulit; Æthyopes in bello ſuperauit. Hic igitur in principio iuſtus, (vt dictũ eſt) in fine deſipuit: nam & contra Baaſa, Syrię regis auxilium miſſis muneribus, inuocauit; & prophetam Ananiam ſe corripientem, in neruum mitti iuſſit. Egrotans denique vehementiſſimo pedum dolore, dominum non quęſiuit, ſed magis in medicorum arte fiduciam habuit.

Reges 10. tribuum. Huius temporibus ſuper 10. tribus; poſt Ieroboam qui conregnauit ei duobus annis, regnauerunt ſucceſſiue Nabab, & Baaſa, & Ela, & Amri, prophetauerunt autem Ahias, & Anani, & Iehu filius Hanani, & Azarias filius Obed.

De Ioſaphat rege, & Helia propheta.

Cap. LXXXVI.

Ioſaphat 3030. IOſaphat filius Aſa cæpit anno quartæ ætatis 142. mundi vero tertio milleſimo & 30. & regnauit annis 25. In vijs patris ambulauit, populum ad cultum Dei reuocauit, & lucos deſtruxit, ſed excelſa non abſtulit. Cumque diues eſſet, & inclytus affinitate, coniunctus eſt Achab impijſſimo regi, & iuit cum eo contra Syros ad recuperandum Ramoth in Galaad, contra Micheæ prophetæ conſilium: vnde & à Iehu propheta eſt redargutus. Porro cum Amonitæ, & Moabitæ & Arabes irruerent in Iudam. Rex indicto ieiunio, omnem populum in templum ad obſecrandum dominum, congregauit. Ibique à Iaziel propheta confortatus, & egreſſus, hoſtes percuſſit, atque fugauit. Sed etiam cum Ochozia filio Achab, cuius opera peſſima erant, amicitias inijt: Ideoque naues eius, quas miſerat in Ophir propter aurum confractæ ſunt in Aſiongabera, ſicut ei Eliezer filius Dodan prophetauit.

Ioſaphati cum Achab in Syros expeditio.

Inijt fadus cum Ochozia.

Achab peſſimus Idololatra. Huius ergo temporibus regnauit in Samaria: primo quidem Achab peſſimus idolatra, qui templum in Samaria ædificauit, & lucum plantauit, conſilioque Iezabel vxoris ſuæ gentilis perſequens prophetas domini; prophetas Baal fouit; Benadab virum morte dignum cum cæpiſſet, dimiſit. Inſuper & iuſto Naboth fraudulenter interfecto, vineam eius poſſedit. Deinde filius eius Ochozias, qui & ipſe viam patris ſecutus, dominum irritauit. Beelſebub quoque Deum Acharon in infimitate ſua conſuluit.

Propheta. Prophetauerunt autem his temporibus Elias Thesbites, & Abdias, & Iehu filius Anani, & Micheas Hiemla, & Iaziel filius Zachariæ, & Elieſer filius Dodan, Elias quidem ſub Achab latens alimoniam carnium à coruis accepit. Viduæ farinam, & oleum multiplicauit, eiuſque filium à morte ſuſcitauit. Ignem cæleſtem ad vorandum holocauſtum, & ligna, & lapides, & puluerem & aquam impetrauit: Prophetas Baal occidit, & poſt tres annos ſiccitatis; oratione ſua, mox de cœlo pluuiam impetrauit: Sub Ochozia vero duos principes quinquagenarios igne cœleſti conſumpſit. Abdias autem; prophetas domini, ſub Achab, abſconditos in ſpeluncis, pauit.

De Homero poeta.

Cap. LXXXVII.

IN eodem tempore, Agrippa apud Latinos regnante, Homerus poeta in Gręcia claruit, vt teſtantur Apollodorus grammaticus, & Euphorbius Hiſtoricus.

Helinandus. li. 3. Hic Homerus duos libros edidit, Iliadem & Odiſſeam. Vnde Seneca in epiſtola 86. Sapiens inquit factus eſt Homerus antequam carmina vlla cognoſceret. Quatuor millia librorum Didimus grãmaticus ſcripſit, in quibus quæritur de patria Homeri, & matre Æneæ. Appion grammaticus qui ſub Caio Cæſare circumlatus eſt Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus, aiebat Homerum vtraque materia conſummata Odyſſea & Iliade, principium adieciſſe operi ſuo, quo bellum Troianum complexus eſt. Huius rei argumentum aſſerebat quod duas literas, in primo verſu poſuiſſet ex induſtria, librorum ſuorum numerum continentes, hæc Seneca.

Homerus habitus pro inſano. Hic Homerus apud Athenienſes pro inſano habitus eſt, eo quod Deos inter ſe belligeraſſe diceret. Hic (vt aiunt) leuem neſcio quam quæſtionem à Nautis ſibi propoſitam non potuit explicare, à quibus cum impudentius & protractius derideretur, vir verecundi ingenij, quaſi toxicato confuſionis iaculo perfoſſus, ad mortem, ſpiritum exhalauit. Quòd de Platone aſſerit Flamianus in libro de veſtigijs Philoſophorum; Xenophontinos aduerſus Platonis gloriam confinxiſſe. Fuerunt qui Homerum, Synonimum Platoni fuiſſe putauerunt, propter eloquentiam, & pectoris latitudinem; vnde Maximus Valerius in lib. 10. dicit, Homerus in inſula, quia quæſtionem à piſcatoribus propoſitam ſoluere non potuit, dolore abſumptus creditur.

De Ioram Rege, & Heliſeo, & Ochozia.

Cap. LXXXVIII.

Ioram 3055. AVthor. Mortuo Ioſaphat, ſucceſſit filius eius Ioram anno quartæ ætatis 167. mundi vero tertio milleſimo & 55. & regnauit annis 8. Hic conſilio vxoris ſuæ Athaliæ, filiæ ſcilicet Achab & Iezabel, idola coluit, & Hieroſolymitas etiam ad idolatriam compulit, ſex quoque fratres ſuos occidit: tunc Edom ab eius dominatione receſſit, & occiſo rege ſuo tributario, nouoque creato, conſuetum tributum Regi Iuda negauit.

Ioram impius.

Arabum contra Ioram expeditio. Iuxta comminationem quoque Eliæ, Arabes irruentes in Iudam, vaſtauerunt domos Regias & prouincias; vxores Regis abduxerunt, & filios præter Ochoziam occiderunt. Ipſe vero tandem chronicam incidit ægritudinem, interna corruptione viſcera effundens, vt quotidie quaſi pereuntem ſe videret, ſicque mortuus eſt.

Mors Ioram 3063.

Elias ſicut Enoch ex hominibus exemptus. Huius temporibus regnauit in Samaria Ioram filius Achab, frater Ochoziæ; Elias in cœlum per turbinem aſcendit, cuius ſpiritus duplex, à domino ſibi datus ſcilicet ad prophetiam & miracula, ſuper Heliſeum requieuit: veruntamen etiam idem ſpiritus ad miracula facienda, quodammodo duplicatus eſt in Heliſeo. Nam Helias viuens quidem tantum vnum ſuſcitauit mortuum. Heliſeus autem viuens vnum, & mortuus alium. Viduæ quoque Sunamitis nihilominus oleum in vaſis multiplicauit, & filium eius à morte ſuſcitauit: aquas etiam peſſimas ſterileſque ſanauit. Vrſos ad lacerandos pueros deriſores ſuos maledictione ſua prouocauit; pulmentum amarum indulcorauit: panes paucos cum frumento 100. viris appoſitos vt eis ſufficerent multiplicauit. Naaman quoque Syrum à lepra curauit, & Giezi fraudem per ſpiritum cognoſcens cum lepra percuſſit: præterea ferrum ſecuris in aquam lapſum, natare fecit: ſeruos regis Syriæ quærentes ipſum acriſia percuſſit, & in Samariam perduxit, multaque ventura propheticè nunciauit.

Heliſei facta.

Ochozias 3063. Mortuo Ioram ſucceſſit filius eius Ochozias anno ætatis quartæ 175. mundi vero 3063. & regnauit anno vno. Hic ambulauit in vijs Achab, & abijt cum Ioram rege Iſrael auunculo ſuo contra Azael regem Syriæ in Ramoth Galaad, quem videlicet Azael adhuc viuẽte Benabab, Heliſeus regnaturũ prædixerat. Cumq; Ioram vulneratus, exercitu in obſidione relicto, ſub principe Iehu rediſſet in Iezrahel, vt ibi curaretur Ochozias quoque illuc ad eum inuiſendum deſcendiſſet, Iehu per Heliſeum inunctus, vt regnaret ſuper

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Israel coniurauit contra Ioram, & domum Achab, vt eam iuxta domini præceptum disperderet. Descendens itaque cum exercitu in Iezrahel duos reges sibi occurrentes occidit; & cadauer Ioram in agrum Naboth proijci fecit, Iezabel quoque de turre prospicientem per fenestram præcipitari iussit: Hanc igitur equorum vngulæ conculcauerunt, & canes in agro Iezrahel iuxta verbum Heliæ in vltionem sanguinis ipsius Naboth, comederunt. Septuaginta quoque filios Achab, & quadraginta duos fratres Ochoziæ, & omnes reliquias domus Achab deleuit Iehu. Sed etiam sacerdotes & cultores Baal astute decipiens interfecit, & ædē, totumque cultum eius destruxit. Veruntamen à peccatis Ieroboam non recessit, nec vitulos eius aureos dereliquit.

Exemplum vltionis diuinæ in Iezabella valde insigne.

*De *Athalia & Ioas.*

Cap. LXXXIX.

**Iosephus habet Getholia.*

Athalia omne semen regium tollit vno solummodo Ioaso Ochoziæ filio seruato qui Ioiada auxiliante in regem creatur.

Athalia mater Ochoziæ filium suum mortuum videns surrexit, & regnare volens omne semen regium interfecit, excepto Ioas Ochoziæ filio, quem adhuc lactentem Iosaba, Ioiadæ pontificis vxor, quæ soror erat Ochoziæ, ex patre, 6. annis in domunculis hebdomadariorum ne interficeretur, abscondit. In septimo autem anno Ioiada congregatis sacerdotibus, & Leuitis, ac centurionibus armatis, eum in regem inunxit, & Athaliam reclamantem occidi fecit, templum quoque Baal & aras & imagines, quas fecerant Ioram & Athalia destruxerunt, sed & Mathan sacerdotem Baal ante altare occiderunt. Temporibus Athaliæ regnauit Iehu super decem tribus. Tunc Ionadab filius Rechab apud Iudæos claruit, cuius filij ex præcepto patris, tanquam peregrini, & hospites, super terram, seorsum ab hominibus in tabernaculis habitabant; domum non ædificabant, sementem non serebant; & vineam non plantabant; vinumque non bibebant. Ioiada quoque Pontifex insignis fuit, qui solus post Moysen annis 130. vixit, sicut Eusebius scribit.

Ionadab claruit.

Ioiada præclarissimus habetur Ioas 3070.

Ioas itaque septennis regnare cæpit, anno quartæ ætatis 182. mundi vero tertio millesimo & 70. & regnauit annis 40. Hic templi ruinas restaurari fecit, & cunctis diebus Ioiadæ recte egit. Veruntamen excelsa non abstulit: mortuo Ioiada, Ioas à legitimis Dei declinauit, & optimates etiam exemplo suo vitiauit, quem cum Zacharias propheta Ioiadę filius argueret, eum inter templum & altare lapidibus obrui fecit. Et ex tunc (vt Epiphanius ait) populus in templo nec ex *Dabyr, nec ex Ephod manifeste sicut prius responsum accepit. Nec multo post Azael rex Syriæ contra Hierusalem ascendit sed acceptis à Ioas muneribus recessit. Cumque Ioas languorem pessimum incurrisset, eo quod honores diuinos sibi volebat impendi, vt dicunt Hebræi, percusserunt eum duo serui sui, & mortuus est. Huius temporibus regnauit Iehu super Israel: deinde filius eius Ioachaz, & post Ioachan, filius eius Ioas, sub quo Heliseus obijt, & mortuus, contactu suo mortuum suscitauit.

Zacharias lapidatur.

**Dabir erat lapis positus in rationali, ex quo sciebant an Deum haberent propitium.*

De Lycurgo & legibus eius.

Cap. XC.

Legum latores quid præstare debeant.

Eusebius in chronicis. Eo tempore Lycurgus insignis habitus est.

Helinandus lib. 13. Hic est Lycurgus qui Lacedæmonijs iura composuit.

Iustinus. li. 3. Lycurgus cum fratri suo Polibitæ Spartanorum regi successisset, & regnare si vellet potuisset, Carillo filio eius qui natus posthumus erat, cum ad ætatem adultam peruenisset, regnum cum fide summa restituit, vt scirent omnes, quanto plus apud bonos pietatis iura valerent, quam opes. Medio autem tempore dum infans conualescit, leges instituit, exemplo earum, quam inuentione clarior, nihil enim lege vlla in alios sanxit, cuius non ipse documentum primus daret, auri argentique vsum, vt omnium scelerum materiam sustulit; populo sublegendi Senatum vel creandi quos vellet magistratus, potestatem, permisit; fundos omnium æqualiter, inter omnes diuisit, vt æquata patrimonia neminem potentiorem altero adderent, conuiuari omnes publice iussit, ne cuius diuitiæ vel luxuriæ in occulto essent. Iuuenibus non amplius vna veste vti toto anno permisit; nec aliquem cultius quam alterum progredi permisit, nec opulentius epulari. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium iussit. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in omni opere, & labore agerent. Nihil eos somni causa substernere, & vitam sine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur, seueriusque matrimonia sua viri coercerent, cum nullis frænis dotis tenerentur, maximum honorem non diuitū & potentū, sed pro gradu ætatis senum esse statuit, nec vsque terrarum locum honoratiorem senectus habet. Hæc & similia quoniam solutis antea moribus dura videbantur. Authorem eorum Apollinem delphicum finxit, & inde se ea detulisse; deinde vt æternitatem suis legibus daret, iureiurando obligat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos; priusquam reuerteretur, simulans se ad oraculum delphicum proficisci; consulturum quid addendum vel mutandum legibus videretur. Profectus est autem Cretam vbi voluntarium exilium perpetuo egit; morienſque abijci ossa sua in mari iussit; ne forte Lacedæmonem referrentur, & sic se putarent Lacedæmonij solutos iureiurando.

Monarchia, Oligarchia, Democratia,

Abijt hoc in prouerbium In sola Sparta expedit senescere.

De Amasia & cur in Genealogia Christi cum patre & auo prætermittitur.

Cap. XCI.

Amasias Hierosolymorum Rex 3110.

Author. Mortuo Ioas, successit filius eius Amasias anno quartæ ætatis 222. mundi vero tertio millesimo 110. & regnauit annis 29. Hic quoque rectum coram domino fecit, excepto quod excelsa non abstulit, colligens autem exercitum contra Idumæos & Amalechitas cum à rege Israel centum millia armatorum collegisset. Iamque in procinctu esset suadente propheta, vt Israelitas, quoniam idola ferebant, dimitteret, acquieuit, licet grauiter ferret quod eis centum millia talentorum pro mercede præbuisset. Percussit igitur in valle salinarum ex Edom. 10. millia, alia quoque decem millia virorum cæperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, eosque de summo præcipitauerunt, & vniuersi crepuerunt. Amasias tamen Deos, quos tulerat de Amalech postmodum adorauit, quoniam audiuit eos responsa dantes, ideoque perijsse Amalech quia fuerant in eorum cultu negligentes. Elatus igitur in superbiam scripsit ad Ioas Regē Israel, vt ei seruiret, quo non acquiescente, congressus cum eo, comprehensus atque ligatus est, & mortis interminatione compulsus, vt Hierusalem traderet. Tunc Ioas murum Hierusalem 400. cubitis interrumpit, sublatisque thesauris, templi, & domus Regis & obsidibus in Samariam redijt. Denique coniuratione facta contra eum, fugit in Lachis, ibique comprehensus, occisus est.

Dimissio Israelitarum.

Amasia de Idumæis victoria.

Amasias ab Israelitarum rege captus Hierosolyma diruta & templum spoliatum.

Huius temporibus regnauit Ioas super Israel, postea Hieroboam, qui terminos Israel ab Antiochia vsque ad mare mortuum restituit, & hac fælicitate elatus, malum coram domino fecit, ideoque missus ad eum Amos de pastoribus Thecuæ, domus eius euersionem, populique calamitatem prædixit. Amasias autem sacerdos Bethel ex mandato regis prohibens ei, ne amplius in illo regno prophetaret, cum cessare nollet, frequenter eum plagis afflixit, tandemque filius eius Ozias eum vecte per tempora transfixit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Præterea ſub Amaſia 13. Latinorum Rex Siluius Auentinus fuit, qui in eo monte, qui nunc pars vrbis eſt, mortuus ac ſepultus, perpetuum loco vocabulum dedit.

Sciendum vero, quod tres reges Iuda poſterius nominatos id eſt Ochoziam, & Ioas, & Amaſiam, prætermittit Matthæus in Chriſti generatione, vel quia propoſitum fuit Euangeliſtæ, tres præciſe theſſeredecades id eſt quaterdenas myſticè ponere, vel quia Ioram miſcuerat ſe generi Iezabel & Achab, cui dixerat dominus per Eliam, quod eius poſteriora demeteret, id eſt quod ſicut in lege ſcriptum eſt. Peccatum eius in poſteros vſque in tertiam & quartam progeniem puniret, peccatum ſcilicet patris imitantes. Itaquè quoniam hi tres peccatum Achab imitati ſunt, à ſancta generatione ſublati ſunt, purgata vero labe gentilis familiæ, quarta generatio numeratur ſcilicet Oziæ.

De Ozia & Iona propheta.

Cap. XCII.

Ozias Hieroſolymorum Rex 3139.

Comeſtor cap. 21. *in quartũ Regum.* Ozias quoque qui & Azarias cæpit anno quartæ ætatis 751. mundi vero tertio milleſimo 139. & regnauit annis 52. quod placitum erat coram domino, fecit, veruntamẽ excelſa non abſtulit. Qui cum hoſtes debellaſſet & Ammonitas feciſſet ſibi tributarios; reædificauit muros Hieruſalem, quos deſtruxit Ioas Rex Iſrael eratque præcipue terræ cultor & curam habebat circa plantationes & ſemina fructuum diuerſorum, cumque ditatus eſſet ſubſtantia mortali, contra Deum immortalem agere niſus eſt: nam in feſtiuitate propitiationis indutus ſtola pontificali, intrauit in templum: vt incenſum poneret, Pontifice Azaria cum 80. ſacerdotibus, eum prohibente; & factus eſt terræmotus; & claritas ſolis valde effulſit, & incidit in faciem regis, & percuſſus eſt in facie rex lepra. Ante ciuitatem vero ſciſſa eſt media pars montis ad occidentem, & deuoluta eſt ita, vt vias claderet, & regios hortos opprimeret. Et habitauit ſeorſum vrbem priuata degens vita. Ioathan vero filius eius gubernabat palatium, & iudicabat populum.

Ozias vocationem ſuam tranſgreſſus punitur lepra ob quam vrbe eiũ coactus cedere.

Propheta.

Author. Huius temporibus regnauit ſuper Iſrael Ieroboam. Sub his autem duobus regibus prophetare cæperunt Iſaias filius Amos; & Oſee de tribu Iſachar; & Iohel de tribu Ruben, & etiam Abdias ſecundum quoſdam: ſed verius ſecundum Hebræos ante Heliſeum mortuus eſt: relicta enim eius vxor per conſilium Heliſei oleo ſuperabundante à creditoribus liberata eſt: præterea ſub Ieroboam prophetauit Ionas filius viduæ Sareptanæ, prophetauit autem contra Niniuem.

Comeſtor cap. 21. Prædixit quoque ſignum euerſionis Hieruſalem, quod cum viderint lapidem luctuoſe clamantem, prope ſit finis, & cum viderint in Hieruſalem gentes vniuerſas, tota illa ciuitas irrecuperabiliter euertetur. Huius ſepulchrum monſtratur in vna vrbium Geth.

De deſtructione regni Aſſyriorum.

Cap. XCIII.

IN tempore Oſiæ terminata eſt monarchia Aſſyriorum, nam Sardanapallus vltimus Monarchus victus ab Arbace Medo ſemetipſum concremauit, & tunc * Arbaces monarchiam ad Medos tranſtulit: fuerunt tamen reges Aſſyrij ſine monarchia potentes vſque ad ſubuerſionem Niniue, quam prophetauit Naum.

** alias Arbate: vel Arbacitus.*

Iuſtinus lib. 1. Poſtremus autem Aſſyriorum regum fuit Sardanapallus vir muliere corruptior, qui cum inuentus eſſet ab Arbaco Medorum præpoſito, inter ſcortorum greges fœminę habitu, purpuram colo nens mollitie corporis, & oculorum laſciuia, omnes fœminas antecedens penſa inter eas partiens, indignatus Arbacus, tali fœminæ copiam virorum ſubiectam, bellum aduerſus eum commouit. Qui fugiens ſe recepit in regiam, vbi ſtructa & incenſa pyra, ſe & ſuas diuitias incendit; hoc ſolo imitatus virum.

** alias Sardanapalus.*

Sardanapalli mors virilis, ſed vita fœminea.

Trill. Hic Sardanapallus turpior vitijs quam nomine, adeo luxurioſus fuiſſe dicitur, vt in ſepulchro ſuo ſcribi fecit, ea ſola ſe tantum habere mortuum, quæ libido eius etiam cum viueret hauriendo conſumpſerat.

Item Cicero in Tuſcul. lib. 5. Sardanapallus ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit.

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit; at illa iacent multa præclara relicta.

Hugo Floriacenſis. Sardanapallum cum ad eum inter fœminas conuerſantem præfectus Arbacus præpoſitus Medis admitti obtinuiſſet, inuenit eum colo nentem. Quo viſo, regreſſus ad ſocios negauit illi ſe parere poſſe, qui ſe mallet eſſe fœminam quam virum, indictoque ei bello, ſe ſuaſque diuitias combuſſit, & tranſlatum eſt in Medos regnum Aſſyriorum, cucurritque poſt modum regnum Medorum per ſucceſſiones regum vſque ad Aſtiagem Auunculum Cyri.

Finis ac trãſlatio Regni Aſſyriorum poſtquam regnauerunt vt ait Iuſtinus annis 1300. *vel vt ait Auguſt. & Euſebius* 1240.

Ex chronicis. Medorum itaque primus regnauit Arbacus annis 28. Secundus Soſarmus 30. Tertius Medidus 40. Quartus Cardiceas 13. Quintus Deiocles 54. Sextus Phaortes 24. Septimus Ciaſares 32. Octauus Aſtiages 38. Quo ſubuerſo Cyrus Medorum deſtruxit imperium, & regnauit in Perſide.

De ortu regni Macedonum.

Cap. XCIIII.

MAcedonum quoque regnum incæpit 13. anno regni Oſiæ regis Iudæ, qui fuit ſeptimus Arbaci primi regis Medorum. In quo primus regnauit Cranaus annis 28. Secundus Coenus 12. Tertius Tyrimas 38. Quartus Perdicas 51. Quintus * Argeus 38. Sextus Philippus 38. Septimus Europus 26. Octauus Alcetas 29. Nonus Amyntas 50. Decimus Alexander 43. Vndecimus Perdicas ſecundus 28. Duodecimus Archelaus 24. Tertiuſdecimus Oreſtes 3. Decimuſquartus Archelaus 4. Decimuſquintus Amyntas 1. Decimuſſextus Pauſanias 1. Decimuſſeptimus Amyntas 6. Decimusoctauus Argeus 2. Decimusnonus Amyntas tertius 19. Vigeſimus Alexander anno vno. Vigeſimusprimus Ptolemeus, qui & Alorites 4. Vigeſimuſſecundus Perdicas tertius 6. Vigeſimuſtertius Philippus ſecundus 27. Vigeſimuſquartus Alexander Philippi filius 12. & menſibus 6. quibus finitis, mortuus eſt apud Babylonem 32. ætatis ſuæ anno. Tunc tranſlato in multos imperio, regnum diuiſum eſt: hinc enim ortum eſt regnum Alexandrinorum, quod eſt Ægypti, & non multo poſt regnum Aſiæ, & mox Syriæ. In Macedonia regnauit poſt Alexandrum, Philippus, qui & Arideus frater Alexandri annis 7. Deinde Caſſander annis 19. Antigonus & Alexander filij Caſſandri 4. Demetrius 6. Pyrrhus 7. menſibus. Liſimachus annis 5. Geranus qui & Ptolemeus anno vno. Meleagros menſibus 2. Antipater anno vno. Soſtenes annis 2. Antigonus Gonothas 36. Demetrius 10. Antigonus 15. Philippus 42. Perſes 10. in quo regnum Macedonum defecit.

** alias Archeus.*

Macedonici Regni origo anno 12. *regni Ozia regis.*

De deſtructione domus Iehu, & de Phul Rege Aſſur

Cap. XCV.

Author. Præterea regnante Ozia poſt Ieroboam regnauit ſuper Iſrael filius eius Zacharias 6. menſibus tantum: ipſo enim peccata patrum imitante, percuſſit eum palam Sellum filius Iabes & regnauit pro eo. Sicque tranſlatum eſt regnum de domo Iehu in generatione 4. iuxta verbum domini, & regnauit Sellum vno menſe tantum, quia percuſſit eum Manahem de Therſa, & regnauit pro eo 10. annis in Samaria.

Comeſtor cap 22. *ſuper* 4 *Regum. Male partum regnum male perdidit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Comeſtor. cap. 22. Aſcendit Phul Rex Aſſyriorum in Therſan & dedit ei Manahen mille talenta argenti, vt recederet ab eo, & etiam eſſet ei in auxilium, ſumpſit autem Manahen 50. ſiclos argenti à potentibus & diuitibus terræ per ſingulos. Inter hæc munera tradunt Hebræi miſiſſe Manahen vitulos aureos, qui erant in Dan & in Bethel, ſed non eſt verum, quia ſacerdotes abſconderunt eos, & fecerunt æreos deauratos, ſimiles illis, quos miſit Manahen Regi Aſſiriorum. Qua fraude poſtea percepta, reges Aſſyriorum plurimum exarſerunt contra Iſrael; & mortuus eſt Manahen, & regnauit pro eo filius eius Phaceia duobus annis in Iſrael. Nam Phacee filius Romelię, Chiliarchus eius interfecit eum in Samaria, in conuiuio cum 50. viris & regnauit pro eo anno 52. Oziæ Regis & regnauit 20. annis. Ex Chronicis Euſebij. Iterum Oziæ temporibus Heſiodus inſignis habetur, vt vult Porphirius.

Pax nummis redimitur.

Phaceias.

De ortu regni Lydorum, & Remi ac Romuli.

CAP. XCVI.

Origo Regni Lydorum.

EO quoque tempore Corinthiorum, & Lacædemoniorum reges defecerunt; & Lidorum regnum exortum eſt anno ſcilicet regni Oziæ 48. vbi primus regnauit Ardiſus 36. ſecundus Aliactes 14. tertius Meles 12. quartus Candaules 17. quintus Giges 36. ſextus Ardeis 37. ſeptimus Sadyates 15. octauus Aliactes 49. nonus vero Cræſus annis 15. Quo tandem à Cyro rege Perſarum capto, regnum Lydorum deſtructum eſt, quod ſtetit per annos 230.

Remus & Romulus.

Iterum anno regni Oziæ quinquageſimo Remus & Romulus ex Marte & Ilia generantur, & eodem anno Olympias prima conſtituitur, qui fuit Æſchili regis Athenienſium ſecundus, à captiuitate vero Troyæ 405.

Helinandus. Latinorum 15. regnauit Siluius Amulius Procæ filius 44. annis. Huius frater maior natu Numitor, ab eo regno pulſus in agro ſuo vixit. Filia eius Ilia adimendi partus gratia, virgo veſtalis eſt electa, quæ cum vno partu geminos edidiſſet infantes iuxta ripam Tyberis expoſitos, Fauſtulus regij paſtor armenti, ad Aceam Laurentiam vxorem ſuam detulit, quę propter pulchritudinem & capacitatem corporis quęſtuoſi lupa à vicinis appellabatur; vnde ad noſtram vſque memoriam Meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri vero cum adoleuiſſent collecta paſtorum & latronum manu, interfecto apud Albam Amulio, Auum Numitorem in regnum reſtituerunt.

Cellula meretricum cur lupanaria dicuntur.

Iuſtinus in lib. 43. Amulius ætate maiorem Numitorem fratrem regno expulit, filiamque eius Rheam, in perpetuam virginitatem * demerſit, ne quis vltor patris ex ea naſceretur; quæ quaſi ſacerdos clauſa eſt in luco Martis vbi geminos enixa eſt, incertum ſtupro an ex Marte; quos Amulius exponi iuſſit, & puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria illa deceſſit; expoſitos, lupa aluit, quos Fauſtulus paſtor animaduertens; ſubtractoſq; eos agreſti vita nutriuit, qui adulti cũ latrones à rapina pecorum ſubmouerent: Remus à latronibus captus, Numitori tanquam latro offertur. Quem cum inſpicerent, repente Fauſtulus cum Romulo ſuperuenit. Factaque conſpiratione Amulium occidunt; Numitorem reſtituunt regno.

** demiſit.*

Albericus in poetario. Remus & Romulus Martis finguntur filij, quia fuerunt viri bellicoſi. Mars Gradiuus dicitur quia gradatim pergitur in prælium vel à gradin id eſt à vibratione haſtæ.

De Ioathan, & prophetis illius temporis, & initio captiuitatis.

CAP. XCVII.

Ioathan 3191.

AVthor. Defuncto Ozia regnauit filius Ioathan anno quartæ ætatis 303. mundi vero tertio milleſimo 191. & regnauit annis 16. Bonum & ipſe coram domino fecit ſed excelſa non abſtulit. Portam templi ſublimiſſimam, quæ Specioſa dicitur, ædificauit, & hæc ſola in deſtructione per Chaldeos facta remanſit.

Pietas Ioathan.

Comeſtor. Hic deuicit Ammonitas & impoſuit eis annuum tributum, talenta argenti 100. & 10. millia coros tritici & totidem hordei. In diebus huius Raſin rex Syriæ, & Phacee rex Iſrael, cæperunt infeſtare regnum Iuda. Sub Ioathan exorſus eſt prophetare. Naum de Helceſi de tribu Symeon contra Niniuem. Hieron. dicit ſuper Naum, Herodotũ dixiſſe ſubuerſam Niniuem à rege Medorum tempore Oziæ. De ſubuerſione quoque finali Niniue prædixit Naum, quæ facta eſt in hunc modum. Palus, quæ circundabat eam, ſuperinundauit eam; facto pariter terræmotu, & igne de ſublimi emiſſo, * tamen librum ſuum ſcripſit poſt captiuitatem 10. tribuum ſub Ezechia, dum vaſtaretur ab Aſſyrijs terra Iuda: in quo plenius prophetauit de deſtructione Aſſyriorum in conſolationem gentis ſuæ: Sub Ioathan vidit Iſaias dominum ſedentem, & Seraphin mundauit labia eius: ſub eodem exorſus eſt prophetare Micheas: adhuc etiam prophetabant Oſeas & Iohel.

** quaſi diceret quamuis fieret mentio libri ſui ſub Ionatha prius prophetauit quam ſcriberet.*

In diebus Phaceæ Teglatphalaſar rex Aſſur aſcendit in Iſrael, & eſt ambiguum an iſte fuerit Phul vel alius; & vaſtauit omnem regionem trans Iordanem, & captiuas duxit duas tribus & dimidiam. Vaſtans quoque Galilæã de tribu Zabulon & Nephtalim, multos tranſtulit ſecum etiam in Aſſyrios, qui poſſent dimidiæ tribui comparari, vnde ſæpe legitur, quod tres tribus Iſrael captiuauerit, & hoc fuit inicium captiuitatis decem tribuum.

Comeſtor cap. 23.

De Achaz, & eius impietate.

CAP. XCVIII.

Achaz 3207.

AVthor. Achaz filius Ioathan cæpit anno ætatis quartæ 319. mundi vero tertio milleſimo 207. Et regnauit annis 16.

Achaz Impietas, & filij oblatio.

Comeſtor cap. 25. Hic ambulauit in via Regum Iſrael. Nam & vnum de filijs ſuis conſecrauit idolo, traijciens eum per ignem Tophet in valle Beennon iuxta Acheldemach: tunc aſcenderunt Raſin rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael in Hieruſalem, & obſederunt eam primo, vt ait Ioſephus, & congreſſus cum eis Achaz victus eſt, & occiſus eſt filius eius Zacharias, & multa millia cum eo. Porro ſecundo obſederunt Hieruſalem Rex Syriæ & Rex Iſrael. Cumque timeret Achaz, nimis confortauit eum Iſaias dicens: Ne timeas ab his duabus cauſis tytionum fumigantium; ſed non credidit ei Achaz; nec voluit quærere ſignum à domino; & miſit nuncios ad Reges Aſſyriorum Theglatphalaſar dicens: Seruus tuus ſum ego, aſcende, & ſaluum me fac de manu Regis Iſrael & Regis Syriæ; & intrauit Rex Aſſyriorum Syriam, & vaſtauit eam, & ideo redijt Raſin in Damaſcum. Rex autem Aſſyriorum cæpit Damaſcum, & interfecit Raſin; & Damaſcenos tranſtulit in Cyrenem, quæ eſt verſus, Æthiopiam. Eſt enim alia Cyrene in Aphrica; & occurrit ei Achaz Rex Iudeę cum muneribus in Damaſcum. Cumque vidiſſet altare Damaſci miſit ad Vriam ſacerdotem in Hieruſalem exemplar eius, vt extrueret ei conſimile. Quo facto, cum rediſſet Achaz, altare æneum tranſtulit à facie templi ad Aquilonem, & ſuper altare nouum obtulit holocauſta & pacifica. De altari vero æneo (vt tradunt quidam)

Impietatis pœna.

Achaz aurum & argentum tẽpli Damaſcum Aſſyriorum Regi defert.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quidam) fecit illud horologium famosum; & præcepit sacerdotibus, vt deinceps super altare nouum offerrent, & deposuit luteres & mare æneum super pauimentum, vt nullus eis vteretur.* Musach quoque Sabbati & ingressum regis, reclusit in templum domini, vt cum templo ea prophanaret, vt sic placeret Regi Assyriorum; sub eo vidit Isaias onus Babylonis, alia 10. vidit sub Ezechia.

** Est autem Musach gazophylacium regum, sicut corbona sacerdotum.*

De consummatione captiuitatis Israel.

Cap. XCIX.

ANno 12. Achaz regis Iuda regnauit Osee super Israel 9. annis, fecitque malùm coram domino, sed non sicut patres sui. Traditur enim licentiam dedisse Israelitis, vt ascenderent in Hierusalem ter in anno. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee tributarius. Cumque deprehendisset rex Assyriorum, quod Osee rebellare niteretur, per Sesach regem Ægypti, cui munera miserat, obsedit eum; & vinctum misit in carcerem Niniue; & obsedit Samariam 3. annis, & cæpit eam anno 9. Oseæ, & 6. Ezechiæ, & transtulit Israel in Assyrios scilicet 7. tribus, quæ remanserant, & posuit eos iuxta fluuium Gozan vltra montes Medorum & Persarum.

Israelita possessionibus suis ejecti, alijs traduntur. Regno Cutheris dato.

Porro rex Assyriorum de diuersis regionibus adduxit colonos in Samariam paucos primo, sed postea Assaradoch populauit terram, qui prius vocati sunt Cuthei, à regione Persida; quæ dicta est Cutha. Græci vero dixerunt eos Samaritas, Hebrei Iacobitas, quia supplantauerunt Israelitas à finibus suis, immisitque dominus in eos leones, & interficiebant eos, & nunciatum est regi quod perirent coloni eius, quia ignorabant legitima Dei illius, & misit eis vnum è sacerdotibus Israel, & legem Moysi scriptam, & susceperunt circuncisionem, & legitima Dei Israel; nihilhominus tamen Deos suos in excelsis colebant; vnde quandoque Hebreos dicebant sibi propinquos, cum bene erat Hebræis, cum autem male, dicebant nihil esse sibi cum Israel. Multi autem ex Israelitis confugerunt in regnum Iuda, multi absconderunt se in abditis, & latuerunt in gentibus circunstantibus. Qui post regressum regis Assyriorum redierunt ad propria, & habitauerunt cum Samaritis.

Ecce finis Israelitarum qui nec subdi legi nec Prophetas audire voluerunt

Roma conditur anno 12. regni Achaz.

Ex Chronicis. Temporibus Achaz à gemellis Remo, & Romulo Roma in monte Palatino conditur, & anno ab vrbe condita tertio Remus à Fabio Romuli Duce, rastro pastorali, occiditur, Romulus in regnũ sublimatur.

Helinandus. Lucius Piso de vita & moribus scribens Romuli, dicit Romulum ad cœnam vocatum non multum bibisse, quia postridie negocium haberet: dictumq; est ei, Romule, si omnes istud facerent, vinũ vilius esset: immo vero, inquit, carum, si quantum volet quisque bibat.

De Sibylla Erythræa, & versibus eius de Christo.

Cap. C.

Sibylla mulieres sunt vates, sunt Deo plena vt ait Diodorus lib. 5.

August. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 23. Eo tempore scilicet Romuli Sibyllam ferunt Erythream claruisse. Varro dicit plures fuisse Sibyllas. Vir clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ plurimæque doctrinæ; cum de Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythreæ, vbi ostendit in quodam loco in capitibus versuum ordinem literarum ita se habentem, vt hæc in eo verba legerentur: *Iesus Christos theu yos, sother*; quod est Latine: *Iesus Christus filius Dei Saluator.*

Hi sunt autem versus, quorum primæ literæ istum sensum, quem dicimus reddunt, sicut eos quidam Latinis exstantibus versibus interpretatus est.

Iudicij signum tellus sudore madescet.
E cœlo rex adueniet per secla futurus.
Scilicet in carnem præsens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Celsum cum sanctis, aui iam termino in ipso.
Sic animæ cum carne adërunt, quas iudicet ipse. *In carne resurget omnis homo.*
Cum tacet incultus densis in vepribus orbis.
Reijcient simulacra viri, cunctam quoque Gazam.
Exuret terras ignis, pontumque polumque.
Inquirens tetri portas confringet Auerni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, fontes æternaque flamina cremabit:
Occultosque actus retegens, tunc cuique loquetur *Conscientiarum liber aperietur.*
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar, & chorus interit astris.
Soluetur cœlum, lunaris splendor abibit.
Deijciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum, sublime, vel altum.
Iam æquantur campis montes, & cærula ponti. *Æquales erunt campis montes.*
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Sed tuba cum sonitum tristem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores,
Tartareumque Chaos, monstrabit terra dehiscens.
Et coram hoc domino Reges sistentur ad vnum.
Decidet è cœlis, igniſque, & sulphuris amnis.

Sunt hi versus 27. qui numerus quadratum ternarium solidum reddit: tria enim ter fiunt 9. & ipsa 9. si ter ducantur, vt ex lato in altum figura consurgat ad 27. perueniunt. Horum autem Græcorum 5. verborum, quæ sunt Iesus Christos, theu, yos, sother: si primas literas iungas erit ἰχθὺς id est piscis. In quo nomine mysticè Christus intelligitur, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus id est sine peccato esse potuerit. Horum autem versuum 5. 18. & 19. in capitibus suis habent literas mutuatas positas per y quia non poterant facile Latina verba inueniri, quæ ab eadem litera incipèrent, & sententiæ conuenirent.

Planũ quadratum fit ex reductione numeri in se vt tertia, si hoc rursus in primum ducatur vt dicamus ter tria, ter erit solidũ, prior illa summa est nouem tum ter nouem est posterior 27.

Hanc autem Sibyllam, quidam magis credunt fuisse Cumanam quam Erithręam. Ita nil in toto carmine suo, cuius exigua hæc particula est, habet quod ad cultum falsorum siue factorum Deorum pertineat: quinimo etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur: ita vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad ciuitatem Dei.

De vaticinijs eiusdem.

Cap. CI.

Author. Sibylla Erithræa (vt legitur) vnum Deum prædicauit. hoc modo: vnus Deus omnipotens iustus, vltra omnia sublimior qui fecit sidera: ipsum, qui est, colite creatorem mundi. Qui honorant Deum verum, æternam vitam hæreditabunt perpetuo sæculo, ipsi habitantes Paradisum amænissimum, ortum omnium nutritorem conditoremque, qui dulcem spiritum omnibus dispositi; dedit Deus fidelibus viris honorare. Diceret quidam Sibyllam insanam & mendacem esse: cum vero omnia fuerint impleta, tũc demum reminiscetur mei, nec vllus postea me dicet insanam & mendacem, sed magni Dei prophetam.

Qui honorant Deum præmio non vacant.

Aug. vbi supra. Inserit autem Lactantius operi suo, quædam de Christo vaticinia Sibyllæ: sed non exprimit cuius; sed quæ ille sigillatim posuit, ego coniuncta ponam. In manus inquit infidelium postea veniet. Dabunt enim Deo alapas manibus incæstis; & impuro ore expuent venenatos sputos. Dabit vero ad verbera simpliciter dorsum sanctum; & colaphos accipiens tacebit; ne quis agnoscat, quod verbum vel vnde venit, vt inferis loquatur; & corona spinea coronetur; ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt. In hospitalitate hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insi-

Vaticinia Sibyllæ de Christo.

piens

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

piens gens Deum tuum non intellexiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti, & horridum fel micuiſti. Templi vero velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis; & morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto; & tunc ab inferis regreſſus ad lucem veniet, primus reſurrectionis principio reuocatus oſtenſo.

Primus reſurgens viã facit vocatis & electis, vt ſit primogenitus in multis fratribus.

Hier. in lib. contra Iouin. Quid referam Sibyllas Erythream, atque Cumanam, & 8. reliquas quarum inſigne, virginitas eſt, & virginitatis pretium, diuinatio. Æolico enim ſermone Sibylla Theoſbule dicitur ideſt Dei conſilium; quod ſola ſcribitur noſſe virginitas.

De decem Sibyllis, & earum carminibus.

Cap. CII.

Isidorus in lib. 8. cap. 8. Sibyllæ dicuntur generaliter omnes fœminæ vates lingua Græca. Nam *eius* Æolico ſermone Deus; Belen Græci mentem nuncupant, quaſi Dei mentem; proinde igitur quia diuinam voluntatem hominibus interpretari ſolebant, Sibyllæ nominatæ ſunt: ſicut enim omnis vir prophetans, vel *Vates*, dicitur, vel *Propheta*: ita omnis fœmina prophetans *Sibylla* vocatur. Quod nomen ex officio, non ex proprietate eſt vocabuli.

Decem Sibylla.

Decem autem Sibyllæ à Doctoribus fuiſſe traduntur: quarum prima de *Perſis* fuit, ſecunda *Lybica*, tertia *Delphica*, in templo Delphici Apollinis genita; quæ ante Troiana bella vaticinata eſt: cuius plurimos verſus operi ſuo Homerus inſeruit. Quarta *Cymeria* in Italia. Quinta *Erythræa* nomine *Erophila* in Babylone orta, quæ Græcis Ilium petentibus vaticinata eſt, perituram eſſe Troyam, & Homerum mendacia ſcripturum. Dicta eſt autem *Erythræa*, quia in eadem inſula eius inuenta ſunt carmina. Sexta, *Samia* quæ *Samonota* dicta eſt, à *Samo* inſula, vnde fuit cognominata. Septima, *Cumana* nomine *Amalthea*, quæ 9. libros attulit Tarquinio Priſco, in quibus erant decreta Romana conſcripta. Ipſa eſt & Cumæa de qua Virgilius.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Dicta eſt *Cumana* à ciuitate Cumis, quæ eſt in Campania, cuius ſepulchrum in Sicilia adhuc manet. Octaua *Helleſpontia* in agro Troiano nata, quæ ſcribitur Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. Nona *Phrygia*, quæ vaticinata eſt Ancyræ. Decima *Tyburtina* nomine *Albunea*, quarum omnia carmina efferuntur; in quibus de Deo, & de Chriſto, & de gentibus multa ſcripſiſſe manifeſtiſſime comprobantur. Celebrior autem inter cæteras & nobilior Erythræa perhibetur, quam eo tempore nonnulli vaticinatam ferunt, quo Roma condita eſt. Et tunc Rex in Iuda erat Achaz, vel ſicut alij computant, Ezechias.

De Ezechia & eius pietate in Deum.

Cap. CIII.

Ezechias 3223.

EX *Chronicis*. Ezechias filius Achaz cæpit anno quartæ ætatis 535. mundi vero tertio milleſimo 223. & regnauit annis 29.

Reformatio cultus Dei. Ezechiæ pietas.

Comeſtor. Hic conuocatis ſacerdotibus & Leuitis aperuit templum primo anno, & primo menſe regni ſui, & vaſa Dei reparauit, & reſtituit ſacrificia intermiſſa, diſſipauit exceſſa, & contriuit ſtatuas, & lucos ſuccidit. Scripſit quoque filijs Iſrael, vt rediirent ad cultum Dei.

Morbus Ezechiæ & vitæ prorogandæ per miraculum prorogatio.

Ex Chronicis. Huius meritis dominus in caſtris Aſſyriorum vna nocte 185. millia virorum per Angelum interfecit; eius quoque vitæ deſperatæ 15. annos addidit, & in huius rei ſignum Solem 10. gradibus retrocedere fecit. Huius tempore ſub Ozee Rege deſtructum eſt regnum Samariæ: in qua captiuitate creditur Tobias captiuatus fuiſſe. Prophetabant autem Ozee, & Azarias, & Iohel, & Micheas. Romulus primus, milites ex populo ſumpſit; & nobiliſſimos centum ſenes ob ætatem ſenatores; ob ſimilitudinem curæ patres appellauit. Templa quoque & muros Romanæ vrbis extruxit. Tandem apud paludem capreæ nuſquam comparuit, & ſuadente Iucio Proculo, Quirini nomine conſecratus eſt.

De Manaſſe & Numa Pompilio.

Cap. CIIII.

Manaſſes 3252.

MAnaſſes filius Ezechiæ cæpit anno quartæ ætatis 364. Mundi vero tertio milleſimo 252. & regnauit annis 55. Hic peſſimus fuit idolatra, & plateas Hieruſalem ſanguine prophetarum purpurauit.

Manaſſe impietas & crudelitas.

Helinandus. Temporibus Manaſſe, Romanorum ſecundus regnauit Numa Pompilius. Hic nullum cum finitimis bellum geſſit, duos menſes anno addidit ſcilicet Ianuarium & Februarium. Cum ante illum 10. tantum apud Romanos fuiſſent: Capitolium à fundamentis ædificauit, & congiarium, dedit aſſeres ligneos, & corticeos.

Aug. lib. 7. de ciuit. Dei cap. 35. Numa Hydromantiam facere compulſus eſt, vt in aqua videret imagines dæmonum, & audiret ab eis, quid in ſacrificijs inſtitueret, & obſeruare deberet.

De libris opiniones multorum ſcire qui cupit Plinium adeat lib. 13. cap. 13.

Varro in libro de cultu Deorum. Terentius quidam, cum haberet ad Ianiculum fundum; & Bubulcus eius iuxta ſepulchrum Numæ Pompilij traijciens aratrum; eruiſſet ex terra libros eius; vbi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſæ; in vrbem pertulit ad prætorem. At ille cum inſpexiſſet principia, rem tantam detulit ad ſenatum; vbi cum primores quaſdam cauſas legiſſent, cur quidque in ſacris fuerit inſtitutum; Numæ quidem mortuo, ſenatus aſſenſus eſt, eoſque libros tanquam * religioſi patres conſcripti, prætor vt comburet, cenſuerunt.

** quaſi metu aliquo tangerentur religionis ne illa euulgarentur quæ ibi ſcripta erant.*

Aug. lib. 7. de ciuit. Dei. Numa quod ſcire neminem voluit, ne homines nefaria doceret; violare tamen timuit, ne dæmones iratos haberet.

Iſidorus. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit, primus leges Romanis edidit. Deinde cum populus ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet, Decemviros legibus ſcribendis decreuit, qui leges ex libris Solonis in Latinum ſermonem tranſlatas 12. tabulis expoſuerunt. Fuerunt autem Hi Appius, Claudius, Geucius, Veterius, Iulius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romulitis, Poſtumius.

Tullius Hoſtilius tertius Romanorum Rex.

Comeſtor cap. 33. In diebus quoque Manaſſe Partheni Tarentum condiderunt. Tertius Romanorum regnauit Tullius Hoſtilius. Hic primus Regum Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt. Qui poſt longam pacem bella reparauit. Albanos, Vegentes, Fedennates vicit: Adiecto monte Celio, ampliauit vrbem, tandem cum domo ſua fulmine conflagratur.

De Gyge Rege, & Archilogo, & Symonide.

Cap. CV.

Helinandus. Anno Manaſſe 13. Lydorum regnauit 5. Gyges de quo dicit Tullius in lib. 3. de offic. quod cum eſſet Regius paſtor, facta proluuione imbrium deſcendit in quendam hiatum terræ, vbi inuenit quendam hominem mortuum in equo æneo ſedentem; in cuius digito inuenit quendam annulum, per quem inuiſibilis factus, ſtuprum Reginæ intulit, & adiutrice ea Regem dominum interimit. De interfectione quidem domini ſui, concordat Iuſtinus cum Tullio. Sed de inuentione annuli nuſquam alibi ſcriptum reperi, niſi in Ambroſio de officijs, qui hoc idem ex Cicerone retractat.

Hunc ipſum annulũ (vt ait Cicero) ſi habeat ſapiens; ipſe in nullo putet plus ſibi licere peccare quam ſi non haberet; A bonis enim viris honeſta non occulta, petuntur. Plin. 7. cap. 46.

Valerius lib. 7. Cum Gyges armis & diuitijs opulentiſſimo Lydiæ regno inflatus animo ſciſcitatum Apollinem veniſſet; an aliquis mortalium ſe fælicior eſſet; ex abdito ſpecu ſacrarij vox inſonuit, quæ Aglaum

Solin. 7.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vsophidium ei prætulit. Is Archadum pauperrimus erat, sed ætate senior, agelli sui terminos nusquam excesserat * : sic igitur insolenter de fortunæ suæ fulgore glorianti respondit Apollo, plus se probare, securitate ridens, tugurium, quam tristem curis & sollicitudinibus aulam, paucasque glebas pauoris expertes, quam arua Lydiæ pinguissima metu referta; & vnum aut alterum facilis tutelæ iugum boum; quam equitatum voracibus impensis onerosum; & horreum vsus necessarij nulli nimis appetendum, quam thesauros expositos insidijs & cupiditatibus omnium.

Helinandus. Huius Gyges anno 5. id est Manasse 18. & Olimpiadis vigesimæprimæ 3. Mida vel Mides cum apud Phriges regnaret, sanguine tauri potato extinctus est.

Anno Manasse 47. & Olimpiadis 28. 4. hoc tempore Archilocus, & Simonides, & Aristoxenus musicus, insignes habiti sunt.

Valerius lib. 6. Lacedæmonij libros Archiloci poetæ exportari iusserunt ex vrbe, quia parum pudicam lectionem illorum arbitrabantur; noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret quam ingenijs prodesset. Itaque & maximum * poetam, quia domum sibi inuisam obscænis maledictis lacerauerat, exilio carminum mulctauerunt.

Idem in 8. Simonides autem poëta 80. anno docuisse se carmina, & in eorum certamen descendisse gloriatur.

Idem lib. 1. Simonides poeta cum ad littus nauem appulisset, & corpus inhumatum iacens sepelisset, admonitus ab eo, ne proximo die nauigaret, in terra remansit. Qui autem nauigare cæperunt fluctibus & procellis in conspectu eius obruti sunt.

Idem in eodem. Simonides cum apud Scopam cœnaret, nunciatum est ei duos iuuenes ad ianuam stare rogantes, vt ad eos continuo prodiret, qui cum exisset, neminem reperit. Eodem autem momento triclinium collapsum omnes conuiuas oppressit.

Helinandus. Anno Manasse 52. Olympiadis 30. Lydorum sextus regnauit Ardis annis 37. Hoc tempore Zeleucus legislator apud Locros frequentibus præconijs celebratur.

Valerius lib. 6. Zeleucus cum filius eius adulterio damnatus, vtroque oculo carere deberet; ac tota ciuitas in honorem patris aliquandiu ei repugnaret; ad vltimum precibus populi victus, ne lex à se condita violaretur; suo prius, deinde filij eruto oculo; vtrisq; vsum videndi reliquit. Sicque mirabili æquitatis temperamento se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus est.

** Paruuli ruris fructibus contentus.*

Gyges vbinam solida & secura esset felicitas didicit.

Archilocus.

Impudici libri nocent moribus iuuentutis.

** aut arte summo proximum. Simonides.*

Felix igitur quem nec mare nec terra sauiens extinguere valuit.

Cicero de legibus 2. Stobæus ser. 42. Ælia var. histor. 2.

De morte Isaiæ prophetæ, & pœnitentia Manasse.

Cap. CVI.

Comestor cap. 32. Inter alia vero scelera sua Manasses, Isaiam quoque auum maternum, secundum Hebræos, vel affinem suum, eiectum extra Hierusalem circa piscinam Syloe, serra lignea per medium secari fecit. Qui cum in principio sectionis angustiaretur, petijt sibi dari aquam, vt biberet, & cum nollent ei dare, dominus de sublimi misit aquam in os eius, & expirauit. Nec tamen Carnifices destiterunt à sectione: ob hanc aquæ missionem confirmatum est nomen Syloe, quod interpretatur missus, nec sepelierunt eum in sepulcro prophetarũ, sed sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum, quem fecerat Ezechias in memoriam miraculi, quod fecerat dominus in illis aquis ad preces Isaiæ. Tradit enim Epiphanius, quod & dum Sennacherib rediret ab Ægypto, præmisit exercitum ad obsidendum Hierusalem. Qui castrametatus est circa piscinam Syloe, vt aquis eius vterentur, eratque piscina communis, nam & ciues ad eam descendere poterant, & hostes. Orans autem Isaias obtinuit à domino quod cum egrederentur Ciues erant ibi aquæ sicut prius. Cum vero descendebant hostes siccabantur prorsus, ita vt mirarentur Assyrij vnde essent aquæ in vrbe. Porro in iugem memoriam huius facti adhuc aquę in vrbe Syloe non iugiter sed in certis horis ebulliunt. Cum in propria persona accessisset Sennacherib facta est strages supradicta in exercitu ipsius, in tantæ rei memoriam populus prophetam gloriosum sepeliuit in loco prædicto: vt & orationibus eius post mortem indesinenter huius aquæ beneficio potirentur.

Isaiæ crudelis mors.

Hostibus precibus Isaiæ siccabantur aquæ ciuibus vero sicut prius copiosè effluebant.

Comest. c. 33. Immisit ergo dominus aduersus Manassem regem Babyloniorũ, qui depopulatus est Iudæam; & Manassem dolo captũ traxit in Babylonẽ, & pluribus afflixit tormentis; & intelligens Manasses hanc esse manum Dei, egit pœnitentiam, & attente orauit ad dominum; & misertus dominus reduxit eum in regnum suum. Qui cum venisset Hierosolymam, deleuit, idola, lucos & aras; quæ fecerat, ita vt in memoriam priorum nihil superesset & restituit cultum domini.

Ex chronicis. Eo tempore Sibylla Erophila in Samo claruit. Deiocles apud Medos regnauit qui Egbactanã condidit.

De Amon rege & Phaorte & Phalari tyranno.

Cap. CVII.

AMon filius Manasse cæpit anno quartæ ætatis 419. mundi vero tertio millesimo 307. regnauit secundum 70. Interpretes annis 12. secundum Hebręos autem duobus.

Comestor cap. 34. Porro Amon *a* rex Iudæ fecit malum coram domino, sicut pater suus in iuuentute sua fecerat; & tetenderunt ei insidias serui sui, & interfecerunt eum in domo sua.

Helinandus. Anno quarto Amon qui tertius fuit Olympiades 31. Medorum sextus regnauit Phaortes annis vigintiquatuor. Huius anno secundo in Ponto, Boristenes condita est iuxta Boristenem fluuium, cuius fluuij pisces (vt ait Solinus) egregij saporis, & sine ossibus sunt, solas cartilagines tenerrimas habentes.

Orosius lib. 1. *cap.* 19. Phaortes rex Medorum creberrimis Persarum Assyriorumque bellis vigintiduos regni sui annos consumpsit.

Idem in eodem. Phalaris Siculus Agrigentinos arrepta tyrannide, depopulatur. Qui crudelis mente, commentis crudelior, omnia nefariè in innocentes agens, inuenit aliquando quem iustè puniret iniustus: nam Perillus quidam æris opifex, affectans Tyranni amicitiam, aptum munus ratus crudelitati illius; æneum taurum fecit, cui affabrè ianuam ex latere composuit, quæ ad intrudendos damnatos receptui foret; vt cum inclusus ibidem subiectis ignibus torreretur, sonum vocis extortæ, capacitas concaui æris augeret; pulsuque ferali competens imagini murmur emitteret; nefarioque spectaculo mugitus Pecudis, non hominis gemitus videretur; sed Phalaris factũ amplexus, factorem execratur & vltioni materiam præbuit, & crudelitati; nam ipsum opificem sua inuentione puniuit.

Valerius lib. 9. Sæuus *b* ille ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus longo & abdito cruciatu, mugitu resonante, spiritum edere cogebantur, ne eiulatus eorum humano sono vocis expressi, Phalaridis Tyranni misericordiam implorare possent; quam quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.

Helinandus. Legitur *d* esse destructa tyrannis Phalaris per Zenonem Philosophum. Qui cum ab eo torqueretur, vt consocios coniurationis aduersus eum proderet, neminem nominans, increpare cæpit populum, qui conuenerat ad spectaculum; quare eius tyrannidem tamdiu tolerarent, & adeo sermonibus suis eos aduersus eum incitauit, quod eum lapidauerunt.

De quo tamen Zenone sic refert Valerius lib. 3. Zenon inquit

*Manasses in Babyloniam captiuus abductus, postquam resipuit regno restituitur: * Idem Clemens Alexand. 1. strom. & Iosephus li 10. cap. 4. Antiquitatum; qui eum vixisse quatuor & viginti annos & in regno egisse duos annos, ait; Nicephorus tamẽ & Isidor. duodecim eius regni annos enumerant. Idem facit Eusebius 70. supputationẽ sequutus, cũ ipse testetur Hebraos tãtum duos annos regni illius agnoscere: verum ha discrepãtes sententia facilè conciliari poterũt si decẽ annos quibus Amon cũ patre regnauit, diebus iungas, quibus solus. Cæterũ quicunque cupit videre ac determinare contrarietates de collatione Regum Iudæ & Regum Israel legat quadragesimũ septimũ caput Comestoris super quartũ libr. Regũ; qui sic concludit: Itaque prædicta contrarietates & alia (si quas pratermisimus) determinari possunt vel per synecdochen, vel quia quidam cũ patribus regnauerunt antequã sols regnarent, vel quia regna quandoque sine rege fuerunt.*

a Amon Rex Iudæ impius.

b Iusta punitio Sæui æneitauri inuentoris.

d Suid. Diog. Laert. Cic. Tusc. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inquit Philoſophus cum à quodam Tyranno torqueretur, de cuius nece tractauerat, dixit ſe ſecreto velle loqui cum eo, laxatoque equuleo aurem eius morſu corripuit, nec ante dimiſit quam ipſe vita, & ille parte corporis priuaretur.

Item hoc tempore. id eſt Olimpiade 34. claruit Ligdanius Syracuſanus, de quo Solinus ſic refert: Nonnullos inquit naſci accipimus concretis oſſibus, eoſque neque ſudare, neque ſitire conſueuiſſe; qualis Syracuſanus Ligdanius refertur, qui & 3. & 30. Olimpiade primus ex olimpiaco certamine, Pancracij coronā reportauit, cuiuſq; oſſa, cōprehenſa ſunt nō habere medullā.

De Ioſia & Hieremia Propheta.

Cap. CVIII.

Ioſias 3319. tamen nos qui hactenus ſecuti ſumus Hebræam veritatem dicimus Ioſiam cæpiſſe anno 3309.

EX *chronicis.* Ioſias iuſtus filius Amon, cum eſſet annorum 8. cæpit iuxta Euſebium, anno quartæ ætatis 431. mundi vero tertio milleſimo 319. Et regnauit annis 31. Euſebius tamen ponit 32.

Comeſtor. Hic in quarto regni ſui anno, qui erat eius ætatis 12. vt dicit Ioſephus, pietatem & iuſtitiam mirabilem in ſe iam demonſtrabat, nam populum iam reuocabat ab Idolatria, & opera praua velut ſenior emendabat. Porro anno 8. regni ſui omnem ciuitatem & prouinciam à cultu Idolorum purgauit, vt nullum veſtigium idolatriæ ſupereſſet. Scrutabatur etiam domos, nec quid latenter remaneret ſuſpectum, & in vnaquaque cauſa iuſtitiam coluit, tanquam animæ ſuæ medicinam. Miſitque in totam prouinciam, vt deferrent ad reparationem templi munera, pro ſua voluntate vnuſquiſque, & facta eſt reparatio templi fideliter, & indilate.

Ioſias verū Dei cultum reſtaurat.

Studium populi in reparando templo.

Hieremias prophēta.

Anno 13. regni Ioſiæ exorſus eſt prophetare Hieremias in terra Benamin. tertio ab vrbe miliario, & prophetauit vſque ad euerſionem vrbis 40. annis & vno, præter illud tempus, quo in Ægypto prophetauit in Thannis. Et cum puer eſſet tetigit dominus os eius, & ait, Ecce dedi verba mea in ore tuo. Et tunc licet eſſet Adoleſcens cæpit prophetare & prædicare, & mane conſurgens, & frequenter ſtans in porta domus domini & in atrijs templi. Et oſtendit ei dominus ſigna euerſionis Hieruſalem, quam prædicabat. Primo ſigno, deſignauit ei auctorem illius euerſionis Deum, oſtendit enim ei quaſi furem vigilantem cum virga, vt damnificaret dormientes; ſic enim dominus vigilauit ad percutiendum populum ſuum. Secundo ſigno oſtendit ei, quo miniſtro ad hoc vteretur, per ollam ſuccenſam à facie Aquilonis id eſt à Chaldęis; qui iuxta ſitum Hieruſalem venerunt ab Aquilone; has duas viſiones vidit ſub Ioſia. In tertia vero de lumbari putrefacto oſtendit ei cauſam euerſionis, nec fuit hæc viſio imaginaria, ſed corporalis, & ait ei dominus. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi domum Iſrael & domum Iuda. Sed quia receſſerunt à me fornicando poſt Deos alienos, quaſi putrefient trans Euphratem captiuati: Eo quoque tempore prophetabat Olda mulier.

Hieremias captiuitatē Babylonicam prædicit.

Viſiones Hieremiæ.

Via per Iudæam exercitui; clauſa vi aperitur.

In diebus Ioſiæ aſcendit Pharao Rex Ægypti contra regem Aſſyriorum. Audierat enim eum debilitatum, quia Medi & Babyloni à monarchia eius receſſerant. Primum autem aggreſſus erat regem Adremon, qui tunc regnauit in Charcamis. Deſcendit ergo Ioſias in occurſum eius prohibens ne tranſitum faceret per Iudæam, & miſit Pharao ad Ioſiam dicens: Quid mihi & tibi rex Iuda? non aduerſum te venio, miſit me dominus ad Medos; & non acquieuit Ioſias. Sed cum rege Adremon compoſuit acies, vt dimicaret aduerſus Pharaonem, & forte dum tranſiret à curru in currum qui ſequebatur eum, more regio, occiſus eſt à ſagittarijs in campis Magedon, & planxit eum inconſolabiliter Adremon Rex cum exercitu ſuo. Traditur autem, quod iuxta fontem & arborem occiſus eſt, quæ ſtatim aruerunt, & planxit eum vniuerſus Iuda, in Hieruſalem,

Mors Ioſiæ.

& maxime Hieremias, qui ſuper eius exequias ſcripſit trenos lamentabiles, quibus vtebantur cantores & cantatrices, ſuper exequias Ioſiæ.

De Arione Methinnco.

Cap. CIX.

HElinandus. Eodem tempore Arion Methinneus claruit, qui à Delphino in Tenarū portus dicitur tranſportatus. Quod quomodo contigerit, inuenies in A. Gellio noctium Acticarum.

Boetius in libro de arte muſica. Terpander atque Arion Methinneus Lesbios atque Iones grauiſſimis morbis cantus eripuere præſidia.

A. Gellius lib. 16. cap. 19. Arion fidicen Lesbius, Periandri regis Corinthij familiariſſimus, grandi pecunia copioſus, à Sicilia Corinthum rediturus, quaſi amicitiores & notiores ſibi nautas Corinthios elegit. Hi, naui in altum proiecta, prædæ, pecuniæque cupidi, conſilium cæperunt de necando Arione; ille, pernicie intellecta, omnia ſua dedit, vitam tantum vt ſibi donarent, orauit; illi vt ſtatim in mare proſiliret præceperunt. At ille; omni ſpe vitæ perdita; id vnum impetrauit, vt priuſquam mori oporteret, induere permitteretur veſtimenta ſua, & fides carpere & carmē canere caſus illius conſolabile. Cum ergo carmen, quod orthium dicitur, voce ſub altiſſima caneret, cum fidibus tandem & ornatu ſuo, iecit ſe procul in profundum *. Nouum, & mirum, & pium facinus contigit. Continuo Delphinus inter vndas aduenit, & in dorſo ſuper fluctus edito, incolumem illum, & ornatu & corpore Tenarū * euexit. Arion apud Corinthum talem ſe Periandro, qualis à Delphino vectus fuerat, obtulit; rem ſicut acciderat, narrauit. Rex minus credidit. Nautas autem quid de Arione in illis locis vnde venerant, audiſſent; diſſimulanter interrogauit: illi eum in gratia, pecuniaque fortunatum, & florentem reſponderunt. Inter eorum verba; Arion cum fidibus & ornatu ſuo coram ſe oſtendit.

Vetus & nobilis Arion cantator fidibus fuit vt ait Herodotus.

* *Nautæ haud quaquam dubitantes quin periſſet curſum tenuerunt.*
* *in terram Laconicam.*

Ex chronicis. Eo tempore claruit Thales Mileſius & primus Phiſicus Philoſophus agnoſcitur, quem vſque ad 57. Olympiadem vixiſſe ferunt. Apud Corinthum Periander Tyrannus extitit. Panecius quoque primus in Sicilia tyrannidem arripuit; Phalaris autem tyrannis deſtructa eſt. Tarquinius priſcus Romanorum quintus regnauit qui capitolium inſtruxit & Ioui dedicauit. Ægyptiorum vero Nechao' ſecundus, qui & Nechepſos contra regem Aſſyriorum aſcendens Ioſiam ſibi obuiantem interfecit.

De Ioſia & filijs eius vſque ad Sedechiam.

Cap. CX.

AVthor. Ioſias moriens tres filios reliquit. Eliachim qui & Ieconias primogenitum, & medium Ioachaz, qui & Sellum, Mathaniam vero tertium, horum, ſecundus Ioachaz in regnum à populo conſtituitur, ſed poſt tres menſes à rege Ægypti amouetur, & Eliachim pro eo ſubſtitutus, eidem regi tributarius efficitur, mutatoque nomine Ioachim vocatur. Ioachim ergo cæpit anno quartæ ætatis 462. mundi vero tertio milleſimo 350. & regnauit annis vndecim. Ab hoc Vrias propheta, cum eum redarguiſſet, turpiter interfectus eſt. Hieremias quoque deſtructionem vrbis & templi prophetans, incarceratus eſt, ne publice prædicaret.

Ioachim 3350. ſecundum Euſebium alias 3340.

Anno Ioachim quarto Nabuchodonoſor in Babylone regnare cæpit, qui victo rege Ægypti, cuncta quæ illius fuerant, à riuo Ægypti vſque ad Euphratem tulit. Euphratem quoque tranſiens omnem Syriam vſque ad Peluſium præter Iudæam cæpit: Eo tempore Pythacus Mytilenus qui de 7. ſapientibus fuit, cum Phrenone Athenienſi olympionice congreſſus eundem interfecit. Sapho quoque & Alcæus Poetæ clari habebantur. Denique Nabuchodonoſor anno quarto regni

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſui,qui fuit 8. Ioachim aſcendit in Hieruſalem:captumque Ioachim & ligatum trahebat ſecum, & cum eo nobiles viros in Babylonem. In itinere vero impoſuit ei tributum, & eum remiſit in Hieruſalem. Sed obſides de ſemine regio, Danielem ſcilicet & tres pueros ſecum traxit, & Ioachin tribus annis ei ſeruiuit,ſed poſtea cum negaret tributum, quod ei promiſerat, Nabuchodonoſor veniens eum occidit, & in ſepulchrum abiecit; ac Ioachim Ieconiam filium eius æquiuocum ſcilicet patri regem conſtituit. Sed poſt tres menſes timens ne ille paternæ iniuriæ memor Ægyptijs adhæreret, & contra eum pugnaret,rediens, Hieruſalem obſedit, ipſumque cum matre ſua & familia, (de conſilio Hieremiæ) ſe tradentem ſuſcepit; & eos in Babylonem tranſtulit.Principes quoque cum alijs plurimis, inter quos erat Mardochæus & Ezechiel adhuc iuuenis.Conſtituit autem regem in Ieruſalem patruum Ioachim Mathaniam ,accepto iuramento quod ſeruiret ei ſub tributo, mutatoque nomine, vocauit eum Sedechiam.

De regno Sedechiæ & conditione vrbis Maſſiliæ.

Cap. CXI.

Sedechias 3352.

EX *chronicis*. Itaque Sedechias cæpit anno quartæ ætatis 464.mundi vero tertio milleſimo 352. & regnauit annis 11. Sub hoc quoque prophetauerunt Hieremias & Baruch.

Helinandus. Anno 2. Sedechiæ Meſſalia vel Maſſilia condita eſt.

De qua Iuſtinus in lib. 43. Temporibus Tarquinij ex Aſia Phocentium iuuentus,oſtio Tyberis ingreſſa amicitiam cum Romanis iunxit; inde in vltimos Galliæ ſinus nauibus profecta: Maſſiliam inter Lygures & feras gentes gallorum condidit. Qui Phocenſes exiguitate & macie terræ coacti, ſtudioſius mare, quam terras exercuere piſcando, mercando, plerunque & latrocinando, (quod illis temporibus gloriæ habebatur.) Condita eſt ergo Maſſilia prope oſtia Rhodani amnis in remoto ſinu, velut in angulo maris. Ab his Galli vſum vitæ cultioris & agrorum cultus & vrbes mænibus cingere didicere;manſuefactaque barbarie legibus non armis viuere, & vitem putare, & oliuam inſerere conſueuerunt. Acceptus eſt locus condendæ vrbis, à Nanno Rege Segobrigiorum,qui ad filiæ Gyptis nuptias omnes inuitauit, quam more gentis electo inter epulas genero nuptui tradere parabat. Quæ conuerſa ad Græcos aquam Proti porrigit; qui mox factus ex hoſpite gener, locum condendæ vrbis à ſocero accepit. Nanno autem Comanus filius eius ſucceſſit,cui quidam regulus de Maſſilienſibus hanc fabulam propoſuit. Canis aliquando partu grauida locum à paſtore precario petijt, in quo pareret; quo obtento, iterato petijt; vt ſibi in eodem loco educare catulos liceret:Ad poſtremum, adultis catulis; fulta iam domeſtico præſidio, locum ſibi vendicauit*. Cum ergo Comanus eis pararet inſidias, perditus eſt per quandam mulierem cognatam ſuam, quæ cum Græco adoleſcente adulterabatur,ideo cæduntur ſeptem millia cum ipſo rege in inſidijs. Exinde Maſſilienſes feſtis diebus conſueuerunt portas claudere, vigilias agere,ſtationes in muris obſeruare, peregrinos recognoſcere. Non multo poſt duce Catumando ad delendam Maſſiliam omnes finitimi populi conuenerũt.Qui cum vrbem obſideret, territus eſt per ſomnum, per ſpeciem mulieris, quæ ſe Deam dicebat, & ideo pacem fecit, petiuitque vt ei vrbem intrare, & Deos eorum adorare liceret. Conſpecto igitur ſimulachro Deæ,quæ eum terruerat;continuo clamauit illam eſſe, quam in ſomno viderat, cui torquem auream obtulit. Porro Maſſilienſes Varro trilingues eſſe ait, quia & Græcè loquuntur & Latinè & Gallicè.

Adeo magnus impoſitus eſt & hominibus, & rebus nitor, vt non Græcia in Galliam; ſed Gallia in Græciam emigraſſe videretur.

** non aliter Maſſilienſes qui inquilini videbantur quandoque dominos futuros. Inde etiam eſt quod cũ telo nemini licuit intrare vrbem.* Val. Max. lib. 2.

Valerius lib.2.cap.6. A condita Maſſilia gladius ibi eſt, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exeſus: ſed ad monumentum vetuſtatis, ibi etiam ſeruatur venenum cicuta temperatum, quod datur ei qui conſilia ſenatus publicauerit: eorum vrbem nemo cum telo ingreditur. Maſſilienſium ciuitas ſeueritatis cuſtos acerrima, nullum aditũ mimis dat in ſcænam, quorum argumenta ex parte maiore ſtuprorum continent actus; ne talia ſpectandi,& audiendi conſuetudo;etiam imitandi licentiam ſumat.

De Milone Crotonienſi.

Cap. CXII.

Milonis Crotonienſis fortitudo.

HElinandus. Solinus dicit Milonem Crotonienſem Tarquinij Priſci fuiſſe temporibus,de quo ipſe refert, quod bouem viuum in olimpiaco certamine per ſtadium portauerit in humeris,& eundem ictu manus proſtrauiſſe, vnde victimam fecerit. & eadem die ſolus totum aſſumpſerit non grauatus,& quod victor omnium certaminum obierit. Macer autem dicit, quod ſecum in certaminibus portare ſolitus ſit allectorium lapidem,qui in ventriculo Galli reperitur magnitudine fabæ *. De hoc refert Tullius in lib. de ſenectute ſub perſona Catonis: Quæ vox inquit poteſt eſſe contemptior,quã Milonis Crotonienſis, qui cum iam ſenex eſſet, athletaſque ſe exercentes in curriculo videret, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illachrimanſque dixiſſe: At hi quidem mortui iam ſunt,nunc vero tam iſti quam tu ipſe nugator,neque enim ex te vnquam es nobilitatus, ſed ex lacertis tuis. Hic (vt ait Valerius) cum iter faciens in agro quercum cuneis adactis fiſſam vidiſſet, fretus viribus acceſſit ad eam,inſertiſque manibus diuellere conatus eſt, quas arbor excuſſis cuneis in ſui naturam reuocata compreſſit, eumque cum tot gymnicis palmis feris lacerandum præbuit.

** Hic in certamine ſecundum Magos creditur reddere homines inſuperabiles & inuictos.*

Lege Strab. lib.6.

De Ezechiele propheta.

Cap. CXIII.

Ezechiel Propheta ſubuerſionem vrbis prædicit.

COmeſtor c.1.*ſuper Ezech.proph.* Anno quinto Sedechiæ exorſus eſt Ezechiel prophetare in Babylone ad captiuos,poſtquã acceperant epiſtolã Hieremiæ, hic in Babylonem ductus eſt cum Ioachim & matre eius, cũ Daniele & tribus pueris, & habitabat iuxta fluuium Chobar.Exorſus eſt autem prophetare ad concaptiuos propter cauſas huiuſmodi : legerant in epiſtola Hieremiæ per 70. annos duraturam captiuitatem; & flebant pro exilij prolongatione, præterea murmurabant aduerſus dominum, quod fraudulenter eos eieciſſet. Dixerat enim per os Hieremiæ remanentes in Hieruſalem perituros; eis vero,qui ſe traderent ſeruo ſuo Nabuchodonoſor bona pollicebatur, nunc in contrarium res elapſa erat; florebant enim, qui remanſerant, & ipſi iugo ſeruitutis premebantur. Erant quoque inter eos, qui dicerent, quia dum ſeruierant militiæ cœli, bonis omnibus abundabant. Ex quo vero ceſſauerant, perierant gladio,& fame, & peſte. Ad hoc prophetauit Ezechiel euerſionem vrbis, & templi incendium imminere, & eos qui remanſerant in vrbe,fame perituros; & extra vrbem gladio. Eos autem, qui viui traherentur, grauem paſſuros ſeruitutem: Ipſos autem in pace & quaſi libera ſeruitute manſuros. Vt autem auctoritatem præberet ei Deus, oſtendit ei quaſdam viſiones:ſimilitudinem ſcilicet hominis, Leonis, Vituli, Aquilæ, non ſolum ad præfigurandum Euangeliſtas ſed vt oſtenderet Deum Iſrael dominum eſſe totius creaturæ, per hæc digniora omnem intelligens creaturam : homo enim præeſt cæteris animantibus. Aquila rex auium. Leo ferarum. Bos iumentorum. Sub animalibus vero vidit rotam in medio rotæ,vt oſtenderet circumuolutionem omnium elementorum in domini eſſe poteſtate, & ſuper hoc vidit firmamentum coloris Saphirini, & ſuper firmamentum erat ſimilitudo throni; & ſuper thronum quaſi aſpectus hominis, & ait dominus ad eum,fili hominis mitto te ad filios Iſrael &c.

Ezechiel templi incendium prædicit.

Viſiones Ezechielis.

Ezech. 2.

De

De deſtructione Hieruſalem & regni Iudæ.

Cap. CXIIII.

Ægyptij rex auxiliaturus Iudæis prælio vincitur.

Author. In principio anni noni Sedechiæ Nabuchodonoſor Hieruſalem obſedit, quia ſuperbus, & infidus, tributum ei promiſſum, negabat: tunc rex Ægypti cum exercitu quaſi ſoluturus obſidionē venit, & Nabuchodonoſor à Hieruſalem in occurſum eius recedens, eum fugauit, ac de Syria exire compulit. Tunc falſi prophetæ nunciabant Sedechiæ proſpera, ſed falſa. Hieremias autem his contraria & vera, qui egrediens ad vicum ſuum Anathoth, tanquam fugeret ad hoſtes; captus eſt, & incarceratus. Anno 9. Sedechiæ menſe 10. redijt Nabuchodonoſor & Nabuzardan cum exercitu, & obſederunt vrbem & clauſa eſt 18. Menſibus. Territus itaque Sedechias Hieremiam de carcere tulit, & prophetiæ veritatem ſecreto inquirens, audiuit; eique victualia miniſtrare quotidie iuſſit, ſed poſtea dum publicè prædicaret principibus, & ſenioribus: eum ad mortem petentibus expoſuit, qui eum cum funibus in lacum Helchiæ depoſuerunt, & erat in luto vſque ad guttur, quod erat ei omni morte amarius, ſed extraxit eum Abdemelech Æthiops vir Eunuchus. Tandem deficientibus in vrbe victualibus, adeo vt mulieres paruulos ſuos comederent, in menſura palmi. Capta eſt ciuitas 11. anno Sedechiæ, fugienſque comprehenſus eſt, & in conſpectu Nabuchodonoſor in Reblata iudicatus, dicētis eum imperij ab ipſo percepti ingratum extitiſſe, & contra munificum hoſtiliter agendo, etiam in Deum deieraſſe, & addidit: magnus Deus habens odio tuam nequitiam, te mihi tradidit. Itaque filios eius coram eo occidit & oculos ipſius effodit. Vinctumque cathenis in Babylonem adduxit, & Ioſedech cum eo Sarea pontifice patre illius occiſo. Nabuzardan vero princeps templum & ciuitatem incendit. ac murum totum in circuitu deſtruxit, captiuos & vaſa domini tranſtulit, Godoliam pauperibus & agricolis in terra relictis præfecit. Hieremiæ vero libertatem & munera præbuit: Rechabitas quoque abire permiſit. Hic fuit exitus regni Hebræorum, in quo regnatum eſt annis quingentis 15. menſibus 6. cum diebus inſuper decem ſecundum Ioſephum.

Hieroſolyma obſeſſa.

Fames & peſtilentia.

Hieroſolyma capta.

Sedechias noctu fuga ſibi conſulens à Babylonijs capitur.

Templum, Regia, & vrbs ſpoliata, incenſa, ac diruta.

Temporibus Sedechiæ Tarquinius priſcus Cyrcum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos inſtituit, muros & cloacas extruxit, & tandem ab Anci Marci filijs, cui ipſe in regno ſucceſſerat occiſus, interiit. Solon genti cui præerat, noua iura conſtituit. Epymenides Athenas ſubuertit. Eo tempore certantibus in agone dabatur Tragus, id eſt Hyrcus, vnde Tragędos aiunt nuncupatos.

De fine quartę ætatis & prophetia Ezechielis.

Cap. CXV.

IN hac vltima captiuitate Iudæorum ætas ſæculi quarta terminatur habens annos 475. Fuerunt autem iuxta Ioſephum ab anno quarto Salomonis in quo fundatum eſt templum vſque ad eius incendium anni 470. menſes ſex, & dies decem, ab egreſſu populi ab Ægypto 1062. menſes 6. cum diebus decem. Ab initio vero Mundi iuxta computum hactenus obſeruatum 3363. licet alii plures, vel pauciores ponunt iuxta ipſorum computum: Ita ſunt variæ & diſcrepantes de temporibus ſententiæ, vt vix in hac re aliquid certi ſtatui poſſit.

Comeſtor cap. 4. ſuper Ezechielem. Venit autem ad Ezechielem quidam, qui fugerat de Hieruſalem dicens vaſtata eſt ciuitas. In præcedenti tamen veſpere Ezechiel prædixerat de nuncio venturo, & audiens omnis tranſmigratio excidium vrbis, & incendium templi, leuauerunt vocem ſuam & dixerunt. Periit ſpes noſtra, abſciſi ſumus, & non ſurgemus. Et exclamauit Ezechiel: Hæc dicit dominus cum ſanctificatus fuero in vobis, tollam vos de gentibus, & adducam vos in terram veſtram, & effundam ſuper vos aquam mundam: Et facta eſt ſuper prophetam manus domini, & eduxit eum in ſpiritu in * campum, qui plenus erat oſſibus ſiccis vehementer, & ait, oſſa arida hæc dicit dominus. Ecce dabo vos ſuper neruos, & ſuccreſcere faciam carnes, & ſuperextendam cutem: Daboque vobis ſpiritum & viuetis. Oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt. Præterea in conſolationem gentis ſuę prædixit propheta calamitates circunſtantium nationum, quæ iuuerant hoſtes contra Hieruſalem, vel inſultauerant captiuis, id eſt filiorum Amon, & Moab, & Edom, Philiſtim, Tyri, & Sydonis, Ægypti, & Æthiopiæ.

Ezechiel prædicit futuram liberationem populi à captiuitate.

** quidam Iudæi dicunt quod campus iſte fuerit in deſerto, vbi tot Iudæorum poſt adorationē vituli interierunt, in quo deſerto 40. annis poſtea errauerunt vbi omnes proſtrati ſunt inſepulti.*

De deſcenſu reliquiarum in Ægyptum & morte Hieremiæ.

Cap. CXVI.

Vaticinium de exercitu à Babylonia ducendo, & reliquijs Iudæorum in captiuitate abducendis.

Comeſtor. Porro contra conſilium Hieremiæ deſcenderunt reliquiæ Iuda ducentes ſecum ipſum Hieremiam, & Baruch in Ægyptum, & habitauerunt ibi, & factus eſt ſermo domini ad Hieremiam in taphnis. Sume lapides grandes, & abſconde eos in crypta quæ eſt ſub muro latericeo in porta domus Pharaonis, & dices ad Iudæos; hæc dicit dominus. Ecce aſſumam ſeruum meum Nabuchodonoſorem, & ponam thronum eius ſuper lapides iſtos, & percutiet terram Ægypti, & peribitis vos cum Ægyptijs. Et inſurrexit populus aduerſus Hieremiam, & lapidauerunt eum cum lapidibus, quos abſconderat ſub muro Lateritio. Ægyptij vero honorauerunt Prophetam, ſepelientes eum iuxta tumulum regum, memores beneficiorum quæ præſtiterat Ægyptijs. Oratione enim ſua fugauerat Aſpides, & beſtias aquarum, quam Græci crocodilos vocant, quibus prius Ægyptus infeſtabatur. Tradunt etiam, quod adhuc de puluere eiuſdem loci Aſpidis percuſſura ſanatur, & fugantur crocodili.

Virtutes & opera Hieremiæ.

De eodem ait Epiphanius, Audiuimus à viris ſenioribus, quod Alexander Macedo veniens ad ſepulchrum prophetæ, & cognoſcens loci myſterium, tranſtulit ipſum in Alexandriam & ſepeliuit glorioſe, & ex tunc à terra illa prohibiti ſunt crocodili & Aſpides penitus; nam & idem Alexander primo introduxerat illic Serpentes quoſdam, qui vice marſorum Aſpides fugabant, ſed non poterant eos penitus extirpare.

Hic eſt Hieremias, qui regibus Ægypti ſignum dedit, quod eorum Idola euerti oporteret; cum virgo pareret; vnde & ſacerdotes eorum in ſecreto templi loco, imaginem virginis & pueri ſtatuentes adorabant. Dum vero Ptolemeus Rex interrogaret eos, qua ratione hæc agerent? dixerunt paternæ traditionis eſſe myſterium, quod à ſancto propheta acceperant maiores & credebant in rebus ita fore euenturum.

Hieremias ſua oratione arcam in petra abſorberi fecit.

Hic eſt Hieremias, qui templum euertendum eſſe prænoſcens, Arcam teſtamenti, cum his, qui in ea erant, tulit, & precibus ſuis abſorberi fecit in petra, petram vero digito deſignans, Dei nomen tetragrammaton impreſſit. Quod nubis operimento ita cælatum eſt, vt ex tunc nec locum quis recognoſcere queat, nec ipſum nomen legere vſque in hunc diem & vſque in finem & priſtinæ figuræ inſtar illic ſæpe nubes fit, vt ignis nocturno tempore; eo quod Dei gloria ab eius lege non deſinat. Eſt autem petra illa in eremi loco inter duos montes in quibus iacent Moyſes & Aaron, dixitque Hieremias præſentibus. Dominus ex Syon receſſit ad cælos; inde rurſus in virtute venturus; & erit ſignum præſentiæ eius; quando vniuerſæ gentes adorauerint lignum; dixitque quod hanc arcam nemo niſi Aaron poterat producere, & tabulas quæ in ea ſunt, nullus aperiret ſacerdotum, nullus prophetarum; niſi electus Dei Moyſes; & in prima reſurrectione reſurget hæc arca & exibit de petra, & ponetur in monte Synai, & omnes ſancti congregabuntur ad eam, regreſſum Dei ſuſtinentes.

Arca teſtamenti in prima reſurrectione primo reſurget.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De exordio quintæ ætatis, & de regibus Babylonis.

Cap. CXVII.

Captiuitas reliquiarum Iudæ.

Megasthenes in quarto rerum Indicarum volumine. Catalogus regum Babylonis.

** Naboandel.*

** Iosephus habet Nigliſar.*

EX *chronicis*. Igitur ab initio captiuitatis ætas quinta exordium habuit quæ ſcilicet captiuitas iuxta prophetiam Hieremiæ perſeuerauit 70. annis vſque ad annum ſecundum Darij filij Hyſtaſpis, horum 30. primi computantur iuxta Euſebium vſque ad regnum Cyri.

Comeſtor. Anno quinto euerſionis Hieruſalem deſcendit Nabuchodonoſor in Syriam inferiorem, & obtinuit eam. Moabitas quoque & Ammonitas ſubiugauit ſibi; & tandem intrauit in Ægyptum, eamque ſubuertit, & regem, qui tunc erat in ea, occidit; aliumque in ea conſtituens, denuo Iudæos in ea captiuos duxit in Babylonem.

Euſebius in chronicis. Anno captiuitatis 9. mortuo Nabuchodonoſore Rege Babylonis ſuſcepit imperium Euilmerodach, cui ſucceſſit frater eius Balthaſar.

Comeſtor. Mortuo magno Nabuchodonoſore regnauit pro eo filius eius Nabuchodonoſor qui hoſtium manibus templum Belis magnifice decorauit, ciuitatem reparans, ita vt nequaquam obſidentes valerent fluuium auertere. Huiuſmodi meminit Megaſthenes in libro iudiciorum, & aſſerit eum fortitudine & actuum magnitudine Herculem tranſcendiſſe. Sed Diocles dicit, quod iſte Nabuchodonoſor obſedit Tyrum tribus annis, & 10. menſibus; eo mortuo regnauit pro eo Euilmerodach, qui 37. anno tranſmigrationis ſubleuauit caput Ioachim regis Iudę de carcere, quia pater eius ſeruauerat cum eo fœdus. Tradunt quidam, quod Euilmerodach frater minoris Nabuchodonoſoris in diebus eiectionis paternæ multa geſſit impie in terra; & patre reſtituto, accuſatus apud eum, miſſus eſt in carcerem, vbi erat Ioachim vſque ad mortem fratris ſui. Cumque regnare cæpiſſet, eleuauit Ioachim quem ſocium habuerat in carcere, timenſque ne reſurgeret pater ſuus, qui de beſtia redierat in hominem; conſuluit Ioachim, ad cuius conſilium cadauer patris effoſſum diuiſit in 300. partes, & dedit eas 300. vulturibus, & ait ad eum Ioachim. Non reſurget pater tuus, niſi redeant vultures in vnum: Hic habuit tres filios, Egeſſarim qui & Reguſar dictus eſt, Laboſordachum, & * Nabar, qui Balthaſar cognominatus eſt, ad quem poſt regna fratrum regnum deuolutum eſt.

Hier. ſuper Danielem. cap. 5. Sciendum eſt itaque Balthaſar non eſſe filiũ Nabucho. vt vulgo legentes arbitrantur. Sed iuxta Beroſum, qui Chaldeam ſcripſit hiſtoriam; & Ioſephum, qui Beroſum ſequitur: poſt Nabuchodonoſorem qui regnauit annis 43. ſucceſſiſſe in regnum filium eius, qui vocabatur Euilmerodach Refert idem Ioſephus, quod poſt mortem Euilmerodach, in regnum patris ſucceſſerit filius eius * Negliſar, poſt quem filius eius Labuſardach, quo mortuo, Balthaſar filius eius regnum tenuit, quo interfecto à Dario Rege Medorum qui Cyri Regis Perſarum auunculus fuit, & Cyro Perſa; quæ duo regna Iſaias aſcenſorem bigæ cameli, & aſini, vocat, deſtructum eſſe imperium Chaldæorũ. Quod quidem & Xenophon in Cyri maioris ſcribit infantia, & Pompeius Trogus, & multi alij, qui Barbaras ſcripſere hiſtorias.

Author. Non legitur autem quantum vnuſquiſque iſtorum quatuor ſucceſſorum Nabuchodonoſoris regnauerit, ſed non regnauerunt ipſi quatuor (vt videtur) niſi tantum annos 21. Tantum enim temporis eſt à nono anno captiuitatis Iudæ, in quo Euſebius ponit mortem Nabuchodonoſoris vſque ad primum annum Cyri, in quo Balthaſar occiſus eſt.

De Tullio Seruio & morte Ezechielis.

Cap. CXVIII.

Liuius 1. Dionyſ 3 à Valerio deſſentiunt.

** Valerius habet Priſci Tarquinij.*

Ezechiel à tribubus Dan & Gad occiditur.

Virtutes & opera Ezechielis prophetæ eiuſq; miracula.

EVſebius. Anno captiuitatis prænotato Romanorum Sextus Tullius Seruius regnauit, ancillæ, ſed nobilis captiuæ filius. Hic tres mõtes vrbi addidit. Quirinalem, Ruminalem, Eſquilinum, foſſas circum muros duxit, cenſus Romanorum ciuium primus inſtituit, & ad extremum Tarquinij Superbi generi ſui ſuperioris Regis filij ſcelere occiſus eſt

Helinandus. Hic, Seruius cognominatus eſt, quia de ancilla natus.

De hoc Valerius ait ſic, Tullij Seruij adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata, validior ætas Romanum imperium rexit. Seruio Tullio puero dormienti flamma circa caput emicuit. Quod * Anci Marci regis vxor Tanaquil admirata Seruium ſeruæ natum in modum filij educauit, & ad Regni faſtigium euexit,

Comeſtor. cap. 6. ſuper Ezechielem. Anno 14. poſtquam percuſſa eſt ciuitas, facta eſt manus domini ſuper Ezechielem, & adduxit eum in ſpiritu, in montem excelſum in terra Iſrael, & oſtendit ei deſcriptionem ciuitatis & templi, ſuper quam ad litteram noſtri ſiluerunt authores.

Porro Ezechiel in Chaldea inter concaptiuos iudicauit tranſgreſſores legis, & præcipue quoſdam de tribu Dan, & Gad, quod in dominum committerent impia, legis perſequendo cuſtodes, & fecit (vt dicit Epiphanius) contra eos prodigium magnum; quia filii eorum & vniuerſa pecora à ſerpentibus perierunt. Et prædixit, quod tribus illæ non reuerterentur ad propria; ſed in Mediæ regionibus remanerent. Ob hoc exacerbati in eum, diſtraxerunt eum equis per crepidines ſaxorum, & excerebrauerunt eum; & ſepelierunt in ſepulchro Sem & Arphaxad in ſpelunca duplici. Iſte propheta ſignum dedit populo in fluuio Chobar, vt quando deficeret, ſuſtinerent deſolationem terræ ſuæ, tunc autem ſperarent regreſſum ad Hieruſalem, quando mundaret, Ad cũ quandoq; conuenerat plurima multitudo captiuorum ad fluuium Chobar, & Chaldæi rebellionem veriti irruerunt ſuper eos. Ipſe vero precibus ſuis fiſtens aquas fluminis, ſuper aquas ambulans cum omni multitudine, ad alteram ripam ſe recepit; & quotquot hoſtium præſumpſerunt eos ſequi, ſubmerſi ſunt. Item idem per orationem ſubito largam piſcium copiam præſtitit populo ad veſcendum. Sæpe quoque multis deficientibus vitam reſtituit.

De ſeptem ſapientibus Græciæ & primo de Thalete Mileſio.

Cap. CXIX.

Sex, vita genere diſtinguebantur.

Duo philoſophorum genera.

** Thales primus fuit qui in Græcia de rebus naturalibus cæpit philoſophari.*

** Plin. lib. 2. * ſecutus Homeri opinionem qui Oceanum omnium patrem vocat.*

HElinandus. Eo tempore 7. Sapientes ſunt appellati ſcilicet Thales Mileſius; Solon Athenienſis, Pitacus Mitilenus, Chilon Lacædemonius, Cleobolus Lindius, Periandeo Corinthius; Bias Prienæus.

Aug. lib. de ciu. Dei cap. 2. Duo Philoſophorum genera traduntur, vnum Italicum ex ea parte Italiæ quæ quondam magna Græcia nũcupata eſt; alterum Ionicum vbi & nunc Græcia nominatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium: Ionici mei generis princeps fuit * Thales Mileſius, vnus illorum 7. qui appellati ſunt Sapientes. Sed illi ex vitæ genere diſtinguebantur, & quibuſdam præceptis ad bene viuendum accommodatis. Iſte autem Thales vt ſucceſſores propagaret, etiam rerum naturam perſcrutatus, ſuaſque diſputationes litteris mandans præ cæteris eminuit, maximeque admirabilis extitit, quod aſtrologiæ numeris comprehenſis, * defectus Solis & Lunæ etiam prædicere potuit, * aquam tamen putauit rerum eſſe principium & hinc elementa omnia mundi, ipſumque mundum & quæ in eo gignũtur exiſtere. Nihil autem huic

operi, quod mundo conſiderato, tam admirabile conſpicimus, ex diuina mente præpoſuit. Thaleti vero ſucceſſit Anaximander eius auditor, mutauitque de rerum natura opinionem. Non enim ex vna re, ſicut Thales ex humore, ſed ex ſuis proprijs principijs quaſque res naſci putauit. Quæ rerum principia ſingularum credidit eſſe infinita; & innumerabiles mundos gignere; & quęcunque in eis oriuntur; eoſque mundos modo diſſolui; modo iterum gigni exiſtimauit, quanta quiſque ætate ſua manere potuit, nec ipſe, ſicut Thales aliquid * diuinæ menti in his operibus tribuens.

** in hoc reprehenditur à Plutarcho quod cum materiam ſubſtituat, efficientem tollat cauſam. Plutarch. Solon. Laer. in Thalete.*

De Solone & Pitaco, & Cleobolo & Bya Trienęo.

Cap. CXX.

Valerius lib. 4. cap. 1. Piſcatoribus in Meleſia regione verriculum trahentibus, quidam iactum emerat; extracta deinde magni ponderis aurea delphica menſa; controuerſia orta eſt: illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus. Iſto vero dicente ſe emiſſe fortunam iactus. Qua contradictione propter rei nouitatem & pecuniæ magnitudinem ad vniuerſum illius ciuitatis populum delata: Placuit Apollinem delphicum conſuli, cuinam menſa deberet adiudicari. Qui reſpondit eam illi eſſe dandam, qui ſapientia cæteris præſtaret; tunc illi Thaleti Mileſio dederunt eam; & ille ceſſit Byanti, & Byas Pitaco, & is protinus alij. Sicque per omnium ſeptem Sapientium orbem, ad vltimum, ad Solonem peruenit; qui & titulum ampliſſimæ prudentiæ & præmium ad ipſum Apollinem tranſtulit.

Author. Solon aiebat ſi in vnum locum, mala ſua cuncti contuliſſent, futurum, vt propria deportare domum, quam ex communi miſeriarum aceruo portionem ſuam ferre mallent. Quo colligebat non oportere nos quæ fortuitò patimur, præcipuè & intolerabilis amaritudinis iudicare. Idem Solon ſe dicebat aliquid quotidie addiſcentem ſeneſcere. Hic moriens aſſidentibus amicis, & ſermonem de quadam re inuicem conferentibus, caput erexit. Interrogatus quare id feciſſet, reſpondit: vt cum iſtud quicquid eſt de quo diſputatis percepero, moriar. Huius quoque Solonis legitur eſſe elegans illa ſententia: fælicitatis index, dies vltimus eſt: & appellationis honorem ſapienti confirmat rogus. Siquidem rerum initia debentur fortunæ. Philoſophiam ſolus conſecrat finis. *Tullius in lib. de Sen.* Pyſiſtrato Tyranno à Solone reſponſum eſt quærenti, qua tandem re fretus: ſibi tam audaciter reſiſteret? ſenectute.

Senectute fretus Piſiſtrato reſiſtebat Solon; nã ſi ipſum interfeciſſet parum admiſſet viuendi ſpacium.

Valerius lib. 4. cap. 1. Pitacus moderatione pectus inſtructum habuit, qui Alcæum poetam & amaritudine odij, & viribus ingenij contra ſe pertinaciſſime vſum, tyrannidem à ciuibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo poſſet admonuit. *Cleobolus Lyndius.* Magis amicorum inuidiam, quam inimicorum inſidias debemus cauere. Illud enim apertum, hoc cælatum eſt malum, nocendiq; fraus quo non eſt ſperare potentior.

Byas Prienæus. Moleſtius eſt inter duos amicos, quam inter duos inimicos iudicare.

Valer. l. 7. c. 2. Byas Prienęus cum patriam eius Prienem hoſtes inuaderent, omnibus precioſarum rerum põdere onuſtis fugientibus, interrogatus: quid ita nil ex bonis ſuis ſecũ ferret. Ego certe inquit bona omnia mea mecũ porto. Pectore enim illa geſtabat: non humeris: nec oculis viſenda, ſed animo æſtimanda, quæ domicilio mentis incluſa, manibus mortalium lebefactari nequeunt, & vt manentibus præſto ſunt, ita fugientes non deſerunt.

Idem Byas Prienæus aiebat, ita oportere hominibus in vſum amicitię verſari, vt meminiſſent eam ad graues inimicitias poſſe conuerti.

De Daniele Propheta.

Cap. CXXI.

Ex hiſtoria ſcholaſtica. Temporibus his prophetauit Daniel in Chaldæa, qui ſecundum Ioſephum & Epiphanium fuit de ſemine Regio Iudæ, ſecundum 70. vero interpretes Sacerdos de tribu Leui, fuitque adeo caſtus, vt à contribulibus ſuis Spado putaretur. Hic apud Nabuchodonoſorem honoratus, ſuper omnes prouincias Babylonis, & ſuper cunctos ſapientes principatum meruit, pro tribus quoque ſocijs ſuis ſuper prouincias principatum obtinuit. Quibus videlicet pueris de camino ignis diuinitus liberatis, Rex, Dei potentiam prædicauit. Et ne à quoquam blaſphemaretur, edictum propoſuit. Epiſtolam quoque ſcripſit in vniuerſo regno ſuo, poſtquam de beſtia in hominem, & in regnum eſt reſtitutus, in qua prædicauit mirabilia quæ fecerat apud illum Deus excelſus. Cuius epiſtolæ formam Daniel operi ſuo interſerit, vbi dicit, Ego Nabuchodonoſor florens &c. Teſtatur autem Epiphanius, quod non ſit paſſus corporis mutationem, ſed mentis alienationem, & eſt ablatus ei vſus linguæ ad loquendũ. Dataq; eſt herba naturæ cibus humanæ: videbaturque ei quod Bos eſſet in anterioribus, & Leo in poſterioribus: ſecundum myſterium tyrannorum, qui in prima ætate voluptatibus dediti ac ceruicoſi iugo Belial ſe ſubijciunt: & in fine interficiunt, diripiunt & conculcant. Multi vero egrediebantur, & videbant eum: Solus Daniel non exibat, quia toto tempore alienationis eius, orationi pro eo vacabat, & ad preces eius anni 7. quos totidem tempora dixerat, in ſeptem menſes verſi ſunt, in quibus quadraginta diebus inſaniam patiebatur: & per alios quadraginta reuerſus ad cor hominis flebat: Deoque ſupplicabat, adeo vt oculi eius caro fierent. Et iterũ per alios quadraginta dies in inſaniam vertebatur: donec ſeptem menſes complerentur, poſt quos reuocatus eſt, ſed non ſtatim regnauit: ſed pro eo ſtatuti ſunt prouinciæ ſeptem iudices, & vſque ad finem ſeptem annorum pœnitentiam egit: panem non comedens, & vinum non bibens: leguminibus vtebatur, & herbis iuxta conſilium Danielis: & cum iterum regnaſſet: Danielem filiorum ſuorum cohæredem facere voluit: Qui ait: Abſit vt hæreditatem patrum relinquam, & incircunciſorum donis adhæream. Hic dicit Ioſephus, quod ipſe libros Hębraicos in Latinum tranſtulit eloquium. Hiſtoriam Suſannæ patet eſſe factam adhuc recenti captiuitate, quia Daniel adhuc erat iuuenis, qui perſeuerauerat vſque ad annum primum Cyri regis.

Daniel cum ſocijs ad honores euectus.

Nabuchodonoſor in beſtiam verſus.

Daniel regnum & imperium recuſat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER TERTIVS.

De initio regni Cyri apud Perſas.

CAP. I.

EVSEBIVS. Anno captiuitatis 30. Cyrus Medorum imperium deſtruxit, ſubuerſoque Rege eorum Aſtyage regnũ ad Perſas tranſtulit. Cæpit igitur anno ętatis quintę 31. mundi vero 3394. Et regnauit an. 30. 3394.

Comeſtor ſuper Danielem cap. 17. Ipſe fuit nepos Darij ex ſorore: nepos autem Aſtyagis ex filia. Nam Aſtyages vnicam habuit filiam, & vidit ſomnium: quod de genitalibus filiæ oriebatur vitis, quæ totam occupabat Aſiam, & accepit à coniectoribus ſe habiturum Nepotem ex filia, qui dominus eſſet Aſiæ, & ipſum deijceret de regno. Quod timens dedit filiam ſuam vxorem militi plebeio, ne filius ex ea naſceretur nobilis, & potens, præterea filiam prægnantem aſciuit, & natum ex eo filium * cuidam participi Arcanorum regis tradidit occidendum, qui credens regnum tranſiturum ad filiam, filium ipſius veritus eſt occidere, & vni de paſtoribus Regis tradidit paruulum exponendum in nemore, qui cum expoſuiſſet eum, & id indicaſſet vxori, quæ in diebus illis pepererat ſupplicauit ei mulier, vt ei paruulum deferret alendum, & proprium pro eo exponeret, cumque paſtor rediſſet ad puerum, inuenit canem ei præbentem vbera & à feris eum & auibus defendentem. Cunque tuliſſet eum ad vxorem alluſit ei tanquam diu notæ vocauitque puerum Spartacum id eſt catulum, Spartos enim Perſicè canem ſonat, qui cum eſſet grandiuſculus, à pueris ludentibus factus eſt Rex eorum & contumaces & inobedientes ſibi graniter affligebat. Quod graniter ferentes patres eorum, verbum detulerunt ad Regem de filio paſtoris. Quem cum aduocaſſet rex, & argueret eum, quod pueros plagaſſet, ille intrepidus ſe vt regem feciſſe reſpondit, & admiratus rex, & quædam ſigna generis ſui in eo deprehendens, aſcito paſtore, ſecretius veritatem rei agnouit, veruntamen timor eius de nepote mitigatus eſt, æſtimans quod verbum coniectorum de regno impletum eſſet in regno puerorum, & eidem, cui prius cõmiſerat occidendũ, cõmiſit alendũ, nõ indicans tamen eſſe, niſi filium paſtoris. Filium quidem illius Secretarij ſui clãculo dedit patri ad cõmedẽdum, quia non obedierat ori eius, & poſt ipſum indicauit ei. Factum eſt autem vt Aſtiages traderet exercitum illi ſecretario ad hoſtes expugnandos. Ipſe vero reſidebat in prouincia Media. Porro ille non immemor maleficij Regis, perſuaſit exercitui vt Spartacum regem Perſidis ſibi eligerent. Et cognominauit eum Cyrum quod interpretatur hæres, quaſi diceret licet reluctetur Aſtyages, hic eſt hæres, quo facto, timens Aſtyages Darium conſobrinum adoptauit ſibi in filium, & collecto exercitu, congreſſus eſt aduerſus Cyrum, & fugerunt Perſæ, vxores autem eorum & matres egreſſæ ſunt ad eos & detectis ſui partibus anterioribus, aiebant vultis ne introire in vteros matrum & renaſci; hoc pudore excitati Perſæ acriter redierunt in hoſtes & victus eſt Aſtyages. Cyrus autem magis exhibuit ſe illi nepotem quam, victorem nam regnum Hyrcanorum conceſſit ei, Dario vero tanquam fratri matris ſuæ tradidit regnum Medorum, tamen ſub certa ſpe reuertendi ad ipſum.

Perſarum mulierum fortitudo.

* *Cyrus natus traditur Harpago occidendus.*

Aſtyagis ſcelus nefandum.

De Æſopo & fabulis eius, moraliter fictis contra calumnioſos, & inſidioſos, cupidos, & incautos.

CAP. II.

E*VſEbius & Author.* Anno regni Cyri primo Æſopus à Delphis interimitur. Extant Æſopi fabulæ elegantes & famoſæ, quas Romulus quidam de Græco in Latinum tranſtulit; & ad filium ſuum Tyberinum dirigit ita ſcribens. De ciuitate Attica. Æſopus quidam homo Græcus, & ingenioſus; famulos ſuos docet quid obſeruare debeant homines. Et vt vitam hominum oſtendat & mores; inducit Aues & Beſtias, & Arbores loquentes probanda cuiuſlibet fabula, id ego Romulus tranſtuli de Græco ſermone in Latinum. Si autem legas Tyberine fili, & pleno animo aduertas, inuenies appoſita ioca, quę tibi miſceant riſum, & acuant ſatis ingenium, verbigratia.

Contra calumnioſos fingit, quod Agnus & Lupus ſitientes ad riuulum è diuerſo venerunt, ſurſum bibebat Lupus longeque interior Agnus. Lupus vt Agnum vidit, ſic ait turbaſti mihi aquam bibenti, Agnus patiens dixit, quomodo aquam turbaui tibi; à te, ad me decurrit, cui Lupus maledicis mihi inquit; ait ille non maledixi; Lupus vero; pater inquit, tuus multa mala mihi oſtendit, in fine autem altercationis Lupus improba voce dixit, & adhuc mihi loqueris latro, ſtatimque ſe in eum direxit, & innocenti vitam eripuit.

Calumnioſi quærunt innocenti vitam eripere.

Contra illos quoque qui aliænæ ſaluti inſidias parant, fingit quod mus vt flumen tranſiret, auxilium à Rana petijt, illa craſſum filum petens, Murem ad pedem ſibi ligauit, & natare cæpit, in medio vero flumine Rana ſe immerſit. At ille validius dum teneret vires, Miluus econtra volans Murem cum ynguibus rapuit ſimul & ranam pendentem ſuſtulit.

Qui alteri inſidias ſtruat interdum capitur ſuo proprio laqueo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qui aliena quærit quæ ſunt ipſius interdum perdit.

Præterea contra cupidos fingit, quod Canis flumen tranſiens partem carnis ore tenebat, cuius vmbram cum vidiſſet in aqua, patefecit os ſuum vt illam caperet; ſtatim eam, quã prius tenebat, fluuius tulit, & illam, quam eſſe ſub aqua putabat obtinere non potuit. Sic quiſquis alienum quærit, dum plus vult, ſuum perdit.

Item contra illos, qui incautè ſociantur potentibus, fingit quod Vacca & Capella id eſt parua Capra & Ouis fuerunt ſimul ſociæ cum Leone. Qui cum in ſaltibus venarentur, & Ceruum caperent, factis partibus Leo ſic ait, ego primus tollo, quia Leo. Secunda pars mea eſt, eo quod fortior vobis ſim. Tertiam vero mihi defendo, quia plus vobis cucurri. Quartam autem qui tetigerit; inimicum me habebit, ſicque totam prædam illam, ſola improbitas abſtulit.

Fabula de Lupo & Grue.

Item contra illos qui malos incautè iuuant, fabulam componit, dicens. Oſſa dum Lupus deuoraret vnum ex illis tranſuerſum grauiter in faucibus hæſit, Lupus illum magno precio, qui hoc malum extraheret, inuitauit. Rogabat Grus longo collo vt medicinam præſtaret Lupo; id egit, vt caput mitteret, & malum de faucibus extraheret. Sanato Lupo grus ſibi reddi promiſſa præmia petijt, & Lupus ait. O iniuria! meis virtutibus ingrata eſt illa Grus, quæ caput incolumis extulit, non vexatum dẽte noſtro, & adhuc mercedem ſibi poſtulat.

De eiſdem contra vane glorioſos, ſuperbos, præſumptuoſos, Contemptores.

Cap. III.

De coruo & vulpe.

ITem contra illos qui laudanti, verbis ſubdolis gaudent, & poſtea pœnitent, hanc fabulam fingit. Cum de feneſtra Coruus, occaſione caſeum raperet, altam arborem ſuperſedit. Vulpes & hunc vidit; decontra ſic ait. O Corue, quis ſimilis tibi, & pennarum tuarum quã magnus eſt nitor, qualis decor eſſet, ſi vocem claram habuiſſes; nulla prior auis fuiſſet. At ille dum placere voluit, & vocem ſuam validius oſtendere, ſurſum clamauit, & ore patefacto; caſeum, oblitus, deiecit. Quem celeriter doloſa Vulpes auidius rapuit. Tunc ſtupens coruus ingemuit, ac deceptum pœnituit.

De leone.

Fingit etiam idem fabulam; homines in dignitate manſuetos eſſe, commonentem hoc modo. Annis defectus & viribus Leo cum grauatus iaceret, ſpiritum extremum trahens; Aper ad eum venit, iratus, ſpumans fulmineis dentibus, & ictum veterem vendicauit. Taurus etiam cornibus hoſtile corpus Leonis confodit. Aſinus quoque feram vt ſic vidit, calcibus illi frontem aperuit, & ille cum gemitu ſuſpirans ſic dixiſſe fertur. Cum eſſet virtus mea, fuit honor, fuit timor, vt omnes viſione mea fugerent, & opinio ipſa terreret plures. Quos autem beneuolus non læſi, quibus & auxiliator fui, ipſi malignantur mihi, & quia ſum ſine viribus, nullus eſt honor priſtinus.

De Aſino & Catello.

Item contra illos, qui indecenter ad officia meliora reddenda indigni ſe ingerunt, hanc quoque fingit. Aſinus quotidie videbat Catello blandiri dominum, & de menſa eius ſaturari, & familiam illi largiri plura. Sicque dixiſſe Aſinus fertur. Si animal immundiſſimum ſic diligit dominus meus ita & familia, quantum me, ſi obſequium illi fecero, plus enim melior ſum cane, qui in pluribus rebus ſum vtilis, aquis è fontibus alor, cibus mundus mihi datur, melior ſum Catello, meliori vita frui poſſum, & maximum honorem habere. Cum hoc Aſinus ſecum cogitaſſet, vidit dominum introire, occurrit velocius, clamans proſiluit, & ſuperſtetit, leuans pedes priores, impoſuit ambos humeris domini ſui, lingua eum lingens, linijt, & maculans veſtes fatigat dominum pondere ſuo. Clamore autem domini concitatur omnis familia, fuſtes & lapides arripiunt, Aſinum faciunt debilem, membris, coſtiſque fractis, ſic abijciunt ad præſepia, laſſum, atque ſemiuiuum.

De Leone & Mure.

Item ad exhortandum, ne quis minimos lędat, fingit quod dormiente leone in ſilua, Mures agrarij luxuriabantur, & vnus ex illis ſuper Leonem caſu tranſiuit. Expergefactus Leo celeri manu miſerum Murem comprehendit, qui veniam ſibi dari rogabat, quia non ſponte fecerat. Leo vero de Mure cogitat, vindictę quid eſſet in tali, ſi eum occideret, crimenque illi non gloria laudis eſſet. Ignouit igitur & dimiſit, poſt paucos dies ipſe in laqueos cecidit, qui vt ſe captum agnouit, magno dolore rugire cæpit; Mus autem vt agnouit, ad eum cucurrit, & re cognita, non eſt inquit iam quod tu timeas, parem gratiam reddam tibi non immemor beneficij. Tũc omnes artis illius ligaturas luſtrare cæpit, & loca rodendã cognoſcens neruos ſecare dentibus & artis illius ingenia laxare cæpit, ſicque Leonem captum liberum reſtituit.

Item de eodem contra Guloſos, timidos, puſillanimes, arrogantes.

Cap. IIII.

De Cane & Fure.

COntra guloſos qui ad vnum prandium rem ſuam perdunt, hoc quoque componit. Nocturnus quidam fur cum panem Cani immitteret, Canis ait, panis tuus non pro gratia datur, tu ideo das, vt me lædas, ſi modo panem mihi porrigas, nunquid poſtea daturus es mihi cum fame victus fuero, non præſentem tantum vitam volo, ſed futuram prouideo. Nolo igitur fauces meas pane claudas ſed niſi receſſeris; ipſe contra te latrabo, dominum ac familiam ſuſcitabo, furemque illis nunciabo.

De monte parturiente. Parturient montes naſcetur ridiculus mus.

Item contra illos, qui vanis rumoribus nimis terrentur, ſic fingit. Quidam mons parturiebat, & gemitus magnos dabat, omnis natio vt audiuit timuit, cunctiſque perturbatis nullus ſui memor erat, mons ille tandem peperit Murem, huius fama volat, & quod malum putabant in nihilum omnibus venit, quos timor inuaſerat.

De timidis leporibus.

Item contra illos qui nimis puſillanimes ſtatum ſuum ferre non poſſunt; ſic componit. Cum ſtrepitus magnus ad Lepores veniret, ſubito conſilium inierunt, vt ſe præcipitarent propter aſſiduos metus. At vbi ad oram fluminis venerunt, Ranæ multæ, quæ ibi erant, expauerunt & in fluuiũ ſe iactauerunt, cum hoc viderunt lepores, vnus illorum inquit. Sunt enim & alii timentes, ſequamur vitam, vt cæteri, feramus ſi quid accederit, neque erit toto tempore malum. Quiſquis ergo malum tolerare non poteſt aliorum mala inſpiciat.

De Graculo nimis gloriante.

Item ne quis de alienis bonis magnum ſe iactet exhortatur, fingens quod Gracculus pennas pauonũ quæ ceciderant ſuſtulit, & inde ſe ornauit ſuoſque contemnere cæpit, & gregi ſe Pauonum miſcuit. At illi ignoto & impudenti pennas iniurioſe eripiunt, calcibus eum ac morſibus fatigant. Miſerque ſemiuiuus ab eis relictus, ad proprium genus redire timuit, vbi cum eſſet ornatus multos iniurioſe terruit, tunc vnus ex eis ait illi, ſi veſtes tuas, quas natura dedit amaſſes, hæc tibi ſufficerent, nec ab illis iniuriam paſſus, nec à nobis pulſus fuiſſes.

De ceruo.

Item contra eos qui laudant ſibi inutilia, & vituperant vtilia. Ceruus de fonte bibens ſua Cornua magna vt vidit, nimium laudare cæpit, crura tenuia vituperauit. Quod cum faceret venatorum voces, ac repente latrare Canes audiens fuga per campum euaſit. At vbi eum ſilua ſuſcepit, magnitudo illa cornuum venantibus eum retinuit. Tunc mortem ſuam videns ait. Quæ mihi vtilia erant vituperaui, & deceptuoſa laudaui.

De Formica & Muſca.

Item contra eos qui ſe contentioſè laudant. Formica & Muſca contendebant acriter quæ melior earum eſſet, muſca ait. Nunquid te noſtris potes comparare laudibus? vbi immolantur exta, prima guſto. In capite Regis ſedeo, & omnibus Matronis oſcula dulcia figo, de quibus rebus tu nihil facis. Formica ait, contra te hoc tu dixeris, improba peſtis, laudas importunitatem tuam. Nunquid optata venis? reges & Matronas quos nominas tu importuna adis, & tua omnia eſſe dicis, cum vbi accedis fugaris & vndique quaſi iniurioſa abigeris: Æſtate vales, bruma non appares. Ego vero delitioſa Hye-

me

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

me ſum ſecura, meque ſequentur gaudia. Tu vero ventoſa flabello pelleris ſordida.

De eodem contra ſuperbos pauperes vel diuites, etiam contra infidos vel inſtabiles.

CAP. V.

De Rana. ITem contra pauperem ſuperbum: in prato quodam Rana vidit paſcentem Bouem, putabat ſe poſſe fieri talem ſi rugoſam impleret pellem, & inflans ſe, natos ſuos interrogauit, ſumne ipſa quanta Bos? dixerunt non: iterum inflauit ſe fortius, & dixit ſuis: quid modo? reſponderunt, nihil ſimile. Tertio cum ſe inflaret rupta pelle mortua eſt, ideo vulgo dicitur, noli te inflare ne crepes.

De Equo ornato aureo frano. Item vt qui fælices ſe æſtimant nulli iniuriam faciant, dubiamque meminerint eſſe fortunæ rotam, Equus quidem ornatus fræno ex argento & auro, ſellaq; decora occurrit Aſino in anguſto de longe venienti & onuſto, & quia illi tranſeunti tardius dederat viam, eo quod itinere laſſus erat, dixit Equus. Niſi me ſatis continerem, te calcibus rumperem, qui obuianti mihi non ceſſiſti, aut ſtetiſti vt tranſirem. Terrore igitur & ſuperbia illius tacuit, & ingemuit miſer Aſellus: nec multo poſt, equus currendo ruptus, ac macer effectus, iuſſu domini ſui ad villam ductus eſt, vt agris portaret ſtercus; acceptiſque ruſticis ornamentis per ſemitam ibat onuſtus, quem tam infelicem; in prato paſcens, ille cognouit Aſellus; talique ſono increpauit, quid tibi profuerunt illa precioſa ornamenta, vt talem haberes audaciam? nunc & tu noſtris vtere nobiſcum ruſtitijs officijs.

De Veſpertilione. Item contra illos qui à ſuis infideliter tranſeunt ad alienos. Quadrupedes cum auibus bellum gerebant, nullaque pars alij cedebat, ſed fortiter ac diu pugnabant, ac Veſpertilio dubius, & graues euentus timens, quia ſuperior erat, & magna acies quadrupedum, contulit ſe ad eoſdem, quaſi cum vincentibus. Subito veniens Aquila volucribus ſe miſcuit, & cedentibus quadrupedibus, victoria Auium ſtetit, reuerſique ſunt ad priſtinam pacem Aues, & quadrupedes. Veſpertilio igitur Auium ſententia damnatus eo quod ſuos reliquiſſet, plumis ſuis expoliatus eſt vt lucem fugiens noctibus nudus volaret, ſic qui ſe duabus partibus obnoxium commiſit, hic & illic ingratus viuit, & ſibi potius reus erit.

Item contra inſidioſos & imprudentes & libertatis ſuæ venditores.

CAP. VI.

De Accipitre & Lucinia. ITem contra inſidioſos. In nido Luciniæ cum accipiter ſederet, vt ſpecularetur auras, paruos illic pullos inuenit, Lucinia cito ſuperuenit, & rogabat parcere pullis ſuis, faciam inquit quod vis, ſi bene mihi cantaueris, at illa quamuis animus exciderit, tanto metu coacta pauens & dolore plena cantauit. Accipiter qui prædam inuenerat, non bene cantaſti inquit, prendiditque vnum de pullis ſuis & deuorare cæpit, è diuerſo autem. Auceps quidam venit & calamo lento leuans accipitrem viſco contractum in terram ſtrauit, ſic qui alij inſidiatur timere debet ne capiatur.

De ſecuri. Item ne quis hoſti arma præſtet: Securis cum facta eſſet, homo poſtulabat ab arboribus vt illi manubrium darent de ligno, quod firmum eſſet. Quo facto, homo manubrium ſumpſit, & aptata ſecuri, ramos ac robora magna & omnia quæ voluit incidit. Tunc Fraxino Quercus ait, digne & bene patimur, qui roganti hoſti noſtro, vt cæci manubria dedimus; ideo quis ante cogitet ne hoſti aliquid præſtet.

De Cane & Lupo. Item ad commendationem libertatis fingit, quod Canis, & Lupus in ſilua dum conuenirent, ait Lupus Cani; vnde frater ſic nitidus & pinguis es? Qui reſpondit, quia domi cuſtos ſum contra latrones. Affertur mihi panis, dat dominus oſſa, amat me tota familia, quiſque mihi cibum porrigit, aqua non deeſt, ſub tectis cubo, & ſic ocioſus vitam gero. Cui Lupus, bene inquit frater, vellem mihi iſta contingerent vt ocioſus ſaturarer cibo, & melior viuerem ſub tecto, Canis ait Lupo: Si vis eſſe tibi bene, veni mecum, noli timere. Cumque ſimul ambularent, vidit lupus canis collum catena tritum, & ait, quid hoc eſt frater; quod iugum attriuit collum tuum? & Canis, quia ſum inquit acrior, interdum ligor, nocte ſoluor, inter domos vagor, & vbi volo illic dormio. Cui Lupus. Non eſt ait opus mihi iſtis frui, quæ laudaſti, viuere volo liber, quodcumque venerit mihi rapio; liber vbi volo peragro. In eo quod placet nulla catena me tenet, nulla me impedit cauſa; viæ mihi patent in campo, de grege prius guſto, canes ingenio deludo, viue vt conſueuiſti, ego vt conſueui ita viuo.

Item contra inuidos, pigros, & auaros, ignaros, iactantes, & adulatorum fautores.

CAP. VII.

De Ventre & ignauis manibus. ITem contra pigros, qui laborare nolunt fingit, indignatas manus & pedes ventri cibum dare noluiſſe, eo quod ſine vllo labore repleatur, illoque ſedente ocioſo contra eum indignantes laborare noluerunt, & ei ſeruitium negauerunt. Venter eſuriens, clamabat. At illi, per paucos dies nihil dare voluerunt. Ieiuno autem ventre, membra omnia laſſauerunt, poſtea vero cibum dare volentes, recuſat venter, quia iam clauſerat vias ſicque membra & venter ſimul laſſa interierunt.

De Simia & vulpe. Item contra inuidiam & auaritiam fingit, quod Simia Vulpem rogauit, vt de magnitudine caudæ ſibi daret, vnde nates ſuas turpiſſimas tegeret. Quid enim inquit vtile, vt ſit pondus ſine cauſa tantæ longitudinis caudæ quam per terram trahis. Cui vulpes ait, longior fiat & maior vt per terram illam traham, ſiue per petras & ſpinas & lutum, ne tu meo tegmine pulchrior videaris, locuples, inquit, & auare, te nunc fabula increpat, quòd non das quod tibi ſuperat.

De Aſello & negociatore. Item contra illos qui tædio victi, & labore, mortem deſiderant. Quidam negociator fuit in via qui onuſtum Aſellum flagello & fuſte cædebat, vt veniret citius ad nundinas, lucri cauſa. Aſellus autem mortem optabat, putans ſe poſt eſſe ſecurum; laſſatus & quaſſatus; de illius pelle fiunt tympana, & cribra quæ ſemper baculantur, & qui putabat ſe fore ſecurum, poſt mortem cæditur.

De vulpe. Item contra illos qui quod facere non poſſunt, verbis tamen ſe poſſe & velle oſtendunt, fame coacta vulpes vuam ſurſum aſpexit pendentem & alto gradu ſe excutiens, quotiens hoc voluit attingere ſurſum, non potuit. *Vulpes non cupit vuas.* Tandem irata nolo te acerbam & immaturam inquit, & quaſi eam tangere nolens, abijt.

De homine vero & fallaci. Item contra Adulatores & eorum fautores. Duo homines, vnus fallax, & alter verax, cum ambularent, venerunt in prouinciam Symiorum, quos vt vidit vnus eorum qui ſe priorem alijs conſtituerat; iuſſit homines illos teneri, & quid de ipſo dixiſſent interrogari. Iuſſit quoque omnes Symios ſibi ſimiles ante ſe, & dextra, læuaque aſtare, ſibiq; ſedem contra parari, ſicut viderat imperatorem aliquando facere. Iubentur ergo homines illi in medium adduci. Dixitque maior ille Symius. Quid ſum ego? fallax ait, tu es Imperator. Et iterum ille. Et qui iſti quos ante me vides ſtare. Qui reſpondit, hi ſunt comites tui primicerij milites, & cæteri officiales. Ille ergo in mendacio laudatus eſt, & munerari iuſſus, quia adulatus eſt, & omnes illos fefellit. Ille autem verax homo hoc apud ſe aiebat. Si iſte qui mendax eſt ſic eſt acceptus & muneratus, ego quid ſi verum dixero? Interrogatus ergo ab illo Simio, dic tu quid ſum ego, & hi quos ante me vides? ille qui veritatem amabat, reſpondit. Tu Simius es & omnes hi Simij ſũt ſimiles tibi. Continuo iubetur lacerari dentibus & vnguibus, quia quod verum eſt, dixit; hoc modo fieri ſolet à malis hominibus vt fallacia & malitia ametur, & honeſtas & veritas laceretur.

Item contra arrogantes & pigros, & qualiter huiusmodi fabulis vtendum sit.

CAP. VIII.

De Asino & Leone.

ITem contra illos qui virtute nihil facere valent, & verbis inanibus alios terrent. Asinus è diuerso Leoni occurrit,& sic ait,ascendamus in cacumen montis & ostendam tibi, quia & multi me timent. Leo ridens ait. Eamus. Cumque venirent ad locum, stans Asellus in edito loco voce dimissa, clamare cæpit, quem audientes Vulpes & Lepores currere cæperunt,cui Leo ait,poterat & me terrere vox tua,si non te scirem quis esses.

De Leone.

Item contra illos qui domos potentum facile intrant. Leo iam deficiens, languorem fingebat,& per hanc fallaciam, cum cæteræ bestiæ ad visitandum eum introirent, mox eas comedebat. Vulpes autem ante speluncam veniens stetit, & salutauit eum, interrogata autem à Leone. Quare non intrasti? Respondit quoniam introeuntium vestigia video,exeuntium autem nonvideo.

De Formica.

Item contra pigros: Formica hyeme frumentum ex cauerna trahens siccabat, quod æstate colligens coagulauerat: Cicada autem eam rogabat esuriens, vt daret aliquid illi de cibo, vt viueret. Cui formica: Quid faciebas inquit in æstate? At illa; non mihi vacabat, per sepes oberrabam cantando. Formica igitur ridens, & frumentum includens ait: Si æstate cantasti; hyeme salta; hæc fabula pigrum docet, vt certo tempore laboret, ne dum minus habuerit non accipiat, cum petierit.

Author. Hæc de fabulis Æsopi excerpere volui,quas & si forte plerumque liceat in sermonibus publicis recitare, quod & nonnulli prudentium faciunt propter audientium tædia releuanda, qui talibus delectantur,simul & propter integumenta subiuncta quæ aliquid ædificationis habere videntur: nunquam tamen, nisi cautè & parce id æstimo faciendum, ne qui verbis sacris ad luctum pœnitentiæ, deique deuotionem prouocari debent, ipsi per huiusmodi nugas in risum magis atque lasciuiam dissoluantur: Simul etiam ne ad narrandas fabulas quasi licenter, exemplo prædicantium malè informentur.

Cæterum vtrum Æsopus ipse sit ille quem Eusebius à Delphis anno primo Cyri peremptum esse testatur: An forsitan alius? incertum habeo. Nunc autem ad historiam redeo.

De chronica regni Persarum.

CAP. IX.

A 16. anno Iosiæ vsque ad annum primum Cyri computantur anni 70. quos quidam computant in captiuitate Iudaica. Sciendum quoque quod ab anno 4. Ioatham vsque ad annum primum Cyri computari annos 200. & 10. Tantum autem temporis dicit Iosephus Isaiam de Cyro antequam regnaret prophetasse. Vnde videtur anno 4. Ioathan velle dixisse Isaiam scripsisse, hæc dicit dominus Christo meo Cyro.

Principium regni Persarum.

Persarum itaque primus rex Cyrus regnauit annis 30. secundus Cambyses regnauit annis 8. Hunc secundum Nabuchodonosorem aiunt vocari, sub quo historia Iudith conscribitur. Post hunc duo fratres regnauerunt mensibus 7. post quos Darius filius Hystaspis 36. annis. Quintus Xerxes 20. sextus Artabanus mensibus 7. Septimus Artaxerxes Longimanus annis 40. octauus Xerxes secundus mensibus duobus,nonus Sogdianus annis 8. Decimus Darius Nothus an. 19. Vndecimus Artaxerxes qui & Assuerus sub quo historia Hesther expleta videtur 40. Duodecimus Artaxerxes qui & Ochus 26. Tertiusdecimus Arses, Ochi filius 4. Quartusdecimus Darius Arsami filius 6. Quo Alexander rex Macedonum interfecto,obtinuit Babylonem, & sic regnum Persarum destructum est, hæc de Chronicis Eusebij breuiter excerpsi,nunc autem prosequar historiam Cyri.

Nomina eorum qui Persis regnauerunt.

Qualiter Cyrus & Darius obsederunt Babylonem.

CAP. X.

BAbylonem quidem, primo anno Cyri regis, fuisse captam videtur velle Danielis historia: dicens: Fuit autem Daniel vsque ad primum annum, Cyri regis: & iterum. Porro Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnumque Cyri Persæ; super quem locum dicit Hieronymus, ergo quod supra in fine primæ visionis legimus. Fuit autem Daniel vsque ad primum annum regis Cyri; non vitæ illius tempus accipiendum est: Siquidem in vltima visione legimus: anno tertio Cyri regis Persarum, verbum reuelatum est Danieli. Sed hoc significatur, quod vsque ad annum primum Cyri regis qui Chaldæorum destruxit imperium, Daniel potens fuerit in Chaldæa, postea vero à Dario in Medos translatus est.

Comestor cap. 8. super Danielem. Factum est igitur vt Cyrus & Darius obsiderent Balthasar in Babylone. Balthasar autem fecit grande conuiuium optimatibus suis 1000. & fecit vt afferrentur vasa quæ asportauerat Nabuchodonosor Auus suus de templo domini, & bibebant in eis Rex & Optimates, & vxores & concubinæ eius, & laudabant Deos suos. Secundum Iosephum solemnitas erat in Babylone ob tuitionem vrbis. Fabulantur Hebræi quod Balthasar intellexerat 70. annos captiuitatis (quos Hieremias prædixerat) fluxisse, & tamen Hebræi non erant liberati à sua iurisdictione; vnde exultabat, & Dijs suis gratias agebat. Sane illa septuagena annorum nondum fluxerat, sed 7. decas iam currebat. In eadem hora apparuit contra eum manus scribens in pariete: *Mane, Thecel, Phares;* quod sonat numerus, appensio, diuisio, & est sensus, numerauit Deus regnum tuum, id est, compleuit; appensus es in statera, & inuentus es minus habens, id est iusto Dei iudicio, minus viues quam putabas, diuisum est regnum tuum & datum Medis & Persis. Eadem nocte capta est ciuitas & Balthasar interfectus.

Balthasar manum è pariete prominentem & syllabas quasdam scribentem vidit.

Babylon à Cyro Rege Persarum capta.

Qualiter Capta est Babylon.

CAP. XI.

Orosius lib. 2. cap. 6. Cyrus etenim cunctis contra quos erat, perdomitis, Assyrios, & Babyloniam petijt gentem, vrbemque cunctis tunc opulentiorem; sed impetus eius * Ganges fluuius, secundæ post Euphraten magnitudinis, intercepit. Nam cum vnum regiorum equitum candore, formaque excellentem, transineandi fiducia, persuasum, qua per rapacem alueum offensi vado vortices attollebantur, abreptum præcipitatumque merserunt: Rex iratus vlcisci in amnem statuit, contestans eum qui nunc equitem præclarum vorasset, fœminis vix genua tingentibus permeabilem relinquendum; nec peragendo segnior; totis copijs perpeti anno * Gangen fluuium per magnas consciscum deductumque fossas scilicet quadringentos 40. alueos comminuit.

* *Orosius habet Gyndes.*

* *Gynden*

Author. Hic est Ganges de quo dicit Martianus, quod eius latitudo vbi diffusior est, 20000. profunditas vbi validior est, pedes 100. habet; à Scythicis montibus venit. De eodem dicit Lucanus * quod solus fluuiorum contra solis ortum currit. De eodem dicit Solinus quod anguillas educat tricenos pedes longas.

* *Ostia nascenti soluit contraria Phœbo.*

Orosius vbi supra. Prædoctis quoque fossoribus, Cyrus in Euphratem longe validissimum & mediam Babyloniam interfluentem, diriuauit: ac sic meabilibus vadis siccum; etiam patentibus aluei partibus iter fecit; cœpitque vrbē, quā vel humano opere extrui posse; vel humana virtute destrui posse; vtrumq; pene incredibile

apud

* *Babylonia credebatur inuincibilis, vt pote à Nemrod gigante fundatam, a Nino vel Semiramide reparatam; multi prodidere.*

apud mortales erat.* *Denique quicquid* eſt opere vel manu factum; labi & conſumi vetuſtate; Babylon capta confirmat, cuius vt primum imperium, ac potentiſſimum extitit, ita vt primum ceſſit.

De nobilitate eiuſdem vrbis & eius ſubuerſione & de regno Darij.

CAP. XII.

Templa marmorea, platea auro fulgentes.

Hiero. ſuper Iſaiam lib. 5. cap. 14. iuxta impreſsionem Pariſienſem anno 1533. Babylonem fuiſſe potentiſſimam & in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo vſque ad angulũ muri 16. millia tenuiſſe paſſuũ. i. ſimul per circuitum 480. ſtadia, vt capitolium Babyloniæ refert Herodotus & alij multi, qui Græcas hiſtorias conſcripſerunt. Arx autem id eſt capitolium illius vrbis, eſt turris, quæ ædificata eſt poſt diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi tẽpla marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroque fulgentes; & multa alia quæ pene videntur incredibilia.

Balthaſar occiſus.

Hoc totum narrauimus vt oſtenderemus quod ad iram Dei, omnis potentia puluis ſit, & fauillæ, & cineri, comparetur. Si liceret introire Barbaras nationes, & videre tantæ vrbis extrema veſtigia, videremus poſſeſſionem Hericij & paludes aquarum, & vere completum eſſe, quod Iſaiæ vocibus canitur: *Scopabo eam in ſcopa terens.* Exceptis enim muris coctilibus, qui propter beſtias concludendas poſt annos plurimos inſtaurati ſunt; omne in medio ſpacium ſolitudo eſt.

Comeſtor cap. 8. ſuper Danielem. Igitur Cyrus diuiſerat Euphraten longe à ciuitate per plures riuos, vt alueum, qui in ciuitate fluebat vadabilem faceret: Et per ipſum ingreſſi ſunt hoſtes in ciuitatem ſub muro, & interfectus eſt Balthaſar, & ſucceſſit ei Darius in regnum, annos natus* 40. duos nam & *Cyrus ei tanquam maiori* in omnibus honorem deferebat. Quod autem eadem nocte viſionis capta eſt ciuitas; apparet in *Iſaia qui loquens ad Balthaſar*, ait, pone menſam, contemplare &c. *Quidam vero tradunt quod mater Balthaſar* pro qua factus eſt hortus ſuſpenſilis, filia fuit Darij, & quia Balthaſar filium non habebat, feſtinabat Darius occupare regnũ Babylonis.

* *alij libri habent annos natus 72 & alij 62.*

Daniel in leonum foueam conijcitur; ſed illæſus egreditur.

Porro Daniel à Dario ductus in Mediam. Erat factus vnus de ſatrapis qui præerant 120. ſed in Daniele ſpiritus Dei amplior erat, & cogitabat eum Rex conſtituere ſuper omne regnum, vnde principes inuidebant ei, & accuſatus ab eis, per manum Dei, de manu leonum illæſus euaſit.

Qualiter per Cyrum relaxata eſt captiuitas Iudæorum.

CAP. XIII.

Comeſtor cap. 10. Oratio Danielis.

ANno autem Darij primo, intelligens Daniel in libris Hieremiæ, vt complerentur id eſt ad completionem venirent deſolationis Hieruſalem anni 70. orauit dominum in ieiunijs, & ſacco, & cinere, dicens. Iuſtus es domine, peccauimus, auertatur obſecro ira tua: Oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum quod deſertum eſt: Adhuc eo loquente, ecce vir Gabriel, tetigit eum tempore ſacrificij veſpertini, & aperuit ei liberationem ſpiritualem futuram per Chriſtum; & forte imminentem, pro qua orabat: addidit etiam deſtructionem per Romanos futuram.

Comeſtor cap. 11.

Anno itaque Darij primo Daniel orauit dominum, vt Darius & Cyrus liberarent populum ſuum, & data eſt ſententia de licentia redeundi danda; quam egreſſam à domino nunciauit Gabriel Danieli. Ex tunc Darius diſponebat de libertate & licentia danda Hebræis, ſed præuentus morte, non impleuit. Poſt mortem vero Darij, Cyrus Monarchiam tenuit orientis. Cuius ſedem poſuit apud Perſas, licet regnum Medorum maius eſſet, & honorabilius, eo quod Perſæ eum in regem ſublimauerant. Itaque cum vniuerſum regnum deuolutum eſſet ad eum in huius anni regno primo ſuſcitauit dominus ſpiritum eius, vt impleretur verbum Hieremiæ & dedit libertatẽ omnibus Iudæis, qui erãt in vniuerſo regno ſuo, & licentiã redeundi in Iudæã; & ædificandi domum domini, excitatus autem fuit ex verbis Iſaiæ; qui ante 200. & 10. annos ſcripſerat, dominum de ipſo dicentem, Chriſto meo Cyro cuius apprehendendi dexteram ſubijciam gentes & regna, & ipſe reędificabit domum meam in Hieruſalem. Vt ergo hanc veriferam ſcripturam impleret, etiam ſcriptura libertatis & licentiæ traduxit in vniuerſum regnum ſuum dicens, omnia regna terræ dedit mihi dominus Deus cæli, credo hunc eſſe quem gens Iſrael adorat. In hac epiſtola hortatus eſt etiam Iudæos, vt aſcenderent in Iudæam, & qui nollent aſcendere, iuuarent aſcendentes in pecunia, veſtibus, & iumentis. Ipſi vero, quia fere omnes nati erant in Chaldæa, & poſſeſſiones habebant ibi; eligebant remanere in terra natiuitatis ſuæ, pauci vero, qui aſcendere diſponebant, pigri erant, & moroſi vſque ad tertium annum Cyri. Quod attendens Daniel vehementius affligebatur dolore, quam prius, & orabat dominum, vt qui prius dederat regibus animum liberandi, daret ei, & populo, animum redeundi.

Cyrus Iudæis reditum in patriam, vrbis & templi ædificationem permittit.

Cyri Perſarum Regis edictum.

Quod Angeli prouinciales Perſarum & Græcorum impediebant reditum captiuorum.

CAP. XIIII.

FActum eſt ergo tertio anno regni Cyri, prima die menſis primi, lugebat Daniel trium hebdomadarum diebus;* die autem 24. dum eſſet iuxta fluuium Tigris, vidit & ecce vir veſtitus lineis, accinctus zona aurea; cuius facies quaſi fulgor, oculi vt lampades; & ſermo eius quaſi vox multitudinis. Porro viri, qui erant cum eo, territi fugerunt, & ſolus vidit viſionem, & corruit in faciem ſuam. Sed vir ille acceſſit & erigens eum & confortans, ait. Noli timere Daniel, quia ex die primo menſis, quo poſuiſti cor tuum, vt te affligeres coram Deo; exaudita ſunt verba tua, & egreſſa eſt ſententia à Deo de reditu populi; & eadem die volui ad te venire, vt nunciarem tibi: Sed princeps regni Perſarum reſtitit mihi 20. diebus & vno. Cumque tunc egrederer apparuit princeps Græcorum veniens vt aduerſaretur principi Perſarum & mihi, & aliquantulam feci moram, & nunc venio, vt certificem te de reditu populi, & in his nemo eſt mihi adiutor, niſi Michael princeps veſter, hos duos principes Græcorum, & Perſarum, dicit Hieronymus Angelos malos fuiſſe, qui appoſiti ſunt regnis illis in exercitium. Laborabat itaque Angelus Perſarum, ne Hebræi liberarentur à dominio Perſarum; tum quia delectabatur afflictionibus eorum, tum vt Perſæ diutius affligentes eos grauius peccarent: laborabat etiam Angelus Græcorum vt Perſæ, & captiuitas Hebræorum cum eis tranſirent in dominium Græcorum. Gregorius autem vult eos fuiſſe angelos bonos, qui ſatagebant, ne tam citò liberarentur Hebræi, vt ſi quid adhuc erat in eis purgandum, purgaretur; & decoqueretur vſque ad vnguem.

* *panem deſiderabilem non comedit, carnes & vinum non guſtauit nec vſus eſt vnguento more Perſarum.*

Viſio Danielis & ſententia egreſſa à Deo de reditu populi

Porro à primo anno Darij, orabat Daniel pro eo, vt ſtaret, & roboraretur regnum eius; & ſolicitus erat de ſucceſſoribus regni Perſarum, volens eos ſcire: de quorum manifeſtatione ſequitur 10. viſio quæ ei oſtenſa fuit.

De primo reditu ſub Zorobabel Duce.

CAP. XV.

POrro clariſſimi Iudæorum habitabant in Babylonia, id eſt, in terra Babyloniſeuerſæ. Inter eos Zacharia natus in Chaldæa iam prophetabat. Hic benedixit Salathiel in filio, vocans eum Zorobabel, quod interpretatur magiſter Babylonis quaſi dicat hic

Babylon enim propriè nomen eſt ciuitatis, Babylonia vero nomen regionis licet vnum pro altero ſæpe legatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

erit magiſter captiuitatis Babylonicæ. Ad cuius Prophetæ exhortationem primi ſurrexerunt viri Iuda vt aſcenderent in Hieruſalem; poſtea vero viri Beniamin, & Leuitæ. Idèo in tertio anno Cyri egreſſi ſunt ſub Zorobabel duce & Ieſu magno ſacerdote, adhortantibus eos Zacharia Propheta, & Aggeo iuuene, ſed nondum Propheta. Erant autem circiter 50. Millia, fuerunt autem de Iudæis 42. millia 460. Reliqui vero erant ſerui & ancillæ & homines, generis promiſcui. Et remiſit cum eis Cyrus partem vaſorum domini 5. millia & 40.

Annus relaxandæ captiuitatis.

Hic eſt annus 70. relaxandæ captiuitatis quem prædixerat Hieremias, nam & Hieronymus primum annum Cyri dicit fuiſſe ſeptimum vltimæ decadis. Itaque tertius annus Cyri fuit 70. cui conſonat Ioſephus, & hæc opinio magis certa eſt, & plurium auctoritatibus ſancita. Cui tamen Euſebius in chronicis obloqui videtur, ſecundum annum Darij filij Itaſpis dicens fuiſſe 70. ſecundum auctoritatem Zachariæ, qui ſecundo anno Darij ſcribens audiuit virum ſtantem inter mirteta dicentem. Domine exercituum, vſque quo tu non miſereberis Hieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte tamen 70. annus eſt. Videtur autem Euſebius diſtinguere inter 70. annos captiuitatis & 70. deſolationis templi dicens 70. anni captiuitatis, ſecundum quoſdam computantur ab anno Ioſiæ regis 13. ſub quo Hieremias prophetare cæpit vſque ad primum annum regis Cyri, ſecundum alios vero à tertio anno Eliachim vſque ad 20. annum Cyri. Deſolationis vero templi ſub Dario rege complentur anni 70. Clemens quoque huic congruit in primo ſtromate ſcribens; & perſeuerauit captiuitas annis 70. vſque ad ſecundum annum Darij filij Itaſpis, ſed prior opinio (vt dixi) magis certa eſt. Sola Zachariæ auctoritas nos mouet; quæ ita forte determinari poteſt, vt iam accipiatur de præterito quaſi dicat 70. annus iſte eſt notus, ſcilicet & famoſus, iam diu eſt, vel forte dictus eſt in Zacharia 70. annus non captiuitatis, ſed quintæ ætatis, quæ ſecundum Hebræos inchoauit anno 30. ante Cyri monarchiam.

De fundatione altaris, & templi, & intermiſſione operis.

Cap. XVI.

Comeſtor cap. 19. ſuper Hiſtoriam Danielis.

PORro in anno regreſſionis in Iudæam congregatus eſt populus, quaſi vir vnus in Hieruſalem, & ædificantes altare, collocaueruntque illud ſuper baſes ſuas, & obtulerunt ſuper illud holocauſta domino, mane & veſpere; feceruntque ſolemnitatem tabernaculorum; vnde vero habuerunt ignem neſcimus; niſi forte ex calculis veteris altaris excuſſerunt illum. Anno autem ſecundo, menſe ſecundo iecerunt fundamenta templi. Cumque apparuiſſent fundamenta ſuper terram, eleuauit populus vocem in iubilatione. Porro quidam Seniores qui viderant templum prius, eiulabant voce magna; nec poterat quiſquam cognoſcere clamorem lætantium, & planctum eiulantium, Porro Samaritæ indignati impediebant manus eorum. Cumque magis impedire non poſſent, dederunt munera principibus regis Perſarum qui pecunijs corrupti, vendiderunt eis negligentiam ædificationis, Cyro tamen ignorante; & adeo impedierunt eos quod in 30. annis, quibus Cyrus regnauit, non erexerunt muros templi; niſi vſque ad appodiationem.

Samaritæ ab ædificatione templi Iudæos prohibent.

Comeſtor cap. 15. ſuper hiſtoriam Danielis. Hæc verba ſumpta ſunt de libro Epiphanij epiſcopi Cypri cui in Spiritu reuelata ſunt quædam ſecreta prophetarum.

Porro de Daniele quantum ſuperuixerit poſt reditum populi in Iudæam, neſcimus, defunctus aut ſepultus eſt in ſpelunca Regali ſolus cum gloria, Hic eſt Daniel, qui dedit ſigna in montibus ſuper Babyloniam dicens, quando pars montium à Borea fumigabit, veniet finis Babylonię. Quando vero velut ignis ardebit, finis erit vniuerſæ terræ. Quando vero à parte Nothi aquæ decurrerint, reuertetur populus ad terram ſuam. Quod ſi ſanguine fluxerint, erunt homicidia Belial in vniuerſa terra.

De Cræſo Rege Lydorum & eius regno per Cyrum deſtructo.

Cap. XVII.

Regnum Lydorum deſtructum.

EVſebius in chronicis, & Author. Anno Cyri 13. Cræſus à Cyro captus eſt, & Lydorum regnum deſtructum, quod ſtetit annis 230. Hęc fuit vltima Cræſi captio, nam iam altera vice, legitur in hiſtorijs captus fuiſſe à Cyro, & ſemel, & iterum: *vnde Boetius*, Neſciebas Cræſum regem Lydorum, Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miſerandum flammis traditum, miſſo cælitus imbre defenſum? quod de ſecunda eius captione intelligendum eſt, primo enim eum captum narrant Iuſtinus, & Oroſius, ſed vita & patrimonio donatum, deinde dicit eum Iuſtinus rebellaſſe.

Cyrus ditiſſimus.

Oroſius 2. lib. Cum Cyrus Babyloniam impugnaret, ibi tunc Cręſus Rex Lydorum famoſus opibus cum ad auxiliandum Babylonijs veniſſet, victus ſolicitè in regnum refugit. Cyrus autem poſtquam Babyloniam vt hoſtis inuaſit, vt victor euertit, vt Rex diſpoſuit, bellum tranſtulit in Lydiam: vbi conterritum iam ſuperiore prælio exercitum, nullo negocio ſuperauit, Cræſum cæpit, captum, vita & matrimonio donauit.

Author. Quod autem Euſebius in chronicis ſcribit 8. anno Cyri Cræſum cõtra eum iniiſſe bellũ. De illo bello accipitnr quo poſt captam Babyloniam iam ab illo captus, & vita & patrimonio donatus, poſtea rebellauit. De qua Cyri clementia Iuſtinus ait quod non minus victori quam victo vtilis fuerit, nam ex vniuerſa Græcia cognito quod illatum Cræſo, bellum eſſet, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant. Tantus Cræſi amor apud omnes vrbes erat, paſſuruſque Cyrus graue bellum, Græciæ fuit, ſi quid in Creſo crudelius conſuluiſſet.

Cræſus ter captus & tertio crucifixus.

Alii hiſtoriographi narrant quod in ſecunda captione, iuſſit eum Cyrus rogo ſuperponi, & aſſari, & ſubito tanta pluuia facta eſt, vt eius immenſitate ignis extingueretur, vnde occaſionem repperit euadendi. Cumque poſtea hoc ſibi proſperè eueniſſe gloriaretur, & opum copia nimium ſe iactaret, dictum eſt ei à Solone quodam ſapiẽtiſſimo, non debere quemquam in diuitiis, & proſperitate gloriari. Eadem nocte vidit in ſomnis quod Iupiter eum aqua perfunderet, & ſol extergeret. Quod cum filiæ ſuæ mane indicaſſet, illa vt res ſe habebat prudenter abſoluit dicens, quod cruci eſſet affigendus & aqua perfundendus & ſole ſiccandus. Quod ita demum contigit, nam poſtea à Cyro crucifixus eſt.

Filius Cræſi mutus loquitur.

Solinus. Cum olimpiade 58. victor Cyrus intraſſet Sardis vbi tunc Cræſus latebat. Athis filius Cræſi qui ad id vſque temporis mutus erat, exclamaſſe dicitur, parce patri meo Cyre, & hominem te in caſibus diſce noſtris. Idem Solinus dicit quod oſſa Oreſtis olimpiade 58. inuenta ſunt Tegeæ à Spartanis oraculo monitis, quæ implebant longitudinem cubitorum 7.

De Tarquinio Superbo & Piſiſtrato tyranno.

Cap. XVIII.

EVſebius in chroni. Anno quoque prænotato, ſcilicet Cyri 13. Romanorum 7. Tarquinius Superbus, occiſo Seruio Socero, Romanorum arripuit imperium, & regnauit annis 35. Hic excogitauit vincula taurea, fuſtes, laotumias, carceres, exilia, metalla, compedes, & catenas. Cumque oppugnaret Ardeam cauſa Tarquinii minoris filii ſui, qui Lucretiam corruperat, regno expulſus eſt. Eo quoque tempore Piſiſtratus ſecunda vice regnauit Athenis.

Piſiſtratus tyrannidem occupat.

Iuſtinus lib. 2. Piſiſtratus quaſi ſibi non patrię, viciſſet, tyrannidem per dolum occupat. Quippe voluntariis verberibus domi affectus, laceratoque corpore

in

in publicum egreditur, aduocata concione, vulnera populo oſtendit; de crudelitate principum à quibus hæc ſe paſſum ſimulabat, conqueritur; adduntur vocibus lachrymæ: & inuidioſa oratione multitudo credula accenditur; amore plebis inuiſum ſe Senatui ſimulat: obtinet ad cuſtodiã corporis ſui ſatellitum auxilium, per quos, occupata tyrannide, per annos 33. regnauit.

Valerius in l. 8. Piſiſtratus tantum valuiſſe dicendo, dicitur, vt ei Athenienſes regni imperium oratione eius capti, permitterent: præſertim cum ècontraria parte amantiſſimus patriæ Solon niteretur.

Plutarch Apotheg.

Idem in lib. 5. Piſiſtratus Athenienſis Tyrannus; cum adoleſcens quidam amore filiæ eius virginis accenſus in publico obuiam ſibi factam oſculatus eſſet: hortante vxore vt ab eo capitale ſupplicium ſumeret: reſpõdit: ſi eos, qui nos amant, interficimus, quid illis faciemus quibus odio ſumus? Hęc vox ex ore Tyranni de humanitate manauit: In hunc itaque modum filiæ tulit iniuriam, ac multo laudabilius ſuam. Idem à Theraſippo amico inter cœnam conuitio laceratus, ita animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares ſatallitem à tyranno male audire; denique Theraſippus concitæ temulentię impetu euectus, os eius ſputo reſperſit, nec tamen illum ad ſui vindictam accendere valuit. Qui etiam filios ſuos violatæ patris ſubuenire maieſtati cupientes, retraxit: poſtero autem die Theraſippo ſupplicium à ſe voluntaria morte volente exigere, ad eum venit, dataque fide in eius amicitiam, eodem amicitiæ gradu ſe manſurum, ab incepto reuocauit.

Si nihil aliud dignũ honore vel memoria geſſiſſet iis tamen factis abunde ſe poſteritati commendaſſet.

Euſebius. Temporibus quoque Cyri Anaximenes Phiſicus agnoſcitur. Simonides clarus habetur, & Chilon qui de 7. ſapientibus fuit. Thales vero moritur.

De Nece Cyri & ſucceſsione Cambyſis qui & Nabuchodonoſor dicitur.

CAP. XIX.

Comeſtor cap. 19. *ſuper hiſtoriam Danielis.* Porro Cyrus cum percuſſiſſet Cræſum iuxta fluuium Alium, gentem Lydorum bellicoſiſſimam aſtutè redegit in concordiam. Tradidit enim ei ſolennitates & ludos, præcipiens vt luſibus, commeſationibus, & amplexibus vacarent, quaſi beneuolentiam eis oſtendens: in hunc modum eos inuitauit, & quos bello non poterat, per libidinem expugnauit, poſtea vero tranſgreſſus Araxem, à Regina Maſſagetarum Thamari victus & occiſus eſt, quæ caput illius præſciſum, in vtrem plenum ſanguine humano proijciens, inſultando dixit: ſatia te ſanguine quem ſitiſti.

Nota mulieris crudelitatem.

Cyrus occiditur.

Ex chronicis. Cyro ſucceſſit filius eius Cambyſes anno quintæ ætatis 61. mundi vero tertio milleſimo 424. * & regnauit annis 8.

** ſecundum alios vero 3434.*

Helinandus 15. *lib.* hic eſt Cambyſes qui imperio patris Ægyptum adiecit, ſed offenſis ſuperſtitionibus Ægyptiorum Apis, cæterorumque Deorum ædes dirui iuſſit. Ad Ammonis quoque nobiliſſimum templum expugnandum exercitum miſit; qui tempeſtatibus & arenarum molibus oppreſſus, interijt: hic Cambyſes adeo ſeuerus fuit, vt quendam iniuſtum iudicem excoriari fecit, & ſuper ſellam cute eius adopertam, filium Iudicis in iudicio fecerit ſedere, vt timeret iniuſtè iudicare, ne ſimile iudicium pateretur: hic Cambyſes ab ipſa natiuitate ſua legitur furioſus fuiſſe; & ortum Nili per tantum terrarum quæſiſſe, epuliſque deficientibus ci; coactus eſt carnes comedere ſuorum ſociorum: *vnde Lucanus in* 10. *lib.*

Cambyſes incipit regnare.

Veſanus in ortu
Cambyſes, longi populos peruenit ad eui,
Defectuſque epulis, & paſtus cæde ſuorum.
Ignoto te Nile redit.

Seueritas Cambyſ. in Iudicem iniuſtum.

Sed Seneca appellat illum fęliciter furioſum.

Comeſtor. Hic Cambyſes Cyri filius & in regno ſucceſſor, apud Eſdram Artaxerxes, vel Aſſuerus dicitur: In hiſtoria vero Iudith propter malitiam vocatur Nabuchodonoſor. Tunc Principes terræ, qui impediebant Hebræos, ſcilicet Rathymus Comentarienſis, quem Ioſephus dicit ſcriptorem omnium accidentium, & alij qui iudicabant Syriam & Phænicem, & omnes regiones vltra Euphraten, ſcripſerunt Cambyſi, quod Iudæi reædificabant Hieruſalem vrbem peſſimam, & ſemper regibus Perſarum rebellem, & templum ad ſimilitudinem caſtri, quæ ob rebellionem pridem deſtructa fuerat, quibus reædificatis, ſtatim negarent Regi tributa, & annonas, nec etiam pateret Regi tranſitus in Syriam: hæc autem dicebant ſe commemorare ei, quia memores erant ſalis quod in palatio eius comederant, conſulentes vt hæc eis interdiceret. Quibus acquieſcens Cambyſes potenter interdixit eam per epiſtolas. Tunc intermiſſum eſt opus Dei in Hieruſalem vſque ad ſecundum annum Darij.

Scripta ad Cambyſem de templi adificatione auertenda.

Cambyſis reſcriptum in quo Iudæos ab adificatione templi deterret.

De hiſtoria Iudith.

CAP. XX.

PORro ſub Cambyſe factum eſt, quod in hiſtoria Iudith ſcribitur. Mortuo itaque Cyro, quidam Arphaxad Medus in Egbathanis ſurrexit, & reparauit eam, & muniuit inexpugnabiliter, quaſdam partes Mediæ ſibi concilians, vt tandem toti Mediæ imperaret. Nabuchodonoſor vero Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue anno 12. regni ſui obtinuit eum: hic eſt Cambyſes, cui pater adhuc viuens, Niniuem, & regnum Aſſyriorum conceſſit, & eum Nabucho. cognominauit: hic mortuo patre 12. illius regni annum agebat, nam in regno Monarchiæ non niſi 8. annis regnauit. Qui poſtquam factus eſt Monarchus, exaltatum eſt cor eius, & miſit ad omnes, qui habitabant in Sicilia & Damaſco, & Libano, & Carmelo, Galilæa, Samaria, & vſque in Hieruſalem, exigens ab eis tributa longe grauiora quàm patres ſui. Qui omnes vno animo contradixerunt: igitur anno 13. regni ſui, præcepit Holoferni principi militiæ ſuæ, vt egrediens nulli parceret. Omnes quoque Deos terræ exterminaret, vt ipſe ſolus Deus diceretur. Audientes filij Iſrael timuerunt valde, ne ſimilia faceret in Hieruſalem & in ſanctuario Dei. Erat autem in ciuitate Iudith vidua tribus annis, mulier pulchra nimis, ſed caſta; Holofernem in ſpecie ſua cæpit, & eum vinolentum, & ſoporatum decollauit. Caputque eius ablatum in ciuitatem tulit, & omnes videntes & audientes, in admirationem & laudem Dei concitauit, vnde & canticum victoriæ domino cecinit.

Qualiter excuſatur Iudith à culpa mendacy & ſcandali.

CAP. XXI.

Author. Culpa verò mendacij, quam videtur multotiens incurriſſe Iudith, apud Holofernem, eiuſque ſatellites; vt quando reſpondit ſe fugere à facie Hebræorum; quia nouerat eos dandos Aſſyrijs in deprædationem; & quando dixit Holoferni: ſi ſecutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet dominus tecum, & habebis omnem populum Iſrael ſicut oues &c. pluribus modis excuſari poteſt; nam ad hæc omnia generalis eſt ſolutio; quod quæcunque dicit de populo Iſrael ab Holoferne capiendo, intelligenda ſunt ſecundum merita eorum: quia peccata eorum exigebant, vt ita traderentur, ſicut exponebat, vel etiam merita eorum, quia iam adeo deſolati erant, & puſillanimes effecti, quod volebant ſe ſponte tradere: vel omnia intelligenda ſunt ſub conditione ſcilicet niſi dominus liberaret eos. Et ita nuſquam mentiebatur, licet audientes, aliter intelligerẽt, ſcilicet quaſi loqueretur ſimpliciter, & aſſertiuè. Eſt etiam alia ſolutio generalis, quæ ſumitur tam ex textu quàm ex gloſſa ſcilicet quod Iudith propheticè loquebatur prædicens, Iudęos eſſe tradendos in manus populi gentilis, quod factum eſt ſub

Qualiter Iudith liberatur à culpa mendacij

Alia ſolutio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tito & Veſpaſiano, propter peccata quæ commiſerant in Chriſtum, & in apoſtolos. Et ita vbique excuſatur à mendacio, quia myſticè loquebatur, licet audiens aliter intelligeret. Vnde ipſa quoque dicit Holoferni. Hæc mihi dicta ſunt per prouidentiam Dei, *gloſſa* id eſt ſpiritu prophetico. Item alia gloſſa apud Holofernem Iudith de aduentu ſuo, & Iudæorum caſu forte loquitur, nec adulatoriè mentiendo, ſed futura prophetiçè prædicendo. Cæterum de hoc quod videtur ſcienter & ſponte dediſſe Holoferni, occaſionem ruinæ, ornando ſe vt eum deciperet. Poteſt dici, quod ſe præparando ſic, non intendebat eum ſcandalizare id eſt laqueum, vel obicem, ad ruinam ei tendere, ſed intendebat primo liberationem populi ſui; ſecundo vtilitatem Holofernis, vt ſcilicet ad tempus in eam captus, minus peccaret. Multas enim habens concubinas & coniugatas, & forte viros concubinos, multis modis & naturaliter, & contra naturam peccaret: quia his omnibus immundicijs abundabant Gentiles; vt ergo ab his omnibus eum auerteret, & in eam ſuſpenſus, minus peccaret, ideo dicebat. Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me.

Ornando ſe non intendebat ruinam Holofernis ſed liberationem populi.

De Hippia & Polycrate Tyrannis, & de Cambyſe, quod obtinuerit Aegyptum.

Cap. XXII.

Euſebius in Chronicis. Temporibus Cambyſis, quem ſecundum Nabuchodonoſorem vocari aiunt: apud Athenas Hyparcus & Hippias tyrannidem exercuerunt, apud Samum vero tres fratres ſcilicet Polycrates, Sylus, & Pantagnoſtus.

Iuſt. lib. 2. Poſt Piſiſtratum Diocles filius eius, per vim ſtuprata virgine, à fratre puellæ interficitur, Hippias autem frater Dioclis paternum tenens imperium, comprehendi iubet interfectorem fratris, & nominare cogit omnes conſocios cædis. Quo conſulto, nominauit omnes amicos Tyranni. Quibus omnibus interfectis, interrogatus ille, vtrum aliquis de conſocijs ſupereſſet: reſpondit, neminem eſſe, quem mori vellet, præter ipſum Tyrannum, qua voce eiuſdem Tyranni ſe victorem poſt vindictam ſororis pudicitiæ, oſtendit; huius virtutę admonita ciuitas libertatis, Hyppiam expulit regno, & egit in exilium.

Fortiſſimi cuiuſdam in tormentis factum.

Valerius lib. 6. cap. 9. Ad inuidiam vſque Polycratis Samiorum Tyranni abundantiſſimis bonis conſpicuus vitæ fulgor exceſſit; nec ſine cauſa: omnes enim eius conatus placido excipiebantur itinere, ſpes certum cupitæ rei fructum apprehendebant; ſemel duntaxat vultum mutauit, pro breui triſtitiæ ſalebra ſucceſſum, tunc cum annulum admodum ſibi gratum, in profundum de induſtria, ne omnis incommodi expers eſſet, abiecit: quem tamen continuo recuperauit, capto piſce, qui eum deuorauerat: ſed hunc, cuius fælicitas ſuper plenis velis proſperum curſum tenuit, Orontes Darij Regis præfectus in excelſiſſimo Michalenſis montis vertice cruci affixit. Ex quo putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, Samos amara ſeruitute aliquamdiu preſſa, liberis ac lætis oculis, aſpexit.

Herod. 3. Strab. 14. Cice. de fin 3. Plin. 37. cap. 1. Magna mutatio fortunæ.

Euſebius in chronicis. Eo quoque tempore ſcilicet anno Cambyſis 6. in 28. dinaſtia Perſæ obtinuerunt Ægyptum, ſicque ceſſauit ad tempus regnum illius regionis: obtinuit quippe eam Cambyſes in anno 6. regni ſui, & ſucceſſores eius vſque ad Darium filium Xerxis annis 150.

Helmandus 15. lib. hic abominatus religiones Ægypti, & cæremonias, templa eius deſtruxit, & ædificauit Babylonem in Ægypto.

De Pythagora philoſopho, & Crotonienſium prælio.

Cap. XXIII.

Euſebius in chroni. Anno Cambyſis 7. Pythagoras Phyſicus Philoſophus habetur clarus. Solinus. In Samo nihil nobilius, quam Pythagoras ciuis, qui mox offenſus faſtu tyrannico, Bruto conſule; relicta patria Italiam aduectus eſt.

Aug. de ciuit. Dei lib. 8. cap. 2. Italicum genus Philoſophorum id eſt illius partis Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur. Authorem habuit Pythagoram Samium: à quo etiam ferunt ipſum Philoſophiæ nomen exortum, nam cum antea ſapientes appellarentur, qui modo quodam vitæ laudabilis al js præſtare videbantur; ille interrogatus, * quid profiteretur? Philoſophum ſe eſſe reſpondit id eſt ſtudioſum vel amatorem Sapientiæ: quoniam prophiteri ſapientem arrogantiſſimum videbatur.

** Cicero 5. Tuſ. quæſtionum ex Heraclide Pontico Platonis auditore narrat Pythagoram à Leonte Phliaſiorum tyranno rogatum.*

Iuſtinus 20. *li.* In principio Metapontini cæteros Græcos Italia pellere ſtatuerunt, quibus ſe iunxerunt Crotonienſes & Sybaritani, & primo vrbem Syrim cæperunt. In cuius expugnationem. I. iuuenes amplexos Mineruæ ſimulacrum; & Sacerdotem Deæ velatum ornamentis inter ipſa altaria trucidarunt. Ob hoc, cum peſte & ſeditionibus vexarentur, priores Crotonienſes Delphicum adirent Oraculum. Quibus reſponſum eſt, finem mali fore. Si violatum mineruæ numen, & interfectorum manes placaſſent. Quo facto, ceſſauit ab eis peſtilentia: nam iuuenibus ſtatuas iuſtæ magnitudinis poſuerunt, & in primis Mineruæ: poſtea Crotonienſes indignantes, quod in expugnatione Syris contra ſe Locrenſes tuliſſent auxiliũ; bellũ eis inferũt. Qui ad Spartanos confugerunt, auxilium deprecãtes: illi autem longinqua malitia grauati, auxiliũ à Caſtore & Polluce petere eos iubent. Quibus cũ ſacrificaſſent, bellũ inierunt 15. millia Locrenſium, contra centũ 20. millia Crotonienſium, qui paucitatem ſuam & hoſtium multitudinem conſiderantes, ex deſperatione ſumpſerunt animum, putaueruntque ſe victores fore, ſi non multi morerentur. Itaque dum mori honeſte quærunt, fæliciter vicerũt. Pugnantibus autem Locris, Aquila ab acie nũquam receſſit. eoſque tamdiu circunuolauit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuuenes diuerſo à cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, & albis equis, & coccineis paludamẽtis pugnare viſi ſunt, nec vltra comparuerunt quã pugnatum eſt; hanc admirationẽ auxit incredibilis famæ velocitas: nam in eadem die, qua in Italia pugnatũ eſt, & Corintho & Lacedemone nunciata eſt victoria, poſt hęc Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorũ cura fuit. Oderant enim quæ infæliciter ſumpſerant, mutaſſentque vitam luxuria ni Pythagoras philoſophus fuiſſet.

Desperatio enim magnũ ad honeſte moriendum incitamentũ eſt. Q. Curt.

De Geſtis Pythagoræ, & eius ſtudijs ac doctrina.

Cap. XXIIII.

Hic Sami Demarato locuplete negociatore natus, magniſque ſapientię incrementis ornatus, Ægyptum primo, mox Babyloniam ad perdiſcendos ſyderum motus, originemque mundi ſpectandam profectus; ſummam ſcientiam conſecutus erat. Inde regreſſus Cretam, & Lacedæmona ad cognoſcendas Minois & Licurgi leges contendit. Quibus omnibus inſtructus Crotonam venit, populumque in luxuriam lapſum, auctoritate ſua ad vſum frugalitatis reuocauit: laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ caſumque ciuitatum hac peſte perditarum, enumerabat. Tantoque ſtudio ad frugalitatem perdiſcendam multitudinem prouocauit, vt aliquos ex eis * luxuriatos eſſe incredibile videretur, Matronarumque quoque ſeparatarum à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat autem nunc has pudicitiam & obſequia in viros, nunc illos modeſtiam & litterarum ſtudium. Inter hæc velut Genitricem virtutum, frugalitatem omnibus ingerebat, conſecutuſque diſputationum aſſiduitatem erat, vt Matronæ auratas veſtes, cæteraque dignitatis ſuæ ornamenta vellut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia

Pythagoras.

** luxuriatos, id eſt luxuria corruptos.*

delata

delata in Iunonis ædem, ipſi Deæ conſecrarent, præ ſe ferentes vera ornamenta Matronarum, pudicitiam, non veſtes eſſe. Hic cum annos 20. Crotonæ egiſſet, Metapontum migrauit, ibique * deceſſit. Cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum facerent, eamque pro Deo colerent.

* *vel inedia vel interfectus à Syracuſanis dum agrum fabaceum circuit. Laert.*

Valerius lib. 9. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa eſt, vt quę ab eo acceperant, in diſputatione deducere nefas exiſtimarent, quinetiam interpellati ad reddendam cauſam, hoc ſolum reſpondebant, eum dixiſſe.

Cicer. de finib.

Idem in li. 8. Pythagoras Ægyptũ petens, eorum ſcientiam didicit. Deinde ad Perſas profectus, magicam artem percepit. Deinde Cretæ leges cum didiciſſet ad olympicum certamen deſcendit. Interrogatus quo cognomine cenſeretur, ne ſapientem ſe diceret: iam enim illud nomen 7. viri ſapientes occupauerant, ſe amatorem ſapientiæ, hoc eſt philoſophum dixit.

Pythagoræ filia.

Tullius Taurum Minitanum iuuenem, libidine flagrantem, cum audiſſet Pythagoras ad oſtium amicæ meretricis inſanire, iuſſit pſalteria tria canere per ſpondæum, & ita eum ad ſanam mentem reuocauit.

Hieronymus contra Ioui. li. 1. Tymeus ſcribit Pythagorę filiam virginem, choro virginum præfuiſſe, & caſtitatis eas inſtruxiſſe doctrinis.

De Præceptis & ænigmatibus eiuſdem.

CAP. XXV.

LEge oratiunculam pro vaticinio, & alias, vbi ſodalitiorum mentio fit: reuolue dialogos Tullii, reſpice omnem oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, & Pythagoricorum dogmatum inciſa publicis literis æra cognoſces. Cuius ſunt enim illa crito peranſeamata, nonne Pythagoræ? In quibus omnia breuiter eius dogmata continentur. Ita Pythagorica ſunt iſta præcepta.

Præcepta Pythagorica

Fugienda ſunt omnibus modis & abſcindenda; languor à corpore, imperitia ab anima, luxuria à ventre, à ciuitate ſeditio, à domo diſcordia, & in commune à cunctis rebus intemperantia.

Pythagorica ſunt & hæc: amicorum omnia eſſe communia, & amicum ſeipſum eſſe alterum. Duorum temporum maxime habendam curam, mane & veſpere, id eſt eorum quæ acturi ſumus, & eorum quæ geſſimus: poſt Deum veritatem colendam, quæ ſola homines Deo proximos, facit.

Ænigmata Pythagorica.

Illa quoque ænigmata quę diligentiſſime Ariſtoteles in libris ſuis proſequitur. *Stateram ne tranſileas.* id eſt ne prætergrediare iuſtitiam. *Ignẽ gladio ne foueas.* iratum videlicet & timidum animum verbis maledicis ne laceſſas. *Coronam minime carpendam* id eſt leges vrbium conſeruandas. *Cor non comedendum* id eſt mærorem de animo expellendum: *Cum profectus fueris, ne redeas.* id eſt poſt mortem, vitam iſtam ne deſideres. *Per viam publicam ne ambules*, ne ſcilicet multorum ſequaris errores: *Hirundinem non in domo ſuſcipiendam*, id eſt garrulos & pompoſos homines ſub eodem tecto nobiſcum non habendos. *Oneratis ſuperponendum onus, deponentibus non communicandum* id eſt ad virtutẽ incedentibus alacriter augenda ſunt præcepta, tradentes ſe ocio relinquendi ſunt.

Opinio Pythagoræ de anima humana.

Apud Græcos primus Pythagoras inuenit immortales eſſe animas, & de alijs corporibus tranſire ad alia, primum ſe dicit fuiſſe Euphorbium, ſecundo Talidem, tertio Hermonum, quarto Pinum. Ad extremum Pythagoram, & poſt certos temporum curriculos ea, quæ fuerant, rurſum fieri: nihil in mundo, videri nouum, philoſophiam meditationem eſſe mortis, quotidie de carcere corporis nitentem educere animæ libertatem: diſcentias, reminiſcentias eſſe, & multa alia, quæ Plato in libris ſuis, & maxime in Timæo proſequitur.

De diſcipulis eiuſdem.

CAP. XXVI.

NAm ipſe Plato poſt academiam & innumerabiles diſcipulos ſentiens, multum deeſſe ſuæ doctrinæ, venit ad magnam Græciam, ibique ab Archita Tarentino, & Timæo Locrenſi, Pythagoræ doctrina eruditus, elegantiam, & leporem Socratis, cum huiuſmodi miſcuit diſciplinis.

Idem contra Iouin. lib. 2. Inutile eſt crebro videre per quem aliquando captus es, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagorici huiuſcemodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueuerant.

Idem ſuper Eccleſiaſten 2. Pythagoricorum diſciplina eſt, tacere per quinquennium, & poſt eruditos loqui.

Seneca de beneficijs lib. 7. cap. 21. Pythagoricus quidam emerat à Sutore phæcaſia, rem magnam; non præſentibus nummis; poſt aliquot dies venit ad tabernam, redditurus: Et cum clauſam diu pulſaret; fuit qui diceret, *quid perdis operam tuam? ſutor ille, quem quæris, elatus; combuſtus eſt: Quod nobis forte moleſtum eſt, qui in æternum noſtros amittimus; tibi minime, qui ſcis futurum, vt renaſcatur, iocatus in Pythagoricum.* At Philoſophus noſter tres aut quatuor denarios (non inuita manu) domum retulit; ſubinde concutiens. Deinde cum reprehendiſſet hanc ſuam tacitam non reddendi voluptatem, intelligens arriſiſſe ſibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam & ait, *ille tibi viuit, tu redde quod debes.* Deinde per cloſtrum, quo ſe contra iura laxauerat, quatuor denarios in tabernam inſeruit, ac miſit, pænas à ſe exigens improbæ cupiditatis. ne alieno aſſueſceret.

Author. Pythagoras dicebat animam eſſe harmoniam veramque amicitiam vnum ex pluribus facere, vnde & Pythagorici vades ſe inuicem tyranno dederunt.

Cicer. offi. 3.

Valerius lib. 4. Damon & Pythias Pythagoræ diſcipuli tam fidelem inter ſe iunxerunt amicitiam, vt cum alterum ex his Dyoniſius Syracuſanus interficere vellet, & is tempus ab eo, quo priuſquam periret, domum profectus, ordinaret res ſuas, impetraſſet. Alter vadẽ ſe pro eius reditu Tyranno dare non dubitauit. Appropinquante autem definita die, nec illo redeunte: vnuſquiſque ſtultitiæ temerarium ſponſorem damnabat. At is, nihil ſe de amici conſtantia metuere prædicabat, Eodem itaque momento, & hora à Dioniſio cõſtituta, qui eam acceperat, ſuperuenit. Et admiratus Tyrannus amborum animum, ſupplicium fidei remiſit; eoſque inſuper, vt ipſum in ſocietatem amicitiæ tertium ſodalitij gradum reciperent, rogauit. Ecce vires amicitiæ, mortis contemptum generare, vitæ dulcedinem extinguere, crudelitatem manſuefacere, odium in amorem conuertere, pœnam beneficio penſare potuerunt.

Quo iuncti Damon & Pythias vinculo amicitia.

De regno duorum Magorum in Perſide.

CAP. XXVII.

Comeſtor. Poſt Cambyſem vnus de 7. Magis, qui Perſarum regnum iudicabant, regnum obtinuit.

Iuſtinus lib. 1. Cambyſes quidem, per quietem vidit fratrem ſuum Mergim regnaturũ, quo ſomnio exterritus, non dubitauit eum occidere. Ad hoc magum quendam ex amicis delegit, Cometen nomine. Interim ipſe gladio ſuo ſponte euaginato in femur grauiter vulneratus; occubuit. Quo nuncio accepto, Magus ante famam amiſſi regis, occupat facinus: proſtratoque Mergide, cui regnum debebatur, fratrem ſuum ſubiecit Oropaſten. Erat enim decorus & corporis lineamentis Mergi perſimilis. Quę res eo occultior fuit, quod apud Perſas perſona regis ſub ſpecie maieſtatis occulitur; igitur Magi ad fauorem populi conciliandum, tributa & militiæ vocationem, per triennium permittunt, vt regnum quod fraude quæſierant, indulgentiæ largitionibus confirmarent. Quæ res ſuſpecta primo

Cambyſes in femur vulneratus occubuit.

Oſtani nobili viro, qui & in coniecturis ſagaciſſimus fuit. Itaque per internuncios quærit de filia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri filius rex eſſet, illa nec ſe ipſam ſcire ait, nec ex alia poſſe cognoſcere; quia ſingulæ ſeparatim recluduntur. Tunc pertractare caput dormienti iubet, nam Mago illi Cambyſes aures vtraſque præſciderat: factus demum per filiam certior regem ſine auribus eſſe; optimatibus Perſarum rem indicat, & in eius cædem fit coniuratio. Septem autem conſcij fuere huius coniurationis, qui ex continenti, occultato ſub veſte ferro ad regiam pergunt, & obuijs interfectis ad Magos perueniunt, qui duos de 7. interfecerunt. Tandem ipſi corripiuntur à pluribus: quorum alterum Cobryas amplexus medium, cunctantibus ſocijs, ne ipſum pro Mago transfoderent; quia res obſcuro loco gerebatur, vel per ſuum corpus adigi Mago ferrum iuſſit; fortuna tamen ita regente illo incolumi, Magus interficitur.

Septem in Magum coniuratio.

Author. Hæc Iuſtinus, aliter tamen narrat *Comeſtor*, videlicet hoc modo: poſt Cambyſem vnus de 7. Magis, qui iudicabant regnum Perſarum, Erineides nomine, regnum Perſarum obtinuit, ducens Panthei filiam Cambyſe in vxorem, ſimulans ſe non velle ſibi regnare, ſed conſeruare regnum Mergi fratri Cambyſe, quia puer erat: hunc tamen Mergum Cambyſes prius occiderat in penetralibus templi, ſolo iſto Erineide conſcio huius ſacrilegij & parricidij. Cumque poſt 7. menſes regni ſui moreretur. Erineides ſubſtituit ſibi fratrem, iuuenem elegantem forma, & viribus; dicens hunc eſſe Mergim Cyri filium, & Cambyſe fratrem; vnus de 7. Magis ſuſpicans cum Mergim non eſſe, per filiam deprehendit eum aures non habere. Qui cum reliquis Magis, hoc indicaſſet, in eum coniurauerunt & ipſum occiderunt; ſicque duo fratres illi non per annum apud Perſas regnauerunt.

Hieronymus contra Iouin. lib. 2. Eubulus narrat apud Perſas tria fuiſſe genera Magorum, quorum primos, qui ſunt doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & olere, nihil aliud dicit in cibo ſumere.

Valerius lib. 2. cap. 6. Perſæ non reſpiciunt liberos ſuos, priuſquam 7. annos impleuerunt, quo magis paruulorum amiſſionem æquo animo ſuſtineant.

De Regno Darij filij Hyſtaſpis.

CAP. XXVIII.

IVſtinus *vbi ſupra*. Occiſis autem Magis magna quidem gloria recuperati regni principium fuit, ſed multo maior in eo, quod cum de regno ambigerent, concordare inter ſe potuerunt. Erant enim virtute & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipſi igitur viam inuenerunt qua de ſe iudicium religioni & fortunæ committerent: pactique inter ſe ſunt vt die ſtatuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent, & cuius equus ante ſolis ortum, hinnitum primum dediſſet, is Rex eſſet, nam & ſolem Perſæ vnum Deum credunt eſſe; & equos eidem Deo conſecratos ferunt.

Darius Hyſtaſpis filius.

Erat inter coniuratos Darius Hyſtaſpis filius cui de regno ſolicito, equi cuſtos ait, ſi ea res victoriam moraretur nihil negocij ſupereſſe; per noctem deinde equum pridie conſtitutum diem, ad eundem locum ducit, ibique equæ admittit, ratus ex voluptate Veneris, futurum quod euenit. Poſtera die cum ad ſtatutam horam conueniſſent omnes, Darij equus cognito loco ex deſiderio fœminæ ſtatim hinnitum dedit; & ſegnibus alijs fælix auſpicium domino primus emiſit; tanta autem moderatio cæteris fuit, vt audito auſpicio, confeſtim equis deſilierint, & Darium Regem ſalutauerunt, cognatio tamen Darij iuncta cum priſtinis regibus fuit, & mox in principio regni, Cyri filiam in matrimonium accepit*.

Populus quoque vniuerſus ſecutus iudicium principum eundem regem conſtituit.

** regalibus nuptijs regnum firmaturus.*

Author. Igitur poſt duos Magos quartus à Cyro Darius, filius Hyſtaſpis qui & ipſe fuit vnus de 7. Magis, cæpit anno quintæ ætatis 69. mundi vero tertio milleſimo 432. & regnauit annis 36.

De familiaritate Zorobabel cum Dario & ſolutione queſtionis.

CAP. XXIX.

Comeſtor. Huic Dario familiaris erat Zorobabel filius Salathiel. Cum enim interdixiſſet Cambyſes reædificationem templi, aſcendit ad eum Zorobabel & per huius Darij interuentum, tentauit quidem animum regis mutare, ſed non potuit. Et tunc perſuaſit Dario ſecretius vt voueret votum Deo Iſrael, quod ſi eum regem faceret, reſtauraret eius templum; & vniuerſa vaſa domini quæ adhuc erant penes Reges Perſarum remitteret in Hieruſalem. Cum audiſſet itaque Zorobabel hunc regnare, fiducialiter agreſſus eſt reædificare templum; Aggeo & Zacharia exhortantibus populum, qui prædicabant Deum eis offenſum, eo quod habitarent in domibus laqueatis, & domus domini eſſet deſolata; hoc autem ſignum iræ Dei dicebant quòd ſeminabant multum; & inferebant parum; principes vero regis Perſarum, qui erant trans flumen, interdicebant reædificationem. Cumque reſpondiſſent ſeniores Iuda quod Deus ſuus hoc eis præceperat, cui nefas eſt contradicere; placuit vtriſque vt res referretur ad Darium. Et aſcendit Zorobabel cum nuncijs principum ad regem, & honoratus eſt ab eo ſupra quam ſperauerat, nam in cubiculo Regis dormiebat cum alijs duobus cubicularijs.

Comeſtor cap. 3. ſuper Iudith.

Porro Rex Darius cœnam exhibuit ſatrapis Perſarũ, & præfectis Indiæ & Æthiopiæ, & magiſtratibus 127. prouinciarum. Ea nocte expergefactus noctem duxit inſomnem, & propoſuit quæſtionem tribus cuſtodibus corporis ſui; *quod de tribus fortius videretur, Rege ſcilicet & vino & muliere*, promittens munera, & honorem ei qui ſapientius reſponderet. In craſtinum coram ſatrapis, & magiſtratibus, acceſſerunt illi tres; & ait, primus; Regem eſſe fortiorem cæteris. Cum enim homo præſit cæteris animantibus, rex præeſt homini: & ad nutũ eius omnia fiunt. Secundus autem prætulit vini fortitudinem: quia cum homo præſit cæteris animi fortitudine, vinum ſuperat ipſam animi fortitudinem. Zorobabel vero Mulierem fortiorem vtroque aſſeruit, nam Regibus & eis qui vites plantant Mulieres vitam conferunt & alimoniam, & ad robur vſque producunt: & pro mulieribus animas non timent ponere homines. Retulit quoque ſe vidiſſe concubinam cuiuſdam regis, alapas regi imponentem. Cumque illa arriſiſſet, regem arridentem: & ea moleſta, regem moleſtatum, ſuper hęc autem omnia veritatem dixit eſſe fortiorem, quæ immutabilis eſt & ſempiterna.

Darius tribus ſatellitibus tres queſtiones proponit.

Primus poteſtatem regiam extollit.

Secundus vini potentiam predicat.

Zorobabel tertius, mulierum vim prapollentem primum oſtendens: mox veritati infracta, palmam attribuit.

De conſummatione templi ex præcepto Darij.

CAP. XXX.

CVmque omnes iudicarent fortiorem omnibus eſſe veritatem: dixit Rex ad Zorobabel, vt peteret ab eo quicquid vellet. Et poſtulauit Zorobabel tẽpli ædificationem, & vaſa domini remitti in Hieruſalem: & gauiſus eſt Rex, nam idipſum meminit ſe vouiſſe: & ſcripſit per epiſtolam principibus ſuis trans flumen vt nullatenus impedirent Iudæos, ſed de ſumptibus Regis iuuarent eos, remiſit quoque vaſa domini per manum Zorobabel qui reditum faciens per Chaldęam contribulibus ſuis Regis mandata patefecit, & aſcenderunt multi Hieroſolymis cum eo. Igitur anno ſecundo Darii menſe 8. inſtabant operi & compleuerunt illud anno 7. Darii, qui erat quartus regni Perſarum, iuxta illud * 49. annis ædificatum eſt templum hoc id eſt à prima licentia, quam dedit Cyrus redeundi & reædificandi tẽplum, vſque ad ſeptimum annum Darii, quo conſummatum eſt, tot anni fluxerunt. Conuenerunt autem filii

Darius admonitus voti, templi reſtaurationem mandat.

** Ioan. 2. Templi ædificatio abſoluta.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iſrael ad dedicationem templi, & dedicauerunt illud menſe 12. qui apud Latinos Martius dicitur, 23. dies menſis. Hæc eſt ſecunda templi dedicatio, Et celebrauerunt filij Iſrael phaſe ſecundum legem domini. De arca vero quomodo receperunt eam incertum eſt; ſed ſi certum eſt quod Epiphanius dixit, eam vſque ad iudicij diem non egreſſuram de latibulo petræ; certum eſt quod Hebræi inſtar prioris ædificauerunt alteram: nam inter manubias quas tulerunt Romani de Iudæa, leguntur tranſlata & arca Domini & candelabrum & menſa.

De Nece Hypparci & Hyppiæ & expulſione Tarquinij à regno, & primo conſule Bruto.

Cap. XXXI.

Vſebius in chronicis. Anno ſecundo Darij filij Hyſtaſpis Armonius Ariſtogyto Hipparcum & Hippiam tyrannos interfecerunt. Et Lena meretrix amica eorum cum tormentis cogeretur, vt ſocios proderet, linguam ſuam mordicùs amputauit. Anno eiuſdem 10. reges Romæ defecerunt, (pulſo Tarquinio Superbo) qui imperauerunt annis 240. ſiue vt quibuſdam placet. 243. Pulſis autem regibus vix vſque ad 15. lapidem Romani tenebant imperiũ; poſt exactos itaque reges, primo conſules à Bruto eſſe cæperunt: Deinde Tribuni Plebis ac Dictatores; & rurſum conſules rempublicam obtinuerunt per annos fermè 464. vſque ad Iulium Cæſarem; qui primus ſingulare arripuit imperium.

Valerius li. 7. cap. 3. Brutus vbi cum à Rege Tarquinio auunculo ſuo omnem nobilitatis indolem excerpit; interque cæteros etiam ſuum qui vegetioris ingenij erat, interfectũ videret, ſe eſſe cordis obtuſi ſimulauit: * profectuſque eſt Delphos cum Tarquinij filijs. Quærentibuſque illis ab Apolline quis ex ipſis Romę regnaturus eſſet? & accepto reſponſo; qui ante omnes oſculum matri dediſſet. Brutus proinde ac ſi caſu lapſus; de induſtria oſculatus eſt terram.

* *Hac fallacia maximas virtutes calauit,*

Tullius de amicitia. Hunc Tarquinium, ſcilicet, Bruti auunculum exulantem dixiſſe ferunt; tunc primum ſe intellexiſſe quos fidos habuiſſet amicos, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre poſſet.

De Democrito & Heraclyto Philoſophis.

Cap. XXXII.

Vſebius in chronicis. Hoc tempore Democritus Philoſophus & Heraclytus Tenebroſus, & Anaxagoras Phyſicus clari habentur. Æſchilus quoque tragædiarum ſcriptor agnoſcitur.

Democritus.

Author. De Democrito philoſopho refert A. Gellius noctiũ Atticarum quod natione Abderites fuerit, & ditiſſimus. Qui omne patrimonium ſuum relinquens ſuis ciuibus Athenas profectus eſt, & ibi oculos ſibi eruit, vt vegetatiores cogitationes haberet, quidam tamen dicit eum oculos ſibi eruiſſe, ne videret bene eſſe malis ciuibus. Tertullianus autem dicit quod ideo excæcauit ſeipſum quia mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poterat. Porro merito ſibi oculos eruit, qui magicas tenebras oculis humanis inuexit. Dicit enim Iſidorus quod artem magicam multis ſæculis poſt Zoroaſtrem Democritus ampliauit, quando Hipocratis medicinæ diſciplina effloruit.

Seneca in epiſtola 7. Democritus ait, vnus mihi pro populo eſt, & populus pro vno.

Boetius in prologo de arte muſica. Vt ſeſe corporis affectus habet, ita pulſus cordis motibus incitatur, quod Democritus Hypocrati medico tradidiſſe fertur, cum eum quaſi inſanum cunctis Democriti ciuibus id opinantibus in cuſtodia medendi cauſa viſeret.

Lactantius in lib. de falſa ſapientia. Laudatur Democritus quod agros ſuos reliquerit eoſque paſcua publica fieri, paſſus ſit, probarem quidem ſi donaſſet, ſed nihil ſapienter fit; at hæc negligentia tolerabilis. Quid ille qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? quod ſi ab omnibus fiat, inutile ac malum ſit.

Author. Heraclytus vt ait Auguſti. dixit omnes res conſtare ex igne; ſicut Pytagoras ex numeris. Epycurus ex athomis. Idem, vt ait Macrobius, dixit animam eſſe ſcintillam ſtellaris eſſentiæ, fuerunt autem, vt teſtatur idem Macrobius, duo Heraclyti, vnus, qui dictus eſt Phyſicus & cognominatus eſt Heraclytus Tenebroſus, & alter Ponticus appellatus eſt, qui dixit animam lucem eſſe. *Heraclytus.*

Seneca. Heraclytus cui cognominationem fecit orationis obſcuritas, ait; vnus dies pax omnium eſt.

Idem. In idem fluuium bis deſcendimus; & non deſcendimus.

Hier. contra Ioui. li. 1. Heraclytum cognomento Scothino, ſudantes philoſophi vix intelligunt.

De Anaxagora Philoſopho & Æſchilo poeta.

Cap. XXXIII.

Vguſtinus de ci. Dei li. 7. Anaxagoras auditor fuit Anaximenis; hic rerum omnium quas videmus, effectorem diuinum animum ſenſit; & dixit ex infinita materia, quæ conſtaret ſimilibus inter ſe particulis rerum omnium, quibus ſuis ex proprijs ſingula fierent, ſed animo faciente diuino. *Anaxagoras*

Ariſt. in Methaphyſica li. 10. Anaxagoras dicebat quod homo eſt menſura omnium rerum. *Dicta Anaxagora.*

Valerius in lib. 7. Anaxagoras, interroganti cuidam, quiſnam eſſet beatus? Nemo inquit ex his, quos tu fælices exiſtimas; ſed eum in illo numero reperies qui ex miſeris à te conſtare creditur; non enim erit ille, diuitijs aut honoribus abundans, ſed aut exigui ruris, aut non ambitioſæ doctrinæ fidelis & pertinax, cultor in * ſeceſſu, quam in fronte beatior.

* *alias receſſu*

Idem lib. 8. Anaxagoras poſt longam peregrinationem pro ſtudio ſapientiæ, in patriam reuerſus, cum poſſeſſiones ſuas deſertas videret, non eſſem, inquit, ſaluus ego, niſi iſtæ periiſſent.

Simmachus in epiſtolis. Anaxagoram Phyſicum grauis de filio nuncius, à diſputationibus non retraxit.

Item Valerius lib. 5. Anaxagoras audita morte filij; nihil, inquit, mihi inexpectatum nuncias. Ego enim illum ex me natum, ſciebam eſſe mortalem: hanc vocem ſi quis efficaciter receperit, non ignorabit ita liberos eſſe procreandos, vt meminerit eſſe morituros; ſicut mori neminem ſolere, qui non vixerit, ita nec aliquem viuere poſſe, qui moriturus non ſit. *Laert in vita. Cic. Tuſ. 3. Ælian. Varro. hiſto. 3.*

Horatius quoque Puluinus cum Ioui pontifex ædem dedicaret, & in ſolemnium nuncupationem verborum poſtem tenens mortuum eſſe filium ſuum audiſſet, nec manum à poſte remouit, nec vultum à publica religione ad priuatum dolorem deflexit, ne patris magis quam pontificis partes egiſſe videretur.

Aug. de ciu. Dei 18. lib. Miror cur Anaxagoras Athenis reus factus ſit, quia dixit Solem, lapidem ardentem eſſe: negans vtique Deum; cum in eadem ciuitate gloria floruerit Epicurus, vixeritque ſecurus, non ſolum ſolem, vel vllum ſyderum Deum eſſe non credens; ſed nec Iouem, vel vllum Deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum ſupplicationeſque perueniant.

Boetius lib. 1. de conſolatione. Quod ſi non legiſti Anaxagoræ & Socratis venenum: Zenonis quoque tormenta &c.

Author. Ex his patet quo genere mortis mortuus eſt Anaxagoras iſte; & quare? nam veneno mortuus eſt, vt teſtatur Boetius, ideo ei venenum datum eſt, tanquam reo mortis, vt ait Aug. quia Solem dixerat lapidem ardentem, quem Athenienſes Deum eſſe credebant. Hic Anaxagoras vt dicit Auguſtinus; ſucceſſorem habuit Archelaum qui fuit magiſter Socratis; qui Archelaus de particulis inter ſe ſimilibu, quibus ſingula quæque fierent; ita putauit conſtare omnia, vt eis etiam ineſſe men-

Anaxagoras reus factus quia ſolem dixit eſſe lapidem ardentem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tem diceret, quæ corpora æterna, id eſt, illas particulas coniungendo & diſſipando ageret omnia.

Suidas, Plin. 10. cap. 3. Æſchilus autem tragædiarum ſcriptor caſu mirabili mortuus fuiſſe legitur. Refert enim Valerius lib. 9. quod quadam die in Sicilia mænibus vrbis, in qua morabatur, egreſſus, aprico in loco reſedit, ſuper quem Aquila ferens Teſtudinem, eluſa capitis ſplendore (erat enim capillis vacuum) par inde atque lapidi eam illiſit, vt fracta carne veſceretur: Quo vulnere principium fortioris tragædiæ extinctum eſt.

De ſtrage Perſarum in bello Marathonio.

Cap. XXXIV.

Euſebius in chronicis. Anno Darij 20. bellum in Marathone geſtum eſt, & ea quæ de Miltia deſcribuntur; & Ariſtide: qui cognominatus eſt Iuſtus.

Darius rex Perſarum. *Iuſtinus lib. 2.* Darius Rex Perſarum cum filiæ Iancyri Scytharum regis petitas nuptias non obtinuiſſet, bellum ei intulit, & armatis ſeptingentis millibus hominum, Scythiam ingreſſus, non facientibus autem Scythis pugnæ poteſtatem, metuens ne interrupto ponte Iſtri, reditus ſibi intercluderetur, amiſſis. 80. millibus hominum trepidus refugit: quæ iactura abundante multitudine, inter damna numerata non eſt. Inde Aſiam & Macedoniam domuit, & Ionas nauali bello ſuperauit. Cognitoque quòd Athenienſes Ioniis contra ſe auxilium tuliſſent, omnem impetum belli in eos conuertit. Quo audito, Athenienſes à Lacedæmonijs auxilium petierunt. Interim cum viderent Perſas quatridui religione teneri, nacta occaſione, non expectatis Lacedæmonijs inſtructis 10. millibus ciuium, & Platæenſibus auxiliaribus mille, aduerſus ſexcenta millia hoſtium in campos Marathonios in prælium egrediuntur. Miltiades dux belli erat, & auctor non expectandi auxilij: quem tanta fiducia cæperat, vt plus præſidij in celeritate, quam in ſocijs duceret. Magna igitur in pugnam euntibus animorum alacritas fuit, vt cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante iactum ſagittarum ad hoſtem venerunt: nec audaciæ eius euentus defuit, pugnatum eſt enim tanta virtute, vt hinc viros, inde pecudes putares: victi Perſæ in naues fugerunt, ex quibus multæ ſuppreſſæ, multæ captæ. In eo prælio Themiſtocles adoleſcentis gloria emicuit, & Cynægiri militis Athenienſis: qui poſt prælij innumeras cædes, cum fugientes hoſtes ad naues egiſſet, onuſtam nauem dextera manu tenuit, nec prius demiſit quam manum amitteret. Qua amiſſa, ſiniſtra quoque nauem tenuit, quam & ipſam cum amiſiſſet, ad poſtremum morſu nauem detinuit. Sicque nec cædibus fatigatus, nec duabus manibus amiſſis victus, truncus ad vltimum, velut rapida fera dentibus dimicauit. Ducenta millia Perſarum eo prælio ſine naufragio ceciderunt.

Perſa victi Miltiade Athenienſium duce.

Cynagiri virtus mirabilis.

De Morte Valerij Conſulis & de Gelone Siracuſano. & Ariſtide iuſto.

Cap. XXXV.

Liuius 2. Plutarch. *Euſebius in chronicis.* Anno Darij. 20. Valerius Bruti collega, adeo pauper mortuus eſt vt ſumptu publico ſepeliretur.

Valerius lib. 4. Publius Valerius Conſul Romanus plebem adeo ſemper dilexit, vt merito Poplicola cognominatus ſit. Idem ædes ſuas in medio foro dirui fecit, quia nimis excelſæ ſuper cæteras apparebant. Quamtumque in domo inferior, tantum gloria ſuperior euaſit.

Euſebius in chronicis. Anno Darij. 27. Gelo obtinuit Syracuſas.

Valerius lib. 3. Syracuſis cum tota Gelonis regis ſtirps euidentiſſimis exhauſta cladibus, ad vnicam filiam virginem Harmoniam eſſet redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: Nutrix eius æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hoſtium gladijs ſubiecit. Quæ cum nec ferro quidem trucidaretur, cuius eſſet conditionis, edocuit. Admirata illius animum Harmonia, reuocatos interfectores, profeſſa, quæ nam eſſet, in cædem ſuam conuertit. *Alteri tectũ mendacium alteri apertæ veritas fixis fuit.*

Euſebius in chronicis. Anno Darij 29. Ariſtides cum ignominia eijcitur.

Author hic de patria legitur expulſus, eo quod præter modum iuſtus eſſet.

De Regno Xerxis filij Darij.

Cap. XXXVI.

Iuſtinus lib. 2. Darius autem deceſſit relictis multis filijs, & in regno & ante regnum ſuſceptis. Ex quibus Artemenes maximus natu, ætatis priuilegio regnũ ſibi vendicabat: Xerxes vero ſibi ex naſcendi fælicitate: nã Dario priuato, natus ei erat Artemenes, ipſo iam Rege, Xerxes: & ideo dicebat, fratribus ante regnum natis, patrimonium quod Darius tunc priuatus habuerat iure deberi: ſibi autem regnum. Tandem patruum ſuum Artaphernem iudicem elegerunt concordi animo. Idcoque fraterna contentio fuit, vt nec victor inſultauerit, nec victus doluerit, ſed & ipſo litis tempore munera ſibiinuicem mittebant: Iocunda quoque inter ſe non ſolum, ſed & credula conuiuia habebant: Iudicium quoque ipſum ſine arbitris, vel ſine conuicio fuerit, tantò moderatius tunc fratres inter ſe regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur. *Contentio de ſucceſſore Regis Darij.*

Ex chronicis. Igitur Xerxes filius Darij Perſarum quintus, cæpit anno quintæ ætatis 105. mundi vero 3468. & regnauit annis 20. 3468.

Valerius lib. 9. Hic adeo luxurioſus erat, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus inueniſſet.

De bello Xerxis contra Græcos & victoria Spartanorum.

Cap. XXXVII.

Iuſtinus vbi ſupra. Hic Xerxes bellum à patre ſuſceptum aduerſus Græciam per quinquennium inſtruxit. Quod vbi primum didicit Demaratus rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxen exulabat, amicitior patriæ poſt fugam, quam regi poſt beneficia, ne inopinato bello opprimerentur; omnia in tabulis ligneis magiſtratui deſcripſit, & ſcripturam cera ſuperinducta texit. Quibus miſſis hærentibus in quæſtione viris. Soror regis Leonidæ conſilium ſcribentis inuenit, eraſaque cera conſilium detexit. *Demarati Lacedæmoniorum regis ſolertiſſimũ factum.*

Valerius lib. 1. Xerxi Lacedæmoniæ inuadendæ conſilium agitanti; vinum in pateram infuſum, in ſanguinem non ſemel, ſed iterum, ac tertiò, conuerſum eſt. Qua de re conſulti magi, monitus eſt ab incæpto deſiſtere. *Admirabile inter cænam prodigium incidit.*

Idem in lib. 9. Xerxes Græciæ bellum indicturus, conuocatis Aſiæ principibus: Ne viderer, inquit, meo tantum vſus conſilio, vos contraxi, cæterum mementote parendum magis eſſe vobis, quam ſuadendum.

Seneca de beneficijs li. 6. Cum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque quam caducis confideret; nemo non impulit. Cumque multa incerta vndique iactarentur, Demaratus Lacedæmonus ſolus dixit; ipſam illam quam ſibi placeret multitudinem indigeſtam, & grauem metuendam eſſe ducenti. Non enim vires habere ſed pondus, immo nunquam regi poſſe, nec diu durare quicquid regi non poteſt.

Oroſius. Habuit igitur Xerxes in exercitu ſeptinginta millia armatorum de regno; & trecenta millia de auxiliaribus; roſtratas naues mille ducentas; onerarias autem tria millia: aduerſus tamen exercitum hunc Leonidas rex Spartanorum cum quatuor tantum millibus armatorum in anguſtijs Termopylarum obſtitit; triduoque ocntinuo non duorum pugna ſed vnius populi cædes *Xerxis ad Termopylas pugna.*

fuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fuit. Quarta die cum videret Leonidas hostem vndique circumfundi, socios hortatur vt se ad meliora tempora reseruent: Ipse cum sexingentis tantum viris sexingentorum millium castra irrupit. Persæ quoque ipsi Spartanos adiuuant, mutuis cædibus suis, prælium a principio noctis in maiorem partem diei tractum est. Postremo Spartani vincendo fatigati mortui inter mortuos ceciderunt. Ad suos autem dixerat ille clarissimus Lacedæmoniorum dux Leonidas famosissima incitamẽta: Prandete, inquit, tanquam apud inferos cænaturi.

Apollinis tẽplum diripit Xerxes.

Iustinus lib. 2. Interim Xerxes mittit quatuor millia armatorum Delphos ad templum spoliandum, qui omnes imbribus & fulminibus sunt deleti. Porro in initio belli consulentibus Spartanis Appollinem Delphicũ, responsum fuerat, aut regi Spartanorum aut vrbi cadendum.

De, Nauali prælio contra Græcos & fuga Persarum.

Cap. XXXVIII.

Themistoclis consilium.

XErxes autem duobus vulneribus in prælio acceptis, nauale certamen experiri statuit. Aduentante autem Xerxe consulentibus Athenienſibus oraculum delphicum, responsum fuerat, vt salutem muris ligneis tuerentur. Quod Themistocles dux nauium præsidium interpretatus, persuasit Athenis & sociis vrbibus vt naues ædificarent, probatoque consilio, coniuges & liberos cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta vrbe demandant. Itaque Xerxes Thespiadas, Platæas & Athenas vacuas hominibus incendit. Et quoniam ferro in homines non poterat, igne in ædificia grassatur. Conserto autem nauali prælio, ipse in littore spectator pugnæ residet. Archemidora autem vel sicut alibi legitur Artemisia regina Alicarnasi quæ Xerxi in auxiliũ venerat: inter primos duces acerrime pugnabat. Et cum esset anceps pugna: Iones iuxta præceptum Themistoclis se paulatim certamini subtrahere cæperunt. Quorum defectio & animos cæterorum fregit; & Persas iam dudum fugam circunspicientes, apertè fugere persuasit. In qua fuga multæ naues mersæ, multæ captæ sunt: plures autem sæuitiam regis timentes, domos dilabuntur: inito consilio, regis exercitus Mardonio traditur: ipse cum paucis Abyden contendit, cum pontem hybernis tempestatibus solutum offendisset, piscatoria scapha trepidus transiit. Talis fuga fuit regis, cuius tam terribilis fuerat aduentus: Hanc eius fugam pulchre significauerat monstruosus ille partus equæ, quæ in eius exercitu vulpem pepererat.

Xerxes Athenas incẽdit.

Xerxis timiditas denotatur.

Xerxis fuga turpissima

Orosius lib. 2. Pedestres quoque copiæ quæ ducibus commissæ fuerant, labore, fame ac metu distabuerunt, & crudescente morbo, tanta pestis, tantaque fæditas morientium exorta est, vt viæ cadaueribus replerentur. Diræ etiam alites atque improbæ bestiæ escarum illecebris solicitatæ moribundum sequebantur exercitum.

Mardonius interim Olynthum Græciæ oppidum expugnauit; & Athenienses varia solicitatione adducere in spem pacis aggressus est. Quorum vt vidit inexpugnabilem virtutem ob libertatem, incensa vrbis parte, quam ædificauerat, omnem belli apparatum in Bœociam deducit. Illuc quoque eum centum millia Græcorum insecuti sunt. Et commisso sine mora prælio, deletis eius copiis, ipsum fugere compulerunt. Castra regiis opibus referta cæperunt, non paruo quidem antiquæ industriæ damno. Nam post huius prædæ diuisionem, aurum Persicum prima Græciæ virtutis corruptio fuit.

Seneca vbi supra. Itaque cũ circa Xerxem & eius exercitum ea quæ Demaratus prædixerat accidissent. Xerxes tam pudore quam damno miserior. Demarato gratias egit quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet, petiit ille vt Sardis maximam Asiæ ciuitatem curru vectus intraret rectam capite tyaram gerens. Id solis datum regibus: dignus fuerat præmio, antequam peteret. Sed quam miserabilis gens in qua non erat qui verum diceret regi, nisi qui non * fauebat sibi.

* *alias dicebat.*

De Principatu Themistoclis in Græcia.

Cap. XXXIX.

Themistocles præ cæteris laude coronatur.

IUstinus *lib.* 2. Confecto autem bello cum de præmiis ciuitatum ageretur, omnium iudicio Athenienſium virtus cæteris prælata est. Inter duces quoque Themistocles princeps ciuitatum testimonio iudicatus, gloriam patriæ suæ auxit. Huius tamen Themistoclis adolescentia tot vitiis in principio subdita fuit, vt eum pater abdicauerit, mater quoque suspendio vitam finierit. Hic est Themistocles, qui cum eum quidam consuleret de filia sua, vtrum eam pauperi, sed ornato, an locupleti parum probato, collocaret; respondit: malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem. Idem theatrum petens cum interrogaretur, cuius vox auditu illi futura esset gratissima, respondit, à quo artes meæ optimè canentur.

Cic. offic. 2. *Plut. in vita & Apoph.*

Author. Ex quo intelligitur, eum valde cupidum gloriæ fuisse. Hic tandem Themistocles exul (vt legitur) à Persarum rege Xerxe susceptus, cum enim videret bellum inferri Athenienſibus, ne aut destitueret bene de se meritum, aut oppugnaret patriam suam, Magnesiæ hausto tauri sanguine moritur.

Probus & Plut. in vita Aliqui.

Valerius lib. 6. Piget Themistoclis adolescentiam attingere, siue patrem aspiciam abdicationis * iniungentem notam, siue matrem suspendio finire vitam, propter filij turpitudinem coactam: cum omnium postea Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumque Europæ & Asiæ vel spei vel desperationis pignus fuerit, hęc eum salutis suæ patronum habuit: illa victoriæ vadem assumpsit.

* *alias inurentem.*

Cic. Catone Plut. & Probus in vita.

Idem lib. 8. Quam porro industrius Themistocles qui maximarum rerum cura districtus, omnium tamen ciuium suorum nomina memoria comprehendit, per summam quæ iniquitatem patria pulsus; & ad Xerxem quem paulo ante deuicerat confugere coactus: priusquam in eius conspectum veniret, sermoni Persico se assuefecit. Cuius vtriusque industriæ laudem duo Reges partiti sunt. Cyrus omnium suorum nomina. Mithridates 22. Gentium quæ sub regno illius erant, linguas edi-scendo.

Plin. 7. c. 24.

Tullius in lib. de amicitia. Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? qui cum imperator bello Persico Græciam seruitute liberasset, propter quæ inuidia in exilium expulsus esset, ingratæ patriæ iniuriam non tulit, quam ferre debuit, sed fecit id quod 20. annis ante apud nos fecerat Corilianus. His adiutor contra patriam inuentus est nemo, itaque mortem sibi vterque asciuit.

Idem in lib. 3. *de offi.* Themistocles post victoriam eius belli quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reipublicæ salutare, sed id sciri opus non esse, postulauitque vt aliquem populus daret, cui communicaret. Datus est Aristides, huic ille classem Lacedæmoniorum, quæ subducta erat ad Githeum clam incendi posse dixit. Quo facto, frangi opes Lacedæmoniorum necesse esse: quod Aristides cum audisset, in concionem magna expectatione venit, dixitque perutile esse consilium quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem (auctore Aristide) repudiauerunt. Melius hi quam nos: qui piratas immunes: socios vectigales habemus.

Laudat iustitiã Athenienſium qui ſocios Lacedæmonios cæteroſque nullo modo violandos cenſuerunt.

De Pyndaro & Sophocle & Euripide Poetis.

Cap. XL.

EVsebius *in chronicis.* Temporibus Xerxis Pyndarus, Sophocles & Euripides claruerunt.

Author. Pyndarum hunc poetam dixit Solinus Alexãdrũ Aminthę filiũ donis liberalissimis tenuisse. Qui Alexãder adeo diues fuit, vt apud Helidem Apollini delphi-

co ſtatuas aureas dono mitteret. *Item dicit*, Pindarum è conuiuij loco à Caſtore & Polluce inſpectantibus cæteris conuiuis vocatum, & mox eo egreſſo, ſuper cæteros remanentes, triclinium collapſum.

Valerius lib.9.cap.12. Pyndarus cum in gymnaſio ſuper gremium pueri quo vnice delectaretur, capite poſito, quieti ſe dediſſet, placidum finem accepit. Neque enim prius deceſſiſſe cognitus eſt quam cum à gymnaſiarcha claudere iam eum locum volente, nequaquam excitaretur. *Suidas.*

Tullius in libro de ſenectute. Sophocles ad ſummam ſenectutem tragedias fecit.

Valerius lib. 4. cap. 3. Sophocles ætate iam ſenior cum ab eo quidam quæreret, an etiam nunc rebus venereis vteretur. Dij meliora, inquit, libenter enim iſtinc, tanquam ex aliqua furioſa dominatione profugi. *Cic. Caton. Plato de rep. 1.*

Idem libro 9. cap. 12. Sophocles iam ſenex, tragædiam quandam in certamen miſerat. Cumque ſuſpenſus ancipitis certaminis expectaret ſententiam, audiuit ſe vna ſententia viciſſe, & præ gaudio expirauit. *Lucian. in Macrobiis, aliter & Simonides Epigram.3.*

Author. Solinus narrat, quod cum Liſander Lacedæmonius Athenas obſideret, vbi Sophoclis tragici inhumatum corpus iacebat, Liber pater ducem monuit per quietem, vt ſepeliri delicias ſuas ſineret. Nec prius hoc monere deſtitit quam Liſander cognito quis obiiſſet, & à numine poſceretur, quod inducias bello daret, vſque dum congrue ſupremis talibus exequiæ ducerentur.

Boe.de conſo.lib. 3. Euripidis probo ſententiam, qui carentem libidinis infortunio dixit eſſe fælicem.

Valerius 9.lib.cap. 12. Cum Euripides à cæna regis Archelai domum rediret, à canibus dilaceratus eſt: Crudelitas fati ingenio tanto non debita. *Gnid. Gell. 13.c.20.*

Author. Idem Archelaus (vt ait Solinus) adeo dilexit Euripidem, vt ei ſummam conſiliorum committeret. Qui audita eius morte, crinem ſuum totondit, quod tamen Seneca dicit eum feciſſe metu repentinæ eclypſis ſolis.

Euſebius in chronicis. Eo quoque tempore Herodoclus Hiſtoriarum ſcriptor agnoſcitur. Romæ virgo veſtalis Pompilia deprehenſa in ſtupro viua defoſſa eſt.

De Nece Xerxis, & regno Artabani & Artaxerxis.

Cap. XLI.

Artabanus.

IVſtinus lib.3. Xerxes autem terror antea gentium, bello in Græcia infæliciter geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cæpit: Et deficiente Regis quotidie maieſtate Artabanus præfectus eius in ſpem regni adductus, cum robuſtiſſimis ſeptem filiis aulam regiam ingreſſus veſperi, quæ illi iure amicitiæ ſemper patebat: rege trucidato, filios eius dolo aggreditur. Dixitque Artaxerxi puerulo, regem à Dario fratre ſuo interfectum, & ſic impulit eum in necem fratris innocentis, qui dormiens inuentus quaſi ſomnum fingeret, interfectus eſt. Cum ergo Artabanus eum ſolum de regiis filiis ſupereſſe videret, metueretque de regno, certamina principum; aſſumpſit in ſocietatem conſilij Bacabaſum. Qui præſenti ſtatu contentus, rem prodidit Artaxerxi: quomodo frater & pater occiſi ſunt; quibus cognitis, Artaxerxes verens numerum filiorum Artabani, in poſterum diem paratum eſſe exercitum armatum iubet, quaſi recogniturus & numerum militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Cumque inter cæteros ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, Rex ſimulat ſe breuiorem loricam habere; & iubet Artabanum ſecum comutare. Exuentem ſe, ac nudatum gladio, traiicit, & filios eius corripi iubet: Et ſic adoleſcens egregius, & cædem patris vindicauit, & ſe ab inſidiis liberauit.

Artaxerxes 3488.

Ex chronicis. Igitur regnauit Perſarum 6. Artabanus mẽſibus 7. poſt hunc 7. Artaxerxes, qui Longimanus cognominabatur, cæpit anno quintæ ætatis 125. mundi vero tertio milleſimo 488. & regnauit annis 40.

De Pericle & Sophocle ducibus Athenienſibus.

Cap. XLII.

IVſtinus vbi ſupra. His temporibus duces eliguntur Athenis Pericles ſpectatæ virtutis vir & Sophocles tragædiarum ſcriptor, contra Thebanos & Lacedęmonios. Cumque Lacedæmonij agros Athenienſium poſtularent, agros Periclis intactos reliquerunt, ſperantes ſe acquirere illi poſſe, aut periculum ex inuidia, aut ex ſuſpicione proditionis infamiam. Quod Pericles ante proſpiciens, & futurum populo prædixerat, & ad inuidiæ declinandum impetum agros ipſos dono reipublicæ dederat.

Valerius lib.8.cap.9. Pericles ſub Anaxagora præceptore ſummo ſtudio inſtructus, egit Athenas, & verſauit vrbem arbitrio ſuo. Cumque aduerſus voluntatem populi loqueretur: iocunda nihilominus, & popularis eius vox erat. Itaque veteris comædiæ maledica lingua quãuis potentiam viri perſtringere cupiebat, tamen in labiis eius melle dulciorem leporem fatebatur habitare; & in animas eorum qui illum audierant, quaſi aculeos quoſdam relinqui prædicabat. Quid enim inter Pyſiſtratum & Periclem interfuit: niſi quod ille armatus, hic ſine armis tyrannidem geſſit.

Tullius in libro de officiis. Cum Pericles & Sophocles ad colloquendum de conſultationibus publicis ſimul conſediſſent, & caſu pulcher adoleſcens tranſiret: ait Sophocles, O Pericle, pulchrum puerum! Reſpondit Pericles: Prætorem decet non ſolum manus, & linguã: ſed & oculos habere continentes.

Comeſtor.c.4.ſuper Iudith. Eo tempore natus eſt Socrates Lapis: habens formam caprinam, in Ægeum mare de cælo cecidit.

De Eſdra propheta & geſtis eius.

Cap. XLIII.

Comeſtor c. 3.

EO tempore Eſdras Aaronita legem ſuccẽſam à Caldæis reparauit. Nouos quoque litterarum apices excogitauit: qui faciliores ad ſcribendum fierent, & ad pronunciandum, & propterea velox ſcriba dictus eſt. Addidit etiam quædam de ſuo, ſicut titulos pſalmorum, & plura quæ leguntur in Pentateuco. Sic quoque veriſimile eſt quædam quæ ſuperflua intellexit ipſum ſubtraxiſſe. Tradunt etiam quidam modum ſcribendi à dextra in ſiniſtram eum Iudæis tradidiſſe, cum prius ad modum arantium ſcriptitarent, vnde & ſcriptura exaratio ſolet dici. Scribebant enim à ſiniſtro cornu in dextrum, & à dextro redeundo ſcribebant in ſiniſtrum: forte per illum modum ſcribendi præfigurauit ſpiritus ſanctus idipſum quod modo ſignificatur in miſſa per tranſlationem libri de dextra in ſiniſtram.

Porro Eſdras inuenit gratiam in oculis Artaxerxis, & petiit ab eo licentiam aſcendendi in Hieruſalem, vt in lege, quam reparauerat, populum ſuum erudiret. Dedit ergo ei rex licentiam redeundi, & tradidit epiſtolam ad principes ſuos trans flumen, & ad cuſtodes arcæ publicę vt traderent Eſdræ neceſſaria, miniſtros vero templi ab omni vectigali, tributo, & annonis abſoluit. Dedit etiam Eſdræ poteſtatem amouendi & conſtituendi iudices & præſides trans flumen ſecundum ſapientiam ſuam, & puniendi contumaces. Et fuerunt cum eo mille ſeptingenti, & venerunt in Hieruſalem menſe 5. & ſiluerunt tribus diebus, quarto die obtulerunt in domo Domini quæ ſecum tulerant. Tunc adiurauit Eſdras Sacerdotes, principes & Leuitas vt proiicerent vniuerſas vxores alienigenas, & eos qui de his nati erant. *Mandatum de dimittendis vxoribus exteris.*

Gloſſa ſuper Malachiam. Nam vxores ſui generis reuerſi de Babylonia tam principes & Sacerdotes quam reliquus populus, qui paupertate & labore viæ infirmitatem vel deformitatem contraxerant, repudia-

uerant,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uerant, vel eiecerant,& filiabus alienigenarum ætate vel diuitiis florentibus ſe copulauerant , vnde ſicut Eſdras peccatores corripuit : ſic Malachias eos prouocauit , vt eiectis alienigenis, antiquas vxores reciperent.

De Empedocle & Parmenide Philoſophis.

Cap. XLIV.

Empedocles. *Euſebius in chronicis.* Eo tempore Empedocles & Parmenides philoſophi agnoſcuntur.

Boetius in prologo de arte muſicâ. Empedocles cum eius hoſpitem gladio quidam furibundus inuaderet , quod eius ille patrem accuſatione damnaſſet, inflexiſſe,dicitur modum canendi , & ita adoleſcentis iracundiam temperaſſe.

Ariſtoteles in l.de vegetabilibus. Tria ſunt (vt ait Empedocles) in tota rerum varietate præcipua : ſcilicet nobilis affluentiæ contemptus : futuræ fælicitatis appetitus: mentis illuſtratio:quorum primo nihil honeſtius,ſecundo nihil fælicius ; tertio nihil ad amborum adeptionem efficacius. *Idem in Metaphiſica lib.* 2. Empedocles finxit, quod lis eſt cauſa corruptionis , & principium eius ; & æſtimauit , quod omnia generat lis iſta præter vnum , & quod omnia præter Deum ab illa facta ſunt. Fingit enim quod ex lite eſt generatio omnium , quæ fuerunt , vel ſunt , vel erunt. Et quia ſi lis non eſſet in rebus ; omnia eſſent vnum, ſed lis cum ſit in rebus diſpergit eas,& non ſinit quieſcere. Fingit etiam , quod amicitia eſt cauſa propter quam omnia ſunt vnum. *Bernardus ſilueſtris.* Quærenti Empedocles cur viueret,inquit, vt aſtra inſpiciam, cælum ſubtrahe, nullus ero.

Author. Hic eſt Empedocles qui ſic Deum legitur deſcripſiſſe. Deus (inquit) eſt ſphera cuius centrum eſt vbique & circunferentia nuſquam. Hic totum ſeſe Athenis incendiis dedit (vt refert Lactantius) mortem ſibi intulit, eo quod æternas eſſe animas ſuſpicabatur , dicit tamen Macrobius eum dixiſſe animam ſanguinem eſſe, in qua ſententia fuit & Erichias. De Parmenide autem legitur quod in rupe Caucaſi logicam inuenerit.

De Decem-viris Romæ ſcribendis legibus deputatis, & de Appio Claudio.

Cap. XLV.

Euſebius in chronicis. Eo tempore ſcilicet anno 12. Artaxerxis 302.ab vrbe cõdita, Decem-viri creati,poſt annum eiecti ſunt propter Appium Claudium qui in Virginij cuiuſdam filiam contra Latinos in Algido militantis, voluit abducere..

Qui primi Decem-viri. *Author.* Nomina autem ipſorum Decem-virorum ponit Iſidorus lib. 5. cap. 1. dicens. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit, primus leges Romanis edidit. Deinde cum populus ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet. Decem-viros legibus ſcribendis creauit qui leges ex libris Solonis in Latinum ſermonem tranſlatas duodecim tabulis expoſuerunt. Fuerunt autem hi Apius Claudius, Genutius, Veterius, Iulius, Manilius,Sulpitius,Sextius, Curatius, Romelius, Poſtumius.

Decemviratus verſus in tyrãnidẽ. *Oroſius libro ſecundo.* Poteſtas Decem-viris tradita conſtituendarum legum Atticarum gratia , magnam perniciem reipublicę inuexit.Nam primus exDecem-viris cedentibus cæteris , ſolus Appius Claudius continuauit ſibi imperium ; ſtatimque aliorum coniuratio ſubſecuta eſt : vt more contempto , quo inſigne imperij penes vnum , poteſtas autem communis erat , omnes omnia propriis libidinibus agitarent. Itaque inter cætera quæ inſolentiſſime cuncti præſumebant, repente ſinguli cum duodenis faſcibus cæteriſque imperatoriis inſignibus proceſſerunt ; & nouo improbæ ordinationis incepto, oblitterata religione conſulum emicuit agmen Tyrannorum : duabus tabulis legum ad decem priores additis, agentes inſolentiſſimo faſtu plurima : die quo deponere magiſtratus mos erat , cum eiſdem inſignibus proceſſerunt. Maxima autem Appij Claudij libido auxit inuidiam , qui vt virgini ſtuprum inferret , prius ſeruitutis cauſam intulit. Quamobrem adactus virginis pater dolore libertatis , & pudore dedecoris , protractam ad ſeruitutem filiam in conſpectu populi pius parricida proſtrauit. Qua populus neceſſitatis atrocitate permotus, & periculo libertatis admonitus , montem Auentinum occupauit armatus , nec tueri libertatem armis deſtitit, niſi poſtquam ſe coniuratorum conſpiratio ipſis quoque honoribus abdicauit.

De Virginij filia. Perimit filiã Virginius.

Valerius. Virginius filiam ſuam in medio foro occidit, malens eſſe occiſor virginis quâm corruptæ pater.

Euſebius in chronicis. Romani autem per legatos ab Athenienſibus iura petierunt , ex quibus 12. tabulæ conſcriptæ ſunt. Hoc quoque tempore Zeno & Heraclitus tenebroſus, agnoſcuntur , Anaxagoras moritur. Ariſtarchus Tragædiographus agnoſcitur. Cratinus & Plato comediarum ſcriptores. Crates quoque Comicus , & Teleſilla ac Bachilides Lyricus, clari habentur. Praxilla quoque & Deobulina ſunt celebres,

De Nehemia & regedificatione murorum Hieruſalem.

Cap. XLVI.

Comeſtor.c.6.ſuper Iudith. In anno viceſimo regis Artaxerxis erat Pincerna regis Nehemias de filiis captiuitatis. Qui dũ eſſet in Suſis caſtro audiuit peregrinos Hæbraicè loquentes,& accedens ſciſcitatus eſt ab eis de ſtatu Iudeæ & Hieruſalem ; & accepit ab eis, vrbem eſſe ſine muris, & habitare in ea populum Dei in afflictione ; nam per diem ſuſtinebant impetum hoſtium , & noctibus intrabant latrunculi , & plateas implebant cadaueribus occiſorum. Et fleuit Nehemias , & cibum deſiderabilem non comedit , nocte & die clamans ad Dominum. Sciſcitata triſtitiæ cauſa rex , tempore reuertendi ſibi conſtituto, dedit ei epiſtolam ad principes trans fluuium, in qua mandauit de honore exhibendo Nehemiæ tanquam duci , & legato miſſo de latere eius , & de impendiis vrbis reædificandæ. Et miſit cum eo principes militum , & equites : Et tranſitum faciens per Babyloniam multos de filiis captiuitatis ſecum reduxit ; & venit in Hieruſalem viceſimoquinto anno Artaxerxis ſecundum Ioſephum. Porro in Hieruſalem ſummus erat ſacerdos Eliſaphat filius Eliachim. Et ſiluit Nehemias tribus diebus , & nocte conſurgens cum paucis circuibat ruinas murorum , conſiderans qualiter reædificari poſſent, quarta die locutus eſt ad multitudinem. Venite & reædificemus muros Hieruſalem & non ſimus vltra in opprobrium gentibus. Et conſummatum eſt opus per annos duos & quatuor menſes , licet in multa anguſtia & plurimis impedimentis. Primo enim finitimæ nationes in manu forti aggrediebantur eos : Nehemias vero mediam partem populi armatam ſtatuit extra ciuitatem , vt ſuſtinerent impetus aggredientium : Alia vero media pars ædificabat, vna manu ponentes lapidem , & altera gladium tenentes. Porro ſecundum interuenit impedimentum, orta eſt enim fames in terra, & obligauit ſe populus debitis ſub vſuris. Sed & agros & vineas & oliueta vendere compulſi ſunt ; tandem filios & filias. Præterea tertium habuit impedimentum , quod Principes trans fluuium, qui inuidebant ei, corruperunt muneribus quoſdam Seniorum , qui erant in Hieruſalem, vt eum morte proderent : quod cum nequirent , variis eum terrebant rumoribus , & vt ſic ab opere ceſſaret. Cumque multa fingerent in hunc modum non præualuerunt , quia manus Domini erat cum eo. Poſtquam autem ædificatus eſt murus , quia rari erant habitantes in Hieruſalem : præcepit Nehemias vt clauderentur portæ ante ſolis occaſum , nec aperirentur ante ſolis calorem.

Nehemias conceſſa poteſtate redeundi,Iudæos, qui apud Babylonẽ degunt, ſecum reduxit.

Populum ad reſtituenda mania, & templũ hortatur.

Hieroſolymorũ mania abſoluta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De lectione legis in feſto Scenophegiæ.

Cap. XLVII.

CVmque immineret menſis ſeptimus qui fere totus apud eos ſolemnis eſt, conuenerunt omnes in Hieruſalem,quaſi vir vnus;& percepit Nehemias,quod non habebant ignem de ſublimi. Traditumque eſt ei à ſenioribus, quod Hieremias in diebus captiuitatis abſconderat ſtipites, altariſque prunas in inferioribus terræ in valle Ioſaphat. Cumque veniſſent ad locum eruderauerunt puteum, & inuenerunt ſtipites & prunas, & aquam craſſam, & tollentes eas ſuper ſtruem lignorum, & hoſtias, quæ erant ſuper altare proiecerunt, & erupit ignis; & orabant ſacerdotes, Ionatha inchoante, cæteriſque reſpondentibus. Nehemias quoque ſpecialem edidit orationem.

Ignis ſacrificij à Nehemia repertus.

Comeſtor c. 9. Prælectio legis Moſaicæ.

Porro primo die Scenophegiarum dixerunt Eſdræ vt afferret librum legis, & legeret coram populo, ſtetitque Eſdras ſuper gradum ligneum iuxta portam aquarum id eſt portam atrij, ſecus quam erant luteres, & legit de mane vſque ad medium diem. Leuitæ vero 12. ſilentium faciebant in populo. Fleuit autem omnis populus; & dixit ad eos Eſdras; Nolite contriſtari, quia ſanctus dies Domini eſt. Cumque rediiſſent in diem ſecundum mandante Eſdra, egreſſi ſunt, & tulerunt frondes arborum, & fecerunt ſibi tabernacula in atriis & domatibus ſuis,& in atriis domus Dei,quæ non fecerant à diebus Ioſue filij Nun; & obſeruatum eſt deinceps in Iſrael. Die vero octaua fecerũt collectam iuxta ritum ſtatuentes vt quiſque daret tertiam partem ſicli per annum ad oleum & panes propoſitionis & ſacrificia. Poſt hæc iuxta legem ſeparauerunt alienigenas ab eccleſia, & in emundatione ſui ſtatuerunt in craſtinum generale ieiunium; vt affligerent animas ſuas, homines & iumenta vſque ad pueros ſeptennes. Et conuenerunt octies ad audiendam legem quater in die, & quater in nocte. Lectione terminata, proſternebatur populus ad orandum, & fiebant preces ſuper eum,& tandem benedictio ſacerdotum.Ex his (vt dicit Beda) eccleſia traxit exemplum. Nam octies conuenimus ad eccleſiam, etſi non penitus eo modo quo illi. Semel enim in nocte ſurgimus ad nocturnas pſalmodias,ſecundum illud: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* In die vero ſepties pſallimus; ſecundum illud: *Septies in die laudem dixi tibi.* Singulis autem horis legitur lectio, quam capitulare dicimus; poſt quam proſternimur,ad preces in diebus profeſtis,& ſubditur oratio, pro benedictione.

De Muri ædificatione.

Cap. XLVIII.

Comeſtor c. 10.

POrro videns Nehemias vrbem fere vacuam habitantibus, rogauit optimates vt habitarent in Hieruſalem & benedixit eis; qui ſe ſponte obtulerunt: reliqua vero multitudo miſit ſortem, & decimum caput, ſuper quod cecidit ſors; fecit habitare Hieruſalem. Poſt aliquot tempus congregati ſunt in Hieruſalem ad dedicationem muri, & aſcenderunt Sacerdotes & Leuitæ, cantoreſque cum muſicis, & pſallentes incedebant per muros, Eſdras vero præcedebat, Nehemias autem & optimates cum eo ſuper alteram partem muri incedebant pſallentes: Reliqua vero multitudo ſequebatur eos ſuper terram & ducebant choros.

Muri dedicatio.

His expletis, rediit Nehemias ad regem,anno * 30.regni ſui. Et mortuus eſt Eſdras in ſenectute veneranda, & cum multa liberalitate ſepultus eſt in Hieruſalem.Hunc quidam Hæbreorum autumant fuiſſe Malachiam, ſed Malachias poſt regreſſum captiuitatis natus eſt in Iudæa in Sophis. Quem quia vitæ optimæ fuit, & aſpectu decorus, populus appellauit Malachim, id eſt Angelum. Tradunt etiam quod quæ propheticè dicebat,eadem die Angelus Dei apparens iterabat.

** Euſebius habet. 32. Mors Eſdræ.*

De ſpe reſurrectionis, & gloriæ cæleſtis, quæ reuelata ſunt Eſdræ.

Cap. XLIX.

Authoꝛ. Præter duos autem Eſdræ libros, primum & ſecundum qui vulgati ſunt apud nos; extant etiam alij ſcilicet tertius & quartus,nomine eiuſdem intitulati, ſed inter apocripha reputati. Ex quibus tamen quia veteres auctores videntur nonnulla ſumpſiſſe teſtimonia, pauca hæc breuiter excerpſi.

Ex tertio libro Eſdræ. Ego vobis in eſcam manna dedi, aquam de petra produxi, & propter æſtus, foliis arborum vos texi. Noluiſtis me audire, transferam me ad gentes alias. & dabo eis nomen meum. Rogaui vos vt pater filios,& vt mater filias, ita vos collegi vt gallina filios ſuos ſub alas. Dies feſtos veſtros & circumciſiones carnis repudiaui, generatio eorum diſpergatur in gentes; annuncia populo meo quoniam dabo eis regnum Hieruſalem, quod daturus eram Iſrael, & aſſumam mihi gloriam eorum,& dabo eis tabernacula æterna quæ præparaueram illis. Reſuſcitabo mortuos de locis ſuis, quoniam cognoui nomen meum in illis. Noli timere mater filiorum, quia te elegi, & paraui tibi arbores 12. grauatas variis fructibus, & totidem fontes fluentes lac & mel, & montes immenſos 7. habentes roſam & lilium, in quibus gaudio replebo filios tuos. Orphanum tuere,nudum veſti, debilem cura, claudum ridere noli,mortuum ſepeli, & dabo tibi primam ſeſſionem in reſurrectione mea; alij plorabunt, & triſtes erunt, tu autem hilaris; & copioſa manus teget te,ne filij tui gehennam videant; filios tuos morientes memorare, quoniam educam eos de latibulis terræ, & miſericordiam cum illis faciam,quia miſericors ſum.

Ego Eſdras accepi præceptum à Domino in monte Oreb, vt irem ad Iſrael, ad quos cum venirem reprobauerunt me, & reſpuerunt mandatum Domini. Ideo vobis dico gentes, quæ intelligitis, expectate paſtorem veſtrum,requiem æternitatis dabit vobis, quoniam in proximo eſt ille, qui in fine ſæculi aduenit. Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis, per æternitates temporum; fugite vmbram ſæculi huius, accipite iocunditatem gloriæ veſtræ: ego teſtor Saluatorem meum, commendatum Domini accipite & iocundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cæleſtia regna vocauit. Surgite, inſtate, & videte numerum ſignatorum in conuiuio Domini, qui ſe de vmbra ſæculi tranſtulerunt, & ſplendidas tunicas à domino acceperunt. Recipe Syon numerum tuum, & conclude candidos tuos, qui legem Domini compleuerunt, filiorum tuorum quos optabas, plenus eſt numerus.

Ego Eſdras vidi in monte Syon turbam magnã quam dinumerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum; & in medio eorum erat ſtatura iuuenis celſus eminentior illis omnibus,& ſingulis eorum capitibus imponebat coronas. Tunc interrogaui Angelum: Domine qui ſunt hi? & reſpondit. Hi ſunt qui mortalem tunicam depoſuerunt,& immortalem ſumpſerunt. Confeſſi ſunt nomen Domini, modo coronantur & accipiũt palmas. Et dixi: Ille iuuenis quis eſt;qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Qui reſpondit, Ipſe eſt filius Dei quem in ſæculo confeſſi ſunt.

Querela Eſdræ de afflictione bonorum, & de multitudine reproborum.

Cap. L.

EX *lib.* 4. Anno trigeſimo ruinæ ciuitatis, eram in Babylone conturbatus ſuper cubili meo recumbens, quia vidi deſertionem Syon,& abundantiam eorum qui habitabãt in Babylone; & cæpi loqui ad altiſſimum verba timorata, & dixi: Domine qui plantaſti terram ſolus, & imperaſti populis, dereliquerunt te qui habitant Hie-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rutalem, facientes ſicut Adam, & tradidiſti ciuitatem in manus inimicorum; & tunc dixi in corde meo, nunquid meliora faciunt, qui habitant in Babylone, & propter hoc dominabuntur Syon? Cumque veniſſem huc, vidi impietates, quarum non eſt numerus, & pepercisti impiè agentibus, & perdidiſti populum tuum. Quæ enim gens alia cognouit te præter Iſrael? Homines quidem per nomina inuenies ſeruaſſe mandata tua, gentes autē non inuenies; & reſpondit Angelus ad me miſſus; cui nomen Vriel. Excedēs exceſſit cor tuum in hoc ſæculo, & comprehendere cogitas viam altiſſimi; tu quæ tua ſunt tecum cogita. Et dixi: Quid prodeſt in præſenti viuere in triſtitia, & mortuos ſperare punitiones? Quid prodeſt, ſi promiſſum eſt nobis immortale tempus, nos vero mortalia opera gerimus? & quoniam ſuper ſtellas fulgebit facies eorum qui abſtinentiam habuerunt, noſtræ vero facies ſuper tenebras nigræ erunt? Et reſpondit; Hoc eſt cogitamentum certaminis, vt ſi non vicerit homo, patiatur quod dixiſti, ſi autem vicerit, recipiet quod dico. Quomodo autem dat terra multo magis, vnde fiat vas fictile: paruum autem puluerem, vnde fit aurum; ſic pauci ſaluabūtur. Nam & agricola multa ſeminat ſuper terram, & multa plantat, ſed non omnia in tempore ſaluabuntur, vel radicabuntur. Tu autem pro te intellige, & de ſimilibus tuis inquire gloriam. Vobis enim apertus eſt Paradiſus, plantata eſt arbor vitæ, præparatum eſt futurum, præparata abundantia, ædificata eſt ciuitas, probata eſt requies, perfecta eſt bonitas; infirmitas extincta eſt à vobis & corruptio, in obliuionem tranſierunt dolores, oſtenſus eſt in finem theſaurus immortalitatis. Noli ergo addiſcere inquirēdo de multitudine eorum, qui perierunt. Nam & accipientes libertatem ſpreuerunt altiſſimum, & legem eius contempſerunt, adhuc autem & iuſtos conculcauerunt, & ſicut vos ſuſcipient, quæ prædicta ſunt, ſic eos cædes & cruciatus quæ præparata ſunt. Ex dixi, ecce Domine demonſtraſti mihi ſigna quæ facies in nouiſſimis, ſed non demonſtraſti quo tempore. Et reſpondit: Tempus in quo incipiet altiſſimus viſitare ſęculum, quando videbitur in ſæculo munitio locorum, turbatio populorum, inconſtantia ducum; & omnis qui poterit effugere per opera ſua, vel per fidem in qua credidiſti, relinquetur de prædictis periculis, & videbit ſalutare meum in finibus meis: tunc mirabuntur, qui nunc vias meas abuſi ſunt, & in cruciamentis morabuntur. Quotquot enim non cognouerunt me viuentes, beneficia conſecuti, & cum adhuc haberent in libertatem, & eſſet eis apertus pœnitētiæ locus, intellexerunt; ſed ſpreuerunt; hos oportet poſt mortem in cruciamento cognoſcere. Conſideraui namque ſæculum, & ecce perditum erat per orbem, & ecce erat periculum, & percipi eis vix valde, & ſaluaui mihi acinum de botro, & plantationes de tribu multa. Pereat ergo multitudo quæ ſine cauſa nata eſt; & ſeruetur acinus meus, & plantatio mea, quia cum multo labore perfeci hæc.

Quod in typo mulieris oſtenſa eſt ei deſolatio & reædificatio vrbis.

Cap. LI.

ET profectus ſum ſicut dixit mihi in campum Ardad, & ſedi ibi in floribus, & de herbis agri manducaui, & poſt 7. dies diſcumbente me, ſupra fœnum, iterum ſicut antea turbatum eſt cor meum. Cumque loquerer altiſſimo in corde meo, reſpexi & vidi mulierem in dextera parte dolentem & plorantem cum voce magna, cuius veſtimenta diſciſſa, & cinis ſuper caput eius, & dixi ei, Vt quid fles? hei quid paſſa es? Reſpondit mihi: Sterilis fui Domine, habens maritum annis triginta, quibus nocte & die deprecante me Dominum, tandem exaudiuit me, & dedit mihi filium, & iocundata ſum ſuper eum valde, & nutriui eum, cum multo labore. Cumque creuiſſet, & vxorem accipere voluiſſet feci diem epuli, ſed cum in thalamum ſuum introiſſet, cecidit & mortuus eſt; & ſurrexerunt omnes conciues ad me conſolandā, & quieui vſque ad aliam noctem. Tunc omnibus quieſcentibus, nocte ſurrexi, & veni in hunc campum, & fugi, & cogitaui non reuerti, ſed conſiſtere hic ſine cibo & potu, lugere, donec moriar. Reſpondi ad eam cum ira, & dixi: Stultiſſima mulierum, nō vides quæ nobis contigerunt, quomodo Syon mater omnium noſtrum humiliata eſt lugens validiſſime? & omnes lugemus & triſtes ſumus. Interroga enim terram, & dicet tibi quoniā hæc eſt quæ luget, quia ex ipſa omnes nati, & ecce omnes pene in perditionem. Quis ergo magis debet lugere, niſi hæc, quæ tantam multitudinem perdidit, quam tu, quæ pro vno filio doles? Nunc itaque contine dolorem tuum, & fortiter fer, qui tibi contigerunt caſus, & ingredere ciuitatem ad virum tuum. Et dum loquebar ad eam, ſubito facies eius refulſit valde, ita vt pauerem, & emiſit vocem magnam & terribilem, ita vt commoueretur terra à ſono, & ecce mulier amplius non comparebat mihi, ſed ciuitas ædificabatur, & timui vocem magnam, & cecidi quaſi mortuus, & dixi vbi eſt Vriel? qui me fecit huc venire, & venit angelus, & confortauit me & ait, Mulier quæ tibi apparuit ipſa eſt Syon, ſuper quam lugebas valde, quæ tribus annorū ſęculi millibus ſterilis, id eſt abſque oblationibus fuit, & tempore Salomonis, qui ædificauit & obtulit, quaſi filium peperit, qui in ruina Hieruſalē quaſi mortuus cecidit, nunc autem cōſpicies eam quaſi ciuitatem ædificatam, noli ergo timere, ſed ingredere & vide ſplendorem, & ædificij magnitudinem: in nocte autem craſtina oſtendet tibi altiſſimus quæ faciet in nouiſſimis.

Reuelatio eiuſdem de aduentu iudicis; & nouem tribubus.

Cap. LII.

SEcunda etiam nocte vidi ſomnum, & ecce aſcendebat Aquila de mari, cui alæ erant 12. & capita tria & extendebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cœli inſufflabant in eam & colligebantur, &c. Cumque viſionis interpretationem requirerem, dixit ad me: Aquila, hæc eſt regnum quartum, quod oſtenſum eſt Danieli fratri tuo, vir autem, quem vidiſti aſcendentem de corde maris. Ipſe eſt, quem conſeruauit altiſſimus multis temporibus, qui per ſemetipſum liberabit creaturam ſuam; & quoniam vidiſti de ore eius exire ſpiritum, & ignem, & tempeſtatem, bellabit ciuitas contra ciuitatem, & gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum; & tunc reuelabitur filius meus, & colligetur in vnum multitudo innumera. Ipſe autem ſtabit ſuper cacumē Syon, & oſtendentur omnia parata & ædificata, ſicut vidiſti mōtem ſculpi ſine manibus. Arguet impietates gentium quæ adueniunt improperans eis mala cogitamenta eorū, & cruciamenta eorum quibus inciperent cruciari; & quoniam vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam: Hæ ſunt nouem tribus quæ captiuæ ductæ ſunt à Salmanaſar, trans flumen. Sed dantes ſibi conſilium, vt derelicta multitudine gentium, proficiſcerentur in vlteriorem regionem numquam ab hominibus inhabitatam; ibique ſeruaret legitima ſua per anguſtos introitus fluminis introierunt, faciente altiſſimo tunc eis ſigna, & ſtatuente venas fluminis vſquequo tranſirent, & inhabitauerunt ibi vſque in nouiſſimo tempore. Et tūc iterum cum ceperint venire, ſtatuet venas fluminis vt poſſint tranſire. Ideo autem vidiſti virum aſcendentem de corde maris, quia non poteſt quis ſcrutari, vel ſcire quid ſit in profundo maris; ſic non poterit ſuper terram quiſquam videre filium meum, vel eos, qui ſunt cum eo, niſi in tempore diei. Tunc finientur tempora, quoniam tunc perdidit ſecundum iuuentutem ſuam, & quantum tunc inualidum fuerit à ſenectute, tantum multiplicabuntur ſuper inhabitantes mala. Nunc ergo diſpone domum tuam, & corripe populum tuum, & conſolare humiles eorum: & dimitte à te mortales cogitationes & proiice abs te pondera humana: exue iam infirmam naturam, & feſtina tranſmigrare à temporibus his.

De his quæ ſcripſit ex præcepto Domini.

CAP. LIII.

ET reſpondi, & dixi, Ecce Domine, abibo ſicut præcepiſti mihi, & corripiam præſentem populum. Qui autem iterum nati fuerint quis commonebit ? poſitum eſt enim ſæculum in tenebris, & qui habitant in eo, ſine lumine ſunt, quoniam lex tua incenſa eſt, propter quod nemo fecit quæ à te facta ſunt, vel quæ facienda. Si ergo inueni gratiam apud te immitte ſpiritum in me ſanctum, & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ; ab initio quod erat in lege tua ſcriptum, vt poſſint inuenire ſemitam, & qui voluerint, viuent. Et dixit ad me. Vade congrega populum & dices eis, vt nō quærant te diebus 40. Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum quinque viros ſcribas veloces, & venies huc, & ego incendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoad vſque finiantur, quæ incipies ſcribere. Congregaui itaque populum & dixi : partes noſtri peregrinati ſunt in Ægypto, & inde liberati acceperūt legem vitæ, & data eſt nobis terra in ſortem : & vos & patres feciſtis iniquitatem, & abſtulit à nobis in tempore, quod donauerat ; & nunc ſi imperaueritis ſenſui veſtro, & erudietis cor veſtrum, viui, poſt mortem miſericordiam cōſequimini. Iudicium enim poſt mortem veniet, quando reuiuiſcemus, & tunc iuſtorum nomen apparebit, & impiorum facta oſtendentur, nunc autem nemo accedat ad me diebus 40. & accepi viros ſicut mandauit mihi ; & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi. In craſtino autem vox vocauit me dicens, Aperi os tuum, & bibe, & ecce calix offerebatur mihi plenus ſicut aqua, color autem eius ſicut ignis ; & cum bibiſſem, cor meum ructabat intellectum, & apertum eſt os meum. Altiſſimus quoque dedit quinque viris intellectum, & ſederunt 40. diebus, ac ſcribebant. Nocte autem manducabant panem : ego autem per diem loquebar, & nocte non tacebam. Scripti ſunt enim 40. diebus libri noninginti 64. & dixit mihi vt quæ prius ſcripſeram, in palam ponerem, vt legerent digni & indigni, nouiſſima vero traderem ſapientibus de populo, in his enim ſapientiæ fons.

De Hippocrate medico & Gorgia rhetore.

CAP. LIV.

EVſebius in chron. Anno Artaxerxis 35. Sophocles Democrituſque Empedocles & Hippocras medicus, & Gorgias & Zeno & Parmenides Philoſophi inſignes habebantur. Euripides quoque tragædiarum ſcriptor.

Hyppocras. *Author.* De Sophocle & Democrito & Empedocle & Parmenide & Euripide iam ſupra diximus. De Zenone autem inferius ; & nunc de cæteris dicamus.

Hier. in quæſtionibus ſuper Gen. Scriptum erat in libris Hippocratis, quod quædam, ſuſpicione adulterij, fuerat punienda cum pulcherrimum peperiſſet, vtrique parentis generi diſſimilem, niſi memoratus medicus ſoluiſſet quæſtionem, monens quærere, ne forte talis pictura eſſet in cubiculo : Qua inuenta, mulier à ſuſpicione liberata eſt.

Gorgias Epirota matre mortua natus. *Author.* Gorgias autem præfatus non eſt ille Gorgias Epyrota, de quo refert Valerius lib. 1. quod dum mater eius mortua, feretro portaretur, vtero lapſus, inopinato vagitu ferentes ſtare coegit. Sed eſt Gorgias Leontinus de quo refert idem Valerius in lib. 8. quod ſapiētiſſimus ſui temporis fuerit, & in concione, ſella publice poſita, propoſuerit ſe omnibus quæſtionibus reſponſurum. Vnde & cineres eius eūdem honorem ſecuti ſunt, quem oraculum delphicum, vel nemus dodoneum.

Plin. 7. c. 48. *De hoc refert Tullius in lib. de ſenec.* quod magiſter Socratis fuerit, & quod centum & ſeptem annos compleuit : nec vnquam in ſuo ſtudio ab opera ceſſauit. Qui cum ab ea quæreretur, cur tandiu vellet eſſe in vita, quia nihil inquit habeo quo accuſem ſenectutem.

Hier. lib. 1. contra Iouin. Gorgias rhetor librum pulcherrimum de concordia (Græcis inter ſe diſſidentibus) recitauit Olimpiæ. Cui Melancius inimicus eius : hic nobis inquit de concordia præcepit, qui ſe, & vxorem, & ancillam, tres in vna domo, concordare non potuit, æmulabatur quippe vxor eius ancillæ pulchritudinem, & caſtiſſimum virum quotidianis iurgiis exagitabat.

De Prothagora ſophiſta.

CAP. LV.

EVſebius. Eodem tempore claruit Prothagoras ſophiſta, cuius libros Athenienſes decreto publico combuſſerunt.

Author. De hoc refert A. Gellius in lib. 5. cap. 10. noctium atticarum, quod ei ſe in diſciplinam dederit Euathlus adoleſcēs ad diſcendam eloquētiam in cauſis perorandis : pepigitque pecuniam ſe grandem ei daturum, quo primum die cauſam apud iudices peroraſſet, & viciſſet. Cumque ille abunde profeciſſet in facundia, & cauſas non reciperet : Prothagoras ex pacto mercedem petere inſtituit, & litem cum Euathlo cōteſtatur. Cumque ad iudices committendæ cauſæ gratia veniſſent, Prothagoras ait : Reddes mihi quod peto, ſiue contra te pronunciatum fuerit, ſiue pro te, nam ſi contra te, merces mihi ex ſententia debetur, quia ego vicero. Si vero pro te, mihi merces ex pacto debebitur, quia tu viceris. Cui Euathlus, Diſce magiſter vtroque modo fieri, vtique non reddam quod petis : ſiue contra me pronunciatum erit, ſiue pro me. Nam ſi pro me, nihil tibi ex ſententia debebitur : quia ego vicero : Si autem contra me, nihil debeo, quia non vicero. Tunc Iudices hoc inexplicabile rati, rem iniudicatam reliquerunt. Cauſamque in diem longiſſimam diſtulerunt.

Prothagoras & Euathli pactio.

Sophiſticum argumentū Prothagoræ. Sic ab Adoleſcēte diſcipulo magiſter ſuo ſibi argumento confutatus eſt.

Huius autem Prothagoræ quare libri combuſti ſunt, non legi. Vide Diogenem.

De Socrate philoſopho & eius ſtudio ac libris.

CAP. LVI.

EVſebius in chron. Anno Artaxerxis quadrageſimo Socrates plurimo ſermone celebratur.

Socrates.

Aug. in lib. de ciuit. Dei 8. cap. 3. Socrates Archelai diſcipulus fuiſſe perhibetur qui primus vniuerſam philoſophiam ad corrigendos componendoſque mores flexiſſe memoratur : cum ante illum omnes magis Phyſicis id eſt naturalibus rebus perſcrutandis operam maximam impenderint : non mihi autem poſſe videtur ad liquidum colligi, vtrum Socrates vt hoc faceret tædio rerum obſcurarum & incertarum, ad aliquid apertum & certum reperiendum, animum intenderit, quod eſſet beatæ vitæ neceſſarium : propter quam vitam omnium philoſophorum inuigilaſſe ac laboraſſe videtur induſtria. An vero ſicut de illo quidam beneuolentius ſuſpicantur, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos ſe extendere in diuina conari : quandoquidem ab eis cauſas rerū videbat inquiri, quas primas ac ſummas non niſi in vnius veri ac ſummi Dei voluntate eſſe credebat : vnde nec eas putabat niſi munda & pura mēte poſſe comprehendi, & ideo purgandæ bonis moribus vitæ cenſebat inſtandum, vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna ſe attolleret, naturamque incorporei & incommutabilis luminis, vbi cauſæ omnium factarum naturarum ſtabiliter viuunt, intelligentiæ puritate conſpiceret. Conſtat tamen eum imperitorum ſtultitiam ſe ſcire aliquid opinantium, etiam in ipſis moralibus quæſtionibus : quo totum animum intendiſſe videbatur, vel confeſſa ignorantia ſua, vel diſſimulata ſcientia, lepore mirabili diſſerendi, & acutiſſima vrbanitate agitaſſe, atque verſaſſe : vnde & concitatis inimicitiis calumnioſa criminatione damnatus, morte mulctatus eſt. In quæſtionum vero moralium diſceptatione agitur de ſummo bono, ſine quo fieri homo beatus non poteſt. Eſt autem

Socrates philoſophia moralis primus ſectator.

finis

finis boni, quo quis cum peruenerit beatus eſt. Quod in Socraticis diſputationibus dum omnia mouet, aſtruit; deſtruit, quoniam non euidenter apparuit, quod cuique placuit ſucceſſorum Socratis, inde ſumſerunt, & vbi cuique viſum eſt, conſtituerunt finem boni. Ariſtippus enim ſummum bonum dixit voluptatem; Antiſthenes virtutem.

Hugo lib.3. Dydaſ. Ethicæ inuentor, Socrates fuiſſe dicitur, qui de ea 24. libros ſecundum poſitiuam iuſtitiam conſcripſit.

De moribus eiuſdem.

Cap. LVII.

Plato etiam in Dialogis iudicat Socratem fuiſſe ridicula ſpecie corporis.

Hiero. contra Ioui. libro 1. Socrates, Xantippen & Myron neptim Ariſtitis, duas habebat vxores, quæ cũ crebro inter ſe iurgarentur, & ille eas ſolitus eſſet irridere: quod propter ſe fædiſſimum hominem, ſimis naribus, recalua fronte, piloſis humeris, repandiſque cruribus diſceptarent: Nouiſſime verterunt in eum impetum, & male mulctatum, fugientemque diu perſecutæ ſunt. Quodam autem tempore cum infinita conuitia ex ſuperiori loco ingerenti Xantippæ reſtitiſſet, aqua perfuſus immunda, nihil amplius reſpondit, quam capite detерſo, ſciebam inquit futurum, vt iſta tonitrua imber ſequeretur.

Socratis patientia.

Author. Idem interrogatus ab Altibiade, cur Xantippen mulierem tam acerbam nõ abigeret, quoniã, inquit, cum illam domi talem perpetior, inſuefco, & exerceor vt cæterorum quoque foris pẽſtilentiam, & iniuriam facilius feram. Idem interrogatus cui attentum ſe eſſe diceret, mundanum ſe inquit. Totius enim ſe mundi incolam & ciuẽ arbitrabatur, nihil autem ſe ſcire dicebat, niſi hoc ipſum quod nihil ſciret. Dicit etiam Seneca hũc aliquando ab Archelao inuitatum, vt ad ſe veniret, quatenus eum honorare poſſet: Socratemque reſpondiſſe, ab eo nole accipere beneficia, cui paria reddere non poſſet.

Caſsianus in lib. collationum. Socratem quidam Chryſios nomine Zopirus intuens ait: oculi corruptoris puerorum. Cumque diſcipuli irruentes in eum, vltum vellent ire illatum magiſtro conuicium: hac ſententia illos repreſſit. Quieſcite ô ſodales, quieſcite, etenim ſum, ſed me contineo.

A. Gellius lib. 2. Stare Socrates ſolitus dicitur pertinaci ſtatu perdius, atque pernox, à ſummo lucis ortu, ad ſolem alterum orientem: incõniuens, immobilis, eiſdem in veſtigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis, atque animi facto à corpore. Temperantia quoque eum fuiſſe tanta, traditum eſt, vt omnia fere vitæ ſuæ tempora, valetudine inoffenſa vixerit.

Idem in eodem. Socrates dicebat multos homines propterea velle viuere, vt ederent & biberent, ſe autem edere, & bibere, vt viueret.

Lactantius in 2 ſuarum Inſtitutionũ.

Tertullianus in apologetico. Socrati dæmonium à puericia adhæſiſſe dicitur. Philoſophi ſecundum Deos dæmones deputant. Socratis vox eſt, ſi dæmonium permittat. Idem, & cum aliquid de veritate ſapiebat Deos negans. Æſculapio gallinacium piſcari iam in fine iubebat, credo ob honorem patris eius, quia Socratem Apollo ſapientiſſimum omnium cecinit: Apollo enim conſideratum ſapientiæ teſtimonium reddidit ei viro, qui negabat Deos eſſe. Idem etiam corruptor Adoleſcentium pronunciatus eſt.

Hiero. contra Pelagium lib. 3. Eundem ſemper vultum habere non poſſumus, quod de Socrate falſo philoſophi gloriantur, quantomagis animum? multæ facies hominum, ſic & corda diuerſa.

De dictis eius moralibus.

Cap. LVIII.

Seneca ad Lucillum. Dicebat autem Socrates: Quiſque volet tibi contumeliam, faciet & iniuriam, tu tamen nihil patieris, ſi modo tecum erit virtus.

Idem: Quærenti cuidam, cur mutatio locorum nihil ſibi prodeſſet ad depoſitionem vitiorum, ait: Quid miraris nihil tibi peregrinationis prodeſſe, cum te circumferas.

Author. Huius quoque ſententiæ laudabiles inueniũtur tales.

Melius eſt cauere, quam pauere.

Qui multarum rerum poteſtatem habet, primum purgare conſcientiam debet, vt qui delicta corrigit: non admittat.

Stultum eſt vt imperare quis aliis velit, cum ſibiipſi imperare non poſſit.

Oriente ſole conſilium, occidente conuiuium cogitato.

Age ſic alienum, vt tuum non obliuiſcaris negocium.

Amico ita prodeſto, ne tibi noceas.

Quod habes ita vtere, vt alieno non egeas.

In tuo quam in alieno labore ſarcinam ſuſcipe.

Pecuniæ quærendæ, & tuendæ modum habere oportet.

Velox conſilium ſequitur pœnitentia.

Maxime contraria conſilio ſunt, feſtinatio & ira.

Cum amicis breues orationes, amicitias lõgas oportet habere.

Negat ſibiipſi, qui quod difficile eſt, petit.

Malum alienum, tuum ne feceris gaudium.

Principium amicitiæ bene loqui; exordium inimicitiarum, maledicere.

Amicus raro acquiritur, cito amittitur.

Multo turpius damnatur, cuius delictum cognoſcitur.

Conſcientiam, pluſquam famam attende, fallere enim poteris famam, conſcientiam vero nuſquam.

Nulli imponas, quod ipſe pati non poſſis.

Hoc exhibe, quod tibi optaueris exhiberi.

Præſentem laudare minime decet;

Sepultus apud te ſermo ſit, quem ſolus audieris.

Si bene egeris, ipſe tibi perſonæ auctoritatem dabis.

Peccatum geminat, quem non pudet delicti.

Fælicitas ſemper ſubiecta eſt aduerſis.

Damnum niſi ex abundantia raro venit.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

Vide Platonem in Alcibiade.

Valerius lib. 7. Socrates humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quam vt bona tribuerent: quia hi demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile.

Potius virtus quã eius vmbra conſectanda eſt.

Idem: Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam eſſent.

Idem, Ab adoleſcentulo conſultus vtrum vxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret, reſpondit: Vtrum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam: nam hic te, inquit, ſolitudo, ibi te orbitas excipiet, hic generis interitus, hic hæres alienus, hic perpetua ſolicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue ſupercilium, garrula ſocrus lingua, ſubſeſſor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus.

Laert. in vita.

Author. Hæc de geſtis & dictis Socratis ex diuerſis locis collegimus, cæterum de morte eiuſdem inferius ſuo loco dicendum reſeruamus.

De regno alterius Xerxis & Sogdiani Darij Nothi.

Cap. LIX.

Vſebius in chronicis. Poſt Artaxerxem regnauit Xerxes duobus menſibus Perſarum 8. Poſt quem 9.

Sogdianus

Darius cognomento Nothus, 3529.

Sogdianus menſibus 8. cui ſucceſſit Darius cognomento Nothus. Cepit anno ætatis 5. 166. mundi vero 3529. Et regnauit annis 19.

Author. Hic iam eſt tertius Darius à Dario Medo Cyri auunculo : Nam ſecundus fuit Darius filius Hyſtaſpis. Valerius autem 9. libro ſic dicit : Ochus qui poſtea Darius appellatus eſt, ſanctiſſimo Perſis iureiurando obſtrictus, ne quem ex coniuratione, quæ 7. Magos cum eo oppreſſerat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimentorum necaret : crudeliorem mortis excogitauit rationem, qua oneroſos ſibi non perrupto vinculo religionis tolleret: ſeptum enim parietibus altis locum, cinere compleuit, ſuperpoſitoque tigno prominente, eos benigne cibo & potione exceptos, in eo collocabat, è quo ſomno ſopiti in illam inſidioſam congerię decidebant, Hæc Valerius. Quis autem ſit iſte Darius ignoro, nam nec Darius iſte legitur, nec Ochus alibi nominatus, nec filius Artaxerxis Darius. Darius quoque filius Hyſtaſpis fuit vnus ex 7. Magis, quorum quinque contra duos coniurauerunt, & ipſe fuit vnus ex quinque, qui duos oppreſſerunt. Quid ergo Valerius velit dicere 7. Magos à coniuratis cum Dario oppreſſos non bene intelligo.

Oroſius in 2. lib. cap. 18. His temporibus grauiſſimo terræmotu concuſſa Sicilia, inſuper exæſtuantibus Ætnæ montis ignibus fauilliſque calidis, cum detrimento plurimorum agrorum ac villarum, vaſtata eſt. Tunc etiam Atlante ciuitas Locris adhærens, terræ contigua, repentino maris impetu abſciſſa atque in inſulam deſolata eſt. Athenienſium quoque miſerabiles reliquias peſtis inuaſit, diuque populata eſt.

De ortu Platonis.

Cap. LX.

Plato aſcitur.

Euſebius in chronicis. Anno ſequenti terræmotum, qui fuit annus quartus Darij Nothi, Plato naſcitur ſcilicet anno ab ortu Socratis 44.

Hiero. contra Ioui. lib. 1. Speuſippus ſororis Platonis filius, & Cleantus in laude Platonis, & Anaxilides in 2. l. philoſophiæ. Periconnem matrem Platonis phantaſmate Apollinis oppreſſam ferunt, & ſapientiæ principem non aliter niſi de partu virginis editum arbitrantur.

Valerius lib. 1. Dormienti Platoni in cunis, apes mel labellis paruuli inſerebant, ſignificantes ſingularis eloquij ſuauitatem.

Apuleius de vita & moribus Platonis. Plato prius Ariſtocles nominatus eſt, pater eius Ariſton de genere Neptuni fuit, mater eius Periconne à Solone ſapientiſſimo legum Atticarum fundatore traxit originem. Cum autem Ariſton pater Platonis deferret eum ad Socratem; vt ab eo inſtrueretur; nocte præcedente ſomnium viderat Socrates, quod in ſinum eius aduolabat pullus coloris candoris eximij, & vocis canorę: de ara cupidinis in acadæmia, & de ſinu ſuo cantando, volabat in cœlum. Cum igitur vidiſſet puerum Platonem à patre, ad ſe deferri mox interpretationem ſomnij ſui, dixit completam eſſe.

De Alchibiade Socratico.

Cap. LXI.

A facilitate morum appellatur à Plutarcho Chamæleon.

Euſebius in chroni. Anno quinto Darij Nothi Alcibiades Socraticus ab Athenienſibus propter inuidiam profugit ad Lacedæmonios, qui erant hoſtes Athenienſium : ſed iterum apud Lacedæmonios virtus eius plus inuidiæ contraxit quam gratiæ. Quo cognito Alcibiades per Timeam vxorem Agidis Regis, quam adulterio cognouerat, ad Tyſſaphernem præfectum Darij regis profugit. Cui ſe celeriter officij gratia & obſequendi comitate inſinuauit. Erat enim & ætatis flore, & formæ veneratione, nec minus eloquentia etiam inter Athenienſes inſignis, ſed & in conciliandis amicitiis quam in retinendis vir melior.

In vitiis & virtutibus nihil fuit Alcibiade excellentius.

Author. Hic eſt Alcibiades, de quo refert Boetius in libro de conſolatio. dixiſſe Ariſtotelem, quod ſi quis linceos haberet oculos, vt interiora corporis humani poſſet inſpicere, videret illud corpus Alcibiadis, quod in ſuperficie pulcherrimum erat, intus eſſe turpiſſimum. De hoc quoque refert Valerius, quod diſcipulus Socratis fuerit : de quo etiam dicit Auguſtinus, quod cum ſe beatum putaret, quia videlicet diues, & pulcher, & eloquens erat : Socrates cum eo diſputauit, & demonſtrauit quam miſer eſſet, quoniam ſtultus eſſet, & tantum ſuis rationibus eum exagitauit, vt ipſum flere cogeret.

** lib. 15. cap. 17.*

*A. Gellius.** Alcibiades Athenienſis cum apud Periclē auunculum artibus liberalibus eruditetur, & accerſiret Pericles Antigenidam tibicinem, vt eum canere tibiis (quod honeſtiſſimum tunc videbatur) doceret, traditaſque ſibi tibias cum ad os adhibuiſſet, inflaſſetque, pudefactus oris deformitate, infregit, abiecitque. Ea res cum percrebuiſſet, omnium tunc Athenienſium conſenſu, diſciplina tibiis canendi deſita eſt.

Hieronymus contra Iouinianum. Alcibiades Socraticus victis Athenienſibus fugit ad Pharnabazum, qui accepto precio à Lyſandro Lacedæmoniorum principe, iuſſit eum interfici. Cumque ſuffocato caput eſſet ablatum, & miſſum Lyſandro in teſtimonium cædis expletæ, reliqua pars corporis iacebat inſepulta. Sola igitur concubina Timandra contra crudeliſſimū hoſtis imperium, inter extraneos, imminente diſcrimine funeri buſta perſoluit, mori parata pro mortuo, quem viuum dilexerat.

Alcibiadis mors : Non crematum. ſcribit Plutarch. ſed erupiſſe & telorum copia obrutū. Plutarch. in vita.

Author. Hæc Hieron. alij autem dicunt Alcibiadem ſeipſum incendiſſe. Nam 30. tyranni Athenienſes cum comperiſſent eum fugiſſe in Perſas, citato itinere miſerunt qui eum interciperent, à quibus occupatus, cum aperte occidi non poſſet, viuus in cubiculo, in quo dormiebat crematus eſt, vt aiunt Iuſtinus & Oroſius.

Valerius 6. lib. Alcibiadem quaſi duæ fortunæ ſunt partitæ, altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præſtantiſſimam, fauorem ciuium propenſum, ſumma imperia, præcipuas vires, flagrantiſſimum ingenium aſſignaret : altera, quæ damnationem, exilium, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret, ne aut hæc, aut illa vniuerſa, ſed varia, perplexa, freto æſtuique ſimillima.

De Eudoxo Aſtrologo, & theatro Heraclię, & Archelao Macedone & Euripide.

Cap. LXII.

Eudoxus.

Euſebius in chronicis. Anno præfati Darij 9. Eudoxus Guidius clarus habetur.

Hic Eudoxus Aſtrologus fuit, qui excelſi montis cacumina conſcendit, vt aſtrorum cælique motus deprehenderet.

Euſebius in chronicis. Anno ſequenti Lacedæmonij ver ſacrum deſtinantes Heracleam condunt. *Helinandus in chronic. libro 16.* In Heraclea fuit theatrum illud mirabile, quod inter 7. miracula mundi quintum ponitur, nam de vno mōte marmoreo ita ſculptum eſt, vt omnes cellulæ, & manſiones, & muri, & antra beſtiarum ex vno ſolidoque lapide facta ſunt. Eſt autem totum theatrum ſuper ſeptem cancros de ipſo lapide ſculptos appendens, & nemo in gyro ipſius tam ſecrete aut ſolus aut cum alio loqui poterat, quin omnes qui in circuitu erant ipſum audirent.

Quintum miraculum mundi.

Euſebius in chronicis. Eo tempore Ægyptus à Perſis receſſit, & rurſus Ægyptiorum renaſcitur dinaſtia, Euripides apud Archelaum; & Socrates Athenis moritur.

Author. Hunc Archelaum (quem regem Macedoniæ dicit Seneca) quodam tempore cum ſolis facta eſt defectio, ita timuiſſe, vt ſe intra regiam concluſerit, & filium ſuum totonderit, & veſtem lugubrem induerit, putans mundum defeciſſe. Ab eodem Archelao dicit ipſe Socratem aliquando inuitatum, vt ad ſe veniret, quatenus eum honorare poſſet : Socratem reſpondiſſe, ſe ab eo nolle accipere beneficia, cui paria reddere nō poſſet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hiero. contra Iou. l. 2. Euripides in Creta, Iouis prophetas non solum carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse refert.

De Horeste Macedoniæ & 30. tyrannis Athenien sibus.

Cap. LXIII.

Elinandus vbi supra. Anno Darij Nothi decimo octauo: Macedonum 12. regnauit Horestes annis tribus, cuius anno secundo mortuus est Darius: sed annus (vt ait Iustinus & qui eum sequitur Orosius) insignis fuit expugnatione Athenarum, & morte Darij & exilio Dionysij tyranni: veruntamen Hieronymus dicit Dionysium in tyrannide perseuerasse vsque ad olympiadem 104. & tunc Sicilia pulsum esse.

His diebus illi 30. rectores quos superius à Lacedæmoniis relictos memorauimus ad disponendam rempublicam Athenien sium, conuersi sunt ad tyrannidem. Adunatis sibi tribus millibus satellitum, & septingentis millibus de exercitu victoriæ.

Phidonis filia. *Hiero. contra Ioui. lib.* 1. Triginta Athenien sium tyranni cum Phidonem necassent in conuiuio. Filias eius virgines ad se venire iusserunt, & scortorum more nudari, ac super pauimenta patris sanguine cruentata, impudicis gestibus ludere, quæ paulisper dissimulantes dolorem, cum temulentos conuiuas cernerent quasi ad requisita naturæ egredientes, inuicem se complexæ, præcipitauerunt in puteum, vt virginitatem morte seruarent.

De regno Artaxerxis qui & Assuerus, & de ascensu Cyri.

Cap. LXIV.

Ex chroni. Post Darium Artaxerxis, qui cognominatus est Mnemon, Darij filius, cæpit annno quintæ ætatis centesimo 85. mundi vero 3. millesimo, quingentesimo quadragesimooctauo, & regnauit annis quadraginta. 3548.

Comestor. Hic ab Hebæris dicitur Assuerus, sub quo historia Hesther conscripta est. Regnauit autem hic Assuerus ab India vsque Æthyopiam, super centum viginti septem prouincias, & erat in Susis ciuitate solium regni eius.

Artaxerxes 115. filios habuit sed tres tantum iusto matrimonio susceptos. *Author.* Iustinus & Pompeius Trogus dicunt Artaxerxem istu ex pellicibus 100. & 15. filios habuisse. Quod valde concordat libro Hesther, in quo legitur quod post abiectionem Reginæ Vasthi, per vniuersas prouincias quæsitæ sunt semel & secundo, puellæ speciosæ & virgines, & adductę ad ciuitatem Susim, & traditæ sub manu Egei Eunuchi qui erat præpositus & custos mulierum regiarum.

Huius anno regni 8. annotatur in chronicis Eusebij Cyri Regis ascensus, quem scribit Xenophon, sed nec librum vnquam illum vidisse me memini, nec quis ascēsus iste fuerit vspiam legi. Hier. dicit quod Xenophon vitam Cyri in 8. voluminibus descripsit.

Tullius in lib. de senectute. Apud Xenophontem Cyrus Maior moriens dixit. Nolite arbitrari, ô filij charissimi, me, cum à vobis recessero, nusquam aut nullum fore: nec enim dum essem vobiscum animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex eis rebus quas gerebam, intelligebatis. Eandem igitur esse creditote etiam si nullum videbitis.

De inuentione Græcarum litterarum.

Cap. LXV.

Eusebius in chro. Anno Artaxerxis decimo Athenien ses vigintiquatuor litteris vti cæperunt, cum antea sedecim tantum haberent.

Isidorus libro 1. Græcarum litterarum vsum primi Phenices inuenerunt. *Vnde Lucanus.*

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mensuram rudibus vocem signare figuris.

Hinc est quod Phæniceo colore capita librorum scribuntur, quia ab ipsis literæ initium habuerunt. Cadmus Agenoris filius Græcas litteras à Phœnice in Græciā primus attulit septemdecim. Α.Β.Γ.Δ.Ε.Ζ.Ι.Κ.Λ.Μ.Ν.Ο.Π.Ρ. Σ.Τ.Φ. His Palamedes Troiano bello tres adiecit. Η.Χ.Ω. Post quem Simonides similiter tres alias addidit. Ξ.Θ.Ψ. Pythagoras autem Samius, Y, litteram inuenit, ad exemplum vitæ humanæ. Cuius virgula subterior primam ætatem signat incertam, quæ necdum se dedit aut vitiis, aut virtutibus, biuium quod supereſt adolescentiā significat, cuius dextera pars ardua, sed ad virtutem tendens: sinistra facilior: sed ad habem interitumque deducens: de qua Persius.

Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos.
Surgentem dextro monstrauit limite callem.

Quinque autem apud Græcos litteræ mysticæ sunt. Prima, Y, quæ humanam vitam signat. Secunda. θ. quæ mortem signat. Nam iudices eandem litteram apponebant, ad eorum nomina, quos supplicio afficiebant. Et dicitur Tetha διὰ τὸ θανατος. id est à morte: vnde & habet per medium, telum, hoc est mortis signum, de qua quidam.

O! multum ante alias infelix littera theta.

Tertia est Thau, figurā dominicæ crucis demōstrans, vnde & Hebraice signum dicitur interpretatum: de qua dicitur in Ezechiele. *Transi per mediam ciuitatem, & signa Thau in frontibus virorum gementium & dolentium.*

Reliquas duas summam & vltimam scilicet Α & Ω. sibi vendicat Christus. Ipse enim est principium, ipse est & finis, dicens: *Ego sum* Α *&* Ω.

De morte Socratis.

Cap. LXVI.

Eusebius in chronic. Anno vndecimo Artaxerxis Socrates venenum bibit.

Orosius l. 2. Socrates ille actor clarissimorū philosophorum, adactus malis, veneno sibi apud Athenien ses vitam extorsit.

Socrates epoto veneno interiit. *Author.* Hæc Orosius. Ex quibus intelligi potest Socratem non expectasse, vt ei à carnifice venenum propinaretur, sed deceptus consilio familiaris sui dæmonis, quē Apuleius Deū Socratis appellat, mortē sibi intulerit, aut amore popularis gloriæ, aut timore maioris pœnæ.

Socrates per canem & quercum in rauis, cauillo hoc ostendit Iouem quā canem peieraſſe. *Tertullianus in apologetico.* Socrates in contumeliā Deorum quercum, hircumque, & canem, deierabat, sed dicitis propterea damnatus est, quia Deos destruebat: plane olim atque semper veritas odio est: tamen cum pœnitentia sententiæ Athenien ses, & criminatores Socratis postea afflixerint, & imaginem eius auream in templo collocauerint, rescissa damnatio testimonium veritatis Socrati reddidit.

Laert. in vita. *Valerius libro* 7. Socrates cum Athenien ses tristem de capite eius sententiam tulissent, fortique animo potionem veneni è manu carnificis accepisset, admoto iam labiis poculo, vxori Xantipæ inter fletum, & lamentationem vociferanti innocentem eum perimi, Quid ergo inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? ô immensam sapientiam, quæ nec in ipso vitæ quidem excessu obliuisci sui potuit.

Idem in lib. 8. *cap.* 7. Socratem cōstat ætate prouectum, fidibus tractandis operam dare cæpisse: Tantis enim doctrinæ suæ diuitiis etiam musicæ rationis vtilissimū elementū accedere voluit. Cūque ad discendū semper pauperem se credidit; ad docendum locupletissimum fecit.

Quod caret alterna requie durabile non est. Ocium quidem industriæ studio maxime videtur cōtrarium: præcipue tamen subnecti debet, non quo euanescat virtus, sed quo recuperetur. Alterum enim inertibus est vitandum: alterum quoque strennuis interdum appetendum. Illis ne proprie vitam inertem exigant, his vt tempestiua laboris intermissione vegetiores ad laborandum fiant. Hominem quippe rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Id quidem vidit sapientissimus Socrates, ideoque non erubuit, cum interposita arundine cruribus suis cum paruulis filiolis suis ludens ab Alcibiade derisus est. Homerus quoque non aliud

sensit

ſenſit vehementiſſimis Achillis manibus canoras fides aptando, niſi vt earum militare robur leui pacis ſtudio relaxaret.

Iſidorus 17.lib. Socrates cicutam in carcere bibit & expirauit.

Author. Mortuus eſt autem anno ætatis ſuę 70. ſecundum chronicas.

Lactantius in lib. de falſa ſapientia. Socrates ſe nihil ſcire dixit, niſi hoc ipſum, quod nihil ſciret: huic Academiæ diſciplina intonauit. Si tamen diſciplina dici poteſt, in qua ignorantia & dicitur, & docetur.

De Xenophonte Socratico.

Cap. LXVII.

Euſebius in chronicis. Eo tempore Xenophon Gribi filius, & Creſias, & cæteri Socratici clari habentur.

Author. De Xenophonte refert A. Gellius, lib. 13. cap. 3. quod quidam putauerunt inter ipſum & Platonē fuiſſe rancores & diſcordias, quia magis aſſecutus eſt famam, & palmam eloquentiæ quam omnes alij Socratis diſcipuli poſt Platonem; & inter pares ſemper videtur eſſe quædam æmulatio. Huius dicitur eſſe illa ſententia, quā ſibi maledicenti reſpondit, tu inquit maledixiſti, ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere.

Valerius lib. 5. cap. 10. Xenophon cum ſacrificaret, maiorem è duobus filiis in prælio periiſſe cognouit *, nec ideo cultum Deorum dimittendum putauit; ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit, quam ipſam, percunctatus quonam modo cecidiſſet, vt audiuit fortiſſimè pugnantem interiiſſe, capiti repoſuit: numina quibus ſacrificabat teſtatus: maiorem ſe de virtute filij voluptatem, quam ex morte ſentire amaritudinem.

* nomine Gryllum. Laert. in vita.

Hieron. contra Ioui. lib. 2. Xenophon (vt dictum eſt) vitam Perſarum 8. voluminibus deſcribens, polenta & cardamo & ſale ac pane Perſas aſſerit victitare.

De Diogene & ſecta Cynicorum.

Cap. LXVIII.

Euſebius in chroni. Anno Artaxerxis tertiodecimo Diogenes Cynicus: & Eudoxus Aſtrologus agnoſcuntur.

Aug. de ci. Dei. l. 14. cap. 20. Canini illi, id eſt Cynici philoſophi proferebant contra humanam verecundiā quid aliud quam caninam? hoc eſt: immundam impudentemque ſententiam: vt ſcilicet quoniam iuſtum eſt, quod fit in vxore: palam non pudeat id agere: nec in vico, nec in platea coniugalem cōcubitum deuitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem huius erroris. Nam & ſi perhibent hoc feciſſe Diogenem: à poſteris tamen Cynicis fieri ceſſatum eſt: pluſque valuit pudor, vt erubeſcerent homines hominibus, quam error, vt homines affectarent ſimiles eſſe canibus.

Author. Tullius dicit Cynicos ab Ariſtippo primum cæpiſſe: qui propterea virtutem cenſebat eſſe laudandam, quod efficiens erat voluptatis, ſed his inquit obſolens floret Epicurus eiuſdem fere adiutor, authorque ſententiæ.

Macrobius in Saturnalibus. Diogenes Cynicus ex libertate in ſeruitutem venum ierat, quem cum emere vellet Xeniades Corinthius, quid artificij nouiſſet percunctatus eſt: Noui inquit hominibus liberis imperare: miratus reſponſum Xeniades, ſtatim eum emiſit manu, filioſque ſuos ei tradens: accipe inquit liberos meos, quibus imperes.

Helinandus 17. l. De hoc etiam Diogene refertur, quod cum aliquando ſederet ad ſolem in crepidine viæ, & eum quidam cæcus cum baculo offenderet. Ait ad eum, tolle, inquit, oculum tuum, baculum eius oculum ipſius appellans. Cumque ille quæreret, quid ibi faceret, reſpōdit, in venatione ſum, & quos capio, non habeo, quos autem non capio, hos habeo, pediculos enim in veſtimento quærebat, & quia quos capiebat obterebat: ideo dicit ſe captos non habere, non captos autem habere. Huius autem Diogenis dicitur eſſe illa ſententia: ſuperat conſcientia, quicquid mali confinxerit lingua: de hoc Diogene pulchre ait Seneca: potentior erat Diogenes omnia poſſidente Alexandro, plus enim erat quod iſte nollet accipere, quam quod ille poſſet dare.

Facetа reſpōſio.

Valerius 4. lib. cap. 3. Alexander cum ad Diogenem Cynicum acceſſiſſet in ſole ſedentem: hortareturque eum, vt ſi qua ſibi præſtari vellet, indicaret, mox, inquit, de cęteris: interim velim à ſole non mihi obſtes.

Plut. de exilio Cic. Tuſcul. 3.

Idem libro & cap. citatis. Diogenes Syracuſis cum olera ei lauanti Ariſtippus dixiſſet: ſi Dionyſium adulare velles: iſta non eſſes: immo inquit ſi tu iſta eſſe velles: Dionyſium non adulares.

Tertullia. in apologetico. Diogenes lutulentis * pedibus ſuperbos Platonis thoros alia ſuperbia conculcat.

* lutatis Diogeni calcanti culcitram Platonis, cū dixiſſet, calco Platonis faſtū: reſpondit Plato: calcas quidem, ſed alio faſtu. Antiſthenes Synica ſecta princeps.

De eodem & morte eius.

Cap. LXIX.

Hiero. lib. 2. contra Ioui. Antiſthenes cum glorioſe docuiſſet rhetoricam, audiſſetque Socratem dixiſſe ad diſcipulos ſuos, abite & magiſtrum vobis quærite. ego enim iam recedam, ſtatimque venditis quæ habebat, & publice diſtributis, nihil ſibi plus quam palliolum reſeruauit: paupertatisque eius, & laboris Xenophon teſtis eſt in Sympoſio; & innumerabiles libri eius, quorum alios philoſophico, alios rhetorico genere ſcripſit. Huius Diogenes ille famoſiſſimus ſectator fuit, potentior Rege Alexandro, & humanæ naturæ victor: nam cum diſcipulorum Antiſthenes nullum reciperet, & perſeuerantem Diogenem remouere non poſſet, nouiſſime claua minatus eſt, niſi abiret. Cui ille caput ſubieciſſe dicitur, atque dixiſſe: nullus tam durus baculus erit, qui me poſſit à tuo ſeparare obſequio.

Satyrus ſcripſit illuſtrium virorum hiſtorias.

De hoc Diogene refert Satyrus, quod duplici pallio vſus ſit propter frigus, peram pro cellario habuit: clauā ob corpuſculi fragilitatem, qua iam ſenex membra ſuſtentare ſolitus erat; & quod Emrobios vulgo appellatus ſit in præſentem horam poſcens à quolibet, & accipiens cibum, habitauit autem in portarū veſtibulis, & in porticibus ciuitatum. Cumque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus commutantem, frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æſtate ad ſeptentrionem, & vbicumque ſe ſol inclinauerat: Diogenis ſimul * prætorium vertebatur. Quodam vero tempore habens ad potandum * canthum ligneum, vidit puerum concaua manu bibere & eliſiſſe fertur illud ad terram, dicens: neſciebam & quod natura poculum haberet. Virtutem autem eius & continentiam mors quoque indicat. Nam cum ad agonem olympiacum (qui magna frequentia Greciæ celebrabatur) iam ſenex pergeret, febre in itinere dicitur apprehenſus, accubuiſſe in crepidine viæ. Volentibus autem eum amicis aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquieuit: ſed tranſiens ad arboris vmbram locutus eſt eis dicens: abite quæſo, & ſpectatum pergite, hæc me nox aut victorem probabit, aut victum: ſi febrem vicero, ad agonem veniam: ſi me vicerit febris, ad inferna deſcendam, ibique per noctem eliſo gutture, nō tam mori ſe ait, quam febrem morte excludere.

* feſtiuè vile dolium mēdici prætorium vocat. * alias caueum.

Fulgentius in lib. mithologiarum 2. Diogenes Cynicus cum dolore graui torqueretur, & vidiſſet homines ad amphitheatrum concurrentes, aiebat: Qualis hominum ſtultitia, currunt ſpectare feris homines repugnantes, & me prætereunt cum naturali dolore certantem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Speusippo Platonico: & primo de bello Carthaginensi.

CAP. LXX.

AVthor. Anno Artaxerxis decimoquarto Speusippus insignis habitus est. Hic fuit nepos Platonis ex sorore. Huius legitur illa esse sententia, quam in laudantem se protulisse fertur: Adulator, inquit, desine vtrosque fallere, nihil proficis cum te intelligam. Quidam vero hanc sententiam Speusippi dicunt non esse, sed alterius cuiusdam philosophi nomine Diosippi.

Anno sequenti secundum chronicam, Carthaginentium bellum famosissimum fuit.

Iustinus lib. 18. Carthaginenses dum diu in Sicilia fæliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello amissa exercitus maiore parte, graui bello victi sunt: propter quod ducem suum * Maleum, cuius auspicijs & Siciliæ partem domuerant, & aduersus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, quæ superfuerat, exulare iusserunt, * qui ciuitatem cum armis repetentes, obsederunt, dicentes se non expugnatum, sed recuperatum patriam venisse, ostensurosque ciuibus suis, non sibi virtutem in priori bello, sed Fortunam defuisse. Prohibitis ergo commeatibus, vrbem in summam desperationem adduxerunt. Interea Cartalo Malei exulis ducis filius, cum præter castra patris à Tyro quo decimas Herculis ferre ex præda Sicilienſi, quã pater eius cæperat à Chartaginiensibus, missus fuerat, reuerteretur: accersituſq; à * patre esset, prius se publice religionis officia executurũ, quã priuatæ pietatis, respondit; quam rem Maleus indignè ferens, non tamen vim religioni inferre ausus est. Interiectis autem diebus Cartalo petito commeatu à populo, reuertitur ad patrem, ornatus purpura, & infulis sadotij. Cui in secretum adducto, ait pater: Ausus ne es, nefandissimum caput, purpura ornatus, & auro, in conspectu tot miserorum ciuium venire? statuam in te exemplum, ne quis posthac filius infælicibus patris miserijs illudat, atque ita eum cum ornatu suo in altissimam crucem in aspectu vrbis affigi iussit. Non multo post Carthaginem cæpit: punitisque auctoribus exilij sui & sociorum suorum, vrbem legibus suis reddidit: interfectis decem senatoribus, non multo post affectati regni accusatus, occisus est.

Author. Hæc dicit Orosius Cyri temporibus contigisse. Maleo autem (vt itidem refert Iustinus 19. libro) successit Imperator Mago, qui primus omnium (vt ait Iustinus) ordinata disciplina militari, pœnorum imperium non minus bellandi arte, quam virtute firmauit.

De gestis Hasdrubalis & Hamilcaris.

CAP. LXXI.

HIc decedens duos reliquit filios, Hasdrubalem & hamilcarem. His ducibus Sardiniæ bellum illatum est, vbi Hasdrubal grauiter vulneratus occubuit, cuius mortem dictaturæ 11. & triumphi quatuor, insignem fecere, in cuius locum successit Hamilchar eius frater, qui in bello Sicilienſi occisus est, relictis tribus filijs Imilcone, Hannone, Gisgone. Huic * Amilcari (vt ait Valerius) cum obsideret Syracusas, dictum est per somnum futurum, vt proxima die in eadem vrbe cænaret, quod in crastinum fecit, non victor, sed captiuus. Huius Amilcaris tempore (vt ait Iustinus) legati à Dario Persarum Rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni humanas hostias immolare, & canina carne vesci prohibebantur; iubebanturque mortuorum corpora cremare potius, quam terra obruere, petentes simul auxilia aduersus Græciam, cui Darius bellum illaturus erat: sed Carthaginenses auxilia negantes, propter assidua finitimorum bella, cæteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

Hasdrubali autem par numerus filiorum fuit, Hannibal Hasdrubal, & Sappho, in Sicilia in locum Amilcaris succesſit Imilco qui cum nauali terrestrique prælio secunda prælia fecisset, repente vi pestilentis syderis exercitum amisit. Nam mox (vt ait Orosius lib. 4.) morbis populo cateruatim cadente, cito quisque correptus, mox mortuus, iam nec sepeliebatur. Huius mali nuncius cum attonitam Carthaginem repleſſet, mox omnia vlulatibus personarunt, quasi capta ciuitas esset, clausæ vbique sunt ianuæ. Cuncta publica priuataque officia damnata sunt; vniuersi ad portum recurrerunt, paucosque qui cladi superfuerant egredientes de nauibus de suis percunctabantur. Quibus tacentibus toto littore plãctus & vlulatus matrum infælicium auditi sunt. Inter hæc proceditque ipse de naui sua Imperator sordida seruilique tunica discinctus. Ad cuius conspectum plangentium iunguntur agmina. Ipse quoque manus ad cælum tendens, nunc suam, nunc publicam infælicitatem accusat, & deflet. Ad postremum vociferans super vrbem tandem ingressus domum, cunctos qui lachrymantes eum persequebantur, dimisit, ac demum obseratis ianuis excluſisque etiam filijs, gladio, dolorem, vitamque, finiuit.

Helinandus. Hæc Orosius dicit gesta fuisse temporibus Darij, nec dicit cuius Darij. Sed Hieron. temporibus artaxerxis: hoc est enim bellum famosissimum, quod fuisse dicit anno Artaxerxis 15. famosum autem dictum est non propter virtutem Carthaginensium, sed propter mirabile pestis infortunium quod repente vniuersum consumpsit exercitum.

De Dionysio Siciliæ tyranno.

CAP. LXXII.

HIeronymus *in chronicis.* Hoc tempore Dionysius in tyrannide perseuerat.

Iuſtinus 20. *lib.* Hic Dionysius fugatis à Sicilia Carthaginensibus, totius Siciliæ occupauit imperium, & copias suas in Italia traiecit, & aduersos Græcos (quæ proxima Italici maris littora tenebant) prima bella habuit, quibus deuictis, finitimos quosque aggressus est, & præcipue omnes Græci nominis Italiam possidentes, sed eum ab Italia reuocauit aduentus Carthaginensium, qui bellum, quod deseruerant auctis viribus, repetebant duce Hannone. Cuius inimicus Suniatus Pœnorũ potentissimus cũ odio eius, Dionysio tyranno aduentum exercitus & segniciem ducis Græcis litteris familiari secreto pronunciauit, sed comprehensis epistolis proditionis damnatus est; decreuitque Senatus consultum, ne quis postea Carthaginensis aut litteris Græcis aut sermoni studeret; ne aut loqui cum hoste aut scribere sine interprete posset.

Valerius lib. 4. *cap.* 1. Syracusanus à Dionysio tyranno pulsus. Megaram petijt, vbi cum Theodorum eiusdem vrbis principem domi conuenire vellet, nec admitteretur, multum diuque ante fores retentus, comiti suo patienter hoc ferendum esse ait. Forsitan enim & nos cum in gradu nostræ dignitatis essemus, aliquid tale fecimus; qua tranquillitate consilij placidiorem sibi reddidit conditionem exilij.

Idem lib. 6. *cap.* 9. Dionysius cum hæreditatis nomine à patre Syracusanorum ac pene totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, potens equitatuum, tandem propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit, eodemque tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis Fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno monuit.

Idem lib. 1. Dionysius mensas argenteas, & aureas è fanis sustulit, quodque in his more Græciæ

Miror quid venerit in mentem Iustino cur Hannibalẽ filium Hasdrubalis dicat, cum omnes historia secus habeant. Infortunium Imilco.

Imilco miserè se occidit.

Plutarch. in vita.

Cicero Tusc. 3.

Quid in purpura coronisque aliud quam victoriarũ mearum titulos gerit

Duplicis & in filio & in patria parricidij pœnas dedit. Seipsum interfecit is Mago ob rẽ male gestam contra Syracusanos: ob quã rem in crucẽ sublãtum est corpus mortui à Carth.

** Iustinus legit Hamilcar.*

** Mezeum Orosius habet.*

** interiectis aliquot diebus conscensis nauibus armati veniunt ad vrbem quia hanc rem ægrè ferebant milites.*

** patria.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

scriptum erat, bonorum Deorum eas esse, vti se eorum bonitate prædicauit.

Idem lib.1. cap.7. Dionysio adhuc intra priuatum habitum se continente, Hymera quædam mulier per somnium cœlum vt sibi videbatur, conscendit, ibique lustratis sedibus Deorum omnium, vidit terribilem virum ad pedes Iouis iacere ligatum. Interrogato illo, qui eam ducebat, quis nam esset? audiuit eum Siciliæ & Italiæ dirum esse fatum; solutumque vinculis, multis vrbibus exitio futurum, quod somnium postero die diuulgauit. Cumque postmodum ille tyrannidem exercere cæpisset. Hymera turbam ad eius spectaculum intrantem, vt aspexit: Hunc esse, quem in quiete viderat vociferata est: Id tyranno cognitum curam tollendæ mulieris dedit.

Iterum de eodem.

Cap. LXXIII.

Valerius cap.1.lib.1. *Author.* De hoc quoque Dionysio refert Valerius quod sacrilegia sua ioco condierit, nam detracto Ioui aureo amiculo, & iniecto ei laneo, ioco dixit: Æstate grauem esse aureum amiculum, hyeme frigidum; laneum autem ad vtrumque tempus aptum. Idem etiam coronas & pateras Deorum tollens à simulacris, in quibus scriptum erat, bonorum Deorum, non tollere ea, sed accipere se dicebat; stultum esse dicens; A quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Idem barbam auream detraxit Æsculapio dicens: Non conuenire vt Apollo pater eius imberbis esset, & filius barbatus.

Ex Cicer. de natura deorum lib.3. Huius Dionysij cum omnes Siracusani interitum optarent, quædam vltimæ senectutis fœmina sola quotidie matutino tempore Deos orabat, vt incolumis ac sibi superstes esset. Quod audiens Dionysius admiratus interrogauit causam, at illa: Puella inquit cum essem, & grauem tyrannum haberem, carere eo cupiebam, successit peior illo, quo etiam cum carere cuperem, tertium te importuniorem cæteris cæpimus habere. Timens ergo deteriorem tibi succedere, caput meum pro tua salute deuoueo; tam facetam audaciam punire Dionysius erubuit: *hæc Valerius.*

Huius Dionysij magister fuit Plato, sicut refert Tullius. Epaminondam inquit Thebanum eruditit Lysias Pythagoricus; Syracusanum Dionysium, Plato. Porro sicut scribit Valerius adeo honorifice Platonem susce-pit Tyrannus, vt ei iret obuiam cum ingenti multitudine & nauibus, velis candidis adornatis.

Conscientia mala semper timida. Idem quoque Valerius scribit, quod adeo suspiciosus erat & meticulosus Tyrannus iste, sciens se odio ab omnibus habitum, quod submotis amicis, in eorum locum ferocissimos barbaros quibus latera sua committeret, substituit, & etiam tonsorum metu, filias suas tondere docuit, quibus & ipsis adultis non ausus est ferrum committere, sed instituit vt candentium glandium etiam nucum putaminibus, barbam sibi, & capillum adurerent, nec securiorem maritum egit quam patrem. Duarum enim simul scilicet Aristomaches Syracusanæ & Doridis locrensis matrimonijs illigatus neutrius vnquam nisi excussæ complexum petijt. Lectum quoque quasi castra lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat interioremque forem diligenter obserabat.

De Platone & moribus & studijs illius.

Cap. IXXIIII.

Eusebius in chron. Eo tempore Plato philosophus claruit, scilicet anno Artaxerxis 17.

Hieronymus contra Ioui. Plato cum dines esset, & thoros eius Diogenes lutosis pedibus conculcaret, vt posset vacare philosophiæ, elegit Academiam, villam ab vrbe procul, non solum desertam: sed & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur. Vnde & plures eius discipuli oculos sibi effoderunt.

Valerius lib.4.cap.1. Plato cum aduersus serui delictum vehementius exarsisset, veritus ne vindictæ modum excederet, Speusippo amico suo castigationis arbitrium mandauit.

Idem. Ipse quoque Plato difficillime criminationes recipiebat. Aliquando enim Xenocratem discipulum suum audierat de se multa impia fuisse locutum; respuitque criminationem; instabat criminator, quærens cur sibi non crederetur, adiecit, non esse credibile, vt quem tantopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur, volente criminatore ad iusiurandum prodire, affirmauit nunquam ea Xenocratem dicturum fuisse, nisi expediri sibi ea dici iudicasset.

Seneca in lib.6.de benefi.cap. 18. Plato cum flumen transisset naue, nec ab illo portitor quicquam exegisset, hoc honori suo datum credens, dicit positum illi esse apud Platonem officium: deinde paulo post, cum alium atque alium gratis eadem sedulitate transueheret, negauit illi iam apud Platonem positum officium.

Author. Hæc Seneca; & addidit: Nam vt tibi debeam aliquid pro eo, quod præstas, deberes non tantum mihi dare, sed etiam tanquam mihi, non potes enim ob id quenquam appellare, quod spargis in populum: Ad hoc potest Senecæ responderi: Quid si Plato erat ignotus portitori, & alij noti & familiares, aut aliquo iam eum beneficio obligauerant? Sed & eadem ratione Deo nil deberemus pro communibus beneficijs.

Valerius lib.8. Plato patriam Athenas præceptorem Socratem sortitus est, & locum & hominem doctrinæ fertilissimum. Cumque iam omnium sapientissimus haberetur, & à studiosis iuuenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus peterentur. Ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas, & vastissimos campos effusamque barbariem Ægyptiorum senum discipulus peragrauit; & à sacerdotibus illius gentis Geometriæ multiplices numeros, atque cœlestium rationum obseruationem percepit. In Italiam quoque ingressus est, vt ab Archita Tarentino & Arione, Pythagoræ præcepta susciperet: tanta enim copia literarum vndique colligenda erat, vt inuicem per totum terrarum orbem dispergi posset, ac dilatari. *Laertius in vita.*

Opiniones eius de Deo.

Cap. LXXV.

Tertullianus in Apologetico. Plato imperium summæ dominationis dixit esse penes vnum; officia eius penes multos; Iouem magnum in cælo comitatum exercitu describens Angelorum, pariter & Dæmonum, & ideo oportere procurantes, & præfectos & præsides pariter suscipi: Sed capitale facinus admittit, qui aliquem de principibus cæsaris, cæsarem appellat.

Idem in eodem. Plato affirmat factitatorem vniuersitatis, neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem.

Augustinus de ciuitate Dei lib.8. cap. 4. Plato cum discipulos suos ingenio mirabili anteiret, parum putans perficiendæ Philosophiæ sufficere seipsum, * ac Socraticam disciplinam quam longè lateque potuit peregrinatus est, quaquauersum eum alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque in Ægypto & Italię partibus vbi Pythagoreorum fama celebrabatur, didicit quæcunque illic magna habebantur & docebantur. Cumque studium sapientiæ in actione & contemplatione versetur, vnde vna pars eius actiua, altera contemplatiua dici potest: quarum actiua ad agendum vitam id est ad mores instruendos pertinet, contemplatiua autem ad conspiciendas naturæ causas, & ** Alibi à Socratica disciplina quasi post perceptam à Socrate disciplinam Athenis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Philoſophia triplex.

ſinceriſſimam veritatem. Socrates in actiua excelluiſſe memoratur: Pythagoras vero magis contemplatiuæ quibus potuit viribus inſtitiſſe. Proinde Plato vtrãque iungendo, philoſophiam perfeciſſe laudatur: quam in tres partes diſtinguit: In moralem, quæ in actione verſatur: In naturalem, quæ contemplationi deputata eſt: Tertiam rationalem, qua verum diſcernatur à falſo, quæ licet vtrique ſit neceſſaria, contemplatio tamen ſibi perſpectionem vendicat veritatis.

Aug. vt ſupra cap. 19.

Quidam putant Platonem, quando perrexit in Ægyptum, Hieremiam prophetam audiſſe, ſed diligenter computata ratio temporum ſecundum chronicam hiſtoriam indicat Platonem à tempore, quo prophetauit Hieremias 100. fere annos poſtea natũ fuiſſe. Potuit tamen eſſe, vt homo acerrimi ingenij, ſicut Ægyptias ita & Hebræas ſcripturas per interpretem didicerit quod ideo poteſt opinari, quia in Tymeo Platonis, quẽ ipſe ſcripſit de mundi conſtitutione; dicit Deum in illo opere terram primo, ignemque iunxiſſe, quæ ſententia ſimillima eſt illi principio Geneſis. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Deinde illud, quod Plato dicit amatorem Dei eſſe philoſophum: Nihil ſic in literis illis flagrat, & maxime illud quod & me plurimum adducit, vt plene aſſentiar Platonem illorum librorum expertem non fuiſſe, quod Plato illa verba domini ad Moyſen: *Ego ſum, qui ſum* vehementer tenuit, & diligentiſſimè commendauit.

Manifeſtum eſt autem quod igni tribuit cæli locum, nam Plato cælum igneum eſſe putauit.

Iterum de eodem.

Cap. LXXVI.

Seneca lib. 6. epiſtolarum. Quæcunque videmus aut tangimus, Plato in illis non numerat quæ eſſe proprie putat, fluunt enim & in aſſidua diminutione atque adiectione ſunt, hoc eſt quod ait Heraclitus. In idem flumen bis deſcendimus, & non deſcendimus. Nam per idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt.

Author. Hæc Seneca. Ex his poteſt intelligi quomodo accipiebat Plato Deum appellari Toon id eſt ens, vel quod eſt, videlicet per excellentiam. Errauit autem valde, cum Deum poſuit in diuiſione exiſtentium, cum aliter dicatur eſſe creator, aliter creatura; non enim hoc nomen ens vniuoce prædicatur de Deo & de cæteris rebus, quare Deus non poteſt poni in diuiſione eorum, quæ ſunt.

Auguſtinus, vbi ſupra. cap. 4. Illa autem tripartitio Platonis, qua Philoſophiam diuidit in naturalem, rationalem, & moralem, non eſt contraria illi diſtinctioni, qua intelligitur omne ſtudium ſapientiæ, in actione, & contemplatione conſiſtere. Quid autem in his vel de his partibus Plato ſenſerit id eſt vbi finem omnium actionum, vbi cauſam omnium naturarum; vbi lumen omnium rationum eſſe cognouit, vel credidit, differendo explicare & longum eſſe arbitror, & temerè affirmandum eſſe non arbitror: fortaſſis enim qui Platonem acutius & veracius intellexiſſe, & ſecuti eſſe laudantur, aliquid tale de Deo ſenſerunt, vt in illo inueniatur & cauſa ſubſiſtendi; & ratio intelligendi, & ordo viuendi. Quorum trium vnum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem pertinere intelligitur. Si enim homo ita creatus eſt, vt per id quod in eo præcellit, attingat ad illud, quod cuncta præcellit, id eſt vnum verum optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſtat, nulla doctrina inſtruit, nullus vſus expedit, ipſe quæratur vbi nobis ſecura ſunt omnia. Ipſe cernatur, vbi nobis certa ſunt omnia. Ipſe diligatur, vbi nobis recta ſunt omnia.

Aug. vt ſupra cap. 5.

Si ergo Plato Dei huius imitatorem, cognitorem, amatorem dixit eſſe ſapientem, cuius participatione ſit beatus, quid opus diſcutere cæteros, quorum nulli nobis qui iſti propius acceſſerunt.

Idem in lib. 9. cap. 16. Deum omnium ſummum creatorem quem nos verum Deum dicimus, ſic à Platone prædicari Apuleius aſſenerat. Quod ipſe ſit ſolus, qui non poſſit penuria ſermonis humani, quauis oratione vel modice comprehendi, vix autem ſapientibus viris cum ſe vigore animi quantum licuerit à corpore remouerint, intellectum huius Dei id quoque interdum velut in altiſſimis tenebris rapidiſſimo coruſcamine lumen candidum intermicare.

De Libris Platonis & eius ſententia de immortalitate animæ.

Cap. LXXVII.

Helinandus. Fuit autem conſuetudo Platonis libros ſuos intitulare nominibus magiſtrorum ſuorum, vel eorum qui magiſtros docuerant, vt maiorem ex eorum nominibus auctoritatem verbis & rationibus ſuis acquireret. Hinc ſunt libri eius appellati Tymæus, Phædon, Gorgias, Pythagoras, quorum primum & vltimum trãſtulit Cicero in Phædonis dialogo; vbi poſt diſputationem de immortalitate animæ, diſtinguit loca quæ hanc vitam relinquentibus ea lege debentur, quam ſibi quiſque viuendo ſanxerit. Similiter in Gorgia poſt peractam pro iuſtitia diſputationem, differit de habitu poſt corpus animatum; hæc duo ſeruauit in libris de republica, prius enim principatum dedit Iuſtitiæ, poſtea differuit quo anima poſt corpus euadat, vel vnde ad corpus veniat, per illam fabulam, quam narrat de quodam Pamphilio, nomine Er miles officio. Qui cum multis vulneribus in prælio acceptis mortuus videretur, & inter mortuos iaceret, 12. demum die (vt ait Macrobius ſuper ſomnium Scipionis *lib.* 1. *cap.* 1.) cum inter cæteros vna peremptos, vltimo eſſet igne cremandus, vel vrendus; ſubito ſeu recepta, ſeu retenta anima, quicquid emenſis inter vtramque vitam diebus egerat, videratvè, tanquam publicum profeſſus indicium humano generi nunciauit. Hunc Erum dicit Cicero excitatum fuiſſe, non reuixiſſe, Valerius tamen ſic ait, Plato ſcribit Pamphilium 10. diebus inter eos qui in acie ceciderant iacuiſſe, poſtea rogo impoſitum reuixiſſe.

Macrobius de ſomno Scipionis lib. 1. cap. 1.

Er poſt 12. diem reuixit i mortuis.

De appetitu mortis ob deſiderium immortalitatis.

Cap. LXXVIII.

Macrobius de ſomnio Scipionis lib. 1. cap. 13. Plato in Phædone definit hominem non eſſe ſua ſponte moriendum, ſed in eodem iterum dialogo idem dicit, mortem Philoſophantibus appetendam; & ipſam philoſophiam eſſe meditationem moriendi, hæc ſibi contraria eſſe videntur; ſed non eſt ita. Nam Plato duas mortes hominis nouit, quarum vnam natura, alteram virtutes præſtant, homo enim moritur cum anima corpus relinquit ſolutum, lege naturæ; mori etiam dicitur cum anima adhuc in corpore conſtituta, corporis illecebras Philoſophia docente contemnit, & cupiditatum dulces inſidias, reliquaſque omnes excutit paſſiones, & hanc mortem dicit Plato ſapientibus appetendam. Illam vero, quam omnibus natura conſtituit, cogi, vel inferri, vel accerſiri vetat.

Hominis duplex mors ſecundum Platonem & quæ harũ appetenda quæ non accerſenda.

In eodem lib. 2. cap. 13. In Phædone Platonis, quem tranſtulit Cicero, validiſſimis argumentis, animæ immortalitas aſſeritur, & poteſt omnis ratiocinatio in vnius ſillogiſmi compendium ita redigi; anima ex ſe mouetur, quod ex ſe mouetur, principium motus eſt, quod autem principium motus eſt, natum non eſt, & quod natum non eſt, immortale eſt, anima igitur immortalis eſt. Sciendum autem quod immortalitas duobus modis accipitur, ſiue intelligitur, aut enim ideo eſt immortale quid, quia per ſe non eſt capax mortis, aut quia procuratione alterius à morte defenditur.

Platonicorum ratiocinationes de immortalitate animæ.

Immortalitas duplex.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Author. Legitur quod Theobrotus Ambracienſis cum legiſſet librum Platonis de immortalitate animæ, è muro ſe præcipitem dedit præ deſiderio vitæ melioris.

Hæc quoque verba ſunt Platonis in Phædone: donec habemus corpus, permixtuſque ſit tali malo noſter animus, nunquam nos id, quod iam olim concupiſcimus, ſatis conſecuturi ſumus, id eſt veri ſcientiam. Infinitas enim occupationes affert corpus, quibus conterimur ob victum quotidianum, morbis etiam & cupiditatibus & timoribus innumerabilibus variarum rerum, appetitionũq; viſionibus corpus oneratur, vt præ illo ne ſapere quidem in vlla re poſſimus: defunctorum autem animus liber eſt, & à corpore ſolutus. Eo igitur tempore quo viuimus, ita demum appropinquabimus veritati, appropinquabimurque ſcientię, ſi nihil aut quam minimum corpore vtamur, nec in ſocietatem eius, niſi quatenus neceſſe eſt, animum demittamus: ita enim minime replebimur vitioſa turbulentaque natura corporis, ſed puri à contagione eius, incorrupti, ſincerique digrediẽtes ad omnia incorrupta ſinceraque veniemus.

Corpus aggranat animam.

Si quis appropinquare velit veritati caſtiget corpus ſuum & in ſeruitutem redigat.

De quibuſdam dictis Platonis.

Cap. LXXIX.

Mundus intelligibilis & ſenſibilis.

DVos autem mundos eſſe aſſeruit Plato, vnum intelligibilem, in quo ipſa veritas habitaret. Iſtum ſenſibilem, quem manifeſtum eſt, nos viſu tactuque ſentire; itaque illum verum, iſtum veri ſimilem ad imaginem illius factum, & ideo de illo in ea quæ ſe cognoſceret anima voluit expoliri, ac ſerenari veritatem: de hoc autem in ſtultorum animis non ſcientiam, ſed opinionem poſſe generari.

Quid Idea

Idem dicebat idæas eſſe in mente diuina, ideam ſic diffiniens, *Idea eſt eorum quæ fiunt exemplar æternum.* In hoc autem errauit, quod idæas aliud eſſe quam ipſam Dei mentem putauit.

Multa quoque leguntur alia egregie dicta à Platone vt eſt illud, quod ait Boetius, illum dixiſſe, beatas fore reſpublicas, ſi aut eas ſapientes regerent, aut earũ rectores ſapientię ſtuderent, & illud quod Tullius eum dixiſſe aſſerit, eſcam malorum eſſe voluptatem, quia ſcilicet ea capiuntur homines, ſicut hamo piſces.

Dicta Platonis.

Platonis quoque dicta ſunt hęc: Si ſapientiæ forma oculis videri poſſet, maxime ad amorem ſui omnes excitaret.

Non poteſt comprehendi forma Iuſtitiæ, niſi prius diſcutiatur ſeries iniuſtitiæ.

Anima eſt eſſentia ſe mouens.

Non ſolum ſcientia, quæ remota eſt à iuſtitia, calliditas potius quam ſapientia appellanda eſt, verumetiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate non omnium vtilitate impellitur, audaciæ nomen habet, potius quam fortitudinis.

Illa eſt Iuſtitia veriſſima, quæ erga inferiores ſeruatur.

Triumphus eſt innocentiæ, non peccare, vbi licet poſſe. In quem plus potes, peccare deſine.

Mors philoſophantibus appetenda eſt, ipſaque philoſophia eſt meditatio moriendi.

Totius philoſophiæ robur patientia eſt.

Idem vt dicit Hieronymus ſuper Matthæum, duas corporis ſummitates docuit non eſſe velandas; nec aſſuefieri debere mollicie, capitis ſcilicet & pedum; cum enim habuerint firmitatem, cætera robuſtiora ſunt.

Hic, vt refert Helinandus, cum vidiſſet Dionyſium Siciliæ tyrannum corporis ſui circunſeptum cuſtodibus: Quid tantum malum inquit feciſti, vt à tam multis neceſſe habeas cuſtodiri?

Hæc de dictis Platonis ex diuerſis locis excerpta collegi, quæ & hic inſerere volui.

De Archyta Tarentino & dictis eius.

Cap. LXXX.

PAtet autem his temporibus Architam Tarentinum floruiſſe, cuius Plato legitur auditor fuiſſe.

Tullius in lib. de ſenectute. Architas Tarentinus cum eius ſermoni Plato Athenienſis intereſſet, nullam capitaliorem peſtem quam voluptatem corporis dicebat hominibus à natura datam: Cumque nil mente præſtabilius Deus dediſſet homini: huic diuino muneri nihil tam inimicum eſſe, quam voluptatem, quod vt magis intelligi poſſet, fingebat animum tanta incitatum corporis voluptate, quanta poſſet percipi maxima, nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente; nihil cogitatione, nihil ratione conſequi, poſſet.

Voluptas corporis capitalis peſtis hominis.

Idem in lib. de amicitia. Natura nihil ſolitarium amat, vnde verum eſt, quod ab Archyta Tarentino (vt opinor) dici ſolitum à ſenibus noſtris audiui: Si quis in cœlum aſcendiſſet, naturamque mundi & pulchritudinem ſyderum aſpexiſſet, inſuauem illi fine amico & ſocio adminiſtrationem fore, quæ tamen iucundiſſima foret, ſi aliquem, cui intimaſſet, habuiſſet.

Natura nil ſolitarium amat.

Valerius libro 4. cap. 1. Tarentinus Archyta villico ſuo ait; ſumpſiſſem à te ſupplicium, niſi tibi iratus eſſem: maluit enim impunitum relinquere, quam propter iram iuſto punire grauius.

Cic. Tuſc. 4.

A. Gellius in lib. noctium Atticarum. cap. 12. Phauorinus philoſophus affirmat ſimulachrum columbæ è ligno ratione quadam & diſciplina mechanica, factum ab Archita volaſſe.

Columba lignea volatus

Author. Huius ſententia de anima hæc eſt; anima ad exemplum vnius compoſita eſt, quæ ſic illocaliter dominatur in corpore, ſicut vnum in numeris.

Idem Nulla peſtis capitalior quam voluptas corporis, cuius auidæ libidines temere, & effrenate ad potiendum incitantur, hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum euerſiones; nullum denique ſcelus, nullũ facinus eſt, ad quod ſuſcipiendũ non libido voluptatis impellat.

De obſidione Romani Capitolij per Gallos.

Cap. LXXXI

Vſebius in chronicis. Anno Artaxerxis decimoſeptimo, Senones Galli Romam inuaſerunt, excepto Capitolio.

Iſido. 12. lib. Ethim. Gallorum aſcenſus in Capitolio, Anſeris clangore deprehenſus eſt: nullum enim animal ita odorem hominis ſentit vt Anſer.

Ambr. in Hexameron lib. 5. Merito debes Anſeribus Roma quod regnas, Dij tui dormiebant & Anſeres vigilabant, illis potius debes ſacrificare, quam Ioui. Cedant enim Dij veſtri Anſeribus, à quibus ſe ſentiunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur.

Oroſius lib. 2. cap. 19. Galli Senones Duce Brenno, exercitu copioſo, robuſtoque nimis, dum vrbem * Cluſim quæ nunc Tuſcia dicitur, obſiderent, legatos Romanorum qui (tunc componẽdæ inter eos gratia pacis venerunt) in acie aduerſum ſe videre pugnantes; qua indignatione permoti, Cluſini oppidi obſidione dimiſſa, totis viribus Romam contendunt; hos ita irruentes Fabius cum exercitu conſul excepit, nec tamen obſtitit, immo potius hoſtilis ille impetus, quaſi aridam ſegetem ſuccidit, ſtrauit, & tranſijt. Teſtatur hanc Fabij cladem, fluuius Alia, ſicut Cremera Fabiorum. Non enim facile aliquis ſimilem Romanæ militiæ ruinam recenſeret, etiam ſi Roma inſuper incenſa non eſſet. Patentem Galli vrbem penetrant, trucidant rigentes ſimulachrorum modo in ſuis ſedibus Senatores; eoſque incendio domorum concremantes, lapſu culminum ſuorum ſepeliunt, vniuerſam reliquam iuuentutem, quam conſtabat, vix mille hominum tunc fuiſſe, in arce Capitolini montis latitantem, obſidione concludunt, ibique infelices reliquias fame, & peſte, deſperatione, formidine terunt, ſubigunt, vendunt, nam mille libris auri diſceſſionis pretium paſciſcuntur, non quod apud Gallos Roma parui nominis fuerit, ſed quod illam ſicut iam ante detriuerint, vt amplius tunc valere non poſſit: poſt illam cladem Romani immutari ſedes cogitauerunt, aliud oppidum incolere, & altero nomine cenſeri.

* *Oroſio hic ſuam lectionem reddidimus, verum hoc oppidum ab alijs Cluſij appellatur.*

Vrbs à Gallis capta & vaſtata.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Author. Hæc Oroſius, Valerius autem dicit quòd in illa Capitolij obſidione, cum Romani fame arctarẽtur, panes è compluribus locis iacere cæperunt. Quod videntes Galli putantes eos abundare victualibus, obſidionem dimiſerunt. Addit etiam Vegetius in libr. 4. de re militari, quod cum machinarum bellicarum funes putrefacti eſſent, Matronæ omnes crines ſuos abſciderunt ad machinas reparandas, & viros liberandos.

De Ariſtotele & dictis eius.

Cap. LXXXII.

Euſebius in chronicis. Anno Artaxerxis triceſimotertio, Ariſtoteles 18. agens annum Platonis auditor fuit.

Aug. de ciuitate Dei lib. 8. Ariſtoteles diſcipulus Platonis vir excellentis ingenij & eloquio quidem Platoni non impar, ſed multos facile ſuperans, ſectam peripateticam condidit, quod deambulando diſputare conſueuerat, plurimoſque diſcipulos præclara fama excellens, viuo adhuc præceptore in ſuam hæreſim congregauit.

Seneca in epiſt. 65. Ariſtoteles putat cauſam tribus modis dici, Materiam, opificẽ, & formam, quæ vnicuique operi apponitur, & hanc vocat Idos; quartam quoque adijcit propoſitum artificis, id eſt illud quod inuitauit Artificem ad hoc faciendum ſicut pecunia, vel gloria, vel religio, quintam addit Plato exemplar; ſcilicet quod ipſe idæam vocat: Sex ergo cauſas dicit eſſe, id ex quo, id eſt materiam, ſicut æs; id in quo, id eſt formam quæ ſcilicet aptatur æri, id ad quod, ſcilicet exemplar, id propter quod, id eſt facientis propoſitum, id quod ex his eſt, id eſt ipſum opus, id à quo ipſum operans eſt, id eſt ipſe artifex.

Valerius libro 7. cap. 2. Ariſtoteles in neutram partem de ſemetipſo loqui debere prædicabat, quoniam laudare ſe vani, vituperare ſe ſtulti eſſet.

Author. Dicebat etiam Ariſtoteles, vt legitur, ſolum ſe incommodum paupertatis pati, quòd non poſſet egentibus ſubuenire; ſciſcitante autem Alexandro, quo docente profiteretur ſe ſcientem? rebus inquit ipſis, quæ non nouerunt mentiri.

Dicta Ariſtotelis.

Huius quoque ſententiæ iſtæ ſunt: Nunquam verecundiores eſſe debemus, quam cum de Dijs agitur.

Viri boni eſt, neſcire vel pati, vel iniuriam facere.

Iniuria iniuſtè irrogata, eius eſt infamia qui facit.

Si lynceis oculis homines vterentur, vt eorum viſus obſtantia penetraret; nonne interſpectis viſceribus etiã pulcherrimum corpus turpiſſimum videretur?

Hoc verbum Boetius in 3. lib. de conſolatione recitans, addidit, te igitur pulchrum videri, non tua natura, ſed ſpectantium oculorum facit infirmitas.

Idem Ariſtoteles aduerſum inimicos inquit; intra parietes noſtros victoria quærenda eſt: dicebat autem animam eſſe *endelechiam.* id eſt actum corporis.

Idem, vt ait Tullius, rhetoricam artem ampliauit. Valerius in lib. 7. cap. 2. Ariſtoteles ait, vtiliſſimum præceptum eſt, vt voluptates abeuntes conſideremus, quas quidem ſic oſtendendo minuit; feſſas enim pœnitentiæque plenas, animis noſtris ſubijcit, quo minus cupidè repetantur.

Varro hiſtoriarum 3.

Idem lib. 5. *cap.* 6. Ariſtoteles ſupremæ vitæ reliquias ſenilibus, ac rugoſis membris, in ſummo literarum ocio vix cuſtodiens; adeo valenter pro ſalute patriæ incubuit, vt eam ab hoſtilibus armis ſolo æquatam in lectulo Athenienſium, iacens, Macedonum de manibus, quibus obiecta erat, eriperet: itaque vrbs Stagira non tam euerſa Alexandri, quam reſtituta Ariſtotelis notum eſt opus.

De ſecta Peripateticorum, cuius author ipſe fuit.

Cap. LXXXIII.

Controuerſia inter Peripateticos & Stoicos.

Auguſtinus lib. 9. *de ciuit. Dei.* Deturbationes animi quidam dicunt cadere in ſapientem: Sed eas moderatas rationique ſubiectas, vt eis leges quodammodo, quibus ad neceſſarium redigantur, modum dominatio mentis imponat. Hæc ſentiunt Platonici ſiue Ariſtotelici & Peripatetici. Stoici vero nullas omnino in ſapientem cadere putant. Cicero autem dicit Stoicos in hoc loco aduerſus peripateticos verbis magis, quam rebus contendere: quod ex verbis A. Gellij probatur, qui ſic ſe ſcribit, nauigaſſe aliquando cum quodam philoſopho nobili Stoico, qui cum illud nauigium horribili tempeſtate cœli, & mari periculoſiſſime iactaretur, vi timoris expalluit: Id animaduerſum eſt ab eis, qui aderant, quamuis in mortis vicinia curioſiſſime attentis; vtrumne Philoſophus animo turbaretur. Deinde, tempeſtate tranſacta, mox vt ſecuritas præbuit colloquendi, vel etiam garriendi locum, quidam ex his, quos nauis illa portabat, diues luxurioſus Aſiaticus philoſophum compellat, illudens quod extimuiſſet atque palluiſſet, cum ipſe manſiſſet intrepidus, in eo quod impendebat exitio: at ille Ariſtippi Socratici reſponſum retulit: Qui cum in re ſimili eadem verba audiſſet, reſpondit, illum pro anima nequiſſimi nebulonis merito non fuiſſe ſolicitum; ſe autem pro Ariſtippi anima timere debuiſſe, ac illo diuite reſponſione depulſo; poſtea quæſiuit A. Gellius à philoſopho, non exagitandi animo, ſed diſcendi; quænã illa ratio eſſet pauoris ſui? qui ſtatim protulit de ſarcinula ſua Stoici Epicteti librũ, in quo ſcripta erant, quæ congruebant decretis Zenonis & Cryſippi, qui fuerunt principes Stoicorum, in eo lib. ſe legiſſe dicit A. Gellius, hoc Stoicis placuiſſe, quod cum animi viſa quæ appellant phantaſias, nec in poteſtate eſt, vtrum & quando incidant animo; cum veniant ex terribilibus & formidabilibus rebus, neceſſe eſt etiam vt Sapientis animum moueant: ita vt pauliſper vel paueſcat metu, vel triſtitia contrahatur. tanquam his paſſionibus præuenientibus mentis & rationis officium: nec ideo tamen in mente opinionem fieri mali, nec approbari iſta, eiſque conſentiri. Hoc enim eſſe volunt in poteſtate, idque intereſſe cenſent inter animum ſapientis, & ſtulti; quod ſtulti animus eiſdem paſſionibus cedit, atque accommodat mentis aſſenſum: Sapientis autem quamuis eas neceſſitate patiatur, retinet tamen de his, quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram & ſtabilem inconcuſſa mente ſententiam.

Cicero de finibus.

De libris Ariſtotelis.

Cap. LXXXIIII.

Huius operis non meminit Laertius; niſi forte ſentit de œconomicis vbi tradidit officia maritorum & vxorum.

Hieronymus contra Iouin. Scripſerunt Ariſtoteles, & Seneca (niſi fallor) de matrimonio libros, amboque in amorem formæ inuehunt in hunc modum; amor formæ, rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus, fædum minimeque conueniens animo ſapientum, turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulóſos, iracundos, temerarios, dure imperioſos; ſeruiliter blandos facit, & eum fruendi cupiditate inſatiabiliter flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, quæſtionibus, perdit, odium facit ſui, & ipſa nouiſſime odium eſt.

Libri Ariſtotelis.

Author. Scripſit enim Ariſt. de arte logica librum categoriarum, id eſt, prædicamentorum (& ſecundum quoſdam libru ſex principiorum. Libros quoque Perihermenias, & libros Analyticorũ, Priorũ & Poſteriorũ Topicorũ etiã & Elenchorũ. Porro de Phiſica. i. naturali ſciẽtia, libros edidit, de phiſico auditu, & generatione & corru-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corruptione, de anima; de ſenſu & ſenſato; de memoria; de reminiſcentia, de ſomno, & vigilia, de morte & vita; de vegetabilibus; & etiam de animalibus ſecundum quoſdam, de quatuor elementis. Libros quoque Metheororum, & Metaphiſicorum: extat etiam liber, qui dicitur perſpectiua Ariſtotelis; & alius, vt fertur, qui dicitur Rhetorica eiuſdem; & eſt ipſius epiſtola ad Alexandrum de diæta ſeruanda.

De his autem ipſius libris excerpſi plurima in prima & ſecunda parte iſtius operis: præter hos etiam ſcripſit libros Ethicorum quatuor, quorum flores morales in hoc loco inſerere volui in hunc modum.

Flores eiuſdem morales ex Ethicis.

Cap. LXXXV.

Quid bonum.

Ariſto. in lib. Ethicorum. 1. Omnis ars & omnis doctrina, ſimiliter autem & operatio boni alicuius operatrix eſſe videtur. Ideoque optime enunciant, bonum quod omnia appetunt, omnis cognitio & electio bonum aliquod exoptat. Optimus eſt, qui à ſeipſo omnia intelligit: bonus autem & rurſus ille qui benedicenti hæc audit, quæ aut neque ipſe intelligit, neque alium audiens in mente iacit, hic inutilis videtur. Quidam vitam pecudum eligentes, adipiſcuntur tamen gloriam; quia quidam magiſtrantium ſimilia patiuntur, vt Sardanapalus. Perfectius dicimus quod per ſe eſt perſequibile quam quod propter aliud eſt eligibile; tale autem fælicitas maximè eſſe videtur: hanc enim ſemper eligimus propter ſe & numquam propter aliud. Pluribus quidem delectabilia aduerſantur, quia non natura hæc ſunt, diligentibus autem bonum delectabilia ſunt: quia bona ſunt: tales autem ſunt quæ ſecundum virtutes ſunt operationes, quare & delectabiles ſecundum ſe non quaſi adiuncto aliquo: habent enim delectationem quandam in ſeipſis. Quis prohibet fœlicem dicere eum, qui ſecundum virtutem operatur perfectam, & exterioribus abundat ſufficienter: pronepotum fortunas, & amicorum omnium conferre in nihilum valde inimicabile videtur: fælicitas eſt actus animæ ſecundum virtutem perfectam, omnia honeſta concordant rationi.

Perfectius eſt quod per ſe eſt aſſequendum.

De eodem.

Cap. LXXXVI.

Speculatio virtutis non efficit virum virtuoſum, ſed eiuſdem executio in opere.

Idem in ſecundo. Denique neque natura neque præter naturam fiunt virtutes, ſed innatum eſt nobis quidem ſuſcipere eas, per aſſuetudinem perfectis. Ex ſimilibus actibus fiunt ſimiles habitus, & ſecundum actuum differentias ſequuntur habitus. Non parum igitur differt ſic vel ſic aſſueſci, à iuuentute magis autem omnes; Non vt ſciamus, quid eſt virtus ſcrutamur; ſed vt boni fiamus. Quæcumque natura nobis adueniunt virtutes eorum primitus ferimus, poſtea autem operationem, & actum tradimus. Qui de ſingularibus ſermo eſt, non habet certitudinem, neque enim ſub arte; neque ſub ratione incidunt; & circa quæ eſt virtus, nata ſunt à ſuperfluitate & indigentia corrumpi. Qui enim omnia fugit & timet, timidus: qui autem nihil omnino timet, audax eſt. Similiter autem qui omnem voluptatem habet & à nulla ſemotus eſt, incontinens: qui autem omnes fugit, eſt inſenſibilis. Corrumpitur enim caſtitas & fortitudo, à ſuperfluitate, indigentia à medietate autem ſaluatur. Signum autem oportet facere habituum, voluptatem, vel triſtitiam in operibus. Quicumque remouetur à corporalibus, & hoc ipſo gaudet, caſtus: qui autem triſtatur, incontinens, & quiſque ſuffert pericula & gaudet & non triſtatur, fortis: qui autem triſtatur, timidus. Circa enim voluptates & triſtitias, eſt conſuetudinalis virtus: Nam medicinæ quædam ſunt virtutes: medicinæ autem per contraria natæ ſunt fieri. Tribus exiſtentibus, quæ in voluptatibus, & tribus, quæ in fugis; bono conferente delectabili, & tribus contrarijs malo in conferente triſti, circa hæc quidem omnia bonus directus eſt, malus autem peccans: magis autem circa delectationem, quia ex pueritia nobis committitur, ideo difficillimum eſt hanc paſſionem repellere, contemperaneam vitæ, quemadmodum dicit Heraclitus, circa difficillimum autem ſemper & ars fit, & virtus. In his quæ ſecundum virtutes fiunt, requiritur qualiter habens operatur; primum quidem ſi ſciens, deinde ſi volens; præter hæc autem tertium, ſi firmè & immutabiliter operatur: hæc autem ad habendum alias artes non connumerantur præter ſcire. Ad habendum igitur virtutes, ſcire quidem parum aut nihil prodeſt, ad alia non parum, ſed omne: ſed multi hæc quidem quæ ſecundum virtutes ſunt non faciunt, ad rationem autem confugientes exiſtimant philoſophari & eſſe boni, ſimile aliquid facientes ægrotantibus: qui medicos audiunt quidem ſtudioſe, & ipſi nihil faciunt operandorum: igitur nec illi bene habebunt corpus, nec iſti animam ſic philoſophantes. Quoniam autem ea, quæ ſunt in anima, tria ſunt: paſſiones, potentiæ, habitus: horum aliquid erit virtus: paſſiones quidem non ſunt neque virtutes neque malitiæ, quia ſecundum paſſiones non dicimur boni vel mali, neque laudamur vel vituperamur: ſecundum virtutes autem & malitias boni vel mali dicimur, & ſecundum eas laudamur vel vituperamur: & paſſiones quidem vt ira & timor inuoluntariè, virtutes autem, & voluntate vel non ſine voluntate. Propter hæc autem eadem, neque potentiæ ſunt: neque enim boni vel mali dicimur: quia poſſumus pati ſimpliciter, neque laudamur neque vituperamur, & adhuc potentes quidem ſumus natura, boni autem non ſumus natura: relinquitur ergo eas habitus eſſe: omnis virtus cuiuſque fuerit, & id bene habens, perficit: & opus eius bonum reddit.

Sciens, volens & immutabilis eſt qui operatur ſecundum virtutes.

Potentes ſumus natura; ſed non bona natura.

Adhuc de eodem.

Cap. LXXXVII.

Virtus omni arte melior.

Quid virtus.

IN omni continuo & diſcreto eſt accipere, hoc quidem plus, hoc vero minus, hoc vero æquale, & hoc autem, aut ſecundum rem, aut ſecundum nos: dico aut rei medium, quod æqualiter remouetur ab vtraque extremitatum, quod eſt vnum & idem omnibus. Ad nos autem quod neque ſuperabundat, neque deficit, ſed non eſt idem omnibus: nam Miloni quidem comedere ſex minas parum eſt, dominatori autem gymnaſiorum multum. Sic vtique omnis ſciens ſuperfluitatem & deficientiam fugit, medium autem quęrit, & hoc vult medium non autem quod rei, ſed quod ad nos. Sic ergo boni artifices ad medium reſpicientes operantur. Virtus autem omni arte certior eſt, & melior, quemadmodum & natura, medij vtique erit inſpectrix. Adhuc peccare quidē eſt multis modis: dirigere autē vno modo, ideo & hoc quidem facile: hoc vero difficile: faciłe quidē diuerti à ſigno, difficile autē inuenire, & propter hoc malitię quidem ſuperfluitas & indigentia: virtutis autem medietas, boni quidem ſimpliciter, mali autem omnifariam. Eſt igitur virtus habitus voluntarius in medietate exiſtens, quo ad nos determinata ratione, vt ſapiens determinabit. Medietas autem duarum malitiarum, huius quidem ſecundum ſuperfluitatem: huius vero ſecundum indigentiam, eſt enim virtus circa paſſiones & operationes, in quibus ſuperfluitas vitiatur, & defectus vituperatur, medium autem laudatur & diligitur. Nam neque omnis operatio, neque omnis paſſio ſuſcipit medietatem: quædam enim mox nominata coniuncta ſunt cum malo, vt inuidia, adulterium, furtū, & ſimilia, quę dicuntur eſſe ipſa mala, non eorum ſuperfluitates & deficientiæ. Non eſt igitur vnquam circa hoc dirigere, ſed ſemper peccare. Fortitudo eſt medietas circa timores & audacias. Liberalitas eſt medietas circa dationem pecuniarum, & acceptionem. Magnanimitas eſt medietas circa honorem & inhonorem. Ad quæ ipſi magis innati ſumus, hæc

magis

magis contraria medio videntur, verbi gratia, magis innati sumus ad delectationem, ideo habiliores facti sumus ad incontinentiam, quam ad decorem, ideo difficile est bonum esse. In vnoquoque enim medium accipere difficile est, verbi gratia, circuli accipere medium non omnis, sed scientis est. Sic vtique & irasci facile & dare pecuniam, sed cui, quantum, & quando, & cuius gratia, & qualiter non omnis; neque facile est, quod est bonum, & rarum, & laudabile: & ideo oportet eum, qui intendit, ad medium prius segregari à magis contrario, & in contrarium trahere oportet: multum enim seiungentes nos à peccato, in medium venimus, quod qui tortuosa lignorum dirigunt, faciunt. In omni autem magis cauendum, & delectabile & delectatio: non enim iudicamus eam indecepti. Quod igitur plebis senes passi sunt ad Helenam: hoc oportet nos pati ad delectationem. Sic enim eam proijcientes minus peccamus.

Difficile est bonum esse.

Qui dirigunt vitam ad regulam virtutis; dirigunt tortuosa ligna.

Idem ex eodem.

Cap. LXXXVIII.

Idem in tertio. In voluntarijs laus & vituperatio fit. Turpissima sufferre, pro nullo bono, vel modico, mali est. Videtur violentum esse, cuius principium exterius est, nihil conferente vim passo. Voluntas finis est: electio autem eorum quæ ad finem. Simpliciter quidem & secundum veritatem bonum est per se voluntarium, vnicuique autem quod videtur: studioso id est bono quidem secundum veritatem est, malo autem quodcunque, sicut in corporibus eis, quæ bene disposita sunt, sana sunt, quæ secundum veritatem talia sunt, infirmis autem alia. Bonus enim singula recte iudicat, & in singulis verum ei appareret, regula & eorum mensura existens. Malis autem deceptio propter delectationem fit: non enim existens bonum eis videtur, sed volunt delectabile, vt bonum: tristitiam autem vt malum fugiunt.

Vile est sectari turpissima ob modicum vel nullum bonum.

Idem in 3. Mollicies est fugere laboriosa. Furorem autem super fortitudinem inferunt: fortes enim esse videntur etiam ij qui ira concitati tanquam belluę in eos irruunt, quos vulnerarunt, quoniam fortes sunt etiam iracundi, maximum enim ad pericula adeunda calcar ira admouet: vnde Homerus: *vires addidit iræ: — bilem conciuit & iram: —. Acris per nares subijt furor: — toto feruebat corpore sanguis.* Difficilius est tristia sufferre, quàm à delectationibus abstinere.

Iram ascribunt fortitudini.

Flores eiusdem de eligendis ex Topicis.

Cap. LXXXIX.

QVod diuturnius vel certius est, magis est eligendum, eo quod minus est huiusmodi: & quod magis eligit prudens vel bonus vir, vel lex recta, vel studiosi circa singula dicta in eo quod tales sunt: omnia bonum appetunt. Quod propter se eligendum, eo quod propter aliud magis est eligendum. Et quod propinquius est fini, & omnino quod ad finem vitæ appetibilius. Et possibile impossibili. Et cui consequens est maius bonum vel minus malum: amplius plura bona paucioribus, vbi alterum propter alterum, ibi nihil magis eligendum, vtraque quàm vnum. Vnumquodque in quo tempore magis valet, in hoc etiam magis eligendum, vt prudentia in senectute: nemo enim iuuenes eligit duces, eo quod non constet prudentes esse. Temperantia autem in iuuentute: magis enim iuuenes quàm senes concupiscentijs molestantur. Quod proximum est bono, melius est, & magis eligendum. Et quod similius est bono; & quod meliori est similius: si tamen illi simile sit, in eo quod melius. Considerandum est enim, & si in ridiculosioribus sit simile; vt Simia homini, quàm Equus: non enim melior Simia quàm Equus, licet similior homini. Item quod difficilius; magis enim amamus, cum habemus quod non facile est sumere: aliquando autem meliora non etiam magis eligenda: non enim si meliora, necessario & magis eligenda. nam philosophari melius quàm ditari est, sed non magis eligendum indigenti necessarijs. Quod ad omnia vel plura vtile est, magis eligendum erit, quàm quod non sic. Et quod propter melius est, vt quod propter virtutem, quàm propter delectationem. Similiter autem & in fugiendis: nam magis fugiendum est, quod magis impedit virtutem.

Res quaque suo tempore eligenda.

Magis vtile magis eligendum.

Idem in lib. 8. Prauus est socius, qui impedit commune opus. Qui litigatorie interrogat, praue disputat, & qui in respondendo non concedit, quod videtur.

Author. Hæc de Aristotele & Peripateticis, quorum author fuit, & de libris eiusdem ad præsens dicta sufficiant.

De pestilentia Romana, & de morte Artaxerxis.

Cap. XC.

EO tempore vt testatur Orosius lib. 3. cap. 4. ingens vniuersam Romam pestilentia corrupit, non vt insperata de Calabris saltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferret transcursus, sed grauis & diuturna, in nulloque dispar sexu, in nulla ætate dissimilis generali, cunctos per biennium iugiter tabe confecit, vt etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosque dimiserit.

Ingens terra hiatus Romæ. Orosius lib. 3. cap. 5.

Anno proximo terra medio vrbis loco dissilijt, in quod abruptum Marcus Curtius vir eques armatus sponte prosiluit.

Vide Plutarchum.

Iustinus lib. 10. Artaxerxi autem Persarum Regi ex pellicibus 115. filij fuere, sed tres tantum iusto matrimonio susceptj, Darius, Ariarates, & Ochus; ex his Darium contra morem Persarum, apud quos Rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater viuus fecerat Regem; sed Darius pro tanti remuneratione beneficij, scelus parricidij in patrem cogitauit, & ad societatem facinoris quinquaginta fratres assumpsit. Causa vero parricidij sceleratior ipso parricidio fuit. Nam Rex Artaxerxes Aspasiam Syri fratris sui pellicem in matrimonium receperat, hanc partem cedere sibi sicuti regno Darius postulauerat, quod quidem Artaxerxes primum promisit, deinde pœnitentia ductus, vt honeste negaret, quod temere promiserat: Solis eam sacerdotio præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur; huic exacerbatus iuuenis coniurat contra patrem; sed deprehensus cum socijs deletus est, coniuges quoque omnium cum liberis interfectæ. Posthac Artaxerxes morbo ex dolore cõtracto decedit, Rex quàm pater fælicior, hæreditas regni Ocho traditur, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum, cæde & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus, atque ita veluti pacificato regno bellum Caduſiis infert, in quo bello aduersus procuratorem hostium Codomanus quidam, cum omnium fauore processit, & hoste cæso victoriam suis obtinuit, ob quod Armeniis præfectus est, deinde post mortem Ochi ad memoriam pristinæ virtutis Rex à populo constitutus est, & Darius cognominatus est: hic est Darius, quem vicerat Alexander.

Consilium occidendi patris Ochũ agitasse scribit Plutarchus.

Vide Plutarchum.

De Regno Ochi & oratore Demosthene.

Cap. XCI.

EX *Chron.* Igitur Persarum 12. Artaxerxes, qui & Ochus cæpit anno quintæ ætatis 225. Mundi vero tertio millesimo quingetesimo 88. & regnauit annis 26. Huius temporibus Demosthenes orator agnoscitur. Valerius 8. lib. cap. 7. Demosthenes cum primam literam artis rhetoricæ proferre non posset propter vocis exilitatem, oris sui vitium tanto studio expugnauit, vt nullus expressius quod volebat proferret. Idem

Ochus 3588.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cicero de fin. 5.

gracilem nimis vocem continua exercitatione ad gratum auribus sonum perduxit. Idem ob lateris infirmitatem discutiendam, multos versus vno impetu complectebatur eosque ad diuersa loca celeri gradu scandens, pronunciabat, ac vadosis littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obsistentibus edebat; ore quoque calculis insertis, multum ac diu loqui erat solitus, quo vacuum promptius esset & solutius. Hic est Demosthenes, qui stomachum Laydis nobilissimæ meretricis iocando suppalpans & quæritans; hoc quantum? cum illa diceret mille denariis; respondit, ego pœnitere tanti non emo. Duo hospites cuidam ancillæ pecuniam deposuerunt, ea conditione, vt eam simul vtrisque redderet. Interiecto tempore alter squalore obsitus tanquam mortuo socio, omnes nummos ea decepta abstulit: superuenit deinde alter, & depositum petere cæpit, quę cum angeretur: Demosthenem patronum petijt, qui ait: hæc parata est depositum reddere, sed nisi socium reduxeris, hæc facere non potest.

Dicta fuit lex ne pecunia alteri sine altero numeretur. Isidorus lib. 1. Etymolog. cap. 39.

Isid. in lib. 1. ethymo. Demosthenes orator fabula vsus est aduersus Philippum: qui cum ab Athenien sibus postularet, vt sibi decem oratores darentur, & discederet: finxit ille hanc fabulam, qua dissuaderet, dicens: Lupos aliquando pastoribus, quorum diligentiam decipere voluissent, suasisse, vt in amicitiam conuenirent: ea tamen conditione, vt sibi canes, in quibus erat causa iurgiorum, ob vitæ securitatem traderentur, annuerunt pastores; & in spe securitatis dedere canes; quos ouium suarum vigilantes custodes habebant: tunc lupi adempta omni formidine: omnem gregem, non pro satietate tantum, verumetiam pro libidine lacerauerunt: Sic Philippus sublatis oratoribus in populo facturus erat.

Helinandus lib. 11. Demosthenes cum Aristodemium auctorem fabularum interrogasset; quantum mercedis, vt id ageret, accepisset; & respondisset talentum, at ego, ait Demosthenes, plus accepi, vt tacerem, ita Causidicorum lingua damnificata est, nisi eam (vt dici solet) funibus argenteis vincias: Apud Aduocatos igitur & ipsum silentium venale est.

Silentium venale.

Idem Demosthenes cum à senatu Athenien sium in patrocinium peteretur: contra Philippum Regem Macedonum: simulata infirmitate (vt aiunt) lecto decubuit, & respondit his, qui ad se conuenerant, se pati morbum sinantem: cui à quodam ex nuncijs mordacissime responsum est: certe non sinantem pateris; immo arginantem.

Tullius in Tusc. lib. 5. Leuiculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ, vt mos est in Græcia: in susurrantisque alteri. Hic est ille Demosthenes: quid hoc leuius? At quantus orator sed apud alios videlicet loqui didicerat: non multum ipse secum.

Gloria popularis per se expetenda non est.

Author. Huius Demosthenis legitur esse illa sententia, liberi seruique personam, veritas separat: serui liberique mendacium miscet.

De Æschine oratore.

Cap. XCII.

HVic autem constat, Æschinem discipulum Socratis contemporaneum fuisse: qui legitur cum eo in perorando certamen habuisse.

Æschines orator.

Plinius de historia naturali li. 7. Æschines Athenien sis summus orator, cum accusationem qua fuerat vsus Rhodi legisset: legit & defensionem Demosthenis, qua in illud depulsus fuerat exilium, mirantibusque eum, magis fuisse miraturos dixit: si ipsum orantem audiuissent.

Ornamenta eloquentiæ.

Valerius lib. 8. cap. 9. Eloquentiæ ornamenta in pronunciatione apta & in conueniente corporis motu consistunt: Quibus cum ipsa se instruxerit, tribus modis homines aggreditur, scilicet aures eorum penetrando, oculos demulcendo: animos inuadendo: recte itaque Æschines cum propter iudicialem ignominiam Rhodum petijsset; & ibi rogatu ciuitatis, suam prius in Ctesiphontem: deinde Demohenis pro eodem orationem clarissimam recitasset: mirantibus cunctis eloquentiam vtriusque, sed aliquanto magis Demosthenis; Quid si inquit ipsum audisse tis? tantus orator & modo tam infestus aduersarius sic inimici vim ardoremque dicendi suspexit: vt se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse prędicaret, expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus, accomodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus: & si igitur illius operi nihil adijci potest, tamen in Demosthene pars magna Demosthenis abest, quod legitur potius quam auditur.

Cicero de orat. 3.

Seneca de beneficijs lib. 1. cap. 8. Socrati cum ęteri discipuli plura offerrent: Æschines pauper, se solum obtulit, dicens: quicquid melius habebat se, illi obtulisse: cæteros autem cum pauca ei dederint, plura sibi & meliora retinuisse: vnde ait, te obsecro, vt hoc munusculum paupertatis meæ excolas; & tua diligentia & sedulitate melius & ornatius reddas. Cui respondit Socrates: se ab illo munus maximum suscepisse, nisi seipsum paruo æstimaret; & libenter daturum operam vt eum faceret meliorem.

Æschines obtulit seipsum Socrati loco muneris.

Tullius in lib. de republica. Æschines cum adolescens tragędiam actitasset, rempublicam capessiuit, & Athenas sub arbitrio versauit, & egit, adeo potens erat in eloquentia.

De Annone Carthaginensi.

Cap. XCIII.

Rosius in lib. 4. cap. 6. His temporibus apud Carthaginem Anno quidam vir priuatis opibus vires Reipublicæ superans, animo inuadendæ dominationis auxit cupiditatem. Cui rei consilium vtile ratus est: vt simulatis vnicæ filiæ nuptijs, omnes senatores (quorum dignitatem obstaturam inceptis suis arbitrabatur) inter pocula veneno necaret: quæ res per ministros prodita, sine vltione vitata est, ne in viro tam potenti plus negocij faceret res cognita, quàm cogitata. Hoc consilio elusus Anno; alio machinamento facinus aggredi parat; Seruitia concitat, quibus repente incautam vrbem opprimeret: sed cum ante constitutam cædibus diem proditum se, & præuentum sentiret, castellum quoddam cum 20. millibus seruorum armatis occupauit. Ibi dum Afros Regemque Maurorum concitat, captus est; ac primo virgis cæsus est: deinde effossis oculis, & manibus cruribusque fractis; velut à singulis membris exigeretur pœna, in conspectu populi necatus est; corpus eius verberibus laceratum cruci est affixum: filij cognatique omnes supplicio traditi, ne quis eum ciusdem familiæ vnquam aut imitari aut vlcisci meditaretur.

Annonis conspiratio prodita.

Idem lib. 3. cap. 7. Eo quoque tempore legati à Carthagine Romam missi sunt; & fædus cum Romanis pepigerunt, quem ingressum Carthaginensium in Italiam, malorum grandinem consecuturam, continuarumque miseriarum tenebras iuges; historiarum fides, locorumque infamia, quibus ea gesta sunt, protestantur. Tunc nox vsque ad plurimam diei partem tendi visa est; & saxea grando de nubibus descendens, vetis terram lapidibus verberauit 25. diebus: quibus diebus etiam Alexander magnus, ille gurges miseriarum, atque atrocissimus turbo totius orientis est natus.

Lege Diodorum. Anno captus & virgis cæsus, aliis tormentis affectus.

Fœdus Romanorum cum Carthaginensibus. Lege Liuium lib. 7. Alexander magnus natus circa tempus quo prodigia illa euenerunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER QVARTVS.

De Fuga Alexandri magni, & fuga Nectanebi in Macedoniam.

CAP. I.

VTHOR. Anno igitur Ochi Perſarum Regis 10. Philippi Regis Macedonum, 6. Nectanebi Regis Ægypti 11. qui fuit ætatis quintæ 235. Mundi vero tertio milleſimo quingenteſimo 98. ſecundum Euſebium: Alexander Philippi & Olympiadis filius naſcitur quod tamen illi vulgatæ Alexandri hiſtoriæ non videtur omnino congruere, quæ eum narrat à Nectanebo iam extra regnum facto, generatum fuiſſe. Anno quippe regni Ochi 14. Philippi 10. Nectanebi 15. ſicut Euſebius ſcribit, Idem Ochus Ægyptum tenuit: Nectanebo in Æthyopiam pulſo, in quo regnum Ægypti deſtructum eſt.

3598. *Alexander naſcitur.*

Hæc pluribus Diodorus lib. 16.

Nunc igitur de exilio Nectanebi & ortu Alexandri, hiſtoriam proſequamur.

Militia. Nectanebi Regis Ægypti.

Ex hiſtoria Alexandri. Inter Ægypti ſapientes Nectanebus excelluiſſe memoratur; hic ſi metus bellicus ei imminebat, non exercitum vel machinamenta Marti mouebat, ſed ingreſſus aulæ penetralia, regiæque ſecreta, inuecta ſecum pelui, ſolitarium ibi ſe abdens, implebat peluim fonte limpidiſſimo, & ex cera componebat nauigij ſimilitudinem: effigieſque hominum ibi collocabat, quæ omnia moueri ac viuere videbantur; adhibebat & virgulam ex ligno hebeni, aliàs palmæ, & incantationes loquebatur, quibus vocaret Deos ſuperos, inferoſque, ſicque laborabat pelui nauiculam ſubmergi; ex quo fiebat vt ſimul cum ſubmerſione illius ceræ, & cereorum incenſorum, etiam omnes hoſtes, qui adeſſe prænunciabantur, pelago mergerentur. Quodam autem tempore nunciatum eſt ei, multas aduerſus eum gentes vna conſpiratione atque eadem voluntate conſurrexiſſe: ſcilicet Indos, Arabes, Phœnices, Parthos, & quæcunque orientis ſunt Barbaræ gentes: quibus ille auditis, plauſum dans manibus, magno riſu diſſolutus eſt, confugienſque ad conſuetæ artis peritiam, intellexit ſe ab hoſtibus eſſe vincendum, & capiendum: niſi fugæ conſuleret, mox ergo raſo capite, & barba: collectis omnibus, quæ ſibi precioſa erant, appulit Macedoniæ.

Nectanebus hoſtes ſuos incantationibus vincere ſolebat.

Nectanebi fuga in Macedoniam.

De colloquio ipſius Nectanebi cum Olympiade.

CAP. II.

ILlic ergo amictus veſte linea: Aſtrologum ſe profeſſus, vim peritiæ ſuæ cum magna admiratione commendabat, adeoque celebris factus eſt, vt eius fama, nec Olympiadem Reginam lateret: enimuero Philippus tunc bello forte aberat: Regina autem cæpit eius peritiam conſulere: ille autem pulchritudinem fœminæ admiratus, amore eius captus eſt. Cumque acrius vultum Reginæ intueretur, ait illa: cur ita in me intuendo defigeris: cui ille, recordor oraculi illius, quod apud Ægyptum à Dijs acceperam, quod oporteret me Reginæ vera prædicere: Conſule ergo ſuper his quæ cupis: & ſtatim promit tabulas ſuas, quas huius peritiæ docti Pinacen nominant auro & ebore variatas: & horoſcopum 7. ſtellas cum ſuis ſpeciebus continentem: vbi viſebatur Iupiter in aëreo lapide, hoc in eſt hyacintho: Sol in cryſtallo: Luna in adamante: Mars in ematite: Mercurius in ſmaragdo: Venus in ſaphiro, Saturnus in ophite: horoſcopus autem ligdineus erat. Tunc admirans Olympias ſtellarum varietatem & propius ſe ſiſtens. O inquit, intuere quæſo meam & Philippi congruentiam: nam multa fama eſt, quod ſi ex hoſte rediens affuerit, velit in alteram tranſmigrari: qui explorata conſtellatione, & eis, quæ Regina petierat ait: vera fama eſt iſta: ſed opitulabor, ne quid diuortio formidaueris: nam fatale eſt tibi ſecundum quod proſpexi: miſceri te Deo, genituramque filium vltorem omnium, ſi qua Philippus in te audebit: tunc illa, cui inquit Deo ad thorum debeor: reſpondit Hammoni, Deo Lybiæ: ergo para te ad huius nuptias, vt Reginam decet: videbis autem & ſomnium, & in ſomnio nuptias tibi cum Deo futuras.

Nectanebus Aſtrologũ ſe profitetur.

Nectanebi cum Olympiade familiaritas.

Nectanebus horoſcopum cum ſtellis Olympiadi oſtendit.

De conceptione Alexandri magni.

CAP. III.

IGitur Nectanebus quærit herbas ad immittendum ſomnium neceſſarias: quibus in ſuccum preſſis, effigiat ex cera corpuſculum fœminæ, cui nomen Reginæ aſcribit, lectulumque ei fabricat, cui illa efficies ſuperponitur,

Nectanebus herbas aliaque neceſſaria ad ſomnium immittendum præparat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ponitur, & lucernis iuxta accenſis, ſuccum herbarum potentium ſuperfudit, carmenque indicit efficax & ſecretum: quo effectum eſt, vt quicquid ſimulacro cereo loquebatur, id etiam fieri ſibi Regina nunciaret. Fecit ergo eam ſomniare, quòd Hammoni miſcebatur, & de eo grauida fiebat. Quod cum illa retuliſſet Nectanebo, ille reſpondit: huius ſomni effectus cito ſubſequetur: quapropter ſecus cubiculum tuum ſecreto mihi lectum parari iubeto: vt ſi forte aliquis repentinus ingruerit metus, poſſim tibi eſſe ſpes ſubſidij; quod ita factum eſt. Tunc Magus ad Reginam: præcurſor tibi aduenit Deus, draco ſcilicet reptabundus: Quo viſo, tu egredi iube omnes: & cum te lecto collocaueris, explora vultum illius quem in ſomno vidiſti. Tunc Magus prouidit ex arte vellus Arietis molliſſimum: ſimul cum cornibus & ſceptrum & amictum candidum: fecitque ex ſcientia reliquum corpus veluti draconem, veſpera aduentantem ad fœminam: Quo illa viſo, cunctos egredi iuſſit, deditque ſe mox lectulo, & operto capite ſolo, oculos ad ſuperuentum opinati Dei curioſe intendit. At ille, ſceptro depoſito, aſcenſoque lectulo, nuptias egit; poſt hæc accepit accipitrem ſacratum; & monet eum ire ad Philippum; cui per noctem in ſomnio aſſiſtens; iuſſis mandatis inſtruxit: excitatus autem Philippus veluti alarum pulſu; aduocans ſomniorum interpretes ait; vidi per quietem Deum quendam formoſum, & canicie capitis cæſariatum, arietiſque cornibus inſignitum ſuperueniſſe Olympiadi coniugi meę; ſeque illi miſcuiſſe, quibus peractis, hæc verba addiderat; excepiſti ô mulier ex me filium vindicem: ad hæc interpres; quod ſignari virginali fœminæ vidiſti? ſcito quod illa conceperit, nemo enim vas vacuum conſignat: & quoniam Deum capite arietino teſtaris; eundemque canum, Deus eſt Lybiæ: Hammon nomine; hanc interpretationem non æquo animo Philippus accepit; Redijt ergo feſtinata re bellica, Macedoniam. Cui cum Regina diffidentius occurſaret, aſtu diſſimulans indignationem ait, me quidem clam res geſta non eſt, ſcio tamen te nunquam alicuius popularis amori ſeruiſſe, enimuero Dei deorum pulcherrimi; atque his dictis animum mulieris inſtaurauit.

Nectanebus Magus effingit Deum. Nectanebus in figuram draconis ſe transformans acceſſit ad cubiculum Olympiadis.

Philippus rei euentum ex ſomnio intellexit.

De fallacia Nectanebi erga Philippum regem.

CAP. IIII.

DEinde iam Philippo efferueſcente, & coniugem acrius increpante, quod conceptus ille non ex Deo foret: hoc Nectanebus audiuit. Cum ergo conuiuium celebre regium pararetur, ob reuerſionem Philippi, nec ille frontem in lætitiam explicaret, ſtatim Nectanebus ſe reformat in illum draconis ſeductiorem tractum, triclinium que penetrat reptabundus ſpecie ſpectabilis, tum maieſtate totius corporis, tum etiam ſibillorum acumine adeo terribili, vt parietes etiam ac fundamenta domus quati viderentur. Cæteris ergo terre concuſſis, & Olympias quo fidem faceret diuino numini, manum protendit ad beſtiam; at draco caput in ſinum mulieris extendit, & omne agmen in ſpheram manſuetius collegit: & promptum oſculum mulieri porrexit. Sicque de hinc vertit ſe in Aquilam, & volatu diſceſſit: tunc ex admiratione exhilaratus Philippus ait, patuit, ô coniunx, argumentum diuini circa te cultus: ſed cuius Dei neſcio: vel Iouis ex Aquila, vel Hammonis ex dracone. Ad hæc mulier: ſe Hammonem eſſe profeſſus eſt, cum primum mecum conuenire dignatus eſt.

Nectanebus reformat ſe in draconis ſpeciem & deludit Philippum.

Cum igitur Philippus in quadam regione ſederet, vbi aues plurimæ circumerrabant, intentuſque agendis rebus animum occupaſſet, repente gallina in ſinum eius ſuperſiliens, concidenſque enixa eſt ouum: ſed ouum illud eius ſinu euolutum humi concrepuit, cuius teſtula diſſultante, viſus eſt de ea dracunculus exire: qui circumcurſans, & ambiens, oui teſtulam dum rurſus eò vnde exierat intrare vellet, morte præuentus eſt. Rex Antiphontem coniectorem egregium ſuper hac re ſciſcitatur, qui reſpondit, filium ei naſciturum, qui omnem mundum ambiret, omnemque ſuæ ditioni ſubiugaret, & antequam in patriam ſuam rediret, occaſu ceſeri periturum, nam draco, regale eſt animal: ouum, forma mundialis.

Philippus in confirmationem ſuperiorum, vidit dracunculum exire è teſtula oui.

De natiuitate Alexandri.

CAP. V.

DEinde parturiente Olympiade, aſſiſtebat Nectanebus. cernens curſus, & aſtrorum motus inſpectans: tandem mulier vehementius ingemiſcens exegit puerum: qui vbi ad humum lapſus eſt, motus protinus inſequitur terræ: & tonitruum crepor, ventorumque conflictus, & fulgurum coruſcatio.

Terræmotus & tonitrua in natiuitate Alexandri magni.

Iuſtinus lib. 12. & quintus Curtius. Ea die qua natus eſt, duæ aquilæ tota die perpetes ſupra culmen domus patris eius ſederunt, omen duplicis imperij Europæ, & Aſiæ, præferentes: Natum appellauit Philippus, Alexandrum in memoriam filij ſui, qui ex prioribus nuptijs occubuerat.

Alexander.

Author. Erat autem puer vultu & forma pulcherrimus, ſubcriſpa paululum, & flaueſcente cæſarie, comæ leoninæ, oculis egregij decoris, altero admodum nigro, leuo vero glauco atque diſſimili: nutrix Alacrimis (vel vt alibi legitur) Alacronis, pedagogus, Leonides: litteraturæ, Polinicus magiſter: Muſicę, Alcippus: Geometricę, Menedes: oratoriæ, Anaximenes: Philoſophiæ Ariſtoteles, vel Mileſius: vt in hiſtoria eius legitur. Refert tamen Hieron. quod Ariſtoteles librariorum vtilitate monſtrauerit Alexandro initia litterarum.

Alexandri præceptores.

Hier. in epiſtola ad Alcam. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum potentiſſimum regem & moribus & inceſſu Leonidis pedagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuerat infectus.

Alexandri cura multis demandata.

Author. hunc ipſum Leonidem, vt refert Seneca poſtea leonibus obiecit deuorandum.

De Obitu Platonis & de diſcipulis eius.

CAP. VI.

ANno Ochi 21. Philippi autem 17. Plato moritur: poſt quem academiam Speuſippus tenuit.

Plato moritur.

Mercurius Trimegiſtus in lib. 1. de conſtellatione. Platonem cum illis animi virtutibus, cum illa ſapientiæ doctrina fatum vendidit, illamque diuini animi doctrinam tyrannicis crudelitatibus, ac ludibrioſis Dionyſij poteſtatibus, tradidit.

Seneca in epiſtola 18. Plato natali ſuo deceſſit, & annum vnum atque 80. impleuit ſine vlla deductione, ideo Magi, qui tunc Athenis erant, ei immolauerunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanæ rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem 9. nouies multiplicata componunt.

Plato perfectum numerum in vita mortali abſoluit.

Augu. de ciuitate Dei lib. 2. cap. 14. Labeo Platonem inter ſemideos ponit, & Herculem & Romulum. Semideos autem hominibus præfert, vtroſque tamen inter numina collocat, nos autem Platonem, nec cuiquam homini Chriſtiano comparamus. *Hugo Floriacenſis in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 1.* Platoni ſucceſſit Apuleius, & Apuleio Hermes Ægyptius, quem Trimegiſtum vocant.

Plato nec Deus nec ſemideus.

Author. Diſcipuli Platonis vt legitur in templorum lucis & porticibus verſabantur, vt admoniti anguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud, quam de virtutibus cogitarent, quorum etiam quidam oculos ſibi effodiſſe leguntur, ne per eorum vſum à contemplatione ſapientiæ auocarentur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Apuleio Platonico, & dictis eius.

Cap. VII.

Libri Apulei. DE *Apuleio multa loquitur Augu. lib. 8. de ci. Dei:* Huius reperi duos libros, vnum scilicet de vita, & moribus Platonis, de quo iam aliqua superius posui, vbi dictum est de ortu Platonis; alium vero qui intitulatur de Deo Socratis: de quo hæc pauca quæ sequuntur, excerpsi.

Dicta Apulei. *Apuleius in lib. de Deo Socratis.* Solet apud prudentes viros esse in operibus elaboratis iudicatio restrictior, & in rebus subitaneis venia prolixior: nulla res eadem potest esse simul festinata, & examinata, nec est quicquam omnium, quod habere possit, & laudem diligentiæ, simul & gratiã celeritatis. Homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, leuibus & anxijs mentibus, brutis & obnoxijs corporibus, dissimillimis moribus, similibus erroribus, audacia peruicaci, spe pertinaci, casso labore, fortuna caduca, sigillatim morales, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte: Parit conuersatio contemptum, raritas conciliat admirationem.

Res festinata non est bene examinata.

Nimia familiaritas parit contemptum.

Quid de dæmonibus senserit Apuleius. Dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiua, corpore aërea, tempore ęterna: quidam per angiportam reptantes, consilia non ex suo corde, sed alienis vocibus colligunt, & vt ita dixerim, non animo, sed auribus cogitant.

Qualiter oportet hominem considerare. Nihil est Deo gratius, & similius quam vir animo perfectè bonus, qui cæteros antecellit: In quibusdam mirandum est, quod ea, quę minimè videri, nescire volunt, discere tamen negligunt, & eiusdem artis disciplinam simul, & ignorantiam detractant: Æquè diuites spectare solemus: vt equos quos mercamur, neque enim in equis emendis phalera consideramus, & balthei polimina inspicimus; sed equum ipsum nudum & solum; vt sit ad speciem honestus, ad cursum vegetus, ad vecturam validus: sic ergo & in hominibus contemplandis noli illa aliena existimare; sed ipsum hominem penitus considera; ipsum vt meum Socratem pauperem, specta.

Aliena voco, quæ parentes pepererunt, & quæ fortuna largita est, vt prosapiam & inuidiosas diuitias: Generosus est, parentes laudat, diues est, non credo fortunæ.

De Plotino Philosopho.

Cap. VIII.

Dictum Plotini. AVthor. Fuit & alius Platonicus, de quo & idem Aug. in præfato libro loquitur, cuius etiam illam notabilem recitat sententiam; fugiendum est, inquit, ad clarissimam patriam, & ibi parere tibi omnia. Quæ tibi classis aut fuga? similem Deo fieri.

Plotinus Philosophus. *Mercurius vbi supr.* Plotinus singularis Philosoph° quas Philosophiæ non attigit partes cũ eius doctrina vitæ sequeretur insignia, cũ id quod docebat, nõ alieno sed proprio virtutis ostẽderetur exẽplo? fuit namque vir ille ad omnia virtutis ornamenta compositus, omniumque diuinarum dispositionum studio firmatus, iustus, fortis, prouidus, temperatus, & qui prouidentiæ ratione, superare se posse crederet fortunæ impetus.

Virtutes Plotini. Itaque locum quietæ sedis elegit, vt ab omni conuersationis humanæ strepitu separatus, se fortunæ inuidia liberaret, solis diuinæ institutionis vacaturus insignibus, vt contra omnes fortunæ minas, integro se & in corrupto præsidio virtutis armaret. Hac itaque confidentia mentis erectus, etiam corporis sui curam ac tuitionem suscepit & ad sedem collocandam amænum sibi Campaniæ ciuitatis solum elegit, vbi semper aeris quieta moderatio cunctos incolas salubri vegetatione

Ciuitas Campaniæ temperata. sustentat: vbi nec vis hyemis, nec flagrantia solis, sed composita temperies ex vtroque moderatur, vbi etiam hominibus aliqua ægritudine laborantibus, ingentium calore fontium, ac feruentium aquarum salutari fomento conciliata sanitas irrogatur. Illic constitutus, primum insignia contempsit honorum, illos veros honores putans, quos illi contulisset diuinum prudentiæ magisterium, nulla quoque diuitiarum illum desideria cæperant, sed has putabat diuitias veras esse, quibus animi ornatus posset auctoritatem propriæ originis inuenire.

Hic in quadam orationis suæ parte, vim fatalis necessitatis aggrediens homines fortunæ decreta metuentes seuera castigat orationis obiurgatione; nihil potestati stellarum tribuens, nihil fatorum necessitatibus reseruans, sed totum dicens in nostra esse positum potestate. Tandemque illi se in hac confidentiæ securitate constituto, fatorum potestas imposuit, primumque membra eius frigida sanguinis torpore riguerunt, & oculorum acies splendorem luminis paulatim extenuatum perdidit, postea per totam eius cutem humoribus nutrita pestis, erupit, vt putre corpus, membris deficientibus corrupti sanguinis morte, tabesceret.

Mors Apulei.

Dicta eius de quatuor virtutibus.

Cap. IX.

Quatuor virtutum genera secundum Platonicos. MAcrobius de somno Scipionis lib. 1. cap. 7. Plotinus in libro, quem scripsit de virtutibus; dicit, quatuor esse quaternarum genera virtutum, quas vocat politicas: quarum Prudentiæ est, ad rationis normam quæ cogitat, quæque agit vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle facere: humanisque actibus, tanquam diuinis arbitris prouidere. Fortitudinis est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere aduersa vel prospera fortiter tolerare. Temperantiæ nihil pœnitendum appetere, in nullo legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Iustitiæ vnicuique seruare quod suum est. Huiusmodi vir bonus, primo sui, deinde Reipublicæ rector, efficitur.

Officia Prudentiæ. *Officia Fortitudinis.* *Officia Temperantiæ.* *Officia Iustitiæ.*

Secundum genus virtutum. Secundæ (quas purgatorias vocat) hominis sunt, qui diuini capax est, solumque eius animum expediunt, qui decreuit se à corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga, solis se diuinis inserere. Hæ sunt otiosorum, qui à rerum publicarum actibus se sequestrant, harum quid singulæ velint, alias expressimus, cum de virtutibus philosophantium diceremus, quas solas quidam existimauerunt esse virtutes.

Tertium genus virtutum. Tertiæ sunt purgati iam defecatique animi, & ab omni huius mundi aspergine pressè, purèque detersi. Illic Prudentiæ est, diuina non quasi in electione præferre, sed sola nosse, & hæc tanquam nihil sit aliud intueri: Temperantiæ terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus obliuisci: Fortitudinis passiones ignorare, non vincere, vt irasci nesciat, nihilque cupiat: Iustitiæ ita cum superna & diuina mente sociari, vt seruet cum ea perpetuum fędus imitando.

Quartum genus virtutum. Quartæ sunt, quæ in ipsa diuina mente consistunt, quę vocantur exemplares: à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt: nam si rerum aliarum multo-magis virtutum Ideas esse in mente diuina credendum est. Illic Prudentia est mens ipsa diuina: Temperantia, quod in se perpetua intentione conuersa est: Fortitudo, quod semper idem est, nec aliquando mutatur. Iustitia quod perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur. Hęc quatuor genera quaternarum virtutum in passionibus, quibus homines metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, maximam habent sui differentiam: has primę molliunt, secundæ auferunt, tertiæ obliuiscuntur, in quartis nefas est nominari.

Horum generum discrimen.

De

De Mercurio Trimegiſto, & dictis eius.

CAP. X.

Hermes Trimegiſtus.

AVthor. Hermes autem qui & Trimegiſtus, ſiue Mercurius, ſcripſit librum de verbo profecto; de quo ſumpta ſunt hæc: Dominus & omniũ factor Deorum, ſecundum fecit Dominum, quoniam hunc fecit primum & ſolum, & verum: bonus ei viſus eſt, & pleniſſimus omnium bonorum, & lætatus eſt. Hic eſt filius benedicti Dei, atque bonæ voluntatis, cuius nomen humano ore non poteſt enarrari. De ſolo Deo, dominus eſt omnium; dominante Deo mortalibus, & qui abomnibus non poteſt indagari ſuper homines eſt, hunc Deus dilexit vnigenitum ſuum. Hæc verba Hermetis (qui & Mercurius) videntur ex parte fidei noſtræ de patre & filio conſonare, ſed in hoc diſſonant, quod dicit Deum feciſſe Deum: deberet enim dici genuiſſe, præterea filius non poteſt dici ſecundus à patre, quaſi poſterior ſit tempore, vel maieſtatis dignitate, ſed tantum ſub auctoritate, quia ſcilicet pater eſt author filij, & quod filius eſt author Spiritusſancti, & author omnium creaturarum; hoc totum habet à patre.

Diſſonat Trimegiſtus à fide de Deo filio.

Aſſerit fatalem conſtellationem.

Scripſit autem & duos libros de Matheſi, in quibus fatalem conſtellationem conatur aſſerere, ipſamque negantibus, & improbantibus reſpondere.

Trimegiſtus ad Aſclepium.

Extat autem liber alius Mercurij Trimegiſti ad Aſclepium: de quo hæc pauca excerpſi: Mercurius Trimegiſtus Aſclepiades: Deus te nobis, ô Aſclepi, vt diuino ſermoni intereſſes, adduxit. Quem ſi intelligens videris, eris omnium bonorum tota mente pleniſſimus: ſi tamen multa ſunt bona, & non vnum in quo omnia: alterum enim alterius conſentaneum eſſe dignoſcitur, omnia vnum eſſe, aut vnum eſſe omnia. Philoſophia ſola eſt, quæ quidem in cognoſcenda diuinitate frequens eſt obtutus diuini ſanctaque religio: ſimplici enim mente diuinitatem colere eiuſque facta venerari: agere etiam Dei voluntati gratias, quæ eſt ſola bonitas pleniſſima: Hæc eſt nullius animi importuna curioſitate violata Philoſophia.

Hæc dicta Trimegiſti videntur fidei noſtræ ex parte conſonare.

Solum animal homo duplex eſt, & eius illa pars ſimplex, quam vocamus diuinæ ſimilitudinis formam: humanitas ſemper memor naturæ, & originis ſuæ, & etiam deitatis imitatione perſeuerat. Immobilis eſt æternitas, in qua omnium temporum agitatio ſumit exordium, & quod eſt mobile temporis, in æternitatem ſemper reuocatur: Sicque efficitur vt etiam æternitatis ſtabilitas ſemper moueatur: & temporis mobilitas ſtabilis fiat, fixa lege currendi: omnia autem Dominus Deus, & omnia ab eo & in ipſo & per ipſum. Nos ergo agentes gratias, adoramus: Hæ ſunt enim ſummæ incenſiones Dei cum gratiæ aguntur à mortalibus; hominum enim adorationibus, & laudibus, & obſequijs, cœlum cœleſteſque delectantur, nos pijſſimis votis optamus, ſi diuinæ placeret pietati, vt nos mundana cuſtodia abſolutos; ſuperioris portis naturæ reſtituat, & hæc eſt merces, piè ſub Deo; diligenter cum mundo; viuentibus.

De interitu Nectanebi & Agathode tyranno.

CAP. XI.

Alexander incipit militarem quaſi vitam agere & adhuc puer rebus bellicis delectari.

HIſtoria *Alexandri.* Hoc tempore Alexander factus annorum 12. patri comes fiebat, & vſu armorum ſemper indui meditabatur, & cum exercitibus videri gaudebat, & equis inſiliens cuncta vt prudentiſſimus miles agebat: dum ergo Philippus ad quandam Illyrici ciuitatem proximam proficiſceretur, non ſimili affectu, quo ſolitus, protinus Olympias Nectanebum repetit, eumque conſulit, ſuper clandeſtino mariti conſilio, cui dum aſſidente ſibi Alexandro ex arte illa aſtrica, loqueretur: petijt Alexander vt doceret eum artem illam, quod & fecit. Cumque iam in illa arte profeciſſet Alexander non modicum, nocte quadam ad præſcitum foſſæ præceps veniens, vbi Nectanebus eum docere conſueuerat: Alexander Nectanebum ex improuiſo præcipitat. Cumque ille lætali ictu ceruicis afflictus conquereretur, cur hoc feciſſet, reſpondit Alexander: Conquerendum tibi erat de arte, quam noueras: malorum quippe neſcius: quæ tibi futura eſſent, humi nunc reſupinus iacens, rimare ea quæ ſunt cæli: Adhæc Magus: nulla mortalium contra fatum fuga eſt: olim per hanc ſcientiam cognoui me à filio interfectum iri: Tũc Alexander: Num ego filius tuus? tunc ille Magus omnia confeſſus eſt, & Ægypti fugam, & qua arte Olympiade potitus ſit, & his dictis animam expirauit. Tunc Alexander impoſuit eum in humeris, ad regiam reuectat, eique ſepulchrum erigit operoſiſſimum, atque matri omnia indicauit. Tunc illa admirata eſt, ſe tot annis à Mago illuſam, rem probri feciſſe.

Alexander deijciens Nectanebum in præcipitium, Nectanebus ex caſu vulneratus interijt affirmans ſe eſſe patrem Alexandri.

Euſebius in chronicis. Anno Ochi 22. & Philippi 18. primo anno Olympiadis 109. Dionyſius Corintho pulſus eſt.

Agathocles peſſimæ vitæ.

Iuſtinus lib. 22. Huic poſtmodum ſucceſſit Agathocles qui ex humili & ſordido genere vſque ad regni peruenit maieſtatem: quippe in Sicilia patre figulo natus, forma & pulchritudine corporis egregius, diu vitam ſtupri patientia exhibuit: annos autem pubertatis egreſſus, libidinem à viris ad fœminas tranſtulit, poſt hęc apud vtrumque ſexum famoſus, vitam latrocinijs mutauit. Interiecto tempore, cum Syracuſas acceſſiſſet, accituſque in ciuitatem inter incolas eſſet, diu ſine fide fuit: quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret habere videbatur: In ſumma gregariam militiam ſortitur, non minus tunc ſeditioſa, quam antea turpi vita, in omne facinus, promptiſſimus erat.

De bona indole Alexandri.

CAP. XII.

Oraculum Delpho.

HIſtoria *Alexandri.* Eodem quoque tempore Philippus Macedonum Delphos miſit ſuper regni ſui ſolicitus ſucceſſore reſponſumque accepit in hunc modum: O Philippe, is demum tuis omnique orbe potietur, quicumque Bucephalum equum inſiliens, medium pelle tranſierit: erat autem Bucephalus equus formæ ſpectabilis ex regio genere armenti, formatis pedibus ad Pegaſi fabulam, & ſi qui fuiſſe Laomedonti ciuſmodi prædicantur, homines autem comedebat vt bellua, & in ciuſmodi pabulum ſæuiebat. Hunc aſſeruari Philippus iuſſerat ſub clauſtris præferratis: agebat autem tunc temporis Alexander, annum ætatis 14. anno videlicet ſecundo Olympiadis 109. Qui, dum quadam die locum vbi Bucephalus clauſus erat præteriret, conuerſus ad ſocios ait: Numquid hinnitus aures meas an vero rugitus aliquis leonis offendit: ad quem Ptolomæus: qui poſtea Sother dictus eſt: quinimo, hic eſt ille Bucephalus quem ob ſæueritudinem dentium pater tuus hactenus claudi iuſſit: Alexander autem cuſtodibus euocatis, clauſtriſque remotis, equum educit. Iubamque eius læua cum apprehendiſſet, tergum quadrupedis inſultat: effrænemque hac atque illac circumducit: quod cum admirationi viſentibus foret: cucurrit quidam & rem periculi Philippo nunciauit. Sed ille ad memoriam monitus oraculi, cucurrit ad puerum, eumque ſalutauit, * vt totius orbis dominum.

Bucephalus

Alexandri indoles qualis?

Polonus aliter dicit hoc factum fuiſſe.

** Præſagijt vir prudens tam excelſæ indoli non ſuffecturam paternam ditionem vt ait Curtius.*

** author habet Arridorum Polonus Argiuorum.*

Nicholaus ſalutat Alexandrum contumelioſe.

Alexander autẽ annum agens 15. petijt, vt ſibi Piſas adire liceret gratia quadrigis certandi: Philippus quoque equos, & cætera illi neceſſaria, præparari iuſſit: igitur aſcenſa naui, ſecunda ad modum tempeſtate appulit Elim: quo in loco dum curam equorum famulis mandaſſet, ipſeque ad videndum ſtatum loci procederet: obuius ei fuit Nicholaus Rex * Argiuorum quondam conſcholaſticus eius, qui prius ſalutauit Alexandrum, non tamen ſine contumelia: Nam, aue, inquit, ô puer: nec ille reſalutat. Tunc ſecundò Nicholaus, & à

quo,

quo, inquit, te arbitraris ſalutatum? quippe ego ſum Nicholaus, Rex Argiuorum alias Aceruanum. Et Alexander: Quid, inquit, prodeſt tibi iſta vana iactatio de ſecundis craſtinis fluctuans? neque enim iſtam arrogantiam approbo: & Nicholaus, velim, inquit, ſcire cur adſis; fatetur Alexander ſe ad certamina quadrigarum, ſtudio coronæ veniſſe. Tũc Nicholaus, felle de nimia indignatione ſuffuſus conſputum adoleſcentulum, & maledictis increpatum dereliquit. At vero Alexander: qui omnium diſciplinarum continentiam oſtentare didicerat, abſterſit à facie ſputamenta, & ad iniuriam arridens, ait, iuro equidem Nicholae per patris matriſque meæ maieſtatem, quod te etiam in præſenti certamine ſuperabo.

De Reconciliatione Olympiadis cum viro ſuo.

Cap. XIII.

Alexander omnes ſuperauit in certamine.

NOn multo poſt cum dies certaminis aduenisſet; Alexander Nicholao ſuperato, & reliquis, qui certamini aduenerant; corona redimitus repatriat Macedoniam, offenditque fortè Philippum: ſpreta Olympiade, in Cleopatræ nuptias demutantem. Die autem nuptiarum intrans triclinium regis coronatus: Sume, inquit, ô pater hunc primum laboris mei fructum, & coronam in caput eius tranſtulit & ait: Cum ego matrem meam iterum regalibus nuptijs coniugabo, vos quoque participabo conuiuio: & his dictis aduerſus Philippum diſcumbit.

** Quintus Curtius hũc vocat Attalum auunculũ Cleopatræ.*

Aderat autem inter regales delicias* Lyſias quidam riſui excitando quàm facetiſſimus. Qui cum in gratiam Regis adoleſcentulum vellet admordere, multimodis verborum ridiculis ſæpius illum aggreſſus; ac ſæpius admonitus, vt ad alium ſe verteret, cui ludum ſuum placere ſciret; & ille non audiret: tandem iratus Alexander, poculum quod ſibi præ manu erat iaculans: Lyſiam vulnerat. Sed Rex efferueſcente ira, proſiliens in Alexandrum, vulnerato crure, procumbit. Tunc Alexander arrepto gladio omnes qui veluti ad ſe comprehendendum irruerent, diſijcit & egreditur. Qui enim aderant, Philippum grauiter vulneratum in cubiculo inducentes, lectulo deponunt, poſt dies plures, cum iam ſpes eſſet recuperationis; ingreditur Alexander ad Philippum, & Olympiadem matrem ei reconciliat.

Alexander poculum eõ iecit in Lyſiam, alias Attalum, & cum patre diſſentit.

De Xenocrate Philoſopho.

Cap. XIIII.

Speuſippus moritur.

HElinandus. Anno quarto Olympiadis 109. qui fuit annus Ochi 25. & Philippi 21. ſecundum alios 22. & ætatis Alexandri 16. Speuſippus moritur, ſecundum alios tribus annis tardius, cui ſucceſſit Xenocrates, quem Tullius dicit fuiſſe philoſophorum grauiſſimum:

Cicero pro Balbo. Diog. Laert.

Valerius lib. 2. cap. 10. Huic Xenocrati tantam auctoritatem ſua ſapientia attulerat, vt cum teſtimonium dicere coactus, ad aram acceſſiſſet; vt iuraret omnia ſe vere retuliſſe; prohibitus ſit à ſenatu iurare.

Philoſophus regi ſuam amicitiam vendere noluit.

Alexander ad Xenocratem legatos cum aliquot talentis miſit, quos ille (vt erat ſolitus) modico apparatu excepit; poſtera die interrogantibus cuinam pecuniam annumerari vellet, & non intellexiſtis, inquit, heſterna cæna ea me non indigere, ita Rex Philoſophi amicitiam voluit emere.

Valerius lib. 4. cap. 3. Diog. Laert.

Item Xenocrates aliquando vino grauis in ſinu Phrynæ nobiliſſimi Athenarum ſcorti ſponte procubuit: Quæ cum quibuſdam iuuenibus pignus poſuerat, ſe philoſophum à propoſito caſtitatis abducturam; itaque cum diu eum pro libitu attrectaſſet, omnino eum allicere ad libidinem non potuit. Cumque iuuenes ab ea pignus repoſcerent, illa reſpondit, ſe de homine non de lapide vel ſtatua pignus poſuiſſe.

Idem cum quibuſdam detractoribus intereſſet, & taceret. Quærente vno, cur ſolus taceret, quia dixiſſe me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

*Qualiter Philippus Græciam ſubiecit, & * Nagoſus Iudæam iterum tributariam fecit.*

** Comeſtor habet Vagoſus.*

Cap. XV.

Philippus dextrum oculum patientiſſimie amiſit.

IVſtinus in fine li. 7. His temporibus Philippus cum Methonam vrbem expugnaret, de muris ſagitta iacta, dextrum eius oculum effodit, quo vulnere nec ſegnior in bellum, nec iracundior aduerſus hoſtes factus eſt; adeo vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit, nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduerſus victos fuerit.

** Dum contentiones ciuitatum alit.*

Idem in principio li. 8. Græciæ autem ciuitates dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes amiſerunt. Itaque Philippus velut è ſpecula quadam libertati omnium inſidiabatur*.

Comeſtor cap. 2. ſuper hiſtoriam Eſther. Artaxerxes autẽ qui Ochus dictus eſt, miſit Nagoſum prẽfectum vniuerſis regionibus trans flumen Euphraten. Erat autem in Hieruſalem ſummus Sacerdos Ioannes, qui Iudæ patri ſuo ſucceſſerat. Eratque frater Ioannis Ieſus qui ad pontificatum aſpirabat, & propterea Nagoſi familiaritatem ſibi comparauit. Qua confidentia Ieſus altercatus in templo aduerſus Ioannem; adeo incitauit fratrem: vt eum interficeret: vnde Nagoſus indignatus aſcendit in Hieruſalem, Cumq; prohiberent eum ab ingreſſu tẽpli reſpondit, mundior ego ſum cadauere, quo templum prophanaſtis, & ingreſſus templum ſpoliauit illud, & impoſuit miniſtris templi iterum tributa & annonas annis 7. à quibus per interuentum Eſdræ abſoluti fuerant. Idem Ochus Apodaſmo Iudæorum capta in Hyrcaniã accolas tranſlatos iuxta mare Caſpium collocauit.

Ochus Iudæos captiuos abduxit.

De Iſocrate.

Cap. XVI.

Cicer. Caton.

IDem Comeſtor & Valerius lib. 8. cap. 7. Illo tempore Iſocrates ſcil. orator claruit. Iſocrates nobiliſſimũ librum, qui παναθηναϊκὸς inſcribitur 94. agens annũ, compoſuit: opus ardentis ſpiritus plenum, ex quo apparet ſeneſcentibus membris eruditorum, intus animos induſtriæ beneficio florem iuuentæ retinere.

Virtus res impoſſibiles ad poſſibiles reducit.

Calcidius in proœmio Platonis. Iſocrates in exhortationibus ſuis virtutẽ laudans, cũ omnium bonorum totiuſq; proſperitatis conſiſtere cauſam penes eam diceret: addidit ipſam eſſe ſolam, quæ res impoſſibiles ad poſſibilem redigeret facilitatẽ. Quid enim generoſã magnanimitatem vel aggredi pigeat, vel cæptum fatiget? vt tanquam victa difficultatibus ſe temperat à labore; eadem eſt, vt opinor, vis amicitiæ parq́, impoſſibiliũ pene rerum extricatio, cum alter ex amicis iubendi religione, alter parendi voto, complaciti operis adminiculatur effectui.

De Regno Argis vel Arſami & Darij filij eius.

Cap. XVII.

Arges. 3614.

EX chronicis. Anno regni Philippi 23. Perſarum 13. regnauit Arges Ochi filius. Cæpit igitur anno quintæ ætatis 251. Mundi vero tertio milleſimo 614. & regnauit annis 4.

Varia opiniones de hoc rege, lege Diodorũ lib. 17

Helinandus. Hunc inter Reges Perſarum non numerat Iuſtinus, ſed ſtatim poſt Ochum ponit Darium. Tertullianus autem hunc Argem vocat Argum, quem dicit regnaſſe anno vno: Iſidorus appellat eum Xerxen, quem dicit regnaſſe annis 4. Hieron. ſuper Danielem vocat eum Arxen, alij appellant eum Arſamum.

Haranus vocat hunc regem Arſen dicitque eum regnaſſe tribus annis.

Comeſtor vt ſupra cap. 3. Poſt Ochum Regẽ filius eius Arſamus regnauit & mortuo Ioanne in Hieruſalem, ſucceſſit ei filius eius Iadus in ſacerdotiũ. Poſt Arſamũ regnauit filius eius Darius: hic præfecit regionibus trãs flu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

men Saraballam de genere Cutheorum, ex quibus Samaritæ deſcenderunt. Erat autem Iado frater Manaſſes ad pontificatum anhelans: propter quod Iſacham filiam Saraballæ duxit vxorem: cumque miniſtraret in ſacerdotio indignati ſunt Hieroſolymitæ, & iubebant eum recedere ab vxore: aut non intrare ſacrarium. Itaq; Manaſſes cum vxore tranſtulit ſe ad ſocerum ſuum: & pollicitus eſt, quod ædificaret ei templum inſtar Hieroſolymorum ſuper montem Gariſim, ſed hoc cum ſententia Regis Darij faciendum erat. Interim autem * contradidit ei Abiſſam vel Abiglam, qui eſt Mediterraneus vicus Tyriorum inſignis, & tranſierunt ad Manaſſen plures de Hieroſolymitis, quibus Saraballa pecuniam miniſtrabat, terram colendam deputabat, & habitationem. Eo tempore Manlius Torquatus Conſul Romanorum filium ſuum virgis cæſum ſecuri percuſſit, quia contra imperium conſulum cum hoſtibus pugnauerat, & tamen eos expugnauerat.

* alias condidit.

De Nece Philippi Macedonis.

Cap. XVIII.

Alexander Methonam iterum obſequio ſuo ſubegit.

Hiſtoria Alexandri. His temporibus Methona ciuitas nunciatur obſequio deſciuiſſe, ad quam Philippus animo incitatus, cum ad hoc viribus corporis deficeret, cum exercitu miſit Alexandrum, quam in breui ſubegit. Ingreſſuſque ad patrem, vt victoriam nunciaret, vidit in domo regia viros barbaro habitu, percunctanſque, cognoſcit Regis Darij legationem, qui venerant pro tributo atque cenſu, terræ. ſ. & aquæ, miraturque petendi morem, & titulum, dixitque vni, qui primus illorum eſſe videbatur. Hæcne elementa ſibi vendicant Perſæ, mortalibus, quæ Deus cunctis in commune largitus eſt? Igitur ferri iubet ad Darium à ſe mandata. ſ. vt ab hac petendi conſuetudine temperaret. Sin aliter, ſciret ſe cum Alexandro prælio acrius concertaturum: his dictis iuſſit homines proficiſci. Rurſus dum vicina ciuitas de obſequio vacillaret, Alexandro datur expeditio, & illic ire iuſſus eſt.

Pauſanias raptus amore Olympiadis occidit Philippum.

Interea Pauſanias quidam nomine, opibus & delitijs affluens, in Olympiadis amorem prolapſus eſt. Qui cum per internuncios attentaret, & mulier conſentiret. ſ. vt defuncto Philippo, ad illum tranſnuberet; Pauſanias opportunum tempus exiſtimans, quia Alexander tunc forte aberat, cuius iam formidolosũ erat nomẽ nimiũ, repente ruit ſuper Philippum, eumque vulnere præuenit. Qui cum lætaliter ictus eſſet, mox Pauſanias feſtinat ad raptum Olympiadis: igitur cum adhuc populus in theatro turbaretur; forte rebus ex ſententia perpetratis, Alexander ſuperuenit, offenditque turbas & Philippi vulnera; irruenſque in reginam, deprehendit Pauſaniæ violentiam: cumque eum iaculo deſtinaret, teneturque formidine matris vulnerandæ, Olympias ſic eum adhortatur, iaculare inquit fili: iaculare non dubites; Alexander autem cum Philippum ſpirare comperiſſet, iuſſit Pauſaniam illuc aduehi, gladiumque in dextra patris miſit: quo manu eius oppeteret, occiditque eum; ergo iam moriens Philippus, ait: Nihil eſt, quod me finis vitæ, aut mors contriſtet; vltus enim authorem iniuriæ, libens oppetam; adiecitque; Reminiſcor ô Alexander Deum matri tuæ prægnanti prædixiſſe: quod vindicem filium eſſet paritura; & his dictis ſpiritum exhalauit.

Pauſanias occidꝛtur.

De moribus eiuſdem, & de Pauſania eius interfectore.

Cap. XIX.

Peſſima conditiones Philippi.

Iuſtinus lib. 9. Fuit autem Philippus Rex tam armorum quam conuiuiorum apparatibus ſtudioſior, cui maximę opes erant, inſtrumenta bellorum; diuitiarum quæſtu, quàm cuſtodia ſolertior. Itaque inter quotidianas rapinas ſemper inops erat, miſericordia in eo & perfidia pari iure dilectæ; nulla apud eum turpis ratio vincendi fuit, blandus pariter, & inſidioſius erat alloquio: qui plura promitteret, quam præſtaret; ſeriorum, iocorumque artifex, amicitias vtilitate non fide colebat, gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordes odia, & apud vtrumque gratiam quærere ſolemnis illi conſuetudo. Inter hæc, eloquentia, & inſignis oratio acuminis & ſolertiæ plena, vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionum deeſſet ornatus.

Valerius in lib. 7. Philippus Alexandrum, quorundam Macedonum beniuolentiam donis ad ſe conatum attrahere, in epiſtola ſic increpuit: Quæ te, fili, ratio in hanc vanam ſpem induxit, vt eos tibi futuros fideles exiſtimares, quos pecunia ad amorem tui compuliſſes?

Cicer offi 2.

Idem lib. 1. cap. 8. Philippus pater Alexandri, oraculo Apollinis admonitus, vt à quadrigæ violentia ſalutem cuſtodiret: omnes currus per totum regnum diſiungi fecit: locum etiam qui in Boetia quadrigis celebrabatur, ſemper vitauit: ſed Pauſanias gladio, quo illum occidit, quadrigam habuit cælatam.

Denunciatũ periculi genus non effugit.

Item in lib. 8. cap. 13. Quidam vt æternam memoriam aſſequerentur, etiam ſceleribus innoteſcere non dubitarunt: quorum è numero neſcio an in primis Pauſanias debeat referri: nam cum Hermoclem percunctatus eſſet, quonam modo ſubito clarus poſſet euadere: iſque reſpondiſſet, ſi aliquem illuſtrem virum occidiſſet, futurũ vt eius ad ipſum gloria redundaret, Philippũ continuo interfecit, ſicque quod petierat aſſecutus eſt: tam enim ſe parricidio, quàm Philippus virtute notum poſteris reddidit. Sic etiam inuentus eſt, qui Dyanæ Epheſiæ templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo conſumpto, nomen ſuum per totum orbem innoteſceret.

Iuſtin. 9.

Strab. 14.

Iterum de ſcriptis, & geſtis Philippi.

Cap. XX.

Philippi Epiſtola ad Alexandrum.

Vllius in lib. de officiis. Extant epiſtolæ Philippi ad Alexandrum, & Antipatris ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippi filium, trium prudentiſſimorum, quibus præcipiunt vt oratione benigna multitudinis animos ad beniuolentiam alliciant, militeſque blande appellando ſermone deliniant.

Oroſius in lib. 3. cap. 14. Philippus pridie quam interficeretur, interrogatus, quis finis homini magis eſſet optandus? reſpondiſſe fertur, eum eſſe optimum, qui viro forti poſt virtutum ſuarum gloriam in pace regnãti, ſine conflictatione corporis & dedecore animi, ſubitus, & celer inopinato ferro potuiſſet accidere, quod ipſe mox obtinuit. Nec ab iratis Dijs, quos ſemper paruipenderat, quorumque templa, & aras, & ſimulacra ſubuerterat, quin (vt ipſi videbatur) electiſſimam mortem adipiſceretur, potuit impediri?

Exitum vita quẽ dixit Philippus optimum ipſemet obtinuit

Hieron. contra Ioui. Philippum Regem Macedonum, contra quem Demoſthenis Philippicæ tonant, introeuntem ex more cubiculum vxor excluſit irata: qui excluſus tacuit, & iniuriam ſuam verſu tragico conſolatus eſt.

Philippi patientia.

Seneca de naturalibus quæſtionibus lib. 2. Aſclepiodorus narrat, demiſſos quàm plurimos, à Philippo in metallum antiquum olim deſtructum, vt exploraret, quæ vbertas eius eſſet, quis ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia, deſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraturos dies: deinde longa via fatigatos vidiſſe flumina ingentia, & conſeptus vaſtos aquarum inertium pares noſtris, nec compreſſos quidem terra ſupereminente, ſed liberæ laxitatis non ſine horrore viſos.

Infra terrã eſſe vaſtos aquarum conſeptus, probat exploratio illa ſeruorum Philippi.

De incæſtu Minutiæ Virginis, & ſacinore Matronarum Romanarum.

Cap. XXI.

Oroſius lib. 3. cap. 9. Eo tempore Minucia virgo Veſtalis ob admiſſum incæſtum viua eſt obruta in campo, qui nunc Sceleratus vocatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hiero. contra Ioui. lib. 1. Caſſandram, & Chryſim Vates Apollinis; & Iunonis virgines nouimus, & ſacerdotes Dianæ Tauricæ, & Veſtæ innumerabiles extiterunt: quarum vna Minutia propter ſuſpitionem ſtupri, viua defoſſa eſt, iniuſta vt reor pœna, niſi grande crimen putaretur læſa virginitas. Et addit: Certe Romanus populus quanto honore virgines ſemper habuit, hinc appareret, quod Conſules, & Imperatores, & in curribus triũphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus: eis de via cedere ſolitus ſit.

Minutia veſtalis incaſtus damnata.

Virginitas in magno honore.

Oroſius lib. 3. *cap.* 10. Paruo exinde tempore interiecto, Claudio, ſcilicet Marcello, & Valerio Flacco Conſulibus, incredibili rabie & amore ſcelerum Romanæ Matronæ exarſerunt: erat vtique fædus illeac peſtilens annus; inflictæ, & iam cateruatim ſtrages egerebantur: & adhuc tamen pene omnes de corrupto aere perijſſe ſimplex credulitas erat, cum exiſtente quadam ancilla indice; & conuincendæ rei cauſa primum multæ Matronæ vt biberent venena, quæ coxerant compulſæ: deinde ſimul vt hauſere conſumptæ ſunt; tantaque fuit multitudo Matronarum in hoc conſciarum, vt 300. & 70. damnatæ ſimul ex illis fuiſſe referantur.

Horreſco referre quod geſtum eſt; ait Oroſius.

Permultæ matronæ Romanæ veneficij accuſatæ, damnataque ſunt.

De regno Darij filij Arſami, & Alexandri Magni & moribus eius.

Cap. XXII.

EX *chronicis.* Anno primo Olympiadis 111. qui fuit ætatis quintæ 255. Mundi vero tertio milleſimo 618 Perſarum 14. regnauit Darius, Arſami filius annis 6. Eodem anno Alexander Philippo patri ſucceſſit in regnum annis 12

Perſarum vltimus rex Darius. 3618.

Alexander ſucceſſit Patri anno prænotato.

Iuſtinus lib. 9. Hic & virtute & vitijs maior fuit patre, vincẽdi ratio vtriq; diuerſa, hic apertè, ille artibus, diuerſa bella tractabat: deceptis ille gaudebat hoſtibus: hic palã fuſis, prudentior ille conſilio; hic animo magnificentior; iram pater diſſimulare plerumque etiam vincere: hic vbi exarſiſſet, nec dilatio vltionis, nec modus erat: vini nimis vterque auidus, ſed ebrietatis diuerſa vitia, patri mos erat etiam de conuiuio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere offerre. Alexander non in hoſtes, ſed in ſuos ſæuiebat: amari pater malebat, hic metui; literarum cultus vtrique ſimilis; ſolertiæ pater maioris, hic fidei: verbis, atque oratione Philippus: hic rebus moderatior, parcẽdi victis filio animus promptior, & honeſtior; frugalitati pater, luxuriæ deditus magis filius erat.

Comparatio pulcherrima Philippi & Alexandri

Idem lib. 11. Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia, cædis conſcios ad tumulum patris occidi iuſſit, ſoli Alexandro Lynciſtarum fratri pepercit, ſeruans auſpicium dignitatis ſuæ: nam Regem eum primus ſalutauerat; Æmulum quoque imperij Caranum fratrem ex nouerca ſuſceptum interfici imperauit.

Alexander conſcios cædis patris occidi iubet.

Qualiter Alexander animos militum ſibi conciliauit.

Cap. XXIII.

EX *hiſtoria Alexandri.* Procurata patris ſepultura, mox aſcendens illus ſtatuam, conuocataque vniuerſa multitudine plebis; ait. En tempus eſt, vt quicumque cupit Alexandro militare, fædus inire cum illo feſtinet: namque mihi dignum videtur bella in eos primum mouere, qui nos contriſtauere pridem: nunc autem cupiunt ſpoliare, etiam & libertate: dictis his acquieſcit omnis miles, ac ſi diuinitus vocatus fuiſſet.

Alexander peritiſſimus tractandi animos.

Iuſtinus lib. 11. Alexander in initio regni ſui Macedonibus immunitatem cunctarum rerum prẽter militię vacationem dedit. Quo facto, tantum ſibi fauorem omnium conciliauit, vt corpus hominis non virtutem Regis mutaſſe ſe dicerent.

Ex hiſtoria Alexandri. Tunc Alexander referans patris theſauros, arma opeſque diſtribuit cunctis. Connumeratis igitur militibus, quos ipſe receris ſcripſerat, congregat Macedones 15. millia peditum. Auxiliaque diuerſa in octo millia: equites vero indigenas duo millia ſeptingentos: leuis autẽ armaturæ Trachas octingentos. Vnde hoc numero cũ veteri milite congregato colligit ad modũ 70. millia ſeptingentos quatuor militantium.

Alexander parat exercitum magnũ,

Quintus Curtius & Iuſtinus li. 11. Non autem iuuenes robuſtos, nec primum florem ætatis: ſed veteranos, plerosque etiam emeritæ militiæ qui cum patre patruiſque militauerant, elegit; vt non tam milites, quàm magiſtros militiæ electos putares; ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit, vt ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum priſcæ alicuius reipublicæ videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam cogitauit, ſed victoriam, nec impedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit.

Electiſſimos milites & veteranos ſibi comparat.

De Regionibus quas peragrans ſibi fœderauit.

Cap. XXIV.

EX *hiſtoria Alexandri magni.* Igitur Alexander viæ ſumptum ex Philippi theſauris abundantiſſimè ſumens, claſſe elaborata, tranſit in Thraciam, inde Lycaoniam, cui nunc recens ætas Lucaniæ nomen dedit. Quarum regionum magiſtratibus ad amicitiam fœderatis, tranſmiſit protinus Siciliam, exinde Italiam tranſiens, legatione pariter & honore potitur Romanorum, per Aimilium quippe: qui tunc conſul erat, coronam ei auream margaritis inſignitam dirigunt ad argumentum amicitiæ perpetuo poſt futuræ. Idque Alexandro magnæ gratiæ fuit, & verbis liberalibus Aimilium honoratum remiſit. Addunt etiam ei Romani duo millia militum; & argenti pondera talentorum 40. millia. Hinc igitur pergens omnem Lybiam peragrat, collecto autem in vnum exercitu, ad Ægypti interiora contendit; claſſe iuſſa ſe apud Metropolim operiri. Ægyptij quoque veſte & ſede regni dignum duxerunt, ſecundum Seſonchoſim veniſſe dicentes. Intuetur igitur Alexander ibi ſtatuam quandam nigro lapide, cuius cauſam percunctans, reſponſum eſt, hanc illius Nectanebi fuiſſe, qui olim infeſtantibus Perſis, cum Deorum monitu præſciuiſſet fortunæ ſuæ lapſum, locum ſuum declinauit: his Alexander cognitis, ſtatuam complexus, patrem ſalutans, eiuſque filium ſeſe profitetur. Rurſuſque omnes Syriæ ciuitates, per quaſcunque tranſijt nomini ſuo addidit, ac demum Tyrum aduenit, ſed Tyrij mœnibus obſeruatis ingreſſum illi denegant. Ipſe vero dum vrbem violenter diripere vellet, multis Macedonum cæſis pedem refert.

Alexander regiones omnes per quas tranſijt vel ſibi fœderauit vel ſubiugauit.

Alexander ante Perſi cum bellum finitimas gentes adortus.

Qualiter Tyrum ſibi repugnantem deſtruxit.

Cap. XXV.

POſt hoc excidium Tyrijs minatus eſt, miſſiſque internuncijs literas eis huiuſmodi iuſſit deferri.

Epiſtola Alexandri ad Tyrios.

Imperiale quidem videbatur cum clementia ac iuſtitia meæ veſtræ vrbi dominari, ſed quoniam vos primi omnium extitiſtis, qui meis iuſſis inſolentius obuiaretis: terribile * *ſignum alijs præbebitis, quid virium ſit in Macedonum dextris, ſcietis: valete ſi ſapitis: non enim valebitis ſi in his perſeueratis.*

* exemplum,

His literis Tyrij lectis, Primates legatos corripi iubent, ac tormentis primum affectos, crucibus affixerunt: his incentiuis extimulatus Alexander graui indignatione permotus, vehementiuſque vrbem aggreſſus; vrbem diruit ac vaſtat, omni ſexu & ætate perempta: Tyro dehinc Satrapam præfecit.

Tyrij legatos crucibus affixerunt.

Alexander vrbem Tyriorum fundituſ diruit.

Author Iuſtinus li. 18. dicit eum omnes qui prælio ſuperfuerant, ob memoriam veteris cædis à ſeruis in dominos factæ; crucibus infixiſſe; genus tantum Stratonis inuiolatum ſeruaſſe, regnumque ſtirpi eius reſtituiſſe; de quo Stratone ſuperius egimus, cum de Tyriorum origine tractaremus. Et notandum quod Iuſtinus poſt geminam victoriam de Dario narrat Alexandrum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Alexander in Syria Reges conſtituit, & priuat vt voluit.

in Syriam veniſſe: vbi multos reges cum inſulis obuios habuit; ex quibus pro meritis ſingulorum, alios in ſocietatem recepit, alijs regnum ademit, ſuffectis in loca eorum nouis regibus. Inſignis autem præter cæteros fuit Abdalonimus Rex ab Alexandro Sidoniæ conſtitutus. Qui prius ſolebat opera oblocare ad puteos exhauriendos, & hortos irrigandos, quem Alexander ſpretis nobilibus Regem fecit, ne non dantis, ſed generis beneficium, putarent.

De mutuis epiſtolis Darij & Alexandri.

Cap. XXVI.

Hiſtoria vero Alexandri dicit, eum iam deuicta Syria, primo literas à Dario miſſas huiuſmodi accepiſſe.

Lettera Regis Darij ad Alexandrum.

Rex Regum Darius ac conſanguineus Deorum, Alexandro famulo meo, iubeo dicoque hæc: Mando tibi reuerti ad parentes tuos, ſcilicet, famulos meos: atque in gremio matris cubantem doceri virile officium. Ad quam rem habenam tibi Scythicam miſi, & pilam, & loculos cum aureis: habena admonet te diſciplinæ videri indigentem; pila vero quod eius luſitatio tuæ congruat ætatulæ, non hæc opera, quam ritu latronum tibi conſimilium aggreſſus es. Nam ſi omne huiuſmodi genus hominum pari conſpiratione tecum conduxeris, Perſarum imperium nequaquam terrere poteris, tanta quippe mihi exercituum multitudo adeſt, vt nulli melius quàm arenæ maris poſsit comparari; auri vero & argenti hæc copia, vt ſi mihi libitum fuerit, totam humum inde conſternere poſsim: quapropter tibi aureos miſi vt ſi ad reuerſionem ſumptibus indigueris: habeas quo tibi, tuiſque neceſſaria emas. Sin autem iuſsionibus noſtris obaudire diſtuleris, protinus mittam viros, qui te vinctum atque contumelioſè verberibus affectum maieſtati noſtræ deducant.

Cur Darius ad Alexandrum miſit habenam, pilam, & loculos cum aureis.

Territi ſunt Primates Alexandri his epiſtolis, ſea ab Alexãdro appoſito exemplo canũ multum latrantium & minime mordentium in priſtino ſeruore confirmati ſunt.

Hec dicta primates Alexandri nimium terruerunt. Quibus Alexander, quid tandem adeo dictis barbaricis perturbamini? qui arrogantiæ quidem habent teſtimonium, non confidentiæ probationem: nam & canibus imbecillioribus mos eſt, quanto plus defuerit virium, eo magis latratibus indulgere. His dictis, Perſarum legatos donatos omni eo auro, quod ſecum attulerant, remittit in ſua, cum literis huiuſmodi.

Epiſtola Alexandri ad Darium.

Alexander Rex regum, conſanguineuſque Deorum, Dario ſalutem dicit. Turpe mihi videtur nimiumque abhorrens, tantum Regem totque viribus, vt ſeſe iactat, conſitum, ſub ditione contemptibilium homulorum, atque inter eos abiecto cuidam, ac latroni, Alexandro diu grauiterque ſeruiturum. Quaſo igitur quorſum te ſententia duxit? quoniam dixiſti te auri & argenti opibus æſtuare; an vt his cognitis; auri ſit nobis feruor aut deſiderium, & obſtinatius atque audacius dimicaremus aduerſum vos; addis etiam miſiſſe te mihi habenam & pilam loculoſque cum aureis, de quibus quamuis, vt viſum eſt, dictitares, ego tamen mihi veluti auſpicato, cuncta ex te conceſſa profitebor; namque habenam accipi oportet, qua habeam vti in ſubditos tibi; pila vero ſimiliter ob rotunditatem ſui, totius orbis mihi imperium promittit; quodque tertium addidiſti, opum tuarum me dominum futurum teſtatur.

Dicit, munera Darij, promittere ſibi poſſeſſionem regni eius, & ſubditionem.

De primo eorundem congreſſu, & Alexandri victoria.

Cap. XXVII.

Lectis igitur his literis Alexandri, Darius arrogantius motus, ad ſatrapas vltra Taurum montem degentes ſcribit talia: Fertur quidam adoleſcens inſanire, Philippi filius, Aſiamque vniuerſam incurſare, ſuper quo placet nobis vt verberibus puerilibus grauiter afflictus, indutuſque poſt veſte purpurea nobis reddatur; Satrapas vero & claſſem eius vna cum nautis ponto ſubmergere: militeſque cunctos ad rubri maris vlteriora traduci.

Epiſtola Darij ad ſatrapas ſuos vltra Taurum montem.

Rurſuſque eo ſcribente cum arrogantia ad Alexandrum; iurat Alexander vltra non verbis, ſed ſtrictis gladijs rem peragendam: dimicantibus eis cum ſpes exitus fluctuaret, tandem repentino imbre procidente, Perſæ cæl tus ſibi aduerſari dicentes, fugam capeſſunt, Dario præcurſore admiſſo curſu, equoque conſcenſo veloci. In hoc prælio primo, quod fuit (vt ait Iuſtinus) in campis Adraſtijs, fuerunt Perſarum ſexcenta millia militum, quorum magna cædes fuit. Sed de exercitu Alexandri non cecider unt niſi nouem pedites, & centum viginti equites; quos Rex Alexander impensè humatos, ſtatuis equeſtribus donauit, cognatiſque eorum immunitates dedit: poſt hanc victoriam, maior pars Aſiæ ad ipſum defecit; ſed de repentino imbre cælitus emiſſo in hac pugna ſola loquitur hiſtoria Alexandri: quæ poſt hanc victoriam narrat, Alexandrum miſiſſe ad Scanrandrum Ducem ſuarum partium, vt ſibi auxilia mitteret: ſe autem omnem Achaiam peragraſſe, multiſque ciuitatibus acquiſitis collegiſſe 170. mille armatorum, quos traduxit Taurum: vbi haſta defixa, dixiſſe fertur, vt ſi quis iham Rex, mileſue Græcus, aut Barbarus, humo euelleret; excidium patriæ ſuæ, ſuorumque meminiſſet.

Pugnat Alexander cum Perſis.

Primũ prælium in cãpis Adraſtijs.

Qualiter Thebas deſtruxit, & reædificari fecit.

Cap. XXVIII.

Hinc per Thebas dicit eum iter ad Darium direxiſſe: Sed Thebani contra eum portas clauſerunt, quam cum expugnaret vnus Thebanorum, aptauit tybias, prouolutusque tyranni pedibus cecinit melos dicens. O fortiſſime regum; hanc ne vrbem excidas; quã dij immortales proſapię tuæ principes tibi peperere: reminiſcere huic liberum ortum, hanc Herculis nutricem, hos muros Amphion, & cætus tuæ pars maxima ſtirpis ædificarunt: ſed Alexander ſedari non potuit: quin igne, & ferro vrbem vaſtaret. Deinde Thebani qui fugere potuerunt, mittunt ad ſciſcitandum Apollinem: Si forte vrbem redintegrari fata permitterent: qui reſponſum huiuſmodi retulerunt.

Thebani opponunt ſe Alexandro.

Alexander vrbem incẽdit & diruit.

Magnigena Alcides & Pollux cęſtibus auctor
Arte ſua Thebis reditum, cultumque dedere.

Thebis autem dirutis, Alexander Corinthum aggreditur, apud quos tunc ſolemne agebatur certamen: petierunt Alexandrũ vti adeſſet, & certamini præſideret. Tunc Thebanus quidam Elithomacus nomine profitetur certamen luctaminis, & pugnam ceſtuum, atque pugillatus: in quo vtroque victor extitit. Interrogatus ex more à præcone quis eſſet nomine, vel quem ſe ciuem profiteretur, reſpondit ſe vocari Elithomacum, ſed ciuitatem habere deſijſſe: poſtquam Alexander imperium adeptus eſt: intelligens autem Alexander quo pergeret deprecantis intentio, edici iubet per præconem: *reędificari Thebas eſſe permiſſum in honore trium deorum, Herculis, qui pugillatum inuenit, & Mercurij qui luctam reperit, & Pollucis, qui ceſtuum fuit magiſter*, ſicque impletum eſt Apollinis reſponſum.

Permittitur reedificatio Thebarum.

De ſubiugatione Athenarum & Demade Philoſopho.

Cap. XXIX.

Poſt hoc Alexander Athenas pergit; qui cum Lacedæmonijs ab eo ad Perſas defecerunt, authore Demoſthene magno auri pondere à Perſis corrupto, qui quendam ſubornauerat qui diceret Regem Macedonum in Triballis cum omnibus copijs ſuis perijſſe. Itaque inſperatus aduenit Alexander, qui hos motus compeſceret, hortatur Æſchines vt Alexandro ſe dedant: econtra Demades nititur, vt rebellarent; cuius dicitur eſſe illud dictum egregium; *amico mutuam me rogante pecuniam, & ipſum & pecuniam perdo.*

Hic Demades vt ait Seneca, Athenis eum qui neceſſaria funeribus venditabat, damnauit, cum probaſſet eum magnũ lucrum optaſſe quod contingere illi ſine multorum morte, non poterat. Seneca vero probat hoc eius

Dictum verius vero Demadu.

factum

factum non esse laudandum, non enim quicquid, inquit, reprehendendum est, etiam damnandum est. Hic ipse Demades Athenienſibus Alexandro diuinos honores exhibere volentibus, ait; videte ne dum cælum cuſtoditis, terram amittatis: hæc de illo Demade philoſopho breuiter interſerui, qui contra Æſchinem conabatur vt dixi. Conſultus Demoſthenes reſpondit Æſchinis conſilium præualere: Itaque mittitur Alexandro corona aurea per eundem Demoſthenem: poſt Athenas deuictas Lacedæmonios ſuperauit. Hæc autem omnia dicit Iuſtinus Alexandrum feciſſe ante primam congreſſionem cum Dario, & de vrbe Gordiem contra Darium ſecundo profectum fuiſſe; cuius aduentus nunciabatur.

Vide Suidã.

Alexander Athenienſes & poſtea Lacedamonios ſuperauit.

De Secundo congreſſu cum Dario.

Cap. XXX.

ALexander ergo, inquit Iuſtinus 11. libro, timens anguſtias, magna celeritate Taurum tranſcendit, quingenta ſtadia vno die pertranſiens: cumque Tarſum veniſſet, captus Gydni amnis amænitate per mediam vrbem influentis (qui ſecundum hiſtoriam Alexandri nulli fluuiorum ſecundus eſt, vel magnitudine, vel perſpicuitate) proiectis armis, plenus pulueris ac ſudoris in præfrigidam vndam ſe proiecit: tunc repente neruos eius occupauit rigor (Hiſtoria vero Alexãdri dicit, quod cum armis è ponte ſe præcipitauerit & natabundus exierit) nam calente tunc corpore incidens aquæ illius vehemẽtiam, tantam de rigore neruorum iniuriam, perniciemque traxit, vt mox expirabilis videretur; ſed à Philippo Medico poculum confectum accepit, ac ſecundum Iuſtinum quarta die ſanitatem recepit.

Alexander Cydno fluuio morbum cõtraxit.

Quintus Curtius. Tunc per Medos exercitum duxit laborioſum nimis iter per deſertum aggreſſus; & exercitus Darij iuxta Tygridis alueum locatus eſt.

Iuſtinus libro. 11. Habebat ergo exercitus Darij 400. millia peditum, & 100. millia equitum. Tunc ſuos hortatur Alexander, vt ſpernant illam aciem auro argentoque fulgentem, in qua plus prædæ, quàm periculi ſit.

Hiſtoria Alexandri. Cæpto conflictu frequentique re bellica, vnus è Perſis indutus armis Macedonicis à tergo Alexandrum ferit, ſed ictus ille propter galeæ fortitudinem fruſtratus diſſiluit: Comprehenſus ille Regi offertur, requiſitus cauſam facti; ait, ſe pactum fuiſſe apud Darium pro hoc facto partem regni cum filio, ſi eum interficere potuiſſet; Alexander promiſſi, & audaciæ laudatum, ad propria redire conceſſit. Deinde, collecta innumerabili multitudine propius acceſſit: aduentum autem ſuum primo ita prodidit; coacta in vnum innumerabili multitudine armentorum, cornibus eorum, & caudis ramos fundentes iubet annecti; vt & cornibus erectis ſilueſtrem quandam ſpeciem agerent, & tractis ramulis, puluis excitus dignoſcentiam videri eminus confudiſſet: prælio commiſſo, vterque Rex vulneratur, tamdiu anceps certamen fuit, quoadusque Darius fugeret, exinde magna cædes facta eſt Perſarum: cæſa ſunt peditum 60. & vnum millia; equitum 10. millia. capta 40. millia. Ex Macedonibus cecidere pedites 130. equites 150.

Alexander percuſſus ſed non læſus.

Percutienti indulgentiã conceſſit. Stratagema mirabile.

Quintus Curtius aliter.

De luxuria Alexandri, & ſuperbia.

Cap. XXXII.

IVſtinus lib. 11. Alexander opes Darij diuitiarumque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxurioſa conuiuia, & magnificentiam epularum ſectari; tunc &* Barſenem catiuam diligere propter formæ pulchritudinem cæpit, à qua poſtea ſuſceptum filium, Herculem vocauit: memor tamen adhuc Darium viuere, Parmenionem miſit, ad occupandam Perſicam claſſem, alioſque amicos ad recipiendas Aſiæ ciuitates: Quæ ſtatim audita fama victoriæ, ipſis Darij præfectis cum auri magno pondere tradentibus ſe, in poteſtatem victorum venerunt.

Alexander Athenienſes & poſtea Lacedamonios ſuperauit.

**Marſinem.*

Commeſtor ſuper Heſter cap. 4. Tunc Alexander cæpit aſpirare ad monarchiam Orientis, & intrans Syriam cæpit Damaſcum: & ſubiugata Sydone, Tyrum obſidebat. Tunc Saraballa eligens de ſuis 8. millia in Alexandri profectus eſt auxilium dicens, ſe libentius obſequi ei quàm Dario; & quod loca ſub poteſtate ſua conſtituta ei contraderet, & gratè ſuſceptus eſt ab Alexandro: præterea dixit ſe habere generum Manaſſem fratrem principis ſacerdotum gentis Iudææ, multoſque alios cum eo preſentes ex ea gente, quos aiebat velle ſub eo templum conſtitutis locis ædificare, quod profuturũ Alexandro teſtabatur, quia potentia Iudæorum in duo diuiſa, non rebellaret. Concedente vero Alexandro, omni ſtudio ædificauit Saraballa templum, & altare, quod permanſit vſque ad deſtructionem factam per Romanos, & in eo conſtituit Manaſſem Pontificem.

Porrò dum Alexander erat in obſidione Tyri, ſcripſit ad Principem ſacerdotum in Hieruſalem, inuitans eum vt ſibi præberet auxilium, & exercitui venalia præpararet, & redderet ſibi tributa, quæ prius Dario conferebat. Et reſpondit Iadus ſe Dario ſacramentum dediſſe, nec eo viuente, poſſe tranſcendere conſtituta. Tunc comminatus eſt Alexander genti Iudæorum, quod per eum diſcerent, quibus conſtituta deberent ſeruare. Tunc iniectis aggeribus Tyrum fecit terræ contiguam; qua vaſtata Gazam obſedit, & mortuus eſt Saraballa.

Ecce tertio legitur teplũ ædificatum; à Salomone in Ieruſalem in Ægypto, & à Saraballa hic.

Tyrum fecit continentem.

De hoſtijs quas Alexander in templo Dei obtulit.

Cap. XXXII.

ALexander autem capta Gaza in Hieroſolymam feſtinabat; & timentes Iudæi clamauerunt ad dominum, & immolauerunt hoſtias: & Iadus orabat pro gente. Qui cum poſt ſacrificium obdormiſſet, præcepit ei Deus vt confideret, ſericiſque* ciuitatem ornaret, & ipſe Pontificalibus indutus, & reliqui ſacerdotes cum eo, legitimis ſtolis induti, obuiam exirent Alexandro, & ſurgens à ſopore oraculum omnibus indicauit, audienſque non longe à ciuitate eſſe Alexandrum, proceſſit cum ſacerdotibus, & ciuium multitudine ſacra, ad locum qui Saphim appellatur, quod Latinè tranſlatum Scopulum ſonat: vnde Hieroſolyma & templum videri poſſent & factum eſt contra ſpem omnium qui ſequebantur Regem. Nam Alexander intuens Antiſtitem Pontificali ſtola inſignem, & ſuper cydarim laminam auream: in qua erat nomen Dei, deſcendit de equo, & adijt eum ſolus, & nomen Dei adorauit, & Pontificem veneratus eſt: & obſtupuerunt Principes exercitus, & ludificatam Regis mentem putauerunt, ſolus Parthemius quæſiuit ab eo, cur ſacerdotem gentis Iudææ adoraſſet? & reſpondit: Non hunc adoraui, ſed Deum, qui principatum ſacerdotij gerit. Nam per ſomnum in tali habitu Deum aſpexi, adhuc in Lycia ciuitate Macedoniæ conſtitutus. Dumq; mecum cogitaui vtrum Aſiam poſſem obtinere, iuſſit me confidere, nam ipſe exercitum perduceret, & principatum Perſarum mihi traderet: nunc autem vidi in hoc ſacerdote ipſius effigiem, & qui mihi promiſit, ventura, confido, & propterea Deum adoraui, & hominem veneratus ſum: & ingreſſus eſt vrbem Alexander, & in templo ſacrificauit Deo ſecundum ſacerdotis oſtenſionem: & attulerunt ei Danielem: in quo ſcriptum erat, quendam Græcorum perditurum potentiam Perſarum, arbitrans de ſe ſcriptum eſſe, gauiſus eſt. Et ſic in craſtinum conuocat populum, iuſſit petere quæ vellent, & ipſis petentibus conceſſit, Iudæos vbique e patrijs vti legibus & ſeptimũ annũ ſine tributo eſſe propter ſabbathũ terrę, exinde ad alias ciuitates profectus eſt.

Alexander Hieroſolymã obſidere volens pontificẽ obuiam eum honorifice excipit.

**id eſt, cornicis.*

Tunc Samaritæ videntes eius munificentiam circa Iudæos, cognatos ſe eſſe dixerunt Iudæorum, originem ſuam ab Effraim & Manaſſe recenſentes & poſtulauerunt, vt templum eorum in Garizim honoraret, quod in reditu ſe facturum promiſit. Cumque pe-

Alexander adorauit Deum viuentem.

Alexander obtulit hoſtias Deo in templo Ieroſolymitano. Liberauit Iudæos à 7. anni tributo. Samarita rebus ſecundis Iudæorũ amici. Samaritanis quia non Iudæi, non conceſſit ea, quæ Iudæis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

terent ab eo relaxationem ſeptimi anni, quæſiuit qui eſſent, & dixerunt ſe eſſe Hebræos. Cumque adderet vtrum eſſent Iudæi, negauerunt ſe eſſe Iudæos, & reſpondit, Iudæis hoc tantum ego conceſſi.

Aug. lib. 18. de ciui. Dei. Hoſtias ſane Alexander immolauit in templo Dei, non ad eius cultum vera pietate conuerſus, ſed impia vanitate cum Dijs eum falſis colendum putans.

Quod Hammonis filium ſe vocari iuſſit.

Cap. XXXIII.

Alexander ſalutatur vt Hammonis filius.

Iuſtinus lib. 11. Alexander inde ad Hammonem profectus eſt, cupiens originem diuinitatis acquirere, ſimul & matrem infamia liberare; per præmiſſos autem, ſubornat Antiſtites quid ſibi reſponderi vellet, ingredientem templum ſtatim eum Antiſtites vt Hammonis filium ſalutant; lętatus Dei adoptione, hoc ſe patre cenſeri iubet.

Accerſitum ad ſe fani ipſius Antiſtitem ex occulto monuit quid ſibi tăquam conſulenti reſponderi velit.

Oroſius lib. 3. ſic Alexander nobis prodidit (Dijs ſurdis & mutis) vel in poteſtate Antiſtitis eſſe quid velit fingere, vel in voluntate conſulentis, quid velit audire.

Valerius lib. 9. Alexander tribus inſolentiæ gradibus exultauit: faſtidio Philippi, Iouem Hammonem patrem aſciuit; tædio cultus Macedonici, veſtem, & inſtituta Perſica aſſumpſit; ſpreto mortali habitu diuinum eſt æmulatus, nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem diſſimulare.

Iuſtinus lib. 11. Reuerſus Alexander ab Hammone Alexandriam condidit, & ad Coloniam Macedonicam caput Ægypti eſſe iubet.

Quod Alexander cum Dario noluit confœderationem, ſed tantum deditionem.

Cap. XXXIV.

DArius cum Babyloniam perfugiſſet, Alexandrum per epiſtolas precatur, vt redimendarum ſibi captiuarum poteſtatem faciat: inque eam rem magnam pecuniam pollicetur: ſed Alexander pro precio, regnum omne petit, non pecuniam. Iterum Darius ei mandat quod regni portionem, & filiæ matrimonium ei daret. Sed Alexander ſua ſibi dari reſcripſerat, iuſſitque ſupplicem venire, & regni arbitria victori permittere.

Plutarc. in vita, & Quintus Curtius 4.

Valerius lib. 5. Alexander ad Parmenionem dicentem ſe vſurum conditione Darij, ſi Alexander eſſet, reſpondit: Et ego vterer ſi Parmenio eſſem. Conditio autem erat daturum Alexandro partem regni ſui, Taurotenus monte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentis.

Quintus Curtius li. 4. Itineris continui labore animique agritudine fatigată, diĕ ſuum obijſſe ſcribit.

Iuſtinus libro 11. *& Quintus Curtius.* Tunc Darius ſpe pacis amiſſa, obuiam vadit Alexandro cum 400. millibus peditum, & 100. millibus equitum. Cui in itinere nunciatum eſt, vxorem eius ex colliſione abiecti partus deceſſiſſe; eiuſque mortem illachrymatum Alexandrũ, exequiaſque benignè proſecutum; idque eum non amoris; ſed humanitatis cauſa feciſſe: nam tantum ſemel eam Alexandro viſam eſſe, cum matrem, paruulaſque, filias eius, frequenter conſolaretur. Tunc Darius ſe ratus eſt vere victum, cum poſt prælia etiam beneficijs ab hoſte ſuperaretur: gratumque ſibi eſſe ſi vincere nequeat, quod à tali potiſſimum vinceretur. Scribit itaque & tertias epiſtolas, gratias agens quod nihil hoſtile in ſuos fecerit, offert deinde maiorem partem regni vſque ad Euphratem flumen, & alteram filiam vxorem, & pro reliquis captiuis 30. millia talentorum: & ad hæc Alexander gratiarum actionem ab hoſte ſuperuacuam eſſe reſpondit, nec à ſe quicquam factum in hoſtis adulationem, nec quod in dubios belli exitus aut in leges pacis ſibi lenocinia quæreret, ſed animi magnitudine, qua didicerit aduerſus vires hoſtium, non aduerſus calamitates contendere; polliceturque præſtaturum ſe ea Dario, ſi ſecundus ſibi, non par haberi velit. Cæterum neque mundum poſſe duobus ſolibus regi, nec orbem ſumma duo regna ſaluo ſtatu terrarum habere: proinde aut deditionem ea die, aut in poſterum aciem paret.

Hæc eadem Valerius Maximus.

Alexander petit à Dario vel deditione vel pugnam.

Qualiter Alexander internuncium ſe ſimulans, cœnauit cum Dario.

Cap. XXXV.

Hiſtoria Alexandri. Alexander prope Strangam fluuium caſtra metatus eſt, viſum eſt autem eis vt ipſe ad Darium internuncius iret: comitatus ergo ſolo Eumedo, atque alio vno ſatellite, deuenit ad Strangam fluuium, qui fluuius plerumque ex vehementia frigoris adeo ſtringitur, vt etiam carris honeſtiſſimis viabilem ſe præbeat; ibi Eumedum ſubſiſtere iubens, tentoria Darij adijt, qui tunc præuidendi exercitus cauſa proceſſerat, cui reuertenti, Alexander obuius ait. En tibi adſum internuncius Alexandri, cuius mandata ſunt talia: ergo, inquit, arbitror eum regem, qui minus feſtinanter contendit ad prælium, ipſum ſuæ ignauiæ & diffidentiæ teſtem eſſe, quapropter reſpondeto, quod tempus agitandi dederis nobis, tunc Darius: Nunquid tuipſe ades Alexander, qui nobis adeo conſtanter confidenterque bellum indicis. Negat ille ſe Alexandrum eſſe, ſed eius internuncium confitetur. Tunc Darius eius manum apprehendens ſecum duxit in regiam, ad cænam; Alexander contra Darium iuſſus eſt diſcumbere, contingitque eum memorabile quiddam facere; nam quodcunque vas ad bibendum ſumpſit; ebibito vino, in ſinum vas ſibi recondebat, quod cum Dario à miniſtris indicaretu, & ille iratus, eum furti argueret, reſpondit Alexander, hunc morem obſeruari in curia Alexandri, & ſe putaſſe talem ibi obſeruari; placato rege; & facto ſilentio, vnus ex conuiuantibus, Paſarges nomine, qui aliquando in hoſpitio ſuſceptus fuerat à Philippo, cæpit cognoſcere Alexandrum. Quod Alexander ſentiens vnà cum poculis quæ ſinu geſtabat, proſiliens, exijt, & mox præ foribus, vnum ex Perſis tenentem equum ſuum, transfodit gladio, & fugæ conſuluit, equo aſcenſo. Perſæ autem inſecuti ſunt eum, ſed eorum mollicies tardior & Alexandri curſus efficacior fuit: Darius autem damno hoſtis elapſi nimio mærore affectus eſt.

Alexander ementito habitu cœnat cum Dario.

Alexander ſciens ſe eſſe cognitum fugam dedit.

Valerius lib. 4. Alexander Darij caſtris in quibus omnes neceſſarij eius erăt potitus Epheſtione ſibi gratiſſimo latus ſuum tegente, ad eos colloquentes venit. Darij vero mater, Epheſtionem, quia & in ſtatura & forma præſtabat, more Perſarum adulata tanquam Alexandrum ſalutauit, admonita vero erroris per ſummam trepidationem verba quærebat excuſationis. Cui Alexander. Nihil eſt, inquit, quod hoc nomine confundaris; nam hic Alexander eſt: ô donum inclytæ vocis, maximi enim animi rex etiam totum orbem terrarum aut victoris aut ſpe pacis complexus, tam paucis verbis ſe cum comite ſuo partitus eſt.

Quintus Curtius 3. Diod. Sic. in vita Alexandri.

Hiſtoria Alexandri. Alexander ad fluuium rediens incidit in alium locum non congelatum: Vnde ipſe & equus eius ſimul in profunda ceruicantes, proſiliunt, erat autem nox; ipſe vero equo impulſo natans exijt, offenditque Eumedum, cui cunctum rei ordinem explicat, & eodem narratu Principes ſuos lætificat, ſequenti die inſtructam, ordinatamque aciem, iuxta Strangam collocauit.

De vltimo congreſſu & victoria Alexandri.

Cap. XXXVI.

INterea Darius cum ſuis aduentabat.

Iuſtinus lib. 11. Et ecce repente confectum curis Alexandrum ante pugnam ſomnus arripuit. Cumque ad pugnam ſolus rex deeſſet, à Parmenione egre excitatus, quærentibus ſomni cauſas omnibus

Alexandri ſomnus profundus.

inter

inter pericula; cum etiam in otio ſomni, ſemper parcior fuerit, magnoque ſe æſtu liberatum, dixit: Somnumque ſibi à repetina ſecuritate datum, quod ſcilicet cum omnibus Darij copiis confligeret, veritum longâ belli moram ſi Perſæ exercitum diuiſiſſent.

Hiſtoria Alexandri. Statuit itaque Alexander, vt nemo de ſuis fluuium tranſiret, datque locum Perſis tranſeundi. Commiſſoque prælio facta eſt vtrinque ſtrages magna, tandem Perſæ fugiunt, Dario præcedente: Cumque omnes pariter fluuium inconſulte irruerent, Stranga ſuum officium efficit: omneſque ingreſſos ſubmergit & necat: reliquos, Macedones inſecuti obtruncant.

Alexander victor hoſtes perſequitur.

Iuſtinus lib. 11. Raro in vllo prælio tantum ſanguinis fuſum eſt.

Hiſtoria Alexandri. Darius autem cum vinci ſuos videret, mori & ipſe voluit, ſed à proximis fugere compulſus eſt: Suadentibus deinde quibuſdam, vt pons Cydni fluminis pro aditu hoſtium impediendo intercluderetur, ait, non ita ſe ſaluti ſuæ velle conſultum, vt tot millia ſociorum hoſtibus obiiciantur, debere & aliis fugæ viã patere quæ patuerit ſibi.

Alexandri magnanimitas.

Quintus Curtius. Alexãder autem periculoſiſſima quæque aggrediebatur, & vbi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexit, eo ſe ſemper immergebat, periculaque ſua non militis eſſe volebat.

Incidentia quædam.

Martianus lib. 7. In Alexandri victoria lunam ſecunda noctis hora defeciſſe Seruius nobilis in Arabia nunciauit, quod in Sicilia in exortus primi ſplendore conſpectum eſt: ſimiliter Alpiano & Fronteio conſulibus 11. Kalend. Maij defecit ſol: quod in Cãpania hora diei 7. contigit: in Armenia 11, euenit: quod factum eſt ſpheræ circuitu moras per inflexus rotunditatis variante.

De Perſecutione Darij.

Cap. XXXVII.

Epiſtola Darij ad Alexandrũ poſt victoriam.

Hiſtoria Alexandri. Tunc Darius omni ſpe meliori depoſita, ingreſſus regiam ſuam, humi ſeſe mirabiliter eiulabundus proſtrauit, lamentatione nimia fatigatus: tandem quieſcens ſcribit Alexandro, in hunc modum, Domino meo Alexandro Darius ſalutem.

Competentius feceris ſi miſerationem impartiaris illis, quos tibi fortuna ſubiugauit, quæſo igitur vt Matris, Coniugiſque, ac filiarum noſtrarum, vt te dignum eſt, meminiſſe digneris, mihique remittas eas, eius tibi beneuolentiæ viciſſitudine ſpondeo, vt theſauros omnes quoſcunque reges ac patres mei humi ſuffoſſos mihi reliquerunt, ipſe tibi tradam. Perſarum quoque ac Medorum & aliarum gentium tibi regnum concedo.

Quod cum Alexander ſe non facturum diceret: tunc Darius Porro Regi ſcripſit, vt ei auxiliaretur contra Alexandrum: multa illi promittens quod Alexandrum non latuit, acceleratque Darium præuenire, antequam in Caſpias portas intraret.

Martianus lib. 6. *de Geometria.* Portę autem Caſpiæ ſunt cautium præſciſiones, ferreis trabibus obſeratæ, quę verno tempore, etiam ferreis ſerpentibus obcluduntur.

Ioſephus. Cumque perſequeretur Alexander Darium, & tranſire deberet mare Pamphilicum, Deo volente, legitur mare illud fuiſſe diuiſum: qui regnum Perſarum per eum delere voluit.

Iuſtinus l. 11. *& Oroſius lib.* 3. Hoc prælio Alexander ad ſe imperium Aſiæ rapuit, quinto vel ſexto regni ſui anno, cuius tanta fælicitas fuit, vt poſt hoc nemo rebellare auſus ſit. 34. diebus prædam percenſuit, in vrbe deinde clauſa 40. millia talentorum inuenit. Expugnat, & Perſepolim caput Perſici regni vrbem multis annis illuſtrem, refertamque orbis terrarum ſpoliis, quæ nutui eius primum paruerunt.

Iuſtinus lib. 11. inter hæc octingenti Græci occurrerunt Alexandro, quos Darius captiuos tenuerat, truncata corporis parte. Quibus cum dediſſet Alexander redeundi copiam, maluerunt agros ibidem accipere, quàm fædum ſui conſpectum reportare.

Hiſtoria Alexandri. Aderant autem Dario fugam molienti duo Satrapæ, Beſſus & Nabarzanes: hi in gratiam Alexandri eum ſolitarium opprimunt, & lætaliter vulnerant: aufugiuntque, donec dignoſcerent quo ſe res verteret.

A Beſſo & Nabarzane occiditur Darius.

De morte eiuſdem: conſummatione pugnatorum in tribus prælijs.

Cap. XXXVIII.

Iuſtinus lib. 11. Interea Alexander comperit Darium à cognatis ſuis catenis & compedibus aureis vinctum in vico Parthorum, cui nomen Thara.

Hiſtoria Alexandri. Ad quem cum veniſſet Alexander, ille manus ſupplices tendens & attrectans genua Alexandri, vt poterat, tandem ſic eum alloquitur. En mihi in tali fortuna conſtituto, magnum adeſt mortis meæ ſolatium, quod in tuis manibus (ô Alexander Regum fortiſſime) ſpiritum effundam, quare quæſo ne intũideas mihi ſepulturam, quam mihi cum Perſis, tui Macedones exequantur rogo: Syſigambim matrem meam, & Statiram vxorẽ in manus tuas commendo, filiam vero * Roxanam hac prece tibi commendo, vt eam coniugio tuo dignam cenſeas: his dictis ſpiritum exhalauit. Alexander vero multis lachrymis ad regiam dignitatem, titu Perſarum eum ſepeliri iuſſit.

Oratio Darij ad Alexandrum.

Oroſius lib. 3. Tribus his prælijs, totidemq; annis, quinquies decies centena peditum, equitumque millia conſumpta ſunt: & hæc ex eo regno illiſque populis, vnde iam per annos non multo plures decies nonies centena millia profligata referuntur.

Iuſtinus l. 12. Alexander in perſequendo Darium amiſſos milites magnis funerum impenſis extulit, reliquis ſociis tredecem millia talentorum diuiſit, equorum maior pars æſtu amiſſa, inutiles facti, qui ſuperfuerant, pecunia centum 90. millia talentorum Ecbatanis nuper congeſta, eique Parmenio præpoſitus eſt. Interea Agis Rex Lacedæmoniorum in Græcia rebellans ab Antipatro opprimitur.

Quintus Curtius. Quod Alexander audiens, hoſtes quidem vinci gauiſus eſt, ſed Antipatrem viciſſe: tacitus quidem indignabatur, ſuæ demptum gloriæ exiſtimans, quicquid ceſſiſſet alienæ.

Hieronymus. Igitur anno 6. regni ſui, anno ſecundo Olympiadis 112. Alexander interfecto Dario Babylonẽ obtinuit. In quo regnum Perſarum deſtructum eſt, quod permanſit annis 231. per Reges 14. à primo Cyro vſque ad vltimum Darium, Arſami filium.

Regnũ Perſarũ deſtructũ eſt anno mũdi 3624. ætatis 5. 261.

De Anaximene, & de Epicuro Philoſophis.

Cap. XXXIX.

Author. In illo tempore Anaximenes & Epicurus clari habentur: non eſt autem iſte Anaximenes Phyſicus, diſcipulus Anaximandri: qui ſuperius poſitus eſt in Olympiade 56. ſed Anaximenes orator, qui fuit magiſter Alexandri Magni in arte oratoria: qui à quibuſdam creditur hiſtoriam Alexandri (quæ ſine nomine fertur) ſcripſiſſe: de hoc refert Valerius libro 7. cap. 3. quod cum Alexander ad diruendam Lampſacum ciuitatem cum impetu ferretur, progreſſum extra mænia obuiam habuit Anaximenem præceptorem ſuum: ſcienſque quod preces iræ eius opponeret, iurauit ſe non facturum quicquid petiiſſet: Peto ergo (inquit) vt Lampſacum diruas: ita ſalus vrbis vnius vaframenti beneficio, obtenta eſt.

Anaximenes magiſter Alexãdri in arte oratoria.

Suidas 2. Pauſan. Elia. ca.

Epicuri autem licet ipſe, vt ait Hieronymus, litteras non didicerit, & artem diſputandi teſte Boetio ignorauerit: tamen multa ipſius egregie dicta reperiuntur.

Tertullianus in apologetico. Epicurus omnem cruciatum, dolorem que depreciat, modicum quidem contemptibilem pronunciando, magnum vero, non diuturnum.

Epicurus omnem dolorem depreciat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſententiis Epicuri contra corporis voluptates.

CAP. XL.

Hieronymus contra Ioui. li. 1. Epicurus aſſertor voluptatis, quanquam diſcipulus eius Methrodorus Leontiam habuerit vxorem : raro dicit ſapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta ſunt nuptiis. Et quomodo diuitię, & honores, & corporum ſanitates &c. quæ indifferentia nominamus, nec bona nec mala ſunt, ſed velut in meditullio poſita vſu & euentu vel bona vel mala fiunt : ita & vxores ſitas in bonorum malorumque confinio : graue autem eſſe viro ſapienti venire in dubiũ, vtrum bonam an malam ducturus ſit.

Epicurus prædicat abſtinentiam.

Idem 2. Quod autem mirandum ſit, Epicurus voluptatis aſſertor omnes libros ſuos repleuit oleribus, & pomis : & vilibus cibis dicens eſſe viuendum, quia carnes & exquiſitæ epulæ ingenti cura, & miſeria præparentur, maiorem pœnam habent in inquirendo quam voluptatem, in abutendo. Corpora etiam noſtra cibo tantum, & potu indigere, quæ aqua & panis ſunt, cætera & his ſimilia; ibi naturæ ſatisfactum. Quicquid ſupra fuerit, non ad vitæ neceſſitatem ſpectare, ſed ad vitium voluptatis aſſerit : præterea eos qui carnibus veſcuntur, indigere etiam his quæ non ſunt carnium, qui ſimplici victu contuntur, eos carnes non quærere. Sapientiæ quoque operam dare non poſſe, ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget.

De dictis eius moralibus & eiuſdem erroribus.

CAP. XLI.

Dicta Epicuri laudabilia;

Author. Seneca quoque de elegantioribus dictis Epicuri, multa in libris ſuis excerpſit, quorũ iſta ſunt, quæ ſubiecimus.

Honeſta res eſt læta paupertas : Illa vero non eſt paupertas, ſi læta non eſt.

Satis magnum alter alteri theatrum ſumus.

Nemo non ita exit de vita tanquam intrauit.

Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi Dominus ſit, tamen miſer eſt.

Aliquis vir bonus eligendus eſt nobis, ac ſemper ante oculos habendus : vt ſic tanquam illo ſpectante, viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus.

Si ad naturam viuas, nunquam eris pauper : Si ad opiniones, nunquam eris diues, exiguum enim natura deſiderat, opinio immenſum.

Multis paraſſe diuitias non finis miſeriarum fuit, ſed imitatio.

Ante circunſpiciendum eſt cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas, nam ſine amico miſera Leonis ac Lupi vita eſt.

Si vis diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditati detrahendum eſt.

Ridiculum eſt currere ad mortem tædio vitæ.

Quid tam ridiculum quam appetere mortem, cum vitam inquietam tibi feceris metu mortis ? Sic fac omnia tanquam ſpectet Epicurus.

Diuitiæ ſunt ad legem naturæ compoſita paupertas.

Initium ſalutis eſt, cũ notitia peccati, meditari mortem.

Ira immoderata inſaniam gignit.

Idemque dicit. Non potationes, non commeſſationes, nec copulæ fœminarum, nec copia piſcium, & aliorum huiuſmodi, quę ſplendido vſu parantur conuiuij, ſuauem vitam faciunt, ſed ſobria diſputatio.

Hi copiis conuiuij moderate vtuntur, qui non immoderate eas quærũt, multæ enim ex deliciarum epulis moleſtiæ generantur.

Errauit Epicurus in multis.

Hactenus de dictis eius laudabilibus : Errauit autem in multis pluſquam omnes philoſophi, nam putauit Deum res humanas non curare, ſed ocioſum eſſe, & nihil agere, dixitque voluptatem ſummum bonum eſſe, & animas cum corporibus interire : primo errori reſpõdet Seneca in lib. 4. de beneficiis, & Lactantius in lib. de opificio corporis humani : ſecundo reſpondet Tullius in l. de officiis ; & Ambroſius in lib. eiuſdem tituli, & Aug. in lib. de ciu. Dei. Tertio reſpondet idem Cicero in lib. de ſenectute, & in libro de Republica, & in Tuſculanis.

De inſolentia Alexandri poſt victoriam.

CAP. XLII.

Alexander capiti Perſicũ diadema circumdat.

Iuſtinus lib. 12. Poſt hæc Alexander habitum Regum Perſarum & diadema, inſolitum antea Regibus Macedonicis (velut in leges eorum quos vicerat tranſiret) aſſumit. Quæ ne inuidioſus in ſe vno conſpiceret, amicos quoque ſuos longam veſtem auratam purpuramque ſumere iubet, inter Pellicum regiarum gregem, electæ pulchritudinis & nobilitatis, noctium vices diuidit. His rebus ingentes epularum apparatus adiicit, ne ieiuna & deſtructa luxuria videatur : Conuiuiumque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat, immemor prorſus tantas opes amitti his moribus, non quæri ſolere. Cæpit quoque in ſuos ſæuire, non regio ſed hoſtili odio, indignans ſe carpi ſermonibus dicentium eum Philippi patris patriæque mores ſubuertiſſe, propter quæ crimina Parmenion ſenex dignitate regi proximus, cum Philota filio de vtroque prius habitis quæſtionibus interficitur. Poſt hæc Drancas, Euergetas, Parynias, Parapammenos, Adaſpios, cæteroſque populos, qui in radice Caucaſi morabantur, ſubegit. Caucaſus autem ipſe eſt mons Taurus, qui pene mediatenus orbis conſcius, quem peragraſſet, niſi maria reſtitiſſent, hic plura nomina per diuerſa loca habet, nam idem eſt Sarpedon, & Caucaſus, & Portæ Caſpiæ vel Armeniæ & Mireanus, & Coraxicus & Scythicus, & Ceraunias.

Vide Curtiũ. lib. 6.

Alexander præfectos ſuos occidi iubet.

Iſidorus lib. 14. Mons *Caucaſus* ab India vſque ad Taurum porrectus pro gentium ac linguarum varietate quoquo verſum vadit, diuerſis nominibus nuncupatur : vbi autem ad orientem in excelſiorem conſurgit ſublimitatem, propter niuium candorem Caucaſus nuncupatur : nam orientali lingua Caucaſum ſignificat candidum, id eſt denſiſſimis niuibus candicantem; vnde & Scythę, qui eidem monti iunguntur, Caſim eundem dicunt. Caſim enim apud eos candor ſiue nix dicitur : Hæ ſunt gentes quas ſubegit Alexander circa Caucaſum montem.

Mons Caucaſus.

De recluſione 10. *tribuum.*

CAP. XLIII.

Comeſtor cap. 5.

Alexander noluit concedere libertatem decem tribubus, eo quod immolando vitulis aureis receſſerint à Deo Iſrael.

Alexander licet infidelis obtinuit à Deo vt prærupta montium ad ſe inuicem accederent.

Ex hiſtoria Scholaſtica. Cum veniſſet Alexander ad mõtes Caſpios, miſerunt filij captiuitatis 10. tribuum, poſtulantes ab eo egrediendi licentiam, ex edicto enim tenebantur egredi non licere. Cumque quæſiſſet cauſam captiuitatis, accepit eos apertè receſſiſſe à Deo Iſrael, vitulis aureis immolando, & per prophetas eſſe prædictum eos, à captiuitate non redituros. Tunc Alexander reſpondit, quod digni erant arctius includi. Cumque anguſta viarum obſtrueret molibus bituminatis, & videret laborem humanum ad hoc non ſufficere, orauit Dominum Deum Iſrael, vt opus illud compleret; & acceſſerunt ad ſe inuicem prærupta montium ; ex quo liquido apparet non eſſe voluntatem Dei vt exeant : egredientur tamen circa finem mundi magnam hominum ſtragem facturi : hic addit Ioſephus dicens, Deus quid facturus eſt pro fidelibus ſuis, ſi tantum fecit pro infideli ?

Solinus. Portæ Caſpiæ panduntur itinere manufacto longo 8. millibus paſſuum, nam latitudo vix plauſtro eſt permeabilis. In his anguſtiis etiam illud aſperum eſt, quod præciſorum laterum ſaxa liquentibus inter ſe ſalis venis exſudant humorem affluentiſſimum, qui conſtrictus vi caloris velut in æſtiuam glaciem corporatur, & ita labes inuia acceſſum negat : præterea 8. & 20. milli-

bus

bus paſſuum tractus omnis quoquomodo inde pergatur, nullis puteis vel fontibus humo arida ſine præſidio, ſitit. Tunc ſerpentes vndique gentium conuenæ, à verno ſtatim die illuc confluunt, & ita periculi & difficultatis concordia, ad Caſpios niſi hyeme acceſſus negatur.

De vltione necis Darij per Alexandrum & de Alexandriis quas ædificauit.

Cap. XLIV.

Hiſtoria Alexandri. Alexander cum ſcire vellet qui Darium regem interfecerant; ait: gaudeo me hoſtem maximum ſubiugaſſe, & licet ipſe executus nō ſim, habeo gratiam condignam rependere his, qui beneuolentiam ſuam erga me proteſtati ſunt: hortor igitur vt ſe prodant: iuro igitur patris matriſque meæ maieſtatem: ſublimes illos, & notiſſimos me facturum. Quo audito Beſſus & Nabarzanes ſe produnt, quos Alexander in altiſſimo loco iuſſit crucifigi, dicens ſe iuramentum non tranſgredi, nec ſe eſſe reum periurij, quia ſublimes eos ac notiſſimos omnibus fecerat.

De ſupplicij genere quo Beſſus affectus eſt varie authores Fuit Beſſus vt ait Iuſtinus.

Iuſtinus lib. 12. Vnus autem ex amicis Darij vinctus, ad eum perductus eſt, qui Darium non ſolum prodiderat, ſed etiam interfecerat: quem Alexander in vltionem proditionis, fratri Darij tradidit cruciandum.

Quintus Curtius. Dicebat enim falli eos qui proditionis præmium ab eo expectarent, immo violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem vltoremque.

Iuſtinus vbi ſupra. Tunc Alexander vt in illis terris nomen ſuum relinqueret, vrbem Alexandriam ſuper amnem Tanaim condidit, intra diem ſeptimumdecimum muro ſex millium paſſuum conſummato, tranſlatis eò trium ciuitatum populis: quas Cyrus condiderat.

Martianus lib. 7. Alexander in Ponto fecit ſecundam Alexādriam, quæ poſt exciſa eſt, ſed reparata ab Antiocho Seleuci filio; & Selucia dicta eſt.

Iuſtinus vbi ſupra. In Bactrianis quoque Sogdianiſque 12. vrbes condidit, diſtributis his, quoſcunque in exercitu ſeditioſos habebat.

Hiſtoria Alexandri. Has omnes ſuo de nomine Alexandrias vocauit, Alexandria Bucephala à nomine equi ſui: Alexādria mōtuoſa: Alexādria apud Porū: Alexādria Sythia: Alexandria Babylonis: Alexandria apud Maſſagetas: Alexandria apud Ægyptum: Alexandria apud Origala: Alexandria apud Grauicum, Alexandria apud Troadam, Alexandria apud Tygridem fluuium, Alexandria apud Scantum. Inſigniuit quoque muros earum primorum quinque elementorum Græcorum characteribus, vt legeretur in eis: *Alexander rex genus Iouis fecit.* A.R.G.I.F.

Alexander alias vrbes condit.

De Clithone quem occidit, & poſtea pœnituit.

Cap. XLV.

QVadam die in ſolemni conuiuio, orta inter amicos Alexandri ebrios rerum à Philippo geſtarum mentione, cæpit ſe ipſe præferri patri, & rerum ſuarum magnitudinem cœlo tenus extollere, aſſentante maiore cōuiuarum parte: Clithus autem fiducia amicitiæ regiæ cuius palmam tenebat, ſenex & ſapiens Philippi memoriam tuebatur, ob quod iratus Rex, telo à ſatellite rapto, eundem in conuiuio trucidauit. Qua cæde exultās, mortuo patrocinium Philippi laudemque paternæ militiæ obiectat. Poſtea vero intellecto facinore, occidere voluit ſe: flens ergo, mortuum amplectebatur, & vulnera tractabat, & quaſi audienti confitebatur dementiam: interfeciſſetque ſe, niſi amici interueniſſent: Recordabatur enim, quod nutrix ſua, ſoror Clithi fuerat, & quod tot amicos interfecerat, Parmenionem, & Philotam, Amyntā, Conſobrinum, Nouercam ſuam, & fratres ſuos: Attalumque & Eurilocum & Pauſaniam, & alios Macedoniæ principes.

Clithus ab Alexandro trucidatur.

Et mãſit hæc volũtas moriendi etiam ſequentibus diebus. Vide Plut.

Iuſtinus lib. 12. Alexander ergo quatuor diebus non comedit: ob hæc illi quatriduo perſeuerata eſt inedia, donec exercitus vniuerſi precibus exoratus eſt: multum vero illi profuere preces Caliſthenis philoſophi, & condiſcipuli ſui apud Ariſtotelem familiaris illi, & tunc ab ipſo rege ad prodenda memoriæ acta eius acciti.

Rogabat exercitus ne ita mortem vnius doleat, vt vniuerſos perdat.

De Caliſthene philoſopho & eius auditore Liſimacho.

Cap. XLVI.

Iuſtinus. Reuocato igitur in bella animo, Choraſmos & Dahas in deditionem accepit: tunc non ſalutari tantum, ſed adorari ſe iubet, acerrimus inter recuſantes extitit Caliſthenes, ob quod iratus Alexander, inſidiarum ſibi paratarum finxit eum conſcium, truncatiſque crudeliter omnibus eius membris, abſciſſis auribus & naſo & labiis, deforme ac miſerandū ſpectaculum reddidit: Iuſuper in cauea eum cum cane claudi iuſſit, & ad metum cæterorum circunferri. Quo facto, Lyſimachus Caliſthenis auditor, præcepta virtutis accipere ab eo ſolitus, miſertus tanti viri, non culpæ: ſed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quo audito, Alexāder Lyſimachum obiici Leoni iubet, ſed cum ad conſpectum eius concitatus Leo impetum feciſſet: manum amiculo inuolutam Lyſimachus in os Leonis immerſit: abreptaque lingua feram exanimauit: quod cum nūciatum Regi eſſet, admiratio in ſatisfactionem ceſſit, qui chariorem eum propter conſtantiam tātæ virtutis, habuit. Lyſimachus quoque animo magno Regis, veluti parentis contumeliam tulit: multi autem Principes Macedonum, qui Alexandrum adorari nolebant, ab eo ſub ſpecie inſidiarum interfecti ſunt: retentus eſt tamen à Macedonibus modus ſalutandi regis, exploſa adoratione.

Alexander non ſalutari ſed adorari ſe iubet.

Caliſthenes miſerrime ab Alexandro tractatur.

Lyſimachus Leoni obiectus.

Valerius l. 7. Ariſtoteles Caliſthenem auditorem ſuum ad Alexandrum mittens monuit, vt cum eo quam iucundiſſime loqueretur, quo ſcilicet apud regias aures, vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior. At ille dum Alexandrum Macedonum Perſica ſalutatione gaudentem obiurgat; & ad Maiorum mores inuitum reuocare beneuolè perſeuerat: ſpiritu carere iuſſus, ſeram neglecti ſalubris conſilij pœnitentiam egit.

Plut. Alex. Laert. Cur. 8. Iuſtin. 15.

De itinere Alexandri in Indiam & de naturæ illius terræ.

Cap. XLVII.

Hiſtoria Alexandri. Poſt hæc Alexander Indiam petit, quæ eſt principiū Orientis vnde Aſia conſurgit.

Aſia deſcriptio.

Oroſius lib. 1. *cap.* 2. Aſia ad mediam frontem Orientis habet in Oceano Eoo, oſtia fluminis Gangis: à ſiniſtra promontorium Caligardamna, cui ſubiacet ad Eurum inſula Taprobane, ex qua Indicus Oceanus vocari incipit, ad dexteram habet Imai montes: vbi Caucaſus deficit, promontorium Samaram: cui ad Aquilonem ſubiacent oſtia fluminis Ottorogorræ, ex quo Oceanus Sericus appellatur. In his finibus India eſt, quæ habet ab occidente flumen Indum, quod rubro mari accurrit: à Septentrione montem Caucaſum, reliqua (vt dixi) Eoo Indico terminatur Oceano: hæc habet gentes 44. abſque Inſula Taprobanes quæ habet 10. ciuitates, & abſque aliis Inſulis habitabilibus plurimis.

Martianus lib. 6. In India ſingulis annis æſtates duæ; & bis fruges metuntur: hyeme Etheſias profert: quinque millia oppidorum habuit: mundi pars tertia credebatur.

Solinus cap. 60. Indorum vero nemora tam celſa ſunt vt tranſiaci neque ſagittis quidem poſſint. In India quoque ſunt nationes capitibus caninis armatæ, amictæ veſtitu tergorum: ad ſermonem humanum nulla voce, ſed latratibus tantum ſonantes, rictibuſque aſperis.

Monſtruoſi homines.

De

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Ingreſſu illius, & legatione Pori Regis ad eundem.

CAP. XLVIII.

Littera Pori ad Alexandrum comminatoria.

Hiſtoria Alexandri. Ingreſſo Alexandro in Indiam, mox obuij fuerunt ei legati, quos Porus miſerat cum his literis.

Incurſanti, infeſtantique tibi fines hos ſuadeo, vt cum te hominem memineris, nihil ad Deos moliaris: potes quippe noſſe quis ille ego ſum, & quod nulli aduerſum nos liceat fortunæ: quare iubeo te hinc ad tuas Græcias contentum, redire. Neque enim ſi nobis Græcia veſtra opus eſſet, non olim ſubacta Indis eſſet: ſed quoniam inutilis eſt nobis, nihilque dignum opibus noſtris habet, neque quæſita eſt, neque quæretur.

Hæ literæ nihil terruerunt Alexandrum.

Iuſtinus lib. 12. Ingrediens autem in Indiam phaleras equorum & arma militum argento obduxit, exercitumque ſuum ab argenteis clypeis Argyraſpidas appellauit. Cumque ad vrbem Nyſam veniſſet oppidanis non repugnantibus, fiducia religionis Liberi patris, à quo vrbs condita erat, parci iuſſit. Tunc ad ſpectaculũ ſacri montis duxit exercitum naturalibus bonis vitæ hederaque nõ aliter veſtiti, quam ſi manu cultus colentiumque induſtria eſſet ornatus: exercitus autem vbi ad montem acceſſerit, repente furere cæpit, & in vlulatus Liberi, cum ſtupore Regis ſine noxa diſcurrere: vt intelligeret Alexander, ſe ſuo exercitui magis, quam oppidanis parcendo conſuluiſſe: inde regna Cleophidis Reginæ petiit. Quę cum ſe dediſſet ei, concubitu redemptum Regnum ab Alexandro recepit: illecebris conſecuta, quod vi non poterat: filiumque ab eo genitum Alexandrum nominauit qui poſtea regnauit Indis. Cleophis autem Regina proſtrata pudicitia, ſcortum regium ab Indis deinceps eſt appellata.

Quem Meriũ incolæ appellarat. Curt. lib. 7.

Cleophis ſcortũ regiũ appellatur.

Porrò infectante Alexandro in India quoſdam palantes hoſtes: cum à ſatellitum turba præ celeritate deſertus eſſet, ſolus ei Lyſimachus per immenſas arenarum moles, comes fuit. Quod idem frater eius Philippus cum ante facere voluiſſet, inter manus Regis expirauit. Sed Lyſimachum Alexander equo deſiliens haſtæ cuſpide ita in fronte vulnerauit, vt ſanguis aliter claudi non poſſet, quam vt diadema ſibi demptum Rex alligandi vulneris cura, capiti eius imponeret, quod auſpicium primũ futuræ regiæ maieſtatis Lyſimacho fuit.

Qualiter Alexander Porum bello ſuperauit.

CAP. XLIX.

POrus bello præparatus, exercitum ſuum Macedonas inuadere iubet, Regem Alexandrum priuatum ſibi hoſtem depoſcit: nec Alexander pugnæ moram fecit.

Hiſtoria Alexandri. Sed in prima congreſſione equus Alexandri Bucephalus dextra Pori ictus occubuit. Id autem Macedonibus ſupra omnia quæ poſſunt in præliis accidere incommoda, ingratum fuit.

Bucephalus à Poro occiditur.

Iuſtinus lib. 12. Alexander equo deiectus concurſu ſatellitum liberatus eſt.

Hiſtoria Alexandri. Neglecto igitur omni opere bellandi, Alexander exanimem equum cauda comprehenſum, in partes retrahit: metuens ne ſpolium Indi raperent, quod ſibi eſſet valde pudibundum: atque ita induciis receptis, datur vtrique ſpacium 20. dierum vel ſanandi vulneratos, vel ſepeliendi mortuos. In his diebus iniit Alexander conſilium, vt Porum ad ſingulare certamen prouocaret, dicens, Imperatores inde laudem capere nõ poſſe, vnde ſubditis ſuis periculum fieret, quod & Poro placuit: conſideranti exiguitatem corporis Alexandri, cum ipſe * quinque cubitorum, Alexander vero trium tantummodo, menſuraretur.

* *ſtatura fuit quatuor cubitorũ & palmi vt ait Plinius.*

Ex epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem Interea Alexander depoſito cultu regio, & aſſumpto habitu militari, peruenit in caſtellum Pori, quaſi quiddam vini, & carnis empturus: quem ſciſcitatus eſt Porus, quid faceret Alexander, aut cuius ætatis eſſet: cui Alexander reſpondit, tanquam homo ſenior dux noſter in tabernaculo ſuo ſe accenſo ignis calore reficit. Tunc ille gaudio alacer quod cum ſene decrepito prælium eſſet commiſſurus, cum ipſe eſſet iuuenis elatus tumore. Quid ergo inquit non reſpicit ætatem ſuam? Tunc Alexander dixit, ſe gregariũ eſſe Macedonum militem, & ignorare quid faceret Alexander. Cui Porus tradidit epiſtolam minis plenam multa ei pollicitus, ſi eam traderet Regi Alexandro: Alexãder autem iurauit illi facturum, vt litteræ illæ in manus Alexandri peruenirent.

Alexãdri habitu militari & ignoto loquitur Poro.

Hiſtoria Alexandri. Igitur cum dies pariter & locus prælio inſtitiſſent, fieretque pugna regalis, diu anceps: Alexandro locum vulneris rimante, & Poro ipſum declinante: tandem Porus ex quadam repentina tumultuatione ſuorum, conuerſus vt videret quidnam eſſet id: protinus Alexander eius inguina gladio transfodit, eumque proſtrauit. Quo viſo Indi mox in Alexandrum inſurgere conabantur: Alexander autem manu ſilentium poſcens: tumultum repreſſit, rationeque ab eo reddita, omnis vis Indorum ſe illi ſubdidit.

Alexander & Porus ſingulari certamine pugnãt, & Porus proſternitur.

Author. Hæc hiſtoria Alexandri: Iuſtinus autem dicit, in primo bello, in quo equus Alexandri vulneratus eſt: Porum multis vulneribus obrutum, & captum fuiſſe, qui victum ſe adeo doluit, vt cum veniam ab hoſte accepiſſet, neque cibum ſumere voluerit, neque vulnera curari paſſus ſit: ægreque ſit ab eo obtentum, vt vellet viuere: quem Alexander ob honorem virtutis, incolumen in regnum ſuum remiſit: duas vrbes ibi condidit, Nicæam & Bucephalam.

De gloria exercitus & baſilicæ Pori.

CAP. L.

Diſcriptio domus Regia Pori.

EX *epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem.* In exercitu Pori fuere præter peditum copias 13. millia, octingentæ quadrigæ, omnes falcatæ: capti ſunt ibi elephanti 400. qui turres geſtabant cum iaculatoribus ſuperpoſitis: in domo regia Pori erant columnæ aureæ ſolidæ: ingenti craſſitudine atque altitudine cũ capitellis numero 400. auratique parietes, * laminarum craſſitudine digitali: vineta * ſolida ex auro, ſarmentumque inter columnas pendebat, in qua erant folia aurea, & racemi chryſtallini lychnis interpoſitis, diſtinguentibus ſmaragdis: Thalami, & cubicula omnia margaritis, vnionibuſque, & carbunculis ornata erant: fores eburneæ, lacunaria ebenina, teſtudines cupreſſini, in quibus lauabantur in balnearibus: ſtatuæ quoquæ ex auro ſolidæ cum crateribus aureis & innumeri theſauri. Forinſicæ domus parietes in numerabilia gemmarum genera variis coloribus oberrabant: in aula palatij auium diuerſa genera vnguibus reſtriſque inauratis, pro inauribus & torquibus Margaritas, vt vniones, gerentia: multa ibi gemmea & chryſtallina vaſa potatoria, & ſextariola multa aurea, inuenta ſunt, raro argentea: quibus omnibus in poteſtatem redactis Alexander aureis laminis totum agmen incluſit, fecitque ſigna & vexilla aurea, & tanta erat auri præda, vt vix eam milites ferre poſſent: aurum vehebant Elephantes ingentis magnitudinis mille. In equis quoque & mulis & Camelis & Elephantis erant fræna aurea: fueruntque tunc in exercitu Alexandri quadrigæ equorũ omnes falcatæ quadringenta, bigæ. 1200. equitũ turmæ 30. millia, peditũ 350. millia: mulorum caſtrenſium, ad arma & ſarcinas militum ſubuehendas circiter duo millia: Camelorum, Dromedariorum, & Boum duo millia, qui frumenta vehebant: & armentorum ad vſus carnis quotidianos ingens numerus ſequebatur.

* *aliàs gemmarum.*

* *aliàs vineam ſolidã*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De itinere Alexandri per Oceani litora.

CAP. LI.

IVstinus lib. 12. Post hæc Alexander Persidas, & Gangaridas expugnat : cum autem ad Euphites venisset, vbi cum 200. millia equitum operiebantur: voluit omnis exercitus in patriam reuerti : quem Alexander oratione sedauit : dehinc Alexander ad amnem Acesinem pergit : per hunc in Oceanum deuehitur : vbi Hiacensanas, & Sileos, quos Hercules condidit, in deditionem accepit : hinc in Ambros & * Sycambros nauigat : quæ gentes eum susceperunt, cum armatis 80. millibus peditum, & 60. millibus equitum : quibus victis, exercitum eorum ad vrbem depulit, desertam à defensoribus: in quam primus de muro desiliuit, sine vllo satellite, & vnus tot millium hostium impetum sustinuit : donec cognito eius periculo, omnis exercitus cum eo desiliuit muris deiectis in prælio sagitta sub mamma traiectus est : & cum sanguinis fluxu deficeret, tamen genu posito tamdiu prælia-tus est, donec eum à quo vulneratus fuerat occideret; curatio vulneris grauior ipso vulnere fuit.

* *Sugãbros Apud Mallos hãc pugnam factã Plut. scribit, qui sunt Indorũ pugnacissimi.*

Alexander vulneratur.

Seneca. Huius vulneris dolore dum angustiaretur, dicebat : omnes me iurant Iouis esse filium : hoc vulnus hominem esse clamat.

Iustinus lib. 12. Igitur rebus ordinatis Polyperchonta cum exercitu Babyloniam mittit, ipse autem cum lectissima manu nauibus conscensis, Oceani littora peragrat.

Aug. lib. 4. de ciu. Dei. cap. 4. Quæ dum peragraret, comprehensus est ab eo Dyonides Archipirata quidam : Interrogatusque ab Alexandro, quid sibi videretur, vt mare haberet infestum ? respondit, quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor : tu quia magna classe, Imperator : & reuera remota iustitia : quid sunt regna nisi magna latrocinia ? quia & latrocinia quid sunt, nisi parua regna ?

Dyonides cõprehenditur ab Alexãdro & libera cõtumacia eius quæstioni respondit.

De Candace regina, & eius fœdere cum Alexandro.

CAP. LII.

HIstoria Alexandri. Interea Candax Regina audiens famam Alexandri, misit vnum de pictoribus suis, iussitque vt diligentissimè imaginem eius depingeret, sibique deferret. Iam vero Alexander miserat ei litteras iura amicitiæ continentes, ipsaque illi rescripsit, hoc sibi præ omnibus placere, vt fœdus illud perpetuum inter se mansurum, consumment : addiditque : habebis ergo tibi ex nobis amicitiæ argumentum centum laterculos auri grandissimos, Æthiopes impuberes, quingẽtos: Psittacos 6. Phrigas 6. & præter hæc, Hammoni Deo coronam ex margaritis, & smaragdis, etiam Thoreumatis præciosiorem : & loculos refertissimos cuiusque generis margaritarum atque gemmarum ad 10. numerum : alioque loculos eburneos 80. & in deliciis tuis, ferarum genera : quæ sunt nostratia, Elephantos 300. Leopardosque 6. Rinocerotas 80. Pantheras 8. Canes etiam in homines, efferacissimos 90. Tauros 300. virgas alias vectes ebeninas, mille quingentas : ad hæc transferenda, misit Alexander.

Candax regina procurauit imaginem Alexandri.

Interea contigit, vt filius eiusdem Candacis, Candaulus: alias Condeolus nomine, dum ad sacrificandum iret, quodam Ebericorum regulo subripiente vxore priuaretur. Qui mox confugit ad Alexandri auxilium : quem comprehensum satellites primum obtulerũt Ptolemæo, qui tunc post regem primus erat in ordine. Alexander autem Ptolemæum regiis ornamentis indutum procedere iussit : & sese, pro Antigono satellite, obtulit. Qui iussus à Ptolemæo ferre Candaulo, aliàs Candeolo, auxilium, assumptis quatuor millibus militum, cum eo profectus est, & sic vxorem recuperauit ablatam. Quibus peractis, cum puer Ptolemæo gratias referret. Ille dixit se velle videre matrem eius, sed prius velle mittere Antigonum pro internuncio. Sicque Alexander sub nomine Antigoni assumptis paucis cum Candaulo profectus est : occurritque filio mater aduentanti, quæ Alexandrum comprehensum, deosculata est, & circunquaque illum deducens ostendit ei diuitias suas. Alexander autem dicebat se multo mirabiliora in Græcia vidisse : cui illa : videtur mihi quod tuipse sis Alexander: quo negante, duxit eum in secretiorem aulam, & ostendit ei imaginem eius dicens, intuere imaginem hanc, & videbis Candacem Alexandro solertiorem : at ille frendens, quærebatur se non habere gladium suum secum. Cui Regina: depone hunc metum : nam fidem quam filio meo seruasti, semper tibi seruabo : Cunctis reliquis esto Antigonus, mihi vero Alexander eris. Caractor autem filius Candacis iunior, (qui filiam Pori habebat vxorem) volebat interficere Alexandrum instinctu vxoris suæ sub nomine Antigoni, sed mater restitit.

Alexander sub nomine Antigoni recuperauit vxorem Cãdauli, & sub eo nomine vadit ad Cãdacem à qua tamen dignoscitur.

De mirabilibus quæ vidit Alexander in India.

CAP. LIII.

EX epistola Alexandri ad Aristotelem. Igitur mẽse Maio victus est Darius, mense Iulio victus est Porus, acceptis Alexander 150. ducibus Indorum qui breuitates itinerum nouerant : profectus est mense Augusto per feruentes Sole arenas, & loca arida de Phasiate volens ire in Bactriacem, & ad penitus abditos Seras, quod genus hominum è foliis arborum decerpendo lanuginem ex syluestri vellere vestes detexunt. Cæpit igitur exercitus siti laborare : Zephyrus autem Miles inuentam in lapide concauo, aquam in galea pertulit ad Alexandrum ipse sitiens, quam Alexander conuocato exercitu palam effudit, suffecitque omnibus vnda. Tunc illis flumen apparuit, cuius ripam pedum sexagenorum arundo vestiebat : pinorum, abietumque robora, vincens in crassitudine : qua Indi vtuntur ad ædificia : aqua vero fluminis inuenta est gustu amarior helleboro, quam nec homo bibere, nec pecus sine tormento poterat. Tunc cognitum est, hominem durabiliorem in cunctis rebus, quam pecudem, Milites ferè sudorem lambebant : aliquando quoque gustabant oleum : quidam etiam vrinam suam bibebant: hora nona venerunt ad castellum in medio amne situm, cuius homines seminudos precatus est Alexander, vt sibi ostenderent aquam dulcem: nullo apparente, paucas in eos iecit sagittas. Cumque magis propter timorem se abderent : 200. milites ex Macedonibus leuiter armatos natare iussit. Cumque iam partem quartam fluminis enatassent, ab Hippopotamis absorpti sunt : tunc Alexander iratus in eos qui eum seducebant 100. ex eis in flumen proiecit, qui mox similiter ab Hippopotamis deuorati sunt. Deinde viderunt homines rotundis ex arundine per flumen vehi nauiculis : qui eis ostenderunt vbi inuenire possent aquam dulcem : ad quam priusquam venirent, tota nocte incursantibus Leonibus, Vrsisque, Tygridibus, Pardis, & Lyncibus, restiterunt. Quæ genera ferarum promiscuè illis in siluis occurrebant : & quarum naturam describit Solinus.

Alexander aquam sibi porrectam in summa siti effudit ne ipso bibente magis sitiret miles.

Summa siti laborabat exercitus Alexandri

Hippopotami absorbebant milites ducentos Alexandri.

Iterum de eodem.

CAP. LIV.

CVm autem peruenisset Alexander ad aquam dulcem, refecto exercitu, collocauit castra in longum 22. stadia & totidem in latum : Iussitque extra castra accendi per noctẽ mille quingentos ignes. Cænauit postea Alexander, lampadibus accensis aureis 2. millibus. Tunc venit ad exercitũ * magnus numerus scorpionũ: post scorpiones superuenit immensa vis cerastarum, post cerastas venerunt humidi serpentes variis distincti coloribus, nam quidam rubentibus squamis erant, quidam nigri, & candidi coloris : quidam auri colore consimiles conspiciebantur sibilabatque tota regio : post venerunt cristati serpentes binorum, ternorumque capitum, crassitudine

* *ad primos luna radiãtis ortus.*

Exercitus Alexandri varie à feris affligitur.

columnarum, aliquanto proceriores, quorum pectora erecta, & cũ triſulcis linguis fauces exertæ, oculis veneno ſcintillantibus, halitu peſtifero: frontem caſtrorum denſauerat Alexander clypeis & in manibus faciebat eos tenere haſtas longas cum ſpiculis acutiſſimis: tribus horis cum huiuſmodi beſtiis pugnauerunt, amiſſis 30. ſeruis, & 20. militibus.

Cum his beſtiis, in peculiari, vna amplius hora debellarunt, ait Alexãder in ſua epiſtola.

Poſt hæc venerunt albi Leones corporibus Taurorũ comparandi, quos exceptos venabulis occiderunt. Deinde venerunt Apri ingentis formæ, cum horribilibus Pãtheris: poſt hæc venerunt veſpertiliones columbarum corporibus æquales, quæ habebant dentes ad modum hominum: præterea venit vna beſtia maior Elephante tribus armata in fronte cornibus: quam Indi appellant Odontatyrannum capitis equini: coloris atri, Macedones 36. occidit, & 53. Calcatos inutiles reddidit, quæ vix tãdem venabulis occiſa eſt. Deinde venêre Mures, Vulpibus ſimiles, quorum morſu quadrupedia ſtatim expirabant, hominibus autem non vſque ad interitum idem morſus nocebat. Deinde venerunt Aues, Vulturibus ſimiles, ſed maiores, colore fuluo, roſtro & pedibus nigris: & non hominibus nocebant, ſed piſces à flumine cum vnguibus attrahebant.

* *alias crucifragio, & melius.*

Tunc Alexander ductores ſuos * crucifragio puniri iuſſit, vt nocte viui à ſerpentibus conſumerentur, ſicut Macedones conſumi voluerunt, manus quoque cõfringi fecit.

* *Sanguinis regi cõiunctus erat. Curtius.*

Iuſtinus lib. 12. Cum veniſſet Alexander ad vrbem Ambigiri regis, oppidani, inuictum eum ferro audientes, ſagittas veneno armant: plurimoſque interfecerunt, * Ptolemæum vulnerant. Regi autem per quietem monſtratur herba in veneni remedia. Peragrata autem India cum ad ſaxum miræ aſperitatatis, & altitudinis peruenisſet: in quod multi populi confugerunt, cognoſcit Herculem ab expugnatione eiuſdem ſaxi terræ motu prohibitum? Alexander ergo cum ſummo labore & periculo gentes omnes loci eius, ſaxo potitus, in deditionem accepit.

Ptolomæus per herbã in ſomnis acceptã curatur.

Iterum de eodem.

Cap. LV.

Alexander Herculis acta voluit ſuperare.

Ex epiſtola Alexandri. Peruenit autem ad Herculis, Liberique trophæa, in vltimis finibus orientis poſita: vbi vterque Deus auri ſolidum habebat ſimulachrum: quod Alexander explorare cupiens, fecit ea perforari, & iterum ſimili metallo repleri. Deinde venit ad paludem quandã ſiccam cãnoſam, vbi occurrit eis Bellua noui generis tergo ſerrato, vno capite, ſimilis Hippopotamo, pectora Crocodilli gerens, altero capite duris munito dẽtibus, quæ duos milites vno ictu repentino occidit: quæ tandem ferreis vix cominuta eſt malleis, haſtis enim trãsfigi non potuit: cum autem epulari vellent iuxta amnem Buemar, venerunt Elephantorum immenſi greges: tunc Alexander imperauit equitibus Theſſalicis, vt aſcenderent equos, ſecunque tollerent Sues: quorum grunnitus Elephanti timent. Occiſi ſunt ergo de Elephantibus nongenti 80. quorum dentes, & cornua detraxerũt Macedones, & cum tali præda receſſerunt.

Noua quæ beſtia infeſtat exercitũ & vno ictu duos milites occidit.

Elephantorũ immẽſi greges expugnãt caſtra.

Alexander autem in alias Indiæ regiones profectus eſt, in quibus in patenti campo vidit Mulieres, Viroſque piloſos, toto corpore 9. pedum altos, nudos, & ſine veſte: quos Indi Ichtyophagos vocant. Qui magis aſſueti fluuiis, & ſtagnis, quàm terris erant: crudo piſce tantummodo, & aquarũ hauſtu viuentes: cum autem exercitus Alexandri appropinquaret ad huiuſmodi gentem videndam: ſtatim ſubmerſerunt ſe in fluctibus. Poſt hęc, inuenerunt Macedones plena nemora ingentibus Cynocephalis, qui tentabant eos laceſſere, ſed fugiebant ad ictum ſagittarum. In locis illis cum erecta fuiſſent tẽtoria Alexandri, & largo igne accenſi, repente Euro flante, tabernacula euulſa ſunt, & quadrupedia ſcintillis & titionibus vrebantur. Alexander hortabatur milites forti animo eſſe: dicens, hoc accidiſſe ex equinoctiali tempore (non ex ira Deorum) in Octobrio menſe autumno iam vergente in hyemen. Cænantibus autem eis, mox in modum vellerum cadere cæpit nix. Quarum aggregationẽ timens Alexander, ne ſuper caſtra cumularetur, iuſſit milites, vt eam calcarent, quæ iam pene omnes ignes extinxerat, iuſſitque amplius ignes accendi.

Ichthyophagos inuenit Alexander & Cynocephalos.

Valerius. Tunc animaduertens Alexander, ſenio confectum Macedonem militem, nimio frigore ſtupefactũ, ipſe in ſublimi & propinqua igni ſede ſedens, ſtatim deſcendit, & ſuis manibus, corpus frigore duplicatum, in ſuam ſedem impoſuit.

Niuibus opprimitur exercitus & quingenti pereunt.

Quingenti milites inter niues perierunt, quę momento temporis poſtea dilapſæ ſunt.

Ex epiſtola Alexandri. Deinde viſæ ſunt nubes ardentes de cælo tanquam faces deſcendere, vt incenſu earum totus campus arderet: dicebant Milites iram eſſe Deorum, eo quod Alexander auſus eſſet tranſgredi Herculis, & Liberi metas: triduo deinde continuo fuit tempus nubilum, ſine ſole claro.

Iterum de eodem, & de arboribus Solis & Lunæ.

Cap. LVI.

Inuiſit Alexãder arbores ſolis & lunæ.

DEinde vidit Alexander mõtes Dionyſios in Æthiopia, & antrum Liberi, in quod miſſi homines tertia die febribus mortui ſunt, vt dicebatur: ideo quod præter religionem & ſine muneribus ſpelũcam Dei introiſſent. Poſt hoc vidit Alexander Fæminas, & Viros, Pantherarum, & Tygridum pellibus contectos: locus autem largus erat thure & opobalſamo abundans: quæ plurima ramis eorum innaſcebantur nemorum: his veſcebantur incolæ regionis. Tunc apparuit ei Antiſtes oraculi duarũ arborum: altior pedibus decem ſtatura, nigro corpore, caninis dentibus, perforatis auribus, ex quibus pendebant vniones, & annuli, pellibus ferinis veſtitus: qui dixit Alexandro: Si à coitu pueri & contactu fœminæ vacas, licet vt intres diuinum locum: imperauitque Alexandro & omnibus ſociis eius, vt deponerent veſtes, & annulos, & calceamenta. Erat autem nemus intra parietem, non magno ædificatum opere: opobalſamum cum optimo odore ex omnibus ramis arborum, abundanter manabat: in medio autem luci, illæ arbores duæ diuerſæ, cupreſſis ſimiles, ex genere frondium: altæ pedibus 100*. Cum diceret Alexander eas frequentibus imbribus tantum creuiſſe, affirmabat Sacerdos nunquam in his locis fuiſſe pluuiam, vel feram, vel auem, vel ſerpentem, & quod in eclypſi Solis & Lunæ eædem arbores vehementer flerent. Erat autem arbori Solis virile robur, Lunæ, fœmineum.

* *quas Bebriones Indi appellant.*

De Reſponſis arborum ad Alexandrum.

Cap. LVII.

Reſponſum arboris ſolis in ſermone Indico.

CVm autem Alexander ſacrificare vellet: reſpondit Sacerdos, Thus in eodem ſacrario non licere igne vri, nec animal interfici, præcepitque vt prouolutus arborum truncis, eas oſcularetur: & adoraret Solem, & Lunam: vt ei veridica darent reſponſa. In Solis ortu, quando ſolebat Solis arbor loqui, Indico ſermone tenuiſſimo reſpondit arbor: Inuicte bellis Alexander (vt conſuluiſti) vnus eris Dominus terrarum: ſed viuus amplius in patriam non reuerteris: quoniam fata de capite tuo ita ſtatuerunt: veſpere autem ad primum Lunæ ortum, arbor Lunæ, Grecè reſpondit: Alexãder iam plenum finem ætatis non habes: ſed ſequenti anno menſe Maio in Babylone morieris, & à quo minimè ſperas, decipieris: mane facto, inuenta eſt ante Sacerdotem adhuc quieſcentem velatis pedibus, ferinis pellibus, ingens clibatura in tabula eburnea, quę ex præcedẽte cæna ſuperfuetat, & culter eburneus, nam ære, & ferro, & plumbo, & argento egent, auro abundãt, opobalſamo veſcuntur, & thure. Cadentem riuo puro, ex vicino monte, potant aquam. Homines accumbentes, & quieſcentes, ſine vllis ceruicalibus, ſtratiſque tantum pellibus ferarum, hoc amictu, & victu contenti: viuunt annis 300.

Reſponſum arboris lunæ in lingua Græca.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Aliud responsum arboris solis in sermone Græco.

Iterum dixit arbor solis græce ad Alexandrum. Si mortis tuæ vt petis, insidiatorem tibi prodidero; facile instantia fata vitabis, mihi quoque tres sorores irascerentur, Clotho, Lachesis, Atropos, ad annum & menses 8. morieris, non ferro quod suspicaris, sed veneno. Mater tua turpissimo, ac miserando quandoque exitu insepulta, iacebit in via præda auium,& ferarum: Sorores tuæ fælices diu erunt. Tu autem, et si breue supereſt tempus, dominus tamen eris orbis terrarum; nunc autem caue ne nos vlterius sciſciteris, sed excede terminos luci nostri, & ad Phasiacem reuertere.

De cæteris mirabilibus quæ vidit Alexander.

Cap. LVIII.

Ingentis formæ smaragdos extulit Alexander ex valle Iordea.

DEhinc peruenit Alexander in vallem Iordeam, in qua erant serpentes habentes in collo lapides smaragdos, qui lasere & albo pipere vescebantur. Illi autem serpentes inter se quodammodo primo vere depugnant, multisque morsibus depereunt; vnde Alexander cum suis paucos efferre potuit ingentis formæ smaragdos. Post hoc inciderunt in bestias habentes capita Leonum, & caudas, vnguibus binis latas; pedibus 6. quibus verberabantur homines,& inutiles fiebant, his intermixti erant Griphi, rostra habentes Aquilarum, & alia parte corporis dissimili; qui mira celeritate in ora & oculos Macedonum insiliebant, pedum erant binorum ternorumque, Clypeos durissime caudis verberantes. Qui partim sagittis partim contis militaribus confixi sunt. In eo certamine mortui sunt 208. milites, ferarum vtriusque generis morsu; occisæ sunt autem bestiæ 17. millia. Inde Alexander ad fluuium Cluias quod sine fluxu recta fertur ad Oceanum, latius stadio vno ad ripam alteram, hunc vestiebant arundines 320. per littora, quarum vnam 30. milites vix ferre possent. Excedebant autem altitudinem arborum proceriſſimarum. Inhabitabant eundem locum innumeri Elephanti, qui nihil Alexandro, & exercitui eius nocere tentabant, transierunt flumen nauibus ex arundine factis.

In certamine cum Gryphu & alijs bestijs perdidit Alexander 208. milites.

Iterum de eodem.

Cap. LIX.

Alexander hospitio fuit exceptus ab Indis ferarum pellibus contectis.

IN vlteriore littore, erant Indi Balenarum, & ferarum pellibus contecti, qui se Alexandro hospitales præbuerunt, & dederunt ei & socijs eius spongias albas,& purpureas in manibus cum buccinis, & cochleas capientes binos ternosque congios,& stragulas, molleſque tunicas ex vitulorum marinorum pellibus factas; & alias cochleas sextariales escæ pulcherrimæ. Item vermes ex ipso flumine extractos femore humano crassiores, omni genere piscium sapore præferendos; & fungos immensæ magnitudinis 20. cocco rubriores, posuerunt eis & Murenas habentes pondera duorum centenorum; & pisces Scauros ponderum centenorum 50. qui in gurgitibns vasis eburneis capiebantur, ne arundines morsu confringerent; ibi apparuerunt eis capillatæ Mulieres, quæ pisce viuebant immersæ aquis: quæ ignaros homines regionum in flumine natantes, aut tenendo in gurgite suffocabant, aut tractos in arundine ita, cum essent specie mirabiles, affectu suo auidè victos rumpebant, aut venerea exanimabant voluptate, quarum duas Alexander cæpit, colore niueo similes nymphis, defusis per terga capillis. Inde venit ad Gangem, qui Borea flante exit sicut Euphrates Noto flante: horum fluminum ripæ, altera ab altera, conspicuæ non sunt aquarum latitudine.

Iterum de eodem.

Cap. LX.

De reditu Alexandri ad Phasiacem.

POstea incidit Alexander in feras, de quarum capitibus velut gladij à vertice, serrata & acuta eminebant ossa, quæ more arietino in hominibus impingebant, & militum clypeos cornu transuerberabant, harum occiderunt Macedones 8. millia 450.

Tandem redijt Alexander ad Phasiacem insulam: vbi Porrum regem, cum exercitu reliquerat: iussitque Antigono, quem præposuerat Persidi, vt faceret progestis Pori, Persarumque & Babyloniorum, pilas duas aureas, & solidas, in quibus omnia facta scriberet, & statueret eas, in vltima India vltra trophea Liberi, & Herculis quorum centum erant argentea. Ipse vero Alexander quinque sua aurea statuit illis altiora denis pedibus; & omnia miracula fecit in eis scribi, quæ in eis viderat.

De numero militū quos amisit Alexander in itinere Indico.

Amisit Alexander in periculis Indiæ de viris suis circiter mille 50. nam bestiæ cum latis caudis Griphis admixtæ occiderunt de Macedonibus 208. in antro Liberi perierunt tres viri, inter niues quingenti, duos autem milites occidit bestia duorum capitum, & tergo serrato. Bestia vero maior Elephante cum tribus cornibus in fronte, quæ dicitur Odontatyrannus occidit viros 36. & 53. inutiles calcando fecit. Serpentes autem etiſtati, binorum etiam & ternorum capitum,& halitus pestiferi occiderunt 30. seruos & 20. milites. Hippopotami 200. milites natantes absorbuerunt.

Hiſtoria Alexandri. Porro Alexander non computabat inter mirabilia, dona Candacis reginæ, videlicet Psittacos & Phrigas, Pardos, & Rinocerotas, Elephantes, & Pantheras, Canes, & Tauros, gemmas, & aurum, ebur, & ebenum.

De iactantia & ambitione Alexandri.

Cap. LXI.

Vanitas Alexandri.

Seneca in lib. primo de beneficijs. cap. 13. Cum igitur Alexander victor orientis, animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos illi gratulati sunt; & illum ciuitate tua donauerunt: cum risisset Alexander hoc officij genus, ait vnus ex legatis, nulli vnquam ciuitatem donauimus alij, quam tibi, & Herculi, libens ergo accepit delatum honorem, cogitans, non qui sibi ciuitatem darent: sed cui dedissent, Et homo gloriæ deditus, cuius mens nec naturam, nec modum nouerat, tanquam cælum, quod mente vanissima complectebatur, teneret: & ad socium honoris sui respexit. Idem Alexander gloriari solebat à nullo se beneficijs victum. Idem Onesitricum præmisit in Oceano explorare, gentesque & insulas,& bella, in ignoto mari quærere, Hic Alexander, Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti innumerabiles mundos asserenti: heu, inquit, me miserum, quod ne vno quidem adhuc sum potitus.

Tertullianus in Apologetico. Hic est Anaxarchus, qui cum in exitu suo tanquam tyspana pilo contunderetur, tunde, aiebat, Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis.

** Cypriorum Nicocreonte.*

Valerius lib. 3. cap. 3. idem cum à Tyranno * torqueretur, ad vltimum amputationem linguæ minanti ei, eo quod à maledictis eum cohibere non posset: non erit inquit, hęc quoque pars mei corporis, tuæ ditionis, protinusque dentibus abscissam, & manducatam linguam, in os eius expuit.

Quidam ex maximis natu Alexandri pulcherrime reprehendit eius ambitionem.

Quintus Curtius. In tempore illo dixit, quidam ex suis maximis natu, Alexandro: Si Dij habitum corporis tui, auiditati animi tui parem esse voluissent, orbis te non caperet: altera manu orientem altera contingeres occidentem. Quid tu ignoras arbores magnas diu crescere, vna extirpari hora? stultus est, qui fructus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

earum ſpectat,& altitudinem non metitur:vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, in ipſis ramis quos comprehenderis, decidas; Leo quandoque minimarum auium pabulum fuit, nihil adeo firmum eſt cui periculum non ſit ab inualido: denique ſi Deus es,tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eis eripere, ſi autem homo es,id quod es,ſemper eſſe te cogita, ſtultum eſt eorum meminiſſe propter quæ tui obliuiſcaris.

De ſuperſtitione eiuſdem,ac liuore.

Cap. LXII.

Insigne patientiæ exemplum.

*Iuſtinus lib.*12. Rediturus Alexander in Babyloniam ſacrificauit Oceano, in naui proſperum in patriam reditum impetrans.

*Valerius lib.*3. *cap.*3. Cui ſacrificanti quidam puer nobilis aſſiſtens, arrepto thuribulo,in brachio eius ardens carbo delapſus eſt, & licet ita vreretur, vt odor ad circunſtantes veniret, brachium tamen immobile tenuit: ne ſacrificium impediret. Alexander tamen diutius eum cremari permiſit, volens experiri perſeuerantiam pueri.

Meminit Cicero lib. de diuinatione.

Iuſtinus vbi ſupra. Poſt hoc Alexander oſtio fluminis Indi inuehitur, vbi in monumenta rerum à ſe geſtarum, vrbem Barcem condidit araſque ſtatuit: relicto vno ex amicis, litoralibus Indis præfecto: Inde iter terreſtre facturus, cum arida loca in itinereinuenienda dicerentur,puteos opportunis locis fieri præcepit: egreſſus autem inde, ſorte monitus erat, vt eum qui ſibi egreſſo, primus occurreret, interfici iuberet. Aſinarium ante omnes obuiam factum iuſſit occidi, eo quærente vt quid ſe innocentem morti addiceret, reſponſum eſt, oraculi præceptum, & mox Aſinarius, ſi ita eſt ô rex: Aſinum ſors huic morti deſtinauit, delectatus Rex eius reſponſo,vilius animal interfecit.

Exempla vtrarumque litterarum breuitate elegantiſſima vide in libro Andronici Philoſophi: vel etiã in ipſo A. Gellio.

A. Gellius lib. 20. *capit.* 4. Cum ergo Alexander orientem prælijs, & victorijs vrgeret,in illis tamen negocijs literas ad Ariſtotelem miſit, non eum recte feciſſe, quod diſciplinas, quæ ad naturæ contemplationem ſpectant, quibus ab ipſo eruditus foret, libris foris editis inuulgaſſet. Nam qua, inquit, re alia cæteris omnibus præſtare poterimus, ſi ea, quæ ex te accepimus omnium prorſus fient communia? quippe ego doctrina anteire malo: quàm copijs, atque opulentijs: reſpondit Ariſtoteles: libros illos neque editos,neque non editos, quia ſolis ijs cognoſcibiles: qui nos audiunt.

De vltimo eius aduentu ad Babylonem.

Cap. LXIII.

Alexandro mortis periculum prædictum.

Hiſtoria Alexandri. Poſt hæc Alexander Amazones tributarias fecit: ac deinde Babylonem contendit.

Iuſtinus lib. 12. Cui reuertenti nunciatur, legationes Carthaginenſium, cæterarumque Africæ ciuitatum, ſed & Hiſpaniarũ, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ,& quarundam ex Italia aduencum eius Babylonię opperiri: Carthaginenſes autem exterriti prius ad ſpeculandos Alexandri animos,miſerãt Hamilcarem cognomento Rhodanum, virum ſolertia facundiaque præter cæteros inſignem. Augebant enim eorum metum,& Tyrus vrbs, auctor originis ſuæ, capta, & Alexandria æmula Cardraginis in terminis Africæ & Ægyptij condita. Igitur Hamucar quod Parmenionem aditu Regis obtento, profugiſſe ſe ad Regem tanquam pulſum patria,fingit, militemque ſe expeditionis offert, atque ita exploratis eius conſilijs, ita in tabulis ligneis,vacua deſuper cera inducta ciuibus ſuis omnia perſcribebat: Igitur tantarum legationum cauſa, Alexandro Babylonem feſtinanti,veluti conuentum orbis terrarum acturo,quidam ex Magis prædixit ne vrbem introiret,teſtatus hoc ei fatalem fore; ob hoc omiſſa Babylonia in Burſiam vrbem trans Euphratem olim deſertam conſcendit. Ibi autem ab Anaxarcho philoſopho compulſus eſt rurſus Magorum dicta contemnere tanquam falſa, & incerta, & ſi fatis conſtet, ignota mortalibus: at ſi naturæ debeantur, immutabilia: reuerſus eſt igitur Babiloniam.

Alexander Babylone; conuentum vniuerſi orbis agit.

Quintus Curtius. Indignatus igitur Cobares Magus, artis magicæ profeſſione magis quam ſcientia celebris, ait: Natura mortalium hoc nomine praua & ſiniſtra dici poteſt: quod in ſuo quiſque negocio hebetior eſt quam in alieno.

*Iuſtinus lib.*12. Cum ergo rediſſet Babyloniam: multæ deuictæ gentes præfectos ſuos accuſauerunt, quos ſtatim Alexander ſine aliquo reſpectu amicitiæ, in conſpectu legatorum necari iuſſit. Poſt hæc filiam Darij Statyram in matrimonium recepit,& optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobiliſſimas virgines tradidit: Hinc ad concionem, exercitum vocat,& promittit ſe æs alienũ, ad omnia impenſa propria ſoluturum;20. millia talentorũ in hos ſumptus expẽſa ſunt, poſt hæc dimiſſis veteranis, exercitũ de iunioribus ſupplet: Qui diſceſſum veteranorum ægrè ferentes,miſſionem & ipſi flagitabant,nec hoc iam precibus, ſed conuitio agebant: dicentes eum ſolum cum patre ſuo Hammone inire bella, ad quorum correptionem cum Alexander verbis nil proficeret, è tribunali in concionem armatam inermis ipſe diſſiliuit & nemine prohibente 13.de ſeditionis auctoribus manu ſua percuſſit,& ad ſupplicia duxit.

Suſis nuptiæ celebrantur Plutarch.

Vide Plutarchum.

Alexander 13. milites qui ferociter aduerſus eum dixerãt corripit.

De veneno ſibi propinato.

Cap. LXIIII.

Hiſtoria Alexandri. Iam pridem vero mater eius ſcripſerat ad eum de ſimultatibus Antipatri, & diuortio Patris, præmonuitque inſidias eorum cauendas, vnde Alexander euocauit Antipatrem de Macedonia; Antipater autem iratus,in ipſo itinere venenum efficaciſſimum, atque potentiſſimum per miniſtrum, Regi deſtinauit hauriendum.

*Iuſtinus lib.*12. Interea vnus ex amicis Alexandri Epheſtion decedit, dotibus primò formæ, pueritiæque, mox obſequio, Regi percharus,quem contra decus reium, Alexander diu luxit, tumulumque ei 12. millium talentorum fecit; eumque poſt mortem vt Deum coli iuſſit: poſtea reuerſus eſt in Babyloniam.

Per eum reſponſa Barbaris dabantur.

Quintus Curtius. Igitur Alexander Babyloniam reuerſus, multis ocio datis diebus intermiſſum olim conuiuium ſolemniter inſtituit, totuſque in lætitiam effuſus, cum diei noctem peruigilem iunxiſſet, recedentem iam è conuiuio,Medicus Theſſalus inſtaurata commeſſatione, & ipſum, & ſodales eius iuuitat, accepto poculo,media potione velut telo confixus ingemuit;amici cauſas morbi intemperiem ebrietatis diſſeminauerunt,re autem vera,inſidiæ fuerunt, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit; author inſidiarum Antipater fuit, cuius veneni tanta vis fuit,vt non ęre nec ferro, nec teſta contineretur,nec aliter ferri niſi in vngula equi potuit. Elatus eſt igitur à conuiuio ſemiuiuus, & excruciatus, ita vt ferrum in remedia poſceret, tactumque hominem, velut vulnera indoleſceret, iam quidem Antipater ad occupandum regnum Caſſandrum filium ſubornauerat, qui cum fratribus Philippo & Iolla miniſtrare Regi ſolebat, præmonituſque eſt ne alij quam Theſſalo & fratribus crederet: & ideo apud Theſſalum paratum repetitumque eſt conuiuium; Philippus autem, & Iollas præguſtare, ac tentare, potum Regis ſoliti in aqua frigida venenum habuerunt; quam præguſtatæ iam potioni ſupermiſerunt.

*Vide etiam Iuſtinum lib.*12.

Valerius. Alexander iam pridem periturum ſe manu Caſſandri in ſomnis viderat, quem tamen cum hoc vidit,nondum cognouerat.

Iuſtinus lib. 12. *prope finem Oroſius*

Ferunt hoc venenum gelidiſſimam aquã fuiſſe ex Nonacria petra ſudantem Plutarch.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De morte eiusdem.

Cap. LXV.

Mors Alexandri. Iustinus, & Orosius sequuntur eos qui Alexandrum veneno sublatum scripserunt: Plutarcho & Arriano hic interitus non placet.

Iustinus *lib.* 12. Quarto die Rex indubitatam mortem sentiens; agnoscere se fatum domus suæ ait, & suorum maiorum, nam plerosque Alacidarum, intra 30. annum defunctos; tumultuantes, deinde milites, insidijsque perire Regem suspicantes; ipse sedauit, eosque omnes cum prolatus esset in editissimum vrbis locum, ad conspectum suum admisit; osculandamque dexteram suam flentibus porrexit; ad postremum corpus suum in Hammonis templo condi iubet. Quærentibus amicis, quem imperij hæredem facerent; respondit: Dignissimvm; non nominauit filium Herculem; non fratrem Aridæum, sed & Roxanem vxorem prægnantem relinquebat; quasi nefas esset, viro forti alium quàm virum fortem, succedere; aut tanti regni opes, alijs quàm probatis relinqui: Sexta die præclusa voce exceptum digito annulum Perdiccæ tradidit. Decessit ergo Alexander mensem vnum, & annos tres & * 30. natus *, vir supra humanam potentiam, magnitudine animi præditus. Qui tantam fiduciam militibus suis fecerat, vt illo præsente nullos hostes, nec arma etiam inermes timerent: cum nullo hoste vnquam congressus est, quem non vicerit; nullam vrbem obsedit, quam non expugnauerit: nullam gentem adijt: quam non calcauerit: victus tamen ad extremum est, non virtute hostili, sed insidijs suorum, & fraude ciuili.

Alexander moriens annulum suũ Perdiccæ tradidit.

* *Comestor dicit* 32. *Alexandri virtutum enumeratio.*

* *vixit annos* 32. *menses* 8. *regnauit annis* 12. *mensibus* 8.

Arrianus lib. 7.

Author. Legitur quod Alexander lapidem quendam secum gestabat, quem qui gestaret inuenenari non poterat: erat autem insutus in bracali eius: Sed ab insidiatoribus nocte illa, qua venenum sumpsit, ei subreptus est.

Orosius lib. 3.

Iustinus lib. 13. Quo mortuo, in ipso ætatis ac victoriarum flore, triste apud omnes in tota Babylonia, silentium fuit. Sed nec deuictæ gentes fidem nuncio habuerunt, credentes eum immortalem, quem totiens, præsente morte, ereptum viderant: vt autem mortis eius fides affuit, non vt hostem, sed vt parentem luxerunt: Mater quoque Darij audita morte eius, mortem sibi ipsa consciuit: Macedones autem eo mortuo, vt hoste amisso, gauisi sunt.

* *Hieronymus habet Rhodogune.*

*Hieronymus contra Ioui.** Roxane vero filia Darij post mortem viri nutricem, quæ illi secundas nuptias suadebat, occidit. *Ex epistola Alexandri*: Cum autem de Alexandri sepultura iurgia orirentur: Macedonibus eum in sua transferre cupientibus, tandem Iouis oraculum consulentes responsum acceperunt, eum apud Ægyptum sepeliri oportere: non in Memphis, verum in illa quam ipse ædificauit vrbe: Ibi ergo ei honorificentissima erecta est sepultura.

Alexanari corpus transfertur in Ægyptum.

Epilogus de pace Bragmanorum cum Alexandro.

Cap. LXVI.

Epistola Bragmanorum ad Alexandrum.

Avthor. Alexander, vt legitur, cum vltimum littus Oceani perlustraret, Bragmanorum insulam debellare parabat, atque illi epistolam hanc ad eum miserunt,

Audiuimus (inuictissime Rex) prælia tua & fælicitatem vbique subsecutam. Sed quid erit homini satis, cui totus non sufficit orbis? diuitias non habemus, quarum cupiditate debeas nos expugnare: omnium bona omnibus communia sunt: esca nobis pro diuitijs est: pro cultu aureo, & gemmis, vilis & rara vestis: fæminæ nostræ non ornantur, vt placeant: quæ quidem ornamentorum cultum oneri potius deputant, quàm honori: etenim nesciunt in augenda pulchritudine plus affectare: quam nactæ sunt: antra nobis vsum duplicem præstant: tegumentum in vita, & in morte sepulturam: Regem habemus, non pro iustitia, sed pro nobilitate seruanda: quem enim locum habet vindicta, vbi nulla fit iniustitia.

His verbis motus Alexander eos in pace dimisit.

Author. Extant igitur epistolæ Alexandri & Didimi Regis Bragmanorum ad inuicem transmissę, quas hic adbreuiatas inserere volui.

De mutuis epistolis Alexandri & Didimi regis super corum philosophia.

Cap. LXVII.

Epistola Alexandri ad Didimum.

Alexander ad Didimum. Sæpius ad aures meas fando peruenit, rationem vitæ vestræ à communi vsu, qui vbique sunt, hominum, discrepare, & res quidem nouitate mirabilis, rumorum licentia videtur incredula. Recteque te Didime per has literas consulere properaui, vt si verum est, quod audiuimus, & philosophando hoc facitis, incunctanter expedias: quo certior effectus, ego quoque si fieri potest disciplinæ huius sectator existam: libera enim est res communicata: & nescia pati dispendium, cum in alterum participata, transfunditur. Sicut ex vna face, si lumina plura succenderis, nullum damnum principali materiæ generabit, quæ quidem facultatem accipit plus lucendi, quotiens causas accipit plus præstandi.

Alexander cupit scire modum viuendi Bragmanorum.

Didimus respondit: Nuncios de nobis dudum ad te prolatos, non immerito famæ incredulus, respuisti; solet enim gaudere figmentis: nunc autem ex me indubitanter percipe rerum fidem. Genus Bragmanorum pura & simplici vita viuit: nullis rerum capitur illecebris: nihil appetit amplius, quam ratio naturæ flagitat: facilis nobis alimonia, non quam luxuriæ sagacitas per omnia elementa perquirit: sed quam tellus ferro inuiolata producit: mensam epulis oneramus innocuis: hinc est, quod nulla genera morborum: nec nomina numeramus diuersa, sed diuturna salute perfruimur: opem non precamur alter ab altero vbi viuitur communiter. Inter pares locus non præbetur inuidiæ, vbi nullus superior est: omnes diuites facit paupertatis æqualitas. Iudicia non habemus, quia corrigenda non facimus. Leges nullas tenemus: quas apud nos crimina proferent. Vna genti lex est contra ius non ire naturæ: laborem, qui nutrit auaritiam, non exercemus: ocium turpe deuitamus, libidini membra ad debilitandum non tradimus: omnia possidemus, quæcunque non cupimus. Est enim ferocissima pestis cupiditas, quæ solet egenos, quos capit, efficere, dum finem inquirendi non inuenit: sed & magis quo fuerit locupleta mendicat: Sole calescimus, rore humectamur. Sitim riuo frangimus: thorum ministrat humus. Somnum solicitudo non rumpit, mentem cogitatio non fatigat. In homines nostri similes superbia non agimus imperium: nec quemquam vel minima seruitute exigimus, præter corpus: quod solum animo famulari debere censemus, alioquin sæuitia est in obsequium cogere quos nobis fratres eadem natura progenuit, & quibus à Deo patre omnium communium bonorum spondetur hæreditas.

Mores Bragmanorum.

Leges Bragmani non habent.

Adhuc de eodem.

Cap. LXVIII.

Viuunt in spelunciis & concauis montium latebris.

In extruendis domibus igne saxa non soluimus, nec admixtione pulueris cæmenta duriora conficimus, quin potius in defossis telluris speluncis, aut concauis montium latebris capaciter habitamus: nullos ibi ventorum fremitus: nullius tempestatem turbinis formidamus. Tutius nos defendit ab imbre spelunca, quàm tegula, cuius geminus est nobis vsus, mansionis, dum viuimus, sepulturæ, dum morimur. Nullus nobis preciosus amictus; sed membra papyri tegmine, vel quod est verius pudore velantur: fæminæ nostrates non ornantur vt placeant: nec sciunt in augenda pul-

chritudine plus affectare quam natæ sunt, nam quis potest opus naturæ corrigere, quod cum fuerit aut infructuosum est; quia vincitur; aut criminosum, quia præsumitur. Ad concubitum non nos admonet libido, sed sobolis amor, bella non gerimus, sed pacem moribus, non viribus confirmamus, sola Fortuna est, aduersus quam sæpe pugnamus & semper vincimus. Nemo parens filij comitatur exequias: nulla extruimus instar templorum sepulchra defunctis, nec in gemmatis vrnis funera combusta recondimus, quod non honoris dixerim esse, sed pœnæ: sed hæc sunt argumenta, nostræ diuitiæ, quæ nec satietatem viuentibus concessistis, & mortuis supremam requiem sustulistis, non enim tellurem cineres suos, quos edidit, fouere sinitis, vos estis malorum omnium causa mortalium; omnia tenetis, & omnibus vos habentibus imperatis. Sola sapientia Bragmanorum vos superat non amando. Pestilentiam nos Bragmani non patimur, neque enim fædis actibus cælum temeramus: semper tenet apud nos cum temporibus natura concordiam, & vices suas elementa non offensa custodiunt; medicinæ remedium nobis parsimonia est, quæ non solum illapsos potest curare dolores, sed etiam procurare ne veniant. Nulla nos ludicra, vel spectacula, nec equina certamina, nec scenicas turpitudines affectamus, sed theatrum spectare cum volumus, nostrorum operum monimenta relegimus; quæ cum sint maxime ridenda, deflemus. Alia porro nobis spectacula exhibet mundi machina diuersasque voluptates, in qua videmus cælum pulchrè formatum signorum varietatibus, stellarumque fulgoribus rutilare, pelagus colore purpureo venustatum, germanam terram amplecti; cuius multiformes pisces per equoreas vndas saltus exercent, camporum etiam virentium specie delectamur, ex quibus etiam & ex floribns virentibus odor gratissimus, emanans oculos simul pascit & animum: nemorum quoque opacitas, & fontium arridet amænitas: qua variæ simul aliter musicis concentibus personantes dulces melos componunt, hæc sunt naturæ spectacula: quæ & imitari difficile est, & refutare culpabile; nos mercandi gratia pontum classibus non sulcamus, nunquam nos peregrina species, ardore suæ pulchritudinis inflammauit; nec famulos nos sibi faciet multis casibus opum deuicta materies, quos liberos edidit absoluta pauperies.

Solum pugnant contra fortunam quam & semper vincunt.

Parsimonia est Bragmanorum medicina.

Voluptates Bragmanorum quæ?

De eodem.

Cap. LXIX.

ARtem bene loquendi non discimus, neque facundiæ rhetorum oratorumque operam damus: cuius officium est fucatis sermonibus figmentare mendacia, & innocentiæ fidem conferre criminibus; ac particidijs reos assignare pijssimos. Qui dum putant se alienę laudis fructum per iniqúam victoriam rapuisse, nesciunt munimentum se suæ conscientiæ perdidisse, simplex est apud nos eloquentia, communisque omnibus, solum præcipiens non mentiri, philosophorum scolas minimè frequentamus; quorum doctrina discors, nihil stabile certumve diffiniuit, quorum vna pars in honestate, alia in voluptate, bonum constituit. In honorem diuinum, pecudes innocuas non mactamus, nec delubra metallis argentęis incrustata fundamus, nec auro altaria & gemmis splendentia dedicamus. Quæ vt si non habenti Deo largiaris, superiorem te asseris: Si vt habenti, parem, quorum vtrumuis feceris, contumelia est. Non suscipit Deus sacra sanguinea; cultum diligit incruentum: verbo propiciatur orantibus, quod solum ei cum homine est suaque similitudine delectatur: nam verbum Deus est, hoc mundum creauit, hoc regit atque alit omnia: hoc diligimus; ex hoc spiritum trahimus, siquidem Deus ipse spiritus atque mens est, & ideo non terrenis diuitijs, nec largitate munifica: sed religionis operibus & gratiarum actione placatur. Quapropter nimium vecordes vos, & miserabiles iudicamus: qui originem vestram esse cælestem non suspicitis; magnamque habere cum Deo cognationem; sed splenderem generis vestri rebus vilissimis obfuscatis; quippe quibus maxima in carne voluptas est; hanc fouetis, & colitis, & amatis, cuius & contrectatio viuentis, horrenda est, & contagio morientis, incesta est, in cuius vsibus elementa vexantur, & mundus in exibendis laborat obsequijs, & quod est vehementius, audetis Deum cæsis carnibus expiare, & in hoc scilicet à carne decepti. Re enim vera non opitulares Deos, sed carnifices deterrimos inuocatis, qui viscera vestra suppliciorum diuersitate discerpant, ô vos infælicissimos: quorum religio crimen est, vita supplicium.

Facundiam Rhetorum contemnunt.

Deus est verbum, quod & mundum creauit, aiunt Bragmani.

Iterum de eodem.

Cap. LXXI.

Alexander iterum. Nunc ideo beatum te dicis, quia in ea mundi parte vobis natura constituit sedem, in qua nec accessus vel exitus aduenis, nec excessus indigenis aperitur, sed excubijs oppositæ facultatis obsessi: quia mutare patriam vestram non valetis, laudatis, & quod damnationis causa patimini, conscientiæ studio vos meruisse iactatis. Verum nullum virtutis meritum est, id nanciscì quod mutari non possit, sed nec gloria dicenda est: quàm sibi quisque non dederit. Non habere Bragmanos consuetudinem mandare semina telluri, nec arbores vitibus decorare, nec plantarijs nuda vestiri camporum, nec ædificia pulchra constituere, harum rerum manifesta est ratio, quod ferri metallum vobis indignatio naturæ non præbuit, quo cuncta, quę numerauimus excoluntur, aliunde autem assumere negocia occasione nauigij non potestis. Ideoque necesse est vobis herbis, palmitibusque depastos, vitam horribilem pecudum more transigere: ergo non in angustijs & in egestate, sed in opulentia temperanter vixisse laudandum est, alioquin cecitas & paupertas, solæ, virtutum gloriam sortiuntur. Illa, quia non videt, vt cupiat: ista, quia non habet, vt capiat, fœminarum vestrarum nullus vt asseris decor

Incolas se esse huius mundi negant Bragmani;

Alexander plurima dicta Didimi refutat.

Bragmani viuunt more pecudum ait Alexander.

augetur

augetur ornatibus, aſſentio: Quippe nec ars officij, nec materies vlla ſuppeditat. Nemo apud vos (vt dicitis) incęſtu, vel adulterio flammatur, miranda res eſſet, ſi proprio non neceſſitatis iudicio viueretis. Si animum veſtrum ab illicitis amoribus pudicitiæ contemplatio, non deformitatis arceret aſpectio: ſed hæc eſt res, quæ ſolet de ſenſibus humanis auferre non deſiderium libidinis, ſed factum; non mentem à ſcelere prohibere: ſed corpus ab opere. Nos autem qui nullius inediæ lege perſtringimur, ad bene viuendum libero incitamur arbitrio; vt voluntariam continentiam digna remuneratio conſequatur, dedit enim nobis multas natura blanditias, quas plerunque virtus cohiberet.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER QVINTVS.

De diuiſione Monarchiæ Alexandri in quatuor regna, & de Ptolemæo Sothero Rege Ægypti.

CAP. I.

VSEBIVS in Chron. Igitur Alexandro mortuo, apud Babylonem, tranſlato, poſt eum in multos imperio, diuerſi regnauerunt. Hinc Alexandrinorum naſcitur regnum, quod eſt Ægypti, & per diuerſas gentes: quas Alexander tenuerat, diuerſi regnauerunt.

Ptolemæus rex Ægypti. 3630.

Primus in Ægypto Ptolemæus Lagi filius: Cœpit anno quintæ ætatis 267. mundi vero 3630. & regnauit annis 40.

Macedoniæ regnauit Philippus, qui & Aridæus frater Alexandri annis 7.

Lydiam & Thraciam & Helleſpontum Lyſimachus tenuit.

Comeſtor cap. 5. Cum enim redijſſet Alexander in Babylonem, ſumpto veneno, vſum linguæ amiſit; & voluntatem extremam ſuam ſcripto expreſſit; & noluit Monarchiam ſuam in aliquem transferre, ne aliquis par ei in potentia apud poſteros legeretur; ſed 12. quos ab adoleſcentia ſocios habuerat regni ſucceſſores inſtituit. Hæc autem inſtitutio non ſtetit, nam quatuor ex eis tantum alijs abiectis regnauerunt, ſicut in hiſtoria Danielis eſt comprehenſum.

Comeſtor cap. 6.

Itaque Ptolemæus Rex Ægypti qui cognominatus eſt Sother, cum regno ſuo adiecit Syriam; appoſuit vt adijceret & Iudæam; & aſcendens in Hieruſalem die Sabbati ſciens ea die Iudæos arma non moturos, ſimulatione ſacrificandi Deo, nullo contradicente, intrauit: vnde ſecundum Ioſephum Agatharchides Cnidius Iudæos ridiculos appellauit, qui ſuperflua ſuperſtitione, graue damnum ſuſtinuerunt. Ptolemæus namque multos de Iudæa & Agarizi captiuos trahens ad Ægyptum redijt; & venditioni exponens eos à negociatoribus nationum diſtracti ſunt, & diſperſi; & per hanc captiuitatem licet non fuerit generalis; diffuſius diſperſi ſunt in nationes. Vnde in actibus Apoſtolorum cap. 2. legitur: *conueniſſe in Hieruſalem Iudæos ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* Iado Pontifici ſucceſſit filius eius Onias: cui ſucceſſit Simon iuſtus.

Hieroſolymis dolo captis Iudæi in Ægyptũ abducuntur.

Euſebius. Eo tempore Appius Claudius Romæ cæcus claruit, qui aquas claudias * induxit; & viam Appiam ſtrauit.

* aliàs calidas.

De Theophraſto Philoſopho, & dictis eius.

CAP. II.

EOdem tempore Theophraſtus Philoſophus claruit: qui à diuinitate loquendi (vt ait Cicero) nomen accepit.

Author. Hic fuit diſcipulus ac ſucceſſor Ariſtotelis. Vnde de hoc refert *A. Gellius in libro noctium atticarum lib. 13. cap. 5. dicens* Ariſtotele iam ſenio confecto, ægroque corpore, & ſpe vitæ tenui fuit; nam iam ferè natus duos & ſexaginta annos: tunc omnis ſectatorum eius cohors ad eum acceſſit, orans, vt ipſe eligeret loco ſui magiſterij ſucceſſorem, quem ſequerentur. Erant tunc in eius ſtudio & ludo duo præcipui: Theophraſtus ex Lesbo, & Menedemus ex Rhodo. Ariſtoteles autem iuſſit ſibi afferri vinum Lesbium & Rhodium & vtrunque ſatis commendauit: ſed Lesbium magis, vnde nemini dubium fuit, quin lepidè ſimul & verecundè, ſucceſſorem ſibi illa voce; non vinum delegiſſet. Itaque Ariſtotele defuncto, omnis Academia ad Theophraſtum conuolauit: Huius Theophraſti dicitur eſſe illa ſententia; *expedit iam probatos amicos amare, non amatos probare;*

Theophraſtus ex inſula Lesbo. Menedemus ex Rhodo. Vinum Rhodium. Vinum Leſbium. Ariſtotelis verecundia in ſucceſſore eligendo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

probare; & illa: *Ex inimico vindictam, ſi te inimicum ſenſerit, perdidiſti*; & illa; *gratius aduerſarium ſecuritate decipies.* Huius quoque ſententia fuit: *Amantium cæca eſſe iudicia.*

Dicta Theophraſti.

Scripſit & ipſe librum de amicitia, in quo amicitiam omni charitati præfert; ſed raram in rebus humanis eſſe conteſtatur. Theophraſtus accuſaſſe naturam dicitur, quod ceruis, & cornicibus, vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet, hominibus vero quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam dediſſet vitam; quorum ſi ætas poſſet eſſe longior, omnibus perfectis artibus, eorum vita erudiretur. Quærebatur ergo, tunc ſe, cum illa videre cæpiſſet extingui.

Quod vxor Sapienti ducenda non ſit.

Cap. III.

Theophraſti de nuptijs liber.

Hiero. contra Ioui. lib. 1. Fertur Aureolus Theophraſti liber de nuptijs: in quo quærit; an vir ſapiens ducat vxorem? & cum definiſſet, ſi pulchra eſſet, ſi bene morigerata, ſi honeſtis parentibus nata, ſi ipſe ſanus ac diues ſit: ſic ſapientem inire aliquando matrimonium: ſtatim intulit, hæc autem raro in nuptijs vniuerſa concordant. *Non eſt igitur ducenda vxor ſapienti*, primum enim impediri ſtudia philoſophiæ; nec poſſe quemquam libris & vxori pariter inſeruire. Multa eſſe, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſunt, precioſę veſtes, aurum, gemmę, ſumptus, ancillæ, ſuppellex varia, lecticæ, & eſſeda deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus; ego in conuentu fæminarum miſella deſpicior; cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attuliſti? non amicum habere poſſumus, non ſodalem; alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fertur, nec vxorem relinquere; nec cum ſarcina ire poſſumus: pauperem alere difficile eſt: & diuitem ferre tormentum, adde quod nulla eſt vxoris electio, ſed qualiſcunque venerit, habenda; ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fætida, quodcunque eſt poſt nuptias diſcimus. Equus, Aſinus, Bos, Canis, & viliſſima mancipia probantur prius; & ſic emuntur; ſola vxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quam ducatur; ſi totam domum commiſeris ei regendam, ſeruiendum eſt; ſi aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putabit, & in odium vertetur & iurgia: & niſi cito conſuleris, venena parabit. Anus & aurifices & inſtitores gemmarum, ſericarumque veſtium ſi introduxeris, periculum pudicitiæ eſt. Si prohibueris, ſuſpicionis iniuria, verum quid prodeſt diligens cuſtodia; cum vxor impudica ſeruari non poſſit, pudica non debeat? Infida enim cuſtos caſtitatis, eſt neceſſitas, & illa verè pudica dicenda eſt cui licuit peccare, ſed noluit: pulchra facile adamatur, fœda facile concupiſcit, difficile eſt cuſtodire quod plures amant. Moleſtum eſt poſſidere: quod nullus habere, vel amare dignatur, minore tamen miſeria de formis habetur, quam formoſa ſeruatur, nihil enim tutum eſt in quod totius populi vota ſuſpirant.

Eſſedum eſt vehiculi genus; nam in lectulis accumbebant aut etiam vectabantur nobiles matronæ.

Sarcinam vocat ipſam vxorem cum ſua pompa vitij.

Ludit crebris dilemmatis & quidem elegantiſſime

Iterum de eodem.

Cap. IIII.

QVod ſi propter diſpenſationem domus, & languoris ſolatia, & fugam ſolitudinis ducantur vxores, multo vtique melius ſeruus fidelis diſpenſabit, auctoritati domini obediens, & eius diſpenſationi obtemperans, quam vxor: quæ in eo ſe æſtimat dominam ſi contra viri faciat voluntatem. Aſſidere etiam ægrotanti melius poſſunt amici, & * vernulæ beneficijs obligati: quàm illa quæ nobis imputet lachrymas ſuas, & hæreditatis ſpe vendit * illegitimum, & ſollicitudinem iactans, languentis animum deſperatione conturbet: quod ſi ipſa languerit æque ægrotandum eſt: & nunquam ab eius lectulo recedendum, aut ſi bona fuerit vxor & ſuauis (quæ tamen rara auis aut nulla eſt) cum parturiente oportet gemi, & cum periclitante torqueri, ſapiens autem nunquam ſolus eſſe poteſt, habet ſecum omnes qui ſunt, quique fuerunt boni, & animum liberum quocunque vult, transfert, quodque corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum copia defuerit: loquitur cum Deo, * *nunquam minus ſolus erit, quam cum ſolus fuerit.* Porro liberorum cauſa vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non intereat, vel habeamus præſidia ſenectutis, & vt certis vtamur hæredibus, ſtolidiſſimum eſt, quid enim ad nos recedentes è mundo pertinet, ſi nomine noſtro, alius vocetur, cum innumerabiles ſint, qui eodem nomine appellentur? Aut quæ ſenectutis auxilia ſunt nutrire domi illum: qui aut prior te fortè moriatur: aut peruerſiſſimis moribus ſit, aut certe cum ad maturam ætatem venerit: tarde ei mori videaris? Hæc & huiuſmodi Theophraſtus diſſerens: quæ Chriſtianorum ora ſuffundant, quorum conuerſatio in cælis eſt.

vocat ſumptus immodicos vxoris quibus exedit maritum.

** Ita etiam Scipio dicere ſolebat.*

Olim parentum nomen tranſibat ad liberos.

De Menandro Poeta comico & Philęmone & ortu regni Aſiæ.

Cap. V.

Euſebius in Chronicis. Anno Ptolemæi quinto Męnander comicus primam fabulam cognomento Orgem docendo, ſuperat.

Author. Huius ſcilicet Menandri iuxta Hieronymum, eſt illud ſenarium: quod ponit Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios, *corrumpunt bonos mores conſabulationes peſsimę &c. A. Gellius lib.* 17. *cap.* 4. Iſte Menander à Philemone nequaquam pari ſcriptore in certaminibus comœdiarum ſæpius vincebatur, quem cum forte habuiſſet obuiam, quæſo, inquit, Philemon cum bona venia dic mihi, cum me vincis, non erubeſcis.

Quid Menander poeta Philemoni dixerit, à quo ſæpe in certaminibus comœdiarum ſuperatus eſt? Suidas, Lucian. in Macrobijs.

Author. Hunc Philemonem iuxta Helinandum vocare Valerius videtur Polemonem, ſed de Polemone dicetur inferius. *Valerius lib.* 9. *cap.* 12. Philemonem vel Polemonem vis immoderati riſus abſtulit: nam aliquando paratas ficus in conſpectu poſitas, aſello conſumente, puerum vt illum abigeret, inclinauit: qui cum iam comeſtis omnibus, ſuperueniſſet, quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nunc merum Aſello, ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum proſecutus, ſenile guttur ſalebris ſpiritus anguſtia prægrauauit.

Euſebius in Chronicis. Anno 6. Ptolemæi regis Ægypti, & Philippi Macedonis, regnum Aſiæ cæpit: in qua regnauit primus Antigonus annis 18. Secundus, Demetrius qui & Polyarcetes 17. tandem tradidit ſemetipſum Seleuco Regi Syrie, qui deſtructo regno Aſiæ, captoque Demetrio, Syriæ & Aſiæ pariter imperauit, eo tempore ſcilicet anno Ptolemęi 7. Menedemus & Speuſippus Philoſophi inſignes habentur.

De victoria Romanorum ex Samnitibus.

Cap. VI.

Euſebius in Chronicis. Temporibus Ptolemæi, Romani Samnites diutiſſime contra ſe præliantes ad extremum in ſeruitutem redigunt annis 14. hæc victoria facta eſt anno Ptolemæi ſexto, ab vrbe condita 436. vel 37.

Oroſius lib. 3. *cap.* 22. Anno præcedenti Romani à Samnitibus victi fuerant: tunc Samnites nouum habitum ſumunt, deargentatis armis, & veſtibus vtentes, iterum bello ſe offerunt, aduerſum quos miſſus eſt Papyrius conſul cum exercitu: qui cum ab auguribus vana conie-

Romani à Samnitibus victi eoſdem vincunt.

* *vernulæ ſunt ſerui domi nati qui filiorum inſtar erant.* * *illuuiem, & illuuiem*

ctantibus prohiberetur congredi; spreuit eos: & fæliciter congressus victoriam obtinuit: in quo prælio cæsa sunt hominum 12. millia, capta 3. millia. Sed post hanc victoriam subito tam intolerabilis pestilentia corripuit ciuitatem, vt propter eam quacunque ratione sedandam libros Sibyllinos consulendos putarunt, horrendumque illum Epidaurium colubrum cum ipso Æsculapij lapide aduexerunt: quasi vero pestilentia aut ante sedata non sit, aut post orta non fuerit.

Intolerabilis pestilentia Romanos affligit.

Augustinus in lib. 3. de ciuitate Dei cap. 17. Erat autem hæc pestilentia orta ex mulieribus: quæ grauidæ moriebantur, antequàm maturos partus ederent; vbi secretò aduectus in vrbem Æsculapius, excusabat quod Archiatron se, non obstetricem, profitebatur; pecudes quoque similiter moriebantur: ita vt defecturum genus animalium crederetur. Sic ergo per oraculum Sibyllinum à magno imperitiæ, vel desidiæ crimine liberatus est Æsculapius; per dies quoque 40. eodem tempore in foro, horrenda altitudine niues remanserunt Tyberisque glacie duratus est.

Archiatron dicitur princeps medicus, obstetrix vero quæ parturientibus adest.

De Papyrio consule bellicoso.

Cap. VII.

Papyrius vir bellicosissimus.

Rosius lib. 3. cap. 15. Dicitur ergo Papyrius vt dictum est, eo quòd vanas Augurum & Aruspicum coniecturas contempsit, Hic Papyrius adeo apud Romanos bellicosissimus habebatur, vt cum Alexander magnus disponere diceretur ab oriente descendens, obtinere viribus Africam, atque inde in Italiam transuehi, Romani inter cæteros Duces, tunc in republica, vel expeditione sua optimos, hunc præcipuum fore, qui Alexandri impetum sustinere posset, meditarentur.

Macrobius in lib. de Saturnalibus. Hic Papyrius cum esset puer, cum patre suo in curiam fuerat, illum reuertentem percunctari cepit mater: quid in senatu egissent patres? puer respondit, tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit auidior audiendi secretum rei, & silentium pueri, animum eius ad inquirendum euerberat, tunc puer vrgente matre, lepidi atque festiui mendacij consilium capit: actum in Senatu dicit, vtrum videretur vtilius esse, vnus vt duas vxores haberet: an vna apud duos nupta esset: hæc illa, vt audiuit, ad cæteras Matronas retulit: postridieque ad Senatum confluunt, orantes, vt vna potius duobus nupta fieret, quàm vni duę. Senatores quænam esset illa mulierum intemperies: & quid sibi postulatio hęc vellet, mirabantur & non vt paruę rei prodigium illam verecundi sexus impudicam paueſcebant insaniam. Puer Papyrius publicum metum demit: quę matri dixerat, enarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultumque facit, ne pręter illum, pueri cum patribus in curiam post hoc introirent.

Discreta prudentia pueri Papyrij in celando ea, quæ à Senatoribus in curia audiuit.

De Fabio consule.

Cap. VIII.

Rosius libro 3. cap. 22. Anno post victoriam Papyrij de Samnitibus Fabius Gurges consul pugnans cum Samnitibus, * amisso exercitu, victus in vrbem refugit. Cumque senatus de submouendo eo deliberaret, pater eius Fabius maximus ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum vltro obtulit, si illi depellendæ ignominiæ, iterumque gerendi belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium consulem insistente Pontio Samnitarum duce, & in festis hostium telis concluſum videret, in medium se agmen, pius senex equo vectus ingessit. Quo facto, permoti Romani tota ibi incubuere acie: donec ipsum ducem Pontium deleto hostili exercitu, victum oppressumque cœperunt. Cæsa sunt in ipso prælio Samnitium 20. millia, capta 4. millia cum Rege suo Pontio. Tractum est hoc bellum per 49. annos, & tandem capto Pontio, finitum per Fabium patrem, & filium.

* tria millia hominum occisa refert Eutropius lib. 2

Valerius lib. 4. Hic est Fabius Maximus, qui cum à se quinquies, & à patre, auo, & proauo, maioribusque suis, sæpe consulatum gestum animaduerteret: comitijs, quibus filius eius consensu summo consul creabatur, quàm constanter potuit cum populo egit, vt aliquando vacatione huius honoris Fabiæ genti darent, non quidem virtutibus filij diffidens (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur; quid hac moderatione valentius: quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur superauit.

Author. Porro Pontium Samnitem, testatur Cicero in libro de senectute, fuisse contemporaneum Architæ Tarentino, & Platoni. Cuius est etiam illa egregia sententia: quam idem Tullius ponit in libro 2. de officijs; vtinam inquit G. Pontius Samnis, ad illa tempora me fortuna reseruasset; & tunc essem natus: quando Romani dona accipere cæperunt; non essem passus eos diutius imperare.

In alijs male quinquagintana nonemi legitur, nam si annus quo Q. Fabius V. P. Decius quartus consules fuerint, recte 46. belli Samnitici à Liuio nominatur, hic 49. sit; necesse est.

De Marco Curio Consule.

Cap. IX.

Rosius vt supra. Anno post hanc victoriam de Samnitibus; gestum est bellum cum Sabinis à Curio consule, vbi quot millia hominum interfecta, quot capta sunt; ipse consul ostendit: qui cum in senatu magnitudinem agri Sabini acquisiti, & mtultitudinem capti populi referre vellet; numerum explicare non potuit.

Curium de Samnitibus et iam triumphasse Cicero in Catone ostendit.

Valerius lib. 4. Marcus Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis specimen perfectissimum; Samnitarum diuitias contempsit: & illi paupertatem eius admirati sunt; nam cum ad eum in scamno sedentem foco, & catillo lignæo cænantem, magnum auri pondus publicè missum attulissent; benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet; vultum protinus risu soluens: superuacuæ, inquit, legationis ministri narrate Samnitibus, Marcum Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.

Plutarch. Apophth. Cic. Cat. &c.

Item cum Italia Pyrrhum Regem exegisset: nihil omnino ex præda regia, qua exercitum, & vrbem ditauerat, attigit: decretis etiam à senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem 50. popularis assignationis modum non excessit, parum idoneum Reipublicæ ciuem arbitrans: qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non esset.

Iustinus Plinius 16. cap. 38.

Valerius lib. 4. cap. 3.

Idem sensit Fabricius Luscinus honore & auctoritate, omni ciue temporibus suis maior: censu vero pari vnicuique paupertimo, qui à Samnitibus, quos in clientela habebat: pecuniam, & seruos sibi missos remisit: continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues: sine vsu familiæ abundè comitatus: quia locupletem illum faciebat: non multa possidere: sed modica desiderare: Curij, & Fabricij discipulum Quintum Tuberonem fuisse, meritò quis existimauerit, cui Consulatum gerenti: cum Ætolorum gens vasa argentea, magno pondere, & exquisita arte fabricata, per legatos misissent: qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant: se in eius mensa fictilia vidisse: monitos ne continentiæ, quasi paupertati, succurrendum putarent, cum sarcinis suis abire permisit: nunc autem quò ventum est? à seruis vix impetrari potest, ne supellectilem illam fastidiant, qua tunc consul vti non erubuit.

Ab vrbe condita 481. circiter. Gellius 1. cap. 14.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Caſſandro Rege Macedonum, & Olympiadis nece.

CAP. X.

EVſebius in Chron. Anno Ptolemæi 8. regnauit Caſſander apud Macedones poſt Philippum Aridæum.

*Iuſtinus lib.*14. Nam Olympias Alexandri mater cum ab Epyro in Macedoniam, proſequente Æacida Rege Moloſorum, veniret, prohibita eſt à finibus Macedoniæ ab Eurydice, & Aridæo; vnde indignitate rei moti Macedones ad Olympiadem tranſierunt: cuius iuſſu & Euridice, & Rex occiditur 6. annis poſt Alexandrum potitus regno.

Aridæi mors.

*Oroſius. lib.*3. *cap.*23. Hæc Eurydice multa ſub nomine viri nefaria geſſerat per Caſſandrum, quem flagitioſe cognitum, ad ſummum faſtigium per omnes honorum gradus prouexerat, qui ex libidine mulieris multas Græciæ ciuitates afflixit.

*Iuſtinus lib.*14. Sed nec Olympias diu regnauit: nam cum principum cædes paſſim faceret, muliebri magis, quam regio more, fauorem ſui in odium vertit. Audito itaque Caſſandri aduentu, diffiſa Macedonibus, cũ nuru Roxane, & nepote Hercule, in * Pydnam vrbem ſeceſſit: comitatæ ſunt eam Deidameia Æacidæ Regis filia, & Theſſalonice priuigna Philippi filia, & multæ aliæ matronæ, ſpecioſus magis quam vtilis grex; mox Caſſander Pygnam vrbem obſedit, qui cum fame & ferro vrgeret Olympiadem, illa longæ obſidionis tædio, pacta ſalute victori ſe reddidit: qui conuocato populo ſciſcitatus eſt, quid de ea velint fieri: mox omnes ſine reſpectu priſtinæ maieſtatis, occidendam eam decernunt. Olympias autem vbi obſtinatos ad ſe venire armatos videt, veſte induta regali, & duabus ancillis innixa, vltro obuiam procedit. Qua viſa, percuſſores attoniti fortuna maieſtatis prioris, & tot in ea memoriæ occurrentibus Regum ſuorum nominibus, ſubſtiterunt, donec à Caſſandro miſſi ſunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, nec muliebriter vociferantem; ſed virorum fortium more, pro gloria veteris proſapiæ morti ſuccumbentem, vt Alexandrum poſſes etiam in moriente matre cognoſcere. Comprimens ſe & inſuper expirans, capillis, & veſte, crura contexiſſe fertur, ne quid poſſet in corpore eius indecorum videri.

** alias Pichthuim & ita legit Oroſius.*

Caſſander obſedit Pydnam & cepit Olympiadem.

Mors Olympiadis.

De Polemone Philoſopho.

CAP. XI.

VAlerius lib.6. cap. 9. Hic dicit Helinandus, Xenocrati ſucceſſiſſe Polemonem. Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemo, non modo illecebris, ſed etiam ipſa infamia gaudens, cum è conuiuio non poſt Solis occaſum, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque rediens Xenocratis Philoſophi patentem ianuam vidiſſet; vino grauis, delibutus vnguentis, ſertis capite redimito, perlucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam eius intrauit: nec tam deformi contentus intrroitu conſedit, vt etiam clariſſimum eloquium, & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſciuijs eluderet. Orta deinde, vt par erat, omnium indignatione; Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſaque re, de qua diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cæpit. Cuius grauitate ſermonis Polemo reſipiſcere coactus, primum coronam de capite detractam proiecit, paulo poſt brachium intra pallium reduxit, procedente tempore conuiualis oris hilaritatem depoſuit; ad vltimum totam luxuriam exuit; Sicq; inuitus, orationis medicina ſanatus, ex infami Ganeone, maximus Philoſophus euaſit: peregrinatus eſt igitur huius animus in nequitia ſed non habitauit.

*Diog. Laert. in vita Horat. Sat.*3. *lib.*2. *Suidas.*

Polemo oratione Xenocratis conuerſus magnus Philoſophus euaſit.

De ortu regni Syriæ.

CAP. XII.

ANno Ptolæmei 12. Antigoni 7. regnum Syriæ, & Babylonis, & ſuperiorum locorum naſcitur: & regnauit primus Seleucus Nichanor, annis 32. Secundus Antiochus, qui & Sother 20. deinde Antiochus, qui vocabatur Theos 15. Seleucus Gallinicus 20. Seleucus Ceraunus 3. Antiochus magnus 36. Seleucus Philopator 12. Antiochus Epyphanes 11. Antiochus Eupator 2. Demetrius annis 3. Antiochus Sedetes 9. Demetrius Sother 12. Alexander 9. & menſibus 10. quo interfecto ab Arſace Partho iterum Demetrius frater eius regnauit annis 4. Antiochus Gryphus, vel Cyprus 12. Antiochus Cyçiecnus Grypho eiecto, Syriam tenuit, ſed Gryphus ſuperato * Cyçiecno eandem recepit; & ita ex ſucceſſione regnauerunt inuicem aduerſus ſe dimicantes annis 18. poſtea Philippus annis 2. quo capto à Gabinio, regnum Syriæ finitum eſt.

Lege Euſebium in chronicis.

** alias Cyſiceno.*

De Seleuco Nichanore.

CAP. XIII.

IVſtinus lib.15. *in fine.* Huius quidem Seleuchi Nichanoris mater Laudice cum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi duces viro, viſa ſibi eſt per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, grauidamque factam, munus concubitus, annulum à Deo accepiſſe, in cuius gemma anchora ſculpta eſſet; iuſſaque dona filio, quem peperiſſet dari; admirabilem fecit hunc * viſum annulus, qui poſtera die, eiuſdem ſculpturæ, in lecto inuentus eſt, & figura anchoræ quæ in femore Seleuci nata cum ipſo paruulo fuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco, eunti cum Alexandro ad Perſicam militiam, edocto de origine ſua, dedit. Vbi poſt mortem Alexandri (occupato regno Orientis) vrbem condidit, ibique geminæ originis memoriam conſecrauit: namque vrbem ex Antiochi patris nomine, vocauit Antiochiam, & campos vicinos vrbi, Apollini dicauit. Filij quoque & nepotes eius, Anchoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere.

Seleuchus.

** virum.*

Antiochia quando condita.

Hic in principio Babylonem cæpit: inde, auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnauit. Deinde tranſitum in Indiam fecit, quæ poſt mortem Alexandri, veluti ceruicibus iugo ſeruitutis excuſſo, præfectos eius occiderat.

Author. libertatis Sandrocottus fuerat, ſed titulum libertatis poſt victoriam in ſeruitutem verterat. Siquidem, occupato regno, populum, quem ab externa dominatione liberauerat, ipſe ſeruitio præmebat: hic ab Alexandro Rege interfici iuſſus, ſalutem pedum celeritate quæſierat: ex qua fatigatione, cum ſomno captus iaceret, Leo ingentis formæ ad dormientem acceſſit, ſudoremque profluentem lingua ei abſterſit, expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad ſpem regni impulſus, contracta manu latronum, Indos ad nouitatem regni ſolicitauit. Molienti deinde bellum aduerſus præfectos Alexandri elephantus ferus infinitæ magnitudinis vltro ſe obtulit, & veluti domita manſuetudine, eum tergo excepit, ſicque dux belli & præliator, inſignis fuit; cum hoc fecit pacem Seleucus.

Sandrocottus.

Euſebius in chron. Hic Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam Appamiam, Ediſſam, & Pellum vrbem condidit, Babylonem quoque obtinuit.

Mira quædam referuntur de Seleuco.

Ita teſtatur Iſidorus cap. 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Simone, & Eleazaro Pontificibus; & Pharo Alexandriæ.

Cap. XIIII.

Hæc de chronicis Euſebij deſumpta ſunt.

EO tempore Iudæorum Pontifex maximus Simon Oniæ filius clarus habetur; cui cognomentum, Iuſtus fuit, propter ſolicitam in Deum religionem, & in ciues ſuos pronam clementiam.

Menander comicus moritur. Seleucus in eas vrbes, quas extruxerat Iudæos transfert: ius eis ciuium, & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Cenſu Romę agitato, inuenta ſunt ciuium 270. Romanorum millia. Pontifex Iudæorum Eleazarus frater Simonis ſuſcepit templi miniſterium filio Simonis Onia paruo admodum derelicto. Apud Macedones regnauit Pyrrhus, & poſtea Lyſimachus.

Immunitates Iudæis à Seleuco Nicanore conceſſæ.

Valerius lib. 6. cap. 2. Theodorus Cyrenæus cum Regem Lyſimachum increpaſſet, & ob hoc eum ille cruci affigi iuſſiſſet, terribilis (ait) purpuratis tuis: mea ſiquidem nihil intereſt, humi an in ſublimi putrefiam.

Senec. de tranquillitate Cicer. Tuſc. i. & 5.

Euſebius in chron. Anno Ptolemæi 40. Soſtratus Guidius Pharum in Alexandria conſtruxit.

Ex libro de ſeptem miraculis mundi. Hæc Pharus inter 7. mundi miracula ſecundum computatur: nam ſuper quatuor cancros vitreos paſſus 20. in mare fundatus eſt: quomodo enim tam magni cancri fuſi ſunt? quomodo portati in mare, & non fracti? quomodo fundamenta ſuper ipſum, & adhærere potuerunt, & ſub aqua qualiter cæmentum ſtare potuit, vel quomodo cancri non franguntur, aut quomodo non lubricat deſuper fundamentum? hoc magnum miraculum eſt, & ad intelligendum quomodo factum ſit, difficile.

Lege Bedam tomo primo in tractatu de 7. miraculis mundi.

Iſidorus libro 15. cap. 2. Pharus eſt turris maxima ad prælucendi miniſterium in portu fabricata, ſic dicta, quia longe videtur à nauigantibus: φῶς enim lux, ὁρᾶν videre dicitur.

De Regno Ptolemæi Philadelphi, & eius amore erga ſcripturas.

Cap. XV.

Ptolemæus Philadelphus. 3670.

EX *chronicis.* Poſt Ptolemæum Lagi filium, regnauit in Ægypto Ptolemæus Philadelphus. Cæpit anno quintæ ætatis 307. mundi vero 3670. & regnauit annis 38. hic Iudæos, qui in Ægypto erant liberos eſſe permiſit: & vaſa Eleazaro Pontifici Hieroſolymorum votiua tranſmittens, diuinas ſcripturas in Græcam vocem ex Hebræa lingua per 70. interpretes transferri curauit; quas in Alexandria Bibliotheca habuit, quam ſibi ex omni genere literaturæ comparauerat.

Ex diuerſis hiſtorijs.

Comeſtor cap. 7. Hic enim ſtudioſus, & librorum cupidus Demetrium Bibliothecæ ſuæ prefecit. Cumque quæſiſſet ab eo de numero librorum: 20. millia adeſſe reſpondit: ſed paulo poſt tempore, dixit vſque ad 50. millia poſſe peruenire. Et nunciatum ſibi dixit apud Iudæos eſſe legem ore ipſius domini editam, & digito eius ſcriptam, pro qua ſummo opere laborandum eſſe dicebat, vt in Græcum conuerſa eloquium, in Archiuis regalibus haberetur. Hæc enim erat lex Dei, quam Philoſophi Zena dicunt id eſt viuentem: Zeni enim vita vel viuere ſonat, quem vulgus appellat Iouem, & ad oſtendendam legis eius ſanctitatem addidit, quod non niſi à Dei viuentis cultoribus tranſferri potuiſſet: nam & Theopompus cùm hiſtorijs quas ſcribebat, eam voluiſſet interſerere, verſus eſt in amentiam per 30. dies, Theodectes quoque pro eadem cauſa factus eſt cæcus: & pœnitentes ſanati ſunt. Et ſuggeſſit Regi vt ſcriberet Pontifici Iudæorum, vt Iudæos Hebraicæ, & Græcæ linguæ peritos, ad ipſum dirigeret cum lege Dei, qui ad eam transferendam ſufficerent. Quod vt impetraret munera cum epiſtolis mittenda cenſuit: aderat ibi Ariſtæus: qui longo tempore Iudæorum calamitati compatiens, opportunitate eos liberandi inuenta, ait: quomodo quod poſtulas obtinebis, tot Iudæis in regno tuo ſeruientibus: ſolue itaque eos & nihil gratius erit Pontifici Iudæorum: nec ob hoc quod dico, me Iudæorum affinem æſtimes, ſed quia ſcio, tua intereſſe, ſi factorem omnium Deum honoraueris. Et liberauit Rex de Iudæis 120. millia dans dominis eorum pro capite 120. drachmas argenti. Cumque dixiſſet Rex hoc magnum eſſe, dixerunt magnum eſt quidem, ſed non Regi munifico.

Liberatio Iudæorum à ſeruitute per Ariſtæum impetrata.

De 72. interpretibus quos, ei petenti, miſit Eleazarus.

Cap. XVI.

Epiſtola Ptolemæi ad Eleazarum:

TVnc ſcripſit Rex Eleazaro in hunc modum: Gentem tuam, quę ſecus nos erat, libertate donaui, arbitrans hoc Deo iucundum eſſe, quorum quoſdam militię aſſignaui, alios, quorum fidem probaueram, conſtitui in palatio. Leges quoque veſtras in noſtra Bibliotheca reponere decreui: bene ergo facies mittendo nobis viros ſeniores, qui valeant interpretationem earum cautè nobis relinquere: tranſmiſi modo argenti 100. talenta pro immolationibus faciendis, & ſeparaui 50. talenta auri, ad crateres & libatoria facienda: & gemmas ſine numero ad artificum optionem: tu manda nobis quæ ex his facere volueris quod gratius amplectemur.

Regis erga Iudæos liberalitas.

Reſponſio Eleazari ad ad Ptolemæi litteras.

Tunc mittens ad eum Eleazarus quod poſtulabat, reſcripſit ita: ad interpretandam legem quam poſtulas miſi viros ſeniores de vnaquaque tribu 6. legem ferentes. Tuæ autem pietatis erit, vel iuſtitiæ, ad nos eam cautè remittere. Hi ſunt 70. interpretes qui licet 72. fuerint; more Sacræ Scripturæ 70. dicuntur, quæ modicum numerum ſi ſuper aliquam ſummam excreuerit, ſæpe ſubticet. Qui cum veniſſent ad Regem benigne ab eo ſuſcepti ſunt, non tamen ad Regem intromiſſi vſque in diem quintum. Imminebat enim illa ſolemnitas triumphalis pro triumpho ſcilicet quodam: quem maiores ſui ea die habuerant. Ea igitur die ſuſcepit eos quos coram vniuerſitate principum decreuerat honorare.

Interpretes 70. honorificè à Rege excipiuntur.

Qualiter eum inſtruxerant, & ei libros ſacros tranſtulerunt.

Cap. XVII.

Colloquium 70. Interpretum cum Ptolemæo de vno Deo colendo.

POſt ſuſceptionem vero, 12. diebus fuerunt cum Rege: & ſciſcitatus eſt ab eis, quæ in corde ſuo diſpoſuerat, & præcipuè de duobus ſcilicet de cognitione Dei, & regni gubernatione. Cumque inſtruxiſſent eum de regni adminiſtratione: plenius diſputauerant de vno Deo colendo, & quod nulla cratura Deus eſſet. Inde eſt quod vbicumque occurrit eis de Trinitate, vel ſub ſilentio tranſierunt; vel enigmaticè tranſtulerunt; ne tres Deos colendos tradidiſſe viderentur. Similiter & de incarnatione verbi mentionem facientes, vt in Iſaia 6. qui cum dixiſſet nobis puerum naſciturum & addidiſſet ſex eius nomina, quorum vnum eſt Deus, pro illis ſex nominibus, tranſtulerunt magni conſilij Angelus, ne viderentur tradidiſſe hominem deificatum: tunc oſtenderunt Regi rotulum, quem attulerant: nec ſufficiebat admirari chartarum tenuitatem, & compaginationem: quæ oculis deprehendi non poſſet, quamquam litteræ aureæ in candore chartarum adeò legibiles apparerent. Introducti autem ſunt in domum Regis ſecus mare ſecretam, quæ ad deliberationem negociorum erat, & datæ ſunt eis cellæ ſingulæ, & quicquid viſum eſt eis opportunum & commodum ad interpretandum: diluculo egrediebantur

Nota antiquorum ſtudia, & Bibliothecam Ptolemæi.

Nota, dignitatem legis noſtræ.

Demetrij ad Ptolemæum de Bibliotheca adhortatio.

Tranſlatio Bibliorum in linguam Græcam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tur ad optandum bona Regi, & policronitudinem. Tunc lauabant ſe ad mare ſecundum purificationem Iudæorum; poſtea interpretabantur vſque ad horam 9. Inde tranſibant ad cibum & requiem, & conſummauerunt opus 72. diebus, vnde quibuſdam viſum eſt, quod non tranſtulerunt tunc niſi Pentateuchum. Poſtea vero, vel prius quam redirent, vel poſt; aliqui ex eis ad Regem redeuntes tranſtulerunt Pſalmos & Prophetas, Veruntamen ſi miraculoſe factum eſt vt tradidit Aug. quod vna & eadem ſine diſſonantia inuenta ſit editio vniuſcuiuſque eorum, minus miraculoſe fieri potuit, vt in tot diebus interpretati ſint legem, Pſalmos & Prophetas. Hieronymus tamen videtur velle, quod interpretationes 6. dierum in ſabbato conferebant ex omnibus conflantes vnam. Nec mirandum hoc eſſe aſſerit, cum Eſdras legem quam per ſpiritum reparauerat, poſtea cum veteri ſcriptura quæ apud Samaritanos erat correxerit.

Dona interpretibus dimiſſis data & Eleazaro miſſa.

Vltio diuina in Ethnicos Sacram Bibliam tractantes.

De approbatione tranſlationis eiuſdem & veneratione.

Cap. XVIII.

OPere completo, conuocauit Demetrius, qui ſuper libros erat, omnes Iudæos: qui erant in Alexandria, & de prouincia peritiores: & lecta eſt coram omnibus tranſlatio eorum: & approbata. Cumque peterent Interpretes dari à Rege auctoritatem, vt immobilis perſeueraret: facturum hoc ſe laudauit, ſi demum ita cautè corrigerent eam, vt quod ſemel iudicatum foret, non cogeretur irritare. Et remiſit eos muneribus oneratos. Eleazaro quoque ſummo ſacerdoti tranſmiſit munera: in templum vero miſit præter vaſa menſam auream, gemmis impreciabilibus inſignitam, cuius craſſitudo cum eſſet dimidij cubiti: tamen materiam ſuperabat opus.

Ioſephus li. 12. cap. 2. Cum autem clamaſſent ſeniores, vel hi qui præſentes erant, orantes proſpera Regi diuinitus euenire; nimium delectatus Rex, prorupit ad lachrymas; nam ſæpius natura hoc ſummo gaudio patitur, quod etiam dolentibus ſolet accidere. Cui reſpondit Demetrius, neminem fuiſſe auſum harum legum tangere conſcriptionem: quod diuina & venerabilis eſſet, quia læſi ſunt quidem à Deo hoc præſumentes, ſignificabat vero qualiter Theopompus (volens in hiſtoria aliquid de his conſcribere) ſit mente turbatus plus 30. diebus, & cum humilitate à Deo veniam ſupplicabat, dum inde ſibi clementiã factam ſuſpicatus eſſet; necnon in ſomnis vidit, quod ei hoc ideo accidiſſet, quia diuina ſcrutatus eſſet: & proferre ea ad homines impuros vellet; cumque ſcribere quieuiſſet, recepit ſenſum: referebat & de Theodecte tragædiarum poeta: quia cum viſus fuiſſet in aliquo dramatorum meminiſſe, quæ in diuino volumine continentur, oculi glaucomate ſuffuſi caligauere, donec tandem recognouit cauſam ſuæ cæcitatis.

De ſtudio & libris præfati Ptolemæi.

Cap. XIX.

Author. Hic itaque Ptolemæus Rex eruditiſſimus bibliothecam vt dictum eſt, ex omni genere litteraturæ ſibi comparauit: cui Demetrium Valerium præfecit, grammaticorum tunc probatiſſimum, cui etiam præfecturam mandauerat; & inter cætera memoriarum quibus aut vetuſtas aut curioſitas patrocinabatur ad famam; ex ſuggeſtu eiuſdem Demetrij libros omnes quoque ſacros obtinuit. Idem miſit Dionyſium in Indiam, vt res Indicas memoriæ proderet.

Ptolemæus iſte canones aſtrorum compoſuit, & libros multos conſcripſit: hic fecit deſcriptionem orbis terræ per Erathoſtenem philoſophum, qui adiutus à menſoribus Ptolemæi: à Syene vſque ad Meroen inuenit numerum ſtadiorum; diſpoſitis quoque per interualla locorum, à Septentrione Meridiem verſus, vaſis horoſcopicis ſimili dimenſione, & gnomonum æquali longitudine formatis totidem gnomonicæ ſupputationis, homines doctos quot vaſa fuerant ſingulis quibus impoſuit, atque vna die omnes vmbram meridiani temporis obſeruare fecit; & notare vnumquemque ſui gnomonis vmbram, quantæ eſſet longitudinis, atque ita comperit quod vltra ſeptingenta ſtadia ad vnius longitudinis gnomonem vmbra non reſpondit. Ex hoc autem concluſit; quod partes 360. quibus omnis Zodiaci tractus diuiditur ad terras vſque perueniant, & pars quæ ibi incomperta & ineſtimabilis eſt menſuræ, in terris non amplius quam ſeptingentorum vel paulominus ſtadiorum menſuram obtineat, comperta ergo magnitudine huius partis terrarum, quæ ad Zodiacum pertinet, & illam trecenties ſexagies multiplicando circulum terræ diffiniuit ſtadiorum 252. millium id eſt milliaria 30. & vnum millia & quingenta; vnicuique trecentarum & ſexaginta partium dans ſtadia ſeptingenta id eſt 87. milliaria & ſemiſſem: igitur 24. partem tot ſtadiorum tranſcurrit Sol in vna hora. id eſt ſtadia 10. millia & quingenta; ſiue mille 312. milliaria & ſemiſſem; horæ autem parte 15. id eſt vnius ex trecentis 60. gradibus aſcenſu vel deſcenſu Solem, ſeptingenta ſtadia, ſiue 88. milliaria & ſemiſſem tranſcurrere prędicti terræ ambitus claret diuiſione.

Modus inueniendi gradus in Zodiaco; & magnitudinem globi terreni: ex Eratoſthene

De Brenno Gallorum duce, qualiter Macedones & Delphos ſuperauit.

Cap. XX.

Euſebius in chr. Anno Ptolemæi Philadelphi quarto, regnauit 10. Macedonum Soſthenes, annis duobus.

Iuſtinus lib. 24. Interea Brennus quo duce portio Gallorum in Græciam ſe effuderat, audita victoria ſuorum, qui Belgio duce Macedones vicerant; adunatis 150. millibus peditum, & 15. millibus equitum in Macedoniam irrupit, agros & villas depopulatur. Cui cum occurriſſet Soſthenes cum inſtructo exercitu pauci à pluribus, trepidi à valentibus, facile victi ſunt. Brennus autem quaſi ei iam terrena ſpolia ſorderent, animum ad Deorum templa conuertit, ſcurriliter iocatus, locupletes Deos largiri hominibus oportere; ſtatimque Delphos adijt, aurum religioni prædam offenſæ Deorum prę ferens, quos nullis opibus egere, vtpote qui eas hominibus largiri ſolent affirmabat. Templum autem Apollinis Delphis poſitum eſt in monte Parnaſſo, hic rupes vndique concurrentes, in eo ſaxo conſedere: atque ita templum & ciuitatem non muri, ſed præcipitia, nec manufacta, ſed naturalia prę ſidia defendunt: media ſaxi rupes in formam theatri receſſit, quamobrem & hominum clamor, & ſiquando acceſſit ſonus tubarum perſonantibus, & reſpondentibus inter ſe rupibus, multiplex audiri, ampliorque quam editur reſonare ſolet. Res hæc maieſtatis maiorem terrorem ignaris rei, & admirationem, ſtupentibus plerunque affert, in hoc rupis amfractu, media ferme mõtis altitudine, planicies exigua eſt, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet, ex quo feruidus ſpiritus vi quadam, velut à vento in ſublime expulſus, mentes vatum in vecordiam vertit; impleraſque Deo, reſponſa conſulentibus dare cogit. Multa tibi & opulenta Regum ac populorum viſuntur munera; igitur Gallorum vulgus vbi primum vino, ceteriſque comeatibus referta rura inuenit, non minus abundantia quam victoria lætum, ſe per agros diſperſit, deſertiſq; ſignis vagabatur ad occupanda omnia. Prima vero opinione aduentus eorum prohibiti feruntur agreſtes oraculis meſſes vinaque villis efferre. Erant in

Brenni Victoris inſolentia.

Templi Apollinis apud Delphos ſitus.

Echo.

exercitu

Brenni exercitus quantus? * *alij 14. millia.*

exercitu Brenni lecta peditum 65. millia, Delphorum ſociorumque non niſi * quatuor millia milites erant. Erant autem in templo multæ ſtatuæ cum quadrigis ſolido auro fuſæ, ob quam rem cupidi prædæ Galli, ſine reſpectu periculorum in bellum ruebant: Delphi autem ſcandentes Gallos è ſumo montis vertice, partim ſaxis, partim armis, obruebant.

Qualiter idem Brennus cum ſuis per fallaciam Apollinis poſtea ſuccubuit.

Cap. XXI.

IN hoc partium certamine repente vniuerſorum templorum Antiſtites ſimul,& ipſi vates ſparſis crinibus,cum inſignibus atque infulis,pauidi vecordeſque in primam aciem pugnantium procurrunt: aduenisſe Deum clamantes, eumque ſe vidiſſe deſilientem in templum per culminis aperta faſtigia. Et iuuenem ſupra humanum modum inſignis pulcritudinis, comiteſque ei duas armatas virgines, propinquis duabus Dianæ, Mineruæque ædibus occurriſſe, & audiſſe ſe ſtridorem arcus, ac armorum ſtrepitum; proinde ne cunctarentur, Dijs anteſignanis, hoſtem cædere, cæteros monebant: quibus vocibus incenſi omnes, certatim in prælium proſiliunt, moxque terræmotu portio montis abrupta, Gallorum ſtrauit exercitum. Inſecuta deinde tempeſtas eſt, quæ grandine & frigore ſaucios ex vulneribus abſumpſit. Dux ipſe vero Brennus cum vulnerum dolorem ferre non poſſet; pugione vitam finiuit. Alter ex duobus ducibus, qui cum eo erat,cum 10. millibus ſauciorum Græcia exceſſit, quibus pauidis fugientibus nulla ſub tectis acta nox eſt; nullus ſine labore & periculo dies; imbres aſſidui, gelu, & nix concreta, & fames, & laſſitudo, & ſuper hæc maximum peruigiliæ malum; infælicis belli reliquias obterebant nemoque ex tanto exercitu, vel ad memoriam tantæ cladis,ſuperfuit.

Gallorum ſtratus exercitus. Brennus mortem ſibi conſciſcit.

Qualiter apud Macedones Galli corruerunt.

Cap. XXII.

Euſebius in chron. Apud Macedones autem poſt Soſthenem regnauit Antigonus Gonathas ab Alexandro 11. annis 36.

Iuſtinus lib. 25. Porro à Brenno duce cum in Græciam profiſciceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant peditum 15.* millia, equitum tria millia, qui fugatis Græcorum Tribalorumque copijs, Macedoniæ imminentes, legatos ad Antigonum Regem miſerunt, qui pacem ei venalem offerrent, ſimul & caſtra Regis ſpecularentur. Quibus inuitatis ad cænam expoſitum eſt grande pondus auri & argenti & elephanti ad terrorem oſtenſi. Illi autem reuertentes, & omnia in maius extollentes, opes Regis, & negligentiam nunciant: igitur caſtra Regis nocte aggrediuntur,at ille ſignum pridie dederat ſuis, vt omnibus rebus ablatis in proxima ſilua tacite ſe occultarent. Galli vero omnia reperientes vacua, diu intrare portas timentes, ad poſtremum: ablatis quæ inuenerant, ad littus conuertuntur, vbi dum naues incautius diripiunt, à remigibus,& ab exercitus parte, quæ illò cum coniugibus & liberis confugerant,trucidantur.

* *alias duodecim.*

Magna cædes Gallorum.

Eo tempore Reges Orientis ſine mercenario Gallorum exercitu nulla bella gerebant, neque pulſi è regno ad alios quam ad Gallos fugiebant,tantus terror Gallici nominis, & armorum inuicta fælicitas erat, vt aliter neque maieſtatem ſuam tutam,neque amiſſam recuperare ſe poſſe ſine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque reſidui in auxilium Eumenis Bithiniæ Regis inuocati, regnum cum eo (parta victoria) diuiſerunt,eamque regionem Gallo-Græciam nominauerunt.

Mixti Galli & Graci, Gallo-Graci appellantur.

De quibuſdam prodigijs, & bellis.

Cap. XXIII.

Author. Anno ab vrbe condita * 477. ſecundum Oroſium lib.4.cap.4. qui fuit annus 7. Philadelphi, obſcæna & dira prodigia vel viſa Roma, vel nunciata ſunt: ædes enim Salutis ictu fluminis diſſoluta eſt, pars muri ſub eodem loco de cœlo tacta eſt,lupi tres ante lucem ingreſſi vrbem, ſemieſum cadauer intulerunt, ſparſumque membratim in foro,ipſi ſtrepitu hominum exterriti,reliquerunt: Apud Formias multis ictibus fulminum mœnia vndique combuſta & diſſoluta ſunt: Apud agrum Calenum repente, ſciſſo hyatu terræ, flamma eructata eſt,tribuſque diebus & totidem noctibus terribiliter exæſtuans, 5. agri iugera, exhauſto penitus vbertatis ſucco in cinerem extorruit, ita vt non fruges ſolum, ſed arbores cum imis ſtirpibus aſſumpſiſſe referatur. Sequenti adhuc anno Sempronius Conſul aduerſus Picentes exercitum duxit, & cum directa intra iactum teli vtraque acies conſtitiſſet, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, vt ſtupore miraculi vtrumque pauefactum agmen hebeſceret: tandem procurſu concito iniere certamen,triſte adeo id bellum fuit, vt merito dicatur tanto hominum ſanguine ſuſcepto etiam cum gemitu & ſono horribili tunc terra tremuiſſe. Romani pauci admodum eo prælio qui euaſere, vicerunt.

* *hic annus alijs eſt 484.*

Huius terræmotus ſicut & belli Picentis meminit Florus lib.1. cap.19.

Iuſtinus lib. 25. Eo tempore Pyrrhus in Epirum reuerſus, Macedoniæ fines inuadit, Antigonum vincit, Macedoniam in deditionem accipit: Pyrrhus autem ſicut ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis & acquiſitis celeriter carebat, tanto melius ſtudebat acquirere imperia quam retinere, pòſt illi bellum aduerſus Spartanos fuit, vbi maiore mulierum quam virorum virtute exceptus fuit, vbi & Ptolemęum filium, & exercitus partem robuſtiſſimam amiſit: nam oppugnanti vrbem, tanta fœminarum multitudo concurrit, vt Pyrrhus non fortius victus quàm verecundus recederet.

Pyrrhus à mulieribus victus.

Euſebius in chron. Eo tempore vna virginum Romanarum in corruptione deprehenſa, percuſſa eſt.

De Archeſilao Philoſopho, & Achademicorum nouorum errore.

Cap. XXIIII.

Author. Eo tempore Polemo Philoſophus moritur, poſt quem Archeſilaus, & Crates clari habentur. Hic eſt Archeſilaus à quo, vt ait Aug. cæpit ſecta Achademicorum nouorum, qui dicunt nihil ſciri ſed incerta eſſe omnia. Hi ſibi(vt ait Seneca) ſpeciem omnis ſcientiæ eripiunt, ſanius eſt autem ſuperuacua ſcire,quam nihil.

Archeſilaus & Crates.

Horum ſententiam ſic breuiter improbat *Aug.* 11. *lib. de ciuitate Dei, cap.* 26. & nos (inquit) ſumus & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe, ac noſſe diligimus, nulla in his verbis Academicorum timemus argumenta dicentiũ,quid ſi falleris? ſi enim fallor,ſum:nã qui non eſt,vtique nec falli poteſt, ac per hoc ſum,ſi fallor,quia ergo ſum qui fallor: quomodo eſſe me fallor, quando certum eſt, me eſſe ſi fallor? quia igitur eſſem qui fallerer: proculdubio in eo quod me noui eſſe,non fallar: conſequens eſt etiã vt in eo quod,me nouiſſe non fallor: ſicut enim noui me eſſe, ita noui etiam hoc ipſum, noſſe me, eaque duo cum amo, eundem quoque amorem quid dam tertium,nec imparis æſtimationis eis quas noui rebus adiungo; neque enim fallor amare me, cum in his quæ amo, non fallar; quamquam & ſi illa falſa eſſent, tamen falſa me amare verum eſſet: nam quo pacto reprehenderer & recte prohiberer, ab amore falſorum, ſi me illa amare falſum eſſet? Cum vero &

Academici fidem ſenſuum eleuabant ſeu potius tollebãt, nihil ſciri arbitrabantur: quod ſi diceres te ſcire hunc lapidẽ moueri, quia id videas: vel tangas: ſcrupulum injiciebant, quid ſi falleris?

illa

Illa vera atque certa sint, quis, dubitet quin eorum quæ amantur & ipse amor verus ac certus est? tum porro nemo est, qui esse se nolit, quoniam nemo est qui non esse beatus velit, quomodo enim potest beatus esse, si nihil sit.

Seneca in lib. 2. de beneficijs cap. 10. Archesilaum aiunt, amico pauperi & paupertatem suam dissimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios vsus, cum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis sacculum subiecisse, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret, potius quam acciperet.

Idem in eodem cap. 21. Archesilaum dicit Hecaton pecuniam à filiofamilias furtim sublatam, & ei oblatam, non accepisse: sed quid fecit laude dignum: quod furtum non accepit? & quod maluit non accipere, quam reddere? quæ est enim alienam rem non accepisse, moderatio?

De Crate Philosopho, & Stilpone, & Arato Astrologo.

Cap. XXV.

Crates. *Author.* Crates autem, qui cum Archesilao in chronicis ponitur, Thebanus fuisse dicitur natione; de quo legitur: quod magnum pondus auri in mare proiecit, dicens: Abite pessimæ diuitiæ, ego vos mergam, ne ego mergar à vobis.

Crates Stilponis auditor. De hoc refert *Seneca in lib. 1. epistolarum in epistola 10. dicens.* Crates Stilponis auditor, cum vidisset adolescentulum secreto ambulantem, interrogauit, quid illic faceret solus? mecum inquit loquor, cui Crates: Caue, inquit, obsecro; & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. Stilpon autem Magister eius ipse est: quem epistola Epicuri insequitur: qui capta patria, & amissis vxore, & liberis, cum incendio publico solus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio vrbium Poliorcetes fuit, numquid omnia perdidisset? omnia inquit bona mea mecum porto: pectore enim illa gestabat, non humeris?

Eo quoque tempore legitur in chronicis Aratus floruisse.

Aratus. Aratus autem Astrologus cum Eudoxo, *vt ait Aug. in lib. 16. de ciuit. Dei 23. cap.* vniuersum stellarum numerum comprehendisse se & conscripsisse iactauit, quos illa inquit contemnit auctoritas, quæ dicit ad Abraham: *aspice stellas, & dinumera eas si potes*, quomodo enim omnes dinumerari possint; cum non omnes possint videri? hæc Aug.

Sciendum autem quod hic annus, in quo Aratus ponitur, fuit secundum chronicas, annus ab vrbe condita 481. vel 80. de quo dicebat Orosius lib. 4. cap. 5. Anno ab vrbe condita 480. in terra visa sunt multa prodigia, sanguis enim à terra, lac visum est manare de cælo, nam & plurimis locis scaturiens è fontibus cruor fluxit, de nubibus guttatim in specie pluuiæ lacte dimisso, vt ipsis visum est, terrã vt imbres irrigauerunt. Arati poetæ legitur esse versus ille: quem Paulus ad Athenienses in testimonium diuinitatis adhibuit: *In ipso viuimus mouemur & sumus.*

Horum prodigiorum mentionem Diaconus in suis additionibus ad Eutropium fecit.

De Zenone & Chrysippo Stoicorum principibus.

Cap. XXVI.

Zeno. *Eusebius in chronicis.* Anno Philadelphi 14. Zenon Stoicus moritur, post quem Cleantes floruit.

Author. Huius Zenonis est illa sententia, sapientis est non posse turbari, sed vt ratio eius prauis cedat affectibus, ac etiam collectione vsus est, vt refert Seneca, nullum malum glorioſum est: mors autem glorioſa est; mors ergo malum non est. Vnde & ipse Zeno manus sibi intulit, vt post mortem fœlicius viueret: sicut dicit Lactantius. *At enim Aug.* Zenonem & Chrysippum fuisse principes Stoicorum: cuius scilicet Chrisippi multa feruntur egregie dicta & multa perperam.

Chrysippus. *Seneca in epistola 9.* Chrysippus ait sapientem nulla re egere, & tamen multis illi rebus opus esse. Contra, stulto nulla re opus est: nulla enim re scit vti, sed omnibus eget.

Idem in secundo de beneficijs. cap. 17. Volo Chrysippi nostri vti similitudine de pilæ lusu: quam cadere non dubium est, aut mittentis visio aut excipientis: tunc cursum suum seruat: vt apte iactata & excepta est; necesse est autem lusor bonus alter illam collusori longo, alter breui mittat: eadem beneficij ratio est, nisi vtrique personæ dantis & accipientis aptetur: nec ob hoc exibit, nec ad illum perueniet vbi debet.

Valerius lib. 8. c. 7. Chrysippus 80. ætatis suæ anno cæptum quadragesimo λογικῶν exactissime subtilitatis volumen reliquit, quo tantum opere laborisque sustinuit, vt ad ea quæ scripsit, penitus cognoscenda longa vita opus sit.

Author. Fuit autem Chrysippus vt ait Solinus de Heliopolis antiquo Siciliæ oppido: Cliantes autem Asianus: qua Asia multos viros illustres protulit, de poetis Homerum Anacreontem, & Mineruum, Antimachum & Hypoam; Alcæum, & Sophonem puellam: de historicis Xanthum, & Egatheum, Herodotum, & Ephorum, & Theopompum. De septem sapientibus Bian & Thaletem, & Pyttacum; & de philosophis Cliantem stoicum, & Anaxagoram Phisicum, & Heraclitum tenebrosum; &. Zenophontem Colophonum. Ipse quoque Chrysippus, vt ait Lactantius, animarum æternitatem suspicans, manus sibi intulit, tanquam in cælum migraturus.

Viri Illustres nati in Asia.

De Diodoro Socratico, & Carneade Philosophis.

Cap. XXVII.

Contentio inter Diodorum & Chrysippum. *Hieron. lib. 1. dialogi contra Pelagianos.* Inter Diodorum & Chrysippum valentissimos dialecticos περὶ ἀδυνάτου ista contentio est: Diodorus, id solum posse fieri dicit, quod sit, aut futurum sit Verum, & quicquid futurum sit, id fieri necesse esse. Chrisippus vero etiam quę non sunt futura, posse fieri dicit, vt frangi hanc margaritam etiam si nunquam futurum sit. Qui ergo aiunt posse hominem esse absque peccato si velit, non potuerunt hoc verum probare, nisi futurum docuerint. Cum autem futura incerta sint omnia, & maxime ea quæ nunquam facta sunt, perspicuum est, eos id futurum dicere, quod sit futurum.

Idem in libro primo contra Iouinianum. Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insignis pudicitiæ legitur habuisse: de quibus & Philo Carneadis magister plenissimam scribit historiam.

Valerius lib. 8. cap. 7. Carneades laboriosus, & diuturnus sapientiæ miles 90. anno, viuendi, & philosophandi finem fecit. Hic cum ad mensam sederet cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliuiscebatur, sed Melissa quam vxoris loco habebat, temperato inter studia interpellandi, & inediæ succurrendi officio dexteram suam necessarijs vsibus aptabat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se antè purgabat, quas potiones industria solitæ laudis cupidis appetendas effecit.

Hoc fecit ad exprimendum suum ingenium attentius & illius refellendum acrius Gell. cap. 15. lib. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſententijs Stoicorum veris & falſis.

Cap. XXVIII.

Avthor. Porrò Stoicorum ſententia eſt (cuius ſectę Principes fuiſſe dicuntur Zenon & Chryſippus, vt ait Hieronymus in dialogo contra Pelagianos) poſſe, omnem perturbationem eradicari, & extirpari de mentibus hominum: hoc idem ſenſerunt veteres Academici. Peripatetici autem eaſdem perturbationes dicunt frangi, regi, & moderari; & quaſi effrænes equos quibuſdam lupatis coerceri, quorum ſententias ponit Tullius in Tuſculanis, & Origenes in ſtromatibus. Liber autem Ciceronis de Paradoxis & ſententijs Stoicorum totus contextus eſt, quarum quædam quidem veræ ſunt, plures autem falſæ.

Paradoxa Stoicorum. Hæc ſunt autem ſex paradoxa quæ ibi ponuntur. Quod honeſtum eſt, id ſolum bonum eſſe.

Secundum, In quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beatè viuendum.

Tertium, Parua & magna eſt culpa.

Quartum, Omnes ſtultos inſanire.

Quintum, Omnes ſapientes liberos eſſe, & omnes ſtultos ſeruos.

Sextum, Solus ſapiens diues eſt.

Sententia Stoicorum ex Seneca. Item Stoicorum ſunt illa, quæ ponit *Seneca. in 2. lib. de beneficiis.* Negamus iniuriam accipere ſapientem, qui tamen illum pugno percuſſerit, iniuriarum damnabitur. Negamus ſtulti quicquam eſſe: & tamen eum, qui rem aliquam ſtulto ſubripuerit, furti condemnabimus.

Inſanire omnes dicimus, nec tamen omnes curamus elleboro.

His ipſis, quos vocamus inſanos; & ſuffragium & iuriſdictionem committimus.

Idem, ibidem in lib. 4. Stultus ſecundum Stoicos omnia vitia habet, ſed non in omnia natura pronus eſt. Alius in Luxuriam, alius in Auaritiam inclinatur.

Diſputatio contra Stoicos de beneficijs.

Cap. XXIX.

Idem in li. 5. cap. 12. Dicitis Stoici: quod nemo malo homini prodeſſe poteſt. Beneficiũ eſt quod prodeſt, ergo beneficium non accipit malus; ſed ſi malus, non accipit beneficium, ergo non debet reddere, ergo ingratus non eſt. Item bonus vir omnia recte facit; ergo ingratus eſſe non poteſt; & ita nec bonus quiſquam ingratus eſt, nec malus. Ad hoc dicimus, vnum apud nos bonum honeſtum eſt: id peruenire ad malum non poteſt, definit enim eſſe malus, ſi ad illum virtus intrauerit: quamdiu autem malus eſt, nemo illi dare beneficium poteſt, quia quicquid ad illum peruenit, prauo vſu corrumpit: quemadmodum enim ſtomachus morbo vitiatus, & colligens bilem: quoſcunque accepit cibos, mutat in deterius, & omne alimentum in cauſam doloris trahit: ita animus cæcus quicquid illi commiſeris, id onus ſuum, & perniciem, & occaſionem miſeriæ facit.

quia bona malaq; diſſentiunt, nec in vnum eunt.

Idem in eodem. Nihil poteſt ad malos peruenire, quod proſit; immo quod non noceat, quæcunque enim illis contingunt, in ſuam naturam vertunt: ideo nec beneficium dare poſſunt, quoniam nemo poteſt, quod non habet, dare. Sed quamuis hæc ita ſint, tamen accipere quædam malus poteſt: quæ beneficijs ſimilia ſunt: quibus non redditis, ingratus erit: ſunt enim animi bona, ſunt & bona corporis, ſunt & bona fortunæ. Prima à ſtulto & malo ſubmouentur.

Seneca lib. 3. de beneficijs cap. 13. *Peripatetici* vero, qui fælicitatis humanæ longe, lateque terminos ponunt, aiunt minuta beneficia peruentura ad malos, quæ qui non reddidit ingratus eſt: nobis autem non placet eſſe beneficia: quæ non ſunt animum factura meliorem: commoda tamen eſſe illa, & expetenda; non negamus.

Cleantes autem vehementius agit, licet inquit beneficium non ſit, quod acceperit; tamen ingratus eſt: quia non fuit redditurus, etiam ſi accepiſſet ſic latro eſt, antequam etiam manus inquinet; quia ad occidendum iam voluntate armatus eſt, exercetur enim & aperitur aperte nequitia, non incipit.

Seneca vt ſupra cap. 14.

Quia habet ſpoliandi & interficiendi voluntatem

Item ex eodem, lib. 5. cap. 15.

Cap. XXX.

Qvomodo nemo per vos ingratus eſt (ô Stoici) ſic rurſus omnes ingrati, nam, vt dicitis, omnes ſtulti mali ſunt, & qui vnum vitium habet, & omnia habet: quod ſi ſic eſt, nonne vndique humano generi conuicium fit? nonne publica querela eſt, beneficia perijſſe & pauciſsimos eſſe, qui de benemerentibus non inuicem peſsimè mereantur? non eſt quod hanc tantum noſtram murmurationem putes. Neſcio qui, non ex Philoſophorum domo clam, ſed ex medio conuentu, populos, genteſque damnatura vox mittitur:

Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non Socer à Genero, fratrum quoque gratia rara eſt:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

Beneficia in ſcelus verſa ſunt, & ſanguini eorum non parcitur, pro quibus ſanguis fundendus eſt. Humili ſe ac depreſſo loco putat ſtare, quiſquis non ſupra rempublicam ſtetit. Quis extremo die dicere audeat;

Vixi, & quem dederat curſum Fortuna, peregi.

Idem li. 7. cap. 4. Dicitis (ô Stoici) omnia ſapientis eſſe, quomodo ergo aliquis poteſt dare ſapienti, ſi omnia eius ſunt? nihil prohibet quid & ſapientis eſſe, & eius qui poſsidet. Iure ciuili omnia Regis ſunt: & tamen illa, quorum ad Regem pertinet vniuerſa poſſeſsio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, dare tamen Regi & domum, pecuniam poſſumus & mancipium, nec dare illi de ſuo dicimur. Ad Regem enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. Iterum, nemo ſuam rem emit; omnia ſapientis ſunt: ergo ſapiens nihil emit. Sic & vetant mutuum ſumere, ſed quod aliter ſapientis eſt, aliter meum poſſum dare ſapienti, nec mirum eſt, aliquid ei, cuius eſt totum, poſſe donari. Conduxi domum à te, in hac aliquid tuum eſt, aliquid meum, res tua eſt, vſus rei tuæ, meus. Libros dicimus eſſe Ciceronis: eoſdem Dorus librarius ſuos vocat, & vtrunque verum eſt: alter eos tanquam author, alter tanquam emptor, ſibi aſſerit. Cæſar omnia habet, fiſcus eius priuata tantum, ac ſua: & vniuerſa, in imperio eius ſunt, in patrimonio, propria. Sub opimo Rege, rex, imperio poſſidet, ſinguli, dominio: ſic ſapiens omnia poſſidet animo iure ac dominio, quiſque ſua.

Seneca vt ſup. cap. 17.

Senec ibidẽ cap. 5.

Senec ibidẽ cap. 6.

Idem in eodem cap. 22. Nos Stoici quædam præcipimus vltra modum: vt ad verum & ſuum redeant. Cum dicimus, ille dati beneficij meminiſſe non debet, hæc volumus intelligi, non debet prædicare, nec iactare, nec grauis eſſe. Quoties parum tibi fiduciæ eſt in his quibus imperas, amplius exigendum eſt, quam ſatis eſt, vt præſtetur quantum ſatis eſt: in hoc omnis hyperbole extenditur, vt ad verum, mendacio veniatur, nunquam tantum ſperat hyperbola, quantum audeat: ſed incredibilia ſuadet, vt ad credibilia: ſed magna, perueniat.

Senec. ibidẽ cap. 23.

De mutatione ſententiæ vel conſilij.

Cap. XXXI.

Idem l. 4. cap. 34. Si promiſeris alicui te daturu beneficium, & poſtea ſcieris eũ eſſe malum, dabis, an non? ſi facies ſciens, peccas: das enim cui non debes, ſi negas, & hoc modo peccas: promiſiſti enim & no das: conſcientia noſtra hoc modo titubat, & ad illud ſuperbum Stoici promiſſum nunquam ſapientem conſilij ſui pœnitere, nec vnquam emendare quod fecerit, nec mutare conſilium. Nõ mutat ſapiens conſilium, omnibus his manen-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tibus, quæ erant cum ſumeret. Cæterum ad omnia cum exceptione venit, ſi nihil ſcil. inciderit quod impediat. Imprudentium enim iſta fiducia eſt, fortunam ſibi ſpondere: ſapiens vtramque eius partem cogitat; tunc fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant promittente me, non præſtitero promiſſum: omnia eſſe debent, quæ fuerunt, cum promitterem, ad hoc vt præſtare tenear, aut certe vt poſtea conſideratius loquar, licet non omnia ſint, tamen quia dicere ſolemus linguarium dabo, verba mea redimam: aurem mihi peruellam. Non eſt turpe cum re mutare conſilium: *hucuſque de Seneca.*

Seneca ibidem cap. 25.

De paſſione & voluptate.

Cap. XXXII

Aug. 14. de ci. Dei c. 8. Duas Greci ἀυταρκείας appellãt, Latinè autẽ Cicero conſtãtias nominauit: Stoici tres eſſe voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo ſapientis: pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: pro ægritudine verò vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis cauſa, triſtitiam maluimus dicere, negauerunt poſſe eſſe aliquid in animo ſapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum: quod facit ſapiens: gaudium vero, de bono adepto eſt, quod vbique adipiſcitur ſapiens. Cautio deuitat malum; quod debet ſapiens deuitare: triſtitia porrò quia de malo eſt, quod iam accidit: nullum autem malum exiſtimans poſſe accidere ſapienti: nihil in eius animo pro illa poſſe eſſe dixerunt. Apud nos autem non tam quæritur vtrum pius animus iraſcatur, quàm vnde iraſcatur; nec vtrum ſit triſtis, ſed quare ſit triſtis; nec vtrum timeat, ſed quid timeat.

Idem in li. 5. cap. 20. Stoici contra eos: qui virtutes appetendas propter voluptatem dicunt, pingunt quandam tabulam, vbi voluptas in ſella regali quaſi delicata quædam Regina conſedit, eique virtutes famulæ ſubijciuntur, vt faciant quod illa imperauerit: iubetque prudentiæ, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & ſalua ſit. Iuſtitiæ iubet vt præſtet beneficia quæ poteſt ad comparandas amicitia's corporalibus commodis neceſſarias, nullique faciat iniuriam, ne offenſis legibus voluptas ſecura viuere non poſsit. Fortitudini iubet, vt ſi dolor corpori acciderit; qui non compellat ad mortem, teneat dominam ſuam, id eſt, voluptatem ſuam fortiter in animi cogitatione. Temperantiæ, vt tantum capiat alimentorum, vel aliorum delectabilium, vt voluptas non impediatur.

Cicero 2. de finibus meminit tabellæ huius.

Pingatur ergo loco voluptatis Gloria vana, delicata quædam mulier, inflata tamen; & nihil prouideat prudentia, nihil diſtribuat Iuſtitia, nihil toleretur Fortitudo, nihil moderetur Temperantia, niſi vnde placeatur hominibus & ventoſæ gloriæ ſeruiatur.

De Virtutibus & vitijs.

Cap. XXXIII.

Author. Stoicorũ quoq; creditur illa eſſe ſentẽtia; *qui vnam virtutem habet, omnes habet: & qui vnam non habet nullam habet.* Similiter de vitijs: qui vnum habet omnia debet habere: vt ſuperius Seneca teſtatus eſt.

Qui vnam virtutẽ habet: omnia habet, aiunt Stoici, ſed an ſit verũ?

Aug. ad Hieronymum. Cum quæritur etiam de vitijs, vtrum ipſa ſimiliter ſint omnia, vbi vnum erit; aut nulla ſint, vbi vnum non erit: laborioſum id oſtendere: propterea, quia vni virtuti duo vitia apponi ſolent: & quod aperte contrarium eſt, & quod ſpecie ſimilitudinis adumbratur, veruntamen, quia ſunt audaces, qui timidi non ſunt: & rurſus timidi, à quibus abeſt audacia, cum ſit vtrunque vitium, quoniam qui vera virtute fortis eſt, nec temere audet, nec inconſulte timet: cogimur fateri vitia plura eſſe virtutibus, vnde aliquando vitium vitio tollitur, vt amore laudis, amor pecuniæ. Aliquando vnum cedit, vt plurima ſuccedant, vel vt qui ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tenacitatem & ambitionem didicerit: poſſunt itaque vitia cedere etiam vitijs ſuccedentibus, & ideo plurima ſunt. Virtus vero quo vna ingreſſa fuerit quoniam ſecum cęteras ducit, profecto vitia cedent omnia quæcunque ingreſſa fuerant. Non enim omnia inerant, ſed aliquando totidem, aliquando pauciora pluribus: aliquando plura paucioribus ſuccedebant. Hæc vtrum ita ſe habeant, diligentius inquirendum, eſt: non enim & iſta diuina ſententia eſt qua dicitur: *Qui vnam virtutem habet omnes habet; eique nulla ineſt cui vna defuerit*: ſed hominibus hoc viſum eſt, multum quidem ingenioſis multumque ſtudioſis, ſed tamen hominibus.

Vitia ſunt plura virtutibus.

Hieronymus ſuper Iſaiam li. 14. Diſputant Stoici multa turpia praua hominum conſuetudine, verbis honeſta eſſe vt Parricidium, Adulterium, Incæſtum, & his ſimilia: rurſumque re honeſta hominibus videri turpia, vt liberos procreare, inflationem ventris, crepitu digerere; alitum, ſtercore releuare; veſicam, vrinæ effuſione laxare.

De Eraſiſtrato Medico, & primo bello Carthaginenſi ſub Duilio conſule.

Cap. XXXIV.

Euſebius in chro. Author Anno Philadelphi 15. floruit Eraſiſtratus Medicus: hic vt legitur, pulſu cognouit amantem. Vnde refert Valerius, quod cum Antiochus Seleuci filius * Nouercæ infinito amore correptus eſſet, ab Eraſiſtrato Medico ſanatus eſt, qui pulſum eius modo vegetiorem, modo languidiorem ſentiens, ſecundum acceſſum & receſſum Nouercæ; id patri indicauit, qui chariſſimam coniugem filio concedere non dubitauit.

**Valerius habet Stratonices, ſic enim vocabatur.*

Euſebius. Anno Philadelphi 14. Romæ, virgo Veſtalis in ſtupro detecta, laqueo vitam finiuit.

Anno eiuſdem 20. Romani Carthaginenſes nauali certamine ſuperant, & 100. Libyæ vrbes capiunt.

Oroſius lib. 4. cap. 7. Cneo Cornelio Aſina, Caio Duilio Conſulibus, cum Hannibal ſenior oram Italiæ maritimam inſtructa 70. nauium claſſe vaſtaret, Romani & ipſi claſſem fabricari, atque inſtrui præceperunt quod Dullius conſul celeriter impleuit: nam intra 60. dies quàm arbores cæſæ erant, 130. nauium claſſis deducta in ancoris ſtetit. Cornelius Aſina conſul, alter cum 16. nauibus Liparam inſulam petit, vbi ab Hannibale, quaſi ad colloquium pacis euocatus, Punica fraude captus, atque in vinculis necatus eſt. Quod vbi Duilius alter conſul audiuit, cum 30. nauibus aduerſus Hannibalem profectus eſt. Commiſſo nauali prælio, Hannibal amiſſa naui, qua vehebatur, ſcapha ſubductus aufugit, 30. & vna naues eius captæ, 13. merſæ, tria millia hominum occiſa, ſeptem millia capta referuntur.

Hi anno ab vrbe condita 443. conſules fuerunt, quod de celeritate in claſſe comparata Oroſ. ſcribit, eſt apud Florũ lib. 2.

Author. hunc quem vocat Oroſius Duilius, dicit Helinandus eundem eſſe, quem vocat Hieronymus Duellium.

Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. Duellius, qui primo Romæ nauali certamine triumphauit, Biliam virginem duxit vxorem, tantæ pudicitiæ, vt illo quoque ſæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monſtrum erat non vitium. Is iam ſenex & trementi corpore, in quodam iurgio, audiuit ſibi exprobrari, os fœtidum, & triſtis ſe domum contulit. Cumq; apud vxorem queſtus eſſet, quare nunquam ſe monuiſſet, vt huic vitio mederetur, feciſſem, inquit, illa, niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere: laudanda in vtroque pudica & nobilis fœmina, & ſi ignorauit vitium viri, & ſi patienter tulit: & quod ſi maritus infælicitatem corporis ſui, non vxoris faſtidio, ſed maledicto ſenſit inimici.

Quod hic narrat de Duilio & Bilia Plutarchus alijs accommodat. Meminit huius Iulius Florus in Epitomis.

De

De bello Reguli contra Carthaginenſes.

Cap. XXXV.

Hanc hiſtoriam de ſerpente à Tito Liuio facunde relatam initio lib. 18. ſcribit Valerius lib. 1. & eandem recitat Gellius lib. 6 cap. 3.

ORoſius lib. 4. cap. 8. Denique Regulus bellum Carthaginenſe ſortitus, iter cum exercitu faciens, haud procul à flumine Bagrada caſtra conſtituit; vbi cum plurimos militum aquandi neceſſitate deſcendentes ad flumen, Serpens miræ magnitudinis deuoraret: Regulus ad expugnandam beſtiam cum exercitu profectus eſt; qui cum nihil in tergo eius proficientibus iaculis, atque omnium telorum ictu irrito, magnam militum multitudinem morſu eius communi impetu proteri habituque peſtifero exanimari videret; baliſtas deferri iuſſit, per quas molare ſaxum ſpinæ eius incuſſum eompagem totius corporis ſoluit. Quæ mox circumuenta telis facile oppreſſa eſt. Corium eius Romam deductum 120. pedes habuiſſe dicitur. Regulus autem aduerſus tres Imperatores, id eſt, Haſdrubales duos, & accitum ex Sicilia Amilcarem, atrociſſimum bellum geſſit, in quo cæſa ſunt Carthaginenſium 17. millia. Capta quinque millia, 8. decem Elephanti abducti, oppida 80. & duo; in deditione accepta. Carthaginenſes autem Xantippum Regem Lacedęmoniorum bello prefecerunt. Cum multis auxilijs Hiſpanorum & Gallorum, Xantippus inſpectis Pænorum copijs, & in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conſeruit, vbi 30. millia Romanorum proſtrata ſunt. Regulus ille dux nobilis cum quingentis viris captus eſt, & catenis coniectus; qui anno 10. belli Punici nobiem triumphum Carthaginenſibus præbuit: Xantippus autem tam audacis facti conſcius, rerum inſtabilium mutationem timens, ilicò ex Africa migrauit in Græciam.

Eutropius 74. oppida treſque duces ſine nomine edit. De cauſis quare Xantippus ſubitò ex Africa diſceſſerit, Polybius legendus eſt, & Appianus

Iterum de cæteris Romanorum prælijs contra eoſdem, & de nece Reguli.

Cap. XXXVI.

IGitur Æmilius Paulus, & Fuluius nobiliores conſules audita captiuitate Reguli, & clade exercitus Romani, tranſire iuſſi ſunt in Africam, qui cum claſſe 300. nauium Clupeam petunt, eò cum pari claſſe Carthaginenſes venerunt; nec differri potuit nauale certamen 100. & 4. naues Carthaginenſium merſæ ſunt 30. cum pugnantibus captæ: præterea* 30. & 5. millia militum ex ipſis cæſa ſunt: Romanorum 9. naues depreſſæ, mille & centum milites periere. Item apud Clupeam commiſſo prælio, duo Annones imperatores Pœnorum 9. millia militum perdiderunt. Romana autem claſſis cum ad Italiam prædis onuſta remearet, naufragio euerſa eſt, 200. & 20. nauibus ſubmerſis, 80. vix abiectis oneribus, liberatis. Amilcar autem Dux Pœnorum cum exercitu in Numidiam Mauritaniamque miſſus, poſtquam hoſtiliter cruenterque in vniuerſos egit quia Regulum ſuſcepiſſe dicerentur, mille argenti talentis, & 20. millibus boum reliquos condemnauit. Denique Lucio Cæcilio Metello, Caio, Furio Pacilo conſulibus, Aſdrubal nonus Carthaginenſium imperator, cum elephantis 130. & equitum peditumque plus quàm 30. millibus Lilybæum venit ex Africa, & continuò cum Metello conſule apud Panormum pugnam conſeruit. Metellus magno conſilio vſus, prius beluas vel in fugam vel in mortem egit: 20. millia Carthaginenſium in eo prælio cæſa ſunt; 26. elephanti occiſi, & centum & quatuor capti, & per Italiam ducti magnum ſpectaculum Italicis gentibus præbuerunt. Aſdrubal cum paucis Lilybęum fugit, atque abſens à Pęnis capitis damnatus eſt. Poſt hęc feſſi tot malis Carthaginenſes petendam pacem à Romanis decreuerunt, ad quam petendam Attilium Regulum antea ducem Romanorum iam per quinque annos captiuum inter cæteros legatos miſerunt, prius iuramento conſtrictum, ſi quod volebant, minime peregiſſet; rediturum eſſe Carthaginem: perrexit ille, atque in ſenatu contraria perſuaſit; quoniam arbitrabatur non vtile eſſe Romanæ reipublicæ, mutare captiuos; nec poſt hanc perſuaſionem, à ſuis ad hoſtes redire compulſus eſt, ſed quia iurauerat, id ſponte compleuit; quem reuerſum Carthaginenſes excogitatis nouis ac horrendis cruciatibus, necauerunt; incluſum quippe in anguſto ligno, vbi ſtare cogeretur, clauiſque acutiſſimis vndique confixo, vt ſe in nullam eius partem ſine pœnis attrociſſimis inclinaret, †*reſectis palpebris*, etiam vigilando necauerunt.

**Inimpreſſis Eutropij libris eſt. 15. millia hoſtiũ aut occidit, aut cæpit ſed cum in noſtro manuſcripto ſit, quinq; millia, puto numerum quo triginta ſignificata fuerũt, intercidiſſe.*

In Eutropio eſt. Metellũ per Italiam duxiſſe Elephantos 130. Plinius lib. 8. cap. 6. ſcribit Metellũ in Italiam tranſuexiſſe 142.

De Onia Pontifice, & Antiocho Theos.

Cap. XXXVII.

EVſebius in chro. Anno Philadelphi 29. Iudæorum Pontifex Onyas filius Simonis iuſti, clarus habetur: qui conſueta Ptolemæo Regi tributa non reddens, ad iram eum impulit: verum Ioſephus vir inter ſuos nobilis, legatus à Iudæis ad Ptolemæum miſſus, cum familiaritatem Regis ob plurima in eum meruiſſet obſequia, dux Iudææ, & regionum finitimarum conſtituitur. Eo tempore regnabat in Syria Antiochus, qui vocabatur Theos, & regnauit annis 15.

Onias Iudæorum Pontifex non ſoluendo tributum ad iram commouet regem Ægypti.

Antiochus Theos.

Hieron. ſuper Danielem cap. 40. Hic aduerſus Philadelphum bella geſſit quamplurima: totiſque Babylonis & orientis viribus contra eum dimicauit: volens autem Ptolemæus Philadelphus poſt multos annos, moleſtum finire certamen, filiam ſuam nomine Berenicem, Antiocho vxorem dedit: qui de priore vxore nomine Laudice, habebat duos filios, Seleuchum, qui cognominatus eſt Callinicus, & alterum Antiochum: introduxitqũe eam ad Peluſium, & infinita auri & argenti millia dotis nomine accepit, vnde & Φερνοφόρος id eſt, dotalis eſt appellatus. Antiochus ergo Berenicem conſortem regni habere ſe dicens, & * Laudicem concubinę loco, poſt multum temporis amore Laudices ſuperatus, eam cum liberis ſuis reduxit in Reginam: quę metuens ambiguum viri animum ne Berenicem reduceret, virum ſuum per miniſtros veneno interfecit. Berenicem autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni & Genneo Antiochiæ principibus occidendam tradidit, filiumque ſuum maiorem Seleuchum Callinicum in patris loco, regem conſtituit.

Antiochus & Ptolemæus amicitiam, & fœdus faciunt.

** alias Laodicen.*

Author. Porro de morte huius Antiochi narrat Valerius Maximus lib. 9. cap. 14. quod hoc modo zelata fuerit: Regi inquit Antiocho vnus ex æqualibus: & ipſe regiæ ſtirpis nomine Artenion, perquam ſimilis fuit: quem Laudice vxor Antiochi interfecto viro, diſſimulandi ſceleris gratia, in lecto, perinde quaſi ipſum regem ægrum collocauit: admiſſumque vniuerſum populum & ſermone eius, & vultu conſimili fefellit: credideruntque homines, ab Antiocho moriente Laudicem ſibi, & natos eius commendari.

Vide Plinium & Solinum.

In Valerio & quibuſdã alijs authoribus lego, Laodicen. & ita legit Haræus ex Inſtino.

De Potentia Philadelphi, & Romana clade.

Cap. XXXVIII.

HIer ſuper Danielem cap. vndecimo. Philadelphus apud Græcos habendus eſt orator, & Philoſophus: tantæque potentiæ fuiſſe narratur: vt Ptolemæum patrem vinceret: narrantq; hiſtoriæ eum habuiſſe peditum 200. millia: equitum 20. millia: curruum duo millia: & Elephantos, quos primus eduxit ex Æthiopia 400. Naues longas, quas nunc liburnas vocant millle quingentas: alias ad cibaria militum portanda, mille: auri quoque & argenti grande pondus: ita vt de Aegypto per ſingulos annos 14. millia & 80. talenta acciperet argenti, & frumenti artabas, quę menſuram tres modios, & tertiam partem modij continet: quinquieſdecies centena millia.

Liburna.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hic annus in Faſtis Capitolinis eſt 512. vnde vides Oroſ. annos. 5. minus numerare.

Euſebius in Chro. Anno Philadelphi vltimo id eſt quadrageſimo ; Romæ templum Veſtæ incenſum eſt.

Oroſius lib. 4. cap. 11. Anno ab vrbe cõdita quingẽteſimo 7. repentina ſubuerſio ipſius Romæ præuenit triumphum Romanorum : ſiquidem Quinto Lutatio ; Aulo Manlio conſulibus, Tiberis inſolitis auctus imbribus,& vltra opinionem vel diuturnitate, vel magnitudine, redundans, omnia Romæ ædificia in plano poſita, deiecit. Diuerſæ qualitates locorum, ad vnam conuenere perniciem : quoniam & quæ ſegnior redundatio tenuit, madefacta diſſoluit, & quæ curſus torrentis inuenit, impulſa deiecit. Aquarum cladem grauiſſimam,grauior ignis ſecuta eſt vaſtatio, qui ignis incertum vnde ſurrexit, plurimas ciuitatis partes peruagatus ; cùm hominum, & domorum miſerabilem ſtragem fecit ; tum etiam tantum opum vno conſumpſit incendio, quantum plurimæ, & peregrinæ victoriæ, conferre non poſſint. Cumque omnia in circuitu fori popularẽtur, ædem Veſtæ corripuit : & ne ſibi quidem Dijs ſubuenientibus ; ignem illum, qui æternus putabatur, temporarius ignis oppreſſit. Vnde & Metellus Pontifex dum arſuros Deos excipit, vix brachio ſemiuſtulatus aufugit.

Calamitoſa Tiberis inũdatio.

De hac re agit Auguſtinus lib. 3. de ciu. Dei cap. 18.

De Iade Veſta incenſa Liu. lib. 19. Nocte eam arſiſſe tradit Valer. lib. 1. cap. 4.

De regno Ptolemæi Euergetis, & Antiocho Macedone.

Cap. XXXIX.

Ptolemæus Euergetes. 3708.

EX *Chronicis.* Igitur Ægyptiorum quadrageſimoquinto tertius regnauit Ptolemæus Euergetes. Cæpit anno 5. ætatis trecenteſimo, mundi vero 3. milleſimo ſeptingenteſimo 8. & regnauit annis 26.

Comeſtor cap. 8. Hic fuit frater Ptolemæi Philadelphi, ab Aegyptijs Euergetes dictus eſt : quod reuocationem ſonat, quia poſt vaſtatam Syriam & Siciliam, & partem Aſyæ, inter innumera ſpolia quæ cæpit, etiam Deos eorum : quos Cambyſes in Perſas tranſuexerat, reuexit.

Euſebius in Chr. Anno Ptolemæi primo, quintus Ennius Poeta Tarenti naſcitur: qui à Catone quæſtore Romam tranſlatus, habitauit in monte Auentino, parco admodum ſumptu contentus, & vnius Ancillæ miniſterio. Eiuſdem Ptolemęi temporibus virgo veſtalis Romæ à ſeruo corrupta, propria manu ſe interimit. Iudæorum Pontifex Simon Onyæ filius clarus habetur, ſub quo Ieſus filius Syrac ſapientiæ librum componens : quem vocat Panarethon, etiam Simonis in eo facit mentionem.

Iudæorum Pontifex Simon Onia filius.

Anno Ptolemæi 14. regnauit apud Macedones Antigonus annis 15.

Seneca in li. 2. de beneficijs cap. 17. Ab Antigone (inquit) Cynicus petijt talentum. Reſpondit Antigonus plus eſſe quam Cynicus petere deberet ; repulſus, petijt denarium. Reſpondit, minus eſſe, quam quod Regem deceret dare. Turpiſſima eſt huius cauillatio : inuenit quomodo neutrum daret : in denario, regem ; in talento, Cynicum reſpexit : cum poſſet & denarium, tanquam Cynico dare,& talentũ tanquam Rex: nihil autẽ tam exiguum eſt, quod non honeſtè Regis humanitas tribuat.

Cauillatio.

Idem in li. 3. cap. 37. Vicit beneficijs Antigonus patrem: qui cum ingenti prælio ſuperaſſet hoſtem, præmium belli ad patrem tranſtulit ; & ei imperium Cypri tradidit ; hoc eſt * Regum, nolle regnare, cum poſſis.

**alias regnũ*

Author. hæc Seneca, de Antigono neſcio quo ; nam Antigonus iſte quartus huius nominis ; 9. Rex Macedonum poſt Alexandrum Magnum fuit, & hunc dicit Iuſtinus Lacedæmonios expugnaſſe.

Euſebius in chr. Anno Ptolemæi 19. ferme 40. millia Gallorum à Romanis cæſa ſunt.

De prodigijs quæ bellum Punicum præceſſerunt, & ſubuerſione Saguntj.

Cap. XL.

AVthor. Anno eiuſdem 24. ſcil. ab vrbe codita quingenteſimo 39. bellum Punicum ſecundum ſurrexit ; ſecundum computationem Oroſij, hoc bellum multa prodigia præceſſerunt, de quibus quædam poſuit *Oroſius* ; plurima vero ponit *Valerius lib. 1. cap. 6.* ſed non ſatis claret, de cuius belli tẽpore hoc dicit; ait enim, inter initia, motuſque bellorum : Romæ, Bos mugitum ſuum in humanum ſermonem conuertit; carnes quoque ad modum nimbi diſſipatæ ceciderunt, quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues ; reliquum humi per aliquot dies neque odore graui, neque aſpectu deformi mutatum iacuit. Fertur quoq; in Piceno, lapides pluiſſe; in Gallia Lupum vigili è vagina gladium abſtuliſſe. In Sicilia quoque duo ſcuta ſanguinem ſudaſſe: & metentibus cruentas ſpicas in corbem cecidiſſe. Ceritis aquas ſanguine mixtas fluxiſſe : *Hæc Valerius* ; & poſt pauca addit ; bello Punico ſecundo, conſtitit Cn. Domitio bouem dixiſſe : *Caue tibi Roma* : huic autem vltimo prodigio, de boue locuto, aſtipulatur *Aug. in li. 3. de ci. Dei* : *cap. 31.* addens & alia quædã : dicit enim : *omitto Boues locutos, infantes nondum natos, de veteris matrum quędam verba clamaſſe : volaſſe ſerpentes, fœminas & gallinas in maſculinum ſexum fuiſſe conuerſas.*

Liuius lib. 3 Plin. 2. cap 56.

Mira multaque prodigia paſſim apparuere.

Euſebius in chro: Anno Ptolemæi 25. Caria & Rhodus ita terræmotu concuſſæ ſunt : vt Coloſſus magnus rueret.

Boues locuti, Lege Liuium lib. 24.

Author. Coloſſus ille Rhodius inter ſeptem mundi miracula tertium ponitur. Fuit autem imago ærea * 126. pedum fuſilis, mirum enim valde eſt : quoniam tam immenſa moles fundi potuit vel erigi aut ſtare: 15. pedib. altior fuit quam coloſſus Romæ : de tempore autem quando primum factus fuerit, non legi. Eodem anno, fuit annus ab vrbe cõdita 533. de quo refert *Oroſius* quod eodem anno Annibal Pænorum imperator Saguntum florentiſſimam Hiſpaniæ ciuitatem obſedit : & fame excruciatam 8. menſe deleuit.

**Beda in tractatu de 7. miraculis mundi dicit 136. pedum; Iſidor. autẽ lib. 14. Etym. cap. 6. dicit fuiſſe 70. cubitorum.*

Aug. lib. 3. de ciu. Dei cap. 20. Saguntinorum ciuitas, ab Annibale obſeſſa, primo fame contabuit : nam etiam ſuorum cadaueribus à nonnullis paſta, perhibetur, deinde omnium feſſa rerum, ne ſaltem captiua in manus Annibalis peruenirent, ingentem rogum publicè ſtruxit : in quem ardentem, ferro etiam trucidatos omnes ſe, ſuoſque miſerunt.

Lege quæ diligentiſſimè Sigonius in Liuij lib. 21. annotauit.

Annibal legatos Romanorum ad ſe miſſos iniurioſiſſimè etiam à conſpectu ſuo * repulit.

**alias abſtinuit.*

De Regno Philopatoris, & Antiochi magni ſæuitia.

Cap. XLI.

Ptolemæus Philopator. 3734.

EX *chron.* Poſt Ptolemæum Euergetem, regnauit in Ægypto Ptolemæus Philopator. Cæpit anno 5. ætatis trecenteſimo 71. mundi vero 3. milleſimo ſeptingenteſimo 34. & regnauit annis 17. Ea quæ in ſecundo Machabæorum libro ſcripta ſunt, ſub hoc principe geſta referuntur.

Comeſtor. cap. 9. Hunc Philopatorem Euergetis filium, vicit Rex Syriæ Antiochus magnus, & Iudæam ſibi ſubiugauit. Pontifex Iudæorum fuit Onias magnus Simonis filius, ad quem ob recuperandum fœdus quod legitur fuiſſe inter Abraham & maiores ſuos : Lacedæmoniorum Rex Arrius legatos miſit. Porrò Antiochus tributa ſeptimi anni & miniſtrorum templi : quæ Philadelphus relaxauerat, à Iudæis reuocauit, qui dum finitimas regiones ſupra modum infeſtaret, delata eſt res ad Romanos : & miſſi ſunt ad eum Scipio Naſica, & Scipio Africanus, & ab infeſtatione, ſub religione iuriſiurandi amouerunt eum : inſuper tulerunt obſidẽ ab eo filiũ eius Seleuchũ, quem volens accipere ab eis tradidit

Ssuitia Antiochi.

pro eo,

pro eo, filium minorem natu Antiochum Epiphanẽ; ita quod eſſet obſes perpetuus id eſt non rediturus: Propter eiuſdem Antiochi fæuitiam deſcendit Onias in Ægyptum ad Ptolemæum Epiphanem (vt dictum eſt ſupra) & occiſus eſt in Perſide Antiochus, in phano Naneæ; & membratim eiectus à ſacerdotibus: qui in dolo promiſerant ei theſauros, & cum paucis induxerant eum in abditum.

De Trina victoria Annibalis.

Cap. XLII.

Ex chro. & Author. Eo tempore Romani ab Annibale ter victi leguntur. Quod autem Annibal à pueritia imbutus fuit odio Romanorum (vt ait Iuſtinus) teſtatur etiam Valerius lib. 9. cap. 3. qui de illo in capite de odio dicit, quod cum adhuc 9. annorum eſſet, ſignare volens quanto inter ſe odio, Roma, & Carthago diſſiderent; inflicto in terram pede, ſuſcitatoque puluere, tunc inter eas finem belli fore dixit, cum alterutra vrbs in habitum pulueris eſſet redacta.

Oroſius lib. 4. cap. 14. Hoc itaque tempore Publio Cornelio Scipione, & Ti. Sempronio Longo, conſulibus, Annibal Pyrrenæos montes tranſgreſſus, inter ferociſſimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, & nona demum die à Pyrrenæo ad Alpes peruenit, montanoſque Gallos repellentes eum ab aſcenſu ſuperans: inuias rupes igni, ferroque reſcindit. quatriduum ibi commoratus: quinto demum die, cum maximo labore ad plana Italiæ peruenit. Fuiſſe tunc exercitum eius 100. millium peditum, & 20. millium equitum, definiunt. Annibali autem Italiam ingreſſo, Scipio primus occurrit, commiſſoque prælio apud Ticinum, ipſe grauiter vulneratus per Scipionem filium admodum prætextatum, qui poſt Aphricanus cognominatus eſt, ab ipſa morte liberatus, euaſit. Cæſus eſt ibi omnis pene exercitus Romanus. Pugnatum eſt deinde eodem conſule ad fluuium Trebiam, iterumque Romani pari clade ſuperati ſunt. Sẽpronius conſul cognito collegæ caſu, à Sicilia cum exercitu redijt, qui ſimiliter apud eundem fluuium congreſſus, amiſſo exercitu, pene ſolus euaſit: ibi tamen Annibal ſauciatus eſt: qui poſtea cum in Etruriam primo vere tranſiret, in ſummo Appennino tempeſtate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu imbre, & niuibus concluſus, & onuſtus, obriguit: vbi magnus hominum eius numerus, iumenta quàm plurima, elephanti penè omnes, frigoris acerbitate, perierunt.

Triginta milliũ vulgo male legitur, de his rebus conſule Liuium.

Hinc Diaconus Eutropium interpolauit, cũ ille, caterique authores paulo aliter de his rebus ſcripſiſſent.

Sauciatus Annibal fuit in oppugnatione Emporij prope Placentiam. Li. lib. 21. & Appianus de rebus Annibalis.

De Marco Marcello qui Syracuſas cæpit, & de Archimede Philoſopho.

Cap. XLIII.

Augustinus de ciui. li. 1. cap. 6. Egregius autem Romani nominis Marcus Marcellus: qui Syracuſas vrbem ornatiſſimam cæpit, refertur prius eam fleuiſſe ruituram; & ante eius ſanguinem ſuas illi lachrymas effudiſſe, geſſit autem & curam pudicitiæ, etiam in hoſte ſeruandæ: nam priuſquam oppidum victor inſiſſet inuadi: conſtituit edicto, ne quis corpus liberum violaret.

Marcellus anno 539. ab Vrb. condit. in Siciliam miſſus Syracuſas obſedit; Polybius lib. 8. Liu. 24.

Oroſius lib. 4. cap. 17. Anno igitur ab vrbe condita quingenteſimo 43. Claudius Marcellus Syracuſas opulentiſſimam vrbem Siciliæ, ſecunda oppugnatione vix cæpit: quam cum iam pridem obſediſſet, Archimedis Syracuſani ciuis admirabili ingenio prẽditi machinis repulſus, expugnare non potuit.

Plut. in Marcello.

Author. Ex his verbis Oroſij conſtat Archimedem Philoſophum tunc temporis floruiſſe, de quo legitur quod libellum reliquerit de quadratura circuli. De qua dicit Ariſtoteles quod ſcibilis quidem eſt; & tamen non ſcitur.

Archimedes Philoſophus.

De hoc Archimede refert Valerius Maxi in ca. de ſtudio & induſtria lib. 8. cap. 7. dicens, Marcellus captis Syracuſis, machinationibus Archimedis Philoſophi diu victoriam ſuam inhibitam, ſenſerat. Delectatus autem eximia illius prudentia, vt capiti eius parceretur, præcepit. At is dum animo & oculis in terra defixis formas deſcribit, militi, qui prædandi gratia domum eius irruperat; ſtrictoque ſuper caput gladio, quis nam eſſet, interrogabat; propter nimiam cupiditatem inueſtigandi quod requirebat, nomen ſuum dicere non potuit. Sed protracto manibus puluere, noli, inquit, obſecro, iſtum diſturbare: qui mox quaſi negligens imperij victoris obtruncatus ſanguine ſuo lineamenta confudit.

Liuius 25. & Plutarchus in Marcello & Cicero de fini. b. 5.

Oroſius ibidem cap. 14. & 15. Hoc tempore alter Scipio frater conſulis Scipionis, in Hiſpania bella plurima geſſit. Magonem quoque Pœnorum ducem bello vicit, & cæpit. Diris etiam tunc Romani prodigijs territi ſunt: nam & Solis orbis minui viſus eſt, & apud Arpos parmæ in cœlo viſæ. Sol quoque pugnaſſe cum Luna, apud Carpenas interdiu duas Lunas ortas. In Sardinia duo ſcuta ſanguine ſudaſſe: Faliſcis cælum ſcindi velut magno hiatu viſum. Apud Antum metentibus, cruentas ſpicas in corbem decidiſſe.

Hæc prodigia ſunt apud Liuium lib. 22. & Plutarch in Fabio.

De victoria Annibalis ex Flaminio conſule.

Cap. XLIV.

Oroſius ibidem. Igitur Annibal ſciens Flaminium conſulem in caſtris eſſe, quo celerius imperatum obrueret, Primo vere aggreſſus, arripuit propiorem, ſed paluſtrem viam: & tũc forte Sarnus fluuius late redundans pendulos & diſſolutos campos reliquerat de quibus dictum eſt;

Et quæ rigat equora Sarnus

In quos cum exercitu progreſſus Annibal, nebulis maxime quæ de palude* exhalabãtur, proſpectũ auferentibus, magnam partẽ ſociorum iumentorumque perdidit. Ipſe autẽ vni Elephanto, qui ſolus ſuperfuerat ſuperſedens, vix difficultatẽ itineris euaſit: ſed tamẽ oculum, quo iam dudum æger erat, violentia frigoris, vigiliarum, ac laboris, amiſit. Vbi vero proximus fuit caſtris Flaminij, vaſtatione locorum circumiacentium eum in bellum excitauit: ibi Romanus exercitus arte Annibalis circũuentus, funditus trucidatus eſt. Ipſe quoque conſul occiſus eſt. 25. millia Romanorum in ipſo prælio cæſa. 6. millia capta referuntur. De exercitu Annibalis duo millia ceciderunt. In hoc certamine ita intentus fuit ardor pugnantium, vt grauiſſimum terremotum, qui tunc forte tam vehemens factus eſt, vt vrbes diruiſſe, & montes trãſtuliſſe, & rupes diſcidiſſe, & flumina retrorſum coegiſſe referatur: pugnantes omnino non ſenſerint: inter hanc cladem ad Traſimenum lacum factam: & illam Cannẽſem, quę poſtea ſecuta eſt: Fabij Dictatoris tempus medium fuit.

Hemiſtichiũ Virgiliani è lib. 7. Æneid

**exhalabãt.*

In pugna ad Traſimenũ Romanorũ 25000. cæſa & cæteros diffugiſſe ſcribit Eutropius Polyb. & Liuius 15000. cæſa & 6. in Maharbalis poteſtatem veniſſe.

Valerius lib. 9. cap. 12. Nunciata clade, quæ ad lacum Traſimenum acciderat, quædam mulier ſoſpiti filio obuiam ad portam facta, in amplexu eius præ gaudio expirauit: Altera cum falſo mortis filij nuncio domi mæſta ſederet: ad primum conſpectum redeuntis filij exanimata eſt.

Quas dolor nõ extinxerat lætitia conſumpſit.

Author. Hier. quoque in chro. anno poſt captas Syracuſas ſcribit Romanos Capuam & Siciliam ſibi ſubieciſſe. In hoc prælio, Cato miles adoleſcentulus cum Fabio profectus eſt, vt ipſe teſtatur apud Tullium in lib. de ſenectute.

De bello Cannenſi.

Cap. XLV.

Oroſius ibidem cap. 16. Anno ab vrbe condita 540. Lucius Æmilius Paulus & C. Terentius Varro conſules, contra Annibalem miſſi, impatientia Varronis conſulis infæliciſſimè apud Cannas Apuliæ vicum, omnes penè Romani ſpei vires perdiderunt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ita numerat Eutropius; alijs hic, annus eſt 537. Appian. & Plutarch. ſcribunt in hac pugna caſa fuiſſe quinquaginta millia. vid Plinium lib. 33. cap. 50. Liuium 32. Annibal vno die apud Lucanum iactat ſe tot Romanos interfeciſſe. Hunc Liuius & Plutarch. in Fabio M. Iunium vocant eumque viri docti putant eſſe qui conſul anno 523. in Faſtis Capitolinis ſic deſcribitur M. IVNIVS D.F.D.N. PERA.

Nam in ea pugna 44. millia Romanorum interfecta ſunt, & de exercitu Annibalis pars magna cæſa eſt. Perijt in eo bello conſul Æmilius Paulus, conſulares & prætorij viri 20. ſenatores, vel capti, vel occiſi, 30. nobiles viri, 300. pedeſtres, milites 40. millia; equites, tria millia quingenti. Varro conſul cum 50. equitibus Venuſiam fugit. Annibal in teſtimonium victoriæ tres modios anulorum aureorum Carthaginem, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum ſenatorumq; detraxerat, miſit.

Valerius. Huius pugnæ ſucceſſu Annibal adeò elatus eſt, vt nec quemquam ciuium ſuorum in caſtris admiſerit, nec reſponſum vlli niſi per interpretem dederit.

Oroſius ibidem. Tunc Romani Iunium Decimum Dictatorem creant, qui ducatu habito, ab annis 17. immaturæ inordinatæque militiæ quatuor legiones vndecunque contraxit. Tunc & ſeruos ſpectati roboris ac voluntatis, vel oblatos, vel etiam ſi ita opus fuit, publico precio emptos, ſub titulo libertatis, ad ſacramentum militiæ adegit: arma quæ deerant, à templis detracta ſunt, egenti ærario, priuatæ opes refuſæ ſunt. Homines quoque quicunq; ſceleribus aut debitis obnoxij erant, impunitate promiſſa, velut Aſylo patefacto Iunius dictator militiæ mancipauit, quorum numerus ad ſex millia virorum fuit. Campania vero vel potius omnis Italia deſperata Romani ſtatus recuperatione, ad Annibalem defecit.

Auguſtinus li. 3. de ciu. Dei. Deficiente ærario poſt pugnam Cannẽſem, mox in vſus publicos opes venere priuatæ, adeo vnoquoque id quod habebat conferente, vt præter ſingulos annulos aureos, ſingulaſque bullas, nihil ſibi, ac filijs Senatus ipſe relinqueret. In hac pugna Cannenſi Annibal quoque cum eſſet crudeliſſimus, tamen ſatiatus tanta cæde, parci inermis iuſſiſſe perhibetur.

Quod irruente tempeſtate prohibitus eſt Annibal Romam capere.

CAP. XLVI.

Oroſius ibidem cap. 17. Anno decimo poſtquam Annibal in Italiam venerat, Cneo Fuluio, & Sulpicio conſulibus Annibal de Campania mouit exercitum; & cum ingenti clade omnium via Latina profectus, ad Anienem fluuium, tribus miliaribus ab vrbe conſedit, incredibili totius ciuitatis metu, cum ſenatu populoq; diuerſis curis trepido, matronis per propugnacula currentibus, primiſque pro muris pugnare geſtientibus; ipſe cum expeditis equitibus, vſque ad portam Collinam proceſſit; deinde omnes copias in aciem direxit: ſed & conſules, non detrectauere pugnam. At vbi expoſitæ vtrinque acies conſtiterunt, in conſpectu Romæ præmium victoriæ futuræ, tantus ſe ſubito imber grandine mixtus effudit, vt turbata agmina, vix armis retentis, in ſua ſe caſtra colligerent: deinde cum ſerenitate redita, in campum iterum proceſſiſſent, rurſus violentior fuſa tempeſtas, maiore metu mortalium, audaciam coercuit, & conuerſus in religionem Annibal dixiſſe fertur; potiundæ ſibi Romæ modo voluntatem non dari, modo poteſtatem.

Cicero Phil. 1. Annibal, credo erat ad portas ſed de his omnibus Liuius copioſe.

Interim in Hiſpania ambo Scipiones à fratre Annibalis Aſdrubale interfecti ſunt. In Campania vero Capua capta eſt à Quinto Fuluio proconſule. Principes Campanorum veneno ſibi mortem conſciuerunt: Senatum omnem Capuæ; etiam prohibente ſenatu Romano; Fuluius ſupplicio necauit.

De Scipione Africano.

CAP. XLVII.

Oroſius lib. 4 cap. 18. INterfectis) Scipionibus, Scipio qui poſt Africanus dictus eſt admodum adoleſcens, anno natiuitatis ſuæ 24. imperium in Hiſpania pro conſulari ſortitus eſt, qui mox vltionem patris, & patrui animo intendens Pyrenæum trangreſſus primo impetu Carthaginem nouam capit, vbi ſtipendia magna, præſidia valida, copiæ auri argentique magnæ Pænorum habebantur. Ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum cum cæteris Romam miſit.

Lege Liuium lib. 26. & Appianum de rebus Hiſpanicis.

Solinus. Necatis matribus nati auſpicatores ſunt, qualis fuit Scipio Africanus prior: qui ob hoc primus Romanorum Cæſar dictus eſt, quod exciſus vtero matris, in diem venerat,

Valerius lib. 4. cap. 3. Scipio 24. agens annum cum multos obſides: quos in vrbe Carthagine clauſos habuerat, in ſuam redegiſſet poteſtatem; eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, iuuenis, cęlebs, & victor, poſtquam comperit, illuſtri loco inter Celtiberos natam, nobiliſſimo gentis eius Indibili deſponſatam acerſitis parentibus, & ſponſo inuiolatam tradit; aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, ſummæ dotis adiecit. Qua continentia, & munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius debitam gratiam retulit.

Lege de hac re lepidam quæſtionem Auli Gellij lib. 6. cap. 8.

Author. Hic Africanus (vt ait Valerius) ſolutioris vitæ primos adoleſcentiæ annos egit, remotus tamen à luxurię crimine, ſed Punicis trophæis deuictę Carthaginis inpoſito iugo teneriores: Hic dicere ſolebat; turpe eſſe in re militari dicere; non putarem: quia explorato & excuſſo conſilio, quæ facto agũtur, adminiſtrari oportet: inemendabilis enim eſt error; qui violentia Matris committitur.

Tullius in Lælio. Quid dicam de moribus facillimis Scipionis; de pietate in matrem; liberalitate in ſorores; bonitate in ſuos; iuſtitia in omnes?

Idem in eodem. Scipio ſolebat conqueri, quod in rebus omnibus numerandis homines diligentiores eſſent, quã in numerandis amicis, nam capras & oues quot quiſque haberet, dicere poſſet; amicos quos haberet, non poſſet dicere.

Item de Africano.

CAP. XLVIII.

HVius Africani vxor fuit tertia Æmilia mater Corneliæ Gracchorum, quæ tantæ (vt ait Valerius *lib. 8. cap. 7.*) comitatis fuit & patientiæ, vt cum ſciret viro ſuo ancillulam ex ſuis gratam eſſe, diſſimulauit: & poſt mortem Africani manumiſſam in matrimonium Liberto ſuo dederit.

vid. Gell. 6. c. 8.

Valerius lib. 6. cap. 4. Scipio Æmilianus cum duo in ſenatu contenderent, vter aduerſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur: omnibus quonam eius ſententia inclinaretur expectantibus; neutrum, inquit, mitti mihi placet, quoniam alter nihil habet, alteri nihil ſatis eſt: æquè malam licentis imperij magiſtram iudicans inopiam & auaritiam; ſicque vt neuter mitteretur, obtinuit.

Author. Dicebat Scipio nihil eſſe difficilius, quàm amicitiam vſque ad extremum vitæ diem permanere: interdum enim dimittitur, contentione luxuriæ, vel alterius commodi, quod idem adipiſci vterque non poteſt, peſtem vero nullam eſſe maiorem amicitijs in pleriſq;, quam gloriæ cupiditatem: in optimis quibuſque, certamẽ honoris & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe videmus. Idem etiam dicere ſolitus erat: nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quàm cum ocioſus: nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet.

Dicta Scipionis.

Tullius in lib. 1. de officiis. Panætius auditorem & familiarem ſuum Africanum ſolitum ait dicere: vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſolent: vt & his facilioribus poſſent vti: ſic homines ſecundis rebus efferatos, ſibique præſidentes: tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet: vt perſpiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque Fortunæ.

Officium illius qui in alios animaduertit.

Idem

*Idem in lib.*2. Laudat Panætius Africanum: quod fuerit abſtinens, quidni laudetur? ſed in illo alia maiora: laus abſtinentiæ non hominis ſolum illius eſt: ſed etiam temporum illorum.

De Panætio Philoſopho.

Cap. XLIX.

Author. Ex his verbis Tullij manifeſtum eſt eodem tempore Panætium floruiſſe, cuius multa dicta egregia referuntur.

*A. Gellius in lib.*13. *noctium atticarum cap.* 26. pulchram ab hoc Philoſopho ſimilitudinem inductam meminit, dicens Panætius, Vitam hominum, qui ætatem in medio rerum agunt, ac ſibi ſuiſque eſſe vſui volunt: ad cauenda pericula ex improuiſo aſſidua, & prope quotidiana, oportet eſſe animo prompto ſemper, & intento vt ſunt Athletarum, qui Pancraſtiaſtæ vocantur: nam ſicut illi ad vitandos ictus, cauti: & ad faciendos, ſunt parati, ita animus & mens viri prudentis aduerſus vim & petulantias iniuriarum: omni in loco, atque tempore proſpiciens, debet eſſe erecta, ardua, ſepta, nunquam conniuens, nuſquam aciem flectens: conſilia, cogitationeſque contra Fortunæ verbera, atque inſidias inimicorum, quaſi brachia, & manus protendens: ne qua in re aduerſa & repentina incurſio, imperatis, inprotectiſque nobis oriatur.

De ſententia Panætii philoſophi, quã ſcripſit in lib. de Officiis 2. qua hortatur vt homines ad canẽdas iniurias in omni loco intenti paratique ſint.

De Valerio, Marcello, Fabio & eorum triumphis.

Cap. L.

Roſius lib. 4. *cap.* 18. Eo tempore, quo Scipio Carthaginem nouam in Hiſpania cæpit, Valerius Læuinus conſul collega Claudij Marcelli ex Macedonia rediens, Agrigentum vrbem Siciliæ expugnauit: ibique Annonem Afrorum ducem cæpit, 40. ciuitates in deditionem accepit, 26. expugnauit: Eodem anno in Italia Annibal Cn. Fuluium procõſulem, & 11. tribunos, & 17. millia militum interfecit. Marcellus autem conſul triduo continuo cum Annibale dimicauit: primo die pari pugna diſceſſum eſt, ſequenti die victus conſul, tertio victor 8. millia hoſtium interfecit, & Annibalem cum reliquis fugere in caſtra compulit. Hoc factum eſt eodem anno, quo Fabius Tarentum expugnauit.

Liui. Agrigẽtum, nõ expugnatũ ſed proditione captũ ſcribit. De hac re lege Liui. l. 27. *& Appianũ de rebus Annibalis.*

Valerius. Hic Fabius, captiuos ab Annibale interpoſitã nummorum pactione receperat: qui cum à Senatu non præſtarentur, miſſo in vrbem filio, fundum quem vnicum poſſidebat, vendidit, preciumque protinus Annibali numerauit: ſe enim patrimonij, quam patriam fidei, inopem eſſe maluit. Idem Fabius cum apud Trebiam res gereretur: omnium qui ex præſidiis Romanorum ad hoſtes confugerant, manus abſcidit, vt reliquis metum defectionis iniiceret.

Sequenti anno poſt prædictam Marcelli victoriam, qui annus fuit 14. Antiochi, idem Marcellus in Italia ab Annibale cum exercitu occiſus eſt. Scipio autem in Hiſpania Pænorum ducem Aſdrubalem vicit & caſtris exuit. Præterea 70. ciuitates aut deditione aut bello in poteſtatem redegit. Afris cum corona venditis ſine precio dimiſit Hiſpanos. Annibal autem vtrumque conſulem Marcellum & Criſpinum inſidiis circumuentos interfecit.

Oroſius ibid.

De Victoria Scipionis ex Afris.

Cap. LI.

Oroſius li. 4. *cap.* 18. Denique Scipio Hiſpania à Pyrenæo vſq; ad Oceanum in prouinciam redacta, Romam venit. Conſul autem cum Licinio Craſſo creatus, in Africam tranſit. Annonem Amilcaris filium ducem Pænorum interfecit, exercitum eius partim cæde, partim captiuitate diſperdidit: nam vndecim millia Pænorum eo bello occidit. Sempronius conſul cum Annibale congreſſus & victus, Romam refugit. Scipio autem in Africa aggreſſus eſt Hyberna Pænorum atque Numidarum, quę vtraque haud procul ab Vtica erant: nocte concubia incendit. Pæni trepidi cum caſu accidiſſe ignem putarent, inermes ad extinguendum cucurrerunt: vnde facile ab armatis oppreſſi ſunt. In vtriſque caſtris 40. millia hominũ igni, ferroque conſumpta ſunt, capta 5. millia duces ipſi mirabiliter ambuſti, ægre effugerunt. Aſdrubal imperator Carthaginem profugus venit. Syphax autem & Aſdrubal mox plurimum reparauere exercitum, atque iterum cum Scipione congreſſi, victique fugerunt. Syphacem fugientem Lælius & Maſſaniſa cæperunt, cætera multitudo Cretam confugit, quam Maſſaniſa oppugnatam in deditionem recepit, Syphacem cathenis vinctum ad Scipionem adduxit, quem Scipio cum ingentibus ſpoliis plurimiſque captiuis Romam perducẽdum, Lælio tradidit.

Hæc hiſtoria extat in Polybij fragmẽtis l. 14. *apud Liuiũ initio l.* 30. *& Appianum in Lybico.*

Valerius l. 9. *cap.* 14. Maſſaniſa rex parum fide in pectoribus hominum reponens ſalutem ſuam canum cuſtodia vallauit.

Hæc omnia Liuius & Appianus copioſe, quos lege.

Quod Romani, victis Carthaginenſibus, pacem conceſſerunt.

Cap. LII.

Roſius lib. 4. *cap.* 19. Annibal redire in Africam iuſſus, feſſis Carthaginenſibus vt ſubueniret: flens reliquit Italiam, omnibus Italici generis militibus, qui eum ſequi nollent, interfectis. Cui ad Africanum littus appropinquanti, iuſſus quidam è nauticis aſcendere in arborem nauis, atque inde ſpeculari, quam regionem tenieret, ſepulchrum dirutum ſe proſpicere reſpõdit, abominatus dictum Annibal, deflexo curſu ad Leptim oppidum copias expoſuit: continuo refecta multitudine, Carthaginem venit: deinde colloquium petit Scipionis: vbi cum ſe diu attoniti, adiuratione mutua duo clariſſimi duces ſuſpexiſſent, infecto pacis negocio, prælium conſertum eſt: quod diu magnis ducum artibus diſpoſitum, magnis copiarum militibus geſtum, magnis militum viribus conſummatum, Romanis victoriam contulit. 80. ibi Elephanti vel capti vel occiſi ſunt, Carthaginenſium occiſi ſunt 20. millia quingenti. Annibal omnia & ante prælium expertus, & cum paucis, hoc eſt vix 4. equitibus inter tumultum elapſus, Adrumetum confugit. Poſtea Carthaginem poſt 6. & 30. annos, quàm inde paruus, cum patre exierat, venit: conſultantique Senatui, nullam eſſe reſiduam ſpem, niſi in petenda pace, perſuaſit. Igitur Cn. Cornelio Lentulo, Publio Ælio Pæto conſulibus, Carthaginenſibus pax per Scipionem voluntate ſenatus populique conceſſa eſt. Naues tamen pluſquam quingenti in altum productæ, in conſpectu ciuitatis, incenſæ ſunt. Scipio iam tunc cognomento Africanus, triumphans vrbem ingreſſus eſt, quem Terentius, qui poſtea Comicus, ex nobilibus Carthaginenſium captiuis pileatus (quod tunc inſigne ſibi indultæ libertatis fuit) triumphantem poſt currum ſecutus eſt.

Sic Eutropius Liui. eũ vix lacrymis temperaſſe ait.

Non ad vrbem acceſſit, ſed Zamamque ter dierum 5. abeſt à Carthagine, Liui. l. 30. *Poly.* 15. *vbi de colloquio ducũ plura.*

De Morte Philopatoris & eius concubinario Agathoclis.

Cap. LIII.

Hiero. ſuper Dan. cap. vndecimo. Porrò Antiochus Magnus, ſcilicet Rex Syriæ incredibilem de ſuperioribus Babylonis locis congregauit exercitum: & Ptolemæo Philopatore mortuo, aduerſus filium eius, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus Epiphanes, rupto fœdere, mouit exercitum: tantæ autem diſſolutionis, & ſuperbiæ fuit Agathocles Philopatoris concubinarius, vt ſubditæ prius Ægypto prouinciæ rebellarent, ipſaque ſeditionibus vexaretur. Philippus quoque Rex Macedonum, & Antiochus Magnus, pace facta aduerſus Agathoclem, & Ptolemæum Epiphanem

Quod Oroſ. hic de Terẽt. Comico, id Liui. l. 30. *&* 38. *de Q. Terent. Culleone Senatore Romam ſcriptũ reliquit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dimicarent,sub conditione, vt proximas ciuitates, regno suo, singuli, de regno Ptolemæi, iungerent.

Iustinus in lib. 30. Mors Philopatoris (dum pecuniam regiam mulieres rapiunt , & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur) diu occultata fuit. Re tamen cognita , concursu multitudinis , & Agathocles occiditur , & mulieres in vltionem Eurydicis patibulis suffiguntur. Mortuus est autem Philopator relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio.

Eodem anno inter insulas Theramenem,& Therasiã, medio vtriusque ripæ , & maris, spacio , terræmotus factus est,in quo, cum admiratione nauigantium , repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoque eadem die , idem terræmotus Rhodum multasque alias ciuitates graui ruinarum labe concussit, quasdã solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus , vates cecinere , oriens Romanorum imperium mansurum, vetus autem Græcorum ac Macedonum vacaturum.

De regno Ptolemæi Epiphanis , & Antiocho Magno.

Cap. LIV.

Ptolemæus Epiphanes. 3751.

Ex chronicis. Igitur Ægyptiorum quintus regnauit Ptolemæus Epiphanes annis 24. Cæpit anno quintæ ætatis 388.mundi vero 3751. Hic Scopa principe militiæ destinato,Iudæam capit,& plurimas Syriæ ciuitates. Antiochus vero , Scopa superato , vrbes Syriæ recepit, & Iudæis voluntate coniungitur : qui Iudæorum erga se cognita voluntate, magnis eos muneribus donat : & per epistolas laudibus prosequitur.

Hiero. vbi supra. Pugnãtibus cõtra se Antiocho Magno, & ducibus Ptolemæi:in medio Iudæa posita,in contraria studia scindebatur:aliis Ptolemæo,aliis Antiocho fauẽtibus. Denique Onias Sacerdos assumptis Iudęorũ plurimis,fugit in Ægyptum:& à Ptolemęo susceptus honorifice,accepit regionẽ Heliopoleos , & concedente Rege, templum construxit in Ægypto , simile templo Iudæorum : quod permansit vsque ad imperium Vespasiani, annis 250.Eo tẽpore &Cyrenæorum multitudine Iudæa repleta est. Cum autem Antiochus teneret Iudæam, missus est Scopas Ætholi filius , dux partium Ptolemæi aduersus Antiochum , qui Iudæam cæpit , & plurimas Syriæ ciuitates: & partem optimatum Ptolemæi secum adducens in Ægyptum reuersus est. Postea Antiochus Scopam ducem Ptolemæi iuxta fontes Iordanis,vbi Paneas nunc condita est, inito certamine , fugauit , & cum 10.millibus armatorum obsedit clausum in Sidone : ob quem liberandum misit Ptolemęus duces inclytos Erophum,& Menocleam,& Damoxenum : sed obsidionem soluere non potuit,donec Scopas fame superatus,manus dedit,& nudus cum sociis dimissus est. Veniens autem Antiochus in Hierusalem honorifice susceptus est : & expugnato Scopæ prędisidio in arce Hierosolimorum,eos, qui partium eius erant prosequutus est. Cognita autem Iudæorum erga se voluntate, magnis eos donauit muneribus.

Eusebius in chr. Anno Ptolemæi Epiphanis 7. Nævius comicus, Vticæ moritur : pulsus Roma factione nobilium, & maxime Metelli.

De Plauto Poeta Comico, & dictis eius.

Cap. LV.

EOdem anno Plautus ex Vmbria Arpina, Romę moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistorem se locauerat , ibi quotiens ab opere vacasset,scribere fabulas solitus erat, ac vendere.

Author. Hic Plautus eloquẽtissimus fuit. Vnde Hiero. in suggillatione eloquentiæ cuiusdam æmuli sui dicit. Hæc est illa Plautina eloquentia : hic lepos Atticus & Musarum (vt dicunt) eloquio comparandus.

De omnibus autem Plauti comediis ex illa sola , quæ dicitur Aulularia , paucas morales & breues sententias excerptas hic inserui.

Plautus Poeta Comicus in aulis.

Sententiæ Plauti Poetæ.

Pecunia , rerum ac solicitudinum causa est & caput.

Sibimet esse sufficientem, primum bonum est.

Vis ne tibi honorem deferri ? inter miseros, viuito.

Si pro meritis reddendum nobis non putamus : ipsi nosmet fallimus.

Quid nam ô stulte virûm est , si te qui nouit despicit, qui non nouit diligit.

In amicitiam & fidem stultum ne receperis.

Insipientium , atque improborum facilius sustinetur odium quam collegium.

Nemini te nimis sodalem feceris.

Res nimium singularis , est homo , parem ferre non patiens.

Minores despicimus, maioribus inuidemus, ab æqualibus dissentimus.

Quid si nescio quis ille est ? alius enim est in corde, alius in vultu.

Multum inquit adulatores se aliquid laudant , vel fugaces feras, vel pugnaces bestias , aut vestigiis insequuntur,aut cubilibus deprehendunt, aut casu opprimunt.

Quanto mihi maius est ingenium & lucrum , qui homines venor publicè : & quos homines ? potentes,& diuites, & litteratos maxime.

Tres edaces domus vna non capit.

Væ apud quos Domini vigilias multam in noctem protrahunt, tantum enim seruis de vita,quantum de nocte auferunt.

Conuentus,& delectationes, & ioca friuola,non quæro : vt amorem non pariant.

Vtinam nihil odiorum darent : patientia,desidiæ: acrimonia, crudelitati, assignatur, sic euertuntur omnia.

Nemo ad facultates, nemo ad censum respicit,semper diues diligens, econtra pauper negligens.

Censoribus, hæc referua querule : tu neque diues, neque pauper es.

Hæc si cognosceres fælix esses , da mihi aduocati gratiam,vende vocem,vende linguam.

Iras atque odium loca in summa , pauper esto , & reporta penatibus pecuniarum aliquid , sed plus criminum.

Sæpe condita luporum fiunt rapinæ vulpium.

Nemo sibimet arbitretur dici , quod nos populo dicimus.

De Libertate Græcorum à Romanis concessa, & Iunio duce.

Cap. LVI.

ANno quoque prænotato , Romani Græcos liberos esse iusserunt,& vniuersa Hyberia imperata fecit. Eo tempore regnabat Philippus apud Macedones.

Valerius lib. 4. cap. 8. Philippo Rege Macedonum superato,cum Romani omnes Greciæ vrbes, quæ sub eius ditione erant,libertate donassent : tanta cælum clamoris alacritate compleuerunt : vt certe constet aues , quæ superuolabant, attonitas, pauentesque decidisse. *Plut. Flaminino Liui. 33*

Eo tempore Matronæ , Brutorum domum ausæ sunt obsidere, quia legem Appiam tolli cupiebant : quæ his, nec veste varij coloris vti, nec auri plus semiunciam habere , nec iuncto vehiculo propius vrbem mille passus, nisi sacrificij gratia, vehi permittebat , & quidem obtinuerunt vt ius per 20.annos seruatum aboleretur.

Orosius. Publio Scipione Africano & Tito consulibus, apud Mediolanum. 10. millia Gallorum cæsa sunt. Sequenti autem prælio.11. millia Gallorum : Romanorum vero.5.millia occisa sunt.

Iustinus lib.31.prope finem. Interim nunciatur Antiocho * Æmilium Romanorum ducem cum. 80. rostratis nauibus,in bellum nauale à senatu missum,aduentare: quæ ** alias Menenium Nenium.*

res spem

res ſpem illi reſtituendæ fortunæ dedit : itaque prius quam ſociæ ciuitates ad hoſtes deficerent : decernere nauali prelio ſtatuit, ſperans cladem in Græcia acceptam, noua poſſe victoria aboleri. Tradita igitur Annibali claſſe, prælium committitur : cuius ducis ſolertia minor clades Antiocho fuit.

De duobus fratribus Scipionis.

Cap. LVII.

ROmam nondum opinio victoriæ venerat, & idcirco in conſulibus creandis ſuſpenſa ciuitas erat : ſed aduerſus Annibalem, quis melior quàm Africani frater crearetur, cum vincere Pænos opus Scipionum eſſet ? Creatur igitur conſul * Lucius Scipio : eique datur legatus frater Africanus : vt intelligat Antiochus, non maiorem fiduciam ſe in Annibale victo, quàm, Romanos in victore Scipione habere.

* *Publius.*

Hiero. ſuper Dan. cap. 11. Antiochus per Cleopatram filiam ſuam dolos tẽdens Ptolemæo Epiphani, Ægyptum tenere non potuit : quia Ptolemæus & duces eius ſcientes dolum eius, cautius ſe egerunt : & Cleopatra magis viri partes, quam parentis fouit : vnde vertit ſe ad Aſiam, & nauali certamine aduerſum plurimas inſulas dimicãs : cæpit Rhodum, & Samum, & Colophonam, Phoceam, & multas alias inſulas : ſed occurrit ei Scipio Naſica cũ fratre ſuo Publio Scipione Africano, qui Annibalem vicerat. Cum enim conſul Naſica Africani frater hebetioris eſſet ingenij : & contra regem potentiſſimum Senatus ei nollet bellum credere, ſpõtaneam legationem obtulit Africanus pro fratris iniuria.

Cicero pro Plancio ab V.C. 608.

Valerius lib. 7. cap. 5. Scipio Naſica adoleſcens adhuc ædilitatem curulem petens, manum cuiuſdam ruſtico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendens : ioci gratia interrogauit eum, num manibus ſolitus ambulare eſſet : quod dictum, cauſam repulſæ eidem Scipioni attulit, cum ad populum manaſſet : omnes enim ruſticæ tribus paupertatem ſibi ab eo exprobratam iudicantes : iram ſuam aduerſus contumelioſam eius vrbanitatem diſtrinxerunt.

Scipionis facetia.

Oroſius. Scipio Africanus, inter alios legatos ad Antiochum miſſus, etiam cum Annibale colloquium familiare habuit, ſed infecto pacis negocio ab Antiocho diſceſſit : tunc in vtraque Hiſpania per Flaminium Fuluiumque Prætores bella horrida, cruentaque vtriſque populis, geſta ſunt.

De Seleucho Philopatore, & Heliodoro, & Tito Liuio, & quibuſdam prælijs Romanorum.

Cap. LVIII.

ANno Ptolemæi Epiphanis 17. regnauit Syriæ, & Aſiæ Seleuchus, qui & Philopator annis 12.

Comeſtor cap. 10. *variarum hiſto.* Poſt Antiochum Magnum regnauit in Syria filius eius Seleuchus peſſimus, ſed iners : Pontifex Iudæorum erat Onias. Nam Onia tranſeunte, in Ægyptum, filius eius Simon ſedit pro eo, cui ſucceſſit filius eius Onias. Sub hoc miſit Seleuchus nuncium Heliodorum in Hieruſalem ad ſpoliandum commune ærarium templi, non vaſa, ſed donaria in vſus templi. Quo ingreſſo in templum, ſurrexerunt duo iuuenes de latibulis, & occiderunt eum. Videtur tamen Ioſephus velle Angelos fuiſſe in ſimilitudine hominum.

In lib. 2. Machabæorum. legitur quod apparuit terribilis ſeſſor equi, & conculcabat eum, & confractus & comminutus eſt, ſed non mortuus, & duo iuuenes decori flagellabant eum. Timenſque Onias indignationem Seleuchi, orauit ad Dominum pro defuncto, & ſurrexit. Qui rediens ad Regem ait. Si habuerit Dominus meus aliquos, quorum ſitiat ſanguinem, mittat eos in Hieruſalem, vt ſpolient templum.

Euſebius in chronicis. Eo tempore clarus habitus eſt Titus Liuius hiſtoriarum ſcriptor, qui ob ingenij meritum à Liuio Salinatore, cuius liberos erudiebat, libertate donatus eſt.

Iuſtinus lib. 32. in initio. Eo tempore Ætholi, qui in Romana bella Antiochum compulerant, à Romanis victi ſunt.

Oroſius lib. 4. cap. 20. prope medium. In Hiſpania vero vlteriore Lucius Æmilius proconſul à Luſitanis cum omni exercitu cæſus interiit. Lucius autem Bæbius in Hiſpaniam proficiſcens, à Liguribus circumuentus, cum omni ſimiliter exercitu occiſus eſt : ita vt ne nuncius quidem ſuperfuerit : ſed Maſſilienſes hoc Romæ nunciauerunt. Fuluius autem conſul, de Græcia in Gallogræciam, quæ nunc eſt Galacia, tranſuectus ad Olympum montem peruenit, ad quem vniuerſi Gallogræci cum coniugibus & liberis confugerant, ibi Romani de locis ſuperioribus grauiter attriti ſagittis, & ſaxis grandibus, & cæteris telis : tandem vſque ad congreſſum hoſtium prorumpentes. 40. millia Gallogræcorum interfeciſſe referuntur. Marcus autem Conſul aduerſus Ligures profectus, ſuperatuſque : quattuor millia militum amiſit, & niſi in caſtra fugiſſet, funditus cum omni exercitu periiſſet.

Lege Liui. li. 36. Plut. in Æmilio. Anno ſequẽti victus à Luſitanis 6000. de exercitu amiſit, Liui. l. 37. Oroſ. ipſum interiiſſe parum conſideratè ſcribit. De Babio occiſo à Liguribus, Liui. extremo lib. 37.

De fuga & morte Annibalis, & Pruſiæ.

Cap. LIX.

IVſtinus *lib. 32. prope finem.* Interea Annibal, cum ab Antiocho Romani inter cæteras conditiones pacis, deditionem eius poſcerent, admonitus à Rege, in fugam verſus Cretam defertur : ibi cum diu quietam vitam egiſſet, inuidioſumque ſe propter nimias videret opes, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quaſi fortunæ ſuæ præſidia, deponit : atque ideo nihil de illo ſollicita ciuitate : quoniam velut pignus opes eius tenebat, ad Pruſiam contendit : auro ſuo in ſtatuis, quas ſecũ portabat, infuſo, ne conſpectæ opes vitæ nocerent. Dehinc cum Pruſias terreſtri bello ab Eumene victus eſſet, & prælium in mare tranſtuliſſet, Annibal nouo commento author victoriæ fuit : quippe omne ſerpentium genus in fictiles lagenas proiici iuſſit. medioque prælio in naues hoſtium mittit : id primum Ponticis ridiculum viſum : fictilibus dimicare, qui ferro nequeant : ſed vbi ſerpentibus cæpere naues repleri, ancipiti periculo circumuenti, hoſti victoriam conceſſerunt : quæ vbi Romam nunciata ſunt, miſſi ſunt à Senatu legati, qui vtrũque Regem in pacem cogerent. Annibalemque deposcerent. Sed Annibal re cognita, ſumpto veneno, legationem morte præuenit.

Huius rei. vetuſtiores annales non meminerũt. Plutarch.

Mortuus eſt Annibal 71. anno ætatis ſuæ.

Author. De huius vero Pruſiæ Regis Bithyniæ filio, qui & Pruſias dictus eſt, legitur *in Valerio l. 1. cap.* 8. quod pro ſuperiori ordine dentium, vnum æqualiter extentum os habuit : nec ad ſpeciem deforme, nec ad vſum vlla ex parte incommodum. Refert etiam idem *Valerius lib. 3. cap. 7.* de Annibale, quod cum apud prædictum Regem Pruſiam exultaret : authorque ei committendi prælij eſſet, atque Pruſias non idem ſibi portendi in extis videret : direxit ad Pruſiam hæſitantem : an tu, inquit, vitulinæ carinculæ quàm imperatori veteri mauis crederet ?

Plut. de exilio.

Idem Valerius lib. 7. cap. 6. refert quod eiuſdem Annibalis obſidione Caſilinates clauſi, cum arua ſua pinguiſſima mænibus ſuis iniecta conſpicerent : lora neceſſariis vinculorum vſibus ſubducta : & pelles è ſcutis detractas : feruente reſolutas aqua, mandere maluerint, quam à Romanis deſciſcere : *& addit* : quid illis, ſi caſus acerbitatem intuearis, miſerius ? quid ſi conſtantiam reſpicias, fidelius ?

Liui. 23. ab V.C. 527.

In eadem quoque (inquit) obſidione & fide cum. 300. Prænestini permanerent, quidam murem captum ducentis potius denariis vendere maluit, quam famem lenire : qui auarus poſtea fame conſumptus eſt : & qui emit, vixit : Dei prouidentia vtrique ſecundum meritum tribuente.

Liui. 23. lib. Plin. 8. cap. 57. Strab. 5. ab V.C. 537

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Crudelitas Annibalis.

Idem Annibal tam crudelis extitit, vt in flumine Gello de corporibus Romanis ponte facto, exercitum transduxerit.

De Victoria Messeniorum ex Achæis, & de morte Africani, & Ptolemæi.

Cap. LX.

Ad præoccupandam coronam interfectus. Liui. Dec. 4. L. 9

Iustinus lib. 32. in initio. His temporibus inter Messenios & Achæos de principatu, primo dissensio, mox bellum exortum est: in quo nobilis ille Achæorum imperator Philopamenes capitur, non quia expugnando vitæ pepercerit, sed dum suos in prælium reuocat, in transitu fossæ equo præcipitatus est: quem captum Messenij verecundia dignitatis ausi interficere non sunt, sed captiuum per vniuersam ciuitatem, in modum triumphi circumduxerunt, effuso obuiam populo, post hoc eum in theatrum duci iusserunt, vt omnes contuerentur, quem capi potuisse, incredibile videbatur: inde ei in carcerem ducto, verecundia magnitudinis eius, venenum dederunt: quod ille lætus, ac si vicisset, accepit: quæsito prius, an * Ligortas præfectus Achæorum, quem secundum à se esse, scientia rei militaris sciebat, incolumis effugisset: quem vt accepit euasisse, non in totum dicens male consultum Achæis expirauit.

** Lycortas legunt Plut. & Liui.*

Liuius l. 38. & Plut. in vita eius.

August. lib. 3. cap. 21. Eodem tempore Scipio Africanus cedens inimicorum accusationibus, carensque patria, quam sua virtute saluam & liberam reddiderat, exul in oppido Linternensi post insignem suum triumphum, nullo illius vrbis captus desiderio, vitam finiuit. In huius sepulchro, iussu eiusdem, scriptum est, INGRATA PATRIA, NE OSSA MEA QVIDEM HABES.

Ptolemæus Epiphanes veneno interfectus.

Hieron. super Danielem cap. 11. Mortuus autem est Ptolemæus Epiphanes anno regni sui. 24. veneno interfectus à ducibus suis, nam cum vnus quæreret ab illo: tantas res moliens: vbi haberet pecuniam? respondit, amicas sibi esse diuitias: quod cum diuulgatum esset in populis, timentes duces, ne ipsorum auferret substantias, maleficis artibus eum occiderunt.

De regno Philometoris & Statio poeta & dictis eius.

Cap. LXI.

Ptolemæus Philometor 3775 Haræus habet 33. annos.

Ex Chroni. Post hunc regnauit in Ægypto Ptolemæus Philometor filius Cleopatræ, filiæ Antiochi magni, sororis Epiphanis: hic fuit Ægyptiorum 6. Cæpit autem anno ætatis quintæ 412. mundi vero 3775. & regnauit annis 35.

Eusebius in Chroni. Eo tempore Statius Cecilius comædiarum scriptor clarus habetur: natione Gallus, & Ænnij primum contubernalis: quidam Mediolanensem ferunt: mortuus est anno post mortem Ænnij: & iuxta Ianiculum sepultus.

Author. Huius sententia est (vt ait A. Gellius) inimici pessimi sunt, fronte hilari: corde tristi.

Quædã dicta Statij.

Extant autem duo libri Statij Poetæ metrici: scilicet Achilleidos, & Thebaidos: de quibus hæc pauca quæ sequuntur excerpta sunt.

Statius in Achilleidos lib. 1.
Dant gaudia vires,
O quantum gaudia formæ
Adiiciunt.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis.
In vultus, atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, & impulsam tenui sudore pererrat.
Idem in Thebaidos lib. 1.
Gentiles animos subiit furor, ægraque lætis.
Inuidia, atque parens odij metus: inde regendi
Sæuus amor ruptæque vices, iurisque secundi
Ambitus impatiens: & summo dulcius vnum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.
Idem in secundo.
Non parcit populis regnum breue,
O semper timidum scelus.
Idem in lib. 3.
Pessimus in dubiis augur timor.
Proh vitæ fæda cupido.
Primus in orbe Deos fecit timor.
Idem in 8.
Ite alacres vestri nunquam morientur honores.
Idem in 9.
Mille modis læti miseros mors vna fatigat.
Idem in 10.
Prolis Amor crudelia vincit
Pectora,
Est vbi dat vires nimius timor.
Non fræna animo permitte calenti,
Da spacium, tenuemque moram: male cuncta ministrat,
Impetus.
Idem in 11.
Hic miseris furor est, instare periclo.

De Antiocho Epiphane, & prophanatione vrbis facta, & ambitione sacerdotij.

Cap. LXII.

Antiochus Epiphanes rex Syriæ.

Comestor cap. 11. Igitur audiens Antiochus Epiphanes qui Romæ obses erat pro patre, patrem mortuum: sciensque fratris inertiam, de regno Syriæ habendo præsumens: clam Romam egressus est: licet quidam tradant sub conniuentia Senatorum eum rediisse: reuersusque in Syriam benignum se omnibus & munificum exposuit: strenuus erat in agendis, & acer in hostes: vnde & à populo cognominatus est Ephiphanes, quod sonat illustris, & mortuo fratre rexit pro eo.

Euse. in chro. Anno igitur Philometoris 5. Antiochus, qui & Epiphanes Syriæ regnauit annis vndecim.

Eo tempore Aristobolus natione Iudæus Peripateticus philosophus agnoscitur: qui ad Philometorem, explanationum in Moysen scripsit commentarios.

Historia de Antiocho Epiphane ex Comestore.

Comestor ibidem. Antiochus autem regno suscepto, iniquitatem sibi insitam aperuit, quam pro regno obtinendo palliauerat. Tunc surrexerunt in Hierusalem filij Belial, introducentes ritus gentium, & petierunt ab Antiocho, vt faceret in Hierusalem ephæbiam, id est lupanar ephæborum: & quod Hierosolymitæ scriberentur Antiocheni, & gymnasia in quibus dogmatizabant de ritu gentilitatis: & non fecerunt sibi præputia, id est non circumcidebant filios suos, vel quia ritu præpuciatorum non viuebant. Quidam tamen volunt, quod quædam velamina fecerunt circumcisioni suæ, vt in denudatione, Græcis apparerent dissimiles. Causa vero huius flagitij hæc erat: Onias sine liberis, duos habebat fratres, Iesum vel Oniam, & Iohannem: qui contendebant de pontificatu, & vt placerent Antiocho declinauerunt ad ritus gentium: adeo etiam, vt nomina gentilium sibi imponerent: & Iesus dictus est Iason vel Onias. Ioannes vero Menelaus. Cumque plures essent cum Iasone, supplicauit Antiocho de faciendo gymnasio in Hierusalem: & audierunt eum viri pessimi culpabiles in cibo, & violatione sabbathi, & huiusmodi. Postea Antiochus amouit Iasonem, & eleuauit Menelaum: qui secutus est Oniam in Antiochiam. Hic enim cum vidisset facinus fratrum, descenderat ad regem, si posset mutare animum regis: quod cum nequiret, sedebat in Antiochia in Asylo: & veniens post eum Menelaus fecit eum occidi.

Iason & Menelaus seditionẽ concitant.

Apostata à religione Iudaica.

Author. Hæc manducator. Helinandus autem qui videtur veritatem & ordinem historiæ diligentius scrutatus fuisse, ita dicit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem de eodem.

Cap. LXIII.

Hiſtoria de Antiocho Epiphane ex Helinando.

CVm ſuſcepiſſet regnum Antiochus nobilis : Iaſon ambiens ſacerdotium ſummum , venit ad Antiochum , & promiſſis ei argenti talentis quingentis 90. ſuſcepit ſacerdotium , & conſtituit in Hieruſalem gymnaſium ſub arce Ephæbian , in quo poſuit optimos quoſque Ephæborum , & Hieroſolymitas Antiochenos ſcripſit. Ipſe quoque qui prius dicebatur Ieſus, fecit ſe vocari Iaſonem , & frater eius qui Ioannes vocabatur , ſe vocabat Menelaum : erant autem ambo fratres Oniæ pontificis , qui ſine liberis erat.

Dicit autem Aug. quod ignis ſacrificij , qui per 70. annos Babylonicæ captiuitatis ſub aquis vixerat , extinctus eſt :. Antiocho Iaſoni vendente ſacerdotium.

Cum autem quinquennalis agon Tyro celebraretur : & res præſens eſſet , miſit Iaſon 300. didragmas in ſacrificiis Herculis , quæ datæ ſunt in fabrica nauium triremium. Poſt hæc Antiochus veniens Hieroſolymam , ſuſceptus eſt à Iaſone honorifice cum facularum luminibus & laudibus. Poſt hæc Iaſon expulſus eſt in exilium in Amanitem regionem , ſupplantatus à Menelao fratre ſuo : quem prius Oniam fuiſſe nominatum dicit *Hiero. in chro.*

Petrus vero Comeſtor, Non Oniam, ſed Ioannem eum dicit fuiſſe appellatum. Non multo poſt amoto eodem Menelao , ſubſtitutus eſt pro eo Lyſimachus frater eius. Poſt hæc fecit Menelaus occidi Oniam ab Andronico , cui Antiochus Iudæam commiſerat : dans ei inter cætera aurea , quædam vaſa templi , quæ furatus fuerat : cuius cædis cum querela relata eſſet ad Antiochum : Antiochus ipſe miſeratione commotus fleuit , & Andronicum purpura exutum & per totam ciuitatem circumductum , in eo loco in quo Oniam occiderat, occidi iuſſit. Deinde interfectus eſt Lyſimachus ſecus ærarium.

Comeſtor. ib.

De apparitione equitum per aera , & morte Menelai, & ſpoliatione templi.

Cap. LXIV.

Viſi in aëre conflictus equitum.

ANtiocho autem ſecundam profectionem in Ægyptum parante , contigit per totam ciuitatem Hieruſalem diebus 40. videri per aera equites diſcurrentes , auratas ſtolas habentes , & haſtas quaſi cohortes armatos , & curſus equorum per ordines digeſtos , & congreſſiones fieri cominus , & ſcutorum motus , & & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis , & iactus telorum , & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Poſt hæc Iaſon cum mille viris apprehenſa ciuitate obſedit Menelaum in arce : & iterum victus fugit in Amanitem , & inde ab Areta Arabum Tyranno expulſus eſt in Ægyptum : & tandem apud Lacedæmones mortuus eſt , neque ſepultura peregrina vſus.

Antiochus vrbe Hieroſolyma occupata, templū ſpoliat.

Poſtquam expulſus eſt Antiochus ab Ægyptiis, venit in Iudæam , & expoliauit templum , & poſuit in arce præſidium Macedonum , & reuerſus eſt in terram ſuam. Antiochus etenim ſuſpicans Iudæos deſerturos ſe, armis cæpit ciuitatem , & iuſſit fieri cædes ſenum , & Iuuenum : mulierum , & infantium : interfecta ſunt igitur in triduo 80. millia & 40. millia vincta , & non minus venundata : ablatis de templo 1800. talentis , regreſſus eſt Antiochiam.

De ſecunda repulſione Antiochi ab obſidione Alexandriæ : & de Baſternarum ſubmerſione.

Cap. LXV.

Iuſtinus lib. 34. paulo poſt initium. Poſt biennium rurſum contra Ptolemæum congregauit exercitum Antiochus : Ptolemæo maiori ſororis ſuæ filio , Regi Ægypti, bellum infert, ſegni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti , vt non ſolum regiæ maieſtatis officia intermitteret , verumetiam ſenſu hominis nimia * ſagina careret. Pulſus igitur regno , ad fratrem minorem Ptolemæum , Alexandriam confugit : participatoque cum eo regno, legatos Romam ad ſenatum mittunt. Cum ergo duo fratres Ptolemæi obſiderentur Alexandriæ ab Auunculo ſuo , venêre Romanorum legati : quorum vnus P. Popilius Lenas, excedere eum ab Ægypto iubet. Cum autem rex oſculum ei obtuliſſet (nam inter cæteros coluerat * Popilium : cum Romæ obſes fuiſſet) Popilius faceſſere interim priuatam amicitiam iubet, cum mandata patriæ intercedant : Prolatoque ei ſenatus decreto, & tradito : cum cunctari eum videret, conſultationemque ad amicos referre : virga, quam in manu gerebat , amplo circulo incluſum , vt amicos caperet, conſulere eos iubet : nec prius egredi eos inde , quàm reſponſum ſenatui daret : aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum.

* *ſegnitie.*

Alexãdriam tũc obſidebat Antiochus.

Lego in Iuſtino Popilliũ & etiam in Hieronymo, & ideo correxi Pompilium.

Hiero. ſuper Danielem cap. 11. Cum feciſſet Popilius orbem in arenis baculo , quem tenebat manu , nam inuenerat Regem ſtantem in littore , & circunſcripſiſſet eum , dixiſſe fertur : Senatus & Populus Ro. præcipiunt , vt in iſto loco reſpondeas , quid conſilij geras : quibus dictis perterritus Antiochus dixit : Si hoc placet Senatui, & Populo Romano , recedendum eſt : non legatum locutum , ſed curiam ipſam ante oculos poſitam credens.

Popilij leuo factum.

Poſt biennium autem antequam templum ſpoliauerat Antiochus , miſit in Hieruſalem qui tributa exigerent à Iudæis , & auferrent cultum Dei , & in templo , Iouis Olympi ſimulacrum , & Antiochi ſtatuas ponerent.

Antiochus abrogato Dei cultu, templū prophanat.

Euſebius. Eo tempore apud Macedones regnauit Perſes.

Oroſius lib. 4. cap. 20. His temporibus Lepido & Mucio conſulibus : Baſternarum gens ferociſſima , auctore Perſeo Philippi filio, prædarum ſpe ſolicitata, & tranſeũdi Iſtri fluminis facultate, ſine vlla pugna vel aliquo hoſte deleta eſt. Nam tunc forte Danubius , qui & Iſter, craſſa glacie ſuperſtratus, pedeſtrem tranſitum facile patiebatur. Itaque cum improuidè toto & maximo ſimul agmine, ineſtimabilis hominum & equorum multitudo tranſiret, enormitate ponderis , & concuſſione gradientium concrepans gelu , & glacialis cruſta diſſiluit : vniuerſumque agmen, quod diu ſuſtinuerat, mediis gurgitibus vita tandem & comminuta deſtituit : atque eadẽ rurſus fragmentis impedientibus ſuperducta , ſubmerſit. Pauci ex omni populo per vtramque ripam vix conciſis viſceribus euaſerunt.

Baſternarũ ingẽs deſtructio.

De ſubmerſione Regni Macedonum per Romanos, & Ænnio poeta.

Cap. LXVI.

Iuſtinus lib. 32. prope finem. Eo tempore commiſſum eſt bellum Macedonicum inter Perſeum & Romanos, vbi fuerunt in auxilio Perſei Scordiſci Galli, Iſtriani , & Daci : qui Daci, ſoboles Getharum ſunt, qui cum Olore rege aduerſus Baſternas male pugnaſſent, ob vltionem ſegnitiei capturi ſonanum capita loco pedum ponere iuſſu regis cogebantur : miniſteriaque vxoribus , quæ ipſis ante fieri ſolebant , facere , neque hæc ante mutata ſunt , quam ignominiam bello acceptam virtute delerent. Interea Paulus Æmilius à Romanis conſul creatur,

Iuſtinus l. 33. paulò poſt initium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

creatur, cui extra ordinem Macedonicum bellum decernitur.

Valerius lib.1.cap.5. Huic cum ſorte eueniſſet, vt bellũ cum Perſa Rege gereret, reuertens domum è curia, filiam oſculatus, triſtem animaduertit: Cauſam cum quæreret, illa reſpondit: Perſam petiiſſe. Deceſſerat autem catellus, quem in deliciis habuerat, nomine Perſa: ex quo fortuito dicto, certam ſpem clariſſimi triumphi, animo præſumpſit.

Marci Catonis virtus mirabilis.

Iuſtinus vt ſupra. Pridie antequam bellum conſereretur, Luna nocte defecit: id portentum triſte Perſeo omnibus præſagientibus, finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus. In ea pugna Marcus Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertiſſimos hoſtes inſigniter dimicat, equo dilapſus, pedeſtre prælium aggreditur. Nam cadentem manipulus hoſtium cum horrido clamore, veluti iacentem obtruncaturus circunſteterat: At ille citus corpore collecto, magnas ſtrages edidit. Cũ ad illum vnum opprimendum, vndique hoſtes conuolarent: dum quendam procerum petiit, gladius ei è manu elapſus, in mediam cohortem hoſtium decidit: ad quem recuperandum vmbone ſe protegens, inſpectante vtroque exercitu, inter hoſtium mucrones ſeſe immerſit: recollectoque gladio, multis vulneribus acceptis, ad ſuos cum clamore hoſtium reuertitur. Huius audaciam cæteri mirati & imitati victoriam peperere. Perſeus Rex fuga cum 10. millibus Talentum Samothraciam fertur: quẽ Gneus Octauius, ad perſequendum miſſus à conſule, cũ duobus filiis, Alexandro, & Philippo, cæpit: captumque ad conſulem reduxit.

Velleius ſcribit Perſeum quadriennio poſt in libera cuſtodia alba deceſſiſſe.

Oroſius cap. 20. vt ſupra. In eo prælio 20. millia peditum de parte Perſei interfecta ſunt: Rex cum equitatu ſubterfugit, ſed continuo captus, atque in triumpho cum filiis ante currum actus eſt: & poſt, apud Albam in cuſtodia defecit, filius eius iunior fabricam æraziam ob tolerandam inopiam Romæ didicit, ibique conſumptus eſt.

Euſebius in chroni. Igitur anno Philometoris 12. Antiochi vero Epiphanis 8. Macedonum regnum defecit.

Eodem anno Ænnius Poeta 70. maior annis, articulari morbo periit: ſepultuſque eſt in Scipionis monumento via Appia intra primum ab vrbe miliarium. Quidam oſſa eius Rhodiam ex Ianiculo, tranſlata affirmant.

De impietate Antiochi in Iudæos, & zelo Mathathiæ.

Cap. LXVII.

Antiochus ſummã tyrãnidẽ exercet in Iudæos, obtrudens illis falſum cultum.

Comeſtor cap.11. Antiochus itaque ab Ægypto repulſus per nuncios Romanorum redit in Hieruſalem cum furore, & aperuerunt ei portas fauentes ſibi, & interemit contraria ſentientes: & expoliauit templum Menelao ductore, tollens vaſa, & poſuit in templo idolum Iouis Olympiaci, vel hoſpitalis: oblationes Moſaicas fieri prohibuit, altare æneum amouens: & carnem ſuillam edere, & idolo immolare coegit Iudæos: arcem quoque muniuit in ciuitate Danid, in qua poſuit præſidium Macedonum, qui Iudæis erant in omnibus inhumani: nam quoſcunque circumcidiſſe filios ſuos reperiſſent, ſuſpendebant, & paruulos ad colla eorum. Videntes autem Samaritæ Iudæos hæc pati, de conſuetudine naturæ ſuæ, ſe non eſſe cognatos Iudeorum fatebantur: & quod hactenus prædicauerant templum ſuper Gariſim, Dei eſſe maximi, negauerunt.

Ingenium Samaritanorũ: ob quod merito Iudæis exoſi.

Tunc multi Iudæorum ſponte: quidam timore, iuſſa regis ſecuti ſunt, probati vero, paternis legibus adhæſerunt.

Comeſtor in hiſtoria Machabæorum. cap.1.

Erat autem vir de Modin ſacerdos nomine Mathathias, de vice Ioachim: erantque ei filij 5. Ioannes, Symon, Iudas, Eleazarus, & Ionathas. Hi videntes mala, induti ciliciis planxerunt: & venerum Emiſſarij directi à Rege in Modin, ſtatuentes idola in loco quibus cogerent Iudæos immolare. Tunc quidam ex Iudæis immolauit in medio, & ſurgens Mathathias cum ſuis trucidauit eum ſuper aram, & nuncios Regis interemit: aram quoque deponens, clamauit: Qui Dei eſt, ſequatur me: & cum omni tribu ſua, exiit in ſolitudinem, omnia relinquens: multique cum filiis, & vxoribus ad ſolitudinem confugerunt, malentes herbis vti, quam inquinari: tunc Emiſſarij Regis aggreſſi ſunt eos in diebus ſabbathorum, quibus eis nefas erat arma mouere, & percuſſerunt quoſdam, alios in ſpeluncis globis fumiferis ſuffocantes. Et perierunt ex eis 3. millia, alij habent ſolum mille. Plures autem liberati adiuncti ſunt Mathathiæ, & eum iudicem ſibi ſtatuerunt. Qui eos docuit pugnare in ſabbatis dicens: Si ſuper hoc legem ſeruaueritis, eritis hoſtes legis, dantes cauſam, vt pereat populus Dei, & lex cum populo peribit. Anno vno hic geſſit magiſtratum, & mortuus eſt.

Mathathiæ & eius filiorum pietas & zelus.

Sane in prophanatione Antiochi cum cogerentur Iudæi à paternis legibus recedere, duæ mulieres delatæ ſunt ſuos natos circumcidiſſe, quas (infantibus ad vbera ſuſpenſis) cum publice per ciuitatem circunduxiſſent carnifices, per muros præcipitauerunt. Eleazarus quoque vnus de principibus Scribarum, & etate proiectus, aperto ore hians, compellebatur ſuillas & ſacrificij carnes manducare. Quidam vero eius veteres amici, carnes illicitas ſecreto afferentes, rogabant, vt ſimularet ſe ad imperium Regis manducare, quod renuens aiebat: Adoleſcentibus potius exemplum forte derelinquam: & plagis peremptus, memoriam virtutis dereliquit.

Comeſtor li. 2. Machab. cap.1. in recapitulatione.

Eleazari virtus & virile robur.

De ſeptem Machabæorum martyribus.

Cap. LXVIII.

Crudelitas Antiochi in ſeptem Machabæos.

Contigit autem & ſeptem fratres vna cum matre apprehenſos compelli à Rege ad eſum carnis porcinæ: quibus renuentibus, iuſſit Rex coram eis ſartagines & ollas æneas ſuccendi, & primogenito linguam amputari, cuius cute capitis abſtracta, & ſummitate pedum & manuum præſciſa, coram matre & fratribus miſſus in ſartaginem torrebatur: in eundem modum ſinguli fratrum ad ordinem genituræ torquebantur: præmiſſa tamen vnicuique exhortatione, vt regi obediret, & viueret. Supra modum autem mater mirabilis ſingulos hortabatur ad martyrium: quæ & ipſa nouiſſime poſt filios defuncta eſt. Pro hac tanti prærogatiua martyrij, aſſerunt plurimi, de his ſeptem fratribus Eccleſiam ſolemnizare.

Mater filios ad martyriũ adhortatur.

Ioh. Chryſ. in ſermone de Machabæis tomo primo. Sæpe quidem mater ſi videat filium ſuum febribus æſtuare, ita perturbatur, vt ardores illius cupiat in ſua membra transferre, & ſanitatem ſuam in filium transfundere: & cum vera ſit in cunctis matribus talis affectio: manifeſtum eſt: quod mater illa 7. Machabæorum grauius in ſuppliciis filiorum puniebatur, quam ſi ipſa pateretur: & maior erat paſſio in matris viſceribus, quam in filiorum corporibus. O amariſſimum illud, ſimul & dulciſſimum matris ſpectaculum: amariſſimum inquam, propter naturam affectionis humanæ, & propter ipſorum faciem tormentorum: dulciſſimum vero propter virtutem fidei, quæ delectabatur domeſticarum ſpectaculo paſſionum: quo impiam ſacrilegi Regis crudelitatem confeſſio glorioſa vincebat. Mater illa, dolores partuum ſuorum oblita, ſpectaculo orbitatum ſuarum non frangebatur ſed confortabatur: ipſam naturæ ſuæ tyrannidem, animo ſuperante calcauit: quæ etiam beſtiarum ferocitatem ſubigere conſueuit: ſæpe enim difficiles capi beluæ, per amorem tamen ſobolis ſuæ capiuntur: quia dum natorum ſuorum dilectionem vitæ ſuæ præferunt, ita affectu pietatis in-

Mater quãto amore diligit filium?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

caute in manus venatorum incidunt; qui prius catulos eorum venantur, vt per affectionis captiuitatem perueniant ad capturam parentum: nullumque est animal tam infirmum, quod non pro filijs suis defensandis robur assumat: nullum ita mansuetum, quod arreptis catulis, non irritetur, & aduersus rapientem quanta potest virtute desæuiat.

Sed mater ista totam, & per homines & animalia irrationabilia dari iure porrectam atque diffusam naturæ tyrannidem fidei virtute dissoluit; & videns catulos suos diripi; non solum in tyrannum non insiluit, & faciem eius vt bestia lacerauit; sed etiam tanta magnanimitate se omnem philosophiam supergressam monstrauit; vt immolationem filiorum suorum hortatu suo præpararet; & persecutori ingereret. Et cum videret in filiorum membris, viscera sua cruciari, alterius auulsos à suis manibus digitos, super prunas ignium spargi, & vnius caput clauis affiigi: alterius capiti cutem detrahi; & totum corpus extracta pelle nudari: In his omnibus vnum timebat, ne cui tyrannus parceret, & per inuidiam diaboli soluto certamine triumphantium scinderetur chorus filiorum eius; ne quis eorum sine corona maneret. Cumque diabolus eam vltimam ad certamen adducere voluerit; vt prius virtute eius infracta & in spectaculo per tormenta morientium filiorum; afflictam facile postea debellaret muliebrem; per hæc ipsa, quibus eam vincendam putauerat, ea vincente, confusus est: magis enim illa exemplis filiorum confirmata, prælium ingressa est; septemque martyrum legio in matre impleta est in qua dilatata est gloria passionis; & corona martyrij, & in ea omnium virtus & gloria confluebat: quia per vnumquemque filiorum; ipsa passa est, & eos tales ipsa perfecit.

De prælijs Iudę Machabęi, & turpi morte Antiochi.

CAP. LXIX.

Iudas Machabæus administrationi rerũ præficitur. Apollonium & alios duces prælio vincit.

Comest. c. 2. hist. Machabæor. item 3. 4. & 5. Iudas autem Machabæus in ducatu pro patre surgens, primo quidem Appolonium Samariæ ducem, deinde Seron ducem inferioris Syriæ, contra se venientes occidit; & eorum agmina partim cecidit, partimque fugauit. Antiochi quoque duces Lysiam, & Gorgiam, de Iudæa expulit; & templum ab alienigenis pollutum, post tres annos quibus prophanatum fuerat, emundauit; ipsamque diem Encæniorum solemnem instituit; sed Timotheum ducem Ammonitarum viriliter expugnauit; denique similis ipse cum Ionatha, Galaditas fratres, ab incursu hostium liberauit, aliaque plurima bella viriliter egit. Inter hæc perambulabat Antiochus superiores regiones, & audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Perside opulentam; & templum in ea locuples in quo erant velamina aurea, & loricæ; & scuta, quæ reliquerat Alexander; & ea querebat prædari, sed non potuit. Nam Elymaitæ fugauerunt eum ignominiosè, & nunciatum est ei in via, quoniam fracti erant principes eius in Iudæa: & versus in furorem iussit agitari currum suum sine intermissione, superbè intonans venturum se Hierosolymam, & facere eam Poliandrum Iudæorum. Et statim apprehendit eum amarus dolor viscerum, & contigit illum impetu euntem de curru cadere, & collisus est, & ebullierunt vermes de carnibus eius, & effluebant viuentes, & fætore illius grauabatur exercitus. Cumque nec ipse fætorem suum ferre posset, coactus est ad cognitionem sui venire, & ait: IVSTVM EST MORTALEM SVBIECTVM ESSE DEO: & vouebat se liberaturum Iudæos, & pares Athenienſibus facturum: polliceba-

Antiochus morbum cõtrahit.

Miror Polybium Megapolitanum scripsit omnia hęc ad Iudęos, orans fideliter vt adhærerent Antiocho filio eius. Cumque profiteretur se pati hoc propter templi violationem, vocauit Philippum collactaneum suum, & constituit eum tutorem Regni, dans ei diadema, stolam, & anulum, vt ferret ea ad Antiochum filium suum, & poneret eum super solium Regni. Et mortuus est Antiochus peregrè in montibus miserabiliter. Quod cum cæpisset Lysias, constituit Antiochum quem nutrierat, Regem; & vocauit eum Eupatorem.

Hier. super Danielem. cap. 2. Porro Anthiochus ille Epiphanes adeo luxuriosus fuisse legitur, & in tantum dedecus regiæ dignitatis per stupra, & corruptelas venisse, vt Mimis quoque & Scortis publicè iungeretur, & libidinem suam, populo præsente, compleret.

De Antiocho Euparore, & eius prælio contra Iudæos.

CAP. LXX.

Eusebius in chron. Anno igitur Philometoris 16. Syriæ & Asiæ regnauit Antiochus Eupator annis 2.

Iudas Machabæus arcem oppugnat.

Comestor cap. 5. Tunc cogitauit Iudas vt obsideret eos, qui erant in arce præsidij & fecit baliſtas, & machinas & confortauit aggerem: tunc egressi sunt quidam de obsessis, & adiunxerunt se illis viri impij ex Israel, & venerunt ad Regem & dixerunt. Quousque non vindicas nos qui decreuimus seruire patri tuo, & tibi? ascende & libera obsessos tuos, & redde nobis hæreditates nostras: & iratus Rex vehementer collegit exercitum: sed & de regnis alijs venerunt ad eum conductitij, & erant centum millia peditum, & 20. millia equitum, & elephanti 32. & applicuit ad Bethsuram, vt expugnaret eam: & recessit Iudas ab arce & admouit castra contra Regem; & ordinauit Rex diluculo exercitum, & Bethsura obsessa ostenderunt Elephantis sanguinem vuæ, & mori, ad acuendum eos in prælium, & astiterunt singulis Elephantis ad custodiam, mille pedites loricati; & equites quingenti; & turres ligneæ erant super singulos, & in turre 32. viri pugnantes desuper & intus magister bestiæ, & distenta est pars exercitus Regis super montes, alij per loca ibant humilia. Et resplenduit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis; & apparuit Iudas in prælio cum suis. Et ceciderunt de exercitu Regis sexcenti viri: & vidit Eleazarus frater Iudæ vnam de bestijs cæteris eminentiorem, & arbitrans Regem esse in ea, currit per hostes & subijt Elephantem & effodit eum in vmbilico, & cadens Elephas oppressit eum. Tunc diuerterunt Iudæi à prælio, & ascendit Rex post eos, & capta Bethsura, positisque custodibus in ea, obsedit Hierusalem, & statuit illic baliſtas & machinas, & ignis iacula, & scorpios ad mittenda sagittas, & fundibula. Escæ enim non erant in vrbe, eo quod septimus annus esset, & egressi sunt plures, tunc audiuit Lysias quod Philippus redierat à Perside, & quærebat suscipere regni negocia, & suggessit Regi dicens: deficimus quotidie, & esca nobis modica est: & munitus est locus quem obsidemus quotidie & incumbit nobis ordinare de regno. Demus igitur dextras hominibus istis, statuentes vt ambulent in legibus suis, & seruient nobis: & facta pace iurauit Rex & principes eius, & intrauit in montem Syon & vidit munitionem loci, & rupit iusiurandum: & destruxit murum in gyro. Et reuersus Antiochiam, inuenit Philippum damnantem in ea, & vi occupauit ciuitatem.

Iudæi in arce ab Antiocho auxilium petunt.

Eleazarus Iuda frater Elephantem occidit.

Antiochus cognito quod Philippus vsurpato sibi regno aduẽtaret è Perside obsidione soluta illi occurrit.

De Demetrio Rege, & victoria Iudæ de Nicanore.

Cap. LXXI.

Comestor cap. 6. EO tempore exit Demetrius Seleuchi filius ab vrbe Roma, & ascendit in ciuitates maritimas, & regnauit ibi: hunc dum adhuc esset puer, patruus eius Antiochus Epiphanes priuauerat regno: & descenderat Romam in accusationem patrui. Audiens vero patruum defunctum, redijt: & plures receperunt eum. Sed Antiochum ligauit exercitus & Lysiam, vt traherent eos ad eum, quod cum accepisset, ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum, & occidit eos exercitus, & sedit Demetrius super solium patris eius.

Alcimus Iudam apud Demetrium accusat. Tunc venerunt ad regem impij ex Israel, & Alcimus Aaronita dux eorum, qui volebat fieri sacerdos, & accusauerunt Iudam, dicentes: Perdidit Iudas omnes amicos suos, & nos disperdidit de terra nostra. Mitte ergo virum cui credis, qui videat exterminium & vindicet nos. Et constituit Rex Alcimum principem sacerdotum, & misit cum exercitu Bacchidem in Iudæam. Multi vero de populo crediderunt ei dicentes: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos, & egressi sunt ad Bacchidem, & occidit de eis 60. vna die, tunc recessit Bacchides à Hierusalem, & commisit regionem Alcimo, & fecit malum in Israel plusquam gentes: quod attendens Iudas cessauit exire in regiones, & fecit vindictam in viros desertores. Videns autem Alcimus quod non posset Iudam sustinere, redijt ad Regem, accusans Iudam in multis: & misit rex Nicanorem, qui cum eo fuerat Romæ in Iudæam; mandans ei euertere populum: & congressi sunt iuxta vicum Capharsalama, & victus Iudas fugit in ciuitatem Dauid: & recessit Nicanor à Hierusalem. Cumque comperisset Iudam esse in locis Samariæ: disposuit committere cum eo bellum in die Sabbathi. Machabæus autem cum pauci essent cum eo, formidantes impetum Nicanoris & multitudinem illorum, singulos armauit non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis, & exhortationibus: præsertim, exposito eis somnio, quod in eadem nocte viderat, de Onia scilicet & Hieremia pro ipsis orantibus, quo, confortati impetum facientes in hostes, prostrauerunt ex eis non minus 30. millia, Nicanore cum eis interempto, cuius etiam caput amputantes, & dexteram, quam superbè contra templum extenderat: suspenderunt ea contra Hierusalem; & linguam eius minutatim incisam dederunt auibus ad comedendum. Et statuerunt diem illam solemnem omnibus annis.

Bacchides multos sibi credentes occidit.

Demetrius Nicanorem contra Iudam mittit.

Nicanor occisus.

Comest. in 2. lib. Machabæorum cap. 1. Miserunt etiam epistolam dispersioni Iudæorum in Ægypto, & diuersis orientis regionibus exulantium; (*quæ est secundus liber Machabæorum*,) hortantes, vt & solemnitates duas à se nouiter institutas susciperent. Scenophegiæ quoque diem obseruarent, & diem ignis, qui datus est de aqua crassa: quando Nehemias obtulit sacrificia. In eadem epistola recapitulant bella, quæ contra hostes insurgentes frequenter egerant, & qualiter à Deo liberati fuerant; & siluit terra Iuda à prælijs dies paucos.

De Terentio & eius comœdijs.

Cap. LXXII.

EVsebius in Chronicis. Eo tempore Pubnus Terentius Carthaginensis comœdiarum scriptor ob ingenium & formam libertate donatus in Archadia moritur: qui primam Andriam antequam ædilibus venderet Cecilio multum se miranti legit.

Epitaphium Terentij. *Author.* Huius Terentij legitur hoc epitaphium.

Natus in excelsis rectis Carthaginis altæ:
Romanis ducibus bellica præda fui.
Descripsi mores hominum, iuuenumque senumque.
Qualiter & serui decipiant dominos.
Quid meretrix, quid leno dolis, quid fingat auarus.
Hic quicunque legit, sic puto cautus erit.

Inter scriptores comœdiarum Plautus, & Terentius præcipui habentur.

Comœdia interpretatur villanus cantus, comœdiarum vsus hinc inoleuit.

Mos erat antiquorum, vt post collectas de adiacentibus villis fruges in aliquem locum capacissimum confluerent, & ibi quosdam versus de communi statu vitæ suæ rusticiter compositos, in festiuis diebus recitarent. Ex qua consuetudine apud Græcos, & Latinos, vsus inoleuit; vt de vulgari materia, vulgari sermone, carmina facerent. Et sic quod vulgare erat, paulatim quibusdam facetijs, & artificiali genere loquendi retenta, cum vili & humili materia, in artem redactum est. *Vnde Horatius.*

Fescenina per hunc inuenta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Comœdiarū triplex genus Tria vero sunt genera comœdiarum: togata, prætexta, palliata.

Toga est vestis communis apud Romanos, qua vtuntur tam nobiles quam ignobiles. Inde togatæ comedię, quæ sunt de gestis & personis ignobilium tantum.

Prætexta est vestis nobilium tantum; inde prætextatæ comœdiæ, quæ sunt de gestis & personis nobilium tantum, vtræque autem à Latinis conditæ sunt.

Pallium vero vestis est philosophica apud Græcos, vnde palliatæ comœdiæ de Græco in Latinum translatæ, vt Plautinæ & Terentianæ. Primas duas reprehendit *Horatius de arte Poëtica dicens.*

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Porrò in comœdia erant tres personæ necessariæ, corrector, defensor, recitator. Habuit autem Terentius istas peroptimas Titum Liuium scriptorem tragœdiarum, correctorem; & defensorem Domicium; Calliopium recitatorem.

De flosculis comœdiarum eius.

Cap. LXXIII.

IGitur comœdiarum Terentij, breues moralesque sententias in hoc loco excerpere decreui.

Actu 1. Scena prima. *Ait ergo in Andria.*
Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua.
Arbitror
Apprimè in vita esse vtile, vt ne quid nimis.
Hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Ingenium est
Hominum omnium à labore procliue ad libidinem.

Actu 2. Scena 1. Si illum obiurges vitæ, qui auxilium tulit;
Quid facies illi qui dederit damnum aut malum?
Quoniam non potest fieri id quod vis, id velis quod possit.
Facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.
Vxorem his moribus dabit nemo, qui pergit dicere quę vult, audiat ea quę non vult.

Idem in Eunucho. Plenus sum rimarum, hac atque illac pereffluo.
Sine Cerere, & Libero, friget Venus.
Euge, ipsi patrono opus est, quem defensorem paro.

Idem in Heautontimorumeno.
Actu 1. Scena 1. Vt quid aliena cures, eaque nihil quę ad te pertinent.
Actu 3. Scena 1. Homo sum, & ideo humani nihil à me alienum puto.
Actu 4. Scena 5. & 6. Deteriores omnes sumus licentia. Ita ferè comparata est omnium hominum natura, vt aliena melius iudicent quam sua.
Ius summum sæpe summa est malicia.
Actu 3 Scen. 5. Nulla est tam facilis res, quin difficilis sit, si inuitus facias.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Actu 5. Scen. 5. Nonne hoc flagitium eſt, te alijs conſilium dare: foris ſapere, tibi aut auxiliari non poſſe?

Quæ dum incipias, dum quæ ignoras, grauia ſunt; vbi cognoueris, faciliora erant.

Idem in Adelphis.

Actu 1. Scen. 2. Homine imperito nihil iniuſtius, qui nihil rectum putat, niſi quod ipſe fecit.

Coram aliquem laudare verecundum eſt, ne id magis aſſentandi cauſa fieri videatur.

Actu 4. Sce 1. Quid tu ibi agas, vbi ſi quid bene præcipias, nemo ob temperat?

Quod ius cogit, id voluntas imperat.

Scen. 7. Lupus eſt in fabula.

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris.

Id quod maximè iactu opus eſt, non cadit: forte vt illud quod cecidit, arte corrigas.

Actu 5. Scen. 3. Vetus verbum eſt hoc; communia eſſe amicorum inter ſe omnia.

Sæpe cum duo aliquid faciunt, dicere poſſis, hoc licet huic impune facere; illi non licet.

Non quod res diſſimilis ſit, ſed quod is qui facit.

Ad omnia alia ætate ſapimus rectius.

Hoc ſolum vitium ſenectus affert omnibus, quod attentiores ſumus ad rem quam ſat eſt. Errat longe à mea ſententia, qui imperium credit eſſe grauius, aut ſtabilius in quo ſit, quam illud quod amicitia iungitur.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum. Iſtud eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere.

Inſpice tanquam in ſpeculo vitas hominum iubeo: atque ex alijs ſumere exemplum ſibi.

Vt homo es, ita mores geras.

Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, neſcio quo modo ſuſpicioſi, ad contumeliam, omnia accipiunt; magis propter ſuam impotentiam, ſemper ſe credunt negligi.

Idem in Hecyra.

Actu 2. Sce. 1. Vno animo omnes ſocrus oderunt nurus.

Mulieres ferme vt pueri leui ſententia ſunt.

Iſtud porrò ſapere eſt, vt vbicumque opus ſit, animum flectas; & quod poſt fortaſſe faciendum eſt, mox facias.

Actu 5. Scen. 3. Ex quo multa fuerunt tibi commoda, eius æquum eſt, te ferre incommoda.

Idem in Phormione.

Actu 1. Sce. 1. Quam iniquè comparatum eſt, vt hi qui minus habent, ſemper aliquid ditioribus addant.

Actu 2. Sce. 1 Dum maximè homini ſecundæ ſunt res, tunc maximè meditari eum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferat.

Ne quid animo ſit nouum, quicquid præter ſpem euenier, in lucro deputare.

Scena 4. Quot homines, tot ſententiæ. Suus cuique mos eſt.

Nihil eſt, quin male narrando, poſſit deprauari.

De Regno Iudæorum reſuſcitato, & morte Iudæ.

CAP. LXXIV.

EVſebius in Chron. Igitur à tempore Machabæorum renaſcitur Regnum Iudæorum, cùm Iudas Machabæus filius Mathathię omnium Iudęorum fauore Pontifex decernitur. Suſcepit autem ducatum populi anno 2. Demetrij, Sother qui fuit 19. Ptolemæi Philometoris, & tenuit annis 3. deinde frater eius Ionathas 19. poſtea frater eius Simon 8. deinde filius Simonis Ioannes Hircanus 26. Extunc Ariſtobolus filius Ionathæ, Rex pariter, & pontifex primus apud Iudæos diadematis ſumpſit inſigne poſt 484. annos Babylonicæ captiuitatis, & regnauit anno vno. Deinde Iamneus qui & Alexander 27. Poſtea Alexandria vxor Alexandri 9. poſtmodo Hircanus filius Alexandriæ 33. Tandem Antigono dimicante cum Iudæis, ceſſauit principatus Pontificum, & à Romanis conſtitutus eſt princeps. Alienigena Herodes filius Antipatri Aſcalonitæ ſub quo natus eſt Dominus & regnauit annis 37. quo miſerabiliter mortuo anno domini 6. loco eius filius eius Archelaus conſtituitur ab Auguſto, & quatuor fratres eius Tetrarchæ fiunt: Herodes, Antipater, Lyſias, & Philippus. Regnauit autem annis 9. poſt eum Herodes Tetrarcha 24. poſt eum Agrippa 7. Deinde Agrippa filius Agrippæ 26. ſcilicet vſque ad annum ſecundum Veſpaſiani, in quo Iudæa capta eſt, & Hieruſalem ſubuerſa, & Iudæi captiuitate venundati & occiſi: tunc regum Iudæorum penitus defecit ſcilicet anno Domini 72.

Iudas fœdus facit cum Romanis; ſed poſtea interficitur.

Comeſtor cap. 7. Iudas quidem audiens famam Romanorum & virtutes quas in orbe exercuerant, nuncios ad eos miſit, & ab eis reſcriptum mutui fœderis obtinuit, nec multo poſt à Demetrij ducibus, in bello occiſus eſt.

De Ionatha duce, & Pacuuio poeta, & theatro Romæ prohibito: & Rege Syriæ Alexandro.

CAP. LXXV.

Ionathas ſucceſſit Iudæ in principatu.

EVſebius in Chron. Anno etiam Philometoris 23. & Demetrij 6. dux Iudæorum Ionathas factus eſt, frater Iudæ; qui Bacchidem ducem Demetrij Iudæa expulit, & pontificatum tenuit. Eo etiam tempore Ariſtarchus Grammaticus agnoſcitur. Pacuuius Brunduſinus tragœdiarum ſcriptor clarus habetur Ænnij poetæ ex filia nepos: viuitque Romæ, & picturam exercuit, ac fabulas vendidit; deinde Tarentum regreſſus prope nonagenarius obijt diem.

Helinan. Hic Pacuuius (vt ait A. Gellius) dicebat ſe odiſſe homines ignaua opera, & philoſophica ſcientia, nihilque fieri poſſe indignius aut intolerantius, quàm quod homines ignaui ac deſides operti barba, & pallio, mores, & emolumenta philoſophiæ, in linguæ, verborumque artes, conuerterent: & vitia facundiſſimè accuſarent, intercutibus vitijs ipſi madentes.

Eo tempore Cenſores theatrum lapideum in vrbe conſtrui cenſuerunt, quod ne tunc fieret, Scipio Naſica grauiſſima oratione obſtitit, dicens; Inimiciſſimum hoc fore bellatori populo, ad nutriendam deſidiam, laſciuiamque, commentum, adeo quoque monit Senatum, vt non ſolum vendi omnia theatro comparata iuſſit, ſed etiam ſubſellia ludis poni prohibuerit. Quid hic dicunt noſtri, quibus quicquid extra oblectamentum libidinis occurrit, offenſio eſt. Accuſent igitur non tempora, ſed & theatra, in quibus ad aram luxuriæ, virtutum victoriæ trucidantur.

Aug. in lib. 1. de ciuit. Dei cap. 31. Scipio Naſica prohibuit Senatum conſtruere theatrum, perſuadens oratione grauiſſima, ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere: *& poſt pauca:* Dij propter ſedandam corporum peſtilentiam, ludos ſibi ſcenicos exhiberi iubebant: Pontifex autem propter cauendam animorum peſtilentiam, ipſam ſcenam conſtrui prohibebat, *& paulò poſt cap. videlicet* 33. neque enim cenſebat ille fælicem fore rempublicam, ſtantibus mœnibus, ruentibus moribus.

Græci multis ſæculis, ante Romanos theatra habuerant.

Iuſtinus lib. 35. in initio. Interea Antiochenſes Demetrio defecerunt, adiuuantibus eos Ptolemæo, Rege Ægypti: & Attalo, Rege Aſiæ: & Ariarathe, Cappadociæ, qui bello à Demetrio laceſſiti, ſubornant propalam quendam ſortis extremæ iuuenem, qui Syriæ Regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deeſſet, nomen ei Alexandri inditur, genituſque ab Antiocho Rege dicitur. Igitur Alexander admirabili rerum varietate, priſtinarum ſordium oblitus, totius ferme orientis viribus ſuccinctus bellum Demetrio infert, victumque vita pariter & regno ſpoliat.

Comeſtor cap. 10. in primum Machab. Et exiuit Ptolemæus de Ægypto, & filia eius Cleopatra; & occurrenti ſibi Alexandro in Ptolomaide, dedit eam in vxorem. Tunc Alexander vocauit ad ſe Ionathan: & induit eum pur-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pura, & scripsit eum inter primos amicos. Sunt autem quatuor insignia regalia: purpura, fibula aurea, diadema, & sceptrum.

Sequimur hic Eusebiũ in chronicis alijs aliter sentientibus.

De Regno Euergetis secundi, & sacris Cibelæ susceptis à Romanis.

Cap. LXXVI.

Ptolemæus Euergetes secundus 3810.

EX *chronicis*. Anno Ionathæ 14. Alexandri vero 7. quintæ scilicet ætatis, 447. mundi vero 3810. Ptolemæus Euergetes secundus Ægyptiorum septimus regnauit annis 29.

Author. Hoc tempore vt ait Aug. lib. 1. cap. 30. Scipionem Nasicam sub terrore belli Punici in suscipiendis Phrygijs sacris, vniuersus senatus elegit. De his sacris dicit Ouidius in quarto Fastorum scriptum fuisse in carmine Cybelæ.

Mater abest, matrem iubeõ Romane requires.
Cum veniet, casta est accipienda manu.

Quod Pontifices interpretati sunt de matre Deorum, cuius sacra tunc à Pessimunde (vt ait Aug.) allata sunt. Huic ergo Deæ scilicet Cybelæ, Scipio Nasica templum facere incæpit: Post quem Metellus opus ampliauit, post quem Augustus templum perfecit.

In eius festo, quod erat nonis Aprilis, conferebat æs populus propter illam causam quam ponit Ouidius.

Contulit æs populus, de quo delubra Metellus.
Fecit, ait, dandę mos stipis inde manet.

In alienis domibus tunc comedebant, quia Cybelæ mutauerat sedem.

Primi ludi fiebant in honore eius, quia ipsa est mater Deorum. Sacerdotes eius Galli dicebantur ideſt insani, & eunuchizati, mora tamen ponebantur in mensis, & caseus propter illud:

Agnoscat priscos vt Dea prisca cibos.

id est mora, & lac, & caseum, & herbas. Vnde est illud.

Candidus Elissæ miscetur caseus herbæ.

Aug. lib. 7. de ciu. Dei cap. 23. Atis in cuius dilectionis memoriam Gallus abscinditur: propter vernalem faciem terræ, quæ cęteris temporibus est pulchrior, Porphyrius Philosophus nobilis Atyn flores significare perhibuit, & ideo abscisum, quia flos decidit ante fructum.

De mollibus autem, matri magnę, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, consecratis, qui vsque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris incessu fœmineo, per plateas Carthaginis etiam à populis, vnde turpiter viuerent, exigebant: nihil Varro dicere voluit; nec vspiam me legisse commemini: defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Iuppiter inter fœmineas corruptelas vno Ganymede cœlum infamauit: mater ista Deorum, tot mollibus professis, & publicis; & inquinauit terram, & cœlo fecit iniuriam.

De præparatione belli Punici tertij, & situ Carthaginis.

Cap. LXXVII.

IDem *in lib. 1. cap.* 30. Igitur cum Senatus delendam Carthaginem censeret, Scipio Nasica nolebat vrbem æmulam Romani imperij dirui, & decernenti, vt diueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis ab hoste securitatem, & tanquam pupillis ciuibus idoneum tutorem, necessarium videns esse terrorem: res secundas, quibus auarus luxuriosusque populus effectus est, prouidentissime cauendas esse censebat: quare ciuitatem hostium maximam, fortissimam, opulentissimamque nolebat auferri: vt timore libido premeretur; libido pressa non luxuriaretur; luxuriaque cohibita, nec auaritia grassaretur. Quibus vitijs obseratis, ciuitati, vtilis virtus floreret, & crescceret: prævaluit autem Catonis sententia.

Orosius lib. 4. cap. 22. Profectique sunt in Africam consules, Lucius Censorinus, & M. Manilius & Scipio tunc tribunus militum, qui prope Vticam * maioris Africani castra tenuerunt. Ibi Carthaginensibus euocatis, iussisque vt arma & naues traderent, nec moratis, tanta vis armorum repente tradita est, vt facile tota ex his Africa potuisset armari: sed Carthaginenses, postquàm arma tradiderunt, & relicta vrbe recedere procul à mari 10. millibus passuum iussi sunt, dolorem ad desperationem contulerunt, aut defensuri ciuitatem, aut cum ipsa & per ipsam sepeliendi: ducesque sibi duos Asdrubales creauerunt, armaque prius facere aggressi; æris, ferrique inopiam, auri argentique metallis supppleuerunt. Consules oppugnare Carthaginem statuerunt, cuius situs fuisse huiusmodi dicitur: 20. millibus passuum muro amplexa, tota penè mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur: is locus murum 30. pedes in latum habuit, saxo quadrato, in altitudinem cubitorum 40. Arx, cui Byrsæ nomen erat, paulò amplius quàm duo millia passuum tenebat: ex vna parte murus communis est vrbis, & Byrsæ imminens mari, quod mare stagnum vocant, quoniam obiectu protentæ linguæ stagnabatur.

** Castra Corneliana intelligit de quibus Cæsar lib. 2. de bello ciuili.*

Appianus in Lybica situ Carthaginis accuratè descripsit qui imprimis legendus de rebus tertio bello Punico gestis.

De subuersione Carthaginis.

Cap. LXXVIII.

COnsules igitur quamuis aliquantam muri partem quæ fatam machinis diruissent, tamen à Carthaginensibus victi & repulsi sunt: quos fugientes Scipio, repulso intra muros hoste defendit. Censorinus in vrbem redijt, Manilius omissa Carthagine, ad Asdrubalem arma conuertit. Scipio, Massanissa mortuo, inter tres filios Massanissæ Numidiæ regnum diuisit: quocirca Carthaginem reuerso, Manilius Tezagam vrbem expugnauit atque diripuit: duodecim millia ibi Afrorum cæsa, 6. millia capta sunt. Asdrubal Pœnorum Imperator, Massanissæ nepos, subsellıorum fragmentis in curia à suis propter suspicionę proditionis occisus est. * Iuuẽtius prætor in Macedonia aduersus Pseudo-Philippum congressus, cum magna clade totius Romani exercitus interfectus est.

** in Epitoma Liuiana est M. Iuuentius. Orosius ibidem cap. 23.*

Igitur anno ab vrbe condita sexcentesimosexto, id est anno 50. post bellum Punicum secundum Cneo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio consulibus; Publius Scipio superioris anni consul: delere Carthaginem suprema sorte molitus *, Cothonem ingreditur: vbi dum continuè sex diebus noctibusque pugnatur, vltima Carthaginenses desperatio ad deditionem traxit, petentes, vt quos belli clades reliquos fecit, saltem seruire liceat. Imprimis agmen mulierum satis miserabile, & post virorum magis deforme descendit: nam fuisse mulierum 25. millia: virorum 30. millia, memoriæ traditum est. Rex Asdrubal se vltro dedit: Transfugæ, qui Æsculapij templum occupauerant, voluntario præcipitio dati, igne consumpti sunt. Vxor Asdrubalis se, duosque filios suos secum, virili dolore, & furore fœmineo in medium iecit incendium: eundem nunc mortis exitum faciens nouissima Regina Carthaginensis, quem quondam prima fecisset. Ipsa autem ciuitas 17. diebus continuè arsit, miserumque spectaculum de varietate conditionis humanæ victoribus suis præbuit. Diruta autem est Carthago, omni murali lapide in puluerem comminuto 700. post anno quàm condita fuerat.

** quomodo Cothonem portum ingreditur & occupauit Scipio scribit Appianus in Lybica.*

Multitudo omnis captiuorum, exceptis paucis principibus, venundata est: ita anno 4. postquàm cæptum fuit secundum bellum Punicum, tertium consummatum est.

De huius morte, & conuicijs in virum suũ proditorem lege Appianum, & Florum.

De

De Demetrio Cretenſi, & morte Alexan. & Euergetis.

Cap. LXXIX.

Eusebius in chronicis. Anno Ptolemæi Euergetis 5. Ionathæ vero 18. regnauit in Syria Demetrius annis 3.

Comeſtor cap.11.in hiſtoria Machab. lib.1. Hic Demetrius occiſo patre in prælio, fugit ad Cretenſes, parentes maternos; & reſumptis viribus, à Creta redijt in maritimam Philiſthæorum & in Syriam Cheles, & conſtituit Apollonium ducem excercitus, qui prouocauit Ionatham in prælium: qui aſſumptis 10.millibus egreſſus eſt de Hieruſalem & veniens Ioppen expulit inde Apollonium, & fugerunt equites Apollonij in Azotum, & intrauerunt fanum Dagon, vt ſe tuerentur: & ſuccendit Ionathas ciuitatem & fanum: & fuerunt de occiſis in campo & ſuccenſis in fano fere 8. millia: & audiuit Alexander virtutem eius, & addidit adhuc glorificare Ionatham. Et egreſſus eſt Rex Ægypti ſocer eius in virtute magna, quærens obtinere regnum Alexandri dolo; & tranſiens in ſingulis ciuitatibus relinquebat cuſtodias, & tollens filiam ab Alexandro, dedit illam Demetrio; & intrauit Antiochiam, & impoſuit ſibi duo diademata, Ægypti; & Aſiæ. Tunc Alexander venit contra eum in bellum, & victus eſt à Ptolemæo, & fugit in Arabiam, ad parentes maternos cum Antiocho filio ſuo. Rex autem Arabum timens virtutem Ptolemæi, occidit Alexandrum & reſeruauit filium, & miſit caput Alexandri Ptolemæo, qui gauiſus eſt. Sed factum eſt vt tertia die moreretur.

Apollonius cum Ionatha prælium committit & ab eo fugatur.

Ionathas victos Azotum vſque perſequens Dagonis fanum concremat 8.millia hominum in eo exurens.

Alexandri victi in Arabiam fuga, & cades.

De Actio tragædiographo, & quibuſdam Romanis prælijs.

Cap. LXXX.

Eusebius in chronicis. Eo tempore Lucius Accius tragædiarum ſcriptor habetur clarus, natus; Mancino & Serano conſulibus parentibus libertinis. Hæc ſeni iam Pacuuio Tarenti ſua ſcripta recitauit, à quo & fundus Accianus iuxta Piſaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex vrbe deductus.

Author. Hic Accius (vt refert *A.Gellius l.13.c.2.*) hac ſimilitudine vſus eſt, quod in pomis, itidē eſt in ingenijs; quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt, fiunt mitia, & iucunda. Sed quæ gignuntur ſtatim mollia, & in principio viuida; non matura mox fiunt; ſed & putria. Relinquendum ei ergo viſum eſt, quod dies atque ętas ingenium mitificet.

De hoc eodem Accio refert *Valerius lib.3.cap.7.* quod in collegium poetarum venienti Iulio Cæſari nunquam aſſurrexit, non maieſtatis, inquit, eius immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum, aliquanto ſe ſuperiorem eſſe confideret: quapropter inſolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.

Euſebius in chronicis. Eo quoque tempore Brutus, vel Brutius Hiberiam vſque ad Oceanum ſubiecit.

Oroſius lib.5. cap.5. prope finem. Hic in interiore Hiſpania 60. millia Gallogræcorum, qui Luſitanis in auxilio venerant, aſperrimo bello, & difficili, incautos circumueniens oppreſſit. Quorum in eo prælio 50. millia occiſa, 6. millia capta referuntur. In citeriore autem Hiſpania Lepidus proconſul Vaccæos, innoxiam gentem & ſupplicem, etiam ſenatu prohibente, pertinaciter expugnare tentauit; & pertinaciæ pœnas luit: ſex millia quippe Romanorum in hoc iniuſto bello, iuſtiſſimè cæſa ſunt: reliqui exuti caſtris, armiſque perditis euaſerunt.

Cinna & Cacilius legati in Hiſpaniam ad Lepidum miſſi attulerunt S. C. quo cauebatur, ne Lepidus Vaccæos expugnaret.

De Antiocho adoleſcente, & dolis Triphonis, & ducatu Simonis.

Cap. LXXXI.

Comeſtor vt ſupra cap.12. Triphon autem erat quidam partium Alexandri primus, qui videns quod omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, iuit in Arabiam, vt duceret inde Antiochum, filium Alexandri, in terram patris ſui, & impoſuit ei diadema, & congregati ſunt ad eum exercitus quos diſperſerat Demetrius, & pugnauit contra eum Demetrius, & fugit, & obtinuerunt Antiochus, & Triphon Antiochiam, & ſcripſit Antiochus adoleſcens Ionathæ, vt eſſet de amicis regis, & miſit illi vaſa aurea, & miſit Ionathas Romam renouare cum eis amicitiam. Sparciatis quoque ſcripſit, quos ſupra Lacedæmonios diximus, dicens Pridem ſcripſit nobis. Darius Rex veſter ſub Onia ſummo ſacerdote Iudæorum, quia de genere Abrahæ eſtis, & fratres noſtri, & nunc miſimus ad vos ſcilicet vt innouemus fraternitatem. Et reſcripſerunt Sparciatæ, pecora noſtra & poſſeſſio noſtra, veſtra ſunt; & veſtra, noſtra.

Demetrius militum odium concitat.

Ionathas ob accepta beneficia operam ſuam Tryphoni præbet.

Eo tempore cogitauit Triphon occidere Antiochum adoleſcentem, & imponere ſibi diadema, ſed timuit Ionathan ſtrenuum defenſorem Antiochi: & elegit, vt eum prius occideret, ſcripſitque Ionathæ, vt occurreret ei Bethſan. Venit ad eum Ionathas cum 40. millibus virorum; videnſque Tryphon ait. Vt quid vexaſti populum? elige tibi paucos, & veni mecum Ptolomaidem, & tradam eam tibi & reliqua præſidia: & credidit ei Ionathas. Cumque intraſſet Ptolomaidem, ligaueruńt eum ciues, & omnes qui erant cum eo interfecerunt.

Tryphon regnum Antiochi ad ſe transferre cupiens Ionatha inſidiatur, & per dolum eum occidit.

Euſebius in chroni. Anno igitur Ptolemęi Euergetis ſeptimo, Demetrij vero tertio, Simon loco Ionathæ fratris in ſacerdotium aſſumptus præfuit Iudæis annis 8. Poſt Demetrium vero regnauit in Syria frater eius Antiochus, qui cognominatus eſt Sedetes annis 9.

Simon Iudæ ac Ionathæ fratribus ſuccedit.

Comeſtor ibidem cap.13. Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho: dolo occidit eum, & regnauit pro eo in Aſia.

De ſeruili bello Siciliæ, & eius portentis.

Cap. LXXXII.

Author. Eo tempore iuxta Euſebium ſeruile bellum ortum eſt in Sicilia, quod iuxta Oroſium monſtra quædam prędeſſiſſe leguntur.

Oroſius lib. 5. cap. 6. Seruio Fuluio Flacco, Quinto Calpurnio Piſone conſulibus, Romæ, puer ex ancilla natus eſt quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus toridem, natura virili duplex. In Sicilia mons Æthna vaſtos ignes eructauit, ac fudit: qui torrentum modo per prona præcipites, proxima quæque corripientibus exuſſere flammis; longinquiora autem fauillis calidis cum vapore graui latè volantibus, torruerunt: quod Siciliæ ſemper vernaculum genus monſtri, non portendere malum ſolet: ſed inferre. In Bononienſi agro fruges in arboribus enatæ ſunt.

Igitur in Sicilia bellum ſeruile ortum eſt, quod adeo graue & atrox multitudine ſeruorum, inſtructu copiarum, magnitudine virium fuit, vt non dicam Prætores Romanos, quos penitus profligauit, ſed conſules quoque terruerit. Nam ſeptuaginta millia ſeruorum, tunc in arma conſpirantium fuiſſe referuntur, excepta vrbe Meſſana: quæ ſeruos liberaliter habitos in pace continuit. Cæterum Sicilia in hoc quoque miſerior eſt: quia inſula & clauſa vndique mari, malum ſuum inteſtinum egerere foras non facile poteſt.

Hoc bellum ſeruile excitauit Eunus Syrus ex vrbe Apamea ſeruus Antigenis Ennenſis, lege Florum l.3.c.19

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Eusebius in chronicis. Serui qui in Sicilia rebellabant, obsidionis necessitate compulsi, ad sua inuicem cadauera deuoranda compulsi sunt.

De Attalo Rege Asiæ minoris & Aristonico.

CAP. LXXXIII.

Iustinus lib. 36. prope finem. Eodem tempore in Asia minore rex Attalus florentissimum ab Eumene patruo regnum susceptum, cædibus amicorum, & cognatorum supplicijs, fædabat, nunc matrem, nunc Beronicem sponsam maleficijs eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiæ rabiem, squalidam vestem sumit; barbam capillumque in modum reorum submittit; non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi læta conuiuia inire, aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus vt pendere pœnas manibus interfectorum videretur. Omissa deinde regni administratione hortos fodiebat, gramina ferebat, & noxia innoxijs permiscebat, eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc studio ærariæ artis fabricæ se tradidit, ac si simulachris ex ære fundendo procudendoque oblectaretur: matri deinde sepulchrum facere instituit; cui operi intentus, morbum ex Solis feruore contraxit, & die septima decessit: populumque Romanum hæredem regni sui instituens. Hoc tempore mortuo Attalo: Aristonicus Eumenis filius ex pellice Ephesia cythariſtæ cuiusdam filia genitus, velut * auitum regnum Asiam inuasit, multaque secunda prælia aduersus ciuitates, quæ Romanorum metu tradere se eidem nolebant, fecit.

Populus Rom. hæres Attali. Liuius lib. 39. & Florus lib. 2. ca. vlt.

* paternum.

Orosius lib. 5. cap. 10. Aduersus hunc Aristonicum Publius Licinius Crassus, consul, & Pontifex maximus, cum instructissimo missus est exercitu: præterea à magnis Regibus, hoc est Nicomede Bithyniæ, Mithridate Ponti & Armeniæ; Ariarathe Capadociæ, Pylemene Paphlagoniæ regibus; eorumque maximis copijs adiutus; conserto tamen bello victus est: & cum exercitu post plurimam cædem in fugam acto, ipse iam cum circumuentus ab hostibus, & pene captus esset, excogitato genere mortis, effugit & dedecus, & seruitutem. Nam virgam, qua vtebatur ad equum in oculum Thrasis impegit, qui ira & dolore exardescens gladio latus eius transuerberauit.

Hoc scribit etiam Valerius lib. 3. cap. 2.

August. lib. 3. de ciuit. Dei cap. 11. Cum aduersus Achæos regemque Aristonicum bellaretur. Apollo Cumanus quatriduo fleuisse dicitur, quo prodigio haruspices territi, cum id simulacrum putassent in mare proijciendum; Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium, & Antiochi, & Persis bello in eodem aperuisse figmento, & quia Romanis fæliciter prouenisset, ex senatusconsulto eidem Apollini sua dona missa esse testati sunt. Tunc peritiores acciti haruspices responderunt, hunc fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana Colonia Græca esset, suisque terris, vnde accitus esset Apollo, id est ipsi Græciæ luctum & cladem significare; deinde mox Regem Aristonicum victum & captum esse nunciatum est.

De prodigijs bellum Auernense præcedentibus.

CAP. LXXXIV.

Author. Anno Ptolemæi Euergetis 14. & Simonis, 8. & Antiochi 7. qui fuit annus tertius, Auernis vrbs nobilis Galliæ vt scribit Eusebius, capta est: & Rex Bituitus; sed Orosius cap. 14. dicit hoc contigisse præfatis regibus iam mortuis, & anno ab vrbe condita sexingentesimo 28. Hieronymus autem ponit hoc, anno ab vrbe condita sexingentesimo 25. prius autem secundum Orosium hi casus contigerunt.

Orosius cap. 10. Cneo Sempronio Tuditano, & Marco Aquillio consulibus Publius Scipio Africanus prodie pro concione de periculo salutis suæ contestatus, quod sibi pro patria laboranti ab improbis, & ingratis, denunciari cognouisset; altero die mane in cubiculo suo exanimis repertus est: hunc quidam vxoris suæ Semproniæ Graccorum fororis dolo necatum ferunt.

Historia est apud Liuium lib. 39 Appianum 1. Plutarchum in Gracchis.

Æmilio autem, Lucio Oreste consulibus, Ætna vasto tremore concussa globis igneis exundauit: rursusque altera die Lipara insula, & vicinum circa eam mare intantum efferbuit, vt exustas quoque rupes dissoluit, tabulataque nauium liquefactis ceris extorruerit: exanimatos pisces supernatantes excoxerit, homines quoque nisi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris adustis introrsum vitalibus suffocauerit. Deinde Marco Plaucio Hypseo, Marco Fuluio Flacco, consulibus, vix dum Africam à bellorum excidijs quiescentem, horribilis & inusitata perditio consecuta est: nam cum per totam Africam immensæ locustarum cateruæ conualuissent, & non modo iam cunctam spem frugum abrasissent, herbasque omnes cum parte radicum, foliaque arborum, cum teneritudine ramorum consumpsissent, verumetiam amaros cortices atque arida ligna perrosissent: repentino abreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aerem; Africano pelago immersæ sunt. Harum cum immensos aceruos longis vndis vrgentibus fluctus per extenta late littora propulissent, tetrum nimis, vltra opinionem, pestiferum odorem, tabida & putrefacta congeries exhalauit, vnde omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, vt auium, pecudum, ac bestiarum, corruptione aeris dissolutarum, putrefacta passim cadauera, vitium corruptionis augerent.

Quæ de immani vi locustarum in Africa, & peste inde exorta scribit Orosius; ea fuerunt à Liuio exposita lib. 60. Meminit eiusdem rei Obsequens.

In Numida in qua tunc Micipsa rex erat, octinginta millia hominum perijsse traditum est. Circa vero oram maritimam maxime quæ Carthaginensi atque Vticensi littori adiacet, plusquam 200. millia. Apud ipsam vero Vticam ciuitatem 30. millia militum, quæ ad præsidium totius Africæ ordinata fuerant, extincta sunt & abrasa. Quæ cædes tam repentina ac tam violenta extitit, vt tunc apud Vticam sub vna die per vnam portam ex illis iunioribus plusquam mille quingentos mortuos elatos fuisse narretur.

Cædes repentina & violenta militum.

De Antiocho filio Demetrij, & nece Simonis Pontificis, & successione Iohannis Hircani.

CAP. LXXXV.

Comestor. cap. 14. & 15. Eo tempore exijt Antiochus filius Demetrij in terram suorum patrum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci essent cum Tryphone. Porro Tryphon fugit naufgio in Orthosiada; Rex autem persequens eum constituit Cendebæum ducem maritimum, & reliquit ei exercitum, vt expugnaret Iudam, quod cum accepisset Simon, vocauit duos filios suos seniores scilicet Iudam & Ioannem, & dedit illis 20. millia pugnatorum & equites, & profecti sunt aduersus Cendebæum, & insonuerunt sacris turbis, & conuersus est in fugam Cendebæus, & castra eius, & ceciderunt ex eis duo millia virorum, & redierunt filij Simonis in pace, porro Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Hiericho, erat enim gener summi sacerdotis, & habebat aurum & argentum multum: & eleuatum est cor eius, & volebat obtinere regionem, & occidit Simonem in dolo: vxoremque cum duobus filijs eius vinculauit, misit quoque nuncios occupare Hierusalem, & alios in Gazam, vt interficerent Ioannem: sed procurrens quidam in Gazam nunciauit Ioanni quæ facta fuerant: & ipse festinauit occupare Hierusalem, & occidit eos qui venerant eum perdere, & factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

Simon cum filijs eius Cendebæum regione expellit.

Multa fides pietasque ne in socero quidem.

Eusebius in chronicis. Anno igitur Ptolemæi Euergetis 15. Simone Pontifice Iudæorum interfecto, successit ei Ioannes filius eius, qui & Hircanus annorum 26.

Comeſtor cap. 2. in 2. lib. Machabæorum. Hic dictus eſt Hircanus à deuictis Hircanis, quem Ioſephus in tribus commendauit, in religione ſacerdotij, in ſtrenuitate ducatus, & quia vir propheta erat. Hic inſecutus eſt Ptolemæum qui patrem eius dolo interfecerat, matremque eius cum duobus paruulis tenebat in vinculis, & confugerat ad oppidum Agon: obſeſſo quidem oppido, cum Ioannes acrius inſiſtebat Ptolemæus matrem Ioannis & fratres ſuper muros vſque ad ſanguinis effuſionem cædebat, fractuſque pietate Ioannes ab impugnatione ſe temperabat: matre tamen clamante, ne pro ſe fineret ſcelus Ptolomæi inultum, mortem enim ſuam ſic iudicaret immortalitate meliorem. Ob hoc diutius tractata obſidione, ſeptimus venit annus feriatus à Iudæis, receſſitque ab obſidione Ioannes. Ptolemæus vero matre ipſius & fratribus occiſis, confugit ad Zenonem Philadelphiæ tyrannum, qui Cotila cognominabatur.

De iterato regno Demetrij, & victorijs Romanorum ex Gallis.

Cap. LXXXVI.

Eusebius. Anno Ptolemæi Euergetis 17. Ioannis Hircani 3. Demetrius iterum Syriæ regnauit annis 4.

Author. Hic annus primus Demetrij ſecundo regnantis poſt fratrem Antiochum, ſecundum quandam chronicam fuit annus ab vrbe condita ſexingenteſimus 28. de quo ſic ſcribit.

Alijs eſt ab v. c. 633.

Oroſius lib. 5. cap. 14. Anno ab vrbe condita ſexingenteſimo 28. Fabius conſul Bituito Regi Auernorum bellum bellum maximo inſtructu comparanti, adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatem Romanorum vix ad eſcam canibus, quos habebat in agmine, ſufficere poſſe iactaret, qui cum ſibi ad transferendas copias, vnum pontem Rhodani fluminis parum eſſe intelligeret, alium compactis lintribus cateniſque connexum, ſuperſtratis, confixiſque tabulis inſtruxit. Conſerta pugna, & diu grauiter agitata, victi Galli, conuerſique in fugam, dum ſibi quiſque timet; coaceruatis inconſultè agminibus, & præpropero tranſitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipſis lintribus merſi ſunt 180. millia armatorum in exercitu Bituiti fuiſſe traduntur, ex quibus 150. millia vel cæſa vel merſa ſunt.

Pugnatum eſt apud flumen Iſaram Plin. lib. 7. cap. 50. Hic numerus eſt in omnibus manuſcriptis.

Eodem anno dicit *Oroſius ibidem.* Quintum Marcium conſulem Gallorum gentem ſub radice Alpium ſitam, bello aggreſſum eſſe, qui cum ſe Romanis copijs circumſeptos viderent, & ſe bello impares, fore intelligerent, occiſis coniugibus, & liberis, in flammas ſe proiecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerunt, alij capti fuerant, alij ferro, alij ſuſpendio, alij veneno, vel negato cibo, ſeſe conſumpſerũt nullus omnino vel paruulus ſuperfuit, qui non mallet mori quam ſeruire.

De ſtultia Ptolemæi, & nece Demetrij.

Cap. LXXXVII.

Iustinus lib. 39. in initio. Porro Ptolemæus Rex Ægypti bello petitus à Demetrio, cum cognouiſſet Cleopatram ſororem ſuam opibus Ægypti nauibus impoſitis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugiſſe, immittit iuuenem quendam Ægyptium Protarchi negociatoris filium, qui regnum Syriæ & armis peteret, & compoſita fabula, quaſi per adoptionem regis Antiochi receptus in familiam regiam eſſet, nec Syrijs quemlibet regem aſpernantibus, & ne Demetrij ſuperbiam paterentur: nomen iuueni Alexandri imponitur, auxiliaque ei ab Ægypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi interfecti à rege Parthorum, in loculo argenteo ad ſepulturam remiſſum eſt in Syriam. Quod cum ingenti ſtudio ciuitatum, & regis Alexandri, ad confirmandam fabulę fidem, excipitur: quæ res illi magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus non fictas in eo lachrymas exiſtimantibus. Demetrius autem victus eſt ab Alexandro, cum vndique à circumſtantibus malis premeretur, ad poſtremum etiam ab vxore filijſque deſeritur. Relictus igitur cum paucis ſeruulis, cum: Tyrum religione ſe templi defenſurus petiſſet, naui egrediens, præfecti iuſſu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam ſine matris auctoritate diadema ſumpſiſſet, ab eadem interficitur. Alter cui propter naſi magnitudinem, cognomen Grypho fuit, rex à matre conſtituitur vt nomen regis penes filium; ius autem omnis imperii, penes matrem eſſet.

Demetrius occiditur.

Seleuchus à matre interficitur.

De Antiocho Grypho.

Cap. LXXXVIII.

Eusebius in chronicis. Poſt Demetrium igitur Syriæ regnauit Antiochus qui & Gryphus annis 12.

Iuſti, vt ſupra. Alexander autem occupato Syriæ, regno, tumens ſucceſſu rerum, ſpernere iam ipſum Ptolemæum à quo ſubornatus fuerat in regnum ſuperba inſolentia cæpit. Ptolemæus ergo reconciliata ſibi ſorore, ingentia Gripho mittit auxilia, & filiam Griphinam nupturam Gripho ſub ſpe nuptiarum, vt populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantũ belli, verum & affinitate ſua ſolicitaret; quod videtes populi Syrię paulatim ab Alexandro deficiunt. Conſerto itaque prelio, inter reges victus Alexander profugit Antiochiam: ibi inops pecuniæ, cum ſtipendia militibus deeſſent, in templo Iouis ſolidum ex auro victorię ſignum tolli iubet: facetis iocis ſacrilegium circumſcribens, nam victoriam ſibi commodatam à Ioue eſſe dicebat. Interiectis deinde diebus, cum ipſius Iouis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacitè euelli iuſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet; in fugam verſus eſt, & magna vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis; à latronibus capitur, perductuſque ad Gryphum, interficitur. Gryphus porro recuperato patrio regno, externiſque periculis liberatus, inſidijs matris oppetitur, quæ cum cupiditate dominationis prodito Demetrio marito, & altero filio interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed præmonitus Gryphus veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam iubet: Inſtat abnuenti: ad poſtremum prolato indice eam arguit, ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe affirmans, ſi bibat, quod filio obtulit. Sic victa Regina, ſcelere in ſe verſo, veneno (quod filio parauerat) extinguitur.

Alexander interficitur.

Mater Gryphi veneno extinguitur.

Regni ergo ſecuritate accepta Gryphus 8. annis quietem & ipſe habuit, & regno præſtitit. Natus deinde illi eſt regni æmulus, fratet ipſius Cyzicenus, ex eadem quippe matre genitus, ſex ex Antiocho patruo ſuſceptas, quem cum veneno tollere voluiſſet, vt maturius armis cum eo de regno contenderet, excitauit.

Comeſtor in 2. Machabæorum. cap. 3. Porro Antiochus Ponticus Rex Syriæ obſedit Hieruſalem, quamobrem aperuit Hircanus duos de octo loculis circumſtantibus ſepulchrum Dauid, & ſuſtulit ex eis pluſquã tria millia talentorum, deditque trecenta Antiocho, vt ab obſidione recederet, & vt placaret murmur populi de ſepulchri apertione: de reliqua pecunia primus iuſtituit Xenodochia pauperum in Hieruſalem: Samariam captam ſolo æquauit, quam poſt Herodes inſtaurans Sebaſten dixit.

Hircanus ingentem pecuniæ vim ex Dauidis monumento profert.

Euſeb in chron. Anno Ptolemæi Euergetis 22. Hircani vero 8. Marcus Terentius Varro, philoſophus, & poeta naſcitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De regno Ptolemęi Phiſconis.

CAP. LXXXIX.

EX *chronicis.* Anno Ioannis Hircani 15. Antiochi vero Griphi 9. & Euergetis 29. Idem Ptolemæus ex Ægypto pulſus eſt: Ægyptiorum vero 8. regnauit Ptolemæus Phiſcon qui & Sother. Cæpit autem anno ætatis quintę 476. mundi vero 3839. & regnauit annis 17.

Ptolemæus Phiſcō. 3839.

Iuſtinus 38. Huic per legatos regnum Alexandrinum & vxor Cleopatra Regina ſoror ipſius defertur: lætus igitur quod ſine certamine fraternum regnum cæpiſſet, cognoſcens ſubordinari à matre Cleopatra & principum fauore; Fratris filium ſtatim vbi Alexandriam ingreſſus eſt, fautoreſque pueri, trucidari iuſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus Epularum, & ſolennia religionum, in complexu matris interfecit, atque ita thorum ſororis, cæde filij eius, cruentus aſcendit. Poſt quod non mitior in populares, qui eum ad regnum vocauerant fuit: ſiquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant: ipſam quoque ſororem, filia eius virgine per vim ſtuprata, in matrimonium adſcita, repudiat. Quibus rebus territus in diuerſa populus labitur, patriamque metu mortis, exul relinquit. Solus igitur in tanta vrbe cum ſuis relictus Ptolemæus, cum ſe Regem non hominum ſed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos ſolicitat: quibus confluentibus, obuius legatis Romanorum Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & Lucio Metello (qui ad aſpicienda ſociorum regna veniebant) procedit. Sed quàm cruentus ciuibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & ſtatura breuis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quam fæditatem nimia ſubtilitas perlucidæ veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu aſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant. Africanus autem dum inſpiceret vrbem, Alexandrinis, ſpectaculo fuit.

Ptolemæi immanis crudelitas.

De bello Iugurthino & filia Lucij Heluij fulminata.

CAP. XC.

EVſebius *in chronicis.* Anno huius Ptolemæi 3. Iugurta contra Romanos dimicans, capitur.

Oroſius l. 5. c. 15. Nunquã vlla Romano militi tumultuoſior pugna & terribilior fuit, adeo vt diſcurſu & fremitu circũcurſantium & impetẽtium equitũ ſuſcitatus puluis cælum ſubtexuerit, diem ademerit, noctemque obduxerit: tantuſque telorum nimbus ingruerit, vt nulla pars corporis ab ictu tuta eſſet: quippe quibus viſus ad proſpiciendum impedimento caliginis, & expeditio ad cauendum compreſſionem multitudinis deerat. Nec laborabat eques Maurus ac Numida: vt bene collocatum hoſtem opportuno teli impetu rimaretur, ſed potius in incertum tela mittebant certi, quod vulnera incerta non eſſent: ita coacti in vnum Romani pedites denſabantur, & cum iterum circumfuſi hoſtes non ſolum agminis extrema laniarent: verumetiam media excuſſis procul telis cederent; turbatoſque Romanos inſuper & æſtus Solis, intolerantia ſitis, mortis inſtantia, vſque ad extremum deſperationis defatigarent, ſubito notum illud Romanorum aduerſus Afros, tempeſtatum imbriumque ſuffragium cælo miſſum, inſperatæ ſaluti fuit. Siquidem repentina pluuia ſitientibus Romanis, & æſtuantibus, refrigerium potumque præbuit. Porro autem Numidis haſtilia telorum: quę manu intorquere ſine armentis ſolent, lubrica ac per hoc inutilia reddidit.

Bellum Iugurthinum ex Saluſtio notum eſt: legenda eſt Epitoma Liuiana 64. cum ſequentibus.

Vide Florum cap. 1. lib. 3.

Scuta etiam quæ Elephanti corio extento habilia & tuta geſtabant, cuius ea natura eſt vt acceptum imbrem, tanquam ſpongia bibat: ac per hoc intractabile repentino pondere fiat, quia circunferri non poterant, defendere nequiuerunt. Tunc Bocchus, & Iugurta Numidarum Rex, fugerunt: poſt hoc 90. millia armatorum ab ijſdem regibus obiecta ſunt, quæ vſque ad internecionem Romanis vincentibus cæſa referuntur ex eo Bocchus ſpem belli abijciens, pacem à Romanis petiuit: atque in pretium pacis. Iugurtham dolo captum, cateniſque obrutum, per Syllam legatum miſit ad Marium: qui in triumpho ante currum cum duobus filijs ſuis actus; & mox in carcere ſtrangulatus eſt.

Ijſdem diebus Lucius Heluius eques Romanus cum vxore & filia, de Roma in Apuliam rediens, tempeſtate correptus, cum filiam conſternatam videret: vt citius propioribus tectis ſuccederent, relictis vehiculis correptiſque equis filiam virginem equo inſidentem, in medium agmen accepit. Puella continuo ictu fulminis examinata eſt: ſed omnibus ſine ſciſſura aliqua veſtimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis diſſolutis, monilibus etiam annuliſq; diſcuſſis, ipſoque corpore illæſo, niſi quod obſcænum in modum nuda, & lingua paululum exerta iacuit: equus quoque ipſe quo illa vtebatur, ſtraturis, frœnis, & cingulis diſſolutis paſſim, ac diſperſis, procul exanimis iacuit.

Male legitur Lucius Æliust contra veterum authoritatem.

Hoc prodigium triennio ante bellum Iugurthinum accidit an. 639 vt ait Obſequēs

De regno Ariſtobuli, & morte eius.

CAP. XCI.

EVſebius *in chronicis.* Anno Ptolemæi Phiſconis 12. Ariſtobolus Rex pariter, & Pontifex primus apud Iudæos diadematis ſumpſit inſigne.

Comeſtor cap. 3. in 2. Machab. Mortuus eſt enim Ioannes Hircanus relictis 5. filijs Ariſtobulo primogenito, & Antigono cum tribus minoribus. Cumque nullus eorum ad regendum populum ſufficeret, vxorem ſuam diſertiſſimam, Iudæę, & filijs præfecit.

Ariſtobulus vero impatiens dominij materni: matrem cum fratribus minoribus vinculabat in carcere, & Antigonum quem diligebat ſecundum à ſe conſtituit: impoſuitq; ſibi diadema, & reſtitutum eſt regnum Iudæ. Fluxerunt autem à Sedechia ſub quo regnum fuerat interruptum anni 481. & menſes tres; vel à reditu de captiuitate Babylonis, vnde ſæpe legitur intermiſſum fuiſſe regnum, vſque ad Hircanum & Ariſtobulum id eſt vſque ad Ariſtobulum Hircani: nec tamen regnauit Ariſtobulus, niſi per annum, eo quod matrem in vinculis fame peremerat. Cumq; ægrotaret Ariſtobulus in turre, quæ poſtea ab Herode dicta eſt Antonia; redibat Antigonus de Galilæa, in qua multa præclare fecerat, indutus armis nouis, & decẽtibus. Cumq; ingrederetur Hieruſalē in diebus Scenopegiarum, & ob honorem fratris, & vt oſtenderet decorem armorum populo armatus intrauit. Quod videntes æmuli ipſius, & maxime vxor fratris, quæ oculos in eum iniecerat; ſed ipſe ei aſſenſum non prębebat: accuſabant eum dicentes Ariſtobulo, frater tuus audiens te ægrotantem in manu forti, & armata intrauit, vt te perimat & regnet. Quod ita probare potes: iube eum venire ad te, ſi venerit armatus ſuper his, quæ diximus certus eſto: poſuit autem ad ſuggeſtionem vxoris Ariſtobulus armatos in ſubterraneo, vt ſi veniret armatus eum interficerent, & aduocans Ariſtobulus fratrem præcepit nuncio, vt diceret ei ne veniret armatus, ſed Regina corrupit nuncium cum muneribus.

Comeſtor ibidem c. 4. Ariſtobulus poſt captiuitatem Babylonicam diadema ſibi primus imponit.

Antigonus apud Ariſtobulum falſo accuſatus.

Ariſtobuli vxor verſuta.

Erat eo tempore in Hieruſalem Genethliacus quidam, Iudas nomine, de hæreſi Eſſæorum, qui ſcolaſticis ſuis, arte ſua prædixerat de morte Antigoni & diem & locum: paulo poſt occiſus eſt Antigonus cum armatus deſcenderet per turrim Stratonis:

Comeſtor ibidem cap 5. Iudas Eſſaus vater. Antigonus occiditur ad cellam ſubterraneam turris quæ & ipſa Stratonis vocabatur.

audiens

audiens autem rex mortem fratris indoluit, adeoque morbus inualuit, vt ſanguinem laceratis viſceribus euomeret, & ingemiſcens ait, fas non erat, vt lumen Dei ſcelera mea laterent, eatenus corpus improbum fratri, matrique, animam damnatam detinebit, quatenus non paulatim ſanguinem meum eis libem, ſed totum ſimul accipiant: & his dictis expirauit.

De Alexandro Iamneo & crudelitate eius.

CAP. XCII.

Comeſtor Ibidem cap. 6. Nota quid ambitio faciat.

QVo mortuo vxor eius, quia prolem ex eo non ſuſceperat: fratres viri ſoluit à vinculis, maiorem natu Alexandrum, Regem conſtituens, qui cognominatus eſt Iamneus, qui etiam modeſtia præſtare videbatur: qui fratrem ſecundum interfecit, quia ad regnum aſpirare videbatur; tertium vero ſecum viuere coegit priuatim, duxitque vxorem nomine Alexandram, quæ & Saloma dicta eſt. Hic adeo nequiſſimus fuit, vt in ſeptem annis circiter 55. millia ſeniorum interfecit, quia facinora eius deteſtabantur. Cumque offenſus eſſet populo muniuit ſibi palatium in turri, quæ Baris dicebatur: ſuper quam poſtea admiratus eſt Titus, quod eam Iudæi deſererent, cum defendi poſſet à duobus, ab omni viuente. Adeo autem offenſus erat Iudæis, vt ſemel percunctanti ei quonam pacto eos ſedare poſſet, reſponderunt, ſi moreretur. Ob hoc, ex eis in plateis Hieruſalem, ſuſpendit octingentos viros vxoratos, vxoreſque eorum & liberos necauit.

De victoria Romanorum ex Cimbris duce Mario.

CAP. XCIII.

EVſebius in chronicis. Anno Ptolemæi Phiſconis 17. 2. millia Cimbrorum cæſa ſunt, 80. millia capta per Marium cum duce Teutobodo.

Author. Cum his Cimbris Teutonici fuerunt ſecundum Oroſium: de quibus *Hiero. ait in epiſtola ad Gerontiam de Monogamia circa medium*; gens Teutonum Gallorum ex vltimis Occeani, atque Germanię profecta littoribus, omnem Galliam inundauit: ſæpiuſque Cæſis Romanis exercitibus, apud aquas Sextias Mario pugnante, ſuperata eſt, quorum 300. Matronæ cum alijs ſe viris captiuitatis conditione tradendas eſſe didiciſſent, primum conſulem deprecatæ ſunt, vt templo Cereris, ac Veneris in ſeruitium traderentur: quod cum non impetrarent, ſubmouente eas lictore, omnes cæſis paruulis liberis, mane mortuæ ſunt repertæ ſuffocatis laqueo faucibus; & mutuis complexibus ſe tenentes.

Vide Plutarchum in vita Marij & Florum in Epitoma Liuiana.

Oroſius lib. 5. cap. 16. Teutones autem & Cimbri integris copijs Alpium niues emenſi, Italiæ plana peruaſerant: ibique cum rigidum genus diu blandioribus auris, póculis, cibis, ac lauacris emolliretur, Marius quintum conſul & Catulus aduerſus eos miſſi, die ad pugnam & campo dato, Annibalis ſecuti ingenium, in nebula diſpoſuere pugnam, in Sole pugnauerunt. Prima ſiquidem perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius offendere diſpoſitam, quam adeſſe ſenſerunt. Cumque illico vulnerati equites retro in ſuos cogerentur, totamque multitudinem indiſpoſite adhuc aduentantem conturbarent, & Sol cum vento exortus ex aduerſo emicuiſſet, viſus eorum puluis oppleuit, & ſplendor hebetauit. Ita factum eſt, vt tanta ac terribilis multitudo, minima Romanorum clade, ſua autem vltima internecione cæderetur; 140. millia eorum tunc in bello cæſa, 60. millia capta dicuntur: Mulieres grauiorem pene excitauere pugnam, quæ plauſtris in modum caſtrorum circuminſtructis ipſæ deſuper propugnantes, diu à ſe repulere Romanos, ſed cum ab his nouo cædis genere terrerentur (abſciſis enim cum crine verticibus, inhoneſto ſatis vulnere turpes relinquebantur) ferrum quod in hoſtes ſumpſerant in ſe ſuoſque verterunt; nam aliæ concurſu mutuo iugulatæ, aliæ comprehenſis inuicem faucibus ſtrangulatæ, aliæ funibus per equorum crura conſertis, ipſiſque continuo extimulatis equis, poſtquam ijſdem funibus quibus equorum crura nexerant, indidere ceruices, protractæ atque exanimatę ſunt, aliæ laqueo de ſubrectis plauſtrorum temonibus pepende unt, Inuenta eſt etiam quædam quæ duos filios, traiectis per colla eorum laqueis, ad ſuos pedes vinxerit; & cum ſeipſam ſuſpendio morituram dimiſiſſet, ſecum traxerit occidendos. Inter hæc multa & miſerabilia mortis genera, Reguli quoque duo concurriſſe referuntur, ſtrictis in ſe glagijs. Lugius, & Boiorix Reges in acie ceciderunt. Claudicus, & Ceſorix capti ſunt. Itaque in his duobus prælijs 340. millia Gallorum occiſa, & 140. millia capta ſunt, abſque innumera mulierum multitudine quæ ſe, ſuoſque paruulos fœmineo furore, vi autem virili necauerunt.

De hac muliere Plutarchus, vnam aiunt de ſummo temone ſuſpenſam.

De expulſione Phiſconis ab Ægypto per matrem Cleopatram.

CAP. XCIIII.

Author Eodem anno quo 2000. Cimbrorum Cæſa, & 80. millia capta; ſcribit Euſebius anno 15. Phiſconis, 17. vero ſcribit etiam idem, Phiſconem ab Ægypto expulſum per matrem Cleopatram in Cyprum ſeceſsiſſe, quod quomodo factum ſit, *Iuſtinus in lib. 39.* ſic narrat. Cleopatra cum grauaretur ſocio regni, filio Ptolemæo, populum in eum incitat, abductaque ei Seleuce vxore, eo indignius quod ex Seleuce iam duos filios habebat, exulare cogit. Accerſito minore filio Alexandro, & Rege in locum fratris conſtituto, ſed nec filium regno expuliſſe contenta; bello Cypri exulantem perſequitur: vnde eo pulſo, interfecit ducem exercitus ſui, quod viuum eum è manibus emiſiſſet: quamquam Ptolemæus verecundia materni belli, non viribus minor ab inſula receſſiſſet. *Hæc Iuſtinus* de bello Ptolemęo, quem Hieronymus dixit à regno per matrem expulſum.

Porro de illo quem Phiſconem cognominat, iam antea dixerat *lib. 38. prope finem.* Ptolemęus cum etiam peregrino populo inuiſus eſſe cæpiſſet: tacitus in exilium profectus eſt cum filio, quem ex ſorore ſuſceperat, & cum vxore matris pellice, contractoque mercenario exercitu, bellum ſorori & patriæ intulit. Accerſitum deinde maximum à Cyreneis filium, ne eum Alexandrini contra ſe regem crearent, interfecit. Tunc populus ſtatuas eius, & imagines detrahit, quod factum ſtudio ſororis exiſtimans, filium quem ex ea ſuſceperat, interfecit, corpuſque in membra diuiſum & in ciſta compoſitum matri die natalis eius inter epulas afferri curauit; hęc res non Reginæ tantum, verumetiam vniuerſæ ciuitati acerba, & luctuoſa fuit, tantumque mærorem feſtiuiſſimo conuiuio intulit; vt regia omnis repentino luctu incenderetur, verſo igitur ſtudio principum ab epulis ad exequias, membra lacerata populo oſtendunt; & quod ſuperare de Rege ſuo debeant filij cæde demonſtrant.

Ptolemæi immanis crudelitas.

De hac re Plutarchus Liuius & Eutropius.

De Regno Ptolemæi Alexandri, & fine regni Syriæ. & Lucretio, & Pomponio.

Cap. XCV.

Ptolemæus Alexander 3856.

Ex chronicis. Expulso, igitur de regno, Phiscone per matrem Cleopatram, & in Cyprum secedente, successit Ægyptiorum nonus Ptolemæus, qui & Alexander.

Cæpit autem anno quintæ ætatis 493. mundi vero 3856. & regnauit annis 9.

Hoc tempore regnabat apud Iudæos Alexander Iamneus, qui regnauit annis,27.

In Syria vero Antiochus Gyzicænus qui annis 18. post quem regnauit Philippus annis duobus.

Denique Antiochus in Parthos fugiens Pompeio se tradidit; post quem Philippus captus est à Gabinio & regnum Syriæ finitum est scilicet anno Ptolemæi 7. vel 8. Huiusque Syria possessa per Reges, in Romanam ditionem secessit.

Titus Lucretius poeta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquos libros per interualla insaniæ conscripsisset (quos postea Cicero emendauit) propria se manu interfecit anno ætatis 43.

Lucius Pomponius Bononiensis Attelanarum scriptor, hoc tempore claruit.

Valerius lib. 4. cap. 4. Apud Pomponium inuenimus Corneliam Graccorum matrem quæ cum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta ei & pulcherrima illius sæculi ostenderet, traxit eam sermone, donec è schola redirent liberi: dicens de liberis, & hæc inquit ornamenta sunt mea; omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quam qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ vero mentis vsurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima parte felicitatis, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cum & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis, & certis bonis abundet.

Author. Eo tempore secundum chronicam bellum sociale in Italia exortum est, quod iuxta Orosium quædam prodigia præcesserunt.

De prodigijs, quę sociale bellum Italiæ præcesserunt.

Cap. XCVI.

Lege Liuiũ lib. 71. Appian. lib. 1. Florum li. 3. cap. 17.

De his prodigijs Obsequens.

Drusus in atrio Domus suæ cultello percussus qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit, Velleius Seneca de breuitate vitæ, ait illi vulnere per ignem accepto, collapsi.

Orosius lib. 5. cap. 8. Anno ab vrbe condita sexcentesimo 59. Iulio Cæsare,& Lucio Martio Philippo consulibus, intestinis causis sociale bellum tota commouit Italia: Siquidem Liuius Drusus tribunus plebis, Latinos omnes spe libertatis illectos, cum placita explere non posset, in arma excitauit. Eoque accessit, vt mæstam vrbem dira prodigia deterrerent: nam sub ortu Solis globus ignis è regione septentrionis cum maximo cæli fragore emicuit. Apud Aretinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor è medijs panibus, quasi è vulneribus corporum fluxit: præterea per 7. continuos dies grando lapidum immixtis, etiam testarum fragmentis, terram latissimè verberauit. In Samnitibus vastissimo hiatu terræ, flamma prorupit, & vsque ad cœlum extendi visa est. Quod plures præterea in itinere videre Romani globum coloris aurei, è cœlo ad terram deuolui, maioremque factum, rursus à terra in sublime ad Orientem solem ferri, ac magnitudine sua ipsum Solem obtexisse viderunt. Drusus tantis malis anxius, domi incerto quidem auctore, interfectus est. Igitur Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marucini, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, Caium Seruilium prætorem (*In Tito Liuio. Q. Seruilium proconsulem*) legatum ad semet ipsos missum apud Asculum occiderunt: statimque clausa ciuitate, omnes ciues Romanos indicta cœde iugularunt. Continuo atrocissimam perniciem infamissima præcessere prodigia, namque omnium generum animalia quæ manus homnium blande perpetim, atque inter homines viuere solita erant, relictis stabulis pascuisque cum balatu, hinnitu, mugituque miserabili ad siluas montesque fugerunt: canes quoque quorum natura est, extra homines esse non posse, lachrymosis vlulatibus vagi, Luporum ritu oberrabant.

Aug. lib. 3. de ciuit. Dei cap. 23. Antequam se aduersum Romam sociale Lacium commoueret omnia animalia humanis vsibus subdita; canes, equi, asini, boues, & quæcumque alia pecora sub hominum dominio, erant subito efferata, & domesticæ benignitatis oblita relictis tectis, libera vagabantur: & omnem non solum alienorum, verumetiam dominorum auersabantur accessum, nec sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo vrgeret. Quod quanti mali signum fuit? Quod si hoc signum fuit, quod tamen malum fuit? Quantũ malum fuit illud, cuius hoc signum fuit?

De bello Pompei contra Asculum vrbem, & contra Picentes.

Cap. XCVII.

Orosius lib. 5. cap. 18. in corpore. Cneo autem Pompeio, & Lucio Portio Catone consulibus, Pompeius diu obsedit Asculum ciuitatem: nec tamen expugnasset, nisi populum in campum prorumpentem gratissima oppressione vicisset 18. millia Marsorum in ea pugna cum Franco imperatore suo cæsa sunt, capta 3. millia, quatuor autem millia Italicorum virorum ex eadem cęde profugi, iugum montis, coacto in vnum agmine fortè conscenderant, vbi oppressi, exanimatique niuibus, miserabili morte riguerunt. Namque ita vt attoniti timore hostium steterant, alij stirpibus, vel saxis recliues, alij armis suis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusque nudatis, in modum viuentium visebantur: nec vllum erat procul intuentibus mortis indicium, nisi diuturna immobilitas, quam nullo modo humanæ vitæ vegetatio diu perpeti potest.

Dux Iudacilius Asculũ hausit venenum, ait Appianus.

Eadem die Picentes congressi & victi sunt, quorum dux Iudacilius, conuocatis principibus suis, post magnificas epulas, largaque pocula, cunctos ad exemplum sui prouocans, hausto veneno absumptus est, cunctis factum eius laudantibus, sed nemine subsequente.

De bello ciuili & fuga Marij.

Cap. XCVIII.

Orosius ibidem cap. 19. Ita etiã numerat Eutropius licet alij aliter.

Gratidium à Mario Legatum missum ad Syllam accipiendarũ legionũ causa milites trucidauerunt. Val. li. 9. cap. 7.

Anno ab vrbe condita sexingentesimo 62. secundum Orosium, nondum finito sociali bello, Romæ primum bellum ciuile commotum est. Marius Sylla consule & contra Mithridatem in Asiam cum exercitu profecturo, in Campania tamen propter socialis belli reliquias consistente affectauit septimum consulatum, & bellum suscipere Mithridaticum; quo cognito Sylla, impatiens reuera iuuenis interpretataque ira percitus, cum quatuor legionibus primum ante vrbem consedit, vbi Gratidium legatum Marij, quasi primam victimam belli ciuilis occidit, mox vrbem cum exercitu irrupit, faces ad inflãmandam vrbem poposcit. Omnibus metu abditis, per sacram viam citato agmine, in forum venit. Marius cum permouere nobilitatem, inflammare plebẽ, equestrem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

denique ordinẽ perarmare aduerſus Syllam fruſtra tentaſſet; poſtremo ſeruis ſpe libertatis,& prædæ ad arma ſolicitatis,ne quicquam repugnare auſis, tandem in capitolium cõſcendit. Sed cum in eum Syllanæ cohortes irruiſſent, magna ſeruorum cæde diffugit; ibi tunc Sulpicius collega Marij, ſeruo ſuo prodente, proſtratus eſt. Seruum quoque ipſum, quod hoſtem indicauerat manumitti, quod vero dominum prodiderat, de ſaxo Tarpeio deijci conſules decreuerunt.

Lege Plutarchũ in Mario & Sylla.

Author. Forte hic eſt ille Sulpicius, de quo Valerius loquitur.

Valerius lib. 6. cap. 3. Horrendum Sulpicij Galli maritale ſupercilium, qui vxorem dimiſit, eo quod aperto capite, eam foris verſatam cognouit; abſciſa quidem ſententia, ſed tamen aliqua ratione munita. Lex enim inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes,his decoris inſtrumenta præpara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede notitiæ; vlterior tui conſpectus irritatione ſuperuacua accerſitus, in ſuſpicione, & crimine hæreat, neceſſe eſt.

Oroſius vt ſupra. Marius fugiens,cum perſequentium inſtantia circumſeptus eſſet, Miturnenſium paludibus ſeſe abdidit, è quibus infœliciter oblitus luto,ignominioſeque protractus,turpi autem ſpectaculo Minturnas deductus, contruſuſque in carcerem, percuſſorem ad ſe miſſum ſolo vultu exterruit.

Plutarch. Appian.

Valerius lib. 2. cap. 10. Miſſus enim ſeruus publicus natione Cimber, ad occidendum Marium in priuata domo Minturnis clauſum, ſtrictum gladium tenens, aggredi non eſt auſus; ſed claritatem viri non ferens, abiecto ferro,tremens refugit.

De regreſſu Marij, & continuatione belli ciuilis.

CAP. XCIX.

Oroſius vt ſupra eodem capite. Marius deinde lapſus de vinculis, in Africam tranſfugi, ſolicitatoque ex Vtica filio, vbi is in cuſtodia ſeruabatur, continuo Romam ingreſſus, Cinnæ conſuli ſocietate ſcelerum coniunctus eſt. Igitur ad profligandam * vrbem, exercitum ſic in quatuor partes diuiſerunt. Tres ſiquidem legiones Mario datæ, parti copiarum Cneus Carbo præpoſitus eſt: partem Sertorius accepit. Cætera portio Cinnam ſecuta eſt. Cneus autem Pompeius à ſenatu cum exercitu accerſitus, vt Reipublicæ opitularetur, qui diu ſeſe à nouarum rerum aucupatione ſuſpenderat, contentus à Mario & Cinna ad Octauium alterum conſulem ſe contulit, & mox cum Sertorio conflixit. Infelicem pugnam interuentus noctis diremit, ſexingenti milites ex vtraque parte trucidati ſunt; poſtera die cum permixta corpora ad ſepulturam diſcernerentur, miles Pompeianus fratris ſui, quem interfecerat, corpus agnouit. Et mox pectus ſuum gladio tranſuerberans, ſimulque lachrymas, & ſanguinem fundens, ſuper fraternum ſeſe cadauer abiecit. Annis fere 40. conſequentibus continuata ſunt bella ciuilia. Marius autem Coloniam Oſtienſem vi ingreſſus, omnia ibi genera libidinis, auaritiæ, & crudelitatis exercuit. Pompeius fulmine afflatus, interijt: exercitus eius peſtilentia correptus, pene totus abſumptus eſt. Nam 11. millia virorum de caſtris Pompei mortua ſunt. Sex millia autem de parte Octauij conſulis deſiderata ſunt. Marius Anium & Ariciam ciuitates hoſtiliter irrupit, cunctoſque in his præter proditores ciuitatum interfecit: bona ſuis diripienda promiſit. Poſt Cinna conſul cum legionibus, & Marius cum fugitiuis vrbem ingreſſi, nobiliſſimos quoſque è Senatu, & plurimos viros conſulares interfecerunt. Marius cum interfectorum ciuium capita illata conuiuijs, oblata capitolio, collata roſtris, ad ſpectaculum, ornatumque con-

* *vniuerſam Reipublicam.*

De Q. Sertorio Plutarchus in vita eius.

Hoc ſcribit Appian. lib. 1. Plut. in Sylla Liuius lib. 79.

Inter hos fuerunt Octauius & Merula conſules; Craſſus pater & filius interfecti.

gereret, ac ſeptimum conſulatum cum Cinna tertio conſule peruaſiſſet. In exordio conſularis imperij ſera tandem morte peremptus eſt. Cinna bonorum neces, malorum cæde ſuppleuit: nam cum introducta per Marium fugitiuorum manus inſatiabilis prædandi eſſet, in forum quaſi ſtipendij cauſa ſolicitata, militibuſque circumdata, inermis extincta eſt. Cæſa ſunt in illa die in foro vrbis 8. millia fugitiuorum: Idemque Cinna quartum conſul ab exercitu ſuo interfectus eſt.

Vide quid de hac re dicat Appianus.

De Mithridate; & eius bello contra Romanos.

CAP. C.

Author. Hoc tempore ortum eſt bellum Mithridaticum anno ab vrbe condita, vt *ait Oroſius cap. 19. lib. 5.* ſexingenteſimo 62. qui annus ſecundum chronicas fuit annus primus Philippi vltimi Regis Syriæ. Hoc bellum contra Romanos ſuſcepit Mithridates poſt annos 23. Regni ſui, vt *ait Iuſtinus* & per annos 46. varia victoria contra eos pugnauit.

Iuſtinus lib. 37. Huius Mithridatis futuram magnitudinem etiam cœleſtia oſtenta prædixerant: nam eo etiam quo genitus eſt anno, etiam eo quo regnum primum cœpit, ſtella cometes per vtrumque tempus, 70. diebus ita luxit, vt cœlum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine ſui quartam partem cœli occupauerat, & fulgore ſui Solis nitorem vicerat: & cum oriretur, occumberetque, quatuor horarum ſpacium conſumebat. Puer Tutorum inſidias paſſus eſt, qui eum fero equo impoſitum, iaculari, equitareque cogebant: qui conatus, cum eos fefelliſſent, ſupra ætatem regente equum Mithridate, veneno eum appetiuere. Quod metuens, antidota ſæpius bibit, & ita ſe aduerſus inſidias exquiſitioribus remedijs ſtagnauit, vt ne volens, quidem ſenex, veneno mori potuerit. *Helinandus.* In quibuſdam quoque experimentis phyſicis legiſſe me memini, quod Mithridates timens ne à fratre ſuo inuenenaretur, Rutæ folia 20. cum duabus nucibus, & totidem caricis admixto ſale quotidie ieiunus edebat.

Mithridates natus.

De aſtutia eius, & tyrannide eius contra Romanos.

CAP. CI.

Iuſtinus lib. 37. Timens deinde Mithridates ne inimici quod veneno non poterant, ferro peragerent, venandi ſtudium finxit, quapropter 4. annos neque vrbis neque ruris tecto vſus eſt: ſed per ſiluas vagatus diuerſis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus eſſet locis: aſſuetus feras curſu aut fugere aut perſequi, cum quibuſdam etiam viribus congredi. Quibus rebus, & inſidias vitauit, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit. Ad regnum cum acceſſiſſet Scythas perdomuit, Pontum, & Cappadociam occupauit. Cum de Aſia tractaret, tacitus cum quibuſdam amicis è regno profectus, vniuerſam, nemine ſentiente peruagatus eſt, omniumque vrbium ſitum, ac regiones cognouit. Inde in Bithyniam tranſcendit, & quaſi iam dominus Aſiæ opportuna quæque victoriæ ſuæ metatus eſt. Poſthac in regnum, cum iam perijſſe crederetur, reuerſus eſt, inuento paruulo filio, quem per abſentiam eius ſoror vxorque Laodice enixa fuerat, quæ cum eum perijſſe crederet, in concubitus amicorum proiecta, quaſi admiſſum facinus maiore ſcelere tegere poſſet; venenum aduenienti parauit. Cum hoc ex ancillis Mithridates cognouiſſet, facinus in auctores vindicauit.

Mithridates Scythas perdomuit. Mithridates totam Aſiam perluſtrat.

Denique Mithridates in omnem Orientem adner-

Iuſtin. lib. 38.

ſus

ſus Romanos armat, legatoſque ad Cymbros, & Gallogræcos, & Sarmates, & Baſtorras auxilium petitum miſit, & de Scythia exercitum venire iubet, Aquilium & M. Maltinium Aſiano exercitu inſtructos, vicit: quibus ſimul cum Nicomede pulſis, ingenti fauore ciuitatum excipitur, multum ibi auri, argentique, magnumque belli apparatum inuenit, quibus inſtructus vacationem quinquennio ciuitatibus concedit.

De hoc edicto præter Appianum Liuius lib. 78 Florus li. 3. cap. 5.

Oroſius lib. 6. cap. 2. Poſt hoc Mithridates cum veniſſet Epheſum crudeli præcepit edicto, vt per totam Aſiam quicumque inuenti eſſent ciues Romani, ſub vna die omnes necarentur: & factum eſt. Nec explicari aut comprehendi vllo modo verbis poteſt, quæ tũc multitudo ciuium Romanorũm cæſa ſit, quis mæror plurimarum prouinciarum, quis gemitus occidendorum pariterque occidentium fuerit, cum ſinguli quique aut perdere innocentes hoſpites, & amicos, aut ipſi periclitari pœna hoſpitum cogerẽtur. Archelaus quoque dux Mithridatis cum 120. millibus peditum atque equitum in Achaiam præmiſſus, Athenas cunctamque Græciam præſertim vi, præſertim deditione obtinuit. Sylla cui poſt conſulatum Mithridaticum bellum obuenerat, Archelaum apud Pirẽum Athenienſium portum ſeptemplici muro communitum, diu obſedit.

Lege Florũ.

De iterato Regno Phiſconis, & ſcriptoribus illius temporis.

Cap. CII.

Ptolemæus Phiſcon iterum regnat. 3865.

Ex chron. Anno Alexandri Iamnei 15. ſcilicet ætatis quintæ quingenteſimo 2. Mundi vero 3865. Ægyptiorum 10. Ptolemæus Phiſcon iterum regnauit annis 8. Hic enim qui à matre fuerat eiectus, egreſſus de fuga, regnum obtinuit: quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues repulerant.

Huius anno 4. templum 3. apud Delphos à Thracibus incenſum eſt. Anno 5.

Valerius Catullus ſcriptor Lyricus, Veronæ naſcitur.

Anno 6. Saluſtius Chriſpus ſcriptor hiſtoricus in Sabinis Micerni naſcitur.

Plotius fuit primus qui docuit linguam Latinam.

Plotius Gallus primus Romæ Latinam rhetoricam docuit: de quo Cicero ſic refert: Memoria teneo primum nobis pueris Latine docere cœpiſſe Plotium quendam.

Deſcriptione Romæ facta inuenta ſunt hominum 463. millia.

Publius Terentius Varro vico Atace, in prouincia Narbonenſi naſcitur qui 35. annum agens, Græcas litteras ſummo ſtudio didicit.

Anno 7. Sylla Athenienſes vaſtat.

Eodem anno Romæ capitolium incenſum eſt.

De Sylla victore Mithridatis, & eius morte.

Cap. CIII.

Auguſt. lib. 2. de ciu. Dei. c. 24. Sylla, cum eſſet in Aſia, bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titium mandatum accepit à Ioue, quod eſſet Mithridatem ſuperaturus: quod & factum eſt. Huic poſtea molienti redire in vrbem, & ſuas ſuorumque iniurias, ciuili ſanguine vlciſci, iterum mandatum eſt ab eodem Ioue per militem quendam legionis ſextæ, prius ſe de Mithridate prænunciaſſe victoriam, & tunc promittere daturum ſe poteſtatem, qua recuperaret ab inimicis Rempub. non ſine multo ſanguine. Cum veniſſet ergo Sylla Tarentum, & ibi ſacrificaſſet, vidit in capite vitulini iecoris ſimilitudinem coronę aureæ: Tunc Poſtumius Haruſpex reſpondit ei, præclaram ei ſignificari victoriam; Iuſſitque vt extis illis ſolus veſceretur: poſtea paruo interuallo, ſeruus cuiuſdam Pontij Lucij, vaticinando clamauit. *A Bellona nuncius venio, victoria tua eſt Sylla:* deinde adiecit, arſurum eſſe capitolium. Hoc cum dixiſſet, continuo egreſſus eſt è caſtris, poſtera die concitatior reuerſus eſt, & capitolium arſiſſe clamauit. Quod reuera arſerat.

Plutarchus in vitis; & Appia. Florus & alij.

Hier contra Ioui. lib. 1. Lucij Syllæ Fęlicis (ſi non habuiſſet vxorem) Metella coniux palam erat impudica, & (quia nouiſſimi mala noſtra diſcimus) id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, ſecretaque domus ſuæ primum hoſtium conuicio didicit.

Metallã vehementiſſime amauit ſed morientem repudiauit.

Valerius lib. 9. cap. 3. Quid Sylla dum iræ vitio obtemperauit, nonne multo alieno ſanguine profuſo, ad vltimum, & ſuum erogauit? Puteolis enim ardens indignatione, quod Granius Princeps eius Coloniæ pecuniam à decurioribus ad refectionem capitolij promiſſam cunctantius daret; animi concitatione nimia, immoderatoque vocis impetu conuulſo pectore ſpiritum cruore ac minis mixtum euomuit. Nec ſenio iam prolapſus, vtpote ſexageſimum ingrediens annum, ſed alita miſeriis reipublicæ impotentia furens. Igitur in dubio eſt, Sylla ne prior an iracundia Syllę ſit extincta.

Valerius habet Sulla.

Author. Ex quibus verbis Valerii patet falſum eſſe, quod quidam dicunt Syllam perpetuos carceres elegiſſe.

De victoria Luculli ex Mithridate.

Cap. CIIII.

Ptolemæus Dionyſius 3873.

Ex chronicis. Anno Alexandri Iamnei 23. ſcilicet ætatis quintæ quingenteſimo decimo. Mundi vero 3873. Ægyptiorum 11. Ptolemæus Dionyſius regnauit annis 30. Huius anno 3. Lucullus primus imperator appellatus eſt, victa Armenia, Meſopotamia, & Niſibi cum fratre Regis capta.

Rutilij M. Cottæ legatum fuiſſe arbitror ſed de hac re ſicut & de obſidione Cyzicenorum lege Appian. & Plutarc.

Oroſius lib. 6. cap. 2. Marius, & Eumachus duces à Mithridate aduerſus Lucullum miſſi, magno exercitu breui tempore congregato, cum Publio Rutilio apud Calcedoniam congreſſi ſunt, eumque cum plurima exercitus ipſius parte ceciderunt. Lucullus autem Mithridatem Cyzicenos obſidentem, foſſa cinxit: eumque quod faciebat, pati compulit: atque ad ipſos Cyzicenos, vt bono animo eſſent, nuncium miſit, vnum ex militibus natandi peritum: qui duobus vtribus ſuſpenſus, mediam ipſe regulam tenens, plantiſque ſubremigans, 7. millia paſſuum tranſmeauit. Mithridates inopia laborans, partem copiarum inſtructam armis, domum abire præcepit: quam Lucullus excipiens, vniuerſa diſperdidit, Pluſquam 15. millia hominum tunc interfecta narrantur. Tunc etiam Fannius, qui ſe Mithridati iunxerat, & Methrophanes regius prætor, à Mamerco victi, cum duobus millibus equitum in Mæſiam fugerunt: atque inde in Meoniam, vel Mantuam digreſſi, in colles campoſque Inarimos inciderunt: vbi non ſolum montes vſti, vel ſaxa quaſi quadam fuligine obfuſcata cernuntur, verumetiam campi ambuſto ſolo ſqualidi per 50. millia paſſuum, ſine vllo ignis, vel fornacis indicio, & pendulo in profundo cineres putres iacent, tribus etiam locis torridæ voragines oſtenduntur, quas Græci phyſas vocant, in quibus diu oberrantes inopinatis tandem periculis exempti ſunt, & clam in caſtra Regis venerunt.

Vulgo legitur & in eremos ſed particulã in in vetuſtis non inueni.

De

De regno Alexandri.

CAP. CV.

Alexandro mortuo vxor Alexandra in regnum ſuccedit.

Comeſtor cap. 6. vt ſupra. Porro Alexander Iamneus cum quieuiſſet à prælijs, & quartanis fatigaretur, morbum ex ocio natum putans, intempeſtiuis laboribus militiæ ſe reddidit, & 38. Regni ſui anno mortuus eſt, duos relinquens filios: ſcilicet Hircanum, & Ariſtobulum, ſciensque filios pro patre Iudæis odioſos; regnum reliquit vxori, quæ ſibi ſub viro beneuolentiam populi ſæpe comparauerat, tyrannidi ipſius reſiſtens, & ſimulatam religionem in habitu præferebat.

Euſebius in Chronicis. Igitur anno regni Ptolemæi Dionyſij 6. regnauit Alexandra Hieroſolymis annis nouem.

Hircanus Pontifex.

Comeſtor ibidem cap. 7. Quę dum regnaret, Hircanum primogenitum Pontificem declarauit, cum futurum regem indicans: quia modeſtus erat, minorem vero Ariſtobulum eo quod feruentis animi videretur, priuatim viuere coegit.

Phariſæorũ ſecta ſitiebat ſanguinem.

Eo tempore eſt orta in Iudæa hæreſis Phariſæorum, de quibus pòſt cum ſectis alijs, explicabitur, quorum conſilio vtebatur Alexandra: ita vt eorum conſilio optimates quoſque Iudęorum, aut exilio damnaret, aut interficeret. Denique Diogenem, qui Alexandro fuerat amiciſſimus, occidit. Alienigenarum quidem duos ſibi conflauerat exercitus, vt in Iudæos tutius debaccharet. Proinde multi ad Ariſtobulum confugerunt, cuius patrocinio tuerentur.

Author. Hoc tempore floruit Poſſidonius Stoicus diſcipulus Panæcij, vt ait Tullius, de hoc dicit Solinus, quod Cneus Pompeius Poſſidonij domum percuti à littore vetuit.

De Hecatone Stoico Philoſopho, & dictis eius.

CAP. CVI.

Hecatonis dicta, & ſententia.

EOdem quoque tempore creditur Hecaton diſcipulus eius Panæcij floruiſſe. Hic Hecaton Ægyptius fuit natione, ſecta vero Stoicus. Ab hoc multa inueniuntur egregiè dicta, *quæ à Tullio, & Seneca* excerpta ſunt, vt eſt illud dictum. Deſines timere ſi ſperare deſieris, *hoc eſt in epiſtola Senecæ ad Lucillum quinta.*

Item in illud 6. Quæris quid profecerim; amicus mihi eſſe cæpi.

Item illud in 9. Si vis amari, ama.

Item in lib. de beneficijs, Omne honeſtum in arduo eſt: Item quod vici, honeſtum eſt, non enim tantum debet fieri, ſed ratione fieri. Item quæritur ab Hecatone, an beneficium dare ſeruus domino poſſit. Sunt enim quidam qui ita diſtinguunt; quædam, beneficia eſſe; quædam, officia; quædam miniſteria. Beneficium eſſe, quod alienus det. Alienus autem eſt, qui poſſit ſine reprehenſione ceſſare. Officium, eſſe filij, vxoris, & cæterarum perſonarum, quas neceſſitudo ſuſcitat, & opem ferre iubet. Miniſterium eſſe ſerui, quem conditio ſua eo loco poſuit, vt niſi eorum, quæ præſtet obſequia meritum captet, imputet ſuperiori: Huius Hecatonis plures vtiles quæſtiones poſuit *Tullius in lib. 3. de officijs.*

De Catone Stoico, & dictis eius.

CAP. CVII.

Cato agnoſcitur. Virgilius naſcitur.

Sententia & dicta Catonis.

Euſebius. Eo tempore Marcus Portius Cato Stoicus Philoſophus agnoſcitur, Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur, Pompeio, & Craſſo Conſulibus.

Author. Porro Catonis, *vt Gellius dicit,* eſt illa ſententia. Vita humana propè vti ferrum eſt, ſi exerceas conteritur, ſi non exerceas, rubigo conſumit. Similiter hominis exercendo videmus conteri. Sin autem inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio.

Idem Cato dicebat militibus eius. Cogitate cum animis veſtris, ſi quid per laborem rectè feceritis, labor iſte recedit à vobis citò; bene factum à vobis dum viuitis non recedet. Sed ſi quid pro voluptate nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum apud vos ſemper manebit. Hic Cato, *vt ait Tullius 2. offic.* perfectus in ea ſententia, Stoicus ea ſentit, quæ non probantur planè in vulgus: Hic tamen, cum ab eo quæreretur, quid maximè expediret in re familiari? reſpondit, bene paſcere, quid ſecundum; ſatis bene paſcere; quid tertium, bene veſtiri, quid quartum, arare. Cumque quæreretur, quid fœnerari, reſpondit, quid hominem occidere?

Idem ait, amicitiæ, ſi forte cum prauis ignoranter conſiliatæ fuerint, diſſuendę ſunt magis, quam diſcindendæ.

Idem multo melius eſt, de quibuſdam, eos acerbos mereri inimicos, quam eos amicos, qui dulces videntur, illi enim ſæpe verum debent, hi autem nunquam.

Ipſe Cato animas perpetuas eſſe æſtimans, tandem tædio duplicis quartanæ ſeipſum interfecit, vt meliorem vitam inueniret. Martia Catonis filia minor, cum ab ea quęreretur, cur poſt amiſſum maritum denuò non nuberet, reſpondit, non ſe inuenire virum qui magis ſe, quam ſua vellet. Scripſit autem Cato lib. de moribus partim proſaico ſermone, partim metrico, qui à pueris in ſcholis frequentatur, licet autem vt ipſe vſus, aſſiduitate viluiſſe videatur, multas tamen continet ſententias egregias, & notabiles, ex quibus has ad memoriam, & vtilitatem legentium breuiter excerpſi.

De dictis eiuſdem.

CAP. CVIII.

Cato in lib. de moribus.

Cui des videto.
Antequam voceris ad conſilium ne acceſſeris.
Maiori cede.
Quod legeris memento.
Patere legem quam ipſe tuleris.
Beneficij accepti memor eſto.
Pauca in conuiuio loquere.
Miſerum noli irridere.
Nil temere crede.
Tu te conſule.
Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto.
Nam diuturna quies vitys alimenta miniſtrat.
Virtutem primam puto compeſcere linguam:
Proximus ille Deo qui ſcit ratione tacere.
Sperne repugnando tibi tu contrarius eſſe.
Conueniet nulli, quid ſecum diſſidet ipſe.
Cum culpes alios: nemo ſine crimine viuit.
Quæ nocitura tenes: quamuis ſint chara, relinque.
Vtilitas opibus præponi tempore debet.
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.
Cumque mones aliquem, nec ſe vult ipſe moneri,
Si tibi ſit carus, noli deſiſtere cœptis.
Contra verboſos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis: animi ſapientia paucis.
Dilige ſic alios, vt ſis tibi charus amicus.
Sic bonus eſto bonis, ne te mala damna ſequantur.
Rumores fuge ne incipias nouus auctor haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.
Rem tibi promiſſam cerò promittere noli.
Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur.
Cum te quis laudat, iudex tuus eſſe memento:
Plus alys de te, quàm tu tibi credere noli.
Ne cures, ſi quis tacito ſermone loquatur.

Conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici.
Cum fueris felix, quæ ſunt aduerſa caueto.
Non eodem curſu reſpondent vltima primis.
In morte alterius ſpem tu tibi ponere noli.
Exiguum munus, cum dat tibi pauper amicus;
Accipito placidè & plenè laudare memento.
Infantem nudum cum te natura creauit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Quod præſtare potes, ne bis promiſeris vlli.
Ne ſis ventoſus, dum vis vrbenus haberi
Quod vile eſt carum; quod carum eſt, vile putato,

Ex eodem.

Cap. CIX.

QVæ culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe,
Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.
Quod iuſtum eſt petito, vel quod videatur honeſtum.
Nam ſtultum petere eſt, quod poſſit iure negari.
Ignotum tibi tu noli præponere notis.
Vincere cum poſſis interdum cede ſodali.
Obſequio dulces quoniam retinentur amici.
Ne dubites cum magna petas, impendere parua.
Ira odium generat: concordia nutrit amorem.
Quem ſuperare potes interdum vince ferendo.
Maxima enim morum eſt ſemper patientia virtus.
Vtilius regno meritis acquirere amicos.
Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid ſit.
Cum ſis mortalis, quę ſunt mortalia cura.
Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.
Quod nimium eſt fugito, paruo gaudere memento.
Quod pudeat, ſocios prudens celare memento.
Victorem à victo ſuperari ſepe videmus.
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.
Litis præteritæ noli maledicta referre.
Nec te collaudes nec te culpaueris ipſe:
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.
Labitur exiguo, quod partum eſt tempore longo.
Inſipiens eſto cum tempus poſtulat aut res.
Stultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt.
Conſilium arcanum tacito committe ſodali.
Indulget fortuna malis, vt lædere poſſit:
Proſpice qui veniunt, hos caſus eſſe ferendos,
Nam leuius lædit quicquid præuidimus ante.
Rebus in aduerſis animum ſubmittere noli.
Fronte capillata eſt ſed poſt occaſio calua.
Pauca voluptati debentur plura ſaluti.
Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Dum vigilat ſperans per ſomnum cernit idipſum.
Inſtrue præceptis animum; ne diſcere ceſſes.
Nam ſine doctrina vita eſt, quaſi mortis imago.
Commoda multa feres: ſin autem ſpreueris illud:
Non me ſcriptorem ſed te neglexeris ipſum.
Quod ſtatuit de te, ſine te deliberat ipſe.
Cum recte viuas: ne cures verba malorum.
Arbitrij noſtri non eſt, quod quiſque loquatur.
Interpone tuis interdum gaudia curis.

Ex eodem.

Cap. CX.

VTile conſilium dominus ne deſpice ſerui.
Nullius ſenſum, ſi prodeſt, ſpreueris vnquam.
Multorum diſce exemplo quę facta ſequaris,
Quæ fugias, vita eſt nobis aliena magiſtra.
Quod noſti haud rectè factum nolito ſilere.
Ne videare malos imitari velle tacendo.
Iudicis auxilium ſub iniqua lege rogato.
Ipſæ etiam leges cupiunt vt iure regantur.
Quod merito pateris patienter ferre memento.
Cumque reus tibi ſis, ipſum, te iudice, damna.
Admiranda canunt ſed non credenda Poetæ.
Inter conuiuas fac ſis ſermone modeſtus.
Qui ſua conſumunt, cum deeſt, aliena ſequuntur.
Fac tibi preponas mortem non eſſe timendam.
Quę bona ſi non eſt, finis tamen illa malorum eſt.
Proximus eſto bonis ſi non potes optimus eſſe.
Deſpice diuitias, ſi vis animo eſſe beatus.
Quas qui ſuſcipiunt mendicant ſemper auari.
Commoda naturę nullo tibi tempore deerunt.
Si contentus eo fueris, quod poſtulat vſus.
Dilige denarium, ſed parce, dilige formam.
Res age quæ proſunt: rurſus vitare memento
In quibus error ineſt, nec ſpes eſt certa laboris.
Quod tibi ſuſpectum eſt, confeſtim diſcute quid ſit.
Namque ſolent primo quæ ſunt neglecta nocere.
Cum te detineat veneris damnoſa voluptas.
Indulgere gulæ noli quæ ventris amica eſt.
Stultitia in morte alterius ſperare ſalute:
Cum tibi, vel ſocium, vel fidum quæris amicum.
Non tibi fortuna eſt hominis ſed vita petenda.
Non metuit mortem, qui ſcit contemnere vitam.
Diſce ſed à doctis: indoctos ipſe doceto.
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.
Morbi namque mali cauſa eſt, quæcunque voluptas.
Tranquillis rebus quæ ſunt aduerſa caueto:
Rurſus in aduerſis melius ſperare memento.
Vna dies qualis fuerit, monſtrabit amicus.
Ne pudeat quæ neſcieris te velle doceri.
Scire aliquid laus eſt, culpa eſt nil diſcere velle.
Quod potes id tenta, nam littus carpere remis.
Tutius eſt multis quam velum tendere in altum.
Contra hominem iuſtum praue contendere noli.
Semper enim Deus iniuſtas vleiſcitur iras.
Sunt quædam quæ ferre decet patienter amicum.
Tempora longa tuæ vitæ promittere noli.
Quocumque ingrederis ſequitur mors corpus vt vmbram.
Vulneran dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.
Quos dicis famulos, homines tamen eſſe memento.
Felices obeunt quorum ſine crimine vita eſt.

De Diogene Babylonio, & diſcipulo eius Antipatro.

Cap. CXI.

Author. Florebant, vt legitur eo tempore Diogenes Babylonius, & Antipater eius Diſcipulus, de quib⁹ loquitur. *Cicero in li. 3. de of.* hoc modo, quęritur de deliberatione, & conſultatione venditoris erga emptorem, vtrum omnia vitia rei expoſitæ dicere, quędamve ei tacere liceat? In huius cauſis, aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & graui Stoico: aliud Antipatro, diſcipulo eius homini acutiſſimo. Antipatro omnia patefacienda: vt ne quid animo quod venditor norit; emptor ignoret. Diogeni venditorem quatenus iure ciuili conſtitutum ſit dicere vitia oportere: cætera ſine inſidijs agere, & quando vendat rem, velle quam optime vendere: aduexi, expoſui, vendo meum non pluris, quam cæteri, fortaſſe etiam minoris, cum maior eſt copia, cui fit iniuria. Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: quid ais, tu cum hominibus conſulere debeas, & ſeruire humanæ ſocietati? Eaque lege natus ſis, vt ea habeas principia naturę, quibus parere; & quę ſemper ſequi debeas vtilitas tua communis ſit, viciſſimque communis vtilitas tua ſit, celabis homines quid his abſit cõmoditatis, & copię. Quid reſpõdebit Diogenes, fortaſſe ſic, aliud eſt celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo: ſi tibi non dico quæ natura Deorum ſit: quis ſit finis bonorum: quæ tibi plus prodeſſent cognita, quam tritici vtilitas: ſed non quicquid tibi audire eſt vtile, id mihi neceſſe eſt dicere. Siquidem meminiſti inter homines naturam coniunctam ſocietatem. Memini inquiet ille: ſed nunquid iſta ſocietas talis eſt, vt nihil ſuum ſit cuiuſquer Quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quicquam eſt, ſed donandum eſt. Contra ille, quid enim eſt aliud inquiet, erranti viam non monſtrare, quod Athenis execrationibus, ſancitum eſt publicis: ſi hoc non eſt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem poſſe incurrere: plus etiam eſt, quàm viam non monſtrare. Nam eſt ſcienter in errorē inducere alterū. Econtra Diogenes, num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt, ille quod non placebat proſcripſit, tu quod placebat emiſti. Denique iſte rem ſuam non laudauit, vbi autem emptoris eſt iudicium, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem dictum non omne præſtandum eſt; quod dictum eſt, id præſtandum putas? quid vero ſtultius eſt quam venditorem huius rei, quam vendit, vitia narrare? Quid vero tam abſurdum, quam ſi domini iuſſu ita præco prædicit: Domum peſtilentem, male materiatam, ruinoſam, plenam ſerpentibus ego vendo? Hæc (inquit Tullius) expoſuimus, non vt quæreremus, ſed vt explicaremus. Nihil debet venditor emptori celare, neque enim id eſt celare quicquid reticeas; ſed cum quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire, nam celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis non videt? certè enim non aperti, non ſimplicis, non ingenij, non viri boni, verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, fraudulenti, doloſi, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri, quod ſi vituperandi, qui reticuerunt, quid de his exiſtimandum eſt qui orationis vanitatem adhibuerunt?

De morte Mithridatis, & bello Pompei contra Tigranem.

Cap. CXII.

Roſius lib. 6. cap. 4. & 5. Interea Pompeius cum Armeniam Colchos, Capadociam, & Syriam ordinatis rebus compoſuiſſet, promouens de Ponto in Parthiam, ad Ecbatanam vrbem, caput Parthici regni 50. die venit. Interea Mithridate in Boſphoro cerealia ſacra celebrante, terræmotus adeo grauis repente exortus eſt, vt magna clades vrbium atque agrorum ſecuta narretur. Eodem tempore Caſtor Mithridatis præfectus, qui Phanagorio præerat, interfectis amicis regis arcem occupauit, & quatuor Mithridatis filios ad præſidia Romana tranſmiſit. Mithridates accenſus ira, in ſcelera exarſit. Nam & plures tunc amicos ſuos, & Exipodram filium ſuum interfecit, cum antea filium ſuum alium Macharem, parricidio trucidaſſet. Pharnaces autē alter filius eius, exemplo fratrum territus, exercitum ad perſequendum ſe miſſum, ſibi conciliauit, & mox aduerſus patrem duxit. Mithridates diu ex altiſſimo muro filium ſuum fruſtra precatus, vbi inexorabilem vidit, moriturus exclamaſſe fertur: quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet, vos ſi eſtis Dij patrij, precor, vt quandoque & ipſe hanc vocem à liberis ſuis audiat. Statimque deſcendens ad vxores, pellices, ac filias ſuas, venenum omnibus dedit. Quod cum nouiſſimus hauſiſſet, nec tamen propter remedia, quibus vitalia ſua armauerat, aduerſus noxios ſuccos; veneno confici poſſet, fruſtraque ſpatiaretur, ſi quo tandem modo infuſa peſtis per venas vegetatione corporis acta diſcurreret. Gallum quendam militem iam fracto muro diſcurrentem inuitauit, eique iugulum præbuit. Hunc exitum Mithridates habuit, homo omnium, vt ferunt, ſuperſtitioſiſſimus, annos natus 72. & ſempet habens ſecum philoſophos, & omnium artium peritiſſimos.

A milite Gallo nomine Bithoco.

Helinandus. Regnauit autem annis 62. contra Romanos habuit bellum annis 40. Deinde Tigrani Pompeius bellum intulit, ille ſe ei dedit, & in Caſtro Pompei 16. milliario ab Ecbatana venit, diadema ſuum, cum procubuiſſet ad genua Pompei, ipſius in manibus collocauit; quod ei Pompeius repoſuit, eque pulchrum iudicans reges facere, & vincere, honorificeque habitum regni tantum parte mulctauit, & grandi pecunia adempta eſt ei Syria, Phœnice, Sophene, & ſex millia talentorum argenti, quæ populo Romano daret, quia bellum ſine cauſa Romanis commouiſſet.

De Regno Ariſtobuli & contentione fratris eius Hircani.

Cap. CXIII.

Comeſtor cap. 7. & 8. Anno autem regni ſui 9. ægrotauit Alexandra, & Ariſtobulus collecta plurimorum manu poſt matrem ſe regnaturum declarauit: ob hoc miſerata querelas Hircani mater coniugem Ariſtobuli cum filijs in cuſtodia recludens: obſides accepit: ne regnum ſibi Ariſtobulus vſurparet.

Alexandræ mors.

Ea mortua Ariſtobulus collecto exercitu contra fratrem mouit arma. Cumque egreſſi eſſent in campis Hierichontinis, victus Hircanus fugit in Hieruſalem. Tandem ea lege in concordiam redierunt, vt Ariſtobulus regnaret, Hircanus vero ſub eo quibuſlibet fungeretur honoribus: domos etiam permutauerunt. Erat autem cum Hircano Antipater Idumæus cuius ſtrenuitatem & prudentiam timens Ariſtobulus calumnias ei prætendebat: hic perſuaſit Hircano, vt ſe dolo circumuentum quæreretur, & vt ad Aretham regem Arabum confugeret, cuius auxilio rediret in regnum. Nocte igitur egreſſi venerunt ad Regem Arabum in oppidum, quod Petra dicitur, vbi regni ſedes erat. Itaque collecto exercitu Aretha venit in Iudæam, & obſedit Hieruſalem, quam etiam recepiſſet niſi dux Romanorum Scaurus ſoluiſſet obſidium. Iam enim Syria deſierat habere Regem, facta Romanis tributaria. Miſſuſque erat Pompeius à Romanis contra Tigranem regem Armeniæ, qui & Scaurum remiſerat præſidem Syriæ: qui cum vidiſſet diſſenſionem fratrum in Iudæa ratus tempus eſſe, quo de facili Iudæam poneret ſub tributo, in manu valida fines intrauit Iudææ: ad quem legati à fratribus vtrinque venerint, auxilium eius hinc inde poſtulantes. Corruptus autem Scaurus trecentis talentis miſſis ab Ariſtobulo (quod proprium eſſe Romanorum Ioſephus teſtatur) ad Arabes miſit legatos Romanorum, & Pompei nomen eis intentans, niſi ab obſidione recederent. Recedens ergo Aretha Hircanum, & Antipatrum Philadelphiæ collocauit, qui fruſtrati ſpe Arabum in aduerſarios ſpem contulerunt. Cum enim Pompeius Damaſcum veniſſet, cum multis muneribus venerunt ad eum orantes, vt violentiam Ariſtobuli dignam odio iudicaret, & Hircanum reſtitueret regno, ſed nec Ariſtobulus, ſibi defuit corruptione Scauri fretus.

Nec parem nec maiorem patitur ambitio.

Regnum diuiſum in ſe deſolabitur.

Dona Scauro data.

De expulſione Ariſtobuli, & reſtitutione fratris eius Hircani.

Cap. CXIIII.

Hedio. & Ruffinus cap. 6.

Cvm autem Pompeius honorem ei regium non exhibuiſſet, indignans inſalutato Pompeio receſſit, & recepit ſe in Alexandriam propter inexpugnabilem oppidi munitionem, quem collecto Romanorum Syrorumque exercitu inſecutus eſt magnus, iuſſitque vt de oppido ad ſe deſcenderet. Is vero quia per imperium vocabatur, decreuerat potius periclitari, quam parere: conſilio tamen ſuorum deſcendens ab oppido relictis ibi cuſtodibus, præcepit vt non niſi manu ſua ſcriptis exemplis obtemperarent, abijtque Hieroſolymam. Quem ſtatim inſecutus eſt Magnus alacer factus circa Hierichonta morte Mithridatis ſibi nunciata.

Comeſtor cap. 9.

Cumque Hieroſolymam properaret territus Ariſtobulus occurrit ei pecuniam pollicens, quæ erat in Alexandria: ſeque de cætero Romano pariturum Imperio, ſed nihil horum effectum eſt. Miſſum enim Gabinium ad ſuſcipiendam pecuniam, cuſtodes, nec in oppidum receperunt. His commotus Pompeius Ariſtobulum in cuſtodiam collocauit. Cum autem obſediſſet Hieruſalem, orta eſt diſſenſio in vrbe, nam fautores Ariſtobuli vrbem tueri, fautores Hircani eam tradere

Gabinio pecuniam ab Ariſtobulo promiſſam exacturo porta clauduntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pompeius templum expugnat.

Romanis contendebant: ſed pars Ariſtobuli victa in templum ſeceſſit; receptuſque Pompeius in vrbem expugnabat templum. Cumque ſeptemtrionalem vallem impleret aggeribus laborque eſſet imperfectus, niſi obſequatis ſeptem diebus quibus operari Iudæis fas non eſt, aggerem fieri præcepiſſet: Menſe tamen tertio fanum interruptum eſt: Fauſtus autem Cornelius, Syllæ filius primus ingredi auſus eſt: & irruentes Romani prophanauerunt templum &, vt alibi legitur, equos in porticibus ſtabulauerunt. Ob quam rem tradunt nunquam de cætero pugnaſſe Pompeium quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortunatiſſimus. Poſtero autem die ingreſſus templum Pompeius admiratus ſitum, & ornatum, & religionem templi, nihil tamen inde tulit prȩcipiens edituis, vt à ſordibus mundarent templum. Cumque impoſuiſſet Hieroſolymis tributum, Hircano Pontifice declarato, Ariſtobulum captiuum duxit, duoſque filiȯs eius Alexandrum, & Antigonum cum totidem filiabus: Romamque per Ciliciam properabat, Syriæ, & Iudææ adminiſtratione Scauro commiſſa, relictis ſecum cohortibus duabus.

Pompeius templum in greſſus nihil attingit: ſed Hircano Pontificatum tradit.

Euſebius in chronicis. Igitur anno Ptolemæi Dionyſij 15. regnauit Hircanus apud Iudæos annis 33.

De Alexandro Ariſtobuli, & Antipatro.

Cap. CXV.

Comeſtor cap. 10.

Comeſtor. Alexander autem filius Ariſtobuli ex iticinere refugit. Qui magna manu collecta Iudæam populabatur & Hircano grauis imminebat: obtinebatque munitiſſima loca. Miſſus eſt autem in Syriam Gabinius, vt Scauro ſuccederet, ſub quo Marcus Antonius militabat. Qui cum in Alexandria obſediſſet Alexandrum, conſilio matris Alexander ſe tradit ei, & caſtra. Quæ Gabinius conſilio mulieris eiuſdem funditus euertit, ne alterius belli fierent receptaculum. Palpabat enim mulier Gabinium obſequijs, viro ſuo, & cæteris captiuis, metuens qui Romam fuerant abducti. Poſt hoc Gabinius cura templi Hircano mandata, gentem Iudæorum in quinque conuentus diuiſit, quaſi per pentarchias Iudææ frangens ſuperbiam.

Mulieris aſtutia.

Quinque conuentus in Iudæa.

Eo tempore factus eſt Antipater amiciſſimus Gabinio, & maximè Marco Antonio: adeoque claruit, quod data eſt ei vxor neptis Regis Arabum, Cypris nomine, qui ſuſtulit ex ea quatuor filios, & filiam. Primogenitus fuit Phaſelus: ſecundus Herodes, qui poſt dictus eſt Aſcalonita: tertius Ioſippus: quartus Feroras: filia vero dicta eſt Saloma.

De fuga Ariſtobuli è carcere, & quibuſdam Syriæ Præſidibus illius temporis, & ſcriptoribus.

Cap. CXVI.

Comeſtor cap. 11. Ariſtobulus à Romanis vincitur.

POſt hæc caſu elapſus eſt Roma Ariſtobulus, qui magna manu Iudæorum conflata, Alexandriam muro recingebat: Ad quem debellandum miſſus eſt à Gabinio, Antonius. Captuſque iterum Ariſtobulus cum filijs, Romam perductus eſt. Illum quidem in cuſtodiam ſenatus coercuit, filios autem in Iudæam remiſit: quia Gabinius id ſe ſcripſerat ſpopondiſſe vxori Ariſtobuli pro caſtellorum traditione. Poſt hoc cum Gabinius apud Ægyptum detineretur, Alexander Ariſtobuli filius, Iudæos iterum ad diſſenſionem reduxit. Sed rediens Gabinius, & pacem fecit, & Hircano Pontificium confirmauit. Quo mortuo, miſſus eſt præſes Syriæ Craſſus, & vt etiam Parthos, qui iam Romanis imminebant reprimeret. In ſumptus vero Parthicæ militiæ omne ferè aurum de templo tulit, à quibus & Pompeius abſtinuerat, duo millia talentorum; ob hoc auro in os infuſo interijt. Cui ſucceſſit præſes Syriȩ Caſſius: qui in omnibus conſilio Antipatris vtebatur.

Mali patris malus filius.

Euſebius. His temporibus Horatius Flaccus poeta Satyricus Venuſij naſcitur.

Oratores quidam & Poeta inſignes.

Apollodorus Pergamenus Græcus orator Callidij, & Auguſti Prȩceptor, clarus habetur.

Ea quoque quæ de Catilina; & Lentulo Conſule & Cicerone Saluſtius ſcribit, & Liuius, hoc tempore geſta ſunt.

Cicero annum facit in exilio, honorifice ſuſceptus à Plaucio.

Catullus anno ætatis ſuæ 30. Romæ moritur.

Meſalla Coruinus orator naſcitur: Virgilius Cremonæ ſtudijs etuditur. Deinde ſumpta toga Mediolanum transgreditur, & poſt breue tempus Romam proficiſcitur.

Præterea Titus Liuius hiſtoricus; & Marcus Callidius orator; Diodorus quoque Græcæ ſcriptor hiſtoriæ, clari habentur. Sed & Curio popularis orator Romæ habetur inſignis qui deinceps in Africa præamiſſi exercitus pudore, mori maluit; quàm euadere.

De Regno Cleopatræ, & initio Romani Imperij.

Cap. CXVII.

Cleopatra 3903.

POſt Ptolemæum Dionyſium 12. in Ægypto, Cleopatra: cœpit anno regni Hircani 17. ætatis ſcilicet quintæ quingenteſimo 40. mundi vero 3903. & regnauit annis 22.

Comeſtor cap. 12. Eo tempore factum eſt diſſidium inter Romanos, pro Pompeio, & Iulio Cæſare, Cæſar autem poſt ſenatus, & Pompei fugam trans mare Ionium rebus omnibus Romaque potitus eſt.

Principium Romani Imperij Iulius Cæſar Imperator 3906.

Author. Ex hoc autem loco qui eſt annus regni Cleopatræ tertius, ſecundum chronicas continua Romanis naſcuntur imperia; tenuitque præfatus Cæſar imperium primus: cuius geſtorum hiſtoriam vt plenius exequamur, etiam bella quæ ante imperium geſſit ſequenti libro reſeruamus. Cuius videlicet libri principium ab ipſius regni Latinorum origine volumus habere exordium, breuiter & ſuccincte percurrendo: à quo, & quando, idem regnum initium ſumpſit; & qualiter, ac per quos, Romana Reſpublica à regni ipſius ortu vſq; ad imperij Monarchiam, adminiſtrata fuerit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER SEXTVS.

De his qui Romanam Rempublicam rexerunt ante Iulium Cæſarem.

CAP. I.

REGNVM Latinorum (vt aiunt) ſub Iano primo rege exortum ab anno 76. Aoth Iudicis Iſrael vſque ad annum 8. Darij qui fuit 80. poſt tranſmigrationem Babylonis, 10. poſt reuerſionem cucurrit per annos fermè octingentos & Reges Latinos habuit 6. Albanos, 15. Romanos, 7. vſque ad Tarquinium Superbum.

Reges Latini cœperunt à Iano: Albani ab Aſcanio, Romani à Romulo. Tandem expulſis ab vrbe regibus per Brutum; Conſules Rempublicam tractauerunt vſque ad Iulium Cæſarem id eſt vſque ad annum 20. Hircani Pontificis Iudæorum per annos 462.

Horum itaque primus Brutus anno primo, deinde decem viri conſtituti anno* 61. Camillus Trib. Mil. anno 108. Quintius Capitolinus anno 126. Papyrius Curſor anno 186. Manlius Regulus anno 253. Publius Cornelius Scipio anno 292. Fabius Maximus Dictator anno 296. Lucius Æmilius Paulus; Terentius Varro anno 294. Leuinus, & Marcellus anno 300. Claudius vero Nero, Liuius Salinator anno 303. Scipio Africanus anno 305. Scipio Africanus iunior anno 316. Scipio Naſica anno 319. Poſthumius Albinus anno 400. Caius Marius, anno 403. Sylla anno 422. Marcus Tullius Cicero anno 447. Pompeius, & Craſſus anno 455. Denique Cæſar imperauit ſolus anno 464. Olympiade 183. anno ab vrbe condita 706.

Hæc de temporibus conſulum excerpſi, illos potius ſignans quorum temporibus aliqua memorabilia contigerunt, vt temporibus Scipionum bella Punica, tempore Marij Iugurthinum, tempore Ciceronis Catilinarium: qui plura de hac re velit conſulat Glareanum.

** Secundum Glareanum; ſecundum Euſebium vero anno 52. Glareanum in his numeris ſequor.*

De bello eius antiquo contra Germanos.

CAP. II.

IVlius Celſus. Sic Cæſar quondam Rhenum, facto ponte, tranſiens, Germanos vaſtare cœpit, quæ eſt in tertia parte Galliæ. Nam Gallia omnis in tres partes diuiſa eſt; quarum vnam incolunt Belgæ; aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur; hi omnes lingua, inſtitutis, legibus, inter ſe differunt. Gallos ab Aquitanis, Garumna flumen, à Belgis, Marrona & Sequana diuidit: horum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ; propterea quod à cultu atque humanitate prouinciæ longiſſime abſunt; minimeque ad eos mercatores commeant, ſæpe, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent, important; proximique ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt; cum quibus continenter bellum gerunt. *Iulius Cæſar in initio de bello Gallico libro 1.*

Omnium Gallorum, vt ad bella ſuſcipienda alacer, & promptus eſt animus, mollis, ac minimè reſiſtens ad calamitates perferendas. De ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt, quorum eueſtigiò pœnitere neceſſe eſt, cum in certis moribus ſeruant, & plerumque ad voluntatem eorum fictè reſpondeant. Gallorum præterea ſubita ſunt, & repentina conſilia: nam omnes ferè rebus nouis ſtudent, & ad bellum mobiliter celeriterque excitantur. Itaque ea, quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circa* Hirciniam ſiluam Tectoſages aliàs Bellouaci occupauerunt, & ibi conſederunt, quæ gens ſummam habet iuſtitiæ, & bellicæ laudis opinionem: Huius Hirciniæ ſiluæ latitùdo 9. dierum itinere expedito patet: multa in ea genera ferarum naſci conſtat quæ reliquis in locis viſa non ſunt, ex quibus ſunt Boues Vnicornes, Alces, & Vri. Apud Germanos autem conſuetudo erat, vt matres familiæ ſortibus & vaticinationibus declarent, vtrum prælium ex vſu committendum eſſet, necne? dicebantque non eſſe fas, germanos ſuperare, ſi ante nouam lunam contendiſſent bello inito, ſolebant omnem aciem ſuam rhedis, & carris circundare, ne qua ſpes in fuga eſſet. *Cæſar lib. 3.*

Gallorum leuitas & inconſtantia.

** Germania Tranſrhenana ſylua eſt, forte ab Hercinio monte Germaniæ dicta. De his lege Cæſarem lib. 6. de bello Gallico. qui hos boues, dicit habere figuram cerui.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De bellis eius contra Gallos, Belgicos, & contra Britannos.

Cap. III.

Hæc ex Cæſare ſunt deſumpta lib. 2. de bello Gallico.

Helinandus. Poſt hoc iterum Belgarum gens aduerſus Cæſarem exarſit, ex quibus Bellouaci cæteris numero & virtute præſtantes habuere lectiſſima 60. millia armatorum. Sueſſiones ex 12. oppidis 50. millia. Neruij præterea quorum adeo indomita feritas erat, vt nunquam ad ſe mercatores adiré ſinerent, electos milites habuerunt totidem, Attrebates, & Ambiani 10. millia. Morini 25. millia. Menapij 9. millia. Caletes 10. millia. Velocaſſes, & Veromandui alias Velomanni. 10. millia. Catuaci 29. millia. Condruſi, Eburones, Cæreſi, Pemaui, qui vno nomine Gerani vocantur 40. millia. In ſumma fuiſſe dicuntur 200. & 72. millia armatorum lectiſſima; qui omnes vſque ad internecionem penè deleti ſunt.

Deinde apud Octodorum cum Cæſar in Italiam proficiſci decreuiſſet pluſquam 30. millia Barbarorum cæſa referuntur, à legione 12. cui præerat Galba, millia; quem Cæſar ad Veragros, & Sedunios miſerat. Dehinc Titurius Albinus legatus Cæſaris Aluereos, Euorobices Lixonioſque incredibili cæde deleuit. P. Craſſus alter legatus, ex Aquitanis quoque & Cantabris, 38. millia interfecit. Deinde Cæſar, Germanorum plurima millia cecidiſſe refertur.

Hæc habentur apud Iulium Cæſarem lib. 4.

Iulius Celſus. Tunc Rhenum tranſire deliberat, ſed nauibus tranſire neque ſatis tutum arbitrabatur, neque ſui neque populi R. dignitatis eſſe ſtatuebat; itaque licet ſumma difficultas faciendi pontis proponeretur, propter latitudinem, & altitudinem, rapiditatemque fluminis; tamen id ſibi contendendum, aut aliter traducendum exercitum non exiſtimauit. Rationem igitur pontis hanc inſtituit: tigna bina ſexquipedalia, paululum ab imo præacuta, dimenſa ad altitudinem fluminis, interuallo pedum duorum inter ſe iungebat; hæc cum machinamentis immiſſa, in flumen defixerat, fiſtuciſque adegerat, non ſublicę modo directa ad perpendiculum, ſed prona, ac faſtigata, vt ſecundum naturam fluminis procumberent. His item contraria, duo ad eundem modum iuncta, interuallo pedum quadragenum; ab inferiore parte, contra impetum fluminis, conuerſa ſtatuebat. Hinc vtraque inſuper bipedalibus trabibus immiſſis, quantum eorum iunctura diſtabat, binis vtrinque fibulis ab extrema parte diſtinebantur: quibus diſcluſis, atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, vt quo maior vis aquæ ſe incitaſſet, hæc arctius illigata tenerentur. Omni opere effecto exercitus traducitur. Cæſar ad vtramque partem pontis firmo præſidio relicto, in fines Sicambrorum contendit. Diebus autem 18. trans Rhenum conſumptis, ſatis, & ad laudem, & ad vtilitatem profectum arbitratus, ſe in Galliam recepit, pontemque reſcindit: deinde in Britanniam proficiſci contendit.

De ponte Cæſaris.

Oroſius lib. 6. cap. 9. Cæſaris equitatus primo congreſſu à Britannis conuictus eſt, ibiq; Labienus Tribunus occiſus eſt. Secundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine victos Britannos in fugam vertit. Inde ad flumen Thameſim profectus eſt, cuius ripam ac penè totum ſub aqua vadum acutiſſimis ſudibus hoſtes præſtruxerant. Quod vbi à Romanis compertum eſt Barbari legionum impetum non ferentes, ſiluis ſeſe abdidere, vnde crebris eruptionibus Romanos grauiter infeſtabant. Interea Trinobantum firmiſſima ciuitas cum Androgoreo duce, datis 40. obſidibus, Cæſari ſe dedidit, quod exemplum cæteræ vrbes ſecutæ ſunt.

Hæc Iulius Cæſar lib. 4. & 5. exponit.

De cæteris eiuſdem prælijs contra Gallos.

Cap. IV.

At Cæſare à Britannis reuerſo in Galliam Ambiorix cum Eburonibus & Aduaticis conſpirans Cottam (& Sabinum legatos apud Eburones) cum tota funditus legione, inſidijs circumuentos occidit.

In noſtris manuſcriptis fere omnibus Atuaci nominatur, quos vulgo Aduaticos vocant.

Iulius Celſus. Ibi Tito Baluentio, qui ſuperiore anno primum pilum duxerat, vtrumque femur tragula traijcitur. Quintus Lucanius interficitur, Lucius Cotta legatus, os funda vulneratur. Quintus Titurius Cneum Pompeium interpretem ſuum mittit ad Ambiorigem. Sabinus cum propius acceſſiſſet, iuſſus arma abijcere, imperatum facit; illo ſermonem protrahente, circumuentus interficitur. Deinde Lucius Cotta, & Lucius Petroſidius Aquilifer, reliqui noctu deſperata ſalute ſeſe interficiunt. Ambiorix animatus Treuerorum conſilio, in qua duo de Principatu contendebant, Inducio-marus & Cingitorix; legatum ad Ciceronẽ mittit, qui tunc ſimiliter legionibus Hibernis præerat.

Hos Cæſar lib. 5. Cotta & Sabino interfectis, ſe cum Ambiorige coniunxiſſe ait. Hæc omnia iuuenio in lib. 5 Cæſaris de bello Gallico. Oroſius lib. 6. cap. 10.

Helinandus. Cicero reſpondit non eſſe conſuetudinem populi Rom. accipere ab hoſte armato conditionem. Multitudo hoſtium ex hoc colligi potuit, quod cum in obſidione caſtrorum vallum circundandum eſſe à captiuis Romanis docerentur, & inſtrumenta ruralia non haberent, gladijs conſcindendo terram, & ſagulis exportando vix tribus horis vallum * 10. pedum, & foſſam 15. per millia paſſuum 15. in circuitu perfecerunt: præterea 120. turres miræ altitudinis extruxerunt, & cum iam ſeptem dies nocteſque ſuccidui hoſtium cunei pugnarent, ac ventus ſubito plurimus exortus eſſet, teſtas feruentes intorſere fundis, inflammataque focis tela, ac mox concepto igne rutilantia, intra caſtra iecerunt. Quo facto per culmina raptim ventus inſiſtens, ſparſum animauit incendium. Sed nec ſic quidem Romani, cum vndique obruerentur vulneribus, laboribus, vigilijs, incendijs, receſſerunt. Tunc Cicero literas iaculo illigatas ad Cæſarem mittit, quibus nunciauit vnam deletam eſſe legionem, alteramque iam pene confectam. Cæſar nuncium ad Bellouagos ad Marcum Craſſum mittit.

** Cæſar pedum vndecim habet.*

Oroſius lib. 6. cap. 10. Poſtea cum duabus legionibus eo aduentante deſerunt hoſtes obſidionem, atque in eum cuncti raptis copijs ruunt. Cæſar paruiſſimis ſe caſtris conſulto condidit, equitibuſque præmiſſis, vt fugam fingerent, imperauit, vt ad tranſitum vallis (quæ media erat ſibique periculoſa videbatur) hoſtes contemptu ſui inuitaret, quibus aduentantibus inſuper obſtrui portas præcepit. Quo viſo, Galli quaſi iam viciſſent, ad obducendum extrinſecus vallum conuerſi ſunt. Cæſar totis repentè portis paratum effudit exercitum, verſoſque in fugam Gallos, vaſtiſſima cæde confecit. Nam 60. millia tunc fuiſſe referuntur, è quibus pauci per paludes inuias euaſerunt.

Iulius Celſus. Cæſar legione producta recognoſcit non decimum quemque militem eſſe ſine vulnere; ex quo intellexit cum quanto periculo, & quanta virtute pugnauerint. Iterum fama perfertur ad Cæſarem magnas Gallorum copias earum ciuitatum, quæ appellantur Armoricæ conueniſſe, hoc autem more Galli bella incipiunt; lege communi omnes puberes, armati conuenire iubentur. Qui vero ex his nouiſſimus conuenit, in conſpectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus, necatur. Inito poſtea bello cum Indutiomaro Treuerorum principe, Cæſar præcepit, vt omnes vnum peterent Indutiomarum, ne quis quemquam prius vulneraret, quàm illum interfectum videret.

Cæſar lib. 5.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De dictis moralibus Iulij Celſi.

CAP. V.

AVthor. Hęc & alia multa de bello Cęſaris narrauit *Oroſius, & Iulius Celſus.*

Hoc enim bellum Cęſaris Gallicum *Iulius Celſus diligenter in libris* 5. deſcribit: de quibus etiam hęc quæ ſequuntur excerpta ſunt.

Hunc Iuliũ Celſum nullibi inuenire queo, nec puto talem vnquam prodijſſe in lucem: præſertim cum omnia, quæ ex ipſo citantur; labore ſummo inueni verbatim in libris Iulij Cæſaris de bello Gallico.

Iulius Celſus in lib. 1. Conſueuerunt Dij immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci volunt, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.

Totius Galliæ conſenſui nec orbis terrarum obſiſtere poſſit.

Naturale eſt omnes homines ſtudio libertatis incitari, & conditiones ſeruitutis odiſſe.

Libenter homines, id quod volunt credunt. Iracundia, & temeritas Gallorum genti maximè innata eſt, ita vt leuem auditionem pro re comperta habeant.

Animi eſt iſta mollicia, non virtus: inopiam pauliſper ferre non poſſe.

Facilius reperiuntur, qui ſe vltro morti offerant, quam qui dolorem patienter ferant, &c.

Idem 2. *lib.* Rerum omnium magiſter eſt vſus. Quod volumus, & libenter credimus: & quæ ſentimus, ipſi reliquos ſentire ſperamus.

Idem in 3. *lib.* Inter duos bellantes, hoc vnum temporis agendi de pace eſt, dum ſibi vterque confidit, & pares ambo videntur. Quod ſi alteri paululum modo fortuna tribuerit, vix vtetur conditionibus pacis, qui ſuperior videtur, nec æqua parte contentus erit, qui ſe omnia habiturum ſperat.

Idem in 4. *lib.* Terror hominibus conſilium, mentemque eripit, & membra debilitat.

Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem caſum reſeruat.

Idem in lib. 5. Galli homines aperti ſunt, minimeque inſidioſi: qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerunt.

De quibuſdam dictis Ciceronis, & de libris eiuſdem.

CAP. VI.

AVthor. Porro Ciceronem in Gallia ſub Cęſare militaſſe *iuxta Iulium Celſum, & Oroſium*, ſuperius diximus, qui multa præclara dixiſſe atque ſcripſiſſe legitur.

Aug. lib. 12. *de ciu. Dei.* Deum certè volens Cicero ſicut poterat breuiter diffinire. Mens eſt, inquit, quędam ſoluta & libera, ſecreta ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita nutu ſempiterno.

Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. *prope finem.* Cicero rogatus ab Hircio, vt poſt repudium Terentiæ, ſororem eius duceret, non acquieuit, dicens ſe non poſſe, & vxori, & philoſophiæ pariter operam dare: illa autem coniunx egregia, quæ de fontibus Tullianis hauſerat, nupſit Salluſtio inimico eius.

Libri Ciceronis.

Author. Scripſit autem Cicero, qui & Marcus Tullius vocatur, de officijs lib. 3. de amicitia librum vnum, de ſenectute, librum 1. De oratore librum 1. De Paradoxis librum 1. Philippicarum librum 1. Rethoricarum libros 2. Tuſculanarum quæſtionum libros 5. Orationum libros 12. inuectiuarum libros 6. de legibus libros 3. de fine boni, & mali, libros 5. de natura Deorum libros 3. de diuinatione libros 2. de fato librum vnum, de creatione mundi librum vnum, dialogorum ad Hortenſium librum 1. de partitione orationis librum 1. de academicis librum vnum. De his autem omnibus hæc pauca moralia ad memoriam, & ædificationem legentium, excerpta, huic operi inſerui.

Floſculi librorum eius de officijs.

CAP. VII.

TVllius *lib.* 1. *de officijs.* Virtutis omnis laus in actione conſiſtit: à qua tamen ſæpe fit intermiſſio: multique dantur ad ſtudia reditus. Scire debemus quę in terris gignuntur ad vſum hominum creari omnia, homines autem, hominum cauſa fuiſſe generatos, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſint. In hoc autem debemus naturam ducem ſequi, & communes vtilitates afferre in medium. *Laus virtutis in quo conſiſtat.*

Fundamentum primum Iuſtitię eſt, ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati ſeruiatur. In illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ quis metu coactus, vel dolo deceptus promiſerit? Fundamentum Iuſtiriæ eſt Fides, id eſt dictorum conuentorumque conſtans veritas. Exiſtunt ſæpe in iure quædam nimis callida, ſed malitioſa iuris interpretatione: ex quo illud, *Summum ius, ſumma iniuria eſt*, factum eſt iam tritum prouerbium. Quare ſuſcipienda ſunt bella, vt ſine iniuria in pace viuatur. Itaque paci, quod nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum. Totius iniuſtitiæ nulla capitalior, quàm eorum, qui cum maximè fallant, id agunt vt boni viri videantur. *Iuſtitia.*

Liberalitate, & beneficentia nihil eſt naturæ hominis accommodatius: ſed hæc multas debet habere cautiones: videndum eſt enim primum ne obſit illi cui datur beneficium, vel alij. Sunt enim multi cupidi ſplendoris, & gloriæ, qui alijs eripiunt, quod alijs largiantur: & ſic alijs nocent, vt in alios liberales exiſtant. Nos autem ea liberalitate vtamur, quæ amicis proſit, & nemini obſit. Deinde ne maior ſit liberalitas quam facultas; & tandem pro dignitate cuique tribuatur, quod eſt fundamentum Iuſtitiæ. Nihil enim liberale eſt, quod non ſit iuſtum. Spectandi etiam ſunt mores eius, in quem beneficium conferatur, & animus eius circa nos, & communitas ac ſocietas vitæ, & ad noſtras vtilitates officia prius collata. *Liberalitas.*

Omnium ſociotatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quam cum boni viri moribus ſimiles familiaritate coniuncti ſunt. Nihil enim amabilius eſt, nec copulatius, quam morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia; eædem voluntates: in his fit vt alter altero æque delectetur, vt in ſeipſo; & ſic vnus fiat ex pluribus. Vita victuſque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, interdum etiam obiurgationes maximæ in amicitijs vigent: Eſtque illa iocundiſſima amicitia, quam ſimilitudo coniugauit. Sicut ſcientia, quæ remota eſt à Iuſtitia, calliditas potiùs, quam ſapientia eſt appellanda: Sic & animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate non communi vtilitate impellitur, audaciæ potius nomen habet quam fortitudinis. *Societas optima.*

Fortes & Magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Vix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. Non eſt conſentaneum rationi, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate, nec qui ſe inuictum à labore præſtiterit, vinci à voluptate. *Fortitudo.*

Item ex eodem.

CAP. VIII.

FVgienda eſt pecuniæ cupiditas. Nihil enim tam anguſti tamque parui eſt animi, quàm amare diuitias. Nihil honeſtius atque magnificentius, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: Si autem habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre. *Cupiditas pecuniæ.*

Multi tranquillitatem expetentes, à negocijs publicis ſe remouerunt, atque ad ocium profugerunt, inter *Tranquillitatem expetentes ad ocium confugiunt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quos, & nobilissimi Philosophi, & quidam homines seueri, & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris; facilior, quidem & tutior, & alijs minus grauis aut molesta ociosorum vita; fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem atque amplitudinem aptior, eorum qui ad rempublicam, & ad res magnas gerendas se accommodauerunt.

Bellum. Bellū ita suscipiatur, vt nihil aliud nisi pax quæsita videatur. Fortis est enim animi, & constantis, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem gradu deijci, sed præsenti animo, & consilio suo vti: nec à ratione discedere. Illud etiam magni ingenij est, cogitatione futura percipere, & ante constituere, quid euenire possit; & quid agendum sit, cum euenerit. Qui Reipublicæ profuturi sunt, duo præcepta Platonis teneant: Vnum, quod vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quicquid agunt ad eam referant obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipub. procurent, ne dum aliquam partem tuentur reliquas deserant, tutela aurem & procuratio Reipublicæ ad eorum vtilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus est commissa gerenda est.

Clementia mixta cum seueritate. Nihil est laudabilius, nihil magno præclaroque viro dignius, placabilitate, & clementia. quæ tamen ita probanda est, vt adhibeatur reip. seueritas, sine qua Ciuitas non potest administrari. Omnis enim animaduersio, & castigatio debet vacare à cōtumelia, nec ad eius, qui punit vel castigat aliquem, sed ad Reipublicæ vtilitatem referri. Cauendum est etiam, ne maior sit pœna, quam culpa, & ideo prohibenda est ira in puniendo maximè; nunquam enim iratus, qui ad puniendum accedit, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum. Qui ergo Reipublicæ prę sunt legum similes sint quæ ad puniendum, non iracundia, sed æquitate ducuntur.

Superbia fugienda. In rebus etiam prosperis superbia fugienda est, & arrogantia, nam vt aduersas res, sic & secundas immoderatè ferre, leuitatis est. Præclara est æqualitas in vita scilicet vt sit idem semper vultus, eademque frons, sicut de Socrate dictum est.

Adulatori ne aurem præbeat. Cauendum est ne assentatoribus siue adulatoribus aures patefaciamus in quo falli facile est. Tales enim nos putamus, vt iure laudemur, ex quo inflati, vanis opinionibus in innumerabiliora peccata, & in maximos errores incidimus. Sunt quidam homines non re sed nomine.

Ex eodem.

Cap. IX.

Nihil contra naturam. VIdendum est, vt contra naturam communem nihil contendamus, sed studia nostra eius regula metiamur: nec enim attinet Naturæ repugnare, nec quidquam sequi quod non queas assequi. Id maxime quemque decet, quod maximè suum est.

Amicitias, quæ minus delectant, magis censent sapientes sensim diluere, quam repente præscidere.

Luxuria cum omni ætati turpis sit, senibus maxime fœdissima est.

Peregrini, & Incolę officium est, nihil præter negocium suum agere, nihil de alio inquirere, minimeque esse in aliena Republica curiosum.

Vestis composita, mores honesti, & graues. Formę corporali adhibenda est munditia, non odiosa, nec exquisita nimis, sed tantū, quæ fugiat inhumanam negligentiam, in vestibus autem mediocritas optima est. Cauendum est ne aut in gressu tarditatibus mollioribus vtamur, vt pomparum ferculis similes videamur, aut nimias celeritates in festinatione suscipiamus, in quibus est significatio inconstantię; sit vox loquentis dulcis, & non contentiosa, neque languens, neque canora, videatque in primis, de quibus rebus loquatur, si de seriis, veritatem adhibeat, si de iocosis, leporem. Ornanda est dignitas domo, non ex domo tota quærenda est, nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. In domo clari hominis hospites multi recipiendi sunt, & admittenda hominum cuiuscunque generis multitudo, atque abhibenda est cura largitatis, aliter enim ampla domus dedecori domino fit, si est in ea solitudo, & maxime si sub alio domino solita est frequentari: odiosum est enim cum à prætereuntibus dicitur, *O domus antiqua, heu quam dispari domino dominaris*. Turpe est valde, & vitiosum in re seuera delicatum inferre sermonem. Quemadmodum ergo in oratione constanti, sic in vita omnia apta sint inter se, & conuenientia, & quæ parua videntur esse delicta, nec à multis intelligi possunt, ab his diligentius est declinandum. Si enim organis musicis quamuis paululum discrepent, vitatur tamen, ne quid in eis discrepet, multo magis ordinis omnimoda conuenientia in actionibus nostris abhibenda est, quia maior, & melior est actionum, quam sonorum accentus. Nescio quomodo fit vt magis in alijs, quam in nosmetipsis cernamus, si quid delinquitur.

Pulchrum simile.

Quæstus mercenariorum. Illiberales, & sordidi sunt quęstus mercenariorum omnium, quorum opera non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces autoramentum seruitutis, Sordidi etiam sunt qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Minimæ quoque artes probandæ sunt, quæ ministrę sunt voluptatum, vt quas exercent Lanistæ, Piscatores, Coqui, Sartores, & etiam Vnguentarij, Saltatores, Ludique talares, Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris vtilitas quæritur, vt medicina, architectura, & doctrina rerum honestarum; hæ quidem honestæ sunt his, quorum ordini conueniunt. Mercatura autem si tenuis est, sordida putanda est. Omniū ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Omne autem officium, quod ad coniunctionem hominum, & ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod ex cognitione, & scientia continetur, est enim humanæ naturæ aptius, & vtilius.

Agricultura laudatur.

Magnitudo animi remota comitate, & coniunctione humana, feritas quædam est, & inhumanitas.

Ex eodem.

Cap. X.

Simile. IDem *in lib.* 2. Sicut magnas vtilitates adipiscimur conspiratione hominum, atque consensu; sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ homini ab homine non nascatur.

Male se habet res, cum quod virtute effici debet, id pecunia tentatur. Quia idipsum quod honestum, decorumque dicimus per se, nobis placet, animosque omnium natura sui commouet: idcirco illos, in quibus hoc esse remur, à natura ipsa diligere cogimur, atque hæc quidem est causa diligendi grauissima.

Quis dicendus Iustus? Nemo iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, vel egestatem timet, aut ea quæ his sunt contraria æquitati anteponit. Tanta est Iustitiæ vis, vt nec illi qui maleficio & scelere pascantur, sine vlla eius particula viuere possint. Nam & Princeps Latronum nisi æqualiter prædam dispartiatur, aut interficietur à socijs aut relinquetur. Omnia ficta celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Qui veram iustitiæ gloriam adipisci vult: iustitiæ fungatur officijs.

Commendatio Adolescentis. Prima adolescentis commendatio proficiscitur à modestia, cum pietate in parentes, & in suos beneuolentia. Deinde etiam facile in optimam partem venire cognoscitur si ad sapientes, & claros viros: & bene consulentes Reipublicæ se contulit, & cum eis assiduus sit.

Iudicis est semper in causis verum sequi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Beneficentiæ duplex ratio, & liberalis quis vere dicatur.

Beneficentiæ ac liberalitatis eſt duplex ratio, aut enim opera impenditur indigentibus, aut pecunia, facilior quidem poſterior, locupleti præſertim: ſed prima lautior ac ſplendidior, vt viro forti claroque dignior, ac pluribus vtilior. Nam prima ex arca, ſecunda ex virtute depromitur, & ſæpe qui pecuniæ beneficium accipit, deterior inde fit, atque ad idem expectandum ſemper paratior. Nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda vt pateat omnibus. Cauſa autem largitionis eſt duplex: ſcilicet ſi aut eſt neceſſe, aut vtile Et in his temporibus mediocritatis regula ſeruanda eſt. Temeritate enim remota, gratiſſima eſt liberalitas. Nam viri liberalis bonitas, commune omnium profugium eſt. Nec vno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus, propenſior enim debet eſſe benignitas in calamitoſos, niſi forte calamitate digni fuerint. Conuenit autem viro liberali in dando, eſſe munificum; in exigendo, non acerbum, in omni quoque re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, facilem, & æquum; multa multis de iure ſuo cedentem, & à litibus quantum liceat, abhorrentem. Habenda tamen eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt; ſed ita vt illiberalitatis, & auaritiæ ſuſpicio abſit.

Decorum valde eſt patere domus illuſtrium virorum, illuſtribus hoſpitibus.

In beneficijs collocandis mores hominum non fortunam ſequi honeſta ratio eſt. Sed quis eſt tandem, qui inopis, & optimi viri cauſæ non anteponat gratiam viri fortunati, & potentis, à quo enim videtur remuneratio fore expeditior, atque celerior, in eo noſtra voluntas eſt propenſior, corruptique ſunt mores, & admiratione diuitiarum deprauati.

Auaritia peſſimum vitium.

Nullum vitium deterius eſt auaritia, præſertim in principibus, & Rempublicam gubernantibus, habere enim quæſtui Reipublicæ non modo turpe eſt, ſed etiam ſceleratum, & nefarium. In Iulio Cęſare tanta peccandi libido fuit, vt hoc ipſum peccare, eum delectaret, etiamſi cauſa non eſſet.

Ex eodem.

Cap. XI.

Ocia damnantur, quæ nulla negotia tractant.

IDem in 3. lib. Publium Scipionem ſcripſit Cato dicere ſolitum, nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quàm cum ocioſus, nec minus ſolum quàm cum ſolus eſſet. Magnifica verè vox ac viro magno, & ſapiente digna, quæ declarat illum & in ocio de negocijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum. Duæ itaque res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant ſcilicet ocium & ſolitudo.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum agere commodum, magis eſt contra naturam quàm mors. Sicut enim ſi vnumquodque corporis membrum hunc haberet ſenſum, vt poſſet putare ſe valere, ſi proximi membri valetudinem detraxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt. Sic vnuſquiſque noſtrum ſi ad ſe rapiat commoda aliorum, detrahatque cui poſſit emolimenti ſui gratia, ſocietas hominum & communitas euertatur, neceſſe eſt. Multo magis eſt ſecundum naturam communitas, & Iuſtitia, & Liberalitas, quam voluptas vitæ, & diuitiæ. Magis quoque eſt ſecundum naturam, pro omnibus gentibus (ſi fieri poſſit) conſeruandis, atque iuuandis, maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere; quàm viuere in ſolitudine: non ſolum ſine vllis moleſtijs, ſed etiam in voluptatibus & omnium rerum copijs.

Quæ ſecundum naturam.

Errant qui vitium vllum corporis aut fortunæ vitijs animi grauius exiſtimant.

Homo natura obediens homini nocere non poteſt.

Vnum omnibus debet eſſe propoſitum, vt eadem ſit vtilitas vniuſcuiuſque & vniuerſorum.

Simile.

Societatis arctiſſimum vinculum eſt: arbitrari magis contra naturam eſſe, hominem homini aliquid detrahere ſui commodi cauſa, quàm omnia incommoda ſubire.

Iuſtitia eſt vna omnium domina & Regina virtutum.

Sicut quædam membra amputantur, ſi languere & tanquam ſpiritu carere cæperint, ne noceant reliquis partibus corporis; ſic in figura iſta hominis feritas, & immanitas belluæ à communi humilitate ſegreganda eſt. Nihil tam ſecundum naturam eſt quam vtilitas, ſed certe in re vtili turpitudo eſſe non poteſt.

Qui deliberant vtrum id quod honeſtum vident, ſequantur; an ſcientes ſcelere ſe contaminent, etiam ſi ad id quod deliberant non peruenerint, in ipſa dubitatione facinus committunt; etenim deliberanda omnino non ſunt, in quibus turpiſſima eſt ipſa deliberatio. Certè ſi omnes Deos hominesque clare poſſumus, nihil tamen auare vel iniuſte nihil libidinoſe nihil incontinenter faciendum eſt.

Ex eodem.

Cap. XII.

Quid in amicitijs obſeruandum.

IN amicitijs maxime perturbantur officia, quibus & non tribuere quod rectè poſſis, & tribuere quod non ſit æquum, contra officium eſt. Honores & diuitię, & voluptates, & cætera huius generis, quæ videntur vtilia, nunquam amicitiæ anteponenda ſunt. Ac neque contra Rempublicam neque contra iuſiurandum ac fidem amici cauſa, vir bonus faciet; neque ſi iudex fuerit de ipſo amico, ponit enim perſonam amici, cum induit iudicis, tantum dabit amicitiæ, vt amici cauſam malit eſſe veram, & vt perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum autem iuramento ſententia dicenda ſit, meminerit ſe Deum teſtem adhibere.

Si omnia facienda ſunt, quæ amici volunt, non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ ſunt.

Cum id quod vtile videtur in amicitia, cum eo quod honeſtum eſt comparatur, iaceat vtilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Et cum in amicitia, quæ honeſta non ſunt poſtulantur, religio & fides anteponantur amicitiæ.

Hominum naturæ (quam maxime ſequi debemus) inimica eſt crudelitas. Omnes aliud agentes & aliud ſimulantes, perfidi ſunt, improbi, & malitioſi. Nullum igitur eorum factum vtile eſſe poteſt, cum tot ſit vitijs inquinatum. Tollendum eſt ex rebus contrahendis omne mendacium, tam emptor quam venditor ſi ad loquendum venerit, non plus quam ſemel eloquatur. Vir bonus & iuſtus nihil cuiquam quod in ſe transferat detrahet. Bonus vir non modo facere, ſed nec cogitare quidem audebit quicquam, quod non audeat prædicare. Quid intereſt, vtrum ex homine quis in belluam ſe conuertit, an ſub hominis figura immanitatem beluæ gerat? Eſt ius bellicum fideſque iuriſiurandi, etiam cum hoſte ſæpe ſeruanda, ſed non ſemper. Quod enim ita iuratum eſt, vt & mens fieri oportere conciperet, id ſeruandum eſt. Quod autem aliter, ſi non fecerit, nullum eſt periurium, vt ſi prædonibus piratis pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt: etiamſi iuratus, id quidem non feceris. Nam Pirata cum ſit communis omnium hoſtis, nec fides nec iuramentum cum eo debet eſſe commune. Non falſum iurare, peierare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur, more noſtro, id non facere, periurium eſt. Nec illa quidem promiſſa ſunt ſeruanda, quæ his ipſis inutilia ſunt, quibus illa promiſeris.

Iuſiurandum quomodo ſeruandum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Peruertunt homines ea, quæ ſunt fundamenta naturæ, cum vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt, omnes enim expetimus vtilitatem ad eamque rapimur. In iureiurando non quis metus, ſed quod ſit ius debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa, quod ergo affirmatiuè, & quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.

Floſculi eiuſdem de amicitia.

Cap. XIII.

Amicitia in bonis ſolum reperitur.

Idem in lib. de amicitia. Amicitia omnibus rebus humanis præponenda eſt, nihil enim eſt tam naturæ aptum tamque conueniens ad res ſecundas, vel aduerſas. Sed hoc primum ſcio, amicitiam niſi in bonis eſſe non poſſe. Negant etiam quemquam eſſe virum bonum, niſi ſapientem, ſed illam ſapientiam interpretantur, quam nemo adhuc mortalis eſt aſſecutus. Illos bonos viros appellandos putemus, qui aſſequuntur, quantum homines poſſunt, naturam optimam bene viuendi ducem. Quanta ſit vis amicitiæ, ex hoc intelligi poteſt, quod ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliauit ipſa natura, ita contracta res eſt, & abducta in anguſtum, vt omnis charitas, vel inter duos, vel inter paucos iungeretur.

Quid amicitia.

Eſt autem amicitia nihil aliud, niſi omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia, & charitate conſenſio.

Quomodo poteſt eſſe vita vtilis, quæ non amici mutua beneuolẽtia conquieſcit; Quid enim dulcius quam habere, cum quo audeas ſic loqui, vt tecum? quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus niſi haberes, qui illis æque vt tù, gauderet? Aduerſas vero ferre difficilè eſſet, ſine eo, qui eas grauius etiam quàm tu ferret. Et ſecundas res facit amicitia ſplendidiores, & aduerſas partiens, communicansque leniores. Cumque plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tamen illa nimirum præſtat omnibus, quod bona ſpe prælucet in poſterum, nec debilitare animos aut cadere patitur, verum etiam amicum, qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Nihil enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter veritatem, & probitatem etiam eos quos nunquam vidimus, diligamus.

Continuare amicitiam difficile.

Scipio nihil difficilius eſſe dicebat, quam amicitiam vſque ad extremum vitæ diem permanere. Interdum enim dirimitur contentione luxuriæ, vel alterius commodi, quod idem adipiſci vterque non poteſt. Peſtem vero nullam eſſe maiorem amicitijs, quam in pleriſque pecuniæ cupiditatem. In optimis quibuſque, certamen honoris, & gloriæ, ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe videmus. Nulla eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris, nam cum conciliatrix amicitiæ, virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris. Quod ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis, quicquid velint, vel impetrare ab eis quicquid velimus perfectæ quidem ſapientiæ ſumus, ſi nihil habeat res vitij. Hæc igitur lex in amicitia ſancitur, vt neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Turpis enim excuſatio hæc eſt, & minime accipienda, ſi quis contra Rempublicam amici cauſa ſe feciſſe fateatur. Præcipiendum igitur bonis eſt, vt ſi in prauorum amicitias ignari aliquo caſu inciderint, ne exiſtiment ita ſe alligatos, vt ab amicis in republica peccantibus non diſcedant, nec minor pœna ſtatuenda eſt his, qui alterum ſecuti fuerint, quam his qui impietatis duces fuerunt. Non mihi minoris curæ eſt, qualis Reſpublica poſt mortem meam futura ſit, quam qualis hodie ſit. Hæc igitur prima lex amicitiæ ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus, & amicorum cauſa honeſta faciamus. Conſilium verum liberè dare gaudeamus, plurimumque in amicitia amicorum beneſuadentium valet auctoritas. Conceditur profecto eſſe verum, vt bonos boni diligant, aſciſcantque ſibi quaſi propinquitate coniunctos atque natura. Nihil eſt appetentius ſimilium ſui atque rapacius quàm natura. In vera amicitia non tam vtilitas parta per amicum, quam amor ipſe delectat. Amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis, & certa poſſeſſio, ita vt etiam ſi illa maneant, quæ ſunt quaſi dona fortunæ: tamen vita inculta, & deſerta ab amicis iocunda eſſe non poſſit. Multa quæ noſtri cauſa nunquam faceremus, cauſa amicorum facimus: quæ enim in noſtris rebus inhoneſtæ, in amicorum fiunt honeſtiſſimæ, vt precari pro amico indigno, in aliquem acerbius inuehi pro eo.

Lex amicitia.

Item ex eodem.

Cap. XIIII.

Amicitia à quibus non recte definita.

Quidam definiuit amicitiam paribus officijs, & voluptatibus, ſed hoc quidem eſt nimis exiguè, & exiliter ad calculos vocare amicitiam, vt par ſit ratio acceptorum, & datorum. Ditior enim & affluentior videtur eſſe amicitia, nec obſeruare reſtricte, quin plus reddat quàm acceperit. Neque enim verendum eſt, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut plus æquo in amicitiam conferatur.

Duo tenenda in amicitia.

Boni viri, & ſapientis eſt, hæc duo tenere in amicitia, primum ne quid fictum vel ſimulatum ſit, aperte enim odiſſe magis ingenuum eſt, quam fronte occultare ſententiam. Deinde non ſolum allatas ab aliquo criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem ſuſpicioſum eſſe, ſemper exiſtimantem aliquid ab amico eſſe violatum. Accedet huc, vt oportet, ſuauitas quædam ſermonum, atque morum, aut mediocre condimentum amicitiæ. Non eſt negligenda fama, nec mediocre telum; ad res gerendas, oportet exiſtimare beneuolentiam ciuium, quam cum blanditijs aſſentando colligere turpe eſt: virtus, quam ſequitur charitas minime repudianda eſt. Veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in illis, qui in honoribus Reipublicæ verſantur, vbi enim inuenias, qui honorem amici ſuo anteponat? Firmamentum ſtabilitatis, & conſtantiæ quam in amicitia quærimus eſt fides. Veterrima quæque (vt ea vina quæ vetuſtatem ferunt) debent eſſe ſuauiſſima, maxima enim eſt vis vetuſtatis, & conſuetudinis. Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit. Hi qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia, & ſic quodammodo inferiores extollere. Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias, nec ob vllam aliam cauſam boni improbis, & improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quia tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe morum ſtudiorumque diſtantia. Erumpunt ſæpe vitia amicorum tum in ipſos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia, Tales amicitiæ ſunt remiſſione vſus leuandę. Et (vt Catonem audiui dicere) diſſuendæ magis, quam diſcindendæ. Cauendum eſt namque ne non ſolum amicitiæ diſpoſitæ, ſed etiam inimicitiæ ſuſceptę videantur.

Fama bona.

Diſſimilitudo morum inimica amicitiæ.

Nihil turpius, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Hæc autem dico, vbi quædam admodum intolerabilis exarſerit iniuria, vt neque rectum neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, vt non ſtatim alienatio diſiunctioque facienda ſit, ſic ergo fiant amicorum diſſidia, ſi neceſſe ſit, et extinctæ potius amicitiæ, quam compreſſæ videantur. Et hic honor veteri amicitiæ tribuendus eſt, vt in culpa ſit is, qui facit, non qui patitur iniuriam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Oportet comedere modium ſalis cum ijs quos diligere volumus, antequam vt amici eos diligamus.

Caueamus autem ne nimis cito diligere incipiamus, neve indignos. Digni ſunt amicitia quibus in idipſis eſt cauſa cur diligantur: ſed rarum genus eſt, equidem omnia præclara rara, nec quicquam difficilius eſt, quam reperire quod ſit ex omni parte in ſuo genere perfectum. Ipſe homo ſeipſum diligit per ſe, non vt aliquam à ſeipſo mercedem exigat charitatis ſuæ. Quod niſi in amicitia idem transferatur, verus amicus nunquam reperietur, eſt enim verus amicus tanquam alter idem. Æquum eſt enim ipſum virum primo bonum eſſe, & ſeipſum per ſe diligere, deinde alterum ſimilem ſui quærere, cuius animum, ita cum ſuo miſceat, vt penè efficiat vnum è duobus.

Ex eodem.

Cap. XV.

IN talibus autem ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt, qui beneuolentia iuncti, primum cupiditatibus, quibus cæteri ſeruiunt, imperant. Deinde æquitate & iuſtitia gaudent: omniaque alter pro altero ſuſcipit, nec quicquam niſi rectum & honeſtum alter ab altero petit, nec ſolum ſe colunt inter ſe, & diligunt, ſed etiam verentur. Nam ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam, perniciouſuſque in his error eſt, qui exiſtimant libidinum, peccatorumque omnium, in amicitia patere licentiam Virtutum enim amicitia adiutrix à natura data eſt, non vitiorum comes, vt quoniam ſolitaria non poſſet virtus, ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & ſociata cum altera peruenirent. Si quis Deus nos ex hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine vſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans, omnium rerum quas natura deſiderat copiam, hominis vero aſpiciendi omnino eriperet poteſtatem: quis tam ferreus eſſet, qui hanc vitam ferre poſſet, cuique non auferret voluptatum omnium fructum ſolitudo. Natura enim nihil ſolitarium amat, vnde verum eſt, quod ab archita Tarentino (vt opinor) dici ſolitum à ſenibus noſtris audiui Si quis in cælum aſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſyderum perſpexiſſet, inſuauem illi fore admirationem, quæ iucundiſſima quidem fuiſſet, ſi cui narraret, habuiſſet.

Amicitia non vitiorum comes.

Natura nil ſolitarium amat.

Et monendi ſæpe amici ſunt, & obiurgandi, ſic tamen vt & monitio acerbitate, & obiurgatio contumelia careat, & tunc amicè accipienda ſunt, cum beneuolè fiunt. Sed neſcio quo modo verum eſt, quod in Andria familiaris meus ait Terentius. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Moleſta veritas eſt, ſi quidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ. Sed obſequium multo moleſtius, quod peccatis, indulgens in præcipitium amicum ferri ſinit. Maxima autem in eo eſt culpa, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Cuius autem aures veritati clauſæ ſunt, vt vel ab amico verum audire nequeat; huius ſalus deſperanda eſt. Et monere igitur, & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ, & alterum libere facere, non aſpere alterum patienter recipere. Sciendum etiam nullam in amicis maiorem eſſe peſtem quam adulationem, quæ eſt vitium hominum leuium ac fallacium, ad voluptatem omnia loquentium, nihilque ad veritatem.

Adulatio peſtis amicitiæ.

Virtus ſeipſam nouit.

Omnino eſt amans ſui virtus, optime enim ſeipſa nouit, quamque amabilis ſit intelligit.

Omnium rerum ſimulatio vitio eſt, tollit enim iudicium veri; cum in hoc ius amicitiæ conſiſtat, vt vnus, quaſi animus ex pluribus fiat, quomodo id fieri potuerit, ſi nec in vno vnus animus erit, ſed varius, & commutabilis, & multiplex. Nulla eſt hæc amicitia cum alter verum non vult audire, alter ad mentiendum paratus ſit. Apertè quidem adulantem nemo non videt, niſi qui admodum excors eſt: ſed callidus, & occultus non facile agnoſcitur, quippe qui etiam aduerſando ſæpe aſſentatur, & litigare ſe ſimulans blanditur; atque ad extremum dat manus, vincique ſe patitur, vt is, qui illuſus eſt, plus viciſſe videatur.

Omnia breuia tolerabilia eſſe debent, etiamſi magna ſint.

Floſculi eiuſdem de Senectute.

Cap. XVI.

Idem in li. de Senectute. Tanta ineſt hominibus ſtultitiæ inconſtantia atque peruerſitas, quod omnes eam vt adipiſcantur, exoptant, & eandem adepti accuſant, quietæ & puræ atque eleganter actæ ætatis placida & leuis eſt ſenectus. Nam ipſa bene actæ vitæ, benefactorumque multorum recordatio iucundiſſima eſt.

In ſenectute dulciſſima recordatio eſt bene actæ vitæ.

Temeritas eſt florentis ætatis; Prudentia autem ſeneſcentis; vnde qui legere aut audire antiqua voluerit, maximas Reſpublicas ab adoleſcentibus labefactatas, à ſenibus autem ſuſtentatas, & reſtitutas reperiet.

Nemo tam ſenex eſt qui ſe annum viuere poſſe non putat.

Non viribus, aut velocitate corporis res magnæ geruntur, ſed conſilio, auctoritate, & ſententia. Decorus eſt ſermo ſenis, quietus, & tremulus, facitque ſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis compta & mitis oratio. Ipſa defectio virium adoleſcentiæ vitijs efficitur ſæpius, quam ſenectutis; libidinoſa enim & intemperans adoleſcentia effectum corpus tradit ſenectuti. Vt contra morbum, ſic contra Senectutem pugnandum eſt; & habenda ratio valetudinis, vtendum eſt ergo exercitationibus modicis, & tantum cibi ac potus adhibendum, vt vires reficiantur nõ opprimantur. Poteſt enim exercitatio, & temperantia etiam in Senectute aliquid priſtini roboris conſeruare; nec corpori tantum ſubueniendum eſt, ſed etiam menti atque animo multo magis. Nam quod ſenes aiunt ſtultos credulos, obliuioſos, & diſſolutos; non ſunt hæc vitia ſenectutis ſed inertis ignauiæ, ac ſomniculoſæ ſenectutis. Sicut enim petulantia, vel libido, magis eſt adoleſcentium; quam ſenum: nec tamen omnium adoleſcentium, ſed improborum: ſic illa ſenilis ſtultitia, quæ deliratio dicitur, ſenum eſt non omnium, ſed leuium. Senectus honeſta eſt, ſi ius ſuum retinet: ſicut adoleſcentem, in quo eſt ſenile aliquid; ſic & ſenem, in quo eſt adoleſcentis aliquid, probo. Quod qui ſequitur corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquam. In ſtudijs laboribuſque iuuentutis non intelligitur quando obrepit ſenectus. Ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit, nec ſubito frangitur, ſed diuturnitate extinguitur. O præclarum munus ætatis, ſiquidem aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vicioſiſſimum ſcilicet libidinem corporis, impedit conſilium voluptatis, quę eſt rationis inimica, ac mentis oculos, præſtringit, nec habet vllum cum virtute commercium. Cupidis rerum odioſum & moleſtum eſt carere, ſatiatis vero & expletis, iucundius eſt carere quam frui. Quanta illa ſunt, quæ affert Senectus animo tanquam emeritis ſtipendijs libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum & cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumque (vt dicitur) viuere. Si vero & aliquod pabulum habet ſtudij atque doctrinæ, nihil ocioſa Senectute iucundius. Veniam ad voluptates Agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quę nec vlla impediuntur Senectute, & mihi ad ſapientis vitam maxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec vnquam ſine vſura reddit, quod accepit, agroque ornato & bene culto nihil poteſt eſſe vberius, nec ſpecie ornatius.

Laus ſummæ ſenectutis.

Animo magis quam corpori ſubueniendum eſt.

Item

Item ex eodem.

CAP. XVII.

Honeſtè trãſacta aetas auget authoritatem.

APex Senectutis eſt auctoritas; vnde in Senatu vt quiſque ætate antecedit, eius ſententia Principatum tenet. Non tamen cani, nec rugæ auctoritatem repente arripere poſſunt, ſed honeſte acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis extremos. Auaritia ſenilis, quid ſibi velit non iutelligo. Quid enim abſurdius eſſe poteſt, quam quo minus reſtat viæ, eo plus viatici quærere? Fruſtra ſperat adoleſcens, vel promittit ſe diu victurum. Quid enim ſtultius, quam incerta pro certis habere? quoniam enim illa ætas multo plures, quàm Senectus habet mortis caſus? facilius enim in morbos, adoleſcentes incidunt, grauius ægrotant, triſtius curantur. In hoc enim melioris conditionis eſt ſenex, quia quod ſperat adoleſcens; ipſe conſecutus eſt. Ille vult diu viuere, iſte diu vixit, quamquam mihi quidem nec diuturnum videtur quicquam, in quo eſt aliquid extremum. Cum enim id aduenit tunc id quod præterijt effluxit. Hoc tantum remanet, quod virtute & rectè factis quiſque conſecutus eſt. Mors etiam contingit adoleſcentibus aduerſante & repugnante natura, & ideo grauis. Senibus, vero venit tanquam ſponte, nulla vi adhibita; & ideo leuis. Sicut ergo poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi euelluntur, ſi matura & cocta decidunt, ſic vis adoleſcentibus vitam aufert: Senibus maturitas.

Pulchrum ſimile.

Mors certa ſed quando neſcitur.

Non eſt lugenda mors, quam immortalitas conſequitur. Meditatum debet eſſe ab adoleſcentia, vt mortem negligamus, ſine qua meditatione, tranquillo animo nemo eſſe poteſt, cum certiſſimè ſit moriendum, & quo tempore incertum. Cum in his incluſi corporis compagibus ſumus, munere quodam neceſſitatis, & graui opere perfúgimur; eſt enim animus cæleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi dimiſſus in terram, locum diuinæ naturæ æternitatique contrarium.

Iuſti libenter moriuntur.

Sapientiſſimus, quiſque æquiſſimo animo moritur, nec eum vixiſſe pœnitet; qui ita vixit, vt non fruſtra natum ſe exiſtimet, & ex hac vita diſcedit tanquam ex hoſpitio non ex domo: *Commorandi enim diuerſorium natura nobis dedit, non habitandi.*

O præclarum diem, cum ad illud diuinum animorum concilium tecum proficiſcar. Cunque ex hac turbæ colluuione diſcedam, proficiſcor enim ad viros ſapientes, & ad Catonem meum præcipuè, cuius corpus à me crematum eſt, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior.

Floſculi de Oratore.

CAP. XVIII.

Laus memoriæ.

IDem in lib. *de Oratore.* Memoria eſt Theſaurus omnium rerum, qui niſi cuſtos inuentis cogitatiſque rebus adhibeatur, omnia ſi præclara fuerint, in Oratore ſunt peritura. In hoc maximè beſtijs præcellimus, quod inter nos loquimur, & ſenſum verbis exprimere poſſumus. Quis ergo iure non miretur, & in eo laborandum eſſe arbitretur, vt in quo homines maxime beſtijs, in hoc hominibus ipſis antecellant? Ingenium autem propter celeres motus, & vberes, ad cogitandum & loquendum maximam vim affert ad perorandum. Quicquid autem eſt in quo in dicendo offenditur, illud etiam ea, quæ laudanda ſunt obruit. Qui etiam optimè dicit, maximè dicendi difficultatem varioſque euentus orationis, expectationemque hominum pertimeſcit. Quod in multis aduertere ſoleo, & in meipſo etiam ſæpiſſimè experior, vt & exalbeſcam in principijs dicendi, & tota mente atque artubus omnibus contremiſcam.

In quo homo differt à beſtijs.

In dicendo quanta interdum difficultas?

Hiſtoria quid.

Hiſtoria eſt temporum teſtis, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.

Floſculi de Paradoxis.

CAP. XIX.

Auaritia nunquam dicit ſufficit.

IDem in lib. *de Paradoxis.* Non expletur vnquam neque ſatiatur ſitis cupiditatis, nec ſolum augendi quę habent libidine, cruciantur homines, ſed etiam amittendi metu. Cum tibi Deus, vel mater omnium Natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, nihil diuinius, ſic te ipſe proijcies atque proſternes, vt nihil inter te & pecudem intereſſe putes.

Voluptas, quo maior eſt, eo magis animum à ſede ſua & ſtatu dimouet.

Quid eſt bonum.

Quid eſt igitur (quæret aliquis) bonum? Si quid rectè fit & honeſte & cum virtute id benefieri dicetur. Quod rectum & honeſtum & cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum.

Simile.

Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum & incultum, quod non ſplendeſcat oratione. O qui te beatum, qui te florentem putas, te miſeriæ, te ærumnæ premunt, te tuæ libidines torquent, tu die noctuque cruciaris, cui nec ſatis eſt, quod eſt; & idipſum non diu futurũ ſit, times; te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus examinant iudiciorum atque legum. Sicut improbo, & ſtulto, & inerti nunquam bene eſſe poteſt; ſic bonus vir, & ſapiens, & fortis, miſer eſſe non poteſt. Quicquid eſt laudabile, idem & beatum & florens; & expetendum videri debet. Non peccata rerum euentu, ſed vitijs omnium metienda ſunt. Nihil meum vel cuiuſquam alterius eſt, quod non auferri vel amitti poteſt. Omnis ſapiens liber, omnis ſtultus ſeruus. Cui libere imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? refrænet primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, auaritiam coerceat, cæteras animi labes repellat. Tunc incipiat imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis, dedecori, ac turpitudini parere deſierit. Quid eſt libertas, poteſtas viuendi vt velis? Quis rutem viuit vt vult, qui recte viuit, qui gaudet officio, qui nec legibus, quidem propter metum paret, ſed eas ſequitur, & colit: qui nihil facit, vel dicit, vel cogitat, niſi libenter ac libere. Soli igitur ſapienti conuenit, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. Cum ſeruitus, ſit obedientia fracti animi atque abiecti & arbitrio ſuo carentis: Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omneſque improbos eſſe ſeruos. Nunquid ille liber eſt, cui mulier imperat? cui leges imponit? præſcribit? vetat quod ei videtur? nec ille imperanti aliquid negare poteſt, vel audet recuſare. Poſcit, dandum eſt, vocat, veniendum, eijcit, eſt abeundũ, minatur extimeſcendum; ego iſtum non modo ſeruum, ſed etiam nequiſſimum ſeruum appellandum puto, licet ampliſſima familia natus ſit. Non æſtimatione cenſus, ſed victu & cultu terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum pecuniæ ſed contentum ſuis rebus maximæ ſunt atque certiſſimę diuitiæ. Si iſti callidi rerum æſtimatores, prata & areas quaſdam magni æſtimant, quod huic generi poſſeſſionum quaſi nocere non poteſt, quia neque naufragio, neque incendio amitti poſſunt, quanti æſtimanda eſt virtus, quæ nec ei eripi, nec ſubripi poteſt, quæ neque incendio neque naufragio amittitur, qua qui præditi ſunt, ſoli diuites ſunt. Soli enim poſſident res fructuoſas, & ſempiternas, ſolique quod eſt proprium diuitiarum rebus ſuis contenti ſunt. Mors terribilis eſt his quorum cum vita omnia extinguuntur, non his quorum laus emori non poteſt. Omnis animi debilitas, & humilis, & fracta tumiditas ſeruitus eſt. Animus hominis non arca, diues appellari ſolet.

Sapiens nihil facit inuitus.

Cui mulier imperat nequiſſimus ſeruus appellandus eſt.

Virtus poſt fata ſuperſtes.

Nota pro diuitibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Floſculi Philippicarum eius.

Cap. XX.

Idem in Philippica prima. Nos nobiles magna quædam ſpectare decet, non pecuniam quidem, non opes violentas, & minime ferendam potentiam, ſed charitatem ciuium & gloriam concupiſcere.

Idem in ſecunda. Quod eſt aliud beneficium latronum niſi vt commemorare poſſint, his ſe dediſſe vitam quibus non ademerint, quamuis homines, in turbidis rebus ſint, tamen ſi vere homines ſunt, interdum animis relaxantur. Nullum armatorum eſt præſidium; charitate & beneuolentia ciuium oportet eſſe ſeptum non armis. *Male parta, male dilabuntur.* Nomen certè pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris, nec eſt aliud quam tranquilla libertas. Sicut quidam morbo aliquo ob ſtuporem ſenſus, ſuauitatem cibi non ſentiunt, ſic libidinoſi & auari veræ laudis guſtum non habent.

Idem in quinta. Omnia alia incerta ſunt, caduca & mobilia, virtus eſt vna altiſſimis infixa radicibus, quæ nulla vi labefactari poteſt, nec dimoueri loco.

Idem in ſexta. Per omnia malum naſcens facile opprimitur, inueteratum plurimum fit robuſtius.

Idem in octaua. Turpis fuga mortis, omni morte peior eſt.

Idem in nona. Maioris conſilij eſt præuidere ne quid triſte accidat, ſed animi non minoris fortiter ferre ſi euenerit, quo maior eſt vis animi quàm corporis, eo grauiora ſunt malà, quæ animo concipiuntur, quàm quæ corpore feruntur. Miſerior ergo eſt qui in ſe ſuſcipit ſcelus, quam qui alterius facinus ſuſcipere cogitur. Lex nihil aliud eſt, quàm recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, & prohibens contraria.

Idem in 12. Cuiuſuis hominis eſt errare, nullius autem niſi inſipientis, in errato perſeuerare. Poſteriores enim cogitationes (vt aiunt) ſolent eſſe ſapientiores. Optimus eſt portus pereunti, mutatio conſilij.

Idem in 13. Id licere dicimus, quod legibus, quod more maiorum, & inſtitutis conceditur: neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet; aut vero ſi nemo obſtat, propterea permittitur.

Idem in 14. Breuis à natura nobis data eſt vita; ſed memoria bene actæ vitæ ſempiterna. Quod ſi non eſſet longior, quàm hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus, periculis, ad ſummam laudem gloriamque contenderet.

Floſculi Rhetoricorum eius.

Cap. XXI.

Idem in prologo Rethoricarum. Sapientia ſine eloquentia parum prodeſt; eloquentia vero ſine ſapientia, nunquam prodeſt: ſed plerumque nimium obeſt. Cum homines multis in rebus humiliores, & inferiores ſint beſtijs, hac in re maxime beſtijs præſtare videntur, quod loqui poſſunt. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus, qui in ea re hominibus antecellit, qua in re homines beſtijs præſtant.

Idem in Rhetorica prima. Partes orationis Rhetoricæ ſunt ſex, ſcilicet,

Partes orationis. *Exordium, Narratio, Partitio, Confirmatio, Reprehenſio, Concluſio.*

Exordium *Exordium* eſt oratio animum auditoris idoneè ad reliquam comparans dictionem. Quod eueniet ſi eum beneuolum, attentum, docilemque fecerit. Beneuolentia quatuor ex locis comparatur, ſcilicet à noſtra, ab aduerſariorum, & à iudicum perſona, & à cauſa ipſa vnde agitur. Attentos auditores facimus, ſi ea quæ dicturi ſumus noua, & magna, & vtilia eſſe demonſtramus, & nos breuiter cauſam noſtram expoſituros pollicemur. Et nos breuiter dociles eos facimus, ſi aperte ac breuiter ſummam cauſæ exponimus. Cumque docilem velis facere; ſimul & attentum facias, oportet; nam is maximè docilis eſt, qui attentiſſimè audire paratus eſt.

Narratio eſt rerum geſtarum, aut vt geſtarum expoſitio, ad quam oportet habere tria, ſcilicet vt ſit breuis, & probabilis, & aperta. Multos autem imitatio breuitatis decipit, vt cùm breues ſe eſſe putent, long ſſimi ſint, cum dent operam vt res multas breuiter, non vt paucas dicant. *Narratio*

Partitio illuſtrem & perſpicuam totam facit orationem. Huius partes, ſunt duæ, vna, quæ quid cum aduerſarijs conueniat, & quid in controuerſia relinquatur, oſtendit; ex qua certum quiddam deſignatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera in qua earum rerum de quibus dicturi ſumus breuiter expoſitio ponitur diſtributa. Ex qua conficitur vt certas res animo teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Et hæc debet habere tria ſcilicet abſolutionem, & breuitatem, & paucitatem. *Partitio*

Confirmatio eſt per quam augmentando noſtræ cauſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio. *Confirmatio.*

Reprehenſio eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur. *Reprehenſio*

Concluſio eſt totius orationis exitus, & determinatio. *Concluſio*

Rerum expetendarum tria ſunt genera: vnum quod ſua vi nos allicit ad ſe, non emolumento aliquo captans, ſed ſua dignitate trahens, vt virtus, ſcientia, veritas. Aliud quod non propter ſuam vim & naturam ſed propter fructum & vtilitatem petendum eſt, vt pecunia. Tertium ex horum partibus iunctum ſcilicet quod & ſua vi & dignitate nos ducit, & poſſe quandam vtilitatem gerit, ex quo magis expetatur, vt amicitia: In primo genere ſunt honeſta, in ſecundo vtilia, in tertio ea quæ partem honeſtatis continent, partem vtilitatis; ſed in meliorem partem vocabuli conferantur, & honeſta nominentur. Ex his conficitur, vt appetendarum rerum partes, ſint honeſtas, & vtilitas: vitandarum autem turpitudo, & inutilitas.

Item ex eodem.

Cap. XXII.

HOneſti autem partes duæ ſunt, quarum altera ſimplex, altera iuncta, id eſt, vna propter ſe ex toto appetitur, altera ex aliqua parte propter ſe, ex altera propter vtilitatis fructum. In primo genere omnes res vna vi atque vno nomine virtus amplectitur. Nam virtus eſt habitus, animi naturæ modo rationi conſentaneus, & habet quatuor partes ſcilicet Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

Prudentia eſt rerum bonarum & malarum ſcientia, cuius partes, ſunt Memoria, Intelligentia, Prouidentia. *Prudentia partes.*

Memoria eſt per quam animus repetit illa quæ fuerunt. *Memoria.*

Intelligentia eſt, per quam perſpicit animus ea quæ ſunt. *Intelligentia*

Prouidentia eſt, per quam futurum aliquod videtur antequam factum eſt. *Prouidentia*

Iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitate conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Huius initium à natura profectum eſt, deinde quædam in conſuetu- *Iuſtitia*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſtea vero res, & natura profectas, & à conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit.

Ius naturæ — *Ius* naturæ eſt quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis nobis inſeruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, veritatem.

Religio — *Religio* eſt, quæ ſuperioris naturæ, cuiuſdam (quam diuinam vocant) curam ceremoniamque affert.

Pietas — *Pietas* eſt, per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens cultus tribuitur.

Gratia — *Gratia* eſt, in qua amicitiarum & alterius officiorum memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur.

Vindicatio — *Vindicatio* eſt per quam vis, & iniuria, & omne effuturum defendendo, aut vlciſcendo propulſatur.

Obſeruantia — *Obſeruantia* eſt per quam ætate, aut ſapientia, aut dignitate aliqua antecedentes veneramur, & colimus.

Veritas — *Veritas* eſt, per quam operam damus, ne quid aliter fiat aut factum vel futurum ſit quàm confirmauimus.

Ius conſuetudinis. — *Ius* conſuetudinis eſt, quod voluntate omnium, ſine lege, vetuſtas comprobauit. Quod genus eſt pactum, par, iudicatum.

Pactum — *Pactum* eſt quod in aliquos conuenit.

Par — *Par* quod inter omnes æquabile eſt.

Iudicatum — *Iudicatum* eſt, de quo alicuius, aut aliquorum ſententijs iam conſtitutum eſt.

Ius Legis — *Legis ius* eſt, quod in ſcripto quod populo expoſitum eſt, vt obſeruetur, continetur.

Fortitudo — *Fortitudo* eſt, conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Huius partes, ſunt Magnificentia, Fidentia, Magnificentia, Perſeuerantia.

Magnificentia. — *Magnificentia* eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio atque adminiſtratio.

Fidentia — *Fidentia* eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit.

Patientia — *Patientia* eſt honeſtatis, aut vtilitatis, cauſa rerum arduarum ac difficilium, voluntaria aut diuturna perpeſſio.

Perſeuerantia. — *Perſeuerantia* eſt, in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio.

Temperantia. — *Temperantia* eſt rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio. Cuius partes ſunt, Continentia. Clementia, Modeſtia.

Continentia — *Continentia* eſt, per quam cupiditas, conſilij gubernatione regitur.

Clementia — *Clementia* eſt, per quam animi temere in odium alicuius inuectio concitata retinetur.

Modeſtia. — *Modeſtia* eſt, per quam pudor honeſtus; claram, & ſtabilem comparat auctoritatem. Hæc omnia propter ſe ſolum vt nihil addatur emolumenti petenda ſunt.

Item ex eodem.

Cap. XXIII.

PRopter ſe autem vitanda ſunt non modo ea quæ his contraria ſunt vt fortitudini ignauia, iuſtitiæ iniuſtitia: Verumetiam illa quæ propinqua & finitima eſſe videntur. Vnicuique enim virtuti finitimum vitium reperitur, vt audacia fidentiæ, Pertinacia perſeuerantiæ, ſuperſtitio religioni, & huiuſmodi.. In ſecundo autem genere honeſti ſcilicet quod partim dignitate ſui partim nos vtilitate allicit, ſunt hæc ſcilicet gloria, dignitas, amplitudo, amicitia.

Gloria — *Gloria* eſt frequens fama de aliquo cum laude.

Dignitas — *Dignitas* eſt alicuius honeſta & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas.

Amplitudo — *Amplitudo* eſt potentiæ vel maieſtatis, vel aliquarum copiarum magna abundantia.

Amicitia — *Amicitia* eſt voluntas erga aliquem bonarum rerum illiuſipſius cauſa, quem diligit cum pari voluntate.

Vtilitatis autem duæ ſunt partes ſcilicet incolumitas, & potentia.

Incolumitas — *Incolumitas* eſt ſalutis tuta & integra conſeruatio.

Potentia eſt ad ſua conſeruanda, & alterius obtinenda, idonea rerum facultas.

Tria genera Cauſarum. — *Idem in Rhetorica ſecunda.* Tria ſunt genera cauſarum, quæ recipere debet orator ſcilicet Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

Demonſtratiuum. — *Demonſtratiuum* eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem vel vituperationem.

Deliberatiuum. — *Deliberatiuum* eſt poſitum in conſultatione, quod habet in ſe ſuaſionem & diſſuaſionem.

Iudiciale — *Iudiciale* eſt quod in controuerſia poſitum eſt, quod habet accuſationem, aut petitionem cum defenſione. Oportet autem in oratore eſſe Inuentionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, Memoriam, Pronunciationem. Inuentio autem in ſex partes orationis conſumitur; ſcilicet Exordium, Narrationem, Diuiſionem, &c. de quibus ſupra.

Floſculi Tuſculanarum eius.

Cap. XXIV.

Optima natura quæ — IDem *in li.* 1. Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriæ. Quæ melior in hominum genere natura, quàm eorum qui ſe natos ad homines iuuandos, & conſeruandos arbitrantur. Nemo vnquam ſine magna ſpe immortalitatis, ſe pro patria offerret ad mortem: & neſcio quomodo inhæret mentibus, quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingenijs & altiſſimis animis, & maxime exiſtit & apparet facillime; quo quidem dempto, quis tam amens eſſet, qui ſemper in laboribus, & periculis viueret.

Ne ſutor vltra crepidam — *Græcorum* prouerbium eſt; *quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* Nulla eſt celeritas, quæ poſſit cum animi celeritate contendere. Qui ſi permaneret incorruptus ſibique ſimilis indagator, neceſſe eſt vt ita feratur, vt penetret & diuidat omne cœlum hoc, Eaque ei demum ſedes naturalis erit, cum ad ſui ſimile penetrauerit, in quo nulla re egens aletur, & ſuſtentabitur eiſdem rebus, quibus aſtra ſuſtentantur. Cumque corporis facibus, ad omnes cupiditates inflammari ſoleamus, profecto beati erimus, cum corporibus relictis, & cupiditatum & emulationum expertes fuerimus, totoſque nos in contemplandis rebus, aſpiciendiſque proponemus: quia etiam natura ineſt in mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri viuendi qua præcipuè viſione fruentur, qui tunc etiam has terras incolentes caligine circumfuſi erant, tamen acie mentis conſpicere cupiebant.

Philoſophiæ mortis meditatio. — *Tota* Philoſophorum vita (vt ait Cato) commentatio mortis eſt, nam quid aliud agimus cum à voluptatibus corporis; & à re familiari, quæ eſt miniſtra corporis; & à Reipublicæ negotijs animum ſeuocamus; niſi quod ipſum ad ſe vocamus, maximeque à corpore abducimus, ſecumque eſſe cogimus: animum autem à corpore ſecernere nihil aliud eſt, quam mori diſcere. Hæc ergo mihi crede, commentemur, noſque à corpore ſeiungamus, id eſt mori conſueſcamus.

Magni refert, quali in corpore animi locati ſunt, nam multa è corpore exiſtunt, quæ mentem acuant, multa quæ obtundant: vnde Ariſtote. ait. Omnes ingenioſos melancolicos eſſe, & ego me tardiorem eſſe moleſte non feram.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Item ex eodem.

Cap. XXV.

IDem in 2. *libro.* Qui non modo, quia neceſſe mori eſt, verumetiam quia nihil mors habet, quod ſit horrendum, mortem non timet, magnum ſibi præſidium ad beatam vitam comparat: conſuetudinis maxima vis eſt. *Idem in 3. lib.* Natura paruulos dedit nobis igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibuſque deprauantes, ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura produceret. Nunc autem ſimul vt editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate, & opinionum peruerſitate verſamur, vt pene cũ lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Homo qui in ſumma vanitate verſatur, nullam effigiem eminentem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ conſectatur. Eſt enim gloria ſolida quædam res, & expreſſa non adumbrata. Iſta eſt conſentiens laus bonorum, vox incorrupta bene iudicantium de excellenti virtute. Hæc virtute reſonat tanquam imago gloriæ. Quæ quia rectè factorum comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. Illa autem quæ ſe imitatricem eius eſſe vult, temeraria atque inconſiderata, plerumque vitiorum laudatrix; fama popularis ſimulatione honeſtatis formam eius corrumpit: animus æger (vt ait Ænius) ſemper errat, nec pati nec perpeti poteſt, cupere nunquam deſinit.

Animus æger tanquam cæcus.

Quemadmodum Miſericordia eſt ægritudo ex rebus alterius aduerſis, ſic inuidentia ægritudo ex alterius rebus ſecundis.

Stultitiæ proprium eſt aliorum vitia cernere, ſuorum obliuiſci.

Ex eodem in li. 4.

Cap. XXVI.

AMpliſſima eſt omnium artium bene viuendi diſciplina, quam vita magis, quàm literis, quidam proſecuti ſunt. Natura omnes ea quæ bona videntur ſequuntur fugiuntque contraria. Voluntas autem quæ, quid cum ratione deſiderat, ſic enim eam Stoici definiunt, quam putant eſſe in ſolo ſapiente. Quod autem rationi aduerſa, vehementius incitata eſt libido, vel cupiditas eſt effrenata, quæ in omnibus ſtultis inuenitur.

Metus quid? Metus eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videtur: quæ facit receſſum animi quendam, & fugam. Opinatio eſt imbecilla aſſenſio.

Inuidentia Inuidentia eſt ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas. quæ nihil noceant inuidenti.

Miſericordia Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius, vel iniuria laborantis.

Deſperatio Deſperatio eſt ægritudo ſine vlla rerum expectatione meliorum.

Pigritia Pigritia eſt metus conſequentis laboris.

Malitia Malitia eſt voluptas ex malo alterius, ſine emolumento ſuo.

Ira Ira eſt libido puniendi eum, qui feciſſe videtur iniuriam.

Odium Odium eſt ira inueterata.

Inimicitia Inimicitia eſt ira vlciſcendi tempus obſeruans.

Diſcordia Diſcordia eſt ira acerbior intimo odio, & corde concepta.

Intemperantia Omnium perturbationum fontem dicunt eſſe Intemperantiam, quæ eſt à recta ratione defectio, ſic auerſa à præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi contineri & regi queant.

Auaritia Auaritia eſt opinio vehemens, de pecunia quaſi valde expetenda ſit, inhærens, & penitus inſita.

Fortitudo Fortitudo eſt affectio animi legi ſummæ in perpetiendis rebus obtemperans. Vel obſeruatio ſtabilis iudicij in eis rebus, quæ formidoloſæ videntur ſubeundis, & repellendis, vel ſcientia rerum formidoloſarum contrariarumque, aut omnino negligendarum conſeruans earum ſtabile iudicium, vel breuius (vt ait Cryſippus) Fortitudo eſt ſcientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo ſummæ legi ſine timore parens. Flagitij principium eſt (vt ait Ænius) inter ciues nudare corpora.

Ex eodem.

Cap. XXVII.

IDem in *li.* 5. Non ſunt ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet eſſe miſerrimum. Tardis mentibus, virtus non facile committitur. Sapientis proprium eſt nihil, quod pœnitere poſſet, facere, nihil, inuitus, ſed ſplendide, conſtanter, grauiter, honeſte omnia, nihil expectare ita quaſi certo futurum, nihil cum acciderit admirari ſuis ſtare iudicijs. Stoici finem bonorum eſſe ſenſerunt congruere naturæ, & cum ea conuenienter viuere. Si quædam etiam ſuauiora natura deſidere, quàm multa ex terra arboribuſque gignuntur cum facili copia cum ſuauitate præſtantia? adde integritatem valitudinis, quæ continentiam in victu conſequitur & confert, ſuadentes, rectantes, refectos epulis tanquam opimos boues, tunc intelliges, qui voluptatem maximè ſequuntur, eos minimè conſequi. Quid dulcius ocio literato? Leuiculus ſane noſter Demoſthenes, qui illo ſuſurrio ſe delectari dicebat, confitentis mulierculæ (vt mos eſt in Græcia) hic eſt ille Demoſtenes. Quid hoc leuius? ſi orator ille tantus apud alios videlicet loqui didicerat; non multum ipſe ſecum.

De legibus, & de fine boni & mali.

Cap. XXVIII.

IDem *de legibus, li.* 1. Lex eſt ſumma ratio inſita naturæ, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibet quæ contraria. Nihil præſtabilius, quàm plane intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, nec opinione ſed natura conſtitutum eſſe ius. Si quomodo natura ſit iudicio homines humani nihil à ſe alienum putarent, coleretur ius æque ab omnibus; ſed tanta eſt corruptio malæ conſuetudinis, vt ab ea extinguantur tanquam igniculi à natura dati, & confirmentur vitia contraria. Lex eſt recta ratio imperandi ac prohibendi; quam qui ignorat, iniuſtus eſt, ſiue ſcripta ſit vſpiam, ſiue nuſquam. *Lex quidt*

Iuſtitia eſt obtemperantia legibus ſcriptis, inſtitutiſque populorum. Virtus eſt perfecta ratio eius, quod certè à natura ineſt; idipſumque iuſtiſſimum eſt, iuſtitiæ mercedem non quærere. Non eſt viri boni errare, & diligere quod per ſe non eſt diligendum.

Idem in 2. li. Hanc video ſapientiſſimorum ſententiam fuiſſe, legem non hominum ingenijs excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quoddam, quod vniuerſum mundum regeret; imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & vltimam eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam de humano genere dederunt rectè laudata eſt.

Idem in lib. 3. Et qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt. & qui modeſte paret; videtur quod aliquando imperare dignus eſſet.

Idem de boni & mali ſine li. 1. Nemo voluptatem, quia voluptas ſit, aſpernatur, neque dolorem, quia dolor eſt conſectatur. Denique aut voluptates omittuntur maiorum voluptatum adipiſcendarum cauſa, aut dolores ſuſcipiuntur, malorum dolorum effugiendorum gratia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem in tertio. Omnia officia eo referri oportet, vt adipiſcamur principia naturæ.

Idem in li. 4. Vna voluptas multis obſcuratur in vita voluptaria.

Idem in li. 5. Virtus rationis definitæ abſolutio defitur.

De cæteris eiuſdem libris.

Cap. XXIX.

IDem *de natura Deorum li.* 1. Multa ſunt incommoda in vita, quæ ſapientes commodorum compenſatione leniunt; ſtulti nec vitare venientia, nec ferre præſentia poſſunt. Omnibus fere in rebus, quid non ſit, quã quod quid ſit citius dixerim. Ægyptij nullam belluam nec ob aliquam vtilitatem, quam ex ea caperent conſecrauerunt. Nihil eſt virtute amabilius, quam qui adeptus fuerit vbicunque gentium erit, vt à nobis diligatur. Amicitiam ſi ad fructum noſtrum referimus, & non ad illius commodum, quem diligimus, non eſt amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Prata & arua & pecudes hoc modo diliguntur, quod ex eis fructus capiuntur, hominum autem charitas, gratuita eſt.

Amicitia quomodo mercatura.

Idem in 2. *li.* Quid tam perſpicuum cum cœleſtia contemplamur, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur. Ad conſiderandum qualis ſit natura Deorum, nihil difficilius, quàm à conſuetudine oculorum mentis aciem abducere.

Idem in 3. *lib.* Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur.

Idem de diuinatione li. 1. Omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo errorque turpis eſt. Si quis mortalis colligationes omnium cauſarum animo proſpicere poſſet, nihil eum profecto falleret.

Idem in 2. Cauſarum ignoratio in re, nouam mirationem facit. Quod autem crebro videt quis non miratur, etiam ſi cur fiat neſcit?

Idem in fato. Ad animorum motus voluntarios, non eſt requirenda externa cauſa. Motus enim voluntarius eam naturam continet in ſe, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat.

Idem de creatione mundi. Parentem vniuerſitatis huius inuenire difficile eſt, & cum iam quis eum inuenerit, iudicare in vulgus, nefas eſt.

Idem in Dialogo ad Hortenſium. Omnis cogitatio multis eſt obſtricta difficultatibus, eſt enim & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas. Eſt animorum ingeniorumque naturale, quaſi pabulum quoddam contemplatio naturæ. Nulla virtus eſſe poteſt, niſi gratuita ſit. Nam quæ voluptate quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, non eſt virtus, ſed fallax quædam ſimulatio, ac imitatio virtutis.

Idem de partitione orationis. Communia quaſi quinque lumina orationis ſunt hæc. Dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ſuaue.

Idem in li. de Academicis. Inepte quis Mineruam docet.

De orationibus eiuſdem.

Cap. XXX.

CIcero *in oratione ſua pro Marcello.* Ille vero fortunatus eſt ex cuius ſalute non minor pene ad omnes, quàm ad ipſum lætitia peruenerit. Nulla corporis tanta vis eſt, quæ non ferro ac viribus debilitari, frangique poſſit: animum vero vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium non modo extollere iacentem, ſed etiam ampliare eius priſtinam dignitatem: hæc qui fecerit non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

Quis ſimillimus Deo?

Iracundia conſilio inimica eſt, & Victoria natura inſolens, ac ſuperba eſt. Ipſam Victoriam viciſſe videtur, qui ea quæ illa adepta eſt victis remiſit.

Idem in oratione pro Ligario. Nihil eſt tam populare, quàm bonitas. Nulla de virtutibus plurimis mirabilior nec grauior miſericordia, homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quàm hominibus dando. Nihil habet Fortuna maius, quam vt poſſit: nec Natura melius, quàm vt velit ſeruare quam plurimos.

Idem pro diuinatore. Nemo fere eſt quæ ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem quàm reo præbeat.

Idem pridie quàm iret in exilium. Officium liberale eſt, ſerere beneficium, vt poſſis metere fidei fructum. Nemo tam facinoroſa inuentus eſt vita, vt non tantùm pijs iudicium ſententijs conuinceret; quàm ſupplicijs, addiceretur. Multorum animus vultu, multa flagitia parietibus teguntur, ſed hæc obſtructio nec diuturna eſt, nec obducta, vt curioſis oculis proſpici non poſſit. Quis vnquam tam crudelis in aliquem fuerit, vt prohiberet eum aut ſibi mereri, aut cæteris ſupplicare. Præſentes fructus negligamus, poſteritatis gloriæ ſeruiamus, ſpernemus, quod nolumus, quod acciderit feramus.

Idem pro Gælio. Illud te eſſe admonitum volo, primum, vt qualis es talem te homines exiſtiment, & vt quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſeiungas. Deinde ne ea in alterum dicas, quę cum tibi falſo reſponſa ſint, erubeſcas.

Item ex eodem.

Cap. XXXI.

IDem *de Catelina.* Habuit ille permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum, vtebatur hominibus improbis, & quidem optimis viris ſe deditum eſſe ſimulabat. Nunquam tale monſtrum in terris vllum fuiſſe puto, tam contrarijs diuerſiſque & inter ſe pugnantibus naturæ ſtudijs cupiditatibuſque conflatum. Quis enim clarioribus viris quandoque iucundior? Quis turpioribus coniunctior? Quis ciuis aliquando melior? Quis hoſtis ciuitati deterior? Quis in voluptatibus inquinatior, in laboribus patientior? Quis in rapacitate amarior? Quis in largitione effuſior? Illud quoque in eo erat mirabile, naturam ſuam verſare & regere ad tempus atque huc & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè, cum ſenibus grauiter, cuim iuuenibus comiter, cum facinoroſis audacter, cum luxurioſis luxurioſè viuere. Multos vidi & audiui, qui cum totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, ſed tandem ad frugem bonam recepiſſe: graueſque homines atque illuſtres fuiſſe. O magna vis veritatis: quæ contra omnium ingenia calliditate ſolertia, contraque fictas omnium inſidias facile per ſeipſam ſe defendit.

Idem cum gratias egit populo. Bona valetudo iucundior eſt his, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm illis, qui nunquam ægro corpore fuerunt: omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta delectant.

Idem de domo ſua. Eſt quidem modus religionis, nimium eſſe ſupeſtitioſum non oportet. Caduca ſunt hæc, & mobilia non virtutis atque ingenij ſed fortunæ & temporum munera, quorum non tam facultas, & copia extendenda eſt, quam in vtendo ratio, & in carendo patientia.

Idem de prouincijs conſularibus. Homo is non ſolum gratus eſſe debet, qui accipit beneficium, ſed etiam is cui poteſtas accipiendi fuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem de reſponſis Auruſpicij. Miſerior es cum in omnem fraudem oculis raperis, quam ſi omnino oculos non habueris.

Idem pro Cornelio Balbo. Eſt hæc ſæculi malitia quædam atque labes virtuti velle inuidere, ipſumque florem dignitatis infringere. Vſus aſſiduus vni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe vincit,

Idem inuectiua in Catilinam præſentem. Iam tecum ſic loquar, vt non odio promotus videar quo debeo, ſed vt miſericordia quæ tibi nulla debetur, neque enim is es vt aut pudor à turpitudine aut metus à periculo, aut ratio te à furore reuocauerit.

Idem in eundem abſentem. Non intelligo cur minore quidam dolore perituros, ſi cum multis, quàm ſi ſoli pereant accipiant?

Idem vt interficiantur deprehenſi. Nequaquam turpis mors viro forti poteſt accidere.

Idem in Achonimum. Omnino nulla eſt cauſa cuiquam, iuſta arma contra patriam capiendi.

Author. Hæc de libris Ciceronis ad præſens excerpta ſufficiant.

De inuectiuis Saluſtij & Ciceronis ad inuicem.

Cap. XXXII.

HVic quoque contemporaneus fuit Saluſtius, vt patet ſuperius, vbi dictum eſt, quod fuit eiuſdem inimicus, vnde & ſcripſerunt inuectiuas ad inuicem. Scripſit etiam Saluſtius, de bello Catelinario librum vnum. De Iugurthino lib. 1. de quibus omnibus hæc pauca excerpſi.

Dicta Saluſtij.

Saluſtius contra Tullium. Homo leuiſſimus ſupplex inimicis, contumelioſus amicis, nemini fidus; Senator leuiſſimus, patronus mercenarius, cuius nulla pars corporis, à turpitudine vacat, lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, & quæ honeſtè nominari non poſſunt inhoneſtiſſima ea maximè.

Tullius contra Saluſtium. Non qui ita viuit vt tu aliter ac tu loqui poteſt, nec qui ita illo quopiam ſermone vtitur vita honeſtior eſt. Sæpe vidi grauius offendere animos auditorum, eos qui aliena vitia apertè dixerunt, quam eos qui commiſerunt.

Floſculi Saluſtij in Catelinario.

Cap. XXXIII.

IDem *in Catelinario.* Priuſquam incipias conſulto, vbi conſulueris mature opus eſt facto.

Fortuna ſimul cum moribus immutatur.

Multos peſſima ac diuerſa inter ſe mala Luxuria atque Auaritia vexant.

Regibus boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his virtus aliena formidoloſa eſt.

Optimus, quiſque facere mauult, quam dicere.

Auaritia bonas artes ſubuertit.

Virtuti omnia parent.

Auaritia fidem & probitatem cæteraſque bonas artes ſubuertit, & pro his ſuperbiam & crudelitatem, Deum negligere, omniaque venalia habere edocuit.

Secundæ res etiam ſapientum animos fatigant. Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens amauit, vel concupiuit. Hæc quaſi malis venenis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; ſemper infinita, inſatiabiliſque eſt, neque copia, neque inopia minuitur

Adoleſcentum animi molles, & ætate fluxi, haud difficile capiuntur.

Idem velle, & idem nolle, ea demum vera eſt amicitia.

Si quis etiam à culpa vacuus in amicitiam prauorum inciderit, quotidiano vſu atque illecebris facile par, ſimiliſque cæteris efficitur.

Nulli mortalium iniuriæ ſuæ paruæ videntur, alia alijs licentia eſt.

Qui enim demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid deliquerint pauci ſciunt, nam Fama & Fortuna eorum pares ſunt: qui vero magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, facta eorum cuncti mortales nouerunt. Itaque in maxima fortuna minima licentia eſt, & quæ apud alios iracundia dicitur, hæc in imperio crudelitas appellatur.

In luctu atque miſeriis mors ærumnarum requies eſt cruciatus.

Quomodo conueniet te in minore negocio legem timere, ſi eam in maiore neglexeris.

Iam pridem rerum vera vocabula amiſimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo laudatur.

Plurima maiores noſtros magnos fecerunt, qui nobis nulla ſunt ſcilicet domi induſtria, foris iuſtitia, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his autem nos habemus luxuriam atq; auaritiam, publice egeſtatem, priuatim opulentiam, inter bonos & malos nullum diſcrimen, omnia præmia virtutis ambitio poſſidet, domi voluptati, foris autem pecuniæ ſeruitur, aut gratiæ.

Floſculi eiuſdem de Iugurtino.

Cap. XXXIV.

IDem *in Iugurthino.* Fruſtra niti nec aliud fatigando niſi odium quærere extremæ dementiæ eſt.

Audax eſt imperij natura mortalium, & præceps ad explendam animi cupiditatem.

Inter mortales difficillimum eſt gloria inuidiam vincere.

Veros amicos neque armis cogere, neque auro parare queas, ſed officio & fide parantur.

Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

Miſerum eſt prius oneri eſſe quam vſui

Romæ omnia venalia ſunt.

Paucis carior eſt fides, quam pecunia. Omnes eadem cupere, eademque odiſſe; inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.

Maius eſt dedecus parta amittere, quam omnino non parauiſſe.

Plura ſunt, quæ licet grauia ſint, tamen per conſuetudinem pro nihilo habentur.

Bono more ſatius eſt vinci quam malo iniuriam vincere.

Poſt gloriam inuidiam ſequi memineris.

Itaque quo clarior es veleris, eo magis anxium ac ſollicitum te eſſe oportet.

Animo cupienti nihil ſatis feſtinatur.

Superbia commune nobilitatis eſt malum.

Author. De Ciceronis atque Saluſtij dictis moralibus hæc ad præſens ſufficiant. Nunc igitur vnde paululum horum cauſa digreſſi ſumus; ad ordinem hiſtoriæ, bellorumque Cæſaris redeamus.

De fuga & nece Pompei.

Cap. XXXV.

RIchardus *de bello Cæſaris.* Hic namque Iulius Cæſar Gallorum gentem ferociſſimam multis prælijs expugnauit. Denique nauibus in Britanniam tranſuectis Romanum imperium vltra limitem videlicet. Oceanum dilatauit, quod totum intra decennium conſummauit. Quo tranſacto; decerni ſibi poſtulauit alterum conſulatum à Senatu Romano, contradictum eſt à Marcello ter conſule, Pompeio admittente. Deinde decretum eſt à Senatu, vt in vrbem nunquam niſi dimiſſo veniret exercitu, quod Cæſar grauiter tulit; & contractis vndique viribus, Romam hoſtiliter contendit, captaq; Arimino, Rauennã ſe cõtulit. At verò Pompeius, & omnis Romano-

Iſtum Richardum nõ inuenio, omnia tamen quæ in hoc capite dicuntur excerpta videntur ex lib. 6. Oroſij & præcipue ex cap. 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rum Senatus, creſcentibus Cæſaris viribus, trepidi, tanquam Italia pulſi, Græciam adierunt, Dyrrachium gerendi belli ſedem eligentes. Porro Cæſar, cum iam duces contra Pompei certamina multa peregiſſent; tandem Romam intrauit, & ex ærario publico fractis ianuis pecuniam tulit, quam ſuis militibus erogauit. Interea vero apud Dyrrachium multi Reges orientis, cum auxilijs venerunt ad Pompeium: quod vt Cæſar audiuit agmine præparato, per Epirum in Theſſaliam venit. Pompeius 88. cohortes ordine triplici collocauit. fueruntque in eius exercitu peditum 40. millia; equites in ſiniſtro cornu ſexingenti; & in dextro quingenti: inter quos erant Reges multi & Senatores equiteſq; Romanorum plurimi. Econtra vero Cæſar ſimiliter 80. cohortes ordine triplici diſpoſuit, & in eius exercitu fuere non minus, quam 30. millia peditum, equites M. Sed dum vtrinque certatur, vniuerſus Pompei exercitus in fugam vertitur. Cæſa ſunt ibi Pompeianorum 15. millia, & centuriones 33. Pompeius ita fugiens onerariam nauim nactus in Aſiam properauit, & inde per Cyprum in Ægyptum tranſijt, ibique ſtatim vt littus attigit, iuſſu Ptolemæi adoleſcentis, in gratiam Cæſaris victoris occiſus eſt.

Lege Plutarch. in Pompeio & Cæſare.
Lege Appianum lib. 2.

Qualiter Ptolemæus adoleſcens Cæſari repugnans perijt.

Cap. XXXVI.

TVnc Cæſar Syriam peruagatus, Alexandriam venit, vbi petentibus Alexandrinis præfatum Ptolemæum Alexandriæ Regno donauit, qui cum illico contra Cæſarem rebellauit, & bellum inſtruxit, in quo bello cæſa referuntur hominum 20. millia & 12. millia cum 70. longis nauibus dedita. Vnde territus Ptolemæus ſcapham aſcendit vt fugeret; ſed multis poſt eum in eandem inſilientibus, merſus, ac necatus eſt: cuius dum corpus ad littus deuolutum fuiſſet, iudicio loricæ aureæ cognitum eſt, quam Cæſar Alexandrię præmiſit, & ſic Alexandrios ad deditionem deſperatione coegit. Quibus patratis rurſus Ægypti regnum Cleopatrę dedit. Deinde vero Syriam peruagatus, Pharnacem in ponto deiecit. Inde Romam ſecundò regreſſus, Dictator, & conſul eſt appellatus. Deinde tranſiens in Africam omnes Pompei duces, ac nepotes debellauit; filiamque eius Pompeiam, & Fauſtum, & Syllam, Afraniũ & Petreium interfecit. Cato vero apud Vticam ſeſe interemit.

Oroſius lib. 6. cap. 16.

Suetonius de Cæſare tribus ſolijs ab initio. Quæſtori vlterior Hiſpania obuenit, vbi cum mandato populi R. iure dicendo conuentus circumiret, Gadeſque veniſſet; animaduerſa apud Herculis templum, Alexandri Magni imagine, ingemuit; & quaſi pertęſus ignauiam ſuam, quod nihil tunc à ſe memorabile actum eſſet in ætate qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet; miſſionem continuo efflagitauit, ad captandas, quam primùm maiorum rerum occaſiones in vrbe; etiam confuſum eum ſomnio proximæ noctis (nam viſus erat per quietẽ ſtuprum matri intuliſſe) coniectores ad ampliſſimam ſpem incitauerunt, arbitrium terrarum orbis portendi interpretantes; *quando mater, quam ſubiectam ſibi vidiſſet, non alia eſſet quàm terra, quæ omnium parens haberetur.*

De initio imperij Cæſaris.

Cap. XXXVII.

Richardus. Denique Cæſar Romam reuerſus, rerum ſummam ac potentiam, quam Græci Monarchiam vocant, ſolus ſibi præſumpſit. Sic ergo in Ro. republica Imperium obtinuerunt Monarchi; & repetitum eſt poſt tempora conſulum ius vni parendi: Anno ab vrbe condita 705. ab exactis vero Regibus 780. ac pro regibus Imperatores ſunt appellati.

Euſebius in chron. Primus itaq; apud Romanos Caius Iulius Cæſar ſingulare arripuit imperium. Cępit anno Regni Cleopatræ 3. Hircani vero 20. ſcilicet ætatis quintæ quingenteſimo 43. mundi vero 3906. & imperauit annis fere quinque. Ab hoc Romanorum, Principes appellati ſunt Cæſares.

3906. *Imperauit Cæſar vt ait Euſebius annis 4. menſibus 7.*

De vita Iulij Cæſaris & peritia eiuſdem in armis.

Cap. XXXVIII.

Suetonius, de xij. Cæſaribus lib. 1. Hic fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore, paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera; niſi quod tempore extremo repente animo linqui aut etiam per ſomnum exterreri ſolebat. Comitiali quoque morbo bis inter res gerendas correptus eſt. Circa corporis curam moroſior, vt non ſolum tonderetur diligenter, ac raderetur; ſed velleretur etiam, vt quidam exprobrauerunt: Caluitij vero deformitatem iniquiſſimè ferret, ſæpe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum renouare à vertice conſueuerat. Vini quidem parciſſimum ne inimici quidem negauerunt. Nam circa victum, C. Oppius adeo indifferentem docet, vt quondam ab hoſpite conditum oleum pro viridi appoſitum aſpernantibus cæteris, ſolum etiam largius appetiſſe dicat; ne hoſpitem aut ruſticitatis, aut negligentiæ arguere videretur. Eloquentia mirabili aliàs militari re aut æquauit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit. Reliquit & rerum ſuarum commentarios, de quibus Cicero ſic refert. *Commentarios ſcripſit valde quidem probandos: nudi ſunt, recti, ac venuſti, & omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta.* Armorum, & equitandi peritiſſimus, laboris vltra fidem patiens erat: in agmine, nonnunquam equo, ſæpius pedibus, anteibat, capite detecto, ſeu Sol, ſeu imber eſſet. Longiſſimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda centena paſſuum millia in ſingulos dies, ſi flumina morarentur, nando traijciens, vel innixus inflatis vtribus, vt perſæpę nuncios, de ſe præuenerit. Ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis ſuum, quo maior permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto: vtebatur autem equo inſigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum vngulis fiſſis: quem nec patientem ſeſſoris alterius primus aſcendit. Inclinatam aciem ſolus ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem. Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcapham, pluribus eôdem præcipitantibus cum deſiliſſet in mare, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis.

Statura Cæſaris, forma valetudo, & corporis cura moroſior.

Circa victũ facilitas Cæſaris.

Scripta qua reliquit ex teſtimonio Cic. qualia?

Præſtantia Cæſaris in re militari.

Inſignis equus Cæſaris.

Qualiter ſe habebat erga ſubditos, & erga pares.

Cap. XXXIX.

DElicta neque obſeruabat omnia, neque pro modo exequebatur: ſed deſertorum ac ſedicioſorum & inquiſitor, & punitor accerrimus, conniuebat in cæteris. Ac nonnunquam poſt magnam pugnam atque victoriam, remiſſo officiorum munere, licentiam omnem laſciuiendi paſſim permittebat: iactare ſolitus, *milites ſuos etiam vnguentatos bene pugnare poſſe*: *nec milites* eos pro concione: ſed blandiore nomine *commilitones* appellabat, habebatque eos tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret: ſimul & ad ſpeciem, & quo tenaciores

Studiũ eius & Fides circa Clientes.

eorum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eorum essent in prælio metu damni. Diligebatque vsque adeo, vt audita clade Tituriana, barbam capillumque summiserit: Necante dempserit quàm vindicasset. Quibus rebus, & deuotissimos sibi & fortissimos reddidit. Apud Dyrrachium, Scæua, excusso oculo, femore & humero transfixus 120. ictibus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius nauali ad Massiliam prælio, iniecta in puppem hostium dextera, & abscissa, transiliuit in nauem vmbone obuios agens. Studium & fides erga clientes, ne iuueni quidem Cæsari defuerunt, amicos semper tanta fœlicitate indulgentiaque tractauit, vt Caio Oppio comitanti se per Siluestre iter, correptoque subita valetudine & in diuersorio loco, quod vnum erat, cesserit: & ipse humi ac sub diuo cubuerit. Simultates è contra nullas excepit tam graues, vt vnquam non occasione oblata libens deponeret: sed & in vlciscendo natura leniissimus. In P. Clodium Pompeię vxoris suæ adulterum, atque eadem de causa pollutarum ceremoniarum reum testis citatus, negauit se quicquam comperisse: quamuis, & Mater Aurelia, & Soror Iulia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent. Interrogatusque cur repudiasset vxorem: *Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione quam crimine iudico carere oportere.*

Facilitas & indulgentia erga amicos.

Lenitas in vleiscendo

De nece Aristobuli, & exaltatione Antipatri.

Cap. XL.

Comestor cap. 12. in Historias varias. Cæsar autem post Senatus, & Pompei fugam trans mare Ionium rebus omnibus Romaque potitus: solutum Aristobulum, cum duabus cohortibus in Syriam misit, facilè per hunc Iudæam sibi posse subiici, ratus. Verum spes Cæsaris frustrata est. Nam à studiosis Pompei, veneno periit Aristobulus, seruabaturque corpus eius melle conditum, prohibita sepultura, donec iussu Antonij in monumentis regalibus sepultus est. Occiditurque filius eius Alexander Antiochiæ, à Scipione securi percussus: superstes Antigonus cum sororibus suis, ad Ptolemæum Manei filium confugit: accepitque Ptolemæus minorem sororum Alexandram vxorem, ex qua (vt quidam tradunt) suscepit Lisaniam, Abylinæ postea Tetrarcham.

Comestor. cap. 13.

Postea factum est prælium in Emathia: cui interfuit Antipater, & Iudæi sub Pompeio. Qui cum rediisset in Iudæam, timens Cæsaris impetum: liberos suos ad Arabas cognatos eorum transmisit. Mortuo autem Pompeio Antipater in clientelam Cæsaris se contulit, cuius virtus in præliis cum plurimum enituisset, factus est amicus Cæsaris. Quem Cæsar Romana ciuilitate, simul & immunitate donauit, eiusque gratia, Pontificatum Hircano confirmauit. Denique Antipater ipse procurator Iudææ declaratus est, & Regnum Hircano concessum est, ita tamen ne Rex vocaretur. Post hoc Antipater filium maiorem Phaselon Hierosolymis sub se procuratorem statuit, & Herodem Galileæ præfecit.

Comestor. cap. 14.

Comestor. cap. 15.

De præsagiis mortis Cæsaris.

Cap. XLI.

Svetonius vt supra. Porrò Cæsari futura cædes etidentibus prodigiis denunciata est. Paucos ante menses cum in Colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas vetustissima sepulchra * deficerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantulum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, (in quo dicebatur Capys conditor Capuæ, sepultus) inuenta est, scripta literis Græcis verbisque hæc sententia. *Quandocunque ossa Capys detecta essent, fore vt Iulio prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Cuius rei ne quis fabulosam aut commentitiam putet, author est Cornelius Balbus familiarissimus Cæsaris.

* *alias disiicerent.*

Prodigia eadem Cæsaris denunciatia.

Proximis diebus equorum greges, quos in traiicien-

do Rubicone flumine consecrarat, ac vagos, & sine custode dimiserat: comperit pertinacissime pabulo abstinere, vbertimque flere. Et immolãtem Aruspex Spurinna monuit, caueret periculum, quod non vltra Martias idus proferretur. Pridie autem Idus easdem autem Regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varij generis ex proximo memore prosecutæ ibidem discerpserunt. Ea vero nocte, cui illuxit dies cædis, & ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare: alias cum Ioue dexteram iungere. Et Calpurnia vxor imaginata est collabi fastigium domus: Maritumque in gremio suo confodi, ac subitò cubiculi fores sponte patuerunt.

Comestor cap. 16. Centesimo die ante mortem eius fulmen cecidit iuxta statuam eius in foro, & de nomine eius superscripto Cliteram eius capitalem abrupit: nocte præcedente diem obitus eius, fenestræ Thalami eius cum tanto strepitu apertæ sunt, vt exiliens à stratis ruituram domum æstimaret. Eadem die cum iret in capitolium, datæ sunt ei literæ indices mortis imminentis. Qui dum referretur occisus in manu eius inuentæ sunt nondum solutæ. Die sequenti apparuerunt tres soles in oriente, qui paulatim in vnum corpus solis redacti sunt, significantes, quod dominium Lucij Antonij, & Marci Antonij, & Augusti, in Monarchiam rediret. Vel potius, quod notitia trini Dei, & vnius, toti orbi futura imminebat.

De nece eiusdem, & exequiis.

Cap. XLII.

Richardus. Denique Cæsar dum Reipublicæ statum iuxta morem maiorum clementer instauraret, authoribus Bruto & Cassio, in curia viginti tribus vulneribus consossus, interiit. In hac coniuratione amplius 60. ferunt conscios fuisse. Romanus itaque populus dolore stimulatur: Capitolium cum auctoribus cædis incendere voluit: apud quos etiam ita postmodum memorabilis factus est: vt omnes post eum Imperatores appellarentur Cæsares. *Suetonius vt supra.* Animaduertens Cæsar vndiq; se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simulque sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiori parte corporis velata: atque ita tribus, & 20. plagis confossus est, vno tantummodo ad primum ictum gemitu sine voce edito. Percussorum Cæsaris ferè neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est: damnati omnes, alius alio casu periit, pars naufragio, pars prælio. Nonnulli semet eodem pugione, quo Cæsarem violauerant, interemerũt. *Comestor cap. 16.* Occisus est autẽ Cæsar dolo Bruti & Cassij, anno ætatis suæ 56. corpusque eius pro rostris combustum est. Statuit autem populus in foro solidam columnam lapidis Numidici 20. prope pedum, supra quam tumulatus est: quæ & Iulia dicta est. *Ex Chronicis.* Inuentæ sunt autem in manu eius literæ præcauentes de coniuratione, quas si legisset, vtique cauisset.

Mors Cæsaris.

Percussorum pœna.

De Imperio Octauiani Augusti, & eius pulchritudine.

Cap. XLIII.

Ex chronicis. Romanorum secundus regnauit Octauianus Cæsar Augustus annis 57. à quo & cæteri Romani Imperatores Augusti appellati sunt. Cœpit anno quintæ ætatis quingentesimo 48. mundi vero. 3911. *Hugo Floriacensis in historia ecclesiastica lib. 8.* Eo nullus Romanorum Imperatorum in bellis fælicior, nec in pace moderatior fuit. Adolescentiam tamen suam ciuilibus bellis implicuit, & Illiricam, & Pannoniam occupauit, & Sicambros & Astures Hispaniæ populos superauit: & eiusdem terræ populum Barbarum & agrestem Romanis legibus informauit. Norici quoque Dalmatæ, Mesi, Bosroani, Thraces, Daci, & Sarmatæ, ducum eius

Octauianus Cæsar Augustus. 3911.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſunt ſuperati virtute: ſed antequam Regni Monarchiam obtinuiſſet, ita inter ipſum & Antonium Romana Reſpub. diuiſa manebat, vt Auguſtus Italiam, & Galliam, & Hiſpaniam. Antonius vero Aſiam. Pontumque poſſideret: erat autem Antonius gener eius. *Suetonius lib. de 12. Cæſaribus.* Fuit autem Auguſtus forma eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima, quamquam omnis Lenocinij negligens, & in capite comendo tam incurioſus, vt raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret: ac modo tonderet, modo raderet barbam: eoque ipſo tempore aut legeret aliquid, aut ſcriberet. Vultu erat aut in ſermone, vel etiam tacitus adeo tranquillo ſerenoque, vt quidam ex primoribus Galliarum cõfeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitũ, quo minus, vt deſtinaret in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquij, propius admiſſus in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus exiſtimari volebat ineſſe quiddam diuini vigoris: gaudebatque ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorẽ ſolis, vultum ſubmitteret: ſtaturam breuem, ſed quæ commoditate & æquitate membrorum oculeretur: vt non niſi ex comparatione alterius aſtantis procerioris intelligi poſſet.

Forma Auguſti & corpus.

De ſtrenuitate & peritia eius in re militari.

Cap. XLIV.

ITaque nationes male quietas ad obſequium redegit, nec vlli genti ſine iuſtis, & neceſſariis cauſis bellum intulit. Diſciplinam militarem ſeuerriſſimè rexit, ne legatorum quidem cuiquam, niſi grauatè, hiberniſque demum menſibus permiſit vxorem interuiſere. Cohortes ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pauit. Centuriones ſtatione deſerta, itidem vt manipulares, capitali animaduerſione puniit: pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit: vt ſtare per totum diem iuberet ante Prætorium: interdum tunicatos, diſcinctoſque nonnunquam cum decempedis, vel ceſpitem portantes. Nihil autem minus in perfecto duce, quam feſtinationem temeritatemque conuenire arbitrabatur. Crebro id iactans: *ſatis celeriter fieri, quicquid ſatis bene fiat.* Bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. *Nam minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine, ſimiles,* aiebat, *eſſe haureo hamo piſcantibus: cuius abrupti dammum nulla captura penſari poſſet.* Vrbem neque pro maieſtate imperij ornatam, & inundationibus incendiiſque obnoxiam, excoluit adeo, vt iure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Item ſæcularibus ludis, iuuenes vtriuſque ſexus prohibuit nullum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum. Impetratis à Senatu decem adiutoribus vnumquemque equitem, rationem vitæ reddere coegit: atque ex improbatis, alios pœna, alios ignominia notauit: plures admonitione, ſed varia: notauitque aliquos quòd pecunias leuioribus vſuris mutuati, grauiore fœnore collocaſſent.

Cura in diſciplina militari.

De liberalitate, & humilitate eiuſdem.

Cap. XLV.

LIberalitatem omnibus ordinibus per occaſiones frequenter exhibuit. Sed vt ſalubrem magis quam ambitioſum principem ſcires, querentem de inopia, & caritate vini populum, ſeueriſſima coercuit oratione, *ſatis proniſum* dicens *à Genero ſuo Agrippa, productu in vrbem pluribus aquis, ne homines ſitirent.* Regna, quibus iure belli potitus eſt, præter pauca, aut eiſdem, quibus ademerat, reddidit: aut alienigenis contribuit. Reges ſocios etiam inter ſemetipſos mutuis neceſſitudinibus iunxit: promptiſſimus affinitatis cuiuſque, atque amicitiæ conſiliator, & fautor: plurimorumq; liberos educauit ſimul cum ſuis, & inſtituit: clementiæque eius ciuilitatiſque multa, & magna documenta ſunt. Cum Ælio Æliano Cordubenſi inter cætera crimina vel maxime obiiceretur, quod male opinari de Cæſare ſoleret, conuerſus ad accuſatorem commotoque ſimilis: *velim,* inquit, *hoc mihi probes;* nec quicquam vltra, aut ſtatim aut poſtea inquiſiuit. Tiberio quoque de eadem re ſedulo violentius apud ſe per epiſtolam conquerenti, reſcripſit ita: *Ætati tuæ mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & minium indignari quemquam eſſe, qui de mala loquatur: ſatis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis malefacere poſſit.* Templa quamuis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen prouincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit. Nam in vrbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore, argenteas etiam ſtatuas olim ſibi poſitas omnes conflauit. Domitii appellationem, vt maledictum, & opprobrium, ſemper exhorruit. Cum ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet in mimo: *O Dominum æquum & bonum*: & vniuerſi quaſi de ipſo dictum exultantes, comprobaſſent: ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit: & inſequenti die grauiſſimo corripuit edicto: *dominumque* ſe poſtea appellari, nec à liberis quidem aut nepotibus ſuis, ſerio, vel ioco paſſus eſt, atque ciuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit. Non temere vrbe oppidoue vllo egreſſus, aut quoquam ingreſſus eſt, niſi veſpera aut noctu: ne quem officij cauſa inquietaret: teſtem ſe in iudiciis, & interrogari, & refelli, æquiſſimo animo patiebatur.

De pietate, & æquitate ipſius in ſubditos.

Cap. XLVI.

FOrum anguſtius fecit, non audens extorquere poſſeſſoribus proximas domos. Nunquam filios ſuos populo commendauit: vt non adiiceret, *ſi merebuntur.* Eiſdem prætextatis adhuc aſſurrectum, ab vniuerſis in theatro, & aſtantibus plauſum grauiſſimè quæſtus eſt. Ita amicos magnos, & potentes in ciuitate eſſe voluit, vt tamen pari iure eſſent quo cæteri, legibuſque iudiciariis æquè tenerentur. Reuertentem à prouincia, non ſolum fauſtis omnibus, ſed & modulatis carminibus proſequebantur. Obſeruatum eſt etiam, ne quoties introiret vrbem, ſupplicium de quoquam ſumeretur. Patris patriæ cognomen vniuerſi repentino maximoque conſenſu detulerunt ei. Nonnulli Patrum familias, teſtamento cauerunt, vt ab hæredibus ſuis, prælato titulo victimæ, in Capitolium ducerentur, votumque pro ſe ſolueretur, QVOD SVPERSTITEM AVGVSTVM RELIQVISSENT. Reges amici atque ſocij, & ſinguli in ſuo quiſque Regno, Cæſareas vrbes condiderunt: Filiam, & Neptes ita inſtituit, vt etiam lanificio aſſuefaceret: vetaretque loqui aut agere quicquam, niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extrancorum quidem cætu adeo prohibuit, vt L. Tvcinio, claro decoroque iuueni ſcripſerit quondam: *parum modeſte eum feciſſe, quod filiam ſuam Baias ſalutatum veniſſet.* Nepotes, & literas, aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit: Amicitias neque facile admiſit, & conſtantiſſime retinuit: non tantum virtutes, ac merita cuiuſque digne proſecutus: ſed vitia quoque, & delicta dumtaxat modica perpeſſus. Patronus dominuſque eſt non minus ſeuerus, quam facilis, & clemens. Diomedem diſpenſatorem, à quo ſimul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum obiectus eſt: maluit timiditatis arguere, quam noxæ: remque non minimi periculi: quia tamen fraus aberat, in iocum vertit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De parſimonia eius in victu, & eloquentia, & ingenio eiuſdem.

Cap. XLVII.

Auguſti parſimonia in victu.

NE quidem thoro eum cubuiſſe aiunt: niſi humili, & modico inſtrato. Veſte quoque non temere alia, quam domeſtica vſus eſt, à ſorore, & vxore, & filia neptibuſque confecta. Togis nec reſtrictis, nec fuſis: clauo, nec lato nec anguſto. Calciamentis altiuſculis, vt procerior quam erat, videretur. Cænam ternis ferculis, aut cum abundantiſſimè, ſenis præbebat, vt non nimio, ſumptu, ita ſumma comitate: cibi minimi erat, vini quoque natura parciſſimus, non amplius ter bibere ſuper cœnam ſolitus: neque temere interdiu bibit: ſed pro potione ſumebat perfuſum aqua frigida panem: aut cucumeris fruſtum, vel lactuculæ thyrſum, aut recens acidumve pomum ſucci vinoſioris.

Auguſti eloquentia.

Eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate prima, & cupidè, & laborioſiſſimè exercuit. Mutinenſi bello in tanta mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe, quotidie traditur. Genus eloquendi ſecutus eſt elegans, & temperatum: vitatis ſententiarum ineptiis, *& reconditorum verborum* (vt ipſe dicit) *fœtoribus*: præcipuamque curam duxit ſenſum animi quam apertiſſime exprimere. Sed nec Tiberio parcit, exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti. Marcum quidem Antonium increpabat, quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potius homines quàm intelligant. Ingenia ſæculi ſui modis omnibus fouit. Recitantes, & benigne, & patienter audiuit. Componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſerio, & à præſtantiſſimis, offendebatur. Tonitrua, & fulgura paulo infirmius expaueſcebat; vt ſemper & vbique pellem vituli marini circumferret, pro remedio atque ad maioris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum, & concameratum locum ſe reciperet.

De his, quæ in principio imperij ſui acciderunt.

Cap. XLVIII.

Euſebius in chro. Anno Imperij Auguſti primo, inter cætera portenta, quæ facta ſunt toto orbe, Bos in ſuburbio Romæ ad arantem locutus eſt: fruſtra ſe vrgeri, non enim frumenta, ſed homines breui defuturos.

Laberius mimorum ſcriptor decimo menſe poſt Caij Iulij Cæſaris interitum Puteolis moritur.

Publius Mimographus natione Syrus, Romę ſcenam tenet.

Cicero in Formiano ſuo ab Herenio, & Popilio occiditur 64. ætatis ſuæ anno, caput eius cum manu dextera pro roſtris poſitum: iuxta quod coronata Popilij militis imago, qui eum occiderat.

Ouidius Naſo naſcitur in Pellignis. Caius Falcidius Tribunus plebis legem tulit: ne quis plus teſtamento legaret, quam vt quarta pars hæredibus ſupereſſet.

Anno ſequenti, è taberna meritoria trans Tyberim, oleum terra erupit, fluxitque tota die ſine intermiſſione, ſignificans Chriſti gratiam in gentibus.

Anno ſequenti Cornificius Poeta à militibus deſertus, interiit: quos ſæpe fugientes galeatos Lepores appellarat: huius ſoror Cornificia, cuius inſignia extant epigrammata. Eo quoque tempore Cornelius nepos, ſcriptor hiſtoricus, clarus habetur. Marcus Bauius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.

De præfectura Herodis Aſcalonitæ, & vxoribus eius & filiis & filiabus.

Cap. XLIX.

Herodes Ezechiã primarium latronem cum ſociis occidit.

Comeſtor cap. 15. Inter hæc Herodes Aſcalonita ab Antipatre patre ſuo procuratore Iudææ, à Cæſare conſtituto, primus Præfectus eſt Galileæ: qui cum natura ſtrenuus eſſet, Principem latronum Ezechiam cum ſequacibus eius interfecit, adeo quod terram quietam reddidit: vt publicè Herodes pater Galileæ cantaretur.

Comeſtor cap. 19. de vxoribus Herodis & liberis eius.

Habebat autem vxorem nomine Doſidem ſed ignobilem, de qua & Antipatrem ſuſcepit, ſuperduxitque Mariannem Neptem Hircani, cuius etiam amore circumſcidit ſe, & factus eſt proſelytus. Habuit ſiquidem vxores nouem, ex quarum ſeptem numeroſam ſuſcepit ſobolem: ſed de his paucos numerare ſufficiat. Primogenitus eius Antipater ex Doſide, Alexander, & Ariſtobolus ex Marianne, Archelaus ex Mathaca Samaritide: Herodes Antipas, qui poſt Tetrarcha fuit, & Philippus ex Cleopatra Hieroſolomytide. Herodem tamen hunc quidam Mariannæ filium putant.

Comeſtor cap. 20. Herodes accuſatus.

At vero Iudæorum optimates. Phaſelum, & Herodem apud Antonium accuſabant, quod rerum ſummam vi poſſiderent, nomen tantum ſupereſſet Hircano. Herodes autem muneribus placauit Antonium, reuocans ei in memoriam patris ſui antiquam cum eo familiaritatem. Cum autem denuo Antiochiæ à 100. viris Iudæis accuſaretur, atteſtante etiam Hircano, percunctabatur Hircanum Antonius, qui nam rebus agendis eſſent aptiſſimi? cumque Herodem, & fratres eius aliis prætuliſſet, hilaratus Antonius, eos de procuratoribus Tetrarchas Iudææ declarauit.

De reſtitutione Antigoni in regnum.

Cap. L.

Hircanus à Phaſelus à Parthis capti.

ABeunte autem Antonio Romam Pachorus Rex Parthorum, in manu valida Euphratem tranſgreſſus eſt, ad quem deſcendens Liſanias Antigoni nepos filius Ptolæmei ex Alexandra pollicitus eſt talenta mille, & virgines quingentas: vt Antigonum in regnum reduceret. Acceptis itaque à Pachoro multis millibus Parthorum Antigonus Hieruſalem expugnabat, & Phaſelus quidem muros, Herodes domum regiam cuſtodiebat. Sed cum intraſſet vrbem Antigonus in diebus Penthecoſtes etiam in foro dimicatum eſt: cumque de pace tractatum eſt, Antigonus, Parthorum regem arbitrum in dolo depoſcebat. Egreſſo autem Hircano cum Phaſelo, & Antigono, ad Parthorum Regem, Hircanus, & Phaſelus, in itinere à Parthis comprehenſi ſunt. Quo accepto, Herodes noctu ad Idumæos contribules ſuos confugit: præmiſit quidem vxores, & filios, & vniuerſam ſupellectilem: & ipſe ſubſequens impetus ſubſequentium ſuſtinebat. Grauiores autem Parthis Iudæos, in fuga expertus eſt, cum quibus ſexageſimo à ciuitate ſtadio dimicauit: ibique ob incredibilem victoriam caſtrum munitiſſimum poſtea firmauit, quod Herodion vocauit. Dimiſſis autem vxoribus, & liberis in oppido Maſſada ſub cuſtodia fratris ſui Ioſippi in Petram ciuitatem Arabum perrexit. Parthi vero non ſolum Antigonum reſtituerunt in regnum, verum etiam Hircanum, & Phaſelum vinctos ei tradiderunt verberandos. At ille Hircani auriculas dentibus truncauit ne, quando mutatis rebus ſolutus Pontificatum reciperet: ab integris enim ſacra celebrari oportet. Phaſeli vero virtute præuentus eſt: qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad ſaxum fracto ca-

Herodes in fuga à pluriſmis multa paſſus ſt aduerſitates.

pite

pite expirauit. Cognito quidem quod Herodes euaserat, ait, se æquanimiter mori, quia vltorem viuum relinqueret. De Hircano sunt, qui dicant, quod Medicus ab Antigono sibi missus, in auriculas eius venenum pro medicamento infudit, & mortuus est. Iosephus vero refert eum ad Parthos missum, & diu habitum ludibrio.

Qualiter Herodes per Antonium creatus est Rex Iudææ.

Cap. LI.

Comestor cap. 21. HErodes accepta morte fratris Romam properauit, primoque causam viæ expossuit Antonio: qui miratus eius casum, & misertus, senatui persuasit, vt Herodem Regem Iudeæ declararent. Coronatus igitur Herodes Augusto, & Antonio, hinc inde astantibus in capitolium ductus est, vbi & decretum senatus super hoc facto repositum est. Remissus est in Iudæam Herodes, duoque principes cum eo Ventidius, & Silo, qui eum in regno collocarent. Cum ergo venissent in Galilæam, Silonem Antigonus mercede corrupit, & propterea congredi aduersus Antigonum simulatis occasionibus differebat. Cumque tamdem obsedissent Hierusalem Romani, tum pro hyemis asperitate, tum pro inopia victus, ab obsidione discedentes, in Idumæa & & Galilæa hyemabant. Nec tamen Herodes tunc ociosus erat, sed latronum multitudinem persequens, etiam in cauernis eos igne suffocabat. Inter quos erat quidam senior septem filiorum pater, quos ipse occidit in hunc modum. Stans in ore speluncæ singulos euocabat nominatim, & prodeuntem quemque filiorum trucidabat, nouissime & vxorem: tandem senem confossum vulnere super mortuos misit.

Herodes rex coronatur & declaratur.

Herodes contra Antigonum copias ducit.

Comestor cap. 22. Cum autem accepisset Antonius dolum Silonis, misit Sosium cum Herode in manu valida. Qui veniens in Iudæam occurrentem sibi Papium vicit, caputque eius Ferori fratri suo in solatium fratris sui occisi, transmisit. Tandem quinque mensibus obsessa Hierusalem cum in sexto Romani vi irruerent in eam, nulli parcebant ætati, licet Herodes rogaret vt parcerent. Antigonus quoque descendens ad pedes Sosij prostratus est, quem non miseratus Sosius, sed irridens, Antigonum appellauit, & vinctum ducens, ad Antonium remeauit, quem Antonius securi percussit. Confirmatusque est Herodes in Regno Iudææ quarto anno ex quo Romæ diadema susceperat. Inde est quod quandoque plures, quandoque pauciores anni regni Herodis leguntur. Translatum est itaque regnum de Iuda ad alienigenam imminente Christi aduentu. Audiens Hircanus Herodem regnantem rediit in Iudæam, & in pristinum statum restitutus est, excepto quod non ministrabat.

Antigonus securi percussus.

De Prophetiis in Christo adimpletis.

Cap. LII.

Gen. 49. EVsebius, *in chron.* Anno igitur Augusti decimo Herodes Antipatri Ascalonitæ filius, & matris Cypridis Arabicæ, regnum Iudæorum à Romanis suscepit, & annis 38. regnauit. Ex tunc ergo deficiente Principatu Pontificum regnauerunt Herodes, & filij eius post eum, vsque ad vltimam captiuitatem Hierusalem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis Pontificibus constitutis: neque perpetuitate vitæ secundum legem Moysi seruientibus Deo, sed ignobiles quidam, & alio tempore alij. Nonnulli quoque modico tempore sacerdotium à Romanis Imperatoribus emebant. Tunc completa est Prophetia quæ dicit. *Non deficiet Princeps ex Iuda, &c.* In hoc etiam loco Christus, quem Danielis scriptura significat, accepit finem: nam vsque ad Herodem 40. sacerdotes erant reges Iudæorum, qui imperare cœperunt ab instauratione templi, sub Dario vsque ad Hircanum annis quadringentis octuaginta tribus in medio transactis, quos Daniel quoque significat dicens, *& scies, & intelliges ab initio sermonis restaurandi, & ædificandi Hierusalem vsque ad Christi principatum, hebdomades 7. & hebdomades 62.* quæ scilicet hebdomades 69. faciunt annos 483. in quibus sacerdotes per vnctionem consecrati regnauerunt vsque ad Hircanum. Quo extremo omnium à Parthis capto, Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Iudæam ab Augusto, & senatu accepit. *Et iterum post hebdomadas 7. & 62.* interibit Christus, *& super templum erit abominatio desolationis.* Itaque Herodes Ananelum quendam de Babylonia accitum, Pontificem Iudæorum constituit: & post exiguum temporis Aristobulum fratrem vxoris suæ nepotem, Hircani successorem ei dedit, quo post annum interfecto rursum Ananelo reddidit sacerdotium.

Daniel. 9.

Daniel. ibid.

Ananelo Herodes dat summum sacerdotium.

De Nece Antonij, & Cleopatræ.

Cap. LIII.

HVgo, *vbi supra.* Porrò cum esset lasciuus Antonius correptus amore Cleopatræ Ægypti Reginæ: repudiata Augusti sorore, ipsam sibi Cleopatram matrimonio copulauit, & Augusto bellum indixit: sed Augustus apud prima nouorum motuum signa, cum trecentis nauibus à Brundusio in Epirum transmeauit. Antonius vero occupauerat Atticum littus: sed vbi ventum est ad prælium, & Augusti classis cœpit Antonij nauigium turbare: Cleopatra Regina cum aurea puppe, veloque purpureo prima fugere cœpit, & illico insecutus est eam Antonius: Instareque vestigiis Augusti, quod cernens Antonius propria se manu interemit. Regina vero ad pedes Augusti prouoluta tentauit oculos eius, sed spreta ab eo, desperauit. Quæ, vbi se triumpho seruari cognouit: & incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum odoribus refertum iuxta suum se collocauit Antonium. Deinde admotis sibi serpentibus morte sopita est. Tunc Augustus potitus Alexandria vrbe omnium vrbium tunc opulentissima, Romam triumphans ingressus est, quibus patratis Parthi inclyti nominis eius fama inuitati, licet iam se pares Romanorum magnitudini crederent, Romana signa, quæ Crasso interfecto, diripuerunt: vltro ei reddiderunt, & obsidibus traditis firmum fœdus ab eo fideli supplicatione suscipere meruerunt. *Eusebius in chronicis.* Igitur Cleopatra, & Antonio à semet interfectis, & Alexandriæ regno destructo: anno Imperij Augusti quintodecimo: Ægyptus Romana prouincia fit, quam primus Cornelius Gallus Poeta rexit. Et ex hoc loco quidam primum annum Augusti monarchiæ supputant.

Antonius propria manu se interimit.

Augustus Monarcha.

Ægypti regnū destructum est.

De Apologia Herodis apud Augustum.

Cap. LIV.

HVgo, *vbi supra.* Herodes igitur Rex Iudaicæ gentis Antonio, & Cleopatra iam extinctis: sponte ad Augustum nauigauit: & deposito diademate, se illi obtulit humili quidem habitu, sed regia mente: & his eum adorsus est verbis.

Ego, inquiens, Auguste, fateor me fidelem Antonio fuisse socium: vtpote qui ab eo regnum susceperim, ea tamen necessitate arma non tuli aduersum te, non quasi belli pauidus, vel amici desertor, sed domi rebus agendis occupatus, ingratum tamen sibi me non sensit Antonius: cui etiam adiumenta exercitus, & frumenti

Oratio Herodis ad Augustum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

menti copiam miserim absens. Nunc autem, ô Cæsar, vicisti Antonium legionibus tuis, maximè vicisti eum cum filiis tuis : vicisti Imperij Romani viribus, quod dereliquerat, & abnegauerat. Certè victus est Antonius viribus tuis, sed magis moribus suis : vicerat enim eum Cleopatra vxor, & Ægyptius amor, canopeaque luxuries. Victus est, quia maluit cum Cleopatra vinci, quam sine ea vincere, vicit eum mulier, infestior suis quam aduersariis. Denique victus est, quia me audire noluit, obstruxerunt enim mentem eius Cleopatræ cupiditates. Victus sum, & ego cum Antonio, minore tamen flagitio, quam illum Cleopatra, vicit me Antonius, ille Barbaram : ego amicum non dereliqui, modo vero ad te veniens sequestraui à me regni insignia : sed non abieci virtutis conscientiam, *vt voles, Iudica.*

Responsum Augusti.

Ad hoc Cæsar : *Salue, inquit, & nunc magis vtere regno tuo, quoniam non inuidemus virtutibus, sed delectamur* : dignus es enim plurimis imperare, quia sic tueris amicitiam, vt & in aduersis, positum non abneges amicum : & idcirco magis expeteris à nobis, quia nullius belli te mutauit euentus : non enim Antonium deseruisti, sed Antonius te, qui magis credidit Cleopatræ, quam tibi. Insipientia illius te nobis acquisiuit, qui sibi perniciosam elegit Cleopatram, & te fidelem repudiauit. At non est mirum, si à te Cleopatra descisse fecit Antonium : cum à me etiam eum dissociauerit, & ex consorte imperij hostem reddiderit. Nunc autem adoriemur in reliquum, vt non requiras Antonium, nec enim dignum est, vt quem bello vicimus, beneuolentia non vincamus. Et cum hoc dixisset : imposuit coronam capiti eius.

De ampliatione regni eius, & ædificiis, quæ extruxit.

Cap. LV.

Ædificia ab Herode extructa.

Amplificauit autem munificentia Regnum illius dans ei Gadaram, & Hipponem, Samariam, & Ioppem, turrimque Stratonis : & maritimas ciuitates : ex quibus Herodes turrim Stratonis in gratiam, & honorem Cæsaris, postmodum albo lapide renouauit, & aulicis ædificiis venustauit : & Cæsaream mutato nomine iussit appellari : vrbem quoque Samariam quam nunc Sebastem appellant, non solum exædificauit, sed etiam repleuit inhabitantibus : extruxit præterea Hierosolymis turrim magnam, quam appellauit Antoniam, propter Antonij gratiam veteris amici. Cæsari quoque condidit templum ad fontes Iordanis, adeo immemor religionis, vt homini templum conderet, & vsum Gentilium in Iudæam induceret.

Auri sacra fames.

Ioseph us in libro antiquitatum 16. cap. vndecimo. Herodes itaque consumptis pecuniis suis, audiens Hircanum ante se Regem aperuisse tumulum Dauid, & tria millia talentorum inuenisse, aperiens & ipse, noctu ingressus est : dum nollet ipse hoc ciuitatem sentire : & pecunias quidem depositas sicut Hircanus non inuenit, ornatum vero, & vasa aurea, plura tulit. Dumque diligentiorem inquisitionem faceret : ac vellet interius ingredi ad vrnas in quibus Dauid, & Salomonis corpora erant posita, duo Satellites eius flammis exusti sunt ab interiori parte occurrentibus, tunc ille timore perterritus, est egressus : & pro piaculo monumentum ex lapide candido ante ianuam, magnificentissimis construxit expensis.

Herodes duos satellites in Dauidis monumẽto amittit.

Comestor cap. 24. Ædificauit autem Herodes in Ascalone domum regiam, & deinceps agnominatus est Ascalonita, natione enim Idumæus fuit ex patre, Arabs ex matre.

Notula super Historiam Comestoris in fine capitis citati. Vel proprie dictus est Ascalonita : Auus enim eius, qui & Herodes, Ascalonita fuit natione, & edituus templi Apollinis : cuius filium Antipatrum paruulum rapuerunt latrones Idumæi, & cum eis tantum fuit, qui etiam post factus est Princeps eorum : vnde & Idumæus dictus est.

Comestor cap. 25. Posuit etiam Herodes Aquilam auream super speciosam portam templi, immensi ponderis in honorem Romanorum : Iudæis id ægre ferentibus : fecit quoque Herodion in quo sepultus est : fecit & Phaselum in memoriam fratris, nec erat locus regni idoneus, quem vacuum honore Cæsaris relinqueret : dedit que ei Cæsar quadringentos Galatas satellites, stipatores Cleopatræ immanes, & sanguinis humani auidos. Qui cum prius Eleutherij dicerentur à flumine Eleutherio superioris Galatiæ super quod oriundi fuerant : de cætero Herodiani dicti sunt.

De nece Mariammes vxoris suæ, & eius offensa in filios.

Cap. LVI.

Comestor cap. 23.

Facta autem est dissensio inter Mariammen, & sororem Herodis Salomam : hæc illi meretricium, illa huic ignobilitatem obiiciebat. Consilio vero sororis Herodes Hircanum dolo occidit : eo quod regnum sibi deberi Hircanus diceret. In solatium vero Mariammes Ionatham fratrem eius cum esset decem, & septem annorum Pontificem ordinauit : sed è contra, Saloma suggerente, occisus est Ionathas, eo quod ad Regnum videretur aspirare. Cumque accusaret Saloma Mariammen de adulterio, addidit, quod expresse imaginem suam miserat Antonio, vt ad amorem suum eum incitaret : quod vt agnosceret Herodes properauit ad Antonium : Mariammen sub custodia viri Salomæ collocans : certa ei tradens interfignia, sub quibus si nunciatum ei foret : Mariammen occideret. Dum autem moram faceret Herodes, vit Salomæ, quæ sibi fuerant imperata, Mariammæ indicauit. Reuerso autem Herode, vxor cum in sinu eius dormiret, cum lachrymis quæ de morte eius imperauerat, indicauit : exilienſque à stratis Herodes scisci tabatur à sorore : dormiuit nẽ vir tuus cum Mariamme : quę ait, dormiuit : statim Mariammen occidi fecit : & virum fororis. Verum, de morte vxoris quam supra modum diligebat, indoluit adeo, vt tanquam lunaticus crebro in amentiam verteretur : filios autem quos de ea susceperat Alexandrum, & Aristobulum, Romam misit liberalibus artibus erudiendos.

Ira mulieris & concupiscentia etiã non parcit filiis.

Comestor cap. 26.

Post hæc redierunt à studio filij eius : & erat Alexander acerrimus perorator, horum vnus, scilicet Aristobulus filiam Salomæ Amitæ suæ, duxit vxorem : alter filiam regis Cappadociæ. Iamque licentius de successione Regni cum patre disceptabant : ob hoc offensus pater Antipatrum eis præponere satagebat : in testamento quoque aperte iam fuerat successor declaratus. Proinde prædicti fratres de morte patris occulte tractabant. Quod præsentiens pater à se eos reiecit. Hi vero Romam nauigauerunt, vt patris iniuriam deferrent ad Cæsarem.

Hedio. & Ruffin. cap. 4. al. 8.

De Marco Varrone, & laudibus eius.

Cap. LVII.

Eusebius in chronicis. Anno Imperij Augusti decimo sexto : regni verò Herodis sexto : Marcus Terentius Varro prope nonagenarius moritur.

Augustinus l. 6. de Ciuit. Dei cap. 2. Quis Marco Varrone curiosius deorũ figmẽta quæsiuit? Quis inuenit doctius? quis considerauit attentius? quis distinxit acutius? quis diligentius pleniusque conscripsit? qui tametsi minus est suauis eloquio, doctrina tamẽ atque sentẽtiis ita refertus est, vt in omni eruditione, quam nos sæculare, illi autem

libera-

liberalem vocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat. Denique, & ipse Tullius huic tale testimonium perhibet, vt in libris Academicis dicat eam, quæ ibi versatur disputationem, se habuisse cum Marco Varrone: homine, inquit, omnium facilè acutissimo: & vbi cuncta dubitanda esse contendit: addidit, sine vlla dubitatione doctissimo. Profecto, de hac re sic erat certus, vt auferret dubitationem, quam solet in omnibus adhibere, tanquam de hoc vno etiam pro Academicorum dubitatione disputaturus, se Academicum fuisset oblitus. In primo autem libro cum eiusdem Varronis literaria opera prædicaret: Nos, inquit, in nostra vrbe peregrinantes errantesque tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, vt possemus aliquando, qui & vbi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. De illo etiam Terentianus elegantissimo versiculo breuiter ait. *Vir doctissimus vndecunque Varro, qui tam multa legit, vt ei aliquid scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere potuisse credamus.*

Libro epistolarij ad Atticũ 13. epistola 1. Cicero l. de diuinat. 2. scribit se quatuor volumina edidisse de quæstionibus Academicis

Terentianus Carthaginẽsis fuit qui vixit temporibus Diocletiani, scripsitque opus carmine quod adhuc extat de litteris, syllabis, & metris.

De libris eius, & opinionibus circa diuina.

Cap. LVIII.

Hic tamen Deos ita coluit, colendosque censuit: vt in ipso eo opere litterarum suarum dicat se timere ne pereant, non incursu hostili, sed ciuium negligentia: de qua illos velut ruina liberari à se dicit: & in memoria bonorum per eiusmodi libros recondi atque seruari.

Augustinus vt supra cap. 3.

41. libros scripsit antiquitatum: hos in res humanas, diuinasque diuisit: rebus humanis 25. diuinis 16. tribuit. Ideo autem dicit se prius scribere de humanis rebus, quam de diuinis quod prius extiterint ciuitates, deinde ab eis hæc instituta sunt.

Augustinus cap. 4. in fine.

Dicit autem alibi ex naturæ formula se scripturum fuisse, si nouam conderet ciuitatem, quia verò iam veterem inuenerat, non se potuisse, nisi eius consuetudinem se qui.

Augustinus lib. 4. cap. 31. circa medium.

Hi autem, inquit, fili mi videntur animaduertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu, & ratione, mundum gubernantem. Dicit etiam antiquos Romanos plus annis 100. & 70. Deum absque simulachro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius Dij obseruarentur: eiusdem sententiæ testem adhibet gentem Iudæam, nam qui primum inquit simulachra populis posuerunt, & metum dempserunt, & errorem addiderunt: prudenter existimans Deos facile posse in simulachrorum stoliditate contemni.

Augustinus lib. 7. cap. 6.

Dicit autem idem Varro, arbitrari se, Deum esse animam mundi, quem Græci Cosmon vocant, & hunc ipsum mundum esse Deum: sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore & anima, tantum ab anima esse sapientem: ita mundum ab anima tantum dici Deum. Mundus autem inquit in duas partes diuiditur: cœlum & terram. Item cœlum in æthera, & aëra, terra vero in aquam, & humum. Has omnes quatuor partes plenas esse animarum dicit: in æthere, & aëre immortalium: in aqua & humo mortalium. A summo autem circuitu cœli, vsque ad circulum lunæ, æthereas animas esse stellas, cœlestesque Deos inuisibiles. Inter Lunæ vero gyrum, & nimborum, & ventorum cacumina, aereas esse animas, sed eas animo, non oculis videri: quos & vocari Heroas, & Lares, & Genios.

Idem in 6. lib. cap. 5. & etiam in 7. lib. Marcus Varro tria genera Theologiæ esse posuit scilicet vnum fabulosum, quo vtuntur poetæ, alterum naturale, quo Philosophi, tertium ciuile quo populi. Sed ciuilis Theologiæ turpitudines erroneas Philosophicis interpretationibus, velut altioris doctrinæ specie, colorare conatur: videlicet tanquam vis animæ mundi, quam putauit per cuncta diffusam, ex partibus molis huius in quas visibilis mundus iste consurgit: & multiplici administratione naturæ, quasi plurium Deorum nomina acceperit.

Author. Huius autem Varronis hoc dictum memorabile legitur: *Nunc in segetibus*, aiunt, *nunc in herbis frumenta bona sunt: nolite ibi nimiam spem habere.* Sæpe audiuimus inter os, & offam multa interuenire posse: verum est igitur, inter herbã, & offam longum interuallum est.

Extant sententiæ Varronis ad Athenienſem auditorem, morales, atque notabiles, de quibus has paucas, quæ sequuntur excerpsi.

De sententiis Varronis moralibus.

Cap. LIX.

Sententiæ & flosculi Varronis præstantissimi.

Cvm natura litigat, qui mori graue fert.

Duplex est malum, cum quod necesse est, moleste ferimus.

Loquaris, vt omnes, sentias, vt pauci.

In multis contra omnes sapere desipere est.

Ficte referas gratiam inuite danti.

Vix datum, ne putes beneficium sed prædam.

Semel dedit, qui rogatus, bis qui non.

Extorquere est, plusquam semel rogare.

Turpissimum est in datis sperare, pulcherrimum est cum fœnore data reddi.

Ex animo dantis, censetur munus magnum.

Amici diuitum paleæ sunt circa grana.

Vis experiri amicum, calamitosus fias.

Non refert quis, sed quid dicat.

Alit concordiam, mores ad cohabitantium animos formare.

Nemo suum putet, quod extra ipsum est.

Vir bonus patriam suam quocunque it fert secum, & omnia sua custodit.

Eo vultu dimittendæ sunt diuitiæ, quo accipiendæ.

Vulgus quicquid cum gaudio accipit: cum fletu amittit.

Non tam laudabile est meminisse, quam inuenisse: hoc enim alienum est, illud proprij muneris est.

Fides est media opinionis, & scientiæ, neutrum attingens.

Elegantissimum est docendi genus exemplorum subditio.

Facilitas intelligentiæ, veri parit negligentiam.

Amator veri non tam spectat qualiter dicitur, quàm quid.

Illum elige eruditorem quem magis mireris in suis, quam alienis.

Omnia nosse est impossibile, pauca vero laudabile.

Sunt quædam, quæ eradenda essent ab animo scientis: quia inferendi veri locum occupant.

Multum interest vtrum rem ipsam an libros inspicias.

Libri non nisi scientiarum paupercula monimenta sunt, principia inquirendorum, vt ab his negociandi principia sumat animus.

Eo tantum studia intermittantur ne obmittantur.

Gaudet natura varietate.

Nil magnificum docebit, qui à se nil didicit.

Falso magistri nuncupantur auditorum narratores: sic audiendi sunt, vt qui rumores recensent.

Tam ridenda est in sene puerilitas, quam obstupenda in puero optimorum morum constantia.

Sic multi libros deguſtant, vt conuiuæ delicias: sed cito transcursa, citius labuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Renuit Philoſophia faſtidientem ſtomachum, ad ſimplicem cænam, hilarem inuitat conuiuam.

Canale fiſſum eſt auris, quæ accepta memoriæ non commendat.

Non eſſemus pauperes, ſi neſciremus quid eſt paupertas.

Neſcire quid eſt paupertas, optimus eſt ad ſummas diuitias progreſſus.

Non eſt miſer, niſi qui ſe eſſe credit.

Nuſquam deueniet, qui quot videt ſequitur colles.

Non tam modeſtè quis ſua miratur, quam aliena: hoc autem fit quoniam nemo ſibi inuidet.

Imperitiæ ſignum eſt, quod difficillimum eſt, exigere cito fieri.

Nulla iactura grauior eſt ſcienti, quàm temporis.

Viatores non eunt, vt eant: ſic & vita non ſui cauſa fit, ſed vt ea præclarum aliquid fiat.

Qui in magnis excellit, etiam inuitus laudabitur.

Non eſt fœlicitas, quæ ſecum recipit miſeriam.

Adulationis eſt ſpecimen, cum laus poſtulationem præcedit.

Abiiciendi ſunt ineruditorum contemptus, ſi vis ad ſummam progredi.

Multi laudem amittunt, quoniam ipſi eam de ſe prædicant: hoc autem vno modo ſapiens ſe laudat, quæ in ipſo apparent bona, in aliis prædicando.

Deſiderata, non habita, magni ſunt: habita vileſcunt. Vtile, ſed inglorioſum eſt, ex illaborato: in alienos ſuccedere labores.

De Cornelio Gallo, & Planco, & Virgilio.

Cap. LX.

ANno Auguſti decimooctauo, Cneus Cornelius Gallus Foroiulienſis poeta, à quo primum Ægytum rectam ſupra diximus 43. ætatis ſuæ anno propria ſe manu interfecit.

Meſſalla Coruinus primus præfectus vrbis factus, ſexta die magiſtratu ſe abdicauit in ciuilem poteſtatem eſſe conteſtans.

Anno eiuſdem 20. Munacius Plancus Ciceronis diſcipulus orator habetur inſignis: qui cum Galliam comatam regeret, Lugdunum condidit.

Macrobius in libro Saturnalium 2. cap. 2. Hic eſt Plancus, cui in iudicio amici moleſtum teſtem deſtruere volenti, & interroganti (quia ſutorem eum eſſe ſciebat) quo artificio ſe tueretur, ille vrbanè reſpondit: *Gallam ſubigo*: ſutorium hoc habetur inſtrumentum, quod in adulterij exprobrationem faceta conuertit ambiguitate: Galla enim dicebatur vxor Planci.

Dicterium ſutoris cuiuſpiam.

Ex Chronicis. Anno eius vigeſimoquinto, Virgilius Brunduſij moritur, Sentio, Saturnino, & Lucretio Cyma Conſulibus: oſſa eius Neapolim tranſlata: in ſecundo ab vrbe milliario ſepeliuntur, titulo huiuſmodi quem moriens ipſe dictauerat.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope; cecini paſcua, rura, duces.

De commendatione Virgilij, & geſtis eius.

Cap. LXI.

HElinandus libro vigeſimoſexto. Conſtat Virgilium inter omnes optimum fuiſſe Poetarum. Macrobius dicit eum nullius ſcientiæ fuiſſe expertem. Iuuenalis eum Homero comparat dicens.

Conditor Iliados cantabitur atque Maronis,
Altiſoni, dubiam facientia carmina palmam.

Idem tamen cum de intemperantia libidinis hoc modo reprehendit.

Nam ſi Virgilio, puer, & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes à crimbus Hydri.

Auguſtinus in libro primo, de Ciuitate Dei, ſic commendat eundem Virgilium: Virgilium, inquit, propterea paruuli legunt, vt Poeta magnus, omniumque præclariſſimus atque optimus, teneris ebibitus annis: non facilè obliuione poſſit aboleri.

Mira quædam referuntur Virgilij opera & fata.

Ab hoc Virgilio multa dicuntur mirabiliter actitata: In porta Neapolis Campaniæ dicitur feciſſe Muſcam æncam, quæ omnes muſcas ab vrbe expellebat. In eadē vrbe dicitur, Macellum ſic conſtruxiſſe, vt nulla ibi Caro putreſceret. Dicitur quoque campanile quoddam ſic conſtruxiſſe, vt turris ipſa lapidea eodem modo moueretur, quo campanæ, cum pulſabantur; ſed hoc verum non videtur, cum vſus campanarum nondum inuentus eſſet: niſi forte vſus earum prius fuerit apud paganos, quam apud Chriſtianos. Sed & hortum quendam ſic feciſſe dicitur, vt in eo non plueret. De balneis quoque eius incredibilia narrantur.

Creditur etiam à quibuſdam ab eo factum illud miraculum, quod dicebatur ſaluatio Romæ, quod inter ſeptem miracula mundi, primum computatur. Erat autem ibi conſecratio omnium ſtatuarum, quæ ſtatuæ ſcripta nomina in pectore gentis, cuius imaginem tenebant, geſtabant: & tintinabulum vniuſcuiuſque ſtatuæ collo appendebatur. Erantque Sacerdotes die ac nocte ſemper vigilantes, qui eas cuſtodiebant: & quæ gens in rebellionem conſurgere conabatur contra Imperium Romanorum, ſtatua illius commouebatur, & tintinabulum illius mouebatur in collo eius: & vt quidā addunt, ſtatua ipſa mox digitum indicem protendebat verſus illam gentē: & verſus nomen ipſius gentis: quod in ea erat ſcriptum. Quod nomen ſcriptum, continuo Sacerdos, Principibus deportabat: & mox exercitus ad eam gentem reprimendam mittebatur.

De dictis, & ſcriptis eiuſdem.

Cap. LXII.

HIc eſt Virgilius cui cum obiiceretur ab inuidis, quod alienos verſus ſuo operi inſerebat: reſpondit, magnarum eſſe virium clauā extorquere de manu Herculis. Hic Virgilius dicebat parare ſe verſus more rituque vrſino: nam, vt illa beſtia fœtum edidit ineffigiatum informemque, poſtea lambendo conſummat, & format, ſic ingenij ſui partus recentes, rudes eſſe facie, & imperfecta: ſed deinceps tractando, colendoque, reddere his quaſi vultus, & oris lineamenta.

Auguſt. in libro 10. de Ciuitate Dei cap. 27. dicit quædam prophetata eſſe à Virgilio de Chriſto, vt illa.

Iam noua progenies cœlo dimittitur alto,
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Quibus Virgilij verſibus hoc Aug. addidit. Quod inquit non à ſeipſo dixiſſe in eclogæ ipſius quarto ferme verſu, indicans vbi ait.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Vnde inquit hōc à Cumæa Sibylla dictum eſſe incūctanter apparet.

Hieronymo non placent hæc dicta, & ſimilia Virgilij eſſe prophetiam, ſed à Virgilio centonibus artificioſe Chriſto coaptata eſſe. Quod & Iſidorus confirmat dicens: Centones inquit apud grammaticos vocari ſolent, qui de carminibus Homeri, & Virgilij ad propria opera more centenario ex multis hinc, & inde compoſitis, in vnum ſartiunt corpus à facultate cuiuſque materiæ. Denique Proba vxor Adelphi Centonem ex Virgilio de fabrica mundi, & de Euangelio pleniſſime expreſſit, materia compoſita ſecundum verſus, & verſibus ſecundum materiam continuatis. Eodem modo & quidam Pomponius ex eodem poeta inter cætera ſtyli ſui ocia in honorem Chriſti librum compoſuit: ſimiliter, & de libro Æneidos. Illud quoque ſciendum eſt Virgilium non tam eloquentem eſſe, neque fuiſſe in

prosa : quam in versibus faciendis : vnde *Seneca in libro 4. declamationum. Magna quoque ingenia non plus, quam in vno emicuerunt opere.* Virgilium illa ingenij fœlicitas in oratione soluta reliquit. Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.

Author. Virgilius tres libros tantum creditur edidisse: vt in Epitaphio eius apparet : vbi dicitur.

Cecini pascua, rura, duces,

Per quæ tria significantur, Bucolica, Georgica, & Æneida : proinde Virgilius de culice, & Virgilius de Ætna, quos Aurelianenses ad ostentationem, & iactantiam circunferunt : inter autores Apocriphos separandi sunt.

De Flosculis librorum eius.

Cap. LXIII.

Flosculi Virgilij.

DE illis autem tribus libris paucas has sententias notabiles quæ sequuntur excerpsi. *Virgilius in Bucolicis.*

Pallas quas condidit artes
Ipsa colat.
Trahit sua quemque voluptas.
A Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena,
Ille colit terras.
Qui legitis flores, & humi nascentia fragra,
Frigidus, ô pueri fugite, hinc latet anguis in herba.
Et quisquis amores,
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies cœlo dimittitur alto.
Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis
Infœlix lolium, & steriles dominantur auenæ.
Non omnia possumus omnes.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Qui amant ipsi sibi somnia fingunt
Numero Deus impare gaudet.
Tardi venere bubulci.
Omnia vincit Amor, & nos cedamus Amori.
Idem in Georgicis libro 1.
Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.
Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.
Idem in libro secundo.
O fortunatos nimium sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Idem in 3. libro.
Optima quæque dies miseris mortalibus æui,
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit, & siquando ad prælia ventum est,
Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit.
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas
Idem in 4. lib.
Est legum seruanda fides; suprema voluntas,
Quod mandat fierique iubet, parere necesse est
Res animos incognita turbat.
Idem in libro 1. Æneidos.
Soluite corde metum Teucri: secludite curas.
Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri.
Idem in libro 2.
Furor iraque mentem præcipitant.
Item in 3.
Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.
Idem in libro 4.
Degeneres animos timor arguit.
Nusquam tuta fides,
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Idem in quinto libro.
Varium & mutabile semper
Fœmina pectus habet.
Idem in 6. lib.
Non mihi si linguæ centum, sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas;
Omnia pœnarum percurrere nomina possum.

Author. Hæc de Virgilij dictis ad præsens sufficiant, vixit autem secundum chronicas annis 53.

De ortu beatæ Mariæ Virginis prænunciato per Angelum.

Cap. LXIV.

ANno Imperij Augusti circiter 27. Nata est Beata Virgo Maria Mater Domini, iuxta librum Ioachim, & reuelationem factam Sanctæ Elizabeth.

Parentes Beatæ Virginis Ioachim & Anna.

Hieronymus in Historia Ioachim, & Annæ. Fuit autem ex stirpe Dauid eriunda, in Nazareth nata, Hierosolymis in templo nutrita, pater eius Ioachim, mater eius Anna dicebatur, domus paterna ex Nazareth, Maternum genus ex Bethleem erat : vita eorum erat simplex, & recta, & pia, omnemque substantiam suam trifariè diuiserunt, vnam partem templo, & templi seruitoribus impendebant : aliam peregrinis, & pauperibus erogabant : tertiam sibi, & familiæ suæ vsibus reseruabant : ita Deo iusti, hominibus pij, per annos circiter 20. castum Domini coniugium sine procreatione liberorum exercebant : vouerunt tamen si Deus eis daret sobolem, eam, se ipsius seruitio mancipaturos : cuius rei gratia, templum Domini singulis per annum festis frequentare solebant. Cum autem in encæniis Hierosolymam Ioachim ascendisset : Issachar Pontifex videns eum inter conciues suos cum oblatione ascendentem, spreuit eum cum muneribus suis : dicens, eius munera non Deo digna posse videri : quem ipse indignum prole iudicaret : maledictumque esse, qui non genuisset semen in Israel : cuius ille opprobrij obiectu, pudore confusus, ad pastores, qui cum pecoribus suis in pascuis erant, secessit, non enim domum repedare voluit, ne forte à contribulibus, qui hoc à sacerdote audierant eodem opprobrio notaretur. Cumque ibi aliquandiu esset quadam die dum solus esset : Angelus Domini ei astitit cum immenso lumine, eiusque visione perterritum compescuit dicens : Noli timere Ioachim, quia ego sum Angelus Domini missus ab eo, vt annunciem tibi orationes tuas exauditas, & eleemosynas ascendisse in conspectu Domini, vidit quippe pudorem tuum, & audiuit sterilitatis opprobrium non recte obiectum : & ecce Anna vxor tua pariet tibi filiam, vocabisque nomen eius Mariam : hæc erit, vt vouisti, ab infantia sua Deo consecrata : & Spiritusancto replebitur adhuc ex vtero Matris suæ. Omne immundum non comedet, nec bibet, nec inter populares forinsecus : sed in templo Domini erit conuersatio eius : ita ætate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter Virgo generabit altissimi filium, qui vocatus Iesus, secundum nomen suum, Saluator erit omnium gentium. Discedens ab eo Angelus apparuit, & ante vxori eius eadem annuncians. Ita iuxta Angelicum præceptum vterque de locis in quibus erant promouentes ascenderunt in Ierusalem, & ad portam auream sibi inuicem obuiantes de mutua visione sua lætati, & promissæ prolis certitudine securi, debitas Domino humilium exauditori gratias retulerunt : itaque adorato Deo, domum regressi, promissum certi, & hilares expectabant.

Ioachim ob sterilitatem suam reiicitur ab Issachar cũ suis muneribus.

Angelus apparet Ioachim & prædicit ei futuram prolem.

De natiuitate eiuſdem.

Cap. LXV.

Naſcitur beata virgo & ad templū addutitur.

Concepit ergo Anna, & peperit filiam, vocauitque eam Mariam: & cum trium annorum ſpacium volueretur, ablactatam Virginem ad templum Domini adduxerunt. Erant autem circa templum quindecim gradus: iuxta quindecim graduum Pſalmos, nam quia in monte ſitum erat templum, altare holocauſti, quod foris erat, non poterat ſine gradibus adiri. In horum nono Virginem conſtituerunt. Cumque ſe exuerent, & cultioribus ex more ſe veſtibus induerent: virgo cunctos ſigillatim gradus ſine ducentis, & leuantis manu ita aſcendit, vt perfectæ ætati in hac cauſa nihil deeſſe putares. Igitur ſacrificio celebrato, ſecundum morem legis, & voto ſuo perfecto, virginem intra ſepta templi cum aliis virginibus ibidem educandis dimiſerunt, & domi reuerſi ſunt.

Maria virgo in vtero matris ſanctificata & immunis ab omni peccato originali.

Ildefonſus Toletanus Epiſcopus de beata virgine. Beata virgo Maria niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minimè eius natiuitas colenda eſſet, nunc autem, quia auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni peccato originali immunem fuiſſe, per quam non ſolum maledictio Euæ matris ſoluta eſt, verum etiam benedictio omnibus condonata eſt. Nullis ergo quando nata eſt ſubiacuit delictis, nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit.

Cauſa celebrationis Natiuitatis Beatæ Mariæ.

Ex Mariali. Sanctæ Dei genitricis Mariæ natiuitas olim, quia ignorabatur, diu in Eccleſia non celebrabatur, ſed ſic diuinitus reuelata eſt. Solitarius quidam ſanctæ vitæ fuit, qui ſingulis annis harmoniam in cœlo nocte natiuitatis eius audiuit. Qui cum miraretur, quod hoc alio tempore non audiret: rogauit Deū, vt ſibi oſtenderet quid hoc ſignificaret: Cui Angelus Domini apparēs talia retulit. Virgo perpetua, quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod licet ab hominibus ignoretur, ab Angelis in cœlo celebre habetur. Qua reuelatione diuulgata, eius Natiuitas ab Eccleſia celebrari inſtituta eſt.

De bona indole eiuſdem Virginis.

Cap. LXVI.

Vita & modus viuendi Beatæ virginis.

Iacobus filius Ioſeph in libro de infantia Saluatoris. Cum autem eſſet virgo Maria trium annorum, ita maturo greſſu ambulabat, & perfectiſſimè loquebatur quaſi iam eſſet triginta annorum. Ita orationibus inſiſtebat, & facies eius ſplendebat, vt vix poſſet in eius vultu quiſquam intendere. Inſiſtebat autem lanificio, & omnia, quæ mulieres antiquæ non poterant, iſta tenera ætate poſita explicabat. Hanc autem regulam ipſa ſibi ſtatuerat, vt à mane vſque ad tertiam orationi inſiſteret: à tertia vſque ad nonam in textrino opere ſe occuparet: à nona iterum non recedebat ab oratione vſque dum Angelus Domini ei appareret, de cuius manu eſcam acciperet. Omnis ſermo eius ita erat gratia plenus, vt in lingua eius cognoſceretur Deus: ſemper in oratione, & in ſcrutatione legis Dei permanebat. Eratque ſolicita circa ſocias ſuas, ne aliqua ex eis, vel in vno peccaret, ne aliqua iniurioſa, vel ſuperba circa parem ſuam exiſteret: ſine intermiſſione benedicebat Deum, & ne forte in ſalutatione ſua à laudibus Domini tolleretur, ſiquis eam ſalutabat, ipſa pro reſalutatione, *Deo gratias*, reſpondebat: quotidie eſca quam de manu Angeli acceperat ipſa tantum reficiebatur. Eam vero, quæ à Pontificibus tribuebatur, pauperibus diuidebat, frequenter videbant cum ea Angelos loqui, & quaſi chariſſimè obtemperabant ei.

Diſtributio horū in die quā ſolebat obſeruare Beata virgo.

Ambroſius in libro 2. de virginitate. Sit nobis tanquam in imagine deſcripta virginitās Mariæ, è qua, velut ſpeculo, refulgeat ſpecies caſtitatis, & forma virtutis: virgo erat corpore, & mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legendi ſtudioſior: non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis, non hominem, ſed Deum quærens: nullum lædere, omnibus bene velle, maioribus aſſurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere. Quando illa, vel vultu læſit parentes? vel quando faſtidiuit humilem? quando riſit debilem? quando vitauit inopem? nihil toruum in oculis, nihil procax in verbis, nihil in actu inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa ſpecies corporis ſimulacrum fieret mentis, & figura probitatis.

Virtutes Beatæ virginis.

Auguſtinus in libro de natura, & gratia. Excepta itaque ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus (cum de peccatis agitur) habere volo quæſtionem: ſcimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: hac inquam virgine excepta, ſi omnes ſancti, & ſanctæ, cum hic viuerent, interrogati eſſent: vtrum ſine peccato eſſent? omnes vna voce clamaſſent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.*

Beata virgo ſine omni peccato.

1 Ioannis 1.

De Horatio Poeta, & libris eius & floſculis poetriæ.

Cap. LXVII.

Euſebius in chronicis. Anno Imperij Auguſti 35. regni vero Herodis 25. Horatius 57. ætatis ſuæ anno Romæ moritur.

Author. Hic Horatius inter ſatyricos, & lyricos poetas latinos obtinere principatum dicitur: & grauiſſimus poeta à Hieronymo appellatus, non propter grauitatem actuum, nam incontinentiſſimus fuit: ſed propter grauitatem ſententiarum.

Scripſit autem libros ſermonum, & epiſtolarum, & carminum, odarum, & poetriarum, cuius morales breues, & paucas ſententias excerptas, hic inſerere volui.

Horatius in poetria.
Debemus morti nos noſtraque.
Mortalia facta peribunt.
Et adhuc ſub iudice lis eſt.
Cum pauper, & exul vterque
Proiicit ampullas, & ſexquipedalia verba:
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata: dulcia ſunto.
Et, quocunque volent animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arridēt, ita flentibus adſunt
Humani vultus ſi me vis flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi.
Triſtia mæſtum
Vultum verba decent.
Quid ferat hic dignum tanto promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Reddere, qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris:
Sublimis cupiduſque, & amata relinquere pernix
Multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit & inuentis miſer abſtinet, & timet vti,
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti.

Se puero, censor castigatorque minorum.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Non semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Quandoque bonus dormitat Homerus.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
Non homines non Dij non concessere columnæ.
Mediocribus esse poetis.
Vt gratas inter mensas symphonia discors.
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer
Offendunt: poterat duci, quia cætera sine istis.
Aut prodesse volunt, aut delectare Poeta:
Aut simul, & iocunda, & idonea dicere vitæ.
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

Flosculi Epistolarum eiusdem.

Cap. LXVIII.

IDem in libro Epistolarum.
Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit.
Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse.
Dimidium facti, qui bene cœpit habet.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.
Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurrit, rides, si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides, quid: mea cum pugnat sententia secum.
Quod petiit, spernit: repetit, quod nuper omisit
Æstuat, & vitæ disconuenit ordine toto.
Diruit ædificat, mutat quadrata rotundis.
Semper Auarus eget.
Inuidus alterius macrescit rebus opimis,
Inuidia Siculi non inuenere tyranni,
Maius tormentum.
Ira furor breuis est, animum rege: qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.
Monitus multumque monendus,
Priuatas, vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcumque cepit Apollo;
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum;
Furtiuis nudata coloribus. ipse quid audes?
Quid mihi diuitiæ? si non conceditur vti:
Scilicet vxorem cum dote fidemque, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat:
Ac bene numatum decorat Suadela Venusque.
Parvum parua decent.
Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti: pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat pectore frustra.
Cui mustela procul, si vis (ait) effugere istinc,
Macra cauum repetes arctum quem macra subisti.
Naturam expelles furca: tamen vsque recurret:
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Seruiet æternum, qui paruo nescit vti.
Imperat aut seruit collecta pecunia cuique:
Quem res plus nimio delectauere secundæ:
Mutatæ quatient.
Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu.
Cœlum, non animum, mutant qui trans mare currunt.
Pauper enim non est cui rerum suppetit vsus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis: nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te, formidine pœnæ.
Mors vltima linea rerum est.
Principibus placuisse viris, non vltima laus est.
Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam:
Commissumque teges, & vino tortus, & ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.
Stultitiam patiuntur opes.
Quid de quoque viro, & cui dicas sæpe videto.
Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est:
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.
Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret.
Quem? nisi mendosum, & mendacem: vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat.
Quo multæ, magnæque secantur iudice lites.
Quo responsore, & quo causæ testæ tenentur.
Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur & quondam non dignum tradimus. ergo,
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri.
Ecquid ad te post paullo ventura pericula sentis.
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici
Expertus metuit, tu dum tua nauis in alto est,
Hoc age: ne mutata retrorsum, te ferat aura.
Non cuiuis homini contigit adire Corinthum.
Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi:
Sedatum celeres, agilem, gnauumque remissi
Potores bibuli media de nocte falerni,
Oderunt porrecta negantem pocula.
Nauem agere ignarus nauis timet.
Abrotonum ægro, non audet nisi qui didicit dare:
Quod medicorum est,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.
Peregre est animus sine corpore velox.
Dum vult libertas mea dici veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum vtrinque reductum.
Alter in obsequium plus æquo pronus.
Alter rixatur de lana sæpe caprina.
Sunt qui nil rectum, nisi quod placuit sibi, dicunt.
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sunt qui turpe putant parere minoribus, & qui
Imberbes, didicere senes, perdenda fateri.
Denique non omnes eadem mirantur, amantque.
Tres sibi conuiuæ propè dissentire videntur.
Poscentes vario multum diuersa palato.
Quid dem quid non dem, renuis tu, quod iubet alter:
Quod petis id sanè est inuisum, acidumque duobus.
Singula de nobis anni prædantur euntes.
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum.
Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo,
Laudat, venales qui vult extrudere merces.

Flosculi sermonum eius.

Cap. LXIX.

IDem in libro sermonum.
Est modus in rebus sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.
Dum stulti vitant vitia in contraria currunt.
Paruula nam exemplo est magni formica laboris:
Ore trahit quodcunque potest, atque addit aceruo,
Quem struit haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inuersum contristat aquarius annum,
Non vsquam prorepit & illis vtitur ante:
Quæsitis patiens.
Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri,
Furtim defossa timidum deponere terra,
Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem:
At ni id fit, quid habet pulchri constructus aceruus.
Millia frumenti tua triuerit area centum,
Non tuus hic capiet venter plus quam meus.
Item
Quis & humana sibi doleat natura negatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

An vigilare metum exanimem, noctesque diesque
Formidare malos, fures, incendia, seruos,
Ne te compilent, fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit, habes, qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, vt te
Suscitet ac reddat natis, charisque propinquis:
Non vxor saluum te vult, non filius: omnes
Vicini aderunt, noti pueri, atque puellæ.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas.
Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus?
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.
Omnibus hoc vitium cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.
Æquum est
Peccatis veniam poscenti reddere. Rursus
Adsit regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.
Tractari mollius ætas
Imbecilla solet.
Virtus fama decus diuina humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus sapiensque, etiam Rex
Et quicquid volet.
Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina.
Nam vitiis (nemo sine nascitur) optimus ille
Qui minimis vrgetur.
Gaudent præ nomine molles
Auriculæ.
Absentem, qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est: hunc tu Romane caueto.
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis.
Homo factus ad vnguem.
Populus quoque stultus honores
Sæpe dat indignis.
Hic nummos aurumque recondit nescius vti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum.
Multorum ingenium res
Aduersæ nudare solent, cælare secundæ.

Floſculi carminum eiuſdem.

Cap. LXX.

Idem in lib. carminum Odarum.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres.
Vitæ summa breuis,
Sed omnes vna manet mors.
Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem.
Nihil interest an pauper & infima
De gente sub dio moreris.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes. Rebus in angustis animosus atque
Fortis appare, sapienter idem
Nihil est ab omni parte beatum.
Æqua tellus pauperi recluditur,
Regnumque pueris.
Dulce, & decorum est pro patria mori,
Iustum, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.
Crescentem sequitur cura pecuniam:
Magnum pauperies opprobrium iubet
Et facere, & pati.
Nec scire fas est omnia, paulalum
Sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.
Non possidentem multa vocaueris.
Recte beatum.
Rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati.
Author. Hæc de floſculis librorum Horatij excerpta ſufficiant.

De triumphis Romanorum, & pacatione orbis ſub Auguſto.

Cap. LXXI.

ANno Auguſti trigeſimoſeptimo, Herodis autem vigeſimoſeptimo. Tiberius de Rhetiis, Vindelicis, Armeniis, & Pannoniis, triumphauit.

Oroſius lib. 6. cap. 21. Claudius etiam Druſus prætignus Cæſaris Galliam Rhetiamque ſortitus, eas ſubegit. Idē Druſus Tiberij frater in Germania Vſipetes, deinde Tencteros, & Cattos perdomuit. Marcomannos penè ad internecionem cæcidit, poſtea Cheruſchos Sueuos, & Sicambros fortiſſimas nationes, & quibus natura vires conſuetudoque experientiam virium dabat, paritet vno bello, ſed etiam ſuis aſpero, ſuperauit. Quorum virtus, ac feritas ex eo cōſiderari poteſt, quod mulieres quoque eorum, ſiquando præuentu Romanorum inter plauſtra concludebantur: deficientibus telis, & qualibet re, qua velut telo, vti furor poſſet, paruos filios colliſos humi in hoſtium ora iaciebāt. In ſingulis filiorum necibus, bis parricidæ. Tunc etiam in Africa Muſolanos, & Getulos latius vagantes Coſſus Dux Cæſaris arctatis finibus coercuit, atque à Romanis limitibus abſtinere metu compulit. Tiberius etiam Germanos bello arripuit, è quibus quadraginta millia captiuorum, victor abduxit. Quod reuera bellum maximum, & formidoloſum quindecim legionibus per triennium geſtum eſt, nec fere vllum maius bellum ſicut Suetonius atteſtatur, poſt Punicum fuit. Piſo quoque rurſus aduerſus Vindelicos miſſus eſt. Quibus ſubactis victor ad Cæſarem reuerſus eſt Lugdunum. Sub eodem quoque tempore Quinctilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, mira ſuperbia, atque auaritia, in ſubiectos agens, funditus deletus eſt. Quam cladem Reipublicæ Auguſtus adeo grauiter tulit, vt ſæpe per vim doloris caput parieti collidens, clamabat: *Quinctili Vare, vedde legiones.* Agrippa verò Boſphoranos ſuperans, ſignis Romanis: quæ illi quondam ſub Mithridate ſuſtulerant, recuperatis, victos ad deditionem coegit.

Bellum cum Rhetiis geſtū eſt, Druſo & Piſone conſulibus anno vrbis 738.

Author. Itaque pacatis omnibus de Virgine Maria naſci voluit Dei filius.

Gloſſa ſuper Lucam. Auguſtus duodecim annis circa tempus Natiuitatis Chriſti in pace regnauit, vt etiam ad literam completum videatur illud Propheticum: *Conflabunt gladios in vomeres, & lanceas in falces: Non leuabit gens contra gentem, gladium, &c.* Tali tempore voluit Chriſtus naſci, quia pacem magnopere quæſiuit, & amauit: & pacis amatores inuiſit: voluit etiam, vt diſcipuli quos prædicandum miſſurus erat, quocunque vellent ſecurè tranſire poſſent: & ab imminentium ſeditionum ſeruore, tremenda Romani nominis vmbra protegerentur.

Iſaiæ cap. 2.

Tempore ſummæ pacis voluit Chriſtus naſci.

De coniugio beatæ Mariæ Virginis, & Ioſeph.

Cap. LXXII.

HIeronymus vbi ſupra. Virgo itaque Domini Maria cū ætatis proceſſu quotidie etiā in virtutibus proficiebat, & quia pater, & mater dereliquerant eam:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dominus aſſumpſit eam: quotidie namque ab Angelis frequentabatur, & diuina viſione fruebatur, boniſque omnibus redundabat: Itaque ad 14. peruenit annum. Tunc Pontifex publice denunciauit, vt virgines, quæ in templo conſtitutæ, hanc ætatem impleſſent: domum reuerterentur: ac nuptiis operam darent. Cui mandato cum cæteræ pronæ paruiſſent: ſola virgo Maria hoc ſe facere non poſſe reſpondit. Siquidem, & parentes ſuos ſe Domini ſeruitio mancipaſſe: & inſuper ſeipſam Domino virginitatem vouiſſe: nec eam violare poſſe. Pontifex igitur in anguſtia poſitus, cum neque contra ſcripturam, quæ dicit: *Vouete, & reddite*: votum confringendum putaret, nec morem genti inſuetum introducere auderet: conſilium habuit cum primoribus, quid faciendum eſſet, omnibuſque in communi placuit Dominum ſuper hoc eſſe conſulendum: & cæteri quidem orationi incubuerunt: Pontifex vero ex more ad conſulendum Dominum acceſſit: nec mora, & cunctis audientibus, de propiciatorij loco facta eſt vox, Iſaiæ vaticinio requirendum eſſe, cui virgo commendari, & deſponſari deberet: illo, ſcilicet: *Egredietur virga de radice Ieſſe, &c.* Cunctos itaque de familia Dauid nuptiis habiles non coniugatos, virgas ſuas ad altare iuſſit allaturos. Eratque inter cæteros homo nomine Ioſeph, qui cum virgam ſuam attuliſſet: & ipſa illico florem germinaſſet, atque in eius cacumine columba de cœlo veniens conſediſſet: liquidò omnibus patuit ipſi virginem deſponſandam fore: igitur nuptiarum iure celebrato, ipſe in Bethleem recedit domum ſuam diſpoſiturus: & nuptiis neceſſaria procuraturus: virgo autem Domini cum ſeptem aliis virginibus collactaneis ſuis, quas à ſacerdote acceperat, ad domum parentum reuerſa eſt.

Virgo Maria vouebat virginitatem ſuam Deo.

Pſal. 75.

Iſaiæ 11.

Iacobus filius Ioſeph vbi ſupra, Ioſeph autem poſt floritionem virgulæ ſuæ accepit Mariã, licet prius renuens, quia ſenex erat, & illa iuuencula: datæ ſunt ei in ſolatium quinque virgines, quæ eſſent cum ea in domo ſua, quibus etiam datum eſt à Pontificibus ſericum hyacinthum, byſſum, purpura, & linum: miſeruntque inter ſe ſortem vnaquæque virgo quid faceret: & factum eſt vt Maria purpuram acciperet ad velum templi Domini: dixeruntque ei aliæ virgines: cum tu iunior ſis omnibus purpuram obtinere meruiſti? Quaſi ergo in fatigationem ſermonis, cœperunt eam etiam Reginam Virginum appellare: apparuitque Angelus Domini in medio earum, & dixit: Non erit ſermo iſte in fatigationem miſſus, ſed in probationem veriſſimam prophetatus. Expauerunt illæ à conſpectu Angeli, & rogauerunt Mariam, vt indulgeret eis, oraretque pro illis.

De cauſis deſponſationis eiuſdem.

Cap. LXXIII.

Hieronymus ſuper cap. 1. Matthæi. Adeo autem non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata filius Dei concipitur. Primo quidem, vt per generationem Ioſeph, origo Mariæ monſtraretur: ſecundo: ne à Iudæis; vt adultera lapidaretur: tertio, vt in Ægyptum fugiens haberet mariti ſolatium: Martyr etiam Ignatius quartam addidit cauſam ſcilicet vt partus eius diabolo celaretur.

Cur virgo deſponſata fuit?

Ambroſius ſuper Lucam lib. 2. Ideo virgo Maria fuit deſponſata, ne temeratæ virginitatis vteretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit enim Dominus aliquos de ortu ſuo, quam de matris pudore dubitare: quia ſciebat teneram eſſe virginis verecundiam, & lubricam pudoris famam: nec putauit ortus ſui fidem matris iniuriis aſtruendam: nec voluit virginibus ſiniſtra opinione viuentibus, velamen excuſationis relinqui: quod infamata quoque videretur mater Domini.

Author. Ideo vero per generationem Ioſeph, originem Mariæ oportebat oſtendere, quia non erat mos apud Iudæos, generationum catalogos per fœminas texere: per hoc autem, quod oſtendit Ioſeph fuiſſe de Dauid, per conſequens, & Mariam: & ex eadem tribu fuiſſe oſtendit: quia præceptum fuit in Numeris, *ne tribus commiſcerentur per coniugium*, ſed quilibet de tribu ſua acciperet coniugem. Si ergo Mariæ genealogiam expreſſe texuiſſet: ipſa nouitas Iudæos in ſcandalum ſuſcitaſſet. Si autem genealogiam Ioſeph reticuiſſet, non agnoſceremus ex qua tribu virgo fuiſſet. Dicit autem Ioannes Chryſoſtomus, *quod ideo nulla mulier ſancta in generatione Chriſti memoratur, ſed tantum peccatrices, vt oſtenderetur idcirco veniſſe Chriſtum, vt peccata noſtra deleret, non enim venit, vt Iudex, ſed vt Medicus.* Per hoc autem (*vt dicit idem Ioannes Chryſoſtomus*) docet nos, ne de vitiis parentum erubeſcamus, & vt nullus eleuetur in ſuperbiam de gloria parentum, ſed conſiderans progenitores Chriſti, de ſolis virtutibus glorietur.

Cur per Generationem Ioſeph origo Mariæ oſtenditur. Numer. cap. 36.

De generatione amborum.

Cap. LXXIV.

DE differentia Matthæi, & Lucæ, in texenda genealogia Chriſti dicit Ioannes Chryſoſtomus, quod Matthæus ſcripſit Iudæis Hebraicè, nihil autem magis Iudæis in Euangelio ſuo delectare poterat, quam Chriſtum eſſe natum ex Abraham cui facta eſt prima promiſſio: ideo, vt redderet eos attentos inde inchoat Euangelium ſuum. Lucas autem omnibus communiter loquens ſermonem ſuperius extendit, & inchoat ab ortu percurſoris. Item Matthæus genealogiam deſcendendo computat, quia humanitatem oſtendit, per quam Deus ad homines deſcendit. Lucas autem aſcendendo, quia formam ſacramenti aperit: A baptiſmo enim Chriſti incipiens vſque ad Deum aſcendit, oſtendens baptizatos aſcendere ad hoc, vt ſint filij Dei. Vnum & 77. ponit generationes, qui numerus remiſſionis eſt. Item Matthæus Iudæis loquens, qui ex Abraham erant, genealogiã vſque Abraham, cui facta eſt promiſſio, extendit. Lucas autem omnibus communiter loquens ſcilicet tam Iudæis, quam Gentilibus, vſque ad Adam eam extendit: quia omnes ex Adam. Ideo dicit Matthæus vbique *genuit*, quia filios naturæ, tantummodo numerat. Lucas vero, *qui fuit*, quia quoſdam ſecundum legem, vel per adoptionem filios interponit. Vnde dicit Gloſſa Hieronymi, quod Mathan, & Mathath ex eadem vxore Heſta nomine ſingulos filios genuerunt, Mathan, qui de Dauid per Salomonem deſcendit, prius eam duxit, & relicto vno filio ſcilicet Iacob obiit. Poſtea Mathath, qui per Mathan deſcendit de Dauid, eandem duxit, & genuit Heli, & ſic Iacob, & Heli fratres fuerunt vterini. Iacob autem vxorem Heli fratris ſui defuncti ſine liberis, ad ſuſcitandum ei ſemen accepit, & genuit Ioſeph, natura quidem ſuum, ſed ſecundum legem Heli filium.

Genealogia Chriſti cur variè texitur à Matthæo, cap. 9. & Luca cap. 3.

Math. 9. Luc. 3.

De morte Catonis, & conceptione præcurſoris.

Cap. LXXV.

Vſebius in Chronicis. Anno Imperij Auguſti 41. Marcus Porcius Cato Latinus declamator, tædio duplicis quartanæ ſemetipſum interfecit. *Helinandus*, hoc de illo Catone non poteſt intelligi, qui apud Vticam ſe interfecit temporibus Iulij Cæſaris, qui ponitur in chronicis Olimpiade 177. Olimpiadibus 14. ante iſtum Catonem, qui faciunt annos 70. ſed neque de Catone Cẽſorino, qui etiam ante Catonem Vticenſem floruit, temporibus tertij belli Punici, quando Chartago deleta eſt. De quo etiam tertio Catone, quod de cœlo deſcenderit dicente Tullio hoc intelligimus. Denique ille Vticenſis

Cato Latinus declamator.

non

non tædio duplicis quartanæ ſe interfecit, ſed de impatientia victoriæ Cæſaris, nec declamator dictus eſt, ſed Philoſophus Stoicus: dem tamen orator fuit. Dicerem hoc intelligendum eſſe de Marcello illo Catone filio Vticenſis; niſi & ipſe mihi mortuus videretur longè ante tempus hoc, & ante mortem Iulij, nam de illo dicit *Tullius in li. 3. de Officiis.* Marcus inquit Cato huius noſtri Catonis pater; vt enim cæteri ex patribus, ita is, qui illud lumen progenuit ex filio eſt nominandus; videtur ex his verbis Tullij, quod ille Cato Iunior Catonis filius, iam tunc mortuus fuerit, qui tantum iam ab eo laudatus ſit. Denique ab hoc anno, quo ſcribitur Cato iſte mortuus vſque ad mortem Tullij, annis retro computatis inueniuntur anni 40. Qualis ergo ætatis eſſe poterit quando ſic laudabatur à Tullio, vt tantum laudari mereretur à laudatore tanto, nam inter mortem Ciceronis, & mortem maioris Catonis patris huius iunioris, ſunt anni tantum quinque plus minuſve, quamuis, & illam Tullij commendationem nihil prohibebat intelligi de Catone Vticenſi.

Zacharias ob incredulitatem fit cæcus.

Author. Eodem anno Zacharias Pontifex de ſtirpe Abia, qui inter 24. ſacerdotes ſummos olim ſtatutos à Dauid, octauam ſortem habuit, cum in die propiciationis incenſum ad altare Thimiamatis offerret; ei Angelus naſciturum filium de vxore prædixit, qui conſiderans vxoris ſterilitatem, & vtriuſque ſenectutem, non credidit; & ob hoc vſque ad diē partus obmutuit. Nomen quoque pueri, & magnificentiam, & ſanctitatem, & abſtinentiam Angelus patri indicauit. Sed & Euangeliſta Lucas, vt ipſum puerū quaſi hæreditario iure nobilitatum, ac vitæ puritatem oſtendat, in ipſius ſermonis exordio parentes eius quadrupliciter, id eſt à genere, ab officio, à vitæ ſanctitate, & longanimitate, commendat. Concepit igitur Elizabeth & menſibus 5. ſe occultabat, quia partus ſui ætatem erubeſcebat. Nondum enim myſterium nouerat, quia Zacharias mutus ei indicare non poterat; ſed poſtea exultauit in aduentu Mariæ cognita rei veritate; concepit quidem VIII. Calen. Octobris, in æquinoctio ſcilicet autumnali, quādo noctes incipiunt creſcere, & dies minui. Poſtea verò Maria virgo menſe 6. ſcilicet VIII. Calend. Aprilis, quando dies incipiunt creſcere, noctes verò minui. Sextus quoque Menſis congruit ſextæ myſterio ætatis.

Comeſtor in caput 1. Hiſtoriæ Euangelicæ.

Comeſtor cap. 2.

De Angelica ſalutatione Beatæ Virginis.

CAP. LXXVI.

Beata Virgo orabat clauſo oſtio.

Bernardus ſuper Miſſus eſt. Virgo ita gemmis ornata virtutum, geminoque mentis, & corporis pariter decore præfulgida, ſpecie ſua, & pulchritudine ſua in cœleſtibus cognita, cœli ciuium in ſe prouocauit aſpectus ita, vt regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cæleſtem ad ſe nuncium de ſupernis adduceret. Ingreſſus eſt igitur Angelus ad eam. Quo? puto in ſecretarium cubiculi pudici, vbi illa fortaſſis clauſo oſtio orabat patrem ſuum in abſcondito; nec ſuſpicandum eſt, quod apertum Angelus inuenit oſtiolum Virginis, cui in propoſito erat fugere hominum frequentias, vitare colloquia, ne, vel orantis perturbaretur ſilentium vel continentis caſtitatis tentaretur. Clauſerat itaque in illa hora ſuum ſuper ſe habitaculum, ſed hominibus, non Angelis.

Luc. 1.

Idem. Aue, inquit, *gratia plena*; vere gratia plena, quia Deo, & Angelis, & hominibus gratioſa; Deo, per humilitatem; Angelis, per virginitatem; hominibus, per fœcunditatem. Verè gratia plena, quia Deus totius boni plenitudinem in ea poſuit; vt ſiquid nobis gratiæ, ſiquid ſalutis prouenire cernimus; ab ea nouerimus redundare * *quæ aſcendit delitijs affluens. Dominus*, inquit, *tecum*, pater tecum, qui filium facit tuum, & ſuum, filius tecum, qui in te, & ex te ſibi iungit corpus humanum. Spiritusſanctus tecum, qui tecum ſanctificauit vterum.

Maria verè gratia plena ob multas cauſas.

* *Cantic. 8.*

Gloſſa. Benedicta tu in mulieribus, id eſt, præ mulieribus, quia ſine exemplo muliebris conditionis, virginitatem vouiſti, & quia virgo, & mater eris, & quia Deum generabis. *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius*, tum de angelica viſione, tum de inſolita ſalutatione; vel quia ipſum eſſe virum credebat, & ſola in cubiculo erat.

Luc. 1.

Bernardus vt ſupra. Quod turbata eſt; verecundiæ fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit, & cogitauit: prudentiæ. Et ait Angelus: *Ne timeas Maria, Spiritusſanctus ſuperueniet in te*, id eſt ſupra modum quo in ſanctis venire ſolet in te veniet. Itaque licet gratia iam plena eſſet: non ſuperflue dicitur ab Angelo, *Spiritusſanctus ſuperueniet in te*, ſcilicet propter abundantioris gratiæ plenitudinem; nam prior quidem gratia repleuerat mentem, ſed iſta etiam, & ventrem, *& virtus*, inquit, *altiſſimi obumbrabit tibi*, id eſt occulto, & ſecreto modo in te intrabit. *Ideoque, & quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur filius Dei.* Credo, quod non habuerit, quid proprie nominaret illud eximium, illud magnificū, illud reuerendum, quod de puriſſima carne Virginis, cum anima ſua vnigenito patris erat vniendum. Poſuit ergo indefinitè ſanctum, quia ſingulariter ſanctum fuit, & per ſpiritus ſanctificationem, & per verbi aſſumptionem. *Ecce inquit ancilla Domini*, humilitas reſpondet, vt ſedes gratiæ præparetur. Quæ eſt hęc tam ſublimis humilitas, quæ honori cedere non nouit, inſoleſcere gloria neſcit, mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. Denique præuenienti ſe munere gratuitæ promiſſionis, iunxit meritis ſuæ orationis, *fiat mihi*, inquiens de verbo, *ſecundum verbum tuum.* Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea ſecundum verbum tuum. Fiat obſecro mihi verbum non prolatum, vt tranſeat, ſed conceptum, vt maneat: carne, ſcilicet indutum non aere: fiat mihi non tantū audibile auribus, ſed & viſibile oculis, & palpabile manibus, geſtabile humeris, fiat mihi non mutis figuris in pellibus mortuis exaratum, ſed in forma humana meis caſtis viſceribus viuaciter impreſſum, & hoc non mortui calami depictione: ſed Spiritusſancti operatione.

Quod naſcitur ex Virgine Maria vere ſanctū vocatur ob multas rationes.

Humilitas & promptæ obedientiæ Beatæ virginis.

De Conceptione Filij Dei ex Virgine.

CAP. LXXVII.

Comeſtor. in hiſtoria Euangelica cap. primo. Statim in hoc verbo Mariæ *fiat*: conceptus eſt Chriſtus de Virgine, plenus homo in anima, & carne, ita tamen, quod lineamenta membrorum diſcerni non poſſent. Creditur autem viij. Calen. Aprilis conceptus: & reuolutis annis 33. mortuus.

Quando & quomodo cōceptus Chriſtus.

Auguſt. contra Fœlicianum. Non autem ad Mariam locali motu diuinitas venit: ſed ineffabili potentiæ ſuæ manifeſtatione, & vterum matris gignendus impleuit, & quod totum eſt ſubſtantię ſe plenitudine non priuauit, & æternus in ſuo, & moriturus in noſtro, vno, mortem guſtauit: altero, ſuſcitauit mortuos, ſicque Deum, & hominem, verus vtriuſque mediator, nec geminata perſona, nec ſubſtantia confuſa monſtrauit.

Idem in doctrina chriſtiana lib. 1. Sicut cum loquimur, fit ſonus verbum quod corde geſtamus, & locutio vocatur? non tamen in eum ſonum cogitatio noſtra conuertitur, ſed apud ſe manens integra, formam vocis, qua ſe inſinuat auribus, ſine aliqua labe mutationis aſſumit; ita verbum Dei incommutatum: caro tamen factum eſt, vt habitaret in nobis.

Iohannes Damaſcenus. Poſt conſenſum enim Mariæ Virginis Spiritusſanctus ſuperuenit in ipſam ſecundum verbum Domini: quod dixit Angelus, purgans ipſam, & potentiam diu nitatis verbi receptiuam præparans ſimul, & generatiuam: & tunc obumbrauit ipſam Dei altiſſimi ſapientia per ſe, & virtus exiſtens: & copulauit ſibijpſi, ex ſanctiſſimis, & puriſſimis ipſius virginis ſanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellecti-

tellectiua, non antiquæ conſperſionis ſeminans, ſed per Spiritum ſanctum creans.

Virtus generatiua excitata in virgine miraculosè.

Author. Non itaque virtus generatiua fuit excitata in Virgine naturaliter, ſed miraculosè, ſcilicet à Spiritu-ſancto operante, qui ſuperueniens in eam dedit ei virtutem, qua in momento faceret iſtos quatuor actus, ſcilicet deſciſionem, conſolidationem, conuerſionem, & formationem corporis Chriſti. Alia tamen videtur eſſe opinio, quod illi quatuor actus, non fuerunt in Virgine à virtute generatiua, ſed à ſola operatione Spiritus ſancti miraculoſa. Sed prima videtur eſſe melior, quia ſecundum eam plenius ſeruatur ratio matris in Virgine. Et quidem actus illi fuerunt immediatè à Spiritu ſancto: & nihilominus ex Virgine immediatè, & totaliter: ſed de Virgine materialiter, de Spiritu ſancto effectiue. Licet ergo virgo mater nihil extra ſuſceperit, fuit tamen vere, & proprie mater Chriſti, & plenius etiam quam alia quælibet fœmina, mater filij ſui, quia totaliter facta eſt illa deſciſio carnis Chriſti ex Virgine, ita quod nihil ex viro, ſecundum quod mediante actu vis generatiuæ virginis deductus eſt conceptus ad debitam quantitatem.

Virgo Maria fuit vera mater Chriſti.

Cum autem Incarnationem filij tota Trinitas operata ſit: hæc tamen operatio Spiritui ſancto attribuitur, propter potiſſimum effectum gratiæ Dei, qua homo ille nullis præcedentibus meritis, in ipſo exordio naturæ ſuæ verbo Dei copulatus eſt in vnitate perſonæ: nec tamen ob hoc dicendus eſt filius Spiritus ſancti, licet Spiritus ſanctus hoc operatus ſit, ne vel confuſio ſit in perſonis, ſi dicantur eſſe duo patres, vel ne Spiritus ſanctus credatur in hoc opere dediſſe filio de ſua ſubſtantia, ſicut pater filio, in eius generatione.

Cur Deus voluit incarnari, & cur ſolus in Trinitate Filius.

Cap. LXXVIII.

Cur Deus homo factus eſt?

Author. Vt autem dicit *Auguſtinus*, gratia Dei non potuit gratius commẽdari, quàm vt ipſe filius Dei vnicus, immutabilis in ſe naturã humanam indueret, ſpemque ſuæ dilectionis hominibus daret. homine, ſcilicet medio, per quem ad illum homo accederet, cum tam longe eſſet ab hominibus, iuſtus ab impijs, beatus à miſeris. Ideo ergo Deus homo factus eſt, vt gratiam ſuam, & charitatem in nobis commendaret; & vt ſuperbiã hominis, qua ceciderat; humilitas Dei redargueret, ac ſanaret; & vt ipſius morbi magnitudinem, quam per tam precioſam medicinam ſanari oportuit, oſtenderet; & vt etiam homini dignitatem ſuam inter cæteras creaturas, pro quo Deus tanta facere, tantaque pati voluit, demonſtraret. Item, vt in ipſo homine Chriſto, cui ſine vllis præcedentibus meritis, vnitus eſt Deus, gratiam ſuam commendaret; & vt per eandem creaturam rationalem, quam viciſſe ſe gaudebat diabolum vinceret. Item, vt hominem, qui per carnem ceciderat, per ſuæ carnis antidotum ſanaret, & illuminaret: & vt nos tanquam eiuſdem naturæ membra ſua faceret, & vt quilibet humanam naturam, Deo per vnionem coniunctam: & in ſemetipſo, & in proximo honoraret. Deniq; etiam, vt totum hominem intus, & foris ad ſe conuerſum, totum in ſeipſo beatificaret, dum & à ſenſu carnis, videretur per carnem, & à ſenſu mentis per diuinitatis contemplationem, totumque bonum hominis hoc eſſet, vt ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, paſcua inueniret.

Cur Filius potius incarnari voluerit.

Pater quidem, & Spiritus ſanctus incarnari potuerunt, non tamen oportuit: ſed filius ſolus carnem aſſumpſit, vt, quia filius imago patris eſt, ad quam, & per quam eſt homo factus: idem eſſet imago recreationis, qui fuerat, & creationis: credendo enim in eum, & imitando ipſum, qui eſt imago Dei, recuperat homo in ſe ſimilitudinem Dei: & vt qui filius Dei erat diuinitate, ipſe ſolus eſſet hominis filius in humanitate, nullaque in perſonis confuſio fieret: vt homines filios Dei per adoptionem faceret, & vt hæreditatem olim ſanctis promiſſam, fratribus ſuis idem Dei filius per gratiam adoptionis confirmaret. Item vt pater, quod per ipſum occaſionaliter amiſerat: per ipſum effectiue recuperaret. Diabolus enim ab initio videns filium Dei per omnia ſimilem patri, protinus inuidit ei, voluit igitur eſſe *ſimilis altiſſimo*, & hoc idem ad eius ſuggeſtionem voluit primus homo. Itaque talis fieri voluit, vt homo quilibet ipſum æmulari poſſet in bonum ſuum, ſcilicet humilem ipſius imitando paſſionem. Quia tamen opera æternitatis indiuiſa ſunt, tres perſonæ ſimul ipſam filij Incarnationem operatæ ſunt: ſicut tres domicellæ, quæ vnam ex ſeipſis induunt, omnes ſimul vnicum opus faciunt.

Ex quo fonte pullulauit ſuperbia diaboli.

De modo illius vnionis, & vnitate perſonalitatis.

Cap. LXXIX.

TAlis itaque fuit ſuſceptio, quę faceret Deum hominem, & hominem Deum. Nullaque poteſt intelligi familiarior vnio ſiue coniunctio, quia nihil verum eſt de homine illo, quod non ſit verum de Dei filio, & econuerſo. Comprehendit autem illa ſuſceptio triplicem vnionem, ſcilicet verbi ad carnem, verbi ad animam, animæ ad carnem. Sed legitur verbum carnem aſſumpſiſſe mediante anima, quia tantæ ſubtilitatis atque ſimplicitatis eſt eſſentia diuina, vt terreno corpori non congruebat vniri; niſi mediante rationali ſubſtantia: certum eſt autem ſanctorum teſtimonijs, quod non natura naturam, nec perſona perſonam, ſed perſona naturam aſſumpſit: dicimus tamen diuinam naturam, humanam ſibi vniſſe: eamque verè incarnatam eſſe. Ideo verò filius Dei non perſonam hominis, ſed naturam aſſumpſit, quia ex illa carne, & illa anima, non erat vna perſona compoſita, quam verbum acceperit, ſed accipiendo vniuit, & vniendo accepit. Quod ergo dicit *Auguſtinus* hominem à filio Dei aſſumptum, vel ei vnitum: ad hominis vtique naturam, non ad perſonam eſt referendum.

Aſſumptio humanæ carnis à verbo Diuino comprehendit triplicem vnionem.

Eſt itaque Chriſtus vna perſona geminæ ſubſtãtiæ, quia Deus, & homo eſt. Nec tamen huius perſonæ pars dici poteſt, alioquin filius Dei creuit, cum homo diuinitati eius acceſſit: At verò non poteſt Deus creſcere, nec alicuius rei pars exiſtere. Humanitas ergo diuinitati coniuncta degenerat in accidens; vnde ſicut album, & albedo ſua, non ſunt duo, ſed vnum, ita Chriſtus: & Deus, & homo, non ſunt duo, ſed vnum, quoniam vna duarum vnitatum ſubſtantialium in accidente degenerante, binarius ille: licet ſubſtantialis, non numerat ſubiecta, ſed naturas: ſicut & binarius accidentium, non numetat ſubiecta, ſed ſuas formas. Hinc eſt, quod ſi Dei filius, infinitas humanitates, id eſt animas, & corpora infinita aſſumpſiſſet, propter idẽtitatem tamen aſſumentis, vna perſona eſſet, & ſi ſecundum vnam illarum diceretur Petrus, ſecundum alteram Ieſus: vere poſſet dici Ieſus eſt Petrus: quia licet aliud ſit ab eo ſubſtantialiter, idem eſt tamen ei perſonaliter. Denique ſuppoſito Ieſu, ſupponitur Dei filius: & per conſequens Petrus. Et licet in accidens degenerent illæ duæ humanitates, erit tamen filius Dei plures homines, quia licet vtraque degeneret in accidens, reſpectu filij Dei, tamen in mutua collatione vnius ad alteram, neutra degenerat, ſed à ſe mutuo diſtinguuntur, cum ſint in diuerſis naturis, Poſito quoque, quod Deus Pater ſumat eandem humanitatem cum Filio, Pater & Filius erunt vnus homo, & tamen iſte homo, erit alius ab homine illo, ſcilicet alienitate perſonali, non eſſentiali, poterit etiam verè dici iſte homo, eſt Pater & filius; non tamen pater, erit filius, aut econuerſo.

Chriſtus vna perſona gemina ſubſtantia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De prædeſtinatione Chriſti hominis; & eius gratiæ, ac ſapientiæ plenitudine.

Cap. LXXX.

Noſter mediator illuſtre exemplū eſt diuinæ prædeſtinationis.

NVllum autem eſt illuſtrius exemplum diuinæ prędeſtinationis, & gratiæ, quàm mediator ipſe. Nec enim in homine illo, meritum aliquod præceſſit; vt à filio Dei aſſumeretur in vnitatem perſonæ. Itaque homo ille, eſt gratia, Dei filius: & ad hoc eſt prædeſtinatus; id eſt, ex gratia præparatus. Nec ob hoc ſequitur, quod filius Dei prædeſtinatus ſit, vt eſſet ille homo quoniam eſſe hominem non eſt ex gratia Dei filio, ſed econuerſo, proprie namque loquendo ſubiectum gratię non eſt Dei filius ſiue deitas, ſed ſola humanitas.

Quid prædeſtinatio:

Itaque prædeſtinatio ſecundum Auguſtinum eſt gratiæ præparatio, qua Deus homini Chriſto, cunctiſque quos imaginis filij ſui conformes fieri præſciuit: bona ſine meritis ab æterno præparauit.

Chriſtus non dicitur filius adoptiuus.

Nec tamen Chriſtus ipſe ſecundum, quod homo dicitur filius adoptiuus aliquo modo, ſed naturalis tantummodo; quoniam illi ſoli dicuntur adoptiui, qui cum prius non eſſent filij, poſtmodum in filios ſunt adoptati. Sciendum eſt autem illum hominem ab ipſa conceptione recepiſſe gratiæ plenitudinem, cui ſolidatus eſt ſpiritus non ad menſuram. In ipſo namque habitat omnis plenitudo, quia omni gratia plenus eſt; ſicut in capite ſunt omnes ſenſus, in cæteris autem membris ſolus tactus; ſic & ſingulis eius membris gratia data eſt ad menſuram, qui de plenitudine eius acceperunt, non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundū ſimilitudinē: nunquam enim illam eandem, ſed ſimilem accipiunt gratiam. Puer igitur ille plenus ſapientia, & gratia fuit ab ipſa conceptione.

Obiectio Luc. 2. Solutio

Nec obſtat, quod legitur *profeciſſe ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* In alijs namque non in ſe proficiebat; dum eis ſapientiæ ſuæ, & gratiæ munenera, ſecundum proceſſum ætatis, magis & magis patefaciebat; ac per hoc eos ad vitę ſuæ profectum, & ad Dei laudem excitabat: ſicque Deo patri ad laudem, & hominibus ad ſalutem proficiebat.

Anima Chriſti omnia ſcit quæ Deus ſcit licet non ita clarè.

Dicimus autem animam Chriſti per ſapientiam ſibi datam in verbo Dei, cui vnita eſt (quod etiam ipſa perfectè intelligit) omnia ſcire, quæ Deus ſcit: capax eſt enim ſcientiæ, & ob hoc id ei congruè ſine menſura datum eſt, cuius ipſa naturaliter capax eſt. Non eſt autem ei datum omnia poſſe facere, quæ Deus facit: quia ſoli diuinitati omnipotentia congruit. Sed & licet omnia ſciat, quæ Deus, non tamen ita clarè, & limpidè omnia capit, vt Deus, ſed omni alia creatura liquidius atque præſentius. Simul ergo Chriſtus viator fuit, & comprehenſor, tantamque ſapientiæ, & gratiæ plenitudinem ab hora conceptionis recepit: vt Deus, ei plenius conferre non potuerit. Nec habuit fidem, virtutem vel etiam ſpem, qui non ænigmaticam, & ſpecularem; ſed clariſſimam habuit de Deo cognitionem, ac veram comprehenſionem. Habuit tamen quandam certam boni expectationem, quæ non erat alicuius virtutis propriæ, ſed rationis. Charitatem verò tantam habuit; quod nulla maior eſſe poteſt ſicut ipſe dicit, *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ioan. 15. &c.*

Qualiter ſecundum vtramque naturam ſit caput Eccleſiæ.

Cap. LXXXI.

Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundū vtramque naturam.

IPſe Chriſtus eſt *caput Eccleſiæ* iuxta verbum Apoſtoli, quod ſecundum vtranque naturam poteſt intelligi: Nam ſecundum, quod Deus eſt, eſt caput ſanctorum omnium: quia ſpiritualiter eos viuificat, ac ſanctificat, & regit, vtens eis ad libitum ſuum, ſicut caput membris ſuis: & ſecundum hoc tota Trinitas eſt vnum Eccleſiæ caput vniuerſalis Angelorum ſcilicet & hominum. Porrò ſecundum humanam naturam dicitur metaphoricè caput Eccleſiæ ex hominibus collectæ, non ſolùm propter naturæ conformitatem, quam oportet caput ad corpus habere, ſed etiam quoniam ab ipſo procedunt omnes ſenſus, & motus ſpirituales in Eccleſia, tanquam ad corpus à capite: & hoc tripliciter: per modum ſcilicet meriti, quia nobis omnia chariſmata meruit: per modum doctrinæ, quia nos ore proprio primitus, & poſt etiam per prædicatores ſuos docuit: per modum quoq; fidei, quia per fidem, qua in eum credimus, ei aſſimilamur: qui etiam in quantum homo propter plenitudinem gratiarum eſt expreſſiſſimè ſimilis Deo: non autem per modum auctoritatis fluunt, ſeu procedunt ab illo homine, ſed à ſola deitate.

Ante Incarnationem fuit Chriſtus caput ſanctorum ſecūdum humanitatem creditam.

Ante Incarnationem quoque fuit Chriſtus caput omnium Sanctorum, etiam ſecundum humanitatem non ſimpliciter exiſtentem, ſed creditam. Vnde caput fuit Abel, tempore Abel, ſecundum humanitatem: non quæ tunc eſſet ſimpliciter, ſed quæ erat in fide Abel: fides enim eſt ſupra tempus; & humanitas, quæ ſignificatur in fide, communiter ſe extendit ad omne tempus. Abel itaque per fidem, qua Chriſtum fore chariſmatibus plenum, ac Deo ſimillimum credidit, eidem aſſimilari voluit, & aſſimilatus eſt. Ideoque per fidem iſtam aliquid in eum de ſimilitudine illius fluxit. Patet ita, quod Chriſtus Virginis filius, eſt membrum corporis ſui nobiliſſimum; id eſt, caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius myſticum, quia ſicut membra vnius hominis viuificantur corporaliter ab vna anima; quæ ſedem habet in capite: ſic omnes fideles viuificantur ſpiritualiter ab vno ſpiritu, ſcilicet qui principaliter habet ſedem in Chriſto: & ſicut corpus Chriſti naturale conſtat ex puriſſimis membris, & ſic Eccleſia ex fidelibus incorruptis. Itaque naturale corpus Chriſti ſacramentum eſt corporis eius myſtici, de quo dicit Apoſtolus: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*: id eſt Chriſto. Propter huius corporis, & capitis vnitatem, loquitur ſcriptura de vtroque tanquam de eadem perſona, vel ſub alia metaphora: ſimiliter de ſponſo, & ſponſa. Secundum hoc etiam tota Eccleſia dicitur vna domus, vnus pauis, vnum corpus, & vna etiam anima: propter hanc etiam vnitatem dicitur Chriſtus in nobis, & loqui, & cooperari, & pati, & delectari. *1. Corinth. cap. 12.*

Quod etiam cum natura defectus noſtros, ſed non omnes ſuſcepit.

Cap. LXXXII.

Aſſumpſit cum natura humana vetos hominis defectus licet non omnes.

SVſcepit etiam Dei filius animam paſſibilem, carnem quoque paſſibilem, & mortalem: & ſicut veram hominis naturam, ita veros hominis defectus aſſumpſit ſcilicet in carnem, famem, & ſitim, & laſſitudinem, & huiuſmodi: in anima quoque triſtitiam, & dolorem, & timorem, & huiuſmodi. Non tamen omnes defectus hominis accepit, quia non defectus culpæ, ſed pœnæ: nec hos etiam omnes, ſed illos vniuerſaliter, quos eum aſſumere homini expediebat, ſuęque dignitati non derogabat. Non enim ſuſcepit ignorantiam, nec peccandi pronitatem, ſiue habilitatem, nec bene agendi difficultatem. Illos autem humanæ infirmitatis affectus, ſicut ipſam carnem, & mortem ſuſcepit, non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate. Nam habuit quidem verum timorem, veramque triſtitiam in hominis natura, ſed non ſicut nos, qui defectibus his neceſſario ſubiacemus peccati cauſa. Et iterum in nobis ſunt hi affectus ſecundum propaſſionē & paſſionē, ſed in chriſto nō niſi ſecundum propaſſionem, quia nunquam his animus eius adeo turbatus eſt, vt aliquatenus à rectitudine, vel Dei contemplatione declinaret.

Nullus motus etiam primus fuit in Chriſto repugnans rationi.

Itaque ſicut in arca Noe, ſic & in anima Chriſti omnia pacata fuerant, ita quod nullus ibi motus etiam primus repugnans rationi fuit. Vnde motus ille ſenſualitatis, quo naturaliter voluit non mori, non fuit illicitus,

quia

quia licet eſſet ad illicitum rationi, non tamen ad illicitum ſenſualitati, quia alius eſt affectus animæ ſecundum rationem, alius ſecundum ſenſualitatem: & quidem, vt Chriſtus ipſe moreretur, Dei voluntas erat; cuius voluntati ratio conſentiebat; & nihilominus Dei voluntas erat, rationique complacebat, vt ſenſualitas mori refugeret, quatenus ipſe Chriſtus, & humanitatis in ſe veritatem probaret, & membris ſuis ingruente tribulatione, non deſperandi, ſed orandi, & voluntatem ſuam diuinæ ſubiiciendi exemplũ præberet. Itaque conſtat in eo duas fuiſſe voluntates ſecundũ duas naturas: diuinam ſcilicet & humanam: humanã quoque duplicẽ, rationis ſcilicet & ſenſualitatis. Pręterea neceſſitatem patiendi in anima, ſimul autem patiendi, & moriendi in corpore, ſicut & alios defectus ſponte ſuſcepit. Igitur hanc ipſam neceſſitatẽ non habuit ex neceſſitate conditionis, cum ab omni peccato eſſet immunis: ſed ex ſola voluntate accepit de noſtra infirmitate. Suſcepit enim de noſtro, vt noſtrum tolleret, ac de ſuo nobis tribueret. Suſcepit quidem noſtram ſimplam voluntatis vetuſtatem ſcilicet pœnæ, vt noſtram duplam conſumeret, culpæ ſcilicet ac pœnæ: ſuamque nobis duplicem nouitatem infunderet, iuſtitiæ ſcilicet & gloriæ.

Dua voluntates in Chriſto.

Quatuor ſtatus hominis.

Notandum igitur Chriſtum de omni hominis ſtatu aliquid accepiſſe, qui venit omnes ſaluare. Nam quatuor ſtatus hominis diſtinguuntur: Primus ante peccatum: ſecundus poſt peccatum: & ante gratiam: tertius ſub gratia: quartus in gloria. De primo accepit pro peccato immunitatem: de ſecundo pœnalitatem: de tertio gratiæ plenitudinem: de quarto peccandi impoſſibilitatem, & perfectam Dei contemplationem.

Quod ab inſtanti conceptionis, totum ſibi meruit: & originale, vel fomitem non habuit.

Cap. LXXXIII.

ANimam quidem paſſibilem, & carnem mortalem, filius Dei ſuſcepit: ſed anima ipſa impaſſibilitatis ſuæ futuræ, ſimul, & clarificationis ſui corporis meritũ, à die conceptionis habuit. Non ſolum enim quando patri obediens crucem ſubiit: ſed ſtatim ex quo factus eſt homo, glorificationem ſuam meruit per charitatem, ſcilicet, & iuſtitiam, aliaſque virtutes in quarum plenitudine conditus fuit. Tanta namque plenitudo chariſmatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit. Vnde dicit *Gregorius*: quod non habuit omnino iuxta meritum animæ, quò poſſet proficere. Non ergo plus meruit ſibi per Crucis patibulum, quam à conceptione per gratiam virtutum, nec profecit ſecundum animæ meritum, quantum ad virtutem meriti: profecit tamen quantum ad numerum meritorum: plura enim habuit merita in paſſione, quam in conceptione, ſed maioris virtutis non fuerunt illa pauca; quam ante fuerunt pauciora: nam etiam obedientiam, & voluntatem perfectam, non tunc primum neque maiorem habuit cum pati cæpit, immo perfecte obediens, & bonus extitit, ex quo homo fuit. Et quia non habuit originale, non eſt decimatus in lumbis Abrahæ: olim namque curatio fiebat ab originali per decimarum, & hoſtiarum oblationem, ſicut & per circunciſionem. Itaque ſicut Adam peccante: qui etiam in lumbis ipſius erant, peccauerunt: ſic & Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant, decimati ſunt: illi duntaxat, qui ſecundum rationem ſeminalem, & per actum copulæ deſcenderunt. Fuerunt enim in lumbis eius dupliciter: materialiter, ſcilicet & formaliter, & ideo curatione indiguerunt: ſicut Leui. Chriſtus autem non ſic: quia materialiter ibi tantum fuit, & non ſecundum rationem ſeminalem, aut per actum copulæ ab eo deſcendit, ſed per operationem Spiritus ſancti, & ob hoc curatione non eguit, ideoque decimatus non fuit. Vnde dicit *Auguſtinus*, quod eadem Abrahæ caro ſimul habuit, & vulnus præuaricationis ſcilicet in lege membrorum, quæ per omnem carnem inde propagatam ſeminali ratione quaſi tranſcripta eſt: & medicamentum vulneris ſcilicet in carne Chriſti, quæ inde ſine actu concupiſcentiæ materialiter tantum diuina operatione ſumpta eſt. Illud ergo inquit in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur. In nobis quidem caro nihil niſi per animam concupiſcere dicitur, cum anima, carnali concupiſcentia, id eſt à carne orta, ſpiritui reluctatur: huiuſmodi rixa in anima Chriſti non fuit, quoniam ibi concupiſcentia carnalis eſſe non potuit.

Plenitudo chariſmatũ in Chriſto.

Chriſtus non eſt decimatus in lumbis Abrahæ.

Cur tanto tempore diſtulit incarnari.

Cap. LXXXIV.

LEo Papa *in ſermone de natiuitate Domini*. Ceſſent autem illorum querelæ qui impio murmure, diuinis diſpenſationibus obloquentes, de dominicæ natiuitatis tarditate cauſantur: tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum, quod in vltima mundi ætate ſit geſtum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quod facta, & ſacramentum ſalutis humanæ, in nulla vnquam ceſſauit antiquitate.

Cur poſt hominis lapſũ immediate Chriſtus non fuit miſſus.

Gloſſa ſuper epiſtolam ad Galatas. Magno vtique Dei conſilio factum eſt, vt non poſt hominis caſum illico lex daretur, vel Dei filius mitteretur, niſi enim hominis ſuperbia prius vires ſuas experiretur, ſui libertati arbitrij ſufficientiam arrogaret, & legem ſuperflue datam, & Dei filium fruſtra veniſſe iudicaret. Ne igitur detrahendi vel murmurandi occaſionem haberet, reliquit eum Deus prius in libertate arbitrij, ſub lege naturali: vt ſic vires ſuæ naturæ cognoſceret. Vbi cum deficeret, nec ſic humiliauit ſe ad poſcendum gratiam, ſed ſuperbe legem ſcriptam legi naturæ adiunctam ſibi ſufficere putans: clamabat, *non deeſt qui impleat, ſed qui iubeat*. Vt igitur, & de ipſa conuinceretur, antequam filium mitteret pater: legem ſcriptam dedit, qui peccati morbum detexit, non conſumpſit. Qua data etiam morbus inualuit, & infirmitas eſt aucta, non legis, ſed naturæ vitio, & diaboli inſtantia: vt ſic cognita vtriuſque legis inſufficientia, & infirmitate ſua: clamaret ad medicum, & quæreret gratiæ auxilium: & ita factum eſt. *Hic eſt ille Samaritanus,* *Luc. 10.* qui per formam ſerui, & compaſſionem, *languido appropiauit, eiuſque vulnera ſanauit*: quem Sacerdos, & Leuita, inaniter pertranſibant: quia ſacerdotium, & lex vetus, neminem ad perfectum adduxit.

De mutua ſalutatione Eliſabeth, & Mariæ.

Cap. LXXXV.

COmeſtor *cap. 3.* Poſt conceptum igitur *exurgens Maria, abiit in ciuitatem Iuda.* Iuda nomen eſt regni non Tribus. Hieruſalem enim in Tribu Beniamin erat, per quam forte tranſibat ad oppidum, in quo dicunt tunc Zachariam habitaſſe, quarto milliario à Hieruſalem: & ibi natum Ioannem: & legitur in libro iuſtorum, quod beata virgo primo eum leuauit à terra. *Luc. cap. 1.*

Beata virgo læta & feſtinans abiit in montana.

Ambroſius ſuper Lucam. Non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi de exemplo dubitans, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtinat pro gaudio, *abiit in montana*. Quomodo enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora conſcenderet: & hoc cum feſtinatione: quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

Exhortatio ad deuotas mulieres vt imitentur beatam virginem

Diſcite, & vos ô ſanctæ mulieres ſedulitatem, quam prægnantibus debetis exhibere cognatis. Mariam enim, quæ ante, ſola in penetralibus verſabatur: non à publico, virginitatis pudor: non à ſtudio, aſperitas montium: non ab officio, aſperitas itineris, retardauit. Diſcite mulieres non circumcurſare per domos alienas: non morari in plateis: non aliquos in publico ſermones miſcere. Maria in domo ſera, in publico feſtina. Intrauit ergo in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth, *ſtatimque exultauit infans in vtero eius.* *Luc. 1.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Origenes in Homilia prima. Iesus enim, qui in vtero illius erat, Ioannem adhuc in ventre matris positum, sanctificare festinabat. Denique non antequam Maria salutaret Elisabeth: sed statim vt locuta est verbum, quod in ventre matris suggesserat Dei filius; *infans in gaudio exultauit*, & tunc primum præcursorem suum Iesus Prophetam fecit. *Luc.1.*

Ambros. Repleta ergo Elisabeth Spiritu sancto exclamauit matrē domini beatificās. Nō prius mater repleta, quàm filius, *sed cum filius* repletus esset Spiritu sancto, repleuit & matrē. Prophetaueruntque matres spiritu paruulorum, sed Elisabeth repleta est post conceptū, Maria ante conceptum. Si autem primo ingressu Marię tantus profectus Elisabeth extitit, vt ad salutationem eius, *statim infans in vtero exultaret, & ipsa mater Spiritu sancto repleretur*: quem putamus vsu tanti temporis, id est trium mensium, Mariæ addidisse præsentiam? *Benedicta* inquit *tu in mulieribus.* *Luc.1.* *Elizabeth repleta Spiritu sancto.*

Bernardus. Dura inquit necessitas, & graue iugum, super omnes filias Euæ, quæ etsi pariant, cruciantur; & si non pariant, maledicuntur. Tu autem *benedicta es*, quæ nec sterilis manes; nec cum dolore paris: & pro maledictione Israel, *beatam te dicent omnes generationes.* Et tu quidem non solum *benedicta in mulieribus*, sed singulariter super omnes homines, & Angelos. *Benedictus fructus ventris tui.* Benedictus quidem in odore, sicut scriptum est: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni* Benedictus in sapore, sicut scriptum est: *Gustate, & videte quoniam suauis est dominus.* Benedictus, & in specie, *in quem desiderant Angeli prospicere.* *Luc.1.* *Maria virgo super omnes benedicta.* *Gen.27.* *Psal.33.* *1. Petri 1.*

Glossa. Audita igitur responsione Elisabeth amplius tacere non potuit dona, quæ perceperat; & quæ virginali pudore acceptum oraculum silentio texerat, iam congruo tempore patefecit.

Beda in cap. 1. Luc. Ait ergo Maria: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Tanto inquit me Dominus tamque inaudito munere sublimauit; quod nullo linguæ officio poterit explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi; & ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero; totum in contemplanda magnitudine eius, cuius non est finis: quicquid viuo, sentio, discerno, gratulanter impendo: quia eiusdem Iesu, id est, salutaris, spiritus meus æterna diuinitate lætatur, cuius mea caro temporali conceptione fœtatur. *Luc.1.*

De ortu Præcursoris.

Cap. LXXXVI.

Ambrosius vt supra. Mansit autem Maria apud Elisabeth tribus mensibus: quæ enim propter officium venerat, officio inhærebat. Mansit autem non quia domus eam aliena delectaret, sed quia frequentius in publico videri displiceret. Didicistis ô Virgines, Mariæ pudorem, discite & humilitatem. Iunior ad seniorem venit, & prior eam salutauit. Decet enim vt virgo quanto castior, tanto humilior sit. *Imitanda est humilitas Beatæ virginis.*

Beda in caput 1. Lucę Tamdiu ergo mansit Maria cum Elisabeth, donec partus tempore completo: Præcursoris Domini sui, propter quam maxime venerat, natiuitatem videret, scilicet *tribus mensibus, & sic reuersa est in domum suam.*

Comestor vt supra cap. 3. histor. Euangelicę. Puer autem crescebat, & cōfortabatur à Spiritu sancto, & erat in desertis locis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. Reuertens autem Maria in Nazareth, *inuenta est à sponso in vtero habens, qui nolens eam traducere in coniugem, occulte voluit eam dimittere, in somnis autem monitus est ab Angelo vt acciperet eam in coniugem,* & ne suspicaretur adulterium, conceptum puerum de Spiritu sancto intimauit, & vt Iesum vocaret præcepit. Et accipiens sponsam in vxorem cum virgine, virgo permansit. *Luc.1.* *Matthæi 1.*

De descriptione orbis, & ortu Saluatoris.

Cap. LXXXVII.

Hvgo Floriacensis. Pacatis igitur omnibus regionibus per vniuersum orbem, omnique bellorum fragore sedato: memoratus Augustus, Rempublicam legibus pacificis adæquare siue nutrire desiderans, protulit edictum, *vt describeretur vniuersus orbis.* *Luc.2.*

Comestor. cap. 4. Volens enim scire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ suberant ditioni: numerum etiam ciuitatum in qualibet regione, numerum quoque capitum in qualibet ciuitate: præceperat vt de suburbanis, oppidis, vicis, & pagis, ad suam confluerent homines ciuitatem: maximè vnde trahebant originem: & quilibet nummum argenteum precij decem nummorum vsualium (vnde & denarius dicebatur) Præsidi prouinciæ tradens, se subditum Imperio Romano profiteretur. Nam & nummus imaginem Cæsaris præferebat, & superscriptionem nominis: & numerus eorum, qui censum capitis ferebant, redigebatur in scriptis. *Ascendit autem, & Ioseph à Nazareth in Bethleem, eo quod esset de domo Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore prægnante.* *Describitur vniuersus orbis.* *Luc.2.*

Iacobus vbi supra. Cum autem irent in Bethleem dixit Maria ad Ioseph: Duos populos video ante me, vnum flentem, & alium gaudentem. Quæ verba cum putaret Ioseph esse superflua: apparens ei iuuenis in veste splendida, interpretatus est, dicens, eam vidisse populum Iudæorum flentem, & populum gentium gaudentem. Tunc iussit iumentum stare: & Mariam de eo descendere, atque ingredi speluncam tenebrosam, quæ lumen diei penitus non habebat. Sed in ingressu Mariæ cœpit tota splendere, quasi esset ibi hora diei sexta: nec defecit illa lux die vel nocte, donec Maria peperit masculum suum. Quem nascentem circundederunt Angeli & natum statim adorauerunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo; &c.* *Christus natus est. 3953.* *Luc.2.*

De Chronicis ab initio mundi vsque ad illud tempus.

Cap. LXXXVIII.

Comestor. cap. 5. Natus est dominus anno regni Augusti. 42. nocte dominicæ diei. Quia si tabulam computi retro percurras, inuenies huius anni concurrentem v. regularem, Ianuarij tertium: quibus iunctis, & sublatis 7. vnum remanet. Itaque 8. Cal. Ianuarij in Dominica die inuenies, quod concurrit. Nā ea die qua dixit. *Fiat lux, & facta est, visitauit nos oriens ex alto.* *Gen. 1.* *Luc.1.*

Inchoata est vero (secundū quosdām) sexta ætas à natiuitate Christi secundum Apostolum qui dicit: *Cum venerit plenitudo temporis &c.* Secundum autem alios à die qua baptizatus est, propter vim regeneratiuam datam aquis. Porro secundum alios à passione, quia tunc aperta est porta: & inchoata est quasi quodammodo septima ætas quiescentium. *Galat. 4.*

Author. Ex Chronicis. Hic igitur fuit annus ætatis quintæ quæ hic terminatur quingentesimus circiter 90.

Ab initio regni Dauid millesimus 65.

Ab exitu Ægypti, & datione legis millesimus quingentesimus primus.

A prima promissione facta Abrahæ millesimus nongentesimus tricesimus primus.

A natiuitate ipsius Abrahæ secundus millesimus & sextus.

A diluuio secundus millesimus, ducentesimus nonagesimus octauus.

Ab initio vero 3953.

Et hoc dumxtaxat secundum nos: qui ab Adam vsque ad Abraham, ex diuina historia (iuxta Beati Hieronymi translationem) annorum numerum accepimus: ab Abraham quoque, vsque ad Christum: iuxta eiusdem Hieronymi, ac Cæsariensis Eusebij: & ipsorum Hebræorum computationem: qui omnes historiis gentiliū concordant: minores numeros secuti sumus: ea nimirū ratione, quam superius in annis Iudicum exposuimus.

Verum

Verum ante tempora Abrahæ, tam ante diluuium: quam post, multò plures anni in editione 70. leguntur: quam in nostra reperiuntur: etenim vt ait Eusebius, qui antiquam translationem sequitur, ab Adam vsque ad diluuium fluxerunt anni duo millia 242. & à diluuio vsqe ad Abraham 842. qui simul faciunt tria millia 84, cum in editione nostra leguntur tantum 1948.

Itaque si maiorem illum numerum sequi volueris: & iuxta librum Iudicum ab exitu de Ægypto vsque ad ædificationem templi sexingentos annos numeraueris: insuper & in regno Amon regis Iuda 12. annos acceperis: his omnibus computatis: inuenies ab initio mundi vsque ad natiuitatem Christi annos 5. millia 199. & hunc numerum assignat Beda, quem etiam vsualiter tenet Ecclesia. *Vnde versus.*

Vnum tolle datis ad millia quinqtie ducentis:
Nascenti Domino tot Beda dat à Protoplasto.

Nos tamen iuxta minorem numerum quem hucusque secuti sumus, cætera prosequemur.

De duobus animalibus eum adorantibus in præsepio.

Cap. LXXXIX.

Iacobus vt supra. Pastores quoque ouium asserebant se Angelos vidisse in media nocte: hymnum dicentes Deo, & ab eis audisse, quod natus esset saluator hominum in quo restitueretur salus Israel. Tertia autem die natiuitatis Domini, egressa est Maria de spelunca, & ingressa stabulum, posuit in præsepio puerum: & Bos atque Asinus genuflectentes adorauerunt eum: & ipsa animalia in medio eum habentia: sicut prædictum est: *& in medio duorum animalium innotescris*, incessanter adorabant eum.

Comestor cap. 5. Maria ergo infantem pannis inuolutum reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Difficile erat pauperibus pro frequentia multorum, qui ob idipsum conuenerant, vacuas inuenire domos: vnde in communi transitu, qui erat inter duas domos, operimentum habens, quod diuersorium dicitur, sese receperit: sub quo ciues ad colloquendum vel conuiuendum in diebus ocij, vel pro aeris intemperie diuertebant: forte ibi Ioseph præsepium fecerat Boui, & Asino, quos secum duxerat, in quo repositus est Iesus: Ad quod quidam referunt illud Isaiæ; *Cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui.* Et in picturis ecclesiarum quæ sunt quasi libri laicorum, sic representantur nobis. *Isaiæ 1.*

Bernardus. Ecce verbum abbreuiatum fecit Deus pater super terram, vultis nosse, quam breue, quam longum fecit. *Cœlum*, inquit hoc verbum, *& terram ego impleo.* Nunc autem, *caro factum*, in angusto locatum est præsepio. *A sæculo etiam*, ait Propheta, *& in sæculum tu es Deus*, & ecce factus est infans diei vnius. Vt quid se sic abbreuiare voluit Dominus maiestatis, nisi vt nobis formam daret humilitatis, hic enim ait: *Discite à me, &c.* *Ieremiæ 23.* *Psal. 89.*

Comestor cap. 6. Et transeuntes Pastores vsque Bethleē, inuenerunt verbum, quod factum est ad eos: & qui audiebant mirabantur super his: quæ dicebantur à pastoribus ad eos. Maria quoque conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Beda in Lucæ Euangelium. Quia Sanctas Scripturas legebat, & sciebat Prophetias, conferebat ea, quæ secum sunt acta à Domino, cum his, quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino: & collata ad inuicem: cognouit instar cœlestium Cherubin socia sui vultus luce concordia. *Conferens in corde suo.*

De Circumcisione eiusdem.

Cap. XC.

Comestor cap. 6. Octauo autem die circumciderunt puerum, & declarauerunt nomen eius esse Iesum, quod impositum erat ei ab Angelo priusquam conciperetur.

Bernardus in Circumcisione Domini. Ecce verbum abbreuiatum, in carne amplius abbreuiatum est, susceptæ etiam carnis circumcisione. Die natiuitatis minoratus est paulominus ab Angelis: sed nunc multominus ab Angelis, quia infixus est velut quodam cauterio latronis, pro totius corporis putredine, cauterium factum est in capite, quid autem mirum si pro nobis voluit circumcidi, qui pro nobis voluit crucifigi, totus siquidem mihi datus est; totus in meos vsus expensus.

Author. Christus Dominus non indigebat curatione, quia nullum peccatum contraxit in sua generatione, voluit tamen circuncidi propter septem causas. Prima fuit vt in nobis fidem humanitatis suæ roboraret: quia in hoc ostendit se veram carnem assumpsisse, non fantasticam, vt dixerunt quidam Hæretici. Secunda vt spem in nobis erigeret, scilicet spiritualis circumcisionis, quæ in nobis futura est in 8. resurrectionis, ab omni corruptione culpæ, & pœnæ. Tertia vt charitatem confirmaret, quia tantillus infans, scilicet octo dierum iam incæpit sanguinem suum pro nobis fundere. Quarta, vt nobis exemplum humilitatis præberet, & maxime Prælatis, qui leges instituunt, ne scilicet aliis præsumant imponere onera, quę ipsi importare nolunt, sicut illi quos reprehendit Dominus in Euãgelio: *Alligant*, inquit, *onera grauia, &c.* Quinta vt nos, aliorum, inter quos habitamus, scandala vitare doceret: scilicet conformando nos eis, omnes enim alij infantes in illo populo circuncidebantur, *vt dicit Augusti. in lib. confessi. 3.* quod turpis est omnis pars vniuerso suo non congruens: *vnde & Paulus circumcidit Timotheum vt euitaret scandalum Iudæorum.* Sexta, vt nobis luxuriæ vitiũ, quod in isto membro dominatur, aboleret: vnde sicut primo passus est in illo membro, sic vltimo in lingua, in signum scilicet detestationis luxuriæ, & gulæ, quibus fere omnis humana vita infecta est. Septima vt mysterium deitatis celaretur, tum propter Diabolum, tum propter homines indignos. *Christus voluit circumcidi propter septē causas* *Matth. 23.*

De stella Magorum duce, & virginis purificatione.

Cap. XCI.

Comestor cap. 7. Tertiadecima vero die *Ecce Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Successores fuerunt isti doctrinæ Balaam, qui stellam nouerunt eius vaticinio, & à magnitudine scientiæ nuncupati Magi. Quos enim Græci Philosophos: Persæ Magos appellant. Venerunt autem de finibus Persarum, & Chaldeorũm, vbi fluuius est Saba, & à quo Sabea regio dicitur. Chrysostomus dicit stellam ante multo tempore, quam Christus nasceretur apparuisse, & ita multo ante tempore de longinquo venerunt. Potuit tamen fieri vt in 13. diebus super Dromedarios longa terrarum spacia transmearent. *Audiens Magos Herodes Rex turbatus est, & omnes, qui erant cum illo.* Timuit quidem Rex ne quis de semine Hircani: aut Aristobuli natus, esset regnaturus, se tanquam alienigena destituto. Turbatur autem ciuitas, nouitate miraculi percussa: Dicit enim Fulgentius, stellam tunc creatam notabilem, & diseretam à cæteris, & in loco: quia nec in firmamento cum stellis minoribus erat, nec in æthere cum planetis, sed in aere vicinas terræ tenebat vias: Et in motu: quia prius immobilis super Iudæam magis dederat signum veniendi in eam, qui ex deliberatione sua Hierusalem tanquam caput Iudææ adierunt. Quibus *Matth. 2.* *Stella noua creata & mirabiliter situata.*

egressis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

egreſſis, tunc primo motu notabili præceſſit eos. Quo peracto officio, mox eſſe deſijt, reuertens in præiacentem materiam, vnde ſumpta fuerat. Tamen quidam tradunt Bedam voluiſſe, quod in puteum Bethleem illico ceciderit; & poſt in diebus Paulæ, & Euſtochij, quaſdam Virgines Deo dicatas, miraculosè eam vidiſſe.

Comeſtor cap. 8. Ingreſſi verò domum Magi, (quam diuerſorium Lucas nominauit) obtulerunt Puero ſinguli, aurum, thus, & myrrham, ſecundum conſuetam Sabeis oblationem, inde ſignificantes eum eſſe Deum, regem, & mortalem.

Comeſtor cap. 9. Luc. 2. *Et poſtquam impleti ſunt dies purificationis Mariæ, tulerunt puerum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum domino* id eſt præſentarent, & dederunt hoſtias pro eo par turturum, & duos pullos columbarum, inſuper redemerunt eum quinque ſiclis argenti. Et erat in Hieruſalem Simeon ſenex, qui ſpiritu venit in templum, & accipiens puerum in vlnas *Canticum Simeonis* ſciens eum eſſe Chriſtum, ait: *Nunc dimittis; &c.* & prophetizans de paſſione Chriſti; ait ad Mariam, *& tuam animam pertranſibit gladius* id eſt paſſio ipſius. Non enim ſine materno dolore potuit videre crucifigi filium; etſi reſurrecturum ſperaret; eadem hora ſuperuenit, & Anna prophetiſſa, & loquebatur de illo omnibus, qui expectarent redemptionem Iſrael.

De cultu, & religione Magorum ac cæterorum Orientalium.

Cap. XCII.

Matth. 2. Magi agnouerunt Deũ in homine paruulo. *Chryſoſtomus ſuper Matthæum lib. 1.* Magi ergo confeſtim vt natus eſt Chriſtus, magnum in homine paruulo Deum oſtenderunt; ex verbis, & actibus, & muneribus. Verbis quidem dixerunt: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? &c.* Actibus, vero, quia *cum vidiſſent eum, adorauerunt*; & inuenta eſt in eis fides acutior, quam aſpectus; humilia nimirum videntibus, & alta intelligentibus. Muneribus autem, *quia obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Legi apud aliquem iſtos Magos ex libris Balaam diuinatoris, apparituræ ſtellæ eius, accepiſſe ſcientiam; cuius diuinatio poſita eſt in veteri te- *Num. 24.* ſtamento *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominabitur omnium gentium.* Audiui etiam aliquos referentes de ſcriptura quadam, & ſi non certa, tamen non deſtruente fidem; ſed potius delectante, quoniam erat gens quædam in ipſo orientis principio, iuxta Oceanum ſita; apud quos ferebatur ſcriptura, de apparitura hac ſtella, & offerendis muneribus huiuſmodi nomine Sethin ſcripta, quæ per generationes ſtudioſiorum hominum patribus, filijs ſuis referentibus, habebatur deducta; elegerunt itaque duodecim ex ſeipſis ſtudioſiores, & myſteriorum cœleſtium amatores, ac poſuerunt ſeipſos ad expectationem huius ſtellæ, & ſi quis ex eis moriebatur, filius aliquis propinquorum in eius loco conſtituebatur. Dicebantur autem Magi lingua eorum, quia in ſilentio taciraque voce glorificabant Deum. Hi ergo per annos ſingulos poſt meſſem aſcendebant in montem, qui vocabatur victorialis; habens in ſe quandam ſpeluncam in ſaxo, fontibus & electis arboribus amęniſſimus; ibique ſe lauantes orabant, & laudabant in ſilentio Deum tribus diebus: ſicque faciebant per ſingulas generationes ſemper expectantes, ne forte in ſua generatione ſtella illa beatitudinis oriretur. Tandem igitur apparuit eis deſcendens ſuper montem *Mons victorialis.* illum Victorialem; habens in ſe quaſi pueri parui formam, & ſuper ſe ſimilitudinem crucis, quæ locuta eſt eis, eoſque docuit, & vt proficiſcerentur in Iudæam præcepit. Proficiſcentes autem præcedebat ſtella per biennium, & nec cibus, nec potus defecit in peris eorum, cętera vero, quæ ab eis geſta eſſe referuntur in Euangelio compendioſè ponuntur. Vt autem reuerſi ſunt ſtudiosè magis, quam prius, Deum colentes glorificauerunt; ſed & omnibus in genere ſuo prædicauerunt, & multos erudierunt. Denique cum poſt reſurrectionem dominicam iuiſſet * vnus ex Apoſtolis in illam prouinciam, eidem adiuncti ſunt; & ab eo baptizati; prædicationis illius adiutores facti ſunt. *Magi baptizati.* * *Fuit Thomas Apoſtolus.*

De perſecutione Herodis, & nece Innocentum.

Cap. XCIII.

TVnc Herodes vidit quod illuſus eſſet à Magis, videns enim Magos nil ſibi iuxta condictum renunciaſſe, putauit eos viſione ſtellæ eſſe deceptos, & erubuiſſe redire ad eum, & ideo ab inquiſitione pueri ceſſauit. Sed cum audiſſet, quæ dicta erant paſtoribus, & maxime Prophetias Simeonis, & Annæ, ſenſit ſe illuſum; & de morte puerorum Bethleemitarum tractabat, vt ille, quem ignorabat, cum eis occideretur. Propterea per admonitionem Angeli fugit Ioſeph cum Puero, & Matre eius in Ægyptum, vſque ad obitum Herodis.

Hugo. Herodes etiam no forte ignobilis, & ab Iſraelitico ſemine argueretur extraneus; combuſſit omnes libros in quibus nobilitas gentis in templo ſeruabatur aſcripta, vt deficientibus probamentis, ipſe ad hanc pertinere videretur; vtque ſuam ſobolem regio Iudęorum generi commiſceret, abiecta Doſide quam priuatus acceperat, copulauit ſibi Mariamnem Ariſtobuli neptem, Hircani filiam.

Comeſtor cap. vndecimo. Herodes autem dum de nece puerorum diſponeret, per epiſtolam eſt citatus à Cæſare Auguſto vt Romam iret, accuſationi filiorum reſponſurus. Qui cum iter faceret per Siliciam; audiens naues Tharſenſium Magos traduxiſſe, in ſpiritu vehementi combuſſit naues Tharſis; ſecundum quod Dauid prophetauerat: cum vero coram Cæſare diſceptaſſet pater cum filijs; hac lege facta eſt reconciliatio vt adoleſcentes patri in omnibus obedirent, ipſe autem regnum dimitteret cui vellet. Nondum tamen à ſuſpicionibus liberatus erat: Venienſque Hieroſolymam, populo conuocato tribuſque filijs aſtantibus, & concordiam fratrum à Cæſare factam expoſuit, & ſe ſucceſſoris iudicem conſtitutum, ne Iudæi regnum ad ſuos rediturum exiſtimarent: tunc confirmatus in regno Herodes certius, quam prius: mittens, *occidit pueros omnes qui erant in Bethleem, & in finibus eius à bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis.* Quorum maxima pars tertio milliario à Bethleem ad auſtrum ſepulta eſt. Innocẽtes quidem, martyres dicuntur laxato vocabulo, non quia teſtes Chriſti, ſed quia pro Chriſto occiſi ſunt, quem & ſi non loquendo, tamen moriendo confeſſi ſunt. Pro quo etiam Eccleſia pro eis ſolemnizat, quamuis ad inferos deſcenderunt, vnde etiam in eorum ſolemnitate cantica, letitiæ ſubticentur ſcilicet, *Te Deum laudamus & Gloria in excelſis Deo, pro alleluia*, quidam dicunt, *Laus tibi Chriſte*; alij vero *Cantemus &c.* *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. Pſal.*

De fuga Domini in Aegyptum.

Cap. XCIIII.

Iacobus vt ſupra. Ante vero vnum diem, quam Herodes pueros occideret, admonitus eſt Ioſeph in ſomnis ab Angelo, vt cum matre, & puero, per viam eremi pergeret in Ægyptum, cumque veniſſent ad ſpeluncam quandam vt quaſi ſub ea refrigerarentur deſcendit Maria de iumento, & ſedit habens Ieſum in gremio. Erantque cum ea tres pueri, & vna puella, iter agentes: & ecce ſubito de ſpelunca egreſſi ſunt Dracones multi, quos videntes pueri exclamauerunt: tunc Dominus Ieſus cum nondum eſſet bimulus, excuſſit ſe, & ſtetit in pedibus ante eos. *Euentus mirabiles.*

At illi adorauerunt eum, & abiecerunt. Similiter & Leones, & Pardi adorabant eum, & comitabantur, antecedebant quoque Mariam, & Ioſeph oſtendentes viam in deſerto, inclinanteſque capita ſua cum reuerentia, obſequium caudis adulantibus exhibebant. Erant autem duo Boues in itinere eorum ſaginarij, quos dirigebant Leones in itinere Domini Ieſu cuius neceſſaria portabant. Sed & Arietes qui ſimul de Iudæa exierant, & ſequebantur, inter Lupos ambulabant ſine formidine. Simul etiam leones; Boues, & Aſini, & vbi manſio fieret, ſimul ad pabulum accedebant, tunc impletum eſt, quod ait Iſaias 65. *Lupus, & Agnus paſcentur, &c.*

Leones, Pardi & animalia fera comitantur dominum, & obſequiũ ei exhibent.

Tertia autem die profectionis ſuæ, Maria nimio ſole fatigata, videns arborem palmæ, voluit in ea requieſcere, cumque de iumento deſcendiſſet, & reſediſſet, reſpiciens ad comam palmæ, quæ alta erat, & palmis repleta, ait: O ſi poſſet fieri, vt ex his palmæ fructibus perciperem; & dixit ei Ioſeph, tu quidem de palmæ fructibus cogitas; ego autem de aqua quæ nobis iam defecit in vtribus, nec habemus, vnde hos, qui nobiſcum ſunt & noſipſos refocillemus; tunc infantulus Ieſus ſedens in ſinu Matris virginis exclamauit, & ait: Flectere arbor, & refice matrem meam de fructibus tuis; ſtatimque ad vocem eius inclinauit palma cacumen ſuum vſque ad plantas Mariæ, & colligentes ex ea fructus quos habebat, omnes refecti ſunt; poſtquam vero ſunt collecta omnia poma eius; inclinata manebat, expectans vt eius imperio ſurgeret cuius imperio fuerat inclinata; tunc ait Ieſus ad eam: Erige te palma, & confortare, aperi autem de radicibus tuis fontes occultos, & fluant ex eis aquæ in ſatietatem; ſicque factum eſt; & potati ſunt vna cum iumentis, & hominibus, gratias agentes Deo. Conuerſus autem Ieſus ad palmam ait: Hanc dignitatem confero tibi, vt vnus ex ramis tuis transferatur ab angelis meis, & plantetur in Paradiſo patris mei, & factum eſt ſic; cunctis videntibus Angelum domini ſuper palmam, auferentem vnum de ramis eius, & ibat volans. Dixit autem Ioſeph, ad Ieſum: Domine nimius æſtus decoquit nos, ſi vis tranſeamus viam maris, vt poſſimus per ciuitates maritimas requieſcendo tranſire: dixit ei Ieſus: Noli timere Ioſeph, ego vobis manſionem abbreuiabo, ita vt quo per triginta dies properandum erat; in hac vna die manſiunculam pertingatis. Adhuc eo loquente, proſpicientes viderunt montes Ægypti; & gaudentes, in vnam ex ciuitatibus nomine Syenem intrauerunt. Et quia nullus erat in ea notus, apud quem hoſpitarentur; ingreſſi ſunt templum, quod capitolium eiuſdem ciuitatis vocabatur, in quo 365. idola erant poſita; quibus, ſingulis diebus honor deitatis à ſacrilegis præbebatur.

Arbor inclinat ſe, & præbet fructus Mariæ.

Via in Ægyptum miraculoſe abbreuiata.

De ruina Idolorum Ægypti ad eius ingreſſum.

Cap. XCV.

VT autem Maria ingreſſa eſt templum cum infantulo, vniuerſa Idola corruerunt; & in faciem iacentia nihil ſe eſſe oſtenderunt euidenter. Tunc impletum eſt, quod ait Iſaias: *Ecce dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius.* Cum hoc nunciatum eſſet Afrodiſio venit ad templum cum omni exercitu ſuo. Ingreſſuſque eſt, & videns vera eſſe, quæ audierat, ſtatim acceſſit ad Mariam, & adorauit infantem, quem ipſa in ſinu ſuo portabat. Deinde allocutus eſt omnem exercitum ſuum dicens: Hic niſi eſſet dominus horum noſtrorum Deorum, non iſti coram eo ſe proſternerent, & in conſpectu eius proſtrati, dominum ſuum iacentes proteſtarentur. Nos ergo, quod Deos noſtros facere videmus, niſi cautius fecerimus, omnes potius periculum incurremus, ſicut Pharao in diebus illis, quibus fecit mirabilia magna Deus in Ægypto.

Idola ad præſentiam, Domini corruunt. Iſaiæ 19.

Comeſtor cap. 10. Tradunt quoque ſicut in exitu filiorum Iſrael de Ægypto non fuit domus Ægypti, in qua Deo procurante, non iaceret mortuus primogenitus; ita nec modo fuit templum in quo non corruiſſet idolũ.

Caſſiodorus in Tripartita Hiſtoria lib. 6. Fertur in Hermopoli Thebaide, quod arbor, quæ vocatur Perſidis, multorum languores ſubegerit; ſi fructus, aut folium, aut pars eius corticis, collo ægrotantium ligaretur. De hac enim arbore ferunt, quod dum apud Ægyptum Ioſeph, cum Chriſto, & Maria Virgine ſancta, fugiſſet Herodem; veniſſetque ad Hermopolim ciuitatem, mox vt ingrediebatur; & non ferens hæc arbor maximum Chriſti Saluatoris aduentum; inclinata eſt vſque ad terram, & eum ſuppliciter adorauit. Hoc ergo de iſta arbore, à multis audiens, enarraui. Reor autem hoc ſignum fuiſſe factum ciuibus Diuinæ præſentiæ; aut certè quoniam ritu pagano, hæc arbor propter magnitudinem, atque pulchritudinem, colebatur, mota eſt, non ferens Chriſti diuinitatem: dæmonibus quippe contremiſcentibus, cum viderent rerum talium deſtructorem, necnon & omnibus ſimulachris Ægyptiorum ſecundum Iſaiæ Prophetiam, fugatoque hic dæmonio pro teſtimonio Chriſti, reor arborem vacuam remanſiſſe. Igitur apud Ægyptios, & Paleſtinos geſtorum teſtimonia conſeruantur.

Arbor non ferẽs Chriſti diuinitatem mota eſt; ſed tamen inclinauit ſe & adorauit Chriſtum.

De Iuda Galileo, & Sexto pythagorico Philoſopho.

Cap. XCVI.

EVſebius in Chron. Anno domini 3. Auguſti 44. Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur. *Anno Chriſti tertio.*

Sixtus Pythagoricus Philoſophus agnoſcitur.

Hieron. ſuper Ezechi. Pulchræ in Sixti Pythagorici ſententiolæ dicuntur. Adulter eſt propriæ vxoris amator ardentior. Quem librum quidam in latinum tranſferens, Martyris Sixti nomine voluit illuſtrare, non conſiderans in toto volumine, quod in duas partes diuiſit, Chriſti nomen & Apoſtolorum reticeri. Nec mirum ſi Gentilem Philoſophum; in martyrem, & Romanum Pontificem tranſtulit, cum Euſebij quoque Cæſarienſis, primum pro origine librum Pamphilij martyris vocabulo, commutauit, vt facilius tali laudatore libros impijſſimos Periarchon Romanis auribus conciliaret.

Author. Librum iſtum Sixti nuſquam reperi, ſed eius paucas ſententiolas iſtas quodam libro Auguſtini notabiles, collegi. *Sententiæ Sixti ſiue vt alij legunt Sexti.*

Libertatẽ arbitrij permiſit hominibus Deus, vt pure, & ſine peccato viuentes, ſimiles fiant Deo. *Tres ſectæ Iudæorum*

Templum eſt Deo mens pura; & altare optimum eſt ei cor mundum.

Vir caſtus, & ſine peccato, poteſtatem accepit à Deo eſſe filius Dei.

Comeſtor vt ſupra Porro Iudas ille Galileus ſiue Eſſæus (vt ait Ioſephus) perſuadebat Iudæis vt negarent tributa Romanis, aſſerens eos. qui decimas, & primitias Deo ſoluebant, non debere ſoluere tributa hominibus, & in tantum prævaluit hęc doctrina, vt Phariſei, & magna pars populi quęrerent ab ipſo Domino an ſoluẽdum eſſet tributum Cæſari, poſtea perijt ipſe, & quotquot ei conſenſerunt:

De tribus ſectis Iudæorum priuatis.

Cap. XCVII.

FVerunt ſiquidem tunc temporis in Iudæa tres ſectę Iudæorum, à communi reliquorum vita diſtantes. Phariſæi, Saducæi, Eſſæi. Phariſæi cultu auſtero, & victu perparco vtebantur, traditiones ſuas ſtatuentes, quibus traditiones Moyſi determinabant;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Comestor hac omnia verbatim habet in cap. 31. historia Euangelica.

minabant; pictacia chartarum in fronte gerebant & in sinistro brachio, quibus decalogus inscriptus erat, quia dixit Dominus, hoc habebis quasi quid appensum inter oculos tuos, & in manu tua. Et hæc dicebantur filatria à filaxe, quod est seruare, & thorath, quod legem sonat. Isti etiam maiores fimbrias alijs ferentes, spinas eis alligabant; quibus puncti in deambulando memores mandatorum Dei fierent. Hi vniuersa Deo deputabant, & Marmenæ, idest fato. Agere quidem quæ iusta sunt, vel negligere in arbitrio hominum plurimum esse dicunt; tamen in singulis adiuuare, & Marmenem, quam ex motibus superiorum fieri putant. Præpositis suis & natu maioribus nunquam contrarium respondebant, iudicium Dei futurum dicentes; omnem animam incorruptam esse; solas bonorum animas in alia transire corpora vsque ad resurrectionem, & iudicium; malorum autem æternis retrudi carceribus. Et quia à communi hominum habitu diuersi, ideo Pharisei dicebantur.

Saducai. Saducæi Marmenem negant Deum inspectorem omnium esse: dicentes, & in arbitrio hominum situm esse, vt bonum malumve gerant. Animarum generaliter vel supplicia negabant, vel honores: nam resurrectionem mortuorum futuram negabant, animas mori cum corporibus putantes; nec Angelos esse dicebant: Solos quinque libros Moysi recipiebant; hi seueri nimis erant, nec inter se sociales, ob quam seueritatem Saducæos id est iustos se nominabant.

Essai. Essæi vero in omnibus monasticam agebant vitam, nuptias fastidientes, non quia coniugia, & hominum successionem censerent perimendam; sed cauendam intemperantiam mulierum; nullam earum fidem seruare viro putantes; Omnia habebant communia, probro vnguentum, & balneum ducentes; squalorem decus putabant, dummodo in veste candida semper essent. Nulla eis certa ciuitas, sed in singulis domicilia habebant; ante solis ortum nihil prophanum loquentes, solem vt oriretur, orantes: post vsque ad quintam horam operantes; loti corpore aquis, simul & cum silentio edebant: iuramentum habebant pro periurio; sectę suæ neminem adhibentes, nisi sub anni probatione, receptum autem secum post annum, duobus alijs annis mores eius probabant; deprehensum in peccatis à se pellebant; vt herbas moræ pecorum decerpens, vsque ad obitum pæniteret, cum decem simul sederint, nullus nouem inuitis loquitur: Spuere in medium vel in dexteram partem sui vitantes. Adeo Sabbatum obseruabant, quod nec ea die aluum purgabant; dolabrum ferebant ligneum, quo in loco secretissimo fodiebant terram ad aluum purgandum; dimissa veste, diligenter se contegentes, ne splendori diuino facerent iniuriam: ob id etiam statim foueam replentes. Viuebant quam longissime, ob victus simplicitatem: mortem pro iustitia, iudicantes meliorem immortalitate, animas omnes à principio creatas; pro temporibus incorporari: bonas, exutas corporibus vltra oceanum degere, vbi sit reposita eis perfruitio ad orientem: magis malis procellosa, & hiberna loca delegantes. Erant in eis qui futura prædicerent, quidam coniugibus, sed moderate vtebantur, nam si homines abstinendum arbitrarentur, genus humanum deficeret.

De nece duorum filiorum Herodis, & eius priori testamento.

Cap. XCVIII.

Comestor c. 13. & Iosephus lib. 16. FActum est autem vt quoniam Herodes multos orbauerat filijs, ipse suis miserabilius orbaretur; nam per astutiam Antipatri, facti sunt iterum suspecti Alexander, & Aristobulus patri; ob hoc scripsit Herodes Augusto, in multis filios accusans. Misit Augustus Saturnium, & Peanium legatos cum rescripto, vt coram his duobus coacto consilio procerum filios iudicaret, & de eis si conuincere eos posset, faceret quod vellet. Auditis autem hinc inde partibus, legati illos damnandos pronunciauerunt, non tamen morte. Tunc apud Sebasten coniecit eos pater in vincula: complices vero eorum apposuit torquere pater, vt in confessione cerneretur, si in animam suam aliquid machinarentur filij; confessus est autem quidam multa sibi promissa ab Alexandro, si patri venenum propinaret: confessus est, & tonsor de promissis sibi muneribus, si dum patri pararet barbam, eum iugularet: addiditque dixisse Alexandrum non esse spem ponendam in sene, qui canos capillos abradebat vt videretur Adolescens. His motus Herodes, missis spiculatoribus iussit filios occidi, & asportari in Alexandriam, ibique sepeliri cum Alexandro Auo suo materno. Tunc inscripsit testamentum Herodes, & Antipatrum futurum regem instituit, & Herodem qui cognominabatur Antipas substituit Antipatro.

Alexander & Aristobulus in carcerem coniecti.

De odio Herodis in Antipatrum, & eius incarceratione.

Cap. XCIX.

Comestor cap. 14. ANtipater vero intolerabile odium populi excepit cunctis scientibus, quod fratribus suis conseruisset calumnias; & ob hoc etiam pater eum non recto oculo aspiciebat, ob hoc etiam Antipater molestus patri erat, quod fratrem sibi substituerat: eo quod ad filios ipsius Antipatri regnum transire noluisset. Alia quoque maior causa inuidiæ in patrem orta est ei, nam pupillos filiorum quos occiderat, paterna dilectione fouebat; alijs nepotibus suis eos copulans in matrimonio. Erant autem (secundum Iosephum) paruuli relicti de Aristobulo: Herodes Agrippa, qui Iacobum occidit gladio, & Herodias, quam post abstulit Herodes, Antipas Philippo fratri suo. Timuit ergo Antipater ne ad pupillos fratrum suorum quandoque regnum reuocaret Herodes, quia eos ex matris parte contingebat. Commouit etiam Pheroram in odium Herodis, adeo vt Pheroras secederet à fratre, & habitaret in terra, quæ concessa ei fuerat trans Iordanem. Ipse vero, etiam patre nolente, quibusdam excogitatis occasionibus Romam properauit: efficacissimum venenum à quadam venefica Arabica comparans: & apud vxorem Pheroræ reponens, quod interim dum ipse abesset, per ministrum quem conduxerat, patri propinaretur,

Lege Iosephum; l. 17.

Comestor cap. 15. Cumque antipater Romæ esset, mortuus est Pheroras, percepitque Herodes de veneno repositio apud vxorem Pheroræ, per ancillam iracundè à domina sua recedentem. Itaque euocata relicta fratris, afferre eam venenum iubet. Illa vero quasi allatura egressa, de tecto se præcipitem dedit; sed semiuiua allata ad Regem, ait: Cum moreretur frater tuus, vir meus, ait mihi: Affer huc mulier venenum, quod reliquit nobis Antipater, me vidente in igne combure, ne ad inferos conscientiam fratricidij vltricem feram, ego vero magnam partem eius in igne fundens, modicum mihi propter dubios casus, & quia te metuebam, reseruaui: cumque pixidem cum veneno protulisset, expirauit. Acceptis quoque pluribus alijs argumentis, quod Antipater in mortem patris grassaretur, Herodes eum reuocauit maturè: & matrem illius repudiauit, cumq; filium de patricedio publicè accusasset, præsente Varo præside Syriæ, qui illis diebus Hierosolymam venerat, posuit eum in carcere apud Hierichonta,

Herodes Antipatri & mulierū insidias & secreta exorquet.

Doridē Antipatri matrē repudiat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De morbo, & morte Herodis & nece Antipatri.

CAP. C.

Comeſtor c. 16. ex Ioſepho

CVmque complices filij quæreret pater, vt eos cum filio exquiſitis perimeret ſupplicijs; graui morbo impeditus eſt: accedebat enim ſenectus, cum annos iam 70. natus erat, animumque eius clades filiorum affligebat. Erant autem duo viri Sophiſtici in Hieruſalem quos non pauci adoleſcentium ſectabantur, cum leges exponerent; his opportunum videbatur, rege tabeſcente, vt Aquilam auream deijcerent, quam Rex ſuper maximam partem templi contra patrias leges poſuerat. Qua deiecta, Rex commotus irę magnitudine morbum ſuperat & in concionem procedens, in omnes Iſraelitas iniuriam hanc refundere nitebatur, ſed ad preces populi in ſolos authores vltus eſt. Illos ergo qui finibus dimiſſi aquilam conciderant, viuos incendit cum duobus ſophiſticis. Dehinc varijs affligebatur languoribus, nam febris non mediocris erat, prurigo intolerabilis in omni corporis ſuperficie, aſſiduis vexabatur colli tormentis, pedes intercutaneo vitio tumuerant, putredo teſticulorum vermes generabat, creber anhelitus, & interrupta ſuſpiria, quæ ad vindictam Dei ab omnibus referebantur. Ipſe vero Iordanem tranſiens apud Gallitoem aquis calidis vtebatur; cumque corpus eius oleo calidiori foueri medicis placuiſſet; in arcam plenam demerſum, ita diſſolutum eſt, vt etiam lumina quaſi mortuus reſoluta torqueret; tamen ad clamorem aſtantium reſpicere viſus eſt.

Herodis morbus horrendus.

Comeſtor c. 17. Ex eode Ioſepho lib. 17.

Cumque redijſſet Hiericho audiens Iudæos mortem ſuam expectantes cum gaudio, ex omni Iudæa nobiliores collectos iuuenes concludi præcepit in Hipodromo, id eſt in carcere circi, præcipiens Salomæ vxori ſuæ, vt cum animam efflaret ſtatim illos occideret, vt ita omnis Iudæa in morte ſua etiam inuita plangeret. Nuncij vero quos Romam miſerat, redeuntes Epiſtolam tulerunt à Cæſare, vt Antipatrum in exilium daret, vel ſi mallet, morte damnaret; quo nuncio paululum recreatus, cum pomum quo libenter veſcebatur petijſſet, cultellum quoque ad incidendum popoſcit, ſtatimque cum tuſſi violenta diſtenderetur, circumſpiciens ne quis arbiter impediret, ſe percuſſurus dexteram ſuſtulit. Sed Achiabus conſobrinus eius dexteram continuit, ſtatimque vlulatus, quaſi Rex mortuus eſſet, in regia excitatus eſt. Quo audito, Antipater exultans cuſtodibus multa promittebat, vt eum ſoluerent. Quod cum accepiſſet Herodes, grauius tulit exultationem filij, quam mortem. Et continuo miſſis ſatellitibus occidit eum, ſepelirique præcepit in Hircanio: ſtatimque mutans teſtamentum, Archelaum regni ſcripſit ſucceſſorem; ita tamen quod ab Auguſto ſuſciperet diadema.

Herodes malum ſibi & cultellum poſtulans ſibi ipſi manus violentas inferre cogitat.

Comeſtor cap. 18.

Poſt mortem autem filij 5. diebus exactis mortuus eſt Herodes 37. anno poſtquam à Romanis Rex declaratus erat. In alijs fortunatiſſimus, in rebus domeſticis infeliciſſimus fuit. Salome vero quos occidi præceperat, abſoluit. Sepeliuit eum Archelaus in Herodio, iuxta ipſius mandatum; nihil regii ornatus in funeris pompa prętermittens.

De ſucceſſione Archelai, & lite fratrum pro regno.

CAP. CI.

EVſebius *in chronicis*. Mortuus eſt Herodes anno Domini 6. Auguſti vero 47. In cuius loco ſucceſſit Archelaus filius eius in regno.

Comeſtor. cap. 18. Archelaus itaque 7. diebus in lugendo patre conſumptis, epuliſque ferialibus largè omni populo exhibitis; qui mos Iudæorum ob expenſas funerum, multos depauperauit: candida veſte indutus aſcendit in templum; variiſque fauoribus à plebe ſuſceptus eſt. Sedenſque pro tribunali, dixit ſe etiam à Regis nomine velle temperare, donec à Cæſare confirmata eſſet ſucceſſio: promittens quod patre melior omnibus appareret. Quo circa alii tributa leuari, alii vectigalia tolli, quidam ſolui cuſtodias acclamabant. Poſtulatis autem Archelaus annuens, celebratis epulis erat cum amicis ſuis.

Comeſtor cap. 19. Seditio in Paſchatisfeſto.

Orta eſt autem ſeditio, quæ in nouis rebus ſolet accidere: Plurimi enim Sophiſtas pro defenſione legis occiſos lugebant: omnes fere Pontificem quem Herodes pro precio creauerat, amouendum proclamabant. Inſtante autem azymorum die, cum turba ab immolatione prohiberet Pontificem: Archelaus miſſo Ciliarcho verbis eos prius ſedare attentauit: cum autem vulneratum remiſiſſent Cyliarchum, miſſa grandi turba ſatellitum, Archelaus circiter nouem millia occidit: per vocem præconis omnes redire ad propria commonens. Et neglecta feſtiuitate redierunt omnes. Ipſe vero cum Nicholao, & Ptolemæo Secretariis patris ſui, Romam profectus eſt: Salomamque & omnes filios eius ſecum duxit: vt cum teſtamento extremam patris voluntatem teſtarentur: Philippo fratre regni procuratore relicto. Profectus eſt etiam Romam Herodes Antipas, vt de regno habendo cum fratre diſceptaret oratore Hyreneo, propter acrimoniam dicendi, plurimum confiſus. Cæſar quoque accitis Optimatibus Romanorum partibus proſequendi copiam dedit. Ibique tunc Gaium primo ex Agrippa, & filia ſua natum filium adoptiuum ſedere iuſſit. Archelaus ſibi regnum deberi aſſerebat, ætatis merito, & ſecundi teſtamenti voluntate, Antipas vero primum ſeruari teſtamentum debere aiebat: quod pater quando compos mentis erat inſcripſerat: ſecundum vero nullum fore, quod ipſum pater impos mentis fecerat, nam & tunc manu propria ſe appetierat. Addebat autem, quod Archelaus vmbram regni detuliſſet ad Cæſarem, cum ipſe corpus rerum gerendarum ſibi rapuiſſet: poſtremo quod initia poteſtatis ſuæ 9. millium occiſorum ſanguine maculaſſet. Cæſar vero reſponſum differens, ſecum de cognitis deliberabat, an aliquem ſucceſſorem regni conſtitui oporteret, an toti familiæ diſtribui principatum.

Nouem millia Iudæorū caſa, Ioſephus ſolum numerat tria millia.

Antipas Herodis filius parandi ſibi regni ſpe Romam nauigat.

De quatuor regibus in Iudęa, & ſimulato Alexandro, & diuiſione regni.

CAP. CII.

Comeſtor cap. 20.

EOdem ſane tempore quatuor Reges in Iudęa ſurrexiſſe dicuntur: nam in Idumæa duo millia veteranorum, Archelaum, qui ſub Herode militauerant, regem creaueruut. Sephori vero Galileæ, Iudas filius Ezechiæ latronum principis ab Herode olim capti, diadema ſibi impoſuerat. Trans flumen, quoque Simon quidam ex ſeruis regalibus vaſtitate corporis fretus, à latronibus rex creatus eſt. Paſtores quoque quendam proceri corporis compaſtorem, in finibus Iſrael regem ſibi ſtatuerunt. Ob hæc inſinuanda Cæſari miſſus eſt Romam à Varo Philippus, duabus tamen de cauſis incidenter, vt & Archelao ſubueniret, & ſi regnum Herodis nepotibus eius diſtribui placuiſſet, partem aliquam mereretur. Iuerunt & cum eo 50. de Iudæis honorati, qui 8. millia Iudæorum Romæ tunc degentium ſecum traxerunt ad Cęſarem. Ante captiuitatem enim finalem Iudæi per captiuitates particulares vbique diſperſi & venundati fuerant.

Comeſtor cap. 21.

Eo etiam tempore quidam natione Iudæus in Sidoniorum oppido educatus, quam ſimillimus Alexandro Herodis filio, quem etiam pater interemerat,

venit

Pseudalexãder Romam venit.

venit in Iudæam instinctu cuiusdam liberti Herodis, asserens sibi regnum deberi; tum quia maior filius Herodis erat, tum quia ex parte Matris suæ Mariamnes eum contingebat. Cumque plures Iudęorum sequaces haberet, Romam quoque profectus est. Igitur Iudæi Romæ degentes, videndi eius studio circumfluebant: scisciatusque qualiter viueret, aiebat, lictores miseratos fratrum, alios similes eis, morti subiecisse, Aristobulumque fratrem adhuc viuentem, in Cræta vel Cypro latere. Sed Cęsar optime vultum Alexandri sciens, quem dum Romæ studeret puer, Amasium habuerat, cum patre quoque post disceptantem plenius notauerat, fallaciam similitudinis animaduertit; misitque Ladum, qui & Alexandrum bene cognosceret; vt ad se iuuenem adduceret, vitam sibi pollicens; si tantæ fraudis prodidisset auctorem: cumque ille professus esset se simulasse pro quæstu; risit Cæsar, suasoremque eius iussit interfici; falsumque Alexandrum propter habitudinem corporis numero remigum inseruit.

Pseudalexãdrum Cæsar in ordinem remigum allegit. Comestor cap. 22.

Tandem de consilio Senatus Cæsar monarchiam Herodis distribuit, mediam partem, Iudæam, scilicet & Idumæam, tradens Archelao sub nomine Tetrarchæ, pollicitus se facturum eum regem, si se dignum præbuisset. Mediam vero partem in duas secuit. Tetrarchias, cessitque in partes Herodis Tetrarchæ, regio transflumen, & Galilæa, Ituræa vero, & Traconitis & Auranitis Philippo destinatæ sunt. Factus est igitur. Archelaus quasi Diarchus; Monarchus vero nunquam fuit. Archelaus vero non solum in accusatores suos, verum etiam in sibi subditos crudelius patre desæuit.

De reditu Domini ab Ægypto, & morte Glaphyræ, & exilio Archelai.

Cap. CIII.

Comestor cap. 23.

HVius regni anno primo Angelus dixit Ioseph vt rediret cum matre, & puero in terram Israel. Qui rediens ab Ægypto post septem annos cum audiret, quod Archelaus pro patre regnabat in Iudæa, noluit illo ire, & admonitus ab Angelo iuit in Galilæam, & mansit in Nazareth.

Luc. 2.

Author. Porro de infantia Saluatoris, & operibus eius vsque ad baptismum non legitur in Euangelio, nisi quod Lucas dicit, quod duodennis remansit in Hierusalem, & post triduum dicit eum inuentum à parentibus in medio doctorum, audientem, & interrogantem eos.

Comestor cap. 23. Sane Archelaus vt contumeliam generis sui vitaret, repudiauit Mariamnem fratris sui filiam; quam pater ei dederat in vxorem, duxitque Glaphyram filiam regis Cappadocum, fratris sui Alexandri quondam vxorem; & mortuo Alexandro Iubę regi Libyæ nuptam; mortuoque Iuba apud patrem modo in viduitate degentem. Quæ cum in Iudæam redijsset nupta Archelao in somno videre visa est, instantem sibi Alexandrum, & dicere: Satis tibi fuerat Libycum matrimonium; sed rursus reuersa ad Penates meos, fratri meo impudenter coniuncta es. Te ergo licet inuitam recuperabo: quæ ergo, expositio hoc somnio biduo vix superuixit.

Glaphyræ somnium.

Comestor cap. 24.

Tandem crebro accusatus, Archelaus à Cæsare aduocatur: quinto quidem die antequam vocaretur, nouem aristas plenas, & maximas, à bobus comedi somniauerat. Dumque accitos vates consuleret, Simon, Essæus genere, aristas annos, & boues mutationes rerum interpretatus est; eo quod agros arando verterent, & mutarent. Ideoque eum nouem annis dixit regnaturum, varias expertum autem rerum mutationes moriturum. Nono ergo principatus sui anno Romam veniens è Cæsare damnatus in exilium pellitur apud Viennam ciuitatem Galliæ.

Archelaus iterum accusatus Viennam relegatus est.

De inuentione Domini Iesu in medio doctorum.

Cap. CIIII.

EX *Glossa super Lucam. Et cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascenderunt Ioseph, & Maria secundum legis consuetudinem ad diem festum in Hierusalem, & puer Iesus cum eis*: Qui post septem dies solennitatis, redeuntibus illis, remansit sponte, scilicet, vt sicut exhibuerat matri, quod debebat, ascendens cum ea tanquam homo cum hominibus ad offerenda sacrificia Deo: sic etiam patri debitum exhiberet, doctrinę spirituali vacando; ex quo etiam habetur argumentum, quod pueri non peccant, qui parentes suos relinquentes, latenter in cænobia fugiunt vt ibi seruiant Deo; iuxta illud: *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Vnde Dominus ipse dicit: *Sinite paruulos venire ad me &c.* Sed quæritur quomodo parentes eius, ideſt pater putatiuus, & vera mater, potuerit eum obliuiscendo relinquere, qui tanta prouidentia eum nutrierunt Respondendum est, quod mos erat filijs Israel ad festa confluentibus, vel ad propria redeuntibus, quod incedebant ducentes choros, seorsum viri, & seorsum mulieres; pueri autem cum quolibet parente, indifferenter ire poterant. Vnde Ioseph videns puerum Iesum non esse secum, putabat eum esse cum Maria, & similiter è conuerso; sic ergo venerunt iter vnius diei à Hierusalem sine puero. Et tunc cum eum reliquisse percepissent; secunda die quæsierunt eum inter cognatos, & notos, & eo non inuento tertia die regressi sunt Hierusalem; sicque completo triduo amissionis eius, in quo secundum Glossam præfiguratum est triduum mortis eius, in quo credebatur amissus, inuenerunt eum tanquam sapientiæ fontem, in medio doctorum sedentem; sed tamen tanquam exemplar humilitatis prius audientem; & quærentem, quam docentem, quia *qui prius respondet quam audiat stultum se esse demonstrat.* Interrogabat ergo non vt disceret, sed vt nos doceret; quod etiam homines docti promptiores debent esse ad audiendum, quàm ad docendum: quoniam audiens sapiens, sapientior erit.

Thren 3.

Matth. 19.

Iesus à Parentibus amissus.

Iesus inter Doctores inuentus.

Prouerb. 18.

Hieronymus ad Paulinum. Duodecim annos saluator impleuerat, & in templo sedens de quæstionibus legis interrogans, magis docet, cum prudenter interrogat.

Bernardus. O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis; parum quid scio, vel potius mihi scire videor: & etiam silere non possum: imprudenter me ingerens, & ostentans: promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Christus tanto tempore silens, nunquid inanem gloriam timebat? timebat vtique, sed non sibi, sed nobis.

Item ex glossa. Inuentus igitur descendit cum eis in Nazareth. Nam quia Deus, & homo est, nunc excelsa diuinitatis, nunc infirma humanæ fragilitatis præfert. Itaque quasi filius Dei in templo commoratur, quasi filius hominis cum parentibus, quo iubent, regreditur: *& erat subditus illis*, ecce, quid parentibus debeamus, ostendit. Dicitur autem ibi esse paruulus fons de quo puer Iesus hauriebat, & ministrabat Matri, dum subditus erat ei.

Comestor in notula super caput 23.

De primis procuratoribus, & morte Augusti, de Athenodoro quoque Stoico.

Cap. CV.

Comestor cap. 25. Finibus autem Archelai in prouinciam redactis, procurator illuc missus est à Cæsare Coponius, qui & quondam Quirinij collega in Syriam cum fuerat missus consul, erat, in Iudæam censor patrimoniorum: vbi cum venerat, multi sane Iudæorum, & maxime quidam Galilæus Simon

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

populum increpabant; quod poſt Deum, dominos mortales ſerebant tributarij Romanorum. Coponio autem procurante Iudæam, die azymorum, cum mos eſſet media nocte templi portas aperiri, Samaritæ quidam occultè venientes in Hieroſolymam, per cunctas porticus, & per totum fanum, oſſa iecerunt mortuorum: & ex tunc maior templi cuſtodia cæpit exerceri, & ante diem portæ non aperiri.

Cometes c. 26.

Eodem tempore Philippus Sephorum reparans, Iuliam, nominauit in honore Iuliæ vxoris Cæſaris; paneas quoque Cæſaream Philippi dixit; Coponio vero reuerſo Romam, ſucceſſit ei Marcus, ſub quo Saloma ſoror Herodis defuncta eſt, ſed huic ſucceſſit Annius Rufus, ſub quo moritur Auguſtus cum regnaſſet 57. annos, & menſes 6. & dies 10. Ex quibus 12. Antonius cum eo regnauit, cum enim 42. anno regni eius natus eſſet Dominus, qui 15. anno Tiberij fuit tricenarius, patet Cæſarem mortuum; Domino 15. annum agente. Quidam tamen 56. annos tantum regni ſui ponunt. Mortuus eſt autem anno vitæ ſuæ 77. apud * Apellam ciuitatem Campaniæ, gloriatus ſe vrbem marmoream relinquere, quam latericiam inuenerat, & ſepultus eſt in Martio campo.

Cæſar Auguſtus moritur anno Domini 15. M. 3968.

** alias Atellam.*

Euſebius in chronicis. Eo tempore Athenodorus Tharſenſis Stoicus Philoſophus, & Marcus Verrius, Flaccus grammaticus, clari habentur.

Author. Athenodori legitur eſſe illa ſententia: Tunc ſcito te omnibus cupiditatibus eſſe ſolutum, cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod poſſis rogare palam.

Sententia Athenodori.

De Ouidio poeta, & ſcriptis eius.

CAP. CVIII.

EO tempore legitur Ouidius Naſo floruiſſe; qui ſcripſit multos libros metricos. Ex quibus ſunt. De nuce libellus vnus. Inuectionis in Ibim. Epiſtolarum lib. 1. Sine titulo lib. 3. De arte amandi lib. 3. Metamor lib. 15. De faſtis lib. 6. De triſtibus lib. 5. De Ponto lib. 4. De his omnibus pauca eleganter dicta, & ea præcipue quę moralia videntur excerpere, & hic inſerere volui.

Ouidius in lib. de nuce.

Sic timet inſidias, qui ſcit ſe ſerre viator.
Cur timeas; tutum carpit inanis iter.
Vicinia damno
Quæ longius abſunt.
Natiuum retinent inuiolata decus.
Si mentem verba ſequantur.
Miſerum eſt odium damnis accedere.

Idem in Ibin.

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Et tepidus gelide flabit ab axe notus.
Et ver autumno, brumæ miſcebitur æſtas:
Atque eadem regio veſper, & ortus erit:
Quam mihi ſit tecum poſitis, quæ ſumpſimus armis
Gratia commiſſis improbe rupta tuis.
Pax erit hæc nobis donec mihi vita manebit.
Cum pecore infirmo, quæ ſolet eſſe lupis.
Terra tibi fruges amnis tibi degenet vndas:
Deneget afflatus ventus, & aura ſuos.
Nec tibi ſol clarus, nec ſit tibi lucida Phœbe.
Deſtituant oculos ſydera clara tuos.
Nec tibi Vulcanus, nec ſe tibi præbeat aer;
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exul inops erres, alienaque limina luſtres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus quærulo, nec mens vacet ægra dolore,
Noxque die grauior ſit tibi nocte dies.
Siſque miſer ſemper: nec ſis miſerabilis vlli.
Gaudeat aduerſis fœmina, virque tuis.
Qui mala cum taleris plurima, plura feras.
Cauſaque non deſit, deſit tibi copia mortis.
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatuſque diu cruciatos ſpiritus artus,
Deſerat, & longa torqueat ante mora.

Floſculi morales epiſtolarum eius.

CAP. CVII.

OVidius libro epiſtolarum.

Res eſt ſoliciti plena timoris amor.
Tardè, quæ credita lædunt,
Credimus.
Quæcunque ex merito ſpes venit, æqua venit.
Fallere credentem non eſt operoſa puellam.
Gloria.
Exitus acta probat: careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.
Ars ſit, vbi à teneris crimen condiſcitur annis.
Perlege quodcumque eſt, quid epiſtola lecta nocebit.
Te quoque in hac aliquid, quod iuuet, eſſe poteſt.
Venit amor, grauius, quo ſerius vrimur, intus,
Vrimur, & cæcum pectora vulnus habent.
Amor non eſt medicabilis herbis.
Scilicet vt teneros lædunt iuga prima iuuencos.
Frenaque vix patitur de grege captus equus.
Sic male vixque ſubit primos rude pectus amores.
Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti.
Fine coli modico forma virilis amat.
Quod caret alterna requie, durabile non eſt.
Hæc reparat vires, feſſaque membra nouat.
Quid deceat non videt vllus amans.
Depuduit profuguſque pudor ſua ſigna reliquit.
Pudor eſt miſcendus amori.
Leuiter, ex merito quicquid patiare, ferendum eſt:
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.
Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt.
Tangendo ſacra profanas.
Non bene cœleſtes, impia dextra colit.
Credula res amor eſt.
Quælibet iratis ipſe dat arma dolor.
Cœpiſti melius, quàm deſinis: vltima primis.
Cædunt: diſſimiles, hic vir & ille puer.
Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuuenci.
Iam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferente.
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Occurrunt animo pereundi mille figuræ.
Morſque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.
Imperat heu ventis: timidæ non imperat iræ:
Poſſidet & virijs regna minora ſuis.
Erubui gremioque pudor deiecit ocellos:
Hęc ſatis in tacita ſigna fatentis erant.
Spes bona dat vires.
Ingentes parturit ira minas.
Spes bona ſolicito victa timore cadit.
Hos anxius omnia cogit.
Quæ poſſunt fieri, facta putare timor.
Sæpe eſt ſupplicij cauſa fuiſſe pium.
Non faciunt molles ad fera bella manus.
Ingenium nimijs deficit omne malis.
Quis enim celauerit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.
Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.
Certamen præmia magna mouent.
Sed quia credulitas damno ſolet eſſe puellis;
Verbaque dicuntur veſtra carere fide.
Sic acceptiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quæ preciosa facit.
Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.
An neſcis longas regibus eſſe manus?
Vtilis interdum eſt ipſis iniuria paſsis.
Flamma recens parua ſparſa reſedit aqua.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Certus in hoſpitibus non eſt amor: errat, vt ipſi:
Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fugit.
Delicti fies idem reprehenſor, & auctor.
Sed nimium properas, & adhuc tua meſsis in herba eſt.
Namque eſt meminiſſe voluptas.
Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.
Auribus interdum voces captamus, & omnem
Aduentus ſtrepitum credimus eſſe tui.
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.
Vt corpus teneris, ita mens infirma puellis.
Quæ feciſſe iuuat, facta referre pudet.
Quis enim ſecurus amauit,
Cogit & abſentes plura timere locus.
Fœlices illæ quas pœnitentia noſſe.
Crimina vera facit, falſa timere vetat.

Flores libri ſine titulo.

CAP. CVIII.

IDem in libro ſine titulo.
Leue fit quod bene fertur onus.
Vidi iactatas motu flammeſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quàm quos iuuat vſus aratri.
Detractant preſsi cum iuga prima boues.
Aſper equus duris contunditur ora lupatis.
Fræna minus ſentit, quiſquis ad arma facit.
Acrius inuitos & multo fortius vrget
Quam qui ſeruitium ſerue fatentur amor.
Multa miſer timeo, quia feci multa proterue,
Exemplique metu terreor ipſe mei,
Minuet vindicta dolorem.
Quaſlibet infirmas adiuuat ira manus.
Vrbibus obſeſsis clauſæ munimina portæ,
Proſunt in media pace, quid arma times?
Nox, & amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore caret, Liber Amorque metu.
Ludunt formoſæ. caſta eſt quam nemo rogauit:
At ſi ruſticitas non vetat, ipſa rogat.
Labitur occulte, fallitque volubilis ætas,
Et celer admiſsis labitur annus equis.
Qui dabit, ille tibi magno ſit maior Homero.
Crede mihi, res eſt ingenioſa dare.
Sed nunquam dederis ſpacioſum tempus in ira;
Sæpe ſimultates ira moroſa facit.
Fit cito, per multas præda petita manus.
Impia ſub dulci melle venena latent.
Dij tibi dent, nulloſque Lares, inopemque ſenectam,
Et longas hyemes, perpetuamque ſitim.
Militat omnis amans, & habet ſua caſtra cupido.
Quæ bello eſt habilis, Veneri quoque conuenit ætas;
Turpe ſenex Miles, turpe ſenilis Amor.
Sæpe ſoporatos inuadere profuit hoſtes.
Victique reſurgent.
Quoſque neges vnquam poſſe iacere, cadunt.
Sola viro mulier ſpolijs exultat ademptis:
Sola locat noctes, ſola locanda venit.
Et vendit quod vtrumque iuuat, quod vterque petebat.
Et precium quanti gaudeat, ipſa facit.
Stat Meretrix certo cuiuis mercabilis ære.
Et miſeras iuſſo corpore quærit opes.
Non bene conducti vendunt periuria teſtes.
Nec bene ſelecti iudicis arca patet.
Turpe reos emptâ miſeros defendere linguâ.
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.
Turpe thori reditu cenſus augere paternos,
Et faciem lucro proſtituiſſe ſuam.
Gratia pro rebus merito debetur inemptis.
Omnia conductor ſoluit mercede ſoluta,
Non manet officio debitor ille ſuo.
Non habet euentus ſordida præda bonos.
Scindentur veſtes, geminæ frangentur, & aurum
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

De eodem.

CAP. CIX.

IDem in ſecundo.
Ex tacito vultu ſcire futura licet.
Tunc etiam ſomni pingues, & frigidus aer,
Et liquidum tenui gutture cantat auis.
Quem metuit, quiſque periſſe cupit.
Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit,
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor,
Quis minor eſt, quàm tacuiſſe, labor?
Culpa, nec ex facili, quamuis manifeſta probatur.
Fœlix qui quod amat defendere fortiter audet.
Hæc mihi ſunt tecum, tibi ſunt communia mecum.
Odi nec poſſum, cupiens non eſſe, quod odi.
Æquo animo pœnam qui meruere ferunt.
Aſpice vt auritus miſerandæ ſortis aſellus,
Aſsiduo domitus verbere lentus eat.
Quod decuit reges, cur mihi turpe putem.
Eſt vnum è dominis emeruiſſe ſatis.
Pigra reluctanti ceſſat in hoſte manus.
Venator ſequitur fugientia, capta relinquit:
Semper & inuentis vlteriora petit.
Et rapit in præceps dominum ſpumantia fruſtra
Frena reluctantem durior oris equus.
Infœlix tota quicumque quieſcere nocte,
Suſtinet, & ſomnos præmia magna vocat.
Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago:
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.
At vos quod quiſque loquatur,
Credite, credenti nulla procella nocet.
Quærit auarus opes, & quæ laſſauit eundo
Æquora, periuro naufragus ore bibit.
Sero reſpicitur tellus, vbi funе ſoluto
Tendit in immenſum panda carina ſalum.
Nauita ſolicitus cum ventos exhorret iniquos,
Et prope tam lætum, quàm prope cernit aquam.
Eſt fœlix dicas, quem ſua terra tenet.
Tutius eſt fouiſſe thorum, legiſſe libellos:
Thræiciam digitis increpuiſſe lyram.
Eſt precium paruæ non leue vita moræ.
Quod licet ingratum eſt; quod non licet acrius vrit.
Pinguis Amor nimiumque potens in tædia nobis
Vertitur, & ſtomacho dulcis vt eſca nocet.
Quod ſequitur fugio; quod fugit ipſe ſequor.
In flammam flammas, in mare fundis aquas.

Idem de eodem.

CAP. CX.

IDem in libro tertio.
Si qua metu dempto caſta eſt, ea denique caſta,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt iam ſeruetur bene corpus: adultera mens eſt.
Nec cuſtodiri, ni velit, vlla poteſt.
Nec mentem ſeruare potes, licet omnia claudas.
Omnibus excluſis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus, ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Deſine crede mihi vitia irritare vetando:
Obſequio vinces aptius ipſe tuo.
Vide ego nuper equum contra ſua vincla tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo:
Conſtitit vt primum conceſſas ſenſit habenas,
Frenaque in effuſas laxa iacere iubas.
Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.
Quicquid ſeruatur cupimus magis, ipſaque furem,
Cura vocat; pauci, quod finit alter, amant,
Non proba ſit, quam vir ſeruat, ſed adultera cara:
Ipſe timor precium corpore maius habet.
Quid tibi formoſa ſi non niſi caſta placebit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Non poſſunt vllis iſta coire modis.
Si ſapis indulge dominæ, vultuſque ſeueros
Exue, nec rigidi iura tuere viri.
Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores:
Inde grauis iudex, inde ſeuerus eques.
Omnia poſſideant, illis campuſque forumque
Seruit, & hi pacem crudaque bella gerant.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat,
Omnibus obſcuras iniecit illa manus.
Viue pius, moriere pius, cole ſacra colentem:
Mors tamen à templis in caua buſta trahit.
Luctantur pectuſque leue in contraria tendunt.
Hac pudor, hac amor eſt, ſed puto vincet amor.
Odero ſi potero, ſi non inuitus amabo.
Nequitiam fugio fugientem forma reducit.
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Exit in immenſum iocunda licentia vatum:
Obligat hiſtorica, nec ſua verba fide.
Non iuga taurus amat, quod tamen odit habet.
Quis furor eſt, quæ nocte latent in luce fateris
Et quæ clam facias, facta referre palam.

Flores libri de arte amandi.

Cap. CXI.

IDemin libro primo de arte amandi.
Arte cito, veloque rates, remoque reguntur:
Arte leuis currus; arte regendus Amor.
In puero eſt ætas mollis, & apta regi.
Vt redit, itque frequens formica per agmen,
Granifero ſolitum cum vehit ore cibum:
Aut vt apes ſaltuſque ſuos redolentia nactæ
Paſcua, per flores, & thyma ſumma volant.
Sic ruit ad celebres cultiſſima fœmina ludos:
Copia iudicium ſæpe morata meum.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ:
Ille locus caſti damna pudoris habet.
Quique alijs cauit non cauet ipſe ſibi.
Parua leues capiunt animos.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit.
Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rariſſima noſtro
Simplicitas, artes excutiente Deo.
Iudicio formæ noxque merumque nocent.
Nocte latent mendæ, vitioque ignoſcitur omni.
Horaque formoſam quamlibet illa facit.
Vere prius volucres, taceant æſtate cicadæ;
Mænalius lepori det ſua terga canis.
Fœmina quam iuueni blande tentata repugnet:
Vix erit è multis, quæ neget, vna tibi.
Parcior in nobis, nec tam furioſa libido eſt:
Legitimum finem flamma virilis habet.
Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen eſſe rogatæ.
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris.
Vicinumque pecus grandius vber habet.
Mens erit apta capi tunc cum lætiſſima rerum,
Vt ſeges in pingui luxuriauit humo.
Pectora dum gaudent nec ſunt attrita dolore:
Ipſa parens blanda tunc ſubit arte Venus.
Multa rogant addenda dari, data reddere nolunt;
Perdis, & in damno gratia nulla tuo.
Vt fragilis glacies; interit ira mora.
Flectitur iratus voce rogante Deus.
Promittas, facito, quid enim promittere lædit:
Pollicitis dines quilibet eſſe poteſt.
Spes tenet in longum, ſemel eſt ſi credita, tempus.
Si dederis quicquam poteris ratione relinqui:
Præteritum tulerit, perdideritque nihil.
At ſi non dederis, ſemper videare daturus;
Sic dominum ſterilis ſæpe fefellit ager.
Sic ne perdiderit non ceſſat perdere luſor.
Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci.
Tempore lenta pati frena docentur equi.
Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu.
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.
Capta vides ſero pergama; capta tamen.
Quod rogat, illa timet, quod non rogat, optat, vt inſtes:
Inſequere, & voti poſtmodo compos eris.
Forma viros neglecta decet.
Ecce ſuum vatem Liber vocat: hic quoque amantes
Adiuuat, & flammæ, qua calet ipſe fauet.
Sæpe tacens vocem, verbaque vultus habet.
Certa tibi à nobis dabitur menſura libendi:
Officium præſtent menſque pedeſque ſuum.
Iurgia præcipuè vino ſtimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Aptior eſt dulci menſa, merumque ioco.
Facile eſt omnia poſſe Deo.
Innocuè viuite numen adeſt.
Sibi quæque videtur amanda,
Peſſima ſit, nulli non ſua forma placet.
Delectant etiam caſtas præconia formæ.
Virginibus curæ, grataque forma ſua eſt.
Fallite fallentes; ex magna parte profanum
Sunt genus, in laqueos, quos poſuere, cadant.
Pugnabit primo, fortaſsis & improbe dicet;
Pugnando vinci, ſed tamen illa volet.
Vim licet appelles, grata eſt vis illa puellis.
Quod iuuat inuitè, ſæpe dediſſe volunt.
Reddite depoſitum; pietas ſua fœdera ſeruet.
Nec enim lex æquior vlla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſua.
Quod refugit multi cupiunt; odere, quod inflat.
Palleat omnis amans, hic eſt color aptus amanti.
Nil niſi turpe iuuat, curæ eſt ſua cuique voluptas.
Ergo mille animos excipe mille modis.
Non eadem tellus parit omnia: vitibus illa
Conuenit, hæc oleis, hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ:
Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.

Idem de eodem.

Cap. CXII.

IDem in ſecundo.
Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.
Ingenium mala ſæpe mouent.
Vt ameris amabilis eſto.
Forma bonum fragile eſt; quantumque accedit ad annos
Fit minor, & ſpacio carpitur ipſa ſuo.
Nec violæ ſemper, nec lilia mollia florent:
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi iam venient cani, formoſe, capilli.
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret & inſtrue formam:
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Ergo age, fallaci timidæ confide figuræ,
Quiſquis es, aut aliquid corpore pluris habe.
Dextera præcipuè capit indulgentia mentes:
Aſperitas odium, ſeuaque bella mouet.
Dulcibus eſt verbis alliciendus amor.
Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus:
Franges, ſi vires experiere tuas.
Obſequio tranantur aquæ, nec vincere poſſis,
Flumina ſi contra, quam rapit vnda, nates.
Obſequium Tygresque domat tumidoſque Leones.
Ruſtica paulatim Taurus aratra ſubit.
Hi pereant, per quos munera crimen habent.
Aurea nunc vere ſunt ſecula; plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur Amor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere;
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.
Cede repugnanti, cedendo victor abibis.
Dum nouus errat amor, vires ſibi colligit vſu:
Si bene nutrieris tempore, firmus erit.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas:
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nihil aſſuetudine maius.
Da requiem, requietus ager bene credita reddit.
Sed mora tuta breuis, lenteſcunt tempore curæ:
Vaneſcitque abſens, & nouus intrat amor.
Fœmina quàm ſocij deprenſa pellice lecti,
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
Furto celetur culpa modeſto.
Gloria peccati nulla petenda tui eſt.
Læſa Venus iuſta arma mouet, telumque remittit:
Et modo, quod quæſta eſt ipſa, quereꝛe, facit.
Quæ bene celaris, ſi qua tamen acta patebunt,
Illa licet pateant, tu tamen vſque nega.
Vt leuis aſſumptis paulatim viribus ignis
Ipſe latet, ſummo cadet in igne cinis.
Sed tamen extinctas admoto ſulphure flammas,
Inuenit, & lumen, quod fuit ante, redit.
Sic vbi pigra ſitu, ſecuraque pectora torpent.
Acribus, & ſtimulis eliciendus amor.
Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis:
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.
Credita non ſemper ſulci cum fœnore reddunt.
Qui ſermone placet, taciturna ſilentia vitet.
Qui canit arte canat, qui bibit arte bibat.
Proponas animo multa ferenda tuo,
Quod lepores in atho, quot apes naſcuntur in Hybla.
Cærula quot baccas Pallados arbor habet:
Lictore quot conchæ, tot ſunt in amore dolores,
Quot iuuat exiguum eſt, plus eſt, quod lædat amantes.
Dedecet ingenuos tædia ferre ſui.
Eſt nulla niſi ardua virtus.
Exigua eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
At contra grauis eſt culpa tacenda loqui.
Quod male fers, aſſueſce; feres bene: multa
Vetuſtas lenit, & incipiens omnia ſentit amor.
Dum nouus in viridi coaleſcit cortice ramus,
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox etiam ventis ſpacio duratа reſiſtit,
Firmaque adoptiuas arbor habebit opes.
Cum mora non tuta eſt totis incumbere remis:
Vtile, at admiſſo ſubdere calcar equo.

De eodem.

CAP. CXIII.

IDem in tertio libro.
Parcite paucarum crimen diffundere in omnes.
Spectetur meritis quæque puella ſuis.
Vtilis, ô iuuenes, aut hæc, aut ſerior ætas:
Iſte feret ſegetes, ſic ſodiendus ager.
Dum vires annique ſinunt tolerate labores:
Iam veniet tacito curua ſenecta pede.
Solos artifices, qui facit vſus adeſt.
Fœmina nec flammas, nec ſæuos fecutit arcus,
Parcius hæc video tela nocere viris.
Fallunt ſæpe viri, tenere non ſæpe puellæ,
Paucaque ſi quæras crimina fraudis habent.
Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præterijt rurſus reuocabitur vnda,
Nec quæ præterijt hora redire poteſt.
Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas.
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.
Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas:
Nec faciunt cernos cornua iacta ſenes.
Noſtra ſine auxilio fugiunt bona, carpite florem,
Qui niſi carptus erit, turpiter ille cadet.
Cura dabit faciem, facies neglecta peribit,
Adijcit ornatus proxima quæque dies.
Fœmina cani ciem germanis inficit herbis.
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit denſiſsima crinibus emptis.
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.
Nec rubor eſt emiſſe palam venire videmus.
Quid de veſte loquar? nec iam ſegmenta requiro.
Cum tot prodierint precio leuiore colores.
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos.
Diſcant etiam ridere puellæ.
Quæritur, atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus ſint paruæ vtrinque lacunæ.
Et ſummos dentes ima labella tegant.
Nec tua perpetuo contendant ilia riſu,
Sed leue, neſcio quid fœmineumque ſonent.
Eſt quæ peruerſo diſtorqueat ora cachinno:
Cum riſu læta eſt altera, flere putes.
Illa ſonat rauciim quiddam, atque inamabile ridet;
Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola.
Dicite fœmineo corpora ferre gradu.
Eſt, & in inceſſu pars inſpicienda decoris.
Allicit ignotos illa, fugatque viros.
Nudaque per ludos pectora noſtra patent.
Tunc ſumus incauti, ſtudioque aperimur in illo.
Ira ſubit deformе malum lucrique cupido.
Iurgiaque, & rixæ ſolicituſque dolor.
Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther,
Inuocat iratos & ſibi quiſque Deos.
Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur.
Et lachrymis vidi ſæpe madere genas.
Iuppiter à vobis tam turpia crimina pellat.
Sed vitate viros formam, cultumque profeſſos.
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas,
Errat, & in nulla ſede moratur Amor.
Fœmina quid faciat cum vir ſit mollior illa.
Veſtes quas geritis, ſordida lana fuit.
Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.
Pluraque ſunt ſemper deteriora bonis.
Res eſt blanda canor.
Pro facie multis, vox ſua lena fuit.
Magnum opus eſt mores compoſuiſſe bonos.
Quod latet ignotum eſt; ignoti nulla cupido eſt.
Ad multas lupa tendit oues prædetur vt vnam.
Se quoque dat populo mulier ſpecioſa videndam.
Quem trahat è multis forſitan, vnus erit.
Omnibus illa locis mancat ſtudioſa placendi:
Et curam tota mente decoris agat.
Caſus vbique valet; ſemper tibi pendeat hamus;
Quo minime credis gurgite, piſcis erit.
Diſcite ab alternis vobis timuiſſe querelis.
Ianua fallaci ne ſit aperta viro.
Mora ſemper amantes
Incitat.
Iudice me fraus eſt conceſſa repellere fraudem:
Armaque in armatos ſumere iura ſinunt.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ.
Nec tumeat vultu damnoſa ſuperbia veſtro.
Mollibus eſt oculis alliciendus amor.
Odimus immodicos (experto credite) faſtus.
Sæpe tacens odij ſemina vultus habet.
Non bene cum ſocijs regna Veneſque manent.
Tunc bene fortis equus reſerato carcere currit,
Cum quos prætereat, quoſque ſequatur habet.
Qualibet extinctos iniuria ſuſcitat ignes.
Turpe iacens mulier multo madefacta Lyæo.
Digna eſt concubitus quoſlibet illa pati.
Munera, crede mihi placant homineſque deoſque,
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.
Quæ venit ex tuto minus eſt accepta voluptas.
Experto credite.
Non cito credideris quantum cito credere lædat.
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neue domi præsume dapes sed desine citrò
Quam cupias paulo, quam potes esse minus.
Priamides Helenam auidè si spectet edentem,
Oderit, & dicat, stulta rapina mea est.

Flosculi De remedio amoris.

Cap. CXIIII.

IDem in libro primo de remediis.
Terra salutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit, & urticæ proxima sæpe rosa est.
Vtile propositum est sæuas extinguere flammas.
Nec seruum vitijs pectus habere suum.
Dum licet, & modici tangunt præcordia morsu.
Si piget, in primo limite siste pedem.
Opprime, dum noua sunt subiti mala semina morbi
Et tuis incipiens ire resistat amor.
Nam mora dat vites, teneras mora præcoquit vuas.
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet lasas arbor spaciantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Quale sit id quod amas celeri circumspice mente,
Et tua læsuro subtrahe colla iugo.
Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Et propera, nec te venturas differ in oras.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Vidi ego quod primum fuerat sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus assidue, cras quoque fiet idem.
Interea tacite serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.
Dum furor in cursu est currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus ab obliquo, qui cum discedere possit,
Pugnat in aduersas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Iam sinet, & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem nisi mentis inops in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.
Cum dederit lachrymas animumque expleuerit ægrum:
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporibus medicina valet, data tempore prodest,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.
Ocia si tollas periere cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.
Quam platanus riuo gaudet, quam populus vnda.
Et quam limosa canna palustris humo.
Tam Venus ocia amat, finem qui quæris Amori,
Cedit amor rebus, res age tutus eris.
Languor, & immodici sub nullo vindice somni,
Aleaque, & multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animo sine vulnere vires.
Affluit incautis desidiosus amor.
Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes,
Da vacuæ menti quo teneatur opus,
Quod potuit fecit, ne nil ageretur amauit:
Sic venit ille puer, sic puer ille manet.
Cum semel hæc animum cæpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.
Sæpe bibi succos quamuis inuitus amaros.
Et fateor medicus, turpiter eger eram.
Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignes
Vtque animo valeas, quidquam tolerare negabis.
Et mala sunt vicina bonis, errore sub ipso,
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit
Auferimur cultu, gemmis, auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.
Summa petit liuor, perflant altissima venti.
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis:
Rumpere liuor edax.

Item de eodem.

Cap. CXV.

IDem in secundo.
Frigore soles,
Sole iuuant umbræ, grata sit vnda siti.
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.
Parua necat morsu spacioſum vipera taurum.
A cane non magno sæpe tenetur aper.
De multis grandis aceruus erit.
Quo tua non possunt offendi pectora facto,
Forsitan hoc alio iudice crimen erit.
Secta bipartito cum mens discurrit vtroque,
Alterius vires subtrahit alter amor:
Grandia per multos tenuantur flumina riuos,
Sectaque subducto stipite flamma perit.
Successore nouo vincitur omnis amor.
Intrat amor mentes vsu; dediscitur vsu.
Parcius è multis mater desiderat vnum,
Quam, quæ flens clamat, tu mihi solus eras.
Te quoque fallet amor, dum sit tibi finis amandi.
Propositis frænis sæpe repugnat equus.
Vtilitas lateat: quod non profitebere fiet,
Quæ nimis apparent retia, vitat auis.
Posse pati facile est: tibi ni patientia desit,
Protinus ex facili grandia ferre licet.
Mille mali species: mille salutis erunt.
Corpora vix ferro quædam sanantur acuto.
Auxilium multis succus, & herba fuit.
Tædia quære mali: faciunt & tedia finem.
Hic male dotata pauper cum coniuge viuit,
Vxorem fato credat obesse suo.
Quisquis amas loca sola nocent, loca sola caueto.
Quo fugis in populo tutior esse potes:
Nam tibi secretos augent loca sola furores:
Est opus auxilio: turba futura tibi est.
Tristior idcirco nox est, quam tempora Phœbi.
Quæ releuet luctus turba sodalis adest.
Nec fuge colloquium, nec sit tua ianua clausa.
Nec tenebris luctus flebilis adde tuos.
Si quis amas, nec vis: facito contagia vites:
Hæc etiam pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi;
Multaque corporibus transitione nocent.
In loca nonnunquam siccis arentia glebis,
De prope currenti flumine manat aqua.
Manat amor tectus, si non ab amante recedas.
Vulnus in antiquum redijt male firma cicatrix.
Proximus à tectis ignis defenditur ægre:
Vtile finitimis abstinuisse locis.
Nec, quæ ferre solet spaciantem porticus illam
Te ferat, officium neue colatur idem.
Quid iuuat admonitu cupidam recalescere mentem?
Alter, si possis, orbis habendus erit.
Non facile esuriens posita retinebere mensa:
Et multum saliens incitat vnda sitim.
Vt desiderijs effluat illa tuis.
Et malim taceas quam te desisse loquaris:
Qui nimium multis non amo dicit, amat.
Sed meliore fide paulatim extinguitur ignis,
Quam subito, lente desine, tutus eris.
Eallat & in tenues euanidus excat auras,
Perque gradus molles emoriatur Amor.
Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
Quam petere à thalamis litigiosa fora,
Artibus immunis mens oppugnatur amantum.
Vt lapis æquoreis vndique pulsus aquis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nec cauſas aperi, quare diuortia quæras,
Nec dic quod doleas, clam tamen vſque dole.
Nec peccata refer, ne diluat ipſe cauebis.
Vt melior cauſa, cauſa ſit illa, tua.
Qui ſilet eſt firmus, qui dicit multa puellæ
Probra, ſatisfieri poſtulat ille ſibi.
Et loca ſæpe nocent, fugito loca conſcia veſtri
Concubitus, cauſas illa doloris habent.
Admonitu recreatur Amor, vulnuſque nouatum
Scinditur, infirmis culpa puſilla nocet.
Non facile eſt taurum viſa retinere iuuenca.
Fortis equus viſæ ſemper adhinnit equæ.
Fulmine perpetuo torrens ſolet altius ire,
Sed tumen hæc breuis eſt, illa perennis aquæ.
Turpe vir, & mulier modo iuncti, protinus hoſtes:
Munera quę dederas habeat ſine lite iubeto.
Eſſe ſolent magno damna minora bono.
Neue puellarum lachrymis moueare caueto:
Vt flerent, oculos erudiere ſuos.
Vt pænè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas,
Viuit, & ex modico maximus ignis erit.
Sic niſi vitaris quicquid renouabit amorem,
Flamma redardeſcet, quę modo nulla fuit.
Sunt quæ non poſſunt aliquo cogente iuberi:
Sępe tamen caſu facta iuuare ſolent.
Diuitijs alitur luxurioſus ãmor.
Non habet vnde ſuum paupertas paſcat amorem,
Non tamen hoc tanti eſt pauper vt eſſe velis.
At tanti tibi ſit non indulgere theatris,
Dum bene de vacuo pectore cædit amor.
Eneruant animos citharæ cantuſque lyræque,
Et vox, & numeris brachia mota ſuis.
Aut nulla ebrietas: aut tanta ſit vt tibi curas
Eripiat, ſi qua eſt, inter vtrumque, nocet.
Vina parant animos Veneri; niſi plurima ſumas,
Vt ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Vento nutritur, vento reſtinguitur ignis:
Lenis alit flammas, grandior aura necat.
Dum ſibi quiſque placet credula turba ſumus.

Floſculi ex libris Metamorphoſeos.

Cap. CXVI.

IDem in libro primo Metamorph.
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram;
Os homini ſublime dedit cœlumque tueri.
Inſsit, & erectos ad ſydera tollere vultus
Irrupit venæ pioris in æuum
Omne nefas.
Fugere pudor, verumque fideſque.
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum.
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat vtroque.
Viuitur ex raptò non hoſpes ab hoſpite tutus;
Non Socer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti:
Filius ante patrem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas, & Virgo cæde madentes
Vltima cœleſtum terras Aſtrea reliquit.
Qua terra patet fera regnat Erinnys
In facinus iuraſſe putes.
Sed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.
Quantum noxæ ſit vbique repertum
Enumerare piget.
Minor fuit ipſa infamia vero.
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus;
Quo mare, quo tellus correptaque regia cœli,
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.
Quippe vbi temperiem ſumpſere humorque, calorque.
Concipiunt, & de his oriuntur cuncta duobus.
Cumque ſit ignis aquę pugnax, vapor humidus omnes
Res creat & diſcors concordia fœtibus apta eſt.
Heu mihi quod nullis amor eſt medicabilis herbis.

Idem in ſecundo.
Inter vtrumque tene, medio tutiſsimus ibis.
Vix vlla potentia longa eſt;
Non eſt mora libera nobis.
Nemo ſe ſine crimine prodit.
Heu quam difficile eſt crimen, non prodere vultu.

De inuidia ſic loquitur.
Pallor in ore ſedet, macies eſt corpore toto
Nuſquam recta acies: liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos intabeſcitque videndo.
Succeſſus hominum carpitque, & carpitur vna,
Suppliciumque ſuum eſt.
Adopertaque nubibus atris.
Afflatuſque ſuo populos vrbeſque domoſque
Polluit
Vixque tenet lacrymas, quia nihil lacrymabile cernit.
Non bene conueniunt nec in vna ſede morantur
Maieſtas & Amor

Idem in tertio libro.
Sed tamen hæret amor, creſcitque dolore repulſa.
Multus tenet error amantem.

De conditione ebrioſorum dicit.
Ille mero, ſomnoque grauis titubare videtur.
Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
Minimum eſt quod amantibus obſtat.
Inopem me copia fecit.

Idem in quarto libro.
Tempore creuit Amor.
Quoque magis tegitur, tectus magis æſtuat ignis.
Quid non ſentit Amor, fas eſt & ab hoſte doceri.
Multorumque fuit ſpes inuidioſa procorum.

Idem in quinto libro.
Subiere minores
Sępe caſus ſuperi.
Metu vires minuuntur Amoris.
Fedaque ſit volucris venturi nuncia luctus.
Ignauus Bubo durum mortalibus omen.
Laudare parum eſt laudemur & ipſi.

De eodem.

Cap. CXV.

IDem in ſexto libro.
Et nihil eſt quod non effreno captus amore
Auſit, nec capiunt incluſas pectora flammas.
Prò ſuperi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent, ipſo ſceleris molimine Tereus
Creditur eſſe pius, laudemque à crimine ſumit.
Grande doloris
Ingenium eſt, miſeriſque venit ſolertia rebus,
Aſt vbi blanditijs agitur: nihil horridus ira.

Item in 7. lib.
Flebile principium melior fortuna ſecuta eſt.
Inque ipſos ſeua medentes,
Erumpit clades: abſuntque auctoribus artes.
Quo propior quiſque eſt ſeruitque fidelius ægro,
In parte læti citius venit, vtque ſalutis,
Spes abijt, finemque vident in funere morbi.
Indulgent animis & nulla, quid vtile cura eſt;
Vtile enim nihil eſt, paſsim poſitoque pudore
Fontibus, & fluuijs puteiſque capacibus hærent.
Nec ſitis eſt extincta prius quam vita, bibendo;
Inde graues morbo nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis: aliquis tamen haurit & illas,
Tantaque ſunt miſeris inuiſi tædia læti.
Proſiliunt aut ſi prohibent conſiſtere vires.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Corpora deuoluunt in humum fugiuntque Penates
Quiſque ſuos, nam cuique domus funeſta videtur.
Et quia cauſa latet, locus eſt in crimine totus.
Credula res amor eſt.
Formicæ paruum genus eſt, patienſque laborum:
Queſitique tenax
Facies æraſque iubebant
Credere adulterium; prohibebant credere mores.
Sæpe ſuum ferucns oculis fert ira furorem.
Immenſa eſt, fineinque potentia cœli
Non habet.
Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners pauperque voluntas.
Idem in nono.
Quis enim ſua prælia victus
Commemoraſſe velit.
Iura ſenes norint, & quod liceatque nefaſque.
Faſque ſit inquirant legumque examina ſeruent.
Non vaccam vaccæ, nec equas amor vrit equarum.
Vrit oues aries, ſequitur ſua fœmina taurum,
Sicque & aues coeunt, interque animalia cuncta.
Fœmina fœmineo corrupta cupidine nulla eſt.
Idem in decimo.
Nil proſunt artes, erat immedicabile vulnus,
Vt ſiquis violas rigunoque papauera in horto,
Liliaque infringat fuluis hyentia linguis,
Marcida demittant ſubito caput illa granatum,
Nec ſe ſuſtineant, ſpectentue cacumine terram:
Sic vultus moriens iacet, defecta vigore,
Ipſa ſibi eſt oneri ceruix humeroque reeumbit,
Retinet malus ardor amantem.
Omnia debentur morti, paulumque morari.
Serius aut citius, ſedem properamus ad imam:
Tendimus hac omnes, hæc eſt domus vltima.
Inter audaces non eſt audacia tuta.
Audentes Deus ipſe iuuat.
Item in 11.
Auarus
Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia.
Exitus in dubio eſt.
Credita res auctore ſuo eſt.
Quis enim laudauerit hoſtem.
Et obeſt quoque gloria multis.
Idem in duodecimo.
Tutius eſt contendere verbis
Quam pugnare manu.
Ex re nomen habet.
Pauperis eſt numerare pecus.
Turpis ſine frondibus arbor.
Turpis equus niſi colla iubæ flauentia velent.
Pluma tegit volucres, ouibus ſua lana decori eſt,
Barba viris.
Idem in decimo tertio.
Inuia virtuti nulla eſt via,
Item in decimo quinto.
Morte carent animæ.
Cuncta fluunt;
Nihil eſt quod toto perſtet in orbe:
Ipſa quoque aſſiduo voluuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen (nec enim conſiſtere flumen,
Nec leuis aura poteſt) ſed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturque eadem veniente vrgetque priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur.
Corpora vertuntur, nec quod fuimusue ſumusue,
Cras erimus.
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aera tranſit.
Hic in aquas: tellus glomerata cogitur vnda.
Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumque nouatrix.
Ex alijs alias reparat natura figuras.

Floſculi libri Faſtorum.

Cap. XCVIII.

IDem in libro primo de Faſtis.
Proſpera lux oritur, linguis animiſque fauete.
Nunc dicenda bona ſunt bona verba die.
Iuppiter arce ſua totum cum ſpectet in orbem;
Nil niſi Romanum quod tueatur, habet.
Tempore creuit amor: qui nunc eſt ſummus habendi,
Vix vltra, quod iam progrediatur, habet
Pluris opes nunc ſunt, quam priſci temporis annis.
Dum populus pauper dum noua Roma fuit.
At poſtquam fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit ſummo vertice Roma Deos:
Creuerunt & opes, & opum furioſa libido:
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
In precio precium nunc eſt: dat cenſus honores,
Cenſus amicitias pauper vbique iacet.
Nequitia eſt quæ te non ſinit eſſe ſenem.
Faſtus ineſt pulchris: ſequiturque ſuperbia formam.
Conſcia mens, vt cuique ſua eſt: ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.
Item in ſecundo.
Quid non amor improbus audet.
Item in tertio.
Habent paruę commoda magna morę.
Sollicitæ mentes ſpeque metuque pauent.
Idem in quarto.
Conſcia mens recti, famæ mendacia ridet.
Sed nos in vitium credula turba ſumus
Idem in quinto.
Vt ſtat & incertus, neſcit ſibi qua ſit eundum:
Cum videt ex omni parte viator iter.
Cum iuuenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipſa vigent,
Nos quoque tangit honor, feſtis gaudemus & aris.
Turbaque celeſtes ambitioſa ſumus.
Iuſtum præterit ira modum.
Scilicet interdum miſcentur triſtitia lætis.
Regia res ſcelus eſt.
Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum iudex, alios quod monet, ipſe facit.
Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis.
Effugiunt freno non remorante dies.

Floſculi libri Triſtium.

Cap. XCIX.

IDem in libro primo de Triſtibus.
Carmina proueniunt animo deducta ſereno.
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia querunt,
Carminibus metus omnis abeſt,
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis
Terretur minimo pennæ ſtridore Columba
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.
Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum:
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Dum iuuat & vultu ridet Fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.
Vix duo tresve mihi de tot, ſupereſtis, amicis,
Cætera Fortunæ non mea turba fuit.
Tot mala ſum paſſus quot in æthęre ſydera lucent:
Paruaque quot ſiccus corpora puluis habet.
Illud amicitiæ ſanctum & venerabile nomen,
Re tibi pro vili, ſub pedibuſque iacet.
Donec eris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Mobile ſic ſequitur Fortunæ lumina vulgus.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quolibet inuiſo Cæſar in hoſte probat.
Sæua neque admiror metuunt ſi fulmina: quorum
Ignibus afflari proxima quæque ſolent.
Pietas eſt etiam miſeris & in hoſte probatur.
Interdum audaces cogimur eſſe metu.

Idem in ſecundo.

Sed miſi peccaſſem quid tu concedere poſſes.
Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.
Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.
Heu mihi cur feci? cur noxia lumina vidi?
Non prodeſt quod non læedere poſſit idem.
Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui.
Eripit interdum, modo dat medicina dolorem.
Omnia peruerſas poſſunt corrumpere mentes:
Sunt tamen illa ſuis omnia tuta locis.
Quod minime nouit nemo docere poteſt.
Crede mihi diſtant, mores à carmine noſtri.

Adhuc de eodem.

Cap. CXX.

Idem in tertio.

Ingenio vixi Naſo Poeta meo.
Viue tibi & longè nomina magna fuge.
Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper;
Propoſitique tui, contrahe vela, precor:
Quanto quis maior, tanto placabilis iræ.
Et faciles motus mens generoſa capit.
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.
Denique non poſſum nullam ſperare ſalutem.
Cum non ſit pœnę cauſa cruenta meæ,
Inſcia quod crimen viderunt lumina plector:
Peccatumque oculos eſt habuiſſe meum.
Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit.
Cumque aliquis dicet fuit hæc formoſa: dolebit,
Et ſpeculum mendax eſſe querere tuum.
Largitur quodcunque libet Fortuna rapitque.
Eſt gracilis ſubito, qui modo craſſus erat.

Idem in quarto.

Eſt quædam flere voluptas;
Expletur lachrymis egeriturque dolor:
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Quam miſerum eſt vitam porta, muroque tueri,
Vixque tui tutum viribus eſſe loci,
Deſine tuta tueri,
Deque fide certa ſit tibi certa fides.
O qui nominibus cum ſis generoſus auorum,
Exuperas morum nobilitate genus.
Qui duo corporibus mentibus vnus erant.
Littora quot conchas, quot amæna roſaria flores,
Quotque ſoporiferum grana papauer habet:
Silua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,
Tot premor aduerſis.
Fert ſapiens omnes caſus patienter amaros,
Frena nec indomiti more recuſat equi,
Scilicet, aduerſis probitas exercita rebus,
Materiam triſti tempore laudis habet,
Strangulat incluſus dolor, atque æſtuat intus,
Cogitur & vires multiplicare ſuas.
Turpius eijcitur quam non admittitur hoſpes.
Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat.
Permanet in nullo certa tenaxque loco;
Sed modo læta manet, modo vultus ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.
Ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo quam fuit ante, minus.
Fertilis aſſiduo ſi non renouetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.
Contudit ingenium patientia longa malorum:
Non paruas animo dat gloria vires
Et fœcunda facit pectora laudis Amor,
Eſſe bonum facile eſt, vbi quòd vetet eſſe remotum.
Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet:
Quæ manet, inſtabili cum fugit illa pede.

Floſculi libri de Ponto.

Cap. CXXI.

Idem in libro de Ponto.

Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.
Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non eſt in medico ſemper relcuetur, vt æger.
Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Hoſtis adeſt dextera, leuaque à parte timendus.
Vicinoque metu terret vtrumque latus.
Ceynis vt ignauum conſumant ocia corpus.
Et capiant vitium ni moueantur aquæ.
Parcendum eſt animo miſerabile vulnus habenti.
Quamuis ſit ſemper meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Veneris damnoſa libido.
Non ſolet in mæſtos ſæpe venire thoros.
Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offenſi numinis horret opem.
Fortuna miſerrima tuta eſt,
Nam timor euentus deterioris abeſt.
Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas.
Accipitrem metuens alis trepidantibus ales,
Audet ad humanos feſſa venire ſinus.
Non eſt confeſſi cauſa tuenda rei.
Vulneris id genus eſt, quòd cum ſanabile non ſit.
Non contrectari tutius eſſe puto.
Tendit in ardua virtus.
Et cum Fortuna, ſtatque cadítque Fides.
Nec facile inuenies multis in millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil niſi quod prodeſt, carum eſt; en detrahe menti
Spem fructus, auidè nemo petendus erit.
At reditus iam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit,
Vtile ſollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen,
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.
Diligitur nemo, niſi cui fortuna ſecunda eſt:
Quæ ſimul intonuit, proxima quæque fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit ventis aura ſecunda meis:
Vt fera nimboſo tumuerunt æquora vento.
In medijs lacera naue relinquor aquis.
Sponte ſua probitas officiumque iuuat.
Mercede caret per ſeque petenda eſt,
Externis virtus incomitata bonis.
Scilicet, ingenijs aliqua eſt concordia iunctis.
Et ſeruat ſtudij fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.
Vulgus amicitias vtilitate probat.
Turpe erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe ſequi caſum, & Fortunæ cedere, amicum
Et niſi ſit fœlix, eſſe negare ſuum.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Adhuc vnde ſupra.

Cap. CXXII.

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo.
Omnibus æra cibis vnca ſubeſſe putat.
Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit.
Ille etiam vires corpus habere facit
Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nomen amicitiæ barbara corda mouet.
Lædere vinos
Liuor & imiuſto carpere dente ſolet.
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Iuppiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pati.
Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.
Scribentes iuuat ipſe fauor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens pectore feruet opus.
Quid mel Ariſtæo, quid Baccho vina valerent,
Triptolemo fruges poma data Althinoo,
Excitat auditor ſtudium laudataque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.
Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuere ruunt.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.
Vix habet in nobis iam noua plaga locum.
Quem non obrueret, taciti quoque Cæſaris ira?
Addita ſunt pœnis aſpera verba meis.
Sunt quippe inter ſe communia ſacra Poetis,
Diuerſum quamuis quiſque ſequatur iter:
Ne factum defende tuum; mala cauſa ſilenda eſt,
Nil niſi ſollicitæ ſint tua verba preces,
Nec, tua ſi fletu ſcindantur verba, nocebit,
Interdum lachrymæ pondera vocis habent.
Et genus eſt mortis male viuere,
Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.
Læta quidem lętus cæcini, cano triſtia triſtis,
Conueniens operi pondus vtrumque ſuo eſt,
Crede mihi, miſeros prudentia prima reliquit
Et ſenſus cum re conſiliumque fugit.
Res immoderata cupido eſt.
Quod fecit quiſque tuetur opus.
Tu modo ſic timeas, & quæ tibi læta videntur
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

Author. Hæc ad præſens, de dictis Ouidij, cauſa breuitatis ſufficiant.

De Valerio Maximo, & dictis eius.

Cap. CXXIII.

PRæterea temporibus Auguſti fuit Valerius Maximus ſicut apparet ex ipſo eiuſdem volumine, quoniam de dictis, & factis memorabilius antiquorum, maximeque virorum qui apud gentiles, & Romanos & Græcos habebantur famoſi vel illuſtres, addens etiam ex proprijs quædam ad virtutum commendationem, & vitiorum deteſtationem pertinentia, luculento ſermone conſcripſit. In cuius 8. vel 9. libro (niſi fallor) ita dicit: Diuus, inquit, Auguſtus, qui nunc imperat. Ex hoc ipſius grandi volumine plurima quoque in hoc opere per diuerſa loca inſerui, iuxta congruentiam temporum illorum quorum illa dicta vel facta fuerunt. Multa tamen adhuc in eiſdem libris facta, & dicta notabilia reſtant quorum certa tempora reperire non potui, multa quoque dicta egregia ipſius auctoris id eſt Valerij. Idcirco etiam ex eis hæc pauca quæ ſequuntur in hoc loco inſerere volui in hunc modum.

De dictis eius moralibus.

Cap. CXXIIII.

Iuuenal. Satyr. 1. Quis ſercula ſeptem ſecreto canauit anus.

VAlerius *in libro* 1. Lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatemque, ſupplicij grauitate compenſat.

Idem in ſecundo cap, 5. Fuit antiquorum illa ſimplicitas in cibo capiendo, humanitatis ſimul, & continentię index certiſſima: Nam maximis viris prandere, & cænare in propatulo, non erat verecundiæ; quia nec vllas epulas habebant, quas oculis populi ſubiicere erubeſcerent.

Aliquanto facilior eſt tranſitus virtutis ad Luxuriam, quam Luxuriæ ad virtutem.

Vini vſus olim fœminis Romanis ignotus fuit, ſcilicet ne in aliquod dedecus prolaberentur.

Dulcedo vitæ multa, & facere, & pati turpiter cogit.

Humanæ imbecillitatis efficaciſſimum duramentum, eſt neceſſitas.

Quid prodeſt foris eſſe ſtrenuum ſi domi male viuitur.

Idem in 3. Publica religione conſecrata virtus, priuata laudatione non indiget.

Idem in 4. Nihil tam præclarum, aut tam magnificum eſt, quod non moderatione temperari deſideret.

Illa potentia tuta eſt, quæ viribus ſuis modum imponit.

Locupletem facit aliquem non multa poſſidere, ſed modica deſiderare.

Verecundia parens eſt omnis honeſti conſilij, tutela ſolemnium officiorum, innocentiæ magiſtra, chara proximis, accepta alienis, omni loco, & tempore fauorabilem præferens vultum. *Laus verecundiæ ex cap. 5. dicti libri.*

Quidam excellentis pulchritudinis adoleſcens Spurina nomine, cum mira ſpecie plurium fœminarum ſolicitaret oculos, ideoque viris atque parentibus earum, ſe ſuſpectum eſſe ſentiret; oris decorem vulneribus confudit; deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit.

Gentis Cariæ Regina Artemiſia virum ſuum Mauſolum fato abſumptum, quantopere deſiderauit, cuius ipſa viuum ac ſpirans ſepulchrum fieri concupiuit, eorum teſtimonio qui illam extincti oſſa potione aſperſa bibiſſe tradunt. *Gell. 10. cap. 18. Cicer. Tuſ. 3.*

Nulla tam modeſta fœlicitas eſt, quæ malignitatis dentes vitare poſſit.

Alienis incommodis ſuorum adhue expertes inſultant.

Optima vindex inſolentiæ, varietas conditionis humanę.

Liberalitatis duo ſunt maxime fontes probabiles, verum iudicium, & honeſta beneuolentia.

Ex eodem.

Cap. CXXV.

IDem *in lib.* 5. Humanitatis dulcedo etiam inefferata barbarorum ingenia penetrat, orboſque, & truces hoſtium oculos mollit, & inter diſtrictos mucrones placidum iter reperit.

Nulla acerbitate fortunę, nullis ſordibus precium caræ pietatis euileſcit; quin etiam eo certius, quo miſerius experimentum habet.

Sanguinis ingenui mulierem, prætor apud tribunal ſuum capitali crimine damnatam, & in carcere necandam tradidit: Is autem qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non eam protinus ſtrangulauit, aditum quoque filię, ſed diligenter excuſſæ, ne quid ſibi inferret, dedit; futurum exiſtimans vt inedia conſumeretur. Pluribus autem iam tranſactis diebus ſecum ipſe quærens quid nam eſſet, quod tandiu ſuſtentaretur curioſius obſeruans, animaduertit filiam, exerto vbere famem matris ſui lactis ſubſidio lenientem. Quæ tam admirabilis ſpectaculi nouitas ad iudices perlata remiſſionem mulieri impetrauit. Quo enim non penetrat, aut quid non excogitat Pietas, quid enim tam inuſitatum, & inauditum, quam matrem natæ vberibus alitam? putaret hoc aliquis contra rerum naturam factum? niſi parentes diligere prima naturæ lex eſſet. *Plinius lib. 7. cap. 36. Valerius lib. citato cap. 4.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem de pietate Perus prædicatur, qua patrẽ ſuum * Cimona conſimili fortuna affectum, parique cuſtodia traditum, iam vltimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo ad motum aluit. Hærent oculi hominum atque ſtupent cum huius facti pictam imaginem vident. Cæteræ quidem virtutes admirationis multum; pietas autem etiam amoris meretur plurimum. Hanc pietatem proximus fraternæ beneuolentiæ gradus excipit. Nam ſicut merito primum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia è parentibus accepiſſe; ita proximum iudicari debet ab eiſdem ſimul accepiſſe. Quam copioſæ enim ſuauitatis illá recordatio eſt? in eodem domicilio antequam naſcerer, habitaui; in eiſdem cunabulis infantiæ tempora peregi, eoſdem parentes appellaui. Chara eſt vxor, dulces liberi, iucundi amici, affines accepti, ſed poſtea cognitis nulla beneuolentia debet accedere; quæ priorem exhauriat.

* *alias Conoua.*

Ouid. Metamor. 15. Plin. 11. c. 37.

Genetio prætori portum egredienti, noui generis prodigium incidit. Nam in eius capite ſubito velut cornua irrepſerunt. Reſponſumque eſt eum Regem fore, ſi in vrbem reuertiſſet. Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum ſibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quòd ad ſolidam gloriam attinet ſeptem regibus præferatur.

Ex eodem.

Cap. CXXVI.

Idem in lib. 6. Cæſellius iuriſperitus cum de patribus liberius multa loqueretur, ab amicis ne hoc faceret admonitus, duas res quæ hominibus amariſſimæ videntur, magnam ſibi licentiam præbere reſpondit, ſenectutem, videlicet & orbitatem.

Valerius ibid. cap 4. Liu. 26.

Manlius cum ei conſulatus omnium conſenſu deferretur, & ille ſub excuſatione aduerſæ valetudinis oculorum, eum recuſaret; inſtantibus cunctis, alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem tranſferatis; nam ſi me eum gerere coegeritis, nec ego mores veſtros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.

Liu. 70. Cicero in Bruto & de orator. 1.

Rutilius cum amici cuiuſdam iniuſtæ rogationi reſiſteret, iſque cum indignatione dixiſſet; quid ergo opus mihi eſt amicitia tua, ſi quod rogo non facis? reſpondit, immo quid mihi tua, ſi propter te, aliquid inhoneſtè facturus ſim?

Valerius ibid. cap. 8.

Antonius orator clariſſimus, cum inceſti reus ageretur, accuſatores ſeruum eius in iudicio poſtulabant, eo quod ab eo cum ad ſtuprum iret, lanternam prælatam contenderet, qui Antonium hoc nomine vehementius confuſum atque ſolicitum, vltrò hortatus eſt, ne ſe iudicibus torquendum traderet; affirmans nullum ex ore ſuo verbum exiturum quod cauſam eius læderet. Itaque plurimis verberibus laceratus, eculeoque impoſitus, candentibus etiam laminis vſtus, omnem vim accuſationis, cuſtodia rei ſalute, ſubuertit, pium & fortem gerens ſpiritum, ſeruili nomine incluſum.

Appianus & Macrobius Sat. 4.

Panopionis quoque ſeruus quam admirabilis fidei! cum ad Dominum proſcriptum occidendum, milites veniſſe cognoſceret: mutata cum eo veſte, permutato etiam annulo, illum poſtico clam emiſit: ſe autem in cubiculum lectulumque recepit: & vt Panopionem occidi paſſus eſt.

Caduca nimium hæc & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundijs ſunt iſta, quæ vires & opes humanæ vocantur: affluunt enim ſubito, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo flatu, huc & illuc acta quos in ſublime extulerunt, improuiſo decurſu deſtitutos profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaque nec exiſtimari nec dici bona debent: cum inflictorum malorum magnitudine deſiderium ſui duplicent.

Iterum ex eodem.

Cap. CXXVII.

Idem in ſeptimo libro cap. 2. Imperium noſtrum non tam robore corporum, quam vigore animorum, incrementum ac tutelam ſui comprehendit.

Humanæ fœlicitatis appellationem rogus conſumat, qui ſe incurſui malorum obijcit.

Rex ipſe ſubtilis iudicij (quem ferunt) traditum ſibi diadema priuſquàm capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe ac dixiſſe: O nobilem magis quam fœlicem pannum! quem ſi quis penitus, quàm multis ſolicitudinibus, periculis, ac miſerijs ſit refertus, cognoſceret, ne humi quidem iacentem tollere vellet.

Aliquid inutiliter cupere, & in eo perſeueranter morari, hæc dulcedo vicina eſt exitio.

Idem in 8. lib. Bonæ fidei venditorem, nec cõmodorum ſpeciem augere, nec incommodorum cognitionem obſcurare oportet.

Licinius Stolo cum legem ſanxiſſet, ne quis amplius quam quingenta agri iugera poſſideret, ipſe mille comparauit, ob hoc à Popilio accuſatus, primus lege ſua cecidit, docuitque nihil aliud debere præcipi: niſi quod prius imperauerit quiſque ſibi.

Ibidem cap. 8.

Otium quidem induſtriæ ſtudio maximè videtur contrarium, præcipuè verò ſubnecti debet non quo euaneſcat virtus, ſed quo recreetur.

Ibidem cap. 10.

Hominem quippe rerum natura, continui laboris patientem eſſe non ſinit.

Eloquentiæ ornamenta, in pronunciatione apta & conuenienti corporis motu conſiſtunt, quibus cum ſe quis inſtruxerit, tribus modis homines aggreditur ſcilicet aures eorum penetrando, oculos demulcendo, animos inuadendo.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXVIII.

Idem in lib. 9. cap. 1. Blandum malum luxuria quam accuſare aliquantò facilius eſt, quam vitare, inſeratur operi noſtro, non vt honorem vllum recipiat, ſed vt ſeipſam cognoſcens, ad pœnitentiam impelli valeat.

Quid de fœminis vlterius loquar: quas & imbecillitas mentis, & grauiorum operum negata affectatio omne ſtudium ad curioſiorem ſui cultum hortatur conferre: cum & nominis & animi excellentes viros, in hoc priſcæ continentiæ ignotum diuerticulum videam prolapſos eſſe.

Quid vitijs fœdius? quid etiam damnoſius, quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur.

Iuſtin. 38. Liu. 59.

Antiochus Syriæ Rex cuius cæcam & amentem luxuriam exercitus eſt imitatus, magna ex parte clauos aureos crepidis ſubiectos habuit: argenteaque vaſa ad vſum culinæ comparauit: & tabernacula textilibus ſigillis adornata ſtatuit: auaro potius hoſti optabilis præda, quam vlla ad vincendum ſtrenuo mora.

Ibid. cap 2.

Crudelitatis horridus eſt habitus, truculenta ſpecies, vox terribilis, ora minis & cruentis imperijs referta, cui ſilentium dare incrementum eſt.

Ibid. cap. 3.

Iræ & odij affectus magnos in pectoribus humanis excitant fluctus, illa pro curſu celerior, hoc nocendi cupidine pertinacius: vterque conſternationibus plenus affectus: ac nunquam ſine ſuo tormento violentus: quia dolorem cum inferre vult, patitur amara ſolicitudine; ne vltio non contingat, anxius: ſed proprietatis eorum imagines certiſſimæ ſunt, quas Dij ipſi in claris perſonis, aut dicto aliquo aut facto vehementiore conſpici volunt.

Ibid. cap. 4.

Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

prædæ vorago auidiſſima, neque habendi fructu fœlix, & quærendi cupiditate miſerrima. Hæc ante omnes Septimulei præcordia poſſedit, qui cum Gracchio familiaris fuiſſet, caput eius abſcindere, ac per vrbem palo fixum ferre ſuſtinuit; quia Opimius conſul auro ei repenſurum edixerat. Sunt etiam qui tradant eum liquato plumbo cauatam partem capitis, quo ponderoſius eſſet, impleſſe.

Odioſa Septimulei auaritia, Ptolemæi vero regis Cypriorum riſu proſequenda: Nam cum anxijs ſordibus magnas opes corripuiſſet, ac propter eas periturum ſe videret; ideoque omni pecunia nauibus impoſita, in altum proceſſiſſet; vt claſſe perforata ſuo periret arbitrio; & hoſtis præda careret, aurum & argentum mergere non ſuſtinuit; ſed futurum necis ſuæ præmium domum reuexit. Hic proculdubio non poſſedit diuitias ſed à diuitijs poſſeſſus eſt: titulo Rex inſulæ, animo vero pecuniæ mancipium miſerabile.

Ex eodem.

CAP. CXIX.

Valerius lib. 9. cap 6.

OCcultum iam & inſidioſum malum perfidia latebris ſuis extrahatur, cuius efficaciſſimæ vires ſunt mentiri & fallere, fructus autem in aliquo admiſſo ſcelere conſiſtit: tum certus, cùm crudelitatem nefarijs vinculis circundederit, tantum incommodi afferens humano generi: quantum ſalutis bona fides præſtat: habeat igitur non minus reprehenſionis, quàm illa conſequitur laudis.

Temeritatis etiam vehementes ſunt impulſus, quorum ictibus hominum mentes concuſſæ, nec ſua pericula conſpicere, nec aliena facta iuſta examinatione proſequi valent. *Ibid. cap. 8.*

Temeritati proximus eſt error, & ad lædendum par, cui tamen facilius quis ignoſcat: quia non ſua ſponte, ſed vanis concitatus imaginibus culpæ ſe implicat. *Cap. 9.*

Humanæ vitæ curſus modo tranquillo motu peragitur, modo aſpero, ſed ſemper minor, dum & cupidè votis extenditur, & ferè ſine ratione conſumitur. *Cap. 12.*

Vix veriſimile eſt in eripiendo ſpiritu idem gaudium potuiſſe quod fulmen: & tamen idem valuit: nunciata etenim clade, quæ ad lacum Thraſimenum inciderat: Mulier vna ſoſpiti filio ad ipſam portam obuia facta, in eius complexu expirauit: altera quoque cum falſo filij nuncio mæſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt: ſicque quas dolor non extinxerat, lætitia conſumpſit: ſed minus mirum, quia Mulieres.

Thalna conſul, dum in Corſica quam nuper ſubegerat, ſacrificaret: receptis litteris decretas ei à ſenatu ſupplicationes nunciantibus: intento illas animo legens, orta caligine, ante foculum collapſus mortuus eſt: quem quid aliud quàm nimio gaudio enectum putemus.

Corporis & animæ ſocietas infirmo vinculo cohærens, facilè dirimitur. Minimoque ſtudio bonum retinendum eſt, cuius caduca poſſeſſio, tam leuis afflatu violentiæ concuſſa dilabi poteſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER SEPTIMVS.

De Imperio Tiberij Cæsaris, & bonis eius initijs.

CAP. I.

Tiberius Cæsar. M. 3969.

EVSEBIVS. Mortuo igitur Augusto, Romanorum tertius regnauit Tiberius annis viginti tribus. Cæpit autem anno Domini decimosexto; scilicet, ab initio mundi tertio millesimo nongentesimo sexagesimo nono.

Suetonius libro tertio. Hic ciuilem se admodum inter initia principatus, ac paulominus quàm priuatim egit, ex plurimis maximisque honoribus, præter paucos & modicos non recepit. Prænomen IMPERATORIS, cognomenque PATRIS PATRIÆ, & ciuicam in vestibulo coronam recusauit. Adulationes adeò aduersatus vt consularem satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugit vt caderet supinus. Atque etiam si quid in sermone, vel continua oratione, blandius de se diceretur: non dubitaret interpellare, ac reprehendere: & commutare continuo. Sed & aduersus conuitia maloſque rumores, & famosa de se & suis carmina: firmus ac patiens, subinde iactabat: *in ciuitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* In appellandis venerandisque singulis, & vniuersis, prope excesserat humanitatis modum. Curiam nunquam, nisi solus intrauit. Quædam aduersus sententiam suam decerni, ne quæstus quidem est. Consulibus palam erat ipsum quoque assurgere, & decedere via. Præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus rescripsit: *boni Pastoris est tondere pecus, non deglutire.* Ludorum ac munerum impensas corripuit. Adhibendum supellectili modum censuit: & parsymoniam publicam exemplo quoque iuuare. Senatorem quæstura remouit quod vxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset. Mathematicos vrbe expulsit, sed deprecantibus, ac se artem desituros promittentibus, veniam dedit.

Adulationes & externas carimonias compescit.

Mathematicos expellit.

De gulositate, ac crudelitate eiusdem.

CAP. II.

IN castris Tiro, etiam tum, ob vini nimiam auiditatem pro Tiberio, *Biberius*: pro Claudio *Calcius*: pro Nerone, *Mero* vocabatur: postea Princeps, in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuumque biduum epulando, potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confestim detulit. Ignotissimum quęsturæ candidatum nobilissimis antepositum: ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram. Asellio Sabino sextertia decem donauit, pro dialogo in quo Boleti, & Ficedulæ, & Ostreæ, Turdi certamen induxerat. Pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum, expeditionumque nunquam salario, cibarijs tantum sustentabat. Missiones vero veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, & ex morte compendium captans. Procedente mox tempore ad rapinas animum vertit. Satis constat Cn. Lentulum, cui census maximus fuerat, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & ne quo nisi ipso hærede moreretur, condemnatum. Cum soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cœnam proponere, & comperisset Seleucum Grammaticum à ministris suis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores: atque ita præparatum venire: primum conturbernio suo remouit: deinde etiam ad mortem compulit: militem prætorianum, ob surreptum è viridario Pauonem, capite puniuit. Nullus à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem & sacer. Accusatis damnatisque multis cum liberis: interdictum est etiam ne damnatos propinqui lugerent. Nemini delatorum fides abrogata: omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Obiectum est Poetæ, quod in tragædia Agamemnonem probris lacessisset: obiectum & historico, quòd *Brutum & Cassium vltimos Romanorum dixisset*; animaduersum est statim in auctores, scriptaque abolita: quamuis probarentur ante aliquot annos, & Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non solum studendi est solatium ademptus: sed etiam colloquij vsus. Citati ad causam

Munificentia eius rara.

Rapina Tiberij.

Exempla sæuitiæ eius & argumenta multa.

dicendum,

dicendum, partim ſe domi vulnerauerunt certi damnationis, ſed ad ignominiam vexationemque vitandã; partim in media curia venenum hauſerunt, & tamen colligatis vulneribus ac ſemianimes palpitanteſque adhuc in carcerem rapti ſunt: mori volentibus vis abhibita eſt viuendi. Nam mortem adeo leue ſupplicium putabat, vt cum audiſſet vnum ex eis Carnulium nomine, eam anticipaſſe, exclamauerit: *Carnulius me euaſit.* Precanti etiam cuidam pœnæ maturitatem reſpondit: *Nondum tecum in gratiam redij.*

De forma, & geſtis, ac ſtudijs eius.

Cap. III.

Forma Tiberij & ſtatura.

Corpore fuit amplo atque robuſto; ſtatura, quæ iuſtam excederet; latus ab humeris & pectore; cæteris quoque membris vſque ad imos pedes æqualis & congruens; ſiniſtra manu agilior, & validior; articulis ita firmis, vt recens & integrum malum digito terebraret; oculis prægrandibus & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam in tenebris viderent, ſed ad breue; & cum primum è ſomno patuiſſent, deinde rurſum hebeſcebant. Incedebat ceruice rigida & obſtipa, abducto fere vultu, plerumque tacitus. Nullo aut rariſſimo ſermone etiam cum proximis, eoque tardiſſimo nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quæ omnia ingrata erant, atque arrogantia plena. Valetudine proſperrima vſus eſt.

Valetudo & contemptus Religionum.

Circa Deos, & Religiones negligentior; plenuſque perſuaſionis Mathematicæ, cuncta fato agi putans; tonitrua tamen præter modum expaueſcebat; & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream capite geſtabat; quod fulmine afflari negetur id genus frondis.

De ſtudio eius.

Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit; affectatione, & moroſitate nimia ſtylum obſcurabat in oratione, vt aliquanto ex tempore quam à cura præſtantior haberetur.

De famoſo Paulinæ ludibrio, in templo Iſidis.

Cap. IIII.

Giſippus in lib. 2. Temporibus huius Tiberij ſub quo paſſus eſt Dominus, famoſum ludibrium Paulinæ ſpectatiſſimi generis fœmine Romæ percelebratum eſt. Quæ cum eſſet præſtantiſſimi decoris, & eminentis gratię, tentata Decij Mundi militiæ ducis precibus, nec inflexa, vitio ſuperſtitionis patuit errori. Nam ſubornatis Iſidis Sacerdotibus, qui velut Annubis mandata præferrent ad eam: quod eam ad templum inuitaret; delectatumque ſe eius ſedulitate, & pudicitia, habere quod ei ſecreta nocte committere vellet. Hæc illa læta accipiens: ad Maritum detulit, Deum ſuis adeſſe votis, ab eo ſuam poſci præſentiam, negare ſe non poſſe obedientiam. Itaque & ex ſua & ex mariti ſententia pergit ad templum Iſidis, noctem exigit, remotiſque procul arbitris, quaſi ſacri myſterij cognitionem perceptura; ſefe ſtratis ſuis compoſuit, æſtimans quod ad eam Deus ſuus veniret in ſomnis. Verum vbi aliquid noctis proceſſit, quo facilius ſomno plena deciperetur Mundus aſſumpto Anubis vultu, atque habitu aduenit, & in oſcula eius ruit. Expergefacta muliere, Anubem ſe eſſe dicit: Illa Deum eſſe credens, & ſe beatam eſſe aſſerens, quod eam viſitare dignatus ſit, amplexum petenti non negauit, prius tamen referens, vtrum Deus homini miſceri poſſit? ille promit exempla, quod & Iouem ſummum Deorum Alcmena ſuſcepit; & plures aliæ Deos peperierunt; de ſe quoque & ille ſuadet Deum eſſe generandum: mulier itaque poſt concubitum redit ad Maritum nomine Saturninum lætior, dicens, quod Deo ſit mixta, & eius promiſſione Deum generatura. Fit ingens in ſtupro mulieris Mariti gaudium, poſtea occurrit mulieri Mundus, & ait: Beata, Paulina, concubitu Dei, magnus Deus Anubis; ſed diſce te ſicut Dijs, ita & hominibus non negare: quibus Dij tribuunt quod tu negaueras, quia nec formas ſuas nobis dare, nec nomina dedignantur. Ecce ad ſacra ſua Deus Anubis vocauit, & Mundum, vt tibi iungeretur? Quid ergo profuit tibi duritia tua, niſi vt te 200. Drachmarum millia quæ tibi obtuleram compendio defraudaret? Mulier ſe illuſam intelligens, & dolens iniuriam pudicitiæ, fraudem marito confeſſa eſt, & ille Principi quærulam detulit, qui motus potentis viri contumelia, atque atrocis flagitij commento, Sacerdotes è templo rapit: quæſtioni ſubiicit, confeſſos necat: ſimulacrum Iſidis tyberi demergit: Mundo autem fugiendi poteſtas permiſſa eſt, eo quod amoris, & formę gratia ſuperatus, lenius æſtimaretur mulctandus. Quod igitur ludibrium imperante Tiberio acciderit, prætereundum non putaui, vt ex eo colligatur deformitas imperatoris; ſicut enim boni Principis vita quædam bonitatis præſcriptio & viuendi forma eſt, ſic eius colluuio, lex flagitiorum eſt.

Hæc Hiſtoria legi poteſt in Ioſepho, libro decimo octauo Antiquitatũ Iudaicarum cap. 4.

De Herode Tetrarcha, & Procuratore Iudææ Valerio, & poſt de Pilato.

Cap. V.

Euſebius in chronicis. Anno Tiberij primo regnauit Herodes Tetrarcha, poſt Archelaum annis 24.

Caius Aſinius orator, Aſinij Pollionis Filius, cuius & Virg. meminit; diris à Tiberio ſupplicijs enecatur.

Anno eiuſdem tertio, Liuius hiſtoriographus Pataui moritur.

Ouidius poeta in exilio perit, & iuxta oppidum Thomos ſepelitur.

Anno 5. 13. vrbes corruerunt terræmotu, Epheſus, Magneſia, Sardis, Moſthene, Megaechyero, Cæſarea, Philadelphia, Himolus, Themis, Cyme, Myrhyna, Apollonia, Diahircania.

Comeſtor cap. 27. Porro Tiberius Auguſti ſucceſſor, vxoris eius Iuliæ filius, Valerium Gratum Procuratorem miſit in Iudæam, qui quæſtum putans pietatem, palam vendebat ſacerdotij principatum: & amouens Annam, Iſmaelem Pontificem declarauit. Sed & hunc non poſt multo abijciens, Eleazarum Annæ filium ſurrogauit poſt annum & hunc arcens Symonem inſtituit; ſed & poſt annum Ioſippum, qui & Caiphas appoſuit. Tum poſt annos 11. relinquens Iudæam, Romam reuerſus eſt; cuius ſucceſſor miſſus eſt à Tiberio pontius Pilatus, ſub quo Herodes in honorem Tiberij, Tiberiadem ædificauit.

Lege Ioſephũ lib. 18. *cap.* 3.

De odio Iudæorum in Pilatum.

Cap. VI.

His temporis Tiberius multos reges ad ſe vocatos non remiſit. Inter quos Archelaum Capadocem retinens, regnum eius in prouinciam vertit, & Maſacham caput regni Cæſaream nominauit. Sane Pylatum Hieruſalem veniens, & ſtatuti Cæſaris, quæ in ſignis militaribus inerant ſecum ferens, ignorantibus Iudæis, eas in ciuitate conſtituit, Cæſareamque rediit. Cumque plurimi de Hieroſolymitis ad eum deſcendiſſent ſupplicantes de ſignis amouendis (nam ob legem Iudæorum qui præceſſerant Iudeæ Procuratores, ingredi abſque

Comeſtor c. 28.

Pilatus ſigna cum Cæſarieffigie in vrbem infert, quæ dii.

ſignis

populus acriter inſtat, Caſarem transfert. Nota.

ſignis conſueuerant) ſedit pro tribunali Pilatus, militeſque armatos circumponens, mortem eis minabatur, ſi non acquieuiſſent. At illi mortem potius eligebant, quam vt patrias leges profanarent. Admirans ergo Pilatus conſtantiam Iudæorum in legalibus conſtitutis, auferri præcepit imagines: iterum Pilatus Hieruſalem veniens videnſque vrbem aquæ penuria laborantem; aperuit Gazophilacia templi, & ex opibus templo dicatis, aquæ ductum cępit ædificare; ſuſpiciens initium torrentis, quod ſtadiorum duorum millium interuallo diſtabat. Iudæi vero acclamauerunt, vt ab illo opere ceſſaret. Ob hoc Pilatus multos Iudæorum occidit, pleroſque fauciauit. Intermiſſum eſt autem opus, quia Iudæi legationem accuſationis in Pilatum ad Tiberium direxerunt.

De prædicatione Ioannis Baptiſtæ, & baptiſmo Domini.

Cap. VII.

Comeſtor cap. 30.

Luc. 3.

ANno 15. Imperij Tiberij, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto, vt baptizans, & prædicans, ſolatium redemptionis renunciaret. Et venit in omnem regionem Iordanis, baptizans baptiſmate pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam baptizandos monebat; & non niſi quos pœnitentes videbat baptizabat, prædicans futurum baptiſmum in remiſſionem peccatorum, & pro cuius aſſuefactione etiam baptizabat.

De Chiliade incepta.

Eodem anno dicunt quidam ſextam Chiliadem incæpiſſe, quorum ratio hæc eſt, quia in hoc anno terminata eſt circunciſio, & inchoauit baptiſmus. Quidam ab incarnatione Domini initium eius ponunt; alij à paſſione Domini eam inchoaſſe teſtantur, dicentes ſextam & ſeptimam quieſcentium ſimul incepiſſe.

Matth. 3.

Vtebatur autem Ioannes Cilicio de pilis Camelorum, & zona pellicea & quodam Locuſtarum genere veſcibili vtebatur, & melle ſilueſtri. Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem vt baptizaretur ab eo.

Ob ſeptem cauſas voluit Chriſtus baptizari.

Author. Licet enim non haberet peccatum originale, tamen ſeptem de cauſis voluit baptizari ſecundum gloſſam. Primo ſcilicet vt baptiſmum Ioannis comprobaret: Secundo vt omnem iuſtitiam legis impleret, nolens ſcilicet legem alijs imponere, quam ipſe non ſeruaret; ideo etiam voluit circuncidi, & in templo offerri, & comedere typicum paſcha: Tertio vt exemplum humilitatis nobis præberet, ſcilicet in hoc quod à ſeruo baptizari dignatus eſt: Quarto vt tactu ſui ſacri corporis aquas ſanctificaret, id eſt vim regeneratiuam eis conferret: Quinto vt per viſibilem columbę aduentum, ſpirituſſancti aduentum inuiſibilem in lauacro baptiſmi oſtenderet: Sexto vt nemo quantumlibet ſecundus, baptiſmi gratiam ſuperfluam iudicaret. Septimo, vt per hoc quod baptizatur filius Dei, omnes renatos filios Dei, fratres ſibi faceret, ſiue oſtenderet.

Luc. 3.

Comeſtor cap. 33. Et ipſe Ieſus erat incipiens, quaſi annorum 30. id eſt triceſimum annum incæperat; 13. tamen diebus eiuſdem anni tranſactis; & ſecundum hoc vixit Ieſus tantum 32. & dimidio. Nam eadem die reuoluto anno, conuertit aquam in vinum, & in ſequenti paſcha ſcilicet 31. anni incarceratus eſt Ioannes: In paſcha autem ſequenti ſcilicet 32 anni decollatus eſt. In tertio denique paſcha ſcilicet 33. anni paſſus eſt Dominus. Et ita vixit 32. annis integris, & de 33. quantum fluxit temporis, à natali vſque ad paſcha; quod pro anno dimidio computatur. Chryſoſtomus tamen dicit eum iam compleuiſſe 30. annum: Et ſecundum hanc opinionem vixit Dominus 33. annis integris, & tantum de quarto quantum eſt à natali vſque ad paſcha.

De aetate Chriſti.

Chryſoſt. hom. 10. in Matth.

De columba & voce patris.

Cap. VIII.

Comeſtor cap. 34.

Matth. 3.

Marc. 1. Luc 3. Ioan. 1.

IEſu baptizato & orante pro baptizandis vt acciperent ſpiritumſanctum, confeſtim accendit de aqua, & ecce aperti ſunt cœli id eſt inæſtimabilis ſplendor factus eſt circa eum; ac ſi cœlo aereo, & ſidereo reſeratis ſplendor cœli Empyrei terris infunderetur, & ſpirituſſanctus corporali ſpecie columbæ venit & ſedit ſuper caput eius.

Author. Dicit gloſſa quod vera fuit columba id eſt verum corpus columbę formatum ad horam habuit; non quia ſpirituſſanctus illud corpus aſſumpſerit in vnionem; ſicut filius carnem: ſed tantum ad demonſtrationem ſcilicet vt videri inuiſibilis poſſet: & hoc vt ſpiritumſanctum in baptiſmo nobis dari oſtenderet. *Quod enim cœli aperti ſunt, quod ſpirituſſanctus venit, quod vox patris inſonuit*, hęc omnia ſunt nobis myſtica.

Cur in colũba venit Spiritus Sanctus?

Sed quare potius in columba venit quam in alia ſpecie: vt ſcilicet & naturę ſuæ ſimplicitatem, & eum in quem deſcendebat, mitem & miſericordem præconem oſtenderet; columba enim ſimplex eſt & manſueta. Item quia baptizatos replet ſemptem donis, quę ſignantur in columba, quibus contraria ſunt ſeptem vitia capitalia. Columba enim gemitum habet pro cantu; ecce ſpiritus timoris contra ſuperbiam: Alienos pullos tanquam ſuos nutrit, ecce ſpiritus pietatis, contra inuidiam: Super aquas ſedet vt accipitrem præuiſa in aquis vmbra declinet: ecce ſpiritus ſcientiæ contra iram: Ira enim mentem perturbat, vt non præuideat inſidias Diaboli, & ideo nec caueat, vnde dicitur ianua omnium vitiorum, quia

Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.

Proprietates columbæ deſignatæ in Spiritu Sancto.

Item nidificat in petra, ecce donum fortitudinis contra accidiam: Non viuit de rapina ſicut aliæ aues, quæ minimas auiculas inuadunt, quibus ſe & pullos nutriunt, ecce ſpiritus conſilij contra Auaritiam: Viſum recuperat, ecce ſpiritus intellectus contra luxuriam: quę hominem facit brutalem, *ſicut equum & mulum, quibus non eſt intellectus*: Puro grano veſcitur, ecce ſpiritus ſapientiæ, contra gulam. Dicitur enim ſapientia à ſapore. *Pſal. 6.*

Sed dicit gloſſa quod ideo ſuper dominum in columba, ſpiritus apparuit, quia nos per manſuetudinem colligere venit: Super diſcipulos autem in igne, quia eos ad conſumendam peccati rubiginem in ſe, & aliis, veniebat accendere.

Sed quæritur de columba iſta quid factum eſt? Dicit gloſſa quod ita de illa ſentitur, ſicut de aliis figuris in quibus Deus apparuit, quę expleto officio ſuo reſoluebantur in præiacentem materiam.

Comeſtor cap. 34. Tunc cognouit Baptiſta quod dixit ſe ante neſciſſe. Quia ſcilicet Chriſtus ſolus baptizaret, id eſt poteſtatem baptiſmi ſibi retineret, ſed baptizandi miniſterium aliis daret. Qui enim miſerat eum baptizare cum ſolitariam vitam duceret: hic etiam dixerat ei, quia multos baptizabis: ſed inter illos ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem, hic ſolus eſt, qui baptizat in ſpirituſancto. Et ecce vox patris audita eſt de ſublimi. *Tu es filius meus dilectus &c.* *Luc. 3.*

De ieiunio & tentatione Domini.

Cap. IX.

Author ex gloſſa. Tunc ſcilicet poſt baptiſmum ſine mora ductus eſt à ſpirituſancto, qui eum deſignauerat in baptiſmo, qui quos replet, mittit ad pugnam. & prębet eis fortitudinem, in deſertum: quod eſt inter Hieruſalem, & Hiericó, vbi figuraliter dicitur quidam incidiſſe in latrones: & reuera latrones ibi habitaſſe ad litteram probat ipſe locus, qui

Ieſus ductus in deſertum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qui dicitur domini id eſt ſanguis propter effuſionem ſanguinis, quæ ibi fiebat. Ideo autem dicit quod Samaritanus eadem via deſcendit, quia carne indutus filius Dei, qui eſt cuſtos hominum, eaſdem tentationes ibi ſuſtinuit. Ideo autem in deſertum duci voluit: id eſt in locum certaminis, quia in deſerto pugnatur aſperis; quoniam Adam in paradiſo delicijs affluens victus eſt oblectamentis. *Ductus eſt ergo in deſertum vt tentaretur à Diabolo.* Ideo tentari voluit, vt tentationes ſuperando, nobis poteſtatem ſuperandi tribueret, ſicut & mori, vt morte ſua, noſtram deſtrueret. Et hoc ſtatim poſt baptiſmum per hoc nobis inſinuans, quod poſt perceptionem gratiæ ſtatim ſequitur tentatio; illos enim pulſare negligit ſecundum Gregorium quos quieto iure ſe poſſidere ſentit.

Cur in deſertum duci voluit? Matth. 4.

Matth. 4. *Comeſtor cap. 35. Cum ergo ieiunaſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſurijt.* Exemplo ſane ipſius hic numerus in Eccleſia pœnitentialis eſt. Vnde & poſt Epiphaniam non ſtatim ieiunat Eccleſia, ſed circiter poſt 40. dies, quaſi ipſo tempore ieiunium ſuum eſſe conſecutiuum dominici ieiunij ſignans; ob hoc quoque vt per pœnitentiam oſtendamur ad requiem aſcendere, ſicut quadragenarius aſcendit ad quinquagenarium, eſt enim numerus ſuperabundans; & congregatis omnibus partibus ſuis aliquoties aſcendit ad quinquaginta. Mouebatur autem diabolus 40. dierum ieiunio, ſciebat enim tot diebus Moyſi legem datam fuiſſe, tot annos filios Iſrael in eremo pane Angelorum vixiſſe. Cum vero ſentit Dominum eſurire, quod non legitur de Moyſe & Helya, acceſſit vt tentaret, ſi eum poſſet deijcere in peccatum, & vt exploraret ſi eſſet Dei filius, quia audierat vocem hanc, *hic eſt filius meus*, quem ſciebat aliquando venturum; & ſe per eum poteſtatem amiſſurum, ſed vſque ad iudicium futurum non expectabat. Tentauit autem eum in eiſdem tribus, quibus Adam deiecerat; ſed non ordine eodem: Primo in gula, vt eſuriens panem videns, immoderato cibi appetitu accenderetur: Secundo de auaritia, vt ſuper montem oſtenderet ei omnia regna mundi: Tertio per ſuperbiam, vt iactanter oſtenderet ſe filium Dei. Tunc abiecit eum Dominus, vt conſumpta omni tentatione ad quam venerat, receſſit Lucifer à Domino ad tempus: Tempore paſſionis redijt timore mortis putans eum deijcere. Tunc autem omnino victus, religatus eſt in inferno; in diebus Antichriſti ſoluendus, ſecundum Apocalypſim Ioannis. Credendus eſt autem hominis aſſumpſiſſe formam, in qua Dominum circumducere & colloqui poſſet ei.

Tentauit Lucifer Ieſum in tribus.

De prima vocatione diſcipulorum.

CAP. X.

Comeſtor cap. 36. Ioan. 1. QVadam autem die ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, quorum vnus erat Andreas, & videns Ieſum ambulantem, dixit ei: *Ecce Agnus Dei;* Ob hoc illi duo eius diſcipuli ſecuti ſunt Ieſum, vt viderent, vbi maneret. Inueniens autem Andreas Simonem fratrem ſuum, dixit ei: *Inuenimus Meßiam*, & duxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit: *Tu es Simon Bariona, tu vocaberis Cephas*, quod eſt interpretatum Petrus. *Bariona* Hebræum eſt, & ſonat filius * Iona, compoſitum ex corrupto, & integro: *Cephas*, Hebræum eſt & Syrum. *Petrus*, Græcum & Latinum. In craſtino volens Ieſus redire in Galileam, inuenit Philippum, & dixit ei. *Sequere me.* Hic inueniens Nathanaelē fratrem ſuum, adduxit eum ad Ieſum, quo veniente ad ſe, ait Ieſus: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.*

Ioan. 1. *Ioan. 1.* * *Ab Ioãna*

Ex gloſſa. Veruntamen quia doctiſſimus erat in lege, noluit eum Dominus in Apoſtolum eligere cum alijs, quia omnes Apoſtolos, voluit eligere de idiotis, vt confunderet mundi ſapientes.

De ordine hiſtoriæ abhinc vſque ad incarcerationem Ioannis.

CAP. XI.

Comeſtor capit. 37. Et regreſſus eſt Ieſus Galilæam. Hucuſque eſt idem ordo hiſtoriæ euangelicæ apud omnes; deinceps variè ordinatur vſque ad incarcerationem Ioannis. Habet autem Eccleſia quod eadem die, ſed reuolutis annis; hæc tria facta ſunt: aduentus Magorum 13. die primi anni: baptiſmus eadem die triceſimi anni, vel 31. mutatio aquæ in vinum eadem die reuoluto anno.

Luc 4.

Notula in hoc caput Comeſtoris. Beda quoque dicit, quod poſt, anno reuoluto, eadem die fecit miraculum de quinque panibus, & duobus piſcibus, vnde & dies illa ſolet dici Epiphaniorum pluraliter, id eſt illuſtrationum Chriſti, quia plures eo die factæ ſunt. Quas etiam quidam proprijs nominibus diſtinguunt, Epiphaniam vocantes illam, quæ per ſtellam facta eſt in cœlo aereo; Theophaniam illam, quæ in baptiſmo; Bethaniam illam, quæ in domo nuptiarum Fagiphaniam illam, quæ in cibo, fage namque dicitur comedere.

Varia illuſtrationes Chriſti.

Comeſtor ibidem. Communior autem eſt opinio, Dominum poſt illud miraculum in domo factum, diſcipulos vocaſſe, & occultè prædicaſſe vſque ad Ioannis carcerem.

Author. Itaque ipſa die Epiphanię in Cana Galileæ viculo, ad nuptias inuitatus cum matre virgine, aquā in vinū conuertit: has enim quidā autumant fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ, quem etiam, vt aiunt, volentem nubere reuocauit. Ambulans autem iuxta ſtagnum Geneſareth, quod & mare Galileæ, vel etiam lacus Tiberiadis dicitur. iterum Petrum & Andream, ſimulque duos Zebedæi filios, Iacobum & Ioannem ad ſe vocauit, vt de captura piſcium tranſirent ad piſcationem hominum. Qui ambabus nauibus in verbo ipſius repletis piſcibus relictis, aliquantulum eum ſecuti ſunt, ſed iterum ad ſua redierunt. Deinde in Nazareth venit, & die ſabbati ſynagogam ingreſſus, prophetiam Iſaiæ legit, quam in ſeipſo repletam oſtendit. Poſt hoc in Iudæam id eſt in regnum duarum tribuum perrexit, ibique cum diſcipulis ſuis moram fecit. Quibus etiam diſcipulis baptizantibus, Ioannes etiam in Ennon iuxta Salim baptizabat, & multos ad ſe venientes admittebat; vnde Ioannis diſcipuli murmurabant, quia magiſtri ſui gloriam zelabant. Ioannes autem eorum inuidiam retundebat, ſeque non Chriſtum, ſed eius nuncium, nec ſponſum, ſed eius paranymphum eſſe dicebat. Dominus autem eorum inuidiam cognoſcens ad diem feſtum Paſchæ in Hieroſolymam aſcendit, ibique tunc prima vice de templo vendentes & ementes eiecit.

Inuitatus Ieſus ad nuptias aquam in vinū conuertit.

Luc. 5.

Isai. 6.

Salim eſt oppidum vltra Iordanem ſitū vbi olim Melchiſedech regnauit.

Comeſtor in fine cap. 43. Ibidem quoque præſentiens ortam contra ſe Phariſæorum inuidiam, & maximè cum audiſſet poſtea traditum Ioannem, reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galileam. *Arguebat enim Ioannes Herodem propter Herodiadem*, quia ſecundum legem quam receperat, non liceret fratri habere vxorem fratris, eo viuente. Super Matthæum legitur quod Herodias filia fuit regis Aretæ quam auferens Philippo, ortis inter eos quibuſdam ſimultatibus in odium Philippi dederat Herodi, quia & fratres inuicem inimici erant, ſuper quo cum argueret eum Ioannes ſuggeſtione Herodiadis miſit eum in carcerem.

Marc. 6.

Ioſephus autem tradit Herodiadem fuiſſe filiam Ariſtobuli quem occiderat cum fratre eius Alexandro.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De aperta prædicatione Domini, & electione 12. Apoſtolorum.

Cap. XII.

QVod cum audiſſet Ieſus venit & habitauit Capharnaum in finibus Zabulon & Neptalim & aperte prædicabat, dicens. *Pœnitentiam agite appropinquat enim regnum cælorum. Matth. 4.* Et circuibat totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & ſanans omnem languorem in populo, & abijt opinio eius in totam Syriam.

Matth. 4. *Gloſſa ſuper Matthæum. Et ſecutæ ſunt eũ turbæ multę quadripartitæ*, ſcilicet alij propter cœleſte myſterium, vt diſcipuli. Alij propter curationem infirmitatum: Alij ſola fama & curioſitate, experiri volentes ſi vera eſſent quæ dicebantur de illo: Alij propter inuidiam volentes eum capere in aliquo verbo, & facto, & accuſare. Alij etiam propter miracula panum ſequebantur eum propter cibum corporalem.

Comeſtor cap. 47. Videns ergo Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, vocauit ad ſe quos voluit ipſe; & fecit vt eſſent cum illo 12. quos & Apoſtolos id eſt miſſos nominauit. *Quæſtio de fratribus Domini. Reſponſio.* Quare vero Iacobus Alphæi poſterior in catalogo numeretur Iacobo Zebedæi, & minor vocatur, & ille maior, cum prærogatiua ſanctitatis ſuæ factus ſit ab Apoſtolis poſtea Archiepiſcopus Hieroſolymorum; & ſenior ille fuerit, merito quæritur. Ad quod melius videndum dicimus, quod Anna mortuo Ioachim de quo ſuſceperat Mariam virginem, data eſt in vxorem à Ioſeph Genero ſuo Cleophæ fratri ipſius Ioſeph, de quo ſuſceptam filiam vocatamque Mariam dedit vxorem Alphæo, de qua nati ſunt quatuor conſobrini domini Iacobus, Simon, & Iudas Apoſtoli, & Ioſeph qui & Barſabas, qui pro Iuda poſt, cum Mathia electus fuit. Et hi quatuor præ cęteris conſanguineis dicti ſunt fratres Domini, quia non ſolum cognati erant, ſed & putabantur agnati eius tanquam ex duobus fratribus Ioſeph & Cleopha deſcendentes. Inter quos tamen quaſi antonomatice Iacobus dictus eſt Frater Domini, quia quam ſimillimus ei fuit in facie. Item mortuo Cleopha Anna nupſit viro tertio ſcilicet Salomæ, ſuſceptamque ex eo filiam vocauit Mariam, ſicut & alias prius. Et hanc duxit Zebedæus, habuitque ex ea filios Iacobum maiorem & Ioannem, qui licet poſterior natu, tamen maior dictus eſt, quia vocatus eſt à Domino, & prius adhæſit ei. Quod & Romana obſeruat Eccleſia, vt ſinguli in ordinibus ſuis priores, ſint prius ordinati; ita dicit Hyeronymus. Alij vero videntes mulieres agnominari ſolere nominibus virorum, vt Marcia Catonis, dixerunt, prioribus viris mortuis, has duas Marias nupſiſſe Cleophæ & Salomæ, vel priores viros fuiſſe binomios, & dictum Zebedæum Cleopham, Alphæum Salomam.

Author. Sententia Hieronymi, notatur in his verſibus.

Anna viros habuit Ioachim, Cleophæ, Salomęque.
Tres parit, has ducunt Ioſeph, Alphæus, Zebedæus.
Chriſtum prima, Ioſeph, Iacobum, cum Symone Iudam.
Altera quæ reſtat Iacobum parit atque Ioannem.

De ſermone Domini in monte.

Cap. XIII.

Matth. 5. Luc. 6. De varietate Matthæi & Luca circa ſermonem Domini. ELeuatis vero Ieſus oculis docebat eos, dicens *Beati pauperes ſpiritu &c.* De hoc ſermone videtur eſſe diſſonantia inter Matthæum & Lucam, Matthæus enim dicit eum factum in monte Lucas vero poſt deſcenſum montis in loco campeſtri: Item Matthæus tantum diſcipulis ſimul & turbis. Item Matthęus ſedẽdo, Lucas ſtando. Sed reſpondet Aug, in gloſſa quod potuit eſſe, vt in monte 12. Apoſtolis electis ſermonem hunc primo faceret; & poſt deſcenſum montis alium ſimilem turbis ſimul & diſcipulis vel etiam quod electis duodecim in ſupercilio montis; poſtea deſcendens in aliquam planiciem, ſermonem faceret vnicum turbis ſimul, & diſcipulis.

In hoc ſermone perfecte exprimitur doctrina noui Teſtamenti, quantum ad mores; & ſicut vetus Teſtamentum datum eſt in monte, ſic & nouum. Et vt dicit gloſſa ſicut in veteri teſtamento primo proponuntur 10. pręcepta, in quibus conſiſtit ſumma omnium pręceptorum; & poſtea per partes id eſt per particularia pręcepta explicantur; ita Dominus in principio ſermonis ſui 7. virtutes proponit, ex quibus pendent omnia, omnia, quæ in monte docuit. Sic & quilibet prędicator in principio ſermonis proponit thema, in quo breuiter comprehenduntur omnia, quæ per ſingulas partes ſunt explicanda. His etiam virtutibus differentias præmiorum proponit: quibus .ſ. ſeptẽ virtutibus propoſitis, addit etiam octauam, quæ non tam ſingularis virtus eſt quam probatio, vel etiam perfectio aliarum omnium ſcilicet patientia; Nam patientia opus perfectum habet; ideo nec ei proponitur præmium ſingulare ſicut alijs, ſed commune ſcilicet regnum cęlorum, quod etiam prius paupertati adiecerat: vnde dicit gloſſa quod octaua redit ad caput. *De contentis in ſermone Domini.*

Sciendum autem quod ſicut in ordine ſermonis ſecundum Matthæum ponuntur ſeptem virtutes: ita & ſecundum Lucam proponuntur quatuor ad quas ſimiliter omnia quæ ſequuntur referri poſſunt: huius autem differentię ratio myſtica eſt ſecundum gloſſam: Matthæus enim refert ſermonem factum diſcipulis in ſummitate montis: Lucas verò turbis in loco campeſtri, vnde ille refert ſecundum quod pertinet ad perfectos. Iſte vero ſecundum quod pertinet ad imperfectos: octonarius enim pertinet ad perfectionem, propter octauam ætatem in qua erit ſumma perfectio: quaternarius ad imperfectionem pertinet, & propter quatuor elementa, quibus homines carnales ſubiecti ſunt. Licet ergo eadem inſinuentur, ſecundum Matthęum, & ſecundum Lucam: ibi tamen ſub octonario: hic autem, ſub quaternario: manſuetudo enim & pax, referuntur ad patientiam; mundicia corporis ad paupertatem ſpiritus; miſericordia ad eſuriem iuſtitiæ; hæc etiam quatuor poſſunt aptari quatuor virtutibus cardinalibus. Nam paupertas ſpiritus ad temperantiam pertinet; eſuries ad iuſtitiam; luctus ad prudentiam; patientia ad fortitudinem, hæc ſecundum gloſſam Hieronym. Et ſecundum gloſſam aliam; Matthæus deſcribit tuntum beatitudines electorum: Lucas verò etiam reproborum; quia rudes auditores adhuc minis, & terroribus ad bona compellendi ſunt: perfectos autem ſatis eſt præmijs inuitare. *Octonarius numerus perfectus: quaternarius imperfectus.*

De conuenientia ſeptem virtutum cum ſeptem donis.

Cap. XIIII.

NVnc videndum eſt de numero, & ordine harum ſeptem virtutum. Et nota quod ſicut in candelabro erant ſeptem lucernæ, ſeptem infuſoria, & ſeptem emunctoria: & hæc ſibinuicem deſeruiebant: ita quod hoc ſermone dominico diſtinguntur tres ſeptenarij ſcilicet ſeptem petitiones orationis dominicæ: quibus petuntur ſeptem dona ſpirituſſancti, vt dicetur infra: ſeptemque virtutes, & ſeptem beatitudines. Per ſeptem lampades intelliguntur ſeptem virtutes, quæ lucent in tabernaculo Eccleſiæ ſanctæ coram Domino, ſeptem infuſoria quibus replentur lampades oleo, ſunt ſeptem petitiones orationis dominicæ: quibus impetrantur ſeptem dona, vt ex eis repleantur ſeptem virtutes, vt plenius fulgeant in patria. In hac enim vita quamtumcunque proficiant: plene fulgere non valent. Sed multas ſordes, & multa impedimenta contrahunt ex liciuio id eſt carne, *Cohærent inter ſe & ſe mutuo adiuuant, ſeptem virtutes, ſeptem beatitudines, & ſeptem petitiones orationis Dominicæ.*

quæ

quę igne ſpirituſſancti paulatim conſumitur. Et hæc omnia purgabuntur per illas ſeptem beatitudines. Hęc ergo vt dictum eſt ſibiinuicem ſubſeruiunt. Vnde dicit gloſſa quod ſingulæ virtutes, vt impleantur, poſtulant ſuffragia ſeptem donorum, quæ ſcilicet ſeptem dona ſeptem petitionibus dominicæ orationis impetrantur. Paupertas quidem ſpiritus dono timoris repletur contra ſuperbiam: Luctus dono ſcientiæ illuſtratur, vt ſciat homo quibus malis inuoluatur, hæc contra iram, quæ ſenſum mentis turbat. Eſuries iuſtitiæ, ſpiritu fortitudinis fulcitur, ne in via laſſaſcat: hæc contra accidiam: Miſericordia ſpiritu conſilij regitur, vt ſciat homo, cui, vel quando miſerandum ſit: hæc contra auaritiam: quæ ſibi omnia retinet, munditia cordis ſpiritu intellectus repletur, contra luxuriam, quæ hominem facit brutum, vt ſit *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*. Paci reſpondet donum ſapientiæ, homo enim niſi pacatus ſit totus in ſe, & erga proximum, non poteſt cœleſtia contemplari: ſed quando pax eſt inter animam & carnem, tunc ſpiritus ſapientiæ erigit animam ad contemplationem. Ipſa etiam ſpiritu ſapientiæ perfectæ ſubijcit carnem ſpiritui, vt fiat pax: quia vt dicit Gregorius, Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro: hæc contra gulam quæ tantum terrena ſapit.

Pſal. 6.

Et nota quod Iſaias ſeptem dona ſpirituſſancti enumerat deſcendendo: hic autē & ſeptem virtutes, & ſeptem dona, ſiue donorum petitiones enumerantur aſcendendo: quoniam Iſaias ibi agit de incarnatione, per quam deſcendit ad nos, hic autem traditur doctrina virtutum per quam debemus ad eum aſcendere.

De oratione dominica.

Cap. XV.

POrro huic ſermoni inter alia multa interſeritur oratio dominica, cui etiam Dominus eleemoſynam ac ieiunium adiunxit, quia vt dicit gloſſa *oratio auicula eſt quę penetrat cœlum*. Et habet duas alas ſcilicet eleemoſynam, & ieiunium. Ideo primo agit de eleemoſina, quę præpollet ieiunio, & magis ad charitatem pertinet, magiſque Deo placet. Sicut ipſe dicit, *miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Poſtea vero de ieiunio, & medio loco de oratione, quia ipſa oratio his quaſi duabus pennis à dextris, & ſiniſtris ſubleuata cœlum penetrat.

Math. 12.

Porrò de oratione tangit tria: *Locum*; cum dicit, *intra cubiculum tuum*, & *modum* cum dicit: *Nolite multum loqui, & materiam* cum docet 7. petitiones, dicens: *Pater noſter &c.*

Math. 6.

Forma orandi conſiſtit in tribus.

Formam autem orandi nobis tradit propter tria ſcilicet vt per hanc Deum honoremus, & vt ab eo ſolo petamus, & vt quid petendum ſit inſtruamur. Porro hæc oratio ſuper omnes alias priuilegiata eſt in tribus ſcilicet in dignitate, in breuitate, in fœcunditate. In dignitate quia à Chriſto edita: Vnde dicit gloſſa quia nulla oratio magis ſpiritualis eſt, quam iſta quæ ex ore veritatis proceſſit: in breuitate propter ſeptem ſcilicet vt cito ſciatur, vt melius memoriæ cōmendetur, vt frequentius dicatur, vt dicens tædio non afficiatur, vt nemo de ignorantia excuſetur, vt Dominus cito exaudire oſtendatur, vt magis affectu quam voce rogetur. In fœcunditate, quia in ea omnia petenda continentur: omnis enim petitio aut eſt de bonis adipiſcendis, aut de malis mouendis, omnia malá aut præſentia ſunt, & hæc petuntur ibi amoueri, *libera nos à malo*, aut futura & hoc ibi: *Et ne nos inducas in tentationem*, aut præterita, & hoc ibi, *dimitte nobis debita noſtra*. Item omnia bona aut ſunt temporalia, & hoc ibi petuntur: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* aut ſpiritualia ſiue gratuita, & hoc ibi, *Fiat voluntas tua*, aut æterna, & hoc ibi, *adueniat regnum tuum*: Huic autem orationi præmittitur captatio beneuolentiæ ſecundum gloſſam & hoc à quatuor, à perſona rogati: cum digitur *pater*, à perſona rogantis; cum dicitur *noſter*: à perſona aſſeſſorum, cum dicitur *in cœlis* id eſt in ſanctis hominibus & Angelis, *ab ipſo negocio*, cum dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*.

Dignitas, & excellentia orationis dominicæ.

De adaptatione ſeptem petitionum ad ſeptem dona.

Cap. XVI.

IN his autem ſeptem petitionibus ſeptem dona ſpirituſſancti petuntur; quibus etiam congruunt ſeptem virtutes ſupradictæ, quibus ſeptem beatitudines promittuntur hoc modo: *Sanctificetur nomen tuum* id eſt da nobis ſpiritum ſapientiæ, quo iucundati tibi firmiſſime adhęreamus, ne à ſanctitate tui nominis in aliquo diſcrepemus: & hæc eſt perfecta pax. *Adueniat regnum tuum* id eſt da ſpiritum intellectus, quo mundemur, vt Deus videatur, & per hoc regnare intelligatur. *Fiat voluntas tua. &c.* id eſt da ſpiritum conſilij, quo impleamus voluntatem tuam, quæ maximè perficitur in miſericordia, iuxta illud: *Miſericordiam volo & non ſacrificium. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* id eſt da ſpiritum fortitudiuis, ne deficiamus in via, ſed ſemper magis ac magis eſuriamus iuſtitiam. *Et dimitte nobis debita noſtra* id eſt da ſpiritum ſcientiæ, quo peccata noſtra cognoſcentes lugeamus, & ſic nobis dimittantur. *Et ne nos inducas in tentationem* id eſt da ſpiritum pietatis, quo manſuefacti, nec irritemus, & ſic nec irritemur, & ſic in tentationem non inducamur. *Sed libera nos à malo.* id eſt da ſpiritum timoris quo in ſpiritu humiliati, à peccato liberemur, *quia timor Domini expellit peccatum*. Alia tamen gloſſa adaptat ordine retrogrado. *Amen*, id eſt fiat, vel *Amen*, id eſt vere vel fideliter. Vnde dicit gloſſa Origenis quod per hoc ſignatur in omnibus his petitionibus indubitanter à Deo tribui quod petitur, ſi prædictæ conditionis pactum ſeruare non negligamus, ſcilicet vt debitoribus noſtris debita dimittamus.

Septem dona ſpirituſſancti oratione dominica petuntur.

Matth. 12.

Eccleſiaſti. 1.

De coniunctionibus illic inſertis, & de poſſeſſiuis.

Cap. XVII.

NVnc poteſt quæri cur iſtę quatuor vltimæ petitiones coniunctionibus copulantur, & non tres primæ. Item cur in tribus primis ſit tantum mentio de perſona rogati, vbique dicendo *tuum*: in quatuor autem vltimis exprimitur perſona rogantis: vbique enim ponitur *nos, vel noſtrorum*. Reſpondeo ad primum quia ſecundum gloſſam tres primæ pertinent ad ſtatum futuræ gloriæ: Cū enim dicitur, *ſanctificetur nomen tuum*, i. ſicut eſt ſanctum nobis oſtendatur, petitur Dei viſio ſine fruitio, qua perficitur vis rationalis. Cum dicitur, *adueniat regnum tuum* petitur ſecuritas, qua iraſcibilis. Cum dicitur. *Fiat voluntas tua*, petitur dilectionis conſummatio, qua concupiſcibilis. Prima reſpondet fidei. Secunda ſpei. Tertia charitati. Et quia tunc erit *Deus omnia in omnibus* ſcilicet in rationabili, veritas; in iraſcibili, ſecuritas: in concupiſcibili, bonitas: idem increatum per iſtas tres poſtulatur: ideo nulla inter eos coniunctio intercedit, ſed tantum inter quatuor vltimas, quæ pertinent ad ſtatum vię, vbi multis indigemus. Ideoque plura petuntur & omnia diuerſa. *Martha namque ſollicita eſt & turbatur erga plurima, Sed vnum eſt neceſſarium:* quod erit in patria. Ad 2. reſpondeo quod ea, quæ petuntur in tribus primis, omnino perfecta ſunt, quia in futuro erit plena perfectio: & hoc in Deo, vt dictum eſt: ideo fit in eis mentio tantum de perſona ipſius, in quo ſolo eſt perfectio. Quæ autem petuntur in quatuor cæteris imperfecta ſunt, quia nihil in via perfectum: imperfectio autem ipſa à nobis eſt, & in nobis: ideo ibi facimus mentionem

Quæ differentia inter tres primas petitiones & quatuor vltimas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tantum de perſona noſtra. Vel ideo, quia tres primæ nobis communes ſunt cum Angelis, quatuor autem vltimæ nobis ſolum neceſſariæ, non Angelis; iam Deo fruentibus.

Panem noſtrum quotidianum eſt media petitio, & quare?

Nota tamen quod media petitio ſcilicet *panem noſtrum &c.* ideo ponitur tanquam confinium præcedentium, & ſequentium; quia communicat cum vtriſque in rebus petitis; ibi enim petitur panis, qui de cœlo deſcendit ſcilicet Chriſtus, qui ſecundum humanitatem maximè eſt viaticum, & ſumitur in ſacramento; & nobis ſolis conuenit in ſacramento. Secundum deitatem vero nobis præmium eſt, & panis Angelorum; & ita conuenit nobis & illis, ideo hæc petitio abſque coniunctione additur ad primas; tribus autem ſequentibus intercedente coniunctione copulatur.

De ordine hiſtoriæ poſt ſermonem Domini, ad quæſtionem Ioannis.

Cap. XVIII.

Miſit diſcipulos ad prædicendum Euangelium.

FInito ſermone Dominus Diſcipulos ad prædicandum miſit cum poteſtate curandi; vt ipſa miraculorum operatio fidem faceret eorum ſermoni; inſtruens eos, quo pergerent, & quid facerent, à quo abſtinerent, & à quibus cauerent, & à quibus non timerent. Ipſe quoque de monte deſcendens tactu ſanauit leproſum, non ſolum propter occultum rei myſterium, ſed vt nobis formam humilitatis præberet; ne quis hominem pro quacunque corporis maculatione ſperneret, & abhorreret; & vt ſe non eſſe ſub lege, quæ leproſum tangere prohibuerat; ſed potius dominum legis oſtenderet, & etiam vt gratiam euangelij, ſupra legem eſſe doceret. Ingreſſus autem Capharnaum curauit ſeruum Centurionis, & Petri ſocrum. Ante portam vero Naim, ſuſcitauit viduæ filium. Porrò ſcribam volentem eum ſequi; vt ſigna facere diſceret ad lucrum & vanam gloriam, repulit. Alium vero abſque dilatione ſequi ſeſe iubens, nec patrem ſepelire permiſit. Tranſiens autem lacum Genezareth, ventis & mari ſęuientibus imperauit; & in terra Genezarorum tranſuectus, ibi duos obſeſſos à legione dæmonum curauit: Qui videlicet dæmones vt ab hominibus electi ſunt, eis ſaltem in rebus ſuis nocere voluerunt, & ob hoc porcorum gregem inuadentes duo millia ſubmerſerunt: quod vtique permiſit Dominus, non vt eorum impiæ voluntati cederet, ſed vt ipſa interfectio porcorum eſſe occaſio ſalutis hominum. Huius autem occaſione paſtores fugerunt, & hominibus in vrbe nunciauerunt. Item vt oſtenderet, quam dignior ſit homo beſtijs, cum propter ſalutem duorum hominum, perire permiſit duo millia porcorum, & etiam propter myſterium; quia niſi quis more porci vixerit, diabolus in eum poteſtatem non accipit. Reuerſus autem Capharnaum curauit in domo paralyticum ante ſe per tegulas ſubmiſſum; primo quidem remittens peccata, quæ fuerant morbi cauſa; quia *cauſa ceſſante debet effectus ceſſare.* Tranſiens autem per Samariæ regionem, cum veniſſet in agrum Sichen ſuper puteum Iacob fatigatus, ſedit; ibique Samaritanam, ac per eam cęteros Samaritanos plures conuertit. In Galilæam vero rediens filium Reguli verbo abſens ſanauit; & in domo Leui ſedens ad conuiuium, contra querelas Phariſæorum; & ſeipſum, de hoc quod peccatores reciperet, & diſcipulos, de hoc, quod non ieiunabant, excuſauit. Iterum Iairi filiam ſuſcitauit, ad quam dum iret Emorrhoiſſam ſanauit. Duos quoque Cæcos illuminauit; & demoniacum cæcum ſurdum ac mutum ſanauit; ſeque non in poteſtate Beelzebub hæc facere oſtendit. Poſt hęc vt quidam dicunt vocatus in Nazareth ad prandium in domum Phariſæi, Magdalenæ dimiſit peccata, quod plures factum dicunt in Bethania, ſed nec locus, nec tempus in euangelio exprimitur. Sane Maria remiſſis peccatis ſecuta eſt eum, & audiebat eius verbum. Itaque cum ei in domo ſua ſuſcepto Martha miniſtraret, Mariæ pars id eſt contemplationis ocium, eius miniſterio, prælata eſt, non quia maioris ſit meriti, ſed quia tutior & iucundior, & quia diuturnior. Nam & actio Marthæ in quibuſdam alijs prefertur ocio Mariæ: quia, ſcilicet huic vitæ, in qua homo ad laborem naſcitur, eſt congruentior; & quia meritorum fœcundior, & quia pluribus vtilior.

Curauit ſeruum centurionis & plura miracula fecit.

Cur permiſit perire 200. porcorum?

Filium Reguli abſens ſanauit.

Magdalenæ peccata dimittit.

Quomodo Maria optimam partẽ elegit

De quæſtione Ioannis, & teſtimonijs Chriſti de ipſo.

Cap. XIX.

IOannes autem vinctus cum audiſſet miracula, quæ faciebat Chriſtus, dubitantes diſcipulos miſit ad eum interrogandum, an ipſe eſſet Chriſtus? non enim ipſe Ioannes dubitauit qui dixerat: *Ecce Agnus Dei.* Videtur tamen velle Gregorius quod dubitabat, an per ſe, an per alium, ſpoliaturus eſſet infernum, & ideo quæſiuit; *tu es qui venturus es an alium ex pectamus?* quaſi diceret, prope eſt vt deſcendam ad populum meum. Qui ergo te nunciaui ſuperis,, vis vt denunciem in inferis. Ieſus autem amouit eorum dubitationem, oſtendens certa ſigna ſui aduentus. Et illis abeuntibus commendauit Ioannem turbis multipliciter; ne turbæ ſuſpicarentur eum liuore motum fuiſſe, & vt ſcirent eum non ſibi, ſed diſcipulis hæc quæſiſſe. Vnde primo commendauit eum de conſtantia fidei; deinde à victus aſperitate, ab officij dignitate, à vitæ puritate, aliorum ſanctorum comparatione, à temporis commoditate. Attamen vbi dicit, quod *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Mulier, non tantum ſexum fœmineum, ſed etiam fractionem exprimit. Ideo Chriſtus excluditur, quia ſecundum hunc modum beata virgo Mulier non fuit. Vnde ſubiungit: *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Quod de ipſo Chriſto recte ſecundum gloſſam accipitur; qui tunc in Eccleſia militante minor à multis reputabatur. Aliter quoque ſecundum gloſſam Nouiſſimus Angelis cæli, vel minimus ſanctorum, qui iam in eccleſia triumphante regnat cum Deo, maior eſt in charitate quolibet homine adhuc peregrinante in mundo.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Matth. 11.

De multiplici laude Ioannis Baptiſtæ.

Cap. XX.

SAne Baptiſta domini ſicut ex euangelica hiſtoria colligi poteſt commendabilis fuit in tribus. Primo in natiuitate, in qua ſanctitati eius atteſtantur 7. miracula; primum quod Angelus viſibiliter apparens eum naſciturum annunciauit; ſecundum quod linguam increduli ligauit: tertium, quod infæcundos & ſenes parentes fœcundauit: quartum quod eum ſpiritus in vtero ſanctificauit & repleuit: quintum quod Saluatori noſtro nondum natus exultauit: ſextum quod ſpiritu mater repleta, Mariam Dei genitricem prophetauit: ſeptimum quod iam natus loquelam credenti reformauit.

Ioannes cõmendabilis in tribus.

In natiuitate 7. miraculis approbata

Item ſecundo mirabilis fuit eius vita, & hoc in tribus. Primo in humilitate, quia cum tam famoſus eſſet vt poſſet putari Chriſtus ſi vellet, negauit ſe non ſolum eſſe Chriſtum, ſed Helyam & prophetam; & hoc contra eos qui iactant ſe de genere, vita, & ſcientia. Item in abſtinentia, non ſolum cibi & potus, & veſtis; ſed etiam ſolatij humanæ ſocietatis: quia in deſertis habitabat. Vnde canit Eccleſia: *Antra deſerti &c.* Item in patientia, vt contra Phariſæos qui dicebant, *dæmonium habet*; & fecerunt in eum quæcunque voluerunt; & tandem contra Herodem, qui eum ad vocem ſaltatricis decollauit.

Mirabilis eius vita in tribus.

Item tertio mirabilis fuit eius doctrina. & hoc ſimiliter in tribus: In prophetia; quia ſolus inter prophetas

quem

Mirabilis eius doctrina in tribus.

quem prænunciauit, digito ostendit. Item in prędicatione, quia neminem palpauit; quin etiam ipsum regem scilicet. Herodem arguebat in facie, propter Herodiadem. Item in consilijs: Prudenter enim consulebat singulis ad se venientibus secundum status in quibus erant; vt turbis, publicanis, & militibus; Propter hæc tria dicitur fuisse *mirabilis*, in vita præsenti: Quibus respondent alia tria, quibus mirabilis apparebit in gloria scilicet triplex aureola: Prima, quia virginitatem à natiuitate conseruauit. Secunda, quia prædicator fuit: Tertia quia martyr: Hec tria raro simul in alijs sanctis inuenimus. Vnde Ecclesia canit de illo sic: *Serta ter denis &c.* In tribus ergo apparet *mirabilis* in terra, & in tribus in cœlo. Vnde & huic testimonium perhibent tres de cœlo, & tres de terra. De cœlo pater mittens, Spiritussanctus instruens, Filius commendans. Tres in terra, scilicet spiritus eius ardens, & lucens; aqua baptismi; sanguis martyrij.

Ioannes mirabilis in vita præsenti & futura.

Luc. 10.

De ordine historię post quęstionem Ioannis vsque ad eius decollationem.

Cap. XXI.

Destinauit 72. discipulos ad prædicandum.

POst hæc, *dominus 72. discipulos* scilicet alios à prædictis 12. *designauit* id est designanter instituit, vt sicut 12. Apostoli 12. tribubus destinati fuerant, sic & hi 72. totidem linguarum gentibus euangelium prædicarent; & sicut in Apostolis forma fuit episcoporum; sic in istis forma secundi ordinis presbyterorum. Qui missi bini & bini, cum gaudio sunt reuersi; gloriantes, sibi in nomine Christi, etiam Dæmonia subijci. Ideoque Sathanæ per superbiam corruentis exemplo, deterrentur; & ad humilitatem à Domino reuocantur.

Luq 6.

Qui cum transiret sabbato per sata, Discipuli eius esurientes vt homines, *grana edebant manibus confricata.* Vnde Pharisæis eos de solutione Sabbathi redarguentibus, excusabat Dominus eos; tum, quia necessitatem famis sustinebant; sicut Dauid, quando panes propositionis comedit; tum, quia præsente & auctoritatem prębente ipso Domino, sabbatho hoc faciebant. In altero quoque sabbatho Synagogam intrauit, & coram ipsis insidiantibus mancum sanauit. Quadam die cum in monte pernoctasset in oratione, ascendens in nauiculam docebat turbas stantes in littore; proposuitque eis quatuor parabolas, primam de semine, quod in quatuor locis cecidit; secundam de Zizanijs bono semini superseminatis; tertiam de grano Sinapis; quartam de fermento abscondito in tribus farinæ satis. In secunda quidem, quod dicitur, *sinite vtraque crescere vsque ad messem*: videtur esse contrarium Paulo qui ait, *Auferte malum ex vobismetipsis*: Sed quoniam inter triticum, antequam veniat ad spicam & lolium grandis similitudo est, & vix distingui possunt; hoc intelligitur de ambiguis; illud autem Pauli de manifestis. Tunc dimissis turbis, in domum venit, & quia primam parabolam exposuerat eis in naui, secundam, eis petentibus, illic exposuit. Insuper & alios tres illis proposuit, primam, scilicet de thesauro abscondito in agro; secundam de bona Margarita inuenta & empta; tertiam de sagena in mare missa. Veniens autem in patriam suam, docebat in Synagogis Iudæorum, vnde & mirabantur putantes eum esse fabrum, quia Ioseph fabri filium. Ideoque non nisi paucos ibi curauit, propter incredulitatem eorum. Vnde cum diceret: *Nemo propheta acceptus est in patria sua*; repleti sunt ira, Et eijcientes eum de vrbe, duxerunt ad supercilium montis, vt precipitarent eum; sed ipse per medium eorum transijt; tunc enim euadere voluit, quia pœnitentiæ locum adhuc illis reseruabat; & quia nondum hora passionis venerat, & quia hoc mortis genus non elegerat. Adhuc ostenditur ibi locus, qui dicitur saltus domini scilicet milliario à Nazareth contra Meridiem, vbi Dominus descendens impressit se rupi. Et cedens ei rupes, fecit ei quasi locum latibuli, in quo adhuc vestigia rugarum vestimentorum eius, & omnia lineamenta, quæ à tergo domini fuerant, impressa notantur.

De quatuor parabolis

Matth. 13.

Quomodo intelligitur dictum Pauli: Auferte malum ex vobismetipsis?

De tribus alijs parabolis.

Matth. 13.

Saltus Domini vbi?

De decollatione Ioannis Baptistæ.

Cap. XXII.

Matth. 14. Marc. 6.

Comestor cap. 73. In illo tempore. Herodes Tetrarcha diem natalis sui celebrauit coram principibus & Primis Galilææ; vbi puellæ saltanti datum est caput Ioannis in disco pro munere. Est autem discus vas rotundum, desuper valde extentum. Credibile est quod Herodes cum vxore de nece Ioannis, sub tali occasione facienda prius secreto tractauerat.

Fiducia Ioannis in corripiendo.

Author Nota in Ioanne fiduciam corripiendi, quam faciunt tria. Primum, immunitas à peccato; Secundum, contemptus terrenorum, quia ipse nec etiam de cibo curauit. Tertium, zelus; & ipse erat ardens.

Septẽ modis peccauit Herodes.

Herodes autem septem modis peccauit. Primo, quia adulterium cum vxore fratris sui comisit: Secundo, quia correptionem non sustinuit: Tertio quia diem natalis sui superbiendo celebrauit; Quarto, quia saltatrici dedit: Quinto, quia inordinatè iurauit: Sexto, quia impietatem sub specie pietatis palliauit: Septimo, quia innocentem interfecit.

Vbi decollatus Ioãnes?

Comestor cap. 37. Tradunt Ioannem in castello Arabiæ dicto Macheronta, vinctum, & truncatum; corpus vero in Sebaste vrbe Palestinæ sepultum; caput autem in Hierusalem humatum est, iuxta Herodis habitaculum. Ossa eius tempore Iuliani Apostatæ sparserunt Gentiles; inuidentes miraculis, quæ fiebant ad eius monumentum; quæ rursus collecta ab eisdem cremata sunt, & puluis ventilatus. Quod quasi secundum martyrium in iam mortuo quidem repræsentant nescientes; dum in natiuitate eius ossa collecta vndecunque cremant; dum autem colligerentur ossa, quidam Monachi à Hierosolymis, mixti, latenter colligentibus; magnam eorum partem tulerunt. Tempore vero Marciani principis, duobus Monachis orientalibus, qui ob orationem venerant Hierosolymam Ioannes reuelauit caput suum. Sed non multum post, incuria perditum, portatum est ab alijs in Ædissam vrbem Phęniciæ, & in quodam specu in vrna sub terra non paruo tempore ignobiliter reconditum, donec denuo idem Ioannes caput suum ostendit Marcello religioso Abbati, & presbytero, dum in eodem specu habitaret. Quod cum ille * Iulioramo eiusdem vrbis episcopo indicasset, eleuatum est. Ex quo tempore in eadem vrbe decollatio Ioannis celebrari cæpit; ipsa die, vt arbitramur, qua caput inuentum est, siue reuelatum; quod post alij tradunt non esse festum decollationis, sed de collectione ossium eius prius facta, & combusta.

Quid actum de corpore Ioãnis Baptistæ: & de capite.

**alias Iuliano.*

Constantinopolim trãslatum est & inde ad Gallias.

Testimonia Iosephi de Ioanne Baptista, & de domino Iesu, & eius facie corporali.

Cap. XXIII.

Ob quã causam Ioannes decollatus secundum Iosephum.

IOsephus aliam causam tradit necis Ioannis Baptistæ; dicens eum prædicasse hominibus iustitiam, & obtentu Baptismi multos congregasse in vnum. Timensque Herodes dispendium populi sui sequentis Ioannem, occidit eum. Et refert Iosephus Iudæos tradidisse Herodem ob hoc mirabiliter in proximo victum ab exercitu Aretæ Regis.

Testimonii Iosephi de Iesu.

Idem quoque Iosephus domini Iesu commendationem ponit in hunc modum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Teſtimonia Ioſephi de Ieſu.

Ioſephus in libro antiquitatum 18. *cap.* 4. Fuit his temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi eum virum nominare fas eſt: erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum, qui libenter, quæ vera ſunt, audiunt, multoſque ſibi Iudæorum, & multos adiunxit ex gentilibus: Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis, cum Pilatus in cruce erigendum decreuiſſet: non deſeruerunt eum hi, qui ab initio eum dilexerant: apparuit enim eis iterum tertia die viuus, ſecundum quod Prophetæ, vel hæc, vel alia de ipſo futura prædixerant. Sed & vſque in hodiernum diem: Chriſtianorum, qui ab eo dicti ſunt, perſeuerat & nomen, & genus.

Ioannes Damaſcenus libro 4. Ipſe quoque Ioſephus (vt ait hiſtoria) tradit Dominum Ieſum viſum fuiſſe communiter ciliatum id eſt coniuncta ſupercilia habentem, bene oculatum, longum vultum habentem.

Pſal. 44. *Hieronymus in expoſitione pſalmi* 44. *ad Principium virginem.* Quæritur quomodo *ſit ſpecioſus forma præ filiis hominum*: de quo in Iſaia legitur: *Non eſt ſpecies ei neque decor*: ſed ibi quidem ignobilitas corporis propter flagella, & ſputa, & alapas, & clauos, & iniurias patibuli commemoratur: hic autem pulchritudo virtutum in ſacro & venerando corpore, non quo diuinitas Chriſti hominibus comparata ſpecioſior ſit, hæc enim non habet comparationem: ſed abſque paſſionibus crucis pulchrior fuit vniuerſis, virgo de virgine: *qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*: niſi enim habuiſſet in vultu oculiſque quiddam ſidereum, nunquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec illi qui ad comprehendendum eum venerant corruiſſent.

Iſaiæ 53.

Ioan. 1.

Idem ſuper Matthæum libro primo. Fruſtra igitur arguit hic Porphirius, & Iulianus Auguſtus: vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum qui ſtatim ſecuti ſunt Saluatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet hominem vocantem ſint ſecuti: cum tantæ virtutes, tanta ſigna præceſſerint: quæ Apoſtolos antequam crederent vidiſſe non dubium eſt: & certè fulgor ipſe & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex ipſo primo aſpectu eos ad ſe trahere poterat: ſicut magnes lapis, annulos, & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulat.

Non ſine ratione & optimo fundamento diſcipuli ſtatim ſecuti ſunt Ieſum.

Hiſtoriæ ſeries poſt Ioannis decollationem vſque ad Domini transfigurationem.

Cap. XXIII.

Matth. 14. *Author.* Audiuit autem Herodes famam Ieſu: & ait, *Ioannem ego decollaui.* Quis autem eſt iſte de quo audio talia, & quærebat videre eum. Quod cum audiſſet Ieſus ſeceſſit in deſertum locum: vt ſuis daret locum vitandæ temeritatis & etiam vt parceret inimicis, ne ſcilicet homicidium homicidio iungerent. Illic multas turbas eum ſequentes curauit, & de quinque panibus, & duobus piſcibus, circiter quinque millia hominum ſatiauit, de fragmentis quoque 12. cophinos repleuit. Ob hoc cum turbæ vellent eum in Regem rapere, quia ſub tali Rege videbatur eis, ſe non poſſe egere: aſcendit in montem ſolus orare. Porro nauicula in qua diſcipulos eum præcedere trans fretum iuſſerat, iactabatur fluctibus: Vnde videns eos laborantes, quarta vigilia noctis ambulans ſuper aquas ad eos venit, & Petrum dum mergeretur erexit, tuncque ventus ceſſauit. Altera die turbæ cibum quem eis Dominus dederat, commendabant, manna tamen quod patres comederant præferebant: Et tunc dixit eis verba ſpiritualia de corpore ſuo, quæ quidem carnaliter accipientes & abhorrentes abierunt retro. Quidam Phariſæus ipſum ad prandium inuitatum, ſuper hoc quod non lotis manibus manducaret increpauit: quem Dominus econtra de hipocriſi, & quia traditiones ſuas ſeruabant contra mandatum Dei, redarguit. Abiens autem in fines Tyri & Sydonis Chananæam humiliter, ac fideliter ad ſe clamantem, exaudiuit: & filiam eius à vexatione dæmonis curauit. Inde ad locum maris, contra Decapolim id eſt regionem decem tribuum venit: ibique ſurdum, & mutum curauit. Poſt aſcendens Hieroſolymam ad diem feſtum, in probatica piſcina languidum ſanauit: ac Iudeos murmurantes quod operaretur in ſabbato, rationabiliter inſtruxit, dicens patrem ſuum non tantum ſex primis diebus vt putabat operatum fuiſſe: ſed etiam operari vſque modò: ſeque operari cum illo. Addidit & de poteſtate ſibi data à patre, mortuos ſcilicet reſuſcitandi & iudicandi. Prædixit & de Antichriſto, & qui eum recepturi eſſent venientem non in nomine patris, ſed ſuo. Relictis illis iterum ſecus mare Galilææ, in deſertum abiit: ibique de 7. panibus, & paucis piſciculis, quatuor millia virorum abſque mulieribus, & paruulis, ſatiauit. Statimque nauigio tranſiens in partes Magedon, quæ & Dalmanuta, cæcum ibidem ſanauit. Veniens autem in partes Cæſareæ Philippi, fidei confeſſionem à Petro pro omnibus accepit: eique claues eccleſiæ ſe daturum promiſit: & forte tunc ei ſoli: vel poſt reſurrectionem cum aliis dedit. Tunc diſcipulis ſuis paſſionē ſuam prædixit, eoſque ad eius imitationem inuitauit.

Chananæã humiliter clamantem exaudiuit.

Pradixit de Antichriſto. Matth. 16. Marc. 8.

Petri cõfeſſionem pro omnibus diſcipulis accepit.

Ordo hiſtoriæ abhinc vſque ad Scenopegiam.

Cap. XXIV.

Matth. 17. POſt dies ſex Petrum & Iacobum & Ioannem in monte Thabor ſecum ducens: coram eis ſe transfigurauit, & in carne mortali immortalitatis ſuæ gloriam ſicut voluit oſtendit. Sequenti vero die Lunaticum quem diſcipuli ſanare non potuerant, ad preces patris ſanauit. Et cum veniſſet Capharnaum accedentibus quæſtoribus cenſus capitis: Petrum ad mare miſit, qui * ſtaterem in ore piſcis inuentum, pro ſe, & pro Domino ſoluit: licet enim Dominus haberet loculos, ea tamen, quæ ſibi data erant ad vſus pauperum, in proprium vſum expendere noluit. Cum autem quæſiſſent in via quis eorum maior eſſet: acceſſerunt ad Ieſum quærentes, vt hanc eis quæſtionem determinaret: At ille, vt eos ad humilitatem reuocaret, in huius rei exemplum oſtendens eis paruulum, amplexans eum (quem tradunt quidam fuiſſe Martialem Lemonicarum Apoſtolum) porro ſcandalizatores puſillorum eruendos ac proiiciendos oſtendit per metaphoram membrorum, & ad oſtendendum quanti ſint puſilli apud Deum, propoſuit eis parabolas tres: ſcilicet de oue perdita & inuenta, de drachma ſimiliter: & de filio prodigo. Addidit etiam de modo corripiendi fratrem ſecretò peccantem: & de remittendo peccanti vſque ſeptuagieſſepties id eſt 1490. vicibus. Quod autem petenti dimittendum ſit, per parabolam ſerui ſuboſtendit: cuius debitum Dominus reuocauit, quia conſerui miſereri noluit. Poſt hoc Iudæam veniens Phariſæis quærentibus de cauſa dimittendæ vxoris, reſpondit ſola cauſa fornicationis eam dimittendam: legem vero de libello repudij ob duritiam cordis eorum fuiſſe conceſſam: Ad hoc dicentibus diſcipulis, non expedit nubere, ne omnem continentiam putarent meritoriam, diſtinxit eam triplicem ſcilicet natiuam, & factiuam, ſiue coactam, & voluntariam, quæ dicitur victoriosa, & hæc ſola eſt meritoria. Poſt hoc abiit in Galilæam, quia in Iudæa quærebant eum interficere. Aderant eo tempore quidam nunciantes ei de Galilæis, quorum ſanguinem miſcuerat Pilatus cum ſacrificiis eorum: quidam enim dicens ſe Dei filium, multos ſeduxerat de Galilæis. Quos cum duxiſſet in Garizim, vbi dixerat ſe aſcenſurum in cælum coram eis, dum ſacrificarent ei, ſuperuenit Pilatus ipſumque cum omnibus occidit: timuit enim ne & Iudæos ſeduceret.

Matth. 17. Quarto milliario à Nazareth eſt mõs Thabor, in deſcenſu cuius Melchiſedech obuiauit Abrahæ. Secundo autẽ milliario à Thabor eſt mõs Hermon.

*Matth. 17. * ideſt duo didrachmata.*

Propoſuit parabolas tres Luc. 15.

Deut. 24. Ob ſolã fornicationem vxor poteſt dimitti.

De Galilæis quos occidit Pilatus. Iohn. 7.

ceret. Cumque putarent eos periisse, ideo quia nequiores essent cæteris Galilæis : ait Dominus, Iudæos non minus his sceleratos, & similiter nisi peniterent perituros : super quo dixit eis similitudinem ficulneæ, non facientis fructum. Cumque doceret sabbatis in synagoga, sanauit ibi mulierem à sathana 18. annis incuruatam.

Luc 13.

A Scenopegia vsque ad Encænia.

Cap. XXVI.

IMminente Scenopegia, consanguinei ipsum, vt ad diem festum Hierusalem ascenderet, ibique gloriam miraculorum ostenderet, inuitabant : gloriam eius quærentes vt eius participes fierent. Quibus ille non acquieuit : sed postea latenter ascendit. Et alij quidem dicebant eum esse bonum : alij vero seductorem : Facta vero dissensione in turba de eo, missi sunt à Principibus & Pharisæis ministri, vt apprehenderent eum : qui sermonibus eius capti redierunt : dicentes, quia nunquam sic locutus est homo. Cum autem venisset in templum diluculò, absoluit mulierem accusatam de adulterio : vbi erectus quidem, dedit sententiam iustitiæ : & iterum erectus, misericordiæ : quoniam æque vtrumque proprium est ei, punire, scilicet & misereri. Tunc cauere docens ab auaritia : quia breuis est hominis vita : proposuit eis similitudinem de diuite, qui præ fructuum vbertate deliberabat horrea sua ampliare. Cum autem inter cætera se esse lucem mundi & filium Dei diceret : ac se esse prius, quam Abraham fieret : volentibus illis eum lapidare, se abscondit, ac de templo exiuit. Præteriens autem, Cæcum natum illuminauit, & adolescentem quærentem de viâ salutis, signa perfectionis docuit : omniaque pro Christo relinquentibus, præmium duplex promisit. Pharisæis vero superbis eum deridentibus, eo quod eorum lex bona terrena promitteret : contra eorum auaritiam proposuit eis exemplum de diuite purpurato : discipulis autem parabolam de villico : aliam quoque de denario diurno. Cum autẽ sabbato manducaret in domo cuiusdam principis Pharisæorum, coram Pharisæis insidiantibus sibi, sanauit Hydropicum : simul & probauit, hoc licere in sabbato : quoniam ea die licebat etiam pecus extrahere, si lapsum esset in puteo : habent enim in suis traditionibus, operum genera determinata circiter 80. à quibus vacandum est in sabbato : sed inter illa non est curatio, maxime quæ fit solo verbo. Præterea contra Pharisæorum superbiam, hortabatur inuitatos ad discubitus humilitatem, ipsumque inuitatorem ad pauperum potius, quam diuitum inuitationem. Tunc dicente quodam de discumbentibus, beatum fore qui panem in regno Dei manducabit, parabolam de cæna proposuit,

Ioan. 7.

Ioan. 8. De adultera.

De parabola diuitis volẽtis ampliare horrea sua.

Ioan. 9.

Luc. 16.

De Hydropico curato.

Luc. 14.

De Encæniis.

Cap. XXVII.

FActa sunt autem Encænia Hierosolymis id est festa dedicationis, & hyems erat. Siquidem hoc festum non ad primam, vel secundam templi dedicationem spectabat, sed ad tertiam. Prima enim fuit in Autumno, quia Salomon dedicauit templum decima die Septembris : & vsque ad illius templi euersionem fiebant singulis annis festa duo, eadem die scilicet expiatio, & dedicatio. Cum vero reædificatum fuit templum à redeuntibus de Babylone, dedicatum est in vere scilicet duodecima die Martij, id est 12. Luna. Cum autem Antiochus Epiphanes polluisset templum sordibus Idolorum : & prophanasset vtensilia eius, Iudas Machabæus filius Assamonæi de genere sacerdotali, mundauit templum, & restituit vtensilia in locis suis : & dedicauit illud vigesima quinta die Decembris. Tunc Iesus in templo, in porticu Salomonis ambulabat : id est in porticu templi : vbi Salomon ad orandum stare solebat. Cumque Iudæi insidiose ab eo quærerent, vtrum ipse esset Christus, responsum temperauit, dicens : *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Et cum vellent eum lapidare quasi blasphemium dixisset quia se esse vnum cum patre asserens, innuebat se esse Deum : Etiam scripturam sacram homines Deos vocare, respondit. Sicque ambiguitate nominis eos mitigauit, & trans Iordanem abiit. Cum autem accepisset Lazarum infirmari per nũcium sororum : mansit adhuc in loco vbi erat duobus diebus, vt compleretur illius quatriduum. Tunc in Bethaniam abiit, eumque vocis suæ virtute suscitauit.

Comestor cap. 107.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Ioan. 11. Bethania nõ à Ierusalem distat nisi stadijs 15.

De Lazari suscitatione, & Iudæorum contra Iesum conspiratione.

Cap. XXVIII.

PEtrus Rauennensis episcopus. *Lazare inquit veni foras.* Vbi Christus cæpit Inferi fores pulsare : & animam Lazari reposcere : occurrit ei Tartari tota foris potestas : præferens edictum sperni regis antiquum de pœnarum iure, & latam tot sæculis à Deo sententiam. Et videns hominem : scisitabatur quis esset ? cur solus, aut sine tremore tremendos mortis accessus lacessere auderet ? Cui responderunt ministri resurrectionis Angeli : *Ipse est Rex gloriæ, fortis in prælio.* Ad hæc Tartarus : Ego Regem gloriæ scio cunctis in cælo præsidere, cuius nutum tota creatura non potest sufferre : hunc autem video hominem de terræ limo concretum, & mortalem, habitu quoque hominibus viliorem, citoque sepeliendum, & meæ ditioni subdendum. Angelis autem persistentibus ac dicentibus : *Ipse est Dominus virtutum, & redemptor omnium*, ipse caput tuum calcaturus, & imperium contriturus, teque iudicio suo perditurus : qui reos capere iussus : attrahis innocentes : sanctosque decipis, & ipsi filio Dei comminaris : redde igitur vnum prius quàm multos exoluere cogaris. Adhuc Tartarus ista non credens, per nuncios recurrit ad cœlum, hæc inuidiosa interpellatione deplorans : Ego Domine etsi creaturæ tuæ, tristique seruitio mancipatus, præcepta tua seruo, & peruigilo ne sententiæ tuæ vetustum ius quis immutet : nihilominus apparuit homo qui dicitur Christus, filium tuum se esse iactans : Sacerdotes tuos notans, & scribas arguens, Sabbata tua violat, & legem soluit, tantisque quotidie procedit ausibus, vt Lazarum iam in nostro iure manentem : effractis Inferi claustris conetur eruere : Aut igitur cito subueni, aut si semel patefecerit ianuas, omnes quos tot sæculis seruauimus, amittes. Ad hæc filius de sinu patris respondit. Iustum est, vt carcer & pœna nocentes teneat : non innocentes. Quamdiu autem propter Adæ solius culpam Patriarchas, Prophetas, virgines, castos, coniuges, & etiam paruulos bonum & malum ignorantes Carnifex iste crudeliter ad se trahere non cessat : Pater ego moriar, ne moriantur omnes, ego debitum Adæ soluam : & propter sententiam tuam, sanguinem meum fundam, vt ad te creatura tua redeat : Et pretium cari sanguinis mei, redemptio sit mortuorum. Ad hæc, tota Trinitas Lazarum præcepit exire, & Tartarus ad reddendum omnes pie mortuos Christo, iussus est obedire. Tunc Christus aduocatione peracta clamauit voce magna : *Lazare veni foras* : mox Tartarus Lazarum ad superna te tulit : timens, ne dum tardius vnum referret, omnes cogeretur efferre. Sic factus est viuorum relator, qui raptor consueuerat esse mortuorum.

Ioan. 11.

Psal. 23. Disputatio inter Tartarũ, & Christũ de Lazaro reddendo.

Ioan. 11.

Comestor cap, 108. Creditur autem hoc fuisse factũ ea die qua legitur in quadragesima, hoc est, sexta feria ante :

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iſti ſunt dies, prima ſcilicet die menſis primi ſecundum legem. Multi iam aſcenderant ad diem feſtum Paſchæ, vt ſanctificarent ſe. Hoc itaque miraculo diuulgato, Pontifices & Phariſei collegerunt concilium contra eum, timentes per ipſum amittere gentem, & locum: eo quod omnis turba poſt eum iret, eique crederet: & ipſe ſacra eorum, vana, & abolenda, eſſe doceret. Tunc Caiphas Pontifex licet neſciens prophetauit, quod mors eius humano generi expediret. Ieſus autem palam ante eos ambulare deſiit, & in deſerto iuxta ciuitatem Effrem ſeceſſit.

Pontifices & Iudæi conſpirauerunt in Ieſum.

De mutuis epiſtolis Domini Ieſu & Abgari Regis Ediſſenæ.

Cap. XXIX.

Adrianus Papa, ad Carolum. Reuelatione quidem fidelium de partibus orientis, ſæpe agnouimus, quod redemptor humani generis appropinquante die paſſionis, cuidam Regi Ediſſenæ ciuitatis, deſiderans eum corporaliter cernere, illumque ad ſe conuocanti, vt & perſecutiones Iudæorum aufugeret, & auditas miraculorum operationes, & ſanitatum curationes illi & populo ſuo impartiret: reſpondit. Si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei ſpeciem transformatam in linteo dirigo: per quam deſiderij tui feruorem refrigeres: & quod de me audiſti, nequaquam impoſſibile fieri exiſtimes: poſtquam tamen compleuero ea quæ de me ſcripta ſunt: dirigam tibi vnum ex diſcipulis meis: qui tibi, & populo tuo, ſanitates impertiat, & ad ſublimitatem fidei vos perducat.

Deſiderium Abgari videndi Ieſum.

Ieſus miſit ſpeciem vultus ſui trãſformatam in linteo.

Author. Alibi quoque legitur, quod Legati Abgari ad eum reuertentes cum ſindone in qua facies Saluatoris terſa emicuit: Cum appropinquaſſent eius palatio, abſconderunt eam ſubtus tegulam: in qua itidem imago eadem apparuit: & ipſa quidem Sindon Romam peruenit, vbi & vſque hodie eſſe videtur: tegula vero in ciuitate remanſit, & vſque ad præſens, ibidem honoratur. *Euſebius in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 1. cap. 15.* Ipſe ſiquidem Abgarus nomine gentis vltra Euphraten poſitæ principatum nobiliter tenens, morbo quodam corporis irremediabili, quantum inter homines, tenebatur: qui cum de nomine Ieſu, & de mirabilibus virtutum eius audiſſet, ſupplex ei per epiſtolam factus exorat miſſo in rem homine, diutini morbi vinculis, quibus tenebatur, abſolui. Sed ad præſens quidem à Domino corporis cura eius differtur, dignus tamen efficitur reſcripto epiſtolæ Saluatoris, in qua ſimul etiam promittitur ei, quod non multum poſt deſiderij ſui conſequeretur effectum. Hæc igitur in archiuis publicis Ediſſenæ ciuitatis deſcripta reperimus, in his chartis quæ geſta Regis Abgari ſeruata antiquitus continebant.

Lego Euſebiũ hic iuxta vetuſtã editionẽ, & tranſlationẽ Ioãnis Porteſij Impreſ. Antuerpiæ anno Domini 1548. & ad verbum cõcordat cum authore.

Abgarus Vchamiæ filius Toparchæ; Ieſu Saluatori bono, qui apparuit in locis Hieroſolymorum, Salutem.

Epiſtola Abgari ad Ieſũ.

Auditum eſt mihi & de te, & de ſanitatibus, quas facis, ſine medicamentis & herbis: & quod verbo tantum cæcos facis videre, claudos ambulare, leproſos mundas, & immundos ſpiritus ac dæmones eiicis: & eos qui longis ægritudinibus affliguntur curas, mortuoſque ſuſcitas. Quibus omnibus auditis de te, ſtatui in animo meo vnum eſſe è duobus: aut quia tu ſis Deus, & de cœlo deſcenderis: aut filius Dei ſis, qui hæc facis: propterea ergo ſcribens rogauerim te, vt digneris vſque ad me fatigari, & ægritudinem meam qua iam diu laboro, curare. Nam & illud comperi, quod Iudæi murmurant aduerſum te, & volunt tibi inſidiari. Eſt autem mihi ciuitas, parua quidem, ſed honeſta: quæ ſufficiat vtrique.

Epiſtola Ieſu ad Abgarũ.

Exemplum reſcripti à Ieſu per Ananiam curſorem, ad Abgarum Toparcham.

Beatus es, qui credidiſti in me, cum ipſe me non videris. Scriptum eſt enim de me, quia hi qui me vident non credent in me: & qui non vident me, ipſi credent, & viuent. De eo autem quod ſcripſiſti mihi, vt veniam ad te: oportet me omnia propter quæ miſſus ſum, hic implere: & poſteaquam compleuero, recipi me ad eum à quo miſſus ſum. Cum ergo fuero aſſumptus: mittam tibi aliquem ex diſcipulis meis, vt curet ægritudinem tuam: & vitam tibi, atque his qui tecum ſunt, præſtet. Et ciuitati tuæ præſtet, vt nullus aduerſariorum vnquam vos exuperare poſſit.

De Thadæo Apoſtolo poſt Aſcenſionem Domini ad eundem Regem miſſo.

Cap. XXX.

ERat autem his epiſtolis adiunctum hoc lingua Syrorum, quod infra ſcriptum eſt: Poſtea vero quam Ieſus aſſumptus eſt, miſit ei Iudas, qui & Thomas, Thadæum Apoſtolum vnum ex 70. Qui cum veniſſet, Abgarus, conſideratis mirabilibus quæ faciebat, recordatus eſt, quod ipſe eſſet, de quo Ieſus ſcripſerat ſibi dicens: Cum autem fuero aſſumptus, mittam tibi aliquem de diſcipulis meis, qui ægritudinem tuam ſanet. Et vocans ad ſe Tobiam apud quem manebat, ait ad eum: Audiui quod vir quidam potens venit, & manet in domo tua: adduc eum ad me. Cumque rediiſſet Tobias dixit: Abgarus vocauit te ad ſe: cui Thadæus: Veniam, inquit, quoniam maxime propter ipſum miſſus ſum. Poſtera igitur die ſtatim in eius ingreſſu, viſum eſt Abgaro, diuini neſcio quid ſplendoris in vultu Apoſtoli Thadæi. Quod cum vidiſſet Abgarus, adorauit eum, ſuper quod admirati ſunt omnes qui aſſiſtebant regi: ipſi enim nihil horum videbant, quia ſoli Abgaro fuerat oſtenſum. Qui & dicere cæpit ad Thadæum: Vere diſcipulus es Ieſu filij Dei. Et Thadæus reſpondit. Quia magnifice credidiſti in eum qui me miſit, propterea miſſus ſum ad te. Tunc ait Abgarus ad eum: Vſque adeo inquit credidi ei, vt & Iudæos qui eum crucifixerunt velim (ſi vlla mihi adeſſet tanta exercitus copia) trucidare: & ſi non Romani regni auctoritas impediret. Et Thadæus ait: Dominus noſter voluntatem patris ſui impleuit, qua impleta aſſumptus eſt rurſus ad patrem. Dicit ei Abgarus: Et ego ſcio, & credo in eum, & patrem eius. Et Thadæus: Propterea, inquit, pono manum meam ſuper te in nomine eius. Et cum hoc feciſſet, ſtatim omni ægritudinis morbo quo tenebatur, abſoluitur. Nam ſolum autem illum, ſed & Abdon quendam Abdiæ filium podagra laborantem: multoſque alios vrbis illius ciues, variis obſeſſos incommodis ſanauit. Et ſic opera magna & admiranda perficiens, prædicabat verbum Dei. Poſt hæc autem Abgarus ait ad Thadæũ: Tu quidem cum virtute Dei hæc facis: verum, quæſo, te, enarra mihi de aduentu Ieſu, quomodo factus ſit, & de virtute eius, in qua faciebat hæc quæ audiui. Et Thadæus: Craſtino congrega mihi omnes ciues tuos: & ſeminabo in eis verbum vitæ, vel aduentus Ieſu, quomodo fuit, vel qua de cauſa. Qui deſcendit quidem ſolus: aſcẽdit autem cum grandi multitudine ad patrem ſuum. Iuſſit ergo Abgarus, vt omnes ciues conuenirent, & audirent prædicationem Thadæi: & poſt hæc iuſſit ei dari aurum, & argentum: ſed ille non accepit, dicens: ſi nos noſtra dereliquimus, quomodo accipiemus aliena?

In margine Euſebij legitur hoc factum fuiſſe anno Domini 43.

Hac non inutiliter vt puto, (ait Euſebius) à nobis ad verbũ ex Syrorũ lingua interpretata, hũc in noſtris libris tenebũt locum: geſta ſunt hæc, ait Euſebius 43. anno Domini.

De vltimo aduentu Domini in Hieruſalem.

Cap. XXXI.

Euſebius in chro. Anno itaque imperij Tiberij 18. Ieſus Chriſtus ſecundum prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ ad paſſionem venit, anno ſcilicet ætatis ſuæ 33. *Comeſtor cap. 110.* Factum eſt autẽ dum cõplerẽtur

dies aſſumptionis eius, firmauit faciem ſuam vt iret in Hieruſalem. Aſſumptionem Ieſus dixit Lucas non ſolum tempus quo aſſumi debebat de mundo ad patrem: ſed etiam ſecundum præceptum de agno paſchali, qui decima die menſis primi aſſumebatur de grege, & ſeruabatur vſque ad quartamdecimam. In hunc modum Ieſus decima die id eſt in ramis palmarum venit ad locum paſſionis, & manſit in eo vſque dum paſſus eſt.

De hoc aſcẽſu omnes loquũtur excepto Ioanne.

Author. Ipſe ergo Ieſus faciem ſuam firmauit, id eſt imperterrita mente locum quo pati decreuerat petiit: ſicut in perſona eius dicit Iſa. *Poſui faciem meam vt petram duriſſimam.*

Iſaiæ 50.

Comeſtor cap. 111. Et in ingreſſu cuiuſdam caſtelli occurrerunt ei decem leproſi: Qui dum iuſſu eius ſacerdotes peterent: mundati ſunt, quorum vnus qui Samaritanus erat rediit & gratias egit, cæteri vero qui Iudæi, permanſerunt ingrati. Porro Samaritæ qui inuidebant euntibus in Hieruſalem adorare, noluerunt eum hoſpitio recipere, vnde irati Ioannes & Iacobus, voluerunt ignem è cœlo ad eos conſumendos impetrare. At huiuſmodi vindicta, quæ laudata eſt in Helia: in iſtis eſt à Domino reprobata: quia hoc non appetebant ex charitate, ſicut ille: ſed ex ira. Tunc iterum prædixit eis ſecreto ſe mortem crucis paſſurum, & tertia die reſurrecturum: vnde filij Zebedæi putantes eum in Hieruſalem carnaliter in proximo regnaturum, ſuggeſſerunt Matri ſuæ, vt peteret munus ſine nomine, quo conceſſo peteret eis conſeſſionem in eius regno. Cognoſcens Ieſus eorum temeritatem, reuocauit eos ad humilitatem, oſtendens per hoc eos venturos ad ſublimitatem, potius quam per honoris ambitionem. Prius autem quàm ingrederetur Hiericho, cæcum natum illuminauit, & eandem vrbem perambulans in domum Zachæi diuertit. Ingreſſo vero Hiericho duos cæcos ſecus viam ſedentes, quorum vnus erat Barthimæus ſanauit. Igitur ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ſcilicet ante ramos palmarum, qui dies ſextus erat ante paſcha, ſi numeras ipſum & diem paſchæ cum quatuor interpoſitis & erat in domo Simonis, qui fuit leproſus, & à Domino ſanatus, ſed tamen adhuc priſtinum nomen manebat, ſicut adhuc dicitur Matthæus Publicanus. Multique Iudæorum venerunt illuc, quia conuenerant ad diem feſtum, non propter Ieſum tantum, ſed vt viderent Lazarũ. Cogitauerunt ergo principes ſacerdotum, vt & Lazarum interficerent. Fecerunt autem ei cænam, & Martha miniſtrabat, & Lazarus vnus erat diſcumbentium, qui (vt Auguſtinus dicit de verbis Domini) conuiuis interrogantibus, loca pœnarum & ſedes inferni, diligenti narratione indicauit. Et ita inferi in longis temporibus ignorati: tandem inuenerunt proditorem. Maria ergo aperuit alabaſtrum, & effundebat vnguentum ſuper caput Ieſu, & etiam vnxit pedes eius, & exterſit capillis ſuis. In memoriam huius rei eodem ſabbato, Dominus Papa debet multis erogare pauperibus. Hi enim ſunt pedes Domini ſedentis in cælo, adhuc ambulantes in terra. Cuius largitionis occupatione eadem die non egreditur ad aliquam eccleſiam: cum cæteris diebus quadrageſimæ ſtationem faciat ad celebrandum miſſam. Indignabatur autem Iudas Iſcariothes quaſi de perdito vnguẽto, *quia fur erat: & loculos Domini habens*, vxori & filiis dabat, quæ furabatur.

De comeſtore cap. 111.

De decem leproſis.

De Samaritis negãtibus hoſpitium Domino. Comeſtor cap. 112.

De petitione filiorum Zebedæi. Matth. 20. *Luc.* 18.

De cæco illuminato.

De multis aliis operibus Ieſu.

Inde eſt quod in antiquis Graduali-bus, dicitur Sabbathum vacat, quia Dominus Papa elee-moſinã dat. Ioan. 12.

De ſuſceptione eius in ramis palmarum.

Cap. XXXII.

Comeſtor cap. 117.

Mane autem facto aſcendebat Ieſus Hieroſolymam, & diſcipuli eius. Et cum veniſſet Bethphage, qui erat viculus ſacerdotum, in latere montis Oliueti: miſit duos de diſcipulis in caſtellum quod contra eos erat, id eſt in Hieruſalem, vt adduceret ei Aſinam, & Pullum, qui erant alligati in biuio. Aſina dicitur communis fuiſſe pauperibus, qui propria iumenta non habebant. Cumque in ea quis operatus fuerat, pabulum dabat ei, & pullo: qui pariter ad opera communia nutriebatur. *Nondum enim quiſquam aſcenderat eum.* In hoc itinere dum aſcenderet Hieruſalem, putant quidam eum eſuriiſſe, & acceſſiſſe ad ficum: Et cum non inueniſſet in ea niſi folia, ait: Nunquam ex te amplius exeat fructus, & ſtatim aruit. Quod licet apud Matthæum legatur ſequenti die factum, putamus recapitulando dictum eſſe. Et cum appropinquaret Ieſus ad deſcenſum montis Oliueti, multi deſcendentium cum eo ſubſternebant veſtimenta ſua in via: Alij cedebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: Turba autem multa, quæ venerat ad diem feſtum, & pueri & plebecula Hieroſolymorum tollentes ramos oliuarum, proceſſerunt ei obuiam, & qui præcedebant & qui ſequebantur clamabant: OSANNA id eſt ſalua, obſecro. Et quidam Phariſæorum de turba dicebant ei, vt increparet diſcipulos, quibus reſpondit: Si hi tacuerint, lapides clamabunt, quia his tacentibus in paſſione: petræ ſciſſæ, clamauerunt eum Dominum mundi. Et vt appropinquauit Ieruſalem flenit ſuper ciuitatem, dicens: *quia & tu*, ſubaudi, fleres, ſi cognoſceres ruinam tuam futuram, & cauſam eius.

Luc. 19.

Comeſtor cap. 118.

Luc. 19.

Matth. 21. *Luc.* 19.

De ſecunda eiectione vendentium, & ementium de templo.

Cap. XXXIII.

Cur Ieſus intrauit tẽplum?

AT Ieſus intrauit templum propter tria, primo ſecundum gloſſam (vt doceret nos formam religionis: ſcilicet vt quocunque pergimus, primum domum orationis, ſi ibi eſt, adeamus: & per orationes Deo commendati, ſic ad agenda negotia ſecedamus. Item quia locus publicus erat, vbi poſſet inueniri, oſtendens ſe; non inuitum, ſed ſponte pati. Itemvt oſtenderet ruinam vrbis, pro qua fleuerat, maxime ex ſacerdotum culpa proceſſuram. Sacerdotes enim auaritiæ ſuæ conſulentes in porticibus templi hoſtias vendebant cuiuſcunque generis, ne venientes de longinquo nihil offerrent, ſi hoſtias præſto non inuenirent: & ne etiam pauperes, qui nihil ſecum pertulerant, excuſationem prætenderent pecuniæ non habitæ, poſuerant ibidem nummularios qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia lex non patiebatur vt à fratribus ſuis vſuras acciperent, excogitauerunt, vt collibiſtas facerent. Collibia enim apud eos dicuntur vilia munuſcula, vt ciceris & vuæ paſſæ, & pomorum diuerſi generis quaſi quod in nummo non licebat, in talibus liceret. Quod prohibuit Ezechiel dicens: *Vſuram & omnem ſuperabundantiam non accipietis*: Sic & hodie quidam ſub nomine charitatis vſuram palliant. Et facto flagello de funiculis eiiciebat ementes & vendentes, dicens: *Ne domum orationis facerent ſpeluncam latronum.* Nec ſinebat vas aliquod Deo non dicatum transferri per templum.

Ezechiel. 22.

Eiecit emẽtes & vendẽtes ex templo. Luc. 19.

Tradũt quidam, quod quidam fulgor radioſus egrediebatur ex oculis ipſius, quo territi Sacerdotes, & Leuitæ, non poterant ei reſiſtere.

Hieronymus ſuper Matth. 3. *libro.* Inter ſigna omnia quæ fecit, hoc mihi mirabilius eſſe videtur, quod vnus homo in illo tempore, contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & lucra ſua videntibus deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam multitudinem eiicere, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere: atque alia facere: quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam atque ſydereum ex oculis eius radiabat, & diuina maieſtas in facie lucebat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Comestor cap. 119. & 120. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Et admirantes principes Sacerdotum & scribæ dixerunt ei : *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis* : quasi dicerent, non credimus tibi hoc licere : ergo ostende nobis signum, quo credamus. Et respondit Iesus : *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem dixit Iesus non imperando, vel consulendo, vel hortando, sed prædicendo. Et respiciebat diuites, *qui mittebant munera sua in Gazophylacium*, Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem duos æreos nummulos valentes quartam patrem sicli, scilicet obulos quinque: & dixit eam misisse plusquam omnes, quia totum victum suum miserat : alij vero ex abundanti sibi partem, non totum. Dixit autem ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti pro operibus suis exterioribus, & asperna bantur cæteros, parabolam de Pharisæo & Publicano : & intulit quod omnis qui se exaltat humiliabitur.

Ioan. 2.

Luc. 21.

De duobus minutis.

De pharisæo & publicano.

Luc. 18.

Author. Et cum vespera iam esset hora, circumspectis omnibus rediit in Bethaniam & ibi mansit, quia vt dicit glossa Hieronymi pauper & nulli adulatus, nullum in tanta vrbe inuenit, qui hospitium ei daret : erat ergo diebus, docens in templo : noctibus exiens, morabatur in Bethania. Ideo tota illa septimana dicitur pænosa, quia per totam illam laborauit Dominus, recreando : sicut per primam mundi hebdomadam operatus est, creando. At princeps Nicodemus præ timore populi vel verecundia discendi, quia magister erat, non die, sed nocte docendus, ad eum venit : quem Dominus interrogatus, de introitu regni Dei instruxit.

De his quæ gessit in secunda feria.

Cap. XXXIV.

Iesus autem iterum diluculo venit in templum & sedens docebat populum. Pharisæi autem videntes & insidiantes ei, quia sciebant eum esse mansuetum, & misericordiæ prædicatorem, & ob hoc habere gratiam, & fauorem populi : adduxerunt ei Mulierem lapidandam secundum legem, vt si iudicaret eam lapidari : quasi crudelem, eum irriderent : & non habentem misericordiam : quam populo prædicabat : si autem dimitti, quasi hostem legis condemnarent. Ipse autem vtramque calumniam in iudicio, prudenter euitauit : quia & iustitiam & misericordiam in iudicio seruauit. Protulit enim iustum iudicium salua misericordia, prius tamen digito scripsit in terram. *Qui sine peccato*, inquit, *vestrum est*, &c : quid autem scripsit ad literam, incertum est. Quidam tamen dicunt quod id quod eis respondebat. Hieronymus videtur velle in quadam epistola eum scripsisse : Terra, terra absorbe viros istos abdicatos. Vel secundum glossam, terra terram accusas : Vel forte peccata eorum scribebat. *Mulier*, inquit, *vbi sunt qui te accusant* quasi diceret qui venerant, ad quærendam iustitiam, fugati sunt iudicio iustitiæ. *Nemo te cõdemnauit*, quia quilibet eorum sciebat se similiter inquinatum, *nec ego condemnabo*, quasi diceret : Illi dimiserunt te indemnatam propter peccata sua : & ego te absoluo ex misericordia mea. *Vade & amplius noli peccare.* Sicut supra protulit iudicium iustitiæ, salua tamen misericordia, & hic profert iudicium misericordiæ, salua iustitia, secundum glossam scilicet vt misericors, peccata præterita dimittens, & vt iustus, ne amplius peccaret, interdicens. *Nam vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Et notantur hic in summa 5. quæ obseruanda sunt iudicibus in sententia proferenda. Primum est matura & discreta deliberatio scilicet vt non præcipitetur sententia, sed diligenter examinetur, secundum illud Iob : *Causam quam nesciebant diligentissime inuestigabam.* Vnde & Dominus audita causa, non statim protulit sententiam, sed tacuit primò, & scribebat in terra : non quia ignoraret, sed vt nos instrueret : ipsa etiam discretio notatur in digito. Secundum est proximi compassio, qua debet iudex se inclinare, vel incuruare ad exemplum Christi scilicet vt non sine dolore compassionis proferat sententiam, & inuitus. Tertium est iudicij rectitudo scilicet vt non flectatur precibus, vel muneribus vel aliquo tali. Vnde Christus sententiam prolaturus erexit se. Quartum vitæ propriæ purgatio, sine qua, nemo potest alium digne iudicare, secundum illud. *Qui sine peccato est &c.* Quintum misericordiæ cum iustitia annexio, ad exemplum Christi, qui vtramque seruauit, vt dictum est. Nec debet homo hominem iudicare sine misericordia, *quia iudicium sine misericordia, &c.*

De muliere lapidanda.

Ioan. 8.

Ioan. ibid.

Psal 24. *Quinque obseruanda in iudicio.*

Iob. 19.

Ioan. 8.

Iacob. 2.

Venerant autem quidam gentiles, vt adorarent in die festo, & dixerunt Philippo : Domine volumus Iesum videre, qui assumpto Andrea, dixit hoc Iesu : Et dixit Iesus : *Venit hora vt clarificetur filius hominis*, quasi diceret : Plenitudo gentium creditura est. Quod non nisi post passionem futurum insinuauit dicens : *Nisi granum frumenti &c. Pater clarifica me ex hac hora. Et venit vox de cælo : Et clarificaui, & iterum clarificabo*, id est clarum genui, te, nec desistam. Vel secundum hominem clarificaui in baptismo, & in transfiguratione, & clarificabo in resurrectione, & ascensione, & iudicio : & dicebant quidam, tonitruum factum fuisse : alij quod Angelus locutus est ei : & ait Iesus : *Propter vos hæc vox facta est.* Nunc princeps huius mundi eiicietur foras id est princeps amatorum mundi perdet potestatem homines post se trahendi : *Et ego si exaltatus fuero &c.* Et cum vespera esset facta redibat in Bethaniam.

Ioan. 12.

Ioan. 6. & 12.

Ioan. ibid.

De gestis tertiæ feriæ.

Cap. XXXV.

Et iterum rediens diluculo tertij Sabbati in templum, docebat populum, & accesserunt ad eum principes sacerdotum dicentes : In qua potestate hæc facis ? quasi dicerent : Quid est, quod eiicis de templo quosvis, cum non sis ostiarius : & doces, nobis insultis. Iesus autem oppositionem reddidit oppositioni, non solutionem, quasi clauum clauo retundens. Quod autem aperienda esset veritas aliis, & non ipsis, & quare ? indicauit per parabolam duorum filiorum, quorum vni dixit pater : Vade in vineam meam : & respondit : Nolo : postea tamen iuit. Alii vero dixit : Vade, & respondit, vado : sed non iuit. Iterum propofuit parabolã de cultoribus vineæ sanguinariis : & post hanc, aliam de inuitatis ad nuptias regales, nec habentibus vestes nuptiales. Tunc Pharisæi volentes eum capere verbo, proponunt ei quæstionem apud Iudæos ortam : de tributo Cæsari soluendo : vel non soluendo : dicentibus quibusdam soluendum esse, quasi pro securitate & quiete : eo quod Romani pro omnibus militarent : Pharisæis autem econtra nitentibus, tanquam, qui decimas & oblationes & vota secundum legem Dei soluebant, humanis legibus subiacere non deberent. Ipse vero sic respondit, vt & Deo, & Cæsari, iura sua seruarent : & sic eorum calumnias prudenter euasit. De muliere quoque 7. virorum quæstionem à Saducæis propositam soluit : & quia Prophetas non recipiebant, auctoritate Exodi mortuorum resurrectionem probauit, sed & Pharisæum tentando interrogantem de mandato legis, primo, & secundo, instruxit : & quis esset vere proximus noster per parabolam sauciati, à Samaritano curati ostendit. Quodque esset Dei filius per auctoritatem Dauid probauit. Tunc etiam docuit Scribarum quidem, & Pharisæorum doctrinam audiendam, sed eorum vitam non imitandam : de multis criminibus eos acriter arguens scilicet de ambitione, de incredulitate, & peruersa doctrina, de gula, & superstitione, & auaritia, de hypocrisi, & crudelitate. Egressus autẽ

Matth. 21. *Comestor cap.* 125.

Parabola de duobus filiis.

De cultoribus vineæ sanguinariis. Matth. 22.

De tributo reddendo.

De septemvira mulere.

De doctoribus pharisæis audiendis, sed non imitandis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Prædixit euersionem templi.

de templo prædixit discipulis euersionem templi : signaque euersionis vrbis , & signa aduentus sui : quædam quidem vtriuslibet propria quędam vtrique communia. Prædixit etiam ipsius aduentus incertitudinem : tribus similitudinibus eius terrorem introducens. Porro in illa

De extremo die iudicij, & quinam relinquendi, qui vero assumendi.

die de quolibet hominum genere dicit quosdam assumendos in regnum , & quosdam relinquendos ad supplicium, scilicet de agro prædicationis , qui pertinet ad Prælatos, & de mola actionis, quæ ad coniugatos , & de quiete contemplationis,quæ ad continentes. Secundum hæc tria genera, tres parabolas proponit;Primam de vigilia Patris familias, vel ianitoris : quantum ad Prælatos : Secundam de decem virginibus , quantum ad contemplatiuos : Tertiam de talentis multiplicandis, quantum ad actiuos. Tandem vero describit ventilationem aręæ, quæ fiet in extremo iudicio.

Comestor. Finitis autem sermonibus his, eadem die scilicet 3.feria dixit discipulis suis. *Scitis quia post biduũ,* id est

Matth.26.

quinta feria ad vesperum, *Agnus paschalis immolabitur, & tunc etiam filius hominis tradetur vt crucifigatur.*

De his quæ gesta sunt quarta feria.

Cap. XXXVI.

Luc.22.

TVnc scilicet quarta feria Principes Sacerdotum videntes Iesum abiisse & dixisse : *Non videbitis me amodo,* congregati sunt cum senioribus populi in atrium Cayphæ , & quærebant vt eum tenerent & occiderent :

Marc.14.

non tamen in die festo , ne forte tumultus fieret in populo. Audiens autem Iudas eos congregatos, abiit ad eos , & pepigit cum eis pactum de Iesu tradendo pro 30 .argenteis: forte quia tunc audierat Dominum tertia die morituram , & putauit eum in morte detineri , mortem imminentem sibi lucratiuam facere voluit. *Ex Glossa.* Præmissa est autem superius causa , quæ compulit Iudam ad ven-

Ioan.12. Matth.26.

dendum Dominum. *Cum enim esset fur & loculos habens,* & videret vnguentum super caput & pedes Domini effusum, quod putauerat esse vendendum & sibi tradendum pretium, vt aliquid inde furaretur : Quod igitur perdiderat in effusione vnguenti , voluit recompensare in venditione magistri. Et forte hæc fuit causa quare Matthæus hoc factum Mariæ recitauit scilicet vt congruenter subiungeret factum Iudæ , quo vendidit Dominum, tanquam continuans effectum ad causam. *Quid vultis*

Matth.26.

mihi, inquit, *dare , & ego eum vobis tradam* ? Quasi vile mancipium venale exponens : ponit in eorum potestate quantum velint dare. Cum enim vilia exponuntur, solet quærere venditor ab emptore , quantum dabis ? Cum autem cara : econuerso.

Notula super historiam Comestoris in cap. 148. Quod autem quarta feria ante passionem venditus fuerit Dominus, ostendit ea die ecclesia, lectionem præmittens epi-

Isaiæ.40.

stolæ, in qua legitur : *Ecce merces eius, cum eo.* In memoriam quoque venditionis eius per totum annum in ieiuniis pænitentialibus hęc feria secũdum tenet locum post sextam feriam.

Author. Facta itaque hac pactione, quærebat oportunitatem tradendi eum sine turbis.

De cæna Domini & institutione Eucharistiæ.

Cap. XXXVII.

PRima autem die azymorum id est in eadem die in cuius vespera erat agnus immolandus , & edendus cum azymis , præmisit discipulos vt pararent Pascha. Et ita secundum Ioannem venit illuc , & discubuit ad cænam cum discipulis ante diem festum Paschæ id est ante primum diem azymorum , qui celeberrimus erat inter

Nomen Paschæ variè accipitur.

septem dies paschales. Sciendum enim quod hoc nomen Pascha æquiuocum est ad tria. Aliquando enim Pascha dicebatur vespera,qua agnus immolabatur, vt ibi : *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Aliquando autem ipse agnus, vt ibi : *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha* ? Aliquando vero septem dies sequentes, in quibus edebantur azyma, vel etiam azyma ipsa , vt ibi. Non introierunt prætorium ne contaminarentur : sed comederent Pascha. Hac

Matth.26.

Error Græcorum circa panem fermentatum.

æquiuocatione decepti Græci , conficiunt de fermentato. Dicunt enim in parasceue lunam decimam quartam fuisse , & in vespera illius fuisse Pascha Iudæorum. Sed Dominus, inquiũt,sciens se eadem die passurum, scilicet sexta feria, anticipauit comedere Pascha scilicet in die præcedenti , & tunc fuit luna 13. Vnde quia tunc licite (vt dicunt) potuit comedere fermentum, ideo & ipsi conficiunt de fermentato. Prouenit autem error eorum ex hoc loco , quia putarit hic accipi Pascha pro die immolationis : sed accipitur pro prima die Azymorum, vt dictum est. Et etiam si verum esset quod dicunt de die Paschæ , nihilominus errant , quia quacunque die Dominus comederit Pascha id est agnum , credibile est eum comedisse cum azymis secundum legem. Præterea dies ipsa præcedens vesperam immolationis , nec dicebatur Pascha , nec erat solennis , & ita tertiadecima luna non fuit proxima dies ante diem festum Paschæ.

Comestor 150.cap. Et nota quod nusquam legitur Dominum comedisse carnes, nisi agni paschalis. *Surgens autem à cæna lauit pedes discipulorum.* Ex eo enim quod dixit,

Ioan.13.

qui lotus est , non indiget nisi vt pedes lauet , perpenditur à quibusdam quod Apostoli baptizati erant. Et cum recubuisset , iterum docuit eos : quare hoc fecerat ? in exemplum scilicet mutuo sibi seruiendi. Iesus autem turbatus spiritu dixit : *Amen dico vobis , quia vnus ex vobis me traditurus est.* Turbatus est Iesus , misericorditer

Matth.26. Comestor cap.131.

compatiens Iudæ , quem notabat. Sic & sancti misericorditer turbantur , cum vrget eos cura à zizania separandi triticum ante messem. Mentitur ergo Philosophus , qui dicit animi turbationem non cadere in sapientem. Et dicebant sigillatim. *Nunquid ego sum Domine ? Qui intingit,* ait , *manum mecum in paropside &c.* Duodecim

Matth.26.

in eadem paroside cum Domino edebant , alij non : quasi diceret , vnus è duodecim me tradet. Forte ideo dixit, *intingit,* quia succus agrestium lactucarum necessarius erat ad vsum agni. *Recumbebat autem discipulus , quem*

Ioan.13.

diligebat Iesus, in sinu eius , non aliter, vt creditur, nisi quia discumbebat inclinatus ante pectus Domini. Huic submissa voce expressit proditorem , cui scilicet panem intinctum porrigeret. Et tunc Sathanas introiuit in Iudam , non tunc primo , sed vt quasi proprium possideret.

Author. Tunc Iudas ne videretur tacendo se prodere, ait ; *Nunquid ego sum Rabbi* ? At ille : *Tu dixisti.* Non-

Matth.26.

dum coram exprimit eum, potest enim sic intelligi ; Non ego dico , sed tu dicis : Vel quia latenter notatus, non resipiscebat : manifestius eum notabat , quasi diceret Tu te ipsum prodidisti , non ego. *Et exiuit Iudas*

Matth. ibid. Ioan.13.

continuo : Erat autem nox : tunc ait Iesus : Nunc clarificatus est filius hominis, id est eiecto tenebroso remanserunt soli mundi cum suo mundatore. Et addidit : Et continuo clarificabit eum Deus. Quod potest intelligi de resurrectione, vel de imminente traditione , per quam mortuus apparuit his qui in inferno eum expectabant. *Cænantibus*

Matth.26.

autem illis benedixit panem & fregit. Ordo verborum mysticus est secundum glossam : *Benedixit* : quia naturam humanam quam assumpsit , gratia diuinæ virtutis impleuit. *Fregit,* vt ostenderet corporis sui fractionem , non sine sponte sua fore. *Accipite,* inquit, *& comedite, &c.* Non

Comestor cap.132.

hic intelligendum est quod discipuli sumptum corpus de manu Domini sibi ministrarent : sed ipsemet ministrauit, qui & consecrauit. Et est sensus : *Accipite, & comedite id est* accipite sacramentaliter , & comedite spiritualiter. Hoc est corpvs mevm &c. Et

Institutio sanctissimi sacramenti.

nota quod in canone , quoniam hæc verba proferuntur, Hoc est corpvs mevm, Hic est sangvis mevs, ex virtute horum verborum, fit transubstantiatio. Vnde credibile est Dominum, cum eadem verba dixit , mutasse panem , & vinum , in car-

nem,

nem, & ſanguinem; & tunc eandem vim illis contulit in poſterum. Vnde dicit Lucas eum addidiſſe. *Hoc facite* Luc. 22. *in meam commemorationem.* Quibus ſcilicet verbis inſtituit hoc ſacramentum, & tacite præmiſſum deſtituit.

De prædictione negationis Petri, & trina oratione domini.

Cap. XXXVIII.

Matth. 26. TVnc ait illis Ieſus: *Omnes ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, &c.* Et cum dixiſſet Petrus: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint ego nunquam ſcandalizabor.* Reſpondit Ieſus: *Priuſquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* Marcus 14. Sed Marcus hoc plenius expreſſit cæteris: poſt primam enim negationem Petri, gallus ſtatim cantauit, ſed ante galli ſecundum cantum idem bis negauit, & ita trina negatio Petri ante primum cantum galli inchoata, eſt ante ſecundum impleta. Alii vero Euangeliſtæ dicentes: *Prius quam gallus cantet, ter me negabis:* de inceptione agunt. Petrus ter negauit Dominum ſuũ. id eſt trinam inchoabis negationem. Marcus vero de completione eius ſcripſit. Et ait Petrus: *Et ſi me oportet mori tecum, non te negabo.* Non mentitur, quia credidit verum eſſe, quod promittit. Tunc ſubdit Ieſus, eos cõſolando, longum ſermonem quẽ ſcripſit Ioannes dicẽs: Ioan 14. *Non turbetur cor veſtrũ &c.* Tunc venit cũ illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, quæ eſt ad radicem montis Oliueti, & introiuit Ieſus in hortum cum diſcipulis ſuis. Et cum intraſſet, dixit eis: *Sedete donec vadam & orem:* Matth. 26. *& vos etiam orate, ne ſuccumbatis tentationi.* Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, tanquã ſecretariis ſuis: vt quibus oſtenderat gloriam ſuæ maieſtatis, eiſdem etiã reuelaret triſtitiam paſſionis: *cæpit contriſtari*, vt veritatẽ probaret hominis aſſumpti. Et bene dicitur, *cæpit*, quia ipſe motus triſtitiæ non ei dominatus eſt, ſed ſubiecit eũ voluntati diuinæ. Hanc autẽ triſtitiam ſecundum gloſſam paſſus eſt, non ſolum timore mortis, quam ipſa natura abhorret: ſed propter infælicitatem Iudæ, & ſcandalum Apoſtolorum, & eiectionem & euerſionem Hieruſalem. Veniens autem ad diſcipulos inuenit eos dormientes, & dicit Petro, quia præ cæteris erat gloriatus: Sic? ironice, quaſi diceret, ſic erat faciẽdũ? Vel ſic imples quod promiſeras? *Vigilate & orate, quia ſpiritus quidẽ promptus eſt* Matth. vt ſupra. ad cõfitendum, *caro autem infirma* ad tolerandum. Tunc abiit ſecundo & orauit, & apparuit ei Angelus confortans in eo motum ſenſualitatis, ſecundum quam Pſal. 8. *minoratus eſt paulominus ab Angelis*, illum ſcilicet motum qui exhorrebat mortem, ſicut etiam ipſe Chriſtus ratione confortabat eum, dicens ad patrem: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Prohibebat etiam eum Angelus à vexatione corporali, prout oportunum erat. Vnde eſt illud: Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit &c.* Quod de toto Chriſto bene accipitur ſecundum gloſſam, id eſt de capite, & de membris. Et factus eſt in agonia, contra mortem. Iam quaſi vincebat in animo, quod poſt vicit actu ipſo, ſcilicet reſurgendo. *Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Et rediit ad diſcipulos & inuenit eos dormientes. Tertio abiit & orauit ſecundum gloſſam vt etiam nos à peccatis præteritis veniam, & à præſentibus malis tutelam, & à futuris malis cautelam à Deo poſtulemus, & vt ad Trinitatem orationem dirigamus, vel contra trinam tentationem, orationis clypeo tueamur. Tunc venit ad diſcipulos, & ait illis. Dormite iam & requieſcite. Et cum paululum dormiſſent, ait, *Sufficit: Surgite, eamus, ecce prope eſt qui me tradet.*

De ligatione Domini, & eius condemnatione coram Caypha, & ſuſpendio Iudę.

Cap. XXXIX.

COmeſtor cap. 156. Adhuc eo loquente, venit Iudas cum cohorte militum accepta à præſide, & turba miniſtrorum accepta à principibus ſacerdotum, & armis: dato eis ſigno proditionis, & ſuſcepto oſculo, cum dixiſſet Ieſus quærentibus: *Ego ſum*; abierunt retrorſum & ceciderunt. Poſtea tenuerunt eum & ligauerunt, & adduxerunt eum ad Annam primum: non quia collega Cayphæ, ſed quia ſocer eius. Adoleſcens autem ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo corpore, qui relicta ſindone aufugit ab eis. Tradunt quidam hunc fuiſſe adoleſcentem, Ioannem, quem tunc fuiſſe adoleſcentem, longa poſt eius vita, indicium eſt: ſequebatur autem eum Petrus à longe. Ioannes notus pontifici introduxit Petrum. Interrogabat autem Ieſum Pontifex de doctrina eius: Et cum dixiſſet Ieſus: Palam locutus ſum, interroga eos qui audierunt, Vnus miniſtrorum dedit alapam Ieſu. Erat autem Petrus ſtans in atrio, & calefaciens ſe, qui poſt trinam negationem recordatus verbi quod dixerat Dominus: *egreſſus, fleuit amare*: fugiens ſcilicet in caueam, quæ mons gallicantus appellatur. Mane facto conuenerunt apud Caypham Sacerdotes, & Seniores populi, & Scribæ, & Phariſæi: & quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, & dixerunt duo falſi teſtes. *Nos audiuimus eum dicentem. Poſſum deſtruere templum hoc manufactum: & poſt triduum non manufactum ædificare.* Cumque non reſponderet Ieſus, exurgens Cayphas dixit ad Ieſum: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti.* Et reſpondit Ieſus: Tu dixiſti: *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit.* Quid vobis videtur? Et dixerunt: *Reus eſt mortis.* Tunc expuerunt in faciẽ eius, & hoc propriũ erat Iudęorum ſpuere in faciem eius, quem abiiciebant, & adduxerunt vinctũ in prætorium, & tradiderunt eũ Pontio Pilato Præſidi, & nõ introierunt, ne contaminarentur ſcilicet intrando domũ gentilis. Tunc Iudas pœnitẽtia ductus, retulit 30. Argẽteos, dicẽs Principibus Sacerdotum: *Peccaui.* Forte Sathanas qui poſſederat eum, poſtquam fecit quod voluit, receſſit ab eo, & ideo potuit Iudas dolere de eo quod fecerat, vt ex dolore iterum intraret in eum Sathanas, & facetet eum ſibi manum iniicere. *Nam proiectis argenteis in templo, abiẽs laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 26. De fuga Adoleſcentis. Iudas ſuſpendit ſe.

Author ex gloſſis. Vt ſcilicet oſtenderet ſe peroſum cælo, & terræ. Item vt in aere cum dæmonibus habitaret. Item vt arteriæ ſtringerentur laqueo, quæ vocem proditionis protulerant. Dicit tamen Hieronymus ſuper pſalmum 108. quod magis Deum offendit Iudas, quoniam ſe ſuſpendit, quam in hoc quod eum prodidit. *Et crepuit medius, effuſis viſceribus.* In hoc quodammodo delatum eſt ori, quo oſculatus erat Dominum ne per os ſcilicet effunderetur. Vtrum autem ea die ſe ſuſpenderit, an diſtulerit, dubium eſt: ſed quod ante reſurrectionem Domini ſuper pſalmum habetur. Quidam autem dixerunt, quod audita reſurrectione, quam non ſperabat, ſe ſuſpendit. Matth. 27. Petrus ter negauit Chriſtum ſed ſtatim panituit.

De diſcuſſione cauſæ eius coram Pilato.

Cap. XL.

COmeſtor cap. 163. Cum autem Ieſus eſſet in prætorio, exiit ad Iudæos Pilatus: quærens quam accuſationem afferrent aduerſus hominem hunc: Et primum eum accuſauerunt in duobus, quia prohibebat tributum dari Cæſari: & quia dicebat ſe Chriſtum regem eſſe. Intrans ergo Pilatus in prætorium, primam cauſam nullam reputans, quia forte audierat. Ieſum dixiſſe: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Matth. 22. De ſecunda dixit ad Ieſum, *Tu es Rex Iudæorum?* qui reſpõ- Ioan. 18. Prima illuſio Ieſu.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dit. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cui Pilatus: *Ergo Rex es tu?* respondit Iesus, *tu dicis, quia Rex sum ego: Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Cui Pilatus. *Quid est veritas?* Ex Euangelio Nicodemi, & Iosephi Respondit Iesus: *Veritas de terra orta est.* Dicit Pilatus: In terris veritas non est. Respondit Iesus: Intende veritatem descendisse in terram, & nunc iudicatur ab his qui in terris habent potestatem. Intuitus autem præses in populo, vidit plurimos de Iudæis lachrymantes, & ait: Non omnis multitudo vult eum mori. Dicũt ei Seniores Iudæi. Ideo venimus omnis multitudo vt moriatur. Stans autem vir quidam Iudæus Nicodemus, ante præsidem: pronunciabat Iesum multa miracula fecisse in populo, suadens eum dimitti. Alius etiam quidã Iudæus exiliens dixit: Ego per 38. annos iacebam in lecto, & quidam portauerunt me in lecto ante eum, & ad vocem eius sine mora sanatus sum: Et alius dixit: cæcus natus sum, & misertus mihi, posuit manus suas super oculos meos, & statim vidi. Et alius: curuus eram, & erexit me. Alius quoque dixit: Leprosus eram, & mundauit me. Mulier vero quædam Verocima nomine, dixit: Sanguine fluens eram 12. annis, & tetigi fimbriam vestimenti eius, & stetit fluxus. Dicunt Iudæi: Legem habemus, mulierem in testimonio non posse recipi. Dicunt alij: Iste homo Propheta est, Dæmonia enim ei subiecta sunt &c. Pilatus ergo facta seditione in populo, nesciebat quid faceret, & quærebat occasionem dimittendi eum.

Psal. 84.

Multi conabãtur Iesum liberare.

Seditio in populo pro Christo.

Ambrosius in sermone de Saluatore dicit hanc fuisse Martham.

Comestor 164. Et iterum exiens, dixit Iudæis nullam inuenio causam in eo. At illi clamabant: Commouit vniuersum populum incipiens à Galilæa vsque huc.

De illusione Herodis, & iudicio Pilati.

Cap. XLI.

CVmque accepisset Pilatus quod homo Galilæus esset, quia Herodes erat Hierosolymis his diebus: volens ei deferre honorem, misit eum ad illum: vt Dominus Galilææ Galilæum, vel absolueret, vel damnaret: & ideo reconciliatus est Herodes Pilato super nece Galilæorum quam prædiximus. Qui cum interrogasset Iesum in multis, nec accepisset responsum ab eo, spreuit eum, & illusit ei, æstimans eum fatuum, & remisit indutum veste alba. Tunc Pilatus dixit Iudæis, quia nec ipse, nec Herodes inueniebant in eo causam: & ideo correptum flagellis, dimitteret. Turba autem vniuersa clamauit: *Crucifige eum.* Cumque Pilatus tenuisset, accusabant eum in tertio, *quia Dei filium se fecit*: clamabant etiã *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contra dicit Cæsari.* Audiens hæc Pilatus, eduxit eum, & sedit pro tribunali in loco Gabbatha: erat autem parasceue quasi hora sexta, cumque accusaretur Iesus in multis nihil respondit. Per diem autem festum Paschæ consueuerat Præses, nouiter introducta consuetudine, dimittere vnum de vinctis, quemcumque petissent, in memoriam, quia eadem die egressi erant de seruitute Pharaonis: cumque optionem dedisset eligendi Iesum innocentem: aut latronem Barrabbam: elegerunt Barrabbam: tunc misit ad Pilatum vxor sua, iam enim Dei nutu poterat diabolus cognoscere signum crucis, & ideo laborabat ne Christus moreretur. Forte vero sancti gaudebant in inferno, vnde hoc notauit.

Ioan. 19.

In multis falso accusabãt Christũ.

Comestor cap. 167.

Ex euangelio Nicodemi & Iosephi Cogitante ergo Pilato quid ageret de Iesu, misit ad eum vxor eius nomine Procula dicens: *Nihil tibi & iusto illi &c.* respondentes Iudæi dixerunt Pilato, nunquid non diximus tibi, quia maleficus est? Ecce somnium immisit ad vxorem tuam.

Matth. 27.

Comestor. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, lauit manus & Iesum flagellis cæsum tradidit eis vt crucifigeretur. Forte ideo cæsum, vt satiati flagellis à morte desisterent. Adhuc columna cui alligatus fuit vestigia cruoris ostendit.

Secũda illusio Christi Domini.

De illusione militum, & crucifixione Domini.

Cap. XLII.

MIlites ergo præsidis suscipientes Iesum, exuentes eum, circumdederunt ei clamydem coccineam ad similitudinem purpuræ, qua Reges vtebantur: pro diademate autem plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, credibile est autẽ aculeos coronæ cruorem de capite extraxisse. Sed & flagellis cruor dorsi extractus est, & sanguinis sudor alias partes corporis vnxit, vt non tantum manus & pedes & latus dicamus aspersa sanguine, sed tota *veste tincta Christum ascendisse de Bosra.* Pro sceptro autem dederunt in manu eius arundinem, & illudebant ei tanquam regnare volenti, nec valenti: & flexo genu dicebant: *Aue Rex Iudæorũ.* Ideo in Parasceue cum oratur pro perfidis Iudæis, genua non flectimus. Et expuentes arundine percutiebant caput eius. Exuentes eum purpura reinduebant eum veste sua, & duxerunt eũ, vt crucifigeretur, baiulantem sibi crucem. Sequebantur autem Iesum mulieres plangentes eum, quibus ipse ait: *Nolite flere super me*, sed super imminenti excidio gentis vestræ: & venerunt in locum Caluariæ, sic dictum, quia ibi collocabantur rei, & multa ossa capitũ ibi sparsa erãt. Cum autem crucifigerent eum dicebat: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, qui faciunt.* Tunc fecerũt de vestibus eius, excepta tunica, quatuor partes, quia quatuor erant milites, qui crucifixerunt eum. Tunica erat inconsutilis reticulato opere facta, & ideo non potuit scindi, sed sortiti sunt de ea cuius esset. Scripsit autẽm Pilatus titulũ causæ eius, id est in titulo causam mortis eius. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum* quasi diceret Ideo crucifixus est, quia Rex erat Iudæorũ. Et scripsit eum Hebraicè, Græcè & Latinè, vt diuersarum linguarum homines qui conuenerant ad diem festum, legere possent, & intelligere. Dixerunt autem Iudæi vt mutaret titulum, & noluit. Crux vero non habebat super lignum transuersum aliquod habens formam thau. Sed Pilatus superposuit cauillam, & tabulam affixam ei, & in tabula erat titulus sic. Dicuntur autem in Domini cruce fuisse quatuor diuersa ligna, & forte in totidem diuersis generibus: lignum erectum, transuersum, tabula superposita: truncus etiam quidam cui infixa erat crux, qui de rupe fuit defossus. Inuenitur enim lignum Dominicæ crucis, & palmæ, & cypressi, & vt quidam tradunt, oliuæ, & cedri.

Luc. 23.

Luc. 23. Demissione sortis super vestimento Christi.

Comestor cap. 172.

Crux Christi de vario genere ligni.

De susceptione latronis, & commendatione Virginis Mariæ.

Cap. XLIII.

PRætereuntes autem blasphemabant eum dicentes: *Vah qui destruis templum Dei.* Similiter & Sacerdotes illudebant ei dicentes: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere,* quasi dicerent: Nunc apparet, quia non in se, sed in Beelzebub homines sanabat: alioquin potius se sanaret. Dæmones enim sentientes vires suas esse fractas, hæc aiebant vt descenderet de cruce. Tamen in Tobia legitur super exenteratione piscis dæmonem stetisse super brachium crucis, & considerasse: an Christus aliquam maculam peccati haberet.

Matth. 27.

Et iam vnus de pendentibus simul blasphemabat eũ: Alter increpans blasphemantem, ait: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Et audiuit à Domino: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nec intellige de terreno, vnde expulsus est Adam: neque de Angelico: quia ad illum ante Christum nemo ascendit: sed in requie, quod est esse cum Iesu. Vel, *hodie eris mecum*, quod est esse in Paradiso. Forte fuit anima huius cum anima Christi in sinu Abrahæ: & cum illo regressa, Et quia tunc non penetrauit latro cælos, etiam ex aliis locis scripturarum errauerunt quidam, dicentes esse multa loca beatorum præter cælum: paradisum scilicet Adæ: & loca in aere: & in terra, vbi beatè viuent, nec tamen Deum videbunt.

De diuersis meritis latronum, Comestor cap. 173. Luc. 23.

Quid de anima boni latronis post mortem, an cælos statim penetrauit?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ioan.19. *Stabat autem iuxta crucem Mater Iesu, & Maria Cleophe, & Maria Magdalena, & Ioannes.*

Ambrosius super Lucam. Fugientibus Apostolis, Maria ante crucem stabat: & piis spectabat oculis filij vulnera, spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse, quia nouerat per filij mortem, mundi redemtionem: aula regalis putabat se sua morte publico munere aliquid adiuturam. Sed Iesus qui *factus est sicut homo* *Psal. 87.* *sine adiutorio inter mortuos liber*, suscepit quidem Matris affectum, non quæsiuit ad omnium redemptionem, hominis adiutorium.

Comestor. Tunc dixit Matri de Ioanne: *Mulier ecce filius tuus.* Et Ioanni ait: *Ecce mater tua.* Ex illa autem horâ cum esset beata virgo cum Apostolis, iste specialem eius curam habebat. *Hieronymus vt supra.* Pudicissima virginitas nulli discipulorum rectius, quam virgini commendata est, vt esset ad inuicem grata societas, & floridus aspectus: necnon & venustas conuersandi vernans alternatim, pudicitiarum splendore decorata.

De tenebris vniuersalibus aeris, & consummatione Dominicæ passionis.

Cap. XLIV.

Author. Sexta autem hora factæ sunt tenebræ secũdum glossam, ne sol pendentem Deum suum videret: iuxta illud Isa. *Erubescet Luna & confundetur Sol.* *Isaia 23.* Nec mirum, quia verus Sol patiebatur eclypsim. Vel ne impij luce illius fruerentur. Et hoc super vniuersam terram. Vnde legitur, quod tunc Athenis vigebat studium, & cum inquisissent Philosophi causam tenebrarum, nec inuenire possent, dixit Dionysius Ariopagita, quod Deus naturæ patiebatur: Et fecerunt ei aram, & superscripserũt. *Ignoto Deo*, de quo legitur in Actibus. Ideo dicit glossa. Ne putetur fieri consueta eclypsis, per tres horas tenebræ factæ sunt scilicet à sexta vsque ad nonam. Nec poterat tũc etiam esse eclypsis, quia luna erat 14. & ideo plena, tunc autem est in oriente, quando sol in occidente. Propter istas tres horas, nos ter celebramus tenebras: & etiam vt triduanæ mortis Domini quasi triduanas facimus exequias.

Eusebius in chronicis. In Ethnicorum quoque commentariis hęc ad verbum scripta reperimus, quod in eo tempore Solis facta est defectio & tenebræ super vniuersam terram. Bithynia terræmotu concussa: & in vrbe Nicena ædes plurimæ corruerunt. Scripsit super his & Phlegon Olympiadarum egregius supputator, dicens: Quarto anno ducentesimæsecundæ Olympiadis magna & excellens inter omnes quæ acciderant ante eam, defectio Solis facta est hora diei sexta: ita vt in tenebrosam noctem versus sit: & stellæ in cælo visæ sint: quæ omnibus his congruunt, quæ in passione Domini acciderunt.

Comestor cap.176. Et circa horam nonam Iesus clamauit: *Heli Lamazabacthani.* *Matth.27.* Et dixerunt quidam, Heliam vocat iste. Hi Romani erant non intelligentes Hebræũ: clamabat autem se derelictum à Patre: quia traditus calamitatibus, videbatur derelictus. Vel quia fere inutilis videbatur eius passio: quia de toto genere hominum nõ videbatur quis redimi, nisi latrõ, qui fere solus credebat in eum. Vnde dicit in psalmo: *Singulariter sum ego, donec* *Psal. 140.* *transeam.* Excepta scilicet beata virgine, quam tuc etiam credidisse credimus, In huiusmodi enim semper ipsa excipitur. Postea dixit Iesus, *Sitio.* Et vnus ex militibus impleuit spongiam aceto, & impofuit eam arundini, suppositam hisopo, & circumligatam: & dabat ei bibere. Potuit esse quod vile vinum secum tulerant ad bibendum: & ex calore quasi acetum factum est. Vnde ad notandum eius acredinem alius Euangelista dicit. Vinum myrrhatum: alius cum felle mixtum: cumque libasset Iesus acetum, dixit: *Consummatum est*: quicquid scilicet oportebat fieri antequam moreretur.

De morte Domini, & signis in elementis ostensis.

Cap. XLV.

Ex glossa super Matthęum. Iesus autem circa horam nonam cum clamasset ad patrem: spiritum emisit: & sic & Adam post meridiem cum peccasset, vocem Domini audiuit. Et est ordo rationis, vt quo tempore clausit ianuam Adæ præuaricanti: eo tempore pœnitenti latroni ianuam reseraret Paradisi.

Author. Et nota, quod bene dicit Matthæus: *Emisit* *Matth.27.* *spiritum* scilicet tanquam columbam ex arca, quæ ramũ oliuæ tulit id est reconciliationem nostram Deo patri: iuxta illud: *reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* *Rom.5.* Ioannes dicit, *tradidit*, scilicet quasi pretium nostræ redemptionis soluens. Marcus & Lucas dicunt, *expirauit.* Passus est autem Dominus, vt dicit Hugo Floriacensis eodem anno, quo Ioannes capite cæsus est 8. Kalendas Aprilis: in quo Adam formatus est, & dicit glossa super Matthęũ quod omnia elementa conditori suo morienti compatiebantur. *Comestor cap.* 178. Et ecce velum templi, *De signis in morte Domini.* quod erat ante sanctasanctorum scissum est, à summo vsque deorsum. Forte etiam velum appensum ante fores templi, quod ad tegendas fores appositum, dicit Iosephus, cum interiori scissum est. Nam & in euangelio Nazaræorum, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse legitur, auditasque voces in aere: *Transeamus ab his sedibus.* Terra quoque mota est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta, & quidam sancti surrexerunt à mortuis, & venerunt in Hierusalem, & apparuerunt multis. Forte hi fuerunt de quibus super epistolam ad Hebræos legitur, quod multi affectauerunt sepeliri in Hierusalem, vt cum Domino resurgente resurgerent. Vtrum autem aliqui eorum sic permanserint, & cum Domino ascendente ascenderint, nescimus. Quod autẽ aliqui mortui sunt iterum, postquam Dominum resurrexisse testificati sunt, scimus: quia corporea quorundam adhuc quiescunt in Hierusalem, & Sanctus Scarioth *Dicitus Sanctus Scarioth fuisse Abbas. Matth. 27.* vnus eorum fuisse perhibetur. His visis, Centurio, & qui cum eo custodiebant Iesum: timuerunt, & dicebãt: *Verè filius Dei erat iste.*

De vulnere Domini lateris, & illuminatione percussoris.

Cap. XLVI.

Iudæi autem ne remanerent pendentes in cruce in magna die sabbati, rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur, ne festum horrore cruciatus fædaretur. Cumque milites primi fregissent crura, & venissent ad Iesum, inuenientes eum mortuum: *os non comminuerunt ex eo*, sed vnus militum lancea latus eius aperuit. *Comestor cap. 179. Tractus latronum cruribus Christus vulneratus in latere, seu lanceatus est.*

Author. Vigilanter secundum glossam dicit Ioannes, *Ioan. 19.* *aperuit*, non percussit, vel vulnerauit, vt innuat quod ibi quodammodo ostium vitæ apertum est, quia inde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam non intratur. Vnde sequitur. *Et continuo exiuit sanguis & aqua,* *Ioan. ibid.* sanguis in remissionem peccatorum, & aqua ad lauacrum baptismi sanctificandum: iuxta illud Zachariæ: *Zachar.13.* *Erit fons patens domui Dauid &c.* Et hoc factum est ad litteram miraculose, id est supra virtutem naturæ, quia de corpore mortui non solet exire sanguis, nec aqua: hoc autem præfiguratum est, quando facta est Mulier de latere viri dormientis. *Comestor cap.* 179. Et qui lanceauit eum (vt tradunt quidam) cum fere caligassent eius oculi: & casu tetigisset oculos eius sanguine, clarè vidit.

Ex gestis eius. Protinus illuminatus, in Christum credidit: vnde, militiæ cedens instructus ab Apostolis, in Cæsaræa Capadociæ 38. annis monasticam vitam duxit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& in omni ſanctitate permanens verbo & exemplo plurimos ad Chriſtum conuertit.

De martyrio eiuſdem Longini militis.

Cap. XLVII.

Longini conſtantia corã Octonio præſide.

HOc cum præſes Octonius cognouiſſet, exhiberi eum iuſſit, & ait illi. Quis vocaris? reſpondit, Chriſtianus: Oportet enim vt donum gratiæ Chriſti prius confitear. Præſes dixit: Qui ante fuerunt nihil de hoc nomine lucrati ſunt: Nomen tuum edicito. Qui reſpondit: Longinus vocor. Cui Præſes. Cuius prouinciæ es? Reſpondit, Iſauriæ. Præſes dixit: Seruus es an ingenuus? Reſpondit: Curialis fui, & diu ſæculo militaui, & omnia quæ habebam fratribus meis dimiſi: & illi mihi inde dabant ſingulis annis centum ſolidos, quos ſemper pauperibus erogaui. Præſes dixit: Ergo tanquam ingenuus ſacrifica Diis, vt quietè viuas, & non pænis deficias. Longinus reſpondit: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*: Nam Deus meus docet, & iubet omne bonum: Dij veſtri iubent contrarium. Præſes dixit: Nimium loqueris: ſed ſacrifica Diis, & indulgebit tibi Deus tuus, quia neceſſitate regali coactus, hoc facis: video enim quod præ abſtinentia tua pænas tolerare non poteris. Qui reſpondit: Immo tu efficere Chriſtianus, & indulgebit tibi Rex tuus, cum verum Deum cognoueris. Iratus præſes, iuſſit ei omnes dentes auferri, & linguam abſcidi, Longinus tamen loquelam non perdens, dixit: Si credis veros eſſe Deos, quos tu colis, ſine me, & confringam illos: & defendant ſe ſi poſſunt: & ſi mihi nocuerint, credam, quod veri Dij ſunt: ſi autem nihil nocuerint, crede Deo meo. Præſes dixit: Do poteſtatem. Et accipiens ſecurim, omnia Idola, & quicquid erat in templo confregit, & comminuit: Et omnes dæmones exeuntes de Idolis, in præſidem, & in omnes ſocios eius protinus intrauerunt: & ſimul inſanientes, & latrantes, ſe eius pedibus proſtrauerunt. Et ait illis Longinus: Cur inhabitatis Idolis? Reſponderunt, vbi Chriſtus non nominatur, & eius ſignum non eſt poſitum, ibi eſt habitatio noſtra. Longinus vero aſtanti populo dixit: Vultis hos habere Deos & colere: an vt effugem eos in nomine Domini: Ecce videtis præſidem veſtrum ſub pedibus meis ſpumantẽ. Populus ergo clamabat dicens: Rogamus te ſanctum Dei, ne ſinas dæmones hic vlterius habitare. Et cum oraſſet Longinus, exclamantes dæmones exierunt, & multi hoc videntes, crediderunt.

Matth. 6.

Poſt paucum tempus ipſe Præſes à diabolo inſtigatus dixit Longino. Ciuitas iſta diſceſſit à ſacrificiis Deorum per magicas artes Chriſtianorum, ſi hoc audierit imperator, omnes peribimus. Affrodiſius Commentarienſis, dixit Præſidi: Eum qui nos ſanauit, & ciuitatem liberauit, torqueri vis? Præſes dixit: Fantaſma fuit, & illudit ſenſus noſtros: Affrodiſius dixit: Nihil facias ſeruo Dei, ne deterius contingat tibi. Tunc iratus Præſes iuſſit Affrodiſio linguam ſecari: & ſtatim, orante ſancto Longino, Præſes cæcatus eſt. Tunc dixit Præſes Affrodiſio: Frater ora Dominum Longinum, vt oret pro me, quia ſtulte egi in eum. Qui reſpondit: Nonne dixi, Noli nocere ſeruo Dei? nonne vides quod ego lingua abſciſſa loquor? Præſes ait, non ſolum oculos perdidi: ſed & totum corpus meum grauiſſimè cruciatur. Longinus dixit: Si vis ſanari, occide me citius, & tunc orabo pro te, & ſanaberis: & ſtatim iuſſit eum decollari. Abiitque ad corpus eius, & proſtratus cum lachrymis pœnitentiam egit: & continuo viſum recepit, Et honorificè ſepeliens eum, in fide Chriſti permanſit. Huius paſſio celebratur idibus Martij.

De ſepultura Domini.

Cap. XLVIII.

Matth. 27.

Comeſtor cap. 180. Ipſa autem die paraſceue cum ſerò factum eſſet, venit Ioſeph Decurio, id eſt vnus de ordine curiæ, ab Arimathia, quæ eſt in Ramatha, diues, & iuſtus: de quo etiam quidam putant conſcriptum eſſe pſalmum, *Beatus vir qui non abiit &c.* non enim conſenſit actibus & conſiliis aliorum: & petiit à Pilato corpus Ieſu. Venit & cum eo Nicodemus, ferens myrrhæ & aloes quaſi libras centum: & acceperunt corpus Ieſu, & inuolutum ſindone quam emerat Ioſeph, ligauerunt linteis etiam aliis: & quia in ſimplici ſindone inuolutum eſt corpus Ieſu, inſtituit Silueſter Papa, vt ſacrificium altaris in lineo tantum panno celebretur.

Pſal 1.

Ioſeph & Nicodemus ſepelierunt Dominum.

De monumento Domini dicit Beda ſuper Matth. quod domus fuerit rotunda, de ſubiacente rupe exciſa tantæ altitudinis, vt vix homo manu extenſa, culmen poſſet attingere: introitum habens ab oriente, cui magnus lapis appoſitus erat pro oſtio. In parte eius aquilonari locus Dominici corporis de eadem petra factus eſt ſeptem pedes habens longitudinis. Color vero monumenti & loculi rubicundo & albo dicitur eſſe permixtus.

Comeſtor cap. 181. Deſcriptio monumenti.

Ex euangelio Nicodemi. Cum autem petiiſſet Ioſeph corpus Ieſu, & ſepeliſſet, audientes hoc Iudæi, quærebant illum: ſed & Nicodemum, & alios; qui ſteterant corã Præſide, & opera eius manifeſtauerãt ei. Omnibus autem ſe occultantibus, ſolus Nicodemus oſtendit ſe eis quia princeps erat Iudæorum, ſed & Ioſeph ſe oſtendit quem apprehendentes Iudæi iuſſerunt cuſtodiri vſque poſt ſabbatum dicentes ſe daturos carnes eius volatilibus cæli & beſtiis terræ. Incluſerunt ergo eum in cubiculo, vbi non erat feneſtra: & oſtium cubiculi ſignauerunt Annas, & Cayphas, & cuſtodes poſuerunt.

Iudæi perſequebantur Ioſephum & alios qui ſepelierunt Chriſtum.

Comeſtor cap. 181. Erat autem Maria Magdalena & altera Maria conſiderantes vbi poſitum erat corpus Ieſu, & reuertentes parauerunt vnguenta, quandiu licuit eis operari, Sabbato enim quieuerunt. Et poſuerunt Iudæi cuſtodes ſepulchro, & ſignauerunt lapidem.

De triduo mortis eius.

Cap. XLIX.

Author. Vt autem dicit *Auguſtinus contra Felicianum*: ſic in ſepulchro filius Dei carnem ſuam moriendo non deſeruit, ſicut in vtero virginis connaſcendo formamauit. Mortuus eſt ergo non diſcedente vita, ſicut paſſus eſt non pereunte potentia. Quod autem aliqui obiiciunt animam tanquam mediam, diuinitatem & carnem vniuiſſe: & ideo diuiſa carne ab anima, diuinitatem quoque à carne ſeparatam fuiſſe: ſoluitur per hoc, quòd multiplex eſt medium: participationis ſcilicet vt in coloribus: aſſimilationis, & hoc modo medium eſt anima inter carnem, & Deum ſiue diuinitatem. Eſt enim ſimilior diuinitati quam caro, quia ſimplicior. Item ſimilior carni quam diuinitas: quia minus ſimplex. Item eſt medium probationis, vt in ſyllogiſmo. Item continuationis, vt in linea. Item coniunctionis, vt glutinum, & amor inter amantes. De hoc medio verum eſt, quod eo diuiſo, ſequitur diuiſio extremorum, hic autem non ſic.

Varium genus medij.

Anima igitur Chriſti ad Infernum deſcendit, caro in ſepulchro iacuit, ſapientia cum vtroque permanſit, quæ in Inferno (*vt ait. Ambroſius*) lumen vitæ fundebat æternæ.

Anima Chriſti vnita Verbo in triduo mortis vim faciendi multa & magna habuit.

Notandum, quod anima Chriſti in triduo mortis eius, licet à carne ſeparata, multum vtilitatis habuit ex vnione ſui ad verbum. Nam omnia ſciebat quę Deus ſcit etiam actualiter: & gratiam habuit non menſuratam, & potentiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tentiam ſpoliandi Infernum, quorum nullum habuiſſet, ſi ſeparata fuiſſet. Caro etiam ex vnione ſui ad verbum hoc habuit, quod ſi in eo ſtatu anima infunderetur, infirmitas eius non grauaret animam: nec ſcientiam vel alios habitus minus intenſos haberet: neque læſio eius vſum virtutum aut virium retardaret: & quod putreſcere non poterat. *Vnde Pſal. non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* *Pſal.15.*

Notandum vero, quod opinio Magiſtri Petri, quæ dicit Chriſtum fuiſſe hominem in illo triduo: iam reprobata eſt à doctoribus. Tres enim opiniones ſunt circa verbi incarnationem. *Tres opiniones de verbi incarnatione.*

Prima dicit, quod filius Dei aſſumpſit hominem proprie, & quod eſt quod ſecundum quod homo, & quod Chriſtus eſt duo.

Secunda dicit, quod filius Dei non aſſumpſit hominem proprie, ſed naturam hominis, & quod eſt quid ſecundum quod homo, & quid Chriſtus eſt vnum ſolum.

Tertia dicit, quod aſſumpſit corpus, & animam vt habitum. Duæ primæ dicunt, quod Chriſtus in triduo non fuit homo: quia tunc non fuit vnio animæ ad carnem, quæ ſola facit hominem. Tertia dicit, quod Chriſtus fuit homo in triduo, eo modo quo concedit, quod filius, homo eſt, id eſt humanatus. Iſta opinio reprobata eſt: tamen dicere, quod Chriſtus in triduo fuit homo, non eſt hæreticum: eo modo quo ipſi dicebant: ſed falſum, vt credimus. Nam illa ſuſceptio triplicem comprehendit vnionem ſcilicet verbi ad carnem, verbi ad animam, animæ ad carnem: ſed hoc non fuit in triduo. Quare, nec illa ſuſceptio fuit in triduo. Quod autem in illo triduo ſpoliauerit Infernum, *dicit Apoſtolus ad Coloſ.2.Expolians*, inquit, *principatus, & poteſtates* ſcilicet infernales: Abraham auferendo, & Iſaac, & cæteros iuſtos in Inferno detentos, *traduxit* ſcilicet quaſi victor prædam per medios raptores: vel *traduxit*, id eſt longe, traduxit ſcilicet in cælum, *quoniam aſcendens in altũ, captiuam duxit captiuitatem Epheſ. 4.* Ipſe, inquam, prius *triumphans* id eſt expugnans eoſdem principes per ſeipſum. *Item in Actibus dicit Petrus de ſeipſo: Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni*, vel quantum ad ipſum, quem dolores inferni nullatenus læſerunt, vel quantũ ad alios, qui per eum ab Inferni doloribus ſoluti ſunt, licet autem eſſent in conſolatione quietis in ſinu Abrahæ: non tamẽ penitus à dolore inferni erant ſoluti ſecundum Gloſſam. Non enim ſine labore ſuſtinebant dilationem ſuæ deliberationis, & ingreſſus regni. *De quo Zacha. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, &c.* In huius rei ſignum Ioſeph miſſus eſt in lacum à fratribus: Hieremias à Iudæis, Daniel à Chaldeis, Banaias quoque deſcendit in lacum in diebus niuis, vt leonem interficeret. *Actu.2.* *Zacha. 9.*

Tunc impletum eſt quod Dominus dixerat de ſeipſo. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, &c.* Quod intelligendum eſt ſynecdochicè *ſecundum Hieronymum*: fuit enim Dominus in ſepulchro, per partem Paraſceue ſcilicet ab hora nona, & deinceps, & per integrum ſabbathum, & per partem diei dominicæ ſcilicet per totam noctem ſequẽtem ſabbathum, quæ deputatur diei dominicæ ſecũdum nouam computationem. Et ita per Synecdochem fuit ibi tribus diebus naturalibus, qui comprehenderunt tres dies, & tres noctes vſuales. *Matth.12.* *Quomodo Chriſtus fuit triduo in ſepulchro.*

De aduentu mulierum ad ſepulchrum; & reſurrectione Domini.

Cap. L.

Vespere autem Sabbathi id eſt ſequente ſabbathum: id eſt in nocte, quæ ſequitur diem ſabbathi, & pertinet ad diem dominicum, ſecundum nouam computationem, quæ ſcilicet nox, luceſcit id eſt tranſiit in lucem, vel luce terminatur, in prima ſabbathi *venit Maria, &c.* Et eſt idem modus loquendi. Veſpere ſabbathi, & prima ſabbathi id eſt poſt ſabbathum. Vel poteſt dici quod venerunt ad litteram, *& veſpere ſabbathi*: vt dicit Matthæus: & poſtea mane, vt dicit Marcus, quia ſæpe ibant, & redibant. *Matth.28.*

Vnde Gloſſa: quod diuerſa tempora aduentus iſtarum mulierum in Euangeliis deſcribuntur, non eſt mendacij ſignum: ſed ſedulæ viſitationis officium: dum crebro abeunt, & occurrunt, & non ſe patiuntur à ſepulchro Domini diu abeſſe vel longius. *Venit Maria, &c.* Marcus ſic habet. *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* Propter hoc quidam dicunt non fuiſſe niſi duas: quidam tres: ſed quod tres, magis tenet Eccleſia. Qui autem dicunt duas, ſic exponũt verba Marci quod Salome, expoſitio eſt alterius Mariæ cuius nomẽ tacetur: & dicit Ioannes Chryſoſtomus quod hæc fuit Mater filiorum Zebedæi, & vocata eſt Salome, quaſi binomia. Poſſet etiam dici, quod in principio, dum venerunt non erant niſi duæ, poſtea autem plures. *Matth.28.* *Marc.16.*

Comeſtor cap.184.in Hiſtor.Euangelic. Et dicebant ad inuicem. *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem: & Angelum ſedentem ſuper eum.* Iam enim terræmotus factus fuerat Domino reſurgente, & clauſo ſepulchro egreſſus erat Ieſus. Vnde cuidam Monacho ſancti Laurentij extra muros, ab incarnatione Domini anno M. C. XI. miranti de cingulo ſuo, quo cinctus erat inſoluto, & proiecto ante eum, vox in aere facta eſt: Sic potuit Chriſtus clauſo exire ſepulchro. Angelus autem poſt tulerat lapidem, vt egreſſum iam factum indicaret. *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & iacebant velut mortui.* *Marc.16.* *Marc.16.*

Author. Dicit *Gloſſa ſuper Matthæum.* Sepulto Domino in vi. ſabbathi quamdiu licuit operari id eſt vſque ad occaſum Solis, Mulieres vnguẽta parabant, hoc ſecundum Lucam. Et quia præ anguſtia temporis opus illud implere non potuerunt: tranſacto ſabbato, id eſt occidente Sole, vbi licentia operandi rediit, emerunt aromata. Et quia nocte præoccupante, ſepulchrum adire non potuerunt, mane adierunt. Vnde Marcus habet: *Valde mane.* Matthæus autem, *A prima parte noctis*, id eſt à veſpera, noctem ſignificat: in cuius fine venerũt ad monumentũ. Ideo autem ſic nominat eam, quia ab illa hora ex qua ſabbathum tranſactum erat, licebat eis facere, quod volebant: ſcilicet vnguenta parare, & vngere corpus: & tunc etiam ſecundum Gloſſam cæperunt præparare: ſed (vt dictum eſt) nox ipſa retardauit eas, ne poſſent habere acceſſum ad monumentum vſque mane.

Qualiter glorificationem ſuam Chriſtus meruit.

Cap. LI.

NOta quod Chriſtus humilitate paſſionis meruit ſibi tria ſcilicet acceleratione gloriosæ reſurrect onis quia non expectauit generalem futuram. Hoc notatur ab Apoſtolo cum dicitur. *Propter quod & exaltauit illum*, ſcilicet in reſurrectione ſecundum Gloſſam. Item glorificationem ſui nominis, quod notatur cum ſubditur, *& donauit illi nomen &c.* Item poteſtatem Iudicij, & hoc notatur cum ſubditur: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Verumtamen in omnibus operibus ſuis meruit ſibi vitam æternam iam habitam à die conceptionis ad ſimilitudinem Angelorum. Nam ex pari charitate fecit opera ſua, & omnia fuerunt æque meritoria ſibi: quia in vnoquoque opere ſuo, meruit totum præmium. Vnde ſicut dicit Apoſtolus. *Chriſtus factus eſt obediens, &c. propter quod Deus exaltauit illum &c.* ita potuit vere dixiſſe, curauit Paralyticum, vel locutus eſt Samaritanæ, vel quodlibet aliud opus rationis fecit, *& propter hoc Deus exaltauit illum &c.* hoc tamen potius dixit de humilitate paſſionis, propter quandam coaptationem, quæ fit per contrarium etiam in meritum, & præmium: ſcilicet vt oſtenderet humilitati paſſionis reſpondere per contrarium, exaltationem reſurrectionis: ſicut cum Dominus vere poſſet *Philip.2.*

dicere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Matth. 5. dicere. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi possidebunt terram* : maluit tamen dicere propter quandam contrarij coaptationem, *quoniam ipsi consolabuntur* : nec est consequens, si Christus primo opere, quod fecit, meruit totum præmium suum : quod ideo sequentia eius opera superflua fuerint : quia illis operibus plenius meruit, quam prius meruerat : & si non quantum ad vim merendi, quæ attenditur penes charitatem : quæ nunquam creuit in eo : tamen quantum ad numerum meritorum, qui attenditur penes opera : nec est remuneratus supra merita, sicut alij sancti : ipse est enim inter homines exceptæ excellentiæ : quia ab ipso instanti conceptionis eius, data sunt ei carismata non ad mensuram : vnde quia summam charitatem habuit, summum præmium meruit : & ita non potuit remunerari supra meritum. Fuit tamen in præmio eius misericordia Dei, non quantum ad essentiam præmij : sed quantum ad radicem meriti : id est quantum ad supereffluentiam gratiæ operantis: quæ sibi data est, non ad mensuram : hæc enim gratia fuit radix meriti, & per hoc, præmij : quæ data est ei ex sola misericordia Dei : & sic etiam in præmio Christi locum habet, quod dicitur. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quod autem dicitur. *Donauit illi nomen* id est honorificentiam, super omne nomen id est super omne nominale : Hoc nomen est quod vocatur Deus. Sed nonne etiam ante resurrectionem habuit hoc nomen ? vtique : sed hoc dicitur quoad ostensionem, quia quod ante resurrectionem occultum erat secundum illud : *Vere tu es Deus absconditus*, post resurrectionem in euidenti positum est, scilicet vt scirent homines, & dæmones ipsum esse Deum. Quod ergo à conceptione acceperat secundum Glossam dicitur ei donatum post resurrectionẽ propter manifestationem. Propterea proprie loquendo Christus non fuit beatior post resurrectionem, quam ante : Beatitudo enim non consistit in duplici stola, sed tantum in stola animæ : quia sola anima cognoscit, & diligit, & fruitur Deo, quod est beatitudo æterna secundum illud: *Hæc est autem vita æterna, &c.* Et hanc habuit Christus perfectam ab instanti conceptionis suæ : nec habuit aliquid admixtum de suo contrario, idest de vera miseria : quia vera miseria est solum peccatum: & potuit quidem ad illam peruenire sine merito passionis : quia potuit, consumpta mortalitate, immortalitatis gloria vestiri, sed non sine merito iustitiæ, & charitatis, aliarumque virtutum. Non enim Christus homo esse potuit, in quo plenitudo virtutum, & gratiæ non fuerit, nec virtutes ei inesse potuerunt : cilicio mortalitatis induto, quin per eas mereretur.

Psal. 24.

Isaiæ 15.

Ioan. 17.

Christus ab instanti conceptionis beatus.

Quod sola humilitate passionis, meruit nobis ingressum Paradisi.

Cap. LII.

Voluit pati Christus pro nobis & per humilitatem passionis meruit nobis vitam æternam.

VT quid ergo voluit pati, & mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant ? Pro te, non pro se : vt ipsius passio, vel mors, tibi esset forma, & causa : forma virtutis, & humilitatis : causa gloriæ, & libertatis. Meruit enim nobis per mortis, & passionis tolerantiam, quod per præcedentia non meruerat : scilicet aditum Paradisi, & redemptionem à peccato, à pœna, & à Diabolo.

Item nota, quod Christus humilitate sola passionis, meruit etiam nobis tria, scilicet liberationem : & ianuæ Paradisi apertionem : & vitam æternam. Nam si omnibus operibus suis æqualiter sibi meruit, non tamen omnibus æqualiter nobis meruit : nam sibi nihil meruit, quod ad peccatum pertineret, vt remissionem, vel satisfactionem : quædam autem sunt opera charitatis meritoria tantum, vt ipsum diligere ex charitate : quædam meritoria, & satisfactoria : vt eleemosyna, ieiunium, martyrium. Vnde dicimus, quod humilitas passionis Christi non fuit tantum meritoria vitæ æternæ & sibi, & nobis : sed etiam satisfactoria pro peccatis primorum parentum : & ideo per eam meruit nobis apertionem : quia per eam solam datum est precium redemptionis nostræ. Tanta enim fuit humilitas in redemptione, quanta superbia in præuaricatione. Et si ante meruit aliis operibus nobis vitam æternam, quantum erat ex vi merendi id est ex natura charitatis : non tamen ianuæ apertionem : quia in hoc solo opere solutum est debitum, pro quo excludebamur à Paradiso. Et quidẽ Abraham, & alij sancti antiqui, meruerunt introitũ Paradisi quantum fuit ex se: sed tamen illam hæreditatem non potuerunt intrare : licet promeritam, & etiam sibi promissam : quia obligata erat debitis, sicut contingit in hæreditatibus naturalibus. Vnde oportebat quod debitum peccati prius solueretur : quod factum est in passione Christi.

Humilitas passionis Christi fuit meritoria & satisfactoria.

Item dicit Apostolus ad Ti. quod Christus destruxit mortem, vtramque secundum Glossam scilicet animæ, & corporis. Vnde : *Qui mortem nostram moriendo destruxit, &c.* Licet enim omnes filij iræ nascamur, & omnes moriamur : tamen mors corporis dupliciter destructa est, scilicet quantum ad certam spem resurgendi, quam habemus ex resurrectione Christi capitis nostri, & etiam quantum ad timoris remotionem, scilicet quia modo aperta ianua non ita timetur mors corporis à sanctis viris sicut olim : quando omnes descendebant in Infernum. Similiter mors animæ dupliciter : scilicet quia in baptismo, virtute Christi consecrato, omnis reatus originalis peccati, & actualis aboletur : & etiam ipse fomes, qui in carne remanet debilitatur. Neutra tamen mors adhuc penitus destructa est : sed in futura resurrectione penitus absorpta erit secundum illud Apostoli : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, &c.*

1. Timoth. 1.

Ex præfatione paschali.

Mors corporis destructa quomodo ?

Mors animæ dupliciter destructa.

1. ad Cor. 15.

De Hora Dominicæ resurrectionis.

Cap. LIII.

Comestor cap. 185. De hora resurrectionis Dominicæ quidam varie loquuntur auctores. *Hieronymus in lib. 12. quæstionum*, dicit quod resurrexit vespere sabbati. *Ambrosius in fine expositionis Lucæ* dicit quod profunda nocte : vnde & Mulieres potuerunt ad monumentum accedere custodibus quiescẽtibus, & Principes Sacerdotum dixerunt, quod Discipuli eius, nocte venerunt. *Augustinus* autem dicit, quod diluculo, cui consentiunt, qui dicunt Dominum 40. horis mortuum fuisse, scilicet quatuor horis vespertinis parasceues, & 36. duarum noctium, & vnius diei : Vnde & post resurrectionem totidem diebus ante ascẽsionem in terra moratus est. Ecclesia quoque assentire videtur, in hoc, quod matutinas laudes pro Domini resurrectione celebrat.

Pro prædicta vero sententia Ambrosij facit, quod Sãson in typo resurrectionis, media nocte surgẽs tulit portas Gazæ. Sic ergo anima Christi rediit ab inferis, & reddita est corpori facto impassibili.

Petrus Lumbardus magister sententiarum. Habuit quidem & anima illa bonum aliquod in se post mortem, quod non ante, scilicet impassibilitatem, nec tamen beatior, quam ante, vel melior, quia non sanctior.

Comestor ibidem. Vtrum autem tunc facta est impassibilis, cum egressa est à corpore, an tunc demum cum reddita est corpori, ne sine corpore glorificaretur, non memini me legisse. De sanctis quos eduxit de inferno, si quæritur vbi fuerint post resurrectionẽ, Deus nouit. Vel sicut dicitur de Domino, fuerunt in extremis partibus maris id est super amplissimos fines orbis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De diuersitate aduentus Mulierum, & numero Angelorum.

CAP. LIV.

Author. Quæritur de diuersitate aduentus Mulierũ ad sepulchrum, quæ videtur esse in Euangelistis,& etiam de diuersis apparitionibus , & numero Angelorum. Nam de Maria Magdalena dicit Matthæus quod cognouerit resurrectionem, Angelo reuelante: Ioannes dicit eam ignorasse, & dixisse: *Tulerunt Dominum &c.* Itẽ Matthæus dicit: *eam pedes Domini tenuisse.* Ioannes: *Dominum, eam prohibuisse ne tangeret.* Matthæus *dicit, eam gaudisam fuisse.* Ioannes, *fleuisse.* Item Matthæus *dicit eas vnicum Angelum vidisse.* Lucas, & Ioannes, *duos.* Hæc omnia soluuntur per ordinationem historiæ , quam hic ponit Augustinus in Glossa. Dicit enim quod prima sabbati diluculo venerunt ad monumentum, vt omnes Euangelistæ consentiunt. Iam enim factum erat , quod hic dicitur *de terræmotu, & reuolutione lapidis, & terrore custodum.* Venit autem Maria Magdalena , quæ cæteris feruentior erat: Vnde & Ioannes eam solam commemorat, tacitis aliis, quæ cum illa erant. Et videns lapidem sublatum , antequam diligentius inspiceret : credens sublatum corpus, cucurrit & nunciauit Petro, & Ioanni (secundum Ioãnem) qui etiam currentes ad monumentum, & non inuenientes corpus crediderunt , quod dixerat eis Maria : scilicet corpus esse sublatum , & abierunt. *Maria autem stetit ad monumentum foris plorans,* scilicet in horto: & tunc vidit Angelum sedentem super lapidem reuolutum , de quo Matthæus & Marcus. Ad cuius verba Maria dum fleret inclinauit se & prospexit in monumentum : & tũc vidit duos Angelos sedentes, vnum ad pedes,& alium ad caput : de quibus *Lucas & Ioannes.* Qui dixerunt ei, secũdum Ioannem *: quid ploras ?* Et intelligũtur hic surrexisse Angeli, vt & stantes viderentur, vt dixit Lucas. Et dixerunt secundum Lucam. *Quid quæritis, viuentem cum mortuis , &c ?* Post hæc conuersa Maria retro , *vidit Iesum stantem,* secundum Ioannem,& non agnoscens eum putabat Hortulanum : sed nominata ab eo, cognouit eum : Qui & dixit ei. *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum,* supple in corde tuo, quia me nõ credis æqualem patri esse , sed sublatum tanquam purum cadauer. Ac si diceret: Quia tanquam mortuum quæris, viuentẽ tangere non mereris. Tunc egressa est de monumento, id est de loco ante lapidem effossum, & cum ea aliæ mulieres : quas secundum Marcum timor inuaserat, & nemini quicquam dicebant. Et tunc occurrit eis Iesus (secundum Marcum) & salutauit eas , & tenuerunt pedes eius. Sic colligitur Angelorum locutionẽ bis eas habuisse venientes ad monumentum : & etiam ipsius Domini bis, scilicet semel quando Maria eum Hortulanum putabat : & nunc iterum cum eis occurrit, vt eas ipsa repetitio in fide confirmaret. *Venit ergo Maria Magdalena annũcians hæc Discipulis* : & aliæ quæ cum ea erant secundum Lucam.

Ioan.20. Matth.28.

Luc.24.

Sed adhuc obiicitur de Angelo, quẽ dicunt Matthæus & Marcus eis apparuisse , quia Matthæus dicit eum sedisse foris, Marcus verò intus : dicit enim, quod *introeuntes in monumento viderunt iuuenem sedentẽ in dextris.* At hoc potest solui dupliciter secundum Glo. scilicet vel dicendo, quod duo fuerunt Angeli, vnus intus, alter extra : vel quod est probabilius, vbi dicit Marcus, quod introierunt in monumentum, non est intelligendum, quod intrauerunt ipsum lapidem inscissum , in quo positum fuerat corpus, sed in aliqua septa quibus ambiebatur : & ibi viderunt Angelum in aliquo spacio, ante petram sedendem super lapidem reuolutum.

De argumentis Dominicæ resurrectionis, & numero apparitionum.

CAP. LV.

ANno igitur 18. (vel secundũ Comestorem 19.) Imperij Tiberij Cæsaris adhuc procuratore Iudææ Pilato, mortuus est Dominus, & resurrexit. Resurgens autem veritatem resurrectionis multis argumentis comprobauit : multa in corpore suo ostendens præter naturam corporis immortalis : vt sic veritatem resurrectionis astrueret, & ab Apostolis, & ab eorum posteris omnem omnino causam hæsitationis amoueret. Comedit enim & bibit cum eis , cum corpus spirituale ciborum alimonia minimè indigeat. In corpore proprio cicatrices ostendit, cum à natura corporis immortalis penitus aliena sit omnis deformitas cicatricis.

Christus Mortuus & resurrexit.

Sed quæritur de cibo illo , quem comedit , quid factum sit ? non enim in nutrimentum corporis eius cessit, cum esset glorificatum. Respondet *Comestor cap.* 193. quod cibi ab eo sumpti ante mortem cesserunt corpori eius in alimoniam : post resurrectionem vero sumpti absumpti sunt : sicut aqua missa in ignem consumitur. Vnde glossa ibidem : *Aliter absorbet aquam terra sitiens : aliter radius solis calens : illa indigentia, ista potestate. Comestor.* Præter hæc argumenta , Lucas scribens historiam actuum Apostolorum ponit, & alia. Fuit enim argumentum resurrectionis ; quod per dies 40. apparuit eis loquens de regno Dei : non est autẽ intelligendum, quod singulis 40. dierum apparuerit Apostolis : sed infra numerum tot dierum decies apparuit eis , vt ex euangelica historia colligitur. Ipsa namque die resurrectionis quinquies apparuisse legitur. Primo Mariæ Magdalenæ : Secundo mulieribus redeuntibus de monumento, quando tenuerunt pedes eius , & adorauerunt eum. Tertio Petro : Quarto duobus euntibus in Emaus : Quinto decem Apostolis absente Thoma : Sexto post dies octo apparuit eis præsente Thoma : Septimo septem Discipulis apparuit in piscatione ad mare Tyberiadis : Octauo in monte Thabor quando conuenerant in Galilæa : Ita ante diem Ascensionis apparuit octies ; ipsa vero die apparuit bis : Semel 11. Apostolis cænantibus in cænaculo, ecce nona apparitio, statimque post comestionem Apostoli 11. & alij Discipuli , & Mulieres de ciuitate vnanimiter egressi iuxta Domini præceptum , venerunt in montem Oliueti & statim Dominus apparuit eis, ecce decima.

Comestor cap.1.in actibus Apostol.

Actu.2.

Apparitiones 5. in die Paschæ.

Author. Primo igitur iuxta Marcum apparuit Dominus Mariæ Magdalenæ : vbi dicit glossa Bedæ : *Ideo primo mulieri apparuit, vt quæ prima gustauit mortem, prima gustaret resurrectionem.* Item ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret , & quæ in virum culpam transfuderat, transfundit & gratiam. Item ideo peccatrici & tantæ peccatrici apparuit : Primo vt ostenderet , quod vbi abundauit delictum, plerumque superabundaret, & gratia. Item ne scilicet aliquis digne pœnitens de venia desperet, videns eam quondam tot vitiis subditam, nunc adeo à Domino dilectam, vt ipsis Euangelistis, & Apostolis Domini resurrectionem euangelizaret. Vt autem ostendat Euangelista , quam magna peccatrix fuerat , & per hoc in ea gratia Dei euidentior fiat , addit : *De qua ciecerat septem dæmonia.* Vt enim ait Gregorius *in Homel. super Luc. septem dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitiis plena fuit : septenarius enim numerus vniuersitatis est.*

Cur mulieri primo apparuit Dominus.

Marc.16.

De apparitione facta Ioseph, & altercatione Iudæorum cum custodibus sepulchri.

CAP. LVI.

PRæterea quæ in Euangeliis leguntur de apparitione Domini post resurrectionem, legitur etiam in Apostolo, quod visus est Iacobo , & quingentis fratribus simul : sed nec tempus, nec modum determinat. Quidam

Christus apparuit Iacobo.

dicunt, quod Iacobus, mortuo Domino, vouit ſe nõ comeſturum, donec Chriſtus reſurgeret: & ideo dicunt, quod eadem die reſurrectionis apparuit illi. Fuerunt & qui dicerent Ioſeph eadem veſpera, qua ſepeliuit Dominum à Iudæis incarceratum, & Nicodemum latuiſſe: ac deinde factum Diſcipulum: Et ante alios ſtatim apparuit Ioſeph in carcere ad conſolandum eum.

Milites teſtãtur Chriſtum reſurrexiſſe.

Ex Euangelio Nicodemi. Poſt Sabbatũ itaque Iudæi, qui incluſerãt Ioſeph iuſſerunt eum præſentari, & aperientes per clauem ſigna oſtij nõ inuenerunt: ſtupentibus autem omnibus ſuper hoc: ecce quidam de militibus, qui cuſtodiebant ſepulchrum, intrauit Synagogam dicẽs: Nobis cuſtodientibus monumẽtum factus eſt terræmotus: & vidimus Angelum Domini: quomodo reuoluit lapidem monumenti: & ſedit ſuper eum: præ cuius timore facti ſumus velut mortui: & audiuimus eum dicentem mulieribus, quæ venerant ad ſepulchrum, quod ſurrexit Ieſus, & præcederet eos in Galilæam. Conuocantes autẽ Iudæi omnes milites cuſtodes ſepulchri, dixerunt eis: Quæ ſunt mulieres illæ ad quas Angelus locutus eſt & quare non tenuiſtis eas? Qui reſponderũt, Mulieres quæ fuerint, neſcimus, & nos præ timore Angeli quaſi mortui fuimus: quomodo ergo apprehendere illas potuimus? Dixerunt Iudæi, viuit Dominus quia non credimus vobis. Reſponderunt milites: Quanta miracula faciente Ieſu vidiſtis, & non credidiſtis? quomodo ergo nobis crederetis, & verè, vt dixiſtis, *viuit Dominus*, ſcilicet quẽ vos crucifixiſtis. Date nobis Ioſeph, quem incluſiſtis in cubiculo, & nos dabimus vobis Ieſum, quem cuſtodiuimus in ſepulchro: reſponderũt Iudæi: Ecce damus Ioſeph, in Arimathia eſt: reſponderũt milites, ſi Ioſeph eſt in Arimathia, & Ieſus eſt in Galilæa: ſic audiuimus ab Angelo dicente mulieribus: hæc audientes timuerunt valde, ne ſi hoc audiretur à populo, omnes crederent in Ieſum. Et congregantes pecuniam multã dederunt militibus: dicentes, *dicite: quia diſcipuli eius nocte venerunt & furati ſunt eum nobis dormentibus &c. Matth.* 28. Tres autẽ viri venerunt de Galilæa in Hieruſalem ſcilicet Phinees Sacerdos, & Adda præceptor, & Aggæus Leuita: & dixerunt principibus ſacerdotum, & omnibus Iudæis, qui in ſynagoga erant: Ieſum quem crucifixiſtis vidimus cũ 11. Diſcipulis loquentem in monte Oliueti: & poſt hoc in cælum aſcendentem. Hoc audientes principes ſacerdotum, & ſeniores dixerunt illis viris. Date gloriam Deo Iſrael, & date: confeſſionem, ſi vera ſunt quæ dixiſtis, reſponderunt illi. Viuit Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, quia ſic vidimus vt locuti ſumus, ſtatimque exurgentes principes ſacerdotum tenẽtes legem in manibus, dixerunt eis. Adiuramus vos per Deum Iſrael, vt amplius non annuncietis verba hæc, quæ locuti eſtis nobis de Ieſu. Et dederũt eis pecuniam multam, & miſerunt cum eis tres viros, vt deducerent eos in regionibus ſuis, vt nullo modo ſtarent in Hieruſalem.

De relatione Ioſeph ſuper liberatione ſua, & carcere.

Cap. LVII.

COngregatique omnes Iudæi, fecerunt inter ſe lamentationem magnam, dicentes: *Quod eſt hoc ſignũ, quod factum eſt in Iſrael?* & tollentes tomum chartæ, ſcripſerunt ad Ioſeph dicentes: Pax tecum, & omnibus, qui tecum ſunt: ſcimus quia peccauimus in Deum, & in te. Dignare ergo venire ad filios tuos, quia admirati ſumus de aſſumptione tua: Dominus enim liberauit te, de maligno conſilio noſtro. Pax tibi Domine Ioſeph, honorabilis ab omni plebe. Miſeruntque ſeptem viros amicos Ioſeph: quos ille oſculatus, ſuſcepit in domũ ſuam. Alia autem die aſcendit ſuper Aſinum ſuum, & venit cum illis in Hieruſalem, & occurrentes ei Iudæi ſalutauerunt, & oſculati ſunt eum omnes: ſuſcepitque eum Nicodemus in domum ſuam, & fecit ei conuiuium. Alia autem die conuenientes Iudæi dixerunt ad eum. Da confeſſionem Deo Iſrael: quia enim contriſtati ſumus de eo, quod ſepeliſti corpus Ieſu, includentes te in cubiculo propter diem ſabbati: poſtera die quærentes te non inuenimus, & admirati ſumus nimis, & pauor comprehendit nos vſque nunc. Et nũc præſente te corã Deo manifeſta nobis, quid de te actum ſit? reſpondit Ioſeph, quoniã me recluſiſtis in die paraſceue ad veſperum: dum ſtarem in oratione in die ſabbati nocte media ſuſpenſa eſt domus in qua eram in quatuor Angulis: & vidi Ieſum ſicut fulgorem lucis, & præ timore cecidi in terram: & tenens manum meã eleuauit me de terra, roreque perfudit me: & extergens faciem meam oſculatus eſt me: & dixit mihi: Noli timere Ioſeph, reſpice in me, ego ſum Ieſus quẽ tu ſepeliſti. Et tenens manum meam deduxit me ad locum vbi ſepeliui eum, & oſtendit mihi ſindonem, & faſciale, in quo caput eius inuolui. Tunc cognoui, quia Ieſus eſt: Et adoraui eũ, & dixi: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Et tenẽs manum meam duxit me in Arimathiam in domum meam dicens: Pax tibi: vſque ad 40. diem nõ exeas de domo tua, ego autem vadam ad diſcipulos meos. Cum hæc audiſſent Principes Sacerdotum, & Iudæi, ſtupefacti ſunt: & velut mortui ceciderunt ſuper facies ſuas in terra, & exclamantes dixerunt: *Quod eſt ſignum, quod factum eſt in Iſrael?* Quidam autem nomine Leui dixit: Ego noui, de cognatione eius, timentes Deũ, qui cum orationibus ſemper in templo offerebant Deo Iſrael: ſed & Simeon Sacerdos quando oblatus eſt puer in templo, ſuſcepit eum in manibus ſuis, &c. & ait. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.*

De illis qui cum Domino reſurrexerunt, & de coniuratione Carini, & Leucy.

Cap. LVIII.

SVrgens autem Ioſeph in medio dixit, Bene admiramini, quoniam audiſtis, quia Ieſus viſus eſt à morte reſurgens: & in cœlum aſcendens: plus autem admirandum eſt, quia non ſolum ſurrexit, ſed multos alios mortuos ſuſcitauit, qui & multis viſi ſunt in Hieruſalem. Et nunc quia ſcimus omnes beatum Simeonem Sacerdotẽ magnum, qui ſuſcepit Ieſum infante in manibus in templo: habuiſſe duos filios fratres germanos, & nos in dormitione ac ſepultura eorum interfuimus: ite & videte monumenta eorũ, aperta enim ſunt, quia reſurrexerunt: & ecce in Arimathia ſunt viuentes in orationibus. Et quidem audiuntur clamantes, nemini autem loquentes: ſed ſunt vt mortui ſilentes. Eamus igitur ad eos cũ omni reuerentia, & coniuremus eos: forſitan loquentur nobis de reſurrectione ſua, & myſterio hoc.

Hæc audientes, omnes gauiſi ſunt: Et euntes Annas, & Caiphas, Nicodemus, & Ioſeph, & Gamaliel, non inuenerunt eos in ſepulchris: ſed ambulantes in Arimathiam inuenerunt eos ibi in oratione, flexis genibus: & oſculãtes eos cum omni veneratione, & timore Dei perduxerunt eos Hieruſalem in ſinagogam: clauſiſque ianuis tollentes legem Domini, poſuerunt in manibus eorum, coniurantes eos *per Deum Adonai, qui per legem, & Prophetas locutus eſt*, dicentes: Dicite ſi creditis, quod ipſe ſit Chriſtus, qui vos reſuſcitauit à mortuis: & enarrate nobis quomodo reſurrexiſtis. Hanc ergo coniurationem audientes Carinus, & Leucius, contremuerunt corpore, & gemuerunt corde: ſimulque in cælum reſpiciẽtes, feceruntque digitis ſuis ſignaculum crucis ſuper linguas ſuas: & ſtatim ſimul locuti ſunt dicentes. Date nobis ſingulos tomos chartæ, & ſcribemus, quæ vidimus, & audiuimus: Et ſedentes ſcripſerunt ſinguli, ſic dicentes: Ieſu Chriſte Domine Deus, reſurrectio, & vita mortuorum, permitte nobis loqui myſteria, quæ per mortem crucis tuæ operatus es, quia coniurati ſumus per nomen tuum. Tu enim iuſſiſti ſeruis tuis, nemini referre tuæ maieſtatis ſecreta, quæ in inferis feciſti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Relatio eorundem de illuſtratione Inferni in aduentu Chriſti.

Cap. LIX.

NOs cum eſſemus cum patribus noſtris poſiti in caligine tenebrarum, ſubito factus eſt aureus ſolis color, purpureaque lux, illuſtrans ſuper nos: ſtatimque humani generis Pater Adam, cum omnibus ſanctis Patriarchis, & Prophetis exultauerunt dicentes: Lux iſta author eſt luminis æterni, qui nobis promiſit coæternum lumen ſuum tranſmittere: & exclamauit Iſaias Propheta, & ait: Hic eſt filius Dei, lux patris, ſicut prædixi cum adhuc viuerem in terris. *Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam &c.* Cumque exultaremus omnes in lumine quod ſuperluxit nobis, ſuperuenit genitor noſter Simeon, & exultans dixit omnibus. Glorificate Chriſtum filium Dei, quia ego eum ſuſcepi infantem natum in manibus meis in templo: & Spiritu ſancto compulſus, dixi: *Nunc Domine viderunt oculi mei ſalutare tuum, &c.* Poſt hæc ſuperuenit Heremicola, & interrogatus ab omnibus quis eſſet? reſpondit: Ego ſum Ioannes, & Propheta, & vox altiſſimi: *præiui ante faciem eius præparare vias eius, ad dandã ſcientiã ſalutis plebi eius &c.* & baptizaui eum in flumine Iordanis, & ipſe filius Dei ex alto veniens, ſedentibus nobis in tenebris, orietur. Cum autem audiſſet Adam, quod filius Dei in Iordane baptizatus eſſet, exclamauit ad filium ſuum Seth, & ait: Enarra fili Patriarchis, & Prophetis, quæ à Michaele audiſti quando ad portas Paradiſi te miſi, vt ibi Dominum rogares tibi dari oleum de arbore miſericordiæ, quo corpus meum perungeres cum eſſem infirmus. Tunc Seth appropinquans ait: Cum orarem ad portas Paradiſi, apparuit mihi Angelus Michael dicens: Noli laborare lachrymis orando pro oleo ligni miſericordiæ, vt perungas patrẽ tuũ præ dolore corporis ſui: quia nunc nullo modo poteris ex eo accipere, ſed in nouiſſimis diebus quando completi erunt anni quinque millia ducenti, tunc veniet ſuper terram amantiſſimus Dei filius Chriſtus, qui reſuſcitabit corpus Adæ, & aliorum corpora mortuorum cum eo. Ipſe veniens, in Iordanis aqua baptizabitur, & oleo miſericordiæ ſuæ vnget omnes credentes in ſe, *qui renaſcendi ſunt ex aqua, & Spiritu ſancto* ſcilicet in vitã æternam: tunc Dei filius Chriſtus introducet patrem tuum Adam, ad arborem miſericordiæ in paradiſum. Hæc audientes Patriarchæ, & Prophetæ, exultauerunt valde.

Iſaiæ 9.

Luc. 2.

Luc. 1.

Iuxta noſtrũ computum quãdo complentur anni 3987.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

Cap. LX.

ET ecce Sathan Princeps, & Dux mortis adueniens, dixit ad Infernum: Præpara temetipſum ſuſcipere Ieſum, qui ſe gloriatur Chriſtum, filium Dei eſſe: & homo eſt timens mortem, & dicens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Multaque aduerſatus eſt mihi maleficijs ſuis, & quos ego mortuos ad te perduxi, ipſe viuos à te abſtraxit. Reſpondens infernus ait: Multi ſunt, qui à me detenti ſunt: qui dum vixerunt in terris, mortuos à me tulerunt non ſuis potentiis: ſed precibus diuinis: & omnipotens Deus eos à me abſtraxit. Quis autẽ eſt iſte Ieſus, qui verbo ſuo ſine precibus, mortuos vt dicis, à me traxit? forte ipſe eſt qui Lazarum iam fætentem, quem ego tenebam mortuum, per verbum imperij ſui reddidit viuum: reſpondit Sathan, ipſe eſt ille Ieſus. Ait infernus: Adiuro te per virtutes tuas, & meas, ne illum ad me perducas: ego enim qui verbum imperij eius tunc audiui: pauore contremui: & omnia mea officia ſimul mecum turbata ſunt: nec ipſum Lazarum potuimus tenere: ſed excutiens ſe vt aquila per omnem agilitatem, & celeritatem ſaliens, exiit à nobis: & ipſa terra, quæ corpus eius tenebat mortuum, ſtatim reddidit viuum. Ita, & nunc ſcio, quia ſi illum ad me perduxeris: omnes hic in carcere crudelitatis clauſos, & vinctos ſoluet: & ad vitam diuinitatis ſuæ perducet.

Matth. 26.

Cumque ad inuicem hæc loquerentur, facta eſt vox vt tonitruum, & ſpiritualis clamor: *Tollite portas principes &c.* Et dixit Infernus ad impia ſua officia: Claudite portas æreas, & vectes ſupponite, & fortiter reſiſtite, ne captiuemur tenentes captiuitatem. Clamauit autem Dauid dicens: Nonne cum adhuc in terris viuerem prædixi, *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum quia contriuit portas æreas, &c.* Et facta eſt iterum vox magna cum tonitruo dicens. *Tollite portas principes veſtras &c.* reſpondit Infernus quaſi ignorans: Quis eſt ille Rex gloriæ? Dauid autem dixit, *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, ipſe eſt Rex gloriæ*: hæc eo dicente ſuperuenit Rex gloriæ, Dominus maieſtatis, in forma hominis, & æternas tenebras illuſtrauit: inſoluta vincula diſrupit: & inuictæ virtutis auxilio, ſedentes nos in tenebris viſitauit. Hæc videns Infernus, & impia eius officia: expauerunt in propriis regnis agnita claritate tanti luminis, dum repente Chriſtum viderunt in ſedibus ſuis: & exclamauerunt dicentes: *Victi ſumus.* Quis es tu tam magnus, factus paruus, excelſus Imperator in forma ſerui apparens, admirabilis prælia-tor: mortuus in ſepulchro iacuiſti, & viuus ad nos deſcendiſti: & in tua morte vniuerſa territa eſt creatura: omnia commota ſunt ſydera: & nunc factus es inter mortuos liber, & regiones noſtras perturbas? Quis es tu, qui iſtos originali peccato aſtrictos, tua potentia captiuos abſoluis: qui peccatorum tenebris excæcatos, diuina luce, & ſplendore perfundis? Vnde es tu Ieſu, homo tam fortis, tam ſplendidus, & à crimine mundus? Ille enim mundus terrenus, qui nobis vſque nunc ſubiectus fuit, & noſtris vſibus tributa perſoluit, talia nunquã munera inferis tranſmiſit. Quis ergo es qui ſic intrepidus, noſtros fines ingreſſus es, nec ſolum noſtra ſupplicia non vereris, ſed inſuper de noſtris vinculis omnes auferre conaris?

Pſal. 23.

Pſal. 106.

Pſal. 23.

De religatione Sathanæ, & inferni ſpoliatione.

Cap. LXI.

TVnc Rex gloriæ Dominus, maieſtate ſua mortem conculcans, comprehendens Sathan Principem igneis catenis conſtrictum, tradidit in Inferni poteſtatem, & attraxit Adam ad ſuam claritatem. Infernus autem ſuſcipiens Sathan, cum nimia increpatione dixit ad eum: O princeps perditionis Beelzebub, deriſio Angelorum, & ſputum iuſtorum quid hoc facere voluiſti? Regem gloriæ crucifigere, in cuius mortis exitu, tanta nobis ſpolia promiſiſti. Ecce iſte Ieſus firma carceris oſtia confregit, mortis captiuos eiecit, vinctos ſoluit, qui ſub noſtris ſolebant ſuſpirare tormentis. O princeps Sathan, diuitias quas acquiſieras per lignum præuaricationis, nunc per lignum ſaluationis perdidiſti, dum hunc Chriſtum Regem gloriæ ſuſpendiſti. O princeps, & autor mortis, origo ſuperbiæ, debueras primum iſtius Ieſu cauſam malam requirere, & in quo nullam culpã recognouiſti, quare ſine ratione eum crucifigere auſus fuiſti, & ad regionem noſtram innocentem, & iuſtum perduxiſti: ac totius mundi noxios, & iniuſtos perdidiſti? Aduerſum te, & aduerſum me egiſti. Amodo enim cognoſces quanta tormenta, & infinita ſupplicia in mea ſempiterna cuſtodia paſſurus es: hæc eo loquente ait ad eum Rex gloriæ: Erit Sathan princeps ſub tua poteſtate in loco Adæ, & filiorum eius, omniumque iuſtorum. Et extendens manum ſuam dixit: *Venite ad me omnes ſancti mei, & omnes, qui habetis meam imaginem atque ſimilitudinem.* Deinde magna voce dixit. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c.* Et tenens dexteram manum Adæ, aſcendit ab inferis, & omnes ſancti ſecuti ſunt eum. Tunc exclamauit Dauid: *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* Et omnis multitudo ſanctorũ reſpondit.

Pſal. 29.

Pſal. 97.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dit. *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius, Amen: Alleluia.* Poſt hoc clamauit Habacuc: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, &c.* Et omnes ſancti reſponderunt. *Benedictus, qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & illuxit nobis.* Michæas quoque exclamauit dicens. *Quis eſt Deus ſicut tu Domine auferens iniquitatem, & tranſiens peccatum &c.* Et reſponderunt omnes ſancti. *Hic eſt Deus noſter in æternũ, & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula.* Sic & omnes Sancti Prophetæ de ſuis prædictis laudibus ſacra referebant: & omnes ſancti, *Amen, & Alleluia* clamantes, ſequebantur Dominum, qui introduxit eos in Paradiſum.

Pſal. 149. Habacuc. 3. Pſal. 117. Michæa 7. Pſal. 47.

De occurſu Enoch, & Heliæ, & Latronis dextri, in ingreſſu Paradiſi.

Cap. LXII.

ET occurrerunt eis veri duo vetuſti dierum, quos interrogauerunt: Qui eſtis vos, qui nobiſcum in Infernis nondum mortui fuiſtis: ſed in Paradiſo cum corporibus veſtris collocati eſtis? Reſpondit vnus ex eis. Ego ſum Enoch, qui verbo Dei huc tranſlatus ſum, & iſte Helias: qui huc in curru igneo aſſumptus eſt, & vſq; nunc mortem non guſtauimus, ſed ad aduentum Antichriſti reſeruati ſumus: diuinis ſignis, & prodigiis cum eo præliaturi: & ab eo in Hieruſalem occidendi, poſt triduum vero, & dimidium dierum, iterum in nubibus aſſumendi ſumus. Cum hæc loquerentur, ecce ſuperuenit alius vir miſerrimus portans in humeris ſuis ſignum crucis. Videntes autem eum omnes ſancti dixerunt ei. Quis es tu, & quod eſt ſignum quod portas in humeris? qui reſpondit: Latro fui, qui cum Ieſu crucifixus, vidi mirabilia creaturarum, quæ facta ſunt per crucem eius, & credidi eum omnium creatorem, Regemque Omnipotentem: deprecatus quoque ſum eum dicens. *Memẽto mei Domine dum veneris in regnum tuum:* qui ſtatim deprecationem meam ſuſcipiens, dixit mihi: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiſo*, & dedit mihi ſignum crucis dicens: Hoc portans vade in Paradiſum, & ſi non dimiſerit te ingredi Angelus cuſtos Paradiſi: oſtende ei hoc ſignum, dicens: Chriſtus filius Dei nunc crucifixus, huc me tranſmiſit. Quod cum feciſſem ſtatim Angelus mihi aperiens me introduxit, & collocauit me ad dexteram partem Paradiſi, dicens: Ecce modicum ſuſtine, & videbis ingredi omnis humani generis Patrem Adam cum filiis ſuis ſanctis, & iuſtis Chriſti Domini crucifixi. Audientes ſancti verba Latronis, vna voce dixerunt: *Benedictus Dominus omnipotens, Deus miſericordiarum, qui talem gratiam peccatoribus dedit, & eos ad Paradiſi gloriam deduxit, vitamque certiſſimam: Amen.*

Luc. 23.

De fine narrationis, & eius deſcriptione.

Cap. LXIII.

HÆc ſunt myſteria, quæ vidimus, cætera amplius enarrare permiſſi non ſumus, ſicut conteſtatus eſt nos Michael Archangelus, qui etiam nobis iuſſit ire trãs Iordanem in locum optimum, & pinguem, vbi ſunt multi, qui nobiſcum reſurrexerunt: qui tamen tribus diebus permiſſi ſumus in Hieruſalem celebrare Paſcha Domini cum viuentibus parentibus noſtris, in teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Poſt quos tres dies rapti ſunt in nubibus omnes, qui nobiſcũ reſurrexerunt, & trans Iordanem perducti ſunt, atque amplius à nemine viſi ſunt. Igitur poſtquã ſcripſerũt hæc omnia ſinguli in tomo chartæ: Carinus quod ſcripſerat dedit in manus Annæ, & Caiphæ, & Gamalielis. Leucius autem, quod ſcripſerat, dedit in manus Nicodemi, & Ioſeph. Et ſubito transfigurati, ſunt candidati nimis: & non ſunt viſi amplius. Scripta autem eorum inuẽta ſunt æqualia, nihil magis vel minus littera vna.

Hæc igitur admiranda Carini, & Leucij dicta, audiens omnis ſinagoga Iudæorum: dixerunt ad inuicem: *Vere à Domino facta ſunt iſta.* Et exeuntes de ſinagoga cum omni ſolicitudine, & tremore, percutientes pectora ſua, abierunt vnuſquiſque in propria. Hæc autem omnia ſtatim Ioſeph, & Nicodemus annunciauerunt Pilato præſidi, qui ſcripſit omnia, & poſuit in codicibus publicis prætorij ſui.

De Aſcenſione Domini.

Cap. LXIV.

Comeſtor cap. 1. ſuper Act. Apoſt. Ante diẽ igitur Aſcenſionis apparuit Dominus octies, vt ſupra dictũ eſt: ipſa vero die bis: ſemel ſcilicet vndecim Apoſtolis comedentibus in cænaculo. Omnes ſiquidẽ tam Apoſtoli, quã alij Diſcipuli, nec non & mulieres, habitabant in illa parte Hieruſalẽ, quę dicitur Mello, ſcilicet in mõte Syõ, vbi Dauid cõſtruxerat ſibi palatium: & erat ibi cænaculum grãde ſtratum, in quo præcepit ſibi Dominus parari Paſcha: vbi tunc habitabant Apoſtoli 11. cæteri autẽ Diſcipuli, & mulieres habitabant circumquaq; per diuerſa hoſpitia. Et dum comederent 11. in cænaculo, *apparuit eis Dominus: & exprobrauit incredulitatẽ eorum, & duritiam cordis: & comedit cum eis: & conueſcens præcepit ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem patris.* Hoc dicto præcepit eis vt egrederentur de ciuitate, & euanuit ex oculis eorum. Statimque poſt comeſtionem: Apoſtoli 11. & alij Diſcipuli, & mulieres de ciuitate vnanimiter egreſſi iuxta Domini præceptum, venerunt in montem Oliueti, & ſtatim Dominus iterum apparuit eis. Tunc qui conuenerant cæperunt ipſum interrogare dicentes: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* temporale ſcilicet quantum ad quoſdam imperitos, & carnaliter ſapientes, qui videntes alienigenam regnare, & Iudæos eſſe ſub Præſide: quærebãt de reſtitutione regni Iſrael temporalis: Alij vero magis inſtructi quærebãt de dilatatione Eccleſiæ. *Non eſt*, inquit, *veſtrum noſſe tempora, &c.* Sed de his, quæ ad vos ſpectant, eſtote ſoliciti: quia vos reuera *accipietis virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti*, cuius virtute roborati, *eritis mihi teſtes reſurrectionis meæ: primo in Hieruſalem, ſecundo in Iudæa: poſtea in Samaria: & tandem vſque ad vltimum terræ.* Ac ſi tacite diceret, ante regni illius reſtitutionem nõ ſolum Hieroſolymam, ſed omnes Iudææ fines, & Samariæ, mundi etiam terminos Euangelij fama per circuitum percurret.

Comeſtor cap. 2. Marc vltimo Actuum 1. Comeſtor cap. 3. Actuum 1 Actuum 1.

Primo ſiquidem prædicatum eſt in Hieruſalem, ſed propter lapidationem Stephani, & mortẽ Iacobi gladio occiſi, egreſſi ſunt de Hieruſalem prædicantes in finibus Iudææ. Poſtea tranſierunt ad Samaritanos: & inde proceſſerunt per vniuerſum orbem. *Et cum hoc dixiſſet, eleuatis manibus poſt benedictionem, videntibus illis, eleuatus eſt*: & quaſi in quodam globo baiulę nubis aſcendit, vt per hoc oſtenderetur, quia omnis creatura parata eſt obſequi Creatori ſuo.

De ortu & proceſſu prædicationis. Actuum 1.

De loco Aſcẽſionis dicit Sulpitius Epiſcopus Hieroſolymitanus, quia cum ibi poſtea ędificata eſſet Eccleſia, locus in quo inſtiterunt veſtigia Chriſti aſcendentis: nunquã potuit ſterni pauimento, immo reſiliebant marmora in ora collocantium, calcati etiam pulueris à Domino, hoc dicit documentum eſſe, quod veſtigia impreſſa cernuntur, & eandem adhuc ſpeciem velut preſſis veſtigiis terra cuſtodit. Cumque iam Dominus raptus eſſet à conſpectu eorum adhuc tamen ſuſpenſis vultibus aſpicerent in cælum, miſſi ſunt Angeli vt mæſtos de abſentia Domini confortarent: & vt Dominum in cœlum aſcendiſſe monſtrarent, id eſt in regionem Angelorum, non ſicut Helias, qui raptus in curru igneo aſcendit vſq; ad ſublunarem regionem, nec eam tranſcendit: ſed tantum tranſlatus eſt in Paradiſum terreſtrẽ, qui adeo eminet, vt pertingat ad ſublunarem regionem.

Comeſtor cap. 3. Chriſtus aſcendit in nubium. Comeſtor cap. 6.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Reditu Diſcipulorum in Hieruſalem, & electione Matthiæ, & commendatione Ioſeph.

Cap. LXV.

Act. 1. POſtquam vero aſcendit Ieſus, *reuerſi ſunt Diſcipuli à monte*, (qui dicitur Oliueti propter copiam oliuarum) *ſabbati habens iter*, id eſt itinere ſabbati diſtans à Hieruſalem, ſcilicet ſpacio milliarij, quia non ampliori ſpacio licebat Iudæis progredi in ſabbato de ciuitate vel de villa, in qua erant: ſed per mille paſſus poterant circa deambulare. Vetus editio habet à monte trium luminum, ſic autem dictus eſt mons oliueti, quia de nocte ex parte occidentis illuminabatur igne templi, qui erat iugis in altari: mane ex parte Orientali primos recipiebat radios ſolis antequam illuſtraret ciuitatem: & habebat etiam copiam olei, quod eſt fomentum luminis.

Cumque regreſſi eſſent in Hieruſalem, omnes vnanimiter, Apoſtolos vſque ad eorum hoſpitia conduxerunt: tunc acceſſerunt Apoſtoli in cænaculum, vbi manebant ipſi.

** Sed qua die incertum eſt. Comeſtor cap. 9.* *In diebus illis* id eſt in ipſo* meditullio temporis, inter aſcenſionem, & Spiritus ſancti miſſionem, loco Iudæ electus eſt in Apoſtolum Matthias vnus ex 70. diſcipulis, qui & Domini miracula viderunt, & doctrinam audierunt: nam ſtatuerunt Apoſtoli duos illos, aliis præferentes, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus: & Matthiam, de cuius laude ſubticetur, quia pro laude ſufficit ei in Apoſtolatum eligi: Ioſeph vero commendatur, ne tanquam indignus reſpui videretur. Iſte Ioſeph fuit frater trium Apoſtolorum filiorum Alphæi, nec fuit Apoſtolus.

Ex martyrologio. Hic Ioſeph prædicationis, & ſanctitatis officio inſeruiens, multamque pro fide Chriſti perſecutionem à Iudæis ſuſtinens, victorioſiſſimo fine in Iudæa quieuit. De quo refertur, quod venenum biberit, & nihil triſte ex hoc pertulerit, propter Domini fidem. Huius natale colitur tertio Cal. Auguſti. *Comeſtor cap.* 12. Et dederunt eis ſortes, & ſors cecidit ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum 11. Non eſt modo vtendum ſortibus vt tradit Hieronymus pro hac auctoritate: quia priuilegia paucorum, communem legem nõ faciunt: nondum enim figuræ legales ceſſauerant. Ideo adhuc poſitæ ſunt ſortes, ſiout in veteri teſtamento, ſæpe factum legitur: ſi quis tamen compellatur vti ſortibus, Apoſtolos imitetur: ſcilicet præmiſſa oratione ad Dominum.

Saul enim Sorte electus fuit. 1. Reg. 10.

De Aduentu Spiritus ſancti.

Cap. LXVI.

Comeſtor cap. 11. PRima vero die Pentecoſtes, dum eſſent in præfato cænaculo Diſcipuli fere 120. vtriuſque ſexus, promiſſionem Spiritus ſancti expectantes, & in oratione perſeuerantes, fragor quidam inſonuit in aere, tanquam aduenientis ſpiritus, id eſt ſoni vehementis. Tamen vere Spiritus ſanctus dicitur vehemens, quaſi à mente, id eſt à mentis affectibus alienans: vel iuxta quod ait ille Clareuallenſis Abbas Bernardus merito dicitur vehemens, quaſi veh adimens, id eſt æternã damnationẽ. Et repleuit *Act. 2.* ille ſonus vel Spirirus ſanctus omnes in domo ſedẽtes, & apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanquam ignis: id eſt, radioli ignei in modum linguarum, inſidentes capitibus ſingulorum. Ipſa autem ſpecies creaturæ in qua Spiritus ſanctus viſibiliter deſcẽdit, ad quẽ vſum tunc deſcẽderit in Apoſtolos expreſſit: ſpecies enim ignis oſtẽdit Spiritũ ſanctum tunc eis datũ eſſe ad robur: ſpecies linguarũ ad ſcientiam, lingua enim ſciẽtiam explicat, ignis vero teſtã roborat. Datus eſt etiam Spiritus ſanctus Apoſtolis ante paſſionem, quando miſſi ſunt ad prædicandum, & dictũ *Marc. 6. Ioan. 20.* eſt eis: *Ægros ſanate, dæmones eiicite*: poſt reſurrectionem quoque datus eſt ad alium vſum, *quando inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, &c.*

Tunc cæperunt variis linguis loqui.

Act. 2. Comeſtor cap. 12. *Erant autem in Hieruſalem Iudæi viri religioſi, & in Iudæa habitantes*, & propter illos multi alij ſuperuenientes, fere ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, quia multis captiuitatibus diſperſi fuerant Iudæi, præcipue ſub Antiocho Epiphane, quæ captiuitas fuerat vicinior huic facto, & modo ad diem feſtum omnes conuenerant. Audito ergo fragore, qui inſonuerat in aere conuenerunt omnes ad Diſcipulos loquentes: *& mirati ſunt quoniam audiebat* *Act. 2.* *vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* Alij autem irridebant eos dicentes: *Quia muſto pleni ſunt* id eſt vehemẽter ebrij, quia vehementior erat ebrietas de muſto, quam de vino defæcato.

Author. Dicit Gloſſa Bernardi quod quamuis hæc dicerent irridendo, myſtice tamen verum erat, quia non vino veteri, quod in nuptiis defecit, ſed muſto gratiæ ſpiritualis erant impleti. De quo Dominus in Matthæo. *Matthæi 9.* *Nemo mittit vinum nouum, &c.* Comparatur enim Spiritus ſanctus muſto, propter plures proprietates. Comparatur etiam igni, vt ſupra dictum eſt, quia ſicut ignis in ſua natura eſt inuiſibilis, ſed aſſumpto alio corpore videtur, & diuerſi coloris apparet: propter materias in quibus ardet: ſic Spiritus ſanctus videri non poteſt, niſi per creaturas in quibus operatur. Item quia exurit peccata, purgat corda, accendit affectum, illuminat intellectum. Vel in igne poſſunt notari 7. dona Spiritus ſancti: ideo igni, Spiritus ſanctus comparatur: quia purgat per donum timoris: *timor enim Domini expellit peccatum*: *Eccleſ. 1.* ſicut ignis conſumit rubiginem ferri. Item liquefacit per donum pietatis: ſicut ignis metalla, ceram, & pinguia. Item congregat per donum ſcientiæ: ſicut ignis heterogenea, vt diuerſa metalla in vnam maſſam: ſic enim & Spiritus ſcientiæ, qui docet bene conuerſari inter malos, coniungit enim malis bonos, ſecundum illud. *Habitabit lupus cum Agno, &c.* quia impleta eſt terra *Iſaiæ 11.* ſcientia Domini: hic eſt ergo, *qui habitare facit vnius moris in domo.* Item conſolidat per donum fortitudinis: vnde Apoſtoli recepto igne Spiritus ſancti, ita fuerunt robuſti: quod qui prius etiam cedebant modico timori, *iam ibant gaudentes à conſpectu conſilij, &c. Quoniam aruit* *Act. 5.* *tanquam teſta virtus eorum, igne Spiritus ſancti &c.* Item *Pſal. 21.* eleuat per donum conſilij ſcilicet vſque ad cælum, ſecundum illud: *Vade, & vende omnia, quæ habes, &c. &* *Matth. 19.* *habebis Theſaurum in cœlis.* Item illuminat per donum intellectus, ſecundum illud: *Docebit vos omnem veritatem.* *Ioan. 16.* Item accendit per donum ſapientiæ quo guſtantur cæleſtia, & quanto plus guſtantur tanto feruentius deſiderantur, ſecundum illud Eccleſi: *Qui me edunt &c.* Hic *Eccleſ. 24.* eſt ignis, qui iugiter debet ardere in altari cordis ſecundum legem, de quo dicitur, *concaluit cor meum, &c. Ignem* *Pſal. 38.* *veni mittere, &c.* *Luc. 12.*

De Prædicatione Petri, & conuerſione octo millium Iudæorum.

Cap. LXVII.

Comeſtor cap. 13. & 16. TUnc ſurrexit Petrus cum 11. oſtendens eos nõ eſſe ebrios, ſed Spiritu ſancto repletos ab illo miſſo, quem ipſi interimerant, ſecundum prophetias de ipſo prædictas: his auditis compuncti ſunt corde. Et ita impleta eſt Prophetia Iohelis, quia poſt ignem Spiritus ſancti ſecutus eſt fumus compunctionis. Ad quos Petrus: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizemini, & accipietis donum Spiritus ſancti vt loquamini variis linguis ſicut & nos*: hoc enim erat ſignum familiare in primitiua Eccleſia, quia fere omnes aſcendentes de lauacro, variis linguis loquebantur: & appoſitæ ſunt numero fidelium die illa, ſcilicet ipſa die Pentecoſtes animæ circiter tria millia.

Erat autem quidam claudus à natiuitate, qui in Gloſ- *Comeſtor cap. 17.* ſa Paralyticus dicitur, iuxta portam templi, quæ dicitur pecioſa, à ſpeciali quodam ornamento, quod appoſuit ei Alexander Hircanus: Ibidem etiam poſuit Herodes

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Aquilam auream, & erat porta atrij virorum mundorum. Iste rogabat Petrum, & Ioannem, vt eleemosynam acciperet, cum ascendissent in templum. Ad quem Petrus: *Actuum 3.* *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: Et apprehensa manu eius dextera eleuauit eum, & protinus sanatus est. Videns Petrus populum admirantem super hoc miraculum, locutus est ad eos: Quid intuemini in nos, quasi virtute nostra hoc fecerimus? sed Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum, quem tradidistis, & negastis: nomen eius*, id est iuuocatio, *dedit isti sanitatem.*

Comestor cap. 19. Tunc superuenerunt Sacerdotes, & magistratus templi, & indignati sunt omnes communiter, quia ita magnificabant eum, quem ipsi damnauerant quasi reum: & Saducæi specialiter dolentes, quia prædicabant resurrectionem, quã ipsi negabant: & iniecerunt manus in eos, & posuerunt in carcerem. Multi autem qui audierunt verbum hoc crediderunt, & fuerunt qui eadem die conuersi sunt ad fidem quinque millia.

Comestor cap. 20. Altera autem die congregati sunt principes Sacerdotum id est qui principatum habebant inter 24. seniores: Annas, qui omnibus præeminebat, & Caiphas, & Alexander, & Ioannes, qui post eum erant excellentiores: & quotquot erant de genere sacerdotali, & Seniores, & Pharisæi traditionum inuentores: & Scribæ legis expositores, euocantesque eos denunciauerunt, ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Iesu. Ad quos illi: Non possumus, inquiunt, quæ vidimus non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non audentes in eos manus iniicere propter populum. Dimissi autem redierunt ad suos in Syon, & nunciauerunt eis: *Actuum 4.* *qui cum orassent, motus est locus in quo erant congregati:* & in terræmotu, iterum missus est Spiritus sanctus, & *loquebantur* variis linguis *verbum Dei cum fiducia.*

De communitate vitæ in primitiua ecclesia.

Cap. LXVIII.

Actuum 4. Comestor cap. 21. Multitudinis vero credentium erat cor vnum & anima vna, *erantque illis omnia communia.* Tunc Ioseph Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum: & posuit precium ante pedes Apostolorum. Vide quia cum dixisset Leuites, additum est, Cyprius genere, vt ostenderetur natus in dispersione, & inter gentiles licebat proprium habere: Et est adhærendum verbo Bedæ super hunc locum, & tenendum hunc fuisse socium Pauli, non illum qui cum Mathia statutus est: quia hic Barnabas, ille Barsabas appellatur. Vnde Lucas nomen interpretationis scienter addidit, vt huius ad illum differentiam faceret.

Comestor cap. 22. Actuum 3. *Vir autem quidam Ananias cum Saphira vxore sua* voluit esse cum collegio iustorum, vt haberet necessaria vitæ sine labore: Et cum vouisset, non soluens votum: *defraudauit de precio agri sui, conscia vxore.* Quod statim præuidens Petrus in spiritu, ait: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*: qui scrutatur corda. *Ananias audiens hæc verba, cecidit, & expirauit.* *Tam velox vindicta magnum timorem aliis incussit.* Quando enim primo promulgantur leges, solent ad eas sanciendas, graues vindictæ exerceri, vt rigorem legis promulgatæ, sanciat seueritas vindictæ. Vnde & in initio legis nascentis pro collectione lignorũ in sabbato lapidabatur homo. In initio sacerdotij duo filij Aaron, igne consumpti sunt, pro ablato igne alieno. *Actuum 5.* *Factus est autem timor magnus in omnes, qui audierunt.* Simile etiam accidit vxori eius, & sepelierunt eam iuxta virum suum: fuit enim hæc consuetudo Hebræorum, vt coniunctionem carnis sequeretur cõiunctio pulueris, & quia Mulier formata est de costa viri.

De constanti prædicatione Apostolorum, & miraculis, & de Gamaliele.

Cap. LXIX.

Actuum 5. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia, & augebatur credentium multitudo. Et ponebant in plateis infirmos in lectulis, & grabatis, vt veniente Petro, vmbra corporis illius obumbrati, liberarentur ab infirmitatibus suis: quia Petrus priuilegiatus est in miraculis, & maiora fecisse legitur, quam Christus.

Comestor cap. 24. & Act. cap. 5. Plura super hæc verba lege in cap. 24. 25. 26. 27. 28. & 29. Comestoris. *Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & Saducæi repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in publica custodia. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris eduxit eos. Intrauerunt Apostoli diluculo in templum, & docebant plebem. Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit eos sine vi,* non audens eis facere molestiam propter populum, qui fauebat eis, *& statuerunt eos in concilio*: & ait illis Pontifex: *Præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto*, scilicet Iesu, *& ecce replestis Hierusalem doctrina vestra.* Et responderunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Hæc audientes dissecabantur cordibus suis. *Tunc surgens Pharisæus Gamaliel, legis doctor honorabilis vniuersæ plebi, præcepit vt ad breue amouerentur.* Iste Gamaliel, vt dicit clemens in quadam Epistola, fuit discipulus Apostolorum, sicut Nicodemus: & de concilio Apostolorum, erant inter Iudæos, vt sæpe mitigarent furorem eorum aduersus eos. Ait ergo: *Viri Israelitæ, attendite vobis quid acturi estis super hominibus istis.* Ac si diceret: Non debetis subito iudicare, sed expectare: quia si opus eorum, tantum est opus hominum: per se destruetur: si autem est opus Dei, stabit nec poterit destrui: & hoc ostendit exemplo duorum scilicet Theodæ, & Iudæ Galilæi. Theodas Magus, (vt tradit Iosephus) dicebat se Prophetam, ad cuius persuasionem multi venditis omnibus suis, & sublatis ex vrbe facultatibus, venerunt ad ripas Iordanis, & promisit se facturum post triduum vt diuideretur Iordanis: & transirent sicco pede, sicut transierunt filij Israel. Et dum expectarent in illo triduo, superueniens procurator præsidis Syriæ cum multitudine equitum, multos ex eis occidit, & caput ipsius Theodæ Hierosolymam reportauit. *De Theoda Mago.* Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis: idest, descriptionis vniuersalis ab Augusto factæ, *De Iuda Galilæo.* quando vnusquisque soluens censum capitis, profitebatur se subditum Romano Imperio. Iste Iudas Galilæus fuit Essæus genere, & vt tradit Iosephus, persuadebat Iudæis, vt negarent tributa Romanis, asserens eos, qui decimas, & primitias soluebant Deo, non debere tributa hominibus, & in tantum prævaluit hæc eius doctrina, vt Pharisæi, & magna pars populi quærerent ab ipso Domino, an soluendum esset tributum Cæsari? Postea periit ipse, & quotquot ei consenserunt. Consenserunt ergo exhortationi Gamalielis, & flagellatos dimiserunt.

De septem Diaconis ad ministerium Dei electis.

Cap. LXX.

Act. 6. Comestor 30. Crescente numero Discipulorum, idest Christianorum, factum est murmur Græcorum, id est aduenarum gentilium in ciuitate conuersantium, vel Iudæorum, qui fuerunt in dispersione nati, & inter Græcos nutriti, aduersus Hæbreos: vel quia viduæ Græcorum in quotidiano ministerio non admittebantur, vel quia ministerio quotidiano grauabantur. Videntes autem Apostoli, conuocantes multitudinem dixerunt. Considerate inter vos fratres, viros ex vobis boni testimonij vt ipsi ministrent vel præsint ministrantibus, nos

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vero orationi, & prædicationi vacabimus : elegerunt ergo septẽ, Stephanũ scilicet & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt illi, qui elegerant, ante conspectum Apostolorum, *& orantes Apostoli imposuerunt eis manus.*

In omnibus semper præmittiebatur oratio.

Horum vicem habent in Ecclesia Archidiaconi propterea instituti, vt portent pondus negociorum, vt Episcopi liberius vacent doctrinæ, & orationi. Sed Episcopi nostri tẽporis, quia deprehendunt Archidiaconos in huiusmodi administratione minus circunspectos, prouida quadam cautela, dant operam huic administrationi: & vide, quod quia leguntur Apostoli orantes imposuisse manus, ideo fiunt orationes in ordinationibus. Hac etiam auctoritate, in quibusdam Ecclesiis manus imponuntur diaconibus in ordinatione : qui autem manus eis non imponunt, secum habent auctoritatem Bedæ. Quod enim dictum est, *& orantes imposuerunt eis manus*, dicit Beda intelligendum esse factum post, quia postea eosdem ordinauerunt ministros sacri altaris, & dominici sanguinis, & tunc eis manus imposuerunt : vnde & sacerdotibus cum ordinantur, manus imponuntur. *Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Hierusalem, multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.*

De lapidatione Stephani, & prima dispersione Ecclesiæ.

Cap. LXXI.

Act.6. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui in eo loquebatur.* Tunc introduxerunt duos falsos testes ? qui testificarent eum dixisse blasphemiam in Deum, & in Moysen. Et dixit ad eum princeps Sacerdotum : *Nunquid hæc ita se habent ?* Tunc aggressus est Stephanus facere grandem sermonem, in quo quia arguebatur de blasphemia in Deum, & Moysen, præmittit Dei commendationem dicens : Deum, qui locutus est in Patribus, & Prophetis esse Deum maiestatis, & gloriæ. Et statim ascendit ad commendationem Moysi: inchoans ab altiori scilicet à commendatione patrum, à quibus descendit Moyses. Postea, quia dicebant eum deprauare locum sanctum, subdit de commendatione tabernaculi, & templi. *Act.7.* *Tabernaculum*, inquit, *testimonij fuit cum patribus nostris in deserto sicut disposuit Deus ad Moysen loquens, vt faceret illud secundum formam quam viderat in monte, quod habuerunt patres nostri vsque in diebus Dauid.* In diebus autem Salomonis templum tabernaculo successit. Postea incæpit eos arguere, postquam purgauit se à crimine obiecto. *Dura*, inquit, *cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & patres vestri:* qui hæc audientes: *stridebant dentibus in eum.* Intuens autem in cælum, *vidit gloriam Dei. Ecce, inquit, video cælos apertos, &c. Tunc exclamantes* clauserunt aures suas, quasi abhorrentes audire blasphemiam, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, *& eicientes eum extra ciuitatem lapidabant : & testes duo*, scilicet falsi, quia in lege *Leu.24.* dictum est de blasphemo (*prima manus testium lapidabit eum*) *deposuerunt vestimenta sua, ne inquinarentur tactu illius, secus pedes adolescentis Sauli. Positis autem genibus, clamauit dicens : Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Multi enim ex eis ipsum occidendo æstimabant se implere legem.

Act.8. *Et facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis*, ita quod omnes Discipuli præter Apostolos, qui, vt pastores gregis, cæteris erant constantiores : dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ.

Author. In hac dispersione, leguntur etiam Discipulorum multi exiisse fines Iudææ : inter quos fuit Beata Maria Magdalena & soror eius Martha cũ Beato Maximo postmodum Aquensi Episcopo, & aliis pluribus, de quibus dicetur inferius.

Comestor cap.42. Tunc præuidentes Apostoli, quod ad gentes in posterum essent transituri : prouidentesque fidelibus, qui erãt in Hierusalem remansuri, ordinauerunt Iacobum Alphæi Episcopum Hierosolymorum, & imposuerunt ei manus Petrus, Iacobus, & Ioannes : ideo Episcopi non à paucioribus, quam tribus Episcopis hodie consecrantur.

Saulus vero deuastabat Ecclesiam, discurrens per domos : trahens viros, ac mulieres, & detrudens in carcerem, neminem tamen occidebat, Domino custodiente manus eius, ne sanguine innocentum polluerentur. Qui autem dispersi fuerant pertransibant de loco ad locum euangelizantes. *Comestor cap.43.*

De gestis Philippi Diaconi, & de Simone Mago.

Cap. LXXII.

Act.8. *Philippus autem* Diaconus secundus à Stephano, *descẽdens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum : & intendebant turbæ vnanimiter his, quæ à Philippo dicebantur, videntes miracula, quæ faciebat.* Erat autem ibi Simon Magus seducens gentem: cui auscultabant omnes, æstimantes eum Prophetam vel Angelum, vel etiam Dei filium : quia mentes eorum dementauerat, id est magicis artibus subuerterat. Cumque crederent Philippo Euangelizanti de regno Dei in nomine Iesu Christi baptizabantur. Simon quoque videns Philippum facere miracula, qualia & quanta ipse facere non posset fictè baptizatus est : vt familiarius ei adhæreret, & addisceret artem, qua similia facere posset.

Act.8. *Cum autem audissent Apostoli, quia receperant verbum Dei Samaritani : miserunt ad eos Petrum, & Ioannem*, qui orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum : visibiliter, constat enim quod inuisibiliter acceperant, cum baptizati essent in nomine Domini Iesu.

Constat hunc Philippum fuisse Diaconum, non Apostolum : quod videtur ex Glossa super Matthæum : quia manuum impositionem reseruauit Apostolis, quæ propterea hodie reseruatur solis eorũ Vicariis id est Episcopis, qui manus imponunt, & frontẽ liniunt in confirmatione, vbi datur Spiritus sanctus ad robur. *Cum autem vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam* : volẽs emere hanc potestatem ad lucrũ. Ad quem Petrus : *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit*, supple, *ducens te in perditionem. Cor enim tuũ non est rectum Domino : pœnitentiã*, inquit, *itaque age ab hac nequitia tua : & roga Deum, si forte dimittatur tibi.* Simon autẽ sciens se indignum à Deo exaudiri, noluit exorare, sed ait Apostolis : *Precamini pro me, vt nil super me veniat horũ, quæ dixistis.* Petrus vero, & Ioannes redibant Hierosolymam, *& multis Samaritanorum ciuitatibus euangelizabant.*

Author. Ab hoc Simone initium, & nomen habuit simoniaca hæresis : qui huius sceleris author primus fuit in nouo testamento: sicut & Giezi in veteri testamento. Vnde proprie dicuntur Giezitæ venditores spiritualium: *Vnde hæresis simoniaca ?* simoniaci autem emptores eorum. Vsualiter tamen vtrique dicuntur Simoniaci.

Est enim Simonia studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel annexum spirituali. *Quid Simonia.*

Comestor cap.45. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge, & vade contra meridianum ad viam, quæ descendit à Hierusalem in Gazã. Et surgens abiit. *Act. 8.* Et ecce, vir Æthiops Eunuchus potens in domo Candacis Reginæ, qui erat super omnes gazas eius (erat enim consuetudo Eunuchorum custodire thesauros potentum) venerat adorare in Hierusalem, & vt traditur in aliis historiis, per eum miserat multa dona templo in Hierusalem Candaces. Nam omnes Reginæ Æthiopum, dicebantur Candaces : sicut Romani Imperatores, Cæsares: nec habebat regimen regio illa nisi à fœminis. Cumque reuerteretur Æthiops ille *sedens super currum, & legens Esaiam Prophetam, rogauit Philippum, vt ascenderet, & sederet secum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qui Euangelizabat illi Ieſum,& baptizauit eum: Et cum aſcẽdiſſet de aqua Spiritus Domini rapuit Philippum, & inuentus eſt in Azoto.

De Tranſitu eiuſdem Philippi, cæterorumque diaconorum.

Cap. LXXIII.

EX Martyrologio *Bedæ & aliorũ.* Hic Philippus Diaconus, ſignis, & prodigiis inclytus, apud Cæſaream requieuit. Iuxta quem tres virgines, filiæ illius tumulatæ: huius natale celebratur 8. Idus Iunij. iacent

Item quarto idus Ianuarij apud Cyprum beati Nicanoris Diaconi de 7. primis, qui gratia fidei, & virtute admirandus, glorioſiſſime eſt coronatus.

Item 10. Cal. Febru. Natalis Beati Parmenæ de 7. Diaconibus. Hic quoque traditus gratiæ Dei, à fratribus iniunctum officium prædicationis plena fide conſummans, Martyrij gloriam adeptus eſt.

Item quinto idus Aprilis Natalis ſancti Procori diaconi, de illis 7. Hic etiam fide, & miraculis præclarus, apud Antiochiam martyrio coronatus eſt.

Item 13. Cal. Maij Natalis Beati Timonis Diaconi de 7. primis, qui primus apud Beroeam doctor ſedit: ac deinde verbum Domini diſſeminans, venit Corinthum, ibique à Iudæis, & Græcis, vt traditur, primo flammis iniectus, ſed nihil læſus eſt: deinde cruci affixus, martyrium impleuit.

Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 3. cap. 29. Porro Nicolaum vnum ex illis 7. Nicolaitæ hæreſis ſuæ autorem honore ſe iactabant: Sed Clemens Alexandrinus in 3. ſtromatum lib. hæc de eo ſcribit. Pulchram (inquit) valde vxorem hic habuit, & poſt aſcenſionem Chriſti, cum increpararetur ab Apoſtolis, tanquam de iniuria Zelotypiæ: productam in medium, vxorem ſuam, ſi quis vellet eam habere, permiſit. Ex qua occaſione iſti, qui ſub eius nomine ſectam ſibi propriæ libidinis aſſumpſerunt promiſcuos nunc, & illicitos concubitus appetunt. Mihi autem conpertum eſt, Nicholaum nullam prorſus agnouiſſe mulierem, præter eam quam in vxorem acceperat. Cuius etiam liberi, fœminæ quidem vſque ad vltimam ſenectutem virgines permanſerunt: filius autem, etiam ipſe ſanctitatem incorrupti corporis cuſtodiuit. Quæ cum ita ſe habeant, conſtat illud, quod in medium Apoſtolorum pro Zelotypiæ ſuſpitione vxorem produxit: ex contemptu vitij vel libidinis geſtum: quo per hoc continentem ſe oſtenderet eius rei, quam nimie videbatur expetere, contemnendam magis, quam expetendam carnis edocens voluptatem.

Nicolaita anno C. 88. vt refertur in Margine Euſebij.

De Conuerſione Pauli, & initio prædicationis.

Cap. LXXIV.

Actuum 9. COmeſtor cap. 46. *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini,* id eſt ad cædem eorum aſpirans, *acceſſit ad principem ſacerdotum, & petiit ab eo litteras ad ſynagogas, quæ erant Damaſci,* vt eius auctoritate, *ſi quos inueniret Damaſci, huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem.* Et cum appropinquaret Damaſco, ſubito circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit: *Saule Saule, quid me perſequeris?* in membris ſcilicet meis. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare* id eſt potentiori rebellare. *Viri autem, qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti: audientes quidem vocem ipſius Sauli, non eius, qui loquebatur cum eo.* Et ſurrexit de terra factuſque eſt cæcus corpore, qui primo fuerat cæcus mente. *Ad manus autem illum trahentes,* manibus ſcilicet ſuis manus eius tenentes, & quaſi cæcum ducentes, *introduxerunt eum Damaſcum: & erat tribus diebus, non videns, neque manducans, neque bibens.* In quo triduo creditur à Spiritu ſancto didiciſſe Euangelium, vt gloriatur ad Galatas.

Nec te moueat ſi quandoque legatur conuerſio eius facta, primo anno dominicæ paſſionis: quandoque ſecundo. Alterum enim de anno vſuali, qui incipit à Cal. Ianuarij, alterum de anno emergenti dicitur.

Erat autem Damaſci Chriſtianus nomine Ananias, & dixit ad illum in viſu Dominus: Vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære Saulum, ecce enim orat. Ac ſi diceret: Non eſt timendus, quia factus eſt de Saulo Paulus, de lupo agnus, ecce ego reuelaui ei aduentum tuum: abiens Ananias, intrauit ad eum, imponens ei manum. *Confeſtim ceciderunt ab oculis eius quaſi ſquamæ, & viſum recepit. Et ſurgens baptizatus eſt: & continuo ingreſſus per ſynagogas, prædicabat, & confundebat Iudæos, affirmans, quia hic eſt Chriſtus.* Poſt hæc notificatæ ſunt ei inſidiæ Iudæorum, qui cuſtodiebant portas ciuitatis die ac nocte vt eum dolo interficerent, non Iudæi, ſed Ciues Damaſci, præpoſituſque gentis Aretæ Regis, ad petitionem Iudæorum. *Diſcipuli autem eius nocte dimiſerunt eum in ſporta per murum.* Comeſtor cap. 47.

Beda ſuper actus Apoſtolorum. Non autem ſtatim poſt baptiſmum ſuum venit in Hieruſalem ad Apoſtolos, ſed vt ipſe Galatis ſcribit, primo abiit in Arabiam, & inde eſt reuerſus Damaſcum. Vtrum autem prima vel ſecunda vice pertulerit inſidias non facile patet.

De Hiſtoria aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & qualiter Apoſtolis reuelata eſt

Cap. LXXV.

AVthor. Beatam vero Dei genitricem Mariam, quædam ſcripturæ dicunt ſecundo anno poſt aſcenſionem Domini migraſſe à corpore, & eodem anno reſurrexiſſe, atque in cœlum corporaliter aſſumptam fuiſſe. Nam Miletus Smyrnæ Epiſcopus hæc de dormitione eius ſcribit, quæ à Ioanne Apoſtolo, cui commendata fuerat, audiſſe ſe aſſerit, in hunc modum.

Miletus. Leuncius, qui nobiſcum, & cum Apoſtolis conuerſatus eſt, animo temeratio diſcedens à via iuſtitiæ, de virtutibus quidem Apoſtolorum multa vera dixit, de doctrina vero eorum, multa mentitus eſt. Sed & tranſitum Beatæ Virginis Mariæ ita impio deprauauit ſtylo, vt Eccleſia Dei non ſolum legere noluerit, ſed etiam audire nefarium iudicauerit. Nos ergo vobis, quæ ab Apoſtolo Ioanne audiuimus, hæc ſimpliciter ſcribentes, veſtræ fraternitati direximus. Cum Dominus Ieſus in cruce pendens matrem ſuam Ioanni, quem præ cæteris diligebat diſcipulis, commendauit, ex illa hora in Ioannis cura permanſit, quamdiu vitæ huius incolatum tranſegit. Et dum Apoſtoli mundum ſuis ſortibus in prædicationem ſumpſiſſent: ipſa in domo parentum illius, iuxta montem oliueti conſedit. Secundo igitur anno poſtquam cælum Chriſtus aſcenderat, dum die quadam deſiderio Chriſti ſuccenſa lachrymaretur: ecce Angelus Domini ante eam aſtans, ſalutauit eam: & addidit: Ecce ramum palmæ de Paradiſo Dei, tibi attuli: quem portari facias ante feretrum tuum, cum in die tertio aſſumpta fueris de corpore. Ecce enim expectat te filius Dei, cum vniuerſis virtutibus cœli. Cui Maria dixit: Rogo te vt congregentur ad me omnes Apoſtoli Dei mei. Quod annuens Angelus, cum magna claritate diſceſſit.

Qualiter ad eam Apoſtolis congregatis, ei filius ſuus apparuit, & animam eius in cœlum præmiſit.

Cap. LXXVI.

ACcipiens virgo palmam illam, quæ nimia claritate fulgebat, egreſſa in montem oliueti orauit, & rediit: Et ecce dum ſubito prædicaret Ioannes in Epheſo hora tertia die dominica terræmotus factus eſt magnus, & nubes eleuans eum adduxit ante oſtium

domus

domus vbi erat Maria. Quæ videns eum exultauit, dicens, ſe tertia die de corpore diſceſſuram, oſtenditque ei veſtimenta ſepulturæ ſuæ, & palmam luminis quam acceperat, monens vt illam ferri ante lectum faceret, cum ad monumentum pergeret. Cui ille: Quomodo ait, ego ſolus parabo exequias, niſi veniant fratres, & coapoſtoli mei ad reddendum honorem corpuſculi tui. Ecce autem ſubito per imperium Dei, omnes Apoſtoli Dei de locis in quibus prædicabant in nubem rapti ſunt, & depoſiti ante oſtium domus, vbi erat Maria. Inter quos etiam Paulus, qui aſſumptus erat cum Barnaba, in miniſterium gentium. Et ſalutantes ſe inuicem, mirabantur cur eos Dominus illic congregaſſet. Cumque vnanimiter oraſſent Deum, vt cauſam ſui conuentus ſibi oſtenderet: ecce ſubito venit ad eos Ioannes, & indicauit eis omnia hæc. Ingreſſi autem domum ſalutauerunt Mariam: quibus ipſa reſalutatis, dixit: Non me fraudauit Deus conſpectu veſtro, nunc vos deprecor, vt omnes vigiletis, vnanimiter vſque ad illam horam in qua Dominus veniet, & ego ſum receſſura de corpore. Cumque conſenſiſſent, & cõſolantes eam, triduo Dei laudibus vacarent, die tertia, circa horam tertiam ſuper omnes, qui erant in domo illa, ſopor irruit, nec vllus vigilare potui, niſi ſoli Apoſtoli, & tres virgines quæ ibi erant. Et ecce ſubito deſcẽdit Dominus Ieſus, cum multitudine Angelorum, & ſplendore magno: Et Angeli hymnum dicebant laudantes Deum. Tunc ait Dominus. *Veni electa mea, & intra in tabernaculum vitæ æternæ.* Tunc illa proſtrauit ſe in pauimento adorans Deum, & ait. *Benedictum nomen gloriæ tuæ Domine, qui me dignatus es humillimam ancillam tuam eligere, & arcanum tuum mihi commendare: memor eſto igitur mei Rex gloriæ: Tu enim ſcis, quia in toto corde meo dilexi te, & theſaurum mihi creditum cuſtodiui. Suſcipe itaque me, & libera de poteſtate tenebrarum, vt nullus Sathanæ impetus mihi occurrat, ne videam tetros ſpiritus obuiam venientes.* Cui ſaluator reſpondit: Cũ ego miſſus à patre pro ſalute mundi, fuiſſem in cruce ſuſpenſus, ad me princeps tenebrarũ venit, ſed nihil in me ſui operis inuenire valens, victus abſceſſit. Tu ergo videbis eum lege quidem humani generis: per quam ſortitura es finem mortis, ſed non tibi poterit nocere, quia ego tecum ſum, & eruam te. Veni ergo quia modo expectat te cæleſtis militia, vt introducat te in Paradiſi gaudia. Hæc dicente Domino illa ſupra lectum decubuit & gratias agens Domino, ſpiritum emiſit. Videruntque Apoſtoli animam eius tanti candoris eſſe, vt nulla mortalis lingua poſſit enarrare. Tunc ait Dominus Apoſtolis: Accipite corpus, & deferte in dexteram partem ciuitatis ad Orientem, & ibi inuenietis monumentum, in quo ponentes illud, expectate donec veniam ad vos. Hæc dicens, tradidit animã Michaeli præpoſito Paradiſi. Et ſtatim diſcedens cum Angelis aſcendit ad cœlos

De exequiis eiuſdem virginis, & miraculis per eam tunc oſtenſis.

Cap. LXXVII.

TRes autem virgines, quæ ibi erant vigilantes, ſuſceperunt corpus, & lauerunt more funeris. Cumque ſpoliaſſent illud veſtibus, tanta claritate reſplenduit, vt tangi quidem poſſet pro obſequio, videri autem præ nimia luce coruſcante non poſſet. Cumque veſtiſſent illud linteis, paulatim lux illa ſubtracta eſt. Erat autem facies Mariæ filij floribus ſimilis, & odor ſuauitatis magnæ, egrediebatur ex ea. Tunc igitur ſanctum corpus impoſuerunt feretro: eleuanſque Petrus à capite feretrum, cantare cæpit: *Exiit Iſrael de Ægypto.* Portabat autem Paulus cum eo corpus, & Ioannes palmam luminis ante feretrum: ceteri autem Apoſtoli canebant voce ſuauiſſima. Apparuit etiam corona nubis ſuper feretrum magna valde, ſicut circulus iuxta ſplendorem Lunæ, & Angelorum exercitus erat in nube cantum ſuauitatis emittens, reſonabatque terra magnæ dulcedinis ſonitu.

Tunc egreſſus populus de vrbe fere 15. millia hominũ, mirabantur dicentes: Quis eſt hic ſonus tantæ ſuauitatis? Dictumque eſt illis: Maria mater Ieſu exiuit modo de corpore, & Diſcipuli Ieſu laudes circa eam dicunt. Et reſpicientes viderunt feretrum gloria magna circundatum. Vnus autem ex illis, qui erat Princeps Sacerdotum in ſuo ordine, furore, & ira repletus, dixit ad reliquos: Ecce tabernaculum illius, qui nos, & omne genus noſtrũ turbauit: qualem gloriam accepit? Accedenſque voluit lectum euertere, & corpus ad terram deiicere. Statimque manus eius aruerunt ab ipſis cubitis, & lecto adhæſerunt. Et eleuantibus Apoſtolis feretrum, pars ipſius pendens ibat, & pars ad lectulum adhæſerat: torquebaturque ſupplicio vehementi: Angeli quoque qui erant in nube, percuſſerunt populum cæcitate. Tunc princeps ille clamabat: Deprecor te ſancte Petre, ne deſpicias me in tanta neceſſitate, quia crucior valde. Qui reſpondit: Non eſt meum tibi dare auxilium: Si autem credis ex toto corde in Dominum Ieſum, accede ad corpus, & oſculare lectum, & dic: Credo in Deum, & in Dei filiũ, quem iſta portauit in vtero, Et ſic larga pietas eius, qui ſaluat indignos, dabit tibi ſalutẽ. Quod cum ille feciſſet, ſtatim omnis dolor receſſit ab eo, & ſanatus eſt. Tunc cæpit Deum largiter benedicere, & de libris Moyſi teſtimonium in laudes Chriſti reddere, ita etiam vt Apoſtoli mirarentur, & flerẽt præ gaudio nominis Domini. Petrus vero dixit ei: Accipe palmam de manu Ioannis, & ingrediens ciuitatem inuenies populum multum cęcatum, & annuncia eis magnalia Dei: qui autem crediderint, pones palmam ſuper oculos eorum, & videbunt: Erat enim populus multus plangens, & dicens: Væ nobis, quia ſimiles facti ſumus Sodomitis cæcitate percuſſis. Cumque ille mandatũ Petri compleſſet, qui crediderunt viſum receperunt: quinque tamen ex eis in duritia cordis permanentes mortui ſunt. Regreſſus autem Princeps Sacerdotum ad Apoſtolos, tulit palmam, enarrans omnia, quæ facta fuerant.

De ſepultura eius, & aſſumptione corporis in cœlum.

Cap. LXXVIII.

APoſtoli vero portantes corpus ad locum deſtinatũ, poſuerunt illud in monumentũ nouum, clauſoque ſepulchro, expectabãt ſedentes ante oſtium ſicut præceperat Dominus. Et ecce ſubito aduenit Dominus Ieſus, cum innumerabili exercitu Angelorum, & claritate magna: & ait ad Apoſtolos: *Pax vobiſcum fratres.* At illi reſpondentes dixerunt: *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.* Tunc Saluator ait: Antequam ad patrem aſcẽderem, vobis pollicitus ſum, *quod vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione &c.* Hanc autem ex tribu Iſrael elegit iuſſio patris mei, vt habitarẽ in ea: quid ergo vultis vt faciã ei? Reſponderunt Apoſtoli: Si placeret ante potentiam maieſtatis tuæ, viſum fuerat nobis ſeruis tuis: vt ſicut tu deuicta morte regnas in gloria tua: hoc corpuſculum reſuſcitans, tecum eam duceres in cælum. Tunc ait Ieſus: Fiat iuxta veſtram ſententiam. Præcepit ergo Michaeli, vt deferret animam virginis: Et paulopoſt ecce Gabriel reuoluit lapidem ab oſtio monumenti. Et ait Dominus: Surge amica mea, & proxima, quæ non ſenſiſti coitum per corruptionem, non patiaris in ſepulchro corporis reſolutionem. Statimque ſurrexit Maria de tumulo, & prouoluta ad pedes Domini, adorauit eũ dicens: Non poſſum Domine dignas tibi gratias rependere, pro beneficiis, quæ conferre dignatus es mihi ancillæ tuæ: *Sit nomen tuum benedictum in ſæcula.* Dominus autem oſculatis Apoſtolis, & ſalutatis: eleuatus in nube, receptus eſt in cœlum, & Angeli eius cum eo beatam Mariã in Paradiſum deferẽtes. Apoſtoli quoque nubibus ſuſcepti, reuerſi ſunt vnuſquiſque in ſortẽ prædicationis ſuæ. Matth. 19.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quid de præfata hiſtoria ſentire liceat.

Cap. LXXIX.

Author. Hæc hiſtoria licet inter apocriphas ſcripturas reputetur, pia tamẽ videtur eſſe ad credendum, & credentibus vtilis ad legendum. Hoc autem ſolum ibi videri poteſt à veritate diſſonum, quod Apoſtoli tam cito diſperſi fuerunt poſt aſcenſionem Domini: cum Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria dicere videatur eos lõge poſt fuiſſe diſperſos, ſcilicet imminente captiuitate, quę facta eſt per Romanos. Sed forte primo diſperſi ſunt per loca vicina, & ad extremum, tranſierunt per regiones longinquas. Nã, & Hugo Floriacenſis dicit, quod primo diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, ac demum abierunt ad gentes. Vel forte, quod prius factũ erat, Euſebius longe poſt recapitulat. Nã quod longe ante captiuitatem diſperſi ſunt, liquet etiam ex hoc, quod Paulus per tres annos à cõuerſione ſua veniens Hieroſolymam, neminem Apoſtolorum vidit, niſi Petrum, & Iacobum Apoſtolũ. Et forſitan de aſſumptione Barnabæ, & Pauli, vel hæc hiſtoria loquitur per anticipationem, vel hiſtoria actuum per recapitulationem. Cæterũ, quod beata virgo aſſumpta ſit in cælum corporaliter, vt prædicta hiſtoria refert, Eccleſia quidem non aſſerit: Apoſtoliſque tamen magnis & orthodoxis viris pie creditum eſt, & fideliter prædicatum. Nam & *Auguſtinus in ſermone de aſſumptione eiuſdem virginis ita loquitur.* Qui Mariã in vita prę cęteris, gratia ſui cõceptus honorauit: pium eſt credere quod in morte, ſpeciali eã gratia honorauit. Putredo enim & vermis, opprobrium eſt humanæ conditionis, à quo opprobrio, cum Ieſus ſit alienus: Mariæ natura excipitur, quã Ieſus de ea ſuſcepiſſe probatur: *Caro enim Ieſu, caro Mariæ eſt.*

De reuelatione facta ſuper hoc ſanctimoniali Eliſabeth.

Cap. LXXX.

DE hoc etiam extat viſio ſanctimonialis cuiuſdam Eliſabeth, in qua ſic legitur.

In anno quo mihi per Angelũ Domini annunciabatur liber viarum Dei, in octaua die aſſumptionis matris Domini, in hora diuini ſacrificij, fui in exceſſu mentis, & apparuit mihi illa conſolatrix mea Domina cœlorum more ſuo. Tunc ſicut ab vno ex ſenioribus noſtris præmonita fueram, rogaui eam dicẽs: Domina mea placet benignitati tuæ, vt de hoc nos certificare digneris, vtrum ſolo ſpiritu in cœlum aſſumpta ſis, an etiã in carne? Et dixit: Quod inquiris, nondum ſcire potes, futurũ tamen eſt vt per te reueletur. Ego itaque toto illo anno, nihil de hoc, vel ab Angelo qui mihi familiaris erat, vel ab ipſa cũ ſe mihi præſentaret, amplius interrogare audebam. Sed iniunxit mihi frater ille aliquas orationes, quibus hoc impetrarem ab ea. Euoluto autem anno cum adeſſet rurſum feſtiuitas illa aſſumptionis, eram languẽs ægritudine multorũ dierum, & vt eram iacens in lectulo, tempore diuini ſacrificij, veni in mẽtis exceſſum: Et vidi in loco valde remoto ſepulchrũ multo lumine circunfuſum, & quaſi ſpeciem Mulieris, circunſtante Angelorũ multitudine. Et poſt puſillũ erecta de ſepulchro, pariter cum illa multitudine aſtantium, eleuata eſt in ſublime, & in cælum euecta. Poſt vero modicum temporis quo hæc vidi, progreſſa eſt Domina mea ad oſtiũ luminis in quo eam videre conſueui, & ſtans oſtendit mihi gloriã ſuam. In eadem quoque hora aſſiſtebat mihi Angelus Domini, qui venerat mihi annunciare decimum præfati libri ſermonem: Et quæſiui ab eo, quæ eſſet viſio, quam videram. Qui reſpondit: Oſtenſum eſt tibi hac viſione, quomodo tam carne, quam ſpiritu, Domina noſtra in cœlum aſſumpta ſit. Poſt hæc iterum ab eo ſciſcitata ſum, quoto die à dormitione eius, accidit eius reſurrectio corporalis. Et de hoc rurſum beneuole certificauit me dicens: Eo die quo nunc celebratur eius aſſumptio, de hac vita migrauit, vndecimo autem poſt illum ſcilicet 9. Calen. Septembris, reſurrexit. Sancti vero Patres, quia nullam certitudinem eius corporalis aſſumptionis habuerunt, ideo tantum diem dormitionis eius ſolemnem ſtatuerunt: quem aſſumptionem appellauerunt illi, qui etiam carne aſſumptam indubitanter crediderunt.

Expletis autem duobus annis, rurſum Domina mea mihi apparuit. Dumque mecum conferret ſermones plurimos, interrogaui eam quanto tempore poſt Aſcenſionem Domini vixerit ſuper terrã. Quibus verbis meis placide reſpondit, ſe ſuperuixiſſe anno integro, & tot diebus quot fuerunt à feſtiuitate Aſcenſionis Dominicæ vſque ad diem Aſſumptionis ſuæ. Et nunquid, aio, non affuerunt ſepulturæ tuæ Apoſtoli Domini? Reſpondit: Omnes affuerunt, & cum magna veneratione corpus meum terræ commendauerunt. Quadam autem die Annunciationis Dominicæ, cum iterum Domina mea mihi appareret, auſa ſum, & hoc ſciſcitari ab ea, cuius ætatis fuerit, quando annunciante Angelo verbum Dei concepit? Huic quoque interrogationi meæ ſic reſpondere dignata eſt: Quindecim, inquit, annos tunc habui, atque inſuper tantum temporis, quantum eſt, à commemoratione meæ Natiuitatis, vſque ad feſtum Dominicæ Annunciationis.

De miraculis poſt eius aſſumptionem per eam geſtis.

Cap. LXXXI.

Author. Poſt Aſſumptionem vero ſuam beatiſſima Virgo multis miraculis per diuerſas orbis partes, diuerſis quoque temporibus clarificata eſt. Ex quibus quædam fide digna, & à religioſis viris approbata, ad ipſius honorem, & legentium ædificationem, huic operi inſerere voluimus breuiter in hunc modum.

Ex Mariali magno. Beatæ Mariæ baſilica, à Conſtantino mirabili opere fabricata, renitet. Ad quam adductæ columnæ, cum præ magnitudine leuari non poſſent, ac diebus ſingulis caſſo labore fatigarentur: apparuit artifici ſancta Virgo per viſum dicens: Noli moleſtus eſſe, coniunge tibi tres pueros de ſcholis, quorum adiutorio, quod vis implere, poſſis. Quod etiam factum eſt, præſtitumque eſt populis, ſpectare mirandum ſpectaculum: vt quod multitudo virorum fortium leuare nequiuerat, tres pueri abſque virtute perfecti corporis, ſumma velocitate ſubleuarent.

In vrbe Toletana, cum ab Archiepiſcopo in die Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ, miſſarum ſolemnia agerentur, & à populo preces Domino deuote funderentur: inter ipſius Miſſæ ſecreta, quædam vox quærula de Cœlo elapſa eſt, in hunc modum: Heu, heu, quam dira calamitas, quod intra filij mei Saluatoris mundi, ſalutiferæ Crucis ſignaculo ſignati gregis ouilia manet, & regnat Iudaicæ gentis inſania! quæ filium meum vnicũ lumen, & ſalutem fidelium, iam ſecundo, conuiciatur, & Crucis ſupplicio mortificare conatur. Hæc, cum intentione ſedula populus percepiſſet: Archipræſulis, & plebis, communi conſilio decretum eſt, vt ad domos Iudæorum eiuſdem ciuitatis accederent: & quod virginali voce conqueſtum eſt, prudenter, & ſolicite perquirerent, Omnibus itaque domorum abdita perſcrutantibus, inuenta eſt quædam imago cerea, quam quaſi viuentem ad Chriſtianæ fidei, & profeſſionis dedecus, ſputis, colaphis, ac morte Crucis perimere deſiderabant. Hac igitur inuenta, Chriſtiani dolum, & perfidiam Iudæorum doluerunt: ipſoſque mox neci tradiderunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De illo, qui filium Virginis pro ſe fideiuſſorem Iudæo tradidit.

Cap. LXXXII.

IN vrbe Bizantea fuit quidam, qui nominis ſui famam volens extendere, largas quas habebat opes in longos ſumptus cœpit expendere. Cumque largiendis deficeret opibus propriis, ſumpto ab amicis mutuo ære multo: etiam illud expendit. Et cum iam, nec pecunias, nec amicũ, vel etiam Chriſtianũ, à quo mutuaretur, inuenire poſſet: Iudæorũ quendam adiit, obnixe rogans: vt ei mutuo aliquid daret. Qui cum vadẽ omnino peteret, & ille penitus non haberet, quid ei traderet: quia, inquit, alium vadem inuenire nequeo, velles-ne pro vade accipere Dominum meum Ieſum Chriſtum, quem colo. Ille ait, Ieſum Chriſtum Deum eſſe non credo, ſed quia eum hominem iuſtum, & prophetam eſſe non dubito, hunc mihi ſi pro vade dederis, indubitanter accipio. At ille, Ipſum, inquit, quia tibi præſentem dare nequeo, per imaginem ſuam vadem pro me, & fideiuſſorem tribuo: quod ſi à te conſtitutum diem præteriero, ſeruus tuus impoſterum fiam: & nihilominus tamen tuam tibi pecuniam poſt terminum reddam. Ille reſpondit, fiat, vt dicis. Ambo igitur pariter, amborumque amici conuenientes ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, aſtiterunt eius imagini, imaginem filij ſui in gremio tenenti ſuo. Manum igitur ipſius imaginis Chriſtianus tenens, & ipſam pariter Iudæo tenendam tradens, vadem pro pecunia dedit. Quid plura? Chriſtianus accepta pecunia nauem parat, merce multiplici onerat, per æquora fertur: & vſque ad Barbaras nationes longe à Bizantio effertur. Venditis mercimoniis ſuis, ditatur nouis: naues multiplicat, & peregrinis mercibus onuſtat. Dumque per ſingulos dies negocia meditatur, dies pecuniæ reddendæ memoria elabitur. Cumque iam nõ niſi vnus dies ſupereſſet: repente ei in mentem venit, quod dies reddendæ pecuniæ tam prope inſtaret: cum locus eius reddendæ, longe valde diſtaret. Tunc ſtupore percuſſus, terræ collabitur, & exanimis fere, pro eo quod acciderat, redditur. Concurrunt famuli, contriſtantur cuncti, cauſas doloris requirunt, reſponſum nullum accipiunt. Tãdem ad ſe reuerſus ait, Quid inania meditaris? Nonne Dominum tuum Ieſum Chriſtum pro te fideiuſſorem dediſti? Ipſi ergo pecuniã trade, & vt eam creditori tuo reſtituat, quomodo velit, committe. Confeſtim igitur ſcrinium fieri fecit, pecuniam Iudæo debitam, iuſto põdere appenſam incluſit: mari, & ei qui mare fecit, gubernandam commiſit. Mirum dictu, ſed nihil Deo impoſſibile factu. Sub vna nocte per multa æquoris ſpacia, ſcrinium Bizanteæ illabitur vrbi: & Iudæi ſupra mare habitãtis inter vndas mane aſtitit domui. De qua ſcilicet domo mane forte egreſſum mancipium inter vndas ſcriniũ conſpexit, manu attingere niſus eſt: ſed eius manui ſcrinium ſe ſubtrahere viſum eſt. Ille domum recurrit, Domino quod viderat nunciauit. Iudæus ergo exiens, conſpectum ſcrinium protenſa manu arripuit, ſecum delatũ in domum aperuit, & vacuatum pecunia lecto ſuo ſuppoſuit. Poſt aliquãtum temporis audiens, quod Chriſtianus ille eſſet regreſſus, & peregrinis mercibus admodum multiplicatus, moræ impatiens ad eum acceſſit, & præmiſſis gratulabundis aliquibus verbis improperando ſic intulit: O mendaces Chriſtiani! Ille autem, cur, ait, iſta proſequeris? Quia, inquit ille, pecuniam à me accepiſti, & eam die ſtatuto mihi non reddidiſti. At ille, Omne, ait, quod mihi præſtiteras tibi reddidi. Qui, ait: Habeo teſtes multos præſtitæ pecuniæ: tu vero nullum, redditæ. At ille: Ipſum, inquit, habeo teſtem quem, & fideiuſſorem. Mecum ergo veni, & eius ipſe teſtimonium audi. Ambo igitur Eccleſiam pariter adeunt, & imagini Saluatoris cum multis aſſiſtunt. Tunc Chriſtianus, Domine, inquit, Ieſu, ſicut Dei, & hominis verus es filius, teſtimonium perhibe veritati, vtrum ſcilicet huic Iudæo reddiderim quicquid præſtiterat mihi. Tunc audiẽtibus cunctis: imago reſpondit, Teſtimonium perhibeo tibi, quod die conſtituto omne præſtitum ei reddidiſti his indiciis, quod ſcrinium quo pecunia clauſa fuerat, ſub lecto ipſius iacet. Audiens Iudæus ſtupuit, ſigna cognouit, & horruit, & relicto Iudaiſmo, fidei Chriſtianæ cum omni domo ſua colla ſubmiſit.

De illo pro quo Virginis imago ſe obiiciens iaculum excepit.

Cap. LXXXIII.

ESt quoddam municipium Aurelianenſi ciuitati proximum, quod Auenon nuncupatur. Vbi Eccleſiam in honore Beatæ Mariæ Virginis ciues ædificauerant. Qui cum aliquando obſeſſi ab hoſtibus intra oppidum gemerent, magis in Dei genitricis Mariæ, quam in viribus propriis confidentes, cum paruulis, & mulieribus Eccleſiam petierunt: & imagini ſanctæ Virginis deuote aſſiſtentes, cordis, & oris clamore, eius auxilium depoſcunt. Completiſque precibus lachrymoſis: redeuntes imaginem ſecum deferunt, & ad tutelam ſui, ac terrorem hoſtium in porta ſtatuerunt. Quidam autem ex ciuibus ſtans in portæ cuſtodia poſt imaginem, mittens in aduerſario iacula, magnam ſtragem de hoſtibus faciebat. Hunc latentem quidam hoſtium aſpiciens: nequiſſime, inquit, mortem non effugies. Nec iam tibi ſubuenire poterit effigies, niſi portam deſerens vrbem aperire feſtines. Cumque vibraſſet hoſtis iaculum in ciuem illum ſagittarium: mirabile dictu, imago genu erexit, & iaculo ſe obiiciens, illud excepit: ſicque hominem ſibi deuotum ab imminenti periculo defendit. Qui gaudens per Virginem ſe mirabiliter liberatum, ſtatim ſagittam in aduerſarium dirigit, blaſphemum deiicit: diſperſus per ora populi rumor facti miraculi, ad hoſtes quoque peruenit. Tum clamatur ab omnibus, quod ſancta Dei genitrix pugnet pro ciuibus loci illius. Audientes hoc hoſtes, ſtupore ſimul, & tremore permoti, arma proiiciunt, paci annuunt, Eccleſiam Dominæ noſtræ adeunt, & magna donaria offerentes: de cætero ſe nihil loco illi nocituros ſub teſtificatione promittunt. Vſque in hodiernum diem imago illa permanet in eodem loco, iaculum adhuc gerens in poplite erecto.

De clerico cui Virgo lac infundens, linguam reſtauranit.

Cap. LXXXIV.

CLericus quidam ſuppetente rerum copia ſæculo deditus matris Domini amorem, & reuerendam eius memoriam ſic animo eius indixerat, vt quandocunque Eccleſiæ ingreſſus, vel per Eccleſiam ei contingeret tranſitus, nulla ſæculi ſolicitudo, nulla ſurripere poſſet obliuio, quin cum omni deuotione, & humilitate genuflexo illa Angelica ſalutatione eam honoraret, dicens: *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, &c.* Rurſum genuflexo: *Beatus venter, qui te portauit Chriſte, & beata vbera, quæ te lactauerunt Dominum, & Saluatorem noſtrum.* Hic aliquando moleſtia corporis tactus deſperatus eſt, tantumque dolor inualuit, vt linguam ſuam, & labia ſua dentibus ſuis commanducaret, idipſum de membris ſuis facturus ſi permitteretur. Cumque iam lingua, & labiis penitus conſumptis, vehementer à ſuis ne in aliis membris hoc faceret, teneretur: iaceretque horrendus aſpectu, ſenſibus corporis exemptus, vidit iuxta lectuli ſui caput perſonam conſiſtere, pulchra facie, & reuerendo aſpectu, quæ quantum datur intelligi, Angelus eius erat: hic ægroti ſui ærumnas deplorans, in hunc modũ lamentari videbatur.

Hoc exemplũ citatur ex authore in ſpeculo Exẽplorum.

Quid,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quid, ô Domina miſericordiæ, fons pietatis, hoccine eſt gloriæ, & gratiæ tuæ ſalutatorium, hæccine eſt lingua in beatificationem ventris, & vberum, & partus tui longo vſu, & ardenti affectu ſic aſſuefacta, vt pæne nihil aliud ſonare noſcet in Eccleſia Dei? Domina, Domina, ſi tu dees tuis, quis aderit ſuis? non ſic Domina, non ſic, ad nihilum deueniet ſpes hominum, ſi in te non incipiunt habere refugium. Hæc cum ille in auribus ægri declamaret, & in eius oculis deploraret, apparuit vtrique Mater Domini, & quaſi ſatisfaciens de negligentia in ſeruulum ſuum, de qua inſimulabatur, ad lectum ægri propius accedit: extractaque vbera viſa eſt protinus immittere in os ægri, & ſancti lactis ſui rore infuſo, ſubito ſuæ linguæ integritatem, & labiis antiquum decorem, & in toto eius corpore priſtinam reſtaurauit ſanitatem: redditiſque ſenſibus, continuo ſurrexit ſanus, & incolumis, & factam circa ſe miſericordiam, etiamſi lingua taceret, repentina vitæ, & morum mutatione omnibus cæpit prædicare: etenim ſe, & ſua, Dei ſeruitio mancipans, de cætero vitam duxit religioſam.

De muliere, quam inter maris vndas parientem protexit.

Cap. LXXXV.

IN loco qui dicitur Tumba eſt Eccleſia ſancti Michaelis Archangeli honorifice conſtructa, qui locus Oceano cinctus, ipſius æſtu terribilis eſt propter acceſſum & receſſum maris aduenientibus omnibus: & limina ſancti Michaelis Archangeli petere deſiderantibus, bis in die ſinum prætendit, non autem vt cætera maria gradatim, verum præcipiti curſu, ac terrifico ſonitu accurrens, ſæpe intercipit iter agentes. Quadam igitur feſtiuitate ipſius Archangeli, turbis ad eius limina properantibus, ecce iam in medio arenæ poſitis (erat autem inter eos mulier quædam paupercula vicino portu omnimo iam grauida) ſonitus terribilis maris ſubito intonuit, & cunctis præpeti curſu amentium more fugientibus, illa mulier ſola remanſit: vſu etiam pedum præ nimio dolore, & terrore, atque labore deſtituta, (irruerant enim in eam dolores ſubiti) clamabat cum eiulatu, miſerabiliter auxilium petens, ſed vnuſquiſque ſeipſum tueri cupiens, audire diſſimulabat. Igitur humano deficiente auxilio, recurrit ad diuinum: Deum lachrymabili voce inuocans, & eius genitricem Mariam, ſanctumque Archãgelum Michaelem. Populus quoque omnis ad hoc ſpectaculum conſiſtens manus ad ſidera tendens, Dei & matris eius auxilium flebiliter inuocabat. Vniuerſis ergo Chriſti auxilium implorantibus aduenit pia Dei genitrix, & vt ipſi mulieri videbatur, manica ſuper eam proiecta: ita intactam à terriſono impetu maris reddidit, vt nec minima etiam gutta totius abyſſi veſtimenta illius contingeret. Ibi vero quaſi in tutiſſimo habitaculo poſita, filium peperit, ſine timore vllo permanens, donec iterum mare fluctus ſuos in ſe retrahens liberum iter eundi mulieri præberet. Itaque cum puero ad littus venit, & quæ ſola in mari relicta erat, exiens iam non ſola, miraculi ſpectaculum omni populo præbuit.

De Abbatiſſa prægnante quam Maria ab infamia liberauit.

Cap. LXXXVI.

FVit quædam ſanctimonialium, nomine & actione Abbatiſſa, ſtrenue ſancti regiminis curam exequens, & ſpirituali zelo ſubiectam ſibi congregationem ad ſacri ordinis cuſtodiam pro rigore conſtringens: ſed quia bonorum profectus prauis animis liuoris ingerit pœnas, cœperunt ei Moniales pro bonis mala rependere: & pro impenſa mirifici cura regiminis, odiorum ſtudia exercere: ſociauit quoque ſe liuori earum inſidiatoris antiqui ſemper infeſta malignitas: nam eius ſupplantata fraudibus, illa pia Mater cum Dapifero ſuo inceſti crimen incurrit, & concepit: nec tamen deſtitit regulari rigore ſubiectum ſibi gregem, ad obſeruantiam ordinis coarctare, & inutiles vagandi licentias ſingulis denegare. Inſtante autem tempore partus, tam per inceſtum, quam per cibum à Monialium muliebri ſagacitate imprægnata deprehenditur: reſque ſingularum relatu in noticiam omnium perducitur: omneſque ſe in ea cauſam accuſationis inueniſſe exultant, quam ſuis voluptatibus aduerſam iudicabant. Scribuntur literæ accuſatrices criminis deprehenſi Epiſcopo, in cuius ille locus erat diœceſi. Imminebat, illa neſciente, Pontificis aduentus, & ipſa onere ſuo, quod ſtudioſe celauerat, iam grauis ſibimet quid ageret, ignorabat. Erat autem priuata capella, vbi quotidiano vſu ſolebat horas Beatæ Virginis dulciori, quo poterat affectu, decantare, hanc ingrediens, laudes ſolitas deuotiſſime perſoluit. Finitis horis toto corde, & corpore ſe in oratione proſternens, precibus lachrymoſis, ac profundis ſuſpiriis, piiſſimam Dei genitricem Mariam obnixius orabat, eius interuentu, & reatus ſui veniam obtinere, & horrenda opprobria imminentis ſibi confuſionis euadere. Inter hoc ſubitaneo depreſſa ſomno, in ſilentium commutatis clamoribus obdormiuit, cui dormienti pia virgo duobus comitantibus Angelis apparuit, & mœſtam clementer alloquens, ait: Audiui orationem tuam, noueris me tibi à dulciſſimo filio meo impetraſſe, & peccati veniam, & à confuſione, quam times, liberationem pleniſſimam: tunc duobus Angelis aſtantibus præcepit eam prolis onere, quo grauabatur, exonerare, & cuidam eremitæ in vicino poſito deferre. Cui, & mandauit, eius curam per ſeptem annos gerere, quod & fecerunt. Denique Abbatiſſa euigilans, Omni quo prius cruciabatur onere carere ſe ſenſit, & Deo, & liberatrici ſuæ inceſſabiles gratias egit. Interim inuitatus Antiſtes veniens, capitulum intrauit, Abbatiſſam vocari fecit, quæ ingreſſa, in loco ſibi ſolito præſuli ſedere feſtinauit, quam accedentem, Antiſtes opprobriis aggreditur, & iniuriis fatigatam citius exire compellit, duos quoque clericos, qui diuulgatum crimen explorent poſt eam mitti, qui accedentes, & attendentes, nullumque in ea ſignum vteri prægnantis deprehendentes, innocentiam eius præſuli renunciant: ſed illos ipſe pecunia corruptos exiſtimans, per ſemetipſum rei veritatem curioſus explorat, nullumque in ea criminis obiecti ſignum inueniens, ad pedes eius corruit, veniamque de illatis iniuriis expoſcit: omnibus, qui ei crimen iniecerant, vehementer iratus præcepit, vt de monaſterio citius exirent. Abbatiſſa vero eas licet maleuolo animo, tamen vera dixiſſe perpendens: ad honorem liberatricis ſuæ, maluit peccatum, quod fecerat, Epiſcopo reuelare, quam criminatrices ſuas aduerſa pati permittere. Itaque coram eo ſe humiliter proſternit, eique omnem rei ordinem pandit. Miratur ille, & Deum in immenſa glorioſæ genitricis ſuæ pietate benedicens, duos ex clericis ad eremitam pro cauſa pueri ſolicitus inquirenda tranſmittit: qui euntes, & de puero ſciſcitantes, edocti ſunt ab homine puerum ea die natum, & à duobus iuuenibus ad eum paulo ante delatum, & ex parte Beatæ Mariæ ſibi ab eis commendatum. Et reuertentes, omnia Pontifici referunt. Lætus igitur, puerum, vt Mater Dei præceperat, cum homine Dei ſeptem annis nutriendum permiſit, quem poſt in ſui curam ſuſceptum ad literas poſuit, ac religione, & ſcientia clarum educauit. Ipſo quoque tãdem in Domino requieſcente in Epiſcopatu ei ſucceſſit, & Beatæ Dei genitricis Mariæ gloriam vita, & verbis magnifice prædicauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De puero, qui Virginis imaginem annulo ſubarrhauit.

Cap. LXXXVII.

QVidam pueri clerici, ante quandam Eccleſiam ludum pilæ exercebant. Quorum vnus, qui habebat in manu annulum, quem ei puella quædam donauerat, carnali amore ducta, timens ne forte aſſidua pilæ percuſſione frangeretur, diuertit ad Eccleſiam, vt alicubi eum reponeret, donec poſt ludum eum reciperet. Ingreſſus itaque ante imaginem Virginis Mariæ; intuitus eam, & admirans eius pulchritudinem, genu flexo deuotè ſalutauit Virginem, & addidit: Vere in omnibus formoſior, & illa etiam, quæ mihi hunc annulum amoris munere condonauit, ideoque ei renuncio; teque deinceps amare, & tibi ſeruire decerno, ita dumtaxat, vt ego vice reddita, amore tua dignus inueniar. Sic igitur præfatus puer annulum ſuum digito imaginis, quem habebat ſurſum erectum indidit. Quo accepto, quaſi condictum comprobans, & fidem adhibens, mirabile dictu, digitum ſuum imago conſtrinxit. Quo viſo, puer ſtupore permotus, circunſtantes aduocat, & rei nouitatem mirantibus, ſalutationis ordinem; & voti conditionem enarrat. Quod illi audientes eum ſæculo renunciare, & votum perſoluere hortabãtur, quatenus Dei genitricis ſeruus, & amicus, ſicut dixerat, haberetur. At ille ſpinis diuitiarum obſtantibus, ægre quod monebatur audiens, ingratus extitit, & poſt modicum imagini mentitus, vxorem ducere non expauit. Sed prima nocte nuptiarum, Beata Virgo Maria, quaſi interipſum, & vxorem eius media recumbens, apparuit, annulum digito prætendens, & infidelitatis eum arguens. Excitatus ille de ſomno, circa ſe palpitabat quærens imaginem, & non inueniens eam, credidit eſſe phantaſma. Iterum à ſomno detentus, vidit eam ſibi aſſiſtere, non ſicut prius blandè alloquentem, ſed cum indignatione vultum auertentem, & tormenta duriſſima pro contemptu ſui, & voto irrito comminantem. Euigilans igitur, & iterata admonitione perterritus, relictis omnibus quæ habebat, eadem nocte in eremum clam ſeceſſit, vbi habitum Monachi vitamque profeſſus, dominæ, & amicæ ſuæ, cunctis diebus vitę ſuæ deuoto animo deſeruiuit.

De illo quem ſub aquis protectum ad littus virgo perduxit.

Cap. LXXXVIII.

ERat nauis in medio maris peregrinis onuſta, quorum deuotio, orationum gratia, partes Hieroſolymitanas adibat, huius Nauta cum ſenſiſſet nauem hiare inferius; & aquas irrumpere, & ſe nullatenus ſubuenire poſſe, feſtinus cimbam, quæ intus ferebatur, in mare depoſuit; & cum Epiſcopo quodam, & alijs quibuſdam nobilioribus in eam deſcendit: vnus tamen cum deſcendere vellet in mare decidit, pelagique ſtatim ad ima merſus nuſquam comparuit, nauta vero quos in naui reliquerat alloquens, mortis omnibus imminere diſcrimen non euitandum innotuit, & vt peccata ſua confitentes, ſuas animas Deo deuotè commendarent, admonuit. Qui & ita fecerunt, nec longa interfuit mora; illis in cœlum clamantibus, & ecce nauim ſubintrantibus aquis, hiatu maris penitus abſorpta eſt. Epiſcopus vero cum cæteris lachrymoſa fundens ſuſpiria, ſociorum animas domino commendabat, quorum corpora tam horrendo diſcrimine perire videbat. Cumque per æquoreas vndas oculorum aciem circumuolueret, ſi fortè aliqua ſuffocatorum corporum indicia videre poſſet, ecce marinis è fluctibus columbas ſpecioſas, alibi quidem vnam, alibi duas, vel plures ſubito vidit emergere; cœlique ſecreta celeri ſubuolatu penetrare. Quas cum ſociorum animas animaduerteret eſſe, quantum fleuerat prius, quia ſocios præfocari viderat, tanto tunc magis deflebat, quia cum ſocijs præfocatus non erat. Qui cum tandem cimba deuectus, terræ cum ſocijs applicuiſſet, ecce ſocium, quem inter duas cecidiſſe naues in mare diximus, de mari ſubito viuum, & incolumem vident exire. Quærunt ſtupentes, & de recepto ſocio exultantes, quid ei acciderit, quomodo à marinis fluctibus liberari ſic potuit? Qui ait; Beatæ Dei genitricis, cum in aquam caderem, nomen exclamaui, ſicque eius, & memoriam habendo, & nomen declamando ad ima pelagi deueni; At ipſa miſericordię Mater Virgo Maria, quæ memorum ſuorum immemor nullatenus eſſe poteſt, mihi ſub vndis aſtitit, pallioque ſuo me clementer contexit, & contectum ſub aquis vſque ad littus perduxit: hæc eo dicente, laudes Deo referuntur, & Mater miſericordię ab omnibus prædicatur.

De Illis quos de tempeſtate maris eripuit, & puellæ cuius linguę vinculum ſoluit.

Cap. LXXXIX.

ABbas quidam aliquando in medio maris Britannici, nimia cum alijs multis oppreſſus eſt tempeſtate, adeo, vt omnes de vita cogerentur deſperare. Itaque alij Beatum Nicolaum, alij Sanctum Clarum, alij pium Andræam, vel quemlibet alium inuocabant; vnuſquiſque enim quem Familiarem ſanctum habuerat, eum in neceſſitate ſua familiarius inuocabat. Aliqua etiam offerebant munuſcula, vt moris eſt, tempeſtate marina deprehenſis. Cumque videret Abbas omnes iſtos, vel illos minus potentes ſanctos inuocare, neminem autem Matrem miſericordiæ, Sidus marinum, cæteris omnibus miſereri potentiorem, Mariam nominare. Quid eſt inquit, quod agitis fratres, quid cæteros, qui minus poſſunt tantum inuocatis, & ipſam quæ plus omnibus poteſt relinquitis? bonum quidem eſt, quod facitis, ſed multo melius eſſet, ſi omnes vna voce, *Matrem miſericordię* acclamaretis. Quo illi præcepto, omnes vna voce Matrem Dei nominant, omnes, vt ſui miſereatur proclamant. Et ipſe quoque Abbas, qui præter vnum pomum nil comederat, quique per duos dies, ac noctes ita afflictus erat, quod vix reſpirare poterat, illud reſponſorium. [*Felix namque es,*] cum ſuo verſiculo, [*Ora pro populo*] deuotiſſimè cum Monachis ſuis cantare cæpit, vixque finierat populus precem cum lamentatione, & Monachi cantum cum deuotione, & ecce in ſummitate mali lux magna, inſtar cerei apparuit, qui noctis tenebras fugans, omnes, qui erant in naui ſua claritate perfudit; totaque pelagi ceſſauit tempeſtas, & cœli Regina iubente, facta eſt tranquillitas. Nec multum poſt, dies ſerenus illuxit, & terræ ad quam tendebat nauis applicuit.

Aliud exemplum.

In ſuburbio Nouiomenſi quædam puella pauper, manu, & arte victum quærens, dum in die feſto Annuntiationis Dominicæ, prout nendo moris eſt mulieribus, filum ſaliua madefaceret; idem filum linguæ eius adhæſit, & labia vtraque quaſi conuinculata diſtorſit, labioque intumeſcente, pænè lingua obmutuit præ nimio dolore, os eius deturpauerat ſaliua coagulata in ſpumam, & labia linguæ connexa vim naturaliter expuendi amiſerant. Puella flebat, & quid ageret ignorabat, vicini eam ad impetrandam cœlitus indulgentiam, ſancto preſentauerunt Eligio, ſed redierunt infecto negocio. Itur poſtmodum ad Sanctæ Mariæ monaſterium principale, id eſt, ad Pontificalem ſedem Nouiomenſis Eccleſiæ; ibique in conſpectu aſtantium, & pro ea rogantium gratia diuina labellulo vinculum excuſſit, & populum ad gratiarum actionem prouocauit.

De Imperatrice cuius castitatem à violentia seruorum eripuit.

Cap. XC.

FVit quidam Romanus imperator, cui prouidit Dei clementia vxorem genere, & moribus nobiliſſimam, ac pulchritudine honeſtiſſimam; nec turpis, aut carnalis delectatio illos captiuabat; ſed inuicem ſobrie, & iuſte ſub legali coniugio ſe non mediocriter diligebant: venit autem in mentem Imperatoris, vt pergeret longe, lateque per orbem, viſitare loca ſanctorum. Accepto itaque aſſenſu à coniuge; & regnum, & quendam fratrem ſuum Adoleſcentem attentius ei commendans, digreſſus eſt. Ipſe autem dictus Adoleſcens ſpecie deceptus imperatricis, in amorem eius vehementer exarſit; & tandem etiam quo ſtimulo vrgeretur, ei aperuit; cumque ei pluries moleſtus eſſet; & illa pœnitus renueret; tandem iuueni cæcato ad eius amplexus ſe venturam ſimulatè promiſit. Interim vero turrim quandam parare non diſtulit, in qua duos Adoleſcentes, & duas puellas ad ſeruiendum iuueni, mittere curauit; vt neceſſaria quæque illi ſurſum cum funibus traherent. Determinato autem die quo imperatrix, & iuuenis turrim illam priuatim conſcenderent, vt ille, quod deſiderabat expleret, gauiſus eſt. Sed illo præeunte, & intrante, pudica Domina in domum redijt retento iuuene in turre. Sedit autem ſub Imperatrice Roma pacifica; donec Imperator rediret ad propria. Poſt quinque annos audiens aduentum eius, gauiſa eſt valde. Iuſſitque nobiles, & maiores cleri in occurſum eius ſecum exire, & vicos ciuitatis ornari decenter. Fratrem quoque imperatoris inconſulte de turre emiſit, vt fratri obuius exiret, qui in occurſu illius regiam præuenit, & verſa vice eam male infamauit: requiſitus enim à fratre cur tam afflictus, & pallidus, ac crine deformis eſſet: Mi frater chariſſime inquit, peſſima meretrix coniunx tua, ſicut cum multis fornicari conſueuit, meipſum in ſcelus præcipitare ſecum tentauit, nullus enim ab eius impudico amplexu ex quo receſſiſti, prohibitus eſt. Quod ego ferre non potui, ſed ab ea recedens in quadam turre me nunc vſque incluſi. Audiens Imperator, quas non ſperauerat in vxore contumelias nunciari; dolore cordis percuſſus, pene exanimis in terram corruit. Poſt ſpacium vnius horæ ſurrexit, & confortatus aſtantium conſolationibus, equum aſcendit. In craſtinum autem Imperatrix cum comitatu multo ad virum ſuum peruenit, quæ cum illum, vt dignum erat amplecti vellet, percuſſa ab eo in faciem, grauiter confuſa cecidit; vocatiſque duobus ſeruis, Imperator ait: Quia non eſt cum meretrice certandum, ite in ſiluam profundam, & ducite eam ad decollationem. Qui cum ad locum vbi decollanda erat peruenissent; admirantes eius pulchritudinem dixerunt adinuicem: Priuſquam interficiatur cognoſcamus eam, quia non eſt in mundo pulchrior illa. Irruentibus illis in eam, illa ſuſpiciens in cęlum, voce lachrymabili Dei reſpectum, & Virginis Sanctæ Mariæ efflagitabat auxilium. Quidam autem nobilis Heros non longe iter faciens, cum comitatu multorum, qui limina Apoſtolorum, & loca Sanctorum Romæ viſitauerant, audientes clamoribus reſonare ſiluam, primo putauerunt aliquam feram in retibus corruiſſe, & veloci curſu illuc venerunt. Videnteſque tam venerabilem perſonam, ſeruos impudicos diſtrahere, morti eos concitè tradiderunt.

De alio caſu conſimili circa eandem Imperatricem.

Cap. XCI.

REquiritur mulier, quæ eſſet, & cur illi talia contigerant? at illa celata dignitatis altitudine, ſupplici vultu, & humili voce rogauit, vt eam Dominus eorum ſecum duceret, & ab ea ancillare obſequium ſaluo honore pudicitiæ reciperet. Qui petitioni eius libenter annuens, illam ad propria perduxit. Quam vxor eius honorificè recipiens, vnicum ei filium educandum commiſit. Paruulo autem ſuſcepto illa maiorem adhibuit diligentiam, quam ſi ipſa eum genuiſſet. Fugiebat laſciuiam, frequentabat Eccleſiam, ſed nec ibi malignus ſpiritus tentare deſijt, quam vincere tamen nõn valuit. Erat quidam Miles in curia, qui ad amorem eius pertingere cupiens blandis ſermonibus, ac multis promiſſionibus eam, vt ſibi coniugio copularetur tentabat. Illa verò caſtè ſe eum diligere reſpondens, amore Domini ſui, cuius frater erat, nubere ei omnino negauit. Quamobrem cœpit miſer tractare in animo, quid mulieri, quæ in tanta eum vilitate habebat, pararet, vt occideretur, vel fugaretur. Itaque intempeſta noctis hora ductu diabolico venit, vbi illa dormiebat, & infans in ſinu eius ſibi commendatus, gutturque pueri filij fratris ſui cultro per medium ſecuit, & gladium in manu Mulieris dormientis relinquens, receſſit. Cum ergo ſanguis occiſi pueri per medium lecti decurreret, & latus mulieris inficeret, excitata vehementer expauit. Et cum ſe miſeram proclamaſſet; ſolicita Mater, & Pater de filio ſurgentes concito de lecto venerunt cum lumine ad filium, quem iugulatum videntes, & in manu Mulieris cultrum; quantus dolor eos inuaſerit, & omnem familiam vix explicari poteſt. Venit denique ſceleratiſſimus homicida fictas lachrymas fundens, & voluit occidere tanti ſceleris ignaram, dicens fratri ſuo: adduxiſti huc meretricem, in multis criminibus, in alia patria iudicatam interfici. Iam igni tradatur, dignam eam facit mors filij tui. At Heros ille nobilis, & vxor eius eam interfici prohibentes mandauerunt nautis ad portum proximi maris, vt eam in alienam terram ducerent. Venit ergo perfuſa lachrymis faciem, & comam diſcerpens, cum ſeruis ad mare, & intrauit nauem. Cumque nautæ per altum mare nauigaſſent, conſiderata eius ſpecie, allocuti ſunt eam, vt eis aſſentiret. Reſiſtentique ob amorem pudicitiæ, dixerunt: Vnum è duobus elige, aut nobis commiſceri, aut in mare præcipitari: Reſpondit illa, ſe libentius inter fluctus deficere, quam eorum libidinoſis petitionibus aſſentire, qui mutato conſilio, in quadam alta rupe, quæ ante eos in mari eminebat, domino prouidente, eam reliquerunt; vbi cum totam noctem duxiſſet inſomnem, ſummo diliculo mærore, & triduano ieiunio afflicta, parum obdormiuit. Apparuitque ei ſancta virgo Maria, Regina gloriæ admirabili facie ſtellanti oculorum acie, dicens ei: Quia multa propter caſti coniugij ſeruandam fidem ſuſtinuiſti aduerſa; omnis amodo tentatio impiorum à te repellenda eſt; & quas paſſa es, iniuriæ manifeſtabuntur; collige herbam, quæ eſt ſub capite tuo, & quibuſcunque leproſis dabis bibere in nomine Domini ſanabuntur.

De medicina, quam ei Beata Virgo innotuit.

Cap. XCII.

EXcitata autem Mulier, & de viſione lætificata, cum deuotis orationibus herbam colligit, cui ſimilem ante non viderat; & chirothecas de manibus ſuis extrahens impleuit. Hora autem tertia nautæ à Deo miſſi, iter facientes iuxta rupem illam,

vocati

vocati ab ea, applicuerunt ad illam: Qui videntes eam tam venerabilem esse personam, condolentes ei, receptam in nauim duxerunt ad portum. Egressa autem de naui inuenit leprosum vultu miserabilem, attritamque herbæ portiunculam cum vino dedit ei bibere, & confestim sanatus est. Exijt fama eius longè lateque, & venit ad ciuitatem illam in qua erat impius ille leprosus effectus, qui fratris filium in sinu huius Dominæ occiderat. Ad hunc multis precibus adducta, sed nec ab ipso, nec ab vllo de familia domus cognita, rogatur obnixè à fratre illius leprosi, vt ei subueniat, & quicquid mercedis inde velit, recipiat. Illa se subuenire promittit si de omnibus peccatis suis coram ea, & septem personis confessus fuerit. Et ille quidem confitens multa dixit, sed celabat scelus, quod in eam commisit. Respondit ei mulier, nil ei proficere medicinam suam abscondito vllo criminali; tunc ait frater suus, cuius filium interfecerat: Aperi cor tuum, & emunda ab omni peccato, & si quid aduersum me malè egisti, totum tibi dimittatur. Resolutus itaque in lachrymis, qualiter egerat, manifestauit. Audiens Heros, expauit vehementer, dicens se plus de amissione nobilissimæ Mulieris, quam de morte filij tristem esse, at illa respondit: Domine mi, ego sum Mulier illa, *quę malum pro malo non reddam, sed bonum pro malo retribuam.* Restitutoque illo sanitati, rogabant, vt ibi maneret, & quem sanauerat in sponsum acciperet. Quibus non acquiescens, recessit; & sanando leprosos nonnullos Romam incognita petijt; ibique plurimos à lepra mundauit. Sed & fratrem Imperatoris, vlciscente Deo, inuaserat lepra grauissima vsque ad mortem; ad quem curandum adducta, sed à nullo agnita, simili modo, & hunc, peccatum suum, quod in eam commiserat, confiteri coram Papa, & Senatu Romano, fecit. Quo audito, Imperator flens, & pugnis faciem, pectusque percutiens, miserum se exclamauit; flebant quoque omnes, qui aderant, & audierant recordationem Imperatricis egregiæ, at illa, fletus eorum non sustinens, sanato prius iuuene, dixit: Quia ego sum illa. Tunc quanta lætitia Romanum Populum impleuerit, non est facile dictu, voluitque eam Imperator quasi à Deo resuscitatam, in vxorem, & populus in Dominam accipere. Sed illa intra se aliter agens, dixit ad Papam: Votum feci in tribulationibus meis Domino, me nulli vlterius viro coniungere; sed in Monachali veste castimoniam seruare. Requiratur ergo anima mea de manu tua, si timens, vel diligens hominem pluſquam Deum, veste sancta non velaueris me. Tunc ille mox eam benedixit, & induit.

De muliere, quę conceptum ex filio puerum interfecit.

Cap. XCIII.

FVit quidam Romæ diues cum vxore sua, vterque genere nobilis, moribus laudabilis, sola eis proles deerat, cum ad votum cætera cederent vniuersa; conuersique ad Dominum, postulabant filium effusi in misericordijs pauperum; commendantes se ad omnem continentiam secundum Deum. Qui videns afflictionem eorum dedit Mulieri conceptum, & peperit filium. Quo nato regales apparantur deliciæ, sonant organa, chori ordinantur. Interea dum de charo filio pater minus cauto amore gratulatur, charitate à carnalitate aliquantisper suffocata, non ita deuote, vt prius indatoris gloriam assurgit, vel gratiam quærit. Aliquotiens tamen ad se reuersus compungebatur, nec illius carnalitatis impuritatem ferebat esse impunitam. Tandem pepigit fœdus cum Deo, vt sumptis pennis columbæ in peregrinam regionem, vel in inuiam solitudinem auolaret, vbi ignotus, & ignobilis viueret, vbi puritatis, vel pacis internæ soliditatem seruaret. Sed quia alligatus erat vxori, cor eius ad sui propositi inclinauit assensum. Quæ quidem querulos gemitus ingeminare cœpit, & singultibus concusso pectore cum lachrymis, dixit: Quamuis molestè dulcissimi vultus tui sustineam absentiam, hoc solum tamen amaricati cordis habeo solatium, & gloriandi priuilegium, quod amori meo solum video præponi Christum. Et quia votum hoc sanctissimum scio, liberum te dimitto, tantum vt amore casto me corde retineas. Illo exulante, sed in gaudio victricis conscientiæ exultante, Materfamilias soluta à lege viri, iam licentius, quæ Christi erant cogitabat, & liberalitatem in pauperes exercebat. Interea paruulum suum à lacte suspensum, à cunis abstractum propensius nutriebat, & delicijs reficiebat, omni die, aut Matris hærebat gremio, aut pendebat in collo: omni nocte inter matris vbera morabatur, omni in loco in memoria versabatur. Sic succedentibus, infantiæ pueritia, & pueritiæ adolescentia, etiam tunc mater non eum ab amplexibus arcebat, non ab osculo repellebat, non etiam à lecto. Quid plura? carnalis amor, quia non inuigilauit cautelæ, se inclinauit corruptelæ, filius pro Marito admittitur, conceptoque fœtu Mater misera corde, & corpore angustiatur, & impellente hinc inde verecundiæ, & doloris æstu, penè in desperationem labitur. Spe autem veniæ ducta, & animata, non desistebat à ieiunijs, orationibus, vigilijs, eleemosynis. Interim veste ad hoc congrua, ventris celato tumore, & per falsam hilaritatem vultus cordis dissimulato dolore, ventum est ad diem partus, & tunc magna velut mare contritio eius, hinc enim dolori suadebat silentium timor, & verecundia; illinc impellebant ad planctum dolor, & angustia: sic nascitur infœlix puer sumpturus de ortu, occasum; de initio, finem; nam sæua tygris vix bene natum arripiens suffocauit; & suffocatum in ima latrinæ proijciens præpropera sepultura damnauit. Et tunc quidem homines tam grande piaculum latuit.

Qualiter eam Dæmon apud regem accusauit.

Cap. XCIIII.

SEd mundi Princeps cum in anima captiuam Mulierem teneret; cogitauit, vt commune tropheum de ipsa carne statueret, volens etiam in eam sæuire flagellis, quæ sibi seruierat in flagitijs. Sumpto igitur Dæmon scholaris clerici schemate. Romam venit, curiam intrauit, proceres salutauit. Interrogatus quis esset? Clericus, inquit, sum, potens in scripturis, nullus mihi secundus in quæstionibus soluendis, in secretis edicendis. Et vt peritiæ meæ certam habeatis experientiam, dicat quisque quicquid perdidit, & ego illi manifestabo furti authorem. Auditisque omnium causis, certo veritatis responso singulis satisfaciebat, & furti reum, fugam etiam, si fur aufugisset propalabat. Ad noui famam coniectoris tam exteri, quàm indigenæ conueniebant, latrones diffugiebant, aut esse quales fuerant desinebant. Interea dum sic placens Regi, & Optimatibus eius plebi sua damna resarcit; de ore suo pendentem rege ipso præsente turbam circunstantem, sic allocutus est: Si vos credulos, & attentos pollicemini, auditores, mira loquerer, & quidam vix credibile auditu, horribile dictu, crudele actu, vobis enarrarem. Misericordiæ Domini, quod non estis consumpti, quod Roma funditus non corruit, cum facinus præ omnibus detestabile in ea patratum sit. Mulier enim illa, quam sanctissimam dicitis, quæ in vrbis vestræ plateis, & angulis, sibi per hipocrisim famæ titulum erexit, sceleratissima est; & omnium crudelissima fœminarum; nam de proprio filio conceptum filium proprijs manibus trucidauit, & ne videretur, in latrinam proiecit; ad hanc vocem omnes con-

De parabolis Salomonis cap. 31.

sternati; noli, inquiunt, blasphemare munditiæ sacrarium, pietatis templum: *Multæ fœminę congregauerunt [virtutum] diuitias, sed hæc supergressa est vniuersas*; hoc est, inquit ille, quod dixi, quia difficile crederetis mihi, veniat, vt examinetur, & interim rogus in media platea paretur, in quo si confessa, vel conuicta fuerit, viuens incendatur: Sin autem, ego ligatis manibus à tergo medijs inijciar flammis. Placuit Regi, & Satrapis eius, & missis Satellitibus, iussit eam honorificè introduci. Cui intranti palatium, omnes assurrexerunt. Rex autem ipse sedem ei parari fecit, & sibi considere iussit, factoque silentio ait ei: Non te latet noui famavatis, quem suscitauit Deus in salutem Romanæ gentis? Quod autem non parum dolemus in multis te accusat, & non satis credibilia nobis contra te dicit testimonia; confitere ergo si quod fecisti peccatum, & da gloriam Deo; vel purga te à crimine obiecto. Illa autem vnctione, quæ de omnibus docet, inspirante, respondit. Quoniam grauis est causa, & nil sine consilio facere docet Sapiens; nec ego tutum fore credo coram Rege, & proceribus eius sine consilij patrocinio allegationem meam exercere: Sic acceptis inducijs egressa, non est confisa in homine; sed toto corde per pœnitentiam confugit ad Christum.

Qualiter beata Dei genitrix, eam ab opprobrio liberauit.

Cap. XCV.

VIr autem vitæ venerabilis Lucianus, vel Lucius nomine tunc temporis Romanam ornabat cathedram, eius pedibus prouoluta, cum gemitu cordis, & torrente lachrymarum, calamitatis suæ recensuit historiam, ruptisque vestibus, & euulsis crinibus, requisiuit ab eo, vtrum per quodcunque malagma pœnitentię, curari posset vulnus peccatricis conscientiæ. At ille videns compunctionem in ea esse vehementem, & totus super eam pietatis viscerib̃ affluens, confisus de Dei misericordia reatus veniam, & vitæ remedium promisit, dicens: æquo animo esto filia, quia maior est Dei pietas, quam quæuis iniquitas: nam & Petrus per lachrymas non solum reatus sui veniam, sed & Apostolici principatus obtinuit dignitatem. Sic Maria Magdalena, per sanctificationem lachrymarum, de vase contumeliæ, meruit effici vas gloriæ. Matrem vero Iesu Mariam, consulo, vt præ omnibus inuoces, eamque assiduis precibus frequentes. Ipsa enim vnica spes humanæ reconciliationis, ipsa præcipua causa æternæ salutis: nolo autem tibi multa iniungere, quia tempus habes breue, sed Dominica oratio tibi sit absolutio pro peccato. His sermonibus animata Mulier, manus ad cœlum, cor ad Mariam leuabat, orans eam in multo fletu, vt eius liberaretur interuentu ab impetitione aduersarij, & à confusione communi. Statuta itaque die cum familiaribus perrexit ad curiam, & erat eius spes de cœlesti adiutorio pendens, & cor maximè in Maria fiduciam habens, nec deesse potuit Mater misericordiæ tam mirabilibus suspirijs pœnitentis, sed inuisibiliter eam protegens præsentia suę maiestatis, iudicandę astitit ante tribunal terreni iudicis. Hac igitur Beata comite Mulier munita, intrauit Consistorium, & à Rege, & à populo reuerenter excepta, consedit in medio, omnibus facta spectaculum. Tunc omnium ore clauso, & aure aperta, Rex ait Clerico: En quam accusasti domina præsens est, narra si quid habes. At ille intuitus mulierem mirabatur, quæ hæc esset? Reuera enim non ipsa erat, quæ prius, sed altera, quia per gratiam Spiritussancti alterata: cumque omnes instarent, vt loqueretur: Non est, inquit, hæc incestuosa, & homicida illa, quam accusaui, *hæc est enim sancta, hæc speciosa inter filias Hierusalem, hæc est, quæ ascendit de deserto deliciis affluens in filium dilectum suum*; quod enim dicere timeo, tacere non possum: Maria mater Iesu ei assistit, eamque souet, & custodit. Ad hanc vocem omnes in stuporem versi, frontes vexillo Crucis armauerant, & Diabolus virtutem signi salutaris non sustinens, quasi fumus euanuit ex oculis eorum. Omnisque concio gaudens Mariæ iura gratiarum persoluit. Et mulier sic liberata à macula conscientiæ, & infamiæ, *coram populo inuenit nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.*

De vidua paupere, quam in exitu suo honorauit.

Cap. XCVI.

CVidam Parochiæ præerat Presbyter in sæculo potens, & gloriosus, sed non minus vitijs, quàm diuitijs plenus. Hic sub cura sua habebat diuitem nobilem, & pauperculam viduam. Qui vno tempore decumbentes responsum mortis acceperunt in semetipsis: vocatus est Presbyter, vt morientem diuitem visitaret, & accepta confessione, dataque communione, exituram animam Deo commendaret: Qui de rapienda solummodo lana, non de oue curanda solicitus, vt diuitis nuncium vidit, ire festinauit. Intrauit Palatium, penetrauit cubiculum, vbi iacebat dives purpura, & serico circundatus, auro, & gemmis oneratus, super plumarum molliciem resupinatus. Ibi inuenit circunstantium multitudinem, seductoria adulatione diuiti solatia persoluentem, coniunx, & filij, atque omnis familia, dominum lamentabantur. Sed & quamplures ex ipsis ad rapiendam hæreditatem suspensi, licet verbotenus mortem audaciæ, & præsumptionis damnarent, eam tamen tacito cogitationum æstu precabantur citius venire, & hominem de medio tollere. Itaque Presbyter secretum petijt, & qualemcunque confessionem extorsit. Deinde sessione firmata nummi captator, charitatis affectum simulans, compati cœpit, & condolere, quærere, quid vellet, quæ pars corporis grauius se haberet. Inter ancipites gladios securitatem, & pacem falsus Propheta pollicebatur, verbisque mendacibus liniebat parietem, cui Dominus ruinam minabatur. Interim superuenit quidam ex parte viduæ, qui diceret eam in extremis agentem, Christianæ salutis remedia postulare. Sed Presbyter dum se totum daret ad lactandum peccatorem, nihil respondit. At Diaconus, propè assistens, pro Muliere desolata ad cor eius loquens, ait: Grande nobis piaculum, & fœminæ periculum, si nostra negligentia sine confessionis, & sacri mysterij participatione eam migrare contigerit. Cui felle commoto Presbyter ait: O parum sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere patronum, ne turberis, inquit Diaconus: Ego si iubes infirmam visitabo & communione Sacramentorum Christi exiturum Spiritum confirmabo. His fauente Presbytero, Diaconus discessit cito, sumptaque salutari Hostia ad viduæ tugurium peruenit. Quæ rebus quidem vacua, sed bonis operibus plena, super humum duram, & paruo stramine constratam collidebat membra, ieiunijs exesa. Ille itaque interno limine vix bene tacto, oculos leuans, familiæ Christi in ceno iacenti, vidit assistere excubias de cœlo. Mater enim Iesu Maria assistebat cum choro virginali, quæ præferebat linteolum, & vultum ægrotantis à sudoribus mundans, *satagebat circa frequens ministerium*. His visis Diaconus stupens stetit eminus, sed cœli Regina ei admiranti multum affabilis, viso Dei suoque filio, toto corpore in terram prostrata adorauit eum cum suis virginibus. Quibus erectis, data fiducia vir Dei intrauit, Maria etiam sedem parante, ac ne timeret, hortante, sedit, confessionem viduæ accepit, communionem dedit, &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

psalmis obitum eius præmuniuit. Deinde cum gaudio ad domum diuitis properauit, astansque in limine vidit nigros cattos circumuallantes lectum diuitis, quos miser ille videns, & nimis infestos sentiens, rugiebat clamans. Tollite cattos, tollite, misero subuenite. Vnus tandem Æthyops, voce minax, vultu terribilis, vncum, quem manibus gestabat faucibus immersit peccatoris. Infœlix anima nullum in tota conuersatione sua refrigerium conscientiæ reperiens, pauet, & trepidat; miserum mors paulatim occupat. Denique Æthyops ille furens vncum violenter de palpitantibus faucibus extrahit, & horribilem dans vocem, infelicem spiritum reddit. Irruerunt cæteri malitiæ complices, & peccatricem animam plagis, & vulneribus afficientes, immergunt in locum tenebrarum, & lacum mortis æternæ. Cum hæc aspiceret Diaconus, tremor tenuit eum; & cadens factus est in mentis excessum. Sed mox ei apparens Mater Regis glorię, Ne timeas, inquit, charissime, non te diabolica nocebit malignitas, cui parata est beatitudo cœlestis. His blanditijs recreatus, postquam ad se redijt, consolatrici suæ gratias rependit, & ex his reuelationibus non parum profecit.

De veste, quam sancto Bonito præsuli post Missam dedit.

Cap. XCVII.

SAnctus præsul Bonitus Aluernensis, cum cor suum perfectè dedisset, vt perfecte Iesum, & eius matrem diligeret, quadam die templum B. Michaelis cum turba intrauit, & in angulo basilicæ, licet inter multos, solitudinem cordis sibi fecit; consummatis mysterijs, quique in sua redierunt, & ipse solus in latibulo suo remansit. Et custodes quidem, ne quis remansisset perscrutati sunt Ecclesiam; sed Dei nutu sancti viri non potuerunt inuenire latebram; qui obseratis iam Ecclesiæ foribus, eo securius, quo secretius effudit in se animam suam, factusque in agonia prolixius, & enixius orans vidit huiusmodi visionem. Ecce repente de cœlo sonuit, quasi vox dulcis cantilenæ, & micantibus luminaribus limen templi cæpit tremere tanquam intrante multitudine. Aspiciebat vir sanctus, & ecce virgo Maria intrabat cum candidato sanctorum Angelorum, & animarum cœtu, sicut Regina: circunstante exercitu chorus ille cœlestis decantabat laudes Dominę, eiusque filio; ipsa quoque vocem suam exercuit in Christi præconio. Per medium chori facta est illa processio, cumque ventum fuisset ante altare, quæsitum est à quibusdam sanctorum, quis haberet Missam celebrare? En inquit Beata virgo, adest Bonitus præsul verè bonus, & satis dignus, cui hoc officium debeat committi. Audiens hoc ille pauebat, & retrahebat se, cuius rei lapis, qui ei cessit adhuc seruat indicium. Tandem quæsitus, & inuentus, deductus est, & præsentatus ille Beatæ congregationi, & ministrantibus sanctis veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicitus. Et postquam dedit in celebratione sancti operis operam ac decenter consummauit, Beata Virgo vale faciens dilecto suo pro munere cœlestem vestem ei dedit. Res est nota satis, & apud Aluernenses admodum celebris, maximè autem in ciuitate Aluerniæ, quæ dicitur Mons clarus, & vsque hodie monstratur populo vestimentum illud cœleste, cuius materies, & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, & est eximij candoris, miræque leuitatis.

Aliud exẽplum.

Alter vero quidam post præfatum sanctum sortitus cathedram honoris, sed non sic castigationem honestatis; simile quid se promereri posse mentitus est; etsi in præfati Archangeli basilica somniasset. Venit igitur procax, præsumptuosus, intrauit illam officinam sobrietatis, cibo, & potu ingurgitatus. Et quia laborabat ebrietate, subito sepultus est graui sopore; & tamen in his omnibus non est conuersus in sacrilegum furor Domini, sed flagitiosum, sine flagello dimittens; miraculosè eum à sanctificationis suæ domo longè fecit. Facto enim mane, reperit se homo in domo sua, & in lecto suo, dehinc exiens ad famulos suos, confessus est mentis suæ insanam præsumptionem, nec celauit, quam portabat cœlestis repulsæ confusionem. Sciensque se esse stultum prophetam & insanum virum spiritualem, iam humilius de se sensit, & in simplicitate cordis Deum quærere cautus fuit.

De pauperculo viro quem à plaga dæmonis liberauit.

Cap. XCVIII.

QVidam pauperculus homuncio in vicinia Aquicinctensi habitans, cum quadam die per villam deambularet lapidis offensione pedem, quem nudum habebat sibi læsit, & vi doloris substomachans, diabolum nominauit, dicens lapidem illum in nomine diaboli ibi fuisse positum. Et ecce vix adhuc sermone finito, repente quasi violenta iniectione aquæ feruentis faciem totam perfundi sentiens, statim substitit, & se de loco mouere non potuit. Et oculis eius multa aquarum abundantia guttatim defluere cœpit, ita quod nihil omnino videre potuit, sed ad domum suam reductus, cæcitate oculi dextri perdurante, lumen sinistri recepit. Et ecce tota facies eius in tumorem conuersa, oculi, nasus, os, ita tumore excrescente, disparuerunt, vt non nisi deforme monstrum videretur. Quatuor autem diebus euolutis inflatio illa paululum exinaniri cœpit, sed tota facies eius ita ignitis pustulis, & vesicis turgentibus oppleta est, vt ab omnibus elephantico morbo percussus diceretur. Post hoc morbus ad inferiora descendẽs, à renibus vsq; ad summos pedũ articulos tam miserabiliter occupauit, vt curuatis poplitibus tali natibus adhærerent, adeo vt horrenda contractione totus quodammodo in globum vnum redigeretur; sicque tota illa inferior corporis pars insensibilis mansit, vt si igne adureretur, ardere quidem posset, sed omnino sentire non posset. Nunquam de lecto per se surgere, nunquam se ad sedendum erigere, vel in quolibet latus reclinare potuit; sed semper resupinatus iacuit. Per fenestellam verò, quæ lecto eius contigua erat à transeuntibus sibi eleemosinam mitti miserabiliter vociferando implorabat, vnde se suosque sustentabat, quamuis autem eum, & paupertatis inopia, & infirmitatis angustia grauiter affligeret; studebat tamen in doloribus suis Deo semper gratias agere, & pro benefactoribus suis assidue orare; ieiunijs quoque operam dare, peccata sua semper præ oculis habere, & pro eis humiliter Deo supplicare. Appropinquante autem tempore miserendi eius, quo Deus eum liberandum prouiderat, quadam die Resurrectionis Dominicæ cum longa fatigatus inedia peruigil iaceret, & apud Aquicinctum ad nocturnas laudes signa pulsare audiret, caput erigens, & versus præfatum locum protensis manibus reuerenter inclinans, Saluatoris clementiam exorabat; tunc ecce subito cernit sibi quandam in specie mulieris pulcherrimam, ac reuerendi aspectus, & habitus personam assistere, quæ commemorans ei patientiam, quam in dolore habuerat, & bona quæ fecerat, addidit, noueris preces tuas esse exauditas à Domino, fac ergo quod moneo, & Aquicinctum te deferri facito, atque in Ecclesia Beatę Virginis, & Matris Dei Mariæ coram imagine ipsius, pro salute tua interueni, & virtutem diuini senties auxilij. Quod cum ille fecisset, Dei auxilio, & eius Matris piæ suffragio ad plenum curatus est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Iudęa, quam à labore partus liberauit, & puero, qui panem imagini Christi porrexit.

CAP. XCIX.

QVædam mulier Iudæa in partu laborans, & clamans penè vsque ad exitum animæ angustiabatur, obstetricum quoque obstupuerat solertia, solamque mortem tanti doloris finem præstolabatur. Interea dum inter angustias animæ, & corporis anhelaret, subito lux cælitus emissa super eam emicuit, & vox cum luce pariter intonuit, dicens; Inuoca Matrem Iesu, & liberaberis; inuoca nomen Mariæ, & salua eris. Luce foris subtracta, sed virtute verbi salutaris intus radicata, mulier toto corde fidelis, vel fidens in Domino, Mariæ nomen inuocauit magna voce, & statim fœlici partu filium edidit carens omni dolore. Audientes autem fœminæ, quæ aderant, inuisum sibi nomen, turbabantur, & stridebant in eam, & nisi è cælo oculus Dei respexisset, fortassis in eodem loco earum trucidata manibus animam exhalasset. Itaque Maria suffragante, sœuientium etiam mulierum cruentas manus euasit. Et post dies purificationis suæ assumptis filijs suis ad Ecclesiam confugit, ac legalibus institutis, & iustificationibus carnis abrenuncians, iugum suaue Christi susćepit.

Aliud exẽplum.

Spiris locus est supra Renum famosus, vbi adoratur imago Sanctæ Dei genitricis Mariæ cum infante suo. Huic quidam paruulus, matre eminus orante, inscissuram panis manu tenens accessit, frangensque micam vagientis Christi imagini porrexit, hisque verbis qualia Teutonici pueri balbutire solent implorare cœpit, Pupe, Papa, Pupe, Papa. Tandem imago cunctipotens paruuli, instantem sibi reamplecti, & his verbis perhibetur, affari. Pupe noli flere, post triduum mecum papabis. Audiuit Mater, & intremuit superuenientique seniori Canonico miraculum retulit, qui prudenter rem intelligens, obserua inquit iam infantem à die prædicta non habebis. Protinus infans febre correptus in triduo defungitur, vt inter Bethleemitas innocentes conuiuari non dubitetur.

De adultera, & eius æmula, quas ad pacem conuertit.

CAP. C.

MVlier quædam, quæ alienum virum à propriæ vxoris latere illecebrosissime subtrahebat, quotiens tamen ad Ecclesiam ibat, antequam quippiam precis exprimeret, quocunque Beatę Virginis Mariæ imaginem prius sibi videre contingeret, angelicam salutationem ei, reuerentia qua poterat exhibebat; coniunx itaque viri, quę sibi adulterinos præferri dolebat, amplexus; acerbissimis in æmulam stridebat ardoribus, & cum mariti timore nihil in eam auderet, nec in publico quidem grunire fas esset; ad Beatam Virginem Mariam tota se conuertit orans, vt illi mulierculæ, quæ se suo fraudebat coniugio cœlestes imprecaretur iras, eiusque spurcissimas riualitates non diu pateretur inultas. Cumque Reginæ cœlestis affectus contra eam lamentis iugibus se irritasse putaret, ipsa Virgo Benedicta eidem in visu dignanter apparuit, & ait: Quare super illa muliere, vltiones expetis à me, ego plane nihil aduersus eam possum, quia quotidiana sedulitate illud mihi meum denunciat gaudium, quo gratius aliud ab vlla creatura audire non possum. Ex quo dicto cum animus mulieris à solitis imprecationibus desedisset, contigit æmulam suam sibi quadam die occurrere, quam cœpit in hunc modum conuitijs lacessere: O turpis, quot mihi languores infligis, quæ & lenocinijs carnem meam dirimis, & præsentiam quam incorporaliter odi mihi obuiando opponis, quam libenter, immo quam debite corpori tuo mala inferrem, quæ quotidianum menti, & auribus, & oculis meis irrogas dolorem. Restabat illud vnicum spei, quod virgo Dei Mater in te vltricem iacularetur sententiam. Sed ab hoc animo decidi, ipsa enim mihi dixit, quod ipsum Aue, quod ipsi depromere quaque die prœoccupas, in tantum eam demulceat, vt nullum inconueniens tibi inferre præualeat. Quod illa audiens ait: Amodo noueris, quod maritus tuus nunquam me contuetur ad tui iniuriam, sed & insuper illi meam deuoueo pudicitiam, quæ meo tam paruo obsequio tantam præstitit indulgentiam, vnde factum est, vt ex eo illa castitati se redderet, ista simultatem deponeret, & hoc totum ad salutem vtriusque Mater Dei disponeret.

De illo, qui per illam orationem, O Intemerata, *dæmonem effugauit.*

CAP. CI.

HOmo quidam erat nobilis, diuitijs potens, & honoribus, ac rerum affluentia; bonis operibus non minus intentus. diabolus autem, qui mentes fidelium à sancto proposito conatur euertere, assumpto cuiusdam nuper damnati corpore, ad domum eius veniens, obsequium suum ei sub mercede obtulit. Quem ille rei ignarus secum permanere permisit. Agebat ille callidus quo sibi amplius crederetur, opus iniunctum curiosius exercere, & alios obsequio præuenire, vnde valde Domino suo acceptus, & ab eo constitutus est in domo infirmorum, vt eis ministraret, & necessaria quęque prouideret, vbi non paruo tempore seruiuit ficta humilitate, sperans oportunum tempus accipere, quando malitiæ suę laqueos aperiret. Quadam igitur die conuenit Dominum suum, dicens, infirmos sibi commissos, pisces ab eo postulare: ascendit autem Dominus ipse nauem solus cum solo, vt ad opus infirmorum piscandi proprijs manibus impleret officium. Tunc diabolus congruam deceptionis horam arbitratus, nauem in qua ambo erant subuertere conabatur, sed Dei protegente gratia, conatus eius ad nihilum redactus est. Alias quoque cũ ambo venationi insisterent, nitebatur ille contra Dominum suum ex aduerso sagittam erigere, sed Dei repulsus auxilio in nullo præualuit ei nocere: perseuerante igitur in bonis viro, odor famæ eius vsquequaque diffusus, ad videndum eum multos ex longinquo adduxit. Inter quos, & quidam Episcopus religiosus aduenies, benignè hospitio ab eo susceptus est, cui diabolus præsentiam suam ostendere nolens in diuersorio se abscondit. Cumque ad cœnam inter alios minime videretur, sæpe requisitus à Domino suo vix adducitur; quem sanctus Episcopus intuens, & per spiritum quis esset agnoscens, interrogauit hominem, quanto tempore vernaculum talem habuisset; & quid in domo sua operis egisset? qui respondit, Multo tempore astitit mihi, eiusque operam in multis expertus, illum valde necessarium comprobaui. Ad quem Episcopus, Non est, inquit, bonus domesticus, sed Dæmon pessimus, & aduocans illum in medium in nomine Christi adiurato præcepit, vt quis esset ediceret, & quare tandiu cum homine habitasset. Tunc ille videns se vlterius non posse latere, totam machinationis suæ causam aperuit. Ego sum, inquit, vnus de spiritibus tenebrarum, & ad hoc veni ad hunc hominem, vt eum à via veritatis auerterem, frequenter illum tentare aggressus sum, sed oratione nescio qua singulis diebus præmonitus, omnem mihi nocendi potestatem eripuit. His dictis dæmon conticuit, & relicto corpore in medio, omni spe deceptionis frustratus, abscessit. Interrogauit Episcopus hominem, quæ esset illa oratio, quæ sic euacuarat dæmonis virtutem; affirmabat ille, vt laicus se penitus literas ignorare; sed solam orationem puer didicerat, quam in honore Dei Genitricis Mariæ, quotidie frequentabat. Et erat oratio

illa,

illa, quæ de Beata Virgine,& Euangelista Ioanne,communi laude dicitur, scilicet, *O intemerata,&c.*

De milite, qui virgini parcens eam monasterio tradidit, & in torneamento occubuit.

Cap. CII.

ERat miles quidam dives, & in bellis famosus, qui matrimonium ocium reputabat, licet in concupiscentijs fœminarum esset totus. Hic ad quoddam torneamentum in Normannię partibus celebrandum cum multo apparatu pergens, cum per quoddam castellum tam oculis, quàm corde vagus transiret, iuuenculam quandam in itinere vidit, cuius pulchritudine captus, cuidam famulo, & familiari suo dixit: Vade, curre, interroga patrem, & matrem puellæ, & si mihi eam concesserint vna nocte, dabo eis decem libras, & insuper vnam vestem ad opus, & ornatum filiæ suæ. Qui cum iussa complesset, illa mutatorijs induta, & ad patris sui imperium, vt iuuenem sequeretur, inducta ipso Duce ad militis diuersorium venit, & post cibum, & potum communis lectus ambos recepit. Cumque ille congressum cum pudica virginitate pararet, & illa suspirioso corde suæ dignitatis captiuitatem expectaret, erat autem nox Sabbathi, quod deuotio fidelium memoriæ Virginis Matris consecrauit, miles ait, charissima,quod nomen est tibi cur tale super me assumpsisti lamentum, cur me sic accipis quasi hostem,& non amicum? An diligis, qui tradidit te mihi patrem tuum? cui illa voce tremula respondit: Maria vocor digneque lachrymis afficior, & planctum facio, quia melius est mihi mori, quàm turpiter viuere cum virginitatis detrimento; maximè cum Mariæ continentiam vouerim,*& desponderim me vni viro, virginem castam exhibere Christo*, volueram, & mores, & habitum sanctimonialium imitari, nisi patris mei paupertas reclamaret, nam & agnosco literas, & de Sancta Maria didici horas, à quodam pauperculo Clerico, qui apud patrem meum diuersorium habet. Tunc Spiritus Domini descendit in mentem militis, & excussit de cogitatione eius flammam libidinis, ita, vt diceret, quia nox Sabbathi est, & quia tu vocaris Maria, id est maris stella, propter noctis, & nominis huius honorabile Sacramentum iam nunc cessabit, & cor meum à tua inquietudine, & corpus à tua inquinatione, nec operor in te opera tenebrarum, sed nox hic quam diei æternæ mater sibi dicauit, mihi sicut dies illuminabitur ad morum conuersionem, & nox illuminatio mea in delicijs meis spiritualibus: & quia vt dixisti voluntarium tibi est Christo seruire in cœtu sanctimonialium, teste Deo, promitto, quòd satisfaciam desiderio tuo, si veneris mecum: tunc illa sub hac pactionis, & pacis forma, dormiuit tota nocte secura. Quam mane facto, militis familiares equo impositam furtim asportauerunt, milesque eam in monasterio, quod iuxta torneamenti erat locum contubernio sanctimonialium tradidit, promittens sub iureiurando, quod pro mercede eius locum multis donarijs honoraret,& si vita comes esset eam singulis annis visitaret. Sed postea inde digressus, feria secunda in torneamenti congressu occisus est, & in eodem loco, sicut tunc moris erat gloriæ secularis ad titulum sui nominis sepultus.

De exequijs eius, & miraculo super eum ostenso.

Cap. CIII.

INterea virgo Christo & Virgini Matri Christi,cui se probauerat, placere contendens, & ad spiritualis illius dilecti sui reditum pendens,cum gemitu,& lachrymis illum Christo, & Mariæ commendabat. Sed cæteris militibus sine illo redeuntibus, iamque spe reuersionis pœnitus amissa, cum Abbatissa pœnitens eius subfallaci promissione mercedis, turpem virginis intrusionem accusaret; illa Beatam Mariam lachrymosis interpellabat precibus, vt de militis statu reuelationem aliquam, vel modicam tanto dolori procuraret; cui ipsa Beata Virgo Maria semetipsam per visionem exhibuit, dicens: Parce charissima, parce fletibus & suspirijs, ego sum Mater Iesu Maria consolatrix tua. Scito, quia quam cito recessit à te ille tuus in Christo dilectus, in torneamenti congressu occubuit, eodemque in loco sepulturam accepit, qui quoniam mihi detulit in te, & bona tibi contulit propter me, veraciter in morte compunctus æternam meruit salutem. Ibis ergo ad Abbatissam, & annunciabis ei ex me, quatenus illuc citius pergat, & corpus huc translatum in cæmiterio reponat, vt per Ecclesiasticorum suffragiorum communionem adiuuetur: hoc autem grande signum, quòd tibi locuta sum,rosam super sepulchrum vernantem reperies in superficie, cuius radix de ore sepulti pullulat in visceribus terrę. Illa igitur gaudēs Dominæ cælestis imperium Abbatissæ retulit. Sed ab ea hypocrisis, & cōfictæ visionis improperiū recipiens, cū lachrymis ad Beatā Virginem recurrit; cui illa sicut prius mandatum ad Abbatissam iniunxit, & addidit de quodam peccato eius occulto, quod ipsa confiteri, & lachrymis deberet punire; & sic cum suo conuentu nudis pedibus ad faciendum, quod iubebatur, puro corde, & prompto gressu ire. Quod Abbatissa audiens, & signum recognoscens, confessione data,& satisfactione indicta, ad locum properauit,& indicio rosæ corpus militis inuentū,ad monasterium suum translatum,honorificè ibidem sepeliuit.

De pictore, quem imago Beatæ Virginis Mariæ iniecta manu ne caderet retinuit, & interitu blasphemi.

Cap. CIIII.

PIctor quidam pro vitæ suæ merito Dominæ nostræ familiaris, in partibus Flandriæ fecerat sibi nomen doctæ manus artificio. Hic quoque quotiescunque pingere diabolum necesse habebat, turpem turpiter sicut ars ei suggerere poterat, expressius figurabat: Cui ille in visione noctis apparuit, & cur cum sic irritaret, cum furore, & ira quæsiuit. Pictor respondit: bene hoc ago, quia semper te passus sum omnium, quæ feci malorum incentorem, & adhuc turpium cogitationum moliris insidias, quibus emollitam animæ meæ demoliaris constantiam. Et Sathan graues minas intentans, monebat vt à sua læsione cessaret. Sed ille ex hoc ipso animatus est, & magis quàm ante paratus suscitare Leuiathan. Postmodum verò vna dierum, ipse in porticu cuiusdam Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis imaginem pinxit, & iuxta possibilitatem artificij, sicut decebat operæ vario picturæ eidem gloriam, & honorem dedit. Sed & iuxta illud, quod serpenti dictum est: *Ipsa conteret caput tuum*, subtus pedes imaginis diabolum figurauit, nigris coloribus turpem, & tenebrosum, sicut decebat amatorem turpitudinis, & Principem tenebrarum. Quod ille non æquis oculis aspiciens, malignandi potestatem à Deo expetijt, & accepit; sed sibi ad contumeliam, Christo, & Matri eius ad gloriam: adhuc enim suspensis trocleis, & supposito firmiter tabulato, monstrum illud pingebatur, & ecce turbo vehemens omnes illas artis pictoriæ machinas concussit, & in terram excussit. Quod vt persensit homo stupidus ad imaginem Domini leuauit cor pariter, & manum; quæ,mirum dictu, donec venirent,& qui ei subuenirent, manu iniecta ipsum retinuit, & seruauit illæsum. Tunc omnes, qui aderant Christum in matre sua glorificabant, diabolum in fraudis suæ frustratione cum risu, & cachinno blasphemabant. *Gen.3.*

In illis partibus quidam in taberna, cum tessera ludens, & male sibi cedere videns, cum quicquid de Deo est, & Deus est blasphemasset, Reginam quoque Cœli Mariam iaculis detractionum lacessere cœpit, & cum habens spiritum in naribus, à capite vsque ad pectus singula carpendo deuenisset, maledicturus ventrem illum, qui benedictum in nomine Domini venientem

ſuſcipere meruit, ſubita, & horrenda morte functus eſt. Huius pater fama excitatus veniebat, vt filio ſuo lamentabiles exequias exhiberet, cui in itinere quidam vicinus ſuus, paulo ante mortuus, occurrit, & ait: Durũ tibi apporto nuncium, quia filius tuus ſempiterna morte mortuus eſt, quia Chriſtum blaſphemauit, & Matri eius detraxit. Et hoc tibi ſignum, inuenies cadauer eius à ceruice vſque ad nates per mediam dorſi ſpinam quaſi ſectum, & cor in duas partes diſſiluiſſe, tabefactum: Hoc dicto diſparuit, & pater pergens hæc ſigna inuenit.

De iuuene illo, qui abnegato Chriſto Matrem eius noluit abnegare.

Cap. CV.

IN quodam caſtello Aquitaniæ milites duo principabantur, ſed vnus ſub alio villicabat, & terram ſuã de eius feudo poſſidebat. Horum maior cum moreretur, filium ſuum adhuc paruulum manu tenens, & militem illum ſibi in principatu ſecundum alloquens, ait: Eſto huic in patrem, & ipſe ſit tibi in filium, nutri iſtum hæreditatis meæ ſucceſſorem, & Dominum Reipublicæ patrem, & magiſtrum. Igitur ille puerum poſt mortem patris in domo ſua receptũ nutriebat, & paterno affectu fouebat, ac religioſe in moribus informare ſatagebat. Sed puer coæuorum ſuorum lenocinijs ſeductus, & in tabernas introductus, bibendi fecit conſuetudinem, & per hoc deſpumans in libidinẽ, pudicitiæ frena laxabat, & à milite ſollicitè monebatur, ſed fruſtra, quia monitis non mouebatur. Denique inuenculus omnia abrupuit, manumiſſionem petijt, & accepit. Iamque immatura libertate potitus, ſicut equus infrenis curſu rapido fertur in præceps, totumque ſe malitiæ exponit, omnia ſua luxuriosè viuendo conſumit. Miles autem ille ſimplici intentione poſſeſſiones eius, dum diſtraheretur emebat, aut diſtractas redimendo ſibi attrahebat: vt ſi eas, quandoque redimere poſſet, faciliorem redemptionis acceſſum apud ipſum inueniret. Interea dum abſque pudore peccans publicè mendicaret, & quaſi vas perditum vituperationem omnium commorantium in circuitu audiret, eiuſdem villæ præfectus, & ipſe Magus, ac maleficus, eum ad ſe vocans, dixit, ſe eius miſeriæ condolere, & tantæ calamitati velle conſulere. Ipſumque mutatorijs induens, ac delicijs ciborum, & potuum ſecum reficiens, promiſit multo melius ei fore, ſi eius cõſultationibus vellet obedire. Quo omnimodam obedientiam pollicente, equos aſcenderunt, & crepuſculo ciuitatem egreſſi, quaſi ſpaciaturi, longius proceſſerunt. Tunc præfectus iuuenem alloquens ait: Quid putas, quia miles ille poſſeſſiones tuas emit, & diſtractas etiam redimit, vt tu nudus ex omnibus fias, & ipſe totum diripiat? Sed non turbetur cor tuum, quia duco te ad patronum meum, cui ſi conſenſeris ſtatim te reſtituet in gradum priſtinum. Dumque fabularentur, ecce quaſi exercitus magnus turba malignorum ſpirituum, & princeps diabolus in medio eorum. Expaueſcente iuuene ad ſubitam, & horrendam viſionem, præfectus ne timeret hortabatur, patronum ſuum, de quo dixerat, hunc eſſe conteſtans, diabolus illos proximare videns dicebat: Fruſtra huc hunc adduxiſti, quia falſi, & fallaces ſunt omnes Chriſtiani, veruntamẽ ſi voluerit Chriſtum, & Mariam negare, quicquid voluerit à me poterit impetrare. Qui cum poſt multos cogitationum ęſtus Chriſtum negaſſet, ſed nullatenus Mariam conſentiret negare, diabolus eum cum indignatione repulit, ſed & prefectus eum in ira, & feſtinanter reduxit, & cum ſe in ſua recepiſſet, eum de equo turpiter deiecit, & ablata veſte, quam ei dederat, proprijs reindutum paniculis, de domo ſua nulla ſuper eum motus miſericordia exturbauit.

Qualiter eum Dei genitrix honorauit, & exaltauit.

Cap. CVI.

ILle vero perambulans ciuitatem, fortuito ad Eccleſiam deuolutus eſt, vbi tunc noctis Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtinitas ageretur. Illic igitur poſt nocturnas vigilias captato angulo ſtabat deſolatus, & plorans ſolus, plorabat in nocte illa glorioſæ Aſſumptionis, noctem, quam incurrerat diabolicæ factionis, Matrem miſericordiæ, cuius imago præſens erat, cum lachrymis implorabat. Cumque tota nocte cor eius dolor perforaret, & ſe iam conſumptum putaret, oriebatur, vt Lucifer: nam quotiens ſupplicans Virgini Mariæ veniam petebat, imago ſacra ipſi neſcienti capite flexo ſupplex econtra concurrebat; quem ſupradictus miles ad eandem Eccleſiam gratia orandi matutinum ſe agens, cum in angulo ſtantem videret, indignatus eſt, & hipocriſim reputabat, quod peccator, totius fabula ciuitatis, locum ſacrum præſentia ſua contaminare præſumpſiſſet. Sed poſtquam vidit, quod factum eſt cum eo ſignum in bono, confuſus eſt à cogitatu ſuo, conſertoque cum eo priuatim colloquio, conteſtatus eſt eum vehementiſſime, vt quid boni egiſſet, & omnia, quæ in corde haberet fideliter, ac fiducialiter ei enarraret. At ille lachrymis ſuffuſus, verecundia confuſus, quid inquid, de mea bonitate quæris, cum non ſit in me niſi malum, imo malitia ipſa ſum, ſicut nouerunt omnes, qui in circuitu meo ſunt, quibus factus ſum in deriſum? Et quid dicã, cum etiam peccatum in hac nocte peccauerim, quod humanæ aures expaueſcant audire. Ingreſſuſque narrationem replicauit, qualiter deceptus dederat manum diabolo propter quæſtum gloriæ ſæcularis, & qualiter negato Chriſto timuerat blaſphemare nomen Virginis Matris. Audiens ille, gauiſus eſt, & complexus iuuenem, dixit: Quia feciſti verbum hoc, Beatus es, & bene tibi erit. Etſi neſcis, tibi dedit Maria ſignum propiciationis, in imagine ſua precibus tuis annuens, & inclinato capite viſibiliter occurrens, quando ſupplicabas ei. Confortare ergo, tu enim pro hac re gener meus eris, & non ſolum paterna tibi, quam dilapidaſti reddetur, ſed omnis poſſeſſio mea, poſt deceſſum meum ad te ſpectabit. Dedit ergo ei vnicam filiam ſuam, ſcripſitque eum in præſenti participem, & in futuro principem omnium poſſeſſionum ſuarum ad laudem Ieſu, & Mariæ.

Idem fermè exemplum, mutatis ſententijs, reperitur apud Caſarium li. 2. cap. 12. & habetur in magno ſpeculo exemplorum.

De ſene Ciſtercienſi, quem ad amorem ordinis prouocauit.

Cap. CVII.

QVidam miles nobilis depoſito cingulo militari, iam ſenex Chriſti militiam inter Monachos in Claraualle profeſſus eſt. Qui quamuis minus haberet notitiam literarum, pro poſſe ſuo tamen ſectabatur bonitatem, æmulabatur regulæ diſciplinam. Quadam autem die tempore meſſis cum poſt fratres exiſſet ad laborem, iuſſus eſt ibi ſedere & quieſcere, eo quod manus delicatas, & ſeniles, non admittebat labor difficultatis tantæ; Sedens autem percutiebat cor ſuum, & ægrè ferens, quod non laboraret cæteris laborantibus, ita loquebatur apud ſe: O miſer homuncio quanti ſapientes, quanti nobiles, ſecundum carnem hæc laborant, quia ſi vias ſæculi ingredi voluiſſent, grande nomen habituri eſſent, quantæ etiam hic quaſi lãpades contemptæ, & ſub modio abſconditæ, tempore ſtatuto dari habent in lucem gentium, alij quidam priores, alij Abbates, alij Epiſcopi, & tu hic ſedes tota die ocioſus inueterate dierum malorũ, cum ante te portent pondus diei, & æſtus delicati iuuenculi, qui in gloria pudicitiæ conſcientiæ nõ dederunt maculã peccati. Hæc loquens apud ſe, vidit in viſu de colle ſuperiori, qui in loco mentium

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tentium imminebat, deſcendere candidatam turbam, cui præerat quædam Mulier pulcherrima, & ante eam aliæ duæ, quæ in manibus ſuis manutergia portabant. Hæc domina veniens cum cuneo ſuo ſalutauit fratres in oſculo ſancto, & ſuſcepit in amplexibus charitatis ſuæ. Duabus quoque comitibus linteola prætendentibus extergebat puluerem, & ſudorem de Monachorum frontibus, & durius laborantes dulcius conſolabatur. Senex hæc videns, & quod Mater Dei Maria in ſanctum conuentum veniſſet, neſciens; dentibus ſuis in fratres fremebat, dicebatque apud ſe: Non ſic putabant homines ſæculi ſinceram, & ſeueram religionem eſſe, quæ fœminas reciperet non ſolum ad conſpectum, & colloquium, ſed etiam ad amplexum, & oſculum. Cui taliter cogitanti, vnus de illa candidata multitudine appropians, dixit. Quid imprudenter cogitas ô homo? Domina hęc, quam cernis, eſt Maria Mater Ieſu, quę venit videre meſſores ſuos: neque enim continere ſe poteſt multitudo viſcerum eius, quin compatiatur eis in ſuis laboribus. Et verè fœlices, qui hic laborantes pro Chriſto in ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo; quia ad futuram requiem, & menſam plenam pinguedine peruenturi ſunt, vbi erit Sabbatum, ex Sabbato. In reuelationis huius conſolatione, & cibi ſpiritualis fortitudine ambulauit illo ſenex, reliquum iter conuerſationis ſuæ currens, & alios prouocans.

De electuario, quo pauperes fratres cibauit, & ſuperſtitioſo denegauit.

Cap. CVIII.

APud Claramuallem quidam cum promiſiſſet fieri ſe monachum, ſubito ſe fecit Medicum, abſtinens notabiliter; & cum fratrum ſcandalo à cibis quos cæteri manducabant. Igitur quadam die dum fratres gratiam reddituri, ad Eccleſiam procederent per clauſtrum canticum reſonantes; ille amarus, & rancidus, eo quod nulla deliciarum appoſitione ſuperſtitionis ſuæ libidinem, fratrum cura refocillaſſet; in auribus domini Sabbaoth, licet ore tacens, corde, tamen importunè loquebatur, apertiſque oculis ſpiritualibus vidit in introitu Eccleſiæ mulierem inæſtimabilis pulchritudinis, quę in manu ſua pixidem optimo electuario plenam tenebat; & fratres qui ſapide olera comederant, & deuote cantabant, ſecundum ordinem ſuum intrantes communicabat; cui appropinquans cum fortiter hiaret, vt quemadmodum cæteri, de illo antidoto cœleſti acciperet; audiuit eam dicentem ſibi, non debeo frater tibi dare, cibus iſte medicinalis, communis eſt cibus pauperum iſtorum, qui Monachi ſunt, non medici; nec delicias Regum quærunt, ſed cinerem tanquam panem comedunt: tu autem non es ſicut cæteri hominum, ſed diues, & princeps fratrum, vnde circuire mare, & aridam debemus, vt delicias conductitias, & decentes palato tuo conquiramus. Quod ſi à cibis communibus abſtines, quia tibi videntur caput turbare, ventrem inflare, ſaltem olus commodum eſſe poſſet, de quo conſuluit Apoſtolus, *vt qui infirmus eſt olus manducet.* Quoniam igitur in Galeni ſacra iuratus, Galeni tę neſcio cuius ſatis acute profiteris diſcipulum, dico tibi: *Sapiens homo, & ſubtilis Medice, cura teipſum.* Et vt noueris, quæ ſim ego, Maria Mater miſericordiæ dicor, vnde & veni hanc familiam meam conſolari, vt epulentur in conſpectu meo, & delectentur in lætitia, qui voluntatem propriam non habent, nec monaſterium perturbant ſingularitate ſua. Quo verbo ille percuſſus, & confuſus cum iuramento ſe conſtringeret, dicens: Si taliter amplius abſtinuero, non inueniar in partem ſortis ſanctorum; quoniam parum comederat, & totus in cibi deſiderio erat, fortiter hiare cœpit, & domina miſericorditer in os eius buccellam immittente, cœleſtis epuli dulcedinem guſtauit, quæ dulcedo tantum ſapuit palato cordis eius, vt extunc vſque in finem vitæ ſuæ auidius, quam cæteri comederet panem craſſum, & olera herbarum.

Rom. 14.

De viſionibus vtiliter oſtenſis Monacho cuidam infirmo.

Cap. CIX.

FVit quidam Monachus, Ciſtercienſis ordinis, bene religioſus, ſecundum datam ſibi gratiam in Beatæ Mariæ ſeruitio valde deuotus; huic vt in calore religioſi propoſiti eo vtilius, quo humilius, deſudaret, ſuſcitauit Chriſtus æmulum vnum de clauſtralibus ſuis, qui in omnibus, quæ ageret calumniam ei ſtatuens, verbis & factis eum inſectaretur; nec in hoc ſolum manus Domini ſuper eum extenta; ſed adhuc in flagellis duobus, vno corporali, altero ſpirituali. Quotiens enim tonabat, auditum tonitrui ferre non valens, ferè vſque ad exitum animæ turbabatur. Sed, & gutta quam roſeam vocant certis temporibus ita faciem eius exulcerabat, vt propter aſpectus fœditatem, infirmitorium ſæpe, & diutius tenere cogeretur. Cumque ibi poſitus quadam nocte poſt matutinas iſſet cubitum; increpabat animam ſuam per dolorem compunctionis in lectulo corporeæ quietis. Paucis autem diebus ante euolutis breui temporis interuallo monaſterij patrem cum monachis quaſi fere 15. è corpore Chriſtus vocauerat. Dum ergo ille in orationibus vigilaret, in extaſi factus, vidit per medium infirmitorium tranſire exercitum Monachorum, inter quos Abbatem ſuum, & Monachos illos, qui ante paulo obierant recognouit. Quorum vnus ad eum diuertens, & ante lectum eius ſubſiſtens ait; Frater chariſſime, nos qui hic tranſimus, & in hoc monaſterio dum in corpore viueremus conuerſati ſumus, omnes quidem gloriamur in ſpe filiorum Dei, ſed differimur adhuc à regni introitu, propter quorundam fratrum negligentiam, quorum alij tarde, alij tepide, omnes ingrate perſoluunt pſalmos, & orationes, quas debent pro animabus noſtris: nec ſolummodo rei ſunt apud nos, ſed ipſe Chriſtus multa habet aduerſus eos; ipſum enim prouocant, & excitant ad vomitum, dum tepide votum vitæ purioris æmulantur, & ſanctæ præcepta regulæ ſine ſcrupulo conſcientiæ tranſgrediuntur. Ipſis ſiquidem conuenientibus in vnum tempore, & loco orationis, & pſalmodiæ, iam non eſt ſpiritualem eſcam manducare, dum vnuſquiſque præſumit corde vanitatem ad delectandum; anima eorum nauſeat ſuper manna cæleſti quaſi leui cibo, & contemptibili: hoc autem iram Dei maxime prouocat, quod in illa hora in qua fratres ob reuerentiam Trinitatis inclinant, aliqui cachinnãt, & de ociosis occulte ſignificant, alij corde, & corpore rigidi, vix poſt quam *Gloria patri*, dictum eſt incuruantur, & necdum perdicto, *Spiritui ſancto* erecti, oculis notabiliter curioſis per parietes vagantur. Alij in modum ſtatuarum ad orandum ſtantes, ſic ſomno ſepulti ſunt, vt neſciant quid agatur circa ſe, & nihilominus tamen incuruant ſe, & erigunt ſicut, & cæteri, miſera quadam conſuetudine. Vade ergo, & dic Abbati ex parte noſtra, vt corrigere ſatagat huiuſmodi negligentias fratrum, quibus ad hoc ſpeculator à Domino datus eſt, vt annunciet eis peccata ipſorum. Sic diſparente defuncto, Monachus latenter ſurgens ad Eccleſiam perrexit, & ante quoddam altare priuatum toto affectu cordis orare cæpit, ſtatimque fuit in ſpiritu, & reſpiciens ad feneſtram quæ ſuper altare erat vidit incandeſcere radium ſolis & ecce miræ pulcritudinis Mulier per ipſam feneſtram introiuit, quæ ſtans iuxta eum, ait ei, Noſti, quæ ſum ego; Quo reſpõdente neſcio, Domina, Ego sũ inquit Maria mater Ieſu, quæ veni vt conſoler gemitus tuos, & leniam dolores tuos: vidi enim lachrymas tuas, & orationes tuas. Et factum eſt cum hęc diceret, fratribus in choro ad *Gloria patri*, more ſuo ſe incuruantibus, ipſa cancellatis manibus reuerenter, & profunde vſque dum diceretur:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sicut erat in principio, incuruauit ſe. Et rurſum erecta dixit ei. Monachus ille mortuus, qui perſequebatur te multipliciter ſecundum multitudinem malignitatis ſuæ, quia te perſecutus eſt pœnas recepit. Et vt verum me dicere credas, eſto ſanus ab hac duplici, quàm ſuſtines infirmitatis peſte. Extergens manica veſtimenti ſui faciem eius, euanuit ab oculis ipſius. In craſtino vero rem Abbati ſecretè referens, miraculo faciei mutatæ indicio fidem ipſi, & cæteris fratribus fecit, ad honorem Reginæ Cœlorum, & Dominæ Angelorum.

De imagine, quæ percuſſa ſanguinem reddidit, & alia, quæ à Saracenis frangi non potuit.

Cap. CX.

IVxta caſtrum Radulphi eſt quædam Abbatia, quæ Dolis vocatur, ſuper quandam columnam Eccleſiæ ipſius eſt imago lapidea ad honorem beatæ Mariæ virginis ſculpta, ad quam cum quædam paupercula mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Brebantionẽs, qui improperantes mulieri, imaginem blaſphemabant, vnus etiam lapides in imaginem proijciens, vno lapide percuſſit, & confregit brachium pueri Ieſu. Et cum manus illa lapidea cecidiſſet, exierunt guttæ ſanguinis à brachio, ac ſi eſſet hominis viuentis, ſtatimqúe in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat, expirauit: alter vero cum vellet morientem inter brachia ſua colligere, vt ei aliquod præberet adiutorium, ſtatim arreptus eſt à dæmonio, & in ſequenti die defunctus eſt. Eadem etiam ſequenti die cum turba multa conueniret, vt imaginem, & ſanguinem de lapide fluxum videret, ipſis videntibus ipſa imago ſcidit veſtimenta ſua, ſcilicet ornatum qui circa eam erat lapideum, & collum ſuum, quod confirmatum erat monili lapideo, & pectus denudauit vſque ad mammillas propter ignominiam, & iniuriam, quæ illata fuerat ſibi, & paruulo ſuo. Hoc contigit anno domini 1287. tempore quo bellum erat inter Philippum Regem Francorum, & Henricum Regem Angliæ: altero conſtituto apud caſtrum Dolis cum exercitibus ſuis. Et ego, qui ſcripſi, ſanguinem illum vidi oculis meis, & imaginem nudatam, ac veſtimentum reuulſum. Qui autem viderunt eam ante perpetratum miraculum, teſtantur, quod erat prius rubicunda, & bene colorata: modo autem ſtat tanquam exanguis, & pallida. Ibi pro certo cæci illuminantur, claudi curantur, & fiunt miracula.

Aliud exẽplum.

Quandam ſanctæ Mariæ baſilicam ingreſſi Saraceni, in omnium ſanctorum imagines, quæ in maceria erant depictæ haſtilium ſuorum cuſpides vibrauerunt. Huic oculum eruerunt, illi naſum, vel pedem truncauerunt, omnes prorſus terebratis aculeis diſſulcauerunt. Ad imaginem ſanctæ Mariæ titubant inſani, nihil ibi omnes, quamuis ſæpe tentantes, turbare potuerunt, ſed cum maxime intentarent viribus effuſis inuentæ manus erant aut tremore irritæ, aut aliò delatæ.

De Iudæo quem beata virgo tormentis, & gaudijs oſtenſis conuertit.

Cap. CXI.

QVidam Iudæus nomine Iacobus à Londonia ciuitate Angliæ apud Wintoniam pergens, in via prædonum manus incurrens captus eſt, plagis afflictus, atque in domum vetuſtam caſum iam minantem, tractus; poſt multas iniurias omnibus rebus ſuis ſpoliatus, ligatiſque ad poſtem pedibus, & vinctis poſt tergum manibus, ibidem relinquitur ſolitarius. Verúmne penitus deficeret, modico pane, & aqua per triduum ſuſtentatur, ſperabant enim per ſui redemptionem magnam pecuniam accipere. Sed tertia nocte cum ex laſſitudine paululum obdormiſſet; aſtitit ei in ſomnis fœmina inæſtimabili decore reuerenda, & niueo habitu amicta, quæ propius accedens, vincula quibus miſer ille conſtringebatur potenter diſrupit; eumque ſoluit. Qui præ gaudio & admiratione cuigilans, curioſo intuitu circumſpexit, ſi forte aduerteret perſonam, quæ illum reſtitueret libertati. Quod intentius agens, vidit repente non iam in ſpiritu vt prius, ſed corporeo viſu Mariam Dominam cœli ſibi aſſiſtere, & ex eius claritate totum illud diuerſorium reſplendere. In quam oculos meticuloſos, defigens ſic eam alloquitur: Quæ es Domina, vel vnde tibi pectus tam benignum, vt mihi miſero ſubuenires in tanta anguſtia? At illa: Ego ſum inquit Maria, cui tu, & genus tuum malo veſtro inſultatis, meque redemptorem mundi edidiſſe pertinaciter negatis: veni tamen ad te vt more meo tibi pro malis bona rependam, & ab errore te ad veritatis cognitionem reducam, atque hucuſque quàm periculosè vixeris tibi inſinuem: quod vt euidentius cognoſcas, egrediamur foras. Ille præcedentem ſecutus, iubetur ſuper eminentem petram, quæ in promptu erat aſcendere, & intento animo deorſum aſpicere: qui iubenti obtemperans, attendit hiatu terræ vallem tenebroſam ipſo aſpectu horribilem, flammas ſulphureas exhalantem, fœtorem intolerabilem, omnique genere tormentorum horridam, & aſperam cernit: cernit etiam in his cruciatibus animas damnatorum rotari, & miſerrimè à carnificibus torqueri. Quorum lachrymabiles eiulatus attonitis auribus excipiens, pene vſque ad animam exterritus eſt: his viſis, & auditis, ait illi beata virgo. Hic carcer, hæc incendia, hæc omnimoda tormenta, te tuoſque ſequaces expectant, niſi Iudaicam impietatem celerius dimiſeritis, & ad fidei Chriſtianæ Sacramenta confugeritis: nunc autem ſequere me, vt oſtendam tibi quid etiam boni pro veſtra cæcitate perdideritis: cumque ſupra collem excelſum eum ſtatuiſſet, aſpicit eminus manſionem perlucidam, viſuq; pulcherrimam, ex qua tanta optimi odoris fragrantia naribus intuentis infuſa eſt, ac ſi illum omnium ſuauitas aromatum reſperſiſſet. Ibi vidit cætus beatorum ſplendido vultu ſolemnes omni gaudio tripudiantes, melos dulciſſimos concinentes, quibus ſtudiosè inſpectis, ait Maria ad eum. Hæc eſt hæreditas animarum ſanguine filij mei redemptarum, quam, & tu poſſidebis ſi illum ex me veram carnem aſſumpſiſſe credideris. Sed iam hinc recede, & miniſterium tibi licèt indigno reuelatum memoriter retine, & poſt hæc, quid tibi agendum ſit, ſolicitè perpende. Timens Iudęus ne denuo hoſtibus ſuis occurreret, ibat denſiſſima nocte quo impetus illum ducebat quouſque diluceſceret. Diluculo autem pergens ad vrbem, quæ Bacha dicitur, quoddam Monaſterium, quod ibi erat adijt, Priori, & fratribus, quicquid viderat, & audierat, totum ex ordine expoſuit. Baptiſmum petijt, & accepit, Ioanneſque vocatus eſt.

De fratre Carthuſienſi quem à Dęmonum inſultibus liberauit.

Cap. CXII.

CVidam fratri Carthuſienſi in cella ſua nocte iacenti, ſed adhuc vigilanti, & cœleſtia meditanti, Dæmonum turba in ſpecie porcorum agreſtium apparuit, fũrebant vndique per totam Cellulam, & diſcurſu inſano, rictu horrendo, dentibus longiſſimis, ac velut in necem eius exacutis: pauefactum ac trementem hominem, nihilque niſi mortem præſtolantem circumſtabant, talia eo patiente adauctus eſt metus, cum quendam enormis magnitudinis hominem eandem cellam conſpicit intrantem, qui primo ingreſſu ſuo conuerſus ad porcos, quid inquit ſegnes facitis? cur iam hunc non rapuiſtis? cur non diſcerpſiſtis? Quod dicis, inquiunt, magno conatu facere nixi ſumus, ſed nihil

facere

facere potuimus: At ille: ego inquit faciam. Quo dicto vncum ferreum longis, ac recuruis vngulis terribilem minaci manu protendens, atque ad virum Dei rapiendum immo diſcerpendum adaptans, eum nimio terrore pœnè mente excedere coegit. Sed ſtatim Maria mater miſericordiæ, in qua ille ſpem ſuam totam poſt Deum poſuerat, viſibiliter affuit, ac virga leui manu protenſa, quomodo inquit huc venire auſi fuiſtis? non eſt hic veſter, nec iam contra eum in aliquo præualere poteritis. Hoc dicto, velocius totum illud nefandum collegium, vt fumus euanuit. Subſiſtit illa poſt Dæmonum fugam cum homine adhuc tremente, eumque his verbis conſolata eſt: Placet, inquit, quod facis, tuique animi deuotionem Deo mihique gratam eſſe noueris, fac ergo quod facis, & ad meliora proficere ſtude. Et vt aliquid ſingulare tibi in mandatis tradam, ſtude vilibus eſcis, abiectas veſtes amplectere, operi manuum deuotus inſiſte; his, animatum hominem relinquens, diſparuit.

De quibuſdam alijs.

CAP. CXIII.

ITem aliquando cuidam ſeruo ſuo in extremis laboranti apparens: quæſiuit ſi eam cognoſceret. Quo reſpondente minime; illa dixit, Ego ſum Mater miſericordiæ.

Sanctus Dunſtanus dum Cantuariæ moraretur, mos erat ei loca ſancta noctu peragrare: Quadam vero nocte virgo Maria ei venienti occurrit, & ſummo cum honore ſuſceptum ad Eccleſiam ſuam quo tendebat ducere cæpit, præcinentibus de choro duabus Puellis illud Sedulij carmen, ac dicentibus.

Cantemus domino ſociæ, cantemus honorem.
Dulcia amor Chriſti, perſonet ore pio.

Quos verſus virginum chorus reſumendo percantauit, Prædictæque binæ cantatrices, binos qui ſequuntur in ordine verſus ſubſecutæ ſunt.

Primus ad ima ruit, &c.

Sicque donec vir Dei in oratorium perductus eſt, virgineus chorus binos, & virgines binæ binos, iuxta quod ſeries hymni ſe haberet, verſus modulatæ ſunt.

Explicit de mariali magno.
Item alia.

Aliud exẽplum. Cuiuſdam parrochiæ ſacerdos erat optimis ſtudijs præditus, ſed litterarum ſcientijs non plene imbutus, vnam tantum miſſam ſciebat, quam deuotiſſimè in honorem Dei genitricis Mariæ quotidie decantabat: Cuius introitus eſt, *Salue Sancta Parens*. Ob hoc à clericis apud Epiſcopum accuſatus, & accerſitus, & ſuper hoc ab Epiſcopo correptus, reſpondit ſe aliam miſſam non ſcire, Epiſcopus furore commotus, eum officio miſſæ priuauit. Qui reuerſus eſt domum ſuam, & triſtatus eſt propter miſſæ priuationem. Nocte vero ſequenti apparuit Virgo Maria Epiſcopo in viſione, dicens ei, aliquantulum ſeuera voce, vt quid ita meum Capellanum tractaſti, vt prohiberes ſeruitium Dei, & meum ab eo fieri? pro certo igitur noueris: quia niſi citius, vt agat diuinum officium, vt ſolebat iuſſeris, die 30. morieris. Hac viſione contremefactus Epiſcopus ſurrexit concitus, & mittens, preſbyterum ad ſe vocauit, ad pedes eius procidens, vt ei indulgeret humiliter popoſcit. Deinde præcepit, vt nunquam aliam miſſam celebraret, niſi quam de ſancta Maria cantare ſolitus eſſet. Ex tunc etiam ipſum preſbyterum magnificè honorauit, ac pro Dei amore, & ſanctæ Mariæ, quandiu vixit veſtiuit, & aluit.

De viſione oſtenſa ſancto Hugoni Cluniacenſi in Natali Domini.

CAP. CXIIII.

MOs eſt Cluniacenſis monaſterij cæteris ſolennitatibus Natiuitatem Domini quodam ſingulari affectu deuotius agere, & cantuum melodijs, cereorum accenſionibus quodque longe præſtantius eſt ſpirituali deuotione, multaq; lachrymarum profuſione cum Angelis ſolennizare. Hac igitur inſtante feſtiuitate fratres more ſolito ſe ſuaque omnia pręparauerunt. Venerabilis ille pater Hugo, qui adhuc ſenex ſupererat; capitulum vbi fratres conuenerant ingreſſus, hæc ad omnes verba protulit: Noueritis fratres, benignum Ieſum diſpoſuiſſe ijs ſolemnijs intereſſe, at contra hoſtem nequam inuidia laborare, vt aliquas tenebrarum ſuarum nebulas tanto ſplendori poſſit immiſcere. Frater enim ait quidam ſe vtique dans intelligi; hac nocte vidit Matrem miſericordiæ, ipſum filium quem præſenti genuit nocte dulciſſimo gremio continere, eique ſanctorum Angelorum multitudinem cum immenſo lumine aſtare. Idem Deus puer exultabat, & cordis lætitiam geſtu corporis, & plauſu manuum demonſtrabat, & conuerſus ad Matrem aiebat. Cernis Mater noctem Natiuitatis meæ, quę imminet gaudijs illuſtrandam, in qua oracula Prophetarum, & Angelorum præconia renouabuntur, & de meo ex te ortu omnia ſimul cœleſtia, & terreſtria lætabuntur. Vbi eſt nunc hoſtis mei damnata perfidia, vbi eius poteſtas, qua ante hoc ſingulare gaudium mundo dominabatur? Quo ille impudens audito, de latibulo ſuo egreſſus à longe ſe præſentabat, & ignominioſè deturbatus cum multo planctu, & eiulatu, vt admitteretur orabat. Et ſi ait in nulla parte Eccleſiæ admittor, in aliquo ſaltem reliquarum officinarum loco ſuſcipiar. Et filius virginis: Vade inquit furcifer, & ne te mea potentia præiudicatum lamenteris; tenta, quod poteris. At ille ſolutus arcum capituli petijt, intrare conatus non potuit, in tantum enim & ſe tumidum, & introitum capituli anguſtum inuenit, vt nullatenus intrare valeret. Vere inflatus ſuperbiæ vetuſta peſte per humilem aditum non potuit intrare. Inde ad dormitorium fratrum greſſum conuertit, & fantaſijs ſolitis ſe eos inquietare poſſe confidens introire tentauit; ſed eadem craſſitudine ſua ab oſtio repulſus receſſit. Poſtremo ad refectorium nocendi ſpem contulit, ibi propter aliquantulam corporis curam maiorem ſuſpicatus mentium incuriam: Ibi etiam tot obices diuinorum ex lectione verborum, tot trabes ex deuotione auditorum, tot repagula reperit ex charitate ſibi inuicem ſeruientium, vt nullo modo vltra valens procedere cogeretur retrocedere. Sic ab omnibus officinis monaſterij reiectus, à conſpectu redemptoris pijſſimi, & glorioſæ Mariæ virginis Matris cum ea qua dignus eſt confuſione peſtifer ille receſſit. Cauti ergo (ô fratres) eſtote, & immenſas gratias omnipotenti ac miſericordiſſimo ſaluatori agite, quia & nequiſſimum hoſtem à nobis expulit, & ipſe nobiſcum feſtum celebraturus remanſit.

De puero in vigilia Paſchæ concepto, quem Dei genitrix eripuit ab Inferno.

CAP. CXV.

FVit quidam vir nobilis, & dives, & vxor eius nobiliſſima quorum manus erga pauperes erat ſemper largiſſima, cumque filios procreaſſent, & iam ad ætatis ſuæ prouectionem proceſſerant, celibemque vitam deinceps ſeruare promiſerant; & hoſtis inuidus eorum caſtimoniæ propoſitum non ferens, animum viri in vxoris ſuę illicitum amorem compulit, vt qui ob amorem pudicitiæ ſe ab inuicem ſeparauerant, in nocte dominicæ reſurrectionis operarentur, quod non debuerant;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vir itaque ſuccenſus face libidinis, acceſſit ad mulierem recordans eius prioris pulchritudinis. Obſtupefacta mulier, multis eum increpauit ſermonibus, & bonorum operum allocuta eſt recordationibus, ſed nihil proficiens, ad virum ait: Quicquid in hac nocte à nobis fuerit operatum, ſit maledictum, & Diabolo mancipatum, concepit & peperit, natuſque eſt infans viſu mirabilis, creſcebat decore ſpectabilis, & literis docilis, & eloquentia laudabilis. Pater non attendebat, quod fecerat, Mater ſciebat quod dixerat, puer autem cum ad annum duodecimum peruenisſet, & tenerè à parentibus diligeretur: apparuit Matri eius fallax inimicus, cui votum de puero temere fecerat, dicens: Eſto parata mihi promiſſum anno tertio reddere. Inde Mulier in quotidianos fletus immerſa: promiſſionis infœlicis recordatione, poſuit in cogitatione diuerſa, mirabatur iuuenis, quòd populus de profectu ſuo gaudebat, ſolaque miſera Mater ſuper illo indeſinenter eum aſpiciens, flebat. Requiſita igitur ab eo cauſam diu quidem dicere diſtulit, ſed tandem interroganti ait, quod eum in conceptione, Diabolo in proprium obtulit. Tunc Adoleſcens nocte fugiens, quæ patris fuerant, reliquit, petijtque anxius nonnullos ſapientum, vt ei de ſuo tam priculoſo negocio darent conſilium, peragratis vero multis prouincijs non inueniens, quod quærebat, venit Romam, & inde cum literis Domini Papæ ad Hieroſolymitanum Epiſcopum longo itinere fatigatus acceſſit. Qui audiens ab eo rem & omnes, qui cum eo erant, reſoluti in fletibus, adoleſcentis gemitibus nimium condolebant. Igitur Epiſcopus religionis & ſanctitatis maiores quos potuit congregauit, & de iuuenis liberatione cum eis concionari cœpit. Quidam autem vir ſanctiſſimus in eremo longe à Hieroſolymis eidem Epiſcopo notus erat, qui fugiens viſus hominum, corporales etiam cibos reliquerat; hic Angelicis quotidie potiebatur loquelis, & toto animo conuerſabatur in cœlis, huic ab Angelo diuinæ celebrationis neceſſarium miniſtrabatur, huic de cœlo ſicut nix, candidus meridie panis, quo reficeretur mittebatur. Pontifice ergo de pueri ſalute ſolicito, venit in mentem eius diuina reuelatio, quòd vir ille ſanctus apud Deum poſſet ſuccurrere puero. Quo accerſito, miſit per puerum interſignia ſancto viro, quatenus adoleſcenti ſuccurreret Diabolo à Matre donato. Arrepto igitur longo itinere ſolus diſceſſit, quem ante ſanctum ſenem Angelus duos panes deferens præceſſit. Intelligens vir Dei quod, aliquis volente Deo veniret ad prandium, gratias egit dominatori omnium, venientemque ſuſcipiens iuuenem, miratus eſt eius pulchritudinem & eloquentiam, & perlectis literis ab Epiſcopo miſſis, ait ad iuuenem. Attende frater pietatis Dei conſilium & Genitricis eius auxilium: Habet enim virgo Maria dominium ſuper omnes ſpiritus malignos, & poteſt inferni feras aperire, & frangere interiores aditus, obnixe igitur eam deprecamur vt tibi ſubueniat. Itaque die dominicæ reſurrectionis, quando iam rapiendi puerum terminus impletus erat, vir Dei pro iuuenis liberatione, quem in vanum Diabolus expectauerat, cum lachrymis, & cordis contritione ſalutarem hoſtiam vt ſolitus erat obtulit, timentem vero puerum inter ſe & altare conſtituit, quem de loco illo Diabolus parum ante *pacem* fugiens, ad infernum rapuit. Sentiens igitur Sacerdos iuuenem ſibi ab hoſte ſublatum, ingemuit, & vt virgo virginum Mater adoleſcenti ſuccurreret fiduciam in mente habuit. Itaque pia Virgo Maria ſubuenire non diſtulit, ſed corpus, & animam pueri de inferno interiori liberauit, reſtituenſque eum in loco vnde ſublatus fuerat; viri Dei mœrori ſatisfecit. Cumque, *Pax vobis*, diceret vir beatus, *Et cum ſpiritu tuo*, reſpondit iuuenis à Dæmone liberatus; acceptaque de manu eius communione ſancta, narrauit ei quicquid de ſua liberatione nouerat, & quod multa millia in inferno reliquerat. Denique eius accepta licentia, & benedictione lætus abijt, & ad epiſcopum Hieroſolymitanum, ac parentes ſuos conſolandum redijt.

De fure ſuſpenſo, quem ipſa ſuſtentauit, & Monacho de cuius ore roſa poſt mortem proceſſit.

Cap. CXVI.

FVit quidam Elbo vocatus, frequenter res alienas rapiebat, quibus ſe, & ſuos alebat. Qui tamen ſanctam Dei genitricem venerabatur ex corde; eamque dum ad latrocinandum iret exorabat, ac deuotiſſime ſalutabat. Quadam die in furto deprehenſus, ſine vlla miſeratione ad ſuſpendendum ductus eſt. Cumque eo ſuſpenſo iam pedes eius penderent in aere, ſancta Maria Virgo Mater in auxilium eius veniens, per biduum, vt ſibi videbatur, eum ſuis ſanctis manibus ſuſtentauit, nec aliquam læſionem pati permiſit. Illi vero qui eum ſuſpenderant, cum ad locum illum redijſſent, videntes eum viuentem vultu hilari quaſi nihil mali patientem, putauerunt eum non plene laqueo innexum, & dum accedentes guttur eius transfigere vellent, iterum ſancta Maria manus ſuas gutturi eius appoſuit, nec transfigi permiſit. Cognoſcentes ergo eo referente, quod ſancta virgo auxiliaretur ei, dimiſerunt eum abire. Qui factus monachus, quandiu vixit Deo, & ſanctiſſimæ Matri eius poſtea ſeruiuit.

Aliud exemplum.

Quidam Archiepiſcopus Cantuarienſis Eccleſiæ, olim à curia Romana reuertens in Abbatia ſancti Bertini, quæ eſt apud ſanctum Audomarum, hoſpitatus eſt. Et die craſtina ductus in capitulum ſermonem ædificationis cum fratribus habuit. Quo finito indicauit eis, quod cum eſſet apud Beneuentum, audiſſet à quodam viro religioſo, qui de partibus Hieroſolymitanis erat, quod in illa terra quinque pſalmos, incipientes à ſingulis literis nominis beatæ Mariæ in honorem & memoriam ipſius frequentare multi conſueuerant: ſcilicet, *Magnificat*. *Ad dominum cum tribularer*. *Retribue*. *In conuertendo*. *Ad te leuaui*: ſingulis *Aue Maria* præmittentes. Erat autem ibidem in conuentu ſancti Bertini, quidam monachus Ioſcio nomine, qui hoc vigilanter audiuit, & quotidie poſt matutinas prædictos pſalmos in honore beatæ Mariæ decantare cæpit. Aceidit igitur vt quadam nocte ſurgentibus fratribus ad vigilias, ille frater Ioſcio non intereſſet choro pſallentium. Subprior verò chorum circuiens cum lucerna, vbi eum non inuenit, ad lectum eius citius perrexit, ibique eum defunctum reperit, conuocati autem fratres accurrunt ſtupentes, & lugentes, vultumque ei diſcooperientes inuenerunt quinque flores roſarum, vnus egrediebatur de ore, & lingua eius: duo de oculis, duo de auribus. Lętantes pro tali miraculo detulerunt eum in chorum, & facie diſcooperta cum recentibus roſis, diligentius intuentes, in roſa quæ de ore exibat, inuenerunt ſcriptum, *Maria*. Tenuerunt ergo illum per ſeptem dies, donec tres Epiſcopi conuenirent, quorum vnus fuit Atrebatenſis Epiſcopus, qui fuit Abbas Ciſtercienſis, & multi alij clerici, & laici, qui viderunt magnalia Dei.

De muliere quam à morte ſuſcitauit, donec peccatum ſuum confiteretur.

Cap. CXVII.

IN territorio Linconenſi erat quædam mulier beatam Virginem Mariam valde amans, ipſi, & filio eius in ſanctitate, & iuſtitia ſeruiens. Quę cum adhuc iuuencula eſſet, quoddam perpetrauit peccatum, quod non tam ſui pondere, quàm dictu horribile menti eius naturaliter, & verecunde portentuoſum videbatur. Aliàs igitur ſtrennue in bonis operibus,

potens,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

potens,& de cæteris excessibus per annum more Christiano sacerdoti suo confessionem faciens; hoc solum peccatum dicere subterfugiebat propter pudoris confusionem. In fine tamen illud confiteri intendens non manifestè, sed quasi occultè addebat de consuetudine: *De his, & alijs, si quæ sunt in me, de quibus confessa non sum, Dei misericordiam, & veštram absolutionem postulo.* Frequentius quoque ad Ecclesiam accedens, & ante quandam Beatæ Mariæ Virginis imaginem toto prouoluto corpore iacens, in amaritudine animæ suæ, illum quem celabat loquebatur reatum, fundens quoque lachrymarum diluuium, Christo faciente, & Maria fauente. Tandem animaduertit versutiam confitentis, solertia confessoris; etenim frons, genæ color subito mutatus, & tremulæ sonus vocis, animum eius exæstuantem loquebantur. Cæpit pius pastor peccatricem verbis suauibus, & suasibilibus allicere, vt ab ea exigeret tanti gemitus notitiam per confessionis veritatem, cœpit bruto pectori disserere peccatorum diuersitates, & circumstantias, Dæmonum peruersitates, & instantias, vt illa conscientiæ domum euerrens pura confessione exprimeret, si quod delictum reliquisset, vel suppressisset. Sed ligante os eius Diabolo non potuit confiteri, nec vires habuit periens, licet ei cura obstetricis assisteret vigilans. Ipse verò quendam de Cluniacensibus priorem consulit, & ei de mulieris confessione fictitia admonito, & præmunito, ipsam, vt eius consilio firmaretur destinauit. Qui etiam confitentis audita conscientia, & in suspirandi modo notata illa versutia, satagit vt tortuosus coluber de cordis eius latebra educeretur. Sed quia serpens momorderat non in sibilo, scientia non fuit incantatori. Denique mulier sine peccati illius confessione rebus humanis exempta, & potestati iudiciariæ præsentata, tristem excepit sententiam. Sed postulante Maria pro supplice sua, & Iesu adiudicante, pependit in cœlesti curia edictum, vt ad corpus rediret anima peccatricis, & quoniam sine confessione non constat salus, viuens Sacerdoti, confiteretur, & sic denuo morti, quod suum est soluens beatorum cœtui sociaretur.

Interim positum in media flebili propinquorum frequentia, seruabatur cadauer exanime, & ecce anima subito reuertente feretrum contremuit, corpusque infremens, & vocem planctus erumpens, fragroso sonitu domum concussit. Præcipitabant fugam circumstantes, & præoccupabant iter ad portam. Sed qui arctius eam dilexerant, sustinuerunt & licet trepidi propius accesserunt, colligentes itaque reducis vitæ certitudinem ex motu, & voce, solutis fascijs erexerunt eam Christi laudes, & Mariæ præconia inculcantem. Erecta ergo, vocato Sacerdote, de peccato illo cum cæteris fecit confessionem, ac communione accepta aliquantisper allocuta circumstantes prædicauit suam liberationem, continuoque oculos clausit in morte, & suffragantibus Virginis Mariæ meritis requieuit in pace.

De Subdiacono Toletano, quem iniustè degradatum restituit. Item aliud ex eodem.

Cap. CXVIII.

IN ciuitate Toletana fuit quidam Subdiaconus, qui à primæua ætate Christum secutus, sanctamque Mariam matrem eius speciali amplectebatur affectu, & assiduo venerabatur famulatu. Qui cum quadam die solemni Archipræsuli sacra celebranti pro ministerio assisteret, venit hora vt legeretur Euangelium iuxta morem, modulatione solemni, in loco editiori; & ille veste nuptiali indutus legenti Diacono assistens raptus est in spiritu, viditque in mentis excessu supra fenestram in fronte Ecclesiæ, sedentem Dæmonem in specie Simiæ horrida, & deformi, & in collo eius cornu scriptoris, tomus erat in sinistra, calamus in dextra, cumque tam oculis directis, quàm auribus suspensis, quasi curiosum spectatorem, & sedulum pollicens auditorem foribus Ecclesię frequentius, & diutius inhæsisset, subinde scriptitabat. Ibidem siquidem duę mulierculæ confederant, quæ secreto adinuicem suarum tragædiarum impudicitias euomebant. Reuelante ergo spiritu, intellexit Subdiaconus eum qui in Simiæ forma latebat esse accusatorem fratrum, qui etiam nunc assumpta ex muliebri turpiloquio accusationis materia, damnationis æternæ antiquum tentaret reparare chirographum. Iam scriptum erat intus, & foris, Sed cum multiloquium locus angustus non caperet, apprehensam cum dentibus, & vnguibus pelliculam, pestifer Scriba detrahere cœpit, vt dilataret. Dum fortiter faciens sibi non prę-caueret, lapsu cadens repentino, tantum visus est fragorem dedisse, vt Subdiaconus ęstimaret Ecclesiam funditus corruisse, qui solus cernebat læsionem. Risit ergo & lætatus est cum vidit ruinam, manus etiam leuans in præcipitatione pestilentis, cadentem prosecutus est plausu casto, minus tamen castigato. Mirari cœperunt circumstantes, & stupere, abominari, nec leuiter ferre stultæ, vt sibi visum est, inconstantiam leuitatis, in Dei homine, altaris ministro, & præsertim præsentibus vniuersis. Sublato autem spectaculo spirituali, ad se reuertitur homo, & recogitans quis, quid, vbi, quando, quibus astantibus fecerit, repletur amaritudine, & induitur confusione. Reliquum exequitur ministerij sui cum modesta compositione corporis, & compunctione cordis. Finitis autem salutaribus ministerijs, insalutatus relinquitur, cæterisque ad conuiuium, & lætitiæ domum inuitatis, opprobrijs, & despectione amaricatus abijcitur, nec veretur Archiepiscopus suspendere à carnali beneficio, quem paulo ante ad spiritualia contemplanda suspenderat Dei benignitas. Migrat ergo degradatus, vagus; & profugus declinando opprobrium, Solitariam, quæ in itinere occurrebat,hospes accidiosus intrat Ecclesiã,ibiq; humiliter ad beatam Mariam accedens,ac diutius in oratione cum gemitu & lachrymis laborans, accessit ad cor altum, & excessit semetipsum, & ecce stetit iuxta illum Beata Virgo Maria, in maiestate & decore apparens, quæ diabolicæ accusationis conscriptionem pectori eius superponens, postquam diutius tristem deliniuit tam vultus, quam mellifluæ vocis blanditijs in alta se recepit. Edoctus homo in silentio, quid facto opus sit; sublata visione, redditur sibi, gratias agit Christo & Beatæ Virgini. Venit ad Episcopum deinceps, cui & duplicatæ reuelationis committitur arcanum; conuocatæ etiam mulierculæ, diffitentur primo, sed ostensi chirographi conuictæ testimonio, criminis Episcopo, & laudis Deo, dant confessionem; & hinc inde remissionis, & gratiæ recipiunt largitatem. Sicque minister Beatæ Virginis amissum recepit beneficium, insuper & in Episcopi spiritualem gratiam recipitur, & singulariter mirabilis de cætero in eius oculis habetur.

De solemnizatione Natiuitatis ipsius Virginis, & quarundam imaginum eius miraculis.

Cap. CXIX.

SAnctæ Dei genitricis Mariæ Natiuitas, quia ignorabatur, diu in Ecclesia non celebrabatur, sed sic diuinitus reuelata est. Solitarius quidam sanctę vitæ fuit, qui singulis annis harmoniam in cœlo nocte Natiuitatis eius audiuit. Qui cum miraretur, quod hoc alio tempore non audiret, rogauit Deum, vt sibi ostenderet, quid hoc significaret. Cui Angelus Domini apparens talia retulit: *Virgo perpetua, quæ Deum genuit hac nocte nata fuit, quod licet ab hominibus ignoretur ab Angelis celebrè habetur.* Qua reuelatione

diuulgata, eius Natiuitas celebrari ab Eccleſia inſtituta eſt.

Aliud exemplum. Saracenus quidam habebat imaginem Beatæ Virginia in tabula depictam, cui aſſiduè, & humiliter ſupplicabat, valde ſecum admirans, & pertractans, quomodo contigiſſe potuerit, vt virgo pareret, & filium lactaret. Dum autem hoc cogitaret ad excutiendam de corde eius dubietatem incarnationis Chriſti, & confirmandam partus virginei veritatem, ſubito cæperunt de pectore illius imaginis carneæ mammillæ erumpere, & ex ipſis oleum cœpit emanare. Quod videns ille Saracenus, credidit in Deum, & ſanctam Matrem eius, & baptizatus eſt.

Aliud exemplum. In vrbe Conſtantinopolitana Iudęus quidam imaginem Beatæ Mariæ virginis in tabula breui figuratam, & parieti domus cuiuſdam affixam conſpiciens, interrogauit, cuius eſſet figura? Audienſque quod eſſet beatæ Mariæ Virginis, iratus valde tulit eam de pariete, & ad vicinam currens domum vbi humana ſtercora egeri ſolent, illuc eam eiecit, ſtatimque digna, & ignominioſa morte conſumptus, poſtea nuſquam comparuit, ſed mancipatus, vt creditur, iuri maligni ſpiritus, hominum ſubtractus eſt aſpectibus. Quidam autem Chriſtianorum imaginem ſanctam requirens, inter ſordes abſconditam reperit, ſubleuanſque eam, & diligenter abſtergens, ac lauans, ſecum honorificè in domo collocatam habuit; & ad honorem Dei genitricis ex eadem tabula, in qua imago ſancta depicta erat, oleum ebulliens diſtillare cœpit, vſque hodie vero miraculum perſeuerat.

De miraculis eiuſdem circa ſanctum Ildefonſum Toletanum Epiſcopum oſtenſis.

CAP. CXX.

SAnctus Ildefonſus Toletanus Epiſcopus fuit, hic ſub rudimentis adhuc infantiæ degens diuino tactus ſpiritu contemptis parentum ac rerum affectibus, Agalienſe monaſterium petijt, Monachumque ſe in eo multis annis exhibuit. Tandem poſt obitum Toletani Archiepiſcopi hic Pontifex ſurrogatus, inter cætera bonorum operum ſtudia, ſanctam Dei genitricem valde familiariter diligebat.

Libri ſancti Ildefonſi. In cuius laude de eius ſanctiſſima virginitate compoſuit inſigne volumen, quod ita ſanctæ Dei genitrici complacuit, vt ei ipſum librum manu tenens appareret, & pro tali opere gratias referret. Scripſit autem contra illos, qui de eiuſdem virginitate ac parturitione diſputant vt hæretici, alium librum: De Aſſumptione eius, ſermones, vel tractatus quatuor; De eadem Homeliam Euangelij, id eſt. De Purificatione eiuſdem opuſculum vnum. Scripſit, & opuſculum de proprietate perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Opuſculum aduocationum diuinæ actionis. Opuſculum aduocationis in ſacris. Opuſculum aduocationis in ſacramentis. Librum vnum de cognitione Baptiſmi. Et alium de progreſſione ſpiritualis deſerti, & multa alia.

Volens autem beatam Virginem altius honorare, conſtituit vt eius ſolemnitas celebraretur ſingulis annis 8. die ante Natale dominicum, vt prius eius ageretur feſtum, per quam DEVS HOMO NATVS venit in mundum. Quæ rurſum ei apparuit, ſedens in cathedra prope altare poſita, & albam ſacerdotalem attulit ei dicens: *Hoc veſtimentum de Paradiſo filij mei attuli, quo in Dei, & mei ſolemnitate veſtieris, & in hac cathedra ſedebis, quando tibi libuerit: Scitoque certiſſime, quod nemo præter te in hac cathedra ſedebit, vel hoc veſtimentum inducre impunè valebit:* His dictis receſſit.

Poſt obitum vero Ildefonſi Siagrius, qui in Archiepiſcopatu ſucceſſit paruipendens prædeceſſoris ſui deuotionem, in prædicta cathedra contra prohibitionem ſanctæ Virginis conſedit, ſanctumque veſtimentum induere volens, dixit: *Sicut ego homo ſum, ſic ſcio hominem fuiſſe prædeceſſorem meum; Cur ergo non veſtiar eo quo induebatur veſtimento, cum eodem, quo ipſe functus eſt, fungar officio;* hoc dicens illo ſacro veſtimento ſe induit, Sed Deo ſtatim vlciſcente præſumptionem eius, in terram cum eodem veſtimento arctius conſtrictus mortuus cecidit. Quod videntes, qui illic aderant, magno pauore conterriti, ſacrum veſtimentum, quod indignè acceperat, tulerunt, & in Theſauro Eccleſiæ vbi hactenus ſeruatur repoſuerunt.

De dictis eiuſdem præſulis in laudem ipſius virginis.

CAP. CXXI.

IGitur ex libris & ſermonibus quos idem beatus vir Ildefonſus de Beata Virgine luculenter edidit, hæc pauca excerpſi. *Ildefonſus contra eos qui diſputant de virginitate eius & parturitione.* Beata Virgo Maria niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minime eius Natiuitas colenda eſſet: nunc autem quia auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolum maledictio Euæ matris ſoluta eſt, verumetiam benedictio omnibus condonata; nullis ergo quando nata eſt delictis ſubiacuit, nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit.

Idem in ſermone de Aſſumptione eius. Deſcendit ſicut pluuia in vellus, quia cœleſtis imber id eſt vnda diuinitatis virgineo vellere, placido ſe infundit illapſu, quando verbum caro factum eſt.

Idem in eodem. Cum clauſtrum matricis, & genitale virginis eſſet clauſum, & ſignatum ſigillo pudoris, non potuit obſtare partui integritas corporis, nec eguit reſerari, quia non potuit, vt eſſet ei tormentum, qui erat honor matris, & gaudium, ſed totum erat ei peruium, in ea quicquid erat clauſum, quia totum erat deificum quod natum.

Idem in eodem. Infans paruus, ac maximus; membris ſcilicet exiguus, diuinitate excelſus, per hoſpitalis templi ſinceram defluens caſtitatem, non læſit corpus abſcedens, quod non læſerat cum veniſſet.

Melius eſt, quod in ſermone ſit verecundia, quam in fide periculum. Da mihi ergo veniam Chriſte, & parce ori meo, quod incarnationis tuæ myſterium temerarius narrator attingo, quia licet tu clauſum dimiſeris vterum, nobis tamen permiſiſti aperire incredulis Euangelium.

Imitamini matrem virginem, & omnes ſanctos, quos laudatis, quia non tantum illis prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eorum imitatio, vnde ſponſo magis placet imitator deuotus, quam laudator ocioſus.

Vere aluus ille tornatilis fuit, quia in eo ſapientia ſe influxit, quæ in cratere illo vinum ſuum miſcuit, in quo ſcilicet vtero virginis, & aceruum tritici & flores filij Chriſti gratia germinauit, quia Chriſtus, & aceruus tritici, & filius fuit.

Author. Hęc de Beato Ildefonſo, & dictis eius, ac de miraculis circa eum, & circa alios per Beatam Virginem oſtenſis, ad præſens dicta ſufficiant. Extant & alia eiuſdem Virginis miracula ſcripta, quorum multa in hoc eodem opere inferius per diuerſa loca pro diuerſitate temporum quibus acta ſunt breuiter inſeruimus.

Nunc ad hiſtoriam vnde digreſſi ſumus redeamus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De primo aduentu Pauli in Hieruſalem, & miraculis beati Petri, & primitijs gentium.

Cap. CXXII.

Actum 9. PAulus autem poſt tres annos à conuerſione ſua venit in Hieruſalem videre Petrum, cumque vellet ſe iungere diſcipulis, omnes timebant eum, non credentes, quod eſſet diſcipulus, ſed adhuc perſecutor. Tunc Barnabas Cyprius duxit eum ad Apoſtolos, Petrum, ſcilicet & Iacobum Epiſcopum, & narrauit eis modum ſuæ conuerſionis manſitque cum eis diebus xv. Deinde venit in partes Syriæ, & ibi loquebatur gentibus, diſputabatque cum Iudæis inter Græcos diſperſis. Qui cum vellent eum occidere, fratres hoc cognito deduxerunt eum Cęſaream Paleſtinæ, & inde dimiſerunt eum Tharſum, vnde ipſe oriundus erat.

Actum 10. Petrus vero cum prædicando diſcurreret venit ad Lyddam, ibique ſanauit paralyticum nomine Æneam. In Ioppe vero ſuſcitauit à morte Tabitam, ibi multis diebus moratus apud Simeonem Coriarium.

Tandem iuxta præceptum & reuelationem Domini tranſiens in Cæſaream, baptizauit Cornelium cum ſuis tanquam primitias gentium.

Actum 11. Inter hæc illi qui diſperſi erant à tribulatione, quæ inceperat à morte Stephani, perambulauerunt vſque ad Phenicem prouinciam Syriæ, nemini loquentes verba niſi ſolis Iudæis. Erant autem quidam ex eis de Cypro & Cyrene, qui cum introiſſent in Antiochiam loquebantur ad Græcos & multi crediderunt.

Actum 11. Delatum autem eſt ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, de conuerſione Antiochenorum, & volentes plene certificari, miſerunt Barnabam in Antiochiam. Qui cum veniſſet, exhortatus eſt omnes, vt in propoſito permanerent, videns autem Barnabas, quod non ſufficeret ad erudiendam tantam multitudinem, venit Tharſum vt quæreret Paulum & inuentum perduxit Antiochiam, & per annum conuerſati ſunt ibi, & docuerunt turbam multam. Et tunc primo à Chriſto capite denominati ſunt Chriſtiani, qui primo dicebantur Diſcipuli. In diebus autem illis ſuperuenerunt Prophetæ ab Hieroſolymis Antiochiam, & ſurgens vnus ex eis Agabus prophetauit per ſpiritum ſanctum famem futuram in vniuerſo orbe, & maxime in Iudæa. Tunc primo facta eſt collecta in vſus pauperum quæ miſſa eſt per Barnabam & per Paulum in Hieruſalem.

De epiſtola Pilati Tiberio miſſa ſuper Crucifixione Domini.

Cap. CXXIII.

Euſebius in chronicis. Anno Domini 38. Imperij vero Tiberij 23. Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referẽte, Tiberius retulit ad ſenatum, vt inter cætera ſacra reciperetur.

Richardus de ſancto Victore in libro exceptionum. Mos enim erat Romanis, vt prouinciarum iudices ſenatui ſcripto renunciarent, ſi quid noui in his quas regebant prouincijs accidiſſet. Pilatus ergo ſcripſit epiſtolam ad Tiberium, de his, quæ perpetrata fuerant in dominum Ieſum, deſignans etiam ei, quod ipſe eſſet vere Saluator mundi.

Author. Epiſtolam quidem Pilati ſub hac forma deſcriptam reperi.

Epiſtola Pilati ad Tiberium. *Pontius Pilatus Claudio ſalutem.*

Nuper accidit, quod ipſe probaui, Iudæos per inuidiam, ſe ſuoſque poſteros crudeli damnatione peremiſſe, cum enim promiſſum patres eorum haberent quod Deus eorum mitteret illis per virginem ſanctum ſuum, qui Rex eorum merito diceretur, hunc me preſente miſit in Iudæam. Quem cum vidiſſent cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, Paralyticos curaſſe, Dæmones effugaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, ventis imperaſſe, pedibus ſiccis ſuper vndas maris ambulaſſe; & alia multa miracula feciſſe, & omnis populus Iudæorum diceret eum eſſe Dei filium, principes Sacerdotum inuidiam paſſi ſunt contra eum: hunc itaque mihi tradiderunt, & alia pro alijs mentientes reum, magum eſſe, & contra legem eorum agere dixerunt. Ego autem ita eſſe credidi, ipſumque flagellatum eorum arbitrio tradidi, qui eum crucifixerunt, & ſepulchro cuſtodes adhibuerunt; at ille, militibus meis cuſtodientibus, die tertio reſurrexit. In tantum vero nequitia Iudæorum contra eum exarſit, vt ipſis cuſtodibus pecuniam darent, quatenus diſcipulos eius corpus rapuiſſe dicerent. Sed illi, quod factum erat tacere non valentes, teſtati ſunt eum reſurrexiſſe, ſeque viſionem Angelorum vidiſſe, & à Iudæis pecuniam accepiſſe, hæc autem ideo ſcripſi ne quis aliter eſtimet credendum mendacijs Iudæorum.

Richardus de ſancto Victore lib. exceptionum. Tunc Tiberius cum ſuffragijs magni fauoris retulit ad Senatum, poſtulans, vt Chriſtus Deus haberetur; at Senatus recuſauit, indignans quod non ſibi ſecundum morem epiſtola prima fuiſſet delata; ab illa itaque die cæpit immutari laudatiſſima prius modeſtia Cęſaris, in pœnam ſenatus contradictoris.

Euſebius in chronicis. Verum cum ex conſultu Patrum Chriſtianos eliminari vrbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum cominatus eſt mortem, vt ſcribit Tertulianus in Apologetico.

De exilio, & morte Pilati, & eius ſucceſſore.

Cap. CXXXIIII.

Comeſtor cap. 57. Hic quidem Pilatus cum eſſet procurator Iudeæ, Vitellio Præſide Syriæ, accuſatus eſt in multis apud Tiberium; accuſatus eſt etiam à Iudæis de violenta interfectione innocentum; accuſatus eſt etiam quod Iudæis reclamantibus ponebat imagines gentilium in templo; & quia pecuniam repoſitam in Corbonam redigeret in vſus ſuos, inde faciens aquæductum in domum ſuam. Pro his omnibus exportatus eſt in exilium Lugduni, vnde oriundus erat, vt in opprobrium generis ſui moreretur. *Ex hiſtorijs Ioſephi & alijs.*

Euſebius in chronicis. Ita Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria ſe manu interemit.

Comeſtor loco citato. Mortuo Pilato ſubſtituit Vitellius fratrem ſuum procuratorem Iudeæ. Et volens placere Iudæis ſatisfecit eorum voluntati in quibuſdam, quia ſcilicet ad eorum petitionem Caypham à ſacerdotio amouit; & filium Annæ, qui iam mortuus erat ſubſtituit; reddiditque ei ſtolam illam ſolemnem, & antiquam, quam ſacerdos in ſua poteſtate debebat habere; vt ea feſtiuis diebus vteretur. Pilatus enim eam in domum ſuam tranſtulit, & quando diebus feſtiuis erat neceſſaria ſacerdoti, non poterat eam habere niſi precio præcedente.

De paupertate, & ambitione Herodis Agrippæ.

Cap. CXXV.

TEmpore Tiberij mortuus eſt Philippus Tetrarcha Ituręę, & Traconiditis regionis, frater Herodis Tetrarchæ: mortuus eſt etiam Liſanias Tetrarcha Abilinæ, & ita vacabant duæ Tetrarchiæ, & aſpirauit Herodes Agrippa ad alteram earum.

Comeſtor cap. 59. Erat hic Herodes vir magnanimus, & bellicoſus, ſed pauperrimus, nepos Herodis Tetrarchæ, & frater vxoris eius Herodiadis; fuit enim filius Ariſtobuli Magni filij Herodis, & ipſa filia eiuſdem. Diſpoſuit ergo venire Romam, ſi forte poſſet impetrare à Tiberio alteram Tetrarchiarum vacantium; cumque veniſſet Romam, videns eum Tiberius militem ſtrenuiſſimum, retinuit eum ſecum, & fecit vt adhęreret Druſo, qui iam in vita ſua tradiderat Imperium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Agrippa Romæ degens obliberalitatẽ immodicam ad inopiam redactus.

Erat autem Herodes vir magnæ liberalitatis, & vt ſibi conciliaret animos Romanorum, multa expendebat, multiſque debitis ſe obligauerat. Et vt tradit Ioſephus, non fuit homo in quo mutabilitas Fortunæ adeo poſſet deprehendi. Primo in hoc male contigit ei: quia mortuus eſt Druſus filius Tiberij, de cuius morte adeo inſolabiliter doluit Tiberius, vt omnes à præſentia ſua amoueret, qui familiariter adhæſerunt Druſo, ne reducerent ei ad memoriam mortem eius. Et compulſus eſt Herodes Agrippa redire in Iudæam, & deſperans præ nimia paupertate, intrauit turrim, vt ibi afficeretur fame, & ita moreretur. Quod ſignificauit Vxor ſua, ſorori ſuæ, Herodiadi, vxori Herodis Tetrarchæ. Quæ ſupplicauit viro ſuo, vt reuocaret eum à turre, & daret ei neceſſaria vitæ. Et acquieuit ei, & ſtatuit eum in Tyberiade, & ibi aſſignauit ei domum & dedit ei neceſſaria vitæ. Quadam vero die cum eſſet Herode Tetrarcha in Tyberiade, & epularetur, factus hilarior ſolito improperauit ei beneficia ſua, quæ contulerat ei, ſcilicet, quod liberauerat eum à peſte famis. Et doluit inde Agrippa vltra modum, & diſpoſuit iterum redire ad Tiberium, ſi forte inuentret animum eius immutatum, & honorificè ſuſceptus eſt ab eo. Et cum haberet Tyberius duos nepotes, alterum de filio Druſo ſcilicet Tiberium, & alterum de fratre Germanico ſcilicet Caium, voluit ſibi ſubſtituere filium filij, quia magis diligebat eum.

Agrippa vitam miſerã abrumpere cogitat.

Agrippæ inopiã Herodes exprobrat.

De mutua inuidia Tiberij, & Herodis Agrippæ, & de moroſitate Tiberij.

Cap. CXXVI.

Comeſtor cap. 60.

HErodes autem Agrippa magis diligebat Caium. & familiarius adhærebat ei, vnde ſibi ſuſcitauit indignationem Tiberij latentem. Quadam autem die, cum ſederet Agrippa in curru cum Caio leuatis manibus in cœlum dicebat: Vtinam viderem mortem importuni ſenis, & Caium dominum totius orbis, hoc audiuit quiſpiam ſcilicet Auriga ipſius Agrippæ, cui poſtea cum rebus domini ſui aufugiens, captus eſt, & vinculatus, & cum traheretur ad carcerem, petijt ſe duci ad Imperatorem dicens, quia in ore loqueretur ei, quod eſſet ad eius vtilitatem. Et præſentatus eſt Imperatori, & dixit conſulto, quia ſic optauerat Agrippa mortem eius, & dominium Caij. Tiberius vero non multum curabat verba vinculatorum, & detruſus eſt ille in carcerem. Et cum ſæpe inſtaret Agrippa, vt iudicaretur, & occideretur, reſpondebat Tiberius. Frater ſufficiat tibi, quod vinculatus eſt, & ita differebat quia (vt refert Ioſephus) in omnibus negocijs ſuis moroſus erat vnde cum ſtatueret procuratores in prouincijs, vix aut nunquam mutabat eos. Quod cum ſæpius quæſitum eſſet ab eo, quare ſcilicet non mutaret procuratores; reſpondit ſe in hoc parcere plebeculæ. Scientes enim procuratores ſe ad modicum habere procuratorium, emungunt vſque ad ſanguinem, & tanto dominantur grauius, quanto breuius, & qui recentes ſuperueniunt diſſipant quicquid inueniunt. Quod oſtendit exemplo cuiuſdam vulnerati, qui cum iaceret in via, & non amoueret multitudinem muſcarum à vulnere, ſuperueniens alter putauit, quod hoc omitteret ex imbecillitate, & abegit muſcas quæ operuerant vulnus. Ad quem ille: Male inquit feciſti mihi, quia muſcæ quas amouiſti, iam plenæ erant ſanguine, & parcius moleſtabant me, quę autem ſuperuenient recentes acrius pungent me. Sic & procuratores, vel officiales recenter ſubſtituti, acrius in ſubiectos deſæuiunt.

Lege Ioſephum 18. lib Antiq. cap. 8.

Quare Tiberius poteſtates ſemel conſtitutas non facile mutauerit. Nota miſeriam huius mundi.

Pulchram Simile.

De incarceratione ipſius Herodis, & de augurio Bubonis.

Cap. CXXVII.

Comeſtor cap. 61.

CVm autem quadam die more ſolito incitaret Agrippa Tiberium, v extraheret Aurigam ſuum de carcere, reſpondit idipſum ei non expedire, cum in præſentia ipſius vellet eum vinculatus accuſare; & cum in nullo ſibi conſcius eſſet Agrippa; teſtatus eſt ſe velle, vt extraheretur, & accuſaret eum: eductus eſt ille de carcere, arguit eum de crimine læſæ maieſtatis: quia optauerat mortem Imperatoris, tunc ait Tiberius Carcerario: Liga hunc. Intellexit Carcerarius præceptum de eo, qui eductus fuerat de carcere, & ligatum retruſit in carcere. Quadam autem die cum ambularet Tiberius in Hipodromo, id eſt, in circo equorum, & teneret Agrippam per manum, vocato Carcerario, dixit ei: Liga hunc; & miratus eſt ipſe, & vniuerſi, quod præciperet Agrippam ligari, cum purpuratus incederet; quia erat de regio ſemine; cum autem duceretur Agrippa ad carcerem, patiebatur intolerabilem ſitim: quia ſplendide comederat; & forte occurrit ei portitor aquæ, & dedit ei bibere, & poſtquam refocillatus eſt, promiſit ei, quod in proximo remuneraret eum in regno Caij, confidens quod in proximo eſſet Caius regnaturus, & poſitus eſt in carcere. Quadam autem die cum ſtaret innixus arbori, cuius frondibus inſidebat Bubo, acceſſit ad eum vnus de concaptiuis, & locutus eſt ei. Noli inquit æſtimare, quod adulando loquar tibi, cum ſis concaptiuus meus, volo enim indicare tibi quod indicauerunt mihi Dij (erat hic peritus in augurijs) cito, inquit, liberaberis, & in tantum ſublimaberis, quod etiam tunc tibi inuideant omnes amici tui, & in hac proſperitate morieris, relinquens bona tua filijs tuis: quam cito autem huius generis alitem videris amplius ſuper te; ſcito, quia quinta die morieris. Cum autem eſſet Herodes in carcere, deferebat ei honorem Dominus carceris; ſciens eum virum nobilem ac familiarem Caij, & ſuſtinebat tanquam ignorans, ſibi fieri multas commoditates ab amicis ſuis in carcere, & fuit per ſex menſes in carcere.

Agrippa ad audiendum ſeruum ſuũ nomine Eutycum inſtat quo facto propter verba quædam ei vincula ſunt iniecta.

Quidam cõcaptiuus Agrippæ fortunam florentem, & vitæ terminum pradicit.

De morte Tiberij, & ſubſtitutione Caij, & ſublimatione Herodis.

Cap. CXXVIII.

POſtea cum eſſet Tiberius apud * Capreas, cæpit infirmari, videns autem ſe moriturum conuocatis nobilibus imperij ſui, & duobus Neporibus ſuis, Caio, & Tiberio, ſtatuit vt in craſtino ſubſtitueret ſibi ſucceſſorem, & orauit Deos ſuos, vt intimarent ei mentem ſuam, quem nepotem ſuorum vellent ſubſtitui in imperio, & ſtatuit apud ſe, vt illum, qui prius veniret ad eum in craſtino conſtitueret Imperatorem, vt ita quaſi per ſortem eligeret: tamen ſignificauit Tiberio, vt prior veniret. Qui mane noluit venire niſi pranſus, & venit prior Caius. Quem videns Tiberius fleuit amarè, dolens quia alter non venerat, quem volebat ſubſtituere. Et locutus eſt, ad eum Tiberius. Fili tu ſuccedes mihi in imperio, quod potius debebatur Tiberio quaſi hæreditario iure tanquam filio filij. Sed ego video te vtilem imperio, & noui mentes Deorum, & conuocatis nobilibus denunciauit eum Imperatorem, & mortuus eſt: & ſtatim aliquantulum inſonuit fama in ciuitate Romana de morte Tiberij, & venit quidam Hæbræus amicus Herodis Agrippę ad carcerem, & Hebraicè dixit ei. *Mortuus eſt Leo*, & cæpit Agrippa mirabiliter gratulari adeo, vt quæreret dominus carceris, quæ eſſet cauſa tantæ exultationis, & confeſſus eſt, quod ille ſignificauerat ei

* *Comeſtor habet Campas, ſed non rectè. Comeſtor cap. 62.*

Tiberius moritur ſubſtituto præmiſſo Caio in Imperatorẽ quem ex augurio ſibi ſucceſſorem intelligit.

Hebraice

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hebraicè mortem Tiberij, & ſtatim dominus carceris liberauit eum, & ſtatuit ſibi collateralem in menſa. In craſtino alij inſonuerunt rumores, quod Tiberius conualuerat, & tertia die Romam venturus erat. Tunc arguit eum dominus carceris, quia deceperit eum, timens ne in caput eius redundaret, quod liberauerat ipſum, & mirabiliter verberauit eum, & retruſit eum in carcerem, Poſtea increpuerunt certi rumores de morte Tiberij,& ſubſtitutione Caij,& venit Caius Romam, & ſepeliuit Tiberium honorifice. Voluit etiam ipſa die Agrippam liberare,ſed diſſuaſum eſt ei, ne videretur facta Tiberij in irritum velle ſubito reuocare. Poſtea per aliquot dies liberauit eum, & ſublimauit eum, Dedit enim ei duas Tetrarchias, ſcilicet, Tetrarchiam Philippi & Tetrarchiam Liſaniæ, & impoſuit ei diadema,& ſublimatum in Regem remiſit in Iudęam.

Caius Agrippam è carcere liberat, & regem conſtituit.

De Imperio Caij, & eius vita,& ſtudijs ac ludis.

Cap. CXXIX.

Caius Caligula Cæſar 4. anno M. 3992. Chriſti 29.

Ex chronicis. Romanorum igitur quartus Caius Caligula, cæpit anno domini 39. mundi vero 3992. & regnauit annis ferme 4.

*Hugo Floriacenſis li.*3. Caius iſte Germanici filius, quia in exercitu natus fuerat cognomentum calciamenti militaris id eſt Caligula ſortitus eſt.

Popularitas Caligulæ erga damnatos relegatoſque

*Suetonius lib.*4. Princeps autem creatus Caius, damnatos relegatoſque reſtituit; criminum ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit: libellum de ſalute ſua oblatum non recepit, contendens, *nihil ſibi admiſſum, cur cuiquam inuiſus eſſet*: negauit quoque ſe aures, delatoribus habere. Magiſtratibus ſe liberam iuriſdictionem, & ſine ſui appellatione conceſſit; multis incendiorum damna ſupplenit. Statuta fuit eminenti, colore pallido, corpore enormi, gracilate maxima ceruicis, & crurum; oculis, & temporibus concauis, fronte lata, & torua, capillo raro, & circa verticem nullo, hirſutus cætera: quare tranſeunte eo,proſpicere ex ſuperiore parte, aut omnino quacunque de cauſa *Capram*, nominare, criminoſum, & exitiabile habebatur. Vultum vero natura tetrum,& horridum, etiam ex induſtria efferebat,componens ad ſpeculum in omnium terrorem ac formidinem; valitudo ei neque animi neque corporis conſtitit; incitabatur in ſomno maxime, neque enim plus quam tribus nocturnis horis quieſcebat, ac ne his quidem placida quiete, ſed pauida, miris rerum imaginibus,vt qui inter cæteras,pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus eſt. Ideoque magna parte noctis vigil, cubandique tædio nunc toro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus, inuocare identidem atque expectare lucem conſueuerat.

Statura,forma ac valetudo Caij.

Vestitv, calciatu, cæteroque habitu neque patrio neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique humano, vſus eſt. Sæpe depictas gemmataſque indutus pœnulas, manuleatus, & armillatus in publicum proceſſit; aliquando ſericatus, & cycladatus, ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri; plurimum vero aurea barba fulmen tenens. Et Disciplinis liberalibus nimium eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit,quantumuis facundus, & promptus; vtique ſi perorandum in aliquem eſſet; irato & verba, & ſententiæ ſuppetebant, pronunciatioque & vox, vt neque in eodem loci præ ardore conſiſteret, & exaudiretur à procul ſtantibus. Peroraturus, *ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur:* leuius comptiuſque ſcribendi genus adeo contemnens, vt Senecam tunc maxime placentem, *commiſſiones meras* componere,& *harenam eſſe ſine calce* diceret. Sed, & aliorum generum artes ſtudioſiſſime, & diuerſiſſimas exercuit, canendi atque ſaltandi voluptate ita efferebatur, vt ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quo minus Tragædo pronuncianti concineret; & geſtum Hiſtrionis quaſi laudans, vel corrigens palam effingeret. Si quis autem eo ſaltante, vel leuiter obſtreperet, detrahi iuſſum manu ſua flagellabat.

De exilio Herodis Tetrarchæ, & Herodiadis.

Cap. CXXX.

*Lege Ioſephum lib.*18. *Antiq cap.*9.

Comeſtor cap. 62. Porro Herode Agrippa in regem ſublimato, inuiderunt ei omnes propinqui eius; & ſoror ſua Herodias qnæ miſerta fuerat infælici, modo inuidit fœlici; præcipuè quia habebat nomen Regis, quia vir ſuus erat maior natu filius Magni Herodis, & nunquam meruit Rex appellari, ſed Tetrarcha: perſuadebat itaque viro ſuo de die in diem, vt iret Romam & ſatageret omnibus modis, vt ſibi compararet nomen Regis. At ille manebat eſſe in ocio, quia opulentus erat,vnde ſæpe vxor exaſperata,dicebat; Pereant opes tuæ, quia tu ſcilicet magis opes diligis, quàm honorem. Tandem victus inſtantia vxoris, iuit ad Caium cum magno apparatu, & ipſa cum eo; & inuenerunt Caium Bais, Herodes autem Agrippa qui perſenſerat, quod non pro bono ſuo iſſent,diſpoſuit ire poſt eos,ſed præmiſit nuncium familiarem ſuum & amiciſſimum Caio,per quem direxit epiſtolam in qua continebatur, quod Herodes Tetrarcha etiam viuente Tiberio amicitiam firmauit cum Rege Parthorum vt eſſet rebellis Romano imperio; & in argumentum eius rei ſignificauit ei, quod in ciuitatibus ſuis habebat arma, quæ ſufficerent 70. millibus hominum.

Herodias Herodem maritum ad titulum regium ambiendũ hortatur.

Comeſtor cap. 63.

Cumque veniſſet Herodes Tetrarcha, & Herodias vxor ſua ad Caium, & ſatis honorifice recepiſſet eos, ſuperuenit nuncius Herodis Agrippæ, & porrexit epiſtolam Caio. Perlecta autem epiſtola, Caius aliunde incipiens, cæpit inquirere de ſtatu Herodis Tetrarchæ, & vtrum in ciuitatibus ſuis eſſet tanta copia armorum, quantam ipſe audierat, & non negauit. Et tunc credens Caius verum eſſe, quod ſignificauerat ei Herodes Agrippa relegauit eum in exilium; vxori autem ſuæ quia erat ſoror Herodis Agrippæ, quem maxime diligebat, dedit libertatem redeundi vt haberet terram ſuam. Ipſa vero comitata eſt virum in exilio, dicens: Quia non dimitteret eum in aduerſis, cui communicauerat in proſperis. Et deportati ſunt in exilium Lugdunum, vbi poſtea miſerabiliter mortui ſunt. Et dedit Caius Galilæam quam habuerat Herodes Tetrarcha Herodi Agrippæ, & ita habuit tres Tetrarchias.

Herodes exilio damnatur eiuſque bona Agrippæ traduntur.

De Philone & ſcriptis eius.

Cap. CXXXI.

Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 5. Cuius Caij temporibus Philo inſigniſſimus ſcriptorum florebat, qui non ſolum in noſtra, verumetiam in Græcorum philoſophia primus inter primos habebatur; hic autem genere quidem à proauis Hebræus, apud Alexandriam in omnibus claris, & nobilibus viris clarior ac nobilior erat. In diuinis autem legibus, & patris inſtitutis, quantus qualiſue fuerit, ex his quæ nobis librorum ſuorum tradidit monumentis omnibus clarum eſt. *Hieronymus in lib. de illuſtribus viris.* Philo Iudæus natione Alexandrinus de genere ſacerdotum, idcirco à nobis inter ſcriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens,Eccleſia in noſtrorum laude verſatus eſt non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque prouincijs eſſe memorans,& habitacula eorum dicens monaſteria. Ex quo apparet talem primum Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur. Hunc aiunt ſub Caio Caligula Romæ periclitatum, quo le-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gatus gentis suæ missus fuerat, cumque secunda vice venisset ad * Caium, in eadem vrbe locutum esse cum Apostolo Petro, eiusque habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam Marci, discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus.

* *Hieronymus habet Claudium.*

Extant huius præclara & innumerabilia opera in quinque libros Moysi. De confusione linguarum li. 1. De natura & inuentione lib. 1. De his, quæ sensu precamur & testamur lib. 1. De eruditione lib. 1. De hærede diuinarum rerum, li. 1. De diuisione æqualium & contrariorum lib. 1. De tribus virtutibus li. 1. Cur quorundam in scripturis mutata sint nomina li. 1. De pactis li. 2. de vita Sapientis li. 1. De Gigantibus lib. 1. Quod somnia mittantur à Deo li. 5. Quæstionum & solutionum in Exodo lib. 5. De Tabernaculo & Decalogo lib. 4. Necnon & de victimis & repromissionibus siue maledictis; de prouidentia; de Iudæis, de conuersatione vitæ, de Alexandro: & quod propriam rationem habeant muta animalia, & quod omnis insipiens seruus sit & de vita nostrorum lib. 1. De agricultura 2. de ebrietate 2. Sunt & alia eius monumenta ingenij, quæ in nostras manus non peruenerunt; de quo vulgo apud Græcos dicitur, ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων Πλαταωνίζει id est aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo; tanta est similitudo, & sensuum & eloquij.

Aut Plato philonizat, aut Philo platonizat ob styli congruentiam.

De temeritate Caij qua Dei cultum sibi vsurpauit.

Cap. CXXXII.

Comestor cap. 63. Fuit autem Caius in initio imperij sui per biennium satis mansuetus; postea cor eius euanuit in elationem, & in tantam prorupit vesaniam vt ab vniuersis hominibus imperij sui vellet coli tanquam Deus, & dicebat se fratrem Iouis, vnde etiam filiam vnicam quam habebat, ponebat inter genua Iouis, vt ita quasi communis vtrique videretur.

Caius diuinos honores sibi vsurpat

Suetonius. Caius itaque in Castoris & Pollucis æde sæpe consistens, inter duos fratres medium se adorandum adeuntibus exhibebat; templum etiam numini suo proprium, & Sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulachrum stabat aureum, amiciebaturque quotidie veste qua ipse vteretur, Magisteria Sacerdotij ditissimus quisque & ambitione & liciatione maxima vicibus comparabat. Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam inuitabat assiduè in amplexus atque concubitum. Interdum vero cum capitolino Ioue secreto fabulabatur, modo insusurrans, ac præbens inuicem aurem: modo clarius, nec sine iurgijs, nam vox comminantis audita est, donec exoratus, vt referebant, & in contubernium vltro inuitatus est.

De crudelitate eiusdem.

Cap. CXXXIII.

AViæ Antoniæ per indignitates, & tædia, causa extitit mortis, dato tamen, vt quidam putant, & veneno; nec defunctæ vllum honorem habuit, prospexitque è triclinio ardentem rogum: fratrem Tiberium inopinantem, immisso repente tribuno militum, interemit. Silanum socerum ad necem, secandasque nouacula fauces compulit; Iuliam filiam infantem, nullo firmiore iudicio sui seminis esse credebat, quam feritatis, quæ illi tanta iam tunc erat, vt infestis digitis ora & oculos simul ludentium infantium incesseret. Horreis præclusis nonnunquam famem populo indixit: Parentes supplicijs filiorum interesse cogebat, quorum vni valetudinem excusanti lecticam suam misit. Reuocatum quendam à vetere exilio scisitatus quidnam ibi facere consueuisset, respondente eo per adulationem; *Deos semper orani, vt quod euenit, perires Tiberius: & tu imperares*: opinans quoque sibi exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui vniuersos contrucidarent. *Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat, quam inuerecundiam.* Non temere in quenquam nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est: perpetuo notoque præcepto, *ita feri vt se mori sentiat.* Queri etiam palam de conditione suorum temporum solebat, *quod nullis publicis calamitatibus insignirentur*, sui obliuionem & imminere prosperitate rerum: atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. *Animum* quoque remittendi, ludoque & epulis dedito, eadem factorum dictorumque ignauia aderat. Quotiens Vxoris, vel Amiculæ collum exoscularetur, addebat, *Tam bona ceruix, simul ac iusserò demetur.* Pulchros & comatos, quotiens sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.

De impudicia eius, & prodigalitate, & rapina.

Cap. CXXXIIII.

PVdicitiæ neque suæ, neque alienæ pepercit; cumque omnibus sororibus suis consuetudinem stupri fecit; easdem sæpe exoletis suis prostrauit, postremo condemnauit eas, quasi adulteras, & insidiarum aduersus se conscias; prodigorum omnium ingenia superauit, commentus nouum balnearum vsum, portẽtuosissima genera ciborum atque cœnarum; vt calidis frigidisque vnguentis lauaretur; preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conuiuis ex auro panes, & obsonia apponeret; *aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.* Fabricauit, & de cedris liburnicas, gemmatis puppibus versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate; quibus discumbens de die inter choros, ac symphonias littora Campaniæ peragraret.

Stupra Caij cum omnibus sororibus.

EXHAVSTVS atque egens ad rapinas conuertit animũ, vario & exquisitissimo calumniarum & exactionum & vectigalium genere; vectigalia noua & inaudita exercuit nullo rerum atque hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Nouissime contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aceruos aureorum patentissimo distensos in loco, nudis pedibus spaciatus, & toto corpore aliquamdiu volutatus est. Militias resque bellicas semel attigit. Diuersissima in eo vitia erant, summa confidentia, & nimius metus; nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua, & fulgura coniuere & caput obuoluere, ad maiora vero proripere se è strato, sub lectumque condere solebat. In Sicilia irrisis multorum locorum miraculis, repente à Messana noctu profugit Ætnæi verticis fumo ac murmure pauefactus.

Confidentia Caligulæ & nimius metus.

De Statua Caij quam in templo Hierusalem mandauit erigi.

Cap. CXXXV.

Comestor cap. 63. Misit ergo imaginem suam per vniuersum Imperium suum, vt omnes adorarent eam, & sic fecerunt omnes, exceptis Iudæis. Vnde cum in Alexandria ciuitate orta esset seditio inter Iudæos & Gentiles, & venisset vtraque pars ante Caium vt discuteretur controuersia, inter cæteras allegationes quas habuerunt Gentiles contra Iudæos; obiecerunt eis quia Deum suum, quem communiter omnes gentiles receperant, ipsi inhonorabant, quia scilicet imaginem Caij nolebant honorare. Et tunc primo sciuit Caius, quia Iudæi non adorabant imaginem eius. Significauit ergo Petronio Præsidi Syriæ, vt statuam suam poneret in templo Hierusalem, vt facilius reciperent eam in circunstan-

Quidam nomine Apion Iudaos quod Cæsarem debitis honoribus non prosequerentur, accusat. Petronium Caius in Syriam mittit iussum Iudais bellum inferre nisi recipiant ipsius statuã.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cunſtantibus ciuitatibus. Quod ſi forte Iudęi reclamarent, collectis Romanis regionibus intraret Iudæam, & nemini parceret manus eius; collecto ergo exercitu, intrauit Petronius Iudæam, & venerunt ad eum Iudæi de Hieruſalem cum amicis Herodis Agrippæ, qui erat præcordialis Caio, & ſupplicauerunt ei, ne ad hoc hortaretur eos; quia prius permitterent ſe occidi, & parabant iugulos, dicebant etiam quod numquam amplius colerent terram, vt ſic inedia afflicti morerentur. Et reſpondit Petronius, non de conſilio ſuo hoc proceſſiſſe, ſed non audebat reſiſtere mandato Imperatoris, videns tamen quia grauem iacturam incurreret Caius ſi amitteret tributa totius Iudęæ, promiſit quia opponeret ſe Caio pro eis, & miſit Epiſtolam ſuam Caio per viros honoratos, vt deſiſteret ab hoc mandato. Qui cum veniſſent ad Caium, non auſi ſunt ſe præſentare in conſpectu Caij, ſed acceſſerunt ad Herodem Agrippam, vt ſubueniret Iudæis, quia vna de Tetrarchijs ſuis ſcilicet Galilæa erat in Iudæa: tunc Herodes inuitauit Caium in craſtino, vt comederet cum eo, & cum in craſtino eſſet in conuiuio, admiratus eſt delicias conuiuij, & cœpit memorare Caius quanta fuerat Herodes paſſus pro eo, ſcilicet vincula Tiberij, & alia multa. Et præcepit vt peteret quicquid vellet, & daret ei. At ille reſpondit, ſibi ſufficere gratiam eius. Et cum ille inſtaret, vt aliquid peteret; petijt ne poneret ſtatuam ſuam Hieruſalem in templo; & iratus eſt Caius, tamen conſiderans animoſitatem Agrippæ, quia noluerat opes vel honores petere, acquieuit ei: & ſcripſit Petronio in hunc modum: Si nondum poſita eſt ſtatua in templo, non eſt neceſſe vt ponatur, & ſic non eſt poſita ſtatua in templo.

Petronius ad Caium ſcribit.

Caium Agrippa Roma honorat in cuius retributionem Caius aliquid petere iubet, qui nihil aliud quam vt mandata Petronio data reuocet, rogat.

De nece eiuſdem Imperatoris.

Cap. CXXXVI.

POſtea reſipiſcens Caius, ſcripſit Petronio in hunc modum: Quia contempſiſti mandatum Imperatoris & potius dilexiſti munera Iudæorum, elige tibi quod vis genus mortis, vt diſcant omnes non eſſe tutum obuiare mandatis Imperatoris; ſed Deo procurante, ita factum eſt, vt prius audiret famam mortis eius, quam videret nuncios huius legationis.

Caius Petronio mandata imperatoria negligenti, vt ſibiipſi manus inferat; ſcribit.

Suetonius. Perijt enim Caius ingentia facinora auſus, & aliquanto maiora moliens. Siquidem propoſuerat Antium, & Alexandriam commigrare, interempto prius vtriuſque ordinis electiſſimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in ſecretis eius reperti ſunt duo libelli diuerſo titulo; alteri GLADIVS; alteri PVGIO index erat; ambo notas, & nomina continebant morti deſtinatorum. Inuenta eſt & arca ingens variorum venenorum plena; quibus mox à Claudio immerſis; infecta Maria traduntur; non ſine piſcium exitio, quos enecatos æſtus in proxima littora eiecit.

Ita bacchantem atque graſſantem, cum placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea Tribunus Cohortis prætoriæ depopoſcit. Quem ſeniorem iam, mollem & effæminatum Caius omni probro denotare conſueuerat, & modo, ſignum petenti PRIAPVM aut VENEREM dare; modo, ex aliqua cauſa gratias agenti, manum oſculandam offerre formatam in obſcenum modum. Is primus à tergo ceruicem gladio cæſum grauiter percuſſit. Deinde Cornelius Sabinus alter ex coniuratis ex aduerſo pectus traiecit, iacentem, contractiſque membris clamitantem ſe viuere, cæteri vulneribus 30. confecerunt, nam ſignum erat omnium, REPETE. Quidam etiam per obſcęna ferrum adegerunt, cadauer eius clam aſportatum in hortos Lamianos & tumultuario rogo ſemi ambuſtum, leui ceſpite obrutum eſt. Satis conſtat, hortorum cuſtodes vmbris inquietatos, in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam ſine aliquo timore tranſactam noctem, donec ipſa domus incendio conſumpta ſit, Perijt vna & Vxor Cæſonia, gladio confoſſa, & filia parieti illiſa. Pridie quàm periret, ſomniauit ſe conſiſtere in cœlo iuxta ſolium Iouis, impulſumque ab eo dextri pedis pollice in terram præcipitatum. Eodem tempore Olympiæ ſimulachrum Iouis, quod diſſolui transferrique Romam iuſſerat, tantum cachinnum repente edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER OCTAVVS.

De promotione Claudij ad Imperium.

CAP. I.

COMESTOR *cap.* 64. Caio igitur cum esset Romæ, & rediret à ludis Circensibus, consilio senatorum interfecto, orta est in ciuitate dissensio inter curiam, & milites, & populum: (Curia dicebantur Senatores, & viri consulares.) Quia igitur viderant Senatores sæuitiam Imperatorum, & incommoda, quæ inde contigerant Reipub. voluerunt penitus extirpare Imperium ab vrbe, & voluerunt eam redigere ad antiquum statum, in quo erat ante Iulium Cæsarem, vt esset regimen ciuitatis in arbitrio Consulum, & Senatorum. Econtra Milites, & Populus timentes auaritiam Senatorum & amantes donatiua Imperatorum, constituerunt Imperatorem Claudium auunculum Caij virum mansuetum, & pium.

Dissidium inter senatum & plebem.

Comestor cap. 65.

Agrippa suã sententiam senatui exponit.

Tunc venit Herodes Agrippa ad Senatores ducens secum de nobilioribus, qui erant in curia simulans se fauere parti eorum cum haberet eos exosos propter mortem Caij. Consuluit ergo eis, vt significarent Claudio ne moueret schisma in ciuitate, sed desisteret ab hoc incæpto. Et Senatores rogauerunt Herodem, vt pergeret cum eis ad Claudium. Et professus est se libenter fungi ac legatione, & missus est cum alijs ad Claudium. Et eis audientibus, dixit ei, quod dixerat coram Senatoribus. In aure autem dixit Claudio, vt non desisteret ab incæpto, quia ipse satageret, vt maior pars nobilium faueret parti eius. Et renunciauit Senatoribus, quod nollet Claudius desistere ab incæpto. Et cępit eis persuadere, ne contrairent, quia non possent impedire, & allexit quosdam, & tandem omnes. Et ita sine contradictione factus est Claudius IMPERATOR; & persuasione Herodis omnes occisi sunt, qui consenserant in mortem Caij, & petijt Herodes ab eo, vt decretum Caij de statua adoranda reuocaret in irritum, quia impium erat, & acquieuit ei, & præcepit, vt epistola reuocationis per singulas ciuitates Iudææ ponc-

Agrippa cũ alijs aliquot ad Claudium mittitur.

Claudius in proposito suo ab Agrippa confirmatur.

retur in loco eminenti, vt videretur ab omnibus.

Ex chronicis. Romanorum igitur quintus Claudius, cæpit anno domini 43. mundi vero 3996. Et Imperauit annis fere 14. id est annis 13. & mensibus octo & diebus 20.

Claudius Imperator quintus M. 3996. C. 43.

De vita & moribus eiusdem.

CAP. II.

SVetonius *lib.* 5. Hic (imperio stabilito) omnium factorum atque dictorum in cum, veniam & obliuionem in perpetuum sanxit ac præstitit; in semet augendo parcus, & ciuilis prænomine *Imperatoris* abstinuit; nimios honores recusauit. In cognoscendo, & decernendo mira varietate animi fuit; modo circumspectus, & sagax, interdum inconsultus, & præceps: ac nonnunquam friuolus amentique similis, sæuum & sanguinatium natura fuisse magnis minimisq; apparuit; Appium Silanum consocerum suum, Iuliasque Neptes, alteram Drusi, alteram Germanici fratris filiam, crimine incerto, nec defensione vlla data, occidit. Item Cn. Pompeium maioris filiæ virum, & Luc. Silanum minoris sponsum. Item 35. Senatores trecentosque equites Rom. tanta facilitate animaduertit, vt cum de nece ipsorum (renunciante centurione) *factum esse, quod imperasset*, negaret *se quicquam imperasse, nihilominus tamen rem comprobaret*, affirmantibus libertis, milites officio functos, quod ad vltionem Imperatoris vltro percurrissent. Idem tormenta quæstionum pœnasque Parricidarum repræsentabat, exigebatque coram: quocunque gladiatorio munere, vel suo vel alieno, etiam prolapsos iugulari iubebat; vt expirantium facies videret. Bestiarijs meridianis adeoque delectabatur, vt à prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie, dimisso ad prandium populo, persederet, præterque destinatos etiam leui subitaque de causa quosdam committeret; sed nihil æque quam timidus, & diffidens fuit. Primis imperij diebus neque conuiuia inire ausus est, nisi spiculatores cum lanceis circunstarent, militesque ministrorum vice fungerentur; neque ægrum quemquam visitauit nisi explorato prius cubiculo, culcitrisque & stragulis prętentatis, & excussis. Reliquo autem tempore salutatoribus perscrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos;

Mira Claudij animi varietas, in decernendo ac cognoscendo.

Sæua ac sanguinaria Claudij natura.

Timor ac diffidentia Claudij.

quasdam

quasdam insidias temere delatas adeo expauit, vt deponere Imperium tentauerit, quodam cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, Senatum per præcones propè conuocauit, lachrymis, & vociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil vsquam tuti esset, ac diu publico abstinuit; nulla adeo suspicio, nullus tam leuis auctor extitit, à quo non vel mediocri scrupulo iniecto ad cauendum vlciscendumque compelleretur.

De eodem & forma ipsius.

CAP. III.

INter cætera in eo mirati sunt homines, obliuionem, & inconsiderationem. Occisa Messalina vxore, paulò postquam in triclinio decubuit, *cur domina non veniret*, requisiuit. Multos, quos capite damnauerat, postero statim die etiam in consilium, & ad aleæ ludum admoneri iussit, & quod morarentur, vt somniculosos per nuncium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam vxorem, non cessauit omni ratione *filiam, & alumnam, & in gremio suo natam atque educatam*, prædicare. Sermonis vero rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, vt nec quis, nec inter quos, quove tempore aut loco verba faceret scire aut cogitare existimaretur. Cibi vinique quocumque tempore, & loco appetentissimus fuit, conuiuia agitauit ampla, & assidua, ac fere patentissimis locis, vt plerumque sexcenti simul discumberent, nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. Conuiuæ, qui pridie cyphum aureum subripuisse existimabatur, reuocato in diem posterum, fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in conuiuio emittendi*; cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Somni breuissimi erat nam ante mediam noctem plerumque euigilabat, vt tamen interdiu nonnunquam in iure dicendo obdormisset, vixque ab aduocatis de industria vocem augescentibus excitaretur. Auctoritas dignitasque formæ non defuit stanti, vel sedenti ac præcipuè quiescenti, nam & prolixo, nec exili corpore erat, & specie canicieque pulchra, opimis ceruicibus. Cæterum, & incedentem destituebant poplites minus firmi; & remisse quid vel serio agentem multa dehonestabat; risus indecens, ira turpior spumante ore, humentibus naribus, capite vero in quantulocumque actu, vel maxime tremulo.

Cibi vinique appetentia.

Somnus breuissimus.

De Iacobo Zebedæi, & Hermogene Mago.

CAP. IIII.

COmestor cap. 66. Cum autem voluit Herodes licentiam accipere à Claudio, & redire ad propria; tunc Claudius dedit ei quartam Tetrarchiam scilicet Iudæam, & sublimatus est rediens ad propria. Venit autem primo in Iudæam, & honorificè susceptus est à Iudæis, quia in multis iuuauerat eos. Et cum prope esset dies Azymorum venit in Hierusalem ante diem festum vt purificaretur, & mundus interesset diei festo. Et ante dies Azymorum occidit Iacobum fratrem Ioannis, de quo refert *Clemens Alexandrinus*: quia cum detrusus esset in carcerem nocte, conuertit ad fidem custodem suum. & simul ambo capite truncati sunt.

Agrippam Claudius in regnū suum mittit.

Nota de Iacobo Maiore, scilicet Iacobo Zebedai vt ait Comestor in fine cap. 67.

Ex gestis eius. Hic itaque Iacobus Apostolus cum omnem Iudæam, & Samariam visitaret per synagogas ingrediens, & omnia quæ à Prophetis prędicta sunt in Christo impleta ostendens; Hermogenes Magus Philetum discipulum suum ad eum misit. Qui cum venisset cum Pharisæis ad eum, conabatur asserere, quod non esset vere Dei filius, *Iesus*. Iacobus autē in Spiritu sancto confidenter agens, omnes assertiones eius euacuauit, ostendens eis ex scripturis hunc esse *verum Dei filium*. Ille reuersus ad Hermogenem dixit; *Iacobum Christi Apostolum scias superari non posse.* Nam in nomine Christi vidi eum Dæmones eijcientem, cæcos illuminantem, leprosos mundantem; omnesque scripturas sanctas memoriter tenet, ex quibus ostendit non alterum esse *Dei filium*, nisi hunc quem Iudæi crucifixerunt. Veni ergo ad ipsum & postula tibi ab eo indulgentiam: Quod si non feceris, scias me ad ipsum reuerti, & petere vt merear eius esse discipulus. Audiens autem Hermogenes hæc, repletus est zelo, & vinxit Philetum, ita vt semouere non posset, Dixitque ei: Videbimus si Iacobus tuus soluerit te ab his vinculis. Tunc Philetus misit puerum suum ad Iacobum, qui cum nunciasset ei; ille sudarium suum misit Phileto, dicens, accipias eum, & dicas. *Dominus Iesus Christus erigit elisos, & ipse soluit compeditos.* Statim autem vt de sudario eius tetigit eum is, qui attulerat, resolutus est à vinculo Magi, & currens venit ad Iacobum insultans maleficijs eius. Vnde dolens Magus, arte sua excitauit Dæmones, quibus dixit: Ite & Iacobum mihi adducite, simul etiam & Philetum; vt vindicem me in eo; ne mihi cæteri Discipuli mei, taliter incipiant insultare.

Conuersio Phileti discipuli Hermogenis.

Psal. 145. Philetus resoluitur à vinculis Magi per tactū sudarij D. Iacobi.

De conuersione Hermogenis, & passione Iacobi.

CAP. V.

VEnientes igitur Dæmones vbi Iacobus orabat, vlulare cæperunt in aera dicentes: *Iacobe Apostole Dei miserere nostri: quia antequam veniat tempus incendij nostri, iam ardemus.* Quibus ille: Quid venistis ad me? at illi; Misit nos Hermogenes, vt te, & Philetum perduceremus ad ipsum: mox autem vt ingressi sumus, Angelus domini sanctus, catenis igneis religauit nos, & cruciamur. Dixit ei Iacobus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti exoluet vos Angelus Domini, ita vt reuertentes ad Hermogenem non eum lædatis: sed vinctum huc illum perducatis.* Qui cum abijssent, ligauerunt eum restibus & à tergo manus & ita adduxerunt eum. Cui dixit Iacobus: *Stultissime hominum, quare non consideras quem rogasti, vt mitteret Angelos suos ad læsionem meam?* Clamabant autem ad Iacobum Dæmones: Dimitte nos vt possimus, & tuas iniurias vindicare, & nostra incendia, at ille: Ecce Philetus ante vos stat, cur eum non tenetis? Dicunt illi, non possumus, neque formicam contingere, quæ in cubiculo tuo est. Tunc ait Iacobus ad Philetum; vt discant homines iuxta scholam *Domini Iesu* bona pro malis reddere, ille te ligauit, tu eum solue. Quod cum fecisset confusus, & humilis Hermogenes cæpit stare. Cui Iacobus, vade liber, vbi volueris. Non est disciplinæ nostræ, vt inuitus aliquis conuertatur. Qui ait: Ego noui iras Dæmonum, nisi dederis mihi aliquid, quod mecum habeam tenebunt me, & diuersis pœnis interficient. Accipe, inquit, baculum itineris mei, & cum eo perge securus, quocunque volueris. Qui cum accepisset eum, abijt, & posuit eum super ceruices suas, & discipulorum suorum Zabernas plenas codicibus cœpit ignibus cremare. Deinde reuersus tenere cœpit plantas Apostoli, rogans eum & dicens: *Animarum liberator accipe pœnitentem, quem hactenus sustinuisti inuidentem & detrahentem:* Cui Apostolus: Si veram pœnitentiam Deo obtuleris, indulgentiam consequeris. Vade ergo per domos eorum, quos euertisti, vt per te reuoces quos tu elisisti. Idolum quoque quod adorabas, confringe; & pecunias, quas de malo opere acquisisti, in operibus bonis expende. In omnibus, autem obtemperauit Hermogenes, & ita cœpit in timore Dei perfectus esse, vt etiam per eum fierent virtutes à Domino plurimæ. Post aliquantum vero tempus Abiathar Pontifex vidit populum multum per doctrinam Iacobi in Christum credidisse, per pecunias excitauit seditiones grauissimas, ita vt vnus ex scribis mitteret funem in collo eius, & perduceret eum ad Prætorium

Scola Domini Iesu docet nos reddere bona pro malis.

Conuersio Hermogenis Magi.

Inuidia Abiathar Pontificis.

Regis

Regis Herodis; Herodes autem filius Archelai Regis, iussit eum decollari. Cumque duceretur ad decollationem, in via *Paralyticum* iacentem, ad se clamantem sanauit. Tuncille qui funem miserat in collo eius, & eum traxerat nomine *Iosias* misit se ad pedes eius dicens. *Obsecro te vt des indulgentiam mihi, & participem me facias nominis sancti: credo enim Iesum esse filium Dei.* Tunc Abiathar Pontifex iussit os eius pugnis cœdi, & missa de eo relatione ad Herodem impetrauit, vt simul cum Apostolo decollaretur. Iacobus autem petita aqua, baptizauit eum, & sic vna hora simul cum ipso Martyr effectus perrexit ad dominum.

De Discipulis eiusdem Apostoli, & libello translationis eiusdem.

Cap. VI.

De hac re lege Annotationes Baronij super Martirologium Romanum.

Alixtus Papa. Sic itaque beatus Iacobus plures discipulos habuit, sed duodecim speciales; tres in Hierosolymitanis oris elegisse legitur: quorum Hermogenes Præsul effectus, & Philetus Archidiaconus, post eius passionem apud Antiochiam multis miraculis decorati, sacra vita in domino quieuerunt. Et beatus *Iosias* Herodis Dapifer vna cum ipso Apostolo Martyrio laureatus est; nouem vero in Galæcia cum adhuc viueret Apostolus elegisse dicitur: quorum septem alijs duobus in Galilæa prædicandi causa remanentibus, cum eo Hierosolymis perrexerunt, eiusque corpus post passionem in Galæciam per mare portauerunt. De quibus beatus Hieronymus in Martyrologio suo scripsit sicut à beato Cromatio didicit, quod sepulto in Galæcia beati Iacobi corpore; ab Apostolis Petro & Paulo, infulis episcopalibus apud Romam ordinantur, & ad prædicandum Dei verbum ad Hispanos adhuc gentili errore implicatos diriguntur. Quibus prædicatione sua illustratis Torquatus Accia Ctesiphon, Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cęcilius Iliberi, Hesychius Carteiæ, Euphrasius Illiturgi scilicet Idibus Maij quieuerunt.

Horum meminit Greg. 7. in epistola ad Alphonsū Regem.

Trithemius de viris illustribus dum recenset Calixti Papæ commentarios, ait illū copioso sermone, & maxima diligentia tractatum scripsisse de miraculis Sancti Iacobi: Habētur & eiusdem Calixti sermones de translatione Sācti Iacobi.

Extat vsque hodie optimum miraculum in testimonium preciosæ mortis eorum. Nam in præfata solennitate eorum vigilia scilicet apud Accinctinam vrbem ad sepulchrum Torquati retro Ecclesiam, annuatim arbor oliuæ diuinitus florens, maturis fructibus onustatur, è quibus illico oleum elicitur, vnde lampades ante altare eius accenduntur. Alij vero duo discipuli scilicet Athanasius, & Theodorus, vt in epistola beati Leonis describitur, iuxta corpus Apostoli sepulti sunt, vnus ad dexteram, alius ad sinistram. Porro de libello translationis Apostoli quid circa quendam eius peregrinum acciderit, temporibus nostris vobis dicendum est.

Clericus quidam mihi notus, amator & peregrinus eius; hanc translationem cum quibusdam alijs Apostoli miraculis volens secum ad patriam suam deferre, cuidam Fernendo scriptori in vrbe eiusdem Apostoli scribere fecit, & viginti nummos in precium dedit. Qui cum libellum dato precio acciperet, & in basilica Apostoli in angulo quodam solus legeret, super gremium suum tot nummos, quot scriptori dederat reperit, quos à nullo mortali sed ab Apostolo diuinitus impositos credidit; hanc itaque beati Iacobi translationem à nostro codice excludere nolui, cum in ea tanta scribantur miracula, quæ etiam à Beati Leonis minime discordant epistola, hæc autem celebratur 3. Kal. Ianuarij.

De continentia eiusdem libelli.

Cap. VII.

Author. Apostolis itaque diuersa Cosmi climata adeuntibus, nutu Dei Iacobus Iberiæ oris appulsus, verbum Dei prædicauit intrepidus, vbi 7. Discipulos elegisse fertur scilicet Torquatum, Secundum Indaletium, Ctesiphontem, Euphrasium, Cæcilium, Hesychium, quorum collegio lolium extirparet, ac telluri arido & diu sterili semina verbi Dei committeret. Cumque dies immineret supremus Hierosolymam cum eis perrexit, ibiq; Martyrium subijt, cuius corpus discipuli eius nocte rapientes præ timore Iudæorum naui imposuerunt, & sepulturam eius diuinæ prouidentiæ committentes, duce Angelo Galæciam appulerunt; & exeuntes, de portu posuerunt corpus eius in loco quodam secreto & pergentes ad quandam fœminam viduam Dominam loci illius, nobilem, sed paganam, dixerunt ei. *Dominus Iesus Christus mittit ad te corpus Discipuli sui, vt quem noluisti viuum recipere, suscipias, vel defunctum.* Et narrantes miraculum qualiter sine remigio illic peruenissent, locum illū vbi prius eum posuerant, ad eius sepulturam petebat. At illa dolosi animi, & ferocis, dixit eis, se libenter concedere quod petebant, si tamen prius Regis Hispaniæ assensum haberent. Pergentes autem ad Regem benignè obtinent, sed post paululum iratus, & promissi pœnitens, iussit abeuntes insequi & necari. Et cum iam pontem transissent, insequentes eos milites ruente sub eis ponte, in flumine submersi sunt. Quod audiens Rex sibi suisque timens, misit ad eos rogans, vt securi venirent, & quod promiserat obtinerent. Illi ergo redierunt, & ad fidem Christi Regem cum populo conuertunt. Hoc audiens prædicta domina de submersione militum valde dolens, redeuntibus ad se discipulis & ex parte Regis præfatum locum petentibus: Habeo, inquit, in illo monte duos Boues quos euntes assumite, & plaustro iungentes, quæ necessaria sunt deferte, & locum sicut volueritis ædificate, hoc autem dolosè dicebat, sciebat enim eos boues indomitos esse & siluestres, & ideo putauit quod non possent iungi nec applicari, vel si applicarentur currerent hac vel illac, currumque dissiparent, & eos occiderent, corpusque deijcerent, *sed non est sapientia contra Dominum.* Illi enim malitiam eius non aduertentes montem adeunt, & statim Draconem flammiuomum inuenientes, cum in eos irrueret, virtute crucis oppositæ per medium ventrem fin-dunt'. Indeque Tauros accipiunt, & eis virtute Dei mitigatis, sancti Iacobi corpus imponunt; & sic nullo duce palatium Mulieris intrantes, ea stupente & conuersa ad fidem, gratanter obtinent quicquid volunt. Sepulto igitur corpore, & de sumptibus illius Dominę fabricata super illud Ecclesia, discipuli eius ad prædicandum dispersi sunt. Duo tamen ex eis excubantes ad eius tumulum remanserunt, & post mortem suam iuxta eum se tumulari fecerunt.

De modo quo & trāslatum corpus Sancti Iacobi in Galæciam.

Rex conuersus cum omni plebe per miraculum.

Corpus S. Iacobi traditur sepulturæ, & in eius honorē ædificata est Ecclesia Compostella.

Author. Cum igitur 8. Kalend. Aprilis scilicet in Annunciatione Dominica fuerit decollatus, & 8. Kalend. Augusti, ab Iberia vsque ad Compostellam translatus, & 3. Kalend. Ianuarij, sepultus, quia materia sepulturæ vsque ad Ianuarium ab Augusto durauit, statuerunt sancti vt in Ecclesia festum eius, 8. Kalend. Augusti scilicet in tempore magis congruo celebretur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De carcere Petri & interitu Herodis, & ſucceſsione Agrippæ.

CAP. VII.

Comeſtor cap. 66. Petrum quoque Herodes apprehenſum miſit in carcerem, quia in diebus azymorum non licebat aliquem occidere. Et præter cuſtodes carceris tradidit eum cuſtodiendum quatuor quaternionibus militum, volens poſt paſcha producere eum populo, vt ipſe populus occideret cum, non ipſe Herodes, vt Iacobum, quia magis videbatur eis gloriosum ſi ipſi occiderent eum, quia princeps erat Apoſtolorum.

Actum 12. Comeſtor cap. 67. & 68. Cum autem in craſtino producturus eum eſſet Herodes, ipſa nocte per Angelum à domino liberatus, venit nd fratres, & narrauit quomodo eduxit eum dominus. Alia nocte abijt in alium locum præ timore Herodis, & Iudæorum.

Herodes proficiſcitur Cæſaream. Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non inueniſſet, diligenter inquirens, de cuſtodibus, vtrum nouiſſent quidnam factum eſſet de eo, iuſſit eos adduci ad ſe vt vindicaret in eos, non tamen vindicauit, Domino procurante, vt ſolutio Petri nulli noceret. Imminente euim negocio, deſcendit Herodes à Iudæa in Cæſaream Paleſtinæ propinquans Tyro & Sidoni, vt noceret Tyrijs & Sidonijs, quibus iratus erat, quod audientes Tyrij & Sidonij venerunt ad Blaſtum, qui erat Cubicularius Herodis, & cuſtos Theſaurorum eius, quia erat amicus eorum, & patronus, & eo interprete conciliati ſunt Herodi, non enim poterant ſuſtinere inimicitias Regis tam vicini. Sequenti vero die Herodes veſtitus veſte Regali ſedebat pro tribunali

Agrippa in theatro Deus cõſaluatur. apud eos, & cõcionabatur ad eos blandiens eis. Populus autẽ exhibebat ei Laudes Deo debitas, & nõ homini. Et dũ adulatorijs fauoribus demulceretur, & oblatos ſibi diuinos honores non reſpueret, reſpiciens ſupra ſe vidit imminentẽ & inſiſtentem capiti ſuo in funiculo

Bubonem vidit vt Germanus prædixerat, & quinto die moritur Angelum, id eſt, Bubonem, mortis proximæ nuncium. Et tunc (vt tradit Ioſephus) inclinauit ſe ad eos, qui ſibi applaudebant & dixit eis. *En ego Deus veſter morior.* Sciebat enim iuxta quod dixerat ei Augur ſe infra 5. dies poſt viſionem Bubonis moriturum. Et confeſtim (vt habetur in hiſtoria) percuſſit eum Angelus domini id eſt facta eſt ſuper eum vindicta Domini, quia per quinque dies ventris dolore cruciatus eſt, corrodebant enim vermes viſcera eius, & ita paulatim conſumptus à vermibus expirauit.

Herodes diuinos honores à populo oblatos non reſpuens, percuſſus ab Angelo & conſumptus à vermibus, expirauit. Comeſtor cap. 69. Reliquit autem filium, qui dictus eſt Agrippa, ſed non cognominatus eſt Herodes, qui adhuc erat Romæ, nec habuit totum regnum patris; habuit enim terram duarum tribuum, & dimidiæ vltra Iordanem. Vnde legitur, quia fideles in Iudæa, imminente euerſione Hieruſalem, per admonitionem Angeli ſeceſſerunt in regnum Agrippæ, iſtius ſcilicet Filij Herodis Agrippæ.

De ordinatione Pauli, & Barnabæ, & qualiter dictus eſt Paulus.

CAP. IX.

Comeſtor cap. 80. Reditus Hiſtoriæ ad ordinem ſuũ. HIc redit hiſtoria ad ordinem ſuum, & continuatur ei, quod ſupradictum eſt [*collectam factam à fidelibus Antiochiæ, miſſam pauperibus in Hieruſalem per Barnabam, & Saulum*] Barnabas igitur, & Paulus reuerſi ſunt à Hieroſolymis aſſumpto ſecum Ioanne, qui cognominatur Marcus, poſt expletum miniſterium. Erant autem in Eccleſia quæ erat Antiochiæ, præter eos, qui venerant à Hieroſolymis, prophetæ, & doctores. Qui audito conſilio ſpirituſſancti remiſerunt Paulum, & Barnabam in Hieruſalem ad Petrum ac Iacobum, & Ioannem, qui erant ibi; qui gauiſi ſunt audito mandato Angeli, vel Spirituſſancti, & *Actum 13.* ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus in modum ordinandorum. Nec de ordinatione Apoſtolorum aliquid legitur, vel quod Dominus impoſuerit eis manus. De Petro tamen certum habetur, quod Antiochiæ miſſam celebrauerit, ſed Apoſtolis potuit pro ordinatione ſufficere quod dictum eſt eis à Domino: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et illi quidem miſſi à Spiritu ſancto eodem duce itineris, qui ſeparauerat eos à cæteris, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Habebant autem ſecum in miniſterio Ioannem, qui cognominatur Marcus.

Et cum perambulaſſent vniuerſam inſulam vſque ad Paphum, inuenerũt Pſeudoprophetam Iudæum nomine Barieſu, qui erat cum Sergio Paulo proconſule. Tradunt autem Sancti, quod à Sergio Paulo conuerſo ad fidem, dictus eſt Paulus, vnde hic primo fit in hiſtoria mentio de hoc nomine. Solus Origenes dicit, quia ſemper fuit Binomius dictus ſcilicet Saulus, & Paulus, vel in acceptione Apoſtolatus primo ſortitus eſt hoc nomen, vt qui primo à Saulo perſecutore dicebatur Saulus, de ſuperbo factus humilis, pro Saulo diceretur Paulus, quaſi humilis, & modicus. Vnde quaſi nomen ſuum interpretando dicit *ſe minimum Apoſtolorum:* videtur autem 13. anno à paſſione Domini promotus ad Apoſtolatum cum Barnaba, & ſortitus Pauli vocabulum; & xiiij. profectus eſt ad magiſterium gentium. Cui ſatis conſonat Eccleſiaſtica hiſtoria, vbi legitur præceptum Apoſtolis, vt poſt paſſionem per 12. annos prædicarent in Iudæa xiij. autem anno cæperunt paulatim tranſire ad gentes nondum ex toto, poſtea omnino exierunt de finibus Iudeæ.

Vtrum autem præter impoſitionẽ manuum aliam ordinis ſolennitatem circa eos celebrauerunt, incertum eſt. Luc. 22.

Actum 3.

Comeſtor cap. 71. Barieſu reſiſtente prædicationi Pauli, ſit cæcus.

1. Cor. 15.

De itinere eorum & prædicationis cauſa, donec redierunt Antiochiam.

CAP. X.

Comeſtor cap. 72. CVm autem à Papho nauigaſſent, venerunt in Pergen ciuitatem Pamphiliæ, & tunc Ioannes diſcedens ab eis reuerſus eſt Hieroſolymam, Paulus vero, & Barnabas venerunt Antiochiam Piſidiæ, quæ eſt in Græcia. Et ingreſſi ſynagogam die ſabbati ſederunt quaſi audituri legem, non prædicaturi. Poſt lectionem autem ſurgens Paulus, & manu ſilentium indicens aggreſſus eſt facere magnum ſermonem inchoans à patribus, & deſcendens ad Chriſtum, ac dicens: Notum ſit vobis, viri fratres, quoniam per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, à quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. Sequenti vero ſabbatho penè vniuerſa ciuitas conuenit, vt audiret verbum Dei, quod videntes Iudæi repleti ſunt zelo inuidiæ, quo commoti cæperunt contradicere his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes [*Blaſphemus enim eſt, qui ex inuidia obloquitur veritati.*] Tunc repleti zelo Dei Paulus, & Barnabas conſtanter dixerunt: Vobis oportet primum loqui verbum Dei iuxta verbum Domini, dicentis: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael:* ſed quia repellitis illud, & indignos vos facitis, ecce conuertimur ad gentes. Audientes autem gentes mentionem de ſalute ſua gauiſi ſunt, & glorificabant Deum, & crediderunt multi ex eis. Iudæi tamen concitabant mulieres religioſas, & primarios ciuitatis, & eiecerunt eos de finibus ſuis. At illi excuſſo puluere pedum in eos, venerunt Iconium; Ibique prædicationi eorum credidit copioſa multitudo Iudæorum, & Græcorum, & demorati ſunt multo tempore ibi fiducialiter prædicantes, Domino prædicationem eorum miraculis confirmante. Et cum factus eſſet impetus Gentilium, & Iudæorum cum principibus ſuis, vt contumelijs afficerent Apoſtolos, & lapidibus fugarent eos, confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ ſcilicet Lyſtram & Derben. Et erat vir quidam Lyſtris claudus ex vtero matris ſuæ, quia nec ambulare nec

Comeſtor cap. 72.

Actum 13. In Antiochia Piſidia Paulus in Synagoga latius de Chriſto diſſerit ſed Iudæis Blaſphemantibus & perſecutionẽ in eos excitantibus cõmertuntur ad gentes.

Matth. 15.

Actum 14. Multis Iudæorum ac Ethnicorum Iconij fidem in Chriſtum ſuſcipientibus, concitatur à Iudæis tumultus in Apoſtolos, qui Lyſtram fugiunt.

ſtare

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

stare poterat; iussusque à Paulo in nomine Christi, vt surgeret, statim exilijt, & ambulabat. Turbæ autem cum viderent, putabant Paulum, & Barnabam Deos esse, & in forma humana eis apparuisse, & vocabant Barnabam, *Iouem*, quia prior esse videbatur, Paulum vero *Mercurium*, quia semper iuxta eorum opinionem *Iouem* comitabatur, qui eloquens, & litteratus fuisse creditur, & facundiam hominibus præstare putabatur. Vnde *Mercurius* quasi medius currens inter aures, & linguas, à Latinis; à Græcis vero *Hermes*, quasi *interpres* dicitur. Denique superuenerunt ab Iconio, & Antiochia Iudęi, & concitatis turbis in persecutionem Pauli lapidabant eum, & eiecerunt eum quasi vile cadauer æstimantes eum mortuum esse. De qua lapidatione ad Corinth. ait. *Semel lapidatus sum.* Postea discipuli eius circumdederunt eum assistentes ei, & respirauit, & nescientibus Iudęis reportauerunt eum in ciuitatem, & conualuit. Postera die profectus est cum Barnaba in Derben, & prædicauit ibi; postea redierunt per easdem ciuitates, per quas venerant confirmantes fratres in fide, & constituebant pro se Episcopos, quia erant migraturi, & incerti vtrum ad eos amplius essent reuersuri. Tandem vero nauigauerunt Antiochiam, vnde, & prius exierant, & morati sunt ibi non modico tempore cum discipulis.

Paulus lapidatur. 2. Cor. 11.

De Primo concilio Hierusalem celebrato super quæstione legalium.

Cap. XI.

TVnc descenderunt quidam de Iudæa Christiani quidem, adhuc tamen iudaizantes, qui fuerant de secta Pharisæorum. Facta est autem non minima seditio inter eos, & Paulum, & Barnabam. Quia prædicabant fidem absque legalibus ad salutem non sufficere, & consentiebant eis multi veteri consuetudine imbuti. Et statuerunt, vt pro hac lite dirimenda ascenderent in Hierusalem ad maiores Apostolos, scilicet ad Petrum, & Iacobum Episcopum Hierosolymorum.

Comestor cap. 78.

Anno itaque Claudij quarto, ascendit Paulus cum Barnaba assumpto Tito, sicut ipse refert in epistola ad Galatas 5. Et qui descenderunt de Iudęa, ascenderunt contra eos quidam, scilicet de hæresi Pharisæorum ad fidem conuersi. Qui cum venissent Hierosolymam, & essent in præsentia Apostolorum Petri, & Iacobi, & Seniorum, surrexerunt contra Paulum, & Barnabam dicentes: *Oportet circuncidi fideles, & seruare legem Moysi:* & audita vtriusque partis sententia conuenerunt Apostoli, & Seniores, vt indicarent super hoc. Et post multam disceptationem surgens Petrus ostendens rationabiliter non esse imponendum fidelibus iugum legis, quia ipse consilio Dei baptizauerat Cornelium, & prædicauerat gentibus euangelium, & Deus prædicationem eius confirmauerat fide mundans corda eorum, & antequam baptizarentur visibiliter mittens super eos Spiritum sanctum, nec indicens eis obseruantiam legalium; & statim cæperunt Paulus, & Barnabas, narrare quanta signa, & prodigia Deus fecerat in gentibus in eos.

Author. Post hæc Iacobus authoritate pontificali protulit definitiuam sententiam, quia quæstio ista mota est in Ecclesia Hierosolymitana cuius Episcopus erat, nec poterat ad alium transferri nisi per appellationem, Petrus etiam nondum erat constitutus in cathedra pontificali, sed paulo post, scilicet eodem anno ascendit Romam.

De definitiua sententia Iacobi super prædicta quæstione.

Cap. XII.

EGo inquit Iacobus iudico eos, qui de gentibus conuertuntur, non cogi ad gratiatem legalium, sed consulo, vt dirigamus ad eos epistolam, vt abstineant se *ab immunditia Idolatriæ*, & veri Dei cultores sint; *& à fornicatione*, vt sint casti, *& à suffocatis*, ne carnes eorum comedant, *& à sanguine*, ne illum bibant. Ideo hæc quatuor specialitet decernit gentilibus conuersis proluberi, vt ab vsu male consuetudinis reuocarentur.

Comestor cap. 79.

Idolatria enim maxime in gentibus pullulauerat; *fornicatio* quoque quasi naturale quiddam & nullius reatus reputabatur inter gentes. Erant etiam proni ad effundendum *sanguinem*, & consueuerant bibere sanguinem immolatum Dijs suis: Ideo prohibiti sunt ab idolatria, & fornicatione, & etiam à sanguine fundendo, vel bibendo. Sed de tertio, id est *de suffocato*, magna est quæstio, cur eis prohibitum sit. Et dicunt quidam, quod duo prima prohibita fuerunt simpliciter, & ad semper, scilicet *idolatria*, & *fornicatio*, alia vero duo non nisi ad tempus, scilicet donec confirmati essent gentiles in euangelio: quia enim proni erant quidam eorum ad suffocandum homines, vt sanguinem humanum comederent, & etiam consueuerant bibere sanguinem idolis immolatum, vel hostiarum à se effusum: Ideo prohibitum est eis ad tempus omne suffocatum, & omnis sanguis donec à pristina consuetudine reuocarentur. Vel ideo hæc eis in primitiua Ecclesia prohibita sunt, quia Iudæi huiusmodi edulia abominabantur pro consuetudine legis. Ideo enim eis ad fidem Christi conuersis concessum est, ab huiusmodi abstinere, ne fidem Christi abhorrerent, & quia mater Synagoga vel lex cum honore deducenda erat ad sepulchrum. Vnde si gentiles non abstinerent ab huiusmodi Iudæi societatem eorum abhorrerent, *nec habitarent vnius moris in domo*. Consimili caussa circuncidit Paulus Timotheum, & etiam sanctificauit secundum legem, sed postea retractatũ est ab Apostolo ad Titum scilicet vbi dicit. *Omnia munda mundis.* Alij dicunt quod omnia ista simpliciter prohibita sunt & ad semper: sed ibi non accipitur *suffocatum* pro quolibet sanguine, sed restringitur *suffocatio* ad oppressionem, quæ fit inter homines scilicet qua maior opprimit minorem, fortior debiliorem, quod maxime solet fieri inter gentiles. *Sanguis* etiam restringitur ad humanum sanguinem, qui prohibetur effundi. *Sanguis* enim in scriptura significare solet homicidium, vnde Dauid propter homicidium dicitur *vir sanguinum*: huic sententiæ consonat glossa quæ dicit: *Hæc necessaria sunt sine quibus non est salus.* Præterea voluerunt Apostoli determinare hoc nomen *suffocatum*, vt haberet locum mysterij. Per *suffocatum* enim suppliciter sumptum intelligitur peccatum non confessum, aliquando autem minus proprie sumitur textus, vt locum habeat spiritualis sensus. Ad auctoritatem Hieronymi super Ezech. quæ solet hic obijci, potest dici, quod non condemnantur Sacerdotes, qui comedunt suffocatum de transgressione, quasi à suffocato teneantur abstinere, sed tantum de gula, & leccacitate. Solent enim volatilia occidere suffocando siue iugulando, ita quod sanguis non effunditur, sed remanet intus, quia, sicut dicitur, ex hoc teneriores, & dulciores sunt carnes, & sic est ibi leccacitas, quæ non conuenit Sacerdotibus.

Psal. 67.

Tit. 1.

Quid per suffocatum.

De

De impletione totius legis per Christum.

Cap. XIII.

APostoli igitur hæc scripserunt eis, non quia hæc sola sufficerent ad perfectam circuncisionem spiritualem, sed quia in his maxime peccabant, vt supradictum est: & ideo ab his specialiter & præcipue eos abstinere, præceperunt. Cæteras autem prohibitiones, & præcepta legis moralia voluerunt eos audire in sinagogis per singula sabbata, vt paulatim in cognitione, & obseruantia diuinæ legis proficerent. Nam illuc conueniebant conuersi ex gentibus, & Iudæis conuersis ad audiendam legem. Vnde post prædicta verba subdit Iacobus: *Moyses enim in sinagogis per omne sabbatum legitur.* Ac si diceret (secundum Bernard.) præceptorum acerbitate, & multitudine nolumus eos ad præsens grauare, & deterrere, sed procedente tempore cum frequentius ad lectionem legis; & Prophetarum conuenient, paulatim vitæ instituta suscipient, moralia scilicet ad obseruandum: cærimonialia ad spiritualiter intelligendum.

Exod. 20. *Gen.*21. & 17. *Ioan.*1.

Augustinus contra Faustum lib. 1. Sunt enim præcepta vitæ agendæ, vt illud, *non concupisces*: & præcepta vitæ significandæ, vt illud: *Circuncides omne masculinum octauo die*, quæ omnia per Christum adimpleta sunt. *Lex enim per Moysen data est: gratia, & veritas, per Iesum Christum facta est.* Quæ enim lex per superbos etiam reatu præuaricationis deuicit: augendo peccatum, iubens, quod implere non poterant: Ipsius legis impletur iustitia per gratiam spiritus in eos, qui discunt à Christo esse mites, & humiles corde. Prophetias autem impleuit, & in eo facta est veritas promissio Dei: *Quotquot enim promissiones Dei in illo sunt*, vt ait Apostolus. Item ipsa legis vniuersa prophetia, quæ non tantum verbis sed etiam quarundam actionum figuris Saluatoris promittebat aduentum, *veritas facta est per Iesum Christum.* Ex cuius aduentu iam regnum Dei cæpit annunciari, quia lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem: lex vt reos faceret, qui desiderarent salutem: prophetæ, vt promitterent Saluatorem.

2. Cor. 1. *Veritas prophetiarum per Christum impletur.*

Quod ideo legis vmbræ cessauerunt, quia veritas impleta est.

Cap. XIV.

PRoinde cum quæris cur iam non circunciditur Christianus si *Christus non venit soluere legem, sed adimplere*, Respondeo: Immo ideo iam non circunciditur Christianus, quia expoliatio carnalis generationis, quæ illo facto figurabatur, iam Christi resurrectione adimpleta est: & quod in nostra resurrectione futurum est, baptismi sacramento commendatur. Nam neque penitus auferri debuit nouæ vitæ sacramentum, quia restat adhuc in nobis futura resurrectio mortuorum: & in melius tamen, idest, succedente baptismo debuit commutari quia iam factum est, quod nunquam factum erat, vt vitę futuræ æternę in resurrectione Christi nobis præberetur exemplum.

Matth. 5. *Cur Christianus non circũciditur?*

*Cur sabbati ociũ non obseruat Christianus? Matth.*11.

Sabbati ocium non obseruat Christianus, quia iam in illo perpetuum habemus sabbatum, qui dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. & inuenietis requiem animabus vestris.* Differentiam ciborum iam non obseruat Christianus, quia quod illis figuris prophetabatur, Christus impleuit, non admittens ad corpus suum, quod in sanctis suis ad vitam æternam prædestinauit, quicquid per ista animalia in moribus hominum significatum est. Animalium sacrificia iam non offert, quia quod talium rerum figuris prophetabatur, immolatione carnis, & sanguinis sui Christus impleuit. Azyma iam non obseruat Christianus, quia quod ista figura prophetabatur, expurgato veteris vitæ fermento nouam vitam demonstrans, Christus impleuit. De carne agni iam non celebrat Pascha quia quod ista figura prænunciabatur, Christus agnus immaculatus sua passione impleuit. Neomenias non celebrat, quia celebratio nouæ lunæ nouam creaturam significabat. De qua dicit Apostolus: *Ecce facta sunt omnia noua.* Immundiarum baptismata non obseruat, quia iam venit Christus *consepelire nos sibi per baptismum in mortem, &c.* Scenopegiam non celebrat, quia tabernaculum Dei fideles eius sunt, in quibus charitate consociatis, & quodammodo compactis habitare dignatur, quod illa figura promittebat. Ita fit vt omnia quæ ex illa scriptura propterea putatis non obseruari à Christianis, quod Christus ea soluerit: sed propterea potius reperiantur non obseruari à Christianis, quia Christus ea impleuerit: Ipsa quippe talium figurarum obseruatio prænunciatio Christi fuit.

Apoc. 21. *Rom.*6.

De impletione cæremonialium.

Cap. XV.

AVthor. Itaque quicquid in lege cæremoniale præcipitur in Christo spiritualiter impletur, aut in capite, aut in membris. Vnde iam veritate propalata litteralis eorum obseruantia reputabatur *idolatria*, dicente Apostolo ad Galatas. *Ecce Paulus, dico vobis quia si circuncidamini, Christus nihil vobis prodest.* Vbi etiam dicit glossa, quod non est leuior seruitus legis quam idolatria, hoc autem ideo, quia tempus eorum transierat, quo Deus per ea se colendum statuerat, vnde de cætero iam cassa, & vana, penitus in nullo iuuare poterant suos obseruatores, sicut nec idola suos cultores. Et ob hoc omnino nulla spes in eis erat ponenda, sed tanquam superstitiosa, ac per hoc etiam pernicioſa procul erant abiicienda: præterea dicit ibidem Apostolus. *Testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Quoe intelligitur de illis qui ideo circuncidebant se, quia spem ponebant in circuncisione, quibus & iam dictabat conscientia quod omnia legalia integraliter erant seruanda, vnde conscientia licet erronea ligabat eos: ita quod si inde aliqua omitterent peccarent propter conscientiam. Similiter etiam obseruando ea peccabant, & ita perplexi erant, sed tenebantur deponere errorem sicut illi qui non ex inuidia, sed ex ignorantia Christum crucifixerunt, *putantes se obsequium præstare Deo.* Tempore vero medio inter legem & gratiæ reuelationem, licitũ erat ea seruare propter vitandum scandalum Iudæorum, vt superius dictum est.

ad Gal. 5.

ad Gal. 5.

Ioan. 16.

Hæc de cæremonialibus legis dicta sunt, quæ neminem iustificabant, quia nec ad hoc institutæ sunt, sed datæ sunt Iudæis duris in flagellum: rudibus in pedagogum: perfectis autem in signum.

De completione moralium in Euangelio.

Cap. XVI.

POrro de moralibus præceptis quæ semper iustificant, & immutabiliter permanent dicit Dominus in euangelio. *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c.* Nec ideo manus Christi grauiores sunt, quam manus Moysi. Quoniam si difficilius sit in se *non wasci*, quam *non occidere*: *non concupiscere*, quam *mœchari*, tamen iugum Christi leuius est, quam onus Moysi propter septem: scilicet propter fomitis debilitationem: propter gratiam concomitantem: propter auxilium sacramentorum: propter apertam doctrinam: propter promissorum æternitatem: propter exempla Christi, & sanctorum: propter hostis alligationem. Manus autem Moysi dicimus graues non tantum propter defectum horum auxiliorum, sed propter pœnæ crudelitatem, & accelerationem: quia statim absque misericordia puniebatur transgressor. Et etiam propter cæremonialium

Matth. 5.

Iugũ Christi leuius quam onus Moysi propter septẽ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

multitudinem. Et de hac dicit Petrus in Actibus, *Quid tentatis imponere iugum, &c.* Et nota quod eadem est perfectio in lege, quæ in euangelio, vt dicit Augustinus: sed multa quæ in lege, obscure præcepta sunt: propter imperfectionem populi cui dabatur, quia non subito poterant ascendere ad perfectionem iustitiæ in euangelio explanatæ. Et gratia reuelata lex spiritualiter intellecta cohibebat manum, & animum. Sed ideo dicitur cohibuisse tantum manum, quia Moyses, vt purus homo puniebat manum quam videbat, non animum, quem non videbat, Christus autem Deus est, & ideo in euangelio tam de exterioribus, quam de interioribus peccatis pœnam determinat. Ideo dicit glossa, quia mandatum Christi non est contrarium legi: sed latius legem in se continens, quam scilicet intelligerent eam Pharisæi, quia non intelligebant ibi prohibita, nisi opera homicidij, vel fornicationis, vel huiusmodi. Vnde & Dominus ait: *Non veni soluere legem, sed adimplere.*

Act. 15.

Matth. 5.

Christus 7. modis impleuit legem.

In summa vero nota, quod Christus legem impleuit, scilicet septem modis: Primo moralia seruando, sicut ipsemet in euangelio dicit: *Ego enim quæ placita sunt ei facio semper*: Et etiam cæremonialia, quia circunciſus est, baptizatus, oblatus in templo, & huiusmodi: Item moralia explanando, quæ Pharisæi male intelligebant: Item consilia præceptis addendo: Item vmbras legales cessare faciendo, & veritatem exhibendo quam promittebant: Item nobis gratiam conferendo, qua moralia possimus implere, quæ non poterant impleri timore: propter hæc omnia dicitur *lex per Moysen data est, &c.* Gratia secundum Augustinum, pertinet ad moralia, id est ad Charitatis plenitudinem, veritas ad vmbrarum cęremonialium reuelationem. Impletur autem lex vtroque modo scilicet, & cum fiunt quæ ibi præcepta sunt scilicet moralia per gratiam, & cum exhibentur quæ ibi Prophetata sunt scilicet cærimonialia significata per veritatem euangelicam: Item septimo modo impleuit Christus legem & implet quotidie (vt dicit Augustinus contra Faustum) quia enim, inquit, etiam sub gratia positis in hac mortali vita difficile est omnimode implere quædam legis præcepta, vt est illud. *Non concupiscies*, ipse per carnis suæ sacrificium Sacerdos factus impetrat nobis indulgentiam: etiam hanc legem adimplens, vt quod ex infirmitate minus implere possumus eius perfectione recuperemus, cuius capitis membra facti sumus. Est itaque *rota in medio rotæ*, ideſt vetus testamentum in nouo, & econuerso. Nouum vero in veteri quantum ad præfigurationem, siue prænunciationem, & intellectum spiritualem, vetus in nouo quantum ad expositionem.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

De mutatione veterum sacramentorum in noua.

Cap. XVII.

Augustinus contra Faustum lib. 1. In nullum autem nomen religionis, siue verum siue falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium colligentur. Quorum scilicet sacramentorum vis valet plurimum, & ideo contempta, sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur sine qua non potest perfici pietas. Proinde prima sacramenta quæ obseruabantur, & celebrabantur, ex lege prænunciatiua erant Christi venturi, quæ cum suo aduentu Christus implesset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta. Et alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata & in libertatem vocatis filiis Dei iugo seruitutis ablato, quod duro & carni debito populo congruebat.

Author. Ecclesia tamen quædam legalia retinuit, vt thurificationem, non tantum quia significat quod semper faciendum est: pari namque ratione & illud de carne porcina non comedenda retinuisset, sed quoniam ipsa litteralis obseruantia moralis est, quod inuenire nõ est in carne porcina, vel in suffocato & sanguine. In thurificatione namque Deus honoratur, sicut in magnitudine & pulchritudine templi materialis, per quam significantur magnitudo & pulchritudo templi spiritualis id est regni cœlestis, vel etiam animæ iusti quæ maior est (vt ait Augustinus) toto mundo, non corporis distentione, sed potestate & virtute. Thymiama vero non retinuit, ne videatur Iudaizare. Et quia facilius incensum quod idem significat reperiretur, quam ille species aromaticæ de quibus Thymiama conficiebatur. Vnctionem quoque retinuit, sed non eo modo quo lex vtebatur. Illic enim oleo sancto materiale tabernaculum vngebatur: hic autem chrismate sancto Christi tabernaculum spirituale ungitur, id est homo ipse cum baptizatur.

Ecclesia cur legalia quædam vt thurificationem retinuit.

De numero sacramentorum nouæ legis.

Cap. XVIII.

Venit ergo magnus ille Medicus scilicet per Samaritanum designatus ad genus humanum quod vbique iacebat ægrotum, eique oleum & vinum id est austeritatem comminationum, ac blandimenta promissionum infudit, & eius vulnera præceptis salutaribus, & sacramentis alligauit. In septem namque sacramentis nouæ legis Deus omnes nobis attulit causas salutis spiritualis. Causæ etenim sanitatis spiritualis non sunt nisi quatuor, sicut & quatuor corporalis: scilicet curatiua, conseruatiua, præseruatiua, melioratiua. Curatiua duplex est, quædam enim totaliter & simul curat, vt *baptismus* culpam & pœnam omnino delens quantum in se est: quædam vero paulatim, vt *pœnitentia*. Conseruatiua est *confirmatio*. In hac enim datur spiritus ad robur & ad conseruationem gratiæ, quæ data est in baptismo. Præseruatiua est *Matrimonium* in quo concupiscentia carnalis in ruinam prona turpitudinis excipitur honestate nuptiarum, ne ruat in mortale peccatum. Melioratiua est *ordo* in quo gratia melioratur, & augmentatur, & etiam *extrema vnctio*, quia hominem in meliori statu ponit & securiorem reddit. Est etiam medicina quædam prædicta quatuor sola faciens, scilicet *Eucharistia*, quoniam & venialia curat & ab eis animam præseruat, gratiam quoque conseruat, quia *panis cor hominis confirmat*, & etiam gratiam augmentat. Potest etiam dici, quod est medicina resumptiua quæ baptizatis datur ad reficiendum animam, sicut corporaliter curatis datur electuarium confortatiuum, vnde & reducitur ad curatiuam. Sciendum autem quod cum sacramenta iustificare dicuntur, quod contenti est, continenti attribuitur. Gratia namque in eis contenta iustificat, non ergo iustificant tanquam causa efficiens, sed tanquam materialis. Sunt enim quinque quæ diuersimode sanant animam sicut quinque quæ corpus: nam corpus sanat Deus auctoritatiue, medicina effectiue, dieta communis seruatiue, vas medici sicut pixis contentiue, Medicus autem ministerio. Sic & Deus & animam iustificat auctoritatiue, gratia vero vt medicina morbum expellens, impletio mandatorum tanquam dieta: sacramenta quoque tanquam vasa medicinalia, Sacerdos autem tanquam minister: non est tamen omnino simile de sacramento, & de pixide, sed simile penitus esset si vna tantum pixis esset, in qua daretur medicina, vel si daretur in alia non prodesset, sicut *baptismus* si daretur in aliquo alio liquore quam in aqua non prodesset.

Causæ sanitatis spiritualis quatuor.

Psal. 103.

Quinque sanant animam.

Quid autem sit sacramentum ostẽdit Augustinus dicens. *Sacramentum est sacræ rei signum.* Idem: *sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, vt species panis, & vini, quæ sunt sacrificium visibile, signant inuisibile corpus Christi quod est sacramentum Ecclesiæ.

Quid sacramentum?

Quædam sacramenta sunt necessitatis, & quædam voluntatis. Necessitatis sunt hæc quinque *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Voluntatis vero ſunt hæc duo, *Ordo & Matrimonium.*

Item quædam ſunt in quibus confertur gratia, vt prædicta neceſſitatis & *ordinis*. Alia in quibus non, vt *matrimonium.*

Effectus ſacramentorum eſt, vt talia ſunt cuilibet qualis ipſe accedit, ideſt, bonis bona, & malis, ac fictis mala, ſcilicet occaſionaliter bonis ſunt ad ſalutem, malis ad iudicium. Ideo dicimus, quod ſacramenta non debent conferri peccatoribus, niſi pœnitentibus, hoc autem intelligas, de peccatis manifeſtis, nam propter occulta non poſſunt alicui negari ſacramenta, niſi per admonitionem ſecretam, vel publicè in genere factam.

De inſtitutione & poteſtate Baptiſmi.

Cap. XIX.

DE inſtitutione baptiſmi Chriſti, quando incæperit variæ ſunt opiniones. Alij dicunt inſtitutum eſſe cum Nicodemo Dominus ait, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Alij cum Apoſtolis dixit. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & Spiritus ſancti.* Sed hoc dixit poſt reſurrectionem eis, quos ante paſſionem miſerat binos, & binos ad prædicandum in Iudæa, & ad baptizandum dicens: *In viam gentium ne abieritis.* Iam ergo inſtitutus erat baptiſmus, quia baptizabant ſimul & prædicabant. Si vero quæritur in qua forma tunc baptizauerunt, ſane dici poteſt: *In nomine Trinitatis*, ſcilicet in ea forma, in qua baptizauerunt poſtea gentem quæ ante paſſionem poteſt intelligi fuiſſe tradita, licet non ſit ſcriptum. Commodius ergo dicitur inſtitutio facta quando Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt in Iordane, non quia mundari voluerit, cum ſine peccato fuerit, ſed quia contactu mundæ carnis ſuæ vim regeneratiuam contulit aquis, vt qui poſtea immergeretur inuocato nomine *ſanctæ Trinitatis* à peccatis purgaretur. Tunc inſtitutus eſt *Baptiſmus Chriſti*, in quo *Trinitas* cuius myſterium tunc innotuit, interius hominem baptizat.

Ioan. 3.

Matth. 28.

Matth. 10.

Quando inſtitutus Baptiſmus?

Celebratur autem hoc ſacramentum tantum in aqua, vt intelligatur, quod ſicut aqua ſordes corporis, ac veſtes abluit, ita Baptiſmus maculas animæ ſordeſque vitiorum abſtergit, vel ideo vt nullum inopia excuſaret, quod poſſet, ſi in vino vel oleo fieret; quod aqua ſignauit, quę de latere Chriſti manauit, ſicut ſanguis alterius ſacramenti ſignum fuit.

Cur in aqua ſit Baptiſmus.

Succeſſit igitur Baptiſmus Chriſti circunciſioni duabus, de cauſis. Prima eſt, quia maior cumulus gratiæ ſignificatur & datur per baptiſmum quàm per circunciſionem. Circunciſio enim inquantum circunciſio non ſignat niſi remiſſionem peccati: ſed Baptiſmus ſignat & remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratię, & extinctionem mundanæ & humanæ cupiditatis: aqua enim abluit, & reficit, & extinguit. Secunda cauſa eſt, quia communior eſt: Baptizantur enim tam mares, quàm fœminæ, & non circuncidebantur niſi mares.

Multiplex autem eſt poteſtas baptiſmi, ſcilicet poteſtas miniſterij, excellentiæ, inuocationis, auctoritatis, cooperationis. Poteſtatem miniſterij dedit Deus Sacerdotibus, & etiam omnibus hominibus, in articulo neceſſitatis. Poteſtas excellentiæ intelligitur qua ſecundum meliorem Baptiſtam melius daretur baptiſma. Et de hac intelligunt quidam, quod Dominus potuit eam dare ſeruis, ſed non dedit, ne ſpes poneretur in homine, & ne tot eſſent baptiſmi, quot homines, vel ſerui. Alij vero hoc intelligunt, de poteſtate inuocationis: potuit enim Dominus dare Petro vt ad inuocationem nominis *Petri* fieret baptiſmus, hoc autem eſſet contra maieſtatem diuinam.

Multiplex poteſtas Baptiſmi.

De eſſentia & nomine Baptiſmi.

Cap. XX.

DE eſſentia vero baptiſmi nobis videtur, quod nec ſola aqua abluens, vel aquæ ablutio eſt *Baptiſmus*, nec ſolus caracter, ſed illa duo, ita quod vterque ſit vnus *Baptiſmus*, & vnum ſacramentum ab vnitate gratiæ ſignificate: licet diuerſa ſint ſecundum eſſentiam, ſicut in ſacramento *Euchariſtiæ* forma panis, & vini, & ipſum verum corpus Chriſti: nec valet hæc argumentatio, Aqua abluens tranſit, ergo non eſt Baptiſmus, licet enim tranſeat inquantum aqua abluens, tamen manet inquantum caracter. Sed obiicitur, quod caracter nõ eſt Baptiſmus, cum non ſit viſibilis forma: dicimus, quod non oportet quicquid eſt in ſacramento eſſe viſibile in formam, ſed ſufficit, quod ſecundum aliquid ſui ſit viſibilis forma: ſic Baptiſmus ſecundum aquam abluentem.

Quæritur autem cui eſt ſignum caracter? Dicimus, quod hominibus, & Angelis: ſed hominibus eſt intelligibile, non viſibile. Dicimus autem, quod Angeli indigent illo ſigno, non enim vident omnia in ſpeculo æternitatis, ſed vident ibi omnia ſibi ſubiecta ſcilicet cœlum, & terram, & ſimilia. Ea vero, quæ ſunt in libertate noſtri arbitrij, non vident, niſi eis oſtendantur per gratiam: quia humana anima quantum ad liberum arbitrium non eſt ſubiecta Angelo, ſed æqualiter, & quaſi immediate ſe habet ad Deum. Caracter ille cum ſit illuminatio (ſicut dicit Ioannes Damaſcenus) paſſibilis eſt qualitas animæ illuminans ſyndereſim, & eſt cauſa materialis gratiæ, præparat enim, & habilitat animam ad ſuſceptionem gratiæ. Et per hoc quod eſt ſigillum, eſt certitudo, quod anima habebit gratiam, niſi per ſe ipſam obſteterit: ſicut ſigillum Epiſcopi eſt certitudo clerico cui datum eſt, quod habebit præbendam.

Sciendum autem, quod triplex eſt *Baptiſmus, fluminis*, ſcilicet, qui fit in aqua, *flaminis*, qui fit per fidem purificantem, *ſanguinis*, qui fit in ſanguine per martyrium. Sed proprie *Baptiſmus* eſt tinctio in aqua verbo vitæ ſanctificata, ſicut enim pannus tinctus in aliquo precioſo colore precioſior redditur, quam prius eſſet: ſic anima in *Baptiſmo fluminis* tincta per caracterem vel gratiam: hac ſimilitudine vocauit Dominus paſſionem ſuam *Baptiſmum*. Tincta enim fuit eius caro in ſanguine ſuo, & per hoc precioſior facta, fuit preciũ noſtræ redemptionis, & per hoc peruenit ad gloriam reſurrectionis. Cum ergo *Baptiſmus flaminis, & ſanguinis* non ſint baptiſmi niſi per ſimilitudinem, ſolus *Baptiſmus fluminis* imprimit caracterem.

Triplex Baptiſmus.

Baptiſmus fluminis ſolũ imprimit characterẽ.

De forma Baptiſmi.

Cap. XXI.

AD formam Baptiſmi exiguntur tria, ſcilicet forma verborum, & intentio baptizandi, & elementum aquæ. Forma verborum hæc eſt. *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Ex Mat. 28.

Quæritur vtrum verbum baptizo te ſit de eſſentia verborum, quæ exiguntur? Dicimus, quod ſic, verba enim iſta, *In nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti*, ad multa ſe habent, ſcilicet ad ſignandum, ad benedicendũ, & ad baptizandum. Baptiſmus enim ſacramentum neceſſitatis eſt, & propter hoc neceſſe eſt baptizantem determinatam intentionem habere & expreſſam, ne euagetur animus ad alia, ſed intentionem baptizandi, quam habet verbo exprimat, dicendo: *baptizo te.*

Quid ſi (Baptizo te) omittatur?

De quãtitate aquæ dicũt Magiſtri, quod in neceſſitatis articulo ſufficit aqua tãta in qua poſſit intingi pars principalior, ſcilicet caput. Quo abluto in tali articulo ſi puer nõ ſit totus natus baptizat reputatur, vel ſi poſtea totus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

naſcatur viuus, & dubitetur an ſit baptizatus, remedium habemus: Baptizandus enim eſt: quia non dicitur iteratum, quod dubitatur eſſe factum.

Quid ſi ſubtrahãtur aliqua verba de formæ Baptiſmi?

Quæritur poſtea de ſubtractione verborum vtrũ baptiſmus ſit ſi tantũ dicatur. *Baptizo te in nomine patris*, videtur, quod ſic, quia in primitiua Eccleſia fiebat ſic: *Baptizo te in nomine Chriſti*, vt habetur in actibus Apoſtolorum. *Solutio*: non eſt Baptiſmus ſi tantum dicatur: *Baptizo te in nomine Patris.*

Baptiſmus tamẽ olim fiebat in nomine *Chriſti*, duabus de cauſis: Prima eſt, vt nomen *Chriſti*, quod erat incognitum hominibus fieret celebre, & amicũ. Secunda eſt, quia hoc nomen, *Chriſtus* dat intelligere totam trinitatẽ. *Chriſtus* enim interpretatur *vnctus*. *Vnctus* enim dat intelligere *vnctam perſonam*, ideſt *filium*, & perſonã vngentem, id eſt *Patrem*, & ipſam vnctionẽ id eſt *Spiritum ſanctum*. Sed hoc nomen *Pater*, non ſic, propter hoc non eſt ſimile: tamẽ ſi Sacerdos fidelis ita dicat, *Baptizo te in nomine Patris*: & hoc dicto obmuteſcat, vel puer moriatur, tunc fit verũ Baptiſma. Summus enim Sacerdos ſupplet, quod piè inceptum eſt à minori Sacerdote.

Quid ſi addãtur aliqua verba?

Quæritur poſtea de additione, vtrũ ſcilicet ſit Baptiſmus ſi dicatur ſic: *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spirituſſanctí, & beati Petri.* Et dicũt, quod ſi illud vltimũ addat aliquis ex ſola deuotione non intendens illud eſſe de eſſentia formæ verborum, Baptiſmus eſt. Si vero credat illud eſſe de eſſentia formæ, & propter hoc illud addat, non eſt Baptiſmus.

Quid ſi corrupte verba pronuncientur.

De corruptione verborum ſimiliter quæritur vtrũ ſit Baptiſmus, ſi aliquis dicat ita: *Baptizo te in nomina Patria, & filia, & Spirituſanctа*: videtur, quod ſic, quia ſi aliqua vetula ex ſimplicitate corrumpat formam verborũ, corruptio huiuſmodi nõ impedit, quin ſit Baptiſmus: quod eõcedunt Magiſtri ſi retineantur ſyllabę principales, pro quanta autem corruptione impediri incipiat non eſt hominis determinare, ſed ſi ille, qui corrumpit verba intẽdit introducere hæreſim, non eſt Baptiſmus: nõ propter corruptionem verborum, ſed quia non habet intentionem Baptizandi, quæ neceſſaria eſt ab Baptiſmum.

De intentione Baptizantis.

Cap. XXII.

DE intentione Baptizantis dicimus, quod ſi dubitatur an factum ſit minute, an ex intentione Baptizandi. Tunc inuocandum eſt diuinum auxilium ſecundum Auguſtinum, ſi certum ſit, quod totum minute factum eſt, Baptizandus eſt. Porro ſi Patrinus non credat, nec Sacerdos, cum conſtet de paruulo, quod non credit: tamen ſi Sacerdos intendit facere, quod facit Eccleſia, & vtitur forma debita, Baptiſmus eſt: quia fit in fide Eccleſiæ. Vnde ſic intelligendum eſt, quod ait Auguſtinus: *non quia dicitur, ſed quia creditur*, ideſt, quia fit in fide credentium. Item etiamſi nullus crederet, & tamen aliquis vteretur debita forma verborum, & haberet intentionem faciendi, quod conſueuit Eccleſia, Baptiſmus eſt. Intelligendum eſt ergo verbum confuſe ſic, *quia creditur*, ideſt, quia fit in fide credentium, ideſt, in tali fide quam ſolet habere Eccleſia, vel haberet ſi eſſet.

Nobis vero videtur, quia nec duo, nec tres, ſeu plures poſſunt deſtruere fidem vniuerſaliter, ſed tota Eccleſia poteſt deſtruere fidem per libertatem arbitrij. Vnde non eſt neceſſarium militantẽ eccleſiam fore neceſſitate totali ſiue neceſſitate rei: Et eſt ſimile in vniuerſalibus: dicitur etiam, quod neceſſarium eſt, vniuerſalia eſſe, ſicut hominem, ſed non neceſſitate particulari. Nullus enim ſpecialiter poteſt facere, quod nullus homo ſit. Omnes tamen in ſimul ſumpti poſſunt facere, quod nullus ſit. Poſſunt enim omnes ſe obligare ad hoc vt nullus generet de cætero.

De Baptiſmo paruulorum.

Cap. XXIII.

Tria ſpectãda in Baptiſmo paruulorum.

IN Baptiſmo Paruulorum conſideranda ſunt tria, ſcilicet antecedentia, quæ ſunt orationes, quas dicit ſacerdos. Et Exorciſmus, & catechiſmus.

Eſt autem Exorciſmus idem, quod adiuratio, qua Sacerdos adiurat Dæmones dicens: *Exi ab eo ſpiritus immunde.* Et dicunt multi, quod per exorciſmum expellitur Diabolus, non quantum ad peccatum: ſed quantum ad hoc, quod non habeat poteſtatem nocendi paruulo corporaliter. Alij dicunt ſicut propoſuimus, quod quantum ad diminutionem peccati, vnde dicebat, quod ſi paruulus decederet, ſtatim poſt exorciſmum minores tenebras pateretur, quam ſi non eſſet exorcizatus, & magis perciperet de luce ſpiritualium. Nobis autem videtur, quod exorciſmus, & catechiſmus, & ſalis linitio, duabus de cauſis fiunt: Prima eſt propter honorem, & ſolemnitatem baptiſmi. Secunda eſt ad intelligentiam eorum, quæ facit Baptiſmus, ſalis enim linitio ſignat diſcretiones, quæ dantur in Baptiſmo: vnde ſicut lumen cum ponitur in manu paruuli, non illuminatur propter hoc anima: ſed per hoc ſignificatur, quod anima illuminatur ſpiritualiter in Baptiſmo: ſic per exorciſmum non expellitur Diabolus, ſed ſignificatur expellendus.

Quid efficit catechiſmus & Exorciſmus?

Eſt autem catechiſmus idem, quod inſtructio Baptizandi de articulis fidei, nam in primitiua Eccleſia adulti baptizabantur, ſed ante inſtruebantur in fide, & baptizabantur in ſabbato Paſchæ ad ſignandum, quod per baptiſmum reſurgunt baptizati à morte peccati: Vel in ſabbato Pentecoſtes, ad ſignandum, quod per baptiſmum datur Spirituſſanctus. Igitur vt oſtendatur vnus eſſe baptiſmus, fit etiam modo ſic in paruulis, licet quamdiu ſint paruuli, non ſint ſuſceptibiles diſciplinæ. Et cum Patrinus reſpondet: *Credo, & volo Baptizari*, reſpondet pro paruulo, ſed improprie loquitur, & eſt ſenſus: Iſte paruulus paratus eſt ſuſcipere fidem, & baptiſmum: obligat enim ſe patrinus ad hoc, vt cum ad adultam ætatem peruenerit paruulus, inſtruat ipſum de articulis fidei, & qualiter *abrenunciare debet diabolo, & omnibus pompis eius.* Dicimus ergo, quod licet paruulus non credat, eſt tamen baptizatus in fide Patrini vel Eccleſiæ, ſicut enim peccatum non habet à ſe, ſed ab alio: ſic non mundatur per fidem propriam, fidem dico notam, ſed per fidem alterius. Catechiſmus ergo non eſt proprie ſacramentum, ſed ſacramentale: nec exorciſmus, ſed exufflatio quam facit Sacerdos ſacramentum eſt, & ſignificat, quod per ſpirituſſancti flatum exufflatur poteſtas diaboli. Similiter ſaliua ſacramentalis eſt, & ſignificat ſapientiam diuinam.

Quid catechiſmus.

De effectu baptiſmi.

Cap. XXIV.

COncedimus autem, quod paruulis in baptiſmo dantur virtutes, &, quod adultis cooperantur ad ſui mundationem. Credit enim primo libero arbitrio, vt poſtea credat per fidem, & ſic mundetur. Paruulus autem nihil cooperatur, ſed per ſolum baptiſmum recipit fidem, per quam mundatur: habet autem fidem in habitu. Sed eſt habitus quidam propinquior actui, & quidam remotus, & quidam explicitus. Itaque ſicut ſimplex vetula fidem habet implicitam de quibuſdam articulis: ſic iſte cum venerit ad annos diſcretionis fidem habebit, ſed in habitu implicito, & remoto ab actu, ſed aliqua leui explicatione credet in actu.

Paruulus habet fidem in habitu.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Baptiſmus quidem actuale peccatum tollit totaliter, non tamen originale totaliter, quia non quantum ad pœnam, aliquãdo enim, quod minus eſt, maioris eſt cohærentiæ, ſicut gratia mortalia peccata expellit, non tamen venialia, quæ difficillime ſeparantur. Cum quibus etiam decedit homo iuſtus.

Itaque Baptiſmus non aufert mortem corporalem, & alias huiuſmodi pœnas quinque de cauſis. Quarum prima eſt humiliatio, ſcilicet vt per miſeriam humilietur, qui per ſuperbiam cecidit. Vnde Iob: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum*: ſcilicet in ſuperbiam. Secunda cauſa eſt incuſſio timoris, vt homo attendens ſeueritatem virgæ Domini caueat ſibi à gladio, ideſt, à pœna inferni: Vnde ſequitur: *Et terrores Domini militant contra me.* Tertia cauſa eſt ſtimulatio: Vnde in Oſee. *In funiculis Adæ traham illos, in vinculis charitatis*: Quarta vt homo attendens huius vitæ miſeriam, conetur quærere meliorem: Quinta ne homines magis appeterent baptizari propter vitam corporalem quam propter ſpiritualem. Dicit autem Apoſtolus, *quod ſine pœnitentia ſunt dona Dei*, ſcilicet quæ donat Spiritusſanctus in baptiſmo, ſed contradicit auctoritas: *Aut homo punit, aut Deus punit*: Ideo dicendum eſt, quod baptiſmus efficaciam ſuam habuit à paſſione Chriſti pro omnibus baptizandis, quia (vt dicit Iſaias) *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & ipſe peccata noſtra*, ideſt pœnam pro peccatis *pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, ſicut dicit Petrus: Si ergo decedat iſte ſtatim poſt baptiſmum euolabit, quia per contritionem baptiſmum præcedentem cum paſſione Domini ſufficienter punitus iudicatur à bonitate Dei. Et dicimus, quod corpus Chriſti in ſe dignius, & efficacius eſt, quam baptiſmus: ſed non ſequitur, quod ſit efficacius in quantum ſacramentum. Nec etiam Euchariſtia inſtituta eſt ad tollendam culpam & pœnam, ſed eſt ſacramentum vnionis: baptiſmus vero eſt ſacramentum renouationis, vnde aufert omnem vetuſtatem tam culpæ, quam pœnæ, quod non facit Euchariſtia.

Nota quod paſſio Chriſti aperuit ianuam Paradiſi per ſatisfactionem, & per cauſam meritoriam & vniuerſalem omnibus baptizandis: baptiſmus autem aperit per cauſam efficientem ſingularem. Iuſtum enim hominem ſingularem facit euolare: Aſcenſio vero Chriſti aperuit per effectum.

Iob. 6.

Iob ibid. & eodẽ verſu.

Oſee 11.

ad Rom. 11.

Iſaiæ 53. 1. Pet. 2.

Quo modo paſſio Chriſti aperuit paradiſum, & quomodo Baptiſmus

De Baptiſmo etiam Hæreticorum non iterando.

Cap. XXV.

Sacramento quidem facit iniuriam, qui dicit ipſum pollui per pollutionem Miniſtrorum. Dicimus tamen quod baptiſma hæreticorum facit quoſdam filios Dei, vt paruulos: quoſdam vero non, vt adultos, qui imbuti ſunt errore hæreticorum: tamen verum baptiſma recipiunt: vnde ſi veniant ad vnitatem eccleſiæ, non ſunt rebaptizandi. Quia dicit Aug. *Sanandum eſt quod vulneratum eſt, non curandum quod ſanum eſt.* Sani autem ſunt huiuſmodi, quantum ad illud in quo communicant cum Eccleſia, ſcilicet quantum ad baptiſmum. Si vero hæretici paruulos baptizent, dicuntur illi filij Eccleſiæ, non quod Dominus eos genuerit de Eccleſia, quæ eſt legitima ſponſa ſua, ſed quod de hæreſi tanquam de ancilla ad opus Eccleſiæ. Eccleſia tamen ſuos reputat quoſcumque generat Dominus, ſiue per illos, qui ſunt de Eccleſia, ſiue per hæreticos, ſiue per paganos, vnde *ingredere*, inquit, *ad ancillam meam &c.* Baptiſma igitur hæreticorum facit remiſſionem peccatorum, & ibi eſt Spiritusſanctus, non in hæreticis, ſed in ſacramento ſuo, ideſt, Spiritusſanctus quantum eſt in ſe, paratus eſt dare gratiam ſuam per baptiſmum, niſi per recipientem obſtiterit.

Quid valet baptiſmus. hæreticorũ?

Gen. 16.

Multiplex autem aſſignatur cauſa, quare baptiſmus, non iteratur. Prima eſt, quia cũ baptiſmus deleat culpam & omnimodam pœnam, ſi iteraretur diſcurrerent homines per campos licentiæ vſque ad extremam neceſſitatem, in qua facerent ſe baptizari, & ſic ſtatim euolarent: propter hoc inſtituit Dominus, vt vnicus eſſet baptiſmus. Secunda cauſa eſt allegorica, baptiſmus enim habet efficaciam ſuam à morte Chriſti, quæ vnica eſt. Tertia ne fiat iniuria baptiſmo: Character enim baptiſmalis perpetuus eſt: remanet etiam in hæreticis, & etiam in damnatis in Inferno: vnde non eſt ſimile de Euchariſtia, quia corpus Chriſti, non remanet perpetuo in homine, niſi quamdiu forma panis durat: ideo non fit iniuria Euchariſtiæ, ſi iteretur.

Cur baptiſmus no iterandus?

De accedentibus ad baptiſmum recte, vel ficte.

Cap. XXVI.

Non eſt autem neceſſe, quod adultus accedat ad baptiſmum contritus, poteſt enim accedere attritus, & dolens de peccatis, & tunc per virtutem baptiſmi ei dimittuntur. Si vero accedat contritus, tunc iam habet fidem, ſpem, & charitatem, & dimiſſa ſunt ei peccata quantum ad culpam. Baptiſmus autem ſequens, augmentat in ipſo gratiam, & tollit pœnam: ideſt, omnem ſatisfactionem exteriorem, interiorem vero non. Sacramentum igitur, & rem ſimul ſuſcipiunt omnes paruuli, qui in baptiſmo ab originali mundantur peccato. Adulti quoque qui cum fide baptizantur. Qui vero ſine fide accedunt, vel ficte, ſacramentum: non rem, ſuſcipiunt. Qui autem effundunt ſanguinem pro nomine Chriſti, & ſi non ſacramentum, rem tamen recipiunt: nec tantum paſſio vim baptiſmi implet, ſed etiam fides, & contritio, vbi neceſſitas excludit ſacramentum.

Quid conſequitur accedens ad Baptiſmum cõtritus.

Ficte autem accedens ſuſcipit baptiſmum, ſed non effectum baptiſmi, quamdiu durat fictio: recedente vero fictione baptiſmus effectum ſuum habet: ideſt, facit quod prius feciſſet, ſi fictio non impediuiſſet: vnde delet totaliter omnia peccata, quæ habebat iſte ante baptiſmum, ſed non delet illa quæ fecit poſt: niſi quantum ad culpam, quia non eſt inſtitutus ad delendum peccata futura, ſed tantum præſentia & præterita. Et etiam ſi ita eſſet, videretur iſti dolus fictionis patrocinari: conſtat enim, quia ſi non ficte acceſſiſſet, pœnitentia ſequẽs, peccata poſt facta nequaquam in eo totaliter deleret. Itaque de illis, quæ fecit ante baptiſmum non eſt ei iniungenda pœnitentia exterior: baptiſmus enim non exigit gemitum neque planctum: exteriorem intelligite: nullus enim adultus ſaluatur etiam baptizatus, niſi habeat pœnitentiam interiorem, ſcilicet contritionem, ſed de aliis, quæ fecit poſt baptiſmum iniungenda eſt ei pœnitentia exterior, & etiam de ipſa fictione ſecundum vnum modum. Eſt enim duplex fictio, vna ſecundum quam aliquis credit baptiſmum non prodeſſe, quæ eſt fictio incredulitatis: iſtam non delet baptiſmus, cum ſit baptiſmo contraria. Vnde de iſta iniungenda eſt pœnitentia. Et alia fictio, ſecundum quam quis non contritus recipit baptiſmum, & hoc eſt peccatum omiſſionis, vel negligentiæ, iſta totaliter deletur per baptiſmum. Baptiſmus enim non ſolum gratiam confert, ſed etiam cumulum gratiæ. Eſt enim character illuminans, ad ſciendum quid faciendum, & quid non, magis quam ſciatur per ſola naturalia, & debilitat fomitem, ac remittit.

Quid conſequitur ficte accedens ad Baptiſmum?

Duplex fictio.

De sacramento confirmationis.

Cap. XXVII.

NVnc de sacramento confirmationis dicendum est, quod tempore Apostolorum non legitur ab aliis, quam ab ipsis peractum: nec ab aliis, quam qui locum eorum tenent, perfici potest, aut debet. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate in fronte signare.

Quinq; spectant ad essentiam Cõfirmationis.

Circa essentiam huius sacramenti quinque exiguntur. Primum est forma verborum: Secundum intentio confirmantis. Tertium dignitas confirmatoris: oportet enim quod sit Episcopus: Quartum est ipsa materia, scilicet Chrisma: Quintum est locus, in quo chrismatur, scilicet frons.

Forma Confirmationis.

Forma verborum talis est. *Confirmo te signo crucis, & chrismate salutis in nomine Patris, & Filij & Spiritussancti.* Datur autem hoc sacramentum ad robur, vt idonei simus pugnare, & portare nomen Christi coram regibus: & hoc signat ipse locus, & materia. Locus, quia confirmatio fit in fronte, ne videlicet erubescamus confiteri nomen Christi coram hominibus. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem &c.* Hoc sacramentum non habuit Petrus, quando ad vocem ancillæ erubuit nomen Christi. Idem etiam significat ipsa materia scilicet chrisma. Inunguntur enim pugiles, vt difficilius possint capi ab inimicis. Conficitur, autem chrisma *ex oleo & balsamo: Oleum* enim significat nitorem conscientiæ, & lætitiam spiritualem, per quam spiritualia bella superantur: *Balsamum* autem significat odorem bonæ vitæ, per quem interficiuntur serpentes, ideſt, Dæmones. Itaque quando Christus insufflauit in Discipulos dicens: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Hæc datio significauit gratiam, quæ datur in baptismo. Semel autem iterum dedit Spiritum sanctum de cœlo in die Pentecostes ad robur: & hoc significauit robur gratiæ quod datur in sacramento confirmationis. *Vnde Vrbanus Papa, Spiritussancti septiformis gratia cum plenitudine sanctitatis scientiæ & virtutis in confirmatione confertur. Et iterum.* Omnes fideles per impositionem manus Episcoporum post baptismum debent recipere Spiritum sanctum, vt pleni inueniantur Christiani. Sed distinguitur plenitudo duplex scilicet, *sufficientiæ*, & hæc datur in baptismo, *copiæ*, & hæc in confirmatione-

Rom. 10.

Ex quibus conficitur chrisma?

Ioan. 20.

Vrbanus Papa.

De collatione huius sacramenti ad baptismum.

Cap. XXVIII.

HOc itaque sacramentum Melchiades Papa dicit maius esse baptismate, quia à dignioribus datur, & in digniori parte corporis fit, ideſt, *in fronte*, vel forte quia maius virtutum augmentum præstat, licet baptismus ad remissionem plus valeat. Baptismus quidem est sacramentum intrantium in Ecclesiam, confirmatio vero est sacramentum proficientium, & pugnantium contra *Mundum, Carnem, & Diabolum.* Igitur in sacramento confirmationis, non datur alia res, vel gratia quam in baptismo, sed quæ data est in baptismo confirmatur, & roboratur: vnde dicimus, sine præiudicio, quod idem est character baptismi, & confirmationis, in essentia: differentia tamen est secundum rationem. Differunt etiam secundum statum: quia alius est status incipientium, alius proficientium, & pugnantium. Non autem presbyteri dare possunt hoc sacramentum, quamuis possunt dare baptismum, quod vno modo maius est. Quia sacramentum dicitur magnum, quatuor modis. Primo quantum ad efficaciam. Et hoc modo dicitur baptismus magnum sacramentum, innouat enim hominem totaliter. Secundo quantum ad essentiam suam: & hoc modo sacramentum Eucharistiæ dicitur magnum, propter dignitatem essentiæ corporis Christi. Tertio quantum ad signum, sicut dicit Apostolus: *matrimonium, magnum esse sacramentum in Christo & Ecclesia*, significat enim matrimonium spirituale, quod est inter Deum & Ecclesiam. Quarto quoad effectus prærogatiuam & dignitatem: & hoc modo confirmatio, & ordo, magna sunt sacramenta. Dignior est enim gratia consummata, vel confirmata, quam gratia simplex: Non prodest autem confirmatio, si detur non baptizato, quia confirmatio est dispositio baptismi: vnde non potest esse sine baptismo, maxime cum baptismus sit ianua sacramentorum. Nec est simile de ordine, vbi si quis maiorem ordinem, prætermisso minore receperit, sufficit supplere quod omissum est, quia vnus ordo non est dispositio alterius, imo diuersi ordines, diuersa habent officia, distincta à se inuicem, non est autem iterandum confirmationis sacramentum, cum habeat characterem. Hoc sacramentum à ieiunis debet tradi, sicut & baptismus, nisi aliter cogat necessitas.

Quomodo se habeat confirmatio ad Baptismum, & è contra.

Sacramentũ quatuor modis dicitur magnum.

ad Ephes. 5.

De institutione Eucharistiæ.

Cap. XXIX.

DE institutione Eucharistiæ dictum est superius suo loco. Hoc sacramentum excellenter dicitur *Eucharistia*, id est *bona gratia*, quia in hoc non modo est augmentum virtutis, & gratiæ, sed ille sumitur totus, qui est fons & origo totius gratiæ. Cuius figura, præcessit quando *manna Deus pluit in deserto*, vnde *panem Angelorum manducauit homo.* Dominus igitur Iesus ad inuisibilia paternæ maiestatis migraturus celebrato cum discipulis Tipico pascha, quiddam memorabile eis commendare volens, sub specie panis, & vini: corpus, & sanguinem suum eis tradidit, vt ostenderet legis veteris sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari: ac nouæ legis sacramenta substitui, in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideo & post alia dedit, vt hoc vnum arctius memoriæ Discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur, sed potius à ieiunis sumi oportet: sicut Apostolus docet, vt singulari reuerentia diiudicetur, ideſt, discernatur ab aliis cibis, quod Dominus disponendum reliquit. Sub alia autem specie sumendum instituit, vt fides haberet meritum: *quæ est de his, quæ non videntur.* Et etiam ne abhorreret animus, quod cerneret oculus: quia non habemus in vsu carnem crudam, & sanguinem comedere. Panis autem ad carnem refertur: vinum ad animam: quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ à Phisicis esse ostenditur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, vt animæ & carnis susceptio in Christo, & vtriusque in nobis liberatio significetur, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero ei pro anima nostra offertur. Sub vtraque tamen specie sumitur totus Christus, nec plus sub vtraque, nec minus sub altera tantum sumitur: tamen non fit conuersio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem. Nec debent dici duo sacramenta, sed vnum, quia sub vtraque specie vnum & idem sumitur: Nec iteratur sacramentum, quia benedictio nõ repetitur. Aqua vero admiscenda est vino, quia aqua significat populum, qui per Christi passionem redemptus est. Cum igitur in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunitur, & credentium plebs ei copulatur in quem credit. Quibusdam etiã auctoritatibus colligitur, quod Christus vinum aqua mixtum dedit discipulis. Si quis tamen non intendens introducere hæresim obliuione vel ignorantia, aquam prætermisit, non videtur esse irritum sacramentum: nam Græcorũ Ecclesia non apponere aquam dicitur, apponenda est vero in tam parua quantitate, quod possit absorberi à vino, quia Christus non mutatur in Ecclesiam, sed ecclesia mutatur in Christum.

Ps. 77.

Cur sub alia Specie instituit Sacramẽtum Eucharistia.

Admiscenda est aqua vino in consecratione.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De forma & re ſacramentali.

Cap. XXX.

FOrma ergo panis, vel vini, quæ ibi videtur, ſacramentum eſt, ideſt, *ſacræ rei ſignum.* Huius autem ſacramenti gemina eſt res: *Contenta ſcilicet, & ſignificata*: *Res contenta* eſt *caro Chriſti*, quam de virginitate traxit, & *ſanguis*, quem pro nobis fudit. *Res ſignificata* & non contenta, eſt *vnitas Eccleſiæ.* Sunt igitur tria diſtinguenda hic: Sacramentum & non res, eſt ſpecies viſibilis, ſcilicet panis, & vini. Sacramentum, & res, eſt caro Chriſti propria, & ſanguis. Res vero & non ſacramentum myſtica eius caro. Porro ſpecies illa viſibilis ſacramentum eſt geminæ rei, quia vtramque ſignificat & vtriuſque ſimilitudinem gerit expreſſam. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit, & ſuſtentat, & vinum hominem lætificat atque inebriat, ſic caro Chriſti interiorem hominem plus cæteris gratiis. Et ſicut ex multis granis efficitur vnus panis, ex pluribus vuis vinum confluit in vinum: ſic ex multis fidelium perſonis vnica Eccleſia cõſtat, vnde Apoſtolus. *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus.* Ad hoc etiã eſt ſimilitudo, quia ſicut panis triticeus ex puriſſimis granis conſtat, ita corpus Chriſti verum quod traxit de virgine ex puriſſimis membris purificatis operatione Spiritusſancti. Et ſicut vinum ex pluribus vuis conſtat, ita ſanguis ex puriſſimis ſanguinibus: Ita & ſocietas Eccleſiaſtica ex multis perſonis à criminali macula liberis cõſiſtit. In cuius rei Typo facta eſt arca Domini de lignis Sethim, quæ ſunt imputribilia: Forma panis dicitur habere cum corpore Chriſti ſimilitudinem non gratia ſui, ſed gratia panis, cuius fuit forma. Efficit autem quod figurat, vnit enim recipientem Chriſti corpori myſtico: Efficit autem non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum materiæ. Sicut enim in alio liquore quam in aqua non datur baptiſmus, ita ſub alia forma quam ſub iſta, non datur corpus Chriſti. Licet autem ſignificatum melius ſit & dignius, quam ſignificans: tamen hæc habet calumniam: *vnitus Eccleſiæ dignior eſt quam corpus Chriſti*: quia corpus Chriſti habet dignitatem quandam, ſcilicet quod eſt vnitum verbo quod nullam habet comparationem ad dignitatem aliquam Eccleſiæ: hæc autem vera eſt: *Eccleſia ſiue vnitas Eccleſiæ melior eſt, quam corpus Chriſti.* Sed hæc eſt falſa: *minus bonum non facit maius bonum*: quia quandoque intelligitur, facere per modũ cauſæ materialis: aqua enim baptiſmi minus bona eſt quam munditia animæ, facit tamen per modum ſacramenti & materiæ, munditiam animæ. Similiter corpus Chriſti per modum ſacramenti, & materiæ facit vnitatem Eccleſiæ & purificat & mundificat, ſed per modum cauſæ efficientis ſolus Deus mundat & dimittit peccata.

De tranſubſtantiatione panis, & vini.

Cap. XXXI.

DIcũtur autem Sacerdotes conficere corpus Chriſti & ſanguinem, quia eorum miniſterio ſubſtantia panis fit caro, & ſubſtantia vini fit ſanguis Chriſti. Nec tamen aliquid additur corpori & ſanguini, nec augetur corpus, vel ſanguis Chriſti: nec conceditur quod ſubſtãtia panis aliquando ſit caro Chriſti, & ſic fiat caro Chriſti, ſicut farina facta eſt panis, & aqua facta eſt vinum: nec tamen dicitur, farina eſt panis, & aqua eſt vinum, nec dicimus panem vel vinum eſſe materiam Corporis, vel ſanguinis Domini, quia non de ea materia formatur corpus, ſed ipſa formatur in illud. & efficitur in illud. Dicit autem Damaſcenus quod ex operatione Spirituſſancti fit ille tranſitus, ſicut & conceptio Dei. Itaque panis vere tranſit in corpus Chriſti, Vnde omnes locutiones, quæ ſignificant tranſitum concedendæ ſunt, ſicut hæ: *panis tranſit in corpus Chriſti*, vel *tranſfertur*: vel *tranſubſtantiatur*, vel *mutatur*, vel *panis fit corpus Chriſti*, *panis erit corpus Chriſti*, *panis poteſt eſſe corpus Chriſti*: & omnes illæ negandæ ſunt in quibus, non ſignatur tranſitus, ſicut iſte: *panis eſt corpus Chriſti.*

1. Cor. 10.

Panis vere tranſit in corpus Chriſti: non tamẽ eſt corpus Chriſti.

De tempore autẽ tranſubſtantiationis dicimus, quod in finali inſtanti prolationis horum verborum, *hoc eſt corpus meum*, fit tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti, & hoc pronomen H o c, vagam & ſimplicem demonſtrationem habet ſicut *Tu*, cum quis dicit, *Tu aperi*, & neſcit quis ſit intus: vel demonſtrat corpus Chriſti ad intellectum, ſcilicet corpus Chriſti, quod non eſt ibi, ſed erit. Videtur autem dicendum quod panis, non tranſit in aliquo inſtanti in corpus Chriſti: ſed in tempore: tamen non ſucceſſiue, quia non prius tranſit vna pars panis in corpus poſt aliam. Et propter hoc non poteſt dici, quod in aliquanto tẽpore & toto tranſeat, vel poteſt dici quod tranſit in illo totali tempore in quo proferũtur hæc verba: *Hoc eſt corpus meum.* Vnde tantum tempus exigitur & nõ minus: itaque ſucceſſio eſt in tranſitu, non ex parte panis, ſed ex parte prolationis verborum.

De priori autem ſubſtantia, quædam remanent ſcilicet color, ſapor, forma, pondus, quæ nec corpus Chriſti afficiunt, nec in eo fundantur. Remanent ergo per ſe ſubſiſtentia ad myſterij ritum, & ad guſtus, fideique ſuffragium.

De his, quæ ſupra naturam vel intellectum ibi fiunt.

Cap. XXXII.

IGitur in hoc ſacramẽto quædam ſunt ſecundum naturam, quædam ſupra naturam, ſed non ſupra intellectum: Quædam ſupra naturam, & ſupra intellectum. Supra naturam ſunt ibi accidentia ſine ſubiecto: vt color, rotunditas, & huiuſmodi: ſed non ſupra intellectũ, quia intellectus bene intelligit accidentia ſine ſubiecto per abſtractionem. Deus autem potentior eſt in operando, quam intellectus in intelligendo: vnde ſupra naturã, & intellectũ, eſt ibi Chriſtus: etiam in tanta quantitate, in quanta eſt in cœlo, & non excedit terminos illius paruæ formæ. Vnde dicit Damaſcenus, quod fit ibi operatio ſupra naturam & intelligentiam. Dicimus ergo, quod ſub illa totali forma eſt Chriſtus, ita quod ſub nulla parte per ſe, tamen cum frangitur hoſtia, eſt Chriſtus interger ſub qualibet parte. Et hoc eſt non tantum ex conſecratione, ſed ex confractione: conſecrata enim fuit quælibet pars in ſuo toto. Et eſt ſimile in ſpeculo, ſicut enim in ſpeculo integro, eſt vna ſola imago, tamen ipſo fracto, in qualibet parte reſultat imago: Ita ſub totali formã illa, eſt Chriſtus, qui eſt imago Dei Patris: tamen fracta hoſtia, in qualibet parte reſultat imago: imo veritas ipſius imaginis, quæ eſt filius Dei: vnde ſicut ex oppoſitione rei ad diuerſas partes ſpeculi, reſultant diuerſæ imagines: ita ex prolatione verborum quæ præceſſit, & ex fractione formæ conſecratæ reſultat Chriſtus in diuerſis partibus hoſtiæ. Et accidentia quæ videntur ſunt ibi ſine ſubiecto, nec ſunt in corpore Chriſti, ſed aſſiſtunt ei, & velant ipſum, vt fides habeat meritum: vnde fallit ibi locus à coniugatis: *Ibi enim eſt albedo, & tamen nihil eſt in ea album*: Sed contra: *Ibi eſt fractio, & aliquid eſt ea fractum. Solutio.* Quædam ſunt accidentia, quæ per alia accidentia non inſunt ſubſtantiis. Quædam vero per alia: verbi gratia, albedo ineſt corpori non per aliud accidens, diſgregatio vero ineſt corpori per albedinem: vnde cum ibi non ſit ſubſtantia panis, albedo ibi eſt, & tamen nihil eſt ea album, quia nulla ſubſtantia, ſed ibi eſt diſgregatio, & aliquid eſt ea diſgregans, ſcilicet albedo. Eodem modo eſt ibi fractio, & aliquid eſt ea fractum, quia fractio eſt ſubſtantiæ, mediante continuitate, vnde cum ibi ſit continuitas, vere dicitur quod aliquid eſt fractum illa fractione. Et ſic patet, quod non eſt ſimile de albedine, & de fractione. Item corpus in forma propria non videtur, tamen ſecundum quid videtur velatum: ſed non ſequitur, ergo videtur, ſic non ſequitur, iſte videt manum Chirothecatam illius, ergo videt manum illius: nec valet hoc: ſacerdos tenet corpus Chriſti, ergo tãgit,

Supra naturã ſunt accidentia ſine ſubiecto: ſed non ſupra intellectum.

Simile.

Fallacia ex loco à coniugatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nam hoc verbum tenet, non importat aliquam immediationem, sed hoc verbum, tangit, importat.

De quorundam intelligentia, quæ dicuntur & aguntur in missa.

Cap. XXXIII.

QVæritur de his verbis, quæ sunt in canone missæ. *Iube hæc perferri per manus, &c?* quid demonstretur per hoc pronomen, *hæc*, postea de hac auctoritate Gregorij: *Vno eodemque momento transit in cœlum ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, & ante oculos Sacerdotis videtur*: Quæritur quid est illud de quo fit ibi sermo? Ad primum dicimus, quod per hoc pronomen, *hæc*, demonstrantur formæ significantes, sed pro vltimo suo significato, scilicet pro corpore Christi mystico: frequẽter enim in sacra scriptura ponitur signans pro signato, est enim sensus. *Iube hæc perferri*, id est iube corpus tuum mysticum scilicet Ecclesiam militãtem perferri per manus, idest, per operationes sanctorum Angelorum, qui adsunt sacrificio altaris, *in sublime altare tuum*, idest, ad Ecclesiam triumphantem, quæ est in cælis: hoc est, iube iungi Ecclesiam militãtem Ecclesiæ triumphanti, & hoc est regnum venire ad regnum: & sic cessat obiectio: Per sacramentum enim Eucharistiæ assimilatur magis, ac magis Ecclesia militans, Ecclesiæ triumphanti. Ad auctoritatẽ Gregorij dicimus, quod impropria est, & gratia diuersorũ significantur transitus, & consociatio & visio: vnde fit ibi sermo, quantum ad illa tria, de pane & corpore Christi, & de forma: quantum ad transitum fit ibi sermo de pane, quia panis transit in cœlum idest in cœlestẽ corpus Christi ministerio Angelorum, qui assistunt officio missæ, vt dicunt sancti. Quantum ad consociationem fit ibi sermo de corpore Christi, quod traxit de virgine, quia per virtutem Eucharistiæ associatur magis, ac magis verum corpus Christi corpori mystico. Quantum ad visionem fit ibi sermo de forma, quæ videtur. In huius autem mysterij expletione, sicut formam oportet obseruari, ita ordinem haberi scilicet vt sit Sacerdos: Et intentionem haberi oportet, vt illud facere intendat. Aliqui dicunt etiam non recte de illo mysterio sentientem posse intendere, non quidem illud conficere, quod iam esset recte credere, sed illud agere quod geritur ab aliis, dum illud conficitur: Et sic adhibetur intentio, & impletur mysterium.

Quid hæc importet?

Illud etiam sane potest dici, quod à brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur: Et hoc autem diuiditur forma panis in tres partes: Vna mittitur in calicem, & significat partem illam Ecclesiæ, quæ adhuc viuit, vnde ponitur in calice, quia vita cuiuslibet est in sanguine. Et calix significat passionẽ huius sæculi. Vnde in Euangelio. *Potestis bibere calicem &c.* Aliæ duæ significant duas partes bonorum, qui mortui sunt: Quidam enim sunt in Paradiso, alij sunt in Purgatorio. Vna ergo pars earum, quæ in calice non ponuntur, offertur ad liberationem eorum, qui sunt in Purgatorio: Alia vero ad gratiarum actionem, quantum ad illos, qui sunt in Paradiso: sicut autem in manducatione corporali sunt quatuor, ita & in spirituali. Primum est masticatio spiritualis, quæ est diiudicatio corporis Christi quale sit: quam nobile, quam viuificatiuum, & huiusmodi? Secundum est delectatio, qua delectamur Christo. Solum enim dulce & conueniens nutrit. Tertium est assimilatio specialis. Quartũ incorporatio Spiritualis. Diiudicatio autem illa est proprie per fidẽ, & similiter delectatio. Christus autem manducat nos, quia assimilat nos sibiipsi, & vnit per gratiam quam infundit.

Matth. 20.

Vtrum Eucharistiæ cibus satiet, vel nutriat corpus.

Cap. XXXIV.

ITaque dicit Augustinus, quod cibus ille non transit in ventrem, sed in mentem. Si autem quæritur, vtrũ formæ illæ euanescant, vel resoluantur in alios humores, potest dici, quod vtroque modo. Nã potest esse, si Deus vult, quod cibus ille nutrit, & satiat corporaliter quantum ad formas, non quantum ad corpus Christi: quia potius est cibus mentis, quam ventris. Et hoc dicit Augustinus, quod quidam satiantur, & inebriantur tali cibo, super ilium locũ epistolæ ad Corinth. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Dicit etiam Innocentius Papa tractatu de officio missæ, quod formæ illæ resoluuntur in eosdem humores, in quos resolueretur panis, si ibi esset: corpus vero Christi non nutrit corporaliter. Definit autem ibi esse corpus Christi, quam cito definit forma panis esse.

Eucharistia cibus mentis potius quam ventris.

1. Cor. 11.

Nec est dicendum, quod definente forma panis esse, ascendat corpus Christi in cœlum, aut Sacerdote proferente hæc verba, *Hoc est corpus meum*: descendat corpus Christi de cœlo: sed sicut diceretur secundum vnã opinionem, quod ex sola oppositione colorati ad visum, sine aliqua mutatione medij aeris fit aliqua imago colorati in oculo, ita ex prolatione horum verborum, *Hoc est corpus meum*, debitõ modo facto à Sacerdote sine aliquo descẽsu, vel motu est corpus Christi in altari, & sine aliquo ascensu forma panis definente esse, est corpus Christi in cœlo, quod prius erat sub illa forma, & modo non est. Modo quidem sub forma propria corpus Christi est in cœlo, primo, & per se: & in altari est verũ corpus Christi, tamen per quandam resultationem, sicut superius dictum est. Absit autem vt inhonestam corporis egestionem cibus ille sustineat, qui corpus, & animam ad æternam honestatem parat.

Matth. 26.

De quibusdam patribus sanctis legimus, qui sola cõmunione dominica, diebus tantum dominicis saginati pluribus annis vixerunt: hoc igitur cõcedere possumus, posse scilicet aliquem ex virtute dominici corporis per diuinum miraculum longo tempore viuere. Secessum autem ei fieri exinde omnino non posse: quod si fiat secessus eo tempore aut ex reliquiis ciborum præteritorũ, aut ex defectu sui corporis, id esse necesse est.

Exempli de quibusdam sanctis qui sola communione diu vixerunt.

De indignè sumentibus, vel tangentibus.

Cap. XXXV.

SVmere quidem corpus Christi in peccato mortali nõ est malum in genere, quia si aliquis probabiliter credat se nõ habere peccatum mortale, licet habeat, sumere corpus Christi, non est ei peccatum. Et hæc auctoritas si desit fides, vel charitas, *iudicium sibi manducat, & bibit*, intelligenda est si desit in conscientia, idest, si credat se habere mortale.

1. Cor. 11.

Sed quæritur vtrum illi Sacerdos debeat dare corpus Christi, quem scit esse in mortali peccato? Et dicitur quod si notorius sit, nõ debet ei dare, nec in occulto, nec in publico: si autem non sit notorius, non debet ei negare in publico, exemplo Domini, qui dedit corpus suũ Iudæ, qui non erat notorius. Dicimus etiam quod aspicere corpus Christi non est peccatum etiam indignis, imo bonum est, quia cum charitas (vt dicit Augu.) sit idem quod desiderium videndi Deum & fruendi Deo, aspicere corpus Christi prouocatiuum est ad dilectionẽ Dei, & multorum petitiones exaudiuntur in ipsa visione corporis Christi: vnde multis infunditur tunc gratia: quod significatum est in libro numerorum, vbi illi, qui aspiciebant serpentem æneum liberabantur à morsibus serpentum ignitorum.

Notorio peccatori non est vllatenus dãdum corpus Domini.

Quod autem viri Bethsamitæ percussi fuerunt, quia viderunt arcam Domini: hoc non fuit ex indignitate

1. Reg. 6.

eorum,

eorum, ſed quia prohibitum erat eis ne viderent. Tamen tangere corpus Chriſti indignis peccatum eſt duplici ratione: Prima eſt, quia *Deus iniquos odio habuit*, vnde ſicut charitas exigit coniunctionem, ita odium ſeparationem, & elongationem. Et propter hoc dicitur. *Publicanus à longe ſtans, &c.* Præſumit ergo, qui ei adeo propinquat vt ipſum tangat cũ ſit indignus. Alia eſt ratio, quia (vt dicit Hieronym. ſuper Malachiam) Panem pollutum comedit, qui ad altare Dei indignus accedit: vnde qui pollutus eſt & tangit corpus Chriſti, quantum in ipſo eſt, ipſum polluit. Qui vero ex ſola reuerentia tangit, ſicut ille, qui ſubleuat de terra, non peccat: quamuis ſit indignus. Sed Sacerdotes indigni qui celebrant, peccant mortaliter, quia vel celebrant, vt habeant oblationes, vel ne incurrant infamiam, vel ex aliqua alia libidine.

Luc. 18.

De ſacerdotibus vero qui nocturnam patiuntur pollutionem, dicitur generaliter, quod non debent celebrare niſi cõfeſſi fuerint prius: niſi neceſſitas cogat, & tunc conteri debent, & dolere: huiuſmodi enim pollutio habet cauſam ſemper inhoneſtam. Aut enim eſt ex turpi imaginatione præcedente, aut ex crapula, aut ex natura volente ſe exonerare, & tunc etiam non eſt ex natura indita, ſed ex natura corrupta, vnde ibi habet locum auctoritas illa: *Bonarum mentium eſt ibi culpam cognoſcere, vbi culpa non eſt.*

De cauſis inſtitutionis huius ſacramenti, & quale tunc datum ſit corpus Chriſti.

Cap. XXXVI.

Inſtitutio Euchariſtiæ ex multiplici cauſa oritur.

ESt autem multiplex cauſa inſtitutionis huius ſacramenti. Prima eſt *commemoratio paſſionis Chriſti*, ſicut ipſe dicit quæ triplex eſt.

Prima eſt commemoratio amoris, quem oſtendit nobis in cruce, *quia maiorem charitatem nemo habet &c.* Secunda eſt *liberationis*, quia per paſſionem ſuam liberauit nos à ſeruitute Diaboli & carcere inferni, & mortis. Tertia *imitationis Chriſti*, vt ſcilicet imitemur patientiam & humilitatem, & alias virtutes, quas oſtendit nobis in cruce.

Ioan. 15.

Secunda cauſa eſt *meritum fidei*, quia meritum fidei eſt & laus, credere quod non vides, & maxime illud quod eſt ſupra rationem.

Tertia eſt *ſubleuatio ſpei*, vult enim Deus quotidie præſentialiter, & corporaliter eſſe inter nos, vt magis ſperemus obtinere petitiones noſtras.

1. Cor. 5.

Quarta eſt *vt epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.*

Quinta, & vltima, *ad remedium peccatorum venialium*, quæ quotidie facimus.

Dicit autem quædam gloſſa ſuper Leuiticum, quod Chriſtus prius ſuum ſumpſit corpus, & poſtea dedit diſcipulis: porro tale dedit quale tunc habuit, id eſt mortale & paſſibile, nunc vero ſumitur à nobis immortale & impaſſibile, nec tamen maiorem habet efficaciam. Euchariſtia vero intincta non debet dari populo pro ſupplemento communionis, quia non legitur Chriſtus alicui diſcipulorum tradidiſſe panem intinctũ, niſi Iudæ. Tunc vero non accepit Iudas corpus Chriſti, ſed tãtum panem. Corpus vero & ſanguinem Chriſti cum aliis Diſcipulis ante perceperat.

Luc. 22.

Et nota quod Lucas dicit Dominum addidiſſe: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus ſcilicet verbis inſtituit hoc ſacramentum, & tacite præmiſſum deſtituit: quaſi diceret, ſicut vetus paſcha celebraſtis in memoriã liberationis populi de Ægypto, & manu Pharaonis: ſic de cætero hoc ſacramentum frequentate vos, & ſucceſſores veſtri, in memoriam mei: qui libero vos de tenebris peccati, & inferni, & de manu Diaboli.

De ſacramento pœnitentiæ.

Cap. XXXVII.

VT autem dicit Hieronymus *Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium.*

Item Ambroſius. Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plagenda iterum non committere.

Item Auguſtinus. Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, nihilque proſunt lamenta ſi replicantur peccata. Ideo ſane ita definiri poteſt.

Quid pœnitentia.

Pœnitentia eſt virtus vel gratia, qua commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus, & odimus: & plangenda vlterius committere nolumus.

Sic igitur in verbis prędictis intelligitur *non committere* id eſt nolle committere. Poteſt etiam dici, quod deſcriptio illa Ambroſij data eſt ſecundum eſſe optimum pœnitentiæ, quod eſt, quando pœnitens finaliter perſeuerat.

Pœnitẽtia eſt virtus communis.

Pœnitentia quidem non eſt virtus ſpecialis, ſed communiter omnium. Nec eſt in aliqua vi, ſed in qualibet id eſt in anima ſecundum quamlibet vim: nam & propriè loquendo luctus non eſt virtus, ſed ſtatus virtutis, ſicut pax.

Tria cõſiderãtur in hoc ſacramento.

Porro ſicut in aliis quibuſdam ſacramentis tria ſunt: vnum quod eſt ſacramentum tantum, aliud quod eſt res tantum, aliud quod eſt ſacramentum, & res: ita & hic, ſacramentum tantum eſt confeſſio cum abſolutione Sacerdotis. Sicut enim ſacramentum Baptiſmi in duobus conſiſtit ſcilicet in elemento & verbo: & Confirmatio in duobus ſcilicet chriſmate & forma verborum: Ita in pœnitentia, ſacramentum conſiſtit in confeſſione peccatoris, & abſolutione Sacerdotis. Et ſicut in ſacramento Baptiſmi elementum eſt materiale reſpectu verbi: ita confeſſio reſpectu abſolutionis. Et ſicut elementum ſine verbo non eſt ſacramentum, nec verbum ſine elemento: ita confeſſio ſine abſolutione, vel è conuerſo. Vnde confeſſio quæ fit non ſacerdoti, vel non ſuo ſacerdoti, non eſt ſacramentum, quia illi non habent poteſtatem abſoluendi.

Res tantum eſt remiſſio peccati: Sacramentum & res, eſt contritio cordis. Res reſpectu confeſſionis, & ſacramentũ reſpectu remiſſionis peccati. Quidam autẽ dicunt, quod confeſſio efficit quod figurat, ſcilicet remiſſionem peccati, ſed non omne quod figurat, ſcilicet quia non efficit contritionem, cum ipſa ſit poſterior natura, & tempore. Nec eſt neceſſe (vt dicunt) quod ſacramentum nouæ legis efficiat omne quod figurat, ſicut in ſacramento altaris forma panis figurat corpus Chriſti, nec tamen efficit. Sed reuera forma panis cum forma verborum efficit corpus Chriſti ſimpliciter. Itaque ſicut baptiſmus efficit gratiam in anima baptizati quantum in ſe eſt: ita confeſſio prout ſacramentum eſt, contritionem efficit, niſi impediatur, vel quantum ad eſſe, vel quantum ad augmentum. Virtute enim confeſſionis vel datur, vel augmentatur dolor, & deteſtatio peccati, & datur gratia, qua de attritione fit contritio: & ita patet quod confeſſio eſt ſacramentum prius quam contritio, tamen contritio ſecundum quid prius eſt, quoad attritionem.

In definitione quidem ſacramenti ponitur *viſibilis* communiter ad omnem ſenſum: Vnde confeſſio eſt *viſibilis, & ſenſibilis* ſcilicet auditu. Dicunt autem Magiſtri, quod confeſſio, & ſatisfactio, ſunt vnum ſacramentum contritionis & remiſſionis peccati, & dicuntur vnũ ſicut ſpecies panis & vini ab vnitate principalis ſignificati: quod eſt peccati remiſſio. Et ſicut abſolutio, forma eſt confeſſionis, ita iniunctio ſui ſacerdotis informat ſatisfactionem, aliter enim neutrum eſſet ſacramentum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De effectu eiusdem Sacramenti.

Cap. XXXVIII.

In peccato duo sũt, macula animæ, & obligatio pœnæ.

IN peccato quidem duo sunt, ipsum scilicet peccatum id est macula animæ, & sequela peccati scilicet obligatio pœnæ. Similiter in contritione duo sunt, gratia scilicet & dolor, qui est sequela gratiæ.

In conuersione peccatoris ad Deum tria sunt scilicet peccati desertio: propositum non peccãdi de cætero: & dolor de peccato preterito. Hæc omnia possunt fieri per fidem informem, vel timorem seruilem, vel etiam solo libero arbitrio absque gratia de nouo infusa: non tamen

Ioan. 15. sine Deo principaliter operante, quia (vt ipse dicit) *sine me nihil potestis facere.* Quando autem homo hæc habet, tunc conuertitur ad Deũ, & ideo tunc Deus conuertit se

Isaiæ 45. ad peccatorem, gratiam ei infundendo, secundum illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Gratia vero sua

Triplex sequela peccati. præsentia expellit peccatũ, & sequelam peccati expellit per motus, quos elicit ex libero arbitrio. Sed triplex est sequela peccati, quæ remanet etiam post remissionem culpæ. Prima est obscuritas visus spiritualis, propter quam non potest videre clare quid faciendum, quid fugiendum. Hæc significata fuit *in cæco illuminato, qui primo vidit homines quasi arbores ambulantes.* Secunda est difficultas bene agendi, quæ significata est in institis Lazari, quibus ligatus prodiit de sepulchro. Tertia est pœna tẽporalis. Duas primas expellit gratia suis motibus per modũ causæ efficientis. Tertia vero per modum meriti. Ideoque oportet vt proportionetur debito modo, quod fit in iniunctione satisfactionis. Licet igitur sua præsentia expellat peccatum, tamen sequela gratiæ, quæ est in confessione & contritione non expellit omnino sequelam peccati, ad minus quoad tertiam, quæ per satisfactionem recte expellitur: & ita nõ superfluit satisfactio, quæ valet etiam ad multa alia scilicet ad gratiæ conseruationem, & ad augmentum eiusdem: ad plenariam absolutionem, ad fomitis debilitationem, & ad vitandum recidiuationem. *Vnde versus.*

Seruatur per opus ac crescit gratia, pœna
Soluitur, atque fomes languet, fugitur recidiuum.

Deus autem qui nullum malum vult esse impunitum, ex misericordia mutat illam magnam pœnam in hanc minimam. Tamen quidam dicunt, quod peccato mortali meretur quis pœnam æternam, & temporalem: sed æternam absolute, & temporalem conditionaliter: propterea quando quis inchoata pœnitẽtia, sed nondum cõpleta decedit, punietur maiori pœna in vita alia quam in ista. Nec est inconueniens, nec contra Dei misericordiã, minorem pœnam mutari in maiorem, quia minor pœna in præsenti magis efficax & satisfactoria est & magis grata Deo quam longe maior in Purgatorio: huius ratio est, quia pœna præsens puræ voluntatis est: pœna vero Purgatorij de necessitate, denique cum exit homo de hac vita, exit forum Ecclesiæ, & intrat forum Dei, vbi grauius puniuntur malefici. Exit forum misericordiæ, & intrat forum Iustitiæ: tunc enim misericordia conuertitur in iudicium.

Pœna in præsenti vita, magis satisfactoria est & magis grata Deo quam longe maior pœna in Purgatorio.

De tribus partibus pœnitentiæ.

Cap. XXXIX.

Tria requirũtur ad pœnitentiam. EXigũtur igitur ad perfectam pœnitẽtiam tria scilicet contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Trib. enim modis Deum offendimus, consensu, verbo, & opere, & ideo trib. modis eidem reconciliamur. Hæc est via trium dierum in exodo, de qua per Moysen datũ est præceptũ Israelitico populo. Cui etiam respondet Abrahæ triduum, qui pergens ad immolandũ filium, *die tertia eleuatis oculis, vidit locum procul.* Triduum quoque Isaiæ Prophetæ Dei, quo nudus & discalciatus iuit plangens peccata populi, hinc etiam per Osee de Domino dicitur: *Viuificabit nos post dies duos, die tertia suscitabit nos.* Ionas quoque de Niniue (quæ significabat mundum) dicit quod *erat ciuitas magna itinere dierum trium.* Mox quoque ab eodem iuxta septuaginta interpretes dicitur. *Adhuc tres dies & Niniue subuertetur:* triduum quippe deambulationis refertur ad peccata cordis, oris, & operis, cui triduum subuersionis opponitur scilicet contritionis, confessionis, & satisfactionis. Hoc triduo debemus expectare Dominum, iuxta illud euangelicum: *Misereor,* inquit, *turbæ, quia iam triduo sustinent me.* Ideo quoque ter in canticis dicitur sponsæ, *veni, veni,* inquit, *sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis &c.* Hæc est triplex resuscitatio trium mortuorũ à Domino facta in euangelio.

Tria requirũtur ad pœnitentiam.
Gen. 22.
Osee 6.
Ionæ 3.
Matth. 15.
Cant. 4.

Sed quales partes pœnitentiæ sunt ista tria? Dicimus quod dupliciter potest sumi pœnitentia. Vno modo vt est punitio vel vindicta puniens, & hoc modo sunt partes subiectiuæ: alio modo vt est vnum sacramentum de septem, & sic complectitur illa tria, quæ sunt eius partes integrales.

Triplex forum. Est autem triplex forum, Dei, Ecclesiæ, & hominis. Forum Dei est diuina sententia, forum Ecclesiæ Sacerdotis arbitrium, forum nominis propria conscientia. Qui iudicatur in foro proprio non iudicatur in foro Dei. Forum Dei, iustitiæ: forum Ecclesiæ, misericordiæ: forum hominis, conscientiæ. Primum magnum: secundum minus: tertium minimum.

De contritione.

Cap. XL.

Quid contritio. EST itaque *contritio dolor pro peccatis, assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi:* hæc præcipitur à Domino per prophetam, vbi dicitur. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* Iste dolor debet esse triplex, vt ait Bernar. *Acer,* quia offendimus Dominum & creatorem omnium. *Acrior,* quia patrem nostrum. *Acerrimus,* quia redemptorem.

Ioelis 2.

Sex sũt causa inductiua contritionis. Causæ inductiuæ contritionis sunt sex: *Cogitatio,* & ex ea *pudor* de peccatis commissis, *detestatio* vilitatis ipsius peccati, *timor* de die iudicij, & pœna gehennæ, *dolor* de amissione patris cœlestis & multiplici offensa creatoris, *& spes triplex* scilicet veniæ, gloriæ, & gratiæ. Patet autẽ effectus eius in parte ex vi ipsius nominis: dicitur enim *contritio* quasi simul *ex toto tritio,* quod passiue intelligendum est, & actiue: passiue, quia totum cor ad litteram quasi teritur, & scinditur præ nimia angustia, & dolore: Actiue, quia tanquam fortissima machina conterit congeriem peccatorum, quæ quasi quidam murus separabat nos à Deo.

Item hæc laqueos cõterit & catenas Diaboli, hæc destruit carcerem infernalem, quem Dæmones parauerant in inferno animæ peccatrici, & vires Dæmonũ eneruat, *quia conterit brachium peccatoris & maligni.* Quia vero septẽ dona spiritussancti contra septem vitia capitalia distinguũtur per oppositum: & dolor de peccato non est proprie contra aliquod vitium, sed contra omnia, ideo non distinguitur inter dona. Item dicimus, quod sicut delectatio aliquãdo dicitur motus, quo inhæremus rei delectabili, cui annexa est quædam passio muliebris: sic dolor quãdoq; dicitur motus quo abhorretur peccatũ, cui annexa est tristitia quædã siue passio: quandoque dicitur illa passio contritio. Cõtritio dicitur dolor primo modo, & sic est meritoria, quia non est pura passio, sed motus, & est sensus rei nociuæ, licet absentis. Nam sensus quidẽ carnalis exigit rem præsentem substantialiter: spiritualis nõ: sed tantum secundum impressionem vel memoriam: vnde cum in memoria est peccatum, potest anima dolere de ipso. Et etiam melius de præterito quã de præsenti, quia peccatum præsens delectationem carnalem habet, quæ retardat dolorem. Anima quoque dimisso peccato melius potest sentire fœtorẽ peccati, quia odoratus spiritualis tunc melius dispositus est.

Psal. 9.

Quanta debeat esse cõtritio? Ierem. 6. De quantitate contritionis dicitur, *luctum vnigeniti fac tibi planctum amarũ.* Vnde potest dici quod quilibet vere pœnitens magis dolet de peccatis suis, quam de morte

filij,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

filij, etsi non sentiat. Nec tamen oportet quod fleat corporaliter, quia huiusmodi lachrymæ sunt vel à natura, vel à gratia, vel à libero arbitrio: sed spiritualiter: quod est tantum à gratia, tantaque potest esse contritio, quod pœna dimittatur omnino. Dicitur autẽ à Magistris doctrinaliter, quod in iustificatione impij quatuor concurrunt tẽpore simul, nõ natura: scilicet infusio gratiæ, motus liberi arbitrij, cõtritio, remissio peccati: impius autẽ dicitur peccator adultus. Primum quidem nõ meremur, quia nõ subest libero arbitrio: nec eo meremur, quia nõ est motus liberi arbitrij, neque secundum meremur, cũ alius motus non præcedat, sed eo meremur duo sequentia, cum sit motus liberi arbitrij informatus gratia: tertium quidem meremur per secundum, & eo meremur quartũ: quarto vero nihil meremur, quia non est motus.

In iustificatione Impij quatuor cõcurrunt.

De confessione.

Cap. XLI.

Confessio est legitima coram sacerdote peccatorũ declaratio. Et dicitur *confessio* quasi simul vel *ex toto* vel vndiq; *fassio*, nam ille confitetur, qui totum fatetur.

Quid confessio.

Confessio vtilis est ad septẽ, scilicet *ad peccati cognitionẽ*: Sacerdos enim debet notificare peccatori cõfitenti peccatũ, & quantitatẽ peccati, iuxta illud Leuitici: *Homo in cuius cute & carne &c.* Item *ad satisfactionem*, erubescentia enim cõfessionis magna pars est pœnitẽtiæ: Itẽ *ad peccati certam dimissionem*: *ad Dei glorificationem*: *ad mentis iocunditatem*: *ad diminutionẽ pœnæ ex vi clauium*: *ad multitudinem intercessorum.*

Cõfessio. vtilis ad septẽ. Leuitici 13.

Debet autem confessio esse simplex, & vtilis, humilis, secreta, frequẽs, & prõpta siue obediens, præcipue quoq; debet esse amara: Iuxta illud, *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.*

Qualis debet esse confessio. Ierem. 31.

Huius amaritudinis signa sunt verecundia, humilitas, lachrymæ, fortitudo vincens pudorem, & pronitas obedientiæ. Item debet esse festina propter quatuor. Primo propter incertitudinem horæ: secundum est, quod morans in peccato semper accumulat peccatum peccato: tertium est, quod quanto maiorem morã fecerit in peccato, tanto magis elongabitur à Domino, & per consequens tanto difficilior erit conuersio. Vnde.

Confessio debet esse festina.

Principiis obsta, sero medicina paratur.

Quartũ quia in extrema ægritudine vix potest aliquis vere pœnitere, quia illuc rapitur intẽtio mẽtis, vbi est vis doloris: multa enim vt ait Augustinus occurrũt impedimẽta: nã morbus vrget, pœna terret, filij quos illicite dilexit, & vxor & mundus eũ ad se vocant. *Tene ergo certũ & dimitte incertũ* id est age pœnitentiam dum sanus es.

Item debet esse integra, secundum illud Augustini, Caueas ne verecundia ductus diuidas confessionem: ad hoc autem quod integra sit, nouẽ exigũtur scilicet quod sit voluntaria, fidelis, propria, accusatoria, vera, nuda, discreta, pura, morosa.

Quæ circunstantia confitenda in confessione?

Quando & de quibus oportet confiteri.

Cap. XLII.

Sciendum vero, quia saltẽ semel in anno tenetur quilibet postquã ad annos discretionis peruenerit, confiteri omnia peccata sua, & suscipere reuerenter ad minus in paschate Eucharistiæ sacramentũ, nisi forte de consilio proprij sacerdotis ob aliquã rationabilẽ causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendũ. Et (vt aliqui dicunt) tantũ illas circũstãtias, quæ trahũt in aliud genus peccati tenemur cõfiteri: alias autẽ non, nisi velimus. Alii dicũt, quod omnes illas, quæ grauiter & aperte aggrauãt peccatũ cõfiteri tenemur, sed alias minutas nõ. Sicut autẽ confitens circunstãtias aliquãdo omittit ne scãdalizet confessorẽ: ita confessor debet nõ inquirere aliquas circunstantias, & modos peccati, ne scandalizet confitentẽ. Sic igitur circunstãtia aliquando omnino taceri debet in confessione: sed peccati genus non debet taceri.

Debet etiam peccator dolere & confiteri de bonis omissis, quæ scilicet potuit facere, & non fecit.

Qualia etiã peccata confitenda?

De tempore quoque male expẽso, & quia proximorũ animas Deo subripuit, vel in malo confirmauit. Item de tristitia, quam intulit bonis peccando, & de lætitia quam eis non adhibuit. Item non solum cogitet quid & qualiter fecerit, sed quam ininste Deum offenderit.

Porro venialia non tenemur ex præcepto confiteri, licet bonum sit: auctoritas autem Iacobi de confitendo alterutrum quantũ ad mortalia est in præcepto, quãtum ad venialia consilium dat. Item quod dicit glossa quod quotidiana & leuia coæqualiter Sacerdoti sunt pandenda: intelligitur de generali cõfessione, quæ fit in Prima, & Completorio. Et verum est, quod quicunque offendit, tenetur satisfacere & confiteri speciali vel generali confessione, nam qui non confitetur se esse peccatorem, eo ipso peccator efficitur. Vnde Ioan. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus &c.* Et quia quilibet tenetur confiteri ad minus semel in anno: qui non habet nisi venialia tenetur confiteri illa. Et ita per accidens, & casu verum est, quod aliquis tenetur confiteri venialia propter bonum obedientiæ. Porro vtrum veniale requirat contritionem, dicimus quod non, nisi generalem, quia per pœnitẽtias, & eleemosynas & aliis pluribus modis dimittuntur venialia, & etiam in Purgatorio.

Venialia ex præcepto non simul confitenda.

Ioan. 1.

Quibus personis confitendum sit.

Cap. XLIII.

Tenetur ergo confiteri proprio Sacerdoti, qui tenetur ei tradere sacramẽta, in quorum collatione subit periculum, nisi faciet posse suum, vt sciat cui det. Fallit autem regula prædicta in quinque, in quibus potest cui data est potestas imponendi pœnitentias in aliqua parrochia ab Episcopo, audire confessionẽ alterius parrochiani, videlicet cum ille extraneus peccauit in parrochia sua. Item si mutauit ibi domicilium: Item si est ibi vagabundus: Item si petiit & obtinuit licentiam à Sacerdote suo, quem videbat imperitum & insufficientẽ, volens ire ad alium discretum, vel quia longum iter arripuit, petiit licentiam, vt posset in itinere confiteri: Item in articulo necessitatis.

Sed nunquid in his casibus poterunt audire confessionem illi, quibus non est data potestas ab Episcopo? Respondemus quod non, in primis quatuor casibus: quia licet ipsi pœnitentes sint absoluti quod possint confiteri, non tamen sunt illi absoluti quod possint audire. Item proprius Sacerdos non potuit dare talibus iurisdictionẽ, siue potestatem talem, sed Episcopus solus potest illis, qui sunt in suo Episcopatu, non aliis. In quinto vero casu secus dico, quia vt ait Augustinus. Tanta est vis confessionis, vt si immineat articulus necessitatis: sicut quãdo quis infirmatur ad mortem, vel debet inire bellũ iustum, & deest Sacerdos, confiteatur proximo, & ita non solum clerico, sed etiam laico licet tunc confiteri.

De modo audiendi confessiones, & faciendi interrogationes.

Cap. XLIV.

Parrochianus Sacerdos vel alius cui Episcopus dederit potestatẽ audiẽdi confessiones, poterit imponere pœnitentiã subditis de omni crimine nisi in quinq; casibus. Vnus est de quibus est solẽnis pœnitẽtia iniungenda: alius de excommunicatis, quos potest aliquando absoluere, & aliquando non: Tertius vbicunque inuenit irregularitatem contractam, quia propter illam debet pœnitẽtem remittere ad Episcopum, vt ipse dispenset cum eo si potest, vel cum litteris suis mittat eum ad Papam: quartus est de incẽdiariis: quintus si sit cõsuetudo in aliquo Episcopatu, quod aliquorũ certa crimina ad Episcopum referantur: nam horum etiã aliqui mittuntur ab Episcopis ad sedem Apostolicam propter

enormitatem

enormitatem criminum,& ad terrorem. Et credo quod Epiſcopus non intelligitur delegare huiuſmodi maiora in ſimplici delegatione, niſi expreſſe dictum ſit, cum ad ipſius correctionem videatur ſpecialiter ſpectare.

Non debet in confeſſione fieri ſpecificatio perſonæ cũ qua pœnitẽs peccauit.

Item notandum, quod ſicut pœnitens non debet nominatim ſpecificare perſonam cum qua peccauit, nec circunſtantias per quas intelligi poſſit, niſi eſſet forte notorium, vel aliter non poſſet recte confiteri: ita non debet Sacerdos perſonam ſpecificare in interrogatione, ſed vterque inſiſtat caute circa qualitatem perſonæ, ſcilicet, vt ſi erat virgo, vel corrupta, vidua, vel meretrix, vel coniugata, & conſanguinea, vel ſanctimonialis, & ſimilia. Porrò neque verbo, neque facto, neque ſigno debet Sacerdos reuelare peccatoris confeſſionem niſi in vno caſu, ſcilicet quando aliquis confitetur hæreſim ſuam, & multos corrupit, nec vult aliquo modo reſipiſcere: tunc enim Sacerdos debet dicere omnibus vt vitent illum tanquam hæreticum ipſo præmonito, & per ſe, & per Epiſcopum, ſi opus eſt. *Vnde verſus,*

Eſt hæreſis crimen quod nec confeſſio celat.

De ſatisfactione.

Cap. XLV.

VT autem ait Gregorius *ſatisfactio eſt cauſas peccatorũ excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere.* Duplex eſt autem exciſio peccati: quædam enim eſt exciſio ſimpliciter, quæ fit per fugam & abſtinentiam à peccato: quædam violenta, quæ fit per contrarium, vt ieiunium, per quod exciditur cauſa luxuriæ: datio eleemoſynæ per quam cauſa auaritiæ: vti vilibus per quod ſuperbiæ, & huiuſmodi. Et ſic excidere ſumitur à Gregorio: Itaque Sacerdos ſemper debet aliquã ſatisfactionem iniungere, licet per contritionẽ aliquando omnino tollatur: quia ipſi non vident hoc, ſed Chriſtus cui patent corda: ipſe vidit *contritionem mulieris*, & ideo nullam aliam iniunxit ſatisfactionem.

Notandum tamen quod confeſſores quædam iniungunt ad fundamentum ſatisfactionis, vt abſtinere à peccato, reſtituere ablatum, ſine quibus non poteſt eſſe ſatisfactio: quædam ad expeditionem ſatisfactionis, vt vitare loca ſuſpicioſa, mala conſortia: quædam ad ſubſtantiam ſatisfactionis, vt ieiunare, peregrinari: quædam ad perfectionem, & ſecuritatem ſatisfactionis, vt opera ſupererogationis: quædam ad præſeruationem, vt aliquando abſtinere à carnibus, à forti vino, & huiuſmodi: quædam etiam ad maius meritum, quædam ad exemplum proximorum. Et dicimus, quod contritio quantumcunque parua ſit omnino tollit peccatum, quoad culpam, & pœnam æternam: ſed non quoad pœnam temporalem: item magis ſatisfacit quam quantumcunque datio eleemoſynæ, & magis placet Deo, non tamen ceſſare debet datio eleemoſynæ, quia pœnam temporalem minuit, & meritum auget, & aliquando orationibus pauperum, quibus datur eleemoſyna confertur gratia & ſanitas, vel deuotio, vel proſperitas, vel augmentum vitæ temporalis, ſicut dicit Apoſtolus.

Cõtritio tollit omnino peccatũ licet nõ quoad pœnã temporalem.

Satisfactio conſiſtit in tribus.

Conſiſtit autem ſatisfactio in tribus ſcilicet oratione, ieiunio, & eleemoſyna, vt iſte ternarius contra illum nefarium Diaboli ternarium opponatur: oratio, contra ſuperbiam: ieiunium, contra carnis concupiſcentiam: eleemoſyna, contra auaritiam.

Eleemoſyna triplex. Eccleſ. 30.

Eleemoſyna autem eſt triplex. Prima conſiſtit in cordis cõtritione, iuxta illud: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*: ſecunda in compaſſione proximi: tertia in largitione & manuali cura corporali, & breuiter in quocunque conſilio, & ſubſidio quod impendimus proximo. Oratio quoque triplex eſt ſcilicet vocalis, realis, mentalis: & (vt ait Auguſtinus) ipſum deſiderium continua eſt oratio.

Quid oratio. Requiſita orationis.

Eſt autem oratio pius affectus mentis in Deum tendens: plerumque ne pigritetur, in vocem prorumpens. Vel ſic: *Oratio eſt congeries vocum ad aliquid impetrandum in Deum tendentium.* Exiguntur in oratione xiij. ſcilicet quod ſit fidelis, ſecura, humilis, diſcreta, deuota, vere cunda, ſecreta, pura, lachrymoſa, attenta, fæcunda, operoſa, & aſſidua.

Ieiunium triplex.

Ieiunium etiam eſt triplex. Primum eſt corporis à cibo materiali: ſecundum afflictionis à gaudio temporali: tertium ſpirituale à peccato mortali. Dominus inſtituit primo ieiunium in Paradiſo, & poſtea ſanctificauit, cum ieiunauit in deſerto. Ieiunium debent ſemper hæc quatuor comitari ſcilicet largitas, lætitia, hora, & menſura. Ieiunio autem ad macerationem carnis annexa ſunt duo ſcilicet vigiliæ, & flagella, quæ etiam quadripartita ſunt. Prima conſiſtit in armis pœnitentialibus ſcilicet cinere & cilicio & lachrymis: ſecunda in pectoris tunſione genuflexione, & diſciplinis: tertia in afflictione peregrinationis: quarta in tribulatione, & cuiuſlibet ægritudinis afflictione: vnde Sacerdos debet dicere pœnitenti, quod omnia iſta ſatisfactionis opera ſint ei pro parte pœnitentiæ, & valebũt ei omnia: ſi adſit deuota pœnitẽtia. Opus ex charitate factum inquantũ pœnale, eſt ſatisfactorium in ſe: & quanto magis pœnale, tanto magis ſatisfactoriũ eſt: vnde dare cẽtum magis ſatisfactorium eſt, quã dare decem, aliis paribus tamẽ dare decem pauperi eſt magis ſatisfactoriũ, quam dare centum diuiti aliis paribus: quia dare decem reſpectu pauperis plus eſt pœnale quã dare cẽtum reſpectu diuitis. Vnde Dominus dixit. *Vere vidua hæc pauper plus omnibus miſit &c.* Sed cum dilectio Dei nõ ſit pœnalis, illa locutio: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa*, per accidens vera eſt, nam quia dilexit multũ: fleuit multũ: *& dimiſſa ſunt ei peccata multa*, id eſt pœna multorum peccatorum.

Matth. 12.

Luc. 7.

De pœnitentia, & operibus, non ſatisfactoriis.

Cap. XLVI.

QVia vero opera extra charitatem non ſunt ſatisfactoria, pœnitentia facta in mortali peccato iteranda eſt: vel iuxta arbitrium ſacerdotis recompenſanda. Item pœnitentia quædam eſt continua ſecundum tempus, vt ieiunium diurnum, celebratio miſſæ: talis iteranda eſt à capite, ſi interrupta fuit, quo ad tales pœnitentias.

Pœnitẽtia facta in mortali iteranda eſt.

Vita Nazaræorum figurat vitam pœnitentium.

Item alia eſt pœnitentia interpolata, vnde quando præcipitur alicui vt ieiunet decem dies non continuos, ſi ieiunat quinque in charitate: & quinque in mortali, non tenetur omnes iterum ieiunare, ſed ſufficit ieiunare quinque quos ieiunauit in mortali. Si pœnitẽs in bono propoſito facit pœnitentiam ſibi iniunctam, non conſcius alicuius mortalis, abſolutus eſt: vnde ſi peracta pœnitentia recolat aliquod mortale, ſufficit illud confiteri, & dabitur ei pœnitentia pro illa tantum. Igitur ille qui in mortali facit pœnitentiam, digne ſibi coniunctam, non eſt abſolutus à pœna, quia non erat debitor pœnæ vt pœnæ, ſed vt emendæ, ſiue pœnæ ſatisfactoriæ, tamen abſoluitur à præcepto Sacerdotis, vnde non tenetur eandem iterare, ſed quia non ſatisfecit tenetur adhuc ſatisfacere. Nam iuxta Hieronymum *ſuper ſpinas ſerunt, qui bona opera in mortali faciunt.*

Item Gregorius. Interim fac quicquid boni potes, vt Deus illuſtret cor tuum ad pœnitentiam. Vnde patet quod illud non eſt pœnitentia, ſed præparatio ad pœnitentiam.

Quæ dicuntur opera mortificata, quæ mortua?

Sciendũ autẽ, quod opera mortificata reuiuiſcunt, ſed nõ mortua opera. Mortua ſunt quæ fiũt in mortali, bona tamen ſunt. Mortificata ſunt illa, quæ fiunt in charitate, & poſtea moriuntur per mortale. Licet autem peccatũ ſequens mortificet opera prius viua, nõ tamen ſequitur quod charitas ſequens viuificet opera prius mortua, quia mortificare opera viua, & viuificare mortua non ſunt contraria: quia non ſunt reſpectu eiuſdem: quod patet, quia mortificare opera viua eſt mortificare opera facta in charitate, viuificare autem mortua eſt viuificare opera facta in mortali, quæ conſtat, non eſſe eadem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Mortificata opera reuiuiſcere multis modis poſſunt.

Porro opera mortificata dicuntur reuiuiſcere, non quia valeant ad ſubſtantiam præmij, ſed quia redeunt ad ſtatum ſui originis ſcilicet charitatis. Et etiam dicuntur reuiuiſcere, quia valent ad multa ſcilicet ad maiorem radicationem charitatis, ad facilius operandum, adminutionem pœnæ Purgatorij, ad vitandum caſum, ad expellendum hoſtes, ad efficacius merendum, ad ſpei roborationem, ad ſatisfactionis abſolutionem.

Opera facta in mortali etiam valent ad multa.

Similiter etiam valent opera facta in mortali ad multa ſcilicet ad ſpiritualium bonorum multiplicationem, ad pœnæ temporalis diminutionem vel dimiſſionem, ad gratiæ habilitationem, ad aſſuefactionem, bene operandi. Nam licet nullius præmij ſint meritoria proprie: tamen Dominus remunerat ea tanquam meritoria ex ſua liberalitate. In tantum enim diligit bonum, & odit malum, vt nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum eſſe patiatur. Interpretatiue ergo opus factum extra charitatem eſt meritorium pręmij temporalis.

Argumentatio mala.

Nec valet hæc argumentatio: Quodlibet malum opus eſt meritorium alicuius pœnæ, ergo quodlibet bonum opus eſt meritorium alicuius præmij. Malum enim ex ſe & ex voluntate habet quod ſit meritorium pœnæ, bonum vero ex ſola charitate, quæ eſt principium omnis meriti, habet quod ſit meritorium alicuius præmij.

De triplici pœnitentia.

Cap. XLVII.

Tres ſpecies pœnitentia. Pœnitentia ſolemnis.

Species pœnitentię ſunt tres: Nam alia eſt ſolennis, alia publica, alia priuata. Solennis eſt quæ fit in capite quadrageſimæ cum ſolennitate: dicitur etiam ſolennis, licet non ita proprie quando aliquis inuitus ad pœnitentiam agendam mittitur ad monaſterium. Hæc debet imponi ab Epiſcopo tantum, vel de mandato eius à Sacerdote, & pro crimine publico, quod totam commouerit vrbem, nec debet imponi clerico, niſi depoſito. Qui ſemel egerit eam, non debet poſtea promoueri, nec miniſtrare in ordine ſuſcepto: Item non debet contrahere matrimonium: ſi tamen contraxerit: tenebit.

Pœnitentia publica.

Publica dicitur illa proprie, quæ fit in facie Eccleſię, non cum prædicta ſolennitate, vt cum iniungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & ſcapulari, vel veſte aliqua ad hoc conſueta, hanc poſſet imponere quilibet Sacerdos ſuo Parrhociano, quia non inuenio ſibi prohibitum: niſi conſuetudo eſſet contraria in aliqua Eccleſia.

Solennis pœnitentia non debet iterari; ſed alia quælibet poteſt & debet quoties homo peccat.

Pœnitentia priuata. Falſa pœnitentia.

Priuata dicitur illa quæ ſingulariter fit quotidie, cum quis peccata ſuo diſcreto Sacerdoti confitetur.

Eſt autem falſa penitentia, cum ſic agitur de vno, vt non diſcedatur ab alio; vel cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negociali, non recedit, quod ſine peccato nullatenus agi prævalet; aut ſi odium in corde geſſerit, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat, aut ſi offenſus offendenti, non indulgeat, aut ſi arma contra iuſtitiam gerat.

De Numero & vſu clauium.

Cap. XLVIII.

Duplex clauis.

De numero clauium quidam dicunt, quod duplex eſt clauis ſcilicet ſcientia diſcernendi, & poteſtas ligandi; & dicunt quod per ſcientiam ſoluitur intellectus pœnitentis per poteſtatem affectus; non tamen omnino aperit ſcientia, ſed poteſtas perfecte aperit & claudit. Vnde ſicut in aliqua arca quandoque ſunt duæ claues, vna quæ imperfecte aperit, & dicitur anticlauis: Alia quæ perfecte aperit, & dicitur maior clauis: ita eſt hic.

Sed ſi ſcientia eſt clauis, quomodo dantur claues in ordine? Ob hoc dicunt alij, quod non ſcientiá, ſed officium diſcetnendi, clauis eſt, quod datur in ſuſceptione ordinum, vnde dicunt quod Sacerdos idiota clauem vtramque habet, ſed non conſiliarium alterius ſcilicet ſcientiam, & ideo quandoque errat. Alij dicunt quod auctoritas diſcernendi eſt clauis, & differt ab altera claues ſcilicet à poteſtate ligandi & ſoluendi: ſicut iudicium, & iuſtitia: auctoritas enim diſcernendi ſoluit & ligat per definitionem ſententiæ; poteſtas vero per executionem: vnde dare ſententiam eſt primus vſus clauium: exequi ſecundus, ſecundum hanc opinionem, quam credimus eſſe veram in gloſſa ſuper Matthæum ſumitur ſcientia diſcernendi pro auctoritate diſcernendi. Dicimus ergo quod ſcientia non eſt clauis, ſed annexa clauí tanquam conſiliarius: Et poteſt dici quod aperire regnum cœlorum, nihil aliud eſt quam excluſum, reconciliari Eccleſiæ, & introducere; claudere vero eſt excludere ab Eccleſia: & hoc facit Deus auctoritatiuè, Sacerdos miniſterio: peccator vero vitæ merito.

Scientia non eſt clauis ſed annexa clauí tanquam conſiliarius.

Quid clauis.

Patet ergo quid eſt *clauis ſcilicet poteſtas, ſiue dignitas diſcernendi, aut exequendi diſcrete, quod datur in ordinatione tam idiotis quam ſapientibus.*

Matth. 16.

Quod autem Dominus ait Apoſtolis; ſic intelligimus: *Quodcunque ſolueris*, id eſt cuiuſcunque abſolutionem conſummaueritis. Conſummatio autem dicitur reſpectu inchoationis, quia Deus inchoat ſolutionem dimittendo culpam, & pœnam æternam; & Sacerdos conſummat, dimittendo aliquid de pœna temporali ex vi clauium per impoſitionem manuum, & hoc patet in reſurrectione Lazari. Dixit enim Dominus: *Lazare veni foras:* Poſtea dixit Diſcipulis: *Soluite eum & ſinite abire.* Igitur quando Sacerdos iniungit alicui pœnitentiam minorem condigna: ſi decedat illa completa; reſiduum ſine dubio ſoluet in Purgatorio: quia Sacerdos non punitus conſummauit abſolutionem, ſed in parte, vnde ſecundum illam partem, quam conſummauit, abſolutus eſt ille in cœlo.

Si Sacerdos non iniungat pœnitenti cõdignam pœnitentiã tunc reliquum ſoluet pœnitens in purgatorio.

Porro in ficte confitente, quem Sacerdos abſoluit, errat clauis quoad quod, & quoad quod non: Errat quidem ſecundum veritatem, quia non ſoluit, cum tamen credatur ſoluere: non errat ſecundum iudicij æquitatem, quia ſecundum exteriora oportet eum iudicare; ſicut iudex qui punit innocentem ſecundum allegata: iuſte iudicat, ſecundum iudicij æquitatem, ſed non ſecundum rei veritatem. Alij exponunt ſic: *Quodcunque ligaueris &c.* iuſte ſcilicet. Et dicunt iuſte quantum ad vtrunque ſcilicet quantum ad illum qui ligat, & ad illum qui ligatur. Sed hæc expoſitio æquipollet priori, tunc enim iuſte ligatur aliquis, quando Deus inchoat ligationẽ, & Sacerdos conſummat. Dicimus ergo quod Dominus & tota cœleſtis curia approbat iuſtam excõmunicationem. Sed quando prælatus iniuſte excommunicat, tunc non approbat actionem excommunicationis quia peccatum eſt, ſed paſſionem excommunicati. Quia autem ſuper illud Matthæi, *Tibi dabo claues*, dicit gloſſa quas ſi tunc habuiſſet, error poſt in eo locum non inueniſſet, ſic exponitur, quas ſi habuiſſet ita plene ſicut poſtea, quando fuit confirmatus virtute ex alto, poſtea nõ inueniſſet in eo locum error mortalis.

Matth. 16.

Matth. 16.

De perſonis habentibus claues.

Cap. XLIX.

Sacerdotes ſoli habent claues quia ſoli ordini ſacerdotali ſunt annexæ.

Omnes Sacerdotes habent claues, & illi ſoli. Claues enim annexæ ſunt ordini ſacerdotali, ſed liberas habent ſacerdotes curati, ligatas hæretici, excommunicati, ſuſpenſi, religioſi non curati, ſed tamen differenti modo. Heretici enim habent ligatas id eſt mortuas, ſicut paralyticus manus. Excommunicati & ſuſpenſi ſimpliciter ligatas habent vinculo ſcilicet excommunicationis, & ſuſpenſionis, ſicut qui habent pedes ligatos, pedes quidem habent, ſed non poſſunt eis vti ad ambulandum. Sæculares Sacerdotes non curati dicuntur habere ligatas impropriè. ſ. quando non habent

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

materiam id est subditos in quos possint exercere vsum clauium: Religiosi quoque claustrales quia non habent subditos; & quia nihil possunt nisi de licētia Prælati sui.

Sed quæritur si religiosus aliquis Sacerdos non petita licentia sui Prælati absoluat aliquem de licentia Prælati illius, vtrum sit absolutus? Quidam dicunt quod non quia religiosus ille habet ligatas claues. Alij dicunt quod absolutus est, quia ligatio qua ligatæ sunt claues ex parte sua nihil aliud est quam quod non est sui iuris: hoc autem non impedit quin possit absoluere sibi subditum, sed non debet absoluere sine licentia Prælati sui; vnde male facit absoluendo, tamen absolutus est. *Archidiaconi non habēt claues.* Archidiaconi non habent claues, nisi sint Sacerdotes, habent tamen potestatem ligandi & soluendi per excommunicationem. Et dicuntur hanc potestatem habere per demandationem, non officio suæ dignitatis, quia Episcopus demandauit eis vsum clauium quo ad hoc. Alij dicunt quod hanc potestatem habent Archidiaconi ex officio & dignitate sua: quia dicit *decretum* quod ad officium Archidiaconi pertinet cura Ecclesiarum, & ordinatio, & iurgia, & contentiosa iurisdictio, quæ penitus inutilis esset, nisi haberet potestatem coercendi rebelles per censuram Ecclesiasticam. Et ita sic vt habent contentiosam iurisdictionem ex officio, & dignitate sua; ita etiam potestatem coercendi per censuram ecclesiasticam, nec tamen habent claues, quia excommunicare & absoluere non est principalis vsus, & substantialis clauis; sed soluere & ligare in foro spirituali, qui tantum Sacerdotibus conuenit.

De mensura pœnarum communi.

CAP. L.

Arbitrio Sacerdotis omnes pœnæ taxantur. DE mensura pœnarum videtur per multas auctoritates dicendum, quod arbitrio Sacerdotis pœnæ omnes taxantur, consideratis circunstantijs criminis, quantitate, dignitate, qualitate, personæ dignitate, officio, paupertate, infirmitate, siue debilitate, complexione, consuetudine, societate, lachrymis & deuotione. Itē religionis, & temporis quantitate, necnon & alijs circunstantijs suprapositis: vnde *Authoritas Leonis Papæ.* Leo Papa: *Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos prospexeris esse deuotos &c.* Item in octaua synodo: *Hoc sit positum in iudicio eorum qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant, qui delinquunt. Veruntamen* regulariter pro periurio, & adulterio, ac cæteris criminalibus peccatis siue vitijs, septennis pœnitentia est imponēda, sicut Dominus præcepit Mariam extra castra septem diebus egredi, & sicut propter peccatum septiformem spiritusancti gratiam amisit, ita per pœnitentiam septennem recuperet. Veruntamen magis vel minus aspera debet imponi, prout, maioritas vel minoritas criminis cum circunstantijs hoc exposcit, vt patet in sequentibus.

De quibusdam maioribus pœnis in canone expressis.

CAP. LI.

EXcipiuntur enim ab ista regula plerique casus scilicet quibus propter peccati dignitatem vel criminum enormitatem imponitur maior pœnitētia; nā presbyter si fecerit fornicationem, debet agere pœnitentiam decem annorum. Item si cognoscat filiam suam spiritualem, quam baptizauit, vel de sacro fonte leuauit, vel in confirmatione susceperit, vel quæ sibi confessa fuit, debet agere pœnitentiam 12. annorum; & etiam debet deponi, & hoc si crimen est manifestum. Si est Episcopus pœniteat 15. annis. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere, res suas pauperibus tradere, & conuersa in monasterio Deo vique ad mortem seruire. Item qui cognouit Monialem agat pœnitentiam 10. annorum.

De vitio Sodomitico patet per auctoritatem Aug. quod longe maius crimen sit quam cognoscere matrē. Quocunque autem modo tale factum exerceatur, præterquam inter hominem & fœminam, ordinatè, & in vase debito, vitium contra naturam & sodomiticum iudicatur. *Vitium Sodomiticum magnum crimen.* Item Matricida debet pœnitere 10. annis: & dicit Hieronymus quod vxoricidium maius peccatum est, quam matricidium, alij vero communiter dicunt contrarium. Imponitur tamen maior pœnitentia vxoricidæ quam matricidæ, quia homines promptiores sunt ad occidendas vxores quam matres. *Vxoricidium grauius peccatum Matricidio.* Item pro homicidio casuali imponenda est pœnitentia 5. annorum, si culpa præcessit casum, aliter nulla, nisi forte ad cautelam. Si quis per ebrietatem vel voracitatē Eucharistiam euomuerit 40. dies pœniteat, si laicus est. Clerici vero vel Monachi siue Diaconi & Presbyteri 70. diebus pœniteant. Episcopi 90. si præ infirmitate euomuerit 7. diebus. Debet etiam sumi in hoc vltimo casu diligēter, & cremari, & cineres iuxta altare recondi. Ex diligenti inspectione prædictę regulæ cum exceptionibus suis poterit diligens indagator inuenire processum ad satisfactionem pro diuersis criminibus secundum canones pœnitentiales imponendam. Neque debet Sacerdos à forma prædicta recedere, nisi propter causam. Alij vero dicunt indistincte omnes pœnitentias arbitrarias. Et hanc opinionem videtur amplecti consuetudo, prima tamen esset tutior, sed difficilior.

De qualitate pœnarum & vi clauium.

CAP. LII.

ITem quædam crimina sunt, de quibus non potest quis agere pœnitentiam, nisi restituat vel renunciet, si tamen potest, quod male accepit; videlicet simonia, rapina, & huiusmodi. Item semper debet Sacerdos iniungere pœnitentiam per contrarium respondentem ipso peccato, vtputa superbo orationem, & humilitatem: auaro largitatem: guloso abstinentiam &c. Item circa personas obnoxias alijs aliquo vinculo seruitutis caueat pro posse, ne imponat eis talem pœnitentiam, per quam fieret præiudicium illis quibus tenentur astricti, & præcipue circa coniugatos. Item nota quod in foro pœnitentiali appellantur legitimæ feriæ tres dies septimanę scilicet secunda feria, quarta, & sexta.

Deus simpliciter solus dimittit peccata. Purè vero ac proprie solus Deus dimittit peccata, & debitum pœnæ æternæ: dicuntur autem Sacerdotes ligare, & soluere tribus modis. Ligant enim & soluunt id est ostendunt aliquid ligatum vel solutum, vnde leprosos per se prius Dominus restituit sanitati, deinde ad Sacerdotes misit quorum iudicio ostenderentur mundati. Item Lazarum primo suscitauit, deinde mandauit discipulis soluere suscitatum. Nam & si aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium Sacerdotis: Secundus modus ligandi est, cum satisfactionem pœnitentiæ confidentibus imponunt, vel soluendi, cum de ea aliquid dimittūt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionē admittunt. Tertius modus est qui fit per excommunicationem: & iuxta omnes modos est auctoritas illa exponenda: *Quodcunque solueris super terram &c.* non tamen simpliciter, quia interdum Sacerdos immeritos damnat, & iustos, ac ligatos absoluit. *Matth. 16.*

Triplex iudicium. Vnde distingue tantum ad hoc triplex iudicium: Primum Dei, secundum Petri in Ecclesia militante. Tertium sursum in curia cœlesti. Primum est, quo Deus mundat animam in contritione, & hoc præcedit reliqua duo, tempore, dignitate, & effectu. Est enim *eius qui claudit & nemo aperit &c.* Secundum est iudi- *Apoc. 3.* cium Sacerdotis, qui auctoritate clauium ligat, vel soluit in terris, id est ostendit esse ligatum vel solutum à Deo; & post hoc sequitur tertium, quod est approbationis scilicet cœlestis curiæ, & Angelorum. Secundum hunc ergo ordinem sic expone. *Quodcunque ligaueris super terram* iudicio Petri, vel iuste, vel claue *Matth. 16.*

non

non errante, *erit ligatum & in cælis* ſcilicet per approbationem cæleſtis curiæ. Quia quod in his pars Eccleſiæ facit militans in terris; approbat pars eiuſdem triumphans in cœlis. Vtrum autem remiſſio fiat per malum, ſicut per bonum miniſtrum? dico quod boni remittunt ex officio, & vitæ merito; ſed mali tantum ex officio.

De pœna excommunicationis.

CAP. LIII.

Quid excõmunicatio.

EST autem *excommunicatio à communione Eccleſiæ ſeparatio*, & fit propter contumaciam vel aliam manifeſtam offenſam. Conſiſtit autem hæc ſeparatio, à ſacramentis & orationibus Eccleſiæ, menſa corporali, à collocutione communi, & ſalutatione.

Excommunicatio duplex.

Excommunicationum alia maior, alia minor: illa eſt maior, quę promulgatur in aliquos, vt cum dicitur; Excommunicamus Petrum, vel Martinũ, vel omnes vſurarios. Hæc arcet à ſacramentis, & ab ingreſſu Eccleſiæ, & communione fidelium, quæ eſt in tribus prædictis. Minor eſt quæ contrahitur ex participatione cum illis qui ſunt in maiori. hæc ſeparat à perceptione ſacramentorum non à communione fidelium, non enim trãſit excommunicatio in tertiam perſonam, nec etiam in quoſdam, qui excipiuntur in decretis. De hac poteſt abſoluere quilibet ſacerdos; de priori tantum qui intulit, vel ſuperior. Item excommunicationum quædam eſt iuſta; quædam iniuſta. Iuſta eſt quæ fit animo corripiẽdi, & propter culpam debitam iuris ordine ſeruato. Iniuſta eſt in qua prædicta omittuntur. Habuit autem ortum excommunicatio ab Apoſtolo qui excommunicauit Corinthium fornicarium tradens eum Sathanæ, vt ſpiritus eius ſaluus fieret; habuit etiam ortum à veteri lege ab illa maledictione quę facta eſt ſuper non obſeruantes legem.

Excommunicatio iuſta & iniuſta.

Aliter etiam deſcribitur hoc modo.

Excommunicatio eſt à qualibet licita communione, vel legitimo actu ſeparatio.

De inflicta à iure, & à Iudice.

CAP. LIIII.

VTraque aut infligitur quandoq; à iure quandoq; à iudice. A iure infligitur maior excommunicatio in 17. caſib. minor autẽ excõmunicatio, ſiue ſuſpenſio infligitur ipſo iure, vel ipſo actu: quo ad Deũ ſtatim: cũ quis peccat mortaliter: quo ad Deum, & quo ad Eccleſiam, cum quis communicat cum excommunicatis. Item quandocunque quis in notorio crimine repellitur à ſacramentis viuus, & mortuus, niſi pœnituerit. Infligitur ſimiliter à iudice vtraque maior quidem ſecundũ Hugonem & quoſdam alios, tantum ab Epiſcopo: ſed hoc intellige cum ſolemnitate expreſſa in iure: hic eſt enim ſpiritualis mucro Epiſcopi. Alij vero Prælati qui præſunt Eccleſijs collegiatis, & habent iuriſdictionem ſuper ſubditos ſuos, vt Abbates, Archipresbyteri, vel Plebani, poſſunt excommunicare etiã maiori, ſed non cum prædicta ſolemnitate. Interiores vero Sacerdotes Parochialium Eccleſiarum, qui non habent iuriſdictionem in ſubditos, vt poſſint inter eos cognoſcere, vel iudicare ordinariè, non poſſunt excommunicare maiori, niſi vbi hoc obtinent de conſuetudine, nam in talibus conſuetudo dat iuriſdictionem. Minor autem ab Epiſcopis & aliarum Eccleſiarum Prælatis infligi poteſt ſecundum omnes. Poteſt autem Prælatus pœnam iſtam infligere ſubdito ſuo tantum, vt ei qui committit crimen in Parrochia ſua. Maior infligi debet pro contumacia tantũ: quæ triplex eſt, nam alia eſt in non veniendo ad iudicium, ſiue quia peremptoria citatione recepta, venire contemnit: ſiue quia malitioſè ſeipſum occultat: ſiue quia impedit, ne poſſit ad eum citatio peruenire: alia quando citatus venit ad iudicium, ſed non vult ſtare iuri: vel ante finitam cauſæ examinationem contumaciter & illicentiatus recedit: alia vero quando offenſa eius eſt manifeſta, & iuſſus à Iudice non vult emendare. Quandocunque ergo aliquis fuerit vocatus, vel admonitus tribus edictis, vel vno peremptorio pro omnibus, poteſt ſi contumax fuerit, excommunicari, non curando, vtrum pro modica, vel pro magna cauſa fiebat vocatio, vel admonitio, quia ſemper eſt ibi contumacia quæ eſt maximum crimen. Minor autem excommunicatio, poteſt etiam imponi pro alijs culpis.

De abſolutione vinculi excommunicationis.

CAP. LV.

Caſus in quibus Epiſcopus nõ poteſt abſoluere ab excommunicatione.

AB omni vero excommunicatione maiori lata à iure poteſt excommunicatus abſolui à ſuo Epiſcopo, vel proprio Sacerdote; niſi conditor canonis reſeruauerit ſibi ſpecialiter abſolutionem. Reſeruat autem Papa ſibi abſolutionem talium in ſex caſibus; Vnus eſt de illo, qui verberat Clericum, quem nullus poteſt abſoluere niſi Papa, exceptis caſib. ſcilicet ſi eſt in articulo mortis: Si oſtiarius alicuius poteſtatis ſub prætextu officij ſui, malignatus Clericum læſit, dum tamen grauiter non vulnerauit: Si Monachus verberat Monachum, vel regularem: vel etiam, ſecundum quoſdam Sęcularis, ſæcularem; dum tamen viuant in communi; ſi ſit Mulier: ſi ſit Seruus, & hic ſi verberauit Clericum in fraudem Domini, vt ſubtraheret ſe illius obſequio, vel ſi Dominus propter hoc ſine culpa ſua graue damnum ſuſtineret: Et hos duos caſus intellige, niſi eſſet grauis & enormis exceſſus: item ſi fuerit leuis iniuria, quam intulit Clerico, item ſi ſit infirmus, vel pauper, impubes, vel ſenex, vel valetudinarius: ſi habet inimicitias capitales; in iſtis octo caſibus poteſt verberans Clericum, abſolui ab epiſcopo ſuo. In primo tamen caſu & duobus vltimis, excepto impubere debet eis iniungere, quos abſoluit ſub debito iuramenti, quod ceſſante impedimento ad Romanam Eccleſiam vel eius legatum accedant; mandatum ſuper talibus recepturi. ſed communis eſt opinio, quod non reuiuiſcat excommunicatio ſemel extincta, ſi tamen nollet adimplere mandatum, impedimento ceſſante debet excommunicari, Secundus caſus in quo non poteſt Epiſcopus proprius abſoluere, eſt de illo qui incendit Eccleſiam, & eſt denunciatus excommunicatus ab Epiſcopo, nam ante denunciationem ab Epiſcopo poteſt abſolui. Tertius eſt de illo, qui frangit Eccleſiam, & ſimiliter eſt denunciatus excommunicatus. Quartus eſt de illo qui ſcienter & ſponte participat cum excommunicatis à Papa, & eos recipit in officijs. Quintus de illo qui falſificat litteras Apoſtolicas. Sextus eſt de illo qui communicat cum excommunicatis in crimine; talis enim quia ratione criminis damnati, videtur in eum delinquere, qui damnauit: ideo ab ipſo excommunicatore vel ſuo ſuperiori (licet non ſit alias ſubditus eius) merito delicti abſolutio eſt requirenda, quia facientem, & conſentientem, par pœna conſtringit; verum ſi difficile ſit ex aliqua cauſa iuſta, quod ad ipſum excommunicatorem abſoluendus accedat, conceditur indulgentia iuris, vt præſtita iuxta formam Eccleſiæ iuratoria cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, à ſuo epiſcopo abſoluatur, vel Sacerdote proprio; à ſententia vero iudicis non poteſt abſolui excommunicatus, excepto mortis articulo, niſi ab excommunicatore ſuo, vel etiam ab eius ſuperiore; ſi ad illum fuerit appellatum, vel ſi excommunicator negligenter vel malitioſè differat abſolutionem, & in alijs caſibus, in quibus poteſt iudicare de ſubditis ſuffraganeorum ſuorum. Excommunicatus maiori excommunicatione pro contumacia id eſt quia nolebat venire ad iudicium, vel ſtare iuri, debet abſolui recepto ab eo prius iuramento, quod ſtabit mandato Eccleſiæ, debet autem mandatum fieri vt pareat iuri. Cum vero pro offenſa

est excommunicatus, aut offensa manifesta est per sententiam, vel facti euidentiam; ita quod non est locus inficiationi, aut est dubia, in primo casu debet ante absolutionem sufficiens præstari emenda: In secundo vero sufficit ad relaxandam sententiam, si parendi mandato competens satisfactio præbeatur. Debet etiam mandari sibi præmissa satisfactione debita pro offensa, quod de cætero similia non committat, nisi quantum à iure est sibi permissum. Item debet dicere iudex hæc vel æquipollentia. *Auctoritate qua fungor absoluo te &c.*

De generalibus remissionibus, vel indulgentijs.

Cap. LVI.

CVm autem Papa facit generalem remissionem pro subsidio terræ sanctæ vel simili; & aliquis contritus, & confessus sic fecerit eleemosynam habens piam, & Catholicam deuotionem, credens simpliciter ac pure illud; *quodcunque solueris &c.* valet sibi eleemosyna ad onus pœnitentiæ subleuandum, & hoc propter duo scilicet propter deuotam erogationẽ, & quia obligat eum qui facit remissionem, imo & totam Ecclesiã, vt suffragetur ei. Sciendum tamen quod maioritas, & minoritas remissionis pœnæ attenditur secundum tria, scilicet maiorem, vel minorem deuotionem ipsius pœnitentis, & eorum qui suffragantur: secundum maiorem vel minorem numerum eorundem suffragantium, valet etiam ad venialium deletionem, item valet peccatori offerenti ex pia deuotione, licet informi, ad gratiæ impetrationem.

Matth. 16.

Maioritas aut minoritas remissionis attenditur penes tria.

Guilielmus Antisiodorensis. Ad hoc autem, quod huiusmodi relaxationes tantum valeant, quantum promittit Ecclesia, exiguntur sex: Primum est potestas ligandi, atque soluendi, scilicet vt absoluatur ille, qui absoluitur à Prælato vel ab alio de Prælati præcepto: secundum est necessitas loci, & illius cui fit relaxatio, vt quãdo non potest ieiunare præ debilitate, vel peregrinationes iniunctas facere. tertium est deuotio fidei, vt, scilicet credat Ecclesiam talem potestatem habere, quartum est status illius cui datur, vt scilicet sit in statu contriti, oportet enim quod habeat charitatem: quintum est discretio, vt, scilicet, discernat apud se, pro quanto vellet exonerari, vel quantum vellet dedisse, vt absolutus esset à tanta pœnitentia: sextum est iusta æstimatio, vt secundum quod ei dimittitur, ipse recompenset. Sed Ecclesia tacet illam, duabus de causis: Prima est, quia si determinaretur, non essent fideles ita prompti ad dãdum; sicut si prædicaretur laicis, quod tantum valet vnum opus meritorium in charitate factum ad vitam æternam, quantum mille facta extra charitatem: non essent ita prompti ad faciendum bona opera: secunda est, quia si charitatem habet ille cui fit relaxatio, cum charitas non sit sine fide, habebit iustam æstimationẽ de omnibus his. *Fides enim adiuncta charitati est iusta æstimatrix operum spiritualium.*

Matth. 16.

Ad illam auctoritatem: *Quodcumque solueris &c.* dicimus, quod intelligendum est *iuste*, & per *iuste* intelliguntur ista 6. qnę dicuntur.

Alienatio quidem pecuniæ satisfactoria est, cum sit vere pœnalis, & ideo quantum ad relaxationem pœnæ, peioris conditionis est pauper, quã diues, sed simpliciter est melioris, scilicet quantum ad relaxationem, quæ fit per contritionẽ. Citius enim & efficacius conteritur pauper quam diues cæteris paribus. Et per contritionẽ efficacius dimittitur pœna peccati, quam per eleemosynarum largitionem.

Voluntas nõ sufficit ad satisfactionem

Si autem obiicitur voluntas, pro facto reputabitur: intelligendum est quantum ad meritum vitæ æternæ: non quantum ad relaxationem pœnæ.

Nec valet hæc argumẽtatio, velle mereri est mereri, velle seruire Deo, est seruire Deo ergo velle satisfacere, est satisfacere; dico quia ad hoc, quod aliquod opus sit meritorium, vel Dei seruitium, sufficit, quod sit ex charitate, sed ad hoc, quod sit satisfactorium exigitur quod sit ex charitate, & quod sit pœnale. Et sic quia voluntas satisfaciendi non est pœnalis, non est satisfactoria.

Adhuc ex eodem.

Cap. LVII.

POrro in relaxationibus peccatorum oblitorum, & votorum fractorum, cũ iusta æstimatione non possunt fieri. De his sic intelligendum, quod dimittuntur vel in parte, vel in toto. De cruce signatis dicimus quod non est necesse, quod assumpta cruce statim euolent, si decedãt, sed illa relaxatio intelligitur, vt in pluribus; frequenter enim illi qui accipiunt crucem, parati sunt mori pro Christo, & in hoc proposito augmentatur eorum charitas, & per hoc contritio: sicque dimittitur eis pœna; sicut dicitur de Magdalena; *quia dilexit multum, flenit multum: Et quia flenit multum, dimissa sunt ei peccata multa.*

Ad illud ergo quod Dominus Papa habet plenitudinem potestatis; dicimus, quod habet vt faciat cruce signatos participes omnium suffragiorum Ecclesiæ, sed nõ vt illum, qui est debitor pœnæ faciat euolare sine solutione pœnæ; imo necesse est quod faciat dignos fructus pœnitentiæ. Sicut etiam non potest facere, quin vsurarius cruce signatus restituat quod habet de vsura, ad hoc quod eius peregrinatio sit ei vtilis. De remissionibus autem quas faciunt Episcopi idem dico, quoad subditos eorundem: quoad alios vero valebit tanquam simplex eleemosyna, & non plus nisi quibus vt prodesse possent proprij iudices spiritualiter concesserunt.

Nunquid ergo poterit pœnitens post collationem talis eleemosynæ, cessare ab executione satisfactionis sibi ab ecclesia impositæ? non credo: tum quia non est certus, vtrum sit adhuc tota illa pœna remissa, tum quia saltem ex honestate debet per ieiunia, & alia bona opera satisfacere Ecclesiæ, quam læsit scandalizando eam, si fuit peccatum manifestum? vel etiam si fuit occultum subtrahendo seipsũ, cum propter peccatum se reddidit inutilem.

Quid si omnes clerici qui suffragantur pro isto offerente sint in mortali, nunquid valebunt isti suffragia eorum? non videtur, *quia peccatores non exaudit Deus:* Sed dicendum est, quod valent, quia tria dicuntur esse in Ecclesia, quæ semper inuariabilem retinent efficaciam scilicet virtus verborum, virtus sacramentorum, & desiderium Ecclesiæ. Nam etiamsi tota ecclesia militans esset in mortali, tamen ista valerent his pro quibus fierent.

Ioan. 9.

Vtrum autem Sacerdos possit facere commutationes ieiuniorum & satisfactionis ad petitionem ipsorũ pœnitentium? Credo breuiter quod sic, dum tamen discretè, & propter causam, & circa subditos suos. Non tamen hoc extendo ad vota in quibus strictius proceditur.

De reditu peccatorum, & de purgatione venialium.

Cap. LVIII.

QVidam autem dicunt peccata dimissa per recidiuum simpliciter redire; & quoad reatum, & quoad pœnam, & quoad omnia. Isti muniunt se testimonio Euangelij: *Serue nequam omnem debitum &c.*

An peccata dimissa redeant.

Matth. 18.

Alij dicunt quod non: Sed ideo dicuntur dimissa redire, & imputari, quia propter ingratitudinem, ita reus & peccator constituitur, vt ante fuerat. Isti inducunt pro se illud Nahum secundum 70. interpretes: *Non iudicabit Deus bis &c.*

Tertij quoque dicunt quod non redeunt, sed cum committimus peccata eiusdem generis dicuntur redire quadam similitudine, sicut flores redeunt in vere.

Quarti dicunt, quod redeunt in quatuor casibus tantum: Vnus est propter fraternũ odium, vt in Euangelio: *Serue nequam &c.* Secũdus propter crimen Apostasiæ vel hæresis: Tertius propter pœnam pœnitentiæ. Quartus

Matth. 18.

si con-

si contemnat quis pœnitentiam sibi iniunctam adimplere. Duæ primæ opiniones sunt magis solemnes.

In quatuor casibus peccata confessa tenetur quis iterum confiteri.

Sed nunquid peccata semel confessa tenetur quis iterum confiteri? Dicas quod non regulariter; solent tamen excipi quatuor casus: Vnus cum Sacerdos suus, cui est confessus, est imperitus, quia tunc debet cum illius licentia iterum confiteri perito: Alius pro contemptu satisfactionis: tertius cum pro enormitate delicti Sacerdos audito crimine remittit eum ad superiorẽ, qui iterũ sibi crimine exposito pœnitentiam ei imponit: quartus si quando cõfessus est nõ proponebat abstinere à peccato, vel cõfessus est de vno peccato, & nõ de alio.

Anime defunctorum 4. modis absoluuntur.

Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est confessio peccatorum inquirenda, non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ sed innotescenda, & amicorum orationibus, & eleemosynarum studijs pondus pœnitentiæ subleuandum, si forte nigrauerint, nam vt ait Gregorius *Animæ defunctorum quatuor modis absoluuntur aut absolutionibus Sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunijs cognatorum.*

Venialia peccata sex modis delentur.

Venialia delentur sex modis, scilicet per condignam Eucharistiæ sumptionem, per aquæ benedictæ aspersionem, per eleemosynarum largitionem, per orationem precipuè Dominicam, item per generalem confessionem, quæ fit quotidie in ecclesia, vbi non solum venialia, sed etiam mortalia oblita credendum est deleri: item per Episcopalem benedictionem, vel sacerdotalem, & hoc intelligo circa eum, qui facit, vel accipit ista vel eorum aliqua cũ deuotione: item videtur quod etiam per quodlibet bonum opus deleantur.

De Sacramento extremę vnctionis.

Cap. LIX.

Iacobi 5. Duplex causa institutionis sacramenti extremæ vnctionis.

VNctionis extremæ sacramentum ab Apostolis institutum legitur, ait enim Iacobus: *Infirmatur quis in vobis &c.* In quo ostenditur duplici ex causa hoc sacramentum institutũ, scilicet ad peccatorũ remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem, si tamen expedit vt in vtroque alleuietur. Et sicut in alijs sacramentis, ita & in isto, aliud est sacramentum, aliud res: Sacramentum est ipsa vnctio exterior, res sacramenti, vnctio interior, quæ peccatorum remissione, & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu, vel ex negligentia hoc sacramentum omittitur periculosum est, & damnabile, Materia igitur extremæ vnctionis est oleum ab episcopo consecratum, quæ dicitur oleum ad infirmos.

Cur in extrema vnctione non imprimitur character? Effectus extremæ vnctionis.

In isto sacramento non imprimitur character, quoniam est ad complementum pœnitentiæ quæ non habet characterem. Et illæ multæ vnctiones cum in significando sint vnum; sunt etiam vnum sacramentum; sicut forma panis & vini. Proprius autem effectus huius sacramenti est remissio peccatorum, quem semper consequitur digne recipiens, sed non semper consequitur corporalem sanitatem, quia nec expedit. Cum autem sacramentum hoc sit consummationis, & quantum ad hoc sit dignius quam baptismus, & confirmatio, quæ sunt initiationis; tamen non apponitur ibi balsamum, quoniam exeuntibus sufficit ibi nitor conscientię. Sed in articulo necessitatis, nunquid potest alius quam Sacerdos inungere sicut & baptizare? Non, nam solus Deus baptismalem infundit gratiam; propterea, à quocunque detur, valet: Sed ad remissionem peccati operatur clauis, vnde cum hoc sacramentum ad remissionem sit peccati, annexa est ei clauis sacerdotij; ordo igitur, & oratio fidei, & oleum, de essentia huius sacramenti sunt; sicut de essentia Baptismi sunt aqua, & forma verborum; & intentio baptizandi. Ideo vero est oratio de essentia, quia per ipsam habet vnctio quod sit sacramentum: Est autem talis oratio, *per istam suauissimam, vel sanctissimam, vnctionem, & suam pijssimam misericordiã, dimittat tibi Deus quicquid peccasti per visum, per auditum; & sic de alijs.* Datur autẽ tantũ adultis, quoniã actualia cõmiserunt, & infirmis, quia eius effectus, sanitas est.

Quilibet nõ potest inungere sed soliꝰ Sacerdos.

De Sacramento ordinis.

Cap. LX.

Quid ordo

ORdo est *signaculum sacrum quo spiritualis potestas traditur & officium.* Dicuntur autem ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra id est gratia confertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur. Tales etiam decet esse ministros Christi, qui septiformi gratia spiritussancti sunt decori, quorũ doctrina & conuersationis forma eadẽ gratia in alijs transfundatur.

7. Gradus ecclesiastici.

Igitur in sacramento septiformis spiritus: septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Omnes tamen *clerici* vocãtur, id est *sortiti.* Corona enim signaculum est quo signãtur in partem sortis ministerij diuini; Corona regale decus significat, & seruire Deo regnare est, vndè ministri Ecclesiæ Reges esse debent, vt se & alios regant, quibus ait Petrus. *Vos estis genus electum; regale sacerdotium &c.* Summitas capitis desuper nudatur, vt eorum mens ad Dominum libera monstretur quæ reuelata facie gloriam Dei contempletur; Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur & capilli vsque ad reuelationem sensuum id est oculorum, & aurium, vt vitia in corde, & opere pullulantia doceantur præscindenda, ne audiendum & intelligendum verbum Dei præpediatur; pro quo seruato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem ecclesiasticæ vsus in Nazaræis exortus videtur, qui prius crine seruato, denique ob vitæ continentiam, caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponebant.

Quid corona significat

1. Pet. 2.

Tonsio capillorum quid denotat.

Ostiarij.

Primum igitur ordinem habet *Ostiarius*, cuius officium est ecclesiam custodire, quem assumpsit Dominus, *ejiciendo de templo vendentes &c.* Secundum habet *Lector*, cuius est recte pronunciare lectiones veteris testamenti: & dicta prophetarum prædicare: Hunc assumpsit Dominus in medio synagogæ, vbi legit illud Isaiæ, *Spiritus Domini super me.* Tertium *est Exorcistarum* quorum est obsessos à Dæmonibus liberare. In cuius signum ipsi accipiũt de manibus episcopi librum exorcismorum; hoc officium assumpsit Dominus Dæmoniacos liberando. Quartum est *Acolythorum*, id est Ceroferariorum, qui ferunt duos cereos in festiuis diebus quando legitur Euangelium in signum duorum pręconum Heliæ, & Enoch, qui præcedent secundum aduentum: in non festiuis diebus non defertur nisi vnus in signum aduentus primi, in quo solus Ioannes fuit præcursor: hunc assumpsit Dominus dicens: *Ego sum lux mundi.* Quintus est *subdiaconorum*, quorum est ministrare Diaconis; quod fecit Dominus cum linteo se præcingens lauit pedes Discipulorum. Sextus est *Diaconorum*, i. Leuitarum, quorũ est prędicare, & Sacerdoti ministrare, quo vsus est Dominus prædicando, & carnem suam, ac sanguinẽ Apostolis ministrando. Septimus est ordo *Presbyterorum*, i. seniorum, quorum est corpus Domini consecrare, quod fecit Dominus in cœna. *Corona* vero nõ est sacramentum, sed sacramentale, est enim præparatio materialis ad suscipiendos ordines sicut præsignatio in baptismo. Et nota quod præparatur in partẽ Domini, vnde illud dicitur. *Dominus pars hæreditatis meæ &c.*

Matth. 21. Lectores.

Isaiæ 61. Exorcistæ

Acolythi.

Ioan 8. Subdiaconi

Diaconi

Presbyteri

Psal. 15.

Porro quidam dicunt quod supra sacerdotium non est ordo; quoniam istæ excellentissimus est, & alij qui videntur superiores, ad istum reducuntur. Alij verò dicũt (quibus nõ cõsentimus) quod episcopatus & archiepiscopatus sunt ordines, & ita sunt nouem. Licet enim sacerdotium dignissimum sit, quantum ad dignitatem rei consecratæ, tamen Episcopatus dignior est quantum ad qualitatem, quia dat potestatem consecrandi: archiepiscopus autem episcopum consecrat ex officio. hoc tamen aliquando & episcopus facit, Primatus autem & Patriarchatus ab his non differunt nisi secundum maiorem & minorẽ potestatẽ, Decanatus & archidiaconatus nõ habent sacrũ signaculũ, sed sunt dignitates adminiculantes ad ordines: iuuant .n. Episcopos.

Septem tantum sunt ordines.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Impedimentis ordinatorum; & primo de crimine, & bigamia.

Cap. LXI.

IMpedimenta promouendorum; ſiue quales debeant eſſe promouendi, oſtendit Apoſtolus: continentur etiam his vtcumque verſibus.

Primo præcipitur quod ſit ſine crimine præſul,
Monogamus, ſobrius, prudens, ornatus, & hoſpes,
Caſtus, docens, non percuſſor, non litigioſus,
Non cupidus, bene diſpoſitus, non neophitus ne:
Talia Apoſtolica quæ præſit regula iuſſit.

Licet autem videatur regulam poſuiſſe has conditiones in Epiſcopo tantum, tamen vt ait Auguſtinus, & Ambroſius inducens ad hoc probandum auctoritatem Concilij, extendenda eſt etiam ad alios ordinandos.

Ordinandus debet eſſe irreprehenſibilis.

Debet igitur ordinandus eſſe *irreprehenſibilis*, & à propria conſcientia, & à publica fama, & ab eo qui in eius electionem vel ordinationem conſentit: oportet igitur eum fuiſſe virum vxoris vnius, id eſt *monogamum*, poſt baptiſmum ſecundum Hieronymum; dicit enim quod poſt baptiſmum homini prorſus innouato, nec ſtupra, nec alia quæ ante Baptiſmum fecerit, obſunt. Vnde ſi ante Baptiſmum habuit vxorem, quæ obierit, & poſtea aliam duxerit non eſt irregularis, quia non fuit Bigamus poſt baptiſmū. Hic tamen non adhærimus Hieronymo, ſed Auguſtino, qui dicit contrarium ſuper epiſtolam ad Titum. Etſi enim Baptiſmus tollat peccatum, & pœnam pro peccato debitam, non tamen irregularitatem, quoniam hæc non eſt peccatum vel pœna peccati, ſed tantum tollit quandam formam ſacramenti Eccleſiaſticæ ordinationi' neceſſariam; verbi gratia; Dicit ibi Auguſtinus quod ſicut plures antiquorum patrum vxores, ſignauerunt diuerſas ex omnibus gentibus Eccleſias futuras vni viro ſubditas ſcilicet Chriſto; ſic noſter antiſtes id eſt epiſcopus ſiue ſacerdos euangelicus vnius vxoris vir, ſignat vnitatem Eccleſiæ ex omnibus gentibus vni viro ſubditam id eſt Chriſto; vnde ſi deſit alicui hæc forma ſacramenti, non poteſt promoueri in epiſcopum ſiue presbyterum; licet tamen non peccauerit in bigamia; nec Baptiſmus eum ab hac irregularitate abſoluit. Sicut nec fœminam quæ etiam cathecumena prima corrupta fuerit, abſoluit Baptiſmus, vt poſſit inter virgines Dei conſecrari. Et nota quod etiam ſi vnam vxorem habuit quæ fuerit bigama, reputabitur bigamus. Similiter ſi fornicata eſt mulier cum alio antequam duceret eum in coniugium, vel etiam, vt dicunt quidam, cum ipſo; oportet enim quod virginem duxerit, aliter reputabitur bigamia, & per conſequens ipſe Bigamus. Vnde quod dicitur *vnius vxoris virum*, debet intelligi cum triplici excluſione; ſic virum vxoris tantum, ſcilicet ſingulariter id eſt vnius, non plurium vxorum; item tantum vxoris non concubinæ, id eſt quæ fuerit tantum vxor eius, & nunquam concubina; item vxoris, inquam, tantum vnius hominis, ſcilicet tranſitiue, non plurium.

Ordinandus debet eſſe vnius vxoris vir etiam ante baptiſmum.

1. Tim. 3.

Adhuc de impedimento bigamiæ.

Cap. LXII.

SCiendum vero quod alia eſt ratio in coniugio quam in fornicatione, quia in pluralitate nuptiarum fit tranſitus à viro, in virum; vel ab vxore in vxorem; quod non fit in pluralitate fornicationum. Vnde cum vna ſit Eccleſia ſponſa Chriſti tanquam vnius viri, Sacerdos, vel epiſcopus, qui typum gerit Eccleſiæ, debet eſſe vnius vxoris vir. Fornicatio autem vna, vel multiplex non impedit promotionem, quia ibi non deperit forma ſacramenti. Et quia etiam ipſa Eccleſia cuius gerit typum Sacerdos, quotidie fornicatur in membris ſuis per peccata mortalia, licet tamen ſemper Chriſto adhæreat, ideo vxorem potius oportet eſſe virginem, quam virum: quia in tali matrimonio per virum ſignificatur Eccleſia quæ non ſemper fuit caſta, ſed ab adulterio id eſt Diabolo tranſiuit ad Chriſtum. Mulier autem typum gerit Chriſti, qui ſemper omnimodam habuit integritatem.

Virgerit typum Eccleſiæ, mulier typum Chriſti.

Sed cum cæteris actibus ſuis gerat epiſcopus vel ſacerdos typum Chriſti, cur in matrimonio gerit typum Eccleſiæ, & vxor typum Chriſti? Reſpõdeo quod ſicut in matrimonio carnali quantum ad prolem procreandam, emittendam, propagandam, nutriendam, principalis perſona eſt mulier: vnde & ab ea denominatur matrimonium quaſi matris munium id eſt officium: Ita & Chriſtus in prole ſpirituali. Vnde: *nunquid*, ait, *mulier poteſt obliuiſci infantem &c.* Iſaiæ 49.

Item non valet hæc argumentatio, Baptiſmus tollit omne peccatum, & ſequelam peccati: ergo tollit hanc irregularitatem quæ peccando contracta eſt: quia non eſt contracta ex peccato, inquantum peccatum eſt: ſed inquantum eſt actio. Nam nihilominus contracta eſſet, etiamſi contrahendo, neutra peccaſſet.

Sunt autem tres cauſæ quare nõ debet Bigamus promoueri: Vna propter irregularitatem ſiue defectum ſacramenti vnitatis cum non ſit vnius vnus, ex quo carnem ſuam diuiſit in duas: Alia propter prærogatiuam ordinum: tertia propter incontinentiæ præſumptionem.

Tres cauſæ cur Bigamus non promoueatur.

Quæritur autẽ, cum conſecratio epiſcopi maior ſit, & dignior quam conſecratio virginum, quare poteſt conſecrari in epiſcopum qui etiam poſt vxorem habuit concubinam: & ſi qua fuerit corrupta vel ante Baptiſmum vel poſt, ſponte, vel vi, cum peccato, vel ſine peccato, nõ poteſt inter ſacras virgines conſecrari? Ad hoc reſpondeo, quod ſacra virgo ſignat triumphantem Eccleſiam quæ ſine macula & ruga eſt: ſed epiſcopus Eccleſiam militantem, in qua ſunt boni & mali.

Item ſi credit aliquis ſe contrahere cum virgine, & inuenit eam corruptam, non debet promoueri, nam in tali caſu non excuſat error, nec violentia. Item ſi quis poſt votum caſtitatis emiſſum, profeſſione contempta preuaricet contrahendo matrimonium de facto inter Bigamos iudicatur.

De ſolemniter pœnitentibus, & curialibus non ordinandis.

Cap. LXIII.

PRæter illa vero quæ continentur in regula Apoſtolica: ſunt & alia quæ ſimiliter requiruntur in ordinãdo, vel eligendo: videlicet quod *non ſit ſolemniter pœnitens, non curialis, non ſeruus, non corpore vitiatus, non illegitime natus, non adultus, in ægritudine: Baptizatus, non peregrinus, vel ignotus, non minoris ætatis, vel fœmina.*

Requiſita in ordinando præter ſupradicta.

Solemniter pœnitens non poteſt promoueri, licet enim peccatum ſit deletum per pœnitentiã, remanet tamen aliqua cicatrix ſuæ irregularitatis quæ ipſum impedit: ſecunda cauſa eſt timor labendi ex priſtina conſuetudine ſurgens: tertia eſt ſcandalum populi, cum talis pœnitentia non imponatur niſi pro crimine publico, & vulgariſſimo quod totam commouerit vrbem: quarta quia non haberet frontem redarguendi alios. Diſpenſatur autem cum talibus in minoribus ordinibus propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ.

Dicuntur autem *curiales* large omnes, qui quacunque conditione ſunt curiæ alicuius publicæ poteſtatis obligati, ſiue ſint milites, ſiue aduocati, ſiue iudices, ſiue officiales, ſiue etiam hiſtriones: & breuiter, quodcunque officium habentes honeſtum vel inhoneſtum: prohibentur omnes indiſtincte ordinari: niſi primo ſint abſoluti à curia: primo, quia quidam eorum ſunt viles perſonæ, & frequenter contrahunt irregularitates ex officio ſuo: ſecundo, quia moleſtatur Eccleſia multum, & incommoda patitur propter tales, quando recipiuntur:

Qui dicũtur curiales. Cur curiales non ordinantur.

terti

tertiò quia præſumitur contra eos, quod non tranſeant ad clericatum voto religionis, ſed vt fugiant ratiocinia dominorum ſuorum.

Pone aliquem mihi iuramento obligatum in centum libris ad certum terminum ſoluendis, vel ad ſcribendum librum, vel ad ſeruiendum in propria perſona ad tempus, vel ad aliud ſimile, nunquid iſte poteſt intrare monaſteriũ, vel recipere ordinẽ? Ad hoc dicas quod poteſt intrare religionẽ, nõ obſtãte tali obligatione, aut iuramẽto, dummodo non ex leuitate, vel voluntate ſubtrahendi debitum hoc faciat, ſed charitatis feruore, & Spiritusſancti interna inſpiratione; nec facit iniuriam iſte, creditori: excuſatur enim auctoritate Spiritusſancti, *cui nemo poteſt reſiſtere*. Monaſterium autem tenetur ſatisfacere de his, quæ ipſe contulit monaſterio: ſi vero nihil contulit monaſterio, quia nihil habebat manus eius, inanis eſt actio quam inopia debitoris excludit. Si tamen poſt ingreſſum occaſione eius monaſterium aliqua acquireret, puta per ſucceſſionem hæreditariam, vel alio modo teneretur monaſterium in tantum, quantum illud eſſet. Poterit etiam exiſtens in monaſterio ſcribere librum, vel aliud honeſtum opus facere ad liberandum ſe, dummodo non negligat diuinum officium; & deducantur expenſæ ne ſit oneroſus monaſterio. Crede etiam, quod poteſt fieri clericus, quia poteſt cedere bonis, remanet tamen obligatus poſtea, ſicut ante; & poteſt ſcribere & alia honeſta facere, dum tamen non negligat officium Eccleſiæ.

De ſeruis & corpore vitiatis.

Cap. LXIIII.

NNllus ſeruus debet ordinari niſi manumittatur, & tunc diſtingue, aut ſunt liberi Eccleſiæ, aut priuati. In primo caſu poteſt ordinari etiam retento iure patronatus, quo ad hoc vt non iniurientur Eccleſiæ, nec accuſent illam, nec teſtificentur contra illam, aliter reuocentur in ſeruitutem. In ſecundo caſu non poteſt promoueri niſi prius fuerit à Domino conſecutus libertatem pleniſſimam, ita quod non teneatur præſtare Patrono operas fabriles, quæ conſiſtunt in faciendo, nec obſequiales, quæ conſiſtunt in non faciendo.

Serus non poſſunt ordinari niſi manumittantur.

Sed nunquid poteſt Patronus in liberto, quem petit ordinari retinere ſaltem operas ſpirituales, puta vt in capella ſua miniſtret ei diuina, vel ſimiles? Ad hoc dicunt quidam quod ſic, de conſenſu Epiſcopi & mihi videtur probabile. Et nota quod dominus in caſibus in quibus habet ius reuocandi ſeruum ordinatum poterit infra annum tantum, & non vltra, & computatur ille annus à tempore ſcientiæ domini.

Sed quare ſeruus alienus conſecratus reſtituitur domino & non res aliena conſecratá. Reſpondeo quia in rebus inanimatis non perpenditur dolus; item quia in rebus inanimatis conſecratio eſt in ſuperficie, & ideo non debet à manu prophana tractari; ſed in homine eſt anima, quæ tangi non poteſt.

Vitiati corpore culpa ſua repellãtur ab ordinatione.

De corpore vitiatis collige breuiter tenorem omnium in vna regula: *Quicunque culpa ſua viciatus eſt in corpore repellitur, qui vero ſine culpa non repellitur, niſi ſcandalum timeatur ex nimia deformitate, vel periculum ex nimia debilitate.*

De illegitimè natis, & in ægritudine baptizatis, & peregrinis, & ignotis.

Cap. LXV.

Triplex cauſa prohibitionis in illegitimè natis.

DE illegitimè natis cauſa prohibitionis eſt triplex ſcilicet dignitas clericalis, deteſtatio paterni criminis, & quia tales filij ſolent eſſe imitatores paterni ſceleris; verumtamen ſi intrant monaſterium, & ibi canonicè conuerſantur, de iure communi promouentur ad omnes ordines; ſi alias ſint idonei; quia Monachatus omnem maculam abſtergit, tamen ad prælationem non poteſt promoueri abſque diſpenſatione. Porrò in ſæculo remanentibus Epiſcopus poteſt diſpenſare in ordinibus: expreſſum eſt autem iure nouo, quod nec ad perſonatum, nec ad dignitatem, nec ad beneficia curam animarum habentia poteſt cum talibus niſi per ſedem Apoſtolicam diſpenſari.

Talis etiam nec Prælatus nec Canonicus poteſt eſſe de iure in Eccleſia, in qua pater ſuus eſt, vel canonicus, vel Prælatus.

Pone quod aliquis Sacerdos generat filium de legitima vxore, cum qua ſcilicet contraxerat Laicus, vel in minoribus ordinibus conſtitutus; nunquid erit legitimus filius? Credo quod ſic, quia culpa parentum non debet nocere huiuſmodi de legitimo matrimonio procreatis.

Si adultus dum ſanus diſtulit baptizari, & poſtea timore mortis conſtitutus in ægritudine, fecit ſe baptizari; non poterit promoueri, quia præſumitur non verè pœnitens, niſi poſt baptiſmum vita eius, & fides, probabiles apparuerint, vel raritas clericorum exegerit.

Qui peregrini vocantur.

Peregrini poſſunt large appellari omnes, qui non ſunt de epiſcopatu ordinantis; quia nulli recipi debent ab alio Epiſcopo ad dignitates, vel ordines, vel alia ſacramenta.

Qui ignoti.

Ignoti dicuntur quorum origo, vita, & regularitas, ſunt ignota Epiſcopo, non curando an ſint de eodem Epiſcopatu an de alio. Admittuntur autem Clerici peregrini cum quinque ſigillis Epiſcoporum; ſi ſigilla ſint ignota, aliter ſufficeret ſigillum Epiſcopi ſui tantum, ſi eſſet notum. Item hoc intelligas, quod quando volunt publicè populo celebrare, alias ſi vellent ſecreto ex deuotione celebrare, literas ſuas ſeruare poſſent.

Quid ſi amiſit litteras? dicas, quod ſi probet per duos teſtes de ordinatione, & conuerſatione honeſta poſt ordinationem, & de abſolutione proprij Epiſcopi (quod totum debuit in litteris contineri) recipietur; aliter non, etiamſi proprio firmaret iuramento.

De impedimentis ætatis, & ſexus.

Cap. LXVI.

De tempore quo quis ſuſcipere ſacros ordines poſſet.

CIrca ætatem ordinandi diſtingue, quia aut ab infantia traditur aliquis militiæ clericali; aut eſt grandæuus quando petit ordinari. In primo caſu à ſeptimo anno vſque ad duodecimum poteſt recipere omnes minores ordines vſque ad Acoſitatum: à duodecimo vſque ad viceſimumprimum Acolitatum, & Subdiaconatum; ita quod in viceſimoprimo anno recipiat Subdiaconatum; viceſimoſexto anno Diaconatum; in trigeſimoprimo Preſbyteratum; poſtea ſi meruerit Epiſcopatum. In ſecundo caſu ſcilicet cum grandæuus eſt qui petit ordinari per 7. annos, poteſt recipere omnes ordines hoc modo: In duobus primis annis recipiat quatuor minores; in reliquis quinque annis omnes alios: diſpenſatiuè tamen propter neceſſitatem poſſet laicus grandæuus omnes ordines recipere per annum, & dimidium: Monachus verò per annum. Licet autem huiuſmodi ætates ac temporum interſtitia taliter eſſent ſeruanda, plerique tamen Epiſcoporum in turba Clericorum, pluſquam in ſanctitate forſitan gloriantes, pueros promouere ad ſacros ordines non verentur. Hic etiam nota, quod hodie tempus eſt in aliquibus arctatum; nam de iure communi poteſt quis ordinari Preſbyter ex quo habet viginti quinque annos, quod patet ex eo, quod poteſt quis eligi ad Decanatum; ad regimen Eccleſiæ parrochialis, & ad alia quæ habent ordinem preſbyteralem annexum. Eſt etiam firmiter tenendum quod in vna die non conferantur omnes ordines minores vni, niſi hoc obtineat de conſuetudine Eccleſiæ. Item vnus ordo ſacer cum minoribus, vel duo ſacri nullo modo conferantur eodem die vni perſonæ.

Fœmina non poſſunt ordinari.

Fœmina non poteſt characterem alicuius ordinis clericalis accipere, impediente ſexu & conſtitutione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ecclesiæ, vnde nec possunt etiam Abbatissæ prædicare, nec benedicere, nec excommunicare, nec absoluere, nec pœnitentias dare, nec officium aliquorum ordinum exercere, quantumcumque sint religiosæ, vel doctæ. Licèt igitur beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit vniuersis Apostolis: non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit. Quidam tamen adhuc dicunt fœminam recipere characterem etiam Diaconalem, vel Presbyteralem: Inducunt autem pro se illud 26. q. 1. *Diaconissam, & si quis rapuerit in fi.* sed illo capitulo vocant Diaconissam illam, super quam forte fundebatur aliqua benedictio, ratione cuius consequebatur aliquod speciale officium, forte legendi homeliam in matutinis, vel aliud quòd non liceat alijs Monialibus. In illo autem capitulo appellatur Presbytera, quia erat vxor Presbyteri, vel etiam vidua, vel matricuria, id est de rebus Ecclesiæ curam habens, ad instar matrisfamilias, & ita exponit Concilium Laodicense in sequenti capitulo.

De ordine, & tempore, & forma consecrationis.

Cap. LXVII.

ORdines debent recipi per ordinem, secundum quod supra nominati sunt, si tamen per saltum aliquis promoueatur vt vno vel pluribus ordinibus prætermissis aliquem ordinem superiorem recipiat; recipit characterem nisi aliud impediat, tamen non debet deponi; sed ex dispensatione Episcopi, imposita ei pœnitentia pro eo quod sic ignoranter vel nẽgligenter medium ordinem prætermisit, ad ordinem prætermissum promoueri potest, interim superioris ordinis executione est suspensus.

Quid si aliquis promouetur in Episcopum prætermisso aliquo alio ordine à sacerdotali, & ordinet aliquos, nunquid confert ordinem? Potest dici quod sic, & ita sentiunt fere omnes excepto illo ordine, quem non accepit, quem quia non habet, dare non potest.

Quo tempore ordo sacerdotalis confertur.

Ordo sacerdotalis & omnes inferiores possunt conferri tantum in sex temporibus anni scilicet in sabbatis ieiuniorum quatuor temporum; & in sabbato quod pręcedit dominicam de passione, & in sabbato sancto Paschæ. Fallit hoc in duobus casibus: Vnus est quod Papa potest conferre ordinem Subdiaconalem in diebus dominicis, vel alijs præcipuis festiuitatibus: Alius est, quia quilibet Episcopus potest conferre alios minores ordines, vnũ vel tres aut duos in diebus dominicis, vel alijs præcipuis festis: sed ordinem Subdiaconalem nunquam nisi in temporibus sex prædictis. Dicunt etiam quidam, quibus assentio, omnes ordines in sabbato conferendos, & etiam in mane diei Dominicæ posse conferri, continuato ieiunio tam ab ordinatore quam ab ordinando. Et secundum istos, mane diei Dominicæ sequentis trahitur ad vesperam sabbati præcedentis; & ita siue conferantur in vespera sabbati, siue in mane diei Dominicæ sequentis, semper fictione canonica iuris in sabbato conferuntur; ordo vero Episcopalis debet conferri semper die Dominica, & hora tertia. Item potest clericus in Episcopum electus ordinari in Presbyterum in die sabbati, & in sequenti die Dominica consecrari in Episcopum; licèt non possit fieri de alijs ordinibus. Nam qui recepit vnum ordinem in sabbato, non potest recipere alium in Dominica, quia intelligerentur esse collati in vna die quod omnino prohibitum est.

De forma consecrationis nota, quod si aliquid tale de quo dubitatur vtrum sit de substantia fuerit omissum potest ordinatio iterari; non enim intelligitur iteratum quod nescitur esse factum. Si autem fuerit omissum id de quo est expressum, quod non est de substantia, non debet ordinatio iterari, sed quod omissum est cautè suppleri, statuto tempore, ad huiusmodi ordines conferendos. Est autem expressum in iure quædam non esse de substantia scilicet tempus, ætatem, vnctionem. Item quod ordinandus à proprio Episcopo recipiat ordines singulos seruatis debitis interstitijs & non simul, non est de substantia. Sunt & alia de quibus nescitur vtrum sint de substantia vel non, vt missa, & quod sint ieiuni tam ordinans, quam ordinandus, & similia; quæ omnia intelligas esse de substantia, nisi expressum inueniretur contrarium. Item si Episcopus ordinans non suum subditum ponit spem in ratihabitione illius cuius subditum ordinat, poterit Episcopus proprius confirmare, quòd factum est.

De Sacramento coniugij.

Cap. LXVIII.

MAtrimonium est legitima coniunctio maris & fœminę, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens id est retinendam quantum est in se exigens. Hoc autem dico, quia contumelia creatoris soluit matrimonium infidelium, quoniam non est ratum. Dicitur autem hoc propter Matrimonium spirituale, quia ante carnalem copulam licet alteri ad religionem transire. *Quid matrimonium.*

Finalis causa Matrimonij est proles; similiter autem & fornicationis euitatio. Et ante culpam quidem, institutum est tantum ad officium prolis procreandæ; post vero ad officium, & remedium. Rationes autem finales Matrimonij sunt charitatis dilatatio inimicorũ reconciliatio, bellorum sedatio. Causę materiales sunt legitimæ personæ: Formales sunt solemnitates, quæ adhibentur Matrimonio. Efficiens autem est consensus per verba de præsenti in copulam coniugalem; hæc autem comprehendit cohabitationem, carnalem copulam, mutuum obsequium, mutuam potestatem corporis, quam habet alter in alterum & econuerso. Beata virgo consensit in coniugalem copulam in vniuersali. *Finalis causa matrimonij.* *Causa efficiens matrimonij.*

Et nota, quod Matrimonium ante carnalem copulam signat coniunctionem Christi ad fidelem animam, quæ est separabilis: post vero, signat vnionem filij Dei ad humanam naturam, quæ est indissolubilis; & ideo Matrimonium consummatum per carnalem copulam indissolubile est; ante vero solubile est, quia spirituale tantum, vnde dissoluitur per mortem spiritualem, cum alter intrat religionem: post vero quia consummatum est, & corporale, non dissoluitur nisi per mortem corporalem, & temporalem.

Præterea vbi est consensus per verba de futuro & sequitur carnalis copula, Ecclesia reputat Matrimonium consummatum: dum enim coeunt ipsi interpretantur illud esse tempus, pro quo, vt videtur, erant verba de futuro: vnde verba de præsenti per æquipollentiam ibi sunt. Fallitur autem ibi, quandoque ecclesia, vt quando nunquam consentiunt de præsenti.

Dicitur autem Matrimonium quasi matris munium id est officium: quoniam eius officium prius apparet in Matrimonio: quam officium viri. Contrahitur autem *solo consensu*, qui solus si defuerit, cętera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur: ex quo enim vir consensit de præsenti in mulierem maritali affectu, & mulier in virum, siue verbis vel etiam signis exprimatur consensus, statim matrimonium est. *Signis ideo dico*, quia Surdus, & Mutus, possunt Matrimonium contrahere: veruntamen si loqui possunt contrahentes, necessaria sunt verba quantum ad Ecclesiam mutuum consensum experimentia, & hoc consensu oportet eos cohabitare & indiuiduam vitæ consuetudinem obseruare: hoc sacramentum verbis Adę ore prophetico prolatis institutum, primo ad officium fuit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; post peccatum vero & extra Paradisum fuit institutum ad remedium, vt carnis vitium cohiberetur. *Vnde dicitur matrimonium? Requiritur mutuus cõsensus viri & fœminæ simpliciter ad hoc vt fiat matrimonium.* Gen. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quia vnica vnius debet eſſe de iure naturali.

Cap. LXIX.

SCiendum quod vnicam eſſe vnius de iure naturali eſt, ſed pro temporis exigentia Dominus diſpenſauit cum patribus, quia pauci erant Dei cultores; Et quia moderatè & ſpe prolis appetebant antiqui Patres coitum; propter has cauſas, & alias, fuit diſpenſatum cum illis, vnde quando mos erat; peccatum non erat; non propter morem, ſed propter diſpenſationem. Cum Lamech autem qui introduxit bigamiam ex libidine, non fuit diſpenſatum habere quidem plures; ſicut occidere non ſecundum ſe, ſed in ſe, malum eſt; vnde ex cauſa fit meritorium. Notandum vero quod ius naturale dicitur quod in omnibus eſt ſcilicet in concordia omnium rerum: item dicitur ius naturale quod natura omnia animalia docuit: item dicitur ius naturale, quod dictat naturalis ratio: Et de iſto iure eſt matrimonium. Coniunctio tamen Maris, & fœminæ eſt de iure naturali, ſecundo modo dicto. Sed fidelitas, quam debet vir vxori, eſt de vltimo modo dicto, & *vnam eſſe vnius:* Et iſtud Dei diſpenſationem recipit.

Sed etſi propter cultum Dei augendum poteſt cum viris diſpenſari, nunquid & cum mulieribus? Reſpondeo non eſt ſimile, quia vir eſt caput Mulieris; præterea magis pacificè poteſt dominari vnus pluribus: quàm duæ vni, præterea poteſt vnus magis fœcundare quam duæ vel tres parere, præterea vnus verus ſponſus eſt ſanctarum animarum: vnde vnum habere plures non interemit ſacramentum, quod facit plures habere vnam. Itaque fornicatio eſt contra ius naturale ſpeciale, id eſt contra ius quod ratio naturalis dictat: coniunctio autem Maris & fœminæ, eſt à natura communi animalium, non à naturali ratione.

De ſponſalibus qualiter contrahuntur.

Cap. LXX.

Quid ſponſalia. Contrahuntur quatuor modis.

SPonſalia *ſunt futurarum nuptiarum promiſsio à ſpondendo*, id eſt promittendo *dicta*. Contrahuntur autem quatuor modis: aliquando nuda promiſſione; aliquando datis arrhis ſponſalitijs; aliquando interueniente annuli ſubarrhatione; aliquando interueniente iuramento, nuda promiſſione, per verba de futuro. Si vero per verba temporis præſentis contrahuntur verè eſt matrimonium, ita quod etiamſi eam carnaliter non cognoſcat, non licet alicui eorum alij nubere. Et ſi nupſerit, quamuis ſecundam carnaliter cognoſcat, eſt ſeparandus ab ea, & compellendus redire ad primam. Item contrahuntur datis arrhis ſponſalitijs ſcilicet aliqua pecunia, vel alijs rebus. *Poſſunt contrahi poſt ſeptennium.* Poſſunt autem contrahi poſt ſeptennium, quoniam tunc dicuntur habere diſcretionem tam Pueri, quam Puellæ, & ex tunc placere eis conſueuerunt ſponſalia. Sed licet ante ſeptennium contrahuntur vel in cunabulis; ſi cum venerint ad ſeptennium incipiant eis placere, ex tunc valent; & quamuis Sponſus eam non cognoſcat carnaliter, tamen conſanguineam eius non poterit habere in vxorem, nec econuerſo.

Ætas contrahentium matrimonium qualis requiritur. Ætas ad contrahendum matrimonium apta eſt in puella duodecim annorum; in puero 14. Licet autem ſponſalia poſſint contrahi ſub conditione promiſſæ pecuniæ non tamen in modum pœnæ poteſt pecunia promitti: Et ſi promiſſa fuerit, non tenet promiſſio pœnę, nec poterit peti: Vt ſi ita dicatur, ſi tecum non contraxero dabo tibi centum marcas: nuda adiectio pœnæ non valet, cum libera debeant eſſe coniugia.

De caſibus in quibus ſponſalia ſoluuntur.

Cap. LXXI.

Soluuntur ſponſalia in octo caſibus. SPonſalia ſemel contracta ſemper tenent, & ligant, niſi quia ſoluuntur in octo caſibus. Primus eſt ſi alter Sponſorum tranſeat ad Religionem: quod poteſt facere etiam altero inuito ante carnalem copulam; & ille qui remanet in ſæculo abſoluitur à vinculo ſponſalium, etiamſi fuerint ſponſalia de præſenti. Secundus eſt quando Sponſus non inuenitur, quia transfert ſe ad aliam regionem, recepta tamen de periurio, vel de promiſſione non ſeruata pœnitentia, ſi per eam ſteterit quo minus matrimonium fuerit conſummatum. Tertius eſt ſi alter Sponſorum incurrit lepram, vel paralyſim, aut oculos, aut naſum amiſerit, vel quicquam ei turpius euenerit. Quartus ſi ſuperueniat affinitas, puta quia Sponſus cognouit conſanguineam Sponſæ, vel econuerſo: Et ad hoc ſufficit probare ſolam famam, Quintus ſi mutuo ſe abſoluunt; quidam tamen caſum iſtum non recipiunt. Sextus eſt ſi alter eorum fuerit fornicatus. Septimus quando ſponſa cum alio contrahit, vel Sponſus cum alia, & ſequitur carnalis copula: Debet autem agere pœnitentiam de fide, vel promiſſione mentita.

Sed quid ſi cum prima contraxerit ſponſalia de futuro ſimpliciter; cum ſecunda, ſponſalia ſimiliter de futuro, ſed interpoſito iuramento? credo quod debet redire ad primam, & agere pœnitentiam de periurio, quod commiſit iurando illicitum: Iuramentum vero non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Octauus caſus eſt, quando minor venit ad ætatem adultam, & petit abſolui à vinculo ſponſalium, & dare ſibi licentiam nubendi alij. Et nota quòd omnes iſti caſus præter primum ſcilicet quando vult tranſire ad religionem, intelligendi ſunt tantum de ſponſalibus de futuro; quoniam tunc verè & purè dicuntur ſponſalia. Item in duobus caſibus de prædictis ipſo iure ſoluuntur ſponſalia ſcilicet quando alter intrat religionem, & quando contrahit matrimonium cum altero, vel cum altera. In cæteris vero caſibus ſoluenda ſunt per iudicium Eccleſiæ. *Omnes hi caſus intelliguntur de ſponſalibus in futuro primo excepto.*

De triplici bono coniugij.

Cap. LXXII.

Tria bona matrimonij, fides, proles, Sacramentum. DIcit autem Auguſtinus quod tria ſunt bona matrimonij ſcilicet *fides, proles, & ſacramentum. Fides* id eſt fidelitas, quæ duplex eſt: Vna vt neuter tranſeat ad alia vota, vel alij commiſceatur. Secunda eſt vt reddant ſibi inuicem debitum. *Bonum* autem prolis, vt ipſa proles religioſè educetur ad cultum Dei, in matrimonio enim gentilium eſt proles, ſed non bonum prolis. Tertium bonum eſt *Sacramentum* ſupra expreſſum, quod ſcilicet excuſat à culpa coitum.

Sciendum tamen quod quatuor de cauſis finalibus cognoſcatur vxor ſcilicet cauſa prolis, vel reddendi debiti, vel vitandæ incontinentiæ, vel libidinis expellendæ; tribus primis modis poteſt eſſe meritorium vxorem cognoſcere, & ſine omni peccato; quarto modo peccatum eſt veniale, ſi coniugali eam affectu cognoſcat, nec eam cognoſceret niſi ſua eſſet. Si autem contingit ex tam feruenti libidine, quod etiamſi ſua non eſſet, tamen eam cognoſceret, mortale eſt. Vehemens enim amator vxoris, adulter eſt. Sicut autem cum prædicatio Apoſtolorum etiam meritoria erat plurimis inanis gloriæ, & erat veniale: ſic cum vir ſanctus meritoriè cognoſcit vxorem, & ei placet delectatio, peccatum veniale eſt, & cum opere meritorio, ſi vero diſplicet, ſine omni peccato eſt. Debet tamen lauari vt intret Eccleſiam, *quia bona-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rum mentium est ibi culpam cognoscere vbi culpa non est. Illud autem Gregorij, Concubitus coniugalis non potest fieri sine culpa, sic exponitur, id est vix potest. Non est autem in omni coitu coniugali libido, quia libido est voluntarius appetitus delectandi: & licet delectatio moueat ad illicitum, non tamen ad illicitum sensualitatis, sed rationis, cui quia eam refutat, non est peccatum: præterea illa delectatio, quæ caret modo, & ordine, malum quidem est, sed non culpæ, immo pœnæ, pœna enim est, rationi, quod non obedit ei suum inferius. Item si aliqua ante carnalem copulam vouet quod intrabit claustrum, cum teneatur non coire; in huiusmodi non videtur bonum prolis. Econtra bonum prolis est de essentia Matrimonij, quia ad hoc est institutum ergo sine hoc non est Matrimoniū. Itē ibi non est fides thori, nos autem dicimus, quod ibi sunt omnia bona Matrimonij secundum exigentiam Matrimonij. Vnde hęc tenetur reddere debitum non absolute, sed saluo iure superioris. Ideoque non est perplexa si vir petat debitum, quia debet adhærere mandato superioris, cui tenetur absolute. Si autem per violentiam corrumpatur iam non potest intrare religionem, nisi de consensu mariti, sicut nec consecrari potest. Et licet prius debebatur ei aureola, & post non: tamen non punitur in hoc in quo non deliquit, quoniam aureola non est pars præmij.

Bonum prolis est de essentia matrimonij.

Multi habēt prolem qui non habent bonū prolis.

Nota quod bonum prolis non dicitur ipsa proles, quæ quandoque quæritur propter hæreditariam successionem, sed spes vel desiderium, quo proles ad hoc quæritur, vt de religione informetur. Vnde multi habent prolem, qui non habent bonum prolis; nec ideo tamen desinit esse coniugium. Itaque duo prima bona quandoque comitantur Matrimonium, quandoque non. Tertium vero inseparabiliter adhæret quamdiu durat Matrimonium.

De his, qui contrahere possunt, & de effectu coniugij, siue Matrimonij.

Cap. LXXIII.

POtest autem contrahere Matrimonium omnis homo, qui consentire potest in coniugalem affectum, & carnis copulam, nisi expressè prohibeatur: hoc ideo dixi, quia ille, qui caret vtroque testiculo consentire non potest. Similiter furiosus quamdiu est in furore constitutus, nam si habet dilucida interualla, & aliquando redit ad sanam mentem, nubere potest, & testari & omnia quæ alij possunt. Sed & inter absentes potest per procuratores contrahi Matrimonium.

Furiosus non potest cōtrahere matrimonium.

Effectus Matrimonij est, quod ex quo semel est inter aliquos, nunquam desinit esse, etiamsi alter coniugum fiat hæreticus: nec potest alter alterum dimittere, nisi causa fornicationis: sed si tunc dimittat, maneat sine coniuge, vel reconcilietur. Item alius effectus est, quia mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, & econuerso: vnde postquam est inter illos secuta carnalis copula, nec religionem potest alter eligere altero inuito, nec continentiam profiteri. Est & alius effectus, quia compellendus est vir reddere debitum vxori, licet nunquam cognouerit eam, & econuerso, non obstante affinitate iniquè superueniente.

Effectus Matrimonij.

De speciebus coniugij.

Cap. LXXIIII.

MAtrimonium aliud legitimum est: aliud clandestinum.

Legitimum est, quando ab his qui in fœminam potestatem habere videntur vxor petitur, & à parentibus sponsatur, legibus dotatur, à Sacerdotibus vt mos est benedicitur, & à paranymphis custoditur, ac solemniter accipitur. Si aliter præsumitur, non coniugium, sed adulterium, vel fornicatio dicitur: & tunc dicitur clandestinum. Non tamen intelligas quod non possit sine solemnitatibus huiusmodi verum esse Matrimonium sed loquitur *canon* secundum illud, quod ecclesia præsumit, eo quod probari non potest. Vel dic: quod in hoc sacramento sicut in aliis quædam sunt pertinentia ad substantiam, vt consensus de præsenti, qui solus sufficit: quædam vero ad decorem & honestatem, vt solemnitates prædictæ, sine quibus verum est coniugium & legitimum, quantum ad virtutem, sed non quantum ad honestatem, vnde consulendum est talibus in foro pœnitentiæ, vt de nouo consentiant, vel recognoscant, & approbent publice in facie Ecclesiæ, quod occulte fecerunt: & faciant pœnitentiam, quia scandalizauerunt Ecclesiam, & exposuerunt se magno periculo. Posset enim alter alterum dimittere quando vellet, & de facto cum alio cōtrahere, & sic in adulterio propter defectum probationis impune quantum ad ecclesiam militantem manere.

Matrimonium legitimum.

Item matrimonium dicitur initiatum per consensum de præsenti, perfectum autem siue consummatū per carnis copulam. Inter beatam virginem & Ioseph fuit verum matrimonium, quia secundum Augustinum proposuit se perseueraturam virginem, nisi Deus aliter ei reuelaret: committens ergo virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam: non illam appetendo, sed illam diuinæ inspirationi in vtroque obediendo: postea simul cum viro labiis votum expressit, & vterque in virginitate permansit. Fuit etiam perfectum illud coniugium propter triplex bonum: Vnde Augustinus, *Prolem cognoscimus ipsum Dominum: fidem quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium.* Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato.

Matrimonium initiatum; & consummatum.

Quidam etiam dicunt Matrimonium initiatum per sponsalia de futuro, ratum per consensum de præsenti, consummatum per carnis copulam.

Item Matrimonium aliud legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum, aliud legitimum & ratum.

Matrimonium legitimum & nō ratum &c.

Legitimum est, quod legali institutione, & prouinciæ moribus non contra iussionem Domini contrahitur: & hoc etiam inter infideles, inter quos non est Matrimonium ratum, quia sine fide fit. Et sic intelligitur quod ait Augustinus *non est ratum coniugium quod sine Deo est.* Ratum & non legitimum, est quod inter fideles, legitimas tamen personas, sed sine legitima solemnitate contrahitur, hoc est ratum, quia indissolubile. Legitimum autem, & ratum est, inter fideles, si tamen sit debita solemnitate contractum.

De his quæ impediunt Matrimonium & dirimunt, & primo de errore personæ.

Cap. LXXV.

DVodecim tamen sunt impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum: si tamen præcedunt Matrimonium, quoniam consensum coniugalem excludunt: Si vero sequantur: non dirimunt.

Duodecim impedimēta matrimonij.

Hæc autem his quatuor versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, ius, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda vetant connubia, iuncta retractant.

Præter ista vero xij. quæ impediunt Matrimonium

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Duo impedimenta quæ impediunt contrahendū ſed non dirimūt contractum.

& dirimunt, alia duo ſunt quæ impediunt contrahendum, ſed non dirimunt contractum ſcilicet tempus feriarum interdum Eccleſiæ, vnde verſus,

Eccleſiæ vetitum nec non tempus feriarum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Error perſonæ. *Error perſonæ* ex ſui natura non ex conſtitutione Eccleſiæ, ſicut pleraque, matrimonialem conſenſum excludit; quoniam qui errat, non conſentit, & errantis voluntas nulla eſt. Sed ad hoc quod erret aliquis, vel aliqua, conſentiendo in vnum, quem putat alterum, neceſſarium eſt, quod per viſum, vel auditum, vel famam habeat aliquam notitiam illius abſentis perſonæ, quam credit iſtam præſentem: quia in penitus ignotum nec affectum, nec conſenſum dirigere poſſumus. Itaque non conſentit in præſentem; ſed in illam, quam præſentem eſſe putat; & ſic non eſt matrimonium, quia in perſona erratur. Si vero nullam notitiam habeat mulier de perſona abſente, non errat in ea ſed decipitur, verbi gratia: Si aliquis Anglicus veniat ad nobilem mulierem dicēs ſe filium Regis Angliæ cuius notitiam nullam habeat, & contrahit illa cum eo, credens eum eſſe filium Regis, non impeditur Matrimonium, quia non fuit error perſonæ, ſed potius qualitatis, quæ non impedit ſicut nec error fortunæ: ſiquidem vna perſona melius ſeruat bonum Matrimonij, quod eſt fides, quam alia: ſed quod pulchra melius ſeruet, quam turpis, vel diues, quam pauper, rariſſime contingit. Præterea vbi eſt error perſonæ non eſt conſenſus, niſi ſub conditione, vnde, nec fuit Matrimonium inter Liam & Iacob in primo concubitu, nec fuit peccatum, quia ignorantia facti excuſat peccatum in toto, nec etiam peccauit Lia, quoniam inſtinctu Spirituſſancti ſic primo tradita eſt. Et nota, quod licet error perſonę non impediat benedictionem, vt patet in benedictione Iacob, tamen impedit matrimonium, quia proprie benedicit Deus, qui non errat. Vnde ſcriptum eſt. *Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Matrimonium autem opus hominis eſt.

Num. 6.

De impedimento conditionis.

Cap. LXXVI.

Impedimentum conditionis. *Impedimentum autem conditionis* introductum eſt ab Eccleſia in fauorem libertatis: de quo breuiter ſciendum, quod ſi libera mulier contrahit cum ſeruo, vel liber cum ancilla ſcienter, tenet Matrimonium; Si vero ignoranter, nullum eſt matrimonium; niſi poſtquam cognouit eius conditionem, conſenſit in eam verbo, vel facto ſcilicet per carnalem copulam. Item nota, quod error deterioris conditionis, ſeruilis ſcilicet impedit Matrimonium contrahendum & dirimit contractum ſicut iam dictum eſt; ſed non error paris, vel melioris. Nam quia non decipitur non habet quod obijciat. Item alia ratione, quia edictum tale eſt prohibitorium, hoc eſt quicunque non prohibetur, admittitur. Quid ſi Dominis contradicentibus & inuitis inter ſeruos contracta ſunt Matrimonia non ſunt propter hoc diſſoluenda, debita tamen & conſueta ſeruitia non minus debent exhiberi. Sed quia ſeruus non habet poteſtatem ſui corporis, ideo ſeruitus impedit Matrimonium, quia ſine voluntate Domini non poteſt transferre dominium ſui corporis, in mulierem.

Conditio honeſta & neceſſaria vel honeſta & voluntaria. Circa conditiones autem, quæ apponuntur in deſponſationibus eſt diſtinguendum, quoniam aut conditio eſt honeſta, aut neceſſaria, aut voluntaria: ſi vero eſt turpis, ſiue inhoneſta: aut eſt contra ſubſtantiam, ſiue naturam Matrimonij, aut non. Conditio honeſta, & neceſſaria eſt, quæ ſi non apponatur nihil agitur, vt quādo fidelis cum infideli contrahit ea conditione vt conuertatur ad fidem. Honeſta & voluntaria eſt, quæ honeſte poteſt apponi, vt contraham tecum, ſi pater meus voluerit, vel ſi dederis mihi centum libras; hoc ſi apponatur ſuſpendit ſponſalia vſque ad euentum conditionis: etiamſi interueniat iuramentum, niſi interim conſenſus de præſenti, vel carnalis copula fuerit ſubſecuta, quoniam tunc dicitur eſſe verum Matrimonium inter eos, eo quod videntur à conditione propoſita receſſiſſe. Conditio inhoneſta contra naturam ſeu ſubſtantiam Matrimonij eſt cum dicitur, contraham tecum ſi generationem prolis euites; vel donec inueniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, hoc ſi apponatur nihil agitur; Inhoneſta conditio non contra naturam Matrimonij eſt cum dicit: Contraham tecum ſi furtum feceris, vel ſi hominem interfeceris, hoc ſi apponatur infringenda eſt, vel pro non adiecta habenda eſt; & tenent ſponſalia ſiue Matrimonium.

Conditio inhoneſta.

De impedimento voti.

Cap. LXXVII.

Votum eſt alicuius boni cum deliberatione facta promiſſio. *Quid votū.*

Vel ſic: *Votum eſt conceptio boni propoſiti cum deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum ſe Deo obligat.* Et licet diuerſa ſint vota ſecundum diuerſitatem eorum quæ vouentur, votum tamen continentię impedit Matrimonium, ſed non dirimit. Quis autem vouere poſſit, ſciendum, quod quilibet ſanæ mentis niſi expreſſe prohibeatur, quoniam votum lege ſpirituſſancti inſpiratur. Prohibentur autem coniuges votum continentiæ emittere niſi pari conſenſu; Et ſi alter vouit ſine conſenſu alterius, vel etiam intrat monaſterium, reuocari poteſt ab altero coniuge, quod locum habet poſt carnalem copulam: nam ante licet ſit Matrimonium per verba, etiam de præſenti inter eos contractum, poteſt alter altero inuito & renitente, intrare religionem, & alter remanens in ſæculo contrahere. Item ſeruus inuito Domino vouere non poteſt, nec monaſticam vitam eligere. Item pueri ſiue Puellę ſi votum emiſerint ante tempus pubertatis, quod eſt in Puero 14. annorum; in Puella duodecim; pater & tutor reuocare poſſunt ſine peccato: alioquin ſi non reuocauerint cum ad legitimam ætatem peruenerint, poſt firmum manebit & ratum.

Quis vouere poteſt.

Quis vouere non poſſit.

Votum ſimplex. Votum ſimplex eſt quod ſimpliciter emittitur: Profeſſio vera vel præſumpta monachatus votum facit ſolemne. Item ſolemnizatur per ſacri ordinis ſuſceptionem. Simplex votum impedit Matrimonium contrahendum tantum, votum vero ſolenne impedit contrahendum & dirimit iam contractum.

De cognatione carnali.

Cap. LXXVIII.

Cognatio triplex. Cognatio triplex eſt; *carnalis* ſcilicet & *ſpiritualis*, ac *legalis*. Carnalis alias duas præcedit naturaliter, & conſanguinitas appellatur.

Conſanguinitas. *Conſanguinitas* eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Stipitem dico illam perſonam à qua aliqui duxerunt originem, ſicut Adam fuit ſtipes Chain & Abel & aliorum qui ab eis proceſſerunt.

Linea eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum, ab eodem ſtipite deſcendentium diuerſos gradus continens. Lineæ ſunt tres, vna aſcendentium: ſecunda deſcendentium: tertia transuerſalium ſeu à latere venientium. Prima eſt aſcendētium à quibus originem traximus ſicut Pater, Mater, Auus, Auia, Proauus, Proauia, Abauus, Abauia. Secunda

deſcen-

deſcendentium, qui duxerunt originem à nobis; ſicut Filius, Filia, Nepos, Neptis, Pronepos, Proneptis, Abnepos, Abneptis. Alia eſt tranſuerſalium ſeu à latere venientium à quibus non duximus originem, nec ipſi à nobis, vt Frater, Soror, Filij duorum fratrum qui dicuntur Patrueles; vel duarum ſororum qui dicuntur Conſobrini, & eorundem Filij & Neptes. Duæ lineæ deſcendentes vnam faciunt tranſuerſalem, vt apparet in hoc exemplo, Filij duorum fratrum attinent ſibi linea tranſuerſali, & quilibet eorum recta linea deſcendit ab Auo eorum communi. Secundum leges autem quælibet perſona facit gradum: ſed ſecundum canones in tranſuerſali linea duæ perſonæ faciunt gradum, vt puta duo fratres ſunt in primo gradu ſecundum canones; qui ſunt in ſecundo, ſecundum leges; filij duorum fratrum in ſecundo, qui ſunt ſecundum leges in quarto; & ſic de ſingulis ſufficiat hæc definitio.

Quid gradus.

Gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota generationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differunt.

Gradus ita computantur: In linea aſcendenti Pater, & Mater, ſunt in primo gradu; Auus, & Auia, in ſecundo; Proauus, & Proauia, in terrio; Abauus, & Abauia, in quarto. In deſcendenti vero hoc modo computantur; Filius, & Filia, ſunt in primo gradu; Filij duorum fratrum, in ſecundo; Nepotes eorum in terrio; Pronepotes in quarto; vltra quem gradum nulla hodie conſanguinitas eſt, ſicut nec vltra ſeptimum olim gradum progrediebatur. Verum ſi aliquæ perſonæ attinent ſibi in vna parte in ſecundo, vel in tertio gradu: in alia vero in quinto poterunt contrahere, quia ſemper ſtandum eſt remotiori perſonæ in conſanguinitate; in hoc enim caſu remotior perſona extra metam conſanguinitatis exiſtit, vnde iam non attinet illi. Denique regulariter ſemper debet iudicari pro Matrimonio, niſi contra Matrimonium ius inueniatur expreſſum.

De cognatione ſpirituali.

Cap. LXXIX.

Cognatio ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas proueniens ex ſacramenti datione, vel ad id tentione: vt ecce baptizat Sacerdos Puerum, tu eum ſuſcipis, vterque veſtrum eſt eius Pater ſpiritualis.

Tres ſpecies cognationis ſpiritualis.

Species cognationis ſpiritualis ſunt tres: Vna dicitur compaternitas, quæ attenditur inter Patrem ſpiritualem Pueri, & carnalem: alia dicitur paternitas, quæ eſt inter illum qui ſuſcipitur, & eum qui ſuſcipit: tertia fraternitas quæ eſt inter Filium tuum ſpiritualem & Filios tuos carnales.

Duæ ſunt ſpecies compaternitatis: Vna directa ſcilicet cum ego ſuſcipio de ſacro fonte filium Bertæ, vel ipſa meum, & iſtam nunquam potero in vxorem habere: alia indirecta quando ſcilicet vnus coniugum poſtquam ſunt vna caro effecti, filium aliorum ſuſcipit. In hoc enim caſu ambo parentes infantis compatres efficiuntur etiam alteri coniugum, qui non ſuſcipit; quoniam communicant ſibi coniuges actiones. Tam directa compaternitas, quàm indirecta Matrimonium impedit contrahendum, & dirimit iam contractum.

Solet autem quæri an aliquis duas Commatres poſſit habere in vxores vnam poſt aliam? Sed refert vtrum commaternitas præcedat Matrimonium, vel ſequatur: Si præcedit Matrimonium, vel ſaltem carnalem copulam, licitè poteſt; quia per vnionem carnis ſequentem, non tranſitur ad vnionem ſpiritus præcedentem: Si verò ſequitur, diſtinguitur; & ipſa diſtinctio his quatuor verſiculis comprehenditur:

Quæ mihi, vel cuius mea natum fonte leuauit,
Hæc mea commater fieri mea non valet vxor.
Si qua mea natum non ex me fonte leuauit,
Hanc poſt fata meæ non inde verabor habere.

Nunc videndum eſt de paternitate, quæ attenditur inter ſuſcipientem & ſuſceptum, nunquam enim poteſt eſſe Matrimonium inter tales. Similiter nec Laicus, nec clericus in minoribus ordinibus conſtitutus poteſt Matrimonium contrahere cum illa, quam ſuis manibus baptizauit. De fraternitate ſpirituali ſciendum eſt, quòd omnes filij duorum compatrum ſiue ante compaternitatem geniti ſint, ſiue poſtea, poſſunt legitimè matrimonialiter copulari; excepta illa perſona, qua mediante compaternitas eſt contracta. Nam iſta perſona nunquam poteſt copulari alicui filiorum patris ſui ſpiritualis.

Quæritur autem ſi ſacerdotis filius vel alterius viri qui baptizauit puellam poſſit contrahere cum ea quam baptizauit pater eius? Reſpondeo nequaquam, immo etiam ſi contractum fuerit Matrimonium ſeparandum eſt.

De tribus etiam ſpeciebus cognationis ſpiritualis dantur tres regulæ: Prima eſt, quòd vir & mulier ſpirituali proximitate ſibi coniuncti non poſſunt inter ſe contrahere. Secunda eſt, quod Compater vel Commater cum filijs Compatris vel Commatris poſſunt contrahere, excepta illa perſona propter quam contracta eſt ſpiritualis proximitas. Tertia eſt hæc, Filij, vel Filiæ Compatrum, vel Commatrum poſſunt inter ſe contrahere, exceptis perſonis illis propter quas contracta eſt ſpiritualis proximitas. Per tria vero ſacramenta tantum, cognatio ſpiritualis contrahitur ſcilicet per Catechiſmum, Baptiſmum, & Confirmationem. Illa tamen quæ contrahitur per Catechiſmum adeo exilis eſt, & inualida, quod vix impedit Matrimoninm contrahendum; nunquam autem dirimit contractum.

De cognatione legali.

Cap. LXXX.

Cognatio legalis eſt quædam proximitas ex adoptione proueniens.

Cognatio legalis.

Quid adoptio.

Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.

Species eius ſunt duæ: Vna dicitur arrogatio, alia ſimplex adoptio. Arrogatur ille, qui ſui iuris eſt, id eſt qui non habet Patrem, vel ſi habet, emancipatus eſt, & tranſit in poteſtatem arrogantis, & iſta fieri debet auctoritate Principis. Adoptatur ille qui eſt in poteſtate ſui Patris, & ideo non tranſit in poteſtatem adoptantis, & hoc fit imperio Magiſtratus. Adoptare poteſt Paterfamilias, qui ſui iuris eſt, & qui generare poteſt, nam qui generare non poteſt, vt Spado vel Frigidus, non poteſt adoptare. nec ille qui minor eſt 20. annis niſi iuſta cauſa interueniente. Mulier vero adoptare non poteſt, niſi ex reſcripto Principis in ſolatium Filiorum amiſſorum ei concedatur. Poteſt adoptari quilibet tam maſculus quam fœmina, dummodo ſint minoris ætatis Patre adoptiuo, ita quòd Filius eius naturalis eſſe poſſit.

Quis adoptare poteſt

Effectus adoptionis.

Effectus adoptionis eſt, vt ille qui adoptatur per omnia quaſi Filius habeatur, ita etiam vt ab inteſtato ſuccedat. Item arrogatus, & eius Filij, vel Nepotes ſi quos in poteſtate habet tranſeunt in poteſtatem arrogantis, quod non eſt in eo qui adoptatur. Item arrogator tenetur relinquere Filio arrogato quartam partem omnium bonorum, quæ habet, ſiue in teſtamento; ſiue eum velit emancipare: ſed adoptator Filio adoptiuo nihil tenetur relinquere niſi velit.

Species adoptionis tres.

Species autem adoptionis ſunt tres: Prima quaſi deſcendentium attenditur inter me adoptatorem Patrem, & Filiam meam vel Neptem adoptatam. Secunda

quaſi

quasi ex latere venientium inter Filium meum naturalem, & Filiam meam adoptatam. Tertia scilicet legalis affinitas inter me, & vxorem filij mei adoptiui; similiter inter filium meum adoptiuum & vxorem meam. Cognatio legalis in secunda specie impedit Matrimonium, quamdiu sunt in eiusdem Patris potestate tantum: in prima vero & tertia omni tempore impedit indistincte.

De impedimento criminis.

Cap. LXXXI.

Incestus impedit matrimonium, & multa alia crimina.

CRimina multa sunt quæ impediunt Matrimonium contrahendum propter eorum enormitatem sicut est incæstus. Item qui vxorem suam interfecit, aliam accipere non debet. Item ille, qui rapuit sponsam alterius. Item qui insidiando Matrimonio proprium Filium de sacro fonte leuauerit, vt possit priuare coniugem carnali debito, & copia sui. Item ille qui interfecit presbyterum. Item solemniter pœnitens: generaliter tamen si huiusmodi adolescentes sunt & timetur de incontinentia eorum, Ecclesia eis concedere debet licentiam nubendi. Et quamuis multa sint crimina, quæ impediũt Matrimoniũ cõtrahendũ, nulla tamẽ sunt, quę contractum dirimant nisi tria: Primum est quod si aliquis adulteratur cum aliqua coniugata, & ipse, vel ipsa machinatus fuerit in mortem viri ipsius adulteræ, vel in mortem vxoris ipsius adulteri, cum effectu vt simul contrahant, postea contrahere non debent, et si contraxerint, separandi sunt. Secundus casus si præstat fidem adulteræ quod ducet eam post mortem legitimi eius mariti, vel vxoris eius adulteri. Tertius est quando præsentialiter eam ducit, & cum ea contrahit, quod plus est quam fidem dare de ducendo: itaque debent separari; quod intelligendum est cum ambo sciebant impedimentum, quando sic contraxerunt; si enim alter ignoret, tunc credens illum cum quo contraxit esse solutum, posset cum isto esse post mortem legitimi, & hoc propter bonam fidem, quam habuit: determinatum est autem iure nouo, quod siue ante fidem datam, vel Matrimonium de facto contractum, siue postea legitima tamen superstite, cognouerit eam, debet omnino separari. Illis ergo qui peccant contra bonum Matrimonij & non contra essentiam potest infligi pœna ne contrahant; si tamen contrahunt, contractum est. Illi vero qui peccant contra essentiam Matrimonij in eodem debent puniri: vnde & iste qui sua viuente, cum alia contrahit, mortua prima, cogitur remanere cum secunda, si ipsa velit; tunc enim primus consensus habet effectum: Si vero ipsa non vult, non est Matrimonium.

Tria solum crimina contractum matrimonium dirimunt.

De dispari cultu.

Cap. LXXXII.

DE dispari cultu distingue, quòd aut fidelis contrahit cum infideli, Iudæo scilicet, Pagano, vel Hæretico: aut infideles inter se; aut fideles, & postea labitur alter eorum in hæresim. In primo casu nullum est matrimonium. Sponsalia tamen potest fidelis cum infideli contrahere sub conditione vt infidelis conuertatur ad fidem. In secundo casu scilicet cum coniuges sint infideles, verum est matrimonium: sed si alter conuertatur ad fidem, alter vero remaneat in Iudaismo, vel in gentilitatis errore, si infidelis non vult cohabitare fideli; vel si vult cohabitare, non tamen sine iniuria, & blasphemia nominis Christi, vel vt eum pertrahat ad infidelitatem, vel ad aliud mortale peccatum; tunc in istis tribus casibus contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa fidelem, & ideo potest contrahere cum alia. Si vero infidelis vult cohabitare fideli sine aliquo prædictorum, fidelis si vult ei cohabitare, benefacit; quia hoc monet Apostolus ad Corinthios. Si autem non vult non est compellendus, tamen illa viuente non poterit contrahere, quamdiu durat Matrimonium.

Quid si Iudæi vel Pagani contraxerunt cum consanguineis, secundum ritus suos, nunquid post conuersionem remanebunt taliter copulati? Dicas quod sic, nisi contraxerint in gradibus diuina lege prohibitis. Quod si infidelis plures habens simul vxores conuertitur, prima tantum est vxor eius: & ideo illam solam potest retinere. Quod autem dicit Apostolus, quod *si quis frater*, id est fidelis *habet vxorem in coniugio infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*; non est præceptum, sed consilium secundum glossam: posset enim eam licitè dimittere propter fornicationem spiritualẽ, sed Apostolus cõsulit non dimittere propter duo scilicet vt per virũ fidelem mulier infidelis lucrifieret; & ne gentiles propter separationem coniugij doctrinam Christi abhorrerent. Quod autem dicitur hic, *& hæc consentit habitare cum illo*, intellige cum suppletione; id est sine iniuria & blasphemia Christi, nec vt eum trahat ad infidelitatem, vel mortale peccatum; in tali enim casu debet eam dimittere, & potest etiam contrahere cum alia; quia vt dicit Ambrosius, non debetur reuerentia coniugij ei qui abhorret auctorem coniugij. Contumelia, inquit, creatoris soluit ius matrimonij circa eam quæ relinquitur, vt non possit accusari, si alij copuletur. Infidelis autem discedens, & in Deum, & in Matrimonium peccat. Itaque non est fides coniugij seruanda ei, qui ideo recessit, ne audiret nomen Christi. Si vero ambo crediderint per cognitionem Dei confirmatur coniugium. In tertio casu scilicet quando fideles contrahunt inter se & postea alter labitur in hæresim, vel etiam in infidelitatis errorem, non potest contrahere, qui relinquitur, non curando, an interuenerit carnalis copula, an non, quia Matrimonium fidelium est ratum, & ideo nullo casu superueniente potest dissolui. 1. Cor. 7. 1. Cor. 7.

Contumelia creatoris soluit ius matrimonij.

De metu vel coactione.

Cap. LXXXIII.

VBi vero metus vel coactio intercedit, non potest consensus locum habere, & per consequens nec Matrimonium. Vis est maioris rei impetus qui repelli non potest. Metus est instantis vel futuri periculi mentis trepidatio.

Quid vis. Quid metus

Coactio seu vis alia leuis, alia violenta: Leuis non excludit consensum matrimonialem: sed violenta scilicet cum quis capitur, vel trahitur inuitus, ducitur, vel ligatur. Item metus alius cadit in constantem virum, alius non, ille qui cadit in constantem virum excusat, & excludit consensum Matrimonij, vt metus mortis & corporis cruciatus. Item metus stupri & seruitutis. Istos quatuor metus duobus versibus comprehendas.

Metus cadens in constantem virum.

Excusare metus hos posse puta, quia nescis.
Stupri, siue status, verberis, atque necis.

Item nota quod talis metus caderet in vnum, qui non diceretur cadere in alium, quia non est verisimile hominem claræ dignitatis in vrbe timuisse, vel quod rex parui militis metum timeat. Item si apertissimas probationes habeat repellitur præsumptio, quæ contra eum est, & sic iudex secundum diuersitatem personarum & locorum iudicabit qualis sit metus; & iudicabit Matrimonium aliquod vel nullum. Item mulier quæ stetit per annum & dimidium cum marito, vel consensit in carnalem copulam, non debet postea audiri, si allegat metum, vel violentiam.

Clerici in quatuor minoribus ordinibus constituti, nisi sint in aliqua religione, quæ continentiam profitetur licitè possunt contrahere, si vero in sacris ordinibus, non possunt, & si contraxerint, separabuntur.

Clerici in quatuor minoribus constituti possunt contrahere matrimonium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ligatione, & publica honeſtate.

Cap. LXXXIV.

NVnquam verò alligatus vxori poteſt, vel potuit aliam ducere, niſi cui diuina reuelatione, & inſtinctu Spirituſſancti reuelatum fuerit, ſicut Patriarchis. Tamen ſi vxor credit virum mortuum, & contrahit cum alio, dic quod quamdiu ita credit, nec ille reuertitur; excuſatur ab adulterio, & fornicatione, propter ignorantiam facti. Et filij (ſi quos ex ſecundo concepit) iudicantur legitimi, ſed ſtatim cum reuertitur primus, debet recedere à ſecundo, & redire ad primum. Quod ſi non reuertitur, credit tamen eum viuere, non exigat debitum à Marito, quem accepit, ſed ei exigenti, reddat.

Sed pone, quod vir iuit in exercitum contra Saracenos, vel in regionem longinquam, & non reuertitur, ac neſcitur vtrum ſit mortuus vel viuus, quid faciet vxor? Dic quòd quantumcumque iuuencula ſit, contrahere non poteſt donec ſit certa de morte mariti.

Sed qualiter certificabitur? Reſpondeo per iuramentum illius ſub quo militauit, vel etiam ſociorum, qui mortem eius bene nouerunt.

1.Cor.7. Cum autem dicit Apoſtolus *mortuo viro, liberata ſit à lege viri*, videtur quòd vxor Lazari non tenebatur ei, quando fuit reſuſcitatus. Sed contra ad Hebræos 11. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Reſpondeo non tenebantur, quia in morte ſolutum fuit vinculum Matrimonij. Quod autem dicitur *acceperunt &c.* Hoc factum eſt de honeſtate, non de neceſſitate, & oportebat interuenire nouum conſenſum, & ſic nouum erat Matrimonium. Sec ſecundum hoc videtur, quòd ſi aliquis religioſus, qui fecit profeſſionem vſque ad mortem, ſuſcitaretur; à profeſſione ſolueretur: & poſſet manere in ſæculo contra donum gratiæ quod debet prouocare in melius. Reſpondeo non eſt ſimile, quia vinculum Matrimonij eſt ad homines, ſed vinculum profeſſionis, ad Deum: eſt enim ſpiritus creati ad increatum, & quia extrema indiſſolubilia ſunt, ideo & vinculum indiſſolubile, vnde tenetur ad iſtud Religioſus quamdiu poteſt. Publicæ honeſtatis iuſtitia contrahitur ex deſponſatione, puta ſi aliquis deſponſauit puellam ſeptem annorum, vel vltra; & licet eam non cognoſcat, tamen nullus de conſanguinitate eius poterit eam habere in vxorem, nec ipſa aliquam eius conſanguineam.

De affinitate.

Cap. LXXXV.

Quid affinitas. *AFfinitas eſt proximitas perſonarum, ex carnali copula veniens omni carens parentela.* Ex copula carnali ideo dixi, quoniam tam per fornicariam copulam, quam per legitimam, contrahitur affinitas. Ex perſona igitur addita conſanguinitati per carnis copulam contrahitur, quia omnes mariti conſanguinearum mearum ſunt mihi affines in illis gradibus, in quibus vxores eorum attinent mihi. Nam ſi qua mihi eſt in ſecundo gradu conſanguinitatis, maritus eius eſt in primo gradu affinitatis; ſic & in ſecundo gradu, & ſic de cæteris; quoniam gradus computantur inter affines reſpectu conſanguinitatis tantum. Et quod dictum eſt de maritis conſanguinearum mearum, idem per omnia intelligas de vxoribus conſanguineorum; quia ego ſimiliter ſum affinis eis in eiſdem gradibus. Item omnes conſanguinei vxoris meæ ſunt mihi affines in eiſdem gradibus, in quibus ſunt conſanguinei vxoris: & omnes mei conſanguinei ſimili modo ſunt affines vxoris meæ in eiſdem gradibus in quibus ſunt mihi conſanguinei. Habebat autem olim prohibitionem vſque ad ſeptimum gradum, hodie vero vſque ad quartum gradum incluſiuè ſicut ipſa conſanguinitas.

Nota quod ſi perſona, quæ tibi eſt affinis *per appoſitionem* generat filium de conſanguineo tuo, filius ille eſt tibi conſanguineus, & non affinis. Si vero de extraneo nihil tibi attinebit. *Per appoſitionem* tibi ideo dixi, quoniam ſi tibi eſt aliquis affinis *per appoſitionem tui*, id eſt quod tu appoſitus ſis conſanguinitati eius, ſi generat filium, ille erit tibi affinis, ſicut parens ſuus, ſed in alio gradu. Item nota, quòd licet moriatur conſanguineus, quo mediante contrahitur affinitas, perſona quæ ſuperuiuit remanet affinis. Item contrahitur affinitas, vt dictum eſt, non ſolum per matrimonium, ſed etiam per fornicarium coitum, dum tamen ordine naturæ; ſecus autem ſi extra ordinem, hoc eſt extra, vel circa vas debitum aliquis polluerit aliquam, quia talis pollutio, nec facit ſanguinis commixtionem, nec carnis vnitatem, per quam contrahitur affinitas. Idem credo ſi inuaſit clauſtrum pudoris, non tamen peruenit ad conſummationem operis.

De impotentia coeundi.

Cap. LXXXVI.

Impoſſibilitas coeundi ex ſua natura impedit matrimonium. INter impedimenta matrimonij *impoſſibilitas coeundi* maximum obtinet locum; quoniam ex ſui natura potius quam ex conſtitutione Eccleſiæ impedit matrimoninm; & eſt vitium animi, vel corporis, vel vtriuſque; quo quis impeditur alij carnaliter commiſceri. Species eius ſunt plures. Nam alia eſt naturalis impotentia, vt frigiditas in viro, & arctatio in muliere, defectus ætatis in puero; alia accidentalis vt caſtratio, maleficium. Item naturalis, alia temporalis, alia perpetua. Temporalis, quæ eſt in puero impedit, quia quamdiu ineſt ei non poteſt contrahere. Perpetua vero eſt quæ eſt in frigido, quæ impedit contrahendum & dirimit iam contractum.

De coarctatione mulieris dic: quod licet ſit à natura, ſi tamen poteſt ei ſubueniri beneficio medicinæ, vel per aſſiduum vſum cum homine conuenientis ſtaturæ, non impedit matrimonium; aliter autem & impedit, & dirimit. De accidentali dicendum, quod caſtrati qui inepti ſunt ad reddendum debitum, contrahere non poſſunt, ſicut nec pueri; & ſi contraxerint diuidendi ſunt.

Maleficium, ſi ſit temporale, nullum præſtat impedimentum matrimonio; ſi vero perpetuum impedit & dirimit. Frigidus quidem nullam poteſt cognoſcere, nec mouetur ad voluntatem coeundi, ſed maleficiatus poteſt alias cognoſcere præter illã, cũ qua maleficiatus eſt. Et ideo cum celebratur diuortium ratione frigiditatis, non datur licentia viro, quòd ducat aliam; & ſi duxerit, ſeparatur ſecundum matrimonium, & reſtituitur primum, quoniam apparet deceptam fuiſſe Eccleſiam. Idem eſt ſi ſeparatur propter arctationem mulieris, & ipſa nubit alij. Si vero propter maleficium ſeparantur, vtrique datur licentia nubendi. Si autem mulier proclamat, & dicit quod vir eam cognoſcere non poteſt, & vir dicit quod ſic, & iuramento firmauerit, quod eam cognouerit, ſtandum eſt iuramento viri, quia caput eſt mulieris, niſi mulier oſtendat ſe virginem per aſpectum corporis. Porro deficientibus probationibus etſi ambo coniuges profiterentur contra, matrimonium non eſſet propter hoc ab Eccleſia ſeparandum, tum quia nonnulli inter ſe contra matrimonium vellent colludere ſi ſuæ confeſſioni crederent eſſe ſtandum; tum propter fauorem matrimonij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De his quæ Matrimonium impediunt, ſed contractum non dirimunt.

Cap. LXXXVII.

OMnia vero impedimenta ſuperius numerata antequam matrimonium contrahatur interuenientia, ſeruatis diſtinctionibus ſuper quolibet impedimento pertractis, impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum. Sed ſi poſtea conſequantur non impediunt nec dirimunt. Cætera vero impediunt contrahendum, ſed non dirimunt iam contractum: quæ ſunt tempus feriarum, & interdictum Eccleſiæ. In tempore quidem feriarum contrahi poſſunt ſponſalia, & etiam Matrimonium ſolo conſenſu: ſed traductio vxoris, nuptiarum ſolemnitas, & carnalis copula prohibentur. Tempus illud taxatum eſt ab aduentu Domini vſque ad octauas Epiphaniæ: & à 70. vſque ad octauas paſchæ, & tribus ſeptimanis ante feſtum beati Ioannis Baptiſtæ. De quibus determinatum eſt hodie quod incipiunt tribus diebus ante Aſcenſionem, & protenduntur vſque ad octauam Pentecoſtes.

Sequitur de interdicto Eccleſiæ ſcilicet quandò aliquis prohibetur contrahere cum aliqua, quia forte dicitur eius conſanguinea, vel affinis, vel ſponſa alterius, vel propter aliud. Illi quorum Matrimonium interdicitur, non debent contrahere, ſed ſi contrahunt, niſi aliud impedimentum perpetuum impediat, poſſunt ſimul permanere, & non ſunt ſeparandi, niſi ad tempus vt agant pœnitentiam, quia mandatum Eccleſiæ contempſerunt. Sane vt diuerſa circa Matrimonium pericula euitentur, ſtatutum fuit in concilio generali, vt cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per præſbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, vt infra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi præſbyteri nihilominus inueſtigent vtrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem apparuerit probabilis coniectura cõtra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſſe: donec quid fieri debeat ſuper hoc, manifeſtis conſtiterit documentis.

De diuortio.

Cap. LXXXVIII.

NEc vero coniunctio nec ſeparatio Matrimonij facienda eſt, niſi aliquibus agentibus, & teſtificantibus. Notandum vero quod ſi aliquis confeſſus fuerit in iudicio quod actor proponit, ſtandum eſt confeſſioni eius, niſi per confeſſionem illam fieret præiudicium Matrimonio: de quo agitur: vel etiam alteri Matrimonio, timetur enim colludium. Si vero interrogatus in iure negat, quod proponitur, probare debet qui proponit: & ſi non probat, ſuccumbit. Item ad omnia quis reſtituendus eſt, de quibus probauit ſe ſpoliatum. Item ſi mulier dicat ſe habere virum ſuſpectum, quod eam lædat, & veriſimilem cauſam ſuſpicionis oſtendat, ad officium Iudicis ſpectat iubere cauere ſibi, ſufficienti cautione, quod Maritus tractabit eam in lecto, & in menſa, & in omnibus ſicut vir tractare debet vxorem: & quod non lædat eam in perſona, vel in rebus, nec aliquo modo dehoneſtabit eam, ſalua tamen correctione honeſta maritali: & ſi mulier non confidit de iuramento viri, cautionem debet præſtare quam magis timet ſcilicet pignoratitiam, vel fideiuſſoriam ſub pœna promiſſa. Quilibet poteſt accuſare Matrimonium ad plenũ diuortium celebrandum, qui non prohibetur. Cum autem iam vſque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ ſit reſtricta, ſiquis coutra prohibitionem huiuſmodi præſumpſerit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporis non minuat peccatum, ſed augeat.

Maritus poteſt accuſare & dimittere vxorem propter fornicationem & econuerſo: iſta cauſa extenditur ad fornicationis ſuſpicionem & violentiam, verbi gratia: Si probatum eſt quod fuerit ſolus cum ſola, nudus cum nuda, in eodem loco iacens, & hora ſecreta. Item credo quod extenditur ad crimen ſodomiticum. Intelligẽdum eſt etiam idem de ſpirituali fornicatione, ſed propter carnalem ſemel commiſſam poteſt vir dimittere vxorẽ, & vxor virum, propter ſpiritualem vero non poteſt, ſi velit ſe corrigere.

Sunt tamen quidam caſus in quibus adultera non poteſt accuſari a viro. Primus, ſi & ipſe conuincitur fornicari: Secundus ſi ipſe proſtituit eam: Tertius cum ipſa credebat virum defunctum, & nupſit alij: nam maritus rediens tenetur eam recipere non obſtante tali adulterio, nec ſteterit ſcienter cum ſecundo marito, poſtquam primus venit: Quartus, ſi cognita fuerit latenter ab aliquo, quem credebat eſſe proprium virum: Quintus eſt, ſi fuerit vi oppreſſa, hoc autem intelligo de vi abſoluta: Sextus eſt, quando reconciliauit eam ſibi poſt adulterium commiſſum, vel eam publice adulterantem retinet in conſortio maritali: Septimus eſt quod ſi aliquis infidelis coniugem infidelem dimittat, dato ſibi libello repudij, & illa nubat alij ſecundum ritum ſuum, ſi ipſe conuertatur ad fidem, & ipſe tenetur eam recipere non obſtante quod ab alio ſit cognita: cui ſe coniunxerit, niſi aliter fuerit fornicata. Effectus huius accuſationis eſt, quod ſi maritus probat quod intendit, vel mulier hoc confiteatur, niſi mulier replicet contra eum aliquem de prædictis 7. caſibus, abſoluitur ab eius cohabitatione, & ſeruitute, qua ſibi tenebatur: & habitum religionis ea inuita ſumere poteſt, & in ſæculo ſine ea viuere poteſt, ſed tamen continere tenetur, quamdiu illa viuit.

Adultera nõ poteſt accuſari à viro in ſeptem caſibus.

De filiis legitimis & illegitimis.

Cap. LXXXIX.

LEgitimus filius eſt, qui de legitimo Matrimonio natus eſt, vel de eo, quod in facie eccleſiæ legitimum reputatur: quamuis in veritate Matrimonium non fuerit, quando ſcilicet ambo coniuncti ſunt bona fide, credentes ſe legitime copulatos, dummodo alter eorum tantum hoc credat. Nam ſi mulier alicui coniugato nubat, bona fide credens eum ſolutum, & ex eo filios ſuſcipiat, legitimi iudicantur, & vtrique parenti ſuccedunt. Si quis autem clandeſtina, vel interdicta coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter: ſoboles de tali coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſenda eſt: de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima eſt cenſenda, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, etiamſi in conſpectu Eccleſię contrahere præſumpſerunt. Item nota quod quadruplex eſt ſtatus filiorum: alii ſunt naturales, & legitimi, vt ſunt illi qui de vxoribus procreantur: alii naturales tantum, vt filij concubinæ ſcilicet qui de ſoluto, & ſoluta naſcuntur, quæ poſſet eſſe vxor: alij ſunt legitimi tantum, vt adoptiui: alij nec legitimi, nec naturales: qui ſpurij dicuntur, vt iſti, qui de adulterio vel incæſtu nati ſunt.

Sequitur qualiter non legitimi legitimantur. Primus modus eſt per ſubſequens Matrimonium: nam ſi quis habet naturales filios de aliqua, & poſtea contrahit cum ipſa, filij iam nati legitimãtur: ſed ſi ſpurios habet ex ea, non efficiuntur legitimi. Secundus fit per ſpecialem indulgentiam Domini Papæ: Hi duo modi, ſecundum canones, reperiuntur: ſequuntur & alij quidam ſecundum leges. Vnus eſt, ſi Pater offerat filiũ naturalem curiæ Imperatoris, & fiat curialis. Secundus, ſi Pater decedens in teſtamento eum nominet legitimũ hæredem,

Legitimus filius quis?

Illegitimus filius quis?

Quadruplex ſtatus filiorũ.

Illegitimi quomodo legitimantur?

& ipse postea offerat principi testamentum. Tertius si nullo Filio legitimo existente, Patreque defuncto, ipse naturalis Filius seipsum offert. Quartus si Pater in publico instrumento, vel cum trium testium suscriptione scripto eum nominet *Filium*, nec adiecerit *naturalem*. Prodest autem Filios esse legitimos, quia succedunt in omnibus bonis parentum. Naturales autem filij in sexta parte hæreditatis Patris succedere possunt, spurij vero, & qui ex dãnato coitu sunt, omni prorsus beneficio excluduntur.

Hæc de sacramentis veteris ac nouæ legis propter illam Iacobi sententiam, *qua legalia reuocata sunt*, breuiter huic historiæ interseruimus, nunc ad ipsam historiam redeamus.

De epistola Apostolorum & chronica annorum Petri, & Pauli.

Cap. XC.

Comestor cap. 79. Placuit igitur consilium Iacobi Apostolis, & senioribus, & communi consensu elegerunt viros, per quos mitterent epistolam cum Paulo, & Barnaba: Iudam scilicet & Silam. Cumque descendissent Antiochiam, congregata multitudine tradiderunt eis epistolam, & audita consolatione de iugo legis non imponendo sibi, gauisi sunt fratres de gentibus. *Act.15.* *Comestor cap. 81.* Non est autem hic prætereundum quod de præfato ascensu suo in Hierusalem pro dirimenda lite prętexata, scribit Apostolus ad Galatas in hunc modum. *Deinde post annos* 14. scilicet à conuersione mea, *ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito, & contuli cum eis*, scilicet Apostolis, *euangelium, quod prædico in gentibus.* *Galat .2.* Ex quo annorum numero colligitur, quia eodem anno quo Paulus ascendit Hierosolymam scilicet 14. à conuersione sua, Petrus ascendit Romam, & eodem anno sedit in cathedra Episcopali, in qua sedit 25. annis; 14. vero & 25. 39. reddunt. Vicesimo autem quinto anno à promotione beati Petri in sedem Romanam scilicet vltimo anno Neronis passi sunt Petrus & Paulus: & sic 39. à conuersione Pauli. Vnde colligitur Paulum ad fidem conuersum eodem anno quo passus est Dominus, cum constet Petrum & Paulum * 39. anno à passione Domini qui fuit vltimus Neronis, passos esse martyrium: si autem quandoque legatur Paulus conuersus ad fidem secundo anno à passione Domini: intelligendum est de secundo emergenti non tamen eodem vsuali, sicut alibi determinatum est. Quartodecimo ergo anno à passione Domini scilicet quarto anno Claudij ascendit Petrus Romam, & sedit in cathedra Episcopali 10. annis sub Claudio, qui regnauit 14. annis, & Nero post eum totidem annis. Primo quidem sedit Antiochiæ 7. annis in sede Episcopali, quod necessario de 7. illorum 14. oportet intelligi, qui à passione Domini fluxerunt vsque ad eius promotionem in sedem Romanam. Post septem autem annos quibus sedit in sede Antiochena consilio Domini de Hierosolyma ascendit Romam, sed in ascẽsu transiit per Antiochiam, vt confirmaret subditos suos in fide & vt habetur in chronicis substituit * Euodium in sede Antiochena.

* *Baronius in annotationibus super Martyrolog. ait eosdem Christi martyres & Apostolos subiisse martyriũ anno à Christo Domino secundum veriorẽ supputationẽ 69.*

* *Vide notationes Baronij super Martyrolog. 6. Maij.*

De hoc quod Paulus Petrum corripuit.

Cap. XCI.

IN transitu per Antiochiam redargutus est à Paulo Petrus: quia comedens cum quibusdam fratribus de Iudæa, timens eos molestare, discernebat cibos, & ita gentes cogebat exemplo suo Iudaizare.

Author. In hac autem reprehensione (secundum glossam Augustini) commendatur firmitas, & charitas, & humilitas Petri: qui cum primus Pastor Ecclesiæ à Domino institutus sit, talem obiurgationem à posteriore pastore scilicet Paulo pro salute gregis libenter sustinuit: & in hoc exemplum posteris præbuit. Laus itaque iustæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro enituit.

Firmitas, charitas, & humilitas Petri.

De hac autem reprehensione dissentiunt Augustinus & Hieronymus: sicut & de legalium post Christum obseruatione: Hieronymus enim dicit legalia post resurrectionem Christi, non debuisse ab aliquo obseruari, sed Petrum inuitum hoc fecisse, ne Iudæos amitteret: nec in hoc dicit eum peccasse, quia bona intentione hoc agebat: licet illi peccarent: qui quasi eius exemplo Iudaizabant: nec veram fuisse reprehensionem illam, sed simulatoriam, & dispensatoriam scilicet vt per hoc scirent gentes, non esse iudaizandum: videntes tantum Apostolum in hoc reprehendi. Augustinus autem dicit Petrum seruasse legalia illa, non dispensatorie sed vere & libere, quia tam sibi, quam aliis conuersis ex Iudæis licebat ea tunc seruare, ita tamen vt spem in eis non ponerent. Distinguit enim triplicem statum legalium: *Triplex status legaliũ.* Vnum in quo fuerunt quasi viua scilicet ante passionem Domini: tunc enim omnes Iudæi tenebantur ea seruare ex præcepto. Secundum in quo fuerunt quasi mortua, sed nondum sepulta scilicet à passione Domini, ex quo dictum est à Domino. *Consummatum est* vsque ad *Ioan.19.* fidei manifestam reuelationem: hoc enim tempore permissum erat ea obseruare Iudæis, quia Mater mortua, erat cum honore ad tumulum reducenda, & sepelienda: non tamen erant sub præcepto: nec iam aliqua veritas futura subesse credebatur quia iam erat exhibita. Tertium in quo fuerunt mortua, & sepulta scilicet post fidem reuelatam: ex tunc enim neque præcepta sunt, neque permissa, sed omnino prohibita, ne cineres matris sepultæ de tumulo eruantur, quod esset fædum & horribile. Quod ergo Petrus *habuit discretionem in cibis,* *Gal.2.* nõ fecit dispensatiue secundum Augustinum, quia hoc licebat ei simpliciter tunc, & etiam omnibus Iudæis cõuersis. Similiter illa reprehensio Petri secundum Augustinum non fuit dispensatoria, sed vera. Peccabat enim Petrus, incaute vitando minus scandalum & dimittẽdo maius: & dicitur quod peccauit venialiter scilicet ex ignorantia, quia simplici intentione hoc agebat. Videtur autem Aug. verius sentire quam Hieronymus ad minus de hac reprehensione scilicet quod fuerit vera: non simulatoria, nec dispẽsatoria: hoc enim dicit textus aperte, *quod reprehensibilis erat*, & quod non ambulabat ad ve- *Gal. 2.* ritatem euangelij: nec credendum est hic aliquo modo Apostolum mentitum fuisse: maxime cum in doctrina religionis secundum Augustinum nullo modo mentiẽdum sit

De euangelio Petri quod Marcus conscripsit.

Cap. XCII.

EVsebius in historia ecclesiastica lib. 2. cap. 5. Igitur cum Romanæ vrbi clarum verbi Dei lumẽ fuisset exortum, Simonis Magi tenebræ cũ suo auctore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis & lucis, quæ per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita vt quotidie audientibus eum, nulla vnquam satietas fieret. Vnde nec auditio eius sola sufficit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exoraue- *Marcus Euangelista suum Romæ scripsit Euãgelium.* runt, vti ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commotionem habendam scripturæ traderet, quo domi foriſque in huiusmodi verbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt, quam quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur euangeliũ. Petrus vero, vt per Spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus, fidem eorũ per hoc deuotionemque considerans, factumque confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam Ecclesiis tradidit.

Hieronymus in lib. de illustribus viris. Assumpto itaque Marcus euãgelio, quod ipse cõfecerat, perrexit ad Ægyptũ, & primus Alexandriæ Christũ annuncians, cõstituit

Ecclesiam

Ecclesiam tantæ doctrinæ, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ, primam ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit: & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia: sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit.

De Romanis Pontificibus à Petro vsque ad Siluestrum.

Cap. XCIII.

Numerus Pontificum. *Beatus Petrus.* EX *chronicis Romanorum Pontificum.* Petrus igitur Apostolus filius Ioannis de Bethsaida Galileæ, post passionem Domini ante episcopatũ sedit Ecclesiæ princeps annis quatuor: postea tenuit episcopatum Antiochiæ, septem annis. Deinde venit Romã, ibique 25. annis Põtificatũ tenuit, & Papa esse cæpit, anno Domini 45. Sedit autem imperante Tiberio, post Caio Caligula, post Claudio, post Nerone, sub quo Martyrium passus est.

Linus. Linus cæpit anno Domini 70. sedit annis 12. imperante Galba, post Vespasiano, post Tito.

Cletus. Cletus cæpit anno Domini 82. sedit annis 12. imperante Domitiano.

Clemens. Clemens cæpit anno Domini 94. sedit annis 9. imperante Domitiano, post Nerua.

Anacletus. Anacletus cæpit anno Domini 103. sedit annis nouem imperante Traiano. De isto tacet Eusebius in chronicis, & dicit quod Anacletus ipse est Cletus: sed Damasus Papa in chronica Romanorum Pontificũ, quam scribit Hieronymo, ponit eos pro duobus, & dicit quod Cletus fuit natione Romanus, Anacletus autem Græcus. Non solum autem in hoc, sed etiam in aliis pluribus chronica Eusebij ab aliorum chronicis videtur dissonare.

Euaristus sedit annis nouem.
Alexander annis 10.
Xixtus 10.
Telesforus 11.
Hyginus 4.
Pius 11.
Anicetus 11.
Sother 9.
Eleutherius 15.
Victor 10.
Zephyrinus 8.
Calixtus 6.
Vrbanus 4.
Pontianus 6.
Anterus mense vno.
Fabianus 14.
Cornelius. 2.
Lucius 3.
Stephanus 7.
Xistus 2.
Dionysius 6.
Felix 3.
Eutychianus 1.
Caius 11.

Marcellinus 8. Quo Martyrium passo inter persecutiones Diocletiani & Maximiniani vacauit Pontificatus annis septem.

Postea sedit Marcellus annis quinque.
Eusebius septem.
Miltiades 4.

Syluester 23. Hic Constantinum Imperatorem baptizauit, qui & pacem Ecclesiæ reddidit, nam antea vigente persecutione pene omnes Pontifices qui in sede Romana præfuerunt martyrium subierunt.

Cathalogus cæterorum vsque ad Innocentium quartum.

Cap. XCIV.

POst beatum Siluestrum sedit Marcus annis duobus.
Iulius 5.
Liberius 6.
Fælix 1.
Damasus 18.
Siricius 15.
Anastasius 3.
Innocentius 12.
Zosimus 1.
Bonifacius, tribus.
Cælestinus 8.
Sixtus nouem.
Leo 21.
Hilarius 6.
Simplicius 15.
Fælix 8.
Gelasius 4.
Anastasius vno.
Symmachus 16.
Hormisda 18.
Ioannes duobus.
Fælix 4.
Bonifacius 2.
Ioannes 2.
Agapitus mensibus 11.
Siluerius mensibus quinque.
Vigilius annis 7.
Pelagius quatuor.
Benedictus quatuor.
Pelagius decem.
Gregorius diaconus 13.
Sabinianus vno.
Bonifacius mensibus octo.
Bonifacius annis sex.
Deusdedit 3.
Bonifacius sex.
Honorius 12.
Seuerinus 2.
Bonifacius 5.
Ioannes vno.
Theodorus 6.
Martinus sex.
Eugenius tribus.
Vitalianus 12.
Adeodatus quatuor.
Donus 1.
Agatus duobus.
Leo, mensibus 10.
Benedictus mensibus decem.
Ioannes vno anno.
Conon mensibus 11.
Sergius annis 13.
Ioannes tribus.
Ioannes duobus.
Sisinius diebus 25.
Constantinus annis septem.
Gregorius 15.
Gregorius decem.
Zacharias decem.
Stephanus quinque.
Paulus quinque.
Stephanus quatuor.
Adrianus 23.
Leo 20.
Stephanus sex.
Paschalis septem.
Eugenius tribus.
Leo octo.

Benedictus annis duobus.
Nicolaus 9.
Adrianus quatuor.
Ioannes 10.
Martinus vno.
Adrianus vno.
Stephanus 14.
Formosus 4.
Bonifacius 12.
Stephanus vno.
Romanus mensibus 4.
Theodorus 20.diebus.
Ioannes annis duobus.
Benedictus 4.
Leo mense vno.
Christophorus mensibus 6.
Sergius annis 7.
Anastasius duobus.
Lando mensibus 4.
Ioannes annis 14.
Leo mensibus sex.
Stephanus annis 2.
Ioannes 4.
Leo 3.
Stephanus 3.
Martinus 3.
Agapytus nouem.
Ioannes 8.
Benedictus 2.
Leo vno.
Donus id est Bonifacius mense vno.
Benedictus annis 8.
Ioannes mensibus 8.
Ioannes mensibus 4.
Ioannes mensibus 10.
Gregorius anno 1.
Ioannes mensibus 10.
Siluester annis 4.
Ioannes qui vocatur Sigo mensibus quinque.
Ioannes qui vocatur Fanassus annis 1.
Sergius annis 3.
Benedictus Frater Alberici Maioris annis 11.
Ioannes frater eius nouem annis.
Benedictus qui vocatur Theophilactus 13.
Siluester Sauinensis episcopus diebus 55.
Gregorius, qui vocatur Ioannes Gratianus annis duobus.

In computatione annorũ aliquorum Pontificum valde dissentit author ab Onuphrio, Platina & aliis prout latius deducemus in sequentibus: notet tamen prudẽs lector nos secutos fuisse in hac correctione manuscrip. Vedastina Atreb.

Clemens qui vocatur Sugerius mensibus 9.
Damasus qui vocatur Popo diebus 23.
Leo sanctissimus qui vocatur Brunus annis 5.
Victor duobus.
Stephanus qui vocatur Fredericus mensibus 7.
Benedictus Belleornensis Episcopus mensibus 9.
Nicolaus qui vocatur Gerardus annis duobus.
Alexander qui vocatur Anselmus annis 11.
Gregorius qui & Hildebrandus annis 12.
Victor qui & Desiderius Cassinensis Abbas mensibus 4.
Vrbanus secundus annis 11.
Paschalis secundus annis 19.
Gelasius secundus duobus.
Calixtus secundus 5.
Honorius secundus 5.
Innocentius secundus, tribus.
Cælestinus secundus mensibus 5.
Lucius secundus mensibus 10.
Eugenius tertius 7.
Anastasius quartus, vno.
Adrianus quartus 6.
Alexander tertius 22.
Lucius tertius 4.
Vrbanus tertius vno.
Gregorius octauus, mensibus 2.
Clemens tertius annis 2.
Cælestinus tertius annis 7.
Innocentius tertius 11.
Honorius tertius 11.
Gregorius nonus, annis 14. Post hæc dissensione facta in Ecclesia Romana, vacauit sedes annis duobus: Cælestinus tertius tandem electus est senex, & infirmus, sedit diebus decem, & septem.

Author. Porro Innocentius quartus adhuc sedet in cathedra, qui iam sedit annis duobus.

Nunc ad beati Petri tempora redeamus.

De Agrippa filio Herodis Agrippæ, & dissensione Pauli & Barnabæ.

Cap. XCV.

Comestor cap. 83. Anno quo ascẽdit Petrus ab Antiochia Romam scilicet quarto anno Claudij: erat quidam procurator in Iudæa volens sibi per violentiam vsurpare potestatem cõstituendi summum Pontificem. & mutandi pro arbitrio suo. Videntes Iudæi quod non possent ei resistere, miserunt nuncios Romam. Erat igitur Agrippa filius Herodis Agrippæ quem pater decedens in manu * Caij dimiserat. Iste audiens quod causa populi sui ageretur, intercessit pro eis & obtinuit; & rescripsit Claudius procuratori, vt ab huiusmodi exactione desisteret: & Iudæi significarũt ei vt mitteret eis Agrippam, & faceret eum tanquam regem, & Dominum. Ipse autem misit eum in Iudæam non tamen reddidit ei terram patris, qui totum regnum obtinuerat, sed dedit ei Galaaditidem regionem, & potestatem constituendi summum Pontificem, vel Sacerdotem, in Hierusalem pro arbitrio suo, quam negauerat procuratori. Iste fuit Agrippa in cuius regnum de Iudæa, imminente excidio in Hierusalem, ab Angelo præmoniti fideles secesserũt: sicut habemus super Matthæum.

* *Comestor habet Claudij sed lego sic cum manuscrip.*

Sed nunc prosequamur de Paulo & Barnaba, qui adhuc demorabantur in Antiochia euangelizantes. Post aliquot dies visum eis commodum reuerti per ciuitates in quibus prædicauerant verbum Dei, & visitare fratres, & confirmare eos in fide. Barnabas quidem voluit habere in comitatu suo Ioannem, qui cognominatur Marcus: Paulus autem noluit, dicens, quod in fronte aciei constitutus, nimis tepide steterat: & quia timore mortis à prædicatione desistiterat, quando scilicet à Pamphilia descendens, reuersus est Hierusalem: ideoque non erat assumendus ad prædicationem, ne alios mãlo exemplo læderet: & facta est dissensio, ita vt discederent abinuicem. Excusant autem eos sancti, quia non dissenserunt odio commoti, sed à Spiritusancto ad hoc excitati, vt diuisi in pluribus locis prædicarent, & plures lucrifacerent. Barnabas autem assumpto Marco nauigauit Cyprum, & ex eo quidem quod noluit eum dimittere, perpenditur fuisse eius cognatus: leguntur autem fuisse Consobrini. Paulus autem profectus est, assumpto Sila, & perambulabat Siciliam & Syriam. *Act.* 15.

Postea venit in Derben & Lystram, vbi erat Christianus nomine Timotheus filius mulieris viduæ vel Iudeæ, natus de patre gentili, cui perhibebant testimonium religiosi & omnes fideles, qui erant Lystris. Hunc constituit Paulus episcopum illorum, sed circumcidit eum pro tollendo scandalo Iudæorum, ne scilicet scandalizarentur, quod haberent episcopum incircumcisum, non quod legalia post veritatem euangelij essent necessaria, paulatim tamen non subito Iudæis erant tollenda. *Act.* 16.

De

De prouinciis à quibus prohibiti ſunt à Spiritu ſancto & de Helena regina.

Cap. XCVI.

POſtea duxit ſecum Paulus Timotheum, & pertranſeuntes per ciuitates præcipiebant obſeruari decreta Apoſtolorum & Seniorum, qui erant in Hieruſalem, & Eccleſiæ confirmabantur, & multiplicabantur.

Comeſtor cap. 84. Tranſeuntes autem Phrigiam, & Galatiæ regionem, volentes ire in Aſiam minorem, prohibiti ſunt à Spiritu ſancto, qui ſciebat corda hominum, quod tunc non eſſent crediturí. Noluit ergo Spiritus ſanctus *ſanctum dare canibus*, & impios de contemptu prædicationis grauius damnari: voluit etiam has prouincias Apoſtolis reſeruari. Philippus namque & Ioannes prædicauerunt in Aſia minori: Lucas in Bithinia, à qua ſimiliter à ſpiritu ſancto ſunt prohibiti & ita duæ cauſæ redduntur quare prohibiti ſunt, vel ne ſanctum daretur canibus, vel quia deſtinati erant aliis Apoſtolis à Spiritu ſancto. Origenes etiam reddit tertiam cauſam: Dicit enim, quia Deus prouidens ſeruis alimoniam corporalem, ab huiuſmodi prouinciis diſcipulos prohibuit propter illam, ſcilicet maximam famem, in qua Helena ſuſtẽtauit fratres pauperes, qui erãt in Hieruſalem, quæ facta eſt quarto anno Claudij. Nec fuit hæc Helena mater Conſtantini ſed regina Abigenorum, cuius amore captus Rex Abigenorum duxit eam in vxorem, & concepit ex ea: & cum nocte dormiret cum ea, & poſuiſſet manum ſuam ſuper vterum prægnantis, à Deo audita eſt vox in hunc modum: Vide ne lædatis puerum, quia magnus futurus eſt in mundo. Qui natus & diligenter nutritus mortuo patre, adhuc Puer factus eſt Rex, & commendatur in multis, quoniam audiens vnum Deum coli à Iudæis, coluit eundem, & ſuſcepit circumciſionem, & ritus Iudæorum. Huius mater Helena veniens Hieruſalem inuenit fratres fideles inedia laborantes, quoniam erat tempus famis: & emit granum vndequaque quia attulerat argenti copiam ad emendum, & ſuſtentauit eos. Quæ cum adhuc eſſet in Iudæa, nunciatum eſt ei, quod filius eius mortuus eſſet: & ſtatim rediit & fecit extrahi cadauer filij de ſepulchro, & portauit in Iudæam: Et fecit non longe à Hieruſalem extrui duo mauſeola. In altero repoſuit corpus filij, & præcepit, vt cum mortua eſſet in altero corpus ſuum reponeretur, & ſic factum eſt, & adhuc apparent veſtigia mauſeolorum: & putant multi decepti, eſſe mauſeolum Helenæ matris Cõſtantini.

De tranſitu Pauli in Macedoniam.

Cap. XCVII.

Act. 16. CVm autem pertranſiſſent Myſiam Paulus & ſocij eius venerunt Troadem, & oſtenſa eſt Paulo viſio per noctem. Apparuit enim ei vir Macedo id eſt Angelus illius gentis aſſimilatus viro Macedoni proprietate linguæ vel formæ ſpeciali ſtans & deprecans eum dicens: *Tranſiens in Macedoniam adiuua nos*: hoc ait Angelus aſſumpta perſona Macedonum. Vt autem viſum vidimus, ſtatim quæſiuimus (ait Lucas) illic proficiſci. Hic enim primo oſtendit Lucas ſe comitem fuiſſe Pauli, & forte nunc primo adhæſit ei. Nauigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Philippos, quæ eſt prima ciuitas Macedoniæ, quæ venientibus à mari prima occurrit. Fuimus autem ibi per dies aliquot. Et exeuntibus nobis ad orationem obuiauit quædam puella habens ſpiritum Pythonicum, quæſtuoſa Dominis ſuis, quia multum percipiebant emolumentum ex diuinatione eius: & hæc ſubſecuta, clamabat dicens: *Iſti homines ſerui ſunt excelſi Dei, qui annunciant nobis viam ſalutis*: & ſic clamabat multis diebus, forte Spiritu ſancto ſpiritum Pythonicum (vt per eam verũ loqueretur) vrgente. Conuerſus autem Paulus expulit eum de puella. Videntes autem hoc Domini eius apprehenderunt Silam & Paulum, & offerentes eos magiſtratibus dixerunt: *Iſti conturbant ciuitatem noſtram cum ſint Iudæi, prædicantes quandam nouam religionem quam non licet nobis ſuſcipere, cum ſimus Romani.* Iam enim decretum erat à Romanis, vt nullus de nouo Deus coleretur niſi approbante ſenatu: & cucurrit aduerſus eos magiſtratus, ſciſſiſque eorum tunicis flagellatos miſerunt in carcerem. Sed per Dei prouidentiam liberati ſunt, & cuſtodem carceris cum omni domo ſua conuerterunt, ſicut in Actibus plenius legitur. Et exeuntes tranſierunt per Lydiam, & viſis fratribus conſolati ſunt eos. *Act. ibid.*

Act. 17. Et inde profecti venerunt Theſſalonicam: ibique conuerſi ſunt de Iudæis & gentilibus multitudo magna. Zelantes autem Iudæi, & aſſumentes quoſdam malos de vulgo, concitauerunt ciuitatem aduerſus eos, fratres vero per noctem dimiſerunt Paulum & Silam in Beræam, & multi de Beræenſibus crediderunt. Audientes Iudæi, qui erant Theſſalonicæ, quod à Paulo prædicaretur in Beræa venerunt illuc concitantes multitudinem, & ſtatim fratres Paulum dimiſerunt, vt iret vſque ad Athenas.

De conuerſione Athenienſium.

Cap. XCVIII.

IBi diſputabant cum Paulo Epicurei, qui ponebant fælicitatem hominis in ſola corporis voluptate, & Stoici qui in ſola animi virtute. Itaque inter ſe diſſentientes in impugnatione Apoſtoli vnanimiter conſentiebant; & apprehenſum deduxerunt ad Areopagum id eſt ad vicum Martis, in quo erat templum Martis, quoniam Athenienſes ſingulos vicos denominauerant à Dijs, quos ibi colebant, & Arioth, dicitur Mars: Erat autem vicus excellentior Ariopagus, quoniam erat ibi curia magiſtratuum, & ſchola liberalium artium. Stans ergo Paulus in medio Ariopagi dixit: Viri Athenienſes per omnia vos iudico ſuperſtitioſos. Præteriens enim *Act. 17.* & videns ſimulachra veſtra inter cætera aram, cuius ſuperſcriptio erat hæc, IGNOTO DEO. Singulis enim aris ſuperponebatur titulus indicans, cui eſſent dedicatæ; hunc, inquit, Deum ignotum ego annuncio vobis, hic eſt Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quomodo autem *Act. ibid.* hæc ara illi Deo conſecrata eſt, noſtrum eſt ſupplere. Die enim Dominicæ paſſionis vidẽtes Philoſophi, qui Athenis erant, tenebras factas ſuper vniuerſam ſuperficiem terræ, non potuerunt cauſam earum inuenire in naturalibus cauſis. Tandem ad hoc inducti ſunt, vt dicerent quia *Deus Naturæ patitur*. Et dixerunt Athenienſes; Conſtituamus aram illi Deo: Et dedicata eſt ara, & ſuperpoſitus eſt titulus IGNOTO DEO. Et cum vellent offerre holocauſta & victimas illi IGNOTO DEO, dixerunt Philoſophi, Bonorum noſtrorum non eget, ſed facietis genuflexiones ante ipſius aram, & ſupplicabitis ei, quia non quærit oblationem pecorum; ſed deuotionem animarum, hunc Deum ignotum annunciabat eis Paulus, aſſerens eum mortuum fuiſſe, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cælum, in fine, orbem iudicaturum. Et cum prędicaret reſurrectionem mortuorum, quidam irridebant, quidam vero dicebant: Audiemus te de hoc iterum: quidam autem adhærentes ei crediderunt.

Lucas comes fuit Pauli.

Act. 16.

De conuersione sancti Dionysij, & libris eius.

Cap. XCIX.

INter hos etiam fuit Areopagita Dionysius. Nam dum adhuc disceptarent, forte transiit cæcus coram eis: & ait Dionysius Paulo: Si dixeris huic, in nomine Dei tui vide, & viderit: statim credam. Sed ne vtaris verbis magicis, ego tibi præscribo formam verborum hanc. *In nomine Iesu Christi nati de virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit & ascendit in cælum, vide.* Vt autem tolleretur omnis suspicio præcepit Paulus Dionysio, vt ipse eadem verba proferret. Quod cum fecisset, statim cæcus vidit, & Dionysius se credere confessus est. Quem postea Paulus ordinauit episcopum Corinthiorum.

Paulus Dionysiũ Arcopagitã ad fidem conuertit.

Author. Hoc idem dicit Beda, sed alij verius dicunt quod Athenienſium: nam alius fuit Corinthiorum vt postea patebit. Iste ergo Dionysius ex Philosopho Christianus effectus est, & Paulum super astra secutus: audiuit & ipse de cælestibus arcana verba, silentioque proxima, quæ nobis in quatuor libris reliquit scripta. Primus liber Dionysij qui de cæleſti Hierarchia inscribitur, diuiditur in trinas cælestium virtutum dispositiones. Prima itaque Hierarchia continet Cherubin: Seraphin, Thronos. Secunda Dominationes, virtutes, potestates. Vltima Principatus, Archangelos, Angelos. Secundus, qui est de Hierarchia ecclesiastica, similiter diuiditur in tres. Prima est legalis iam præterita, quæ pertinet ad Sacerdotium veteris testamenti, quod in varijs & valde obscuris symbolis à Moyse carnali populo distributũ est. Secunda est Ecclesia noui testamenti partim symbolis visibilium sacramentorum dispositа, partim veritatis contemplatione perfecta: & est finis præteritæ, initium vero futuræ, quæ est tertia scilicet nunc inchoata ex parte in primitijs contemplationis: perficienda vero post gloriam futuræ resurrectionis, quando visibilium sacramentorum velaminibus sublatis, ipsam veritatem perspicua claritate contemplabimur. Tertius qui de diuinis nominibus vocatur diuinarum nominationum virtutes continet. Quartus inscribitur de mystica theologia.

De vltimo aduentu Pauli in Hierusalem, & vinculis eius.

Cap. C.

Author. Paulus igitur Athenis moratus est tribus mensibus & postea factis ei insidiis à Iudæis scientibus quod deferret collectas, habito consilio, vt vitaret eorum insidias non recta via iuit in Hierusalem, sed circumeundo per Macedoniam, per quam venerat quibusdam fratribus recta via præcedentibus & expectantibus eum Troadæ, donec veniret ad eos. Et illuc veniens moratus est septem diebus, vltima die, scilicet die Dominica, cum profecturus esset in crastinum disputante illo, & protrahente sermonem vsque ad mediam noctem, quidam Adolescens grauatus somno qui sedebat super fenestram cænaculi, cecidit in terram, & oblatus est Paulo mortuus, & suscitatus est ab eo. Qui transiens per diuersa loca cum fratribus venit Miletum, & ibi conuocans præsbyteros Ecclesiæ quæ erat Ephesi, fecit eis sermonẽ de cura pastorali seipsum eis proponens in exemplum humilitatis, & patientiæ, & circa subditos adhibendæ diligentiæ. Inde pertransiens plura loca nauigio, deuenit Tyrum, vbi dissuadebãt ei fratres, qui ibi erant, ne ascẽderet in Hierusalem, prædicentes spiritu prophetico quæ ei ibi debebant euenire, si ascenderet. Sed ipse nihilominus profectus à Tyro, transiit nauigio Ptolomaidam, vrbem scilicet Palestinæ cum sociis suis, & inde Cæsaream & ibi apud Philippum Diaconum manserunt diebus aliquot: cuius scilicet Philippi quatuor filiæ prophetabant Paulo, quod euenturum erat in Hierusalem: & similiter quidam propheta à Iudæa superueniens nomine Agabus. Vnde discipuli rogabant Paulum ne iret illuc, sed ipse nolens eis consentire, ascendit cum sociis suis & Iasone hospite suo de Cæsarea in Hierusalem. Cũ autem intrasset ad Iacobum, collecti sunt seniores: quibus salutatis, narrauit per singula quæ, & quanta fecerat Deus per eius ministerium. Qui cum audissent magnificabant Deum, & dixerunt Paulo: Vides frater quot millia sunt In Iudæis, qui crediderunt omnes, tamen adhuc sunt æmulatores legis, volentes pariter cum lege susceptа obseruare legalia: & audierũt de te, quod prædices abolitionem legis, vnde consulimus tibi, vt sanctifices te secũdum legem, scilicet Nazareorum cum quatuor qui habent votum super se, vt appareat sic falsa opinio, quæ increpuit de te: & statuerunt de eius consensu, vt Iudæis ad fidem conuersis non prohiberetur obseruatio legalium, ita duntaxat, vt non ponerent spem in eis.

Porro distingue quatuor synodos in primitiua Ecclesia Hierosolymis celebratas. Primam de substitutione Mathiæ loco Iudę. Secundam de electione septem Diaconorum. Tertiam qua statutum est conuersis ad fidem gentibus non esse imponendum onus legalium, cum ascenderunt Petrus & Paulus de Antiochia in Hierusalem. Quartam de qua hic agitur.

Postera die purificatus Paulus cum quatuor viris intrauit cum eis, & obtulit oblationem suam sicut & alij. Consummatis autem quinque diebus, Iudęi qui venerũt de Asia persequentes Paulum cõcitauerunt omnem populum contra eum, & illis quærentibus eum occidere, nunciatum est Tribuno cohortis scilicet Claudio Lysię, qui missus fuerat à Fælice præside: & iussit eum ligari duabus catenis, donec de causa cognouisset. Huius autẽ causæ ventilationem, & ipsius appellationem quoniam aperte satis Actuum liber prosequitur, ad præsens prætermitto, illucque lectorem remitto.

De multiplici calamitate Iudæorum.

Cap. CI.

Eusebius in historia ecclesiastica lib. 2. cap. 19. & 20. & 21. Claudio vero adhuc in imperio perdurante, in ipsa solemnitate Paschæ tanta Iudæis perturbatio & vastitas Hierosolymis accidit, ex seditione commota vt illi soli, qui in foribus templi constipatione populi necati sunt 30. millia * virorum numerabantur: & conuersus est dies festus eorum in luctum. *Sed & alia quam plura Iudæis mala irrogata, etiam Iosephus per hæc verba designat:* Inflammatur, inquit, seditio acerbissima à Pontificibus aduersum Sacerdotes & primos plebis Hierosolymorum, quorum singuli conquerentes sibimet perditorum iuuenum, & nouis rebus gaudentium manum, duces, semetipsos propriæ factionis instituebant. Qui confligentes ad inuicem, primo conuitiis lacessere, tum deinde & saxis inuicem sternere: nec quisquam erat, qui coerceret: sed agebantur omnia tanquam in vrbe non habente rectorem. Igitur Pontifices in tantam venere proteruiam, vt seruis suis ad areas missis, inuaderent decimas, quæ Sacerdotibus debebantur, & accidebat, vt nonnulli ex minoribus Sacerdotibus, quorum alimoniæ vi fuerant direptæ, inedia deperirent, ita seditionum violentia ius fasque confuderat. Nonnunquam vero in media ciuitate occurrentes sibi trucidabant, præcipueque in diebus festis, Sicarij plebibus admixti, occultatis pugionibus oberrantes, vt quisquam designatus eis cominus incideret perimebant. Et arte nefaria cum corruisset is, quẽ occulto vulnere strauerant: tunc idem ipsi percussores veluti indignari se simulabant aduersus eos qui hoc in media vrbe committerent, atque hoc modo occulta eorum facinora permanebant. Et primus omnium ab his Ionatas Pontifex interficitur: post illum quam plurimi iugulantur, ita vt iam ipsis mortibus esset grauior metus mortis, dum vnusquisque in procinctu semper positus, per momenta singula speraret interfici.

* *alias Iudaorum. Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 12.*

Pontifices sacerdotũ decimas inuadebant.

Ionathas cũ aliis multis interficitur.

Post

Ægyptius Pseudopropheta 30. ferme millia hominum congregat.

Post hæc interiectis quibusdam addit etiam ista : Grauius vero omni hac vastatione afflixit Iudæos Ægyptius quidam falsus propheta. Qui cum venisset ad Iudæam, homo Magus, fidem sibi prophetiæ magica arte conciuit, & continuo 30. fere millia virorum congregans, & ducens eos per desertum, peruenit cum ipsis ad montem, qui vocatur Oliueti, paratus inde irruere Hierosolymã, & in hac potestate vrbem tenere, simulque Romanorum præsidia ac plebem tyrannidi suæ subiugare, fretus per omnia his quos secum eduxerat satellitibus. Sed conatus eius præuenit Fælix, confestimque cum armatis obuiam pergens, secum etiam plebe reliqua conspirante, congressione facta, Ægyptium quidem cum paucis in fugam vertit. Peremptis vero aliis, aliisetiam & captis, temere cæpta facile destruxit. *Hoc in secundo historiarum libro Iosephus refert capite duodecimo.*

De Seneca & libris eius ac floscvlis moralibus.

Cap. CII.

Seneca.

Libri Seneca.

Author. Porro Claudius (vt in chronicis legitur) anno ætatis suæ 64. in palatio moritur. De cuius scilicet morte Seneca successoris eius Neronis præceptor eleganti metro lusisse reperitur.

Præter hunc autem librum, qui dicitur ludus Senecæ de morte Claudij : scripsit etiam idem Seneca libros morales perutiles.

Ad Ebucium liberalem de beneficiis libros 7.

Ad Neronem de clementia libros 2.

Ad Paulum vero de quatuor virtutibus librum vnum.

Scripsit quoque libros de moribus, & librum de remediis fortuitorum : libros quoque de immatura morte.

De causis naturalibus siue quæstionibus libros 7.

Libros quoque declamationum 5.

De sententiis diuersorum oratorum librum 1.

Tragedias quoque decem.

Epistolas autem ad Lucium Balbum plurimas, & ad Paulum Apostolum nonnullas.

Ex his igitur hæc pauca hic inferere volui.

Flores morales Seneca.

Seneca in lib. de moribus.

Educatio & disciplina mores facit, & id sapit quisque quod didicit.

Bona itaque consuetudo excutiat, quod mala instruxit.

Nihil interest, quo animo facias quod vitiosum est feciſſe.

Multos vitam differentes mors incerta præuenit.

Omnis itaque dies velut vltimus ordinandus est.

Verba rebus non personis æstimanda sunt.

Oratorem te puto, si tibi ante omnes quod oportet persuaseris.

Monstro similis est auaritia senilis : quid enim stultius est, quam via deficiente, viaticum augere.

Pacem habeto cum hominibus, cum vitiis bellum.

Hoc habet omnis affectus, vt in quo ipse insanit, in idem putat omnes furere.

Nullum peccatorum tuorum conscium magis timueris, quam te ipsum : Alium enim effugere potes, te nunquam.

Vires tuas magis amici beneficiis, quam inimici iniuriis sentiant.

Alteri semper ignoscito, tibiipsi nunquam.

Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diuiti inuidiam.

Flores eiusdem de virtutibus.

Cap. CIII.

Idem in libro de quatuor virtutibus. Qui Prudentiã sequi desiderat, tunc recte viuit si omnia prius æstimet, si dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ex eorum natura constituat.

Prudentis est proprium examinare consilia, & non cito facili credulitate ad falsa prolabi.

Cogitationes vagas & velut somno similes non recipias : quibus si animum oblectaueris, cum omnia disposueris, tristis remanebis.

Parce laudã, parcius vitupera, nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, vt immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est.

Testimonium veritati non amicitiæ reddas.

Tribus temporibus animus tuus dispensetur, præsentia ordina, futura prouide, præterita recordare.

Propone animo tuo & mala futura, & bona : Illa vt sustinere possis, ista vt moderari.

Prudens nunquam ocio marcet, aliquando animum remissum habet, solutum nunquam : Tarda accelerat, perplexa expedit, dura mollit, aspera lenit, ardua execrat: ex paruis magna, ex apertis obscura, ex proximis remota æstimat.

Non te moueat dicentis auctoritas : nõ quis, sed quid dicatur, attendas : Nec quam multis, sed quibus placeas cogites.

Ne in re altiori te ponas, in qua stanti timendum, descendenti, cadendum est.

Scito honestũ & magnum esse vindictæ genus, ignoscere.

Eris magnanimus si pericula non appetas, vt temerarius : nec formides, vt timidus.

Timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia.

Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem: victus tibi sit ex facili: nec ad voluptatem, sed ad cibum accede: palatum tuum fames excitet, non sapores.

Desideria tua paruo redime, quia hoc tantum curare debes, vt desinant salubriter habita.

Nec Dominum velis esse notum à domo, sed domũ à Domino.

Nec paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida.

Quod si res tibi exiguæ sint, non sint tamen animo tuo angustæ.

Nec tua defleas, nec aliena miteris.

Adhuc ex eodem.

Cap. CIV.

Sermones vtiles magis, quam facetos ama.

Reprehensibilis est risus, si est immoderatus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus.

Odibilem quoque facit hominem risus, aut superbus, aut clarus, aut malignus, & furtiuus, aut malis alienis euocatus.

Non sit scurrilis, sed grata vrbanitas.

Sales tui sine dente sint, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies tibi sine desidia sit : & dum ab aliis luditur, tu aliquid sancti honestique tractaueris.

Tam tibi triste sit laudari à turpibus, quam si lauderis ob turpia.

Difficillimum cõtinentiæ opus est assentationes adulatorum repellere, quorum sermones animum quadam voluptate resoluunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nullius per aſſentationem amicitiam merearis, nec ad tuam promerendam per hanc aditum pandas.

Non ſis arrogans, non audax: ſubmittas te, nõ proiicias: grauitate ſeruata admone libenter: reprehende patienter: non acerba, ſed blanda verba timeas.

Alienorum viciorum, ne curioſus ſis explorator, nec acerbus reprehenſor, nec cum exprobratione corrector: ita vt admonitionem hilaritate præuenias.

Dicenti, eſto tacitus auditor: requirenti, facile reſpõde: contendenti, facile cede.

Omnes tibi pares feceris, ſi nec inferiores ſuperbiendo contemnas, nec ſuperiores recte viuendo timeas.

Cunctis eſto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.

Seuior eſto iudicio, quam ſermone: vita, quam vultu, nec tuæ bonæ famæ ſeminator ſis, nec inuidus alienæ.

Quæ noſti ſine arrogãtia, poſtulanti impartiaris, quod autem neſcis, ſine occulatione ignorantiæ poſtula tibi impartiri. Quid eſt iuſtitia, niſi naturæ tacita conuentio in adiutorio multorum inuenta?

Flores eiuſdem de Clementia.

Cap. CV.

† *Cap.1.* IDem *de Clementia libro primo.* † Recte factorum verus fructus feciſſe eſt, nec vllum precium virtutum dignũ illis extra ipſas eſt.

Temeritas hominum, & contumacia ſæpe tranquilliſſimis quoque pectoribus patientiam extorſit.

Nemo poteſt diu perſonam ferre fictam.

Cito in naturam ſuam facta recidunt, quibus veritas non ſupereſt: quæ autem ex ſolido naſcuntur tempore in melius proficiunt.

† *Cap.2.* † Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli: modum tenere debemus, ſed quia difficile temperamẽtum, quicquid æquo plus futurum eſt in partem humaniorem præponderet.

† *Cap.3.* † Nullum ex omnibus Clemẽtia magis, quam Regem, aut Principem decet.

† *Cap.5.* † Magnanimi proprium eſt placidum eſſe trãquillumque, & iniurias atque offenſiones deſpicere: muliebre autem litigare, & morem iræ ſuæ gerere.

† *Cap.19.* † Iracundiſſimæ ac pro corporis captu pugnatiſſimæ ſunt apes: & aculeos in vulnere relinquunt: Rex autem ipſe ſine aculeo eſt: natura ei telum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: cum tanto hominum moderatior eſſe debeat animus, quanto vehementius nocet.

Errat ſi quis exiſtimat ibi tutum eſſe regem, vbi nihil tutum eſt à rege. Securitas ſecuritate mutua paciſcenda eſt. Non eſt opus altas ædes ſtruere, & multiplicibus muris turribuſque ſepire. Saluum Regem Clementia in aperto monſtrabit. Vnum eſt inexpugnabile munimentum: Amor civivm. Quid pulchrius eſt, quam viuere cunctis optantibus.

† *Cap.20.* † Rex læſus, animum in poteſtate habeat, & pœnam, ſi tuto poterit, donet: ſi minus, temperet: longeque ſit in ſuis, quam in alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum magni animi non eſt, qui de alieno liberalis eſt, ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit: ita Clemẽtem voco non in alieno dolore facilem, ſed eum, qui cũ ſuis ſtimulis agitetur non proſilit? qui intelligit magni animi eſſe iniurias in ſumma potentia pati, nec quicquã glorioſius eſſe Principe impune læſo.

† *Cap.22.* * *grauior.* † Verecundiam peccandi facit ipſa clemẽtia regentis: & * gratior multa pœna videtur, quæ à miti viro conſtituitur.

† *Cap 24.* * *funera.* † Non minus principi turpia ſunt multa ſupplicia, quã medico multa * vulnera.

Remiſſius imperanti melius paretur. Natura enim contumax eſt animus humanus, & in contrarium, atque arduũ nitens: ſequiturque facilius, quam ducitur.

Ferina iſta rabies eſt ſanguine gaudere, ac vulneribus: & abiecto homine in ſilueſtre animal tranſire.

Idem in ſecundo libro cap.2. Malo veris offendere, quam adulando placere.

† *Cap.3. Quid clemẽtia.* † Clementia eſt temperantia animi, in poteſtate vlciſcendi: vel lenitas ſuperioris, ad inferiorem, in pœnis conſtituendis.

Flores ipſius de beneficiis.

Cap. CVI.

IDem *de beneficiis libro 1. cap.1.* Inter plura maximaq; vitia nihil eſt frequentius, quam ingratitudo animi.

Non facile dixerim, vtrum turpius ſit inficiari, an repetere beneficium.

Multos experimur ingratos, plures facimus: quia alias graues exprobatores exactoreſque ſumus, alias leues: & quos paulo poſt muneris pœniteat: alias queruli, & minima momenta calumniantes.

Omnem gratiam corrumpimus, nec tantum poſtquã beneficium dedimus, ſed etiam cum damus.

Quis enim noſtrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non, dum à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem abduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit, longis ſermonibus, & de induſtria exitum non inuenientibus occaſiones petendi abſtulit, & variis artibus petentes eluſit? In anguſto vero poſitus, vel comprehenſus, aut diſtulit, aut timide negauit, aut promiſit: ſed difficulter, ſed ſuperductis ſupercilijs, ſed malignis, & vix exeũtibus verbis. An gratus eſſe quiſquam aduerſus eum poteſt, qui beneficiũ, aut ſuperbe adiecit, aut iratus impendit, aut fatigatus, vt moleſtia careret, dedit? Qui vtique tarde fecit, diu noluit. Ita à natura comparatum eſt, vt altius iniuriæ, quam merita deſcendant: & illa cito defluant: has tenax memoria cuſtodiat.

† *Cap.3.* † Is perdidit beneficia, quæ ſe perdidiſſe cito credidit. At qui inſtat, & onerat priora ſequentibus, etiã ex duro, & immemori pectore gratiam extundit.

† *Cap.4.* † Docendi ſunt, qui libenter accipiunt libenter reddere, & eos quibus obligati ſunt, re, animoque non tantum æquare, ſed etiam vincere.

† *Cap.6.* † Beneficium eſt beneuola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo: & in id, quod facit prona, ac ſponte ſua parata. Itaque non quid detur, refert, ſed quã mẽte. Animus enim eſt, qui parua extollit, & ſordida illuſtrat: & magna precio habita dehoneſtat.

† *Cap.7.* † Nonnunquam magis nos obligat, qui parua dedit magnifice: qui regum opes æquauit animo: qui exiguum tribuit, ſed libenter: qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpicit: qui accipere ſe putauit, cum daret beneficium: qui dedit tanquam non recepturus, recepit tanquam non dediſſet. Qui occaſionẽ, qua prodeſſet, & occupauit, & quæſiuit. Econtra ingrata ſunt, licet re, & ſpecie magna videantur, quæ danti extorquẽtur, aut excidunt. Multoque gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur.

Adhuc ex eodem.

Cap. CVII.

IDem *in 2. libro cap.1.* Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. Gratiſſima ſunt beneficia, parata, occurrentia, vbi nulla interuenit mora, niſi in accipientis verecundia. Grauiſſimis viris nulla res carius conſtat, quam quæ precibus empta eſt.

† *Cap.2.* † Moleſtum verbum eſt, & oneroſum demiſſoque vultu dicendum, rogo.

Nihil acerbius eſt, quam vbi cum impetraſti rogandum eſt.

† *Cap.5.* † Æquiore animo quidam ferunt ſuam ſpem præſcidi, quam trahi. Quemadmodum acerbiſſima crudelitas eſt, quæ pœnam trahit: & miſericordiæ genus eſt cito

occidere:

occidere : quia tormentum vltimum finem ſui ſecum affert, ita maioris gratiæ munus eſt, quo minus diu pependit. Omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis cito facere.

† cap. 9. † Interdum etiam ille, qui iuuatur fallendus eſt, vt habeat, nec à quo acceperit ſciat.

† cap. 10. † Hæc inter duos beneficij lex eſt, alter ſtatim obliuiſci debet dati : alter memor eſſe accepti.

† cap. 11. † Taceat, qui beneficium dedit, narret, qui accepit. Detrahenda eſt inanis iactatio. Res loquentur nobis tacentibus.

† cap 14. † Sunt nocitura quædam nobis impetrantibus, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt. Æſtimemus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium. Sæpe enim noxia quæque concupiſcimus, nec vel deſpicere, quam pernicioſa ſint licet : quia iudicium interpellat affectus. Sed cum ſubſedit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui conſilium fugat, cecidit : deteſtamur pernicioſos malorum munerum auctores.

† cap 23. † Quidam furtiuæ gratias agunt, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed genus inficiendi. Ingratus eſt qui remotis arbitris, gratias agit.

† cap 27. † Nunquam improbæ ſpei, quod datur, ſatis eſt.

† cap. 28. † Nullum eſt tam plenum officium, quod non vellicare malignitas poſſit : nullum tam anguſtum, quod nõ bonus interpres extendat.

Adhuc de eodem.

Cap. CVIII.

Idem in 3. libro cap. 15. Qui dat beneficia Deum imitatur : qui repetit fœnerator eſt.

† cap. 16. † Pudorem tollit multitudo peccantium, & definit eſſe probri loco, commune maledictum.

Regnum eſt, nolle regnare, cum poſſis.

Idem 4. libro cap. 1. Rerum honeſtarum precium in ipſis eſt.

† cap. 10. † Turpiſſimum damni genus eſt inconſulta donatio : multoque grauius eſt beneficium male dediſſe, quam non recepiſſe.

† cap. 28. † Satius eſt malis propter bonos prodeſſe, quam bonis deeſſe propter malos.

† cap. 38. † Non eſt leuitas à cognito, & damnato errore diſcedere, & ingenue fatendũ eſt : *Aliud putaui : deceptus ſum.* Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeuerantia eſt : quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit. Non eſt turpe cum re mutare conſilium.

† cap 40. † Quidam cum aliquod ſibi miſſum eſt munuſculum, ſubinde intempeſtiue aliud remittunt: & nihil ſe debere teſtantur : reiiciendi ſignum eſt protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expũgere. Qui nimis cito ſoluere cupit, inuitus debet : & qui inuitus debet, ingratus eſt.

Idem in 5. libro. Facilius eſt barbaras gentes impatientes alieni arbitrij regere, quam animum ſuum cõtinere, & ſibi tradere.

Idem in 6. libro cap. 3. Quæris quomodo, quæ habes, tua facies? dando. Conſule rebus tuis, & earum tibi certam, & inexpugnabilem poſſeſſionem para : non ſolum honeſtiores illas facturus, ſed etiam tutiores. Illud quo te diuitem putas, quamdiu poſſides ſub ſordido nomine iacet : domus eſt, ſeruus eſt, nummi ſunt : cum autem donaſti, beneficium eſt.

† cap. 13. † Summæ malignitatis eſt, non vocare beneficium niſi, quod dantem aliquo afficit incommodo.

† cap. 29. † Neminem tam alte ſecunda poſuerunt, vt non illi amicus eo magis deſit, quia nihil abſit.

† cap. 33. * Neſcis quantum ſit amicitiæ precium, ſi non intelligis te ei multum daturum cui amicum dederis, rem ſeculis raram, quæ non alicubi magis deeſt, quam vbi creditur abundare.

Idem in 7. libro cap. 2. Voluptas fragilis eſt, breuis, faſtidit obiecta, quo auidius eſt hauſta, citius in contrarium recidens ; cuius ſubinde neceſſe eſt, vt pœniteat, aut pudeat.

cap. 32. Non eſt magni animi beneficium dare, & perdere, ſed hoc eſt magni animi, perdere, & dare.

Floſculi eius de remedys fortuitorum.

Cap. CIX.

Idem de remedys fortuitorum.

Stultum eſt timere, quod vitare non poſſis.

Optimum eſt mori cum iuuat viuere.

Malis diſplicere laudari eſt.

Dolor ſi exiguus, eſt leuis patientia : ſi grauis, non leuis eſt gloria.

Paupertas tibi grauis eſt, imo tu paupertati : illa enim expedita eſt ; hilaris, tuta ; tu opinione laboras, non re.

Multi aliquid comitantur, & mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam ſequitur turba iſta, non hominem.

Pecuniam ſi perdidiſti, eris nunc in via expeditior, domi tutior.

Quod damnum putas, remedium eſt.

Defles, gemis, miſerum te clamitas, quod opibus excuſſus es tuo vicio. Iſta tibi iactura triſtis eſt. Non tam moleſte perdita ferres, ſi tanquam perditurus habuiſſes.

Intelligendum eſt partem eſſe innocentiæ cæcitatem: Oculi enim ſunt irritamenta vitiorum, duces ſcelerum.

Stultus eſt, qui deflet mortem mortalium : nihil hoc nouum, aut mirum eſt.

Naufragium feciſti, cogita non quod perdideris, ſed quod euaſeris.

Quære amicum inter recta, & honeſta officia, quære in laboribus : ad menſam res iſta non quæritur.

Floſculi naturalium quæſtionum.

Cap. CX.

Idem de naturalibus quæſtionibus, lib. 1.

Facile eſt extinguere ſitim ſanam.

Inter nullos magis, quam inter Philoſophos æqua debet eſſe liberras.

Quis non intelligit omnia conſuetudine vim ſuam perdere.

Idem in 2.

Non ideo aliqua ſunt minus natura bona, ſi vitio male vtentium nocent.

Si beneficia naturę vtentium prauitate perpendimus, nihil non malo noſtro accepimus : Nihil enim inuenies tam manifeſtę vtilitatis, quod non in contrarium tranſeat culpa.

Idem in 3

Hoc habet inter cætera iuſtitiæ ſuæ natura præcipuum, quod cum ad exitum ventum eſt, omnes in æquo ſumus, nihil intereſt vtrum me lapis vnus elidat, an totus mons premat. Egregiè Vagellius in illo inclyto carmine, *ſi cadendum*, inquit, *mihi eſt, è cœlo cecidiſſe velim.*

Humano animo à bonis artibus robur venit, & à conſideratione naturæ. Quid eſt enim cur ego hominem, aut feram, aut ſagittam, aut lanceam tremam? Maiora me pericula expectant, fulminibus, & magnis naturæ partibus.

Puſilla res eſt hominis vita, ſed ingens res eſt contemptus vitæ. Hanc qui çontempſerit ſecurus videbit

maria

maria turbari, ſecurus aſpiciet horridam faciem fulminantis cœli.

Quid ad me, quam magna ſint quibus pereo? ipſum perire non magnum eſt. Proinde ſi volumus eſſe fœlices, ſi nec hominum, nec rerum timore verſari, anima in experimento habenda eſt.

Fluit tempus, & magni eſt modicum fuiſſe.

Eleganter Lælius cuidam dicenti 60. annos habeo, hos inquit 60. dies quos non habes.

Mors naturæ lex eſt, tributum officiumqúe mortalium, malorumque omnium remedium eſt; optauit illam quiſquis timet. Mortis nomen ne formides, effice illam cogitatione multa tibi familiarem, vt ſi ita tulerit poſſis ei, & obuiam exire.

Idem in 4. libro. Quamdiu decurrunt ſolita, magnitudinem eorum conſuetudo ſubducit. Ita enim à natura compoſiti ſumus, vt nos quotidiana etiamſi admiratione digna ſunt tranſeant, & minima quoque rerum ſi inſolite prodiderint, dulce ſpectaculum fiant.

Idem in 5. libro. Nulla tempeſtas magna perdurat, procellæ quanto plus habent virium, tanto minus temporis.

Adhuc de eodem.

Cap. CXI.

Idem in lib. 6. Contemne mortem, & omnia, quæ ad mortem ducunt, contempta ſunt; ſiue bella, ſiue naufragia, ſiue minarum pondera. Nunquid amplius facere poteſt, quam vt corpus ab animo reſoluant? hoc nulla diligentia euitat, nulla fœlicitas donat, nulla potentia euincit. O te dementem, & oblitum fragilitatis tuæ, ſi tunc mortem tantum times cum tonat. Viues ſi fulmen effugeris, repetet te gladius, petet lapis, petet bilis, non maximum ex periculis, ſed ſpecioſiſſimum fulmen eſt tecum: ſi ſenſum mortis tuæ infinita celeritas præueniat.

Iratis Dijs, propitijſqúe moriendum eſt: animus ex ipſa deſperatione ſumatur.

Idem in 7. libro. Quid præcipuum rebus humanis eſt? Erigere animum ſupra minas, & promiſſa fortunæ, quicquid acciderit ſic ferre, quaſi volueris tibi accidere. Debuiſſes enim velle ſi ſciuiſſes omnia ex decretis Dei fieri. Flere autem, queri, & gemere, deſciſſere eſt. Quid eſt præcipuum? Animus contra calamitates ſortis, & contumax luxuriæ, non adùerſus tantum, ſed infeſtus, nec auidus periculi, nec fugax, qui ſciat Fortunam non expectare, ſed facere, & aduerſus vtramque intrepidus inconfuſuſque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percuſſus, puras ad cœlum manus leuare, nullum bonum petere, quod vt à te tranſeat aliquis debet dare, aliquis amittere, optare, quod ſine aduerſario optatur, bonam mentem.

Hæc omnia habentur in tertij libri præfatione ita vt non dubium ſit quin hic inuertatur ordo librorum.

Difficilis inuentu eſt virtus, ducem rectoremque deſiderat, ſed ſine magiſtro vitia diſcuntur.

Quotidie aliquid ſubtilius, aliquid elegantius excogitat luxuriæ furor, vſitata contemnens.

Iam non ſunt homines ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti, etiam oculis guloſi ſunt.

Idem in 8. libro. Turbam rerum hominumque deſiderent, qui ſe pati neſciunt.

Sapienti ſecum optime conuenit: Nobis autem noſipſi moleſti ſumus, modo amore noſtri, modo tædio laboramus: Infœlicem animum nunc ſuperbia inflamamus, nunc cupiditate diſtendimus; & quod miſerrimum eſt, nunquam ſinguli ſumus.

Adulatoribus latus ne præbeas, artifices ſunt ad captandos ſuperiores, & alius quidem adulatione clam vtitur parce, alius ex aperto ruſticitate ſimulata, quaſi ſimplicitas illa, & non ars ſit.

Flores declamationum eius.

Cap. CXII.

Idem in declamationibus lib. 1.

Iucundum eſt redire ad antiqua ſtudia, melioreſque ad annos reſpicere.

Nihil eſt tam mortiferum ingenijs, vt luxuria.

Torpent ingenia deſidioſæ iuuentutis, nec minus honeſtæ rei labore vigilatur, cantandi, ſaltandi, obſcenaque ſtudia, effœminatos tenent. Capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditijs, noſtrorum Adoleſcentium ſpecimẽ eſt: molles enerueſqúe nati in vitio manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligẽtes ſuæ.

Idem in 2.

Quæ malam faciem habent ſæpe impudicæ ſunt: non enim deeſt illis animus, ſed corruptor.

Adoleſcens luxurioſus peccat, ſenex luxurioſus inſanit.

Efferat Matrona oculos iacentes in terram, & aduerſus officioſum ſalutatorem inhumana potius, quam verecunda ſit.

Longe ante pudicitiam ſuam ore, quam verbo neget.

Nemo fortiter negantem iterum rogauit.

Idem in 3. libro. Muliebrium vitiorum fundamentum eſt auaritia.

Hæc inter ſe raro coeunt, vt eadem vox ſit dulcis, & ſolida.

Crudelius eſt, quam mori, ſemper timere mortem.

Eius debet eſſe damnum cuius eſt præmium.

Miſero ſi flere non licet, magis flendum eſt, dolori ſilentium imperare non poteſt.

Etiam vbi remedium eſt mori, zelus eſt occidere.

Idem in 4.

Acrior eſt cupiditas cognoſcendi ignota, quam repetendi.

Nulla flendi maior eſt cauſa, quam flere non poſſe.

Neceſſitas nauigia iactu exonerat, ruinis incendia opprimit. Neceſſitas eſt lex temporis.

Nemo quicquam facile credit, quo credito dolendum ſit.

Nec infœlix virtus amittit gloriæ titulum, nec virtutis gloriam intercipit fortuita fœlicitas.

Audit de ſuis fortuna muneribus, quæ dedit aufert, quæ abſtulit reddit: nec vnquam turius eſt illam experiri, quàm cum locum iniuriæ non habet.

Idem in 5.

Hoc inæquale omnium eſt, vt vitia ſua excuſare malunt, quàm effugere. Nihil eſt puero teſte certius, nam & ad eos annos peruenit, vt intelligat, & non ad eos quibus fingat.

Flores tragœdiarum eius.

Cap. CXIII.

Idem in Tragœdia, quam vocat Troadem.

Iuuenile vitium eſt regere non poſſe impetum.
Quo plura poſſis, plura patienter feras.
Violenta imperia nemo continuit diu,
Moderata durant.
Qui non vetat peccare, cum poſſit, iubet.
Minimum debet libere, cui multum licet.
Optanda mors eſt, ſine metu mortis mori.
Idem in alia, quam vocat Thyeſtem.
Leue eſt miſerias ferre, perferre graue.
Neſcitis cupidi arcium
Regnum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Mihi crede falsis magna nominibus placent:
Frustra timentur dura; dum excelsus steti,
Nunquam pauere destiti atque ipsum mei
Ferrum timere lateris.
O quantum bonum est,
Obstare nulli, capere securas dapes?
Humi iacentem, scelera non intrant casas,
Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur, expertus loquor
Malam bonæ fortunam præferre licet,
Peior est bello timor ipse belli.
Nulla vis maior pietate vera est.
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.
Abeant quæstus, discedat timor:
Vitæ est auidus quisquis non vult
Mundo secum pereunte mori.
Idem in Octauia.
Luxuria blanda pestis,
Victrix orbis immensas opes
Iam pridem auaris manibus, vt perdat rapit.
Idem in Hercule Ætæo.
Nunquam est ille miser, cui facile est mori,
Illicita amantur, excidit quicquid licet.
Fortuna amorem peior inflammat magis.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXIIII.

Idem in Hercule Furente.
Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt.
Prona est timori semper in peius fides.
Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.
Virtutis est domare quæ cuncti pauent,
Nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit,
Non est ad astra mollis e terris via.
Post multa opera virtus laxari solet.
Quemcumque miserum videris hominem scias,
Quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est.
Odit verus amor, nec patitur moras.
Idem in Thebaide.
Regna cum scelere omnibus
Sunt exilijs grauiora.
Qui vult amari, languida regnet manu.
Idem in Hippolyto.
Contemne famam: fama vix vero fauet.
Intrepida constent verba, qui timide rogat,
Docet negare.
O spes amantum credula,
Res est forma fugax.
Cælo
Iupiter alto vicina petit,
Non capit vnquam magnos motus,
Humilis tecti plebeia domus.
Circa regna tonat,
Honesta quædam facit scelera successus.
Alium silere, quod voles primus sile.
Idem in Oedipo.
Nescisse cupies, nosse quę nimium expetis
Iners malorum remedium ignorantia est.
Vbi turpis est medicina sanari piget.
Solent extrema facere securos mala.
Quid verba quæris? veritas odit moras.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.
Idem in Medea.
Leuis est dolor, qui capere consilium potest;
Liber ire contra.
Suspecta ne sint longa colloquia, amputa.
Idem in Agamemnone.
Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire cum perit, nescit pudor.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Temere imus illuc, vnde non decuit abire,
Non intrat vnquam regium limen fides,
Precio parata vincitur precio fides.
Heu, quam dulce malum mortalibus additum,
Vitæ dirus Amor.
Quem pœnitet peccasse pœnæ est innocens.
O quam miserum est nesci emori.
Rudis est tyrannus, morte, qui pœnam exigit.
Det ille veniam facile cui venia opus est.
Idem de immatura morte.

Vna res est virtus, quæ nobis immortalitatem donare potest, & pares Diis facere.

Flores Epistolarum eiusdem.

Cap. CXV.

Idem in Epistolâ prima ad Lucilium. Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus quod & aut auferebatur, aut excidebat, aut subripiebatur, collige, & serua. Turpissima enim iactura est, quæ per negligẽtiam fit. Quem mihi dabis, qui aliquid precium tempori ponat? Qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc omnes fallimur, quod mortem prospicimus, magna pars eius iam præterit, quicquid ætatis retro est, mors tenet: dum differtur vita, transcurrit; reliqua omnia nobis aliena sunt, tempus nostrũ est tantum; in huius rei vnius fugacis, ac lubricæ possessionem natura nos misit.

Non puto pauperem cui quantulumcunque supersit sat est.

Sera parsimonia in fundo est, non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet.

Idem in 2. Primum argumentum compositæ mentis existimo posse consistere, & secum morari. Illud autem vide ne lectio authorum, & diuersi generis voluminum habeat aliquod vagum, & instabile: certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, si vis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sũptus emittitur. Nihilque tam vtile est quod in transitu prosit. Nihil æque sanitatem impedit, vt remediorum crebra mutatio; itaque distrahit librorum multitudo & cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas, fastidientis stomachi est multa degustare. Cui cum paupertate bene conuenit dives est. Nec qui parũ habet, sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iacet, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit diuitiarum modus quæris? primus, habere quod necesse est, proximus habere quod satis est.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXVI.

Idem in 3. Epistola. Si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis, quantum tibi, vehementer erras. Errat, & ille, qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non est. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius; post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Ipsi vero præpostere permiscẽt officia, qui contra præcepta Theophrasti cum amauerint iudicant; & nõ amant cũ iudicauerint. Tam audacter cũ amico loquere, quam tecũ; & tu quidem, ita viue, vt nihil cõmittas, nisi quod cõmittere etiã inimico tuo possis.

Vtrumq; vitium est, & omnibus credere, & nulli. Sed alterum dixerim honestius vitium, alterum tutius. Sic

etiam vtroſque: reprehendas, & eos, qui ſemper inquieti ſunt, & eos qui ſemper quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens, non eſt induſtria: ſed exagitatæ mentis concurſatio: Et hæc non eſt quies, quæ motum omnem, moleſtiam iudicat; ſed diſſolutio, & languor. Itaque inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum eſt, & agenti quieſcendum.

Cum natura rerum delibera, ipſa dicet tibi, & diem ſe feciſſe, & noctem.

Idem in 4. Tenes vtique memoria quantum ſenſeris gaudium, cum prætexta poſita, ſumpſiſti virilem togam, & in forum deductus es. Maius expecta cum puerilem animum depoſueris, & te in viros Philoſophiæ tranſtuleris. Adhuc enim non pueritia, ſed quod eſt grauius puerilitas remanet: & hoc idem peius eſt, quod habemus auctoritatem ſenum ſed vitia puerorum; nec puerorum tantum, ſed infantium. Illi leuia, hi falſa formidant, nos vtraque.

Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta miſeri fluctuant, & viuere nolunt, & mori neſciunt. Fac itaque tibi iocundam vitã, & omnem pro illa ſollicitudinem deponendo. Nullum bonum adiuuat habentem, niſi ad cuius amiſſionem præparatus eſt animus. Ergo aduerſus omnia, quæ accidere poſſunt, te adhortare, & indura. Neminem enim eo Fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum promiſerat. Noli huic tranquillitati confidere, momento mare concutitur, magnæ diuitiæ ſunt lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ; ſcis quos necis terminos ſtatuit? non eſurire, non ſitire, non algere, vt famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe maria tentare, nec caſtra ſequi ad manum eſt, quod ſatis eſt.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXVII.

Idem in 5. Id agamus, vt meliorem vitam ſequamur, quam vulgus, non vt contraria. Alioquin quos emendari volumus fugamus & à nobis auertimus. Illud quoque facimus, vt nihil velint imitari noſtri, dum timent ne imitanda ſunt omnia. Contra naturam eſt torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſqualorem appetere, cibis non tantum vilibus vti, ſed horridis. Quemadmodum deſiderare delicatas res, luxuriæ eſt; ita vſitatas, & non magno parabiles fugere, dementiæ. Frugalitatem exigit Philoſophia, non pœnam. Temperetur vita inter bonos mores, & publicos. Qui domum intrauerit nos potius miretur, quam ſupellectilem noſtram. Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic vtitur quemadmodum argento, nec iſte minor eſt, qui ſic argento vtitur, quomodo fictilibus. Infirmi animi eſt diuitias nos poſſe pati. Apud Hecatonem noſtrum inueni cupiditatũ finem etiam ad timoris remedia proficere. Deſines, inquit, timere ſi ſperare deſieris.

Feræ pericula, quæ vident, fugiunt; & cum effugerint ſecuræ ſunt, nos autem à venturo torquemur, & præterito. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat, nemo tantum præſentibus miſer eſt.

Idem in 6. Hoc ipſum argumentum eſt animi in melius tranſlati, quod vitia ſua, quæ prius ignorabat videt. Nullius boni ſine ſocio iucunda eſt poſſeſſio. Plus tibi viua vox, & conuictus, quam oratio proderit, vnde in rem præſentem venias oportet: primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt. Deinde quia longum iter eſt per præcepta, breue, & efficax, per exempla.

Idem in 7. Inimica eſt multorum conuerſatio, & vtique quo maior eſt populus cui miſcemur; hoc plus periculi eſt? nam & auatior redeo, & ambitioſior, & luxurioſior, quin etiam crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui. Vtrumque deuitandum eſt, ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt, neve inimicus multis, quia diſſimiles ſunt.

Recede in te ipſum quantum potes; cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores: Mutuo iſta fiunt, & homines dum docent, diſcunt.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXVIII.

Idem in 8. Vitate quæcunque vulgo placent, ad omne bonum fortuitum ſuſpicioſi pauidique ſubſiſtite, nam, & fera, & piſcis aliqua ſpe oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt. Quiſquis ergo agere tutam vitam volet, viſcata beneficia deuitet; in præcipitia curſus ille deducit, huius eminentis vitæ exitus cadere eſt. Scitote tam bene hominem culmo tegi, quam auro. Cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt. Mihi crede, qui nihil agere vincitur, maiora agunt, humana diuinaque, ſimul tractant.

Alienum eſt, quicquid optando venit.
Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Idem in 9. Qui vtilitatis cauſa eſt aſſumptus tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circunſedet: circa euerſos ingens ſolitudo eſt: & amici inde fugiunt, vbi probantur; neceſſe eſt enim initia inter ſe exituſque conueniant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit; placebit ei aliquid pretium contra amicitiam, ſi vllum in illa placet pretium præter ipſam. Negociatio eſt iſta, non amicitia, quæ ad cõmodum accedit.

Ait Chryſippus ſapientem nulla re egere, & tamen multis iſti rebus opus eſt. Econtra ſtulto nulla re opus eſt, nulla enim re vti ſcit. Quid refert, qualis ſit ſtatus tuus, ſi tibi videtur malus? Vbi ſapienti ſua non placent, omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

Idem in 10. Non inuenio cum quo te malim eſſe, quam tecum; ſic eſt ergo iudicium meum; fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum.

Sic viue cum hominibus tanquam Deus videat, ſic loquere cum Deo tanquam homines audiant.

Idem in 11. Verecundia bonum in Adoleſcente ſignum eſt.

Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccator teſtis aſſiſtit.

O fœlicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, & ordinet; cui ſic aliquem veretur, cito erit verendus; elige ergo illum cuius tibi placet, & vita, & oratio. Illum tibi ſemper oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum: opus enim eſt aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant, niſi ad regulam, praua non corriges.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXIX.

Idem in 12. Gratiſſima ſunt poma, cum fugiunt.

Ille beatiſſimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſollicitudine expectat.

Idem in 13. Non poteſt magnos ſpiritus Athleta ad certamen afferre, qui nunquam ſugillatus eſt. Ille, qui ſanguinem ſuum fudit, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, nec proiectus, animum proiecit, ſed quotiens cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Multa enim adijcit ſibi virtus laceſſita. Plura ſunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt, & ſæpius opinione, quam re laboramus. Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus; cum illa, quæ velut imminentia expauiſti, forte nunquam ventura ſint, certè non venerint. Quædam nos torquent magis, quam debeant, quædam, antequam debeant, quædam cum omnino non debeant. Sicque aut augemus dolorem: aut fingimus, aut præcipimus. Quam multa expectata nuſquam comparuerunt? Et ſi futurum eſt, quod iuuat dolori ſuo occurrere?

Satis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Satis cito dolebis cum venerit. Nihil tam certum eſt ex his, quæ timentur, vt non certius ſit, & formidata ſubſidere, & ſperata decipere. Quid turpius eſt, quam ſenex viuere incipiens?

Idem in 14. Multis ſeruit, qui corpori ſeruit, qui pro eo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Si gerere nos debemus non tanquam propter corpus viuere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumelijs obijcit, honeſtum vile ei eſt, cui corpus nimis carum eſt. Agatur eius cura diligentiſſimè, ita tamen, vt cum exigit ratio, vel fides, etiam in ignem mittendum ſit. Etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt. Nunquam in tantum conualeſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes coniurabitur, vt non Philoſophiæ nomen venerabile, & ſacrum maneat. Nemo ſollicito bono fruitur. Adijcere diues aliquid diuitijs ſtudet, dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus, rationes accipit, forum conterit, fit ex Domino procurator.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXX.

Idem in 15. Quicquid facias cito redi à corpore ad animum, illum diebus, ac noctibus exerce. Id bonum cura, quod vetuſtate ſit melius. Quam iucundum eſt nihil poſcere; quam magnificum eſt plenum eſſe, nec ex Fortuna pendere. Diſcedant aliquando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora, quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando implerent, nunc autem haurientium ſitim concitant.

Idem in 16. Plus operis eſt in eo, vt propoſita cuſtodias, quam vt honeſta proponas. Perſeuerandum eſt, & aſſiduo ſtudio robur addendum, donec bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. Naturalia deſideria finita ſunt, ex falſa autem opinione naſcentia vbi deſinant, non habent: nullus enim terminus falſo eſt; nam via eunti aliquid extremum eſt: error autem immenſus eſt. Retrahe ergo te à vanis: Et cum vis ſcire, quod petis, vtrum naturalem habeat, aut cæcam cupiditatem, conſidera an poſſit alicubi conſiſtere, nam ſi longe progreſſo ſemper aliquid reſtat, ſcito id naturale non eſſe.

Idem in 17. Proijce iſta omnia ſi ſapis, imo, vt ſapias, & ad bonam mentem magno curſu, ac totis viribus tende. Si quid eſt, quo teneris, aut expedi, aut excide. Multis ad philoſophandum obſtitere diuitiæ, paupertas expedita eſt, ſecura eſt, non circunſtat illam turba ſeruorum, ad quos paſcendos tranſmarinarum regionum eſt optanda fertilitas. Facile eſt paſcere paucos ventres, & bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes, quam impleri. Paruo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt, inſtantibus deſiderijs ſatisfacere. Cur ergo hanc contubernalem recuſes, cuius mores ſanus diues imitatur? Si vis vacare animo aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis, non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura, frugalitas autem paupertas voluntaria eſt. Multis paraſſe diuitias non fuit miſeriarum finis, ſed commutatio; nec hoc miror, non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quoque paupertatem nobis grauem fecerat, etiam diuitias graues fecit. Quemadmodum enim nihil differt, vtrum ægrum in lecto ligneo, aut in aureo colloces, quocunque enim illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet; ſic nihil refert vtrum æger animus, an in diuitijs, an in paupertate ponatur; nam malum ſuum illum ſequitur.

Simile pulchrum.

Item ex eodem.

Cap. CXXI.

Idem in 18. Feſtiuis maximè diebus animo imperandum eſt, vt tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illas omnis turba procubuerit. In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Exerceamur ad palum, ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris; ſecurius diuites erimus, ſi ſciuerimus, quam non graue ſit pauperem eſſe. Quanta eſt animi magnitudo ad id ſua ſponte deſcendere, quod ne ad extrema quidem redactis timendum ſit? hoc eſt præoccupare tela fortunæ. Non eſt iucunda res aqua, & polenta, aut fruſtum hordeacei panis, ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas capere poſſit. Diuitiarum poſſeſſionem tibi non interdico, ſed efficere volo, vt illas intrepidus poſſideas: quod vno modo conſequeris, ſi te etiam ſine illis beate victurum tibi perſuaſeris: ſi illas, tanquam exituras aſpexeris.

Idem in 19. Si potes ſubduc te illis occupationibus, ſi minus eripe. In freto viximus, moriamur in portu.

Idem in 20.* Tacere docet Philoſophia, non dicere? & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine omnium actionum diſſentione colona ſit. Maximum hoc eſt officium ſapientiæ, & iudicium, vt verbis opera concordent, vt ipſe vbique par ſibi idemque ſit. Quid enim ſapientia? ſemper idem velle atque idem nolle: licet iſtam exceptiunculam non adijcias, vt rectum ſit, quod velis; non poteſt enim cuiquam idem ſemper placere, niſi rectum. Variatur autem quotidie iudicium hominum, & in contrarium vertitur, ac pleriſque agitur vita per luſum. Quod tuo beneficio ſcire non potes, paupertatis ſcies; illa enim veros certoſque amicos retinebit. Diſcedet quiſquis non te, ſed aliud ſequebatur. Nonne, vel ob hoc vnum amanda eſt paupertas, quod à quibus ameris, oſtendat? O quando veniet illa dies, quando nemo in honorem tuum mentiatur? Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta; redige te ad parua, ex quibus cadere non poſſis. Non licet diuitias in ſinu poſitas contemnere? ille ingentis animi eſt, qui illas circunfuſas ſibi diu multumque miratus, quod ad ſe venerint, ridet, ſuaſque audit magis eſſe, quam ſentit. Multum eſt non corrumpi contubernio diuitiarum. Pauperibus ineſt (ſine qua nihil eſt iucundum) ſecuritas, quia delicijs permaduimus, omnia dura ac difficilia iudicamus.

* Facere.

Idem ex eodem.

Cap. CXXII.

Idem in 22. Quod male implicuiſti ſoluas potius, quam abrumpas. Nemo tam timidus eſt, vt malit ſemper pendere, quam ſemel cadere. Turpe eſt cedere oneri, luctari cum officio, quod ſemel recepiſti. Non eſt vir fortis, ac ſtrenuus, qui laborem fugit, vbi etiam creſcit illi animus ipſa rerum difficultate. Peiores morimur, quam naſcimur. Noſtrum hoc non naturæ vitium eſt. Nemo, quam bene viuat, ſed quam diu curat, cum omnibus contingere poſſit, vt bene viuant, vt diu nulli.

Idem in 23. Fundamentum bonæ mentis eſt non gaudere vanis. Mihi crede, verum gaudium res ſeuera eſt, an tum exiſtimas aliquẽ ſoluto vultu, hilari oculo, mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere ſub fræno? meditari dolorum patientiam? Hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. Hęc autem quibus delectatur vulgus, te-

nuem habent ac perfusoriam voluptatem; & quodcunque inuectitium est gaudium, fundamento caret. Corpusculum etiam (si nihil sine illo fieri potest) magis necessariam rem crede, quam magnam. Vanas suggerit voluptates, breues, pœnitendas, & nisi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum tenuerit. Modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. Veri boni auiditas tuta est, quæ subit ex bona conscientia, ex honestis consilijs, ex contemptu fortuitorum. Pauci sunt, qui ex consilio se suaque regant: cæteri eorum more, qui in fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Quidam tunc viuere incipiunt, dum desinendum est. Quidam ante viuere desierunt, quam inciperent.

Item ex eodem.

Cap. CXXIII.

Idem in 24. Quid necesse est mala accersiri, ac satis cito patienda cum venerint, præsumere, ac præsens tempus futuri metu perdere? stultum est, quia quandoque futurus sis miser, esse iam miserum. Sed ego alia te ad securitatem via ducam. Si vis omnem solicitudinem exuere, quicquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone, & quodcunque illud est malum, tecum ipse metire, & timorem tuum taxa. Acrior est virtus ad occupanda pericula, quam crudelitas ad irroganda. Multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortem. Adeo mors timenda non est, vt beneficio eius nihil anteferendum sit aut timendum. Ante omnia memento demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit; scies nihil esse in illis terribile, nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis euenit, illi quos amant, quibus assueuerant, cum quibus ludunt, si personatos viderint, extimescunt. Non hominibus tantum, sed rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Dolor quidem leuis est, si ferre possum, breuis si ferre non possum. Hoc turpissimum est, quod nobis obijci solet. Verba nos Philosophiæ, non opera tractare. Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem generant: ebrietas neruorum torporem, ac tremorem; libidines manuum, ac pedum, & articulorum deprauationem; pauper fiam? inter plures ero; exul fiam? ibi me natum putabo; alligabor? quid enim? nunc solutus sum? Ad hoc me natura graue corporis mei pondus astrinxit. Moriar? desinam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. Turpe est aliud loqui, aliud sentire; quanto turpius aliud scribere, aliud sentire? Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque dum crescimus, vita decrescit. Ridiculum autem est currere ad mortem tædio vitæ. Vir fortis, ac sapiens non debet è vita fugere, sed exire.

Idem in 25. Quod ad duos amicos nostros pertinet, diuersa via eundum est. Alterius enim vitia emendanda sunt, alterius frangenda. Vtar libertate tota, non amo illum nisi offendero. An profecturus sim nescio; malo mihi successum, quam fidem deesse. Nutriendus est pudor, qui quamdiu in animo durauit, aliquis erit bonæ spei locus. Panem, & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est; intra quæ quisque desiderium suum clauserit, cum ipso Ioue de fœlicitate contendat. Sic fac omnia tanquam spectet aliquis; prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Omnia enim nobis mala solitudo persuadet. Cum iam tantum profeceris, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittere Pædagogum: multis autem dissimilem te fieri, oportet; dum tibi tutum non sit à te recedere.

Item ex eodem.

Cap. CXXIIII.

Idem in 26. Quæ querela est, quod incommodum, si quicquid debebat desinere; defecit? Et quis exitus melior, quam in finem suum natura soluente, dilabi? Remoue existimationem hominum; dubia semper est, & in partem vtramque diuiditur; remoue studia, tuam vitam tracta, mors de te pronunciatura est; ita dico disputationes, & litterata colloquia, & ex præceptis sapientum verba collecta, & eruditus sermo non ostendunt verum robur animi. Est enim oratio etiam timidissimis audax. Quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. Iunior es. Quid refert? incertum est quo loco mors te expectet, itaque tu illam omni loco expecta. Qui mori didicit, non seruire didicit: supra omnem potentiam est, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia, & claustra? liberum ostium habet. Vna est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ.

Idem in 27. Numera annos tuos; & pudebit eadem velle, quę volueras Puer; hoc denique tibi citra diem mortis præsta; moriantur ante te vitia. Bona mens, nec commendatur, nec emitur: & puto, si venalis esset, non haberet emptorem, at mala quotidie emitur.

Idem in 28. Animum debes mutare, non cœlum: licet enim vastum traieceris mare, sequentur te vitia quocunque perueneris: quæris quare te fuga ista non adiuuet? tecum fugis. Onus animi deponendum est: non autem tibi vllus placebit locus, immo quicquid facis, contra teipsum facis: & motu ipso noces tibi. Ægrum enim concutis: ac cum istud exemeris malum, omnis loci mutatio, iucunda fiet. In vltimas licet terras expellaris, in quolibet Barbariæ angulo colloceris, hospitalis tibi illa qualiscunque sedes erit. Magis quis veneris, quam quo, interest: & ideo nulli loco adijcere debemus animum. Cum hac persuasione viuendum est, non sum vni angulo natus: patria mea totus mundus est, Quid tam turbidum fieri potest, quam forum? ibi quoque licet quiete viuere si necesse sit: sed si liceat disponere se conspectum quoque, & viciniam fori procul fugiam, quid interest quot Domini sint? seruitus vna est. Hanc qui contempserit, in quantalibet turba dominantium est, liber est. Initium salutis est notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult: ideo quantum potes te ipsum argue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, tandem deprecatoris.

Idem in 29. Multo magis ad rem pertinet qualis tibi videaris, quam qualis alijs. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest.

Item ex eodem.

Cap. CXXV.

Idem in 30. Venit aliquis ad mortem iratus, mortem venientem nemo hilaris accipit, nisi qui se ad illam diu composuerat.

Idem in 31. Generosos animos labor nutrit; non est viri timere sudorem.

Idem in 34. Pars magna bonitatis est velle fieri bonum. Omnia dicta, & facta tua inter se congruant, ac sibi respondeant, & vna forma percussa sint. Non est eius animus in recto cuius acta discordant.

Idem in 36. Turpis, & ridiculosa res est, elementarius Senex. Iuueni prandium, seni vtendum est. In mores fortuna ius nō habet. Animus ille trāquillissimus ad perfectum venit, qui in eodē habitu est, quocunq modo res cadant. Cui siue aggeruntur vulgaria bona, supra res suas eminet, siue aliquid ex his, vel omnia casus excusserit

minor

minor non ſit. Mors quam timemus intermittit vitam, nō eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies. Æquo igitur animo rediturus, debet exire. Obſerua orbem rerum in ſe remeantium, videbis nihil in hoc mundo extingui, ſed vicibus deſcendere, ac ſurgere.

Idem in 37. Si vis omnia tibi ſubijcere, te ſubijce rationi: multos reges ſi te illa rexerit, & ab illa diſces quemadmodum, & quid aggredi debeas. Turpe eſt non ire, ſed ferri: & ſubito in medio turbine rerum ſtupentem quærere; huc ego quemadmodum veni.

Idem in 38. Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo, nec multis opus eſt, ſed efficacibus.

Idem in 39. Habet hoc optimum in ſe generoſus animus, quod concitatur ad honeſta; magnarum ſpecierum, res ad ſe vocat, & attollit. Animus enim noſter ad modum flammæ in motu eſt, eo mobilior, & actuoſior quo vehementior fuerit. Sed fœlix, qui ad meliora hunc impetum dedit; ponat ſe extra ius ditionemque fortunæ; ſecunda temperabit, aduerſa comminuet, & alijs admiranda deſpiciet. Magni animi eſt magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia: neceſſe eſt enim in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſilit; Deſinit eſſe remedij locus; vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.

Idem in 40. Inopia verborum, & exilitas, minus intentum auditorē facit tædio interruptæ tarditatis. Facilius tamen incidit, quod expectatur, quam quod præteruolat, illa quidem, quæ veritati operam dat oratio, imcompoſita eſſe debet, & ſimplex, hæc popularis nihil habet veri; mouere vult turbam, & inconſultas aures impetu rapere. Remedia non proſunt, niſi immorentur. Quis medicus ægros in tranſitu curat? Quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior conuenit, ita oratio preſſa non audax; itaque tardiloquum te eſſe iubeo.

Item ex eodem.

Cap. CXXVI.

Idem in 41. Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſeruator, & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos tractat.

Idem in 42. Multa tibi poſſem oſtendere, quæ acquiſita acceptaque libertatem nobis extorquent. Noſtri enim eſſemus ſi iſta noſtra non eſſent. Circunſpice illa, quæ nos agunt in inſaniam, & cum plurimis lachrymis amittimus, ſcies in his non damnum eſſe moleſtum, ſed opinionem damni. Nemo illa periſſe ſentit, ſed cogitat, qui ſe habet, nihil perdidit.

Idem in 43. Vix quemquam inuenies, qui poſſit aperto oſtio viuere; bona conſcientia turbam aduocat, mala etiam in ſolitudine anxia eſt atque ſollicita. Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant. Si turpia quid refert neminem ſcire cum tu ſcias?

Idem in 45. Non refert, quam multos libros, ſed quam bonos habeas; lectio certa prodeſt, varia delectat. Vitia nobis, ſub virtutum nomine ſubrepunt. Temeritas ſub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur; in his magno periculo erramus.

Idem in 46. Iam etiam vbi cauſa ſublata eſt, mentimur conſuetudinis cauſa.

Idem in 47. Illos rideo, qui turpe exiſtimant cum ſeruo ſuo cœnare. Quare? niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cœnanti domino ſtantium ſeruorum turba circundedit, ille quidem ingenti auiditate diſtentum ventrem onerat. Serui autem tota nocte ieiuni, mutique perſtant. Sicque fit, vt de domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet. Tu autem ſic cum inferiore viue, quemadmodum tecum ſuperiorem velis viuere. Et quotiens in mentem venerit, quantum tibi in ſeruum liceat, in mentem etiam veniat, tantundem in te Domino tuo licere. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equū empturus, non ipsū inſpicit, ſed ſtratū eius, & frenos; ſic qui hominē ex veſte, aut ex conditione æſtimat.

Item ex eodem.

Cap. CXXVII.

Idem in 48. Conſortium rerum omnium inter nos facit amicitia. Omnia cum amico communia habebit, qui multa cum homine. Niſi interrogationes vaferrimas, ſtruxero, & concluſione falſa à vero naſcens mendacium aſtruxero, non potero à fugiendis, petenda ſecernere. Pudet me: in re tam ſeria Senes ludimus.

Mus ſyllaba eſt,
Mus autem caſeum rodit,
Syllaba ergo caſeum rodit.

Puta me iſtud nunc non poſſe ſoluere, quod mihi ex illa ſcientia periculum imminet? quod imcommodum eſt? O pueriles ineptias? quod mihi luſoria iſta proponis: non eſt iocandi locus. Aperta decent, & ſimplicia tuam bonitatem. Etiamſi multum ſupereſſet ætatis parce diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſarijs. Nunc vero, quæ dementia eſt ſuperuacua diſcere, in tanta temporis egeſtate.

Idem in 49.
Quod non perdidiſti habes,
Cornua non perdidiſti,
Ergo cornua habes.

Non vaco ad iſtas ineptias: ingens negocium in manibus eſt. Quid agam? mors me ſequitur, vita fugit, aduerſus hæc me doce aliquid. Dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, ſed quę perfici poſſet.

Idem in 50. Quando fatuo delectari volo; non eſt mihi longè quærendus, me rideo. Cæci ducem quærunt; nos autem ſine duce erramus, & ideo difficulter ad ſanitatem peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus: initium eundi ad virtutes arduum eſt, quia hoc primum imbecille atque ægræ mentis eſt, formidare inexperta; itaque cogenda eſt mens, vt incipiat: deinde non eſt acerba medicina, protinus enim delectando ſanat.

Idem in 51. Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum, quam longiſſime profugiamus. Indurandus eſt animus, & debellandæ voluptates, quæ ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Vitia ſine modo, ſine fine perſequere, nam illis quoque nec finis, nec modus eſt. Proijce quęcunque cor tuum dilaniant; quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis euellendum erat. Voluptates præcipuè extirpa, quæ latronum more, in hoc nos amplectuntur. vt ſtrangulent.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXVIII.

Idem in 52. Quamuis ad eundem finem duo peruenerint, maior tamen eſt laus idem effeciſſe in difficiliori materia. Illum elige adiutorem, quem magis admireris cum videris, quā cum audieris. Quid lętaris, quod ab hominibus his laudatus es, quos ipſe laudare non potes: Laudatio aliquid exhortationis affert ipſis audientibus, & animos adoleſcentium extimulat.

Idem in 53. In illis morbis in quibus afficiuntur animi, quo quis peius ſe habet, minus ſentit. Somnium narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri, ſanitatis iudicium eſt. Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. Nemo ad illam peruenit occupatus. Magni artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo.

Idem in 54. In hoc (ni fallor) erramus, quod mortem ſequi iudicamus; cum illa, & præceſſit, & ſecutura ſit. Quicquid enim ante nos fuit mors eſt. Illum lauda, & imitare, quem non piget mori, cum iuuat viuere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quæ est enim virtus cum eijciaris exire? Sapiens nil inuitus facit, necessitatem effugit, quia vult, quod coactura est.

Idem in 55. Debilitatem nobis indixere deliciæ, & quod diu noluimus, posse desinimus.

Idem in 56. Nulla placida est quies, nisi quam ratio composuit. Omnia vitia ad modum morbi in aperto leuiora sunt; Tunc autem pernicioſissima, cum simulata sanitate subsident. Nulla res animum sapientis auocat, nullus hominum auiumque concentus interrumpit cogitationes bonas solidasque iam & certas. Leue illud ingenium est, nec sese adhuc reduxit introrsus, quod ad vocem exaccidenti erigitur.

Idem in 58. Nemo nostrum idem est, qui fuit pridie. Quicquid viuit currit cum tempore; Nihil horum stabile, vel solidum est: Et nos tamen ea cupimus tanquã, aut semper futura, aut semper habituri.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXIX.

Idem in 59. Illud præcipuè in nobis Philosophiam impedit, quod cito nobis placeamus. Et quicquid in nos adulatio congerit tanquam debitum pendimus, optimosque nos esse, ac sapientissimos affirmantibus, assentimus. Sequitur itaque vt ideo mutari non velimus, quia nos optimos esse credimus. Omnes tendunt ad gaudium, sed vnde stabile magnumque consequantur, ignorant, & sapiens quidem nunquam sine gaudio est. Gaudium autem hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia, nec interrumpitur nec desinit. Quod enim non dedit fortuna, non eripit.

Idem in 60. Taurus pauciſſimorum iugerum pascuis impletur, vna silua Elephantis pluribus sufficit. Homo vero, & terra pascitur, & mari. Verumtamen non fames ventris magno constat, sed ambitio.

Idem in 61. Ante senectutem curaui, vt bene viuerem, in illa vt bene moriar. Da operam, ne quid vnquam inuitus facias. Qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam seruitutis effugit, facere, quod nolit. Non qui iussus aliquid facit, miser est; sed qui inuitus. Itaque sic animum componamus, vt quicquid res exiget id velimus.

Idem in 62. Contemnere aliquis omnia potest; habere omnia, nemo potest: itaque breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est.

Idem in 63. Nec sicci sint oculi amico amisso, nec fluant: lachrymandum est, & non plorandum: id agamus, vt iucunda nobis fiat amicorum recordatio amissorum. Nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est. Mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis, ac blanda est: habui enim illos tãquam amissurus, amissi tanquam habeam. Quis ferat hos, qui negligentissimè cum amicos habeant, miserrime lugent; nec amant quempiam nisi perdiderint? ideo tunc effusius mærent, quia verentur ne dubium sit, an amauerint: sera iudicia affectus sui quærunt.

Idem in 65. Quæ Deo faciendi mundum causa fuit? bonus est: bono nulla cuiusquam boni inuidia est? fecit itaque, quam optimum potuit, Vetas me cœlo interesse, ideſt iubes me capite demisso viuere? Maior sum, & ad maiora genitus, quam vt corporis mei sim mancipium. Quod equidem non aliter aspicio, quam vinculum aliquid libertati meæ circundatum, cuius contemptus certa libertas est. Seruiant deteriora melioribus; fortes simus aduersus fortuita.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXX.

Idem in 66. Potest ex casa vir magnus exire, potest & ex deformi humilique corpusculo formosus animus, ac magnus. Nec deformitate corporis animus fœdatur, sed pulchritudine animi corpus ornatur. Animus intuens vera, peritus fugiendorum, ac petendorum non ex opinione, sed natura, pretia rebus imponens, neutri Fortunæ se submittens, supra omnia, quæ contingunt eminens: hæc est facies virtutis. Crescere posse imperfectæ rei signum est, omnis in modo est virtus, omne honestum voluntarium est, non enim potest honestum esse, quod non est liberum, Maius est difficilia perstringere, quam læta moderari. Et hæc magis laudauerim bona, quæ exercitata sunt, ac fortia, & cum Fortuna rixata.

Idem in 67. Non sum tam demens, vt ægrotare cupiam, sed si ægrotandum fuerit, vt nihil effeminate faciam, non enim pati tormenta optabile est, sed pati fortiter.

Idem in 68. Gloriari otio iners ambitio est. Multi aperta transeunt; condita & abstrusa rimantur: furem signata sollicitant, vile videtur quicquid patet, aperta effractarius præterit. Hos mores habet imperitissimus quisque; in secreta irrumpere cupit, iactandi genus est nimis latere, & à conspectu hominum secedere. Conuocat turbam quisquis otio suo aliquam fabulam imposuit. Non est autem agendum hoc, vt de te homines loquantur, sed vt ipse tecum loquaris. Quid autem loquaris? Quod homines de alijs libentissime faciunt; de te apud te, male existima, & id maxime tracta, quod in te infirmissimum esse senties.

Idem in 69. Frequens de loco ad locum migratio, instabilitas animi est. Vt animum possis continere, primum tui corporis fugam siste. Nihil facilius quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, auertat; cito affectus quocunque se vertit, rebellat. Nullum sine authoramento malum est; Auaritia pecuniam promittit, luxuria voluptatem, ambitio potentiam. Mercede te vitia sollicitant. Vix effici à toto sæculo potest, vt vitia longa licentia tumida, subiugantur, & iugum accipiant.

Idem in 70. Vis aduersus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita. Quemadmodum veniet in mente finis suus, omnia sine fine cupientibus. Nemo nisi vitio suo miser erit.

Item ex eodem.

Cap. CXXXI.

Idem in 71. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus: nemo de tota deliberat. Eadem virtute, & mala Fortuna vincitur, & bona ordinatur; virtutem intelligo animosam, & excelsam, quam incitat quicquid infestat. Non mirum est in tranquillitate non concuti. Illud mirare, vbi omnes iacent, aliquem stare, imperfecta necesse est labent, & modo prodeant, & modo subsidant, sed magna est pars profectus, velle proficere. Id agamus, vt omne tempus nostrum sit, quod non erit, nisi prius nos nostri esse cœperimus.

Idem in 72. Vidisti aliquem canem missum à Domino, frusta panis, & carnis, aperto ore captantem? quicquid excepit protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis; quicquid enim exspectantibus Fortuna proiecit, id sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attoniti. Hoc sapienti non euenit, plenus est, & si quid obuenit, securus excipit, ac reponit: impeditis autem ac rudidus nullus præcipitationis finis est, in Epicureum chaos illud decidunt. Inane sine termino est.

Idem in 73. Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus est accepti: nec vllum habet maius malum cupiditas, quam quod ingrata est. Ambitioſis non tam iocundum est multos post se videre; quam graue, aliquẽ ante se, nec ambitio tantum instabilis est, verum etiam

omnis

omnis cupiditas, quia incipit ſemper à fine. Stulta auaritia mortalium proprietatem diſcernit; nec quicquam ſuum eſſe credit, quod publicum eſt. At ſapiens nihil magis ſuum iudicat, quàm cuius illi cum humano genere conſortium eſt. Docet Philoſophia præcipuè, bene debere beneficia bene ſoluere, interdum autem ſolutio eſt ipſa confeſſio. Miraris homines ad Deos ire. Deus ad homines venit, imo in homines, nulla enim bona mens ſine Deo eſt.

Idem in 74. Nulli etiam cui rapina fœliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum. Aut iſta bona non ſunt, quæ vocantur; aut homo fœlicior Deo eſt: quoniam, quæ parata ſunt nobis, Deus non habet in vſu; neque enim opes, nec epularum lætitia, nec quicquam ex his hominem ineſcantibus ad eum pertinent. Placeant homini quæcumque Deo placent, ob hoc ipſum, quod Deo placet. Quamdiu virtus ſalua fuerit non ſenties quid abſceſſerit. Non affligitur ſapiens liberorum amiſſione, non amicorum; eodem enim animo fert illorum mortem, quo ſuam expectat.

Idem in 75. Concordet ſermo cum vita. Ille promiſſum ſuum impleuit, qui, & cum videas illum, & cum audias, idem eſt; nec delectent verba noſtra, ſed proſint.

Item ex eodem.

Cap. CXXXII.

Idem in 76. Quid ſtultius eſt, quàm quia diu non diceris, non diſcere? quamdiu neſcias tãdiu diſcendum eſt, imo quamdiu viuas: æquo animo audienda ſunt imperitorum conuitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus. Optimum in homine ratio eſt: hæc antecedit animalia, ſequitur Deum. Amor, ira, cupiditas pericula depulerunt. Quod ergo poteſt breuis obſtinatio animi aliquo ſtimulo excitata, quanto magis virtus, quæ non ex impetu, nec ſubito, ſed æqualiter valet, cui perpetuum robur eſt? Vnum bonum eſt virtus, quæ inter hanc Fortunam, & illam, ſuperba incedit cum magno vtriuſque contemptu. Vir bonus quicquid ei acciderit, æquo animo ſuſtinebit. Sciet enim id accidiſſe lege diuina, qua vniuerſa procedunt. Nemo ex illis quos purpuratos vides fœlix eſt, non magis, quàm ex illis, quibus ſceptrum, & clamydem in ſcena fabulæ aſſignant. Cum populo præſenti elati inceſſerunt, & * concuruati ſimul exierunt; excalciantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt: nemo iſtorum quos diuitiæ, & honores in faſtigio ponunt magnus eſt: quare ergo magnus videtur? Cum baſi ſua illum metiris. Hoc laboramus errore, quòd neminem æſtimamus eo, quòd eſt, ſed adijcimus illi, & ea quibus adornatus eſt. At qui cum voles veram hominis æſtimationem inire, inſpice nudum, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus etiam ipſum exuat animum intuere qualis ſit, & quantus alieno an ſuo magnus. Præcogitati mali mollis ictus venit, ac ſtultis, & Fortunæ credentibus omnis videtur noua rerum, & inopinata facies. Magna autem pars eſt apud imperitos mali nouitas: ideo ſapiens aſſueſcit ſe malis futuris, & quæ alij diu patiendo, faciunt leuia, hic leuia facit, diu cogitando.

* cothurnati

Idem in 77. Vita non eſt imperfecta, ſi honeſta eſt. Vbicunque deſines ſi bene deſines tota eſt. Nemo tam imperitus eſt, vt neſciat quandoque ſibi moriendum eſſe, & tamen cum propè acceſſerit, tergiuerſatur, tremit, plorat. Nonne tibi videtur ſtultiſſimus qui fleuerit, quod ante mille annos non vixerit? æquè ſtultus eſt qui flet, quod poſt annos mille non viuet. Hæc paria ſunt; non eris, non fuiſti; vtrunque tempus alienum eſt: quid fles? ad hanc legem natus eſt: quid noui eſt? hoc omnibus accidit: quomodo fabula, ſic vita. Non quamdiu, ſed quam bene ſit acta, refert: quocumque voles deſine, tantum bonam clauſulam impone.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXXIII.

Idem in 78. In remedium cedunt honeſta ſolatia: & quicquid animum erexerit, etiam corpori prodeſt. Tria in omni morbo grauia ſunt, metus mortis, dolor corporis, intermiſſio voluptatum. De morte ſatis dictum eſt. Dolere nemo poteſt valde, & diu. Sic enim nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, vt dolorem, aut tolerabilem, aut breuem faceret: non eſt autem acerbum carere eo, quod cupere deſieris. Denique tolerabilis eſt morbi præſentia, ſi contempſeris id, quod extremum minatur: noli mala tua tibijpſi facere grauiora, & te querelis onerare. Leuis eſt dolor, ſi nihil illi opinio adjecerit, leuem illum dum leuem putas facies. Tam miſer eſt enim quiſque quam credidit. Quod acerbum fuit, retuliſſe iucundum eſt; naturale eſt enim mali ſui fine gaudere. Quomodo eſt hoſtis fugientibus pernicioſior, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti, & auerſo. Nec vita ſit tædio, nec mors timori: vitam in odium ſui adducere ſolet iners ocium: hiſqúe neceſſe eſt omnem vitam breuem videri, qui illam voluptatibus vanis, & ideo infinitis metiuntur. Interim hæc tene, hæc morde, aduerſis non ſuccumbere, lætis non cedere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere. Quicquid enim expectatum eſt diu, leuius accedit.

Idem in 79. Non eſt bonitas peſſimis eſſe meliorem. Nulla virtus latet, & latuiſſe non eſt ipſius damnum. Veniet qui conditam, & ſæculi ſui malignitate compreſſam dies publicet. Veritas in omnem ſui partem eadem eſt. Quæ decipiunt nihil habent ſolidi. Mendacium tenue eſt, perlucet ſi diligenter inſpexeris.

Idem in 80. Cogito mecum quantus ad ſpectaculum luſorium fiat concurſus, quanta ſit circa bonas artes ſolitudo, quam imbecilli animo ſint, quorum lacertos humeroſque miramur. Compara inter ſe pauperum, & diuitum vultus, pauper ſæpius, & fidelius ridet, quia nulla eius ſolicitudo in alto eſt; horum autem, qui fœlices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis & ſupputata triſtitia. Omnium iſtorum quos ſupra capita hominum, ſupraqúe turbam delicatos lectica ſuſpendit; perſonata fœlicitas eſt. Contemnes illos ſi diſpoliaueris. Equum empturus, ſolui iubes ſtratum, veſtimenta venalibus detrahis, ne qua corporis vitia lateant; hominem verò inuolutum æſtimas? Quid de alijs loquor? ſi perpendere te vis, ſepone pecuniam, domum, dignitatem, intus teipſum conſidera.

Item adhuc ex eodem.

Cap. CXXXIV.

Idem in 81. Quereris te incidiſſe in hominem ingratum: ſi hoc periculum vitare volueris, beneficia non dabis; ita ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non reſpondeant potius, quam non dentur, cito inerti ocio torpebit vita, ſi relinquendum eſt, quicquid offendit. Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt. Cuius euentus incertus eſt, vt id aliquando procedat ſæpe tentandum eſt, etſi merita non præceſſiſſent oportebat ignoſci poſt beneficia lædenti pluſquam venia debetur: pluris enim æſtimo beneficium, quam iniuriam. At non omnes grati ſciunt debere beneficium. Vbi ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit, & omnia ſecum examinabit quantum acceperit, à quo, quando, vbi, & quemadmodum. Vnde Merrodorus ait. *Solum ſapientem referre gratias ſcire.* Beneficia creſcunt mora, & tanto plus ſoluendum eſt, quanto tardius, ingratus eſt, qui beneficium reddit ſine vſura. Sæpe, quod datur exiguum eſt, quod ſequitur ex eo magnum. Nemo mihi videtur pluris æſtimare virtutem, nemo illi magis eſſe deuotus, quam qui viri boni famam perdidit, ne conſcientiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

perderet. Torquet ingratus se, & macerat, & odit, quæ accepit, quia redditurus est, & extenuat, iniurias verò dilatat, & auget. Quid eo miserius cui beneficia excidunt, hærent iniuriæ? At contra sapiens exornat omne beneficium, & sibijpsi commendat, & se assidua eius commemoratione delectatur: illa contemnit quibus læsus est, nec vertit omnia in peius, nec quærit cui casum imputet, ad Fortunam potius refert, & quicquid acciderit benignè interpretando leuat. Non offensæ potius, quam beneficij meminit; quantum potest in priore, ac meliore memoria se detinet, nec mutat animum aduersus bene meritos. Semper enim quicquid dubium est humanitas inclinat ad melius. Nemo autem gratus esse potest, nisi contempserit ista propter quæ vulgus insanit. Nihil carius æstimamus, quam beneficium, quod diu petimus; nihil vilius cum accepimus. Quæris quid nobis faciat obliuionem acceptorum? cupiditas accipiendorum. Abstrahũt à recto diuitiæ, honores, potentia, &c. quæ opinione nostra cara sunt, precio suo vilia. Nescimus æstimare res de quibus non cum fama, sed rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quo mentes in se trahant, præter hoc, quòd mirari illa consueuimus.

Iterum ex eodem.

Cap. CXXXV.

Idem in 82. Ocium sine literis mors est, & hominis viui sepultura. Non habet fortuna longas manus, neminem occupat nisi sibi hærentem. Itaque quantum possumus ab illa resiliamus. Non est mors gloriosa, sed fortiter mori glorioſum est. Quæ dementia est fugere, cum retroire non possis. Omnis res, quod non habuit, decus, virtute addita sumit.

Idem in 83. Sic certe viuendum est tanquam in conspectu alicuius viuamus. Sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum prospicere possit. Quid prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est. Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania. Omne vitium ebrietas & intendit, & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent. Adijce illam ignorationem sui, dubia, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, & huiusmodi. Rebus itaque non verbis proba istas, quæ dicuntur voluptates, vbi modum excesserint pœnas esse.

Idem in 84. Alit lectio ingenium, & studio fatigatum, non tamen sine studio reficit; nec scribere tantum, nec tantum legere debemus; altera res contristabit vires, & exhauriret, de stylo dico; altera soluet, ac diluet, inuicem hoc & illo commutandum est, & alterum altero temperandum, vt quicquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. Apes enim imitari debemus, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quicquid attulerint disponunt, ac per fauos digerunt. Sic & nos debemus quæcunque ex diuersa lectione congessimus separare. Deinde adhibita ingenij nostri facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere. Talem animum nostrum esse volo, vt multæ in illo artes, multa præcepta, multarum ætatum exempla sint in vnum conspirata. Relinque diuitias, aut periculum, possidentium aut onus præsidentium, relinque voluptates, molliunt, & eneruant; relinque ambitum tumida res est, vana, & ventosa, nullum habet terminum, laborat duplici inuidia, cui inuidetur, & inuidet.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXXVI.

Idem in 85. Non est bona valetudo mediocritas morbi. Facilius est vitiorum initia prohibere, quam impetum regere. Non enim recipiunt mala animi temperamentum; facilius sustuleris illa, quam rexeris. Tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum. Non ex ebore tantum simulachra facit statuarius, sed ex ære, vel marmore si adsit; sic Sapiens virtutem si licebit, in diuitijs explicabit. Si minus, in paupertate: Si poterit in patria, si minus in exilio: Si poterit integer, si minus debilis: quamcunque Fortunam accepit, aliquid ex illa memorabile accipi efficiet, Sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, vbique horrenda cum ad hunc peruenerint, mansueta sunt.

Idem in 87. Nunquam maior est animus, quam vbi aliena sepositi; & fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi diuitias nihil concupiscendo. Quod contemptissimo cuique contingere, ac turpissimo potest, bonum non est. Opes autem, & Lenoni, & Lanistæ contingunt, ergo bona non sunt.

Idem in 88. Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur. Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, & abigit; alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec vnquam ad ipsas propter illas venit. Scit optimum esse modum cupitorum non quantum velis, sed quantum debeat sumere. Potest quidem illud dici sine liberalibus studijs veniri ad sapientiam posse. Quamcunque partem rerum humanarum diuitiarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum fatigaberis. Hæc tam multa tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Laxum spacium, res magna, (vt habere possit liberum hospitium) desiderat: & plus scire velle, quam satis est, intemperantiæ genus est. Quid quod illa liberalium artium consecratio, molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit; & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt. Quatuor millia librorum Didimus Grammaticus scripsit. Miser esset si tam multa superuacua etiam scripsisset. In his enim libris de patria Homeri quæritur, & de Æneæ matre vera, & alia quæ erant dediscenda, si scires.

De Poetis illius temporis, & flosculis Persij.

Cap. CXXXVII.

Avthor. Hæc de scriptis Senecæ moralibus ad præsens excerpta sufficiant.

Eo quoque tempore leguntur fuisse Poetæ Satyrici Persius, & Iuuenalis, & etiam alij Poetæ, Lucanus Senecæ Patruus, & Ouidius de cuius, scilicet Ouidij libris excerptos morales flosculos supra posuimus.

Ex libro autem Persij metrico, quæ sequuntur excerpsimus. *Flosculi ex Perseo.*

Ne te quæsieris extra.
Scire tuum, nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.
O curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes.
Quid iuuat hoc templis nostros immittere mores.
Dicite Pontifices; in sacro quid facit aurum?
Quid damus id superis de magna, quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago.
Compositum ius, fas animi, sanctosque recessus,
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Pelliculam veterem, retines, sed fronte politus.
Astutam vapido seruas, sub pectore vulpem.
Mane piger stertis; surge, inquit auaritia: eia,
Surge, negas, instat surge, inquis, non queo: surge.
Viue memor lethi: fugit hora, hoc, quod loquor, inde est.
Messe tenus propria viue, & granaria, fas est.
Emole quid me tuas? occa: en seges altera in herba est.

Porro de Horatio Satyro, & dictis eius, superius diximus.

Extat etiam tertius Satyricus Iuuenalis, qui & ipse Persio contemporaneus fuisse legitur.

Ex

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex libro autem eius mettico paucos hos flores excerptos, hic inſerere voluimus.

Flores Iuuenalis.

Cap. CXXXVIII.

IN libro primo.
Hiſpida membra, quidem, & duræ per brachia ſetæ,
Promittunt atrocem animum.
Loripedem rectus deridcat, Æthiopem albus.
Nemo repente fit ſummus.
De moralibus vltima fiet quæſtio.
Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei.
Nil habet infœlix paupertas dirius in ſe,
Quam quod ridiculos homines facit.
Commune id vitium eſt, hic viuimus ambitioſa
Paupertate omnes.
Idem in ſecundo libro.
Fortem animum præſtans rebus quas turpiter audent,
Nihil eſt audacius illis deprehenſis, iram atque animos à crimine ſumunt.
Prima peregrinos obſcæna pecunia mores.
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles.
Eſt eadem ſummis pariter minimiſque libido.
Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.
Cognoſcit mulier quid toto fiat in orbe.
Prima videt famam rumoreſque illa recentes.
Excipit ad portam,
Intolerabilius nihil eſt; quam fœmina diues,
Quæ non faciat, quod principis vxor.
In 3. lib.
Nobilitas animi ſola eſt, atque vnica virtus.
Veniet de plebe togata,
Qui viris nodos, & iegum ænigmata ſoluat.
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſas.
Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.
Lingua mali pars peſsima ſerui,
Feſtinat enim decurrere velox,
Floſculus angustæ, miſeræque breuiſsima vitæ
Porcio.
Idem in 4. lib.
Torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia.
Quam plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter aggreſſus gladium contunque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
Nullus virtutem complectitur ipſam,
Præmia ſi tollas.
Mors ſola fatetur,
Quantula ſunt hominum corpuſcula.
Rara eſt concordia formæ,
Atque pudicitiæ.
Orandum eſt, vt ſit mens ſana, in corpore ſano,
Fortem poſce animum mortis terrore carentem.
Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.
Atque voluptatis commendat rarior vſus.
Quia tu galinæ filius albæ,
Nos vilis populus nati infœlicibus ouis.
Idem in lib. 5.
Maior tumultu plangitur nummi, quàm funera.
Fingit in occaſu ſummam deducere veſtem
Contentus vexare oculos humore coacto.
Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris,
Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & vmbra.
Seruorum ventres modio caſtigat iniquo.
Ipſe quoque eſuriens, nec enim omnia ſuſtinet vnquam.
Muſcida cærulei panis conſumere fruſtra.
Heſternum ſolitus medio ſeruare minutas,
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ.
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta frenesis.
Vt locuples moriaris egenti viuere fato.
Interea pleno cum turget ſacculus ore.
Creſcit Amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.
Magnis parta malis, cura maiore metuque
Seruantur miſera, eſt magni cuſtodia cenſus.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER NONVS.

De bonis initijs Neronis.

CAP. I.

HVGO *Floriacensis secundo libro*. Claudius Imperator libertorum, & coniugis imperijs subiectus, cum deficeret relicto Britanico filio suo, vxoris Agrippinę persuasionibus, Neronem Octauiæ filiæ suę maritum designauit Imperatorem. Sicque prælatus est gener filio ordine præpostero.

Nero Imperator. Anno Christi 57. Mũdi 4010

Ex chronicis Eusebij. Nero igitur quintus ab Augusto Romani adeptus Imperij dignitatem, anno Domini 57. mundi vero 4. M. 10. Imperauit annis 13. & mensibus 8. Iste quinquennio valde modestus extitit.

Suetonius lib. 6. Hic fuit statura pænè iusta, corpore maculoso, & fœtido, capillo sufflauo, vultu pulchro magis, quàm venusto; oculis cesijs, & hebetioribus, ceruice obesa, ventre proiecto, gracillimis cruribus. Liberales disciplinas omnes ferè puer attigit, auersus à Philosophia, ad Poeticam pronus, carmina libenter, & sine labore composuit. Habuit, & pingendi, fingendique maxime, non mediocre studium. Orsus Imperium à pietatis ostentatione *ex Augusti imperaturum præcepto se professus*, nec liberalitatis, nec clementię, nec comitatis quidem exhibendæ vllam occasionem omisit. Grauiora vectigalia aboleuit, aut minuit. Senatorum nobilissimo cuiqúe, sed à re familiari destituto, annua salaria constituit. Cum qúe de supplicio cuiusdam capite damnati, vt ex more subscriberet, admoneretur. *Quam vellem*, inquit, *nescire literas*. Agenti gratias Senatui, respondit. *Cum meruero*. Interdictum est ne quid in popinis præter legumina veniret, cum antea nullum non obsonij genus proponeretur.

Qualiter Festus Fœlici succedens Paulum misit ad Cæsarem.

CAP. II.

COmestor *cap.* 112. Orta est autem dissensio inter Iudæos, & Gentiles in Cæsarea de honore ciuilitatis. Iudæi enim se præferebant Gentilibus, quia Herodes Ascalonita, qui circumcisionem suscepit, fuerat conditor ciuitatis, & appellauit Cæsaream in honorem Cæsaris. Gentiles se præferebant Iudæis dicentes, quòd à gentibus facta est primaria ædificatio ciuitatis; quæ antequam reædificaretur ab Herode dicta est Pirgo Stratonis. Fælix autem primo fouit partem Iudæorum, donec exhausit marsupia eorum. Postea fouit partem gentilium in tantum, quod militibus gentilium dedit licentiam intrandi domos Iudæorum, & diripiendi bona eorum. Vnde accusatus est à Iudæis ad Neronem, & biennio ab accusatione, amotus est à præsidatu, & substitutus est ei Festus. Volens autem in fine præsidatus sui placere Iudęis, reliquit Paulum vinctum. Festus autem cum venisset in prouinciam, Paulus à Iudæis coram eo conuentus, appellauit Cæsarem. Descendit autem Rex Agrippa in Cæsaream, audito, quod ibi esset Festus, vt accusaret Iudæos apud eum. Iste namque Agrippa infestus erat Iudęis, quia cum accepisset potestatem à Romano Imperatore constituendi summum Sacerdotem, constituebat eos, qui non erant Aaronitæ, Fecerat etiam fenestram in palatio suo eminentem, vnde poterat videre, quæcunque fiebant in templo sacrificia quod scilicet molestè sustinentes Iudæi, fecerunt murum oppositum fenestræ, eminentiorem fenestra. Venerat autem spiritualiter Agrippa rogaturus Festum, vt murum illum obrueret. Cum autem descendisset, honorificè susceptus est à Festo; & exposita ei accusatione Iudęorum contra Paulum, respondit Agrippa, se velle eum videre. Altera autem die iubente Festo adductus est Paulus, cæpitqúe de omnibus reddere rationem: & decreuit Agrippa quia appellauerat mittendum esse ad Cæsarem. Et traditus est Paulus Iulio Centurioni cohortis Augustæ, militum scilicet qui missi fuerant ab Augusto.

Cæsarea inter Iudæos & Syros de pari iure ciuitatis rixa.

Fælix accusatur.

Festus procurator.

Act. 25.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Ismaele Pontifice, & Catalogo Pontificum.

CAP. III.

MIserunt pariter Romam nuncios Iudæi contra Agrippam aduersus quem multas habebant querelas, quia vt supra prætaxauimus constituerat Ismaelem summum sacerdotem, cum non esset de genere Aaron.

Ponit hic Iosephus catalogum Sacerdotum, qui fuerunt ab institutione sacerdotij vsque ad terminum eiusdem sub distinctione trium temporum.

Ab Aaron enim vsque,ad tempus Dauid fuerunt 13. vnus post alium in 612. annis, & succedebant filij patribus. Primogenitus nanque filius Aaron scilicet Eleazar patri successit in summum sacerdotem,& Phinees filius Eleazar successit ei,& sic in posterum. Nam de Ithamar non erant summi Sacerdotes,sed minores,nisi pauci circa tempora Dauid. Nam in Heli translatum est sacerdotium ad filios Ithamar. Abiathar quoq; erat de Ithamar, quem deposuit Salomon, & eius loco statuit Zadoch,qui erat de Eleazar.

Pontificum in populo Iudaico numerus, & ordo.

Dauid autem volens ampliare cultum Dei videns, quod non sufficeret vnus summus Sacerdos administrationi,quia si infirmaretur non erat interim,qui incensum poneret, quod necesse erat singulis diebus offerri. Instituit 24. summos Sacerdotes,quorum 16. de genere Eleazar 8. de Ithamar. Vnus tamen illorum erat súmus, qui dicebatur Princeps Sacerdotum. Administrabant autem per septimanas,quæ hæreditario iure deolutæ sunt ad posteros eorum. Et vnusquisque cum administrabat secum habebat 24. minores Sacerdotes,& totidē Leuitas & totidem Inanitores,duplicato numero Nathinæorum. Fuerunt autem decem, & octo principes Sacerdotum à tempore Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis in 466. annis. A transmigratione autem Babylonis Sacerdotium cessauit vsque ad reditum de captiuitate sub Zorobabel, & Iesu magno Sacerdote, & inde vsque ad tempus Machabæorum fuit tempus Sacerdotij. Tempus autem Machabæorum non deputatur Sacerdotio,quia idem erant Sacerdotes, & Duces,& sic vsque ad Herodem, qui fecit occidi quotquot de genere Sacerdotum inueniebat; ne iterum ad eos deuolueretur regnum,& vendebat summum sacerdotium quandoque vni, quandoque pluribus simul. Et fuerunt omnino vsque ad euersionem Hierusalem 28. summi sacerdotes. A tempore autem Horodis vsque ad euersionem Hierusalem non ponit Iosephus summam annorum,sed constat fuisse 105. cum Herodes ante Natiuitatem Domini 30. annis regnauit, & Dominus 33. annis vixerit. Et à morte Domini vsque ad euersionem Hierusalem 42. fluxerint, sed de his hactenus.

Lege Iosephum cap. 8. lib. 20. & Comestorem cap. 117.

De vita Iacobi fratris Domini,& eius passione.

CAP. IV.

EVsebius lib. 2. cap. 23. Igitur Iudæi postquam Paulus ad Cæsarem quem appellauerat à Festo transmissus est, & frustratas insidias quas ei tetenderant viderent; in Iacobum fratrem Domini immanitatem suæ nequitiæ vertunt, cui Episcopalis in Hierosolymis delata ab Apostolis fuerat sedes. Quemque hoc modo adorti sunt: productum in medium, abnegare fidem Christi coram omni populo expetierunt. At ille contra omnium opinionem coram vniuerso populo cum omni fiducia profitetur filium Dei esse saluatorem, & Dominum Iesum Christum. Tunc illi non ferentes, in necem eius vertuntur,fauente sibi occasione temporis ex morte rectoris. Contigit eum Festum per idem tempus obire apud Iudæam,& sine rectore ac principe esse prouinciam.

Iacobus Mater domini Christum profitetur. Anno Christi 58.

Hic Iacobus pro incredibili continentia & summa iustitia cognominatus est Iustus. Ex vtero enim Matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit; animal non mãducauit,ferrum in caput eius non ascendit: oleo non est vnctus; balneo non est vsus. Huic soli licitum erat ingredi in sancta sanctorum; neque laneo induebatur vestimento,sed sindone sola. Ingrediebatur autem templum, & fixis genibus orabat pro indulgentia populi, ita vt orando callos faceret in genibus admodum cameli. Cum autem per eum multi credidissent in Iesum de populo Iudæorum; perturbati Pharisæi & Scribæ accesserunt ad eum dicentes: Quoniam ad diem festum paschæ conuenit multitudo populi Israel,& de te tam nos, quam populus,perhibemus testimonium,quia Iustus es. Ascende in excelsum locum pinnæ templi & suade populo de Iesu,ne erret; quia omnis populus errat post eum,omnesque tibi obediemus virorum Iustissime. Tunc Iacobus accepta hortatione, voce magna clamauit ad populum,ostendens Iesum Dei filium ante tempora de patre natum esse; ex virgine carnem sumpsisse,crucem sustinuisse, resurrexisse, ascēdisse,Spiritum sanctum misisse. Quem libenti animo multi audierunt. Scribæ autem, & Pharisæi dolentes, quia de Iesu perhibuisset testimonium, ascenderunt ad eum dicentes: Nos te rogauimus vt errorem tolleres à populo de Iesu, tu autem ampliasti. Quibus ille ait, ego errorem tuli, & veritatem ostendi. Tunc præcipitauerunt ex alto. Cæperunt quoque eum vrgere lapidibus; quia non solum mori deiectus non potuit, sed super genua sua procumbens, orabat dicens: *Rogo te domine Deus, remitte illis quia nesciunt quid faciunt.* Cumque eum sic orantem desuper lapidibus vrgerent, vnus Sacerdotum de filijs Rachab exclamauit dicens: Parcite quæso,parcite,quid facitis? Pro vobis orat hic iustus, quem vos lapidatis. Tunc iratus quidam ex Pharisæis perticam Fullonis arripuit, & dedit fortiter ictum in capite eius, eiecitque cerebrum eius. Tali martyrio consummatus, sepultus est in eodem loco prope templum.

Iacobi pœna & mors.

Egisippus retulit, quod ita mirus quidem & apud omnes homines opinatissimus in obseruatione totius iustitiæ Iacobus habebatur; vt & Iudæorum prudentes quique crederent hanc esse causam statim consecutæ oppugnationis Hierosolymorum; quod in illum rursus sceleratas manus iniecerunt; & Iosephus ita sibi euidenter videri indicat per hæc verba; Quæ omnia inquit, acciderunt Iudæis pro vindicta *Iacobi iusti*, qui erat frater *Iesu*, qui dicitur *Christus*, quem iustissimum,& pijssimum omnium confessione virum Iudæi interfecerũt.

Propter occisum Iacobũ Hierosolymam euersã scribit Iosephus.

Qualiter Paulus peruenit Romam,& de libera eius custodia.

CAP. V.

COmestor cap. 118. Traditus est itaque Paulus Iulio centurioni, vt prætaxatum est; & dedit Dominus gratiam Paulo in oculis eius, vt humanè tractaret eum, nec prohiberet amicos eius in ciuitatibus, per quas trãsibant ei ministrare. Prosequitur autem plane Lucas de progressu itineris,in quo Paulum cum socijs suis Dominus ipsius meritis à periculo naufragij conseruauit. Ipse quoque Paulus patrem Publij principis insulæ Mitilenæ febribus, & dysenteria laborantem, orando, & manus imponendo,sanauit. Omnes quoque infirmos accedentes ad se ibidem ab incommodis liberauit, & viperam in manu eius pendentem in ignem excutiens illæsus euasit. Cum autem audissent aduentum eorum fratres,qui erant Romæ; occurrerunt eis vsque ad forum Apij id est ab Apio in littore maris constitutum, vt de nocte applicantes,inuenirent ibi victualia venialia,vbi constituerant tres tabernas .s. tres domos in littore in quibus exponerentur cibi venales.

Actuum 27.

Actuum 28.

Et quia ante aduentum Pauli iã Romæ erant Christiani, patet ex hoc loco Petrum & Paulum non primo prædicasse Romanis: quod si quandoq. legatur de confirmatione fidei intelligendũ est,nõ de primaria instru-

Comestor 124. Act. 28.

Iacobi Iusti mores.

ctione;

ctione; cum autem veniſſent Romæ nondum erat Nero confirmatus in regno, nec inualuerat nequitia eius, & audiens controuerſiam eſſe de lege Iudæorum, & Chriſtianorũ, vilipẽdit; & permiſſus eſt Paulus libere ire per ciuitatem cum vno tantũ milite eum cuſtodiente. Timuit autem ne forte Iudæi, qui perſecuti fuerant eum in Iudæa miſerint litteras ad Iudæos; qui erant Romæ vt dolo occiderent eum. Ideoque poſt tertium diem conuocauit primos Iudæorum, & cum veniſſent, dicebat eis; Ego fratres non veni gentem accuſare, ſed coactus ſum ad Cæſarem appellare; quia iniuſtè traditus ſum à Iudæis in manus Romanorum, eo quod prædico reſurrectionem mortuorum.

Comeſtor cap. 125. Manſit autem Paulus toto biennio in hoſpitio quod ipſe conduxerat in libera cuſtodia, & ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans cum omni fiducia ſine prohibitione. Et vide quia ante aduentum Pauli Romam iam regnauerat Nero duobus annis: & veniẽs Romam fuit per biennium in libera cuſtodia, & poſtea per decennium in magis libera, quia nondum Nero confirmatus, ſcilicet in malitia, dabat ei liberam licentiam deambulandi, & circumeundi per partes occidentis, & prædicandi.

Hic finitur liber actuum Apoſtolorum & etiam hiſtoria Comeſtoris.

De cantibus & luſibus, & iactantia Neronis.

Cap. VI.

Muſice, & cantandi ſtudium. *Suetonius vbi ſupra.* Porro Nero inter cæteras diſciplinas pueritię tempore, imbutus eſt Muſica: nihil eorum omittens quæ generis eius artifices, vel conſeruandæ, vel augendæ vocis cauſa factitarent. Nam plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinuit, clyſtere, vomituque purgari voluit, & abſtinere pomis cibiſque officientibus. At nec, concuſſo quidem repente terræmotu theatro, ante cantare deſtitit quam inchoatum abſolueret acroama. Non dubitauit etiam priuatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare, tragædiaſque cantauit perſonatus. Minimos Circenſes ſeceſſu commeabat, primo clam, deinde propalam; & ipſe aurigare atque inſpectari ſæpius voluit. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dediſſe, *Profectio Neronis in Achaiam.* Achaiam petit, hinc maxime motus, inſtituerat ciuitates apud quas muſici agones edi ſolent, omnes cytharædorum ad ipſum coronas mittere; eaſque adeo grate recipiebat vt legatos qui pertuliſſent non modo primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret.

Cantante eo ne neceſſaria quidem cauſa excedere theatro licitum erat. Itaque, & enixæ quædam in ſpectaculis dicuntur, & multi tędio audiendi laudandique, clauſis oppidorum portis, aut furtim deſiliuiſſe de muro, aut morte ſimulata funere elati.

Romam ingreditur pompa triũphalis. Reuerſus à Græcia Romam albis equis, eoque curru quo Auguſtus triumphauerat, introiit in veſte purpurea diſtincta ſtellis aureis, clamyde, coronamque capite gerens olympiacam, dextera Pythiam, pereunte pompa Cytharædorum cum titulis: *vbi, & quo cantionum, quoue fabularum argumento viciſſet*, ſequentibus currum ouantium ritu plauſoribus, *Auguſtianos militeſque ſe eius triumphi* clamitantibus, incedenti paſſim victimæ ceſæ, ſparſo per vias croco ſtatuas ſuas cytharædico habitu exculpſit, qua nota etiam numum percuſſit. At poſt hæc tantum abfuit à remittendo laxandoque ſtudio, vt conſeruandæ vocis gratia neque milites vnquam niſi abſens, aut alio verba pronunciante appellaret. Neque quicquam ſerio iocove egerit, niſi aſſiſtente Phanaſco, qui moneret vt parceret arterijs, multiſque vel amicitiam ſuam offerret, vel ſimultatem indiceret, prout quiſquam ſe magis parciuſve laudaſſet.

De luxuria eius, & prodigalitate.

Cap. VII.

Petulantia Neronis. Petulanti libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem quidem ſenſim primo, & occulte, & velut iuuenili errore exercuit. Sed vt tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis eſſe: poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo vel galero popinas imbat, circumque vicos vagabatur ludibundus, nec tamen ſine multorum pernicie. Siquidem redeuntes à cæna verberare ac repugnantes vulnerare: cloaciſque demergere conſueuerat. Tabernas etiam infringere, & expilare, ac ſæpe in huiuſmodi rixis oculorum, & vitæ periculum adijt. A quodam laticlauio cuius vxorem attrectauerat, ad necem cæſus eſt: quare nunquam poſtea publico ſe illud horæ ſine tribunis commiſit, procul, & occulte ſubſequentibus. Paulatim vero inualeſcentibus vitijs ioculatoria, & latebras omiſit, nullaque diſſimulandi cura ad maiora palam erupit. Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat. Refotus ſæpius calidis piſcinis, ac tempore æſtiuo niuatis. Cænitabatque nonnunquam, & in publico inter Scortorum totius vrbis, & Ambubaiarum miniſteria. Matris concubitum appetiſſe ſed ne ferox atque impotens Mulier etiam hoc genere gratię præualeret, deterritum nemo dubitauit. Itaque meretricem quam fama erat * matri ſimillimam inter concubinas recepit. Perſuaſiſſimum habuit neminem pudicum, aut vlla parte corporis purum eſſe, verum pleroſque diſſimulare vitium, & calliditate obtegere: ideoque profeſſis apud ſe obſcænitatem, cætera quoque delicta concedebat. * Agrippina.

Profuſio diuitiarum & pecuniæ. Diuitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat quam profuſionem. Sordidos ac deparcos eſſe quibus imperſarum ratio conſtaret: prælautos vereque magnificos qui abuterentur, ac perderent. Quare nec largiendi nec abſumendi modum tenuit. Nullam veſtem bis induit. Quadringentis ſextertijs alea luſit. Piſcatus eſt rete aurato, purpura, & cocco funibus nexis. Nunquam minus mille carrucis, iter feciſſe traditur, ſoleis mularum argenteis. Non in aliqua tamen re damnoſior quam in ædificando. *Sumptus in ædificando.* Domum fecit de cuius ſpatio atque cultu hoc ſufficit retuliſſe. Tanta eius laxitas vt porticus triplices miliarias haberet. Item ſtagnum maris inſtar circumſeptum ædificijs, ad vrbium ſpeciem. Rura inſuper aruis atque vinetis, & paſcuis ſiluiſque varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus auro cuncta lita, diſtincta gemmis vnionum, conchiſque erant. Cænationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, vt flores fiſtulis, vt vnguenta deſuper ſpargerentur. Præcipuæ cænationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.

De Rapina eius ac crudelitate.

Cap. VIII.

Auaritia, & rapina. Exhauſtus, & egens; calumnijs rapiniſque intendit animum. Templis compluribus dona detraxit, ſimulachraque ex auro, & argento fabricata conflauit. *Parricidium in Claudium* Parricidia, & cædes à Claudio exorſus eſt, cuius necis, & ſi non auctor at certe conſcius fuit. Octauiam vxorem ſæpe fruſtra ſtrangulare meditatus, primo dimiſit vt ſterilem, ſed improbante diuortium populo nec parcente conuitijs, etiam relegauit, denique occidit ſub falſo crimine adulteriorum. *Sæuitia Neronis.* Poppæam poſt diuortium Octauiæ in matrimonium acceptam, dilexit vnicè, & tamen ipſam quoque grauidam, & ægram ictu calcis occidit. Nullum adeo neceſſitudinis genus eſt, quod non ſcelere pertulerit. Antoniam Claudij filiam poſt Poppææ mortem nuptias ſuas recuſantem, quaſi molitricem nouarum rerum interemit. Priuignum adhuc impubẽ, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere, mari mergendum ſeruis ipſius, dum piſcaretur, demandauit.

Nutricis

Nutricis filium relegauit, quod balneis in aduentum ſuum extructis lauiſſet. Senecam præceptorem ad necem compulit. Præfecto remedium ad fauces pollicens venenum miſit. Libertos diuites, & ſenes olim adoptionis, mox orationis ſuæ fautores atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit. Matrem dicta factaque ſua acerbius exquirentem, & corrigentem, primum omni honore, & poteſtate priuauit; contubernio quoque ac palatio expulit; neque in vexando quicquam penſi habuit, & mox etiam minis eius ac violentia territus perdere ſtatuit. Et cum ter tentaſſet veneno, ſentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem deciderent, parauit. Hoc conſilio parum per conſcios celato, tandem interfici iuſſit. Fertur etiam ad viſendum interfectæ cadauer accurriſſe, contrectaſſe membra, alia laudaſſe, alia vituperaſſe. Parricidio matris amitæ necem iniunxit, necdum defunctæ, bona inuaſit, ſupreſſo teſtamento, ne quid abſcederet. Nec minore ſæuitia etiam in exteros graſſatus, nobiliſſimo cuique exitium deſtinauit: damnatorum liberi vrbe pulſi, enectique veneno & fame. Creditur etiam cuidam Ægyptij generis crudam carnem, & quicquid daretur manducare aſſueto, viues homines concupiſſe laniandos, abſumendoſque obijcere. Sed nec populo aut mænibus pepercit. Nam quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum & anguſtijs flexuriſque vicorum, palam incendit vrbem. Per 6. dies ſeptemque noctes ea clade ſæuitum eſt, ad monumentorum buſtorumque diuerſoria plebe compulſa. Incendium è turre * proſpectans lætuſque *flamme* (vt aiebat) *pulchritudine*, in illo ſuo ſcenico habitu decantauit. Et vt hinc quoque quantum poſſet prædæ, & manubiarum inuaderet, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit.

Parricidium Neronis in matrem.

Cuidam Polyphago carnes humanas dedit manducandas.

Incendio populum & mania patria vaſtat.

* *Mæcenariana.*

De Seneca, & libris eius.

CAP. IX.

AVthor. Porro de hoc quod dictum eſt (quod Senecam præceptorem ſuum ad necem compulit) in chronicis legitur, quod idem Seneca venarum inciſione hauſtu veneni perijt. Fertur autem relatio, quod ipſe Nero Senecam aliquando reſpiciens, & verbera, quæ ſibi à pueritia intulerat ad memoriam reducens, infremuerit, ac tanquam iniuriarum vltionem expetere de illo cupiens, ſed tanquam præceptori, vtcunque deferens vt quoduis mortis genus ſibi eligeret, optionem conceſſerit. Ipſe autem Seneca quaſi ſuaue genus arbitrans in balneo mori, inciſionem venæ elegit.

Seneca quo genere mortis obijt:

Huius autem familiaritatem Paulus dū Romę eſſet in cuſtodia publica ſibi comparauit: licet *Comeſtor cap.* 126. contrarium dicere videatur, ſcilicet quod 14. Neronis anno cum iam nequitia eius inualuiſſet, & iam in Iudæos conſpiraſſet; poſitus eſt Paulus Romæ in carcere, vbi multos de familia Neronis conuertit, & familiaritatē Senecæ magiſtri Neronis ſibi comparauit. Huic autem contradicit *Hieronymus, dicens, in libro de illuſtribus viris*, 14. Neronis anno Paulus eodem die quo & Petrus, capite truncatur: Seneca vero ante biennium à Nerone interficitur.

Seneca cum D. Paulo familiaritas.

Ex geſtis ſancti Pauli. Conduxerat igitur (vt dictum eſt) ſibi Paulus extra vrbem horreum publicum, vbi cum fratribus de verbo vitæ tractauit; & admodum innotuit vrbi Romanæ, ſignis, & prodigijs, doctrina, ac ſanctitate. Concurſus quoque multus de domo Cæſaris fiebat ad eū, credentium in Chriſtum: ſed & inſtitutor Cæſaris Seneca adeo illi amicitia copulatus eſt, videns in eo diuinam ſcientiam, vt ſe ab eius colloquio temperare vix poſſet: & ſi eum ore ad os alloqui non valeret, frequentibus datis, & acceptis epiſtolis, eius colloquio amicabili, ac conſilio fruebatur. Scripta quoque ipſius quędam coram Cęſare legit, & in cunctis eum admirabilem reddidit. Senatus autem de illo alta ſentiebat.

Hieronymus in libro de verbo vitæ. Lucius Anneus Seneca Cordubēſis Phorionis Stoici diſcipulus, & Patruus Lucani Poetæ, continentiſſime fuit vitæ. Quē non ponerē in catalogo ſanctorum, niſi me illæ Epiſtolæ prouocarēt, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecā, & Senecæ ad Paulum: In quibus cum eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus; optare ſe dicit eius eſſe loci apud ſuos, cuius ſit Paulus inter Chriſtianos. Hic ante biennium, quam Petrus, & Paulus martyrio coronarentur, à Nerone interfectus.

De libertate eius in reprehenſione idolatriæ.

CAP. X.

Auguſti. de Ciui. Dei lib. 6. cap. 10. Libertas ſane, quæ Varroni defuit, ne vrbanam Theologiam Theatrice ſimillimam aperte ſicut illam reprehendere auderet, Anneo Senecæ non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit, affuit enim ſcribenti, viuenti defuit. Nam in eo libro quem cōtra ſuperſtitiones condidit multo copioſius atque vehementius reprehendit ipſe ciuilem iſtam, & vrbanam Theologiam, quaque Varro Theatricam, atque fabuloſam. Cum enim de ſimulacris ageret, ſacros inquit immortales, inuiolabiles in materia viliſſima atq; immobili dedicāt, habitus illi hominum ferarūque & piſcium præſtantes. Quædam vero, quæ mixto ſexu diuerſis corporibus induunt, numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur.

Libri Senecæ nonnulli amiſſi ſunt vbi de ſuperſtitionibus & de matrimonio, cuius meminit Hieronymus aduerſus Iouin. huius iacturam, vt aliorum complurium veterum ſcriptorum deplorauit Ioānes Andreas Stranius in annotat. in libus quas in Senecam ſcribit. Aug ibid. cap. 11.

De ipſis vero ritibus crudeliter turpibus, quam libere ſcripſit? Ille, inquit, viriles ſibi partes amputat; ille lacertos ſecat, vbi iratos Deos timent, qui ſic propitius merentur. Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodo poeticam Theologiam reprehendere auſus eſt, ciuilem non. Sed iſte quem philoſophi quaſi liberū fecerunt, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat; quod reprehendebat; agebat, quod arguebat quod culpabat adorabat: quia videlicet magnū aliquid eū Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo, ſed propter leges ciuiū moreſque hominū, non quidē ageret fingentem ſcenicum in theatro, ſed imitaretur in templo; eo dānabilius quod illa, quæ mēdaciter agebat, ſic ageret, vt eū populus veraciter agere exiſtimaret. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet.

Hic etiam Seneca inter alias ciuilis Theologiæ ſuperſtitiones reprehendit, etiam ſacramenta Iudæorū, & maxime Sabbata inutiliter eos facere affirmans, quod ſeptimam ætatis ſuæ fere partē perdant vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo, lædantur. Chriſtianos tamen iā tunc Iudæis inimiciſſimos in neutram partem cōmemorare auſus eſt, ne vel laudaret cōtra ſuæ patriæ veterem cōſuetudinē, vel reprehenderet contra propriā forſitan voluntatē. De illis ſane Iudæis cum loqueretur, ait; cum interim eovſque ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo conualuerit, vt per omnes iā terras recepta ſit, victi victoribus leges dederunt. Mirabatur hæc dicens, & quid diuinitus ageretur ignorans: ſubiecit plane ſententiam qua ſignificaret: quid de illorū ſacramentorum ratione ſētiret, ait enim: illi tamē cauſas ritus ſuis nouerunt, & maior pars Populi facit, quod cur faciat, ignorat.

De duodecim perſecutionibus eccleſiæ quarum prima cepit à Nerone.

CAP. XI.

AVthor. Denique Nero anno 13. Imperij ſui; primus Imperatorum contra Eccleſiam Chriſti legitur inſurrexiſſe. Multæ ſiquidem perſecutiones eccleſiæ leguntur, ſed inter has tamen duodecim præcipue iuxta ſanctorum traditionem inueniuntur famoſæ.

Perſecutiones hæ ſunt cornua draconis quibus ferit pios.

Prima ſcilicet ſub Nerone in qua paſſi ſunt Petrus, & Paulus Principes Eccleſiæ.

Secunda ſub Domitiano, in qua Ioannes Euangeliſta relegatus eſt in Pathmos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tertia sub Traiano in qua passi sunt sancti Ignatius, Nereus, & Achilæus.

Quarta sub Marco Antonino Vero in qua sancti Polycarpus,& Photinus.

Quinta sub Alexandro Mameæ filio in qua Calixtus Papa, Beata Cecilia cum Papa Vrbano.

Sexta sub Maxmino in qua passus legitur Papa Pontianus alijque quam plurimi.

Septima sub Decio sub quo Beata Agatha, Petrus cum socijs & plures alij.

Octaua sub Valeriano, & Galieno, in qua Stephanus Papa, & Eugenia virgo cum patre suo Philippo.

Nona sub Aureliano in qua Sanctus Agapitus, & Simphorianus, & columba virgo.

Decima vero sub Diocletiano,& Maximiano, in qua sancti Vincentius, Georgius, Cosmas,& Damianus, cæterique plurimi, quorum non est numerus.

Hæc enim ante tempora Constantini fuit vltima persecutio, & quasi omnium præcedentium consummatio, & plenitudo. Postquam vero Constantinus ille magnus à Beato Siluestro baptizatus est, Ecclesiæ pacem reddidit.

Constantinus iterum eius filius Arrianus, vndecimam aduersus nostros persecutionem concitauit, in qua passus est presbyter Eusebius, Athanasius toto orbe profugus,& Hilarius in exilium relegatus.

Duodecimam vero Iulianus Apostata, in qua passi sunt sancti Ioannes, & Paulus, Quiriacus, & Donatus.

Illæ autem decem, quæ tempora Constantini præcesseruut singulę fere per plures Imperatores protelatæ sunt vt illam quam Nero incæpit, Vespasianus consummauit. Et illam, quã Domitianus excitauit etiam Nerua postmodum exercuit & illam quam Traianus Adrianus Antoninus quoque Pius. Quam vero cæpit Antonius Verus persecuti sunt etiam Commodus, & Seuerus. Et illa quæ cæpit per Valerianum.& Galienum, inualuit etiam per Claudium. Illa quoque quæ per Aurelianum. consummata est per Numerianum. Et illa, quæ per Diocletianum, & Maximianum, inualuit etiam per Maximinũ Galerium, per Maxentiũ quoque& Luciniũ.

Merito igitur Nero (secundum Apostolum) Antichristi typum tenuit, qui omnium malorum istorum principium,& caput extitit.

Eusebius in historia Ecclesiastica lib.2.cap.25. Igitur Nero vt apertum se hostem diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum prius Apostolorum, quippe qui duces, & signiferi erant in populo Dei, expetit neces: & Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum vero, crucis patibulo condemnat.

Paulus decollatus, Petrus in cruce actus.

De conflictu Petri cum Simone Mago, & morte illius.

Cap. XII.

EX passione sancti Petri Apostoli quæ habetur in tomo 10. Bibliothecæ veterum Patrum Authore S. Lino. Cum essent Romæ fidem prędicantes, eiusdem Neronis animum Simon Magus diuersis illusionibus dæmonum sic obtinuerat; vt eum salutis suæ præsulem,ac vitæ custodem esse,pro certo confideret. Nam & bellorũ victorias & subiectionem gentium,& prosperitatem rerum se per eum in omnibus habiturum esse credebat. Sed Petrus vniuersas eius vanitates, & flagitia detexit; quippe qui iam in Iudæam per ipsum Petrum de his, quæ gerebat sceleribus confutatus transmarinam aggressus fuerat fugam: & qui in alijs terrarum partibus erat expectus Petri potentiam, tamen Romam veniens iactare se ausus est,quod posset mortuos suscitare.

Ex passione Pauli ibidem ex S. Lino Cumque maxima pars populorum credidisset: Simon in cælum excitatus, dicebat Petrum esse Magum,& seductorẽ,cui credebãt qui signa eius admirabantur. Faciebat autem Simon serpentem æreum se mouere, & lapideas statuas ridere, & mouere,& seipsum currere,ac subito videri in aere.

Ex Passione Petri. Quodam aute adolescenti nobili propinquo Cæsaris defuncto vocati sunt ambo. Simon cõditionem proposuit, vt si ipse mortuũ suscitaret Petrus occideretur; qui tantæ potestati verbis audacibus irrogasset iniuriam. Si autem illo nihil agente Petrus mortuum suscitasset, Magus sentẽtiæ eidem subiaceret. Acquieuit Petrus: accedens autem Magus ad lectulum defuncti, incantare atque murmurare dira clam carmina cæpit, visusque est circumstantibus caput agitare defunctus. Clamor gentium attollitur, quod iã viueret,& cum Simone loqueretur. Mira indignatio omnium in Petrum,eo quod ausus esset tantæ potestati se conferre. Tunc Petrus postulato silentio ait: Phantasma est non veritas,quod cernitis;si viuit defunctus,surgat,ambulet, loquatur. Denique separetur Magus à lectulo,& ad plenum figmenta Diaboli denudentur. Abducitur itaque Simon à lectulo, & sine vlla spe vitæ defunctus manet immobilis. Petrus autem à longe stetit,& intra se orationi paulisper intentus ait cum magna voce. *Adolescens surge, sanet te Dominus Iesus Christus.* Qui statim surrexit, & locutus est, ambulauit, & cibum sumpsit. Cumque populus vellet Magum lapidare,ait Petrus; satis est ad pœnam suam, quod artes suas nil valere cognoscit. Viuat, & regnum Christi vel inuitus crescere videat. Torquebatur Magus Apostoli gloria,& congregans populum dicit se Galilæis offensum,seque vrbem, quã tueri solebat relicturum. Diem statuit in quo volatum pollicetur quò supernis sedibus inueheretur,cui quando vellet, cælum pateret. Statuto die montem Capitolinum conscendit, ac se de rupe eijciens volare cæpit. Miratur populus ac veneratur quasi Dei potentiam, non hominem: dicentes plerique nihil tale Christum fecisse. Tũc Petrus in medio stans ait: Domine ostende eis artes suas vanas esse,ne hac spe populus iste,qui crediturus est,decipiatur. Decidat domine, sic tamen vt nihil se potuisse viuus recognoscat. Et statim ille implicatis alarum remigijs quas sumpserat corruit,nec exanimatus est; sed fracto ac debilitato crure, Areciam secessit atque ibi mortuus est. Quo comperto Nero deceptum se,& destitutum dolens tanti amici casu, sublatumque sibi virum vtilem, & Reipublicæ necessarium, indignatus præceptum dedit vt comprehenderetur Petrus.

Hanc historiam Beatus Linus nõ ita narrat, sed dicit causam capturæ eius fuisse; quia Agrippa fuit offensus eo quod quatuor concubinæ Agrippæ Petri doctrinam sequentes castitati se deuouebãt nec amplius obsequio cõcubitus Agrippæ acquiescere voluerunt: sed Bellarminus hanc historiam reprobat eo quod non cõstat Agrippã fuisse tunc præfectum vrbis.

Quod Petrus insidias declinans Albini à Christo monitus redyt.

Cap. XIII.

SEd & Albinus quidam Cæsaris amicissimus consiliatus est quatenus vna cum Agrippæ manu, quasi auem laqueo, Apostolum Petrum caperet, & vt maleficum pessundaret. Cuius scilicet Agrippæ præfecti quatuor concubinas ab eius thoro libidinoso idem Apostolus prædicatione sua retraxerat. Horum igitur consilium vxor Albini cum per nuncium fidelem Petro aç fratribus innotuisset,precabantur fratres eum vt secederet. Tunc Petrus ait: Fugiendum suadetis, & iuuenũ, imfirmorumque cordibus exẽplo nostro metum incutere passionis; fugiendum putatis, vt mortem declinemus, quam multis suspirijs & gemitibus diuturnis, vt ingressum vitæ expetimus, qua etiam secundum Domini reuelationem, eum clarificare debeamus. At illi cum magno fletu dixerunt: Miserere Pater misericors iuuenum, & eorum, qui sunt in fide rudes: ne nos, & illos inter infidelium turbines destitutos relinquas. Vbi sunt nunc verba quibus dicebas, quod pro vita nostra paratus esses morti succũbere?& nũc impetrare nõ possumus, vt pro salute nostra donec corroboremur patiaris aliquantulũ viuere. Tandẽ Petrus, qui vltra humanũ modum misericors lachrymas afflictorum nunquam sine lachrymis præterire poterat; deuictus tantis fletibus; proxima nocte celebrata oratione, valedicens fratribus: profectus est solus. Vt autem portam ciuitatis voluit egredi, vidit sibi Christum occurrere: & adorans eum ait: Domine quo vadis? Qui respõdit. Romã venio iterum crucifigi: cui Petrus: Domine iterũ crucifigeris? at ille:

Hic redit historia Lini.

Occurrit Christus Petro fugienti. Euseb. lib.3. cap. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

at ille: Etiam. Petrus verò: Domine, inquit, reuertar & sequar te. His dictis ascendit Dominus ad cœlum, & Petrus secutus est cum multo intuitu, & dulcissimis lachrymis. Post hæc in se rediens, intellexit de sua passione dictum, quòd in eo Dominus passurus esset, conuersusque in vrbem redijt, & quod viderat fratribus enarrauit.

Qualiter captus est, & cruci affixus.

CAP. XIIII.

CVmque multis verbis eorum animos consolaretur, & illi lachrymas tenere non possent, superuenit Sacerdos Deorum cum quatuor apparitoribus, & alijs decem viris. Qui rapientes eum de medio fratrum; statuerunt vinctum coram prefecto Agrippa. Qui arguens eum de Crucifixi doctrina, & Deorum iniuria, iussit crucifigi. Et ecce ingens concursus subito factus est diuersæ ætatis, & sexus clamantium voce summa: Vt quid occiditur Petrus? In quo læsit vrbem? Nonne timendum est ne tanti viri necem Deus vindicet, & nos omnes perire præcipiat? Et cœperunt in Agrippam sæuire, molientes illæsum rapere, & consetuare Petrum; & inconditis vocibus plebis innumeræ confundebatur Roma: tunc Petrus ascendens editiorem locum, nutuque ad silentium prouocans populum ait: O viri fideles, qui Christo militatis! O omnes, qui in Christo speratis, si charitas vestra in me vera est, & integra in me viscera pietatis ostenditis, nolite impedire properantem ad Christum; state quieti, & læti, & hostiam meam cum hilaritate Domino offeram. His dictis vix sedata est seditio, & præfecti discerptio. Poterant enim & hianter optabant eum euertere, sed timebant Apostolum contristare, qui Magistri sui sequebatur exemplum dicentis: *Possum mihi nunc si volo xij. legiones angelorum &c,* Venerunt igitur simul ad locum Naumachiæ, vbi posita erat crux. Accedens Petrus, & stans cruci dixit. O crux, quæ hominem Deo coniunxisti, & à Diaboli dominio magnificè segregasti! O crux, quæ quotidie carnes agni immaculati fidelibus populis diuidis, & serpentis dira venena poculo salutari depellis, ac rõphæam Paradisi ignitam credentibus sine intermissione restringis! O crux, quæ pacem quotidie terrenis cum cælestibus operaris; vim patior tui causa. Implete carnifices, quod vobis iussum est. Exuite me mortali tunica, vt spiritu adhæream domino. Petijt sane à ministris carnificum, & ait: Precor vos bonæ salutis meæ ministri, vt crucifigentes me, caput deorsum ponatis, & pedes sursum: non enim decet me seruum vltimum ita crucifigi vt Dominum vniuersitatis, qui passus est pro salute mundi. Cumque hoc factum fuisset adorsus est Petrus populum flentem de cruce consolari, & mirabiliter alloqui dicens. Grande, & profundum est crucis mysterium, ineffabile atque inseparabile Charitatis vinculum. Hoc est vitæ lignum quo destructum est mortis imperiũ, hoc tu mihi aperuisti Domine, aperi, & oculos istorũ vt videant consolationẽ vitæ æternæ. Tunc aperuit Dominus oculos eorum, qui lugebant, & viderunt Angelos stantes cum coronis, de floribus rosarum, & liliorum, & in virtute crucis erectæ stantem Petrum, & librum à Christo accipientem, & ea verba, quæ loquebatur inde legentem. Quod videntes ita cœperunt gaudere in Domino vt illusi, & increduli, & carnifices videntes eos lætari quos prius tristes viderant, subitò delitescerent, & velut fumus euanescerent. Tunc Petrus gratias agens, & oues sibi traditas Christo commendans, cum omnis populus respondisset Amen, magna voce tradidit spiritum.

Ob damnationẽ Beati Petri tumultuatur populus.

Matth. 26.

Crucis laudes de quibus plura apud Abdiam.

Nicephorus lib. 2. cap. 36. Christus suorum passione glorificatur.

Crucis efficacia.

Beati Petri gloria.

Quid significet deorsum versum D. Petri crucifixio.

De exequijs eius, & correptione Neronis.

CAP. XV.

MArcellus quidam Frater, statim corpus sanctum proprijs manibus de cruce deposuit, & lacte ac vino optimo lotum atque aromatibus conditum diligentissime sepeliuit. In ipsa autem nocte cum ad sepulchrum eius vigilaret, & ardenti ipsius desiderio fleret. (Statuerat enim in vita sua non separari à Doctoris sui sepultura) stetit ante eum Petrus, & ait: Frater Marcelle non audiuisti vocem Domini dicentis. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Ne ergo quasi mortuum videaris sepelisse, & flere, sed quasi viuus viuenti, & gaudenti congaudere, *relinque mortuos sepelire mortuos suos,* tu autem vt per me didicisti vade, & annuncia regnum Dei. Nero autem comperiens ohijsse Beatum Petrum quem arctari non interfici iusserat, Agrippam iussit comprehendi, quia non eum cum sua sententia interfecerat, quem per varia punire supplicia disponebat propter Simonem Magum, de cuius casu dolebat. Agrippa verò interuenientibus amicis obtinuit, vt præfectura carens domo propria degeret. Denique conuertit Nero animum ad persecutionem eorum, quos didicit Beato Petro familiarius adhæsisse, vt vel eorum pœnis de Petro satiaretur. At Beatus Apostolus fatribus hoc per reuelationem innotuit, & qualiter feram bestiam declinarent insinuauit. Nero quoque per visum sibi sanctum astare Petrum vidit, & dirissime à quodam, iussu ipsius flagellatus audiuit: Contine manus impijssime à Domini nostri Iesu Christi seruis, quos nunc tenere non poteris. Vnde parum pauefactus, quieuit. Erantque fratres simul exultantes in Domino, sæpe confortati visione Beati Petri.

Author. Eodem autem anno, & eodem die quo Petrus passus est, & Paulus (vt ait Hieronymus) in eadem vrbe, & sub eodem persecutore passus est.

Corpus D. Petri mortuum, lacte, & vino lauatur.

Matth. 8.

Necem B. Petri dissuasisse Neroni repugnat omnibus veteribus Patribus, ait, Bellarminus, & propterea credit opus hoc Beati Lini dubium esse.

De Paulo qualiter Patroclo suscitato comprehensus est.

CAP. XVI.

EX *gestis eius quæ extant apud Beatũ Linum l. 2.* Quadam etenim die cum Paulus circa vesperã in cœnaculo editiori turbas doceret, Patroclus quidam delitiosus, & Pincerna Regis, ipsius se subducens aspectibus, abijt ad horreum vbi Paulus hospitabatur, vt audiret vitæ perpetuæ documenta, inuitatus ad hoc à consodalibus suis, qui familiari obsequio Pauli monita sectabantur. Sed cum præ multitudine populi ad eum adire non posset, ad fenestram excelsiorem ascendit, ac secus eum sedit, vt verbum Dei commodius audire posset. Sed cum Paulus in longum sermonem protraxisset, & Iuuenis somno fatigaretur, cadens de fenestra spiritum exhalauit. Quod Paulus statim per spiritum agnoscens dixit ad Plebem vt sibi afferrent Cæsaris delicatum iuuenem latentem foris exanimem. Quod cum fecissent, ait: Accedite plena fide ad Dominum, & deprecemur eum vt restituatur anima in istud iuuenile cadauer, viuatque melius, quam vixerit. Cumque ingemuissent omnes procumbentes orationi, ait Paulus; Adolescens surge, & narra quanta tibi fecerit Dominus. Ad hanc vocem ille quasi de somno surrexit, & glorificauit Deum. Cumque lamentaretur Nero Patroclum, & immensitate absorberetur tristitiæ, dixerunt circumstantes ad Cęsarem, Patroclum viuere, eumque præ foribus adesse. Quod ille audiens expauit corde, & recusabat eum introire, & aspectui suo astare, sed cum illi fuisset ab amicis persuasum, iussit introire eum: & videns eum vegetum, nullaque signa mortis habentem obstupuit, & ait: Patrocle, quis te fecit viuere? Cui ille corde exhilaratus, & calore fidei accensus,

Paulus suscitat Patroclum, suscitauit & Eutychem simili lapsu mortuum. Actor. 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

census, ait: Dominus Iesus Christus Rex omnium sæculorum. Tunc conturbatus Nero de nomine virtutis Dei dixit: Ille ergo debet regnare in sæcula, & resoluere Regna omnia. Qui respondit: Etiam, & ipse solus est *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Nero autem dedit ei alapam dicens: Ergo militas illi regi? Respondit ille. Etiam. Nam excitauit me à mortuis. Tunc Barnabas, & Iustus, & quidam alij ministri Cæsaris, qui ei iugiter assistebant dixerunt: Cur Cæsar rectè sapientem, & veracissime respondentem iuuenem percutis? Nam & nos militamus illi Regi inuicto Iesu Christo. Quod audiens Nero retrusit eos in carcerem, vt nimium torqueret, quos ante nimis amauerat. Et iussit inquiri milites illius magni Regis vt punirentur, inter quos, & Paulus ducitur vinctus.

Euseb. lib. 2. c. 24 Nicephor. lib. 2. c. 27.

De constanti eius confessione coram Cesare.

Cap. XVII.

AD quem Cæsar: O, inquit, homo nescio cuius Regis seruus, mihi autem vinctus, quid tibi visum est Romanum regnum latenter introire, & mihi subtrahere, illique colligere milites de militiæ meæ principatu? Paulus verò repletus Spiritusancto constanter respondit: Nero, non solum de angulo tuo colligimus milites sed de toto orbe. Hoc enim mihi præceptum est, vt neminem ex omni gente militare volentem, æterno Regi meo repellam; cæterum noli putare, quod diuitiæ huius mundi aut gloria seruare te debeant. Sed si subiectus illi fueris in perpetuum saluus eris; cum enim venerit iudicare viuos, & mortuos vastabit figuram mundi per ignem, & militibus suis dona indeficientia largietur. Nero igitur ira accensus, quia dixerat Paulus figuram mundi per ignem resoluendam, iussit omnes milites Christi igne cremari, Paulum verò tanquam maiestatis reum secundum humanas leges capite truncari. Tradiditque eum ministris, vt illum extra vrbem ducentes, populo spectaculum de eius occisione præberent: quibus ille sine intermissione verbum salutis prædicabat. Apparitores quoque per omnem circa regionem Nero direxit, qui & latitantes scrutarentur, & manifestos simul interficerent Christianos. Vnde tam multiplex occisa est turba Christianorum, vt Romanus Populus palatium vi irrumperet, & seditionem contra Cæsarem excitare moliens, proclamaret: Pone modum Cæsar iniustissimæ iussioni, tempera furorem irrationabilem. Nostrates sunt homines quos perdis. Romanum tuentur Imperium. Tunc Nero clamores populi expauescens, aliud edictum proposuit, vt nemo auderet Christianis quicquam inferre molestiæ, donec ex relatione cuiusquam relatio plenissimæ cognitionis referretur ad Cæsarem. Vnde factum est vt iterum Paulus offerretur eius conspectibus: Quem Nero vt vidit, vehementissime exclamauit. Tollite tollite maleficum, decollate impostorem, perdite sensuum alienatorem. Ait Paulus: Nero, tempore modico patior ego, sed viuam in perpetuum Deo, & Regi meo æterno. Nero itaque dixit Longino, & Megesto Acesto. Auferte celerius ab illo caput, & sic sibi de vita æterna blandiatur, sentiatque me Regem inuictum, qui eum vinxi, & occidendo deuici. Paulus verò ait: Vt scias, Nero, me post decollationem inuicto regi æternaliter viuere, te autem victum, qui nunc putas te vincere: Cum mihi caput abscissum fuerit, viuus tibi apparebo: & cognoscere poteris, quia mors, & vita famulantur Domino nostro Iesu Christo, cuius est omne regnum, & cui voluerit, dabit illud.

Nero cremat Christianos quod mundum dicerēt igne dissoluendum.

Nicephorus id scribit cōtigisse post Christi passum anno 37. li. 2. c. 36.

Qualiter ad supplicium pergens ductores suos conuertit.

Cap. XVIII.

HIs dictis ductus est ad supplicium: & cum ducerētur dixerunt illi tres viri. Vbi est Paule Rex ille, & vbi apparuit vobis, & quid vobis contulit vt sic arctissime Christiani eum diligatis? Magnus nobis error videtur iucunditatem odisse ac vitam, & toto desiderio pœnas amplecti, ac mortem Paulus ait: O viri cordati, ac bono sensu vigentes, relinquite tenebras ignorantiæ, quibus obnubilatur intelligentiæ vestræ nobilitas, ne verum, quod in vobis latet, videre possitis, & mentis oculos ad veram, & æternam lucem conuertite; vt prius vosipsos valeatis cognoscere, & sic ad cognitionem illius Regis cum lætitia peruenire, atque ab igne toti orbi superuenturo, & salui, & illæsi permanere. Non enim vt putatis alicui terreno Regi militamus, sed Deo viuo Regi cælorum, & omnium sæculorum: qui propter iniquitates quæ fiunt in mundo hoc; factus est homo, vt homo ab iniquitate reuersus, relinquens simulacra vana, quæ nefandissime colit, seruiat illi, qui eum fecit. Qui & propter iniquitates, quæ in mundo fiunt, veniet iudex, & iudicabit illum per ignem. Ad hæc turbæ audientium leuauerunt vocem in planctum, dicentes: *Erranimus Doctor salutis, miserere nostri.* Longinus quoque Megestus Acestus alloquentes secretius Apostolum dixerunt: Rogamus te domine, fac nos ascribi in militia æterni Regis, vt possimus venturum ignem euadere, & participes Regni æterni fieri, & dimittemus te, vel potius quò decreueris pergere, erimus tibi itineris comites, & vsque ad mortem parentes. Quibus respondit Paulus: Fratres mei non sum profugus, sed miles Regis mei legitimus: nec sine causa pati cupio: Nam reposita est mihi corona victoriæ, quam reddet mihi cui credidi. Ideo mortem hanc contemno, & vestram petitionem vt abscedam, non facio. At illi flentes dixerunt: Quomodo te punito viuemus? & ad illum in quem nos credere persuades, peruenire vltra valebimus? Cum hæc inter se loquerentur, & populus multas voces in altum ederet, misit Nero Parthemium, & Pheretam vt viderent si iam Paulus esset occisus. Qui inuenerunt eum viuentem adhuc, & turbas diutissime alloquentem qui etiam illos ad se vocans dixit: Viri credite in Deum viuum, qui me, & omnes in se credentes à mortuis suscitabit. At illi dixerunt: Ad Cæsarem prius omnia renunciantes ibimus, cum peractum fuerit pro quo missi sumus, & cum mortuus fueris, & resurrexeris vt dicis, tunc Regi tuo credemus. Paulus ait: Commoratione mea in carne plus indigetis, si credere vultis, quàm ego, qui ad vitam per mortem vado; sed iam pergamus exultantes in nomine Domini.

Quor sum Deus de cælo descenderit?

Spes sanctorum.

Qualiter decollatus est, & mæsorte Plautillæ restituta.

Cap. XIX.

CVmque pergerent ad portam vrbis habuit obuiam nobilissimam matronam nomine Plautillam religionis diuinæ cultricem, & Apostolorum feruentissimam dilectricem: quæ flens eius orationibus commendare se cœpit: ad quam Paulus, ait vade Plautilla æternæ salutis filia, commoda mihi pannum, quo caput tegis, & secede paululum, hic me expectans, donec reuertar ad te, & tibi restituam beneficium. Ligabo enim mihi oculos vice sudarij, & tuæ dilectioni pro Christi nomine pignus ad illum pergens relinquam. Qua festinatò pannum porrigēte insultabant ei Parthemius, & Pheretas dicentes: Quid credis impostori, & Mago? cur perdis pānum

Commodat Plautilla D. Paulo sudarium.

optimum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

optimum non tantum per eum in ſæculo lucratura? Paulus vero ad ea: Etiam filia hic præſtolare aduentum meum, & ſigna mortis meæ in panniculo tibi afferam cum Chriſto victurus. Interea Longinus, Miſtus, Aceſtus, dum inſtarent pro ſalute ſua; modum inquirentes quo ad veram vitam poſſent attingere, audierunt ab Apoſtolo: Fratres mei vos, & cæteri miniſtri interfectionis meæ, mox vt à loco decollationis meæ receſſeritis, viri fideles rapient, & ſepelient corpus meum*; vos autem notate locum ſepulchri, & cras diluculo illuc venite; ibi inuenietis duos viros orantes Titum, & Lucam, qui dabunt vobis ſignum ſalutis, ſtatimque ab omnibus peccatorum contagijs, & ab hoc etiam, quod reueremini in me ſcelere perpetrato, incunctanter purgati eritis; & ſuper niuem dealbati, in ſerie Chriſti milites deſcripti; & cœleſtis regni cohæredes effecti. His dictis peruenit ad locum paſſionis vbi ad Orientem verſus, tenſis in cœlum manibus diutiſſime orauit cum lachrymis Hæbraicè, & gratias egit Deo. Deinde valedicens Fratribus benedixit eos. Et ligans ſibi de Plautillæ* maforte oculos in terra vtrumque genu fixit, & collum tetendit. Spiculator verò in altum brachium eleuans cum virtute percuſſit, & caput eius abſcidit. Quod poſtquam à corpore præciſum fuit, nomen Ieſu Chriſti Hebraicè clara voce perſonuit; ſtatimque de corpore eius vnda lactis in eius veſtimenta exilijt, & poſt eam ſanguis effluxit. Stola verò qua ſibi ligauerat oculos, cum quidam vellent eam rapere, non comparuit. Tanta etiam lucis immenſitas, & odoris ſuauitas in momento decollationis, cælitus ibi emicuit, vt mortalium oculi ſplendorem illum ſufferre, & humana lingua narrare odorem nequiuerit. Quod videntes qui aderāt, laudabant Deum quem Paulus prædicabat.

Petrus de voragine in legenda ſanctorū notat corpora SS. Petri & Pauli proiecta fuiſſe in puteum, vbi oſſa alterutrius cælitus per hanc vocē diſcernebantur, oſſa maiora ſunt piſcatoris: minora, prædicatoris.

** Mafors hic pro ſudario & ſtrophiolo ſumitur, non autē pro amictu humilitatis contegente colla atque humeros, vti exponit Caſſianus lib. de habitu monachali, c. 7.*

Qualiter poſt mortem apparuit Plautillæ, & poſt, Cæſari, & poſt miniſtris.

CAP. XX.

RUertentes verò, qui miſſi fuerant vt interfectionem eius accelerarent, inuenerunt ad portam ciuitatis Plautillam laudantem Deum in his, quæ viderat, & audierat per eius Apoſtolum. Et interrogauerūt eam cum irriſione, cur caput ſuum non operiret maforte, quam ſuo Apoſtolo præſtauerat? Quæ accedens accenſa calore fidei reſpondit: O vani, & increduli, verè habeo eundem quem illi porrexeram pannum, de infuſione ſui glorioſi ſanguinis precioſum. Nam de cœlo veniens innumerabili candidatorum caterua, comitatus, pannum illum mihi veraciſſime retulit, & dixit: Tu mihi Plautilla in terris obſequium præſtitiſti, ego te quantocius ad cœleſtia regna pergentem deuotiſſime obſequar. In proximo namque pro te reuertar, & tibi Regis inuicti gloriam demonſtrabo. Et extrahens Plautilla pannum roſeo ſanguine perfuſum oſtendit illis. Qui timore correpti citò perrexerunt ad Cæſarem, quæ viderant, & audierant nunciantes. At ille audiens ingenti ſtupore attonitus, cæpit de his cum Philoſophis, & amicis ſermonem habere. Cumque hæc inuicem mirarentur, & ſecum quærerent; venit Paulus circa horam nonam ianuis clauſis, ſtetitque ante Cæſarem, & ait: Cæſar, ecce ego Paulus Regis æterni, & inuicti miles, non ſum mortuus, ſed viuo Deo meo. Tibi autem miſer mala ineffabilia imminent, pro eo, quod inter alia flagitia peſſima multum ſanguinem iuſtorum effudiſti inuſtè. Hæc dicens repente diſparuit. Nero his auditis, vltra quam dici poſſit, timore percuſſus, & velut amens effectus, ignorabat quid agere poſſet. Suadentibus verò amicis iuſſit Patroclum, & Barnabam, & alios cum eis vinctos ſoluere, & quo vellent abire. Longinus denique Megiſtus, & Aceſtus (ſicut eis conſtituerat Paulus) diluculo venientes ad ſepulchrum eius, viderunt duos viros orantes, & in medio eorum ſtantem Paulum. Horrentes autem in viſu, reueriti ſunt propius accedere. Et Titus, & Lucas in ſe ab extaſi reuerſi, videntes illos, qui fuerant miniſtri necis Pauli, numano terrore correpti fugerunt, & Paulus euanuit ex oculis eorum. Illis verò clamantibus poſt eos, non ideo venimus vt vos perſequamur, ſed vt nos credentes per aquam baptiſmatis (ſicut nobis promiſit Paulus) ad vitam æternam tranſferamur. Tunc Titus, & Lucas cum multo gaudio ſteterunt, & imponentes eis manus, ſignaculum eis ſanctificationis præbuerunt.

Idem de B. Ignatio tradunt Eccleſiaſtica hiſtoriæ ſcriptores

Idipſum teſtatur Greg. Turonenſis c. 19. lib. 1. de miraculis.

Paulus tertio à morte ſua die Neroni apparuit.

De miraculo Pauli in eo, qui voluit ſe ſuſpendere.

CAP. XXI.

GRegorius Turonenſis. Homo quidam ſibi laqueum ad extorquendam vitam inſtigante Diabolo præparans, cum ſecretum cellulæ in qua hoc ageret reperiſſet, funem trabi tranſmiſſum laqueum cæpit innectere. Nomen tamen Pauli Apoſtoli innotabat dicens: *Adiuua me, Sancte Paule.* Et ecce vmbra ſquallida, & funeſta, quæ nihil magis vultu, quàm Diabolum ſimulabat, apparuit, hortans & dicens: Eia celerius exple, quod cœpiſti. At ille cum hoc opus ſcilicet vitæ extorquendæ pararet; ſemper Beatum Paulum adiutorem inuocabat. Denique expedito iam laqueo cum vehementius vrgeretur ab vmbra, vt collum immitteret, ſubito affuit alia vmbra huic ſimilis, dicens ei, quæ cum homine erat: Fuge miſerrime, en Paulum Apoſtolum huc venientem: inuocatus enim ab homine ecce adeſt. Tunc euaneſcentibus vmbris homo ad ſenſum ſuum reuerſus eſt, & crucem virtutis Dominicæ pectori nutanti depingens, pœnitentiam agens lachrymarum imbre perfuſus; agebat ſecum cur iſtud tentaſſet.

Igitur de Pauli virtutibus multa audiuimus, ſed de plurimis vnum tantum miraculum enarrare ſtuduimus.

Haſtenus Beatus Linus in ſua hiſtoria de paſſione beatorum Apoſtolorū Petri, & Pauli.

De Primatu Romanæ Eccleſiæ ratione Petri, & ſucceſsione Clementis.

CAP. XXII.

GElaſius Papa in decretis. Sancta itaque Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cui data eſt ſocietas Beatiſſimi Pauli Apoſtoli vaſis electionis, qui non diuerſo (vt Hæretici garriunt) ſed vno tempore eodemque die glorioſa morte cum Petro in vrbe Roma, ſub Cæſare Nerone agonizans, coronatus eſt: Et pariter ſupradictam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, ac cæteris vrbibus in vniuerſo mundo ſua præſentia, ac venerando triumpho prætulerunt.

Euſebius in Chronicis.

Poſt Petrum vero primus Romanam Eccleſiam tenuit Linus. *Haymo in Chriſtianorum rerum memoria libro 3.* Aiunt autem, qui de cathedra Romanæ Eccleſiæ diligentius perſcrutati ſunt, quod Linus, & Cletus non ſederunt vt Pontifices, ſed vt ſummi pontificis coadiutores, quibus in vita ſua Beatus Petrus vnam credidit Eccleſiaſticarum rerum diſpenſationem. Ipſe vero tantum orationi, & prædicationi vacabat. Vnde tanta auctoritate dotati meruerunt in cathalogo Pontificum reponi. Clementem verò ipſe Beatus Petrus ſibi ſucceſſorem inſtituit, ſicut ex ipſius verbis ad Clementem prolatis, vt canones habent, accepimus.

Author. Nam qualiter Petro adhæſerit, & qualiter ab eo Pontificatum acceperit, ipſius Clementis opuſcula continent in hunc modum.

Petrus primus Pontifex.

Matth. 16.

Linus ſecundus Pontifex

An Linus, & Cletus, fuerint Romani Pontifices?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem Clemens adhæsit primo doctrine Barnabæ.

Cap. XXIII.

Hæc habes in libro recognitionum D. Clementis ad Iacobum fratrem domini quē hic lego iuxta impressionē Basileensem anno Domini 1536.

C*Lemens in itinerario Petri lib.*1. Ego, inquit, Clemens in vrbe Roma natus, ex prima ætate pudicitiæ studium gessi; ineratque mihi cogitatio (vnde initium sumpserim,) & vtrum sit mihi aliqua vita post mortem, an nihil omnino? Et vtrum factus sit mundus, an semper fuerit? Nam certum videbatur, quod si esset factus, esset profecto soluendus; & si soluatur, quid iterum erit. Hæc, & his similia mihi indesinenter animo reuoluenti, inerat *comes optima*, quæ me quiescere non sinebat, *immortalitatis cupido*. Cumque cogitationis æstibus agitarer, fama quædam peruenit ad nos, quæ etiam vniuersum orbem replebat, quod esset quædam in Iudæa, qui regnum Dei euangelizaret Iudæis; idque eos percepturos diceret, qui Doctrinæ suæ instituta seruassent: & vt fidelis eius sermo esse crederetur, virtutes multas, & signa efficere, sola iussione, dicebatur. Denique in vrbe per loca conuentus fieri, & de hoc sermone tractari, atque in admirationem res haberi cæpit, donec sub eodem anno vir quidam nomine Barnabas ex orientis partibus, qui se vnum ex eius Discipulis diceret, stans in vrbis celeberrimo loco, ad populum proclamaret: Audite ciues Romani, filius Dei adest in partibus Iudææ; promittens omnibus volentibus audire se vitam æternam. Propter quod conuertimini à malis ad bona, à temporalibus ad æterna. Intelligebam sane, quod nihil dialecticæ artis esset in homine, sed simpliciter, & absque vllo dicendi fuco, quæ audisset à filio Dei vel vidisset, exponeret. Et quidem libenter annuere populus, & simplicem amplecti sermonem cæpit. At hi, qui sibi eruditi videbantur, irridere hominem cæperunt ac spernere, & syllogismorum in eum tendiculas proferre: at ille velut deliramenta, eorum argutias ducens, ea quæ proposuerat exequebatur intrepidus. Denique cum ei loquenti quædam proposuisset cur ita factus sit Culex, vt cum sit exiguum animal, & sex habebat pedes, insuper additæ sunt ei, & alæ. Elephas verò cum sit animal immane, neque alas habeat, quatuor tantum pedes habet. Ille ait: Stultis propositionibus vestris respondere perfacile possem, si veritatis discendæ causa quæreretis. Sed nunc de creaturis aliquid dicere vobis absurdum est, cum ipse creator omnium ignoretur à vobis: tunc in disciplinatore, simul omnes risum dederunt, barbarum eum, & minus sanæ mentis acclamantes. Ego verò hoc cernens, Zelo repletus silere non potui. Rectissime, inquam omnipotens Deus abscondit à vobis voluntatem suam, quos agnitione sui præuidit indignos. Ridetis enim salutis vestræ ministros, & nuncios ignorantes, quia apud agrestes, & barbaros videtur veritatis agnitio, quæ cum ad vos venerit, nec quasi hospita suscipitur, quæ (nisi intemperantia vestra, & libido absisteret) ciuis esse, & vernacula debuisset. Quid putatis futurum nobis si erit iudicium Dei, sicut iste dicit? Hæc, & his similia cum prosequerer, astantis populi fremitus concitabatur, dum alij velut erga hospitem miseratione commoti sermonem meum probarent; alij petulantes, & stolidi in me quoque velut in Barnabam effrænati animi iracundiam concitarent.

Barnabæ oratio ad populum Romanum.

Simplex oratio Apostolorum erat.

Vide ridiculā argutiam Philosophorum.

Clementis diuino furore succensi oratio.

Qualiter postmodum adhæsit Petro.

Cap. XXIV.

Familiaritas Clementis cū Barnaba.

ADuesperascente autem die apprehensa manu Barnabæ ad domum meam adduxi, & aliquantis diebus pacis, & veritatis sermonem ab eo libenter audiui. Cumque profectionem vrgeret, dicens se religionis suæ festum imminens apud Iudæam celebraturum; ego quidem nauigaturus post eum, sed necessarium habens prius à debitoribus aliquantum pecuniæ deposcendum, remansi, & signa habitationis eius ab eo accepi. Diebus ergo paucis remoratus, plura festinandi studio neglexi, ne à proposito impedirer. Nauigaui continuò Iudæam, & Cæsaream Palestinæ vrbem maximam appulsus sum. Vbi cum hospitium quærerem, rumore populi comperi, quod Petrus quidam illius, qui in Iudęa apparuerat Discipulus probatissimus, in crastino cum Simone quodam Samaritano habiturus esset quæstionum certamen. Ego autem in quæsito eius hospitio, & inuento, cum ante fores consisterem, & à Ianitore inquirerer quis essem, & vnde venirem? ecce Barnabas procedens, statim vt me videt, gaudio lachrymans in amplexus meos cucurrit. Et apprehensum me manu introducebat ad Petrum; cui iam antea de me incessanter locutus fuerat. Hic est, inquit, Clemens, *Petre*; qui benignissimus audito nomine accurrens, protinus osculis meis inhæsit. Et cum sedere me fecisset, ait: Sicut tu legatum veritatis omni honore dignum duxisti, nihil veritus furorem insanientis populi; sic te quoque peregrinantem veritas ipsa suscipiet, & ciuem propriæ vrbis ascribit. Et nunc si nihil est, quod te impediat, iter age nobiscum, & audi sermones nostros per singula loca, donec ad ipsam perueniamus vrbem Romam. Cumque ego ei exposuissem; quid ex initio propositi gesserim, & quomodo per inanes quæstiones effusus sim, libenter promisi cum ipso iter acturum: Hoc est enim animo, quod cupidissime expetebam. Prius tamen mihi exponi cupio vtrum mortalis, aut immortalis sit anima? Et si immortalis, vtrum pro his, quæ hic agit, ducatur ad iudicium; & quæ sit iustitia, quæ Deo placeat? Cumque breuiter rerum scientiam tradidisset, ad hæc inquam Deo gratias ago, quia vt optaui instructus sum, in tantum vt tu ipse si velis aliquando fidem meam à vero Propheta transferre, omnino non possis.

Clementem nauigat in Iudæam.

Petrus humaniter excipit Clementem.

Quæ Clementem solicitum tenuerunt.

Qualiter res circa se gestas narrauit Petro.

Cap. XXV.

CVm autem diuersa loca peragrantes veniissemus Antharadum; multique credentium, qui à Petro diuelli nequibant, comitarentur nos, ait Petrus ad Nicetam, & Aquilam, qui ex Discipulis Simonis Magi, discipuli eius effecti fuerant: Quoniam turbæ plurimæ fratrum nobiscum sunt, & ingredientes singulas vrbes, non parum inuidiæ contrahimus; censeo vos cum ipsis præcedere nos, ita vt in duas partes diuisam multitudinem ducatis. Scio quidem quia vobis triste videtur, si saltem duorum dierum spacio separari à me videmini, credite autem mihi, quia qua mensura diligitis me, decuplo amplior quoque mihi erga vos affectus est: sed si pro affectu quem adinuicem gerimus non faciamus, quę conuenientia, & honesta sunt, irrationabilis huius amor videbitur; cumque processissent, ego Clemens valde gauisus, quod secum me esse fecit, aio ad eum: Gratias ago Deo, quia me non præmisisti cum alijs, nam tristitia interissem. Cui Petrus: Et quid fiet, inquit, si necessitas mitti te aliquo doctrinæ causa exigerit? An ignoras, quia amici simul sunt semper, & licet corporibus separentur, memoria tamen iunguntur? sicut ècontra nonnulli corporibus vna positi, animis diuiduntur. Ego verò respondi: Ne putes me Domine hoc irrationabiliter pati, gratias enim ago prouidentiæ Dei, quia pro patre, pro matre, fratribus, & per omnibus affectibus meis, habere te merui. Tunc Petrus: Nemo, inquit, tibi verè ex genere supereſt? Respondi: Sunt quidem multi viri potentes ex Cęsaris prosapia venientes. Nam patri meo, vtpote propinquo suo, & vna educato, nobilis, æquè familiæ Cæsar ipse iunxit vxorem, ex qua duos geminos ante me filios suscepit. Quæ (cum ego. v. vix essem annorum sicut à patre didici) somnium vidit, quo nisi cum duobus filijs geminis mox vrbem egressa fuisset, & decem annis abfuisset ipsa pariter exitiabiliter interiret; tunc pater filios quos tenere diligebat cum matre naui impositos adiunctis seruis, & ancillis ac sumptibus sufficienter præbitis Athenas misit erudiendos, me solum

Libro septimo Recognitionum D. Clementis.

Cauet Petrus ne peregrinatio sua speciem vllam tumultus, id quod facile poterat fieri, praberet.

Clementis pro sapia.

sibi

ſibi ad ſolatium retinens, & in hoc quidem gratias agens, quia non etiam me ſomnium illud imperaſſet pariter cum matre diſcedere. Anno autem completo, miſit ad eos pater Athenas homines, & ſumptus, ſcire cupiens, quid agerent, nec redierunt qui miſſi ſunt. Tertio rurſus anno mœſtus miſit alios cum pecunijs, qui quarto anno regreſſi, dixerunt ſe, nec matrem, nec filios vidiſſe, ſed nec eos Athenas omnino peruenisſe, nec ſaltem alicuius eorum, qui cum ipſis fuerant veſtigium repertum fuiſſe. Pater hæc audiens triſtitia ſtupefactus, mecum deſcendit ad portum, & quærere cæpit à Nautis ſicubi aliquis eorum aliquando vidiſſet, vel audiſſet corpus mulieris ante quatuor annos cum duobus paruulis eiectum; cumque multi multa dicerent, nec aliquid recti nobis eluceſceret, tandem viſum eſt patri vt me iam duodennem Romę ſub procuratoribus ordinatum relinqueret; & ipſe ad requirendum pergeret. Igitur flens deſcendit ad portum, & nauem conſcendens profectus eſt: ex tunc, vſque hodie, nec eius literas accepi, neque ſi viuit, noui. Sed magis ſuſpicor, quod ipſe obierit vel triſtitia victus, vel naufragio: anni enim 20. elapſi ſunt, ex quo hæc geſta ſunt. Audiens hæc Petrus ex affectu lachrymas fudit, & his qui aderant ait: Hæc ſi quis in Dei cultu poſitus pertuliſſet, quæ pater eius pertulit, ſtatim homines religioni aſcriberent ærumnarum cauſam.

Qualiter Petrus matrem illius mendicantem inuenit.

Cap. XXVI.

POſt hæc autem dicta, vnus ex aſtantibus cæpit rogare Petrum vt die craſtina pergeremus ad inſulam proximam, quæ ſex tantum milliaribus aberat, videndi gratia mirum opus, columnas vitreas immenſæ magnitudinis; cui Petrus vt erat clementiſſimus acquieuit; ſed monuit nos vt cum nauem deſcendiſſemus non omnes vna concurreremus ad videndum; nolo enim inquit vos notari à turbis: Cum ergo veniſſemus ad inſulam, † mox ad locum columnarum mirabilium per magnificam picturam habentium properauimus, in quibus vnuſquiſque noſtrum intento detinebatur aſpectu. Petrus verò vt ſolas columnas miratus eſt vitreas, nequaquam captus picturæ gratia; egreſſus pro foribus vidit mulierculam ſtipem ab introeuntibus depoſcentem. Quam attentius conſiderans, ait: Dic mulier, quod tibi membrum deeſt, quia ſtipem petis, & non potius manibus tuis operans cibum quæris? At illa ſuſpirans ait. Vtinam mihi manus eſſent, quæ moueri poſſent; nunc autem mortuæ ſunt, & morſibus meis debiles, & ſine ſenſu redditæ. Et Petrus: Quæ fuit cauſa vt hæc tibi ipſa conferres? Ignauia inquit, nec aliud quicquam: ſi enim in me fuiſſet aliquid virtutis, potui vel præcipitio vti, vel profundo maris meipſam injicere, & finem doloribus dare. Cui Petrus: Putas, quia qui ſeipſos perimunt, à doloribus liberantur, & non potius maioribus pœnis ſubiacent animæ eorum? At illa: Vtinam hoc mihi certum fieret, quod viuunt animæ in inferno, libenter enim amplecterer etiam pœnas mortis illatæ, tantum vt dulces mihi natos ſaltem vna hora videre poſſem. Ait Petrus; Scire vellem cur te tam grauis affecit triſtitia: Si enim cauſam doceres me, poſſem tibi euidenter oſtendere, quod in inferno viuant animæ. Mulier ergo promiſſione gratanter accepta cœpit dicere: Ego generoſis orta parentibus, potentiſque viri matrimonium ſortita, duos accepi liberos geminos, & poſt hæc vnum alium. Sed viri mei frater illicito in me amore exarſit: Et cum mihi ſuper omnia chara eſſet pudicitia, nec tanto ſceleri vellem acquieſcere, nec viro flagitium fratris aperire; cogitaui à patria, & vrbe cum duobus geminis meis diſcedere, donec incæſtus amor conquieſceret, quem fortæ præſentiæ meæ aſpectus inflammaret. Quod vt vel facere poſſem, ſomnium finxi quaſi aſſiſtente mihi per viſum quodam minime, & dicente, quod confeſtim cum geminis meis ex vrbe diſcederem, aut cum eis pariter perirem: & ita factum eſt. Interea nauigans cum natis meis ventorum violentia ad hæc loca depulſa ſum; & cum omnes interiſſent, arreptam me ſuper quoddam ſaxum vehementior fluctus eiecit; vbi cum ſederem ea ſola ſpe non præcipitaui me in profundum, qua natos meos fortaſſis inuenire poſſem. Vbi autem dies exortus eſt, ego cum clamore, & vlulatu circumſpiciebam ſicubi vel eiecta poſſem videre cadauera filiorum. Sed vbi nullus inuentus, eſt miſerantes vicinæ mulieres loci, conſolari me cæperunt; enarrantes & ipſæ ſuas quæque miſerias, vt ex earum ſimilitudine caperem ſolacium. Et cum me multæ hoſpitio ſuſcipere cuperent, quædam paupercula hic habitans extorſita à me vt tugurio eius ſuccederem dicens ſibi fuiſſe virum nautam, qui in mari defunctus eſt adoleſcens, ſibique cum multi eam in coniugium accipere cuperent, amore viri viduitatem fuiſſe chariorem. Erunt ergo nobis communia quæcumque manibus noſtris operantes acquirere poterimus. Itaque libenter habitaui cum ea propter affectus fidem quam ſeruauerat viro. Sed non multo poſt mihi infælici laceratę dudum morſibus reſolutę ſunt manus, & illa quæ me ſuſceperat incurrit paralyſim, & in lecto iacet domi. Illarum autem mulierum, quę prius miſerebantur, refriguit affectus: nos ambæ debiles, ego vt vides ſedeo ſtipem petens, & ſi quid forte acquiſiero, ſit vnus duarum infœlicum cibus.

Naufragiũ mulierculæ.

Qualiter eadem Clementi innotuit.

Cap. XXVII.

ET cum Petrus hæc audiens multa cogitatione diſtractus, & quaſi attonitus ſtaret; ego Clemens ſuperueni, dudum, inquam, per omnia diſcurrens quærebam te, & nunc quid facimus? At ille præcepit mihi vt ad nauiculam præcederem, & ibi eum expectarem. Qui cum iuſſa impleſſem, ille quadam ſuſpicione pulſatus, rrquirebat à muliere patriam ac genus, & nomina filiorum. At illa quaſi vim ſuſtinens, quia neque hæc fateri volebat nomen ſuum, & nomen viri, & nomen filiorum mutauit. Et Petrus eam verè reſpondiſſe putans, ait: Heu mulier putabam grande gaudium nobis hodie oriturum. Suſpicabar eam te eſſe quandam de qua ſimilia nuper audiui matrẽ ſcilicet cuiuſdam adoleſcentis, qui ſequitur nos. At illa adiurauit eum dicens: Rogo te vt dicas mihi, quis iſte ſit? vt ſciam ſi eſt vlla inter mulieres me infœlicior. Tunc Petrus miſeratione commotus narrauit ei, quæ à me audierat. Quibus auditis illa ſtupore percuſſa corruit. Tunc Petrus eam continere, & conſolari cæpit, ac requirere, quid pateretur? At illa vix aliquando ſpiritum reuocans, hunc inquit adoleſcentem videre vellem, ego enim ſum mater eius. Cui Petrus ait: Quod ei nomen eſt, at illa, Clemens. Ait Petrus: Ipſe erat qui paulo ante mecum loquebatur: & tenens manum eius Petrus, deducebat eam ad nauem. Quem ego Clemens manum videns dantem mulieri, ridere cæpi. Accedens tamen honoris eius gratia pro ipſo cæpi velle ſubijcere manum meam, & ſuſtentare mulierem. Simul autem vt manum eius contigi, vlulatu ingenti reddito, in amplexus meos irruit, & maternis me conſectari oſculis cæpit; at ego ignorans omne negocium, quaſi inſanientem mulierem repellebam: ſimul etiam indignans quodammodo, licet cum verecundia aduerſus Petrum. At ille: Quid agis, inquit, ô fili Clemens, noli repellere matrẽ tuam. Ego verò vbi hæc audiui paulatim vultum eius ad memoriam reuocans, continuo lachrymis ſuffuſus ſupra iacentem matrem cecidi, & oſculari eam cæpi. Interim autem conueniebat plurima multitudo audiens, quod mulier quæ ad ſtipem petendam ſedebat, à filio ſuo recognita eſt. Et cum vellemus ex inſula nauigare, mater ait ad me: Fili dulciſſime, rectum eſt vt valedicam mulierculæ, quæ me ſuſcepit. Eſt enim egens, & paralytica iacẽs

* *Aradum nomine ſic enim in vetuſtiſſimo codice legitur: quamuis nõ ignorem, vel ex quinto libro Plinij poſſe & Arataradum legi.*

Exemplum pudicitiæ in matre Clementis.

Petrus sanat Paralyticam

in lectulo. Quod audientes omnes admirati sunt prudentiam, & bonitatem fœminæ. Petrus autem iussit abire quosdam, & afferre mulierem in lectulo vbi iacebat; eamque in medio turbæ astantis collocatam, ad confirmandam eorum fidem, in conspectu eorum omnium sanitati restituit. Cui etiam ego Clemens mille drachmas donaui, & cuidam bono viro priori illius oppidi commendaui. Cum autem vna cum matre nauigantes Antaradum venissemus ad hospitium, Mater requirere cœpit à me, quonam deuenisset Pater? Cui ego. Ad te requirendam profectus est, & vltra non redijt. Quod illa audiens suspirauit tantum. Grande, etenim gaudiũ à me habens reliquos solabatur mœrores.

Qualiter agnita est à Niceta, & Aquila.

Cap. XXVIII.

Die autem postera sedens vna cum vxore Petri iter agebat nobiscũ: & cũ venissemus Laodiciam, ibi ante portas nobis occurrerunt Niceta, & Aquila, qui osculantes nos ad hospitiũ adduxerunt. Cumque requirerent à me, quæ esset hæc mulier ignota? Respondi; Mater mea est, quam mihi redonauit Deus per Dominum meum Petrum. Tunc Petrus cæpit eis per ordinem cuncta exponere, qualiter apud Antharadum ego Clemens genus meum exposuissem, & quod parentibus orbatus essem; Deinde qualiter apud insulam Aridum mulierem stipem quærentem inuenisset, quæ sibi enarrasset qualiter è patria discedens, naufragium passa, duos filios suos geminos Faustum, & Faustinum, amisisset, eosque planctibus, & vlulatibus lugens corpus suum dentibus laniasset. Et cum hæc diceret Petrus, Niceta, & Aquila subitò assurgunt, & stupefacti, perturbari cœperunt dicentes: Domine Deus omnium, verane sunt hæc, an somnium est, quod agitur? Tunc Petrus; Nisi inquit nos insanimus, vera sunt. At illi paululum remorati, & confricantes faciem aiunt: Nos sumus Faustus, & Faustinus, & lachrymantes ingrediebantur ad Matrem: quam cum quiescentem reperissent, & complecti vellent, prohibuit Petrus dicens, finite me prius Matris animum præparare; & ita vos ei afferre, ne subito & multo gaudio mente excedat, & sensus eius conturbentur, quia nunc etiam somno occupatus, stupet. Igitur cum illa de somno surrexisset, Petrus cœpit ei vnius cultum Dei, & religionis Christianæ obseruantiam exponere. Quibus illa auditis ait, & quod vetat me hodie baptizari? quæ etiam priusquam te viderem illos quos dicunt Deos penitus auersata sum: quoniam mihi frequenter eis sacrificanti nihil præstare potuerunt. Puto autem tibi satis innotuisse quantus fuerit mihi amor pudicitiæ? quę vt euaderem illiciti amoris insidias, somnium finxi; vt cum duobus geminis meis Faustino, & Fausto peregrinarer, solo Clemente ad solatium patris relicto. Hæc cum illa diceret, vltra non ferentes fratres mei irruunt in amplexibus matris cum multis lachrymis, & osculabantur eam. At illa. Quid vult hoc inquit esse? tunc Petrus. Nolo turberis, mulier, constans esto. Isti sunt Faustinus, & Faustus filij tui quos in profundo perisse dicebas. Hoc cum dixisset, mater nimio gaudio intercepta corruit, tandem ad se reuersa ait: Obsecro vos dilectissimi filij dicite mihi, quę vobis acciderunt post illam feralem, & crudelissimam noctem. Niceta ait: In illa nocte, ô mater, cum nauis resoluta esset, & nos innitentes fragmento cuidam tabularum per pelagus iactaremur, viri quidam quibus in profundo latrocinari artificium est, repertos nos imposuerunt nauiculæ suæ, & remis superantes vndarum vertices Cæsaream Stratonis perduxerunt; fame atque verberibus afflixerunt, ne quod esset in vero proderemus. Immutatis etiam nominibus nostris vendiderunt nos cuidam viduæ admodum honestæ fœminæ *Iustæ* nomine, quæ loco filiorum nos habuit, & Græcis literis liberalibus nos erudiuit. Vbi autem adoleuimus, etiam Philosophorum studijs operam dedimus vt possemus religionis diuinæ dogmata Physicis disputationibus asserentes, confutare gentiles. Simoni autem cuidam Magoni, qui vna nobiscum educatus est, pro amicitijs, & puerili consuetudine adhæsimus. Fertur enim in religione nostra de Propheta quodam cuius aduentus ab omnibus speratur per quem beata vita credentibus danda promittitur: & hunc etiam esse Simonem putabamus. Cumque pœnæ lam ab eo deciperemur, quidam collega Domini mei Petri Zachæus nomine monuit, nos ne falleremur à Mago, sed obtulit nos Domino meo Petro, vt ab ipso quæ sana erant, & perfecta doceremur, quod & tibi mater euenire optamus. Hæc cum Niceta dixisset, mater nostra procidens ad pedes Petri, baptismum obsecrando petijt, & obtinuit.

Niceta & Aquila fratres Clementis, antehac dicti sunt Faustinus & Faustus.

Mortuos enim legimus aliquot subito gaudio.

Philosophia studia perdiscenda sunt

Qualiter Faustinianus eos ad disputandum prouocauit.

Cap. XXIX.

Postera die Petrus mane assumptis fratribus meis, & me, descendit ad portum vt in mari lauaremur, & post hoc ad locum quendam secretiorem orationis gratia secessimus. Senex autem quidam pauper curiose nos obseruare cæpit, quid ageremus in secreto positi? Et cum nos orantes vidisset, expectauit donec exiremus, & salutans nos ait: Si non ægre accipitis, velim vobis conferre sermonem, quia vestri miserationem habens, sub specie veritatis errare vos nollem, & habere metum de his, quæ non sunt, aut si putatis aliquid esse veri, tradite etiam mihi. Cui Petrus respondit. Dic age quod videtur tibi bonum, & libenter accipiemus. Tunc senex ait, In mari lauisse vos vidi, & post hoc in secreto orantes loco vos inspexi, miseratusque errorem vestrum, exspectaui donec egressos alloquerer, & docerem ne erretis in huiusmodi obseruantia, quia neque Deus est, neque cultus hic aliquid est, neque in mundo prouidentia, sed fortuiti casus *Genesis* agunt omnia, sicut ex meipso comperi in disciplina Matheseos præ cæteris eruditus. Nolite ergo errare, quia siue oretis, siue non, quod genesis vestra continet hoc erit vobis. Et ego Clemens nescio, quod corde pulsatus, cæpi ab eo quærere quis & vnde esset? At ille: Quid, inquit, pertinet hoc ad ea quæ dixi vobis? sed prius sermo de his habeatur, & post hæc si res poposcerit, nomen & genus ac patriam inuicem, vt amici poterimus aperire. Mirabamur omnes eloquentiam viri, & grauitatem morum, tranquillitatemque sermonum. Petrus autem recessum quendam secretum ad colloquendum aptum prospiciens, illic nos residere fecit, nec senem pro vili, & sordido amictu, despiciens ita primus loqui cœpit. Quoniam mihi vir eruditus esse videris, & misericors ex eo, quod adisti nos, & quod tibi videbatur bonum, celatum esse nobis noluisti; volumus & nos tibi quæ bona nobis, & recta creduntur exponere. Quæ si tibi minus vera videbuntur, etiam tu nostrum erga te bonum propositum libenter suscipe, sicut & nos tuum. Cum hæc diceret Petrus, conuenit plurima multitudo. Tunc senex: Fortassis, inquit, contristet nos præsentia multitudinis. Et Petrus; nequaquam, inquit, nisi hoc solum vereor ne forte disputantibus nobis cum palam facta fuerit veritas tu erubescas pro præsentia multitudinis cedere, & his, quæ verè dici intellexeris, acquiescere. Ad hæc senex ait: Ego non ita stultus consenui, vt diligens quod verũ est, abijciam id ob vulgi gratiam. Dico autem non gubernari mundum secundum Dei prouidentiam, quia multa in eo iniustè, & inordinatè geri videmus, sed genesim dico esse quæ omnia agit, & continet. Ad hæc cum Petrus respondere vellet Niceta præueniens ait: Indulgeat mihi Dominus meus Petrus, ad hoc respondere, nec videatur proteruum, quod iuuenis cum sene, sed vt filius cum patre colloquar. Tunc senex: Non solum, inquit, tu fili, quod tibi videtur vt prosequaris volo, sed etiam de consodalibus tuis quicumque voluerit. *Collatio enim plurimorũ facilius ea, quæ ignorãtur inueniet.* Post hæc respiciens Petrus ad Nicetam ait: Expedi, quod proposuisti.

Ex libro 8. Recognitionum Clementis.

Genesis.

Petrus non deflexit eos qui vel parũ idonea adferrent.

Hæc opinor fuit causa cur vulgus eruditi à disputationibus abesse voluerunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Assertio Nicetæ de prouidentia.

Cap. XXX.

TVnc Niceta ita exorsus est: Omne quod est, aut simplex est, aut compositum. Quod simplex est caret numero, diuisione, pondere, qualitate, & quantitate, & ob hoc etiam fine. Quæ autẽ composita sunt necessario etiam diuidi possunt. Illud igitur, quod simplex est & omnibus his caret quibus solui quod subsistit, potest, sine dubio incomprehensibile, & immensum est, neque initium neque finem sciens, & ideo vnum est, & solum est sine authore subsistens. Quod compositum est, & numero ac diuisioni subiacet, necessario auctore aliquo compositum est, & in vnam speciem diuersitas congregata. Quod ergo immensum est bonitate pater est, virtute conditor. Neque enim condendi virtus in immenso cessare potuit, sed ad substituenda ea, quæ sunt, bonitate ad componenda, & firmanda virtute prouocatur.

De mundi ergo ratione nunc prosequendum est, cuius prima quæstio in duas partes diuiditur.

Quæritur enim vtrum factus sit, an non? Et quidem si non est factus, erit ipse illud ingenitum ex quo omnia. Si verò factus est, rursum quæritur vtrum à se ipso, an ab alio? Si à se ipso, excluditur sine dubio prouidentia, sed si prouidentia non recipitur, frustra animus ad virtutem prouocatur, frustra iustitia custoditur, si non est, qui iusto pro meritis aliquando restituat; sed nec anima immortalis videbitur, si eam post absolutionem corporis nulla prouidentiæ dispensatio excipiat; Si autem doceatur esse prouidentia, & per ipsam factus esse mundus: adhuc quæritur quomodo sit, an generaliter circa omnia, quasi scilicet Deus ab initio mundum faciens, ordinem rebus dederit, & cursum statuerit, & vltra earum curam, quæ geruntur habere cessauerit, an specialiter erga partes scilicet vt quorundam vel hominum vel locorum prouidentiam gerat, quorundam non, an & generaliter omnium, & specialiter partium, quasi & ab initio fecerit Deus, & vsque ad finem, per singulos prouidentiam gerat, & vnicuique pro actibus suis reddat. Prima ergo illa propositio, quæ dicit quod ab initio Deus fecerat omnia, & curíu atque ordine rebus impositio, de reliquo nihil ad se reuocet, secundum *Genesim* cuncta geri confirmat. Ad quam primo respondebimus, & his præcipuè, qui Deos colunt, & *Genesim* defendunt; qui vtique cum immolant Dijs, & eos exorant, sine dubio contra *Genesim* se imperaturos aliquid sperant, & per hoc Genesim soluunt. Ego igitur dico mundum à Deo factum, & ab ipso quandoque esse soluendum, vt ille appareat qui æternus est. Et quidem quia factus sit mundus iste visibilis, testantur Philosophi plurimi. Sed ne videamur quasi indigentes assertionibus, vti voluisse testibus, de principijs eius quæramus. Ipsum enim esse corporeum eo ipso, quod visibilis est, constat. Omne autem corpus aut connexum est, & solidum; aut diuisum. Si solidum fuit corpus, ex quo factus est mundus, necesse est exinde intelligi fuisse aliquem qui illud connexum dirimeret, & in partes multas duceret, formasque diuersas: aut si ex diuersis corporum partibus omnibus hæc mundi moles compaginata est, necesse est etiam sic fuisse aliquem, qui in vnum dispersa colligeret, & diuersas rebus species induceret. Hunc igitur cõditorem mundi Deum dicimus, & probatur per hoc non potuisse machinam mundi sine opifice, & prouisore constare. Sed & hoc ipso, quod in commixtione elementorum deficiente altero, aut abũdante, cætera resoluuntur & concidunt, ostenditur ex nihilo habuisse principium. Nam verbi gratia, si deficiat in aliquo humor, nec aridum stabit, humore enim pascitur aridum, sicut & frigus calido. Quod si materia mundi probatur esse facta ex nihilo, quomodo partes eius, & species videbuntur infectæ? Ipse quoque formæ ac mensuræ datæ corporibus modulatione sui manuum testantur artificis, quod si idonei tibi testes videntur Philosophi, Plato de his in Timæo testatur, vbi de mundi discutiens factura requirit, vtrum semper fuerit, an initium sumpserit? Visibilis inquit, est mundus, palpabilis, & corporeus: omnia autem, quæ huiusmodi sunt, facta esse constat: quod autem factum est, aliquem habet auctorem. Hunc ergo factorem inquit, parentemque omnium, & inuenire difficile est, & inuentum vulgo enarrare impossibile. Sed & si ipse Plato alijque Philosophi de factura mundi siluissent, quis est saltem tam exigui sensus homo, qui cum cernat domum omnia, quæ necessaria sunt habentem, cuius cameram in spheræ gyrum videat collocatam, eamque splendore vario depictam, luminaribus præcipuis adornatam, non statim pronunciet à sapientissimo, & potentissimo artifice esse constructam?

Contra Genesim ratio.

Philosophi etiam aliquot, mundũ esse creatum confitentur.

Plato in Timæo mundum testatur creatum.

Responsiones Patris ad verba Nicetæ, & Aquilæ.

Cap. XXXI.

HÆc & alia multa cum Niceta dixisset; senex ita respondit: Tu quidem fili prudenter, & fortiter prosecutus es, in tantum, vt melius dici posse de prouidentia non putem, sed quoniam hora iam multa est, cras ad hæc respondere aliqua volo, de quibus si mihi satisfeceris, gratiæ me fateor debitorem. Tunc surrexit Petrus: Quidam verò de astantibus Laodicensium primas rogabat Petrum, & nos; vt vestimenta senis, quæ habebat sordida, & scissa mutaret. Quem Petrus, & nos pro optima, & honesta sua voluntate collaudantes, dicebamus; quia nec nos ita insipientes, & impij sumus, vt cui tam preciosa verba concredimus, non multo magis etiam corporis necessaria præbeamus. Cumq: ille summa vi nobis senem euellere niteretur, nos verò cum vehementius retineremus. Senex iuramento preuenit dicens: Hodie apud nullum manebo, nec ab alio etiam quicquam suscipiam, ne alterius delectatio, alterius tristitia fiat: erat autem ille primarius ciuitatis Laodiceæ. Discessit ergo senex, & postera die Petrus maturè surgens excitauit nos, & pergentes ad locum orationis secretum, inde post orationem venimus ad domum præfati primarij pridie constitutam ad disputandum. Itaque medium habentes Petrum ingredimur & nos, circumspicientes si cubi videremus senem. Quem prior videns Petrus in medio turbæ latitantem, euocauit ad se dicẽs: Clariorem multis animam possidens, cur in occulto lates, & verecundia contegeris? Accede huc, & quæ tibi videntur exequere. Statimque dantibus ei locum turbis, accessit, & ita cæpit: Hic fuit hesternæ disputationis sensus, quod omnia, quæ videntur, certaque mensura, & arte formaque & specie constant, sine dubio sapiente virtute facta esse credenda sunt, quod si mens, & ratio est, quæ condidit, consequens est vt rationis prouidentia mundus regatur, etiamsi nobis ea, quæ geruntur in mundo minus rectè geri videantur. Consequitur autem vt si creator omnium Deus est, ac mens, sit etiam iustus, quod si iustus est, necessario iudicat, & si iudicat necesse est, vt homines de suis actibus iudicentur. Erit ergo inter iustos, & peccatores iustum quandoque discrimen.

Hæc fuit vt opinor totius verbi continentia. Si ergo ostendi potest, quod mens, & ratio cuncta condiderit, consequens est, & ea, quæ sequuntur ratione, & prouidentia geri: si verò natura imprudens, & cæca gignit vniuersa, perimitur iudicij ratio. Quia igitur in hoc omnia pẽdent, non indignemini, si hæc paulo latius discuti, & pertractari voluero. Cumque & Aquila multa proposuisset, ait senex: Fili, sermones tui, quamuis validi sint, non possunt me tamen flectere, vt aliquid credam extra *Genesim* fieri posse, scio enim omnia mihi necessitate *Geneseos* accidisse, & ideo suaderi mihi non potest, quòd vel bene, vel male agere in nostra potestate sit. Et si actus nostros in potestate non habemus, non potest credi futurum iudicium, per quod vel malis pœnæ, vel bonis præmia tribuantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Verba Clementis, & responsio patris.

Cap. XXXII.

Ex libro 9. Recognitionum Clementis.

SEquenti die congregatis iterum nobis, ego ita dicere cæpi: Deus per filium suum creauit mundum tanquam duplicem domum interiectu firmamenti huius quod cœlum vocatur distinctum. In superiori quidem Angelicas habitare virtutes; in isto autem visibili mundo nasci hominum multitudinem dedit, ex quibus eligeret amicos filio suo, cum quibus lætaretur. Nec tales eos esse voluit, quid necessitate naturæ aliud quid esse non possent, sed qui arbitrio suo, & voluntate boni esse desiderarent: quia nec laudabile est, quod non est desiderabile, nec bonum iudicatur, quod non proposito expetitur. Et vt breuiter dicam: Cum Deus iustus sit qui hominum naturam fecit, quomodo fieri poterat, vt ipse poneret *Genesim* nobis contrariam, qui nos cogeret ad peccatum; & rursus vlciscereturipse peccantes? certum est ergo, quod non ob aliam causam Deus peccatorem punit, nisi quia scit eum potuisse vincere; sed neglexisse victoriam. Infert autem, & in præsenti sæculo vindictam in homines, vt in eos fecit, qui diluuio perierũt, qui vtique omnes vna hora extincti sũt, cũ certũ sit non eos secundũ *Genesis* ordinẽ vna hora natos. Ad hæc senex: Plenissime fili ostendisti, sed ego vt ab initio dixi, huic incomparabili assertioni tuæ à propria conscientia prohibeor accommodare consensum. Noui enim *Genesim* meam, & coniugis meæ, & scio vnicuique nostrum ea, quæ dictabat *Genesis* accidisse, & ab his, quæ rebus mihi comperta sunt, verbis transferre non possum. Denique quoniam te imbutum video huiusmodi disciplinis, audi coniugis meæ schema, habuit enim Martem cum Venere super centrum, Lunam verò in occasu in domo Martis, & finibus Saturni; quod schema adulteram facit, & seruos proprios amare, & peregrè, & in aquis defungi: quod ita, & factum est: incidit enim in amorem serui, & periculum opprobriumque metuens cum ipso fugit; Vbi vt amori suo satisfecit, in mari perijt. Cui ego respondi. Vnde scis, quia peregrè seruo sociata est? Certissime inquit scio, postquam enim profecta est, frater meus enarrauit mihi dicens, quod primo quidem ipsum adamasset: sed ille, quia erat honestus, vtpote frater, noluit fratris thorum incæsti macula polluere; at illa me verens, & opprobrium non ferens infælix (neque enim imputandum est ei, quod eam *Genesis* facere compulit) finxit somnium, & ait ad me: Astitit mihi quidam per visum, qui iussit me cum duobus geminis meis sine mora ex vrbe proficisci. Quod ego audiens pro salute eius, filiorumque solicitus, mox eam cum liberis exire feci, vnum qui iunior erat mihi retinui.

Quare Deus puniat?

Qualiter omnes mutuo se agnouerunt.

Cap. XXXIII.

Senex ille qui Faustinianus dicebatur inuenitur pater Clementis.

EGo autem Clemens intelligens, quod ipse fortassis esset pater meus, lachrymis repletus sum. Fratres quoque meos volentes prosilire, & aperire rem prohibuit Petrus; & ait ad senem: Quod nomen erat iuniori filio? Qui respondit Clemens. Et Petrus: Si tibi coniugem tuam, inquit, castissimam hodie consignauero cum tribus filijs tuis, credis quia pudica mens potest motus irrationabiles superare, & quod omnia quæ à nobis sunt dicta vera sunt, & *Genesis* nihil sit? Respondit senex: Sicut impossibile est te exhibere, quod promisisti, ita impossibile est extra *Genesim* aliquid fieri. Tunc Petrus: Testes, inquit, volo habere omnes, qui præsentes sunt, me tibi eos hodie traditurum. Et nunc accipe fidem rerum ex eo, quod omnem causam diligentius scio quàm tu, cunctaque per ordinem enarrabo. Et conuersus ad turbas ita cœpit: Hic quem videtis in hac veste pauperrima, ciuis Romanus est de genere Cæsaris, nomen ei Faustinianus, vxorem quoque nobilissimam Mathidiam nomine sortitus est; ex qua tres filios suscepit, quorum duo gemini sunt, vnus qui erat minor, cui nomen Clemens hic est, gemini verò sunt isti Niceta, & Aquila, quorum vnus prius vocabatur Faustinus, & alius Faustus. Vt autem hæc omnia nomina nostra Petrus enunciauit, senex resolutis viribus ac omnibus membris, quasi interemptus concidit, nos autem filij irruentes super eum amplectabamur osculantes eum. Et populus quidem admiratione stupefactus est. Petrus à complexibus patris ne eum necaremus, surgere iubet: & ipse apprehensa manu eius, quasi de profundo somno eum eleuans, ac paululum recreans; omnia, quæ gesta erant cœpit exponere, quomodo frater eius in amorem Mathidiæ inciderit, & illa viro indicare nolens somnium finxerit, & cætera, quæ superius tam matri, quam filijs, euenisse narrata sunt. Sed cum hæc in auditu senis, narratione gratissima turbis Petrus exponeret, ita vt audientes, gestorum miraculis, & humanitatis miseratione, lachrymarentur: nescio vnde audiens mater de recognitione patris, cursu concito irruit in medium nostri cum clamore dicens: Vbi est vir meus, & Dominus Faustinianus, qui tam multis temporibus affligitur, per singulas vrbes ambulans, & me quærens? Hæc cum illa quasi amens clamaret, & circumspiceret, senex accurrens cum multis lachrymis amplecti eam cœpit. Tunc Petrus rogauit turbas vt discederent, & darent eis locum familiarius inuicem se videndi.

Quòd Petrus noluit Faustinianum statim baptizari.

Cap. XXXIV.

Ex libro 10. Recognitionum Clementis.

CVm autem sequenti die mane ad locum in quo pater cum matre quiescebat, vna cum Petro venissemus, & eos adhuc dormientes reperissemus, pro foribus consedimus, vbi Petrus ita nos allocutus est: Audite me dilectissimi conserui, scio quia grandem habetis affectum erga patrem vestrum, vereor ergo ne ante tempus perurgeatis eum iugum religionis nostræ suscipere, nondum ad id paratum; ad quod forte vestri gratia videatur acquiescere, sed hoc non est firmum. Quod enim propter homines fit, probabile non est, & cito dilabitur. Ideoque mihi videtur, vt concedatur ei adhuc pro arbitrio viuere, & iter agens nobiscum, dum alios doceamus ipse simpliciter audiat. Cum veritatem cognouerit, cuius agnoscendæ studium gerit, ipse rogabit, vt iugum religionis suscipiat, aut si ei recipere non placet, amicus permaneat. Qui enim id non ex corde suscipiunt, cum cœperint ferre non posse, non solùm abijciunt, quod susceperunt, sed quasi pro excusatione infirmitatis suæ incipiunt viam religionis blasphemare, & male loqui de his quos imitari non possunt. Ad hæc Niceta respondit: Quid si interim dum eum differri iubes, pater noster moriatur? descendit in infernum vacuus, & in æternum cruciabitur. Cui Petrus: Putas quia si quis iuste vixisse putatur, iste continuo saluabitur? Non putas ab eo discutiendum, qui occulta hominum nouit, quoniam iustè vixerit, ne forte pro amicitijs hominum, aut pro sola consuetudine vel necessitate, aut qualibet alia ex causa, & non propter istam iustitiam, neque propter Deum. Non vi, sed liberalitate salus acquiritur, nec per hominum gratiam, sed per Dei fidem. Præterea cogitare debes, quia Deus præscius est, & nouit si hic suus est, si ergo dignum est vt ingrediatur ianuam vitæ, Deus occasionem competentẽ dabit, eritq; initium ex Deo, & non ex homine. Post hæc verba pater egressus ad nos, & osculo nos salutans, cum resedissemus, ait: Licetne percunctari aliquid, an secundum pythagoricos semper tacendum est? Et Petrus: Nos inquit, neque silere semper, neque percunctari aliquid cogimus accedentes ad nos. Quamobrem si quid dicere vis, inquire; tunc senex quæstionem proposuit de bono & malo, vtrum aliquid sit in substantia, & actibus bonum, vel malum? cui quæstioni voluit à me responderi. Petrum vero nobis quasi arbitrum seruari, vt sicubi

Qui propter solũ Deum iustè vixerunt saluabuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

disputatio nostra exitũ non inueniret, ipse quod sibi vlderetur, pronunciaret, vt indubitatum finem rebus dubijs interponeret.

De mutatione vultus eius dolo Simonis Magi.

CAP. XXXV.

POst disputationem autem cum iam domi essemus, præparantes ad edendum, ingressus quidam nunciat Appionem cum Anubione nuper venisse ab Antiochia & hospitari cum Simone Mago. Quod audiens pater gauisus est, & ait Petro: si permittis, volo ire, & salutare Appionem & Anubionem, quia valde amici mei sunt, fortassis autem Anubionem suadere potero disputare cum Clemente de *Genesi*. Permitto, inquit Petrus & laudo quod amicos colis. Considera tamen quod per prouidentiam Dei omnia tibi ex sententia concurrunt. Ecce enim non solum affectio tibi propria Deo testante reparata est, sed etiam amicorum præsentia procuratur: & pater, inquit, vere aduerto ita esse vt dicis. Abijt ergo ad Anubionẽ. Nos autem cum Petro positi per totã noctẽ interrogando de diuersis quæstionib. & discendo ab eo delectatione ipsa doctrinæ peruigiles mansimus. Et cum iam auroresceret, Petrus intuens me, & fratres meos, ait: Miror quod visum sit patri vestro. Cum hoc diceret superuenit pater, & inuenit Petrum de se nobis loquentem, cumque nos salutasset satisfacere cœpit, & causam exponere ob quã foris mansisset. Nos autem ad eum respicientes expauimus, vultum in eo Simonis videntes, vocem tamen patris nostri audiebamus. Cumque refugeremus eum, & execraremur, stupebat, quod tam austere erga eum ageremus, & barbare. Petrus autem qui vultum eius naturalem solus videbat, ait ad nos. Cur execramini patrem vestrum? Cui nos vnà cum matre respondimus. Hic nobis videtur Simon, vocem habens patris nostri. Et Petrus: Vobis quidem vox eius, quæ maleficijs mutata non est, sola nota est: mihi autem etiam vultus eius notus est, qui alijs arte Simonis mutatus apparet. Ecce autem vnus ex his qui Antiochiam præcesserant regressus ait ad Petrum: Domine mi. Simõ apud Antiochiam multa prodigia faciens, nihil aliud populo persuadet, nisi quod ad odium tui pertinet, magum te nominans, & homicidam, ita vt desiderent si te vsque inuenire queant, etiam carnes tuas deuorare. Nos ergo videntes commotam ciuitatem considerabamus quod fieri oporteret. Superuenit ante Cornelius centurio missus à Cæsare ad præsidem Cęsareæ publici negocij gratia. Hunc accersentes ei clam causam exposuimus, & vt iuuaret si quid posset rogabamus. Qui ait: Cæsar maleficos per prouincias inquiri iussit & perimi, ex quibus plurimi iam perempti sunt: ego autem diuulgabo me ad hoc missum à Cæsare vt istum magum caperem, vt cum socijs suis puniatur, & sic metu compulsus fugabitur. Igitur hoc audiens Simon, descendens ex Antiochia huc venit, sicut audiuimus. Cumque hoc ille dixisset, Petrus respiciens ad patrem nostrum ait: A Simone Mago transformatus est vultus tuus, sicut apparet. Putans enim quod à Cæsare quæreretur ad pœnam, territus fugit, & vultum suum sibi imposuit, si forte pro ipso capi, & ad mortem duci possis, vt filijs tuis tristitiam moueret. Hoc audiens pater, cum lachrymis se infælicem exclamare cœpit. Mater quoque sparsis & laceratis crinibus plangebat, & nos stupentes quasi amentes eramus. Anubiõ autem venit ad nos indicans nobis Simonem fugisse per noctem versus Iudæam. Dicam, inquit, quomodo res gesta est, vbi venit Faustinianus ad salutandum nos, contigit, vt ipsa hora circumstaremus Simonem dicentem, quod fugere vellet ipsa nocte, eo quod quosdam venire audisset, qui ex præcepto Imperatoris eum comprehenderent: omnem autem furorem vellet conuertere in Faustinianum, tantum, inquit, vos facite eum cœnare vobiscum, & ego quoddam vnguentum componam, quo cœnatus perungat faciem suam, & ex eo vultum meum habere videatur. Vos autem herbæ cuiusdam succo faciem perungimini prius, & non fallamini mutatione vultus eius. Volo enim vt comprehendatur ab his qui me quærunt, & luctum habeant filij eius, qui me derelicto confugerunt ad Petrũ: ego autẽ Anubiõ timui tũc Faustiniano indicare hoc; sed nec ipse Simõ spaciũ nobis dedit, vt possemus ei secretius loqui, & consiliũ Simonis aperire. Interea Simon nocte Iudæã petens fugit cum Appione & Athenodoro. Ego autem simulaui inæqualitatem corporis, vt domi remanens facerem hunc velocius ad vos redire, si forte possit aliquo modo occultari apud vos, ne ab his qui Simonem quærunt comprehensus, gratis pereat.

Trãsformatio vultus Simonis in Faustinianũ in altera editione, quam Rufinus vt meliorem sequitur, non continetur & quã nec mihi satis probetur sed quia vetustissimus codex, qui Basileæ in bibliotheca canonicorum id habebat, libuit præmonere lectorem; nec dubium quin Vincentius hic secutus sit etiam aliquè vetustum codicem si nõ supracitatũ qui a litterã habet prout nos hic correximus.

Qualiter dolus magi Antiochiæ profecit in gloriam Petri.

CAP. XXXVI.

FEntibus ergo patre & matre, ac omnibus pro his, quæ acciderant. Petrus miseratione commotus ait: Audi Faustiniane, cũ nobis prius aliquid vtilitatis contulerit error iste transformationis, tunc ego veram tibi vultus tui imaginẽ reddam. Præcede nos Antiochiam, & in loco publico stans denuncia penitentiã tuam, & Dic. Ego Simon denuncio vobis, & confiteor me omnia fefellisse de Petro, neque enim seductor est, neque Magus, neque homicida, sed omnia dixi furore commotus. Obsecro igitur vos ego, qui dudum causas odij vobis dederam contra eum, vt nihil tale de eo sentiatis, sed ipsi credatis vt prædicatori verè à Deo misso, & veri prophetæ discipulo. Et si etiam ego ipse post hoc veniẽs ad vos aliquid dicere contra eum tentauero, ne credatis mihi. Cum autem vĩderis populum ex sermone tuo conuerti, & depositis odijs recipere desiderium nostri, manda mihi, & statim veniam, vultumque propriũ (qui tuis omnibus notus est) tibi reddam. Profectus est igitur pater meus cum matre, & duobus fratribus meis, & quibusdam ex familiaribus. Interea dum Petrus populũ quotidie doceret & virtutes multas faceret; post dies 10. venit quidam missus à patre, annuncians nobis quomodo publicè staret pater, Simonem, qui vultus eius videbatur accusans, Petrum vero immensis laudibus efferens ita, vt omnes desiderarent eum videre. Multos quoque in tantũ eius venisse amorẽ, vt sæuirent in patrem quasi in Simonem, & manus ei vellent inijcere, velut qui tantũ mali commisisset in Petrũ. Propter quod inquit in timore magno positus misit me, vt velociter venias, & viuentem eum occupes, similiter & crescenti erga tui desiderium ciuitati appareas. Quibus cognitis Petrus conuenire populos iubet, & ordinato eis episcopo, ac presbyteris cunctisque rite compositis profectus est à Laodicia vt veniret Antiochiam, cũi occurrit Faustinianus. Eadem autem die ad vesperas restituta est in Faustiniano facies propria, & recessit ab eo respectus Simonis Magi. Audiens autem Simõ vultum suũ in eo ad Petri gloriam profecisse, festinus præuenit Petrum, & cœpit occulte per amicos suos amplius derogare quã fecerat. Tunc omnes expuentes in faciẽ eius, expulerũt eũ de ciuitate dicentes: Reus es mortis tuæ, si vltra locuturus contra Petrum, huc tibi credideris esse veniendum. Omnis autem Antiochiæ populus audiens venire Petrum occurrit ei, & nobiles, ac maiores natu cinere aspersi capita, penitentiam agentes, quod contra prædicationem eius, Magum Simonem susceperint. Ascendens autem Petrus in eminentiori loco, iussit ante se poni omnem multitudinem ægrotantium, quos omnes in nomine Iesu Christi sanauit; ita vt omnes vna voce confiterentur Deũ. Et intra 7. dies plusquã decem millia hominum baptizati sunt, ita vt omni auiditatis desiderio Theophilus, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, ingentem domus suæ basilicam ecclesiæ nomine consecraret; in qua Petro Apostolo cathedra constituta est ab omni populo. Ego, autem Clemens cum fratribus meis, & matre, patrem

Neque illa habentur in nonnullis codicibus.

Faustiniano natiua facies restituitur.

Simon Magus iussu ejectus Antiochia.

Cathedra Petri Antiochia.

allocutus

allocutus sum, vtrum aliquid infidelitatis in eo remansisset. Tunc enim ille accedens procidit ad Petri pedes, petens vt diuinæ mensæ participem eum faceret. Petrus vero cum omni alacritate manum eius apprehendens, tradidit eum mihi, & fratribus meis dicens: Sicut tibi patri filios Deus restituit, ita te patrem filij restituant Deo. Indixitque ieiunium omni plebi, & veniente die dominico baptizauit eum, atque in medio populi ex conuersione eius materiam sumens, omnes casus eius exposuit; ita vt omnis ciuitas, quasi Angelum eum aspiceret, ac non minorem gratiam ei, quam Petro exhiberet.

Qualiter Petrus Romæ sibi Clementem substituit, & de regimine docuit.

Cap. XXXVII.

Petrus constituit Clementem episcopum summum, & caput Ecclesiæ in terris vt ex epistola citata ad Iacobum latius, & euidentius patet & ex historia Abdiæ episcopi lib. 1.

QValiter autem B. Petrus S. Clementem in cathedra pontificali sibi substituerit, idem Clemens in epistola ad S. Iacobum Hierosolymitanum ostendit dicens: Simon Petrus, qui vere fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse ecclesiæ definitus est; tempore quo finē vitæ sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus appræhensa manu mea in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Fratres, & conserui mei, Clementem hunc vobis episcopum ordino, qui mihi ab initio vsque ad finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius prædicationis meæ agnouit, quem præ cæteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendis studijs deditum, sobrium, patientem. Cumque ego procidens ad pedes eius rogarem, excusans me, & declinans cathedræ honorem: ille respondens: per hoc, inquit, ne rogaueris. Hoc enim fieri statutum est mihi, & eo magis quo te excusas, quia hæc cathedra eum, qui eam cupit & audacter expetit, non requirit: sed ornatum moribus & in verbis eruditum. Quod si aliquis alius mihi tam sedulus adiutor astitisset, tam plene doctrinæ meæ rationem cœpisset, & ecclesiasticas dispositiones à me tam plene didicisset, habens alium talem non te cogerē bonum opus suscipere nolentem. Sed & aliud intuere, quia si peccati periculum timens, suscipere refugis ecclesiæ gubernacula: certus esto quia amplius peccas, qui populum Dei, velut in fluctibus positum & periclitantem, cum possis iuuare subterfugis: tui tantummodo considerationem habens, & non quod in communi, quod omnibus expedit prouidens. Te igitur necessario suscipientem libenter episcopatus officium oportet quidem irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, neue in vlla prorsus inueniaris mundialis negocij occupatione perplexus: ne verbo Dei vacare non possis, præsentibus hominum curis præfocatus. Ista autem opera, quæ tibi minus congruere exposui, sibiinuicem exibeant laici, quia sicut tibi impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studijs sollicitudines suscipere seculares, ita vnicuique laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi etiam in his, quę ad communem vitæ vsum pertinent, operam fideliter dederint. Ad præsbyteros vero sic ista cauere, & anteuenire necessarium est, ne quod in vobis adulterij occultum caleſcat incendium. Quid enim in omnibus peccatis adulterio grauius? Secundum namque in pœnis obtinet locum quo primum illi habent, qui aberrant à Deo. Sane sicut adulterij venenum cunctis malis perniciosius est, ita amor fraternus & charitas totius boni fastigium tenet. Et ideo omnes diligite, atque cum religione & misericordia ad omnes respicite, peregrinos satis prompte in domibus vestris suscipite. Et ne omnia nunc sigillatim dicam, omne bonum, ipsa per se, si in vobis fuerit charitas, facere vos docebit. Diaconi ecclesiæ tanquam oculi sunt episcopi, cum verecundia circumlustrantes actus totius ecclesiæ, & perscrutantes si quem videant vicinum fieri præcipitationi, vt hoc referant episcopo. Negligentiores & eos qui ad verbum Dei audiendum, tardius vel rarius accedunt, & horrentur & commoneant, quia si multo tempore auditum à verbo Dei subtrahant, & remaneant inculti, sine dubio spinis erunt ac sentibus occupati, & per hoc ad ignem præparati. Eosque qui secundum carnem ægrotant, sollicite perquirant & plebi indicent de his, vt visitent eos, & quæ necessaria sunt præbeant. Sed & de peregrinis refouendis similiter episcopo suggerant, & cætera his similia, quæ ad cultum & disciplinam ecclesiæ pertinent. Et ego hanc, ô Clemens, tibi dispensationem iniungēs, scio quia accipio gratiam magis quam præsto, sed confide, quia præmia pro omnium salute suscipies, si hic pro omnium salure inuigiles. Deprecor autem te, vt postquam præsentis vitæ finem fecero, Iacobo fratri Domini describas breuiter, qualiter mihi ab initio vsque ad finem comes itineris & actuum fueris quæque per singulas ciuitates me disputante, vel prædicante, sollicitus auditor exceperis, & quis me finis in hac vrbe reperit, destinare non pigeat. Et ego quidem mi Domine Iacobe tibi iam plurima de his ipso iubente descripta transmisi, sub eo titulo, quem ipse præcepit affigi id est *Clementis itinerarium* non prædicationis Petri.

Author. Scripsit autem Clemens alias quatuor epistolas doctrinam Petri continentes.

Hæc de actibus ipsius, & doctrina ac morte sufficiāt.

Qui verbo præsunt peritos medicos debent imitari.

Presbyterorū in ecclesia functio.

Adulterium grauissimum peccatum.

Diaconi episcoporum sūt oculi.

De filia eius Petronilla & sancta Felicula.

Cap. XXXVIII.

De Petronilla agunt Beda, Vsuardus & alij his versibus, Tu pridie Petronilla Petri de germine sancto Fulgida virgo micat Christi trabeata decore. De eius obitu agitur in actis SS. Nerei & Achillei: nōnullas de ea dubitationes dijserit Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Acta Felicula martyris continentur in rebus SS. Nerei & Archilei apud Surium tom. 3. 12. Maij: quæ omnia conueniunt cum his quæ author hic describit.

HVius sancti Petri filia fuit sancta Petronilla, quæ cum aliquando præsente patre febribus laboraret, discumbentibus apud eū discipulis, dixit ei Titus: Cum omnes à te sanentur infirmi, cur Petronilla iacere permittis? Qui respondit: Sic expedit ei, sed ne putetur impossibilitas eius incolumitatis meis sermonibus excusari, ait ad eam: Surge Petronilla, & ministra nobis. Et statim sana surrexit. Ministerio autem expleto iussit eā redire ad lectum: At vbi veri Dei timore cœpit esse profecta, non solum ipsa sanata est, sed etiam plurimis dedit orando salutem, Et quia nimis speciosa erat, venit ad eam Flaccus comes cum militibus vt eam haberet vxorem. Cui illa respondit: Si vis me habere vxorem, fac matronas virgines ad me venire, vt cum ipsis vadam ad domum tuā. Post triduum ergo Petronilla ieiunijs & orationibus vacans cum virgine Felicula collactanea sua, cōmunicans per manus sancti Nicomedis presbyteri, reclinans se in lectulum migrauit ad Deum.

Flaccus ergo comes, animum suum ad Feliculam vertens, dixit ei vt vnum eligeret, aut ei nubere, aut dæmonijs immolare: at illa vtrumque renuens 7. diebus in carcere clausa fuit. Vbi cum admonita, mutari non posset, 7. alijs diebus sine cibo permansit, ac proinde torta est in eculeo, & in cloacam proiecta: Quam S. Nicomedes presbyter eleuans sepeliuit. Quod audiens Flaccus comes fecit Nicomedem teneri, & ad sacrificandum compelli. Qui cum diceret: ego non sacrifico nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cœlis, plumbatis diutissime cæsus migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Tiberim proiectum S. Iustus clericus eiusdem S. collegit, & in suo hortulo sepeliuit.

De sancto Martiali Lemouicensi.

Cap. XXXIX.

Acta B. Martialis circumferuntur scripta ab Aureliano eius successore, citantur autem tacito Authoris nomine ab Innocētio 3. extra, de sacra vnctione.

EX *gestis eius.* Eidem Apostolo scilicet B. Petro S. Martialis adhæserat B. Stephani protomartyris consanguineus; qui cum esset 15. annorum cum parentibus suis venit ad Iesum in tribu Beniamin prædicantem. Qui iubente Domino baptizati sunt à S. Petro Apostolo. Parentibus ergo ad propria redeūtibus Martialis remansit cū Domino, & sēper ei adhęrēs factus est

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Meminit eiuſdẽ Martialis Greg. Turonenſis lib. 1. hiſtoriæ cap. 30. & de gloria confeſſorum c. 27. qui tamen inſigniter errat (vt ait Baronius) dum tempore Decij Imperatoris eũ cum alijs qui illic deſcribũtur, in Gallias veniſſe tẽptatur, Gregorium tamẽ ſequitur Bellar. de ſcriptorib. eccleſiaſticis in Martiale.

vnus de 72. Chriſti diſcipulis. Poſt aſcenſionem autem Domini ſemper adhæſit S. Petro, cui etiam carne propinquus erat. Cum ergo B. Petrus diu Romæ prædicaſſet apparuit ei Dominus, dicens vt mitteret ad Gallias Martialem. Vocans itaque Petrus Martialem narrauit ei viſionem, & ſic ab eo bene inſtructus profectus eſt cum duobus præsbyteris, cumque iã diu proceſſiſſent vnus ex presbyteris mortuus eſt. Tunc Martialis cito Romam redijt, & B. Petro Apoſtolo nunciauit. At ille: vade, inquit, citò, & tolle baculum meum in manu tua, & cum corpus eius tetigeris reſurget, & ſic fecit. Venientes ergo in prouinciam Lemouiacam dominum prædicabant, & multa miracula facientes, & multos mortuos ſuſcitantes, infirmos populos conuertebant. Ingreſſi autem vrbem Lemouiacam, à quadam matrona nobiliſſima benigne ſuſcepti ſunt, in cuius domo cum quendam freneticum ſanaſſet, baptizauit matronam nomine Suſannam, & totam eius familiam. Tunc etiam perrexit ad theatrum vbi à ſacerdotibus idolorum graniter verberatus, miſſus eſt in carcerem: qui cũ ſequenti die oraret lux immenſa carcerem illuſtrauit, & catenis confractis, & oſtijs apertis, omnes qui ibi aderant proſtrati, baptiſma petebant. Sacerdotes vero, qui eum percuſſerant ictu fulminis extincti ſunt. Tunc omnes currentes ad carcerem reduxerunt eum, promittentes quod crederent ſi illos mortuos reſuſcitatos viderent: quod & factum eſt. Et baptizauit ex eis 22. millia hominum, Suſanna vero migrans ad Dominum, reliquit S. Martiali Valeriam filiam ſuam, quæ ſtatim ſe promiſit virginem permanſuram. Audiens autem quod Stephanus Dominus totius prouinciæ à Rhodano vſque ad mare, veniret ad vrbem Lemouiacam, ſciens, quod ipſe moleſtè ferret votum quod fecerat, omnes interim diuitias ſuas pauperibus erogabat. Cum ergo veniſſet, eam ad ſe venire præcepit, quam videns nolle ſibi coniungi, iratus iuſſit eam citius decollari. Armiger autem, qui eam decollauit, audiens Angelos cum laudibus eius animam deferentes, reuerſus ad dominum ſuum, cum illi narraſſet, cecidit ad pedes eius, & mortuus eſt. Tunc cæpit Dux cum toto exercitu nimis timere, & inductus cilicio rogauit Sanctum Martialem ad ſe cito venire: & penitens, promiſit quod crederet, ſi ſuum armigerum ſuſcitaret. Qui ſtatim ſuſcitatus, pedibus eius aduoluitur, & pœnitẽtis cum duce & cæteris 15000. de exercitu baptizatus eſt. Interea dux ille iuſſu Neronis perrexit in Italiam cum immenſo exercitu bellatorum, & cum perfeciſſent Neronis imperium, perrexerunt Romam videre S. Petrum: quem inuenerunt loquentem ad populum, & nudis pedibus in cilicio coram eo proſtrati petebant ſuorum veniam delictorum. Tunc Petrus videns tam pulchram gentem, interrogauit, qui & vnde eſſent: tunc dux enarrauit ei per ordinem, qualiter conuerſi eſſent per beatum Martialem.

Legi totam hanc hiſtoriã in ſupradicto Aurelia-no, eamque iuxta ea quæ ibi fuſiſſime dicuntur, correxi.

De quibuſdam eius miraculis, & obitu eiuſdem.

CAP. XL.

Hildebertus Filius Archadij comitis à dæmone ſuffocatur.

REdeuntes igitur propoſuerunt prius videre S. Martialem, quam ad propria remearent: & cum iuxta quendam fluuium Viſennam eſſent, filius Archadij comitis Pictauenſis propter æſtum in fluuio ſe balneans à diabolo ſuffocatus, interijt. Quem cum nusquam exercitus reperiret, pater eius cum nimio luctu venit ad S. Martialem, rogans, vt ei filium ſuum ſuſcitaret. Pergens ergo ad locum adiurauit dæmones, vt corpus de flumine eijcerent, & ipſi in ſpecie viſibili aſtantibus apparerent. Et protinus exierunt tres dæmones quaſi Æthyopes fuligine nigriores, pedibus magnis, oculis terribilibus & cruentis capillis totum corpus tegentes, & per os & nares ignem ſulphureum emittentes, loquendo vero vocem coruinam imitantes. Et cum iuſſi, dixerint nomina & offi-

Forma horrenda dæmonum.

cia, ſua, miſit eos in terram deſertam, præcipiens eis vt nullam læderent creaturam. Commotuſque lachrymis rogantium ſuſcitauit protinus Hildebertum, cui narrauit coram omnibus, quomodo à dæmone ſuffocatus eſt; & cum catenis eum conſtringere vellent, eripuit eum Angelus, & oſtendens ei ignem purgatorium, duxit eum ad ianuam paradiſi vbi cum diſceptarent dæmones pro eo, venit vox de cœlo, iubens, vt ille reſurgens 26. annis viueret. Et his dictis totondit ſe, & ſicut eum Angelus docuerat, in mirabili abſtinencia cum S. Martiali permanſit. S. autem Martialis tantis miraculis floruit, quod etiam mulier quædam maritum ſuum paralyticum baculo illius ei ſuperpoſito ſanauit. Et eodem baculo oppoſito incendium Burdegalis ciuitatis extinxit. In Lemouiaca autem ciuitate cum quandam eccleſiam dedicare vellet, prædictus dux de toto regno ſuo diuites & pauperes ad dedicationem Baſilicæ inuitauit. Quos omnes cum S. Martialis propter feſtum in caſtitate eſſe præmoniſſet, quidam miles cum vxore ſua intra miſſam à dæmonibus arrepti vexabantur: & cum adducti eſſent ad præſulem, interrogauit dæmones cur hæc feciſſent? Qui reſponderunt, quia heri præceperas omnibus vt ſe caſte tenerent: & iſti totam noctem in libidine deduxerunt; ingreſſique ſumus in eos, ſed tamen tandem ſanauit eos ſanctus Martialis precibus ducis & populi circumſtantis.

Hildebertus caput totondit.

Eodem anno à paſſione Domini 40. apparuit ei Dominus prædicens ei huius vitæ exitum, & regni cœleſtis ingreſſum; qui ſtatim conuocatis omnibus (quos conuerterat) Chriſtianis omnibus poſt prædicationem valefaciens, febre corripitur, & adueniente Domino ab angelis in cœlum defertur.

Qui plura de Sancto Martiali ſcire cupiat, legat eius vitã deſcriptã ab Aureliano Lemouicenſium epiſcopo D. Martialis auditore & olim eius beneficio à mortuis excitato.

Anno domini 40.

De Sanctis Sabiniano & Potentiano, & Altino.*

* *Alias Saluiniano.*

CAP. XLI.

De Sabiniano & Potẽtiano agunt Beda, Vſuardus & Baronius 31 decemb. Horũ res geſtas recitat Petrus in catalogo lib. 2. cap. 29.

EX geſtis eorum. Ex numero quoque 72. Chriſti diſcipulorum fuerunt S. Sabinianus, & Potentianus, & Altinus. Qui cum multos ſanitati infirmos reſtituerent, & non tam verbo quam ſignis, & virtutibus quoſcunque poſſent ab errore reuocarent, à B. Petro miſſi ſunt, vt Galliam idolatriæ deditam, diabolo auferrent, & Chriſto acceptabile munus afferrent: qui etiam Sabinianum primatem Galliæ conſtituit. Venientes ergo ad vrbem Senonis tunc famoſiſſimam, & populoſiſſimam, non ceſſabant populum à cultura dæmonum ad Deum reuocare. Ibi B. Sabinianus pontificalem, quam à B. Petro illuc deſtinatus acceperat contra incredulos ſtrenue, & conſtanter poteſtatem exercebat, tantaque ſpirituſſancti gratia in eius corde erat diffuſa, vt quos ſermone tangeret, ad ardorem cæleſtis deſiderij vehementer accenderet. Dumque cæleſtibus ſanctionibus inſiſteret, Diabolus quoſdam ſectæ ſuæ viros contra eum excitauit. Qui dum cernerent ſimulacrorum ſuorum cultum ceſſare, ac ritus gentilitatis, ac beneficia ſperni Deorum ſuorum; contemptum beati viri ludibrijs, & lætho, ſanxerunt vleiſcendum. Hunc igitur in medio peſtilentis conciliabuli ſiſtunt; aliquantiſper de altercationibus fidei conueniunt, ſed veritatis aſſertioni cordis aures obturantes, ſeque cum portentis ſuis execrari gementes; mox eum capitali vltione plectendum cenſuerunt. Huic mox in epiſcopatu Potentianus ſucceſſit: qui dum prædicationi ardenter inſiſteret, nulloque tempore ceſſaret, contra hunc quoque diabolus incredulorum animos ſuſcitauit, & famulum Dei, quanta potuit celeritate extinxit; cuius corpus pridie Kalendas Ianuarij exanime factum ab infidelibus quidem; auibus & beſtijs proiectum eſt ad deuorandum; ſed Dei prouidentia permanſit illæſum, à fidelibus vero occulte collectum eſt, & in ſuburbio Senonis, vbi præcurſor eius quieſcebat, ſepultum: nec minus carne ſolutus quam antea viuens in carne, virtutibus claruit. Nam dæmo-

Lege Annales Aurelianenſes Caroli Sauſſeii lib. 8.

Conſule Surium 31. Dec.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nes de obsessis corporibus effugauit, cæcos illuminauit, surdis auditum restituit, claudis gressum, infirmis sanitatem. Denique bonum pastorem Sabinianum vias martyrij præeuntem prosecuta est grata amicorum clientela, sanctus Potentianus, & S. Eodardus, & Altinus, & Serotinus. Hi namque pariter magistri gradientes & in fide Christi credentium cuneos propagantes, martyrij gloriam assequi meruerunt, & iuxta monumentum eiusdem humati sunt. Horum cineres postmodum ab eiusdem vrbis antistite Ceuilone in B. Petri basilicam contiguam translati sunt, anno scilicet ab incarnatione Domini 847. regnantibus Lothario, & Ludouico, & Carolo Augusti 7. Kal. Septemb.

Lege Mombrit. tomo 2. tabula episcoporum Senonensium apud Democharem.

Nocte autem præcedente venerabilis Ceuilo ad celebranda vigiliarum solemnia illuc cum frequentia cleri processerat, quibus suppletis, archiepiscopo ad vrbem regresso, cælestes exequiæ id est voces Angelicæ, velut chori spallentes ibidem per noctis spacia subsecutæ sunt, cuius modulationis harmoniam, non tantum Monachos, sed & quosdam vulgi ibidem excubantes audisse perspicuum est.

De sancto Clemente Metensi.

Cap. XLII.

Sanctus Clemens euangelizandi gratia Metẽ sem ciuitate peruenit. Huius meminit Vsuardus in martyrologio nono Cal. Dec.

Ex gestis eius. Fuit etiam S. Clemens, qui cognominatus est Flauius consul Romanorum, patruus Clementis Papæ, hic à B. Petro euangelizandi gratia cum cæteris missus apud Galliam Belgicam Metim ciuitatem peruenit. Ibique à quodam hospite susceptus est officiosissime: à quo interrogatus humiliter qui essent, & vnde, vel quare venissent? respondit: Serui sumus Iesu Christi ex Deo patre ante tẽpora, ex virgine Maria sub tempore nati pro salute generis humani. Hæc & alia sanctorum peregrinorum susceptor audiens, ac suspirans, bona sunt, inquit, valde quæ portatis. Sed si quæ dicitis, factis vera esse ostenderitis, fateor Dominum vestrum vos huc causa nostræ salutis transmisisse, vobis etiam aptissimum locum & tempus prouidisse: Est enim hæc propria & maximè vrbs ista, robore fortissima, bellis & armis semper assueta, insuper opulentia ditissima, sed heu clade pessima sic detrita: vt pene iam medietas hominum, & omnium animalium humano vsui deseruientium huius pestis immanitate mortua videatur. Est enim hic arenarium ab Imperatore Octauiano nobiliter constructum, & in amphitheatrum decenter formatum, in quo Draco indictibilis magnitudinis cum pestifera sua prole inhabitat, quorum flatus aera circumquaque corrumpens, etiam aues quascunque supra volitare contigerit perimit. Si ergo virtus Dei vestri, si quæ vestræ prædicationis veritas est: ecce magnũ & euidens ostiũ prædicandi, & paratissimus aditus in Deum vestrũ credendi: tantum vis pessimæ necis extinguatur, & morbidis sanitas pristina restituatur. Ad hoc S. Confessores Christi læti effecti, in lachrymis præ gaudio resoluti sunt. Cucurrit hospes ad primores ciuitatis, & eos ad audienda ea, quæ nunquam audierant inuitauit. Tunc omnes, qui audierunt nobiles & ignobiles ad videndum viros properare cæperunt. Quorum plurimos iam morbi vis sic inuaserat, vt vix pedibus inniterentur: Quorum doloribus compatiens S. Clemens primum hospitem suum, deinde cunctum populum baptizauit. Et ipse sacri fontis descensus, non minus corporum quam animarum sanitatem reddidit, vt incolumes ad propria remearent.

Descriptio patriæ Metensis.

Lege Petrũ de Natalib. qui hanc eãdem historiã recitat l. 10. cap. 113.

Sequenti die celebratis missarum solennijs, & cunctis sacra communione imbutis sequente plebis multitudine amphitheatri cauernas adijt: ipsoque cum socijs psallente, & populo, vt doctus erat, *Kyrie eleyson* lachrymose conclamante, inter psallendum & orandum, interque strepitum pedum feralis illa multitudo bestialis crista capita erigit, colla tumentia prætendit, sibilos emittit, & velut vim diuinę virtutis, sentiens, superba colla deponit, & S. Clementis adiuratione mansuescit. *In nomine*, inquit, *Iesu Christi crucifixi præcipio tibi Draco sunestissime omnem feritatem deponere, & cum omni sobole tua pessimæ deserta hominibus & ignota adeas loca, nulli hominum nocens, aut bestiarum*. Respondentibus omnibus, *Amen*, sanctus Clemens stolam quam in collo gerebat deponit, maximumque illorum alligauit, & vsque ad flumen contiguum, quod *Salia* dicitur vinctum, manibus proprijs adducens: dum stolam recepit, serpens nusquam comparuit; & quo diuertit vsque hodie ignoratur. Præfatus exinde locus ab omni immundicia serpentium ita mundatus est, vt vix aliquando ibi paruissimus vermiculus reperiatur, omnino. n. noxiæ pestes locũ refugiunt.

Cæpit ab hinc B. Pontifex clericos instituere, & ipsos institutos ecclesiasticis gradibus promouere, ecclesias constituere & cõstructas omnipotentis Dei, & S. Petri magistri sui nomine consecrare. obijt autẽ 9. Cal. decẽb.

De S. Frontone Petragoricensi.

Cap. XLIII.

De Sancto Frontone agit Petrus Cluniacensis l. 1. epist. 2. & Petrus in catalogo. lib. 9. c. 109. Meminit eiusdem Beda Vsuardus, & Baronius in Martyrol. die 25. Octobris.

Fvit etiam S. Fronto, qui à prima ætate Deo deuotus, & à Petro Apostolo Romæ ordinatus, atque in vrbem Petragoricam, in qua natus est, primus destinatus episcopus 70. monachos ibidem ad seruiendum Domino congregauit, dumque cum eis habitans in opere Dei cresceret, à Sugirio ciuitatis illius præside persecutionem patiebatur. Nam quos episcopus pro Christi nomine baptizabat, ille gladio deputabat. Tandem relicta ciuitate cum mobilibus eremum decreuit petere nudus. Vocatisque fratribus omnibus ait eis: Quid nobis cum mundo quem crucifiximus nobis? Magnum gerimus animæ detrimentum inter homines habitantes. Cumque placuisset fratribus 300. bisacutis & seminibus olerum acceptis, exeuntes de ciuitate, Christo duce per desertum venerunt ad quandam locũ super fluuium Dordoniæ, vbi Draco magnus habitabat cum serpentũ multitudine. Quos videntes hi, qui episcopum secuti fuerant, metu ducti cœperunt retrocedere: at ille in Domino confidens, orationi se prostrauit, non baculum terrestrẽ, sed virtutẽ cœlestẽ inter eos ostendens, & nusquã cõparuerunt. Conuersantibus autem eis in eodẽ loco cœperunt murmurare fratres, dicentes: Nunquid sola in eremo castitatis est custodia, & in vrbibus nõ est? An in eremo Deus exaudit orantem? quem ferarum delectat solatiũ? cur itaque non regressi in locum nostrũ, benedicimus Deum? Audiens vir sanctus eorũ murmura, æstuabat, & pro eis orabat. Nunquã tamen inter eos diuinorũ canticorũ cessauit officiũ, nec in penuria lacessentes, vigilijs defuerunt. Quadam igitur die post vigilias vocauit eos ad se & ait; Filioli mei si regnum Dei quęrimus, quid de escis corporalibus cogitamus? Non oportet carnem fragilem, pinguem vermibus exhibere. Onere ieiuniorum asellus grauandus est, ne gestire incipiat quando hordeo pascitur: comedat ergo paleas, ne recalcitret & creatorem suum ad iracundiam incitet. Quid nos carnis cura torquet morituræ post modicum? curam ergo nostri Deo dimittamus, & eius testamentum teneamus dicentis: *Non delinquam te &c.*

Lege hoc exẽplum hinc desumptũ in speculo magno exemplorum tit. sollicitudo. Lege Surium 14. April. qui hunc sanctũ vocat Frontonium.

Qualiter eum Dominus in deserto visitauit.

Cap. XLIIII.

Angelus Squirio præcipit vt monachis escas mittat.

ORante igitur eo pro illis indesinenter, Dominus precem serui sui non est oblitus, sed per Angelum suum prędem Squirium visitauit, eidemque dixit: Epularis in diuitijs splendide, & serui mei in deserto pereunt fame. Festina ergo diluculo ex donis, quæ tibi dedi seruis meis escas mittere. Quod si distuleris, in te Dei furorem excitabis. Hoc vt audiuit ille, cor eius consternatum est in se tota nocte. Mane autem consurgens mæstus amicos suos & domesticos vocauit, visum exposuit, & si quis viam nosset, vt famuli Christi in eremo habitarent, interrogauit; sed nullum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum Angelus apparet & de mora castigat Squirium.

qui se nosse diceret inuenit. Alia vero nocte à prædicto Angelo visitatus, graui plagarum cede percussus est? Mane iterum amicos adducit, causam exponit, plagas ostendit,& quod faciendum esset, consilium requisiuit. Tandem vnus eorum cunctis sapientiór, respondit: Multitudo tibi camelorum abundat, onera eos his escis, quibus eremitæ vtuntur; & dirige eos per viam onustos absque homine ductore, & si tibi à Deo cœli visitatio est, ipse ad cuneum puerorum suorum eos deducet, & depositis oneribus animalia tua reuocabit illæsa: quod & factum est. Fuerunt autem * 70. cameli cum oneribus directi. Factum est ergo dum hora 9. fratres hymnos omnes in vnum celebrarent, primus ante fores excubat camelus. Quem videns episcopus lætus Deum laudauit,& præcepit dicens: Camelis nobis alimoniam ferentibus pedes lauate, eisque cibaria date. Quod & fecerunt. En, inquit, omnipotens Deus nostri recordatus, nobis alimoniam per gratiam suam direxit; nobisque sedentibus Angelus eius camelos perduxit. Non omnia tollamus, sed dimidiorũ onerum elogias Domino remittamus. Quod cum placuisset omnibus 35. saccos in horreum recludendos abstulit; aliorum vero camelorum 35. onera in omnium saccos refudit, ne alij portare viderentur; alij leues abirent; & benedicens eos, dimisit absque indicio viæ. Qui per viã, qua venerant regressi sunt. Tunc Squiritis exultatione fretus, quia camelos omnes susceperit illæsos, exclamauit: *Magnus est Deus Christianorũ*; rogo te vt ostendas mihi viam qua ambulem,vbi famuli tui habitant,& mihi baptismi gratiam præbeant. Tunc Profectus, ad locum peruenit, & à sancto Episcopo baptismum petens, obtinuit; & vocauit nomen eius Gregorium:& exinde qui pridem seruis Dei pabula miserat, anniuersario tempore onera eisdem camelis imposita, dirigebat.

* *Surius habet etiã 70. Rhaban. & Notherus 60. Ms. Audomaren. & vetus edit. 65.*

Elogia significant benedictiones vt notat Rosweidus.

Squiritis cõuersus petijt baptismũ, & obtinuit.

De sancto Memmio Catalaunensi.

CAP. XLV.

EX gestis eius. Sanctus quoque Memmius de nobili genere Romæ oriundus,cum à sancto Petro Apostolo in episcopatum benedictus fuisset; partibus Galliarum verbum Domini prædicandi gratia vnà cum fratribus (sancto Dionysio Parisijs futuro episcopo,& sancto Euchario Treueris ciuitatis episcopo,& S. Sabiniano ciuitatis Senonis futuro episcopo,& S. Siuitio ciuitatis Suessionensis episcopo,& alijs 6. episcopis,simul etiam Domitiano subdiacono,qui quasi ex vno vtero fratres in Christo esse noscuntur) Domino imperante directus est. Cumque Roma in 18. milliario ad mansionem diuertissent, contigit Domitianum defunctum fuisse. Cum autem B. Memmius de ipso subdiacono (ad solatium & officium occurrenti) transitum cognouisset, memorato sepulto subdiacono; continuo ad S. Petrum reuersus, lachrymabiliter ita suggessit: Domine sanctissime magister, cognoscat sanctitas tua, Domitianum subdiaconum, quem mecum ad officium implendum, & verbum Domini gentibus prædicandum iussisti dirigere,in itinere fuisse modo defunctum. Cumque hoc beatissimus Petrus audisset (cui potentia à Domino ligandi & soluendi data esse dignoscitur) diuina inspiratione permotus,B. Memmio episcopo fiducialiter ita respondit: Accipe fimbriam vestimenti mei, & reuertere ad locum sepulturæ suæ, & ea super corpusculum eius imposita ita dices: Imperat tibi Dominus Iesus Christus & magister noster Petrus, vt qualiter tibi ore suo in præsenti verbo demandauit, ita mecum ad verbum Domini gentibus prædicandum ambulare non tardes, vt lumen Domini, quod est incorruptum, & incognitum omnibus patescat. Accepta igitur ordinatione B. Petri Apostoli, cum ad locum ipsum vbi defunctus fuerat peruenisset, & super corpusculum eius vestimentum sancti Pontificis imposuisset, auxiliante Domino, continuo surrexit incolumis, qui mortuus iacere videbatur in puluere. Tunc ait ad eum S. Memmius, Surge frater Domitiane, & noli tardare, eamus ad locum, quo à sancto & magistro nostro fuimus destinati, ad ciuitatem videlicet Catalaunensem, quæ à gentibus ad integrum tenetur, recto itinere properemus. Multas etiã virtutes per seruos suos Dominus in itinere dignabatur ostendere; vbi recipiebant debiles gressum,cæci visum,surdi auditum, vel in qualibet infirmitate quis positus fuisset per beati Memmij Pontificis auxilium si fide integra postulasset,continuo ad pristinam sanitatem noscitur peruenisse.

Sancti huius meminit Sanctus Augusti Baronius, Beda etiam & pluribus Gregorius Turonensis de glo. confessorum ca. 66. & Petrus in catalogo lib. 7. c. 25.

De miraculis eiusdem & bonis operibus.

CAP. XLVI.

CVmque ad iam dictam ciuitatem Catalaunensem peruenissent vbi directi fuerant, & ipsum propter gentilitatis errorem, vel iugum duritiæ cordis eorum (quod premere videbatur) noluissent recipere; diuina inspiratione permotus vir sanctus cum consilio ministrorum in oppido ipsius ciuitatis, in spelunca, in deserto loco, qui vocabatur Buxaria fere milliario vno destinauit facere mansionem, vbi die noctuque vigilijs & orationibus vacabat, impleuitque ibidem circulum anni. Contigit autem vt puer nobilis in fluuioli, qui est ad portam ciuitatis, gurgite, fati munus impleret. Quod cum parentibus nunciatum fuisset, & super corpusculum ipsius planctum validissimum excitarent, cognitis virtutibus, quas S. Memmius in spelunca residens ostendebat,deuote & lacrymabiliter ad eum venerunt,postulantes vt filium eorum orationibus suis redderet incolumem. Qui genibus in terra deuolutus, Domino fusis precibus supplicauit; & ante quam manus imposuisset, puer surrexit; quem parentibus astantibus incolumem reddidit,eumque continuo baptizauit. Dum igitur parentes eius tantam virtutem per seruum Dei factam vidissent, postulabant sacerdotem, vt eum dignis honoribus ad ciuitatem Catalaunensem (vbi ipsum antea propter gentilitatis errorem recipere noluerunt) ad pontificalem cathedram residendo accederet. Et dum ipsum cum summa diligentia congregata multitudine populi ad ipsam ciuitatem adducerent, ad portam ipsius loci obuios habuit leprosos tres, & cæcos similiter, quibus in nomine trinitatis imposuit vexillum crucis,& ad pristinam sanitatem ipsos perduxit. Ingressus itaque ciuitatem occurrit ei quidam homo dæmonium habens, quem continuo ad sanitatem pristinam reuocauit. Postea omni tempore vitæ suæ pauperes veste induit, & eleemosynas dedit. Et dum ieiunijs,vigiliisque assidue insisteret omni populo ad ipsam Catalauniam vrbem accedenti baptismi gratiam donauit, & diuinis eos eruditionibus,vt bonus pastor assiduæ gubernauit annis 80.

Memmius suscitat puerum mortuum eũque baptizauit.

Leprosos & cæcos curauit.

Author. Hæc de B. Petro, & eius discipulis quæ legimus excerpsimus. Nunc ad discipulos Pauli stylum conuertamus.

De sancta Tecla Pauli discipula.

CAP. XLVII.

EX gestis eius. Cum Paulus Apostolus de Antiochia Iconium venisset & secum comites Demeam Hermagoram, & Alexandrum ærarium discipulos simulatos haberet, audiens Onesiphorus aduentum eius, ei cum familia sua obuiauit, & ob signa (quæ Titus prædixerat) videns eum inter cæteros statura breuem, Naso aquilino,vultu Angelico, ipsum solum humiliter salutauit. Et cum indignati essent prædicti comites, cur, & ipsos minime salutasset, respondit * Onesiphorus, quod in eis fructum iustitiæ non videret

* *Hic ille putatur cuius meminit Paulus in 2. epist. ad Timoth. cap. 1.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

videret. Itaque cum in eius hospitium introisset, & semper de cunctis fructibus virtutum prædicaret, Tecla virgo Thamiro desponsata sedens ad fenestram semper Paulum prædicantem audiuit, & de sermone eius, quem facie non noscebat, ita deuicta est, quod à fenestra per totum triduum non recessit: tunc mater eius Theodia misit ad Thamirum, & lugens filiam seductam, accusauit grauissime sanctum Paulum. Cum ergo Thamirus & Theodia filiam perdere se viderent, & eam cum luctu magno vocantes, nihil proficerent. Paulum rapiunt ad carcerem; tecla autem secuta est eum. Quam alij sequentes & quodam affectu ei copulatam videntes, seditionem excitant, & Paulum & Teclam ad iudicem tractos, vociferantes accusant. Vnde Paulus flagellatus de vrbe expellitur. Tecla vero incendio iudicata, sponte in ignem prosilijt; sed protinus ita pluit, & terræmotus tantus fuit, vt ignem imber extingueret & terræmotu plurimi morerentur. Tecla igitur sic euasit, & ad locum vbi Onesiphorus in domo eius absconditus erat, latenter deuenit. Cum enim Paulus iam sex dies ieiunasset, & tunicam suam pro emendis panibus puero tradidisset, vidit eam puer venientem, & perduxit eam ad Paulum adhuc pro ipsa orantem. Cumque se inuicem videntes gauderent, Tecla ad habitum viri tondere se voluit, vt Paulum libere sequeretur, sed Paulus non permisit, verens ne aliqua ipsa tentatione subita turbaretur. Iubens ergo Onesiphorum cum domo sua redire Iconium, cum Tecla Antiochiam profectus est. Tunc quidam nomine Alexander Antiochensium primus, pulchritudine Teclæ allectus est, & cæpit Paulo plurima polliceri, si eam suæ traderet voluptati. Quam cum Paulus se nescire diceret, & ille eam publice amplexatus fuisset, illa non ferens iniuriam, Iconiorum nobilem se esse dixit, & ipsum accipiens, ipsius clamydem laniauit, & coronã de capite quam portabat excussit. Tunc Alexander erubescens, quasi sacrilegam iudici præsentauit, qui confitentem id se feciſſe, ad bestias condemnauit. Tecla autem à Iudice obtinens, ne vsquequo contra bestias pugnaret, eius castitas violaretur; tradita est Tryphænæ cuidam diuiti fœminæ, cuius filia nuper defuncta fuerat, vt ab ea interim seruaretur.

Acta quadã Pauli, & Tecla dicta, quorum meminit Tertullianus in lib. de Baptismo & Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis in Lucã sunt improbata & authoritate Gelasij Papæ reiecta inter Apocripha, vnde factum est vt nonnulli incaute nimis omnia quæ de Tecla scripta reperiuntur tanquam minus probata, putẽt adnumeranda esse inter apocrypha nullum ponentes discrimẽ, nec delectum habentes inter ea quæ de Tecla vera certaque scribuntur, & ea quæ ambigua, vel falsa omnino feruntur, in his laborat Baronius in suo martyrologio 23. Septemb. vt pretiosum à vili, & sancta à prophanis distinguat, vbi quis ad oculum videre potest quod multũ confirmet hanc historiam authoris nostri de beata Tecla.

Qualiter bestiarum sæuitiam superauit fide.

Cap. XLVIII.

COngregatis feris Tecla super caueam Leenæ maximæ collocatur, sed Leena pedes eius lingente; populus hoc videns nimium mirabatur, tunc Triphæna rursus eã accepit, & filia eius defuncta in somnis ei apparens, vt Teclam peregrinam loco filię custodiret, quatenus & ipsa pro se defuncta, oraret, admonuit. Cumque Tecla pro filia eius orasset, sequenti die Alexander venit, vt Teclam expectanti proconsuli, & populo contra bestias præsentaret, sed Tryphæna ita lugendo contra eum vociferata est, vt etiam Alexander fugeret. Stratrocles igitur ex iussu proconsulis eam produxit, & Tryphæna tenens manum eius cum illa perrexit, vt sicut ad sepulchrum persecuta fuerat filiam Fascinulam, ita & Teclam sequeretur ad bestias pugnaturam. Tecla igitur amarissime flens, & per Tryphæna supplicans, circumclamante populo & frementibus feris, de manu Tryphænæ rapitur & bestijs applicatur. Inter quas prædicta Leena currens ad pedes eius recubuit, & venientem vrsum obuians ei cum impetu strangulauit. Rursus quidam Leo sæuissimus Alexandri dimittitur, & obuiante sibi Leena ambo diutius confligentes pariter moriuntur. Tunc mulieres flere cœpeunt, eo quod Leenam, quæ Teclam adiuuerat, defunctam viderunt, Tecla autem videns fossam aqua, & marinis belluis impletam, signans se & orans, licet cunctis prohibentibus introiuit, & belluis super aquam natantibus quædam clara nebula Teclam texit, ita quod nec ab omnibus nuda videri, nec à feris contigi potuit. Mulieres autem circumflentes, & ne à belluis voraretur timentes, ad eas diuersa aromata iactauerunt, & statim belluæ præ odoris abundantia dormierunt. Tunc iratus Alexander permissu iudicis duos tauros fortissimos, quos habebat protulit, & laminas ignitas crinibus eorum applicans, ad eos Teclam per manus & pedes ligauit. Sed statim flamma funes combussit, & fugientibus Tauris Tecla resoluta remansit. Cumque Tryphæna hoc videns præ timore semianimis in extasim procidisset; Alexander sibi timens, proconsulem prostratus rogauit, vt Teclam solueret, ne forte Cæsar hoc audiens, pro Tryphæna cognata sua totam ciuitatem deleret. Tecla itaque sic soluta dimittitur, & Tryphæna ad clamorem populi suscitata, Teclam amplectens, resurrectionem mortuorum se credere confiterur, cum ergo Tecla Tryphænam cum multis alijs exhortans ad cultum vnius Dei diebus 8. fuisset, & desiderans Paulum videre; pro eo quærendo, tonsuram, & virilem habitum susceptisset, cum quibusdam inuenibus ad eum perrexit: Qui timuit, ne aliqua tentatio accidisset. Quod illa intelligens, vt eam confortaret baptizatam se esse dixit, & sic cum Paulo eius hospitium introiuit. Dehinc ex licentia Pauli Iconium pergens, & defuncto Thamiro, matrem viuentem inueniens, ei quidem diutius prædicauit; sed cum conuerti non posset, Tecla in Seleuciam abiens, & multos prædicando conuertens, tandem in pace quieuit.

Teclam palam docuisse aut etiam baptizasse apocryphum est, & damnatũ à Gelasio Papa, imo nusquã reperiet quispiam vel apud Græcos vel apud Latinos quod beata Teclamunus docendi palam indebito modo vsurpauerit.

De quibusdam aliis Pauli discipulis.

Cap. XLIX.

AVthor. Fuerunt etiam discipuli Pauli Apostoli viri plures egregij, & illustres in ecclesia Dei, vt Timothæus, cuius vitam inferius inserere proposui; cæteri quoque quorum gesta ad plenum scripta non reperi, ex martyrologio breuiter sumpta hic inserui.

Nam 4. Kal. Ianuarij apud Arelatum celebratur natale sancti Trophini, cuius meminit Paulus scribens ad Timotheum, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ob Christi euangelium prædicandum directus est: Ex cuius fonte (vt Papa Zozymus scribit) tota Gallia fidei riuulos accepit.

Item pridie nonas Ianuarij natale beati Titi, qui ordinatus est à beato Paulo Apostolo Cretensium episcopus, ac prædicationis officium fidelissime complens, beatum finem adeptus est, ibique sepultus apud ecclesiam, vbi erat dignus minister constitutus.

Titi meminit frequenter Paulus Apostolus ad quem & scripsit epistolam.

Item 14. Kal. Martij natale sancti Onesimi de quo sanctus Paulus scribit Philemoni. Quem idem Apostolus episcopum ordinans, prædicationisque verbum ei committens; apud Ephesiorum ciuitatem reliquit. Hic Romam productus atque ibi pro fide Christi lapidatus est, & inde ad locum vbi fuerat ordinatus, corpus eius delatum est.

Item 14. Kal. Iunij Romæ sanctæ Pudentianæ virginis, quæ post innumeros agones, post multorum martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas pauperibus pro Christo erogatas, tandem ad cœlos migrauit.

Maiorũ firma traditione est præscriptum domum Pudentis Romæ fuisse primũ hospitium Sancti Petri, illucque primum Christianos conuenisse ad sacram synaxim suscipiendam.

Ipso die beati Pudentis patris supradictæ virginis, qui ab Apostolis Christo in baptismo vestitus innocentem tunicam vsque ad coronam vitæ immaculatam custodiuit, & seruauit.

Item 5. Kal. Iulij apud Galatiam B. Crescentis discipuli sancti Pauli Apostoli, qui in Galliam transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit. Rediens vero ad gentem cui specialiter episcopus fuit datus; Galatas vsque ad beatum

finem

finem vitæ ſuæ in opere Domini confortauit.

Item 14. Kal. Aug. natale ſancti Epafræ, qui à beato Paulo Coloſſis ordinatus epiſcopus, clarus virtutibus ibidem martyrij palmam pro ouibus ſibi commendatis, virili agone percepit.

Item vndecimo calendas Aprilis apud Narbonam natale ſancti Pauli confeſſoris, quem beatus Paulus Apoſtolus ordinatum, eidem vrbi deſtinauit epiſcopum: qui cum eodem Apoſtolo ad Hiſpanias prædicandi gratia pergens, ibidem relictus eſt; vbi prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis, coronatus quieuit.

Lege hic Baronium in Martyrol.

Author. Hæc de principibus eccleſiæ Petro, & Paulo, qui ſub Nerone paſſi ſunt, ac de eorum diſcipulis, quorum tempora, quibus vel mortem pro Chriſto ſibi illatam ſuſtulerunt, vel in pace quieuerunt, quia nobis incerta ſunt, hic inſerere nolumus.

Nunc ad perſecutionem Neronis vnde digreſſi ſumus redeamus.

Sub hoc paſſi ſunt ſancti Geruaſius & Prothaſius filij ſanctorum Vitalis, & Valeriæ vxoris eius, de quorum paſſione primo dicemus.

Paſſio Sanctorum Vitalis & Valeriæ vxoris eius.

Cap. L.

Huius meminit Baronius 28. Aprilis & Surius die eode & 19. Iunij in vita SS. Geruaſij & Prothaſij.

Vrſicini meminit Surius tomo. 2. 28. Aprilis & Venantius Fortunatus in vita Sancti Martini l. 4.

De Sancto Vitale reperiet lector quadam ſcitu digniſſima in vita SS. Geruaſij & Prothaſij 19. Iunij in epiſtola quã S. Ambroſius ſcripſit fratribus per omnem Italiam, ex qua Petrus Damianus quadam deſcripſit, in ſermone de Vitale & Valeria.

Ex geſtis eorum. Sanctus Vitalis miles cum Paulino iudice Rauennam Italiæ vrbem ingreſſus, cum videret quendam medicum Chriſtianum poſt nimia tormenta iuſſum decollari in loco qui dicebatur *Ad palmam*: quia arbor palmæ antiqua ibi erat, & ille medicus expauiſſet; exclamauit ad eum dicens: Noli frater Vrſicine medice qui alios curare conſueſti, teipſum æterna morte occidere: & qui per paſſiones nimias veniſti ad palmam, non perdas coronam tibi à Domino præparatam. Quæ Vrſicinus audiens, genuflexit, & pœnitens pauoris ſui, martyrium libenter accepit. Sanctus autem Vitalis eum fecit honorificè ſepeliri; & poſt hæc noluit venire vltra ad Paulinum Dominum ſuum. At ille iratus, tum quia ad eum venire contempſit, tum quia ita Chriſtianus erat detectus, quod etiam Vrſicinum volentem ſacrificare retraxit, iuſſit eum in equuleum leuari. Tunc ait, ad eum ſanctus Vitalis: Stultiſſimus es, qui me putas decipere, qui ſemper ſtudui alios liberare: & ait Paulinus miniſtris: Ducite eum ad *palmam*, & ſi ſacrificare noluerit, facite foueam in terra, donec perueniatis ad aquam, eumque ſupinum deponite, & terra, ac lapidibus obruentes dimittite. Quod cum factum fuiſſet, ſacerdos Apollinis, qui hoc conſilium dederat, ſtatim areptus à dæmone per 7. dies inſaniẽs in illo loco, & clamans dicebat: incendis me ſancte Vitalis, & die 7. præcipitatus in flumine expirauit. Valeria autem vxor ſancti Vitalis cum vellet corpus eius auferre à Chriſtianis, ab Epiſcopo Vitali in ſomnis prohibita eſt. Quæ cum rediret ad Mediolanum, incurrit homines idolis immolantes. Quæ cum hortaretur vt idolis immolata comederet, reſpondit: Chriſtiana ſum, non licet mihi de ſacrificijs veſtris manducare. Quod illi audientes, tantum eam verberauerunt, quod eam ſui homines vix vſque ad Mediolanum ſemiuiuam perduxerunt, & ſic infra triduum migrauit ad Dominum.

De filijs eorum Geruaſio & Prothaſio, & de ſanctis Nazario & Celſo.

Cap. LI.

Lege Baronium tom. 1. Annal. & in notas Martyrologij Romani.

POſt mortem itaque parentum ſuorum Geruaſius & Prothaſius omnia ſua pauperibus erogantes, & familiam ſuam ingenuam facientes, manebant cum ſancto Nazario qui oratorium ædificabat, & ei Celſus puer lapides porrigebat. Nazarius iſte filius Africani Iudæi, matris Perpetuæ ciuis Romanæ, nobilis Chriſtianæ, Simone iam deuicto, à beato Petro Apoſtolo baptizatus; cum eſſet annorum 9. valde mirabatur, quod mater ſua legem baptiſmi, & pater ſuus legem ſabbati ſequebatur. Nutu tamen Dei adhærens matri ſuæ ſequebatur ſtudia diſciplinæ Romanæ: quem cum pater diligeret, & ad ritum Iudæorum trahere niteretur, ne forte poſtea paganorum ritibus inhæreret; intellexit eum ſequi velle Chriſtianos & perterritus nimis, cœpit ei obſiſtere, prætendens ei, quæ Chriſtianis ingerebantur genera tormentorum. Sed cum eum flectere non valeret, permittente patre, ad Linum Papam cucurrit, & continuo baptizari ſe fecit. Cumque conſtanter Chriſtum deinceps prædicaret, timentes eius parentes, eum rogauerunt, vt inde diſcederet, ne quandoque pro tali confeſſione ſupplicijs interiret. Quibus annuens 7. ſummarios plenos de diuitijs parentum aſſumpſit, & profectus per ciuitates Italiæ, eas pauperibus erogans, decimo anno digreſſionis ſuæ à Roma ad vrbem Placentinam, deinde ad Mediolanum deuenit, vbi prædicans & Chriſtianos inquirens inuenit Geruaſium & Prothaſium ſub Anelino præfecto cuſtodiæ mancipatos: quos necdum vtpote generoſos, tormentis affecerat; quia ſe eos à ſuo propoſito per diutinam carceris macerationem reuocare putabat. Audito autem quod Nazarius prædictos martyres animaret, cito ad Præfectum perrahit, & in confeſſione Chriſti perdurans, fuſtibus verberatur; & ſic ex vrbe proiectus, dum de loco in locum pergeret, apparente ſibi matre, quæ iam obierat, ab ea monitus eſt vt cauſa prædicandi ad Gallias properaret. Cumque veniſſet ad vrbem Galliæ, quæ dicitur Melia, baptizatis ab eo plurimis, Mattona, quædam nobilis Celſum filium ſuum ei detulit, rogans vt baptizatum inſtrueret, & ſecum deduceret. Quod audiens Danabus præſes Galliarum, eum cum Celſo puero vinctis retro manibus catenis in carcerem retruſit; vt eos in craſtino tormentis afficeret. Tunc vxor ſua miſit ad eum, deteſtans iudicium dolo plenum, vt innocentes occideret, & Deos impotentes vindicare præſumeret. Quibus verbis correptus præſes ſanctos abſoluit, ſed ne ibi prædicare præſumerent, imperauit.

Nazarius caſus ab vrbe pellitur.

Celſus puer ei offertur inſtituendus.

De conſtantia ſanctorum Martyrum Nazary & Celſi coram Nerone.

Cap. LII.

ET exiens inde, venit ad vrbem* Treuerum & ibi primus Chriſtum prædicans, & multos conuertens eccleſiam ibi fundauit, & conſecrauit. Sed Cornelius vicarius hæc non ferens, miſſis litteris intimauit Neroni. At ille miſit Deutrum militem cum alijs militibus, vt quærerent eum, ſibique adducerent puniendum. Quem in prædicta eccleſia inuenientes, ad Neronem vinctum ducebant, & Celſum puerum plorantem alapis cædentes vt ſequeretur, vrgebant. Quos cum Nero vidiſſet, iuſſit eos recludi donec eos excogitatis ſupplicijs conſummaret. Et cum ad capiendas feras venatores miſiſſet, ſubito ferarum multitudo viridarium Neronis irrupit, & multos armigerorum eius occidens, alios lacerauit in tantum, vt Nero turbatus defugeret, & vulnerato pede, vix ad palatium peruenirent, cuius vulneris dolore decumbens, tandem Nazarij meminit, & putauit Deos iratos, quia eum viuere tandiu permiſit. Statuitur ergo Nazarius ante eum, & videns Nero faciem eius inſtar Solis putans phantaſtice ſe deludi, iuſſit vt Deos adoraret, ne horrenda morte conſumptus omnibus alijs in exemplum veniret. Adductus igitur ad templum impetrauit ab omnibus vt exirent, &

* *Sic habet Antonius, Metaphraſtes autem habet Temerũ ciuitatem Melia vicinam.*

Siſtitur Nazarius una cum puero Celſo Neroni.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Confringit Idola precibus suis.

sic eo orante omnia idola confracta sunt. Quærente autem Nerone quid Nazarius in templo faceret? respõsum est ei quod magicis artibus omnia idola confregisset. His auditis reductus de templo in carcerem recluditur, & sequenti die in mari præcipitari iubetur, imperante nautis Nerone, vt si forte euaderet consequentes eum igne comburerent, & cineres eius in mare proijcerent. Nazarius cum Celso puero sublati in nauem, cum essent in medio pelagi iactantur in aquam. Et statim mari pacato circa eos, cum immensa tempestas desperatos nautas opprimeret, & quemlibet eorum perpetrati in sanctos flagitij pæniteret, ecce Nazarius hilaris facie cum Celso puero super aquas apparuit. Et cum nautæ renunciassent idolis, ad eos in nauem ascendit, & sedato mari ad vrbem * Ianuensem cum eis peruenit.

E mari educitur cum Celso.

** Ita legit Antonius alij vero habent Tenusã.*

De passione omnium prædictorum quatuor Sanctorum.

Cap. LIII.

Nazarius exilio damnatur.

NAzarius vero & Celsus postquam ibi prædicauerunt, Mediolanum ad sanctos Geruasium & Prothasium quos ibi reliquerant, redierunt, quod cum Anolinus audisset (remanente Celso in domo cuiusdam Matronæ) Nazarium in exilium direxit, & hoc ipsum Neroni per litteras intimauit. Nazarius vero Romam venit, & patrem suum iam senem & Christianum inueniens, quomodo conuersus fuerit inquisiuit? at ille respondit, Petrum Apostolum sibi apparuisse, & vt sequeretur præcedentes se ad Christum vxorem, & filium monuisse. Sic ergo Nazarius Christum ibi prædicans, minis & verberibus propulsatus, iterum Anolino præsidi præsentatus. Eductusque extra vrbẽ occulte propter populum cum Celso puero decollatur. Quos cum Christiani in hortis suis posuissent, ipsa nocte apparentes cuidam fideli, & insigni pietate viro dixerunt ei, vt eos in domo propter Neronem profundius sepeliret. Quibus ille: Quæso Domini, sanate filiam meam paralyticam: constans, inquiunt, esto, quia sanabitur. Surgens ergo & filiam suam sanam inueniens, cum ipsa & vxore sua perrexit, & sanctos sicut præmonuerant, sepeliuit, & post longum tempus Deus eos sancto Ambrosio reuelauit. Nam Nazarium inueniens quasi eadem hora sepultum miro odore fragrantem, integrum, & incorruptum, cum capillis capitis, & barba, ad vrbem in ecclesia Apostolorum transtulit, & ibi honorifice tumulauit.

Caduntur gladio martyres.

Translatio sanctarum reliquiarum.

Horum martyrum meminit Ambrosius in Luc. lib. 7. c. 13.

Veniente autem Astasio comite, occurrerunt ei templorum Pontifices Geruasium & Prothasium accusantes. Cum ergo præsentiæ eius sisterentur, hortatus est eos ad sacrificandum. Cum ergo Geruasius contraria omnino responderet, tamdiu est plumbatis cæsus, donec spiritum exhalaret. Quo mortuo insilit adesse Prothasium, monens eum ne similem sortiretur interitum: At ille renuens fustibus cæditur, & adhuc in eodem proposito permanens decollatur, quos quidam Philosophus cum filio suo sepeliuit, & Deus B. Ambrosio eos circa annum 387. reuelauit.

De horum inuentione extat sermo sancti Ambrosij 5. de sanctis & li. 7. epist. 533.

Passio Sanctorum Processi & Martiniani.

Cap. LIIII.

Proœssus & Martinianus Petri & Pauli in vinculis custodes

EX gestis eorum. Sed & cum post mortem Simonis magi Petrus & Paulus in vno carcere concluſi essent, & omnes ad se venientes à varijs infirmitatibus liberarent, Processus & Martinianus milites custodiebãt eos, & videntes miracula eorum dixerunt eis: Viri, nostis quod Nero imperator vos tradidit obliuioni: iam enim 9. menses sunt quod in custodia estis; rogamus ergo vos vt nos baptizetis, & liberi abeatis. Tunc baptizati sunt cum 47. qui erant in carcere, & sic exierunt inde Petrus & Paulus. Petrus autem venit ad portam Appiam, & cum demolitam haberet tibiam de compedibus, cecidit ei fasciola ante sepem. Procedens autem vidit Dominum Iesum quem cognoscens dixit ei: *Domine quo vadis?* Et Dominus, *Redeo Romam iterum crucifigi, tu autem redi Romam.* Et redijt Petrus Romam. Paulinus vero magister officij audiens Processum & Martinianum esse Christianos, misit & tenuit eos, & in carcerem recludit. Sequenti die cum ei assisterent, monuit eos multis modis, vt sacrificijs consentirent; sed cum monitis eius penitus obtuarent, iussit os eorum lapidibus tundi, & in equuleis suspensos neruis attrahi; & fustibus cædi, & eorum latera flammis vri. Et cum gaudentes psallerent, & ille iussisset eos scorpionibus castigari, ipse vnum oculum perdidit; & reclusis in carcerem sanctis, post triduum Paulinus arreptus à dæmone, expirauit. Tunc filius eius Popinus intimauit Cæsareo præfecto, & ille Neroni; Nero autem iussit eos velociter decollari.

Proœssus & Martinianus baptizantur.

Paulinus Iudex Proœsiit & Martinianum vinctos sibi sisti iubet.

Lapidibus ora eorum contunduntur.

Plectuntur capite.

Passio Sanctorum Timothei & Apollinaris:

Cap. LV.

Horum meminit Gregorius Turonensis de Gloria martyrum c 54.

EX gestis eorum. Sub Nerone quoque Timothæus Lampadio præsidi præsentatus, cum sacrificare nollet, & grauiter torqueretur, calx viua & acetum plagis eius infigitur. At ille gratias agebat, quasi, nil patiens, vngeretur; vnus autem de astantibus nomine Apollinaris vidit duos Angelos stantes ad latera eius & dicentes ei; *confortare Timothee, quia missi sumus ad te, vt videas quæ aguntur in cœlis. Erige caput tuum, & vide: & aspiciens vidit cœlos apertos, & Iesum sedentem ad dexteram patris, coronam gerentem ex gemmis, & dicentem sibi; Timothee hæc corona tibi præparata est, & accipies eam die tertia de manibus meis.* Et post hæc Angeli confortantes eum abierunt in cœlum. Apollinaris autem hoc videns, & audiens; procidit ad pedes eius rogans, vt pro se oraret, eo quod hoc vidisset, & audisset. Tunc præses confusus, cum in os Apollinaris plumbum bulliens infudissent; factum est frigidum tanquam glacies. Quo miraculo cum multi crederent, missi sunt Timotheus & Apollinaris in carcerem, vt excogitatis supplicijs deperirent. At illos plurimi sunt secuti, & in eadem nocte à Mauro presbytero baptizati; Apollinaris autem tunc baptizatus vidit cœlos apertos, & Angelum Dei dicentem sibi audientibus cunctis: *Beatus es Apollinaris, & qui tecum baptizantur, quia cras in cœlum suscipientur.* Altera autem die omnes qui crediderant, præsidi statuuntur, & nolentes sacrificare, pariter decollantur. Sequenti die Timothæus, & Apollinaris, contradicentes præsidi, capite puniuntur; statim autem iaculus igneus de cœlo cadens, dextrum humerum præsidis introiuit, & protinus à dæmonio raptus, mala morte vitam finiuit.

Habentur & eorum acta manuscripta quorũ exordiũ est: sub Nerone imperatore & Lampadio præside & passi sunt Rhemis in Gallia.

Visio Apollinaris operabatur eius salutem.

Timotheus & Apollinaris plectuntur capite.

De quibusdam alijs sub Nerone passis.

Cap. LVI.

AVthor. Quidam alij passi sunt sub Nerone, quorum gesta ad plenum non reperi, sed ex martyrologio abbreuiata accepi.

Nam pridie Idus Martij celebratur Romæ natale sanctorũ martyrũ 47. qui baptizati sunt à B. Petro Apostolo, cum teneretur in custodia Mamertini cum coapostolo suo Paulo, vbi per 9. menses detenti sunt, qui omnes sub deuotissima fidei confessione. Neroniano gladio consumpti sunt.

Lege Surium tom. 4. 2. Iulij.

Item 16. Kal. Iunij in Tuscia sancti Torpetis martyris. Hic primo in officio Neronis magnus fuit, sed postea pro fide Christi, iubente eodem Cæsare alapis cæditur, verberibus diutissime afficitur, bestijs deuorandus traditur, sed minime læditur: tandem vero decollatione martyrium suum 3. Kal. Maij compleuit: sed tamen eius festiuitas celebrius hic recolitur.

Item apud Nuceriam natale sanctorum martyrum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Fœlicis,& Conſtantiæ,qui ſub Nerone paſſi ſunt. Sanctus quoque Marcus Euangeliſta paſſus eſt, & mortuus * octauo Neronis anno,vt dicit Hieronymus in libro de illuſtribus viris.

*Hunc cõſentit Martyrologium.

De geſtis Sancti Marci Euangeliſtæ.

CAP. LVII.

EX geſtis eius. Hic primus in tota Ægypti regione & in Lybia prædicauit euangelium,cum autẽ veniſſet Alexandriam, mox vt vrbem ingreſſus eſt calciamentum eius diſruptum eſt,quod ipſe intelligens ait: Vere iter meum expeditum eſt. Quendam vero conſpiciens qui ſuere vetera ſolitus erat,calciamẽtum tradidit corrigendum,qui cum faceret, ſiniſtram manum vulnerauit,& exclamauit, VNVS DEVS. Audiens Marcus,quod ille dixerat *vnus Deus*, ait intra ſe gaudens: Proſperum fecit Deus iter meum; & expuens in terram vnxit manum viri dicens, *in nomine Ieſu Chriſti filij Dei*, & confeſtim ſanata eſt manus eius. Qui conſiderans tantam viri potentiam,& verbi eius efficaciam,ac vitæ continentiam, rogauit eum, & coegit, vt declinaret in domum eius, & comederet panem,ingreſſus autem Marcus,benedixit domui eius,& orauit & euangelizauit illi Ieſum: credidit ergo ille, & domus eius; & magna multitudo loci illius, Marco docente & ſigna ac prodigia faciente.

Lege Baronium Annal. tom. 1. & 9. & Metaphraſtem.

Sanat manũ Sutoris.

Audientes autem viri ciuitatis, quod Galilæus quidam illuc veniſſet qui deorum ſacrificia deſtrueret, & eorum cæremonias prohiberet, quærebant eum interficere,ponentes ei inſidias;qui agnoſcens eorum conſilia ordinauit ibi Epiſcopum prælatum hoſpitem ſuum nomine Anizanum, & presbyteros & clericos, perrexitque Pentapolim; & ibi commoratus duobus annis cõfortatis fratribus & ordinatis epiſcopis, & clericis; per regiones illas, Alexandriam redijt; vbi fratres reperit confortatos in gratia, & eccleſiam ab eis factam,in loco qui vocatur *Buculi,id eſt* Bubulci,iuxta mare ſub rupibus. Cognoſcentes autem gentes prophetam ſanctum aduenisſe, repleti ſunt liuore propter miracula, quæ eum facere compererant, fremebantque dentibus in ſpectaculis idolorum ſuorum.

Suſcipitur à ſutore hoſpitio.

Sanctus Marcus ordinauit Alexãdriæ epiſcopum preſbyterosque.

De Paſſione eiuſdem.

CAP. LVIII.

FActum eſt autem vt paſchalis noſtra feſtiuitas occurreret 8. Kal. Maij,quo tempore Serapica eorum agebatur celebritas. Hac igitur oportunitate adunati, inſidiatores protinus diriguntur, qui reperiunt eum oblationis orationem diuinæ maieſtati ſecretiſſime celebrantem. Miſeruntque funem in collo eius, & trahentes dicebant, Trahamus Bubalum ad locum Buculi. Qui cum traheretur, Chriſto gratias agebat, quod pro eius nomine hoc pati dignus habitus erat. Erantque carnes eius defluentes in terram, & ſaxa inficiebantur ſanguine eius. Cumque veſpere factum eſſet, miſerunt eum in carcerem, vſque dum pertractarent quali morte eum diſperderent. Circa mediam vero noctem clauſis oſtijs; & cuſtodibus ante ſe dormientibus terræmotus factus eſt magnus, & Angelus Domini deſcendens tetigit eum dicens. *Famule Dei Marce propagator ſanctiſſimorum per Ægyptum decretorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœleſtis aſcriptum eſt,ſociuſque factus es ſupernarum virtutum, quæ in cœlis ſpiritum tuum ſuſcipient.* Tunc Beatus Marcus gratias egit *Domino Ieſu Chriſto*; qui & ipſe venit ad eum, in eo habitu,& forma, qua fuerat cum diſcipulis ſuis antequam pateretur, & ait: *Pax tibi Marce*; deinde abijt. Mane autem facto eijcientes eum de cuſtodia, miſerunt iterum funem in collo eius, & trahebant eum dicentes: Trahite Bubalum ad locum Buculi. Qui cum traheretur gratias agens Deo ait: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Hæc dicens ſpiritum tradidit.

Habeo hanc hiſtoriã inſertam hiſtorijs Abdiæ.

Fune in collo iniecto trahitur ad templum.

Angelus ei in carcere apparet.

Chriſtus ei apparuit.

Immanis autem multitudo gentilium ignem ſuccedentes voluerunt reliquias ſanctas comburere, tunc prouidentia Dei valida tempeſtas exorta eſt, & procella venti vehemens facta eſt; Sol quoque ſubtraxit radios ſuos, & tonitrua grauia fuerunt, imbreſque plurimi à mane, vſque ad veſperam, ita vt habitacula multorum corruerent, plurimique morerentur. Quod videntes cuſtodes metuentes dimiſerunt ſanctum corpus, & fugerunt; viri autem religioſi colligerunt illud, & detulerunt, ibi orationes ſoliti erant domino celebrare.

Miracula mortem B. Marci ſub ſecuta. Sanctus

Dormiuit autem beatus Marcus primus Domini noſtri Ieſu Chriſti Martyr apud Alexandriam Ægypti.

Marcus primus martyr Alexandriæ.

De ſignis & cauſa euerſionis Hieruſalem.

CAP. LIX.

HVgo Floriacenſis 3.libr. Per idem tempus Feſto procuratori Iudææ ſucceſſit Albinus,& Albino Florus, qui preſente Beronicæ Regis Agrippæ ſorore,quæ ad templum religionis cauſa venerat,honorabiles viros Hieroſolymis die ſolemni flagris verberauit, & patibulis ſubfixit, vt Iudæorum pertinaciam hac contumelia penitus annihilaret. Quod non ferentes Iudæi, contra Romanos rebellare cœperunt, ad quos domandos,mittitur à Cæſare Veſpaſianus magiſter militiæ Romanorum. Titum filium maiorem habens inter legatos: nam Cæſar Nero in re militari nihil audebat, delitijs luxu, laſciuiaque reſolutus.

Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 26. Ioſephus quoque ſcribens quantæ clades Iudęorum gentem peruaſerunt per omnem Syriam, in ſeditioſos Iudæorum atrociſſimam refert exercitam fuiſſe ſæuitiam; ita vt etiam illi,qui per vrbes ſingulas admixti gentibus commanebant in hoſtium numero computarentur; vt videres repletas inhumatis corporibus ciuitates, iacentes mortuos ſimul cum paruulis ſenes,fœminarumque abſque vlla ſexus reuerentia, nuda in publico reiectaque cadauera, atque vniuerſam prouinciam innumeris malis refertam. Sed cum tam diro hoc & atroci ſpectaculo,multo grauius eos futurorum & per dies augmento malorum metus & formido terrebat.

Anno Chriſti 67.

Ioſephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 12. Cætera quoque prodigia futuram Iudæorum ſolitudinem prænunciantia præceſſerunt. Nam ſupra ciuitatem Sydus ſtetit gladio ſimile,& per annum perſeuerauit cometes. Et 8. die Aprilis ad feſtum azymorum populo conueniente 9. hora noctis circa arcam,& circa templum tantum lumen effulſit,vt clariſſimus dies putaretur, & hoc vſque ad dimidiam permanſit horam; eodem quoque feſto die, cum ad oſtium duceretur. Bos agnum in medio faui peperit. Sed & orientalis porta templi cum eſſet ænea atque grauiſſima & poſt meridiem vix à 20. hominibus clauderetur,ferriſque ferro iunctis obſeraretur,peſſuloſque altos haberet in ſaxeum limen dimiſſos,vno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt hora noctis 6. ſponte pateſcere. His autem per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis; aſcendit ille vixque eam potuit claudere : ſed hæc monſtra imperitis bonũ auguriũ eſſe videbantur, prudentibus vero mali futuri. Præter hæc ante ſolis occaſum viſi ſunt per inane ferrei currus toris regionibus, & armatæ acies circunſuſæ. Die aute feſto Pentecoſtes nocte ſacerdotes intimum templum more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſſi, primum quidem motum quendam, ac ſtrepitum ſenſerunt, poſtea vero ſubitam vocem audierunt, quæ diceret, *Migremus hinc.*

Varia prodigia excidiũ Hyeroſolymæ præcedentia.

Currus & armata acies tranantes nubila.

Vox in intimo Templo dicẽs, Migremus hinc.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Iesu filio Anani.

CAP. LX.

Iesu plebei ac rustici clamor & mors.

IEsus etiam filius Anani plebeius, & rusticus quadriennio anteqnam bellum gereretur in summa pace ciuitatis atque opulentia, cum ad diem festum venisset exclamare cœpit, *vox ob oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hierosolymam & templum, vox in omnem hunc populum.* Et interdiu noctuque per omnes vicos ciuitatis clamitans, circuibat. Nonnulli autem virorum insignium aduersum omen indigne ferentes hominem corripuerunt,& multis verberibus affecerũt; ille tamen eadem quę prius vociferans personabat, ductusque ad Præfectum Romanum, atque ibi plagis vsque ad ossa laceratus, nec supplex fuit, nec lachrymauit; sed vt poterat inclinãs maximè flebiliter vocẽ ad singulos ictus, vt poterat, respõdebat. *Væ vę Hierosol.* Præfecto autem interroganti, quis esset, vel vnde esset, aut cur ita diceret? nihil retulit: nec cessauit à luctu miseræ ciuitatis, donec eum præfectus furere iudicatum dimisit; ille autem vsque ad belli tempus vociferans, nec imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos mulctabatur, neque verberanti conuiciabatur, nec victum offerentibus benedicebat, sed sola responsio ad omnes erat triste præsagium; maximè autem diebus festis vociferabatur; idque per annos 7. & 5. menses continuos faciens; neque in voce raucior fuit neque delassatus, donec obsidionis tempore ipsa re perfectis augurijs requieuit. Supra murum enim circumiens. Iterum *væ, væ ciuitati, & populo, & fano voce magna clamabat.* Cum autem ad extremum addidisset. *Væ etiam mihi,* lapis tormento missus statim eum percussit, animamque adhuc omnia illa lugentem dimisit.

Prodigia supradicta recitantur etiã ab Eusebio in lib. 3. historia Ecclesiastica.

De vltima dispersione Apostolorum, cæterorumque discipulorum.

CAP. LXI.

Iacobus Frater Domini episcopus Hierosolymitanus.

EVsebius in ecclesiastica historia lib. 3. cap. 7. Igitur 40. annis post admissum piaculum impiorum Iudæorum pœna dilata est, in quibus Apostoli omnes, præcipuè tamen Iacobus frater Domini Hierosolymitanus episcopus constitutus, indesinenter populum commissæ impietatis, admonebat, si forte possent pœnitere pro scelere, & vltrices flammas lachrymarum vbertate restinguere.

Eusebius in ecclesiastica historia libro 3. cap. 1 & 2.

Cumque Iudæi debitis cladibus vrgerentur S. Apostoli Domini, cæterique Discipuli ad prædicandum verbum Dei per singulas quoque orbis terræ prouincias dirimuntur.

Thomas, sicut nobis traditur, sortitus est Parthos, Mathæus Æthyopiam. Bartolomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Ioannes Asiam, vnde apud Ephesum commoratus est, & defunctus; Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Capadociam, cæterasque confines prouincias. Iudæis dumtaxat prædicãs, circuisse deprehenditur, & ad vltimum in vrbe Roma commoratur, vbi & crucifixus est deorsum capite demerso: quod ipse ita fieri deprecatus est, ne coæquari Domino videretur. De Paulo autem quid dicam, qui ab Hierusalem vsque ad Illyricum repleuit euangelium *Christi,* & ad vltimum sub Nerone martyrium duxit?

Hæc itaque per ordinem in 3. libro explanationum Geneſis Origenes exposuit.

Eusebius ibid. cap. 5.

Ecclesia quoque quæ Hierosolymis fuerat congregata, responso à Deo accepto, emigrare iubetur, & transijt ad oppidum quoddam, Pellam nomine, trans Iordanem, quo ablatis ab vrbe sanctis, & iustis viris, vindictæ cælesti fieret locus tam de vrbe sacrilega, quam de populo impio, per excidium patriæ, euersionemque sumendæ.

Author. De gestis Petri & Pauli Apostolorum & B. Marci iam supra diximus: Nunc de cæteris sermonem ordiamur.

De aduentu S. Thomæ in Andrinopolim.

CAP. LXII.

De prædicatione Thomæ ad Indos scribit Gregorius Nazianzenus orat. ad Arrianos: de veteribus monumentis eius prædicationis apud Indos consule Osorium Episcopum Siluensem grauissimum Indicarũ rerum nostri tẽporis scriptorem lib. 3. Nicephorus etiã Taprobanæ insulæ accolis euangeliũ annunciasse, de actis sancti Thomæ Gelasius meminit & reijcit inter apochrypha: extant eainter passiones Apostolorum ex Anonymo & certè hanc historiam quam hic legimus dissẽtire videtur valde à scriptis Orosij & Petri Maffei qui recenter scripsit de rebus Indicis.

EX gestis eius. Thomas igitur qui & Didimus cum esset apud Cæsaream apparuit ei Dominus Iesus dicẽs ei: Rex Indorum Gundatorus misit Præpositum suum ad Syriam quærere hominem Architectonica arte eruditum. Vade cum eo, quia ego tecum sum. Et cum Indos mihi acquisieris, cum corona martyrij venies ad me. Cui Thomas: Deus meus es tu, ego sum seruus tuus, fiat voluntas tua: Hæc eo dicente Præpositus ille nomine Abbanes descendens de naui deambulabat iuxta mare in foro rerum venalium. Dominus autem accessit ad eum & ait: Quid comparare vis ô iuuenis? Qui respondit: Dominus meus misit me huc, vt conducam artifices, qui Romano opere sibi palatium construant. Cui Dominus: habeo inquit seruum mihi fidelem & idoneum, quem ad ciuitates diuersas iam misi, & quicquid laboraret, mihi laborum suorum mercedem apportat: hunc ergo tecum mittam, vt expletis omnibus eum facias ad me cum honore remeare. Quod ille audiens, gauisus est valde, & conuocans Dominus Thomam, tradidit eum in manu Abbanis, & abscessit. Et cum nauigarent, ait Abbanes ad Thomam: Quid scire potes de his artibus: qui respondit, colloco fundamenta, quæ nunquam veterascunt. Extruo parietes, qui nunquam corruunt, Facio exedras, & fenestras, & erigo fabricas, & omnia quæ in structura necessaria esse possunt ego facio, & quantos volueris mihi dare discipulos, ego docebo. Cui respondit Abbanes: Magnus est vir iste, qui tales habet seruos, & melior quouis rege. Cui Thomas, filius vnicus regis est, qui tenet imperiũ patris eius in montibus supernis, vbi hostis introire nunquã potest, vbi nullus penitus inuenitur infirmus, nullus aliquo indigens.

Cum hæc & his similia loqueretur plenis ventis & prosperis, 7. die tenuerunt ciuitatem Andrinopolim, cuius Rex filiam suam nuptui tradebat; Præcones quoque clamabant per ciuitatem, vt omnes interessent nuptiali, & regali conuiuio, diues, pauper, nobilis, & ignobilis, eiuis, & peregrinus & quicunque non venirent, regem offenderent.

Qualiter eum cantatrix in conuiuio manifestauit.

CAP. LXIII.

Totam hanc historiã legi in lib. 9. historiæ Apostolicæ Abdiæ episcopi.

COntigit ergo & Abbanem cum Thoma introijsse conuiuium. Interea cantatrix cum tybia circuibat, & circa singulos, vnicuique laudem canebat; at vbi venit ad Thomam diutius immorata est, stupens hominem non manducãtem, neque bibentem, sed oculos ad cœlum fixos habentem, intellexitque hunc Hebræum esse, & Deum cœli orare. Erat enim & ipsa Hebræa, & cœpit Hebraice canere: *Vnus est Deus Hebræorum, qui creauit omnia, ipse fecit cœlum & terram & fundauit maria.* Audiens hæc Apostolus plus orabat, & ardentius puellam Hebræam verba veritatis canentem eadem repetere, admonebat. Tunc Pincerna increpans Apostolum, quod neque manducaret, neque biberet, palmam dedit in faciem eius, cui dixit Apostolus: Melius est vt tibi in futuro sæculo detur indulgentia, vbi nullus plagæ finis occurrit: ista autem tibi reddetur, vt tu ipse intereas, manus vero, quæ me percussit à canibus rosa, huc apportetur: Hæc autem Hebraico sermone dixit; nullusque excepta puella Hebræa intellexit. Pincerna igitur egressus est, vt aquam deferret à fonte, quem Leo inuasit, & bibens sanguinem eius, abijt: Canis vero comedebat mẽbra eius, è quibus vnus niger canis dextera manum eius in ore suo ferens in medio conuiuij apportauit. Quod videntes conuiuæ obstupuerunt; ipsa autem Cantatrix

Vltio diuina

Reuelatione Hebræa cognoscitur Apostolus.

iactauit tibias suas, & currens cœpit obsculari pedes Apostoli, & dicere omnibus: hic homo, aut Propheta, aut Apostolus Dei est; nam qua hora pincerna dedit palmam in faciem eius; dixit Hebraicè, hoc quod ei euenit.

De filia Regis & eius Sponso, quos ad fidem & castitatem conuertit.

Cap. LXIIII.

Regis subita mutatio, & oratio ad Apostolum.

CVmque de strepitu hominum Rex inquireret, & quid euenisset audiret, fecit ad se vocari Apostolum, rogauitque eum vt benediceret filiam suam, vna cum sponso suo. Qui ingressus cum Rege thalamum, posuit manum super capita eorum & ait: *Deus Abraham, Isaac, & Iacob, benedic adolescentes istos, & semina semen vitæ in mentibus eorum.* Post, cum sponsus Apostolum deduceret, ramus palmæ plenus dactylis in manus ipsius apparuit & gaudens introcurrit ad sponsam suam, deditque ei, & gustauit de fructu eius, cumque gustassent ambo, subito soporati somnium huiusmodi viderunt, quod quasi Rex gemmatus in medio eorum stans amplecteretur vtrosque dicens: Apostolus meus benedixit vos, vt æterne vitæ participes efficiamini: euigilantes autem cum hæc sibi narrarent, quæ viderant, apparuit eis Thomas dicens: Rex meus in visione vobis locutus est, & me huc clausis ianuis introduxit, vt benedictio mea super vos fructificet; habetis enim integritatem, *quæ est omnium regina virtutum*, & fructus salutis perpetuæ: *Virginitas soror est Angelorum, victoria libidinum, & omnium bonorum possessio.* Cumque hæc & alia, quæ ab Apostolo docebantur, gratanter audissent, baptismatis vnda sanctificans eos, nauigauit. Post hæc misit vnum ex discipulis suis, vt in eadem ciuitate consistens, ordinaret ecclesiam, in qua multus populus Deo acquisitus est: & est ibi sedes Thomæ Apostoli & fides catholica vsque hodie, ipse autem puer, Dionysius nomine, factus episcopus sponsam suam nomine Pelagiam sacro velamine consecrauit, quæ post obitum eius duplex martyrium in se tenuit, vnum quia virum habere contempsit; alterum quia idolis sacrificare noluit: & his duabus ex causis sententiam decollationis accepit.

Laus virginitatis.

A coniugio ad castitatis perpetua statum vocantur.

De palatio Spirituali, quod Indiæ Regi extruxit.

Cap. LXV.

Notet Prudens lector hanc historiã Abdiæ episcopi Babyloniæ primi ab Apostolis cõstituti Iulio Africano interprete non vndequaque esse probatæ fidei: imo Baronius anno Christi 44. inter Apocrypha recenset, licet doctor quidã Sorbonicus vocet hoc opus Abdiæ præstantissimum, & lydio quasi lapide probatũ: in hoc enim volumine, (loquitur idẽ doctor de historia Ab-

CVm autem venisset Apostolus Hiropharum Indiæ ciuitatem ingressus Abbanes ad Regem nunciauit eum. Rex autem vt vidit illum, ait: Dic modo quo ordine potest hic palatium instruere? Thomas autem aprehensa arundine metiri cæpit, & dicere. Primo prouium, secundo saluatorium, tertio consistorium, quarto tricoruinum &c. Rex autem considerans ait: Vere artifex es, & decet te regibus ministrare. Relinquens autem illi pecunias infinitas abijt; Apostolus autem cœpit circuire per vicinas ciuitates, & prædicare verbum Dei, baptizare credentes, abundanter largiri bona pauperibus: sicque per biennium, quo Rex Gundoforus absens fuit, innumerabilem domino populum acquisiuit, clericos ordinauit, Ecclesias fabricauit. Cum autem venisset Rex & quod factum erat deprehendisset, iussit Apostolum simul cum Abbane ferro vinctos in ima carceris trudi, & quia frater Regis ipsius in extremitate vitæ languebat, interfectionem eorum distulit. Cumque cogitaret eos viuos excoriare, & sic eos flammis tradere, moritur frater eius nomine Gad, & factus est luctus intolerabilis. Cumque purpura & gemmis regalibus ornassent corpus, iussit ex purpureis lapidibus memoriam extrui, ipsumque in labro purpureo poni: & dum moras sepulturæ eius traherent, ipse quart. die mortuus hora prima, surrexit, omnibusque admiratione in pauorem, & silentium, conuersis; ait Regi: Audi frater iste homo quem disponebas excorare & incendere, amicus Dei est, & omnes Angeli Dei ei famulantur: Nam anima mea ab Angelis in cælum deducta est, & ostensum est mihi ab eis palacium, quod ille tibi fabricauit eo ordine, quo tibi se instructurum disposuit. Ego autem considerans eius pulchritudinem dixi, vtinam mererer in eo ostiarius fieri. Respondentes Angeli dixernnt: Frater tuus indignum se eo fecit, si vis in eo manere, rogamus per te Dominum nostrum Iesum Christum, & iubet te resuscitari; vade ergo & vendat tibi illud frater tuus, vt recipiat pecunias, quas se æstimat perdidisse. Hæc dicens, cœpit ire festinanter ad carcerem, ingressusque misit se ad pedes Apostoli, plorans, & postulans veniam fratri suo: & abiectis statim vinculis, eduxit eum de carcere; cui egredienti occurrit Rex, qui & ipse aduolutus pedibus eius veniam postulabat. Dixit ergo ei Apostolus: Multum vobis præstitit Dominus meus Iesus Christus, vt ostenderet vobis secreta, ecce & prouinciæ; & ciuitates, Ecclesijs plenæ sunt. Parati ergo estote vt sanctificemmi, & loti aqua fontis, regni æterni perpetui participes efficiamini. Dixit ei Gad; Palatium quod fratri meo fabricasti, conspexi, & petentibus Angelis Dei vt illud emerem, merui: cui Thom. hoc in potestate fratris tui est; cui Rex ait: Quod mihi fabricatum est, credo quod meum erit: tibi vero fabricet alterum Apostolus. Quia si non potuerit aliud fabricare, istud vnum nobis ambobus sufficiet; ait autem Apostolus: Hoc vos scire volo, cuia innumerabilia sunt in cœlo palatia instructa, quę precio fidei cõparantur.

Cumque exisset fama Apostoli, per Indos venit ad eum multitudo cum varijs ægritudinibus laborantibus: quos omnes in vnum congregari Apostolus præcipiens, ipse in medio eorum stans, & manus suas ad cœlos expandens, orauit pro eis: Et cum illi qui iam docti erant, respondissent, *Amen*, venit radius coruscus super eos, ita vt omnes se putarent ictu fulguris interijsse. Iacuerunt autem prostrati simul cum Apostolo per mediam fere horam. Erigens autem se Apostolus clamauit, dicens omnibus, *Surgite, quia Dominus meus Iesus Christus sicut fulgur venit, & ipse vos saluauit*: qui omnes exurgentes sani glorificabant Deum. Ascendens autem Apostolus supra petram, vt à cunctis videri posset, facto silentio, docuit eos viam salutis, & baptizati sunt 7000. virorum, exceptis mulieribus & paruulis.

De aduentu eius in superiorem Indiam, vbi pro Christo passus est.

Cap. LXVI.

PRofectus est autem Apostolus ad superiorem Indiam per reuelationem, & ad opinionem & famam eius omnes populi festinabant. Videntes ergo signa, & prodigia quæ faciebat, prædicationem eius contemnere non poterant. Caricius autem Regis Misdei cognatus, iratus contra Apostolum propter vxorem suam Mygdoniam, quæ doctrinæ illius adhærebat, impetrauit à Rege ipso, vt tentus Apostolus, mitteretur in carcerem. Et tandem eodem Caricio regem instigante contra eum; Rex iussit lances ferreas igniri, & præcepit excalciari Apostolum, vt pedibus nudis supra stans hoc dolore deficeret. Statimque prorupit aqua, & extinctæ sunt lances. Et ait Apostolus: hoc non propter me, sed propter te fecit Deus, vt vel sic credas: Dixit ei Caricius: Iube eum in fornacem thermarum mitti. Quod cum fieri iussisset Rex, thermę vltra calere non potuerunt: Vnde Apostolus altera die egressus est incolumis. Tunc Caricius dixit Regi: Fac ipsum sacrificare Deo Soli, vt iram incurrat Dei sui, qui liberat eum ab his quæ ei inferuntur. Erat autem statua Solis facta ex auro, habens quadrigam equorum auream, & currum habens effusum, qui quasi cursu rapido agebatur ad cælos. Introduxerunt ergo Apostolum in templum, ducentes

dia) facile edoceatur, & expressis non modo diuinarum scripturarũ authoritatibus, sed etiam viuis exẽplorũ vera vita imaginibus, qua sit certa sinceraq; religio quæ nos beatos efficiat.

choros

choros ritu suo, & virgines cantantes, cum lyris, & tibijs, & tympanis, & thuribulis, & cum introisset, ait ad simulachrum: *Adiuro te dæmon qui in isto simulachro lates, in nomine Domini nostri Iesu Christi, quem Iudæi crucifixerunt, vt exeas, & fles ante me.* Egressus dæmon stetit ante eum, ita vt solus Apostolus videret eum, & dixit ei: Ego corde colo *Dominum Iesum Christum*, mox autem vt posuero genua mea in terra, & dixero tibi vt confringas idolum, non solum istud simulachrum commune, sed & templum ipsum euerte. Dixit ei dæmon, rogo te Apostole Dei, ne me religes in abyssum; sed & permitte me, & omnes istos interficiam; cui Apostolus: *Impero tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt nulli hominum noceas, nisi hoc solum simulachrum, & mox vt genua mea flexero comminuas.* Loquebatur autem Apostolus Hebraice cum dæmonio, nullusque sciebat, cui, vel quid loqueretur. Dixit ei Rex: Modo faciam arterias tuas tondi, si non adoraueris, & sacrificaueris Deo soli; ait Apostolus, ecce adoro, sed non idolum, *adoro autem Dominum meum Iesum Christum*, in cuius nomen impero tibi dæmon qui in eo lates, vt neminem lædens metallum simulacri comminuas; statimque quasi cera iuxta ignem posita liquefactum est & resolutum. Tunc omnes sacerdotes mugitum leuauerunt, pontifex autem templi, eleuans gladium transuerberauit Apostolum dicens: Ego vindicabo iniurias Dei mei. Rex autem fugit cum Caricio & facta est grandis seditio, maiorque pars populi clamabat pro Apostolo: ita vt Pontificem, qui eum percussit; quærerent, vt viuus incenderetur. Corpus autem Apostoli cum honore & laudibus translatum est ad ecclesiam, vbi & signa magna, & prodigia facta sunt.

Adiuratus dæmon cogitur stare ante Apostolum.

Adoratio vera nõ pertinet ad idolum.

Abdias dicit se non fuisse occisum à pontifice: sed longe post à 4. militibus. Lege Baronium tom. 1. Annalium & Massaii & alios qui aliter recitãt suã vitam & Martyrium.

Post hæc supplicantes Syri ab Alexandro imperatore Romano veniente victore de Perside, Xerse Rege deuicto, impetrauerunt hoc, vt mitterent ad regulos Indorum & redderent defunctum ciuibus: sicque *translatum est de India corpus Apostoli, & positum in ciuitate Edessa in locello argenteo in qua ciuitate nullus hæreticus potest viuere, nullus Iudæus, nullus idolorum cultor, sed nec barbari eam aliquando inuadere potuerunt, ex quo Abgarus Rex eiusdem ciuitatis: meruit epistolam manu Saluatoris scriptam accipere, hanc enim legit infans baptizatus, stans supra portam ciuitatis, si quando aliqua gens venerit contra eam; & eadem die aut pacantur Barbari, aut fugiunt, tam scriptis Saluatoris, quam orationibus Apostoli.

Translationis autem eius meminit Martyrol. 21 Decẽbris & etiam 3. Iulij vbi sic habetur, Edessæ in Mesopotamia Trãslatio Sancti Thomæ Apostoli ex India, cuius reliquiæ Ortonam postea translatæ sũt, huius translationis meminit etiam Socrates hist. lib. 4 cap. 14 & Sozomenus lib. 6. c. 18. Item Rufinus lib. 2 c. 5. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 31. & plures alij. Hac de trãslatione: quãtum ad eius vitam: lege supra citatos & Augustinum libro contra Adamantẽ Manichæum c. 17. contra Faustum lib. 22. cap. 9. & de sermone domini in monte lib. 1. cap. 20. Quibus in locis Christũ annunciarit Andreas atq;

De gestis sancti Andreæ in Mirmidonia.

Cap. LXVII.

EX gestis eius. Andræas vero Apostolus post dispersionem Apostolorum per Achaiam prouinciam verbum domini prædicare exorsus est. Matthæus autem euangelista cum & ipse in Myrmidonensi vrbe verbum salutis annunciaret, incolę ciuitatis indignè ferentes, ac sua templa destruere nolentes, ipsum comprehensum erutis oculis, circundatumque catenis in carcerem detruserunt, vt interpositis diebus paucis interficeretur. Venit autem Angelus domini ad Andream dicens. Surge & vade in Mirmidoniam ciuitatem, & erue fratrem tuum Matthæum de squalore carceris, quo tenetur. Qui nauigio illuc pergens vt vidit Matthæum in squalore carceris cum alijs vinctis residentem amarissimè fleuit, & oratione simul facta, ait Andreas: Domine Iesu Christe, quem fideliter prædicamus, & ob cuius nomen tanta perferimus, aperi quæso oculos serui tui, vt eat ad annuntiandum verbum tuum. Et statim locus ille contremuit, & lux magna in carcere refulsit, oculi quoque beati Matthæi restaurati sunt, & cunctorum catenæ relaxatæ sunt, & nernus in quo pedes eorum coartati erant scissus est, & omnes Deum magnificauerunt: eductique per beatum Andream de carcere abierunt quisque ad propria.

Puer quidam Sostratus nomine Christianus venit ad Apostolum secretius dicens: Ora pro me dominum ne innocens occidar: quia Mater mea iugiter me insectatur, vt ei commiscear: quod quia ego execrans refugio, illa felle commota abijt ad proconsulem vt crimen suum in me promat: & scio, quia accusatus non respondebo, quia sanctius duco vitam amittere, quam crimen Matris detegere. Illo loquente, venerunt ministri Proconsulis accersientes eum; beatus autem Andreas facta oratione abijt cum puero; Quem instanter accusabat Mater dicens: Hic domine proconsul oblitus maternæ pietatis, affectus stupro me impudenter compellauit, vixque ne ab eo violarer, me eripere potui. Interrogatus puer à proconsule si hæc vera essent, tacuit: iterum atque iterum interrogatus ab eo, non respondit. Tunc Proconsul habuit consilium cum suis quid ageret, apostolus autem arguere mulierem cępit, quod in filium agere stuprum volens, ipsum sibi vnicum libidine inflammante perdere non timuit. At illa ad proconsulem ait: postquam filius meus hoc agere voluit huic homini adhæsit, & ab eo nec discedit. Tunc Proconsul iratus, iussit puerũ * in saccum linitum pice & bitumine includi, & in flumen proijci, Andream vero in carcerem retrudi donec excogitaret, quo supplicio eum perderet. Orante autem Apostolo, terræmotus factus est cum tonitruo graui, & Proconsul de sede cecidit, & omnes terræ decubuerunt: mater vero pueri percussa, aruit; & mortua est. Tunc proconsul pedibus Apostoli prostratus, ait: Miserere pereuntibus famule Dei, & ne nos terra deglutiat. Orante iterum Apostolo cessauit terræmotus; fulgura quoque & tonitrua quieuerunt. Ipse autem circumiens eos, qui iacebant conturbati reddidit sanos. Proconsul autem verbum Dei suscipiens cum omni domo sua, credidit, & baptizatus est.

** alias in culleum parricidij recludi.*

Proconsulem conuertit cũ domo sua tota.

De his quæ gesit apud Niceam & Nicomediam.

Cap. LXVIII.

POst hæc ad Nicæam vrbem profectus, vbi erant 7. Dæmones inter monumenta secus viam commorantes, qui homines meridie prætereuntes lapidabant, & multos iam nece affecerant. Veniente autem Apostolo exijt ei tota ciuitas obuiam cum ramis palmarum, & laudibus dicentes: *Salus nostra in manu tua est homo Dei.* Quibus exponentibus rem, ait Apostolus: Si credideritis in filium Dei, auxilio eius, ab hac infestatione Dæmonum liberabimini. Qui responderunt: quæcumque prędicaueris credemus, & iussioni tuæ obediemus. Ille gratias agens Deo, iussit dæmones in aspectu omnis populi assistere, & cum venissent in similitudine canum, imperauit eis dicens: Ite ad loca arida, & infructuosa nulli hominum nocentes, nec accessum habentes, vbi nomen Christi fuerit inuocatum, donec accipiatis debitum vobis æterni ignis supplicium: tunc dæmones dato rugitu euanuerunt ex oculis eorum. Baptizauit autem eos Apostolus, & instituit eis episcopum nomine Calistum.

Profligauit dæmones & populum ad Dei fidem conuertit.

Primus episcopus Niceæ à B. Andreæ constitutus.

Post hæc appropinquans portę Nicomediæ, vidit mortuum ferri in grabato, & condolens lachrymis prosequentium funus; ait: Dicite quæso quid huic puero contigit, vt ab hac luce migraret. At illis præ dolore nihil respondentibus, à famulis hæc audiuit responsa: Dum esset, inquiunt, iste iuuenis in cubiculo solus, aduenerunt subito septem canes & irruerunt in eum, ab his ergo miserrimè discerptus cecidit, & mortuus est. Tunc Apostolus facta oratione suscitauit eum, & secum ad Macedoniam duxit, & verbis fidei instruxit.

Mortuum suscitauit.

hæc historia desumpta est ex Abdia Episcopo: cui tribuo tantã fidem ac superiori. Restituit visũ Matthæo. Liberauit Sostratum à falso crimine sibi imputato à matre. Hoc exemplum habetur in speculo magno exemplorum titulo Luxuria.

De

De aduentu eius in Thessalonicam, & certamine in stadio.

Cap. LXIX.

Hic iuuenis vocabatur Exoos.

ERat quidam iuuenis in Thessalonica nobilis, & dives, qui nescientibus parentibus suis venit ad Apostolũ, rogans eum vt ostenderet ei viam salutis: qui cum prædicasset ei Iesum, & ille credidisset, parentes requirentes eum audierunt quod Philippis cum Apostolo moraretur. Et venientes cum muneribus, rogabant, vt ab eo separaretur, sed nolebat dicens: Vtinam nec vos opes haberetis vt mundi cognoscentes authorem, animas vestras à ventura ira erueretis; apostolus quoq; de tristega descendit & prædicabat eis, sed illis non audientibus, redijt ad puerum & clausit ostium domus; at illi, conuocata cohorte, adhibentes fasces carecti, & scirpi, & facularum, cæperunt incendere domum. Cumque flamma iam ferretur in altum adolescens arrepta ampulla æquæ ait: Domine Iesu Christe in manu tua natura omnium elementorum consistit, extingue hos ignes ne tui tepescant, sed magis accendantur ad fidem. Hæc dicens sparsit aquam desuper de ampulla; & statim incendium omne ita subito extinctum est, ac si non fuisset accensum. Quod videntes parentes pueri dicebant: Filius noster Magus effectus est, & admouentes scalas voluerunt ascendere in tristega, vt eos gladio interficerent. Dominus autem excæcauit eos ne viderent ascensum scalarum. Denique plures compuncti corde dixerunt: *Verus est Deus, quem isti colunt, & quem persequi tentamus.* Hæc illis dicentibus, cum iam tenebræ noctis aduenissent, subito lumen effulsit, & omnium oculi illuminati sunt, ascendentes autem vbi erat Apostolus inuenerunt eum orantem, & prostrati petierunt orationum eius suffragium, atque ab eo erecti & correpti, in fide corroborati sunt, tantum parentes pueri non crediderunt. Qui regressi in patriam suam, post dies quinquaginta, similiter expirauerunt vnius horæ momento; puero autem propter bonitatem eius, & mansuetudinem, omne patrimonium suum concessum est à publico, eo quod ab omnibus conciuibus suis diligeretur: nam parentes eius execrantes eum, publicis ditionibus illud subdiderant. Manens ergo cum Apostolo omnia possidebat, sed fructum prædiorum in pauperum necessitatibus expendebat: eratque nomen eius *Exoos*.

Tristega habitatio triũ contignationum in ædibus altissima, vox Graca est.

Adolescens qui cum S. Andrea erat incendiũ domus cum ampulla aqua extinxit populumque tandé conuertit ad fidem.

Rogauit autem Apostolum vt irent in Thessalonicam, vbi cum venissent, congregati sunt omnes ad eum, gaudentes se videre puerum. Tunc congregatis omnibus in theatrum prædicabat eis puer verbum Dei, ita vt fileret Apostolus, & admiraretur prudentiam eius. Quirinus autem Proconsul dicebat Andream arte magica illudere populum, & introductis feris in stadium, iussit illuc trahi Apostolum. Quem apprehensum trahebant per capillos impellentes fustibus, proiectoque eo in arenam, dimiserunt aprum ferocem, & terribilem; qui ter circumiens sanctum Dei, nihil ei nocuit. Proconsul vero iussit dimitti aprum, qui à 30. militibus adductus, & à duobus venatoribus impulsus, Andream non tetigit, sed venatores in frusta discerpsit, & dans mugitum, cecidit, & expirauit. Et statim acclamauit populus: *Verus Deus Christus.* Dumque hæc agerentur, visus est Angelus Domini de cœlo descendisse, qui Apostolum in stadio confortauit. Denique Proconsul feruens ira iussit Leopardum ferociſſimum dimitti: qui dimissus, Apostolum reliquit, & ascendens ad sedem Proconsulis, arripuit filium eius, & suffocauit: sed tanta insania Proconsulem obtinuerat, vt nihil super hoc doleret, aut diceret. Apostolus vero in oratione prostratus, filium eius suscitauit. Hoc videntes populi, glorificabant Deum, & volentes Quirinum interficere, non sunt permissi ab Apostolo.

Quirinus Proconsul persequitur Andream.

De serpente quem occidit & 40. mortuis quos suscitauit.

Cap. LXX.

QVædam mulier cum audisset ab Apostolo verbum Dei, rogauit eum vt accederet ad agrum eius, in quo serpens miræ magnitudinis erat 50. scilicet cubitorum longitudinis, qui totam regionem deuastabat. Appropinquante igitur Apostolo sibilos magnos emittens, erecto capite venit obuiam. Quem videntes omnes qui aderant, metu nimio pallebant, terræque decubabant. Tunc Apostolus ad eum: abde, inquit, caput funeste, quod erexisti in principio ad necem humani generis, & subde famulis Dei, & morere. Statimque serpens graue rugitum emittens, circumdedit magnam quercum, quæ proxima erat, & obligans se circa illam euomensque riuum cum sanguine, expirauit.

Andreas imperio suo occidit serpentem mira magnitudinis.

Aliquando cum sederet in littore maris, sederunt, & qui cum eo erant super arenam, audientes verbum Dei: & ecce cadauer eiectum est à mari ante pedes Apostoli: qui exultans in domino ait: Oportet hunc suscitari, vt sciamus quæ in eo operatus sit aduersarius. Et fusa oratione tenens mortui manum erexit eum, statimque reuixit & loquebatur. Cui dixit Apostolus: Dic nobis quid contigit? Qui respondit: Ego sum Sostrati Macedonis filius, qui nuper ab Italia aduenj, sed cum venissem ad propria, audiui surrexisse doctrinam nouam, & inauditam, signa quoque & prodigia magna fieri à quodam doctore, qui se vere Dei affirmat esse discipulum, ego autem cum hoc audissem properaui, vt eum videre possem: cumque nauigassemus, fluctibus oppressi sumus: vtinam & alij resuscitati essent à te, sicut & ego. Tunc Apostolus repletus spiritusancto prædicabat ei verbum Dei, & expansis manibus ait: Ostende quæso domine & reliquorum cadauera mortuorum, vt & ipsi cognoscant Deum verum, & solum. Hoc eo dicente, statim apparuerunt 39. corpora vnda famulante deuecta. Tunc flente iuuene, omnes simul flere cæperunt, prostratique rogabant Apostolum, vt & isti suscitarentur, orauit Apostolus, vt congregarentur simul corpora, sparsim enim erant proiecta. Congregatis autem omnibus, Apostolus fundens orationem per singulos; iussit fratribus, vt vnusquisque tenens mortuum diceret: *Resuscitet te dominus Iesus Christus filius Dei viui.* Quod cum factum fuisset, omnes suscitati sunt 39. & glorificabant Deum, qui aderant; dicentes: *Non est similis tibi domine.*

Suscitauit mortuos iectos ante pedes eius ex mari.

Hic adolescẽs vocabatur Philopator.

Nota miraculam & tremendam historiam.

De his quæ gessit apud Patras & Macedoniam.

Cap. LXXI.

CVm autem venisset in ciuitatem Patras, in qua erat Proconsul Ægeas, mulier quędam amplectens pedes eius ait: Sancte Andrea rogat te domina mea Maximilla, quæ magnis febribus tenetur, vt accedas ad eam, quia vult audire doctrinam tuam, & Proconsul vir eius stat ante lectum flens, gladiumque in manu tenens, vt cum illa spiritum exhalauerit, ipse quoque se mucrone perfodiat. Veniens igitur Apostolus ad cubiculum, & videns stantem Proconsulem euaginato gladio ait: Nihil tibi nunc mali feceris, sed reconde gladium tuum: & facta oratione apprehẽdit manum Maximillæ: quæ statim sudore perfusa est, & dimisit eã febris. Proconsul autem centũ argẽteos obtulit, quos ille nec respicere voluit: sed postmodũ idem Proconsul indignatione magna succẽsus est, cõtra Apostolũ propter Maximillã, quæ doctrinę eius adhærebat. Cũq; à Patras abisset in Macædoniam, omni die Maximilla ad prætorium veniens vocabat Apostolum, & audiebat verbum salutis. Proconsule autem redeunte, cum omnes in prætoriũ audiẽtes verbum domini residerent, turbati sunt valde, timẽtes ne inferret

Venit Apostolus Patras ibique Maximetam sanitati restituit.

Vberrimus sancti Andreæ fructus apud Patras.

eis

eis vim aliquam; tunc Apoſtolus orauit dominum ne pateretur eum ingredi, donec omnes egreſſi eſſent; ex templo voluntas adfuit Proconſuli ventris purgandi. Cumque receſſum peteret, & moras immitteret, Apoſtolus ſingulis manus imponens, & eos ſignans abire permiſit; Nouiſſime autem ſe ſignans, & ipſe diſceſſit.

De agone eius cum Ægea Proconſule.

Cap. LXXII.

Andreas Proconſuli Ægea conſtanter ſe opponit.

CVm autem Ægeas Chriſtianos ad ſacrificia idolorum compelleret, occurrit ſanctus Andreas & dixit: Oportebat vt tu, qui iudex hominum eſſe meruiſti, iudicem tuum, qui eſt in cælis, cognoſcens, & eum verum Deum colendo, ab his qui non veri Dij ſunt animum reuocares. Cui dixit Ægeas; tu ne es Andreas, qui deſtruis templa Deorum, & ſuades hominibus ad ſectam, quam nuper Romani principes exterminari iuſſerunt? Ille reſpondit; etiam Romani principes nondum cognouerunt hoc, quod pro ſalute hominum veniens Dei filius, docuerit iſta idola Deos non eſſe, ſed dæmonia peſſima, & humano generi inimica, quæ tandiu homines deludant, quouſque de corpore rei & nudi exeant, nihil ſecum præter peccata portantes. Cui Ægeas: Iſta ſuperſtitioſa & vana dum prædicaret Ieſus veſter, Iudæi illum patibulo crucis affixerunt. Andreas reſpondit: O ſi velis ſcire myſterium crucis, quam rationabili charitate Auctor humani generis, pro noſtra reparatione non inuitus ſuſcepit. Poſt hæc verba & altercationes multas Ægeas iuſſit eum in carcerem trudi, vbi cum eſſet clauſus, venit ad eum pænè multitudo totius prouinciæ, ita vt Ægeam vellent occidere, & Andream fractis ianuis carceris liberare: quos ſanctus Andreas his verbis admonuit: Nolite quietem Domini Ieſu Chriſti in ſeditionem diabolicam excitare, nam traditus Dominus, omnimodam præbuit patientiam; habere ergo ſilentium, & pacem; nec ſolum martyrium meum nolite impedire, verum etiam voſipſos quaſi athletas domini ad vincendum præparate. In craſtino autem dum lux diei prorumperet, miſit Ægeas & adduxit Andream: & ſedens pro tribunali dixit: Exiſtimaui te nocturna cogitatione animum tuum à ſtultitia reuocare, vt poſſes nobiſcum gaudia vitæ non amittere. Qui reſpondit: Audi fili mortis, & ſtipula æternis præparata incendijs; nunc vſque tecum mitius egi cenſura fidei, vt orationis capax idola vana contemnerem; & Deum qui in cælis eſt adorares: ſed quia in impudentia tua perſeueras, quicquid videtur, in ſupplicijs excogita: Tanto enim ero Regi meo acceptior, quanto pro eius nomine permanebo inter tormenta confeſſor. Tunc Ægeas eum iuſſit flagellis cædi extenſum. Qui cum 7. terniones tranſiſſet, elenatus eſt, & adductus ante eum. Cui dixit Ægeas: Audi me Andrea, & ab effuſione ſanguinis tui conſilium reuoca. Qui reſpondit: Ego de interitu tuo timeo, non de mea paſſione conturbor. Paſſio mea modicum temporis occupat ſpacium, tuus autem cruciatus non finietur in æternum.

Docet Apoſtolus Chriſtum ſponte crucem conſcendiſſe.

Sanctus Andreas mittitur in carcerem.

Populus vult eum liberare ſed non permittit Apoſtolus.

Siſtitur denuo tribunali Ægeæ.

Caditur flagellis Apoſtolus. Lege hic Surium 30 Nouemb. qui recitat paſſionẽ S. Andreæ conformiter ad hæc quæ ex Abdia habemus.

De crucifixione eius, & turpi morte Proconſulis.

Cap. LXXIII.

Damnatur crucis ſupplicio.

TVnc indignatus Ægeas iuſſit eum cruci affigi, mandans hoc quæſtionarijs, vt ligatis manibus pedibuſque in equuleo tenderetur, ne clauis affixus, cito deficeret, ſed longo cruciatu potius cruciaretur. Cumque ducerent eum carnifices, factus eſt concurſus populorum clamantium: *Iuſtus homo, & amicus Dei, quid fecit, vt ducatur ad crucem?* At Andreas rogabat eos, vt non impedirent eius paſſionem. Ibat igitur & exultans, & à doctrina non ceſſans. Cumque peruenisſet ad locum vbi crux parata erat, videns eam à longe exclamauit: *Salue crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris illius tanquam ex margaritis ornata. Securus, & gaudens, venio ad te, quia amator tuus ſemper fui & deſiderauì amplecti te. O bona crux diu deſiderata, & aliquando iam diu concupiſcenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Tunc expoliauit ſe, & veſtimenta ſua tradidit carnificibus. Qui leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius ſicut eis iuſſum fuerat, ſuſpenderunt. Aſtantes igitur turbæ, ad viginti millia hominum clamabant iniuſto iudicio ſanctum virum hoc pati. Sanctus vero Apoſtolus confortabat mentes credentium in Chriſtum.

Ecce tibi Apoſtolum ad crucem tanquã ad epulas properantem.

Alligatur Andreas cruci.

Interea vadit omnis populus ad domum Ægeæ, omneſque pariter clamabant, virum ſanctum, pium, rationabilem, non debere hoc pati, ſed de cruce deponi, quia iam ſecundo die in cruce poſitus veritatem prædicare non ceſſat. Tunc Ægeas expaueſcens populum, promittens ſe eum deponere, cæpit ire. Quem videns Apoſtolus dixit: Quid tu ad nos veniſti Ægea? ſi vis in Chriſtum credere, aperitur tibi ianua indulgentiæ: ſi autem veniſti ad hoc tantum vt me ſoluas, ego penitus de hac cruce viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, & adoro: iam in eius conſpectu aſſiſto, vbi ſunt Angelorum concordiæ, vbi lux ſine nocte, vbi dolor nunquam naſcitur, ſed de tuis Ægea miſerijs multum doleo, quia paratus te expectat æternus interitus. Mittentes autem carnifices manus ad crucem non poterant eum penitus contingere: & ſubinde alij, & alij ſe ingerentes, vt ſoluerent eum, non poterant ad eum attingere, quia ſtupebant brachia eorum, quicunque ſe extendebant ad ſoluendum eum. Tandem cum Apoſtolus cum ingenti clamore fudiſſet orationem ad dominum Ieſum, videntibus cunctis ſplẽdor nimius ſicut fulgor de cælo veniens, emicuit: & ita circumdedit eum, vt penitus oculi humani non poſſent eum aſpicere. Et poſt fere dimidiam horam aſcendente lumine, emiſit ſpiritum, ſimul cum ipſo lumine pergens ad Dominum. Quod vt audiuit Maximilla matrona, ad crucem acceſſit, & ſuorum ſolatio, cum omni reuerentia corpus depoſuit, & in loco quo ſepeliendum conſtituerat, ſepeliuit. Ægeas autem cum ad Cæſarem accuſationem contra Maximillam, & populum deſtinare diſponeret, & à Diabolo arreptus eſt, & in medio ciuitatis foro volutatus expirauit.

Aegeæ timens populũ vulcum ſoluere.

Recuſat B. Apoſtolus.

Lux cælitus eum circumdat, & emittit Spiritum.

Maximilla eius corpus ſepelit.

Ægeas Proconſul à dæmone arreptus expirauit lege Baronĩ tomo 1. Annalium.

Hæc geſta ſunt apud Patras ciuitatem Achaiæ.

De ſepulchro autem ſancti Andreæ manna in modum farinæ, & oleum cum odore ſuauiſſimo manat, à quo, quæ ſit anni fertilitas futuri, incolis regionis oſtenditur: ſi exiguum profluit, exiguum terra exhibet fructum: ſi copioſe copioſum.

De prædicatione Sancti Matthæi & luctu contra Magos.

Cap. LXXIIII.

EVſebius in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 3. cap. 24. Matthæus primo Hebræis prædicauerat; verum cum pararet tranſire ad gentes, paterna lingua ſcripturam compoſuit, & ea quæ prædicauerat, comprehendens, dereliquit his ad memoriam à quibus proficiſcebatur, vt gentibus prædicaret.

Magi duo in Æthiopia Zaroes & Arphaxat à Matthæo repelluntur.

Ex geſtis eius. Erant autem duo Magi Zaroes, & Arphaxat apud Æthiopes, in ciuitate, quæ dicitur Nadauit ludificantes populum, & regem eius nomine Æglippum. Dicentes enim ſe eſſe Deos, faciebant greſſus hominum ſubito figi, & immobiles ſtare quamdiu volebant, viſus hominum, & auditus ab officio ſuo refrænabant: imperabant ſerpentibus vt percuterent, & ipſi incantando curabant. Ideoque curare putabantur, quia à læſione ceſſabant, curã ergo hominum Deus gerens, Matthæum Apoſtolũ, contra hos miſit qui ingreſſus vrbẽ, cæpit detegere preſtigia eorũ. Quos illi figebãt,

Hæc hiſtoria etiam deſumpta eſt ex Abdia.

hic

Opera operibus cõtraria.

hic *in nomine Christi* soluebat; quos illi cæcabant, hic illuminabat; serpentes quos illi ad percutiendum homines excitabant, hic in somnum conuertebat, & percussiones eorum facto signo Domini curabat. Hunc cum vidisset Æthiops Eunuchus Candacis nomine, qui baptizatus fuerat a Philippo Diacono; procidit ad pedes eius gratias agens Deo de aduentu ipsius, suscepitque eum in domum suam: Et venientes amici eius audiebant verbum veritatis ab Apostolo. Prædicante autem illo, venit qui diceret magos illos cum singulis draconibus aduenire: Erant autem dracones galeati, flatusque eorum flammifero ardore emanabat, sulphureas spargebant auras naribus, quorum ardor homines interficiebat. Tunc consignans se Apostolus cæpit exire securus. Mox autem vt venerunt, ambo dracones ante pedes Apostoli obdormierunt. Et ait Apostolus Magis: Vbi est ars vestra? si potestis excitate eos. Ego autem nisi rogassem *Dominum Iesum Christum*, omnem furorem, quem in me exercuistis, in vos retorqueret: conabantur illi arte magica excitare eos, nec poterant omnino. Tunc Apostolus conuersus ad dracones ait: *In nomine & virtute Iesu Christi, aduro te spiritus cui omnes dracones Deus in potestate dedit, vt excites eos & cum mansuetudine redire facias ad locum suum, ita vt nullum lædant.* Ad hanc vocem eleuantes caput serpentes ire cæperunt, & apertis portis egressi vrbem nusquam comparuerunt. Tunc Apostolus allocutus est omnem populum de fœlicitate Paradisi, de lapsu generis humani, & de eius reparatione per Iesum Christum.

Eunuchus recipit Matthæũ in domum suam.

En Magorũ præstigias.

Non est vis aduersus dominum.

Matthæus draconibus imperat.

De filio Regis quem suscitauit.

Cap. LXXV.

ET cum loqueretur, tumultus luctuosus subitò exortus est, in quo Regis filius mortuus plangebatur, ad cuius funus stabant Magi, qui cum eum suscitare non possent, suadebant Regi hunc à Dijs raptum in collegio, vt sit vnus ex Dijs cui oportet simulacrum fabricare, & templum. Tunc ingressijs Candacis Eunuchus ad Reginam ait: Istos magos iubete custodiri, & rogate vt veniat Apostolus Dei Matthęus, & si eum ipse vobis suscitauerit, istos iubete viuos incendi, quia omnia mala per eos in ciuitatem vestram veniunt. Accersitus igitur Apostolus & ingressus, extendit manus ad cælum & orauit, apprehendensque manum defuncti, *in nomine Iesu Christi*, eum suscitauit; ad quod factum expauit cor Regis; & statim iussit ei deferri coronas, & purpuram: iussitque præcones per diuersas Æthiopiæ prouincias ire dicentes. Venite ad ciuitatem, & videte Deum in effigie hominis latitantem. Cumque venisset omnis multitudo cum cereis, & thimiamate, cum diuerso sacrificiorum ritu; Apostolus sic omnes allocutus est: *Ego non sum Deus, sed filij omnipotentis Dei seruus* qui misit me ad vos, vt relicto errore simulacrorum conuertamini *ad Deum verum, in cuius nomine* filium regis suscitauit: Ite igitur, & templum domino fabricate, ibique congregamini ad audiendum verbum Dei. Quo audito intra 30. dies fabricantes, sanctam Ecclesiam consummauerunt. Et vocauit Matthæus nomen Ecclesiæ, *Resurrectio*, quia per resurrectionem, occasio ædificationis eius extiterat. Seditque in ea annis 23. multasque Ecclesias per ciuitates fabricauit, & multos Episcopos, ac Presbyteros constituit. Baptizatus autem Rex Aeglippus, cum Regina, & familia, tandem senectute exoleta perrexit ad Dominum; & accepit Hirtachus eius imperium.

En impium Magorum consilium.

Euphinissa regina vocat Matthæũ ad suscitandum filium suum nomine Euphronomen qui & in virtute Iesu Christi eum excitauit.

* *Alludit ad ornamenta quæ maximis viris cõferuntur de quibus cõsule Africanum lib. 10.*

En ingentem Regis populique feruorẽ.

Aeglippus rex cũ omni familia baptizatur.

De furore Regis Hirtachi contra Apostolum propter Iphigeniam.

Cap. LXXVI.

QVi cum vellet vxorẽ accipere Iphigeniam filiam, defuncti Regis, quæ virgo iam Christo dicata erat, & de manu Apostoli sacrum velamen acceperat, & iam virginum amplius quam ducentarum Præposita erat, sperabat quod per Apostolum posset eius animum commouere, cæpitque cum ego agere dicens: Dimidium regni mei accipe, tantum vt Iphigeniam possis coniugio meo copulare. Cui Apostolus ait: Iuxta bonum propositum prædecessoris tui Regis, qui omni die sabbati conueniebat, vbi verbum domini prædicabam, illuc iube congregare vniuersas virgines, quæ cum ea sunt, simul cum ipsa; & audies in populo quanta bona loquar de bono coniugio; quo audito Hirtachus gratulatus est: & congregatione facta, Rex clamorosis laudibus perstrepebat cum suis comitibus, existimans Apostolum ita dicturum, vt animum Iphigeniæ ad eius coniugium inclinaret. Facto autem silentio dixit Apostolus: Matrimonia boni operis honestate oriuntur, si sanctè & iustè copulentur: verum si sponsam Regis, seruus eiusdem accipiat; tam grande crimen incurrisse dignoscitur, vt meritò viuens flammarum incendijs tradatur; quia Domini sui sponsam vsurpare studuit; ita etiam tu fili charissime Hirtache Rex sciens Iphigeniam sponsam Regis cælestis effectam, quando tu poteris eam tollere, & tuo coniugio copulare? Ad hunc sermonem Hirtachus, qui prius Apostoli laudator per singulas ditiones extiterat, iratus abscessit. Sed Apostolus constans & intrepidus hortatus est populum fidelem, vt iram terreni Regis non timeret, quæ siue igne, siue ferro coerceat; intra momenta tamen temporum desinit: sed iram solius Dei, quæ peccantibus æternæ gehennæ flammas accendit: Tunc benedixit chorum virginum, vt non timeret Hirtachum.

Cumque mysteria Domini celebrata, & missas suscepisset omnis ecclesia, retinuit Apostolus se, vt iuxta altare vbi corpus Christi ab eo confectum fuerat, illic martyrium Apostolicum exultaret. Itaque expansis manibus orantem speculator ab Hirtacho missus à tergo punctum ictu gladij feriẽtis Apostolum Dei Christi martyrẽ fecit. Quo audito omnis populus ad palatium pergebat cum igne: sed furẽti populo occurrerunt omnes Presbyteri, Diaconi, & viri religiosi, dicentes. Nolite, fratres, agere contra præceptum Domini; sed celebremus omnes cum gaudio martyrium Apostoli, & quid Deus ordinauerit expectemus.

Hirtachus succedit Aeglippo in regnum petitque à Matthæo Iphigeniã virginẽ Christi sibi coniugem.

Coniugia quando laudabilia.

En votũ virginitatis quã antiquum.

Deus super omnia timẽdus.

Securi percussus mittas ad Christũ Sanctus Apostolus Matthæus

Matthæũ eximium Naddauer alta virum ait Fortunatus.

De certamine Iphigeniæ cum Hirtacho & turpi morte Hirtachi.

Cap. LXXVII.

IPhigenia autem quicquid in auro, & argento, & gemmis, habere potuit; contulit Sacerdotibus, & clero dicens: Postquam dignam Apostolo Christi Basilicam fabricaueritis, quicquid superfuerit pauperibus erogabitis: me autem oportet habere certamen cum Hirtacho. Post hęc iuxta verbum eius Hirtachus omnium nobilium vxores ad eam venire fecit, sperans quod ratione posset ad eius peruenire consensum, vt eius coniunx fieret: Quod cum penitus non posset, conuocauit Magos, vt illam Dæmonum ministerio raperent. Quod cũ nulla ratione facere possent, circũdare igne fecit omne prætoriũ, in quo illa cũ virginibus manẽs, die ac nocte Deo suo famulabantur. Sed cũ per circuitum arderet ignis, apparuit eis Angelus domini cum Matthęo Apostolo dicens: Iphigenia esto firma, & noli hos ignes expauescere: ad illum enim à quo sunt tibi positi, reuertentur. Excitauit igitur Dominus ventũ validissimũ, mundauitque à domo virginis omne illud incendium, &

Iphigenia sua omnia confert adificando tẽplo in honorem Apostoli.

En impios Hirtachi Regis conatus in Iphigeniã.

Ignes reddũtur diuinitus irriti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ita consumpsit domum Hirtachi, vt inde nihil ex facultatibus potuerit liberare. Sed ipse cum vnico filio vix euasit, melius tamen ei fuerat incendio interijsse: nam filium eius, vehementissimus Dæmon impleuit, qui illum cursu rapidissimo ad Apostoli Matthæi sepulchrum adducens, à tergo manibus ab ipso Diabolo colligatis, cõfiteri paterna crimina cõpulit; ipsum autem Hirtachum elephantiæ vulnera à capite vsque ad vltima pedum repleuerunt. Sed cum eum Medici curare nõ possent, ipse se in gladio ponens incubuit, vt quomodo à tergo Apostolum Domini patefecit, ipse recte seipsum stomacho perforauit. Omnis autem populus morti eius exultans, fratrem Iphigeniæ, nomine Beorus, qui de manu Apostoli Matthæi, gratiam domini fuerat consecutus, in regnum constituit.

Vltio diuina in Hirtachum regem, & miserabilis eius interitus.

Succedit ei Beorus, frater Iphigeniæ, & pie 37. annis regnauit.

De Apostolis Simone, & Iuda, & Varardac duce Africano.

Cap. LXXVIII.

SImõ Canæus & Iudas Zelotes Apostoli Iesu Christi cum per reuelationem Spiritus Sancti regionem Persidis fuissent ingressi, inuenerunt ibi duos Magos Zaroen & Arphaxat qui à facie sancti Matthæi Apostoli fugerant de Æthiopia, quorum doctrina erat praua. Occurrit ergo Apostolis præfatus Varardac Regis Babyloniorum dux. Hic contra Indos, qui fines Persidis inuaserant, bellum susceperat, in cuius comitatu erant Harioli & Magi, qui per singulas mansiones dæmonijs sacrificantes, dabant fallaciæ suæ responsa. Illa autem die conscidentes se & sanguinem suum effundẽtes, nullum penitus dedere responsum. Perrexerunt autem ad vicinas ciuitates, & illuc consulentibus eis dæmonia; dedit mugitum Dæmon, & ait: Dii qui vobiscum comitabantur, euntes ad prælium, non possunt vobis dare responsum; quia Apostoli Dei ibi sunt Simon, & Iudas; qui tantam virtutem à Deo consecuti sunt, vt nullus audeat illis præsentibus eloqui; tunc Varardac dux fecit eos inquiri. Quos cum inuenisset, cæpit ab eis inquirere, vnde essent, aut quare venissent? Cui respondit Simon: Si genus quæris, Hebræi sumus: si conditionem, *serui Iesu Christi sumus*; si causam; salutis vestræ causa venimus; vt relicto errore simulacrorum, Deum qui in cælis est, possitis cognoscere; cui Dux respondit: Nunc interim vado ad prælium Indorum, & non est mihi opportunum, vt de his discutiam, dum fælix fuerit in reuertendo successus, audiam vos. Dixit ei Iudas: Modo magis congruum est te illum cognoscere, cuius ope possis victor existere; vel eos qui rebelles sunt, pacatos inuenire. Ait Dux: quandoquidem audio Deos nostros coram vobis, non esse ausos nobis dare responsum; vos nobis futura prædicite, vt quos belli exitus habiturus sim, possim scire. Dicit ei Simon: Vt agnoscas errorem illorum, quos putas tibi futura prædicere, damus illis potestatem respondendi tibi, vt dum dixerint quæ ignorant, probemus eos per omnia esse mentitos. Tũc cæperunt Phanatici eorum loqui & prænuntiare grande bellum esse futurum, & ex vtraque parte posse interfici præliantes. Apostolis autem in risum excitatis, ait dux: Me timor inuasit, vos autem ridetis? Dicunt Apostoli. Cesset timor tuus, quia nobiscum pax intrauit istam prouinciam: hodie intermitte profectionem; & cras hora tertia venient quos præmisisti cum legatis Indorum, qui paci vestræ ad quascunque conditiones gratanter consentientes pactum vobis firmissimum stabilient; simili modo pontifices risum leuauerunt dicentes Duci. Noli Domine hominibus istis credere mendacibus, aduenis, & ignotis, qui ideo aliqua loquuntur, vt non quasi exploratores teneantur: Isti Dij qui nunquam fallunt dederunt tibi responsum, vt cautus atque sollicitus sis; hos vero pannosos, & personam nullam habentes, quos videre, vel audire iniuria est; ad iniuriam Deorum non punis? Respondit Dux: Hoc magnũ est quod aduenæ, pauperes, & ignoti cum tanta constantia asseuerant, quod Deorum nostrorum testimonijs videtur esse contrarium. Dicunt ei Pontifices: Iube eos custodiri ne fugiãt. Respondit dux: Nõ solũ illi, sed etiã vos in custodia eritis, vt rerũ exitus doceat, qui merito debeãt honorari, quiq; condemnari.

Ex historia Abdiæ. lib. 6.

His duo Apostoli, licet eorum alter in Aegyptũ, alter vero in Mesopotamiam profectus Euãgelizũ prædicauit, nihilominus tamẽ simultandẽ in Perside conuenientes martyrio coronati sunt, vt testatur Baronius, Beda etiam & plures alij.

Malitia & calumnia Pontificum Idolorum.

Factum est autem in crastino venerunt Nuncij, qui missi fuerant, & nunciauerunt ita esse, sicut Apostoli prædixerunt. Tunc iratus Pontificibus Dux iussit ignem copiosum accendi, ibique eos præcipitari, & omnes qui Apostolos Dei obfuscare videbantur. Apostoli vero prostrauerũt se ei dicentes: Obsecramus Dne ne efficiamur causa interitus eorũ, & qui pro vita, & salute mortuorum huc missi sumus; viuentes occidere videamur. Miror, ait, Dux vos ita pro his interuenire, qui nihil aliud egerunt, per omnes Comites meos & Tribunos & Satrapas & præmia contulerunt ingentia, vt vos viuos incenderent. Dicunt ei Apostoli: *Disciplina Magistri nostri hanc regulam tenet, vt non solum malum pro malo non reddat, sed etiam bona pro malis restituat.* Ait Dux: Hoc saltem permittite, vt omnia bona eorum vobis tradantur. Non licet, inquiunt, nobis aliqua possidere in terra, quia nostra possessio est in cælo æterna.

In Deo veritas.

Sãcti Dei pro malo reddũt bonũ iuxta mandatum Christi.

De certamine eorum contra Magos.

Cap. LXXIX.

AVdiente hæc duce, Zaroes & Arphaxat dixerunt: Isti homines maligni sunt, & cõtra Deos, & contra Regnum tuum subtiliter agunt. Dixit eis Dux: Si ausi estis, habete cum eis conflictum, & si viceritis eos, abiicientur. Responderunt Magi: Vt probes, quia nobis præsentibus non poterunt loqui, iube nic astare aliquos eloquentissimos, & in argumentando acutissimos, vt habeant nobiscum conflictum; & si ausi fuerint loqui, præsentibus nobis, imperissimos nos esse probabis. Tunc iussu Regis, & Ducis, aduocati præsto facti sunt. Cumque in præsentia Regis cunctorumque sublimium Magi locuti essent, omnis illa conuocatio ita muta facta est; vt nec nutibus, quod loqui non poterant, indicarent. Postea dixerunt Magi ad Regem: Vt scias nos ex Deorum numero esse, permittemus eos quidem loqui, sed ambulare non posse. Quod cum fecissent, addiderunt: ecce reddimus eis gressum, sed faciemus eos apertis oculis nihil videre. Cumque & hoc fecissent, expauit cor Regis, & Ducis, dicentibus amicis illorum, non debere Magos illos contemni. Tandem aduocati mærore confecti ad sua reuersi sunt. Dux vero cum haberet amicos Apostolos, & narrasset eis omnia quæ dicta, vel facta fuerant, dixerunt ei Apostoli: Iube aduocatos venire ad nos primo, & tunc iterum ingrediantur ad Regem similem habituri conflictum: quod cum fecisset, videntes aduocati, Apostolos viliissima veste indutos, quasi in despectu eorum personas habuerunt, facto tamen silentio, sic eos allocutus est Simon: Non offendat aspectus vestros iste noster habitus vilis: Intus enim latent ea, quæ æternam gloriam & vitam inuenire vos facient; non enim omnes homines de vno patre, & vna matre nati sumus? Qui cũ facti essent, & in regione viuorũ positi, suadẽte Angelo inuidiæ preuaricati sunt legem quam à creditore suo acceperant, & serui facti sunt eius, cui suadenti obtemperauerant, Ideo Angelus pessimus facit, de hominibus quos in errore tenet, quod ipse voluerit: quia Deus verus quẽ ille timet, non est cum eis, hac de causa vos per Magos suos quamdiu voluit fecit tacere, & itecũ nõ videre, iterũq; immobiles permanere. Vnde vt & probetis ita esse, permittite vos ab Idolorũ cultura discedere, & solũ inuisibilẽ Deũ colere. Quod cũ feceritis, imponemus manus nostras super capita vestra, & signũ Christi faciemus in frõtibus vestris, & si nõ eos cõfutaueritis, credite nos fallere in omnibus quæcunque asserimus. Tunc illi rationem veram considerantes, prostrauerunt se Apostolis dicentes; Vos facite vt non

En Magorũ illusiones & prestigiæ.

Habitus vilis in oculis mũdanis despectui habetur.

Signũ Christi impressũ fronti nostræ munimẽtum fortissimum est cõtra omnes diabolicas illusiones

nobis

nobis possint impedire officiū linguæ, nec aliqua membris impedimenta inferre, & sit super nos ira Dei, si vltra Idolis crediderimus. Tūc orauerunt Apostoli Dominum, vt magica figmenta exinaniret, & istos fortes ac stabiles contra Magos faceret, constanter insurgere. Qui cum respondissent *Amen*, signati sunt in frontibus suis, & abierunt ad Regem, ac cum duce ingressi sunt. Magi quoque affuerunt volentes facere ea, que fecerāt, & nulla ratione potuerunt.

De serpentibus Magorum, quorum morsibus afflicti idem fugerunt.

CAP. LXXX.

ADuocati autem insistebant eis, dicentes, si potestis, agite quæ heri feciſtis; illi autem irati multitudinem serpentum fecerunt, tunc dicunt omnes Regi, vt vocarentur Apostoli. Venientes ergo Apostoli impleuerunt pallia sua de serpentibus, & miserunt in Magos dicentes, *In nomine Domini nostri Iesu Christi non moriemini, sed morsibus eorum attrectati, mugitum dabitis dolorum vestrorum*: quod & factum est. Cæperuntque Magi vlulare sicut lupi: Rex autem & omnes dicebant Apostolis: Permittite eos vt moriantur ab eis; at illi responderunt: Nos missi sumus à morte ad vitam reducere, non à vita in mortem præcipitare. Oratione autem facta dixerunt serpentibus: *In nomine Domini nostri Iesu Christi ad loca vestra redite, & omne venenum, quod in his Magis effudistis, vobiscum auferte.* Maiores autem cruciatus passi sunt, cum vniuersi serpentes iterum morsibus edebant carnes eorum, vt venena sua tollerent, sugentes sanguinem eorum. Cumque abijssent serpentes; dixerunt Apostoli Magis: Per tres dies dimittimus vobis dolores dominari, vt de his erroribus vestris pæniteamini. Iusserunt autem eos in manibus tolli & ad hospitia sua duci; per triduum autē, nec edere, nec bibere, nec dormire illis possibile fuit, sed sola vociferatio doloribus exorta, incessabilis extitit, sed cum iam in eo essent, vt pariter expirarent, venerunt Apostoli ad eos & dixerunt: Non dignatur, Deus habere coacta seruitia, ideo surgite sani, & habete liberam facultatem conuertendi à malo ad bonum, & ad lucem à tenebris exeundi. Illi autem permanentes in perfidia sua sicut à facie Matthæi Apostoli fugerant, sic & ab his fugientes, simulacrorum cultores per totam Persidem commouerunt, vt Apostolorum inimicitias excitarent dicentes: Venient ad vos inimici Deorum vestrorum, si vultis Deos habere propitios, compellite eos sacrificare eis, si autem noluerint, interficite eos.

Magi incredibiliter puniti per morsus serpentū.

Quomodo Magi reddūt apostolis malum pro bono.

De cęteris Apostolorum gestis apud Babyloniam.

CAP. LXXXI.

APostoli autem morantes in Babylonia faciebant mirabilia magna habebantque discipulos multos, ex quibus ordinabant presbiteros & diaconos, ecclesias ordinantes. Factum est autem vt vnus ex diaconis crimen incesti diceretur cōmisisse; Erat enim vicinus filiæ Satrapæ, quæ perdita virginitate, partum edens, periclitabatur. Interrogata à Parentibus, virum quendam sanctum diaconum impetebat, qui tentus à parentibus puellæ, vrgebatur subire vindictam. Quod audientes Apostoli, venerunt ad Parentes puellæ, quos illi videntes, clamare cæperunt; & diaconum huius criminis accusare. Apostoli autem dixerunt: Quando natus est puer? Responderunt hodie hora prima: at illi: Producite huc infantem, & diaconum quem accusatis, huc adducite. Cumque in præsentia essent, dicunt ad infantem: *In nomine Domini nostri Iesu Christi loquere, & dic, si iste diaconus præsumpsit hanc iniquitatem.* Infans absolutissimo sermone respondit: Hic diaconus vir sanctus & castus est, & nunquam carnem suam maculauit. Insistebant Parentes vt de persona incesti interrogarent. Qui dixerunt: Nos innocentes absoluere decet, nocentes prodere non decet.

Apostoli multas animas lucrabātur in Babylonia,

Infās in nomine Iesu loquitur & declarat diaconum sanctū & castum.

Post hæc euenit, vt duæ Tigrides ferocissimæ, quæ in singulis foueis erant inclusæ aufugerent, & quicquid inuenire poterant deuorarēt. Tunc omnis populus confugit ad Apostolos Dei: qui inuocantes nomen domini Iesu, iusserunt vt sequerētur eas ad domum, in qua manebant, & per triduum ibi manserunt: & conuocantes omnem populū dixerunt. Ecce feræ *audito nomine Christi* in agnos conuersæ sunt, & homines ad imaginem Dei facti, in stoliditate tanta perdurant, vt creatorem suum nō intelligant. Vt autem sciatis, quia ipse est *verus Deus*, erunt vobis in testimonium Tigrides istæ quæ in nomine eius mansuetæ factę in medio vestri conuersabuntur: vespere autem facto in vestram cellam reuertentes manebūt: nos autem oportet alia loca peragrare, & prædicare nomen Domini. Circumierunt igitur 12. Persidis prouincias, in quibus multa egerunt, & multa passi sunt per annos. 13. Magi autem supra memorati facientes scelera per ciuitates, & dicentes se esse ex genere Deorū à facie Apostolorum semper fugientes, tandiu erant in quacunq; ciuitate donec agnoscerent Apostolos aduenire. Apostoli autem vbicunque veniebant detegebant facta eorum, & doctrinam à diabolo inuentam.

Tigrides in nomine Dei tanquam agni facta.

De passione eorundem Apostolorum.

CAP. LXXXII.

CVm autem ingressi ciuitatem suam mansissent apud quendam discipulum suum nomine Sennen, eiusdem ciuitatis virum: 70 templorum Pontifices, qui in vrbe erant, & à Magis præmoniti fuerant, circa horam primam venerunt cum innumerabili populo clamantes ad Sennen: Produc ad nos inimicos Deorum nostrorū, cum quibus si non sacrificaueris Diis nostris incendemus te, & domum tuam cum ipsis. Igitur tenentur Apostoli, & ducuntur ad templum Solis, ingredientibus illis templum cæperunt Dæmones clamare per energumenos: Quid nobis & vobis Apostoli Dei viui? in ingressu vestro flammis exurimur. Stabat autem in vna eadem templi ab oriente quadriga equorum fusilis ex auro, in qua radiatus sol æque ex auro fusili consistebat, in alia ęde luna fusilis ex argento, habens quadrigam bouum fusilē similiter ex argento. Cæperunt autem Pontifices cum populo vim facere Apostolis Dei, vt adorarent eos inibi, & illi duo Magi, qui hanc violentiam excitauerant. Tunc ait Iudas ad Simonem: *Video Dominum Iesum vocantem nos.* Cui Simon: Diu est quod intueor Domini mei aspectum in medio Angelorum: Dixitque mihi Angelus Domini cum orarem: Faciam vos egredi de templo, & templum ruere super eos. Et dixi: Nequaquam fiat hoc domine, fortasse erunt aliqui ex his qui conuertentur ad te, cumque hoc secū hebraico sermone loquerentur, apparuit ei Angelus Domini dicens: Confortamini, & vnum è duobus eligite, aut repentinū istorum interitum, aut ad palmam martirij cū fiducia properare. Qui responderunt: Oranda est misericordia domini vt & istis propicietur, & nos adiuuet vt possimus pertingere ad coronam. Hæc soli Apostoli videntes, & audientes compellebantur à Pontificibus adorare simulacra Solis & Lunæ.

Apostoli ducuntur ad templum Solis.

Vim faciunt Apostolis vt adorarent idola.

Facto autē silentio dixerunt: Audite omnes, & videte Solem & Lunam, scimus præcepto creatoris subiectos esse, & in firmamento consistentes, non sine iniuria sua in templis includuntur, quæ in cælo omni sæculo patere noscuntur: & vt sciatis eorum simulacra non Sole, neque Luna, sed dæmoniis esse plena, præcipio ego Simon dæmoni qui in Solis simulacro latet; & frater meus Iudas ei qui in simulacro Lunæ vos ludificat, vt egrediantur ex eis, & ipsi eos comminuant. Et cum hoc dixisset visi sunt ab omni populo duo Aethiopes nudi, nigri, horribili vultu egredi, & confringentes ea, vlulando diras voces emittentes abscedunt, irruentesque Pontifices in Apostolos interfecerunt eos, Sennes quoque passus est cū eis hospes eorum, quia & ipse

Simō & Iudas Apostoli Dei à Sacerdotibus Idolorum interfecti sunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idolis ſacrificare contempſit.

In ipſa autem hora cum nimia eſſet cœli ſerenitas, fulgura nimia extiterunt; ita vt trifariam templum ſcinderetur, à ſummo tecti faſtigio vſque ad profundius fundamentum. Duo autem Magi ſupradicti ictu coruſcationis adusti, in carbones verſi ſunt. Poſt menſes autem tres miſit Rex & cõfiſcauit omnes Pontifices, corpora autem Apoſtolorum cum ingenti honore tranſtulit ad ſuam ciuitatem, in qua conſtruxit Baſilicam admiratione dignam, cuius ſtructurá per gyrum habebat pedes octies 80. in altum autem 120.

Magi ictu fulminis abſumpti & in carbones verſi.

Hæc geſta Cràton diſcipulus Apoſtolorum eorundem, ſcilicet Simonis, & Iudæ ſcripſit, in libris. 10. quos Africanus hiſtoriographus in Latinam linguam tranſtulit; ex quibus hæc pauca excerpta ſunt.

De ſancto Bartholomæo & de Aſtaroth.

Cap. LXXXIII.

Theodorus ex geſtis eius. Beatus autem Bartholomęus vt legitur in geſtis eius antiquiori Licaoniæ verbum vitæ prædicauit. Dehinc Indiæ, ad vltimum in Albano Armeniæ maioris vrbe, poſtquam multa & intolerabilia tormenta ſubijt, excoriatus ab impiis ad modum follis, poſtmodum capite plexus eſt.

Vide Baronium, Metaphraſten, Euſebium lib. 5. cap. 10. Gregorium Turonenſé, Nicephorum & alios.

Nam cum aliquando ingreſſus fuiſſet templum, in quo erat idolum Aſtaroth, quaſi peregrinus ibi manere cæpit, in hoc autem Idolo talis erat Dæmon, qui homines, *verum Deum non colentes*, ita ludificaret, vt faceret in eis dolores & infirmitates, damna & pericula, & dans reſponſa, vt ei ſacrificarent, dum ab eorum læſione ceſſabat, curaſſe putabatur. Apoſtolo autem ibi manente nulla reſponſa dabat, nec vlli poterat ex his quos læſerat ſubuenire. Cumque plenum iam eſſet languentibus templum, & quotidie ſacrificantibus nullum daretur reſponſum, perexerunt in aliam ciuitatem, vbi & aliud colebatur Dæmonium, cui nomen Berith; & illic ſacrificantes, inquirebant cur Deus eorum Aſtaroth non daret eis reſponſa? Quibus reſpondit Berith. Deus veſter ita captiuus & religatus catenis igneis ſtrictus tenetur, vt nec ſuſpirare audeat, nec loqui ex illa hora qua Apoſtolus Dei Bartholomæus, illic ingreſſus eſt; & quis eſt inquiunt iſtæ Bartholomæus? Reſpondit, *amicus eſt Dei omnipotentis*: & ideo venit huc, vt omnia numina, quæ colunt Indi, euacuet. Dicunt illi, die nobis ſigna, quibus eum inuenire poterimus inter tot millia hominum; Qui reſpondit capilli nigri, & criſpi, caro candida, oculi grandes, barba prolixa, nares æquales, & directæ, aures crine capitis coopertæ, ſtatura æqualis. Induitur autem pallio albo per ſingulos angulos gemmas habente purpureas, 26. anni ſunt, quod nunquam veſtimenta eius ſordidata ſunt, nunquam veteraſcunt, ſimiliter nec ſandalia. Centies flexis genibus per diem, centies per noctem orat dominum: vox eius quaſi tuba vehemens: ambulant cum eo Angeli Dei, qui non permittunt eum fatigari, nec eſurire; ſemper eodem vultu, eodem animo perſeuerat. Omni hora lætus, & hilaris permanet: omnia prouidet, omnia nouit: omnium gentium linguam, & loquitur, & intelligit: ecce etiam hoc quod interrogatis vos, & quod ego do reſponſum de eo, iam nouit: angeli enim Dei famulantur ei, & ipſi nunciant. Et cum cęperitis eum quærere, ſi vult oſtendet ſe vobis; ſi non vult, non poteritis eum videre. Rogo autem vos vt dum inueneritis eum, rogetis eum vt huc non veniat, nec hoc mihi faciant Angeli, qui cum eo ſunt, quod fecerunt collegæ meo Aſtaroth. His dictis conticuit. Reuertentes autem cæperunt circumire omnium peregrinorum vultus & habitus, & per duos dies non inuenerunt eum.

Aſtaroth idolii aduentu Bartholomæi obmuteſcit.

Berith ſiue Berius, idolum.

Forma & habitus ſancti Bartholomæi.

Dæmones abhorrẽt aſpectũ Sanctorũ virorum.

De quibuſdam ſignis & confeſſione dæmonis.

Cap. LXXXIIII.

FActum eſt autem vt quidam Dæmonio plenus clamaret: Apoſtole Dei Bartholomæe incendunt me orationes tuæ. Cui Apoſtolus ait; Obmutesce, & exi ab eo: Et ſtatim liberatus eſt homo. Quod audiens Polimius, Rex prouinciæ, cum haberet filiam lunaticam, rogauit eum per nuncium vt ſimiliter liberaret eam: qui cum veniſſet illuc, videns eam catenis ſtrictam, eo quod omnes quos poterat morſu attrectabat, & cædebat; iuſſit eam ſolui. Dicunt ei miniſtri: & quis audet manum mittere ad eam? Ait Apoſtolus. Iam ego vinctum teneo inimicum, qui in ipſa erat, & vos eam timetis adhuc? Ite, ſoluite eam. Quod cum feciſſent, nõ potuit eam vltra vexare Dæmon. Tũc Rex onerauit camelos auro & argento, gemmis, veſtibus, & cepit quærere Apoſtolum, ſed penitus non inuenit. Cum autem tranſiſſet nox, & aurora inciperet, apparuit Apoſtolus ſolus cum Rege, in cubiculo & ait: Vt quid me quæſiſti tota die cum muneribus: Ego nihil terrenum, nihil carnale requiro, *ſed filius Dei, qui dignatus eſt homo naſci ex virgine, miſit nos diſcipulos ſuos per omnes prouincias, vt expellamus miniſtros Diaboli, qui per templa in ſtatuis habitant, & homines, qui colunt eos de poteſtate eius auferamus, qui victus eſt.* Inde eſt quod templum veſtrum ingreſſus, Dæmonem, qui ab idolo veſtro dabat reſponſa, ab Angelis eius, qui me miſit, religatum teneo. Facit enim arte ſua homines ægrotare, & ſuadet eos idolis credere: & cum ea adorauerint, tunc ceſſat eos lædere; & ſi vis probare quod ita ſit, iubebo illi vt ingrediatur ſtatuam ſuam, & faciam eum hęc ipſa confiteri. Ait rex: Craſtina die hora prima diei parati erunt Pontifices ſacrificare ei, & ego ibi ſuperueniam, vt videam hoc factum mirabile.

Euſtius liberatus à Dæmone orationibus & meritis S. Bartholo.

Polimij filiã à Dæmone liberat Apoſtolus.

Altera igitur die ſacrificantibus eis hora prima cæpit clamare Dæmon: Ceſſate miſeri ſacrificare mihi, ne peiora quam ego patiamini, quia catenis igneis religatus ſum *ab Angelis Ieſu Chriſti*, quem Iudæi crucifixerunt, putantes eum à morte detineri. Ipſe autem mortem captiuauit, & principem noſtrum mortis vinculis igneis vinxit, & tertia die victor mortis, & diaboli reſurrexit: & dedit *ſignum crucis ſuæ Apoſtolis*, quos per vniuerſas partes ſæculi miſit: ex quibus eſt vnus hic qui me vinctum tenet. Peto à vobis, vt rogetis eum pro me, vt dimittat me ire ad aliam prouinciam. Confitere, inquit, quis iſtos lædat, qui varias ægrotationes patiuntur, ait ille: Princeps noſter diabolus mittit nos ad homines, vt eos lædamus. Primo quidem carnes eorum, quia in animas, poteſtatem non habemus, niſi ſacrificauerint, vbi pro ſalute corporis ſui nobis ſacrificauerint ceſſamus eis nocere, & per hoc videmur eos curare, & colimur quaſi Dij.

Diſſerit Apoſtolus cum rege de myſterijs fidei Chriſtiana, & oſtendit diaboli virtutem eſſe fallacem.

Diabolus publice confitetur Chriſtũ & ſignum crucis agnoſcit.

Diabolus palã fatetur ſe homines lædere quoad carnes vt ipſi ſacrificent.

De confractione Idoli & effigie Dæmonis.

Cap. LXXXV.

TVnc ait Apoſtolus ad plebem: Ecce quem vt Deum vos curare putabatis, audite ergo nunc *Deum creatorem veſtrum qui habitat in cælis*: Et ſi vultis vt orem pro vobis; & omnes hi ſanitatem recipient; deponite Idolum hoc & confringite, & tunc tẽplum hoc Chriſti nomine conſecrabo, voſque omnes in eo Chriſti baptiſmate conſecrabo. Tunc iuſſu regis omnis populus miſit funes, & trocleas & ſimulacra non potuerunt euertere. Et ait Apoſtolus: Soluite vincula eius: quod cum feciſſent, dixit ad Dæmonem, qui in eo erat, ſi vis vt non te faciam in abyſſum mitti, exi de iſto ſimulacro, & confringe illud, & vade in terram deſertam, vbi nec auis volat, nec arator arat, nec vox hominis reſonat; at ille ſtatim egrediens, comminuit omnia genera Idolorum. Nec illud ſolũ maius Idolum,

Rex cũ vniuerſo populo conãtur conterere idolũ, ſed nequaquã poſſunt, diabolus tamen ne ad infernũ mittatur no ſolum majus, ſed & cætera omnia comminuit.

ſed etiam

sed etiam minora vbicumque per ornatum templi erant posita sigillatim minutauit, ita vt omnem picturam deleret. Tunc omnes vna voce clamauerunt: *Vnus Deus omnipotens, quem prædicat Apostolus.* Tunc Apostolus expandens manus ad dominum orauit, pro saluatione omnis populi: & cum omnes respondissent *Amen;* apparuit Angelus Domini splendidus vt sol, habens alas, & per quatuor angulos templi circunuolans digito suo in quadratis saxis exculpsit signum crucis, & ait: Hæc dicit Dominus qui misit me, sicut vos omnes ab omni infirmitate vestra mundaui, ita mundaui & templum hoc ab omni sorde, & ab omni immundo habitatore eius, quem iussit Apostolus Dei, ire in desertum locum. Sed prius ostendam vobis illum, quem videntes nolite expaueſcere, sed quale signum in his saxis exculpam, tale vos in frontibus vestris signum facite digito vestro, & omnia mala à vobis fugient, tunc ostendit eis ingentem Aegyptium, nigriorem fuligine, facie acuta, prolixa barba, crines vsque ad pedes habentem, oculis igneis sicut ferrum ignitum scintillas emicantibus; ex ore eius & ex naribus egrediebatur flamma sulphurea, habebat alas spineas sicut stips, & erat vinctus, à tergo manibus catenis igneis strictis, & dixit ei Angelus. Quoniam audisti vocem Apostoli, & omnia pollutionum genera de isto templo emundasti, secundum permissum Apostoli soluam te, vt vadas vbi nulla conuersatio hominum esse potest, & sis ibi vsque ad diem iudicij, & cum exoluisset eum, ille vlulatum teterrimæ vocis emittẽs euolauit, & nusquam comparuit. Angelus autem Domini cunctis videntibus ad cælum euolauit, tunc Rex Polimius cum vxore sua, & filijs, & exercitu, & populo regni sui credens baptizatus est, & deposito diademate & purpura cæpit non deserere Apostolum.

Angelus domini apparuit nuncias eis mirabilia Dei imprimensq; insignia Saluatoris nostri in lapidibus.

Damon in specie Aethiopis nigerrimi apparet iussus angeli.

Rex cum vxore filijsque & alijs baptizatur.

De passione Apostoli, & turpi morte hostium eius, & miraculo lampadis.

Cap. LXXXVI.

INterea colligentes se omnes templorum Pontifices abierunt ad Astiagem Regem fratrem eius maiorem & dixerunt: Frater tuus discipulus factus est hominis Magi, qui templa nostra sibi vendicat, & Deos confringit; tunc rex indignatus misit cum eis mille viros armatos, vt Apostolum vinctum ad eum perducerent. Quod cum fecissent: ait ad illum. Tu es qui euertisti fratrem meum? Respondit Apostolus: *Non euerti, sed conuerti.* Cui Rex: Sicut fecisti fratrem meum relinquere Deum suum, & credere tuum, sic & ego faciam tibi. Dicit ei Apostolus: Ego Deum quem colebat frater tuus religatum ostendi, & ipsum frangere simulachrum suum, si potueris hoc facere Deo meo poteris me ad sacrificandum reuocare. Si autem nihil potes facere Deo meo; ego omnes Deos tuos comminuam & tu crede Deo meo. Hæc cum diceret nunciatum est Regi, quod Deus suus cecidisset nomine Masdach, & minutatim abijsset. Tunc scidit Rex purpuream vestem, qua erat indutus, & fecit fustibus cædi Apostolum; cæsum autem iussit in modum follis excoriari, ac deinde decollari. Venientes autem fidelium populi innumerabiles, abstulerunt cum omni gloria & hymnis corpus eius, & construxerunt Basilicam miræ magnitudinis in qua illud posuerunt. Tricesimo autem die depositionis eius arreptus est Astiages à dæmonio, & venit ad templum eius, omnesque Pontifices pleni Dæmonio, & passi sunt ibi confitentes Apostolatum eius, & sic mortui sunt, multique infidelium conuersi baptizati sunt. Vniuerso autem populo & clero acclamante, Polimius Rex ordinatus est episcopus, qui & cæpit in nomine Apostoli signa facere, & cum 20. annis episcopa um tenuisset, migrauit ad dominum.

Post multos autem annos corpus Apostoli delatum est inde ad Lipatam, quæ est vna ex nouem insulis Siciliæ, quas Æolias siue Vulcanias antiqui vocauerunt, eo quod sicut Æthna Siciliæ mons; sic & istæ subterraneo igne & flammarum perpetuis globis exæstuare videntur: postmodum vero translatum est Beneuentum, vbi & multis resulsit miraculis.

Pontifices Idolorum accusãt B. Bartholomæum apud Astyagem.

S. Bartholomæus comprehenditur & vinctus ducitur ad regem Astyagem.

Sanctus Apostolus fustibus caditur & in modum follis excoriatur.

Astiages à Damone rapitur.

Lege Gregor. Turonde glo. Mart. cap. 34 consentit ei Molan. innot. ad Vsuardũ. Facta est autẽ alia postmodũ translatio Beneuentum anno Domini 831. vt auctor est Sigebertus in chronicis. Quin imo rursus sub Othone 2. Romam delatũ est corpus eius, vt scribit Otho Frigisſegensis lib. 6. cap. 2. anno Domini 983.

Quadam autem die dum quædam mulier attulisset vas fictile plenum oleo, petens vt ex eo mitteretur in lampadem, quæ ardebat iuxta corpus Apostoli. Sumentes ministri vas inclinabant illud, vt ex eo in lampadem mitterent, & penitus nil exibat de vase. Aspicientes autem digitos suos mittentes in vas videbant, & palpabãt illud plenum esse liquato oleo, & tamen cum inclinarent illud super lampadem, nil decurrebat ex eo. Quidam vero ex eis ait: Puto non esse acceptum beato Bartholomæo de hoc oleo in suam lampadem fundi: euacuetur in aliud vas; inclinatum autem in aliud vas sub omni celeritate (vt olei liquati mos est) euacuatum est vas de quo super lampadem exire nil valebat.

De oleo non accepto Beato Bartholomæo.

De translatione sancti corporis, & Theodoro eius scriptore.

Cap. LXXXVII.

THeodorus *vt supra.* Post obitum autẽ eius magnus Dei prædicator apparuit, miraculis perditos inuitans; sed bestialem mentem & inhumanum cor nil erat quod cõpesceret. Insaniunt itaque contra illud sacrum corpus & proijciunt in pelagus, ipsã quategebatur lapideam arcam vt in profundum demersa vlterius nõ compareret. Sed ob miraculum & opus magnificum, mota est impetu ipsa arca de regione Armeniæ cum quatuor aliorum martyrum arcis, quæ similiter dum signa operarentur, in mare cum ea proiectæ fuerant; & per tãtum spatium maris quatuor his præcedentibus, & quodammodo obsequentibus venerunt in vlteriores partes Scythiæ, in insulam, quæ Lipparis vocatur; facta reuelatione ad secundum Agathonem, qui illuc erat Hostiensis Episcopus. Post hæc quasi quosdam ministros suos, alium martyrem hic, alium vero illic relinquens Apostolus retrorsum, Papinum quidem reliquit in Mila ciuitate Siciliæ: Bicianum destinauit Mesinæ, reliquos duos in terram Calabritidem direxit. Gregorium scilicet in ciuitate Columna: Achatium in Thale, vt vnusquisque eorum in vnaquaque ciuitate protector esset habitatorum: qui etiam vsque hodie splendent suffragijs suis. Ipse interea profectus ad ciuitatem, ad quam cælitus vocabatur præclare susceptus est cum multis luminaribus, odoribus, & hymnis. De cætero autem dum peruentum esset ad vrbem, non progrediebatur arca, sed stabat immobilis. Deinde ad littus tracta, & super duas castas vitulas assumpta, reposita est, vbi sacrum eius templum protinus locatum est. Mons autem Vulcanus qui penè contiguus erat insulæ, & nociuus his qui circũquaque morabãtur, tunc recessu inuisibili motus est quasi stadijs 7. contra mare suspensus, ita vt vsque hodie appareat videntibus, quasi figuratio tractus fugientis ignis. Porro multa mira circa hos hactenus operatur Deus. *Author. Hucusque Theodorus.* Hic Theodorus Sacerdos fuit, apud Constantinopolim temporibus Adriani, & Leonis Romanorum Pontificum, qui fidei constantia, & scientiæ gratia, signorumque & virtutibus pollens, duorum imperialium, & insignium cænobiorum Abbas constitutus est; hic sempet in Apostolicæ sedis cõmunione persistens, hæreticorum venias, & Imperatorum vesaniam, etiam tormentis affectus, mentis virtute repressit; necnon & Spiritussancti gratia plenus, nonnulla opuscula composuit, inter que & sermonem de B. Bartholomæo Apostolo satis vtilem, translationem corporis eius de Armeniæ Indiæ prouincia in Liparum insulam continentem: quem Anastasius sedis Apostolicæ bibliothecarius de Græco transtulit.

Corpus eius in mare proiectum venit Liparã Siciliæ Insulã.

Quis fuit ille Theodorus?

Theodorus quædã conscripsit inter qua sermonẽ de B. Bartholomæo.

Qualiter autem idem sacrum corpus de eadem insula Lipparitana, postea transuectũ sit, cum ibidẽ vsq; ad annũ 808. ab incarnatione Domini fuerit, postea suo loco dicendum est. Nunc ad reliquos Apostolos transeamus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De vita sancti Philippi Apostoli.

CAP. LXXXVIII.

Ex gestis eius. Sanctus Philippus post ascensionem Domini per annos. 20. instanter prædicauit per Scythiam euangelium. Vbi cum tentus esset à gentibus, & ad statuam Martis compelleretur ad sacrificandum exiit desubtus basim, in qua illa stabat statua, ingens draco, & percussit filium Pontificis, qui ministrabat ignem sacrificii; Percussit etiam duos Tribunos, qui præerant prouinciæ, cuius officiales tenebant in vinculis Apostolum. De flatu autem draconis omnes morbidi vehementer ægrotare cæperunt, tunc dixit Apostolus omnibus: Audite consilium meum, & recuperabitis sanitatem, mortui quoque resuscitabuntur, & draco effugabitur. Dicunt illi omnes: Dic nobis quid faciemus? Quibus ille. Deiicite Martem hunc & loco eius *Crucem Domini* N. *Iesu Christi affigite, eamque adorate.* Tunc illi qui cruciabantur, clamare cæperunt: Recuperetur in nobis virtus, & deiiciemus Martem hunc. Facto itaque silentio Apostolus *in nomine domini nostri Iesu Christi draconem fugauit*, ita quod festinantissime exiens vltra nusquam comparuit; tres quoque prædictos mortuos suscitauit, omnemque turbam flatu draconis morbidatam sanitati restituit, ita vt omnes, qui prius persequebantur eum, pœnitentiam agentes, Deum hunc æstimantes adorarent. Ipse autem per vnum annum iugiter docuit eos, ea quæ de Christo sunt, & multa millia hominum credentes baptizati sunt. Ordinatis autem clericis & Episcopis, & multis ecclesiis instructis, ipse per reuelationem ad Asiam reuersus Hierapolim commotus hæresim malignam Hebionitarum extinxit. Erant quoque ibi duæ eius filiæ sacratissimæ, per quas Deus virginum multitudinem est lucratus. Ante 7. vero dies obitus sui exhortatus est clerum, & omnem populum prædicens vitæ suæ terminum, annorum autem 87 perexit ad dominum, & in ea ciuitate corpus eius positum est.

De sancto Barnaba Apostolo.

CAP. LXXXIX.

Ex gestis eius. Sanctus vero Barnabas genere Cyprius, qui vnus ex. 72. discipulis erat, cum secundum Paulum nuper conuersum apprehenderat, & ducens ad Apostolos narrauerat eis, quando conuersus fuerat tantam gratiam habuit, quod à spiritu sancto electus Apostolus cum beato Paulo gentibus prædicauit; & multa miracula fecit. Cum autem esset Barnabas in Iconio ciuitate, visio apparuit Ioanni discipulo, & consobrino eius; apparuit enim vir splendidus dicens: Constans esto Ioannes, quia ammodo non Ioannes, sed Excelsus vocaberis. Quod cum euigilans, sancto Barnabæ indicasset, respondit ei. Caue diligenter, ne quod vidisti dicas alicui: Nam & mihi similiter apparuit hac nocte dominus dicens: Constans esto Barnaba, quia æterna præmia percipies, eo quod gentem tuam reliquisti, & animam tuam pro meo nomine tradidisti. Cum ergo S. Paulus cum Barnaba in Antiochia prædicasset, & ad partes occidentis causa prædicationis ire disponeret, rogabat Paulum S. Barnabas, vt prius Cyprum ad visitandos parentes suos, & postea in Hierusalem simul irent. Interim Angelus domini apparuit nocte sancto Paulo dicens; Ne tardes venire Hierusalem, quia quidam fratres ibi te expectant. Quod cum S. Barnabæ dixisset, respondit: *Fiat voluntas Dei.* Nunc autem Cyprum vado, & ibi vitam finiens te amplius non videbo, tamen ora pro me ad dominum vt ei placeat ministerium meum. Et cum flens ad pedes eius volueret, compatiens ei Paulus dixit: Noli flere frater, quia *sic est voluntas Dei*, nam & mihi hac nocte apparuit dominus dicens, ne prohibeas Barnabam ire Cyprum & multos ibi illuminabit, & martyrium ibi consummabit. Et cum sic ab inuicem discessissent, Barnabas & Ioannes discipulus eius properantes Cyprum, multos in itinere conuerterunt. Secum autem ferentes euangelium sancti Matthæi super ægros illud ponebant, & continuo sanabantur. De Cypro autem exeuntes inuenerunt Bariem maleficum, quem sanctus Paulus dudum ad tempus lumine priuauerat, sed precibus Sergij Pauli proconsulis sanauerat: Et ab eo prohibiti intrare Paphum, venerunt ad locum vbi gentiles viri, & fœminæ nudi currendo colludebant. Vnde indignatus sanctus Barnabas, maledixit templum, & statim pars templi cecidit, & occidit plurimos paganorum. Cum ergo inde exissent in Salamina multos prædicando conuerterunt. Comperiens hoc Bariem seditionem excitauit, & comprehensum multisque afflictum iniurijs quærebant tradere Iudici ciuitatis. Cognito autem, quod Eusebius vir magnus præpotensque de genere Neronis imperatoris illuc aduenerat, timuerunt ne eum eriperet de manibus eorum; Et ligantes funem in collo eius, nocte dilaceratum pœnis à synagoga in Hipodromum pertraxerunt. Et deinde foris portam, & ibi circundantes eum crudeliter combusserunt. Impij autem Iudæi nec sic sociati de nece eius, tulerunt ossa eius, & scrinio plumbeo recludentes, in mare præcipitare volebant. Interim Ioannes discipulus eius cum duobus alijs nocte rapuerunt ea, & sepelierunt in quadam crypta, & ibi latuerunt vsque ad tempora Zenonis imperatoris & Gelasij Papæ, scilicet vsque ad annum domini. 500. & tunc ipso reuelante reperta sunt.

De sancto Luca Euangelista.

CAP. XC

Hieronymus de viris illustribus. Lucas vero Medicus Antiochensis, vt eius scripta indicant græci sermonis non ignarus fuit, qui sectator Pauli Apostoli, & omnis eius peregrinationis comes scripsit Euangelium, de quo idem Apostolus: *Misimus*, inquit, *cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias*: Ad Colossenses. *Salutat vos Lucas Medicus charissimus*: Et ad Timotheum *Lucas est mecum solus.* Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Apostolicarum actionum prænotatur, cuius historia vsque ad biennium Romæ cõmorantis Pauli peruenit id est vsque ad quartum Neronis annum: Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum.

Igitur Periclois, Pauli, & Teclę, & totam baptizati Leonis fabulam inter scripturas apocriphas, cõputemus: quale enim est vt indiuidu⁹ comes Apostoli inter cęteras eius res hoc solũ ignorauerit? Quidam suspicantur quotiescũq; in epistolis suis dicat: *Iuxta euangelium meum*, de Lucæ significare volumine, & Lucã nõ solũ ab Apostolo didicisse euangelium, qui cum domino in carne non fuerat, sed à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio voluminis sui declarat dicens: *Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Igitur *euangelium* sicut audierat scripsit: *Acta Apostolorum* sicut ipse viderat, composuit.

Ex prologo in euangeliũ eius. Lucas Paulũ secutus vsque ad cõfessionẽ eius seruiuit Dño sine crimine. Nam neq; vxorem vnquam habens, neque filios, 84. annorum obijt in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui, cum iam essent scripta euangelia, per Mathæum quidem, in Iudæa, per Marcum autem, in Italia, sancto instigante spiritu, in Achaiæ partibus, hoc euangelium scripsit; significans etiam ipse, in principio sui euangelij alia esse ante descripta.

Hieronymus, vbi supra. Sepultus est, autem Constantinopolim, ad quam vrbem. 20 anno Constantij Augusti ossa eius cum reliquijs sancti Andreæ Apostoli translata sunt.

Obconuenientiam nominis cum Philippo diacono vno ex septẽ ab Apostolis ordinato factum reperitur, vt confusis ipsorum rerum gestis, quod vnius est, alteri tribuatur, vt inter cætera, filiæ quæ ex actis Apostolorum cap. 6. & 21. Philippi diaconi esse noscuntur; ipsa a nõnullis Philippo Apostolo tribuuntur, vt de eo fecisse videtur Clemens Alexandrinus quem citat Eusebius his: lib. 3. cap. 24. qui & ipse aliquando easdem Apostoli esse filias scribit lib. 3. cap 33. quamuis superius diaconi esse filias dixisset.

De mortis genere scribit Eusebius in chronicis sic: Philippus Apostolus cruci affixus, ac lapidibus obrutus est; diuersa tamen refert Metaphrastes; & etiam Nicephorus lib. 2. cap. 39.

Barnabas Paulum ad Apostolos ducit.

Barnabas cum Paulo in Antiochia prædicant.

Barnabas à Paulo separatur.

Euangelium Matthæi ægros sanabat

Barnabas vinctus multis afficitur iniurijs.

Barnabas Apostolatum suum glorioso martyrio decorat.

Lege Baron. tom. 6. Annalium.

2. Cor. 8. colloss. 4. 2. Tim. 4.

2. Tim. 2. & in multis alijs locis. Luc. 1.

Vita Lucæ sine crimine.

An Martyrio fuerit coronatus dubiũ relictum videtur, eo quod Hieronymus scribens eũ vixisse annos 84. de martyrio nihil dicat, & plures alij eum ea ætate obdormisse in domino profitentur. Ex opposito tamen Greg. Nazian in ter martyres eũ recẽsẽt, & Nicephorus expresse profitetur; qui & genus martyrij describit, lib. 2. cap 43. & plures alij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris Apostolorum discipulis.

Cap. XCI.

Author. Fuerunt & multi sanctorum Apostolorum discipuli, viri egregij; quorum gesta ad plenum non reperi, sed ex martyrologio breuiter collegi.

Ad Ephes. 6. ad Colos. 4. & 2. ad Tim. 4. Actu. 10. Ignatius epist 12. ad Antiochenos. & 9. ad Philadel.

Nã. 3. kal. Maij celebratur apud Paphum natale sancti Tychici diaconi discipuli beati Pauli cuius in suis epistolis meminit, pronuncians eum fratrem charissimum, ac conseruum suum fore in domino.

Item pridie nonas Maij Antiochiæ sancti Euodij, qui (vt beatus Ignatius scribit) primus ibidem Episcopus ab Apostolis ordinatus est. Hic quoque glorioso martyrio apud eandem vrbem vitam finiuit.

De eo Act. Ap. 15. 16. 17. & 18.

Item 3. Idus Iulij apud Macedoniam beati Sillæ Apostoli. Qui cum esset vnus de primis fratribus & ab Apostolis ad ecclesias gentium destinatus, prædicationis officium gratia Domini plenus instanter consummauit, & in passionibus suis Christum glorificans, postmodum requieuit.

Item 5. kal. Iulij apud Galatiam beati Crescentis discipuli sancti Pauli Apostoli: qui transitum in Gallias faciens multos ad fidem Christi verbo prædicationis conuertit. rediens vero ad gentem cui spiritualiter Episcopus fuerat datus, Galatas vsque ad beatum finem vitæ suæ in opere domini confortauit.

Actu. 19. 20. & 27.

Item pridie Non. Augusti natale beati Aristarchi discipuli beati Pauli Apostoli.

Item kal. Septembris apud Capuam via aquaria sancti Prisci martyris, qui fuit vnus de antiquis Christi discipulis.

Item. 12. kal. Iulij: Romæ depositio Nouati fratris Thimothei presbyteri, qui ab Apostolis in fide eruditi sunt, horum sorores fuerunt sancta Pudentiana, & Praxedis, sacræ virgines Christi.

Hæc de Apostolis & eorum discipulis dicta sufficiant; nunc de beatis mulieribus Martha scilicet & Maria, quæ & ipsæ Christi discipulæ, & Apostolorum contubernales fuerunt, historiam ex gestis earum collectam ab initio prosequamur.

De vita sanctæ Marthæ.

Cap. XCII.

Beata Martha patria, propago; & vita.

Ex gestis eius. Beata igitur Martha genere nobilis orta pago Hierosolymitano oppido Bethanico fuit; cuius vterini fuere Maria, & Lazarus. Hæc ab infantia Deum valde dilexit, hebraicis apicibus docta, legis præceptis subdita, corpore venusta, facie decora, eloquijs luculenta, mulieribus operibus conuenienter erudita. Inter omnes matronas pijs moribus excellens, charitate redundans, castitate pollens, viriles contactus omnino vitabat; nusquam legitur hanc aut virum habuisse, aut hominis contubernium subijsse, quamuis eius pater Syriæ & Maritjnæ, multarumque orarũ extitisset egregius: qui post discipulorum dominicorum dispersionem, Athenienſium ciuium prædicator fuit fidelissimus. Hæc autem cum præfato fratre, & sorore tria oppida, Magdalum scilicet & Bethaniam vtrumque & Hierosolymitanæ vrbis partem iure hæreditatis maternæ possidebat; & præ cunctis parentibus Dominum habebat, quoniam sensu & probitate abundantior & potentior erat, gazis optimis referta. Vnde militibus & famulis suis stipendia larga manu distribuebat, conuiua famosa, in administratione dapum valde perita. Quoniam vt sacra asserunt euangelia, vbicunque ad conuiuia inuitatus esset dominus; & illa interesset. Martha ministrabat ex more, omnium sedula hospitatrix, pijssima; omnis tam domesticus quã alienigena supermeniens ad domum eius, quicquid petebat accipiebat. Vnde contigit vt ipsum dominum hoc agendo diligere cæpit, & illum hospitio susceperit. Ipse vero qui verus amator omnium, immo etiam verus amor est, eam intantum dilexit, vt magis in eius domo quam alibi declinaret; impleta prophetia, quæ dicit. *Quasi colonus venturus est in terram, & quasi viator declinans ad manendum.* O vere felix, quæ tantum hospitem habere meruit, & Angelorum panem cibauit! Illum magnum hospitem suscepit, qui Angelorum & hominum susceptor est, & pastor. Illum pauit, qui omnes creaturas pascit, illum magnum regem & dominum, qui solo palmo omnia concludit, quem multi Prophetæ & Reges voluerunt videre & non viderunt, audire & non audierunt, ipsum hospitio suscepit & pauit, res gratiosa & laude digna. Susceptο domino in domo, vnaquęque duarum sororum Martha scilicet & Maria proprium sibi ministerium agendum, quo magis Deo placeret, elegit. *Maria sedens secus pedes domini audiebat verba oris eius*, quasi pasci, quam pascere malens. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium ciborum.* Ideoque quod talem & tantum hospitem domo suscepperat, cura cum summa studuit illi seruire, larem mundare, accubitus ornare, cibaria præparare: sed videbatur ei, quod tota etiam domus familia sufficere non posset illi tanto homini ad seruiendum, nisi eius soror ad domesticam curam supplendam ei subueniret. Volebat enim vt viriliter omnis concio domus dapes præpararet, idcirco stetit ante dominum stupefacta, & ei super hac re conquerens ait: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet.* At ipse, qui non est personarum acceptor, diuersorum seruientium diuersa sibi oblata seruitia amat, & recipit, sic officium vnius laudat, vt alterius non vituperet. Abhinc ex more saluator in diuersorio beatæ Marthæ sibi gratũ suscepit hospitium. Quanta remuneratio pro hospitalitatis beneficio hylarianimo, cuique pauperibus & indigentibus ministrãti apud Deum reposita sit; ex huius sanctæ mulieris hospitalitate comprobatur. Nam per amicitiam hospitalitatis beatæ Marthæ suscitauit Dominus Lazarum fratrem eius à morte. *Diligebat* enim, inquit Euangelista, *Dominus Iesus Martham & Mariam sororem eius, & Lazarum*: quem scilicet Lazarum suscitauit ad preces sororum.

Ier. 14. Meruit suscipere dominium Iesum, & cibare panem Angelorum.

Luc. 10.

Luc. 10.

Ioan. 2.

Martha sedula hospitatrix & pijssima.

De vita sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Cap. XCIII.

Maria Magdalena.

POrro Maria ipsa est mulier illa, quæ à Magdalo castro nuncupata est Magdalena, quam non sui germinis dignitas, verum etiam patrimonij iura, parentumque successus splendidam reddiderat, adeo vt duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet. Sed quia rerum affluentiam interdum voluptas comes sequitur, adolescentioris vitæ tempora lubricis suppositit regenda discursibus, soluto pudicitiæ fræno, sed postmodum diuino afflata spiritu, mentis intuitum in sese reuerberans, ac pristinæ vitæ detrimenta non sustinens, vt comperit Dominum & creatorem humani generis in domum venisse Simonis, *qui non venerat vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, non ob suorum scelerum enormitatem de sui creatoris diffidẽs clementia, pretioso accepto vnguento ad ipsum misericordiæ fontem concito properauit gradu, corruens ante clementiæ domini vestigia, amaritudinem cordis per vberem lachrymarum exaggerans fontem. Mox denique compunctionis fletibus sui plasmatoris pedes cæpit rigare, capillisque suæ deuotionis tergere & indesinenter osculis veræ humilitatis confouere, ac mundissimo suæ dilectionis vnguento perungere. Quæ cum in tali deuotionis vnguento non esset repudiata, sed potius misericorditer susceptа, ausu familiaritatis confisa, etiam super sanctissimum domini caput pretiosum liquorem effudit odoris, in tantum vt tota domus ex odoris fragrantia more aromatum redoleret. Nihil ore depromens, sed per exterioris obsequii beneficia suæ conpunctionis flammam, ac dilectionis feruorem intimans, ac

Affluentiam rerum voluptas comes sequitur.

Marc. 2.

Magdalena conuersa ex intimo cordis affectu agit pœnitentiam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

si ipsi loqueretur verbis dicens. *O domine Iesu benignissime, tu qui omnia scis & cordium inspector es verus, qui non vis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, tu ipse intelligis quid mei deposcunt gemitus, quid lachrymæ ab imo eruptæ flagittent, quid meus amarus exoret singultus. Peccatrix sum immunda, sum omnium criminum labe polluta, sed quia meam ab annis prioribus contaminaui vitam, ad te dominum meum, qui es vita æterna confugio, vt male perditam restituas vitam, & me de faucibus Baratri clementer eripias, misericorditer liberes, potenter abstrahas, qui solus laborem & dolorem cõsideras.* Quid enim ex huiusmodi professione dilectionis consecuta sit, ipse Dominus manifestat, qui Simoni indignanti cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere, conuersus ad illã respondit inter cætera: *Amen dico tibi quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa.* Quæ adepta clementia domini (vt Lucas Euangelista describit) illico post habitis omnibus ita familiaris effecta est, vt ipsum Dominum non solum mente, sed corpore sequeretur de proprijs facultatibus, vt pote valde locuplex victum & vestitum ei ministrans, implens bifariè domini præceptum dicentis. *Qui mihi ministrat, me sequatur.*

Luc. 7. — *Oratio Mariæ Magdalenæ ad dominum.* — *Remittuntur Magdalenæ peccata multa, quia dilexit multum.* — *Ioan. 12.*

De dispersione earum cum quibusdam discipulis.

Cap. XCIIII.

EX *gestis sanctæ Marthæ.* Cumque sanctissima Martha præcordialiter audita & percepta sententia domini dicentis; *Omnis qui reliquerit patrem & matrem &c.* omnes facultates suas tripartita partitione diuisit: Primam sorori suæ Mariæ Magdalenæ dedit, ex qua ipsa Domino, & Apostolis eius, victum illis annexa præbuit: Secundam partem fratri suo Lazaro dedit: Tertiam vero partem sibi retinuit ad subsidium suum, de qua saluatorem, & eius discipulos dum ad eam diuerterent, pascebat. Quicquid vero residui fuit post Christi ascensionem ad cœlos, *dum multitudinis credentiũ erat cor vnum & anima vna; & nemo dicebat sibi aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* detulit ad pedes Apostolorum, vt communi necessitati proficeret, & sic efficitur Martha discipulorum condiscipula. Tunc crescente numero credentium, creuit aduersus eos persecutio Iudæorum in tantum, vt à finibus suis eos expellerent, & quosdam vt Petrum & alios Apostolos custodiæ publicæ manciparent; quosdam vt Stephanum lapidarent, alios etiam sicut Iacobum gladio perimerent. Quosdam vero ratibus impositos, arcẽtes à littore remis ablatis, vel gubernaculis & huiusmodi nauticis armamentis & omnibus copiis & subsidijs desolatos, pelagi fluctibus exposuerunt. Sed quos dira sæuitia Iudæorum à finibus suis eliminauit; hos diuina prouidentia melioribus locis honorauit: ditauit villis, castellis, vrbibus locupletauit gazis opimis, ditauit ecclesijs; quos & nunc & in perpetuum cælestibus donat mãsionibus. Et vnicuique prout diuina dispositum est prouidentia, proprius & spiritualis assignatus est locus. Siquidem Arelatem deputauit Trophimo: Narbonam, Paulo; Tolosam, & Vasconiam, Saturnino; Lemouicas, Martiali; Santonas, & Aquitaniam, Eutropio; Cenomanen, & Britaniam, Iuliano: Bituricas Austregisilo. Turonum, Cratiano, Lugdunum Irenæo, Vesontionem Ferrutioni; Arausicam, alij Eutropio, Petragoricas Frontoni, Velliacum Georgio; totam Galliam Dionisio. Singulis ita regionibus, singuli donati sunt à Domino patroni; quas viuentes miraculis & virtutibus ornauerunt. Exardescente igitur sicut præmisimus Iudæorum persecutione contra fideles, ab ipsis beata Martha cum alijs Christo credentibus à proprijs finibus exterminata est, & facultatibus priuata. Quomodo sãcto Maximino vni scilicet ex 72. Christi discipulis cum sorore sua Maria Spiritussanctus sociauit, vt qui eas olim baptizauerat, ipse bonæ conuersationis exemplo ad regnum cælorum eas perduceret. Igitur nauin ingressi cum multis alijs prospero cursu ad portum Marsiliæ peruenerunt.

Matth. 19. — *Actu. 4.* — *Omnia erãt cõmunia in primitiua ecclesia.* — *Persecutio Iudæorum.* — *Diuina prouidẽtia semper præses est fidelibus.* — *Dispersio discipulorum.*

Qualiter Maria Magdalena ducem Marsiliæ conuertit, & ei filium à domino impetrauit.

Cap. XCV.

EX *gestis Mariæ Mag.* Et egredientes nauim, villam ingressi sunt. Cumque neminem inuenissent, qui eos hospitio reciperet, in porticu fani gentis illius, terræ lapidibus accubantes, ieiunijs, & orationibus insistentes pernoctauerunt. Mane facto conuenit illa generatio praua, vt idolis more solito sacrificaret; cui Maria Magdalena assurgens vultu placido, lingua diserta verba salutis prædicauit; & admirati sunt omnes præ illius specie & eloquentiæ dulcedine. Sequenti vero die quidam nobilissimus aduenit cum vxore sua, qui vniuersæ prouinciæ præerat vt ibidem sacrificaret sicut consueuerat: erat enim non modico dolore afflictus, eo quod spe prolis diu desideratæ frustraretur, cui Magdalena Spiritu sancto plena, Christum prædicauit; ideoque sacrificia dissuasit. Omnes igitur ad eam confluebant; itaque Matrona præpotens compati cæpit sanctorum inopiæ, ac per satellites fidos & familiares iussit eis victualia erogari occulte, timebat enim viri sui sæuitiam, & gentium vicinarum perfidiam.

Quadam vero nocte, cum illa cum viro suo quiesceret, apparuit ei beata Maria Magdalena in somnis quærens, cum tantas diuitias haberet, cur sanctos Dei fame, & siti, frigore, & nuditate perire permitteret? addidit & minas; si Marito suo suadere contemneret, vt in breui sanctorum inopias subleuare curaret. Matrona vero euigilans nequaquam ausa est viro suo visionem indicare; sequenti die eundem iterato visum aspexit, quem & secundò enucleare distulit. Tertio igitur noctis silentio, apparuit vtrique fremens, & irata, vultu igneo, ac si domus incenderetur tota, & ait: Dormisne Tyrane cum vipera tua coniuge? quæ verba mea de Christi pauperibus reficiendis, & operiendis, tibi postposuit euoluere. *Inimice crucis Christi* varijs ciborum, potuumque generibus, ventris tui referta ingluuie, sanctos Dei permittis siti, ac fame perire; iacens in palatio, pannis inuolutus sericis, vides eos desolatos, & inhospites, ac præteris; nec in aliquo eis compateris. Non sic inique, non sic euades, nec quod tantum distulisti eis benefacere, impunè feres. His dictis euanuit: Tunc euigilans Matrona ingemuit, & ab imo pectore suspiria ducens viro eadem suspiranti ait: Domine mi, vidistine somnium quod apparuit mihi. Vidi, inquit, vidi, & non desino admirari, quid inde faciemus? Existimo ait melius esse persuasionibus eius obtemperare, quam iram Dei sui, quem prædicat, incurrere. Itaque benefaciamus eis, & rogemus Mariam Magdalenam Deum suum orare, vt possim concipere. Acquieuit ergo vir vtili consilio Mulieris, sanctos Dei præcipiens hospitari, & in omnibus his necessaria erogari: & sic factum est. Euoluto itaque breui tempore, cognouit se Matrona beatæ Mariæ Magdalenæ precibus concepisse, & gauisi sunt vniuersi.

Magdalena prædicauit barbaræ genti. — *Beata Magdalena apparet cuidam Matronæ ter vt Sãctorum inopias subleuaret.* — *apparet tertio vtriq; & compellat eos comminatorijs verbis.* — *Acquiescit dux cum vxore sua, monitis Magdalenæ apparentis, & Dei seruis hospitiũ præbent.*

Qualiter idem dux Hierosolymam, & loca sancta visitauit.

Cap. XCVI.

COnsequenter autem vir itineri suo disponere cæpit, vt experiri posset, si verum esset quod beata Maria Magdalena *de Iesu Christo domino nostro* prædicauit. Quod cum attenderet Matrona, dixit ei: Putas ne, Domine mi, fine me quoque proficisci? Absit, Te secedente, recedam; te veniente, veniam; te quiescente, quiescam. Cui vir iussit vt domi remanens curam possessionibus impenderet, addens etiam, quia cum imbecillis esset, & granida de facili periculum maris incurrere

Vir & vxor hortatu Mariæ Magdalenæ visitant sancta loca.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rere posset. Et contrà mulier anxia instítit, & fœmineo more nitens in vetitum, pedibus illius prouoluta cum lachrymis tandem obtinuit. Veniẽtes igitur ad Mariam Magdalenam terras, & possessiones suas eius tutelæ commiserunt. Maria vero *signa sanctæ crucis* eorum humeris imposuit; proinde ne callidus ille tentator iter quod cæperant posset diuertere, sufficienter illos edocens, quod duce Petro Apostolorum principe, omnia quæ prædixerat eis *de Domino Iesu*, in notitiam cederent: sicque illi plerisque gemmis, & auro, & argento, ac vestimentorum mutatorijs onerati, nauem ingressi sunt,& Nautæ Carbasa ventis exponunt. Orta vero in mari tempestate, omnibus in angustia constitutis, Matrona imbecillis, & grauida intantum aggrauata est,quod partus sui tempora explere, & inter dolores ventris atque pressuras expirare coacta est. Puerulus itaque palpitabat, & mammarum matris solacia quærens lamentabiles vagitus edebat. Proh dolor!& natus est infans viuus, & matricida effectus est; & eum mori conuenit; cum, qui alimenta vitæ tribuat, non sit: ad hæc etiam clamabãt Nautæ procella sequente, eiiciatur corpus antequam moriamur. Nunquam enim quassatio cessabit, quamdiu intus fuerit; eò quod mare nihil intra se sustinet, quod mortuum sit: cumque vellent corpus eiicere,parcite, inquit peregrinus, parcite, & si nec matri adhuc tepidæ, nec mihi parcere volueritis, miseremini saltem pueruli vagientis: Inhumanum est enim corpus semiuiuũ fluctibus iniicere, & absonum in tam tenero puerulo tam subitum homicidium perpetrare; finite,inquit, modicum,& sustinete, si forsan præ angustijs in extasi posita, possit adhuc respirare. Dixit & ecce procul à naui quidam collis ei apparuit. Quo viso ait, finite paulisper Nautæ, & quantum volueritis pecuniæ corpus cum puerulo ad collem istum deducite, vt ibi saltem possit tumulari. Itaque Nautæ auidi pecuniæ petitioni eius paruere; eductaque scapha, corpus cum puero illuc delatum est. Et cum præ loci duritia foueam nequiuisset effodere in secretiori parte collis suppositа clamide corpus collocauit, & puerulum mammis eius apponens effusis lachrymis ait: O Maria Magdalena cur ad perditionis meæ cumulum portubus Marsiliæ applicuisti? nunquid petijsti Deum vt vxor mea conciperet, hac de causa vt conceptum periret: Ecce periit,concipiens perit, & conceptum,quia natum est, vt pereat, cum non sit, qui enutriat. Sed ecce, quod prece tua obtinui tibi, Deoque tuo commendo, cui omnia mea commendaui. His dictis clamide sua corpus cum puero circumquaque operuit, ac per scapham ad nauem redijt.

Orta tempestate in mari Matrona grauida in partu expirare cogitur.

Mare nil intra se sustinet quod mortuũ est.

Puer cum matre mortua in colle relinquitur.

Lamentatio viri pro sua vxore.

Qualiter in regressu puerum suum miraculose nutritum inuenit.

Cap. XCVII.

TVnc autem Nautæ remis incumbunt, & iter incæptum arripiunt: & cum impellente vento gratiore, nauis optato portui applicuisset, dato naulo peregrinus egressus est. Emensoque aliquot dierum itinere, obuiauit ei beatus *Petrus* Apostolus. Qui scisitans peregrinum qua de causa illuc venisset, *viso signo crucis humeris eius affixo*, gauisus est. Nouit enim quod in partibus vnde venerat, verbum Dei prædicatum est. Cui peregrinus totum diligenter explicauit, quod sibi tam in terra,quam in mari acciderat,& cuius hortamine qua de causa illuc venerat. Quo audito *Petrus* ait: *Pax tibi frater, bene veniſti*, vtili consilio credidisti, perseuera in bono, & bene erit tibi. Nec molestè feras, si vxor tua dormiat, si puerulus cum ea quiescat, potens est enim Dominus cui vult dona dare, data auferre, ablata restituere, & merorem tuum in gaudium conuertere. Ego sum *Petrus*, eroque dux, & comes tuus. Tunc introduxit eum Hierosolymis vbi passus & mortuus,ac sepultus fuerat Dominus; & ad alia plura loca duxit eum,ostendens ei virtutes, ac prodigia, quæ fecit in conspectu discipulorum dominus Iesus.Sic euolutis biennij vel amplioris temporis curriculis,tandem ille accepta B. *Petri* licentia, repatriare curauit; Vt autẽ nauẽ ascendit Deo disponente Nautis velificantibus ad collem vbi corpus mulieris cum puero collocauerat peruenit; quem cum vidisset,dedit pretium Nautis vt cursum sisterent,illucque illum deferrent, quo facto vt applicare debuit,puerum qui more solito secus littus lusum venerat; arena inuolutum, lapillulos conchis immiscentem, vidit, & quidnam esset admirari non desinens, scapha exiluit, quem cum attenderet puerulus, qui nunquam tale quid viderat,expauit; & more catulino palmulis officio pedum fungentibus, ad solita Matris vbera recurrit, ac sub clamide occulte latitauit. Tunc peregrinus vt apertius videret,quid esset,accessit,& puerulum staturæ pulcherrimæ viuum, papillasque matris sugentem inuenit, pannosque quos superposuerat corpori adeo recentes atque fragrãtes ac si in pertica, vel in arca, ex die qua ibi fuerant positi, diligenter fuissent collocati; considerauit etiam ita coloratum corpus Matronæ, sicut fuerat cum vegetaretur spiraculo vitæ; quo viso gauisus est, & procidens in terram gratias egit *Domino Iesu Christo & beatę Mariæ Magdalenæ*, cuius meritis ac precibus talia sibi nouerat contigisse.

Puerum in colle relictũ patur rediens viuum, & ludentem lapillulis inuenit.

Qualiter etiam vxorem defunctam per beatam Mariam Magdalenam recuperauit

Cap. XCVIII.

ET accipiens ipse puerum ait: O beata Maria Magdalena quam lætus essem, quã prospere mihi cuncta euenissent, si mulier respiraret, si mecum repatriare valeret. Equidem scio, quia tu puerum dedisti,& in hac rupe per biennium pauisti, matrem quoque poteris restituere pristinæ sanitati: Ad hæc respirauit & quasi à somno euigilans ait: Magni es meriti B. & gloriosa Maria Magdalena, quæ in partus mei præsturis impletis Obstetricis officium, & in omnibus necessitatibus meis intuitu pietatis ancillæ expleuisti seruitium. Quo audito, admirans peregrinus ait: Viuisne mulier dilecta? Cui illa. Viuo,ait,equidem viuo;& nunc de peregrinatione de qua & tu venisti venio. Et sicut beatum *Petrum Apostolum* ducem & comitem omnibus locis habuisti,sic ego vna vobiscum cum B. Maria Magdalena duce & comite vbique fui, singulaque perspexi, & conspecta memoriæ commendaui. Et loqui incipiens; omnia loca, & miracula, que vir peragrarat,& viderat, adeo planè, & euolutè explicuit, quod nec in vno articulo deuiauit. Quid plura? Peregrinus recepta coniuge sua sana & incolumi cum puero nauem lætus conscendit, & nautis omnibus, qui aderant, cuncta quæ sibi contigerant, enucleauit. Paulo post Marsiliæ portui applicuerunt: & ingressi beatam Mariam Magdalenam cum Discipulis suis magnæ gentium multitudini prædicantem inuenerunt, ac pedibus suis prouoluti dixerunt: *O beata Maria Magdalena magnus est ille, quem in terris prædicas, Deus tuus,credimus, & confitemur quod præter ipsum non est alius Deus*: ecce nos & omnia nostra in manu tua sumus, fiat de omnibus sicut vis. Et narrantes astantibus omnia, quæ sibi acciderant, à beato Maximino baptizati sunt;sicque Idolorum ędificia diruentes *in nomine Domini Iesu Christi* ecclesias statuerunt.

Meruit & precibus beatæ M. Magdalenæ vxorem suã viuam saluatorem domi secum reducere.

Confessio veri Dei.

Ex gestis sanctę Marthæ. Tunc territorium Aquense adeunt, & ieiunijs,ac precibus insistentes, populum incredulum, miraculorum signis, & prædicationibus ad fidẽ Christi conuerterunt. Dominus autem dedit sanctæ Marthæ super ægros sanitatis gratiam, & diuinæ prædicationis facundiam. Prædicantibus ergo beato Maximino & Martha, & Maria, maxima pars populorum ad Christum conuersa est.

Insignes fructus prædicationis Maximini Marthæ, & Magdalenæ.

Obuiauit peregrino D. Petrus eũque consolatur.

D. Petrus ostendit peregrino loca Sancta,eumque repatriare permittit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De dracone quem Martha ligauit, & populus occidit.

Cap. XCIX.

ERat tunc ſuper Rhodanum inter Arelaten & Auenionem ingens draco, cuius primæ partes vſque ad medium animalis formam prætendebant, reliqua corporis in piſcem deſinebant. Hic multos tranſeuntes, & ſuperuenientes occidebat: aſinos etiam & equos perimebat: naues quoque quæ per Rhodanum tranſibant, ſubuertebat; veniebat igitur ſæpe magna populi multitudo cum armis, nec illum perimere valebãt, quoniam proiectus à nemore in flumine latebat. Erat craſſior boue, longior equo, ſed & caput habebat leoninum, dentes vt gladius acutus, comas equinas, dorſum acutũ vt dolabrũ, ſquamas hirſutas, ſenos pedes, vngues vrſinos, caudam vipereã, binis pernis vtraque parte muniebatur, vnde nec iaculis, nec vllis, quibus impetebatur armis, cædebatur: Tantæ ferebatur fortitudinis, vt 12. leones aut totidem vrſos, immanis belluæ crudelitate, vel æquaret, vel ſuperaret. Cum autem eam incolæ regionis illius aliquatenus euadere, vel ſuperare nequiſſent, fama præconizante audierunt virtutum inſignia, quæ per beatam Martham Dominus operabatur, & feſtinatò venerunt ad eam, humiliter rogantes, vt fines eorum viſitaret & à pernicioſo Dracone, qui nimis eos infeſtabat liberaret, quibus ſancta compatiens, ad locum deſignatum de Chriſti nominis virtute confidens, proficiſcitur exterminantem exterminatura Draconem; reperit autem eum in nemore cuiuſdam hominis, quem recens occiderat incubantem, prædamque ſuam deuorantem: tunc hoſpita Chriſti nil perterrita, propius acceſſit, & *aſperſione ſacratæ* quam ſecum tulerat, *aquę*, malignam beſtiam perfundens, & *ſignum ſanctæ crucis*, quam præferebat obijciens, Draconem adeo reddidit inualidum, & ſtupidum, vt nec valeret procedere, nec ſæuitiæ quicquam exercere. Perſtitit itaque victus inſtar ouis, nil virium habens, & ſancta nil morata proprio cingulo cunctis admirantibus eius triumphum, quem cæperat, colligauit: qui protinus ab omni populo lanceis, & lapidibus eſt obrutus. Nuncupabatur autem ab incolis Draco ille Tharaſcurus, vnde locus ille deinceps vocatus eſt Tharaſcurus, qui antea vocabatur Verluc, ideſt niger lucus, eo quod ibi eſſent condenſa, & opaca, & nigra. Erat autem Draco de quo diximus, vt putabatur de genere illius, qui vocabatur in Iob Leuiathan, & deſcenderat per mare de Galatia Aſiæ, generatus à Leuiathan, qui eſt ſerpens aquoſus, & ferociſſimus, & à Bonacho animali. Bonachum enim animal Galatiæ gignit regio, quod ſtercore feruente, & vrente, ſuos inſectatores ſubmouet, quod per ſpacium iugeris velut ſpiculum dirigit, & quicquid tetigerit velut incendium peruric.

Draco terribilis toti patriæ infeſtus.

Cõſuetudo aſperſionis aquæ benedictæ antiquiſſima.

Draco aſperſione aquæ benedictæ & ſigno crucis, victus & occiſus eſt.

De auſteritate vitæ illius.

Cap. C.

POſtea multis petitionibus nobilium, & populariũ eiuſdem patriæ tandem acquieſcens, ex voluntate magiſtri ſui ſancti Maximini, & licentia ſororis ſuæ Mariæ Magdalenæ, beata Martha remanſit in ſacris orationibus, & vigilijs, quamdiu vixit ibidem perſiſtens: quot labores, quot anguſtias, quot ægritudines, quantas perſecutiones, quantam famis inediam, ſuſtinuerit, quis valeat explicare? Nam in primis 7. annis glandibus, & radicibus, herbiſque crudis, & pomis ſilueſtribus, corpuſculum ſuſtentans potius, quam reficiens, victitauit. Poſtea coadunato fratrum & ſororum conuentu, & *ædificata in honore Domini noſtri Ieſu Chriſti & beatæ Mariæ ſemper virginis maxima Baſilica*, ſatis inibi duram, & auſteram dixit vitam. Hiemis tempore pellicia contegebatur ouina ſubiecta vili palliolo; in æſtate tunica, & * birro induebatur, cilicio ad carnem ex more cohærente; nudis pedibus incedens, albam ex pillis camelorum mitram capiti ſuperponens; cingulo nodoſo de ſetis equinis facto; aluum intantum coarctans, vt vermes ex corrupta, & putrefacta carne, fluerent. Extenſis ſolo ramis arboreis, aut vitis, lapide pro ceruicali capiti ſuperpoſito ſubiecto, ſacco cilicino tantum incũbebat. Numquã à precibus, & obſecrationibus vacãs. Bonis itaque ſemper operibus occupata; & hoſpitalitate, quam apud Bethaniam ſpecialiter exercuerat, Deo & hominibus in tantum placuit, vt multa populorum millia per eius laudabilem prædicationem, & ſanctam conuerſationem, qua mirabilis omnibus apparebat, fidem Chriſtianæ religionis ſuſciperent, & baptiſmi ſaeri gratiam conſequerentur.

Mira auſteritas Beatæ Martha.

* *Birrus à Græco vocabulum trahit, illi enim birrum birrum dicũt.*

Beata Martha ſuo exẽplo multa millia hominum ad baptiſmi gratiam perduxit.

De ſuſcitatione iuuenis, & conuerſione aquæ in vinum.

Cap. CI.

IGitur cum apud Auenionem ante fores vrbanas, in quodam loco amæno inter fluuium Rhodani, egregia Chriſti diſcipula ſanaret ægros ſibi oblatos, & prædicaret; ecce iuuenis, qui erat vltra flumen vidit gentium cateruas ſanctam auſcultantes. Et animatus eam videre, & audire, nauigio carens, fluuium tranſmeare cupiens, natare nudatus cœpit. Qui cum iam medium tenuiſſet aluei, ſubito veloci curſu ferociſſimi fluminis interceptus, ſubmergitur raptus in profundum. Quid plura, concurrunt multi, nec ſuccurrunt: & tota die illa cum à ciuibus, cum nauibus quæreretur, nec reperiretur; ſequenti die circa nonam inuentum, examinati iuuenis corpus, ante pedes beatæ Marthæ cum luctu exponitur. Mox famula Chriſti corde compuncta, ſuper his admonuit populum, vt ſolo proſtratus, *Deum* exoraret, quatenus omnipotenti virtute ſua puerum à mortuis dignaretur excitare; ſed & ipſa iuxta defunctum *in modum crucis* in oratione proſternitur, deprecãs ac dicens: *Adonai Ieſu Chriſte, qui tua ſancta inæſtimabili clementia fratrem meum Lazarum dilectum tuum, olim à mortuis ſuſcitaſti; qui tenes claues mortis, & vitæ; qui morti imperas, & à facie tua fugit; qui mortuos reuocas ad vitam, reſpice benigniſſime Domine ad precem & ſupplicationem ancillæ tuæ, & circunſtantium; & animam in hoc iuuenile reuerti iubeas cadauer, quatenus præſentes, & futuri videntes, & audientes magnalia tua perfecto corde credant in te, teque ſaluatorem ſuum ſequantur.*

Iuuenis quidam amore audiendi beatam Marthã flumen trãſnatãdo, ſubmergitur.

Oratio beatæ Marthæ ſuper corpus defuncti.

Hac oratione completa famula Chriſti de terra conſurgens pueri manum apprehendit & dixit: *In nomine domini Ieſu Chriſti ô iuuenis à morte qua detineris viuus aſſurge;* ſtatimque puer ſanus, & incolumis ſurrexit, & baptiſmatis donum in nomine ſanctæ Trinitatis conſecutus eſt.

Iuuenis mortuus, in nomine Ieſu Chriſti, à beata Martha reſuſcitatur.

Eodem tempore Maximinus Aquenſis Epiſcopus, & Trophimus Arelatenſis, & Eutropius Arauſicenſis; tres iſti religioſi Sacerdotes domini viſitationis cauſa commoniti, ſic tamen vt alterutrum ſeſe ignorarent, ad eam venerunt, & ſanctis eius petitionibus annuentes, eccleſiam quam *in nomine Ieſu Chriſti eiuſque genitricis honore conſtruxerat*, 16. kal. Ianuarij deuotiſſime conſecrauerunt. Completa ſanctæ dedicationis, vt ſolemne eſt, conſecratione, ventum eſt ad refectionis horam, ſed inter prandendum vinum defecit, ad quorum præſentiam diuina virtus aquam in vinum conuertit.

Aqua cõuertitur in vinum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De conuersatione Mariæ Magdalenæ in deserto.

CAP. CII.

Magdalena se transfert in locum deserium.

EX *gestis eius.* Interea sancta Maria Magdalena cum diutius verbū domini prędicasset, maximeque cum ad eius notitiam peruenisset, quod Apostolus *mulieres in ecclesijs tacere pręcepisset*, contemplationi arctius vacare desiderans, monente Domino, ad eremum asperrimum se cōtulit, & in loco Angelicis manibus sibi præparato per 30. annos omnibus hominibus incognita, & cœlestibus tantum fomētis refecta, in Dei laudibus, & orationibus permansit. Erat autem spelunca, in qua manebat super cuiusdam asperrimi montis radices, cui nec aquarum fluenta, nec herbarū, vel arborum solatium erat; vt per hoc Christus ostenderet, quod dilectricem suam nō terrenis, sed cœlestibus epulis satiaret. In hac igitur cripta permanens, quaque die septies canonicis horis Angelorum manibus in æthera leuabatur, & cœlestiū agminum concentus dulcissimos etiam corporeis auribus audiebat, hisque suauissimis dapibus satiata, per manus itidem Angelicas ad eundem reuocata locellum, in Dei laudibus persistens, corporeis alimentis non indigebat.

Magdalena exemplum pœnitentiæ.

Quotidie crebro in aera sustollatur ab Angelis.

Sacerdos quidam religiosus singulis annis quadragesimam in solitudine perficiebat, hymnisque, & orationibus in multa corporis abstinentia vacabat. Hic ad 12. stadia præfatæ speluncæ, vicinam sibi cellam iuxta fontem construxerat, miraculum prorsus ignorans, quod de beata dilecta sua, Dominus faciebat. Quadam vero die Dominus oculos eius aperuit, viditque qualiter Angeli descendentes super locum in quo beata morabatur consistebant, & eam in sublime eleuātes, post horę spacium ad eundem locum cum diuinis laudibus reuocabāt. Verum quia longius distabat, quid Angeli ferrent, & referrent scire non poterat. Tunc cœpit orationibus insistere, & vt sibi tantæ visionis veritas plenius innotesceret, Dei clementiam cum lachrymis cœpit inuocare. Mane autem sequentis diei audaci deuotione ad locum properabat, cumque ad vnius iactum lapidis appropinquaret, cœperunt ei crura cum pedibus hebescere; & timore valido, eius præcordia anhelare: cumque retro rediret, vsum ambulandi crura cum pedibus præbebant: & si verso tramite ad locum præcedere conaretur, languor corporis eum, & hebetudo prohibebat. Tunc intelligēs illud secretum esse cœleste mysterium stetit, & *inuocato saluatoris nomine* clamauit: Adiuro te per Deum viuum, vt si homo es, vel rationalis creatura, quæ in illa spelunca habitas, mihi continuò respōdeas, & status tui mihi veritatem edisseras. Hac adiuratione ter repetita illicò beata de spelunca respondens, eum propius accedere fecit, eique Mariam illam in Euangelio famosissimam peccatricem se esse dixit; factique sui historiam, quam quæsierat, ei explicauit. Et addidit, quia à Domino meo mihi est reuelatum, quod inter homines de hoc sæculo migratura sum, rogo vt beatum Maximinum mox adeas, & omnia quæ videris, vel audieris ex ordine illi nunciare studeas. Proximo igitur die paschæ tempore matutinorum oratorium suum, quod ipse sibi construxit, solus ingrediatur; & me in Dei laudibus illuc subuectam per Angelicum ministerium inueniet persistentem.

Sacerdos quidam deuotus vidit frequentiam Angelorū apud cellā B. Magdalenæ.

Sanctus sacerdos non valebat ad locū siue cellam B. Magdalenæ accedere.

Beata Maria Magdalena sacerdoti alloquitur eiq; diem obitus pranunciat.

De transitu eiusdem, & sepulchro.

CAP. CIII.

SAcerdos itaque neminem prorsus videns, audiebat vocem talia resonantem; & Angelum potius audire videbatur, quàm hominem. Cumque plura loquens, & interrogans nullum vlterius responsum, accipere posset; mox beatum Maximinum adijt, eique omnia ex ordine nunciauit. Qui Deo gratias immensas agens, ante illucescentem dominicæ resurrectionis auroram, oratorium suum ingressus, vidit beatam Mariam in choro Angelorum, qui eam adduxerant adhuc astantem tanto splendore circundatam, vt totum oratorium lux luce diei clarior illustraret. Cumque vir Dei circa ianuam subsisteret, vidit chorum Angelicum ascendere, & illam in medio stantem expansis manibus orare, sic eleuatam in aera, vt duo cubiti inter terram & eius corpusculum interesse viderentur: cumque propius accedere trepidaret, illa cuius vultus ex continua visione Angelorū vltra radios solis radiabat, leuiter eum vocauit, & Sacerdotes omnemque clerum conuocare rogauit. Quibus præsentibus corpus, & sanguinem domini ab Antistite porrectum cum maxima lachrymarum inundatione susce-

Beatus Maximinus vidit inter choros Angelorū

Maria Magdalena etsi inter choros Angelorum consistebat, tamen cum maxima lachrymarum inundatione suscepit ante obitum sacrā synaxim.

pit, & omnes circunstantes attentius orare commouit: deinde toto corpusculo ante crepidinem altaris prostrato, sancta illa anima, ipso die resurrectionis ad Dominum migrauit.

Alibi vero legitur transisse 9. kal. Augusti; quod ideo forte dicitur, quia tunc eiusdem transitus memoria celebratur, vel fortasse dies resurrectionis, siue paschæ potest hic accipi generaliter pro dominica die. Post eius exitum tantæ suauitatis odor efferbuit, vt per 7. fere dies sequentes, ab ingredientibus oratorium sentiretur. Cuius sacrum corpus beatus Maximinus assumens, diuersis conditū aromatibus in honorifico collocauit mausoleo, construens super ea mēbra beata mirabilis architecturæ basilicam. Monstratur autem sepulchrum eius ex candido marmore factum, & sculptum in ipso, qualiter ad Dominum in domum Simonis venerit, & officium humilitatis, vngentique ei inter conuiuantes, flere non erubescens, obtulerit.

De anima eius quam vidit Martha.

CAP. CIIII.

MAndauerat autem Maria per beatum Maximinum Marthæ sorori suæ, quoniam eam in proximo visitaret. Quod quidem promissum non superstes in corpore, sed iam defuncta compleuit. Euoluto postea breui spacio, beatus Fronto, Petragoricensis, & sanctus Georgius Velliacensis, ille scilicet qui mortuus fuerat, & reuixit; à proprijs locis, & sedibus, ciuibus eorum prædicationem respuentibus, tunc electi, ad eiusdem Marthæ præsidium cum accessissent, & per aliquot dies cum ea morarentur, eius precibus Deo fusis reconciliati sunt ciuibus suis. Illa autem sanctum Frontonem secretius alloquens, habito cum eo de quibus voluit, & in quibus excessisse se meminerat, confessionis sacramento, transitus sui diem imminere nihilominus eidem prędixit. Sanctus autem præsul ei sese promisit ad futurum ad euocationis eius diem, si sic placeret diuinæ ordinationi. Ipsa itaque beata Martha cum hospiti suo Christo per omnia placeret, ille meritorum ei stipendia reddere volens, innotuit ei spatio vnius anni ante, diem sui exitus imminere; cumque per totum fere annum febribus agitaretur, ante diem octauū suæ resolutionis, Angelicos choros sororis suæ Mariæ Magdalenæ migrantis, animam ferentes in cœlum, audiuit. Quòd omni conuentui suo statim patefecit dicens: Congratulemur omnes in Domino gratias agentes dignationi diuinæ, quia Mariæ sororis meæ animam per Angelicū ministerium ad pollicitas sedes transtulit. Recordare autem dulcissima soror promissionis tuæ, qua te spopondisti me visitaturam, & viuas in æternum cum vero Domino Iesu Christo; sed non fefellit Maria Martham. Nam post octauum diem (vt ita dicam) secum ad Paradisi felicitatem attraxit eam. Si quidem octaua die à transitu beatæ Mariæ, Martha cœpit plus solito grauari languore, lectoque procumbens, fratres & sorores, de sancta religione Christianæ professionis tenenda cōmonefaciens, & hortans; coram ipsis res ecclesiæ disponens, & assignans, & vt secum peruigilarent vsque ad exitus horam precibus, & orationibus insistentes, obsecrans, sicut & fecerunt; & post collocutionis verba, dominici sacramenti communione sese muniuit.

Apparuit B. Magdalenæ Martha sorori sua.

Beata Martha cōfitetur Beato Frontoni, & diem obitus sui ei prædixit.

Spiritu cognouit discessum sororis suæ ex hac vita.

Sacram Synaxim B. Martha ante obitum suscepit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De felici eius transitu.

Cap. CV

NOcte vero media ante transitus sui horam somno depressis fratribus, & illis, qui circa illam excubabant cum luminaribus, personis; turbo vehemens excitatus ab eo, qui sanctis omnibus inuidet, hoste maligno, & violenter actus 7. cereos non modicos, & tres lampades extinxit. Illico famula Christi turbam terribilem spirituum malignorum ante se cernens orare cœpit. *Mi pater*, inquit, *Hely, mi hospes charissime, congregati sunt ad deuorandum me seductores mei, scripta tenentes malorum, quæ gessi, vociferantes, & dicentes; Deus dereliquit eam, persequimini & comprehendite eam, quia non est, qui liberet eam: Hely, ne elongeris à me: Hely, in adiutorium meum intende, delicta iuuentutis meę, & ignorantias meas ne memineris Adonai.* Ad cuius sonitum vocis, qui dormiebant excutiuntur somno, volentesque luminaria, quæ ministrabantur extincta rursus accendere, dum de domo transeunt ad domum proximiorem, & inde ad remotiorem ignem petituri, moraſque faciunt in eundo; vidit beata Martha sororem suam Mariam Magdalenam occurrentem sibi, facem igneam manu tenentem, ex qua omnes lampades & cerei mox accenduntur. Et dum altera proprio nomine vocaret alteram, ecce Dominus Iesus Christus adest, ille qui nusquam abest, dicens: *Veni dilecta quondam hospita mea: Nunc te de carnis ergastulo transferam ad cæli palatium, vt ibi cum sanctis gaudeas eternaliter, non sicut hospita vel aduena, sed sicut domestica fidelis, sicut conciuis sanctorum. Sollicite mihi, meisque ministrasti in terris, hospitio me suscepisti, & refecisti: Reddam tibi pro temporali ministratione modum omnem excedentem beatitudinem, vt vbi ego sum, illic sis mecum, quæ mihi ministrasti, quæ secuta es me. Consolationis vero gratiam quam tibi dederam, ad earum salutem quos erudieras, nec auferam à te, nec imminuam, quin potius multiplicabo, deuoteque venientes ad sepulchrum tuum amore tui clementer exaudiam, iustisque eorum petitionibus effectũ tribuens; expecta nunc modicum, quoniã in proximo venies ad me.*

Beata Martha in hora obitus vidit caterua dæmonum ante se.

Acclamat Martha & orationibus, ad Christum se munit.

Euocatur à Christo Domino in cœlum dulci alloquio.

Miraculum. Interea reuertentibus, qui pro luminaribus accẽdendis egressi fuerãt; erat miraculum videre lucernas, quas extinctas reliquerant, succensas inuenisse; mirantibus cunctis, & qualiter id accidisset, inter se conferentibus, sancta Dei pandit ordinem rei (quos sanctioris vitæ congruerat) fratribus, diuinam patefaciẽs visitationem. Tunc deferri se præcepit retro basilicã sub arbore quadam, & substerni sibi cinerem sparsum *instar Crucis* paucis paleis. Et recubans cilicio *sanctæ Crucis lignum præ oculis habens* horam exitus intenta cœlo præstolabatur. Cunctis itaque circumstantibus, sanctis orationibus occupatis, dominicam passionem præcepit recitari, quam Hebraice scriptã de partibus Hierosolymitanis secum attulerat. Qua secundo perlecta, lectore, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, euangelica narratione prosequente, Christi famula in domino dormiuit 7. Kalen. Ianua. 6. Feria, hora diei 9. peracto ætatis anno 70.

En præsentia Sanctæ crucis in hora obitus habenda.

Beata Martha mors.

De glorioſis eiuſdem exequijs.

Cap. CVI.

HVius exequias cum omni deuotione procurauerunt ipsius comites, & alumni, viri religiosi scilicet atque famosi domestici eius Eudochius, & Synthex, & Germanus, & Epaphras, & Sosthenes Pauli Discipuli; & Trophimi comites; & Parmenas, qui fuit vnus ex 7. Diaconibus ecclesiæ primitiuæ, sed & Martilla beatæ Marthæ pedissequa, quam de fonte sancto susceperat, mulier scilicet illa quæ extollens vocẽ de turba dixerat ad Dominum Iesum: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Isti cum multis alijs, qui cognito transitu sanctæ fœminæ superuenerant, cum ibi triduo cum cereis, & luminaribus perstitissent, die dominica dum eius corpori funeris obsequium præbere vellẽt & alij psalmis, alii lamentis intenderent; ecce hora tertia apud Petragoricas sacrarum missarum solemnia celebranti, iam lecta epistola in cathedra ante altare dormitanti, in ecclesia sua beato Frontoni episcopo; apparuit Dominus dicens ei: Dilecte mi Fronto si vis implere, quæ hospitæ nostræ Marthæ pollicitus es, veni festinanter ad eius exequias cõplendas, & sequere me. Quo dicto momentaneo raptu Tharasconum ambo transuecti, diuæ hospitæ ingressi basilicam cum alijs circa sanctũ corpus psallentib. psallere cæperunt; & totum obsequium tenentes in manib. codices à principio vsque ad finẽ, alijs respõdẽtibus, & succinentib. peregerũt; & ambo sanctæ mulieris glebam baiulantes in sepulchro deposuerunt. Dum hæc aguntur ecce diaconus Petragoricensis ecclesiæ finitis cãtibus clericorum ad pronũciandũ euangelium paratus, sanctũ Antistitem, quẽ in cathedra prospicit dormitantem, pulsat, benedictionem ab eo legẽdi petens. Sed sanctus adhuc somno depressus nullum responsum dat: Mirantibus cunctis cur sanctus Episcopus tantas moras faceret, iterata vice pulsans, tandem quasi dulci somno euigilans, ait: O fratres quid egistis? quid me sic excitastis? Res mira nobis accidit, quam vestræ dilectioni cõfiteor. Dominus noster Iesus Christus perduxit me de præsẽti loco, ad exequias hospitæ suæ Marthæ, quã & sepulturæ tradidimus, sicut illi viuẽti quondam promisimus. Et vt me sanctæ mulieris exequijs interfuisse cognoscatis, mittite qui afferãt annulũ aureum & chirothecas, quas dum ad deponendum in sepulchro sanctum corpusculũ me coaptarẽ illius ecclesiæ Sacristæ commendaui. Sed dum exirẽ de ecclesia, nec annulum nec chirothecas obliuione præuentus, ab eo cui commiserã repetij, nec recepi, vobis excitantibus, euigilans. Missi sine dilatione nuncij, sicut sanctus prædixerat, rem accidisse seriatim cognouerunt, & annulum & vnam de chirothecis attulerunt. Nam alteram secretarius ob testimonium tantæ rei tenuit.

Luc. 2.

Apparuit Christus B. Frontoni & secum eũ adduxit ad exequias B. Martha.

Referebat beatus Fronto fratribus, cum de beatæ mulieris sepultura faceret mentionem: Postquã, inquit, eam sepulchro tradidimus; ab ecclesia iam exeuntes, nos insecutus est, quidam frater eiusdem loci litteratus, & interrogauit Dominum quis esset? vel vnde, vel quo nomine censeretur? Cui ille nil respondens, ostendit codicẽ quẽ manu tenebat apertum, in quo nihil aliud scriptum erat, nisi versiculus iste: *In memoria æterna erit iusta hospita mea, ab auditu malo non timebit in die nouissimo*, cum vero codicem reuoluisset cunctis folijs, idem reperit inscriptum. Vnde satis patet, quia merito in memoria æterna Angelorum, & hominum est iusta hospita Christi, & ab auditu malo non timebit, quando maledictione digni audient, *Discedite à me maledicti.*

De libro ostenso cuidã fratri litterato, in quo nihil continebatur nisi versiculus quidam de securitate memoria æterna Beatæ Martha.

De loco ſepulchri, & de comitibus eius.

Cap. CVII.

QVanti vero beata Martha sit meriti miracula comprobant, quæ super infirmos, tunc, & deinceps ad eius venerabile sunt exhibita sepulchrum. Nam vt de multis pauca referamus.

Miracula Beatæ Martha.

Clodouæus, qui primus de regibus Francorum & Teutonicorũ per beati Remigij prædicationẽ Christo credidit, & baptismi sacramentum suscepit, cum graui renum vexaretur incommodo, comperto fama vulgante, quod quibuscumque morbis compressi sanarentur; ad famulæ Christi Mausolum festinus eò perrexit, & salutem se ibi recepisse gauisus; locum illum regia munificentia ditauit, & terras, & villas, & castra per ambitum trium milliariorum ex vtraque parte Rhodani per testamenti cõscriptionem annulo suo roboratam, eidem loco delegauit & ecclesiam, locumque ab omni subiectione laicalis, & sæcularis potestatis liberum ẽsse constituit. Idem autem locus tantæ venerationis, & religionis est habitus, vt non impune ferat, si quis aliquam hidem violentiam, aut iniuriam furti, periurij, commaculationis illicitæ, rapinæ seu fraudis admiserit, diuina

protegente

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

protegente defensione, locumque sanctum conseruante.

Comites Beatæ Marthæ post obitum eius sunt dispersi.

Martilla autem & Synthex & Epaphras castissimi, & Apostolici viri Sclauoniam perrexerunt. Et prædicantes Euangelium Christi perseuerauerunt in bonis operibus. Martilla vero post excessum beatæ Marthæ 10. annis superuixit, cuius vitam non paruo volumine Hebraicè conscripsit, quam ego Synthex multa prætermittens Latinè transcripsi. Eudochius autem, & Germanus, & Parmenas, & Sosthenes beatæ Marthæ comites, & alumni, quoad vixerunt ad sacratissimam eius sepulturam peruigilantes, ibidem beato fine quieuerunt.

De Sacerdote beatæ Mariæ miracula non credente.

Cap. CVIII.

Miracula B. Mariæ Magdalenæ.

EX gestis *sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Post transitum vero multis beata peccatrix claruit miraculis, vnde vidimus quendam Sacerdotem Cæsaraugustanum, Paulum nomine, qui non solum beatæ Marię Magdalenæ precibus se commendare, sed etiam his omnibus, quæ de ipsa veraciter referebantur, instinctu diaboli fidem adhibere non poterat. Hic itaque cum quodam die super equum quem satis quietum habebat, pro suis negocijs equitaret; more rapidi animalis equus per diuersa currere, insanire, & per scopulos, & acuta fruteta, foueas, & dumeta, stagna, & flumina, & incognitas hominibus semitas paruipensis habens, & freno, se & sessorem suum abducere cœpit. Sacerdos autem in incerto versabatur, vtrum de equo desilire, aut sese super eum firmare debuisset, cum vtrumque sibi pernicioſum dubitabat, cum sic iam de vita diffidens duceretur: recordatus est non sine beatæ Mariæ Magdalenæ misericordia & meritis, quod relationes miraculorum eius non crederet, & eis multoties pertinaciter obuiasset. Ad cordis itaque sui secreta conuersus hæc intra se flebiliter aiebat: *Mea culpa Maria Magdalena mater misericordiæ*, quod tua sancta miracula non credidi, quod eis multotiens obuiaui, sed si precibus tuis, *Domina mea charissima*, de instanti exitio me indignum famulum tuum liberaueris, magnalia, quæ per te Dominus operatur, fideliter referam, & me sanctissimo præsidio tuo, speciali voto & deuotione committam. Vix adhuc verba compleuerat, & equus sanguineas spumas reijciens, plus solito cœpit mansuescere, & omnia præcipitia & loca aspera ad sui voluntatem Domini declinare. Mox Sacerdos Deo, & beatæ Mariæ Magdalenę gratias agens, ad iter quod cæperat, redijt. Sed vix per vnam diem repetijt, à quo ab hora prima diei vsque ad tertiam equo præcipitante diuerterat. Hunc ad beatæ Dei dilectricis tumulum hęc omnia cum lachrymis, vidimus referentem; & super his omnibus, quæ in ipsa deliquerat, cum summa cordis compunctione pœnitentiam agentem.

De clerico desperato per eam consolato.

Cap. CIX.

Aliud miraculum.

CLericus quidam de Flandria Stephanus nomine claris ortus natalibus, diuitijs locuples, sæculari etiam sapientia præditus, ab ordine suo apostatatus, adeo in omnium iniquitatum magnum præcipitium, suadente diabolo, ceciderat, vt nullius flagitij, vel impietatis aliquid ab humana fragilitate committi potuisset, quod ipse vel opere, vel consensu, vel promptissima voluntate non perpetrasset. Hic ob innumeram suorum criminum multitudinem in desperationis foueam mersus, facta omnia religiosa, vel honesta, aut animarum saluti vtilia, tanquam profana prorsus abominabatur: & ea non solum facere, sed etiam audire scelus esse putabat. Omnes delicias, & illicitas voluptates corporis curiosissime sectabatur, & omnium pœnarum atrocitate securum se afferens in futuro sæculo, præsentis sæculi se nolle amittere delicias referebat. Inter vniuersa tamen criminum genera, die vigiliarum Beatæ Magdalenæ ieiunans, festumque deuotè celebrans, ea saltem die à vitijs abstinebat. Quodam etiam die inter cæteros, qui orationis causa eiusdem Dominæ tumulum visitabant, & ipse profectus est, hoc in cordis sui arcano sæpe reuoluens: Scio, Mariam Magdalenam plurimum peccatricem fuisse, & tamen dimissis eius peccatis multam sanctitatis obtinere virtutem. Ibo igitur ad sepulchrum ipsius, & si quid reuelatione eius per merita mihi ostensum fuerit, quod vllum valeam habere remedium, per eius donum lubenter suscipiam: alioquin ad desideria corporis mei perficienda reuertar. Cumque ad ipsius ecclesiam per tres continuas hebdomadas constitisset, nullius, quod quærebat, reuelationis accepit solatium. Vniuersis igitur, quæ ad commeatum necessaria fuerant præparatis, sequenti die sine intermissione reditum præparabat, in desperationis puteum constanter immersus.

Eadem die beatissima Maria Magdalena eidem clerico nec penitus dormienti, nec ex toto vigilanti apparuit, tanquam mulier formosa, crinibus decenter expansis, lugubres gerens oculos, & duorum insignium Angelorum dextra leuaque honorifice sustentata præsidio, & præfatum intuens iuuenem taliter exorsa est: Cur quæso Stephane indigna meritis meis facta rependis? cur labiorum meorum instantiam nulla compassione solaris; Ex quo enim in me & festum migrationis meæ de sæculo deuotionem aliquam habere cæ isti, pro remedio delictorum tuorum Domini misericordiam incessanter exorare non destiti. Surge igitur, & peccata tua humiliter confitere, certus, quod si mihi credideris, diuinum te persequetur auxilium, nec ego te vlterius deseram, quousque animam tuam à peccatorum sordibus liberatam suo Creatori restituam. Dixit, & ab oculis eius elapsa est, Clericus ergo ille continuò surgens in tantum corde contritus, & compunctus est, quod mox beatæ mediatricis suæ basilicam adiens; conuocato eiusdem loci patre, & fratribus, confessionem scelerum suorum reuerenter aperuit, & canonicam satisfactionem accepit. Sequenti vero die monachi habitum induit, & renuncians sæculo & illecebris eius religioni se applicuit. Et sicut ab his, qui nouerunt accepimus, Angelicæ vitæ conuersationem, quousque migrauit à sæculo, largiente Domino fideliter obseruauit. A religionis etiam, & Deum timentibus viris nobis significatum est, quod eadem hora qua de corpore ipsius anima elapsa est, visa est beata Maria Magdalena iuxta ipsius feretrum cum Angelis astitisse, & ex eius corpore, quasi columbam candidissimam cum laudibus sustulisse.

De Britone per eam à naufragio liberato.

Cap CX.

Aliud exemplum Beatæ Mariæ Magdalenæ.

NObilis vir Brito quidam terrenis facultatibus diues ita circa beatæ Mariæ Magdalenæ obsequia deuotus, & stabilis erat, vt eam, cum vxore, & filijs, & tota familia præcipuo veneraretur affectu, eam quotidianis precibus ad suum præsidium flagitabat. Hic itaque diem vigiliarum festiuitatis eius cum tota domo sua deuotissime semper ieiunabat, & eiusdem festiuitatis die magnam pauperibus, & peregrinis refectionem præparare consueuerat. Eadem quoque die debitoribus debita dimittebat, veniam dabat offensis, & præ cunctis sanctorum solennitatibus festiuitatem illam celebrem & præcipuam recolebat. Inter preces autem continuas hoc præcipue à Domino precabatur, vt nunquam eum permitteret, de ista luce, sine vera pœnitentia & peccatorum confessione migrare. Contigit ergo vt in Angliam proficiscens naufragiū pateretur, & cū omnes comites suos fluctus inuoluerent,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ipse quoque marinos versabatur in fluctus. Cumque mox superuenturæ mortis præstolaretur aduentum, hoc ex intimo dolore pauido vertebat in animo: O beata Maria Magdalena nonne sanctitatẽ tuam sæpius exorabam, vt nunquam me sine vera pœnitentia, & peccatorum meorum vera confessione de hoc sæculo migrare permitteres? Ecce nunc morior, & peccata mea confiteri nõ possũ. Tali cordis ipsius gemitu nondũ expleto, formosa quædam & expedite præcincta mulier dexteram illius tenuit, & quamuis frætum vndis tumentibus æstuaret, ipsum tamen solum ex omnibus natatu leuissimo vsque ad ripam, ex qua ingressus fuerat, qui à loco naufragij 40. fere stadijs distabat incolumẽ perduxit. Qui à die natiuitatis suæ nunquam amplius se natasse meminerat. Ad se igitur reuersus homo per totam terram illam sanctæ adiutricis suæ magnalia prędicabat: & decem tantum diebus, sicut ab eadem sibi prænunciatum fuerat, viuens in corpore, veram (sicut postulauerat) pœnitentiam accepit, & de rebus ac facultatibus suis accurate disposuit.

De sancto Maximino Aquensi episcopo, & socijs eius.

Cap. CXI.

Maximinũ vnũ ex 72. discipulis fuisse tradũt cuius res gestæ intextæ habentur cũ actis S. Martha, & S. Maria Magdalena; de eo item Petrus in cathalogo lib. 5. c. 101. & Demochius in tabula Episcoporũ Aquensis ecclesia.

Ex gestis sanctæ Mariæ Magdalenæ. Rexit autem beatus Maximinus Aquensem ecclesiam confessor, & Pontifex diebus multis, verbo prædicationis inhærendõ, Dæmones pellendo, mortuos suscitando, cæcis lumen reddendo, claudis gressum restituendo, omnium infirmitatum languores curando. Imminente autem tempore, quo sancto sibi reuelante Spiritu, ab hac luce se subtrahi cognouit, mercedem laborum suorum à pio iudice recepturus, infra prædictam ecclesiam iussit locum sepulturæ suæ præparari, ac iuxta beatæ Mariæ magdalenæ sarcophagum suum collocari. In quo post sanctum eius transitum à fidelibus honorifice depositus est, magnisque miraculorum ambo decorant locum virtutibus, suorum interuentu meritorum petentibus animæ, & corporis præstando salubria. Qui locus tantæ religionis postea est habitus, vt nullus Regum aut principum, nec aliquis singulari pompa præditus, ecclesiam illorum beneficia petiturus ingredi audeat, donec prius depositis armis, animique belluina posthabita ferocitate, sic demum cum omni deuotione humilitatis introeat.

Author. Hæc de gestis beati Maximini Aquensis Episcopi, sanctarumque mulierum Marthæ, & Mariæ à Spiritussancto eidem viro sancto associatarũ, excerpta sufficiat. Sanctorum autem cæterorum, qui cum eis in dispersione discipulorum à Iudæa iuxta præfatam historiam nominati sunt non omnia gesta ad plenum reperi. Quorundam tamen vt B. Martialis, & Frontonis iam supra posui: quorundam vero vt Irenæi, Eutropij, Dionysij inferius locis congruis ponere disposui. Hic autem beati Saturnini, & beati Iuliani gesta breuiter excerpta insere volui.

De sancto Saturnino Tolosano.

Cap. CXII.

Acta Saturnini edidit ex antiquis monumentis Surius tom. 6. citat eius passionis acta Greg. Turonẽsis li. 1. c. 37. & de gloria Martyrum cap. 48. pluribus de eodẽ agit, & de eius reliquijs libro de gloria confessorum. cap. 20.

Ex gestis eius. Sanctus itaque Saturninus primus ac summus Tolosanæ ciuitatis Antistes, cum iuxta capitolium, quod inter domum suam, & ecclesiam tunc temporis paruulam, medium erat, crebro transiret, atque rediret, eius frequentiam procax Dæmonum turba sustinere non potuit, & vt erat, muta simulachra inter sacrilega obsequia, & solita consultantium vota patuerunt. Ob quam causam comprehensus ad capitolium tractus est, & cum immolare cogeretur clara voce testatus est: *vni Deo vero laudis hostias immolo: Deos autem vestros Dæmones esse scio, quos incassum non tam pecudum cædibus, quam animarum vestrarum mortibus bonorum. Quomodo autem vultis, vt ego timeam eos à quibus dicitis me timeri?* Ad hanc vocem effrænatus sacrilegæ multitudinis tumultus incanduit. Tauroque qui victimæ fuerat præparatus fune lateribus eius circumacto, & post tergora demisso, ad ministerium suæ crudelitatis vtuntur. Postrema parte funis, quæ ad Tauri posteriora defluebat, sancti viri pedes alligant, actam stimulis actioribus pecudem de superioris capitolij parte in plana præcipitant. Nec mora inter primos descensus ipsius gradus capite collisо, cerebroque excusso, totoque corpore omni membrorum parte quassato, dignam sibi animam Christus excepit. Multis autem virtutibus idem sanctus post obitum floruit.

Miraculum. Quidam dives iniquus, & præpotens nomine Antonius ex hac vita migrans ad inferos, in huius ecclesia sepeliri se præcepit, quod & à parentibus eius factum est. Nocte vero sequenti sarcophagus eius cum corpore virtute diuina per fenestram in medio atrij proijcitur. Quem mane facto parentes eius rursus in loco, de quo eiectus fuerat, altius tumulare curauerunt, altera vero die vt prius eiectum repererunt, & ex tunc à nullo tactus super terram expositus in testimonium reseruatur.

Se sancto Iuliano Cenomanensi.

Cap. CXIII.

Habentur S. Iuliani acta scripta à Bethaldo monacho vt restatur Molanus.

Ex gestis eius. Sanctus autem Iulianus Romana generositate clarissimus, merito fidei percelebris, & lingua facundus, extra vrbem Cenomanicam, paruo tectus hospitio, die noctuque in sancto perstabat proposito, cumque iam multi luce fidei radiati eius contubernio inhærerent; esseтque eis de conuehendæ aquæ penuria, quærimonia; vir Dei cuspidem baculi sui humi defigens audientibus cunctis, eum, qui sitienti populo de silice in eremo potum retribuit, humiliter exorauit: & cum fideles respondissent *Amen*: subito fons viuacissimus erupit. Hoc audito Princeps ciuitatis nomine *Defensor* per nuncios eum ad se suppliciter euocauit: qui cum ad eum accederet, quendam cæcum sibi obuium, *vexillo crucis impresso*, illuminauit. Hoc audiens Princeps festinus accurrit, & cum tota familia, multaque nobilium turba baptismi gratiam accepit ab eo, atque in tanto ardore pietatis excreuit, vt domum suam viro sancto ad extruendam ibi ecclesiam traderet, & vt lucrandis Christo animabus absque vllo incommodo inuigilaret.

Eius precviuacissimus fons erupit.

Cæcum illuminauit.

Puerum excitauit à mortuis.

Quadam die diuertente eo ad prædium, cui nomen est Periliatus, puer, filius eiusdem fundi possessoris, qui infirmabatur mortuus est; quod vbi vir Dei comperit, misericordia totus affluens, domum luctus introiuit: noctemque peruigilem ducens, tanta instantia precum cæli pulsauit secretum, vt pariter surgerent, & Pontifex à puluere; & infans à morte. Mox parentes, & vicini, Christianæ fidei collà supponunt, & infantem cum tota hæreditate beatissimo magistro tradunt. Cum autem vrbis à Domino sibi commendatæ portam subiret, carcerali custodiæ mancipati, clamantes, vt sui misereretur, exorabant: & ille benignissimus ad eos, quibus id officij commissum erat, supplex accessit precans, vt aduentus sui gratia redderent absolutos, quos iniquitas propria fecerat reos. Spretis vero precibus, proprio hospitio se recepit, & tacitus ac gemens, Dei misericordiam præstolari cæpit. Mox Angelico ministerio ostia carceris aperta sunt, & illi egredientes sancti viri conspectibus se obtulerunt. At ille gaudens in domino iam lætus cibum accepit, & quos merito soluerat, sancti etiam conuiuij participatione donauit.

Carcerali custodia reos mancipatos miraculo liberauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De obitu eius, & miraculis post obitum.

CAP. CXIIII.

HIs & multis alijs miraculis clarus, appropinquante die vocationis ſuæ diſceſſit ad vicum, in quo poſtmodum Eccleſia Beati Martialis ſita eſt, in qua leui tactus incommodo ſedem ſibi à Deo commodatam communi cleri ac plebis conſilio commiſit ſancto Turibio: deinde oculis, & manibus eleuatis, Deum collaudans, eique oues acquiſitas per ſe commendans, cœlo ſpiritum reddidit; quem *Defenſor* cum tribus diaconis, & tribus cereis eadem hora ad ſe venientem diuinitus agnouit, qui cereos quos portabant poſuerunt ſuper menſam ante eum & abierunt; qui rem tantam admirans ad conſedentes dixit: Nunquid non hic vidiſtis patrem noſtrum *Iulianum*, qui huc cum tribus cereis aduenit, & nobis benedictis, cereiſque derelictis abſceſſit? Surgamus ergo, & ad ſepeliendum eum properemus. Tunc admirati omnes ad exequias ſancti feſtinauerunt. Cumque corpus ad vrbem deportaretur, & ad alueum Sartæ fluuij veniretur, viri qui lecticam geſtabant, equis ſuis enatantibus inter vndas validas & profundas: nec genibus aqua tactis, littus alterum cunctis mirantibus ſubierunt.

Apparuit poſt mortem defenſori cũ tribus cereis.

Miraculum.

Miraculum.

Cum vero tota vrbs obuiam exiret: quædam mulier paruulum filium ſuum caldariæ impoſuerat, ſuppoſitoque igne membra infantuli, aqua repente lauabat, quæ voce pſallentium attonita officium captum deſeruit, oblitaque infantuli cum cæteris ſancto obuiam occurrit, ſed ardore fidei quæ illam exire compulit reſtincta eſt flamma ardentis camini, reuertenſque filium incolumem recepit.

Ex geſtis ſanctorum. Iſte Iulianus, Simon ille leproſus aſſeritur fuiſſe, qui Dominum in carne, hoſpitio ſimul & conuiuio ſuſcepit. Vnde pro iſto Iuliano aiunt, iter agentibus prodeſſe ad hoc, vt bonum hoſpitium habeant, ſi orationem dominicam dicant, eo quod in domo eius dominus hoſpitatus eſt, ſed ſi hæc vera eſſent, etiam multo melius in honore beatæ Marthæ dicenda eſſet oratio Dominica, apud quam frequentiſſime hoſpitari dignatus eſt. Videtur ergo melior communis opinio, vt non pro iſto Iuliano, ſed pro parentibus cuiuſdam alterius Iuliani dicenda ſit, cuius hic hiſtoriam ſubdimus, quoniam à pluribus ignoratur.

De alio Iuliano: pro quo dicitur oratio dominica.

CAP. CXV.

IVlianus iſte iuuenis, & nobilis quadam die cum venationi inſiſteret, quidam ceruus ei dixit, quod dies futura eſſet, in qua parentes ſuos occideret. Ad hoc exterritus, timens ne in hoc incideret, relictis omnibus clam diſceſſit, & longe profectus tam ſtrennue cuidam *Caſtellano* ſeruiuit, vt eum militem faceret, & ei quandam *Caſtellanam* viduam deſponſaret. Interea parentes Iuliani eum in locis plurimis perquirentes, tandem ad caſtrum, cuius erat Dominus, aduenerunt, & ab vxore cognitis interſignijs, tam benignè ſuſcepti ſunt, vt ſeorſum ipſa iaceret, & præ amore viri ſui eos in cubili proprio collocaret. Facto mane Caſtellana ad Eccleſiam perrexit. Et ecce Iulianns, qui tunc forte abfuerat, rediens ad thalamum ſuum quaſi eam excitaturus, intrauit: & inueniens ſimul duos dormientes, vxorem cum adultero ſuſpicatus: eos extracto gladio decollauit: & exiens de domo, vidit vxorem ſuam venientem de Eccleſia. Et admirans interrogabat, quinam eſſent, qui in ſuo thalamo ſic dormirent? At illa, Parentes, inquit, veſtri ſunt, qui vos diutiſſime quæſierunt; tunc penè præ dolore deficiens, heu, inquit, impletum eſt verbum Cerui, quia ego meos parentes occidi. Iam nunc vale dulciſſima ſoror, quia iam de cætero non quieſcam, donec acceptauerit Dominus pœnitentiam meam. Cui illa: Abſit, inquit, dulciſſime frater, vt ſine me diſcedas, & quæ fui particeps gaudij, non ſim particeps, & doloris? Mecum ergo ſuſtine quicquid ſufferre decreueris. Sic abeuntes tandem ad quendam fluuium peruenerunt, & tugurium ibi fecerunt, vt ibi pœnitentiam ſuam facerent, & omnes qui vellent tranſire fluuium pro Deo tranſponerent, poſt longum tempus media nocte hyemis cum dormirent, ecce quidam, *Iulianum*, clamauit, & vxor eius audiens, vt iret, admonuit. Qui timens frigus, & noctem, ipſa inſtante, clamantem tranſponit, & algentem, cum accenſo igniculo calefacere non poſſet, ſicut ille petiit, inter ipſos ipſum in lectulo collocauit. Tunc ille, Iuliane, inquit, Dominus me miſit ad te, mandans tibi, quòd tuam pœnitentiam acceptauit. Et vos poſt modicum migrabitis ad dominum: Et ſic ille diſparuit.

De ſancto Hermagora & eius paſſione.

CAP. CXVI.

EX geſtis eius. Fuit ſanctus Hermagoras Beati Marci diſcipulus ab eodem Aquileiæ ciuitatis Italiæ conſtitutus Epiſcopus, & à Beato Petro Apoſtolo confirmatus. Qui ſpiritu ſancto plenus, verbum Domini cæpit prædicare, & per orationem Dæmonia ab obſeſſis corporibus ejcere, infirmos ſanare, & cæcis *facto Crucis ſignaculo ſuper oculos eorum*, viſum reddere. Currebant ad eum omnes Italiæ populi, videntes eius mirabilia, quia & per eum ſancta multiplicabatur fides, Paganorum autem inſania confundebatur.

Iulianus occidit parẽtes.

De quodam Iuliano cui ceruus dixit, quod occideret parentes ſuos.

Pœnitentia Iuliani.

Dominus acceptauit pœnitentiam Iuliani.

Multa miracula edit ſanctus Hermagoras.

Eodem vero tempore imperante Nerone in vrbe Roma, & præfecturam agente Agrippa, qui fuerat frater Herodis; tunc in Aquileienſem ciuitatem direxit præſidem Seuaſtum nomine, vt in eadem ciuitate (vt diximus) adminiſtraret; qui ingreſſus ciuitatem, ſedit pro tribunali, & audito de ſancto Hermagora, quod templa Deorum per ipſum deſolata eſſent, impetu infremuit vt Leo; miſitque turbam militum, qui impetum facientes eum comprehenderent, & ferro vinctum ad ipſum perducerent; qui cum ſiſteret coram præſide, ab eo interrogatus eſt: qua audacia populum à Dijs ſepararet, & *Crucifixum* prædicaret, eleuans oculos ſuos in cœlum *facto ſignaculo Chriſti in fronte ſua*, conſtanter reſpondit, ſe ordinatum Epiſcopum ex iuſſione Domini, & prædicando non quieſcere, niſi omnes à Diabolo detentos per verbum Dei ad cognitionem eius reuocaret. Hæc & alia Præſes ab eo audiens, iuſſit eum extendi, & neruis crudis cædi. Cumque cæderetur, aſpiciens in cœlum, gratias agebat Domino: Deinde Præſes iuſſit eum in equuleo ſuſpendi, & pectus eius vnguliis radi, poſtea præcepit laminas ferreas calentes pectori eius imprimi, & lampades ardentes eius lateribus applicari, quod cum fieret, ſanctus Dei martyr canebat hymnum Domino pendens in ligno dicens: *Deus in adiutorium meum intende, &c.*. Videntes autem populi eius magnam conſtantiam, exclamauerunt dicentes: *Magnus eſt Deus Chriſtianorum*, ſine vlla cauſa tormentatur vir Dei. Tunc iratus Præſes iuſſit eum de equuleo ſubmitti, & in carcerem recludi, propter populorum ſeditionem.

Conſtantia B Hermagorã in fide Chriſti.

Feruntur Hermagorã acta conſcripta à Gregorio, cuius filia obſeſſa à damone, ab eodem ſancto fuit incolumitati reſtituta: Recitat ea Mombrit. to 2. Petrus in cathalogo l. 6. cap. 86. & alij recẽtiores, vt Sabellicus, Volaterranus, Rubeus, & hiſtoria nuper edita Aquileia.

Qualiter cum ſancto Fortunato martyrizatus eſt.

CAP. CXVII.

CVmque recluderetur in carcerem, orauit, & ſubitò lumen nimium refulſit, & odor ſuauis carcerem repleuit. Quo viſo cuſtos carceris nomine Pontianus aperta interiori ianua carceris, ipſo quoque orante, procidit ad pedes eius, & prouolutus deprecabatur eum, dicens: Deprecor te per nomen Dei tui, qui tantam tibi claritatem conceſsit in tenebris, vt miſererais mihi miſero, & ad Dei tui agnitionem me perducas, & per te liberet Deus tuus animam meam perditam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qui dixit ad eum: Si credis ex corde tuo toto, & tota anima tua, omnia possibilia sunt quæ postulas. Qui respondit: Credo, Baptizato itaque Pontiano irruit in eum Spiritus sanctus, & cœpit præconaria voce clamare per omnes plateas, & vicos ciuitatis dicens: *Magnus est Deus, quem prædicat sanctus Hermagoras.* Ad hanc vocem cucurrit ad carcerem omnis populus, & multi clarissimi viri videntes in carcere tale lumen, Deo gratias egerunt. Beatus autem Hermagoras confortans animos clericorum, eiusdem Pij Pastoris amissionem dolentium, & plangentium, iussit ordinare fortunatum Archidiaconum discipulum suum, quem ipse ex infantia cum Dei nutriebat timore. Post aliquot dies audiens Seuastus præses de B. Alexandria: quia baptizata est à sancto Fortunato Archidiacono iussit eum in carcerem duci. Quem cum vidisset S. Hermagoras, domino Deo egit gratias, quia dignatus est eum associare, vt cum eodem martyrium susciperet. Per dies autem plurimos multa per eos mirabilia dominus in carcere ostendit: & concurrentes ad eos, omnes infirmitates varias habentes, curabantur ab eis *in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Videntes autem Sacerdotes paganorum; colligentes populum incredulum, vnanimiter venerunt ad Seuastum Præsidem, cum fustibus, & lapidibus clamantes, & dicentes: Ciuitas tota perit per te, quia facis vique nunc viuere hominem, qui per magicas artes populum alienat, & euertit mentes eorum vt separentur à Dijs. *Tolle Magum, occide Maleficum*: Sin autem nolueris, teipsum interficiemus, & illum igne consumemus. Tunc Seuastus Præses, timens populum, qui per eum crediderunt in nomine Christi, misit noctu Spiculatorem, & in carcere decollauit sanctos Hermagoram & Fortunatum: quorum corpora colligens Pontianus custos carceris; & omnem cruorem sanguinis eorum colligens in vnum collocauit locum. Martyrizati sunt autem 4. Idus Iulij.

Malignitas & inuidētia persecutorum Ecclesiæ Dei.

Hermagoras & Fortunatus capitali supplicio perpetuum meruerunt triūphum.

De his, quæ præcesserunt mortem Neronis.

Cap. CXVIII.

Eusebius. Anno autem Neronis 6. fulmen ante mensam cecidit.

Suetonius. Talem itaque Principem paulominus, 14. annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit; initium facientibus Gallis. Mox Britannia amissaque Armenia, ac rursus vtraque recepta, perpetuam singularemque fœlicitatem concepit: adeo vt amissis naufragio preciosissimis rebus, non dubitauerit inter suos dicere: *pisces sibi eas relaturos*, nihil æquè doluit quàm malum se cytharedum increpitum, singulos subinde rogitans, noscetne se quenquam meliorem? Vbi de motu Galliarum cognouit, adeo lentè ac secure tulit, vt gaudentis etiam suspicionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum: statimque in arenam progressus certantes athletas effusissimo studio spectauit. Postquam autem etiam Hispanias desciuisse cognouit, collapsus animo diu sine voce velut mortuus iacuit. Vtque resipuit veste discussa, capite conuerberato, *actum de se* pronunciauit, nec eo secius quicquam ex consuetudine luxus, ac desidiæ obmisit, vel imminuit. Quinimo cum prosperi quiddam ex prouincijs nunciatum est, super abundantissimam cœnam iocularia in defectionis ducens carmina, lasciueque modulata etiam gesticulatus est, ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenice placenti misit nuncium, *abuti eum occupationibus suis.*

Defectio Gal. liarum.

Quomodo nūcio de motu Galliarū accepto se gesserit.

Animo frāgitur ad nūcium defectionis Galbæ & Hispaniarum.

Initio statim tumultus multa, & immania, verum non abhorrentia à natura sua, creditur destinasse, percussores, scilicet submittere exercitus, prouinciasque regentibus quasi conspiratis, idemque scientibus, quicquid vbique exulum, quicquid in vrbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare illos, ne desciscentibus aggregarentur: hos, vt conscios popularium atque fautores. Senatum vniuersum veneno per conuiuia necare, vrbem incendere, feris in populum immissis, quo facilius defenderetur, sed absterritus est non tam pœnitentia, quàm perficiendi desperatione. In præparanda expeditione primam curam habuit dirigendi vehicula portandis scenicis organis, concubinasque quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, & securibus peltisque Amazonicis instruendi. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quodammodo animum vulgi mouerent. Sunt qui tradunt Paridem Histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta. Ideoque multis rebus, & locis, veteri appellatione detracta, nouam induxit ex suo nomine. Mensem quoque Aprilem Veronicum, Romamque Neropolim appellari voluit: religionum omnino contemptor fuit. Vidit autem per quietem nauem, sibi regenti exortum gubernaculum, trahique se ab interfecta vxore in arctissimas tenebras, & pennatarum formicarum multitudine oppleri. De mausoleo sponte foribus patefactis exaudita est vox nomine eum cientis.

Expeditionis præparatio ridicula & fœda.

Terretur portentis somniorum, & auspiciorum.

Hugo Floriacensis lib. 4. Cumque multa mala (quæ recensere per singula nimis longum est) reipublicæ irrogaret, *tandem hostis à Senatu iudicatus est*, vt qui sacrilegio fidem, parricidio pietatem, incestu pudicitiam violaret, ipsamque potestatem Romani Imperij, vel officia, seu negocia improbissimis libertorum commiserat: cum enim ipse fidem nulli seruaret, omnes suspectos habebat. Duobus tamen nequissimis Nimphidio & Gemello se credendum putauit, quos vilis conditio sibi obnoxios fecerat, verum ipsi exemplum crudelitatis eius perhorruere. Nam quia charissimos viros interemerat, cauere sibi & præuenire voluerunt, quod metuebant. Ambo igitur facta cum cęteris conspiratione Parricidam deseruerunt.

Hostis à Senatu iudicatus est.

Deseritur ab omnibus.

De infœlici eiusdem morte.

Cap. CXIX.

ITaque defertus ab omnibus suis, fugit ex vrbe & seipsum interfecit.

Suetonius. Nunciata quidem cæterorum exercituum defectione, literas prandenti traditas concerpsit, mensam subuertit, duos scyphos gratissimi vsus, solo illisit: assumptoque veneno, & in auream pyxidem condito, præmissis Ostiam libertorum fidissimis ad classem præparandam, tribunos, centurionesque, de fugæ societate tentauit: sed partim tergiuersantibus, partim aperte detrectantibus, vno vero proclamante,

Nunciata cæterorum exercituum defectione cogitat de fuga.

Vsque adeone mori miserum est:

varia agitauit: Parthosne supplex an Galbam peteret, an attractus prodiret in publicum, quantaque posset miseratione præteritorum veniam precaretur. Sed deterritum putant, ne priusquam in forum perueniret, discerperetur, sicque cogitatione in posterum dilata, ad mediam fere noctem excitatus, misit qui excitarent amicos. Et quia nihil à quoquā renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adijt: verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum redijt: vnde & iam custodes diffugerant directis stragulis, ac statim quemlibet percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto: *Ego ego*, inquit, *nec amicum, nec inimicum habeo? percurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim.* Sed reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderans, nudo vt erat pede atque tunicatus, pœnulam ob soleti superinduit coloris: adopertoque capite, & ante faciem obtento sudario, equum ascendit, quatuor tantum comitantibus, sed vt ad diuerticulum ventum est, dimisso equo inter fruteta & vepres, per arundineti semitam ægrè nec nisi strata sub pedibus veste, diuulsa sentibus pœnula, quadrupes per angustias cauernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum modica culcitra veteri pallio instratum. Tunc vnoquoque hinc inde hortante, vt quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobē

coram

coram se fieri impetrauit. dimensus ad corporis sui modulum; & aquam simul, & ligna conferri; curando mox cadaueris funeri, flens ad singula atque identidem dictitans. *Qualis artifex pereo?* Inter moras perlato à Cursore nuncio, *hostem se à senatu iudicatum, & quæri, vt more puniretur*; conterritus, duos pugiones quos secum extulerat, arripuit. Tentataque vtriusque acie, rursus condidit causſatus *nondum adesse fatalem horam.* Ac modo comites hortabatur, vt lamentari & plangere inciperent, modo orabat, vt se aliquis ad mortem capescendam exemplo iuuaret: interdum etiam segnitiem suam increpabat. Iamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, vt viuum eum attraherent. Quod vt sensit, ferrum iugulo adegit, iuuante quodam ex stantibus; rigentibusque oculis vsque ad horrorem, formidinemque visentium; tantum in morte eius reipublicæ gaudium fuit, vt plebs pileata tota vrbe discurreret.

Nero seipsū interfecit.

Mors eius quomodo accepta ab hominibus.

Eusebius. Anno igitur Domini 70 ætatis ipsius Neronis 32. cum à Senatu quæreretur ad pœnam è palacio fugiens, ad quartum vrbis milliarium in subvrbano liberti sui inter Salariam & Numentanam viam semetipsum interfecit, atque in eo omnis Augusti familia consumpta est.

De Galba Imperatore & morte eius.

CAP. CXX.

Galba Imperator anno Mūdi 4023. Christi 70.

HVgo. Adhuc autem Nerone superstite Galba in Hispania creatus est Imperator; Qui post eius obitum Romam venit, & imperauit mensibus sex, & diebus totidem. Porrò morte Neronis ita Romana plebs exultauit, vt induta pileis, tanquam sæuo exempta domino, triumpharet. *Suetonius lib. 7.* Hic autem Galba statura fuit iusta, capite præcaluo, oculis cæruleis, aduncо naso, manibus, & pedibus articulari morbo distortissimus. Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno ante lucem capere consueuerat. Hic olim prouinciam Hispaniam regens, tutorem, quod pupillum, cui substitutus erat hæres, veneno necauerat; cruce affecit. Implorantique leges, & ciuem Romanum se testificanti; quasi solatio, & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoque cæteris altiorem, & dealbatam parari statim crucem, iussit. Maiore autem fauore & auctoritate adeptus est, quam gessit, imperium. Regebatur autem trium arbitrio: quibus diuerso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit & tradidit, vt vix ipse sibi constaret; modo acerbior, parciorque, modo remissior ac negligentior, quam Principi conueniret. Vniuersis ordinibus offensus, præcipua tamen inuidia flagrabat apud milites. Nam cum in verba eius absentis iurantibus donatiuum grandius solito præpositi pronunciassent: ratum non habuit, & subinde iactauit: *militem se legere consueuisse, non emere.*

Statura Galbæ, & mores

Hugo Floriacensis. His autem diebus auaritiæ, & segnitiæ deditus, Pisonem nobilem & industrium adolescentem sibi in filium adoptauit; sed hos ambos Otho Romæ in medio foro interfecit. *Suetonius.* Equites, quibus mandata Galbæ cædes erat, cum per publicum equos adegissent, viso procul eo, paulisper restiterunt: deinde rursum incitati, desertum à suis contrucidarunt. Illud mirum admodum fuit, neque præsentium quempiam opem Imperatori ferre conatum, & qui accersirentur omnes spreuisse nuncium. Iugulatus est, atque ita vti erat relictus: donec Gregorius miles à fomentatione rediens, abiecto onere caput ei amputauit: mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibusque donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circa castrum portarunt.

Galba iugulatus ad lacum Curtij.

De Quintiliano oratore, & flosculis eius.

CAP. CXXI.

Quintiliani flosculi.

EVsebius in chronicis. Ab isto Galba Marcus Fabius Quintilianus ab Hispania Romam perductus est, qui & primus illuc publicam scholam tenuit, & ex isto salarium accepit.

Author. Huius etiam Quintiliani morales flosculos, sicut & cæterorum Philosophorum, huic operi inserendos iudicaui. *Quintilianus, de oratoria institutione lib. 1. cap. 2.* Vtinam nostrorum liberorum mores, non ipsi perderemus.

Infantiam statim delicijs soluimus.

Indulgentia parentum pernitiosa.

Mollis educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes mentis, & corporis frangit.

Optimus quisque præceptor frequentia gaudet, & maiore se theatro dignum putat.

Ingenij signum in paruis præcipuum, memoria est. Eius duplex est virtus, facile percipere, & fideliter retinere.

Cap. 3.

Per plures scire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt.

Ante omnia futurus orator, cui in maxima celebritate & in media republica viuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, nec solitaria vita pallescere.

Cap. 2.

Excitanda est mens, & attollenda semper quæ in huiusmodi secretis, aut langueſcit, & quendam velut in opacositum ducit, aut contra inani persuasione langueſcit.

Necesse est sibi plurimum tribuat, qui se nemini comparat.

Ætas hominis tunc maxime formidanda est, cum simulandi nescia est, & præcipientibus credit facillime.

Frangas autem citius, quàm corrigas, quæ in prauum induruerunt.

Non sunt ferendi, qui artem Grammaticam vt tenuem, atque ieiunam cauillant: quæ nisi fundamenta fideliter iecerit, quicquid perstruxeris, corruit: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes: & quæ vel sola, omni studiorum genere plus habet operis, minus ostentationis.

Plurimi autem ambitiosa festinatione à posterioribus incipiunt, dum ostentare discipulos, circa speciosa malunt.

Consuetudo est certissima loquendi magistra, vtendumque plano sermone est, vt nummo; cui publica forma est, vsitatis enim tutius vtimur.

Noua verba non sine periculo fingimus.

Turpiter desperatur quicquid fieri potest.

Nihil potest placere quod non decet.

De Flosculis eiusdem.

CAP. CXXII.

IDem in 2. Non ideo quidem æstimandum est cuius quisque ætatis sit, sed quantum in studijs iam effecerit.

Carendum est non solum crimine turpitudinis, verùm etiam suspicione.

Ingenia puerorum nimia emendationis seueritate deficiunt, nam desperant & dolent, & nouissime oderunt & quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur.

Aliena vitia quisque reprehendi mauult quàm sua.

Ne tentes, quod effici non possit: nec ab eo quod quis optime facit, in aliud cui minus est idoneus, eum transferas.

Simile.

Vt præceptores officium est docere, sic Discipulorum præbere se dociles; alioquin neutrum sine altero sufficit: sicut enim fruſtra spargūtur semina nisi ea, præmolitus fouerit sulcus, ita scientia coalescere nequit, nisi sociata tradentis, accipientisque concordia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Est quædam virtutum vitiorumque vicinia, qua temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur.

Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, plurimis experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi.

Persuadet, & pecunia, & gratia, & auctoritas, & dignitas dicentis: postremo etiam aspectus ipse sine voce.

Non bona conscientia, sed victoria litigantis, est præmium.

Non est æquum id haberi malum quo bene vti licet.

Omnia quæ ars consummauerit, certum est à natura initia duxisse.

Qui recta via depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu non potest.

Nobis ad virtutes etiam antequam doceamur, initia quædam & semina naturæ concessa sunt, vt ad iustitiam, cuius rusticis quoque, ac Barbaris aliqua imago apparet.

Idem in tertio. Plurimum in consilijs, valet auctoritas: nam & prudentissimus, & optimus haberi debet, qui sententiæ suæ de vtilibus atque honestis credere omnes velit.

Idem in quarto. Perseuerandum est saltem, quia cœpimus; si vires decipiunt, animo tamen perseueremus.

Naturalis est fauor pro laborantibus.

Naturale est, vt iudices his quos libentius audiunt, facilius etiam credant.

Verecundius dicendum est sua, quam aliena laudanti.

Fallit voluptas, & minus longa videntur quæ delectant, sicut amænum & molle iter (etiam si spacij amplioris est) minus fatigat, quam durum atidumque compendium.

Nihil facile persuadetur inuitis.

Tentanda non sunt, quæ effici omnino non possunt.

Nihil longum videri necesse est, in quo quid vltimum sit æternum est.

Idem in quinto. Latrocinium facilius in viro, veneficium in fœmina credis.

In rebus apertis tam stultum sit argumentari quam in clarissimum solem mortale lumen afferre.

Quod rei alterius illustrandæ gratia assumitur, clarius esse debet eo quod illuminatur.

Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.

Ex eodem.

Cap. CXXIII.

Idem in 8. Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

Iurare nisi vbi necesse est graui viro parum conuenit.

Quod imitaturus est, primum quisque intelligat; & quare id bonum sit, sciat; & tunc in suscipiendo onere vires suas consulat.

Prudentis, est quod in vnoquoque optimum est, si possit suum facere.

Etiam in turba, in itinere, in conuiuijs faciat tibi cogitatio ipsa secretum.

Vitiosa est iactatio, fertque audientibus, non modo fastidium, sed etiam plerumque odium.

Habet enim mens nostra sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris, ideoque abiectos, & submittentes se libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores, videmur, & quotiens discesserit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extulerit, premere ac despicere creditur, nec tam se maiorem, quàm cæteros minores facere, inde inuident humiliores, hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec contendere possunt. Rident superiores, improbant bonos. Sed in veris sufficit conscientia.

Affluente fortuna pene omnia decent.

Nihil est ad conciliandum animos gratius verecundia.

In quibusdam virtutes gratiam non habent, in quibusdam vitia ipsa delectant.

Nouerit se quisque, ne tantum ex communibus præceptis, sed etiam ex sui natura consilium capiat formãde actionis.

Pulcherrimi operis studio vacare mens non nisi omnibus vitijs libera, potest: primum, quòd in eodem pectore nullum est turpium honestorumque consortium, & cogitare optima simul ac tetetrima, non magis est vnius animi, quàm eiusdem hominis esse bonum ac malum.

Nihil est tam occupatum, tam multiforme; tam varijs affectibus conscisum atque laceratum quàm mala mens, nam & cum insidiatur spe, curis, & labore distringitur, & etiam cum sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarum expectatione torquetur.

Melius certe persuadebit alijs, qui prius suaserit sibi.

Prodit enim se quælibet custodita simulatio; nec vnquam tanta est loquendi facultas, quæ non titubet & hæreat, quotiens ab animo, verbo dissentiunt.

Rerum optimarum inuentio, etiamsi lenocinijs verborum destituta sit, satis tamen natura sua ornatur.

Nullum rectè voluntati serum est tempus.

Philosophia simulare potest, eloquentia non potest.

Vbique pernicioſum est vires fiducia præueniri.

In grandibus cœnis hoc sæpe nobis accidit, vt cum optimis satiati simus, varietas tamen nobis ex viliori-bus grata sit.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXIV.

Idem in lib. causarum. Potius hominis libertas est oculos perdidisse: Oculi sunt per quos paupertates ferre non possumus, oculi tota nostra luxuria: Hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. Mirantur, adamant, concupiscunt, vt facilius impleas satietatem animi.

Genus infirmissimæ seruitutis est *Senex Maritus.*

Nihil difficilius est, quàm differre gaudium.

Idem in secunda causa. Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur, & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum.

Idem in tertia causa. Ad omne votum fluente Fortuna lasciuit ocium.

Hæc est superiorum conditio, vt quicquid faciunt præcipere videantur, & pernicioſissimus est malæ rei quisque maximus author.

Idem in quarta causa. Si quis sciat quid sit finis bonorum, quæ vera fœlicitas, nunquam sibi videbitur priuatura morte periturus. Necesse est in facinus ociosus ardor erumpat.

Excedit omnem calamitatem, diebus, ac noctibus timere.

Idem in quinta causa. Voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in commune succurrere, & per mutuas auxiliorum vices quemque in alterum, quod pro se timeret, conferre.

In aliena fame sui quisque miseretur.

Humanæ infirmitatis ista natura est, vt ex omnibus accidentibus grauissimum putat quisque quod patitur.

Necesse est apud impatientiam sua vel minima præualeant.

Idem in sexta causa. Labori oportet insistere, vbi effectus promittitur, nam stulta est cura, quæ speciem non habet.

Subit libens pietas pœnam etiam scelęribus grauem.

Idem in septima causa. Nihil in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.

Pauper-

Paupertatis proprium eſt, vbi alia deficiunt exercere libertatem.

Adhuc ex eodem.

Cap. CXXV.

Idem in 8. cauſa. Non reperio quid in rebus humanis excogitaret natura præſtantius amicitia? quod concordia contra fortunam maius auxilium? Quid enim foret humano generi fœlicius, ſi omnes eſſe poſſent amici? non bella, non ſeditiones, non latrocinia, non lites, cæteraque mala, quæ hominibus ex ſeipſis nata ſunt fortunæ ac ceſſiſſent.

Cœleſtis prouidentia multa varietate pectora noſtra diſtinxit, nec minus numeroſas animorum, quam corporum dedit formas.

Idem in 10. cauſa. Nulla pœna eſt niſi inuito, nullum habemus niſi ab impatientia dolorem: & vt aliquid crudele ſit metus facit.

Non habitant vna pudor & fames.

Idem in 11. cauſa. Nihil vnquam grauius, quam deſtituta ſpes, torquet.

Idem in 12. cauſa. Parum aliquid terræ, & humilis tugurij ruſticum oulmen: Equitas animi Regnum facit.

Qui confeſſum defendit, non abſolutionem ſceleris petit, ſed licentiam.

Idem in 14. cauſa. Non eſt iuſtior dolor quam beneficij perdidiſſe rationem.

Non expectes, vt gratias ſtatim agat, qui ſanatur inuitus.

Non ſine aliquo morſu reſilitur ab illis, qui voluptate animum tenuerunt.

Idem in 15. cauſa. Minus debetur homini qui ideo tantum aliquod amat quia neceſſe eſt, neſcis an diligat, cuius experimenta non habet, niſi fœlicitas.

Facinus eſt id tantum credere quod expedit; & actum eſt de rebus humanis ſi ſola ſeruatur vtilitatum fides.

Idem in 16. cauſa. Nihil æquè paratum impetu conſtat quàm mori velle, nec quicquam res humanæ impatientius habent, pereuntis affectu.

Idem in 17. cauſa. Peſſimum humanarum rerum malum ſemper eſt, quod auidius nefanda fingunt, nec vſquam magis operepretium putant maligni facere ſermones, quàm cum incredibilia quaſi deprehenſa narrantur.

Neceſſe eſt autem contentioſus loquaris quicquid probare non poſſis. Et affirmationem ſumit ex homine, quicquid non habet ex veritate.

Nullam difficiliorem eſſe credo, quàm ſilentij virtutem, adeoque promptiſſimo ſermone facile delinquimus, vt conſtantiam tacendi nec in alijs ferre poſſimus.

Idem in 18. cauſa. Genus reuerentiæ eſt, vt tacenda ſcire minime velis.

Non habet cauſam loquendi, cui credi non poteſt; ablata eſt enim ab eo omnium verborum fides, omnis ſermonis auctoritas.

De Othone Imperatore, & morte eius.

Cap. CXXVI.

Otho Imperator anno M.4014 C. 71.

Hvgo Floriacenſis. Otho igitur inter tumultus, & cædes Romanorum inualit Imperium, & imperauit menſibus tribus. *Suetonius lib.* 8. Hic fuiſſe traditur, & modicæ ſtaturæ, & male pedatus, & caluus, munditiarum vero pænè muliebrium, quin faciem ſuam quotidie raſitare ac pane madido linire conſuetus, idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus vnquam eſſet.

A prima adoleſcentia procax fuit & prodigus, vagari noctibus ſolitus, atque inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum, in ſublime iactare; libertinam aulicam, quo efficacius coleret etiam diligere ſimulauit, quamuis Anum ac penè decrepitam per hanc inſinuatus Neroni, facillime ſummum inter amicos locum tenuit; congruentia morum omniumque conſiliorum ſecretorumque particeps effectus. Die quem necandæ matri Nero deſtinarat, ad auertendas ſuſpiciones cœnam vtrique exquiſitiſſimæ comitatis dedit. Qui vt primum Imperij ſpem cœpit, nullo officij aut ambitionis in quemquam genere omiſſo; quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim diuidebat; vt iam vix vllus eſſet, qui non & ſentiret, & prædicaret ſolum Imperij ſucceſſione dignum. Poſtquam autem Piſone prælato ſpe decidit, ad vim conuerſus eſt; inſtigante ſuper animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni, neque enim diſſimulabat, *niſi Principem ſe ſtare non poſſe; nihilque referre, an ab hoſte in acie, an in foro, ſub creditoribus caderet.* Ergo deſtinata die, prænonitis conſcijs, vt ſe in foro operirentur; mane Galbam ſalutauit, vtque conſueuerat, oſculo exceptus, etiam ſacrificanti interfuit. Deinde quaſi venalem domum inſpecturus, abſceſſit; proripuitque ſe poſtica parte palacij. Tunc abditus propere muliebri ſella in caſtra conſcendit, vbi ſubcollatus eſt; miſſis qui Galbam trucidarent. Ad conciliandos pollicitationibus militum animos, nihil magis pro concione teſtatus eſt, quàm *id demum ſe habiturum, quod ſibi illi reliquiſſent*; deinde quaſi raptus de publico, & ſuſcipere Imperium vi coactus, geſturuſque communi omnium arbitrio, palatium petijt, ac ſuper cæteras gratulantium, adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus *Nero* nullum iudicium recuſantis dedit; immo etiam vt quidam tradiderunt epiſtolis ſuis ad quoſdam prouinciarum præſides, Neronis cognomen adiecit, cunctas imagines, ſtatuaſque reponi paſſus eſt; & procuratores, atque libertos, ad eadem officia reuocauit. *Hugo Floriacenſis.* Contra hunc tandem veniens Vitellius, Lucio Vitelio ter conſule natus, dimicauit. Sed cum animaduertiſſet Otho ſuos vinci in prælio, ſeipſum interfecit.

Vita Othonis ſub Nerone.

Imperij ſpem capit & ambitione viam eò ſibi munit

Ordo rerum ab Othone geſtarum in occupando imperio, & cadendo Galba.

Geſta quædam eius in initio imperij

Otho ſeipſũ interficit.

De Vitellio Imperatore, & eius moribus.

Cap. CXXVII.

Vitellius Imperator.

Hic itaque Vitellius Romam victor intrauit, & Imperauit menſibus octo.

Suetonius lib. 9. Hic pueritiam primamque adoleſcentiam egit inter Tiberiana ſcorta: ſequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit: Caio per aurigandi, Claudio per aleæ luſum, familiaris: ſed aliquanto Neroni acceptior, tum propter hæc eadem, tum peculiari merito, quod præſidios certamini Neroneo, cupientem inter Citharædos contendere, nec quamuis flagitantibus cunctis promittere audientem. Ideoque egreſſum theatro, reuocauerat quaſi perſeuerantis populi legatione ſuſcepta, exorandumque præbuerat. Deinde cum à Galba in inferiorem Germaniam ad regendum exercitum mitteretur, contemptu magis quàm gratia, ſatis conſtat extituro viaticum defuiſſe, tantæ egeſtate rei familiaris, vt vxore ac liberis, quos Romæ relinquebat meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret: vtque ex aure matris detractum vnionem pignoraret ad itineris impenſas, creditorum quidem præſtolantium, ac detinentium turbam, non niſi terrore calumniæ amouit. Aduenientem exercitus ad res nouas pronus, libens ac ſupinis manibus excepit, obuios quoque militum exoſculantem: caſtra vero ingreſſus, nihil cuiquam poſcenti negauit, atque etiam vltro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia dempſit, quare ſubito à militibus è cubili raptus, ita vt erat in veſte domeſtica, *Imperator* eſt conſalutatus: circumlatuſque per celeberrimos vicos. Itinere inchoato per medias ciuitates ritu triumphantium vectus eſt, perque flumina delicatiſſimis nauigijs è vario coronarum genere redimitis. Inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus, nulla familiæ, aut militis diſciplina, rapinas ac petulantium omnium in iocum vertens: vtque campos in quibus pugnatum eſt

Vita ſub Claudio, Caio, & Nerone.

Legatus in inferiorem Germaniam à Galba mittitur.

Caſtra ingreſſus conciliat ſibi milites; & mox ſalutatus eſt Imperator.

Vitellij gula profunda in tempeſtiua ac ſordida.

adijt, abhorrentes quoſdam cadauerum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt, *optime olere occiſum hoſtem, & melius ciuem*. Solemni conuiuio Cytharædo inchoanti Neroniana cantica exultans, primus etiam plauſit. Luxuriæ præcipuè ſæuitiæque deditus, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpartiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas commeſſationeſque facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine. Indicebat autem aliud alij eadem die, nec cuiquam ſinguli apparatus minus quadragenis milibus nummorum conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna data ei à fratre, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium ſeptem auium appoſita traduntur: hanc quoque exſuperauit ipſe dedicatione patinæ. In hac Scarorum iocinora: Phaſianorum, & Pauonum cerebella, linguas Phœnicopterum, Murænarum lactes, à Carpathia vſque fretoque Hiſpanico petitarum, commiſcuit: ne in ſacrificijs quidem aut vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria manderet, circaque viarum popinas.

De crudelitate, & morte eius.

Cap. CXXVIII.

Sæuitia eius ac varia necis ac ſupplicia.

PRonus vero ad cuiuſcumque vel quacumque de cauſa, necem atque ſupplicium: Nobiles viros condiſcipulos, & æquales ſuos vario genere fraudis occidit, quorum vnum veneno etiam manu ſua porrecto, in aquæ frigidæ potione, quam his affectus febre popoſcerat: vt quiſque deferretur, inauditum capite puniebat, ſuſpectus etiam in morte matris fuit. *Hugo Floriacenſis.* Interea vero Veſpaſianus debellabat prouinciam Iudaicæ gentis. Conualuit itaque in exercitu rumor ciuilium bellorum, & de Galbæ, & Othonis nece manifeſtum eſt: deque Imperio Vitellij, qui nequior ſuperioribus quaſi fex reſederat. Tunc conferre ſecum viri veteris militiæ cæpere, & indignè ferre ſe primos ad pericula, & vltimos ad honorem, qui ab inferioribus dominos acciperent. Addebant etiam eſſe ſibi virum ſtrenuum *Veſpaſianum*, quem eligi decuerat *Imperatorem*, quem maturum ad conſulendum, & iunioribus validiorem ad præliandum compererunt. Adoriuntur itaque Veſpaſianum, rogantque vt gubernaculum Romani ſuſcipiat Imperij, illeque abnuere, & indignum ſe dicere cæpit: illi promptius inſtabant, vrgebant milites, inſiſtebant duces, ceſſit igitur *Veſpaſianus* inuitus, & prius curam quã honorem induit Imperialem, ipſe vero per Cappadociam, & Phrigiam iter direxit.

Militum cõſultatio de eligendo Veſpaſiano.

Romæ vero Vitellius poſitus omni magnitudine, nominis ac maieſtatis oblitus, conuiuijs inhiabat, ſed excitatus ſiniſtro nuncio, Cecinam quendam ducem ſui exercitus miſit: eique ſummam ſui commiſit periculi: ipſe vero luxuria marcidus tabeſcebat, vinoque ſepultus nihil aliud expectabat, niſi cum hoſtis adueniret, ebrius periret ſine ſenſu doloris. Tunc ergo circa vrbis mœnia congreſſu habito fuſi ſunt, & cæſi omnes Vitelliani, deficientibus itaque Vitellianis partibus, cum ſe in quandam proximam palatio cellulam Vitellius intruſiſſet, turpiter inde protractus, & excruciatus in forum deducitur, & ibidem occiditur.

Inter magna rerum verborumq; ludibria periit Vitellius.

Suetonius. Itaque extractus ex latebra religatis poſt tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus eſt: inter magna rerum, verborumque ludibria, reducta à capite coma (ceu noxij ſolent) atque etiam mento mucrone gladij ſubiecto, vt viſendam præberet faciem, neve ſubmitteret, quibuſdam ſtercore, & cœno inceſſentibus, alijs *incendarium, & patinarium* vociferantibus parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante. (Erat enim in eo enormis proceritas, facies rubicunda, & plerumque ex violentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile.) Tandem minutiſſimis ictibus excarnificatus, & confectus eſt, & inde vnco in Tiberim tractus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER NONVS.

De Imperio Vespasiani, & eius initio.

CAP. I.

Vespasianus imperator anno M. 4024 c. 71.

HVGO *Floriacensis*. Vespasianus igitur, illa turbida Tyrannorum turba discussa Imperium adeptus imperauit annis * ix. mensibus 11. diebus 22.

* *Ita Euseb. Nicephorus, Chronicum Graecum, & Cassiodorus, Epiphanius ait, illum imperasse annis nouem, mensibus 7. diebus 12. Dion annis 10. diebus sex minus, sic & Zonaras.*

Hic multis Iudæorum oppidis captis, sicut superius dictum est, audita morte Neronis, hortatu militum *Imperator* effectus, reliquit Titum filium suum ad procurationem obsidionis Hierosolymorum, vt & Romanis non deesset, nec Iudæis, quem filius repræsentaret.

Eusebius in chronicis. Imperauit autem Vespasianus Romanorum 8. ab anno Domini 71. mundi vero 4024.

Oroſius 9. principatus anno proſtauro martiũ ſcribit. Tertullianus ait annis vndecim regnaſſe, Cedrenus annis 10. diebus 8.

Suetonius. Hic quondam inter comites Neronis, cum cantante eo aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, grauissimam contraxit offensam: Prohibitusque non contubernio modo: sed etiam publica salutatione, secessit in paruam ac deuiam ciuitatem, quoad latenti, & iam extrema metuenti, Iudæa prouincia cum exercitu oblata est. Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio; esse in fatis, vt eo tempore Iudæa præfectu rerum potiretur.

Vespasianus præficitur bello Iudaico

Suscepta censura, ne quam occasionem disciplinæ prætermitteret, adolescentulum fragrantem vnguento cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, vultu aspernatus, voce etiam grauissima increpuit, litterasque reuocauit. Imperio adepto, amplissimos ordines, & exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia purgauit; suppleuitque recensito senatu, & equite; submotis etiam indignissimis, & honestissimo quoque allecto. Vsque ad exitum vitæ ciuilis, & clemens. Mediocritatem generis neque dissimulauit vnquam: ac frequenter etiam præ se tulit; nihilque ornamentorum appetiuit. Amicorum libertatem ac philosophorum contumaciam leuissime tulit. Offensarum, inimicitiarum minime memor, executorve: vt suspitione aliqua, vel metu ad perniciem cuiusdam compelleretur, tantum abfuit, vt monentibus amicis cauendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur Genesim habere imperatoriam; insuper consulem fecerit. Spondens quandoque beneficij memorem futurum. Filiam quoque hostis sui Vitellij splendidissime maritauit, dotauit etiam & instruxit. Sola est in qua merito culpetur pecuniæ cupiditas.

Pecuniæ cupiditas ingens.

Ordines purgat supplet q3

De Ioſepho, & ſcriptis eius.

CAP. II.

Ciuilitas eius & clementia.

EVſebius in chronicis. Hinc Flauius Iosephus scriptor historicus dux belli Iudæorum, cum à Romanis interficiendus esset, pronunciauit de morte Neronis, & eius Imperio.

Hieronymus de illustribus viris. Ipse Iosephus Mathathiæ filius ex Hierosolymis Sacerdos à Vespasiano captus cum Tito filio eius relictus est. Hic Romam veniens 7. libros Iudaicæ captiuitatis Imperatoribus patri, filioque obtulit, qui & bibliothecæ publicæ traditi sunt: & ob ingenij gloriam statuam quoque Romæ meruit.

Libri Ioſephi de bello Iudaico & alij eius libri.

Scripsit quoque & alios viginti antiquitatum libros ab exordio mundi vsque ad 14. annum Domitiani Cæsaris: & duos archiothecos id est, conflictus aduersus Apionem Grammaticũ Alexandrinũ, qui sub Caligula legatus missus est ex parte gentilium contra Philonem.

Librum etiam vituperationem gentis Iudaicæ continentem scripserat.

Alius quoque liber eius valde elegans habetur, in quo Machabæorum sunt digesta martyria.

Hic in decimo octauo antiquitatum libro cap. 4. manifestissime confitetur, propter magnitudinem signorum Christum à Pharisæis interfectum, & Ioannem Baptistam vere prophetam fuisse: & propter interfectionem Beati Iacobi Apostoli Hierosolymam dirutam esse.

Teſtimonium Ioſephi de Chriſto.

Scribit autem de Domino in hunc modum: Eo tempore Iesus sapiens vir (si tamen virum eum oportet dicere) erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de gentilibus, quam de Iudæis habuit sui sectatores, & credebatur esse Christus. Cumque inuidia nostrorum principum Cruci eum Pilatus addixerit, nihilominus qui fideliter dilexerant eum, perseuerauerunt. Apparuit autem autem eis tertia die viuens. Multa hæc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& alia miracula carminibus prophetarum de eo vaticinantibus; & vſque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum, non deficit.

Author. De libris huius Ioſephi, nonnulla in hoc opere congruis locis inſerui,

De obſidione, & calamitate Hieruſalem.

CAP. III.

Triplex bellum Hieroſolymæ.

EGeſippus lib. 5. cap. 1. Anno igitur primo delati Imperij Veſpaſiano, Iudæa bellis aſperis, & ſeditionibus domeſticis lacerabatur, trinoque prælio ciuitas Hieruſalem intra ſe laborabat, nulla requies, nullæ induciæ, momentis omnibus dimicabatur, innumeri iugulabantur. Manabat ſanguis, & vniuerſa replebat, & quaſi profluuius etiam per interiores templi receſſus decurrebat. Ita ſanguine, incendio, ruina, fame, totius vrbis nerui ſuccindebantur. Nullus locus periculo vacabat, nulla fugiendi copia erat, pauor vbique, clamor mulierum, morientium gemitus, deſperatio viuentium, vt miſerabiles diceres eos, qui remanſerant, beatos qui obierant.

Cap. 2. Alloquitur Author populum Iudaicum.

Quomodo decepta es ciuitas populis tuis? expugnata armis tuis, quæ ſolebas, ſine armis vincere, ſine prælio hoſtem ferire, cum pro te Angeli dimicarent, & militarent tibi fluctus maris, hiatus terræ, cœli fragores? Ecce habes, quod petiſti. Agnoſce tibi hodie Barrabam viuere, Ieſum verò mortuum eſſe. In te ideo regnat ſeditio, pax ſepulta eſt, vt crudelius à tuis pereas, quàm ſi perires ab alienis. In templo igitur ipſo pro vnguentis bene olentibus, pro thymiamatib. bene ſpirantibus, pro diuerſorum florum odoribus, grauis erat inſepultorum cadauerum fœtor, quos pluuia diſſoluerat, quos flamma combuſſerat, quos ſol calefecerat. Neque enim humare cuiquam corpora vacabat eorum, qui vel in templo, vel circa plateas necabantur; quia bellum eos inter ſe occupabat, feriendiq́ue magis quam humandi cura vniuerſos tenebat. Nihilq́ue magis in tantis calamitatibus, quam miſericordia perierat, quæ ſola ſolet alleuiare miſerias, ſolari ærumnas. Quidam tamen latrones in alios ſæuientes fœtorem occiſorum grauiter ſuſtinentes, de muro reliquias defunctorum in profunda præcipitia deijciebant.

Leges naturæ ſoluuntur.

Miſericordia etiam perijt.

Cap. 21. Titus teſtatur Iudæos diuinitus afflictos.

Itaque Titus Veſpaſiani filius, qui bellum à patre ſuſceperat, aſpiciens præruptos ſpecus plenos cadauerum, ſaniemque dilaceratis viſceribus innatantem, altè ingemuit, & manus ad cœlum eleuans teſtabatur, nequaquam illud ſibi adſcribendum, qui veniam dare voluiſſet, ſi deditioni proceſſiſſent; expectaſſe ſe vt pacem rogarent, paratum incolumes ſeruare, ſi bellum depoſuiſſent.

Cap. 25.

Manneus quoque Lazari aſſerebat, per vnam portam ſibi creditam centum quindecim millia mortuorum elata, additis ad hæc 880. funeribus: Idq́ue ſolo eorum numero collectum, qui mercede publica ſepulti forent, præter eos quos ſepelierant ſui. Quæ autem ſepultura niſi vt de muro deijcerentur cadauera? plerique etiam non ignobiles viri cõfugientes ad Titum ſexcenta millia defunctorum, quæ per portas elata numerata eſſent commemorabant; eorum quoque quæ propter magnitudinem infinitam efferri cadauera nequiuerunt numerum fuiſſe inæſtimabilem. Nam plerique etiam de vltimo orbe ad templum venerant, ad prædicandum in die feſto.

De auaritia Iudæorum, & extrema fame.

CAP. IIII.

Cap. 24.

ILlorum autem plerique qui ad Romanos confugerant, cum accepto cibo aluum purgarent, aurum egerebant, aliqui bimones aureos, quos abſorbuerant cum fugam adornarent, ne deprehenſi, non ſolum diſpendio, ſed etiam periculo forent, quia inſidiatores omnia ſcrutabantur: ſcelus enim ducebatur, aurum quemquam præter latrones habere. Hoc itaque Iudæi poſtea miſerabili ſpecie, inter inquinamenta alui aurum legebant. Comperit hoc quidam Aſſyrius, & ab vno in omnes opinio manauit; quod hoc genus hominum præceps ad auaritiam, & paratum ad verſutiam; vt nihil tam atrox ſit quod refugiat, nihil tam turpe, quod ſtudio pecuniæ erubeſcat. A Syris itaque in Arabes diffuſa eſt fama, quibus non eſt minor auaritia, & feritas barbaricæ propior immanitati, quod farti eſſent auro Iudæi. Diripiunt igitur illi quoſcumque aduenientes cernunt: licet contra fas, & contra legem deditionis, contra promiſſum Cæſaris, quo eos occidi non licebat. Incidunt autem viuentes adhuc, cruentiſque manibus euiſcerant ventris ſecreta; aluum ſcrutantur, & inter eius manantia purgamenta, aurum inquirunt. Denique vna nocte fere duo millia virorum diſciſſa ſunt tali flagitio.

Incidunt viuentium viſcera vt ex ijs corradant aurum. Vide Ioſephũ de bello Iudaico lib 6. cap. 15.

Alia quoque ærumna grauis in his, qui ad Romanos transfugerant, accidit. Nam deſuetis edendi officijs, vbi data eſt alimenti copia, cœpit eſſe cibus oneri, qui prius erat vſui. Nulla vis erat dentium, vt cibum manderent, obrigueranr interiora viſcerum, obſtructi erant ductus ciborum; aruerunt iecoris venæ, quæ cibos attrahunt, vſus perierat, auiditas creſcebat. Ruebant ſupra cibos miſeri, & inualidos morſus more infantium meditabantur. Plerique viſis alimentis ipſo gaudio deficiebant, atque inter exoptatos ſibi cibos moriebantur. Eratque pompa lachrymabilis, cum plures à cibo ad periculum ſurgerent quàm ad ſalutem. Inflabantur enim inſolito cibo, quaſi quodam hydropiſis morbo. Et ſi adhuc edendi virtus, auiditas modum neſcia, ſupra menſuram ingerebat, repentino cibo farti, dirumpebantur. Nihil enim mirum, ſi exhauſtis periculo cibus eſt: nam & poſt biduanum ieiunium ſi quid auidius ſumpſeris, ſtatim crudeſcit. Nonnulli autem eorum euaſerunt, quadam arte penſantes cibi moderamina, donec diſſueta edendi caro, ad ſuos vſus rediret.

Cap. 24. Multi Iudæorum viſo cibo deficiebat.

Igitur deſtructis, & exuſtis edificijs templo finitimis, & etiam porticibus, partim à Romanis, partim ab ipſis Iudæis, nuda iam erat templi facies, & ſæua hominum fames. Inſidiabantur ſibi inuicem, quis cui raperet cibum. Vbi alimenti ſuſpicio, ibi bellum. Necabantur etiam chariſſimi, diſcutiebantur defuncti, ne quis intra eorum amictus cibus lateret. Aperto ore ſicut rabidi canes aurarum captantes ſpiramina huc & illuc circumferebantur duce inopia. Et cum alia famis ſolatia non reperirent, detrahebant coria cutis, vt cibo ſibi eſſent, quæ præſidio non eſſent. Mandebant calciamentum, nec pudor erat ſolutum pedibus, ſuſcipere, & lingua lambere. Vetuſtæ quoque paleæ, quæ olim proiectæ fuerant, non mediocri ſtudio requirebantur, & ſi quis repererat grandi precio mercabatur.

Coria ſcutorum atque ipſa calciamenta Iudæis loco cibi erant.

De muliere quæ comedit filium ſuum.

CAP. V.

Cap. 40.

ERat autem Maria locuples fœmina de regione trans Iordanem, quæ belli terrore oborto, Hieroſolymam ſe contulerat, vt eſſet tutior. Huius opes, Principes factionum certatim inuaſerant. Alimentorum etiam ſiquid pretio quæſierat de manibus eruebatur. Defecerantque iam omnia, & delitijs aſſueta aſperiora, palearum vel coriorum dura non emolliebat. Sæua itaque fames intimis ſe infudit medullis; exaſperauit humores, mentem exagitauit. Habebat autem infantulum, cuius vagitu excitata cum ſe & ipſum paruulum macerari videret, tantis victa immanitatibus Matris affectum amiſit. Conuerſaque ad paruulum ſic ait: Quid tibi faciam Paruule? Sæua te circumſtant omnia, bellum, fames, incendia, latrones, ruinæ. Cui te moritura credam, aut vitæ tantillum relinquam? Sperabam quod ſi adoleuiſſes, me paſceres matrem aut ſepelires defunctam. Sed quid agam miſera? viuendi tibi ac mihi nullum video ſubſidium. Cui te reſeruabo, vel quo te condam ſepulchro, ne canibus, alitibus,

Maria ad puerum conqueſtio.

vel

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vel fer is præda sis. O suauia mihi viscera, artus iucundi priusq uam vos penitus consumat fames, reddite mihi Matri quod accepistis: Redite in illud naturale secretum, in quo sumpsistis spiritum domicilio, meo tibi paratur tumulus defuncto. Exosculabor ergo te, & quod non habet impatientia amoris, habeat vis necessitatis; vt ipsa deuorem meos artus, non simulatis, sed impressis morsibus. Fecimus, quod pietatis fuit, faciamus, quod suadet fames. Tua tamen causa melior & quædam pietatis species, quia tolerabilius est quod Mater dederit cibum viscеribus tuis, quam quod te Mater aut occidere potest aut deuorare. Hæc dicens, auerso vultu gladium demersit, & in frusta filium secans, igni imposuit, partem comedit, partem operuit ne quis superueniret. Sed odor incensi peruenit ad Principes seditionis. Qui continui odorem secuti introeunt mulieris hospitium, minantes necem, quod ausa esset ipsis ieiunantibus edere, atque exortes facere cibi quem reperisset. At illa partem, inquit, vestram vobis seruaui, nolite indignari, de meis viscеribus cibum vobis paraui. Consedete ocius, mensam apponam. Hæc dicens recooperuit ambusta membra, & epulanda obtulit, cum adhortatione huiusmodi: hoc est prandium meum, hæc vera portio, videte diligentius an vos fraudauerim. Ecce pueri manus vna, ecce pes, ecce dimidium reliqui corporis, & ne alienum putetis, filius meus est, nunquam fuisti mihi dulcior fili, tibi debeo, quod adhuc viuo. Tua suauitas animam meam tenuit, & produxit Matri tuæ miseræ diem mortis. Venerunt necaturi, conuiuæ facti sunt. Habebunt & ipsi quod tibi debeant, cum epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum, quid exhorretis animo, cur non epulamini quod Mater feci? Gustate & videte quia suauis est filius meus. Nolite fieri molliores Matre, infirmiores muliere: ego quidem tales paraui epulas, sed vos sic epulari Matrem fecistis; & me quidem tenebat passio, sed vicit necessitas. Repleuit continuo totam vrbem tanti sceleris nefas, & vnusquisque parricidalis conuiuij ministerium exhorrescebat.

Maria dites mulier filiũ famis tempore, coxit & vorauit. Niceph. l. 3. c. 7.

De destructione templi & vrbis.

Cap. VI.

Cap. 41. Vulgato Mariæ facinore Cæsaris exclamatio.

PEruenit quoque ad Romanos huius facti immanitas. Nam plerique hoc horrore perterriti ad hostem confugerunt. Quo comperto Cæsar execratus infælicis terræ contagium, manus ad cælum eleuans talia protestabatur, ad bellum quidem venimus, sed non cum hominibus, quin potius aduersus rabiem beluarum dimicamus. Nam & fætus suos feræ diligunt, quos etiam in fame nutriunt, & alienis pascuntur corporibus, à consimilium cadauerum abstinent cadaueribus. Hoc vltra omnem acerbitatem est, vt membra, quę genuit Mater, deuoraret. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me absoluo quæcumque es in cœlo potestas. Scis, scis profecto, quia intimo affectu pacem frequenter obtuli. Et quod non pudet dicere victor rogaui, quia parcere eis volui. Sed quid facerem repugnantibus, quid aduersus suos furentibus? Nam & ipsi nos sæpe de muris hortati sunt dimicare, ne grauius à suis perirent. Et ego positis plurimumque armis, quia illi à suorum cædibus non desinebant, in bellum redij, vt liberarem obsessos, non perderem.

Cap. 42. & 45.

His dictis admoueri templo arietes iubet, Denique fugientibus seditionum auctoribus cum templum exureretur, Romani signa posuerunt intra circuitum eius, & contra portam orientalem sacrificauerunt, Imperatorem Titum summis vocibus, prædicantes. Sacerdotes autem quos, & aquæ inopia, & æstus finitimi incendij commacerabat siti, vitam rogauerunt. Quos Titus iussit occidi, degeneris animi esse respondens, vt templo & muneri cuperent superuiuere.

Ioanni quoque ac Simoni, & cæteris seditionum Principibus indulgentiam postulantibus, respondit: Serum, nequissimi, tempus ad misericordiam, cum iam quod reseruetur, nihil relictum sit. Pacem offerebam, non recepisti, parcere volebam, non sinebatis, prælia suspendebam, & vos irruebatis. Et nunc populus extinctus est, templum ardet; quid adhuc statis armati? Ponite arma quasi victi, viuere vobis donabo, etsi non meremini. Titus ergo quamuis ad iracundiam excitatus, propositum suum non soluit, contuitu regalis fastigij, sed confugientes recepit, solius pietatis intuitu.

Cap. 46. Sermo Titi ad seditiosos.

Nec Romani multa iam cęde fessi, abnuebant vitæ indulgentiam, & studio captiua mancipia vendendi promptiores erant ad reseruandam salutem. Plurimi venales, sed pauci emptores; quia & Romani habere Iudæos in seruitutem dedignabantur, & nec Iudæi supererant, qui suos redimerent.

Cap. 47. Plurimi Iudæorum venales, pauci emptores.

Octaua igitur die* Gorpiei mensis, concremata est ciuitas. Cæsa autem per omne tempus obsidionis asserunt decies centena millia. Captiui quoque adducti sunt Iudęorum ad 97. millia.

*Cap. 49. * September nobis dicitur vt Suidas docet. Iosephus scribit vndecies centena millia fame & gladio periisse, & alia centena millia captiuorum, publice venundata.*

Hugo Floriacensis. Fessi denique multa cæde Romani, quærebant quibus captiua mancipia venderent: sed, quia plurimi venales, & pauci inueniebantur emptores, non defuere, qui & 30. mancipia, vno nummismate mercarentur. *Eusebius in chronicis.* Tunc regnum Iudæorum defecit.

Colliguntur autem à secundo anno Darij sub quo rursus templum ædificatum est vsque ad hunc secundum annum *Vespasiani* in quo nouissime Hierusalem subuersa est, anni 591.

De Passione sancti Apollinaris.

Cap. VII.

EX gestis eius. Ea tempestate passus est sanctus Apollinaris martyr: qui quondam discipulus sancti Petri Apostoli iussu eius Roma ad Rauennam peruenit, & prædicans, & miracula faciens Tribunum ciuitatis, cuius vxorem sanauerat, cum magna eius familia baptizauit. Cuius famam dux Saturnius audiens, eum sibi quantocius sisti fecit. Et cum Sacerdotibus Idolorum ducens eum ad templum Iouis, cum ille dixisset aurum, & argentum illic appensum, melius dari pauperibus, quàm ante dæmones sic appendi eijcitur, & semiuiuus extra vrbem relinquitur, & discipulis suis in domo cuiusdam viduæ sex mensibus refouetur. Inde veniens ad vrbem Clusensem dum multos conuerteret fustibus cæditur, & nudis pedibus super prunas stare compulsus, Christumque amplius confitens, extra vrbem eijcitur. Rufus autem Rauennæ filiam suam defunctam lamentans Apollinari venienti, & eum consolanti respondit: Vtinam huc non venisses, Dij enim irati sunt, & filiam meam saluam facere noluerunt, tu vero, quid potes? Et videntibus cunctis ait Apollinaris: Iura mihi, quod permittes puellam sequi Saluatorẽ suum: Rufus dixit, Scio, quod mortua est puella, tamen si videro eam viuam faciam, quod dicis. Et statim cum apprehendisset manum eius erexit eam sanam, & ipsa cum Matre, & multa familia baptismum suscepit, & virgo permansit. Rufus vero timens Cæsarem occulte diligebat eum. Quod audiens Cæsar scripsit ad præfectum prætorij vt Apollinarem aut Dijs inclinaret, aut in exilium mitteret. Messalinus ergo Præfectus Apollinarem sacrificare nolentem fustibus cædi, & in equuleo appensum torqueri præcepit. Vbi dum adhuc dominum prædicaret, ministri aquam bullientem eius vulneribus immittunt. Et dum vellet præfectus eum in exilium mittere, Christiani irruentes in paganos plusquam 200. ex eis occiderunt. Tunc timens sibi vicarius, Apollinarem catenis onustum, & ligno offensum iussit recludi, & vt sic deficeret, nihil penitus ministrari. Quem quarto die cognoscens,

Gesta B. Apollinaris, quæ in antiquis manuscriptis codicibus latitabant, edidit Möbrit. tom. 1. & Sur. tom. 4. & alij qui res Ecclesiæ Rauennatis sunt prosecuti; sub Vespasiano tamẽ passus est, non quod illius tempore fuerit in Christianos excitata persecutio: sed quod ait Suetonius in vita ipsius c. 15. his verbis Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo, & ignaro aut certe inuitò, atque decepto.

scens ab Angelo confortatum, catenatum naui imposuit, & sequentibus eum tribus clericis in exilium destinauit, vbi cum clericis, & duobus militibus, cæteris pereuntibus, periculum euadens milites quidam baptizauit, & in exilio prædicans à nemine receptus, sed grauiter verberatus; post triennium Rauennam redijt, sed à paganis iterum verberatus ad templum Apollinis ducitur, sed statim facta oratione templum corruit, & Thauro iudici præsentatus, & de multis inquisitus, filium eius à natiuitate cæcum sanauit. Sicque multis credentibus à iudice leniter tractatus, in prædio eius per quatuor annos fuit. Cum ergo Pontifices accusarent eum apud Vespasianum Cæsarem, rescripsit; vt aut de vrbe exiret, aut idolis consentiret. Non enim dignum est, inquit, vt Deos vindicemus, sed ipsi de inimicis suis vindicent se si possunt. Tunc Demosthenes Patricius nolentem sacrificare cuidam Centurioni iam Christiano eum tradidit. Cuius rogatu pergens in vicum leprosorum, vt ibi propter furorem gentilium latitaret, à paganis insecutus, vsque ad mortem cæsus est vbi 7. dies superuiuens, & Christianos admonens, tandem fæliciter ad cælum commigrauit, & ibidem à discipulis sepultus est.

De cupiditate Vespasiani, & morte eius.

Cap. VIII.

Pecuniæ cupiditas ingens.

S*Vetonius cap.* 16. In Vespasiano merito culpetur, vt dictum est, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus est, omissa sub Galba vectigalia reuocasse; noua, & grauia addidisse; auxisse prouincijs tributa, nonnullis etiam duplicasse: negociationes quoque vel priuato pudendas, palam exercuit; nec candidatis quidem honores, reisue tam innoxijs quam nocentibus absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret. Quibus quidem vulgo *prospongijs* dicebatur *vti*, quod quasi, & sic eos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt. Sunt econtra, qui opinentur ad manubias, rapinasque necessitate compulsum, summa ærarij fiscique inopia. Quod & verisimilius videtur, quando, & male partis optime vsus est.

Cap. 17. Liberalis aduersus omnes.

In omne hominum genus liberalissimus: expleuit censum senatorium. Consulares inopes quingentis sestertijs sustentauit. Plurimas per totum orbem terrarum ciuitates, aut terræmotu, aut incendio afflictas restituit in melius.

Cap. 18.

Ingenia, & artes vel maxime fouit; primus è Fisco Latinis, Græcisq; rhetoribus annua cẽtena cõstituit: præstãtes Poetas, nec nõ & artifices magna mercede donauit.

Mor bus eius atque interitus.

Hugo Floriacensis, Vespasianus autem anno vitæ suæ 70. serijs ioca, quibus delectabatur admiscens, interijt. Nam cum ventris eluuie fessus, assurrexisset, *stantẽ*, ait *Imperatorẽ excedere terris decet*. sicque exanimatus est, cui successit Titus filius eius.

De Imperio Titi, & morte eius.

Cap. IX.

Titus anno M. 4033. Christ. 80.

E*Vsebius in chronicis.* Anno domini 80. mundi vero quarto millesimo, & 33. Romanorum 9. Titus Vespasiani filius regnauit annis duobus, vtraque lingua disertissimus.

Hugo 3. l. Fuit enim vir omnium genere virtutum mirabilis, & morum imperialium floribus pariter adornatus, & qui nulli quicquam negaret, in tantum etiam facundissimas extitit, vt causas Latino poemate peroraret, & tragædias græce componeret.

Cap. 3. Corporis animique dotes.

Suetonius lib. 11. Titus, amor, & deliciæ generis humani fuit. In puero statura corporis, & animi dotes exsplenduerunt, magisque ac magis, deinceps, per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, quàm gratiæ; præcipuum robur, memoria singularis, docilitas ad omnes fere tam belli, quam pacis artes. Armorum, & equitandi peritissimus, Latinę Græcæque linguæ, in orando, vel in fingẽdis poematibus, promptus; ne musicæ quidem rudis, vt qui cantaret, & psalleret iocunde scienterque. In militia summæ industriæ, nec minore modestia.

Cap. 7. Suspecta in Tito sauitia, luxuria, libido, rapacitas.

Suspecta primum in eo fuerunt sæuitia, luxuria, rapacitas, libido. Denique propalam alium Neronem, & opinabantur, & prędicabant. At illi ea fama pro bono cessit conuersaque est in maximas laudes, neque vllo vitio reperto, sed econtra virtutibus summis. Conuiuia instituit, iucunda magis quam profusa. Amicos elegit, quibus etiam post eum principes, vt sibi & reipublicæ necessarijs, acquieuerunt, præcipueque sunt vsi. Nulli ciuium quicquam ademit. Abstinuit alieno, ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit; & tamen nemine ante se munificentia minor.

Cap. 8.

Natura benignissimus. In cunctis hominum desiderijs obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret; quin, & admonentibus domesticis, *quasi plura polliceretur, quàm præstare posset. Non oportet, ait, quemquam à sermone principis tristem discedere.* Atque etiam recordatus super cænam, quod nihil cuiquam tota die prestitisset, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: Amici diem perdidi.

Beneuolentia erga omnes homines.

Populum in primis vniuersum magna per omnes occasiones comitate tractauit. Nam neque negauit quicquam petentibus, & vt, quæ vellent, peterent, vltro adhortatus est.

Cap. 9.

Fratrem insidiari sibi non desinentem, neque occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed vt à primo imperij die consortem, successoremque testari perseuerauit: nonnunquam secreto, & precibus, & lachrymis orans, *vt tandem mutuo erga se animo vellet esse*. Inter hæc morte præuentus est, maiore hominum damno, quam suo. Quod vt palã factum est, mærentibus publicè cunctis, Senatus priusquam edicto conuocaretur, ad curiam cucurrit: obseratisque adhuc foribus, deinde apertis tantas mortuo gratias egit, laudesque congressit, quantas ne viuo quidem vnquam atque præsenti.

Eusebius vbi supra. Hic Amphitheatrum Romę edificauit, & in dedicatione eius, quinque millia ferarum occidit.

Decreto autem Senatus inter Deos relatus est.

Huius temporibus mons vesuuius ruptus in vertice, tantum ex se iecit incendij, vt regiones, & vrbes vicinas cum omnibus exureret.

Romæ quoque plures ædes incendio crematæ sunt.

De Domitiano, & bonis eius initijs.

Cap. X.

Domitianus Anno M. 4036. Chri. 83.

TIto autem successit Domitianus frater eius iunior. Anno domini 83. mundi vero 4036. qui imperauit annis 15.

Hugo Floriacensis lib. 4. Iste Domitianus primo clemens visus est. Ius quoque perorabat æquissime, & Romæ multa constituit ædificia. Inter quæ ædificauit templum mirificum Romæ, quod Pantheon antiquitus vocabatur: sed nunc in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & martyrum omnium, consecratum esse dignoscitur.

Secretum Domitiani horarium inter initia principatus.

Suetonius lib. 12. *cap.* 3. Inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quicquam amplius quam muscas captare, ac stylo præacuto configere, vt cuidam interroganti, *essetne quis intus cum Cesare*, non absurde respondum sit, *ne musca quidem*. Circa administrationem imperij aliquandiu varium se præstitit; mixtura quoque æquabili vitiorum atque virtutum donec virtutes quoque in vitia deflexit; super ingenij naturam, inopia rapax, metu sæuus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Multa in communi rerum vſu nouauit, caſtrari mares vetuit.

Ius diligenter, & induſtriè dixit. Scripta famoſa vulgoque edita, quibus primores viri, ac fœminæ notabantur, aboleuit, non ſine actorum ignominia. Quæſtorium virum, quod geſticulandi, ſaltandique ſtudio teneretur, amouit ſenatu. Probroſis fœminis lecticæ vſum ademit.

Cap. 9. Inter initia vſque adeo ab omni cæde abhorrebat, vt edicere deſtinauerit *ne boues immolarentur*. Cupiditatis quoque atque auaritiæ vix ſuſpicionem aliquamdiu dedit, quinetiam liberalitatis experimento omnes circa ſe largiſſime proſecutus. Nihil prius, aut acrius monuit, quam ne quid ſordidè facerent. Relictas ſibi hereditates ab his quibus liberi erant, non recepit. Fiſcales calumnias magna calumniantium pœna repreſſit, ferebaturque vox eius. PRINCEPS QVI DELATORES NON CASTIGAT IRRITATO.

De crudelitate ipſius.

CAP. XI.

Cap. 9. SEd neque in clementia, neque in abſtinentiæ tenore permanſit. Complures Senatores, iniuſtè aliquos conſulares interemit, quaſi molitores rerum nouarum. Cæteros leuiſſima quaque de cauſa. Diſcipulum Paridis Pantomini puberem adhuc, & tamen maxime ægrum, quod arte, formaque non abſimilis magiſtro videbatur, occidit. Item Saluum Cocceianum, quod Ottonis Imperatoris patrui ſui natalem diem celebrauerat: Metium Pompoſianum, quod habere Imperatoriam geneſim vulgo ferebatur, & quod depictum orbem terræ, in membranas, concioneſque Regum ac Ducum, ex Tito Liuio circumferret; quodque ſeruis Magonis, & Annibalis nomina indidiſſet. Linium Ruſticum, quod Pæti Thraſeæ, & Heluidij priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos *viros ſanctiſſimos*. Cuius criminis occaſione Philoſophos omnes vrbe, Italiaque ſubmouit. Occidit, & Flauium Sabinum. Aliquanto poſt ciuilis belli victoriam ſæuior, pleroſque partis aduerſæ, dudum etiam latentes conſcios, inueſtigato nouo quæſtionis genere, diſtorſit; igne per obſcæna immiſſo, nonnullis etiam manus amputauit.

Cap. 11. Erat autem non ſolùm magnæ, ſed etiam callidæ ſæuitiæ, & inopinatæ.

Cap. 15. Aſcletarionem Mathematicum ſciſcitatus, quis ipſum maneret exitus & affirmantem *fore vt breui laceraretur à canibus*, interfici quidem ſine mora, ſed ad arguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperauit. Quod cum fieret euenit vt repentina tempeſtate deiecto funere, cadauer diſcerperent canes.

Cap. 12. Nihil penſi habuit quin prædaretur omni modo; bona viuorum ac mortuorum, vſquequaque quolibet, & accuſatore, & crimine corripiebantur. Satis erat obijci qualecunque factum, dictumque aduerſus maieſtatem principis. Confiſcabantur alieniſſimæ hæreditates, vel vno exiſtente qui diceret audiſſe ſe ex defuncto, cum viueret, *hæredem ſibi Cæſarem eſſe*.

Euſebius in chronicis. Iſte Domitianus etiam plurimos Senatorum in exilium miſit.

Primus ſe Deum, & Dominum appellari iuſſit.

Huius anno quinto, Quintilianus, ex Hiſpania Calaguritanus primus Romæ publicã ſcholam, & ſalarium è fiſco accepit, & claruit.

Plinius iunior diſcipulus Quintiliani. *Author.* Iſte Quintilianus, vt legitur, Præceptor fuit Plinij, & multa ſcripſit, ex quibus ſunt libri conſtitutionum oratoriarum, & cauſarum, & declamationum quorum flores excerptos ſuperius inſerui.

De Sancto Clemente Papa, & ſcriptis eius.

CAP. XII.

Clemens tertius Papa. EVſebius. Anno Domitiani 12. tertius Romanę eccleſiæ præfuit Clemens annis nouem.

Idem in libro Pontificum. Hic 7. regiones diuiſit notarijs, vt fidelibus eccleſiæ; qui geſta martyrum ſolicitè, & curioſe, vnuſquiſque per regionem ſuam diligenter perquirerent.

Hanc epiſtolam ſupra citauimus. Hic fecit duas epiſtolas, quæ catholicæ nominantur.

Hic ex præcepto beati Petri ſuſcepit eccleſiæ Pontificatum gubernandi, curam ſicut ei fuerat à Domino Ieſu Chriſto tradita cathedra vel commiſſa. Nam in epiſtola, quæ ad Iacobum ſcripta eſt, qualiter ei à beato Petro commiſſa eſt Eccleſia, reperies. Ideo vero Linus, & Cletus ante eum ſcribuntur, quoniam ab ipſo Principe Apoſtolorum ad miniſterium ſacerdotale exhibendum ſunt Epiſcopi ordinati.

Hic dum multos libros zelo fidei Chriſtianæ religionis aſcriberet, martyrio coronatur.

Philip. 4. *Hieronymus de illuſtribus viris.* Clemens de quo Apoſtolus Paulus ad Philippenſes ſcribens, ait: *Cum Clemente, & cæteris coadiutoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.* Quartus poſt Petrum ſedit Romæ epiſcopus. Siquidem ſecundus Linus fuit, tertius Anacletus. Tametſi plerique latinorum *ſecundum*, poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem. Scribit in perſona Romanæ eccleſiæ ad eccleſiam Corinthiorum valde vtilem Epiſtolam, & quæ in nonnullis locis etiam publicè legitur, quæ mihi videtur caracteri epiſtolæ, quæ ſub nomine Pauli ad Hebræos fertur, conuenire. Sed, & multis de eadem epiſtola non ſolum ſenſibus ſed iuxta verborum quoque ordinem abutuntur, & omnino grandis in vtraque ſimilitudo eſt Fertur, & ſecunda ex eius nomine epiſtola, quæ à veteribus reprobatur, & diſputatio Petri, & Apionis longo ſermone conſcripta, quam Euſebius in 3. eccleſiaſticæ hiſtoriæ volumine coarguit. Obijt 3. Traiani anno, & nominis eius memoriam vſque hodie Romæ extructa eccleſia cuſtodit.

Author. De ſcriptis eius iam ſupra nonnulla poſuimus; de paſſione autem eius infra ſuo loco dicemus.

De edicto Domitiani contra illos de genere Dauid.

CAP. XIII.

Domitianus perſequitur eos qui erãt de genere Dauid. EO tempore, vt ait Egeſippus, delati ſunt quidam apud Domitianum, quod eſſent de genere Dauid; & de poſteritate Iudæ; qui ſecundum carnem frater fuiſſe dicitur Saluatoris, Domitianus enim formidabat aduentum Chriſti, ſicut & Herodes in initio: ideoque omnes interfici iuſſerat, qui erant de regia ſtirpe Dauid. Ad quod miſſus quidam nomine Reuocatus, inuenit quoſdam nepotes Iudæ, & adduxit ad Domitianum. Interrogati à Domitiano ſi eſſent de familia Dauid, confeſſi ſunt. Tunc quæſiuit ab eis quantis eſſent facultatibus præditi? At illi reſponderunt, quod vtrique non amplius eſſent in bonis quam nouem millibus denarijs, ex quibus ſingulis pars media pro portione deberetur. Nec hoc ſibi in pecunia ſubſiſtere, ſed in æſtimatione terræ, quæ eis eſſet in 4. minus vno iugeribus conſtituta, quam ſuis manibus excolentes, vel ipſi alerentur, vel tributo dependerent. Simul etiam teſtes ruralis, & diurni operis manus labore rigidas, & callis obduratas præferebant. Interrogati vero de Chriſto quale ſit regnum eius, vel quis ipſe aut vnde, aut quare venturus? reſponderunt, quod non huius mundi regnum neque huius terræ deſignaretur ei imperium, ſed cæleſte ei regnum per Angelorum miniſteria in conſummatione ſæculi præpararetur; quando, ſcilicet aduentans in gloria de viuis,

Facultates Nepotum Iudæ.

Rogantur de regno Chriſti quale regnum? Hanc hiſtoriam habes in 3. lib. Eccleſiaſtica hiſtoriæ Euſebij cap. 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac mortuis iudicabit, & retribuet vnicuique pro factis, ac meritis ſuis. Ad hæc, Domitianus cum neque in eis quicquam criminis inueniret, & vilitatem ipſorum maxime contemneret, abire eos liberos iubet. Sed, & perſecutionem quam agitari iuſſerat, datis rurſum compeſcuit edictis. Illi vero dimiſſi ab eo, vel martyrij merito, vel tantæ propinquitatis prærogatiua, pacis iam tempore, Duces eccleſiæ effecti, vſque ad Traiani tempora permanſerunt.

De dolio Ioannis Euangeliſtæ, & eius exilio, & Apocalypſi.

Cap. XIIII.

Actum. 5.

Euſebius in chronicis. Anno imperij ſui 13. ſecundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur & ſub eo Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam relegatus Apocalypſim vidit, & ſcripſit, quam Irenæus interpretatur.

Author. Legitur enim, quod idem Ioannes apud Epheſum à proconſule comprehenſus, cum nollet iuxta edictum imperiale Chriſtum negare, & à prædicatione ceſſare. Dicens *obedire oportere magis Deo quam hominibus*, motus Proconſul iuſſit eum tanquam rebellem Cæſari, in dolio feruentis olei mergi. Qui ſtatim vt in eo coniectus eſt, velut fortis athleta, vnctus, non aduſtus, de vaſe exiuit. Ad quod miraculum ſtupefactus Proconſul voluit eum ſuæ libertati reddere, & feciſſet, niſi iuſſioni Regiæ contraire timuiſſet; propter præfatum ergo miraculum exire iuſſus à dolio. in tantam reuerentiam habitus eſt ab ipſo Domitiano, quod eum occidere non eſt auſus. Sed propter odium Chriſtiani nominis, quod infælix ille de ſuperbia conceperat, qui ſe Deũ credi volebat, in exilium miſſus eſt, vt ſermo domini impleretur quem dixit: *Si eum volo manere donec veniam*, id eſt: Nolo eum materiali gladio, nec morte ab vllo violenter illata, vitam finire, ſed in pace viuere donec veniam eum in pace aſſumendum. Igitur in inſulam Pathmos relegatus in exilium, Apocalypſim in exilij ſui ſolatium vidit, & vt viderat, ſcripſit. Quæ in hoc alijs Prophetijs excellentior eſt, quia de Chriſto, & eccleſia, magna ex parte ſacramenta non ſolum adimplenda denunciat, ſed etiam adimpleta demonſtrat. Et ſicut euangelium legales obſeruantias, ſic & iſta reſpicientes à longe veteres excellit prophetias. Quæ fere tot habet ſacramenta, quot verba: imo verborum libri numero, maior eſt ſenſuum multitudo; ſicut in fauo pinguiſſimo cereas cellulas copia mellis excedit. Ioanni ergo reuelauit Deus ibidem quanta paſſa ſit eccleſia in tempore primitiuo; & quanta nunc patiatur, & in nouiſſimis temporibus paſſura ſit: quęque pro his, & nunc, & in futuro, præmia ſit ſuſceptura, vt & quos denunciata ſupplicia terrerent, promiſſa præmia lætificent.

Sanctus Ioannes in exilium miſſus. Ioan. 21.

Scripſit in Inſula Pathmos Apocalypſim.

De Paſſione ſanctorum Nerei, & Achilei.

Cap. XV.

Lege Niceph. l. 3. c. 9. Acta Flauia Domitilla non tantum à Chriſtianis ſed etiam à gentilibus ſcriptoribus ob præclariſſimum eius genus commendata ſũt monumentis hiſtoriarum: paſſa eſt Tarracinæ in Cãpania; nam iuſſu

Ex geſtis eorum. Domitilla autem Neptis Domitiani imperatoris habebat Nereum, & Achileum Eunuchos cubicularios ſuos, quos ſanctus Petrus Apoſtolus baptizarat. Cum ergo nuptura eſſet Aureliano filio Conſulis, Nereus & Achileus eidem de dono virginitatis luculentiſſime prædicantes, conuerterunt eam: & pergentes fecerunt ad eam venire ſanctum Clementem Epiſcopum, qui eam Deo virginem conſecrauit. Quod audiẽs Aurelianus impetrauit à Domitiano vt ſi ſacrificare nollet cum Nereo, & Achileo exilium in inſula Pontiana ſubiret, putans ſe poſſe per hoc, animum virginis reuocare. Sed poſt aliquantum temporis, pergens ipſe ad inſulam, cæpit ſanctos Nereum, & Achilcum verbis, & muneribus attentare, vt virgini ſuaderent: at illi execrantes munera eius, magis eam in domino confortabant. Vnde verberibus grauiſſimis attrectati, cum equuleo, & flammis ad ſacrificia compellerentur, & dicerent ſe à beato Petro Apoſtolo baptizatos, nulla ratione poſſe idolis immolare, capite cæſi ſunt. Quorum corpora rapuit Auſpicius Diſcipulus eorum, & de inſula nauigio deferens, ſepeliuit ea iuxta ſepulchrum ſanctæ Petronillæ.

iudicis incẽſo cubiculo, in quo cum alijs virginibus erat, martyrij conſummauit curſum.

De ſancto Dionyſio Areopagita, & ſocijs eius.

Cap. XVI.

Ex geſtis eorum. Sub domitiano quoque paſſus eſt ſanctus Areopagita Dionyſius, qui Paulo Apoſtolo prædicanti Athenis eſt adiunctus. Nam cum Paulus ſingula Deorum altaria perluſtraret, inter cætera reperit vnum altare, cui erat titulus ſupraſcriptus, *Deo ignoto*; & ait ad Dionyſium Areopagitam, qui ſic dictus eſt à loco ciuitatis, vbi Mars & Hercules potiſſimè colebantur. Mars enim Aris Græce dicitur. Vnde locus ipſe Ariopagos appellatur. *Quis eſt inquit Deus ignotus ille?* Ad quem Dionyſius. Qui ob plenitudinem duinorum numinum ſcientiæ Theoſophos, id eſt Dominus ſapiens dicebatur: adhuc, inquit, non eſt Deus ipſe demonſtratus inter Deos, ſed eſt incognitus nobis, & ſæculo venturo futurus. Ipſe enim eſt Deus, qui regnaturus eſt in cœlo, & in terra, & regnum eius non accipiet finem. Tunc Paulus ait: Quid vobis videtur? Homo erit an ſpiritus Deorum? Dionyſius reſpondit: *Verus Deus & verus homo*, & ipſe renouaturus eſt mundum, ſed adhuc incognitus eſt hominibus, quoniam *apud Deum in cælo eſt conuerſatio eius.* Et ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Et ſic cæpit eis prædicare de incarnatione, & paſſione, ac reſurrectione Domini. Tunc Dionyſius dogma ſalutis audiens, ſpretis idolis Paulo ceſſit: & videns hominem prius cęcum, quem Paulus illuminauerat, ſtatim cum Damari vxore ſua & domo baptizari ſe fecit. Sicque à Paulo per triennium inſtructus, & Athenienſium Epiſcopus ordinatus, ipſam ciuitatem & maximam partem patriæ conuertit ad Chriſtum. Veniens autem Romam poſt paſſionem Petri & Pauli, à ſancto Clemente iam Papa, directus in Franciam cum Ruſtico Presbytero, & Eleutherio Diacono, ad vrbem Pariſios, vbi potiſſimum colebantur Idola, properauit. Ibique poſt multorum conuerſionem fabricata eccleſia, & clericis diuerſi ordinis ampliata, tanta in eo gratia cœleſtis emicuit, quod cum ſæpiſſime Pontifices Idolorum contra eum ſeditionem populi concitarent, & plebes innumeræ cum armis ad perdendum eum gregatim confluerent. Mox illo viſo, aut ſe illi, omni feritate depoſita, proſternebant, aut nimio pauore ſolutæ ab eius præſentia fugiebant. Sed Diabolus videns, & inuidens, quod quotidie ſui cultura decreſceret, & per ſanctos, multiplicatis fidelibus, eccleſia triumpharet, per relationem malorum, Domitianum Imperatorem ad tantam fidelium perſecutionem commouit, vt vbicúque, vel per ſe, vel per alios, Chriſtianũ quempiã reperiſſet; aut eum cogeret ſacrificare Idolis, aut exquiſitis ſupplicijs, tormentiſque affligeret.

Opinio Dionyſij de Deo ignoto.

Paulus ait Chriſtum dominum eſſe hunc Deum.

Dionyſius conuerſus factus eſt epiſcopus Athenienſium.

Mittitur in Frãciã prædicandi Euãgelij gratia.

Multos ad Chriſti fidẽ conuertit. Domitianus Chriſtianos vehementer perſequitur. Horũ Sanctorum geſta conſcripta feruntur ab Ariſtarcho Chronographo, indeque à Methodio Epiſcopo Conſtãtinop. qua ab Anaſtaſio Bibliothecario in Latinum cõuerſa eſſe ſcribit Hincmarus: hæc omnia & plura alia edidit Surius tom. 5.

De paſſione eorundem.

Cap. XVII.

PRæfectus igitur Feſcenninus, ad vrbem Pariſios contra Chriſtianos à Roma directus, beatum Dionyſium populo prædicantem inuenit. Statimque captum, colaphizatum, conſputum, deriſum, & lotis duriſſime alligatum cum ſanctis Ruſtico, & Eleutherio ſibi quamtocius præſentari præcepit. Dumque ad quæque turpiſſima Feſcennini conuitia innocenter, & piè, ſanctus, cũ ſocijs reſponderet: ecce quædã matrona nobilis, Liſbium à Magis illis ſeductum improbe

quære-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

querebatur. Qui ſtatim quæſitus, & adductus, ad primam fidei confeſſionem occiſus eſt. Et ſancti à ternis terniõnibus id eſt à duodecim militibus viciſſim grauiſſime flagellati, onerati catenis in obſcurum carcerem detruduntur. Sequenti die Dionyſius ſuper cratem ferream ſuppoſitis flammis nudus extenditur, indeque ad beſtias ferociſſimas multo ieiunio excitatas proijcitur: ſed cum in eum impetuoſe currerent, ſigno crucis oppoſito, manſuetiſſimæ reddebantur. Iterum iactatus in clibanum, ſed extincto ſtatim incendio, nihil paſſus; diutius in cruce torquetur. Indeque depoſitus, cum ſocijs ſuis, & multis fidelibus carceri mancipatur, vbi poſt longam populi exhortationem dum ipſe miſſam ad communicandum populum celebraret, apparuit ei Dominus cum immenſo lumine, & accipiens panem ſuum, dedit ei dicens: Accipe hoc mi dilecte quia mecum eſt maxima merces tua. Poſt hæc Iudici præſentati nouis iterum ſupplicijs macerantur, & ad hæc, ſe inuicem poſt orationem flexis genibus adhortantes, decollantur. Statimque lux immenſa reſplenduit, & beati Dionyſij corpus erexit ſe & caput ſuum inter brachia portauit, Angelo duce, & cœleſti lumine præcedente, à loco, qui vocatur *Mons martyrum*, vſque ad locum, vbi nunc ſua electione & prouidentia Dei requieſcit. Tantamque in laudibus melodiam Angelorum ſocietas decantauit, quod inter multos, qui audierunt, crediderunt, etiam Larcia vxor præfati Liſbij Chriſtianam ſe eſſe clamauit. Et mox ab impijs decollata, & in ſuo ſanguine baptizata, occubuit. Cuius filius Viſbius Romam ductus in palatio per tres Cæſares militauit, & inde Pariſios rediens, religioſorum ſe numero ſociauit.

Obtuſis ſecuribus martyres decollantur.

Truncũ corpus Dionyſij erigit ſe & apportat caput ſuum.

Dum ergo gentiles metuerent ne Chriſtiani, corpora ſanctorum Ruſtici, & Eleutherij, ſepelirẽt, iuſſerũt vt in fluuio Sequanę mergerẽtur. Sed quædã Matrona nobilis perſecutores ad conuiuium conuocauit, & ſic feſtino gaudio mentes eorum detinuit, vt longe in agro ſuo à ſuis famil aribus occultè ſanctorum corpora ponerentur. Quæ tamen ipſa matrona cum Chriſtianis poſtea ſuſtulit, & corpori beati Dionyſii iungens, honorifice ſepeliuit. Paſſi ſunt autem ſancti, anno domini *96. ętatis vero beati Dionyſij 90.

Catulla mira induſtria ſanctorũ corpora ſuffuratur.

*An Chriſt. 96. * Baronius putat S. Dionyſiũ exceſſiſſe centeſimum ætatis annum vt ex eiuſdem Dionyſij ſcriptis conuincitur, quibus citat S. Ignatiũm in epiſtola ad Romanos, quam eodem anno, quo Martyrium ſubyit, eſſe ſcriptam ſatis apparet. Porro Ignatium Traiani tempore martyrio vita functum omnes teſtãtur. Lege Baronium in not. ſuper Martyrol. die 90 octobris.*

De Codice paſſionis ſancti Eutropij.

Cap. XVIII.

EX geſtis eius. Hic beatus Dionyſius beati Eutropij conſocius, ac Pariſiorum præſul, paſſionem eius litteris Græcis ſcripſit, & parẽtibus ſuis in Græcia, quia iam in Chriſto credebant per manum beati Clementis Papæ miſit. Quam ſcilicet paſſionem Calixtus Papa ſecundus Conſtantinopoli in ſchola Græcorum, quodam codice paſſionum plurimorum ſanctorum martyrum olim reperit, & ex Græco in Latinum edidit, ita incipiens: Reuerendiſſimo Papæ Clementi, Dionyſius Antiſtes, proſapia Græcus ſalutem in Chriſto: Eutropium quem mecum in his oris ad prædicandum nomen Chriſti miſiſtis, martyrij coronam per manus gentilium apud Sanctonas vrbem vobis notificamus, pro domini fide accepiſſe. Quapropter paternitatem veſtram humiliter exoro, vt hunc paſſionis eius codicem, conſanguineis meis, & notis, & amicis fidelibus in Græciæ oris, Athenis præcipue, quam citius poteritis mittere non differatis; quatenus illi cæteri qui à beato Paulo nouæ regenerationis lauacrum vna mecum acceperunt, cum audierint glorioſum martyrem pro Chriſti fide crudelem necem ſubijſſe, gaudeant ſe tribulationes, & anguſtias pro Chriſti amore ſuſtuliſſe.

Qualiter ad Chriſti fidem conuerſus eſt.

Cap. XIX.

HIc quondam gentili genere editus, Perſarum excellentiori proſapia totius mundi extitit oriundus, quem Babylonis Admirandus nomine Xerxes ex Guma Regina generauit humanitus. Qui cum in pueritia literis Caldaicis, & Græcis edoctus eſſet, atque Heroes ſummos totius regni prudentia & curioſitate æquipararet, Herodem Regem in Galilæa adijt, ſi forte in eius curia, vel curioſior eo, vel aliquid barbarum eſſet, perſpicere deſiderans. In cuius curia dum per aliquot dies manſiſſet, audita Saluatoris fama, & miraculorum eius in ciuitate, quæſiuit illum. Quem abeuntem trans mare Galileæ cum innumeris turbis, quæ eum ſequebantur, conſecutus eſt.

Patria & parentes Eutropij.

Eutropius quærebat Chriſtum dominum.

Contigit illa die, quod Saluator ſua ineffabili largitate de 5. panibus, & duobus piſcibus hominum 5. millia illo aſtante ſatiaret. Viſo hoc miraculo iuuenis Eutropius, ac fama cæterorum miraculorum eius audita, in eo aliquantulum iam credens, loqui ei deſiderans non audebat, quia Nichanoris eius Pedagogi diſtrictionem formidabat, cui Admirandus pater eius ad cuſtodiendum illum tradiderat.

Eutropius interfuit cũ Chriſtus quinque panibus ſatiauit quinque millia hominum.

Satiatus tamen pane dominicæ gratiæ Hieroſolymam perrexit, & adorato creatore in templo gentili more remeauit ad patris ſui domum, & cæpit ei narrare cuncta quæ in patria, vnde venerat, diligenter viderat. Vidit, inquit, hominem, qui dicitur Chriſtus, qui in toto mundo ſimilis nequit inueniri, vitam mortuis, leproſis munditiam, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis priſtinam virtutem, omnibuſque generibus infirmorum ſanitatem ipſe præbet. Quid plura? Quinque hominum millia de quinque panibus, & duobus piſcibus me præſente & vidente ſatiauit. Si iam illum cœli terræque creator in noſtra regione mittere dignaretur, vtinam tua gratia illi honorificentiam exhiberet. Admirandus vero, hæc & his ſimilia à puero audiens, cogitabat qualiter eum videre poſſet; nec multo poſt vix impetrata licentia puer dominum videre denuo deſiderans, Hieruſalem adijt cum multo comitatu cauſa adorandi in templo. Vbi quadam die reuertenti Domino à Bethania videns Hebræorum pueros, & turbas obuiam exeuntes, palmarum, oliuarum cœterarumque arborum frondes, & flores per viam ſternentes, & *Oſanna clamantes*, cæpit & ante eum & ipſe ſternere flores. Sed valde triſtis erat, quia Saluatorem ad plenum præ turba confluentium videre non poterat. Erat enim ipſe cum his gentilibus, qui iuxta euangelium venerant in die feſto, vt adorarent. Et accedentes, dixerunt Philippo: *Domine volumus Ieſum videre*. Quod Philippus Andreæ ſociatus, Domino nunciauit: & ſtatim beatus Eutropius vna cum ſuis aſſeclis, illum palam vidit, & valde lætatus, in eum occultè credere cœpit: tandem illi penitus ſociatus eſt. Sed ſociorum ſententiam quibus pater vltra modum præceperat, vt cum fortiter cuſtodirent, & ad ſe adducerent, formidabat. Tunc didicit à quibuſdam, quod Iudæi Saluatorem in proximo eſſent occiſuri, & tanti viri necem videre renuens die craſtina receſſit. Regreſſuſque in patriam cuncta quæ de Saluatore viderat, enarrauit. Nec multo poſt reuerſus, mox vt Dominum quem occulte diligebat à Iudæis occiſum audiuit valde doluit. Sed iterum cum illum reſurrexiſſe, & in cœlos aſcendiſſe didiciſſet, cœpit lætari, ad repletus Spiritu ſancto Babyloniam redijt. Et quos in ea patria Iudæos reperit, propter illos, qui in Hieroſolyma Dominum damnauerant, zelo dilectionis Chriſti feruens gladio peremit.

Eutropius frondes & flores ſternebat per viã ante Saluatorem.

Ioan 12.

Eutropius zelo dilectionis Chriſti Iudæos omnes quos reperat in Babylonia occidit.

Qualiter ipſe cum patre recepit Apoſtolos Simeonem & Iudam.

CAP. XX.

ITem tranſacto tempore exiguo, Dominicis Diſcipulis diuerſa coſmi climata adeuntibus, duo candelabra aurea fide fulgentia Simon & Thadæus Apoſtoli in Perſidem directi ſunt. Qui Babylonem ingreſſi, eiectis à finibus illis quibuſdam Magis Zaroen & Arphaxat, qui populum ſuis vanis locutionibus, & ſignis à fide auertebant, vitæ æternæ ſemina cunctis erogantes, miraculorum omnibus generibus coruſcare cœperunt. *Eutropius cum patre baptizatus.* Tunc ſanctus puer Eutropius, de illorum aduentu gauiſus, Regem admonebat, vt errore gentilium, & idolorum relicto, fidem Chriſtianam ſubiret, per quam polorum Regnum adipiſci mereretur. Quid plura? Apoſtolis prædicantibus illico Rex & filius eius cum multis cætibus ciuium Babylonis per manus eorundam Apoſtolorum baptiſmatis gratia regenerantur. Denique conuerſa tota vrbe ad fidem dominicam, eccleſiam cum omnibus gradibus ſuis Apoſtoli inſtituerunt: & Abdiam virum fideliſſimum Euangelica doctrina imbutum, quem ſecum à Hieroſolymitanis oris adduxerant, Antiſtitem ſuper Chriſtianam plebem; & Eutropium Archidiaconum ordinauerunt. *Eutropius ordinatus Archidiaconus.* Et profecti ſunt in alijs vrbibus, verbum Dei prædicando; qui cum non poſt multos dies per martyrij triumphum alibi præſentem vitam conſummaſſent, beatus Eutropius eorum paſſionem Caldaicis, & Græcis litteris commendauit.

De legatione eius à beato Petro ſuſcepta, & eius paſſione.

CAP. XXI.

AVdita vero fama miraculorum & virtutum beati Petri Apoſtolorum Principis, qui tunc Romæ Apoſtolatus officio fungebatur, ſæculo omnino abrenuncians, accepta ab epiſcopo licentia, patre ſuo ignorante, Romam adijt: Qui cum à beato Petro diligenter eſſet receptus, dominicis præceptis ab eo imbutus cum eo aliquantulum demoratus, iuſſu & conſilio eius regionem Gallicam cum alijs fratribus prædicando aggreditur. *Mittitur Eutropius à B. Petro in Galliam.* Cumque vrbem quæ *Sanctonas* dicitur, intraſſet, per plateas, & vicos eius pergens, verbum Dei inſtanter prædicabat; mox vt illum ciues barbarum virum eſſe cognouerunt, & inaudita ibi prædicantem audieruut, illico indignantes extra vrbem illum facibus aduſtum, & perticis immaniſſimis verberatum eiecerunt. Ille vero hanc perſecutionem patienter ferens, quoddam tugurium ligneum iuxta vrbem in quodam monte fecit, in quo diu commoratus eſt. Prædicabat enim per diem in vrbe, & nocte vigilijs precibuſque ac lachrymis in tugurio illo pernoctabat. Cumque per longiſſimum tempus non niſi raros ſua prædicatione ad Chriſtum conuertere potuiſſet, Romam denuo adijt: in qua paſſio beato Petro in cruce, à ſancto Clemente, qui iam Papa erat admonitus eſt, vt ad præfatam vrbem rediret, & prædicans dominica præcepta, martyrij coronam in ea expectaret. *Mittitur denuo à Beato Clemente in Galliam.* Denique ab ipſo Papa ordine Epiſcopali ſuſcepto vna cum beato Dionyſio, qui à Græciæ oris Romam aduenerat, ſimul cum cæteris fratribus, quos ipſe Clemens ad prædicandum in Galliam dirigebat *Antiſiodorum* peruenit. Indeque dilectionis amplexibus lacrymoſiſque ſalutationibus diſcedentes, Dionyſius cum ſocijs ſuis Pariſiacam vrbem adiit, & beatus Eutropius rediens Sanctonas fortiter animatus, vt tolerantiam paſſionis, zelo Chriſti plenus velut amens oportune importuneque inſtans fidem dominicam prædicabat. *Redijt Sanctonas ibique fortiter prædicabat verbum Dei.* Morabatur etiã nocte in præfato tugurio ſicut prius. Illo itaque prædicante multi ab eo baptizabantur, inter quos etiã eiuſdem vrbis Regis filia nomine Euſtella. Quod vt pater eius agnouit, abominatus eſt illam, & extra vrbem eiecit. Illa vero eiecta pro nomine Chriſti cæpit iuxta ſancti viri tugurium commorari. Pater tamen natæ ſuæ amore compunctus, miſit nuncios ſæpe ad eam vt domum rediret. Illa vero reſpondit ſe malle extra vrbem pro Chriſti fide commorari, quam in vrbem redire, & Idolis contaminari. At ipſius pater ira commotus cenuocatis ſibi totius vrbis carnificibus, 150. ſolidos impartiuit illis, vt ſanctum Eutropiũ perimerent, virginẽque ad patris thalamum ſecum adducerent. Illi autem pridie Kal. Maij coadunatis ſibi multitudinibus gentilium, venerunt ad *Martyrium beati Eutropij.* præfatum tugurium, ſanctiſſimumq; Dei virum primitus lapidauerunt. Inde fuſtibus, & corrigijs plumbatis nudum verberauerunt, demum ſecuribus, illiſo capite, peremerunt.

Præfata vero puella vnà cum quibuſdam Chriſtianis, nocte illum in tugurio ipſius ſepeliuit, ac vigilijs & luminaribus, obſequijſque diuinis obſeruauit indeſinẽter quamdiu vixit. Quæ cum ab hac vita fine ſacro migrauit, iuxta magiſtri ſarcophagum in libero ſe prædio iuſſit ſepeliri. Poſtea vero ſuper beati Eutropij corpus ingens baſilica à Chriſtianis miro ordine fabricatur, in qua cunctis morborum generibus detenti, crebro liberantur, & catenę ferreæ, ac manicæ, cæteraque inſtrumenta ferrea diuerſa è quibus beatus Eutropius vinctos liberauit, ſuſpenduntur.

De vita ſanctorum Sanctini, & Antonini.

CAP. XXII.

EX *geſtis eorum.* Præfatus quoque Dionyſius Sanctinum ordinauit epiſcopum, & Carnotum miſit ad *Vide Petrum in catalog. l. 8. cap. 108.* prædicandum, vbi eum aliquandiu commorari diſpoſuit. Poſtea vero Meldenſium vrbi Epiſcopum eum eſſe conſtituit, eiuſque ſuffragio Antoninum iuniorem adhibuit. Domitianus autem Cæſar miſit lictores in Gallias ad comprehendendum ſanctum Dionyſium, cuius famam, in deſtruendis Idolis, & conuertendis ad Chriſtum populus per multos audierat. Quos cum B. Dionyſius fines Pariſiorum appropinquare comperit Sanctinum, & Antoninum ad ſe accerſiuit, quibus præcepit, vt ſermones & agones ipſius ſolerter intenderent, & memoriæ commendarent, & quantocius Romanæ ſedis Pontifici, & fidelibus, quos ibidem inuenirent, per ordinẽ nunciare ſtuderent; eoſque obnixè depoſcerent, vt Athenienſium ciuibus ea nota facerent, quatenus & Chriſto domino pro curſu laborum eius impleto gratias agerent, & erga cultum eius bono animo fierent. *Acta Sanctini ſcribit Antoninus part. 1. titulo 6. cap. 28.*

Conſummato ſiquidem beato Dionyſio per martyrij palmam, Sanctinus & Antoninus ſicut eis præceptum fuerat Romam iter aggredi maturauerunt: & venientes in Italiam Antoninus valida febre correptus eſt. In cuius obſequio, per aliquot dies, Sanctinus immoratus, conſenſu eiuſdem Antonini ne præceptio beati Dionyſi quacunque occaſione impediretur, peragere cæptum iter diſpoſuit. Et ſufficienter exenijs, & honeſtis linteis Principi domus, in qua iacebat Antoninus, commiſſis, petijt, & per Dominum obteſtatus eſt eum, vt ſi Antoninus conualeſceret, exinde illi abundantiſſime miniſtraret. Si etiã vita decederet, honeſtiſſime illum ſepeliret, & ſic iter quod cæperat peragendum arripuit. Cũque Sanctinus fines Romanorum iam attigit, Antoninus vita deceſſit. Quem Princeps domus, retentis omnibus quæ ſibi in obſequijs eius commendata fuerant, catabuli ſui in quo animalia eius manebant axes leuauit, & in foſſam vbi ſtercora, & vrina animaliuin defluebant proiecit, & deſuper axes remiſit. Quæ mox omnia Sanctinus, per Spiritum ſanctum cognouit, & cum maxima feſtinatione reuerſus ad domũ, in qua Antoninum iacentem dimiſerat flens, & dolens peruenit, & principem domus interrogauit, Vbi eſt, inquiens, frater meus Antoninus chariſſimus? Is autem fictis gemitibus, & ſuſpirijs ſimulauit mæſtitiam, mortuus eſt, inquit, *Lege Hincmarum cum agit de Sancto Dionyſio Areopagita.* *Antoninus moritur & in ſterquilinium à viro iniquo ſepelitur.*

quem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quem de mihi à te commissis, honestissime sepeliui. Cui Sanctinus: Mentiris, inquit, fili diaboli, in sterquilinum proiecisti eum virum sanctum, & iustum: & nunc veni mecum ad catabuli locum, in quem proiecisti eum. Iste autem timore percussus non est ausus reniti, quin cum eo veniret ad locum vbi proiecerat eum: & leuantes inde axes Sanctinus cum lachrymis clamauit voce magna dicens. *Antonine frater in nomine Domini nostri Iesu Christi, pro cuius nomine, & amore passus est gloriosissimus martyr Dionysius, surge, & perficiamus simul obedientiam, quam idem pater, & magister noster communiter nobis præcepit.* Et statim Antoninus stercore obuolutus, surrexit: quem Sanctinus de catabuli fossa extraxit; & mundis ac honestissimis vestibus induit. Sicque offerentes Domino sacrificium laudis, corporis Christi, & sanguinis sacramentum participauerunt: & accipientes cibum confortati sunt: & iter cæptum aggredientes, Romam auxiliante domino peruenerunt, & sancto Anacleto Papæ actus, & martyrij sancti Dionysij, sicut eis iusserat, ordinem narrauerunt. Perfecto itaque negocio ad Meldensium ciuitatem reuersi sunt, vbi sanctæ prædicationi, ac pijs operibus insistentes, Sanctinus plenus fide ac virtutibus bonisque operibus ad cœlestia regna trãsiuit. Cui Antoninus in Episcopatu successit, & per plures annos in sancto officio degens, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro migrauit ad dominum.

Sanctinus suscitat Antoninum à mortuis.

Sanctinus & Antoninus veniunt Romam & martyrium Sancti Dionysij ordine Beato Anacleto Papa exponunt.

De vita sancti Ionij.

Cap. XXIII.

Ex gestis eius. Sanctus quoque * Ionius cum B. Dionysio, de partibus Athenien sium aduenit; deinde S. Carauno consociatus vrbe Roma cum B. Dionysio presbyterij officium sumpsit, & ad Castrensium pagum properans, euangelium prædicauit. Alius ei cibus non erat assiduus, quam esus herbarum virentium; & aquæ frigidæ calicem, pro potu fesso corpori tribuebat: quadragesimæ vero diebus bis in septimana cibum corpori ministrabat. Tres autem lictores à Iuliano præfecto missi, vt eum perquirerent, prope Parisios peruenerunt, cui vicinior est pagus Castrensis, qui dicitur mons sancti Ionij, eumque ibi reperetunt nonis Augusti docentem populum; in quo loco populi caterua plurima, per eum ad Christum conuersa gaudebat. Vt autem persecutores eminus venire conspexit à prædicatione non destitit, sed salubribus monitis populum adhortatus est, & puras manus inferens cœlo, totis viribus dixit: *Gratias ago tibi domine Iesu Christe, qui me ad titulum dignitatis tuæ vocare dignatus es, & beatorum martyrum tuorum consortem efficere.*

Egressus ab vrbe Parisiaca intrepidus peruenit ad montem Ionii: aduenientes impij sanctumque virum apprehendentes cum indignatione allocuti sunt eum: quem cum non possent à fide Christi auertere, vinctis manibus occiderunt. Sanctus vir nec terrore concutitur, nec dolore corporis superatur, sed confisus in Domino, imbecilla senectutis membra iuuenili vigore sustentans, Christi nomen confiteri non metuit. Tunc vnus ex militibus euaginato gladio comparata iam sancta ceruice preciosum abscidit caput. Cumque sancti viri cadauer iaceret exanime, videntibus militibus lux de cœlo super sanctum corpus emissa est, & vox pariter cum luce venit dicens: *Euge famule mi Ion, qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti in terris, cum sanctis gratulare in astris;* Dei autem sancto consilio, qui sanctos suos cum mensura probat, & sine mensura glorificat, recedentibus à loco ministris nequam; erigens se sancti viri corpus exanime apprehendensque manu propria caput abscisum, stabilique gressu iter suum carpere plantis firmissimis cæpit, portansque illud à monte quasi milliario vno peruenit ad locum, quem vir sanctus funeri tradendum elegerat, vbi cum palma victoriæ sanctus requieuit in pace. Cumque sanctum corpus viri misericordiæ reconderent, aperte sunt nares eorum, sensertuntq; aromata Angelorũ, qui à Domino ob sancti viri exequias fuerant destinati.

* alias Ionas.

Asperitas & austeritas vitæ S. Ionæ.

Laus Dei semper floret in ore martyrum.

S. Ionas verberibus cæsus gladio martyrium consummauit, decimo Calendas Octobris.

Corpus exanime erigens se, caput abscisum gressibus firmissimis vno milliario portabat.

De vita sancti Carauni Carnotensis.

Cap. XXIIII.

Ex gestis eius. Sanctus autem Caraunus Romano territorio oriundus, cum beato Dionysio diutissimè fuerat eruditus, qui à beato Clemente Parisios est directus. Qui cum super littora maris graderetur, nauẽ oneriferam reperiens in eam ascendit; & ecce ab orientali plaga dira grando prodijt. Nauis autem vndarum procellis iactabatur, ita vt omnes, qui aderant, periculum mortis adesse clamabant. Statimque vir Dei oculos in cœlum intendens, cum signacula Crucis contra ventorum rabiem exhiberet, magna tranquillitas subito facta est, ita vt Ethnici, qui aderant, accipientes ab eo fidei signaculum crederent in Christum. Cum autem peruenisset ad quandam insulam, vbi templum *Veneris* habebatur, & spurcissimo ritu cũ multitudine populi annua festiuitas celebrabatur: Ecce Sacerdotis filia grauiter à Dæmonio arrepta eiulare cæpit, & clamare per compita, Caraunum Christi famulum aduenisse, eiusque occursui se debere præparare: & cum ante virum Dei venisset dæmoniaca multitudo per os eius clamabat. Cur serue Dei antiquis sedibus auellere nos venisti? huius quippe terræ populus fidem Christi non habet. Videnique vir Dei puellam grauiter vexari, *sub Trinitatis nomine eam liberauit expulso Dæmonio.* Quod videntes cuncti, qui præstigijs dæmoniacæ insultationis detenti erant, festinanter ad Dei famulum confluebant, Christi signaculum postulanter. Præterea diuersas maris insulas, quicunque à Dæmonio vexabantur, amentius clamabant famulum Dei aduenisse, cumque festinanter adire debere & quicunque accedebant reparata sospitate, fugatis spiritibus ad propria redibant. Cumque pro his signis ab omni populo honoraretur, timens ne ventus humani fauoris subriperet, quod in cœlo humilitas collocabat, prospero cursu Massiliam petijt, vbi parum commoratus multos ab Idolorum cultura reuocauit, & in fide Christi solidauit.

Post hæc ad Carnotum vrbem illustrandam accessit, vbi à paucis Christianis qui ibi erant susceptus, multos quoque ab idolatria conuertit. Cum autem iter carperet, vj. ab vrbe milliario, occurrunt ei filij Belial armati, putantes eum plurimam ferre pecuniam, statimque omnibus suis comitibus fugientibus, inimicis persequentibus, ipse solus remansit intrepidus, malensque mori, quàm fratres suos perire, altius clamare cepit: Nolite homines, nolite perdere innocentes, pecunia quam quæritis, en habetur mecum. Tunc ad eum illi reuersi rogabant, vt proderet. Qui vnum tantum solidum, quem sibi pro viatico reseruauerat, eis ostendit: reliqua enim omnia pauperibus erogauerat. Tunc illi putantes se ab eo illusos, euaginato gladio ceruice vltro subdita, caput eius amputauerunt.

Huius meminit Vsuardus 28. Maij & Baronius: Eius vero acta ex antiquis manuscriptis edidit Mombrit. to. 1. vit. Sanc. paucis aute Petrus in catalogo lib. 5. cap. 80. Scripsit de eodem Epigramma Bonadius, in l. 2. monod. 81.

Caraunus multos ab Idolorũ cultura reuocauit.

Sanctus Caraunus à latronibus capit amputato occisus est.

De sancto Luciano Beluacensi.

Cap. XXV.

Ex gestis eius. Sanctus quoque Lucianus Beati Petri Apostoli discipulus B. Dionysio, à beato Clemente, socius, & coadiutor traditus, quem Euangelizandi gratia Beluacum misit, vbi custodia Romanorum, & militaris exercitus residebat; quia gens Beluacensium semper bellicosa fuerat, ideo propter insolentiam eorum, seu propter custodias cæteratum ciuitatum his in partibus tunc Romanus versabatur

Huius meminit Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 2.

Agitur de Luciano Belluacensi in Actis S. Quinctini, quæ extant apud Surium tomo 5. die 31. Octobris. In actis sãctorũ Crispini & Crysp iniani habetur mẽtio de Luciano una cum Quintino: sed cum ad tẽpora Diocletiani referatur, alius esse videtur ab hoc de quo hic agitur, quẽ Petri Apostoli discipulum esse superius dictum est.

exercitus. Hic igitur Lucianus à B. Dionys. missus, à quo præsbyteri sumpsit officium, Christum prædicare cæpit, multosque ad fidem eius à cultu dæmonum conuertit.

Erat autem vir miræ patientiæ, summæ abstinentiæ, & omni copia gratiarum exornatus, nec alius erat ei cibus assiduus, quam herbarum virentium esus. Potum aquæ frigidæ corpori fesso tribuebat; quadragesimæ diebus, bis in septimana cibum corpori ministrabat: Sustentabat enim eum cœlestis alimoniæ victus, & membra debilia diuina gratia roborabat. Cum autem Iulianus Præfectus impijssimus, qui decreta Principum receperat, vt in Christianos sæuiret, audisset Lucianum ab vrbe Roma egressum, vt alijs prouincijs euangelium veritatis inferret, & idola conterenda doceret, furibundus præcepit tribus pueris suis fortissimis, Iacino, Lario, & Antro, vt sanctum Dei vbicunque possent, perquirerent, cumque si reperirent audientiæ suę præsentarent, vt gladio feriendum traderent. Qui cum eum per diuersas prouincias quærerent, audito quod in Gallia prædicaret, ira magis accensi, Gallias penetrarunt, eũque vj. idus Ianuarij Beluaci populum docentem repererunt. Qui cum eos eminus venire perspiceret, à prædicatione non destitit, sed populum exhortans, ait: Ecce fratres, & filij charissimi, iam mihi Dominus laborum meorum retributor adesse dignatus est: & iam corpus quidem nimia senectute lassatum est, sed anima cum fructu martyrij ad palmam perueniet. Vos ergo in accepta prædicatione firmissimi state, nec terror Principum, aut mala suasio vos à vitæ monitis valeat reuocare; vt ibi sequantur merita gregis vbi præcessit fortitudo pastoralis. His dictis oculis, & manibus in cœlum directis totis viribus cæpit Christo gratias agere, quod sancti martyris Dionysij dignabatur eum consortem efficere.

De martyrio eius, & exequijs.

Cap. XXVI.

Maximinus & Iulianus gladio interfecti sunt.

Lucianus Martyrij gloriã adeptus est.

Corpus exanime caput gressibus firmis tribus ferme milliaribus tulit.

TVnc egressus ab vrbe cum duobus pueris Maximino, & Iuliano, peruenit ad montem tribus fere miliaribus ab vrbe distantem super fluuium Thare. Tunc apprehendentes impij à Iuliano directi, duos præfatos pueros gladio interfecerunt. Sanctum vero Lucianum cum indignatione allocuti sunt dicentes. Tu ne es, qui maleficijs tuis populum seducis, vt sacratissimis Dijs non immolent, sed inuictissimorum principum decreta contemnant? Qui respondit: Ego maleficus non sum, sed beneficiis eruditus supernis, populo viam veritatis ostendo, & dominum Iesum Christum quomodo in offenso pede sequantur innotesco. Tunc apprehendentes eum vinctis manibus cæciderunt: illoque constanter perseuerante, vnus ex militibus euaginato gladio caput eius abscidit. Cumque cadauer sancti iaceret exanime, videntibus militibus, & vulgi multitudine, lux de cœlo super sanctum corpus emissa est, & vox cum luce pariter venit dicens: *Euge bone famule Luciane, qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti in terris: veni ad præpatam tibi mansionem in cælis.*

Recedentibus autem à loco ministris nequam: erigens se sancti viri corpus exanime, apprehendensque manu propria caput sanctum abscisum, stabili gressu quasi tribus milliaribus Thare vado trãsposito, peruenit ad locum, in quo se funeri tradendum vir sanctus elegerat, vno ab vrbe milliario, ibique requieuit. Viri autem eiusdem loci, qui eius fuerant admonitione conuersi, venerunt deuotissime cum aromatibus, & sepelierunt sacrum corpus. Cumque illud reconderent apertæ sunt nares eorum, & senserunt odorem, qualem nunquam antea senserant, aromata scilicet Angelorum, qui ob sancti viri exequias à Domino destinati fuerant. Et conuersi sunt eadem hora quasi quingenti viri gratias agentes Deo. Iam autem per eum conuersi fuerant in Galliis plusquam triginta millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.

De legatione sancti Reguli Siluanectensis.

Cap. XXVII.

Hinc est cur ferunt hunc fuisse discipulum S. Ioannis.

EX gestis eius. Sanctus autem Regulus cum beato Dionysio à beato Clemente in Gallias est directus. Hic quondam, beato Ioanne Apostolo post dispersionem per Iudæam, aliasque prouincias, prædicante, adhuc iuuenis ex Græcorum finibus nobili prosapia exortus, inter confluentium turbas ad eius melli fluam cum summa deuotione prædicationem cucurrit. Moxque fidelis auditor paternas possessiones, & diuitias plurimas quibus affluebat detrahens: horum precium manibus indigentium sagaciter cœlo condidit, atque cunctis, adhuc nouus tyro Christi, diabolicis renuncians pompis, ab huius naufragio mundi gaudens, nudus euasit, & ad magistri documenta mente libera rediit. Sed eo in Pathmos insulam relegato, tanti patroni solatio destitutus, fletibus, & orationi incubuit. Interim Areopagitam Dionysium Athenis cum pluribus eiusdem vrbis Christianæ incolis Sacramentis imbutum audiuit, eiusque fœlici cupiens iungi consortio Athenas venit: inde Romam pergens, à B. Clemente Papa cum sancto Dionysio multisque fidelibus, qui eum comitati fuerant omni cum honore susceptus est. Cumque sanctorum conuentus Apostolicis informaretur sanctionibus. Hi sancti viri à beato Clemente directi, Apostolica benedictione roborati, & Spiritus sancti amore succensi, Dominici fideles, Agricolæ ruris, Barbaricis pectoribus verbum Dei inserentes, Arelatensium venerunt ad vrbem, tantamque gratiam sanctis suis largitus est dominus, vt eorum prædicationi plebs Arelatensis nullo modo resisteret, sed euangelium Christi deuotis suscipiens mentibus conditorem omnium fideliter adoraret. Erat enim ibi maximæ venerationis templum, quo Martis statua ab omnibus colebatur, quam beatus Dionysius nullo hominum labore, sed diuini nominis inuocatione confregit, & eliminatis soliti cultus spurcitiis, ad regenerandum populum Dei baptisterium ibi fieri præcepit. Ipsum vero templum, sub veneratione beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ecclesiam consecrauit. Videns autem regionis illius populum idolatriæ sacrificiis deseruire, per diuersas prouincias comministros suos diuidens, & per singulos dilectionis causa deflens, abire permisit. Beatum vero Regulum Pontificali benedictione decoratum Arelatensi ecclesiæ præesse constituit: Ipse autem cum sancto Rustico, & Eleutherio fines Galliæ penetrans, Parisios venit; vbi cum multis afflicti tormentis, laboris sui palmam capitali sententia receperunt.

Qualiter ei reuelata est passio sanctorum Dionysij, & sociorum eius.

Cap. XXVIII.

Martyrium Beati Dionysij & sociorũ reuelatur Sancto Regulo.

ACcidit autem, vt dum quadam interfectionis ipsorum die, beatissimus præsul Regulus Arelatensi populo iam ex more ecclesiam frequentanti publicam missam celebraret, dominica oratione dicta, & Apostolorum nominibus recitatis, adiunxit, & *beatis martyribus tuis Dionysio, Rustico, & Eleutherio.* Quo dicto, paululum stupefactus, secum mirari cæpit cur præter solitum hoc dixerit: Et ecce apparuerunt tres columbæ super altaris crucem residentes, horum martyrum nomina pectoribus sanguine habentes inscripta, quas beatus Præsul diligenter intuitus, beatum Dionysium, & socios eius per coronam Martyrii cęlos ascendisse per spiritum sanctum cognouit. Mox autem columbæ ab oculis eius elapsæ sunt. Expleta autem Dominici corporis consecratione, paucis secum

quos

quos voluit retentis, cęteros discedere fecit: quibus visionem amarissimè flens narrauit, & ait: Heu quam libenter corpus hoc neci traderem, vt tantorum virorum societate non carerem. Tunc vocato quodam Felicissimo Episcopo, qui à Beato Clemente Papa illuc forte tunc venerat, plebem sibi traditam illius custodiæ delegauit. Ipse verò iter arripiens pauco comitatu, sanctorum prosecutus vestigia Parisios venit. Tunc diligenti inuestigatione secreta Sanctorum Martyrum requirens corpora, & locum interfectionis ipsorum tandem ad vicum Catulliacum peruenit, & à quadam Matrona nomine Catulla, quæ ibi morabatur hospitium sibi præstari charitatis gratia petijt. Ipsa ergo an Christianus esset requirere cœpit: fuerat enim à Beato Dionysio signo crucis præsignata; quo se esse Christianum respondente, addidit ipsa: Dic quæso ex consortio istorum Martyrum Dionysij, & sociorum eius fuisti? Ipse vero horum nomina audiens obortis profusus lachrymis consortem se esse confessus est. Nocte autem sequenti, nondum enim persecutionis procella quieuerat, sanctum Regulum ad sepulchra Martyrum duxit. Per tres autem dies cupiens diuinis instrui disciplinis ipsa Catulla beatum Regulum secum detinuit, & super sanctorum corpora basilicam ædificauit ligneam pro tempore satis honestam, quam sanctus Præsul honore ipsorum Martyrum consecrauit.

De aduentu eius in Siluanectum, & conuersione vrbis.

Cap. XXIX.

DEinde pro hospitalitatis gratia, Catullæ gratias referens, ad Siluanectensem vrbem ire disposuit. Cum autem inceptum iter faceret in villa, quam dicunt Lauitram, inuenit non paruam multitudinem hominum idolo Mercurij sacrificij victimas offerentes; Quod videns athleta Dei ingemuit, & populo idolatriæ cultui dedito condolens, ad orationis confugium redijt, & præmisso Sanctæ Crucis vexillo, cunctis astantibus pastorali simulachrum percussit baculo; mox diuino numine, & sancti præsulis intercessione comminutum est idolum, & quasi in puluerem redactum. Illa autem rustica manus diuinæ cedens virtuti, nullã aduersus eum (vt mos est eorum) seditionem excitauit, sed iussioni obediens præsulis, sacro baptismate purificari non renuit. In loco vero vbi idolum confregit in honore Dei Genitricis altare dedicatum statuit.

Sanctus Regulus confregit Idolum.

Erat autem in ciuitate Siluanectensi Matrona quædam Callicia nomine, prædictæ Catullæ consanguinea: quæ beati viri audiens famam, ad prædictam villam occurrit, vt quantocius ad ciuitatem properaret, vnicumque sibi redderet filium à dæmone possessum, lachrymabiliter exorans, Qui lachrymis eius condolens, perexit, & domum ingressus, & increpato dæmone, *Orationem dominicam, & symbolum super caput pueri incepit recitare.* Mox vero dæmon hac oratione territus, diuinoque verbere tortus in vespertilionem mutatus egreditur. Et quia immundissimus sordidum induerat animal, immundum non immeritò quærere voluit hospitium: asinumque quo sanctus Præsul longi labore itineris fessus leuari solebat, cernentibus cunctis qui aderant, cum assumpti corporis forma ingredi voluit. Sed qui quondam, quod natura negauerat, asinum humanis coegit vti loquelis: hunc asinum sancti Reguli meritis, salutis vexillum, quòd nunquam cognouerat, componere docuit. Nam pede crucis signum in terra figurauit, & quasi Deum adiutorem sibi inuocaret, erecto in cœlum capite plus solito rudire cœpit. Sic diuina potentia sancti Præsulis Asinum ab iniquo hospite liberauit. Tunc maxima pars illorum, quorum Deus cor tetigit, confitentes peccata sua, vt sine dilatione baptizarentur, petierunt: Beatus autem Regulus puerum à quo Dæmonium ieiecerat cum maxima populi multitudine baptizauit.

Exemplum hoc habes hinc desumptum in speculo magno Exemplorũ tit. Crucis signum.

Asinus crucis signũ pede in terra figuranit.

Quod videntes templorum Pontifices inuidiæ facibus accensi, vt à finibus suis Deorum suorum hostis exterminaretur, Quintiliano vrbis Prefecto suadere cœperunt. Tunc Præfectus Deorum suorum contemptu motus, ira dictante respondit: Ite, & Dijs nostris ex more libamina præparate, vbi superueniens eum ad sacrificandum cogam. Vel si noluerit, diuersis cruciatibus afflictum meritæ neci tradam.

Qualiter in carcere vinctos miraculo liberauit.

Cap. XXX.

CVm autem beatus Regulus, baptizata immensa populi parte, ad hospitium, quod sibi Callicia parauerat, iam nocte imminente rediret, veniens antè ostium carceris, in ipso vrbis introitu, inuenit quosdam Christianos prædicti carceris ergastulo nexos: qui eius transitum audientes, vt eos respiceret immensis vocibus clamare cæperunt. Ad quorum voces subsistens, an Christiani essent requirere cæpit. Illi se à beato Dionysio *sub sanctæ Trinitatis nomine baptizatos*, & propter huius confessionem à Præfecto relegatos voce clara responderunt. Tunc Athleta Dei non insani ferocitate consularis territus, astantibus sibi quibusdam fidelibus. Non est, inquit, bonum, quos diuina clementia spiritalibus vinculis dæmonum absoluit, materialibus hominum nexibus detineri. Hæc dicens, pastorali virga, imo virtute diuina carceris ostium percutiens fregit, & cum magna constantia illos abire præcepit. Mox custos carceris quod viderat concitè Præfecto retulit: quem nimio furore accensum, & ad perquirendum sanctum Dei iam insurgentem, Vxor eius quæ fuerat à Beato Dionysio baptizata, detinuit: & suis persuasionibus ab incœpto desistere fecit. Beatus autem Regulus consuetam capiens cœnam, & cum alijs discipulis suis per totam noctem in Dei laudibus perseuerans pro populi conuersione Deum precabatur.

Beatus Regulus Christianos vinctos in carcere virtute diuina liberauit.

De conuersione Præsidis, & subuersione Idolorum per ipsum.

Cap. XXXI.

INterea Præfecto inani, & peruigili meditatione de nece Præsulis tractante, Christo vero solita pietate fidelis sui salutem disponente, iam maxima noctis transacta parte, sanctus Dionysius apparuit Præfecto cum suis duobus socijs in visu dicens: Quintiliane Dominus Iesus Christus, cuius seruos nos professione fideli fatemur, huc salutis tuæ causa nos misit, vt relicto dæmonum cultu ad eum conuertaris, & postposita tyrannide, dominationis prefectura, Christianæ religionis amodò fidelis cultor efficiaris. Summo vero mane fratrem nostrum inquire Regulum, à quo indulgentiam petens, quicquid dixerit sine contradictione perficias. Peracta visione ad se reuersus Præses, quæ viderat coniugi suæ per ordinem retulit, & sanctorum imagines euidenti relatione significauit. Illa autem dixit ei: Noueris, charissime, hos, qui tibi locuti sunt, Beatum Dionysium esse & socios eius; qui à Pręside Fescennino Parisijs martyrij palmam susceperunt. Vnde bonum est, & salutare, vt sicut diuinitus per eosdem sanctos tibi reuelatum est, sanctum Dei Pontificem, non vt disposueras, requiras: &, quicquid præceperit, facias: ne Omnipotentis Christianorum Dei iram incurras. Beatus vero Regulus mane facto, templum quo Præfectus sacrificium parari dixerat, ingressus est, quod intra muros ciuitatis situm, magno venerabatur cultu. Erat enim mirę compositionis, & ornatus, in quo erant quamplurima Dæmonum diuersi generis simulachra: quę cuncta diuini nominis inuocatione Athleta Dei, imo Deus per illum in momento subuertit. Tunc Sacerdotes, qui iussis insistebant sacrificijs, Deorum suorum interitum considerantes, cum magno vlulatu discurrebant, pectora impiè tun-

Sanctus Dionysius apparet Præfecto.

Beatus Regulus cuncta idola templi subuertit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dentes, & nunquam tantum ſcelus in ſæculo fuiſſe proclamantes; Præfecti domum cum magno ſtrepitu ingreſſi dicebant: Cur maledicte Deorum ſanctuaria deſtrui pateris? Cur Imperatoris legem euertentem infelix præſes non punis? Viuus debet incendi Regulus, qui ſacrilega manu Deos noſtros vrbis protectores tangere non timuit. Et dum talia indiſcreto proſequerentur luctu; quidam ex maioribus populi, qui ob hoc illuc conuenerant, vt iudicis animum ab inſana Sacerdotum proclamatione auerterẽt (Verbum enim vitæ iam per beatum virum ſuſceperant) dixerunt: Non eſt bonum vt horum iniuſtæ accuſationis querimoniam aduerſus ſanctum Der temere ſuſcipias, donec, diſcuſſa veritate, quis horum potius credi debeat cognoſcas. Ille diuinæ viſionis non immemor, cum coniuge, & familia ad virum Dei ſe contulit, & ad pedes ſuos procidens pro ignorantia ſua indulgentiam fuſis lachrymis poſtulauit. Et cum vidiſſet beatus Regulus totius vrbis multitudinem cum ſuo Præſide cum omni deuotione confluentem exultauit, & publica voce Chriſto benedixit. Tertia vero die indicti ieiunij, templum in quo ſimulacra depoſuerat, eccleſiam dedicauit, & altare in honore B. Mariæ Virginis ſtatuit, populumque baptizauit.

Præfectus cum tota familia fuſis lachrymis indulgentiã pro ignorantia ſua poſtulat.

Qualiter ranis ſilentium impoſuit, & de morte eius.

Cap. XXXII.

CVm autem ordinatis eccleſiaſticis rebus; eccleſijs congruis in locis per vicos ædificatis, & paſtorali ſolicitudine parrochiam ex more peragraret, vt ſi in officijs diuinis, & eccleſiaſticis cultibus aliquid negligentius fieret: fidelis Chriſti cultor cognoſceret: contigit vt quadam die ad vicum Iuliacum eiuſdem deuotionis gratia, & ſtudio religionis accedens, non modicam chriſticolæ plebis inuenerit multitudinem, mox præſentium conſilio vt liberius multitudo loquentis verba perciperet, cathedram pontificalem extra eccleſiam ſub dio parari præcepit. Cum autem diuinis inſiſteret verbis, & ad veſperum vſque ſermonis protraheret textum. Ecce quædam garrulitas ranarum confuſo & tædioſo ſonitu, ex more vociferantium à lacu, qui forte ibi hyemali imbre maior ſolito congeſtus fuerat, exorſa eſt. Cumque ſibi loquenti hanc inquietudinem obeſſe, & multitudinis aures inordinatis obſtrui vocibus ſenſiſſet, tanto motus tædio, continuò præcepit, vt ipſæ, & omnis eorum poſteritas frænis perpetui tenerentur ſilentij, præter vnam, quæ cæteris damnatis, ſolitæ vocis ſemper vteretur officio. Quod ſancti Præſulis imperium nulla ſæculorum vetuſtate conſumptum, ſicut prius iuſſerat, adhuc ibi videmus obſeruatum. Completis igitur in regimine ouilis Dei 40. annis 3. Kalend. Aprilis carnis vinculis abſolutus, migrauit ad ſuperos, & ſepelierunt eum ad orientalem partem ciuitatis in eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quam ipſe ſanctus Præſul in honore ipſorum conſecrauerat.

Sanctus Regulus ſumma ſanctitate in pace quieuit.

De ortu ſancti Taurini Ebroicenſis.

Cap. XXXIII.

EX geſtis eius. Tempore Domitiani Regis fuit vir quidam Romæ nomine Tarquinius Paganus, qui vt ſæuiſſimus Lupus perſequebatur Chriſtianos, neſciens vxorem ſuam eſſe Dei famulam. Illa autem ſine ceſſatione aſſiduabat Dominum orationibus, vt virum ſuum conuerteret ad Chriſtianitatis ritum. Inſuper etiam talem ipſis filium daret, qui veluti Samuel ſemper Domino deſeruiret. Et ecce quadam nocte cum feſſa quieſceret, vidit ſibi aſtare Angelicum vultum vterum ſua virga tangentem, & poſt paululum procedere virgam inſtar lilij cuius flores nimium dabant odorem. Aduenientе autem tempore infans naſcitur, & Taurinus à parentibus vocatur. Mox autem vt tempus ſacri baptiſmatis aduenit ad baptizandum illum ſancto Clementi Apoſtolico tradidit, eique ſomnium, quod aliquando viderat, narrauit. Quod audiens beatus Clemens, ipſe eum de ſacris fontibus ſuſtulit. Vocans autem beatum Dionyſium Areopagitam, qui cum eo tunc Romæ verſabatur, retulit ei ſomnium Eutyciæ, & ait illi: Suſcipe illum quoad vſque gratia Spiritus ſancti confirmem illum: at ille gratanter ſuſcipiens eum fertur tali voce erupiſſe: O fili, multa pro Chriſto tibi debentur certamina. Qui beatus Dionyſius cum à beato Clemente in Gallias mitteretur, ſecum filiolum ſuum Taurinum precibus matris victus adduxit, & eum cum omni diligentia ſpiritali nutriuit. Et vt cognouit cum hoſte rapido ſe habere conflictum, Taurinum eundem Ebroicæ ciuitatis ordinauit Epiſcopum. Iam enim ordinauerat in ciuitate Cameracenſi germanum eius Gaugericum.

Taurinus à Dionyſio ducitur in Gallias.

Taurini Parentes.

Taurinus à S. Clemente baptizatur.

De acceſſu eius apud Ebroicas, & conuerſione vrbis.

Cap. XXXIV.

SAnctus autem Taurinus à beato Dionyſio confortatus, & inſtructus Ebroicas adiens priuſquam appropinquaret portæ ciuitatis in tribus ſe oppoſuit figmentis, contra illum dirus hoſtis. Vno in ſpecie Vrſi: alio Leonis: tertio Bubali: quibus diuina virtute ſuperatis ait ad Sathan: O miſer modo aſſimilaris mutis animantibus, derelicto conſortio tui conditoris: eſt tibi modo melius, aut aliquod gaudium? Reſpondit Sathan, & ait: Quale mihi gaudium erit modo, dum tu huc aduenieris poteſtatem meam euertere cum Deo tuo? Tantum mihi hic locus remanſerat in hac prouincia: Illum autem, qui huc te tranſmiſit, cito faciam interire, vt tecum ineam ſingulare certamen: His dictis nuſquam comparuit. Tertia die cum vir Dei in domo Lucij prędicaret, ſubito Dæmon filiam eiuſdem Lucij vexare cœpit, atque in ignem merſit: quæ ſtatim mortua eſt. Tunc beatus vir diutiſſime orauit, & infuſis lachrymis tenens eius manus dixit: *Euphraſia in nomine Domini mei Ieſu Chriſti ſurge*: quæ ſtatim ſurrexit, & nullum ſignum aduſtionis in ea apparuit. Baptizati ſunt autem illa die 120. homines, octo cæci illuminati, quatuor muti ſanati, aliæque virtutes non modicę patratæ. Intrantibus autem Fanum Dianæ, dixit beatus Taurinus; Ecce Dea veſtra, rogate illam vt adiuuet vos: Sacerdotes autem proſtrati cœperunt clamare dicentes: Sancta Diana inuictiſſima Dea vindica nos, & te, de malefico iſto. Dæmon autem, qui intus latebat dixit: *Ceſſate miſeri, ceſſate me inuocare*: ex quo enim vir iſte ſeruus Dei altiſſimi ingreſſus eſt hanc ciuitatem, ego catenis igneis relegatus teneor, nec auderem loqui nili ipſe iuſſiſſet. Tunc beatus Taurinus ait ad illos: Vultis videre Deam veſtram? & præcipiente eo dæmoni, vt exiret de ſimulachro, apparuit Æthyops niger quaſi fuligo, prolixam barbam habens, ex ore ſcintillas igneas emittens. Hanc effigiem videntes populi proſtrauerunt ſe ante pedes ſancti, obſecrantes, vt ab hac eos mortifera beſtia liberaret: quos ille conſolatus eſt dicens: Nolite timere, tantum fidem habete. Et ecce Angelus domini ſplendens vt Sol aduenit, omnibuſque cernentibus à templo, ligatis in dorſo manibus, eum adduxit. Et baptizati ſunt illa die duo millia virorum, multique infirmi curati. Inter quos, & ego Adeodatus, frater Euphraſiæ credidi, & baptizatus, ab ipſo ſum de ſacro fonte leuatus, ac poſtea ad honorem preſbyterij ab eodem promotus. Tunc expurgauit templum Dianæ ab omni ſpurcitia Idolorum, & conſecrauit illud in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ. Tunc cœpit circumquaque Idola deſtruere, & eccleſias conſecrare, dioceſim circumire, & canonice ordinare.

Dæmon apparet ſancto Taurino, triplici ſpecie.

Sanctus Taurinus Euphraſiam ſuſcitauit, & multa miracula eodem die patrauit.

Species Dæmonis exeuntis è ſimulachro Diana.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſancto Eugenio Toletano.

CAP. XXXV.

Eugenius martyr efficitur.

Eius corpus per reuelationem inuenitur; anno tamen Christi 1565 ampliſſimo apparatu in ſuam antiquam ſedẽ Toletanam ſcilicet martyr inſignis delatus eſt.

EX geſtis eius. Sanctus quoque Eugenius ex ſocijs beati Dionyſij fuit vnus, à quo Toletanis ad prædicandum deſtinatus, poſtquàm multitudinem populi barbaricam ad Deum conuertit, nimio deſiderio videndi beatum Dionyſium ſuccenſus iter arripuit. Cumque iam pene quatuor millibus ab vrbe Pariſiorum propinquaret loco nomine Diolio, ſubitò rabies perſecutorum longe lateque diſperſa inuenit eum cum multitudine credentium. Interrogatus ab eis quem Deum coleret, reſpondit ſe tota deuotione percolere Chriſtum. Tunc iubent eum interfici, corpuſque eius in lacum Mercaſij iam dictæ villæ Diolio vicini præcipitari occultè, ne forte à Chriſtianis inueniretur, & in memoriam ac laudem poſtmodum haberetur. Cumque multis diebus illic corpus ſanctum delituiſſet, nulla tamen, quod dictu mirum eſt, corruptionis putredine violatum eſt. Poſtquam vero perſecutorum ceſſauit inſania, quidam illuſtris, & diues nomine Ercoldus in prædicta villa præpotens, in ſomnis à quodam ſene admonitus, ſimulque ab infirmitate qua tenebatur curatus, diluculo ſurgens cum comitatu multo ad lacum perrexit, ibique corpus beati martyris ſicut in viſione didicerat inconuulſum; & nulla tabe infectum, ac ſi eodem die decollatum fuiſſet, inuenit. Cumque plauſtro impoſitum ducere vellet ad ſancti Dionyſij monaſterium, vt ibi ſepeliretur; Bobus ſubitò greſſum figentibus, nec vltra pergere valentibus, rogauit omnes orare dominum, vt oſtenderet quo martyr ſepeliri deberet. Solutiſque cunctis Bobus præter duos, erant enim quinque iuga. Illi duo concitè cucurrerunt donec ad prefati viri prædium peruenerunt, & tunc gradum fixerunt: vbi etiam modo requieſcit, ibique multis miraculis claruit. Huius natale celebratur 17. Kal. Decemb.

Edictum Domitiani contra Mathematicos.

CAP. XXXVI.

Quomodo Mathematicus ante mortem potuit prædicere, quod ei euenturum erat poſt mortem?

EVſebius in chronicis. Anno imperij ſui xiij. Domitianus rurſum Philoſophos, & Mathematicos vrbe Romana per edictum extruſit.

Helinandus libr. 40. Horum Mathematicorum vnum, vt ſupra poſitum eſt, Aſcletarionem nomine, ſciſcitatus eſt, quis eum maneret exitus? Qui reſpondit, vt in breui laceraretur à canibus: quem Domitianus ſtatim iuſſit occidi, & ſepeliri, vt quaſi mendacij eum argueret. Sed repente orta tempeſtas eundem ſepultum mox eruit, quem ſtatim erutum, canes decerpſerunt. Nec eſt mirandum, Mathematicum ante mortem potuiſſe prædicere, quod ei euenturum erat poſt mortẽ. Quia, vt ait Papa Gregorius, ſolent dæmones multa vera prædicere, vt poſſint animam ex aliqua falſitate laqueare. Et vt ait Auguſtinus: Quotiens aſtrologi mirabiliter vera reſpondent, non immerito creditur id occulto inſtinctu fieri Spirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas, & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare: non horoſcopi notati & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt.

Si autem quæratur à me quomodo vel ipſi dæmones id potuerunt preſcire? Reſpondeo, iam Domitiano fortaſſis occultè inſpirauerant, vt Aſcletarionem occidi, & ſepeliri faceret, & iam tempeſtatem in proximo futuram, tanquàm aeris habitatores preſenſerant; & canes ad eundem locum venturos nouerant, aut etiam ipſi Dæmones in canes transfigurati hoc fecerunt. Non enim dixit Suetonius hoc narrando, vtrum illi caſus fantaſtici, aut veri fuerint. Hoc igitur prænunciauerunt; quod facturi erant: certum eſt autem, quod libentius eundẽ viuum decerpſiſſent, quàm mortuum, ſi permiſſi fuiſſent.

De arrogantia, & meticuloſitate, & forma, & morte ac exercitys eius.

CAP. XXXVII.

Superbia Domitiani.

Cap. 13. Sic Dion.

Cap. 14.

Mors Domitiani.

HVgo Floriacenſis. Denique Domitianus in tantam ſuperbiam euaſit, *vt Deum, & Dominum ſe totius mundi appellari iuberet.*

Suetonius. In ſenatu iactare non dubitauit, & patri ſe, & fratri imperium dediſſe, illos ſibi reddidiſſe. Pari arrogantia cum Procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cæpit: *Dominus, & Deus noſter ſic fieri iubet.* Vnde inſtitutum eſt poſthac, vt ne ſcripto quidem, vel ſermone cuiuſquàm aliter appellaretur. Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas, & argenteas poni permiſit, ac ponderis certi.

Per hæc terribilis cunctis, & inuiſus: tandem oppreſſus eſt amicorum, libertorumque intimorum conſpiratione, ſimul & vxoris: annum diemque vltimum vitæ, ſuſpectum iam pridem habebat, quare pauidus ſemper, & anxius, minimis etiam ſuſpicionibus præter modum commouebatur. Tempore verò ſuſpecti periculi appropinquante, ſolicitior in dies porticuum in quibus ſpatiari conſueuerat, parietes phengite lapide diſtinxit: ex cuius ſplendore per imagines quicquid à tergo fieret præuideret: vtque domeſticis perſuaderet, ne bono quidem exemplo audendam patroni necem: Neronis libertum cuius manu in adipiſcenda morte adiutus ille exiſtimabatur, capitali pœna condemnauit. Denique Flauium Clementem patruelem ſuum repente ex tenuiſſima ſuſpicione interemit. Quo maximè facto maturauit ſibi exitum.

Cap. 17. Statura eius & Caluitiũ.

Statura fuit procera, vultu modeſto, ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: caluitio quoque deformis, & obeſitate ventris, & crurum gracilitate. Caluitio ita offendebatur vt in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alij ioco vel iurgio obiectaretur.

De moribus eius, & ſtudijs.

Armorum nullo, vel ſagittarum præcipuo ſtudio tenebatur, quibus quarumdam etiam ferarum capita ita ex induſtria figere à pleriſque ſpectatus eſt, vt duobus ictibus quaſi cornua effigeret. Nonnunquam in pueri procul ſtantis, præbentiſque pro ſcopulo diſpanſam dexteræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè euaderent.

Hugo Floriacenſis lib. 4. Sed cum in vrbe Roma Senatum populumque laniaret, & foris male diſpoſitum exercitum aſſidua hoſtes cæde conficerent, à ſenatu eſt damnatus, & in palatio interfectus. Hoc quoque definitum eſt, vt omnes, qui ab eo in exilium extruſi fuerant, decreto Senatus reuocarentur, & ſuas reciperent facultates. Corpuſque eius humana caruit ſepultura.

Cædes eius vt accepta à populo, milite, & Senatu.

Suetonius capit. 20. Occiſum populus indifferenter, miles grauiſſime tulit. Contra ſenatus adeo lætatus eſt, vt repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret, ſcalas etiam inferri, clypeoſque & imagines eius coram detrahi, & ibidem ſolo affigi iuberet: nouiſſime eradendos vbique titulos, adolendamque omnem memoriam decerneret.

De Imperio Neruæ, & vita ſancti Timothei Apoſtoli.

CAP. XXXVIII.

EVſebius in chronicis. Nerua denique ſenex Domitiano ſucceſſit, cœpitque anno Domini 98. mundi verò 4051. Imperauit autem anno vno, & menſibus quatuor.

Author.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nerua Imperator An. M. 4051 Ch. 98.

Author. Eodem anno vt legitur Sanctus Timotheus multa pro veritate paſſus ad Dominum migrauit: cuius vitam Polycrates preſbyter ſcripſit.

Notiſſimus hic eſt Pauli Apoſtoli diſcipulus, cuius tum in eius epiſtolis, tum in actibus Apoſtolorum eſt frequens mentio. Paſſionem Timothei à Polycrate ſcriptã fuiſſe, author eſt Sigebertus de viris illuſtribus cap. 3. ſed ignotũ prorſus id Euſebio & Hieronymo qui agunt de Polycrate.

Polycrates. Hic Timotheus ciuitate Lyſtris Lycaoniæ ortus, à Paulo Apoſtolo edoctus eſt, & comperegrinus ei factus cum eo ad ſplendidiſſimam Epheſiorum Metropolim, à quo Epiſcopatum ibidem primus conſecutus eſt, regnante Nerone apud Romanos, vbi in doctrinis, & miraculis ac conuerſationibus coruſcauit. Non ſolum verò Apoſtoli Pauli, ſed & glorioſi Theologi Ioannis, qui ſupra pectus domini in cœna recubuit, viſor & auditor factus eſt. Nerone enim Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum, male tractante martyrio, conuenit Ioannem Theologum adeſſe ſplendide metropoli, ſcaturientem de naufragio, vbi etiam, qui Diſcipulos Domini ſecuti fuerant, apud ſe conſtituta differentibus linguis conſcripta de factis miraculis, à Domino, neſcientes ordinatim componere, conuenientes ad Epheſiorum vrbem ſecundum communem ſententiam Ioanni Theologo obtulerunt, qui omnia conſiderans, gaudenter motus, quæ ab ipſis dicta ſunt, in tribus Euangelijs conſtituit, ſecundum ordinem Matthæi ſcilicet & Marci, ac Lucæ, eorumque nominationes ſingulas ſingulis Euangelijs ſuperpoſuit. Inueniens autem eos diſpenſationes humanitatis narrantes, ea quæ Diuino pectore hauſerat, & ab illis dicta non fuerant, ipſe pleniter narrauit; ſupplens etiam quæ minus ab eis dicta fuerant diuina miracula.

Poſt Neronem autem imperante Domitiano Ioannes ab ipſo de vrbe Epheſiorum exul factus, & in Pathmos, quæ eſt vna Cycladum inſula habitare miſſus eſt. Interea Sancto Timotheo Epiſcopatum Epheſiorum Metropolis diſpenſante, reliquiæ primæ idolatriæ in his qui tunc ipſam vrbem habitabant, remanſerant, nec ſinebant frequentiſſime eos dehortante Sancto Epiſcopo Timotheo, In die autem abominabilis eorum feſtiuitatis, tranſcurrens in medium porticus hortabatur eos, dicens: *Viri Epheſij nolite Idolatriæ inſanire, ſed illum, qui Deus eſt, plane cognoſcite.* At operarij Diaboli indignantes in Doctrina eius, palis & lapidibus vſi, iuſtum interfecerunt. Serui autem Dei repauſauerunt eum adhuc ſpirantem in monte adiacente ciuitati, & ibi cum pace Spiritum Deo tradidit. Hoc factum eſt 22. die menſis Ianuarij imperante Nerua.

Timotheus cum Diana immolantes argueret lapidibus obrutus, Paulo poſt obdormiuit in Domino.

De reuocatione Ioannis, de exilio, & de ſuſcitatione Druſianæ, & de Cratone Philoſopho.

Cap. XXXIX.

HIc vero Nerua primo ſuo edicto cunctos exules reuocauit, quos Domitianus exulauerat.

Miletus. Vnde factum eſt vt Ioannes, qui eius voluntate cum iniuria deportatus in exilium fuerat, cum honore Epheſum remearet. Occurrit autem ei omnis populus exultans, & dicens: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Cum autem ingrederetur ciuitatem; Druſiana, quæ ſemper eum ſecuta fuerat, & aduentus eius deſiderio fatigata fuerat, efferebatur mortua. Flebant autem pauperes, & viduæ, & orphani clamantes: Sancte Ioannes Apoſtole, ecce Druſianam efferimus, quæ ſanctis monitis tuis obtemperans, omnes nos alebat & Deo in caſtitate, & humilitate ſeruiens, quotidie reditum tuum deſiderabat, dicens: O ſi videam Apoſtolum Dei antequam moriar; & veniſti; & te videre non potuit. Tunc Sanctus Ioannes feretrum iuſſit deponi, & corpus ſolui, & clara voce dixit: *Dominus meus Ieſus Chriſtus excitet te Druſiana: Surge reuertere ad domum tuam, & præpara mihi illic refectionem.* Ad hanc vocem ſurrexit, & iuit, ſolicita de iuſſione Apoſtoli; ita vt ſibi videretur quia non de morte, ſed de ſomno excitaſſet eam.

S. Ioannes excitauit Druſianam.

Altera die Craton Philoſophus in foro propoſuerat de contemptu huius mundi ſpectaculum, vt duos ditiſſimos fratres produceret, quos fecerat diſtracto patrimonio gemmas emere ſingulas, quas in conſpectu omnium pueri frangerent. Quod cum facerent, contigit tranſire Apoſtolum: Qui conuocans ad ſe Philoſophum ait: Stultus eſt iſte mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, ſed Diuino iudicio contemnitur: Magiſter meus iuuenem cupientem ad vitam æternam attingere his verbis inſtruxit, *vt ſi vellet eſſe perfectus, venderet omnia ſua, & daret pauperibus.* Cui Craton dixit: Humanæ cupiditatis fructus in medio hominum poſitus confractus eſt, ſed ſi vere Deus eſt magiſter tuus, & hoc fieri vult vt harum gemmarum precium erogetur pauperibus, fac gemmas reintegrari, quod ego ad famam hominum feci, tu ad gloriam magiſtri tui facias fieri. Tunc Apoſtolus colligens fragmenta in manu ſua, oculos ad cœlum leuauit, & ait: *Domine Ieſu Chriſte cui nihil eſt impoſſibile, adeſto nunc ſuper lapides iſtos, quos ignorantes fructus eleemoſynæ ad planſus hominum confregere: tu Domine per manus Angelorum tuorum eas reuertere, vt eorum precio miſericordiæ fructus expleatur.* Cumque fideles, qui cum eo erant reſpondiſſent *Amen*, ita ſolidata ſunt fragmenta gemmarum, vt nec ſignum aliquod fractionis remaneret. Tunc Philoſophus cum his iuuenibus, & cum Diſcipulis ſuis pedibus Apoſtoli prouolutus cum omnibus credidit, & fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicare cœpit. Duo quoque fratres illi venundantes gemmas, quas vendito patrimonio emerant, pauperibus tradiderunt.

Precibus S. Ioannis gẽma penitus fracta iterũ reintegrãtur

De duobus, qui relictis omnibus pœnituerunt, & poſtea reſipuerunt.

Cap. XL.

TVnc etiam duo viri honorati ciuitatis Epheſiorum ſequentes horum exemplum, vendentes omnia ſua, & dantes egentibus, ſequebantur Apoſtolum per ciuitates euntem, & verbum Dei prædicantem. Contingit autem vt intrantes Pergamum viderent ſeruos ſuos in ſericis veſtibus procedentes, & in gloria ſæculi refulgentes. Vnde factum eſt vt ſagitta Diaboli percuſſi efficerentur triſtes, quod ſe in pallio vno viderent egentes, ſeruos autem ſuos in potentia fulgentes, ſed hos dolos Diaboli intelligens Apoſtolus ait: Video vos, & animos mutaſſe, & vultus, eo quod Doctrinam Domini ſecuti eſtis, & omnia veſtra pauperibus contuliſtis: Vnde ſi omnia recuperare vultis, quæ in auro, & argento, & gemmis habuiſtis, deferte mihi virgas rectas. Quod cum feciſſent, *inuocato nomine Domini* conuerſæ ſunt in aurum. Iterum ait: Deferte mihi lapides minutos à littore maris. Quod cum feciſſent, *inuocata maieſtate Domini* conuerſi ſunt in gemmas. Tunc dixit eis per ſeptem dies ite per Aurifices, & gemmarios, & dum probauerit is aurum eſſe verum, & gemmas veras, nunciate mihi. Quod cum feciſſent ait: Ite, & redimite vobis terras, quas vendidiſtis, quia cœlorum præmia perdidiſtis. Emite vobis ſericas veſtes vt pro tempore fulgeatis ſicut roſa, cuius flos dum odorem pariat, ruborem oſtendat, repente marceſcat. In aſpectu ſeruorum veſtrorum ſuſpiraſtis, & vos effectos pauperes gemuiſtis: Eſtote floridi, vt marceſcatis, eſtote diuites temporaliter, vt in perpetuum mendicetis. Ecce voſipſi *inuocato nomine Domini Ieſu Chriſti* infirmos ſanaſtis: Dæmonia fugaſtis, cæcis lumina reddidiſtis: Ablata eſt hęc gratia vobis, & facti eſtis miſeri, qui eratis fortes, & magni. Et qui terrorem iuſſu veſtro incutiebatis Dæmonijs, amodo ipſi Dæmonia timebitis. Amator enim pecuniæ ſeruus eſt Mammonæ: Mammona autem nomen eſt Dæmonis, qui præeſt carnalibus lucris, & his qui mundum diligunt, dominatur. Hæc & alia plura dicente Apoſtolo, efferebatur

S. Ioannes conuertit virgas in aurum & lapides in gemmas.

Increpat diſcipulos qui relicto iugo Chriſti voluerunt redire ad vanitates mũdi

iuuenis

iuuenis mortuus, quem turbæ facientes exequias cum matre eius vidua iactauerunt ante pedes eius, rogantes, vt ſicut Druſianam, ita & hunc iuuenem ſuſcitaret. Tantuſque omnium erat fletus, vt etiam ipſe Apoſtolus vix à fletu, & lachrymis temperaret. Tunc proſternens ſe in orationem, diutiſſime fleuit, & ait: O iuuenis Stactee lachrymas Domino, & preces ſimul effudi, vt ſurgas à mortuis vinculo reuolutus, & his duobus Acceto, & Eugenio annuncies quantam amiſerint gloriam, & quantam incurrerint pœnam. Tunc exurgens Stacteus adorauit Apoſtolum, & cœpit increpare Diſcipulos eius dicens: Vidi Angelos veſtros flentes, & Angelos Sathanæ in veſtra delectione gratulantes, iam regnum paratum vobis, plenum epulis, & delicijs, ac gaudijs amiſiſtis, & loca tenebrarum vobis acquiſiuiſtis, plena draconibus, & flammis ſtridentibus, plena cruciatibus, doloribus, fœtoribus, terrore, & horrore, vbi non ceſſat vlulatus, & luctus. Rogate igitur Apoſtolum vt ſicut me reſuſcitauit à mortuis ad vitam; ita & animas veſtras, quæ iam de libro vitæ deletæ ſunt ſuſcitet ad ſalutem. Tunc ipſe Stacteus proſternens ſe cum illis, & omni populo omnes pariter orabant Apoſtolum, vt intercederet pro his ad Dominum. Quibus Apoſtolus hoc dedit reſponſum, vt per triginta dies pœnitentiam Deo offerrent. In quo ſpacio hoc maxime precarentur, vt virgæ aureę, & lapides ad ſuam naturam redirent. Quod cum factum eſſet flentibus, & pœnitentibus illis, & pro eis intercedentibus vniuerſis, dixit Apoſtolus: Scire vos volo, quia Dominus ſuſcepit pœnitentiam eorum. Ad illos autem conuerſus ait: Ite & reportate virgas ad ſiluam, & lapides ad arenam. Quod cum feciſſent, receperunt etiam gratiam curationum, quam amiſerant.

Suſcitat iuuenem mortuum qui & increpabat diſcipulos eius duos quod Dei mandatis ſpretis mãmonæ ſeruire voluerũt.

Diſcipuli S. Ioannis redeunt ad ſanam mentem, & agũt pœnitẽtiam.

De conſcriptione Euangelij Ioannis

Cap. XLI.

Hugo vbi ſupra. Cum autem fuiſſet Ioannes in exilio pullulauerunt interea per Aſiam hæreticorum ſæmina quædam Cerinthi ſcilicet & Ebionæi vel cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe. Quos idem Theologus in Epiſtola ſua Antichriſtos appellat, mundum ab Angelis factum eſſe dicentes, & Ieſum hominem tantummodo fuiſſe, nec ſurrexiſſe. Irridebant quoque Eccleſiaſtica dogmata, & reſurrectionem mortuorum non credebant. Cum redijſſet ergo ab exilio iam dictus Apoſtolus, compulſus eſt ab Aſiæ fratribus, & multarum legationibus Eccleſiarum, de coæterna patris, & Chriſti diuinitate facere ſermonem. Qui mox in ipſo ſui Sancti Euangelij exordio patenter oſtendit, quod *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Cuius ſermone prædicta hæreſis abdicatur.

Lege Euſebium lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt cap 27. & 28.

Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 3. cap. 24. Ioannem tradunt vſque ad vltimum penè vitæ ſuę tempus, abſque vllius ſcripturæ indicijs Euangelium prædicaſſe. Sed cum trium Euangeliorum etiam ad ipſum notitia peruenisſet, probaſſe quidem dicitur fidem, & veritatem dictorum, deeſſe tamen vidit aliqua; & ea maximè, quæ primo prædicationis ſuæ tempore Dominus geſſerat.

Helinandus vbi ſupra. Sed prius indixit ieiunium omnibus, vt orarent ſe digna ſcripturum. Fertur autem illum pro illo loco ſecretiſſimo in quo diuina ſcripturus ſeceſſerat, oraſſe, vt nullas huic inſiſtens operi ventorum ibi aut imbrium iniurias pateretur, hancque eidem loco vſque hodie reuerentiam elementa ſeruare.

Ioannes ſcripſit Euãgelium.

Euſebius vbi ſupra cap. 22. Irenæus in 3. contra hæreſim libro. Eccleſia inquit, quæ eſt apud Epheſum fundata eſt à Paulo, à Ioanne vero ædificata.

Polycrates. Nam Timotheus ab eo primus eiuſdem metropolis Epiſcopatum ſuſcepit, qui poſtmodum de exilio rediens Epheſum, & eundem Sanctum Timotheum, ſecundum ſupradictum modum finiſſe vitam inueniens, per eorum poſtulationem, qui tunc inuenti ſunt ſacrorum Dei principes, præſulatum Apoſtolici throni ſuſcepit, & permanſit, illam magnæ metropolis ſedem ſacram moderans vſque ad Traiani imperium.

De filio eius ſpirituali, quem à latrocinijs reuocauit.

Cap. XLII.

Euſebius vbi ſupra. Clemens Alexandrinus. Audi inquit fabulam, non fabulam, ſeu rem geſtam de Ioanne Apoſtolo, & memorijs omnium traditam. Cum poſt Tyranni obitum de Pathmo inſula Epheſum rediret, rogabatur etiam vicinas luſtrare prouincias, quo vel Eccleſias fundaret, in quibus non erant locis, vel in quibus erant, ſacerdotibus ac miniſtris inſtrueret, ſecundum quod ei de vnoquoque Spiritus ſanctus indicaſſet. Cum igitur veniſſet ad quandam vrbem haud longe poſitam omnibus Eccleſiaſticis ſolenniter adimpletis, vidit iuuenem quendam validum corpore, & vultu elegantem, ſed nimis acrem, quem Epiſcopo illius loci commendauit ſummo ſtudio ſub Chriſti, & Eccleſiæ teſtimonio: & poſt hęc Epheſum redijt. Tunc Preſbyter puerum ſuſceptum in domo ſua cum omni diligentia nutriuit, ad vltimum etiam ei Baptiſmi gratiam tradidit. Poſt hæc velut confidens gratiæ quæ fuerat communitus, paulo indulgentius iuuenem habere cæpit. Sed ille immatura libertate potitus, per æquæuos, quibus luxus, & deſidia cordi eſt, primo quidem conuiuiorum illecebris decipitur, inde nocturnis eum furtis ſocium ſibi participemque conſciſcunt. Tandem ex integro perditioni ſe tradẽs, nulli inferior in flagitijs eſſe patitur. Denique illos ipſos, qui prius Magiſtri criminum ei fuerant, diſcipulos facit, & latronum ex his turmam quibus ipſe dux, & Princeps præeſſet, inſtituit, ac cum eis omni crudelitati graſſatur. Tempore autem elapſo (cum rei popoſciſſet vtilitas,) inuitatur iterum ad illam vrbem Ioannes: & cum cætera pro quibus venerat ordinaſſet, Age inquit, ô Epiſcope, depoſitum repreſenta, quod tibi ego, & Chriſtus commendauimus. At ille obſtupuit, pecuniam putans à ſe repoſci, quam non acceperat. Quem Ioannes hærentem videns, iuuenem illum, inquit, repeto à te, & animam fratris. Tunc grauiter ſuſpirans ſenior, & in lachrymas reſolutus, mortuus eſt, inquit. Quomodo, inquit, vel quali morte? Deo, inquit, mortuus eſt, quia peſſimus, & flagitioſus euaſit: & nunc montem quendam cum multa manu latronum, occupauit. His auditis Apoſtolus veſtem continuo, qua erat indutus, ſcidit, & cum ingenti gemitu bonum, inquit, cuſtodem animæ fratris dereliqui. Sed nunc mihi equus paretur, & dux itineris. Confeſtim igitur ab Eccleſia concitus properans, cum peruenisſet ad locum; detinetur ab his latronibus, qui cuſtodias obſeruabant. Sed ille, nec fugere, nec declinare prorſus vſquam nitens, ingenti tantum voce clamabat; quia ad hoc ipſum veni, adducite mihi Principem veſtrum. Qui cum veniret armatus, eminus agnito Apoſtolo, pudore coactus in fugam vertitur. Ille admiſſo poſt eum equo, confeſtim ſequitur fugitantem, etiam ætatis oblitus, ſimul & clamans. Quid fugis ô fili patrem? quid fugis inermem ſenem? Noli timere, quoniam habes adhuc ſpem vitæ. Ego Chriſto pro te rationem reddam, certe & mortem libenter excipiam, ſicut Dominus excepit pro nobis, & animam meam pro tua dabo, ſta tantum & crede mihi, quia *Chriſtus* me miſit. At ille audiens, reſtitit, & vultum in terram demiſit. Poſt hæc arma proiecit, & tremefactus flebat amariſſime. Accedentiſque ad ſe ſenis

Habetur in ſpeculo magno exemplorum titulo Societas.

Iuuenis ad meliorem vitam reuocatur per Ioannem Euangeliſtam.

prouolutus eſt genibus,gemitibus,& vlulatibus,quibus poterat ſatisfaciens, & vberrimis lachrymarum fontibus, iterum baptizabatur,ſolam dexteram ſuam occultans. Apoſtolus vero iuriſiurãdi ſacramẽto ſe ei à Saluatore veniam impetraturum pollicens, ſimulque genibus eius prouolutus, atque ipſam dexteram ex cuius cædis conſcientia torquebatur, tanquam per pœnitentiam iam purgatam deoſculans ad Eccleſiam reuocat, & indeſinentes pro eo orationes profundens ac cũ ipſo crebra ieiunia ducens, indulgẽciam à Deo quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed & varijs ſermonum conſolationibus exterritos eius animos mitigans, non prius abſtitit, quam eum in omnibus emendatum etiam Eccleſiæ præficeret; per hęc magna exempla pœnitentiæ præbens, & in eo Trophæa viſibilis reſurrectionis oſtendens.

Idem in 4. lib. Ioannes Diſcipulus Domini apud Epheſum cum balneos lauandi gratia fuiſſet ingreſſus, & vidiſſet ibi Cerinthum, fertur exiliuiſſe continuo,& diſceſſiſſe non lotus dicẽs: Fugiamus hinc,ne & balneæ ipſæ corruant, in quibus Cerinthus lauatur veritatis inimicus.

De ruina Idolorum & veneno, quod ſine læſione bibit.

Cap. XLIII.

Sanctus Ioannes oratione ſua euertit templum, & 1. dola in cinerem redegit.

Mletus. Cum autem omnis Aſia Ioannem excoleret, & prædicaret, accidit, vt cultores Idolorum ſeditionem excitantes traherent eum ad templum Dianæ, & vrgerent, vt ei ſacrificaret. Ioannes autem blande exorabat populum, vt longe ſe faceret à templo. Cumque omnes foras exiſſent,voce clara coram omnibus Ioannes orauit, vt templum, & Idola, quæ in eo colebantur corruerent, ita vt neminem læderent. Statimque ad vocem eius omnia ſimul cum templo Idola in puluerem redacta ſunt: eidem die 12. millia hominum conuerſi ſunt, & Baptiſmo conſecrati. Tunc Pontifex Idolorum excitauit ſeditionem in populo, ita vt populus contra populum, pararetur ad bellum. Cui ait Apoſtolus: Quid tibi faciam Ariſtodime, vt tollam indignationem de animo tuo; Qui reſpondit: Dabo tibi venenum bibere, quo hauſto,ſi mortuus non fueris, apparebit verum eſſe Deum tuum. Cui annuente Apoſtolo, ille ait: Prius eſt vt videas bibentes, & ſtatim morientes, vt vel ſic poſſis hoc poculum formidare: pergenſque ad Proconſulem petijt ab eo duos viros, qui pro ſuis erant ſceleribus decollandi: & ſtatuens eos in medio foro coram Apoſtolo, & omni populo fecit eos venenum bibere: Qui mox vt biberunt ſpiritum exhalauerunt. Illiſque mortuis iacentibus, Ioannes intrepidus, & conſtans calicem accepit, factoque in eo ſignaculo crucis, dixit: *Deus cui omnis creatura deſeruit, quem omnis poteſtas expaueſcit,cuius audito nomine ſerpens conquieſcit,Draco fugit,Rubeta torpeſcit,Scorpius extinguitur, Regulus vincitur, & omnia venenata,& noxia animalia terrentur, tu extingue hoc veneni virus,& operationes eius mortiferas, viresque eius euacua, & da omnibus his oculos, vt videant, & cor vt magnitudinem tuam intelligant.* His dictis os ſuum,& ſe totum armauit *ſigno crucis*, & totum bibit, quod erat in calice. Attendens autem populus per tres horas vultum eius hilarem, nullaque ſigna palloris omnino aut trepidationis habentem, clamauit; *vnus verus Deus eſt quem Ioannes colit.*

Venenũ ſine læſione bibit Ioannes.

De ſuſcitatione illorum,qui veneno interierant.

Cap. XLIIII.

Ariſtodimus autem, nec ſic credens, ait Ioanni: Ineſt mihi adhuc dubietas, ſed ſi iſtos, qui hoc veneno mortui ſunt, *in nomine Dei tui* excitaueris, emundabitur ab omni dubietate cor meum. At populi inſurgebant in eum dicentes: Incendemus te, & domum tuam,ſi auſus fueris Apoſtolum Dei vltra in ſermone facere laborare. Apoſtolus autem videns ſeditionem fieri,petito ſilentio ait; Prima eſt quam de diuinis virtutibus imitari debetis patientia, ſi adhuc infidelitate tenetur non ceſſabo ab hoc opere,quo poſſit medela vulneribus eius prouenire. Et conuocans eum dedit ei tunicam ſuam dicens: Vade & mitte eam ſuper corpora defunctorum, & dices, Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti miſit me,vt in eius nomine exſurgatis, vt cognoſcant omnes, quod *& vita, & mors famulantur Domino Ieſu Chriſto.* Quod cum ille feciſſet, & eos exurgere vidiſſet, adorans Ioannem feſtinauit ad Proconſulem dicens: Memorem te puto, quod contra Ioannem frequenter iram tuam excitaui,& multa mala contra eum egi; vnde vereor ne iram eius experiar, eſt enim Deus ſpecie hominis latens: nam venenum bibens incolumis perſeuerat, & veneno mortuos tactu tunicæ ſuæ per manus meas reſuſcitauit. Tunc venientes ambo proſtrauerunt ſe Apoſtolo ſcilicet Ariſtodimus,& Proconſul indulgentiam flagitantes: quos ille ſuſcipiens præcepit eis vnius hebdomadę ieiunium,quo expleto baptizauit eos. Ipſi autem baptizati cum omni ſua parentela,& affinitate,& famulis ſuis fregerunt omnia ſimulacra, & fabricauerunt baſilicam in nomine Sancti Ioannis,in qua aſſumptus eſt.

Ioannes ſuſcitat eos qui veneno necati ſunt.

De ſancto Eutychete ac ſocijs eius,& cæteris huius temporis martyribus.

Cap. XLV.

Ex vita Sanctorum Nerei,& Achillei. Audiens iterum Aurelianus,quia Domitilla magis adhuc diligeret Eutychetem Victorinum, & Maronem, quàm fecerat Nereum, & Achilleum; impetrauit à Nerua imperatore vt eos ſibi daret, ſi ſacrificare Idolis noluiſſent. Quos fortiter reſiſtentes depoſuit de inſula, & quaſi ſeruos per ſingula prædia ſua diuiſit,vt terram quotidie foderent, & ſero cantabrum id eſt frumenti quiſquilias manducarent. Sed cum ibi omnes gratioſi eſſent, & miracula facerent, & multos prædicando conuerterent, ab Aureliano pœnis varijs occiſi ſunt.

Author. Porro ſub præfato Imperatore nonnulli etiam alij pro Chriſto paſſi leguntur, quorum ad plenum geſta non reperi,ſed ex Martyrologio breuiter collegi in hunc modum.

Ex Martyrologio. 17. Cal. Maij celebratur in Italia Natale Beatorum Martyrum Maronis Eutychetis & Victorini: qui primo apud inſulam Pontiam in Chriſti confeſſione longum ducentes exilium; poſtmodum ſub Principe Nerua cum conuertiſſent plurimos ad fidem, iuſſi ſunt varijs interfici pœnis.

Item Romæ Nonis Septembris Beati Victorini Martyris, qui ſanctitate, & miraculis præclarus Sacerdotium Amiterninę vrbis totius populi electione adipiſcitur. Inde poſtmodum ſub Imperatore Nerua iuſſus eſt ſuſpendi capite deorſum,in loco vbi putentes, & ſulphureæ emanant aquæ: quod cum per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet,glorioſe coronatus,victor migrauit ad Dominum.

Hugo vbi ſupra. Nerua denique Cæſar afflictæ reipublicæ multum conſuluit, dum Traianum virum ſtrenuum,& ſapientiſſimum ſibi in filium antequam moreretur,adoptauit.

Euſebius in chronicis. Ipſe autem Nerua in hortis Saluſtianis morbo perijt,anno ſuæ ætatis 72. Decreto autem Senatus inter Deos relatus eſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Imperio Traiani.

Cap. XLVI.

Traianus Imperator. an M.4053. Ch.100.

ANno igitur Domini 100. mundi vero 4053. Romanorum Imperator Traianus regnauit annis 19.

Hugo vbi supra. Hic apud Agrippam Galliæ vrbem insignia Imperij suscepit, moxque Germaniam trans Rhenum sibi subegit, & trans Danubium gentes multas superauit; barbaras etiam nationes trans Euphratem, & Tygrim sitas redegit in prouincias. Denique Seleuciam, & Babyloniam occupauit, & vsque ad Indiæ fines post magnum Alexandrum accessit. Hic etiam fuit

Traianus bellicosus & in re militari diligens.

liberalis in amicos, habens in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, & in subleuandis ciuitatibus largitatem; denique prostrato, & debilitato statu Romano, in remedium malorum credebatur diuinitus datus.

Helinandus. Hic aliquando cū profecturus ad bellum iam equum ascendisset, vidua quædam, apprehenso pede illius, miserabiliter lugens, iustitiam sibi fieri de his, qui filium eius iustissimum, & innocentissimum occiderant, poscebat. Tu, inquiens, *Auguste* imperas, & ego tam atrocem iniuriam patior? Ego ait ille satisfaciam tibi cum rediero. Quid si non redieris, ait illa? Successor, inquit, meus satisfaciet tibi. At illa quomodo

Traianus alijs negotijs sepositis agit causā viduæ.

hoc sciā, quod & si facturus est, quid tibi proderit, si alius bene fecerit? Tu mihi debitor es secundū opera tua, mercedem recepturus, fraus autem est nolle reddere, quod debetur. Successor tuus iniuriam patientibus, vel passuris, pro se tenebitur, te non liberabit iustitia aliena: Bene agetur cum successore tuo si liberauerit seipsum. His verbis motus Traianus, descendit de equo, & causam viduæ præsentialiter examinauit, & condigna satisfactione viduam consolatus est.

De Plutarcho eiusdem Præceptore.

Cap. XLVII.

HVius institutor fuit Plutarchus Philosophus, qui habebat seruum hominem nequam, & contumacem, sed liberalibus discipulis eruditissimum. Contigit autem, vt ei, nescio, quam ob causam, tunicam detrahi cædique iuberet; loro cæperat ille verberari duriuscule. Cum tamen inficiaretur culpam, dicens se nihil deliquisse; postremo cum nihil proficeret rogando veniam, vociferari cæpit, & inter verbera sæua, & obiurgatoria loqui, non ita se habere Plutarchum vt Philosophum deceret. Irasci turpe esse ei præsertim, qui de malo iræ sæpius disceptauerat; librumque pulcherrimum scripserat de patientia: adijciebatque esse probrosum, quod doctrinam moribus impugnabat, qui mentis ab integritate prolapsus, effusus, & prouolutus in iram, plurimisque plagis mulctaret innoxium.

Ad hoc Plutarchus, lente, & leniter, & summa cum grauitate ait: Nunquid, quod vapulas, tibi irasci videor: estne ira mea si à me debitum recipis? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore; an saltem ex verbis ira me corruptum intelligas aut correptum? mihi quidem neque oculi (vt opinor) truces sunt, neque os turbidum: neque immaniter clamo, neque in spumam, ruboremque feruesco, neque pudenda dico, aut pœnitenda, neque omnino trepido ira, aut gestio: nec omnia quippe si nescis irarum signa esse solent. Et simul ad eum, qui cædebat conuersus: Interim, inquit, dum ego, & hic, disputamus, tu hoc age, & sine iracundia mea retundes seruilem contumaciam, & iniquum pœnitere doceas, quam iurgare.

De libro Plutarchi misso ad Traianum.

Cap. XLVIII.

Liber Plutarchi ad Traianum.

HIc scripsit ad Traianum libellum pulcherrimum de constitutione politica, cuius titulus est: *Traiani institutio*, in quo qualis debeat esse Princeps, eleganter descripsit. Cuius principium hoc est: *Plutarchus Traiano salutem dicit.* Modestiam tuam noueram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia merens induisti: quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto à crimine ambitionis videris esse remotior. Tuæ itaque virtuti congratulator; & fortunæ meæ, si tamen recte gesseris, quem probe meruisti: alioquin periculis te, & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito; cum & ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in Præceptores. Sic Seneca Neronis sui merito detrahentium carpitur linguis: Adolescentium suorum temeritas in Quintilianum refunditur, & Socrates in pupillum suum fuisse clementior criminatur. Tu vero quid vis rectissime geres, si non recesseris à teipso. Si primum te composueris ad virtutem, recte procedent vniuersa; politicæ constitutionis maiorum vires tibi exculpsi, cui si obtemperas Plutarchum viuendi habes auctorem: alioquin præsentem Epistolam testem inuoco, quia in perniciem Imperij non pergis auctore Plutarcho.

Idem Plutarchus quatuor principibus inculcare conatur, scilicet reuerentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium, & potestatum, affectum & protectionem subditorum.

Idem scripsit librum de magistratuum moderatione, qui inscribitur Archigrammaton.

De transitu Ioannis Euangelistæ.

Cap. XLIX.

Sāctus Ioannes ex hac vita migrauit.

HVgo *vbi supra.* Traiani tēporibus Ioannes Apostolus, qui quasi vnus de Paradisi fluminibus verba Sancti Euāgelij in toto orbe terrarum diffudit, cum esset annorum 99. migrauit ad Dominum.

Beda de 6. ætate obijsse tradit anno ætatis 98. post quē Vsuardus posuit 99. Martyrolog. 27. Decemb Baronius 93. cui sententiæ fauisse videtur Epiphanius dū ait Ioannē scripsisse Euangelium post annos 90. vitæ suæ quod contigit triennio ante obitū. Porro nouissimus, omnium Apostolorum diem obijsse creditur.

Miletus. Nam cum esset 99. annorum apparuit ei Dominus Iesus cum Discipulis suis, & ait, Tempus est vt epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis; dominica die resurrectionis meæ, quæ post quinque dies futura est, venies ad me. Itaque dominica die conuenit omnis multitudo in præfatam Ecclesiam, & à primo Gallorum cantu agens mysteria Dei, omnem populum vsque ad horam tertiam diei allocutus est; hortans eos ad perseuerantiam, & nuncians eis vocationem suam. Post hæc iuxta altare, foueam iussit fieri, & terram foris Ecclesiam proijci. Descendensque in eam expandit manus suas ad Deum, & ait: *Inuitatus venio gratias agens, quia me dignatus es Domine Iesu Christe ad tuas epulas inuitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te: odor tuus concupiscentias in me excitauit æternas: & nunc Domine commendo tibi filios tuos, quos tibi virgo mater Ecclesia per aquam, & Spiritum regenerauit: aperi mihi ianuam vitæ: princeps tenebrarum non occurrat mihi, & manus extranea non contingat me, sed suscipe me secundum verbum tuum, & perduc ad conuiuium epularum tuarum.* Et cum omnis populus respondisset, *Amen*, lux tanta apparuit super Apostolum vna fere hora, vt nullus sufferret aspectus. Postea inuenta est illa fouea plena, nihil aliud in se habens nisi manna, quod vsque hodie gignit locus ipse. Ibi omnes homines ab infirmitatibus, & periculis liberantur, & precum suarum obtinent effectum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De eius virginitate, & rigoris iuſti temperie.

CAP. L.

Ioannes dilectus à Deo propter caſtitatem.

EX *Prologo ſuper Euangelium eius.* Hic eſt Ioannes virgo electus à Deo, quem de nuptijs volentem nubere vocauit Deus. Cuius virginitatis in hoc duplex teſtimonium Euangelio datur, quòd & præ cæteris dilectus à Deo dicitur, & huic Matrem ſuam pendens in cruce commendauit Deus, vt Virginem virgo ſeruaret. Et hic ſciens ſuperueniſſe diem receſſus ſui, conuocatis diſcipulis ſuis in Epheſo per multa ſignorum experimenta promens Chriſtum, deſcendens in defoſſum ſepulturæ ſuæ locum, facta oratione, poſitus eſt ad patres ſuos, tam extraneus à dolore mortis, quam à corruptione carnis alienus.

Relaxatio animi interdũ neceſſaria exemplo arcus, & iuxta illud: Interpone tuis interdũ gaudia curis.

Caſſianus in lib. 7. Collationum. Fertur, inquit Sanctus Abraham, beatiſſimus Ioannes Euangeliſta cum perdicem molliter demulceret, quendam ad ſe habitu venatorio venientem, ſubitò conſpexiſſe: qui miratus, quod vir tantæ opinionis, & famæ ad tam parua, & humilia oblectamenta ſe ſubmitteret. Tune es, inquit, ille Ioannes, cuius fama inſignis ac celeberrima, me quoque ſummo deſiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui Beatus Ioannes ait: Quid eſt, quod manu geſtas? At ille, arcus inquit: & cur non eum tentum, ait, ſemper vbique circumfers? Cui ille reſpondit: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat, ac depereat: & cum oportuerit, vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tentionis amiſſo, violentior ictus non poſſit emitti. Nec noſtri, inquit Beatus Ioannes, animi, te offendat, ô iuuenis, tam parua hæc breuiſque laxatio, qui niſi remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum releuet, ac relaxet, in remiſſo rigore lenteſcens, virtuti ſpiritus, cum neceſſitas poſcit, obſecundare non poſſet.

Euſebius in Chronicis. Ioannem Apoſtolum vſque ad tempora Traiani Irenæus Epiſcopus permanſiſſe ſcribit. Poſt quem auditores eius inſignes fuerunt, Papias Hieropolitanus Epiſcopus, & Polycarpus, Smirnæus, & Ignatius Antiochenus.

De crucifixione Sancti Simeonis Epiſcopi.

CAP. LI.

Simeon Cleophæ filius e piſcopus Hieroſolymitanus.

EVſebius tertio libro cap. 32. Poſt Neronem, Domitianumque, ſub Traiano per ſingulas ciuitates ex inſolentia populi perſecutionem in noſtros accepimus motam. Quo in tempore etiam Simeon Cleophæ filius, quem ſecundum Hieroſolymis ordinatum Epiſcopum ſupra docuimus, per martyrium carnis vinculis reſolutus eſt: horum aſtipulator ipſe eſt Egeſippus. Is ergo refert, quod à quibuſdam hæreticis accuſatus ſit ſupradictus vir tanquam Chriſtianus, & multis ſupplicijs affectus per multos dies, ita vt etiam Iudex ipſe cum amicis ſuis de eius patientia miraretur, & ad vltimum iuberet ſimili eum, qua Dominus pertulit, paſſione vitam finire. Sed & ipſa verba quibus hæc proteſtatur audire gratius puto. Ait ergo cum de hæreticis diceret: Ex his igitur ipſis accuſauerunt quidam Simeonem Cleophæ filium, tanquam qui eſſet ex genere Dauid, & Chriſtianus, & ita martyr effectus eſt, cum eſſet annorum 120. ſub Traiano Cæſare apud Atticum conſularem. Addidit etiam hoc, quod accuſatores eius cum illis temporibus perquirerentur, ſi qui ex genere Dauid, & ex Regia tribu deſcenderent, comprehenſi ſunt inter ipſos. Quod autem Simeon vnus ex ipſis fuerit auditoribus Domini, vel longæuitas eius indicio eſt, vel Euangeliorum fides: vbi etiam Mater eius Maria, Cleophæ vxor refertur. Sed & alios quoſdam idem ſcriptor refert, præter eos de quibus ſupra diximus, nepotes Iudæ, vnius ex fratribus Domini per idem tempus, ſuperſtites inuentos, & Domitiani temporibus Martyres factos; hoc modo ſcribens: Veniunt igitur hi, & præſunt omni eccleſiæ, tanquam Martyres, & propinqui Domini, & reddita pace eccleſiæ, permanſerunt vſque ad tempora Traiani Cæſaris; vſquequo Conſobrinus Domini Simeon de quo ſupra diximus, filius Cleophæ calumniam pateretur ab hæreticis tanquam Chriſtianus conſulari delatus; à quo cum multo tempore ſupplicijs fuiſſet affectus, martyrio conſummatus eſt, omnibus, qui aderant, & ipſo iudice admirantibus, vt 120. annorum ſenex crucis ſupplicium pertuliſſet.

Lege Baronium & Martyrolog. 18. Februarij.

Nepotes Iudæ fratris Domini.

Simeon 120. annorũ natus in crucẽ agitur.

De vita Sancti Clementis Papæ.

CAP. LII.

Sanctus Clemens Romanorum Pontifex tertius.

EX *geſtis eius.* Ea tempeſtate paſſus eſt Sanctus Clemens Papa, qui tertius poſt Beatum Petrum Apoſtolum, ita morum ornamentis pollebat, quòd omnibus Chriſtianis, & etiam Iudæis ac gentilibus rationis capacibus complacebat. Cum itaque Domitillam Neptem Domitiani Imperatoris in virginitate, ſacro velamine conſecraſſet; & Theodoram vxorem Siſinij in caſtitate manere permitteret; Siſinius zelo ductus Eccleſiam occulte intrauit, ſcire volens cur illa Eccleſiam ſic frequentaret. At vbi Clemens orauit, ita cæcus, & ſurdus effectus eſt, quòd nil videns, vel audiens pueris ſuis dixit, vt ſe foras eijcerent. Sed illi gyrantes per totam Eccleſiam ianuam eius inuenire non poterant. Quos cum vidiſſet Theodora ſic errantes, primo quidem declinauit ab eis putans, quod apertis oculis cognoſcere eam poſſent. Audiens autem per puerum, quem ad eos direxit, cur ita ſurdus, & cæcus eſſet, orauit Deum vt eum exire permitteret. Quo facto cum renunciaſſent ſerui Theodoræ, quod adhuc cæcus, & ſurdus eſſet, illa poſt miſſam proſtrata cum lachrymis ad pedes Sancti Clementis, rogauit eum vt pro viro ſuo, cui ſic acciderat, oraret. Et Sanctus Clemens prorumpens in lachrymas, rogauit omnes, qui aderant, vt ſimul omnes pro illo Domino ſupplicarent. Et ſic profectus cum ipſa ad eum, inuenit ipſum apertis oculis nil videntem, & nil penitus audientem. Cumque pro eo oraſſet, & ipſe audiret, & videret, putans magicè ſe deluſum; iuſſit ſeruis ſuis vt Clementem ligarent, & traherent. At illi ligantes, & diſtrahentes columnas, putabant ſicut & Siſinio videbatur, quod Sanctum Clementem vinctum tenerent, & traherent. Tunc Sanctus Clemens abſceſſit monens Theodorã vt pro viro ſuo ſemper oraret, donec eum Dominus viſitaret. Flenti itaque Theodoræ, & oranti ad veſperum apparuit Sanctus Petrus canicie venerandus dicens: Per te ſaluus erit Siſinnius, vt impleatur, quod dixit frater meus Paulus Apoſtolus: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem.* Hæc dicens abſceſſit. Siſinius quoque Theodoram ad ſe vocauit obſecrans vt pro ſe oraret, & Sanctum Clementem ad ſe venire rogaret. Tunc illa properans cum gaudio Sanctum Clementem adduxit: qui Siſinium de fide inſtruens, ipſum cum alijs de domo eius numero 400. & viginti quatuor in proximo paſcha baptizauit. Multi etiam nobiles, & amici Neruæ Imperatoris per hunc Siſinium crediderunt.

Siſinius fit cæcus & ſurdus.

Siſinius putans comprehendere S. Clementem, apprehendit & ligat columnas.

Siſinius baptizatur.

De exilio eius, & paſſione.

CAP. LIII.

DEnique Comes Sacrorum Publius Tarquinius pecuniam multis dedit, & contra Sanctum Clementem maximam ſeditionem commouit. Sed Mamertinus Præfectus adductum ſibi cum multis verbis inclinare tentaret, & ille prudenter, & rationabiliter ad omnia reſponderet, mandauit Traiano Imperatori,

quod

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Clemens in exiliũ mittitur.

quod Clementem Epiſcopum, qui nihil mali fecerat, ſic populus accuſaſſet. At ille remandauit, eum debere aut ſacrificare, aut in exilium ire vltra mare. Quod cum fuiſſet à Senatu firmatum, tantam gratiam Deus Sancto Clementi tribuit, quod etiam Mamertinus flens propter eum, & dans ei nauim, & omnia neceſſaria multis de clero, & populo comitantibus ſic eum dimiſit. Profectus autem in exilium venit, & inuenit ibi pluſquam duo millia Chriſtianorum iam dudum ad ſecanda marmora damnatorum: qui videntes Sanctum Clementem in fletum, & lachrymas proruperunt. Quos cum ille in Domino confortaſſet, & à ſex milliaribus aquam deferri audiſſet, orauit Deum vt fontem ſuis confeſſoribus aperiret. Et poſt circumſpiciens vidit Agnum ſtantem, & erecto pede dextro quaſi locum ei oſtendentem. Tunc Clemens intelligens Diuinum eſſe, quod ſolus ipſe viderat, perrexit ad locum cum omnibus, præcipiens vt ibi foderent. Sed cum illum locum in quo Agnus ſtabat non tangerent, ipſe accepto breui ſarculo locum ſub pede Agni percuſſit, & ſtatim aquis exundantibus fons erupit. Ad hanc famam, & Sancti viri Doctrinam in vna die quingenti, & amplius baptizati ſunt, & intra vnum annum 75. Eccleſias conſtruxerunt. Poſt tres annos audiens hoc Traianus ex maligna relatione gentilium, quendam ducem illuc miſit: qui dum omnes velle mori conſpiceret, multitudini pepercit, & Sanctum Clementem ſolum, ligata ad collum eius anchora, præcepit in mare ſubmergi.

Vidit agnũ de ſub cuius pede fons vinus erupit.

Sanctus Clemens in mare proijcitur.

De miraculis eius poſt obitum.

CAP. LIIII.

QVod cum factum fuiſſet & populus Chriſtianorum in littore ſimul fleret, Cornelius, & Phœbus Diſcipuli eius monuerunt omnes orare Deum vt ſibi corpus ſui martyris demonſtraret; ſtatim mari per tria milliaria recedente, ingreſſi per ſiccum inueniunt in modum templi marmoreum habitaculum à Deo paratum, & in arca, corpus Sancti Clementis Petri Diſcipuli, & anchoram iuxta eum. Reuelatum eſt autem Diſcipulis eius ne eum tollerent. In omni autem anno, paſſionis eius die, recedit mare ſeptem diebus, & aduenientibus iuxta ciuitatem Cherſonam ſiccum præbet iter per tria milliaria, & expleto feſto aquæ regrediuntur.

Inſigni miraculo corpus eius in mari aſſeruatum. Deſcribit hoc ſtupẽdũ miraculũ Sanctus Martyr Ephreem epiſcopus Cherſonis.

In vna ſolennitatum Mulier cum paruulo ſuo filio ad locum acceſſit, & poſt acta ſolemnia dormiente puero repente mare rediens, omnes ad littus pròperare coegit. Tunc Mater oblita filij, cum ad littus veniſſet cum fletu, & eiulatu maximo per littora diſcurrebat, ſi quis forte corpus filij ſui eiectum ad littus vidiſſet, & nihil inueniens, tandem confortata à propinquis ad propria redijt, & totum annum in lamentatione deduxit. Poſt annum verò properauit ad locum, ſi forte de filio ſuo aliquod inueniret indicium. Itaque recedẽte matre omnes anticipans occurrit ad tumulum: & cum poſt orationem ſurgeret, ſubitò vidit infantem ſicut eum reliquerat dormientem: quem credens mortuum, accedens propius dormientem cognouit, & excitatum velociter expectantibus populis, incolumem leuauit in vlnis: & interrogatus vbi per annum fuiſſet; reſpondit ſe neſcire, ſi annus integer præterierat, ſed ſe tantum vna nocte dormiſſe ſuauiter æſtimabat.

De Sancta Domitilla, & eius ſociabus.

CAP. LV.

EX *geſtis Sanctorum Nerei, & Achilei.* Porro Aurelianus reuocans Domitillam de exilio, iuſſit ad eam ire duas Virgines Euphroſynam, & Theodoram collectaneas eius, vt ſuaderent ei. At illa, cum eiſdem de Domino prædicaret, fratrem Theodoræ cæcum, & filiolam nutricis Euphroſinæ mutam ſanauit: quod illæ videntes, cum multis alijs paganis baptizatæ ſunt. Poſt hæc Aurelianus cum duobus ſponſis Theodoræ, & Euphroſynæ, & tribus Mimis, id eſt ioculatoribus venit, vt ſimul nuptias Domitillæ celebraret. Et cum à Sulpitio, & Seruiliano increpararetur, verba eorum non curans, iuſſit includi in thalamo Domitillam, vt poſtmodum violenter opprimeret eam: & deficientibus in cantando, & ſaltãdo Mimis ipſe per duos dies tamdiu ſaltauit, quòd ſaltando deficiens expirauit: quod multi videntes conuerſi ſunt. Tunc frater Aureliani nomine Luxurius impetrauit à Traiano Imperatore, vt hos omnes ad ſacrificandum compelleret, aut nolentes occideret. Vnde cum occidiſſet Sulpitium, & Seruilianum abijt ad prædictas Virgines ad Tarracinenſem ciuitatem: & cum nollent ſacrificare, ſuppoſuit ignem in cubiculo, in quo ſimul morabantur: quæ orantes proſtratæ in facies ſuas Spiritum emiſerunt. Quarum corpora Sanctus Cæſarius Diaconus mane illæſa reperiens, ſepeliuit.

Aurelianus ſaltando expirauit.

Incenſo cubiculo in quo ſimul cum Euphroſyna & Theodora morabatur curſum glorioſi martyrij conſummauit.

De Sancto Ignatio Antiocheno.

CAP. LVI.

EX *geſtis eius.* Sub eodem paſſus eſt Beatus Ignatius Diſcipulus Sancti Ioannis, epiſcopus verò Antiochiæ. Qui cum diu pro pace Sanctæ Eccleſiæ Domino ſupplicaſſet, non ſuum, ſed infirmorum periculum timens. Traiano Imperatori de victoria redeunti, & mortem Chriſtianis omnibus comminanti occurrit, & ſe Chriſtianum profitens, ferro vinctus, iuſſus eſt Romam duci. Traditus eſt ergo decem militibus, quorum crudelitas erga ſanctum, nullis beneficijs poterat mitigari. Veniens ergo, præſentatur Traiano Imperatori, qui dixit ei: Ignati cur Antiochiam ciuitatem rebellare facis, & gentem noſtram ad Chriſtianitatem conuertis? Ignatius reſpondit: Vtinam, & te poſſem ab Idolatria conuertere, & ducere ad Chriſtum, vt ſemper obtineres fortiſſimum principatum. Traianus dixit: Sacrifica dijs, & eris Princeps ſacerdotum meorum, & mecum regnabis. Ignatius reſpondit: Nihil æſtimo, quod promittis, nec ſacrificabo Dijs tuis, nec etiam honorem cupio tuę dignitatis, facito de me quicquid vis, quia nullo modo me mutare poteris. Traianus dixit: Plumbatis ſcapulas eius contundite, & vngulis latera laniate, & duris lapidibus eius vulnera confricate. Et cum in his conſtantior permaneret, ait Traianus: Expandite manus eius, & igne replete, & ſuper carbones viuos eum nudis plantis facite ambulare. Reſpondit Ignatius: *Nec ignis ardens, nec aqua bulliens, poterit in me Dei extinguere charitatem.* Traianus ait: Maleficia ſunt hæc, quod tanta patiens non conſentis. Reſpondit Ignatius. Nos Chriſtiani Malefici non ſumus, imo in lege noſtra Maleficos viuere permittere prohibemur: *Malefici vos eſtis qui Dæmones adoratis.* Traianus dixit: Laniate vngulis dorſum eius, & aceto, & ſale perfundite plagas eius. Reſpondit Ignatius: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis*, &c. Traianus dixit: Tollite eum, & vinculis ferreis alligate, & in cippo in imo carceris cuſtodite, & tribus diebus, & tribus noctibus à nemine videatur, & ſine cibo potuque permanens poſt triduum à beſtijs deuoretur. Tertio igitur die iuſſu Imperatoris Senatus cæpit cum populo conuenire, vt viderent Epiſcopum Antiochiæ, qui cum beſtijs habebat pugnare: & ſedens Traianus iuſſit adduci Sanctum Ignatium; quem cum moneret, vt vel iam conſentiret; cum ſuperari non poſſet, dixit; quoniam ſuperbus eſt, & contemptor, alligantes eum, duos leones ad eum laxate, qui nec reliquias eius dimittant. Videns autem eos Sanctus Ignatius dixit ad populum: *viri Romani, qui hoc certamen aſpicitis, non ſine mercede laborant, quia non propter prauitatem hęc patior, ſed propter pietatem.*

Paſſus eſt beatus Ignatius 11. anno Traiani vt ſcribit Euſebius in chronicis, & Hieronymus infra citatus vnde errat Zonaras qui dicit 3. anno Traiani illum paſſum fuiſſe.

Conſtantia Beati Ignatij in tolerandis tormentis.

Rom. 8.

Quod Chriſtianos reperias dãnatos ad beſtias id ea de cauſa contigiſſe putamus quod eiuſmodi ſupplicij vilioribus imprimis perſonis à legibus irrogabatur vt l. 3. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. eumque Chriſtiani apud Gentiles talis eſſent eſtimationis (vt habes pluribus apud Tertullianum in Apologet.) idcirco frequẽs erat illa aduerſus eos vulgi conclamatio, Chriſtiani ad leonẽ ſiue, Chriſtiani ad beſtias

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Triticum Dei ſum, & dentibus beſtiarum molar, vt panis eius efficiar. Hæc audiens Imperator dixit: *Grandis eſt tolerantia Chriſtianorum.* Quis Græcorum tanta toleraret pro Deo ſuo? Reſpondit Ignatius. Non humana virtute hæc toleraui, ſed fide, & adiutorio Chriſti. Hæc illo dicente, & Leones prouocante, accurrerunt, & præfocauerunt eum tantum, eius carnem non tangentes: & admirans Traianus diſceſſit; & iuſſit vt ſi quis vellet tollere corpus eius, non prohiberetur. Chriſtiani verò tollentes eum honorifice ſepelierunt. Traianus autem cum audiſſet quædam ſcripta, quæ Plinius ſecundus ei miſit, in quibus valde laudabantur Chriſtiani, quos Imperator iuſſit occidi, pœnituit de his, quæ Sancto Ignatio intulerat, & decreuit vt nullus Chriſtianus inquireretur, ſi quis tamen incideret, puniretur.

De Scriptis eiuſdem.

Cap. LVII.

Hieronymus de illuſtribus viris. Ignatius igitur Eccleſiæ Antiochenæ* tertius poſt Petrum Apoſtolum epiſcopus, perſecutionem commouente Traiano damnatus ad beſtias, Romam vinctus miſſus eſt. Cumque nauigans Smyrnam veniſſet, vbi Polycarpus auditor Ioannis epiſcopus erat, ſcripſit vnam Epiſtolam ad Epheſios, alteram ad Magneſianos, tertiam ad Tallenſes, quartam ad Romanos, & inde egrediens ſcripſit ad Philadelphios, & ad Smyrnæos, & propriam ad Polycarpum commendans Antiochenſem illi Eccleſiam, in qua de Euangelio, quod nuper ad me tranſlatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium dicens: *Ego verò, & poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo quia ſit. Et quando venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate me, & videte, quia non ſum Dæmonium corporale, & ſtatim tetigerunt eum, & crediderunt.* Dignum autem videtur quia tanti viri fecimus mentionem, & de Epiſtola eius quam ad Romanos ſcripſit, pauca ponere. *De Syria, inquit, vſque ad Romam pugno ad beſtias, in mari, in terra, nocte & die ligatus cum decem Leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt: quibus & cum benefecerim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea Doctrina eſt, ſed non idcirco iuſtificatus ſum. Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi præparatæ ſunt, quas, & oro veloces mihi eſſe ad interitum, & illiciam ad comedendum me, ne ſicut & aliorum Martyrum non audeant corpus meum attingere. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, vt ipſe deuorer. Ignoſcite mihi filioli: quid mihi promiſit, ego ſcio. Nunc incipio eſſe diſcipulus Chriſti, nihil de his, quæ videntur deſiderans, vt Chriſtum Ieſum inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorumque diuiſio, & totius corporis contritio, & tormenta Diaboli in me veniant, tantum vt Chriſto fruar.* Cũque iam damnatus eſſet ad beſtias, & ardore patiendi rugientes adiret Leones, ait: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum moliar, vt panis mundus inueniar.*

Paſſus eſt anno vndecimo Traiani. Reliquiæ corporis Antiochiæ iacẽt extra portam Daphnitică in cęmiterio.

Auctor. Scripſit autem Sanctus Ignatius Epiſtolas duodecim. Huius cor cum minutatim diuiſum eſſet, nomen Domini Ieſu Chriſti literis aureis inſcriptum (vt legitur) in ſingulis partibus inuentum eſt. Dixerat enim ſe habere Chriſtum in corde. De hoc etiam Beatus Dionyſius in libro de Diuinis nominibus: Scripſit, inquit, etiam Diuinus Ignatius: *Amor meus eſt crucifixus.*

De Sancto Euſtachio, & conuerſione eius.

Cap. LVIII.

Evſtachius vero cognomento* Placidus Magiſter militiæ Traiani Imperatoris Paganus erat, ſed tamen operibus miſericordiæ ſedulus inſiſtebat. Cum autem quotidie cũ ſocijs ſuis venationi inſiſteret, quadam die gregem Cernorum inuenit, & circa eos militibus occupatis, vidit inter Ceruos vnum maiorem, & pulchriorem, quem deſiderans capere, fugientem in nemus ſecutus eſt, donec Ceruus progrediens ſuper altitudinem rupis ſtaret. Dumque cogitaret Placidus quomodo eum capere poſſet, ſubito vidit inter cornua Cerui *ſignum crucis, & imaginem Ieſu Chriſti*, qui ſic ei locutus eſt per os Cerui. *O Placide, quid me inſequeris? Ego ſum Chriſtus, quem ignorans colis.* Hæc audiens Placidus præ timore de equo cecidit, & poſt horam ad ſe rediens, & conſurgens viſionem inſpexit. Et tunc dixit ei Dominus, quod ipſe de nihilo cuncta creauit, & propter homines ad terram deſcendens mortuus, & ſepultus, die tertia reſurrexit. Statim Placidus ſe credere profitetur: & iuſſit ei Dominus, vt pergens ad epiſcopum baptiſmo gratiæ mundaretur. Reſpondit Placidus; Domine vis vt hoc dicam Coniugi meæ, & filijs meis, vt & ipſi credant in te. Dixit ei Dominus: Renuncia illis, vt & ipſi mundentur, & tu cras huc veni, vt tibi rurſus appaream, & futura demonſtrem. Deſcendenſque Euſtachius de monte, cum hoc coniugi dixiſſet in lecto, exclamauit vxor eius dicens: Domine mi, *Crucifixum Deum vidiſti, quem colunt Chriſtiani.* Et ego tranſacta nocte vidi eum dicentem mihi: Cras tu, vir tuus, & filij tui venite ad me: & nunc cognoui, quod ipſe eſt Ieſus Chriſtus. Protinus ergo media nocte perrexerunt ad epiſcopum Romæ, & petierunt baptiſmum: & ille baptizans eos cum gaudio, Placidum vocauit Euſtachium, vxorem eius Theopiſtim & filios eius Agapium, & Theophiſtum.

De tentationibus quas Dominus ei immiſit.

Cap. LIX.

Facto ergo mane Euſtachius ſicut prius ad venationem proceſſit, & prope locum veniens diſperſit milites ſuos, quaſi ſub obtentu inueſtigãdæ venationis, & ſtans in loco formam primæ viſionis aſpexit, cadenſque in faciem cum poſtulaſſet Deum dicere, quod ei promiſerat, reſpondit ei Dominus, Beatus es Euſtachi, quia modo ſuperaſti Diabolum, & conculcaſti eum, qui te deceperat. Modo apparebit fides tua. Oportet enim te multa pati, vt de lata vanitate humilieris, & rurſus in ſpiritualibus diuitijs exalteris. Tu ergo deficere noli, quia per tentationes oportet te alterum Iob demonſtrari. Sed cum humiliatus fueris, veniam ad te, & in gloriam primam reſtituam te. Dic ergo ſi modo tentationem vis accipere, aut in fine vitæ. Dicit Euſtachius: Domine ſi ita fieri oportet, modo accidere nobis tentationem iube, & da virtutem patientiæ. Reſpondenſque Dominus: Conſtans, inquit, eſto, quia ego cuſtodiam te. Et ſic Domino aſcendente ad cœlos; Euſtachius rediens, nunciauit hæc vxori ſuæ.

Poſt paucos autem dies mortui ſunt omnes famuli, & ancillæ, & omnia pecora quæcumque fuerant illius: & gratias agens fugit nocte cum vxore, ac filijs in Ægyptum, & tota eorum poſſeſſio ad nihilum deducta eſt per rapinam malorum. Dum verò iter agerent, appropinquantes mari intrauerunt nauem: & cum transfretaſſent, nec haberent vnde naulum redderent, Nauclerus retinuit vxorem eius pro naulo. Dum verò Euſtachius contradicens pro ea ſupplicaret, comperto, quod eum præcipitare vellent in mari, reliquit vxorem ſuam: & accipiens duos filios ſuos, cum nimia lamentatione peruenerunt ad quendam fluuium, & propter inundationem aquæ non auſus ingredi cum duobus filijs ſuis, relicto vno circa ripam, alterum tranſportauit. Cum autem veniſſet in medium fluminis vt alterum transferret, ecce Leo illum rapiens portauit in ſiluas, & deſperans reuerſus eſt, ſpem habens alterius. Sed cum abiret, ecce ſimiliter Lupus alium rapuit, & abijt. Vnde non valens conſequi eum, cum eſſet in medio fluminis,

cæpit

* *Primus enim fuit Petrus, ſecundus Euodius, tertius Ignatius, quod ipſe Ignatius abſque vlla ambiguitate teſtari videtur, in epiſtola 12. ad Antiochenos, cũ ait: Mementote Euodij beatiſſimi patris veſtri, qui primus Poſt Apoſtolos gubernacula eccleſiæ veſtræ ſortitus eſt.*

Hæc eadem citat Euſebius hiſtoria Eccleſ. lib. 3. cap. 36.

Nomen Iesvs. *inſcriptum in corde Beati Ignatij lege Speculum exemplorum tit. nomen* Iesvs.

* *Alias Placidas, ſic à Græcis dictus.*

Oblectatur frequenti venatione Euſtachius.

Cruce illi ſupra caput cerui apparet.

Ex eadẽ crucis effigie Chriſtus eũ alloquitur & conuertit.

Vxor Euſtachij vocabatur Theopiſtis; Traiana olim dicta.

Viſio vxoris eius.

Poſt catheceſim baptizãtur.

Mutãtur nomina coriũ in baptiſmate.

Predicit ei Chriſtus tentationes.

Itemque proſperitatẽ, demiſſ & martirij palmã.

Seua peſtis eius domum inuadit.

Euſtachius cum vxore & liberis, voluntariũ exilium patria præfert & quærẽ Nauclerus eũ adimit vxorem.

Leo eius filiũ abducit.

Item Lupus alium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cæpit plangere, & capillos suos euellere, voluitque se proijcere in aquam; sed Dominus continuit mentem eius qui futura præuidebat. Pastores enim cum canibus eruerunt puerum Leoni, & aratores consimiliter lupo alterum excusserunt; & sic ambo pueri in vno vico nutriti sunt: hæc verò Eustachius nesciuit, sed cum luctu, & lachrymis abijt ad quendam vicum, & ibi agros hominum per annos 15. custodiuit. Post hæc mortuus est ille Nauclerus, & per gratiam Dei cognoscere non potuit vxorem Eustachij.

Seruantur illæsi pueri & à rusticis educantur.

Exercet agriculturam Eustachius.

Qualiter à militibus agnitus ad Imperatorem rediit.

Cap. LX.

IMperator autem grauiter infestatus ab hostibus, memoratus est Placidum quem semper strenue egisse cognouerat in conflictu bellorum: & dolens de tanta eius mutatione, milites direxit per mundum, promittens omnibus qui eum inuenirent diuitias, & honores. Eustachius itaque dum esset in agro vidit duos milites à longe venientes, & ex incessu eorum eos cognouit: & veniens in memoriam dignitatis suæ perturbari cœpit, & dixit: Domine Deus sicut istos præter spem vidi, qui mecum aliquando fuerunt, da vt videam coniugem meam, nam scio de filijs meis, quòd à feris comesti sunt. Et ecce venit vox ad eum dicens: Confide Eustachi, quia modo recipies honorem tuum, & vxorem, & filios. Videns ergo milites ad se propius accedentes, obuiauit eis, & amplius cognouit eos. Illi autem non cognouerunt eum. Et quærentes ab eo si sciret hominem nomine Placidum cum vxore, & duobus filijs, cum'ille nescire se diceret, tamen ad preces eius, in hospitium ipsius diuerterunt. Cumque Dominus domus propter amorem Eustachij alacriter eos reficeret, & Eustachius recolens pristinam vitam suam lachrymas continere non posset, egrediebatur plorans, & lota facie reuersus ministrabat eis. At illi considerantes eum, paulatimque eum amplius cognoscentes ad signum cicatricis, quod ex bello habebat in capite, cognouerunt eum, & exilientes, & osculantes eum cum lachrymis interrogauerunt eum si ipse esset Placidus, qui dudum Magister fuerat militum; & de vxore, & filijs quæsierunt ab eo: & confessus, quòd ipse esset; de vxore, & filijs dixit quomodo mortui essent. Hoc audito vicini omnes quasi ad spectaculum concurrebant, dum milites virtutem eius, & primam eius gloriam prædicabant. Tunc Milites dixerunt ei præcepta Imperatoris, & eum vestimentis optimis induentes, post iter 15. dierum ad Imperatorem cum magna lætitia deduxerunt. Et occurrens Imperator osculatus est eum, & interrogatus de causa suæ discessionis, exposuit coram omnibus quomodo vxorem, & filios perdidisset.

En dispositionem diuinam.

Eustachius ab Imperatore Traiano requiri iubetur.

Agnoscit se quærentes vir sanctus, sed necdū agnoscitur à suis.

Excipit quærentes se hospitio.

Agnoscitur tādem ab eis.

Redit Eustachius ad Imperatorem à quo excipitur summo cum gaudio.

Qualiter vxorem, & filios suos recognouit.

Cap. LXI.

VT statim ad magisterium militiæ cinctus numeratis militibus paucos contra hostes tot esse cognouit, & iussit colligere tirones per omnes vicos, & ciuitates. Contingit autem, quod duo filij eius statura, & specie generosi de vico illo inter alios tirones ad Eustachium deducti sunt: & placentes ei ex moribus, & naturali affectu, primi inter conuiuas eius electi sunt: & sic profectus ad bellum subiectis hostibus repausauit exercitum suum tribus diebus in quodam hortulo, vbi vxor eius pauper, & hospita manebat. Cumque nutu Dei illi duo adolescentes hospitati essent in tabernaculo matris, nescientes, quòd Mater eorum esset, sedentes meridie, cæperunt colloqui de infantia sua. Dicebat enim maior minori: ego dum infans eram nihil aliud recolo, nisi quòd pater meus Magister militum erat, & mater mea speciosa valde: duos filios habebat, me & alium qui & ipse speciosus nimis: & accipientes nos de domo exierunt nocte: & cum transfretantes egrederemur de naui, mater mea nescio quomodo in mari relicta est. Pater verò portans nos duos flens pergebat: & perueniens ad quendam fluuium transiuit cum fratre meo minore, & antequam ad me veniret, subito Leo de silua exiens rapuit me; & portauit in siluam: sed à pastoribus liberatus, nutritus sum in vico illo, quem & ipse scis; & non potui scire, quid factum sit de patre meo, nec de infante. Hoc audiens minor, exiliens, cæpit flere, & dicere: Per Deum vt audio, frater tuus ego sum, quia qui me nutrierunt dicebant, quia de lupo eruimus te, & amplexi, osculabantur se inuicem. Audiens hæc Mater eorum, considerans, quòd euentum suum ita seriatim dixissent, diu tractauit apud se si illi filij sui essent: & sequenti die rogauit Magistrum militum vt se ciuem Romanorum, & captiuam duceret in patriam suam: & considerans signa mariti sui, cum se diutius continere non posset, procidit ante eum dicens: precor te Domine vt digneris mihi exponere vitam tuam; puto enim te esse Placidum Magistrum militiæ, quem sic, & sic conuertit Deus, & qui tantam, & talem sustinuit tentationem: ego hæc signa dixi tibi: tu dic mihi per virtutem Saluatoris tui. Audiens hæc Eustachius, & vxoris suæ speciem recognoscens, lachrymatus præ gaudio osculatus est eam, glorificans Deum, *qui consolatur suos in omni tribulatione.* Tunc dixit ei vxor sua: Vbi sunt filij nostri? Qui respondit à feris capti sunt. At illa dixit: Heri sedens in horto audiui duos iuuenes sic, & sic, suam sibi infantiam exponentes: & statim vocans eos Eustachius, & audiens ab eis infantiam suam, recognouit, quod essent filii sui, & amplectens cum Matre, osculatus est eos. Congregatus itaque exercitus gauisus est nimis, & de inuentione eorum, & victoria Barbarorum.

Conscribit militem Eustachius & duo eius filij ei incogniti militant.

Debellat hostes.

De sancto Phoca, & eius altercatione cum Africano.

Cap. LXII.

EX gestis eius. Sub Traiano passus est sanctus Phocas cuius passio non solum in igne, sed in singulis quibusque tormentis qualis esset ostendit. Non omni vitæ suæ tempore tanto Dei amore deuictus fuit, vt non incurrisse martyrium, sed impetrasse credatur. Sic enim infantiæ tempus exegit, vt admirabile nescio quid etiam tunc in eo diuinæ indolis appareret. Iam verò cum puberibus annis adolescentiæ primum limen ingressus est, senilem cæpit monstrare sapientiam: accessu placidus, mente sobrius, castitate glorioſus, amator iustitiæ, misericordiæ magister, humilitatis instructor.

Itaque cum singulos Christianos grauis gentilium terror vrgeret; & aliquantos iam diuersarum pœnarum excruciarent sæua tormenta, alijs latebra fuisset auxilium, Phocas pro opinione nominis sui, qua per omnes populos laudabatur, indignatione perunigili iubetur perquiri; & tandem inuentus adducitur, nec enim tantæ gloriæ vir diutius latere poterat, aut volebat. Cui sibi præsentato Africanus ait: Quis es, qui Traianum, principem nostrum, Deum non esse testeris? qui omnes aduersarios suos vt vidit extinxit. Phocas ad ista sic tacuit, quasi non audisset, vel alteri putasset hoc dictum. Quo silente, Africanus exclamat: Quid taces? cur ad interrogata non respondes? an ignoras apud cuius tribunal assistis? Respondit Phocas; Iam Traiano non sufficit, quòd dicitur Imperator, nisi diuinum sibi insuper inuisibile omnibus nomen asciscat: tu me Imperatoris tui minis à veritate æstimas posse subduci, cum tuus ille præceptor, vitæ suæ fine completo; qui est hodie, crastino non futurus sit. Desiderata sunt mihi supplicia, quæ minaris:

Duo fratres filij Eustachij tādem se mutuo agnoscunt.

Quod pertinet ad historiæ veritatē, cui tam Latini quam Græci adstipulari sunt visi: cum Eustachius ante Christi fidē Placidus dicetur, hic ille ipse videtur qui in bello Iudaico sub Vespasiano & Tito nobili militia titulo meruit; Præfectusq; equitum egregiē nauauit operā vt est author Iosephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 4. & 13. & lib. 4. cap. 2 & lib. 5. cap. 3 cuius spectatissima virtus optime nota erat Traiano, qui in eodē bello decima legioni præfectus dux erat, vt non mireris si Traianus factus postea Imperator que præficeret exercitui aduersus Barbaros profecturo tā sollicite Placidū perquirendum curauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

feſtina, ſi conſulis, in celeritate gaudium dabis, in dilatione ſupplicium. Africanus ait: Non eſt pœna, quæ expetitur, parco tibi itaque, quia perire feſtinas. Reſpõdit Phocas. Si parcis, interfice: viuere enim me ſalute perpetua prius ſcito non poſſe niſi hic moriar. Africanus ait: Oſtende nobis Deum tuum, & ego ab Imperatore meo vt ei deſeruiat, obtinebo. Reſpondit Phocas. *Dominus Deus noſter regnat in cælis, qui magnus eſt, & inuiſibilis*, At ille: Demoſtenis, inquit, loquacitatem ſuperaſti: Sacrifica, quod reſtat, ne duro vraris incendio: aſpice quinquaginta millia plus virorum ad te vnum, oculos animoſque dirigere; quos ſi in pertinacia tua manſeris, ad ſimilem vanæ huius religionis es inuitaturus inſaniam: Puris autem & magnis Dijs ſacrificare debemus, quos tu ſceleratos eſſe pronuncias. Reſpondit Phocas, Non ſceleſti ſolum, ſed & miſeri, adulteri, ac ſacrilegi, ac dæmones æſtimandi ſunt: nec illi ſolum, ſed etiam hi qui perditionis huius cultu Dei nomen ignorant, qui regnat in cælis, cuius gloria, & virtus in ſæcula ſæculorum: Et omnis turba fratrum circunſtans reſpondit: *Amen.*

De viſione terribili circa eum, & conſternatione Africani.

Cap. LXIII.

Viſio terribilis circa Phocam.

TVnc tonitrua ſonuerunt, & immenſus imber effuſus eſt, omniſque terra concuſſa eſt, & omnia veſtigia nutare cæperunt. Cadit Præſes Africanus in faciem, & cum his militibus, qui ei circulum fecerant, ſine voce, ſine ſenſu ſolo ſtratus aduoluitur. Hoc aliquanti vidimus, quibus reuelationem voluntas diuina conceſſit, tantus enim pauor, & tanta reuerentia illius miraculi fuit, vt vix paucis concederetur aſpectus. Ignis enim ſe nimius è cælo (dum hæc aguntur) oſtendit, qui feriendo oculorum aciem, occultum faceret eſſe, quod geſtum eſt: quinquies itaque ſplendidior ſole illa lux viſa eſt: aſtabant enim tres Angeli equitũ more compoſiti, quorum effigiem flamma formabat: ſtatim tremor omnium membra peruaſit: ſtetimus exangues, & deſperata ſalute, de ſola iam morte ſolliciti. Illi autem vt erãt ignei, & incredibili proceritate ſublimes, lateri ſe ſancti Phocæ libenter aſſociant; & habita cum eo non parua confabulatione diſcedunt; petunt itaque cœlum volatu. Et ecce poſt paululũ Terentiana Africani Vxor attonita, ſparſis crinibus, vultu lacerato, veſte deformi cum filijs quinque, & omni familia ad Phocæ genua conuolauit, ibi inhærens pedibus, veniam tanti ſceleris implorat: hac quoque ſe pactione conſtringens, ſi ei donaretur Maritus, vt ad Chriſtianam legem cum tota domo filijſque migraret: nec fuit hæc falſa promiſſio. nam quicquid ſpoponderat non negauit. Huius lachrymis flexus Phocas, omnes clericos conuocauit, & facta pro præfecto iugi oratione, præſtitit ei remedium, à quo paulo ante formidarat exitium. Statim Africanus memor nouæ ſalutis, & cœleſtis auxilij Traianum perdocuit.

Tres Angelicum Phoca conuerſabantur.

Terentiana conuerſa.

Africanus precibus Sãcti Phocæ reuixit.

De ſupplicio eius, & carcere.

Cap. LXIIII.

Siſtitur Phocas tribunali Traiani.

IMperator autem ſtatim Phocam iuſſit accedere: quo introducto ait: Contemnis regiam poteſtatem, quis te ad ſuperbiam erigit Deus quod tu Imperatorem ſpernis? Videamus quis eſt ille cui ſacrificas. Reſpondit Phocas: Scire tibi non licet. Scriptum eſt enim. *Noſite margaritas veſtras mittere ante porcos.* Traianus ait: Porci ergo tibi videmur, vt dicis? Reſpondit Phocas: Vtinã vt animalia eſſetis; Dei enim ſuper vos iudicium non veniret; imaginem, quod eſt ſceleſtius, humanam geritis, ſenſumque porcorum. Traianus ait: Ecce ſuſpenderis ad lignum, videamus quid tibi proſit animus iſte tam pertinax. Reſpondit Phocas: Ego ſuſpenſus in ligno ad cæleſtia regna migrabo, tu autem cum Dijs tuis perpetuis tenebris inuolutus, æterna apud inferos morte torqueberis. Tunc vt erat ſuſpenſus impreſſo vngularum impetu, per omnia membra torquetur, vt patentibus riuis latera ipſa dehiſcerent. Sed nullum in hoc ſermonem aut victus aut iratus emiſit, tantum labia commouebat, & oratione tacita gratias agebat protectori ſuo. Sed cum veniſſet in finem, *Amen* clamabat, & cœlo vox inſonuit cum ingẽti murmure ſtrepituque deſcendens, & ait: Alacer eſto Phocas, ego ſum tecum: ecce paratus eſt tibi in Paradiſo locus cum omnibus Patriarchis, & cum his, qui nec me, nec patrem negauerunt, Traianus verò in eo quo voluiſti loco, & in ea pœna cruciabitur. Statim Imperator expauit, auferrique eum ab eculeo iuſſit, & quatuor milites à quibus ſeruaretur appoſuit, Centurionem etiam Criſpinianum nomine ad eius cuſtodiam deputauit. A quibus ſuſceptus Phocas, ibat lætus ad Carcerem, Domino vota perſoluens, & tota nocte iuxta eius fores cuſtodes ſedebant; ſed mox vt medium noctis tempus emerſum eſt, cæpit orare. Oratione completa, carcetis clauſtra reſerata ſunt, & infuſo deſuper lumine lampadarum, totum repente patefactum eſt. Mille autem amplius Milites quos habebat illa cuſtodia, tanta virtute perterriti, & admiratione defixi, ad Phocæ genua remedia ſalutis implorant. Populi itaque extra muros ad pelagi littus accedunt, ibique ab eo, & gratiam baptiſmi, & ſignum crucis accipiunt. Et vt mentes adhuc teneras ac rudes, nouellæ crudelitatis inſtabiles, radix firmior miraculi certiores amaret, oſtendit ſe omnibus Dominus, & vt mortales oculi poterant cernere, maieſtas cœleſtis emicuit. Illi iam vilem ducentes huius ſæculi vſuram, redeunt non ignari diuinæ legis ad carcerem.

Torquetur Phocas crudeliter in eculeo.

Confortatur, & cõſolatur ab Angelo.

Carcris clauſtra reſerata ſunt.

Multi baptizati, & viſione Domini Chriſti confortati.

De vltimo eius agone.

Cap. LXV.

SEd nocte depulſa, mox vt lux orta eſt, omnis ad forum multitudo concurrit, futurum Phocæ certamen expectans. Cui ait Traianus exhibito: Sacrifica Neptuno, Reſpondit Phocas. Non ſacrifico portentis: hanc vocem ſemper effundam, quæuis exquire tormenta: chriſtianus ſum, ſæpe iam dixi. Traianus iratus, crudelem offert ſententiam. Nam mergi eum in caminum ardentis calcis perproperè iubet, & in illum lacum effluentis ardoris, præcipitem pronumque trudi, metuẽs ſcilicet ne ad aliquam membrorum partem non peruẽiret incendium; & ait: Videamus, quid tibi proſit ille, quem metuis. Impoſitus itaque flammæ, quam parari præceperat Imperator, cõtinuis tribus horis in igne eo durauit: qui ita integris omnibus membris, & vultu, inde productus eſt, quaſi non fuiſſet in flamma. Superatus itaque in hac paſſione Traianus rediuiua iterum inflammatur inſania dicens: Thermæ propter te ante triduum ſunt ſubuſtæ, quas adhuc nemo patefecit, ibi te iubemus induci. Phocas verò ſibi ſignum crucis imponens, quo iubebatur ingreditur. Tantus autem in illis ignis fuit, & tanta vis flammæ, vt candeſcentibus hinc inde fornacibus ipſi etiam parietes colorem ignei rubo-ris acciperent. Ibi ſtans Phocas lætus, his verbis vota Deo reddebat: Gratias ago tibi Domine, quod pro cõfeſſione nominis tui carcerem, vincula, crucẽ, ignemque non timui: Et nunc Domine mitte Angelum tuum, & de Traiani manibus eripe me, *ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus tuus?* Mox vt hæc toto mentis affectu Deo vota perſoluit, & *Amen* in oratione compleuit, emiſit ſpiritum. Patefactis itaque poſt paululum thermis, reliquiæ compoſitæ, & nulla caloris acerbitate fædatæ inueniuntur in thermis. Corpus ipſum flatum nardi traxerat, & omne illud membrorum ſpatium quo iacebat ſimilitudo recondierat, balneæ vero gelidæ, & glaciali quodam rigore perſtrictæ quaſi nunquam fuiſſent ſucenſæ. Perſpectis Traianus ſancti Phocæ reliquijs, miraculo tantæ nouitatis obſtupuit, & referre patientiam

Verũ ne oſcitãter aliquibus errandi cauſam ſinamus, ſciẽdum reuera duos fuiſſe Phocas, amboſque illuſtres martyres: ſed diuerſi mortis genius, duos eſſe fateri coegit, & martyrij etiã locus. Siquidem ille de quo Nonis Martij, Antiochiæ; hic vero Synope in Põto paſſus eſt, & ille capite truncatus eſt, hic poſt multa tormenta demum abſque gladio in cælũ migrauit: quo fit, vt exiſtimem Aſterium Epiſcopum in oratione de Phoca, alterius geſta alteri tribuiſſe, eundemque errorem nonnullos Græcorũ ſecutos fuiſſe.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eius militibus suis cæpit. Stupensque virtutem mentis, & corporis eius, ait: *Vere non est alter Deus, nisi ille qui regnat in cœlis.*

Hoc dicto ex illis balneis cum timore discedit. Cui se subito referenti pedem Phocas ante ianuam lætus ostendit, & ait ei: Traiane, Traiane, perge ad loca vlteriora abyssi, & ad præparata tibi tormenta festina, vbi nocte perpetua & sæuo es exurendus incendio: triduo hac in luce versaberis, quo emerso, caligo te mortis excipiet: nec enim diutius inultus innocentium sanguis esse potest. Tunc palatium Traianus ascendit, & ex ipso miraculo; febrium calore constrictus dedit se statim lecto, & tertia die expirauit. Hac Phocas passione gloriosus merito Synope in Ponto habetur primus: quæ celebratur pridie Idus Iulij.

De Plinio secundo, & eius relatione ad Traianum pro Christianis.

Cap. LXVI.

Eusebius tertio libro cap. 32. Tam immensæ autem sub Traiano cateruæ martyrum quotidie iugulabantur, vt Plinius secundus, qui tunc prouinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad Imperatorem, quod innumera hominũ millia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, nec aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo. Adulteria verò vel cætera huiusmodi crimina apud eos, & illicita haberi, & penitus arceri: cætera vero secundum leges eos agere communes.

Plinius secundus.

Eusebius ibidem cap. 33.

Tunc Traianus rescripti sui auctoritate decreuit, vt Christiani non quidem requirantur, sed siqui tamen inciderint, puniantur. Per quod ex parte aliqua persecutionis sedatum putabatur incendium, sed his, qui nequitiam suam aduersum nos exercere cupiebant, lædendi occasio non videbatur exempta. Interdum enim populus instigabatur, interdum etiam iudex, occasionibus vtebatur, & negabat quæsitos, quos puniri voluisset oblatos; Hæc Tertullianus in Apologetico suo dicit, ex quo possunt instrui plenius scire cupientes.

Traianus rescripsit Plinio.

Tertullianus ibidem. O sententiam necessitate confusam, negat inquirendos, vt innocentes, & mandat puniendos, vt nocentes: Parcit, & sæuit, dissimulat, & animaduertit. Quid times, ipsum censura circumuenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non absoluis?

De libris eiusdem Plinij.

Cap. LXVII.

Victor. Igitur anno Traiani 14. Plinius Secundus Nouocomensis orator, & Historicus insignis habitus est secundùm chronicas, cuius plurima ingenij extant opera. Hic scripsit de Historia naturali libros 37. quos Vespasiano cũ Epistola præmissa direxit. De quo ingenti eius volumine excerpta in speculo naturali locis congruis inserui: eiusdem epistolas ad diuersos circiter centum reperi.

Scripta Plinij.

Tranquillus Suetonius in catalogo virorum illustrium. Plinius secundus equestribus militijs industriæ functus procurationes quoque splendidissimas, & continuas integre administrauit, & tamen liberalibus studijs tantam operam dedit, vt non temere quis in odio plura scripserit. Itaque bella omnia, quæ vnquam cum Romanis gesta sunt 20. voluminibus comprehendit. Item naturalis Historiæ. 37. libros absoluit. Perijt autem clade Campaniæ. Cum enim Misenensi classi præesset, & flagrante Vesuuio alias vesebio ad explorandas propius causas Liburnicas prætendisset, nec aduersantibus ventis remeare posset; vi pulueris, ac fauillæ oppressus est; vel (vt quidam existimant) à seruo suo occisus, quem æstu deficiens; vt necem sibi maturaret, orauerat.

Author. De huius epistolis hos paucos flores excerpsi.

Plinius ad Iunium. Hoc ipsum amantis est, amatum non onerare laudibus.

Idem ad Cornelium Titianum. Prauum ac malignum est hominem non admirari, admiratione dignissimum.

Idem ad Cornelium Tacitum. Inuentioni suæ quisque fauet, & quasi fortissimum complectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse præuidit. Est gratior multis actio breuis.

Idem ad Catilium. Animi magnitudo, nihil ad ostentationem, omnia verò ad conscientiam refert, rectique facti mercedem non ex populi sermone, sed ex facto petit.

Idem ad Voconium. Libro quem misi tibi ad vota, quæ putaueris corrigenda: sic enim magis credam cætera tibi placere, si quedam cognouero displicuisse.

Idem ad Vrsum. Sicut faces ignem assidua concussione custodiunt, demissum ægerrime reparant, sic diceniis calor, & audientis intentio, continuatione seruatur: intercapedine vero, & quasi remissione langueſcit.

Idem ad Arrianum. Necesse est vt laudis suæ spacio, & cursu, & peregrinatione quisque lætetur: etenim nescio quo pacto vel magis homines iuuat gloria lata, quam magna.

Idem ad Fundanum. Votis suis auidus plerunque præcurrit, & rerum quas assequi cupias præsumptio ipsa iucunda est.

Idem ad Vanum Maximum. Dum vita suppetit enitamur, vt mors quam pauciſſima, quæ abolere possit, inueniat.

De seditione Iudæorum, & fine Traiani Imperatoris.

Cap. LXVIII.

Eusebius in Chronicis. Anno Traiani 17. terræmotus in Antiochia pene totam subruit ciuitatem.

Iudæi quoque qui in Lybia erant, aduersum cohabitatores suos alienigenas dimicant. Similiter in Ægypto, & in Alexandria. Apud Cyrenen quoque & Thebaidam magna seditione contendunt: verum gentilium pars superat in Alexandria.

Iudæis Mesopotamiæ rebellantibus præcepit Traianus Imperator * Lisiæ Quieto, vt eos de prouincia exterminaret: aduersum quos Quietus aciem instruens, infinita millia eorum interfecit: & ob hoc procurator Iudææ ab Imperatore decernitur.

* *Eusebius lib. 4. histo. Eccle. cap. 2. habet Lucio Quieto.*

Tandem Traianus apud Seleuciam vrbem Isauriæ profluuio ventris extinctus est anno ætatis 63. Imperij vero 19. Ossa eius in vrnam auream collecta, & in foro sub columna posita sunt.

Traianus profluuio ventris extinctus est apud Seleuciã te Cicilie ciuitatem quæ postea appellata est Traianopolis inquit Dio.

Helinandus. Hic solus omnium Imperatorum intra vrbem sepultus est post Iulium Cæsarem, quem senatus inter Deos anno sequente retulit, hac de causa, quia gloriam militarem, qua plenus extiterat, moderatione superauerat.

Romæ, & per prouincias omnibus se æqualem exhibens; amicos salutandi gratia frequentans; vel ægrotantes festis diebus cum eisdem indiscreta vicissim habens conuiuia, vehiculis eorum, & vestibus indifferenter vtens: Publice, & priuatim dicans omnes immunitates ciuitatibus, largiens tributa prouincijs, charus omnibus, nulli grauis, adeo vt vsque ad nostram ætatem in Senatu non aliter exclametur FÆLICIOR SIS AVGVSTO, ET MELIOR TRAIANO.

Statua eius in foro Traiani, in hoc habitu posita est, representãs quomodo in expeditione positus, viduam liberauit: quod Beatum Gregorium postea mouit ad compassionem, *vnde & pro eo, tantum ploraſſe dicitur,*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt animam eius ab inferno obtinuerit liberari.

Lege de hac re Baronium in fine Imperij Traiani; qui liberationem Traiani putat fictitiam.

Eutropius. Inter alia dicta Vlpij Criniti Traiani hoc ipſius fertur egregium: Amicis enim eum culpantibus, quod nimium omnibus eſſet communis, reſpondit, *ſe talem Imperatorem priuatis; quales eſſe Imperatores priuatus optaſſet.*

De Imperio Adriani, & ſtudio, ac moribus eius.

Cap. LXIX.

Adrianus Imperator anno M. 4072. Chriſti. 119.

Hvgo lib. 4. Igitur Ælius Adrianus conſobrine Traiani filius 13. ab Auguſto principatum adeptus eſt; anno ab incarnatione Domini 119. ab initio mũdi 4072. imperauit annis 21. Hic fuit literis Græcis impenſius eruditus, & non ſermone tantum peritus, ſed cæteris diſciplinis, canendi, medendique ſcientia pollens. Sic enim referebat carmen carmini, dictum dictui, vt prorſus ad omnia diceres meditatum.

Helinandus lib. 11. Ælius Adrianus cum Romæ præfecturam ſplendidius ageret, ex Senatore Imperator creatus eſt; qui, obſecrante Senatu, vt filium quem habebat Cæſarem Auguſtum appellaret, *ſufficere* inquit, *debet, quod ego inuitus regnauerim, cum non mererer. Principatus enim ſanguini non debetur, ſed meritis; & inutiliter regnat, qui rex naſcitur, & non meretur; & proculdubio parentis affectum exuit, qui paruulos ſuos importabili ſuperiecta mole extinguit, hoc equidem eſt ſuffocare liberos non promouere. Alendi prius ſunt, & in virtutibus exercendi, & cum in eo profecerint, vt probentur illos virtutibus antecedere, quos debent honoribus anteire, inuitati aſcendant, & ſe ciuium ſuorum votis non ſubtrahant.*

Euſebius in Chronicis. Hic Adrianus Italicæ in Hiſpania natus, Conſobrinæ Traiani filius, Alexandriam à Romanis ſubuerſam publicis inſtaurauit expenſis. Ipſe verò Traiani inuidens gloriæ de Aſſyria, Meſopotamia, Armenia, quas ille prouincias fecerat, reuocauit exercitus.

Idem eruditiſſimus in vtraque lingua, ſed in puerorum amorem parum continens. Reliqua tributorum vrbibus relaxauit, chartis publice incenſis; plurimos etiam ipſis tributis liberos præſtitit. Ipſe etiam Iudæos cæpit ſecundò contra Romanos rebellantes.

De Secvndo *Philoſopho, & eius pertinaci ſilentio.*

Cap. LXX.

Secvndvs *Philoſophus.*

Ex geſtis eius. Temporibus Adriani floruit Secvndvs Philoſophus; qui philoſophatus eſt, omni tempore ſilentium ſeruans, & Pythagoricam vitam ducens. Hic enim adhuc paruulus ad diſcendum miſſus, audiuit in ſcholis verbum huiuſmodi, *quod omnis mulier fornicatrix eſſet, & impudica.* Tandem in Philoſophia perfectus, remeauit in patriam ſuam, communem gerens peregrinationis conſuetudinem, baculum, & peram circumferens coma capitis, & barba prolixa. Hoſpitatus eſt autem in domo propria, nemine domeſticorum eum cognoſcente, neque propria matre, volenſque probare de mulieribus ſi verum eſſet, quod audierat, vocauit vnam de ancillis, promittens ei, 10. aureos ſi perſuaderet matri. At illa conſentiens ancillæ, veſpere fecit eum ad ſe introduci. Cumque illa æſtimaret ſe cum illo carnaliter debere commiſceri, ille velut propriam matrem amplectens, inter vbera illius dormiuit vſque mane. Mane autem cum vellet egredi, & diſcedere: illa apprehendens eum ait: Vt me tentares hoc feciſti? Qui dixit: Nequaquam domina mater, neque enim dignum eſt me illud vas maculare, vnde exiui. Illa autem ſciſcitante, quis eſſet? Reſpondit: Ego ſum Secvndvs filius tuus. Illa autem recogitans in ſemetipſa, & non ferens confuſionem exanimata eſt. Secvndvs verò ſciens, quod per loquelam ſuam matri contigiſſet; hanc à ſe in poſterum exegit pœnam, ne amplius loqueretur, & ſic vſque ad mortem taciturnitatem conſeruauit.

Circa verò idem tempus Adrianus Imperator veniẽs Athenas, audiuit de illo, eumque ad ſe venire faciens, primus eum ſalutauit: ille autem tacuit. Tunc Adrianus ait: *Loquere Philoſophe, vt à te aliquid addiſcamus.* Illo autem in propoſito ſilentij perſeuerante Tirpon vocans quendam ſpiculatorem ait: Hunc nolentem loqui Imperatori viuere nolumus, adduc eum, & torque. Adrianus denique ſpiculatorem latenter euocans ait: Loquere ei in via, & perſuade ei vt loquatur: & ſi quidem perſuaſus reſpondeat, decolla eum: Si verò non reſponderit, reduc eum ad me. Ducebatur autem Secvndvs à ſpiculatore ad locum tormentorum: qui dixit, ô Secvnde, *quare tacens morieris? Loquere & viues.* Sed ille vitam ſuam paruipendens, mortem tacitus expectabat. Spiculator itaque ducens eum ad locum deſtinatum ait illi: Extende ceruicem, & ſuſcipe in ea gladium: ille extendens ceruicem ſilentio vitam poſtpoſuit.

Apprehendens igitur eum venit ad Adrianum dicens: Secvndvm *vſque ad mortem tacuiſſe.*

De his, quæ ad interrogata ſcripto reſpondit.

Cap. LXXI.

Tvnc Adrianus admiratus Philoſophi continentiam, dixit ei: Quia lex iſta ſilentij, quam tibi ipſe propoſuiſti, nullo modo ſolui poteſt, ſumens tabulam iſtam ſcribe, & ſaltem manu tua loquere.

Accipiens Secvndvs tabulam, ſcripſit in hunc modum: Ego quidem ô Adriane nihil te timeo, quia princeps huius temporis videris exiſtere: me quidem occidere potes, ſed vocis meæ proferendæ nulla tibi poteſtas eſt. Adrianus itaque legens ait: Bene excuſatus es, ſed adhuc quædam tibi problemata propono, vt ad hæc mihi reſpondeas: quorum primum eſt,

Problemata Adriani propoſita Secvndo.

Quid eſt mundus?

Ille reſcripſit: Mundus eſt inceſſabilis circuitus, ſpectabilis, ſupplex, multiformis formatio, æternus tenor, circuitus ſine errore.

Quid eſt Oceanus? Mundi amplexus, terminus coarctatus, hoſpitium fluuiorum, fons imbrium.

Quid eſt Deus? Immortalis mens, incomtemplabilis celſitudo, forma multiformis, incogitabilis inquiſitio, inſopitus oculus, omnia continens, lux bonorum.

Quid eſt ſol? Cœli oculus, caloris circuitus, ſplendor ſine occaſu, diei ornatus, horarum diſtributor?

Quid eſt Luna? Cœli purpura, Solis æmula, malefactorum inimica, ſolamen iter agentium, directio nauigãtium, ſignum ſolennitatum, larga roris, præſagium tempeſtatum.

Quid eſt terra? Baſis cœli, meditullium mundi, fructuum cuſtos, & mater; operculum inferni, mater naſcentium, nutrix viuentium; deuoratrix omnium, cellarium vitæ.

Quid eſt homo? Mens incarnata, fantaſma temporis, ſpeculator vitæ, mancipium mortis, tranſiens viator, loci hoſpes, anima laborioſa, parui temporis habitaculum.

Quid eſt pulchritudo? Flos marcidus, carnalis fœlicitas, humana concupiſcentia.

Quid eſt mulier? Hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſollicitudo, indefinens pugna, viri continentis naufragium, humanum mancipium.

Quid eſt amicus? Deſiderabile nomen, homo vix apparens, infœlicitatis refugium, indefinens fœlicitas.

Quid diuitiæ? Auri pondus, curarum miniſter, delectatio iniucunda, inſatiabilis inuidia, deſiderium inex-

plebile,

plebile, os excelſum, inuiſa concupiſcentia.

Quid eſt paupertas? Odibile bonum, ſanitatis mater, curarum remotio, ſapientiæ repertrix, negocium ſine damno, poſſeſſio abſque calumnia, ſine ſollicitudine fœlicitas.

Quid ſenectus? Optatum malum, mors viuentium, incolumis languor, ſpirans mors.

Quid ſomnus? Mortis imago, laborum quies, infirmantium votum, miſerorum deſiderium.

Quid eſt vita? Bonorum lætitia, miſerorum mœſtitia, expectatio mortis.

Quid eſt mors? Æternus ſomnus, diuitum pauor, pauperum deſiderium, ineuitabilis euentus, latro hominis, fuga vitæ, reſolutio omnium.

Quid eſt verbum? Proditor animi.

Quid eſt corpus? Domicilium animæ.

Quid eſt barba? Sexus diſcretio.

Quid eſt cerebrum? Cuſtos memoriæ.

Quid eſt frons? Imago animi.

Quid oculi? Duces corporis, vaſa luminis, iudices animi.

Quid eſt cor? Receptaculum vitæ.

Quid eſt iecur? Cuſtodia caloris.

Quid fel? Suſcitatio iracundiæ.

Quid ſplen? Riſus, & lætitiæ capax.

Quid eſt ſtomachus: Ciborum coquus.

Quid oſſa? Robur corporis.

Quid pedes? Mobile fundamentum.

Quid eſt ventus? Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, ſiccitas terræ.

Quid ſunt flumina? Curſus indeficiens, refectio ſolis, irrigatio terræ.

Quid amicitia? Æqualitas animorum.

Quid fides? Ignotæ rei miranda certitudo.

Quid eſt, quod hominem laſſum fieri non ſinit? Lucrum.

De Scriptis Quadrati, & Ariſtidis pro Chriſtianis.

CAP. LXXII.

Quadratus floret.

Hieronymus de illuſtribus viris. Eo tempore Quadratus Apoſtolorum Diſcipulus, Publio Athenarum Epiſcopo, ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum eius conſtituitur, & Eccleſiam grandi terrore diſperſam, fide, & induſtria ſua congregabat. Cumque Adrianus Athenis exegiſſet hyemem, inuiſens Eleuſinam, & in omnibus penè gratiæ ſacris initiatus, dediſſet occaſionem his, qui Chriſtianos oderant, abſque præcepto Imperatoris vexare credentes: tunc Quadratus porrexit ei librum pro noſtra religione compoſitum valde vtilem, plenumque rationis, & fidei, & Apoſtolica doctrina dignum; in quo, & antiquitatem ſuæ ætatis oſtendens, ait; plurimos à ſe viſos, qui ſub Domino varijs in Iudæa oppreſſi calamitatibus fuerant, & qui à mortuis reſurrexerant.

Ariſtides agnoſcitur.

Ariſtides quoque Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti volumen noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore, quo & Quadratus Adriano Principi dedit, id eſt apologeticum pro Chriſtianis: quod vſque hodie perſeuerans apud Phiſiologos ingenij eius indicium eſt.

Hugo vbi ſupra. Tunc ergo præcepit Adrianus per Epiſtolam ad Minutium Fundanum Proconſulem Aſiæ datam, vt nemini liceret Chriſtianum ſine obiectu criminis, ac probatione damnare.

Euſebius in 4. libro cap. 9. Hoc eſt autem exemplum Epiſtolæ Imperatoris Adriani ad Minutium Fundanum proconſulem Aſiæ.

Accepi literas ad me ſcriptas à prædeceſſore tuo Serenio Graniano clariſſimo Viro, & non placet mihi relationem ſilentio præterire, ne & innoxij perturbentur, & calumniatoribus latrocinandi tribuatur occaſio. Itaque ſi euidenter prouinciales huic petitioni ſuæ adeſſe valent aduerſum Chriſtianos, vt pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo. Precibus autem & in hoc ſolum, & acclamationibus vti, eis non permitto. Etenim multo æquius eſt, ſi quis volet accuſare, te cognoſcere de obiectis. Si quis igitur accuſat, & probat aduerſum leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorũ etiam ſupplicia ſtatues. Illud magnopere curabis, vt ſiquis calumniæ gratia quęcumque horum poſtulauerit reum, in hunc pro ſui nequitia ſupplicys ſeuerioribus vindices.

Ethniti Chriſtianorũ vindictam petebant.

De Paſſione Sanctorum Quirini, & Hermetis.

CAP. LXXIII.

Hic errat Ado dum paſſum ſcribit Hermetẽ ſub Aureliano Imperatore: Nam Aurelianus ille Iudex erat & non Imperator: vt præmiſſa acta Sancti Alexãdri ſignificãt; à temporibus enim Alexandri Papæ vſque ad Aurelianum Anguſtũ pluſquã 150. annorũ intercedit ſpatiũ temporis.

EX geſtis *Alexandri Papæ.* Alexander VI poſt Beatum Petrum, cum eſſet annorum 30. & iam 8. annis ſedisſet, iuſſu Aureliani comitis ſub Adriano Imperatore miſſus eſt in carcerem, & Hermes præfectus vrbis, qui per eum crediderat. Cumque Hermes eſſet in vinculis apud Quirinum Tribunum, dicit ei Tribunus: Miror te prudentem virum honorem præfecturæ dimittere, & aliam vitam credere. Hermes dixit: & ego ante hos annos omnia deridebam, & hanc vitam ſolam eſſe putabam. Reſpondit Quirinus: Fac ergo me probare, quod credis, & credam. Hermes dixit. Sanctus Alexander, qui habetur in vinculis, hic me docuit. Audiens hoc Quirinus cœpit maledicere Alexandro dicens: Ego tibi dixi fac me probare, & tu mihi nominaſti hominem, quem ego teneo pro ſceleribus ſuis in vinculis alligatum; ſed tamen ſi verum dicit, vadam ad eum, & dicam illi: Si vis, vt per te credam, fac, vt te cum Hermete inueniam, aut Hermetem tecum. Hermes dixit: Fiat. Abijt ergo Quirinus, & triplicauit ſuper Alexandrum cuſtodes, & clauſtra; & dixit ei cur hoc faceret? Orante ergo S. Alexandro venit Angelus, & duxit eum ad Hermetem in carcerem, & inueniẽs eos Quirinus miratus eſt. Et cum Hermes narrauit Quirino quomodo Alexander filium ſuum mortuum ſuſcitaſſet, & ancillam eius cæcam illuminaſſet, dixit ei Quirinus ſe habere filiam cæcam, & gutturoſam, & promiſit ſe credere, ſi illa per eos reciperet ſanitatem. Dixit ei Alexander: Vade, & duc eam ad carcerem, & vincula mea pone ſuper collum eius, & mane inuenies eam ſanam. Reſpondit Quirinus: Cum tu ſis hic, quomodo te inueniam in carcere? Sanctus Alexander reſpondit: Vade citò, quia qui me huc adduxit, citò me illuc reducet. Pergens ergo Quirinus duxit filiam ſuam ad carcerẽ, & inueniens eum humi proſtratum, veniam poſtulabat. Tunc dixit ei Alexander, vt adduceret ad ſe Euentium Preſbyterum, & Theodulum Diaconum, pro Chriſto in codẽ carcere alligatos; qui antequam rediret, inuenit filiam ſuam ſanam: & baptizatus eſt cum filia ſua, & multis alijs.

Angelus reducit Alexandrum in carcerem.

Audiens hæc Aurelianus interrogauit Quirinum cur ſe relinqueret, ſequens Alexandrum? Qui reſpondit Chriſtianus ſum, quicquid vis fac, quia alius non ero. Tunc Aurelianus iuſſit, vt ei lingua abſcinderetur; & in equuleo torqueretur: qui tamen adhuc loquens, & Aurelianum prouocans, iuſſus eſt manibus & pedibus abſciſcis, & decollatus, canibus proijci. Filia verò eius Balbina in virginitate permanſit: cui ſæpius oſculanti vincula per quæ ſanata fuerat; dixit Sanctus Alexander: Noli vincula mea oſculari, ſed magis oſculare vincula Sancti Petri: quod cum diu feciſſet, tradidit eam Theodotæ ſorori Sancti Hermetis, cuius ab Aureliano decollati corpus, ipſa Theodora ſepeliuit

Quirinus torquetur. Plectitur capite.

S. Hermes decollatus.

Pelagius Papa vndecimus illuſtrauit cimiterium S. Hermetis. Erat celebris eius memoria apud Antium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Paſsio Sanctorum Alexandri Papæ, Euentij, & Theoduli.

Cap. LXXIIII.

CVm ergo Sanctus Alexander multa miracula feciſſet, & tentus nullo modo mutari poſſet, prius tortus in equuleo, de inde in furnum triduo accenſum miſſus, illæſus in eo permanſit: & cum ibi Deum laudaret, Aurelianus dixit: Audiamus, quid miſer ille in incendio fabuletur. Cumque ſe applicaret facies eius ſemiuſta eſt, & media pars clamydis eius exarſit; multi verò ex militibus inflammati, mortui ſunt. Tunc Aurelianus iuſſit eum extrahi, & in alium furnum ardẽtiſſimum mitti: quod cum fieret, prædictus Theodulus ſtans in populo cœpit flere, & Aurelianum de iniuſto iudicio increpare. Quod audiens Aurelianus, iuſſit eum in eundem furnum iactari: exclamans autem Theodulus dixit: Sancte Alexander adiuua me, quia peccator ſum, & ignẽ ferre non poſſum. Sanctus Alexander dixit: Noli timere, ſta, & viriliter age: & cum oraſſet, vocauit eum dicens: Veni huc ad refrigerium, quia mecum eſt ille, qui in Babylone tres pueros liberauit: & ſtatim Theodulus in furnum exilijt, & cœperunt ſimul laudare Deum. Audiens Aurelianus Theodulum cum Alexandro loquentem; iratus nimis, iuſſit eos in clibanum ardentem iactari. Tunc ait Alexander ad Theodulum: Quid eligis, an ſanus euadere, an mecum ad Deum pergere? Cui ait Theodulus: Ego iam te non deſeram, quia licet in principio grauiter ſim cruciatus, tamen ex quo pro me orasti, nec dolorem ſentio, nec ardorem. Tunc dixit Alexander miniſtris: Ceſſate à labore, quia antequam nouos ignes ſupponatis, ambo properamus ad Dominum; & orantes ſimul ſpiritum emiſerunt.

Sanctus Alexander dire cruciatur.

Theodulus in furnum mittitur.

Dam. 3.

Cũ hoc audiſſet Aurelianus, & pergeret inſultare defunctis, ſubito virga ferrea ignita ante pedes eius apparuit, & vox audita eſt ab omnibus dicens: Aureliane accipe brauium meritorum tuorum, cum quo in inferno te ſcias eſſe mittendum. At ille magicis artibus hæc imputans, iuſſit adduci Euentium, & in furnum proijci in medio ſanctorum; ſed antequam ignis poneretur, orans, emiſit ſpiritum. Cumque, & huic Aurelianus inſultaret, venit vox dicens illi: Aureliane iſtis quibus inſultas cœli aperti ſunt; vt illuc aſcendant, tibi autem tartarus apertus eſt, vt illuc deſcendas. Ad hæc expauit Aurelianus, & tantus eum tremor, & pauor arripuit, vt ſeruorum manibus ad palatium portaretur: quem Seuerina vxor eius excipiens, & ei nequitiam ſuam improperans perrexit ad ſanctos, & eos honorifice ſepeliuit; & ad eum rediens, inuenit eum in doloribus nimijs linguam ſuam maſticantem, & protinus expirantem.

Euentius in furnum proijcitur.

Aurelianus miſere perit.

Ex libro Pontificum. Alexander hic natione Romanus, ſedit annis decem. Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione Sacerdotum quando Miſſæ celebrantur. Item conſtituit aquam ſparſionis cum ſale benedicto in habitaculis hominum; martyrio coronatus eſt, & ſepultus via Numatina, vbi decollatus eſt 5. nonas Maij.

Paſsio Sancti Sixti Papæ, & Peregrini Antiſiodorenſis.

Cap. LXXV.

HVic ſucceſſit Sixtus natione Romanus, qui ſedit annis 10. Hic conſtituit, vt myſteria ſacrata non tangerentur niſi à miniſtris. Idem etiam conſtituit, vt quicunque Epiſcoporum euocatus eſſet ad ſedem Apoſtolicam, rediens ad parrochiam ſuam non ſuſciperetur, niſi cum literis ſedis Apoſtolicæ, plebis ſalutationi conformatis. Fuit autem temporibus Adriani, & martyrio coronatus, ſepultuſque eſt iuxta corpus B. Petri in Vaticano 3. nonas Aprilis.

Hic fuit huius nominis primus, de cuius ſucceſſione agit liber de Romanis Pontificibus qui inſcribitur nomine Damaſi. Ireneus

Ex geſtis S. Peregrini. Huius autem Sixti temporibus; dum, ſeuiente vbique Chriſtianorum perſecutione, pauciſſimi inuenirentur, qui ſe dicerent eſſe Chriſtianos, nunciatum eſt eidem Sancto ſcilicet Sixto Papæ à fidelibus Chriſtianis poſcentibus, vt ad Gallias talem virum dirigeret, qui iam extinctam lucernam fide illuminaret, & infideles prædicando conuerteret. Tunc Sanctus Sixtus beatum Peregrinum preſbyterum ciuemque Romanum ordinauit Epiſcopum, *Marcum* Preſbyterum, & Corcodimũ Diaconum, & Iouianum Subdiaconum, & Iouinianum lectorem ordinans, ad Gallias cum eo, cauſa prædicandi, direxit. Qui Marſiliam venientes, Lugdunum vſque perducti celare ſe nullatenus potuerunt.

adueꝛſus hæreſes, lib. 3. cap. 3.

Peregrinus iam ordinatus Epiſcopus cum ſocijs à Sixto mittitur in Gallias vbi ſæua exſtitit perſecutio aduerſus Chriſtianos.

Venerunt itaque ad Autricum, quod nunc Antiſiodorum dicitur (in qua tamen vrbe quidam locus adhuc mons Autricus appellatur) & inuenerunt gentiles Deorum ſuorum excubias obſeruantes. Interrogati, qui & vnde eſſent? reſponderunt Chriſtianos ſe eſſe, & ob eorum ſalutem cauſa prædicandi veniſſe. Tunc Sanctus Peregrinus ibi conſtanter prædicans primos loci illius ad Chriſtum conuertit, & ibidem patuam Eccleſiam conſecrauit. Creſcente itaque numero fidelium, & ad Baptiſmum quotidie confluente, audiens B. Peregrinus ciuitatem Interamnem, quæ tunc ciuitas erat, ſed modo caſtelli nomen retinuit, culturæ Deorum deditam, perrexit illuc: & Paganis feſtinantibus medium ſe ingerens, cœpit Chriſtum publice prædicare: vnde populus concitatus, de eo conquerens fecit eum iudici præſentari. Cuius iudex natiuitatem, nomen, & officium interrogans, cum ad Deos inclinari non poſſet, iuſſit eum in vico Bangiano, qui vulgo *Boi* dicitur, in carcerem obſcuriſſimum vinctum mitti, & diuerſis ſupplicijs attrectari. Ipſe verò Chriſtum ſemper prædicans multos in via conuertit: diu ergo ibi detentus Adriani Cæſaris præſentiæ ſeruabatur. Cæſar igitur cum veniſſet, & rei ordinem à narrantibus didiciſſet, educto de carcere B. Peregrino, vt idolaret, diuitias, & honores promiſit. Sed cum ille vtrumque cum Deorum execratione reſpueret, grauiſſimis ſupplicijs afflictus circa annum Domini 130. iuſſus eſt decollari.

Doctrina & miraculis cõplures ad Chriſti fidẽ conuertunt.

Sanctus Peregrinus iſtituitur Proconſuli.

Mancipatur carceri.

Poſt multa tormenta capite plectitur.

Cum ergo ita feris expoſitus remanſiſſet, ipſa nocte apparuit Angelus Domini cuidam Ruſtico Chriſtiano eiuſdem villæ dicens: Surge, & iunctis curriculo duobus quos habes bobus, accipe corpus ſerui mei Peregrini, quod illic iacet, & apud Antiſiodorum, vnde Epiſcopus fuit, defer. Cumque ille viam ſe neſcire dixiſſet: Vade inquit, & ego conducam te. Sic fecit, & ſic nutu Dei à media nocte vſque ad auroram ambulauit, ſummo autem mane iter agentibus obuians quærebat ſi bene Antiſiodorum tenderet: & illi mirantes, reſponderunt, quod Antiſiodorum relinquens, iam ad Sanctum Dionyſium propè Pariſios propinquaſſet: ad hoc ille vehementer admirans proceſſit, diuinam expectans voluntatem. Eadem hora vox in dormitorio Monachorum Sãcti Dioniſij inſonuit dicens: Surgite, & occurrite ſeruo meo Peregrino Antiſiodorenſi Epiſcopo, qui venit: & ſtatim ſponte concrepantibus ſignis Eccleſiæ Monachi excitati occurrentes S. Peregrino, eum ſolemniter exceperunt: & audito rei euentu, ipſum in capſa argentea poſuerunt.

Diuino nutu corpus eius ſepelitur apud D. Dionyſium.

Qui plura velit cõſulat Baron. tom. 2. Annal. Antoninum part. 1. tit. 7. cap. 5. & Petrũ in catalog. lib. 5. cap. 5.

Paſsio Sancti Taurini ſub Licinio præſide.

Cap. LXXVI.

CVm autem beatus Taurinus Ebroicenſis Epiſcopus Dioceſim omnem circumiret, & Idola deſtruens Eccleſias Chriſto conſecraret; antiquus hoſtis inuidus bonitatis, ſuſcitauit quendam Præfectum Licinium nomine aduerſus illum. Interea erant duo Magi Cambyſes, & Saraa, qui fuerant Sacerdotes templi Dianæ, qui concitauerunt 20. Diſcipulos ſuos, vt eum interficerent: quos cernens vir Dei à longe, cognouit nequitiam eorum: porrexitque illis ſignum Crucis; & illi ſtete-

Sanctus Taurinus ab omni parte perſecutus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

illi ſteterunt illico fixi. Et ait ad illos: Quid ſtatis? facite, quod iuſſum eſt vobis: Sin autem, abite ſi vultis. Vt autem cognouerunt ſe ſolutos, ceciderũt ad pedes eius, rogantes baptiſmum conſequi immortalem: qui ſtatim catechizauit eos. Videntes autem Magi ſua figmenta deludi, proprijs ſe interemerunt cultris.

Siſtitur tribunali Licinij.

Audiens autem Licinius Beati viri famam, eum ſibi præſentari fecit. Qui cum traheretur, obuium habuit vnum Paralyticum, ſororemque eius cæcam, ſurdam, & mutam: accepitque aquam & benedixit, ac ſuper fudit illos; qui mox adepti ſunt ſanitatem; carnifices autem, qui eum trahebant crediderũt in Domino. Mox autem, vt vidit eum Licinius ait: Vnde es inueterata canities? Reſpondit Beatus Taurinus: patre, ſum Romanus: matre verò, Græcus: genitor meus Tarquinius: mater mea Euticia vocabatur. Licinius dixit: Quantum temporis eſt ex quo fugiſti Patrem tuum, meus etenim auus fuit. Taurinus reſpondit: Non fugi, ſed Domino meo Ieſu Chriſto ducente, huc aduenì, à natiuitate Taurinus, fide tamen chriſtianus. Licinius dixit: Propter hanc dementiam ante ſex annos occidi iuſſi matrem tuam. Sanctus Taurinus audiens Matrem ſuam coronatam eſſe martyrio ait: Gratias ago tibi Domine, qui matrem meam ante me ſuſcipere voluiſti. Audiens itaque ſuam irrideri Licinius inſaniam, iuſſit eum nudum virgis cædi. Cumque percuteretur ait, Domine reſpice in me, & miſerere mei iam ſenis: & facta eſt vox ad eum dicens: Noli timere famule meus, quia tecum ſum. Statim autem aruerunt manus carnificum. Leonilla vero vxor Licinij dixit, monita à Spiritu ſancto, adhuc tamen pagana: Nonne antea Domine meus dixiſti, quod Pater iſtius ſenis, fuit auus tuus: Cur tam ferreum habes pectus, vt conſobrinum tuum iubeas tam peſſime flagellari? Ille verò ira accenſus dixit ad eam: & tu Maga effecta es? Per ſalutem Deorum, eaſdem pœnas ſuſtinebis. Cum ergo traheretur dixit: Serue dei adiuua me, ſi potes, & ego credam in Deum tuũ. Sanctus Taurinus dixit: Noli timere nihil mali ſuſtinebis.

Mater Tauri ni Martyrio coronata. Taurinus virgis cæditur.

Licinius & vxorem flagellat eo quod miſericordia mota rogabat pro Sancto Taurino.

Qualiter idem Sanctus illius ſuſcitauit filium.

CAP. LXXVII.

DVm hæc agerentur, Nuncius venit dicens mortuum eſſe filium eius, & vnum armigerum eius: venationẽ enim exercentes circa caſtellum, veloci curſu præcipitati, interierant. Quod audiens Licinius omniſque exercitus eius, nimia aſtrictus anguſtia, iuſſit laxari vxorem: que veniens cecidit ad pedes Licinij dicens: Precor Domine, vt credamus Deum Taurini, & reuiuiſcat filius noſter: & Licinius iuſſit eum ſibi præſentari, dicens ad illum: Canicies veteranoſa, potes mihi per tuas artes magicas reſuſcitare filium meum; (audierat enim vnum mortuum iam ab eo reſuſcitatum) Taurinus dixit: Deus meus dixit: *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Tu ergo tantum fidem habe, & mox recipies filium tuum. Vbi verò in fide verbis eſt confirmatus, Beatus Taurinus duxit omnes ad ciuitatem, & intrantes Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis, proſtrauerunt ſe ad orationem; deinde ſurgentes veneruut ad corpora defunctorum: Eleuans autem ſanctus ad cœlum oculos orauit, & puerum à morte reuocauit: qui quaſi à ſomno ſurgens, à facie ſua ſanguinem excuſſit, & procidens ad pedes eius, petijt ſibi dari baptiſmum, vt ſibi ab Angelo fuerat imperatum. Surgens autem à fonte, ait ad patrem: Heu pater neſcis, quam miſeram vitam ducimus, quantaſque pro hac noſtri ſimiles ſuſtinent pœnas, & quanta gloria eſt his, qui diligunt, & ſeruiunt illi Deo, quem colit vir iſte conſobrinus noſter: vidi eum inter Angelorum choros eſſe; & pro nobis deprecari. Cumque hæc, & alia his ſimilia de vita æterna prædicaret, Licinius, & vxor eius omneſque optimates procidentes ad pedes eius, poſtulauerunt ſibi dari ſacrum baptiſmatis donum: & baptizati ſunt in illa die 1200. viri. Marinus autem proſtrauit ſe ad pedes eius, & dixit: Vir Dei altiſſimi, reſuſcita armigerum meum, ne remaneat in pœnis in quibus reliqui eum. Quod cum feciſſet vir ſanctus; Paſchaſius ſurgens, ait ad eum: Magnas ſuſtinebam pœnas vir ſancte, quando nuncius venit ab altiſſimo deferens in mandatis me ad te reduci: & ait ad ſeniorem ſuum Marinum: In die 8. cum albas depoſueris, mandat tibi ille, qui me huc adduxit, vt redeas ad illum: qui mox leui febre corripitur, & ſecundum mandatum 8. die mortuus eſt.

Sãctus Taurinus filium Licinij à mortuis ſuſcitat, & poſtea armigerum: & omnes in Chriſto credentes baptizati ſunt.

Qualiter eidem ſancto reuelatus eſt abitus proprius.

CAP. LXXVIII.

INterea dum hæc agerentur, & omnis plebs eſſet orans & laudans Deum: diabolus inimicus veritatis iterum vaſtiſſimam orientalem contra Gallos concitauit hoſtem. Cum verò certius compererunt Galli ſe caſuros, nec vllo modo quiuiſſent reſiſtere, omnes vnanimes ad viri Dei confugerunt auxilium. Vir autem Domini triduanum illico indixit ieiunium; quo peracto, dixit ad eum Angelus Domini: gratias age creatori tuo, quia animas tantummodo impetraſti, locus vero iſte deſertus erit per longum tempus, ſed iterum in melius reſtaurabitur, tu vero octauo die recipies coronam à domino laboris tui.

Reuelatur Sancto Taurino dies obitus.

Mane autem facto conuocato in Eccleſia populo, annunciauit illis quid ſibi oſtendere Dominus dignatus eſſet: audiens autem populus valde perterritus eſt, ſed vir Dei blande conſolatus eſt eos: Nolite, inquit, diffidere, properate Romam, & nunciate Beato Sixto Papæ diem exitus mei, ſi adhuc non fuerit martyrio coronatus: ego autem Deo-datus, filius eius, iam edideram vnum libellum de ſanctis, & bonis operibus eius, & de libris quos expoſuerat.

Longum autem eſt narrare quomodo Matrem ſuam ibidem ſepeliuit honorifice, quomodo etiam Licinius ſimul cum vxore ſua pro nomine Chriſti gloriæ coronã ſunt adepti, & quomodo accepta benedictione Sixti Apoſtolici remeauit ad propria: quę omnia in libello ſuperius memorato inueniuntur.

De Prophetia eius, & exitu, & exequijs.

CAP. LXXIX.

VT autem aduenit dies Dominica, affuit omnis populus in Eccleſia ſecundum conſuetudinem: vir autem Domini poſt expleta miſſarum ſolemnia, ait ad omnem populum: Fratres quinta die omnes huc congregamini.

Prima igitur luce, quinta feria affuimus in Eccleſia omnes: interea exortus eſt luctus intolerabilis de diſceſſu Patris: ipſe verò inchoato officio, & ex more peracto, conſolatus eſt vehementer populum, & prædixit eis multa ventura, quæ poſtea probauimus: & poſt multa prædicationis verba reſidens in ſede Epiſcopali benedixit nobis dicens: Abite filioli mei in pace, Dominus autem erit vobiſcum. Nos proſpicientes ad eum vidimus ſubitò circa altare, innumerabilem multitudinem hominum candidatorum: & audita eſt vox dicentium ab omnibus nobis: *Veni nobiſcum ſancte Dei Taurine, qui multas pro Dei amore ſuſtinuiſti paſsiones, & intra in gaudium domini tui.* Mox autem vt facta eſt vox, nebula impleuit domum tam denſa, vt nullus ibidem potuiſſet comparem ſuum aſpicere. Tranſacto vero quaſi vnius horæ ſpacio, receſſit odorifera nebula, & apparuit ſedens in ſede Epiſcopali, quaſi orans, extenſas manus oculoſque verſos habens in cœlum. Facta autem quæſtione in populo, quo in loco ſepeliretur, ne ab hoſtibus potuiſſet inueniri, deprecati ſunt Dominum, vt dignaretur eis oſtendere quid facerent de ſanctiſſimi viri corpore. Moxque apparuit eis vir honorabilis, vultu candidus velut nix, dicens

Obitus beati Taurini.

Traditur vir ſanctus ſepultura vbi Angelus dixerit eos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicens ad illos: Fratres sumite corpus Patris vestri, & me prœeuntem sequimini. Confidentes ergo de visione nihil hæsitantes sumpsimus corpus, & exiuimus per portam Occidentalem sequentes virum vsque ad tertiam partem milliaris eiusdem Occidentis, & ibi dem, vir ille illico substitit, & ait: Deponite corpus fratres, deinde facta fossa posuimus mausoleum, & intus corpus sanctum, factusque est fletus, & luctus quasi pertingens vsque ad cœlum. Tunc erexit se quasi viuus de fossa, & ait ad nos: Filioli mei, quid hic facitis? Nolite timere, istum virum audite, & inclinato capite siluit. Nobis autem aspicientibus ad virum, qui nobiscum stabat, quid vellet dicere, ait: Fratres vos timetis Patrem vestrum à vobis auferri ab hostibus non autem sic erit, ego namque fui custos illius in vita, eroque custos illius in morte & eius memoria multa erit in sœculo: nunc autem ciuitas quidem ista subuertetur, sed nullus vestrum peribit. Et postquam omnia consummauimus sepulturæ ornamenta, ait ad nos vir ille (vt credimus Angelus eius.) Recedite velociter, ne inuolamini ab hostibus, per longa autem tempora incognitus erit iste locus, postea nusquam comparuit. Nos itaque accepta benedictione Angelica, timore gentium iam appropinquantium aufugimus; & ego Deo-datus, filiolus eius breuiter ista percurri, Mediolani consistens febre detentus.

** sic de eo agit Martyrolog. Rom. Vsuardus & alij.*

Huius natale celebratur 3. Idus Augusti.*

De passione sanctæ Serapiæ Virginis.

Cap. LXXX.

Trahitur ad tribunal Beryllii præsidis.

Constantia Serapiæ.

Traditur, duobus iuuenibus defloranda. Lasciui iuuenes diuinitus puniuntur.

Sanat Iuuenes pessimè multatos.

Lampades ei admotæ extinguuntur sed postea cæditur fustibus.

Capite plectitur.

EX *gestis eius.* Sub Adriano passa est Romæ beata virgo Serapia Antiochena genere, iudice Beryllo. Cum enim in domo Sabinæ præclarissimæ fœminæ in vrbe commaneret, rapta ab officiali præsidis, exhibita est in conspectu eius. Qui dixit ei: Sacrifica dijs immortalibus, quibus sacrificant Domini Imperatores. Illa respondit: Deum omnipotentem colo, qui fecit omnia; nam quos iubes adorare non sunt Dij, sed Dæmonia, & ideo non licet mihi adorare ea, quia Christiana sum. Cumque perseuerantissime fidem veritatis prosequeretur, iussit eam præses duobus iuuenibus lasciuis tradi, vt ei nocturno furto insultarent: à quibus perducta in cubiculum valde obscurissimum, cum vellēt eam tangere, subitò terræmotus factus est magnus, cecideruntque in terram exanimes membris omnibus resoluti. Diluculo autem cum venissent à præside missi, qui requirerent seu de iuuenibus, seu de virgine: ingressi inuenerunt sanctam dei orantem, iuuenes verò impudicos velut mortuos terræ prostratos. Itaque ad rei factum cum plurimi concurrerent, iterum præses iussit pro tribunali eam sibi adduci: & imperante Præside deportati sunt ijdem iuuenes, & positi ante conspectum Præsidis. Ad quos beata virgo, facta oratione, accedēs, tetigit illos dicens: *In nomine Domini mei Iesu Christi, erigite vos in statu vestro.* Ad cuius vocem mox illi steterunt super pedes suos, quos Præses interrogauit, quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit, & resolutos? Ingressus est, inquiunt, iuuenis quidam decorus miræque magnitudinis, qui totus splendebat sicut Sol, stansque inter nos, & puellam hanc, tremore, & defectione nos claritate sua concussit. Præses autem ad beatam Serapiam conuersus, sacrifica Dijs, inquit, ne morte plectaris. Cui virgo: *Non faciam voluntatem Patris tui Sathanæ, quia Christiana sum.* Tunc præses iussit lampades ardentes lateribus eius apponi: statimque, qui eas tenebant, conuersi sunt retrorsum. Cumque iterum suasa à Præside, nollet sacrificare, fustibus cæditur: & ecce subito terræmotus factus est magnus, & excussa de fuste, de quo cædebatur virgo Dei, assula, exilijt in oculum Præsidis, quem post dolorem luscum fecit. Et iratus, dictauit sententiam in simili forma: *Serapiam imperialia præcepta contemnentem, & in tantis maleficijs deprehensam, gladio percuti iubemus.*

Passa est autem 4. Calen. Augusti, sepultaque in monumentis illustris martyris Sabinæ, pridie Cal. Augusti. compositum, & ornatum est venerabile sarcophagum ambarum, & locus orationis dedicatus 5. Nonas Septembris, quando, & memoria passionis eius celebrior agitur.

Passa est anno Ch. 122. Mūdi 4075

Passio sanctæ Sabinæ.

Cap. LXXXI.

Sistitur coràm Elpidio præfecto.

Cōfessio virginis Sabinæ.

Recitat Surius acta S. Sabinæ ex Adone, & Mombrit. Tom. 2.

EX *gestis eius.* Ipsa namque illustrissima fœmina Sabina colligens reliquias Sanctæ virginis Christi Serapiæ, & ex more celebratis exequijs in monumento suo reposuit, quod ipsa sibi cum summo studio, & ornatu fecerat; & non cessabat ex eo die facere multas eleemosynas permanens in fide, quam ei tradiderat Sancta Serapia: studebat quotidie visitare infirmos, & in carceribus recluſos, præstans eis necessaria. Veniente igitur Præfecto Elpidio rapidissimo cane, indicatum est ei de illa. Quam sibi exhibitam in prætorio interrogauit, dicens: Tu es Sabina vxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ, & filia Herodis? Sabina respondit: Ego sum. Præfectus dixit: Quare oblita es tui, & sociasti te Christianis, quorum vita mors est, & non adoras magis Deos, & honoras quos adorant Domini, & Augusti nostri? Sabina respondit: Ego gratias ago Domino Iesu Christo, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Serapiam de multis sordibus, & potestate dæmonum liberare dignatus est, vt amplius non errarem, sicut & vos video errare, adorando dæmones. Præfectus dixit: & tu dicis ergo, non solum nos; sed & domini Augusti nostri dæmones adorant, & non Deos. Sabina respondit: Vtinam Deum adoraretis, qui fecit omnia, cuius nutu cuncta reguntur visibilia, & inuisibilia, & non stulta, aut insensata simulacra dæmonum adoraretis, quia cum ipsis pariter in gehenna ignis arsuri eritis, vos, & Imperatores vestri. Præfectus dixit: Per Deos omnes si non sacrificaueris, non elongabo te capitalem sententiam subire, sed mox te faciam gladio vita priuari. Sabina respondit: Non sacrificabo diabole insane dæmonijs tuis, quia Christiana sum, & Christum habeo Deum, & ipsius sum ancilla, & cultrix, & illi soli me oportet sacrificare. Tunc Diaboli minister præfectus, protulit in eam sententiam dicens: Sabinam Dijs inobedientem, Dominos quoque, & Augustos nostros blasphemantem gladio percuti decreuimus, atque omnes facultates eius publicis titulis præsignari. Amputato igitur capite, Christiani corpus eius sepelierunt cum Sancta Serapia. Passa est autem 4. Calend. Septembris.

Percutitur gladio.

Passa est anno Christi 122.

Passio sancti Eustachij.

Cap. LXXXII.

Lege Baron. tom 2. Annalium anno 103.

Imperator exuit Eustachium omni suo honore propter Christum.

EX *gestis eius.* Sub Adriano quoque passus est Sanctus Eustachius de quo iam supradiximus. Huic enim reuertenti de prælio contra Barbaros, vbi miserat eum Traianus, occurrit Adrianus, qui Traiano interim defuncto in Imperio succesſerat, & pro victoria festiuitatem celebrauit. Et interrogans quomodo in prælio viriliter gesserit, & de agnitione vxoris, & filiorum eius prolixius extendit conuiuium. Altera die perrexit in templum Idolorum oblaturus: intrante vero Imperatore in templum Apollinis, non cum illo est ingressus Eustachius, sed retrocedens foris stetit: Imperator vero conuocans eum, interrogabat, quare non sacrificauerit Dijs propter victoriam, & victimas obtulerit eis, maxime propter vxoris inuentionem, & filiorum? Qui dixit ad Imperatorem: Ego supplico Christo Domino meo, & offero incessanter ei preces, qui misertus est humilitati meæ, & restituit mihi vxorem, & filios; alium vero Deū neq; scio, neq; colo, nisi Deū cœlestē, qui facit mirabilia. Tunc ira repletus Imperator iussit ei solui

cingulum,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Obijcitur leonibus Euſtachius cũ vxore, & liberis, ſed nihil laduntur, poſtea in bouẽ æneum immane tormentũ conijciuntur ſed illæſi ſuas Deo tradunt animas.

cingulum, & velut tranſgreſſorem aſtare pariter cum vxore, & filijs, & ſic faciebat contra eum quæſtionem. Conſiderans igitur Imperator immobilitatem eius, & in Chriſto fidem non mutari, iuſſit eum, cum vxore, & filijs introduci in arenam, & dimitti eis leonem: accurrens autem leo, & ſtans prope ſanctos, ſubmittens caput, & quaſi adorans receſſit, & cœpit egredi de arena. Quod videns Imperator, iuſſit bouem æreum incendi, & ibi ſanctos introduci. Introducti verò in machinam ſupplicauerunt carnificibus, vt darent eis orandi ſpacium; & extendentes manus ſuas orauerunt ad Dominum, vt eos in igne illo vitam finire iuberet, omneſque ſui memores, & eorum ſuffragium inuocantes, à periculis, & peccatis liberaret: & hoc illis dicentibus, vox de cœlo venit dicens: Ita erit vobis ſicut ſupplicaſtis, quia per bonam vitam certaſtis. Tunc ſancti alacriter ſeipſos tradiderunt igni, ſtatimque ardor ignis compreſſus eſt, & laudantes Deum reddiderunt animas ſuas cum pace. Tertia verò die coram Imperatore extracti de Boue, ita penitus incorrupti ſunt, quod nec capillos eorum vapores incendij contingerunt.

Paſsio ſanctorum Fauſtini, & Iouitæ, & Caloceri.

Cap. LXXXIII.

Habẽtur horũ ſanctorũ geſta vberius enarrata in tom. 1. Surij: paſſi ſunt coram Adriano, quod nos tũc accidiſſe putamus, cum ille anno 2. ui. Imperij tertium gerẽs conſulatũ ex vrbe in Gallias profectus eſt; vt ſcribit Spartianus in Adriano.

EX geſtis eorum. Sub eodem paſſi ſunt in Italia ciuitate Brixiana Fauſtinus, & Iouita: quorum paſſio celebratur 15. Calen. Martij. Et primo quidem diuerſa genera beſtiarum ferociſſimarum contra eos dimiſſarum, non læſerunt eos, ſed potius in manſuetudinem verſa, pedibus eorum ſe proſtrauerunt, ita, vt videntes clamarent populi: *Magnus eſt Deus cœlorum:* Et crediderunt pluſquam tria millia. In medio quoque flammæ poſiti, Deum benedixerunt, & penitus illæſi permanſerunt. Deinde excoriari iuſſi ſunt: ſed Miniſtri iuſſa ſatagentes, implere nequiuerunt. Poſt hæc præcepit iudex, eorum brachia conſtringi, & in altum ſuſpenſos vehementer torqueri. Miniſtri iuſſa impleuerũt: alij etiam plumbum ſuper eos ſolutum ferebant: ſed Martyres, Deo confortante, nihil ex his ſentiebant. In equuleo quoque ſuſpenſi ſunt, & lampades accenſæ, quæ lateribus eorum apponi videbantur, extinctæ ſunt. Tandem extra vrbem ducti ſunt, & ibi decollati.

Paſſus eſt autem cum eis beatus Calocerus 4. Calen. Maij, qui ingreſſus ante Adrianum vidit equuleos vacuos, & miniſtros torqueri; clamauit coram omnibus: *Vere magnus eſt Deus Chriſtianorum;* & ſic certamen confeſſionis compleuit.

De ſancta Sophia, & tribus filiabus eius.

Cap. LXXXIIII.

Eximia laus & virtutis opinio in virginibus Chriſti.

Accuſantur apud Imperatorem.

Siſtuntur coram tribunali.

EX geſtis eius. Eo quoque tempore Mulier quædam nobilis nomine Sophia cum tribus filiabus ſuis veniens Romam, exemplo ſuæ religionis, & ſobrietatis, multas, ac nobiles fœminas conuertit ad fidem: & adhærentes et à virorum thoris, & ſumptuoſis conuiuijs abſtinebant. Vnde indignatus quidam primorum vrbis nomine Antiochus, ſuggeſſit Adriano dicens: Mulier quædam cum filiabus ſuis ingreſſa hanc ciuitatem, ſeparauit à nobis matrimonia noſtra: docet enim colendum vnum Deum, & Chriſtum filium eius, nec aliter in Chriſti cultu quemquam poſſe proficere, niſi & coniugio, & delicijs abſtinuerit: propterea denique vxores noſtræ hærentes illis, iam nec ad conſortium, nec ad cibum nobis conueniunt. Tunc Imperator Adrianus iratus, iuſſit euocari per protectores Mulierem, & filias eius, & introduci in palatium: erant enim puellæ ſpecioſæ valde, & in diuinis ſcripturis eruditæ. Ingreſſuræ ergo palatium, pectus, ac frontem Chriſti ſignaculo munierunt: Et cum eas vidiſſet Adrianus, ſtupens ad pulchritudinem earum, nihil loqui potuit. Poſt paululum aduocans proximius Matrem, interrogauit nomẽ. Illa reſpondit: *Quod primum, & nobile eſt, Chriſtiana mihi nomen eſt: Secundum carnem vero vocor Sophia, nobiliſſima de genere primo, & eminenti exiſtens Italiæ, & veni Romam cauſa filiarum, vt eas offerrem in munere Chriſto.* Tunc Adrianus iuſſit eam cuſtodiri interim cum filiabus ſuis in domo Paladij Senatoris.

Præclarum Sophiæ reſponſum. Traduntur Palladio cuſtodienda.

Morantibus autem eis in illa cuſtodia, hortabatur Mater filias ad contemptum vitæ præſentis, & ad tolerantiam paſſionum pro Chriſto. Tribus itaque diebus in domo Paladij exactis, iuſſit Imperator adduci eas Matre ſubſequente. Quibus ait: *O infantulę miſcremini ætatis veſtræ, & ſenectutis matris:* Sacrificate Dominatoribus vrbis, & adopto vos in filias ſub teſtimonio ſacri Senatus, & militaris exercitus. Si verò audire contempſeritis, iuro per Deos, me, nec ætati parciturum, nec generi, nec decori, ſed diuerſis vos tormentis excruciatas conſummabo, & membra veſtra particulatim inſciſa, canibus in eſcam proijciam. Ad hæc beatæ adoleſcentulæ quaſi ex vno ore direxerunt: *Nobis Imperator, nec promiſſiones tuæ cordi ſunt, nec comminationes terrori: Nos habemus Patrem, qui nos adoptauit ad ęternam hæreditatem, cuius etiam comminationes timemus, quia æterna in illis tormẽta ſunt.* De cætero, ſi qua ſupplicia habere te æſtimas, quæ fidẽ noſtram veleant vincere, admoue, & cognoſces Chriſtianorum vires tuis cruciatibus fortiores. Furore repletus Adrianus aduocauit Matrem earum, & dixit, ſecundum ordinem ætatis, edicito nomina puellarum: Quæ reſpondens ait. Prima dicitur PIDES, anni verò eius 12. Secunda SPES, quæ eſt annorum 10. Tertia CHARITAS, annorum 9.

Adhortatio Matris ad filias. Blãditur Iudex virginibus.

Egregia virginum conſtantia.

De Paſsione earundem.

Cap. LXXXV.

TVnc Imperator aduocans FIDEM, dixit ad eam. Immola magnæ, & ſacræ Dianæ; aſpice, quam pulchra ſit, vide quanto decore Domina noſtra ſubſiſtat. Sancta verò FIDES reſpondit: *O inſipientia cæcitatis humanæ, derelinquere Dominum, qui omnia ex nihilo verbo ſuo fecit, & adorare ligna, & lapides arte hominis, & ſculptura decoratos.* Audiens hoc ſermones Adrianus iuſſit eam expoliari, & virgis cædi, donec ſe polliceretur Dianæ ſacrificaturam. Duodecim itaque centurionibus in corpore puellæ mutatis, nullus tactus plagæ apparebat in corpore eius. Iterum iuſſit ferro inſcidi mammillas eius: de loco autem inſciſſuræ pro ſanguine lac fluebat. Tunc ſancta virgo ad Regem: *Hęc ſunt, inquit, totę minæ tuæ.* Iuſſit iterum Imperator imponi eam ſuper craticulam, & aſſari. At illa requieſcebat ſuper eam quaſi nauis in tranquillo mari. Iuſſitque illam transferri, & in ſartagine frigi, pice, & cera, & bitumine in ea feruentibus: Cumque, nec hoc tormento læſa fuiſſet, Adrianus repletus ira, quod in nullo potuerit ſuadere virgini, vt immolaret, iuſſit eam gladio percuti.

Certamen FIDEI.

Horrẽdè torquetur ſed tandem gladio percutitur, quẽadmodum & duæ eius ſorores.

Exinde aduocans ſequentem blandiebatur ei dicens: Filia acquieſce mihi quaſi patri, & ſacrifica ſacræ Dianæ, vt ſubtraharis ab imminente pœna. Sancta autem puella reſpondit: Scito, Imperator, quia nihil proficies inanibus verbis. Iuſsit ergo eam expoliari, & tundi neruis taureis; & cum decem fuiſſent in eius carnem mutati centuriones, non potuit à ſancta martyre habere conſenſum. Et conuerſa ad Imperatorem dicebat: *Tyranne inimice Pietatis, ſi quod adhuc habes tormentorum adhibe, vt experimento agnoſcas in me Dei eſſe virtutem.* Iratus Adrianus præcepit eam viuam incendi. Cumque ingrederetur in fornacem, ſtatim flamma extincta eſt. Ipſa vero ibi poſita cœpit orans laudare Deum. Audiens vocem orantis, & cantantis, Adrianus iuſſit eam educi de fornace, & ſuſpenſam torqueri. Cumque torqueretur de membris eius odor ſuauiſsimus exibat, & hilari vultu dicebat. *Tyrãne non ſentio pœnã adiuuãte*

Certamen Sãctæ SPEI

Domino meo Iesu Christo. Tyrannus verbis eius acrius inflammatus imperauit afferri vas æneam, & mitti in illud picem, & adipem, & ceram, & resinam: & factum est ita. Cumque feruente æneo vase ministri leuarent puellam, vt eam ibidem mergerent, resolutum est vas æneum, & liquor feruens excussus incẽdio excussit carnifices, vsque ad ossa. Adrianus nec tanto miraculo mitigatus, iussit eam decollari.

Passio Sãcta CHARITATIS.

Post hæc euocans tertiam, id est, CHARITATEM, auditis eius sermonibus magis accensus; iussit eam suspendi, & per noua quædam augmenta torqueri, ac flagellari, deinde in ignem mitti: At illa ingressa incendium signauit se in nomine Christi, & cum intrasset, erupit subito flamma de camino, & percussit grandem turbam virorum; Sancta virgo deambulabat in igne glorificans, & laudans Deum. Adrianus stupefactus erubuit, & præcepit eam de fornace educi per Protectores: qui cũ proximassent ori fornacis tres cum ea viderunt deambulantes: quorum tamen aspectus Sole splendidior erat: & territi ad visionem ceciderunt in faciem. Inde recuperato spiritu surgentes, humili prece, rogabant virginem, vt egredereturque egressa venit cum Protectoribus ad Imperatorem: & vt eam vidit illico iussit occidi.

Erat nobilis memoria Sancta Sophia via Aurelia qua hactenus perseuerat.

Sancta vero Sophia Mater puellarum collegit corpora, & condiens ea aromatibus imposuit vehiculo, & portauit ad 18. miliarium ab vrbe Roma, ibique sepeliuit, & cum turbis præsentibus se proiecisset in oratione supra sepulchra filiarũ, & cum lachrymis diceret *Filiæ, accipite me ad vos*, velut sopore pressa, quieuit in pace.

Illę ergo mulieres, quæ cum ea venerant, sepelierunt eam in loco iuxta filias. Tyrannus autem ægritudine coarctatus est: nam eius oculi excæcati sunt, carnes liquefactæ: de ore quoque eius plenitudo putredinis cum vermibus decidebat. Ad vltimum in extremis positus voce magna dixit: *Domine Deus trium virginum, & earum matris velocius animam meam educ de corpore; scio enim quod propter illas omnia mala hæc venerunt super me.* Et hoc cum dixisset in magno eiulatu exclamans, crepuit, & dispersa viscera eius, vix potuerunt colligi, & sepeliri.

Passæ sunt autem sanctæ dei virgines Romæ, FIDES, SPES, CHARITAS. Calen. Augusti.

De quadam Sancta Maria Virgine.

CAP. LXXXVI.

Avthor. Adrianus Imperator legitur Antoninum sibi adoptasse in filium, qui etiam postea eidem successit in Imperium. Itaque sub Adriano, & Antonino legitur passa fuisse Beata Maria Virgo.

Ex gestis eius. Hæc ancilla quidem Tertulli principalis erat, sed nobilitatem Domini mentis benignitate vincebat, & Christo se probabat ingenuam. Natalem itaque filij celebrante Tertullo, cum impuris vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat ieiunijs, & sociam suam ne proderetur Dominę, occulta simulatione fallebat: diu tamen, insidiante conserua, latere nõ potuit; prodita, mox vocatur à Domina, diciturque ei. Quæ est causa ieiunij, an occasio ista tristitiæ est, quod iratum tibi nuper Dominum perhorrescis? Respondit Maria: Nunquid nouum aliquid nũc vsurpo: semper mihi sunt hæc obseruata ieiunia: *Christiana sum: Christiano nascor ex genere, hæreditarius est mihi iste cultus Christi.* Tunc imperãte Domina, vt sibi aliquid hauriret, illa noluit: & Domina indignata ei verbera grauia, & pœnam etiam mortis, si repugnaret, intentauit. Sed dum altercatio ista verborum esset cogentis Dominæ, & repugnantis ancillæ, pedem à foris referens Tertullus ingreditur; qui ab vxore rebus omnibus inquisitis, inauditam statim flagellari præcepit ancillam; & afflictam diutino verbere detrudi in carcerem, administrato modico, & vili cibo, quo non satiaretur fames, sed deficientis quotidie animæ pars extrema seruaretur. Sed deuota mens pro Christo frangi hoc dolore non potuit, quin etiam quotidianis orationibus incumbebat, vt facultas esset maior tolerandi. Emersis verò 29. diebus Præsidi nũciatur, Tertullũ Principalem illius ciuitatis occultare in domo sua Christianæ religionis ancillam; quod Imperatorũ præcepta prohibebant. Stetit itaque adducta tãdem; & quamuis contra Iudicem oculos tenderet, animum tamẽ habebat ad Christum. Clamor vndiquè populi frementis attollitur dicentis: *Viua duro cremetur incendio.* Illa verò intrepida, quippe quæ Dei sui nosset auxilium, cœlũ intuens, clamauit ad dominum. Ait Præses: Sacrifica, si effugere tormenta festinas. Respondit Maria: *Supplicia, quæ minaris nec longi temporis, nec grauis doloris sunt: quæso ergo ne differas, quæ moliris; Christũ habeo, ideo nihil timeo.* Tunc iussu Præsidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est, vt lachrymæ quoque à circunstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur: sed crudelitas iudicis accelerare tormenta mandauit. Et ecce secunda vox populi iudicium Præsidis castigantis emergit: vociferatio namque vna penè erat totius coronæ, *iniuste lacerari virginem crudelitate iudicis, non culpa peccantis, agi contra leges omnia, nec equitatis iura seruari.* Stupens verò Præses, & sono tanti clamoris addictus, quippe præter humanam vocem ipsa etiam putasset tecta corruere, mox Mariam relaxari præcepit. Tunc seruari eam sub custodia libera Præses iubet. Maria verò *signo Domini* se muniuit, & leuatis ad cœlum oculis post relictum tribunal, orauit ad Dominum: viditque aciem Angelorum, & multitudinem sanctorum, atque filium Dei sedentẽ ad dexteram patris. Quæ tanta subitò gratulatione perfusa est, vt iam se Paradisum ingressam putaret.

Confessio Mariæ ancillæ.

Flagellis cæditur & in tetrum carcerem detruditur.

De petra, quæ se aperiens, refugium ei præbuit.

CAP. LXXXVII.

Siſtitur Maria corã Iudice.

Pulchrum responsum Mariæ.

Maria dirissime torquetur.

Maria persequentes fugiebat.

Petra se aperiens Mariæ refugiũ præbuit.

HI verò, qui eam fugientem persequebantur subita stupuere virtute, sed vbi illa se circundatam à persequentibus vidit, lachrymans clamauit ad Dominum: Ne *permittas*, inquit, *Domine tradi ancillam tuam, & lacerari manibus impiorum, sed ostende misericordiam tuam: cito exaudi ancillam tuam: exaudi Domine Rex cœlestis* Et dum ita orauit, petra, quæ ante oculos eius iacebat, Domino iubente, patefacta, rimã profugij, qua virgo susciperetur, ostendit, & ad instar dulcissimæ nutricis, vel charæ Matris, motu quodam anxiam amplexans se præbuit: Moxque, susceptа virgine, latera ante aperta conclusit. Hoc cum Carnifices peruiderent, omnia loca petræ illius perscrutati sunt, sicubi erepta subito præda ex oculis latitaret, ibi adhærẽtes exuuiarũ reliquias, & affixo saxo vestium frusta deprehendunt atque incredibili stupore confusi Præsidi gesta commemorant. Ille verò partim ira, partim admiratione commotus, iussit Philocomo principali Veronensium ciuitatis, vt ad prædictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem numerosam secũ multitudinem ducat, statim Præconis voce populus congregatur: qui vbi primum ad prædictum locum cum eo cui summa huius operis fuerat assignata, peruenit, mox inijcere manum lapidi tentauerunt: statim ab oriente fulgor nimij splendoris exortus est; nec mora tonitruum, & fragor quidam, vt putarentur cuncta corruere; statim terra concussa est, & nutantia omnium corruere vestigia. Ecce autem duo equites, magno fulgore radiantes, à cœlesti sede venientes, terras volatu nimio petunt, quorum sellæ, frena, & omnis ornatus ad instar lampadarum cœlesti igne rutilabant. Hęc cum omnis illa, quæ conuenerat multitudo, conspiceret, ita timore causa præsentis virtutis expauit, vt fugiente sensu pariter atque anima in æternam mortem oculi clauderentur. Cæteri verò, qui euaserant, ad prophana templi simulacra fugientes; cum ad sceleſta ingrederẽtur altaria, in ipsa perfugij sui sede ceciderunt. Nechorus ad ipsam templi ianuam spiritum fudit. Vbi vero templum omne repletum est, missus è cœlo ignis, & populum exussit, & templum. Multifariæ itaque mortis, tam à percussis, quam ab incensis, numerus

Insigne miraculum.

Iusta innocentis sanguinis vindicta.

fuit

fuit duo millia ſeptingenti. Pauci vero, qui euaſerant, ciuitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: *Magnus Deus Mariæ, magnus Deus Chriſtianorum.* Et crediderunt, perterriti eo timore, tria millia ferme animæ.

De conuerſione nouem millium militum.

CAP. LXXXVIII.

EX *geſtis eorum.* Præterea ſub Adriano, & Antonino paſſi ſunt vna die nouem millia martyrum, quorum geſta videtur Anaſtaſius Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius de Græco tranſtuliſſe in Latinum eloquium. Igitur præfati Imperatores, audito quod Gadareni, & Euphratenſes rebellare cœpiſſent, irati contra hoſtes caſtra metati ſunt, habentes in exercitu ſuo 9. & ſeptem millia militum robuſtorum, id eſt ſedecim millia. Simulachra quoque Iouis, Apollinis; quibus adipiſci ſe poſſe victoriam confidebant, ſed cum cernerent hoſtium multitudinem permaximam (erant enim centena millia) timore percuſſi cum ſeptem millia militibus tantum, fugam arripiunt. Tunc Primicerius nomine Achacius, & Heliades Dux, conuerſi ad 9. millia dixerunt: Venite, & ſacrificemus Dijs noſtris, vt per eos de hoſtibus noſtris triũphemus. Quibus hædum vnum ſacrificãtibus, abundantiori formidine conſternati ſunt ita, vt impetum fugæ arriperent. Tunc Angelus Domini in ſpecie adoleſcentis ante facies eorum accurrit, & dixit eis: Cur ſacrificantes Dijs vos pauor inuaſit, & fugere compulit: *Credite Ieſum Chriſtum Dei filium immortalem regem, & ipſe pugnabit pro vobis.* Cum hæc & alia dixiſſet, inito conſilio, vt rationem adoleſcentis probarent, omnes exclamauerunt dicentes. *In te Domine Ieſu credimus, & ea, quæ nobis iſte iuuenis referauit, in tuo nomine nos facturos eſſe promittimus.* Tunc hoſtes impetum facientes, Angelo ſuis auxilium ferente, cunctis deciderunt, multique in lacu proximo perierunt; alij verò præcipitio interierunt: Angelus autem Domini deduxit ſanctos in verticem montis Ararath qui diſtat ab Alexandria quaſi ſtadijs quingentis, gloriantes in potentia Dei. Sedente Angelo in medio eorum, aperti ſunt cœli, & deſcenderunt inter ipſos ſeptem Angeli, docentes eos atque dicentes: *Beati eſtis, qui credidiſtis Deo viuenti: poſt tertium diem quæremini, & in conſpectu Regum deducemini, ne timeatis eos, quia Deus vobiſcum eſt.* His dictis ab oculis eorum ablati ſunt: at illi timore correpti, peccata voce ſua confitebantur.

Poſt tres dies miſſi quidam ab Imperatoribus ad perquirendum eos, peruenerunt ad montem in quo erant: & audientes eos *glorificare Deum* agnouerunt quod *Chriſtiani eſſent.* Quod cum Imperatoribus renunciaſſent, illi nimio dolore cõſternati, ſuper capita ſua cinerem impoſuerunt: & quinque diebus lugentes, à cibo, & potu abſtinuerunt. Poſt ſcripſerunt Epiſtolam quinque regibus, ſcilicet * Sapori, Maximo, Adriano, Tyberiano, & alij Maximo, vt ad ſe venirent, & quid ſuper huiuſmodi hominibus agendum eſſet, ſecum pertractarent. Tunc illi congregantes exercitum magnum venerunt, & primo quidem idolis victimas immolauerunt, poſt hæc reficientes corpora, nouos Chriſti milites perquirere fatagebant. Miſſi itaque quidam montis verticem conſcenderunt, in quo ſancti Deũ colebant exorantes: quos vbi illos venientes ad ſe conſpexerunt, Achacius dixit cæteris, vt ſurgerent, & contra Diaboli exercitum orationi operam darent. Illis itaque ceruices inclinantibus, & poplite flexo Deum orantibus, eique laudes, & gratias referentibus, vox à cœlo elapſa eſt dicens: *Auditi, que petiſtis: Ne paucatis eos, qui occidunt corpus; ego enim Dominus vobiſcum ſum confortans vos.* Hæc audientes gauiſi ſunt in Domino: ad quos accedentes Milites Regum dixerunt: Miſerunt nos Reges, & Imperatores ad vos, vt veniatis ad eos. Tunc omnes de monte deſcendentes, in conſpectu Regum ſteterunt; *ſpem integram habentes in Chriſto Domino.* Videntes autem eos Reges lachrymati ſunt.

* *Hic nõ fuit Sapor Rex Perſarũ qui vixit tẽporibus Conſtãtini ſed fuit rex Armenia.*

Paſsio eorum cum decimo millenario.

CAP. LXXXIX.

ADrianus verò cauſam, vel modum, quo derelinquentes Deos in crucifixum credidiſſent interrogauit. Et beatus Achacius ex ordine rem enarrauit. Tũc Adrianus furibundus ait: Quia vos omnes Chriſto creditis, proculdubio pœnam illius ſuſtinebitis. At illis minas eius contemnentibus, iuſſit eos lapidibus obrui. Qui cum lapidarentur, lapides in facies lapidantium vertebantur. Poſt hęc Imperator iuſſit eos flagellari: qui cum cæderentur, dixit quidam eorum nomine Draconarius germanus Achacij, & Heliadis: *Orate pro nobis viri ſancti, quia grauia ſunt tormenta, quæ patimur.* Cui dicit Achacius: Perſeuerate fratres in hac confeſſione, quia; *qui perſeuerauerit, ſaluus erit.* Cumque oraſſent, factus eſt tertæmotus, & mox arefactæ ſunt manus flagellantium. Erat autem ibidem in exercitu Regis Maximi magiſter quidam militum nomine Theodorus habens ſub ſe mille milites, qui huius miraculi ſtupore percuſſus, exclamauit: Domine Deus cœli, & terræ, qui opem miſericordiæ tuæ 9. mille militibus contuliſti, dignare nos connumerare peccatores cum ſanctis martyribus tuis. Hæc dicens, & vocem in ſignum ſubtollens, cum ſuis mille ad ſanctos Dei ſe tranſtulit. Sicque Deus omnipotens, palmitum decem millum numero compleuit vineã ſuam. Maximus itaque dixit: O Imperatores, quantam pro vobis patior iniuriam. Cui Adrianus ait: Patienter ferre te oportet ô Rex, qui enim exercitum meum abſtulit, & tuum ademit. Maximus autem conuerſus ad ſanctos ait: Audite me decem millia viri: Hortor vos, vt ſacrificetis, & iram meam effugiatis, ne male pereatis: Cui dixit Achacius: *Furor puliicinus non præualet aduerſus cerniscẽ taurinam: Deum habentes viuum nil tui curamus.* Tunc Maximus furens iuſſit multitudinẽ clauorum trigonorum acutiſſimorum fieri, & ſpargi per ſtadia 20. vt exercitus Dei ſuper eos nudis plantis incederet: At Angeli à Deo miſſi ante eos incedebant coaceruantes clauos in tumulum vnum, ne in pedibus eorum infigerentur. Maximo verò iubente, vt ad inſtar Chriſti paterentur; Miniſtri acutiſſimis clauis eorum latera aperuerunt, & in capitibus ſingulorum coronas ſpineas poſuerunt: tandem data ſententia in monte Ararath crucifixi ſunt. Tunc Sanctus Heliades Primicerio Achacio dixit, vt exponeret de fide aliquid. Qui cum fidem *ſanctæ Trinitatis, & Verbi Incarnati* expoſuit, hora ſeptima diei, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & ſancti pro his, qui memoriam paſſionis eorum cum ieiunio, & ſilentio celebrarent, orationem fuderũt: & reſpõdentibus omnibus *Amen*, vox de cœlo facta eſt dicens, orationem eorũ eſſe exauditam.

Feſtiuitas horum celebratur 10. Cal. Iulij.

Igitur circa horam nonam animæ ſanctorum ad cœli palatia tranſlatæ ſunt; & aperti ſunt cœli, & lumen emicuit tunc ſupra corpora ſancta.

Mox etenim Dominus præmiſſo lumine cœli
Adfuit in terris ſtipatus rite choreis,
Sanctorum medio præſtans in vertice montis
Lætantur ſancti tanto ſolamine ſepti.
Rurſus mons fremuit concuſſus funditus omnis:
Et ſtipiti fixa mox ſoluunt omnia membra.
Angelicis manibus ſinuatur terra ſepulchris,
Et cuncti proprijs conduntur monte locellis.

ANNOTATIO.

Radulphus Tungrenſis putat hæc fabuloſa eſſe, ſed miramur virum, (ait Baronius) alioqui eruditum & grauem, tam feſtinam de his martyribus protuliſſe ſententiam: præſertim cum Romanum Martyrologium eorum paſſionis facit mentionem: ſed quia datu eſt aliquibus ſubſannandi occaſio, eo quod mons ararath dicitur eſſe prope Alexandriam, id eo operæ pretium eſt, monere hic lectorem, quod plures poſſint eſſe eiuſdem nominis ciuitates, & inter alias, Alexandriam iuxta Tigrim poſitam, cuius meminit Plinius lib. 6 cap 27. & de hac loquimur in hac hiſtoria: quod ſatis apparet, ex eo, quod hic de Euphratenſibus agitur. Quod ad numerum crucifixorum ſpectat, ſane id non videtur nouum legenti Ioſephum de bello Iudaico lib. 6. cap. 12. vbi ſpatium crucibus deeſſe, & cruces corporibus affirmat, in illa miſerabili Iudæorum clade Hieroſolymitana tamen, in his (quod in alijs ferme omnibus contigit) ineſſe aliqua, quæ leui quadam indigeant emendatione.

De Quibusdam operibus Adriani, & morte eius, & quibusdam alijs.

Cap. XC.

Iudaica religio & etiam sacerdotium funditus extirpatur.

Comestor. Ipse quoque Adrianus Imperator in Hierusalem euersa per Titum, statuam suam posuit, vbi arca steterat, quia vestigia ciuitatis quædam adhuc remanebant: & Iudæi, qui latentes vndecunque remanserant, quandoque ad locũ sanctum redibant; & iterum multiplicati amouerunt statuam. Ob hoc Adrianus apposuit manum extremam, & funditus euertit vrbem, & dixit ne quis Iudæorum remaneret in terra illa. Et de hac vltima euersione videtur dicere Lucas: *Et captiui ducentur in omnes gentes.*

Hugo vbi supra. Denique ipse Adrianus Hierosolymam reædificauit, & illam Aeliam de suo nomine appellauit: cuius opere factum est, vt loca sancta, Dominicæ scilicet passionis, & Resurrectionis, quondam extra vrbem iacentia, nunc eiusdem muro septentrionali circundentur. Denique præcepit ne cui Iudæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa: vnde primus ibidem de gentibus Marcus Episcopus constitutus est: & ex hoc tempore, ac deinceps ibidem assumere Episcopos ex circuncisione cessatum est.

Lege Chronicon 3. Adonis, Genebrardum in Alexãdro ex Hieronymo, Dioneo Sulpitio & alijs: vbi nota quod in hoc bello Iudai ab Adriano capti, relegãtur in Hispaniã; vbi suũ protrahunt exiliũ vsque ad Ferdinãdũ 5. Hispaniæ Regẽ & Emanuelem regem Lusitaniæ; qui circa annum 1500. illos suis ditionibus abire coegerunt.

Eusebius in chronicis. Adrianus in puerorum amore parum continens fuit; vnde Antinoum puerum regium eximiæ pulchritudinis, in Ægypto mortuum, diligenter sepeliens, (nam in delicijs eum habuerat) in Deos retulit: ex cuius nomine etiam vrbs appellata est. Tandem, & ipse morbo intercutis aquæ apud Baias mortuus est. Hic cum insignes plurimas ædes Athenis feciſſet, Agonem edidit; Bibliothecam miri operis extruxit.

Huius temporibus Basilides Hereſiarches in Alexandria commoratur à quo Gnostici. Cochebas. Dux Iudaicæ factionis, nolentes Christianos sibi aduersum Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.

Helmandus. Hic secundum alios Barcozbas appellatur, quod nomen signat stellam, per cætera, vir crudelis, & sceleſtus, sed & vocabulo suo velut vilibus mancipijs persuadebat se ad salutem eorum, sidus magnum cœlitus esse delapsum, ægris mortalibus, & longa obscuritate damnatis, ferre lucis auxilium. Hic vt ait Hieronymus contra Ruffinum, stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, vt flammas euomere putaretur.

Hugo, vbi supra. Floruit in illis diebus Aquila Orator, genere Ponticus secundus interpres Mosaicæ legis post 70. Sizto Papæ succeſſit Telesphorus.

Ex libro Pontificum. Hic natione Græcus ex Anachoretis, sedit annis 11. Qui constituit vt 7. hebdomada ante Pascha ieiunium celebraretur, & in Natali Domini, noctu Missæ celebrarentur: nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum, nullus præsumebat Missas celebrare, qua hora Dominus noster ascendit Crucem; & vt ante sacrificium Hymnus diceretur Angelicus, hoc est, *Gloria in excelsis Deo.* Hic Martyrio coronatus est, & sepultus, iuxta corpus B. Petri in Vaticano Non. Ianuarij.

De Imperio Antonini Pij, & Pio Papa, & Herma.

Cap. XCI.

Antoninus Pius Imperator anno M. 4093. Christi 140.

Eusebius in chronicis. Romanorum post Octauianum 14. imperauit Titus Antoninus, cognomento Pius, cum filijs suis Aurelio, & Lucio: cœpit autem anno Domini 140. Mundi vero 4093. & imperauit annis 23. In Papatu verò sedit Hyginus post Telesphorum annis quatuor.

Hugo vbi supra. Antoninus Pius, erat vir pijssimus, & natura benignus, qui ab Adriano in filium adoptatus fuerat: cuius, & gener erat, & ita tranquillus erat, vt merito * Pius appellatus sit. Nam ad illum exteræ gentes legatos misere, Indi, scilicet Bactriani, & Hircani, iustitia tanti Imperatoris comperta: erat enim carens appetentia gloriæ, & ostentatione.

**Pij cognomẽti causa diuersa traditur. Illud mihi maxime probabile, vt à morũ prohibitate affectuque in Adrianum & seruatos eos, quos Adrianus interfici iusserat, id traxerit.*

Ex libro Pontificum. Post Hyginum Papam pius natione Italus ex patre Ruffino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileia, sedit annis 11.

Fuit autem temporibus Antonini Pij à consulatu Erucij Clari, & Claudij Seueri.

Sub huius Pij Episcopatu Hermas librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini cum venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico celebraretur. Hic Pius Papa constituit ne hæreticus veniens ex Iudæorum hæresi susciperetur & baptizaretur. Sepultus est tandẽ iuxta corpus Beati Petri in Vaticano 5. Idus Iulij.

Rom. 6.

Hieronymus de illius vita. Hermas; cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit dicens, *Salutate Phlegontem, Hermam, Probam, Hermen, & qui cum eis sunt, fratres*: asserunt auctorem esse libri, qui appellatur *Pastor*, & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Est reuera vtilis liber multique de eo scriptorum veterum vsurpauere testimonia, sed apud Latinos pene ignotus est.

Lege Irenæũ, Origenẽ, Eusebiũ, & alios qui dicũt hunc fuisse quẽ Paulus salutari mãdat.

Author. Hic quoque liber in manus nostras aliquando venit, sed eius flores excerpere non libuit, seu propter prolixitatem, ac verborum simplicitatem, seu quia inter scripturas apocyphas numeratur, quãuis & in hoc opere nonnulla de apocryphis inserui, sed ea titulis proprijs annotaui.

Ex martyrologio. Apud Alexandriam Metropolim Ægypti 14. Calend. Nouembris celebratur Natale sanctorum martyrum, Ptolemæi, & Lucij, sub Antonino

De his Eusebius lib. 4. cap. 16. Nicephorus lib. 3. cap. 33.

io: quorum prior multo tempore squalore carceris maceratus, ad vltimum cum de Christi magisterio publica confessione testaretur, iussus est duci ad mortem, Lucius quoque cum se Christianum libere fateretur similem sententiam accepit.

De Tauro Philosopho, & Galieno Medicor

Cap. XCII.

Apollonius Stoicus.

Eusebius in chronicis. Temporibus Antonini Pij Apollonius Stoicus, natione Calchidicus, & Basilides Scyropolitanus Philosophi illustres habentur; qui veriſſimi quoque Cæsaris præceptores fuerunt.

Basilides Philosophus. Taurus Platonicus.

Taurus quoque Berythus Platonicæ sectæ Philosophus clarus habetur.

Helinandus. Ad istum Philosophum Taurum leguntur aliquando Athenas veniſse visendi cognoscendique causa, pariter Cretæ Prouinciæ præses, & pater eius, sed priuatus. Inuitauit Taurus patrem primo, vt sederet: at ille de filio: Sedeat hic primus, qui Romani populi magistratus est: Absque præiudicio, inquit Taurus, tu interim sede, donec conspicimus, quærimusque quid conueniat, tene sedere potius, qui pater es, an filium, qui gerit magistratum? Cumque ille resediſſet, apposita est altera sella filio. Tunc Taurus his, qui conuenerant verbum fecit de hac re, inter cætera sic dicens: In publicis, inquit, locis, atque muneribus, patrum iura cum filiorum iuribus qui in magistratibus, aut potestate sunt collata interquiescere debent paululum, & conniuere: sed cum extra rempublicam in domestica re atque vita sedetur, ambulatur; in conuiuio quoque familiari discumbitur, tunc inter filium, & magistratum, & patrem priuatum, honores publicos cessare, naturales autem, & genuinos seruari, æquum est.

Sententia notabilis Tauri Philosophi: In publico, inquit, mos populi, sed in priuato, ius natura, gentiumque seruatur.

Author. Antonini Pij temporibus floruit Galenus insignis Medicus, sicut in chronicis scribit Eusebius.

Hic quidem scripsiſſe reperitur librum de Alchimia, cuius titulus est de Ramo pomi congelati.

Gallenus excellens medicus Pergami in Asia natus, omnes prater

De ma-

De malitia complexionis mentis.
De virtutibus naturalibus.
De compendiositate pulsuum, & eorum differentijs.
Item librum commentariorum super librum suum de pulsibus his, qui introducuntur.
Item librum de anatomia.
De iuuamento membrorum.
De morbo, & causa accidente.
De crysi.
De criticis diebus.
Item libros diademiarum maiorem, & minorem.
Item de simplici medicina.
De perfectis medicinis.
De proprietate.
De experimentis passionum.
Item librum tegni, mierotegni.
Librum de regimine sanitatis.
Item
Passionarium.
Antidotarium.
Librum secretorum suorum ad Monteum.
Item ad Glaueonem de pulsibus,& vrinis librum,qui dicitur achinagoga. Item librum Epistolarum ad eundem de febribus:& de apostematibus.
Item librum Epistolarum ad Paternianum.

Hippocratẽ in arte medica superasse creditur. Traduntenim Græcum plusquã centum quinquaginta libros de ea arte edidisse.

Hieronymus contra Iouinianum libro secundo. Galenus doctissimus Hipocratis interpres, athletas quorum vita, & ars sagina est; dicit in exhortatione medicinæ, nec posse diu viuere,nec sanos esse:animasque eorum ita nimio sanguine, & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus,& ructu,& ventris ingluuie cogitare.

Huius nobilis fuit sententia,Scientia in insensato non prodest, nec ei qui nõ vtitur prodest sensus.

De sanctis Polycarpo, & Papia,& scriptis eorum.

CAP. XCIII.

FLorebant eo tempore, Polycarpus Smyrneus Episcopus, & Papias Hierapolitanus.

Hieronymus de illustribus viris. Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit. Quippe, qui nonnullos Apostolorum,& eorum,qui Dominum viderant magistros habuit, & vidit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones sub Imperatore Antonino Pio,Ecclesiam in vrbe regente Anacleto, Romam venit; qui plurimos credentium, Marcionis, & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuito obuius fuisset Marcion, & diceret: Cognoscis nos? respondit: Cognosco primogenitum Diaboli. Postea vero Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo regnante, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ, sedente Procõsule, & vniuerso populo in amphitheatro aduersum eum personante, igni traditus est.

Sanctus Polycarpus.

Scripsit ad Philippenses vtilem valde epistolam, quæ vsque ad hodiernam diem in Asiæ conuentu legitur.

Prater Epistolamquam scripsit ad Philippenses; dedit & aliã ad Dionysium, de qua Suidas; De eo lege Ignatium epist. ad Polycarpũ Irenæum. lib.3. cap. 3 & Baronium in notas Martyrol. Rom. 26.Ian.

Papias Ioannis auditor Hierapolitanus Asiæ Episcopus quinque tantum scripsit volumina,quæ prænotauit, explanatio sermonũ Domini. In quibus cum se in præfatione asserat non varias opiniones sequi. Sed Apostolos habere auctores, ait: Considerabam quid Andreas, quid Petrus dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus,quid Ioannes, quid Matthæus, vel alius quilibet discipulorum Domini: quid etiam Aristion,& senior Ioannes discipuli Domini loquantur. Non enim tantum mihi libri ad legendum prosunt, quantum viua vox,& vsque hodie in suis auctoribus personans.Ex quo apparet ex ipso catalogo nominũ, alium esse Ioannem, qui inter Apostolos ponitur, & alium seniorem Ioannem, quem post Aristionem enumerat. Hoc autem dicimus propter superiorem opinionem, quam à plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas non Ioannis Apostoli esse, sed Presbyteri. Hic dicitur Iudaicam mille annorum edidisse deuterosim,quem secuti

Papiæ scriptorum fragmenta quædam à S. Irenæo relata extant apud Eusebiũ lib. 3.hist. C.33. Licet autem ob male intellectum caput 20 .Apocalypsis prima iecerit fundamenta erroris Chiliastarũ,nulla tamen illi sunt Irenæus,& Apollinaris, & cæteri, qui post Resurrectionem aiunt in carne Dominum cum sanctis regnaturum. Tertullianus quoque in libro de spe fidelis, & Victorinus Pictauiensis; & Lactantius in hanc opinionem ducuntur.

Heliuandus. Igitur Papias auctor fuit hæreticorũ, qui dicuntur Chiliastæ,idest millenarij;non tamen inter hæreticos, sed inter sanctos in martyrologio computatur. Sicut nec Irenæus Lugdunensis, nec Victorinus Pictauiensis hæretici appellantur, qui glorioſi martyres fuerunt,& tamen in hac opinione Papiam secuti sunt. Multi enim sancti simpliciter errasse in aliquibus leguntur; sicut Beatus Cyprianus de hæreticis rebaptizandis; qui tamen error eis non imputatur propter cæteras virtutes, quæ in eis præcellebant: & quia non ex obstinatione animi,sed ex ignorantiæ simplicitate errabant.

haresios nota moritur, quod ea opinio dunata vt hæretica nõ fuerit vsque ad tempus Damasi Papæ.

De Iustino Philosopho, & scriptis eius, & morte Antonini Pij.

CAP. XCIIII.

Hugo vbi supra. Porro Iustinus Philosophus Antonino Pio, librum de christiana religione compositum tradidit, & benignum illum erga Christianos homines reddidit. *Hieronymus vbi supra.* Hic Iustinus Philosophus, habitu quoque Philosophorum incedens, de Neapoli vrbe Palestinæ patre prisco Bachio pro religione Christi, plurimum laborauit,in tantum,vt Antonino quoque Pio, & filijs eius, & senatui contra Gentiles scriptum daret, & ignominiam Crucis non erubesceret: & alium librum successoribus Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Commodo. Extat eius, & aliud volumen contra gẽtes vbi de Dæmonum quoque natura disputat: & quartum aduersum gentes. Sed & alius de Monarchia Dei, & alius liber quem prænotauit psaltem & alius de anima: & dialogus contra Iudæos, quem habuit aduersus Tryphonem Principem Iudæorum. Sed & contra Marcionem insignia volumina, quorum Irenæus quoque in quinto aduersus hæreses libro meminit: & alius liber contra omnes hæreses, cuius facit mentionem in Apologetico quem dedit Antonino Pio.

Lege hic Baronium anno 164. Eusebiũ lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ. cap. 17. Adon.Vienense, Oniuph. alios.

Author. Pompeius Trogus natione Hispanus, totius orbis Historias à tempore Nini Regis Assyriorum, vsque ad Monarchiam Cæsaris, Latino sermone composuit per libros 44. quorum epitoma, idest abbreuiationem,fecit *Iustinus* eius discipulus, de quo multa in hoc opere locis congruis inserui. Cæterum vtrum hic sit ille Iustinus martyr an forsitan alius ignoro.

Pompeius Trogus hoc tempore floruit.

Porro Apologetici, quem ad Antoninum Pium misit Iustinus pro Christianis hoc est initium.

Antonino Pio Cæsari Augusto, & Verissimo Philosopho, & Lucio Philosophi Cæsaris proprio filio, ac Pio adoptiuo, amatori sapientiæ; & senatui sacro atque omni populo Romano, pro vinctis ex omni genere hominum congregatis, & iniusto odio laborantibus, ac non digna patientibus: Iustinus Prisci Bacchi filius ex vrbe Neapoli Palestinæ, vnus pro omnibus hoc defer postulatum.

In sequentibus autem dicit. *Spero me ab aliquo eorum, quibus pro veritate obsisto, insidias esse passurum: Spero bacculo, aut claua, feriendum certe,vel à Crescente hoc, non Philosopho,sed φιλοπάμπω idest non amatore sapiẽtiæ,sed amatore iactantiæ. Neque enim dignum est Philosophum nominari eum, qui de his, quæ nescit, publicè protestatur, & Christianos sine Deo esse, & impios dicit, ad gratiam, & libidinem eorum, quos in errore positos ipse maioribus erroris laqueis inuoluit. Hugo vbi supra.* Porro Antoninus Pius decessit anno Imperij sui 23. Ob cuius honorem Templa, Sacerdotes,atque alia multa honorum insignia, Romæ à senatoribus sunt decreta.

Lege Eusebium cap. 16. lib.4.

Antonini Pij Imperatoris obitus.

Tunc Marcus Aurelius Antoninus Romanũ Imperium assecutus, imperauit annis 19. Hic fuit vir tantæ seueritatis,vt ab infantia vultum, nec ex lætitia, neque ex mœrore mutauerit. Hic etiam asciuit sibi ad imperij

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

partem Lucium Verum propinquum suum : & hi ambo contra Parthos admirabili virtute, & fœlicitate, pugnauerunt, & vnà de victoria Parthica triumphauerunt.

De Imperio Marci Aurely & Lucij Veri & persecutiones eorum in Christianos.

Cap. XCV.

Eusebius in chronicis. Romanorũ igitur quintusdecimus, regnauit Marcus Aurelius Antoninus, & Lucius Aurelius Verus anno Domini 163. mundi verò quinto millesimo centesimo decimo sexto. Hi primum æquo iure Imperium administrauerunt, cum vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint.

Marcus Aurelius & Lucius Verus Imperatores Anno Mundi 5016. Christi: 163.

Hugo vbi supra. Horum Imperatorum temporibus persecutio Christianorum, iam post Neronem, quarta vice excitata est : qua feruente Polycarpus vir egregius Ioannis Euangelistæ, & Apostoli discipulus, Simyrneorum Episcopus in Asia martyrio vitam finiuit.

Epistola Ecclesiæ Smyrneorum de martyrio D. Polycarpi.

Eusebius quarto libro cap. 15. De hoc excitat epistola ex persona Ecclesiæ Smyrneorum ad Ponti Ecclesias data, quæ de martyrio eius, & beato fine designat : qui etiam describentes cæterorum martyrum agones talia quædam scribunt : *Deterrere etenim volentes inspectantem populum, nunc flagris vsque ad interiora viscerum, martyres laniabant; ita vt abdita corporis, & quæ natura in arcanis locauerat, nudarentur. Nunc autem marinas cochleas, quos murices vocant, & acuta quæque fragmenta in dorsum supinatis martyribus substernebant; in quibus omne tormenti genus, & pœnæ speciem consumentes, ad vltimum deuorandos eos bestijs exponebant. Sed in his præcipue designatur vir fortissimus effloruisse Germanicus nomine, qui per gratiam diuinę virtutis metum corporeæ fragilitatis excluſit. Volente namque Proconsule persuasionibus aggredi virum, & obijcere ei primæ ætatis florem, debere eum suimetipsius miserationem capere: Ille nihil moratus, sponte dicitur præparatam sibi bestiam prouocasse, velut tardantes increpans pœnas, & iniquæ huius vitæ vltro velocem expetisse discessum. Verum cum ex eius tam insigni morte stuporem cœpisset astantis populi multitudo, & totius christianorum gentis mirari virtutem de contemnenda morte cœpissent, conclamant omnes;* tolle impios, Polycarpus requiratur: *sed cum hac clamatione grauis perturbatio fieret, Cointhum quendam natione Phrygem nuper de suis regionibus aduenientem, accidit primo quidem bestias cæteraque tormenta sponte lacescere, de hinc fractis animis cedere, ad vltimum etiam salutem segnitie perdere. Quæ res eum ad martyrium procacia potius, & temeritate, quàm deuotione posiluisse declarat. Ipse namque se Iudicijs ingesserat. Victus itaque exemplum euidens omnibus dedit, cautius in rebus talibus, & circunspectius agendum; quia non temeritas, sed fides, & modestia coronatur. Sed de his quidem talia gesta sunt.*

Qualis quãtusue fuerit Polycarpus Sancti Ignatij epistola ad illum scripta facile significat.

Epistolã Polycarpi ad Philippens. prolixiorem habuit apud se dum viueret Turrianus Grace scriptam.

Cointhus parum conflãs martyr.

Passio sancti Polycarpi Episcopi.

Cap. XCVI.

Insignis autem vir Polycarpus primo quidem cum audiret vulgus in se acclamationibus excitatum, in nullo quidem motus est sed mansit impauidus. Tranquillus namque erat moribus, & serenus aspectu : qui cum in eadem ciuitate vellet interritus permanere, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, ad agrum quendam ciuitati proximum secessit, atque ibi cum paucis, die noctuque nihil aliud, quam in orationibus permansit, pro pace Ecclesiarum, quę vbique sunt supplicans Deo; quod ei facere in omni vita perpetui moris fuit. Sed is in oratione positus, ante triduum quam comprehenderetur, visionem vidit per noctem, cervical capitis sui flammis esse consumptum. Cumque euigilasset astantibus somnium suum interpretatus est dicens; pro certo se pro Christo per ignem moriturum. Cum autem comprehensores suos adesse comperisset, in occursum eorum progressus, lętanter eos valde suscepit, ita vt stuperent omnes, & mirarentur, quod vir tantę honestatis perquiri, & comprehendi iuberetur. Continuo mensam hostibus, quasi hospitibus, iubet apponi, eisque largius epulas ministrari, vnius horę spacio ab eis orationis gratia impetrato. Denique memoriam faciens totius Ecclesiæ Catholicæ quæ per orbem erat; instante iam hora progreditur, & asino sedens ad ciuitatem ducitur; pergenti occurrit ei Præfectus patris Herodes, & pater eius Nicetas, qui leuantes eum in vehiculo secum, persuadere conabantur, dicentes: Quid enim mali est Cæsarem Deum dicere, & immolare, & de cætero viuere securum? At vbi se nihil proficere senserunt, indignati, cum contumelia eum vehiculo deturbant, ita vt pedem læderet præceps actus. Cum vero tumultus ingens in stadio ex egressu eius exortus fuisset, vox è cœlo elapsa est : Fortis esto Polycarpe, & viriliter age. Et auctorem quidem vocis nemo videre potuit, auditus tamen ad plurimos venit. Proconsul eo audito, misso Curione ad populum iubet magna voce protestari Polycarpum, tertio confessum se esse Christianum. Quo audito omnis multitudo tam Gentilium, quam Iudæorum ciuitatis Smyrnensium cum ingenti furore clamabat : Hic est totius Asiæ Christianorum doctor; nostrorum autem Deorum subuersor, Ardeat. *Tunc ipsis populis ligna, vel de balneis, vel de publicis locis quibuslibet, & sarmenta congregantibus, velociter extructus est rogus. Cum autem eum rogo imposítum, vellent etiam clauis affigere, ait; sinite me: qui enim dedit mihi ignis ferre supplicium, dabit, & vt flammas immobiliter perferam. Tunc omissis clauis, solis vinculis vsi sunt : quibus post tergum vinctis manibus cum in ipsa Passione Deum benedixisset, & supposito igne flãma ingẽs reluxisset visum est miraculũ à nobis omnibus quibus ea Deus à nobis videri concesit. Ex quibus, & quam plurimi à Deo ad hoc reseruati sunt, vt annunciarent cæteris, quæ viderunt. Flamma etenim ad modum cameræ curuata, specie, quasi velum nauis vento sinuatum supra corpus martyris stetit : quod in medio positum non erat, vt caro ardens, sed tanquam argentum, aut aurum in fornace candesceret. Tunc præterea odorem naribus hausimus, tanquam thuris incensi, vel pretiosissimi fragrantis vnguenti. Ad vltimum videntes scelerum ministri igni corpus non posse consumi, iusserunt propius accedere confectores, & corpus cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto, tam large profusus est sanguis, vt restingueret rogum. Populus autem miraculi stupore attonitus discessit, erga electos Dei tam insigni eius fauore perspecto.*

Polycarpus orat pro pace ecclesia.

Visio Policarpi.

Polycarpus inuictus athleta Dei.

Egregia sententia Polycarpi ad iudicem, citatur in hac eade Epistola, scilicet, 86. annis inquit, seruio Christo, & nihil me lasit vnquam, quomodo possum maledicere ego blasphemare rege meum qui salutem mihi dedit

Cum eo etiam alij 12. ex Philadelphia venientes apud Smyrnam martyrio coronati sunt.

Passus est sanctus Polycarpus (vt scribit Eusebius in chronicis) anno septimo Imperij Marci Aurelij Antonini; & Lucij Veri.

Hactenus de epistola Smyrnensium.

Passio sanctorum Pionij, & Iustini, & quorundam aliorum.

Cap. XCVII.

Inter cæteros autem, qui per id tempus martyres extiterunt, famosissimus inibi refertur quidam Pionius nomine. Cuius per singulas interrogationes, responsionum constantiam, & pro fide nostra ad populum orationes, quamque apud iudices interritus semper asiterit; docens, & disputans etiam in ipsis tribunalibus, vtque his, qui persecutione titubauerant exhortationibus suis ad consurgendum dexteram dederit; & in carcere positus, qualiter ingressus ad sefratribus, animos ad tolerantiam martyrij roborauerit, quosue etiam ipse pro martyrio pertulerit cruciatus, vtque sit clauis affixus, & ardenti rogo superpositus, & vt in his beatum faceret finem; si quis vult plenius scire, ex illa, quæ à nobis, de antiquis martyribus scriptura composita est, plenius discet.

Pionius Insignis Martyr: hic passus est, vt ait Baronius, sub Decio, vbi plurimis testificationibus id confirmat; At excusabilis plane error est Eusebij citati literis Italicis & cursorijs in hoc cap. 97. quia non de persecutionis tempore, sed de anni mense epistolam locutam esse affirmat Baronius.

Post hæc etiam aliorum apud Pergamum Asiæ vrbem, martyrum gesta referuntur, Carpi cuiusdam, & Papyrij, & Agathonicæ optimæ fœminæ, aliarumque multarum, quę pro beatis confessionibus martyrio coronatæ sunt. Cum quibus, & vir mirabilis, de quo superius fecimus mentionẽ, Iustinus, cum secundo iam librum pro religionis nostræ defensione conscriptum, temporis illius iudicibus obtulisset, remunerationem linguæ fidelis, & eruditæ, martyrij munus accepit; quodam Philosopho Crescente nomine Cane tam professione, quam moribus, dolos viro, insidiasque tendente; quoniam quidem sæpe cum eo disputans, auditoribus mediis, non solum obtinuerat eum, verum, & vehementius, veritate sibi suffragante, confuderat.

Hieronymus de illustribus viris. Cum ergo in vrbe Roma τὰς διατριβὰς haberet, & Crescentem Cynicum, qui aduersum Christianos blasphemabat, redargueret, gu-

Hac omnia qua literis exarãtur italicis & cursorijs excerpta sunt ex Eusebio loco citato.

lotum,

losum, & mortis timidum, luxuriæque, & libidinum sectatorem, ad extremum studio eius, & insidijs accusatus, quod Christianus esset, pro Christo sanguinẽ fudit.

Iustinus martyr coronam gloriæ adeptus est.

Eusebius libro 4. cap. 16. Idem quoque Iustinus priusquam proprium desudaret, aliorum, qui ante se martyres extiterunt describens agones, *& ego*, inquit, *spero me ab aliquo horum, quibus pro veritate obstiti, insidias esse passurum.*

De persecutione Lugdunensis, & Viennensis Ecclesiarum.

Cap. XCVIII.

Viẽnenses & Lugdunenses martyres.

Hvgo vbi supra. Hæc quoque persecutio durissima Lugdunensem atque Viennensem, vrbes nobilissimas Galliarum, quas præcipiti lapsu, Rhodanus præterfluit subintrauit. Vnde Photinus egregius Episcopus Lugdunensis, & Iustinus Viennensis in eisdem vrbibus martyrizati sunt cum multis alijs.

Sanctus diaconus Viennensis.

Maturus. Anno Christi 169.

Eusebius libro quinto cap. 1. Præcipuè autem milites perurgebant Sanctvm nomine, quendam diaconum Viennensem, & Maturum, neophytum quidem, sed in fide, & patientia robustissimum: sed & Attalum Pergamenum ciuem, qui columna, & fundamentum Ecclesiæ nostræ in omnibus fuit; & Blandinam per quam Christus ostendit, quia ea, quæ apud homines despecta sunt, & in contemptu habentur, in magna gloria apud Deum ducuntur: & quia charitas, ea quæ fragilia sunt per naturam, per gratiam fecit esse firmissima. Cum enim nos omnes de ea trepidaremus, sed & ipsa eius carnalis Domina, quæ erat vna ex numero martyrum, vereretur, ne forte Blandina cederet in tormentis, & pro debilitate corporis vix ad primæ confessionis tormenta sufficeret; tanta tolerãtiæ virtute firmata est, vt resolueretur prius, & conciderent carnificum manus, qui sibi pro contentiosa iudicis animositate inuicem succedebant. Denique à prima luce, vsque ad vesperam tormenta semper innouantes, ad vltimum victos se profitentur, stupentes quomodo in ea spiritus permaneret, cum nihil in illa ex corpore per supplicia resedisset. Sed illa vere beata, vt postmodum nobis disseruit ipsa, quotiens voce confessionem emisit, & *Christiana sum* proclamauit, totiens nouæ vires corpori reddebantur & tanquam ablatis per confessionem doloribus, instaurabatur recentior ad agones.

Blãdina mira in tormẽtis constãtia.

Sancti constantia.

Diaconus quoque Sanctvs nomine etiam ipse supra quam dici potest, & supra quam fas est naturam ferre: acrius insistentibus ministris dæmonum quo aliquid ab eo elicere possent confessionis illicitæ, noua pœnarum genera pertulit, & quæ longe substantiam humanæ conditionis excederet. At ille vir Deo plenus intantum crudelitates eorum irrisit, & fetinam in quæstione sæuitiam, vt nunquam dignatus sit, vel quis esset genere, vel domo, vel patria, vel nomen saltem eis fateri. Sed de his singulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis nisi Christianvm se esse respondit. *Hoc*, inquit, *mihi nomen, hoc genus*, patria & est: *aliud*, inquit, *omnino nihil sum, quam* Christianvs. Vnde & incredibilis eos agitabat insania, quod tantis pœnarum generibus consumptis, extorquere ei ne professionem quidem proprij vocabuli potuissent. Ad vltimum candentes laminas æris, & ferri erga inguinis loca, & delicatiora quæque membrorum instauratis ignibus adhibebant: ex quo carnes quidem eius adustæ igni defluebant: ipse verò permanebat immobilis, inconcussus, intrepidus, cœlestibus æternisque fontibus, qui procedunt de ventre *Iesu*, humanas in se temperans flãmas. Veruntamen membris omnibus martyr erat, & toto corpore vnum vulnus horrebat. Perijt in eo humanæ formæ agnitio, & non solum quis esset, sed etiã quid esset, tormentorum crudelitas, ne cognosci posset, abstulerat: Christvs tamen in eo solus per martyrij gloriam cognoscebatur. Sed artifices scelerum nequaquam martyris erubuere virtutem. Post paucos etenim dies,

Certamen mirabile Sancti.

Mira carnificum crudelitas.

considerantes, quod si tumentibus adhuc vulneribus, quæ indignarentur etiam ad mollissimum manus tactum, tormenta rursus inferrent, & denuo membra iam putrefacta vexarent, vnũ è duobus fore, aut in sua eum impietatis iura cessurum: aut si in tormentis animam posuisset, terrorem crudelitatis, & metum cæteris intentandum: sed hoc longe contra, quam impij cogitauerant, cessit. Nam, quod vix credi ab infidelibus potest, restitutum est in primam speciẽ corpus per secunda tormenta; & officia membrorũ, quæ abstulerat prima crudelitas, secunda reparauit, ita vt iterata supplicia, non ei iam pœnam cõtulerint, sed medelã. Sed & Blandina, quã paulo ante cõmemorauimus, simili exemplo ad secunda supplicia reuocatur. Quę cum semiuiua penè, & in mortis quodam confinio posita, iteratis fuisset pulsata cruciatibus, velut e somno quodam subito euigilans, in memoriam futuræ beatitudinis venit, & voce constanti tanquã de excelso, & edito concionaretur ad populum, & ait: *Multum erratis ô viri, quod putatis infantum visceribus vesci eos, quí nec multorum animalium carnibus vtuntur:* & sic in confessione perdurans, iterum numero martyrum consociata retruditur.

Miraculum.

Blandina ad tormenta reuocatur.

Accusabantur Christiani quod visceribus infantum vescerentur.

Passio sanctorum Photini, & sociorum eius.

Cap. XCIX.

Eusebius lib. 5. cap. 2.

Beatus autem Photinus Lugdunensium Episcopus, cum nona generatio maior esset ætate, & corpore, vt pote illius qui inualidus, cætera pene iam mortuus solo martyrij amore viuebat; ducitur ad tribunalia, potius defertur, senio, & languore resolutus. Cuius ad hoc anima solum seruabatur, vt Christus per eum magnificentius in fragili corpore triumpharet. Statuitur interea senioi pro tribunalibus, impiæ plebis vndique clamor attollitur, hunc ipsum esse insonant Christum. Cum verò à Præside interrogatus, quis nam esset Christianorum Deus? respondit: Si dignus fueris scies. Hinc verò cunctos velut rabies immensi cuiusdam furoris inuasit, ita vt qui propè astabant, alij pugnis, alij calcibus subigerent senem, nec ætati, nec grauitati aliquid reuerentiæ deferentes. Illi verò qui longius erant, quicquid furentibus teli venisset in manus eminus iaciebant; ita vt vnusquisque summi sibi esse delicti duceret, vbi aliquid in eo sceleris non intulisset. In hoc etenim vindicandos Deos suos esse credebant: quem cum semi-necem proiecissent in carcerem, incontaminatum paulo post spiritum reddidit.

Maturus. Sanctus, Blandina, Attalus.

Denique Maturus, & Sanctus, ac Blandina, & Attalus, in illis diebus, innumeris millibus gentium diuersarum ad spectaculum congregatis, statuuntur in medio arenæ; & rursum Maturus cum Sancto, quasi nihil prius gestum fuisset, ad omnia tormentorum, & verberum genera renouantur; certantibus omnimodis aduersarijs, quatenus eorum patientiam frangerent, & ab ipso, vt ita dicam vertice coronas eorum diriperent, insanis populi vocibus instigati. Sed illis eo magis animos roborabat spes vicinæ iam gloriæ, quam sibi iam iamque manu contingere, & contrectare dexteris videbantur. Cumque & suppliciorum genera, & spectaculorum pene iam tempus fuisset absumptum, nec moueri à sententia vllatenus valuissent; cum etiam sellæ ferreæ superpositi, consumptam verberibus carnem, ignis subministratus exureret, ad vltimum infatigabiles martyrum spiritus, ferro cæsis ceruibus effugarunt.

Maturus & Sanctus coronam gloriæ martyrio adepti sunt.

Blandina per multas victorias caput tortuosi serpentis attriuit.

Blandina vero religata ad stipitem, atque in modum crucis distenta, bestijs pabulum præparatur. Quæ tamẽ in ligno pendens vultu interrito, & satis læto, orationem fundebat ad Dominum. Sed cum nulla ex bestijs corpus eius auderet attingere, deposita de ligno, rursus reuocatur ad carcerem, alijs adhuc agonibus præparanda.

Anno Christi 169.

Attalus quoque populi vocibus postulatur. Erat enim valde nobilis, & quod cunctis nobilius est, vir optimæ cõscientiæ, & in fide Christi per omnia exercitia semper

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

martyr. Cumque circumactus fuiſſet in amphitheatro, titulo ſe præcedente, in quo ſcriptum erat, ATTALVS CHRISTIANVS, fremere in eum vulgi inſanientis furor vehementius cœpit. Rurſus itaque furor, rurſum pœnæ, rurſum tormenta præparantur. Et ſi qui forte Romani ciues reperti ſunt, hos plecti capite decreuit, cæteros vero beſtijs tradi.

Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib 5. cap. 3.

Paſſio ſanctorum Alexandri, & Attali.

CAP. C.

IGitur cum erga ſupradictos qui ante negauerant fidem, quæſtio haberetur, Alexander quidam genere Phryx, Medicus diſciplina, vir religioſus, & prudens, & vitæ, ac morum probitate cunctis charus, acceptuſque, amore Dei concitatus, cum aſſiſteret tribunali, nutibus hortabatur ad confeſſionẽ eos, in quos quæſtio agitabatur: ita vt omnibus, qui aſtabant palam, quid animo gereret, fieret. Cumque id populi notauiſſent, indignantes maxime pro his, qui quod prius negauerant, rediuiua nunc confeſſione reuocabant: clamabant aduerſum Alexandrum hoc ipſo inſtigante committi. Qui iuſſus à Præſide in medium ſtatui, & quis eſſet interrogatus, *Chriſtianum* ſe eſſe libera profeſſione teſtatur: quem continuò præparandum beſtijs condemnauit. Et poſtera die ſimul cum Attalo producitur, quem contra præceptum Cæſaris gratificari populis volens, etiam ipſum beſtijs tradi iuſſit Sed cum ferarum nulla ſanctorum corpora contigiſſet, omnibus eos verberum cæterarumque pœnarum ſupplicijs cruciatos, ad vltimum in conſpectu populi in medio arenæ iugulari iubet, beato Alexandro in omnibus quas perpeſſus eſt pœnis, ne vnum quidem proferente ſermonem, ſed ab initio vſque ad finem intra ſemetipſum ſemper cũ Deo loquente, & in laudibus, & precibus permanente. Attalus vero cũ prunis ſubteriectis in ſella ferrea torreretur, cumque nidor aduſtæ carnis ad nates, & ora inſpectantis populi perferretur, voce magna exclamat ad plebem: *Ecce hoc eſt homines comedere, quod vos facitis: quid à nobis velut occultum facinus quæritis, quod vos aperta luce committitis?* Nos enim neque comedimus homines, neque aliud quid mali egimus. Et cum interrogaretur quod nomen habet *Deus*? reſpondit: *Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur, qui vnus eſt, non indiget nomine.*

Lege hic Eucherium Lugdunenſem in ſermone de Sancta Blãdina qui falſo titulo Euſebij Emiſſeni inſcribi hactenus conſueuit, vt teſtatur Baronius.

Attali cum prunis torreretur, vox.

Paſſio ſanctorum Pontici, & Blandinæ.

CAP. CI.

POſt hos nouiſſimo Ianuarij die Blandina rurſum inducitur cum Pontifico annorum fere 15. puero, quique, & impiorum cruciatibus iuſſi ſunt ſemper aſtare, quo magis cęterorum videntes ſupplicia, terrerentur. Statuuntur ergo in medio, & iubentur iurare per Deos illi vero econtrario nullos eſſe aiebant iſtos, per quos iurare cogerentur. Cumque alijs quam plurimis verbis exprobrarent gentium Deos, inſanire magis in eos cœpit populi multitudo, neque teneram pueri ætatem, neque ſexum fœminæ miſerantes, ſed per omnia tormentorum genera quaſi quodam eos circulo peragentes, nihil deeſſe pœnis patiebantur, quod crudelitas inueniſſet. Tunc Ponticus maximum patientiæ robur materna exhortatione ſuſcipiens, & perſeuerans in confeſſione veræ fidei impollutum ſpiritum reddidit. Beata vero Blandina vltima omnium, velut omnium nobilis mater, præmiſſos ad martyrij coronam filios, inſequi iam ſecura feſtinat, exultans, & ouans, velut ad thalamum ſponſi inuitata, & ad nuptiale conuiuium. Ex quo fiebat, vt in verberibus tripudiaret, & craticulis exuſta gauderet, ac tam hilaris videretur, & læta, quaſi inter dapes regias accubaret. Poſt hoc ad beſtias traditur, ſed ab his intacta perdurat. Inde etiam aliud excogitatur crudelitatis genus, vt reti conſtricta, obijceretur Tauro ferociter inſtigato. A quo cum fuiſſet innumeris ictibus leceſſita, & toto arenæ ambitu iactata, nihili penitus læditur, ſed permanebat læto (vt ſemper) vultu, mente conſtanti, ſpe ipſa, & animi præſumtione cum Chriſto colloquens. Ad vltimum iugulari gladio iubetur, ſtupentibus etiam ipſis impijs, & dicentib: *quod nunquam fuerit fœmina, quę tanta, ac talia ferre potuiſſet.*

Sancta Blãdina, ſexu infirmior, corpore imbecillior, cõdit. one deiectior, diuturniora & acerbiora certamina ſubiens, & fortis adhuc permanens, gladio iugulata cæteros ſecuta eſt quos hortabatur ad palmã. Martyrolog. Rom. die 2. Iunij.

Eiandina gladio iugulatur.

De nimia ſæuitia Gentilium in Chriſtianos:

CAP. CII.

SEd nec ſiquidem ſatietatem aliquam capere crudelitas quiuit. Antiqui etenim ſerpentis virulentia concitati; feri ac barbari mores manſueſcere neſciebant. Ex ipſa quippe ſanctorum patientia, fœuioris contentionis rabies accendebatur, & velut pudore quodam fatigabatur. Igitur inaudito fœuitiæ genere, eorum qui necabantur in carcere corpora, canibus iubebãtur exponi, adhibita ſimul cuſtodia die noctuque, ne quis collectas reliquias, humanitatis intuitu traderet ſepulturæ. Sed ſi quid forte, vel beſtijs, vel igni reliquum ex martyrum corporibus fuerat, ipſa cum truncis ſuis capita punitorum inſepulta per cuſtodias militum ſeruabantur, & quærebatur, ſi quid vltra poſſit humana crudelitas, etiam in eos qui iam vitæ huius limen exceſſerant. Exultabant tamen gentiles magnificantes ſimulacra ſua: quorum virtute datam in illos vindictam dicebant. Itaque attente & ſollicite curabant ne daretur extremis oſſibus ſepultura.

Gentilium crudelitas & barbaries. Pudore fatigabatur impij: quod maior ineſſet cruciatui, quã cruciãtibus virtus. Iniquus adhuc iniquid agit, & iuſtus adhuc facit iuſtitiæ. Dan. 12.

Poſt aliquot autem dies cum nullam ſepeliendi gratiam præſtitiſſent, incenſa oſſa martyrum, & in fauillam redacta, cum reliquo terræ puluere in Rhodanum fluuium diſperſere, ne vſquam eorum reliquiæ reſiderent: quaſi vero hæc agentes, Deum vincerent, & (ſicut dicebant) ſpem eis per hoc reſurrectionis adimerent. Sperantes enim (aiebant) de ſepulchris quandoque ſe eſſe reſurrecturos, idcirco noua, neſcio qua perſuadente ſibi ſuperſtitione, læti ſe tormentis mortique ſubijciunt. Nunc videamus ſi reſurgent, & ſi poteſt eis adeſſe Deus eorum, & eripere eos de manibus noſtris. Tanta autem erat in eis humilitas, vt cum rebus ipſis eſſent martyres, nominis tamen iactantiam fugerent. Apud gentiles vero cum omni fiducia ſubſiſtebant, nobilitatem animæ per contemptum iniuriæ, & ſuppliciorum patientiam demonſtrantes. Erant ergo inter fratres humiles, inter perſecutores elati, ſuis mites, aduerſarijs terribiles, Chriſto ſubiecti, Diabolo erecti. *Humiliabant ſe ſub potentiſſima manu Dei, per quem nunc ſublimius exaltati ſunt.*

Abijciuntur cineres in Rhodanum. Huius rei meminit S. Auguſtinus libro de cura agend. pro mortuis.

Humilitas martyrum. Signaculum martyrii.

1. Pet. 5.

Paſſio ſanctæ Felicitatis cum ſeptem filijs ſuis.

CAP. CIII.

EX geſtis ſeptem fratrum. Temporibus Antonini Imperatoris Felicitas illuſtris fœmina, cum ſeptem filijs ſuis Chriſtianiſſimis tenta eſt, quæ in viduitate permanens, Deo ſuam vouerat caſtitatem: & die, noctuque orationis vacans, magnam de ſe ædificationem caſtis mentibus dabat. Hanc itaque Pontifices templorum, accuſauerunt apud Auguſtum dicentes. Contra ſalutem noſtri am hæc mulier vidua cum filijs ſuis Dijs noſtris inſultat; quæ ſi non venerata fuerit Deos, ſciat veſtra pietas eos ſic iraſci, vt penitus placari non poſſint. Tunc Imperator iniunxit Præfecto vrbis Publio, vt eam compelleret cum filijs, Deorum ſuorum iras ſacrificijs mitigare. Publius itaque iuſſit eam priuatim adduci, & blando colloquio ad ſacrificium eam prouocans, minabatur pœnarum interitum. Cui Felicitas dixit: *Nec blanimentis tuis reſolui potero, nec terroribus tuis frangi: habeo enim ſpiritum ſanctum, qui me non permittit à Diabolo vinci; Et ideo ſecura ſum,*

Quæ de Sãcta Felicitate & ſeptem prolibus legũtur in veterũ Codicibus, ea verbatim ſumpſerunt ex Manuſcriptis geſtis quæ Romani Notarij fideliter, & graviter collegerũt. Laudat eandẽ matrẽ octies martyre, Gregorius magnus homelia tertia Euangeliorũ & Petrus Rauen

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

na, cognomẽto Chryſologus ſermone 134. vbi ſic ait: Ecce mulier, ecce mater, quã vita filiorũ facit anxiã, mors ſecurã beata, cui in futura gloria, tot aſtant cãdelabra, quot germina. Beata qua tot præmiſit ad regnum; beatior qua ſuũ in ſæculo nihil amiſit. Diſcurrebat latior inter confoſſa cadauera quã inter cunabula chara filiorum: hac ille: & tãdẽ ſic concludit: quid pluera? No eſt, non eſt vera mater, quæ neſcit filios ſic amare.

ſum, quod te viua ſuperabo; & ſi interfecta fuero, melius te vincam occiſa. Publius dixit: Miſera, ſi tibi ſuaue eſt mori, vel filios tuos fac viuere. Felicitas reſpondit: *Viuent filij mei, ſi non ſacrificauerint Idolis; ſi vero tantum ſcelus admiſerint, in æternum ibunt incendium.*

Alia itaque die ſedens in foro Martis, iuſſit eam adduci cum filijs ſuis, cui & dixit: *Miſerere filijs tuis iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus.* Reſpondit Felicitas: *Miſericordia tua impietas eſt, & exhortatio tua crudelitas.* Et conuerſa ad filios ſuos dixit. *Videte filij cælum, & ſurſum aſpicite: Ibi vos expectat Chriſtus cum ſanctis ſuis: Pugnate pro animabus veſtris, & fideles vos exhibete in amore Chriſti.* Audiens hæc Publius, iuſſit eam alapis cædi, dicens: Audes, præſente me, iſta monita dare, vt Dominorũ noſtrorũ ſtatuta cõtẽnant. Tunc vocat primũ filium eius nomine *Ianuarium*, & infinita illi promittebat bona præſentia, & mala verberum comminatus eſt, ſi ſacrificare Idolis contempſiſſet. Ianuarius reſpondit: *Stulta ſuades; nam ſapientia Domini me conſeruat, & faciet me omnia hæc ſuperare.* Statim iuſſit eum iudex virgis cædi, & in carcerem recipi; ſecundum vero filium eius *Fœlicem* adduci; deinde quoque tertium, nomine *Philippum*: quarto, *Siluanum*: quinto *Alexandrum*: ſexto *Vitalem*: ſeptimo *Martialem*. Sicque ſingulis ſigillatim interrogatis, ac ſingulorum auditis fidelibus reſponſis, omnia eorum geſta ſcripta per ordinem Antonino ingeſſit; qui miſit eos per varios iudices, vt varijs ſupplicijs laniarentur: ex quibus Iudex vnus fratrem primum plumbatis occidit: alter ſecundum, & tertium fuſtibus mactauit: alius quartum præcipitio interemit: alter quintum, & ſextum, ac ſeptimum capitalem ſententiam ſubire fecit. Matrem quoque earum capite truncari iuſſit; & ſic eos varijs ſupplicijs interemit.

Paſſio ſancti Pontiani.

Cap. CIIII.

Geſta SCti Pontiani hoc modo recitãtur etiã à Petro in catalogo lib. 2. cap 102. cui ſubſcribit Surius tom. 1. die 14. Ianuarij quibus etiam cõſentit martyrologiũ Romanum. Vide Annotationes Baronij in Martyrolog. Rom. quartodecimo. Calen. Februarij vbi late explicat vncinos ferreos qui parati erant ad torquendũ; & etiam varia genera virgarũ quibus vſi ſunt Iudices.

EX geſtis eius. Paſſus eſt etiam Sanctus Pontianus in ciuitate Spoletina ſub iudice Fabiano, qui ab Antonino Imperatore illuc directus, ei ſibi præſentato ait: Quis vocaris? Qui reſpondit. Quod à parentibus meis mihi nomen impoſitum eſt, Pontianus vocor, maius autem nomen *Chriſtianus*. Cumque Fabianus ei ſuadere niteretur, vt Dijs ſacrificaret, & ille nullatenus acquieſceret, ſed eum potius dure increparet, iuſſit eum ſpoliari, & virgis cædi, donec ſanguis eius vt fluuius in terra manaret. Inde præparatis carbonibus, duo iudicia propoſuit ei dicens: Aut thura in carbonibus iſtis pone, aut nudis pedibus ſuper eos ambula: qui ſignum crucis ſibi in fronte faciens, ſuper carbones nudis pedibus ambulare cœpit, dicens: Ecce ego *in nomine Chriſti*. ambulo ſuper carbones, tu mitte, ſi potes, *in nomine Iouis tui*, manum tuam in aquam calidam, & liberet te. Tunc iratus iudex iuſſit equuleum præparari, & vncinos ferreos fieri, eumque ibi ſuſpendi. Quibus factis miniſtri deficientes, clamabant. Væ nobis, quia magis torquemur, quam iſte deteſtabilis: manus noſtræ defecerunt, & vncini fracti ſunt. Tunc iudex iuſſit eum in imo carceris claudi, & poſt hoc in Amphitheatro duci, duoſque diros Leones ad eum comminuendum dimitti. Sed dum ille orationem compleſſet; Leones cum rugitu venientes, vt viderunt eum, ita manſueti facti ſunt, vt inclinantes capita ſua, adorarent eum. Quod videns omnis populus, exclamauit: *Magnus eſt Deus Chriſtianorum: dimittatur ſanctus Dei*, Tunc Fabianus videns ſeditionem in populo fieri, iuſſit eum iterum in carcerem trudi, vbi Angelica viſitatione meruit cõfortari, poſteaque plumbo feruente perfuſus, tandem gladio percuſſus eſt 14. kal. Februarij.

Paſſio ſancti Flocelli Pueri.

Cap. CV.

Recitat eius acta Mõbrit. tom. 1. & Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 92. qui in tota hiſtoria huius SCti cõuenit cum Vincentio.

EX geſtis eius. Temporibus quoque Antonini paſſus eſt S. Puer Flocellus ſub Valeriano Præſide: nam cum Chriſtianos in fide confortaret, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Tentus à Præſide, iuſſus eſt in equuleo ſuſpendi, & vehementer flagellari, deinde in carcerem cum Leone deuorandus mitti, ſed illo orante, Leo cecidit, & mortuus eſt; apparueruntque ibi candelabra ſeptem lucidiſſima cum odore incenſi, & eſca Domini refectus eſt. Audiens hoc quidam de ciuitate, qui habebat filium cæcum, ſurdum, & mutum; intellexit eſſe apud eum gratiam Dei, & veniens ad oſtia carceris, rogauit eum cum lachrymis, vt pro puero oraret, qui ait: Crede in eum, in quem Chriſtiani credunt, & ſanabitur. Tunc ille ſe credere confeſſus eſt, & orante Flocello, puer ſanatus eſt. Apparitores autem à Præſide miſſi ad carcerem, vt viderent ſi à Leone Flocellus deuoratus fuiſſet, viderunt luminaria, & Leonem mortuum; & audierunt ſanctum pſallẽtem. Quod cum renunciaſſent Præſidi, ait: *O Flocelle quam preualent maleficia tua*; & præcepit rogum magnũ extra ciuitatem fieri, eumque cremandũ duci. Qui cum oraret, facta eſt vox de cœlo cõfortans eũ. Properantibus ergo eis ad ignem, ſemper ab Angelo ſibi à dextris aſſiſtente ſanctus Dei protegebatur: & cùm proiectus in medio ignis iaceret illico tempeſtas valida de cœlo veniens ignem extinxit, ipſumque Angelus illæſum ab igne liberauit. Poſt hæc *vocatus Maleficus* in palmis & lingua eius clauos confixit. Tandem Imperatori præſentatus Antonino, veſtibus ſpoliatus, & ſtola linea indutus, foras in plateam tractus eſt & feris expoſitus; à quibus diſcerptus, martyrio coronatur 15. Kal. Octobris.

Paſſio ſanctæ Præxedis virginis.

Cap. CVI.

Pater S. Præxedis fuit Pudens à S. Paulo inſtructus Nouatus erat ipſius virginis germanus vt cõſtat ex catalogo Petri, lib. 6. cap. 121. Sacros fontes in eccleſia erigere Apoſtolici eſt inſtituti. Præxedis geſta extant Mſ. quæ Paſtor presbyter conſcripſiſſe fertur qui eã ſepeliuit; ſed doctis diſplicent: tamen licet hoc vnum notare; videlicet, etiãſi ea quæ in hoc capite adferũtur à Vincetie, videantur eſſe Paſtoris, tamen in nullis ferme diſſentiunt à Martyrolog Rom Baronio, Adone & alijs, & propterea ratio non eſt, cur quiſpiam ea inter Apocrypha recenſeat. Comendatur virgo ex martyrij ſepulturis.

EX geſtis eius. Virgo autem venerabilis Praxedes poſtquam nimis afflicta erat propter tranſitum ſororis ſuæ Potentianæ; multi nobiles Chriſtiani veniebant, & conſolabantur eã, vna cum S. Pio epiſcopo. Veniebat quoque ad eam germanus noſter Nouatus, qui eſt frater noſter in Domino, & conſolabatur eã, & multos pauperes Chriſtianos donis ſuis reficiebat, & miniſtrabat omnibus de facultatibus ſuis in honorem virginis S. Praxedis, rogans, & petens ab ea, vt orationib. eius indulgentiam à Domino mereretur. Qui etiam nos frequenter cum beatiſſimo Pio epiſcopo ad altare Domini commemorabat. Poſt annum vero, & dies 28. ægritudine detentus ipſe Nouatus abſens erat à conſpectu virginis B. Praxedis: Pio autem epiſcopo rogitante de omnib. Chriſtianis, vna cũ virgine Praxede requiritur Nouatus vir Dei: & dum nunciatũ fuiſſet, quia ægritudine detineretur, contriſtati ſumus omnes; factaque conſtitutione, nocte vna cũ epiſcopo Pio, & virgine Dei Praxede, perreximus ad eum. Hoc cum audiſſet Nouatus, omnes ſcilicet ſimul congregatos ad ſe veniſſe, gratias cœpit agere Deo, quia meruit à ſanctis cum deuotione viſitari; omnique ſua ſubſtantia derelicta 13. die tranſiuit fidelis ad Dominum. Facta autem perſecutione, virgo Dei Praxedes feruens Spiritu ſancto, multos Chriſtianos occultauit in titulo, quem S. Pius in thermis Nouati conſtituerat, in quo loco, & Baptiſterium conſecrauerat. Illic ergo eos occultatos, & cibo paſcebat, & verbo ſpirituſſancti. Tunc diuulgatum eſt, Antonino Imperatori quod conuentus fieret in titulo Praxedis: qui mittens apparitores tenuit multos. Inter quos etiam tenuit Simetium preſbyterum, cum alijs 22. quos ſine interrogatione gladio puniri præcepit, in eodem titulo. Quorum corpora noctu B. Praxedes collegit, & ſepeliuit in cæmeterio Priſcillæ die 7. Kal. Ianuarij. Tunc afflictione conſtricta B. Praxedes ingemuit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& orauit ad Dominum vt transiret ex hoc mundo; cuius orationes & lachrymæ ad Dominum Iesum Christum peruenerunt. Peractis autem 31. diebus post necem supradictorum sanctorum, & coronam, migrauit ad Dominum virgo sancta 11. kal. Augusti. Cuius corpus ego Pastor presbyter sepeliui iuxta patrem suum in cæmeterio Priscillæ via Salaria, vbi hodie florent orationes sanctorum.

Passio sanctorum Victoris, & Coronę.

Cap. CVII.

Horum acta edidit Metaphrastes. Refert eadem Lippomanus tom. 7. & Surius tom. 3. Mombrit. tom. 2. & alij licet non nihil inter se diuerse.

Victor horrẽdis affectus est cruciatibus à Iudice e Sebastiano.

Passi sunt Victor & Corona in Syria pridie Idus Maij. vt testatur Petrus in cathalogo lib. 4. cap. 168.

Ex gestis eorum. Sanctus etiam Victor miles à Cilicia temporibus Antonini, cum in conspectu Sebastiani ducis, Christi militem se esse diceret, & Idolis sacrificare renuisset, iussit dux eius digitos confringi, & neruos eius euelli, quousque de cute eius exirent. Illoque gratias agente, & in fide permanente, commotus Iudex iussit eum in caminum ardentem mitti. Sed illo orante, ignis eum non tetigit, neque fumus: & post triduum inuentus est viuus. Tunc dux fecit venenum confici mortiferum, & dari ei à malefico, vt ederet ex eo. At ille manducauit, & nihil mali sensit. Tunc maleficus alia peiora venena obtulit; & cum ille manducasset, & nihil mali sensisset; maleficus omnes libros suos combussit, rebusque suis renuncians in Christum credidit.

Iterum Victor commonitus, cum sacrificare nollet, Iudex iussit neruos à corpore eius euelli, deinde in pudendis eius oleum bulliens mitti: iterum quoque illi suspenso lapides candentes applicari, & ad latera eius poni: at ille nihil doloris sensit, sed à Deo confortatus est. Iratus ergo iudex iussit acetum, & calcem simul misceri, & in eius gutture dari. Post hoc oculos eius euelli: at illo dicente: *Noli mihi parcere, paratus sum omnia tormenta tua tolerare,* iussit eum capite deorsum per triduum suspendi, quousque sanguis de naribus eius stillaret in terram. Milites ergo venerunt post triduum, vt viderent si adhuc viueret, & videntes eum, cæci facti sunt, sed statim orãte sancto martyre illuminati sunt. Qui cum ad ducem rediissent, & ei omnia intimassent, iussit eum excoriari.

Tunc vxor cuiusdam militis nomine *Corona* ætatis annorum circiter 16. exclamauit: *Beatus es Victor, & beata opera tua, susceptum est sacrificium tuum, sicut sacrificium Abel, quod obtulisti Domino in sinceritate mentis tuæ.* Cum hæc, & alia plura loqueretur addidit: *Ecce video duas coronas de cœlo venientes, manibus Angelorum deferri: ex, quibus dabitur tibi maior, mihi autem breuior. Sed & si vas infirmum sum, spero tamen in Regem Christum quod habeam hæreditatem cum fortibus.* Hæc cum audisset Dux iussit eam vocari ad se & sacrificare: at illa respondit: Ego *Corona* dicor, & quæris coronam meam perdere. Cumque nollet acquiescere, iussit dux militibus, duas arbores ad inuicem inclinare, illicque beatam *Coronam* vtriusque partibus ligari, ac subito dimitti. Qui vt subito dimiserunt arbores, diuisa est beata *Corona* in duas partes, sicque martyrium suum confidenter impleuit. Victori autem Dux caput præscidi iussit; Quod cum fieret sanguis, & lac de collo eius exiuit. Multi ergo miracula viderunt, multique crediderunt.

Corona inter duas arbores scissa coronã sibi calitus ostensam obtinuit.

Passio sancti Concordy.

Cap. CVIII.

His consentit Surius tom. primo, sed aliqua insunt eis corrigenda, inquit Baronius, ij demque nõnulla addendo.

Ex gestis eius. Sub Antonino quoque passus est sanctus Concordius. Hic Romæ nobili familia ortus fuit, patre Gordiano, qui eum in scripturis sacris eruditi, & à sancto Pio Papa Subdiaconum ordinari fecit. Hi itaque scilicet pater, & filius ieiunijs, & orationibus atque eleemosynis iugiter vacabant, & à Domino petebant, vt rabiem Imperatoris euadere possent. Porro filius, à patre accepta licentia, ad sanctum Eutychem, qui tunc morabatur in prędiolo suo via Salaria perrexit: à quo cũ magno gaudio, & gratiarũ actione susceptus, cũ eo simul habitauit. Illic ergo cum ieiunijs & orationibus insisterẽt, multi varijs vexati languoribus ad eos veniebant: quos illi orantes *in nomine Domini Iesu Christi* sanabant. Tunc audiens eorum famam Torquatus Comes Tusciæ, qui tunc habitabat in Spoletana ciuitate, mittens accersiuit S. Concordium, & ait ad eum: Quis vocaris? Ille respondit: *Christianus sum.* Dixit ei comes: De nomine tuo requiro, non de Christo tuo: Sacrifica Dijs immortalibus, & esto noster amicus; ego quoque Domino meo Imperatori suggeram, vt faciat te sacerdotem Deorum. At ille: Tu, inquit magis Domino Iesu Christo sacrifica, vt possis euadere tormenta; nam si non feceris, tu & Dij tui in æternum ardebitis.

Tunc Comes iussit eum mactari fustibus & in custodia publica claudi. Nocte autem venit ad eum B. Eutyches cum B. Antimo episcopo, qui erat amicus comitis, & rogauerunt comitem, vt eum sibi iuberet concedere paucis diebus: qui concessit eum beato Antimo, multisque diebus habitauit cum eo; quem etiam consecrauit presbyterum tempore opportuno; & cæperunt ambo orationibus vacare. Postea misit Comes, & tulit eum, dixitque ei: quid tractasti circa salutem tuam? Qui respondit: *Salus mea Christus est, cui quotidie offero sacrificium laudis;* tu vero, & Dei tui in inferno ardebitis. Tunc iussit eum in equuleo suspendi: ille vero alacri vultu glorificabat Deum. Dixit ei Comes: *Sacrifica Ioui magno.* Cui ille: *Non sacrificabo,* inquit, *lapidi surdo, & muto, quia Iesum Christum Dominum habeo, cui seruit anima mea.* Iratus Comes, iussit eum in ima carceris includi, & in collo, ac manibus eius, ferrum mitti, nullumque ad eum ingredi, vt fame deficeret. At illo gratias agente Deo, Angelus Domini media nocte apparuit, dicens ei: *Noli timere, quia ego tecum sum, & viriliter age.* Post tres dies misit ad eum Comes duos satellites suos, vt aut sacrificaret, aut capitalem sententiam subiret. Quibus auditis beatus Concordius Deo gratias agens, ipsumque glorificans expuit in faciem Iouis. Tunc vnus ex eis euaginans gladium, caput eius amputauit, & in confessione Domini spiritum emisit. Duo vero clerici, & quidam religiosi viri venientes, tulerunt cerpus eius, & posuerunt non longe à ciuitate Spoletana, vbi aquæ multæ emanant. In quo loco, precibus beati Concordij martyris, (præstante eo pro cuius nomine passus est) cæci illuminantur, infirmi sanantur, dæmones expelluntur.

Huius natalis dies celebratur kal. Ianuarij.

Plura de Cõcordio habẽtur in vita Sãcti Constãtij Episcopi Perusini. Habet & Mombrit descriptum martyrium S. Concordij. Hæc eadem gesta sancti martyris recitãtur à Petro de Natalibus lib. 2. cap. 30.

Passio sancti Marcelli.

Cap. CIX.

Notet hic obiter lector, hanc persecutionẽ excitãt ab Antonino Philopho fuisse non vero ab Antonino Pio; qui per leges, christianis nihil negotij fecerit: Antoninus autem Philosophus adoptatus ab Antonino Pio, in Imperiũ illi successit & excitauit hanc persecutionẽ Augustino quartam, Seuero quintam.

Ex gestis eius. Cum vero Lugduni sanctus Plotinus episcopus cum alijs 48. comprehensus esset, & 50. animę Deum confitentes in vnum carcerem retrusæ essent: Ex his Marcellus, & Valerianus nocte ab Angelo euocati pariter, ac soluti: alter eorum Sequanorum, & alter Eduorum prouincias petierunt. Itaque testis Dei Marcellus ad prophanum conuiuium inuitatus, & huius epulas errore prophano pollutas execratus, conuiuas obiurgandos potius credidit quam vitandos. Et cum se Christianum, interrogatus, fiducialiter prodidisset, nouis afficiendum cruciatibus protinus sæui Præsidis decreuit imperium. Sic ergo cum vinculis elatus, in arborem per dissidentes ramos in omni corpore laqueis impositis tenderetur, & membrorum compage districta, extenti artus, astricti nexibus disiungerentur vetustum Adæ terreni Patris crimen consumpsit in arbore: cœlestis Christi regeneratoris noui gloriam Domini imitatus declarauit in ligno, vt dum pomiferum contemneret edulium, inuictum crucis procederet ad triumphum. Dumque in proposito sanctus Marcellus vicino mortis frigore, calore fidei immobilis perduraret; persecutoris nequissimo

Huius meminit Vsuardus, Ado, Petrus in catalogo lib. 8. cap. 37. & Surius 4. Septemb. qui omnes conueniũt cum Vincentio; licet non ita fuse scribunt ac Vincẽtius: de eodẽ item agit Greg. Turonensis de gloria Martyrum cap. 53.

tractatu

tractatu competentius viſum eſt, vt in conſpectu populi allatis ſuppliciis puniretur. Tunc ait crudeliſſimus Prę-ſes: Nomen tuum Marcelle, & errorem tuum comperimus: Sacratiſſimi Imperatores noſtri, diu talia præcepta conſtituerunt, vt qui venerandorum numinum principatum, *Saturnum patrem, ac Iouem omnipotentem, eorumque filios, ac propinquos adorare detrectant, capite puniantur: quod ſi non feceris, trucibus ſupplicijs punieris.* Sanctus Marcellus reſpondit: Simulacra iſta, quę nominas, adeo fuerunt mortalia, vt ſuiš polluta criminibus dudũ mortua, & in infernum ſepulta perierunt; quibus ſiquis crediderit, *omnipotentis, qui ante ſæcula fuit, & ſemper eſt, & ſemper futurus eſt, æternum, ac tremendum pœnarum iudicium ſuſtinebit; Chriſtianus ſum, Chriſtum Dei filium ſancto patri coæqualem, cœli, & terræ, mariſque factorem, & quæ ſunt rerum omnium conditorem, me credere libera, & irreuocabili denunciatione profiteor.*

Inuicta Sancti Marcelli conſtantia.

Priſcus vero Præſes animi indignatione ſuccenſus ſanctum Marcellum martyrem, impijs trucidandum carnificibus aſſignauit. Quem cum in ſupplicijs diuini fauoris gratia aduerteret fortiorem; inaudito crudelitatis exemplo, pluſquam furore perſecutoris inſaniens, defodere erectum cingulo tenus iuſſit. Atque ita medius iam ſepultus, ſed totus viuus, ad cœli regna feſtinans, terræ ſupplicia non refugit; ſed triduo in laudibus Chriſti omnipotentis Domini, ac Dei ſui amore perdurans, terris interim terrena membra commendans, ſpiritum miſit ad cœlos.

Nota inſolẽs immanis ſupplicij genus.

Acta ſunt hæc in vrbe Cabilonenſi, ſub Antonini perſecutione.

Paſsio ſancti Valeriani & quorundam aliorum.

Cap. CX.

AVdiuit autem Priſcus Præſes, ſanctum ibidem Valerianum orationis ſecretiſſimam cellulam habere, multoſque Chriſticolas effeciſſe. Tunc iuſſit eum perquiri, & ſuis conſpectibus præſentari: ad cuius tugurium cum milites directi peruenisſent, ille æſtimans eos chriſtianos, gratia charitatis, & more hoſpitalitatis inuitabat, quem illi primitus intuentes, ſignum crucis, & intra cellulam ſuam habere, & ſuo adhibuiſſe vultui, conſpexerunt. Itaque poſt tergum vinctis manibus, veluti ſcelerati criminis reus, Priſco Præſidi præſentatur. Qui beluino corde inflammatus ait: Aut Dijs ſacrificabis immortalibus; aut longe collega tuo Marcello grauius punieris. Cumque ille renueret; Præſes eum ſtipiti appenſum, iuſſit vnguibus ferreis laniari. Qui cum auxilio Dei nullis fatigatus ſupplicijs in Dei laude perduraret, iuſſit eum gladio interfici. Tunc ille Prothomartyris Stephani gratiam habens, & gloriam reminiſcens, in cœlum intuens, vidit illum ſibi offerre coronam, cui moriendo non metuit martyrij præbere victoriam. Huius paſſio recolitur 17. kal. Octobris.

Acta huius ſancti ſic recitat Petrus in cathalogo lib. 8. cap. 83. de eius etiam martyrio atque miraculis agit Gregorius Turonenſis de glo. Mar. cap. 54.

Ex martyrologio Romano. Item 6. idus Martij apud Apamam in Phrygia ſanctorum Alexandri, & Caij, qui ſub Antonino Vero martyrio coronati ſunt.

Vide Martyrol. Rom. & Adonem in Martyrolog.

Item 10. kal. Maij, Lugduni ſancti Epipodij, qui perſecutione Antonini Veri, poſt illata ſibi tormenta grauia, martyrium capitis abſciſſione compleuit.

Item 8. kal. Maij, Lugduni ſancti Alexandri, qui ſub Antonino Vero poſt carceris cuſtodiam, primo ita verberatus eſt crudelitate verberantium, vt crate ſoluta coſtarum, patefactis viſceribus, interiora corporis pandererentur. Deinde cruci affixus, ſpiritum emiſit.

Extat de S. Epipodio & Alexandro ſermo S. Euchery Lugdunẽſis falſo aſcriptus Euſebio Emiſſeno vt ait Baron.

Paſſi ſunt etiam cum eo, & alij 34.

De lue poſt perſecutionem, & de miraculo pluuiæ in exercitu.

Cap. CXI.

STatim vero perſecutionem ſecuta eſt lues magna, quæ multas late prouincias deuaſtauit; maximeque Italiam adeo contriuit, vt paſſim villæ, & agri ſine cultore & habitatore remanerent. Ab armis denique nulla vſquam quies erat, ſed per omnem orientem, Illyricum, Italiam, & Galliam, bella ſæuiebant. Terræmotus quoque non ſine interitu ciuitatum, & inundationes fluminum crebreſcebant. Lues etiam crebræ, & Locuſtarum agmen, prorſus agros infeſtabant.

Lege Capitolinũ in Marco. Euſebium in chronicis. anno 170. & ſequentibus.

Euſebius in chronicis; & lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. 5. Antonini temporibus quibus hæc geſta referuntur, Marcum Aurelium fratrem eius Cęſarem bella inferentem Germanis, ac Sarmatis, tradunt hiſtoriæ, cum ſiti eius periclitaretur exercitus, æſtuantem, & quærentem, quid facto opus eſſet, repperiſſe in legione quadam milites Chriſtianos; quibus (vt noſtris mos eſt) flexis genibus obſecrantibus, exaudiſſe Deum ſupplicationes eorum; & ſubito contra omnium ſpem largiſſimis imbribus profuſis, exercitus quidem periclitantis, pro quo orauerant Chriſtiani, ſitim ſedatam: hoſtes vero, qui iam exitialiter imminebant, fulminibus crebris & cœlitus prolapſis ignibus effugatos. Quod factum, refertur quidem & ab hiſtorijs gentilium; ſed quod noſtrorum id orationibus impetratum ſit, non refertur; quippe apud eos etiam cætera miracula, quæ à noſtris geſta ſunt, non habent fidem. Noſtrorum vero, & Tertullianus hæc commemorat: apud Græcos Apollinaris, quam etiam ipſam legionem pro inſignis facti miraculo, mutato nomine, vocitatam dixit ab Imperatore FVLMINEAM.

Lege Gregor. Nyſſe. orat. 2. in 40. martyres: Ado. Vien. in Chronicis Genebr. in Sotere. Bar. anno 176.

Lege Tertul. in Apologet. cap. 5. & in libro ad Scapulam cap. 4

De Hegeſippo, & cæteris illius temporis doctoribus.

Cap. CXII.

EO tempore Hegeſippus inſignis habebatur; & Dionyſius Corinthiorum epiſcopus, ſed & Pinytus nobiliſſimus apud Cretam epiſcopus fuit: Philippus etiã, & Apollinaris, & Melito, Muſanuſque, & Modeſtus, & præcipuus Irenæus. Quorum omnium ad nos vſque Apoſtolicæ fidei, & ſanæ doctrinæ preclariſſima monimenta perlata ſunt.

De his luminaribus eccleſia lege Euſebium in hiſto. eccleſiaſtica.

Hieronymus de illuſtribus viris. Hegeſippus vicinus Apoſtolorum, omnes à paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad vtilitatem credentium pertinentia hinc inde congregans; quinque libros compoſuit ſetmone ſimplici, vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterẽ. Aſſerit ſe veniſſe ſub Aniceto Romam qui decimus poſt Petrum epiſcopus fuit, & perſeueraſſe vſque ad Eleutherium eiuſdẽ vrbis epiſcopum, qui Aniceti quondam Diaconus fuit.

Hegeſippus non is qui de excidio Hieroſolymitano ſcripſit; leg. Euſeb. in hiſt. eccleſiaſt. lib. 2 cap. 22. & lib. 4. cap. 8. Onuph. an. 120. & Niceph. lib. 4. cap. 7.

Præterea aduerſum Idola diſputans, quo primo errore creuiſſent, ſubtexit hiſtoriam.

Dionyſius Corinthiorum epiſcopus tantæ eloquentiæ, & induſtriæ fuit, vt non ſolum ſuæ ciuitatis, & prouinciæ populos, ſed & aliarum prouinciarum, & vrbium epiſtolis erudiret. Ex quibus eſt vna ad Lacedæmonios: Alia ad Athenienſes: Tertia ad Nicomedenſes: Quarta ad Cretenſes: Quinta ad Eccleſiam Amaſtrianam, & ad Eccleſias ponti reliquas: Sexta ad Gnoſianos, & ad Pinytum eiuſdem vrbis epiſcopum, qui & ipſe ſcripſit ei elegantem epiſtolam, in qua docet, non ſemper lacte populos nutriendos, ne quaſi paruuli ab vltimo occupentur die, ſed ſolido debere veſci cibo, vt in ſpiritualẽ proficiant ſenectutem: Septima vero ad Romanos, quam ſcripſit ad Soterem epiſcopum eorũ: Octaua ad Chryſophoram ſanctam fœminam. Claruit ſub Imperatore Marco Antonino Vero; & Lucio Aurelio Commodo.

S. Dionyſius Corinthiorũ epiſcopus ſãctitate & doctrina cõſpicuus, Romanorũ Põtificũ obſeruantiſſimus; quorum epiſtolas legere conſueuerat Dominici diebus publice.

Euſebius vbi ſupra lib. 4. cap. 23. Hic Dionyſius in epiſto-

la ad

la ad Athenienſes deſignat, quod Dionyſius Areopagites, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, ſecundum ea, quæ in Apoſtolorum actibus deſignantur, primus Athenis ab eodem Apoſtolo Paulo epiſcopus fuerit ordinatus. *Hieronymus vbi ſupra.* Theophilus quoque ſextus Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus ſub Imperatore Marco Antonino Vero librũ contra Marcionem compoſuit, qui vſque hodie extat. Feruntur eius & ad Autolicum tria volumina, & contra hęreſim Hermogenis liber vnus; & alij breues eleganteſque tractatus ad ædificationem Eccleſię pertinentes. Legi ſub nomine eius in euangelium, & prouerbia Salomonis commentarios, qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia, & phraſi, non videntur congruere.

Eius libros recenſet Euſebius lib. 4. hiſt. cap. 23. vid. Bar. an. 170.

Apollinaris Aſiæ Hierapolitanus epiſcopus, ſub Imperatore Marco Antonino Vero floruit, cui, & inſigne volumen de fide Chriſtianorum dedit. Extant eius alij quinque aduerſus gentiles libri, & de veritate duo, & aduerſus Cataphrygas, tunc primum exortos cum Priſcilla & Maximilla inſanis vatibus, incipiente Montano.

Lege Nicephorũ lib. 4. hiſt. cap. 23. & Bar. ann. 172. 174.

Philippus epiſcopus Cretenſis vrbis, alibi Corinthiæ Gortinę, cuius Dionyſius in epiſtola ſua meminit, quam ſcripſit ad eiuſdem ciuitatis Eccleſiam; præclarum aduerſus Marcionem edidit librum, tempotibuſque Marci Antonini Veri, & Aurelij Commodi claruit.

De morte Aurelij, & Antonini.

Cap. CXIII.

HVgo *vbi ſupra.* Igitur Aurelius Commodus dum cum fratre in vehiculo veheretur * 11. Imperij ſui anno caſu morbi, quem Græci apoplexim vocant ſuffocatus eſt. Quo defuncto Marcus Antoninus ſolus Reipublicæ præfuit. Denique ſeueriores leges nouis conditionibus temperauit: per omnes enim prouincias tributa donauit, omniaque fiſcalium negociorum calumnioſa monimenta ſimul congeſta, in foro iuſſit incendi. Hic in Panonia conſtitutus, repentino morbo obijt. Ob cuius honorem templa, columnæ, & alia multa condita eſſe reperiuntur. Cui ſucceſſit Lucius Aurelius Commodus filius eius.

**ſiue vt Bar. ait, 9. anno. Quia horũ Imperatorum diuerſa nomenclatura nonnullis auctoribus cauſam erroris præbuit, ideo æquum duxi, obſeruare hic ex Dione, Capitolino, & alijs, quod cũ vterque, ſiue à maioribus, ſiue ex adoptione aut mutua conjunctione, Aelius atque Aurelius itẽque Verus, & Antoninus ſint dicti, proprio tantũ nomine diſcriminãtur ab inuicẽ, vt alter Marcus, alter Lucius nominetur, vide Baron. an. 163. Sed nec quod Lucio ſuperadditum eſt nomẽ Commodi quis putet intelligi filiũ Marci, dictũ Lucium Aurelium Cõmodum: nã iſte non niſi lẽge poſt capit cũ patre regnare: præterea Luciũ Marci*

Temporibus Antonini floruit Theodotion tertius diuinæ legis interpres, & Atticus Philoſophus Platonicus.

Euſebius in chronicis. Horum Imperatorum temporibus Fronto orator inſignis habetur, qui Marcum Antoninum Verum Latinis literis erudiuit.

Seleucia Syriæ vrbs cum trecentis millibus hominũ à Romanis capta eſt.

Apud Piſas Peregrinus Philoſophus rogo, quem ex lignis compoſuerat incenſo, ſemetipſum ſuperiecit.

Eo tempore Smyrna vrbs Aſiæ terræmotu ruit. Ad cuius inſtaurationem decennalis tributorum immunitas data eſt. Tanta etiam per totum orbem peſtilentia fuit, quod pene vſque ad internecionem Romanus exercitus deletus eſt.

De Imperio Aurelij Commodi.

Cap. CXIIII.

HVgo *vbi ſupra.* Aurelius igitur Commodus patre defuncto imperauit annis 13.

Euſeb. in chro. Cæpit autem anno Domini 182. mundi verò 5035.

Hugo. Hic luxuriæ & obſcenitati deditus interfecit plurimos Senatorum, illos tamen maxime, quos aduertit induſtria, vel nobilitate præcellere. *Euſebius 5. lib. cap. 21. Ea* tempeſtate pax Eccleſijs, per omnẽ terram propagabatur, & ſermo Dñi ex omni genere hominũ ad agnitionem, & pietatem Dei ſummi, animos congregabat. Denique & in vrbe Romana multos, ex illis illuſtribus, & prediuitibus viris cum liberis, & coniugibus, ac propinquis, atque omni pariter familia ſociauit ad fidem. Sed hoc non æquis oculis ille antiquus humanæ ſalutis hoſtis aſpexit. Continuo denique aggreditur varijs noſtros machinis impugnare. Primo in vrbe Roma Apollonium quendam, virum in fide noſtra, & in omnibus philoſophiæ eruditionibus illuſtrem, ad iudicium pertrahit; accuſatore ei ſuſcitato quodam infœliciſſimo, & deſperatæ ſalutis homine. Quique, quoniã lex, quę oblatos puniri iuſſerat Chriſtianos, in delatorẽ prius animaduertendum cenſebat, à Perennio iudice, vt eius cura comminuerentur, ſententiam primus excepit. Tunc deinde exhortatur B. Apollonius martyr, vt defenſionem pro fide ſua, quam audiente Senatu atque omni populo luculenter, & ſplendide habuerat, ederet ſcriptam; & poſt hæc, ſecundum Senatuſconſultum, capite plexus eſt. Ita enim à prioribus lex iniquiſſimè promulgata cenſebat.

De ſancta Eugenia, & Protho, & Hyacintho.

Cap. CXV.

PHilippus autẽ illuſtriſſimus vir Romanus ab Imperatore Commodo ad Ægyptum directus, vt Alexandriæ præfecturam ageret, filiam ſuam Eugeniam literis liberalibus perfectiſſime edocuit; pulchra erat corpore, ſed pulchrior caſtitate. Cumque à multis in coniugium peteretur, omnino obſiſtebat. Iam enim licet ſub paganiſſimis parentibus vitam ageret, animo Chriſtiana eſſe cæperat. Et quia Chriſtiani iuſſi fuerant ab Alexandria diſcedere, rogauit parentes, vt in vehiculo permitteretur prædia ſua in ſuburbano poſita, circuire. Quod cum ſtatim impetraſſet, & ab vrbe ad villam properaret, inſtructionem Apoſtoli Teclæ virgini factam, in Baſterna legens, audiuit Chriſtianos pſallentes & dicentes: *Omnes Dij gentium dæmonia &c.* Tunc ſuſpirans, & flens ad Eunuchos ſuos Prothum, & Hyacinthum dixit: *Philoſophorum ſyllogiſmos vano labore perſcrutati ſumus; Ariſtotelis argumenta, & Platonis ideas, & quicquid Orator inuenit, vel Philoſophus cogitauit, cuncta in hac ſententia excluduntur, qua tripudiantes Chriſtianos audimus dicentes: Omnes Dij gentium dæmonia &c.* Tunc vehiculum ſtare præcepit, & diutiſſime vim carminum conſiderans, ait: *Si nolumus perire credendum eſt.* Dumque de Deo vero, mutuo ſermone tractarent, fit concordia fidei, & ordo quæritur, quo poſſit ſancta fuga ſtatui, & fides recta teneri. Tunc illa dixit. Audio Helenum dici Epiſcopum, cuius eſt habitatio illa, in qua die noctuque Dei laudibus inſiſtitur, ſed ad congregationis huius diuerſorium nullam fœminam accedere patitur. Hoc ergo conſiderans, tonderi me debere exiſtimo, vt vacua pertranſeunte *Baſterna*, nos tres virili habitu ſimul ad Dei homines properemus. Factũ eſt autem, vt eadem hora, qua ad monaſterium venerunt, ſanctus Helenus peruenirent Epiſcopus, & cum eo pſallentium multitudo. Cumque ſe iunxiſſent pſallentibus, quæſierunt quis eſſet ſenior, qui ſolus Aſelli vehiculo veteretur, & in medio populi ſequentis, & præcedentis: & audierunt quod hic eſſet beatus Helenus epiſcopus, ab infantia Chriſtianus: qui dum infantulus in monaſterio creſceret, tantæ ſanctitatis virtutibus cingebatur, vt ſi quando miſſus eſſet ignem è vicino petere, prunas ardentes veſtimento deferebat illæſo: Denique, inquit, & poſt hos paucos dies, venit huc quidam Magus, qui verborum argumentis populum Dei conabatur euertere, dicens falſum eſſe epiſcopum, ſe autem à Chriſto miſſum ad docẽdum: Tunc omnis turba Chriſtianorum acceſſit ad epiſcopum, dicens: Cõſtitue diem in quo eum tibi ſocium recipias, aut ſi potes, non proſequentem conuincas Conſtituta igitur die in medio Heliopolis venit Zareas Magus cũ artibus ſuis, & Helenus epiſcopus cum orationibus ſuis, cœpitque cum eo verborum ingens habere luctamen: & quia verſutus erat, nec eum concludere ſermonum ratione poterat reſpiciens populum fortiter lædi, quod Zareas quaſi ſuperior aſcendebat in verbis, poſtulato ſilentio, ait ad populum, *Pauli Apoſtoli in hac parte monita tenenda ſunt.* Noli, inquit,

fratrẽ Commodum quoque dictum fuiſſe, quod filius L. Ceionij Cõmodi eſſet, docet Capitolinus in Vero.

Hic Philippus eos qui artẽ magicã tractabant, è medio tollebat. Iudais erat infeſtus cũ chriſtianis aute mitius agebat: ipſos tamen expellẽs è ciuitate ante muros viuere permittebat.

Conſẽnit Eugenia, & confutat Philoſophorũ dogmata. Pſa. 95. In monaſterio Heleni, monachi perpetuis vacabant precibus & Canticis.

Ecce quomodo ſpiritu Sancto ducta ſit Eugenia.

Sanctus Helenus in miraculis magnus.

Zareas Magi in S. Helenũ calumnia.

ſãcti Heleni cum Zarea diſputatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inquit, *verbis contendere &c.* Sed accendatur ignis in medio ciuitatis, & ingrediamur flammas simul: & qui non fuerit vstus, credamus quod hunc miserit Christus. Quod cum omnibus placuisset, ait Zareas: Tu ingredere prius, qui hoc proposuisti. Tunc ille orationem fundens, seque consignans, ingentes flammas intrauit intrepidus, stetitque in medio ignis dimidia fere hora, neque capillis neque vestimentis ex aliqua parte adustis. Cumque vt Zareas intraret, similiter imperaret; ille reluctare cœpit, & fugere. At vbi inuitum illum populus ignibus tradidit, statim eum flamma circumdans, exurere cœpit, & immittens se beatus Helenus, licet semiustum, viuum tamen eum eripuit, quem populus à finibus huius regionis cum decore expulit. Hunc ergo sicut videris, quotidie turba quocunque perrexit, Cum Dei laudibus comitatur.

S. Helenus in igne manet illæsus.

Quod mutato habitu in monasterio facta est Abbas.

Cap. CXVI.

AVdiens hæc beata Eugenia ingemuit, & procidens ad pedes eius, qui hoc sibi referebat, ait: Obsecro vt me illi cum his duobus fratribus meis insinues: ex idolis enim conuerti volumus ad Christum. At ille: Silete, inquit, donec Monasterium ingressus, paululum requiescat; & cum oportunum fuerit, nunciabo ei. Requiescens igitur episcopus, somnium vidit, quod ad simulachrum Fœminæ ducebatur, vt ei sacrificaret. Cui cum loqui permitteretur, ait: Cognosce te creaturam Dei esse, & discede, nec te adorari permitte. Tunc illa discedens, secuta est eum, dicens: Non te deseram donec creatori meo me restituas. Cum hæc in animo episcopi voluerentur, accessit ille, qui cum Eugenia locutus fuerat, dicens; tres parunlos fratres adesse, cui culturas Idolorum relinquentes, Christo seruire in monasterio cum fratribus desiderant. Tunc ille gratias agens Christo, qui huius rei notitia eum præuenire fecerat, tulit eos seorsum, & gratissimo vultu quinam dicerentur, vel cuius nationis essent, credidit requirendum. Ad hoc Eugenia: Ciues, inquit, Romani sumus. Hi duo fratres mei, Prothus, & Hyacinthus; ego nuncupor Eugenius. Cui dixit sanctus: *Recte te Eugenium vocas:* viriliter enim agis. Tamen in spiritusancto nos Eugenia corpore, te ante præuidimus, & qualiter huc veneris, & quid isti tibi sint, innotuit mihi Dominus. *Scito autem te pro castitate multa passuram, sed non te deseret ille, cui te tradidisti ex integro.* Ad Prothum & Hyacinthum ait: In corpore seruitutis positi, ingenuam dignitatem vnanimiter tenuistis, victoriam Christi, & mercedem contubernij percepturi. Iussitque Eugeniam sic in virili habitu permanere: nec eos deseruit, donec baptismi sanctificatione instructos, Monasterio, ad quod præparauerat, sociaret.

Visio S. Heleni.

Sancta Eugenia cum duobus Eunuchis rogat. baptizari.

Sancta Eugenia sumpto virili habitu, & mutato nomine non potest S. Helenum latere.

* *Apud suriũ vehiculũ.*

Interim * *Basterna* cum iumentis, præcedentibus pueris, peruenit ad domum; quam videntes vacuam, omnes simul mugitum dederunt; lugebantque vniuersi confuse, parentes filiam, fratres sororem, serui dominam. Fit inquisitio per prouinciam, interrogantur Aruspices, & Phitones: Dæmonia sacrificijs consuluntur, vbi deuenisset Eugenia. Hoc solum omnes dicebant, quod *Dij de cœlo eam rapuissent.* Tunc pater dat festa responsis, in numero Deorum, eam consecrans, & ex auro puro simulachrum fusile faciens. At illa in prædicto virorum Monasterio virili habitu, & animo permanens, in diuinis eruditionibus ita profecit vt intra secundum annum, omnes fere scripturas dominicas retineret. Tanta erat ei tranquillitas animi, vt vna ex numero Angelorum ab omnibus diceretur. *Erat omnibus omnia.* Tristem consolabatur, læto congaudebat, irascentem mitigabat, tantamque gratiam à Deo consecuta erat, vt quemcunque in dolore positum, visitaret, statim omnis dolor recederet, & salubritas adueniret. Comites autem eius Prothus, & Hyacinthus in omnibus obtemperabant ei. Tertio igitur conuersionis eius anno, abbate monasterij defuncto, visum est omnibus, vt beatam Eugeniam, vt eis præesset, eligeret. Tunc illa metuens se fœminam contra regulam viris præponi: interim timens, ne omnes vnanimiter precantes contemneret; ait ad eos: Videamus in hac nostra electione quid Dominus præcipiat; *Si quis,* ait, *vult esse primus, sit omnium nouissimus.* Ecce igitur, & vestris præceptis obtemperans, decreui primatum suscipere; & Domini iussioni obediens, vltimum me constituo charitati vestræ. Igitur omne opus monasterij, quod infima persona exercere solet, suscepit in omnibus, aquam portare, ligna conscindere, munditias adhibere, Deoque tam clara esse cœpit, vt dæmones de obsessis corporibus eijceret, & cæcorum oculos aperiret.

Multos curat morbidos.

Matth. 20. Luc. 23. Cogitur præesse fratribus, sed extrema quaque ministeria obit.

De accusatione Melanthiæ contra eam.

Cap. CXVII.

MAtrona quædam Alexandrina cæteris præstantior, nomine Melanthiá audiens eius opinionem venit ad eam, quæ à quartano typo grauissime per annum & eo amplius vexabatur: quam cum illa oleo perunxisset omnem, mox abundantiam fellis euomuit, & sanissima reddita tres cyphos argenteos solidis repletos ei in muneribus misit. Quæ illa gratanter remittens, ait: Abundamus, & superabundamus, precor autem, vt hæc pauperibus largiaris. Tunc illa contristata veniens, cœpit rogare, & ampliora promittere; & dum circa ista sic assidua esset, in nullo deprehendens, quod esset fœmina; iuuẽtutis elegantia decipitur, & in concupiscentia illius illabitur; & putans eam amplioris pecuniæ cupidiorem esse, cœpit infinita offerre, copiosa promittere. Sed videns eam omnia oblata repellere, cœpit eam his verbis secreto alloqui: Quid te inanibus abstinentijs maceras, & perdis florem gratissimæ iuuentutis, quasi Deus tristes diligat, & sua delectamenta contemnentes, foueat, ac solis hominum cruciatibus delectetur? Videmur eius donis abuti, & ingrati, refundere largitori, quod donat. Igitur his afflictionibus finem ponas, & lætiora tempora, ac iucunda suscipias. Talia dicente Melanthia, beata Eugenia volens animam eius à Diaboli laqueis liberare, ostendebat ei desideria mundi misera esse, & dum teneri putantur, effugere, & vnius puncti delectamenta perpetua detrimenta inducere. Sed hæc omnia Melanthia surda transibat ore; dumque sollicitè ageret, quatenus Eugeniam irretiret, ægritudinem simulat, & vt ab Eugenia visitetur, rogat. Quæ cum ad eam ingressa sederet intra cubiculum, obscænis eam amplexibus infælix Melanthia adire tentauit, & verbis procacibus ad crimen hortari. Tunc Eugenia dixit ei: Recte Melanthia nomen tuum dicitur, quia nigredine perfidiæ plena es, & te habitaculum magnum Diabolo præparasti: *Discede à seruis Dei deceptrix, & illecebrosa: Nos enim aliter militamus: Habeant opes tuas tibi similes, nos delectat mendicare cum Christo affatim diues est, qui cũ Christo pauper est. Fugiant à te inanes concupiscentiæ; non enim proderit saluti tuæ ista, quę te inuasit, audacia.* Tunc illa deceptionis suæ pudorem non ferens, seque detegi timens, nisi prior ipsa detegeret, Alexandriæ Præfectum adijt, dicens: Scelestum iuuenem Christianam religionem incurri simulantem, quem cum medendi gratia, eo quod infirmitatibus prodesse dicebatur, ad me venire permitterem, vnam ex illis me æstimans, de quarum pudore bacchatur, ausus est impudenter loqui, & verbis procacibus ad crimen hortari. Qui nisi dedissem vocem, & præsentis Ancillæ meæ

Melanthia fœmina opulenta prouocat Eugeniã ceu virum ad concubitum. Eam illa detestatur.

Melanthia accusat B. Eugeniam coram Philippo præfecto, nihil sciens quod is erat pater Eugeniæ, neque quod illa mutasset habitũ muliebrem in virilem.

Sanctæ Eugeniæ virtutum S. Eugenia. Catalogus

ſolatio liberata fuiſſem, more barbarico ſua me libidine captiuaſſet. Audiens hoc præfectus, furens, ſtatim iubet ad Monaſterium deſtinari, qui eo ferro vinctum cum omnibus commorantibus vinctis deponerent: & quia vnius carceris eos non ferebat locus, per diuerſas cuſtodias diuiduntur, impudente fama per totum Ægyptum diffuſa, omnes credebant, omnes condemnabant. Omnibus enim videbatur veriſimile Melanthiam illuſtrem fœminam mentiri non poſſe.

De purgatione criminis in pœnam accuſatricis.

Cap. CXVIII.

Sancta Eugenia cathenis vincta ſiſtitur coram Præfecto.

COnſtituto igitur die conueniunt ciuitates in vicino poſitæ, vt videant ferarum tradi morſibus corruptores. Aptantur equulei, verbera, flamma, tortores, & cætera quæ cordis abſcondita ſolent exculpere, præparantur. Tunc Præfectus Philippus ait: Dic ſceleratiſſime Chriſtianorum, hic Ieſus veſter vobis tradidit, vt operam corruptioni detis, & fraudulenta pudorem matronalem aſtutia capiatis. Eugenia capite demiſſo ne poſſet agnoſci, reſpondit: *Deus meus Ieſus Chriſtus cui ſeruio caſtitatem docuit, eamque cuſtodientibus vitam æternam promittit.* Ne autem fructus patientiæ noſtræ depereat, per victoriam priucipum, ne in hanc falſam teſtem ſententiam retorqueatis, etiam tunc probabimus in eam, crimen quod nobis obijcit, redundare. Quod cum permiſiſſet ille, Eugenia dixit. O Melanthia nigredinis nomen, tenebroſa malitia, feciſti applicare equuleos, ſuſpendi præcipis Chriſtianos, præcipe ancillam tuam adduci, vt ex ore eius poſſint mendacia refutari. Quæ applicata corã iudice, Dominæ ſuæ contra Eugeniã cœpit teſtimonium proferre. Cæteri quoque de familia teſtabantur ſic eſſe. Tunc vehementer iudex commotus ait: Quid ad hęc infauſtè dicturus es, quem tot reuincunt teſtes? Ad hæc Eugenia: Tempus, inquit, eſt loquendi, quia tranſijt tempus tacendi: Tanta ſiquidem eſt virtus in nomine Chriſti, vt & Fœminæ in timore eius poſitæ virilem obtineant dignitatem. *Ego igitur fœmina viriliter gerẽdo virum geſſi, virginitatem quæ in Chriſto eſt fortiter amplectendo.* Hæc dicens, tunicam qua induta erat, à capite ſcidit, & Fœmina apparuit, ſtatimque ad Præfectum ait: Tu quidem, ſecundum carnem, pater es mihi, Claudia mater, fratres mei qui tecum ſedent Abitus & Sergius: ego autem pro amore Chriſti mundum cum ſuis delicijs reſpui: & ecce Prothus & Hyachintus, Eunuchi mei cũ quibus ingreſſa ſum ſcholã Chriſti; qui mihi tã idoneus Magiſter extitit, quod me victricem libidinum & omnis pollutionis per miſericordiam ſuam fecit. Agnoſcentes itaque eam pater, & fratres, & ſerui, cum lachrymis eius amplexibus incumbebant in conſpectu populi. Veſtimenta auro texta referuntur, & licet inuita induitur, atque in excelſo pro tribunali collocatur, & ab omni populo clamatur: VNVS EST DEVS CHRISTVS, QVI EST VERVS DEVS CHRISTIANORVM. Et ne tanto gaudio populi deeſſet probatio caſtitatis, ignis viſus eſt de cœlo deſcendens, qui Melanthiæ domum ita circundedit, vt nec veſtigium alicuius, quod ad eam pertinebat, remaneret. Fit ergo gaudium populi cum timore Dei. Baptizatur Præfectus; & filij, & vxor eius Claudia, & omnis familia, & innumerabilis multitudo Paganorũ conuertitur ad Deum. Suſcipiunt Chriſtiani priuilegia, & omnis Alexandriæ ciuitas fit quaſi vna eccleſia. Conſpirat omnis Eccleſia in Epiſcopatũ Philippi, cępitq; & ſancta Eccleſia habere Epiſcopũ, & reſpublica habere Præfectũ, quia nullus ſucceſſor aduenerat.

ANNOTATIO.

Conſentiunt hiſce actis ea qua de hac virgine ſcripſit Alcimus Auitus Viennenſis epiſcopus ad Iuſtiniani ſororem de laude caſtitatis: & hæc eadem acta recitat Surius 26. decembris ex Metaphraſte, habent tamen aliqua (vt ait Bar.) qua cẽſura indigẽt, veluti quod ibi legitur de Philipp. Eugenia Patre facto epiſcopo Alex. quod planè commentum eſſe, tabula epiſcoporum Alexandrinorum, qua ab Euſebio in chr. & in hiſtoria, & à Nicephoro epiſcopo Conſtantinopol. deſcribuntur & alijs, manifeſte declarant. Eadem autem acta etiam extant apud Petrum de Natalibus in cath. l. 2. c. 3. vbi ſic ait: vnde Philoſophus præfecturã deſerens, à Chriſtianis epiſcopus ordinatur. Relinquo deciſione huius difficultatis arbitrio diſcreti lectoris, ad alia progrediar.

De prædicatione S Euſebij, Vincẽtij, Peregrini, & Potẽtiani.

Cap. CXIX.

EX geſtis eorum. Temporibus Commodi ſequente perſecutione in Chriſtianos, adueniente Natali die ipſius, decretũ ab eo exijt, vt omnis plebs Romanæ vrbis in vnum aduenirent, & in laudem *Herculis*, ac *Iouis* pompatica voce acclamaret. Ventum eſt, & circunſtat regem pene vniuerſus orbis. Ipſe autẽ deformiter inductus, regiam cũ mitra aſcendit ſedem, ac prius thurificauit aream Iouis ſtatuam. Tantæ enim ſuperbiæ erat, tantæq; iactantiæ, vt indueret ſe pelle Leonis, deſignare in veſtimento volens, quod ſicut Leo beſtiarum, ſic & ipſe eſſet Rex & magiſter populorum. Cui omnis populus acclamauit dicens. *Protector eſt Hercules reipublicæ, & defenſor libertatis Romanæ audaciæ.* Eodem tempore morabantur in vico, qui appellabatur Carnarius, Chriſtiani nominis cultores, inter quos erant viri religioſi, Euſebius, Vincentius, Peregrinus, atque Potentianus, ſerui Dei, orationibus inſtantes, mori pro Chriſto deſiderantes. Hi ad imitationem Apoſtolorum ſua omnia vendiderunt, & pauperibus erogauerunt, quatenus nudi ab hoc ſæculo, liberius ſoli ſeruirent Deo. Qui cum audiſſent huiuſmodi rem à Commodo geſtam, ridiculo, ac ſuperſtitioni hoc deputantes, vicos, & vrbes perluſtrant, *trinum, & vnum Deum prædicant*, dicentes: *Recedite chariſſimi à cultura Dæmoniorum, date honorem trino Deo, & vni patri, & filio, & ſpiritui ſancto omnipotenti, & agite pœnitentiam, & baptizemini ne ſimul cum Commodo pereatis.*

ANNOTATIO.

Qui Commodi monſtruoſiſſima ſcelera ſcire cupierit, conſulat tum Dionem, & Herodianum, tum imprimis Lampridium in Commodo: Imo fertur, (inquit Capitolinus in Marco) ipſius patrem Marcum mori voluiſſe, cum filiũ talem videret futurũ, qualis exitit poſt eius mortẽ, nempe, ſimilis Neroni Caligulæ, atq; Domitiano: qui & inſuper Dvvs dici voluit.

Paſſio ſanctis Iulij Senatoris.

Cap. CXX.

ITaque quidam Senator *Iulius* audiens monita huiuſmodi ſalutaria, introduxit eos in domum ſuam, & audiens ſolicitè prædicationem, credidit, & facultates ſuas varias per manus eorum diſtribuit. Accerſito igitur quodam presbytero Rufino, baptiſmum cum omni domo ſua ſuſcepit: cœpitque ipſe publice confiteri Chriſtum, & pro eo mortem concupiſcenti animo deſiderare. Quod cum audiſſet Cęſar, amaritudinis felle exagitatus, iuſſit eum ad ſe reduci, & eum ſic cœpit affari: *Iuli*, qualiter amens effectus es, vt deſerens *Iouem*, & *Herculem*, ſequaris, neſcio quam amentiam vanam? Cui viriliter reſpondit *Iulius*, dicens: Tu ſimul peribis cum Dijs tuis, quos vano errore Deos eſſe, temerario ore mentiris. Confiſus itaque Cæſar, & his, & alijs verbis; accerſiuit quendam virum nomine Vitellium Magiſtrum peditum, animo ferum, opere crudelem, omnibuſque vitijs obſeſſum, præcepitque ei dicens: Exquire diligenter facultates huius ſacrilegi, & compelle eum ad ſacrificandum inuictiſſimo *Herculi*. Qui niſi acquieuerit, non protrahas ipſum diutius viuere. Suſcipiens Vitellius Vicarius, fecit eum coarctari in cuſtodia. Poſt triduum iuſſit ſibi tribunal præparari in tellude, & S. Iulium catenis aſtrictum exhiberi ante ſe. Erat autem corpore nudus, ſed ex integro, fide munitus. Quem ſic alloquitur Vitellius: Audiſti, quid iuſſit Princeps? Depone iam pertinaciam, & adora Deos, per quos vniuerſus ſubſtitit orbis Romanus. Nam ſi non feceris, diuerſis afflictus pœnis punieris. Cui ſanctus conſtanter reſpondit: O miſer & miſerande, ſimul cum tuo Principe perfido peribis. Ad hæc Vitellius dixit: O Iuli in quo confidis, cum iam damnatus ſis? Iulius reſpondit: *Fiducia mea vita æterna eſt, ſpes mea Chriſtus eſt, qui te cum Principe tuo damnabit in æternum interitum.*

Quod ad dignitatem Senatoriam pertinet, impoſſibile erat Senatorem, cum in Chriſtum credidiſſet in Senatu vlterius permanere: Auguſtus enim Imperator lege ſtatuerat vt Senatorij quiſque antequam ſuo loco conſideret, thure ac mero ſupplicaret apud aram illius Dei, in cuius templo coiretur. Hæc Suetonius in Octauio ca. 35.

A Lanarijs vocatum fuiſſe vicum ex MSS. actis, notat Baronius anno 192. Acta horum Sanctorum recitat Surius 25. Auguſti ex noſtro authore Vincentio qui ea ex geſtis illorum deſumpſit, cui correſpondet Martyrologia, & eadẽ Petrus in Cathalogol. 7. c. 3. recitat: & Baronius ait eadem extare in Bibliotheca Vaticana manuſcrip. quorum eſt exordium: Regnante Commodo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hæc audiens Vitellius, iracundiæ ſtimulis inſtigatus, iuſſit eum fuſtibus cędi. Qui dum cæderetur, emittens ſpiritum, cœleſtia petijt. Cuius corpus præcepit Vitellius ante amphitheatrum iactari. Quod audiens Euſebius, Vincentius, Peregrinus, atque Potentianus collegerunt corpus ſanctiſſimi Chriſti martyris, & ſepeliegerunt in cæmeterio Calepodij 14. Kalendas Septembris.

Paſſio ſancti Euſebij Præfati cum ſocijs ſuis.

Cap. CXXI.

Euſebius cū ſocijs in equuleo ſuſpenditur, & grauiter fuſtigatur.

Vrūtur eorum latera.

HÆc audiens Vitellius, perquiri eos fecit, ſibique præſentatis dixit: Manifeſta aſſertio eſt, diripuiſſe vos facultates Iulij, cum & corpus illius collegiſtis, ſimulque etiam ſepulturæ tradidiſtis. Tunc glorioſus vir Euſebius locutus eſt: Quod, inquit, nobis obijcis proculdubio fecimus, quodque meruimus præſule Chriſto executi ſumus. Index nequiſſimus dixit: Quia meruiſtis theſauros diripere, difficultas non ſit vobis reddere, ne pereatis, ſicut & ille perijt. Reſpondit Euſebius: Hoc omnibus votis appetimus, hoc communi animo concupiſcimus. Cumque conſtanter perſiſterent, confuſus Vitellius, eadem hora iuſſit, vt in equuleo facie ad faciem ſuſpenderentur, obtunderentur neruis, & fuſtigarentur. Quibus ſuſpenſis Præco etiam clamabat: Deos & Principes nolite blaſphemare. Diutius autem eis tortis, iuſſit ceſſare paululum à tormentis. Quibus dixit: Parcite vobiſipſis, & ſacrificate Dijs. Euſebius ad hæc. *Miſer*, inquit, *quod incepiſti perfice, noli deſiſtere. Ante enim tibi deficiet ad torquendum nos tempus, quam noſter deficiat in Chriſto perſiſtens animus. Ne ergo putes nos terreri, nec ſeparari nos à fraternitate Domini noſtri Iulij.* Vitellius circumſtantibus, ait: Iſti ſecuri de arte Magica, in tormentis gaudent. Reſpondit Vincentius: *Nos gaudemus & exultamus in Domino noſtro Ieſu Chriſto.* Tyrannus vero iuſſit ex templo flammas applicari eorum lateribus. Illi alacres effecti, dicebant: *Gloria tibi Domine, qui nos viſitatione tua circumdas.*

Paſſio ſancti Antonini.

Cap. CXXII.

Antoninus carnifex credit, & baptizatur.

IGitur vnus carnificum Antoninus, intentis oculis eminus vidit eum ſpongia iuuenem ſtantem, fulgore nimio coruſcantem, & eorum latera extergentem. Tunc immiſſa voce, cum ingenti gaudio cæpit clamare: *Vnus verus eſt Deus Chriſtianorum, quem hi euidentiſſima ratione prædicant. Video enim Angelum Domini circumſtantem eos, & à preſſura flammarum protegentem.* Tunc velut Leo frendens iudex, cum clamore ait: O Magica ars, ô ſeductores, qui alienauerunt mente ſua hominem clariſſimum, ac probatiſſimum in republica. Antoninus autem pœnitentia ductus, deuouit ſe crediturum Chriſto Domino. Statim vero Antoninus Rufinum presbyterum adijt, & vt ab eo baptizaretur, humiliter impetrauit. Itaq; Vitellius ſanctos martyres de equuleo deponi iuſſit. Quibus depoſitis ait: Vt quid tam crudeles eſtis vobiſipſis? Cur non deponitis inſaniam vanam, adorantes Deos & glorificantes, quos iuſſerunt Principes, vt nobiſcum frui mereamini vita æterna? B. Vincentius, ait: O infeliciſſime omnium, tu crudelis, qui tibiipſi non parcis. Nos in gloria iam conſtituti ſumus; tu vero cum Principe tuo in gehenna periturus. Tunc Vitellius iuſſit linguam præſcidi ſancti Euſebij, æſtimans illi deeſſe linguæ officium, in cuius ore ſemper Chriſtus reſonabat. Antoninus autem accurrens clamabat: O Vitelli miſerrime, quid tibi, & iuſtis his? Vt quid eos crucias? Tunc Vitellius per os ſanguinem vomere cæpit, recto ſcilicet iudicio Dei, vt qui exarſit ad puniendum os iuſti, acri dolore torqueretur in ſuo. Athleta vero Domini Euſebius ſine lingua laudes in excelſum Chriſto dabat. Huic igitur lamentabili ſpectaculo quidā vir intererat Chriſtianus clariſſimus, nomine Fauſtus. Qui colligens linguam Martyris Chriſti Euſebij, repoſuit eam ſub tunica ſua in ſinu ſuo, & fugiendo latuit. Dehinc iuſſu Vitelli Antoninus ductus eſt à carnificibus via Aurelia iuxta formam Traianam, & capite plexus 11. Kal. Septembris.

S. Euſebius præciſa lingua loquitur & Deum laudat.

Plectitur capite Antoninus.

De fine agonis prædictorum ſanctorum.

Cap. CXXIII.

POrro Euſebium ac ſocios eius diutius maceratos ſupplicijs, in ima carceris iuſſit retrudi. Ibi non diebus, neque noctibus ab oratione ceſſabant. Percurrebat autem eorum opinio circumquaque, ad quos veniens non minima multitudo Chriſtianorum, & audiens ab eis æternæ vitæ monita, non mediocriter proficiebat. Poſt triduum apparuit eis beatus Iulius cunctiſque audientibus, ventura prophetando hæc intulit: *Saluate cuſtodem carceris.* Hæc dicens, ab oculis eorum euanuit, menteſque eorum ſua gratiſſima viſitatione lætificauit. Tanta vero contulerat Dominus vim virtutis ſuæ fidelibus, vt vndique illic populorum confluentibus turbis, varijs detentis languoribus, nulla difficultas eſſet in conferenda ſoſpitate eorum orationibus. Veniens itaque Sacerdos capitolijs nomine Lupulus, qui ritu paganiſmi, fungebatur officio illo ſacerdotali vaniſſimo, rogauit, vt inſtrueretur à ſanctis martyribus, & baptizaretur. Erat enim cæcus. Cui dixerunt: *Si credideris ex toto corde, illuminaberis, & vita æterna nobiſcum fueris.* Reſpondit Lupulus: Ego abſque vlla ambiguitate credo in quem vos creditis, nec vllatenus cupio ſeparari à vobis. Ideo enim ad vos confugi, deſiderans vobiſcum in his vinculis pro amore Chriſti mancipari. His auditis, confeſtim miſerunt, & rogauerunt ad ſe venerabilem Rūfinum preſbyterum venire. Qui veniens ad carcerem catechizauit, & baptizauit eum. Tunc ſubito ab oculis eius caligo diſceſſit, & lumen Chriſti in eo emicuit. Tunc accurrens * cuſtos carceris, & videns illuſtratum ſuperno lumine, qui annis quatūor cæcus fuerat, miſit ſe ad pedes ſanctorum, & vt baptizaretur, rogauit. Quem illico beatus Rufinus ſacro baptiſmate purificauit, eumque armis fidei muniuit. Abiens Vitellius intimauit Regi omnia, quæ à ſanctis erant geſta, qualiter ſuperaſſent omnia tormentorum genera; & quomodo contempſiſſent Dijs libare ſacrificia, qualiter quæ loqueretur Euſebius ſine lingua. Cui ita Rex ait: *Extingue eos.* Qui iubens ſibi tribunal præparari, & illos introduci, ait: Afferte Tripodam, vt ſacrificent hi. At hi expuentes, contempſerunt eum. Cuius etiam cor impœnitens, admirans beatus Euſebius ait: *O miſer cuius cor eſt ſedes Sathanæ.* Tunc Vitellius fecit eos ante amphitheatrum tamdiu plumbatis acriter cædi, donec ſpiritum exhalarent. Quorum corpora beatus Rufinus collegit, & non longe ab vrbe Roma ſepeliuit, 8. Kalend. Septembris.

Ex Martyrologio. Præterea 14. Kalend. Maij celebratur Romæ natale beati Apollonii Senatoris, qui ſub Commodo Principe à ſeruo proditus quod Chriſtianus eſſet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit. Ac deinde ſententia Senatus pro Chriſto capite truncatus eſt. Idem 7. idus Auguſti apud Mediolanum ſancti Fauſti militis tempore Aurelii Cōmodi martyrizati.

Apparet Sāctis martyribus S. Iulius, eoſque ſua viſitatione lætificat.

Multi ægri curantur eorū orationibus.

** Simpliciū nominat Ado in martyrologio.*

Lupulus Idoloriū ſacerdos per fide & baptiſmum, à duplici cæcitate curatur.

SS. Martyres plumbis occiderunt.

Lege Nicep. hiſt. l. 4. c. 26.

De Victore Papa, & Irenæo Lugdunenſi.

Cap. CXXIV.

Lege Euſebium li. 5. cap. 23.

Hvgo Floriacenſis. Ea tempeſtate Eleutherio Papæ Romæ Victor ſucceſſit. In his etiam diebus facta eſt quæſtio magna de Paſcha. Vnde apud Cæſaream Paleſtinæ concilium celebratum eſt, vbi ſtatutum eſt, vt ſemper die dominica Paſcha celebremus, ſicut nunc agimus, obſeruata 14. Luna menſis Aprilis. Huic concilio interfuerunt Victor Romanorum Papa, & Narciſſus Patriarcha Hieroſolymorum; Theophilus quoque Cæſareæ Epiſcopus, & Præſul Lugdunenſis Irenæus.

Hieronymus de illuſtribus viris. Irenæus Photini epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat eccleſiam, Preſbyter, à martyribus eiuſdem loci, ob quandam eiuſdem Eccleſiæ quæſtionem, legatus miſſus Romam, honorificas ſub nomine ſuo ad Eleutherium epiſcopum perfert literas. Poſtea Photino iam prope nonagenario ob Chriſtum martyrio coronato in locum eius ſubſtituitur. Conſtat autem Polycarpi cuius ſupra fecimus mentionem, Sacerdotis, & martyris, hunc fuiſſe diſcipulum.

Scripſit 5. aduerſus hæreſes libros, & contra gentes volumen breue, & de diſciplina aliud; & ad Martianum fratrem de Apoſtolica prædicatione; & librum variorum tractatuum: & ad Blaſtum de ſciſmate: & ad Florinum de monarchia, ſiue quod Deus non ſit conditor malorum: & de octaua: id eſt de Ogdoade, egregium ſyntagma id eſt documentum. Feruntur & aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum de quæſtione Paſchę Epiſtolæ, in quibus commonet eum non facile debere vnitatem collegij ſcindere. Siquidem Victor multos Aſiæ, & Orientis Epiſcopos qui 14. luna cum Iudæis paſcha celebrabant, damnandos crediderat: in qua ſententia, & hi qui diſcerptabant ab illis, Victori non dederunt manus.

Author. Quod autem Hugo Floriacenſis ponit ſub Commodo, Victorē papatum accepiſſe: Euſeb. in chro. ponit ſub Ælio Pertinacē: addens etiam, quod eiuſdem Victoris extant mediocria volumina de religione: quæſtionem vero de paſcha dicit, ſub Seuero determinatam fuiſſe.

ANNOTATIO.

Notet hic prudens Lector id quod omiſſum eſt in hoc loco ab Authore nempe quod (iuxta. Baronium) anno Chriſti 183. & 2. Commodi: & Eleutherij 5. Lucius Rex Britannorum miſſo ad Eleutherium Papam legato, qui paſtores ſpirituales poſtularet, Fugatium & Damianum impetrauit, quorum audita prædicatione Chriſtianus ipſe factus eſt, Regum omnium primus: ipſe, inquam, vna cum vxore, & ſubditis propemodum vniuerſis: adeo vt fides in Angliæ regnum fuerit palam introducta, vt conſtat ex Martyrologio, 26. Maij, Beda lib. 1. hiſt gent. Anglo. cap. 4. & multis alijs. Vnde Tertullianus lib. contra. Iud. c. 7. & poſt eum Genebrardus in Eleutherio annotant Angliam nationum omnium primam extitiſſe, qua fidem Chriſtianam publice profeſſa eſt, & quidem vſque ad Diocletianum Imperatorem, ſub quo omni ferme religione extincta, redijt & Anglia ad Idololatriam.

De Imperio Ælij, & Iuliani: de fine quoque Commodi.

Cap. CXXV.

Ingenti gaudio ſenatus & totius vrbis ſtrangulatus eſt Cõmodus: teſte Dione & alijs.

Evſebius in chronicis. Porro Commodus imperator, Coloſſi capite ſublato ſuæ imaginis caput iuſſit imponi. Idem quoque Commodus multos nobilium interfecit: & ſpectacula populo Romano præbuit inſignia. Incendio Romæ facto, Palatium, & ędes Veſtæ, plurimaque vrbis pars ſolo cœquatur.

Hugo vbi ſupra. Flagitia itaque Aurelij Commodi Imperatoris vrbis pœna perſecuta eſt: Nam Capitolium fulmine ictum eſt, ex quo inflammatio facta, Romanam bibliothecam rapaci turbine concremauit. Porro Cæſar Commodus, cunctis incommodus: in domo * Veſtiliani ſtrangulatus interijt. Ælivs autem Pertinax ſenex à ſenatu Imperator creatus eſt.

** aliàs Veſtiliana.*

Euſebius in chronicis. Hic, obſecrante Senatu, vt vxorem ſuam, *Auguſtam*, & filium *Cæſarem* appellaret, contradixit, *ſufficere teſtatus, quod ipſe regnaret inuitus*: Erat enim ſeptuagenario maior, cum prefecturam vrbis ageret, & ex Senatusconſulto imperare iuſſus ſcilicet anno Domini 195. mundi vero 5048. Tandem Iuliani Iuriſperiti ſcelere occiſus eſt, quem poſtea Seuerus apud Miluium pontem interfecit.

Hugo Iulianus autem, qui vt ſibi Romanum vendicauit imperium, imperauit ſeptem menſibus. Sicque inter *Pertinacem* Cæſarem, & *Iulianum* eius ſucceſſorem vnus annus aſſumptus eſt.

Æ. lius Pertinax imperauit tribus tantum menſibus teſte Baronio an. 195. Iulianus autem diebus tantum ſexaginta ſex, quem in cõputu meo ſequar.

De Clemente Alexandrino, ac ſcriptoribus cæteris illius temporis.

Cap. CXXVI.

PEr idem tempus erant inſignes Clemens Alexandrinus Philoſophus, & Pantænus Stoicus, & Africanus hiſtoricus, & Muſanus.

Hieronymus de Illuſtribus viris. Pantænus Stoicæ ſectæ Philoſophus iuxta quandam veterem in Alexandria conſuetudinem, vbi à Marco Euangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuerunt doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in ſcripturis, quam in ſæculari litteratura fuit, vt in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ epiſcopo mitteretur. Vbi reperit Bartholomæum vnum de duodecim Apoſtolis, aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti iuxta Matthæi euangelium prædicaſſe, quod Hebraicis ſcriptum literis, reuertens ad Alexandriam ſecum detulit. Huius multa quidem in ſanctam ſcripturam extant commentaria, ſed magis viua voce Eccleſijs profuit: docuitque ſub Seuero principe, & Antonino, cognomento Caracalla.

De Sancto Pãtæno Clementis Alexandrini Magiſtro, lege Martir. cũ annotationibus Baron.

Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, Panteni, de quo ſupra retulimus, auditor, poſt eius mortem Alexandriæ Eccleſiaſticam ſcholam tenuit. Feruntur eiuſdem inſignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, tam de ſcripturis diuinis, quam de ſæcularis literaturæ inſtrumento. Ex; quibus illa ſunt: Stromatum libri 8. Aduerſus gentiles liber vnus: De ieiunio diſputatio. Alius liber, qui inſcribitur, *quiſnam ille dives ſit qui ſaluetur*. De obtrectatione liber vnus: De canonibus eccleſiaſticis, & aduerſus eos qui Iudæorum ſequuntur errorem, liber vnus, quem propriè Alexandro Hieroſolymorum epiſcopo dedicauit, & addixit. Meminit autem in ſtromatibus ſuis, voluminis Tatiani contra gentes. Extat Alexandri Hieroſolymorum epiſcopi, qui cum Narciſſo poſtea rexit eccleſiam, epiſtola, ſuper ordinatione aſclepiadis confeſſoris ad Antiochenſes congratulantis ei, in qua ponitur in fine. *Hæc vobis Domini fratres ſcripta tranſmiſi per beatum Clementem presbyterum virum illuſtrem, & probatum, quem vos quoque ſcitis, & nunc plenius cognoſcetis. Qui cum huc veniſſet, iuxta prouidentiam, & viſitationem Dei confirmauit, & auxit Domini eccleſiam.* Conſtat Origenem huius fuiſſe diſcipulum. Floruit autem Seueri & Antonini filij eius temporibus.

De Clemente Alexandrino lege Vigneriũ Baronium, & plures alios.

De Alexandro & Narciſſo vide quid dicat Euſebium l. 6. cap. 7. & c. 8. De ſcriptis autem Clementis ad vndecimo.

Euſebium li. 5. hiſt. c. 10.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS.

LIBER VNDECIMVS.

De Imperio Seueri, & Leonide patre Origenis.

CAP. I.

HVGO *vbi supra.* Igitur Seuerus genere Africanus, qui se ex nomine Imperatoris, quem occisum vltus fuerat, PERTINACEM voluit appellari, Romanum consecutus imperium, imperauit annis 18.

Eusebius in chronicis. Cæpit autem anno Domini 195. mundi vero 5048.

Hugo. Hic fuit natura sæuus, multisque bellis lacessitus, fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime rexit. Nam Pescennium nigrum, qui in Ægypto, & Syria ad Tyrannidem aspirauerat, interfecit; Iudæos & Samaritas rebellare conantes, superauit: Parthos quoque, & Arabes coercuit, & ad extremum, Claudio Albino, qui se in Gallia cęsarem fecerat, Lugduni interfecto; in Britanniam bellum transtulit: ibique magnis grauibusque prælijs sæpe gestis, insulam recepit; quam & vallo, & crebris turribus per 132. millia passuum à mari vsque ad mare communiuit. Hic etiam post Neronem in Christianos quintam persecutionem exercuit. Qua persecutione plurimi sanctorum per diuersas prouincias passi referuntur. Inter quos Leonides pater Origenis pro Christo, capite cęsus est, teneræ adhuc ætatis supradictum Origenem filium dereliquit. Sed ita erat præfatus Origenes iam grammatica eruditus 17. annum agēs, vt ad docendum sufficeret, & quæ ad victum erant ei necessaria ex hoc pararentur. Census quippe Leonidis, qui maximus fuerat, regio fisco, per proscriptionem sociatus erat. Sub hac etiam persecutione in Lugdunensi ciuitate passus est beatus Irenæus cum maxima multitudine Cleri sui & populi.

Seuerus amore Pertinacis boni Principis à senatu Pertinacis nomen oblatũ idem Seuerus libenter accepit. Anno M. 5048. Ch. 195. Vignerius ex Sparsiano ait vallum constare 8000. passuum, Beda autem 132. millium; quanquam id Adriano Imperatori ascribit Spartianus. Seuerus cum tot conuersiones ferre non posset, nam Gallia penè vniuersa Christiana facta est sub Seuero & Scotia anno 203. Christianismum profitetur cũ rege suo Donaldo, vxore & liberis: ad. missis Victoris Papæ legatis: deinde Philippus prator Ægypti, de quo supra, ob quas inquã conuersiones excandescens, Seuerus cruẽtam cõmouit

De feruore Origenis à pueritia.

CAP. II.

EVsebius *lib. 6.* Supra modum accenso persecutionis incendio, & multis ea tempestate martyrio coronatis, in tantum ardorem capescendi martyrij, puerulus tunc adhuc Origenes exarserat, vt sponte se periculis ingereret, & aliis in certamine positis præceps in medio rueret, ita vt insectari ipsam mortem velle, & rapere videretur, quam & adipisci omnimodis potuisset, nisi quod dispensatione Domini ad vtilitatem multorum putatur pro totius ecclesiæ ædificatione seruatus per solicitudinem Matris, quæ glorioſæ mortis eius desideria impediuit. Quæ cum primo maternis ei obsecrationibus supplicaret, vt sibi consuleret, & parceret Matri, & ille ex his precibus inflammatior ad amorem martyrij redderetur, maxime eo quod patrem iam teneri cognouisset in vinculis, & ipse propere socius effici vinculorum ac martyrij festinaret, arte quadam materni affectus inhibetur.

Etenim cum maturare eum velle, & ante Lucanum prorumpere ad agonum certamina præsensisset, noctu cubiculum filij dormientis ingressa omnia eius indumenta in quibus procedi in publicum poterat, furata subtraxit, vt per hoc domi residere necessitate cogeretur. Ille maternis impeditus dolis, cum nihil agere posset, nec tamen mens quiescere pateretur, audet aliquid super ætatem, epistolam scribit ad Patrem, se quidem maternis artibus retineri, sed illum debere retinere quod cæpit. Et addidit etiam hoc: Vide pater ne propter nos, aliquid aliud velis. Denique frequenter dicitur dormienti puero, religiosus & solicitus Pater superueniens, operimentum pectoris detraxisse, & velut Dei spiritu intus incluso, pectus eius tanquam templum quoddam veneratus, & demulcens osculis abscessisse, beatum semeipsum adeo effectum pro tantæ prolis felicitate gratulatus. Vtero pater eius martyrio consummatus est, puer ipse cum Matre vidua, & sex alijs paruulis fratribus 17. annum agens suæ ætatis, in summa facultatum penuria derelictus est; quantum quidem census paternus, qui vel maximus fuerat fisco

persecutionẽ in qua Christiani innumerabiles martyrio vitã finierunt. Baron. an. 204. inter quos & Leonides pater Origenis martyrio vitam finiuit, de quo Eusebius l. 6. c. 2. & Nicephorus l. 5. hist. c. 2. vbi etiã de Origene sic ait quantus autem Origenes fuerit, & quo studio animique destinatione in sacras litteras incubuerit, citra inuidiam exponi posse puto, non solum quod celebris is vir apud nos sit, verum etiam quod ingentẽ, vita sua, quamuis ad finem nõ integra prorsus, famã & gloriam post se reliquerit. Lege etiam Suidam in historia in verbo Origenes: vbi & ait Leonidem fuisse Episcopum & martyrem.

fisco per proscriptionem sociatus est. Nec tamen ei defuit omnipotentis Dei prouidentia. Ob insigne namque vel litterarum, vel religionis studium à quadam nobili, & locupletissima fœmina perfamiliariter foueri cœpit.

De passione sancti Philippi Episcopi.

CAP. III.

De Sancto Philippo aguntBeda, Vsuardus & alij recentiores; qui omnes, vt supra dixi, ex Baronio, corrigendi sunt, dum dicunt eum fuisse episcopum Alexandrinum, nam eius præfectura secularis, non sacerdotalis fuit. Item corrigendus est Cedrenus in Maximino, qui putauit eũdem Philippũ esse Philippum Imperatorem, quem cum sequacibus iure vlcisci voluit Zonaras in Philippo Imperatore.

EX *gestis sanctæ Eugeniæ.* Philippus autem pater sanctæ Eugenię, cum Alexandriæ Episcopatus officium gereret, & ipse rempub. administraret, misit relationem ad Seuerum Imperatorem, memorans Romanæ reipublicæ Christianos prodesse, & ideo debere eos absque persecutione in vrbibus commorari. Imperator autem eius relationi consensit, & ex hoc dignitas Christiani nominis florescere incipit. Sed quia *semper contra bonitatem, pugnat malitia*; quidam ex honoratis Alexandriæ cultores Idolorum, ægrè ferentes, quia Christiani priuilegia accepissent; abeuntes apud regem, accusauerunt Philippũ, dicentes, quod Reipublicę status ab eo conturbatus sit, & quod Deorum cæremonias deserens, ad culturam *Crucifixi* totam ciuitatem conuertit. Tunc commotus Seuerus Augustus direxit ad eum decretum, vt aut Dijs solitam culturam exhiberet; aut deposita dignitate etiam proprijs facultatibus cederet. Qui simulata ægritudine donec omnia sua distraheret, & pauperibus daret, ipse in timore Dei in cultura Christi perfectus, etiam alios confortabat. Post hæc Terentius Præfectus Alexandriam veniens, dum eum percutere quæreret, & non posset, quia omnis ciuitas in eius amore perdurabat, immisit ei, qui se Christianos fingerent. Et ingredientes, percusserunt eum in oratione dominica constitutum. Perdurauit autem in episcopatu anno vno & mensibus tribus: dęmones effugabat oratione, cæcos illuminabat. Post percussuram autem tribus diebus permissus est esse in corpore, vt corda dubia posset confirmare. Post hæc vt reciperetur in cælum orauit, ac iuxta * Nitriam vbi sancta Eugenia filia eius Monasterium virginum collocauerat, corpusculum suum collocari præcepit.

De Sanctis Claudia, & Eugenia, & Basilla

CAP. IV.

Fratres S. Eugeniæ sũmis afficiuntur honoribus.

VBi Claudia vxor eius Xenodochium collocauit; & prædia constituit, quæ peregrinorum susceptionibus deseruirent; ipsa autem cum filijs Abito, & Sergio, ac filia sua Eugenia Romam redijt. Igitur filios Philippi cum omni gaudio suscepit Senatus, ita vt vnum Carthaginis Proconsulem, & alium Vicarium Africæ destinarent. Dum autem ad Eugeniam multæ matronę conuenirent, & multas virgines faceret in Christo credere, & in virginitate permanere, quædam virgo Basilla ex regali genere ad eam pertingere cupiebat, sed causa Christiani nominis ad eam ire non poterat. Rogauit ergo per internuncium fidelem, vt eam de religione Christiana instrueret. Tunc illa Protho, & Hyacintho conuocatis, ait: Basillæ vos offeram sub specie muneris, vt eam Christi faciatis ancillam. Basilla suscepit eos quasi famulos, quos adorabat, vt Apostolos; cum eis omni hora vacabat, & quasi Eunuchos in seruitio habens non diebus nec noctibus à colloquijs diuinis, & oratione cessabat. Sanctus quoque Papa Cornelius ad eam venit, eamq; latenter baptizauit. Sed & procurante Dei misericordia pene omnibus noctibus fruebantur mutuis aspectibus ipsa & B. Eugenia. Omnibus itaque viduis conuentus erat ad B. Claudiam, & omnibus virginibus ad Eugeniam. S. autem Cornelius omni vespere sabbati dabat noctem hymnis peruigilem cantãtibus; quiete noctis exclusa communicabat eis sacra mysteria.

Basilla inueniens virũ fidelem latorem suorum verborum rogat instãter Eugeniã, vt de diuina fide omnia ei litteris significet: at Eugenia sciens quãtũ inter sit scripturã inter & vocẽ misit Prothum & Hyacinthũ seruili habitu, qui & animam eius Deo lucrati sunt.

De Hæresi Paulianorum, & Natali confessore.

CAP. V.

EVsebius *lib. 5. cap. 28.* Eo tempore Artemonia hæresis pullulauerat, quam postmodum Paulus Samosatenus instaurare conatus est. Hic purũ hominẽ, id est, absq; Deo fuisse saluatorẽ confirmat. Pontificatũ autẽ tenente Zephyrino Papa: confessor quidã erat, Natalis nomine. Hic deceptus aliquando ab Asclepiodoto quodam, & Theodoro collectarijs (qui ambo discipuli erant Theodoti Corlarij illius, qui primus pro hac stulta assertione ab ecclesiæ societate depulsus est à Victore, tunc vrbis Romæ episcopo) acquieuit vt accepto ab eis salario, episcopus illius hæresis nominaretur certa pactione, id est 150. denarijs menstruæ præstationis. Quique Natalis cum se in hoc deceptus locasset, frequenter admonebatur in somnis, quia misericors Deus, & Dominus noster *Iesus Christus* nolebat martyrem suum, qui sibi in multis passionib. testis extiterat, de ecclesia perdere. Sed cum negligentius susciperet visiones, priuatus amore, & turpis lucri deuictus illecebra: ad vltimum à S. Angelis per totam noctem verberatus, & pœnis grauibus cruciatus, mane consurgens cilicio se induit, & cinere conspersit, ac multis lachrymis errorem suum deflens, & ante pedes Zephyrini Episcopi, prosternit & vestigijs omnium, non tantummodo clericorum, sed etiam laicorum, cum multa lamentatione pronolutus, in lachrymis ad miserationem omnem conuocauit Ecclesiam, vt indulgentiam sibi à Christo continuis & iugibus pro ipso precibus implorarent, ostendens simul in conspectu Domini liuores corporis eius, & cicatrices, quos pro nominis ipsius confessione susceperat, vix aliquando in communionem Ecclesiastici corporis reuocatus est.

Artemonis hæresis.

Natalis confessor deceptus ab hæreticis.

Natalis conditus hæreticorum episcopus.

Pœnitẽdi, cõfitendique modus apud veteres.

Passio sanctorum Andeoli, & Victoris Papæ.

CAP. VI.

EX *Martyrologio.* Præterea Kal. Maij, celebratur solenniter in Gallijs territorio Viuariensi natale B. Andeoli Subdiaconi, quem ab oriente misit S. Polycarpus vna cum alijs ad prædicandum verbum Dei in Galliam; cuius prædicatione, Imperator Seuerus, comperta, spinosis fustibus crudelissime flagellatum, in carcerem trudi præcepit; & sic demum ab ense ligneo in crucis modum caput eius scindi.

Plura de his Eusebius loco supra citato.

Extat adhuc reliquiarum eius insignis pars in ipsius Ecclesia Burgi S. Andeoli.

Item 5. Kal. Augusti Romæ natale Sancti Victoris Papæ, qui post B. Petrum 15. rexit Ecclesiam annis 10. & sub Seuero principe martyrio coronatus est.

Sanctus Victor reipublica Christianæ vt par erat curam gerens.

Ex libro Pontificum. Hic constituit, vt sanctum Pascha die dominica celebraretur, & vt, necessitate faciente, quicunque hominum ex gentili veniens in quauis aqua baptizaretur. Item fecit constitutum ad interrogationẽ Sacerdotum de circulo paschali cum presbyteris, & episcopis facta collectione, & accersito Theophilo episcopo Alexandriæ, vt à 14. luna primi mensis vsque ad vicesimamprimam, die dominica custodiatur S. Pascha.

De Quinto Tertulliano, & scriptis eius.

CAP. VII.

Martyrio coronam laborum adeptus est.

EVsebius *in chronicis.* Anno Seueri 18. Tertullianus Afer centurionis proconsulis filius omnium ecclesiarum sermone celebratur.

Hieronymus in lib. de illustribus viris. Hic acris & vehementis ingenij sub Seuero principe, & Antonino Caracalla maxime floruit, multaque scripsit volumina, quæ, quia nota sunt plurimis, prætermittimus. Vidi ego quẽdam Paulum Concordiæ (quod oppidum est Italiæ) se-

Tertulliani tum acre ac vehemens ingenium, tũ doctrinam tanti fecit Cyprianus,

nem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nullam vt diem absque lectione Tertulliani praeteriret, suoque notario frequenter de Tertulliano diceret: Da Magistrum: Niceph. li. 4. cap. 34.

nem, qui se B. Cypriani iam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret; referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione vnam præteriisse diem; ac sibi crebro dicere. Da Magistru, Tertullianum videlicet significans. Hic vsque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansit; inuidia postea & contumelijs Cleticorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ prophetiæ meminit, specialiter etiam aduersum Ecclesiam texuit volumina; de pudicitia; de persecutione, de ieiunijs; de monogamia; de extasi libros sex; & septimum, quem aduersum Apollonium composuit. Ferturque vixisse vsque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non extant, opuscula condidisse.

Author. Hic Quintus Tertullianus scripsit Apologeticum librum vnum, de quo plura in hoc opere, locis congruis inserui.

De Origene.

Cap. VIII.

Vsebius. in chronicis. Anno sequenti Origenes Alexandriæ studijs eruditur. *Hieronymus de illustribus viris*, Origenes, qui & Adamantius, decimo Seueri Pertinacis anno aduersum Christianos persecutione commota, ac Leonide patre illius Christi martyrio coronato cum sex fratribus, & matre vidua, pauper relinquitur, annos natus circiter 17. Rempublicam enim familiarem ob confessionem Christi, fiscus occupauerat. Hic Alexandriæ, dispersa Ecclesia, 18. ætatis suæ anno catecheseon id est doctrinarum opus aggressus, postea à Demetrio eiusdem vrbis episcopo in locum Clementis Presbyteri confirmatus, per multos annos floruit: & cum iã mediæ esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ plurimis hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ, Athenas per Palestinam pergeret, à Theotisto, & Alexandro Cæsareæ, & Hierosolymitarum episcopis, presbyter ordinatus, Demetrij offendit animum; qui tanta aduersum eum debacchatus est insania, vt per totum orbem sub eius nomine scriberet. constat eum antequam Cæsaream migraret, fuisse Romæ sub Zephyrino episcopo, & statim Alexandriã reuersũ, Heraclan presbyterũ iterũ qui sub habitu Philosophi perseuerabat, adiutorem sibi fecisse catecheseon, qui quidem & post Demetrium Alexandrinam tenuit Ecclesiam. Quantæ autem gloriæ fuerit hinc apparet quod Firmillianus Cæsareæ episcopus cum omni Capadocia eum inuitauit, & diu tenuit: & post, sub occasione sanctorum locorum Palestinam veniens diu Cæsareæ ab eo in scripturis sanctis eruditus est. Sed & illud quod ad Mammeam matrem Alexandri Imperatoris religiosam fœminam rogatus, venit Antiochiam, & summo honore habitus, ad Philippum Imperatorem, (qui primus de regibus Romanis Christianus fuit) & ad matrem eius literas fecit, quæ vsque hodie extant, quis ignorat? Et quod tantum habuit in scripturis sanctis studij, vt etiam Hebræam linguam contra ætatis, gentisque suę naturam ediscceret, & exceptis 70. interpretibus, alias quoque editiones congregaret, Aquilæ scilicet Pontici Proselyti, & Theodotionis, Hebionei & Symmachi eiusdem dogmatis, qui in euangelium quoque κατὰ μαθθαῖον scripsit commentariolos, de quo & suum dogma confirmare conatur. Prętерea & quintã, & sextam, & septimam editionem, quas etiam nos de eius bibliotheca habemus, miro labore reperit, & cũ cæteris editionibus comparauit. Dialecticam & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam, omnium Philosophorum sectas ita didicit, vt studiosos quoque sæcularium literarum sectatores haberet, & interpretaretur quotidie, concursusque ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione sæcularis litteraturæ, in fide Christi instrueret. Qui autem super Origenis statum scire velit, quod actum sit, primum, de epistolis eius quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt: deinde & de sexto Eusebij Cæsarienſis Ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex voluminibus possit liquido cognoscere. Vixit autem vsque ad Gallum & Volusianum id est vsque ad 66. ætatis suæ annum: & mortuus est Tyri.

ANNOTATIO.

Varij varia tradunt de Origene: Epiphanius maxime ipsi aduersabatur, nam licet multa in laudem ipsius dicit; tamen tandem aut praclara Origenis facta non eousque permansisse, quousque branium acciperetur. Nam fidem abiurasse dicitur cum exclamauerit je sacrificare malle, quam corpus eius impudico Æthiope contaminare: atque inde à diuina sententia, & gratia delapsus, alienas opiniones, Sathana instigante, induxit: per quas multis à saniore sententia seductis, longo post tempore ab Ecclesia Christi per excommunicationem est proscriptus. Quin & Nicephorus l. 17. cap. 27. adfert Origenis absurda & impia dogmata, atque eundem Origenem hareticis pene omnibus materiam erroris prabuisse, & in c. 28. adfert Anathemata contorta in Origenem in quinta synodo generali Constantinopolitana, vbi post multa, hac sequuntur. Anathema sit Origeni qui & Adamantius dictus est; & hac prouulgauit, vna cum detestandis eius & execrandis dogmatibus & homini omni qui hac sentit aut asserit: sic Nicephorus: de his qui plura volet legat Vincentium Lirinensem, Suidam & alios: sed dicet aliquis cum Rufino, corruptos esse libros Origenis ab hareticis: Non nego, quin potius & malo: sed audi Hieronymum, qui dicit hoc credere ineptum esse vt constat ex Eusebio & Didymio, qui omnia eius scripta & dicta defendunt, vt & Pamphilus martyr multa, sensum scribentis edisserendo.

De laude eiusdem iuxta Haymonem.

Cap. IX.

Haymo in Christianorum rerum memoria. Nouimus Eusebium à quibusdam Ecclesiasticis viris aliquantulum fuisse notatum, quod nimius fuerit in laude Origenis. Illud vero de eo breuiter enarramus, quod etiam orthodoxi quique & religiosi viri diffiteri non possunt.

Origenes Leonidis martyris filius, & ipse fere à pueritia, voluntate martyr, & forsan actu, nisi quod à matre subripiente nocte vestes eius pia fraude præpeditus est, magnam & manifestam à Deo gratiam scientiæ consequitur: potens in Grammatica, & cæteris omnibus litteris, in omni Philosophica eruditione apprimè institutus, maxime in lectione, & doctrina diuinorum voluminum potentissimus illius temporis, & famosissimus indagator. Hic ergo pro magna & incredibili sententiæ prærogatiua, doctor Ecclesiæ apud Alexandriam à Demetrio ipsius loci Episcopo constituitur: cathedramque doctorum tertius obtinet post Panthænum, & Clementem, cuius scilicet Clementis, & ipse extitit auditor. Vbi dum verbum Dei doceret palam: tam viros instruens quam fœminas, & omnem turpitudinis occasionem, maledicti gratia, vellet infidelibus tollere, quiddam minus perfecti sensus, exercet in proprio corpore, sed feruentis fidei, & nimiæ castitatis opus. Nam illud euangelicum attendens: *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei*, mox in seipso adimpleuit. Tunc ergo nulla aduersarijs obtrectandi suspicione derelicta, maximè doctrinæ, & prædicationi institit oportunè, & importunè, per diem & noctem publicè, & priuatim, in abstinentia plurima, in ieiunijs indefinentibus, & vigilijs penè iugibus, ita vt si quando aliquid parum somni necessitas naturalis exigeret, hunc ille non supra stratum, quo omnino nullo vtebatur, sed supra nudi soli deprehenderet superficiem. Fertur autem quod ex eius adiutorio plurimi ex vtroque sexu martyres effecti sunt. Sed & illud præclarum fertur de eo, quod nunquam permisit ea quæ in ecclesijs differebat à notarijs excipi, nisi quando iam 60. ætatis agens annum, multo vsu & labore, plurimum fiduciæ in verbo Dei acceperat, quãdo scilicet iam inerat ei vitæ grauitas & maturitas ætatis, & multę experientiæ auctoritas. Inter cætera quoque eruditionum suarum studia virtutem Hebrææ linguæ didicit, vt agnosceret, vel ea quæ à Iudæis leguntur qualia sunt, vel cæterorum interpretum, qui præter 70. interpretati sunt: quanta esset diuersitas. Sed & aduersum hæreticos confutandos tam viua voce quam librorum disertis disputationibus potenter elaborauit.

Matth. c. 19. Quid autẽ de Origene sentiat Baronius, paucis excipe: imprimis enim illum à Demetrio excommunicatum fuisse ob errores eius scriptis contentos asserit. Deinde anno 400. ait eundem ab Anastasio Pontifice denunciatũ fuisse hereticum imo & ab omnibus ecclesiarum episcopis, tam in Oriente quam Occidente. Idem etiam repetit anno 538. in simili casu & anno 532. narrat visionẽ quãdam diuinitus ostensam de eius dãnatione ad inferos una cum alijs hæresiarchis. Hactenus.

De cauſis errorum eiu ſdem.

CAP. X.

INde plurimum admirari non ſufficio, quod vir tam illuſtris, tam aperte rebellans, & obuians hæreticis; deuolutus ſit in nominatiſſimam hæreſim, & errorem, quod ſcilicet Seraphin in Eſaia Spiritumſanctum eſſe expoſuerit. Et in alio loco de pœnitentia diaboli ſcripſerit,& de abſolutione reproborum poſt mille annos, & de multis alijs quæ Orthodoxæ fidei aduerſantur; maxime cum abſtinentiſſimæ,& caſtiſſimæ vitæ fuiſſe referatur,& tam præclaræ doctrinæ,tam puri & lucidi ſermonis. Ego ſane de eo (ſalua fide Patrum) dixerim, quod vel hoc omnino non ſcripſerit,ſed ab hæreticis ob præclarum eius nomen obfuſcandum, malignè conficta ſunt & conſcripta, & nomine ſuo prætitulata, vel ſi ſcripſit, non ſtatuit ex ſententia,ſed diſſeruit ex opinione. Nam (vt ipſemet dicit) Philoſophorum & hæreticorum dogmata didicerat,ne ad eos conuincendos imperitior eſſet,ſi ignoraret, quæ apud ipſos erant. Et fortaſſe cum in aliquibus locis ſcribendo, attigit eorum errrores; calumniatus eſt hoc à ſemetipſo dixiſſe. Quod ſi etiam prædictas hæreſes (vt placet quibuſdam) ex ſententia ſcripſit, valde compatiendum eſt, tam eruditi pectoris viro,qui tantàm eruditionis copiam miniſtrauit. Cuius vitia ſi qua ſunt in ſcripturis, poteſt eorum, quæ fideliter ſcripſit, luminoſus quidam ac cæleſtis ſplendor exuperare,de quo à Patribus dictum eſt; *quia vbi bene ſcripſit, nemo melius.* * Quod autem erratum eſt ab Origene, & contra Orthodoxam fidem aliquid deſcriptum, opinor ex hoc ei accidiſſe, quod nimio lectionis ſtudio Philoſophos eſt amplexus. Attigerat enim & omnino aſſecutus fuerat ſecreta Platonis, & Pythagoræ: Cheremonis quoque Stoici, & Cornuti volumina,cæterorumque Philoſophorum. Et fortaſſe, quod nimis in eis eſt moratus,& quod diutius ebibit de calice Babylonis inaurato,coactus eſt quodammodo de eius fece in ſacram ſcripturam transfundere. Ex quo valde & vigilanter cauendum eſt Eccleſiaſticis viris, ne nimis Philoſophicis inſtitutis dent operam, *ne forte cum inebriati fuerint eorum inanibus poculis,& tumidis ſenſibus inflati,difficilius retracto pede ad humilitatem Chriſti renocentur, & tardius fidei noſtræ acquieſcant, quandoquidem edocti ſunt contrariam.* Neque hoc dicendo lectores artium damnamus & artes: nam & ipſæ non inutiliter leguntur ad profundas quæſtiones Theologiæ enodandas & perſcrutandas rationes: quippe ipſa eſt domina artium; & cæteræ, vt pediſſequæ famulantur. Verum quoſdam ſcholaſticos non mediocriter reprehendimus, qui libris gentilium tam familiariter adhærent,& totos ſe immergunt,& totum penè in eis vitę ſuæ curſum, & eruditionis conſummant. Quam honeſtius erat Eccleſiaſticæ intendere diſciplinæ, quam rectius & facilius ſacræ ſcripturæ libros addiſcere; quibus legendis, ſi darent operam,paucioribus certe temporum ſpatijs,totam in ſe bibliothecam Eccleſiæ transfunderent, quam omnes friuolas illas, & penè inutiles ſcientiolas quibus occupantur.

** Vbi male nemo peius: Caſſiod inſt. diuin. lec. Et tanta fuit aliquando Origenis doctrina,etiam cum mira vita ſanctitate coniuncta vt quidã de ſummis Eccleſiæ proceribus dicere aliquando non dubitauerint malle ſe cũ Origene errare, quam cum alijs bene ſentire.*

De multitudine librorum eius.

CAP. XI.

EXtant Origenis commentarij quos in ſacras ſcripturas diligentes & luculentos edidit. Itaque 30. libros in partem quandam Iſaiæ Prophetæ commentatur, & in Ezechielem quoque 25. libros, totidemque in Cantica Canticorum. Librum de martyribus ad Ambroſium ſcribit tanta, diſtricta ſpiritus virtute, vt eius ſententijs tanquam validiſſimis neruis, multos ad martyrium ſtabiliret. Sunt & alia eius opuſcula innumerabilia,quæ omnia enumerare, huius compendij non eſt opus.

Hieronymus ad Pammachium,& Oceanum. Origenes mille & amplius tractatus, quos in Eccleſia locutus eſt, edidit, & innumerabiles præterea tomos. Quis tam ardentem animum in ſcripturis non miretur? Et cũ in cæteris lib.omnes vicerit; *in Cantica Canticorum* ipſe ſe vicit. Quod ſi quis eius nobis errores oppoſuerit, audiat libere.

Interdum magnus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas eſt ignoſcere ſomno.

Author. Licet (vt dictum eſt) Origenes in multis errauerit,tamen quia multa vtilia & præclara ſcripta reliquit,quædam eorum Eccleſia recipit. Nam & Papa Gelaſius in decretis ſuis illa opuſcula Origenis approbat, quę beatus Hieronymus non reprobat. Ex his ergo, quæ reperire potui, & ex quibus notabilia plurima opuſculis noſtris inſerui, ſunt ea, quæ ſcripta ſunt ſuper Geneſim homelię 17. Super Exodum homeliæ 13. Super Leuit. homeliæ 16. Super Num. homeliæ 28. Super Ieſum Naue homeliæ 26. Super Iudicum homeliæ 9. Super lib. Regum hom. 1. Super Iob lib. 3. Super Pſalmum 36. Homeliæ 5. Super Pſalmum 37. homeliæ 2. Super Pſalmum 38. homeliæ 2. Super Canticum Canticorum lib. 3. Super idem Principium homi. 2 Super Iſaiam prophetam homeliæ 9. Super Hieremiam homeliæ 14. Super Ezechielem homeliæ 14. Super Matthæum libri 35. Quorum tamen 12. primos nuſquam vidiſſe me memini * Item ſuper Lucam homeliæ 39. Super principium Ioannis tomi 32. Super epiſtolam ad Romanos libri 36.

** Extant Pariſijs.*

ANNOTATIO.

Hæc omnia extant opera, Pariſijs excuſa anno 1619. ſtudio Genebrardi,qui & Origenem,quantum potuit,defendit: Inſuper & eidem operi inſerta ſunt ſequentia,videlicet,Periarchon,id eſt de principijs: lib 4. Threni, ex Planctus Origenis,tractatus vnus. Apologia Pamphili (ſi credas Baronio) Euſebij pro Origene: Ruffinus de deprauatione librorum,præcipuè Origenis l 1. De rectâ in Deum fide,dialogus: com. in Iob. Perionio Interprete: In eundem hom 4. In diuerſos noui teſtamenti,homelia. Contra Celſum Epicureum lib 8. contra Marcioniſtas Dialogi. Philocalia,ſiue de amore honeſti: De Suſanna hiſtoria epitome. De eadem hiſtoria Iulij Africani epiſtola,& ad eam Origenis reſponſio: qua omnia proſtant, vt dixi, Pariſijs cum Origenis vita ex collectaneis edita à Genebrardo.

De varijs illius erroribus.

CAP. XII.

SCripſit poſtea libros Periarchon, in quibus maxime eius hæreſes inueniuntur. Sed in commentario eius ſuper Matthæum cauendum eſt quod dicit,panem illum quem dedit dominus diſcipulis ſuis, non fuiſſe verum corpus eius, exponens illud myſtice de pane verbi Dei. In commentarijs quoque librorum Moyſi mihi videtur nimis allegoricum ſenſum ſequi,& quaſi improbare hiſtoriæ veritatem.

Epiphanius Salaminæ epiſcopus ad epiſcopum Hieroſolymitanum. Præterea friuolam Origenis expoſitionem de tunicis pelliceis: quanto conatu, quantiſque egerit argumentis,vt tunicas pelliceas humana corpora crederemus, qui inter multa ait: Nunquid coriarius erat Deus, aut * ſordiſcarius, vt conficeret pelles animalium, & conſueret tunicas pelliceas Adæ, & Euæ? Manifeſtum eſt ergo inquit, quod de corporibus loquitur. Si autem propter vnum verbum aut duo,quæ fidei contraria ſunt, multæ hæreſes abiectæ ſunt ab Eccleſia,quanto magis Origenes inter hæreticos habebitur, qui tantas peruerſitates contra fidem Dei adinuenit, & Eccleſiæ hoſtis extitit? *Hieronymus ad Auitum presbyterum.* Qui libros Periarchon Origenis à me tranſlatos voluerit legere, & calciatis pedibus ad terram promiſſionis pergere, ne ibi à ſerpentibus mordeatur, & arcuato vulnere Scorpij verberetur, legat prius hunc librum,vt antequam egrediatur,viam, quæ ſibi cauenda ſit,nouerit.

** Legendum arbitror ſcortiſarius à pellibus animãtium quæ ſcorta vocantur, aut ſcrutarius à genere veſtis pellicea.*

Scorpij ictus quales.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Errauimus iuuenes, mẽdemur senes ait Hiero. ibidem.

Idem ad Pammachium & Oceanum. Si mihi credideritis Origenista nunquam fui, si non creditis, nunc esse cessaui. Male sensit Origenes de Filio, peius de Spiritusancto, animarum de cælo ruinam impiè protulit; veram carnis resurrectionem negauit. Post multa autem sæcula vnam de omnibus fore restitutionem asseruit. Nuper sanctus Ambrosius Hexaemeron illius compilauit, sed quia mei æmulatores vos esse dicitis; ad cæteros, Talpæ; Caprearum in me oculos habetis.

Idem ad Desiderium: Origenes melior in omnibus bonis, peior in omnibus malis fuit.

De pœnitentia illius.

Cap. XIII.

Idem ad Pammachium & Oceanum. Ipse quoque Origenes in epistola, quam ad Fabianum Romanę vrbis Episcopum scribit, pœnitentiam agit, quod talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita, in publicum protulit.

Author. extitit etiam libellus, qui *Planctus* dicitur Origenis, & à beato Hieronymo translatus inscribitur. In quo sic ex eiusdem Origenis persona legitur.

Heu mihi Mater mea quę peperisti virũ legis peritũ in iniquitatem proiectum, siue virum religiosum in impietatem delapsum peperisti; quasi turrim excelsam vel elatam; sed subito vsque ad pauimentum prostratam: Sicut arborem fructiferam, subito marcidam, sicut lampadẽ luciferam, & subitò extinctam. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plangam meipsum in contritione mea?* Cerno Sacerdotium flens super me, & thronum meum, araneam texentem. Require me Domine, quia de superiori Hierusalem cecidi. Hei mihi quondam doctori, quia nec locum teneo discipuli. Tu nosti Domine quia inuitus cecidi, volens alios illuminare, meipsum obscutaui. Volens pro pietate inueniri, contra impietatem inuentus sum. Vulnerauit me Diabolus in Angelum transfiguratus. Flebam aliquando super Sampsonem; sed peiora perpessus sum: super Salomonem, & deterius cecidi: super omnes qui peccauerunt, & omnibus deterior apparui. Sampsoni coma capitis defuit, mea vero de capite corona cecidit. Illum mulier seduxit, me lingua mea ad ruinam peccati perduxit. Conculcate me pusilli & magni cõculcate sal insipidum, quia indignus Deo sum. Diuinũ sal in stercore iacet. Video super me nubem obumbrantem, & solem radios suos abscondentem. Protege me Domine, & mitte Spiritum tuum, vt igneo respectu repellat à me Diabolum spinosum, & deleatur, quæ contra me est cautio peccati, *ad vesperum demoretur fletus, &c.*

Hierm. 9.

De Apologia eiusdem.

Cap. XIIII.

Psal. 29. Verba Origenis, ex epistola ipsius quã ad quosdam tharos suos in Alexandria scripsit, contra eos qui libros suos, adhuc eo viuente, adulterauerunt.

Author. Scripsit autem Apologiam pro se, in qua loquitur sic: Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos, ascribunt nobis, & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt, dicentes, me Patrem malitiæ, ac perditionis & eorum qui de regno Dei eijciuntur, id est Diabolum, dicere esse saluandum, quod ne aliquis quidem manifeste insaniens, diceret. Sed nihil mirum mihi videtur, si adulteratur doctrina mea ab inimicis, tali adulterio, quali & epistola Pauli Apostoli corrupta est. Quidam enim sub eius nomine scripserunt epistolam fallãm, vt *Ecclesiam Thessalonicensem* exturbarent, quasi instaret dies Domini, & eos seduceret. Tale quid in nobis video accidere. Nam quidam auctor hæreleos cum sub præsentia multorum habita fuisset inter nos disputatio, & descripta accipiens ab his qui scripserant codicem, quæ voluit, abstulit, & quod visum est permutauit, & circumfert tanquam ex nomine nostro insultans, & ostendens ea, quæ ipse scripsit. Si quis ergo vult credere mihi in conspectu Dei loquentis credat. Sin autem quis non credit, sed vult de me male loqui, nihil quidem mihi damni infert. Erit autem ipse falsus testis apud Deum, & apud proximum falsum testimonium dicens, vel dicentibus credens. Timeat autem quod dictum est: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Hæc *Origenes.*

Scripsit, & pro eo sanctus Martyr Pamphilus, libellum apologeticum, de quo, hæc quæ sequuntur, breuiter annotaui.

Pamphilus in Apologetico. Nihil mirum fratres videmini mihi esse perpessi, quod ita vos Origenis subterfugit intellectus, vt vos quoque æstimetis de illo, quod alij nonnulli: siue per imperitiam sui, quia non valens sensus eius altitudinem contueri; siue pro prauitate mentis, qua studium gerunt non solum dicta eius incursare: verum aduersus eos, qui hæc legunt hostiles inimicitias sumere.

De exhortatorio eiusdem ad clericos.

Cap XV.

Author. Iterum præter supra nominatos Origenis libros, extat eiusdem liber pulcherrimus de singularitate Clericorum, in quo & de habitatione mulierum vitanda, pudicitiaque seruanda disserit in hunc modum.

Origenes. Quia fœminarum commoratione quidam inter nos ad ignominiam deuoluti sunt, dominus me miserum pro vestra negligentia cum seueritate per reuelationem corripiens, mandare præcepit, ne Clerici cum fœminis commorentur. Nimis certe præceps est, qui transire contendit, vbi alium cecidisse conspexerit: & vehementer infirmus est, cui non incutitur timor, pereunte alio. Ille autem prouidus, qui sollicitus fit, casu cæterorum. Aduersaria confidentia est, quæ periculis pro certo vitam suam commendat: & lubrica spes, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. Impossibilis quoque liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Difficile est, vt venenum quis bibat & viuat: vel dormiat in ripa, & non cadat. In hac parte expedit bene timere, quàm male fidere: & vtilius est, infirmum se agnoscat homo, vt fortis existat, quam fortis videri velit & infirmus emergat. Minus Auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt. Vnde dicit Apostolus: *Qui volunt diuites fieri &c.* Sic tentationibus subiacet, qui fœminę iunctus est, in qua nihil aliud est, nisi quod feriat proximantem. Aculeus enim peccati facta est forma fœminea. Si modo putamus nos intentabiles esse mulierum iaculis, nihil restat cælestibus regnis. Merito tales increpat Apostolus dicens: *Iam saturati estis, &c.* Quanti, & quales Episcopi, Clerici, & Laici post victoriarum certamina, post magnalia, & signa, & mirabilia quæque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse cum voluerunt in naui fragili nauigare. Quantos Leones domuit infirmitas delicata, quæ licet sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas: iaculatur, cuius vicinum est delictorum latrocinium. De carbonibus scintillæ disiliunt: morbos Aspides sibilant: de vestimentis procedunt Tineæ &c. Frustra etiam pudicitiæ bonum intrinsecus laborioso agone custodit, qui illud infamari forinsecus efficit, imo peius est, quam Mechia, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam enim ingerit religioni, quam contulit, qui quod confitetur non coram omnibus impleuerit, ne Christianitas credatur esse fallacia, & mechatio videatur sanctitas velamento vestita. Aspectus fœmineus subito & in transitu occurrens velut sagittas alienis oculis iactat: tolerabiliusque est audire Basiliscum sibilantem, quam Mulierem cantantem. Omnis inconueniens sodalitas Mulierũ, gluten est delictorũ, & viscũ toxicatũ,

1. Cor. 6. Sed audi Hieronymũ: vnde inquit sciam, quod sit Pamphili vix est credibile quod doctus vir primos ingenij sui fructus quæstionibus, & infamia dedicarit, & ipsius nomen apologetici ostẽdit accusationem. Non enim defenditur, nisi quod in crimine est. Deinde dato quodlibet aliud opus Pamphili, nusquam reperietis. Hoc vnum est.

1. Tim. 6.

1. Cor. 4.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quo Diabolus aucupatur. Vbique est fugienda, cum mulieribus non continuanda præsentia, & quasi transiens fœminis exhibenda est accessio, quodammodo fugatiua. Cunctis quidem calamitatibus tollimus locū, dum prouidentiam gerimus temporum futurorum: sed hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas, vt non solum audiendo, sed etiam videndo, non credat alios interijsse, nisi & semetipsum videat interire. Quid miramur, si Adam per Euam seductus est, quem nulla morientium exempla præcesserant, sed vna sola iussio constrinxerat, cum nos nec innumerabiles mortes, nec infinita iussa compescant? Vtique si Adam vidisset mortes, quæ factæ sunt in nobis, *olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis &c.* Castitas, seu virginitas, est munimentum sanctimoniæ, expugnatio infamiæ, infirmitas lasciuiæ, animæ victoria, corporis præda, vbertas gloriarum, captiuitas criminum, abolitio scandalorum, pax virtutum, debellatio inquietantium bellorum, culmen puritatis, carcer libidinis, portus honestatis, vita spiritus, carnis interitus, status qualitatis Angelicæ, fumus humanæ substantiæ.

Matth. 11. Laus castitatis.

De Polycrate, & cæteris illius temporis scriptoribus.

Cap. XVI.

Hieronymus de illustribus viris. Polycrates autem Ephesiorum Episcopus cum cæteris Asiæ Episcopis, qui iuxta consuetudinem quandam veterem quartadecima cum Iudæis luna Pascha celebrant, scripsit aduersus Victorem Romanum epistolam synodicam, in qua docet se Apostoli Ioannis, & veterum auctoritatem sequi, de qua hæc pauca excerpsimus.

Nos igitur inuiolabilem celebramus diem, neque addentes aliquid, neque dementes. Etenim in Asia elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de Cælo in maiestate sua, & suscitaturus omnes sanctos. Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines senuerunt, & aliam filiam eius, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit. Sed & Ioannes, qui supra pectus domini recubuit, & Pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans, martyr & doctor Ephesi dormiuit, & Polycarpus Episcopus & martyr Smyrnæ cubat. Thraseas quoque Episcopus & martyr, de Eumenia, in eadem Smyrna requiescit. Quid necesse est Sagaris Episcopi & martyris recordari, qui in Laoditia soporatur? Et Papyrij, & beati Militonis in Spiritusancto Eunuchi, qui sēper Deo seruiēs positus est in Sardis, & expectat in aduentu Domini resurrectionem. Hi omnes obseruauerunt diem paschæ, 14. Luna ab euangelica traditione in nullam partem declinantes, & ecclesiasticum sequentes canonem. Ego quoque minimus omnium vestrum Polycrates, secundum doctrinam proximorum meorum quos & secutus sum (septem siquidem fuerunt proximi mei Episcopi, & ego octauus) semper pascha celebraui, quando populus Iudæorum, azymam faciebat. Itaque fratres 75. annos habens ætatis meæ natus in Domino, & à multis de toto orbe eruditus, peragrata omni scriptura non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim maiores mei. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* *Actor. 5.*

Hęc propterea proposui, vt ingenium & auctoritatem viri ex paruo opusculo demonstrarem. Floruit Seueri principis temporibus, ætate eadem qua Narcissus Hierosolymę.

Appion quoque sub Seuero principe, in Hexaemeron tractatus edidit.

Sextus librum de resurrectione scripsit.

Hugo vbi sup. Tunc etiam floruit Symmachus elegans diuinæ legis Interpres, & Theodotion genere Ponticus, qui tertio anno post memoratum Symmachum, secundam scripturarum sanctarum apposuit editionem.

In Romana quoque cathedra Calistus Zephyrino successit, post quem, Vrbanus Pontificatum tenuit Romanum.

De morte Seueri & imperio Caracallæ.

Cap. XVII.

IMperator autem Seuerus apud Eboracum in Anglia oppidum deficiens, reliquit filios duos, Bassianum, & Getam. Quorum Geta hostis publicus iudicatus, interijt. Bassianus autem Antonini cognomine assumpto, potitus est patrio regno. Porro cum Seuerus vixisset annis 65. defunctus est, vir bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerūt, & Græcis ac Latinis literis simul sufficienter instructus; fuit etiam acer ingenio, & ad omnia quæ intendisset fine tenus perseuerans. Beneuolentia vero, quo se inclinasset, admirabili atque perpetua: ad quærendum quoque diligens, & ad largiendum liberalis: & in amicos & inimicos pariter vehemens.

Caracalla regnat an. Chr. 213. M. 5066.

Eusebius in chronicis. Romanorum igitur 18. Antoninus Caracalla, cępit anno Domini 213. mūdi vero 5066. & imperauit annis 6.

Hugo vbi supra. Hic Seueri filius fuit idem qui & Bassianus. Fuit autem libidine intemperantior patre, qui etiam Nouercam suam Iuliam duxit vxorem.

Eusebius vbi supra. Hic, Caracalla cognominatus est, propter genus vestis quod Romæ erogauerat, & contrario Caracallæ ex eius nomine Antonianæ dictæ.

Sic scribit Dion. eo quod proprium genus indumenti excogitauit in modum penullæ: id barbarum disciissumque, & consutum erat ex multis partibus, eoque indutus erat semper, ex quo Caracallus dictus est, iussit militibus vt se eodem genere vestis induerent: vide Eutropium, & alios: hic nihil memorabile gessit. Aqua in oleum versa.

Idem in 6. lib. Ecclesiasticæ historiæ cap. 7. Eo tempore quamplurimi erant, qui confessionis gloriam quæsierunt, Dei tamen prouidentia fuerant reseruati: in quibus Alexander quidam (de quo paulo ante commemorauimus) confessionis titulo satis clarus Hierosolymorum Ecclesiæ subrogatur Episcopus, cum supereſſet adhuc Narcissus, qui ibi prius functus est Pontificatus officio.

De sancto Narcisso Episcopo Hierosolymitano.

Cap. VI.

ACcidit aliquando in die solemni vigiliarum Paschæ oleum deesse luminaribus: Cumq; id per ministros innotuisset, mæror plebi maximus fuit. Sed Narcissus fide fidens; ministris imperat haurire aquam, sibique deferri. Cumque detulissent, orauit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit. Tunc repente miro, & sæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem, versa, splendorem luminum etiam solito reddit clariorem. Cumque esset recti & iusti indeclinabiliter tenax; quidam homunculi nequam male sibi conscij metuentes, ne criminum suorum, si arguerentur, non possent effugere vindictam, præueniunt & factionibus circumuenire parant eum, cuius iudicium verebantur. Concinnant igitur aduersus eum infame satis, & noxium crimen: conueniunt auditores, testes ex semetipsis producunt, qui sub sacramento iuramenti, quæ obijciebantur, confirmarent: quorum vnus testis, ita ne igni consumeretur, vera se dicere testabatur. Alius ita ne morbo regio corrumperetur: tertius ita, ne luminibus orbaretur. Et quamuis ne iuramentis quidem illis quisquam fidelium & Deum timentium crederet, eo quod vita Narcissi, & institutio, & pudicitia nosceretur ab omnibus, ipse tamen eorum, quæ mota sunt, indignitatem ac molestiam non ferens, simul & secretam, ac philosophicam vitam semper habere desiderans; subterfugit ecclesiæ multitudinem, & in desertis locis atque agellis secretioribus delitescebat annis quāplurimis. At non ille magnus diuinæ prouidentiæ oculus quiescit in longum, sed in impios vltionem per ea ipsa, quæ sibi in periurijs statuerant maledicta, molitur. Primus namque ille testis parua ignis scintilla, noctis tempore domo sua succensa, cum omni genere, omni-

Infimulatur criminis Narcissus.

Narcissus latitat. Vindicta diuina in testes periuros.

que

que familia flammis vltricibus conflagrauit. Alius repente ab imis pedibus vſque ad ſummum capitis verticem morbo regio (quo fuerat imprecatus) repletur atque conſumitur. Tertius autem priorum exitum videns, & oculum diuinum non ſe latuiſſe perſpiciens, prorumpit in medium, & audientibus cunctis, ſera pœnitentia vniuerſum concinnati ſceleris pandit ordinem. Tantis autem lachrymis, immanis commiſſi facinus deflet, & in tantum die noctuque perdurat in fletibus, vſque quo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti ſui huiuſcemodi pœnas dederunt.

Euſebius ibidem c. 8. Narciſſus vero cum ita deſertum petiſſet, ac locis ſemet ſecretioribus abdidiſſet, vt vbinam degeret nullus agnoſceret, neceſſarium viſum eſt epiſcopis, vt alium pro ipſo ordinarent, cui nomen erat Dius: cuique cum paruo tempore præfuiſſet Eccleſiæ, ſuccedit Germanius, & Germanio Gordius. Cum ecce ſubito, velut rediuiuus cæloque redditus ex improuiſo apparuit Narciſſus, & rurſum à fratribus ad præſidendum Eccleſiæ rogatur.

Dius, Germanion, Gordius.

De ſucceſſore eius Alexandro.

Cap. XIX.

VErum cum ipſe iam ſenio feſſus Pontificatus miniſterio ſufficere non poſſet, Alexander ſupradictus ex gente Capadocum, vbi erat præclaræ vrbis epiſcopus, qui Hieroſolymam adorandi, & ſanctorum locorum videndi gratia properauerat, oſtenſus eſt euidenter à Domino, non ſolum ipſi beato viro Narciſſo, ſed & alijs plurimis per reuelationes in plebe, vt ipſum in loco ſancto, Epiſcopum detinerent. Præterea, quod ſupra cætera omnia magis terrificum fuit, eo die quo ingreſſus vrbem Alexander, nunciatus eſt, & multitudo fratrum plurima extra portas in occurſum eius egreſſa eſt, vox cælitus omnibus maniſte audientibus facta eſt dicens: *Suſcipite epiſcopum, qui vobis à Deo deſtinatus eſt.* Itaque re ita completa vt prædicta fuerat, cunctis Paleſtinæ epiſcopis in vnum congregatis, admittente quoque ipſo, vel maxime Narciſſo, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ cum eo gubernaculum ſuſcepit.

Vox cæleſtis.

Hieronymus vbi ſupra. Hic in fine cuiuſdam epiſtolæ, quam ſcripſit ad Antinoitas ſuper pace Eccleſiæ ait: *Salutat vos Narciſſus, qui ante me hunc tenuit epiſcopalem locum, & nunc mecum eundem locum orationibus regit, annos habens circiter, 116. & vos mecũ precatur, vt idẽ ſapiatis.* Scripſit & aliamad Anthiocenſes per Clementem Presbyterũ Alexandriæ, de quo ſupra diximus, necnon & ad Origenem, & pro Origene contra Demetrium: & quod iuxta teſtimonium Demetrij eum Presbyterum, conſtituerit. Sed & aliæ eius ad diuerſos feruntur epiſtolæ.

Alexandri epiſtola ad antinoitas.

Septima autem perſecutione ſub Decio, quo tempo- Babylas Antiochię paſſus eſt, ductus eſt ad Cæſaream, & clauſus in carcere, ob confeſſionem Chriſti martyrio coronatur.

De morte Caracallæ, & imperio Macrini, & Elagabali.

Cap XX.

Hvgo vbi ſupra. Cæſar Igitur Aurelius Antoninus contra Parthos apud Edeſſam occiſus eſt, corpuſque eius Romæ delatum. Vixit autem annis fere, 30. cui ſucceſſit nulla voluntate Senatus, Macer Macrinus Palatii Præfectus.

Variant de eius vita annis ſcriptores. An. Ch. 219. Mun. 5072. Hic nihil memorabile temporis breuitate geſſit.

Euſebius in chronicis. Cæpit autem anno Domini 219. mundi vero 5072. & imperauit anno vno.

Hoc tempore vir ſanctus Abgarus regnauit Edeſſæ, vt vult Africanus.

Antiochiæ decimus epiſcopus conſtituitur Philetus.

Hugo vbi ſupra. Macer ergo Macrinus palatii Præfectus, poſt Antoninum, Romanum inuaſit imperium, ſed emerſo anno, tumultu militari occiſus eſt.

Porro Marcus Aurelius Antoninus Elagabalus imperio Romano potitus imperauit annis 4.

Euſebius vbi ſupra. Hic fuit Romanorum 20. Antonini Caracallæ vt putatur, filius, cæpit autem imperare anno domini 220. mundi vero 5073. Huius tempore Romæ Papatum ſuſcepit 15. Caliſtus. *Hugo.* Hic ſacerdos Heliogabali templi, nullam ſui, niſi ſtuprorum, & flagitiorum, totiuſque obſcœnitatis infamem memoriam dereliquit.

Anno Ch. 220. M. 5073.

ANNOTATIO.

Hic dum obſcœniſſime viueret, & ipſe tumultu militari interemptus eſt cũ matre. Huius temporibus vt ait Ado, in Paleſtina, Nicopolis, qua prius Emaus vocabatur, vrbs condita eſt, legationis induſtriã pro ea ſuſcipiente Iulio Africano ſcriptore temporum Sexta editio inuenta eſt Nicopolis, Sabellius hæreſiarcha oritur. Lege inſuper Baronium anno Chriſti 223.

De Imperio Alexandri, & tranſlatione ſancti Thomæ.

Cap. XXI.

ALexander autem Mammæas, ſenatus, & militum voluntate imperator creatus, imperauit annis 13.

Euſebius in chronicis. Hic Romanorum vigeſimusprimus imperare cæpit anno Domini 224. mundi vero 5077. Hic in Matrem Mammęam fuit vnicè pius, & ob id amabilis omnibus.

Alexander regnat anno Ch. 224. M. 5077.

Huius temporibus Romæ Papatum ſuſcepit Vrbanus, deinde Pontianus. Legitur hic Alexander * Xerxem Regem Perſarum glorioſiſſime viciſſe, à cuius victoria cum rediret, ſicut legitur in paſſione ſancti Thomæ Apoſtoli, ſupplicantes ſui impetrauerunt ab eo, vt mitteret ad Regulos Indorum, vt redderent corpus Thomæ Apoſtoli ciuibus. Sicque tranſlatum eſt corpus eius de India ad Edeſſam, & poſitum in locello argenteo, quod pendet in catenis argenteis. In qua ciuitate (vt ibidem ſcriptum eſt) nullus hæreticus poteſt viuere, nullus Iudæus, nullus Idolorum cultor: ſed nec barbari eam aliquando inuadere potuerunt, ex quo Abgarus, Rex eiuſdem ciuitatis, meruit epiſtolam manu Saluatoris ſcriptam accipere. Hanc denique epiſtolam legit infans baptizatus ſtans ſuper portam ciuitatis, ſi quando gens aliqua venerit contra ciuitatem, eademque die qua lecta fuerit, aut pacantur barbari, aut fugiunt, tam Saluatoris ſcriptoris ſcripto, quam orationibus Apoſtoli Thomæ.

** Ex Lapridio ex Herodiano Artaxerxem videtur legendum, ſicut & in Oroſio, & Caſſiodoro.*

Huius Imperatoris Mater Mammæa Chriſtiana, Origenem Preſbyterum ab Antiochia euocatum, audire curauit.

Huius temporibus inclyti martyres Chriſti Tiburtius, & Valerianus cum beata Virgine Cæcilia Romæ martyrizati ſunt.

ANNOTATIO.

Hic Alexander vrbanis præfecit negotijs ſibique adhibuit conſiliarios Fabium Sabinum, Domitium Vlpianum, alioſque clariſſimos viros, & ineris periti ſimos; quos recenſet Lampridius. Hos tamen & maxime Vlpianũ, infenſiſſimum fuiſſe Chriſtianis tradit Lactantius, vt non ſit mirandum, ſi ſub Alexandro, plurimi in eccleſiaſticis tabulis reperiantur martyrio coronati, ac præſertim Roma. Id enim, inſcio Imperatore, præfectis, quibus adeo ipſe fideret, facile fuit eius nomine, & authoritate exequi: Alioqui repugnarent his quæ à Chriſtianis ſcriptoribus aſſeruntur: nullam ſcilicet excitatam ſub Alexandro in Eccleſia perſecutionem, qui potius (vt Lampridius refert) ipſi Chriſto qualemcumque exhibuit cultum eique templum facere voluit, & inter Deos recipere, ſed prohibitus eſt alijs, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, & templa reliqua deſerenda ſi id optato veniſſet.

De ſancta Cæcilia, & Tyburtio, & Valeriano.

Cap. XXII.

EX geſtis eorum. Cæcilia hæc nata præclaro genere Romanorum ab ipſis cunabulis in fide Chriſti nutrita, diebus ac noctibus virginitatem ſuam conſeruari à Domino precabatur. Deſponſata autem quidam Iuueni Valeriano, dum dies nuptiarum inſtaret, biduanis, & triduanis ieiuniis orans, ſe ſanctis omnibus commendabat,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mendabat, vt eorum precibus ſuam pudicitiam cuſtodiret. Dum hæc agerentur, Cæcilia ſponſum ſuum in cubiculo ſic hortatur. Secretum, amice dilectiſſime, tibi volo dicere, ſi te illud ſub iuramento promiſeris obſeruare. Quo iurante, Angelum Dei, inquit, habeo amatorem, qui nimio zelo cuſtodiens corpus meum, ſi vel leuiter ſenſerit, quod tu caſtitatem meam violare præſumas cõtrate grauiſſime iraſcetur: ſi vero ſincerè me diligas, & caſtitatem meam cuſtodias, ita quoque te diliget, ſicut & me, & oſtendet tibi gratiam ſuam. Tunc Valerianus nutu Dei timore correptus, ſi vis inquit vt credam quod dicis, oſtende mihi Angelum ipſum, & ſi probauero quod vere Angelus ſit, faciam quod hortaris, ſi autem virum alium diligis, te, & ipſum, gladio feriam. Cæcilia reſpondit: Si mihi credis, & te baptizari permittis, poteris eum videre. Statim Valerianus perrexit, & ſecundum ſigna, quæ acceperat inuenit ſanctum Vrbanum Papam, qui inter ſepulchra martyrum latitabat. Cui cum dixiſſet verba Cæciliæ, gauiſus eſt valde, & genibus flexis cæpit pro illo orare. Tunc ſubito apparuit in niueis veſtibus, quidam ſenex tenens librum aureis literis ſcriptum. Quem videns Valerianus præ nimio timore quaſi mortuus cecidit, & à ſene eleuatus, ſic legit: *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia & in omnibus nobis.* Et dixit ei ſenex: Credis ita eſſe an adhuc dubitas? Exclamauit Valerianus, dicens: *Non eſt aliud quod verius poſsit credi ſub cælo.* Et ſtatim ſenex ille diſparuit. Et Valerianus à ſancto Vrbano baptizatus eſt, & diligenter inſtructus, ad Cæciliam redijt, viditque protinus Angelum Cæciliæ oranti aſtantem, qui duas coronas ex roſis & lilijs ferens, alteram Cæciliæ, alteram Valeriano dedit, dicens: Iſtas coronas mundo corde, & corpore, cuſtodite, quia de Paradiſo Dei, ad vos eas attuli, nec vnquam marceſcent, nec odorem amittent. Poſt hæc diſparente Angelo Tiburtius, frater Valeriani, ad eos ingreſſus eſt; & ſtatim mirari cæpit, vnde tantus odor roſarum, & liliorum ſpiraret. Dicit ei Valerianus. Sicut me orante, hunc odorem ſenſiſti, ita coronas ex roſis & lilijs quas habemus, & videre non præuales, ſi mihi credideris, modo cernes. Tunc Cæcilia, & Valerianus, ita Tiburtio prædicauerunt de falſitate Deorum, & *de gloria ſanctorum, & de pœna reproborum, de incarnatione, & paſsione Chriſti*, quod ad fidem conuerſus, & à ſancto Vrbano Papa baptizatus eſt, & tantam Dei gratiam deinceps habuit, quod Angelos quotidie videns, quicquid à Deo petebat accepit.

De paſsionibus eorundem.

Cap. XXIII.

POſt hæc Almachius Romæ Præfectus Chriſtianos diſperdens; audito, quod Tiburtius, & Valerianus mortuos ſepelirent, & ſua indigentibus miniſtrarent, vocatos ad ſe poſt longam diſputationem duci iuſſit ad ſtatuam *Iouis*, vt aut ibi ſacrificarent, aut decollati perirent. Et dum ducerentur, ita Maximo cubiculario præfecti prædicauerunt, quod eum ad fidem Domini conuerterunt, promittentes, quod ſi veraciter pæniteret, gloriam animarum in hora paſſionis eorum videret. Cumque duxiſſet eos ad domum ſuam, ipſi quoque carnifices conuerſi ſunt, & veniente ad eos Cæcilia cum Sacerdotibus baptizati ſunt. Mane autem facto à ſancta Cæcilia, confortati, quarto extra vrbem milliario ducuntur, & nolentes ſacrificare pariter decollantur.

Tunc Maximus cum iuramento aſſerebat ſe in hora paſſionis eorum Angelos fulgentes vidiſſe, & animas eorum de corporibus quaſi virgines de thalamo exeuntes, quas in gremio ſuo Angeli detulerunt in cælum. Almachius vero audiens Maximum cum ſuis omnibus ſic conuerſum, vſque ad mortem plumbatis eum cædi iuſſit: quem Cæcilia iuxta Tiburtium & Valerianum, quos ipſa ſepelierat in nouo ſarcophago ſepeliuit. Ipſa quoque deinde Cæcilia quaſi coniux Valeriani, de ſuis facultatibus, quas iam pauperibus erogarat, inquiritur. Et dum duceretur vt ſacrificaret, tam ſublimiter comitantibus prædicauit, quod conuertit ex eis pluſquam quadringentos viros; quos ſanctus Vrbanus protinus baptizauit. Vnde Almachius eam ſibi præſentatam, poſt longam altercationem iuſſit ad domum ſuam reduci, ibique in bulliente aqua concremari. Sed dum miniſtri ligna igni ſub balneo continue miniſtrarent, die integro cum nocte, quaſi in frigido loco permanſit. Quod cum audiſſet Almachius, iuſſit eam in ipſo balneo decollari: quam ſpiculator tertio ictu percuſſit, & caput eius amputare non potuit; & quia decretum erat, ne quartam percuſſionem decollandus acciperet, ſic eam ſeminecem dereliquit. Quæ triduo ſuperuiuens, & fideles confortans, diuiſit eis cuncta quæ habuit; & ſic eam ſanctus Vrbanus, inter collegas ſuos epiſcopos ſepeliuit.

ANNOTATIO.

Acta Sancta Cæcilia inueniet lector prout hic habentur ſed paulo fuſius in Surio & Metaphraſte: nam eius geſta notarij diligenter confecerunt. De eius ſacri corporis ac ſociorum inuentione, Sigiſbertus in chronicis an. Dom 821. ſic ſcribit: Paſchalis Papa corpus ſanctæ Cæciliæ virginis, ipſa reuelante, inuenit aureis velatum indumentis, ſanguine ipſius perfuſis quod una cum corporibus ſanctorum Valeriani ſponſi eius, Tiburtij Maximi, & vrbani in Eccleſiam à ſe ijs readificatam tranſtulit.

Paſsio ſancti Caliſti Papæ, & Calepodij Presbyteri.

Cap. XXIIII.

Ex geſtis eius. Anno Domini 222. diuino incendio concremata eſt pars eminentior vrbis Romæ, & in templo Iouis manus eius ſiniſtra aurea liquefacta eſt. Tunc venerunt Sacerdotes ad Alexandrum imperatorem petentes vt Dij irati ſacrificijs placarentur; & dum; iubente Alexandro, ſacrificarent; ſubito, ſereno cælo mane die Iouis, fulmine extincti ſunt quatuor Sacerdotes Idolorum, cum ara Iouis, & dies obſcuratus eſt, ita vt Romanus populus fugeret extra muros. Audiens autem Palmatius conſul, quod Caliſtus Papa cum ſuis clericis trans Tyberim latitaret, rogauit Imperatorem vt Chriſtianos, propter quos hoc ſignum contigerat, ad purgationem ciuitatis deleret. Accepta igitur poteſtate Palmatius illuc cum militibus properauit. Sed ſtatim militibus excæcatis territus Palmatius, Alexandro hoc narrauit velociter. Tunc imperator iuſſit vt omnes populi conuenirent, & Mercurio immolarent. Quod cum fieret, virgo templi nomine Iuliana arrepta à Dæmone clamauit dicens: *Deus Caliſti viuus eſt, & verus, qui noſtris pollutionibus indignatur.* Audiens hoc Palmatius occurrit ad ſanctum Caliſtum trans Tyberim in vrbe Rauennatium, & ante ipſum proſtratus, & veritatem profeſſus, poſtulauit baptiſmum. Statimque baptizatus cũ vxore, & familia numero 42. per 30. dies omnia ſua pauperibus erogauit. Et propter hoc Alexander ipſum ſibi præſentatum, Simplicio Senatori tradit, vt eum manſuete tractando conuerteret, eo quod Reipublicæ multum neceſſarius eſſet. Palmatio vero ſemper flente, & orante, venit ad eum quidam, Fælix nomine, rogans pro vxore ſua paralytica, promittens quod crederet ſi eam ſanaret. Cum ergo Palmatius oraſſet; illa ſtatim ſanata, cucurrit cum viro ſuo ad domum Simplicij Senatoris dicens: Baptiza me in nomine Chriſti, qui tenuit manum meam, & eleuauit me. Tunc Palmatius miſit eam ad Caliſtum Papam, & veniens baptizauit Fælicem cum vxore ſua Blanda, ipſumque Simplicium, & familiam eius numero 68. Hoc audiens Imperator, iuſſit omnes qui baptizati fuerant decollati & Calepodium Presbyterum decollatum & diſtractũ per ciuitatẽ in Tyberim iactari, & capita omniũ qui decollari, fuerant per omnes portas ciuitatis ad exemplum Chriſtianorum ſuſpendi. Tunc Papa Caliſtus fugiens cum clericis ſuis in domo Pontiani trans Tiberim latuit, & quæſitum ac inuentum corpus Calepodij in cæmeterio ſuo honorificè

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sepeliuit. Audiens hoc iterum Imperator, adductum sibi Calistum sine cibo & potu 5. diebus durare fecit, videnſque eum amplius confortatum, iussit eum diebus singulis fustigari, & omnium introitum ad eum prohiberi. Ille autem apparente sibi sancto Calepodio confortatus, venientem ad se *priuatum* militem vlceroſum baptizauit, & sanauit. Tunc sæuiens Alexander, iussit illum militem plumbatis vsque ad mortem cædi, & Calistum de fenestra præcipitatum alligatumque saxo in puteum iactari, & in eo rudera cumulari. Asterius autem Presbyter cum clericis suis nocte leuauit eum de puteo, & in cæmeterio sancti Calepodij sepeliuit. Ideoque Asterius post sex dies de ponte præcipitatus, & inuentus in vrbe Ostiensi martyrium consummauit.

Anno Christi 226.

ANNOTATIO.

Extant hæc acta fusius apud Surium; haud tamen in omnibus sincera (vt ait Baronius) non enim probantur quæ in eis habentur promulgata ab Alexandro aduersus Christianos edicta, indictam ab eo aduersus eos persecutionem fuisse. Repugnant enim his quæ ex Lampridio supra citauimus. Itaque qui dicuntur, iubente Alexandro fuisse occidi iussi, sic id accipiendum quod quicquid Iuris illi consultissimi (de quibus supra) quibus cura vrbis fuisset demandata, fecissent; Imperatoris nomine atque authoritate se egisse iactarent. Imo quamdiu ille Vlpianus vixit, Christianos Romæ afflictatos esse tum ex his, tum ex alijs martyribus, qui postea passi sunt, iure affirmari posse videtur Sed lege Baronium in Martyrolog Rom. primo Ian. dium agit de S. Martina.

Passio sancti Vrbani Papæ cum socijs suis.

CAP. XXV.

Acta Sancti Vrbani habetur etiã in libro quinto Petri de Natalibus, cap. 39 Hic constituit vt omnia vasa ecclesia, aut argentea essent aut aurea, si ad sacrũ ministerium pertinerent: vel si pauper esset ecclesia, stannea non vitrea, propter fragilitatem, nec lignea propter porositatem, nec cuprea propter nauseam, vide Greg. Turon. de gloria martyrũ cap. 38.

EX gestis eius. Vrbanus autem ciuis Romanus, genere nobilis, sed sanctitate nobilior, ab infantia Christianus, virtute abstinentiæ, & castitatis ornatus, successit sancto Calisto Papæ persecutione Christianorum adhuc crudeliter seuiente. Cuius dignitatis officiũ, optimis virtutum studijs adornans, rerum proscriptionem multotiens passus, multotiẽs damnatus ex vrbe, sed à fidelibus clam retractus, in tertio ab vrbe milliario, cõfluentibus ad se populis, cõtinuo prædicabat. Interea vrbe diuersis Imperatorum successionibus variata, Alexander filius Mammææ, cuius matrem Origenes conuerterat, regnare cæpit. Qui maternis precibus coactus est, vt in Christianos clemens fieret, non innocentibus persecutionem inferret. Cui ille quidem assensit, non tamen edictis censuit. Vnde Almachi præfectus inimicus totius boni, insidiabatur occultis, & publice puniebat egressos: & inter sanctos reliquos quos occidit, beatam Cæciliam decollauit: quam sanctus Vrbanus inter sepulchra martyrum sepeliuit. Cumque Almachius sanctum Vrbanum vbique iussisset inquiri; Carpasius vnus ministrorum eius, quoddam antrum intrauit, & sanctum Vrbanũ cum tribus presbyteris, & tribus diaconibus orantem inueniẽs, statim eos Almachio præsentauit: iubenturque aut sacrificare protinus *Ioui*, aut carceri mancipari. Rapiuntur sancti à tribunali vt homicidæ, vt vrbis incensores, vt reipublicæ inuasores, & contempto idolo in carcerẽ detruduntur. Vbi dum se mutuo cohortantes orarent, & Christiani ad eos concurrerent; mane facto, singuli ad propria cum benedictione episcopi reuertũtur, & sancti Almachio præsentantur, & duris verberibus attrectati, cum superari non possent, carceri iterum mancipantur. Ad quos venientes tres viri magnifici tribunitiæ potestatis cũ duobus Presbyteris, à sancto Vrbano sunt optime confortati. Cuius verba Anolinus carcerarius audiens compunctus, statim se petijt baptizari, & sic simul tota nocte peruigiles, mane facto ad sua clanculo sunt egressi. Audito igitur quod Anolinus Christianus esset, cum sanctis, Almachio sistitur, & statim sacrificare renuens decollatur.

Sequenti nocte Almachius Vrbanum cum sanctis alloquitur, promittens quod si *Ioui* thura imponerẽt, soluti, libertatem & facultates reciperent. Cum ergo ad simulachrum ducerentur, & vt thura imponerent vrgerẽtur, sanctus Vrbanus orauit, & protinus simulachro corruente pars templi cecidit, & 22. de sacerdotibus qui ignem ministrabant, occidit. Tunc Almachius fugiens timore & anxietate confectus, iubet sanctos cum iniurijs introduci, & plagis grauissimis laniari. Vbi dum bestialiter tractarentur, Lucianus Diaconus inter manus cædentium migrauit ad dominum. Cuius corpus iussu Præfecti tota die inhumatum iacuit donec Fortunatus Presbyter nocte illud rapiens sepeliuit. Vrbanus itaque iterum receptus ergastulo, dũ socios ad perseuerantiam incessabiliter hortaretur, die tertia eductus ad sacrificãdum compellitur, & simul idolum conspuentes, plũbatis crudelissime verberantur, Et tandẽ cunctis colla tendentibus trucidãtur, & eorum corpora bestijs, & auibus exponuntur. Sed statim Carpasium vltio diuina subsequitur, dum à cæde sanctorum rediens, & Idolo quasi victor sacrificans à Dæmone corripitur, & Deos suos blasphemãs; & Christianos inuitus prædicans, post paululũ suffocatur. Quod videns Marmenia vxor eius, perrexit cum filia sua Lucina, ad Fortunatum & Iustinum presbyteros, & baptizatæ sunt, & sanctum Vrbanũ cum socijs eius, anno Pontificatus sui* 9. anno domini 230. decollatum honorifice condiderunt.

* *Baron. an. 6. mens. 7. di. 4.*

De passione Quirici & Iulittę Matris eius.

CAP. XXVI.

AVthor. De sanctis Quirico & Iulitta Matre eius, quia passio eorum inter apocryphas connumeratur scripturas, ob ineptas superfluitates, hoc dicere satis sit, quod mater S. Quirici de Iconio ciuitate progenita, persecutionem fugiens migrauit ad Ciliciæ loca, Tharsoque est immorata. Habebat enim filium paruulum nomine Quiricum, cui cum lacte carnis, disciplinã tradidit diuinæ legis. Insurgente igitur contra se persecutione, sub Alexandro Imperatore, tenta est à præside Alexandro viro quodam impio & maligno. Cumque cogeretur Idolis sacrificare non modico angebatur merore animi, quod posita in procinctu belli pro confessione fidei, sui destituta videretur solatio paruuli. Ad eius tamen suggestionem, iubente Præside, & Matre eum veluti prodente, perquisitus tenellus infans Quiricus, & à militibus Præsidis repertus, atque ante ipsum perductus, primo quidem blandimentis lenibus, vt infans demulcetur, deinde minis exasperatur. Ille vero blandientem æque vt minantem paruipendens, mente sæniorem, & disertissimo sermone *Christianum* se esse constanter est professus, & ab hac professione vllomodo diuelli non posse firmissime protestatus. Vnde cum ante Præsidem staret secundum tempus, * elinguis infantulus, non ille, sed in eo, & per eum, sanctus loquebatur Spiritus, *cuius adipe & pinguedine replebatur anima, & os eius.* Dixit autem Alexander illi: Volo vt mihi pandas, quis huiuscemodi tibi doctrinę extiterit magister, simulque ab hac desistas pertinatia quam celeriter, ne pro Deorum, & Imperatoris contemptu, pœnis afficiaris acriter. Tunc ad hæc ait infans: O præses miror insipientiam, qui in me tãtillam cernens ætatulam, necdum temporis curriculo trimam discendæ scientiæ minus idoneam percunctaris, quis diuinam me docuerit sapientiam? Auditis Præses ipsius huiuscemodi responsis correptus furore, iussit infantem cædi vehementissime. At ille dum cæderetur erectis ad cælum oculis, & paruis manibus expansis, velut Athleta fortis, benedicebat Dominum clamans in excelsis. Gratias ago tibi Domine Deus meus, qui virtutem perficis in mea infirmitate: tum vero veluti reinsultans carnificibus, clara voce pro viribus insonabat frequentius dicẽs; *Christianus, Christianus sum*, & quotiẽs emiserat hanc vocem piæ professionis, totiens ei reparabantur nouæ vires corporis; ita vt Præses, & cuncti qui aderant tantam imbecillis mirarentur sufferentiam ætatis. At glorioſa Mater in tali agone eum positum videns, exultansque toto corde in Deo, extensis manibus in cælum, in voce exultationis & confessionis glorificabat dominum & vt in fide persisteret hortabatur filium, verebatur etiam ne forte cederet in flagellis pro teneritate corporis.

* *erat enim triennis puellus vt ait Martyrolog. Roman.*

Mira gratia in tantillo puero Quirico.

Iterum Præses iussit eam cum filio sibi præsentari, & perseuerantes in fide diuersis pœnis torqueri, ac demum, horrori carceris mancipari. In eadem autem custodia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Translata fuisse horum corpora in Gallias per S. Amatorè episcopũ, Antisiodare eum in oriẽtem peregrinatus esset, tradit ex Móbritio Baronius in Martyrol.

vincti erant circiter 444. viri, quos hortabantur sancti conuerti ad fidem Christi testantes non esse nomen aliud sub cælo in quo possit quis saluari. Cũque illi confiterentur se credere *vnum Deum esse Patrem, & Filium & Spiritũsanctum*; Præses data sententia, iussit eos plecti capitali pœna. At Quiricus, & Iulitta dum frequenter passionibus suis Deum glorificant, de vinculis ad tribunalia, & de tribunalibus ad vincula reuocati, membris varijs cruciatibus distensis; perpendens Tyrannus eos in sufferẽdo alacres, in certãdo insuperabiles, iussit eos decapitari. Tãdẽq; mẽbratim cõscisi, & ne sepilerẽtur dispersi, ab Angelo collecti, nocte à Christianis sepulti sũt.

Horum passio recolitur 16. kal. Iulij.

ANNOTATIO.

Historia hæc non est illa quam Gelasius Papa inter apocryphas numeranit, sed illa eadem est, quam sequitur Surius ex Simeone Metaphraste; videtur tamen Vincentius errare dum asserit Quiricum passum fuisse sub Alexandro Imperatore; cum martyrologium Romanum ponat eum passum fuisse sub Diocletiano: & ita etiam Surius, qui sic habet in vita eius 16. Iunij. (Præerat tunc Diocletianus imperio Romanorum.) Ponitur etiam ibidem Quiricum passum fuisse anno Domini 300. quo tempore Diocletianum regnasse constat ex Baronio.

De sancta Martina virgine, & octo martyribus.

CAP. XXVII.

Ex gestis eius. Eodem tempore sancta Martina passa est sub Alexandro Imperatore. Hæc cum esset Romæ virgo nobilis, & splendida sanatorum progenie orta, ab infantia sacræ scripturæ mysterijs fuit informata, omnibusque virtutibus erat adornata: multasque possessiones, & diuitias habens, pauperibus largiter erogabat. Porro Ministri Alexandri Imperatoris ab eo missi, vt Christianos comprehenderent, & Idolis sacrificare compellerent, hac illacq; per vrbem abeuntes, virginem in oratione positam inuenerunt, & in præsentiam Imperatoris adduxerunt. Qui, vt eam vidit, eius amore speciei captus est; & sperans sibi posse subdi animum eius ait: O puella clarissima spero te mihi sociari, reginamque palatij mei vocari, sed accede nunc, & sacrifica Deo Apollini. Quæ respondit: Ego obtuli me vni Deo viuo, qui corpore casto delectatur, & corde mundo, ipsi sacrifico, meque tota deuotione committo. Imperator autẽ iussit Sacerdotes Apollinis adesse & sacrificia solita præparare, & virginem in templum Apollinis introduci. Quæ muniens se signo crucis, cum eleuatis in cælum oculis, & manibus expansis exoraret, vt Idolum illud præcipitaretur, mox terræmotu magno facto, ita vt ciuitas cõcuteretur, Apollo corruit, & comminutus est, & quarta pars templi destructa est, & oppressit multitudinem cum Sacerdotibus Idolorum qui astabant. Tunc virgo dixit Imperatori: Sta & adiuua Deum tuum Apollinem, qui confractus est. Quare non surgis, & adiuuas Sacerdotes, qui oppressi sunt in ruina templi? Mox vero Dæmon, qui in Idolo Apollinis habitabat volutans se in puluerem Idoli voce magna clamabat: O virgo Martina, magni Dei ancilla, quæ ab habitaculo meo, in quo habitaui annis 98. me denudasti, ac deformẽ ostendisti, multi vero sanctorum martyrum proficientes vsque nunc me minime manifestauerunt: cum essem in potestate multa habens sub me spiritus nequissimos 472. qui mihi præcipienti quotidie ánimas multas hominum offerebant. Tu autem me effugasti, tartarico tradens igni. Tunc idem Dæmon per aera clamans, & stridens ibat. Vnde verò proficiscebatur, tenebræ videbantur, & omnes prospicientes terrebãtur. Imperator autem non intelligens hæc facta esse diuina iussione, præcepit virginem alapis cædi, & vncinis palpebras eius dirũpi. Quod dum fieret, carnifices, huius sceleris ministri clamabant: Væ nobis peccatoribus, quia magis quam hæc virgo cruciamur: nam quatuor viros splendidos ante illam videmus, & quas ei pœnas ingerere nitimur, magis nos ab illis suscipimus. Sancta autem virgo aspiciens in cælum benedicebat Deum, & cum pro his Octo viris, qui eam cruciabant, Dominum exorasset, vt eos ad rectam fidem conuerteret, lumen eos circumdedit, & vox de cælo sonuit dicens eis: Propter famulam meam Martinam peperci vobis: tu autem filia confide, ego sum quem inuocas, ne permittam tibi dominari ab hoste.

Post hæc illi octo viri cadentes in faciem, rogauerunt virginem vt per eam à Domino veniam impetrarent, de his, quæ in eam præsumpserant. Imperatori vero astantes, constanter, & alacriter dixerunt: Nos, Imperator, Idola tua à quibus vsque nunc seducti sumus, nunquam adoramus, quia per beatam Martinã omnipotentis Dei virtutem, cognouimus. Quibus Alexander iratus ait: O stulti, decepti estis, per incantationes *Crucifixi*, in quibus confiditis. At illi, vere, inquiunt, sceleratus es, & draco habitat in te, quia non cognoscis qui te fecit, & dedit tibi hanc potestatem coinquinandi vsque in finem animam tuam. His verbis commotus Imperator, iussit eos suspendi, & carnes eorum lacerari. Inscisi vero à spathis, nihil dicebãt, sed cælum intuentes Deum cernua mente implorabant. Et in hoc amplius furens Rex, capitalem sententiam aduersus eos dedit. Sicque orantes, & signaculo crucis se munientes, tetenderunt ceruices, & cum lætitia per cruorem sanguinis proprij beatum finẽ adepti sunt mense Nouembris 17. die.

Conuertũtur ad Christum eius tortores.

Signo crucis se muniunt. 17. Cal. Nouemb. habet Baron. in notis Primo Ian.

ANNOTATIO:

Acta S. Martinæ his similia extant apud Surium 1. die Ianuarij. sed in multis emendanda ait Baronius iuxta superius dicta: prout satis fuse idem author ostendit in martyrologio Romano 1. Ian. agens de S. Martina: Sciat igitur prudens lector, dum legerit hæc acta, vel quæ extant apud Surium, & animaduertat Christianos causam dixisse coram Alexandro; quod illa non sint acta purissima, publice excepta à notarijs actuariis coram præside, sed potius esse actorum paraphrases superadditas, prout quiuis prudens, facile posset iudicare.

De agone sanctæ Martinæ virginis.

CAP. XXVIII.

ALia die sedens Imperator pro tribunali, dixit: Introducatur illa incantatrix, vt iterum eius incantationẽ videamus. Ingressa igitur Martina cum sacrificare nollet, iussit eam Imperator expoliari, & præcingi, & carnes eius cum gladijs inscidi. At illa videbatur candida, sicut nix; corpusque eius præ splendore, aspicientes caligare faciebat. Ex vulneribus autem corporis eius lac pro sanguine emanabat, & odor magnus tãquam effusorum aromatum fragrabat. Cumque orationem fudisset, & Imperatoris verba contemneret, insuper & acriter eius vesaniam argueret, iussit eam per membra quatuor palis extendi, & fustibus cædi. Quod cum fieret, ministri cædentes deficiebant viribus & obsecrabãt imperatorem, dicentes: Libera nos ab hac puella, & ab istis pœnis. Angeli enim Dei repercutiunt nos vectibus ferreis & in neruis ac medullis cruciamur: insuper & carnes, & ossa nostra sicut ab igne cremantur. Imperator autẽ iussit eã amplius cædi, omnesque cædentes eam, facti sunt velut mortui. Imperatore vero præ confusione nesciente quid ageret; Eumenius diues cognatus eius suasit ei, vt eam in carcerem mitti iuberet, & adipum pinguedine feruide dissoluta lauaretur, sicque claritas eius coinquinaret. Quod & Imperator fieri iussit: At illa carcerem gaudens intrauit, & glorificans Deum adorauit, multorumque voces audiebantur cum illa glorificantium Deum. Mane autem facto missus ab Imperatore Limenius, vt eã adduceret, odore suaui est repletus. Dixeruntque comites eius: Ciues hunc odorem fecerunt, quia Martinam diligunt. Alij vero dicebant, quia Dij propitij apparuerũt. Aperiẽs autem Limenius ianuam vidit lucem magnam circumfulgentem eam; ingressumque eum sicut fulgur circumfulsit, & præ timore in terrã cecidit; vixque surgens, & ingrediens, vidit B. Martinam in sede gloriosa sedentem, & multitudinẽ virorum albatorũ circa eam. Ipsa quoque tabulam auream tenebat, in qua scriptum erat: *Quã magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti*; Timensque Limenius ad palatium abijt, & Imperatori mirabilia Dei nunciauit: at omnes cũ rege stantes dicebant Limenium maleficijs virginis seductum. Denique viris albatis disparentibus, educta est virgo de

Nouæ sãctæ Martinæ supplicia.

Tortores diris plagis cruciantur.

Visio Limenij.

Psal. 19.

carce-

carcere,& Imperatori præſentata, iuſſa eſt Deæ Dianæ ſacrificare. Qua templum ingreſſa, Dæmon, qui habitabat in idolo clamabat: Væ mihi, quia ignis me perſequitur per quatuor angulos templi. Cui cū præcepiſſet virgo vt ſe moueret,& ſtridēs exiret, mox tonitruū cū fulgure factum eſt: ignis etiam de cælo cecidit,& cōbuſſit Sacerdotes, & Idolum Dianæ in fauillam redegit.

Idolum ſubuertit ſuis precibus.

Define agonis eiuſdem virginis.

Cap. XXIX.

Vngulis atrociſſime diſcerpitur.

TVnc virgo quaſi deſtructrix tēpli, iuſſa eſt extendi, & mēbra eius cū ſpathis inſcidi, ac circa māmillas vngulis attrectari. Cūq; in his omnibus conſtanter ſtaret, & Deū glorificaret, iuſſa eſt feris tradi vt diſcerperetur, & diſcerpta moreretur. Tunc immaniſſimus Leo cōtra eā dimiſſus eſt, qui nō comederat diebus tribus, vt eā deuoraret: egreſſuſque rugit ſuper eā, nō terrorē oſtēdens, ſed cōpaſſionem, agitanſq; vultū, & facie blādiēs, ambulauit ad eā, & inclinās ſe oſculabatur pedes eius. Illa vero dicebat: *Fulges in virtutibus Deus, proſpicio enim à dextris, & ſiniſtris Angelos ciuitatem tuā glorificātes, & virtutibus ferarū immanium cōtradicētes moreſque earū immāſuetos tranſmutantes.* Hoc Imperator vidēs iuſſit Leonē, in caueā mitti. Qui ſurgens impetū fecit, & ſupradictum Eumeniū cognatum Regis interfecit. Imperator iratus; & valde triſtis, iuſſit eā igni tradi atq; conſumi. Accēſo igitur igne copioſo, eaq; iactata in medio, mox pluuia magna facta eſt, & ſonitus venti, flāmaque diſperſa, omnes circunſtantes incēdit. At Imperator iuſſit comam capitis virginis radi, dicens in capillis eius eſſe maleficia, quibus deputabat mirabilia Dei. Cui illa ait: Teſte Apoſtolo, *mulier ſi comā nutriat, gloria eſt illi*; tu autē gloriā quā dedit Deus facturę eius, amputaſti. Auferet à te Deus regnum, & à gloria Dei perſequeris, & in dolore nimio mortem expectabis.

1. *Cor.* 11.

Tunc iuſſit eam in templum, in quo erat Zeus includi, clauſitque ianuam, & deſignauit annulo ſuo. Imperator autem & Sacerdotes omni die venientes ad tēplum, non audebant ingredi, quia voces audiebātur multorum Angelorum. Dicebat autem Imperator his, qui ſecum erant. magnus Deus Zeus, omnes Deos congregauit, vt Martinam inſtruant, & moneant. Tertia die iuſſit tauros immolari, & aperientes, viderunt eam ſplendentem, & cum ea viros ſpecioſos, Zeum autem cecidiſſe, & in puluerem redactum eſſe. Stupefactus autem Imperator dixit virgini: Vbi eſt Deus Zeus? At illa: Chriſti virtus hunc combuſſit, ſicut Apollinem, & Dianam. Tunc iratus imperator, iuſſit eam extra ciuitatem duci, & gladio caput eius amputari. Quo facto, vox facta eſt de cælo dicens: *Quia certaſti pro nomine meo Martina virgo, ingrēdere cum omnibus ſanctis in regnum meum, & in æternum lætare cum Deo.* Facta autem hac voce, carnifices in facies ſuas ceciderunt, & mortui ſunt. Tunc venit epiſcopus, & omnis Clerus Romanę Eccleſię, & ſublatum corpus ſepelierunt honorifice. Imperator autē Alexander eadem die percuſſus eſt dolore cordis, & carnes ſuas comedebat gemens, ac dicens. Miſerere mei Deus Chriſtianorum, quia nomen tuum perſecutus ſum. Sicut feci, reddidiſti mihi. Factuſque eſt terræmotus magnus, & crediderunt ea die animæ duo milia & 300.

Caditur gladio anno quarto Alexandri Imperatoris teſte Baronio qui fuit annus Ch. 228.

Completum eſt martyrium ſanctæ virginis Martinæ die prima menſis Ianuarij.

De Hipolyto & Beryllo Epiſcopis, & libris eorum.

Cap. XXX.

Ch. 229.

EVſebius *in chronicis.* Temporibus Alexandri Hipolytus, & Beryllus epiſcopus Arabiæ, clari ſcriptores habebantur: Vlpianus quoque iuriſconſultus aſſeſſor Alexandri inſigniſſimus habetur.

Hic martyrium ſubijt Imperāte Alexandro, vt ait Baron. an. 229.

Hieronymus de illuſtribus viris. Hipolytus epiſcopus, qui rationem Paſchę, & temporum canonumque ſcripſit vſque ad primum annum Alexandri Imperatoris 16. annorum circulum reperit; & Euſebio qui ſuper eodem Paſcha 29. annorū circulū cōpoſuit, occaſionem dedit.

Scripſit nonnullos in ſcripturis commentarios è quibus hæc reperi. In Hexaemeron, & Exodum, & Cantica Canticorum, & in Geneſim, & in Zachariam De Pſalmis, de Eſaia, de Daniele, de Apocalypſi, de Prouerbijs de Eccleſiaſte, de Saul, & Phytoniſſa, de Antichriſto, de reſurrectione, contra Marcionem; de Paſcha, aduerſus omnes hæreſes. Colloquia de laude Domini Saluatoris: in qua præſente Origene ſe loqui in Eccleſia ſignificat. In huius æmulationem Ambroſius, quem de Marcionis hæreſi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus eſt Origenem in ſcripturas commentarios ſcribere, præbens ei 7. & eo amplius Natarios, eorumque expenſas, & librariorum parem numerum, quod & his maius eſt, * incredibili ſtudio quotidie ab eo opus exigens. Vnde & in quadam epiſtola Ergodioten, id eſt operis compulſorem eum Origenes vocat.

* *Graci habent intolerabili.* ἐργοδιώκτην.

Beryllus autem Arabiboſtrenus epiſcopus, cum aliquanto tempore rexiſſet Eccleſiam, ad extremum lapſus in hæreſim, quæ Chriſtum fuiſſe ante incarnationē negat, ab Origene correctus, ſcripſit varia opuſcula; & maxime epiſtolas in quibus Origeni gratias agit, ſed & Origenis ad eum literæ ſunt.

Lege Baron. an. 229. *Prateolum. v. Beryllus Euſeb. lib.* 6. *hiſt. cap.* 16.

Extat Dialogus Origenis, & Berylli, in quo hæreſeos coargitur. Claruit autē ſub Alexandro māmææ filio, & Maximino, & Gordiano, qui ei in imperiū ſucceſſerunt.

De Imperio Maximini, & ſæuitia eius in Eccleſiam.

Cap. XXXI.

EVſebius *in chronicis.* Porro Alexandro apud Moguntiacum tumultu militari occiſo, Romanorum 22. regnauit Maximinus annis tribus. Hic primus ex corpore militari, ſine Senatus auctoritate, ab exercitu Imperator electus eſt, anno Domini 237. Mundi vero 5090.

Maximinus Imperator. an. Ch. 237 *Mūdi* 5090

Hugo vbi ſupra. Hic propter Chriſtianam Alexandri, cui ſucceſſerat, & Māmææ matris eius familiam, excitauit in Sacerdotes, & clericos perſecutionem. Vnde Romæ Pontianus Papa, qui Vrbano ſucceſſerat, martyrio coronatus eſt.

Author. In geſtis tamen Romanorum Pontificū legitur, quod Pōtianus Papa & Hipolytus preſbyter exilio ſunt deportati ab Alexandro in Sardinia inſula, Seuero, & Quinctiano conſulibus, & in eadem inſula afflictus, maceratus, fuſtibus cæſus, defunctus eſt 13. kal. Nouembr. & in eius locum ordinatus eſt Anterus 11. kal. Decembris: quem beatus Fabianus adduxit cum clero per nauim, & ſepeliuit in cæmeterio Caliſti via Appia.

Ita etiā Bar. ſcribit de Pōtiano ann. 237.

Antherus natione Græcus ex patre Romulo ſedit * *menſe vno* & martyrio coronatus eſt: fuit autem temporibus Maximini, & Africani cōſulum. Hic geſta martyrum diligenter à notarijs exquiſiuit, & in Eccleſia recondidit propter quendam Maximinum presbyterum, qui martyrio iam coronatus eſt. Hic ſepultus eſt in cæmeterio Caliſti via Appia 3. nonas Ianuarij.

* *Correxi hic authorē qui poſuit an.* 12. *& ſecutus eſt Euſebium*

Euſebius in chronicis & li. 6. *cap.* 20. Tūc Origenes librū de martyrio ad Ambroſiū ſcripſit; qui cum apud plurimos veniſſet, tanquam neruis quibuſdam validiſſimis ſtabiliti, ſponte ſe ad confeſſionem nominis *Chriſti* offerebant: ex quo & maximus numerus extitit confeſſorū, tribus annis à Maximino perſecutione commota, in quibus & finem perſecutionis fecit, & vitæ.

Hugo vbi ſupra. Itaque Maximinus Iulius, qui & Maximus legitur appellatus, 3. quo regnauit anno, à Pupieno Tyranno Aquileiæ interfectus, perſecutionis & vitæ ſimul finem fecit. Moxque Pupienus & Balbinus frater eius vſurpauerunt Romanum imperium, & ſtatim in palatio cæſi ſunt.

Lege Bar. an. 240. *& Onuphriū an.* 236. *&c.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Imperio Gordiani, & scriptis Africani.

CAP. XXXII.

GOrdianus itaque in regnum sublimatus Romanum, imperauit annis sex.

Eusebius in chronicis. Cæpit autem anno Domini 240. Mundi vero 5093.

Hugo. His diebus Romæ Antero Papę Fabianus successit.

An. Ch. 240 M. 5093. Floruit etiam eadem tempestate Africanus vir inter scriptores Ecclesiasticos nominatissimus; Porphirius quoque philosophus, & Victor Sophista apud Athenas.

Hic familiaris Origeni fuit. *Hieronymus de illustribus viris.* Iulius Africanus cuius 5. de temporibus extãt volumina sub Imperatore Marco Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione vrbis Emaus suscepit, quę postea Nicopolis appellata est. Huius est epistola ad Origenem super quæstiones Susannæ, eo quod dicat in Hebraico hanc fabulam non haberi, nec conuenire cum Hebraica etymologia; contra quem doctam epistolam scripsit Origenes. Extat eius ad Aristidem alia epistola, in qua super Diophonia, quæ videtur esse in genealogia Saluatoris apud Matthæum & Lucam plenissime disputat.

Gordianus Imperator occiditur. *Eusebius in chronicis.* Gordianus autem admodũ adolescens, Parthorum natione superata, cum victor reuerteretur ad patriã fraude Philippi præfecti prætorij haud longe à Romano solo interfectus est. Huic milites tumulum ædificant, qui Euphrati imminet, ossibus eius Romam reuectis.

De duobus Philippis Imperatoribus.

CAP. XXXIII.

Philippus Imperator an. Ch. 246. M. 5099. ROmanorum igitur, vicesimus-tertius regnauit Philippus annis 7. cæpit autem anno Domini 246. Mundi vero 5099. Hic filium suum Philippum consortem regni fecit, primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

Regnantibus Philippis, Millesimus Romæ vrbis expletus est annus; ob quã solemnitatem innumerabiles bestiæ in *Circo magno* sunt interfectæ, ludique in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrati.

Lege Eusebium lib. 6. cap. 25. & Baron. an. 246. *Haymo vbi supra.* Philippo Imperatori interesse volẽti vigilijs Paschæ, & communicare mysterijs, restitit Fabianus Papa, nec permisit donec confiteretur peccata, & staret inter pœnitentes.

Author. Qualiter autem isti Imperatores ad fidem Christi conuersi sunt, legitur in vita beati Poncij Martyris, qui sub Decio passus est, sicut in sequentibus narrabitur. Occasione igitur hac etiam ipsius Poncij vitam ab exordio natiuitatis vsque ad eius martyrium in præsenti loco inserere volui in hunc modum.

De bona indole sancti Pontij.

CAP. XXXIIII.

Extant hæc acta apud Surium 14. Maij mutata parum phrasi quibus adstipulantur antiquissima Martyrol. EX *gestis eius.* Huius Pater quondam Senator vrbis Romæ fuit Marcus nomine; mater vero Iulia. Hæc cum prægnans olim Idolorum templa cum viro suo portans munera circuiret, venit ad tẽplum Iouis. Quod cum ingrederetur forte Sacerdos velato capite infulatus ad aras stabat: qui arreptus à Dæmone, apprehendensque velamen simul & infulam, cæpit eam minutatim scindere, voceque mirabili eiulans, omne templum clamoribus implere. Hæc mulier, inquiens, eum in vtero gestat, qui magnum hoc templum funditus subuertet & Deos eius comminuet. Cumque iterum atque iterum has repeteret voces, Marcus & Iulia hoc audientes exangues fugiunt in prope positã domum, arripiensque Iulia saxum aluum suum lateraque tundens aiebat: Vtinam non eum concepissem per quem magnũ templum, & numina eius erunt euertenda: melius est vt ego ipsa cum hoc deficiam. Cumque dies pariendi adueniisset edidit puerum honestum sine vlla macula, quem credebant tantis supplicijs maceratum exanimem generari. Mater autem pueri Iulia interficere paruulũ nitebatur. Cui Marcus Pater eius dixit: Sine, non interficias ipsum: si Iupiter voluerit, vindicet se de inimico suo, nos autem non injiciamus in eum manus nostras. Sicque conseruatus est paruulus, quem ex genere suo Pontium vocauerunt. Vnde accidit, vt in templa idolorum nunquam induceretur, sed cum ad puerilem ætatem veniisset, magnis doctoribus adhibitus, omnium fere Philosophorum vel diuersarum artium literis pollebat, omniaque memoriter retinebat. Cumque quadam die diluculo surgens ad præceptorem suum pergeret, audiuit Christianos quibus sanctus Papa Pontianus præerat psallentes & dicentes: *Deus autem noster in cælo, omnia quæcumque voluit fecit, Simulachra gentium, argentum & aurum, &c.* Hæc audiens puer, & suspirans, Spiritusancto compunctus, flere cæpit, & eleuans palmas ad cælum dixit: Deus, cuius laudem isti decantant, ostende mihi notitiã tuam: cępitque pulsare ad ianuam. Tunc sanctus Papa, reuelante sibi spiritusancto, ait: Aperite, & sinite intrare puerum, *talium est enim regnum cælorum.* Puer ergo Põtius relictis Pædagogis suis in vico, ingressus est cum vno adolescentulo, qui cum eo studebat, nomine Valerio: & inquisita veritate de carmine, quod audierat eos canere, à sancto Pontiano salubriter in fide cum collega suo instructus est. Qui abeuntes læti quotidie redibant ad hominem Dei, & audiebant verbum salutis. Cumque rediret Pontius ad Patrem suum, requisitus an percepisset aliquid à præceptoribus suis, aiebat: Nunquam melius à magistris meis audiui, quam hodie, & heri. Tandem ipsi Patri suo Idola nihil esse ostendit, & introducto ad eũ sancto Pontiano, ad fidem eum conuertit, ita quod ipse Marcus simul cum sancto Pontiano episcopo, & filio suo, omnia idola manibus suis confringens, baptismi gratiam cum filio suo & omni domo sua, suscepit.

Mater eum natum vult interficere; sed pater prohibet. *Psal. 113.* *Math. 19.* *A Pontiano Pontifice de fide instituitur.* *Pater eius conuertitur.*

Qualiter per ipsum Imperatores sunt conuersi.

CAP. XXXV.

SEd multo post eo defuncto, puer Pontius apprehensus à militibus, & in curiam perductus, loco Patris sui nolens, ac repugnans, constituitur, talemque gratiam ei Dominus contulit, vt in omni curia, vel palatio specialiter ab omnibus amaretur. In ipsis diebus sanctus Papa Pontianus glorioſa morte migrauit ad Dominum, post quem Anterus præfuit Ecclesiæ mense vno; deinde Fabianus in Pontificatu succedens, ita beatum Pontium, vt verus pater, verum filium diligebat. Sanctus autem Põtius iam perfectus in Deo, omnes facultates suas accipiens beato Fabiano episcopo tradidit, & eas pauperibus distribuit.

Sic sentit & Onuphrius, tametsi aliter habet Platina de Antero.

Duobus autem Philippis Imperatoribus id est patri, & filio cum esset amicus, quadam die millesimo anno à conditione Romæ dicunt ei: Eamus, & repropitiemus nobis Deos magnos, qui nos in huius anni millesimi circulum natalis Romæ perduxerũt. Quos dum B. Pontius diuersis excusationibus declinare niteretur, illi velut amicum cogebant ad sacrificandum. At ille videns à Domino datam sibi occasionem, ait: O pijssimi Imperatores, cum à Deo principes hominum ordinati sitis, cur non ei, qui vobis hunc honorem præstitit, ceruices flectitis, & ipsi soli sacrificium laudis offertis. Philippus Imperator dixit: Propterea, & ego Deo magno *Ioui* sacrificium offerre desidero, qui mihi hanc tribuit potestatem. Beatus Pontius subridens respondit: Ne erres Imperator. *est Deus in cælis qui cuncta verbo suo constituit, & gratia Sancti spiritus animauit.* Quid plura? Imperatores his, & alijs verbis eius crediderũt, & à sancto Fabiano Papa baptizati sunt. Qui scilicet Fabianus, & Pontius tẽpli magni idola omnia confregerũt,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& ipsum funditus subuerterunt, multique de populo ad notitiam Domini concurrentes, baptismum alacriter susceperunt.

Pater Verona occisus est. filius Roma.

Hugo vbi supra. Porro ambo Imperatores, diuersis in locis fraude Decij successoris sui circumuenti sunt; & occisi.

De imperio Decij, & Fabiano Papa.

Cap. XXXVI.

Decius an. Ch. 253. M. 5106.

Eusebius in chronicis. Romanorum igitur 25. regnauit Decius anno 1. & mensibus 3. cæpit anno Domini. 253. Mundi vero 5106. Hic ex Pannonia interiore Budaliæ natus fuit. Qui cum Philippum patrem & filium interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem mouet.

Idem in historia ecclesiastica lib. 6. cap. 29. In hac Fabianus vrbe Roma, martyrio coronatus, sedem episcopatus sui Cornelio reliquit.

**Baron. an. 15. & dieb 4.*

Ex libro pontificum. Hic Fabianus natione Romanus ex Patre Fabio, sedit annis, * 13. & passus est 13. kal. Februarij. Hic regiones diuisit Diaconibus, & fecit 6. Subdiaconos qui septem notarijs immineren t, vt gesta martyrum in integro fideliter colligerent; & multas fabricas per cæmeteria fieri præcepit. Et post passionẽ eius, Moyses, & Maximus, Presbyteri, & Nicostratus Diaconus, comprehensi sunt, & in carcerem missi.

Nouatianus primus Anti papa: In hoc tempore reuera illud de ecclesia potuisset dici: Nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Lege Cyprianum epist. 8. Deinde plurimi amore patrimonij & facultatũ suarũ velut cõpedibus irretiti ipso primo huius turbinis impetu prostrati fuerũt, lege Cyprianũ de lapsis.

Eodem tempore venit Nouatus ex Africa, & separauit de Ecclesia Nouatianum, & quosdam confessores. Postquam autem Moyses defunctus est in carcere, cum fuit ibi per menses 11. multi Christiani fugerunt per diuersa loca.

Author. Legitur quod Fabianus iste, cum de quodam loco cum amicis reuerteretur, & Papa defuncto, de eligendo Papa omnis populus loqueretur, venit inter eos rei exitum scire volens: & subito, sicut Deus præuiderat, candida columba super caput eius de cælo descendit: qui tandem anno pontificatus sui 13. iussu Decij decollatus est

Eusebius vbi supra. Eadem persecutione Hierosolymis Alexander Episcopus rursum pro cõfessione Christi iudici sistitur, & vinctus carceri traditur. Quique cũ longæuæ ætatis veneranda canicie præfulgeret, posteaquam frequenter passionibus suis, & cruciatibus glorificauerat Dominum, dum de vinculis ad tribunal, & à tribunalibus ad vincula reuocaretur, inter ipsa vicissim sibi succedentia tormenta defecit.

De Dionysio Alexandrino, & libris eius.

Cap. XXXVII.

Eusebius lib. 6. cap. 30.

Dionysius vero Alexandrinus episcopus per illud tempus, sicut ex ipsius epistolis verissimè comperimus, in multis sæpe confessionibus satis clarus efficitur, & pro passionum tormentorumque diuersitate magnificus. Denique refertur insectantibus se quibusdam, respondisse: Quid insectando laboratis? Caput meum, pro quo magnopere fatigamini auulsum ceruicibus sumite, & donum magnum ad Tyrannum referte. *Hieronymus de illustribus viris.* Hic Dionysius Alexandrinæ vrbis episcopus, sub Hereela scholam Catecheseos presbyter tenuit, & Origenis insignissimus auditor fuit. Hic in Cypriani & Africanæ synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis, ad diuersos misit epistolas plurimas, quæ vsque hodie extant. Sed & ad * Lanianũ Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum scribit de pænitentia, & ad Romanos per Hipolytum alteram, & ad Sixtum, qui Stephano successerat, duas epistolas, & ad Philemonem, & ad Dionysium postea Ecclesiæ Romanæ presbyteros duas. Et ad eundem quoque Dionysium postea Romanum episcopum. Et ad Nouatianum causantem, quod inuitus Romæ episcopus ordinatus esset. Cuius epistolæ hoc exordium est: *Dionysius Nouatiano fratri salutem. Si inuitus, sicut dicis, ordinatus es, probabis, cum volens, receſseris.* Est eius & ad Dionysium, & ad Didymum altera epistola de Pascha, plurimæ declamatorio sermone conscriptæ. Et ad Alexandrinam Ecclesiam de exilio. Et ad Hieraclam in Aegypto episcopum. Et alia de mortalitate, & de Sabatho. Et ad Hermamonem. Et alia de persecutione Decij. Et duo libri aduersum Nepotem episcopum, qui mille annorũ corporale regnum suis scriptis asseuerat, in quibus de Apocalypsi Ioannis diligentissime disputat. Et aduersus Sabellium; & ad Ammonem Beronicis episcopum; & ad Telesphorum, & ad Euphran. Et quatuor libri ad Dionysium Romanæ vrbis episcopum. Et ad Laodicenses de pænitentia. Item ad Cononem de pœnitẽtia. Ad Origenem de martyrio. Ad Armenios de pænitentia, & de ordine delictorum. Et de natura ad Timotheum. Et de tentationibus ad Euphranorem. Ad Basilidem quoque multæ epistolæ: in quarum vna asserit se iam in Ecclesiastem cæpisse scribere commentarios. Sed aduersum Paulum Samosatenum ante paucos dies quam moreretur, insignis eius fertur epistola. Moritur 12. Galieni anno.

Lege Eusebium lib. 6. & 7. hist. Ecclesiast. & Nicephorum lib. 6. cap. 24 & 27. Theodoret. lib. 2. haret. fabul. Nicetã Choniatem lib. 4 Thesau.

Extant multa & magna fragmẽta operũ huius Dionysij apud Euseb. locis citatis, & citandis.

Relatio eius de martyribus Alexandrinis.

Cap. XXXVIII.

Epistola Dionysij Alexãdrini ad Flauianum Antiochenũ.

Eusebius lib. 6. cap. 31. Idem ipse Dionisius ad Fabianum (*Flauianum*) Antiochenum episcopum scribens de his qui sub Decio apud Alexandriam agones martyrij desudauerant, hoc modo refert.

Non ex præcepto, inquit, Imperatoris apud nos persecutio sumpsit exordium, sed anno integro principalia præuenit edicta minister Dæmonium, qui videbatur in ciuitate nostra diuinus; superstitiosum contra nos exagitans vulgus, à quo multitudo succensa nihil aliud, quam piorum sanguinem sitiebat. Primo ergo Religiosum quendam senem Metranum nomine arripientes,

Metranus martyr.

iubent impia verba proferre. Quod ille, cum facere recusaret, omne corpus eius membratim fustibus collisserunt, vultumque & oculos, acutis calamis terebrantes extra vrbem cum cruciatibus eiecerunt, ibique quod in eo supererat Spiritus, lapidibus eiecerunt.

Cointha martyr.

Post hæc Mulierem quandam nobilem Cointham nomine, ad Idola perducentes, adorare cogebant recusantem, imo potius execrantem, vincula pedibus innectentes, & per plateas totius ciuitatis pertrahentes, fœdo, horrendoque supplicij genere discerpunt. Dehinc omnes simul irruunt per domos seruorum Dei, diripientes, euertentes, atque hostili crudelitate cuncta fœdantes; ita vt pretiosioribus quibusque direptis, si qua vlla viliora repererant, in vnum congregata, igni in plateis concremarent. Nostri tamen direptionem hanc bonorum suorum, (sicut Apostolus de illis dixit antiquis) cum gaudio susceperunt.

Apollonia virgo & martyr.

Sed & admirandam virginem longeuæ ætatis Apolloniam nomine cum corripuissent, dentes ei primo omnes effoderunt: congestis deinde lignis extruxerunt rogum, comminantes viuam se eam incensuros, nisi cum ipsis pariter blasphemaret Deum. At illa, vt rogum vidit esse succensum, paululum quid in semetipsa molitur, repente vero se, & è manibus proripit impiorum, atque in ignem, quem minabantur sponte prosilijt, ita vt perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores, quod promptior inuenta est ad mortem fœmina, quam persecutor ad pœnam.

Serapion martyr.

Serapionem quoque domi suæ repertum crudelissimis affecere supplicijs, ita vt ei omnes iuncturas membrorum prorsus soluerent, & de superioribus præcipitarent.

**aliàs Fabianum.*

De his, qui in persecutione defecerunt & his qui perstiterunt.

Cap. XXXIX.

Non erat tutum Christianis exire in publicum tempore persecutionis.

NVllum nostris erat iter peruium, nullius plateæ transitus indulgebatur, neque die neque nocte procedendi vsquam libera erat facultas. Vt enim quis nostrum apparuisset in publicum, statim clamor vulgi, & seditio nascebatur, vt vel pedibus traheretur, qui visus esset, vel igni succenderetur. Ex quo perterritis pene omnibus, quidam ex ipsis nobilibus statim se sponte impijs actibus ingesserunt. Alij conuenti tantummodo, nonnulli à domesticis proditi, ad sacrificia execranda, & ad immundas hostias properabant. Aliqui ex his pallentes, & trementes, vt magis immolari ipsi, quam immolare Idolis viderentur, ita etiam vt ab aspectãte vulgo riderentur, eo quod & ad moriendum & ad sacrificandum ita meticulosi videbantur. Alij tam imprudenter ad aras prosiliebant, vt & affirmare niterentur, se nunquam Christianos fuisse. Hi vero qui beati effecti sunt tanquam columnæ fortissimæ, Domini ipsius spiritu conformati, pro fidei suæ merito virtute à Domino percepta, admiranda Deo & Angelis martyrij sui spectacula præbuerunt. Quorum primus venerabilis Iulianus Podagra astrictus, ita vt neque incedere, neque stare posset, cum his qui eum portabant in sellula offertur; quorum vnus quidem statim negat, alius vero nomine Eunus, cum Iuliano sene in Domini Iesu Christi confessione perdurat. Quique iubentur camelis impositi, per omnem circumduci ciuitatem, & flagellis hinc inde verberantibus, populo inspectante, laniari, vsque quo finem vitæ in ipsis verberibus ponerent. Sed vir quidam militaris cum assisteret, & quosdam volentes etiam mortuis illudere cadaueribus prohibaret, clamor repente aduersus eum totius vulgi attollitur, & capite pro pietate damnatur. Nemesius quoque ipse etiam Aegyptius, primo per calumniam quasi latro delatus est; quo crimine abluto, post hæc quod Christianus esset, defertur. In hoc vero à iudice nulla moderatio reseruatur, sed geminatis supplicijs excruciatum cum latronibus iussit incendi, ignorans, quod crudelitate sua optimo martyri Saluatoris similitudinem dotulit, qui pro salute humani generis vna cum latronibus pertulit crucem.

Iulianus Podagricus martyr.

Eunus.

Militaris vir.

Nemesius

De his qui sponte se obtulerunt.

Cap. XL

TVrma autem quædam in vnum conuenerat militũ; inter quos Ammon, & Zenon, & Ptolemæus, & ingenuus, & grandeuus Theophilus, qui tribunalibus astantes, cum quidam Christianus à iudice torqueretur, & penè ad negandum declinaret, dirumpebantur intra semetipsos, & vultu, oculis, ac nutibus velut erigere conabantur illum, qui in supplicijs positus, trepidabat, Interdum etiam manus protendere, ac totius motibus corporis, & habitu diuerse inclinati, tanquam subleuare lapsantis animos gestiebant. Conuersi vero ad omnes eos, & quid de seipsis profiterentur ex eorum motibus agnoscentes, prius pene, quam in eos vulgus clamoribus insiliret, ipsi in medium prorumpunt, ac se Christianos esse testantur. Tunc vero versa vice ex eorum confidentia persecutoribus terror, nostris constantia animi accrescit, dum hi qui per tormenta vinci putabantur, sponte se cruciatibus offerunt.

Ammon. Zenon, Ptolomæus. Theophilus.

Scirion quoque cum rem cuiusdam potẽtis sub mercede procuraret, iubetur ab eo Idolis immolare; recusans, cogebatur iniurijs, persistens, rursum blanditijs mulcebatur. Cum vero vtrumque contemneret, præacuta sude validissime transuerberatus per media viscera, neci traditur. Quid vero memorem, quantæ multitudines in desertis montibus oberrantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestijsque consumptæ sunt? qui omnes imitati electos Dei Prophetas, gloria martyrij coronati sunt. Denique & venerandus senex Charemon, (episcopus hic erat vrbis Aegypti, quæ dicitur Nilopolis) cum ad Arabicum montem vnà cum grandeua coniuge sua discessisset, nulli vltra apparuit. Et cum ad perquirendum eum plurimi fratrum frequentissime processissent, perscrutatis omnibus locis, neque ipsos vltra quisquam, neque corpora eorum potuit inuenire.

Scirion.

Charemon.

De hæresi Nouatianorum, & de lapsis recipiendis.

Cap. XLI.

HÆc Dionysius de lapsis faciens sermonem, quo tempore Nouatus ecclesiæ Romanæ præsbyter, elatione quadam tumidus, spem penitus eis salutis adimebat, etiamsi digne pænituissent. Ex quo & princeps hæreseos extitit Nouatianorum, qui ab ecclesia separati, superbo nomine semetipsos καθαροὺς id est mũdos appellarunt. Ob quam rem consilium sacerdotale celeberrimum in vrbe Roma congregatũ est. Ibi statutum est à Papa Cornelio Nouatum ab Ecclesia cum suis sequacibus alienum esse: eos vero qui lapsi fuerant in certamine; fraterna miseratione curandos, & fomentis pœnitentię medicandos.

Eusebius hist. Eccl. lib. 6. cap. 33.

Nouati opinio de lapsis.

Concilium. Roma.

Cyprianus quoque de his librum edidit, in quo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse à Christi visceribus statuit.

Cyprianus.

Author. In eodem quoque libro causam ipsius esse rerum temporalium amorem designat, in hunc modum *Cyprianus in libro de lapsis*: Multos decipit patrimonij sui amor cæcus, quos, facultates suæ velut compedes ligauerunt: His vinculis, his catenis virtus retardatur, fides premitur, anima præcluditur, & serpenti terram comedenti, qui terrenis adhærent, cibus efficiuntur. Possidere se credunt, qui potius possidentur: census sui serui. Nec ad pecuniam suam domini sed magis pecuniæ mancipati.

De sancta Agatha & eius agone.

Cap. XLII.

Gesta hæc S. Agatha conueniunt cum ijs quæ à Surio adferuntur ex Metaphraste.

EX gestis eius. Sub persecutione Decij beata virgo Agatha passa est. Quæ in vrbe Catanensium nobilis genere, mente & corpore pulcherrima, Deum semper in omni sanctitate colebat. Præses vero Siciliæ Prouinciæ, audiens famam eius, iussit eam quantocius ad se adduci. Quam dum Christianam cognosceret, tradidit cuidam meretrici & quinque filiabus eiusdem officij, vt per 30. dies ei suaderent, quomodo eius animum immutarent. At illa verbis earum, & minis, ac promissis, omnino immobilis, non cessabat flere, ardenter desiderans, quomodo posset ad martyrium peruenire. Videns ergo Aphrodisia nil penitus sua verba valere; dixit Quintiano præfecto, facilius possunt saxa moueri, quam mens huius puellæ ab intentione pristina reuocari. Hæc audiens Præfectus dixit illi: Vnum tibi elige de duobus. *aut Deos nostros adorare, aut diuersis supplicijs interire.* Agatha respondit De quibus me supplicijs terres? si bestijs me tradis, audito *Christi nomine*, mansuescunt: Si ignem adhibeas? si plagas, & verbera ingeras? habeo in me *Spiritum sanctum*, per quem vniuersa tormenta contemnam. Tunc iussit eam trahi ad carcerem, illa autem lætissime & glorianter carcerem intrabat, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum domino commendabat.

Constantia B. Agatha.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De pasiõibus eius.

CAP. XLIII.

SEquenti die dixit ei Quintianus: quid tractasti circa salutem tuam? Abnega *Christum*, & Deos nostros adora, ne parata tibi patiaris tormenta. Quod cum illa renueret, iussit eam suspendi in equuleo, & torqueri. Tunc Agatha ait: *Ego in his pœnis delector, sicut qui bonum nuncium audit, aut qui videt quem diu desiderauit: scio enim quod oportet flabellari triticum antequam reponatur in horreum.* Furens Quintianus, iussit eius mammillam torqueri, & diutissime tortam iussit eandem abscindi. Quod cum fieret, Agatha dixit ei: *Impie, crudelis, & dire tyranne, non es confusus amputare in fœmina, quod ipse suxisti in matre tua.* Ille autem iussit eam sic in carcerem recipi, prohibens ei introitum medicorum, & panem, & aquam ab aliquo ministrari. At ecce media nocte apparuit ei quidam senex vnguenta ferens in manu sua, & dixit illi: Filia quando tu ista supplicia sustinebas, ibi * eram, & nunc ideo ad te veni, vt per me recipias sanitatem. Agatha respondit. *Domine medicinam corpori meo nunquam adhibui, & turpe est, vt perdam quod tandiu custodiui.* Dixit ei senex: Filia, ego sum Christianus, & noui medicinam, ne me verecunderis. Agatha respondit. Domine vnde te verecundarer, cum tu sis senex, & grandeuus: ego vero licet puella sim, ita turpiter lacerata sum, quod etiamsi Christiana non essem, nemo posset de me capere voluptatẽ: gratias quidem tibi ago Pater propter tuam bonam voluntatem, sed scias, quod nullam recipiam medicinam, *quia Iesus Christus si vult, potest me sanare.* Tunc subridens senex, ait: Filia *Iesus Christus* misit me ad te, cuius ego Apostolus sum & in nomine eius te scias esse sanatam; & statim disparuit. Tunc procidens beata Agatha, & gratias agens inuenit se ex omni parte sanatam. Cum ergo tota nocte ex immenso lumine territi custodes aufugerent, & carcerem apertum relinquerent, rogabant eam quidam, vt fugeret. At illa; absit, inquit, vt fugiam, & coronam patientiæ perdam, & custodes meos tribulationibus tradam: *Ego enim adiuta à Domino, perseuerabo in eo, qui me sanauit, & confortauit.*

Sapiẽtissima martyris vox.

Mamilla eius amputatur.

Sanctus Petrus apparet. * *Sancti in Dei lumine sciunt quæ circa nos aguntur.*

Curãtur eius vulnera diuinitus.

Nõ vult fugere licet aperto carcere

De consummatione agonis eius.

CAP. XLIIII.

POst quatuor ergo dies, dixit ei Quintianus vt Deos adoraret, ne grauiora adhuc supplicia sustineret. Agatha respondit: Miser & sine intellectu, & sine sensu, quomodo vis vt imagines ligneas, & lapideas adorem, & Deum cœli, qui me sanauit, dimittam? Dixit ei Quintianus: Quis te sanauit? Agatha respondit. CHRISTVS FILIVS DEI. Quintianus dixit: Iterum audes CHRISTVM nominare, nunc videbis si Christus te sanabit: & iussit testas fractas spargi, & carbones ignitos submitti, & ibi nudam volutari. Quod cum fieret, ecce subito terræmotus factus est magnus, qui totam ciuitatem ita concussit, vt pars muri corruens duos cõsiliarios Quintiani occideret, & populus ad eum concurreret, conclamans, quod propter iniustum Agathæ cruciatum tantum periculum sustineret. Tunc Quintianus ex vna parte, *terræmotum*, ex altera *populi seditionem* formidans, Agatham mitti iussit in carcerem. Ingressa autem carcerem, orauit & statim migrauit ad Dominum. Quod audientes fideles, cum corpus condientes aromatibus, in sarcophago collocarent, ecce subito Angelus attulit tabulam marmoream, & posuit ad caput eius. Erat autem in ea scriptum: MENS SANCTA, HONOR IN DEO SPONTANEVS, ET PATRIÆ LIBERATIO. Quod sic exponitur: MENTEM SANCTAM HABVIT, SPONTANEAM SE OBTVLIT, HONOREM DEO DEDIT, ET PATRIÆ LIBERATIONEM FECIT. Et hoc miraculum audientes, multi etiam Iudæi, & gentiles sepulchrum eius multum honorare cœperunt. Quintianus autem pergens inuestigare diuitias eius, cum esset in naui, duobus equis calcitrantibus, in flumen proiectus est, & corpus eius nusquam potuit inueniri.

Nonis afficitur pœnis.

Terræmotus horrendus.

Beata Agatha in carcere orans migrauit ad Dominum.

Quintianus perit in flumine nomine Pſemitho.

Reuoluto anno martyrij eius, mons quidam maximus iuxta vrbem ruptus emisit ignem, qui quasi torrens de monte descendens, & saxa & terram comburens, ad vrbem cum impetu veniebat. Tunc multitudo Paganorum de monte descendit, & fugiens, ad sepulchrum eius arripuit amictum, quo erat opertum; & opposito igni, eum protinus refrenauit.

Amictus sãcta virginis profligat ignem.

Festum eius celebratur 5. Feb. in quo die & hoc miraculum factum est.

Passio sanctorum septem Dormientium.

CAP. XLV.

EX *gestis eorum.* Decius autem Imperator persequens Christianos, cum venisset Ephesum, iussit ædificari templa in medio ciuitatis, vt omnes cum eo miscerentur sacrificijs Idolorum. Cum ergo omnes Christianos inquiri iussisset, inuentosque aut sacrificare, aut mori compelleret, tantus pænarũ terror cunctis aderat, quod amicum amicus, & filium pater, & patrem filius abnegabat. Tunc in illa vrbe inuenti sunt 7. Christiani; Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, & Constantinus, qui hoc videntes nimis dolebant: & cum essent primi palatij, sacrificia Idolorum spernentes, in domo sua se celabant, & ibi ieiunijs, & orationibus vacabant. Accusati igitur, ante Decium statuuntur, & comprobati veraciter Christiani, dato eis resipiscendi spacio, vsque ad reditum Decij, dimittuntur. At illi patrimonium suum interim pauperibus expendentes, inito consilio in montem * Celium secesserunt, & ibi esse secretius vsque ad reditum Decij decreuerunt. Diu ergo ibi latentibus, vnus eorum semper ministrabat, & quotiens intrabat vrbẽ, figura se & habitu mendici vestiebat. Cum ergo Decius in vrbem redijsset, & eos ad sacrificandum perquiri iussisset; Malchus minister eorum territus ad socios redijt, & eis furorem Imperatoris innotuit. Qui cum grauiter terrerentur, Malchus tamen allatos panes eis apposuit, vt cito confortati, fortiores ad prælium redderentur. Postquam autem cænati sunt, sedentes, & colloquentes in luctu & lachrymis subito sicut Deus voluit, dormierunt. Mane autem facto cum quæsiti, inueniri non possent, & Decius doleret, quod tales Iuuenes perdidisset, accusati sunt in monte Celio hucusque latuisse, & sua pauperibus erogantes, in suo proposito permanere. Iussit ergo Decius vt parentes eorum adessent, & comminatus est eis mortem, nisi de eis dicerent, quicquid scirent. Illi autem eos similiter accusauerunt, ac diuitias suas pauperibus expendisse conquesti sunt. Tunc cogitans, quid de eis faceret, nutu Dei iussit os speluncæ lapidibus obstrui vt ibi morerentur fame, & inopia circũcluſi. Quod ministri quidẽ fecerunt, & duo Christiani Theodorus & * Rufinus eorum martyrium describentes caute inter lapides posuerunt.

Acta horum Sãctorũ extant apud Surium, ex Metaphraste, & apud Gregorium Turonẽsem, licet putẽ illos dictos Dormientes quia reuera in Domino obdormierunt.

** Apud Metaphr. Barbu.*

Passio sanctorum Petri & Pauli cum sociis suis.

CAP. XLVI.

EX *gestis eorum.* Imperante Decio, apud * Lemosa- cum conprehensus est Petrus, & OPTIMO Proconsuli oblatus. Qui cum Christianum se esse constanter profiteretur, Proconsul iussit eundem adolescentulum speciosum in rotis tendi, & ad ligna in circuitu posita, vinculis ferreis totum corpus eis fecit constringi. Quo contorto, effracta minutatim ossa eius defecerunt: at quanto torquebatur, tanto fortior apparebat, & Tyranni stultitiam ridens, Christo gratias agebat. Cuius Proconsul perseuerantiam videns, iussit eum gladio percuti.

Et cum ad ciuitatem Troadem perrexisset, oblati sunt alij tres, Andreas, Paulus, & Nicomachus: qui

** Apud Metaphr. vocatur mons Ochlon.*

Lege hic Baronium in Martyrolog. 27. Iulij quẽ ibidem ait sententiam illorum qui putãt hos nõ ob mortẽ dici esse Dormientes sed quod reuera eo temporis spatio somno fuerint oppressi, magno pere refragari ob multam cõmodas.

** Apud Bedam textu deprauato legitur Damasci: in martyrolog. Rom. legitur Lampasci hic vero Lemosaci & ita legit Petrus de Natalibus qui in vita & passione horũ Sanctorũ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cõuenit cum Vincentio li. videlicet 5. cap. 4.

Agit etiam de his die 15. Maij Vsuardus, Ado & alij Latinorum.

Hoc exẽplũ desumptum hinc ex Vincẽtio leges in speculo Exẽplorum titulo Luxuria, exẽplo nono.

cũ omnes Christianos se profiterentut esse, iussit Nicomachum apprehensum Proconsul torqueri. Cumque nimium torqueretur & iam prope esse vt emitteret spiritum, exclamauit se nunquam fuisse Christianum, sed Dæmonibus sacrificaturum. Tunc iussus deponi, cum sacrificasset, arreptus est à Dæmonio, & elisus in terra, comedens linguam suam dentibus, expirauit. Puella autem quædam virgo Dionysia annorum 15. exclamauit dicens. *O te infidelissimum hominum, qui propter vnius horæ spacium perpetuam & inenarrabilem tibi pœnam acquisisti.* Interrogata ergo, confessa est se Christianam esse, *& ideo infœlicem illum plangere, quod non adhuc modicum toleraſſet, vt perpetuam requiem inueniret.* Proconsul iussit eam duobus iuuenibus corrumpendam tradi, Andream vero & Paulum recludi. Cumque iuuenes virginem ad hospitium suum duxissent, pugnantibus eis vsque ad noctẽ, vt vim turpitudinis inferrent, inardescebat eorum libido. Apparuit autem eis per noctem iuuenis splendidus domum illuminans; vnde timore percussi, ceciderunt ad pedes virginis, rogabantque vt pro eis intercederet, ne quid mali eis contingeret. Videns autem Proconsul, quod non posset Pauli & Andreæ perseuerantiam superare, flagellis cæsos, tradidit eos populo, qui traxerunt eos pedibus extra ciuitatem, vt lapidarentur. Quod audiens Dionysia, custodibus euadens cucurrit ad eos, iactauitque se super eorum corpora, dicens; *Conscidar & ego vobiscum, beati famuli Dei, nec ab hac colluctatione vestra iuueniar aliena.* Quod audiens Proconsul, iussit eam gladio interfici, Paulus vero, & Andreas lapidibus obruti sunt.

De Sancto puero Tryphone.

Cap. XLVII.

Geſta huius sancti extãt apud Surium ex Metaphraste elegãtiori tamẽ stylo, iuxta quæ hac correxi quoniã aduerto magnam differentiã in loco vbi natus & educatus fuit & denique passus: Petrus enim dicit eum passum fuisse in Saxonia, alij Nicæa in Bithynia; nos vero Apamea.

Quaritur Sãctus Tryphon.

EX *gestis eius.* Sub Decio quoque passus est sanctus Tryphon, qui ab infantia sua multis miraculis claruit in vico Campsade qui est vicinus ciuitati Apameæ, vbi à Matre sua caste inſtructus, & à Spiritusancto, & ab Angelis nutritus fuit. Venit ad eum aliquando mulier cæca semiarida & à 10. Dæmonibus obsessa: quam videns ille, pauefactus est, & supra caput eius manus imposuit, & orauit. Dæmones autem clamabant dicentes: A 7. annorum infante in gehennam mittimur. Cumque sanctus Tryphon vigeret eos exire, clamauit Dæmon: Romæ habeo ambulare propter Tryphonem, vt & ibi ad me veniat vocatus. Tunc concutiens mulierem, & spumans, egressus est ab ea: quæ ante pedes sancti Tryphonis cecidit, & ille signum crucis faciens, manus super caput eius imposuit, & sanata est, & vidit. Dæmon vero Romam abiens cuiusdam Proconsulis senatoris vxorem grauiter vexauit: & tertio die sanctum Tryphonem vocare cœpit. Tunc per dies multos quærentes per ciuitates, & villas, vix inuenerunt beatum Tryphonem in pascuis oues pascentem, & positum super animal duxerunt Romam: ibique expulso Dæmone à muliere, nocte raptus à quatuor Angelis reductus est in patriam suam. Gordianus autem Cæsar Romæ filiam habebat vnicam, quam cum vexaret malignus spiritus, clamabat, vocans Tryphonem quondam curaterem, siue expulsorem. Gordiano igitur tristante & dolente, hortati sunt eum consiliarij, vt ad inquisitionem sancti Tryphonis mitteret, quem solum, sæpius inuocans immundus spiritus, metueret. Missi itaque milites requirebant vbique Tryphonem & toto pene orbe commoto, multi comprehensi sunt, qui hoc nomine vocabantur: sed cum ad puellam ducerentur, nemo eam sanare poterat, quia non erat in ipsis qui in veritate quærebatur. Tunc milites per omnes prouincias perquirentes, inuenerunt beatum puerum apud vicum Campsadem iacentem iuxta ripam lacus, vbi & pascebat anseres in palude aquarum. Quem interrogauerunt, si ipse esset Tryphon, qui quærebatur. Ipse vero confessus est se esse qui quærebatur; quem statim equo imponentes miserunt Imperatori. Cumque appropinquaret ciuitati, clamabat spiritus malignus dicens: Non possum habitare in hac puella, quia post tres dies superueniet Romæ, qui accepit aduersus nos potestatem, calcare super scorpiones, & disperdere eos: & clamans immundus spiritus egressus est à puella, & sanata est. Imperator autem notauit diem, & horam in qua sanata esset puella, & aduenisset sanctus Tryphon Romæ: & hoc audito Impetator agnouit ipsum Tryphonem, propterea quia post tres dies aduenisset Romæ quando sanata fuit puella, deprecabaturque eum vt si sanasset eam ostenderet illi Dæmonem. Cum autem ieiunaret, & deprecaretur Dominum vir sanctus super hoc, confestim apparuit Diabolus in specie canis nigri, caudam habens ingentem, demissam deorsum. Quo viso, metu territus Imperator, orabat sanctũ Tryphonem vt ab eius conspectu illum iuberet abscedere. Quod cum fecisset, nocte ab Angelis raptus venit in ciuitatem suam, vbi per eum Dominus multas virtutes ostendere dignatus est.

Potestas Sãcti Tryphonis aduersus dæmones.

Precibus eius efficitur vt dæmon in specie canis nigri visibiliter Imperatori appareret.

De passione eiusdem.

Cap. XLVIII.

TAndem imperante Decio à militibus comprehensus, & ligatus ductus est in Apameensem ciuitatem ad Præfectum Aquilinum. Cumque profiteretur se esse Christianum, requisitus cuius esset Fortunæ? dixit Fortuna apud Christianos non est, nec fuit. Si vis autem scire, ingenuæ sum conuersationis, sed quod maximum, & egregium est, & quod sapio, discе, CHRISTIANVS SVM. Hoc audiens Præfectus, timens si non obediret constitutioni Imperatoris, iussit eum suspensum vngulari. Ipse quoque prompte exuens indumentum, & proijciens super terram, castum atque pulcherrimum corpus suum circumspiciens, cum alacritate gaudij dabat semetipsum suspendi super lignum, ante manus aptans. Dixit autem Præfectus quæstionarijs, vt vngues ferreos afferrent, & eius stultitiam tangentes coercerent. Cumque vngularetur, nulla vox egrediebatur ab eo, sed immobilem habebat cogitationem in fide Christi. Præfectus autem iussit eum alligatũ equis per campos trahi, cum esset grauissimis niuibus hyems aspera, & dissipabantur eius membra ab equis per terram conculcata. Exclamante autem eo; *Domine Deus ne patiaris hanc mihi dominari iniquitatem*, statim liberatus est. Iussitque Præfectus, fixorios deferri, ac pedibus eius infigi, & sic per mediam ciuitatem, per niuem, & glaciem deduci. Nec sic aduersus eum Diabolus præualuit; sed interrogatus à Præfecto vtrum sensisset tormenta, respondit: ex toto non sensi quod insint claui pedibus meis. Mirante vero Præfecto tantum sustẽtaculum eius, & iterum cogitans quæ essent tormenta, quæ non contemneret, iussit eum succinctum fustibus cædi, deinde lampades lateribus eius apponi. Quæstionarijs citius adimplentibus, quæ iubebat, & offerentibus illi lampades, viderunt à splendore solis lumen circumlustrans eum, & coronam varijs lapidibus exornatam super caput eius illapsam, specie vero & pulchritudine similiter præcellentem; & præ timore corruerunt in terram.

Tandem iussit eum Præfectus gladio interimi, & martyrizatus est * 4. Idus Nouemb.

Sistitur corã Præfecto.

Præclara eius confessio.

Acerbissimũ sancti Tryphonis supplicium.

Noua supplicia adhibentur.

Flagellatur & aduritur. Lege hic Petrũ in Cathalog. lib. 10. cap. 42. qui dicit ex hac visione conuersum fuisse Respicium. Capite damnatur.

* *Sic correxi iuxta Romanũ Martyrol. Surius tamẽ agit de eo primo Feb. & etiam Vsuardus.*

Passio sanctorum Abdon & Sennen.

Cap. XLIX.

EX *gestis eorum.* Cum autem Decius Imperator Babyloniam cum alijs prouincijs superasset, quosdam ibi Christianos inuenit, quos secum ad vrbem Cordubam deducens, diuersis ibi supplicijs consummauit, & eos duo subreguli rapientes scilicet Abdon & Sennen sepelierũt. Vnde accusati, & Decio præsentati, Romam post eum vincti cathenis ducuntur, & in conspectu Decij, &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Agunt de his hac die Beda Vsuardus & alij; narrantur horũ res gesta in præambulis historia martyrij Sancti Laurentij, seorsim autem Mobrit. tom. 1. Petrus in cathalog. lib. 6. cap. 158.

cij, & Senatus introducti, aut sacrificare, & liberatem rerum suarum recipere; aut morsibus bestiarum deuorari iubentur. Contemnentes itaque & expuentes simulachrum, ad theatrum perducuntur, & ad eos, duo Leones, & Vrsi quatuor immittuntur: qui cum sanctos non tangerent, sed etiam custodirent, iniectis in eos gladijs occiduntur, & ligati pedes, tracti sunt & iactati ante simulachrum Solis. Qui cum ibi triduo iacuissent, Quirinus Diaconus eos collegit, & in domo sua sepeliuit.

De conuersione Secundiani, & Veriani, & Marcelliani.

Cap. L.

EX *gestis eorum.* Sub Decio quoque * Secundianus togatus, vnà cum Veriano præfecturam agens in Christianos sæuiebat. Qui scilicet Secundianus tandem secũ tacitus cogitare cœpit, cur Christiani tanto amore flagrantes, mallent pro Christi nomine duriter mori, quam delicate viuere & blandis persuasionibus principum assentire. Cumque esset eloquentissimus, & omnium scientiarum sæculi peritissimus, Marcellianũ, qui & ipse sapientissimus erat, & Christianorum persecutor ad domum suam inuitauit, & cum eo de varijs artium sermonibus disputauit. Tandem ad artem grãmaticam sermonem retorquentes, ad locum Virgilij veniunt, vbi de interpretatione sæculi noui loquentes, velut apparente Domino in carne renouatus est mundus. Ita tempore Octauiani ad cuius laudem suos describit libros, dicit aurea sæcula hoc modo nasci.

* *hic erat assessor Valeriani præfecti.*

Extant hæc acta apud Surium 9. Aug sententijs paululum mutatis.

Ecloga 4.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo dimittitur alto.
Tu modo nascenti puero quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Cumque solicite perquirerent de quo Virgilius hoc dixisset, cæpit Secũdianus loqui de Christianis, qui tanto flagrabant amore, vt pro nomine Christi mallẽt mori, quam idola adorare. Aiunt enim, inquit, resurrectionem & iudicium fore post mortem, illamq; vitam quam post istam caducam expectant, futuram perpetuam, & immortalem, vbi nullus dolor & gemitus, sed pax & perenne gaudium; Idola vero quæ nos adoramus, Deus eorum omnimodis abominatur Christus.

Cur Christiani malint pro Christo morie quam viuer.

* Matthæus scilicet & Lucas, vt est apud Surium.

Sub his Marcellianus admirans, ait: *Quid est Christus?* At ille respondit. *Christus dicitur vnctus. Nunquid non legisti, quid eius * historiographi dicant, cum scilicet mortuos suscitasse, leprosos mundasse, cæcum natum illuminasse.* His eius signis Christiani fidem dantes pro eius ardenti amore coronari desiderant. Vnde & *ego credo quod ipse est Deus & Dei filius, qui crucifixus, & mortuus, & post triduum resuscitatus ad cælum ascendit.* Quando etiam, aut à quo auditum est Deos nostros talia fecisse? quos scimus semper sordidissime ac turpiter vixisse. His, & alijs eius verbis consensisset Marcellianus, tertius quoque amborum nomine, Verianus. Hos tres itaque Timotheus nomine presbyter accersitus, baptizauit: Sanctus vero Papa * Sixtus eosdem consignauit.

Dij gentium in vita sua vixerãt turpiter & flagitiose.

* Male hic irrepsit nomẽ Sixti, cũ certum sit hos martyres sub Decio passos, Sixtum vero sub Valeriano sedisse. vide Baron. an. 253.

De martyrio eorundem.

Cap. LI.

POst hæc Secundianus à Valeriano Præfecto requisitus, introiuit ad eum, & subitò immutatus est vultus eius tanquam vultus Angeli. Valerianus ob tanti luminis fulgorem stupefactus, ipsum interrogatum, & in Christianitatis proposito permanentem, iussit in custodia retrudi. Qui cum comprehensus duceretur à militibus, Marcellianus & Verianus clamabant; & quid innocentem in custodiam retruditis? Si pro confessione Christi nominis, hæc à vobis patitur, & nos Christiani sumus, qui eum pro amore Christi ad palmam martyrij sequimur. Tunc iratus Valerianus eos cum illo simul in custodia mancipari iussit, & Cæsari, Secundianũ Christianum effectum nunciauit. Quod ille vix credens, eum ad se deduci præcepit, & ait: O Secundiane cur immutatus est vultus tuus? Qui respondit: Clarior & hilarior est nunc vultus meus solito, quia iam in conspectu regis æterni contemplatione mentis assisto, qui me de tenebris, ad lucem perduxit suæ visionis.

Denique iussu Decij, viri sancti ducti sunt Centumcellis, & traditi * Quarto Promoto consulari Tusciæ: qui cum eos iuberet sacrificare, & nollent acquiescere, iussi sunt expoliari, & fustibus cœdi. Deinde illis in simulacrum expuentibus, subito cecidit, & confractum est. Tunc Promotus iussit eos in equuleo suspendi, & latera eorum vngulis caprarum radi. Illis autem inter hoc Deo gratias agentibus, & orantibus, Promotus iussit ad eorum latera flammas adhiberi. Cumque diu assarentur, repente vnus ex ministris, qui cæteris acrius ad pœnam inferendam insistebat, mortuus est: cæteri vero à Dæmonibus arrepti clamare cæperunt: *O sancti Dei, vt quid nos vestris torquetis orationibus?* nam hæc eadem tormenta quæ vobis iniuste inferimus, nos irremediabiliter cruciant. Vobis autem nihil mali præstant. Videns hoc Promotus iussit sanctos Dei capite truncari, & eorum corpora in mari præcipitari. Quæ tamen Dei prouidẽtia de profundo ad littus applicuit, & ea seruus Dei Deodatus nocte colligens, sepeliuit secus locum, vbi decollati fuerant 5. idus Augusti.

* *Apud Bar. Quadrato. Sancti martyres fustibus cadũtur & in equuleo vngulis lacerantur flammisque latera vruntur & tandem capite plectuntur.*

De cæteris passis sub Decio.

Cap. LII.

EX *martyrologio.* Præterea 4. Calendis Martij, celebratur in ciuitate Pergen Paphiliæ, natale sancti Nestoris Episcopi, qui in persecutione Decij, cum die noctuque orationi insisteret, postulans vt Christi grex custodiretur, comprehensus, nomen Domini mira libertate & alacritate confessus, atque equuleo crudelissime tortus, exinde crucis suspendio victor migrauit ad Dominum.

Acta ipsius extant apud Surium tom. 2. Alius hic ab eo de quo Niceph. lib. 7. cap. 15.

Itẽ 17. Cal. Maij. apud Persidẽ ciuitate * Corduba sanctorũ Olympiadis, & Maximi nobiliũ, qui iubente Decio, fustibus cæsi, & deinde plumbatis, ad vltimum capita eorum securibus sunt tunsa, donec emitterẽt spiritũ.

* *suspicor pro Corduba Corduena esse restituẽdum.*

Item pridie Cal eiusdem apud Lambesitanam vrbẽ, sanctorum Mariani lectoris, & Iacobi diaconi; quorum prior cum iam pridem infestationes Decij in confessione euicisset, iterum cum chariſſimo collega tentus est, deinde post dira & exquisita supplicia, diuinis reuelationibus mirabiliter secundo confortati, atque alleuati, nouissime cum multis alijs sunt gladio consummati.

De his Pet. in catal lib. 4. cap. 104.

Item 14. Cal. Iunij Rõmæ via Appia sanctorum Caloceri & Parthenij Eunuchorum, quorum prior cum esset Præpositus cubiculi imperatoris Decij, alter Primicerius nolentes sacrificare idolis ab eodem occisi sunt.

Lego Baron hic in not. Martyrol.

Item 3. nonas eiusdem apud Aretium ciuitatẽ Tusciæ sanctorum Pergentini & Laurentini fratrum; qui persecutione Decij, cum essent pueri, post dura supplicia tolerata, & magna miracula ostensa, gladio occisi sunt.

Item 7. idus Iulij in ciuitate * Thora passio sanctorum Anatolicę, & Audacis sub Decio Imperatore: quorum Anatholia Christi virgo diuersis plagarum generibus vexata, nouissime gladio transuerberata in oratione est: Audax quoque in custodia datus, nec mora, capitali sententia est coronatus.

* *Pro Tyri posui Thora iuxta ea quæ correxit Bar. hic in not. Martyrol.*

Item 15. Cal. Nouembris, sancti Asclepiadis Antiocheni Episcopi, qui vnus fuit ex præclaro confessorum numero, qui sub * Decio gloriosè passi sunt.

* *Sub Macrino ait Martyrol. Rom. vnde corrigendus est Vsuardus (vt ait Bar.) Ado & etiã Vincentius hic, qui omnes eũ in persecutione Decij passum dicunt.*

Item 3. non. Nouemb. apud Cæsaream Capadociæ, sanctorum Germani, Theophili, Cæsarij, & Vitalis, qui omnes sub persecutione Deciana duxerunt martyrium.

Item 18. Cal. Decemb. Alexandriæ sancti Serapionis, quem persecutores sub Decio Principe crudelissimis affecerunt supplicijs, ita vt omnes ei iuncturas membrorum prius soluentes, de superioribus domus eum præcipitarent, ac sic Christi martyr effectus est.

Item

Item 7. idus Decembris apud Alexandriam natale beati Agathonis martyris ſub Decio Imperatore; qui cum eſſet militaris, & prohiberet quoſdam volentes illudere cadaueribus mortuorum martyrum, clamor repente totius vulgi aduerſus eum extollitur, & ob hanc cauſam pro pietate capite damnatus eſt.

Item 19. Cal. Ianuarij. Alexandriæ ſanctorum martyrum Heronis, Arſenij, Iſidori, & Dioſcori pueri; quos iudex ſub perſecutione Deciana varijs tormentis dilanians, cum pari conſtantia fidei videret armatos, tradi ignibus iubet: Dioſcorus vero multipliciter flagellatus, diuino nutu ad conſolationem fidelium dimiſſus eſt.

Item 10. Calen. Ianuarij, Romæ ſanctæ Victoriæ virginis ſub perſecutione Decij Imperatoris, quæ cum eſſet deſponſata Eugenio Pagano, & nec nubere, nec ſacrificare vellet, poſt multa facta miracula, inter quæ plurimas Deo virgines aggregauerat, percuſſa eſt gladio in corde à carnifice, rogatu ſponſi ſui.

Item 9. Calend. Ianuar. apud Antiochiam Syriæ, ſanctarum virginum 40. quæ ſub Deciana perſecutione per diuerſa tormenta martyrium conſummauerunt.

Hugo vbi ſupra. Denique non poſſumus euoluere, quantæ multitudines, hoc perſecutionis igne furente in deſertis, & in montibus latitantes, fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtijſque conſumptæ ſunt.

De Imperio Galli, & Voluſiani, & hæreticis non rebaptizandis.

Cap. LIII.

Gallus & Voluſianus an. Ch. 254. M. 5107.

POrro Decius non totis duobus annis Principatu Romani apicis adminiſtrato, cum filio ſuo, quem Cæſarem legerat, in medio Barbarorum ſinu interfectus, regnum cum vita perdidit.

Poſt hunc Gallus Hoſtilianus cum filio ſuo Voluſiano, potitus regno, Imperauit annis duobus, menſibus 4.

Euſebius in chronicis. Cœpit anno Domini 254. Mundi vero 5107.

Hugo. Huius regnum cum floreret in initio, & cuncta ei ex ſententia cederent, ſanctos viros, qui pro pace & proſperitate regni eius Domino ſupplicabant, perſequi cœpit; cum quibus pariter proſperitatem ſuam fugauit, & pacem. Nã exorta perſecutione, exorta eſt vltio violati nominis Chriſtiani, & vſquequo ad profligendas eccleſias edicta decurrerunt, eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur. Nulla fere prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali peſtilentia correpta, atque euacuata ſit. Hac ſola pernicie, inſignes Gallus, & Voluſianus, dum contra Æmilianum nouis rebus ſtudentem bellum moliuntur ciuile, occiſi ſunt: Æmilianus quoque tertio menſe inuaſæ tyrannidis extinctus eſt. *Haymo vbi ſupra 7. lib.* Per idem tempus exoritur quæſtio in Africæ partibus de hæreticis rebaptizandis, vel non? Placetque Cypriano Charthaginenſi epiſcopo debere eos rebaptizari: ſed Cornelio, cæteriſque occidentalibus epiſcopis manet potius hæc ſententia, poſt obiectionem praui dogmatis, ſola eos manus impoſitione eſſe purgandos.

Peſtis terribilis in vltionem Chriſtiani nominis per totũ orbem exorta eſt.

De Sancto Papa Cornelio, & ſcriptis eius.

Cap. LIIII.

Legede hac re Baro. an. 255.

AVthor. Hinc probatur Cornelius in Papatu ſediſſe temporibus Galli & Voluſiani, quod etiam dicit Hieronymus: Liber tamen Romanorum Pontificum dicit eum paſſum fuiſſe ſub Decio; Deciũ autem conſtat ante Gallum & Voluſianum imperaſſe. Sed dicit Helinandus, Gallum vocatum fuiſſe Decium, & ſecundum hoc *Binomius* fuit.

Cyprianus ad Antonianum. Cornelius chariſſimus noſter in diuinis adminiſtrationibus dum ſæpe promeritus ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tunc deinde epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit. Pro pudore quoque virginalis continentiæ ſuæ, & humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidã vim fecit vt epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, epiſcopatum coactus accipere, cum Fabiani locus, id eſt locus Petri & cathedra ſacerdotalis vacaret. *Hieronymus de illuſtribus viris.* Cornelius vrbis Romæ epiſcopus ad quem extant octo epiſtolæ Cypriani, ſcripſit epiſtolam ad Flauianum Antiochenæ Eccleſiæ epiſcopum de ſynodo Romana, & Italica, & Africana: & aliam de Nouatiano, & de his qui lapſi ſunt: tertiam de geſtis ſynodi: quartam ad eundem Flauianum valde prolixam, & Nouatianæ hæreſeos cauſas, & anathema continentem. Rexit Eccleſiam ſub Gallo & Voluſiano annis duobus, cui ob Chriſti martyrium coronato, ſucceſſit Lucius.

Sãctus Cornelius gradatim ad epiſcopatum euectus.

Scripta B. Cornelij.

De paſsionibus eiuſdem.

Cap. LV.

EX *geſtis eius.* Audiens etenim* Decius Cæſar quod ipſe Papa Cornelius multos ad Chriſtum conuerteret, præcepit vt vbicunque inuenti fuiſſent Chriſtiani ſine audientia punirentur. Cornelius ergo cum ſuis clericis comprehẽſus exilio religatur, vbi à Cypriano Carthaginenſi epiſcopo, & multis alijs per literas confortatus, inde reductus, Decio præſentatur: & dum immobilis permaneret, plumbatis, & flagris cæſus, ductus ad templum Martis, aut ſacrificare aut decollari iubetur. Cum ergo duceretur ad locum, Cærealis miles rogauit eum vt ad domum ſuam diuerteret, & pro vxore ſua Saluſtia, quæ per quinquennium paralytica decumbebat, oraret. Quo facto 20. & vnus milites eam incolumem ſurrexiſſe videntes, cum ipſa & viro eius baptizati ſunt, & iubente Decio ad templum Martis ſimul ducti, expuentes in Idolum cum beato Papa Cornelio decollati ſunt.

Ex geſtis Pontificum. Hic temporibus ſuis rogatus à quadam Matrona Lucina, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis leuauit noctu, primum quidem corpus beati Pauli beata Lucina leuauit, & poſuit in prædio ſuo in via Oſtienſi iuxta locum vbi decollatus eſt: Beati autẽ Petri corpus accepit beatus Cornelius, & poſuit iuxta locum, vbi crucifixus eſt, inter corpora beatorum Epiſcoporum in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatio Neronis 3. Cal. Iulij.

Poſt hæc iubente Decio paſſus eſt, corpus eius noctu collegit beata Lucina cũ clericis, & ſepeliuit in crypta iuxta cæmeterium Calixti in harenario via Appia 18. Cal. Octobris. *Ex martyrologio.* Præterea 15. Cal. Octobris celebratur Romæ via Tiburtina natale ſancti Iuſtini Preſbyteri, qui perſecutione* Decij Galli, & Voluſiani, confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit.

** Lege hic Bar. an. 255. qui dicit ex litteris Cypriani demõſtratum eſſe nullo pacto ſub Decio, ſed ſub Gallo & Voluſiano Corneliũ coronatum eſſe martyrio: bene tamen in perſecutione Decij, licet perperã viuente Decio, eum martyrio coronatum dices.*

** Valeriani & Gallieni ait Martyrol. Rom.*

De Imperio Valeriani, & Gallieni, & paſsione ſancti Dionyſij Alexandrini.

Cap. LVI.

Valerianus & Gallienus an. M. 5110. Ch. 257.

EVſebius *in chronicis.* Romanorum igitur 27. imperauit Valerianus cum Gallieno annis 14. Valerianus in Retia ab exercitu Auguſtus; Romæ à ſenatu Gallienus Cæſar appellatus eſt, Cœperunt autem anno Domini 257. mundi vero 5110.

Idem in Eccleſiaſtica hiſtoria li. 7. cap. 9. Miro autẽ modo Valerianus ſupra cæteros, qui ante ſe fuerunt, humanus, & benignus extitit erga famulos Dei, ita vt in initio multo etiã illis benignior videretur, qui nomine ſaltẽ Chriſtiani dicebãtur. In tãtũ venerabatur ſeruos Dei, & omnis domus eius erat eccleſia Dei. Deprauatus autẽ eſt, & à veritate deiectus per quendã Doctorem peſſimum, magiſtrum & Principem Ægyptiorum Magorum, vt & iuſtos, & ſanctos viros perſequi, & interimi iuberet.

In quibus cum Dionysius Alexandrinus Episcopus, vnum solum Deum qui cœlum fecisset & terram diceret adorandum, cæteros autem neque esse Deos, neque adorari debere, in castrum quoddam deserti quod Cefro appellatur, in exiliũ truditur, ob hoc præcipue electum quod loci incolæ gentiles erant, & Idolorum superstitionibus satis dediti; quique exulem Dionysium, primo hostili animo & satis aduersa mente suscipiunt, postmodum vero cum paulatim per Domini gratiam, verbum Dei his seminare cœpisset, pars maxima trucis, & Barbari populi relictis Idolis conuersa est ad Deum verum, Christoque subiecta. Quo comperto, rursus eum ad alium locum, vicinum quidem Alexãdriæ, sed incolis desertum ac pene habitatoribus vacuum transtulerũt. Sed & ibi cum pro vrbis vicinitate nostrorum populi frequentarent, & tanquam odore Pastoris recepto, grex lętior & constantior redderetur agonibus, rursus missis cum Centurione militaribus viris, ipsum Dionysium, & cum eo Gaium & Petrum catenis constrictos, & diuersis cruciatibus afflictos in desertum quoddam Lybiæ pertraxerunt. Ibique eos in loco squalidissimo & omni vsu humanitatis carente, à Parætonio trium dierum itinere ita desertum protento, nexos vinculis reliquerunt.

Eusebius ib. cap. 10. De isto Dionysio dubitatio aliqua potest oriri, dum Augustinus eũ appellet fontem Arianorum, & vt ait Baron. non omnia viri huius laudamus, sũt quæ prorsus dãnamus, tamẽ excusandus est, quia hæc non ex animi malitia fecit sed quia vehementer cupiebat obluctari Sabellio. Lege Athanasij pro Dionysio epistolam apologeticam.

Passio Sancti Prisci, Alexandri, Malchi, & Marini.

Cap. LVII.

Eusebius ibidem cap. 11. EO tempore Cæsaream Palestinæ multa à diuersis martyria consummata sunt. In quibus tres quidam admirandi adolescentes, quorum vnus Priscus, alius Malchus, tertius Alexãder vocabatur, cum suburbanum agellum supradictæ vrbis habitarent, diuino fidei calore succensi, cœperunt semetipsos segnitiæ, atque ignauiæ incusare, quod cum cœlestes in vrbe martyrij proponerentur coronæ, ipsi non desiderarent, non raperẽt: Cumque dominus, & saluator regnum cælorum violenter diripi debere testatus sit, ipsi inglorios, & desides animos humi gererent. His igitur semetipsos alloquijs incitantes vrbem petunt, & adorto iudice truculento, cur tantũ in sanguine piorum desæuiret, incusant. Ille continuo nobiles animos iuuenum, quam dignis remuneratur affatibus, deuorandi, inquit, bestijs subrigantur, quibus non placet piorum sanguinem fundi. Sed & Mulier quædam supradictorum iuuenum secuta fertur audaciæ & magnanimitatis exemplum, similemque sortitur exitum pœnæ: quam tamen de Marcionis schola fuisse loquebantur.

Lege Niceph. lib. 6. cap. 11. de quibus ex Eusebio agũt & cæteri recentiores.

Eusebius ibidem cap. 12. Marinum quoque virum militarem Hierosolymorum ciuem, honore & diuitijs clarum, cum in supradicta vrbe inter collegas suos per ordinẽ gradus sui honor quidem contingeret militaris (vt fieri solet) in sequentem collegam suũ subit inuidia, & exclamat, non posse Marinum adipisci superiorem gradum, eo quod esset Christianus. Interrogatur à iudice Marinus, si res ita se haberet: Ille ita esse, & vere se esse *Christianum* clarissima voce testatur. Tres ei deliberandi horæ decernuntur à iudice, vt eligat vtrum velit immolare Dijs, & placere Imperatori, an Christianus interimi. Cumque à tribunalibus fuisset egressus, Theotecnus episcopus loci, apprehensa manu eius perducit eum ad ecclesiam, ibique eum multis verbis in fide confirmãs, ad vltimum in interiora perducit altaris, gladium suum, quo præcinctus erat, ostendens ei, & rursum offerens euangelium, quid de duobus mallet interrogat. Marinus vero prõptissima fide cum manum ad Euangelium tetendisset, obtine (inquit Theotecnus,) quod legisti ô fili, & contemnens præsentem vitam, æternam sperato. Confidẽs perge, & suscipe coronam, quam tibi Dominus præparauit. Mox regressus ad tribunal vocatur, nec moras patitur, sed statim asserit, *quod oporteat magis Deo quam hominibus obedire*. Quem iudex illico capite puniendum pro tali responsione denunciat.

De Sancto Asterio Senatore.

Cap. LVIII.

Eusebius ibidem cap. 13. SEd inter eos cunctis clarior meritis fidei supra cæteros insignis memoratur Asterius vir Romanæ vrbis Senator, patricius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia, & omnium bonorum fama satis clarus. Qui cũ supradicti Marini extremis interesset exequijs, & capite cęsum cadauer subiectis humeris, & subtracta veste qua induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuo ipse martyr assequitur. Sed & in multis alijs eum præclaris gestis in fide Christi emicuisse tradiderunt nobis hi, qui eum in corpore adhuc positum viderant. In quibus etiam tale aliquid per eum gestum memorabant.

Prestigia de victimo nusquam comparente.

Apud Cæsaream Philippi, quam Paneadem Phenices vocant, aiunt sub radice montis, qui appellatur Pamus, ex quo fluuij Iordanis prima fluenta prosiliunt, morem fuisse gentilis erroris, certa ac solenni die immolari victimam: quæ victima arte quadam Dæmonis subito nusquam comparebat. Et erat hoc famosissimi miraculi genus, quo persuaderi astantibus videretur in cœlum hostiam inuisibiliter esse sublatam. Accidit igitur dum hæc agerentur adesse Asterium; qui cum videret omnes miraculi huius stupore confringi, humanos miseratus errores, cum gemitu & suspirio oculos ad cœlum pariter tendit, & palmas; Christum, qui est super omnia Deus, tota fide perfusis lachrymis inuocat, vt prestigias fallacis Dæmonis arguat, miserisque mortalibus erroris huius soluat arcanum. Hæc illo cum fletibus supplicante, subito victima quæ inuisibiliter credebatur assumpta, superferri aquis videbatur, & conspectibus omnium redditur. Nec vltra in illis locis error huiusmodi potuit reparari. Ita vnius Christiani prece, tantorum sæculorum deceptionis machina, cum auctoribus suis Dæmonibus dissoluta est.

De imagine Domini, & cathedra Iacobi, quæ sunt in Cæsarea.

Cap. LIX.

Eusebius ibidem cap. 14. VErum quia vrbis huius fecimus mentionem, iustum videtur cõmemorare etiam illud in ea quod historia dignum duximus. Mulierem quam sanguinis profluuio laborantem, à Saluatore curatam euangelia tradiderunt; huius vrbis ciuem constat fuisse, domusque eius in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus vero domus ipsius, basis quædam in loco editiore collocata mõstratur, in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ palmasque suppliciter tendentis imago ære videtur expressa. Astat vero alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri, stola cõpte circundati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedẽ statuæ, è basi, quædã herba noua specie nascitur, quæ cum exorta fuerit, excrescere vsque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet. Quã cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit; ita vt quocũq; illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino viriũ gerẽs; si antequã æreæ fimbriæ summitatẽ crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinẽ vultus Iesu formatã tradebant, quæ permansit vsque ad nostra tempora, sicut ipsi oculis nostris perspeximus.

Mulier quã Christus curauit profluuio anguinis vexatam, fuit ciuis Cæsareæ Philippi.

Miraculũ de herba medicam vim habente.

Eusebius ibidem cap. 15. In eadem vrbe & Iacobi cathedra, qui primus in terris episcopus ab ipso Saluatore & Apostolis in Hierosolymis est electus, quemque fratrem ipsius Domini diuina volumina designant, vsque in hodiernum diem conseruatur, atque in ea sedent omnes, qui vsque ad præsens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur, seruaturque cum ingenti studio, velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habentur, vel vetustatis, vel primi Sacerdotij sanctitatis obtentu.

De

De Lucio Papa, & Stephano Papa.

Cap. LX.

De huius successione agit Eusebius lib. 7. hist. Eccles. cap. 2. Optat. lib. 2. contra Parmen. & Aug. epis. 165.

Ex gestis Pontificum. Lucius Papa natione Romanus primo quidem in exilio fuit, sed postea nutu Dei ad Ecclesiam suam reuersus: tandem à Valeriano capite truncatus est 4. non. Martij. Hic præcepit vt duo presbyteri, & tres Diaconi in omni loco episcopum non desererent, propter testimonium ecclesiasticum. Sedit autem annis tribus. Qui dum ad passionem pergeret potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo.

Acta Sancti Stephani edidit Metaphrastes sed gesta eius admiranda, cum aduersante toto orbe fere, de baptismate tutatus est maiorū traditionem digessit Baronius in suis annalibus Ecclesiast. ibique eundē vindicat a calūnijs Firmiliani episcopi Capadocia. vide quid de his cripsit Vincentius Lirinesis aduersus haret.

Stephanus itaque natione Romanus post eum sedit annis septem. Hic constituit vt Sacerdotes, & Leuitæ vestibus sacratis in vsu quotidiano non vterentur, nisi in ecclesia tantum. Et ipse quoque martyrio coronatus est.

Ex gestis eius. Nam cum verbo & exemplo, multos gentilium conuertisset, & multa martyrum corpora sepelisset, Valerianus, & Gallienus, nominis Christi persecutores, eum summo studio perquiri fecerunt, vt eum & clericos eius, aut sacrificare cogerent, aut diuersis supplicijs consumerent; dederuntque edictum, vt quicunque eos proderet, omnes eorum diuitias possideret. Vnde decem huius Clerici comprehensi, statim sunt sine audientia decollati. Sequenti die comprehensus Stephanus cum multitudine Clericorum, solus ante tribunal iudicis introiuit, manensque immobilis ad templum Martis ducitur, vt ipsum adoraret, aut statim capite puniretur: quò dum venisset, orauit Deum vt templum destrueret; & statim maxima pars templi corruit, & militibus præ timore fugiētibus beatus Stephanus cum alijs Christianis ad cæmeterium sanctæ Luciæ perrexit. Et audiens Valerianus quod eos ille ad tolerantiam roborasset, misit ad eum milites plures prioribus: qui venientes inuenerunt eum missam celebrantem, & stantem intrepidum accepta perficientem, sic in sua sede decollauerunt

Passio sancti Fructuosi Episcopi cum socijs suis.

Cap. LXI.

Vitā horum fideliter recitat Surius tom. 1. & quada vtitat D. Aug. in sermone de natali horū Sanctorum, sed & Prudentius carmine eorum vitā cōscripsit vt habes in eius Peristephano.

Sub eisdē Imperatoribus & Æmiliano Præside passus est apud Terraconam sanctus Fructuosus episcopus cum socijs suis, scilicet Augurio & Eulogio Diaconis, qui primo in carceres trusi, deinde flammis iniecti, exustis vinculis, manibus in modū crucis expansis, orantes, vt vrerentur, obtinuerunt. Cumque vocarent Præsidem, dicētes: *Veni, & vide quos hodie damnasti, quomodo secundum spem suam cœlo restituti sunt.* Ille veniens videre dignus non fuit. Venientes autem nocte fratres Amphitheatrū, vt semiusta corpora extinguerēt, cineres eorū collegerunt, & vnusquisque prout potuit sibi vēdicauit. Sed septima post passionē nocte, sanctus Fructuosus episcopus apparuit omnibus per visum, qui reliquias eorum per charitatem sustulerant, monens eos vt illas in vnū locū ponerēt. Æmiliano quoque in ipsa noctis hora se ostendit cum Diaconis suis in stolis gloriæ, increpans eum, & insultans. Passi sunt autem 12. Cal. Februarij.

De sancto Cypriano Episcopo ac martyre, & libris eius.

Cap. LXII.

De huius virtutibus, arumnis & scriptis tractat Baron. an. 253. 254. & vsque ad 260. & 261.

Ex gestis eius. Sanctus quoque Cyprianus Carthaginensis episcopus in eadem vrbe Paterno proconsuli præsentatur, & à fide mutari non valens, post diuturnum exilium reuocatus iussu Ascasij Proconsulis, qui Paterno successerat decollatus est.

Hieronymus de illustribus viris. Cyprianus Afer Carthaginensis episcopus glorioſe primum Rhetoricam docuit: exinde suadente presbytero Cecilio, à quo & cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit. Ac post non multum temporis electus in presbyterum, etiam Carthaginensis episcopus constitutus est. Huius ingenij superfluum est iudicem texere, cum sole clariora sint eius opera, passus est sub Valeriano & Galieno Principibus persecutione octaua, eo die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.

Author. Scripsit autem Cyprianus de 12. abusionibus sæculi librum vnum.

Ad Donatum de gratia Dei librum vnum.
De lapsis librum vnum.
De aleatoribus lib. 1.
De vnitate Catholicæ Ecclesiæ lib. 1.
De oratione dominica lib. 1.
De mortalitate lib. 1.
De opere & eleemosynis lib. 1.
De bono patientiæ. lib. 1.
De zelo & liuore. lib. 1.
Ad Demetrianum lib. 1.
Ad Quirinum libros 3.
De laude martyrij, lib. 1.
Ad Antonianum. lib. 2.
Ad Iulianum, librum 1.
Ad Cæcilium, lib. 1.
De sacro calice. lib. 1.
Ad Cornelium lib. 1.
De duobus montibus. lib. 1.
Epistolas paruas ad diuersas personas.
De omnibus his hæc quæ sequuntur excerpsi.

De 12. abusionibus sæculi secundum ipsum.

Cap. LXIII.

Hoc opus D. Cypriano perperā ascribitur teste Trithemio, imo scriptura citata iuxta Hieronymi versionē non iuxta 70. satis arguunt nō ipsius esse.

Cyprianus. Duodecim abusiua sæculi hæc sunt.
Sapiens, sine operibus.
Senex sine religione.
Adolescens sine obedientia.
Dives sine eleemosyna,
Fœmina sine pudicitia,
Dominus sine virtute.
Christianus contentiosus.
Pauper superbus.
Rex iniquus.
Episcopus negligens.
Plebs sine disciplina,
Populus sine lege, sic enim suffocatur iustitia.

Auditores enim doctrinæ dicta despiciunt, cum prędicatoris opera, à prædicationis verbis discrepare conspiciunt; nec vnquam fit efficax auctoritas prædicantis, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis. Nam & ipse Doctor, si in amorem vitiorum lapsus fuerit, alterius Doctoris medicamentum suis vulneribus paruipendit, dicente Domi. *Si sal euanuerit, in quo salietur?*

Math. 5.

Quid porro stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus, senectute confectus ad interitum festinat? dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, tussis cachinnat, talos & pedes tumor inflat, genua trepidant. Et hęc omnia ruituram, iam iamque domum corporis citò prænunciant. Cauendæ autem sunt homini veterano duæ particulæ, quæ in corpore illius nunquam veterascunt, & totum hominem ad peccatum pertrahunt: Cor videlicet, ET LINGVA: Cor enim semper nouas cogitationes machinari non desinit, & lingua impigre loquitur, quicquid cor machinatum fuerit.

2. Abusiuū.

3. Abusiuum.

Sicut autem in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur; ita ab adolescentibus obsequium & subiectio rite debetur. Vel quomodo honoratus, in senectute apparebit, qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit.

Non

Quartum.

Non dormiat in thesauris tuis, quod pauperi prodesse potest, quod enim aliquando de necessitate amittendum est, vtique pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. Auari in iudicio à rectissimo Iudice ideo dicentur maledicti; quia qui præteribant eorum habitacula, non dicebant, *benedictio domini super vos &c.*

Psal. 122.

Quintum.

Sicut autem omnes bonos mores procurat, & custodit in viris prouidentia; sic & in fœminis, cunctos honestos actus nutrit, & fouet, ac custodit pudicitia.

Sextum.

Tria quoque necessaria oportet habere eos qui dominantur, *terrorem, scilicet & ordinationem, & amorem.*

Septimum.

Mundi vero amor & Dei, pariter in vno corde habitare non possunt; quemadmodum oculi cælum & terram pariter nequaquam conspiciunt.

1. Ioan. 2.

Qualiter autem alios corrigere poterit, qui mores suos non corrigit? Sciat autem Rex iniquus, quod sicut in throno hominum primus est constitutus, sic in pœnis, primatum est habiturus. Omnes quoque peccatores quoscunque in præsenti sub se habuit, supra se modo implicabili in illa futura pœna habebit.

Nonum.

Prouerb. 16.

Decimum.

Decimus abusionis gradus est, episcopus negligens scilicet, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerij sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur non custodit Qui excommunicatur à catholico doctore, vel episcopo, non debet ab alio suscipi nisi permittente eo.

Vndecimum.

Disciplina est morum ordinata correctio, & malorum præcedentium regularis obseruatio.

De gratia Dei, & malitia sæculi.

Cap. LXIIII.

Abusium. Codex Marchinensis ita inscribit; Ad Donatiũ de erroribus mundi & contemptu eius, sed titulus in textu positus magis placet quem evita Cypriani per Pontiũ mutuatus est Antoninus, ac post eum Trithemius.

Avthor. Porro *in lib. de gratia ad Bonatum.* de affluentia gratiæ Dei, & abundantia malitiæ sæculi, sic loquitur.

Cyprianus. Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur, nullis metarum spacijs frænatur: manat iugiter, exuberat affluenter; Nostrorum autem tantum sitiat pectus, & pateat, quantum illuc fidei capacis offerimus, tantum inundantis gratiæ haurimus. Paulisper itaque te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, & inde speculare infra te iacentium facies; & oculis in diuersa porrectis ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam sæculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus Deo gratus, maiore lætitia quod euaseris, gratulaberis. Esse iam inter innocentes, innoxium crimen est: malos quisque non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est. Quis enim illic pudor rerum, quæ integritas esse potest; vbi qui damnent improbos desunt, & soli qui damnentur, occurrunt. Cæterum quos diuites opinaris, hos etiam inter diuitias suas trepidos cogitationis incertæ, solicitudo discrucitat, ne prædo vastet, ne præcursor infestet, ne inimicitia cuiusque locupletioris inuidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus* securo, somnusue contingit; gemma licet bibat, in conuiuio suspirat, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, in pluma vigilat. Nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis, quam diuitias possidere. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo! Cum exonerare se possit, & releuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, & pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes largitio est, nulla indigentibus fit partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt, sed ad hoc tantum possident, ne possidere alteri liceat. An tu vel illos saltem putes inter honorum insulas, vel opes argas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes, armorum excubantium tutela circunstat? Maior illis quam cæteris metus est, tam enim timere coguntur, quam timentur. Exigit enim pœnas pariter de potentiore sublimitas.

** Male legitur securus vel securos in quibusdã codicibus.*

Vna igitur placida & fida tranquillitas, vna solida, & firma securitas. Si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractius, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat à terris, & ad Dei munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud cæteros humanis in rebus sublime ac magnum videtur; intra suam conscientiam iacere glorietur. Nihil appetere iam de sœculo potest, qui sœculo maior est.

Ad oculum demonstrata vanitate mundi, ostendit quo velut ad portum quendam aspirare oporteat.

De laude virginitatis & Sanctimoniæ.

Cap. LXV.

Avthor. In libro quoque de disciplina, & habitu virginum, partim virginalem pudicitiam commendat, partim vero quasdam ornatu extraneo facies suas adulterantes vituperat in hunc modum.

Cyprianus. Nunc* nobis ad virgines sermo est, quarum quo gloria sublimior est, maior cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, imago Dei respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.

** Locũ hunc pro exemplo temperata dictionis citat D. Aug. l. 4. de doctri. Christ. c. 21.*

Porro si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt si & ipsa non pereas, tamen alios perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus superbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis adamari. Sericum & purpuram indutæ, Christum induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis, ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur, & fugiat quod alijs fuerit exitio? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius fuerit pro telo & gladio? Non solum autem virgines, ac viduas, sed & nuptas, & omnes fœminas admonendas puto, quod opus Dei & factura eius & plastica nullo modo adulterari debent, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore aut quolibet medicamine lineamenta natiua corrumpente. Dicit dominus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostr am*, & audet quisquam mutare & conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt; nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur; Diaboli, quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, ac corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam ac consumpto simulachro, manus alius inferret, iamque formata, iam picta quasi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria & iusta indignatio videretur. Et tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Et si impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas, quod comi, impugnatio est ista diuini corporis, præuaricatio veritatis. *Non*, inquit, *in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Nunquit sinceriras perseuerant, & veritas; quando quæ sincera sunt polluuntur adulterijs colorum, medicaminum fucis, in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit *non potes facere capillum tuum album aut nigrum*, & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem? Audaci conatu

Gen. 1. Lege hic Tertul. de habitu mulieb. & de cultu fœmineo.

1. Cor. 5.

Matth. 5.

& sacrilego contemptu crines tuos inficis malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicari non metuis. Oro te, non metuis quæ talis es, ne cum dies resurrectionis venerit, artifex tuus te non recognoscat; ad sua præmia venientem remoueat, & excludat? vigore censoris, & iudicis increpans, dicens: *Opus hoc meum non est, nec imago hęc nostra est, figura corrupta est, vultus alienus est.* Deum videre non poteris, cum oculi tibi non sint, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es; de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura. Virgines certe, quæ se huiusmodi artibus compserint, inter virgines non puto debere numerari, sed tanquam contactas oues, & morbidas pecudes à grege sancto & puro virginitatis arceri, ne contagio suo cæteras polluant. Non est autem ad magna facilis ascensus, sed si præmium pollicitationis attendas, minus est quod laboras. Igitur ô sacræ virgines hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate. Durate fortiter, pergite spiritualiter, peruenite fœliciter: tantum mementote tunc nostri, cum in vobis cæperit virginitas honorari.

De inuectione eius contra Aleatores.

Cap. LXVI.

Alea lusum multis argumentis pulchrè hic impugnat Cyprianus & Christiano homine minime dignū ex eo probat, quod diaboli cum idololatria institutum sit, multo magis in presbyteris vituperandū quod absurdum sit, vt manus ad sacrificium dominicum admissa iterum laqueis diaboli implicetur.

Author. Porro *in libro de aleatoribus.* contra ludum aleæ sic inuehitur.

Cyprianus. Si oues delinquant, & pastores delinquentibus ignoscant, nonne ipsi se pondere delinquentium onerant? Quid quęso est illud fideles, quod manus, quæ ab humanis iniurijs expiata est, & ad sacrificium Dominicum admissa, quæ ad laudem Domini in oraculo exurgit, quæ signum Christi (per quod tuemur) fronti imprimit; quid est, inquam, vt aleæ ludum exercens, laqueis Diaboli vnde exuta est, rursus implicetur? Alea enim Diaboli venabulum est, & delicti vulnus insanabile. Ibi Diabolus præsto est, ad capiendum summissus; ibi perfidia, falsa testimonia, mentis furia, venale periurium, serpentinum colloquium. Illic rabiosa amicitia, fraternitas discordans. Illic conuitia, & sæua audacia, fera impatientia, possessionum amissio. O Aleatorum pigra nequitia, ô manus crudelis, & ad periculum sui armata, quæ bona paterna, & opes auorum sudoribus quæsitas, ignominioso studio dilapidat. Alea est alueus mali, supplantatio amici, quæ nec lucrum confert, sed totum consumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc iam consumptis omnibus, suis rebus mutuis pecunijs se obruunt; hinc patrimonium sine vlla fori calumnia amittunt: O quales sunt fideles, vt quos nemo persequitur, ipsi seipsos inuidia persequantur, vt paterna sua hæreditate priuentur. Ille quidem, qui hunc ludum primus adinuenit, instinctu diaboli, qui eum suis artibus adimpleuit, ab imitatoribus suis se colendum, & sibi sacrificandum constuit, ita vt qui vellet eius studio adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori eius prius sacrificaret. Christianus autem quicunque es, & aleæ tabula ludis, licet non sacrifices, tamen legis huius facinoris particeps es, & vtique Christianus non es, sed Ethnicum tibi nomen es, & in vacuum sumis illud quod ad sacrificium Dominicum pertinet: nec amicitiam cum Christo habere potes, qui eius inimico amicus es. O qualis aleatorum dementia, qui insaniunt, peierant, maledicunt, & Diaboli caligine deorbati similiter inuicem manus inferunt, inuicem se deuouent, & parentum originem turbis præsentibus dehonorant. Et qui iam sæpius vincitur, rursus ad nocentius studium, suadente Diabolo animatur. O ars infesta studentibus, & studium libidinosum: quod non diuitias, sed nuditatem & inopiam præstat: Manus carnifex, manus noxia, quę nec post lucra desinit, sed adhuc post damna ludit. Esto igitur non aleator, sed Christianus; pecuniam tuam assidente Christo, spectantibus Angelis, & martyribus præsentibus, supet mensam domini sparge, & pauperibus diuide; diuitias tuas Christo committe, & artem domini imitare, quæ non perdit, sed potius acquirit. Sit tibi cum pauperibus quotidianus lusus, sit cum viduis frequens operatio. Alea vero non luseris, vbi lusus nocuus est, & crimen mortale: vbi dementia sine consideratione; vbi veritas nulla, sed * mendacij malitia. Extrahe caliginem inimici ab oculis tuis, & purifica manum tuam à Diabolo sacrificijs.

* *Alias mēdaciorum mandra.*

De modo orandi.

Cap LXVII.

Docet nos D. Cyprianus in hoc libro quā potissimum oratione vti debeamus, & qualiter ad eam accedere, & quo gestu corporis, & modo vocis conueniat qui se Christianū esse asserit.

Author. Cæterum *in libro de oratione dominica,* de modo orandi ita disserit.

Cyprianus. Sit orantibus sermo cum disciplina, quietem continens, & pudorem. Placendum est diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis: nam sicut impudentis est clamoribus strepere, ita è contra congruit verecundo modestis precibus orare. Denique Dominus secreto in abditis, & semotis locis orare præcepit id est in cubiculis ipsis, quod magis fidei conuenit, vt sciamus Deum vbique præsentem, omnes audire, & videre. Disciplinæ quoque ac verecundiæ memores, non debemus passim inconditis vocibus preces nostras ventilare, nec petitionem Deo modeste commendandam, tumultuosa loquacitate iactari: quia *Deus non vocis, sed cordis auditor est.* Nec clamoribus admonendus est, qui cogitationes videt: vnde & Publicanus orabat non eleuatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus * insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium. Dominus quidem in oratione quam docuit, omnem precem nostram salutari sermone breuiauit, sicut etiam præceptorum salutis grande compendium fecit: vt in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret: sic etiam vitæ æternæ sacramentum magna & diuina breuitate cōplexus est, dicens: *Hæc est autem vita æterna &c.* Inbere igitur igitur ad preces toto corde debemus cum ad orandum * stamus: cogitatio omnis carnalis abscedat, & sæcularis: nec quicquam aliud tunc animus cogitet, quam id solum quod precatur. Ideo enim & Sacerdotes ante orationem præfatione præmissa, parant fratrum corda dicendo: *Sursum corda.* Et illi respondent: *Habemus ad dominum.* Vt claudatur contra aduersarium pectus, & soli Domino pateat, nec habeamus aliud in corde, & aliud in voce. Quomodo enim audiri te à Deo postulas, cum te ipse non audias? Dominum tuum memorem esse vis, cum tui memor ipse non sis? Hoc est maiestatē Dei negligētia orationis offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Christianus etiam cum dormit, corde vigilare, sicut scriptum est: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Sermo quoque Deum promereri non potest, qui nulla operatione fœcundus est. Et ideo scriptum est: *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* Nam qui in die iudicij præmium pro bonis operibus redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Vnde Cornelio dictum est: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo.* Qui enim pauperi eleemosynam dat, Deo suauitatis odorem sacrificat. Nulla autem hora Christianus excipitur, quo minus sēper Deus debeat adorari, nec vllum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filijs lucis etiā in noctibus dies est: Qui ergo *in Christo,* hoc est, *in lumine* semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus: imitemur quod futuri sumus; habituri in regno sine noctis interuentu, solum diem.

* *Rectè addit insolenter, non enim omnem manuum eleuationem damnat.*

Ioan. 17.

* *Stabant olim fideles in orationibus publicis. hinc stationes dictæ.*

Cant. 5.

Tob. 12.

Act. 10.

Opus hoc Cypriano ascribūt Landulphus à colūna Camotēsis in Breuiario hist. Antoninus summa hi. Phili. Bergomas in supplē. chron. & Trithemius. Neque enim magnopere repugnat Stylus, & plerasque scripturas, sicut Cyprian. alibi, citat.

De contemptu mortis.

Cap. LXVIII.

Mortalitatis vox & hic & alibi pro pestilentia Cypriano peculiaris est, quãtũ colligere licet, quoa præsentaneã mortem inferat: Contigisse autem hanc luem circa hæc tẽpora testatus Zonaras Annal. lib. 2.

Avthor in libro quoque *de mortalitate*, contemptum mortis approbat; & ad martyrij desiderium sic inuitat.

Cyprianus. Eius est mortem timere, qui ad Christum non vult ire, & eius ad Christum est nolle ire, qui non credit se cum Christo incipere regnare. Contemnenda est omnis iniuria præsentium malorum, fiducia futurorum bonorum. Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat cui hoc mora longiore, confertur, vt cruciatus, & gemitus interim differatur. Mortalitas ista Christi hostibus pestis est, eius autem seruis salutaris excessus est.

Martyrium incipimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Sed forte apponat aliquis hic: Me ergo hoc in præsenti mortalitate contristat, quod qui ad tolerantiam passionum tota me virtute deuoueram, martyrio meo priuor dum morte præuenior. Verum non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse, quod nescis, an merearis accipere. Deinde *scrutator cordium Deus est, qui prospicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem.* Et apud quem martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo iudice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse; aliud animo defuisse martyrium. Nec Deus sanguinem nostrum quærit sed fidem; nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, qui tamen fidei, & iustitiæ meritis honorati, inter Patriarchas primi esse meruerunt. Non sunt lugendi fratres nostri accersione dominica de sæculo liberati, cum sciamus eos non amitti, sed præmitti; & occasionem non esse dandam gentilibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos ac perditos lugeamus: nihil enim prodest verbis * præferre virtutem & factis destruere veritatem: Quod ergo intotim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire, Non est exitus iste sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transcursus. Eius est in mundo diu velle manere, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens ac decipiens, illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porro cum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te oderit, & non magis sequeris Christum, qui te diligit ac redemit?

** Hoc ita castigaui pro eo quod erat proferre.*

De detestatione auaritiæ.

Cap. LXIX.

Psal. 40. Innitat Cyprianus ad pietatis & misericordiæ opera, asseuerans iustitiã & misericordiã operibus, pietatem diuinam mortalibus subuenire.

Avthor. In lib. vero *de opere, & elemosynis* contra auaritiam sic disputat.

Cyprianus. Nihil de diuina pietate impetrabit in precibus, qui ad preces pauperis non fuerit humanus: Vnde scriptum est: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Quid ergo diuitijs tuis solus incubas? Quid in pœnam tuam patrimonij pondus exaggeras, vt quo sæculo locupletior fueris, Deo pauperior fias? Erras, & falleris quisquis te in hoc sæculo diuitem credis. Redditus tuos diuide cum Domino, fructus tuos partire cum Christo. Sed forsitan multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas: verum hoc ipso amplius operari debes, quo multorum pignorum pater es. Multorum enim delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ. Et sicut in vita corporali sustentanda, quo maior est eorum numerus, eo maior & sumptus: Sic & in vita spirituali maior debet esse operum impensa, quo maior est pignorum copia. Sic enim & Iob sacrificia numerosa pro suis offerebat, quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo numerus hostiarum. Illi ergo assigna facultates tuas, quas hæredibus seruas, Ille sit liberis tuis tutor, & curator, ac contra omnes iniurias sæculares diuina maiestate protector. Patrimonium enim Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit, sed in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est ergo charis pignoribus in posterum prouidere, & futuris hæredibus paterna pietate consulere, Præuaricator itaque & proditor pater es, nisi filijs tuis fideliter consulas, nisi eis conseruandis religiosa pietate prospicias. Qui enim studes terreno magis, quam cœlesti patrimonio, filios tuos Diabolo magis commendare, quam Christo, bis delinquis, & geminum crimen admittis, & quod non præparas filijs tuis Dei Patris auxilium, & quod doces eos patrimonium plus amare, quam Christum. Esto potius eis patet talis, qualis Tobias fuit.

Patrimonium Deo credendum.

Tob. 14.

De Bono patientiæ.

Cap. LXX.

Cyprianus à Christo in hoc libro incipiens & per exempla sanctorum discurrens, docet quam sit vtilis patientia, & necessaria vniuersis, & maxime Christianis, qui diabolo impugnante plus quatiũtur.

Avthor. Porro *in libro de bono patientiæ* patientiam sic commendat.

Cyprianus. Patientia virtus est nobis cum Deo communis. Quæ autem gloria est similem Deo fieri, quanta fælicitas habere in virtutibus quod diuinis laudibus possit æquari? Ille innocens, & iustus, imo innocentia, & iustitia inter facinorosos deputatur, & testimonijs falsis veritas premitur, iudicaturus iudicatur, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad Crucem eius confundantur sidera, contremiscat terra, turbentur elementa; ille non loquitur, nec mouetur, nec maiestatem suam profitetur, sed omnia perseueranter tolerat, vt in eo plena, & perfecta patientia consummetur. Porro vnusquisque cum nascitur & hospitio huius mundi excipitur, initium sumit à lachrymis: & cum adhuc omnium rerum ignarus sit, nihil aliud quam flere nouit. Prouidentia naturali lamentatur, mortalis vitæ anxietates, & labores, & mundi procellas quas ingreditur, ploratu & gemitu in ipso exordio suo rudis anima testatur. Sudatur enim hic quamdiu viuitur, & laboratur. Nec sudantibus, & laborantibus possunt magis alia, quam patientiæ subuenire solatia. Nec aliud magis iustos, & iniustos discernit, quam quod in aduersis per impatientiam blasphemat iniustus, & queritur, & patientia iustus probatur.

Denique patientia est, quæ nos seruat Deo, & commendat, quæ iram temperat, linguam refrænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, potentiam diuitum coercet, inopiam pauperum refouet, facit humiles in prosperis, fortes in aduersis: docet delinquentibus cito ignoscere, & delinquentem diu, & multum rogare. Fundamenta fidei munit, incrementa spei prouehit, actum dirigit. Cæterum Charitas est vinculum fraternitatis, fundamentum pacis, & tenacitas & firmitas vnitatis, quæ & spe, & fide maior est, quæ & opera & martyria præcedit, quę nobiscum semper æterna permanebit.

Patientiæ commẽdatio.

De Zelo & Liuore.

Cap. LXXI.

Avthor. Porro *in lib. de Zelo, & liuore* contra hoc malum solerter vigilare nos admonet, illudque vehementer aspernari, dicens.

Cyprianus. Excubandum est nobis, & omnibus viribus elaborandum, vt sæuientis inimici iaculis ex omni parte, qua feriri possumus, repugnemus. Nam circuit ille singulos nos, & tanquam hostis clausos obsidens, muros

muros explorat, & tentat, an sit pars aliqua* membrorum minus stabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas, vt visu castitatem destruat, aures per canoram Musicam tentat, vt soni dulcioris auditu, Christianum vigorem soluat, & molliat. Linguam ad conuicium prouocat, manum iniurijs latescentibus ad petulantiam cædis instigat. Falsa ostentat, vt vera subripiat: ad debellandos Dei seruos semper inquietus, semper infestus. In pace subdolus, in persecutione violentus.

* murorum.

Hic Cyprianus latentes inimici insidias detegit & multiplicem zeli ac liuoris perniciem demonstrat.

Qualis est animæ tinea in malum proprium bona conuertere aliena, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam, pœnam suam facere, & velut quosdam pectori suo carnifices admouere, qui se intestinis cruciatibus lacerent, & secreta cordis maleuolentiæ vngulis pulsent. Mala cætera terminum habent, & quicquid delinquitur delicti consummatione finitur: In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone quiescit scelus, homicidio admisso. Et impleta fallacia modum imponit falsario; zelus vero non habet terminum, sed est permanens iugiter malum, & sine fine peccatum, quantoque ille cui inuidetur meliore successu profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus exardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, in facie pallor, in labijs tremor, in dentibus stridor, verba rapida, & effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen furiosæ mentis armata. Facilis cura est, vbi plaga perspicua est; Zeli etiam vulnera obstrusa, & occulta sunt, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicunque inuidus es, eis quos odisti infestus es; nullius magis, quam tuæ salutis inimicus est. Quicunque enim ille est quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit, tu vero te non potes fugere: vbicumque enim fugeris, aduersarius tuus tecum est; hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus clausa est, ineuitabili catenarum nexu ligatus es. Persequerans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem, calamitas sine remedio est, odisse fœlicem.

Inuidia sine termino.

Inuidia vulnus occultū.

Bonos igitur potius imitare, si sectari potes, si sectari non potes; collætare certè, & congratulare melioribus: Fac te illis: adunata dilectione participem, & fraternitatis vinculo cohæredem.

Sit in manibus diuina lectio, in sensibus dominica cogitatio, oratio iugis omnino non cesset, salutaris operatio perseueret, vt quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentauerit, clausum aduersum se pectus inueniat, & armatum.

De laude Martyrum.

Cap. LXXII.

Hic incitat Cyprianus fideles ad amorem, martyrij.

AVthor. Cæterum *in epistolis suis ad Martyres, & confessores,* ita loquitur.

Cyprianus. O quantum vos diuina dignatio honorauit, vt ex vobis iam pars martyrij in consummatione ad coronam præcesserit, pars adhuc in carcere, claustris, & vinculis demoretur, ad meritorum titulos ampliores, tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cœlestibus præmijs, quot nūc dies numerat in pœnis. Imposuerunt compedes pedibus vestris, & membra fœlicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt: sed ornamenta sunt ista non vincula, nec pedes vestros copulant ad infamiam, sed clarificant ad coronam! O pedes fœliciter vincti, qui non à fabro sed à Domino soluuntur, & itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O pedes in sęculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Deum liberi, & celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri! O martyres sancti, quibus vos laudibus prædicem? quibus vocis præconijs exornem? Non cessistis supplicijs, sed vobis potius cesserunt supplicia. Stetistis voce, libera mente incorrupta, virtute diuina. Armis quidem sæcularibus nudi, sed armis fidei armati. Steterunt serui Dei torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem suam superare non potuit sæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei iam non membra, sed vulnera; fluebat sanguis, qui incendium persecutorum extingueret, qui flammas, & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.

Comendatio martyrum.

Milites Christi nullo vincuntur tormento.

Inuectio contra Blasphemum, & Histrionem.

Cap. LXXIII.

Hic stylus est elaboratior, quadam imitatus ex Tertulliano. Cæco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre labor irritus.

IDem. Sublatrantem te, & aduersus Deum ore sacrilego, & verbis impijs obstrepentem frequenter Demetriane contempseram, verecundius & melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam prouocare. Nam & labor est irritus, & nullius effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto. Hæc considerans sæpe conticui, & impatientem patientia vici. Tacere tamen vltra non oportet, ne dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen approbare.

Nunc florent isti.

Hic suadet Cyprianus ne sinat histrionem artē suā exercere, sed ab ea ad viam innocentia deducat.

Idem ad Eucratium. Consulendum me existimasti frater charissime de histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat. Et id quod male didicit cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare vobiscum; quod ego puto nec maiestati diuinæ nec euangelicæ congruere disciplinæ, pudorem, & honorem Ecclesiæ tam turpi, & enormi contagione fædare. Nam cum viri induere vestem muliebrem in lege prohibebantur, & maledicti huiusmodi iudicentur, quanto maioris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudice, artis exprimere? contra Dei institutionem docere quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & Diabolo diuinum plasma maculanti, per corrupti atque eneruati corporis delicta placeatur.

De Sancto Melanio Episcope.

Cap LXXIIII.

Fuit hic secundus eius sedis episcopus, subrogatus sancto Nicasio, vt habent tabulæ episcoporū eius ecclesiæ, Vincentius hunc corrupto vocabulo appellauit Melonem sed iuxta Martyrol. Rom. correxi nomen, cum & Petrus in cathalog. vocet eum Melanium.

EX gestis eius. Tempore Valeriani Imperatoris Melanius quidam de maiore Britannia oriundus Romam venit, vt patriæ suæ tributum solueret, & Imperatori seruiret. Ibique sicut mos erat cum socijs suis ad templum Martis ductus est, vt sacrificaret: Audiens autem Stephanum Papam paucis Christianis euangelium Christi prædicantem, verba eius attendit, & credit: Baptismum ab eo petijt, & accepit, & ab eo instructus, quicquid habebat vendidit, & pauperibus erogauit: quem præfatus Papa sibi adhærentem per omnes Ecclesiæ gradus vsque ad sacerdotium promouit. Cumque ieiunijs, & vigilijs instaret, quadam die missam eo celebrante, viderunt ipse, & Papa, Angelum Dei stantem ad dexteram altaris; qui peracta missa, dedit ei virgam pastoralem, quam manu tenebat, dicens: Accipe virgam sub qua reges populū ciuitatis Rhotomagensis, tibi enim illic præparatus est à Deo locus. Licet autem labor incognitæ viæ tibi onerosus sit, nequaquam tamen tibi timendum est, quoniam *sub vmbra alarum suarum proteget te dominus Iesus Christus,* Tunc accepta benedictione à Papa iter arripuit, & cum venisset Antisiodorum, virgam tenens quam ab Angelo acceperat, quendam bipenni vulneratum, cuius pes in duas partes diuisus erat oratione facta, illico sanauit. Denique Rhothomagum veniens, & ministerium suum fideliter implens, multis virtutibus, & miraculis clarus, tandem quieuit in pace.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Huius festum recolitur 11. Calendas Nouembris.

Passio Sancti Priuati Episcopi.

Cap. LXXV.

Extant hæc acta apud Surium quibus fidem conciliat S. Greg. Turo. l. 4. de historia Franc. c. 30. & 32.

EX *gestis eius*. Temporibus Valeriani, & Gallieni, seuiente in Christianos persecutione, indignatio domini commota est contra Romanos, ita vt Barbaræ nationes ab Oriente, & Occidente aduersus Rempublicam proruerent, vt populos trucidarent. Tunc Alemani cum Herode Rege suo transmisso Rheno Gallias petierunt, & in Ganalitanæ regionis excidio animos armaque conuerterunt. Tunc incolæ loci ad montem Gredonæ quasi ad præsidium confugerunt: cui regioni, vel ecclesiæ, Priuatus Episcopus præsidebat, qui cauernam sibi in montis cuiusdam supercilio fecit, in quo omni tempore stetit, nisi cum ad agenda solemnia procedebat. Ibique positus, licet Gredonensibus præsentia non adesset, oratione non deerat, & quos corpore consolari non poterat, spiritu confortabat.

Manet semper in crypta S. Priuatus episcopus.

Interea Barbari regionem vastantes, & ad Gredonensem montem confluunt, & quos oppugnatione capere non poterant, duobus annis concluſos tenuerunt, vt eos vel famis ingluuie vincerent. Igitur dum in hac intentione persistunt, fama detulit Episcopum regionis non esse cum clausis, sed intra receptaculum, quod sibi tempore pacis parauerat, commorari. Illico ad rapiendum eum conuolant, sperantes per eum totius populi animos continuo frangi, & ad illam conditionem sponte descendere, in qua vidissent episcopum retineri. Cumque vir sanctus à Barbaris per interpretem compellatus fuisset, comperissetque ad hoc se * perniciter captum, vt suorum animos ad deditionis persuasionem molliret, respondit, nequaquam se hoc facturum, meliusque sibi esse quælibet subire discrimina, quam ad tale facinus præbere consensum. Tali itaque Barbari responsione permoti, statim eum fustibus cædunt, multisque actum verberibus ad vicum vsque perducunt credentes, vel post illata supplicia eius sententiam esse mutandam. At ipso in eadem voce persistente, illi sacrificia funesta cum ingenti honore obtulerunt, dicentes; aut quod Idolis immolaret, aut in tormentis deficeret. At ille: Melius est, inquit, mihi præsentes pœnas experiri, quam vobis, & Dæmonibus vestris stultissime humiliari. Cumque hæc & alia plura proclamaret, sic in eum cæpit sæuire Barbaries, vt maioribus flagris ardentioribusque flammis, & nouis pœnarum generibus excruciatus exanimis relinqueretur. Post hæc Barbari cum viderent se nihil posse proficere, ad Gredonem redierunt, vt ab inclusis pacem postularent, versaque vice rerum, præstiterunt obsessi, quod rogare debuerant. Plebs ergo egrediendi libertate concessa, illico ad episcopum congratulans vniuersa cucurrit: alij genibus eius aduoluti, alij ore proprio sancto corpori vlcera inflicta lambentes. At vero sanctus martyr Priuatus ex ipsa cruciatione quassatus, non multo post migrauit ad Dominum. Et quia tunc tanta in Christianos persecutorum feruebat rabies, vt nec sanctorum cineribus parcerent, crypta in subterraneo facta est, in qua sanctum corpus cum honore collocatum est.

Comprehenditur ab hostibus episcopus.

** pertinaciter.*

Caditur fustibus dum non vult prodere subditos.

Non vult sacrificare dæmonibus.

Eius precibus ciues ab obsidione liberantur.

Decedit ex hac vita.

Huius passio celebratur 12 Calen. Septembris.

Passio Sanctæ Basillæ, & Prothi, & Hyacinthi.

Cap. LXXVI.

AVthor. Miro modo dissentiunt historiæ de his martyribus qui passi sunt sub Decio Imperatore: Nam Cornelius Papa sub eo legitur passus fuisse, & tamen idem legitur passus fuisse in gestis beatæ Eugeniæ, Valeriano, & Gallieno Imperantibus qui vtique post Decium, & etiam post Gallum, & Volusianum leguntur Imperium suscepisse.

Orta est seditio de Christianis, quod Cyprianus Carthaginem euerteret, & Cornelius Romam; data est auctoritas ad Paternum consulem, vt Cyprianum occideret; Cornelius autem, quia à multis Romanis etiam illustribus fouebatur, erat in abditis. Tunc beata Eugenia videns Basillam ait: Reuelatum est mihi à Deo, quod te virginitatis magnum præmium expectat. At illa: Et mihi, inquit, reuelatum est à Deo quod martyrij duplicem coronam accipias. Vnam quam apud Alexandriam pro iustis laboribus acquisisti, aliam quam in effusione sanguinis acceptura es. Tunc Eugenia residentibus sanctis virginibus; multis sermonibus eas de castitate custodienda monuit; & ipsas flentes osculans Deo commendauit, & discessit.

Nequam ancilla prodit S. Basillam.

Eodem die perrexit vna ex ancillis Basillæ ad Pompeium sponsum suum dicens, quod Basilla ab Eugenia Christiana facta esset, vt ei non nuberet, & duos Eunuchos Prothum & Hyacinthum magicæ artis doctores, quibus Christiani committerentur, quasi dominos excoleret. Quibus ille auditis, vehementer iratus, peruenit ad cubiculum clausum, in quo Basilla cum Protho, & Hyacintho orationibus erat occupata. Cumque se intromitti peteret, audiuit à Basilla sibi esse mandatum, causam penitus non habeo te ridendi. Illi enim, qui corpus integrum mihi commendauit, fideliter conseruare disposui. Tunc ille vehementius furens prostrauit se coram Imperatore dicens: Sacratissimi Principes, Romanis viris subuenite, & Deos nouos, quos Eugenia de Ægypto veniens secum adduxit ab hac vrbe separate; Ecce Christiani coniugum separant gratiam, sponsantes sibi associant: Inuenti sunt Dij, qui homines nasci prohibeant. Tunc decreuit Gallienus vt aut sponsum suum Basilla reciperet, aut gladio puniretur: Eugeniam quoque iusserunt, vt aut numinibus sacrificaret, aut crudeliter interiret. Conuenitur Basilla, vt recipiat sponsum suum, profitetur *se Sponsum habere Christum Dei filium, Regem Regum*: & quoniam ex regio genere erat, & publice adiri non poterat, intra domum suam gladio transuerberata est: qua interfecta, tenentur Prothus, & Hyacinthus, & ad templum trahuntur: sed illis orationem facientibus simulachrum Iouis cui sacrificare compellebantur, cecidit ad pedes eorum, & ita comminutum est, vt vbi fuerit non comparereret. Quod Nicetius Præfectus non diuinæ virtuti, sed magicæ arti tribuens, iussit eos decollari.

Basilla nec ad colloquendum admittit Sponsum Pompeium.

Vide calumniam Pompei aduersus Christianos.

Prothus & Hyacinthus decollantur.

Passio sanctæ Eugeniæ Virginis.

Cap. LXXVII.

QVi etiam Eugenia ad se accersita, cæpit ab ea de magicis artibus inquirere: At illa constanter ait: *Polliceor tibi, quod ars nostra maior est, quam magica, nam Magister noster habet Patrem sine matre, & matrem sine patre, habet vxorem virginem, quæ filios ei quotidie creat, & in amore eius omnino perdurat.* Audiens Præfectus stupefactus est, & ne ad Imperatorem veniret, quod eam libenter audiret, iussit eam ad templum Dianæ duci, & stans speculator imminens dixit ei: Redime vitam tuam, & patrimonium tuum Eugenia, & Deæ Dianæ sacrifica. Tunc illa manus suas expandit, & orauit, ipsaque orante factus est terræmotus in loco, & ita templi fundamenta cum Idolo subuersa sunt, vt nihil remaneret nisi ara sola, quæ erat ante ianuam templi, ad quam stabat Eugenia. Tunc fit concursus populi Romani, alij dicunt *innocentem*, alij *Magam*. Præfectus hęc nunciat Imperatori, qui iubet eam saxo alligatam in Tiberim præcipitari. Statimque saxum diruptum est, & beata Eugenia supersedens ita fluuiali aqua ferebatur, vt omnibus appareret fidelibus illum esse cum ea in flumine ne absorberetur, qui cum Petro fuit in mari ne mergeretur.

Ductitur ad templũ Dianæ vt sacrificaret.

Sancta Eugenia precibus euertit templũ Dianæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In fornace manet illæſa.

Iterum inde ſublata, in thermarum fornacibus mittitur: quæ ſic ſtatim extinctæ ſunt, vt & thermarum calor refrigeſceret, & omnia incendia lignorum adhibita ad nihilum deuenirent. Poſt hæc miſſa in cuſtodiam tenebroſam per viginti dies iubetur, nec cibum accipere, nec lucem videre. At ibi quotidie tantus abundadat ſplendor, vt dum locus poſt viginti dies apertus fuiſſet, inueniretur beata Eugenia, quaſi lumen aliquod radiaret: Saluator etiam ei apparuit, de cuius manu panem niuei candoris accepit, qui & dixit ei: *Ego ſum quem tota mentis affectione dilexiſti; eodem die te in cæleſtibus recipiam, quo ego ad terras deſcendi.* Ipſa ergo die Natalis Domini miſſus eſt ſpiculator, qui eam in cuſtodia percuteret, cuius corpus à Chriſtianis ſublatum, poſitum eſt non longe ab vrbe in proprio prædio, vbi multorum corpora ſanctorum ipſa ſepelierat. Claudia vero mater eius dum ad eius ſepulchrum fleret, apparuit ei vigilanti in medio noctis ſilentio, induta veſte auro texta, cum multitudine virginum, dixitque ei: *Gaude mater, quia & me perduxit Chriſtus in exaltatione ſanctorum. & Patrem meum collocauit in numero Patriarcharum, & te die dominica ſuſcipiet.* Hæc ea loquente facta eſt ſubito clàritas immenſa, & humanis oculis intollerabilis, & Angeli tranſeuntes hymnum Deo dicebant. Hoc ſolum intelligebat, quod *Nomen Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti* ipſis laudibus perſonabant. Cumque domum veniens filios ſuos inſtruxiſſet, die dominica myſterijs ſanctis celebratis in oratione poſita emiſit ſpiritum: quam filij iuxta ſororem ſuam ſepelientes in timore Dei perfecti multos paganorum conuerterunt, & tandem ad æterna gaudia migrauerunt.

Christus ei apparet.

Capite caditur.

Apparet matri ſuæ ſplendido habitu.

Conſentiunt hiſce actis ea quæ à Surio adferuntur 25. die Decē.

Paſsio ſancti Pontij Martyris.

CAP. LXXVIII.

Vrſi in eum immiſſi nihil ei nocent.

EXgeſtis eius. Denique Valeriano, & Gallieno imperantibus & Chriſtianos perſequentibus, beatus Pontius fines Italiæ tranſiens, vrbem ſub ingo Alpium procul ſitam petijt nomine Cimelam, vbi ſedens Claudius pro tribunali iuſſit eum adduci, dixitque ei. Tu es Pontius, qui vrbem Romam neſcio per quam ſeditionem perturbaſti. Inſuper & piorum principum mentes abalienaſti. Qui reſpondit: Neminem turbaui, neque ſubuerti, ſed ab errore Dæmonum ad Deum conuerti. Cumque non poſſet ad ſacrificandum adduci, Prę ſes iuſſit omnia tormentorum genera præparari, & ait: In equuleo aptatus diſtendatur, vt omnia tormenta per membra eius decurrant, & tunc videamus ſi Deus eius eruet eum de manu mea. Cumque equuleo aptaretur, beatus Pontius dixit: Licet incredulitas tua impoſſibilem Deum noſtrum dixerit, ego tamen *in nomine domini mei Ieſu Chriſti credo, vt pœnæ tuæ ad nihilum redactæ nullum corpori meo dolorem incutiant.* Cumque equuleo tenderetur, & miniſtri vectibus impoſitis cochleam retornearent cum magno ſonitu equuleus confractus eſt, ita vt in puluerem redactus non compareret; & exanimes repentino fulgure, qui ibi aderant, redderentur. Sanctus vero Pontius lætus, & interritus ait: Vel nunc incredule diſce: quia Deus noſter potens eſt pios de tentatione eripere, vos autem iniquos in die iudicij igni perpetuo deputare. Tunc Præſide conturbato, dixit Anabius aſſeſſor: Sapientiſſime virorum aduentantibus nobis adducti ſunt duo vrſi è Dalmatiæ montibus miræ magnitudinis, præcipe præparari Amphitheatrū, vt ab eis deuoratus non habeat ſepulturam. Iuſſu Præſidis præparatur Amphitheatrum, & beatus Pontius in arena deponitur: Statim egreſſi duo venatores cum taureis, & neruiceis, ſecundum conſuetudinem cum ſtetiſſent in arena, & ſancto Dei prouocaſſent vrſos, illi exeuntes de caueis ſinguli vtroſque venatores arripuerunt, & ita eos diſcerpſerunt, vt penitus, qui fuiſſent, non compareret. Tunc venientes ad ſanctum Pontium non auſi fuerunt propius accedere, aut pedes martyris oſculari propter paganorum cruorem, ſed paulo longius procumbentes nihil ſancto martyri permiſſi ſunt læſionis inferre. Tunc clamor populi in cœlum tollitur, gentiles omnes clamabant: *Vnus eſt Deus Chriſtianorum, quem* PONTIVS *colit.*

Sanctus Pontius in equleo ſuſpenditur.

Conſummatio agonis eiuſdem.

CAP LXXIX.

EFferatus igitur Præſes rabida voce clamare cæpit, vt copiam lignorum, & omne genus fomitis afferrent, iuſſitque Dei ſanctum manibus pedibuſque vinciri catenis, & in media arena ſtatui, multitudinem lignorum in circuitu eius extrui ignemque ſupponi. Quod cum factum fuiſſet, ignis gyrans flammis in ſublimem arenam atque torquens, pluſquam faſtigium eliſit Amphitheatri; conſumptiſque omnibus, quæ pabulo ignis fuerant præparata; ita ſanctus Dei ab omni ardore apparuit illæſus, vt nec ſaltem fimbriam veſtimenti eius læderet. Tandemque præſes victus atque confuſus ait: Nunquid omnia genera tormentorum ſuperaſti? & ideo gloriaris nunc vt reliqua euadas tormenta: ecce proximum venerabile Apollinis templum, accede, & ſacrifica. Beatus Pontius dixit: *Sacrifico ego corpus meum domino meo Ieſu Chriſto, quod hactenus à pollutione Idolorum immaculatum cuſtodiui: Nam vobis, & Principibus veſtris cito ſuperueniet vltio diuina, quia iniuſte perſequimini ſeruos Chriſti.* Tunc videns Præſes eius conſtantiam, decretum dedit dicens: Ducite eum, & in ſaxo, quod riuulo imminet, decollate, corpuſque eius deorſum mittite: quod & factum eſt. Nec multum poſt completus eſt ſermo, quem ſanctus Pontius prædixerat: Valerianus ſcilicet Imperator in captiuitatem ductus à Sapore Rege Perſarum, non gladio ſed ludibrio omnibus diebus vitæ ſuæ, merita pro factis percepit, ita vt quotieſcunque rex Sapor equum conſcendere vellet, non manibus eius ſed incuruato dorſo, & in ceruice eius poſito pede, equo membra locaret. Gallienus vero cum Mediolanum intrare vellet, à militibus ſuis comprehenſus gladijs eſt effoſſus. Claudius autem Præſes, & Anabius aſſeſſor eadem hora, qua ſanctus Pontius decollatus eſt, arrepti à Dæmonibus ſuffocabantur. Nam Claudius linguam ſibi morſibus minutatim incidit. Anabij vero oculi è ſuis concauis vi doloris euulſi pellibus tenuiſſimis per ora pendebant. Sicque factum eſt, vt in momento temporis ambo expirarent.

Nihil læditur flammis.

Capite plectitur.

Corpus huius ſancti potiſſimum colitur Niciæ in Gallia.

Acta beati Pontij mutatis hinc inde phraſibus recitantur à Surio prout hic habētur.

Huius autem martyris paſſio celebratur pridie idus maij.

De Gallieno Imperatore, & Gregorio Pontico, & ſcriptis eius.

CAP. LXXX.

EVſebius 7. libro cap. 15. Gallienus autem Valeriani filius poſtquam rerum ſummam ſolus obtinuit, lenius, & moderatius erga noſtros agere inſtituit: datiſque decretis inhiberi ſupplicia, perſecutioneſque ceſſare, & quo quiſque putat more, exorare quod diuinum eſt, finit.

Gallienus Auguſtus miteſcit in Chriſtianos.

Per idem tempus cum Romano adhuc ſacerdotio Xixtus præeſſet & apud Antiochiam Demetrianus, Firmilianuſque adhuc Cæſareę Cappadociæ ſupereſſet, Ponti eccleſias Gregorius (qui prius Theodorus dictus eſt) ex Origenis diſcipulis cum fratre Athenodoro ſuſcepit gubernandas.

Gregorius & Athenodorus eccleſijs in Ponto præficiuntur.

Hieronymus de illuſtribus viris. Theodorus, qui poſtea Gregorius appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudia græcarum & latinarum litterarum de Cappadocia Berytum, & inde Cęſaream Paleſtinæ tranſijt, iuncto ſibi fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, cohortatus eſt eos ad philoſophiam, in qua paulatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque ſectatores reddidit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad matrem; è quibus Theodorus proficiſcens * *Panagericon Euchariſtias* ſcripſit Origeni, & conuocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente recitauit, qui vſque hodie extat. Scripſit * *metaphraſin* Eccleſiaſtes breuem quidem, ſed valde vtilem, & aliæ huius vulgo feruntur epiſtolæ, ſed præcipuè ſigna & miracula quæ iam Epiſcopus cum multa Eccleſiarum gloria perpetrauit.

* *Id eſt laudationem gratitudinis.*

* *Id eſt interpretationē Extat hic liber in Bibliotheca praditatorum Baſilea.*

De ſtagno quod orando ſiccauit.

Cap. LXXXI.

Mirnculum de ſtagno exſiccato.

EVſebius vbi ſupra cap. 25. Stagnum quoddam erat in Ponti regionibus ſitum, piſcibus copioſum, ex quorum captura prædiuites redditus Dominis ſuis præſtabantur. Iſta poſſeſſio duobus fratribus ſorte hæreditatis obuenerat: ſed pecuniæ cupiditas (quæ penè omnium corda mortalium ſuperat) etiam fraternam neceſſitudinem violauit. Coibatur à fratribus tempore captionis non tam ad capiendos piſces, quam ad homines decipiendos, hominum cædes ac bella mouebantur, humanus ſanguis pro piſcibus fundebatur. Sed Dei prouidentia aliquando affuit auxilium, aduentus ſcilicet Gregorij: vidit prælia & mortes virorum, furenteſque germanos; quid cauſæ exiſteret, pro qua in exitium ſui ſuorumque fratres accenderentur, inquirit; nullam niſi capturam piſcium reperit. Tunc ille cum pro honore aduentus ſui vtræque partes paululum ſiluiſſent, nolite, (inquit) ô filioli rationales animas pro mutis animantibus violare, fraternam pacem quæritus cupiditate diſſoluere, Dei leges, & naturæ pariter iura temerare; ſed vna mecum ad horam ſtagni exitialis accedite. Ego iam vos per virtutem Domini omni certamine cruentę contentionis abſoluam. Et cum hęc dixiſſet, in conſpectu omnium virgam quam tenebat in manu ad primas littoris vndas defixit, & ipſe poſitis genibus, palmas tetendit ad cœlum, atque excelſo ſupplicat Deo, ſimul vt ille orando finem fecit, ſtatim ſeſe vnda ſubducens, & curſu velociori refugiens, à conſpectu ſuperno iuſſa diſcedere, abyſſis ſuis redditur, & arentem campum germanis iam concordibus dereliquit, ſed & in hodiernum frugum ferax eſſe dicitur ſolum, quod ante fuerat nauium ferax.

De cæteris eiuſdem miraculis.

Cap. LXXXII.

Miraculum de rupe mota pro ſacello extruendo.

MEmoratur etiam aliud illuſtrius ab eo, & diuinius factum. In quodam loco ruris anguſti, cum res poſceret Eccleſiam conſtitui, rupes, quædam vicini montis ex parte orientis obiecta, ex alia vero præterfluens fluuius, ſpatium quantum Eccleſiæ ſufficeret, denegabat. Et cum alius omnino non eſſet locus, omneſque meſtitiam agerent, quod ſolum ad conſtruendam Eccleſiam, non haberent, ille fide plenus, pernoctaſſe in oratione dicitur & Dominum Ieſum promiſſionis ſuæ admoniſſe fideliter, qui dixit. *Matth. 17.* *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tolle te, & mitte te in mare, & fiet vtique.* Cumque hoc plena fide & deuotione depoſceret, ad lucem coeuntibus populis inuenta eſt rupis importuna receſſiſſe tantum, quantum ſpacij ad condendam quęrebatur Eccleſiam. Traduntur eius & quam plurima alia miracula.

Lege hic etiã Euſebiũ loco ſupracitato.

Apollinis oraculum obmutuit.

Haymo vbi ſupra. Idem Gregorius, cum per alpes aliquando tranſiret, neceſſitate niuium coactus ad fanum diuertit Apollinis, ibique pernoctat. Quo mane recedente, receſſit & Dæmon. Poſcitur Dæmon dare reſponſa, ſicut prius, obmuteſcit, conſulitur à ſacerdote, opponit titulum aduentus Gregorii, mox Sacerdos occupat viam, peruenienſque ad Gregorium querelam expulſi numinis exponit, quæſtumque amiſſum deplorat. At ille ſcribit epiſtolam in hæc verba.

Gregorius Apollini.

Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ conſueuiſti.

Hanc ſacerdos ad fanum fert epiſtolam, ponitque iuxta ſimulacrum. Adeſt iterum Dæmon, iterum dat reſponſa. Tunc Sacerdos in ſemetipſum conuerſus ait: Quomodo non multo melior eſt Gregorius iſto Apolline cuius obtemperat iuſſis. Et deſcendens eadem hora ad Gregorium referenſque epiſtolam rem ordine pandit, vt ſe offerat Deo, rogat. Tunc relicta gentilitate factus ab eo Cathecumenus cum ſe caſtiſſimæ vitæ & abſtinentiſſimæ mancipaſſet, etiam baptiſma conſequitur. Et in tantum virtute fidei profecit, quod beati Gregorij ſucceſſor in epiſcopatu efficitur.

Sacerdos Apollinis ad Chriſtum conuertitur.

De quibuſdam aliis ſub præfatis Imperatoribus paſsis, & fine illorum.

Cap. LXXXIII.

Quod autem tam hi, quã plerique alij martyres paſſi habentur ſub Gallieno Imperatore, non ita quis accipiat, vt exiſtimet aliquam ab eo eſſe excitatã perſecutionẽ, nam vt Oroſius ſcribit, parente Valeriano ab hoſtibus capto, pacem eccleſia reddidit, ſed quod paſſi ſub illo ducũtur, id quidẽ præter ſententiam principis accidit vt etiam factũ videmus ſub aliis Imperatoribus.

Author. Præter hos martyres quorum geſta ſupra poſuimus, paſſi ſunt etiam plures alii ſub Valeriano, & Gallieno, de quibus in martyrologio ita ſcriptum eſt.

Idibus Ianuarij Romæ via Lauicana, coronæ militum 40. quas ſub Gallieno imperatore pro confeſſione fidei percipere meruerunt.

Item 6. nonas Martij, Romæ via Latina ſanctorum martyrum Iouini & Baſilei, qui paſſi ſunt ſub Valeriano & Gallieno imperatoribus.

Item 5. Kal. Aprilis in Cæſarea Paleſtinæ, ſanctorum martyrum Priſci, Malchi, & Alexandri, qui in perſecutione Valeriani diuino fidei calore ſuccenſi, vltro iudicem adeuntes, de ſæuitia in piorum ſanguinem obiurgant: quos ille continuo pro Chriſti nomine beſtijs tradidit deuorandos.

Item pridie idus Aprilis, ſancti Zenonis epiſcopi, qui inter procellas perſecutionis Veronenſem vrbem mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni martyrio coronatus eſt.

Item 3. Kal. Maij, in Numidia apud Cirtham natalis ſanctorum martyrum Agappij & Secundini epiſcoporum, qui perſecutione Valeriani poſt longum exilium ad præfatam vrbem, in qua tunc maxime gentilium rabies ad tentandam iuſtorum fidem inhiabat, ex illuſtri ſacerdotio effecti ſunt martyres glorioſi. Paſſi ſunt etiã in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla & Antonia ſacræ virgines, & quædam mulier cum ſuis geminis.

Item 3. Kal. Auguſti apud Africam, ciuitatem Lucernariam ſanctarum virginum Maximæ, Donatilæ, & Secundæ: quæ perſecutione Gallieni aceto & felle primum potatæ, deinde plagis acerrimis cæſæ, & equulei extenſione cruciatæ, poſtmodum craticulis exuſtæ, nec non, & ad beſtias proiectæ, ſed ab his intactæ, nouiſſime gladio iugulatæ ſunt.

Item nono Kal. Septembris apud Carthaginem trecentorum martyrum, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Gallieni, qui cum poſt ſupplicia ſibi illata Chriſtum Dei filium Deum faterentur, in clibanum calcis accenſum demerſi ſunt: ex quo etiam candidatus ille exercitus beatorum, *Maſſa candida* meruit nuncupari.

Hugo vbi ſupra. Porro Valerianus ad extremum, Dei præſidio deſtitutus (vt dictum eſt) à Rege Perſarum Sapore captus, ignominioſa apud eum ſeruitute conſenuit, & donec vixit hanc infamis officij pœnam ſemper tulit, vt accliuus humi Regem aſcenſurum in equum non manu, ſed dorſo attolleret. At Gallienus tam claro Dei territus iudicio, poſtquam rerum ſummam ſolus obtinuit, leuius ac moderatius agere cœpit, & pacem eccleſijs condonauit. Statim ira Dei in miſericordiam verſa eſt, & Æmilianus tyrannus apud Maguntiam, cum res nouas moliretur, occiſus eſt. Marius quoque qui in Galliis poſt mortem poſthumi inuaſerat imperium, continuo occiſus eſt. Denique Gallienus Impe-

Lege Trebel. in Gallieno. Vltione hac profecto dignus erat vtique Chriſtianã religionem totiespedibus procuicauerat: Tandẽ iuſſus eſt excoriari, ſaleq; condiri, vt teſtatur Conſtantinus Magnus in quadã oratione ad S. Co. & c. 24. apud Euſeb.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rator, Claudio ſuccedente, defunctus eſt. Regnauit autem cum Valeriano annis 7. & ſolus 7. annis. Vixit autem annis 50.

De obitu ſancti Dionyſij Alexandrini, & ambiguitate hiſtoriarum.

Cap. LXXXIV.

APud Alexandriam 12. anno imperij Gallieni Dionyſius Patrum nobiliſſimus, cuius ſupra meminimus, quieuit in pace.

Author. De hoc ſuperius multa dicta ſunt. Hic vt legitur in lib. 3. de baptiſmo, quem ad Philomenem vrbis Romæ Presbyterum ſcripſit, de ſeipſo ait: Ego, inquit, & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perſcrutor, etſi videar ad horam verbis eorum pollui, ſed mihi multum confert hoc ipſum, quod & ex ipſorum verbis arguere eos poſſum. Denique cum aliquis ex fratribus cum Preſbyteris prohiberet me, ne hæretica locutione tanquam cæni alicuius fœtore polluerer, mihi viſio quædam à Deo oſtenſa eſt, quæ me confirmaret, & ſermo factus eſt mihi: Lege omnia quæcumque in manus venerint, quia probare potes, & diſcernere ſingula, quandoquidem exinitio hoc tibi fuit cauſa credendi.

Hæc ille Dionyſius.

Porro quod de beato Cornelio ſuperius diximus, hoc idem de beato Sixto Papa, & de beato Laurentio eius Archidiacono, & de quibuſdam alijs non ſine cauſa miramur. Nam legitur in chronicis beatum Sixtum temporibus Gallieni Papatum ſuſcepiſſe, qui tamen in geſtis ſuis legitur ſub Decio paſſum fuiſſe. Verum Gallienus ipſe videtur & Decius alio nomine vocatum fuiſſe. Nam beatus Cyprianus legitur paſſum fuiſſe ſub Valeriano, & Gallieno, quem dicit tamen Hieronymus paſſum fuiſſe ſub Decio. Cæterum quod præfati martyres leguntur paſſi ſub Decio, & Valeriano, non eſt intelligendum de Valeriano Imperatore, qui iam forte regno priuatus erat, ſed de Valeriano Præſide.

De crudelitate Decij in ſanctos.

Cap. LXXXV.

Perſecutio hæc ſub Decio & Valeriano cũ ſub ijſdem edictis cõtinuata ſit, licet inter Decium & Valerianũ aliquod pacis fuerit interſtitium, pro vna eademque cen etur teſte Baron. ad annum 253. loge Euſeb. lib. 6.

Hieronymus in libro de vita Pauli primi Eremitæ. Decius itaque martyrum perſecutor, teſtante Cypriano, qui ſub eo paſſus eſt, volentes mori non permittebat occidi. Perſeuerantem igitur in fide martyrem, & inter equuleum laminaſque victorem, iuſſit melle perungi, & ſub ardentiſſimo ſole ligatis poſt tergum manibus reſupinari, vt ſcilicet muſcarum aculeis cederet, qui ignitas ſartagines ante ſuperaſſet. Alium iuuenili ætate florentem, in amæniſſimos hortulos præcepit adduci, ibique inter candentia lilia & rubentes roſas, cum leui iuxta murmure ſerperet riuus, & molli ſibilo arborum folia ventus ſtringeret, ſuper extructum plumis lectulum reſupinari iuſſit, & ne inde ſe poſſet excutere, blandis ſericorum nexibus irretitum relinqui, quod cum recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus, & quod dictu quoque ſcelus eſt, attrectare virilia manibus, vt corpore in libidinem commoto ſe victrix impudica ſuperiaceret. Quid ageret miles Chriſti, quo ſe verteret, neſciebat, quem tormenta non vicerant, ſuperabat voluptas. Tandem cælitus inſpiratus, præſciſam mordicitus linguam, in oſculantis ſe faciem expuit, & ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo calcauit.

Inuicta martyris virtus.

De Paulo Eremita, & itinere Antonij ad eum.

Cap. LXXXVI.

EO tempore Paulus primus Eremita annorum quindecim, dum perſecutionis detoniaret procella, ad montium deſerta confugiens, reperit ſaxeum montem, ad cuius radices erat grandis ſpelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto (vt eſt cupiditas hominum occulta cognoſcere) animaduertit intus grande veſtibulum, quod aperto deſuper cœlo, patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidiſſimum oſtendens, cuius tantummodo riuum foras erumpentem ſtatim eadem quæ genuerat terra ſorbebat. Erant præterea per exeſum montem pauca habitacula, in quibus erant ſcabræ, incudes, mallei, quibus pecuniæ deſignari videbantur. Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt furtiuam fuiſſe monetæ officinam, eo tempore quo Cleopatræ iunctus eſt Antonius. Quo adamato omnem ibidem in ſolitudine & oratione duxit ætatem, cibumque & veſtimentum ſibi palma præbebat. Cumque iam 113. annorum eſſet, & beatus Antonius in alia ſolitudine nonagenarius moraretur, cogitare cœpit Antonius nullum vltra ſe monachum in eremo conſediſſe; at illi de nocte quieſcenti reuelatum eſt eſſe alium interius multo meliorem ſe, ad quem viſendum deberet properare. Cui diluculo conſurgens, artus baculo regente ſuſtentans, cæpit ire quo neſciebat; dicens: *Credo in Deo meo quod ſeruum ſuum, quem mihi promiſit, oſtendet.* Interea conſpicatur hominem equo mixtum, quem *centaurum* vocant. Quo viſo ſigno crucis ſe armauit. Qua, inquit, parte hic ſeruus Dei habitat. At ille barbarum neſcio quid frendens, & frangens potius verba, quam proloquens, inter horrentia ora * ſetis blandum quæſiuit alloquium; & cum dexteræ manus protenſione cupitum indicat iter, ac ſic per patentes campos volucris inſtar ſe mittens in fugam, ex oculis mirantis euanuit. Nec mora inter ſaxoſam conuallem grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Ad hoc attonitus Antonius ſpectaculum, ſcutum fidei & loricam ſpei quaſi bonus præliator arripuit, & nihilominus prædictum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quaſi pacis obſides offerebat. Quo viſo gradum preſſit Antonius, & quis eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit: Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis eremi, quos vario errore deluſa gentilitas; Faunos, Satyroſque, & incubos colit; legatione fungor gregis mei, precamur vt pro nobis communem omnium Deum depreceris, quem olim pro ſaluti mundi veniſſe cognouimus, & in omnem terram exiuit ſonus eius. Hæc eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lachrymis rigabat, & baculo percutiens humum dicebat: Væ tibi Alexandria quæ pro Deo portenta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis Dæmonia confluxere. Quid nunc dicturi eſtis, cum beſtiæ Chriſtum loquuntur? Necdum verba compleuerat, & quaſi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ad incredulitatem ſcrupulum moueat, ſub Rege Conſtantino vniuerſo mundo teſte defenditur. Nam Alexandriam iſtiusmodi homo viuus perductus magnum ſpectaculum populo præbuit: & poſtea cadauer exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo Antiochiam vt ab Imperatore videretur, allatum eſt. Antonius autem cæptam regionem pergebat, ferarumque tanta veſtigia intuens, quo ſe verteret, quid ageret, neſciebat.

Vide hic miram monachorũ abſtinentiã & ciborũ delectũ.

** Alias ſenio.*

De Faunis Plin. l. 5. c. 8. in Fine.

Notat Baronius ad annum 343. hæc miraculo euenisse S. Antonio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter inuenit eum Antonius.

Cap. LXXXVII.

Sãctus Paulus in spelũca degit.

IGitur altera die diluculo procul intuetur Lupam gitis ardoribus anhelantem, irrepere ad radices montis, quam secutus oculis, & iuxta speluncam cum fera abijsset, accedens cæpit introspicere. Et ingressus callidus explorator, atque paululum progrediens, sæpiusque subsistens, sonum auræ captabat. Tandem per tetræ noctis horrorem procul lumen intuens, dum auidius properabat, offenso pede in lapidem concitauit strepitum: Post cuius sonitum beatus Paulus ostium patens firmauit. Antonius vero præ foribus corruens vsque post meridiem, aditum precabatur, dicens: Quis sim, & vnde & cur venerim nosti. Scio me non mereri conspectum tuum; tamen nisi videro non recedam. Qui bestias suscipis, cur hominem repellis? Quæsiui, & inueni, pulso, vt aperiatur mihi, alioquin hic moriar ante postes tuos, certe sepelies, vel cadauer meum. Cui Paulus: Nemo cum lachrymis calumniã facit, & minaris si non recipiam te, cum moriturus aduenieris. Et sic arridens Paulus, patefecit ingressum. Et tunc proprijs se salutauere nominibus, & simul Deo gratias retulere.

Admittit Antonium Paulus.

Coruus panẽ adfert Paulo.

Cumque sermocinarentur suspiciunt alitem coruum ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolans, panem integrum ante admirantium ora deposuit. Eia inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, 60. iam anni sunt ex quo dimidij semper panis fragmen accipio: verum ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Qui gratias agentes super vitrei fontis marginem consederunt. Hic vero quis frangeret panem oborta contentio, penè diem duxit in vesperum; Paulus more cogebat hospitis, Antonius vero iure repellebat ætatis. Tandem consilium fuit inter eos, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisque niteretur, pars sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ portio proni in fonte ore libauerunt, & immolantes Deo sacrificium laudis noctem vigilijs transegere.

De dormitione Pauli, & eius sepultura.

Cap LXXXVIII.

Obserua vt per Spiritum didicerit absentia. Baronius nõ ideo tantum pallium à Paulo expetitum opinatur, sed vt hoc cõmunicationis symbolo fidem eius comprobaret. Anima Pauli in cælos proficiscitur anno 343. ætatis 113. Constãtij Imp. 7. Calculante Baronio.

DE hinc alia die dixit Paulus ad Antonium. Olim te conseruum mihi promiserat Deus, sed quia iam tempus dormitionis meæ aduenit, tu missus es à Deo qui humo corpusculum tegas. Quamobrem perge quæso, & pallium quod tibi Athanasius episcopus dedit, affer ad obuoluendum corpusculum meum. Hoc autem rogauit vt Antonio recedenti mæror suæ mortis leuaretur. Quo audito Antonius flens; & gemmens stupefactus, quod de Athanasio, & de pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo videns, vltra nihil respondit, sed cum silentio lachrymans, deosculatis manibus, & pedibus eius, ad monasterium suum reuersus est. Cumque duo discipuli occurrissent dicentes: Vbi moratus es pater? Respondit; Væ mihi peccatori quia falsum nomen monachi fero: vidi Heliam, vidi Ioannem in deserto, & vere Paulum in paradiso, ac sic ore compresso, & manu verberans pectus, è cella pallium protulit, & nec modicum cibi sumens egrediebatur. Timebat enim ne se absente, spiritum redderet, quod & fecit viditque alia die inter Angelorum cateruas animam Pauli candore niueo fulgentem in sublime conscendere, & statim in faciem procidens, fabulum capiti superiaciebat plorans, & vlulans aiebat. Cur me inquit Paule dimittis? Cur abis insalutatus? Tam tarde notus, tam cito recedis? Hoc dicto residuum viæ ad instar auis peruolauit; & introgressus speluncam, vidit cadauer exanime * genibus complicatis, erecta ceruice, extensis in altum manibus, & tunc primum eum viuere credens pariter orabat. Postquam vero nulla (vt solebat) suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadauer Sancti, Deum cui omnia viuunt, officio gestus precaretur. Itaque obuoluto corpore, psalmis quoque ex Christiana traditione cantatis, contristabatur, quia sarculum quo terram foderet, non habebat, dicens: Si ad monasterium redeam tridui iter est: si hic maneam, nihil vltra proficiam: moriar ergo, vt dignum est. Et ecce duo Leones ex interiori parte eremi currentes volantibus per colla iubis ferebantur, qui directo cursu ad cadauer beati senis ferebantur. Adulantibusque caudis, circa pedes eius accubuerunt, fremitu ingenti rugientes; prorsus vt intelligeres eos plangere quomodo poterant. Deinde cæperunt procul humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum effodere. Et statim quasi mercedem pro opere postulaturi cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus, & pedes eius lingentes, ita vt ille animaduerteret benedictionem à se eos deprecari. Nec mora & in laude Dei effusus, cui muta seruirent animalia; ait: *Domine Deus sine cuius nutu, nec folium arboris, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis.* Et manu annuens eis vt abirent imperauit: & deposito corpore in fossam desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Altera autem die tanquam pius hæres tunicam eius sibi vendicauit, quam ipse sibi in sportarum modum de palmæ folijs subtexuerat, & sic ad monasterium reuersus, discipulis ex ordine cuncta replicauit: diebusque solennibus Paschæ vel Pentecostes semper tunica Pauli vestitus est.

Sepultura S. Pauli miraculo curata.

Simile leonũ obsequium habes in vita S. Onuphrij.

Matth. 10.

Dies solemnis Paschæ & Pentecostes etiam tẽpore Antonij.

Passio Sancti Polycronij episcopi.

Cap. LXXXIX.

Hæc tius acta habentur ante vitam S. Laurentij apud Surium.

EX gestis eius. Ortaque tempestate sub Decio, multi Christianorum necati sunt: inter quos inuentus ab eo in Babylonia episcopus nomine Polychronius, cum sacrificare nollet, reclusus est cum clero suo in custodia. Deinde iussit eum Decius sibi præsentari, & ait, Tu es Polichronius sacrilegus, qui neque Deos colis, neque præcepta principum custodis. Qui non respondit ei; Dixitque Decius ad clerum eius: Obmutuit princeps vester. Respondit Parmenius presbyter: Non obmutuit Pater noster, sed præcepto Domini Iesu Christi æterni creatoris vtitur, vt non polluatur os sanctum, quod à creatore purificatum est; quia sic præcepit Dominus Apostolis: *Ne miseritis margaritas vestras ante porcos.* Iustumne tibi videtur, vt quod semel purificatum est, stercore coinquinetur? Decius ait: Ergo nos stercora sumus? Tunc iratus linguam ei iussit præscidi. Quo facto ille clamare cæpit: Beatæ pater Polychroni ora pro me, quia video in te spiritum regnantem, & os sanctum tuum signantem, & mihi fauum mellis in ore distillantem. Cumque iterum Polychronius à Decio sacrificare monitus, non responderet, iratus, Decius iussit os eius lapidibus cædi. Qui dum cæderetur, manibus extensis, oculis ad cælum intentis, emisit spiritum 13. Kal. Martij. Eadem nocte dimisit Decius corpus eius ante templum, & ambulauit in ciuitatem Cordubam: venerunt autem duo subreguli Abdon, & Sennen qui erant occulte Christiani, & rapuerunt corpus eius, & sepelierunt ante muros portæ Babyloniæ.

Parmenius. Presbyter.

Matth. 7.

Loquitur præscisa lingua.

Polychronius reddit spiritum.

Passio Sancti Parmenij presbyteri.

Cap. XC.

** male legitur in quibusdam manuscrip. cordula, cum cordula non in Persida, sed Cappadocia prouincia à Geographis ponitur.*

IVssu vero Decij cum presbyteri, & diaconi vincti catenis secum ducerentur, cadebant vincula de manibus, & collis eorum: Veniens autem Decius in ciuitatem * Cordubam, iussit eos cũ furore sibi præsentari: quos cum sacrificare moneret Parmenius presbyter clamare cæpit: O miser, huic manufacto simulachro nos compellis humiliari, deberes potius humiliari Christo

** En vt corpus exanime Deum flexis genibus precatur.*

omnium

omnium creatori. Tũc Decius iuſſit omnes in equuleo ſuſpendi, qui cum attraherentur in vijs, gratias agebant dicentes Parmenio vt oraret pro eis. Qui reſpondit: Deus det vobis conſolationem Spiritusſancti. Tunc Decius iratus dixit. Hoc argumento hominem ſine lingua loqui mægica ars cognoſcitur eſſe, reſpondit Parmenius dicens: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui mutum loquentem fecit, ipſe mihi peccatori dedit ſine lingua loqui.* Eadem hora iuſſit eos Decius ignibus vri: Qui dum incenderentur, audita eſt vox de cœlo: *Venite ad me omnes humiles corde.* Sed hoc Decius arti magicæ attribuens, iuſſit laminas ardentes circa latera eorum poni, & eos vnguibus ferreis lacerari. Tandemque depoſitos de equuleo capite truncari. Quorum corpora Abdon, & Sennen noctu colligentes, ſepelierunt in prædio ſuo 10. Kal. Maij.

Sine linguaſ crebro loquitur.

Capite cæditur cum ſocijs.

Paſſio Sanctorum Abdon, & Seunen, Olympiadis, & Maximi.

Cap. XCI.

TAndem accuſati à paganis, quod Chriſtianorum corpora ſepelirent, & nec Dijs ſe humiliarent, nec principis præcepta ſeruarent, iuſſi ſunt Decio præſentari, & interrogati, in arcta cuſtodia recludi catenis vincti.

Narrantur etiam & horum res geſtæ in prædicti hiſtoria martyrij Sancti Laurentij apud Surium.

Eadem quoque die traditi ſunt Decio Olympiades, & Maximus nobiliſſimi viri Chriſtiani, quos ille ſibi præſentatos iuſſit fuſtibus cædi, dicens, quod morte digni eſſent, eo quod hominem mortuum colerent. Et ait eis: Pandite nobis facultates veſtras. Olympiades dixit. *Noſtra facultas, & aurum, & gemmæ, Chriſtus eſt*: nam diſce miſer, quia corpora noſtra tibi tradimus, amiſſa facultate terrena peritura. Tunc Decius iuſſit eos fuſtibus, & plumbatis cædi, qui magis confortati, clamabant dicentes: Fac, quod facis, & noli ceſſare, munda, quod ſordidum eſt. Tandem Vitellius Aniſius vicarius furore plenus, iuſſit vt cum ſecuribus capita eorum tunderentur. Quod cũ fieret, ſpiritũ emiſerunt. Et iuſſit Vitellius Aniſius, vt corpora eorũ canibus relinquerẽt, vbi etiã iacuerũt quinq; diebus: & venientes canes, mugitus emittebant nõ contingẽtes corpora ſancta. Poſt quintã diem veniens quidam Chriſtianus ex genere Abdonis, & Sennis, nobilis, collegit corpora eorum, & ſepeliuit in domo ſua 12. Kal. Aprilis.

Ieſus Chriſtus Chriſtianis omnibus diuitia ſunt.

Faliciter abeunt è corpore.

Poſt hæc Decius Romam veniens, & ſanctos Abdon, & Sennen catenis ligatos ſecum ducens, iuſſit Valeriano omnes Chriſtianos tenere, & recludi. Eodem tempore tenuit beatiſſimum ſenem Sixtum Papam Romæ epiſcopum cum omni clero ſuo, & preſbyteris, & diaconis & recluſit in cuſtodia publica multis diebus. Multique ad eos veniebant, quia tempus perſecutionis vrgebat, & deferebant filios ſuos & propinquos vt baptizarentur. Tunc Decius facto conuentu, vnà cum Valeriano præfecto 3. Kal. Auguſti, iuſſit Abdon, & Sennen ſibi præſentari. Qui in cõſpectu eius, & ſenatus introducti, aut ſacrificare, & libertatẽ rerum ſuarum recipere, aut morſibus beſtiarum deuorari iubentur. Contemnentes itaque, & expuentes ſimulachrum, ad theatrum pertrahuntur, & ad eos duo leones, & vrſi immittuntur. Qui cum ſanctos non tangerent, ſed etiam cuſtodirent iniectis in eos gladijs occiduntur, & ligati pedes tracti ſunt, & iactati ante ſimulachrum Solis; qui cum ibi triduo iacuiſſent, Cyrinus Subdiaconus eos collegit, & in domo ſua ſepeliuit.

Decius ſecũ adducit Romam Abdon & Sennen.

Sixtus Papa cum clero in carcerem includitur.

Abdon & Sennen fera manſueſcũt.

Gladio trucidantur.

Paſſio Sancti Sixti Papæ.

Cap. XCII.

POrro ſanctus Papa Sixtus apud Athenas natus, & doctus, audiens, quod Decius Cæſar eum comprehendi iuſſiſſet, conuocauit clerum, & confortauit eos ne terrores metuerent impiorum. Præſentatus eſt itaque Decio cum Fœliciſſimo, & Agapito Diaconis. Quem cum Decius nullis blanditijs mouere potuiſſet, ductus eſt ad templum, vt aut ſacrificaret Marti, aut reciperetur in carcere Mamurtini. Audiens autem Laurentius, quod receptus eſſet in carcere ſanctus Sixtus, pergens ad eum dixit ei: Quo progredieris ſine filio pater? Quo ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Cui beatus Sixtus dixit: Non ego te deſero fili, ſed maiora tibi debentur certamina, nos quaſi ſenes leuioris pugnæ, curſũ recipimus, te quaſi iuuenẽ manet glorioſior de tyranno triumphus; poſt triduum me ſequeris, ſacerdotẽ leuita. Interim ergo accipe theſauros Eccleſię, & quibus tibi videtur, diuide. Tunc beatus Laurentius accipiens theſauros eccleſiæ, cæpit per regionem quærere, vbi Chriſtiani laterent, & vnicuique prout opus erat miniſtrabat. Venit ad domum cuiuſdam * viduæ, quæ in domo ſua multos Chriſtianos celabat; quæ rogauit eũ, vt manum ſuam ſuper caput eius poneret, quia multa iamdiu capitis infirmitate languebat. Quod cum beatus Laurentius feciſſet, illa ſanata eſt.

Sanctus Sixtus cum ſocijs decollatur.

Sanctus Laurentius ecclęſia theſauros confert in pauperes.

** Vocabatur Cyriaca.*

Eadem nocte pergens inde, venit in domum cuiuſdam * Chriſtiani, & ibi quendam cæcum ſigno crucis illuminauit. Beatus vero Sixtus cum duceretur ad Deciũ, & dictis eius minime conſentiret: Valerianus præfectus decreuit, vt ſacrificaturus, ad templum Martis duceretur, aut ſi nollet ibidem in capite puniretur. Tunc beatus Laurentius cœpit poſt eum clamare dicens: Nolli me derelinquere pater quia theſauros tuos iam expendi, tunc milites audientes theſauros, tenuerunt beatum Laurentium; Sixtum vero cum Feliciſſimo & Agapito ibidem decollauerunt 8. idus Auguſti.

** Narciſſi. Signo crucis cæcum illuminat.*

Paſſio Sancti Laurentij martyris.

Cap. XCIII.

EX geſtis eius. Poſt paſſionem ſancti Sixti tentus eſt beatus Laurentius, & Decio præſentatus, traditusque eſt Valeriano præfecto, vt ab eo theſauros eccleſiæ diligenter exquireret, & ſi nollet ſacrificare, diuerſis eum tormentis occideret. Valerianus autem tradidit eum Hyppolito carcerariò: eratque in carcere gentilis quidam, * qui plorando cæcus factus fuerat. Cui cum Laurentius promiſiſſet, quod videret, ſi baptizatus, in Chriſtum crederet, credentem baptizauit, & dixit ei: Omnia in confeſſione lauantur. Videns autem Hyppolitus, quod non ſolum ille videret, ſed etiam multis alijs beatus Laurentius viſum reſtauraret, ait illi: Oſtende mihi theſauros. Dicit ei Laurentius: *O Hyppolite ſi credideris in Chriſtum, & theſauros tibi oſtendo, & vitam æternam promitto.* Cui Hyppolytus: Si, inquit, dictis facta compenſes, faciam quod hortaris. Et ſtatim baptizatus Hyppolytus ait: Vidi animas innocentium lætas gaudere; & protinus baptizata eſt tota familia eius.

Sanctus Laurentius Decio præſentatus.

Traditur Hyppolito aſſeruandus.

** Nomine Lucillus. Lucillus cæcus recipit lumen.*

Hyppolitus baptizatur.

Poſt hæc Valerianus mandauit Hyppolyto, vt Laurentium adduceret: qui ſponte veniens cum aſtaret, & Valerianus theſauros exquireret, petijt triduanas inducias, vt eos oſtenderet. Et abiens collegit pauperes, & adduxit ad palatium, dicens, *ecce theſauri æterni, qui nunquam deficiunt.* Cum ergo interrogatus, Deos blaſphemaret, iratus Decius iuſſit eum ſcorpionibus cædi, & ante eum omne genus tormentorum afferri. Quem cum ſacrificare iuberet, vt tormenta euaderet: Reſpondit; Infelix, has epulas ſemper deſideraui. Decius dixit: Ergo ſi in hoc gloriaris, dic nobis, vbi tui ſimiles ſint abſconſi vt ſimul epulemini. Reſpondit Laurentius: Non es dignus præſentari eorum aſpectibus. Tunc Decius iuſſit eum plumbatis diutiſſime cædi, & orauit Laurentius dicens: Domine accipe ſpiritum meum. Statimque vox venit ipſo Decio audiente: Adhuc multa certamina tibi debentur. Tunc Decius furore plenus dixit: Viri Romani audiſtis Dæmones ſacrilegum confortantes, qui Deos reſpuit, & principes, & tormenta contemnit; extendite eum, & cum ſcorpionibus

Sanctus Laurentius oſtendit pauperes ac debiles, veros Theſauros æternos.

Mira animi fortitudo. Plumbatis cæditur, & lamina ardentes vrunt latera eius.

cædentes

Romanus miles credit & baptizatur.

cædentes affligere. Tunc vnus ex militibus nomine Romanus credidit in Christum,& clamauit ad beatum Laurentium dicens: Video ante te iuuenem pulcherrimum ſtantem cum linteo extergentem membra tua; vnde adiuro te per dominum, qui miſit tibi angelum ſuum, ne me derelinquas. Tunc anxiatus Decius iuſſit vt deponeretur Laurentius dicens: Puto iam quod arte magica victi ſumus, & iuſſit eum recipi in palatio, & tunc venit ad eum Romanus,& baptizatus eſt ab eo. Quod audiens Decius iuſſit eum exhiberi cum fuſtibus. At ille veniens,nondum interrogatus clamare cæpit dicens; CHRISTIANVS SVM.Et ſtatim iuſſu Decij decollatus eſt.

Adducitur B. Laurētius ad Decium noctu.

Eadem nocte adductus eſt beatus Laurentius ad Decium, & Valerianum. Cui Decius: Sacrifica Dijs; ſin autem; nox iſta in tuis expendetur ſupplicijs. Beatus Laurentius dixit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Tunc iuſſit vt os beati Laurentij cum lapide cæderetur. Tandem eum miniſtri, iuſſu Decij, exutum ſuper cratem ferream extenderunt, & prunis ſuppoſitis eum cum furcis ferreis compreſſerunt.Cumque diu ibi aſſaretur, & gratias agens, vultu lætiſſimo, quaſi nihil mali ſentiens videretur, reſpexit ad imperatorem, & dixit: Ecce miſer aſſaſti vnam partem, gira aliam, & manduca, quia iam video,quod diu deſideraui. Et ſic gratias agens emiſit ſpiritum. Tunc Deeius, & Valerianus confuſi,relicto Laurentio ſuper craticulam perrexerunt ad palatium: & facto mane Hyppolitus, & Iuſtinus preſbyter rapientes eum,cum linteis,& aromatibus condiderunt.

Prædara vox S. Laurentij.

In craticula aſſatur.

Feliciſſimus eius obitus.

Corrigendū cenſet Baronius quod ſub Decio paſſus dicatur B. Laurentius: verū id Surio, Petro de Natalibus & multis hiſtoricis, repugnaret.Itaque puto cenſendum vt author cenſuit ſupra. c. 84

Miracula eius poſt mortem.

CAP. XCIIII.

Gregorius Turonenſis. Templum erat in quodam loco,beati Laurentij reliquijs, & nomine conſecratum; quod per incuriam longinqui temporis valde detectum erat. Quod cum renouare loci incolæ vellent, ſiluas adeunt, inciſa leuigataque ligna trabes efficiunt; impoſitiſque plauſtris ad locum exhibent, Quibus per humum ad ordiendum extenſis, vna breuior eſt reperta: ſtatimque ſacerdotis animum, qui his inſiſtebat, dolor maximus attigit; & flens valde, quid ageret, quo ſe verteret, ignorabat. Tunc intuens arborem breuiorem ait: O Laurenti beatiſſime, appoſitum igni glorificaui te, ſemper pauperes fouens, ac reficiens, cogita paupertatem meam, quia non eſt exiguitati meæ facultas qualiter hic alia exhibeatur. Illico cunctis attonitis trabs creuit in tanto ſpacio longitudinis, vt neceſſe eſſet partem magnam incidi. De qua, induſtria plebis beneficia perdere nefas putans, credens eam manu martyris tractam ac prolongatam, partem, quæ ſuperfuerat fruſtatim decerpens,diuerſas infirmitates ſæpe ſubmouit.

Beati Laurētij interceſſione trabs extenditur.

Hæc habentur apud Gregorium Turonenſem de gloria Martyrum lib.1 cap.42.

Quod Fortunatus preſbyter his verſibus proſecutus eſt.

Laurenti merito flammis vitalibus vſte,
Qui feruente fide victor ab igne redis.
Dum tibi templa nouant breuiori robore plebes.
Creuerunt que trabes, creuit, & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit.
Quantum parua prius: poſtea caſa fuit.
Creſcere plus meruit ſucciſa ſecuribus arbor,
Et didicit ſicca longior eſſe coma;
Vnde reciſa fuit; populis fert inde ſalutem.
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.

Multo plures exinde ſcripſit verſiculos, quos ego prætermiſi: hos tantum pro teſtimonio viri ſcribens. Acta autem ſunt hæc apud Brionas Italiæ caſtrum. Nam vidi ego hominem, qui grauiter, dentium dolore laborans, accepta de hoc ligno à ſacerdote particula, ſtatim vt dentem tetigit,dolore caruit protinus.

Sed nec illud ſilendum putaui, quod reliquiæ eius ab incendio hoſtilitatis ereptæ à quodam homine & inlemouicinum delatæ ſunt: qui cum ſæpius admoneretur per viſum vt eaſdem Aridio Abbati deferret, nec viſionem impleret, ipſe cum coniuge, & omni familia ægrotare cæpit: Tunc neceſſitate compulſus, vt eas ſancto viro detulit, mox ſanitati reſtitutus, abſceſſit.

Gregorius Turon.ibidem cap.46.

Cum apud Mediolanenſem vrbem baſilica in honore ipſius martyris conſecrata: ibique admirabili pulchritudine calix cryſtallinus habebatur. Acta vero quadam ſolennitate,dum per Diaconum ad ſanctum altare offerretur, elapſus è manibus in terram ruit, & in fruſta comminutus eſt. At diaconus pallidus, & ex ſanguis collecta diligenter fragmenta vaſculi ſuper altare poſuit, non diffiſus, quod eum poſſet virtus martyris ſolidare. Denique in vigilijs, lachrymis,& orationibus deducta nocte, requiſitum calicem repperit ſuper altare ſolidatum, quæ virtus cum populis nunciata fuiſſet, tanta animos eorum deuotione ſuccendit, vt à ſacerdote peteret, noua in honore eius Deo ſolennia celebrari. Tunc pontifex loci ſuſpendit ſuper altare calicem, & egit deuotiſſime ſolennitatem, & in poſterum per ſingulos annos omni populo conſtituit celebrari.

Calix comminutus reſtituitur.

Paſſio Sancti Hyppolyti cum ſocijs ſuis.

CAP. XCV.

Ex geſtis eius. Poſt tertium diem paſſionis ſancti Laurentij, cum redijſſet Hyppolitus domum, priuſquam menſa poſita cibum caperet, tentus à militibus ductus eſt ad Decium. Cui Decius: Nunquid, & tu magus factus es, quia corpus Laurentij abſtuliſti? Reſpondit Hyppolitus; hoc feci non vt Magus, ſed vt Chriſtianus. Tunc Decius furore repletus iuſſit eum expoliari, & fuſtibus cæſum, pectinibus ferreis laniari. At ille magis ſe eſſe Chriſtianum clamans, indutus veſte militari, & monitus, vt militiam, & amicitiam Decii retineret, reſpondit ſe velle in bona militia Chriſtum ſequi. Tunc Decius tradidit eum Valeriano præfecto,vt facultates eius acciperet, & ipſum diris ſuppliciis terminaret. Adducta eſt ergo Hyppoliti tota familia Chriſtiana cum nutrice eius nomine Concordia, quo cum Præfectus moneret ne periret, Concordia reſpondit pro omnibus, quod nullatenus conſentirent. Vnde eam præſente, & gaudente Hyppolito, vſque ad mortem fuſtibus cædi fecit, & aliis decollatis Hyppolytum ligatum per pedes ad colla indomitorum equorum per ſpinas, & tribulos trahi iuſſit, ſicque gratias agens Hyppolitus expirauit. Cumque omnes illos Iuſtinus Preſbyter ſepeliſſet, & Concordiæ corpus inuenire non poſſet; quidam miles nomine Porphyrius rogauit quendam cloacarium nomine Irenæum occulte Chriſtianum dicens: Secretum cuſtodi, & extrahe Concordiam Chriſtianam quam Valerianus in cloacam proiecit: ſpero enim, quod aurum, & gemmas in veſte ſua habebat, cui ille. Oſtende mihi locum, & nocte,quod inuenero, nunciabo tibi. Perrexit ergo cum illo cloacarius ad locum, qua extracta, cum nihil inueniſſent, miles fugit. Irenæus vocato Abundo Chriſtiano, tulit corpus eius ad Iuſtinum Preſbyterum, quod ille cum gaudio ſuſcepit, & prædictos martyres ſepeliuit, quod Valerianus audiens Irenæum, & Abundum Chriſtianum tenuit, & etiam viuos in cloaca necari præcepit. Iuſtinus, vero Preſbyter eorum corpora rapuit, & iuxta beatum Laurentium ſepeliuit. Eodem tempore cum Decius, & Valerianus de carruca aurea deſcendentes theatrum introirent, vt Chriſtianos ſuppliciis exhiberent· arreptus à Dæmone Decius exclamauit: O Hyppolite vinctum catenis aſperis ducis me: Valerianus etiam clamauit: O Laurenti igneis catenis me trahis: & ſtatim præſente Decio expirauit. Decius vero per triduum vexatus mortuus eſt: quod vxor eius Tryphonia videns,

Hyppolytus à militibus comprehenditur.

Fuſtibus cæditur.

Conſtantia Hyppolyti.

Concordia nutrix eius caditur fuſtibus & expirat & tota familia decollatur.

Sanctorum corpora ſepeliuit Iuſtinus preſbyter.

Irenæi & Abundi martyrium. Quæ hic habentur de Decij & Valeriani obitu non probat Baronius in notis admar. concordant tamen cum geſtis horum Sanctorum quæ recitantur à Surio.

dimiſſis

dimiſſis omnibus Chriſtianis, perrexit cum filia ſua Cyrilla ad Iuſtinum Presbyterum,& baptizata, ſequenti die orans in domo ſua, migrauit ad dominum. Audientes autem 46. milites, quod Tryphonia, & Cyrilla Chriſtianæ eſſent, venerunt cum vxoribus ſuis ad Iuſtinum Preſbyterum, vt baptiſmum perciperent, quos cum Dionyſius Papa,qui beato Sixto ſucceſſerat baptizaſſet, & Claudius Imperator adductos,& nolentes ſacrificare in carcerem recluſiſſet,Cyrillam aggreditur,& nollens ſacrificar e nec nubere cum prædictis militibus decollatur.

De Imperio Claudij,& Paulo Hæreſiarcha, & Pelagia peccatrice.

Cap. XCVI.

Claudius Imperator an.M.4124. Chr. 271.

Paulus Samoſatenus hæreſiarcha.

Euſebius in chronicis. Romanorum igitur 28. regnauit Claudius annis fere duobus,& cæpit anno Domini,271. Mundi vero 4124. *Hugo vbi ſupra.* Hoc tempore apud Antiochiam Demetrio epiſcopo Paulus Samoſatenus genere, ſucceſſit, qui indigna de Chriſto ſentiens, vtpote tumidus, & ſuperbus hæreticus, prædicabat eum hominem tantum communis naturæ fuiſſe.

Helinandus. Hic Paulus ab omni Antiocheno Concilio condemnatus, cum de eccleſia nollet exire ex præcepto Aureliani publica manu expulſus eſt,cui ſucceſſit * Domnus Demetriani filius 16. epiſcopus Antiochiæ.

* Sic vocat eum Baron.

Huius Domni tempore Pelagia, quæ peccatrix appellatur mirabiliter conuerſa eſt.

Ex geſtis eius. Igitur apud Antiochiam cum pro quadam cauſa 8. vicini epiſcopi conueniſſent, & inter eos epiſcopus Heliopoleos,qui nunc *Damieta* vocatur,attanti populo prædicaret, ſubito palam omnibus quædam fœmina ſuperſidens, & ſumma faciei, & ornamenti pulchritudine ſplendens, ante eos in maxima pompa iuuenum, & puellarum præceſſit, quos ita ſui contemplatione trahebat, quod vbicunque eſſet, totum aerem muſci,& diuerſorum aromatum odore replebat, quam vbi epiſcopi nudo capite præterijſſe viderunt, ab ipſa quaſi à peccato grauiſſimo facies auerterunt. Sanctus vero * Domnus epiſcopus Heliopoleos cum eam diutius aſpexiſſet, declinans inter genua faciem, poſt longas lachrymas, & profunda ſuſpiria dixit ad epiſcopos: Rogo vos fratres, non eſtis delectati in tanta pulchritudine mulieris huius? Ipſi vero tacuerunt. Iterum flens, & valde ſuſpirans pectuſque percutiens, rurſus interrogauit eos, ſi eſſent illius mulieris pulchritudine delectati. Et illis adhuc tacentibus, ait: Vere delectatus ſum ego,& huius mihi placuit pulchritudo. In veritate dico vobis, quod hanc in iudicio, Deus nobis præferet, vbi nos, & ſacerdotium noſtrum iudicaturus eſt. Nos enim ſponſum habentes æternum, donantem ſibi ſeruientibus diuitias æternas, & *ipſum videre, in quem deſiderant Angeli proſpicere*, negligentia torpemus, & animæ noſtræ faciem ab immunditia non lauamus, vt ei placeamus, ſicut hæc miſera totiens, & tandiu ſtuduit, vt ſe abluens, & depingens amatoribus ſuis pulchra appareat,qui ſi hodie videntur cras forte non erunt. His, & huiuſcemodi dictis, ingreſſus hoſpitium, proruit ſuper pauimentum, & faciem ad terram feriens, & lachrymis rigans, dixit: Altiſſime Deus, ignoſce mihi miſero peccatori, quia vnius diei Meretricis ornatus, totius vitæ meæ induſtriam ſuperauit. Illa pro terrenis, & caducis ſummo ſe ſtudio decorauit: ego tibi immortali Deo placere propoſui, & per meam negligentiam non impleui, ego mandata tua non ſeruaui: Illa quæcunque promiſit hominibus,cum alacritate perfecit.

* Petrus de Natalib. & plures alij cum Surio hunc epiſcopum Nonnũ vocant; vnde puto authorem erraſſe hic referendo Pelagiam ad hæc tempora prout manifeſtius conſtabit legenti Baron. & Nicephorũ. Acta tamen hæc in alijs conueniunt cum ijs quæ adferuntur à Surio ex Iacobo Diacono ejus coæuo; nec diſſentiunt ab ijs quæ habet Petrus de Natalibus. Ad animæ pulchritudinem ſeipſum ex corporali Pelagia decore extimulat.

De conuerſione eius, & pœnitentia.

Cap. XCVII.

Prauidet meretricis conuerſionem.

Cvm hæc, & huiuſmodi diceret, & fortiter eiularet, ſubito obdormiuit. Et ecce viſum eſt ei quod columba nigra, & ſordida, & fœtida nimis eum circumuolans, dum quaſi ad miſſam ſtans, catecumenos procedere præcepiſſet, columba diſparuit. Et poſt miſſam rediens, & ab ipſo Epiſcopo in vaſe aquæ merſa, inde munda, & candida exiens, tam altè volauit, quod videri non potuit. Euigilans epiſcopus cum hæc clerico ſuo retuliſſet, ad eccleſiam proceſſit: & dum populo prædicaret, illa meretrix quæ tunc cum filiis illum prędicantem audiuit,in tantam compunctionem mutata eſt, quod ſero ad hoſpitium epiſcopi nuncios ſuos mittens,ſic ei mandauit.

Columba ſpecie adumbratur Pelagia.

Sancto epiſcopo Diſcipulo Chriſti, peccatrix diſcipula Diaboli.

Matth. 9.

Audiui de Deo,quem colis, quod non pro iuſtis,ſed pro peccatoribus, de cælo deſcendit,& cum publicanis,& peccatoribus comedit,& bibit. Si ergo diſcipulus eius es, ne me deſpicias pœnitentem, & ſaluari cupientem. Ad hæc Epiſcopus: Quęcunque es, Deo nota es, ſed tamen peccatorem non tentes; quod ſi ſaluari, & me videre depoſcis, inter alios epiſcopos me videbis: nam ſolum me videre non poteris. At illa non differens,ad hoſpitium, ſe epiſcopi veniſſe mandauit: & ille conuocatis epiſcopis, eam intrare præcepit: Quæ ſtatim proſtrata cum eiulatu magno pedes eius lachrymis rigans, ac crinibus detergens dixit: *Miſerere domine peccatricis:* Ego enim ſum *Pelagia*, pelagus iniquitatis,exundans fluctibus peccatorum: Ego ſum abyſſus perditionis, & vorago, & laqueus animarum. Fac ergo me pater ſanctiſſime baptizari, vt anima mea poſſit à tantis ſordibus emundari. Cui ſanctus: Canones continent non debere *Meretricem* ante baptizari, niſi per fideiuſſores ſpondeat, quod ſe vltra prauis actibus non inuoluat. Tunc illa iterum ſe proſternens, & eiulans dixit: Rationem reddes Deo pro anima mea, & tibi imputetur peccatorum meorum iniquitas, ſi me diſtuleris baptizare. Tunc ſanctus nomen eius quæſiuit. Et illa dixit ſe à natiuitate *Pelagiam*, ſed propter pompam ornamentorum nuncupari à populo *Margaritam.* Cum ergo baptizata, & communicata fuiſſet, ecce Diabolus quaſi nudus clamabat dicens: O violentia quam patior ab hoc Sene. Non tibi ſufficiebat Heliopolis Ciuitas, quæ quondam mea fuerat. Maledictus dies in quo mihi contrarius natus es. Quid feciſti mihi Pelagia? Et tu in me Iudã imitata es. Domina mea Margarita, quid tibi vnquam male feci? Nonne te lapidibus precioſis ornaui? nonne te auro, & argento cumulaui? Dic mihi in quo te contriſtaui? & tibi ſatisfacio, tantum me ne deſeras; ne opprobrium Chriſtianis afficias. At illa protinus ſe ſignauit, & flatu ſuo Diabolum effugauit. Tertia die congregatas per ſeruum ſuum omnes diuitias ad conſilium epiſcopi nihil ſibi retinens pauperibus erogauit, & induta cilicio nocte fugit.

Solus videre mulierem renuit.

Pelagia conuertitur.

Canones vetant meretricem baptizari, niſi dato fideiuſſore.

Pelagia ob ornatum Margarita dicta.

Diaboli plãctus contra Nonnum & Pelagiam.

Signat ſe Pelagia & inſufflat in diabolum.

Poſt tres annos clericus eiuſdem epiſcopi Hieruſalem ire voluit,& dixit ei epiſcopus,vt inter alios Monachos, hominem Dei Pelagium diligenter inquireret, & humiliter ſalutaret. Et non intelligens Clericus, quid hoc eſſet, Pelagiam ſub nomine Pelagij in cella recluſam in monte oliueti reperit, & cognitus ab ea, ipſam propter nimiam maciem non cognouit. Et dixit ei Pelagius, Habes epiſcopum. Cui ille. Etiam domine pater. Oret, inquit, pro me, quia Apoſtolus Chriſti eſt. Et viſitans clericus omnes alios, cum audiſſet magnam famam Pelagij rurſus ad eum redijt. Et cum ſe vocanti non reſponderet, aperiens feneſtram, defunctum inuenit, & cum, vocati monachi cum epiſcopo Hieroſolymorum,Pelagium de cella

Iacobus Diaconus Hieroſolymæ loca ſancta & Pelagium viſitat.

Summa Pelagij pulchritudo præ inedia in marcorem verſa.

extra-

Dum ad sepulturam corpus extrahitur famina deprehenditur.

extrahentes, & sepelientes, fœminam inuenerunt; & laudantes Deum, qui multos habet seruos absconditos, honorifice eam in loco mundissimo posuerunt. Tunc reuersus clericus Antiochiæ episcopo suo retulit, quod vidit, & intellexit, & quod illa esset Pelagia, quæ ab episcopo baptizata, Pelagium se fecerat appellari.

De Sancto Quirino Martyra.

CAP. XCVIII.

**Maras seu Maris, & Marthas Persice dictos autumat Baron. Hæc acta extant apud Baronium tom. 2. Annalium an. 270.*

EX *gestis eius.* Temporibus Claudij venit de Persidæ partibus * Marius, & eius vxor Martha, & duo filij Audifax, & Abacuc Christiani, viri Romani ad orationem Apostolorum. Et dum solicite corpora sanctorum per carceres, & sepulturas conquirerent, venientes in castrum trans Tyberim inuenerunt sanctum Quirinum in carcere, qui multa iam verbera pro Christi nomine fuerat perpessus, & facultate sua nudatus. Et mittentes se ad pedes eius, vt oraret pro eis, cæperunt ei ministrare de facultatibus suis, lauare pedes, qui constricti erant in carcere, & aquam in capita sua, & filiorum suorum effundere.

260. Christiani necantur.

Eodem tempore Claudius diuulgato præcepto, vt Christiani punirentur, tenuit 262. Christianos, quos iussit extra muros portæ salariæ duci, ibique in Amphitheatro inclusos, à militibus sagittis interfici. Quorum corpora sepelierunt Marius, & Vxor eius Martha, & filij vna cum Ioanne presbytero; deinde venientes in castrum & requirentes beatum Quirinum, & non inuento eo, contristati sunt. Et audientes à quodam quod noctu fuerat gladio interfectus, & in Tyberim iactatus, cuius corpus remanserat in insula Lycaoneæ, pergentes noctu collegerunt illud, & sepelierunt 8. Calendas Aprilis.

De Quirino Martyre.

De Sancto Mario, & Martha cum filijs, & Valentino, & Asterio.

CAP XCIX.

IGitur venientes trans Tyberim, audierunt in quodam cænaculo multitudinem Christianorum psallentium, & psallentes cum gaudio ianuam intrauerunt, datisque osculis, & oratione ad Deum fusa, mariserunt ibi duobus mensibus in abscondito.

Extant acta Sancti Valentini apud Surium to. 1. vnde & cæteri accepisse noscuntur. In huius honorem Theodorus Papa erexit ecclesiam via Flaminia vt constat ex li. de Rom. Pon. in Theodoro.

Tunc tenuit Claudius sanctum Valentinum Presbyterum, & clausum in carcere in catenis, & compedibus, post biduum iussit eum sibi præsentari. Interrogatusque ab eo cum blasphemasset Deos eorum, scilicet asserens Iouem, & Mercurium fuisse miserrimos homines, & turpes, in immunditijs semper delectantes, Asterio Principi traditus est, vt eum si posset mollibus sermonibus humiliaret. In cuius domum introiens positis genibus orauit dicens: *Deus omnium creator, qui misisti filium tuum, vt nos de tenebris ad lucem perduceret, conuerte domum istam, & da ei lumen post tenebras, vt te Deum verum trinum, & vnum cognoscat.* Audiens Asterius dixit ad eum: Miror prudentiam tuam, vt dicas, quia Christus vester lumen est. Et ille: Vere, inquit, lumen est verum: *quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Respondit Asterius: Si illuminat omnem hominem, illuminet ergo hanc, quam habeo filiam adoptiuam, ante fere duos dies subito obscuratam, & tunc quæcunque præceperis faciam. Cumque eam currens adduxisset: Valentinus fusa oratione cum lachrymis, posuit manum super oculos eius dicens: Domine Iesu Christe illumina famulam tuam, *quia tu es Deus verum lumen.* Hoc dicto, aperti sunt oculi eius. Quod videns Asterius cecidit ad pedes sancti cum vxore sua petens, vt quicquid sciret pro salute eorum faceret. Tunc indixit eis triduum ieiunium. Asterius, autem quia multos Christianos in custodia habebat, omnes relaxauit, & consummato triduo baptismum cum omni domo sua suscepit: erant autem animæ fere 46.

Asterius eō uersus, omnes Christianos quos in custodia habebat, relaxauit.

De Passione eorundem sanctorum.

CAP. C.

HOc factum factum vt audiuit Marius, & familia eius, venerunt cum gaudio ad domum Asterij gratias agentes, & fuerunt ibi per 32. dies. Post hæc Claudius requirens Asterium principem, cum audisset de facto eius, iratus, misit milites, & tenuit omnes quos inuenit in domo eius. Qui cum vincti, fuissent adducti, iussit Asterium vinctum in ciuitatem ostiam duci, & ibi sub pœnarum examinatione mori: Valentinum autem fustibus cædi, & capite truncari. Qui decollatus est 16. Calendas Martij Marium vero & vxorem eius, & filios sibi præsentatos tradidit Musciano Vicario iubens, vt vel sacrificarent, vel diuersa tormenta fustinerent. Qui iussi eos expoliari, & fustibus cædi. Illis autem Deum glorificantibus iussit eos in equuleo suspendi, deinde ignem ad latera eorum poni, & vnguibus ferreis radi: postea iussit eos in conspectu Marthæ de equuleo deponi, & manus eorum præscidi. Tunc cæpit sanguis emanare, Martha autem sanguinem Mariti, & filiorum colligens, caput suum cum gaudio liniebat. Tunc iussit, vt manibus ad colla ligatis, per ciuitatem circumirent, deditque sententiam, vt decollarentur; Martha vero in * Nympha necaretur. Quorum corpora etiam ne sepulturam haberent iussit incendi; Matrona vero nomine Felicitas corpora eorum semiusta rapuit, & in prædio suo sepeliuit; Martham vero de puteo leuatam eis iunxit 14. Calend. Febr.

Certamen Asterij. Baronius ait Asterium passum fuisse sub Alexandro Imp.

** Locus est inter viam Corneliã & Portuensem, ab aquis sic dictus.*

De Sanctis Cæsario, & Iuliano.

CAP. CI.

EX *gestis eorum.* Tempore quo Claudius Matrem suam gladio necauit, & edictum de colendis Idolis per orbem diuulgauit, erat Firminus quidam Pontifex Tarracinæ ciuitatis Campaniæ, qui per singulos annos die Calendas Ianuarij, quasi pro salute Reipublicæ, & principum suadebat hominibus crudelem audaciam exercere. Nam ante præfatum diem nutriebatur iuuenis 8. vel 6. mensibus in delicijs, & lasciuijs ad interfectionem suam. Exactoque tempore armatus, & ornatus ascendebat in montem Marinum, & arrepto equo pro salute Reipublicæ, & principum, & ciuium salubritate, & vt nomen haberet glorię, ipse se præcipitabat morti. Cuius corpus cum grandi honore colligebatur, & ad templum perducebatur Apollinis, & incendio consumebatur, & cineres eius in templo pro salute Reipublicæ, & ciuium recondebantur.

Firminus dæmonum Pontifex quid persuaserit quibusdã.

Vide morem planè barbarum.

Iuuenis quidam pro salute, vt putabat patria, è monte se præcipitat.

Eo tempore Cæsarius Diaconus ex Africa Tarracinam veniens, latuit ibi vsque ad diem Calendas Ianuarij apud quendam Christianam, cum quo vigilijs, & orationibus Deo seruiebat. Die autem prænotata cum vidisset huiusmodi crudelem superstitionem in quodam iuuene Luciano speciosо exhiberi, clamare cœpit: Viri sapientes quid facitis stultum scelus? væ Reipublicæ, & principibus, qui cruciatibus delectantur, & effusione sanguinum saginantur. Vt quid perditis animas diabolicæ fraudis persuasionibus. Tunc Firminus Pontifex iussit eum teneri, & in custodia publica recludi. Qui per triduum maceratus, & Leontio consulari traditus, ductus est ante carpentum Leontij ad templum Apollinis vinctus, & nudus. Et cum appropinquaret orante eo, subito ruit templum, & occidit Pontificem Firminum. Post hæc, iterum Cæsarius in custodia maceratus, & capillis suis tectus, quia nudus

Barbarum hoc factum reprehendit Cæsarius.

Sanctus Cæsarius in custodiã ducitur. Cæsarius nudus & vinctus ad templũ ducitur, sed ad eius preces corruit templum & opprimit Firminum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

erat, & eum Angelus domini die noctuque custodiebat, in medium forum est adductus, illic subito cadens in terram adorauit Dominum, factaque est lux sicut corruscatio, & protexit eum. Videns hoc Leontius clamauit: *Vere Dominus Deus est, quem prædicat Cæsarius.* Et misit se ad pedes eius, & expolians se, clamyde sua induit eum, petens coram omni populo baptismum, Cumque baptizatus esset, veniens Iulianus presbyter dedit ei corpus, & sanguinem Domini. Cumque percepisset omnia sacramenta, cum gloria tradidit spiritum, cuius corpus vxor eius, & filij sepelierunt in agro 3. Kal. Nouembris.

Leontius cõsularis conuertitur ad Christum.

De Passione eorundem, & quorundam aliorum.

Cap. CII.

Iulianus & Cæsarius dãnantur à Luxurio proc. sule.

PORro Luxurius primus ciuitatis tenuit sanctos Cæsarium, & Iulianum, & dedit sententiam in eos, vt ambo in saccum missi, in mare præcipitarentur; cumque ducerentur dixit beatus Cæsarius ad Luxurium: Me quidem aqua, quæ regenerauit quasi filium suum ex se renatum suscipiet, vt ipsa me modo martyrem faciat vna cum patre meo Iuliano: Te autem hodie comedet coluber, vt sciat hoc omnis Patria, quia vindicat Dominus sanguinem seruorum suorum, & virginum, quas ignibus cremasti.

Inclusi in sacco mittũtur in mare.

Sanctum Cæsarium non sub Claudio passum probat Baron. in Martyrol. tamen hæc acta plane conueniunt cum ijs quæ habet Surius.

Eodem igitur die quo mersi sunt, vnda eos in littus eiecit, vbi etiam iacebat Luxurius totus turgidus a serpente percussus. Nam cum equo sedens in villam suam ad prandium festinaret, & iuxta arborem præteriret, pro nequitia sua euenit, vt elaberetur serpens inter collum, & caput & tunicam, atque inde ventrem eius, & latera suis morsibus laniaret, ita vt per ventrem vsque ad cor peruenire. Iacens ergo totus tumidus antequam expiraret, vidit oculis suis ambos psallentes, & cum honore digno corpora eorum vndas afferentes. Quorum corpora seruus Dei Eusebius collegit, qui cum ipso habitauerat, & sepeliuit nocte iuxta Tarracinam ciuitatem sub die Kalend. Nouembris.

Felix & Eusebius trucidantur.

Post dies autem quinque inuentus est, & ipse Eusebius in loco vbi posuerat beatos martyres, ieiunans, & adorans Dominum. Quod videntes multi occurrebant ei, & conuertebãtur, & baptizabantur à Felice presbytero. Hoc audiens Leontius filius Leontij consularis, fremens de morte patris sui, misit milites, & tenuit Felicem Presbyterum, & Eusebium Monachum: Et interrogatos de doctrina, recluſit eos in custodia; & nolentes sacrificare iussit decapitari, & corpora eorum in fluuio iactari. Quæ ad littus proiecta, Quartus Presbyter collegit, & sepeliuit iuxta corpus beati Cæsarij Nonas Nouembris.

Plura de S. Cæsario inueniet lector in vita SS. Nerei & Achillei quæ extat apud Surium.

Ex martyrologio. Item celebratur 8. Kalend. Nouembris Romæ natale 46. militum, qui vt supra præmissum est baptizati sunt simul à Dionysio Papa, mox iubente Claudio Imperatore decollati sunt, ac via Salaria sepulti; vbi, & alij martyres 121. positi sunt. Inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus & Petrus.

Claudius Imperator moritur.

Hugo vbi supra. Tandem Claudio Imperatore defuncto, Quintillus frater eius ab exercitu electus est, & in solio sublimatus, sed septima die Imperij sui, interfectus occubuit.

De Imperio Aureliani, & excommunicatione Pauli.

Cap. CIII.

** Secundum Baron. an. 7.*

Eusebius in chronicis. Romanorum igitur 29. regnauit Aurelianus annis * 5. & mensibus sex, cæpit autem anno domini 273. mundi vero 4126.

Aurelianus Imperator Anno Christi 273. Mundi 4126.

Hugo vbi supra. Iste fuit vir industriæ militaris expertissimus, & Gothorum gentem duris prælijs profligauit, ditionemque Romanam antiquis terminis stabiliuit, & Syriam totam receptam sibi vendicauit. Vnde magna gloria Romæ triumphauit, & postmodum eam muris firmioribus cinxit. Præterea status Ecclesię hoc tempore prosperioribus incrementis augebatur quotidie: Vnde apud Antiochiam celebre concilium est aggregatum, in quo præfatus Paulus, Hæreticus esse manifestissime conuincitur, & condemnatur, insistente maxime Malchione Presbytero Antiochenæ Ecclesiæ viro sapientissimo. Huic enim ab omni episcoporum concilio permissum est disputare cum Paulo excipientibus notarijs. Verum Paulus sacerdotio abscisus, & communione priuatus, nolebat exire de domo Ecclesiæ, vnde interpellatus est Aurelianus Imperator, vt illum exire compelleret. Qui mox imperauit illum vi publica expelli, & Dominum virum multis virtutibus adornatum Ecclesiæ tradi. Nondum enim erat Aurelianus malis deprauatus consilijs, quibus processu temporis bonum postmodum propositum immutauit, & persecutionem durissimam ecclesijs excitauit. Quo persecutionis tempore in Gallijs passa est beata virgo Columba in Zenoensi ciuitate, alijque per diuersas prouincias occubuerunt, libenter pro Christo diuersa certamina peragentes.

Meminit huius Hieron. de scrip. Eccl. & Euseb. lib 7. cap. 23.

Aurelianus superstitioni deditus, Christianos persequebatur.

Passio Sanctę Columbæ virginis.

Cap. CIIII.

Sancta Columba ducitur in lupanar.

Ex gestis eius. Ingressus est igitur Aurelianus ciuitatem Senonis 8. Idus Ianuarij, antequam accusata est, & adducta beata virgo Columba, quæ post multas interrogationes iussa est per iuuenem turpissimum vulgari nomine Barucham, mitti in contubernio publico meretricum. Qui cum venisset in Amphitheatrum, & intrasset in cellam eius, dixit ei Columba: Cur cum tanta feritate ad me intras? Nunquid tibi possum resistere, aut te repellere à me? Sed patientiam habe, ne irascatur tibi Dominus meus Iesus Christus, & moriaris. Qui compunctus in his verbis, non accessit ad eam, nec tetigit eam. Et cum oraret Columba, vt castitas eius à Domino conseruaretur, ecce Vrsa egrediens de cauea Amphitheatri, ingressa est cellam virginis, & inueniens ibi hominem, & allidens eum ante pedes Columbæ, intendebat in faciem eius; expectans, & quasi quærens, quid iuberet de illo. Tũc Columba ad vrsam: Adiuro te per Iesum Christum, vt non lædas eum, sed permitte me loqui cum illo. Tunc Vrsa dimisit eum, & posuit se ante ostium ne ille effugeret, & ne alius ingrederetur. Tunc Columba ait ad iuuenem; Ecce fera audito nomine Christi dat honorem Deo, tu quare in tanto scelere perseueras? Aut ergo promitte te Christianum fieri, aut te deuorabit fera. Tunc iuuenis exclamauit. Si quis Christum non confitetur, sanus hinc non discedat. Quod cum dixisset vrsa tulit se de ostio, & exiens, iuuenis clamabat per totam ciuitatem non esse alium Deum, nisi quem Columba colit.

Vrsa castitatis eius tutrix.

Quo audito Aurelianus iussit eam adduci. Cui responsum est, quod hoc non posset fieri, quia vrsa cum ipsa intus est. Tunc Aurelianus iussit ignem circa * carcerem accendi. Vrsa vero, vt vidit ignem cæpit fremere, & rugire. Cui dixit columba: Noli timere quia non cremaberis hodie, sed morte cum Deo placuerit morieris. Tunc Vrsa tectum ascendens erupit per medias turbas, & exiuit ciuitatem. Tunc Populus clamare cæpit, vt ignis extingueretur, ne Columba cremaretur. Quibus hoc clamantibus venit nubes de Africo, & extinxit ignem; tunc adducta est Columba in medium populi. Ad quam Aurelianus: quæ sunt tua artificia, quod te nec contingunt incendia, nec feræ. Quæ respondit: Nihil aliud noui nisi *Christum, cum Patre, & Spiritu sancto*: Cui dixit Aurelianus, iam tibi contestatus sum ne nomen hoc memoreris. Præcepit ante, vt ad primum miliariũ duceretur, & ibi decollaretur. Quo cũ

Impudicus conuertitur igni adiudicatur.

** Per carcerem intelligit author lupanar, in quo tanquam in carcere asseruabatur.*

ducta

Confessio sanctæ Columbæ.

ducta fuisset, rogabat, vt parum dimitteretur orare. Sed cum nollent, qui ducebant eam, dedit eis anabolarium suum, siue pallium sericum, & permiserunt. Qua orante, clamauit ad eam vox de cælo dicens: *Veni Columba mea veni, aperti sunt tibi cæli, congaudet tibi Paradisus deuictis omnibus collectationibus, stat filius Dei, qui tibi coronam in capite ponat, & suscipiunt te Angeli Dei, & perducant te in ciuitatem magnam Hierusalem cælestem.* Tunc vnus ministrorum extracto gladio amputauit caput eius in oratione. Factum est hoc pridiẽ Kal. Ianuarij.

Hanc historiam desũpsit Surius ex Vincentio ad verbũ prout hic iacet.

Passio Sancti Sauiniani Martyris.*

** Alias Sabiniani.*

CAP. CV.

EX gestis eius. Eodem tempore in territorio Tricassino sub eodem principe passus est sanctus Sauinianus siue Sauinus. Audiens autem Aurelianus, quod per illum multus populus credebat, iussit Crispinum Præsidem cum 90. militibus ad illum pergere, eumque vinctum ad se adducere: At illi inuenientes cum orantem, timuerunt ei appropinquare. Audiens hoc Imperator misit alios 120. ad eum; qui, & ipsi eum inuenerunt orantem, & cum eo orare cæperunt. Completa oratione cum surrexisset dixerunt ei milites: Dominus noster Imperator desiderat te videre. Respondit: Vadam. Cumque Imperator interrogans eum, in fide firmissimum inuenisset, iussit eum in custodia mitti, & 48. militibus custodiri. Qui per eum ad Christum conuersi, arma deposuerunt, & iubente imperatore decollati sunt. Qui, & Sauinianum sibi præsentatum pro confessione Christi iussit manus, & pedes ligari, & ad vectes ferreos cædi, & in capite eius cassidem igneam mitti. In ignem quoque positus euasit illæsus.

Sauinianus inuẽtus orãs perterruit Satellites eũ comprehendere volẽtes.

Sauinianus in carcerem mittitur.

Sagittas in eum iniecerunt, sed corpori infigi nõ potuerunt.

Post hæc iussit Imperator lignum exhiberi secundum staturam eius, & poni ante palatium; & terni milites ternas sagittas super eum iniecerunt. Cumque crederet imperator eas corpori eius infigi, illæ à dextris, & à sinistris eius à vento suspendebantur: & ne vna quidem corpus eius tetigit. Post hæc veniens ad eum ait: *Vbi est Deus tuus?* Veniat, & liberet te de manibus meis, vel de sagittis his. Exiliens autem vna de sagittis ingressa est in oculum Imperatoris, & excæcauit eum: qui iratus iussit sanctum in carcerem à 90. militibus mitti, & in crastinum decollari. At illo orante milites excæcati sunt, & catenæ ferreæ sunt confractæ. Sanctus autẽ iter carpens peruenit ad ripã Sequanæ. Ipsoq; orante facta est aqua, quasi petra solida, & pedibus ad locum sibi demonstratum peruenit. Iterumque orauit dominum, vt celeriùs eum iuberet coronari. Tunc leuatis oculis vidit milites extracto gladio venire velocius, vt eum decollarent. Sed cum appropinquare timerent, ait ad eos: *Venite, & portate de sanguine meo Imperatori, vt videat gloriam Dei.* Cumque percussus fuisset, gutta sanguinis cecidit super caput carnificis, & ipsi conuersi clamauerunt dicentes: *Domine parce peccatis nostris, quia de sanguine sancto tuo baptizati sumus.* Sanctus autem caput suum apprehendens portauit illud ad pedes 49. Milites autem collegerunt de sanguine sancto, & ligatum in lipteo detulerunt Imperatori. Apertisque oculis vidit, & Deum Christianorum glorificauit. Passus est autem iste sanctus 4. Kal. Februarij.

Sicco pede ambulat super aquas.

Capite truncatur.

Milites qui eum decollauerunt conuersi sunt.

Modus conuersionis eiusdem

CAP. CVI.

Parentes Sauiniani.

ISTius sancti pater Sauinus natus est in oppido Sauionensi. Qui post primam coniugem accepit secundam ex Pellopia ciuitate de genere Chaldæorum valde locupletem. Ex prima vxore habuit Sauinum siue Sauinianum filium, ex secunda Sauinam filiam. Sauiniauus autem cum legisset hunc versum. *Asperges me domine hyssopo, &c.* orabat, vt sciret interpretationem eius; cui Angelus dixit: Cum aspersum fuerit chrisma super caput tuum, mundaberis à delicto maximo, cum lotus fueris ex aqua viua in nomine Domini nostri Iesu Christi, candidior eris quam nix.

Psal. 50. Interpretatio versus Asperges me hyssopo.

Surgens ergo Sauinianus, & volens conuertere patrem suum, obiurgatus ab eo, propter metum Darij Principis recessit inde, & quæsitus non est inuentus. Venit ergo in Galliam, & passus est sub Aureliano, vt diximus, in territorio Tricassino, cum enim illuc fugiens veniisset super fluuium Sequanæ prostratus orauit, vt ibi baptizaretur. Et cum baptizatus esset venit vox dicens: Sauiniane dilige, quod inuenire voluisti. Statimque fixit baculum in terram: & facta oratione coram multis astantibus virga illa ramos; & frondes, ac flores produxit; & ex illis, qui hoc viderunt 1018. conuersi sunt. Aurelianus autem hæc audiens, qui omnes vbicunque Christianos occidi præceperat, misit milites, vt eum adducerent. At vbi venerunt ad eum inuenientes orantem, timuerunt accedere ad eum *& cætera quę supra retulimus.*

De sancta Sauina sorore eius.

CAP. CVII.

Ex Breuiario Tricassino.

EX gestis eius. Cumque soror eius Sauina quotidie grauiter eum fleret, & pro eo quotidie ieiunans semper Idolis supplicaret. Tandem dormienti ei appatuit Angelus domini dicens: Sabina noli flere, sed quæcunque habes derelinque, & iuuenies fratrem tuum in honore maximo constitutum. Quæ statim euigilans dixit ad collectaneam suam: Amica mea sensisti aliquid? Quæ respondit. Sensi domina quia vidi hominem incognitum ante te stantem, nescio quid loquentem: Ait illi: Non me accusabis: Respondit: Domina absit, vt te incusem, sed quicquid vis fac, tantum ne te occidas. Et sic in crastino ambæ, omnia relinquentes fugerunt. Et cum pater eius fecisset eam quæri per montes, & valles, & inueniri non posset, expandens manus ad cœlum dixit: Si tu es Deus potens in cœlo, qui nos saluare potes descende nunc, & percute omnia idola mea, quæ vsque nunc adoraui, quæ mihi non potuerunt saluare natos meos. Tunc dominus de cælo intonans confregit omnia Idola quæ ibi erant. Quod multi audientes crediderunt in Christum.

Angelus apparet Sauinæ Matrem lugenti.

Sauina cum Maximiola peregrè proficiscitur.

Post hæc beata Sauina venit Romam ad tumulum sancti Petri. Cumque fama eius peruenisset ad Eusebium Papam baptizauit eam. Et cum esset in albis orans sanauit ibi duos cęcos & duos debiles & vnum claudũ. Et fuit ibi quinque annis. Dormienti igitur apparuit Angelus Domini dicens: Sauina, quid fecisti? cur dimisisti parentes, & omnia quæ habebas, & nunc in delicijs epularis, & nu peregrinaris: Surge & Vade in Trecas ciuitatem Campaniæ & ibi inuenies fratrem tuum. Euigilans ergo dixit famulæ suæ: Non oportet hic amplius habitare; cui illa Domina quid vis facere? ecce ciues valde te diligunt, & tu vis in peregre moti. Respondit Sauina: *Deus prouidebit nobis.* Et accepto pane hordeaceo discessit inde, & venit in vrbem Rauennensem. Cumq; venisset ante domũ cuiusdã diuitis, cuius filia moriebatur, dixit Ancillæ domus, quæ foras exierat vt ibi hospitaretur. Quæ respondit: Domina quomodo hic potes hospitari, quia filia dominorũ meorũ moritur, & astantes grauiter lamentantur. Cui beata Sauina; non propter me morietur. Intrauit ergo ancilla ad Dominam: quæ statim accurrens introduxit Sauinã, & protinus Sauina apprehensa manu dextera ægrotantis, orans, erexit eam sanam. Et cum vellent parentes retinere eã non potuerunt; sed inde venit in Threcas ciuitatem. Vbi cum esset

Sauina Romam venit, & ibi baptizatur. Iterum apparet ei Angelus.

dit Threcas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad miliarium ciuitatis dixit famulæ ſuæ vt modicum repauſarent. Tunc exiens de vrbe vir quidam venerabilis Licerius dixit eis: Vnde eſtis? Sauina reſpondit: Domine ſum de iſta ciuitate: At ille: cur mẽtiris? quia loquela tua te indicat peregrinam. Sauina reſpondit; Domine vere peregrina ſum, & diu perditum requiro fratrem meum Sauinianum. Reſpondit Licerius: Vir ille quem quæris, ante paululum pro Chriſto decollatus eſt, & ibi in illa domo ſepultus. Vade ergo illuc, & reuertere ad nos, & bene tibi erit nobiſcum quamdiu vixeris. Et illo prætereunte Sauina proſtrauit ſe & orans dixit: Domine Deus, qui me ſemper in caſtitate ſeruaſti, non me permittas amplius duris itineribus fatigari, ſed iube corpus meum à loco iſto vlterius non moueri. Commendo tibi famulam meam, quæ propter me tanta ſuſtinuit, & fratrem meum, quem hic videre non potui, da vt in regno tuo videam. Et ſic finita oratione anno vitæ ſuæ 49. migrauit ad Dominum. Quod videns famula ſua grauiter cæpit flere, quia nihil habebat quod ſepulturæ ſuæ neceſſarium erat. Illa autem flente ecce Licerius rediens, ad vrbem & Sauinam inueniens iam. defunctam, ait ad famulam eius: Noli flere; ego vadam, & celerius reuertar ad ſepeliendum eam. Miſit ergo præconem per vrbem. Venite omnes inquit ad peregrinam ſepeliendam, quæ extra vrbem defuncta eſt. Perrexerunt ergo quicunque potuerunt, & honorificè ſepelierunt eam, vbi mulier quædam cæca & clauda, & manus aridas habens cæpit integram ſanitatem.

Sauina ad ſepulchrum fratris moritur.

Corpus S. Sauinæ requieſcit in ſuburbijs Tricaſſina vrbis in cœnobio Celenſi.

Paſſio ſancti Patrocli martyris.

CAP. CVIII.

EX geſtis eius. Aurelianus quoque egrediens à partibus vrbis Senonicæ pergens Trecaſſin; audiuit de ſancto Patroclo, qui extra ciuitatẽ vir nobiliſſimus habitationem habens, ibi orationibus & vigilijs, Deo ſeruiens nulla die reficiebatur cibo niſi hora diei vltima. Hunc perſcrutans cum inueniſſet nolentem *crucifixum* abnegare, & Idolis immolare, furore commotus ait: Mittite compedes in pedes eius, & catenas ignitas in manus, & perſtringite fuſtes in dorſo eius, & includite eum donec de eo pertractetur. Quo facto cum eſſet in cuſtodia vſque ad diem tertium orabat ad dominum: & poſt eductum in publico, poſt multas verborum altercationes, videns Aurelianus eius conſtantiam, iuſſit eum gladio feriri dicens: Hunc noxium & deteſtabilem, qui nobis confuſionem intulit, & Deos noſtros contumeliauit in locum aquoſum ducite, & ibi eum decollate, ne corpus eius in arida requieſcat. Tunc ductus à carnificibus ad amnem Sequanæ in ripa orauit & dixit: *Domine Ieſu Chriſte ne patiaris corpus meum in hoc loco aquoſo requieſcere, ne quando dicant gentes vbi eſt Deus eius?* Tunc obſcurati ſunt oculi tenentium eum, & ille flumen ingreſſus in aliam ripam exijt & genua eius aqua non contigit. Tunc illi qui eum tenuerant dicebant: *Magnus eſt Deus eius qui liberauit eum. Alij* autem non, ſed fantaſma eſt. Illis autem inuicem concertantibus Mulier gentilis adueniens dixit, hominem Chriſtianum, quem quæritis vidi in monte vltra flumen in terra proſtratum, & orabat Deum ſuum. Qui pergentes illuc cum inueniſſent eum orantem, vnus ait: Vere tu reus es, qui nos effugiſti, & ecce in manibus noſtris es, & morieris, niſi Dijs noſtris immolaueris. Qui reſpondit: Dæmones non adoro, ſed ſolum Deum verum pro cuius nomine multa patimur, & etiam morimur. Tunc genua in terram flectens à perſecutore in terram proſtratus eſt, & gladio decollatus dicens: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Et hoc 12. Cal. Februarij.

S. Patroclus ſiſtitur Aureliano

Traditur in cuſtodiam.

Sententia in Patroclum.

Flumen trãſit illæſus.

Caditur gladio.

Lege Surium qui eleganti ſtylo vitam eius conſcripſit.

De ſancto Speuſippo & fratribus eius.

CAP. CIX.

EX geſtis eorum. Sanctus Polycarpus epiſcopus, Ioannis Apoſtoli diſcipulus, volens Chriſti iuſtitiam ampliare, per diuerſas mundi partes ſuos dirigebat Diſcipulos. Audiens vero quod malo peior, Princeps Principi ſucceſſiſſet in regno ſcilicet Aurelianus, Sæuero, qui cum in Galliarum prouincias omnes Chriſtianos diuerſis puniri ſupplicijs generali promulgaſſet edicto, decreuit idem ſanctus ſanctos Dei Andochium & Benignum Preſbyteros & Thyrſum Diaconum illuc prædicationis cauſa deſtinare, viros virtutibus præſtantiſſimos, & in Dei amore diffuſos, ad certaminis agonem pro Chriſti nomine feſtinos. Qui nauigantes fæliciter, cum ad Marſilienſium littora perueniſſent, Eduã ciuitatem ingreſſi, à Fauſto nobiliſsimo viro ſenatoria dignitate gratiſſime hoſpitio recepti ſunt. Quos cum perdidiciſſet eſſe Presbyteros, ſuppliciter poſtulauit, vt familiam ſuam per ablutionem baptiſmi facerent Chriſtianam. Ipſe autem propter imminentem perſecutionem Chriſtum cõlebat occulte. Obtulit etiam filium ſuum Symphorianum adoleſcentem, ſanctorum prædicationibus diuina prædeſtinatione ſucciduis temporibus præclarum martyrem futurum. Quem ipſo patre deprecante, ſanctus Benignus baptizauit, & ſanctus Andochius de ſacro fonte leuauit. Tunc idem Fauſtus ait illis: Eſt etiam mihi ſoror Leonilla Ciuis vrbis Lingonicę, cui ſunt nepotes ex filio tergemini fratres, ex vno partu ſimiliter editi ſcilicet Speuſippus, Eleuſippus, & Meleuſippus. liberalibus literis eruditi, ſed paterna traditione adhuc viuentes errore gentili, quos deſiderat ad Chriſti militiam ſociare; his ergo ſanctiſſimi Sacerdotes vera deuotione ſubuenite. Placuit ergo eis conſilium, vt ſanctus Benignus ad territorium Lingonicum illuſtrandum properaret, ſancti vero Andochius, & Thyrſus, in Auguſtodinenſi diocæſi prædicantes, non multo poſt ſub Aureliano fœlici martyrio coronati ſũt. Leonilla autem ſanctum Benignum ad ſe tranſmiſſum quaſi manna de cęlo deſcendens, cum omni veneratione ſuſcepit.

Eadem die nepotes eius in agro Paſmaſio ad ſimulacrum Deę Nemenſis ſacrificia offerebant, & de ſuperſtitioſis libaminibus animæ ſuæ reſeruauerunt. Illa vero omnia proijciens canibus reſpuit tanquam ſtercus, accedenſque ad eos cum ſancto Benigno dixit: Chariſſimi nepotes *cognoſcite Dominum Ieſum Chriſtum Deum eſſe verum, & vnum, qui mundum conſtituit, qui cœli altitudinem extendit, ſtelliſque depinxit*: qui pelagus congregatum littoribus coarctauit, piſcibuſque id perambulandum conceſſit: qui terrarum ſpacia dilatauit, diuerſiſque arboribus, & graminibus tellurem omnem veſtiuit. Cui Angeli & omnis creatura ſeruitutem reddit, cuius pietas hunc virum ſanctum Benignum ad nos de longinqua regione tranſmiſit. Attẽdite ad verba eius, quia Dei præcepta ſunt, quę de ore eius procedunt.

Cumque hæc, & multa alia cum ſancto Benigno nepotibus ſuis dixiſſet, illi viſiones quaſdam, quas nocte præterita viderant, huic eorum vocationi conſonas in memoriam ſinguli reuocantes, narrauerunt; & ita verbis eorum in fide Chriſti confirmati ſunt, vt à ſancto Benigno baptiſmi lauacrum ſuſciperent, & Idolorum ſtatuas diſſiparent. Deinde ſanctus Benignus ad caſtrum Diuionenſe perrexit, vbi non multo poſt coronam martirij promeruit.

Sanctus Polycarpus mittit ſuos ad diuerſa loca.

** Aurelius corrigit Baronius in Martyrolog*

Hæc geſta extant apud Surium à Nerone conſcripta, habẽt tamen quod indiget caſtigatione vt ait Baronius, quia nulla eſt prorſus cohærentia Polycarpi epiſcopi Smyrnæ temporum cum Aureliano: loco cuius Marcus Aurelius reſtituendus eſt.

De Paſſione eorundem.

CAP. CX.

EX geſtis eorum. Percurrente autem fama per Lingonicam vrbem tergeminos fratres nepotes Leonillæ ad Chriſti cultum declinaſſe, requiſiti à iudicibus conſtanter, & publice Chriſtianos ſe aſſerebant.

Leonilla ad ſuos nepotes oratio.

Viſiones has late exponit Surius in geſtis horum ſanctorum 17 Ianuarij.

Tergemini fratres baptizantur.

Tergeminorum fratrum conſtantia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ipsos quoque tanquam cæcos, & insensibiles, qui metalla, & lapides adorarent acriter arguebant. Exurgens autem * Quadratus præses, Speusippum, & Eleusippum in facies pugno percussit iratus. Ipsi enim duo tantum locuti fuerant. Dolens autem * Meleusippus exclamauit dicens; cur me hoc percussionis dono cum fratribus meis participem non feciſti? sed in illis optabile principium passionis ostendens, me à sancto consortio sequestrasti. Vnanimes in Christi confessione sumus, æqualiter de Christi remuneratione per vestram perfidiam gratulemur. * Quadratus respondit: Hodie illos pro contemptu Deorum nostrorum diuersis cruciatibus, deinde te punire disposuimus. At illi in confessione Christi constanter perdurabant. Auia ergo cum lachrymis, & osculis eos viriliter exhortante in amore Dei persistentes, cum nullatenus consentirent, vt simulachris sacrificarent, ligatis sursum manibus, deorsum vero pedibus in arbore vna suspensi sunt. Tantaque tormentorum adinuentione sunt extensi, vt pene putarentur à membrorum compage separari. Meleusippus autem insultabat iudicibus dicens: *Saluator noster, & Dominus Iesus Christus pro nobis pependit in ligno affixus clauis: Nos ergo eius famuli pendentes in stipite crucis signaculum adepti, glorioſi martyres efficimur.* At illi: Non in ista arbore moriemini sicut vos velle dicitis, sed in igne vltore peribitis. Tunc præparatis lignis, & cæteris fomentis copiosus ignis accenditur, ligatisque manibus, & pedibus in eo præcipitantur.

Affuit Christus Saluator in medio, & diruptis vinculis sancti gloriabantur in igne, nullumque ex eis incendia contingebant. Videbant impij sanctos inter flammas exultare ter geminos, & perseuerare illæsos, quos putauerant tanto incendio subito videre consumptos & tristabantur confusi. Sancti in igne ambulabant, & tandem consumptis ignium incrementis ac deficientibus flammis, in medio stantes, persecutorum malitias irridebant. Sed vt maior non fieret desiderantibus mora martyrij, & vt coronas præparatas acciperent, videntes choros Angelorum ad se excipiendos stantes paratos, flexis genibus in oratione prostrati, spiritum simul emittentes pariter ad cælos migrauerunt.

Videns autem mulier quædam Iouilla tam preciosam eorũ consummationem, spreto maritali consortio, paruuli, & vnici filij dulcem relinquens amplexum, inter incredulitatis turbas adhuc in persecutionis ardore commotas veloci cursu properans exclamauit, dicens: *Et ego Christi ancilla sum, & Christum verum Deum pronuncio, & Idola vestra omnino despicio.* His dictis, mox comprehensa, & à capillis suspensa, multisque afflicta supplicijs cum Christum negare coacta, nullatenus voluisset; vna cum beata Leonilla ad locum martyrij deducta, pariter gladio necatæ sunt.

Acta sunt hæc sub * Aureliano 16. Kal. Febr. Inuentio autem sanctorum corporum ter geminorum, vel Dedicatio Basilicæ eorum 14. Kal. Octobris.

De Sancto Benigno presbytero.

CAP. CXI.

EX gestis eius. * Aurelianus imperator Diuionem ingressus, ad videndos nouos muros ibi constructos iussit templum ædificari Mercurio, & ne paterentur vllum Christianæ legis professorem in locis illis residere. Quod audiens Terentius Comes ait: Quid sit Christianus, nescimus, sed vidi quendam peregrinum caput habere tonsum, cuius habitus, & vita differt à nobis. Deorum ceremonias refutat, populum nostrum aqua abluit, & balsamo linit, & signa multa in populo facit: Post mortem aliam vitam in Deo suo credentibus promittit. Audiens hoc * Aurelianus ait: Quantum audio, Christianum hunc esse, hic habitus designat. Inquirite eum, & ligatum in conspectu meo adducite, quia dijs nostris ista conuersatio non placet, sed cum eis illius crucifixi signum ostenditur, statim tabescunt, & fremunt dentibus, nec illius signum intueri patiuntur.

Quæsitus ergo sanctus Benignus presbyter, & in villa, cui nomen Spaniaco vbi verbum Dei gentibus prædicabat, inuentus, vinctus ac cæsus, in conspectu Imperatoris est exhibitus. Qui ait illi: Ex qua regione es *ô Cruciola*, & quod nomen est tibi? Ille respondit: Ab oriente venimus ego, & fratres mei, quos tu iam occidisti, à sancto Polycarpo missi, vt verbum Dei gentibus prædicemus. * Aurelianus ait: Si sermonibus meis præbeas famulatum, magnum Sacerdotem deorum meorum te constituo, & primum in palatio meo te esse iubeo. Ille respondit: Lupe rapax Primatum Sacerdotij à te non accipio, quia tibi manet æterna, & pessima damnatio. Nec me mutabis à Christo cui ego seruio. Audiens hæc * Aurelianus, neruis durissimis eum cædi præcepit, & nisi sacrificaret diuersis pœnis affligi. Qui ad Trochleas extensus, cum cæderetur, gratias agebat Christo, & orabat: sed cum fuisset cæsus & carceri iterum mancipatus: Angelo eum confortante ita pristinæ sanitati redditus est, quasi nec vnam plagam accepisset.

De Passione eiusdem.

CAP. CXII.

ALtera quoque die præsentatus Dijs, sacrificare renuens, cultumque eorum irridens, iussus est à Cæsare ad fanum quoddam adduci, carnesque de sacrificijs in os illius vt manducaret, vel inuitus mitti. Quod cum fieret, ille facto contra illas. carnes signo crucis, corde sursum suspenso, & oculis in cælum eleuatis, orauit: & statim omnia idola ignea, & lapidea, & vasa, quibus sacrificia offerebantur, sicut fumus euanuerunt. Tunc sanctus gaudio repletus, gratias egit; & Tyranno de cultu Deorum, qui ante signum salutis euanuerant, insultare cæpit. At ille ait: Agnosce Benigne, quia Dij nostri tuam cupiunt facere voluntatem, si tu ascensum præbere velis, magnum te in conspectu nostro videbis. Qui respondit: Stultum habes cor, nec oculos videns quanta virtus Christi sit, quæ idola tua comminuit.

Tunc iniquus Cæsar iussit eum in carcere recludi dicens: Exhibete saxum magnum, & transforatum, in quo pedes eius supplumbetis, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum configite; per sex ante dies illi nullus nec aquam præbeat, & includite cum eo canes ferocissimos esurientes, & sitientes, vt ab eis diripiatur. Qua iussione impleta, cum includeretur sanctus monebat comites, & tribunos, vt crederent in Iesum. In carcere autem per sex dies orationi vacans Angelum Dei confortantem habuit. Canes quoque mitigati nec capitium capitis eius, nec fimbriam vestimenti eius contigerunt. Sed, & Angelus Domini alimentum ei, id est panem cœlestem præbuit, discussis subulis de manu eius, & plumbo de pedibus. Sexta autem die aperta custodia inuenerunt eum ita illæsum penitus, vt nec vna plaga in corpore illius appareret. Quod audiens * Aurelianus iussit veste ferreo collum eius in ipso carcere contundi, & lancea militis vitam eius crudeliter finiri. Quo facto Columba niuea de ipso carcere à Christianis ascendisse visa est vsque in nubibus; & sic præciosa anima qualiter ascendit in cælos, fuit ostensa. Tantusque odor suauitatis in eos effulsit, vt æstimarent se in paradisi odoribus collocari.

Acta sunt hęc circa sanctum Benignum presbyterum Kalen. Nouembris.

* *Quartus corrigit Baronius vbi supra.*
Quartus enim consularis temp. M. Aurelij in vrbe clauuit.
* *Vide egregiam S. Meleusippi virtutem.*
* *Quartus Leonilla suos confirmat nepotes.*
Crudelissime S. Martyres cruciantur.
Inde in ignẽ iactantur, sed manent illæsi.
Ambulabãt in igne.
Sancti martyres ad cælos migrant.
Iouilla egregia fortitudo & martyriũ.
* *Aurelio.*
* *Aurelius vt corrigit Bar. & merito, qui enim fieri potuit vt discipulus Polycarpi peruenerit vsque ad tẽpora Aureliani?*
* *Aurelius Ecce quam olim etiam Ethnici nouerunt crucis signum formidare dæmones.*
* *Aurelius. Sanctus Benignus contemnit tyranni promissa.*
* *Aurelius Caditur neruis.*
Nota vim signi crucis.
Truditur in carcerem.
Vide diræ supplicia.
Angelus in carcere eum tuetur & cibũ ei præbet.
* *Aurelius.*
Migrat ad dominum acta hæc cõueniunt cum ijs quæ adferuntur à Surio.

Passio sancti Prisci, & Felicis Presbyteri cum socijs suis.

Cap. CXIII.

Ex gestis eorum. Præterea cum Aurelianus Senonis moraretur, Alexandrum Seneſcallum ſuum vbique transmiſit, vt ſi quos Chriſtianos inueniret, omnes vi ſacrificare, aut mori compelleret. Qui multa loca plauſtrans peruenit ad locum, qui * Tociacus appellatur, & ibi reperit ſanctum Priſcum cum multis Chriſtianis pſallentem. Quos, vt Chriſtianos cognouit, ſanctum Priſcum præ ceteris reſpondentem decollari, & in puteum præcipitari præcepit. Dumque cæteri ſimiliter cæderentur, vnus eorum caput ſancti Priſci rapiens, dum per ſiluam diffugeret à ſubſequentibus non longe ab Antiſiodoro decollatus, ibidem cum capite ſancti Priſci eſt ſepultus. Cæterorum vero martyrum corpora Chriſtiani furtim tollentes, in quadam cyſterna ſepelierunt.

Latuit autem ibi caput ſancti Priſci pluſquam 150. annis ſcilicet vſque ad tempus ſancti Germani Antiſiodorenſis epiſcopi. Cum enim Deus oſtendiſſet ei locum, vbi illi ſancti fuerant decollati, ipſe locum conſecrans, Monachorum monaſterium ibi conſtruxit, quod vſque ad tempora Vuandalorum durauit. Caput autem ſancti Priſci detulit ad alium locum, qui differt quatuor ab vrbe miliaribus, videlicet ad caſtrum eiuſdem ſancti Priſci nomine nuncupatum.

Author. Sub Aureliano quoque paſſi leguntur ſancti, Felix Preſbyter, & Fortunatus, & Achilleus Diaconus, quos miſerat Irenæus Lugdunenſis epiſcopus, & vrbis martyr, ad vrbem Valentiam ſeminario prædicationis imbuendam. Cum ergo maximam partem ſupradictæ vrbis ad fidem Chriſti conuertiſſent, à duce Cornelio in carcerem truſi ſunt. Deinde diutiſſime verberati, cruribuſque confractis circa rotarum vertiginem aſtricti, fumum quoque in equulei ſuſpenſione perpeſſi, tandem gladio conſummati ſunt.

Passio sancti Andochij cum socijs suis.

Cap. CXIIII.

Sub eodem Imperatore paſſus eſt Andochius cum ſocijs ſuis. Nam cum Aurelianus Senonis veniens, Chriſtianos præcepiſſet inquiri, vt aut idolis immolarent, aut diuerſis ſupplicijs interirent, ſancti Andochius, & Thyrſus ad locum intrepide venientes, cunctos prædicatione ſua conabantur ad fidei ſalutem perducere. Quidam autem negociator in loco, qui Sedelocus dicebatur reſidens, Felix nomine, Chriſtianus fide, cuius negotiatio quotidie erogabatur in pauperes, eos in ſuo ſuſcepit hoſpitio. Ibi ergo fixis Imperatoris tentorijs, quidam oſtiarius Cæſaris nunciauit ei, quod Chriſtiani in domo Felicis reſiderent. Quod audiens ille iuſſit eos adduci. Qui cum ducerentur, felix conuerſus ad eos deprecabatur dicens: Ne patiamini me ſeparari à gloria remunerationis veſtræ, ſed orationibus adiutum pariter me ad precioſam martyrij veſtri coronam ducite. Et facta oratione intrepide, pergentes, ligatis poſt tergum manibus, ducti ſunt in conſpectu nequiſſimi Cæſaris. Tunc Andochius, & Thyrſus, & Felix Chriſtum firmiſſime confitentes, inuerſis manibus ſuſpenduntur, & ſaxis eorum pedibus ligatis, ſequenti die Imperatori incolumes præſentantur, accenſoque igne in eum pariter ligati mittuntur, ſed ſtatim combuſtis vinculis, & extincto igne imbribus, illæſi Imperatori aſſiſtunt, & Chriſtum ibi amplius confitentes, vſque ad mortem colla vectibus feriuntur. Quod audiens Faſtus cum Symphoriano filio ſuo, corpora eorum collegit, & honorifice ſepeliuit.

Passio Sancti Symphoriani, & eius miracula.

Cap. CXV.

Ex geſtis eius. Sanctus Symphorianus precibus patris ſui Fauſti nobiliſſimi viri, cum adhuc eſſet triennis à Sancto Benigno martyre baptizatur, & à Sancto Andochio, de ſacro fonte leuatus, tanta ex tunc ſanctitate pollebat, quod ſeniorum vitam anticipans in cœleſti conuerſatione, & diuinæ legis ſtudio permanebat. Cum ergo Aurelianus à Senonis Diuionem properaret, conſularem Heraclium, Auguſtodunum direxit, vt ſicut vbique faciebant, ita, & ibi omnes Chriſtianos, aut ſacrificare, aut mori compelleret. Cum ergo tunc Pagani feſtum Veneris mira inſania celebrarent, & ſtatuam eius in curru coram Heraclio deportarent, Symphorianus affuit, & nollens eum adorare diu cæditur, & carceri mancipatur. Et cum eductus de carcere Heraclio, diebus ſingulis offerretur, & ad ſacrificandum nullatenus moueretur, dixit: Si periculoſum eſt, non quotidie ad profectum animæ aliquid addere, quanto periculoſius eſt à ſalute diſcedere? Vitam, quam Chriſto reddituri ſumus ex debito, ſoluamus ei ex voto. Sera pœnitudo eſt, ſub Iudicis timuiſſe conſpectu. Munera veſtra fucati mellis permixta dulcedine, male credulis mentibus venena parturiunt, cupiditas, veſtra omnia habendo, nil poſſidet, quia Diabolicis artibus obligata, miſeri lucri compedibus detinetur, & gaudia temporum veſtrorum in ſimilitudine vitri cum cæperint ſplendere, franguntur. Tunc Iudex ira ſuccenſus, data ſententia, miniſtro iuſſit, vt Symphorianum Deos, & Principes blaſphemantem occideret, ſicque Deorum, & legum iniuriam vindicaret: cum ergo duceretur ad locum, & venerabilis mater ſua eum de muro hortaretur, ne timeret, mox gladio decollatus, à Chriſtianis ſublatus, & alibi eſt ſepultus. Vbi tot miracula videbantur fieri, vt etiam Paganis mirantibus in honore maximo haberetur.

Teſtatur autem *Gregorius Turonenſis* quod de loco, vbi ſanguis eius effuſus eſt, quidam Chriſtianus tres lapillos cum ipſo ſanguine leuauit, & in capſa argentea incluſos, in Eccleſia ligneis tabulis conſtructa, apud Ligernum caſtrum Aruerniæ in altari collocauit. Tempore autem illo quo Theodoricus Rex Francorum illam regionem euertit, hoc caſtrum incendio concremauit; cumque flamma Eccleſiam illam pœnitus conſumpſiſſet, & populus aſtans incendio, reliquias ſancti Symphoriani plangeret, conſumptis flammis, & diſperſis cineribus capſa illa argentea de loco illæſa attollitur, & mirantibus cunctis nihil diminutum de ſacris pignoribus reperitur.

De Sancto Mammante puero.

Cap CXVI.

EA tempeſtate erat in Cæſaria Cappadociæ puer ſeptem annorum Mammas nomine, qui mortuis parentibus, cum iuſte, & pie viueret Aureliani decretum de cultu idolorum abhorrens, in montem cuius ſilua denſiſſima erat ſeceſſit. Ibique viuebat orationi, & lectioni vacans, & de lacte tantum gregis ſui paſcens. Audita autem voce de cœlo, vt in campum deſcenderet, deſcendit, ibique virgam, & Euangelium inuenit. Quibus ſumptis in montem aſcendit. Legente autem eo librum, quem inuenerat in campo, conuenerunt illuc diuerſa ferarum genera, quæ proſtratæ eum adorabant, & poſt flexa genua ſurſum ad eum reſpiciebant. Tandem egreſſis feris maſculinis, remanebant ibi fœminæ cum gregibus manſuetis, vberibus lacte plenis. Quas vir ſanctus cum grege ſuo mulgens, & coagulans, & caſeos faciens, cum ſi-

bi

** Petrus de Natalibus hunc locum vocat Tornacii, in alijs conueniunt hæc acta cũ Petro lib. 5. c. 50. Sed plura inuenies in Breuiario Antiſiodorenſi.*

Lege Surium tom. 2.

Concordant hæc acta cũ ijs quæ extãt apud Petrũ de Natalib. lib. 8. c. 116.

Inuicta conſtantia Felicis qui martyrium ardẽti deſiderio expectabat.

Feruntur horum acta eſſe conſcripta à Fauſto & Symphoriano.

Conueniunt hæc acta cũ ijs quæ Surius refert.

Offertur iudici pro tribunali Sedenti S. Symphorianus.

Præclarum ſancti Symphoriani reſponſum.

Contemnit oblatos honores.

Mater eius illum confirmat. Capite truncatur.

Greg. Turon. c. 77. de gloria confeſſorum & lib. 2. c. 15. huius meminit.

Vita huius Sancti copioſius extat apud Surium.

Seceſſit in montẽ ibique orationibus vacauit. Fit hic alius Moyſes, & ad hunc & vox & virga ab alto deſcẽdit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bi abundare vidiſſet, quęrens à Domino, quid de fructu ſibi dato faceret, reſponſum accepit, vt ad portum Cæſareæ deſcenderet, & pauperibus diſtribueret. Hæc videntes quidam, Præſidi Alexandro nuntiauerunt, quod ibi magus eſſet, qui omnes feras ſiluarum maleficaret. Túnc Iudex equites duos miſit ad eum: Quibus ille obuius, in habitaculum ſuum eos duxit, eiſque caſeum, & aquam appoſuit. Quibus manducantibus facta eſt congregatio animalium, ſedente eo, & legente Euangelium. Quod videntes illi confugerunt ad eum, confortati autem à viro ſancto, ne timerent, profectique, viſa Præſidi retulerunt.

Excipit ſuos hoſtes hoſpitio S. Mammas.

De Agone eius & paſſione.

Cap. CXVII.

Præclarum eius reſponſū.

PVer autem ſanctus eos ſponte ſecutus coram Præſide Magum ſe eſſe negans, & Chriſtianum profitens, cum Idolorum cultum omnino reſpueret, iuſſus eſt ab eo ſuſpendi, & torqueri: Cumque gratias agens in cœlum interideret, audita eſt vox de cœlo ad eum: Confortare Mammas, & viriliter age. Tunc Præſes iuſſit eum deponi, & in carcerem recludi, vbi pluſquam 40. homines incluſos inuenit. Quibus apud eum conquerentibus, quod fame morerentur, Columba cælitus miſſa portans lac, & mel per feneſtram intrauit, accipienſque Mammas, ſimul cum eis manducauit, & ſaturati ſunt, mediaque nocte apertum eſt oſtium carceris, & exierunt. Poſt hæc Mammas Præſidi præſentatus, in caminum ignis mitti iuſſus eſt. Quo, *munito ſigno Crucis*, intrante, flamma ſtatim eſt extincta. Iuſſit iterum Præſes ignem accendi, ſed Columba deſcendit, & ignem diſperſit. Aperientes autem Milites caminum, viderunt cum eo ſtantem quaſi militiam; & multitudinem Angelorum. Qui vocatus, & egreſſus, iuſſus eſt in Amphitheatro beſtijs ſęuiſſimis exponi ſcilicet Vrſo, & Pardo, & Leoni. At Vrſus adorauit, Pardus collum eius eſt amplexata; Leo pedes eius lambuit. Verum antequam dimitteretur Leo, miniſtris præ timore moram facientibus, alius Leo diuinitus, è monte deſcendit, & per ciuitatem rugiens nullum læſit, ſed feſtinans ad Amphitheatrum intrauit, & reſpiciens ſanctum martyrem dixit: O natura hominis Spirituſancto cooperta, ecce tui cauſa cogor ab Angelis contra naturam loqui. Hæc eo dicente, Amphitheatri oſtia clauſa ſunt ab Angelis, vt nullus exinde poſſet exire. Et aſcendens leo multitudinem Paganorum, & Iudæorum laniauit; ſoluſque Præſes illæſus cum officio ſuo remanſit, iubente Spirituſancto ne eum læderet. Tandem ſanctus martyr lapidatus, cum iam lapidibus eſſet coopertus, & tunc etiam maneret illæſus, ab Angelo de cœlo vocatus, emiſit Spiritum. Huius natale celebratus 16. Calend. Septembris.

Fera illum reuerentur.

Nota rem miram. Vitam huius Sancti ſcripſit & walafrid. Strabo carmine quā inueniet lector in tom. 6. antiquarū lectionum Caniſij, extat & hac vita in Bibliotheca Floriacenſi.

Paſſio Sancti Pueri Agapiti.

Cap. CXVIII.

Prunis ardentibus caput eius exuritur.

EX *geſtis eius.* Paſſus eſt tunc Romæ Sanctus Puer Agapitus, ſub Præſide Antiocho, qui primo quidem iuſſit eum per quatuor dies abſque cibo, vel potu, in carcere recludi: deinde prunas ardentes ſuper caput eius imponi, & poſt hoc fumum teterrimum fieri, ipſumque martyrem nudum, capite deorſum ſuſpendi, ſicque dimitti ſolum, donec corpus eius nuntiaretur a feris, & auibus deuoratum. * Attalus autem cornicularius, qui ei prius in carcere ſuaſerat, vt à ſtultitia ſua recederet, ne in tormentis deficiens, florem iuuentutis amitteret, poſt quatuor dies iuit, vbi ſuſpenſus fuerat, cupiens dicere Præſidi, ſi adhuc viueret, & inuenit eum ſuper fumum in veſte candida deambulantem, & pſallentem? *Non moriar, ſed viuam, &c.* Angelus enim Domini eam ſoluerat, & omnino à plagis ſuis ſanauerat. Ad hæc Attalus ſtupens nunciauit Præſidi dicens; *credo*, quod *magnus eſt Deus Chriſtianorum*: nec eſt alius præter eum, cui cum præſes diceret eum ſeductum, ſeque hoc nunciaturum Imperatoribus, reſpondit ſe libentiſſime cum Agapito ſubire pœnam martyrij. Præſes autem Puerum Agapitum præcepit expoliari, & aquam bullientem in ventrem eius mitti, ſed illo magis eam frigidam ſentiente, & verba fidei coram Præſide proponente, ipſumque arguente, Præſes de tribunali cecidit, & militibus ait, currite, ſubuenite mihi, totus enim ardeo, & quod iniuſte feci, *de Puero magni, & æterni Dei Agapito*, iuſte recipio. Cumque hoc dixiſſet impius expirauit. Quod audiens Aurelianus iuſſit eum exponi Leonibus. Miniſtri ergo ducentes eum in vrbem Præneſtinam, in Amphitheatro Leonibus proiecerunt. Qui mox depoſita feritate proſtrati, eius pedes linxerunt. Tunc populo circunſtante, & Deum glorificante, miniſtri eum rapuerunt, & non longe ab vrbe ductum gladio percuſſerunt 15. Calend. Septembris.

Aſias Anaſtaſius.

De cæteris, ſub Aureliano paſſis.

Cap. CXIX.

Lege acta S. Alexandri Papa quæ extant ex antiquis monumentis apud Surium.

AVthor. Præter hos autem paſſi ſunt, & plures alij ſub Aureliano, de quibus ita legitur in Martyrologio, IIII. Idus Aprilis, Romæ Natale plurimorum martyrum, quos Sanctus Alexander Papa baptizauit, cum in carcere teneretur. Hos omnes Aurelianus Princeps, naui vetuſta impoſitos in altum mare deduci, & illic ligatis ad colla pedibus mergi fecit. Hæc tamen magis referenda videntur, non ad hunc Aurelianum Imperatorem, ſed ad Aurelianum conſularem, ſub quo, & ipſe Alexander Papa martyrizatus eſt.

Horum paſſionis acta pauca refert Petrus in cathalog. lib. 5. cap. 62.

Item 4. Calendas Iunij apud Iconium ciuitatem Iſauriæ, ſub Aureliano Imperatore paſſio ſancti Cononis martyris, & filij eius: qui primum ignito ferro ſuperpoſiti, deinde craticula ſuppoſitis prunis, & oleo ſuperinfuſo, conſtanter ſuperauerunt: poſtea vero tam frixorij, quam ſuſpenſionis in equuleo, ac ignis pœnas paſſi, malleo ad extremum ligneo manibus eorum contritis, in laudem omnipotentis Dei ſpiritum emiſerunt.

Huius & ſociorū meminit Vſuardus & Petrus l. 5. c. 73. Horum acta ex antiquis codicibus edidit Surius tom. 4.

Item Calend. Iunij Auguſtoduni ſanctorum Reueriani epiſcopi, & Pauli Presbyteri cum alijs decem, qui ſub Aureliano Principe martyrio coronati ſunt.

Item quinto nonas Iulij, ciuitate Cluſiana Sanctorum Martyrum Irenæi diaconi, & Muſtiolæ nobiliſſimæ matronæ, qui paſſi ſunt ſub Aureliano Principe.

Huius res geſta extant in actis S. Stephani Papa & martyris.

Item pridie nonas Auguſti, Romæ via Latina, paſſio Sancti Tertulliani Martyris, qui ſub Aureliano Imperatore, poſt impiam fuſtium mactationem & ignium circa latera aduſtionem, ac oris conquaſſationem, & equulei extenſionem neruorumque cœſionem, data ſententia, capitis amputatione martyrium conſummauit.

Item ſexto Idus Decembris Romæ Natali Beati Euthychiani Papæ, qui rexit Eccleſiam anno vno, & & ſub * Aureliano Martyrio coronatus, ſepultus eſt, in cœmeterio Calixti: Qui, & ipſe per diuerſa loca trecentos, & quadraginta duos martyres ſepeliuit.

** Baron. dicit ſub Numeriano.*

*Eutychianus in Pontificatu ſedebat annis 9 iuxta Baron. * Sub Adriano Imperatore ait Martyr. Rom.*

Item tertio Kalendas Aprilis Romæ via Apia paſſio Sancti Quirini Tribuni & martyris, qui ſub * Aurelio Imperatore, poſt linguæ abſciſionem, & equulei ſuſpenſionem, manuum, ac pedum detruncationem. Agonem martyrij gladio conſummauit.

Item Calendis Aprilis Romæ paſſio Theodoræ bea-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

beatissimæ sororis illustrissimi martyris Hermetis. Hæc sub * Aureliano Principe martyrizata, sepulta est iuxta fratrem suum via Salaria non longe ab vrbe Roma. Hoc quoque magis intelligendum videtur de Aureliano Consulari. Nam & Beatus Hermes frater huius Theodoræ per Beatum Alexandrum conuersus est, qui passus est quinto Calendas Septembris.

* *Non sub Aureliano Principe, sed sub Aureliano Iudice ait mart. Rom*

Item quarto Idus Iunij, Romæ via Aurelia, natale Sanctorum Basilidis, Tripudis, & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, Præside Platone, & aliorum viginti martyrum.

Eorum acta recitat Möbr. tom. primo.

De Imperio, Taciti, Floriani, Probi, Cari, Carini, Numeriani.

Cap. CXX.

Vsebius in chronicis. Porro Aurelianus, cum aduersum nos persecutionem mouisset, fulmen iuxta eum comitesque eius ruit, ac non multo post inter Constantinopolim, & Heracleam in * Canophrurio viæ veteris occisus est.

* *Castrum nouum Latine vertas. Tacitus Imp an. Ch 279 M. 5132.*

Post quem Romanorum trigesimus, regnauit Tacitus mensibus sex quo apud Pontum occiso, obtinuit Florianus Imperium diebus 89. Hoc quoque apud Tarsum interfecto Romanorum 31. Regnauit Probus annis sex, & mensibus tribus; cæpit autem anno Domini 279. mundi vero 5132.

Hugo vbi supra. Hac tempestate fuit quidam Manes, genere Perses, acer ingenio, vita vero, vel moribus Barbarus, qui secundum nomen suum insaniens, se Paralyticum nominabat. Ab hoc diffusa est hæresis Manicheorum per orbem vniuersum; hic asserebat duo esse principia, vnum boni, & alterum mali, vnum lucis, & alterum tenebrarum, cum omnis creatura bona sit per naturam, sed dum fuerit vitiata, fit mala. Porro Probus Imperator apud Sirmium militari tumultu necatus est.

Manetis dogma à quo & Manichæi ortum ducũt lege Bar. an. 277. & sequentibus.

Carus Imperator an Ch. 285. M. 5138

Carus igitur Narbonensis anno ab Incarnatione Domini 285. sed ab initio mundi 5138. Imperauit annis duobus; hic cum filios suos Carinum, & Numerianum consortes regni fecisset, ad bellum Parthicum profectus, in castris fulmine ictus interijt.

Passio Sancti Mauri Monachi, & quorundam aliorum.

Cap. CXXI.

Ex gestis eorum. Sub Numeriano imperatore, & Celerino, vrbis Romæ Præfecto, passus est Sanctus Maurus, cuius passio recolitur decimo Calendas Decembris. Nam cum in Africa esset iste vir, à parentibus Christianis, progenitus, multam substantiam habens, orationibus, & eleemosynis iugiter insistens, nutu Dei inspiratus, monasterium ingressus, sic à fratribus amabatur, vt omnes eum quasi patrem venerarentur. Cumque decimumoctauum annum agens, monachi vitam complesset, Romam venit, vt Sancti Petri corpus visitaret. Vbi audiens vocem rabidam Celerini Præfecti Christianos persequentis, de vrbe se subtraxit, & in quadam spelunca latuit. Cumque illic tribus mensibus moraretur, media nocte post orationem soporatus est, & vidit virum splendidissimum virgam ferentem quasi auream in manu sua dicentem sibi: Surge Maure, quia non te despexit Deus quem diligis toto corde, & vrbem sine mora ingredere. Quod cum fecisset, & Christianus peregrinus esse, deprehensus fuisset, ad Celerinum Præfectum ductus est: à quo interrogatus, cum sacrificare nollet, sed Idola vana, & fragilia diceret, iratus ille vehementer, iussit eum in equuleo suspendi, & vngulis radi, lateribus quoque eius lampades ardentes applicari, & tandem capitalem subire sententiam.

Agit de eo Petrus in catal l. 10. c. 93.

S. Maurus pro Christi nomine tormenta plurima passus est.

Author. Sub eodem quoque passi sunt, & plures alij de quibus sic in martyrologio legitur.

Quinto Calendas Martij, apud Ægyptum Natale Sancti Victorini, Victoris, Nicephori, Claudiani, Dioscori, Serapionis, & Papiæ, sub Numeriano imperatore: quorum primus, secundus, & tertius pro confessione deitatis constanter exquisita suppliciorum genera tolerantes capite plectuntur, reliqui scilicet Claudianus, & Dioscorus flammis incensi; Serapion, & Papias gladio cæsi sunt: omnes itaque celebre martyrium dedicauerunt.

Sub eodem passus legitur Sanctus Babillus episcopus apud Antiochiam cum tribus pueris nono Calendas Februarii; sed de hoc videtur esse controuersia inter historias. Nam in gestis eius, vt dictum est, legitur iste vocatus Babillus, & passus fuisse sub Numeriano cum tribus pueris. In martyrologio autem legitur Babylas appellatus, & cum tribus paruulis, sub Decio fuisse passus. Hieronymus quoque in libro de illustribus viris, dicit Babylam Antiochenum episcopum sub Decio fuisse passum. Vtrum ergo Babylas ille sit iste Babyllus, scriptores viderint. Nos autem, quæ de Sancti Babilli passione legimus, hic breuiter subiecimus.

Lege Baron. in notis Mar. qui satis elarem hanc videtur explicare.

De Sancto Babillo, cum tribus pueris.

Cap. CXXII.

Ex gestis eius. Igitur * Numerianus cum apud Antiochiam immolasset Dæmonijs, & voluisset ingredi Ecclesiam Domini, prohibuit eum Babylus episcopus obuias manus opponens ei. Altero vero die sedens Numerianus in Consistorio præcepit episcopum sibi offerri. Cui, & ait: Quid mihi hoc fecisti? nescis, quia Rex est, qui tibi loquebatur. Respondit episcopus: Me seruum suum humilem placuit Deo, vt constitueret pastorem plebis suæ, Ideo cum vidi te lupum venientem ad oues eius: timens ne aliquam perderem, prohibui te ab ingressu ouilis. Ad quæ * Numerianus: Ergo tibi lupus visus sum, & non Rex? Respondit Episcopus. Secundum indulgentiam Dei Rex es propter peccata nostra vt vel sic reuerberati, reuertamur ad ipsum. At ille: Quis est Deus, quem colis? Respondit episcopus: *Virtus, & sapientia, & verbum patris.* Ad hæc * Numerianus: Quid ergo est homo? Respondit episcopus. Constantia vitæ, fruitio eorum quæ facta sunt à Domino.

* *Decius legit Baron.*

* *Decius.*

* *Decius.*

Tunc iussit * Numerianus, vt imponeretur collo eius torques ferrea, & compedibus pedes eius stringerentur. Et ait: Per Deos decet te torques talis. Et dicit sanctus: Tu quidem irridens dicis, sed per filium Dei plus me decent ista, quam te diadema. Vis autem scire, quam magna est doctrina nostra habeo sub me tres paruulos, quos præstante Dei gratia erudiui: iube illos ad te adduci; & videbis sapientiam eorum, & constantiam, quæ est in Deo. & adducti sunt paruuli, episcopus autem iussus est foris teneri. Interrogauit ergo Rex infantes, si Matrem haberent. Responderunt: Ita, sed supra Matrem, habemus eum, qui nos docuit Dominum, & Magistrum, & Patrem: Tunc iussa est adesse Mater eorum. Quæ cum intrasset, interrogauit eam Rex: Quod tibi nomen est? Ait: Theodula. Sunt isti filij tui? Sunt, ego quidem eos genui, sed Deo obtuli per pastorem bonum, & Dominum meum Babyllum episcopum, qui erudiuit eos in doctrina Dei. Tunc eam iussit Rex exalapari. Quod videntes pueri, vno ore clamauerunt: Tyranne noli cœdere Matrem nostram sine causa: honesta enim mulier est, & vera dixit. Iratus Rex iussit eos leuari in catehmo, & priori dari plagas duodecim,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

secundo nouem, tertio septem. Tunc pueri leuantes vocem dixerunt: *Benedictus es Domine Deus, quoniam secundum magisterium Patris nostri Babilli, propter Christum hæc patimur.* Et exclamauit Theodula. *Magnus es Domine Deus, quoniam filij mei singuli secundum numerum annorum suorum cæsi sunt*

ANNOTATIO.

Nicephorus, Callistus, & Metaphrastes aiunt hūc sanctum passum fuisse sub Numeriano, sed certi arguuntur erroris, ait Baron. dum constat temporibus Numeriani nullum eius nominis Antiochena Ecclesia præfuisse episcopum, prout apparet ex successione Antiochenorum episcoporum quam Eusebius, & inde Nicephorus Constantinopolitanus episcopus texuit, ex quibus & hi errare conuincuntur qui eiusdem ciuitatis duos Babylas excogitarunt. Sed vt verum fatear non est hic recens quæstio, Suidas enim plane testatur diuersas de Babyla fuisse sententias, dicentibus alijs, eum sub Decio, alijs vero passum sub Numeriano: ad quas conciliandas duos Babylas à præditis esse excogitatos.

De Passione eorundem sanctorum.

CAP. CXXIII.

TVnc iussa est Mater foris stare, & introductus est Sanctus episcopus. Cui ait rex: Magister insipientium, & eruditorum paruulorum, inuenta est falsa promissio tua. Nam pueri mihi conuersi sunt, & consenserunt sacrificare. Ad hæc Babyllus: Recte mentitus es in caput tuum, non consenserunt: magister quidem sum sapientium, & infantium, sed non insipientium, quod estis vos. Ego minas tuas non timeo, paratus sum omnia sustinere pro Christo. *Nam animæ iustorum, & confessorum in manu Dei sunt, & non tanget illos malum.* Tunc Rex iurauit dicens: Per Asclepium male te perdam. Ait illi Babyllus; Dignus es derisu. Nā si cæteri Dij tui audierunt, quod solum Asclepium nominasti, irascentur. Respondit Rex: Et si audierit Christus tuus, quod eum solum Deum nominasti, quid faciet? Ait: Quamuis indignus sis audire, tamen propter circunstantes dicam; quando Christiani filium nominant confitentur, & patrem, & econuerso. *Quod Patrem in Filio & filius in Patre, & Spiritussanctus in vtroque est.* Tunc iussit Rex Babyllum cum infantibus suspendi: & cum fuissent suspensi, dixit Sanctus: *Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus.* Pondus autem torquis ferreæ, quæ erat in collo eius, caput eius deprimebat. Et iussit eum Rex amplius vexari. Turba vero quæ erat circunstans, quasi miserans eum dicebat; Consule ætati tuæ, & sacrifica, vt careas tormentis. Tunc Sanctus ait: Non tam lugeo insensatum Regem istum, quantum vos, qui ei consentitis: ego tormentorum nihil sentio: patitur enim in me Christus. Infantes autem suspensi clamabant dicentes: Tyranne crudelissime, quare bonum pastorem tam crudeliter, & sine causa torques? Sed hoc faciens maiorem apud Deum, & apud homines laudem infers ei: sed per salutem eius, qui Christus est, non effugies manus Dei, sed gehennæ igni traderis. Tunc iussi sunt pueri amplius torqueri: & clamabant: Miserrime non erubescis, quod conuinceris à paruulis coram populo isto: tu magis cruciaris, quam nos: non sentimus tormenta, quia Deus adiuuat. Tunc iussus est Episcopus deponi, & abscondi, vt singulariter eos interrogaret. Et cum infantibus multa promitteret, contempserunt eum, & munera eius. Tunc introductus est episcopus, & dixit ad eum Rex: Hi filij tui sunt? respondit sanctus: Voti mei est, vt mei in omnibus similes sint, exceptis peccatis meis. Tunc iussi sunt omnes; & episcopus, & paruuli pariter decollari: rogauit autem episcopus percussorem, vt infantes ante se decollaret. Et amplexans eos tenensque eos leua, & dextera dixit: *Ecce ego, & infantes quos dedit mihi Deus.* Infantes vero stringētes caput eius, & manus osculātes dicebāt. *Dominе Pater, & Magister noster pariter cōsumemur.* Tunc lætatus Babyllus in fide, & magnanimitate eorum, quæ erat à Spiritusancto, dixit: *Benedictus es Domine, qui vere ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Et osculatus singulos tradidit eos quæstionarijs, vt in eius præsentia percuterentur: quibus percussis semetipsum tradidit, & ablatum est caput eius, & positum cum infantibus.

De certaminibus Babylæ & triū puerorum videlicet Vrbani, Prilidiani, & Epolonij S. Ioānes Chrysostomus sapius agit, Extat eorum vita apud Surium ex pradicto Chrysostomo in oratione contra Gentiles: Huius illustris martyris ossa Gallus Cæsar in Daphnem ad Antiochena suburbia transtulit: sed inde impius Iulianus Apostata tollē dum imperauit vt scientis Apollinis linguā solueret.

De Sancto Chrysantho, & eius tentatione.

CAP. CXXIV.

EX gestis eius. Polemius quoque vir illustrissimus Alexandriæ vrbis primus, Romam cum filio suo veniens à Senatu susceptus, & à Numeriano imperatore illustratus, cathedram in curia suscepit, cuius filius Chrysanthus Philosophorum studijs traditus, cum vniuersa librorum volumina curiosius discuteret, & ad euangelicos apices veniens ibique curiositatis suæ cursum figens ad semetipsum ait: *Tandiu te decuit per librorum tenebras tuarum curarum frena laxare, quamdiu ad lumen veritatis pertingeres. Non est prudentiæ, vt ad tenebras redeam de lumine.* Hoc secum reuoluenti, & quotidie Christi famulos perquirenti; dictū est ei Carpophorum quendam Christianum sanctum, & per omnia eruditum virum, pro persecutione sæuiente in quodam montis speculo collocatum, vix posse à paucissimis, & fidelissimis visitari. Ille referentis genibus aduolutus, etiam cum lachrymis postulabat, vt ad eius notitiam mereretur peruenire. Sicque perueniens ad sanctum Carpophorum quintæ regionis Presbyterum intra paucos menses omnibus literis diuinis imbuitur & ita diligenter instructus est vt post septē dies baptismatis sui, Christum Dei filiū publicè prædicaret. Quo audito pater eius iratus, fecit eū in loco tenebroso, & squalido claudi, ac vespertinis horis aridissimo cibo refici. At ille magis hoc ad exercitationem sibi, quam ad supplicium dicebat inferri. Vnus autem ex audientibus, dixit patri eius: Si filium tuum ab hac vsurpatione conaris eripere, magis eum debes voluptatibus occupare; nam huiusmodi tenebras, & afflictiones Christiani ad gloriam sibi æstimant euenire. Tunc ille filium de illa tetra habitatione auferens vestibus preciosis induit, & ponens eum in triclinio fericis vestibus strato, quinque pulcherrimas virgines accuratissime ornatas cum eo constituit, atque quotidiana eius conuiuia affluentissimis dapibus exhiberi præcepit. Puellis autem minatus est dicens: Nisi eum iocis, & amplexibus vestris ab intentione Christianitatis separaueritis, diuersis faciam vos interire supplicijs. Igitur inter hæc ludibria vir Dei immobilis perdurabat, & delicias quasi stercora contemnens, puellas quasi viperas exhorrebat. Iacebat autem in oratione immobilis, & amplexus earum, & oscula quasi sagittarum ictus scuto fidei excipiens, clamabat: *Exurge Domine in adiutorium mihi, dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Cum autem longam orationem complesset, tam graui somno correptæ sunt virgines, vt nisi de triclinio foras eiectæ fuissent, penitus excitari non possent: euigilabant ergo foris, & capiebant cibum. Statim autem, vt ingressæ fuissent, vbi orabat sanctus, sopore arctabantur. Dixerunt autem patri quidam ex amicis eius: Hic artem didicit magicam à Christianis, & aduersus puellas simpliciſsimas facile præualet incantando: sed si eruditam aliquam ad eum miseris, poterit eum ad tuum arbitrium inclinare.

Chrysanthus cognoscit veru Deum.

a Carpophoro presbytero discit sacras literas & baptizatur.

Truditur in carcerem.

Magna Sathanæ fraus.

Ingens Chrysanthi fortitudo. Psal 34. Nemo continens nisi Dei dono.

Vidit rem miram.

Qualiter Dariam de Numinibus disputando conuertit.

CAP. CXXV.

TVnc virgo Vestalis nomine Daria gemmis, & auro radians, repente ad Chrysanthum ingreditur, & tanta eum sermonis elegantia alloquitur, vt si esset ferro durior, plumbo mollior redderetur. Sed ille medium, inter se, & illam Spiritumsanctum postulans, sic eam affatur: Si mihi mortali tantam pulchritudinem, ac sermonis mellifluī dulcedinem spe connubij temporalis ostendis, alijs iam amoribus occupato, quanto magis amantem te, & desiderantem, immortalem regis filium

Per Dariam tendunt insidias Sancto Chrysantho.

obtinere

obtinere poteris, si animam tuam in corporis integritate custodieris & sicut corpore pulchra es, ita, & mente pulchrior fueris, eruntque tibi laudatores Angeli, Paranymphi Apostoli, Martyres amici, Christus sponsus, qui thalamum tibi in cœlo custodiens, dotem tibi sempiternam tribuet possessionos Paradisi, Ad hæc Daria compuncta respondit: Nulla, mecum, ô iuuenis, cum his vestibus, petulantis animi ad te signa perduxi, sed patris tui lachrymas miserata, cupio te patri tuo reddere, & Deorum culturæ reuocare, quæ nobis eos facit esse custodes. Chrysanthus ait: Quomodo possunt nobis esse custodes, qui nisi custoditi fuerint à canibus, nocte à furibus rapiuntur? Daria respondit: Si vulgus ignobile posset absque his imaginibus Deorum culturam celebrare, nulla esset necessitas similitudinis exhibendæ. Et Chrysanthus: Inquiramus ergo quorum sunt ipsæ imagines, & videamus, si his merito honorem Deorum exhibere debeamus. Deus autem non potest æstimari, nec credi, nisi qui omnem sanctitatem, omnemque supergreditur maiestatem. Quæ ergo bona Saturnus falcifer habuit, qui proprios filios quotiens nascebantur occidit? vt non dicam comedit, sicut scriptores eius scribunt. Quæ bona in Ioue fuisse æstimas, qui quot dies vixit, tot inaudita incesta, tot homicidia perpetrauit? qui omni castitati vsque ad mortem inimicus extitit, vt etiam Ganimedem libidine polluerit, & terram suis sordibus inquinauerit. Hæc, & alia multa eo prosequente, credidit Daria, & quasi simulata voluntate inter se, & Chrysanthum habuit consilium, vt nomen coniugij assumerent, ita, vt ambo in Dei timore, & castitatis gloria perdurarent. Ita baptizata Daria, sancto Chrisantho non corporeo calore est iuncta, sed spiritussancti feruore sociata.

Colloquuntur inter se familiariter.

In imaginibus id speciandum quod refertur.

Iouis flagitia Dij gentium homines fuere sceleratissimi.

Chrysanthus Dariam conuertit ad Christum.

Qualiter accusatus est, & punitus.

Cap. CXXVI.

CVmque per eum multæ virgines relicto sponsalium amore Christo se traderent, & iuuenes relicto carnali commercio se castimonię manciparent, excitata est in vrbe seditio sub Celerino Præfecto, iuuenibus publica interpellatione clamantibus, sponsas nostras per Dariam amittimus, maritos per Chrysanthum amittimus, & iam filios non habemus. Traditur ergo Chrysanthus tribuno Claudio, qui tradidit eum 70. militibus, vt ducentes, extra ciuitatem ad sacrificandum Herculi, diuersis eum pœnis compellerent. Qui crudis eum neruis astrinxerunt, vt illis sensim siccantibus, ad ossa eius vis ligamenti pertingeret, sed statim omnia resoluta sunt, ita, vt non occurrerent oculi videre celeritatem resolutionis eorum. At illi quasi luctantes contra ligaturas, diuerso modo diuersis eum constringebant nodis: sed mox, vt manus ligantes cessassent à vinculo, quicquid ligauerant soluebatur. Tunc irati miserunt eum in cippum nouum, & nodosissimum. Et cum stantes insultarent ei, ita putrefactum est lignum cippi, vt in cinerem conuerteretur. Deinde perfuderunt eum lotio humano dicentes: Modo amittes maleficia tua. Statim vero aqua putridissima in nectareum odorem ita conuersa est, vt putares eum non vrina, sed balsamo perfusum. Item excoriantes vitulum, eodem corio recenti cinxerunt Chrisanthum, & posuerunt ad solem, ac per totam diem in æstu solis flagrantissimo, nulla potuit corium calefactione siccari, sed in eadem viriditate perdurans in nullo potuit violare famulum Dei, Tandem posuerunt in collo eius catenas ferreas, simulque manus eius, & pedes constringentes, clauserunt eum in obscurissimo loco, statimque manuum eius soluta sunt vincula, & tanta infulsit in loco lux, vt viderentur illuc esse lampades multæ fulgentes.

Chrysanthus & Daria accusantur apud Praetorem.

Sanctus Chrysantus durissime ligatus.

Vide genus supplicij.

De conuersione Claudij tribuni, & Hilariæ.

Cap. CXXVII.

NVntiauerunt autem hæc milites Tribuno, qui veniens ad locum vidensque lumen immensum iussit eum ad se egredi. Dixitque ei: Quæ tanta maleficiorum tuorum vis est, vt ista perficias? Qui respondit: Si esset in te, vel scintilla prudentiæ, cognosceres me non maleficiorum argumentis, sed diuinis adiuuari adminiculis. Deosque tuos istos aduerteres, voces ad se clamantium audire non posse: Nihilque intus præter argillam, & plumbum habere. Tunc Tribunus iussit eum fustibus cædi, statim veto, vt allatæ sunt virgæ durissimæ, cœperunt in manibus cædentium quasi pluma mollescere: cumque tenerentur quasi ferreæ essent, ita nodosæ erant, & solidæ. Cum vero percuterent quasi ex papyro essent, ita mollissimæ reddebantur, & lenes.

Tunc Tribunus iussit eum erigi, ac vestimentis suis indui, & conuersus ad milites suos ait: Hæ humanæ artes penitus non sunt, vbi diuinarum virtutum potestas apparuit. Quid superest nisi', vt omnes nos huius genibus aduoluti, veniam sceleris postulantes, rogemus, vt nos quoque talem Deum faciat colere, qui cultores suos in omni pugna faciat vincentes. Cumque ita fecissent audito ab eo verbo Domini baptizati sunt.

Eodem die Claudius, & Hilaria vxor eius, & amici, & 70. milites cum suis, per singulos dies ab ipso eruditionem veritatis audientes, cum omni reuerentia optabant pro Dei nomine etiam aduersa perferre. Hæc cum audisset Imperator Numerianus, iussit Claudium Tribunum ingenti saxo constrictum in medio mari precipitari; cæteris vero tantam gratiam Dominus concessit, vt primus Iason, & Maurius filij Claudij etiam non interrogati Christum se colere dicerent, & pro nominis eius confessione mortem optarent: Quos imitantes omnes vnanimiter inter vnam horam decollati sunt, & à Christianis nocte sepulti in via Salaria. Sancta vero Hilaria duorum filiorum suorum colligens corpora in singulis sarcophagis collocauit, & cum assidue circa sanctorum confessionem oraret Deum, tenta est: Cumque traheretur ait: Obsecro, permittite me prius orationem meam complere, & veniam quocunque loco volueritis. Igitur dum fixisset gradum accepit sacramentum Domini, & cum rogasset Dominum, vt eam filijs suis associaret, orans emisit spiritum, & à duabus ancillis suis sepulta est.

Claudius Tribunus Dei virtute magica ascribit artis.

Virga quibus cæsi incbeuere molescunt.

Claudius Tribunus cũ militibus suis credit in Christum.

Baptizantur omnes.

Occiditur cũ filijs, & permultis alijs Claudius Tribunus.

Hilaria vxor eius reddit spiritum.

De expositione Dariæ in lupanari.

Cap. CXXVIII.

INterea Sanctus Chrysanthus ponitur in carcere Tulliano, vnde putor horribilis ascendebat, quia cloacarum cuniculis digesta, domorum stercora illuc decurrebant, eratque ima, & luctuosa, & tam tenebrosa custodia, vt penitus ibi lucifluus aer, nec vestigium aliquod lucis ostenderet. Illic ergo Chrysanthus ferro vinctus mittitur nudus, Daria vero in publico ponitur contubernio Meretricum. At vero, & Chrysantho lux diuina, & odoramenta sancta præstantur, & Dariæ Leo fugiens de cauea Amphitheatri dirigitur: qui ingressus cellam in qua Daria prostrata in Oratione iacebat, prostrauit se iuxta eam, vt videretur etiam ipse illum adorare, qui præsentiam suam deprecanti virgini exhibebat. Nescientes itaque Leonem intus esse miserunt ad eam quendam virum turpissimum in scelere corruptionem opinatissimum. Qui vt ingressus est insiluit in eum Leo, & prosternens eum sub pedibus suis cæpit ad faciem virginis respicere, quasi interrogans, quid iuberet? Quod illa intelligens, ait: *Adiuro te per filium Dei, pro quo*

Chrysanthus & Daria multa patiuntur.

S. Daria in lupanar detrusa, à leone conseruatur.

Petulantissimus iuuenis mirè conuertitur.

martyrij

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

martyrij paſsiones libenter amplector, ne illum in aliquo lædas; ſed permitte eum ſermonem meum abſque terrore ſuſcipere. Tunc Leo relinquens eum poſuit ſe in ipſo introitu, vt nec ille fugeret, nec alius intrare poſſet. Tunc virgo dixit ad illum: Ecce ferocitas Leonis, audito nomine Chriſti, dat reuerentiam Deo, & tu homo in tantis criminibus exerceris, vt etiam in hoc, in quo miſer lugendus es, glorieris. Tunc ille proſternens ſe ante eam clamauit: Iube me hinc egredi ſanum, vt & ego clamem omnibus *Chriſtum quem colis ſolum eſſe verum Deum.* Tunc illa Leoni iuſſit, vt amoueret ſe ab ingreſſu. Ille autem egreſſus per totam ciuitatem clamabat: *Sciatis omnes Dariam Deam eſſe.* Igitur cum diuerſi venatores, & populi ad Leonem capiendum pergerent, hanc Leoni Deus virtutem conceſſit, vt omnes caperet, & ſine læſione ante pedes S. Dariæ poneret. Quos illa ſic allocuta eſt: Si promittitis vos Chriſto credituros, ſic poteritis abſcedere. Tunc omnes vna voce clamabant: *Qui non credit Chriſtum verum Deum eſſe, viuus hinc non exeat.* Et hæc dicentes, cœperunt omnes egredi clamantes: *Credite populi Romani non eſſe alterum Deum præter Chriſtum.* Tunc Celerinus Præfectus iuſſit ignem copioſum accendi in ingreſſu cellulæ, in qua erat Daria cum Leone. Quod Leo cum fieri videret, cœpit expaueſcere, & rugitum dare. Cui Beata Daria dixit: Noli timere, quia non incenderis, nec capieris, nec interficieris, ſed ſecurus egredere, & vade, quia quem in me honoraſti, ipſe liberat te. Tunc inclinato capite egrediens per medias turbas populorum neminem læſit, nec vllus eum capere potuit: hi autem qui ex ore eius incolumes euaſerunt, omnes baptizati ſunt.

Plurimi conuertuntur à Daria.

Baptizantur per leonem conuerſi

De Paſsione amborum.

Cap. CXXIX.

NVnciata ſunt hæc omnia Numeriano Imperatori, & iuſſit Chryſanthum, & Dariam diuerſis puniri tormentis ſi non conſenſiſſent ſacrificijs. Cumque Chryſanthus imponeretur equuleo, omnia ligna equulei comminuta ſunt, & vincula diſrupta, lampades, quoque, quæ lateribus eius applicandæ erant, extinctæ ſunt. Tunc idem Imperator non virtutibus diuinis, ſed maleficijs hæc imputans, iuſſit eos in via Salaria duci, atque in arenario ſimul ambos deponi, ac viuos lapidibus obrui. Itaque pſalmis, & orationibus inſiſtentes in vnam foueam quaſi in vnum lectulum deponuntur; & facta eſt in paſſione ſocietas ſanguinis, ſicut fuerat mentis.

Chryſanthus & Daria terra & lapidibus obruuntur.

Cum autem multa beneficia Deus venientibus ad eorum ſepulchra præſtaret, accidit, vt die Natalis eorum infinita multitudo populi occurreret, viri mulieres, & infantes. Quod cum Numeriano nunciatum fuiſſet, iuſſit, vt in introitu ipſo, quo cryptam ingreſſi fuerant, paries leuaretur. Quod cum factum fuiſſet, deſuper ad Sabulonem montem deiecit. Omneſque pariter dum communionis Sacramenta perciperent, & martyrum gloriam celebrarent, ipſi quoque ad martyrij gloriam peruenerunt. Inter quos erat Diodorus Preſbyter, & Marianus Diaconus, & plurimi clericorum. Hæc omnia nos Verinus, & Armenius fratres, & vrbis Romæ Preſbyteri, à Sancto Papa Stephano ordinati, prout geſta ſunt, ſcripſimus.

Extant hæc aura apud Surium emendatiori ſtylo.

Plura de his Greg. Turon. de gloria martyrum.

Euſebius in chronicis. Porrò Numerianus cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, inſidijs Apri ſoceri ſui interimitur; vix autem fœtore cadaueris poſt aliquot dies ſcelere comperto, Carinus quoque prælio victus apud Margum occiditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER DVODECIMVS.

De Imperio Diocletiani, & Maximiani.

CAP. I.

Diocletianus & Maximianus Imp. an. Ch. 287. M. 4140.

ROMANORVM igitur trigesimustertius Diocletianus, cæpit anno Domini ducentesimo octuagesimoseptimo: Mundi verò 4140. & imperauit annis viginti. Hic Dalmata, Scribæ filius, Imperator electus, statim Aprum in concione militum percussit, iurans sine scelere suo Numerianum interfectum. Hic primus, *vt Deum se adorari*, & gemmas vestibus calciamentisque inseri iussit, cum ante eum omnes Imperatores in modum Iudicum salutarentur, & clamydem tantum purpuream à priuato habitu, plus haberent.

*Bagaudarũ tumultus. *Orosius habet Vacuadas.*

Hugo Floriacensis quarto libro. Carinum etiam Numeriani fratrem apud Dalmatiam flagitiose degentem, difficillimo bello superauit, & extinxit. His autem diebus Amandus, & Ælianus in Gallia, collecta rusticorum (quos * Bagaudas vocant) multitudine pernicioſos tumultus excitauerunt. Vnde Diocletianus Maximianum Herculium quondam commilitonem suum, Cæsarem fecit, & in Gallias destinauit. Qui facile agrestium hominum imperitam multitudinem, & confusam, militari virtute compescuit. Sed in ipso itinere Thebæa legio, Seduni in Gallia in loco Agauno, sub præfato Maximiano, pro Christo passa est.

De legione sanctorum Thebæorum, & passione eorum.

CAP. II.

Acta horum Sanctorum scripsit Eucherius Episcopus Lugdunensis, & extant apud Surium.

EX *gestis eorum.* Diocletianus etenim cum Maximianum contra Gallias destinauit, ei ad supplementum exercitus legionem Thebæam, quæ sex millia 666. milites habebat, ire iussit. Fuerunt autem duæ Thebeæ, vna in Thessalia Græciæ ab Ethione dicta, qui Cadinũ adiuuit: Altera in Ægypto, quam Cadinus condidit. Hęc Ægypti nobilissima ciuitas, & opulentissima centum portas habuit, & super Nilum sita fuit. Ab hac milites illi dicti Thebæi Christianissimum Orientali more susceperunt à sancto Zambda Hierosolymitano Episcopo, & apud Sanctum Marcellinum Papam Romæ confirmauerunt, vt ante gladijs interirent, quàm fidem Christi acceptam violarent. Hi ergo cum Maximiano montes Alpium transeuntes, in quadam grata planicie consederunt; & audientes Cæsarem præcepisse, vt omnes sui idolis immolantes, fidem militiæ contra hostes, & contra Christianos præcipuè custodirent, nolentes tanto sceleri consentire, octo milliaribus ab * Octodoro, vbi erat exercitus, secesserunt. Quod Maximianus audiens legionem ad iuramentum, & sacrificia reuocari præcepit: sed legio, vtpote Christiana, hoc se facere non posse, respondit. Tunc Cæsar ira succensus, suam & Deorum iram vindicaturus, missis militibus decimum quemque eorum præcepit decollari. Sed sancti cum gaudio capita porrigentes quodammodo concertabant, vt alter ante alterum posset mori. Tunc Sanctus Mauricius residentes confortans, alloquitur, & vt constanter, quod cœperant consummarent, exemplo sociorum, & deuotione fidei adhortatur. Horum ergo firmam sententiam cum Imperatori milites nunciassent, ille continuo remandauit, vt iterato quemque decimum trucidarent. Quo facto Exuperius signifer cum Duce Mauricio exhortationem replicant, & validissime confortatos, remissi milites proiectis armis nuda corpora offerentes circumquaque trucidant. Omnibus igitur sic occisis, dum singulis eorum præda diuiditur, ad epulandum victores residentes, videntes quendam senem nomine Victorem per locum illum fortuitò transeuntem, causa pietatis ad epulandum inuitant: At ille requirere cœpit quomodo in tantis stragibus occisorum, possent cum gaudio epulari? & audiens à quodam, quòd Christiani cœsi essent, eo quòd Deorum cæremonijs, & Romano Imperio contrairent, suspirans ingemuit, & se tamdiu vixisse conquestus, si in illorum consortio mixtus esset, se fore beatissimum iudicauit. Vnde eum vtrum Christianus esset minaciter percunctantes, profitentem occidunt.

* *Octodorus est in Subaudia.*

Thebæi milites ne sacrificarent dijs, Agaunum secedunt.

Decimatio vetus est genus supplicij in delinquẽtem exercitũ, de quo vide Bar. in not. Mar. 22. Septemb.

Martyrium sancti Victoris.

Victoris veterani militis virilis vox.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quibusdam eorum miraculis.

CAP. III.

Thebaeorum martyrū corpora reuelātur.

POst longum tempus cum sancti sua corpora Theodoro Agaunensi episcopo reuelassent; & fideles in honore eorum basilicam constructissent, Mulier quædam Abbati loci filium suum eruditum tradidit, quem in breui defunctum, diebus singulis irremediabili luctu planxit. Huic tandem apparens Sanctus Mauricius, quæsiuit ab ea, cur filium ita fleret? Et illa respondit, quod quamdiu viueret à lachrymis non cessaret. Cui ille: Noli, inquit, flere, vt mortuum, sed scias hunc habitare nobiscum: quod si scire volueris, cras, & omnibus diebus vitæ tuæ, surgens ad matutinas, vocem eius audies inter monachorum choros psallentium. Quod illa euigilans fecit, & sic semper verum esse, quod sanctus dixerat, comprobauit.

Miraculum.

Lege Greg. Turon. de glo. Martyr. cap 76. lib. primo.

Rex quoque Guntrannus cum thesauros suos, relictis pompis sæculi ecclesijs, & pauperibus erogaret, misit illuc quendam Presbyterum, qui inde sibi aliquas sanctorum reliquias asportaret. Ille ergo rediens, & sanctorum reliquias secum ferens, dum per lacum Lemauni cum multis alijs nauigaret, & nauis orta subito tempestate periret, capsam reliquiarum collo detrahens, orando fideliter fluctibus opposuit, & statim virtute sanctorum ventus ante contrarius, tranquillos ad littus deduxit.

De Passione sanctorum Cassij, & Florentij, cum socijs suis, & Gereonis cum socijs suis.

CAP. IIII.

Cassij & Florentij & Sociorū martyrium.

HElinandus. Prædicta legione occisa Maximianus persequi fecit reliquos, & apud Veronam vrbem in ripa Rheni fluminis inuenti sunt confidentes sancti Cassius, & Florentius cum septem eiusdem constantiæ viris, alijque plures eiusdem agminis, sed non eiusdem intentionis. Ibi ergo præfati nouem decollati sunt, qui se Christianos esse confessi sunt.

Hac habet Baronius latius ex Helinando.

Inde persecutores venerunt vsque ad campos Coloniæ, vbi iam deuenerat Sanctus Gereon cum socijs suis 318. qui omnes ibidem pro Christo perempti sunt, & in puteum magnum proiecti. Locus autem in quo decollati sunt, adhuc ab incolis vocatur: AD MARTYRES.

Cades S. Victoris & 330 martyrum.

Sanctus autem Victor cum cohorte sua iam tunc ad oppidum Francorum, quod Troiam siue Zanthum vocant, peruenerat, ibique locis virentibus castra posuerat, vbi, & superuenientibus præfatis carnificibus, pro Christo occisus est, cum 330. martyribus; quorum corpora in locis palustribus submersa sunt.

Eodem tempore de Mauritania, quæ est pars Africæ, & de finitimis regionibus, propter frequentes Gallorum tumultus ab Imperatore vocati erant milites 350. qui cum in Galliam nauigio venissent, omnes cum Beato Gereone, ac socijs eius, pro Christo trucidati sunt. In huius autem Gereonis, & sociorum eius honorem fecit

S. Helena ecclesiam condit Sancti Gereonis.

postmodum Helena Constantini Mater, ecclesiā pulcherrimam super eorum corpora, miro metallorum fulgore, & artificij varietate decoratam, totaque dicitur extructa fuisse sine lignis, vel alia materia, quæ facile senio cedit, aut negligentiæ.

Post hæc autem Euergistus Agrippinæ Coloniæ episcopus nimio capitis dolore vexatus ad memoriam præfatorum martyrum accessit, & ingrediens ecclesiam, inchoauit versiculum, qui solet dici in laude sanctorum: *Exultabunt sancti in gloria.* Tunc protinus ex abdito sanctorum responsum est; *lętabuntur in cubilibus suis.* Quod Pontifex audiens, & laudem Domino cum suis acclamans, de puluere loci ipsius capiti suo imposuit, & salutem recepit.

Psal. 149.

S. Euergistus curatur in ecclesia S. Gereonis ex puluere.

Inoleuit autem consuetudo, vt martyrium sancti Gereonis cum socijs suis; & sancti Victoris cum suis, & sanctorum Cassij, & Florentij cum suis, trino martyrio trium in locis coronatorum, vna die celebratet Agrippinensis ecclesia, scilicet 6. Idus Octobris; cum tamen dubium sit an die vno, vel pluribus completum sit.

De Generali persecutione Ecclesiæ.

CAP. V.

Grandis persecutio ecclesiæ Christi per edictum Diocletiani.

HVgo vbi supra. Hoc etiam tempore dum prosperis incrementis ecclesia, vbique per orbem dilataretur, & cresceret, subito turbo persecutionis increpuit. Anno quippe Imperij Diocletiani 19. propositum est eius edictum, vt cunctæ, quæ in orbe erant ecclesiæ vsque ad solum dissiparentur, & sacræ scripturæ vbique igni comburerentur, omnesque, qui ecclesijs præerant in vinculis ponerentur, ac demum exquisitis supplicijs immolare cogerentur. Rapiebantur igitur omnes Ecclesiarum Principes, & sancti Clerici, necnon, & cum eis nobiles, & ignobiles multi; breui quoque post tempore, fœminæ, & Pueri, ita, vt præ compeditorum multitudine carceres æstuarent. *Eusebius in Historia Ecclesiastica 8. libro cap. 3.* Itaque alij flagris discerpebantur, alij vngulis fodiebantur, alij igniis laminis vrebantur. Ex quibus nonnulli quidem fatigati cedebant: alij vsque ad finem patientiam conseruabant. Ex ipsis autem persecutoribus quidam tanquam miseratione vsi, nonnullos nostrorum abhibebant ad incesta sacrificia, & quasi sacrificassent conclamabant, cum non sacrificassent. De alijs verò cum nec appropinquassent quidem immundis hostijs, acclamabant, quod iam immolassent, & abscedebāt ipsi inde, in eo tantum culpabiles, quod crimen sibi obiectum cum silentio paterentur. Alij semiuiui sublati, tanquam mortui proijciebantur. Alij pedibus tracti inter eos, qui sacrificassent deputabantur. Alij, qui sane exclamabant ingenti voce, & testabantur se non sacrificasse, sed Christianos esse, tali gaudentes confessione, decorati sunt. Nonnulli etiam maiori fiducia neque immolasse se, neque immolaturos esse vnquam testabantur: quibus ab assistentibus militibus ora continuo, atque oculi contundebantur, vt tacerent, & violenter expellebantur tanquam acquieuissent. Tanti erat impijs studij, vt propositum suum viderentur impleſſe. *Hugo Floriacensis quarto libro.* Semel autem incæpta rabies persecutionis, vsque ad septimum Constantini Magni Imperatoris furere non cessauit annum.

Christiani adhibentur ad incesta sacrificia.

Actus gentilium.

De ducibus sub Diocletiano constitutis.

CAP. VI.

SEd dum Diocletiani iussu, & Maximiani ista geruntur, graues per omnes Romani Imperij fines subitarum perturbationum concrepuere fragores; Carausio, qui ad obseruanda Oceani littora positus fuerat in Britannia, rebellante, & Achilleo in Ægypto; cum & Africam quóque Quinquegentiani infestarent, & Narseus Rex Persarum Orientem bello premeret. Quo peticulo Diocletianus permotus Maximianum Herculinum ex Cæsare fecit Augustum; Constantium vero, & * Maximinum Galerium, Cæsares legit, tradens Constantio Theodoram Herculij Maximiani filiam, & suam Maximino Galerio.

** Alias Maximianum.*

Eusebius in chronicis. Horum, Constantius Constantini pater, Claudij, nepos ex filia fuit: Galerius autem in Dacia natus, quos Diocletianus vt etiam affinitate sibi coniungeret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit. Galerius autem filiam Diocletiani Valeriam duxit, ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulsi.

Hugo vbi supra. Cōstantius igitur Cæsar in Gallia, primo prælio ab Alemannis profligato exercitu suo, vix ipse surreptus est. Secundo autem satis secuta est secunda

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

victoria, nam paucis horis 70. millia Alemanorum cæsa referuntur. At Maximianus Augustus Quinquegentianos in Africa perdomuit: Diocletianus autem Achilleum obsessum per septem menses apud Alexandriam cœpit, & interfecit: sed immoderata victoria vsus Alexandriam in direptionem dedit, Ægyptumque totam proscriptionibus fœdauit. Erat autem cum Diocletiano in illis diebus Constantinus iuuenis, inclytus filius Cæsaris Constantij, quem ex Helena priori sua coniuge procreauerat: quem Diocletianus dolo perimere, Galerio instigante, satagebat, sed cognita fraude ad patrem suum saluus diuina prouidentia remeauit Constantinus. At Maximinus Galerius cum duobus iam prælijs aduersum Narseum conflixisset, tertio congressu victus, amissis copijs ad Diocletianum refugit, à quo arrogantissime exceptus est, ita vt per aliquot millia passuum purpuratus ante vehiculum eius cucurrisse referatur. *Eusebius libro octauo cap.* 4. Porro Prædictæ persecutionis ignis exordium inter solos militares parua scintilla conflauerat; cum quæreretur, si qui essent inter milites Christiani, plurimique ex eis militiam pro fide Christi; non pauci etiam, animas posuerunt.

Alexandria, cum omni Aegypto, per Achilleũ ducem à Romana pote state desciscens, 7. vel 8. obsidionis mense vt ait Eusebius à Diocletiano capta est.

Maximinus Galerius victus à Narseo ante Carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit.

Passio Sancti Victoris Militis Massilien sis.

Cap. VII.

De S Victore scribit Greg. Turonens. de gloria martyrũ cap. 77. fuit & alius Victor siue Victorinus Massiliensis qui eruditione clarus vixit temporibus Theodosij Iunioris, de quo Gennadius de viris illustribus cap. 6. Ado in Chron. & alij.

EX *gestis eius.* Sub Maximiano igitur passus est in vrbe Massilia Victor Miles. Dum enim illuc venisset Maximianus peracta nuper cæde sanctorum Thebæorum, decreuit, vt omnes aut Dijs sacrificarent, aut exquisitis mortibus deperirent. Dum autem huiusmodi decreto christianorum animi turbarentur, beatus Victor in medium se ingerens statim apprehenditur, & præfectorum tribunalibus præsentatur. Vbi cum fidem Christi constanti vultu, & voce libera testaretur, protinus circunstantium clamor attollitur, & cum multas iniurias ab omnibus toleralsset, Præfecti decreuerunt, vt causa, eius ad audientiam Cæsaris deferretur: qui statim præsentiæ eius sistitur, & multis accusationibus vndique impetitus, summis terroribus ad sacrificia perurgetur. At ille terrente robustior, Spiritusancto repletus, Imperatorem, & preces eius mira prudentia confutauit, euacuans Idolorum cultus, & fidem Christi certa ratione confirmans. Tunc Cæsar in rabiem conuertitur, & ad iussum eius martyr Dei funibus coarctatus per totam vrbem trahi præcipitur, vt ex ignominiosa eius pœna, & Deorum iniuriæ vindicarentur, & Christianorum animi terrerentur. Tali ergo ludibrio spectantium oculis satiatis, iterum tribunalibus præsentatur, & de negãdo Christo, & Dijs adorandis acrius itidẽ peroratur. Beatus Victor ad singulas eorum obiectiones sapienter respondens, cunctos quidem oppressit rationum pondere, sed cum ab insensatis vnum iubetur eligere, aut placare Deos, aut infœliciter deperire. Si sic, inquit, proponitis, quod verbis docuimus, & exemplis videbitis; *Deos sperno, Christumque confiteor, quæcumque potestis, date supplicia, cumulate tormenta.* Et statim Asterij iussu patibulo affigitur, & torquetur, sed ibidem orans, apparente sibi Domino, recreatur. Post hæc in carcerem mittitur, sed statim cœlesti lumine, & angelica visitatione confortatur. Et dum exultans psalleret, tres milites Alexander, Longinus, & Felicianus eum custodientes dum hæc viderent, ad pedes eius procidunt, ac pœnitentes baptizari se petunt.

Virilis vox Victoris.

Custodes eius conuertũtur & baptizantur.

Victor crudeliter neruis taureis laceratur

Hæc audiens Imperator milites quidem capitali sententia damnauit, Victorem vero conuersionis eorum auctorem iterum suspensum, & fustibus, & neruis taureis, laceratum ad carcerem reuocauit. Peracto autem triduo dum idem per omnia reperitur, in eum minæ, & terrores, maledicta, & conuitia, denuo renouantur, & iussu Cæsaris coram Iouis ara componitur. Sed vir sanctus de ipsa sacerdotis manu statuam solotenus pede prostrauit, & protinus eodem pede iussu Maximiani priuatur. Ad vltimum verò corpus, & animam Deo redditurus, edicto Cæsaris ad molendum ducitur, & mox molæ suppositus, crudeliter conquassatur. Sed cum dissipata paulopost diuinitus machina, spirans aliquantulum videretur, amputato ei capite mox cælica vox auditur: VICISTI, VICTOR BEATE VICISTI. Iussu autem Cæsaris eorum corpora marinis fluctibus immergunt: sed ministrantibus Angelis, natatu celerrimo in littus oppositum transferuntur, ibique à Christianis decenter sepulta, multa petentibus pie beneficia largiuntur.

In mole pistoria conquassatur.

Capite truncatur.

De Quatuor Coronatis.

Cap. VIII.

EX *gestis eorum.* Diocletianus autem pergens Pannonias ad metalla diuersa in præsentia de montibus abscindenda, dum omnes artifices metallicos congregaret, inuenit inter eos viros in arte quadrataria mirificos, Claudium, Castorium, Symphorianum, & Nicostratum. Hi occulte Christiani erant, & quicquid in sculptura operabantur, in nomine Domini nostri Iesu Christi sculpebant, vnde & opera eorum nitida Diocletiano placebant. Cumque in monte Porphyretico, qui dicitur igneus, cum multitudine artificum missi lapidem exciderent, Claudium bene sequebatur ars, quia *in nomine Iesu Christi* omnia faciebat. Simplicius autem qui gentilis erat, omnia quæcunque faciebat conuenientia non erant, cui dixit Nicostratus: Frater quomodo ferramentum tuum confringitur. At ille: Rogo, inquit, te, tempera mihi, vt non confringatur. Claudius autem accepta ferri sculptura benedixit ferrum *in nomine Domini Iesu Christi*, vt esset forte, & sanum ad faciendum opera. Et tunc cæpit Simplicius bene, & recte cum ferramentis suis operari; & miro studio cœpit inquirere, quod esset genus temperamenti, quia nunquam ferramenta eorum frangebantur. Symphorianus ait, *creator omnium ipse facturam suam confortauit.* Cui Simplicius: Nunquid non Deus Iuppiter omnia facit? Respondit: Blasphemasti. *Deus, cui confitemur, & Dominus Iesus Christus, & Spiritus sanctus omnia creauit*: nam quem tu Deum dicis exculpitur manibus nostris. Cui Simplicius ait: Adiuro te per Deum Solem, vt dicas mihi quis est iste Deus, qui omnia creauit, in cuius nomine vos tam bene operamini. Video, inquit, nescio quem occulte precamini; declarate mihi deprecationem Dei vestri, vt amicitia mea perfruamini. Cui dixit Claudius: Fideliter tibi dicimus, *vt credas in Dominum Iesum Christum filium Dei, ac percipias baptismum, & omnia ministrabuntur.* At ille: Ergo, inquit, nolite tardare, vt vobiscum vnanimis sim, & in arte, & in religione. Tunc duxerunt eum ad sanctum Cyrillum episcopum de Antiochia adductum cum multis alijs confessoribus pro Christi nomine catenis constrictum, & iam in tribus annis multis verberibus laceratum, & rogauerunt eum, vt baptizaret Simplicium: quo baptizato, ad opera sua redierunt.

Hæc acta paucis mutatis extant apud Petrũ de Natalibus lib. 10. 36. & 37. cap. & breuiter apud Surium.

Conuersus ad fidem Simplicius baptizatur.

De Passione eorum, & quatuor Cornicularioru m.

Cap. IX.

VIdens vnus de Philosophis, quoniam sine *signo Crucis* nihil facerent, iratus ait: Hoc signum magicæ artis est. Ad Christum enim vestrum pertinet, & per ipsum à vobis omnia prospere aguntur. Accusaueruntque eos Philosophi apud Augustum: at ille delectatus operibus eorum, iussit victorias, & cupidines, & conchas fieri, maxime autem Æsculapium. Illi autẽ fecerũt quidẽ cõchas, victorias, & cupidines, sed nõ Æsculapij simulachrũ; propter quod à Philosophis accusati, ab Augusto redarguti sunt. Cui respõdit Claudius: Pietati tuæ semper AVGVSTE obediuimus, sed imaginem

Accusãtur à Philosophis.

Artem suam signo crucis muniunt.

Lege Adonẽ in martyrolog.

Nolunt falsos colere Deos. psal. 134. 113.

hominis

hominis miſerrimi nunquam faciemus; quia ſcriptum eſt: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, &c.* Tunc magis excandeſcens contra eos Diocletianus, cauſam commiſit Tribuno nomine Lampadio, qui ſanctos nolentes adorare Solem, iuſſit in cuſtodia publica retrudi, poſt hæc autem expoliari, & Scorpionibus mactari. Sed in eadem hora arreptus eſt à Dæmonio, & ſeipſum diſcerpens, expirauit ſedens in tribunali ſuo.

Cæduntur Scorpionibus

In fluuiũ demerguntur.

Hæc cum audiſſet Diocletianus, iratus iuſſit eos in loculis plumbeis viuos recludi, & in fluuium proijci. Quod audiens Sanctus Cyrillus in carcere ſe afflixit, & ad Dominum migrauit.

Paſſi ſunt autem 6. Idus Nouembris.

Poſt dies verò 42. Nicodemus quidam Chriſtianus loculos cum corporibus leuauit, & in domo ſua poſuit.

Cumque Dioclerianus Romam veniſſet, & omnem militiam ad ſacrificandum Æſculapio compelleret, maximeque milites vrbanæ præfecturæ, quatuor cornicularij reluctantes nolebant ſacrificare: quos iuſſit ante ipſum ſimulacrum ictibus plumbatarum deficere; corpora quoque eorum in platea canibus iactari: quæ etiam iacuerunt ibi diebus quinque. Tunc Beatus Sebaſtianus, nocte cum Melchiade Epiſcopo collegit ea, & ſepeliuit in via Lauicana. Quod cum non eodem tempore, ſed poſt duos annos euenisſet, & eorum corpora reperiri non poſſent, iuſſit Beatus Melchiades Epiſcopus, vt ſub nominibus ſupradictorum ſanctorum, ſcilicet Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, & Caſtorij anniuerſarius eorum dies recoleretur 6. Idus Nouembris. Horum autem quatuor Coronatorum nomina, quæ poſt eorum paſſionem, interiectis annis, Domino reuelante oſtenſa ſunt iſta ſunt, Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus.

Quatuor martyres occiduntur.

Quatuor coronati à Melchiade Epiſcopo nominantur.

De Sanctis Sebaſtiano, Marcelliano, & Marco.

CAP. X.

EX *geſtis eorum.* Porro Beatus Sebaſtianus cum eſſet ciuis Mediolanenſis Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus ita charus erat, vt Principatum ei primæ cohortis traderent, milites quoque eum quaſi patrem venerabantur. Chriſto igitur quotidie ſeduſum exhibebat officium, ſed ita agebat, vt hoc ſacrilegis regibus eſſet occultum, non paſſionis timore perterritus, ſed vt Chriſti militem ſub clamyde terreni imperij tegens, Chriſtianorum animos, quos in tormentis deficere videbat, confortaret.

S. Amb. in Pſalm. 118. ſer. 20. & alij tradũt, eũ patre Narbonenſ, matre Mediolanenſi natũ.

Marcum & Marcellianũ martyres qui apud Nicoſtratũ. Primiſer, nium in vinculis aſſeruabantur, ad conſtantiã hortatur.

Clariſſimis igitur viris Marcelliano, & Marco geminis fratribus in vinculis pro Chriſti nomine conſtitutis, quotidie ſolatium exhibebat; & tam eis, quam ſeruis eorum cum quibus tenti fuerant, ſalutaria fidei conſilia miniſtrabat, vt fugitiua ſæculi blandimenta contemnerent, & momentanea tormentorum genera non timerent. Qui cum acquieſcerent, & verbera carnificum patienter ſuſtinerent, capitalem iuſſi ſunt ſubire ſententiam, niſi ſacrificijs idolorum conſentirent. Quorum pater Tranquillinus, & mater Martia, illos ſequebantur cum vxoribus eorum, & filijs. Vnde, & à Chromatio Præfecto triginta dierum inducias impetrauerũt, in quo ſcilicet ſpatio cum eis ageretur, vt ad thurificandum Idolis conſentirent.

Tentatio vehemens SS. Martyrum à ſognatis.

Accedentes igitur amici eorum dicebant eis: Vnde vobis tam dura mens, tam ferreum pectus, quod canitiem patimini patris abijcere, & matri iam decrepitæ nouos partus afferre? Incomparabilis dolor eſt dum vita contemnitur, gloria reſpuitur, & contemptis omnibus pietatis affectibus, mortis atrocitas appetitur. His talia dicentibus, Mater miſetam ſe clamans aduenit, & ſoluto crine canos ſuæ ſenectutis oſtendens coram eis, veſtem, qua pectus tegebatur, ſcidit, cunctiſque flentibus, laxis pellibus, mammillas, quas ſuxerant, oſtendebat; blandimenta eorum infantiæ exhibita memorabat inquiens.

A matre.

Heu me miſeram, luctus vndique circumuallat: amitto filios ad mortem vltro properantes, quos ſi mihi hoſtes auferrent, per medias ſequerer acies bellatorum, ſi iudicia violenta concluderent, carcerem ſimul irrumperem moritura. Nouum hoc pereundi genus eſt in quo carnifex rogatur, vt perimat: vita optatur, vt pereat: mors optatur, vt veniat.

A Patre.

Talia matre proſequente, pater infirmus, & ſenex manibus ſeruorum adducitur, & cygneo capiti puluerẽ aſpergẽs, huiuſmodi voces ad cœlũ dabat: O filij baculus ſenectutis meæ, & geminum lumen viſcerũ meorũ, quæ iſta repente inſania mortis vos amatores facit? Nunquam iſta iuuenibus placuit. Venite huc iuuenes, & flete ſuper iuuenes ſponte pereuntes; accedite patres, prohibete talia fieri, ne, & vos talia patiamini.

A coniugibus & liberis.

Dum hæc, & talia ſenior pater ageret, ecce amborum coniuges cum natis proprijs, quos eorũ aſpectibus offerebant, dicẽtes: Quibus nos ſeruituras relinquitis? Quibus coniugij veſtri charitatem traditis? heu, quam ferreum pectus, quam impio crudelitatis genere parentes deſpicitis, amicos reſpuitis, vxores abijcitis, filios abdicatis, & voſ-ipſos carnifici vltro iugulandos exhibetis.

Molleſcũt ánimi martyrum.

Tunc inter vxorũ lachrymas, & filiorũ ſuſpiria cœperũt milites Chriſti molleſcere, & animos flectere ad dolorem, huic ſpectaculo Sanctus Sebaſtianus intererat.

Qualiter Beatus Sebaſtianus eos in tentatione confortauit.

CAP. XI.

HIc ergo vir chriſtianiſſimus, quem occultabat militaris habitus, vbi vidit athletas Dei immenſo certaminis pondere fatigari, in medio eorum ſe obijciens ait: O fortiſſimi milites Chriſti per nimiam virtutem fortiter perueniſtis ad palmam, & per miſera blandimenta coronam deponitis ſempiternam. Diſcat nunc per vos Chriſti militum fortitudo, fide potius armari, quam ferro: Erigite à terrenis affectibus trophæum veſtri certaminis. Iſti, quos plorando attenditis, gauderent vtique ſi poſſent ſcire, quod noſtis. Nam ſi ſcirent alteram eſſe vitam perpetuam, ignaram triſtitiæ, profecto nobiſcum feſtinarent ad illam pertingere, iſtam fugitiuam pro nihilo computantes, quæ omnes in ſe credentes ſemper fefellit, omnes de ſe præſumentes irriſit; atque vtinam ſolius mendacij culpa eſſet obnoxia; & non per omnia crimina ſuos currere cogeret amatores.

Inſignis oratio S. Sebaſtiani.

Vita huius fallacia.

Ipſa dat edacitatem glutonibus, naufragium pudoris adulteris, execrabilem peruerſitatem inceſtis. Ipſa admonet furem, vt rapiat; iracũdum, vt ſæuiat; mendacem, vt fallat. Ipſa tollit iudicibus iuſtitiam; caſtis pudicitiam, moribus diſciplinam. Et vt maiora, quæ ſuis amatoribus ingerit crimina memoremur, ſi frater aliquando fratrem, ſi filius patrem, ſi amicus amicum necauerit, nunquid non præſentis vitæ amore ducti, iſta committunt? Dum enim illam plus iuſto diligunt, iniquo ſe omnes odio perſequuntur. Vt quid enim pirata iugulat nauigantem, vt quid latro perimit viatorem, dies opprimit pauperem, ſuperbus humilem, niſi vt ab infœliciſſimis carnalibus iſti carnali vitæ ſeruiatur? Poſtquam verò de ſpurcitia fuerit ſaginata, ſeruientes ſibi, tradit filiæ ſuæ, id eſt morti æternæ. Ex hac enim nata eſt mors, quando primi parentes gulæ ſuæ, & oculorum libidini ſeruierunt, & ideo qui ad æternam vitam fuerant facti, huc in iſtam mortis imaginem ſunt iactati: hinc iterum ad inferos deuoluti, nihil ſecum niſi peccata portantes.

Vita amor ſceleruũ omnium incendium.

Hæc eſt vita, quæ vos fallit, ô amici, vt amicos veſtros ad vitam euntes perpetuam, iniuſto conſilio reuocetis. Hæc vos inſtigat, ô coniuges, vt beatorum etiam martyrum mentibus, per pietatis colorem, impietatem ſuggeratis. Qui ſi vobis conſentirent, pauco quidem tempore vobiſcum eſſe poſſent, & poſtea ſeparati, & ita ſeparari, vt nunquam vos inuicem niſi in tormẽtis perpetuis videretis, vbi edax flamma incredulorũ animas de-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pœna inferorum.

uorat, vbi dracones labia blaſphemantium comedunt, vbi Serpentes morſibus ſuis incredulorum pectora depaſcunt, vbi vlulatus, & gemitus ſonat, vbi clamor confuſus, & incendij ardor extorquet. Hæc autem tribulatio nullo fine concluditur, ſed ad rediuiua ſupplicia, qui aduſtus fuerat, reparatur. Hanc igitur, & iſtos euadere permittite, & voſipſos eripere cogitate. Nolite timere, non enim à vobis ſeparantur, ſed vadunt in cœlum vobis præparare ſydereas manſiones, in quibus cum eis in perpetuum gaudeatis. Vbi non impediuntur occupatione deliciæ, vbi nulla ſolicitudine ſecuritas conturbatur; Luctus, & gemitus nunquam auditur, fœdum, vel deforme nunquam videtur, ſed omni formoſitate, & elegantia ſine intermiſſione, patentes oculi perfruuntur, hymnorum organa, iugiter ſonant, quæ ad laudem Dei ab Angelis decantantur. Ibi odor aeris per delectationem per cuncta membra diffunditur, & refectio mellifluæ guſtu ſuſcipitur. Hoc vnicuique ſapiens, quo fuerit delectatus, ſtatimque quod cõcupierit anima eius, concupiſcentiæ famulantur vniuerſa paratiſſimo effectu. Vnde ſi in hac mortali vita contra concupiſcentias ſuas aliquis pugnauerit, quaſi hic eas expenderit, illic eas integras à creatore ſuo conſequetur. Ipſe enim creauit homines, vt viuerent, & mortem iuxta introitum poſuit, vt timore mortis homines refrænati, alteram vitam quærant.

Gaudia & felicitas cæleſtis paradiſi.

Sermo eiuſdem de contemptu præſentium.

Cap. XII.

Diuitiæ cur collatæ à Deo.

SI quis autem interrogaret, cur à Creatore diuitiæ factæ ſunt, ſi eius lege contemnendæ ſunt? Reſpondemus ita diuitias à creatore factas, vt alloquantur quodammodo amatores ſuos dicentes: Sic nos amate, vt nunquam à vobis ſeparemur, ſequi vos morientes non poſſumus, antecedere vos poſſumus viuentes, ſi tamen ipſi iubetis. Cupidus fœnerator aurum tradit homini, quod duplicatum recipiat. Agricola terræ ſemina committit, vt centuplum quærat. Proh nefas, debitor fœneratori, & reddere præualet, & terra agricolæ ſemina multiplicata reſtituere. Deus autem diuitias tuas ſi à te acceperit, amplificatas reddere non poteſt? Inquiris nũc, cur diuitias dedit mihi Deus, ſi ipſæ à me reddẽdæ ſunt? Tradidit ipſe eas tibi, vt ſcias quanta ſit in eis requies, quanta voluptas, quantus luxus; vt per has habens charitatem cum auctore diuitiarum, ipſi eas tradas cuſtodiendas, quia ſi ipſi eas nolueris tradere, aut edacitas gulæ eas inuadet, aut luxuria tibi eripiet, aut certe mors auferet. Nunquid ſi tranſires per medias acies barbarorum, & inuenires virum fortem te diligentem, qui etiam ſacculum pecuniæ tibi dediſſet, dicentem tibi: Da mihi cuſtodiendas pecunias has quas dedi tibi, quia barbari ibi inſidiantur, vt eas tibi auferant, quas cum tibi abſtulerint, ſuis te gladijs laniabunt, nonne ſupplex rogares vt eas ipſe ſuſciperet, de quo certus eſſes, quod etiam ampliora, quam accepiſſet, redderet, & te ab hoſtibus liberaret? Similiter, delicias, qui habet aures audiendi, audiat dicentes ſibi: Si vere nos diligitis, illi nos commendate, qui nos vobis integras, & illibatas reſtituet. In hac vita ſi noſtrum volueritis occupare officium, quaſi hic expenſæ, ibi vobis omnino negabimur. Dimittite nos interim ſeruire morituris, quia idcirco breuiati ſunt dies mortalibus, vt immortalibus iugiter famulemur. Sic enim propter electos breuiabuntur dies, vt ſeruitus noſtra ſit longa iniuſtis. Seruimus quidem feſtino curſu impijs & ſceleratis, & turpibus, non ſponte, ſed propter eum, qui nos ſubdidit: liberabimur tamen à ſeruitute corruptionis, & reuocabimur ad libertatẽ gloriæ filiorum Dei. Nolite itaque, ô amici, ô parẽtes, ô coniuges, à vita ad mortem, quos diligitis reuocare. Hoc eſt enim cum Diabolo, piſcibus hamum tendere, & ad modicam ſuauitatem inuitare, in qua latet mors interior. Præſens dolor, aut leuis eſt, & tolerabiliter ſuſtineri poteſt; aut grauis, & cito finem affert. Dolor vero futurus nunquam finiendus aggreditur, & acrius ſubinde, quam inchoauerat ſæuit. Ne ergo timeamus vna hora dolorem cum corpore, qui optamus cum Chriſto in æternum gaudere. Noſtras lachrymas in gaudium conuertamus, & non quaſi mortuos plangamus, quos cum Chriſto regnaturos credimus.

Voluptates reſpuendæ.

De ſplendore ſuper eum veniente, quem vidit Zoen.

Cap. XIII.

Cæleſti luce perfunditur S. Sebaſtianus.

HÆc igitur Beatus Sebaſtianus indutus clamyde, ſuccinctus balteo cum diceret, ſubito per vnam fere horam ſplendore nimio de cœlo veniente illuminatus eſt, & ſub ſplendore iuuenis pallio candidiſſimo amictus apparuit iuxta eum. Hæc autem gerebantur intra domum protoſeriniarij. Nicoſtrati, cuius vxor nomine Zoenante ſex annos ægritudinis nimietate facta erat muta. Hæc cum miraculi ſtupore teneretur, annuebat manu omnibus, quod quaſi exprobrandi eſſent, qui tam euidenti beati viri aſſertioni non crederent. Qui, vt vidit eam ſecreta cordis lingua explicari non poſſe, ait: Si vere ſeruus Chriſti ſum, & vera ſunt omnia, quæ ex ore meo hæc mulier audiuit, & credidit: *Iubeat Dominus meus ad eam redire officium labiorum.* Tunc exclamans mulier ait: Beatus es tu, & benedictus ſermo oris tui, & beati qui credunt per te, ego enim vidi oculis meis Angelum ad te de cœlo venientem, & libros ante oculos tuos tenentem, ex quorum lectione vniuerſa ſermonis tui ratio decurrebat: Benedicti qui in his verbis crediderunt, & maledicti, qui in vno verbo dubitauerunt, quia ſicut aurora ſuperueniens omnes noctis tenebras excludit; ita lux ſermonum tuorum omnem caliginem & ignorantiæ cæcitatem extergit.

Muta mulier loquitur.

De conuerſione Nicoſtrati Primiſcrinij, & aliorum plurium.

Cap. XIIII.

Nicoſtratus credit in Chriſtum.

HÆc videns Nicoſtratus genibus eius aduolutus veniam petebat, eo quod ſanctos Dei Marcellianum, & Marcum, Imperiali iuſſu haberet in vinculis, & ſolutis illis, genua eorum amplexus, rogabat eos abſcedere dicens: O quam fœlix eſſem, ſi pro ſalute veſtra poſſem mereri conſtringi. Qui dixerunt: Si tu fidei gloriam quam nondum habueras, accepiſti, quomodo nos, quod ab infantia habuimus relinquentes, paſſionis noſtræ tibi calicem damus?

Marci præclara exhortatio.

Cum hæc audientes, omnes pariter fletibus pœnitentiam oſtenderent. Marcus ait: Diſcite patres ſancti, quia hæc tota belli Diaboli calliditas eſt, à ſupplicijs corpus eripere, & animam vitijs ſubiugare. Sed qua ratione mori timeant, qui ſciunt hanc hominis eſſe naturam, non pœnam. Quam multos huius falſæ vitæ amatores ruina grauis oppreſſit, fulmen incendit; naufragiũ perdidit, gladius peremit, & iſtam miſeri cum doloribus amittentes vitam; veram illam penitus inuenire nõ poſſunt: ad illam enim non ducit tortura, ſed cauſa. Eodem igitur pœnarum genere, & innocentibus ſalus æterna confertur, & pœna delinquentibus irrogatur.

Tunc Nicoſtratus cum coniuge ſua petijt myſterium Chriſtianæ religionis. Cui Sebaſtianus ait: Audi conſilium meum, & omnes vinctos, & clauſos in vnum redige, & tunc ſacræ legis antiſtitem adhibeo, vt cum omnibus, qui credere voluerint, ſancta ſuſcipias ſacramenta. Congregatis autem omnibus vinctis in domum eius, ait ſanctus Sebaſtianus.

Sermo S. Sebaſtiani ad vinctos.

Crimina diabolica ſi Dei cedãt virtutibus, reatus veſter immunis à mortis ſupplicio, ad gaudia votiua reuocatur. Ad illũ igitur redeũdũ eſt, qui filiũ ſuũ vnicũ, paſſionib⁹, & morti tradidit, vt nos à paſſionibus, & morte perpetua

liberaret.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

liberaret. Tunc omnes proſtrati cum lachrymis, cœperunt pœnitentiæ vocibus exclamare ſe impie egiſſe, & ſe Chriſto velle credere magnis vocibus perſonabant. Quos ſanctus à vinculis exolui iuſſit, & Polycarpum Presbyterum, qui cauſa perſecutionis latebat ad eandem domum adduxit: qui videns turbam benedixit Deum. Sed & Claudius Commentarienſis ſuperuenit, duoſque filios ſuos, vuum hydropicum & alterum vulneribus oppreſſum adduci fecit, omneſque ſimul baptizati ſunt numero 64. Filij autem Claudij ita de fonte ſani leuati ſunt, vt nec in eis morbus appareret. Tranquillinus autem chryſmate linitus, interrogatus à Sancto Polycarpo, *ſi crederet in Patrem, & Filium, & Spiritumſanctum*, ſtatim vt dixit *Credo*, ſolutæ ſunt manus eius nodoſæ, & genua, & plantæ pedum, ita enim podagrico dolore contractus fuerat, vt vix manibus portaretur. Omnes ita baptizati perdies 16. in Dei laudibus perdurantes, die, ac nocte, quaſi fideles milites parabant animos ſuos pro Chriſti nomine in martyrio bellaturi. Baptizatus eſt & Chromatius vrbis Præfectus cum filio ſuo Tiburtio, & ex familia eius 1400. animæ, quas omnes manumiſſionis gratia à ſeruitutis nodo abſoluit, dicens; *quod qui patrem Deum habent, ſerui hominum eſſe non debent.*

Claudius Commentarienſis credit.

Præclara miracula in Baptiſmo.

Hæc omnia latius extant apud Surium in vita S. Sebaſtiani.

De his, qui optione ſibi data martyrium elegerunt.

Cap. XV.

CVm autem chriſtianorum fieret perſecutio tunc Sancti Cai Papę conſilio habito Chromatius omnes in domo ſua latenter recipiebat, atque fouebat. Cumque iam eius opinio celari non poſſet, meruit ex ſacro reſcripto, vt remoraretur in Campano littore, tribuitque copiam omni Chriſtiano ſecum ire volenti ad perſecutionem declinandam. Venit itaque Caius epiſcopus in domum eius, & ait omnibus: Dominus Ieſus Chriſtus preſcius fragilitatis humanæ, duos in ſe credentibus gradus conſtituit ſcilicet confeſſionis, & martyrij: ſi qui igitur pondus martyrij ſe poſſe ſufferre deſperent, confeſſionis gratiam teneant, & cum filij noſtris Chromatio, ac Tiburtio pergant, nec ecumque in hac vrbe, qui volunt, remaneant; non enim Terrarum ſpacia diuidunt, quos Chriſti charitas nectit. Tunc exclamauit Tiburtius: Obſecro te Pater, ne me permittas terga perſequentibus dare, mihi enim valde iucundum eſt mortem pro vita æterna ſubire. Tunc Sanctus Caius congaudens fidei eius, flebat. Remanſeruntque cum eo Marcellianus, & Marcus, & horum pater Tranquillinus, & B. Sebaſtianus, & Tiburtius, Nicoſtratus etiam cum fratre ſuo Caſtorio, & coniuge ſua Zoe, Claudius cum Victorino fratre ſuo, & filio ſuo Symphoriano. Horum Marcellianum, & Marcum conſtituit epiſcopus Diaconos, Tranquillinum vero presbyterum, Sebaſtianum vero Eccleſiæ defenſorem, cæteros autem Subdiaconos. Morabantur autem omnes apud Caſtulum quendam Chriſtianum * Zetarium Palatij latenter, die noctuque fletibus, & ieiunijs orantes Deum, vt digni haberentur confeſſionis ſuæ tolerantia ſanctorum martyrum numero ſociari. Multi etiam infirmi precibus eorum ſanabantur, cæci illuminabantur, dæmones eijciebantur. Tranſiens autem Tiburtius occurrit homini, qui de alto lapſus, caput, & omnia membra ruperat ſibi, ita vt de ſepultura eius ageretur, & dicens ſuper eum lente orationem Dominicam, incolumem eum reddidit, parenteſque eius à turbis ſegregans, virtutem Chriſti nominis annunciauit, obtulitque eos Papæ, qui eos baptizauit.

Aliquot martyres Roma permanent, alij abeunt.

** Zetarij dicebantur qui præerãt zetis: erat autẽ zeta teſte Plin lib 6. epiſt. 5. locus capax vnius lecti cũ duabus ſellis, qui velis obducẽtis, & reducẽtis modo adijcibãtur cubiculo, modo auferebãtur ac proinde portatile quoddã cubiculum, vt Bar. an 288 notat.*

Paſſio Zoe, Tranquillini, & Nicoſtrati cum ſocijs ſuis.

Cap. XVI.

BEata autem Zoe in Natali Apoſtolorum cum ad confeſſionem Beati Petri oraret, ducta eſt à Paganis ad patronum Naumachiæ, & compellebatur Martis ſtatuæ thus incendere. Cui illa reſpondit: Mulierem compellis Marti ſacrificare, vt oſtendas Martem veſtrum mulieribus delectari; ſed ille impudiciſſimæ Veneri potuit pudorem eripere, mihi vero trophæum fidei in fronte portanti, non poterit præualere. Tunc miſit eam in cuſtodia obſcuriſſima, vbi per quinque dies nec lumen vidit, nec cibum, vel potum ſumpſit, ſed tantum vox eius, qui eam clauſerat audiebatur, dicens: Morieris fame, & cæcitate, niſi te libaturam promiſeris. Poſt ſex dies iuſſa eſt à collo, & à capillis in arbore excelſa ſuſpendi, & ſub ea fumum ex ſterquilinio adhiberi. Quæ ſtatim, vt ſuſpenſa eſt, in confeſſione Domini emiſit ſpiritum. Tunc illi corpus eius auferentes ſaxo ligauerunt, & alueo Tiberis immiſerunt, dicentes: Ne Chriſtiani corpus eius tollant, & faciant eam ſibi Deam.

Martyrium Zoe.

Igitur celebrato eius martyrio, venit in ſomno Beato Sebaſtiano, & narrauit ei qualiter martyrium pro Domino ſuſcepiſſet. Quod cum narraret alijs Sebaſtianus protupit Tranquillinus, & ait: Fœminæ nos ad coronam antecedunt, vt quid viuimus? Et deſcendens octauo die ad Beati Pauli Apoſtoli confeſſionem acceſſit; & ipſe paſſus inſidias, tentus à populo, lapidatus eſt & mortuus, eiuſque corpus Tiberino gurgiti mancipatum eſt.

Tranquillini cades.

Item Nicoſtratus, & Claudius vnà cum Caſtorio, & Victorino, & Symphoriano; cum corpora ſanctorum per ora Tiberina requirunt, tenti, ad aures Præfecti ducti ſunt: eratque * Fabianus Iudex, qui eos ad ſacrificandum hortabatur, & per decem dies eos minis, & blanditijs agens, in nullo penitus potuit commouere. Tunc fecit de eis ſuggeſtionem Imperatori, qui cum eos torqueri iuſſiſſet, nullaque ratione tormentis compulſi, cederent, iuſſit eos in medio mari præcipites dari. Immenſis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati ſunt, vt inter aquas martyrium celebrarent.

** Fabius Alij quinque torquentur.*

Paſſio Sancti Tiburtij martyris.

Cap. XVII.

INſidiabantur itaque infideles fidelibus, & iniquo furore Chriſtianum non poterant nec nomen audire. Interea Torquatus quidam Apoſtata Sancto Caio Epiſcopo callide ſe ſimulata fide ſociauit. Qui dum à Beato Tiburtio viro ſcolaſtico nobili, ac ſancto, frequenter argueretur, quod capillos arte componeret, quod aſſidue ludendo pranderet, quod fœminarum ſe libenter aſpectibus daret, & quod à ieiunijs, & orationibus, & vigilijs fratrum ſeſe tolleret, ſimulauit ſe monentem æquanimiter accipere, & egit arte quatenus orantem Sanctum Tiburtium infideles comprehenderent; in qua comprehenſione ſeipſum teneri fecit, & ſimul ad ſacretarium iudicis ſæuientis perduci. At vbi introducti ſunt; Fabianus ad Torquatum ait: Ignoras, quod iuſſerunt inuictiſſimi Principes, vt qui ſacrificare Dijs noluerit, diuerſis ſupplicijs maceretur? Qui reſpondit. Hic magiſter meus ſemper me docuit, quod hunc video facere, neceſſe eſt vt faciam. Tunc Fabianus conuerſus ad Tiburtium ait: Quid ad iſta reſpondes? Tiburtius ait: diu eſt quod Torquatus ſe Chriſtianum eſſe mentitus eſt. Credis hunc Chriſtianum eſſe, qui in lenocinio ſuo moliendo capitis fimbrias admittit, qui tonſorem diligit, qui ſic molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo viſu diſtendit, qui viros negligenter agit, fœminas libẽter intuetur? Nunquid tales ſeruos Chriſtus habere dignatur? At hic qualis ſemper

Torquatus homo fraudulentus.

Vide fraudẽ Apoſtata.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Obserua quos Christus nolit habere seruos.

fuerit nunc euidenter ostendit. Reprehendebam in eo cyclopeam edacitatem, & vini potationem, ac sepultam diuini nominis sanctitatẽ. Manducabat, bibebat, & euomebat, & nunc Christianos, accusat, inermem iudicem incitat, nolenti gladium porrigit, & vt dæmonijs ceruices nostras inclinemus, hortatur.

Egregia Tiburtij constantia.

Videmus votum tuum, & venena pectoris intuemur. Accingere nunc ô crudelissime, vtere carnificis officio, vendica tibi & ipsius iudicis vocem, applica equuleos, suspende christianos, damna, percute, incende; omnis nobis vilis est pœna, vbi pura est conscientia. Fabianus ait: Restitue te generi tuo, & hoc esto, quod natura dictauit. Nobiliter enim natus, ad tantam deuolutus es fecem, vt possis, & supplicium simul & infamiam subire, & mortem. At ille respondit: O prudentissimum virorum, & Romanis insulis iudicem constitutum, quia meretricem Venerem, & incestissimum Iouem, & Mercurium fallacem, & Saturnum filiorum occisorem colere nolo, infamiam generositatis incurro; & *quia vnum & verum Deum, qui in cœlis regnat adoro, & veneror, mihi supplicia minantur.* Tunc Fabianus iussit ante pedes eius carbones ardentes effundi, dixitque ei: Elige tibi vnum è duobus, aut thura in istos carbones adijce, aut super eos nudis pedibus incede. Qui faciens *signum Crucis* constanter super eos ingressus est nudis plantis. Dixitque præfecto: *Disce, Christum quem confitemur esse Deum, & ipsum creaturis dominari*: & nunc tu mitte manum tuam in aquam calidam *in nomine Iesu*, & si potest faciat te non sentire ardores: nam *in nomine Domini nostri Iesu Christi* videtur mihi, quod super flores roseos gradior, quia creatura ipsa, creatoris sui seruit imperio. Fabianus ait: Quis ignorat artem magicam vos docuisse Christum vestrum? At ille: Obmutesce, inquit, infœlix, & noli auribus meis hanc iniuriam facere, vt audiam te rabido ore mellifluum, & sanctum lacerare nomen. Tunc irati Fabiani iussu ductus est in via Lauicana, & effundens orationem ad Deum, vno ictu gladij verberatus, abscessit; ibique post modum ad laudem nominis sui multa beneficia præstitit.

Pulchra Tiburtij respõsio.

Tiburtij certamen.

Inualuisse apud Gentiles opinionem quod Christus magus fuerit tradit Arnobius l. b. 1. contra gent.

Passio Sanctorum Castuli, Marcelliani, & Marci, ac Sebastiani.

Cap. XVIII.

Castuli martyrium.

POst hæc egit Torquatus, vt Castulus Zetarius palatij, hospes sanctorum arctaretur. Hic apprehensus, & tertio auditus in confessione Domini perdurans, missus est in foueam, & dimissa est super eum massa arenaria, & sic cum palma martyrij migrauit ad Christum. Post hæc Marcellianus, & Marcus tenti sunt, & ambo ligati ad stipitem, acutos clauos in pedibus acceperunt. Quibus dicebat Fabianus: Tandiu fixis plantis stabitis, donec Dijs debitum officium reddatis. Tunc ambo fratres in ligno confixi, psallebant inter se dicentes: *Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Cumque transissent vna dies, & vna nox, & illi in psalmis, & hymnis perseuerarent, iussit eos ambos, vbi stabant, lanceis per latera perforari, sicque cum martyrij gloria ad regna siderea migrauerunt.

Psal. 132.

S. Sebastiani insigne martyrium.

His expletis B. Sebastianus conuentus est, quia præfectus Imperatori Diocletiano de eo suggessit; quem ille vocans ad se ait: Ego te inter primos palatij mei semper habui, & contra salutem meam in Deorum iniuriam hactenus latuisti. Qui dixit: Pro salute tua semper Christum colui, & pro statu orbis Romani ipsum, *qui in cœlis est* semper adoraui, considerans à lapidibus auxilium petere insani capitis esse, & vani. Iratus Imperator iussit eum duci in medium campi, & quasi signum, ad sagittandum ligari, atque à sagittarijs figi. Tunc milites ponentes eum ita hinc inde repleuerunt sagittis, vt quasi in campo ericius ita esset ictibus sagittarum infitus; & æstimantes eum mortuum, abierunt. Tunc relicta vxor Martyris Castuli Zetarij, nomine Irenes abijt vt noctu corpus eius tolleret, & sepeliret; & inueniens eum viuentem adduxit ad domum suam, & inter paucos dies integram in omnibus mẽbris recuperauit salutem. Cumque omnes Christiani ad eum conuenirent, hortabantur eum abscedere. Ille autem oratione facta, descendit, & stans super gradum * Heliogabali, venientibus Imperatoribus dixit: Iniquissimis subreptionibus animos imperij vestri templorum Pontifices obsident, suggerentes de Christianis falsa commenta, dicentes eos reipublicæ aduersarios, quorum precibus ipsa respublica melioratur, & crescit. Cumque talia diceret Diocletianus ait: Iste nonne est Sebastianus, quem sagittis iusseramus interfici? At ille: Ad hoc, inquit, *Dominus Iesus Christus* me suscitare dignatus est, vt conueniam vos, & contester coram omni populo, iniusto iudicio persecutionem vestram in Christi famulos ebullire. Tunc iussit eum in hypodromo palatij duci, & tamdiu castigari, donec spiritum exhalaret. Post hæc tulerunt corpus eius nocte, & in cloaca maxima miserunt dicentes: Ne forte Christiani eum sibi Martyrem faciant. At Beatus Sebastianus in somnis Beatæ Lucinæ Matronæ apparuit dicens ei: Iuxta circum inuenies corpus meum in vnco pendens; hoc sordes non tetigerunt, & dum leuaueris, perduces illud ad catacumbas, & sepelies in initio cryptæ, iuxta vestigia Apostolorum; quod & fecit.

S. Sebastianus sagittis confectus sanatur diuinitus.

* *Alias Elagabli.*

Fustibus cæsus reddidit spiritum.

Passio Sancti Mennæ Militis.

Cap. XIX.

EX *gestis eius.* Passus est, & Sanctus Mennas eo tempore, quo sub duce * Agerico militiam agens, Imperatoribus ita charus fuerat, vt multorum animas quas videbat pro Christi nomine diuersis supplicijs affici, nisibus suis eriperet, & Sanctis eloquijs confortaret; denique à terreni regis militia declinans, & in occultis abditisque locis se conferens; cum Imperatorum natalitia celebrarentur, multitudine populi vndique concurrente, vna cum cæteris theatrum ingressus est. Aspiciens autem Imperatores sedere pro tribunali, & agonem Christianorum diuersis supplicijs impendi, palam in medio theatri clamitans ait: Ecce apparui non quærentibus me. Audientes Imperatores, quod tam constanti animo auderet ista dicere, aspicientes quoque in eum effigiem eremitæ cuiusdam ignotam, hirsutasque genas, iusserunt eum tradi Pyrrho duci, qui sedẽs pro tribunali cernensque in eius confessione Christi constantiam, fecit eum in equuleo leuari, & à ministris exungulari, lampades quoque igneas eius lateribus applicari, sed & plagas eius tormentis madidas, cilicio fricari, atque carbones igneos super eadem imponi. Post hæc sudes ferreos iussit per pauimentum aspergi, & sic eum ligatis manibus, & pedibus extensum trahi quousque omnes artus eius membratim possent dissipari; plumbatis quoque collum eius & maxillas tundi. Tandem, quia cum in his omnibus immobilis permaneret, à spiculatore caput eius ablatum, & igni deditum est, sed furtim à Christianis corpus eius, è medio ignis ereptum est ac sepultum. Passus est autem in Scythia Metropoli Phrigiæ.

* *Apud Surium sub Firmiliano.*

Contempta militia petit solitudinem.

Notarẽ singularem.

S. Mennas traditur Pyrrho præsidi.

Iubetur capite cædi.

Passio Sanctorum Dorotheci, & Gorgonij cum socijs.

Cap. XX.

EX *historia Ecclesiastica lib. 8. cap. 4. & 5.* Cum autem persecutionis flamma, quæ à militibus sumpsit initium, tota per populos, & Sacerdotes exaggerasset incendia, possibile non est numero comprehendi, quanti quotidie pene per singulas vrbes, & prouincias martyres efficiebantur.

Nicomediẽsis quidam.

Apud Nicomediam vnus de nobilibus, simul vt vidit contra Dei cultores in foro crudelia edicta pendere,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

calore fidei ignitus, publice populo inſpectante, iniecta manu librum iniquæ legis detraxit, & coram omnibus diſcerpſit, Auguſto in eadem vrbe ſimul cum Cæſare conſtituto; ad quos cum religioſi viri,& illuſtris,factum relatum eſſet, mox in eum omni crudelitatis genere deſæuientes,ne hoc ſolum quidem efficere quiuerunt, vt eum aliquis mæſtum in pœnis videret; ſed læto, & hilari vultu, cum iam viſcera in ſupplicijs defeciſſent, ſpiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo Tortores ſui grauius cruciabantur,quod omnia genera ſuppliciorum in eum conſummabant, quem nec triſtem ex his reddere poterant.

Cap. 6. Dorotheus aulicus à cubiculo principis.

Poſt hunc vnus ex Dorothei ſodalibus, qui in cubiculo Regis erant, & in affectu ſemper liberorum habiti fuerant;cum de memorati martyris ſupplicijs liberius cauſaretur, educi ipſe iubetur in medium, & immolare compellitur; abnuens, iubetur appendi, & flagris toto corpore laniari;cumque remaneret immobilis, viſceribus iam pelle nudatis, iubetur aceto ac ſale perfundi. Cumque etiam hoc tormenti genus conſtanter ac fortiter toleraſſet, craticula prunis ſuperpoſita iubetur in medio poni,ibique quod reliquum fuerat in verberibus aſſumpti corporis ſuperponi, & non ad ſubitum, ſed ſenſim paulatimque ſuccendi, quo ſcilicet pœna protelaretur in longum. Miniſtris autem ſcelerum modo hinc,modo inde corpus verſantibus, & ſupplicia renouantibus, cum ſperarent ab eo ſe elicere conſenſum,ille firmus in fide,& ouans in ſpe, conſumptis iam & igne reſolutis carnibus ſuis, vltimum ſpiritum in fide lætus exhalauit.

Petrus.

Tali Petrus,hoc enim ei nomen eſt martyrio decoratus, vere Petri extitit & fidei hæres, & nominis. Huius inſtitutor in Diſciplina, & magiſter in officijs, quæ in palatio exhibebãtur,Dorotheus erat cubiculi regis præpoſitus, habens ſecum officio, fide, & magnanimitate

Gorgonius.

parem Gorgonium, quorum inſtitutionibus optimis, omnes fere cubiculi miniſtri, in fide Dei vigilanter, & libere perſiſtebant. Dorotheus autem, & Georgonius cũ Petrũ tam immanibus viderent ſupplicijs cruciari, cõſtãter & libere dixerũt:Cur Imperator in Petro punis ſententiam, quæ viget in omnibus nobis? Cur in illo crimen ducitur, quod nos omnes confitemur? Hæc nobis fides, hic cultus, & vnanimis eademque ſententia. Quos ille cum in medium venire iuſſiſſet, ſimilibus pene vt priores affectos ſupplicijs ad vltimum laqueo appenſos, necari iuſſit. Tunc & Anthimus ipſius vrbis epiſcopus in Domini confeſſione perdurans, martyrij gloriam capitis obtruncatione ſuſcepit. Quem tãquam bonum paſtorem viam martyrij præeuntem, vniuerſa pene gregis ſui multitudo proſecuta eſt.

Antimus epiſcopus Nicomedienſis.

De cæteris, qui paſsi ſunt Nicomediæ, & Meletenæ.

Cap. XXI.

Incendiũ palatij Nicomediẽſis impingitur Chriſtianis.

Accidit namque apud Nicomediam in ipſis diebus partem aliquam palatij incẽdio conflagrare, quod Imperator à noſtris factum ſuſpicans, furore ſuccenſus, iuſſit omnes cateruatim collectos, gladio alios truncari, alios comburi. Sed cum miniſtri interrogarent ſingulos, ſi forte ſacrificaturi vellẽt dimitti;tam viri,quam mulieres, ne interrogari quidem ſe patiebantur, ſed vltro vel flammis irruere, vel cædentibus gladijs certatim ceruices obiicere. Cumque iam illiſipſis ſpectatoribus nimietas crudelitatis horreſceret, miniſtri ſcelerum partem populi nauiculis iniectam, in medium pelagus adducunt; ibique in ſententia fidei perſiſtentes,in profundum præcipitant. In tantum vero apud eos exarſit crudelitas,vt etiam Regios pueros martyres effectos,ac ſepultos effoderent,& corpora eorum in mare proijcerẽt, dicentes: Ne forte Dij Chriſtianorum efficiantur, & illi qui Deos adorare nolebant, ſeruos noſtros adorent:

Per Regios Pueros, Dorotheum, Petrũ, & Gorgoniũ intelligit cubiculares miniſtros Cæſaris pro Chriſto occiſos.

putant etiam, quod apud nos diuinus honor martyribus deferatur.

Cum hæc apud Nicomediam gererentur, haud ſegnius apud Melitenam prouinciam Syriamque omnes eccleſiarum principes carceribus retrudi, & in vinculis conijci, edictis principalibus vrgebantur:ſimulque cum his ex plebe viri ac mulieres nobiles,& ignobiles rapiebantur; fiebatque vbique miſerabile ſpectaculum. Subito namque inueniebatur in vrbe ſilentium & ſolitudo, in carceribus conſtipatio. Verum cum peruenisſet ad principem,æſtuare carceres,& per innocentium pœnas locum deeſſe criminoſis, noua rurſum edicta mittuntur,vt ex his, qui concluſi erant; ſi quis immolare vellet, liber abſcederet: qui verò abnueret, diuerſis pœnarum generibus interiret.

Carceres repletur Chriſtianis.

De his qui paſsi ſunt in Paleſtina, & Tyro.

Cap. XXII.

Euſeb. ibid. cap. 7.

Cvm iam quantæ per ſingulas prouincias multitudines martyrum extiterunt, quis comprehendere valeat? ſed nec illorum quidem agones, quos apud Paleſtinam vel Tyrum præſentes inſpeximus digne memorare ſufficimus; neque enim audita, ſed oculis noſtris inſpecta narramus.Exquirebantur diuerſa tormentorum genera ſibi inuicem ſuccedentia, flagris primo per omne corpus Dei martyres carpebantur: poſt hæc ad beſtias tradebantur; & omnis contra eos hominum beſtiarumque & elementorum crudelitas armabatur. Ad hęc Dei cultores ſtatuuntur in medio denudati arenæ loco, additur adhuc arcte intra caueas beſtijs furor, & ita ſæuiores ſemetipſis effectæ clauſtris proruũt,ſubito replent ſtadium, circumdant eccleſiam martyrum in medio ſitam, circumeunt ſæpius, & obluſtrant,& diuinæ virtutis eis adeſſe cuſtodiam ſentientes,procul ab eis abſcedunt.Sed illico furor, qui reprimebatur in beluis, tranſit in homines, nemo Dei præſentem virtutem, aut diuinum adeſſe pijs auxilium ſentiebat. Sed mittuntur quibus hoc artis erat inſtigare beſtias contra eos, quos Diuina gratia defendebat. Verum vt oſtenderetur omnibus, non beſtijs deeſſe feritatem, ſed Diuinam Dei cultoribus adeſſe cuſtodiam, illos ipſos qui ad inſtigandum mittuntur, incredibili velocitate diſcerpunt. Et cum iam nullus ex eis auderet accedere, iubentur martyres ipſi commotis manibus aduerſum ſe beluas incitare; ſed nec ſic quidem aliquid pati poterant. Nam & ſi forte aliqua fuiſſet ex beluis concitata,cum peruenisſet ad proximum, protinus in ſemetipſam conuerſa repedabat. Tunc ſtupor ingens, & pauor omnes, qui in ſpectaculis conſedebant, inuaſerat; ſed tentatur adhuc ab hominibus Deus.Iubentur alij vere criminoſi,beſtijs ſubigi, qui omnes in momẽto perierunt à beſtijs in aera diſperſi. Sed ne ſic quidem beſtiæ concitatæ Dei cultoribus aliquid generabant moleſtiæ, diuino eos ſpiritu velut muris validiſſimis muniente. Iubentur illæ amoueri, & pro eis aliæ dimitti: quæ cum ſimiliter nihil triſte ſanctis inferrent,amotis etiam his ſæuiores feris, homines martyribus immittunt,gladijſque peragũt, quod beſtijs nequiuerunt. Et vt in omnibus ſe beluis eſſe nequiores oſtenderent, prohibebant & cadauera terræ mandari,& iubebant fluctibus dari.

Beſtiæ nõ attingũt Chriſtianos.

De his qui ſunt paſsi in Aegypto.

Cap. XXIII.

Euſeb. ibid. cap. 8.

In Ægypti quoque prouincia innumerabiles non inferiori gloria tam viri, quam fœminæ ac pueri, *per fidem Domini Ieſu Chriſti* præſentem vitam paruipendentes, futuram gloriam quæſierunt. Quidam ex eis poſt verbera,poſt vngulas, poſt flagella, alioſque diuerſi generis horribiles cruciatus, flammis traditi ſunt, alij in

Martyres apud Aegyptum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mari præcipitati, nonnulli etiam capite cæsi sunt, ita vt sponte ceruices suas securibus darent; nonnulli inedia consumpti: alij patibulis affixi, in quibus quidam more peruerso capite deorsum presso, pedibus in sublime sublatis, torti sunt.

Cap. 9. Martyres apud Thebaidā.

Apud Thebaidem vero omnem narrationem superat agitata crudelitas, pro vngulis testas fictilium vasorum tortores adhibebant, quibus omne corpus eousque lacerabant, donec totam carnis cutem eraderent. Mulieres quoque nudas, ita vt ne pudēda quidem contegerentur, arte quadam & machinis positis vno pede in excelso suspensas, & capite in terram demersas, indignissimo spectaculo expositas per diem continuum pendere sinebant. Alias sicubi vicinæ sibi duæ arbores inueniebantur vi quadam ab vtraque inflexis contra se inuicem ramis, eisque singulis singulos pedes martyris obligantes, subito ramos quos vi inflixerant relaxabant, qui cum ad situm suum impetu naturali referrentur, discerptis visceribus, auulsa secum membra rapiebant.

Diuellebātur martyres in flexis oppositarum arborum ramis.

Passio Sancti Phileę episcopi cum pluribus cæteris.

Cap. XXIIII.

Aegypti martyres.

NOs quoque cum in Aegypti partibus per idem tempus iter perageremus, oculis nostris inspeximus, vt sedēti pro tribunali sæuissimo præside, offerrentur innumeri fidelium populi, quos ille per ordinem confessos se esse Christianos iussit capite plecti. Qui egressi ad contiguum mænibus cāpum, non carnificum nexibus tracti, sed fidei vinculis colligati sponte omnes, imo alter alterum præueniens ceruices cædentibus obiectabant. Videbam cæde fessos carnifices residere, vires resumere, gladios mutare, nullus tamen ex omnibus, ne paruulus quidem infans deterreri potuit à morte. Sed hoc solum pauebant singuli, ne dum forte properū sol vergens diem clauderet, separatus à consortio martyrum remaneret. Et dum priores quique iugularentur; reliqui non desidię aut torpori indulgebant, sed psallentes, & hymnos Deo canentes, locum quique martyrij sui expectabant, vt extremos spiritus in Dei laudibes exhalarent.

Cap. 10. Phileas Thmnitarum episcopus.

Hanc coronam gemma nobilior adornabat, hunc gregem Pastor illustrior decorabat, Phileas scilicet qui vrbis ipsius quæ Thmnis appellabatur, episcopus erat. Hic cum plurimos propinquos nobiles haberet, in vrbem frequenter ad præsidem ducebatur, eiusque monitis acquiescere suadebatur, tot, & tantis propinquis exorantibus; vxoris, & liberorum respectum habere, nec in cæpta præsumptione persistere. At ille garrientium dicta despiciens, ad cœlum animo tendebat;

Philoromus.

parentes & propinquos Sanctos Martyres, & Apostolos dicebat. Aderat tunc quidam vir agens turmam militum Romanorum, nomine Philoromus, qui cum videret Phileam circundatum lachrymis propinquorum, & Præsidis calliditate fatigari, nec tamen vllatenus flecti posse, aut infringi, exclamauit: Quid inaniter constantiam viri tentatis, eumque qui fidem Deo seruat, infidelem efficere vultis? Quomodo potest lachrymis terrenis flecti, cuius oculi cœlestem gloriam contuentur? Tunc cunctorum ira in eum versa, vna ipsum cum Philea subire sententiam poscunt. Quibus libenter annuens iudex, vtrumque plecti capite iussit.

Qualiter idem in vinculis positus scripto gregem suum confortauit.

Cap. XXV.

Hieronymus de illustribus viris. Hic Phileas de ciuitate Thumi, nobili genere, & non paruis opibus, susceptо episcopatu librum de laude martyrum composuit.

Eusebius vbi supra cap. 10. Scribens igitur ad Thmuitas, post aliquanta hæc refert: Horum nobis bonorum exempla Beati Martyres præbuerunt, qui vna nobiscum in agonibus perdurantes mortem pro pietate cæperunt. Considerabant enim *Deum (propter nos hominem factum,)* hæc docuisse nos exemplo suo, vt vsque ad mortem obluctemur contra peccatum: quorum nunc si velim robur, & tolerantiam exponere, nec mihi copia tanti sermonis est, nec puto alijs, quam his qui oculis suis viderunt, quæ gesta sunt credibilia videri. Erant enim expositi omnibus volentibus pro libidine supplicia inferre, & si quod aliquis per ocium excogitans nouum genus supplicij detulisset, licebat eis inferre. Verberābātur alij fustibus, alij virgis, alij flagris, nonnulli loris districti, vel funibus appensi, eratque studium per singulos, nouum genus adinuenire supplicij. Post tergum alij iunctis manibus appendebantur, & trochleis distenti membratim diuellebantur. Iam vero vngulis exarari vetus ac leue ducebatur, non (vt latronibus, & homicidis solet) tantum latera fodiebant, sed & venter, & femora, & tibiæ, & vsque ad vngues vngula peruenichant: sed nec facies quidem nec frons à tormentis immunis remanebat. Cumque corpora fuissent absque omni humanitate laniata, exposita in publico, & nudata non solum veste, sed etiam cute, crudele cunctis prætereuntibus spectaculum fierēt. Quosdam vero columnis constrictos, & post tergum distortis brachiis vinctos relinquebant. Alij pene totum diem suspensi equuleis exigebant: & cum omne corpus vel tormentis vel verberibus fuisset absumptum, trahi nudum pedibus rursum iubebatur ad carcerem, ibique neruo pedibus conclusis, recentibus adhuc vulneribus reijciebantur in solum testarum fragmentis subter stratum. Interea, quam plurimi vsque ad mortem fortiter perdurantes, tyrannis pudorem non minimum conferebant. Alij recepta sanitate corporis, ad reparandos denuo agones dispensatores pęnarum sponte prouocabant: quos illi erubescentes, rursum ad tormenta reuocare; ipsa eorum audacia territi, capite cædi iubebant.

Noua supplicia.

Hæc Beatus Phileas in vinculis positus, & in carcerem retrusus, commissæ sibi Ecclesiæ scribebat, quibus eos vna secum socios martyrum, & consortes cælestium faceret coronarum.

De his, quæ passa est ecclesia in Phrigia, & Arabia, cæterisque prouincijs.

Cap. XXVI.

Eusēb. cap. vndecimo.

IAm vero illud, quod apud Phrygiam gestum est, quis audeat præterire? in quo & communia humanitatis, & propria Romani regni iura violata sunt. Vrbem quandam Christianorum sacrificare nolentium, iubent circundari, ipsamque cum ciuibus scilicet viris, mulieribus, & paruulis igne concremari, ita vt nullus, etiam cum optio daretur, ex vrbe abscederet. Cuius numerosi martyrij extitit auctor, & dux vir religione, & omni benignitate clarus nomine Adauctus, honoribus palatij per gradus singulos, vsque ad officiorum magisterium perfunctus.

Ciuitas Phrygia Christiana exusta.

Adauctus martyr.

Quis possit vel illa repetere, quibus apud Arabiam Sancti Martyres securibus cæsi sunt? Aut quæ in Cappadocia gesta sunt, vbi crura Dei cultoribus frangi iubebantur. Quis Mesopotamiæ referat cruciatus, vbi Christianos singulis manibus pedibusque suspensos,

Arabia.

Cappadocia Mesopotamia.

amariſſi-

amariſſimo fumo ſubteringeſto, indignis cruciatibus enecabant? Alios vero lento igne ſubter adhibito longioribus tormentis abſumebant.

Cap. 12. Mira martyrum carnificina.

Illa quoque quomodo replicem, quæ apud Alexandriam geſta, etiam veterum Poetarum fabulas vincunt? vbi obtruncatis auribus, & inhoneſto vulnere naribus, manuum quoque cæterorumque membrorum ſummitatibus amputatis, truncum ſinebant abire deriſum.

Apud Antiochiam vero quomodo recordabor craticulas prunis impoſitas, quibus Chriſtiani ſuperimpoſiti torrebantur? Sed inter hæc, duo iuuenes nobiles comprehenſi, cum ſimulacris cogerentur immolare, dixerunt: Ducite nos ad aras; & cum fuiſſent adducti, manus ſuas igni ſupponentes ardenti, ſi ſubtraxerimus, inquiunt, ſacrificaſſe nos credite, & quoadusque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurarunt.

Cap 13. Carnificina martyrũ apud Pontum

In regionibus autem Ponti crudeliora gerebantur, arundines acutæ quibuſdam ſubunguibus digitorũ infigebantur; alijs plumbum igne liquefactum dorſo infundebatur. Suſtinebant tamen omnia fortiſſimi ac pijſſimi martyres, cum præclari iudices in eo ſolo ſapientiam ſuam omnibus futuram in admiratione cenſerent, ſi aliquod nouæ crudelitatis ſupplicium inueniſſent.

De Sancto Eraſmo Antiocheno epiſcopo.

Cap. XXVII.

Eraſmus latet in eremo

EX geſtis eius. Cum autem in Antiochia Diocletiani decretum contra Chriſtianos proceſſiſſet, vt quicumque Dijs non ſacrificaret, multis ſupplicijs deperiret: hoc audiens Beatus Eraſmus epiſcopus eremum petijt, in qua per 7. annos habitauit iuxta montem Lybani, Diuinæ contemplationi vacans, multiſque ſignis, & virtutibus coruſcans, per quod ſeptennale ſpacium, eſca diuinitus ei miniſtrabatur per coruum. Vniuerſæ etiam feræ naturali ferocitate poſtpoſita, manſuetas ſe eſſe præbebant, & cellulam eius frequentabant, proſternẽteſque ſe ad veſtigia eius, venerationem ei dignam exhibebant: angelico quoque ſe in eiſdem locis confortabatur colloquio.

Redit ad ciuitatem.

Quadam die vox ad eum de cælo facta eſt, vt in ciuitatem deſcenderet. Cumque illuc deſcendiſſet, multos à dæmonibus vexatos, *in nomine Ieſu Chriſti* liberauit, multos in Sacro Baptiſmate conſecrans ad Deum conuertit.

Siſtitur Diocletiano Imper.

Hæc audiens Diocletianus iuſſit eum teneri, ſibique præſentari. Interrogatus ab eo, quid profiteretur? *Chriſtianum* ſe eſſe reſpondit. Cumque monitis eius acquieſcere nollet, vt Dijs eius ſacrificaret, iuſſit plumbo latera eius cædi, deinde fuſtibus grauiter macerari, ſed nihil ei nocuit, poſtea reſina, pice, ſulphure ſimul cum cera perfuſus illæſus apparuit: nam Angelus ei aſtitit, qui totum illud incendium refrigerauit, & illæſum per omnia martyrem reddidit. Tunc vniuerſa plebs Antiochenorum exclamauit: Dimittite iuſtum hominem ciuitatis epiſcopum, quia *Deus Chriſtianorum in illo operatur*. Dum hæc autem fierent, ſubito terræmotus factus eſt magnus, tonitruaque, & coruſcationes fere per tres horas, ita vt ciuitas ab ira Dei tota perire putaretur. Imperator tanto fragore percuſſus diſceſſit. Tandem ſe reuocans, ad populum ait: Seductor iſte Deos noſtros blaſphemauit, ideo conturbatio talis accidit. Iuſſitque Sanctum in carcerem introduci, & ceruicem eius ac manus ingenti cathenarum pondere conſtringi, pœnam mortis intentans, ſi quis ei vel pauxillum aquæ miniſtraret, annuloque proprio carceris oſtia muniuit.

Plumbatis caditur & fuſtibus.

Reſina, pice, ſulphure, cera illæſus perfunditur.

Angelica ſalutatione & viſitatione erigitur & in Italiam ducitur.

Circa tertiam vero noctis horam Sanctus ad Dominum clamauit, & ecce ſubito carcer illuxit, & quaſi aromatibus eſſet plenus flagrauit, *& Chriſtus Dominus ingreſſus, eum vt ſurgeret, vocauit*. Statimque omnis catenarum colligatio diſſiluit; & ferrum quaſi cera liquefactum eſt. Sanctus autem in medio carceris ſtabat, Deumque collaudans orabat: Et ecce Angelus Domini dixit ei: Eraſme præcingere, & veni mecum in Italiam, ibique Domino populum acquires in vitam æternam: ſtatimque quaſi columba Chriſti in momento Lucoidam vſque deportatus eſt.

Hæc omnia habentur in Mombritio tom 1. & recitantur à Surio 2. Iunij.

Alia vero die prorumpens Imperator ad carcerem, annuli ſui ſigillaturam integram recognouit, & miſſis intro miniſtris ait: Educite Magum iſtum, qui Deos noſtros adnihilauit. Qui ingreſſi cum clamore, & ſtupore redierunt dicentes ſe hominem non inueniſſe, ferrum vero quo vinctus fuerat in cinerem redactum eſſe. Tunc Diocletianus confuſus cæpit alapſis ſibi frontem contundere dicens: Væ Dijs meis, quos hodie contemptui haberi perpendo, regnoque meo ludibrium inferri præſentio; multi enim iam ad ſpectaculum martyris properabant. Viduæ quoque, & orphani epiſcopum exigebãt dicentes: Redde nobis patrem noſtrum, ne ciuitas periclitetur; omniſque plebs lachrymabiliter vociferabatur; Quid feciſti de homine iuſto? Redde eum ciuitati ſuæ. Diocletianus autem nimis anguſtiatus, licet veſano ſpiritu proflaretur, rei tamen veritatem fatebatur, dicens; quod eum Angeli rapuiſſent, vt putabat, in cœlis, & vix tumultuantem ſedauit multitudinem.

De fructu prædicationis eius in vrbe Lucoida.

Cap. XXVIII.

CVm autem Sãctus Eraſmus ad vrbem Lucoidam, Angelico ductu peruenisſet, & ſignis & virtutibus viam regni Dei, quam prædicabat aſtruebat, & populum Deo acquirebat; erat ibi vir nobilis Anaſtaſius eiuſdem loci primarius, cuius filius, cum lachrymis, & planctu ſuorum, cum efferretur mortuus vir Sanctus obuius eis factus, facta oratione eum ſuſcitauit. Exurgens autem puer exclamauit: *Vere magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui per famulum ſuum Eraſmum me reſuſcitauit*; Pater, vſque nunc errauimus: nam Deos quos colebamus vidi in inferno torqueri incendijs gehennalibus: Deus vero quem prædicat Eraſmus, *ſolus Deus eſt, & magnus Deus*. Hoc audito Anaſtaſius credidit, & domus eius, & vniuerſus populus, baptizatæ ſunt autem centum triginta circiter animæ; cepitque vniuerſus populus aras ſubuertere, & ſimulacra conterere; Eraſmus autem in Doctrina confirmare. Maximianus autem ea, quæ facta ſunt Lucoidæ vt audiuit, Eraſmum teneri, & ſibi offerri iuſſit. Qui interrogatus ab eo cuius religionis ſe cultorem aſſereret; tacebat, cælumque oculis aſpiciebat. Maximianus autem eum exalapari iuſſit, & ait: Conſule tibi, & accede, ſacrifica Dijs noſtris. Qui reſpondit, quibus Dijs iubes me ſacrificare? Apprehendit ille manum eius, eumque in interiora templi deducens oſtendit ei ſtatuam 11. cubitorum dicens: Hic eſt Iupiter inuictiſſimus, cui ego, & omnis cætus noſter deſeruimus. At Sanctus, viſo Diaboli figmento, *ſignum Sanctæ crucis* oppoſuit, ſtatimque ſolotenus ſtatua illa corruit, & penitus comminuta, & in cinerem redacta eſt, ex qua etiam Draco magnus exiuit; qui tracto lubrico perniciosus ferebatur in populum, qui & anhelitu ſimul importabilis, & viſu quos obuios habuit, interfecit. Imperator ergo ſe videns illuſum ad palatium feſtinus occurrit; vir autem Sanctus Draconi ne amplius in populum deſæuiret, imperauit; qui ſtatim diſceſſit. Quod videns populus voce magna proclamauit: *Magnus eſt Deus Chriſtianorum*; multique crediderunt in Dominum.

Siſtitur Maximiano Imper.

Indignatus autem Sathanas cum ſuis; & vaſa, quæ diu poſſederat, ſibi eripi dolebat, fremituſque, & colliſiones perualidæ quaſi compugnantium aduerſum ſe caſtrorum audiebantur in aere: Econtra, Sanctis Angelis gaudium erat, ita vt audirentur voces iubilantium, & cantantium, *Gloria in excelſis Deo, &c.* Populus autem ſuccinendo reſpondebat *Amen*. Maximianus autem indi-

gnans,

gnans, præcepit omnem illum cætum candidatorum trucidari, sicque trecenti triginta circiter sacrificare nolentes martyrio consummati sunt. Qui dum ducerentur ad victimam clamabant: *Ora pro nobis Pater Erasme, & commenda nos Deo.* Quod cum fecisset, obuiantes Angeli Sancti, Martyrum animas triumphantes suscipiebant, deducentes ad cæli palatia, audiebanturque voces canentium *Alleluya.*

330. *martyres ab Erasmo baptizati.*

De quibus tormentis illesus exiuit.

Cap. XXIX.

Tunicæ ereæ ignea vestitur.

TVnc Maximianus furibundus contra Sanctum, iussit tunicam habitudine æream statuere, corporis eius adæquantem exhiberi, & vehementer igniri, sanctoque Martyri circundari, qui *facto Christi signaculo* Christum interius indutus, excandescens, illud indumentum lætus, & alacer sibi circundat psallens, & dicens: *Transiuimus per aquam, & ignem, nunc educas me Deus in refrigerium.* Statimque tunica illa adeo refriguit, ac si largissimis imbribus inundaretur, nec aliquam adustionis maculam Beato Martyri prorsus intulit. Qui mox Imperatori gratulabunda voce insultans, ait: Ecce comprobasti stultissime hominum, quia *virtus Christi, flammis & ignibus imperauit, & Deos tuos lapideos, & fusiles inualidos reddidit.* Tunc Imperator iubet sartaginem igniri, plumbumque, picem, resinam, ceram, oleumque pariter in ea eliquari, & *Athletam Christi* præcepit illic immergi dicens: Nunc Erasmus artes suas excitet, nunc ferrea latera sibi fabricet, nostrumque si prævalet, contemnat imperium, & præparatum eludat incendium. Paretur tyrannicis præceptis, & ingens olla, ac lignorum copia succenditur, quam Sanctus *Christi vexillo* se muniens lætissimus insilit dicens: Hæc olla mihi refrigeriũ præstet, *in nomine Domini Iesu Christi.* Illo talia prosequente, circa corpus innoxium furebat incendium, & velut indignans ad iniurias eidem illatas, ad vltionem eius creatura armatur: nam exiliens ex vndosa sartagine, quædam torrens scintilla Maximianum cominus stantem (non nescia quem quæreret) petit, eique adeo valide infligitur, vt cum eiulatu terribili vociferaretur dicens: ARDEOARDEO, *virorum optime Erasme ora pro me.* At Sanctus, qui inter spumeos ardentium vortiginum cumulos subito credebatur arsurus, stupentibus cunctis, illæsus ibi diutius perstitit, & tandem ex sartagine rediens, ludibundus Maximiano dixit: Quid est Imperator: *Ecce Dominus noster Iesus Christus, cui omnis creatura deseruit machinamenta tua dissoluit, & dolor quem mihi paraueras, in caput tuum recidit;* animaduertendum licet tibi quomodo cum ardoribus sempiternis poteris habitare, si temporarium igniculum sufferre non prævaluisti: & quamuis iam tibi respondeat malitia tua futurorum malorum præsaga, patientiam tamen *Domini Iesu*, qui malum pro malo reddere prohibet, imitantes, in eius nomine præcipimus vt à vexationis huius dolore dimittaris vt circunstans populus Dei potentiam collaudans, à Diaboli laqueis resipiscat: quo dicto, statim ab illo conquieuit omnis vstulationis læsio.

Psal. 65.

In ollã, plũbo, pice, cera, resina, & oleo fernefactam iterum mittitur.

De fælici transitu eiusdem.

Cap. XXX.

Carceri inclusus liberatur ab Angelo, & ducitur in Campaniã.

AT ille miser putans sibi magicis artibus illusionem inductam, iussit Sanctum ad carcerem deduci, & catenis vinciri, ac diligenter custodiri, vt in sequenti die nouis, & inexpertis eum tormentis discerperet. At cum Sanctus in carcere vinctus teneretur, noctis medio iuuenis ei splendidissimus apparuit, pulsansque latus eius, & omnem concatenationem dissoluens, ait: *Erasme surge.* Et apprehendens eum eduxit de ciuitate, qui diuina prouisione, reparata naue transmigrauit in prouinciã Campaniam. Maximianus verò interim cum eum requisiset, & non inuenisset, exagitans caput, & in risum solutus, magnos, inquit, cruciatus pertulit Erasmus, sed dum fugæ sapienter consuluit, maiores effugit. Seruus autem Dei delatus in Campaniam, ad ciuitatẽ Formianã per 7. dies ibi Dei laudibus vacãs, consolatione Diuina refouebatur, & Angelica visitatione recreabatur. Quibus completis, vox de cœlo consolatoria ad eum facta est dicens: *Erasme serue bone, & fidelis, qui bonum certamen certasti, qui maximum mihi fructum in terris acquisisti, veni ingredere in gaudium Domini.* Suspiciens autem, vidit coronam rutilantem desursum illabi, ac super se dimitti, & inclinans caput suum dixit: *Domine suscipe spiritum meum in pace.* Tunc deuotissimas Deo gratias agens, animam creatori suo consignauit, quæ niue candidior apparens, Angelico ductu deportata, visa est cœlorum alta penetrare.

Vocãte Domino, sancto fine quiescit

De Sancto Bonifacio, & Aglaide.

Cap. XXXI.

EX gestis eius. In illis etiam temporibus erat Romæ mulier nobilis nomine Aglais filia Acacij quõdam Proconsulis. Hæc ergo ter candidam egerat Romæ præfecturam, habens sub se 73. Procuratores, & vnum, qui super omnes erat, nomine Bonifacium, adulterum, qui etiam cum ea commiscebatur in peccatum. Erat tamen hospitalitatis largus, & operibus misericordiæ intentus. Tandem Aglais per gratiam Dei compuncta, vocato illo dixit: Frater scis in quanta peccata conuoluti sumus, non æstimantes, quia Deo assistere debemus, & rationem reddere de malis, quę gessimus: audiui autem à Christianis, quod si quis administrauerit Sanctis, qui agonizantur *pro nomine Christi*, consors eorum fiet in die iudicij: Perge igitur in partes orientis, vbi agonizantur vt didici, & affer nobis reliquias Martyrum, si quomodo administrantes eis, & oratorias domos ædificantes, per Sanctas eorum passiones saluemur tam nos, quam alij multi. Qui accipiens aurum ad comparanda corpora Sanctorum, & administrationem egenorum & 12. equites, egrediens, Dominæ suæ ait: Si inuenero ad comparandum corpora Sanctorum Martyrum, afferam mecum: Sin vero corpus meum venerit *in nomine Martyris* susципies illud. At illa, abijce, inquit, abs te ebrietatem, & stultiloquium, & sic vade vt deuotus; quare sic loqueris, qui Sanctorum corpora portare habebis? Egrediens ergo Bonifacius, cogitauit, vt quia licet indignus, & peccator, Sanctorum corpora portare haberet, à carnibus, & vino abstinere deberet; factaque oratione ad Deum, ambulans venit in ciuitatem Tarsum, & cognoscens, quod Athletæ Christi agonizabantur in martyrio, dixit ad eos, qui erant cum eo: Euntes, requirite nobis hospitium, & ego vado videre eos, quos valde desidero. Pergens igitur ad stadium, vidit martyres in tormentis positos, vnum suspensum à capite deorsum, & ignem subtus eum stratum; alium inter ligna quatuor extensum, & diutissime maceratum, alium vngulis laceratum, alium manus habentes abscisas, alium stipitem in collo eius fixum à terra exaltatum, alium retro manus, & pedes habentem, & sic fustibus à ministris cæsum: accedensque cæpit osculari eos, & voce magna clamare: *Magnus Deus Christianorum, Magnus Deus Sanctorum martyrum, obsecro vos famuli Christi, orate pro me, vt ego merear vestri consors inueniri.* Sedensque ad pedes martyrum qui plectebantur; vincula eorum osculans, ipsosque ad patientiã exhortans. Quem intuens Iudex Simplicius ait: Quis est iste, qui de contemptu meo, ac Deorum iniuria hoc gerit? applicetur ergo ante tribunal meum.

Vitam S. Bonifacij leges in Metaphraste ex quo & Surius eam descripsit.

Vehemẽs desiderium reliquiarum sanctarũ in Aglaide.

Obseruare religionem hũ & reuerentiam Bonifacij.

Vide in Bonifacio miram mutationem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Paſſione Sancti Bonifacij.

Cap. XXXII.

Dire cruciatur ſed fert patientiſſime

CVmque adductus, fuiſſet interrogatus, quis eſſet? Chriſtianum ſe eſſe conſtanter reſpondit, & idolis immolare penitus recuſauit. Vnde iratus Iudex iuſſit eũ ſuſpendi, & corpus eius diutius radi, ita vt oſſa eius apparerent: at ille tacebat, & oculos attentos ad Martyres habebat. Cumque ſacrificare nolens perſeueraret, Iudex iuſſit calamos acui eoſque ſub vngulis manuum eius infigi; quod cum fieret, aſpiciens Martyr in cœlum dolores alacriter tolerabat. Videns autem Iudex, quod minime torméta ſentiret, iuſſit os eius aperire, & plumbum bulliens infundi: qui aſpiciens in cælum orauit, & ad Sanctos Martyres vt pro ipſo orarent exclamauit: Qui cum compleſſent orationem, & dixiſſent *Amen*, factus eſt ploratus à turba, & vociferatio maxima dicentium: *Magnus Deus Chriſtianorum, Chriſte fili Dei ſalua nos, pereant ſimulacra gentium*: Omniſque plebs impetum fecit, & aram deſtruxit: Iudex quoque timens turbas propter tumultum ſeceſſit. Diluculo autem pro tribunali reſidens, eum ſibi aſſiſti fecit, videnſque eum adhuc *in fide crucifixi* perſeuerantem, iuſſit afferri ollam, & pice impleri, & bulliente pice Sanctum in ea inuerſo capite mitti: Angelus autem Domini deſcendens ollam tetigit, & vt cera protinus ante faciem ignis liquefacta, Sancto quidem moleſta non fuit, multos autem de aſtantibus accendit. Tremefactus igitur Iudex pro virtute Chriſti, & admirans, patientiam martyris Sancti, iuſſit gladio caput eius abſcindi. Tunc ſpiculatores eum de medio incendij feſtinanter tulerunt, qui impetrata ab eis hora parua ad orandum conuerſus ad orientẽ; *Deum deprecatus eſt*; deinde à ſpiculatore percuſſus eſt, & factus eſt terræmotus magnus, ita vt omnes exclamarent dicentes: *Magnus eſt Deus Chriſtianorum.*

Plumbũ feruens in os eius funditur.

Præſes fugit.

Mittitur in feruẽtem picem martyr, ſed nihil laditur.

Capite plectitur.

De Tranſlatione corporis eius apud Beatam Aglaidem.

Cap. XXXIII.

Comites eius ignari cadis eius, veniunt ad corpus ipſius examine.

COnſerui autem Bonifacij circumibant vbique requirentes eum, & non inuenientes, dicebant ad inuicem, modo in adulterio, aut in taberna poſitus epulatur. Cumque obuiaſſet eis vnus ex officialibus, dicũt ei: Vidiſtine forſitan aliquem peregrinum Romanum. Qui reſpondit heri vir peregrinus *pro Chriſto* capite plexus, adhuc in ſtadio eſt, vbi & paſſus eſt. At illi: Hic inquiunt, quem quærimus adulter eſt, & ebrioſus: ſecuti ſunt tamen officialem vſque ad ſtadium, qui oſtendit eis corpus precioſum: quæſierunt etiam ab eo vt oſtenderet eis, & caput. Quo oſtenſo, cum illud conſiderarent, riſit in Spiritu ſancto, & cognoſcentes fleuerunt amare dicentes: *Ne memineris peccati noſtri, quia tanta locuti ſumus de te famule Chriſti.* Emerunt igitur ab officialibus corpus martyris quingentis ſolidis, vngenteſque illud aromatibus, & inuoluentes precioſis linteaminibus, poſuerunt in capſa, & ſic profecti ſunt; Angelus autem Domini apparuit Dominæ ſuæ dicẽs: Quem aliquando habuiſti ſeruum, nunc ſuſcipe ſicut Dominum; pro ſola enim eius interuentione peccata tibi relaxabuntur omnia. Quæ confeſtim ſurgens, clericos, & religioſos ſecum accepit, & ſic cum hymnis, & canticis, & omni veneratione Sancto corpori obuiauit, & repoſuit illud ad ſpacium * quinque ſtadiorum ab vrbe Roma via Latina, dignam domum ei ædificans, in quo etiam loco beneficia, Sancti Martyris orationibus, exuberant.

Inſigne miraculum.

Viſio Aglaidis.

* *Sic legit Ado; Metaphras tamen habet quinquaginta*

Beata autem Aglaes abrenunciauit mundo, & eius pompis; omnia ſua diſtribuens egenis, relaxans etiam vniuerſam familiam ſuam à iugo ſeruitutis: ſicque cum paucis puellis Chriſto famulata tantam gratiam à Deo meruit accipere, vt & dæmones expelleret, & diuerſas infirmitates curaret. Superuixit autem in habitu ſanctimonialium, annis * 13. & ſic obdormiuit in Domino.

* *Metaphras. 15.*

De Sancta Iuliana Virgine, & Martyre.

Cap. XXXIIII.

Vitam S. Iuliana habes in Surio ex Metaphras.

EX geſtis eius. Tempore quoque Maximiani erat Senator quidam Eleuſius, ipſius Imperatoris amicus, hic deſponſare ſibi puellam volebat nobilem Iulianam Africani filiam; qui & ipſe Chriſtianorum perſecutor erat. At vxor eius dum intentionem ſacrilegam perhorreſceret, neque Chriſtianis, neque paganis miſcebatur; Iuliana verò virtute pleniſſima, rationabili conſilio creatorem omnium, Deum colebat, & quotidie currens ad eccleſiam, orationi vacabat. Cumque vellet Eleuſius nuptiarum ſolennitatem implere, dixit illa: Euntes dicite ei: *Si crediderisin Deum meum accipiam te maritum, quod ſi nolueris nunquam mihi dominaberis.* Quod audiens Præfectus Eleuſius, nunciauit patri eius; qui pergens ad eam, primo quidem blandis verbis, deinde feras, & ignem comminans, vt ei conſentiret; hæc ab ea verba audiuit. Per filium Dei ſi debeam viua incendi, nec tibi conſentio; ſed priuſquam negem *Chriſtum* omnia gratis ſuſtineo. Tunc cæſam, & cruciatam, tradidit eam Præfecto ſponſo ſuo, qui videns pulchritudinem molliſſimis eam verbis allocutus eſt, vt eius coniugio ſponte conſentiret: quæ cum penitus nollet, niſi ille *Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum adoraret*, iratus iuſſit eam cædi cum virgis, ita vt mutarentur in ea ſeptem milites viciſſim cædentes: deinde cum nollet ſacrificare Dianæ, iuſſit eam per capillos quinque horis appendi: poſt hæc autem æs conflari, & expoliatam eam à capite vſque ad talos perfundi, & ſic eam incendi. Quod factum, cum nihil ei nocuiſſet, iuſſit per eius femora ligamen mitti, & ſic eam in carcerem recipi. Tunc orauit Sancta Iuliana, & ait: Domine Deus omnium diſpenſator, merentium defenſor, errantium paſtor, exaudi me precor, & ne deſeras me quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, extingue tyrannidẽ contra me inſurgentem, & fac erubeſcere Diabolum contra me reſiſtentem.

Traditur Præfecto Eleuſio.

Duriſſime virgo flagellatur. Suſpenditur diu capillis capitis.

Oratio eius ad Deum.

De conflictu eiuſdem cum Dæmone.

Cap. XXXV.

Diabolus ſub Angeli ſpecie ei apparet.

ET dum finiſſet orationem, Dæmon veniens in figura Angeli dicit ei: Iuliana dilecta mea, parat tibi Præfectus alia tormenta peſſima. Cum ergo te de carcere inſſerit egredi, accede, & ſacrifica vt ſalueris, ad hoc enim ad te miſſus ſum Angelus Dei. Tunc illa amaiſſime ingemiſcens, orauit cum lachrymis dicens: Domine ne permittas me perire, ſed conforta cor meum, & ſignifica mihi in nomine tuo confidenti, quis eſt, qui perſuadet hoc mihi. Statimque vox ad eam facta eſt: Confide Iuliana, tene eum, qui tecum loquitur, & ſcies, quis eſt; quæ ſana facta à doloribus ſuis, tenuit dæmonem, & dixit: Dic mihi, quis es, aut vnde, & quis te miſit? Qui ait, ego ſum *Iophin* niger, mali oblectator, tormenti amator, homicidijs gaudens, luxuriam ſuadens, miſſus à *Beelzebub*, qui totius mali eſt inuentor. At illa dixit: Immunde ſpiritus, quomodo præſumſiſti te Chriſtianis applicare. Tunc eum manibus poſt tergum ligauit, ac ſuper terram poſuit, & ſumens vnum de ferreis ligamentis quibus ipſa ligata fuerat, ipſam cædebat. Illoque clamante, & vt infœlicitatis ſuę miſereretur exorante, dixit ei: Confitere mihi cui homini iniuriam feciſti. Qui ait: Aliquorum hominum oculos extinxi, aliorum pedes confregi, alios in ignem poſui, alios ſanguinem vomere feci, alios laqueo vitam finiri, alios vomere manibus ſuis interfeci, & omnia mala, quæ in mũdo ſunt ego confeci, nemo tamen me tangere auſus

Apprehendit Dæmonem.

Ligat ac verberat Dæmonem.

fuit

fuit præter te, cuius virginitas contra sæuos armatur. Hæc eo dicente; Præfectus iussit eijci de carcere Iulianam. Quæ cum duceretur trahebat secum Dæmonem, qui rogabat eam dicens: Domina mea Iuliana, noli me amplius omnibus ridiculum facere, iam enim non possum vltra ad Patrem venire, quia superasti me; alij dicunt Christianos esse misericordes, tu autem ferox in me visa es: dumque talia diceret illa trahens eum per forum, proiecit in stercoris locum.

De consummatione agonis eiusdem.

Cap. XXXVI.

ET dum peruenisset in prętorium, facies eius gloriam ignis emittebat, vnde Præfectus metuens dixit ei. Quomodo tanta tormenta per incantationem superasti? At illa, *Dominus*, inquit, *Iesus Christus me confortauit, te autem erubescere fecit.* O pessima hora, quæ te miserum procreauit, cui præparatus est ignis æternus. Pæniteat te miser, & infælix, *Quia Dominus misericors, & pius vult omnem hominem saluari.* Tunc iratus, iussit rotam ferream præparari, & in ea acuta tubera fieri, ac Virginem super illam imponi, ipsamque rotam à 4. militibus trahi, vt virgo superposita discerperetur. Trahentibus ergo illis machinam, agna Christi membris omnibus scindebatur, & medullæ de ossibus eius exibant. Cumque iam pene exanimata esset, Angelus Domini descendit, & rotam comminuit, & vincula soluta sunt. Tunc illa manibus extensis in cælum cum lachrymis cæpit & gemitu glorificare Deum. Ipsi quoque carnifices clamauerunt dicentes: *Potens est Deus Iulianæ, nec est alius Deus præter ipsum.* Pænitet nos Præfecte, quia vsque nunc illusi fumus, & diuisi sunt quingenti homines vna voce clamantes: Et nos Iuliana *eum, quem tu, colimus Deum, pereat gens paganorum, exultet gens Christianorum, fac Præfecte, quod vis, infer nobis supplicia, insidias para, incende ignem, affer rotam.* Hæc præfectus renunciauit Imperatori, qui iussit illos omnes captos, gladio puniri. Præfectus autem iussit Sanctam Iulianam incendi, quæ cum orasset, Angelus Domini subito veniens ignem separauit, & flammam extinxit, deinde iussit eam Præfectus in ollam feruentem mitti, quæ facta est velut balneum temperatum, & ex ipsa resiliuit ignis, ac viros 76. de astantibus incendit. Hæc cum vidisset Præfectus, scidit vestimenta sua cum gemitu, & vituperans Deos suos, iussit eam gladio puniri. Quæ cum ad locum decollationis duceretur, Dæmon qui ab ea cruciatus fuerat veniens clamabat: Nolite ei parcere, sed quomodo digna est, ei reddite, Deos enim vituperat, hominibus iniurias facit, mihi quoque in vna nocte multa mala ostendit. Cumque illa paululum oculos aperiret, vt videret, quis esset qui talia diceret, clamauit Dæmon: Heu me miserum, forsitan vult me iterum retinere, statim ergo euanuit, & fugiens obmutuit. Cumque orasset virgo, cum patientia tradidit animam Deo, At vero præfectus cum nauigasset, in Suburbano, veniens tempestas valida nauem eius demersit, & cum eo mortui sunt viri 34. Cumque iactassent eos in locum desertum, ab auibus, & feris eorum corpora deuorata sunt.

Quingenti viri credunt in Christum & occiduntur.

Mittitur virgo in fornacem.

Sancta Iuliana capite plectitur.

Vltio Dei in Eleusium.

De Passione Sanctorum Episcoporum Felicis Tubizacensis, & Petri Aulani.

Cap. XXXVII.

EX *gestis eorum.* Hoc etiam tempore passus est Sanctus Felix * Tubizacensis episcopus, qui Anolino Proconsuli præsentatus, & nomen suum requisitus, respondit tantum *Christianum* se esse, libros quoque Sacros vel membranas quas habebat nolebat tradere. Vnde iratus ille, misit eum Romam ad Præfectum prætorij, qui iussit eum in carcerem recipi, ac maioribus vinculis ligari. Post dies autem 12. iussit eum post Imperatores nauigare, qui nauem conscendit, catenarum duris nexibus illigatus, & fuit in nauicula quatuor diebus, & quatuor noctibus iacens sub pedibus equorum, panem verò non comedens, nec bibens aquam. Ieiunus autem venit Nolam, quem cognitor ciuitatis ibidem capite plecti fecit 171. Calend. Februarij.

* *Petrus de Natalib. lib. 2. cap. 85. legit Tubabocensis.*

Eodem tempore passus est Petrus, qui & Balsamus apud Aulanam ciuitatem, sub Maximiano 3. Nonas Ianuarij; interrogatus à Præside Seuero vtrum haberet parentes, negauit dicens: In Euangelio mihi præceptum est, omnia denegare, cum ad Christi venero confessionem. Postea iussus est appendi, & vngulari, quod dum fieret nihil aliud dicebat nisi, *Hanc vnam petij à Domino, &c.* Et illud. *Quid retribuam Domino, &c.* Tandem iussus est crucifigi: huius Passionem transtulit Anastasius Apostolicæ sedis Bibliothecarius.

Lege Petrū de Natalibus lib. 2. cap. 39.

Psal. 26.

Psal. 115.

Passio Sanctorum Vincentij, & Orontij, & Victoris.

Cap. XXXVIII.

EX *gestis eorum.* Præterea passi sunt eo tempore Vincentius, & Orontius fratres: qui audientes crudelis Imperatoris iussa per Rufinum Hispaniæ præsidem data, ad martyrij palmam desideranti animo cucurrerunt, & eiusdem Præsidis iussu pro fide Christi decollati sunt. Victor quoque Leuita, qui eos hospitio susceperat, & trucidatorum corpora collegerat, ab eodem iussus est brachia scindi, & caput auferri in eodem loco, vbi, & ipsi fuerant decollati. Pater autem eiusdem Victoris hæc videns fugam arripuit, sed Matet eius Aquilina maritum apprehensum ad se, complexans, & caput eius pallio suo cooperiens ait illi, *Sta in fide fortiter, & moriamur pro Christo.* quos gladiator aspiciens genua curuantes, amborum capita abstulit. Cumque Sanctus Pontius episcopus, iuxta reuelationem Domini, plaustrum præparari fecisset, vt corpora martyrum ad pristina Italiæ loca referentur, super illud posita per loca ductori hactenus ignota perducuntur, donec iuxta ciuitatem Ebredunensem peruenirent, ibique prope muros ciuitatis placuit requiescere, nam boues cæperunt mugire, plaustra cum corporibus non valentes vlterius ferre.

De his Beda, & Vsuardus, Ado, & alij: pluribus autè Petrus in catalogo lib. 2. cap. 112.

De Sancta Lucia vidua, & consolatione eius in carcere.

Cap. XXXIX.

EX *gestis eius.* Sub Diocletiano quoque passa est Beata Lucia in viduitate sua permanens, iam per annos 36. eratque annorum 75. orauit igitur ad Dominum, proposito contra Christianos edicto Imperatorum, & ait: *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.* Dixitque ad filium suum Euprepium: Ecce nunc tempus paratum ad palmam, derelinquamus simulacra, quæ perdere nos possunt, non liberare, *& adoremus Dominum Iesum Christum, qui potest, & animam, & corpus saluare, & damnare.* Cui ille: Mater, inquit, delitas, quæ illum Deum esse confiteris, qui dicitur flagellatus, & cum latronibus crucifixus. Illa increpauit eum, qui talia loqueretur contra factorem suum. Tunc ille ad Imperatores cucurrit, & Matrem suam accusauit. Missus Gebal assessor vt eam adduceret; simulacrum Iouis coram ea posuit, & ait: Tu es cultrix illius *Crucifixi?* Quę exiens de domo sua dixit, fundamenta domus meæ pro simulacro in ea constituto corruant, nec me vltra suscipiant, sed digna sim conscribi in numero Sanctorum, qui pro Christo passi sunt. Venienſque ad palatium, post multas interrogationes ait: *Parata sum ad ignem, ad bestias, & ad quascumque volueritis pœnas.* Iussa est igitur trahi ad carcerem, quo cum peruenisset, mox ianua carceris contra eam clausa est, & fundamenta mota. Illa autem in oratione prostrata cum orasset, mirabilis odor suauitatis

Vitā huius describit Ado, quā habet Surius 16. Sep. sed latius Petrus lib. 8 cap. 85.

Psal. 58.

A filio suo Sancta Lucia accusatur.

Eius fortis animus.

fragra-

fragrauit de carcere, & vox de carcere ſonuit dicens: *Gaude in Domino ſemper, iterum dico gaude, quia illud, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit meruiſti accipere*; & nunc implete ſunt orationes tuæ. Tunc illa flexis genibus cæpit gratias agere, deinde pſallere, cui etiam per ſoporem affuit Dominus conſolans eam.

1. Cor. 2.

Chriſtus Dominus eã conſolatur.

De correptione Diocletiani pro ea.

CAP. XL.

Vindicta Dei in Diocletium & ciuitatem.

POſt quatuor autem dies fluuius de fundamento carceris inundauit, & media pars ciuitatis interijt, domus quoque Diocletiani à fundamento perijt, ita vt nec lapis in loco remaneret. Qui poſtea veniens, auditis, quæ acciderant, iratus ad carcerem abijt, illaque orante exclamauit: Malefica vbi eſt palatium meum, vbi aurum, & argentum, vbi Dij mei Iuppiter, Hercules, & Minerua? O laudabilis Deorum patientia, qui tibi nondum pœnam reſtituunt. Ad hæc illa: Laudabiles eſſent ſi te, & ſeipſos liberare potuiſſent, ne perirent. Tunc iuſſit eam extra ciuitatem duci, vbi ſedens pro tribunali, nodoſis fuſtibus extentam fecit mactari; & ecce, qui cædebat eam, factus eſt lapideus, manus autem eius carnea permanſit vſque nunc, propter quod vocatus eſt ille locus, AD MANVM CARNEAM, vſque hodie. Ipſe quoque Imperator penè vſque ad mortem aridus factus clamabat: *Deus Iupiter adiuua me*. Mox ille Iouis de loco ſuo cecidit, & comminutus eſt. Lucia vero ſubridens ait: *Sanet te Deus tuus Iupiter*. Cui inquit Imperator: Tu me, inquit, ſaluum fac. At illa: ſi credideris, faciam. At ille: *Per ipſum Crucifixum ſi me ſanaueris, credam*. Ad hæc Lucia: Scio, inquit, fallaciam tuam; ſed quia *Crucifixum* nominaſti, faciam tecum miſericordiam, ſtatimque ſanus factus exclamauit: Gratias tibi ago Iupiter, cæpitque currere ad templum eius, & ſubito terra mota ſciſſa eſt, & templum abſorbuit, vt nec lapis in eo remaneret.

Nodoſis fuſtibus dire cruciatur ſed tortor in lapidem conuertitur ſolũ manente manu carnea.

Simulata pietas Diocletiani non latet S. Luciam.

Poſt hæc Imperator venit ad carcerem, ollamque æneam pice, ac plumbo, ac reſina iuſſit impleri, & in circuitu eius lignorum copiam aggregari, ac Luciam nudam in eam deponi, & tribus diebus ac noctibus ignem adhiberi. At illa nihil omnino ſenſit: quarto die finito igne, dixit Imperator miniſtris: Ite, & purificate locum quo arſit illa Malefica, ne quid de puluere eius remaneat, ne forte calcans aliquis, ſimilis ei fiat. Quibus exeuntibus Lucia obuiauit, & ait: Ite dicite Imperatori; Noli vacare, tempus eſt laborandi. Quibus auditis, Imperator, percutiebat pectus ſuum pugnis, dicens: Quid faciam? Tunc iuſſit eam ferro, & plumbo oneratam per omnes plateas ciuitatis circumduci.

Illæſa manet in feruenti olla.

De conuerſione Geminiani per eam, & agone amborum.

CAP. XLI.

QVæ dum duceretur, venit ad domum hominis, Geminiani nomine, qui habebat in domo ſua pluſquam 30. millia & 200. ſimulacra, & dum illa concitè pergeret: ecce columba niuea de cælo deſcendit, ac ſuper caput Geminiani tertio *ſignum crucis* fecit. Qui in cœlum reſpiciens, cataractas cœli apertas, & ſedem Dei ex ordine vidit, & mox omnia relinquens, ad locum vbi Sancta torquebatur recurrit, ceciditque ad pedes eius, & ait: Te cognoui matrem gratiæ, quam Dominus mihi demonſtrauit, nam dum ante ianuam domus meæ tranſires, reſpiciens in cœlum vidi, in quem oporteat me credere, & ieiunauerunt ambo per triduum. Media autem nocte ſanctus Preſbyter Protaſius ab Angelo monitus, ſurgens ad carcerem cucurrit; & ecce clauſtris carceris comminutis, lux Dei illum præceſſit, & odor inde ſuauiſſimus exijt, fundamenta quoque carceris commota ſunt, & fons aquæ inundauit & baptizauit Preſbyter Geminianũ, quem Sancta Lucia de ſonte ſuſcepit cæperuntque vnum eſſe in anima, & ſpiritu, vnum agonem pro Domino tolerantes.

Geminianus conuertitur.

Die tertio ſedit Diocletianus pro tribunali, & ante eum ambo ſunt adducti. Interrogata Lucia, nihil reſpondit; Sanctus autem Geminianus *ſignans ſe*, cæpit acerrime Imperatorem increpare, cur in Chriſtum, & Chriſtianos ſæuiret? Interrogatus ab Imperatore quomodo Deos reliquiſſet, reſpondit; orationibus huius matris meæ ſpiritualis illuminatus ſum; cuius hæc ſemper erat oratio, vt non ſola de hac vita migraret, ſed aliquem fructum ſui laboris acquirens, alterius animam manu ſua Deo offerret. Tunc Imperator vt *Leo fremens*, omnibus tormentis eos affici iuſſit. Sanctus autem Geminianus ad Luciam ait: Sanctiſſima Mater, ne expaueſcas in his pœnis, vt ſciant cultores Dæmonum, quia nihil valet in ſeruis Dei pœna illorum. Hæc audiens illa, gaudebat de fide eius,, & cum oraſſent, Angelus Domini apparuit in medio eorum, imponens eis *coronas ex auro, & gemmis*. Cumque Diocletianus eis dimiſſis, à Roma diſceſſiſſet, & in quodam fluuio nauigaret cum, 1346. in flumen cecidit, qui tamen ſolus euaſit.

Geminianus increpat Diocletianũ.

Conſtantia Geminiani.

Menſe autem tertio Pirropogon Iudex Romam veniens, ſedem in foro fecit ſibi præparari, & Præconem clamari, vt omnes venirent Deos adorare. Tunc Sancti Lucia, & Geminianus cucurrerunt per plateas ciuitatis, vſque ad locum qui dicitur Lateranis; quo cum peruenissent clamabant. *Simulachra gentium argentum & aurum &c.* Quod audiens Pirropogon, iuſsit ceruices eorum contundi. Interea terræmotus factus eſt magnus, & tremuit pars ciuitatis, & cameram fori ſub qua Iudex ſedebat, ipſumque Pirropogonem cum quadraginta miniſtris oppreſsit, at Sancti Dei ſub eadem remanſerunt illæſi.

Pirropogon Iudex iniquus cum plurimis aliis Deo vindice opprimitur.

De Tranſlatione eorundem per Angelum, & eorundem tranſitu.

CAP. XLII.

POſt anni circulum venerunt Angeli apprehendenteſque eos tulerunt in Siciliam, in montem quendam aſperum acutis lapidibus, & directi ab angulo venerunt iuxta fluuium * Pſimicum, inueneruntque fluuium plenum, & redundantem ad mare, & non poterant tranſire. Et exclamantibus illis ad Dominum, aqua quæ deſcendebat rugiens ad mare ſtetit, & ambulantes ſuper eam, quaſi ſuper lapides, venerunt ad locum, qui dicitur Medulas, quod territorium ſpiritibus immundis plenum erat clamantibus: Finis noſter aduenit, diſcedamus à facie Sanctorum quia huc à Deo directi ſunt, & orantibus Sanctis, facta eſt vox à Deo de cælo dicens: Hæc eſt ſedes veſtra. Et manſerunt in eodem loco multa miracula ſuper infirmos facientes.

** Petrus legit Pſimiphum. Ambulant ſicco pede ſuper aquam.*

Hæc audiens Apofraſius præcepit decollari viros, & mulieres, quos curauerant 75. qui illos magnificabant; ſuper quorum corpora viſus eſt Angelus Domini fialam fundere plenam aromatum: Hoc autem ſcelere perpetrato equus Apophraſij arreptus à Diabolo, proiecit eum ſuper lapidem, & corpus eius non eſt inuentum, vſque in hanc diem.

Septuaginta & quinque martyres occidũtur.

Hæc fama cum peruenisſet ad patrem Paſchaſij Proconſularis exijt ab vrbe Siracuſana, & Medulas venit, pœnas parare Sanctis. Cumque Lucia cum Geminiano videns fremitum pœnarum expaueſceret, & fugiens non haberet vbi ſe abſconderet illa ſuſpirante, medius mons crepuit, & Sanctos Dei tribus diebus

Mons ſe aperuit & abſcondit Sanctos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac noctibus abscondit. Tertia vero die magno æstu in Sole facto Lucia sitiens orauit, & de medio crepidinis fluuius exijt, vnde potati sunt. Cumque illa Dominum orasset, vt spiritum eius, qui in hac vita periclitabatur acciperet, emisit spiritum, cuius corpus vsque ad diem tertium, Geminianus custodiuit. Tertia autem die ascendens de crepidine in ipso ore crepidinis ab inimico, exempto gladio, vitam finiuit, & deorsum vnde ascenderat corruit. Transiens autem quædam mulier Christiana, quæ de Emporio Plucitano maximum suauitatis odorem senserat cæpit inquirere, vnde hic odor emanaret? Quæ cum cognouisset, in crepidinem descendit, ibique corpora Sanctorum inuenit: in quorum sepultura omnia vestimenta sua pretiosa expendit. Et ecce Angeli de cœlo descenderunt trahentes tabulas marmoreas, in quibus Sanctorum corpora sepulta sunt. De aqua vero quàm Dominus Sanctæ Luciæ donauit, infirmi potati sanantur.

Emisit Lucia spiritũ.

Geminianus capite plectitur.

Corpora martyrum miro modo inuenta.

Vitam hanc leges in Petro I. 8. c. 85.

Author. Alia fuit Lucia virgo Siracusana, de qua dicetur infra, quæ passa est sub Pascasio proconsulari: hæc autem vidua passa est sub eius patre * Paschasio, vt dictum est.

** Ado vocat illum Magalium.*

Passio Sanctorum Cosmæ, & Damiani.

Cap. XLIII.

Ex gestis eius. Eodem tempore passi sunt in ciuitate Ægæa Cosmas, & Damianus fratres, quos geminos pepererat Mater Theodora. Hi à Spiritu sancto medicinalem artem edocti, tam in hominibus, quam in iumentis, omnem infirmitatem curabant, & nihil accipiebant. Quædam matrona Palladia cum omnia sua cum medicis consumpsisset, ab eis curata est; scienſque quia nihil acciperent, obtulit occulte quoddam munus Sancto Damiano pedibus eius se prouoluens, eumq; Sacramentis terribilibus constringens, ille accepit munus, ne nomen Domini videretur contemnere, per quod fuerat adiuratus. Quod audiens frater eius, præcepit *ne cum eo sepeliretur eius corpus*, at eum Dominus corripuit in eadem nocte ei apparens, & Sanctum Damianum excusans. Lysias autem præses cum ab eis quæreret cuius essent fortunæ, audiuit ab eis; Fortuna, quid sit nescimus, *Christiani enim sumus.* Cum autem cæderentur, psallebant: *In via martyrij tui delectati sumus sicut in omnibus diuitijs.* Igitur Antimus, & Leontius, & Euprepius, qui fratres eorum erant simul cum eis catenati in mare missi sunt: sed mox Angelus eorum vincula disrupit, & eos eduxit. Quibus Lysias ait: In nomine Dei mei Apollinis sequar vos. Quod cum dixisset, accedentes Dæmones eum in maxillis percutiebant, & ab eo sic discedebant. Post hæc sancti missi in ignem, in eo quasi in refrigerio roris deambulabant: illisque orantibus, egrediens flamma incendit non paucos de impijs, sed & mortui sunt, & cessante flamma, aperta est terra, & Sancti Martyres apparuerunt illæsi. Deinde iussi sunt crucifigi, & in crucibus lapidari; tres autem fratres eorum in carcerem retrudi: at vero lapides, qui in eos mittebantur, Dei virtute se conuertentes, lapidabant lapidantes. Postea iussi sunt quatuor milites sagittare eos, & sagittæ similiter in sagittantes conuersæ interfecerunt eos, & egrediebatur fluuius sanguinis ab occisis. Post hæc iussi sunt decollari. Et quidam Christiani rapientes eorum corpora, memores, quod Sanctus Cosmas dixerat, *ne simul sepelirentur*, nesciebant quid facerent; tunc subito cursu mirabili, Camelus aduenit, & humana voce loquens, dixit: *Homines Dei, multa signa, & mirabilia per* Sanctos Martyres percepistis nõ solum vos, sed & nos iumenta, quæ vobis in ministerium sumus deputata; idcirco cum vobis omnibus, & ego gratias agens, aduenì nunciare vobis, vt sanctorum corpora non separentur, sed & in vno loco recodantur.

Patria, & mater SS. Cosmi & Damiani.

Palladia matrona ab infirmitate curatur.

Damianus conctus suscipit parui muneſculi.

Psallunt domino in tormentis.

Caditur praeses à dæmonibus.

Iudex sagittarios vocat qui sanctos sagittis confodiant.

Camelus virtute Dei (vt olim asinus Balaã) loquitur.

Eodem loco Sancti martyres sepeliũtur.

Miracula eorum post mortem.

Cap. XLIIII.

Cvm autem quidam rusticus post laborem messis, in campo, aperto ore dormiret, serpens in ventrem eius ingressus est, euigilans nihil sensit. Sed sero domi residens cum post cænam in lecto iaceret, mox à serpente grauiter cruciatus voce qua poterat *Sanctum Cosmam, & Damianum* in auxilium inuocauit: sed cum paulatim grauius torqueretur, ad ecclesiam Sanctorum cucurrit, & sic exauditus est, quod ipso subito dormiẽte, serpens sicut intrauerat, exiuit.

Vir quidam cum vxore sua cum in templo Sanctorum deuote seruiret, proficisci longe voluit, & vxori suæ domi residere, & eum expectare præcipiens, eam Beatis Martyribus commendauit, dans ei signum cui deberet annuere, si eam aliquando vocaret. Post hæc diabolus sciens signum, quod ei maritus dederat, se in hominem transformauit, & dixit vxori eius: Vir tuus misit me ab alia ciuitate, vt venias ad eum: At illa nolens ire, respondit: Signa quidem cognosco, sed ire non possum, quia Sanctis Cosmæ, et Damiano commendata sum; sed si vis vt tecum vadam, iura mihi per Sanctos, quod mihi non noceas. Iurauit Diabolus, & cum venissent ad secretum locum, voluit eam Diabolus de iumento eijcere, vt eam occideret. At illa statim Sanctos Martyres inuocauit & eis confestim apparentibus cum multis alijs, inimicus euanuit. Et dixerunt ei Sancti: *Nos sumus* Cosmas, et Damianvs *quorum sacramento credidisti, ideo festinauimus in auxilium tui.*

Romæ in Ecclesia Martyrum prædictorum, cum quidam matricularius in Ecclesia diu fuisset, & in crure morbum grauissimum incideret. Quadam nocte post longos orationum gemitus obdormiuit; & ecce duo viri splendentes venerunt, quorum alter cultellum, & pixidem, alter vero crus cuiusdam Mauri, qui nuper obierat afferentes, secta infirmi coxa, coxam Mauri loco ipsius inseruerunt, & plagam diligenter vngentes, coxam infirmam ad corpus Mauri mortui detulerunt. Ille statim more solito, vt pulsaret ad matutinas euigilans, de tali somno turbabatur, & se sine dolore sentiens coxæ, quæ prius doluerat manus, & oculos, & candelam apponens, se non esse, qui fuerat mirabatur, & se sentiens sic sanatum, dum præ gaudio caneret, alij surrexerunt: & audito, quid ille in somnis viderat, ad cæmeterium properantes, coxam Mauri præcisam, & coxam sacristæ loco illius in tumulo reperierunt.

Sanctimartyres curant hominem in quem serpẽs intrauerat.

Versutia Diaboli ad decipiendũ hominem quanta.

Mulier liberatur à laqueis diaboli.

Hucusque etiam Surius die 27. Septemb.

De horum miraculis agitur in 2. Niceno concilio Act. 4. Gregorius vero Turon. lib. 10. de gestis Francorum & Baron. anno 560.

De Sancto Blasio Episcopo Sebastæ.

Cap. XLV.

Ex gestis eius. Passus est apud Sebasten Sanctus Blasius qui & Belasius; quando Præfectus Lysias residebat Nicapoli, & Agricolaus Sebastæ: Hic, cum omni manſuetudine, & sanctitate polleret, Christiani elegerunt eum in episcopum in Sebaste ciuitate Cappadociæ. Qui accepto episcopatu, speluncam cuiusdam montis intrauit, ibique vitam eremiticam duxit. Illic agrestes, & ferocissimæ feræ ad eum infirmæ, & insanæ veniebant, nec ab eo discedebant, donec sanitatem, & benedictionem acciperent. Corui quoque ei alimoniam assidue deferebant. Túc Præses Prouinciæ iussit venatoribus omnes bestias cõgregare. Qui venientes in illum montem, inuenerunt orantem Sanctum Blasium, & multitudinem bestiarum astantem ante eum, & redeuntes attoniti, nunciauerunt

Surius recitat S. Blasij vitam ex Metaphraste.

Degit in spelunca.

Venatores inueniunt B. Blasium cũ feris agrestibus.

Præsidi,

Præsidi, quæ viderant. Qui statim misit plures milites vt illuc pergerent, & quotquot inuenirent Christianos adducerent. Venientes autem dixerunt ei: Egredere, te vocat Præses. Qui respondit: Bene venistis filij, nunc video, quia dominus non est oblitus mei. Pergens autem cum eis semper eis in itinere prædicauit, & coram eis multa miracula fecit.

Vocatur à Præside Agricolao.

Ibi quædam mulier attulit ei filium suum morientem, in cuius gutture arista piscis transuersa erat, & iactans eum, ante pedes eius cum lachrymis vt oraret pro eo, postulabat. Qui manus imponens puero, orauit Dominum vt puer ille, & omnes, qui vel propter seipsos, vel propter quælibet animalia nomen SANCTI BLASII inuocarent, sine mora sanitatis remedium obtinerent, & sanatus statim est puer.

In itinere multa patrat miracula.

In ipso quoque itinere paupercula vidua, cui lupus porcum vnicum, quem habebat, abstulerat, rogauit Sanctum, vt illum sibi reddi faceret. Cui ille subridens ait: Noli tristari, porcus tuus reddetur tibi in proximo: & ecce lupus veniens porcum suum sibi reddidit.

Lupus reddit vidua porcum.

Veniens ergo Sanctus in ciuitatem, iussu Præsidis missus est in carcerem, quem sequenti die educi iussit, & stantem dulcissime salutauit dicens: Gaude Blasi amice Deorum. Qui respondit: Gaude, & tu Præses; sed ne dicas eos Deos esse, sed Dæmones, qui æterno igni tradentur cum his, qui eos venerantur. Tunc iratus Præses iussit eum fustibus cædi, & in carcerem trudi.

Caditur fustibus, & in carcerem truditur.

Audiens vetula, quæ porcum suum receperat, & quod vir sanctus in carcerem clausus erat, ipsum porcum occidit, & caput eius coctum cum pedibus, cum pane; & candela Sancto Blasio attulit; qui gratias agens comedit, eique dixit: Singulis annis offer candelam in ecclesiam nominis mei, & bene tibi erit, & quicumque hoc fecerit.

De Passione eiusdem.

CAP. XLVI.

Iterum crudeliter verberatur.

POst hæc Præses eductum Blasium cum ad Deos inclinare non posset, iussit eum ligno suspendi, & carnes eius ferreis pectinibus laniari, & sic in carcerem deportari. Tunc septem mulieres Christianæ sequentes eum, guttas sanguinis eius excipiebant, & inde semetipsas vngebant: quas tenentes milites duxerunt ad Præsidem, & cum sacrificare iuberentur, accipientes Deos proiecerunt in medium stagnum. Iratus igitur Præses iussit caminum incendi, & plumbum liquefactum parari ac pectines ferreos inferri, septemque laminas igne candentes, & septem camiseas lineas in alio loco poni, & dixit mulieribus, vt vnum eligerent de duobus, aut vestes lineas, aut ardentes loricas. Et protinus vna earum currens camiseas accepit, & in caminum proiecit. Tunc Præses iussit eas suspendi carnesque earum pectinibus ferreis lacerari. Et cum inuictæ talia sustinerent, aduenientes Angeli eas ad perseuerantiam confortabant. Tunc Præses iussit eas deponi, & in caminum mitti: quæ statim vt missæ sunt, extincto igne, illesæ exierunt. Et ait illis Præses: Dimittite magicas artes vestras, & adorate Deos nostros. Quæ responderunt: *Perfice, quod cæpisti, quia iam vocatæ sumus ingredi regnum Dei.* Sicque data sententia iussit eas decollari, & post hæc Blasium sibi præsentari; quem cum videret adhuc immobilem, iussit eum in stagnum mitti. At ille præcedens, aquam signauit, & ambulans super stagnum quasi supra petram stetit in medio, & ait. Si habetis Deos, ostendite virtutem eorum, & venite huc; & ingressi 68. viri mox in aqua submersi sunt. Angelus autem Domini descendens dixit ei: Egredere Sancte Blasi & suscipe tibi paratam coronam à Deo; & protinus exiuit sicut intrauit. Et dixit ei Præses: Omnino decreuisti non adorare, Deos. Qui respondit: Cognosce miser, quia non adoro Dæmones; & statim iussus est decollari; qui cum duceretur ad pœnam, orauit sicut prius orauerat, vt *quicumque rogaret Deum in eius memoriam pro quacumque necessitate, cœlesti mereretur perfrui largitate.* Et ecce vox de cœlo dixit, quod Dominus facere promisit, quicquid Sanctus Blasius orauit. Sic ergo decollatus est cum duobus pueris illarum septem mulierum, quos in carcere baptizauerat. Illarum autem septem mulierum, quando decollatæ sunt, animæ de corporibus prodire, tanquam Virgines de thalamo visæ sunt, omnes aureis monilibus refulgentes, & ad cœlos quasi alarum remigio peruolantes.

Septem famina comprehenduntur quæ & accipientes falsos deos demergunt in lacum.

Sanctæ famine torquentur.

Mittitur in caminum.

Plectuntur capite.

Sanctus Blasius super aquas ambulat 68. viri submersi.

Sancti Blasi preces ad Deum.

Decollatur cum duobus pueris.

Author. Nota, quod in legenda huius Sancti, leguntur passæ fuisse 3. Nonas Februarij, & sic in Kalendarijs festiuitas annotatur Sancti Blasij, In martyrologio autem scribitur eorum passio 15. Calendas Martij, quod cur factum sit nescio.

Passio Sanctæ Dorotheæ Virginis.

CAP. XLVII.

S. Dorothea virgo & martyr.

EX *gestis eius.* Eodem tempore passa est apud Cæsaream Cappadociæ Dorothea virgo, sub Sapricio Præside 8. Idus Februarij. Hæc tradita duabus sororibus * Christæ, & Calistæ, quæ apostatauerant; iterum eas conuertit, quæ postea sunt in dolium missæ, & in conspectu eius incensæ. Post illarum autem passionem Beata Dorothea leuatur in catasti, & ait: Nunquam sicut hodie lætata sum in vita mea. Tandem ducta est ad decollandum. Cui dixit Theophilus * Scholasticus: Eia tu sponsa Christi, mitte mihi rosas aut mala de Paradiso sponsi tui. Quæ respondit: Plane sic faciam. Cumque orasset, ecce puer ante eam apparuit, ferens in sportario tria mala optima, & tres rosas. Cui illa: Obsecro te inquit, vt hæc Theophilo * scholastico deferas. Cum ergo Theophilus narraret circunstantibus promissionem Virginis irridens: Ecce puer ante eum stetit, & ait: Ecce tibi petenti, mittit Dorothea virgo sacratissima, quod promisit; Qui accipiens statim conuersus est ad fidem Christi: eratque mensis Februarius, quando rosæ illæ missæ sunt, & totam Cappadociam glaciale frigus tegebat. Videbatur autem puer pulcherrimus, & perbreuissimus non plusquam quatuor annorum. Mox ergo Theophilus in eodem equuleo suspensus, & acerrime tortus dicebat: *Ecce modo Christianus factus sum, quia in cruce suspensus sum.* Nam equulei factura, crucis similitudinem gerit, tandem gladio consummatus est.

** Christetam siue Christinam & Calistam has sorores vocat Bar.*

** Aduocatus siue causidicus, vide Baron.*

** Aduocato Theophilus credit in Christum, subito mutatus dextera excelsi. Hæc omnia latius extant apud Surium 6. Feb.*

Suspenditur in equuleo Theophilus, sed tandem capite plectitur.

Passio Sanctæ Theodosiæ Virginis.

CAP. LXVIII.

Theodosia virgo & martyr 18. ætatis anno passa est.

EX *gestis eius.* Passa est, & sub Diocletiano apud Cæsaream Palestinæ, Theodosia virgo 4. Nonas Aprilis, de eadem ciuitate nobilissimo genere orta, anno 18. parentibus vnica, Deo consecrata, elegantis speciei: dignum quippe erat in tali fabrica, Christi palatium fabricari. Hæc igitur nescientibus parentibus ad martyres in carcere reclusos refugit, eisque se coniunxit, & vt rogarent pro ea, rogauit. Quod cum faceret, facta est vox de cœlo, dicens: Ego eam oleo athletæ perungo, meoque spiritu confirmo ad vincendas omnes cruciationes. Deinde interrogata à Præside Vrbano, libere ac prudenter ad omnia respondebat, psalmosque frequenter ruminabat. Post hæc stipite capillis suspensa, inter cętera dixit ad circumstantes: Væ qui vult

Vox cælitus Theodosiæ missa.

Ab Vrbano Præside cõprehensa, nudata ad stipitem per capillos suspenditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dominus dici, & ſuper ſe Dominum non habere: Væ, qui ſaturari vult, & eſurienti non porrigit: Væ, qui vult calefieri, & nudos non veſtit: Væ qui requieſcere vult, & alium requieſcere non ſinit: Væ, *qui ſuum aliquid dicit, cum omnia à Deo acceperit*. Hæc igitur dicens virgo cum nuda ſtaret, nubes niuea apparuit, quæ illam velauit. Vrbano autem minante ſe acriora ſupplicia illaturum, reſpondit. Exurge Vrbane, nullum de parato mihi prandio ferculum fraudes. In omnibus itaque tormentis ſuis, quaſi dolorem non ſentiebat, qua anima eius in corona tota pendebat. Amator, inquit, caſtitatis in honeſtibus vultibus habitat, fruſtra quoque mihi minaris corruptionem, *& non poteſt caro corrumpi, niſi mens fuerit ante corrupta*. Poſt hæc ait Præſes: Rebellem virginem in anguſtum locum coarctate, & eius collo grauiſſimum ſaxum alligate, eamque in mare præcipitate. Quod cum factum fuiſſet ab Angelis ad terram reducta eſt; ſaxum, quod ei ad collum pependerat, in manibus reportans. Poſt hæc dimiſſus eſt ad eam Leopardus, lenitatis ſuæ ſigna monſtrans & nihil eam læſit.

En conſtantiã virginis

Pulchra ſententia.

Hanc vitã deſcriptam habes à Petro de Nat. lib. 4. c. 25.

Tandem dum decollaretur viſa eſt de ore eius exire columba, auri ſplendore pulchrior ad cœlum conſcendens. Eadem vero nocte parentibus ſuis cum magno choro virginum apparuit, induta cyclade niuea, *crucem auream* in manibus, & coronam in capite geſtans, & dicens: *Ecce qualis eſt gloria, vnde me fraudare volebatis.*

Paſſio Sanctorum Agricolæ, & Vitalis.

CAP. XLIX.

Ambroſius libro de exhortatione ad virgin. In Italia ciuitate Bononienſi paſſi ſunt ſancti Vitalis, & Agricola pridie Nonas Nouembris ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, & in ſolo Iudæorum, ſcilicet intra ſepulchra eorum ſepulti, vbi eos Dominus mihi reuelauit, vt tanquam inter ſpinas eligerem martyrum roſas. Sancti quidem Agricolæ, Vitalis ſeruus fuit antea, nunc autem conſors, & martyrij collega, præceſſit ſeruus, vt prouideret locum: hic illum ad martyrium præmiſit, ille iſtum accerſiuit. Cum igitur Sanctus Vitalis à perſecutoribus, vt Chriſtum negaret, vrgeretur, & ille amplius Chriſtum Dominum profiteretur, omnium generum tormentorum in eum exercebant; ita vt non eſſet in eius corpore locus ſine vulnere. Ille autem orabat dicens: *Domine Ieſu Chriſte iube Spiritum meum ſuſcipi, quia iam deſidero coronam accipere; quam Angelus Sanctus tuus oſtendit mihi*; & completa oratione emiſit ſpiritum.

De horum ſanctorum inuentione & tranſlatione agit etiam huc S. Amb de quibus lege & Greg. Turõ. hiſt. Franco. l. 2. c. 16. & de glor. martyrum c. 43. & Petrum in catalog. lib. 10. c. 21.

Sanctus vero Agricola mitior moribus habebatur, ita etiam vt ab ipſis inimicis diligeretur; ideoque paſſionem eius differebant, ſed hæc eorum honorificentia omni immanitate acerbior erat, quæ martyrium inuidebat. Denique vbi non acquieuit perſecutoribus Sanctus Agricola crucifixus eſt.

Sanctus Agricola crucifixus eſt.

Tandem cum eos mihi Dominus in ſolo Iudæorum ſepultos reuelaſſet, munera detuli, quæ manibus meis legi, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus cognoſcitis. Certe, & Dæmones confitebantur; & ab hominibus egrediebantur, & multi varijs ægritudinibus afflicti, contingentes Sanctorum ſudaria ſanabantur. Et alia multa mirabilia per Sanctos Dei, in præſentia populi facta ſunt, dum transferrentur.

Multa fiebant miracula in tranſlatione Sanctorum corporum.

Paſſio Sanctorum Aſclę, Philemonis, & Apollonij.

CAP. L.

Ex geſtis eorum. Tempore quoque Diocletiani paſſus eſt Sanctus Aſcla apud vrbem Ægypti Antinoum ſub Arriano Præſide; qui primo quidem atrociſſimo ſuſpendio tortus, deinde lateribus flammis admotis aduſtus, ad vltimum precioſam Deo animam in flumen præcipitatus reddidit 10. Kal. Februarij.

Extant hæc de S. Aſcla apud Petrũ in cat al. l. 3. cap. 15.

Poſt mortem autem Sancti Aſclæ, iuſſit Arrianus omnes Chriſtianos de eadem ciuitate, qui inueniri poſſent comprehendi. Erat autem ibi Philemon * Choraula publicus, plebi gratus, & iudicibus: Qui cum abnegans Idola confiteretur *Chriſtum*, iuſſit eum Præſes alapis in faciem cædi, deinde tam ipſius, quàm Apollonij Diaconi calcanea perforari, & inductis funibus per ciuitatem trahi, deinde ſibi præſentari: qui dicit ei: Si vis vt audiam te, audi me prius, vt iubeas vas æneum exhiberi, & intus infantulum poni, & operiri. Tunc eo iubente infans in dolio æneo præparato poſitus eſt, & os dolij opertum eſt. Iuſſitque Philemon dolium ſagittari, donec omnes ſagittæ ſagittariorum deficerent, & poſt hæc infantem illæſum eductum oſtendens, ait: Sicut vas illud æneum ictibus ſagittarum transfoſſum eſt, ſed quod intus eſt lædi non potuit; ſic & corpus Chriſtiani pro fide Domini ſupplicium iaculis ſtimulatum innocentiam animæ Deo protegente vulnerari non patitur. Tunc iratus Præſes iuſſit eum ſuſpendi, & ſagittis quibus dolium ſagittatum fuerat, corpus Philemonis à pedibus vſque ad verticem ſagittari. Et cum totis viribus tela contra eum intorſiſſent, nullum in eo iaculum infigi potuit, nec vllum in terram ruit, ſed omne, quod miſſum erat, in aere, pendebat. Cum autem vidiſſet Præſes adhuc eũ viuere, ſtupuit, & volens cognoſcererẽ, prope acceſſit cumque leuaſſet ſurſum oculos vt videret, vna de ſagittis cecidit, & oculum eius excęcauit. Tunc iuſſit eum deponi, & ait: Quare tui cauſa oculum perdidi? redde eum mihi arte magica quam noſti, & dimittam te. Qui reſpondit: Ne æſtimes Dominum meum non poſſe curare, cum mortuus fuero, vade ad ſepulchrum meum, & facto luto de terra illa, aquam infundens, ſuperunge oculum, & ſanaberis. Quo ille audito, iuſſit eum cum Apollonio decollari 8. Idus Martij.

* Alias Choraules; vocabatur autẽ ſic quia arte tubicen erat. Apollonij & Philemonis acta vide in Surio in vita S. Thyrſi 14. Decemb. Vide quid efficiat ſeruens Chriſti amor in ſãctis martyribus.

Philemõ ſagittis impetitus lædi non potuit.

De conuerſione Arriani Præſidis, & eius paſſione cum alijs quatuor.

CAP. LI.

Altera autem die Arrianus, ſancto, ſicut ei prædixerat Philemon, ait: *In nomine Ieſu Chriſti, pro quo iſti martyrium compleuerunt, vngo oculos meos vt videam, & credam, quod non ſit alius Deus præter ipſum:* hoc dicto, illuminatus, ibat lætus clamans ſe Chriſtianum eſſe. Cuius conuerſio Diocletianum non latuit, miſitque quatuor protectores, qui eum corriperent. Qui venientes in Ægyptum tenuerunt eum, ſed dato eis precio permiſſus iuit ad locum tumuli Aſclæ, & Philemonis, & Apollonij, & ait: *Benedico vobis conſortes luminis ſempiterni, orate pro me Dominum Ieſum vt confortet me, & conſummet in nomine ſuo martyrium meum.* Tunc vox quaſi de ſepulchro Philemonis egreſſa, reſpondit dicens ei: Confortare Arriane, ne timeas, *Ieſus in quem credis operabitur pro te, & coronabit te; vade ergo cum his, qui venerunt ad te, & ora pro eorum conuerſione.* Hoc ipſi protectores cum de ſepulchro martyris audiſſent, mirati ſunt.

Duplicem inuenit curationem & oculi & animi. Præclarum miraculum ex puluere ſepulchri S. Philemonis.

Præſes conuerſus inuocat ſanctos & exaudiuntur.

Hæc excæcatio fuit iudici principiũ illuminationis: nota igitur quo medio æternaliter præſtinatos ad ſe vocet Chriſtus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Arrianus præſes futura prædicit

Abijt ergo cum illis,& octo ſeruis, & familiaribus ſuis: quibus cum Alexandriam veniſſent, præcepit vt corpus eius ibidem expectarent, dicẽs 8. die Martij Diocletianus iubebit me in mari præcipitari cum ſacco arena pleno. Soliciti ergo eſtote,vt poſt tres dies id eſt vndecima die Martij egrediamini ſupra mare circa horam 6. & inuenietis corpus meum ſupra dorſum delphini, quod tollentes ſepelite iuxta ſepulchrum martyris Philemonis. Cum igitur,his dictis,peruenisſet cum quatuor protectoribus ad Diocletianum, ille iuſſit in campo foueam profundam fieri,eumque catenis æreis oneratum, & ferro compeditum, ac manibus colligatis, cum ingenti circa collum lapide depreſſum in foueam deponi,totamque terram ſuper eum,quæ congeſta fuerat remitti,& deſuper milites ludere, blaſphemo quoque ore dicere: *Videamus ſi veniet Ieſus vt liberet eum.* His patratis,Imperator equum aſcendens,abijt in domum ſuam; & ingreſſus cubiculum vt quieti corpus daret poſt iram, vidit compedes , & vincula manuum ſupra reclinatorium pendere,& Arrianum in lecto iacere. Turbatuſque putauit aliquem Palatinorum in lecto ſuo iacere. Cui ille: Noli inquit,turbari,ego ſum Arrianus quem ſuffodiſti grauatum ferro, & ære, & mole arenæ; ſed venit is quem preualere non credebas IESVS,*qui liberat credentes in ſe.* Cum autem iuſſiſſet Diocletianus eum in ſacco cum arena immergi, quatuor protectores tyrannidem eius arguentes, & CHRISTVM *verum Deum confitentes*, in quatuor alijs ſaccis pariter in mare proiecti ſunt,ſtatimque Dei nutu parati Delphini corpora eorum ſuſceperunt, & Alexandriam deportauerunt. Serui autem Arriani cum quinque corpora videbant, ambigebant,dicentes: Quia Dominus eorum Arrianus ſe ſolum in ſacco deferendũ prædixerat,vnde non credebant eum ibi eſſe. Illis ergo hęſitantibus,vox humana quaſi de ore vnius delphini audita eſt: Nolite dubitare, hic, eſt Dominus veſter Arrianus, tollite eum,& hos quatuor, qui eadem martyrij gloria coronati ſunt, & ſepelite omnes quinque iuxta ſepulchrum Sancti Aſclæ; & ita fecerunt.

Viſio terribilis.

Chriſtus ſuam declarat potentiã.

Quatuor protectores arguẽtes tyrannidem Imperatoris & libere Chriſtum confitentes in mare projiciuntur.

Martyres in mare proiecti, à Delphinis exportantur.

Hæc lege ex Vincentio in Speculo magno Exemplorum tit. Reſurrecto.

Paſſio Irenæi Sirmienſis epiſcopi, & Domini.

CAP. LII.

Male excipitur à Diocletiano Tyranno.

EX *geſtis eius.* Paſſus eſt autem Sanctus Irenæus * Sirmienſis epiſcopus ſub Diocletiano, & Maximiano, octauo Calendas Aprilis,agente Probo Præſide Pannoniæ. Hic primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, Nouiſſime pro confeſſione Chriſti capite cæſus eſt, & in fluuium Sauis præcipitatus.

** Erat Sirmium Metropolis totius Illyrici vt conſtat ex concilio Aquileienſi.*

Sub Maximiano quoque paſſus eſt Dominus martyr, qui cum eſſet cubicularius primus, coronam Imperatoris conſeruans, eumque quotidie coronans, *pro confeſſione Chriſti* iuxta fluuium Siſtrionis in via,quæ dicitur CLAVDIA decollatus eſt, ſexto vel ſeptimo idus Octobris. Et apprehendens manibus caput ſuum de terra,præfatum fluuium tranſiuit, & quantum iactus eſt lapidis, caput ſuum tulit , ibique illud pauſauit; nunc corpus eius integrum permanet , & inuiolatum , vbi multi ægri ſanitatem recipiunt . Inter quos vnus aliquando veniens , & equum ſuum alligans, cum in conſpectu Sancti ingreſſus fuiſſet , & lachrymabiliter eum rogans ſanitatem recepiſſet; egreſſus, equum quem dimiſerat non inuenit: iterumque ingreſſus, lachrymabiliter orauit. Poſt hæc autem egreſſus hominem,qui equum abſtulerat, rapido curſu reuertentem vidit, qui tradens eum in manibus eius,exiliuit.

Lege Pet. in cat al. lib. 9. cap. 42 & Surii to. 7.

Hic Sanctus omnes eum inuocantes & de calice eius potantes liberat à rabidi canis morſu.

Paſſio Sancti Ianuarij.

CAP. LIII.

Vitam S. Ianuarij habes in Petro de Natalibus l. 8. cap. 93.

EX *geſtis eius.* Sed & ſub Diocletiano paſſus eſt Sanctus Ianuarius Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopus. Huius enim famam cum audiſſet Præſes Timotheus, iuſſit eum in ciuitate Nola ante tribunal ſuum præſentari dicens: Accedens ſacrifica Dijs, aut ſi nolueris,tormentis horrificis laniaberis, quæ etiam *Deus tuus* cum viderit, pertimeſcet. Qui reſpondit, obmuteſce infœlix, & noli in auribus meis *creatori omnium iniuriam facere*, ne blaſphemiam tantam audiat teque interficiat. Tunc iratus, iuſſit eum in carcerem recipi,& caminum vehementer per triduum ſuccendi, & illic eum proijci. At ille oratione fuſa, cæpit in medio fornacis deambulare cum Sanctis Angelis, ſimulque *Deum benedicere.* Quem audientes milites,qui circa erant, territi, curſu rapidiſſimo properantes nunciauerunt Præſidi, qui cum caminum aperirefeciſſet, flamma eum cruciauit, & gentem incredulam quæ circa erat,deuorauit. Sanctus autem in medio ignis glorificans Deum apparuit,ita ſit nec veſtimentis eius,nec capillis, ignis dominari potuerit. Poſt hæc iuſſit Præſes ab eius corpore neruos excludi,deinde ipſum vna cum Feſto Diacono ſuo,& Deſiderio lectore, & quibuſdam alijs ante currum ſuum in ciuitatem Puteolanam vinctos pertrahi,ibique eos in cuſtodia recipi:& ſedens in ſpectaculũ,iuſſit eis feras exhiberi,quæ dimiſſæ,quaſi oues demiſſo capite occurrunt ad pedes Sancti Ianuarij. Tunc iudex amotis feris, iuſſit Sanctos de amphitheatro tolli,& in forum adduci;ibique ſedens pro tribunali iuſſit eos capite cædi. Sanctus autem Ianuarius in cœlum aſpiciens orauit, ceciderunt que nebulæ in oculis præſidis, & ſubitò factus eſt cæcus. Cumque inualidis oculis cruciaretur, clamare cæpit, vt Ianuarium ad ſe reuocarent. Quo facto cum ingenti gemitu clamans ait: Ianuari *ſerue Dei cœli*, ora *Dominum Deum tuum* vt poſſim lumen recipere, quod amiſi. Tunc Sanctus erigens oculos in cœlum ait: Domine iube reſtitui oculos huic indigno; nos enim *non reddimus malum pro malo*; tunc aperti ſunt oculi eius, & multi crediderunt ex circunſtantibus, fere quinque millia. Tunc videns Præſes tantam turbam conuerſam turbatus eſt: ſed ne famulus Dei corona fraudaretur, timens iuſſa Principum , iuſſit militibus vt eum celeriter tractum decollarent . Qui cum ad martyrium cum cæteris duceretur , ſenex quidam pauperrimus eius beneficia ſperans oppoſuit ſe pedibus eius prouolutus rogans, vt aliquid de veſtimentis eius accipere mereretur. Qui ait ei: Poſt depoſitionem corporis mei * ſudarium meum quo mihi oculos ligauero, ſcias meipſum datum tibi. Cumque peruenisſet ad locum Sanctus Ianuarius,genu flectens orauit dicens: *In manus tuas domine commendo ſpiritum meum.* Tunc erigens ſe accepto ſudario ſibi oculos ligauit, & ſpiculator caput eius abſcidit. Qui poſt decollationem ſeni illi apparuit, & ſudarium ei ſicut promiſerat attulit.

Vitam S. Ianuarij habes in Petro de Natalibus l. 8. cap. 93.

Mittitur in caminum ignis, ſed illæſus eximit.

Obijcitur cũ ſocijs feris, ſed non eos ladunt.

Præſes fit cæcus, ſed precibus Ianuarij recepit viſũ.

Quinque millia conuerſi.

Senex quidã rogauit vt de veſtibus eius aliquid acciperet.

** Al. orariũ & ſic legit Petrus.*

Eodem vero die quo Beatus Ianuarius cum cæteris martyribus decollatus eſt, Timotheus torqueri cæpit crudeliter,& clamabat voce magna dicens, propter Ianuarium ſeruum Dei ſe miſerum ab Angelis cruciari,& dum diu loqueretur, emiſit ſpiritum 13. Calendas. Octobris.

Timotheus arreptus à diabolo (vt ait Petrus vbi ſupra) infeliciter expiranit.

Paſſio ſancti Gregorij Spoletani Presbyteri.

CAP. LIV.

Cultus dæmonũ miro feruet ſub Diocletiano.

EX *geſtis eius.* Paſſus eſt, & apud Spoletanam vrbem beatus Gregorius Presbyter hoc ordine: Impiſſimus Flaccus à Maximiano Imperatore miſſus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt omnia Idola erigeret, ingressus Spoletum, iussit sibi tribunal in medio foro præparari, & omnes ciues per præcones coram eo citari: dixitque Tircano: Omnes hi Dijs nostris deseruiunt? Qui respondit: Omnes hi colunt Iouem, Mineruam, Asclepium Deos immortales, qui toti mundo propitiantur. Quo audito gauisus, iussit omnem turbam dimitti.

Sanctus Gregorius vacat perpetuo ieiunijs & precibus.

Erat autem in ciuitate eadem sanctus Gregorius presbyter ieiunijs, & orationibus vacans, qui multis virtutibus, & signis clarens, multos paganorum ad Dominum conuertebat, templaque, & simulacra in terram deijciebat. Quod cum Flacco nunciatum esset, iussit eum ad se vinctum perduci, & cum sacrificare nollet, iussit fustes nodosos afferri, ac dorsum eius verberibus rumpi, dicēs: *Hæc patiatur rebellis Deorum, & contemptor principum.* Cui ille respondit: *Quanta mala exhibes corpori meo, duplicia bona præstantur mihi in cœlo.* Flaccus dixit: Regirate illum, & ventrem eius fustibus dissipate. Illo quoque perseuerante,, iussit eum ligatis manibus, & pedibus in craticula superponi, & ligna subministrari. At ille de medio igne clamauit ad Dominum, vt qui *cum tribus pueris* ingressus est in caminum, esset cum eo in medio præsentium pressurarum. Hæc illo dicente; terræmotus magnus factus est intra ciuitatem, & cecidit vna regio, quæ plusquam 450. Paganos oppressit, qui Idolis seruiebant. Hoc videns Flaccus territus fugit inde; Tircanus autem iussit sanctum ferreo constringi, & in carcerem recludi, vbi Angelus apparuit ei dicens: *Pax tecum Gregori nolis timere*: & continuo vincula eius disrupta sunt, & claritas Dei circunfulsit illum. Cui gratias agenti Domino de illa visitatione, respondit Angelus: *Euge serue bone, & fidelis &c.* Et hæc dicens disparuit.

Sistitur ad tribunal.

Nodosis fustibus caditur.

In craticula assatur.

Dan. 3.

Terræmotus multos paganos opprimit.

Angelus in carcere eum consolatur.

Matth. 25.

Altero die Flacco præsentatus, cum sacrificare nullatenus acquiesceret, præcepit Flaccus eum tractū in medium amphitheatrum capite truncari. Cumque in amphitheatro Dominum exoraret, respiciens in cœlo audiuit vocem magnam dicentem sibi: *Ingredere ad me benedicte Domini, preparata est habitatio tua.* Adhuc Angelo loquente, à * Spathario capite truncatus est. Tircanus vero iussit dimitti feras terribiles, vt corpus absorberent. Quæ vt ibi peruenerunt, flectentes genua sanctum corpus adorauerunt, quod videntes viri clamauerunt. *Magnus est Deus Christianorum*: & multi crediderunt in Dominum. Flaccus vero eodem die percussus ab Angelo, & interiora sua vomens, expirauit. Mulier autem Christiana, nomine Abundantia, emit à Tircano sanctum corpus 35. aureis, & conditum sepeliuit 9. Kalendas Ianuarij.

** Vocabatur Aquilinus. Caput ei amputatur. Multi credunt in Christum. Conueniunt hacactacū ijs quæ adferū. tur à Surio 24. Decemb.*

Passio sancti Marcelli, & exuperantij Diaconorum.

Cap. LV.

Vide Baron. an. 301.

Ex gestis eorum. Præterea imperante Maximiano, Venustianus Augustalis Tusciæ cum Christianos occultos curiose requireret, diuulgatus est ei Sabinus Episcopus, vir eloquentissimus in ciuitate Assisina. Illuc ergo veniens sedens pro tribunali in medio foro, oblatus est ei sanctus Sabinus, cum duobus Diaconis Marcello, & Exuperantio. Cui dixit: Consule tibi, & pollicere te Dijs sacrificare, & viue. Qui respondit: Si iustum est, vt derelinquam creatorem cœli, & terræ; & adorem lapides, & æramenta, vel ligna: & vt scias quod nihil est colere talia, afferatur hic Deus tuus. Tunc iussit Deū suum quem habebat in cubiculo suo vbicumque mansisset, deferri in medium, qui erat miræ facturæ, & ex lapide corallio Iouis, & vestimenta eius deaurata. Qui cum adductus fuisset cum lampadibus & apparatu magno Venustianus ait: *Ecce propitiatores nostri.* Tunc subridens Sabinus dixit: *O vana vesania vt creator omnium relinquatur, lapis sordidissimus colatur;* vt autem scias eum *non Deum esse*, dimitte me facere quod volo. Qui respondit: Si præsumis, fac quod vis. Tunc ille acceptum simulachrum oratione facta, elisit in pauimentum, & fregit. Quod videns ille tutudit frontem suam cum furore dicens: Perimus nos & respublica obscurata est, & tussit cum furore manus eius prescindi. Quod cum factum fuissent, cæperunt eius Diaconi trepidare; at ille manibus præscisus eos confortauit ita, vt clamarent. *Pereant Dij Dæmoniorum, & lætetur cor quærentium Dominum.* Tunc iussu Venustiani Diaconi in equuleo suspensi sunt, & diu fustibus cæsi. Deinde iussit latera eorum vnguibus radi, ignemque qui eorum latera adustione assaret, supponi. Quod cum diu fieret, subito expirauerunt, quorum corpora iactari fecit in fluuium, sed à quibusdam piscatoribus, & presbyteris collecta, iuxta viam sepulti sunt, pridie Kal. Ianuarij.

Sabinus cum suis Venusti ano Iudici præsentātur.

Lege Petrum in catalog. lib. 2. c. 19. & Surium 31. Decemb.

Sanctus Sabinus confringit Iouis simulachrū.

Sancti Marcellus & Exuperātius reddunt spiritum.

Passio sancti Sabini Episcopi.

Cap. LVI.

Sabinum vero iussit in carcerem retrudi, ad quem vidua nomine Serena nocte veniebat, & curam illius agebat manus quoque eius in domum suam colligens, in doliolo vitreo cum aromatibus recondidit, quas die noctuque tangens, ante oculos suos ponebat: adduxit quoque ad eum nepotem suum cęcum, adiurans eum, vt ponens super eum vlnas suas rogaret pro eo, qui cum brachia sua truncata super oculos cæci posuisset, & genu flexo cum lachrymis orasset, aperti sunt; propter quod miraculum, omnes qui erant in custodia videntes, miserunt se ad pedes eius, & baptizati sunt eodem die numero vndecimo. Postea vero indoluerunt oculi Venustiani, ita vt præ dolore, nec cibum, nec somnum posset capere, nec vllus medicorum eius dolorem mitigare. Auditoque quod Sabinus illuminasset cæcum, misit vxorem suam, & duos filios, & cum grandi gloria rogauit eum ac se educi de carcere. Cumque gratias agens Sabinus venisset ad domum eius. eleuantes Venustianum in manibus, proiecerunt ante pedes sancti Sabini. Qui vt eum vidit lachrymans ait: *Illuminet te Christus.* Iussitque afferri *fragmenta Iouis*, quæ ille in capsa argentea collocauerat: quæ cum vidisset, iussit omnia comminui, & in fluuium proijci. Cumque Venustianus vrgeretur doloribus, ait Sabinus: *Credis ex toto corde?* Respondit; *Credo.* Sed peccatum quod in te exercui cruciatum mihi ostendit. At ille: *Mea delicta hæc mihi fecerunt, tu tamen si credideris, & pœnitueris saluus eris.* Tunc eo petente, baptizauit eum; & eleuato eo de pelue aperti sunt oculi eius, ita vt nullum dolorem *post baptismum* sentiret.

S. Sabinus cæcum illuminat & multi aliqui sunt conuersi.

Venustianus oculorum dolore vehementer cruciatur.

Venustianus credit, & recipit lumen fidei & oculorum.

Cumque Maximianus eum baptizatum esse audisset, iratus misit Lucium Tribunum, qui eum cum vxore, & filijs truncaret; sanctum quoque Sabinum tenuit, & in ciuitatem Spoletanam adducens, tamdiu plumbatis cædi præcepit, quousque spiritum emitteret. Cuius corpus Serena colligens, quæ iam manus eius ante collegerat iunxit manus cum corpore, & sepeliuit eum, septimo Idus Decembris. Horum tamen omnium martyrium, licet diuerso tempore extiterit, vno tamen recolitur die scilicet 3. Kal. Ianuarij.

Occiditur cum suis.

Sanctus Sabinus plumbatis cæsus emittit spiritum. Lege hæc omnia compendiose apud Surium 31. Decemb.

De Sanctis Anastasia, & Chrysogono.

Cap. LVII.

Ex gestis eorum. Eo tempore passa est, & sancta Anastasia, quæ prætextati illustrissimi viri filia in vrbe Roma, cum ita incedere plurimum posset, vt vix parem inter matronas habere potuisset, induebat se vilissimo habitu, & solo vnius puellæ consortio carceres circumibat, vbi erant *milites Christi*, quos aliter visitare non poterat, nisi plebeio cultu pauperem se fingeret sollicita satis sanctis *pro Dei nomine* vinctis pedes lauare, vngere capita, pectinare crines, quos longa carcerum claustra nutrierant. Dumque assidue hæc ageret, & ad notitiam zelantis viri eius Publij peruenisset; indignatus, tales domui suo custodes instituit, vt eam non permitterent,

In vili habitu adit carceres, & ministrat sanctis.

Multi custodes adhibentur.

cuiusque

cuiusque feneſtellulæ aditum ſpectare.

S. Chryſogo detinetur in carcere.

Erat autem in vinculis iuſſu Diocletiani vir Dei Chryſogonus, qui multa perpeſſus, ſanctæ Anaſtaſiæ alimonia fouebatur. Hic erat apud Rufum quendam Vicarium; quem *Dominus Ieſus Chriſtus* cum omni domo ſua, per Chryſogonum lucratus eſt. Igitur cum nullus eſſet, qui ad Anaſtaſiam dirigi poſſet, inuenta eſt Anus quædam Chriſtiana, quæ in vicino illius commanens, curas vt ſolitum eſt à vinculis infantium, ac mulierum neceſſitatem agere, videbatur, ac occaſione domum illius ingreſſa cæpit eſſe media inter ipſam, & Domini confeſſores. Sicque Chryſogonus per manum eius epiſtolam Anaſtaſiæ rogantis, vt eius memoriam ageret, ſuſcepit; & ipſe quoque conſolatoriam epiſtolam ad eam remiſit. Interea Publius in ſenatu ſedens, legationem ſuſcepit, inuitus, ad Perſidis prouinciam profecturus. Tunc reuerſus triſtis, Anaſtæiæ cuſtodiam triplicauit, ponens ei cuſtodem vnum, * qui ei lucem negaret, & victum: (agebat enim, vt illa moreretur, & ipſe omnium facultatum eius Dominus permaneret) & ita profectus eſt, vt diceret: Reuertens, ſi eam inuenero viuam, omnes vos puniam. Sic itaque cum ea agebatur, vt aqua ei vix pro miſericordia traderetur.

Lege Surium 25. Decemb & Aloyſiū.

** Nomine Codiſſium.*

Epiſtola Anaſtaſiæ Chryſogono.

Tunc æſtimans ſe in tribulatione deficere; ſcripſit Chryſogono in his verbis epiſtolam: *Finis venit corporis, memento mei, & egredientem animam ipſe ſuſcipiat, pro cuius amore ſuſtineo, quæ ex ore huius Vetulæ cognoueris.* Ad hæc Chryſogonus inter alia cõſolationis verba, quæ reſcripſit, & hæc inſeruit: *prope eſt, vt pereant, qui non cogitant, vt ad portum ſalutis attingant.* Interea tranſactis tribus menſibus corpus Publij reuocatum eſt naui, & omnes qui cuſtodiebant eam per diuerſa fugerunt.

Reſcriptum Chryſogoni.

Maritus Anaſtaſiæ male perit.

Egreſſa igitur ad Chryſogonum libera peruenit, & omnia, quæ acciderant ei, cum gaudio lachrymabili retulit ei: venditiſque omnibus facultatibus ſuis, viliſſimo habitu carceres circumibat, & famulorum Dei neceſſitates procurabat.

Paſſio eiuſdem ſancti Chryſogoni.

CAP. LVIII.

Sanctus Chryſogonus defertur ad Diocletianū.

TVnc Diocletianus in Aquileiæ partibus poſitus, cum interficeret Chriſtianos, cucurrit relatio de Chriſtianis omnibus vrbanæ præfecturæ. Tunc reſcripſit debere omnes interfici, Chryſogonum vero ad ſe deſtinari; quem Anaſtaſia perſecuta etiam apud Aquileiam, meliora ſanctis obſequia faciebat, quam Romæ fecerat. Interea Chryſogonum nominatiſſimum Diocletianus ſibi præſentari iuſſit; cui cum dignitatem præfecturę offerret, vt Deos adoraret, ſed illa promiſſa omnia, quaſi lutum abijciens, Dæmonum cultum omnino reſpueret; iuſſit eum ad aquas gradatas duci, & ibi decollari; corpuſque eius ad littus iactatum eſt iuxta locum in quo tres ſorores Chriſtianiſſimæ morabantur, Agape, Chionia, & Irene, cum ſancto Zoilo ſene presbytero; qui colligens ſanctum corpus, & caput corpori compaginans ſepeliuit, & ipſe quoque S. Zoilus 30. die poſt eius ſuſceptionem, iuxta reuelationem eiuſdem ſancti Chryſogoni ſibi factam ad Dominum perrexit. Sancta quoque Anaſtaſia domum illam, in qua nunquam fuerat ingreſſa dixit: Vbi ſunt ſorores meæ, quas mihi Dominus meus Chryſogonus commendauit? & videntes ſe inuicem, lætatæ ſunt. Viſoque loco, vbi poſitus erat martyr Chryſogonus, vnam apud eas noctem agens ad vrbem Aquileienſem redijt, ſolicita de his, qui in vinculis habebantur. Paſſus eſt autem ſanctus Chryſogonus, 8. Kal. Decembris.

Blanditur ei Diabolus per Diocletianū.

S Chryſogo capite cadi tur.

Sācta Anaſtaſia viſitat reliquias S. Chryſogoni.

De tribus ſororibus, Agape, Chionia, & Irene.

CAP. LIX.

Harum ſororum martyrium quare apud Surium primo A prilis qui ex Simeone Metaphraſte vitam harū deſcribit, quæ acta germana ſunt vt ait Baronius ad annum 304. licet non nihil diuerſa ſunt ab his & ab ijs quæ intexta ſunt in paſſione S. Anaſtaſiæ apud Surium. Traduntur tres ſorores Dulcetio præfecto vt tormentis cruciarētur.

SAnctarum quoque Agapes Chionia, & Irene, Diocletianus rumore reperto, iuſſit ſibi eas præſentari, promittēſque eis maritos de palatio ſuo, per quos illuſtres eſſe poſſent, *ſi Chriſtum negantes Idola colerent*: cum nullatenus à Chriſtianitate flecti poſſent, iuſſit eas tradi cuſtodiæ carceris, quas beata Anaſtaſia nec diebus, nec noctibus deſerebat; ad hanc enim omnes Chriſtiani ingenter confluebant, qui nimiam penuriam tempore illo ſuſtinebant, quia nulli licebat præſidere, vel artem aliquam exercere, vel aliquod negocium agere. Illa vero Deum rogabat, vt non prius de corpore exiret, quam omne pretium quod de patrimonio ſuo vendito acceperat, expendiſſet.

Proficiente igitur Diocletiano Macedoniam, omnes Chriſtiani, qui in vinculis erant ſimul à cuſtodientibus ducti ſunt: inter quos erant Agape, Chionia, & Irena cumque iuſſiſſet imperator Præſidi Dulceio diuerſis tormentis agere omnes qui ſacrificare nollent, tres ſorores Præſidi præſentatæ ſunt, quas ille videns, captu oculorum aſtrictus, turpiſſimo ſpiritu agebatur, & fecit eas apud talem officialem tradi cuſtodiendas, qui libertatem eis promitteret, ſi captiuæ eius animæ conſenſum præbuiſſent.

De illuſione Præſidis propter eas.

CAP. LX.

Præfectus cæcitate punitur, & egregie decipitur.

IGitur cum nec promiſſionibus, nec terroribus animum commutarent auſus eſt ipſe Præſes cellulam ingredi, vbi illæ orantes, noctem *Chriſto* peruigilem exhibebant in quo loco omnia coquinæ vtenſilia repoſita erant. Ingreſſus ergo cum vellet ire, vbi pſalmorum vox eum impellebat: Alienatus mente cœpit ollas amplecti, & ſartagines oſculari, In quibus diu ludificatus totus niger, & fuliginatus, talis cœpit eſſe in veſtibus, & in facie, qualis à Diabolo poſſidebantur in mente. Tandem ad ſuos egreſſus eſt, qui eum cum luminaribus expectabant, viſoque eo, omnes fugerunt, videntes eum totum fuliginatum & ſciſſum, nullamque partem in veſtibus eius quæ non eſſet inquinata & in partibus ſciſſa. Stantibus enim ancillis Dei, & pſallentibus, nullum penitus per eum Diabolus potuit impedimentum afferre. Videns ergo Præſes ſe ab officio ſuo eſſe contemptum, ac derelictum; neſciens, quid de illo factum fuiſſet, non eſt reuerſus in domum ſuam, ſed cœpit concito curſu ire ad palatium dicens: Proſternam me inuictiſſimis Imperatoribus & dicam me ita ab officio meo ludibrio habitum, ac cum irriſione, & clamoribus derelictum. Cumque primo mane apertum eſſet palatium, & ille totus niger & ſciſſus ante regem comparuiſſet, & intrare vellet, alij pugnis, alij exufflantes in faciem eius impingebant, alij quoque ridentes, alij iraſcentes eum expellebant, & vix potuerunt eum ſerui ſui ad domum ſuam perducere, dicentes ei: Recipe te; clauſerat enim Diabolus oculos eius, nec poterat ſeipſum attendere, ſed videbatur ei quod totus mundus incedens, niueis eſſet veſtimentis indutus, mens tamen in eo ſana erat, & ſoli oculi eius tenebantur à Sathana, quibus infœlix Dei martyres obſceno mentis conamine reſpexerat. Interea putans ancillarum Chriſti maleficijs hoc emiſiſſe, iuſſit tribunalia ſibi publice præparari & cum adductæ fuiſſent, orantes atque pſallentes, iuſſit eas expoliari, vt nuda eorum corpora aſpiceret, & cum miſſa fuiſſet manus vt expoliarentur, ita fixerant veſtes earum ad carnem, vt putarentur ipſæ eſſe coria corporum earundem. In hac intentione attonitus Præſes Dulcetius ſedēs præ tribunali, ita obdormiuit ſtertens, vt etiam à pulſantibus non poſſet excitari, & inde ſublatus in ſella dormiens,

Præfectus Dulcetius mirabiliter deluſus & à ſuis derelictus & irriſus, pugnis & verberibus fuit exceptus.

Præfectus Dei vindictam ſāctarum virginum aſcribit incantationibus.

Alia in præfectum vltio cæleſtis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tunc solum est expergefactus cum domum suam fuisset introductus.

Passio duarum ex his, scilicet, Agapę, & Chioniæ.

CAP. LXI.

Agape & Chionia comiti Sisinio præsentatur.

AVdiens Imperator omnia quæ acciderant, dedit comitem Sisinium, qui eas audiret. Cui cum præsentatus fuisset, vocauit Irenam ad se, & ait: Consentias regali iussioni. Quæ cum nollet, sed ancillam Christi se diceret, iussit eam incarcerari, & adductis Chionia, & Agape, dixit eis: Irena quantum apparet minor vobis, & exemplo vestro, ac doctrina decepta, diuina iussa contemnit, ideoque eam distuli, vt exitu vestro territa, possit absolui, & nunc offerre Dijs libamina, sicut & nos, qui deuoti sumus regibus. Illis autem insuperabiliter in fide Christi permanentibus, & sacrificia respuentibus iussit eas viuas incendi. Quo audito, repletæ sunt gaudio clara voce *gratias agentes Deo*. In ignem ergo missæ, cum penitus nec vestimenta earum arderent, dixerunt: *Domine Iesu Christe ne ab ista hora patiaris, vel nos loqui cum his, qui te verum Dominum negauerunt.* His dictis prostrauerunt se in oratione, & intactę ab igne ad Dominum perrexerunt. Vt autem ostenderet Deus incredulis, quod ignis eas non interficeret, eas exurendo, sed ipsæ orationibus suis exitum sibi impetrauerunt immaculatis corporibus, intactis crinibus, integrisque vestibus, digesto igne repertæ sunt. Quarum corpora Anastasia, missis occultè hominibus, arrepta, cum gaudio sepeliuit, orans Dominum, vt earum particeps fieri mereretur. Passæ sunt autem 4. nonas Aprilis.

Immobiles in fide Christi persistūt.

In fornace illæsa reddunt Spiritum.

Anastasia corpora earū sepeliuit.

Passio tertiæ Sororis, scilicet, Irenæ.

CAP. LXII.

Constantia Irena.

ALtera die Sisinius iussit Irenam sibi adduci, & ait: Sacrifica Dijs, ne simili incendio pereas, vt sorores tuæ. Quæ respondit: non sacrifico, sed earum particeps effici festino. At ille: Putas, inquit, te pati, sicut ille passæ sunt, ego te iubebo nudam tradi meretricibus, vt ibi ad turpes vsus posita moriaris. Quæ respondit: Caro mea sic patietur fornicatorem, sicut canem, vel vrsum, vel serpentem, & inquinamenta quibus animus non consentit, reatus non suscipit. Tunc tradidit eam militibus, iūbens eam poni in loco turpi, & ibi ludibrio omnibus populis haberi. Cumque duceretur apparuerunt duo milites ante eos dicentes: Misit nos comes post vos, vt vbi nos ostendimus ibi eam ponatis. Ascenderunt igitur cacumen montis, & ibi sederunt. Tunc videns Sisinius se delusum, & hoc factum esse quod ipse non dixerat; ascendens equum perrexit ad montem, in quo Dei famula orabat, & intendens, vidit eam, & gyrabat vsque ad vesperam, & non pertingebat ad eam: tunc videns se derisum, ingemuit. Tendens autem arcum vnus ex his qui cum eo venerant, sagittauit eam. Quæ ait: *Insulto tibi miserabilis, quia, vt virum fortem in bello aggrederis, quem vt mulierem volueras subiugare, ecce munda vado ad Dominum.* His dictis emisit spiritum, vnde corpus eius ab hominibus Anastasiæ sublatum est, & cum fororibus eius positum. Passa est autem in ipsis Nonis Aprilis.

S. Irenam mire liberat Deus à prostibulo.

Sagitta percussa S. Irena migrat ad Christū, sed acta eius habent fuisse combustam. Lege Suriū 10. April.

De altercatione sanctæ Anastasiæ, & Flori Præfecti.

CAP. LXIII.

Angusti sunt carceres propter multitudinem Christianorum captiuorum.

CVm autem multitudo Christianorum esset in ergastulis, Diocletianus omnes vna die iussit interfici. Quod ignorans Anastasia, cum noctu solito more pergeret, & diuersas custodias circumiret, dum nullum eorum inueniret, vehementissime flere cœpit. Quam cum flentem quidam attenderent, & causam ab ea didicissent, ipsamque esse Christianam, vnus eam comprehensam duxit ad forum, vbi Præfectus Illyrici causas agebat: à quo, scilicet Floro præfecto interrogata, quæ esset, & vnde illuc venisset? Respondit: Ciuis sum Romana quæ Christi amorem habens, vendidi patrimonium meum, & secuta sum ipsum; sanctos enim in vinculis positos, diligenti cura suscepi, ecce quibus per annum iugiter, & menses aliquot deseruiui, subito hac nocte me dereliquerunt, & cum triumpho ad regna cœlestia perrexerunt; vnde pia inuidia ducta sum, quod illi iam *regnant cum Domino*, & ego adhuc sto passura, *pro nomine sancto*. Florus dixit, vt video, non sunt tibi leuia tormenta præparanda: tu enim reuocasti animos eorum ad sacrilegium, qui obtemperare decreuerant regalibus institutis. Illa respondit: Ego doloribus fatigatis etiam pedes osculabar, nequando cæderent dolore compulsi, & quousque habui multam summam, in eorum necessitatibus expendi: nunc autem erogatis omnibus, ad passionem etiam animam meam aptaui nam si adhuc haberem quod expenderem, non me persequentibus demonstrarem. Ait Florus: Deos, quorum cultor erat Prætextatus pater tuus, colere debuisti, & non Christum, nescio quem Iudæum, qui à ciuibus suis occisus est. Illa respondit: Deos patris mei bene colui, & eos ab omni iniuria liberaui. Nam dum eos araneæ contexerent, & aues stercorarent, & mures intra eos fœtus facerent, ego eos liberaui, & conflans in pecuniam conuerti. Florus dixit: Hoc sacrilegium, nec aures meæ possent audire. Tunc illa ridens, ait: Miror prudentiam vestram, quasi sacrilegium timere, lapides frangere, ligna succendere, æramenta conflare.

Vide feruorē S. Anastasiæ.

Item liberrimam confessionem.

Anastasia omnia sua pauperibus dedit.

Pulchra Anastasiæ responsio.

S. Anastasia in dicendo libertas.

De improbitate Vlpiani in eam, & pœna illius.

CAP. LXIV.

HÆc cum Præfectus Diocletiano Imperatori retulisset, ille furens quærebat consilium, quid ageret: cui astitit quidam, qui diceret: Vlpianum Capitolij summum Pontificem hanc in vxorem velle, & ei dari debere, cui si non consenserit, ipse facultatibus eius perfruatur, & eam possit occidere. Sicque Vlpianus eam sibi traditam ducens in domum suam, cœpit ei ornamenta & gladium ostendere, lectos argenteos, & carbones ardentes, cellaria plena dapibus, & cellam obscuram testacijs acutis repletam; & ait: Dabo tibi trium dierum inducias, vt tecum cogites, quarto die, aut habebo te vxorem, aut habebunt te diuersa supplicia. Quæ respondit: Iam puta quia fluxerit tertia dies, & scias me magis eligere supplicia per quæ vadam ad eum quem diligo. Dimisit ergo eam decem mulieribus quæ osculabantur ei, aliæ pedes, aliæ manus, aliæ genua, aliæ munera offerebant. At illa oculos in cœlum figens, & per triduum stans in oratione manibus expansis, non manducauit, nec bibit, nec sedit, sed nec leniter dormitauit. Deinde veniens ad eas Vlpianus interrogauit quid profecissent? Quæ responderunt. Voces nostras quasi coruicularum clamantium contemnens, quasi triduo manibus expansis, sine cibo, & potu, & somno perseuerat. Tunc ille accedens, & volens eam amplecti, factus est cæcus, & gyrabat per totum triclinium in quo illa orabat, à tertia vsque ad vesperam *inuocans Iouem, Iunonem, Mineruam*, & dicens. Dij liberate me, erubescebat autem clamare. Tandem cum eius oculi dolore nimio torquerentur, clamauit ad eos, qui foris eum expectabant; qui ingressi viderunt eum semiuiuum, & cæcum, & Anastasiam orantem; tollentesque eum in manibus ad domum suam, maledicebant publice Imperatori cuius iussu ad eos Anastasia deuenisset. Media vero nocte se ad capitolium duci petijt, & vt magnus Pontifex cæpit inter sacrificiorum superstitiones inquirere, vtrum posset euadere? Cui responderunt Dæmonia: Quia famulam Dei contristasti, hodie nobiscum in inferno eris. Tunc ille angustiatus, cum duceretur ad domum inter manus puerorum expirauit.

Vlpianus Capitolij Pontifex nititur eam euertere.

Non patitur differri martyrii suum.

Triduana eius media

Pontifex Idolorum lumine orbatus.

Egregiam sui cultus retulit mercedem Vlpianus, suam misere vitā amittit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passio sanctæ Theodotę cum tribus pueris.

Cap. LXV.

Qui plura de Sancta Theodota & tribus eius pueris cupit, legat Surium vbi supra.

REuertente autem Diocletiano apud Syrmium à Macedonia, oblata est ei Theodota cum tribus filijs, natione Bythinia, ciuis Nicena, quæ ideo fugerat de ciuitate sua, quia contra Christianos illic persecutio vehementer agebatur. Comes autem Leucadius quia eam tradiderat, petijt ab Imperatore, dicens: Iubete eam mihi dari in vxorem, quę si non consenserit sacrificare mecum, diuersis eam pœnis interficiam. Accepta igitur potestate, cum eam diabolicis suasionibus, & terroribus fatigaret; illa dixit ei; Si ideo petisti me coniugem, vt facultates meas inuadas, omnia quæ possideo vade, occupa, & dum redieris accipies me vxorem. Quo eunte illa vnanimis cum Anastasia permanens quotidie sanctorum curam exercebant: & cum in Dei laudibus permanerent, aduenies Comes Leucadius agebat, vt eius coniugio Theodota necteretur. Sed cum diu blandimentis, & terroribus insisteret, & illa nullatenus consentiret, ferro vinctam cum tribus filijs, ad consularem Bythiniæ destinauit. Cui cum illa sacrificare nollet, primogenitum eius Euodium fecit fustibus cædi. Cui mater clamabat: *Noli timere fili ista verbera, quia per ista attinges ad gaudia æterna*: Tunc consularis Hyrtaco quidam in libidinibus famoso dixit: Comprehendens eandem, ducito, & postquam illuseris ei, inter publicas eam meretrices constitue, vt videamus si Christus eius eam defenderet. Qui dum ad eam pergeret, vt teneret, & duceret, cœpit de naribus eius sanguis infinitus effluere, clamauitque: Stat iuuenis pulcher, ex cuius manu pugnum accepi in naribus. Tunc consularis, iussit ignē copiosum accendi, in quo cum tribus filijs missa, *benedicens dominum*, martyrium consummauit, apud Nicenam Bythiniæ quarto nonas Augusti.

Puer Euodius fustibus caditur.

S. Theodota plagis pueri sui latatur.

Vltio diuina in Hyrtacū virum libidinosum

S. Theodota cum tribus filijs in fornace reddit Spiritum.

Passio sanctæ Anastasiæ martyris.

Cap. LXVI.

ANastasia vero tradita Præfecto illyrici infinitas pecunias habere putabatur, pro qua re tentans eam Lucius Præfectus iussit eam priuatim sibi adduci, & dixit ei: Si Christiana esse vis, præcepta Christi tui comple dicentis: *Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Da ergo mihi omnia, quæ possides, & perge quocunque volueris. Quæ respondit: *Vende*, inquit Dominus meus, *omnia quæ habes, & da pauperibus, non diuitibus*, tu autem dives es, & qui tibi dederit, contra præceptum Christi agit: ego autem etiam rogo, vt accipias, quæ te indigere cognosco. At ille. In quo, inquit, pauper sum? Quæ respondit: IN FIDE: Ille vero dixit: Si Dominus tuus *crucifixus est*, vt quid Iouem non colis, qui nulli vnquam subiacuit? Quæ respondit, Iupiter iniuriam fecit, Christus passus est, tu imitare Deum tuum, & ego Dominum meum. Tunc iussit eam in carceris ima concludi, & acerrimis terroribus fatigari, cibum vero ei permodicum serotinis horis offerri, quem etiam illa penitus recusabat, Apparebat autem ei nocte spiritus sanctæ Theodotæ etiam cum luminaribus, & mensam onustam varijs refectionibus coram illa ponebat. Et orantes simul tota nocte, & ad pullorum cantus loquendi secum, & se videndi terminum capiebant. Hæc cum per dies 30. gesta fuissent, Lucius putabat eam iam fame, & tenebrarum horrore defecisse; iussit tamen eam si viueret sibi adduci. Videnśque eam robustiorem, & lætiorem quam prius fuerat, indignatus, iussit eam in naui poni, & cum multis alijs quos legis iura punierant, pelagi fluctibus demergi. Quibus perductis in altum vbi pelagus fuerit, vt præceptum erat eis, illic nauem pertulerunt, ibique eos dereliquerunt. Tunc ibi S. Theodota martyr apparuit, & super ipsam plagam nauis considens, eam à periculo liberauit. Cumque orante S. Anastasia, omnes crederent, vna die, & vna nocte ita fuerunt in medio pelago, vt putarent se esse in terra, sine æstu, sine fluctuatione, sine metu. Tertia die ad insulas Palmarias deuoluti sunt, vbi multi episcopi, & viri religiosi diuersis temporibus relegati fuerant; & descendentes, cum hymnis, & psalmis suscepti sunt. Quod cum audisset Præfectus, misit illuc, & omnes inde deposuit. Cumque essent plusquam 200. viri, & 70. fœminæ excęptis paruulis, ne vnus quidem potuit amore vitæ penitentis ad sacrificij reuocari consensum. Et cum omnes varijs interfectionibus martyrium celebrassent, Anastasia per manus, & pedes extensa, & ligata ad palos fixos circa medium eius, igne incensus est, in qua passione orans, & *benedicens Iesum Christum*, emisit spiritum. Passa est autem 8. Kalendas Ianuarij.

Luc. 14.

Sapiens responsum S. Anastasię.

Crux Christi omnibus Christianis gloriatio.

Sancta Theodota crebro apparet S. Anastasię.

En quid possint SACTI post hanc vitam.

Passio sanctæ Barbaræ virginis.

Cap. LXVII.

EX *gestis eius.* Imperante quoque* Maximiano fuit Nicomedię virgo *Barbara* nomine, nobilis genere, quam ob nimiam pulchritudinem pater eius Dioscorus in excelsa turri collocauit, volens eam in eminētiori loco residere. Illa vero occulte *Deum cœli adorabat*: eratque balneum ibi propinquum, quod ea orante subito repletum est aqua. Illaque gratias agens, iterum orauit, vt aqua illa sanctificaretur *in nomine Trinitatis, & illic descendens seipsam baptizauit.* Cum autem ciues vrgerent patrē eius, vt eam nuptui traderet; illa requisita ab eo respondit: Absit hoc à me pater, *habeo sponsum in cœlo Christum, qui inuiolabile custodit corpus meum*, Mox intelligens pater, quod *Christiana esset*, arripuit gladium volens eam interficere; at illa fugiens, abscondit se in montis latere, quam persecutus pater quæsiuit à pastoribus, an vidissent puellam fugientem vnoque dicente, Non. Alter dixit: Nunquid non vides, vbi se abscondit? Tunc pater currens, & apprehendens eam, cum duceret in domum suam, aspexit virgo illum, qui eam indicauerat, & maledixit eum, & pecora eius, statimque *cum grege suo conuersus est in statuam marmoris.* Altera die pergens pater ad Martianum præsidem, nunciauit ei omnia, quæ acciderant de filia sua: qui iubens eam sibi adduci, & alloquens de cultu Deorum, & sacrificijs; cum eam in fide immobilem inueniret, iussit eam nudam cum virgis cædi; & cum cæsa, Deo psalleret, Idolaque insensibilia, & inutilia esse diceret, iussit eam versis pedibus suspendi, & cum malleis caput eius tundi, vsque dum per nares eius sanguis distillaret in tertam. Et dum iterum gratias ageret, videns Præses in crastino plagas eius sanatas, iussit eam equuleo suspendi, & ad eius latera lampades ardentes applicati. At illa in cœlum aspiciens, & orans, dixit ad Præsidem: Vide miser, quia *ignis iste non dolorem, sed refrigerium mihi præstat.* Tunc Præses furore repletus, iussit eius mammillas amputari, deinde per totam prouinciam eam nudam circumduci. Illa vero eleuatis oculis in cœlum dixit. *Domine Deus qui operis cœlum nubibus*, mitte Angelum sanctum tuum, qui cooperiat corpus meum denudatum, vt non videatur ab impijssimis paganis. Ecce ergo Angelus Domini cooperuit eam stola candida, consignansque omne corpus eius, restituit eam, ita vt nec cicatrix in ea appareret. Circumferentes autem eam ministri per quendam vicum, adduxerunt ad Præsidem, qui videns totum corpus eius sanatum, & faciem eius fulgentem, præ nimio furore stabat stupefactus, & iussit eam capite puniri. Quæ gaudens, *adorabat Dei filium* dicens: *Obsecro Domine ne memineris peccata eorum, qui deuote celebrauerint martyrium meum.* Et ea dicente *Amen*, subito ad eam vox Domini facta est dicens: *Veni dulcissima, requiescere in cubilibus patris tui, qui in cœlis est: de hoc vero quod postulasti crede quia donatum est tibi.* Et cum ascendisset in montem pater eius proprijs manibus amputauit caput eius: deinde

* Baron. putat Imperante Maximino qui successit Alexandro.

Qui epistolas S. Anastasia ad Chrysogonum & Chrysogoni ad Anastasiam legere cupiat, consulat Surium in fine vitæ S. Anastasiæ.

Sancta Barbara degit in turri sanctissime.

Respuit omnes sponsos.

Pater eius persequitur eam, quia Christianā se esse profitetur

Præsidi Martiano crucianda tradutur.

Nuda, virgis flagellatur, durissimeq; aliis pœnis cruciatur.

Constanter præsidi respondet.

Nuda per prouinciam circumducitur, sed angelus eam candida stola cooperuit.

Orat pro ijs qui deuote celebrant eius martyrium.

Proprius eius pater eam interficit & propterea fulmine statim perijt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

deinde cum de monte descenderet, subitò cecidit ignis de cœlo super eum, & consumpsit illum, ita vt nec puluis de eo remaneret.

Passa est autem hæc virgo pridie nonas Decembris. *Author.* In martyrologio tamen eius natalis annuntiatur 17. Kal. Ianuarij.

Passio sancti Floriani martyris.

Cap. LXVIII.

Sancti martyres vltro se iudici offerunt.

Caduntur fustibus & scapula ferris acutis constringuntur.

Iactatur in flumen Anisum S. Florianus, sed Florentius à somno excitatus mittitur in Gallias.

*Habentur Acta S. Floriani apud Surium 4. Maij Sed plura de eodem in Breuiario Polon. & Cuspin. in Austria. Vindicta Dei in eum qui sanctũ precipitauit in flumen * Vocabatur Valeria.*

EX *gestis eius.* Cum autem præcepta Imperatorum de persecutione Christianorum apud Noricum Ripensem, delata essent, Aquilinus Præses cœpit Christianos vehementer inquirere. Sancti autem Florentius, & Florianus obuiantes quibusdam sibi mundanæ militię socijs dixerunt: O fratres, & commilitones, cur alios quæritis? Euntes nuntiate Præsidi, quia *Christiani sumus*, & locum etiam designate, in quo commoramur. Crudelitatis ergo ministri apprehendentes eos duxerunt ad Præsidem. Qui ab eo moniti, vt idolis sacrificarent; responderunt: Iussioni tuæ prauissimæ quantum decet militamus, hoc tamen nemo nobis suadebit, vt dæmonibus sacrificemus. Tunc Præses vehementer iratus, iussit eos fustibus cædi, & scapulas eorum actis ferris constringi. Illis ergo in confessione Christi, & gratiarum actione permanentibus; videns Præses se superatũ, eos iussit duci ad flumen, nomine Anisum, & de ponte in illud præcipitari 4. Kal Maij. Cumque vincti ducerentur à militibus, venerunt subtus quandam arborem, vbi ab itinere fatigati, residentes, pariter dormierunt omnes. Tunc Angelus Domini per visum apparuit beato Florentio dicens: Frater Florenti non est tibi data corona martyrij, sed consors eris confessorum, igitur surge, & perge ad partes Galliarum, & ibi ostendam tibi locum habitationis tuæ; futurum est autem, vt in ciuitate Turonica à B. Martyno accipias ordinationem. Illo expergefacto dissoluta sunt vincula eius. Tunc cautius B. Florianum vocans narrauit ei visum, & abijt. Sanctus autem Florianus exultans, cum peruenisset ad pontem, vnde præcipitari iussus fuerat, ligauerunt lapidem ad collum eius, quo in profundum demergeretur. Tunc deuote cœpit rogare milites, vt orandi spacium aliquantulum sibi concederent. Cumque orasset quasi vnius horæ spacio, tandem præcipitauerunt eum, & statim crepuerunt oculi eorum, fluuius autem martyrem Christi suscipiens expauit, eleuatisque vndis suis, in quodam eminentiori loco super quoddam saxum corpus eius deposuit; diuino quoque annuente fauore aquila aduenies idem corpus cœpit alis suis protegere; ipse autem sanctus manifestauit se cuidam * fœminæ Deo deuotæ, certis eius locum designans indicijs, vt traderet illud sepulturæ; quod & factum est, ibi ægri sanantur, cæci illuminantur, Dæmones eijciuntur.

Passio sanctorum Primi, & Feliciani.

Cap. LXIX.

Lege Surii 9. Iunij.

Sancti martyres mittũtur in carcerem. Ab Angelo Visitantur Felicianus plumbatis verberatur.

Atrocissimè cruciatur

EX *gestis eorum.* Pontifices autem templorum accusauerunt Primum, & Felicianum apud Imperatores dicentes: Nisi hos sacrificare feceritis, nulla beneficia à Dijs consequi poteritis. Inquisiti igitur, & comprehensi Primus, & Felicianus ciues Romani, iussu Imperatorum in carcerem recluduntur. Qui statim ab Angelo confortati soluuntur, & post dies aliquot Imperatoribus præsentantur, vbi cum in fide perlisterent, ad fanum Herculis educuntur: sed sacrificare nolentes crudeliter laniati, & in carcerem recluſi quotidie ab Angelo fouebantur. Iterum educuntur, & promoto Præsidi præsentati, cum superari non possent, ab inuicem separantur. Dixit ergo Feliciano, vt senectuti suæ consuleret, & Dijs inuictissimis immolaret, quod cum ille renueret, plumbatis grauissime cæsus, ait: Cum 80. iam annos vitæ habeam 30. iam anni sunt ex quo cognoui veritatem, & elegi Deo viuere. Tunc iussit eum Præses ligari, & clauos manibus, & pedibus figi, & dixit ei: Tamdiu sic eris, quamdiu nobis consenseris. Cumque adhuc læto vultu persisteret, iussit eum ibdem torqueri, & triduo in stipite pẽdenti nihil ministrari. Post triduũ iussit eum flagellis cœdi, & sic depositũ carcere recipi.

Fallacia Præsidis a Primo detegitur.

Primus fustibus immaniter caditur & vritur lampadibus.

En miram Dei virtutẽ. Leones in martyres immissi mãsuefiunt Ite Vrsi.

Caduntur capite martyres.

Sequenti die iussit Primum adduci, & dixit ei: Ecce frater tuus consentiens Imperatorum decretis, & sacrificans, magnus est in palatio eorum, vnde & tu si ita feceris socius eius eris. Respondit Primus: & si tu filius es Diaboli, nesciens tamen, in parte vera dixisti, *quia frater meus non hominibus vanis, sed Imperatori cœlesti consensit.* Noui enim docente me Angelo, quod de illo fecisti, & vtinam merear ei coniungi. Tunc iratus Præses, iussit vt fustibus cæderetur, & leuatus in equuleo latera facibus vrerentur. Quod cum fieret, & ille semper psalleret, iussit eum deponi, & plumbum bulliens in os eius fundi. Iussit etiam vt Felicianus adesset, vt quasi territus eius passione sacrificijs consentiret. Extensus autem S. Primus plumbum bulliens quasi aquam frigidam totum bibit, & ait: Ecce frater meus à me separatus non est, quem tu dicebas, quod idolis consensisset. Iratus Præses iussit eos in theatrum simul duci, duosque Leones ad eos mitti; qui statim ad pedes eorum corruentes, eis blandiri cæperunt; quod & Vrsi post eos immissi fecerunt. Tunc de populis qui ad hoc spectandum plusquam 12. millia conuenerunt, quingenti viri cum omnibus suis crediderunt. Videns Præses sanctos martyres non posse vinci, iussit eos extra amphitheatrum decollari; quorum corpora canibus, & auibus proiecta, sed ab eis illæsa, nocte à Christianis rapta sunt, ac sepulta.

Horum passio celebratur 5. Idus Iunij.

De sancto puero Vito, & eius Pedagogo Modesto, & Crescentia nutrice.

Cap. LXX.

Hylas nobilissimus pater Viti.

Nititur pater filium à Christo auertere.

Fustibus caditur, sed brachia verberantium & manus Iudicis arruerunt Curat manũ aridam Præsidis. Tentatur multis modis.

Hylas fit cæcus.

EX *gestis eorum.* Eo quoque tempore erat in Lucania sub Diocletiano Præses Valerianus, de qua prouincia fuit sanctus Vitus, habens patrem Hylam sacrilegum, Modestum pedagogum, nutricem Crescentiam. Huic viro adhuc infantulo apparuit Angelus Domini dicens: *Datus sum tibi custos ad custodiendum te vsque ad vltimum diem vitæ tuæ, & omnia quæ petieris à Domino impetrabis.* Hic ergo cum esset annorum 12. & *in Christum credens.*, quantum poterat omnibus indigentibus ministrabat. Pater eius Hylas nobilis, sed paganus, studebat quomodo eum ad Idola conuerteret, & nolentem sæpius verberabat. Audiens hoc Valerianus Præfectus iussit patri, vt eum adduceret. Qui cum venisset, & idolis immolari renueret, iusit Præses, vt fustibus cæderetur: sed brachia eorum qui puerum verberare volebant, protinus aruerunt; & ipse Valerianus clamauit dicens: Væ mihi, manum perdidi. Respondit Vitus: Sanent te Dij tui si possunt. Et ait ille: tu ergo facies. Qui ait: *In nomine Domini faciam*, & statim precibus eius sanatus est. Qui dixit patri eius: Corripe filium tuum, ne pereat. Tunc pater eum ducens in domum suam omnibus delicijs, & cantu musicorum, & saltatu puellarum animum eius mutare studebat. Cum autem inclusisset eum in thalamo omnibus delicijs ornato, venerunt ad eum sancti Angeli, alas habentes quasi aquilarum mirabiliter refulgentes: apparuerunt etiam ante eum 12. lampades, & cubiculum odore suauissimo respersum est; Angeli autem cantabant: Agyos, Agyos, Agyos. Odore autem quasi aromatum de cubiculo exeunte, pater & familia repleti dicebant; Dij venerunt in domum, & aspiciens per ostium, vidit 7. Angelos circa infantem stantes, & statim cæcus factus est. Cumque se oculos perdidisse, clamaret, commota est Lucania ciuitas ita, vt Valerianus accurreret; à quo interrogatus, qualiter hoc ei accidisset, Respondit: Cubiculum filij mei aspiciens Deos igneos intus vidi, & vultum eorum ferre non potui. Igitur ductus ad templum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

S. Vitus orat pro patre frustra falsos Deos inuocante. Recipit lumen Hylas sed manet animo caeo.

Iouis, vouit quod si visum reciperet thaurum cum cornibus aureis offerret, sed cum nihil proficeret prostrauit se filio, vt eum sanaret. Cui respondit filius: *Scio quod non credis, sed propter astantem plebem sanaberis.* Cum vidisset, & *Ious* gratias ageret, quærebat quomodo eum occideret.

Passio prædictorum trium sanctorum.

CAP. LXXI.

TVnc apparuit Angelus modesto Pedagogo eius iubens, vt puerum tolleret, & inuentam nauiculam ascendens, ad aliam terram iret. Quod cum faceret venientes ad mare inuenerunt Angelum in specie naucleri; qui cum ab eis quæret naulum, S. Vitus respondit: Ille cuius nos sumus serui mercedem tibi dabit. Applicuerunt igitur ad locum, qui dicitur Allectorius, & Angelus subito disparuit. Requieuerunt igitur iuxta flumen, quod Siler dicitur, & cibus ei cœlitus per aquilam ministrabatur; ibi puer sanctus multa miracula faciens, diuulgatus est, ita vt dæmones eos prædicarent, prædicarent, & confluentes ad se populos baptizaret. Interea Diocle. filius à Dæmone vexatus clamauit: Nisi venerit Vitus Lucanus non exibo, quem statim milites diu quęsierunt, & inuentum ad Imperatorem Romam adduxerunt, cuius vultus erat speciosus, & flammeus nimis, & oculi eius, vt radij solis. Cui dixit Imperator. Potesne sanare filium meum? Respondit, *non ego*; *sed Dominus*; Statimque imponens ei etiam manum sanauit eum. Ait illi Diocletianus: Consule tibi puer, & sacrifica dijs, ne male moriaris. Quod cum Vitus renueret, iussit eum cum Modesto in carcerem recipi. Angelus autem ad eos descendit, & subito ferri moles, quæ imposita erat eis cecidit, & carcer immenso lumine coruscauit. Quod videns Carcerarius hoc Imperatori nunciauit, & statim eductus, in clibanum ardentem missus est; in quo resoluta erant, pix, resina, & plumbum; & subito Angelus omnem feruorem extinxit, & puer inde sanus exiuit. Post hæc traditus est leoni deuorandus, qui immissus ad eum lingebat pedes eius, & crediderunt vsque ad mille homines. Postea iussi sunt Vitus & Modestus; & Crescentia, quæ semper eos secuta erat, in catasta extendi, ibique ossa eorum dissipata sunt, & viscera apparuerunt; factumque est subito tonitruum magnum, & terræmotus, & templa Idolorum corruentia, multos occiderunt. Imperator autem fugiens seipsum percutiebat dicens: Væ mihi, quia ab vno infante victus sum. Et statim ab Angelo soluti subito inuenerunt se iuxta fluuium, qui dicitur Siler, ibique pausantes migrauerunt ad Dominum, quorum corpora per triduum ab aquilis custodita, illustris fœmina Florentia per mare nauigando periclitans iudicio sancti Viti, reperit & honorifice sepeliuit. Horum passio recolitur 17. Kalend. Iulij.

Sic per eorum afferebatur cibus Elia.

Proficiscitur ad Diocletianũ Imp. accitus ab illo.

Mittitur cũ Modesto in carcerem.

In clibanum ardentem conijcitur S. Vitus.

Torquentur Sancti martyres atrocissimè. Lege Surium 15. Iunij, & Petrum l. 5. cap. 118.

Passio sancti Albani.

CAP. LXXII.

EX gestis eius. Tunc etiam passus est S. Albanus in Britannia 10. Kal. Iulij, iuxta ciuitatem Verolamium quæ nunc ab Angelis dicitur Verlameceæstir. Hic quidem adhuc paganus, Christianum quendam clericum persecutionem Maximiani Imperateris fugientem, hospitio recepit, quem cum orationibus, & ieiunijs semper studere conspiceret, exẽplis & exhortationibus eius conuersa est. Ideo audiens Iudex Britãniæ, quod in Albani domo clericus latitaret, iussit, vt cito clericus adueniret. Tunc Albanus hospitis sui habitum induens, à militibus ad Iudicem vinctus, perductus est. Qui cum eum vidisset, & quomodo pro hospite suo se obtulerat cognouisset, cum sacrificare renueret, iussus est grauiter verberari, & deinde decollari. Cumque ad locum duceretur, venit ad quendam fluuium cursu rapidissimo transitum prohibentem: volens ergo properare ad martyrium orauit, & statim diuisus fluuius viam ei præbuit. Quod videns miles qui eum decollare debebat, ense proiecto, pœnitens veniam postulabat. Sicque cum eo ad montem, qui & prope erat, ascendit, vbi S. Albanus fontem perenniter affluentem precibus obtinuit. Protinus, quidam miles ambos decollauit, & oculos amisit. Nam cum sancti Albani caput in terram caderet abscissum, simul & sui percussoris oculi ceciderunt.

Lege Bedam in Histo. eccles. gentis Anglorum l. 1. c. 6. & 7.

Albanus vt fuerit conuersus. Vltro se offert ad mortem.

Insigne miraculum. Carnifex credit. Fontem impetrat suis precibus. Pœna percussoris eius.

Passio sanctorum Donatiani, & Rogatiani, & Pancratij martyrum.

CAP. LXXIII.

EX gestis eorum. Eo quoque tempore florebant in vrbe Namnetica in Britannia minori duo fratres iuuenes Donatianus & Rogatianus; quorum Donatianus adhuc in iuuentute positus, iam migrauerat in senẽ. Mota autem persecutione Rogatianus, qui natu maior erat, cucurrit ad fratrem suum petens, vt baptizaretur antequam persecutor appropinquaret. Quod equidem ille tunc non est consecutus, propter absentiam sacerdotis. Tenti autem, simul in carcerem missi sunt, & vbi sanctus Rogatianus contristatus, eo quod baptizatus non esset, sufficere sibi credidit, si osculum à fratre acciperet. Sanctus autem Donatianus rogauit pro eo Dominum, vt esset ei pro lauacro martyrium, quod & factum est. Nam in equulei catasta suspẽsi ac laniati, deinde lancea militari perfossi, nouissime capite cæsi sunt 9. Kal. Iunij, qui tamen dies in eorum passione non determinatur.

Sanctus quoque Pancratius filius Cleonij, & Quirinæ Christianorum in Phrygia ciuitate, defunctis parentibus, cum omne patrimonium pauperibus erogaret, & *Christum pie colens*, Deos gentium grauiter blasphemauit, præsentatus est Diocletiano augusto, cum in ætate 15. annorum esset. Cumque coram eo de vanitate Deorum subtiliter disputaret & imperatorem euidenti ratione confunderet, iussu eius decollatus est. Ad cuius sepulchrum, vt dicit Gregorius Turonensis, quisquis falsum iurare voluerit, antequam ad cancellum chori Ecclesiæ veniat, aut statim à Dæmone captus insanit, aut cadens in pauimentum protinus vitam perdit.

Huius passio celebratur 4. idus Maij.

Lege Petrũ in catal. lib. 5. c. 37. & Surium tom. 3.

Martyrium loco baptismi.

Agit de eo Surius to. 3.

Lege Greg. Turon. de gloria martyrum c. 30.

De Sancto Marcellino, & Petro, & Arthemio.

CAP. LXXIV.

EX gestis eorum. Ea quoque tempestate passi sunt Romæ 4. nonas Iunij, Marcellus presbyter, & Petrus exorcista, sub iudice Sereno. Hunc enim Petrus Arthemius carcerarius pro fide Christi multotiens cæsum in vinculis detinebat; cuius filia dum à dæmone vexaretur, & à patre quotidie plãgeretur, dixit ei Petrus, quod si *in Christum crederet* statim eius filia sanitatem recipere. Cui Arthemius miror consilium tuum, quia Deus tuus te liberare nõ potest cũ illi credas, & pro eo tãta sustineas & quomodo filiam meam si ei credidero liberauit? Respondit Petrus: *Potens est Deus liberare me, sed vult, vt per temporalem passionem perueniam ad gloriam sempiternam.* At ille: Si me, inquit, vis credere *Deo tuo* catenas, & clausura super te duplicabo, & si te *Deus* liberauerit, credam illi, si tamen prius filiam meam sanam videro. Quod cum fecisset; ait Petrus: Vade in domum tuam, quia modo videbis me loquentem tecum. Qui cum abijsset, & Candidæ vxori suæ hæc diceret, affuit sanctus Petrus indutus vestimentis candidis, & tenens in manibus *signum crucis*. Cuius statim pedibus prouoluti, *virtutem Dei confitentur*, & sanata * filia eorum, omnes qui erant in domo Arthemij baptizantur. Cumque ad

Sanctus Petrus crebro casus mittitur in obscurissimum carcerem.

Videtur delirare custodi carceris Arthemio

Miro modo à carcere venit ad Arthemium.

* Paulina vocabatur.

domum

Multi credũt in Christum.

Arthemius promittit libertatem ijs qui vellent fieri Christiani.

domum illam plurimi conuenirent, vt aperta videntes miracula baptismum peterent; abijt Petrus ad Marcellinum Presbyterum, & omnes ab eo baptizati sunt. Tunc iuit Arthemius ad alios incarceratos promittens, vt exirent liberi quicunque vellent fieri *Christiani*. Quod dum fierent, & rumor ad Serenum iudicem peruenisset, qui per 40. dies infirmus, huic operi vacare non poterat, iussit omnes incarceratos adduci. Quos omnes Arthemius conuocans & eorum manus deosculans, dixit ad eos, vt si quis ire vellet ad martyrium veniret intrepidus, & si quis nollet abiret illæsus.

De Passione eorundem Sanctorum.

Cap. LXXV.

Petrus in carcerẽ ducitur.

Angelus ambos liberat, & S. Petrus diuinitus sic solutus venit cum Marcellino ad Arthemiũ.

Arthemius gladio perimitur.

Marcellinus & Petrus capite puniuntur.

Dorotheus lictor conuersus ad fidem Christi.

Cvm ergo audisset Iudex, quod Marcellinus, & Petrus, illos, qui erant, in carcere baptizassent, & abire permittentes, ipsi spõte in carcere remansissent, iussu irati Præsidis introducti, separatim in carcere retrudũtur; Marcellinus quidẽ nudus super vitrũ fractũ prosternitur, & ei lumen, & aqua negatur; Petrus vero in alio carcere in cippo arctissimo constringitur. Tunc venit Angelus ad Marcellinum, soluensque & induens eum vestibus suis duxit ad Petrum; ipsum quoque soluens, ambos duxit ad Arthemij domum; iubens eis, vt septem diebus populum confortarent; & octauo die se Iudici præsentarent. Cum ergo Marcellinus, & Petrus in carcere non essent inuenti; Iudex Arthemium cum vxore, & filia adductos ad se, & sacrificare nolentes, iussit eos terra obrui. Qui cum venissent ad locum, sanctus Marcellinus in illa crypta missam celebrauit protegentibus se alijs Christianis, & post hæc ait Marcellinus ad incredulos; Ecce vos lædere potuimus, & Arthemium cum vxore, & filia liberare, nosque ipsi liberi abscedere, sed neutrum fecimus; Quid vos ad hæc? Tunc irati gentiles, Arthemium gladio percusserunt, matrem vero cum filia præcipitantes lapidibus obruerũt, Marcellinum autem, & Petrum ducentes *ad Siluam nigram*, quæ hodie in honore Sanctorum *Silua candida* appellatur, ibi eos decollauerunt. Quorum animas vestibus splendidis, & gemmis indutas, is qui eos decollauit nomine Dorothæus vidit Angelorum manibus in cœlum deferri: vnde ipse Christianus effectus, tandem in pace quieuit. Passi sunt autem Romæ Arthemius, & vxor eius Candida, cum filia Paulina, 4. Nonas Iunij.

Sergius & Bacchius ab amulis accusantur.

Passio Sanctorum Sergij, & Bacchij.

Cap. LXXVI.

Maximiani crudelitas.

Afficiuntur ignominia.

Antiochus dux crudelissimus.

Immanissimus cruciatus S. Bacchij.

Ad Dei vocantis vocẽ ex hac vita migrat Apparet S. Sergio.

Ex gestis eorum. Ea tempestate passi sunt etiam sub Maximiano sancti Sergius, & Bacchius, qui cum essent Primicerij palatij apud eundem Imperatorem, de Christianitate sunt accusati. Quod ille non credens, duxit eos secum ad templum Iouis, eique sacrificans, vidit, quod illi extra templum remanentes, pollui noluerunt idolis. Vnde comperto quod Christum colerent, protinus distinguuntur, & veste militari deposita, catenis onusti, per totam ciuitatem ducuntur, & sic ad palatium reducti *Christum* plenissime confitentur, & catenis grauissimis alligati, longe ad Ducem Antiochum destinantur. Cum ergo antequam à Duce interrogarentur, bis ab Angelo confortati fuissent, & sequenti die cum ipso de Idolorum erroribus disputarent; Sergius in carcerem mittitur, & Bacchius extensus neruis crudis vsque ad fluxum sanguinis, & disruptionem ventris, ac iecoris laniatur, magisque tyrannum prouocans, & tandem ad vocem *Dei vocantis* expirans deorandus à bestijs procul extra castra iactatur, & aduolantes volucres illæsum eum à bestijs seruauerunt, donec fideles eum in tumulo sepelirent.

Eadem nocte cum se Sergius, à socio destitutum lugeret, apparuit ei sanctus Bacchius in habitu militiæ, & vultu angelico, monens eum, vt ne mærore deficeret, sed fortiter ipsum sequens ad paratam sibi gloriam perueniret. Igitur sequenti die Antiochus Sergium multis verbis sacrificare monuit, sed ille non acquiescens, se potius tormentis exposuit, & clauatis sotularibus calciatus ante currum eius nouem milliaribus cucurrit. Sequenti vero nocte in carcere ab Angelo sanatus, & confortatus, mane facto, ante Antiochum sanus stetit, nolensque consentire Idolis, rursus eisdem sotularibus calciatus ad aliud castellum, similiter nouem milliaribus ante eum cucurrit, & sic adhuc immobilis, data in eum sententia, cum magna multitudine hominum, & etiam fœminarum, quæ de latebris suis exierant, vt cum eis mortem sancti Sergij flerent, veniens ad locum, & voce angelica confortatus, flexa ceruice decollatus occubuit, cuius sanguis sic terra dehiscente absorptus est, vt nullus gentilium ad locum præ timore martyris appropinquaret, in ipso autem loco à Christianis diligenter sepultus est.

Constantia S. Sergij. Vide crudele Supplicium. Rursus martyr induitur clauatis sotularibus, vel crepidis, vt ait Surius. Truncatur capite. Sepultura eius per-magnifica. Vitam horum Sanctorum etiam describit Surius ex Metaphraste 7. Octobris.

Post longum vero tempus, cum Christiani corpus eius furtim auferre, ac transferre vellent, nolens beatus Sergius furtim tolli, qui dudum iussus fuerat publicè per vrbem circunduci, tantam circa locum claritatem ostendit, vt castelli custodes, ignem ab hostibus accendi putarent prorumpentes cum armis, vt eos insequendo impedirent. Permissu tamen militum corpus sanctum in pulchro tumulo posuerunt, donec quindecim episcopi conuenientes ad locum, condignam super eum basilicam construxerunt.

Horum passio celebratur nonis Octobris.

De sancta Euphemia virgine.

Cap. LXXVII.

Euphemia cum alijs Prisco præsentatur.

Dire cruciãtur martyres.

Iudex blanditur S. Euphemiæ quo virili animo esse se ostendit.

Ex gestis eius. Eadem quoque tempestate passa est sancta virgo Euphemia in ciuitate Calcedonia, filia Philosophronis Senatoris, & Theodoræ, sub Prisco Proconsule. Cum hac erant in carcere quadraginta nouem martyres sancti, qui per nouem decim dies ibidem à spiritu sancto nutriti erant: qui simul cum ea Prisco præsentati, & ab eo interrogati, cum fidem Christi constãter confitẽtes, supplicijs se offerrent, iussi sunt singuli tormentis puniri. Cũque per singulos dies torquerentur, mutuo se ad sustentationẽ certaminis hortabantur. Iterum Prisco præsentati, & ab eo commoniti, vt Deo sacrificarent Marti, cum quasi ex vno ore errorem arguerent, iussit eos alapis cædi, donec ministri cædentes quasi mortui deficerent: sed cum cæderentur, facies eorum magis albescebant. Priscus autem habito consilio cum Appoliano Sophista, Christianorum accusatore, iussit eos recipi in carcerem, donec mitterentur ad Regem. Et cum ducerentur in carcerem, Priscus quasi fera currens in gregem, arripuit beatam Euphemiam, æstimans quod sicut ipse vas infirmum & inutile erat, infirmum vas inueniret, & ait ei: Honora te ipsam, & substantiam tui generis, ne amittas vel notitiam, & si corrupta es verbis, vt mulier reuertere, & immola Deo Marti. At illa cum prius erectis in cœlum oculis *Domini Iesu auxilium postulasset*, respondit. Non in natura corporis est fortitudo certaminis, sed in virtute spiritus sancti: Igitur corpore quidem mulier consto, sensu autem virili.

De passione eiusdem.

Cap. LXXVIII.

Figura diuina crucis, valida arma Christianorum.

Vnc Proconsul iratus quod à muliere vinceretur, iussit tormentum stare rotarum, & illam in medio poni, vt extensa, & contrita, cito redderet spiritum. Ipsa autem tormento rotarum imposita, pectori suo *Christi signaculum* præposuit, & Tyranno insultare cœpit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Horrendum ſupplicium rotarum. Soluitur diuinitus à rotis S Euphemia.

Cumque corpus eius per ſingula membra confringeret, ſenſus animi conualeſcebat, & *benedicens Deum*, orabat. Tunc confeſtim Angelus de cœlo deſcendens tormenta rotarum confregit, & miniſtros in paralyſim diſſoluit. Illa autem bona certatrix ſine macula, & hilari vultu coram omnibus exiuit. Cui cum Priſcus minaretur incendium, niſi ſacrificaret, & illa terrores eius non timere ſe diceret, eo quod *adiutorem Chriſtum haberet*. Priſcus iuſſit fornacem, cuius flamma per 45. cubitos extenderetur accendi, & intus eam proijci. At illa ſtans hilari vultu, *Deum benedicebat*, & vt eam, ſicut tres pueros de camino, eriperet, exorabat. Cumque miniſtri eam præcinctam tenerent, iubente Priſco, vt eam in ignem proijcerent, vnus ex his Soſthenes, habens cultellum ad cingulum, reſpexit ad Proconſulem, & ait ei: Hoc gladio me interfici iube, quia impoſſibile eſt mihi ſuper iſtam manus mittere, video enim ante oculos, exercitum candidatorum illam expectantium. Victor autem alius magiſter zonam Euphemiæ ſoluit, & ait: Oro te Proconſul ſolue me ab iſta neceſſitate, quia graue eſt in eam manus extendere, video enim in ore fornacis ſtantes viros, qui ignem diſpergunt, & expectantes ſanctam, eam immaculatam conſeruare volunt. Tunc Proconſul hos quidem cuſtodiri, & alios conſiſtere iuſſit; Cæſarius autem Barbarus quidam illam apprehendit, & in ignem proiecit; quam Angeli ſancti confeſtim ſuſceperunt, ac flammam diſperſerunt. Cæſarius autem combuſtus fuit, & virgo ſtans in fornace media quaſi in platea, *Regem Dominum honeſte conſpiciens, expanſiſque manibus eum benedicens*, tandem exiuit. Tunc indignati Proconſul, & Appolianus iuſſerunt afferri ferras acutas, & ſartagines ignitas, ac per tormenta artis ferrariæ membra virginis diſſolui per partes, & in ſartagine interponi, vt tanquam puluis fierent: qua ſuper ferras poſita, ferræ confractæ, & ſartagines extinctæ ſunt, nihilque ei nocuerunt. Poſt hæc eam in ſtadio poſuerunt, & quatuor leones, duaſque beſtias contra eam dimiſerunt: at illi inſilientes, veſtigia eius oſculati ſunt: ſed vt compleretur eius martyrium, currens vna ex beſtijs eam momordit, liuorem tamen nullum ei fecit, & vox de cœlo facta eſt, Euphemia aſcende, & palmam tuam recipe. Poſt hanc vocem ſonus etiam factus eſt ita, vt commoueretur locus ille, & tremuerunt omnes, ipſaque virgo facta oratione reddidit ſpiritum, cuius corpus Pater eius, & Mater ſepelierunt in locum nouum.

In igne inijcenda Sancta Martyr induit armatrium puerorum nempe preces.

Viſio torquentium Sanctã virginem.

Victor & Soſthenes conuertitur.

Ignis Sanctã non ladit, ſed lictore combuſſit.

Atrox ſupplicium S. Euphemiæ, nec eo laditur.

Item aliud, ſed ſemper manet virgo illæſa.

Redddit Chriſto puriſſimam animam.

Sepelitur à proprijs parentibus lege Surium 16. Septem.

Compleuit autem martyrium ſuum 16. Kalend. Octobris.

Paſſio ſancti Firmini Ambianenſis.

CAP. LXXIX.

S. Firmini pater.

EX *geſtis eius.* Præterea ſub Diocletiano, & Maximino, erat in vrbe Iberienſi, quæ dicitur Papilonia Senator nobilis in ordine primus, & nomine & opere Firmus, qui filium ſuum Firminum Honeſto presbytero tradidit, diuinis literis imbuendum. Qui Firminus annorum 17. in ſanctitate, & doctrina proficiens ac pro Honeſto iam ſene prædicans, ab ipſo ad Horatum Tholoſanum Epiſcopum miſſus eſt, vt ab eo ordinatus Epiſcopus *Chriſtum* vbique gentibus prædicaret. Quo facto Firminus Epiſcopus rediens ad Honeſtum magiſtum ſuum anno ætatis ſuæ 31. relictis omnibus, ad Gallias properans Andegauis vrbem venit; ibi anno & menſibus tribus multos prædicando conuertit, & Beluacum contra Valerium Præſidem pugnaturus pro fide perrexit. Vnde multoties flagellatus vſque ad mortem Sergij ſucceſſoris Valerij in carcerem clauſus fuit. Sed tunc à populo ſolutus ibi prædicauit, & baptizatis omnibus, eccleſijſque conſtructis inde Ambianis perrexit, & in 40. diebus tria millia hominum baptizauit.

Conſecratur epiſcopus

Andegauum proficiſcitur.

Flagellatur & in carcere recluditur

Audientes hæc Longulus, & Sebaſtianus præfides ab vrbe Treuerenſi ad Ambianenſem venerunt, & iuſſu eorum conuenientibus cunctis Firminum coram ſe graiter accuſatum, dum firmiſſime confiteretur Chriſtum, timens Præſes ſeditionem populi, præcepit in carcere decollari. Fauſtinianus autem Senator qui eum receperat, & quem ipſe catechizauerat, domumque eius ad baptiſmi gratiam aduocauerat, nocte corpus eius rapiens in cæmeterio ſuo ſepeliuit. Hic Fauſtinianus fuit pater S. Firmini epiſcopi de quo infra dicetur, Sebaſtianus vero Præſes poſt modicum à ciuibus Beluacenſibus occiſus eſt.

Eius martyrium.

Baron. an. 303. & Martyrol. Rom.

Huius ſancti paſſio celebratur 7. kal. Octobris.

Paſſio ſanctorum Felicis, & Adaucti.

CAP. LXXX.

EX *geſtis eorum.* Sed & cum Diocletianus Chriſtianos occideret, duos fratres Felices nomine, & opere presbyteros ſibi oblatos ad Dracum Præfectum miſit. Quorum ſenior cum ex iuſſu Præfecti ductus eſſet ad templum Serapis, vt ſacrificaret, exufflauit in faciem ſtatuæ, & ſtatim cecidit. Iterumque ductus ad ſtatuam Mercurij ſimiliter ſufflauit, & ſimiliter corruit. Tertio quoque ductus ad ſtatuam Dianæ ſimiliter fecit. Tunc reductus ad Præfectum in equuleo ponitur, & quibus maleficijs hoc feciſſet, inquiritur. Qui cum reſpondiſſet, ſe non hoc feciſſe Diaboli maleficijs, ſed *omnibus Dei beneficijs*. Iratus Præfectus iuſſit eum duci ad locum ſecundo milliario ab vrbe, via Oſtienſi, ibique ad ſacrificandum cuidam arbori ſacrilegæ, quæ illic excelſa ſtabat, compelli. Quod cum fieret S. Felix genua ſua figens orauit, & poſt ab oratione ſurgens, atque in arborem ingentiſſimam exufflans, eam à radice ſubuertit, & templum eius, vel ſimulacrum, & aram ea corruente penitus contriuit. Quo etiam audito Præfectus iuſſit eum ibi decollari, & lupis, ac canibus derelinqui. Tunc quidam Chriſtianus occultus repente prorumpens in medium, palam ſe profeſſus eſt eſſe *Chriſtianum*. Statimque ſimul ad arboris prædictæ locum venientes, & ſe inuicem oſculantes decollati ſunt. Illius ergo nomen Chriſtiani ignorantes Adauctum eum appellauerunt, eo quod ſancto Felici auctus ſit ad coronã martyrij, quos cum ſepeliſſent Chriſtiani in foueam quam fecerat arbor euerſa, pagani volentes eos effodere à Diabolo ſunt arrepti, & quicunque in eos manus mittere tentauerunt.

Sanctus Felix efflatu tres comminuit deorum ſtatuas.

Similiter & arborem radicitus deiecit, & aram ſubuertit.

Iubetur cum quo dã ſocio capitalé ſubire ſententiam.

Arripiuntur à Diabolo, volentes Sãctorum prophanare reliquias.

Paſſi ſunt autem pridie Kal. Septembris.

De ſancto Adriano, & eius vxore Natalia.

CAP. LXXXI.

EX *geſtis eorum.* Cum autem Maximianus Imperator in Nicomedia ciuitate Græciæ Idolis immolaret, iuſſu eius ex diuerſis locis ad ſupplicia Chriſtiani trahebantur, nam & vicini vicinos, & propinqui domeſticos pertrahebant, alij timore pœnæ, alij amore promiſſæ pecuniæ, inter quos 23. in ſpelæo latitantes, & à perquirentibus comprehenſi ferro vincti ad Cæſarem pertrahuntur, ſeque Chriſtianos eſſe libere profitentes, extenduntur, & cæduntur, & minas eius amplius irridentes, ora duris lapidibus contundunt, & annotata vniuſcuiuſque reſponſione, ferro vincti per totum corpus in carcerem detruduntur. Tunc Adrianus Prior officij militaris eorum conſtantia compunctus, dixit eis. Adiuro vos per Deum veſtrum pro quo tanta patimini, vt dicatis mihi, quæ ſit remuneratio veſtra quam expectatis per iſta tormenta? At illi inquiunt, *oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* Hoc audiens Adrianus ſtatim exiliens in medio eorum, dixit: *Annotate me cum iſtis, quia & ego Chriſtianus ſum.*

Chriſtiani vincti offeruntur Maximiano.

Cæduntur Chriſtiani & ora lapidibus contunduntur.

1. Cor. 2.

Adrianus credit in Chriſtum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod cum ministri celeriter Imperatori nunciassent, iratus nimis, adductum resipiscere monuit, & nolentem ei acquiescere, ferro vinctum cum condemnatis eum in carcerem trudi iussit. Natalia vero vxor eius cum hæc per nuncium didicisset, scissa veste plorans, & eiulans interrogauit puerum, cur Dominus suus in carcere clausus esset? At ille: Vidit, inquit, quosdam Christianos nolentes sacrificare torqueri, & cum illis annotari se faciens, dixit se cum eis velle mori. Tunc illa quæ hactenus propter persecutionem celauerat, quod esset Christiana, gaudens mutata veste cucurrit ad carcerem, & vincula viri sui deosculans, cœpit eum in omnibus confortare, rogans eum in hoc quod cœperat permanere, nihil de terrena gloria respicere, sed semper ad cœlestia, & ad æterna suspirare, nulla transitoria tormenta timere, sed infinita maiora inferni supplicia, quæ euaserat, exultare. Post hæc vincula sanctorum, & pedes deosculans, quantum potuit vt virum suum confortaret, rogauit. Et sic omnibus valefaciens ad domum suam perrexit.

Nunciatur Natalia Adrianū esse Christianum effectum.

Vide famina virilem animum.

Martyrum vincula osculatur S. Natalia.

Qualiter de carcere exiens vocauit eam ad suam passionem.

Cap. LXXXII.

POst modicum igitur audiens Adrianus suæ passionis adesse diem, licentiam à sanctis accipiens pergere, & vocare Nataliam, sicut ei cum iuramento promiserat, dansque munus custodibus; egressus est. Cumque ad domum peruenisset, audiens Natalia quod Adrianus absolutus veniret, æstimans eum fugisse de carcere, amarissime flere cæpit, & surgens contra eum ostium claudit, & ait: *Non mihi contingat loqui ori eius, qui Deum suum negauit. O miser, quis te separauit à sanctis? quis te seduxit, vt recederes à concentu pacis? cur fugisti ante pugnam? Heu me, non est mihi concessum vnius horæ spacium, vt vocarer vxor martyris, sed vxor transgressoris, nunc exultaueram modicum, & mihi semper erit opprobrium.* Hæc & huiusmodi audiens Adrianus vehementer gaudebat, minusque verba fœminæ iuuenis, & ante 14. menses nuptæ ex hoc ardentior factus ad martyrium libentissime ambiebat. Cumque videret eam grauissime tribulari, dixit ei: Aperi mihi Domina, non enim vt putas martyrium effugi, sed veni vocare te sicut promiseram tibi, vt præsens sis etiam nostræ passioni. At illa non credens: *vide*, inquit, *quomodo seducit me transgressor, quomodo mentitur alter Iudas.* Cui Adrianus: Aperi, inquit, citius, quia vadam & me vltra non videbis, & postea lugebis, eo quod me ante exitum meum non videris. Nã fideiussores dedi sanctos martyres, & si ministri me inquirentes non inueniunt, tormenta tua simul & mea sustinere habebũt, qui iam ex pœnis illatis mortui sunt. Tunc illa statim aperuit, & sibi inuicem prostrati cum lachrymis simul abierunt ad carcerem. Discurrens autem Natalia per singulos martyres, præciosis linteaminibus eorum vulnera putrefacta detergebat, & membra linteis colligabat.

Venit ad vxorem suam S Adrianus.

Pijssima famina mire dolet, dum putat martyrium suum à Christo defeciße.

Ecce pium zelum Sancta Natalia

Nota Natalia erga martyres sedulitatem.

De Passione eiusdem sancti Adriani.

Cap. LXXXIII.

STatuta autem die iussit eos Imperator educi, qui penitus resoluti, quia ambulare non poterant, portabantur, Adrianus vero vinctis manibus retro sequebatur. Cumque caueret Imperator, ne putrefacti penitus ante præparata tormenta subito morerentur. Adrianus equuleum sibi portans ei præsentatur, & in confessione permanens à quatuor militibus duris lignis grauissime verberabatur. Iterumque ab eisdem vsque ad effusionem viscerum laniatur, & sic in ligno extensus, in carcere cum alijs recludirur. Erat autem iuuenis delicatus annorum 28. B. vero Natalia, quæ singulas eius responsiones ad martyres referebat, ipsum ferro vinctum, & supinum iacentem quantum poterat confortabat. Sancti quoque in pauimento iacentem ad eum manibus irrepebant, & osculum ei cum sanctis monitis offerebant. Audiens autem Imperator quod multæ matronæ, eis sedulo ministrarent: Iratus ne vlterius ad eos introirent, imperauit. Tunc se sancta Natalia transfigurauit, & sic eis in habitu virili ministrans, ad hoc alias exemplo suo roborauit. Hæc autem virum suum petijt, vt cum esset in gloria, primam precem pro se faceret, quatenus eam Dominus intactam custodiens ab hoc sæculo citius euocaret.

Adrianus lignis tunditur vsque ad viscerum effusionem.

Rursus audiens Imperator, quod sic matronæ fecissent, iussit incudẽ afferri, vt confractis super eum cruribꝰ sãcti martyres interirẽt. Vidẽs autẽ Natalia ministros venire, timẽs ne vir suus ex aliorũ supplicijs terreretur, rogauit illos, vt ab illo inciperẽt, priusquã alij punirentur, & sic abscisis pedibus & cruribus confractis; Natalia rogauit eum, vt manum sibi abscindi permitteret; quatenus alijs sanctis, qui plurima passa fuerant compar esset. Quo facto, cũ Adrianus reddidisset spiritũ, cæteri sancti vltro pedes ad carnifices extẽdẽtes, simili martyrio migrauerũt ad Dominũ. Quorũ corpora cũ ministri iussu Imperatoris in fornacẽ cõburẽda portassent, & in ignẽ proijcerent, factus est subito terræmotus, tantaque aeris tempestas, vt multi ministrorum relinquentes ea fugerent, & multi expirarent. Fideles autem cum mulieribus ibi stãtes ab extincto pluuijs igne, corpora sanctorum illęsa rapuerunt, & in naui cuiusdam Christiani, qui volebat ire Constinopolim (quæ tunc Byzantium dicebatur) posuerunt, vt illic interim permanerent donec pace ecclesiæ reddita, ea iterum cum honore referrent.

Sanctorum corpora ab igne non læduntur.

Transferunt sanctorum corpora Byzantium.

Horum passio celebratur sexto idus Septembris.

De vita, & transitu sanctæ Nataliæ.

Cap. LXXXIIII.

NAtalia vero domi remansit, & habens manum S. Adriani quasi solatium vitæ suæ, ad caput lectuli sui nullo sciente reposuit. Non multo post Tribunus quidã rogauit Imperatorẽ, vt Nataliã sibi daret in coniugẽ: Erat enim pulcherrima, & nobilissima, ac diuitijs cumulata. At illa Matrona de hoc sibi loquẽtibus gaudere se dixit, & quasi ad se præparandum inducias triduanas impetrauit; re autem vera ad fugiendum; & interim in lectulo suo ne pollueretur rogans, ex mœrore, & tristitia obdormiuit: & ecce vnus sanctorum martyrum ei astans dulciter eam confortauit, quærentique de viro suo dixit, quod primus omnium ante Christũ apparuit: sed surge, inquit, & ascende in nauiculam, & nauigans veni, vbi sunt corpora nostra, ibi enim visitabit te Deus, & perducet ad nos.

Petit Nataliam Tribunus caussatis in coniugem.

Rogat Dominum Natalia ne permittat pollui torum S. Adriani viri sui.

Euigilans itaque solam manum S. Adriani secũ ferẽs, nauem cum multis Christianis fugientibus ascendit, & nauigantem Tribunus cum multis militibus insecutus, multis eorum submersis, repulsus vento contrario, vix euasit. Media vero nocte Diabolus in specie Naucleri in naui fantastica clamans, nauigantes cum S. Natalia vnde essent, inquisiuit, & quò tenderent? Quibus respondentibus De Nicomedia Byzantium nauigamus. Erratis, inquit, ad siniſtram pergite, vt rectius nauigetis. Cumque iam vela mutarent, apparuit ei S. Adrianus, quasi in nauicula sedens, & monuit eos nauigare sicut prius cæperant, ne perirent. Natalia autem valde gauisa est, cum S. Adrianum antecedere cognouisset. Cũ ergo Constantinopolim ante diem appulissent, & ad domum in qua erãt sanctorum corpora introissent, Nataliæ post orationem præ labore itineris dormienti, S. Adrianus apparuit, eamque salutans in æternam requiem ad se venire præcepit. Quæ cũ euigilans, astantibus indicasset, & valefaciens eis, spiritum emisisset, accipiẽtes corpus eius fideles, iuxta sanctorum corpora sepelierunt, multique renunciantes omnibus ibi Deo in perpetuum seruierũt.

Relinquit omnes temporales diuitias propter Christum.

Hanc historiam approbat Surius, cuius stylum tamen nonnihil passim expoliuit Sũtque hæc acta germanate ste Baronio.

S. Nataliain pace reddit spiritum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Paſsio ſanctorum Simplicij, Fauſtini, & Beatricis.

Cap. LXXXV.

Sancti martyres proijciuntur in Tyberim, ſed ſoror eorum cũ alijs corpora eorum leuauit.

Ex geſtis eorum. Eo tempore Simplicius, & auſtinus fratres Romæ multa pro Chriſto ſupplicia pertulerunt, tandemque capitalem ſententiam ſubire iuſſi ſunt, & corpora eorum ligato in colla ſaxo, in Tyberim proiecta ſunt, quæ ſcilicet eorum corpora Soror eorum Germana, virgo nobiliſſima, Beatrix nomine, & opere, cum quibuſdam preſbyteris, & alijs Chriſtianis inuenta leuauit, & ibidem ſepeliuit, ſcilicet in loco qui vocatur Sextum Philippi, via Portuenſi 3. Kal. Auguſti.

Sancta Beatrix prafocatur in carcere.

Huius Beatricis prædium quod fuerat ei commune cum fratribus, cum vicinus poſſeſſor, nomine Lucretius, ambiret, teneri eam fecit, vt Idolis immolaret, quam conſtanter reſiſtentem iuſſit poni in carcerem, quouſque cogitaret de illa. Noctu vero fecit eam à ſeruis præfocari: quam ſancta Lucina ſepeliuit cum ſanctis fratribus in Sexto Philippi 4. kal. Auguſti.

Lucretius diuinitus punitur.

Poſt hæc Lucretius ambitioſus poſſeſſor, prędium ſanctorum intrauit, & quaſi ſanctis martyribus inſultans, amicis ſuis conuium fecit. Dum autem epularentur, quędam illic mulier erat, quę filium ſuum lactabat, qui ſcilicet infantulus pannis inuolutus, vocem emiſit in conuiuio coram omnibus dicens: *Audi Lucreti, occidiſti & inuaſiſti, ecce datus es in poſſeſſionem inimici.* Statimque Lucretius timens ac tremens à dæmone eripitur, & per tres horas ita vexatus eſt, vt in ipſo conuiuio moreretur. Vnde timentes omnes, qui aderant, ad Chriſtianos confugiebant, & Chriſtiani facti, omnibus narrabant ſanctæ Beatricis paſſionem in conuiuio vindicatam.

Hæc de ſancta Beatrice habes apud Surium 11. Maij in actis S. Anthimi.

De bona indole ſanctæ Chriſtinæ virginis.

Cap. LXXXVI.

Chriſtina virgo 12. annorũ Chriſto ſe deſponſabat.

PAſſa eſt etiam eodem tempore in ciuitate Tyro Chriſtina virgo. Quæ dum eſſet infantula nondum annorum 12. vnica patri ſuo nobili, nomine Vrbano, magiſtro militum, pater eam in turrim, quam fecit excelſam cum 12. puellis induxit, Deoſque aureos & argenteos illic ſtatuit, vt eos adoraret, & quia magni decoris erat, nunquam vt ab hominibus conſpiceretur inde deſcenderet. Quæ in dilectione etiam Dei poſita, cum thus ad offerendum in altare illorum accipere t, in feneſtra ad orientem illud ponebat. Stanſque ad feneſtram, in cœlum intuens ſtellas aſpiciebat, oranſque Deo, in corde ſuo ingemiſcebat, & flebat. Quam cum ancillæ procidentes ad pedes eius obnixæ rogarent, vt Dijs ſacrificaret, & non Deum alienum coleret, ne pater eius hoc audiens, ipſas cum genere ſuo quaſi ſeductrices filię diſperderet: Illa vero conſtanter reſiſtens, eas potius à Diabolo, & idolis eius ſeductas diceret: intrauit Vrbanus, vt videret filiam ſuam, & Deos ſuos adoraret. Qui cum ab ancillis audiſſet quod filia per ſeptem dies Dijs nihil obtuliſſet, filiam blande corripuit; at illa Deo cœli ſacrificium offerre ſe dixit. Verum ille verbis eius decipiebatur, putans quod de ſacrificio Deorum loqueretur, & occurrens eam oſculari voluit, ſed illa exclamauit, & ait: *Non polluas os meum, quia mundam oblationem offerre volo Regi Cœleſti.* Cumque pater eius adhuc in verbis eius erraret, putans quod de Idolis diceret, illa in cubiculo ſe recludens, *cœleſti Deo ſacrificium offerebat*, & cum fletu orabat. Qua orante Angelus ante faciem eius ſtetit, eamque confortauit. Illa autem conuerſa in dextris panem candidum, & dulcem inuenit, quem

Patris idola aurea noluit adorare.

In Deum credit.

Pulchra eius reſponſio Vrbano parenti ſuo.

Offert oblationem Regi cæleſti.

Angelus ei apparuit, & panem benedixit.

ab Angelo benedici petijt dicens: Ecce enim 12. dies ſunt ex quo panem non gũſtaui. Tunc *Angelus accipiens panem benedixit & fregit, eique dedit, & illa guſtauit.* Facto autem veſpere, accipiens Idola patris ſui confregit, & pauperibus dedit.

Confregit Idola Patris

De Agone eius ſub Patre ſuo Vrbano.

Cap. LXXXVII.

Cæditur à patre.

DIe autem facto veniens Vrbanus, & quęrens quid de Dijs eſſet factum? cum audiſſet ab ancillis, quod Chriſtina eos confractos in plateam proiecit; iratus, eam palmis in faciem cædebat, & interrogabat, vbi Deos abſcondiſſet? Quæ cum ſe non adorare diceret niſi *cœleſtem Deum, & filium eius Ieſum Chriſtum, & ſanctum Spiritum*: Iratus præcepit eam alligari, & in plateis cædi, & iterum catenam in collo eius mitti, manuſque eius, & pedes ligari, & eam in carcerem duci. Audiens autem vxor eius de filia ſua, quod tanta perpeſſa eſſet, ſcidit veſtimenta ſua, ac impoſito cinere capiti, abijt ad carcerem, ceciditque ad pedes eius cum fletu dicens: Filia mea vnica miſerere mei, quæ mammillas meas ſuxiſti: quid factum eſt tibi, vt alienum Deum colas? Chriſtina reſpondit: Quomodo me filiam tuam vocas, cum ex genere tuo nullam, quæ Chriſtina vocetur, habeas. Neſcis quia nomen habeo *Chriſti Saluatoris mei*, ipſe eſt, qui me ad cœleſtem militiam probauit, qui me ad vincendos eos, qui non nouerunt eum, armauit. Mater hæc audiens domum redijt, & hæc omnia viro ſuo nunciauit. Qui iratus ſedit pro tribunali, & iuſſit infantulam ſibi preſentari, nolentemque adorare Deos iuſſit expoliari, & membra eius tenera cruciari, donec 12. deficerent, qui eam cruciabant. Quę cum adhuc in tormento perſiſteret, & patri ſuo iniquo inſultaret, ille non ſufferens iniurias, iuſſit rotam afferri, & in ea virginem infantulam alligari, ac ſub rota incendij flammam ſterni, oleumque deſuper infundi. Cumque rota gyraretur, corpus infantis conquaſſabatur, ſed illa orante ſubito ignis exiuit, & homines 1500. interfecit. Ipſa autem quaſi ſuper lectum ſtratum, repauſabat ſuper rotam, & erant Angeli confortantes eam; Vrbanuſque eam deponi iuſſit, & venientem ante tribunal, interrogauit dicens: Dic mihi Chriſtina, quis te docuit iſta maleficia? At illa: Nonne dixi tibi Carnifex immunde, quia *Chriſtus me docuit hanc patientiam: Ipſe me docuit omnem iuſtitiam, & Dei vius timorem, propterea te confundo, & ſeuiſſima tormenta tua deſpicio, omneſque virtutes tuas vinco cum Patre tuo Diabolo.* Ille victus, & confuſus iuſſit eam ad carcerem duci, vbi cum illa ſederet cogitans *mira myſteria Dei*, venerunt in conſpectu eius *tres Angeli* afferentes illi prandium, & mittentes manus, ſanauerunt corpus eius totum; illa autem gratias agebat Deo. Vrbanus vero cum cogitaſſet qualitet eam exterminaret, noctu miſſis quinque pueris iuſſit in collo eius lapidem alligari, & ſic eam in mari præcipitari; quo facto, ſuſceperunt eam Angeli. Itaque cum Angelis ſuper aquas deambulabat, & eleuans ad cœlum oculos *Dominum Ieſum Chriſtum orabat, vt baptiſmi eius ſignaculum in eis aquis reciperet*: Venitque vox de cœlo, dicens, quod eius orationem Dominus exaudiſſet; venit quoque ſuper caput eius nubes lucida, & *vidit gloriam Chriſti ſuper ſe venientem, & ſuper caput ſuum coronam, ac ſtolam purpuream*, Angeli quoque cum ſuauitate odoramentorum ante ipſam erant, & hymnos pſallebant. Illa autem cum compleſſet orationem *reuerſa eſt ad carcerem glorificans Deum.* Pater vero eius Vrbanus ea nocte percuſſus cum multis cruciatibus in tormentis animam reddidit.

Varijs ſupplicijs diriſſime cruciatur virgo Chriſtina.

Tentatur à matre, ſed eam reijcit, quia nomen Chriſti gerit.

Verberibus dilaniatur.

Rota alligatur & ſub rota ignis incenditur, oleumque deſuper infunditur.

Viriliter & conſtanter reſpondet Patri.

Apparẽt ei tres Angeli, & corpus eius vulneratũ ſanãt.

Cum magni ſaxi pondere in lacũ proijcitur, ſed ab Angelo liberata redit ad carcerem.

Pater eius miſere animam reddidit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De agone eiusdem sub Iudice Dione.

Cap. LXXXVIII.

Præsentatur virgo Christina Dioni Iudici.

POst hæc alius iudex nomine Dion aduenit cui gesta beatę Christinæ officium obtulit, & cum eam ante tribunal adduci precepisset, videns vultum eius decorum, vocauit eam iuxta se, & blandiebatur, vt *hominem crucifixum relinquens misericordes Deos coleret.* Sed cum nec blanditijs, nec minis posset flecti, iratus ille propter iniurias, quas ei ingerebat, iussit eam virgis cædi, Deinde iussit cuuam æream fieri, & subtus valde incēdi, picemque resinam, & oleum mitti. Miseruntque eam milites intus, & quatuor ex eis cunam agitabant, ac sanctam virginem versabant. Qua viriliter persistente, ac tyranno insultante, pœnasque æternas, vbi cruciabatur Vrbanus, comminante, Iudex ira repletus, iussit caput eius radi, eamque nudam torqueri, ac per publicum depompari, ita quod mulieres omnes videntes clamarent; Iudex, iniuste erga infantem agis, & mulierum genus confundis. Iudex autē dixit. Christina cras veniamus ad tēplum, & adora Deum magnum cœlestem, ac verum, quia multum te sustinuit. Quæ respondit: Bene dixisti impie, & à Deo cœlesti aliene, *vt offeram oblationem Dominatori cœli & terræ, qui me custodiet ab omni tua operatione.* Cumque de verbis eius gauderet Iudex, putans quod ad Apollinem orandum accederet: illa oratione facta clamauit, & ait: Tibi dico Idolum sine anima, *in nomine Domini Iesu Christi exi de templo, & hic sta.* Quod cum fecisset, intuens hoc iudex territus in faciem suam cecidit, & iterum cum tremore surgens ad virginem clamauit, dicens: In omnibus preualuerunt maleficia tua, quia per *Christi tui inuocationem* mouisti Deum omnipotentem Apollinem; sed quia multum tibi miseretur, & habet super te pietatem, obaudiuit te, & exiuit vt videret creaturam suam. Illa in verbo eius contristata, cum, eum dure redarguisset, eo quod virtutem excelsi Dei non cognouisset, orauit Deum, vt statim Idolum illud caderet, & arena fieret. Quod & factum est, & crediderunt in illa die tria millia virorum. Iudex autem conterritus, ait. Si audierit Rex prodigia, quę facta sunt in Apollinem per maleficia Christinæ, male me perderet & statim in semetipso angustiatus mortuus est, cuius assessor iussit Christinam in carcerem mitti.

En virilem & constantem animū virginis.

Soli Deo cælesti offert oblationem.

Examinatus Iudex ex aspectu dæmonis exeūtis ex Idolo.

Comminuit in verbo virtutis Dei Idolum virgo Christina.

De extremo eius agone sub Iuliano.

Cap. LXXXIX.

Sistitur tribunali Iuliani præsidis.

POst hæc, & alius Iudex nomine Iulianus aduenit, qui gestis eius auditis, statim eam sibi præsentari fecit. Quæ cum ad sacrificandum non posset induci, iussit per tres dies fornacem incendi, & eam intus vsque ad dies 5. mitti. At illa cum Angelis *Deum in fornacē laudabat*, & magna vox inde exibat. Cumque milites Iuliano retulissent, se magnos terrores de fornace exeuntes audiuisse, iussit eam aperire, & inuenerunt Christinam tanquam de lauacro procedentem, *Deumque laudantem.* Deinde iussit Iulianus serpentarium adduci, & duos serpentes ac duas aspides super eam dimitti. Quo facto, duo serpentes accurrentes colligauerunt se ad pedes eius, & lingebant plantas eius. Duæ quoque aspides accurrentes suspenderunt se super mammillas eius, quasi lactantes infantes. Iterum duæ viperæ dimissæ colligauerunt se in collo eius, & lingebant sudorem eius: quæ in cœlum respiciens dicebat: *Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui dignatus es me serpentibus istis notam facere, & sudorem laboris mei extergere.* Iulianus ad serpentarium dixit: Nunquid & tu magicatus es à *Christina*, bestias territans, vt non tangant eam? Serpentario vero illas territante, impetum in eum fecerunt, & ipsum occiderunt, & cum nullus auderet accedere, & serpentes tollere, S. Christina orationem faciens, iussit eos in nomine Domini in loca sua abire, neminemque lædere, & statim abierunt.

Illæsa cum Angelis in fornace laudabat Deū.

Serpentes nō ei nocebant sed potius multa ei officia præstiterunt.

Serpentarius incitans bestias vt eam ladant ab ijsdem occiditur, sed meritis & orationibus Christinæ resuscitatus Deum benedicit.

Illa iterum oratione facta, Serpentarium *à morte suscitauit*, qui surgēs ad pedes eius cecidit, & *Deo eius* gratias egit. Iulianus ait: Christina iam nunc sufficiat tibi, omnes artes tuas magicas ostendisti. At illa: *Insensate*, inquit, *non viderunt oculi tui virtutes, quas Deus cœlestis fecit.* Qui iratus mammillas eius abscindi iussit, & pro sanguine lac exiuit; deinde linguam eius abscindi præcepit. Quod illa audiens *Deo gratias egit*, & vt citius vitam finiret orauit, & vox de cœlo insonuit: *Christina immaculata aperti sunt tibi cœli, & regnum cœlorum repositum est tibi, omnis chorus sanctorum benedicit Deum propter te, quia in insantia tanta sustinuisti propter me.* Et vox iterum facta est: *Veni Christina, coronam æternam accipe, & brauium confessionis tuæ.* Hanc vocem de cœlo factam audiens Iulianus, iussit citius abscindi linguam eius, quæ ipsius linguæ suę præsciſſuram accipiens, in faciem Iuliani proijciens, & oculum eius percutiens excæcauit, & magna vox de ore eius exiuit dicens: *Iuliane impudice, condemnate in tenebris, organum corporis mei manducare desiderasti, & linguam meam, quæ cælestem Deum benedicebat, abscindisti, ideoque iuste & lumen tuum perdidisti.* Hanc iniuriam Iulianus non ferens, iussit iaci duas sagittas, vnam contra cor eius, & alteram contra latus, sicque martyrium suum compleuit 9. kal. Augusti.

Crudelis Iudex iussit mammillas eius abscindi, & linguam.

Voces de cælo audita.

Iulianus excæcatur, & à virgine exprobratur.

Sagittis confossa B. virgo gloriose vitā finiuit.

Venit autem quidam de genere eius, qui etiam per eam *in Christum crediderat*, & martyrium eius in templo Apollinis celebrauit, eamque ibi collocauit.

De sancto Cucuphato, & Felice.

Cap. XC.

S. Cucuphatis patria.

EX *gestis eorum.* Ea quoque tempestate passus est S. Cucuphas qui Scyllitana ciuitate nobilissimis, ac ditissimis natalib. oriundus, vnà cum S. Felice ipsius ciuitatis æque illustrissimo, Cæsaream quæ est ad Mauritanię littus literarum liberalium studio migrauit. Quod cum vacantes scholis peruulgata fama comperissent persecutionem Christianorum in orientis partibus efferbuisse, mox cum mercium precioſarum varietate, non pauco etiam nauium numero se contulerunt occidentali plagæ sub negociatorum specie, ac nomine. Sicque Barcinonam applicantes, reppererunt etiā in occiduis partibus impietatem Principum vsquā grassari, vnde tempus imminere intelligentes, quo in lachrymis breui tempore seminarent, quatenus in gaudio perpetuo meterent, cæperunt operibus pietatis, & eleemosynis, quibus sedulo fuerunt assuefacti largius insistere, necnon verbum salutis priuatim, & per domos ad se confluentibus prædicare, donec vniuersa, quæ attulerāt, officijs misericordiæ potuissent impendere: & sic demum *publicè Christum confitentes, & prædicantes*, seipsos (vt exitus rei demonstrauit) superimpendere.

Sæuissima Christianorum persecutio sub Diocletiano.

Felix & Cucuphas vacāt operibus misericordiæ.

Quo circa vnanimi conditione B. Felix ad Gerundensem ciuitatem transmeauit, vbi diuinis munijs se exercens, glorioſum martyrium consummauit. S. autem Cucuphas in Barcinona, vrbe populosa remanens, vnà cum constantissima, & apertissima fide, & prędicatione, etiam miraculis resplendere cœpit, & in omni gratia curationum excreuit, dæmones solo verbo expellebat, & virtutem Domini confitentes, etiam à credentium finibus perturbabat.

Felix martyrio coronatur.

Cucuphas Barcinone multis claret miraculis.

De agone sancti Cucuphatis.

Cap. XCI.

Cucuphas Iudici præsentatur, cui summa cum constantia respondit.

HÆc audiens proconsul Galerius directis militibus eum sibi offerri iussit: cui tribunali suo assistenti dixit, Cuius numinis insanissime rebellis patrocinium excolis, qui principum iussa contemnis, & Deorum maximorum cultum refugis? Ad quem sanctus constanter. Quibus me, inquit, insipientissime cultum imperas exhibere, qui non Dei arbitrio, sed arte fraudis Diabolicæ, & stultissimorum hominum, tibique

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

similium stoliditate adinuenti sunt, atque compacti? Hac responsione Galerius nimio furore succensus, & seipsum ab ira non capiens, tortoribus eum tradidit, dicens: Tandiu torquete eum, quamdiu ex torqueatis ab eo spiritum. Cūque 12. milites eum vicissim prolixius, & exquisita crudelitate grauissime torquerent, in tātum vt eius interanea durissima flagellorum torsione disrupto corpore paterent, clamauit dicens: *Domine Iesu Christe ostende virtutem tuam super incredulis, vt videntes, aut credant aut conuertantur, aut pereant & destruantur: Impiissimum autem Galerium, qui sic rapide insanuit in seruum tuum, si non est prædestinatus ad vitam, gladio tuo citius interime.* Hac eius oratione completa, videntes milites qui eum torquebant, intestina eius in terram præfusa, cæcati sunt; Galerius quoque cum omnibus Idolis suis est repente consumptus, sanctus vero martyr visceribus in aluum receptis *à Deo* citius est diuina operatione sanatus; quo gratias agente, omnes quoques populi laudauerūt *Deum* dicentes: *Tu es verus Deus, quem sanctus Cucuphas colst.*

Flagellis crudelissime caditur.

Oratio Cucuphatis ad Deum.

Galerij Proconsulis interitus.

Multi Christum confitentur.

Vt autem hæc ad præsidis Maximiani notitiam perlata sunt, iussu eius viri crudeles catenarum eum ponderе fatigatum, ad ipsum consilium perduxerunt: qui interrogatus ab eo, *quem Deum coleret*, respondit: Quare sub dubietate *de Deo* interrogas, quasi *aut plures Dij essent, aut ipse qui Deus est, diuisus sit.* Ego enim *alium Deum nescio, præter Deum verum, qui fecit cælum & terram, quem corde credo, & omni studio prædico.* At ille: Si verus est *Deus* tuus, quem tu dicis, nunc eripiat te de manibus meis, & de præparatis tibi tormentis. Ad hæc sanctus: Te ô nefandissime, & patrem tuum Diabolum cum omnibus exquisitis tormentis, quæ mihi irrogaueris irrideo & *per virtutem Dei mei despicio*; vere enim summæ dementiæ es, & extremæ miseriæ qui dereliquisti *Deum*, & odoras thecas Dæmoniorum. Tunc præses insaniens, in craticula iussit eum assari, & combustum, sinapi & aceto perfundi. Miles autem *Christi* psallebat dicens: *Exaudi Domine iustitiam meam, &c.* Cumque explicuisset psalmum penitus sanatus est: ministri vero pœnarum ab eodem igne consumpti sunt. Post hæc autē iussit Præses ignem copiosum extra ciuitatem fieri, & sanctum in eo concremari, qui illic proiectus orauit, & ignis ita extinctus est, vt nec tepor incendij remaneret, & ipse penitus illęsus apparuit.

S. Martyris insignis responsio.

Irridet tormenta Iudicis.

Assatur in craticula Psal. 16.

Sanatur diuinitus ab adustione.

Ignis illi præparatus extinguitur.

De consummatione passionis eiusdem.

Cap. XCII.

TVnc Præses iussit eum ferro vinctum in custodiam reduci, clausoque ostio carceris tantus splendor ibidem refulsit, vt eodem lumine viso custodes carceris *in Dominum Iesum Christum crediderunt.* Mane autem Præsidi martyr præsentatur, eiusque iussu chordis ferreis, & taureis cæditur, & dum cæderetur inspiciens in cælum cum grandi fletu orauit, & gratias egit, & vox de cælo insonuit: *Quodcunque petieris dabitur tibi secundum fidem tuam.* Qua audita, *orauit sanctus, vt Dominus ei virtutem omnia superandi daret, & vt Tyrannus Maximianus, si Dei iudicio conuerti non posset, celerius cum omnibus Idolis suis interiret.*

Custodes carceris viso luminis ingenti splendore in Christum credūt.

Oratio noua Sancti Cucuphatis.

Maximianus denique aras ornari iusserat, vt Idolis sacrificia cum sacerdotibus offerret, & ascenso curru, illoque tendens in medio fori, nutu Dei in terram cecidit & miserabiliter crepans, interijt. Idola quoque quibus ad immolandum ire volebat, corruetia, in puluerem sunt redacta. Tunc omnis populus adorans, clamare cæpit & dicere. *Magnus est Deus Christianorum & potentissimus liberator eorum.*

Præses Maximianus perit.

Omnis populus cōfitetur Christum.

Rufinus autem, qui in ciuitate præesse videbatur, ait sancto martyri: Vt quid, ô nequissime, tantam multitudinem Deos maximos blasphemare facis, & nescio cuius nomen, *qui dicitur Christus* confiteri? Qui cum rationem reddidisset, iussu Rufini caput eius amputatum est: cuius corpus Christiani rapuerunt, & conditum aromatibus honorifice sepelierunt 8. kal. Aug.

Mortis sententia pronunciatur in martyrē, lego Surium 25. Iulij.

De sancto Theodoro martyre.

Cap. XCIII.

EX *gestis eius.* Ea tempestate comprehensus est Theodorus vir fidelis in ciuitate Amasiæ Hellesponti, & in carcerem missus est; vbi cum & alios Christianos secum inclusos viam veritatis ac perseuerantiæ doceret, & eos contra tormenta confortaret: quadam die, inuenta opportunitate, nocte ingressus succendit templum Dianæ. Quod videntes quidam ex custodibus accusauerunt eum, itaque Publio Præsidi præsentatus, & cur hoc fecisset interrogauit? Respondit: Non abnego quod feci, vt lapidem comburerem lignum succendi. Talis enim est Dea vestra, vt mereretur comburi. Tunc iratus, iussit eum fortiter cædi. Cui sanctus ait: Etiamsi à me omnia excideris membra, nō poterit aduersum me prę ualere tua insania. Itaque missus in carcerem, à Spiritu sancto nutriebatur. *Non enim famis penuriam sentire poterat, qui verum panem Christum Iesum in pectore baiulabat.* In ipsa autem nocte apparuit ei Saluator confortans eum: Tunc præ gaudio cæpit psallere, *& glorificare Deum:* erat enim ei obediens & multitudo Angelorum; quorum voces audientes custodes carceris, putauerunt aliquos ex Christianis ingressos ad eum, & currentes ad ostium inuenerunt clausum. Tunc in timore conuersi sunt, & abeuntes nunciauerunt Præsidi omnia quæ facta sunt. Qui & ipse exiliens, cito peruenit ad carceris locum & neminem intus inuenit nisi martyrem in ligno extensum. Tunc præcepit eum micam panis sumere, & vas aquæ, at ille noluit dicens, *quia Dominus meus in quem spero, me nutrit.* Deinde Præses inspiciens quod ille magis preualeret in sustinendo, quam ipse in tormēta inferendo, præcepit quæstionarijs, vt eum suspendentes, raderent, quem intantum corroserunt, vt interiora quoque eius nudarentur. Ipse autem dum raderetur nihil dicebat, nisi, *Benedicam Dominum in omni tempore semper, laus eius in ore meo.* Interrogatus cuius generis esset, nihil voluit respondere.

Sanctus Theodorus militat Regi Christo.

S. Theodorus incēdit templū Diana.

Crudeliter caditur.

Trahitur in custodiam.

Apparet ei Christus.

Voces Angelorū audita cum illo.

Respuit panem Tyranni martyr Christi.

Vngulis discerpitur.

Psal. 33.

De fine agonis eiusdem.

Cap. XCIIII.

TVnc iudex iussit eum igni tradi, qua sententia data contra eum, omnes populi ciuitatis cum festinatione ligna à balneis rapientes construxerunt rogum. Cumque martyrem ad locum præparatum duxissent, quæstionarij cogitauerunnt vt eum clauis configerent: quibus ille dixit: Sinite me; qui enim mihi dedit tolerantiam in omnibus, dabit etiam, vt sine confictione clauorum, ignis impetum cum lætitia possim sufferre. Tunc se per omne corpus signans, & post tergum manus faciēs, semetipsum Deo sacrificium obtulit. Et tam pro se quam pro duobus fratribus commilitonibus suis Eutropio scilicet & Cleonico, qui secum comprehensi fuerant orationem fecit, quem etiam intuebantur plorantes, & vt ipse præcedens eos, pro eorum perseuerantia *Deum* obsecraret, exorantes. Igitur igne à ministris succenso, cum flamma in altum ascendisset, viderūt quibus datum est videre mirabilia, vt flamma in modum velaminis quando à vento inflatur, super corpus martyris esset curuata, quod scilicet corpus in medio positum non erat vt caro ardens, sed vt odor incensi suauissime fragans, nec solum qui præsentes erant senserunt odorem eximium, sed & omnis ciuitas Amaseorum. Circunstantes quoque cælum super eum apertum viderūt, & factam ad eum de cælo vocem hanc audierunt: *Veni Theodore amice mi, ingredere in gaudium Domini tui, quia fideliter cursum certaminis tui consummasti.* Tunc ille gaudens tradidit spiritum. Corpus eius Eusebia Mulier nobilis & fidelis, sepeliuit.

Huius martyrium celebratur 5. Idus Nouembris.

Hic Theodorus appellatus est Amasenus ob locū vbi passus est, & Euchaita, à ciuitate in quam corpus eius translatum est, speciāliter tamen dicitur Theodorus Tyro ad differentiam Theodori Ducis, & sic inuenies eū appellatū in Surio 9. Nouembris, qui vitam eius ex Simeone Metaphraste descripsit, lege Baron. in Notis Martyrol. & orationem D. Gregorij Nysseni, quæ extat apud eundem Surium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſancto puero * *Pantaleone.*

CAP. XCV.

*Aliàs Pãteleemone.

Patria, & Pater S. Pataleonis Adhibetur literis medicina. Venit ad Hermolaum ſenem Chriſtianum. Hermolaus ei Chriſtum prædicat.

EX geſtis eius. Paſſus eſt tunc ſanctus Pantaleon filius Euſtorgij Senatoris in Niconredia; in qua ciuitate medicinã adhuc puer diſcens, cum à magiſtro ſuo ad palatium ducebatur, propter autem ſuam ab omnibus laudabatur. Quadam igitur die dum ad palatium ſolus iret, vidit eum Hermolaus presbyter in domo ſua cum alijs Chriſtianis latens, & mores eius compoſitos aſpiciens, ad ſe vocauit eum, ac de multis inquirens, monuit, vt *in Chriſtum crederet*, promittens quod omnes infirmos in eius nomine ſine alia medicina ſanaret. Puer ergo confortatus in fide, quadam die cum puerum à ſerpente ligatum videret, volens Hermolai probare ſermones, *orauit Deum*, vt ſerpens creparet, & puer euaderet. Quo facto, puer Pantaleon ad Hermolaum currens baptiſmum petiit, & ille gaudens eum baptizauit, ac per 7. dies ſecum retinuit; octauo autem die, puero redeunti dixit ei pater ſuus: Fili vbi tot diebus fuiſti, & me grauiter tribulaſti? Qui reſpondit, hominem in palatio ægrotantem ſe cum magiſtro ſuo curaſſe, & vſquequo ſanaretur cum illo manſiſſe. Altera vero die ad magiſtrum reuerſus, & ſimiliter inquiſitus reſpondit, agrum patrem ſuum comparaſſe, & ideo tandiu cum illo fuiſſe. Hoc autem de ſeipſo dicebat, *propter baptiſmum* quod receperat. Volens itaque patrem ſuum ab idolatria reuocare, dixit ei; Pater interrogo te, quare vnus Deorum ſemper ſtat, & alius qui ſedet, nunquam ſtat? Cui pater: Per ſalutem, inquit, meam, grauem dixiſti mihi quæſtionem, cui reſpondere non valeo. Ex illa hora pater dubitabat, vt iam Idolis non ſacrificaret. Pantaleon autem quendam cæcum præſente patre tangens, oculos eius illuminauit: ſicque patrem ſuum, cum ipſo, qui cæcus fuerat, curato, *ad fidem conuertit*: quos & ſanctus Hermolaus baptizauit. Pater vero cum omnia Idola confregiſſet poſt modicũ defunctus eſt. Tunc Pantaleon omnes ſeruos ſuos manumiſit, & eis cæteriſque maxime Chriſtianis curam impendit, & alimenta præſtitit. Cumque omnes ciuitates ad eum relictis omnibus medicis confluerent, medici ſuper hoc ei inuidebant, & inuenientes eum curantem quendam *Chriſtianum*, accuſauerunt eum apud Imperatorem Maximianum. Imperator autem cæcum illuminatum præcepit adduci: qui & cum teſtificaretur, quod Chriſtus eum per Pantaleonem curaſſet, iuſſus eſt decollari, cuius corpus Pantaleon, data pecunia ſpiculatori rapuit, & iuxta patrem ſuum ſepeliuit.

Credit in Chriſtũ, & baptizatur ab Hermolao.

Myſtice verba diſpenſat.

Nullam natat operam patri conuertendo.

Offertur ei cæcus curandus.

Cæco reſtituit viſum & pater eius credit.

Pater eius ſua conterit Idola.

Facultates ſuas elargitur pauperibus.

Multorum curat morbos, ob quam cauſam medici ex inuidia deferunt eum apud Imperatore.

De Felici eiuſdem agone.

CAP. XCVI.

Siſtitur Pãtaleon coram Imperatore.

Sanat Paralyticum.

Multi credũt in Chriſtum.

Tyrannum terrentem contemnit. Multis affligitur ſupplicijs. Chriſtus ei apparet. Inplũbum liquidum immittitur.

DEnique Pantaleon ipſe, Cæſari præſentatus cum *Chriſtum* prædicaret, rogauit Cæſarem, vt aliquem Paralyticum afferri præciperet, & ille *Deus* haberetur, cuius inuocatione Paralyticus ſanaretur. Quo facto, cum Sacerdotes Idolorum nihil orando proficerent, Pantaleõ orauit, & ſtatim Paralyticus ſanus ſtetit. Quo viſo cum multi crederent, & Sacerdotes cum medicis in eum frendentes, crudelius inſanirent; Imperator ait: Pantaleon audiſti, quanta paſſus eſt nuper Anthimus ſenex? Qui reſpondit; Multa paſſus eſt, ſed victus non eſt: & ſi ſenex propter *Deum* tanta ſuſtinuit, quanto magis ego ſuſtinere debeo, vt merear coronari cum eo? Cum ergo iuſſu Cæſaris in equuleo torqueretur, & circa latera facibus vereretur, ei *Dominus* apparuit, & manus cædentium arefaciens, lampades extinxit. Tunc iratus Cæſar iuſſit eum mitti in ſartaginem plumbo bulliente repletam. Cui iterum oranti, *Dominus* apparuit, & tenens manum eius cum eo in ſartaginem intrauit, ſtatimque extincto igne plumbum refriguit. Tunc Cæſar neſciens quid ei amplius faceret, aſtantium conſilio, ſaxo alligatum in mari proijci iuſſit: ſed ille apparente ſibi *Domino*, reſolutus, quaſi folium enatans ad littus peruenit. Tunc Cæſar inſãniens, beſtias in eum dimitti præcepit; ſed *Dominus* apparens ei, ſic eas edomuit, vt eum circundantes certarent, quæ priores tactum manuum eius attingerent, propter quod multi ſunt *ad fidem conuerſi*, & ſtatim cum feris, omnes pariter ſunt decollati: quorum ſcilicet ſanctorum corpora ſepelierunt alij Chriſtiani: ferarum vero cadauera ab alijs feris, & auibus illæſa manſerunt, donec iuſſu Cæſaris in foueam proiecta ſunt. Tunc Pantaleon recluſus poſt menſem in rotam miſſus eſt. Sed apparente ei domino, ruptis funibus ſanus ſtetit; rota vero dum volueretur gentilium quingentos occidit. Imperator autem territus dixit ei: Pantaleon quid feciſti? alios à Dijs ſeparaſti, alios occidiſti. Qui dixit; *Bene dixit propheta, quia mala eorum in caput eorum.* Ad hæc Cæſar ait: Quis te docuit? Hermolaus, inquit. Tunc volens Cæſar Hermolaum occidere, dixit; Poſſum eum videre, vt me doceat? Iuſſu ergo eius pergens ad Hermolaum ait ei: Pater, vocat te Imperator. Qui reſpondit: Venio fili, quia venit tempus meum, ſicut heri dixit *Chriſtus* mihi. Videns ergo eos Cæſar interrogauit, ſi plures eſſent? Hermolaus dixit: Sunt alii duo fratres Hermippus, & Hermocrates Chriſtiani. Adducti ergo cum orarent, facto terræmotu Idola corruerunt; & dixit eis Cæſar; Videtis quod Dij irati terram commouerunt. Pantaleon reſpondit: Si Dij hoc fecerunt, quare & ipſi corruentes ſunt confracti? Tunc iratus Cæſar iuſſit Pantaleonem recludi; & illos tres pariter decollari, poſt multas pænas eis illatas.

Manet pertinax Imperator in ſuo errore.

Diuerſi generis fera producuntur ad deuorandum martyrem.

Paratur ei rota ad eum conterendum, ſed diuina virtus mire liberat eum.

Hermolaus adducitur ad Imperatorem.

Poſt multas pœnas decollantur Hermolaus, Hermippus & Hermocrates.

In craſtino vero Pantaleon educitur, & cum ſuperari non poſſet, decollari iubetur. Cumque ad locum veniſſet ſpiculator, dum eum percutere iuſſus eſt, gladius eius quaſi cera plicatus eſt. Quod cum miniſtri vidiſſent & flentes veniam peterent, Pantaleon ſurgens mortem ſuam eis indulſit, & ſic decollatus, martyrium compleuit.

Huius paſſio celebratur. 6. kal. Aug. Hermolai vero, & ſociorum eius, die præcedente.

Capite puniũtur Pantaleon. Emendatioris ſtylo hæc acta extant apud Surium.

Paſſio Sanctæ * *Luciæ virginis & Aciæ cum alijs.*

CAP. XCVII.

*Aliàs Lucia.

De his agit Beda Vſuardus Ado, & Petrus in catalogo lib. 6. cap. 4. Petrus tamen vocat hunc regem Auceiã ſed nomen illud correxi iuxta Vſuardi Martyrologium.

EX geſtis earum. Eodem tempore paſſa eſt Romæ ſancta virgo Luceia, quæ Vrbica fuit natione, ſed rapta fuerat ab Aceia Barbarorum Rege: qui cum eam ductam in patriam ſuam vellet violare, videns illa libidinoſam eius inſaniam, dixit ei: *Noli mihi vim facere, quia magnum habeo ſponſum, qui ſtatim vindicet iniuriam meam in te.* At ille ira repletus ait: Et quis eſt ſponſus tuus, vel cuius poteſtatis eſt, vt iniuriam tuam vindicet? Illa fiducialiter reſpondens, vt *ancilla Chriſti* nihil metuens ait: *Deum cui me deuoui, habeo defenſorem, qui in cælo eſt, & habens poteſtatem vniuerſæ carnis, his qui eum cognoſcunt petentibus omnia præſtare poteſt.* His ille auditis, valde territus eſt, ita vt ex tunc eam vt Deam honorare inciperet, iuſſitque ſtatim ei cubiculum ſeparatim fieri, vbi nullus virorum haberet ingreſſum & lectum digniſſimum poni, ac puellas ei honorifice obſequi, vbi illa ingreſſa cæpit orationibus & ieiunijs vacare, *Deoque die ac nocte gratias agere*, eo quod ancillam ſuam dignatus eſſet in captiuitate reſpicere, tantumque ei præſtitiſſet à Rege alienigena inuenire, pro quo etiam frequenter *orabat Deũ*, vt nihil mali ei contingeret, vel domui eius. Sed & ipſe ad bellum procedens rogabat eam, vt *Deum* ſuum peteret, quatenus de vinctis hoſtibus ſaluus ad domum ſuam rediret. Quod cum ſemper fieret, eam magis, vt Matrem honorare cæpit, intelligens quod eius orationibus *Deus* illum in omnibus adiuuiſſet: nam quotieſcunque contra aduerſarios, ſiue ſponte, ſiue ab illis prouocatus perrexit, illis proſtratis, victor ad domum redijt.

Vocat Luceia die ac nocte orationibus cuius & orationibus rex victor ſemper extitit.

Completis autẽ ibi 20. annis ſancta Luceia præceptũ

in ſom-

Viſio B Luceia quod Romã martyriũ cõpleret.

in ſomnis acceperat, vt Romam rediret, eo quod eam ibidem complere martyrium oporteret. Quod cum illa Regi retuliſſet, ille reſpondit: Si tu hinc ſubducis te mihi non expedit me hic remanere; nam venient aduerſarij mei, quos *Deus* ſemper interfecit, te orante, & occident me. Ad hæc illa: ſi placet tibi, *veni*, credo enim *in Deo meo*, quod & te, ſibi ſeruum adoptauerit, & ſociabit gregi ſuo ſancto. Hæc ille cum ſtatim audiſſet, domum ſuam & matronam ac filios, & omnia ſua derelinquens *cum ancilla Chriſti* communicatus eſt, non iam vt Barbarus, ſed vt ciuis; ſimulque Romam venerunt tempore perſecutionis.

Rex Æceia conuertitur & cum Luceia proficiſcitur Romã.

Poſt paucos dies comprehenſa Luceia adducitur ad ſupplicium, quod cum audiſſet Aceia, ſponte occurrit, & ceruicem ſuam cum ea, gladio ſuppoſuit profitens ſe eſſe *Chriſtianã*: & ſic ambo decollati, pariter in Paradiſo Dei ſuſcepti ſunt. Paſſi ſunt etiam cum eis alii 22. qui tunc in carcerem miſſi fuerant, quorum omnium martyrium celebratur. 7. Kal. Iulij.

Vterque capitis obtruncatione martyrium completis.

Paſſio ſancti Siluani cum ſociis ſuis, Victorini militis, Marcellini Papæ.

CAP. XCVIII.

Agunt de iiſdem ſũmatim Euſeb. lib. 8. cap. 7. & ex eodem Niceph. hiſt. lib. 7. cap. 7.

EX *Martyrologio*. Apud Tyrum quoque ciuitatem celebratur 10. Kal. Martii natale beatorum martyrũ, quorum numerum ſolus Dei ſcientia colligit, quimultorum, iubente Diocletiano, tormentorum ſuppliciis ſuccedentibus ſibi inuicem occiſi ſunt: Primum quidem flagris per totum corpus dilaniati, de hinc diuerſis beſtiarum generibus traditi, ſed ab his diuina virtute cuſtoditi; poſt addita feritate ignis, & ferri, martyrio conſummati ſunt. Horum glorioſam multitudinem incitabant ad victoriam Tyrannio & Siluanus, ſed & Peleus, & Nilus Epiſcopi, Zenobius quoque presbyter, qui fœlici agone vnà cum eis martyrii palmam adeptus eſt.

Huius acta refert Surius tom. 3. & ante eum Mõbritius.

Mediolani, Octauo idus Maij, natale Victoris martyris, qui à primæua ætate Chriſtianus cum eſſet in caſtris Imperialibus miles, compellente Maximiano, vt ſacrificaret, *in confeſſione Domini* fortiſſime perſeuerans, primo grauiter fuſtibus cæſus, ſed *Deo* protegente, doloris expers, deinde liquente plumbo perfuſus, ſed nihil penitus læſus, nouiſſime martyrium capitis abſciſione compleuit.

Lege Martyrolog. Rom. & Baron. in not. Martyrol. die 26. April. & in Annal. Eccl.

Ex libro Pontificali. Ea tempeſtate ſedit Marcellinus Papa Romæ, natione Romanus, qui annis 8. Eccleſiam rexit; quo tempore tam magna fuit, perſecutio, vt intra 30. dies. 17. millia hominum promiſcui ſexus per diuerſas prouincias coronarentur martyrio, tunc & ipſe Marcellinus ductus eſt vt thurificaret, quod & fecit, ſed poſt paucos dies pœnitentia ductus à Diocletiano *profide Chriſti* cum Claudio, & Cyrino capite truncatus eſt. Quorum etiam corpora iuſſu Diocletiani iacuerũt diebus 26. ad exemplum Chriſtianorum: exinde collegit ea Marcellus Presbyter cum Presbyteris & Diaconis & cum hymnis ſepeliuit. 6. Kal. Maij Poſt quem ceſſauit Pontificatus annos. 7. menſes. 6. & dies 25. Diocletiano *Chriſtianos* perſequente: exinde ſucceſſit Marcellus natione Romanus qui ſedit annis 5.

De ſancto Cyriaco cum ſociis eius, & Apronianо martyre.

CAP. XCIX.

Extant hæc geſta apud Surium 16. Ianuarij.

EX *geſtis Marcelli Papæ*. Maximianus autem volens placere Diocletiano, vt in eius nomine Thermas ſolo ædificaret, omnes Chriſtianos ad laborem compellens, alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam coegit, tunc Thraſon quidam diues & potens, victum eis in afflictione per viros Chriſtianos Cyriacum, & Siſinnium, Largum, & Smaragdum miniſtrabat. Quod audiens ſanctus Marcellus gauiſus eſt: & Cyriacum & Siſinnium Diaconos Eccleſiæ conſecrauit. Qui quadam die cum humeris ſuis deferrent victum, quem miniſtrabat Thraſon, à paganis militibus tenti ſunt, & ad Tribunum ducti, qui eos in cuſtodia publica retruſit. Quod audiẽs Maximianus, iuſſit vt in cuſtodia terram foderent, & ad locum ſuis humeris deportarent. Erat autem ibi Saturninus ſenex, quem ad portandum iuuabant; ſicque ſua & illius onera portabant. Quod audiens Tribunus nunciauit Maximiano, quod illi *cum hymnis, & laudibus gloriam Deo reddebant*. Qui Siſinnium ſibi præſentari fecit, & de multis conuenit; ac ſacrificare nolentem, Laodicio Præfecto tradidit, qui eum in cuſtodia 7. diebus retruſit, & poſt, ſibi præſentari iuſſit. Cumque Apronianus Commentarienſis eum educeret, ſubito lux de cœlo venit, & de luce vox exiuit. *Venite benedicti patris mei, &c.* Tunc Apronianus tremefactus ad pedes Siſinnij cecidit, & ab ipſo baptizatus cum ipſo ad præfectum venit, & lachrymans ait: Quid nos coarctat diabolus *in ſeruos Dei* tanta mala exercere? Cui Præfectus ait: Quomodo, & tu Chriſtianus es? Qui reſpondit: Væ mihi, quia dies meos perdidi. At ille: Væ, inquit, modo perdes dies tuos, & iuſſit eum decollari. 4. Non. Februarij.

Lege hic Baron qui pro Marcello putat legendũ.

Marcellinũ, cuius tempore thermæ Diocletianæ erectæ ſunt Romæ.

Apronianus credit in Chriſtum & decollatur.

Paſſio Sanctorum Siſinnij, & Saturnini, & aliorum plurium.

CAP. C.

TVnc Siſinnium, & Saturninum iuſſit in cuſtodia retrudi, ad quos multi gentiles venientes, baptizabantur. Poſt hæc nudis pedibus, vincti catenis, adducti ſunt coram Laodicio, qui iuſſit afferri tripodam, vt thurificarent maieſtatibus. Quam cum vidiſſet beatus Saturninus ait: Conterat eam *dominus gentium*, & continuo ſoluta eſt tripoda ærea velut lutum. Tunc videntes duo milites Papias, & Maurus, clamabant: *Vere magnus eſt Dominus Ieſus-Chriſtus, quem iſti colunt*. Iratus ergo præfectus iuſſit eorum lapidibus contundi, & eos in carcerem retrudi, ſanctos prædictos in equuleo leuari, & flammas ad latera poni: qui cum neruis attraherentur, fuſtibus & ſcorpionibus cæſi ſunt. Pendentes etiam in equuleo gratias egerunt. Tandẽ via Numentana ducti ſunt, ibique capite truncati. Quos ſepeliuit Thraſon cum Ioanne Presbytero via Salaria. 3. Kalend. Decembris.

Siſinnius & Saturninus adducti ſunt coram Laodicio Præſecto.

Papias & Maurus milites credũt. Siſinnius & Saturninus decollantur.

Poſt dies 12. Papiam & Maurum iuſſit proſterni, & fuſtibus cædi, illis nihil dicentibus niſi hoc tantum: *Chriſte adiuua nos ſeruos tuos ſperantes in te*. Deinde à pauimento eleuati, cum diu plumbatis cæderentur, emiſerunt ſpiritum. Quos ſepeliuit Ioannes Presbyter. 4. Kal. Februarii.

Papias & Maurus permittur. vid Bar. an. 303.

De filia Diocletiani, quam à Dæmone curauit ſanctus Cyriacus.

CAP. CI.

CVmque de beato Cyriaco iam facta fuiſſet obliuio, multi cæci per eum illuminabãtur, & infirmi ſanabantur: tunc etiam Artemia Diocletiani filia cæpit à Dæmonio vrgeri, patre vero ingrediente ad eam, clamauit Dæmon per eam, niſi venerit *Cyriacus* non exeã. Quem cum rogaſſet pater, intrauit ad eam & ait: *In nomine Ieſu-Chriſti præcipio tibi immunde ſpiritus exi*. Qui reſpondit: Si vis vt exeam, da mihi vas quo ingrediar. Cui dixit Cyriacus: En corpus, ſi potes, ingredere. Qui reſpondit: In vas tuum ingredi non poſſum, quia vndique ſignatum eſt. Cyriaco autem vrgente, Dæmon clamauit. O Cyriace ſi eiicis me, faciam te apud Perſas ire.

Lege hic Baron, qui hæc Artemia in multis vacillare putat.

S. Cyriacus eiicit dæmonium ex Artemia.

Eiecto dæmone, baptizauit Artemiam, matre eius Serena præſente, quæ & eam mouebat Chriſtianam religionẽ diligere: Diocletianus quoque Cyriacum bene habere cæpit, eique domum dedit.

S. Cyriacus ſecurè degit Romæ.

Poſt paucum tempus miſit Sapor Rex Perſarum ad

Hiſtoria hæc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

de Sapore Rege, & eius baptismo, ac filia liberata à damone nõ satis arridet Baronio quæ vide tom 3. ad ann. 309.

Diocletianum, vt mitteret ei Cyriacum, quia filia eius à Dæmonio vexabatur. Qui rogatus à Serena Augusta, perrexit cum Largo & Smaragdo. Cumque petente Rege intraret ad filiam eius, exclamauit Dæmon. Quid est Cyriace, fatigatus es? Qui respondit: Non sum fatigatus, sed magis in omnibus gubernatus. Cui Dæmon. Tandem ego te perduxi ad quod volui. Cumque vidisset puellam fatigari, prostratus, orauit flens, & ait: *Imperat tibi Christus, quem confessus es, vt exeas ab ea.* Cui Dæmon: Da mihi vas in quo ingrediar. At ille inquit: *Deus meus Iesus Christus, Deus Deorum, ipse tibi imperat vt exeas.* Et ecce vlulatu magno spumans in aëre clamabat: O nomen terribile, quod me coarctat exire. Tunc etiam baptizata est puella & omnes affines eius. Ipse quoque Rex, & alij promiscui sexus numero 420. Rex autem beato Cyriaco multa dona obtulit, at ille nihil accepit, nisi tantum *panem & aquam*, quibus cum sociis suis vsus est; sed ait: *Gratiam Christi pretio non offerrimus, sed fide æstimamus.*

** Iobia baptizatur.*

Passio S. Cyriaci cum sociis suis.

Cap. CII.

POst dies autem 45. sunt reuersi, & à Diocletiano cum honore suscepti: post eius mortem Maximianus filius eius zelo ductus, propter Artemiam sororem suam, iussit Cyriacum in custodiam retrudi, & die processionis suæ nudum cateniſque ligatum ante rhedã eius trahi. Tunc venit ad eum beatus Marcellus episcopus dicens: *Pietati tuæ suggero, quare trucidas seruos Dei, qui orant pro republica, & regno tuo?* Qui iratus iussit Episcopum fustibus cædi, & à conspectu eius expelli; Carpasio autem Vicario dixit: Cyriacum sacrilegum, qui carminibus magicis suadet hominibus *Christum confiteri*, diuersis afflige tormentis: si non libamina Diis obtulerit. Qui iussit sanctos Dei Cyriacum, Largum, Smaragdum, & Crescentianum sibi præsentari. Quibus libare nolentibus, præcepit picem liquatam in capite Cyriaci infundi: At ille cum clamore *glorificabat Deum.* Tunc iussit Carpasius Crescentianum coram aliis in equuleo suspendi. Qui cum diu attraheretur neruis & fustibus, atque vnguibus raderetur, & flammis ad eius latera datis diu vreretur, emisit spiritum. Cuius corpus iactatum ante Cliuum vrsi sepeliuit Ioannes presbyter 8. Kalend. Decembris: cæteris autem in custodia retrusis.

Cyriacus ante rhedam Maximiani nudus ducitur.

Fix liquida funditur in caput S. Cyriaci.

Post dies quatuor iussit Cyriacum sibi præsentari, & sacrificare nolentem in catasta extendi, neruis attrahi & fustibus cædi: & eodem die nunciauit Maximiano quæ exercuerat in sanctos Dei. Qui iratus, iussit omnes, qui erant in custodia vincti, cum beato Cyriaco capite truncari, & ducti sunt cum eo promiscui sexus numero viginti vnus, & decollati via Salaria. Quorum corpora B. Ioannes noctu collegit, & sanctum Cyriacum commẽdauit 17. kal. Aprilis.

Cyriacus capite plectitur.

Artemia necatur.

Eo tempore Maximianus etiam Artemiam sororem suam interfecit. Post dies 8. veniens Beatus Marcellus cum beata Lucina matrona, condidit aromatibus martyrum corpora, & posuit in pauone cum eunuchis suis. Translata sunt autem cum beato Cyriaco via ostiensi, & ibi recondita ab ea, septima die Augusti.

Passio S. Marcelli Papæ.

Cap. CIII.

EAdem Sancta Lucina fecit donationem de facultate sua sanctæ Ecclesiæ. Quod audiens Maximianus, eam proscriptione damnauit. Illa vero sanctum Marcellum rogauit, vt domum suam, Ecclesiam consecraret. Quo facto, cum in ea missas frequenter celebraret; audiens Maximianus, iussit in eadem Ecclesia plancas sterni ad animalia stabuli publici, & eundem episcopũ ad seruiendum animalibus deputauit cum custodia publica vbi etiam multis annis seruiens amictu cilicino indutus, emisit spiritum. Cuius corpus beatus Ioannes Presbyter, & beata Lucina sepelierunt 17. Kal. Februarij. Et cum vidissent Carpasius Maximianum sibi placatum; petiit ab eo domum sancti Cyriaci, & obtinuit, vbi cum inuenissent baptisterium Christianorum, fecit in eodem loco balneum, quasi *ad legem Christianorum deridendam*, vbi frequenter turpia luera lupanaribus, & scenicis lauacris exhibebat.

Nota de vestibus sarum celebratione.

Plancas appellat Festus tabulas planas.

Quadam vero die eo exeunte de balneo cum multis sceleratis quasi 19. subito corruerunt, & mortui sunt. Et ab eo die balneum clauserunt, factusque est timor in loco illo.

Author. De hoc Maximiani Diocletiani filio, alibi non memini me legisse: nunc reuertar ad ordinem historiæ.

Nota hic de tempore, quo Marcellus damnatus est in catabulum, pro Maximiano Maxentium reponẽdum, vt notat Baronius.

Vltio diuina in Carpasiũ, & alios profanos.

De inopinata confessione S. Genesij.

Cap. CIIII.

EX *gestis eius.* Ea quoque tempestate passus est Romæ martyr Genesius, qui cum esset in vrbe magister artis mimicæ, quadam die voluit Imperatori Diocletiano ludum exhibere *de mysteriis obseruantiæ Christianæ*; huius rei gratia spectante Imperatore, & omni populo in medio theatri, quasi ægrotus decumbens, se baptizari popoſcit, & mimice in hæc verba prorupit; Eia nostri grauem me sentio, leuem fieri volo. Qui responderunt: Quomodo te leuem facimus? nunquid fabri sumus, & ad runcinam te missuri sumus.

Genesius Mimus.

His verbis populo in risum excitato, Genesius à Domino visitatus, ait: Vesani, Christianus desidero mori. Quare? inquiunt: Quibus ille: vt in illa die veluti fugitiuus inueniar. Hoc Diocletianus audiuit, & risum tenere non potuit. Tunc sicut fuerat ordinatum intrare faciunt Exorcistam, & Presbyterum, qui iuxta lectum eius sedentes, dixerunt. Quid ad nos misistis filioli? At ille iam non simulate, & ficte, sed ex puro corde respondit: Quia *gratiam Christi consequi cupio, per quam renatus, liberer à ruina iniquitatum mearum.* Cumque sacramentorum mysteria complessent, & vestibus albis esset indutus, quasi per ludum à militibus est raptus, & ad similitudinem sanctorum *de Christi nomine* discutiendus, Imperatori est exhibitus. Sed cum ad falsam adductus passionem, ad veram accessit confessionem. Ascendens namque super basim, vbi statua fuerat Veneris, ita concionatus est.

Baptismi ritus seruatur & palam irridendos exhibet.

Simulatio vertitur in rem seriam Genesio.

Diuinitus bona mens ei præstatur.

Audi Imperator, & omnis exercitus sapientes, & populi vrbis huius: Ego semper Christianum nomen exhorrui, & in confessione permanentibus insultaui, ac super eos accendebam furias populi, parentes quoque meos, & affines execratus sum *causa nominis Christiani*, & in tanta derisione Christianos habui, vt eorum secreta mysteria diligenter perquirerem, non vt crederem, sed vt de his ludum ac risum vobis exhiberem: Mox autem vbi me nudum in conspectu vestro aqua illa perfudit, & interrogatus credere me respondi: vidi super me manum de cœlo venientem, & Angelos Dei flammeo radiantes aspectu, iuxta me stantes, qui omnia facinora mea, quæ à iuuentute mea commisi scripta libro, recitantes, dixerunt mihi: *Aqua hæc delet omnia ista, quæ te fecisse cognoscis.* Cum ergo aqua baptizatus fuissem, simul & liber ille perfusus niue cãdidior effectus est, ita etiam vt signũ scripturæ præteritæ non demonstraret. Itaque dum vobis terrenis Imperatoribus placere concupiui, cœlesti Regi complacui: & dum omnibus risum extorquere studui, Angelis risum feci. Nunc ergo ô Imperator, & vos omnes populi, sicut de his sanctis mysteriis per ignorantiam mecum resistitis increduli, ita mecum ab hac irrisione cessate, *credentes verum Deum esse Iesum Christum Dominum*: hunc esse verum lumen, veritatem, pietatem, salutem, & per ipsum nos ad indulgentiam posse contingere.

Vide admirandam baptismi vim.

Hortatur Genesius Imperatorem & principes eius fieri Christianos.

Nota de vestibus albis baptizatorũ

Confundum hunc Genesium cum Genesio Arelatensi Mõbritius & Petrus in catalogo, quod, vt aduertat lector, volum.

De con-

De constantia eiusdem, & passione.

CAP. CV.

Diocletianus mire excandescit dum videt conversiũ Geneſiũ.

TVnc Imperator accensus furore iussit omnes, qui cum eo lusus meditati fuerant, ante se adduci, & virgis fortiter cædi, æstimans eos similiter credere. At illi cæperunt *nomen sanctum* blasphemare cũ exprobratione, dicentes. Nos aliter meditati sumus; iste autem insanus factus lætitiam suam dimisit, & *planctum sibi Christianitatis* assumpsit, ac per hoc solus experiatur, quod solus fecit. Tunc Imperator sæuiens in Genesium, in conspectu populi iussit eum cædi fustibus, tradiditque Plutiano præfecto, iubens eum tormentis ad sacrificia cogi. Qui positus ab eo in equuleo, & suasus, vt regem, sacrificando placaret, ei dixit : *Vere ille Rex est, quem cælum petentem vidi.* Vnde me miserum lugeo, quia vobiscum prius erraui, *& tardius ad verum Regem adorandum accessi.* Cui Plutianus ait: Et quis est iste Rex, præter Regem nostrum? At ille. Rex iste homo est, & per incerta spacia terræ imperat, ac certo tempore: *Rex autem quem colo, Deus est, & in cælo totaque terra ac mari imperat ac sine fine.* Cumque diu in equuleo positus, vngulis attrectatus, lampadibus inflammatus, in sancta confessione persisteret, ac diceret Iudici. Si centuplaueris contra me ista tormenta *Christum* mihi de ore, nec mihi de corde non poteris auferre. Hæc omnia relata sunt Imperatori; Qui iussit eum occidi : Sicque cum gaudio coronam martyrij capitis obtruncatione promeruit 8. kal. Septembris.

Dolet S. Genesius se aliquando errasse.

In equuleo suspensus laceratur & vritur.

Capite truncatur.

Lege Suriũ 25. Aug.

De coniugio sancti Iuliani & Basilissæ.

CAP. CVI.

EX *gestis eorum*: Beatus Iulianus ab infantia castitatem diligens, & mundi oblectamenta spernens, cum esset annorum circiter 18. parentibus eius instanter eum exhortantibus, vt sibi coniugem sociaret, per quam & genus suum conseruaret, & adolescentiæ lapsus euaderet, hoc dedit responsum : *Hoc quod hortamini, in potestate est Domini mei, cui me commisi, pro qua re septem diebus inducias peto, & prout mihi Dominus aspirauerit, respondebo.* Tunc die noctuque in orationibus & ieiunijs perseuerans postulauit à Domino, ne virginitatem promissam, aliqua occasione violaret; septimæ autem diei nocte, cum corpus maceratum vigilijs, & ieiunio sopori dedisset, affuit Angelus Domini dicens ei, Iuliane surge, ne timeas, nec voluntatem parentum horrescas: accipies quidem coniugem, quæ te non polluendo à Domino separat, sed per te virgo tecum perseueret. Tetigitque eum Angelus dicens : *Virilster age & confortetur cor tuum.* His verbis roboratus egressus de cubiculo, & læto vultu parentum tristitias auferens, ait: Ecce sicut desideratis faciam. Quæritur ergo Puella talis, quæ & locuples esset, & nobilitate generis coæqualis, nomine Basilissa, quæ & ipsa erat parentibus vnica filia. Venit dies statutus, quo vicini inuitantur, plateæ sericis ornantur, & aures omnium sonis Musicorum, & cantilenis virginum oblectabantur, ita vt si homo ferreus esset, luxuria resolueretur. Producitur inter hæc onerata gemmis, & auro Sponsa de thalamo.

Virginitatẽ Deo promiserat.

Angelus ei apparet.

Quæritur ei Sponsa.

Qualiter Basilissa ad amorem virginitatis conuersa est.

CAP. CVII.

INgreditur iuuenis cum virgine lætus cubiculum, factaque ab ea oratione, tali odore cella repleta est, vt videretur sibi virgo in tali loco posita esse, in quo vernãt lilia, & rosæ. Et ait ad iuuenem : Miram rem sentio, cum enim hyemis sit tempore ita mihi in hoc cubiculo omnium rosarum, & liliorum odor famulatur; vt his satiata, iam horream thori coniunctionem. Cui Iulianus ait; *Odor qui tibi apparuit, Dominus noster Iesus Christus est amator castitatis, qui integritatem corporis custodientibus vitam æternam reddit.* Et tunc illa, quæ melior salus est, quam virginitatem custodiendo vitam æternam acquirere? & quia ita credo esse vt dicis, opto tibi consentiens esse, *vt sponsum æternum possideam.* Tunc Iulianus in orationem procidens, pauimento adhærebat clamans: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Hoc videns virgo similiter fecit, & ecce subito fundamenta cubiculi commota sunt, & lux inenarrabilis emicuit; fitque ibi spectaculum magnum, & ex vna parte sedebat *Rex æternus* cum multitudine candidatorum; & ex alia multitudines virginum, quarum *gloriosa Virgo Maria* tenebat principatum. A parte Regis clamabatur : *Vicisti Iuliane, vicisti.* A parte virginis, *Beata es Basilissa, quæ salutaribus monitis consensisti.* Et ostensus est Iuliano liber aureis literis scriptus, dictumque est ei : *Accede, & lege.* Et cepit legere sic : *Iulianus qui pro amore meo mundum contempsit, deputetur in eorum numero, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Basilissa vero, quæ ei integro cor desociata est, deputetur in numero virginum, quarum virgo Maria tenet principatum.* Et dixerunt millia millium, *Amen.* Post hęc visione sublata, exultantes in Domino reliquum noctis, vigiles in hymnis, & canticis peregerunt. Quid multa? cæperunt spiritu non carne fructificare, & super candelabrum excelsum fundantur duæ lucernæ, quibus Rex æternus oleum lætitiæ subministrans per eos igniferi verbi doctrinam ignaris infundebat : nec quisquam dinumerare poterat animarum multitudines, quæ per sanctum Iulianum migrauerunt ad dominum. Similiter & Basilissa agmina virginum, & mulierum castas animas præmittebat ad cælum.

Maximum & diuinum spectaculum fit in cubiculo Iuliani & Basilissæ.

Dant operã saluti animarum.

Multi ad illos confluunt relictis omnibus.

De transitu sanctæ Basilissæ cum suis virginibus.

CAP. CVIII.

TEmporibus autem Diocletiani, & Maximiani, furore persecutionis incumbente, ieiunio & fletu studentes, tales in conspectu Domini effuderunt preces: Domine Deus, qui occultorum es cognitor, ne patiaris à Lupo insatiabili gregis tui integritatem violari: Præsta Domine vt omnes quos tibi per nos militare fecisti, integros in conspectu tuo constituas, vt exultantes dicamus : *Ecce nos & pueros, quos dedisti nobis, nemo periit ex eis.*

In ieiunio & precibus perseuerant.

Sequenti nocte Basilissam sic alloquitur per visum Dominus : Basilissa nomine tuo digna, quæ orasti, hoc me implere delectat vt omnia vasa, quæ per te mihi mundaui, dum adhuc viuunt ad cælestia regna præmittas, habebis autem dimidium temporis quo ex omni loco quo seminasti triticum colligere possis, & recondita messe tu ipsa sequaris; Iulianus vero vt bonus athleta pugnabit & vincet. His auditis Basilissa euigilans *lætabatur in Domino*, & ex ordine omnia narrauit Iuliano. Conuocans quoque multitudinem virginum eis terminum sibi reuelatum exposuit, & eas ad proficiendum solicite commonuit, & cum multa loquens prosequeretur, locus in quo erant commotus fuit, & columna lucis eis apparuit, titulum super se aureum habens scriptum, & vox de columna cum splendore & odore processit, signum quoque crucis emicuit dicens; *Basilissa, quod vides scriptum lege.* Tituli autem scriptura sic erat : *Omnes hæ virgines, quibus tu ducatum præbes, vasa munda, & accepta sunt oculis meis; venite ad præmia vobis parata.* Tunc visione sublata Domino gratias agebant omnes, eo quod Deus testimonio suæ maiestatis animas sanctas declarasset : sicque diuina prouidentia adimpleuit, vt intra tempus promissum omnes migrarent ad dominum. Beata autem Basilissa de repositio fructu secura, hora diei sexta *in oratione Dei constituta.*

Esaiæ. 8.

Christus apparet S. Basilissæ.

Adhuc alia insignis visio.

soporata

Encomium castitatis. Vide miraculum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

soporata est, & vidit omnem chorum sanctarum virginũ numero circiter mille niueis cicladibus indutas, *crucem dominicam gestantes*, vna voce dicentes sibi; *Hoc responsum accepimus, vt tecum Regem Dominum adoremus: Et ecce expectamus te, vt nos offeras Deo, qui nos acquisisti.* Euigilans ergo hæc cum lætitia retulit sancto Iuliano; Dei vero misericordia sic adimpleuit, quòd illis in oratione constitutis, ipsa *ad dominum* migrauit. Quam B. Iulianus sepeliuit, ipse verò cum choro sanctorum floruit.

Huc vsque Aloysius Lippomanus ex Græcis.

Hæc agebantur Antiochiæ, quæ est Metropolis Mesopotamiæ Siriæ.

Passio sanctorum Martyrum quos Deo Iulianus acquisierat.

Cap. CIX.

Dira Christianorum persecutio.

VI autem persecutionis inualescente, præfata ciuitas Martiani Præsidiis iussu coacta est, vt vnusquisque in domo sua imaginem *Cæsaris* erigeret. Audiens Præses Iuliani fidem, & quia multos haberet socios, qui se magis pararent ad mortem, quàm Idolis immolarent; iratus, misit assessorem suum ad eum, qui pergit ad locum, vbi *Deo* vacabat, in quo etiam multitudo Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ confugerat, rabiem persecutionis declinantes; oẽs tamen ad mortẽ parati. Audiens Iulianus illũ esse præ foribus, ait ad sanctam congregationem: *Nunc fratres oremus, quia persecutores appropinquãt.* Tunc assessor iudicis sic prorupit: Puto te non latere Iuliane sacratissimorum principum decreta, vt vna sit apud homines cultura. Cui ille respondit: *Audiant principum iussa, qui eis militant: nos autem qui Regẽ in cœlis habemus, terrenum principem non audimus.* Quod cũ assessor Præsidi renunciasset, iratus ille, iussit Iulianum solum audientiæ suæ reseruari, multitudinem vero sanctorum in eodem loco vbi degebant consumi. Quod & factũ est, in quo loco talis gratia à *Deo* collata est, vt omnes prætereuntes, quos certa psallendi tempora inuenirent, ita psallentium multitudinem audirent, vt quacunque infirmitate possessi, sani abscederent.

Martyres occiduntur.

Miraculum.

De Agone S. Iuliani, & oculo militi restituto.

Cap. CX.

Iulianus sistitur ad tribunal præsidis.

POst hæc. Martianus iubens Iulianum sibi præsentari dixit ei: Tu es Iulianus præceptorum principũ rebellis, Deorum contumax, qui innocentium multitudines magicis artibus tibi aggregas, & omnium mentes immutas: Qui respondit: Deos quos colitis Dæmonia esse manifestum est, qui perdere sibi credentes possunt, & liberare non possunt. Hoc audiens Præses tortoribus suis clamauit: Hũc ad verba extendite, ac fustibus nodosis, & rigidis omnia membra eius dissipate. Quod cum fieret, vnus de cædentibus, qui erat de militibus Cęsaris, ictu percutiens, oculum amisit: quod videns etiam Martianus tremens, ait: Tantum ars tua magica valuit, vt & tu nihil sentias, & oculos aliorũ euellas. Cui ille respondit: Morbidus & cæcus erras; conuoca omnes Deorum tuorum probatissimos Sacerdotes, & inuocent numina sua super oculum eulsum, & restituant cultori suo visũ, quod cum non potuerint, *ego nomen Domini Iesu Christi inuocabo, & oculum eulsum illuminabo.* Hæc ratione confusus Præses, omnes Pontifices adesse iussit, & ait: Ite & immortales Deos sacrificiis optimis honorate, vt homini necessario oculum reformantes, rebelli suo Iuliano virtutem suam ostendant, & ipsum culturæ suæ inclinent. Ingrediuntur ergo *lapides ad lapides*, iussa implentes: qui cum Dæmonio in templis appellarent, hoc acceperunt responsum: Discedite à nobis igni perpetuo mancipatis, nam tantum valent preces Iuliani ad Dominum, quòd à die qua ad patibulum apprehensus est, pœna nostra centuplicata est; & cum in tenebris clausi teneamur, quomodo visum reddamus, quem non habemus? Hoc responsum accipientes, egrediuntur falsa dicentes: Beatus vero Iulianus quem nihil latebat, oratione facta dixit ad præsidem. Martiane festina, vocant te Dii tui, licet non voluntarii, sed inuiti. Qui cũ ingrederetur ianuam templi, vidit omnia simulachra ex omni metallo sculpta, quæ amplius, quàm 50. erant comminuta, & in puluerem redacta; & cæcatus à diabolo clamare cæpit: O maleficia quæ sic præualent, vt & Deorum virtutes superent, & pretiosa numina in puluerem redigant: sed hæc Deorum patientia laudanda est, qui adhuc iniurias sibi irrogatas sustinent, vt rebelles suorum patiendo sibi subiiciant. Nunc ô Iuliane, qui patientissimos Deos te superasse gloriaris, promissũ imple, *& in nomine Christi quẽ colis extinctum oculum restitue.* Sed ne hoc magicis artibus exerceas, lotio te iubeo perfundi, per quod omnia maleficia cognoscuntur fugari. Cumq; eum perfunderent, putens lotium *Christus* conuertit in odorem nectareum, vt non *lotio*, sed *balsamo* putarent perfusum. Tunc sanctus super euulsum oculum crucem faciens, & nomen Domini inuocans, statim eũ restituit, & ille, qui oculum recepit, clamauit: *Verus Deus Christus, ipse solus colendus est, & adorandus.* Quem talia prosequentem, Præses vt audiuit, statim gladio puniri iussit. Sicque eum sanguinis sui rubore perfusum, *Christus sibi Martyrem consecrauit.*

Irridet falsos Deos.

Caditur nodosis fustibus atrociter

O cæcus hominũ mẽtes.

Dæmonum simulachra destruũtur.

Fator lotij in gratissimos mutatur odores.

Cæcus videt.

Qualiter ei Celsus filius præsidis adhæsit.

Cap. CXI.

IVlianum autem diuersis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per omne corpus oneratum, iussit Præses sub voce præconaria circuire ciuitatem dicens: Hæc merentur Deorum rebelles, & principum contemptores. Et cum venirent ad locum vbi Celsus filius præsidis vnicus studebat, ait puer ad condiscipulos suos: *Rem inauditam video, illum sc. Christianum quem ducunt, & multitudinem albatorum cum illo loquentẽ, & super caput eius coronam ex gemmis, & auro, cuius fulgor obcæcat huius aeris lucem, & alios tres viros albescentibus comis, alarumque volatu in modum aquilarum super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo seruire qui suos sic tuetur, & tali circundat decore.* Hæc audientes condiscipuli, & Magister eius turbati sunt, & blande corripientes eum ab intentione conati sunt reuocare. At ille Doctorum volumina proiecit, & vestes quas indutus erat, abiecit dicens: *Nudum me mater fudit huic seculo, quod mundi est mundo relinquo.* Hæc dicens, per plateas ciuitatis cursum arripuit, donec vbi S. Iulianus torquebatur, veniens pedibus prostratus ait: *Te secundæ natiuitatis, quam mihi Christus ostẽdit, patrem agnosco; Martianum vero genitorem meum veritatis inimicum abnego, & despicio, tibique adhærens similia opto pati pro Christo.* Hæc videntes pœnarum ministri, præ stupore tacebant, de tota ciuitate ad spectaculum omnes concurrebant, & Præsidis filium sic martyri adhærentem, & vulnera eius osculantem obstupescebant. Hęc audientes eius Parentes tabuerunt, filiumque suum à Iuliano segregatum, sibi restitui præceperunt. At Dei misericordia Martyris precibus affuit, vt si quis eum vellet à sui complexu separare statim manus eorum, & brachia contraherentur.

Visio filii Præsidis.

Mira conuersio filij Præsidis.

Parẽtes eius mire cruciãtur filii sui conuersione Miraculũ.

Qualiter idem Puer respondit pro se Patri, & Matri.

Cap. CXII.

TVnc iussit præses eos simul ad se perduci. Quo facto ait Iuliano: Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis, & tenerum pectus illicitis carminibus genitorum affectum negare compellis? Hæc eo dicente, aduenit & Mater cum innumerabili familia crine soluto, & nudatis vberibus clamans. Quod videns Præses, scissis vestibus, & lacerata facie ad Iulianũ clamabat: Iuliane crudelis, aspice dolorem Patris, & Matris, & planctum tantæ familiæ, & à magicis artibus innocentem solue, vt & ego pro te Imperatoribus suggeram, vt culpa vacante abscedas. Cui ille respondit: Suffragiis tuis opus non habeo, nec ab Imperatoribus tuis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dimitti desidero: sed hoc *Dominum rogo*, vt vna cum agno isto, de luporum visceribus nato suscipiar in sanctorum numero. Ecce adest qui ex te natus est, modo mecum credendo renatus est, ipse tibi & Matri responsum suum det.

Oratio Celsi pueri ad parentes suos.

Ad hæc puer respondit: De spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis odorē suauissimū, nec frutex, quæ rosā genuit amittit aculeos spinarum suarum: vt ergo consueuistis pungite, & me odorē suauitatis credentibus propinare permittite; vobis obediāt, qui perire parati sunt; me imitentur qui de tenebris ad lucem transire contendunt. Ego pro Christo vos parentes nego, & per temporalem mortem vitam æternam acquiro, non possum in vos pius esse, & in me crudelis. Quid moriar? quasi incredulus, & crudelis pater manibus, non quasi verus Abraham, apprehende gladium, & victimam offer filium. Vani sunt luctus vestri falsæ lachrymæ; ab hac confessione pietatis nullus me valebis disiungere.

Horridus carcer fit Martyribus delectabilis.

Martianus ergo iussit eos in carceris ima retrudi, vbi de damnatorū membris diuturna tabe consumptis horribilis vermium ebulliebat examen, sed illos ingredientes *gratia Dei præcedēs*, locū horribilē, reddidit delectabilē, tenebrasq; cōuertit in lucē, & ebulliēs pœna euanuit. Hæc videntes milites circiter 20. qui eos custodiæ mancipandos adduxerant, conuersi, adinuicem dixerūt: *Turpe est reuerti ad illud, quod fuimus & negligere salutē, quam inuenimus.* Tunc ad pedes voluūtur sancti Iuliani, *confitentes, & laudantes nomen Christi.* Tunc sanctus Iulianus *gratias agens orabat Dominum, vt procuraret, qualiter illi quos Christo acquisierat, susciperent baptismum.*

Viginti milites credunt.

De conuersione septem filiorum prioris ciuitatis.

Cap. CXIII.

ERant autem septem filij relicti prioris ciuitatis, qui ex genere Carini Imperatoris defuncti descenderāt, quos Imperatores licet Christianos amore patris eorū retinentes, permiserant sine aliqua persecutione Christianæ religioni deseruire. Hi habebant secum Presbyterum, qui eis * sancta mysteria celebrabat. Visitantur ergo à Domino & iussi sunt diuinitus, vt vna cum præsbytero carcerem peterent, quatenus *baptismi gratiam* puer & milites susciperent: statim obediūt, *& Angelo Domini præeunte* ad carcerem veniunt. Qui mox vt tetigit ianuas carceris, omnia claustra patefacta sunt, & orante simul cum beato Iuliano *Domino persolucrunt vota.* Hæc audiens Martianus contremuit, & eductis eis de custodia dixit: Quid vobis contigit ô infantuli, vt optetis mori sine aliqua persecutione, quibus concessum est arbitrio vestro viuere, *& Deum vestrum colere* Ad hoc factum senior respondit: *Massa auri naturæ suæ claritatem obtinet, sed nisi per manus artificis, etiam igne, & malleo, & limis in partes dissipetur, dignum capite Regis diadema non perficitur: ita & nos quidem Christiani sumus, sed nisi Iuliani vestigia secuti fuerimus, diadema Regis æterni esse non possumus.* Tunc eos Præses in custodiā reduci iussit, & Imperatoribus suggestionem fecit, dicens: Piissimi Principes legibus vestris subuenite, & numinibus quæ remanserunt munimina præbete, & Iulianum Magum vestris obtutibus præsentare, qui magicis artibus plusquam 50. simulachra Deorum, per quos mundus florebat, comminuit; filiū meum à me separauit, militum mentes immutauit. 7. germanos beneficiis vestris ingratos fecit.

Septem fratres cum possent viuere, vltro se panis offerunt.

Præses hæc omnia refert ad Imperatores.

De mortuo à Iuliano suscitato, & eius relatione.

Cap. CXIV.

TVnc Imperator licentiam dedit, vt si Iulianus cum sociis suis in hac confessione permaneret, conuocata omni prouincia, singulas cupas iuberet præparari, & intus picem, & bitumen, & sulphur mitti, ac singulos in iisdem recluſos igne superposito concremari. Quod si aduersus hæc artis magicæ carmen præualeret, haberet licentiam quali pœna vellet, eos affligeret.

Pœna infligenda SS. Martyribus instituta ab Imp.

Tunc Præses iubet sibi sædē in foro præparari, & sanctos sibi præsentari. Cumque sanctum Iulianum alloqueretur, corpus exanime per plateam sepeliendum ferebatur. Tunc Præses iubens illud deponi, ait Iuliano: Magister vester *Christus* antequā crucifigeretur, dicitur, quòd mortuos suscitauit, hic patebit, quòd *verus Deus sit, si vos istum suscitaueritis.* Cui ille respondit: Quid prodest cæco, quando sol exoritur? licet autem infidelitas vestra non mereatur, tamen quia tempus est, *vt virtus Domini manifestetur*, ne nos impotentes putes, fidele promissum Domini habeo, quia quicquid eum petiero, non me fraudabit. Tunc sanctus fusa oratione coram omnibus, ait ad corpus: *Tibi dico terra arida in nomine ipsius qui Lazarum quatriduanum suscitauit, surge.*

Sistuntur Martyres tribunali præsidis.

Mortuus excitatur.

Tunc surgens, qui mortuus erat, clamabat: O acceptabilis oratio vbi ducebar, & vnde reductus sum? Martianus irridēdo ait: vnde rediisti? At ille; ducebar à quibus nescio Æthyopibus, quorum statura erat, vt gigantum, aspectus horrendus, oculi vt fornaces ignis, dentes vt Leonum, brachia sicut trabes, ungues vt Aquilarum, qui lætantes ducebant me in infernum, & cum iam ad os putei abyssi essem, beato Iuliano fundente orationem, omnis infernus contremuit, & audita est vox Dei dicentis: *Propter dilectū meū Iulianū anima ad corpus reducatur.* Tuncaduenientes duo albati, & auferentes me de dominatione impiorū huic loco reddiderunt, vt per eum, qui suscitauit, me post mortem, illum agnoscam, quem nimis negabam.

Mortui suscitati orationem ciuitatis.

Hæc eo dicente turbatus Præses, iussit eum cum sanctis in custodia recludi, & pœnam quam Imperatores iusserant præparari.

De cupis succensis à quibus sancti liberati sunt.

Cap. CXV.

TVnc pro tribunali sedit, omnisque sexus, & ætas ad spectaculum cucurrit, ordinantur 30. & vna cupæ, mediante pice, bitumine, sulphure, aggregatur copia lignorum, iubentur sancti de custodia produci, sanctus Iulianus, & Celsus puer vno vinculo tenebantur; cæteri vinculis, & catenis onerati trahebantur; *hymnum Deo omnes canebant: Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discā iustificationes tuas:* spectantium mentes ad fletum conuersas pietas inclinabat. Tunc Celsus ait ad patrem suū: Per ipsam vanitatem, quam colis, te obtestor, vt intrepido corde petitioni meæ tribuas effectum. Qui respondit, quicquid volueris, exposce: Puer dixit: Cum me post ignem videris illæsum, permitte me cum Matre triduo habere consilium, quod si feceris nec me, nec ipsam amittes. Mater hæc audiens vrgebat hoc fieri. Tunc Præses ait: Si ex igne illæsus exieris, quod fieri non credo, faciam quòd desideras. Tunc non ferens videre incendium filij, relicto assessore, scissis vestibus, vlulans, cum vxore domum reuertitur. Exurgit luctus immanis, plangentibus cunctis, iubet assessor singulos sanctos in singulas cupas deponi, & ignem supponi, & eructās flāma obelisco excelsior cubitis plusquā 30. leuabatur. De medio vero ignis multitudo psallentium quasi sonus aquarum multarum resonabat. Consumpto igne apparuerunt sicut aurum rutilans *Deo, canentes hymnum: Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*; & iterum; *ignis vim suæ virtutis oblitus est.*

Producūtur iterum Martyres ad supplicium.

Psalm. 118.

Celsi pueri egregia constantia.

Deponuntur Martyres in cupas.

Psalm. 65. Sap. 16.

Audiens præses properauit ad spectaculum, & ait ad Iulianum: Obsecro te *per Deum tuum*, vt dicas mihi vnde tantam vim maleficiorum tuorum didicisti? Qui respondit: Si quis in omnibus actibus sæculi alienum se facit, vt solam vocem domini audiat, dicentis: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum* nihil amori Christi præponat, nihil aliud, nisi quod ipse promittit, desideret, non patrem, non matrem, non filios, nec cætera, quæ sunt animæ impedimenta consideret; talis non solum hoc tempore degens, hanc mercabitur gratiam, sed etiam æternam cum Deo collocat amicitiam. Præses

S. Iuliani aurea institutiones. Luc. 9.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ait: Et quis est tam insipiens, qui huius vitæ lætitiam fugiat? Iulianus respondit, Hoc Deus paratus est omnibus dare, sed pauci digni sunt accipere.

Qualiter Celsus puer Matrem suam ad Christum conuertit.

Cap. CXVI.

Fundit orationem Sancti martyres pro matre Celsi. TVnc Celsus ait: Hoc triduo matre mihi concessa, nulli liceat interesse. Tunc sancti martyres recluduntur in custodia ciuili vna cum matre pueri. Ingressique cum orationem funderent, statim commotus est locus, splendor emicuit, odor consuetus affuit, & vox psallentium insonuit: Hæc videns, & audiens mulier, *Mater Celsi conuertitur.* clamauit: Nunquam in vita mea tam suauem odorem comperi, nam ita refecta sum, vt omnium dolorum meorum oblitionem patiar, nec aliud cordi meo remanere cognosco nisi ipsum esse *verum Deum*, pro quo filius meus agonizat. Cui Puer dixit, *Vere nunc te matrem confiteor, nec tu amittes filium, nec ego matrem, si mecum ad illud contendas donum, pro quo sancti tanta sustinent.* At illa cuius pectus diuina illustrauerat gratia, respondit: Scias fili mi, nihil eius amori præponere, quem tu diligis, pro qua re quicquid saluti meæ necessariũ cognoscis, exerce. Ipsum enim relicta omni vanitate verum Deum esse credo: quem per tuam prædicationem creatorem omnium esse cognosco; cupiens hac vita temporali carere, vt ad illam æternam merear vobiscum attingere. Hæc ea dicente locus contremuit, & audita est vox in aere dicens: *Credidi propter quod locutus sum.* Tunc sanctus *Psal. 115.* Presbyter Antonius baptizauit eam; cui Celsus filius in baptismi gratia pater factus est. Cumque omnes de salute eius lætarentur, audita est vox dicens: *Viriliter agite,* *Psal. 30.* *& confortetur cor vestrum in Domino.* Tunc sanctus Iulianus ait; Hæc vox pronunciat vobis futuras passiones, & genera tormentorum, quæ contra nos cogitauit inimicus; igitur fidei nostræ cursum Domino commendemus.

Audiens Martianus vxorem suam Christi amore esse firmatam, iratus, iussit eam apprehendi, & domi retineri, ad quam cum appropinquarent ministri, cæci facti *Viginti milites & septem fratres perimuntur.* sunt. Alia die sedens pro tribunali iussit 20. milites decollari 7. germanos igni tradi; Iulianum vero cum presbytero Antonio, matrem, & filium, & illum, quem infernus reddiderat, iudicio suo reseruari.

De ruina idolorum ad preces Antony, & Iuliani.

Cap. CXVII.

ILla die conuocans Sacerdotes templi, dixit eis; Ite & ornate templum *Iouis*, quod semel in anno aperiri solet, vbi numina sunt veneranda, ex electro puro facta & libationes, & incensa præparate. Quod cum factum esset, ad templum iussit sanctos adduci, & ait; Ecce nunc tempus aduenit, in quo salutem consequamini, hoc enim pro salute vestra elegi, vt in hoc templo terribili thura numinibus offeratis: quod si iussis contemptis, hucusque vobis peperci, diuersa in vobis tormenta exercebo. Iulianus ait: Quia tempus est, vt salutem consequamur, fac omnes Deorum tuorum cultores aut sacerdotes intus adesse, vt cognoscant quale sacrificium offeramus. Præses non intelligens, quo ordine *S. Iulianum falso putat præses sacrificare velle.* ista prosequeretur, gaudens, iussit omnium vincula auferri dicens, Turpe est vinculis teneri, quibus Dij cæperunt esse propitij. Ait autem; Ecce omnia parata sunt, implete quæ spopondistis. Cui Iulianus ait, Quid præcipis Præses? omnibus Dijs offeremus sacrificium? Qui respondit, Omnes quos conspicitis immortales sunt, virtute pares, & in gloria æquales. Tunc fixis genibus Antonius, & Iulianus cum socijs suis orantes dixerunt: *Deus æterne, qui non in manufactis delectaris, sed in corde mundo requiescis, qui per prophetam dixisti:* OMNES DII GENTIVM DÆMONIA; *aspice nunc in subuersione templi huius, & has Dæmonum thecas, cultorumque eorum frange audaciam, vt te solum cognoscant, & in te glorientur, qui credunt nomini sancto tuo.* Et cum omnes Christiani dixissent, *Amen*, omnia sculptilia illa ad nihilum redacta sunt, & templũ subuersum. Sacerdotes vero circiter mille cum templo subuersi sunt, & alia etiam magna pars paganorum interijt. Ignis quoque vsque hodie in loco illo eructat. Tunc ait Præses: O virtus magica, ô carmen inauditum, sic prævalens, vt etiam terræ sinum aperiat, & tanta bona ab oculis pie fruentium auferat. Iam non miserebor, nec parcam, eos iubebo ferire gladio, de pœna eorum me satiabo.

Templũ corruit sunditus cum simulachris Dæmonum. *Oratio Sancti Iuliani.* *Psal. 95.*

Passio sanctorum Iuliani, & Celsi cum socijs suis.

Cap. CXVIII.

IVssit ergo sanctos in carceris ima recludi, vbi cum nocte *in Dei laudibus essent*, affuit multitudo sanctorum cum Sacerdotibus, qui iam palma martyrij triumphauerant, omnes stolis albis induti, inter quos 20. milites & septem germani veniunt glorificati, & beata Basilissa cum choro virginum, in qua multitudine, sola vox ALLELVIA decantabatur. Tunc sancta Basilissa sanctum Iulianum alloquitur dicens: *Regna cælorum patefacta sunt, venite.* *Sancta Basilissa cũ multis apparet S. Iuliano & cæteris.*

Alia die Martianus cogitans noua, & inaudita tormentorum genera, iussit sanctorum digitos manuum, & pedũ oleo madentibus lignis colligari, & ignem suppo- *Noui cruciatus martyrum.* ni. Sed lignis consumptis carnem eorum immaculatam videns, iussit sancto Iuliano, & puero cutem capitis auferri. Antonio vero, vel Anastasio, qui à mortuis suscitatus fuerat, clamantibus: *Gloria tibi Christe*, iussit oculos vncinis ferreis offodi, Marionillam vero matrem pueri, quam præscierat Dominus pœnas tolerare non posse, cum equuleo iuberet applicari; si quis ex ministris eam attingere volebat, cæcus fiebat. Sanctos quoque suos Dominus ita curauit, & illuminauit, vt omnibus apparerent quasi nihil perpessi fuissent. Tunc exclamauit, & Præses. *Heu heu vincimur*! quid aliud faciam? vnum supereſt. Tunc in amphitheatro tribunal ascendens, iubet eos sibi exhiberi, & omnium ferarum multitudinem dimitti, quæ dimissæ singulæ veniebant, & sanctorum pedes lingebant: quod videns Præses conuocans magistratus ciuitatis iussit omnes custodias perscrutari, & personas morte dignas in amphitheatrum mitti, & sanctos Dei intermixtos cum personis sacrilegis decollari, quod cum factum fuisset, statim terræmotus factus est magnus, vt tertia pars ciuitatis funditus subuerteretur, fulgura, & tonitrua, & grando intollerabilis, maximam partem populi increduli consumpserunt, & omnia loca idolorum corruerunt. Ipse autem Præses semiuiuus euasit, nec multo post vermibus ebulliens, expirauit. Nocte autem venerunt Christiani populi, & Sacerdotes, sed præ multitudine cadauerum, reliquias non cognoscentes, positis genibus, completa oratione, apparuerunt eis in spem virginum, animæ sanctorũ, & vnaquæque super thecam suam corpoream residens, & sic sanctorum reliquiæ collectæ sunt. *Marionilla à panis præseruatur.* *Sancti martyres decollantur.* *Hæc gesta emendatiori stylo & paulo lõgiori extant apud Surium 9. Ianuarij.*

Passi sunt autem 8. Idus Ianuar.

De Iustina virgine qualiter per Cyprianum tentata est à Dæmone.

Cap. CXIX.

EX *gestis eius*. Erat etiam tunc, quædam virgo in Antiochia ciuitate *Iustina* nomine, quam quidã Scholasticus nomine Aglaidas videns frequenter ire ad ecclesiam, in amorem eius venit, multosque ad ecclesiam transmittens eam sibi vxorem petijt. Quę cum omnibus

diceret

Aglaidas S. Iustinam impuro amore prosequitur.

diceret, *Christo cælesti sponso se esse desponsatam*, ille congregata virorum multitudine, volebat eam per vim rapere, sed non potuit. Tunc iratus, abijt ad Cyprianum Magum, & promisit ei duo talenta auri, & argenti, si *Iustinam* virginem per maleficia caperet. Qui per magicas artes vocauit Dæmonem, & ait illi; Amo virginem de Galilæis, potes eam suadere, & adducere mihi? Qui promisit ei dicens: Accipe hoc * medicamentum, & sparge circa domum, & ego superueniens paternum sensum ei injiciam, & statim obaudiet mihi. Cumque Cyprianus ita fecisset, sancta virgo tertia noctis hora surgens ad orationem, sensit impetũ Dæmonis, *signauit se, & domum suam signo crucis, & dæmonem exufflauit.* Qui veniens ad Cyprianum confusus, & cur virginem non adduxisset, requisitus, ait: *Vidi quoddam signum & tabui.*

** Erat vas quoddam pleniũ quod dabatur.*

Sancta virgo acriter tẽtatur, sed signo crucis vincit dæmonem.

Iterum per artem magicam alium Dæmonem fortiorem vocauit, qui ex simili modo fecit, & similiter ei accidit. Tandem vocauit ipsum Diabolum patrem Dæmonum, & ait illi: Quæ est infirmitas vestra? Victa est ab vna virgine, omnis virtus, & gloria tua. Respondit ille: Nunc adducam eam tibi ad desiderium corruptionis, tu tantum paratus sis. Tunc diabolus in specie virginis ad Iustinam intrauit, & sedens super lectum eius dicens: hodie missa sum à *Christo* ad te, viuere tecum in castitate, multum autem te video vexatã abstinentia. Sancta virgo dixit: *Merces autem multa, labor vero modicus.* Dixit ei Diabolus: Deus in Paradiso benedixit Adam, & Euam dicens: *Crescite, & multiplicamini, &c.* Puto ergo quod si in virginitate permanserimus, iudicium incidimus, quia verbum Dei contemnimus. Tunc virgo turbata surrexit, & per spiritum sensit, quis esset qui ei loquebatur, & *signo crucis se signans Diabolum exufflauit, qui sicut cera à facie ignis* liquefactus non comparuit.

Impurus dæmon simulat se faminam.

Nititur eam seducere, sed frustra.

De conuersione Cypriani per Dæmonis verba.

CAP. CXX.

Nota in prisc. Christianis tam frequentem vsum signi sanct. crucis.

DEinde Cypriano confusus apparuit, qui dixit ei: Et tu victus es, vt cæteri subiecti tui? Quomodo victi estis ab vna virgine Christiana? Dic mihi quæ sit virtus victoriæ eius? Qui respondit: Dicere tibi non possum, *vidi quoddam terribile signum, & tabui.* Si autem virtutes *illius signi* vis discere, iura mihi per virtutes meas te nunquam à me discedere. Qui cum iurasset, ait ille: *Vidi signum crucifixi & tabui, & sicut cera à facie ignis fluxi.* Cui dixit Cyprianus: Ergo *crucifixus* maior te est? Qui respondit, etiam maior est omnibus, *quia per ipsum mundo misertus est Deus*, & siue Angeli transgressores, siue homines Dei desertores, adducuntur ab Angelis ante faciem *Christi crucifixi*, ibi accipiunt sententiam ignis extinguibilis in æternum cruciandi. Cyprianus ait; Ego debeo festinare amicus fieri *crucifixi*, ne talem pœnam incurram. Ille respondit: Iurasti mihi per virtutem, quam nemo peierare potest. Cyprianus ait: Contemno te & omnes fumigantes virtutes tuas, Sed & meipsum denego, meque consignans dico, *Gloria tibi Christe, Dæmon recede à me.* Abijt ergo Diabolus confusus. Cyprianus autem vadens ad Anthinum episcopum, cecidit ad pedes eius dicens; *Famule Dei excelsi, signa me & cathechiza me in nomine Christi.* Putans episcopus ne forte Ecclesiam venisset mittere in errorem, respondit, Sufficiant tibi Cypriane hi, qui deforis sunt, nihil potes aduersus Dei ecclesiam, quia *inuicta est virtus Christi.* Sed cum Cyprianus enarrasset, qualiter *virtus crucis Christi* & oratio Iustinæ virginis ab ea Dæmones fugasset, sanctus episcopus benedixit eum, & ait: *Fili festina ire ad Ecclesiam Dei, & incessanter redde orationes Deo*, Cyprianus vadens in domum suam, omnia Idola fregit, & proiecit, & per totam noctem peccata sua luxit: deinde perrexit ad episcopum, qui Cathechisauit & baptizauit eum. Post aliquod tempus factus est Diaconus & gratia data est ei aduersus Dæmones, & sanabat omnes infirmitates, deinde etiam ad presbyteratum promotus est. Tandem beatus Anthinus episcopus exitum suum præcognoscens conuocauit synodum episcoporum, & ordinauit Cyprianum episcopum. Cyprianus autem sanctam Iustinam diaconissam fecit, & Matrem monasterij virginum constituit.

Nota Christiane Lector.

Cyprianus conuertitur intellecta Christi aduersus dæmones potentia.

Anthinus episcopus Antiochenus quem Baronius Nicomediensem vocat in notis ad 26. Septemb.

Magna Cypriani mutatio.

De passione vtriusque scilicet Cypriani, & Iustinæ.

CAP. CXXI.

Cyprianus cum Iustina exhibetur tribunali.

POst hæc Eutholmius comes orientis audiuit, quia Cyprianus episcopus cum Iustina virgine gloriam Deorum destruit, & omnem orientem seducit. Qui iratus iussit eos sub vinculis in Damascum deduci, & cum oblati fuissent ei, interrogauit, *Tu ne es Cyprianus, qui multos errare fecisti per magicas artes crucifixi?* Qui respondit: *Qui Deus est ipse saluauit me occasione virginis sanctæ Iustinæ.* Nam Dæmones ipsa fugauit *per signum crucis* quos ad eam misi. Miserrimus quoque Diabolus coactus ab Angelis, narrauit mihi *sacramentum crucifixi.* Comes autem iussit eum suspensum vngulari, & virginem neruis crudis immanibus cædi, & alapas à spiculatoribus pati. Quæ cum cederetur *gratias agebat*, Cyprianus cum redargueretur, *tacebat.*

Sancti martyres atrociter puniũtur.

Post paucos dies iterum iussit eos adduci & ait: *Vt quid seducimini in magicis hominis Iesu mortui, vt & vos moriamini?* Cyprianus ait: Diligentes dominum mors hæc inducit in vitam æternam, *per multas enim tribulationes oportet nos intrare Regnum Dei.* Tunc iussit comes sartaginem ferream magnam fieri, & in ea picem, & adipem, & cætera mitti, eamque vehementer succendi, & in eam vtrumque mitti. Quibus factus est ignis velut ros, & *laudabant Dominum* de sartagine. Audiens autem Comes & videns, quia non tetigit eos ignis, ait: Vicit virtus maleficiorum Cypriani. Athanasius autem qui fuerat Sacerdos Idolorum postulauit Comitem dicens: Iubeat claritas tua me super sartaginem stare, & in nomine Deorum virtutem eorum vincere. Quo annuente cum venisset prope sartaginem cæpit dicere; Magnus Deus Hercules, & pater Deorum Iupiter, & Asclepius, qui dat sanitatem hominibus. Hæc eo dicente, exiliuit, ignis, & comedit eum vsque quo eius ossa non comparerent. Tunc Comes habuit consilium cum Terentio cognato suo, qui dixit ei: Nihil tibi aduersus hos sanctos commune sit, nihil contradicere veritati: *Inuicta enim est virtus Christi*, audi me, & proijce magnum periculum à te: transmitte eos ad Claudium Cæsarem, referens omnia quæ de istis gesta sunt. Quod & factũ est. Claudius autem misit eos in Nicomediam, iubens eos ibidem decollari. Quod & factum est. Sed & Theoctistus, qui de peregrinatione venit, videns secundum Cyprianum qui decollandus erat; osculatus est eum, & obhoc cum eis consummatus est. Corpora autem eorum iussa proijci canibus, fuerunt ibi per sex dies, nec tetigerunt eos canes: nautæ autem fideles tulerunt ea nocte, & leuantes ea in nauem suam nauigauerunt Romam.

Mittuntur in accensam sartaginem.

Nota amentiam impij hominis.

Virtus Christi quanta.

De quam misero statu conuersus sit Cyprianus.

CAP. CXXII.

Extant hæc acta apud Surium. Ex Metaphr. ãpliori stylo: errant tamẽ in hoc (vt ait Baronius) quod Cyprianum passum dicũt temporibus Claudij Im. nam in eius actis testatũ habetur ipsũ initiatum sacro baptismate atque ordine diaconatus ab Anthino episcopo Nicomedia, quẽ constat temporibus Diocletiani Imp. illi ecclesiæ præfuisse, vt testatur Euseb. l. 8. c. 6.

HIc est Cyprianus in quo Dei misericordia sic elucet, vt quod cum spurcissimus, & nefandissimus esset peccator, qualis nullus vnquam fuisse legitur; sic tandem conuersus est, vt etiam pro Christo martyrium sustineret. Nam cum, septem esset annorum, à parentibus Diabolo consecratus, à carnibus, & vino & coitu non diu abstinuit, & sic motis omnibus Diabolo seruiens, & in libris magicis imagines cum officijs 365. Dæmonum pictas habens, Mulieres pregnantes diuisit, matronas in iumenta conuertens, longe à ciuitatibus suis ire fecit, multos pueros virgines & matronas, & peregrinos Dæmonibus immolauit;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Latro cum Latronibus theſauros Dæmonum rapiebat & in omni cæno luxuriæ ſe volutans, *omnes Chriſtianos* conuitijs, detractionibus, & diuerſis iniurijs infeſtabat. Denique cum omnia mala faceret, vt Diabolo placeret, & ipſos quoque Dæmones impietatibus ſuperaret, precibus & promiſſis *Iuſtinam virginem* per dies 70. tentauit, ſed cum Dæmones nihil proficerent, *Spiritus fornicationis* in formam virginis ſe mutauit, & vt famam Iuſtinæ polluereț, & Cyprianum deludens ſuam potentiam iactaret; ſic ergo Diabolus ad Cyprianum veniens, cum vellet eum oſculari, & Cyprianus putans eum eſſe Iuſtinam diceret. Bene veniſti Iuſtina, omnium fæminarum decora, non ferens Dæmon etiam nomen eius, ſicut fumus euanuit. Vnde & Cyprianus amplius anxiatus, diu ad oſtium virginis vigilauit, quandoque in fœminam, quandoque in auem ſe mutans, cum veniſſet ad oſtium neque fœmina, neque auis apparuit, ſed Cyprianus. Aglaidas quoque mutatus in paſſerem, cum volaſſet ad feneſtram, mox vt eum virgo vidit, non paſſer, ſed Aglaidas tremens ſtetit, anguſtiatus nimis, quia nec fugere poterat, nec ſalire, ſed miſerta eius Iuſtina ne caderet, & creparet, eum per ſcalam deponi fecit, & vt à tanta inſania ceſſaret, ne quaſi maleficus iuxta leges periret, admonuit. Extunc magis Cyprianus *Dæmonum vanitatem & Chriſti virtutem comperit*, & ad Chriſtum perfectiſſimè ſe conuertit.

Errant etiã qui hũc Cyprianum cũ illo epiſcopo Carthaginẽſi confundunt, qui tamen quam plurimis differentijs diſtingũtur ab inuicem.

Paſſio ſanctæ Eulaliæ virginis.

Cap. CXXIII.

EX *geſtis eius*. Ea quoque tempeſtate paſſa eſt apud Emeritam ciuitatem Hiſpaniæ virgo Eulalia, ſub Daciano Preſide, Hęc nobilis & locuples genere, cum eſſet duodecim annorum ſpernens ludos & oblectamenta ſæculi, mota perſecutione voluit ſponte Præſidem redarguere, ſed parentes eius abſconderunt eam domi, quam habebant in rure procul ab vrbe. At illa nocte fores aperiens, clanculo exijt; ac per inuia ſentibus ac vepribus plena, carpere iter cæpit, Angelico choro comitata, ſicque pro vepribus & ſpinis per quas cucurrerat, pedes lacerata, ad vrbem peruenit, maneque tribunal adijt, & in medio vociferari cæpit: *Quis furor eſt, raſilibus ſcopulis corda ſternere, & Deum patrem omnium negare? Iſis, Apollo, Venus nihil eſt. Maximianus & ipſe nihil, Dominus opum & cliens lapidum pectora cur generoſa quatit? Dux bonus arbiter egregius, qui ſanguine paſcitur innocuo.* Talibus prætor in furias excitatus, iuſſit lictorem eam præcipitem rapere, ac ſupplicijs obruere, quam tamen ad Deorum cultum reuocare cupiens, aiebat: Reſpice torua Puella quanta gaudia amittas, quæ tibi fecit genialis honor, quæ morieris in flore tenero, proxima dotibus & thalamo. Ad hoc illa nihil reſpondens: ſed infremens, & in oculos tyranni ſputa iaciens, ſimulachra diſſipauit, impoſitamque molam thuribus pede ſubegit. Nec mora carnifices pectus virgineum dilacerant, vngula latus vtrumque pulſant, & vſque ad oſſa ſecant. Tunc exclamauit Eulalia: *Scriberis ecce mihi Domine, quam iuuat hos apices legere quam tua Chriſte trophæa vocant.* Tunc appoſitæ ſunt ad eius latera lampades ardentes. Cumque illa ſine fletu & gemitu læta caneret, & intrepida: lampadibus in latera ſtomachumque ſæuiebant ac crinis odorus de vertice eius fluxerat humeris volitatis, qui pudibunda virginis celabat, ipſoque tegmine verticis oppoſito flamma crepans in faciem virginis volabat, & per comas vegetata caput occupans etiam apicem ſuperabat. Virgo autem citum cupiens obitum ore rogum ebibit, tunc emicans columba niue candidior, ex ore eius viſa eſt exire & cælum petere. Sic abeunte anima rogus emoritur, & pax artubus exanimis datur. Videns autem & ipſe Lictor columbam palam ex ore virginis in cælum meare, ſtupefactus profilijt, & ſua geſta pauidus fugit.

Ætas qua paſſa eſt S. Eulalia.

Parentes eã ſitientem martyrium abſcondunt; illa vero fugit, & ad martyrium properat.

Fidenter ſe offert crudeli tyranno, eũque reprehendit.

Dire vngulis laceratur.

Hauſto igne expirat animam in columba ſpecie ex eius ore euolantẽ.

Author. Huius virginis feſtum in martyrologio videtur eſſe bis annotatum, ſcilicet *pridie Idus Februarij, & 4. Idus Decembris*, niſi forte duæ fuerint eiuſdem nominis in eadem prouincia paſſæ, & in eadem perſecutione.

Acta S. Eulaliæ deſcripſit Prudentius carmine, & extant apud Surĩ.

Paſſio ſanctorum Vincentij, & Valerij.

Cap. CXXIV.

EX *geſtis eorum*. Paſſus eſt etiam eo tempore ſub Daciano, & in Hiſpania beatus Vincentius 11. Kal. Februarij, qui genere nobiliſſimus à pueritia literis traditus, gemina ſcientia efficaciſſime claruit ſub beato Valerio Cæſarauguſtæ ciuitatis Antitiſte, à quo etiam ſanctitate inſignis Diaconij arcem ſuſcepit. Et quoniam ipſe epiſcopus impeditioris linguæ erat, tradito ei doctrinæ miniſterio, ipſe orationi contemplationique diuinæ ſedulus inſiſtebat.

Cum igitur Dacianus Præſes apud Cæſarauguſtam epiſcopos & cæteros ſacri ordinis rapi præciperet, protinus Valerius & Vincentius Archidiaconus in confeſſione deitatis alacriter incurrerunt, quos Dacianus primo Valentiam ſub carceralem cuſtodiam, & famis miſeriam, catenarumque ſtridorem protrahi iuſſit, vt eos itineris vexatione frangeret, quos pœna ſuperare non poſſet. Cumque eos manibus & ceruicibus immenſa ferri pondera ſuſtinentes, & per omnes artus mortis ſupplicia patientes, defeciſſe iam crederet, timens ne ſæuitiæ ſuæ damna pateretur, iuſſit eos produci è carcere, volens eos ante tormenta vitam finire: quibus proponebat, quod nec mortuis parceret, ſi Deorum ſuorum culturam non ſuſciperent. Cumque reticeret epiſcopus, erat enim miræ ſimplicitatis, & innocentiæ, eruditus quidem ſcientia, ſed impeditus lingua. Ait Vincentius: Si iubes pater, reſponſis Iudicem aggrediar. Et ille: Dudum inquit fili chariſſime diuini verbi curam tibi commiſeram, ſed & nunc pro fide qua ſtamus reſponſa committo. Tunc Vincentius, cuius mens tota iam erat coronæ conſcia, conuerſus ad Dacianum, ait: Apud Chriſtianorum prudentiam nefarium eſſe cognoſce, *deitatis cultum abnegando blaſphemare*, & ne te longius pertraham, *profitemur nos Chriſtianæ religionis eſſe cultores, & vnius ac veri Dei famulos, ac teſtes, in cuius nomine minas & ſupplicia tua non metuimus, ſed potius mortem pro veritate libentiſſime amplectimur.* Nam *venenatiſſimus ſerpens, inſatiabilis homicida, qui primos homines morti ſubdidit; Idola pro Deo ſola inſtituit, dolens illuc obediendo hominem redire, vnde ipſe ſuperbiendo cucurrit.* Iamque præ ira pœnè extra ſe poſitus, Dacianus ait, amouete hinc epiſcopum, iuſtum eſt enim ſubire exilium, qui imperiale contempſit edictum.

Iudex Dacianus atrociſſimus.

Mittitur Vincentius cum Valerio Valentiam.

Inſania Iudicis.

Inſignis conſtantia Vincentij.

De conſtanti agone beati Vincentij in equuleo.

Cap. CXXV.

TVnc autem inquit. Rebellem, qui in contumeliam venit publicam, ad equuleum applicate, membris diſtendite, & toto corpore diſſipate. Inter hæc ait ad eum: O Vincenti quid dicis, vel vbi iam corpus tuum miſerabile conſpiciſ? at ille Dei præſentia roboratus alacri vultu reſpondit: *Hoc eſt quod ſemper optaui, & votis omnibus exquiſiui, nolo gloria meam minuas, tu ſolus votis meis concordas, nemo mihi amicitior fuit. Ecce iam in ſublime agor, & principes tuos ſæculo altior deſpicio: Inſurge ergo & totis viribus imbachare. Videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor, quam poſſis ipſe qui torques.*

Daciani furor in Vincentium.

Irridet tyrannum.

Clamare cæpit Dacianus, & inter tortores & carnifices virgis, & fuſtibus amplius deſæuire, ſtridore dentium frendere, & dũ martyrẽ Dei lacerat, ſe potius lacerare. Tandem fatigata lictorum manus ceſſit; & dum per

Iudex cadit carnifices.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Inſania iudicem exagitat.

ſancti latera penderet, vita defecit. Exanguis Dacianus pectore trementi, toruis, & minacibus oculis clamare cæpit: Quid agitis? homicidas pertinaciter obſiſtentes ſæpe viciſtis, & parricidarum ac magorum alta ſilentia rupiſtis; ſed pauliſper dexteram continete, vires ſumite, & improbum hoſtem innouatus miles ad pœnam durius coerceat, acrior vngula rimetur, intima coſtarum, & dolor interiora penetrans gemitum faciat reddere non contemptum. Tunc ſubridens Vincentius ait:

Sanctus martyr verberat lingua ſua tyrannum.

Quia vera ſunt quæ confiteor, torque diutius confitentem. Nam quos Deos confiteri iubes Idola ſunt lignea & lapidea, tu mortuorum Pontifex fias, ego vni Deo viuo ſacrificio, qui eſt benedictus in ſæcula.

At Præſes nimia feruens inſania, & tota facie humanitatis euerſa, ſolam in corpus, martyris aciem luminum venenumque fundebat, oculorum profluentem à toto corpore ſanguinem cernens, viſceribus patefactis & iuncturis è compagibus ſeparatis, ait autem:

Iudex martyri blanditur.

Miſerere tui Vincenti, ne perdas nunc florem primum vernantis ætatis, ſed vel ſero, quæ ſuperſunt tormenta, lucreris, at ille reſpondit: O viroſa diaboli lingua, quid in me non facias, qui Deum tentas? Hoc magis eſt fors midini, quod ſingis te velle miſereri, nihil ergo minuas de ſupplicijs, vt in omnibus te victum eſſe fatearis, quo enim te putas grauius iraſci, mihi melius incipis miſereri.

De craticula eiuſdem.

Cap. CXXXVI.

Eximia martyris fortitudo.

HInc igitur aſſumptus ex equuleo Vincentius ad patibulum ignis raptus, moras carnificum arguendo ad pœnam alacriter properabat. Iam enim truculentus miniſter iuſſerat lectum cum ferratis coſtis proferri, & addita ſubter carbonum congerie exurendum Dei martyrem applicari. Intrepidus ergo Dei Athleta, candentis ferri machinam vltro conſcendit,

Horrendi cruciatus.

torquetur, flagellatur, exuritur, & diſtenſis membris ad pœnam creſcit; pectori quoque & membris depreſſa laminarum aſperitas inſeritur, & inter ferri candentis acies decurrente liquore, flamma ſtridens à ruina reſpergitur ſalis ignibus crepitantis minutæ per membra deſiliunt, & iam non ad artus tantum, ſed ad ipſa viſcerum abdita ſuppliciorum tela iaciuntur. Manet Dei ſeruus immotus & erectis in cælum luminibus *Dominum precabatur.* Tunc ait Dacianus: Vincimus, ſpiritus ſaltem, qui coerceri non poteſt, puniatur: quærite ergo locum tenebroſum, & vrgente tectura oppreſſum, ibi fragmenta teſtarum exaſperata congerite, vt quicquid iacentis corporis fractura male inſcia tetigerit, illimatis infigat aculeis, & ipſa conuerſio laterum innouetur ad pœnam, vt ſcilicet quo commutatis artubus membra quærunt euadere ſuper offendant, diuaricatis inſuper ac diſtenſis cruribus, ligno pedes eius conſtringite, &

Includitur in carcerem obſcuriſſimum.

clauſum in tenebris relinquite, nullus ibi relinquatur, ne vel alicuius conſortio ſermonis animetur. Implent ſine mora miniſtri iuſſionem.

De illuminatione carceris, & de felici eius tranſitu.

Cap. CXXVII.

Viſitatur ab Angelis.

SEd cum cuſtodes dormire cæpiſſent, carceris illius nox æternam accepit lucem, flagrant cerei radiantes vltra ſolis fulgorem, laxatique ligni robur diſſilijt, & teſtarum aſperitas ſit florum redolentium mollicies & iucunditas, quibus Athleta Dei refectus, *hymnum Deo dicens exultabat Angelorum caterua vallatus, quorum fouebatur obſequio, & mulcebatur alloquio. Ipſe* inquiunt, *ô Vincenti, coronam tibi præparatam ſeruat in cælis, qui te victorem eſſe fecit in pœnis. Eſto igitur iam ſecurus de præmio; quia mox depoſito carnis onere, noſtro addendus eris collegio.*

Militet ad Chriſtianã fidem conuertuntur.

Dantur hinc laudes Deo, & reſonante organo vocis angelicæ, modulata ſuauitas procul diffunditur. Turbati ſubito cuſtodes & vehementer ſtupentes, de miraculo certius explorare contendunt, clauſas fores adeunt, & introſpicientes per rimas antrum prius tenebroſum, immenſa luce ſplendere cernunt; teſtarum aculeos florere, & martyrem ſolutis nexibus deambulantem pſallere, moxque diuino terrore ac reſpectu compuncti, relicto errore, Chriſtianæ religioni ſe dedere.

Venerat & multitudo fidelium, prius mœſta de illius ſupplicijs, ſed iam de conceſſa cælitus gloria alacris. Quibus ait Vincentius: *Nolite timere, ſed prope irrumpite, ac ſolatia angelica ſecuris oculis haurite, vbi reliqueratis tenebras, lucem gaudete, renuncietur Daciano qua perfruar luce, commentetur, ſi valet aliquid ad gloriam meam addere: nam hoc ſolum timeo vt ne videatur velle ignoſcere.* Ad hanc renunciationem exanguis, & trepidus Dacianus ait: Quid amplius faciemus? victi ſumus. Referatur, inquit, ad lectulum, ſtramentiſque mollioribus foueatur. Nolo enim glorioſiorem facere, ſi inter tormenta defecerit, indulta puſillum requies, attrita membra refoueat, & obducto in cicatricem hiatu vulnerum, exquiſitis ac nouis ſupplicijs innouatis ſubdatur. Verum Daciano inaniter cogitante de ſupplicio; Chriſtus clementer diſpoſuit de præmio. Egregius enim Dei martyr ad lectulum delatus, ac pijs ſanctorum manibus in ſtrati mollitie repoſitus, mox in mortem pretioſam reſolutus cælo ſpiritum reddidit.

O ſathanæ verſutiam!

De victoria etiam eiuſdem defuncti, & de ſepultura eius.

Cap. CXXVIII.

Coruus tuetur corpus exanime.

VIdens circunſtantium frequentiam ſancti veſtigia deoſculari, & vulnera totius lacerati corporis palpare, ſanguinem lintheis excipere, & cognito eius abſceſſu, confuſus Dacianus ait: *Si non potui ſuperare viuum puniam vel defunctum.* Proijcite illum in apertum campum, vt cadauer honore ſepulturæ careat, & à feris auibuſq; conſumptum non compareat, ne forte Chriſtiani tollentes eius reliquias, martyris ſibi vendicent dignitatem. Sic igitur expoſitum ſine tegmine corpus ſanctum, Angelicis rurſum excubijs, & obſequijs honoratur. Coruus autem auis nigerrima haud procul reſidens quaſi tetra ſui ſpecie, habitum lugentis demonſtrans, aduentantes aues reliquas, ac pernicibus alis metuendas, impetu quodam eminus fugabat: aduenientem quoque ſubito immanem lupum in curſu etiam non ſegni abegit à corpore. At ille reflexam ceruicem, in aſpectu ſacri corporis habebat ſtupefactus, & vt creditur cuſtodiam mirabatur angelicam. Territus ad hæc Dacianus nuncio dixit: Puto quia iam nec mortuum vincam: Cum enim in eum actius ſæuio, glorioſiorem mea ſæuitia facio: ſi conſumi in terra non poteſt, dimergatur in pelagus, ne quotidie ſub oculis omnium erubeſcamus: victoriam eius vel maria celabunt, inſuatur vt ſolent parricidæ, in vtre ex bouis pelle confecto, & vbi nautæ ſpacia longiora proceſſerint, altioris ſali fluctibus imprimatur, vt ſi quid lacero cadaueri ſupereſt, impaſti piſces lambendo conſumant. Cui etiam mola non parui ponderis annectatur, ne forte vnda mobili, ad peregrina littora deuectum, negatam ſepulturam aliquatenus aſſequatur, quin potius reciprocatum fluctibus, & ad ſcopulos frequenter illiſum diſpereat, vt nec mortuus inter ſaxa quieſcat.

Moritur fortiſſimus Chriſti miles.

Iactatur corpus in mare, ſed tamen conſtat.

Cumque iuſſa impleſſent, & quaſi Præſidi ſuo prima gaudia reportantes ſubtractum ſanctum Vincentium ab oculis omnium celeres, & alacres redirent, illos for-

tissimos remiges, beati martyris corpus præuenerat, & quod altioris sali profundo teneri credebatur, prius venit ad portum, quam nunciari posset expositum. Denique commonita in somnis quædam Vidua sancta, vera signa quiescentis corporis accepit, vbi scilicet illud reciprocatum fluctibus mollis arena tumulauerat, & elementi ipsius congerie ad honorem sepulturæ ei seruierat. Visionem pluribus Christianis clam innotescens, venit cum illis ad locum. Itaque certis signis directi inter sali aquarumque commersum corpus arenis reperierunt, & tandem cessante persecutione, ad quandam paruam basilicam sepeliendum deferunt, & inde leuatum honorifice sub sacro altari extra muros eiusdem ciuitatis Valentiæ ad quietē reponitur, vbi meritis eius diuina multipliciter beneficia præstantur.

Conditur sacrum corpus.

De quibusdam alijs sub Daciano passis.

Cap. CXXIX.

Ex martyrologio. Præterea in Hispanijs ciuitate Abula agitur, 6. Kalend. Nouembris, passio sanctorum Vincentij, Sabinæ, & Christetæ, qui primo in equuleo adeo sunt extenti, vt omnes compages eorum membrorum laxarentur, deinde capita eorum lapidibus superposita vsque ad excussionem cerebri, validis etiam vectibus sunt concussa, atque ita martyrium compleuerunt, agente Præside Daciano.

Errore laburtur, qui putant hunc illum esse Vincentium Cæsaraugustanum diaconum.

In Hispanijs quoque ciuitate Compluto, sanctorum Iusti, & Pastoris fratrum 8. Idus Augusti qui cum adhuc pueri literis imbuerentur, proiectis in scholis tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt: moxque à Daciano teneri aussi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra ciuitatem ducti, & à carnificibus iugulati sunt.

Lege Surium tom. 7. & Petrum in catal lib. 7. cap. 32.

Sed & 5. Idus Decembris, sanctæ Leucadiæ Virginis, quæ à Præfecto Hispaniarum Daciano apud Toletum dira carceris custodia macerata cum grauissimos beatæ Eulaliæ, & reliquorum martyrum audisset cruciatus, genibus in orationibus positis, impollutum Christo spiritum reddidit.

Lege Prudentium Peristeph. hym. 4.

Iterum Cæsaraugustæ 3. Nonas Nouembris, innumerabilium martyrum, qui itidem sub Daciano Hispaniæ Præside mirabiliter occubuerunt pro Christo.

Passio xviij. Martyrum, qui dicuntur Massa candida.

Cap. CXXX.

Ex gestis eorum. Sub eodem Præside, & in eadem vrbe passi sunt 18. Martyres scilicet, Quintilianus, & Cassianus, & cæteri, quorum natale celebratur 16. Calend. Maij, cui etiam copioso martyrio Tyrannus impijssimus addidit sacram Dei Virginem * Eucratidem purpureo sanguinis sui cruore respersam. Videns denique Christianorum deuotionem se superare non posse tormentis, vocatis satellitum turbis, ait: Nihil in hoc certamine laborando, proficimus, qui dum Christianos atrocius sæuiendo vincere cupimus, eorum victorijs affatim deseruimus. Sit itaque consilium nostrum eis occultum, & totam vrbem percurrant officia pręconum, vt eorum multitudo, quæ domibus occultatur quasi concessa sibi licentia legibus suis vti, quam totius ab hac vrbe propellatur, vos autem nostri commilitones, cum armis abdita locorum occupate, & inde contra inermes hostes subito prosilientes eos certatim obruite. Quid plura? data voce præconum, exeunt cateruatim agmina Christianorum sponte relinquentes aperta suarum claustra domorum consona voce lætantes atque psallentes: *Gloria in excelsis Deo, &c.* obseruantur post hæc omnes portæ ciuitatis, vt nullus eorum regrediendi aditum inueniret; ex occultis illico prosilientes armati cum ensibus irruerunt, & velut agnos sibi non resistentes prostemunt. Nec sic quoque defunctorum innocentium nece satiantur, sed iussu Daciani coram omnibus, occisorum corpora in vnum congesta comburuntur. Et ne Christianorum quis latens cineres martyrum sibi raperet, iussit è carceribus diuersorum criminum reos produci, & eorum capitibus amputatis cadauera, sanctorum corporibus sociaris simulque comburi, sicque *secuti sunt caput suum Iesum Christum, qui Crucifixus est in medio latronum.* Hi præ innumera multitudine, Massa sancta, vel candida, *appellantur: eorumque passio 9. Kalendas Septembris annotatur.*

Aliàs Eugratiam. Agens de ciuitate Cæsaraugustana Isidorus lib. 15. Orig. dum eam dicit esse præstantiorem cunctis Hispaniæ ciuitatibus; illustrior est, inquit florens Sanctorum sepulturis.

Passio sancti Georgij Militis.

Cap. CXXXI.

Sub persecutione Daciani venit de Capadocia miles Georgius; qui videns Christianorum angustias, erogatis omnibus quæ habebat, vestem militarem exuit & indutus veste Christianorum, in medio sacrificantium se obiecit, atque in conspectu omnium exclamauit, dicens: *Omnes Dij gentium Dęmonia, Dominus autem cælos fecit*: cui statim Præses Dacianus ira repletus, ait; Qua præsumptione, vel dignitate hoc audes, vt Deos nostros Dæmones esse dicas? dic tamen vnde es, & quomodo vocaris? Qui respondit, Christianus sum Georgius vocor genere, & militia Cappadocus, sed cuncta deserui, vt liberius *Deo cæli* seruirem. Præses ergo cum eum ad se inclinare non posset, iussit eum in equuleum leuari, corpusque illius membratim dissipari; deinde appositis ad latera facibus patentibus viscerum rimis, sale iussit plagas eius fricari. At ille sic manebat immotus, ac si nihil mali pateretur. Tunc videns Dacianus, quod pœnis eum superare non posset, diu quæsito, & tandem inuento, cuidam Mago dixit, Christiani magicis artibus suis tormenta ludificant, & sacrificia Deorum contemnunt. Respondit Athanasius magus: Si artes eius superare nequiuero reus ero. Educto ergo de carcere, dedit ei calicem plenum veneno, quod Georgius *Cruce* signauit, & nihil patiens totum bibit; alium quoque calicem fortiori veneno repletum *Cruce* signans totum similiter bibit. Quo viso, statim Magus ante eum veniam petens procidit, & iudex eum protinus decollari præcipiens Georgium carceri mancipauit. Et sequenti die iussit eum poni in rota ęnea, gladijs bis acutis vndique circumsepta, & ex alto dimitti. Qua visa sanctus ait: *Deus in adiutorium meum intende, & cætera.* Illoque super eam posito statim fracta est, & sanctus Georgius illæsus remansit. Cumque Præsidem ad augenda supplicia prouocaret; iratus, iussit eum proijci in sartaginē plumbo feruente plenam. Qui statim facta oratione, se signans sartaginem insilijt, & virtute Dei cæpit in ea quasi in balneo refoueri.

Hispania sed pluribus auctor in flore Sanc. Hispā. omnes tradunt horum omnium martyrum multitudinē appellatam esse Massam candidam, eo quod cineres corporū combustorū remanserint niue candidiores.

Præclare S. Georgius respondet.

De consummatione agonis eiusdem sancti Georgij.

Cap. CXXXII.

Quod cum Dacianus vidisset, cogitauit eum blanditijs emollire, & ait: Georgi nonne vides, quantæ patientiæ, & mansuetudinis sunt Dij nostri, qui salutem tuam tamdiu sustinent, quod licet à te tam multipliciter prouocati, tamen parati sunt, vt tibi, si resipueris, indulgeant? Age ergo dulcissime fili, quod hortor, & moneo, vt relicta pristina vanitate Deos nostros adores, vt magnos ab ipsis, & à nobis consequaris honores. Cui Georgius subridens ait, licet graue sit dimittere, quod diu fixum stetit in mente; tamen faciam quod hortaris. Dacianus hac promissione delusus, iussit sub voce præconis, vt omnes de tota ciuitate venirent, & Georgium, qui tamdiu reluctatus est, tandem sacrificare viderent. Ornata igitur

Hæc de Athanasio Mago non probat Baronius in notis ad Martyrolog. 23. Aprilis, sicut nec multa alia quæ in eius vita describuntur. Imo de alijs S. Georgij est censura Gelasij in decreto de libris apochryphis apud Gratianum. distinctione 15. c. Sancta Romana: ut ibidem testatur Baronius.

De hic agit Petrus in catalog l. 10. c. 17. Vasæus in chronicis

tota ciuitate præ gaudio; hora ſacrificij, cunctis aſtantibus Georgius vocatus, aduenit, templumque eorum intrans *Deum flexis genibus orauit*, vt templum cum Idolis ita omnipotentiæ ſuæ virtute deleret, quod ad laudem ſuam,& populi confuſionem, nihil omnino de eis remaneret. Et ecce ſubito ignis de cœlo deſcendebat, totumque templum cum Dijs & Sacerdotibus,& multis gentibus concremauit, terra vero dehiſcens omnes eorum reliquias deglutiuit. Hæc audiens Dacianus,iuſſit feſtinanter Georgium adduci, & ait illi: Quæ ſunt maleficia iſta ô peſſime hominum, per quæ tantum facinus commiſiſti? Ille reſpondit: Non credas Præſes, quod ita ſit,ſed tu magis illuc mecum veni, & vide me iterum immolare. Cui Præſes: Intelligo fraudem tuam qua ad hoc niteris,vt ſicut Dij noſtri confracti ſunt, & Sacerdotes cum cultoribus abſorpti,ita meipſum facias abſorberi. Georgius reſpondit: Dic mihi miſer, & ſtultiſſime omnium, Dij tui qui ſe iuuare non potuerunt, quomodo alios iuuare poterunt? Recluſus ergo Georgius in carcere,ſequenti die tali ſententia condemnatur, vt per totam ciuitatem detractus, deinde capite puniretur. Quo facto, cum Dacianus de loco vbi decollatus erat, ad palatium properans, rediret cum miniſtris ſuis, igne cœleſti conſumptus eſt.

Martyrizatus eſt autem beatus Georgius,in Perſide ciuitate Dioſpoli 9. Kal. Maij.Ad eius prædicationem credidit ſanctus Vincentius, de quo dicetur inferius.

ANNOTATIO.

Geſta hæc habentur ad verbum ex legenda Sanctorum Iacobi de Voragine;omiſſis illis quæ in principio ponuntur de dracone interfecto,quæ non mediocri caſtigatione indigent, vt teſtatur Baronius cum dicit: Pictura illa S.Georgij qua effingitur equus armatus,qui haſta cuſpide draconem interficit, ſymboli potius,quam hiſtoria alicuius,opinor eſſe expreſſam imaginem, vnde à Iacobo de Voragine abſque maiorũ authoritate ad hiſtoriam referuntur,hæc Baronius,cenſeo tamen reliqua omnia quæ adfert Iacobus de Voragine & hic ſubijciuntur,multo cæteris eius actis ab alijs authoribus recenſitis,probabiliora.

Paſsio Sanctæ Fidei Virginis,& Capraſij Martyrũ.

CAP. CXXXIII.

Senilis maturitas in virgine.

EX geſtis eorum. Paſſa eſt etiam ſub Daciano ſancta Fides virgo, genere moribuſque nobilis in vrbe Agenno, ætate adhuc tenera paſſionis tempore, ſenex tamen ſenſu,& opere:nam ab ipſis cunabulis *Dominum Ieſum dilexit*, & à Daciano requiſita, *ſe eſſe Chriſtianam conſtanter oſtendit*, Cumque *Deos gentium Dæmonia eſſe aſſerens*, nec blandimentis nec minis induci poſſet, vt eis immolaret,iuſſu Præſidis ſuper cratem æneam diuaricatis membris extenſa,& ſubſtratis carbonibus adipeque flammis iniecto,dum ſic coqueretur, multos ad Chriſtum exemplo ſuo conuertit. Tunc quoque ſanctus Capraſius,qui præ timore Præſidis iuxta vrbem ſub rupis cuiuſdam foramine iacebat, & cuncta quæ intra murorũ ambitus gerebantur aperte videbat. Dum virginem ſic torqueri cerneret *orauit Deum*, vt eam victricem in certamine faceret. Et rurſus proſtratus à Domino petijt, vt ei præmium martyrij illius demonſtraret. Et vidit protinus,quod columba niuea de cælo deſcendit,quæ coronam auro gemmiſque lucentem ſuper caput virginis ornatæ ſplendidis veſtibus collocauit, & vt circa virginẽ Dei virtus clarior appareret, ipſa columba volitatu alarum & rore cœleſti ſic ignem extinxit, vt nihil de incendio remaneret. Hoc ergo ſpiritualibus oculis cernens Capraſius iam de victoria præſumens,rupem ſub qua manſerat dextera percuſſit, & fons protinus erumpens meritis ſancti Capraſij omnibus infirmis vſque nunc remedium ſalutis impendit. Exiliens igitur Capraſius,ad locum certaminis properauit, & Daciano Chriſtianum ſe offerens,dum nec blandicijs, nec minis flecteretur tanta iubentis crudelitate laniatus eſt, vt inter alios circumflentes, Primus, & Felicianus, fratres, propter eius patientiam, *ad Chriſtum conuerſi*, cum ipſo Capraſio & Fide virgine plecterentur.

Pſal. 114. Conſtans eius reſponſum.

Aſſatur in craticula & grauiter torquetur.

Sanctus Capraſius ex latebra videt virginem in craticula torreri. • Viſio Capraſij.

Ignis per columbam diuinitus extinguitur. Fons miraculoſe exoritur ad tactum dextræ viri Dei.

S. Capraſius exemplo S. Fidei animatus.

Horum paſſio celebratur pridie nonas Octobris.

Paſsio Sancti Felicis martyris Gerundenſis

CAP. CXXXIV.

PAſſus eſt etiam in Hiſpania ciuitate Gerunda ſanctus Felix ſub Daciano Præſide, hic apud Cæſaream liberalibus ſtudijs vacans, & cunctis perfectior apparere ſtudens, cum audiſſet, quod per omne littus Hiſpaniæ perſecutio grauis, Chriſtianis exorta eſſet: omnia volumina legum quę manibus ſuis geſtabat proiecit à ſe dicens: Quid mihi eſt philoſophia huius mundi? ad illam nunc properabo, *quæ initium non habet & finem neſcit*, tranſienſque ad Impuritanam ciuitatem, in diuinis voluminibus exercebat ſe, eleemoſynas larga manu pauperibus erogabat, hoſpitalis ſupra modum, verbum Dei etiam prædicabat. Poſt hæc in ciuitatem Gerundenſem ſe contulit, ibi quoque ſimilia geſſit,ita vt eum Apoſtolum, vel Prophetam appellarent. Aderat autem Rufinus,qui hoc Daciano nunciauit: cui Dacianus auctoritatem dedit,vt eum ferro vinctum incarceraret;& ſuaſionibus ei factis, vel ſacrificantem honoraret, vel nolentem cruciaret. Qui veniens, iuſſit eum apprehendi,& volens auarus prædo pecuniam eius auferre,neſciens omnia iam pauperibus erogata fuiſſe,cœpit ei blandis verbis ſuadere, vt ſacrificaret. Sed cum ille nullatenus acquieſceret,quin potius eum acriter & conſtanter increparet,iuſſit eum fuſtibus cædi,& in carceris ima retrudi. Cumque ille gratias ageret ei, & pſalleret dicens,*Probaſti Domine cor meum & viſitaſti noctem &c.* hanc vocem Rufinus audiens, iuſſit aſtantibus vinculatum manibus,ac pedibus, collum ferro magni ponderis aggrauare,ſicque eum facere, in loco ſqualido fame & ſiti tabeſcere. Et cum iam eum crederet defeciſſe, cognouit adhuc eum ſuperſtitiem eſſe; ſuoque conſpectui præcepit aſſiſtere, & cœpit ei iterum ſuadere: illoque in fide & propoſito perſiſtente, iuſſit iterum catenis copioſis totum corpus eius aggrauari, & ab indomitis mulis per totam ciuitatem trahi, donec totum corpus eius laceraretur, & ſic in carcerem retrudi. Qui dum humi proſtratus oraret,iuuenis ſplendidus ei apparuit,eumque confortauit tetigitque membra eius vniuerſa,& illico ſanata ſunt omnia corporis eius vulnera.

Huius meminit Prudentius in Periſteph. hymno 4. cũ ait: Parua Felicis decus exhibebit artubus ſacris locuples Gerunda.

Sactus Eulogius in memor. Sanct. inter alios martyres qui ſe martyrio ſponte obtulerunt,recenſet Fe icem hunc, quem ait Cæſaria Mauritaniæ Cerundini vſque martyrij cupidũ perrexiſſe. Agit de eo Greg. Tur. lib. de gloria martyrum cap. 92.

Altera die ſedens Rufinus iuſſit eum adduci, & aras diligenter ornari,& holocauſta funeſta præparari:cæpitque Deos ſuos cum cæteris ſacrificans, inuocare, & ad hoc idem ſanctum Felicem ſuadere. At ille: *Diſcedite*,inquit,*infælices à manufactis veſtris, & cognoſcite Deum ſummum qui nos de limo terræ formauit.* Statim ad hanc vocem ſtimulata omnis illa turba paganorum, impetum fecerunt in eum,vt illum diſcerperent. Tunc apprehendens illum Rufinus tradidit carnificibus, vt exungularent carnes eius à ſcapulis vſque ad cingulum,iuſſitque eum deſuper tectis cameratis, capite deorſum ſuſpendi,quouſque cartilagines eius præfocatæ ſanguinem exhalarent. At ille pſallebat, & ſuſpenſus ab hora tertia vſque ad veſperum à Deo confortatus,nihil doloris ſentiebat.

Conſtans Felicis reſponſio.

Grauiſsupplicio afficitur.

De conſummatione agonis eiuſdem.

CAP. CXXXV.

POſt hæc Rufinus eum deponi, & in carcere arctius cuſtodiri iuſſit,vbi cũ introduceretur, ſplendor mirus, & odor balſaminus apparuit, quem etiam cuſtodes ſentientes, exterriti ſunt, & voces multorum cum eo pſallentium audierunt. Ac mane facto, omnia Rufino nunciauerunt dicentes, *illum verum Dei ſeruum eſſe*, ſeque cum eo tota nocte vidiſſe, quod non liceret homini dicere. Tunc iratus Rufinus, iuſſit eum in mare demergi,ligatis poſt tergum manibus,at ille naui impoſitus,pſallebat dicens: *Etenim illuc manus tua deducet me. &c.* Cumque elongati à littore proieciſſent eum,in mare, vincula quibus erat conſtrictus, diſſoluta ſunt &

Viſio mirabilis Beati Felicis.

Pſal. 138.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Proijcitur vinculatus in mare, ſed diuinitus liberatur.

ad nihilum redacta. Tunc viſus eſt à Nautis ambulare ſuper vndas maris in manibus Angelorum manus eius tenentium, hymnum, & alleluia pio modulamine decantantium; ſtatimque ex alto pelagi, naui ſuperueniens, ibique conſcendens omnia eis intimauit: confeſtim ſe veſtigijs eius proſtrauerunt, & vt pro peccatis eorum oraret petierunt.

Audiens, autem Rufinus, quod ſanctus Felix in littore deambularet gloriabundus, ait nautis: Furciferi, cur non obedientes mandatis meis; in aliam nauem eum tranſtuliſtis? Qui vna voce proteſtantes dixerunt, quod in profundum maris eum demerſerint, & quomodo ſuper fluctibus maris deambulantem viderint. Tunc exclamauit Rufinus, vt leo rapidus: HEV VICTI SVMVS. Iuſſitque eum iterum torqueri, qui cum adduceretur ad ſe, intendens in eum, & vultu terribili & tortuoſis luminibus dixit: Vides Felix quantum miſerti ſunt tibi Dij noſtri, accede nunc & ſacrifica eis, & faciam te mirificum Sacerdotem eorum. Qui reſpondit: Tu deſeruiſti eis iure perpetuo, cũ patre tuo Diabolo, ego autem *Deo viuo*, qui me de limo terræ plaſmauit, & de profundo maris ferro vinculatum manibus eripuit. Tunc iuſſit carnificibus, vt eum vſque ad oſſa vngularent, & itinere longinquo ductum citius fatigarent, vt vel ſic vulneribus aggrauatus, in itinere exhalaret. Qui cum traheretur, oratione completa emiſit ſpiritum. Hic eſt Felix ſocius Cucuphatis, de quo ſupradictum eſt.

Iterum torquetur, & ad oſſa vngulatur.

Celebratur autem eius paſſio Cal. Auguſti.

De ſancto Quintino martyre.

CAP. CXXXVI.

TEmporibus Diocletiani & Maximiani Rictiouarus Galliæ præfecturam, ac ſæuiendi in Chriſtianos præceptum accepit. Eo tempore ſancti viri Quintinus, Fuſtianus, & Victoricus, Criſpinus, Criſpinianus, ab vrbe Roma ſimul progredientes, Pariſios duce *Chriſto* peruenerunt; ibique diuina illuſtrante gratia, nominatim loca in quibus diuiſi prædicarent, elegerunt. Fuſcianus, & Victoricus Tornacenſem vrbem petierũt; Quintinus * Ambianis prædicauit, iam enim ſanctus Lucianus Beluaci prædicauerat. Per hos ſanctus Dominus tanta operabatur miracula, vt eorum prædicatio, ſequentibus ſignis, probaretur eſſe ſequenda. Rictiouarus autem Chriſtianorum ſanguinem ſitiens, ingreſſus Treueris ciuitatem, quæ eſt prope flumen Moſellæ, tantam ex eis in ea cędem exercuit, vt ſanguinis riuuli decurrentes, in flumen aquæ permixti, in colorẽ ſuum eum conuerterent. Præcepta quoque eius, ad alia loca curſores deferebant, vt quiſquis Chriſtianum alicubi reperiſſet, palam eum ad interitionem protraheret.

** in hac ciuitate Ambianenſi S. Martinus nudum clamyde veſtiuit.*

Sanctus Quintinus comprehenditur.

Ex geſtis ſancti Quintini. Cum autem Ambianis veniens, ſancti Quintini famam audiret, quod prædicationibus, & ſignis, & virtutibus maximis clarus haberetur, ſtatim eum iuſſit deprehendi, & catenatum in carcerem retrudi, & ſequẽti die ſibi præſentari; dixitque ei: Quod nomen tibi eſt? Qui reſpondit; Chriſtiano nomine cenſeor, quia Chriſtianus ſum, & *Chriſtum corde & ore confiteor*; propriè tamen Quintinus vocor. Interrogatus genus, reſpondit: Ciuis Romanus ſum, filius vero Zenonis ſenatoris. Et Præſes: Quidnam eſt ait, quod perſona nobilis, & tanti viri filius, colit hominem, qui ab hominibus eſt crucifixus? recede ab hac ſtultitia, qua teneris, & ſacrifica Dijs. At ille reſpondit: Dijs tuis nunquam ſacrificabo, quos conſtat eſſe Dæmonia. Celerius fac, quod vis, paratus ſum ſuſtinere quid Deo permittẽte, intuleris. Tũc ille furore cõmotus iuſſit eũ à Quaternionibus extenſum cædi, & cum diutius grauiter cæderetur, eleuatis oculis gratias agebat, & protinus, de cælo vox facta eſt confortans eum. Qua dilapſa Apparitores, qui eum cædebant in terram ruentes, ſtandi facultatem amiſerunt, ſeque acerrime torqueri ſentientes, dixerunt: Domine Rictiouare adiuua nos, quia immenſis cruciatibus torquemur, ita vt conſiſtendi ac pene loquendi officia amiſerimus. Tunc ait Rictiouarus, per Deos Deaſque iuro, Quintinus iſte maleficus eſt, & maleficia eius præualent. Moxque eum ſibi exhiberi præcipiens, blandis eum ſermonibus appellabat, dignitates, ac diuitias ei promittens. At ille conſtanter reſpondit: *Lupe rapax diſce quia pauper non eſt, qui in Domino dines eſt; diuitiæ Chriſti æternæ ſunt quas deſidero & pro eis, ſi tulerit ipſe, mori paratus ſum.*

Præclarum ſane reſponſum, & Chriſti martyre dignũ.

De conſtantia eius in paſſione.

CAP. CXXXVII.

TVnc Rictiouarus magis furens iuſſit eum trocleis in tantum retorqueri, vt membra eius à iuncturis ſuis ſoluerentur. Reſticulis inſuper ferreis iuſſit eum cædi, & oleum candens, & picem & adipem feruentiſſimum dorſo eius infundi: ad ſatiandum quoque ſuam rabiem, faces inſuper ardentes applicari. At ſanctus martyr, qui nec blandimentis, nec terroribus ceſſit, cunctis etiam ignibus inſuperabilis extitit: ardens enim interius flamma diuini Spiritus, corporeos contempſit cruciatus, & ait ad Præſidem: *Furcifer & fraudis diabolicæ filius, & ab omni humana pietate remotus cognoſce, quia hæc omnia mihi præſtant non doloris tædium, ſed tolerantiæ refrigerium.* Tunc ille in furore ſæuitiam augens ait: Affer adhuc calcem & acetum ac ſinapim, & infundatur in os eius, vt vel ſic tacendo non amplius plebem hanc ſuaſorijs verbis ſuis valeat illudere. Cernens quoque ſanctum Quintinum pſallendo validius roborari, cruciatus eius adhuc ſitiebat augeri, iuſſitque fabrum ferrarium vocari præcipiens ei, vt faceret duas ferreas ſudes, quibus ſanctus à ceruice vſque ad crura transfigeretur, alios quoque ſimili modo 10. claues, qui intra vngulas, & carnem digitis omnibus mitterentur. Quibus ita paratis, conſpiciens ſanctum taliter verubus confoſſum, inſultans ait: en videant cęteri Chriſtiani hunc taliter ſupplicijs meis adiectum, & ab huius pœnis ſumant exemplum.

Durißime S. Quintinus torquetur.

Inuicta animi eius virtus.

Alia ſupplicia ei adhibentur.

Denique accepto conſilio iuſſit eum decapitari, qui cum ad locum immolationis à carnificibus ductus fuiſſet, poſtulato ſibi paulum orandi ſpacio, proſternens ſe, rogauit Dominum, vt animam ipſius ſibi toto corde ac deſiderio oblatam ſuſciperet: deinde ceruicem ſuam ſpiculatoribus obtulit, & illi gladio caput eius amputauerunt. Cumque corpus vndis roſeis proprij ſanguinis perfunderetur, ſtatim fœlice eius anima carnea mole ſoluta, viſa eſt velut columba niuea de collo eius exiſſe ac liberrimo volatu cœlum penetraſſe, & vox de cœlo audita eſt, dicens: *Quintine famule meus, veni & accipe coronam quam tibi præparaui: ecce Angelorum chori vndique adſunt, qui te victorem in cœleſtem Hieruſalem perducant.* Compleuit autem martyrium ſuum pridie Calen. Nouemb. apud Veromanduorum oppidum. Cuius corpus Rictiouarus iuſſit Sommæ fluentis immergi, & adiectione terræ; plumbi, cænique ſupplumbari, cauens ne forte à Chriſticolis honore debito veneraretur, aut ſepulturæ traderetur. Quod per annos fere 55. in aquæ fundo, & in profundiſſimo limo tumulatum, per tantũ ſpacium, *cuſtodiente Chriſto*, manſit incorruptum, ſed poſtea mirabiliter reuelatum eſt.

Vide quid Sathanas ſuis adminiſtros commineatur.

Caput ei amputatur.

Calitus à domino vocatur.

Eius corpus 55. annis in flumine manet illæſum.

De reuelatione corporis eius.

CAP. CXXXVIII.

ERat enim Romæ Matrona quædam Euſebia nomine nobilis, & ditiſſima, ſed annis 9. oculorum luce priuata. Huic ex more orationibus incumbenti, quadam nocte dum pro infirmitate, quæ ſibi acciderat, Deum exoraret, Angelus Domini per viſum ei apparuit, & ait: *Euſebia exaudita eſt oratio tua; Surge, & in Gallias perge, locumque qui * Auguſta Veromanduorum dicitur perquire, illic inuenies corpus ſancti Quintini martyris Chriſti diu iam paludibus, & aquis tumulatum: quod cum fuerit per te*

Euſebia matrona Romana. Monetur ab Angelo in Gallijs S. Quintini corpus quærere.

** Hic locus ſitus eſt iuxta fluenta Sommæ vbi via publica tranſit ab Ambianenſium ciuitate, veniens contra Laudunum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

populus manifeſtatum oculorum recipies viſum. Cumque ſemel, bis, ter, hæc viſio eadem rem probabilem aſtrueret; inſinuatum ab Angelo iter arripuit, cum multo vtriuſque ſexus comitatu, & Angelico ductu ad locum ſignificatum peruenit. Cumque inquirens ab homine vbi corpus ſancti Quintini à paganis interfecti, repoſitum fuiſſet, & ſcire non poſſet; quæſiuit vbi eſſet via publica, veniens Ambianis, & Laudunum pergens ſicut Angelus ei ſignificauerat: illuc à quodam ſene perducta, ſuper Sommæ fluuium è vehiculo deſcendens humiliter ſe proſtrauit, *dominum exorans*, vt ſicut Helenæ ſanctæ reuelauerat *vexillum Crucis abſconditum*; ſic etiam ſibi oſtenderet martyris ſui corpus in aquis tumulatum.

Heraclius ſenex Euſebia locum fluminis, vbi Sacrum Quintini corpus fuit ſubmerſum, oſtendit. Vide inſignia miracula in reuelatione corporis S. Quintini, & pudeat hæreticos non honorare ſanctorum reliquias quas Deus ipſe ſic honorat.

Tunc locus ille vbi ſanctum corpus ſub aqua iacebat moueri cæpit, & criſpantibus vndis indicia dare. Sicque magna Dei virtute corpus eleuatum eſt, & mira natatione vſque ad manus fœminæ deportatum. Caput quoque per alium meatum exiliens vnda portante mirabiliter perductum: quod pariter illa cum gaudio ſuſcipiens de aquis eleuauit, ac præcandidiſſimis linteaminibus, quæ ſecum ad hoc deuexerat, inuoluit. Corpus vero ipſum nulla macula corruptum, nullus liuor fuſcatum, nullus tumor ſordidatum reddiderat, ſed niueo candore, & inæſtimabili odore fragrans circumſtantes ſuauitatis odore repleuit, vt cætera obliuiſcerent mundi delectamenta.

De tranſlatione eiuſdem.

Cap. CXXXIX.

IGitur Matrona corpus ſanctum ad Veromandenſium caſtrum, quod ab eo loco, quinque ferme milliaribus diſtat, reuerenter tumulandum aduehere diſpoſuit. Sed Deus locum martyri ſuo ſanguine conſecratum, tanto theſauro priuare noluit: vnde mox, vt ab aqua ſummum montis, qui eum deuectabant conſcendere cæperunt, nimij ponderis grauedine prægrauati, longius ire nullatenus valentes ſubſtiterunt. Sicque beata Euſebia voluntatem Dei intelligens, illic eum fecit deponi, ac reuerenter ſepeliri, cellamque quibus potuit tunc niſibus ædificauit, & pro ſepulturæ beneficio mox ab oculis eius tanquam ſquamę albugo exiuit, ſicque viſum recepit. Similiter etiam infirmi, quotquot eadem hora contigit veniſſe, ad comendandam martyris Chriſti precioſam mortem, & ipſi ſanitatem recepere. Ipſa quoque Euſebia ſudes ferreas, quibus martyr confixus fuerat, adhuc in eis corpore manentes inueniens, extraxit, & pro veneratione reliquiarum ſibi aſſumpſit.

Euſebia cæca recipit lumen.

Sudes ferreæ adhuc in eius corpore reperiuntur infixæ.

Sepultum eſt autem corpus ſanctum 8. Cal. Iulij. fuit ergo in aquæ fundo per annos quinquaginta quinque, tempore ſcilicet Diocletiani vſque ad tempora Conſtantij. Sed iterum interueniente perſecutione ſub Iuliano Auguſto diuini nominis cultus turbari cæpit. Quapropter vt creditur defeciſſe, circa ſacri martyris excubias, condignos cultus, contigit vt locus corporis penitus ignoraretur à poſteris, ſiue etiam alta Dei prouidentia, vt meritorum eius renouarentur inſignia. Latuit ergo theſaurus ille tellure tumulatus, & ignorantia denſa coopertus, non minus 320. annis quouſque talia excitarentur merita, quæ ab huius reuelatione iudicarentur condigna.

Probantur hæc acta à Surio 31. Oct. de miraculis ad ſepulchrũ eius factis lege Greg. Turon. de gloria martyrum cap. 72. 73.

Paſſio Sancti Gentiani martyris, & Victorici.

Cap. CXL.

EX geſtis eorum. Sancti autem Dei Fuſcianus, & Victoricus cum fraterna charitate ſuccenſi, ſanctum Quintinum comparem ſuum videre cuperent, vt affatu mutuo de conuerſa gentilitate gauderent; & à præfata ciuitate ipſum abiiſſe audientes Franciam adierunt. Gentianus autem quidam grandæua ætate procuruus adhuc gentilis ambianenſi ciuitate contiguus, cum per prædictos viros immenſa miracula fieri cognouiſſet, die quadam eis verſus Pariſios iter carpentibus obuius exijt, & ait: Domini qui eſtis? & quid quæritis? & quò itis? Qui reſponderunt Romæ nati ſumus, ibique Chriſtianis regulis fidei eruditi, à qua progreſſi, fines veſtros penetrauimus, vt vobis *æternæ ſalutis vias* demõſtremus; qui diabolica fraude ſeducti, Idola colitis, & Deum creatorem negligitis, quærimus etiam comitem noſtrum ſanctum Quintinum, eiuſdem rei gratia à paterna vrbe degreſſum. Tunc ſenex ſuſpirans imoque à pectore vocem trahens, ait: Ante tres dies admonitione diuina permotus ſum, vt *Deum quem creditis credam, & ad eum tota deuotione me conuertam:* ſed is Dei famulus quem quæritis, Quintinus, dum vrbis noſtræ populo veritatis oracula diuulgaret, à Præfecto tentus eſt, & diuerſis ſupplicijs maceratus, ab vrbe reductus in quodam municipio, Veromanduorum ſententiam decollationis accepit. De vobis etiam iam eius editio militibus indicta eſt, vt vbicunque vos inuenerint, arcta mancipatione comprehendant, vt Dijs contrarios, & reipublicæ inimicos: ſed quæſo declinate in tugurium ſerui veſtri, vt refociamini, & paululum quieſcatis. Cumque eis in domo ſua præberet, obſequium, Rictiouarus repente ſuperuenit, & famulos Dei comprehendi præcepit. Tunc Gentianus zelo commotus, euaginato gladio, exiliens, niſus eſt Rictiouarum percutere, non quidem id cupiens, ſed vt occaſionem nanciſceretur, qua citius *pro Chriſti nomine* poſſet occumbere. Ad quem ille ait: Vnde tibi ô Gentiane tam dira cupido, vel quæ te temeritas impulit, vt me gladio percutere conareris? At ille; digne, inquit, pro meritis, quia te Chriſti famulos iniuſte proſequi video, pro quibus corpus meum tradere non dubito, quia me ſeruum illius eſſe ſalubriter recognoſco. Qua fælici confeſſione commotus Præſes, caput præcepit ei coram ſanctis auferri.

Gentianus conuerſus credit in Chriſtum.

Sancti Dei martyres à Rictiouaro comprehenduntur.

Virilis conſtantia & zelus Gentiani.

Gentianus capite truncatur.

Paſſio ſanctorum Fuſciani, & Victorici.

Cap. CXLI.

EX geſtis eorum. Tunc in cathedra peſtilentiæ reſidẽs, ſanctos allocutus eſt, vt à Chriſto recedentes Dijs ſacrificarẽt. Quod cũ illi penitus abominantes reſpuerent; eũque tandẽ ad inferenda ſupplicia, qualia vellet abſque mora inuitarent; ille ſudes ferreas in nares, & aures cudendo iuſſit immitti, & clauis candentibus eorum capita transfigi, oculos quoque eorum à foraminibus ſuis pelli, iſque manu lato criſpans haſtilia ferro, ad ſanctorum corpora transforanda ea direxit, eiſque adhuc palpitantibus, capita amputari præcepit, optatoque potius ſolito lætior, & quaſi de quadam plaudens victoria, celeriter Ambianis regreſſus eſt. Moxque vltione diuina percuſſus, inteſtinorum dolore repletus eſt, & per totam ciuitatem clamare cæpit, ac dicere: Heu, heu, heu, quid agam? aut quid mihi miſero denique reſtat, qui propter Dei ſanctos Fuſcianum & Victoricum, quibus dira intuli ſupplicia, intolerabili crucior pœna.

Rictiouarus Præſes iuſſit ſanctorum naribus & auribus immitti ſudes ferreas, & clauis ardentibus tempora tranſfigi, deinde oculos euelli, ac poſtmodum eorum corpora iugulari, deinde decapitari: Lege Petrum in cat. al. lib. 1. c. 57.

Eadem vero die qua decollati ſunt, ingens fulgor ſuper eorum corpora apparuit. Extincta quoque cum iacerent truncata capitibus, ipſi ſuper pedes erecti ſunt, & manibus propria recipientes capita, firmo rectoque gradu ad hoſpitium beati Gentiani de quo educti fuerant, redierunt, vtque eum exhortando comitem habuerant, cum eodem ſimul in requie dormirent.

Paſſi ſunt autem 2. Idus Decembris.

Paſſio ſanctæ Macræ virginis.

Cap. CXLII.

EX geſtis eius. * Rictiouarus autem veniens in ciuitatem Auguſtanam, comperit Macram virginem, *Chriſtum* incredulis prædicantem, quam ſibi exhiberi iubens, ait: conſule tibi ne florem iuuentutis tuæ amittas,

** In aliquibus codicibus Rictiouarij in duas dictiones diſtinctum reperio, in hunc modum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Rictius Varus qua lectio Baronio magis arridet.

ſi autem conſilijs meis acquieueris, & Dijs inuictiſſimis immolaueris, multis præmijs,ab Imperatoribus diberis. Quę reſpondit: *Pecunia mea, Chriſtus eſt, pecuma autem tua tecum ſit in perditionem.* Tunc furore accenſus iuſſit eam torqueri, eiuſque mammillas amputari, & poſt hoc eam in carcere omni luce excluſa mancipari, panem quoque & aquam ei denegari.

Acta hæc correſpondet ijs quæ adfert Petrus in catalogo lib.2. cap.50.

Circa noctis vero medium ſubito etiam lux magna carcerem totum repleuit, & ecce vir canicie aſperſus, attulit ei vnguentum, miro modo confectum, dicens: Ego miſſus *à Domino Ieſu Chriſto* hoc vnguentum attuli, vt pectori tuo mammillæ reintegrentur,quæ reſpondit abſit à me vt per mammillarum reſtitutionem, coronam mihi *à Deo* præparatam admittere negligam. Creator tamen omnis carnis, & reſtitutor ſanitatis, ſi vult mihi incolumitatem geminam exhibere, exhibeat: *Potens eſt enim vtraque ſalute ſperantes in ſe ſaluare.* Tunc orationi incumbens, cum diu lachrymis terram madefaciens,oraſſet,reſtitutæ ſunt mammillæ eius, vt prius. In craſtino vero præſes eam præſentatam, videns ſanitati redditam,dixit ei: Quis te incolumitati reddidit? Quæ reſpondit *Dominus meus omnipotens Ieſus Chriſtus.* At ille: Adhuc inſanis,quia non times *Chriſtum* nominare? Tunc iuſſit acutiſſimas teſtas expandi,& prunas immitti, corpuſque virginis deſuper volutari quod cum fieret, ignis ſuę virtutis oblitus eſt,& cum illa gratias ageret, anima cœlum petijt 8. Idus Ianuarij,in territorio Remenſi,& haud procul à loco illo corpus eius ſepultum eſt.

Virgo Macra in mãmillis diuinitus ſanatur.

In ignem præcipitata permanet illæſa: Super prunas ac teſtas acutiſſimas volutata animam Deo reddidit.

Poſt multos annos apparuit eadem virgo per viſionem cuidam Bubulco nomine Leudulpho, & oſtendit ei locum, vbi condita erat iuxta quandam eccleſiam beati Martini, & corpus eius honorifice leuauerunt, quod ille narrauit incolis. Poſtea vero vir quidam venerabilis Dangulphus nomine,tempore Caroli Eccleſiam Dei miro decore conſtruxit, & corpus eius in ea collocauit 3. Cal. Iunij.

Inuentio corporis eius.

De Sancto puero Iuſto,& eius peregrinatione.

Cap. CXLIII.

Sanctus Iuſtus nouem annorum puer; claret prophetia Spiritu.

EX. geſtis eius. Paſſus eſt etiam ſub Rictiouaro ſanctus Iuſtus adhuc puerulus,qui apud vrbem Antiſiodorum, clara ſatis proſapia in tenera ętate virtutum maturitate floruit. Inter alia etiam plerumque futurorum præſcientiam obtinere meruit, huius pater * Iuſtinus, Mater Felicia dicebatur, digni, qui talem generaſſent, vt *Iuſtus* nuncupari mereretur. Huius Iuſti frater Iuſtinianus, furtim de ciuitate illa puer iamdudum fuerat ſublatus, & Ambianis deductus, ibi cuidam negociatori nomine Lupus, in ſeruum venundatus, cum ergo puer Iuſtus, 9. annorum eſſet, hoc ei de patruo ſuo diuinitus per viſionem reuelatum eſt, quod Ambianis homo bonus nomine Lupus eum ad ſeruitium ſuum detineret. Quod cum patri ſuo retuliſſet, & ille volens illuc pergere, ſocium itineris quæreret; Iuſtus ait,ego tecum vadam. Cumque pater ſimul cum matre obſiſteret, & puer apud patrem inſiſteret, pater animaduertens rem diuinitus agi, tandem filio ſuo non inuitus conſenſit.

** Beda vocat patrem eius Matthæum.*

Magna animi virtus in tenero puero.

Perrexerunt ergo ſimul, & cum ad Milidonemc caſtrum peruenirent, cæci, & claudi in introitu portæ ab eis alimoniam vociferando, petebant: quibus eſca refocillatis, benignus puer ſibi tunicam detraxit, & vnum eorum quem veſte carentem aſpexit, eius inopiæ compatiens, induit, quamobrem cum argueretur à patre, quod alteram non habens veſtem, ſuam tribuiſſet, eius indignatione prophetico teſtimonio mitigauit dicens: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem &c.* Cum autem Ambianis peruenirent, acceſſerunt ad Lupum negociatorem, Chriſtianum quidem, ſed propter Rictiouari metum occultum. Cui cum pecuniam obtuliſſent, vt fratrem ſuum captiuum reciperent; Lupus cognito, quod Chriſtiani eſſent, præcepit, vt ad eius hoſpitium illa nocte declinarent, pollicitus ſe eis totam domus ſuæ familiam oſtenſurum,vt ſi intereſſet, quem quærebant, adnumerato precio reducendi eum copiam haberent. Introgreſſis ergo domum omnes famulos ſuos exhibuit, & quis eorum propinquus eſſet, intueri conceſſit. Cumque puer ſanctus oculos circumferret, vidit aſſiſtentem cum accenſa lampade quendam puerum; & hunc eſſe quem quærebat, recognouit Germanum. Vnde vehemens ſtupor omnes, qui aderant inuaſit, qualiter illi reuelatum fuiſſet, cum etiam pater eius qui perfectæ eſſet ętatis,hoc ignoraret.

Liberalitas eius in pauperes.

Pſal. 40. Iuſtus puer Deo duce cum patre Ambianum venit.

Humanitas lupi hoſpitis.

De Paſſione eiuſdem.

Cap. CXLIIII.

Accuſantur ſancti apud Rictiouarũ præſidem.

INterea qui forte aderant exploratores, nunciauerunt Præfecto veniſſe in domum Lupi peregrinos viuentes ritu Chriſtiano. Quo audito Tyrannus ille, cuius crudelitas nihil magis quam Chriſtianorum ſanguinem ſitiebat. Obſeruate, inquit, ne ab vrbe diſcedant,donec obtutibus meis puniendi offerantur. At Lupus de ſalute hoſpitum ſolicitus, nocte excitatos ſecreto, vt fugam maturarent admonuit, & propinquum quem poſcebãt abſque redemptione cum eis repatriare conceſſit. Mane autem milites obſeruatores; Lupi domum irrumpentes, eos iam non inuenerunt, & confuſi hoc Præſuli retulerunt. Tunc miſſi ſunt pueri quatuor in equis velocibus, vt fugientes redire facerent, aut nolentes occiderent. Illi vero dum iuxta quendam fontem pranderent, & quieſcerent, puer ſanctus ſacro ſpiramine afflatus, quid ſibi immineret præſenſit, nec eum inſectatio carnificum latere poterat, qui cuncta videntem corde gerebat, totuſque iam in cœleſtibus, membra mox interitura corporali voluit reficere eſca, dixitque parentibus, vt cito comederent, eo quod tortores eos ſequerentur, & ipſe interim in eminentiori loco, quaſi in ſpecula, ſtans aſpiceret contra eos, qui veniebant. Cumque iuuenes propinquarent,& parentes ad nutum pueri in nemore ſe cęlarent, puerum interrogatum, & reſpondentem *ſe eſſe Chriſtianum* occiderunt. Amputato autem eius capite, truncum corpus ſumens illud manibus, immobile perdurabat; & lingua palpitans ac ſi integro vigeret in corpore, Deo ſupplicans, vt ſe reſpiceret eloquebatur. Quod miraculum perſecutores,vt viderunt, cum timore magno reuerſi, Præfecto retulerunt.

Infequuntur ſanctos Rictiouari miniſtri.

Inſtus puer imperterritus hoſtibus ſeſe obtulit.

Capite truncatur. Præclarum miraculum.

De tranſlatione capitis eius.

Cap. CXLV.

Præciſum caput loquitur.

COmites etiam abſconditos,& vltra quam dici poſſit admirantes, lingua pueri ſic palpitans poſtquã horrore miraculi perſecutores abegerat, vbi eum ſepelirent edocuit,& vt caput matri pro conſolatione deferrent, monuit; eique dicerent, vt ſi filium cernere cuperet, eum ſequi ad ſupernam Hieruſalem ſtuderet. Confeſtim autem lux eum circumfulſit, & cum ea pariter ad cœlos migrauit. Sepulto igitur corpore in territorio Beluacenſi in quodam ſpeluncæ ædificio hedera cooperto ſicut eos docuerat, Antiſiodorum reuerſi ſunt; quibus & mater pueri Felicia gaudens obuia procedit, & filium quem non vidit requirit. Cumque rem ei geſtam enarraſſent, vix ſe præ gaudio ferens ſumpto reuerenter capite lachrymarum inundatione perfuſa, *Chriſto gratias agebat*, & filium ſuum vt ſui memor eſſet exorabat. Tunc ſacrum pignus ſindone obuolutum & theca repoſitum, à laquearibus domus interioris ſuſpenderunt, & accenſis nocte luminaribus, ſacris inſiſtebant vigilijs. Tunc repente fulgor nimius, de cœlo lapſus, domum illam perluſtrauit, & inſuper totius ambitum vrbis. Vnde ſanctus Amator epiſcopus tres Preſbyteros illuc mittens, audita paſſione ſancti Iuſti, cum proceſſione caput eius in Eccleſiam detulit, & in ſecretario, vbi ipſe ſepeliri decreuerat, collocauit. Ipſa autem

Lux cælitus effunditur ſuper caput eius.

Lege Sanctũ Bedam tom. 3. qui vitam S. Iuſti deſcribit.

hora

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cæca ad tumbam eius orans illuminatur.

hora puella 16. annorum cæca nata ad tumbam eius accessit, & orans lumen oculorum accepit. In loco autem sepulturæ eius in territorio Beluacensi, basilica nominis eius extructa est, & longo post tempore, vt maiore populi frequentia celebraretur, ossa eius Beluacum deportata sunt, & in sacratio beati Petri honorifice reposita.

Huius passio celebraretur 15. Calend. Nouembris.

Passio sanctorum Crispini & Crispiniani martyrum.

CAP. CXLVI.

SS. Chrispinus & Chrispinianus veniunt in Gallias.

SAnctus autem Crispinus, & Crispinianus, qui cum beato Quintino & cæteris, de Roma in Gallias venerant, Suessionensi ciuitate peregrinationis hospitium elegerunt; vbi sequentes *Doctoris gentium magisterium*, vt *necessaria vitæ labore manuum sibi prouiderent*, artem sutoriam, quæ quiete exerceri potest, didicerunt, & cum omnibus pene artificibus operarentur elegantius, à nullo mercedem operis exigebant. Vnde etiam per hoc gentiles eorum amore deuicti, non tam necessitate artificij, quàm *amore verbi Dei* ad eos frequenter veniebant, & relicto errore *Deum verum credebant*. Denique hi sancti viri à Rictiouaro exquisiti, calciamenta pauperum sartientes reperti sunt; quos post multas interrogationes extensos ad trocleam, iussit fustibus cædi: Deinde sudes vngulis eorum immitti, & corrigias singulas de dorso tolli. Quibus inter acerrimos dolores orantibus, sudes de vngulis eorum exilierunt, & ministros percutientes quosdam interfecerunt; quosdam vulneratos cruciauerunt. Deinde iussit Rictiouarus molas, ad singulorum colla suspendi, & hyemis tempore in fluuio Axona velut sub glacie demergi. Sed eos nec aqua mergere, nec petra premere, nec frigus stringere potuit, quinimo quasi æstiuis lauacris delectati, proiecto molari onere ad alteram fluminis ripam deuenerunt. Postea iussi sunt in plumbo liquefacto demergi: quibus in plumbo orantibus exiliens gutta plumbi feruentis in oculum Rictiouari, graui illum dolore crucians excæcauit. Postea picem & oleum & adipem similiter bullire iussit, & sanctos martyres ibi præcipitari; sed mox eos orantes, Angelus ab igne illæsos eduxit. Tunc videns Rictiouarus, se aduersus martyres Christi nihil illatis prævaluisse supplicijs, sese concitè furens in ignem præcipitauit, sicque morte pessima consumptus est, iusto Dei iudicio agente, vt qui multos martyres igne interemerat, ipse ad ignem æternum descenderet igne consumptus.

Pretium non exegerunt sed sponte oblatum receperunt.

Sancti martyres cæduntur fustibus & alijs diris pœnis cruciantur.

Merguntur in liquefactum plumbum, nec læduntur.

Impius Iudex se mergit in ignem.

De morte, & sepultura eorum.

CAP. CXLVII.

HÆc videntes sancti, *dominum precabantur*, vt eos à certamine ereptos, ad se venire iuberet propitius. Quibus eadem nocte reuelatum est, quod illucescente die præmij sui mercedem reciperent, & sic factum est. Nam Maximianus mox audita satellitis sui perditione, Crispinum & Crispinianum gladio puniri iussit.

Cæduntur capite.

Actum est hoc 8. Calend. Nouemb.

Consentiunt hac acta ijs quæ adfert Surius 25. Octobris.

Corpora autem eorum à carnificibus, bestijs, & auibus voranda sunt derelicta; sed *Christo* custodiente, ab eorum morsu manserunt intacta. Fertur autem ab Angelo senem quendam esse commonitum, cui germana erat cohabitatrix cellulæ vetula, vt sanctorum corpora colligeret diligenter humanda: qui mox assumpta germana, ad locum properat, vbi decollati iacebant: & quia prope Axonam fluuium erant ad cellulam pauperum duci nauigio facillime poterant, sed nec nauis in promptu erat, nec nauigandi ingenium, nec facultas virium contra fluminis impetum pauperibus, & infirmis, suppetebat; peruenientes tandem ad locum sibi ab Angelo ostensum, corpora repererunt à bestijs, & auibus intacta, & in amne nauem diuina prouidentia. Tunc cum fiducia tollentes singuli corpora singulorum martyrum, quasi liberi ab oneribus gradiebantur, ita inoffenso vestigio, vt putares eos non onera ferre, sed ab hominibus ferri. Ingressique repertam nauiculam velociter pergebant absque remigio, & gubernatore non viso, contra fluminis vndam. Et hoc exultantes miraculo ad vicinam cellulæ suæ ripam peruenerunt, deportataque sanctorum corpora, clam in tugurio suo cum gaudio sepelierunt. At vbi persecutio cessauit, honor eorum deuotis plebibus senum indicio patuit, ac miraculis coruscauit.

Ingens miraculum.

Eorum sepultura.

Passio sanctorum Rufini & Valerij.

CAP. CXLVIII.

EX *gestis eorum.* Eadem tempestate passi sunt in territorio Suessionensi Rufinus, & Valerius sub Rictiouaro Galliarum præfecto 8. Cal. Iulij. Hic enim Præfectus Remorum ciuitatem ingressus, dum ibi residens, Christianos vrgeret, vt idolis sacrificarent; aliquando cum per aggerem publicum iter carperet, erat in quodam loco contigua respublica gubernanda, iuxta indole decursum, vbi Rufinus, & Valerius rectam viam *in Domino* conseruabant. Cumque audisset sanctorum religionem, in illo loco nimis pollere, statim frendens dentibus, vt canis, præcepit vbique famulos inquiri; quos inuentos ministri tenuerunt, & catenis constrictos ei obtulerunt, qui dixit eis: Quos Deos colitis, aut cuius sacræ religioni intenditis, Iouis aut Dianæ? Qui responderunt Iouem in adulterio generatum sororum suarum violatorem cognoscimus, & Dianam Meretricem, siluarum compita tenentem non colimus: *sed Deum verum & Dominum Iesum Christum cum sancto Spiritu adoramus.* Tunc ille vociferando, dixit eis: Infæliciſſimi omnium, *hominem interfectum vos Deum affirmatis*; per Iouis virtutem qui in potestate sua tonitrua deuentilat, multis cruciatibus interimam vos, & videbo *si Deus vester de manibus meis eripiet vos.* Tunc catenarum ligamine sancti constringuntur, ita vt astantes increduli mirarentur, qualiter tam vasta pondera portare possent, sed illi *in Christi nomine confortati*, tanquam leuissimas plumas omnia portabant, & *benedicentes Deum orabant.* Cumque nec promissis, nec minis flecterentur, iussit eos Præfectus equuleis extendi, & plumbatis cædi. Qui cum torquerentur, dicebant: *Multæ tribulationes iustorum, &c.* Iamque multis flagellis omni compage disrupta vix ossa habebant, solo tamen spiritu palpitabant: Ieiuniorum quoque abstinentia macerati erant; sed mente robusti in Domino permanebant. Tunc ait Præfectus ministris. Tollite eos hinc, & in ergastulo recludite, donec excogitare possim qua morte crudeliter eos debeam consummare.

Extant hæc acta quæ descripsit Mōbrit. tom. 2. Petrus in catalog. lib. 5. cap. 116.

Confessio Sanctorum martyrum.

Onus Christi leue.

Cæduntur plumbatis, & equuleo torquentur.

Recluſi itaque in carcere psallebant, & in ipsa nocte propinquante iam luce, cum se sopori dedissent, *Angelus Domini* clausstra carceris fortissimus præliator irrupit, & cum magna claritate loco illi refulsit, ac supra sanctorum capita coronas illapsas micanti colore, & quasi smaragdini lapides resplendentes deposuit, & ait: *Rufine & Valeri viriliter agite, Dominus vos inter electos sibi martyres celerius iubebit adesse, vbique percipietis coronas à Domino vobis præparatas.* Mane autem facto, Præses iussit eos sibi præsentari, viditque facies eorum roseo perfusas robore, & reliquam corporis partem, vt liliorum candorem fulgere. Tunc dicens eos in arte magica confidere, iussit eos decollari, super littus fluminis Indolæ. Nec multo post dum ad remotum oppidum ducerentur, cum sacerdotum choris, & populorum turmis, feretris impositi, in loco vbi nunc ossa quiescunt aggrauati, ne moueantur, præcipiunt, ibique nutu Dei quiescere voluerunt, vbi pauperibus eleemosynas larga manu porrexerunt.

Angelus domini in carcere visitauit sanctos martyres.

Rufinus & Valerius pro confessione Christi capite plectitur.

De

De paſsione ſancti Demetrij Theſſalonicenſis.

CAP. CXLIX.

ANaſtaſius *Bibliothecarius*. Cum autem Imperator Maximianus in Theſſalonicenſium degeret ciuitate, piæ religionis auditores perſequebantur, & interficiebantur ab eo; inter quos erat beatus Demetrius, manifeſtum faciens ſe ſine timore, quia à iuuentute eius, bona egerat opera, & alios docuerat. Docebat enim qualiter *diuina ſapientia deſcenderat ad terram de cælo, vt hominem qui mortuus fuerat peccato, vinificaret ſanguine proprio.* Cum hæc & alia multa prædicaret, quidam miniſtri Imperatoris, qui ad capiendos *Chriſtianos* fuerant deputati tenentes ſanctum Demetrium, Imperatori Maximiano obtulerunt. Contigerat enim eum ire ad ſtadium ciuitatis, propter eos, qui ad ſingulare certamen fuerant congreſſuri. Illic parabatur per quaſdam tabulas circulus circumſeptus, vnde ſuſcepturus erat eos, qui ex aduerſo inuicem theatrice ſe impugnarent, quia delectatio erat ei aſpicere humani ſanguinis effuſionem. Cumque facta fuiſſet congreſsio, Lyæus quidam gladiator, qui ob immenſitatem virium & frequentium triumphorum Imperatori charus habebatur, mortalem ſuſcepit ictum, & extremam fecit ei confuſionem. Cum autem triſtis ad palatium reuerſus eſſet, & ei quidam de Demetrio ſuggeſiſſent, ſtatim Imperator in ipſo loco in quo fuerat retentus, iuſsit eum lanceis perforari. Ita beatus Demetrius bonæ confeſsionis, martyrium conſummauit; corpuſque eius religioſi nocte ſumentes, ne leſionem aut iniuriam ſuſtineret, abſcondere curauerunt.

Demetrius comprehenſus ducitur ad Imperatorem.

Lyæus Vandalus.

Sanctus Demetrius lanceis confoditur.

Cum autem iam fuiſſet meritum martyris diuulgatum, multa enim virtutum, ac ſanitatum inſignia facta ſunt his, qui *fide* eum inuocabant, Leontius quidam, Deo amabilis, domum quæ continebat ſanctiſsimi martyris corpus prædijs amplioribus dilatauit, & erexit ibi oratorium in honore ſancti martyris Demetrij.

Plurima fecit miracula Leontius Prafectus templū condidit S. Demetrio.

De quodam eius miraculo.

CAP. CL.

MAriani autem cuiuſdam Præfecti Theſſalonicenſis, cum eſſet Deo & hominibus acceptus, diabolus bonis inuidens operibus, eum vt tentaret, expetijt. Primum igitur de 8. vitijs tentauit, ſed Dei gratia ſuffultum reperit inſuperabilem. Poſtmodum vero mundi diuitias ei offerens; ad vltimum etiam graui eum percuſsit infirmitate, vſum ſolius linguæ qua *aſsidue Deum laudabat*, ei relinquens. Cumque Diabolus in ſpecie hominis cuidam ſeruo eius membranam oſtenderet, dicens: Si Dominus tuus ſuper ſe hanc tulerit, ſanabitur: & introgreſſus ſeruus, hæc eadem Domino ſuo replicaret, dicens: quod in ea ſicut audierat, nomina Deorum & Angelorum continerentur, reſpondit Marianus; *Deus abſque cuius nutu nihil fit, poteſt me ſanum reddere ſine charta, habeat quod ſuum eſt, de me fiat voluntas Dei.* Qui confeſtim ſomno correptus, audiuit beatum Demetrium iubentem, vt in Eccleſiam ſuam deferretur, ibi enim ſanaretur. Quo cum delatus eſſet, iterum obdormienti dixit in viſu beatus martyr: *Chriſtus te ſanet qui erigit eliſos.* Euigilans ergo cœpit narrare viſionem, & cum ad id deuentum fuiſſet vbi martyr dixit, *Chriſtus te ſanet qui erigit eliſos, ſanus ſurrexit, gratias agens Deo.*

Frequentem concurſum Chriſtianorum ad ſepulchrum S. Demetrij Theſſalonicam, ex quo vnguentum medicum ſcaturire iugiter conſueuerit, de quo Glicas in anal. Cedren. in compend. hiſt. & Zonar. in Michaele 4. Imp. qui eiuſdē martyris ope Bulgaros profligauit, tradit Baron. in notis.

Author. Huius martyris ſolemnitas, qui multis præter hæc claruit miraculis, celebratur 8. Idus Octobris, cuius vitam Anaſtaſius, de Græco in Latinum tranſtulit, & Imperatori Carolo tranſmiſit.

De conuerſione Afræ per ſanctum Narciſcum.

CAP. CLI.

EX *geſtis eius.* Ea quoque tempeſtate qua Diocletiani feruebat inſania, apud Rætiam in ciuitate Auguſta, ſuperueniens Narciſcus Epiſcopus neſciens quo introiret profugus, ad meretricem eſt ingreſſus, Afram nomine, cum Diacono ſuo Felice. Illa autem honeſtos viros aduentores æſtimans impudicos, parat cœnam, & omnia quæ ſolito more, cum tribus puellis, ſuis parare conſueuerat. Epiſcopus autem veniens cibum capere, orare cœpit & pſallere. Afra autem videns, & audiens, quæ nunquam audierat, nec viderat, ſtupore ducta cœpit inquirere quis eſſet. & didicit hunc eſſe Epiſcopum Chriſtianorum: Mox ad pedes eius cecidit, & ait: Domine indigna ſum, & in iſta ciuitate nulla me turpior inueniri poteſt. Cui Narciſcus Epiſcopus ait: *Saluator noſter à turpiſsima tactus inquinari non potuit, ſed ſanctitas illius omnes ſordes diluit, & mundauit.* Nam & Sol lucem ſuam contra cloacas, & lutulentas aquas ſine ſua inquinatione fundit. Vnde & tu filia, ſuſcipe in te lumen fidei, vt purificata ab omni peccato poſsis Dæmonio fugato, introitu perpetuæ claritatis gaudere. Quæ cum verba eius puellis ſuis retuliſſet: Reſponderunt, Digna, * Eumenia & * Eutropia: Tu noſtra domina es, & ſi ſecuti ſumus te ad inquinamenta facinorum, quomodo non ſequemur ad indulgentiam peccatorum? Denique Epiſcopus cum Diacono ſuo totam orando & pſallendo pertranſiens noctem, ſimul Afram cum ſuis puellis habuit conſortem. Mane autem orto, cum ab ea inquireretur, vbi eſſent qui introirent ad eam? Reſpondit eos abijſſe ad ſacrificandum. Tunc abijt ad Matrem ſuam & dixit: Epiſcopus Chriſtianorum venit ad me neſciens quò intraret, & per totam noctem expandit manus ſuas *ad Dominum ſuum*, noſque ſimul fecit orare ſecum. Circa vero gallorum cantus, extincto lumine cum illud accendere vellem, & non potuit; dicente Epiſcopo: *Veni lux vera de cælo, oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*: Venit fulgor de cœlo ſicut ſol, venit vt tonitruum & non receſſit, ſed tamdiu ſtetit, quamdiu Aurora inciperet, & dum ille finiſſet orationem, iuſſit nos reſpondere, Amen. Lux autem illius fulgoris, paulatim receſsit ab oculis noſtris.

Narciſſus Epiſcopus venit Auguſtam.

Ante cibum orat more Chriſtiano. Afra ſe peccatricem fatetur. Luc. 7.

Lux cælitus lapſa diu moratur in ædibus Afræ.

In craſtino autem ſe oſtenderunt mihi, qui inſidiabantur ei, vt exeuntem tenerent, & occiderent: Ego autem eos abſcondi, vbi faſcinas habeo de lino, timenſque ne ſcrutetur locus, ſi iubes mater huc eos tranſire facio, quia promiſit mihi me Chriſtianam fieri, & peccata mea deleri. Ad hæc mater eius gaudens ait; *præſtet Deus, vt & hoc mihi contingat.* Veſpere autem facto, ſanctus Narciſcus ab Afra rogatus ad matrem eius migrauit, & illa gaudens per tres horas plantas illius tenuit, obſecrans, vt & eam faceret à peccatis mundari. Qui indicto eis ſeptem dierum ieiunio, præcepit etiam vt id quod coluerant ei euidenter exponerent. Hilaria reſpondit, parentes mei genere Cyprij fuerunt, & venerunt inde cum ſacris Veneris, & coli Venus non poteſt niſi ab his fœminis, quæ meretrices fuerint. Denique ego filiam meam ſacris Veneris conſecrans, quaſi Deæ Veneri ſeruituram, & de meretricio placituram in proſtibulo manere permiſi; & credens hoc quod mihi eſſet propiciatura Venus, ſi filiam meam diuinis eius * imitationibus occupaſſem. Nam quanto plures amatores poterit habere mulier quæ Veneri ſeruit; tanto plus Veneri placere poſſe à Sacerdotibus Veneris aſſirmatur.

Confert ſe ad ædes Hilaria S. Narciſſus.

Septimana vna ieiunijs & precibus baptizandas vacare iubet.

* *al.* Eumonia.
* *al.* Eutropia.

Tota nocte orat Epiſcopus cum ſuo Diacono.

* *forte*; initiationibus.

Impuriſſima Veneris cultus impurus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De manifeſtatione Dæmonis, & morte ſancti Narciſci.

Cap. CLII.

AVdiens hæc vir Dei Narciſcus epiſcopus ingemuit, & lachrymas fudit, dixitque ad Felicem Diaconum ſuum: Surge frater & demus lamentum ſuper iſtam talem culturam, & rogemus Dominum, *vt vbi abundauit iniquitas, ſuperabundet & gratia.* Factum eſt autem cum oraſſent, apparuit Ægyptius quidam nigrior coruo nudus, & vulneribus elephantinis toto corpore plenus, & cæpit dare mugitum & dicere: O ſancte Narciſce, quid tibi cum caſa mea, quid tibi cum ancillis meis, quas ego ſemper de familia mea habui? Deus tuus, & mundas animas, & munda corpora diligit, iſtæ iam meæ ſunt, alterius eſſe non poſſunt. Tunc ſanctus Narciſcus dixit ei: Dic mihi damnate, *ſcis Ieſum Chriſtum Dominum meum Nazarenum tentum, flagellatum, affixum cruci, & mortuum, & ſepultum die tertia reſurrexiſſe? ſcis hoc factum?* Reſpondit Dæmon: Vtinam mihi hoc neſcire licuiſſet; nam hora qua crucifixus eſt, Princeps noſter fugiens à facie eius, in templum Dei ſe miſit, ideo velum templi ſciſſum eſt: quia virtutem perſequentis ferre non potuit, qui & catenis igneis eſt religatus. Sanctus ait: Quid peccauit Dominus meus Ieſus, vt tanta pateretur? Cui Dæmon: Non pro ſuis peccatis paſſus eſt, ſed pro alienis. At ſanctus: *Diſcede ab his mulieribus immunde Spiritus, quia Dominus meus paſſus eſt, & pro iſtis, quæ ad eius fidem & gratiam concurrunt.* Cui Dæmon: Iube me manere iſta nocte. Cui Epiſcopus, ſi potes, inquit, manere mane. Tunc Dæmon diræ vocis vlulatum teterrimum emittens, nuſquam comparuit. Rogauerat autem antea, ſanctum epiſcopum dicens: Fac pietatem ſuper me & da mihi vel vnam animam in poteſtate. Cui Epiſcopus: Et tu iura mihi in nomine Dei mei, quia ſtatim interficias, quam dedero. Dæmon dixit ei, per ipſum qui nos cum Principe noſtro vicit, *iuro.* Dixit ei epiſcopus: Vade & iuxta fontem alpium Iuliarum, vnde nemo poteſt aquam bibere, non homo, non pecus, non fera aliqua, quia Draco ibi habitat, & flatu eius omnes qui ad fontem acceſſerint moriuntur, hunc interfice, & animam eius in tuam redige poteſtatem. Tunc exclamauit Dæmon dicens: O Epiſcopum mendoſum! Inſuper etiam ligauit me iuramento vt amicum meum occidam, quem ſi non occidero compellar ire in abyſſum, tunc Dæmon abſceſſit, & occidit Draconem, & liberatus eſt fons ad vſus hominum. Per dies autem plurimos Epiſcopus *docuit eas verbum Dei*, & baptizata eſt Hilaria cum filia ſua Afra, & cum puellis ſuis, & cum omnibus charis ſuis. Fecit autem Hilariæ domum eccleſiam, & ordinauit * Zozymum aunnculum Afræ Preſbyterum. Ipſe autem ſanctus Narciſcus perfectis in ordine rebus, poſt menſes 9. ad Hiſpaniam eſt profectus, ad ciuitatem * quandam in qua multum populum Deo per tres annos acquiſiuit, & martyrij palmam cum ſocio diacono ſuo Felice attigit.

ad Rom. 5. — *Dæmon apparet.*

Argumentatur cum dæmone Narciſſus & eũ comincit.

** Lego in Surio Dyonyſium.*

** Gerundã quæ hodie Girona appellatur.*

Paſſio ſanctæ Afræ ſupra nominatæ.

Cap. CLIII.

APud Retiam vero perſecutione commota contra Chriſtianos ſancta Afra comprehenſa, & à iudice commonita vt ſacrificaret, ne inter tormenta deficeret: Reſpondit: Sufficiunt mihi peccata mea, quę ignorans *contra Deum* geſſi, quod autem iubes nunquam faciam; *Chriſtum ante oculos meos habeo, ipſi crimina & peccata confiteor, & quia non ſum digna ei ſacrificium offerre, ego ipſa pro nomine eius cupio ſacrificari, vt corpus in quo peccaui, dum pœnas fuerit paſſum, abluatur.* Iudex dixit: Siquidem vt audio *meretrix es: Sacrifica quia aliena* es à Deo tuo. Afra reſpondit: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixit ſe pro peccatoribus deſcendiſſe de cælo: Nam Euangelium eius loquitur, quod meretrix rigauerit pedes eius lachrymis, & indulgentiam acceperit, & meretrices, & Publicanos, nuſquam deſpexit, quin immo etiam ſecum eos manducare permiſit.* Iudex dixit: Magis ſacrifica, vt diligaris ab amatoribus tuis, ſicut ſemper eras dilecta ab eis vt conferantur tibi multæ deliciæ. Afra reſpondit: Pecunias execrabiles iam nunquam accipio, nam & quas habui, expendi, quia non fuerant de bona conſcientia, tamen pauperes fratres meos exoraui, vt à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis orare. Tunc Iudex nequiſſimus dictauit ſententiam dicens; Afram publicam meretricem, quæ Chriſtianam profeſſa eſt religionem, & noluit ſacrificijs participari, viuam incendi præcipimus. Statimque rapta à miniſtris ducta eſt ad inſulam fluuij quæ dicitur Lyci, ibique eam expoliantes, ſtipiti colligauerunt, at illa eleuans oculos ſuos ad cœlum, cum lachrymis orabat dicens; *Domine Deus omnipotens Ieſu Chriſte, qui non iuſtos venisti vocare, ſed peccatores, ad pœnitentiam.* Accipe in hac hora paſſionis pœnitentiam meam & per hunc ignem corporalem, qui corpori meo paratus eſt, ab igne æterno me liberes, qui & animam ſimul & corpus exurit. Et his dictis expletis, circundata ſarmentis, igne ſuppoſito vox eius audiebatur dicentis: *Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte, qui me dignatus es hoſtiam habere pro nomine tuo, qui pro toto mundo ſolus, hoſtia oblatus es in cruce, iuſtus pro iniuſtis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, dulcis, pro amaris, mundus à peccato pro peccatoribus vniuerſis, tibi offero ſacrificium: qui cum patre & Spiritu ſancto regnas in ſæcula ſæculorum, amen.* Et hæc dicens emiſit ſpiritum.

Afra comprehenditur, & iudici præſentatur.

Matth. 9. — *Luc. 7.*

Afra omnia ſua dedit pauperibus.

Iubetur viua ignibus concremari.

Matth. 9.

Orans emiſit ſpiritum.

Paſſio Sanctæ Hilariæ Matris eius, cum tribus puellis.

Cap. CLIV.

STabant autem iuxta ripam fluminis, Digna. Eumenia, Euprepia, quæ fuerant ancillæ eius, & ſimul in peccato, & ſimul à ſancto Narciſco epiſcopo baptizatæ. Et rogauerunt milites de barca vt eas ibi tranſmitterent. Cumque ibi tranſtuliſſent eas, inuenerunt corpus integrum. Puer autem qui cum ipſis erat tranſnatauit, & nunciauit Hilariæ Matri eius. Quæ venit nocte cum ſacerdotibus Dei, & tulit corpus eius, & poſuit milliario 2 à ciuitate Auguſta, in monumento quod ſibi ſuiſque conſtruxerat.

Quod factum nunciatum eſt Iudici, & miſit ad ipſum monumentum dicens: Ite & comprehendite eas, & ſi conſenſerint vobis ad ſacrificandum, cum honore eas ad me adducite. Euntes autem milites blando quidem ſermone eas primo prouocabant, poſt hæc terroribus compellebant: at vbi viderunt ſimul contemnere ſacrificia, repleuerunt monumentum ſarmento & fœno, & ſiccis ſpinis, & clauſerunt ſuper eas, & ſuppoſito igne abierunt, & ita factum eſt, vt eodem die, quo ſepulta eſt Afra, ſimul etiam & mater eius Hilaria & puellæ eius ſecundum carnem, immo iam in Chriſto ſorores, martyrio dedicatæ ſunt.

Eadem vero die apud præfatam vrbem alij 25. paſſi ſunt id eſt Quiriacus, Largio, Creſcentianus, Memmia, Leonide, Iuliana, Eutychianus, Diomeda, Charito, Philadelphus, Agape, Petrus, & alij 13. qui *pro nomine domini noſtri Ieſu Chriſti* decollati ſunt.

Corpus eius nihil læſit ignis.

Hanc hiſtoriam legas in Surio, Bzouius tamẽ putat eam ſinceriorem quæ ex aliis publicis deſcripſit Vitellius in Hagiologio.

Animam pro vita intelligit Narciſſus. Egregie illuſit dæmoni S. Narciſſus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passio sanctorum Faustæ virginis & Euilasij.

Cap. CLV.

S. Fausta vita habetur apud Surium ex Metaphraste 8. Februarij.

EX *gestis eorum.* Cum autem ad aures Imperatoris Maximiani peruenisset, quod virgo quædam Fausta nomine, quæ erat infantula 14. circiter annorum, filia gemelli protectoris, orbata parentibus nutriretur *Christi iustificationibus*, mittens primum palatij nomine Euilasium, iussit eam requiri, & ad immolandum Idolis suaderi. Veniens igitur Euilasius apud Cyzicum ab hora prima vsque ad 6. eam serra ferrea secari fecit, & ei nocere non potuit. Cui dixit Euilasius: Induxisti me, faciens opera magica & conuertit eum Fausta *per gratiam Dei.* Post quem misit Maximianus præfectum & fecit eum iurare, quod non crederet in *Christum.* A quo dum suspensus iuberetur Euilasius torqueri, ait: *Fausta columba Christi inuoca sponsum tuum propter me, qui tibi multũ nocui: Accipe, & erige me in tuis humeris, & da mihi vbera sicut filio.* Eusebius autem carnifex quidam, dixit Præfecto. Da mihi potestatem in eam. Et accepta potestate, adduxit clauarium cum mille clauis, & fecit ei clauari caput, & frontem, & faciem, & pectus, & tibias, & clauata est, sicut crepido militum. Illa vero orabat iterum pro anima Præfecti, vt conuerteret eum Dominus. Post hæc iussit Eusebius sartaginem incendi, & impleri pice bullienti, & mitti in eam Faustam, & Euilasium. Quibus intrantibus, & psallentibus, refrigerata est sartago. Quod videns Præfectus ait: *Deus qui enumerasti Euilasium cum columba tua Fausta, & me computa cum duobus, vt ego trinitatem compleam.* Et hoc eo dicente, statim aperti sunt cœli, *visus est filius Dei*, & omnis exercitus Angelorum, & iusti splendentes sicut lumen. Et videns Præfectus clamauit, accipe me sicut Euilasium, in sinu sponsæ tuæ domine: & currens venit iuxta sartaginem, & eleuans oculos in cælum ait: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & ego vobiscum sum.* Fausta vero extendens manum astringebat eum, sicut Euilasium, & non tetigit eum dolor. Et illa etiam clamabat: *Ecce ego in medio sum sicut vitis fructifera. Sicut Dominus*, ait, *vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Triplex funis non disrumpitur. Et hæc ea dicente, venit vox de cœlo dicens. *Venite opus vos habet pater.* Et hæc audientes cum gaudio reddiderunt spiritum 12. Calendas Octobris. Tunc Maximianus maledixit Deos suos, qui non poterant liberare homines suos à Christianis. Euilasius 80. annorum erat quando conuersus est.

Euilasius torquetur.

Caput S. Faustæ & corpus clauis cofigitur.

Maximinus præfectus credit in dominum Iesum Christum.

Eccles. 4. Matth. 18. Lege hic Baron in notas Martyrologij.

De sancta Benedicta virgine.

Cap. CLVI.

Patria & parentes S. Benedictæ.

EX *gestis eius.* Fuit etiam Romæ quædam virgo venerabilis, nomine, & merito Benedicta, Romani senatus, vt dicitur sinu exorta, religione Christiana. Hæc fidelium circa se animos instruebat, Deo quotidie orationum vota, & laudum præconia persoluebat; habebat & secum in sanctæ conuersationis habitu, duodecim virgines generosas, quas multis virtutum generibus erudiebat, & scripturarum sacrarum documentis. Cumque de paterna substantia nihil concupisceret, sed *soli Christo* militare quæreret; audito certamine sanctorum martyrum Quintini, & aliorum, qui Roma progressis in locis diuersis Galliarum populis *viam veritatis prædicando* palmam martyrij sunt adepti: vnà cum supradictis virginibus nullo persecutionis deuicta timore, per longa terrarum spacia *Deo duce* in partes galliæ dicitur aduenisse. Cæteris autem diuino instinctu à seinuicem separatis, quo vnaquæque passim multiplicem fructum Deo acquireret, sancta Benedicta cum quadam collactanea sua, nomine * Leobecia Lugdunum venit; ibique aliquantisper commorata toto affectu Domino seruiuit; tandem Angelico ductu peruenit * Auriniacum locum super Iseram fluuium situm, arboribus nemorosum, sed adhuc Idolorum spurcitijs repletum; vbi cum multa sanctitate proficeret, fama increbrescente per loca contigua conuolabat ad eam plebs inualida, cui per eius meritum animæ & corporis medelam, *diuina concessit gratia.*

Soli Christo militare optabat.

* *Petrus in catal. vocat eam, Scobeiam.*

* *Myriniciũ iuxta Petriũ.*

Audiens hæc * Matroculus Iudex, ad locum accessit eamque sibi præsentari iussit. Quæ nomen interrogata, *Christianam se esse respondit.* Matroculus dixit: Expedit tibi meis parere consilijs, vt tormenta possis euadere, & in nostra amicitia permanere, nã & tecum loquar secretius; confiteor quod sum genere *Iudæus*, nec *crucifixi nomen* cuius te seruulam asseris vnquam amaui, nec eius dicta meis auribus inferri permisi. At illa: Audi, inquit, Matrocule omnium infæliciſſime: *Nemo potest in vna eademque re Deo, & hostibus eius gratus existere. Negat enim se amicum Deo, qui eius placet inimico. Itaque parata sum pro nomine Domini mori, quam tuæ placere voluntati.*

* *Petrus in catalogo vocat hunc Iudicem Macrobium.*

Constantia virginis mirabilis.

De Passione eiusdem.

Cap. CLVII.

TVnc ille furens iussit eam expoliari, & virgarum plagis admodum, cædi. Quæ cum in confessione Christi, perseueraret, & Tyranni præcepta contemneret, iussit eam acerrimis cædi palmarum alapis. Deinde equuleo extendi, & plumbatis cædi; postea vero carcere recludi donec inueniret quibus eam tormentis crudelius laniaret. Illa vero in obscuro carceris oranti, Angelus Domini ingressus apparuit, totumque cellulæ spacium luce perfudit & ait: *Benedicta* virgo, constans esto, prope est dies quo te Dominus cum martyrij palma ad se suscipiet, & supernorum ciuium participem faciet.

Caditur virgo crudeliter.

Visitatur in carcere ab Angelo.

His & alijs eius sermonibns confortata, superuenienti ad eam vndique populo, *verbum Dei* prædicauit, sicque per hortationem suam ferme, 155. conuertit. Hæc cum audisset impius carnifex maiori furore exardescens, iussit eam iterum sibi exhiberi, & ait ei: Esto parata meis obedire præceptis, ne te turpiter illusam, hanc vitam amittere per tormenta faciam. Quæ respondit: Notum tibi sit, ô iniquorum procaciſſime, quia pro fidelium cruciatibus paratus est tibi infernalis interitus. Non ergo acquiescas tuorum mendacijs Iudæorum, qui *pro Christo prestolantur Antichristum.* Nam de vobis, & nobis legitur: *Melior est Canis viuus leone mortuo.* Canis enim viuus sumus nos Christiani ex nationibus, qui *Deum* cognoscimus, leo vero mortuus Iudæorum tuorum populus est, qui nihil boni sciunt, quia *filium Dei venisse non credunt.* Tunc videns Matroculus eius constantiam irreuocabilem, fecit eam atrociter neruis cædi; iterum iubens eam ligatis à tergo manibus carceri mancipari; vbi cum illa multis doloribus afflicta *Deum suppliciter exorasset*, Angelus Domini descendens de cœlo, omnia vincula, quibus erat connexa, disrupit, & illa coram omnibus, sine macula exiuit. Quo viso *crediderunt in Deum* multi de populo. Tandem iudex iniquitatis data sententia contra eam vt gladio interiret, ipsemet manu læua virginis cæsariem accepit, & in eius tempora securim dextra intorsit, cuius anima glorioſa, Angelicis manibus suscepta, ad cælum translata est.

Plurimi conuersi sunt per eius exhortationes.

Nota.

Atrociter neruis caditur & carceri mancipatus iterum ab Angelo visitatus.

Passa est Auriniaco sancta virgo 8 Idus Octobris.

Sepulta est in Lugduni ciuitatis territorio vbi passa est, ait Petrus in catalogo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passio sancti Maturini martyris.

Cap. CLVIII.

EX *gestis eius.* Fuit etiam sanctus Maturinus Diocesis Senonensis accola, cuius pater Marinus ex præcepto Maximiani Christianos persequebatur: sed filius à pueritia occultus Christi discipulus, de parentum perditione dolens, pro eorum conuersione *Deum exorabat.* Audiuitque in somnis vocem dicentem sibi: Maturine famule meus, ecce quæ petisti fideliter efficaciterque impetrasti. Qui consurgens *gratias retulit Deo*, illique mater eius diuino instinctu admonita superuenit, dicens: O fili quid nobis erat commodi, si vt frequenter postulas *credam in Christum*? Magnum, inquit, cum & corpus innouatum fuerit gloria resurrectionis, & anima per gratiam baptismatis agnitione veritatis. Cumque illa piam suggestionem filij, viro retulisset, ille ait: Vidi & ego hac nocte in visione, quod hic filius noster oule quoddam ingressus esset, & multitudinis ouium grex ei traditus fuisset. Ambo itaque à quodam sancto Polycarpo episcopo susceperunt baptismum, à quo & ipse Maturinus 20. agens annum ordinatus est in Presbyterum. Hic vt fertur, cum post beati Mauritij sociorumque eius martyrium, Romanus Populus diuersis cladibus afficeretur, filia quoque Maximiani immundo spiritu ageretur, & pater magicis artibus ageret, vt eam liberaret, clamante Dæmone per os puellæ: O Imperator deficient maleficia tua, donec ex partibus Galliæ Maturinus seruus Christi veniat, qui precibus suis populum & filiam tuam salúti restituat: Accersitus ab Imperatore cum militibus Romam perrexit, prius tamen ab eis sacramento recepto, quod si in regionibus illis eum migrare contingeret, corpus eius terræ humādum ad locum suum referrent. Romam igitur perueniens obuia turba cum gloria suiceptus, Imperatoris filiam à dæmonio liberauit, alios autem omnes infirmos sibi oblatos curauit, & tandem ipso die Cal. Nouembris lætus Domino spiritum reddidit. Cuius corpus aromatibus conditum cum sepelissent, & humatum reliquissent, mane reuertentes inuenerunt illud super terram reiectum & stupefacti nesciebant quid agerent. Tunc vnus militum, qui eum de Gallia adduxerunt, pacti sui reminiscens, causam retulit, & ad locum suum corpus cum honore relatum est iussu Imperatoris, vbi ad eius sepulchrum *Deus* multa miracula declarauit.

Lege han c vitam etiã in Petro de natalibus l. 10. c 6. habet & Mó britius eius vitæ alia, tom. 2.

Maturinus liberat filiã Maximiani à Dæmone populumque Romanum à clade epidemia.

Deo reddidit Spiritũ, & in pace quieuit.

Miraculum.

De cæteris qui sub eisdem Imperatoribus passi sunt.

Cap. CLIX.

Author. De sancto Piatone qui & Piatus dicitur legitur, quod à Roma egressus, à beato Dionysio officium Presbyteri assumpsit, & ad Tornacensem vrbem prædicaturus intrepido cursu properauit, vbi sub Diocletiano passus legitur, eodem ordine quo & beatus Lucianus apud Belluacum.

Confirmat hoc idem Petrus in catal. l. 9. c. vndecimo.

Præter hos etiam passi sunt, & alij plures, quorum gesta ad plenum non reperi, sed ex martyrologio breuiter collegi in hunc modũ: 12. Cal. Martij celebratur natale sanctorum martyrum Maximi, Claudij, & vxoris eius Præpedignæ cum duobus filijs; qui cum essent præclarissimi generis, iubente Diocletiano, sunt tenti atque in exilium deportati, deinde incendio concremati.

Habentur horum res gestæ apud Surium 11. Auguſt. simul cum actis S. Susannæ.

Item tertio Idus Iunij, aquileiæ passio sanctorum Felicis, & Fortunati, sub persecutione Diocletiani & Maximiani, qui cum essent duo germani fratres, in equuleo sunt suspensi, atque ardentes lampades circa latera eorum appositæ, quibus mox Dei virtute extinctis, per ventrem feruenti oleo sunt perfusi, atque ad vltimum in confessione Christi capite truncati.

Item 7. Idus Septembris apud Nicomediam natale beati Ioannis martyris, hic nimio calore fidei ignitus, librum in quo continebantur crudelia edicta aduersus Christianos iniecta manu detraxit ac discerpsit. Cumque hoc relatum esset Diocletiano, & Maximiano Augustis, in eadem vrbe constitutis, nimia crudelitate sæuientes, omnia suppliciorum genera iusserunt expendi in eum, quæ vir nobilissimus cum tanta alacritate vultus ac spiritus pertulit, vt nec tristis quidem pro his videri potuisset, & gladio necatus perrexit ad Christum.

Item 6. nonas Octobris. Apud Nicomediam natale sancti Eleutherij martyris cum alijs innumeris, quorum iubente Diocletiano, alij gladiis obtruncabantur, alij ignibus cremabantur, alij in mari præcipitabantur, sed horum primus Eleutherius cum diu cruciatus, per singula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ suæ, ignibus velut aurum examinatus, complenit.

De his lege Eusebium l. 8. cap. 6.

Item tertio Cal. Decembris. Romæ via Salaria natale sancti Saturnini martyris & Sisinij diaconi sub Maximiano Principe, quos in carcere diu maceratos iussit Præfectus vrbis in equuleo leuari, & attrahi neruis, fustibus, ac scorpionibus cædi, deinde iussit eas flammas ad latera apponi, & depositos de equuleo capite truncari.

Extant acta horum Sãctorum apud Surium 11. Ianuarij.

Item 4. idus Decemb. apud ciuitatem * Hispolitanam sanctorum martyrum Carpophori presbyteri, & Abundij diaconi, qui in persecutione Diocletiani, primo fustibus crudelissime cæsi, deinde in carcerem, negato cibo & potu retrusi, rursum equuleo extenti, nouissime gladio percussi sunt.

* *Apud alios Spoleti passi leguntur, cæterum error irrepsisse videtur ex confusione nominum ciuitatis, dum antiquiores pro Hispalensi dixerũt Hispalitano, & Vsuardus sicut Vincentius Hispolitano legit.*

Item 11. Cal. Ianuarij. Romæ via Lauicana inter duas lauros natale 30. martyrum qui omnes vno die persecutione Diocletiani coronati sunt.

Item 10 Cal. eiusdem apud Nicomediam sanctorum martyrum 20. quos Diocletiana persecutio grauissimis cruciatos tormentis martyres Christo fecit.

Hæc de martyribus huius temporis ex diuersis locis, vsquequaque pro possibilitate nostra collegimus.

De nimia sæuitia eorum, & depositione imperij.

Cap. CLX.

EUsebius *in historia ecclesiastica 8. lib. cap.* 13. Cumque aliquando iam non ratione aut humanitate, sed crudelitatis tantum nimietate satiati, respicere ad immanitatem sceleris sui cæpissent, desolatas vrbes ciuibusque optimis, rura nudata cultoribus, orbatos filijs patres, & parentes liberis, ad clementiam se humanitatemque conuertunt, edictumque principale proponunt, quoniam fas non esset tot ciues in quibus fidei esset obstinata persuasio morti tradere, placere de reliquo vt hoc genus hominum nequaquam quidem subiret interritum: omnes tamen qui hanc speciem confessionis tenerent, dextris oculis ferro effossis, eis denique cauterio adustis, etiam sinistro poplite nihilominus cauterio debilitato per singulas quasque prouincias in æris ferrique metalla, vel operis, vel pænæ, gratia deportandos. Hæc fuit clementia principalis, qua optimis ciuibus consultum est.

Huius fidei constantem confessionẽ, & atros cruciatus scribit Eusebius l. 8. c. 5. & Niceph. l 7. c. 5. & licet nomen non explicent, de ipso tamen sentire certum est.

Mira crudelitas Diocletiani & Maximiani

Crudelis clementia Imperatorum.

Et quoniam Dominus tradiderat quidem familiam suam castigari paucis, cruenti vero immanitatis ministri desæuierunt in multis, adest continuo vltrix Dei dextera, & illos, qui primo dum pacem seruarent ecclesiæ, cum omni prosperitate imperium gubernauerant, in tantam rerum permutationem deduxit, vt Augustus ipse in id vanitatis atque amentiæ peruenirent, quo depositis cum collega pariter Augusto regni insignibus, priuati, & plebei post imperium viuerent.

Eusebius ibid. cap. 15

Vindicta Dei in tyrannos Imperatores.

Hugo vbi supra. Igitur Diocletianus ab inuito exegit Maximiano, vt simul purpuram, Imperiumque deponerent, & iunioribus in republica constitutis, ipsi in priuato habitu consenescerent.

Diocletianus & Maximianus se abdicant imperio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De diuisione Imperij inter Constantium, & Galerium.

Cap. CLXI.

ITaque sub vna die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus vero apud Mediolanum deposuerunt Imperium: Tunc Galerius* Maximinus, & Constantius Augusti, in duas procurationes Orientis, scilicet & Occidentis primi Romanum Imperium diuiserunt. Et Galerius Maximinus Illyricum, Asiam, & Orientem tenuit. Constantius vero vir summæ mansuetudinis, & ciuilitatis Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio cæteris partibus cessit. Demum tamen Galerius duos post se Cæsares legit, Maximinum, quem in Oriente posuit, & Seuerum, quem in Italia constituit; ipse in Illyrico constitutus.

Eusebius in chronicis. Galerius autem cœpit anno Domini 307. mundi 4160. Solusque biennio tenuit Imperium.

Idem in historia ecclesiastica lib. 8. cap. 15. Ille igitur, qui Augusto secundus, in honore postmodum etiam in primis successor fuit, qui & incentor, & signifer nostræ persecutionis extiterat, tam multis varijsque morbis, & corporis tabe atque insania mentis affectus est, vt post longos atque inextricabiles languores scelerum suorum furijs agitatus, sponte vitam nefariam perderet.

Sed hæc postmodum. Tunc vero in occiduis partibus quod Maximianus, (qui & Herculius) deposuerat, Constantius regebat Imperium: In duas namque procurationes Romanum Regnum fuerat diuisum: Sed is multa clementia erga homines, erga Deum vero maxima religione vtebatur. *Sozomenus in historia tripartita. cap. 7. lib. 1.* Hic, quosdam in suo palatio probare volens, an boni an solidi essent viri, præcepit siquidem ad sacrificandum venirent, & Deos eius colerent, qui circa eum essent, & in suo* cingulo manerent: Si vero refugerent, egrederentur de palatio, gratias agentes, quo minime punirentur. Cum igitur in vtroque apparerent: alij quidem religionis desertores; alii vero diuina præsentibus præponentes, deliberauit illis amicis, & consiliariis vti, qui fideles in melioribus constanterque permansserant. Alios autem velut effæminatos auersatus: expulit à suo colloquio, credens eos nunquam circa principem fore deuotos, qui sic Dei sui essent paratissimi proditores.

Eusebius vbi supra. Itaque neque ex consortis rabie regnum suum piorũ sanguine maculauerat, neque orationum domos, & conuenticula nostrorum, imitatus Maximiani vesaniã hostili vastatione destruxerat, quin potius cultores Dei veneration habuit, & honori. Vnde & religiosus pater religiosiorem filium Constantinum, Regni bene parti, reliquit hæredem.

Hugo. Hic Dei nutu constitutus est Imperator in Britania, adhuc regnante Maximiano Galerio in partibus Orientis.

* *alias Maximianus, imo verius; nam perperam tum apud Euseb. tum apud alios plerosq; tam Græcos, quã Latinos nominatus reperitur Maximinus vt testatur Baronius anno 304.*

Diocletianus

Idem cap. 16

* *cingulo militari.*

Constantij consilium de explorandis Christianorum Constantia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Constãtinus Imp. an. M. 4162. Ch. 309.

De Imperio Constantini, & Licinij, & morte Diocletiani, & Maximiani.

CAP. I.

EVSEBIVS *in chronicis* Constantinus igitur ex Helena Constantij concubina procreatus 4. persecutionis anno * inuasit Imperium; qui fuit annus Domini 309. mundi vero 4162. regnauit 30. annis, & 10. mensibus. *Idem in historia ecclesiastica. 8. lib.* Sed & Licinius communi omnium sententia ascitus in Imperium, Augustus pronunciatur; quæ res Maximinum vehementer offenderat, quod his tunc adhuc solummodo Cæsar, in Orientis partibus habebatur. Neque id vltra ferens, vi raptum sibimet nomen Augusti assumit. Maximianus vero & Herculius, quem paulo ante collegam fuisse Diocletiani, & cum eo Imperij insignia deposuisse memorauimus, cum à filio suo Maxentio in vrbe Roma tyrannidem tenente, fuisset expulsus, ad Constantinum tanquam ad generum, miserationis causa confugiens, insidias ipsi, à quo religiosè susceptus fuerat, molitur: in quibus turpiter deprehensus, turpius patitur, ita vt post interitum statuę eius atque imagines auferrentur, & in ædibus publicis vocabula nominis eius mutarentur.

Hugo Floriacensis 4. lib. Maximianus igitur Herculius persecutor, Imperium, quod abiecerat iterum arripere volens, à Constantino nondum Imperatore Massiliæ oppressus est, & extinctus. Galerius autem Augustus Seuerum Cæsarem ad Italiam cum exercitu misit, vbi cum vrbem obsideret, militum suorum scelere desertus, & proditus, Rauennæ interfectus est. Diocletianus quoque sicut iam dictum est, regia dignitate deposita, Salone defunctus est.

* *non inuasit sed ab exercitu Britanico ad imperium electus est vt Aurel. Victor & Zosimus testãtur lege Baron.*

Licinius Cæsar, fit Augustus.

Maximinus Cæsar Augusti nomen vsurpat.

Herculius Maximianus à filia Fausta detectus quod dolum Constantino viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur.

De sancta Lucia Virgine.

CAP. II.

EX *gestis eius.* Eo tempore passa est beata Lucia, nam cum per totam Siciliam beatæ Agathæ fama crebesceret, contigit Luciam nobilissimam Syracusanorum virginem cum cæteris ad sepulchrum virginis peregre, inuitante ea matre sua, quæ quatuor annis fluxum sanguinis patiens nullo medicorum poterat remedio curari. Cumque Mater & filia ante sepulchrum orantes iacerent, lachrymis flagitantes suffragium; Lucia somno arrepta, vidit Agatham in medio Angelorum gemmis ornatam, stantem & dicentem: Soror mea Lucia virgo Deo deuota, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo? Nam & Matri tuæ fides tua subuenit, & sicut per me ciuitas Catanensium sublimatur, ita per te Syracusana decorabitur; quia iucundum Christo in tua virginitate habitaculum præparasti.

Visio S. Luciæ.

S. Agatha ei prædicit Syracusanam ciuitatẽ eius martyrio decernendam.

His auditis expergefacta, dixit, matri suæ: Per ipsam te deprecor, quæ te orationibus suis saluauit, ne mihi sponsum carnalem nomines: sed omnia quæ mihi eunti ad corruptionis meæ authorem datura eras hominem moriturum; da mihi eunti *ad integritatis meæ authorem Dominum Iesum Christum*. Cui mater respondit: Omnia quæ mea sunt, vel esse possunt, tu melius nosti, tege oculos meos, & quæcumque tibi placuerit de his facultatibus facito. At illa: Non satis, inquit, Deo chara est, quę dat ei, quæ secum ferre non potest. Sed si tibi vis eum gratum esse, hoc da, quod potes vti, dum viuis. Cũm hæc sermocinaretur virgo, quotidie cum matre fiebat rerum distractio, & quotidie in necessitatibus pauperum expendebantur.

S. Lucia facultates suas distribuit pauperibus.

De passione eiusdem.

CAP. III.

QVod cum ad Sponsi notitiam peruenisset, proposuit litem in iudicio Paschasij consulatis, dicens: sponsam suam Christianissimam, contra leges Augustorum viuere; quam Paschasius corripiens, cœpit ad sacrificia Dæmonum inuitare. Cui illa ait:

A sponso suo accusatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iacobi 1.

Matth. 10. *Sapientissime respondet iudici.*

Peccatum nõ est nisi sit voluntariũ.

Nulla ratione potest virgo sancta loco moueri.

Nihil laditur martyr ab igne.

Gladio confossa non moritur statim.

Hæc acta concordant cum ijs quæ habet Suius.

Sacrificium immaculatum, hoc est, visitare pupillos, & orphanos in tribulatione eorum. At ille: Cessabunt verba cum peruentum fuerit ad verbera. Illa respondit: Verba Dei cessare non possunt, qui dicit: *Non enim estis vos qui loquimini, &c.* Paschasius ait: In te ergo est Spiritussanctus, ego te faciam ad lupanar adduci, vt cum ibi fueris attrectata, fugiat à te Spiritussanctus. Quæ respondit: Nunquã inquinabitur corpus, nisi de consensu mentis, nã si inuitã me violare feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Tũc tradidit eam leonnibus dicens: Inuitate populum ad eam, & tamdiu facite eam illudi, quamdiu mortua nuncietur. Vbi autem cæperunt eam velle trahere ad lupanar, tanto pondere fixit eam Spiritussanctus, vt penitus moueri non posset. Accedentes autem multi simul trahentes deficiebant sudore. Mittentes quoque funes in manus eius & pedes, cœperunt omnes pariter trahere, sed illa quasi mons immobilis permanebat, multa quoque paria boum adducta sunt, vt ab ipsis traheretur, & omnino moueri non potuit.

Tunc angustiatus Paschasius, & mærore deficiens, ignem copiosum circa eam fecit accendi, ita vt picem, & resinam, & feruens oleum super eam iactarent. At illa stabat immobilis dicens ei: Rogaui Dominum vt ignis iste non dominetur mei, & petiui inducias martyrij mei, vt credentibus timorem tollerem passionis, & non credentibus vocem insultationis. Tunc angustiantem Paschasium non ferentes amici, gladium in eius viscera mergi fecerunt, & percussa, quamdiu voluit, allocuta est turbam circunstantem dicens: Annuncio vobis pacem datam ecclesiæ Dei; Diocletiano de regno suo deiecto, & Maximiano hodie mortuo.

Hęc illa dicente, & quædam alia, visceribus eius gladio patefactis; ante oculos eius ferro vinctus ducebatur Paschasius. Cucurrerunt enim relationes Siculorum, quod fuisset deprædatus prouinciam: qui Romam perductus, & à senatu auditus, accepit sententiam capitalem. Virgo autem de loco in quo percussa est penitus non est commota neque exijt spiritus eius, vbi venientibus sacerdotibus, & mysteria ei dantibus, omnibus dicentibus, *Amen.* illa emisit spiritum.

De Imperio & flagitijs Maxentij.

Cap. IV.

Maxentij vita & crudelitas.

Hvgo lib 5. Romæ vero à prætorianis militibus Maxentius Maximiani Herculei filius Imperator erat institutus, & in orientis partibus regnabat Maximinus.

Eusebius in historia Ecclesiastica cap. 16. *lib.* 8. Igitur Maxentius, qui in vrbe Roma tyrannidem cœperat, primo velut inuitandæ erga se plebis gratia, fidei nostræ veneratorem se esse simulabat, & ob hoc persecutiones reprimi, omnesque iniurias à Christianis arceri iubet. Sed nihil in reliquis actibus suis, nihil in vita vel moribus, quod Christianis proximum videretur, ostendit. In tanta etenim flagitiorum, & scelerum fece versabatur, vt nihil facinorum pessimorum ab eius actibus esset alienum. Denique Senatorum & maxime nobilium matronas publicè abstrahi, atque ad suam libidinem deduci imperabat, & post contaminationem viris suis reddi iubebat; non tam expleta adulterij libidine, quam immutata. Tantus vero metus patres plebemque oppresserat, vt ne hoc ipsum quidem, quod in metu erant palam ostendere auderent; sed ferebant insuetam seruitutem gementes, & aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur, cum ille iam non ira, sed libidine cædis agitaretur. Denique quadam die imperat militibus suis exire per plateas totius vrbis, & omnes qui occurrissent cuiuscunque ætatis, & sexus gladijs cæderent, innumeræque multitudines populi Romani non hostium, sed ciuium telis deiecti sunt. Senatores vero, & hi maxime qui honoribus, & opibus clariores in curia videbantur, confictis criminibus tanquam rei puniti, & proscripti sunt. Addidit verò etiam hoc fastigium sceleribus suis, & artis magicæ industriam summis studijs excoluit, ad quæ ministeria explenda perquirebantur mulieres nobiles grauidæ, & adhibitæ, funestis sacris mediæ scindebantur. Rapiebantur & paruuli infantes eorumque exta viscеribus euulsa, perscrutabantur. Iugulabantur, & leones, & nefandis quibusdam commentis ac præcantationibus dæmoniaca arte compositis, bella per hæc dicebantur arceri, & credebatur ius fasque regni per nefas posse seruari. His vero malis omnibus etiam illud additur, quod omnes, qui per cæteras vrbes, vel agros fuerant tyrannica crudelitate deterriti, dum nihil sibi ad vitam tutum putant, relictis agris per loca abdita, & latebras eunt.

Magica crudelitates.

De conflictu sanctæ Catherinæ cum eodem tyranno.

Cap. V.

Direptio diuitiarum vrbis.

Luxuria Maxentij in famina castas.

Eius sæuitia in Senatores & ciues.

EX *gestis eius.* Sub * hoc passa est sancta Catherina, nam repentino eius Imperio ad terrorem Christianorum omnes omnino diuites, & pauperes ad vrbem Alexandriæ, vbi tunc ipse residebat, cum diuersis pecoribus, & auibus ad Deorum sacrificia conuenerunt. Cumque post Imperatorem cæteri subsequentes idolis immolarent, ob fauorem eius insanis plausibus exultarent: In eadem vrbe erat puella quædam, nomine Catherina, annorum 19. vnica filia quondam Costi Regis, qui eam ab infantia studijs liberalibus imbuendam tradiderat, post obitum parentum hæreditatem paternam gubernans, sic in suo palatio residebat. Audiens autem quod de templo gentilium quidam tumultus animalium, & vox cantantium resonaret, misso illuc nuncio iussit inquiri celeriter, quid hoc esset, & audiens festum & sacrificia paganorum, *signo Crucis armata*, prorupit in medium, vbi super alios Imperator * Maxentius eminebat. Dumque eum de terrore Deorum corriperet, ille vultu defixo in virginem, claritatem vultus eius & verborum constantiam attonitus intendebat. Videns autem * Maxentius, quod verbis sapientiæ eius obuiare non posset, mandauit occulte per literas, vt omnes Grammatici, & Rhetores ad prætorium Alexandriæ festinanter venirent, immensa munera percepturi, si virginem, Dijs blasphemia irrogantem, arte oratoria superarent. Adducti itaque quinquaginta viri in omni sapientia mundi vltra omnes mortales edocti, quæsierunt qua de causa de tam remotis terrarum partibus fuerint euocati? Respondit * Maxentius: Est apud nos puella sensu incomparabilis, quæ etiam viros confutat disputando, & quod me magis mouit, Deos nostros non Deos esse, sed dæmones asseuerat, quam si superaueritis, copiosè remuneratos ad propria vos remittam, aut si magis eligatis in palatio meo præcipuos vos esse concedam. Tunc vnus eorum vehementer indignans: O magnum, inquit Imperatoris consilium, vt ob vnius puellæ conflictum, sapientes de mundi finibus inuitaret, quam certe vnus ex nostris clientulis leuissime confutaret: tamen quantulacumque est puella veniat, vt nunquam præter hodie se vidisse, vel audisse sapientem cognoscat. Interim virgo discens per nuncium huiusmodi contra se certamen in crastino constitutum, nihil mota, *se totam Domino commendauit*: & ecce Angelus Domini oranti apparuit, monens, vt constanter ageret: quia non solum ab oratoribus, non vinceretur, sed etiam ipsos per eam conuersos ad palmam martyrij post modicum sequeretur.

* *Sub Maximino legendum, is enim fuit Orientis, Maxentius occidentis Imperator.*

S. Catharina dogit Alexandria.

* *Maximinus.*

S. Catharina non fert idololatria flagitium.

* *Maximinus.*

Quinquaginta oratores veniunt Alexandriã.

Angelus confirmat S. Catharinã.

De

De quinquaginta oratoribus, quos illa ſuperatos ad cælum præmiſit.

CAP. VI.

Ingreditur in diſputationem cum 50. oratoribus.

SEquenti igitur die, cum ante Cæſarem oratores adeſſent, puella *ſigno crucis* ſe muniens ad eos educitur. Et confluentibus ad hoc ſpectaculum cunctis, ſic prior Imperatorem alloquitur: Tu quidem Imperator quaſi iudicio contra vnam puellam, quinquaginta oratores opponis, quos etiam pro victoria remunerandos promittis, & me ſine ſpe mercedis ſic pugnare compellis? erit tamen mihi *præmium Ieſus Chriſtus, qui eſt ſpes & corona pro ipſo certantium*. Quid multa? dum ad obiecta quæque virgo prudentiſſime reſponderet, confuſi oratores, quid contradicerent, neſciebant. Vnde contra eos vehementer iratus* Maxentius increpare eos cæpit, cur ſic ad vocem vnius puellæ tot & tanti hebetatis ſenſibus muti eſſent? Tunc vnus magiſter omnium ſic reſpondit: Noueris Imperator quod nullus ſe nobis ante diem hunc in mundi ſapientia comparauit, quin continuo vinceretur: de puella vero iſta longe alia eſt ratio, in qua *non homo*, ſed *Spiritus Dei* loquens, ſic nos in admirationem conuertit, vt contra *Chriſtum* de quo loquitur, aliquid dicere, aut omnino neſciamus, aut penitus formidemus; vnde conſtanter fatemur, quod niſi ſectam Deorum probabiliorem oſtenderis; ecce omnes conuertimur *ad Chriſtum* & eum *Dei filium* confitemur. Audiens hoc Tyrannus, iuſſit omnes in medio ciuitatis incendi, & ſtatim flammis iniecti, ſic animas reddiderunt, vt etiam veſtibus, & capillis eorum illæſis, putarentur viuentes, potius quam extincti.

Late & fuſe de his agit Surius 23. Nouemb.

* *Maximinus.*

Oratores ſuperantur.

Oratores quinquaginta in igne illæſi reddunt animas.

De tormentis eius & carcere.

CAP. VII.

Tyrannus blanditur martyri.

CVm ergo noctu à Chriſtianis ſepulti eſſent, tyrannus virginem ad ſe blanditijs, & promiſſis inclinare putauit; ſed videns eam immobilem; expoliatam & ſcorpionibus cæſam in obſcurum carcerem trudi iuſſit, & eam ibi fame & ſiti diebus 12. cruciari. Nec tamen *incluſę* Angeli defuerunt, qui plagas eius aromatibus, & vnguentis curantes ipſum quoque carcerem ſplendore nimio repleuerunt. Columba quoque *ieiunanti* ſeruiuit quæ cibum cœleſtem deferens ei diebus ſingulis miniſtrauit. Ipſe etiam *Dominus* poſt 12. dies ei cum Angelis, & multis virginibus apparens, eam vt conſtanter ageret plurimum confortauit.

Sancta virgo Scorpionibus crudeliſſime caditur, & in carcerem truditur.

Chriſtus martyri apparet.

Expletis denique cauſis pro quibus Cæſar interim extrema regionis adierat, reuerſus Alexandriam iuſſit educi de carcere Catherinam. Et videns eam ſplendidiorem, quam tanto ieiunio æſtimabat afflictam, putauit quod eam aliquis in carcere ſuſtentaſſet. Et furore commotus carcerarios punire præcepit, donec faterentur, quis ei cibos in carcere miniſtraſſet. At illa miſerta cuſtodum: Ego, inquit, ab homine cibum non accepi; ſed *qui ſuos in tribulatione non deſerit*, ipſe per Angelum ſuum me nutriuit. Dum ergo* Maxentius mortem crudeliſſimam inferre cogitaret, ſuperueniens vrbis Præfectus, furentem regem vehementius inſtigauit. Et dato ſibi tridui ſpacio, fieri iuſſit quatuor rotas ferris ferreis, & clauis acutiſſimis circumſeptas, vt ad hoc pœnale tormentum alligatam virginem deſecaret, & cæteros *Chriſtianos* tam diræ mortis exemplo terreret. Tunc beata virgo *Deum* ſuppliciter exorauit, vt illam machinam cæleſti igne conſumeret ad laudem ſui nominis & conuerſionem populi circunſtantis. Necdum orationem compleuerat, & ecce *Angelus Domini* molem illam cum tanto impetu diuellendo concuſſit, quod multos gentilium vno turbine ſimul ſtrauit.

* *Maximinus.*

Siſtitur coram tyranno.

Præfecti iniquiſſimum conſilium.

Diuinitus vota in partes diſtribuitur.

De Martyrio Reginæ, & ipſius Catherinæ.

CAP. VIII.

REgina autem, quæ deſuper hoc aſpexit, & quæ vſque tunc præ timore cælauit, ſubito ad Imperatorem veniens eum de tanta ſæuitia increpauit. Statim* Maxentius, contra eos, qui propter hoc miraculum conuerſi ſunt, & contra Reginam maxime indignatus, iuſſit eam extortis mammillis decollari. Quæ cum ad martyrium duceretur, Catherinam rogauit, vt pro ſe, ne deficeret, *Dominum* precaretur. Cui virgo: Ne timeas, ô Regina, & Deo dilecta, veneranda, *quia hodie tibi pro tranſitorio regno, commutabitur æternum, & pro mortali ſponſo, tibi immortalem acquires*. Tunc illa robuſtior tortores hortabatur, ne quod iuſſi fuerant facere, morarentur; & ſic eam extra vrbem ducentes, ferreis cauillis eius mamillas euellunt, & ſic percuſſa gladio migrauit ad Dominum: cuius corpus* Porphyrius noctu rapuit & conditum aromatibus ſepeliuit.

* *Maximinus Tyrannus immaniter ſæuit in coniugem ſuam.*

Imperatrix decollatur.

* *Hic fuit dux exercitus qui credidit in dominum cum 200. militibus.*

Poſtera die Catherinæ tyrannus ſic ait: Quamuis Reginæ rea ſis, quam arte magica deprauatam mori feciſti, ſi tamen reſipueris nobiſcum fœliciter regnans in palatio noſtro prima eris, dic ergo breuiter, quid proponis, quia hodie aut dijs ſacrificia offeres, aut caput amittes? At illa. Fac, inquit, quæcunque animo concepiſti. Et ſtatim data ſententia, iuſſa eſt decollari. Educta igitur, ſpacio orandi dato, cum oraſſet *Deum* pro omnibus *memoriam ſuæ paſſionis* agentibus, & in quacunque tribulatione *nomen eius* inuocantibus, vox ad eam de cœlo deſcendit, quæ certiſſime fieri, quicquid poſtulabat promiſit, ſic decollata, martyrium conſummauit. De corpore vero eius pro ſanguine lac emanauit, ipſumque corpus ab Angelis mox aſſumptum eſt, & ab illo loco in monte Sina 20. diebus itineris tranſportatum, atque ibidem in magna miraculorum gloria requieſcit. Nam & ex tumba eius oleum manat, & cuncta debilium membra ſanat. Sed Imperator* Maxentius diu viuere non potuit impunitus.

Precatio martyris ſub mortem

Caput ei amputatur.

Pro ſanguine manat lac.

Tranſfertur in montem Sina ab angelis.

* *Maximinus.*

De crudelitate & libidine Maximini, & Galerij.

CAP. IX.

Maximini Cæſaris ſæuitia.

EVſebius vbi ſupra cap. 17. In orientis vero & Ægypti partibus Maximinus ſimili per omnia crudelitate, & veſania tyrannidem gerebat, ita vt alter alterum, in ſceleribus videretur imitari; & neſcires qui potiſſimum dare flagitiorum palmam deberes. Itaque Maximinus delicijs, luxu, atque omni diſſolutionum genere fluitans turpiſſima ſuis militibus præbebat exempla, ita vt nullum vel breue oppidum abſque adulterio nobilium matronarum, quæ per loca fuiſſent repertæ, vel corruptione virginum præteriret. Talis hic tantuſque vir, qui pudicitiæ, honeſtatis, iuſtitiæ, ac totius æquitatis hoſtis publicus erat, qui diri etiam Chriſtianorum hoſtis, & perſecutor exiſteret aduerſus quos tantum crudelitatis exercuit, vt prædeceſſores ſuos vincere feſtinaret in ſcelere: ignes, laminas, cruces, beſtias, maris profundum, & obtruncationem membrorum, effoſiones oculorum, & ſingulis membris ſpecialia inferre ſupplicia geſtiebat: cum tamen illi magis conſtantes, & fortes inuenirentur in tolerando, quam iſte ingenioſus & callidus in exquirendo.

De Sancta Dorothea, qualiter eum deluſit.

CAP. X.

Dorothea virgo Alexandrina.

VErum cum duobus grauiſſimis dominis libidine & crudelitate præceps ageretur; fuit apud Alexandriam Dorothea virgo quædam, ſatis nobili orta familia, ingentibus diuitijs, & propinquis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nobilibus pollens. Sed in ea ingenij atque industriæ bonum, cæterarumque honestarum artium studia magis, quam hæc vigebant: formæ vero & decoris gloria tanta fuit, vt mirum ac speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi, & honestate vitæ pulchrior quàm vultu corporis esse studebat, equissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines videbatur, id potius *Deo* consecrare quam vsui humano statuit indulgere, vt virgo *Deo sacrata* persisteret. At ille qui diuina atque humana, libidine simul & crudelitate fædaret, cognito solius formæ, non etiam ingenij ac propositi bono, ad temerandam virginem ac polluendam eius castitatem animum intendit. Comperto vero quod Christiana esset, & secundum sua edicta, pœnæ magis, quam libidini subijcienda videretur, in ambiguo positus æstuare cœpit, & in quam partem se conuerteret ignorare. Sed vbi dubios animos libido quæ ei latius dominabatur, obtinuit & expectantem virginem pro martyrio ad supplicium rapi, per occultos nuncios de stupro interpellauit. Illa æque nefas sibi esse respondit templum corporis sui, quod semel Deo consecrauerat, Idolorum cultu, aut libidinis cõtagione polluere, proinde se quidem ad mortem paratam esse: à crudeli vero tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos, quos quotidie vndatim Christianorum profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cum ille libidine accensus, acrius incalesceret, & nisi verbis acquieuisset, vi agere decerneret, omnibus virgo pudicissima facultatibus suis, domoque ac familia derelictis, noctu clam cum paucis fidelissimis famulis, & cum *amicissima sibi comite castitate* discessit, atque illusum tyrannum vanum amentemque dereliquit. Sed & alias plurimas nobiles mulieres, simul ac virgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratiores, ad mortem quàm ad seruitutem libidinis nactus; crudelibus supplicijs affici iubet.

Hoc modo Maximinus, & Maxentius, in oriente simul atque in occidente velut vno Dæmonis instinctu armati, & paribus eisdemque vitijs accensi, desæuiebant tyranni.

De flagello diuino, quod eum ad modicum mitescere coegit.

Cap. XI.

Galerius Maximianus incipit agrotare.

Eusebius vbi supra cap. 18. Cum autem Maximiani per 10. annos erga Christianos fuit grassata crudelitas; ipsum authorem scelerum vltio diuina corripuit, & ille qui lætis, ac saginatis carnibus incedebat superbus, inflatis subito visceribus suppuratisque distenditur. In profundioribus dehinc pectoris partibus obortum vulnus, totus intrinsecus viscerum secessus, tabo serpente depascitur. Post hæc fistulis quibusdam in superficie purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefactis vulneris venis ebullire vndatim cæpit innumera vermium multitudo. Fætor vero tam intollerabilis erat vt nullus omnino nec medicorum quidem propius posset accedere, quod carnes satis lautæ, & in omni luxuria nutritæ, grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Denique plerosque medicorum, quod nec morbo aliquid mederi, nec vim fætoris tolerare possent, interfici iubet. In quibus cum quidam iugulandus potius, quam medicaturus assisteret, inspiratus *à Deo*: Cur (inquit) Imperator erras, & quod *Deus* infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur: sed recordare, quanta *in seruos Dei* egeris, quamque in religionem diuinam impius, & prophanus extiteris, & intelliges vnde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem cum cęteris mori potero, tu tamen à medicis non curaberis.

Cæsar per morbum admonetur humanæ conditionis.

Tunc se primum Maximianus hominem intellexit esse, & scelerum suorum immanitatem recordatus, primo omnium errasse se, & impiè egisse profitetur, & velut satisfacere incipit *Deo*. Deinde conuocatis his qui in officio publico sibi parebant, legem scribit, & continuo emitti iubet, qua non solum *à Christianis* desinat persecutio, & arceatur omnis iniuria, verum & reædificari eorum permittantur ecclesiæ, vt solitis cultibus, & obsecrationibus vacãtes, etiam pro ipsius salute excelso supplicarent Deo.

Idem in 9. lib. cap. 1. Tunc velut post nimiam tempestatem, si Solis splendor cœlo redditus fuisset ac terris, cæperunt duces populi nostri per singulas quasque vrbes frequentare conuentus, ecclesias instaurare, & concilia agere, sacerdotia reparare. Inde stupor ingens gentilium de tanta tamque subita conuersione rerum, ita vt admiratione ipsa fateri cogerentur, *magnum & solum verum esse Deum Christianorum.*

ANNOTATIO.

Quoniam multi Maximianum cum Maximino confundunt, ideo opus est vt paucis veritatem historiæ aperiam: Constantius Diocletiano successit in oriente; Maximiano vero Herculio Galerius Maximianus in occidente, qui Galerius duos creauit cæsares Maximinum & Seuerum, quos orienti præesse voluit; Seuero autem interfecto, Licinium in eius locum suffecit, vt testatur Baron. an. 306. 307. *demum iudicio Dei, horribili morbo percussus præditus Galerius, agnoscens diuinum hoc flagellum, sibi accidisse ob suam in Christianos sæuitiam, edicto aliquid de persecutione remisit, liberumque Christianis vsum suæ religionis permisit, vt supra dictum est. Quo facto conualuit quidem ex eo morbo, sed non multo post extinctus est. Lege Baron. an.* 311. *Quod ad Constantium attinet hic prior vitæ functus est Eboraci in Anglia, relicto Imperij sui successore Constantino filio suo primogenito, qui eo se admodum opportune contulerat, dum Galerij insidias effugeret.*

De persecutione quam postmodum in Christianos iterauit.

Cap. XII.

Ex historia Ecclesiastica lib. 9. cap. 2. & 3. At vero * Maximinus sex non amplius menses passus est nostros in pace persistere, & protinus, quicquid ad obturbandam eam nancisci potuit, molitur. Igitur primo prohibere nostros per occasiones quasdam tentat, ne ad cæmeteria conuenirent. Interea reperisse se occasionẽ maximam ratus ex eo quod apud Antiochiam simulachrum quoddam Iouis Amicabilis nuper consecratum, artibus quibusdam magicis, & impuris consecrationibus ita compositum est, vt falleret oculos intuentium, & portenta quædam ostentare videretur, & responsa proferre, idque omnibus, & ipsis Imperatoribus pro certo confirmatur. Quod postquam ab vniuersis creditum est, assueueratur item Deus ille dedisse responsa, ne Christiani habitarent in vrbibus.

* *Hunc in orientis atque Ægypti partibus tyrannidem tenere supradiximus.*

Ibidem c. 4. Tunc vero rursum aduersum nos persecutionis rabies instauratur, & Maximinus interim instantia summa per vrbes singulas, & prouincias, Sacerdotes simulachrorum ac Pontifices statuit, multisque eos honoribus, & muneribus afficit, & omnia prorsus diligenter agit; quatenus cunctos beneficijs suis præueniat, vt per hoc promptiores eos efficeret in odium, & necem Christianorum.

Cap. 5. *Acta Christi apud Pilatum conficta. Hoc veneno pueros infici cupiebat.*

Confinguntur acta quædam velut apud Pilatum *de Saluatore nostro* habita, in quibus aduersus Christum omnis blasphemia conscribitur. Quæ acta per omnes regni sui prouincias prolato edicto, emitti præcepit, & per vrbes singulas, per vicos, per agros etiam proponi, præceptoribus quoque puerorum tradi iubet, vt pro his quæ ad meditandum, vel ediscendum dictare solent, hæc tradant pueris memoriæ commendanda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De sanctis martyribus Syluano, & Petro, & Luciano Antiocheno.

CAP. XIII.

Syluanus episcopus.

Petrus Alexandrinus martyr.

VBi *supra cap. 6.* Igitur cum apud Tyrum Phœnices vrbem tres quidem iuuenes correpti, se *Christianos* esse confiterentur, bestijs subriguntur cum quibus & Syluanus episcopus 40. annis functus Sacerdotio, vir mansuetudine animi, & ipsa iam senectute venerabilis. Per idem tempus etiam Petrus, de quo supra memorauimus, Alexandriæ vrbis episcopus per omnia insignis, & omnibus perfectus, vere Sacerdos, & hostia Dei, subito rapitur, & tanquam ex Maximini præcepto capite obtruncatur, cum quo simul, & alij plures ex Ægypto episcopi trucidantur. Lucianus quoque vir moribus, continentia, & eruditione præcipuus Antiochenus presbyter, cum ad tribunal Iudicis fuisset adductus: Cur, inquit, ad eum præses, vir rationabilis, & prudens sequeris sectam, cuius reddere non potes rationem? Aut si est aliqua audiamus. Tunc ille, data sibi facultate dicendi, orationem de fide nostra habuisse dicitur, qua finita addidit: Astipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Galgotana rupes sub patibuli onere disrupta, antrum quoque illud, quod auulsis inferni ianuis, corpus denuo reddidit animatum, quod purius inde ferebatur ad cœlum. Aut si adhuc vobis minus digna videntur, hæc quę in terris substantiam gerunt, accipite etiam de cælo astipulatorem fidelem, solem vobis ipsum horum produco testem: qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirite in annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptū tenebris diem. Quod si terræ, si cœlo, si sanguini eorum à quibus veritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis, quomodo meis verbis, allegationibusque credetis? Et cum penè his verbis iam auditoribus suadere cœpisset, abripi iubetur in carcerem, ibique absque tumultu populi necari:

Oratio Luciani presbyteri de Christo extat apud Eusebium loco supracitato.

De Opusculis eiusdem Luciani, & Phileæ.

CAP. XIV.

Lege Euseb. lib. 8. c. 10. 11. passus est anno Diocletiani vt testatur Baron. in notis Martyrolog.

HIeronymus *de illustribus viris.* Lucianus vir discretissimus Antiochenæ ecclesiæ presbyter, tantum in scripturarum studio laborauit, vt vsque nunc quædam exemplaria scripturarum Luciana nuncupentur. Feruntur eius de fide libelli, & breues ad nonnullos epistolæ. Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi sub persecutione Maximini, sepultusq; Helenopoli Bithiniæ.

Phileas quoque de vrbe Ægypti, quæ vocatur Tumiteus, nobilis genere & non paruis opibus, suscepto episcopatu, librum de martyrum laude composuit, & de disputatione auctorum, habita aduersum iudicem, qui eum sacrificare cogebat, *pro Christo*, capite truncatur, eodem in Ægypto persecutionis authore, quo Lucianus Nicomediæ.

Author. Iam tamen huius Phileæ passionem supra tempore Diocletiani posuimus, sub quo ponit Eusebius: sed potuit eius passio sub Diocletiano inchoari, & sub Maximino consummari, vel forte sub Maximino passus est, & imperante Diocletiano, quia sub eo antea Maximinus militauit.

De sancto Petro Alexandrino.

CAP. XV.

EX *gestis eius.* Sanctus vero Petrus Alexandrinus episcopus, de quo paulò ante dictum est, tempore episcopatus sui nunquam in cathedra sua voluit sedere, sed super scabellum ipsius cathedræ residebat, propter quod frequenter clerus, & populus conquerebatur, sed nequaquam acquiescebat: quia quoties ascendebat, splendor igneus de ipsa sede egrediens ei apparebat, cuius aspectu vir sanctus ita accendebatur, vt interdum se nesciret in corpore. Cum autem quadam solennitate clerus, & episcopi, qui aderant, de tam humili eius sessione quererentur, ille coactus, rem celare non valens: Cur, inquit, affligitis cor meum? an non videtis virtutem igneam, quæ emicat in ipso solio, & spiritum coruscare non cernitis? Cumque omnes demisso capite tantam rem audientes conticuissent, subiunxit: Credite mihi, filioli, si videretis, quę video, cognosceretis; quid est virtus sacerdotalis, & quæ gratia in ipsis habitat ad cuius maiestatis præsentiam ego territus in eadem cathedra sedere non audeo.

Visio Episcopi.

Virtus Sacerdotalis quanta.

Hic igitur episcopus inter præcipuos egregius 12. annos in episcopatu illius vrbis exegit, quorum tres ante persecutionem, reliquos vero 9. in diuersis tentationum generibus duxit. Cumque se semper in omni agone persecutionum positus, arctioribus vinculis continentiæ distringeret, & ad vtilitatem atque instructionem ecclesiæ verbo Dei nobiliter insisteret; ad hunc Maximinus comprehendendum quendam direxit, qui ingressus Alexandriam reperit cum cum multitudine populorum, sanctorum Apostolorum commemorationem celebrantem. Quem comprehensum, & vinculis alligatum, posuit in custodia carceris. Post dies aliquot Maximinus literis admonuit Tribunum, vt quam celerius eum puniret.

Eusebius hist. eccles. lib. 7 cap. vltimo & l. 9. cap. 6. sed plura de S. Petro ex actis eius desumsit, quibus habet, ab Anastasio Bibliothecario (vt putat Baro.) in Latinum conuersis.

De visione sua super Arrio, & de eius martyrio.

CAP. XVI.

Arrius à beato Petro excommunicatus.

INterea dum in carcere seruaretur, & vniuersus populus Alexandriæ fores carceris obseruaret amori sui pastoris, Arrius infelix, qui à beato Petro excommunicatus, & degradatus propter dogma erroris habebatur, cognita sententia Maximini aduersus beatum Petrum festine peruenit ad ecclesiam, obsecrans, vt pro eo apud episcopum Clerus, & populus intercederet, putans, quod post discessum eius ipse leuaretur episcopus. Venientes igitur, qui rogati fuerant, cęperunt pro Arrio beato episcopo supplicare. Quibus sanctus episcopus, cum magno suspirio respondit, quia iam Arrius *Deo mortuus, & à facie Dei proiectus esset*, eo quod grauiter *in essentiam deitatis* blasphemasset; dogmatizans *Patrem, & filium, & Spiritum sanctum non esse vnius naturæ, & essentiæ.* Et apprehendens duos Presbyteros Achillam, & Alexandrum de turba seorsum, ait illi secreto: Ego quidem, etsi peccator sum, tamen scio me vocatione cælesti ad hunc agonem martyrij esse vocatum. Vobis est igitur pium confiteri mysterium Dei, quod mihi reuelatum est, quia vos post martyrium meum sedem, & episcopatum meum consecuturi estis, & tu quidem prius Achilla, post vero Alexander tertius. In hac hora denique noctis, vt vobis totum de Arrio apertam, cum solemni consuetudine *Deo* sacrificium orationis consummassem; ecce subito apparuit mihi in habitu pueri *Christus Dominus meus*, ad cuius præsentiam splendore nimio illustratus, vultum maiestatis eius non valebam aspicere. Erat autem indutus * collobio lineo, candido nimis, consciso à summo vsque deorsum, & ambabus manibus coniungebat eum circa pectus, in eo quodammodo cooperiens nuditatem suam. Quem, vt vidi, timore nimio correptus, tandem confortatus, aio ad eum: Quid est domine, quod video tunicam tuam desciscam à summo vsque deorsum? Qui respondens dixit mihi; Quotidie vides & tractas, & nescis quomodo scissa est? Arrius hoc fecit, qui separauit à me populum hæreditatis meæ, comparatum sanguine meo. Præcipio nunc & moneo, ne recipias eum in communionem, nec rogantibus his, qui venturi sunt

Terribilis sententia. Qua blasphemia Arrius tristatem blasphemauit.

Sanctus Petrus futura prædicit.

Apparet S. Petro Dominus Arrij cœsitia ei iniqua.

** Collobium est tunica sine manibus. Vtinam hæc attenderent hæretici, qui in multas sectas distrahunt populū & violant sponsam Christi scilicet ecclesiam.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad te, quos ille rogauerat, veniam ei præstes. Hæc, quæ tibi manifestaui, duobus Presbyteris tu nota facies, vt ipsi post te eum anathematizando abijciant; ne illius errore populus decipiatur. Exhortationis igitur sermonem faciens, vt in catholicæ fidei vnitate manerent, commendans eos *Domino in quem crediderant*, dimisit eos in pace. Nimio quoque amore illius cum populi circa carcerem detinerentur, aperte de carcere educi non posset, noctis medio tribunus vnà cum militibus rupto pariete carceris per medium foramen ad locum vbi decollandus erat, eum perduci fecit. Sanctus itaque Petrus oratione facta ad sepulchrum beati Marci Euangelistæ, & sanctorum successorum eius: Anniani, Demetrij, Theonæ, inclinans genua sua, & *gratias agens Deo* qui eum martyribus suis associasset, extendit ceruicem suam gladiatori, atque ita percussus martyrij palmam adeptus occubuit.

Caditur S. Petrus gladio in Bucula loco vbi S. Marcusquoq; martyriū consūmauit.

De Sancto Romano martyre.

Cap. XVII.

Exgestis eius. Cum autem Galerius edictum vbique misisset, vt *Christum* negaret, quicunque viuere vellet. Hoc cognito, Romanus vir acris excellentię pauentium animos confortabat, & ne cæderent turbini suadebat. Itaque conspirat vno spiritu confœderatus grex Christianus, *fidem tueri*, vel libenter emori. Cumque relatum esset ad iudicem plebis rebellis Romanum esse ducem, præceps iubetur rapi, & solus tanquam incitator, & fax omnium causam dicere pro contumaci plebe. At ille non resistens, se quoque vinciri petijt, & vltro flexas in tergum manus torsit. Cui Tyrannus astanti ait: Infame monstrum, tu ventilator vrbis, & vulgi procella leuis, mentes mobiles inquietas, æquum est (ni fallor) vt mox futuræ cædis primus exitium luas, & feras ipse, quod ferendum suaseras. Cui ille ore libero respondit: Amplector, ô Præfecta, nec me subtrahe, vt pro fideli plebe solus immoler, dignus subire quęcumque vestra crudelitas iusserit. Tunc scindunt milites vtrumque viri latus mucrone hiulco, longa per artus tractim vulnera sulcant, obliqua rectis, recta transuersis secant, vt iam retectis ossibus albesceret pectus. Inter hæc quietus manens Romanus, ait, hoc totum Præfecte, quod laceratur non dolet; dolet, quod pectori tuo error insedit, & quod populos istos perditos tecum trahis. Vix martyr orationem peregerat, tunc furens Asclepiades interserit: Vertat ictum carnifex in os loquentis, & in maxillas, manus, sulcosque acutos, & fidiculas transferat, verbositatis ipse rumpatur locus, & scaturientes auras perforatis follibus perdat. Implet iussa Lictor impius, ambas genas stringentibus vngulis, & cruentis faciem secat notis, hirsuta barbis carptim cutis soluitur, & vsque ad mentum vultus eius scinditur omnis.

Huius res gestas cecinit Prudentius hymno Acta eiusdē edidit Momb. to. 2. in quibus de Barula puero mentio habetur. Est hic tamen magna confusio cauenda quia tā graci quā latini, hac ipsa die de alio Romano agūt ipsoque die cono ecclesia Cæsariensis, de quo Eusebius lib. 8 hist. eccles. cap. 12. Imo arbitrati sunt nonnulli vnum eundemque esse Romanū & non duos, cū præsertim conueniant in nomine & loco passionis. Lege Baronium in notas Martyrologij.

De fine agonis eius, & Barulæ pueri.

Cap. XVIII.

Martyr autem inter fluentem sanguinem fatur: Grates tibi, ô Præfecte, magis debeo, quod multa panderis ora, iam *Christum* loquor, Christique patris gloriam. Ecce tot laudant ora, quot sunt vulnera. Sed, quia luctari tecum non lciet ratione profunda; consulamus proxima, interrogetur ipsa naturalium sensuum simplex, & sine arte fuci imperita sententia. Da septenem circiter vel infra puerum innocentem, vt percunctemus, quod recens infantia sequendum dicet, quid nouus vigor sapiat? Hanc vocem Præfectus amplectens, vnum de caterua infantium nuper ablactatum adesse præcepit. Cui Romanus ait: Quid tibi filiole, videtur esse verum, & congruens, vnum ne *Christum* colere, & *in Christo patrem*, an mille formarum Deos adorare? Tunc infans arrisit, nec moratus retulit: Quicquid homines dicant, *Vnum oportet esse Deum, & verum vnicū, cūque hic sit Christus, Christus est verus Deus*: nā deorum genera multa nec pueri putant. Ad hæc tyrannus stupuit pudore fluctuans, nec enim decebat innocenti ætatulæ vim legis inferre, nec furor sinebat loquēti talia parcere. Quis tibi, inquit, author est vocis huius? Respōdit ille: mater, & matri Deus. Ego, vt de fontibus gemellis vberum lac paruus hausi: Christū & hausi credere. Illa imbibit ex patente spiritu docta, quo me pasceret inter ipsa cunabula. Tunc exclamans Asclepiades: Ergo, inquit, adsit ipsa mater, & disciplinæ suæ tristem exitum spectet. Statimque iussit infantem remota veste virgis verberari, tenerumque duris ictibus tergum secari. Denique præcepit vtrumque perdi, scilicet puerum gladio decollari, magistrum igne excremari. Puerum carnifex popposcit; mater dedit, nec fletibus immorata, tantum osculum vnum impressit, vale, inquit, dulcissime, & cum beatus Christi regna intraueris, memento matris. Tunc cum percussor ense ceruiculam ferit, docta psallere mulier, hymnum canebat carminis Dauidici: *Preciosa sancti mors sub aspectu Dei.* Cumque inde retortis brachijs Romanus ingereretur rogo; Scio, inquit ille, non futurum, vt nunc cremer, nec hoc passionis genus est mihi datum, sed restat ingens, vt fiat miraculum. Hæc eius verba sequitur immensus fragor imbris ruentis, & niuibus præceps vndatim ignes obruit. Quod audiens Iudex, hoc magicæ artis ludibrio, iratus attribuit. Tunc iussit martyrem foro pertrahi, & in tenebris noctialis carceris trudi, cuius collum fune Lictor nefandus elisit, & sic eius peracta passione, anima vinculis absoluta, cęlum petijt.

Infans, stupore omniū proclamat vnū Deum.

Infans diro caditur ob confessionem vnius Dei.

Psal. 115.

Miraculum.

Romanus strāgulatur.

De Sanctis Quirino, & Pamphilo martyribus.

Cap. XIX.

Ex martyrologio. Prętera pridie non Iunij, celebratur apud Illyricum ciuitatem Sisciæ, natale beati Quirini episcopi, qui pro fide Christi (vt Prudentius scribit) ligato ad manum molari saxo in flumen præcipitatus est, & cum circunstantibus diu collocutus, ne eius terrerentur exemplo, vix precibus à Deo vt mergeretur obtinuit.

Huius nobile martyrium prudentius cecinit hymno sacro.

Hieronymus de illustribus viris. Phamphilus Presbyter Eusebij Cæsarienſis Episcopi necessarius, tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ vsque hodie in Cæsarienſi bibliotheca habentur, sed in 12. Prophetas 25. enarrationes Origenis volumina manu eius exarata reperi; quæ tantum amplector, & seruo gaudio, vt Crœsi opes me habere credam. Si enim lætitia est vnam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigijs? Scripsit antequam Eusebius scriberet apologeticum pro Origene, & passus est Cæsareæ Palestinæ sub persecutione Maximini.

De impijs edictis Maximini contra Christianos.

Cap. XX.

Eusebius 9. libro cap. 7. Tanta autem in breui aduersum nos crudelissimus tyrannus excitauit, vt longe sæuiora prioribus, & duriora patrarentur aduersum nos legationes prouinciarum, & vrbium, quando enim tot, & tanta imperialia edicta venerant, ita etiam, vt æreis tabulis inscidi leges, quæ aduersum nos datæ fuerant, iuberentur? quando pueris scholaris meditatio de Pilato, & Iesu haberi contumeliæ nostri gratia iussa est, & confictis referta blasphemijs per totam diem decantari? In his, vero legibus, quas aduersum

Miratyranni iactantia & odium in Christianam religionem.

nos

nos ære inscisas singulis ciuitatibus proposuerat, velut in æternum mansuras iactanter, & superbe descripserat, quod ex quo Chtistiani, vrbibus sedibusque pellerentur, & aeris læta esset temperies, & terræ fœcunditas abundantior. Idcoque recte consuli ad Deorum immortalium gratiam, vt inuisum hoc hominum genus ex omnibus locis in quibus eorum maiestas colitur, pelleretur.

Ibidem c. 8.

Nec mora Dei prouidentia dum adhuc per aliquas longius positas ciuitates impia mitterentur edicta, arrogantiam tyrannicæ vocis refrænans, qua lætas segetes pro Christianorum fuga, & vrbe res frugibus descripserat campos imbres restringit in nubibus, & effetas arida sterilitate segetes, dereliquit. Arescit etiam herba camporum, & non solum hominibus fructum, verum etiam pecudibus pabulum negat: fames quoque tetra, & obscœna vbique grassatur. Aeris quoque temperies, quam suis impijs actibus descripserat famulari, in tantam corruptionem versa est, vt humana corpora vlceribus pessimis, quæ *Ignis sacer* appellatur, necnon, & his qui dicuntur *carbunculi*, replerentur: ita vt ora hominum atque oculos occuparent, vt si quis forte ex his effugisset mortem, luminibus orbaretur. Sed & alijs nihilominus pestilentibus morbis virorum ac mulierum immensæ multitudines, & præcipue infantium cateruatim cadebant.

Varijs calamitatibus affligitur Gentilis populus in pœnam effusi Christi sanguinis, nimirũ, peste fame & malis vaporibus aeremistrientibus multisque alijs miserijs

De Vltione diuina in Maximinum & in suos.

Cap. XXI.

Eusebius vbi supra. additur etiam illud his malis, vt Armeniorum gens olim, & vtilissima & amicissima Populo Romano, dum ab eo Christianæ religionis ritum, cui deuotissime vniuersa dedita est, in Idolorum cultum mutare cogeretur, & Dæmones venerari pro Deo, inimici pro amicis, & pro socijs aduersarij effecti, se manu aduersum nefaria eius edicta defensare pararent, ac sponte bellum inferrent. Quæ simul omnia coaceruata stulte ab eo pœnas arrogantiæ deposcebant; pro quo per fugam persecutionis, quæ Christianorum pacem sibi & rerum omnium copias atque etiam aeris temperiem deseruire iactauerat. Igitur cum ipse, & exercitus bello Armenico vehementer, & acriter vrgerentur, populos per vicos, & per vrbes, quibus diuina atque humana prospere cuncta cessura legum suarum auctoritate promiserat, fames dira absque vlla miseratione vastabat. In vrbibus tantæ per dies singulos multitudines cadebant, vt nec loca ad sepulturas inuenirentur. Quamplurimi vero ita exhausti incedebãt, vt simulachra magis carne carentia, quam homines putarentur colore tetro, luminibus in profundum demersis, huc atque illuc corpore nutabundi, & iam iamque lapsuri ingrediebantur. Interea per plateas omnes, & angiportus erant omnia repleta cadaueribus mortuorum, nec erat omnino, qui sepeliret, dum, & ipsi qui superesse videbantur, adhuc morbo inualidi essent, & quasi continuo morituri. Ex quo fiebat spectaculum miserabile, ita vt quam plurimi à canibus deuorarentur. Hæc extitit legum Maximini atque arrogantiæ, & elationis eius, & iudicij de Christianis habiti remuneratio; Hæc illius in Deum pietas, & religionis, vt asserebat cælitus traditæ, maiestas. Verum (vt superius diximus) cum & inhumata mortuorum cadauera, quos fames consumpserat, in plateis iacerent, & quos lues vsque ad vnum interemerat, nihilominus in domibus insepulti manerent. Qui vero superesse videbantur, cum vrgerentur inedia, clamare cœperunt omnes, & sponte Christianorum pietatem, & misericordiam imprecari; quosq; paulo ante extorres patria, & domo egerant, nunc suppliciter exorare vt more sibi solito viuentibus alimonie auxilium deferant.

Gens Armeniorum bellum mouet aduersus Maximinũ.

His malis Dei misericordia ex malo bonum eliciente, factum est vt multi ad fidem conuerterentur, ob vitam sanctam, & opera admirabilia quæ barbari in Christianis aduerterunt, & imitari cupierunt vt testatur Zozomenus l. 2. & etiam Baronius.

De Pietate Christianorum in Paganos.

Cap. XXII.

Cum vero nostrorum populi, quibus reuera per Dei gratiam, quod maxime omnibus mirabile fuit, neque fames in aliquo, neque lues fuerat damnata, in nullo prorsus iniuriæ memores, more sibi solito ad misericordiam inimicorum, *præceptis dominicis instituti*, conferre certatim vnusquisque prout poterat cibos, & sustentare ac reficere pereuntes, & non solum cibos cum eis, sed & affectum cum eis participare cæperunt. Ex quo indigentibus parua sufficere videbantur, eo quod cum magna pietatis affectione præbebantur. Illos quoque, qui morbi contagione laborabant, ad quos nullus gentilium neque propinquorum quidam introibat, sedula, & frequenti visitatione curare, nec pati omnino aliquid per contagium, quippe quos diuina gratia circumdaret, cadaueribus quoque mortuorum sepulturam deferre, & quę sunt naturæ iusta complere. Ita breui ingressu solo Christianorum per vrbes, & vicos, malorum facies immutata, rebus ipsis atque operibus, veram esse & piam religionẽ Christianorum in cordibus omniũ scripsit, multo tenacius, quã tabulis æreis eã falsam esse tyrannus inciderat. Tunc ergo videtur completum illud, quod scriptum est in Exodo *quod Ægyptijs erant tenebræ palpabiles, & crassæ, filijs autẽ Israel erat lux in omnibus habitationibus suis.*

Mirifice in hac lue enituit Christianorum commiseratio erga Ethnicos.

Exod. 10.

De Eusebio Papa, & dissonantia historiæ.

Cap. XXIII.

Eusebius vbi supra. Temporibus Constantini Eusebius natione Græcus in Papatu sedit. Hic hæreticos inuenit in vrbe Roma, quos per manus impositionem reconciliauit.

Huius temporibus inuenta est *Crux Domini* 5. Non. Maij, & baptizatus est Iudas, qui est Quiriacus. Sedit autem annis * 7. & sepultus est in cæmeterio Calixti via Apia 6. Calen. Octobris.

Post hunc Militiades natione Afer sedit annis quatuor. Hic constituit nulla ratione die dominica, aut quinta feria ieiunium à fidelibus agi, quia eos dies pagani, quasi sacrum ieiunium celebrabant, & Manichæi inuenti sunt in vrbe Roma. Sepultus est autem, & ipse in præfato loco 4. Idus Decembris.

Post hunc Siluester natione Romanus sedit annis 23. Hic exilio fuit in monte Soracte, & postmodum, rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus à lepra, cuius persecutionem primo fugiens, exilio fuisse cognoscitur.

Author. Mirandum quomodo liber iste de gestis Romanorum Pontificum à Damaso Papa conscriptus, ab alijs historiographis dissonat in pluribus. Nam Eusebius Cæsarienſis fuit scriptor eorum, quæ præsens vidit, & audiuit, fuit enim temporibus Constantini, & dicit in chronicis suis, quod Eusebius temporibus Galerij tantum sedit mensibus sex, & post eum Melchiades siue Miltiades annis 3.

Rufinus in historia ecclesiastica decimo libro. Post Concilium Nicænum, quod constat à Constantino iam Christianissimo, & religiosissimo Imperatore cum multis episcopis fuisse celebratum, narrat, *sanctam Domini Crucem* à sancta Helena fuisse quæsitam, & inuentam.

Quod autem Constantinus post adeptum Imperium Christianos persecutus sit, nusquam legi potest præterquam in actibus beati Siluestri, vbi dicitur eundem Papam in monte Soracte latuisse, vt persecutiones Constantini declinaret.

In martyrologio tamen ita legitur.

xvij. Cal. Augusti apud Antiochiam Syriæ, natale

** Annis 2. mensibus 7. & diebus 21. ait Bar. sequent. iudicem Cresconianum. Quod autẽ traditur huius tempore crucem Domini nostri Iesu Christi inuentam esse, magis probatur id longe post contigisse vt ait Baron. an. 321.*

An Cõstantinus magnus persequutus fuit vnquam ecclesiam Dei lege Baron. in notis martyrol.

beati

beati Eustathij Episcopi,& confessoris sub Constantino Principe, qui ob Catholicam fidem in Traianopolim ciuitatem Thraciæ pulsus exilio, ibidem requieuit. Superius quoque iam dictum est rabiem persecutionis non cessasse vsque ad 7. annum Constantini magni, ex tunc enim idem Imperator pacem ecclesijs reddidit.

De Martyribus quorum tempora ignorantur,& primo de sancto Christophoro.

CAP. XXIV.

QVoniam ergo passiones martyrum, quorum certa tempora reperimus superius abbreuiatas, suis locis posuimus; nunc completis 10. persecutionibus; restat vt eorum quoque,& de quibus incertum est, quibus temporibus passi sunt,glorioſos agones Deo iuuante describamus.

Christophorus vir proceriſſimæ statutæ,& vultu terribilis,cum in Samon ciuitatem Lyciæ fortuitu aduenisset, & rex vrbis nomine* Dagnus sanctos Dei nolentes sacrificare grauiter tormentaret. Interrogatus est, si secundum decreta principum sacrificijs consentiret: at ille non intelligens linguam eorum, valde tristatus est, & prostratus *orauit ad Dominum*, vt ei illius linguæ concederet intellectum. Dumque persisteret in prece,iudices eum insanire putantes, sic eum reliquerunt,& venerunt ad locum vbi Christiani varijs pœnis torquebantur. Subito Christophorus dato sibi quod petierat, *diuina voce confortatus*, cucurrit ad locum, & videns sanctos torqueri,cum tortores,& iudices increparet, suum vultũ clamyde cooperuit,vt agnosci non posset. Quem statim vnus ex iudicibus alapa percussit,& ille vultum discooperiens, protinus ei dixit: Nisi essem Christianus,& pro Deo tormenta, & iniurias pati vellem, illatam mihi iniuriam in te protinus retorsissem. At ille vultum viri immutatum non sustinens, conterritus,cucurrit ad Regem. Qui cum hæc omnia seriatim dixisset, & Rex Christophorum perdere cogitaret: Interim Christophorus confluentem populum allocutus per prædicationem suam baculum quendam aridum in terram fixit, *& ad honorem Dei*, & conuersionem populi, vt flores, & frondes produceret, impetrauit. Ad quod miraculum multi sunt conuersi, & à Petro Presbytero baptizati. Hoc iterum Rex audiens iratus misit milites,qui eum ligatum adducerent; qui cum ad eum accedere non auderent, ait eis Christophorus. Quid vultis, aut quem queritis? Rex, inquiunt, misit nos ad te vt te ad eum vinctum duceremus. Qui respondit: Si voluero nec solatus,nec vinctus, duci potero. Dicunt ei milites: Ergo si non vis nobiscum venire, vade quocunque volueris; & nos dicemus, quod te non inuenimus. Non ita, inquit, sed ego ibo vobiscum. Quos cum prædicando in itinere conuertisset, & baptizari fecit,& appropinquans vrbi, fecit se vinctis post tergum manibus ad regem deduci. Cuius magnitudinem Rex admitatus,genus eius requirit. Genus,inquit, meum facies mea indicat ex regione Cananitida,à parentibus *Reprobus dicor. Sed hoc nomen in baptismo spernens,Christophorus nunc appellor. Rex ait: Quod stultum nomen tibi imposuisti, *Christi* scilicet *Crucifixi*, quia certe sicut nec sibi, ita nec tibi prodesse poterit; vnum tamen dico tibi, quod si Dijs sacrificaueris, magnos à me honores, & diuitias consequeris, aut certe si oblata respueris diris supplicijs consumeris. Nolentem itaque iussit Rex in equuleo suspendi, & vsque ad nudationem costarum vnguibus laniari.

Passio Sanctarum Nicetæ & Aquilinæ.

CAP. XXV.

TVnc suggestum est Regi vt duas formosas mulieres, ad eum faceret introduci. Quo facto,vir sanctus in oratione prosternitur, & cum à meretricibus plausu manuum, & amplexibus vrgeretur, surrexit, & ait illis: Quid vultis, & cur inductæ estis? At illæ vultus eius claritate perterritę,dixerunt: Miserere nostri sancte Christophore, *vt in Deum, quem prædicas possimus credere*; quia huc introductæ sumus, vt sicut multos decipimus, ita & te ad idolatriam traheremus. Tunc Christophorus blande eis respondit; & eas *ad Christum* prædicando conuertit. Quod cum Rex audisset, iussit eas sibi quantocius præsentari; & ait illis: Nunquid & vos à Dijs recessistis illius maleficijs? per Deos iuro, quod si non sacrificaueritis, morte pessima peribitis. Quæ responderunt: Si Dij sunt, immolare debemus, sed iube prius mundari plateas, vt omnes ad templum Deorum perueniant, quia Niceta & Aquilina ibi sacrificare habent. Quo facto cum per plateas ornatas ad templum venissent, dixerunt astantibus, vt ad eas intenderent; & ascendentes ad *Idolum* Iouis dixerunt: Si Deus es, iube, quid faciamus;quia Rex præcepit vt sacrificemus. Cumque idolum nil dixisset, alligantes omnia Idola zonis suis, deiecerunt ad terram & in puluerem confregerunt, & dixerunt astantibus: Vocate medicos, vt curent Deos vestros. Tunc Rex iratus, dixit eis: Ego monui vos Deos adorare, non conterere, testor autem virtutem eorum, quod perimam vos per diuersas angustias tormentorum. At illæ dixerunt: stulte, si erant Dij, cur à fragili sexu se permiserunt conteri. Tunc iussu Regis Aquilina suspenditur, & ligato ad pedes eius ingenti saxo membra eius omnia disrumpuntur. Quo facto cum migrasset *ad Dominum*, soror eius Niceta ligata manus,& pedes,in ignem proijcitur,& inde exiens illæsa, protinus decollatur.

Passio Sancti Christophori martyris.

CAP. XXVI.

POst hæc Christophorus educitur, & confluentem ad se populum confortans, Regi celeriter præsentatur,qui videns populum multum *ad Christum conuersum*, iussit omnes citius decollari; Christophorum vero ferreis catenis ligatum virgis cædi, deinde super sellam ferream clauis, & vinculis alligatum, succenso igne & iniecta pice in medio ciuitatis vsque ad cinerem concremari, sed repente sella sicut cera confringitur, & Christophorus in medio ignis incolumis *ad fidem* populos adhortabatur. Multis ergo credentibus, Rex in malitia permanens, iussit molarem lapidem in collo eius alligari, & per plateas ciuitatis distractum ligari ad stipitem, & à militibus sagittari. Cui cum sagittæ nocere non possent,& Rex & milites eum occidere se putarent, ex pendentes in eo sagittas, ei pariter insultabant. At ille dum imminentem eis pœnam,& sibi gloriam prædicat, insultantibus reinsultat, & iussu Regis ad decollandum ducitur,& ibi finito orandi spacio decollatur.

De passione sanctæ Margaritæ virginis.

CAP. XXVII.

SAncta* Margarita nata in Antiochia à parentibus gentilibus nutrici traditur, à qua dulciter & studiose nutritur. Adulta se sponte baptizari fecit, & defuncta Matre, à patre propter hoc exosa, oues nutricis suæ pulcherrima puella pascebat. Tunc

accidit

* Dagnũ irrepsisse pro Decio sub quo passus est Christophorus nota hic Baroniũ in notis Mar. 25. Iulij.

Gesta hæc Christophori inuenies in Iacobo de Voragine,sed multa ibi sunt quæ censura indigent, nam ea omnia quæ sibi feruntur de palma,flumine & cæteris, Hieronymus Vida episcopus Alba,allegorico sensu interpretanda censet.

Christophorus milites conuertit ad fidẽ Christi.

* Adoptimus id est Reprobus.

Christophorus in equuleo suspenditur.

In carcere intromittitur ad eum duæ meretrices.

Meretrices conuersæ irridentdæmonum simulachra.

Lege de his Petrum in catal.l.6.c. 132.

Viri per sanctum Christophorum conuersi decollantur.

S. Christophori multiplices pœnæ. Capite caditur. Lege de S. Christophoro Ambrosium in præfatione.

* Hanc aliter Marinã dicit Beda & vsuardus 14 Kalend. Iulij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

accidit quendam * Seneſcallum Imperatoris tranſire per Antiochiam, qui cum puellam vidiſſet, & iam in amore eius vehementer arderet, iuſſit eam ad ſe venire, & cæpit ab ea nomen & genus, & religionem inquirere. At illa conſequenter reſpondit, ſe eſſe nomine Margaritam, genere nobilem; religione Chriſtianam. Tunc Præſes: Prima, inquit, duo tibi conueniunt, ſed tertium nimis diſcordat, vt puella tam pulchra, tam nobilis *credat in crucifixum*, qui nec ſibi, nec alijs ferre potuit auxilium. Tunc Margarita tam recte, & tam prudenter de fide noſtra, & infidelitate paganorum reſpondit, quod Præſes eius rationibus ſuperatus, erubeſcens ſe victum, iuſſit eam carceri mancipari.

** Vocabatur Olybrius.*

Olybrius præſes eam vult habere coniugem.

Conſtans Margarita reſponſum.

Sequenti die iubetur, aut ſacrificijs conſentire, aut diuerſis ſupplicijs deperire. Renuens exuitur, ſuſpenditur, & virgis acerrimis vſque ad fluxum ſanguinis, & defectum cædentium laniatur. At illa *virtute Dei* nec ſuſpirauit, nec gemuit, nec ſaltem vultum triſtem contraxit. Et cum adhuc *Dominum* prædicaret, putans ſe Præſes irrideri pectinibus ferreis iuſſit carnes eius vſque ad oſſa ſulcari. Quod dum fieret, & propter eam populus aſtans fleret, dum etiam ipſe Præſes quaſi pie ei conſuleret, & illa immobilis permaneret, ait Præſes; Iam non parcam, iam non miſerebor, conſulentes ſibi deludit, deos blaſphemat, tormenta contemnit. In carcerem ergo mittitur, vt excogitatis ſupplicijs, per membra ſingula diutius puniretur: ſed ſtatim tenebræ carceris immenſo lumine radiante fugantur, ſed diabolus, vt eam terreret, ſubito ei in Draconem mutatus apparet, qui cum eam quaſi deuoraturus impeteret, *ſigno crucis oppoſito* protinus euanuit. Sed tamen ille adhuc, vt ei quocumque modo ſuaderet, in hominem ſe mutauit. At illa Dæmonem eſſe intelligens, eum per caput apprehendit, & ſub ſe ad terram deijciens, coegit vt diceret, cur Chriſtianos tam multipliciter attentaret? Qui reſpondit, naturale ſibi eſſe odium contra virtutum viros, & quamuis ſæpe repellatur ab eis, ſpe tamen, & deſiderio ſeducendi, ſemper infeſtus exiſtit; & quia inuidet nobis fælicitatem quam perdidit; etſi hanc recuperare non poteſt, eam alijs auferre contendit. Et his dictis dum virgo pedem ſubleuauit, ille ſtatim velut fumus euanuit.

Contemnit cruciatus omnes.

Detruditur in carcerem.

Diabolus ſpecie draconis ei apparet.

Virtus crucis.

Finis agonis eiuſdem.

Cap. XXVIII.

ILla ergo ſpem accipiens, quod miniſtrum iam ſecura vinceret, quæ iam caput impiorum diabolum ſuperaſſet; ſequenti die conuenientibus populis, virgo Iudici præſentatur, & ſacrificare nolens exuitur, & appoſitis ad latera facibus caro recens lacerata, vſque ad intima crematur, ita vt mirarentur, quomodo tam fragilis puella tanta poſſet tolerare tormenta. Sed inſenſatus Præſes dolium aqua frigida iubet impleri, & ligatam in eo diutius detineri, vt commutatio tormentorum pæna eſſet grauior, non refrigerium, & nouum dolorem afferret ſupplicium nouum: ſed dum ligata in aquam mergitur, facto terræmotu, omnibus, qui aderant perturbatis virgo illæſa egreditur.

Vruntur pectus & latera eius.

Noua tormenta excogitantur.

Videns ergo Præſes, quod ex hoc miraculo populi *ad fidem* concurrerent, timens ne diutius viuens plures conuerteret, eam decollari præcepit: illos autem, qui crediderant, varijs mortibus conſummauit. Margarita igitur impetrato orandi ſpacio, orauit prius pro ſe, deinde pro omnibus Chriſtianis, & poſtea pro perſecutoribus ſuis. Et (vt alibi legitur) pro parturientibus, vt quæcunque in partu, nomen eius inuocaret, ſtatim edita prole periculum partus euaderet. Ibi etiam 13. Kal. Auguſti martyrizata fuiſſe legitur. Vnde mirum eſt, quod à multis 8. ante diebus ſcilicet 3. Idus Iulij eius feſtiuitas celebretur.

Mutiper ipſam ad fidem conuertuntur.

Preces eius ſub morte quibus liquet, quam ſit gratum Deo ſanctos inuocare. & in eorum memoriam eccleſias extruere.

Paſsio Sanctæ Reginæ virginis.

Cap. XXIX.

PRæterea ſub Olybrio paſſa eſt ſancta virgo Regina, Clementis cuiuſdam gentilis vnica filia, quæ cum eſſet annorum 15. audiens ſanctorum certamina, totam ſpem habebat *in Domino*. Tranſiens autem Olybrius de Maſſilia in Aleſiam ciuitatem, ſedens in curriculo ſuo videns eam ſpecioſam nimis, iuſſit eam deprehendi, concupiſcentia eius illectus. At illa oratione præmiſſa conſpectui eius præſentata; genus; & nomen, ac profeſſionem interrogata, dixit ſe eſſe ingenuam nomine Reginam, *ſanctæ Trinitatis cultricem*. Cui Præfectus dixit: Ergo obtines nomen Galilæi illius, vel Nazaræi? Regina dixit, etiam obtineo, ſi digna ſum, vt inuocetur *Dominus meus Chriſtus* ſuper me, & obumbret, & protegat velut ſuam ancillam. Tunc iuſſit impius Præfectus cuſtodiri eam vſque dum veniret ad ciuitatem, & præcepit eam reduci in carcerem vſque dum immolaret, & ſic publice audiret eam. Ingreſſus autem ciuitatem Aleſiam Dijs ſuis immolauit, & ſedens publice pro tribunali puellam adduci iuſſit, videnſque pulchritudinem eius diſſolutus eſt Spiritus eius ſuper eam vehementer, & dixit ei, Cognoſce Deos, ô iuuencula, quia miſe reor pulchritudini & teneritudini tuæ, & multas pecunias habebis à me, & bene tibi erit præ cunctis puellis, alioquin plagas, & pœnas peſſimas ſuſtinebis, & corpus tuum tenerum, gladij, & ignes fortiores conſument. Quę cum interrita conſtanter *in confeſsione Chriſti* permaneret, iuſſit eam expoliari, & in equuleum aſſumi, ſubtilibuſque virgis cædi. At illa in equuleum extenſa, dolorem non ſentiebat, ſed reſpiciens in cælum dicebat: *In te domine ſperaui non confundar in æternum*. Cumque cæderetur, membra eius tenera virgæ graciles incidebant, & ſanguis multus decurrebat, ita vt aſtantes flerent amariſſime ſuper eam & dicebant ei quidam: O qualem decorem perdis propter incredulitatem: Conſenti, & ſacrifica, vt poſſis euadere tormenta. Regina dixit: O mali conſiliarij tô conſilia malarum cogitationum! non conſentio, non ſacrifico, *Chriſtum Ieſum, qui me confortat, habeo*. Iratus præfectus iuſſit eam exungulari, & à carnificibus lacerari: qui ita latera eius exungulabant, vt etiam impius, & crudelis Præfectus de clamyde ſibi faciem cooperiret, & auerteret ſe ſimiliter, & aſtantes lachrymabantur, videntes carnes eius exterminatas.

Refert huius rei geſtas Ado, plenius autem Mõbritius tom. 2. vit Sanctorum & Petrus in catal. l. 6. c. 47.

Virgo Regina in carcere truditur.

Ei adblanditur præſes.

Equuleo, at diris tormẽtis afficitur.

Inſignis eius conſtantia.

Conſummatio agonis eius.

Cap. XXX.

DIxit autem Præfectus, quid eſt ô Regina, neque tu tibi potes miſereri? Ecce caro tua exterminata eſt, & membra tua inutilia facta ſunt: Conſenti mihi, & ſacrifica, impoſſibile eſt te ſine tormentis tranſire, ſi mihi non obedieris. Quæ cum eius verba deſpiceret, eumque inſipientem, & infælicem vocaret, iuſſit eam deponi, & in carcerem duci. vbi cum oraſſet, ſubito columba apparuit, *& crux in cælum erecta eſt, vſque ad locum vbi puella ſtabat*, & columba ſtans ſuper *crucem* dicebat: Aue Regina, vnguentum ſuauitatis per orationem referens, parata etenim eſt tibi *corona gloriæ*, apertus eſt tibi Paradiſus, & eris requieſcens cum patribus tuis. Tunc *illa glorificauit Deum*.

Ipſi adſtantes ipſa tormenta & pœnas eius exhorrebãt.

Viſio beatæ Reginæ.

Saluta tur à Spiritu Sancto in Specie columbæ.

Mane autem Iudici præſentata cum nollet ei conſentire, iuſſa eſt expoliari & in equuleo ſuſpendi, ac lampades eius lateribus applicari, illa autem leuans oculos *in cælum* dicebat: *Tranſiui per ignem, & aquam, & eduxiſti me in refrigerium*. Tunc iuſſit impius Præfectus afferri vas quoddam magnum, & impleri aqua, & deponi eam de ligno, & alligari manus eius, &

Iterum veſtibus expoliatur & diris tormẽtis affligitur.

pedes,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pedes, & mitti ibi, vt ſuffocaretur in aqua. At illa orabat dicens: *Domine diſrumpe vincula mea, vt tibi ſacrificem hoſtiam laudis: Fiat mihi hæc aqua etiam aqua ſuauitatis, fiat mihi hæc ſuffocatio, illuminatio ſalutis.* Et poſtquam orauit miſerunt illam in vas illud aqua plenum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus, & ecce de cęlo *columba* deſcendens habebat in ore coronam, & diſrupta ſunt vincula beatæ Reginæ, & aſcendit de aqua laudans, & *benedicens Deum*, dicens: *Dominus regnauit decorem indutus eſt.* Illuminaſti me Domine Ieſu Chriſte, & ſaluaſti, miſertus vnicæ puellæ, *qui es benedictus ante ſæcula.* Et facta eſt vox columbæ dicens: *Veni Regina in requiem Chriſti, Beata es, quæ hanc coronam meruiſti.* Tunc *crediderunt in Dominum* animæ 85. virorum, & mulierum. Iratus ergo Olybrius, fecit eam decollari.

Terramotus magnus.

Pſal. 92.

Beata Regina decollatur.

Huius paſſio recolitur 7. Idus Septembris, cuius animam cunctis videntibus Angeli tulerunt in cælum cum laudibus.

Paſſio Sanctorum Iuliani & Ferreoli.

Cap. XXXI.

Caditur Sãctus martyr Ferreolus in territorio Viennenſi vt habet Bar. an. 303 & in adequam Caſtrum condiderat ad ripas Rodani ſtepe̊atur, qua poſtmodum Rodani impetu rimas agente, ruinamque minante, tranſ ripas baſilicam Sanctus Mamertus conſtru curauit Lege Gregorium Turonenſem c. 2. lib. de miraculis S. Iuliani

EX geſtis eorum. Iulianus in Aruernia natus genere, & religione nobilis, Ferreoli tribuni comes erat, & vterque Deo in militari habitu ſeruiebant. Cum ergo gentilium furor Chriſtianos vbique perſequens, ad Viennam veniret, Iulianus amore martyrij flagrans cum ſe gladio furentium expoſitione præoptaret; precibus ſancti Ferreoli coactus eſt, vt apud Aruerniam fugiens, ad Chriſtianorum ſuperſtitum ſolamen paululum perſecutionis impetum declinaret. Tunc Chriſpinus conſularis audito, quod illic Iulianus lateret, miſſo perſecutore præcepit, vt inuentum conſtanter occideret. Sentiens hoc Iulianus, quod eum perſecuror inquireret, ſponte fores exiliens, quærenti intrepidus ſe oppoſuit, & protinus ictum ferientis excepit. Cuius caput in proximo fonte lauantes, ad ſanctum Ferreolum deferunt, vt ipſe ſimilem mortem exciperet, niſi ſacrificijs conſentiret, quod & factum eſt, & caput ſancti Iuliani cum ſolo corpore ſancti Ferreoli in vno tumulo collocatum eſt. Poſt multos annos cum ſanctus Mamertus Viennenſis epiſcopus eos eleuaret, inuenit caput ſancti Iuliani inter manus ſancti Ferreoli, ita illæſum, & integrum, ac ſi eadem die fuiſſet ſepultum.

Miracula eiuſdem ſancti Iuliani.

Cap. XXXII.

Vitio diuina in violatore diei dominica.

INter plurima huius ſancti miracula teſtatur Gregorius Turonenſis, quod cum quidam Ruſticus die dominica arare præſumeret, apprehenſa ſecuri, vt vomerem emundaret, protinus contractis digitis manubrium in dextra eius adhæſit. Cumque pudore, & dolore nimio torqueretur poſt duos annos ipſo dominico die in eccleſia ſancti Iuliani vigilans liberatur.

Nota horrendum, ſupplicium rei eccleſiæ ſibi vendicantis.

Cum autem quidam nobilis, quaſdam res huius eccleſiæ peruaſiſſet, & à Sacerdote per nuncios rogaretur, vt quod male cæperat, relaxaret, ille res ſancti retinuit, & clericos cum iniurijs effugauit. Qui tamen poſt aliquantum tempus huius præſumptionis immemor cum ad feſtum ſancti Iuliani, cum alijs aduenisſet, & in hoſpitio ſuo conuiuium celebraret, repente tonare cæpit, & fulgur de cælo ruens ipſum illæſis omnibus alijs concremauit.

Qui de domibus ſanctorum aliquid auferrt ipſis ſanctis facit iniuria & ideo horrendum fuit Diuidiciũ in diaconũ res S. Iuliani auferente

Quidam diaconus relicta eccleſia fiſco adhæſit, & accepta poteſtate, tanta mala faciebat, quod à vicinis ſuſtineri non potuit. Cum ergo die quadam montes circuiret, & quaſi pro iure ſuo oues eccleſiæ ſancti Iuliani diriperet, proh bentibus ex parte ſancti Iuliani paſtoribus dixit: Iulianus non comedit arietes. Cum autem oues, vt proprias detineret, forte ad villam ſancti Iuliani deuenit, & ſtatim ante ſepulchrum eius febre correptus, tanto calore opprimitur, vt nec ſurgere, nec aliquem vocare valeret. Poſt hęc elatus in quadam cellula collocatur, & inualeſcente febre, quod incenderetur à martyre confitebatur, iactariq; ſuper ſe aquã ad refrigerandum petijt, ſed ſtatim tantus fumus, & fætor de corpore eius exijt, quod fugientibus qui aderant poſt modicum expirauit.

Paſſio Sancti Geneſij martyris.

Cap. XXXIII.

EX geſtis eius. Sanctus Geneſius Aleratenſis vrbis alumnus extitit virtute naſcendi, & patronus virtute moriendi. Hic in iuuentutis flore primæuo, prouincialis militiæ tyrocinia ſuſcepit. Accidit autem vt eodem ante tribunal Iudicis exceptoris munus implente, impia atque ſacrilega perſecutionis iuſſa legerentur. Quę cum Deo deuotus repudiaret auditus, & imprimere ceris manus ſancta reſpueret, abiectis ante pedes Iudicis tabulis, triſte miniſterium ſacrata iam Deo mens fugit, & vt in nullo à præceptis euangelicis actus martyris deuiarent, quibus declinare perſecutionis impetum vel iubetur, vel permittitur, ab ira ſe furentis iudicis pauliſper occultauit. Qui cum eum corripi protinus, offerrique iuſſiſſet, neque facilis inueſtigatio ad procuratam latebram perueniret, præcepit miniſtris, vt vbicumque eum inuenire poſſent, gladio interficerent, quod & factum eſt.

Huius miracula à beato Hilario Aralatẽſi epiſcopo ſunt cõſcripta & extant apud Surium 25. Auguſti.

Huius paſſio recolitur 8. Kal. Septembris.

Paſſio ſanctarum virginum Iuſtæ, & Ruffinæ.

Cap. XXXIIII.

EX geſtis earum. In ciuitate Hiſpali regionis Hiſpaniæ paſſio ſanctarum virginum Iuſtæ, & Ruffinæ. Hę cum eſſent mediocri paupertate tenues, erat illis vſus mercandi fictilium vaſculorum, ex quo quæſtu indigentium inopiam ſaturabant, ſibique tantum quod ad victum, & veſtitum neceſſarium eſſet, procurabant, orationi quotidie inſiſtebant, caſte religioſeque viuentes, bene patientes, & domus ſuæ curam agentes. Cumque diſtrahendorum vaſculorum curam gererent, accurrit neſcio quod execrabile monſtrum, & immane portentum; quod perditorum turba gentilium * *Salambonem* vocant poſtulans ab eis, aliquod vtenſilium ſibi dari. Qui cum reſiſterent, ac dare nollent, dicentes ſe *dominum Ieſum Chriſtum* colere ac credere, non Idolum illud; quod nec viueret, nec ſentiret, mulieres nobiles, quæ portabant Idolum illud in humeris ſuis, deiecerunt illud à ſe turbulenter, ita vt omniũ ſanctarũ virginũ vaſcula confringeret penitus & contereret. At illæ non dãno paupertatis commotæ, ſed ad deſtruendum tantum dedecoris malum, repulerũt Idolum. Quod ſtatim ad terram proſtratum corruit comminutum, tunc quaſi ſacrilegium commiſiſſent, gentiles eas morti obnoxias exclamabant. Igitur à Diogeniano comprehenſæ, primo equulei extenſione, & vngularum laniatione vexatæ ſunt: Poſtea carcere, inedia, & doloribus afflictæ, poſt aliquantos vero dies, cum ad Momentoniariam locum Præſes ire diſpoſuiſſet, iuſſit eas per aſpera & confragoſa loca poſt iter ſuum pedibus properare. At illis nihil durum, nihil aſperum videbatur, ſed quaſi totum iter peractum, ſubtus ſe puluerem conculcabant. Tandem Iuſta in carcere exhalauit ſpiritum, cuius corpus Pręſes, in puteum iuſſit præcipitari, ſed religioſus Antiſtes Sabinus è puteo ſublatum honorifice ſepeliuit. Ruffina vero quæ in carcerem remanſerat, iuſſu præſidis fractis ceruicibus & gula, deuotum Deo ſpiritum emiſit, cuius corpus igne combuſtum, digna honorificentia ſepultum eſt.

* *Salambonem babylonij venerem appellant.*

SS. Iuſta & Ruffina diro cruciãtur.

Iuſta in carcere obit, Ruffina ingulatur.

Harum paſſio celebratur 14. Cal. Auguſti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passio sancti Antonini martyris.

CAP. XXXV.

EX gestis eius, Sanctus Antoninus Apameæ oppido oriundus nobilis genere; ab infantia cæpit sanctis pollere virtutibus, & sacris literis edoctus, salutaria præcepta legebat & implete studebat. Cumque desiderio martyrij æstuaret, ab opido Apameæ egressus Christianos perquirens quamplurimos inuenit, inter quos diu comanens ad Sacerdotalem dignitatem promotus est. Cumque prædicando iter ageret, labore itineris siti fortiter æstuans, omnipotentem deprecatus est, vt sibi subueniret. Oratione vero completa, terram solum virga fiducialiter percussit, & inde fons erupit; qui viro sancto datus à Domino, magnam etiam infirmitatibus præbet salutem. Reuerius itaque vir sanctus Apameam, illic in religionis studio persistēs prædicabat, & gentiliū perfidiam increpare nō desistebat. Cūque aduersus eum diabolica rabies, in sacrilegorum pectoribus inflammata concresceret, diuino spiritu repletus prædixit ipse paucis (qui tunc aderāt Christianis) suum quod diuinitus agnouerat, iam imminere martyriū. Itaque cum Christiani loca sacra (vbi sanctorum corpora quiescebant) orando, visitarent, ipse cum eis pergens, aliquantisper longius iturum se causa orationis illis innotuit, at inde se minime reuersurum, sed impiorum gladio feriendum prædixit. Sentiens igitur insidiantes sibi appropinquare gentiles, vltro se eis obijciens ab eis tentus est; deductusque cædendo vsque ad ripam fluminis ad radices Apameæ decurrentis, *in confessione Domini* permanēs capite truncatus est. Impijssimi denique satellites, ne à Christianis inuentus honoraretur, vt martyr, totum corpus crudeliter discerptum simul cum abciso capite dimerserunt in flumine. Viri autem religiosi quæsitum deuote corpus martyris repererunt, sine capite & sepelierunt honorifice. Miro autem modo sanguis ille *pro Christo* effusus, & in aquā proiectus, inter aquarum collisiones est coagulatus, atque constrictus, nihilque ex eo aquarum impulsus disperfit, sed velut quodam fidelissimo famulatu ad mebra corporis, vnde manarat, integrum & imminutum cōiunxit. Sed & ipsius aqua fluminis creatori suo obediens, & *famulum Christi* agnoscens, ita se à cursu solito, locoque defluenti subtraxit, vt iniuriam inferre se sancto corpori meruere demōstraret & ad requirenda beati martyris membra fidelibus populis, viam congruam præpararet.

Multorum quoque opinione relatum est, quod cum caput martyris amputatū, in flumine iactaretur, statim angelica susceptione paruo est mausoleo collocatū nauiculaque impositum, assistēte semper angelica custodia (vt fertur) similitudine duarum aquilarū niuearum deducebatur nauicula, donec peruenit ad locum sibi destinatū, scilicet, ad cuiusdā* Festi Principis habitaculum; quod idem martyr (vt fertur) eandē regionem prædicādo peragrans, ab eodem principe locum petierat ad habitandum. Cum ergo illuc ad littus peruenisset. Festus princeps admirans, & quid esset per spiritum intelligēs; caput sanctum deuote suscepit, & habitationem suam à loco illo remouēs, domumque in Ecclesiam dedicans, caput in ea cum honore, & gratiarum actione posuit.

Huius passio recolitur 4. nonas Septembris.

Passio sanctæ Mariæ virginis.

CAP. XXXVI.

EX gestis eius. Beata virgo Marciana ciuis Insuegritani municipij pulcherrima, & genere nobilis fuit, quæ contemptis diuitijs ad Cæsaræam veniens, accola in cellula habitauit. Quadam die procedens ad publicū, & ignotam se turbis ambulantibus aggregans, vidit Dianæ simulachrum in platea, sub cuius pedibus aqua per lapides decurrebat in patena marmorea; nec *illud* stare passa *est*, *nam* truncato *capite totam confregit statuam.* Quod vbi nefarij ministri aspexerunt, statim eam cædere macerantes, totam liuoribus infecerūt, & cum magnis clamoribus, vsque ad atria Prætorij, congeminatis cædibus protraxerunt. Quæ ante interrogationem Iudicis *Deum* confessa est, & inania figmenta damnauit. Iratus iudex dictis eius questionariorum manibus alapis cęsam, in ludo gladiatorio iussit induci. Tradatur, inquit, vni, & seruiat plurimis, vt illic & corpus, & pertinax animus puniatur. Illa gaudens ad custodiam ibat, quia pudicitiam suam *Deo custode* seruabat.

Cūq; nocte illa in oratione vigilante, gladiator, nomine Flameus, cui tradita erat, vt captiuitatem pudoris sustineret, per tenebras ad eius cubile venire contenderet, subito paries angularis lapidea molle constructus est, & ille suo deceptus errore, Deo interdicente, vsque mane virginem inuenire permissus non est. Tunc eam rogare cæpit, vt sibi veniam daret, ac pro eo *veniam à Domino* peteret, vt de ludo gladiatorio viuus euaderet. Cui illa respondit: *Deus meus* qui meam castitatem defendit, ipse te, eō die quo martyrium sumpsero, liberabit. Alia die illud parietis interpositi miraculum omnes loquebantur populi, qui sermo vsque ad aures Iudicis venit. Mox furore succensus, alterum gladiatorem mutari iussit, & ipsum similiter paries natus à sancto corpore separauit. Tertio quoque tradita fuit, & huic similiter accidit.

Consummatio agonis eius.

CAP. XXXVII.

TAndem vero quinto Idus Ianuarij dies exoptata passionis venit, Et primo mane dum gladiatores ex more ornati, de ludo descenderent in arenam: vt dicta martyris complerentur, gladiator ille Flameus libertatem accepit; sed multitudo quæ ad spectaculum confluxerat, clamare cæpit, vt Marciana feris obijceretur. Ligatur itaque ad stipitem virgo & dimissus est ferocissimus leo, qui cum impetu magno veniens, erectas manus in puellæ pectus imposuit. Sanctumque corpus odoratus, eam vltra non contigit. Omnis pene populus mirari cæpit, & christianam puellam dicere dimittendam: sed Bindarius Archisinagogus, cum filijs suis, & aliquot Iudæis, quos ad studium clamoris collegerat in seditionem, vociferantur, vt taurum Iudex produci iuberet, quo facto, iniectis cornibus percussit eam fortiter in pupillam oculi, statimque cruor exiuit, & illa semianimis in terram cecidit, intraque portarum claustra reperitur, & ad aliam coronæ pugnam siccato sanguine reuocatur.

Tertia vice ad stipitem ligatur, & exclamans ait: *Te video, te sequor Christe, suscipe animam famulæ tuæ.* Iudice amplius irascente, leopardus ingens, & crudelis producitur, qui exiliens vno morsu cuulsa pene omnium mēbrorum cute, animam martyris coegit exire.

Eodem temporis punēto: Bindarij blasphema domus cum omnibus, qui ibi fuerant, diuino arsit incendio: nam & ante beata martyr dum esset in ludo gladiatorio, ab eiusdem Bindarij filia, vel filijs, vel aliquantis Iudæorum vocibus de ipsa domo, quæ in vicino erat, iniuria grauissima lacessita; prophetica voce coacta fuerat imprecari diuinam insultantibus flammā: *Hęc domus*, inquit, *cęlesti ardeat incendio, vt in perpetuum reparari non possit.* Sicque factum est, nam, & à Iudæis frequenter reædificari tentata est, & semper cecidit.

Passio Sancti Marini pueri.

CAP. XXXVIII.

MArinus puer sāctus Romanæ vrbis primarius Senatoris cuiusdam filius, à Marciano* Imperatore cōprehensus est, capescendi martyrii desiderio accēsus, à quo nomen suum & genus interrogatus, Christianum se esse respondit, Cumq; Idolis immolare respueret, & minas eius contēneret iussit eū extēdi, & durissimis loris

Passus est S. Antoninus non Apameæ vt Vincentius & multi alij opinati sunt, sed Pamiæ apud Toloſam, vt constat ex tabulis ecclesiæ Palentinæ, in qua eius die natalis solemniter agitur, vbi sacra corporis eius reliquiæ requiescunt vide Barronii hic.

Acta hæc simili fere modo ita extant apud Petrū in catalogo lib. 8. cap. 24

Refert hanc historiā Petrus in catalogo vbi supra.

** Hic Festus fuit à sancto Antonino ad fidem conuersus.*

Lege Petrum in catalogo lib. 2. cap. 38 Respondent his omnibus quæ Tertullianus in apologetico ingentiles exprobrat his verbis: prozime ad lenonem damnando Christianā potius quam leonem confessi estis labem publicitiæ apud nos atrocioremomni pœna & omni morte reputari.

Feris obiicitur virgo.

Taurus contra eam producitur.

Leopardus in eam productus virginē discerptam laceravit.

** Præfecto In martyrologio Rom. sic legitur Romæ S. Marini ordinis senatorij qui sub Narino imperatore & Martiano præfecto*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dorſum eius, & ventrem conſcindi: Deinde fortiter ligari, & in cuſtodiam mitti. Quem ſequenti die productum, cum videret eius conſtantiam, iuſſit in equuleo ſuſpendi, & vngulis corpus eius dilaniari: deinde ferram ligneam fieri, & machinam lapideam, vt immiſſo lapide per mechanicas, membra eius diuideret. Miniſtri ergo diaboli trahentes machinam, *illo gratias agente*, quaſi ad mortem fatigati, dixerunt * Imperatori ſe hominem iſtum vincere non poſſe. Qui ſtupens in his, iuſſit arborem magnam ſcindi cuneis per medium vt immiſſus in eam ſanctus, extẽſus, & cõfractus amitteret ſpiritum. Cumque delicata eius membra extendiſſent, arbor diuiſa eſt in duas partes *à* capite vſque ad caput. Deinde iuſſit Marcianus craticulam, & plumbũ ingens ſuccendi, & etiam martyrẽ ſuperponi: qui ſuper eam aſcendens *ſignaculum crucis faciens Dominũ inuocauit*: ſtatimque fluuius aquæ innudans, ignem extinxit, & ipſe ſtans ſuper aquam *Deũ glorificauit*. Tunc Simplicius Cõmentarienſis iuſſit frixorium afferri, ignemque vehemẽtiſſimum ſupponi, & puerum in eum mitti. Qui à miniſtris illic proiectus, *Deũ glorificauit*, & reſpiciens ad Martianum ait: Paraſti carnes meas ad edendum, iam nunc accipe partem tuam aliquam, & ede, donec aliæ præparentur. Hoc eo dicente, ros de cœlo veniens ignem extinxit, & refrigerauit frixorium, ita vt in eo velut in bono ſtrato iacens, *benediceret Deum*. Culcius vero Præſes ait Marciano: Iube afferri caldariam, & in ea picem mitti, vt ab igne ſuccenſa ebulliat, & capite immerſo immittatur in eam, tũc ſanctus ad omnia paratus *in cælum aſpexit*, ſeque ſpõte in caldariam proiecit, & ſtatim in duas partes diſrupta eſt; & pix hinc, & inde diffuſa eſt, & ſanctus in medio ſtans *Deum glorificabat*.

* *Præfecto*

Vnde pro Imp. vidatur corrigendum præfecto.

Diris & inauditis ſupplicijs afficitur puer Marinus, lege Petrum in catalog. lib. 2. cap. 6.

Immittitur puer in caldariam picis ebullientem.

De *agone eius multiplici.*

Cap. XXXIX.

POſt hæc Marcianus arenam præparari iuſſit, & ſanctum Dei martyrem immitti, ſimulque Leonem, & Leopardum contra eum immitti. Stimulantibus autem miniſtris, leo rugiens de cauea egredi nolebat, & cum diu moleſtaretur, egreſſus cum pardo, & currens ad ſanctum puerum complexus eius humeros conſtringebat. Pardus autem ad pedes eius volutans, non diſcedebat. Quod videns Marcianus exclamauit. Quæ iſta phantaſia quam video? Cumque iuſſiſſet beſtias amoueri; nullo modo diſcedebant. Et cum miniſtri multum eis moleſti eſſent, vt ad caueas redirent, tunc imperante ſancto Marino ſtatim abierunt. Iterum iuſſit dimitti leænam, & vrſam, quæ ad ſanctum Dei currentes, veſtimenta eius ſcindentes, ad pedes eius corrueruut, & mortuæ ſunt.

Leoni & leopardo obijcitur à quibus veneratur.

Item Parda & leæna cõplexa ſunt eum.

Poſt hæc iuſſit dimitti pardam cum tigride, quæ accurrentes, aſcenderunt ſuper collum eius, & complexæ ſunt eum. Vna quoque ex his oſculabatur os eius, alia ſudorem de facie eius extergebat. Iuſſit quoque taurum adduci, & in eius dorſo cauteria imponi, ac *ſanctum Dei puerum* ad eius cornua ligari. Quo facto ardentibus cornibus taurus non ſentiebat; de cauterijs quorum nihil ad eum pertinebat, ſed lingua ſua *ſanctum Dei martyrem* lingebat.

In caminũ ardentẽ immiſſus, ibi cum duobus angelis illæſus ambulat, glorificãs Deum.

Poſt hæc ſuadente Simplicio ſuper pyram ingentem eum poni fecit, ſed ignis eum non tetigit. Ipſum quoque de pyra depoſitum immiſerunt in caminum valde ſuccenſum, & ecce duo Angeli aduenientes tenuerunt eum, vnus dexteram eius, & alter ſiniſtram, & cum eo in ignem deſcenderunt. Thronus autem in medio camino poſitus erat, ſtatimque, vt ingreſſus eſt, ſe conſignans, omnis ille camini ardor euanuit, & iſte in medio ſedebat *glorificans Deum*. Sequenti die iuſſit Marcianus caminũ aperiri, vt videret ſi conſumptus eſſet ab igne, volens puluerem corporis eius, ne Chriſtiani eum tollerent, in ventum, diſpergere. Miniſtri autem aperientes caminum toto igne conſumpto, non ſuſtinebant calorem, qui egrediebatur de fornace. Marcianus autem illo ad ſe ducto ait: Iterum Diabolum iſtum adduxiſtis mihi? Sãctus autem Marinus ſimulauit ſe velle acquieſcere præcepto imperiali, tunc ille ſupra modum lætus, iuſſit theatrũ præparari, omneſque ciues Romanos adeſſe, gladiumque, & agnam albam afferri, vt immolaret. Sanctus autem genua flectens diu cum orationem conſummaſſet, ad eius imperium, ſtatim Serapis, & Cronides, & omnes Dij corruerunt, & in puluerem redacti ſunt. Videns hoc populus Romanus exclamauit: *Vere magnus eſt Deus Chriſtianorum.*

Falſos Deos ſe adorare ſimulat, ſed vere in confuſione gentilium oratione ſua eos contriuit, & in puluerem redegit.

De morte eius, & ſupplicio tyranni.

Cap. XL.

TVnc Marcianus multa confuſione opertus, iuſſit eum decollari. Sanctus autem in Domino exultans ait: *Veni pater gloriæ & accipe caput tui pueri: ecce enim pro nomine tuo curſum conſummaui, ſuſcipe animam ſerui tui.* Pater quoque & mater eius hortabantur eum fælici agone curſum perficere, ſcientes eum eſſe ſuſcepturum coronam victoriæ. Qui, oratione facta, conſignans ſe, pacem dedit fratribus, & flectens genua ſpiritum Deo tradidit. Scurra vero iam mortuum percuſſit, & caput eius amputauit, cuius corpus miniſtri Diaboli tulerunt, & in præcipitio vbi corpora latronum proijciebantur, illud proiecerunt. Præcepit autem Marcianus cuſtodiri locum ne Chriſtiani corpus tollerent & ſepelirẽt, quem cum cuſtodes obſeruarent, ſubito factæ ſunt tenebræ, & tonitura, & fulgura, & aquarum inundationes, quaſi diluuium, ita quod miniſtri territi fugerũt, ſanctus autẽ Theophilus epiſcopus, cũ viris eccleſiaſticis corpus ſanctum tulit, & in loco excelſo Romanæ ciuitatis poſuit. Tunc ſubito factus eſt ſonus de cœlo magnus, & multitudo Angelorum deſcendit quæ locum ipſum ſacrauit.

Sanctus puer decollatur.

Milites cuſtodientes corpus Sancti pueri, ne Chriſtiani id tollerent; à tenebris, tonitruis, & fulgetris exterriti ſunt, & fugati.

Marcianus autem vt demens factus, accepto conſilio à cubicularijs ſuis, vt immolaret Dianæ & Serapi, ſacerdotes venire iuſſit, & occidit albã magnam & colũbam, vt lauaretur in ſãguine immolationis, præcepit etiã epulas in capitolio præparari, & patrem ac matrẽ martyris, adduci. Qui adducti, ſteterunt coram eo, nihil reſpondentes ei. Subito autem cecidit romphæa de cœlo ſupra pedes Marciani; qui fugiens, ad palatium ſuum, correptus magnis febribus, in lecto ſuo ſe collocauit, & dixit. Vnde mihi hæc dementia accidit, quam patior? forſitan propter puerum iſtum morior. *Magnus eſt Deus Chriſtianorum.* Exaudi me & peccatis meis ignoſce. Tunc recedente febre abijt in capitoliũ adorare Serapin; & ecce ignea virga de cœlo deſcendit, & percuſſit eum, omniaque membra eius diſſipauit. Cumque iterum feſtinãter ingreſſus palatiũ diceret: Magnus es Deus Chriſtianorum, adiuua me, dolor omnis ceſſauit. Deinde ſurgens Serapin inuocauit; & tunc in faciem ſuã ruit, & vermes, de ore eius ebullierunt, & mortuus eſt peſſime, animaque eius in tenebras abijt.

Marcianus crudelis præſes pro hoc ſcelere & alijs; à Deo percuſſus, vermibus ex ipſius ore ebullientibus, infelicem animam exhalauit.

Geſta ſunt hæc in vrbe Romana 7. Cal. Ianuarij.

Author. Hæc ideo hoc in loco inſerere volui, quia nullum Imperatorum illorum qui eccleſiam perſecuti ſunt, Marcianum appellatum reperi: ſed forte ipſe fuit * Marcianus Præſes ſub quo paſſus eſt ſanctus.

**Illud probabilius cẽſetur.*

De cæteris qui in martyrologio ſcripti ſunt.

Cap. XLI.

SVnt & alij innumerabiles martyres per diuerſas mũdi partes magnifice à fidelibus honorati, quorum nec tempora nec geſta ad plenum reperire potui; ſed de quibuſdam hæc pauca quæ ſequentur, ex martyrologio collegi.

Nam pridie Cal. Februarij, celebratur natale beati Metrani martyris; quo nolente impia verba proferre ad iuſſionem paganorum, omne corpus eius fuſtibus colliſerunt, vultumque & oculos acutis calamis terebrantes, extra vrbem cum cruciatibus expulerunt, ibique ſpiritum qui in eo ſupererat, lapidibus eiecerunt.

Huius egregium certamen ſcripſit Dionyſius Alexandrinus, lege Euſeb. lib. 6. cap. 34.

Item

Passi sunt temporibus Decij Imperatoris, vt notat Baron.

Item 3. Kal. Martij, Alexandriæ passio sancti Iuliani martyris: qui cum ita podagra constrictus esset, vt nec incedere, nec stare posset, vnà cum vno ministro suo in sella iudici offertur: qui in camelis impositi, per totam vrbem iubentur circumduci, & flagris hinc inde vidente populo laniari, vsquequo finem ipsis verberibus sortirentur.

De his lege Surium to. 6

Item. 8. Idus Martij, ciuitate Antinoū; sanctorum Philemonis, & Apollonij Diaconi, qui tenti, & à iudice auditi, cum constanter Idolis sacrificare noluissent, perforatis calcaneis, per ciuitatem horribiliter tracti, nouissime gladio cæsi sunt.

Item 9. Kal. Maij ciuitate Valentia sanctorum Felicis Presbyteri, & Fortunati, & Achillei diaconorum; qui cū maximam partem prefatæ vrbis, ad fidem Christi conuertissent, à duce Cornelio in carcerem trusi sunt: deinde diutissime verberari, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem astricti; fumum quoque in equulei suspensione perpessi, tandem gladio consummati sunt.

Recitat Surius horum actatom. 2.

Item 4. Kal. Maij Alexandriæ sanctæ Theodoræ virginis, quæ sacrificare contemnens, cum esset in lupanari tradita, repente quidam ex fratribus nomine Didymus eam miro Dei fauore eripuit, ac postea cum eadem percussus, ac coronatus est.

In persecutione Diocletiani sub Eustratio Præside passi leguntur in Martyrologio Rom.

Item 4. non. Maij Nicomediæ sanctæ Antoniæ martyris, quæ nimiū torta, & variis afflicta cruciatibus, vno brachio tribus diebus suspensa, & in carcerem biennio detrusa, tandem in confessione Domini, flammis exusta est.

Item de eodem.

Cap. XLII.

Tempore Seueri Imper. passa est hæc virgo anno Christi 203. vt testatur Baron.

ITem 15. *kal. Augusti*, apud Carthaginem sanctæ Gundenis martyris, quæ iussu Ruffini proconsulis ob Christi confessionem quater diuersis temporibus equulei extensione vexata est, & vngularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, nouissime gladio cæsa est.

Graphiis puerorum confossum Cassianum Martyrem, eius acta testantur.

Itē Idus Augusti, Forosyllæ S. martyris Cassiani, qui cum idola noluisset adorare, vocatis pueris, quibus docendis exosus fuerat, data est facultas eum perimendi; quorum quanto infirmior erat manus, tanto grauiorem pœnam martyrij dilata morte faciebat.

Horū martyriam scribit Eusebius lib. 8. hist. cap 8. licet eorum nomina silentio præterierit.

Item 4. non. Octobris, in Ægypto sanctorum Marci & Marciani fratrum, & aliorum cum eis innumerabiliū martyrum vtriusque sexus, & ætatis; quorum alij post verbera diuersique generis horribiles cruciatus, flammis traditi sunt: alij in mari præcipitati, nonnulli etiam capite cæsi, plurimi inedia consumpti, cæteri patibulis affixi, quidam etiam capite deorsum verso, & pedibus in sublime sublatis, martyrij coronam meruerunt.

Agit de his Victor lib. 1. de persecutione VVandalica, ex quo cæteri accepisse noscuntur.

Item 17. Kal. Nouembris, in Affrica, sanctorum martyrum, 270. pariter coronatorum; & sanctorum martyrum Martiani & Saturiani cum duobus fratribus eorū, qui pro constantia fidei Catholicæ primum nodosis fustibus cæsi, & vsque ad ossa laniati, cum multo tempore talia paterentur, sequenti die semper incolumes reddebantur: nouissime in exilii relegatione vinctis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa siluarum loca pariter iussi sunt interire. Passa est etiam Maxima virgo cum eis.

Lege Vasæū in chronicis Hispaniæ.

Item 13. Kal. Nouembris apud Viennensem prouinciam B. Maximi Leuitæ & Martyris, qui patiendi desiderio, persecutoribus inquirentibus se palam ostendit, & post responsionum constantiam equuleo suspensus, ac tortus; deinde fustibus cæsus, ad vltimum è sublimi loco obrutus occubuit.

Item 10. Kal. Nouembris in Hispania sanctorū Seruandi & Germani, qui post verbera, squalorem carceris, sitis & famis iniuriam, longissimi quoque itineris laborem, tandem cæsis ferro ceruicibus, martyrium consummauerunt.

De Victoria Constantini per signum crucis.

Cap. XLIII.

Huius rei facit fidem Panegyricus in Costātino & etiā Eusebius in Chron.

HVgo *Floriacensis lib. 5.* Igitur cum iam septimum annum imperij sui perageret Constantinus aduersus Maxentium pessimis (vt diximus) moribus adornatum; nondum baptizatus, conspirante secum collega Licinio, bellum parauit, & dum illuc pergeret, multaque secum imminentis belli necessitatem pugnæ proximus pertractaret, vidit per soporem in cœlo *signum sanctæ crucis* flammeo nitore rutilare, & Angelos sibi assistentes, & dicentes: Constantine in hoc vince.

Signum crucis apparet Constantino. lege Eusebiū in vita Constantini li. 1. & Baro. an. 312.

Cassiodorus, in hist. tripartita 1. li. cap. 4. Eusebius quoque Pamphili, cum iureiurando ipsum Imperatorem dicentem audisse se refert: quia circa meridiem declinante iam Sole, *Crucis signum* ex lumine factum, & scripturam consertam ei dicentem: In hoc vince: vidisset ipse & milites, qui cum eo etiam tunc essent: pergente namque aliquo cum exercitu per iter, hoc, inquit, ei miraculum ostensum est. Dumque cogitaret quid esset, vox superuenit, & dormienti Christus apparuit cum signo, quod vidit in cœlo, iussitque vt fieret eius signi figuratio: quæ foret auxiliū in congressionibus præliorū.

Cumque iam opus non esset interprete, sed aperte monstratum Imperatori fuisset, quid de Deo credere conueniret: mox die facta, Sacerdotes Christi conuocās de dogmate consulebat. At illi sacros libros offerentes *de Christo* loquebantur: suaque dicta ex propheticis comprobabāt. Signum vero quod apparuerat ei dicebāt trophæum esse *victoriæ Christi* aduersus infernum.

Labarū præcipuū militare signum, cuccurrit. Nota ex Greg. Naz. orat. 1. in Iulian. quod labarum à Latinis dictū est, quod soluendorū laborū vim haberet.

Hugo vbi supra. Constantinus ergo signum, quod viderat, in vexilla militaria depinxit, deinde *in speciem Crucis* signum, quod dicunt *labarum* transformauit: & sic instructus, & armatus, cum magna spe victoriæ aduersus Maxentium dimicaturus, iter accelerauit. Cui Maxentius per pontem nauigiis compositum egressus hostiliter occurrit: iusserat quoque nauibus ad decipulam cōpositis fluuium sterni, & superpositis tabulis adæquari. Sed cum vtrinque pugnaretur, & exercitus Maxentij *sanctæ Crucis virtute* prosterneretur, ad vrbem fugiendo remeare volēs Maxentius pontem (vt diximus) nauigijs compositum ascendit: & subito subsidere naues, & ipse lapsu equi in profundū aluei demersus est, sicque belli futuras cædes sui nefandi capitis redemit interitu. Tūc Constantinus vrbem Romam triumphans ingreditur, & ita totius Occidentis Imperium vsque ad Oceanum, deuenit tam ad Constantinum, quam ad Licinium.

Qualiter idem Imperator honorauit illud signum.

Cap. XLIV.

An. Christi 316. Mundi 169.

COnstantino ergo Augusto in vrbe recepto, statim, vt imagines ob honorem triumphi illius, senatus erexit: vexillum *sanctæ Crucis* in dextera manu sua fecit depingi, & subter ascribi: Hoc esse invincibile signvm Dei vivi.

Mira vis, & virtus vexilli crucis contra hostes.

Cassiod. vbi sup. c. 3. Hoc signū bell icū, quod ex *labaro* in vexillū *Crucis* transformatum fuerat, inter alia preciosius erat, eo quod Imperatorem præcederet, & adorari illud à militibus moris esset. Constituit ergo certos signiferos, qui in eo laborarent: quorum opus erat, vt vicibus humeris id veherent, & omnes acies ita lustrarent.

Fert enim quod aliquando quidam ferens hoc signū cum repente inuadentibus hostibus expauisset, dedisseteque illud alteri deuehendum: cumque se de prælio subtraxisset, & iacula declinasset, subito percussus interiit. Ille vero, qui sacrum suscepit trophæum, multis se iaculantibus permansit illæsus. Mirabiliter enim diuina regente virtute sagittæ hostium figebantur *in signo*: à signifero autē inter pericula protinus euolabant. Dicitur autē neque aliquem vnquā huius signi ministrū vt solet in bello vulnere mortuū, aut cladē captiuitatis perpessū.

Ibid. cap. 9. Supplicium crucis sublatũ, & Symbolum crucis in nummis.

Denique supplicium crucis, quod primitus apud Romanos erat in vsu, lege prohibuit. In figurationibus autem solidorum, & imaginibus, hoc signum iussit inscribi semper & figurari. *Eusebius in historia ecclesiastica 9. libro cap. 9.* Per idem tempus conspirante etiam tunc secum Licinio (nondum enim in id vesanię inciderat, quo postmodum dilapsus est) scientes, & profitentes *auctorem sibi omnium bonorum Deum.* vna eademque sententia legem statuunt, in qua *Deum Christianorum* plenissimis laudibus prosequuntur, & ipsum auctorem totius virtutis atque operis profitentur: ipsumque de tyranno præstitisse victoriam, & ideo ab vniuersis huic venerationem cultumque deferendum. Hanc legem etiam ad Maximinum, qui tunc orientis partibus dominabatur, amicitiaſque eorum expetere videbatur, emittebant. At ille ingentibus Imperatorum rebus gestis perterritus, tametsi quæ scribebantur contraria sibi, & quæ aliena à mentis suæ proposito viderentur, tamen resistere non audebat, & rursum alienæ auctoritati cedens, inuitus videri in hoc venisse erubescebat.

Constantini Licinijq; lex de colendo Christo.

De miserabili fine Maximini cognomento Galerij.

Cap. XLV.

Metu Constantini & Licinij Maximinus indulsit Christianis.

Eusebius vbi supra. Impius igitur ac mente ferox hoc solum quod metus extorquebat, indulsit, nec in aliquo mutauit affectum, donec digna in eum verbera vltio diuina proferret. Etenim cum contra meritum suum nomen *Augusti* vel Imperium præsumpsisset; extolli etiam aduerſum regni socios cæpit, in quibus regalis institutio morum probitate ac religionis gratia refulgebat. Audet igitur primo se inter eos honore priorem constituere, ac non multo post rupto fœdere, bellum Licinio conatur inferre.

Bellum mouens in Licinium vincitur ab eo.

Hugo Floriacensis vbi supra. Quem Licinius à Roma digressus expugnare parauit; & cum iam ferro Licinij cecidisset exercitus Maximini Galerij; pars quæ supererat videns Imperatorem suũ diuino fauore nudatum, Licinio se subdidit. Maximinus vero Galerius, vt vidit à dijs suis se deceptum, & ab hominibus derelictũ, turpiter, & infideliter fugit. Veruntamen dum reparauisset exercitum, velletque secundo cum hoste confligere, doloribus internorum viscerum correptus, vehementer exagitari cæpit, ita vt nec stratis recumbere posset.

A suis militibus ad Licinium trãseuntibus derelictus.

Eusebius vbi supra cap. 10. Tunc homo edax, & qui vino semper repleretur, nec summis quidem labijs degustandum recipere cibum, aut odore tenus vinum sumere præcepit. Itaque carnis inedia, & ariditate consumptus, hoc solum profecit infelix, quod in vltimis vitæ positus, iustam esse vindictam Dei, & scelerũ pœnas se merentem profitetur expendere. Ad vltimum tamen morbo prius luminibus amissis, & tunc magis quod aduersus *Christum* impietatis admiserit, videns, viuendi finem fecit.

Maximini Imp. miserandus exitus.

Sed defuncto eo, qui aduersus Christianos nunc inaudita crudelitate, nunc simulata venia agebat, aperta indulgentia legitimorum principum, ecclesiarum status multo etiam clarior, quam prius fuerat, reparari cæpit. Tunc inimicis fidei pœnitudo vltima atrocitatis suæ hebat, ita vt ipse publicus * puderet eos aspectus. Etenim cum primum ipse Maximinus imperialibus edictis tyrãnus, & impius, & Deo & hominib⁹ inuisus fuisset pronunciatus, tabulæ eius quoque pictæ, vel imagines æreæ, aliæ deiici ac præcipitari iubentur, alię vero atris fucatæ coloribus obliterari. Iudices quoque eius, quos ille in tyrannicis dominationibus ministros scelerum habuerat; legitimi principes velut impietatis, & crudelitatis eius satellites iusserunt interfici, quibus adduntur etiam eius filij, quos ille iam imperij socios assumpserat; sed & propinquos eius, qui ob huiusce modi necessitudinem molestissimos erga ciues, & prouinciales exhibuerant, paribus supplicijs afficit Licinius.

**puderet, pro pudefaceret, solœcismus.*

Maximinus tyrannus declaratur, nomẽ vndique abraditur statuæque deijciuntur.

De Sancto Papa Siluestro.

Cap. XLVI.

Extant hæc gesta apud Iacobum de Voragine in legenda Sanctorum.

Ex gestis eius. Eo tempore Beatus Siluester Papa pontificatum Romæ tenebat, sed propter persecutiones in monte Serapti cum clericis suis latebat. Hic dudum cum adhuc esset Romæ iuuenis, hospitalitatem diligentia tota exhibens, Timotheum quendam religiosum ab Antiochia venientem, & publice *Christum* prædicantem, tempore persecutionis hospitio suscepit, quod & Pontifices facere formidabant. Hic Timotheus cum multos *ad Christum* conuertisset, tentus à paganis, traditus est Tarquinio vrbis Præfecto, à quo tormentis afflictus, & longa carceris custodia maceratus, cum sacrificare Idolis nollet; inter homicidas decollatus est. Quem Siluester occulte media nocte raptum ad domum suam detulit, ibique Sanctum Melchiadem episcopum venire faciens cum presbyteris, & diaconis, cum quibus per totam noctem *in Dei laudibus* permanens, eius martyrium dedicauit. Post hæc præfectus sperans Timotheum pecunias habuisse, tenere iussit Sanctum Siluestrum, & ait illi: Nisi mihi omnes scelerati illius Timothei dederis facultates, grauia tormenta patieris. Sed cum multorum testimonio didicisset, illum diuitias non habere, titulum ei Christianitatis opposuit, dicens eum tormentis variis finiendum, nisi sponte Idolis immolaret. Cui Siluester: Stulte hac nocte anima tua auferetur à te, vt tormenta, quæ Christianis temporalia irrogas, æterna recipias. Interea Siluester ad carcerem ducitur, & Tarquinius ad conuiuium accedit. Dumque Siluester in carcere oraret, & ille manducaret, os piscis in eius gutture transuersatum est, quod nulla medicorum arte potuit transire, sicque ab hora prandij vsque ad noctis medium dolore vexatus, iuxta Siluestri verbum expirauit, & hora prima qua sessurum comminatus se fuerat ad ipsum audiendum, feretro de domo sua eiectum cum luctu ad tumulum ductus est. Tunc omnes Christiani cum Melchiade Episcopo ad carcerem pergunt, & Siluestrum inde cum gaudio educunt. Erat autem aspectu Angelicus, sermone nitidus, opere sanctus, corpore integer, charitate diffusus.

Eius corpus à Beato Siluestro sepelitur.

Tarquinio vrbis præfecto suã mortem prædicit Siluester S. Siluester ducitur in custodiam.

Sancto igitur Melchiade migrante ad Dominum, ab omni populo *Siluester* electus fuit; & quia hoc esse meruit, operibus declarauit. Erat autem omni suauitate conspicuus, atque inter diuites, & pauperes medius, vt pauperes illum quasi pauperem aspicerent, diuites vero quasi sibi superiorem, diuitem æstimarent; sic pauperum curam gerebat, vt quot in regione essent viduæ: quot orphani, quot clerici; & nomina, & numerum diligenter sciret, & quasi de filijs solicitus, eorum quotidie necessitatibus subuenire studeret. O quam sæpe debitor, esse voluit vt debitoribus subueniret; à fœneratore conuentus est, vt hi, qui tenebantur in vinculis relaxarentur. Cum autem exisset* edictum vt Christiani ad sacrificandum Idolis cogerentur, secedens ab vrbe Siluester, Soracte latibulo cum suis clericis se collocauit.

S. Siluester erat tanquã fax lucens in tenebris & multos deducens ad viam pietatis.

** Forsit. an erat edictum de Aruspicina: ac si non esset Deus in Israel misit consulendum Deum Auaron.*

ANNOTATIO.

Baronius an. 323. probat has Siluestri latebras ad montem Soractem vrbi proximum; nam hoc eodem anno, cum idem Constantinus quosdam comperisset Catholicos à gentilibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli, eiusmodi conatum edita sanctione repressit. Exinde autem processit tanta Gentilium audacia, quod Constantinum paulo ante ob quadam prodigia publico rescripto consulens Augures, visus esset à Christiana religione desciuisse. Ex quo puto persuasum Zosimum lib. 2. asserere, Constantinum vsque ad hæc tempora licet inuitum gentilitiam superstitionem esse sectatum; vt Senatui morem gereret. Hoc tamen vt falsum reputat Baronius, licet non abnuat Constantinum cum senatu magna adhibita circumspectione egisse, & sic Christum coluisse, vt deorum cultores non fuerit aduersatus. Imo ex Græcis Mich. Glic lib. 4. historia affirmat Constantinum, postquam summa rerum potitus est, segniorem factum in religione Christiana, etiam Faustæ vxoris impulsu, ad patrium deorum cultum redisse, atque ideo à Deo lepra percussus fuit, vt ex sequentibus patebit.

De

De pietate Constantini in pueros.

CAP. XLVII.

Constãtinus ob admissa flagitia diuinitus lepra percussus, accepto ab Aruspicibus responso, leprã sanguine infantiũ esse curãdã, misit eo fine quasitũ è vilioribus personis infantes ad necẽ; & inde oriebatur lamẽtatio matrũ haud dissimilis ei quæ contigit tempore Herodis.

HVgo vbi supra. Interea Constantinus Romæ positus, valida squaloris lepra perfunditur, & cum multorum, cura medicorum adhiberetur ei, nec vnus quidem facere potuit, vt consequeretur salutem: tunc venientes Sacerdotes capitolij dixerunt, illum debere piscinam facere in capitolio, & complere sanguine innocentium, & eo calente lotum posse saluari. Aggregatis igitur plurimis innocentibus infantibus volebant eos mactare.

Ex gestis beati Siluestri. Cumque iuxta consilium Pontificum ad capitolium pergeret, vt ibi sanguine puerorum lauaretur, occurrit multitudo mulierum, quæ resolutis crinibus, & nudatis pectoribus, vlulantes coram eo se in plateis strauerunt, lachrymas fundentes. Qui percunctatus qua de causa hoc facerent, didicit has esse matres puerorum quorum effundendus erat sanguis, vt ipse in eo lotus sanaretur. Tũc Imperator exhorruit facinus, & prorũpens in lachrymas ait: Audite comites & comilitones, & omnes populi, qui astatis: Cur hoc scelerato lauacro vtar? & cum me ex eodẽ luto cõprobem, melius est pro salute innocentium mori, quã per eorum interitum vitam recuperare crudelem, quã tamen recuperare incertum est, cum sit recuperata crudelitas. Sic semper nostra certamina contra hostes extitisse noscuntur, vt reus esset & legibus, & capitali sententiæ subderetur quicunque occidisset infantem. Quod ergo in filijs hostium custoditum est, in filijs nostrorũ ciuiũ exercebimus, qui victores omnium gentiu fideliter pugnando esse meruimus? Quid etiã iuuat barbaros superasse, si à crudeliter vincamur? Nã vicisse extraneas nationes bellatorum est virtus populorum: vicisse autem vitia, & peccata, virtus est morum. In illis ergo prælijs fortiores extitimus alijs: in his autẽ nobisipsis, cũ vincimus nosmetipsos, dum mala nostra, & vota excludimus & quod inconsulte desiderauimus, consulte vniuersaliter execramur. Igitur vincat nos pietas in isto congressu, vbi victoriã obtinet victus, vere enim omniũ aduersantium victores esse poterimus, si sola pietate vincamur. Omniũ enim se esse *verum Dominum* comprobat; qui verũ seruum ostenderit se esse pietatis. Hæc dicens iter cæptum deserens ad palatium redijt, filiosque matribus reddidit, & insuper dona amplissima addidit, & infinita vehicula & annonas expendi iussit, vt quæ flentes ad patriam alienam venerant, ad suam cum gaudio remearent.

Constãtinus detestatur cruentum consilium.

Egregius Cõstantini Sermo ad suos commilitones.

Infantes restituuntur matribus cũ plurimis muneribus.

De Baptismo eius, & pœnitentia.

CAP. XLVIII.

De hac Constantini lepra, & curatione per baptismũ facta, vt de re notissima testes sunt Greg. Turon. lib. 2. histor. cap. 32. & Hincmarus; dum agentes de baptismo Clodoueo a fiunt, processisse nouũ Constantinũ ad lauacrũ, deleturum lepra veteris morbum.

HVgo vbi supra. Transacta denique die, dum somni tempus aduenisset, astiterunt ei Sancti Apostoli, Petrus, & Paulus dicentes. Quoniã flagitijs posuisti terminum, & effusionẽ sanguinis innocẽtis horruisti, missi sumus *à Domino Iesu Christo* dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo, & fac, quæ indicamus tibi: Siluester episcopus, gentilis populi ritus, & delubra fugiens in monte Soracie cum suis clericis latebrã fouet; hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in qua dũ te tertio immerserit, omnis te valitudo lepræ deseret, pro quo facto hoc *tuo Saluatori* cõpensa, vt pet totũ orbẽ ecclesiæ restaurentur, teque ipsum purifica, vt relictis Idolis, *Deum verũ*, qui solus est, adores. Surgẽs ergo Cõstãtinus à somno misit ad mõtẽ Soracten, & accersiuit ad se sanctũ Siluestrũ. Et cũ ad eũ ingressus Sanctus fuisset episcopus, percũctatus est illũ Imperator, qui dij essent Petrus, & Paulus. Ille vero nõ Deos, sed *Apostolos Christi* eos esse respõdit, atque ex *imaginibus eorũ quas illi ostendit, hos esse didĩcit Imperator, quos in visione cõspexerat. Tũc Siluester Papa catechizans eũ intra palatiũ Lateranẽse, pœnitẽtiã indixit, & die septima in qua claudendum erat ieiunium, vespertino tempore benedicto fonte, illum purificauit.

* Vsus imaginum in ecclesia antiquissimus.

Ex gestis Beati Siluestri. Cumque orasset pro eo Siluester, & omnes respondissent, *Amen.* subito quasi fulgur lux intolerabilis emicuit, quæ & omniũ mẽtes exterruit, & aspectus obrexit. Cõstãtinus quoque mũdus exurgẽs, *Christũ* se vidisse cõfessus est, & indutus cãdidis vestibus 7. diebus dedit singulas leges in honorẽ *Christi*, & priuilegiũ Christianorũ: octaua autẽ die veniẽs ad cõfessionẽ Apostoli Petri, & ablato diademate capitis, totũ se planũ in faciẽ proiiciẽs, tãtã illic lachrymarum effudit multitudinẽ, vt omnia illa insignia vestimenta purpurea infunderentur, dans voces inter lachrymas se errasse, & peccasse commemorans. Exuens autem clamydem, & accipiens tridentem primus terram aperuit, ad fundamentum basilicæ construendum, xij. quoque cophinos plenos humeris suis foris eiecit.

ANNOTATIO.

De baptismo Constantini prater Eusebium & Zonaram initio tom. 3. scripsit copiose Cedrenus in eius vita. Quod fuerit à Siluestro sanctissimo Papa Romæ baptizatus 7. imperij sui anno, & à lepra liberatus, refert Nicephorus libr 7. cap 45. Ambrosius vero de obitu Theodosij, quod in vita extremo baptismi gratiam obtinuerit, affirmat: Idem testatur Isidorus in Chronica, qui & insuper addit eũ in extremo vita sua in Arianum dogma declinasse: Heu pro dolor! (ait Isidorus) bono vsus principio, fine malo. Sed hanc Isidori sententiam docte refellit Cedrenus in compendio hist. in vita Constantini. Ambrosio adstipulatur Alexander Monachus libro de inuentione saluti fera crucis, quem Nicomedia obijsse ait, hoc oportune adeptũ, vt in Iordane, quod summopere desiderauerat, baptizaretur, quam sententiam etiam probat Hermes, Socrates, & Theodoretus, vt author est Nicephorus lib. 8. cap. 34. quibus consentiunt Ruffinus, Orosius, Cassiodorus, & alij. In quam sententiam videtur & noster Vincentius propendere in fine huius libri, nos tamen Baronium (qui acta hæc Siluestri defendit) sequimur hac in re, & defendimus.

De conuersione Senatorum, & populi, & pio edicto Constantini.

CAP. XLIX.

TAnta autem eodẽ anno credidit multitudo, vt virorũ baptizatorũ numerus ad 12000. tenderetur, exceptis mulieribus, & infantibus. Cũ autẽ Senatorũ caterua huic religioni fidẽ in nullo adhiberet, nec ob hoc irasci Augustum alicui Papa permitteret: præcepit Augustus excelsum tribunal sibi in basilica constitui, & Senatũ ac Populum sic affatus est: Prophanæ dissensiones mẽtiũ ideo nulla ratione salubre sumũt, quia nullus eas clarus veritatis splendor illuminat: Istos enim certũ est Deos, nec dici debere, nec credi, quia ab hominibus facti sunt, homines magis eorũ Dij dici possunt, qui eos blasphemauerunt, habeãt iã finẽ isti errores, & Romana sapientia *Deũ illũ* excolat à quo ipsa custodiatur, nõ quẽ ipsa custodiat. Vt autẽ notũ sit orbi Romano, *vero Deo Iesu Christo nos inclinare ceruices*, qui in me operatus est, quod aspicitis, & probatis: intra palatiũ meũ ecclesiam *Christo* atripui cõstruẽdã. Tũc omnis Populus cũ Senatu clamauit: *Qui Christũ negant, male pereãt, quia ipse est verus Deus.* Et iterũ iube. *Qui adhuc sacrificãt Dijs, statim ab vrbe pellãtur.* Ad hãc vocẽ iũlẽtio petito, Imperator sic allocutº est populũ. Inter diuina, & humana hoc interest, quod humana seruitia coacta sunt, diuina autẽ voluntaria. Deus enim, quia quieta mẽte colitur, & sincero affectu ab hominibus honoratur, spõtanea debet esse eius cultura. Sit ergo omnibus notũ, non necessitate coactos, sed iudice suo liberos posse fieri Christianos. Iustum enim cõspicimus, vt sicut petẽtibus culpa est si negetur, ita nõ petentibus si cogitur iniquũ, nobis autẽ magis in amicitiis adhærebũt hi qui spontanei ad Christianã legẽ venire voluerũt. Tũc omnibus populis Christiams, & paganis hãc legẽ laudãtibus, & Augusto vitã optãtibus, iteratus populi clamor factº est diutissimº, & reuertẽte Augusto ad palatiũ, tota ciuitas cereis, & lampadibus repleta coronata est. Erat enim gaudiũ omnibus, quod lex talis processerat, quæ nullum ad culturam impelleret, nullum à Christi cultura repelleret, vniuersa sepulchra Sãctorum honorantur, omnesque Confessores ad exilia diuersa tracti, cum honore regio reuocantur.

Hugo vbi supra. Publico quoque præcepit edicto, vt per totum Romanum Imperium templa clauderentur, & Ecclesiæ ædificarentur.

Egregia Cõstantini concio pro fide Catholica contra gentiles.

Senatores credunt in Christum.

Hortatur omnes ad fidem Constãtinus sed nemine cogit.

Hic licebat videre Ecclesiã Christi exultantem, & Domino confitentem, qui eius tempestatem sedauerat, & tyrannorum mare, quod in ipsum rugiebat, sopuerat.

Baptizatus Constantinus Romæ à S. Siluestro, lege hic Baronium an. 324. qui id asserit cõtrà Eusebiũ Cæsariẽsem qui dolose salutegit descriptione baptismi Constantini magni, lege quæso Petrũ in cathalogo lib. 5. cap. 26. qui post multa sic ait: Ea autem quæ mendose de Constantino dicta sunt, de Constãtio eius filio vera esse inueniuntur.

De mutuis Epistolis Helenæ, & Constantini super legibus Moysi & Christi.

Cap. L.

Ex gestis Sylvestri. Helena autem mater Augusti circumuēta à Iudæis, cum esset in Bithynia cum duobus nepotibus Augustis Constante, & Constantino, ita vt penè Iudæa fieri potuisset; huiusmodi scripta ad eum transmisit.

Ecclesia Helena ad Constantinum.

DOMINO SEMPER AVGVSTO, FILIO CONSTANTINO MATER HELENA SEMPER AVGVSTA.

Veritatem sapientis animus non recusat, nec fides recta patitur, quamcumque iacturam benevolentiæ diuinæ reputare debemus, quod meruisti simulachrorum figmenta deserere, sed errori applicatur humano, quod Iesum Nazarenum credere voluisti Deum esse, & hunc Dei filium in cœlos æstimare, qui à Iudæis oriundus extitit, & magnus accusatus sententiam crucis accipiendo, defecit: ad veritatis lumen attingere cupientibus, scias alteram viam esse non posse, nisi Hebræorum qui legem acceperunt: sed ideo pietati tuæ sanitas reddita probatur, quia tu primus inter Augustos Idolis renunciasti. Verus ergo Deus Hebræorum saluari te fecit: quem cum colere cœperis, regnum Salomonis sapientissimi, & pacifici obtinebis: eruntque tecum Prophetæ, cum quibus locutus est Dominus, & omnia quę per eos popposceris impetrabis.

Damon rursus machinatur aduersus Ecclesiā; & quomodo serpentem prius misit in expeditionem aduersus primā matrē, & per illam primum parentem sussuratus est, ita nunc quoque emittit in expeditionē serpentes, & satus viperarum, Iudæos, inquam, aduersus inclytam matrē Imperatoris.

Ad hæc ille rescripsit:

DOMINÆ MATRI HELENÆ SEMPER AVGVSTÆ FILIVS CONSTANTINVS SEMPER AVGVSTVS.

Qui moderatur singula, & sæcula, & disponit totius orbis suffragia, per se quidem aspiramenta vivificat, sed per pectora principum suis iura sæculis dictat. Quanto igitur excellentiorem locum tenemus inter homines, tanto omnium patemus aspectibus. Omnium itaque mortalium oculi, omnium iudicia, omniumque vota, nostrum velle, nostrum nolle considerant, & ideo non solum irreprehensibile, sed etiam laudabile debet esse, quod volumus, Deum vero intelligere super intellectum nostrum eminet, & ipsa erroris nostri testantur indicia, quia Deos esse putauimus, quos nostro iussu ab artificibus factos cernebamus. Cesset igitur in hac definitione nostra præsumptio: Sacerdotes Iudæorum, & Christiani Pontifices in vnum cōueniant, & nobis præsentibus, ad veritatis indaginem peruenire faciant, ad cuius veritatis culturam vnà nobiscum omne sæculum inuitemus.

Pulcherrimè respōdet Constātinus matri.

De congregatione Concilij super hac quæstione.

Cap. LI.

IGitur die Iduum Martij facta est congregatio Christianorum & Iudæorum in vrbe Roma. In qua diuersarū prouinciarum fuerūt Episcopi, cum Sylvestro 24. Iudæorū autem Sacerdotes 140. exceptis 12. scribis quos Isachar Pontifex misit altercandi gratia, non solum Hebræo, sed etiam Græco, & Latino sermone elimatos. Qui scilicet Isachar simulata infirmitate à professione se subtraxit.

Meminuit huius disputationis Adrianus Papa epist. 3. ad Carolū magnum.

Intra palatium factus est conuentus, in quo auditores voluerunt esse Constantinus, & mater eius. Iudices vero dederunt, qui nec Iudæi essent, nec Christiani, ne vnus è duobus gratiam suæ patris seruaret. Vnus ergo fuit Cratō Philosophus, qui nunquam suaderi poterat, vt aliquid ab aliquo, loco muneris acciperet; nunquam in iudicio personam Regis vel cuiuscunque potestatis accepit, & cum amicus esset terreni Imperii, nihil terrenum habere voluit; nihil futuro diei necessarium: sed sua esse omnia quæcunque oculis aspiceret, libenter asserebat; astruens omnes diuites cum solicitudine opes custodire, & ipsum securitate frui. Dicebatque propterea: *Diuites auro vtuntur, & gemmis, ac vestibus sericis, vt oculis intuentium placeant: igitur cum omnibus officiis, & ornamentis suis eorum oculis seruiunt; qui diuites esse contemnunt, & eorum in se affectus excitant, quasi diuites esse concupiscunt, Diuites verò non facit amor pecuniæ, sed contemptus.*

De hac disputatione agunt Graci scriptores Metaphrastes 2. Ian. Zonares annal. par. 3. Glycas in annal. Niceph. lib. 7. cap. 36 atque Cedrenus.

Huic socius datus est Zenophilus, qui cum ipse præfectus fuerit, nunquam ab aliquo munus accepit; nec posse iustum esse definiuit, qui quacunque occasione venientes ad se diuitias acceperit.

Gratonis sententia.

Croton & Zenophilus iudices disputationis constituti, qui licet gentiles, tamē iustissimi & fideles.

Horum igitur duorum rata assertio habebatur pro lege, nec inueniebatur quispiam, qui in ambiguo poneret, quod eorum iudicio terminatum esset. Igitur facto conuentu cunctisque assidentibus, facta est longa concertatio, singulis 12. scribarum successiue cum B. Silvestro altercantibus. Cumque singuli locuti essent, Beato Silvestro rationes fidei probabiles ostendente, cæperūt omnes populi cum Regibus, & Iudicibus, *Deo laudes acclamare*, qui tantam rationem per os eius auribus eorum dedisset, vt nulla dubietas eorum mentibus *de Christi potentia* remaneret.

Lege hic Martinum Scotum.

De Conflictu, & victoria Beati Silvestri.

Cap. LII.

TVnc vnus ex duodecim Zambres indignatus, ait: Miror vos prudentissimos Iudices, ambagibus verborum credere, & Dei potentiam æstimare humana ratione concludi. Iubeat clementissimum Imperiū, taurum ferocissimum produci, vt in conspectu eius, *virtutem Dei omnipotentis* ostendam. Nolo enim cum isto verbis contendere, sed aliquid actibus agere. Tunc obsecrante Beato Silvestro, iussit Augustus taurum adduci, & in spacio euntium, & redeuntium cæpit inquirere Silvester à Zambri ad quos vsus taurus ille quæreretur? Qui cum esset mareucus respondit; *quia nomen Dei nostri nulla virtus sufferre prævalet.* Nam seniores nostri cum in sacrificio Dei tauros feroces offerrent, *hoc nomen Dei magnum* in aure tauri dicebant, qui statim mugitum reddēs, simul & spiritum exhalabat. Tunc Silvester ait: Et tu hoc nomen quomodo audiens, didicisti? Qui respondit, non est tuum hoc nosse mysterium, qui Iudæorum inimicus es. Cumque loqueretur, taurus ferocissimus à multis militibus præsentatus est, vnctus funibus à capite, & à tergo. Consenserunt omnes vt diceret *illud nomen* in aure tauri, quod cum fecisset, statim miser factus mugitum dedit, & violentissime erectis oculis expirauit. Tunc Iudæis B. Silvestro insultantibus, facta est tumultuatio per duas fere horas, & fixus orationi Silvester *à Domino Iesu Christo petebat auxilium.* Deinde petito silentio ascendens in eminentiori loco, dixit clara voce: *Dominus Iesus, quem ego prædico, cum aliis miraculis, quæ fecit, etiam mortuos in nomine tuo suscitauit;* vnde apparet hoc nomen *diaboli* esse, *non Dei*, quod viuentem taurum occidit, si occisum suscitare nō potuerit; nā viuentem occidere possūt, & latrones, & serpentes, & leones, & vrsi.

Iudæi pertinaces & dura cervicis.

Conuicti Iudæi prostigiis mituntur fide Christianam offuscare.

Vide cōmentum prestigiatoris Iudæi.

Taurum interficit opera dæmonis prestigiator, sed eū vita reddere non potuit.

In Deuteronomio ipse Deus loquitur dicens: *Videte quod ego sim solus, &c. Ego occidam, &c.* Tunc Iudices cum Augusto vrgebant Zambri, vt taurum suscitaret, & cum se illum suscitare non posse dixisset, addidit. Suscitet hunc Silvester inuocato illo Galilæo, vt eum deitatis eius assertorem recipere valeamus. Tunc iurare cæpit, & per salutem Augusti asserere, quod si Silvester à morte taurum erigeret, omnes Iudaicam legem dimitterent, & *Christianæ religioni* se traderent. Tunc petente Beato Silvestro, Iudices dixerunt Iudaicæ assertionis actoribus, vt sigillatim ederent, an illi sententiæ cordis assensum præbeant. Qui cum singuli pacto consentirent, vtpote, qui taurum nullo modo suscitari posse asserentent: Beatus Sylvester omnes incredulos à fidelibus segregari fecit. Tunc facta est oratio per vnam fere horam, omnibusque orantibus, & flentibus, inclinauit se Silvester ad aurem tauri, in qua nomen illud dixerat Zambres, & ait: Nomen maledictionis, & mortis, sicut intrasti in aure tauri huius, ita egredere *iussu Domini nostri Iesu Christi: In cuius nomine* dicitur tibi, TAVRE SVRGE. Hoc dicto taurus recuperato flatu surrexit, cū omni mansuetudine: cuius vincula manu sua Sanctus Silvester soluit, cum-

Taurū Christi nomine inuocato vitā restituit S. Silvester.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iudæi & cæteri omnes viso miraculo ad fidē Christi sunt conuersi.

uit, eumque cum mansuetudine ad armentum suum ire præcepit. Tunc omnes Iudæi ad pedes eius prouoluti fatebantur se credere *Christo*, rogantes vt oraret pro eis. Helena quoque proiectis aulæis vestibus, genua eius deosculans, rogabat sibi pœnitentiæ locum dari: credidit que cum omnibus filijs, & filiabus suis. Sed & ipsi Iudices, & amici eorum, amplius quam tria millia Iudæorum, *ad fidem Christi* conuersi sunt.

De Draconе per eum superato.

Cap. LIII.

Romani colunt draconē, loge Plinium 29. cap. 4. De hac draconis historia consule Baronii an. 324. & 325. Venantium Fortunatum in rebus gestis S. Marcelli Parisiorum episcopi, dum agit de immani serpente ab eo superato, eundem Siluestro Romano comparat, quod sicut iste draconē sigillauit, ita Marcellus iactauit.

POst aliquot dies Pontifices qui fuerant templorum, Avgvsto dixerunt: Populus Romanus inuictissimi draconis pericli tatur afflatu. Solebant enim virgines Sacrosanctæ deæ Vestæ per omnem Calendarum diem abire ad eius descensum, & cibos ei similaginis ministrare; ex quo autem pietas vestra *legem accepit Christianam* huic nihil fertur; ideo indignatus, flatu suo quotidie populum vexat. Caphurnius quoque vrbis Præfectus ait: Per singulos dies moriuntur plusquam 6. millia & non est aliud remedij genus, nisi vt placetur. Respondens Sanctus Siluester ait, Ostende mihi vel vnum *Christianum* ex his, qui moriuntur. Præfectus dixit: Si Christianos non inuadit, descende ergo ad eum tu, & fac illum *in nomine Dei tui* vel vno anno ab interfectione hominum cessare, *vt credamus Deum tuum Christum virtutem deitatis habere.* Tunc Siluester oratione facta, iuxta reuelationem *Beati Petri*, ipse, & cum eo presbyteri quidam, & diaconi descenderunt, *solo Christi Sacramento refecti.* Pontifices autem miserunt post eos Porphyrium, & Torquatum magos, vt eis nunciarent, illos ad draconem peruenisse.

Orās igitur Siluester cum suis per gradus 60. descendit: Magi verò sacrificantes, & inuocantes Dæmonia descendebant post eos. At vbi peruenerunt ad flatum draconis, comprehendit eos angustia, & ceciderunt. Siluester autem cum suis intrauit ad draconem, in quo habitabat sathanas, & dixit ei: *Iesus Christus natus ex virgine, crucifixus, & sepultus resurrexit, & ad cælos ascendit, inde venturus est iudicare viuos, & mortuos, expecta eum fixus in loco isto donec veniat.* Tunc apprehendens eum, ligauit os eius filo tripliciter torto, quod secum portauerat, & imponens desuper ceram, signauit annulo ferreo, *qui signum crucis habebat sculptum*; apprehēsasque portas æreas, quæ ibi erant, egrediens, ad se adduxit; & in circulos earum induxit cathenam quam secum portauerat, & cum clausisset eas ait: Hæc dicit Apostolus Christi Petrus: *Istæ ianuæ non aperiantur vsque ad diem iudicij*; clauem vero catenæ subterrauit; & cum omnia sibi à Beato Petro præcepta complesset ascendit inde.

Cumque inuenisset magos volutantes se in terra præ angustia, *facta oratione*, eleuauit eos, & secum eduxit, qui mox cursu rapidissimo pergentes sani, detulerunt codices maleficiorum suorum, & proijcientes eos ad pedes Beati Siluestri, incenderunt eos dicentes: *Sic ardeant, qui non credunt in Christum filium Dei, quem Siluester prædicat.* Transacto autem anno ministri draconis probantes apud se, quod vere superatus esset draco, prosternentes se pedibus Beati Siluestri *crediderūt omnes in Christum.* Sic factum est vt populus Romanus à duplici morte liberaretur, id est à cultura draconis, & à veneno eius. Ipso autem anno baptizati sunt 30. millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.

Author. Extat epistola Constantini generalis ad omnes episcopos, quam inter decreta patrum Isidorus collocauit; in qua idem Constantinus modum suæ conuersionis exponit; & ecclesiam Romanam omnibus ecclesijs præesse discernit in hunc modum.

Epistola generalis Constantini de conuersione sua.

Cap. LIIII.

In nomine Sanctæ, et individvæ Trinitatis.

Imperator Cæsar Flauius Constantinus, Sanctissimo patri patrum Siluestro, omnibusque eius successoribus, vrbis Romæ episcopis, ac cæteris omnibus catholicis episcopis eidem Sacrosanctæ Ecclesiæ, per hanc nostrem, imperialem constitutionem subiectis, nunc & in posteris temporibus gratia, pax, charitas, gaudium cum omnibus nobis.

Ea quæ Saluator noster altissimi filius, per Sanctos Apostolos suos Petrum, & Paulum interueniēte nostro patre Siluestro, mirabiliter operari dignatus est, ad agnitionem omnium populorum liquida enarratione, propagare studuit nostra benignitas. Nam cum validissima squaloris lepra carnem meam inuasisset, nec aliquis medicorum curam adhibere posset, aduenerunt Sacerdotes capitolij dicentes mihi, fontem in capitolio debere fieri, atque innocentium sanguine compleri, meque calente eo lotum posse mundari. Itaque secundum eorum dicta, aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum Sacerdotes eos mactare; & ex eorum sanguine fontem replere, cernens serenitas nostra lachrymas matrum eorum, illico facinus exhorruit, misertusque eis, proprios illi restitui filios præcepi, datisque vehiculis, & donis concessis gaudentes ad propria relaxaui.

Eadem ergo transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus aduenisset, assunt *Apostoli Petrus, & Paulus* dicentes mihi: Quoniam flagitijs imposuisti terminum, & effusionē sanguinis innocentis horruisti, missi sumus à *Domino Iesu Christo* dare tibi sanitatis reparandæ consilium. Audi ergo, & fac quod iudicamus tibi: Siluester episcopus ciuitatis ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latebram fouet. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua, dum te tertio miserit, te omnis valitudo ista lepræ deseret. Quod cum factum fuerit, hanc tu vicissitudinem *Saluatori tuo* compensa, vt omnes, iussu tuo, per orbem totum Ecclesiæ restaurentur. Te autem in hac parte sanctifica, vt omnium Idolorum superstitione relicta *Deum vnum qui solus est, & verus adores, & excolas.* Exurgens igitur à somno aduocato magnifico patre, & illuminatore nostro Siluestro, omnia dixi verba mihi à Sanctis Apostolis præcepta; percunctatusque sum eum, qui essent isti Dij, *Petrus, & Paulus.* Ille verò ait, non eos vere Deos dici, sed Dei Apostolos *Saluatoris Iesu Christi.* Rursum interrogaui vtrum illorum imagines haberet expressas, vt ex pictura disceremus eos esse, quos reuelatio docuerat, tunc idem pater imagines Apostolorum per Diaconum suum exhiberi præcepit, quas dum aspicerem, & illorum quos dum in somno viderā vultus in eis figuratos agnoscerem, ingenti clamore coram omnibus satrapis meis confessus sum eos esse, quos in somno videram. Ad hoc Beatus Siluester indixit nobis pœnitentiæ tempus, intra palatium nostrum Lateranense in vno cilicio, vt omnia, quæ à nobis impie, & iniuste peracta, & dispositа fuerant, vigilijs, & ieiunijs, lachrymis & orationibus *apud Deum* relaxari impetraremus. Deinde ad ipsum Præsulem veni, ibique *abrenuncians Sathanæ pompis, & operibus eius, credere me in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sponte coram omni populo professus sum.* Benedictoque fonte, illic me trina mersione vnda salutis purificauit. Positoque me in fontis gremio, manum de cælo me contingentem vidi proprijs oculis, de qua mundus exurgens, me ab omni lepræ squalore mundatum cognoscite.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De exaltatione Romanæ Ecclesiæ super cæteras.

Cap. LV.

Hæc Græce & Latine habentur in Nomocanomo Photij episcopi Constantinopolitani.

IGitur leuatus de sacro fonte, vtile iudicaui vos cum Satrapis meis, & vniuerso Senatu, amplius quam nostrum imperium, & terrenum thronum, *sedem sacratissimam Beati Petri* glorioſe exaltari, *tribuentes ei potestatem*, & honorificentiam imperialem, decernentesque sanximus, vt *principatum* teneat tam super quatuor præcipuas sedes, scilicet ANTIOCHENAM, ALEXANDRINAM CONSTANTINOPOLITANAM, ET HIEROSOLYMITANAM, quam etiam super omnes in orbe terrarum Dei Ecclesias. Et qui pro tempore Pontifex eiusdem Romanæ Ecclesiæ extiterit, excelsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & quęcumque ad cultum Dei vel Christianorum fidei stabilitatem procuranda sunt, disponat. Iustum quippe est, vt ibi lex Sancta caput teneat principatus, vbi sanctarum legum institutor *Iesus* Beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram; vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis poculũ sumpsit; suique Domini, & magistri imitator apparuit. Et ibi gentes pro *Christi nomine* colla flectant, vbi doctor eorum Beatus Paulus Apostolus pro *Christo* extenso collo, martyrio coronatus est. Ibi proni, & humiliati cælestis Regis famulentur officio, vbi superbi terreni Regis seruiebãt Imperio. Interea quoque nosce volumus omnem populum per orbem terrarum, construxisse nos intra palatium nostrum

Donatio Cõstantini quæ hic tangitur latius patet in donatione facta ecclesiæ B. Petri à Damaso Papa descripta.

Lateranense, *Saluatori nostro* Ecclesiam, à fundamentis cum baptisterio, & de fundamentis eius secundum numerum Apostolorum 12. cophinos terræ onustatos proprijs humeris asportasse, quã Sacrosanctam Ecclesiam, caput, & verticem omnium Ecclesiarum in vniuerso orbe dici, & coli ac prædicari sanximus. Construximus quoque Ecclesias Beatorum Petri, & Pauli * primorum Apostolorum, quas auro, & argento locupletauimus; vbi & sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas eorum ex electro, (cui nulla præualet elementorum fortitudo) construximus, & *crucem* ex auro purissimo, & gemmis pretiosis per singulas eorum thecas posuimus, atque clauis aureis confiximus.

* *Principũ.*

Distin. 96. Constant. Imp. quarta die.

De Imperio, & imperialibus collatis Beato Siluestro.

Cap. LVI.

IGitur Sanctis Apostolis Dominis meis, & per eos etiam Beato Siluestro patri nostro, & vniuersali Papæ, omnibusque eius in sede Beati Petri successoribus Pontificibus; Imperij nostri palatium Lateranense contradimus, quod omnibus in orbe palatijs præfertur atque præcellit: deinde diadema capitis nostri, simulque * phrygium, & superhumerale, quod Imperiale circundare assolet collum; & clamydem purpuream, tunicamque coccineam, & omnia Imperialia indumenta, & omnem processionem Imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Et quemadmodum Imperialis potentia diuersis officijs cubiculariorum, & ostiariorum, & omnium excubitorum ornatur, ita, & Sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et vt amplius pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc eiusdẽ Ecclesię clericis ex linteis candidissimo colore equos eorum decorari, & ita æquitare decernimus; & hoc, vt venerabilis pater Siluester, & omnes eius successores Pontifices diadema, quod ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo, & gemmis pretiosis vti debeant, & eorum capite *ad laudem Dei* pro Beati Petri honore gestare. At ipse Beatissimus Papa super coronam clericatus, quam gerit omnino ipsa ex auro non est passus vti corona nos phrygiũ quoque cãdido nitore splendidum, resurrectionem Dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi ipsius, pro reuerentia Beati Petri, stratoris officium ei exhibuimus, statuentes eodem phrigio eius successores omnes vti in processionibus, ad imitationem Imperij nostri. Et vt Pontificalis apex non vilescat, sed amplius quam terreni Imperij dignitas, & gloriæ potentia decoretur: ecce tam palatium nostrum vt prædictum est, quam vrbis Romæ, & omnis Italiæ seu occidentalium regionum prouincias, loca & ciuitates, patri nostro Siluestro eiusque successoribus decreuimus disponendum, ac iure Romanæ Ecclesiæ permanendum. Vnde congruum conspeximus nostrum Imperium, & regni potestatem orientalibus regionibus transferri, & in Byzantiæ prouincia in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & illic Imperium nostrum constitui: quoniam vbi principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis ab *Imperatore cælesti* constitutum est, iustum non est, vt Imperator terrenus habeat potestatem.

* *Id est mitram. Nota phrygiũ factum ex pinnis pauonis.*

Denique coram Deo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obtestamur, per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes successores nostros Imperatores, & cunctos optimates, & vniuersum populum in nostro imperio nulli quocunque modo licere hæc, quæ à nobis Imperiali sanctione, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & eius Pontificibus concessa sunt, refragari, aut confringere, vel in quocunque conuellere. Si quis autem in hoc contemptor aut temerator extiterit, & æternis condemnationibus subiaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apostolorum Petrum, & Paulum sibi in præsenti vita, & in futura sentiat contrarios, atque in inferno interiore crematus, cum Diabolo, & omnibus impijs deficiat. Huius vero imperialis decreti nostri paginam proprijs manibus roborantes, super corpus Beati Petri posuimus, eidem Apostolo Dei inuiolabiliter nos cuncta obseruare spondentes. Et nostris successoribus Imperatoribus conseruanda, in mandatis relinquimus.

Summo Pontifici & eius successoribus Constantinus dono dedit Romam & omnia imperatoria indumenta vt probat Fr. Gubmundus libris.

ANNOTATIO.

Quæ spectant ad donationem Constantini, lege Baron. an. 324. & ann. 1191. vbi de ea pluribus egit occasione commentariorum Theodori Balsamonis. Ea vero quæ de Dominio & temporali regno, Romanæ sedi collato hic enarrantur, verisimilia esse ipsius imperatoris nunquam satis laudata munificentia, in religionem Christianam pietas, & superstitionis gentilitiæ iusta æmulatio, satis apertè testantur. Imo & magnum de collatis Romanæ ecclesiæ à Constantino muneribus argumentum est, quod Francorum Christianissimi principes suis ipsorum diplomatibus, ea à Longobardis ablata, se Romanæ ecclesiæ RESTITVERE *professi sunt. Hoc tamen edictum donationis à Græcis corruptum esse assero; & duplici ratione declaro, tum quia refert Primatum ecclesiæ Romanæ acceptum à Constantino homine laico, quem à Iesu Christo eidem in Petro collatum esse, apertissime constat ex ijs verbis: Tu es Petrus &c. Tum quia in eodem edicto, iam sub eodem Imperatore ecclesiam Constantinopolitanam fuisse Patriarchatum affirmatur, cum tamen nec eo tempore quo illud edictum promulgatum ponitur, adhuc vrbs Constantinopolis id nominis accepisset. Hæc autem Græcorum fraudulentiæ, (vt apparet) facta nostrum, non Latinorum amore: sed odio ecclesiæ Romanæ, vt ex prima ratione constat, & sui vtilitate, vt ex secunda manifestum est.*

Vide Sabellicũ qui refert diadema aureum à Constantino oblatum.

De translatione sedis Imperialis apud Constantinopolim.

Cap. LVII.

HVgo *vbi supra.* Tunc ædificauit sibi Byzantium maritimam ciuitatem, & vocauit illam *Constantinopolim* de nomine suo. Ornauit itaque illam diuersis fabricis, & construxit in ea plures ecclesias, quarum vnam appellauit Irenem, & aliam Apostolorum, aliam verò dedicauit *Agyæ Sophiæ*, id est Sanctæ sapientiæ, quæ Christus est, & aliam Michaeli Archangelo. Transtulit etiam eo omnes penè nobiles Romanorum, & ordinem Senatorum cum vxoribus, & liberis eorum. Vrbẽ verò Romam cum palatio suo, quod Lateranense dicitur, concessit

Constantinopolis olim d. Ita Byssantium.

Ecclesia in ea erecta.

In nouam Romã transfert Imperium Constantinus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

concessit apostolis Christi Petro, & Paulo, Sancto Papæ Siluestro, Sanxit etiam, & instituit testamento, vt omnia, quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, Romani Episcopi iudicio, dispositionem accipiant, sed & per totum Romanum Imperium priuilegia singulis ciuitatibus dedit, vt omnis populus Christianus sub episcoporum ordinatione libere Domino deseruiret.

Ex libr. de cosmographia. Sic ergo dignitatem Imperij Constantinopolim transtulit, instituens vt totius caput esset Orientis, & ad Imperij Romani memoriam NOVA ROMA diceretur. Verum postmodum dum Burdegalis ciuitas obsideretur,& Arelas cum sua prouincia gentilibus opprimeretur, Gregorius iunior Papa infestationem paganorum non sustinens, metuens ne vlteriores Romanæ gentis partes gentilis furor inuaderet; Carolum Regem Francorum, missis ei clauibus sepulchri Sancti Petri, & vinculis eiusdem, muneribus tantis inuitat, vt Romani Senatus Patricius efficiatur. Quod humiliter ac deuote suscipiens Carolus in Romanum exigitur patronatum, strenuissime, pro fide pugnans & Romani Imperij curam gerens. Huic successit Pipinus filius eius, Carolomanno monacho facto, cui successit Carolus eius filius, qui duos habuit filios; Carolomannum, & Ludouicum. Vrbanus Papa Carolomannum, Pipinum Adrianus nominauit.

Debis latius in sequentibus, hic tãtum breuiter de ijs agit author vt ostendat quãdiu Imperiũ translatum manserat Constantinopoli saluũ & integrum

Carolus autem pro republica pugnans, tandem in vltimis vitæ terminis Imperij nomen sumpsit, vt qui Romani Imperij defensor extiterat,pro tantis meritis acciperet nomen Augusti, & inter cælestes aulicos miles fortissimus prædicaretur. Ex tunc ergo apud Latinos est Græcorum potentia terminata, nullique Roma magis infesta est, quam Imperatori suo, dum duos Dominos habere contendit, & inter pontificium, & Imperium posita, alterum excludit, alterum contemnit.

Anno igitur Domini 801. cum apud Græcos nomen Imperatoris micaret, Carolus Romæ moram faciens, accepit à Leone Papa, & omni populo Romano decretum, vt Carolus nomen Imperatoris indueret, & AVGVSTI, eo quod Romani Imperatores olim in vrbe Roma sedem habuissent. Ex eo igitur tempore, Imperio Græcorum apud occidentem euanescente, nomen redijt Imperatorium, ad quasdam partes occidentis, ex quo quędam Romani Imperij facta est confusio, de duobus nomen vnum tenentibus, diuisio enim minuit potestatem. Et sicut à solo Deo Græcorum dependet Imperium, ita à sede tantum Romana, Papa affirmat Imperium occidentis pendere. Apud principes quidem Alemanniæ Imperatoris est electio: apud Papam electi confirmatio, & consecratio Noua discretione Imperator nominatur vt Dominus, consecratur vt non Dominus, nempe imperialia non accipit insignia, quæ sibi soli collata Papa conseruat. Ad altare modicum in latere Basilicæ Beati Petri consecratur à solo Papa, cum è diuerso Papa Imperatoris insignia in sui consecratione teneat, & ad altare maius Sancti Petri accipiat vnctionem.

De dilatatione ecclesiæ sub Constantino, & impietate Licinij.

CAP. LVIII.

Constantini feruor in erigendis ecclesijs.

HVgo *vbi supra.* Denique incredibile est memoratu, quam breui Constantini studio, SANCTA late per totum orbem creuerit ECCLESIA, & quanta cura erga sumptum ædificandarum ecclesiarum fuerit ardẽs.nam cum edicto publico ædificarentur ecclesiæ per totum eius Imperium, ipse ad hoc peragendum, ex regiis thesauris pecunias affluentissime conferebat. Scribebat insuper singulis ciuitatibus sui Regni, vt populus episcopis ministraret, de regali fisco, vnde Sanctæ perficerentur ecclesiæ.

Eusebius 9. lib. cap. 10. Igitur cum tali simplicitate ecclesiarum gloria apud Deum hominesque proficeret, & imago quædam cælestium haberetur in terris, religiosus Princeps Constantinus per dies singulos fide, & religione crescens inexplebili gaudio, & Ecclesiarum profectibus replebatur. Sacerdotibus etiam Dei non credebat sufficere, si se æqualem præberet, nisi eos, & longe præferret. Cumque pro his omnibus,iam non vt Imperator, sed vt pater coleretur à cunctis, non tulit infælix inuidia, vel nostrorum pacem lætis successibus crescere, vel illius erga nos studia inquassata durare. Etenim Licinius, qui primo quasi probitate morum, non solum ab eo in societatem regni fuerat accitus, verumetiam in propinquitate ex coniunctione susceptus (sororem, namque Constantini in matrimonium acceperat) videns Imperatorem non tam vi, & metu,quam amore, & religione omnibus imperare,& in summa veneratione cunctis esse mortalibus,præcipue Christianis; inuidia percussus occultis insidijs eum decipere patauit. At ille totus confidens *in Deo*, ad omnia se illo signo, quod ei cælitus monstratum fuerat, muniebat; nec vllis per hoc insidijs fieri obnoxius poterat. Verum Licinius iratus quod ille Christianorum precibus iuuaretur, & ideo tutus maneret,stulta iracundia permotus,Imperatori quidem apertum bellum indicit,regni fidem, ac societatem contaminat, nostros vero priuato,& speciali odio persequi parat, hoc in quærelam denotans, quod non ita pro se sicut pro Constantino, Christiani in solemnibus, & ex præcepto sibi traditis orationibus excubarent. Versa igitur vice is, qui paulo ante acerrime in eos vindicauerat, qui tyrannorum tempore aduersum Christianos aliquid crudele moliti sunt,nunc in nostros tela contorquet. Primo namque omnium,de palatio suo si quis Christianus esset exire iubet, tum & ex omni militia post hęc profecit pestis,& tyrannicis edictis statuit, omnes qui se Christianos profiterentur, in carcerem trudi. Statim tamen inuenit aliquid in quo priores crudelitate superaret. Addidit edicto ne quis alicui missо in carcere cibum vel potum deferret. Denique omnes, qui contaminatis sacrificijs acquiescere noluissent, non tortoribus (vt prædecessores sui Tyranni faciebant) neque cruciatibus aut supplicijs tradi iubebat,sed lanionibus dari, vt eos porcorum more suspensos despicatosque & codicibus superpositos per frusta cæderent;& in partes diuisos, in mare ad pabulum piscium proijcerent. Ecclesias quoque,quas suis iam temporibus communibus edictis extrui fecerat,rursum & ipse subuertere,& per omnia satagere, quatenus cunctos, qui ante se fuerant tyrannos, crudelitate superaret. Præterea,& leges si quæ apud Romanos bene, & honeste à maioribus latæ fuerant,in barbarum ritũ conuertere,auaritiæ quoque insatiabiliter studere, census innouare,& agros cultoribus vacuos tributis replere. Præterea si quos iniquis factionibus circumuentos in exilium misisset, horum vxores è legitimis matrimonijs euulsas, seruis suis ac satellitibus iungere. Ipse verò etiam contra ætatis suæ vires adulteriis, & corruptionibus virginum delectari.

Sauam mouet persecutionem Licinius aduersus Christianos, lege Baronium an. 316. & acta S. Basilei quæ extant apud Surium 26. April.

Licinius aduersus Constantinum Augustum belli parat.

Licinij edicta aduersus Christianos.

Licinius ecclesias Christianorum euertit.

Passio militum xl. sub Licinio.

CAP. LIX.

Nomina 40 militum extãt apud Surium 9. Martij in gestis eorum. Polybius 6. libr. dum recitat supplicia militaria etiã eos contundi lapidibus solitos narrat

EX *gestis eorum.* Sub Licinio passi sunt 7. Idus Martij apud Sebasten Armeniæ minoris, milites xl. sub Agricolao Præside, quorum præcipui erant Cyrion & Candidus, qui Candidus ait Agricolao: *Digne hoc nomen tibi impositum est, agrestis enim blanditor es.* Sanctus autem Cyrion ait ad socios; *sæpe pauci multos in fugam conuertimus: nunc vero tres sunt qui nos impugnant, Sathanas, & dux Lysias, & Præses Agricolaus, & hi tres vnum sunt.* Absit autem vt hic vnus 40. vincat. Iussi sunt deinde lapidibus cædi, sed ministri leuantes lapides, alterutrum se cædebant. Exardescens autem dux Lysias, & tollens lapidem

pro vt et iam hisce militibus factum apparet.

pidem vt aliquem Sãctorum percuteret in faciem Præsidis adduxit lapidem, & comminuit faciem eius. Stantibus autem sanctis ante faciem Præsidis apparuit eis diabolus tenens dextera manu gladium, sinistra vero draconem, qui dicebat in aurem Præsidis; MEVS ES, PVGNA. Erat autem in Sebaste stagnum habens aquam multam, quod tunc vehementer frigidum erat; tempore hyemis positi sunt Sancti in medio nudi à mane vsque ad vesperum; positum est etiam balneum. Et ibi positi sunt iuxta, custodes milites, & clauicularius. Vnus autem ex illis xl. pusillanimis effectus, refugit ad balneum. Qui mox vt attigit calorem resolutus est. Quod videntes alij dixerunt, quasi ex vno ore. *Ne in fluminibus irascaris Domine.* Clauicularius autem vigilans, & auscultans, cæteris custodibus dormientibus, vidit de cælo descendentes coronas 39. & expergere faciens custodes proiecit vestimenta in facies illorum, & exiliuit nudus in stagnum clamans: *Et ego Christianus sum.* Victus autem Sathanas, & transfigurans se in virum, ligatis manibus ad genua, dicit in conspectu omnium: Ve mihi victus sum ab istis, & factus sum ridiculus omnibus, quia non habui vnanimes ministros. Vnius autem eorum mater perducat cum ipsis, cuius filius cæteris erat iunior: quæ timens pro filio semper confortabat eum, cuius nomen erat Meliton. Iussum est igitur omnium crura confringi, & simul omnes prætet illum iuuenem animas reddiderunt: quorum corpora super pyram sunt iussa imponi, vt comburerentur. Iunior autem relictus est ad oram fluminis quem Mater suscipiens in humeris portabat post cæteros qui dum portaretur lætus emisit spiritum. Cuius corpus mater proiecit super Sanctos, & omnes combusti sunt, quorum cineres iactati sunt in amnem, sed in loco præcipiti, & vadoso restiterunt, & congregati sunt, & nihil eorum imminuit fluuius.

Stagnũ frigidarij iuxta quod caldarium de more fuerit constructum indicat Baronius.

Habacuc 3.

Corona 39. celitus lapsa.

Querela dæmonis.

Egregium mulieris exemplum.

Post 5. dies reuelati sunt episcopo ciuitatis ab ipsis Sanctis, qui accipiens clerum, & populum, perrexit illuc, & viderunt reliquias in aqua fulgentes tanquam luminaria, super quas aqua decurrebat, illarum nil secum trahens, & si quid alicubi relictum fuerat à splendore demonstrabatur. Isti omnes martyres milites fuerunt, natione Capadoces vt in passione ipsorum scriptum est.

Passi sunt hi quadraginta martyres Sebastia ciuitate metropolitana minoris Armeniæ affirmãte S. Gaudentio anno Chr. 316.

Passi sunt quinto Idus Martij, sed in martyrologio passio eorum annunciatur septimo Idus Martij, quod quare factum sit nescio, forte eo die sepulturæ, traditæ eorum reliquiæ sunt.

Passio sancti Theogenis.

CAP. LX.

Theogenis martyrium

EX *gestis eius.* Sub eodem tyranno comprehensus est Theogenes, qui filius erat episcopi, sed cuius episcopi non legi, & perductus est ad legionem, quæ dicebatur Secunda Traiana, quæ considebat in Cizico, quæ est prima ciuitas Hellesponti; iussusque est extendi à quatuor palis in terra fixis, cædique fustibus, mutatique sunt super eum 18. Centuriones, & omnes fustes confracti, hic autem passus est, quia militare nolebat.

Deinde publice extensus est in media ciuitate circa horam nonam. Transiens autem illac optio legionis dicebat ei insultans. Vbi est Deus tuus, & Rex cui militas? si haberem potestatem gladio de te partes facerem. Ad quem Sanctus: Tu mihi nihil potes facere; sed venient dies cum tua, & tribuni tui crura frangentur, & corpora vestra à feris, & auibus consumentur; & Rex tuus post modicum conscidetur à persequentibus, & omnes ex vobis, qui Regi meo non credunt, peribunt.

Eius præsagium.

Tunc præcepit eum tribunus mitti in carcerem, & in neruo extendi, & quatuor clauis configi, & consignauit carcerem, vbi Sanctus à Sãcto Spiritu pascebatur. Nam

Celitus pascitur.

astitit ei Dominus dicens: *Theogenes conualesce, ego sum, & non accipias escam ab hominibus his est enim incorruptibilis esca in cælis.*

Et recedente Domino psallere cæpit, & cucurrerunt custodes ad ostium, & viderunt illud clausum, & populum multum in albis vestibus psallentem cum eo, & renunciauerunt tribuno, qui iussit multitudinem armatam stare ante carcerem cum eo, multos putans esse Christianos, & neminem inueniens præter eum, iussit ei dari panem, & aquam, qui noluit accipere dicens: *Me pascit Rex meus, & annonam eius accipio quotidie*; & rescripsit hæc Tribunus Licinio, qui iussit illum iactari in mari & corpus eius non colligi. Qui eductus à carcere habebat vultum, & omnem corpus sanum & innouatum, quasi à balneo exiret. Veniens autem ad mare petiuit spacium orandi, & orauit per tres horas, & facta est lux magna super eum, cuius fulgore oculi nautarum, & militum excæcati sunt, ne viderent Angelos sibi colloquentes; quorum tamen voces audiebant, & adiurauit eos dicens. Quod iussum est vobis, facite. Veruntamen credite in Deum, & habebitis *vitam æternam.* qui miserunt eum in mare tristes, & reuersi *crediderunt in Christum* & cum eis multi.

Cibum sumere recusat.

Proijcitur in mare & martyrium consummat, vide Baron. an. 316.

Post dies 9. facta est pugna contra Licinium, & ex illa legione quicumque non crediderunt gladio cecciderunt, pro quo facto, Licinius iussit Tribuni, & optionis crura confringi, sicut Sanctus Theogenes prædixerat. Collegerunt autem fideles viri corpus martyris, & posuerunt illud in loculo, & tulerunt nocte, & sepelierunt iuxta muros ciuitatis in villa Adamanti fidelis viri in Epogio. Fuit autem Sanctus Theogenes in carcere dum expectarentur relationes, dies 9. nihil omnino cibi, vel potus accipiens.

Præsagium eius exitum sortitur.

Corpus eius sepelitur.

Huius martyrium annotatur tertio Nonas Ianuarij.

Hæc gesta iuuenes apud Mombritium tom. 2. unde ea desumpsit Surius.

De cæteris sub eodem passis, & de morte eius.

CAP. LXI.

EX *Martyrologio.* Præterea autem 4. Nonas. Ianuarij, celebratur in Ponto ciuitate Tomis, passio trium fratrum, Argei, Narcissi, & Marcellini * pueri, qui sub Licinio principe inter tyronnes comprehensus, cum nollet militare cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus, ac in mare mersus martyrium consummauit.

* *Sic accipe hic puerum vt saltem sit annorum 17 ea enim ætate tyrones adscribebantur militiæ vt author est Gellius libr. 10. cap. 18. Lege Tripartitam lib. 5. cap. 33. ex So. libr. 4. cap. 15.*

Item 17. Calen. Septembris in Nicea Bithyniæ, natale Beati Vrsatij confessoris qui sub Licinio persecutore militia relicta, solitariam vitam agens, tantis claruit virtutibus, vt & dæmones expulisse, & ingentem draconem orando interemisse legatur.

Eusebius vbi supra. Et postquam huius armis præcinctus, tyrannidem cæpit agitare Licinius, Constantinus qui erat virtutibus adornatus; tot tantisque flagitijs ire obuiam parat, nec aliqua fuic difficultas victoriæ, vbi causa iustior, & fides purior, & virtus erat eminentior.

Hugo vbi supra. Facta est hæc congressio in Bithynia circa Chrysopolim, & victus est Licinius atque comprehensus, & apud Thessalonicam capite truncatus, sicque deiecto Licinio, & extincto, Constantinus mira bellorum felicitate soliditatem Romani regni solus obtinuit; perijt autem Licinius regni sui anno 4. vitæ vero suæ fere xl. vir animo seuerus, spadonumque, & aulicorum vehemens domitor, appellabat quippe eos tineas, soricesque palatij.

Bellum intulit Licinio Cõstãtinus, quod suo de protegendis Christianis promisso minime staret, eumque post coplures victorias interficiendum curauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De concilio Nicæno propter Arium conuocato, & statutis Beati Siluestri.

Cap. LXII.

Primū concilium generale Nicænum, pro diuinitate Christi contra Arium, siue iā mortuū, vt vult Epiphan. siue auditum, & præsentē vt aiunt Socrates, Ruffinus & alij celebratum fuit anno Ch. 325.

** Iuxta Baron. & alios plures 325. Hæc corrigenda sunt ex Baronio an. 325.*

** Alias Victore seu Vitali.*

Rvffinus in historia Ecclesiastica libr. 10. cap. 1. Cum autem apud Alexandriam, post Achillam, qui Petro Martyri successerat; Alexander Sacerdotium suscepisset, quia pax nostris, & quies à persecutionibus erat; & Ecclesia confessorum meritis gaudebat, prosperitas eius domestica contentione turbatur. Etenim presbyter quidam apud Alexandriam nomine Arius, specie quidem religiosus, sed gloriæ, ac laudis, & nouitatis improbæ cupidus, praua quædam *de fide Christi* proferre cępit; & *à substantia Patris Filium separare.*

Hugo vbi supra. Prædicabat enim *Filium creaturam esse, & Spiritum Sanctum ab eo creatum*, addebat etiā: *erat quando non erat.*

Et cum has faceret Arius inter *Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum sanctum* differentias, Alexander eiusde m vrbis episcopus ei resistebat. Sed cum illum ab exitiabili errore reuocare nequiret, expulit eum ab ecclesia Sancta. ille vero contra eum seditionē excitauit. Quod audiens pius Princeps Constantinus coadunari fecit Sanctam synodum apud Niceam Bithyniæ vrbem, anno incarnationis Domini* 327. conueneruntque ibi 318. episcopi, & hæc est prima Sancta vniuersalis synodus. Iam Siluester Papa defunctus fuerat, & illi Marcus successerat, Marco vero Iulius; iste tunc in Apostolica sede residebat. Veruntamen huic non interfuit concilio propter senectutis imbecillitatem, sed affuerunt pro eo * Vitus, & Vincentius Romanæ Ecclesiæ Presbyteri: affuerunt etiam ex Apostolicis sedibus Macarius Hierosolymitanus, & Eustachius Antiochenus, & Alexander Alexandrin us, honorabiles Patriarchæ.

Author. Alibi tamen inuenitur Siluester ibi affuisse, nam in lib. pontificali sic legitur: Temporibus Siluestri factum est concilium cum eius præcepto in Nicea Bithyniæ, & congregati sunt 318. episcopi, qui *fidem integram catholicam exposuerunt.* & Arium, ac Fontinum, & Sabellium damnauerunt. Sed in vrbe Roma congregauit ipse cum concilio Augusti. 262. episcopos, & iterum Callistum, & præfatos hæreticos condemnauit. Constituit etiam vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Hic constituit vt Diaconi dalmaticis in ecclesia vterentur: hic constituit vt nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante Iudicem cinctum, causam diceret nisi in ecclesia, hic constituit, vt sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto celebretur, nisi tantum in lineo ex terra procreato, *sicut corpus Domini nostri Iesu Christi* in Sindone lanea sepultum est.

ANNOTATIO.

Nicænum concilium cepit sub Siluestro: vt Baronius testatur & ante illum Eusebius qui eidem concilio interfuerit; Platin. in Siluestro. Regnō & alij plerique quidam volunt sub Iulio vt Sozom lib. 1. cap. 18. Hist. Tripartit 2. cap. 1. quamuis hic error non fuit Sozomeni, sed librariorum vt notat Baron. an. 325. & obseruat etiam Cardinalis Perronius in Parergo de tempore celebrati concilij Nicæni. Eius initium varie à scriptoribus traditur. Alij referunt ad annum Christi 322. Quidam vt Eusebius in Chron. ad 324. quidam ad 330. quidam vt plerique Græci ad 333. quidam ad 338. vt Volater. & Beda. Ad consulatum Paulini & Iuliani alij, qui fuit annus 17. siue (vt alij volunt) 18. Constantini, vt Socrates lib. 1. cap. 13. Niceph. 8. cap. 26. quorum ille, ad 20. diē Maij, hic ad vndecimum, Onuph. ad Aprilem. alij ad 19. Iunij conferunt. Eum annum alij decunt esse Christi 325. vt rectius Baronius. Alij 326. Alij 327. Alij, 28. Tanta est annorum à Christo incertitudo, quod veteres per annos Imperatorum numerarent, non Christi: qui mos, vt censent quidam, tantum ab anno eius circiter 600. inualuit.

De libellis episcoporum à Constantino adustis.

Cap. LXIII.

Constātinus nolebat iudicare de causis sacerdotum.

Zozomenus in historia tripartita. Introiuit autē Princeps vltimus in conuentum cum paucis, minori sede, quam Episcopis sibi posita in medio, nec resedit donec episcoporum iussione hoc sibi petijt concedi. *Ruffinus vbi supra cap. 2.* Et cum ex omnibus fere locis episcopi congregati diuersis ex causis inter se quædam iurgia detulissent, frequenter interpellabatur, & à singulis libelli offerebantur. At ille videns, quod per huiusmodi iurgia causa summi negocij frustraretur, diem certam statuit, qua vnusquisque episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret, & cum resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes sinu suo continens, nec quid in eis contineretur aperiens, ait ad episcopos: Deus vos Sacerdotes constituit, & potestatem dedit vobis, de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur. Vos autem, qui nobis à Deo dati estis Dij, non potestis ab hominibus iudicari, quia non est conueniens vt homo Deos diiudicet, sed Dei solius inter vos expectate iudicium, de quo scriptum est, *Deus stetit in synagoga Deorum, &c.* His ergo omissis iurgijs, ea quæ ad fidem Dei pertinent sine vlla animarum contentione distinguite. Cumque hoc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simulatio Sacerdotum.

Psal. 81.

Author. Ita patrum veritus est vitia, vel conuitia publicare, & Cham reprobi filij incurrere maledictionem, qui patris verenda non texit. Ideoque Constantinus alibi dixisse legitur: Vere si vidissem Sacerdotē vel aliquem eorum qui monachali habitu amicti sunt, peccantem, clamydem meam explicarem ad operiendum, ne ab aliquo posset videri.

De Philosopho, quem in conuentu, vir simplex conuicit, & conuertit.

Cap. LXIIII.

Philosophi & Dialectici item conueniūt apud Nicæam.

Rvffinus vbi supra. Cumque per multos dies in episcoporum 318. residentium concilio quæstio verteretur; opinione commoti Philosophi quoque, & dialectici opinatissimi conuenerunt. In quibus quiquidam insignis cum episcopis nostris etiam in dialectica eruditis, conflictum quotidie mouebat summi certaminis, nec concludi poterat à quoquam, aut constringi. Tanta enim dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maxime putaretur astrictus, velut anguis lubricus haberetur. Sed vt ostenderet Deus, quia *non in sermone est regnum Dei, sed in virtute*, quidam ex confessoribus simplex vir, & nihil sciens aliud nisi *Iesum Christum, & hunc crucifixum*, videns Philosophum nostris insultantem, poscit ab omnibus locum cum Philosopho sermocinandi, nostri vero, qui simplicitatem viri, & imperitiam sermonis nouerunt, pauere, & quasi pudorem pati cæperunt, ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior, & hinc sermonis mouit exordium. *In nomine,* inquit Iesv Christi. Philosophe audi, quæ vera sunt: Deus vnus est, qui omnia, quæ videntur virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit, *hoc verbum*, quod nos *filium* dicimus, humanos miseratus errores, *ex virgine nascitur* & morte sua nos à morte perpetua liberauit, quem expectamus iam resuscitatum, iudicem omnium quæ gerimus, esse venturum. Credis hoc esse ita Philosophe? At ille, si ac nunquam vllum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus & virtute dictorum mutus ad omnia hęc solum poterat respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quam quod dixerat. Tunc senior. Si hæc ita esse credidisti, surge, & sequere me, & huius *fidei signaculum*

1. Cor. 2.

Christianus illiteratus Philosophū aggreditur & ei Christi religionem persuadet.

Per signaculum huius fidei, crucem intelligit, nā sic olim initiabantur Christiani.

suscipe.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſuſcipe. Ille autem conuerſus ad diſcipulos ſuos, vel ad eos, qui audiendi gratia conuenerant. Audite, inquit, ô eruditi viri, donec verbis mecũ geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur, dicendi arte ſubuerti: vbi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo Deo potuit aduerſari: & ideo ſi quis veſtrum potuit ex his, quæ dicta ſunt ſentire, quę ſenſi, *credat Chriſto*, & ſequatur hunc ſenem in quo locutus eſt *Deus*. Itaque Philoſophus Chriſtianus effectus, tandem ſe fuiſſe victum gratulatus eſt. *Caſſiodorus in tripartita hiſtoria.* Volentibus etiam quibuſdam Philoſophis cum Alexandro Conſtantinopolitano epiſcopo diſputare, iuſſit Imperator vt certamen ſuſciperet, qui quamuis ſimplex eſſet de vitæ tamen qualitate confidens diſputationem ſuſcipiens, iuſſit omnes præter vnum tenere ſilentium: Cui etiam ait, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti impero tibi*, ne loquaris: qui ſtatim mutus factus eſt.

Alexander melior, quã doctior Philoſopho ſilentium imperat per miraculum.

De viris Sanctis, qui interfuerunt concilio, & de geſtis Sancti Spiridionis.

Cap. LXV.

Athanaſius Alexandrini epiſcopi à cõſilys.

Rvffinus vbi ſupra cap. 5. & 4. In eodem quoque concilio aderat Athanaſius Alexandriæ diaconus, Alexandrini epiſcopi, concilijs ſenem quam plurimum iuuans.

Præterea fuit ibi Paphnutius homo Dei, epiſcopus ex Ægypti partibus confeſſor, ex illis quos Maximianus dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro police ſucciſo per metalla damnauerat. Sed in hoc tanta virtutum gratia inerat, vt ſigna per eum non minus quam dudum per Apoſtolos fierent. Nam & dæmones verbo tantum fugabat, & ægros ſola oratione curabat; ſed & cæcis viſum dicitur reddidiſſe, & Paralyticos ad ſtabilitatem corporis reuocaſſe, quem Conſtantinus in tanta veneratione, & affectu habuit, vt ſæpius eum intra palatium euocatum complecteretur, & illum oculum, qui in confeſſione fidei fuerat euulſus, auidioribus oſculis demulceret. *Rufinus vbi ſupra cap. 5.* Ex eorum numero fuiſſe dicitur, etiam Spiridion Cyprius epiſcopus, qui paſtor ouium etiam in epiſcopatu poſitus, permanſit.

Paphnutius confeſſor.

Spiridion

Vir vita tãctitate & prophetia mirabilis.

Quadam vero nocte cum ad caulas fures veni ſſent, & manus improbas quo aditum educendis ouibus facerent, extendiſſent, inuiſibilibus quibuſdam vinculis reſtricti, vſque ad lucem, velut traditi tortoribus permanſerunt. Cumque oues ducturus ad paſcua matutinus ſe ageret ſenior, vidit iuuenes abſque humanis vinculis caulis pendere diſtrictos. Cum ergo cauſam noxæ comperiſſet, abſoluit ſermone, quos meritis vinxerat, & ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, ô iuuenes vobis vnũ arietẽ, ne ſine cauſa veniſſe videamini, quem melius prece, quã furto quæſiſſe cõuenerat.

Spiridionis ſigna erga ligatos.

Habuit filiam nomine Irenen, quæ cum ei bene miniſtraſſet, defuncta eſt. Deinde venit quidam dicens ſe ei quoddam depoſitum commendaſſe. Rem vero geſtam ignorauerat pater; ſed illius lachrymis motus; cum in tota domo quod poſcebatur quæſitum eſſet, nec inuentum; ad ſepulchrum filiæ properat, eamque ex nomine clamitat, tunc illa de ſepulchro reſpondit. Quid vis pater? Commendatum illius, inquit, vbi poſuiſti? At illa locum deſignans, illic, ait, defoſſum inuenies. Regreſſus itaque ad domum, rem repertam ſicut illa reſpondit, tradidit repoſcenti.

Caſſiodorus vbi ſupra lib. 1. cap. 10. Qualis autem circa peregrinorum ſuſceptiones fuerit, hinc apparet: Inſtante iam quadrageſima quidam ex itinere venit ad eum, diebus quibus conſueuerat cum ſuis continuare ieiunia, & die certo comedere, medios dies ſine cibo conſiſtens. Videns itaque peregrinum valde defectum: Perge (inquit filiæ ſuæ) laua peregrini pedes, & cibos appone. Cumque virgo dixiſſet, nec panem eſſe nec ἄλφιτα, (quarum rerum ſolebant habere nihil reconditum propter ieiunium) orans primum veniamque petens, filiæ ſuæ iuſſit vt porcinas carnes, quas domi ſallitas haberet, coqueret. Quibus coctis, ſedens cum peregrino poſitis carnibus comedebat, & rogabat vt vna cum eo ederet peregrinus. Quo recuſante, Chriſtianumque ſe profitente: Propterea, inquit, magis refutare non debes, *omnia enim munda mundis*; hæc de Spiridione dicta ſufficiant.

Chriſtiani hominis libertas.

De Statutis eiuſdem Concilij, & de Symbolo.

Cap. LXVI.

Rvfinus vbi ſupra. cap. 5. Igitur diſcuſſis aſſertionibus Arij diutino multoque tractatu. Placuit omnibus, & velut vno cunctorum ore, & corde decretum eſt, ὁμούσιον ſcribi debere, id eſt *eiuſdem* cum Patre *ſubſtantiæ* Filium confiteri. Decem & ſeptem tunc ſoli fuiſſe dicuntur quibus fides Arij magis placeret; quorum ſex ſoli ſe patiuntur cum Ario expelli, reliqui vero 11. cõſilio inter ſe habito, acquieſcũt ad ſcribendu manu ſola non mẽte. Cuius ſimulationis author præcipuè fuit Euſebius Nicomediæ epiſcopus.

Exemplum fidei Nicani cõcilij & ſtatutorũ eius.

Exemplum autem expoſitionis fidei illorum qui ibi affuerunt Catholici, hoc eſt.

Credimvs in vnvm Devm Patrem omnipotentem, *omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem; & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei, de Patre natum vnigenitum, hoc eſt de ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum* ὁμούσιον *Patri, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ & in cælo, quæ & in terris. Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus, eſt homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos, inde venturus eſt iudicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.*

Eos autem qui dicunt. *Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat, & quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt, aut ex alia ſubſiſtentia vel ſubſtantia, dictum eſſe aut conuertibilem vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica, & Apoſtolica eccleſia.*

Statuta & Canones concilij.

Statvvnt *præterea obſeruandum eſſe in eccleſijs, ne quis ex his qui ſemetipſos in patientia libidinis exciderunt, veniret ad clerum.*

Et ne quis nuper aſſumptus ex vita vel converſatione gentili, accepto baptiſmo, antequam cautius examinaretur, clericus fiat.

Et ne quis epiſcoporum cæterorumque clericorum, cum extraneis mulieribus habitet, præter cum matre vel ſorore vel amita, vel ſi quæ ſunt huiuſmodi neceſsitudinum perſonæ.

Viginti Canones concilij Nicani ſolummodo eſſe, probat Baronius an. 325. Vincentius non omnes ex Ruffino ſuo operi inſeruit, forſan, quia Ruffini interpretatio nõ vndequaque Catholica erat, cum ipſe, (vt ait Baronius) homo ſchiſmaticus Nicanos Canones non leui præiudicio

Vt epiſcopus ſi fieri poteſt, à totius prouinciæ epiſcopis ordinetur: Si hoc difficile eſt, certe non minus quam à tribus, ita tamen vt Metropolitani epiſcopi maxime vel præſentia, vel auctoritas habeatur, abſque quo ordinationem irritam eſſe voluerunt.

Et ne quem alius epiſcopus ab eccleſia expulerit ſiue clericum ſiue laicum ſuſcipiat alius. Sane ne hoc aut iracundia aliqua, aut contentione (vt fieri ſolet) iniuſte factum remedium non haberet, decernunt per ſingulos annos in ſingulis quibuſque prouincijs, ſecundo ab omnibus epiſcopis prouincialibus Concilia agi debere, & de huiuſcemodi negocijs iudicari, vt ſi forte ab vno inique aliquid geſtum eſt, à cæteris emendetur: ſi rectè ab omnibus confirmetur.

Et ne quis clericus qui derelicta eccleſia ſua, nulla exiſtente cauſa probabili vagetur, & oberret per alias eccleſias, ſuſcipiatur in communione.

Et vt nemo, eum qui ad alium pertinet, ſubripiens, in ſua eccleſia ordinet clericum, abſque conſenſu illius ad quem pertinet.

Et ne diaconi Presbyteris præferantur, ne ſedeant in conſeſſu Presbyterorum, aut illis præſentibus diuidant euchariſtiam, ſed illis agentibus ſolum miniſtrent. Si vero Presbyter nullus ſit in præſenti, tum demum etiam liceret ipſis diuidere.

De

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in compendium redigens, sextum canonẽ male interpretatus est.

De Sancto Nicolao, & eius origine, & infantia.

Cap. LXVII.

Ex translatione beati Nicolai. Sicut autem in vera repetitur historia Græcorum, sanctus quoque Nicolaus episcopus Myræorum in synodo Nicena fuisse legitur, iam senex postea paucisque superuixit diebus.

Patria & Parentes S. Nicolai.

Ex gestis eiusdem. Hic Nicolaus ex illustri prosapia ortus ciuis Pateræ vrbis, quæ in prouincia Lyciæ quondam nobilissima, nunc peccatis exigentibus ad instar paruissimi oppidi redacta, raro incolitur habitatore. Est etiam penes eam locus quidam campestris, qui ita totus creberrimis incendijs, sicut vetus vestimentum, scinditur, & ex hiulcis meatibus pariter fumum emittit teterrimum, per noctem vero quasi ferrarij fornax, igniuomam vaporat flammam, cuius natura esse dicitur si quis experientiæ causa manum propius adhibuerit, ardorem quidem sentiat, sed nullã patiatur adustionem. Sic prædictæ vrbis infælices accolæ, quia omnem luxuriã prosecuti sunt, omnibusque se subdiderunt illecebris, ad emendationem *misericorditer à Domino* signum tremendæ vindictæ acceperunt.

Vrbis Patera descriptio.

Hac præfata vrbe adhuc multa plebium generositate referta, parentes Beati Nicolai locupletes nimis, & inter potentum cateruas honorati, magis cælestis, quam terrenæ dignitatis gloriam appetebant. Et miro modo cum in primęuo flore iuuentutis, hunc solum filium genuissent, cunctis voluptatibus abdicarunt, & inter preces quas frequenter *in templo Domini* fundebant, hunc solum superstitem, & non tamen diuitiarum, quantum & morum, flagitabant hæredem; quorum vota *Deus* ex alto prospectans, qualis futurus esset puer in ipso natiuitatis eius primordio monstrauit, nam cum lacte matris aleretur, cæpit bino in hebdomada die, quarta, & sexta feria semel tantum sugere mammas, & hac vice contentus, tota die sic permanebat. Cum autem puerilibus annis simpliciter domi transactis bonę indolis adolescẽs esse cæpisset, non (vt illa ætas assolet,) lasciuiam complexus est mundi, sed nunc cum parentibus, nunc solus ecclesiæ terebat limina, & quod ibi de scripturis patulo aduertebat auditu, non immemor armariolo pectoris recondebat.

Quarta & sexta feria semel sugit vbera.

De infantia Virginum auro per eum redempta.

Cap. LXVIII.

CVm autem vtroque parente orbatus esset, illud Euangelium sæpius ante mentis oculos ducebat: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, &c.* Quod cum facere vellet, timebat, ne quod *pro Christo* facere disponebat, fauorabilis aura percelleret. Talia eo cogitante, accidit quod quidam conuicaneus eius locuples nimis, ad tantam veniret inopiam, vt tres virgines filias suas quarum nuptias spernebant etiam ignobiles viri, constitueret prostituere, vt earum saltem commercio infelicem ageret vitam. Quod vbi vir Sanctus comperit, miserrimo homini condoluit. Notata igitur cuiusdam noctis hora, sumens aurum non modicum, liganſque in panno, perrexit ad domum viri, & per fenestram clam intro proiecit, clamque discessit. Mane cum surrexisset homo, auro reperto, *Deo gratias egit*, & præ magnitudine gaudij lachrymas fudit.

Matth. 16.

Subuenit Nicolaus nobiliegenti, prostituere volenti filias.

Celebratis igitur primogenitæ filiæ nuptijs, cæpit inquirere diligenter, quis esset, qui eius inopiæ tantam humanitatem præstitisset. Cumque diu talia moliretur, nihilominus *Christi famulus* non multo post typo quo prius, simile peregit opus, quod mane percipiens homo, gaudens vehementer orauit dicens: *Domine absque cuius nutu, nec passer ad terram cadit, nec arboris folium, clementiam tuam precor, vt mihi peccatori ostendas, quis ille sit, qui tanta erga me bona exhibere non desinit.* Cumque solicitus excubaret, vigilansque pernoctaret, si forte *Dominus* seruũ suum ei ostenderet, paucis euolutis diebus, ecce *cultor trinitatis* aduenit, & iteratæ vicis factum trino cupiens supplere numero æquale duobus iactauit, cuius sonitu excitatus homo, statim egressus fugientem subsequitur, spacioque correpto Nicolaum per vmbras agnouit, mox humi prostratus osculari satagebat pedes eius, quod Sanctus vt pio erat pectore, renuit, exegitque ab eo, ne dum viueret se huius rei authorem indicaret.

Prima matrimonio elocatur filia.

Secunda.

Pro tertia elocãda suppeditat aurum S Nicolaus.

De electione eius in Pontificem.

Cap. LXIX.

HIs itaque transactis, Myræa Metropolis orbatur suo antistite. Conuenerunt igitur espiscopi vicini cum clericis suis, vt illi secundum scientiã canonum, idoneum præsulem, annuente Domino, prouiderent; & concione facta, intererat quidam Pontifex magnæ auctoritatis ad cuius intuitum pendebat omnium sententia. Hic cunctos ieiunijs, & precibus insistere monuit, vt ille qui Mathiam indixit numerum supplere Apostolicum, solita clementia pandere dignaretur, quem vellet fungi sacerdotio: quibus summa cum deuotione orantibus, vocem de cœlo audiuit prædictus Pontifex dicentem sibi, vt egrediẽs ante portas ecclesiæ staret, & quem primum hora matutinali venire conspiceret, ipsum consecrarent in antistitem, addens etiam, quod Nicolaus vocaretur. Quod cum fecisset, & Nicolaus ante omnes ad ianuam ecclesiæ propinquasset, iniecta manu, apprehendit eum episcopus, blanditerque nomen eius scisciitatus est, ille vt columbina erat simplicitate plenus inclinato capite; Nicolaus, inquit, seruus vestræ sanctitatis. Quid plurà? Pontificali cathedra, licet plurimum renitens sublimatus, cum omni charismatum virtute corroboraretur, & nihil sibi, sed *totũ gratiæ Dei* tribueret, cæpit ita coruscare miraculis, vt non tantum sui, sed etiam alieni quibuslibet angustijs oppressi, *inuocato nomine eius* statim sentirent leuamen.

Diuinitus declaratur Myrorum episcopus.

De naufragantium liberatione, & frumenti multiplicatione

Cap. LXX.

QVadam die cum quidam nautæ subita maris tempestate periclitarentur, dissolutis frigore membris, clamitabant: *Nicolae famule Dei, si vera sunt, quæ de te audiuimus, nunc ea, periculo constituti, experiamur, vt erepti ex sæuientibus maris fluctibus, Deo & tuæ liberationi gratias agamus.* Talia referentibus apparuit quidam in similitudine viri, dicens eis: *Vocastis me, ecce adsum, & cepit eos in rudentibus, & antennis aliisque nauis armamentis adiuuare*, nec multo post omnis pelagi cecidit fragor, omnisque cessauit tempestas. Tunc læti nautę cum optatum subissent portum, egressi scisciitabantur, vbi vir Dei Nicolaus esset, & cum indicatus eis esset in ecclesia, è vestigio ingressi, quem nunquam nouerant, sine indice cognouerunt, mox prostrati ad pedes eius, cæperunt ei gratias agere dicentes, qualiter in confinio mortis ipso suffragante, liberati essent. Quibus Sanctus: *Non meæ*, inquit, *possibilitatis arbitremini esse, quod factum est, solita Dei misericordia est.*

Nautis in rebus desperatis S. Nicolaum inuocantibus adest.

Quodam tempore cum eadem Lyciæ regione accolarum pro meritis pernicioſa fames oppressisset, famulo Dei, naues triticeis mercibus onustæ, in littore Adriatici portus, adesse nunciãtur: quo velociter pergens ait: Vos rogaturus accessi, quatenus huic populo fame laborãti aliquid subsidij ex isto frumento impertiamini. Nõ audemus, inquiunt, pater, quia publica taxatione angariati de Alexandria hoc deferimus triticum per ministrorum manꝰ, in augustalia stipẽdia remetiẽdũ. Quibus Sãctus:

Mira S Nicolai cura & benignitas in populum famem oppressum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Saltē inquit, per vnāquāq; nauē 100. mihi præbete modios, & ego *in Dei mei, cui seruio, virtute* spōdeo quia nullā minorationē habebitis apud regiū exactorē. Tandē interuentu eius deuicti fecerūt sicut petierat, & venientes Byzātiū integrā mensurā, quā Alexādriæ suscepērāt, ministris imperatoris numerauerunt. Mirandis plus mirāda succedunt: *Tanta enim largitate Dei* hoc ipsum parum frumenti quod vir sanctus vnicuique pro indigentia sua distribuerat, auctum est, vt non solū eodem, sed etiam altero penè exacto anno, singulis ad victum sufficeret; multos quoque spe credula exinde serentes, expectata seges vberibus farsit redditibus.

De fallacia Dianæ per eum reuelata

Cap. LXXI.

Euertit templum Dianæ & eius cultum penitus extirpat.

PRæterea cum vsque ad tempus illud, serui Dei regio illa simulacrum Dianæ coluisset; ille diuino suffragatus adminiculo de finibus illis penitus huiusmodi populit culturā, vnde diabolus fellea face cōtra eū succensus, quosdam adiit maleficos eisque conficere oleum, quod mydiaton dicitur, præcepit, quo confecto, Dæmon in specie religiosæ fæminæ se transformans, quibusdam nauigantibus, quorum deuotio *ad seruum Dei* tendebat, medio sese mari obtulit, & quasi aliorum lembo veheretur, ait eis: Video vos proficisci *ad Dominū Nicolaum*, mallem nunc, & ego venire vobiscum, quia votum habeo tanti patris perfrui benedictione, sed quoniā nequeo, rogo vos vt oleū hoc ad Ecclesiam Myreorum feratis & ob memoriam mei summatim exinde parietes ipsius lineatis. Quod cum illi libenter suscepissent, monstrum informe velut vmbra tenuis veloci euanuit remigio. Nec multo post, illi ex improuiso cernūt sagenulā insignibus hominibus refertam, inter quos conspicantur quendā simillimum *Beato Nicolao*, qui sic eos adorsus est: Heus, inquit, quænam mulier illa, vobis locuta est, vel quid vobis attulit? At illi seriatim cuncta narrantes, ostendunt & oleum. En, aiunt, quod nos deprecata est ad Sanctam portare Ecclesiā. Quibus ille: Vultis, ait, scire, quæ fuit illa? hæc est impudica Diana; Et vt verum dicere me cōprobetis, hoc vasculum execrandi olei in fluctus istos projicite. Quod cū fecissent, mox vbi oleum illud æquoreas vndas tetigit, illico accensus est ignis, & contra naturam elementi prolixo maris spatio ardere visus est: Hoc dum Nautæ stuperent, & defixo obtuitu in tanto hærerent prodigio, eorum naues magno diuisæ sunt interuallo; Vnde nec interrogare valuerunt, quis esset ille, per quem callidi hostis frustratas insidias agnouerunt; Venientes autem *ad seruum Dei* dixerunt: Vere tu es ille, qui nobis in illo pelago, horrendum ostendisti prodigium.

Mira fallacia & inuidia diaboli detegitur.

De tribus militibus, quos necei iam oblatos accurrens liberauit.

Cap. LXXII.

Seditio in Phrygia.

PRæterea cum in Phrigia gens quædam à Constantini imperio discessisset, missi tres principes militum ab augusto vt rebelles subiicerent, cum Lyciæ pontum sulcarent, orta tempestate iactis anchoris stabilierunt classes, optata quoque pontici littora cæperunt aliqui huc, & illuc deambulare, ac iuuenes mercationis causa ad locum nundinarum accedentes rapinis affligere, quibus, cum accolarum vulgus omnem irruēs obsisteret, illis confligentibus, tumultus præpes Pateræ vrbi pro nuncio fuit. Quæ cum ad arcendam vim seditioni tota concurreret; hac vir Dei commotione percussus ad præfatum portum festinus perrexit, inuentisque principibus illis post salutationis officium, monuit eos, vt milites suos ab hac seditione comprimerent, & ad vrbem proficiscentes, dignarentur eius benedictione perfrui. His itaque sedatis relatum est ei ciues valde doluisse eius absentiam, eo quod consul munere excæcatus, trium militum iniustæ neci consensisset. Quibus auditis, vir Dei igne pietatis inflammatus, præfatos rogauit principes vt cum illo rapidis passibus festinarent. Cumque vrbem ingressi fuissent, interrogauit si adhuc viuerent, qui capitalem acciperent sententiam; & audiens, quod asportati essent in * Birsimo, vbi damnati perimebantur, licet tanto fatigatus itinere, currens ad locum reperit eos flexo poplite, velata facie atque super extensam ceruicem operiri iam vibratum spiculatoris ensem, nec mucrone territus, totum se audacter in lictorem ingessit, ac de manu eius gladium propellens, non prius abcessit quam eos solutos à vinculis, secum reduceret repetens, Me, inquam, pro his innocenter condemnatis paratus sum dedere lætho. Fauore igitur populi prosecutus, ad prætorium consulis accessit. Cui ille festinus occurrens eum salutauit: sed quoniā probata virtus corripit insipientes; aspernens eū Sanctus ait: *Inimice Dei & legis præuaricator, cuius os innocētium cruorem dulcius ebibit melle, qua temeritate præsumpsisti tanti reatus conscius, vultum nostrum conspicere? Cruentissime, quare non attendisti præceptum Domini, quotidie intonans; Innocentem, & iustum non occides.*

Auri, argentique cupido te illexit, vt ad patrandum tantum facinus consentires. Crede paruitati meæ, quia regnum tuum quo disponis, imo prædaris hanc patriam, pijs Augusti insinuabitur auribus, qui factis tuis dignam recompenset æquitatem. Tandem accedentes præfati militum principes obsecrabant vt sopito furore *consuli* vehementi rubore suffuso, veniam daret. Quorum postulationem *vir Dei* clementer accipiens ducem, quem coram omnibus infamarat, coram omnibus humiliter mulcere studuit. Dicti vero principes post celebratum conuiuium, *Pontificis benedictione percepta*, iter cæptum aggressi, nauigio Phrygiā peruenerunt. Quam cum ablatis seditionis factoribus, sub imperij iura redegissent, Constantinopolim redierunt: quibus occurrit gratulabundus populus, & procerum multitudo, sed & Imperator triumphaliter eos in suo recepit palatio.

Ioan. Diac. apud Baron. an. 326.

Tribuni vbi bene gesta, redeunt ad Imperatorem

De tribus principibus Cæsaris, quos absens à morte eripuit.

Cap. LXXIII.

ACcedentes autem postmodum quidam dolosi * ad Eparchum Præfectum in multis os accusabant, & præsertim contra Augustum conspiratores ostendere nitebantur; cœperunt quoque muneribus animum viri illicere, vt eum in perniciem armarent, innocentum, qui extemplo corruptus intrauit ad Augustū vt hoc ei quasi verum & certū fuggereret. Credens Augustus fallacijs eius, vt pote præfecti sui; iratus, iussit eos comprehendi, & in carcerem retrudi, & tandem etiam absque inquisitionis respectu occidi. Cumque custos carceris cōpatiens eis, egressam iam ab Augusto sententiam nunciaret, vt sequenti nocte interirent, hortans eos vt de rebus suis disponerent, illique diu multumque territi gemerent: Vnus ex his recordatus est, qualiter Sanctus Nicolaus tres iuuenes mirabiliter liberasset, & suspirans iterum, iterumque: tandem hanc precem fudit: *Deus rex excelse succurre miseris perituris, seruis tuis Nicolai meritis;* Sic & comites eius supplicabant, simulq; vno ore clamabāt: *Sancte Nic. adiuua nos; serue Dei licet absens interueni pro nobis, vt eruti à presenti iugulo, tuā deuoti videre faciem, tuosq; sacratissimos pedes osculari mereamur.*

** Alias Berā Eustachius præses auro corruptus tres viros capitis supplicio dānat.*

Liberat iuuentes S. Nicolaus.

Dan. 13.

Supplicē habet Eustachium.

Tribuni vbi maiestatis detrusi in carcerem, & damnati ab Imperatore male persuaso implorant S. Nicolai auxilium.

Nocte igitur sequenti qua plectendi erant, cum se Augustus sopori dedisset, apparuit ei quędam effigies Sancti Nicolai dicens: *Constantine, cur principes illos sine crimine morti addixisti? Surge eosque dimitti quantocius iube, quod si nolueris, cælestem deprecor Regem, vt tibi indurato, bellum sinat exurgere, teque ibi perempto, caro tua bestijs auibusque cibus sit.* Cui Augustus: Quis vel cuius auctoritatis es, vt hac hora palatiū meum ingressus, audeas talia loqui. Et ille: *Ego sum peccator Nicolaus Mireæ Metropolis Episcopus.* Hæc dicens abiit; & Eparchum quoque simili visione ac territatione comminauit.

** Hūc Ablauium fuisse habet Methodius in vita S. Nicolai.*

De Ablauij Præfecti auaritia vide Baron. an. 326. qui hāc eandem historiam recitat sub nomine Ablauij nō Eparchi, qua re in eo corrigenda censētur hæc acta.

Tribuni vbi maiestatis detrusi in carcerem, & damnati ab Imperatore male persuaso implorant S. Nicolai auxilium.

Apparet S. Nicolaus Imperatori iubēs absolui innocentes.

Suo aduentu tumultum sedat.

Mane

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Mane autē Imperator accersitis magnatibus suis,&eodē Eparchocum iam antea visiones suas sibi inuicē dicēdas remisissent, fecit sibi principes illos præsentari, quibus astantibus, toruo aspectu ita eos affatus est: Quas magicas artes nostis, vt tantis nos fantasijs illudatis, & exagitetis in somnis? Illis attonitis nullumque responsum dantibus, denuo Augustus ait: Dicite nobis quæ sunt maleficia vestra? Ad quem vnus paultanti voce sic respondit: Absit Domine, vt documentis artis nefariæ simus instructi, costanter quoque nos profitemur; non illius esse commissi, vt capitali subijciamur sententiæ. Tunc Augustus: Nostis, inquit, aliquem hominem cui Nicolaus nomē est? Mox illi, audito tāto nomine, tēdētes ad sydera palmas clamabant: *Benedictus es Domine Deus Sancti Nicolai, qui non derelinquis sperantes in te.* Augusto vero ardenter quærente, quis iste, quantusve sit? Vnus eorū ait: Iste est vere per omnia Sanctus cuius nos meritis etui credimus, ab intentato exitio, & continuo prosequens, qualis & quantæ humilitatis, & bonitatis esset ereptionem quoque iuuenum supra memoratam per ordinem pandit. Quibus Cæsar auditis: Ite, inquit, & *famulo Dei gratias agite, immo Deo, qui vos per eum liberauit.* Ex meis autem donariis hunc Euangelii codicem mirifice auro contextum, & vas hoc aureu mgēmis decoratum, & hæc alia munuscula ei deferentes, dicite, vt ista dignanter suscipiat, mihique libentissime præceptis eius obedienti, nonminari, sed orare studeat, atque pro pace regni nostri, & magis pro totius orbis *Deum deposcat.*

Absoluitur à crimine Tribuni.

Constātinus Imp. mittit S. Nicolao præclara munera.

De obitu eius, & de fontibus ex tumba eius profluentibus.

CAP. LXXIIII.

BEatus autē Nicolaus cum mortē sibi adesse præsētē cerneret, cœpit orare & indesinenter psallere, videnſque Angelos ad se venientes, inclinato capite *signo Crucis* armauit se, deinde humiliter se prosternens psalmum trigesimum inchoauit dicens: *In te Domine speraui non confundar in æternum*, vsque ad illum versum. *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, &c. Quo dicto tradidit preciosissimam animā Deo in manus Sanctorū Archangelorum, qui ei apparuerant, positumque est corpus eius in domum Sanctæ Sion in sepulchro excelso, de quo duo fontes exorti sunt, qui vsque in æuum emanare non desinunt: Ex vno enim meatu à parte capitali sancti tumuli, liquor olei lucidissimus effluit, qui infirmis multa beneficia præstare videtur, si eo perūcti fuerint: Ex altero vero, qui est ad pedes, delectabilis aqua prosilit, atque perspicua, quæ etiam ægrotis in potum data, salutem corporum operatur.

Psalm. 30.

Migrat ex hac vita.

Vnguentum efficax à corpore eius cōtimo promanat.

Quodam tempore cum Episcopus Myreæ ciuitatis, à Præfecto in exilium destinatus fuisset; statim aqua, & oleum sanctum, fluere cessauerunt, donec Episcopus de exilio reuersus est.

De barbaro per Imaginem sancti Nicolai conuerso.

CAP. LXXV.

PRæterea cum de Africæ partibus Vuandalorū exercitus applicuisset ad regionem Calybricidem: vt eam igne succenderent, ibi reperta est à quodam barbaro in domo cuiusdam Christicolæ imago Sancti Nicolai tabula honeste depicta, quam in sinu abscondens, cum peruenisset ad Christicolas, qui captini ducebantur, ostēdit eis tabulam, interrogās cuius est figura tam in ea pulchre depicta: quam cernentes christiani cum gemitu, & lachrymis dixerunt: Imago hæc sancti Nicolai esse dicitur, qui multis virtutibus apud Deum & homines clarus, manifeste se viuere docet, etiam post sepulturam: quo audito, mox Barbarus eam propter socios suos abscondit. Cumque exercitu cum captiuis, & spolijs in Africam redeunte, rediisset & ipse in domum suam, quadam die cum esset Telonarius, posuit Iconiam ante Teloneum suum, vbi erant omnia, quæ habebat aurum, & argentum, & vestes, dicens eis: Nicolae habeto custodiam super Telonium istud, nā alibi habeo proficisci: Sicque apertum teloneum relinquens, secutus profectus est, quasi plurimos custodes ibi dimitteret. Cum autem latrones secus idem teloneum transeuntes, vidissent illud apertum, neminēque custodē, dixerunt ad inuicem vt nocte venientes, & omnia quæ intus erant diriperent, quod ita factum est, omnibusque ablatis, sola Iconia deforis pendens, superstes remansit, veniens autem barbarus, cum illud vacuum reperisset, plorans & gemens, & toruo aspectu conuersus in faciem imaginis quasi ad viuentem hominem sic locutus est: O Nicolae, bonum telonei mei custodem te posui. Quid feci sti? Redde mihi res meas, alioquin cædam te. Acceptoque flagello, tundebat imaginem, & cum iam fatigatus esset, ait: Certe in ignem te proijciam nisi reddideris substantiā meam. Tunc piissimus confessor ad locum accessit propius, vbi latrones omnia quæ abstulerant diuidebant, & ait, O miseri, quid agitis? nunquid ignoratis, quod ego ibi eram, & videbam oculis meis, quando has & illas res abstulistis. Scitote, quia nisi reuocetis cuncta quæ tulistis, ego illud manifestare curabo, & crastina die vos morti tradi faciam, nam sub custodia mea posita erant omnia, & ideo pro scelere vestro ego innocens flagellis cæsus sum. Tunc illi æstimantes aliquem fuisse de populo, qui eos explorasset, vehementer territi, per tetræ noctis silentia reportauerunt omnia, & in teloneo reposuerunt.

Fit hanc historiam de quodam Iudæo lege in historia Lōbardica in vita S. Nicolai.

Mane autem videns barbarus cunctam substantiam quam amiserat, flere cæpit præ gaudio, & apprehensa imagine, deosculabatur eam dicens: *O sancte Nicolae fidelis, & pie, quam præpotens factus es, & familiaris Deo immortali, quia talia facere potuisti, etiam mihi gentili errore insensibili, ab ista die credo in Christum, &c.* Credidit ergo, & baptizatus est ipse cum domo sua, & fecit ecclesiam in honore *Sancti Nicolai.* Hæc fuit prima occasio, qua apud Africanas regiones Sanctus Nicolaus agnitus est, & paulatim ita nomen eius apud barbaros succreuit, vt magnis obsequijs etiam ab his, qui carent baptismate frequentetur assiduè.

De Puero cum vase in mari submerso, & patri restituto

CAP. LXXVI.

CÆterum vir quidam diues, & præpotens, annuatim consueuerat ad eiusdem Sancti mænia nauigio properare, eiusque tumbam post fusas orationes exeniis honorare. Quodam igitur tempore iuxta morem illuc veniens voto se constrinxit, aureum vas se facturum in eius seruitium, sibique delaturum. Domū vero reuersus artificem peritissimum accersiri iubens, talentum auri ei librauit, & quod ex hoc fieri vellet, indicauit, qui diligētissime vas illud fabricans, prout Sanctum decebat Nicolaum, etiam variis gemmarum ordinibus mirifice decorauit; in tantum, vt etiam ipse ingenium in hoc sibi collatum opere miraretur. Quod cum Patri familias reddidisset, ille eximium admirans opus cæcaque animi cupiditate allectus tanti prætij, vas suis vsibus ad vinum propinandum retinuit: & rursus aurifabrum vocans similem prioris auri protulit ei quantitatem, obsecrans, vt inde alterum vas in seruitium sancti sculperet Nicolai. Quod ille libenter annuens, aurum tulit, & sæpius fundendo, & tundendo, nullatenus secundum velle suum, aliquod efficere opus exinde præualuit. Quod cū viro retulisset, ille in sua cupiditate permanēs, decreuit illud aurum, & gemmas sancto pariter deferre Nicolao.

Etiā & hāc historiā lege in historia Lōbardica, in vita S. Nicolai.

Igitur tempore congruo nauigationem aggressus cum vxore, & filio, ac seruorum multitudine, cum ih mediū maris deuenissent, nimia siti exardescente, præcepit filio suo, vt vini sibi haustum propinaret, cum vase prædicto, tanto enim illud amplectebatur amore, vt nemini illud, excepto filio, & coniuge, liceret contingere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adolescens autem cum illud aqua refrigerare vellet, subito è manibus eius lapsum corruit in mari. Cumque iuuenis illud conaretur arripere brachijs, incaute prosiliens, delapsus est in gurgitem profundum maris. Tunc vir mœstus, & lugubris, residuum nauigationis peregit, & tandem littoris statione potitus, ad tumulum sancti conuolauit; aurumque quod pro vase detulerat, super eius altare posuit sed protinus, quasi cum magna indignatione repulsum est. Quod ille cernens, *ante sancti memoriam* prostratus, se reum clamitauit, & qualiter vas, quod sancto Nicolao spopõderat se daturum, fraudulenta cupiditate sibi retinuerat, coram omnibus intimauit, nec non & amissionem filij vasisque lamentatione lugubri professus est. Et post longa orationum suspiria, cum adhuc infortunia sua lachrymabili querimonia defleret, repente filius eius, quem fluctibus absorptum deflebat, vas illud, quod amiserat manibus baiulans, limina templi ingressus est; clara voce referre cœpit, qualiter venerandi vultus senex cum in mari cecidisset ei apparuerit, eumque vlnis sustentans, vsque ad littus deportauerit, & ei iter, quod ducebat ad sancti Nicolai basilicam insinuauerit, & sic subito ab eo recesserit. Hæc pater eius, & mater, & omnes, qui astabant considerantes, & audientes, præ magnitudine gaudii, lachrymas lachrymis addentes, *gratias Deo, & sancto Nicolao retulerunt*, sicque vir vota sua persoluens, & vas, quod prius abstulerat, reddens, ad propria cum filio, & omni comitatu gaudens remeauit.

De fallacia Christiani mercatoris in Iudæum creditorem.

Cap. LXXVII.

ALius quoque vir mercator, & diues, diuitiis suis prodige vtens: cum tandem ad ignominiosam paupertatem deuenisset, quendam diuitem Iudæum adijt, orans, vt ei aliquid commodaret, vnde lucrando, pecuniam suam releuare posset. Cumque ille christiano minime credens, arrhabonem pro commodato peteret, ille subintulit, quod tibi pro arrhabone valeam dare non habeo, sed si velis recipere sanctum Nicolavm pro me, tibi fideiussorem delegabo. Cui Iudæus: Nicolaum multis intimantibus, eiusque, miraculis coruscantibus, non ambigo bonum, & *fidelem Dei summi virum esse*, nec cunctabor ea, quæ postulas, sub eius fidei pollicitatione commodare. Cum igitur communi consensu oratorium sancti Nicolai expetissent, tenens christianus cornu altaris, sic eum affatus est. *Hoc altare tibi trado, ipsumque sanctum Nicolaum pro me fideiussorem præbeo; ante cuius etiam conspectum promitto, quod ea, quæ mihi nunc in tali angustia præstiteris, tibi reddam die nominato.*

Iuramentũ falsum faciens Iudæo christianus à cursu opprimitur sed per Beatum Nicolaum resuscitatur vide Speculum magnũ Exemplorũ tit. Iurare

Accepta itaque auri nõ modica quantitate, *Deo fauente, & sancto Nicolao opitulante*, ad pristinam abundantiam redijt breui tempore. Igitur tempore finito, cum Iudæus sua repeteret, ille humiliter inducias petijt, & Iudæus libenter concessit. Verum trium induciarum spacio transcurso, cum Iudæus rediisset, ille diaboli deceptus astutijs, dixit omne debitum sibi reddidisse. Quod audiens Iudæus, obstupuit. Cumque seniores, & iudices adijssent, Iudæo causam suam referente, & christiano omne debitum illi fuisse redditum asserente, tandem ex consulta arbitrorum decretum est, aut illi, quod requirebat, reddendum fore; aut sacramento fidem ei facere, omne quod exigebat eum recepisse. Cui sententiæ Iudæus annuit dicens: Scio, cui aurum meum credidi, & certus sum non illum aliqua fraude decipi.

Igitur constituto die simul veniunt cum Iudæorum, & Christianorum comitatu. Fecerat autem Christianus ille, callida machinatione, lignum concauum in modũ baculi manualis, in cuius concaua summitate posuerat pecuniam, quæ repetebatur, & cum ad S. Nicolai monasterium properarent, Christianus baculum illum Iudæo dedit petens, vt illum vsque *ad sancti Basilicam* secum deferret, vt videlicet dum baculum cum auro acciperet, se illi, quod exigebat, in manu dedisse, iurare posset. Iudæus autem falsitatis ignarus baculum tulit, & cum Christiano ad templum peruenit. Tuncq; miserrimus ille manum super altare ponens, seque periurans, intrepidus iurauit, & ab altari lætus discessit. At Iudæus: Præstolabor, inquit, quid de tanta falsitate Nicolaus iste cui credidi mihi faciet vindictæ.

De fallaciæ reuelatione, & Iudæi conuersione.

Cap. LXXVIII.

CVmque christianus ad domum suam alacer rediret, in itinere tanto sopore depressus est, vt vltra ire non posset, & cum baculo iuxta se posito somno depressus in biuio iaceret, vehiculum onustum bobus trahentibus per eandem viam veniens, vsque ad locum, vbi iacebat peruenit. Cumque bubulci non possent eũ excitare, nec in alteram partem currum deflectere, bobus super eum trahentibus impetu valido currus super ventrem eius transiuit, eumque mox exanimẽ reddidit, & baculum contriuit. Tunc omnibus, qui aderant aurum, quod in baculo reposuerat, apparuit, quantaque calliditate aduersus Iudæum vsus fuit, omni populo ciuitatis claruit. Cumque ad spectaculum vndique conuolarent, Iudæus quoq; accurrit, & iudicibus illic astantibus aurum suum recepit. Tunc citato cursu ad oratorium S. Nicolai peruenit, & coram eo astans dixit: *Gratias tibi ago bone vir Nicolae, quia fideliter mihi aurum restituisti, quod in tua fide commisi. Amodo te venerabor vt dominũ, & vt summi Dei amicum. Verum si tantæ procacitatis virum resuscitando mihi, virtutem tui meriti propalares cum omni familia iuris mei Deo tuo crederem, & omnes quos possem religionis meæ viros ad christianorum sectam conferrem.* Denique cum ad inuicem de re, quæ acciderat confabularentur, ecce ille, qui mortuus fuerat, limina templi ingressus, coram altari S. Nicolai procidit, & de his quæ gesserat se culpabilem reddens, ad domum redijt. Quod Iudæus, vt vidit, baptizatus, confestim cum domo sua, *Christo sanctoque Nicolao fidelis permansit.*

De puero Adeodato per S. Nicolaum obtento.

Cap. LXXIX.

ADfuit quidam homo, Ietron nomine, qui sacerdotes, & clericos cum lachrymis, & suspirijs rogabat dicens, Ego Patres, & Domini mei veneram à Domino Nicolao benedictionem accipere: sed concessum mihi non fuit cum eo loqui, vel viuum eum conspicere, obsecro ergo benignitatem vestram, vt mihi vel aliquid de vestimentis eius præbeatis, vt hoc tantum in honorem eius, ac mei munimentum habeam Qui petitionem viri ac desiderium amplectentes, dederunt ei vnum de linteaminibus sancti viri. Ille lætus ad ciuitatẽ suam redijt, & vxori suæ Euphrosinæ dixit Ecce reliquias Beati Nicolai Archiepiscopi, quem videre desiderasti, deprecemur ergo Deum, vt tantorum astipulatione pignorum, aperiat vuluam tuam, & det nobis diu desideratam prolem. Illa *gratias agens Deo* rogare virum cœpit, vt in honore Sancti Nicolai construeret Ecclesiã, vt per eius orationes, Dominus desideriũ adimplere. Qui precibus eius fauens Ecclesiã fabricauit, in qua linteamen illud cum solemni veneratione recondidit. Quod cum in loco competenti collocaretur tantum de se odorem cœpit emitttere, vt vsque ad duo stadia expandererur odoris fragrantia, & ex tunc cœpit locus ille miraculis splendere; cęci illuminabantur, surdis auditus, infirmis sanitas reddebatur. Cumque

Lege historiam Lombardicam vbi supra.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ietron *deuotus, & obnixius Deum Sanctumque Nicolaum, exoraret, vt desiderium suum compleret.* Euphrosina concepit, & ipsa die S. Nicolai, scilicet 8. Idus Decembris peperit puerum, cui sicut eis rei euidentia indicauit, nomen imposuerunt ADEODATVM.

De liberatione eiusdem à barbari seruitute.

CAP. LXXX.

CVm autem post 7. annos parentes cum filio ad festiuitatem S. Nicolai, cum propinquis, ac vicinis, conuenissent, superuenerunt prædatores Agareni, qui totius terræ deprædati sunt homines, inter quos etiam, euadentibus parentibus, captus est puer Adeodatus, duxeruntque eos in Babylonem, illisque inter se captos diuidentibus, remansit puer in manu cuiusdam nomine Marmorim. Ietron vero, & vxor sua cum ad ciuitatem confugissent, & filium suum diu quæsitum non inuenissent, cœperunt vestimenta sua scindere, capillos euellere, & pugnis pectora cœdere. Mater quoque misere lachrymans, aiebat: Heu, heu vnice fili mi, quid de te misere accidit? *S. Nicolae Christi famule, quia per te illum habui, tu mihi illum redde: carnem non comedam, nec vinum bibam, donec eum videam.* Tunc cæpit tribus diebus in hebdomada ieiunare, & semper in oratione filium à S. Nicolao repetere.

Euoluto autem anno ipsa cum viro ad S. Nicolai festum conueniens ingressa ecclesiam expansis manibus *orauit Dominum, vt per merita B. Nicolai redderet ei filium suum,* deinde cœpit præparare conuiuium clericis pauperibus, & laicis, qui ad festiuitatem sancti aduenerant. Ipsa autem hora, qua conuiuantes cibum sumere cœperunt; Rex in cuius obsequio infans Adeodatus erat, dixit militibus suis: Parate mihi cito, quo vesci debeam, quia nunquam fuit mihi comedendi talis necessitas, ex quo natus sum, vsque ad hanc horam. Paratis itaque regalibus obsonijs, cum cibum sumere cœpissent, rege mox potum similiter flagitante, Adeodatus ei præparauit, moxque occasione diei, & rei, intra se trahere suspiria cœpit. Rex vero cum hæc animaduertisset, scisciatus est causam à puero: responsumque est ei ab illo pueriliter tremefacto: Recordatus sum Domine subito, quia hodie expletus est annus, quod ego hic captiuus existo, quia pater meus, & mater mea hac die solennitatem magnam celebrant in ecclesia S. Nicolai. Quo audito, Rex ait: O miselle, cum ego te captum teneam, quis est, qui te de manu mea tollere possit? Omitte ergo frustra suspirare, & talia cogitare, & satage mihi potum propinare. Infante autem ad imperium regis cum cypho, & retentario ad portum (proximus enim erat) causa lauandi, tendente; subito S. Nicolaus affuit, eumque per capillos mirabiliter asportatum coram parentibus suis conuiuantibus statuit, qui videntes eum subito coram se stantem, cyphum, ac retentarium in manibus tenentem, cum ab ipso rerum, quæ sibi contigerant admiratione, prius stupefacto, tandem respirante intellexissent textum liberationis suæ, *in laude Dei, & S. Nicolai,* leuauerunt voces. Mater quoque amplexata filium insatiabiliter osculabatur eum præ nimio gaudio lachrymis madefacta, *Deo gratias agens, & sanctissimo Nicolao.*

Alibi legitur quod praditus iuuenis fuit de Normandia, qui vltra mare pergés à Soldano capitur, & ante iũ sæpe verberatur. Qui dum in festo S. Nicolai verberaretur, & in carcere inclusus fleret pro sua liberatione; subito obdormiuit, & euigilans in capella patris sui se inuenit.

De priore Iterio verberato pro historia Sancti Nicolai cantanda.

CAP. LXXXI.

CVm autem noua S. Nicolai historia de vita, & miraculis eius per totam pene latinitatẽ in ecclesijs Christi longe lateque deuotissime cantaretur, in quadam Ecclesia, quæ Crux nominatur, *S. Mariæ de charitate subiecta,* nondum fuerat inchoata. Tandem eiusdem loci seniores ante Dominum Iterium priorem suum conuenerunt, postulantes, vt eis B. Nicolai responsoria cantandi licentiam daret, qui nullatenus eorum petitionibus acquiescens, respondit omnino fore incongruum in tali negocio morem pristinum quibuslibet nouitatibus immutandum. Cumque illi multis precibus atque persuasionibus, eum vrgerent, ille commotus in talem fertur erupisse blasphemiam: Recedite fratres, nunquam enim à me licentia concedetur, vt relicto pristino vsu, noua sæcularium cantica clericorum, immo ioculatoria quædam in ecclesia, cui Deo iubente, deseruio, admittantur, sicque pro sua repulsa, rubore confusi, quieuerunt vltra discipuli. Superueniente autem festiuitate, vespertinam synaxim, ac matutinalem, non sine quadam tristitia sicut consueuerant, peregerunt. Peractis itaque vigilijs ad propria strata quiescendi gratia reuersi sunt. Cumque Prior se in lectulo sicut cęteri collocasset: ecce B. Nicolaus ei visibiliter terribilis apparuit, ipsumque verbis seuerissimis increpans, & per capillos à lecto abstrahens, dormitorij pauimento collisit, Incipiensque antiphonam: *O pastor æterne.* per singulas notarum doctrinas, virgas quas in manu tenebat, grauissimos ictus super dorsum patientis ingeminans, per ordinem morose canendo antiphonam, ad finem vsque perduxit. His autem tantis flagris, & tam insolita visione turbatus, clamare confusis vocibus cœpit, suisque clamoribus ante se fratres adunauit; quem prostratum solo cernentes, quid viderit, quidve passus fuerit requirebant? At ille vt pote amens effectus, nullum potuit dare responsum. Sublatus autem fratrum manibus in cellam infirmantium deportatur, multisque diebus correptus languore grauissimo, custoditur. Tandem diuina miseratione, & B. Nicolai interuentione saluatus, congregatis fratribus ait: Ecce, filij charissimi, quia vobis obedire contempsi, duras pro cordis mei duritia, pœnas exolui. Amodo, quod petebatis, gratanter annuo, & ad canendam historiam B. Nicolai paratissimus ero.

De sancto Iacobo Nisibeno episcopo.

CAP. LXXXII.

Lege Adonem Vien. in Chron. & Baron. in martyrol. 15. Iulij & an. 325.

GEnnadius *in libr. de illustribus viris.* Iacobus quoque cognomento sapiens, Nisibenæ ciuitatis Persarũ episcopus, fuit vnus ex numero, sub Maximino persecutore, confessorum, & eorum, qui in Nicæna synodo Arianam peruersitatem ὁμούσιον oppositione damnauerunt.

Sapor rex obsidet Nisibin.

Fluuius Mygdonius.

Ex Historia Tripartita lib. 5. cap. 44. Nisibis, quæ dicitur Antiochia Mygdonia, posita est in termino Persidis, & Romanarum partium; hanc obsidens Sapor iam per dies 70. impetum Mygdonij fluuij retinuit, vtrasque ripas faciens celsiores, quas cum impleri, vidisset, subito dimisit contra murum, qui pondus aquæ non ferens cecidit. Illa vero die Sapor quieuit, vt fluuius purgaretur, & posset ambulari per eum, Iacobus vero episcopus oratione milites coarmauit, & populum; qui subito murum cum propugnaculis restituerunt, quod Saporẽ, valde terruit, qui etiam cum vidisset quendam, sub schemate Imperatoris stantem supra murum, putauit esse Imperatorem Constantium, quem cum audisset Antiochiæ commorari, dixit, *Deum pugnare pro Romanis.* Et iratus sagittam iecit in aerem, quasi *Deum* percussurus. Ephrem vero diaconus supplicabat episcopo, vt veniret ad murum, & Persis malediceret, qui ascendens turrim, orauit vt super eos venirẽt ciniphes, & culices, qui statim impleuerunt elephantorum cauas proboscidas; & aures, & nares equorum, & iumentorum, quæ sessores suos excusserunt, disruptas acies confuderunt; exercitumque relinquentes, summo impetu fugerunt. Quo viso confusus Sapor recessit.

Ephrem Syrus.

Imprecatio Iacobi in Persas.

Author. Hunc quoque Hieronymus commendat dicens. Iacobus Nisibenus agnoscitur, ad cuius preces sæpe vrbs discrimine liberata est.

Scripsit quidem libros multos, id est, de fide contra omnes hæreses.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iacobus cognomẽto Sapiẽs vir magnæ doctrinæ & incomparabilis sanctitatis scripsit multa, vt etiam testatur Trithemius.

De charitate generali.
De oratione.
De dilectione erga proximum speciali.
De resurrectione.
De vita post mortem.
De humilitate.
De pœnitentia.
De satisfactione.
De virginitate.
De censu animæ.
De circunciſione.
De anni benedictione, pro quo in Isaia legitur. *Non exterminabitur botrus.*
De Christo, quod filius Dei sit, & consubstantialis patri.
De castitate aduersus gentes.
De constructione tabernaculi.
De gentium conuersione.
De regno Persarum.
De persecutione Christianorum.

Et chronicon, minoris quidem curiositatis, sed maioris fiduciæ, quia diuinarum tantum scripturarum auctoritate firmatur, comprimens ora eorum, qui præsumptuosa suspicione, *de aduentu Antichristi, vel Domini nostri Iesu Christi*, inaniter prophetant. Moritur hic vir, Constantij temporibus, & iuxta præceptum patris eius Constantini intra muros Nisibenæ vrbis sepelitur ob custodiam ciuitatis.

De S. Euortio, & aduentu eius Aurelianis.

Cap. LXXXIII.

Excipit hospitio Euortium Ostiarius.

Permouit Deus Ostiarium ad reuocandum suum hospitem.

Ex gestis eius. Eo tempore floruit S. Euortius Aurelianensis episcopus, nam post obitum S. Desiniani Aurelianensis episcopi, cum de successore ageretur, *non secundum Dei inspirationem, sed secundum carnalem delectationem*, duo à diuersis partibus electi sunt; quorum ambitione talis in populo orta est seditio, vt etiam sanguis humanus funderetur, & horror vbique, & luctus appareret. Quod cum Imperatorem * Constantinum non lateret, misit Porphyrium Præfectum, qui seditionem populi sedaret. Qui sapienti vsus consilio episcopos Gallicæ regionis ad deliberandum scilicet de negocio secum assumpsit, & Aurelianis adduxit. Qui vniuersæ plebi triduanum indixerunt ieiunium, vt certis signis Dominus ostenderet, quem volet assumi in eiusdem vrbis episcopum.

* *Cõstãtium legendũ probat Carolus Sausseyus, in annal. eccles. Aurelianen. aitque mendum librariorum esse; quem consule lib. 2. n. 1. & sequentibus.*

Secunda autem die indicti ieiunij B. Euortius Romanæ ecclesiæ Subdiaconus, qui causa duorum fratrum suorum captiuorum, qui in hostium prædam deuenerant, ab vrbe Roma egressus fuerat, vrbem Aurelianis humili habitu ingressus est. Qui cum in Ecclesia, *Dominum oraſſet*, egressus, restitit; & paululum circunspectans, qui eum hospitio recipere dignaretur, ab ostiario ecclesiæ requisitus, causam itineris enarrauit, dicens se prædatorum suorum sollicitudine prouincias peragrare. Ille eum hospitio inuitans, in cellulam suam duxit, ac religiosæ consuetudinis morem obtinens, ei pedes manu propria lauit, & extersit, eumque secum cibis pauperioribus refecit.

De electione eius in episcopum.

Cap. LXXXIIII.

Cvmque postera die valedicens ostiario, iter carpere cœpisset, ostiarius, annuente Domino, post tergum eius, vt reuerteretur, clamauit. Cumque reuersus fuisset, ait ei: Nescis, quid actum sit in hac ciuitate his diebus? Quo respondente: Nescio, ille processum rei à principio electionis enarrauit; & addidit: Ecce iam tertius dies est, ex quo litanias celebrant, idcirco frater, sustine paulisper, forsitam innotescet Deus seruis suis, quem sibi ad honorem episcopus elegerit. Poterisque & tu, vbi ambulaueris, admirationem enarrare tantæ actionis. Qui voluntati eius annuens, ad * ecclesiam cũ eo venit, & nusquam vt pote incognitus, nisi cum eo ad ianuam stetit. Igitur episcopis pauimento inhærentibus, cunctisque populis orantibus, & flentibus, ac personæ dignæ notitiam exposcentibus: ecce columba *ex instinctu Dei* transmissa per insertam fenestram, quasi lux immensa fulgebat, quæ ingressa, volitare cœpit per totam ecclesiam, more personam inuegistantis: denique speculata. S. Euortium inhærentem ianuæ, illico super caput eius insedit. Ille vero manus suas extendens, abigebat eam de vertice suo, hoc signum populus admirans tanto amplius *Deum orare cœpit*, vt illum Spiritum mitteret, qui per columbam *ad manifestandum Dei filium* in capite eius descendit. Columba autẽ mysterio impleto, vnde egressa fuerat, regressa est. Tunc facto lætitiæ strepitu in populo, cœperunt inquirere, quis ille esset, in cuius capite talis ostensio facta fuisset? Videntes autẽ Sacerdotes ora vulgi variantia; alijs dicentibus ostiarium esse, alijs vero alium, denuo rogauerunt Deum geminari sibi miraculum, quod & factum est, tunc receperunt episcopi S. Euortium societati eorum, & pari voto coram altari assistere. Cumque scisitatus ab eis, narrasset, vnde, & quis, & qua causa venisset, præceperunt ei vnà cum eis ad orationem inclinare, & sub altari caput immittere. Illis autem orantibus: ecce columba plausu ingenti alas recutiens, ad locum, vbi vir Dei prius steterat, deuolauit, & cum cum ibi non inuenisset, more explorantis coram omnium oculis, inuestigare virum probatissimum cœpit. Tunc episcopi adinuicem dixerunt: Adducamus etiam illos quorum electio, totam ecclesiam vulnerauit. Cumque tres personæ, idest S. Euortius, & alij duo electi, cum episcopis adunatæ fuissent, columba cœpit sicut prius volitare circumcirca, & super capita eorum lata, nullius caput tetigit, nisi B. Euortij, ita vt omnes vnica voce clamitarent, *dignus est, iustus est*, FIAT VOLVNTAS DEI.

** Ad ecclesiã S. Stephani vt habent Annal. Aurelianen. Caroli Sausseyi.*

Columba in capite S. Euortij residet, sed ab eo repellitur.

Rursus eius capiti insidet columba.

Tertio in eius capite quiescit columba.

Lege hic Surium 7 Septembris.

De igne extincto, & thesauro inuento ab eo.

Cap. LXXXV.

Precibus eius extinguitur vrbis incendium in.

Transacta autem ordinationis eius anniuersaria die, ciuitate igne casuali flagrante, ciues cucurrerunt ad eum clamantes, vt vrbi succurreret, quo audito episcopus, cito ad ecclesiam conuolauit, illoque orante extincta est voracitas flammæ: & quia adhuc simplaerat ecclesia, in qua cum populo *Dominum exorabat*. Ait illis: Ecce Dominus secundum misericordiam suam eripuit vos de ardentis flammæ incendio, idcirco votiuam collationem facite, vt ampla reddantur spacia huius ecclesiæ, & egressi, vnusquisque, secundum modum facultatum suarum ad sanctum properauerunt ædificium.

Inuenit multam pecuniã, construenda ecclesia asseruatam.

Die ergo indicta tulit episcopus in manibus suis fossorium, & *vexillo crucis facto* cœpit fodere: iamque pene tres pedes foderat, & ecce obtulit se obtutibus illius olla clausa, & bituminata, quam cum aperuisset, inuenit thesaurum non minimum, Neronis nota pulcherrime signatum, dispensatione Dei ad fabricam ipsius ecclesiæ reseruatum. Tunc *gratias agens Deo*, vocauit archidiaconum suum dicens: Accipe hoc inuentum, & defer in conspectu principis imperantis, non enim decet nos celare, maxime, qui sumus præpositi plebis. Quo accepto ille Romam profectus est, & Imperatori præsentatus. Cui, & thesaurum obtulit, & de omnibus, quæ in ciuitate Aurelianensi gesta fuerant, animum eius edocuit. Tunc denunciatur subito per Romanas regiones Dei miraculum in Romano ciue ostensum, quod omnes vertit in gaudium. Iussit autem Imperator archidiacono, omnia, quæ detulerat, restitui, & episcopo suo deferri, quoniam, inquit, præparatio est *Dei*, non

Imperator mittit pecuniam, qua ecclesia extruatur Aurelia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nostri Imperij. Volumus adhuc autem supra, duplam dare pecuniam ad ecclesiam fabricandam, quam iubemus 177. cubitis in longum extendi, & in latitudine cubitis 42. & *in modum Crucis* fabricari. Ad ministerium quoque eius offerimus lances auri purissimi septem, & calices eiusdem metalli septem, in quibus dum diuinum peragetur mysterium, nostræ quoque memoriæ sit adiumentum.

Sanseyus hac de Constante intelligenda censet, vide lib. 2. Annal.

De duobus fratribus eius repertis, & à captiuitate redemptis.

CAP. LXXXVI.

ACcidit autem eodem tempore, vt episcopus Suessionicæ ciuitatis ad tumulum beatorum martyrum Crispini, & Crispiniani quadam die profectus, dum se in oratione prostrauisset, huiusmodi voces audiret: *Testes, & amici Christi præstate nobis ante diem obitus nostri, fratrem nostrum Euortium Subdiaconum videre, & amplecti.* Tunc eleuatis episcopus oculis, vidit personas in religiosa veste, sacros tumulos ambientes, quos cum vocasset, scisitatus est ab eis, qui essent; Qui responderunt: Ciues Romani sumus, tres quidem fratres eramus, & nos duo in prædam hostium venimus, frater vero noster in vrbe remansit, quem summo desiderio videre optamus, nunc autem in seruitio religiosissimæ viduæ sumus.

Orare ad tumulos martyrum quam sit pium.

Cognita ergo omnia episcopus per Archidiaconum suum Leonem B. Euortio episcopo Aurelianensi scripsit; sicque omnipotens Deus præstitit, vt in vno die duorum negociorum ciuitas lætaretur euentu. Hinc enim Mansuetus Archidiaconus cum imperialibus muneribus vrbem ingreditur: Illinc Leo Archidiaconus cum confirmatione inuentionis fratrum episcopi defertur. Mittitur illico precium redemptionis, & educuntur de iugo seruitutis; sicque fratres mutuo sibi præsentati, & osculantes se inuicem complexi sunt, cum multo fletu gaudiorum.

S. Euortius recipit captiuos fratres suos.

De fabrica Basilicæ, & miraculo in hostiæ sacræ benedictione.

CAP. LXXXVII.

QVid plura? tanta celeritate ædificatur ecclesia, vt transactis tribus annis 5. Non. Maij, eius dedicatio fieret, sicut in mundo *Crucis inuentæ celebratio generalis*; tunc causa reliquiarum, diuersi in orbis partes missi sunt, qui omnes desiderium assecuti sunt, & ad vrbem regressi, *Deo gratias egerunt*. Beatus autem Euortius, & cæteri episcopi cum eo congregati, præfatas reliquias cum tremore, & exultatione ad ecclesiam perduxerunt, inuitati episcopi deprecabantur Pontificem, vt ipse in primo altari hostiam Domino immolaret propter votum proprium, & senectutis atque ordinationis gradus: qui cum diu resisteret crebris eorum exhortationibus propulsatus obedientiam præbuit: & ecce in hora confractionis panis cælestis, cum more sacerdotali hostiam, manibus eleuatis, *Deo benedictam offerret. Apparuit super caput eius manus splendida sicut nix, porrectis digitis tertio oblatam benedicens.*

Celebritas inuentionis crucis.

Ecce anti. quorum patrum deuotionem erga sanctas reliquias.

Sacrificijs rite peractis, quæsiuit ab his, qui aderant, incipiens ab episcopis, & perueniens vsque ad nouissimum plebis, vtrum aliquod miraculum dum Missa celebraretur, vidissent. Qui responderunt, nullum: Baudilius tamen Subdiaconus hoc ipsum, quod viderat miraculum, ei ennarrauit. In populo etiam cum quæsisset, duo inuenti sunt, qui fuerant tanti mysterij digni videndi participes, Seleusinus pœnitens, & Procopia * Sanctimonialis. Quibus ait episcopus: *Beati estis vos, quia caro, & sanguis non reuelauit vobis, sed Deus, qui in cælis est.* Peragrauit autem visio miraculi omnem mundum, cuius odore pagani illecti, concurrebant ad percipiendam gratiam Dei, & baptizati sunt infra triduum 7. millia fere paganorum. Per eundem quoque episcopum quotidie *Christi gloria* de sanitatum plenitudine, splendescebat, nam surdis auditum, cæcis visum, mutis loquelam, claudis gressum reddebat.

Missa sacrificium digne oblatū quā sit gratum Deo.

* *Alias Castimonialis. Matth 18.*

7000. *baptizantur.*

Multa efficit miracula S. Euortius.

De obitu Sancti Euortij.

CAP. LXXXVIII.

QVadam die fraternitatem vniuersam conuocans, finem vitæ suæ, sibi reuelatum exposuit; suadens, vt post transitum suum Abbatem Anianum, cuius vitam experimentis cognouerant, sibi episcopum ordinarent; ne rursum sicut ante aduentum suum oriretur seditio; sed dum quisque proximis, aut amicis suis quærerent opitulari, cœperunt iterum partes sibi aduersari: tunc enim in vrbe maxima nobilium florebat propago, tam in clero, quam in populo, cumque tres essent, pro quibus orta seditio videretur, B. Euortius hæc audiens, de consensu omnium nomina trium sigillatim indagauit, qui sub altari tota nocte delitescere voluit, volens pro tali negocio consulere Dominum. Igitur celebrantur vigiliæ, missæ peraguntur, innocens puer adducitur, per quem *Dei reuelatio* monstretur: qui ad extrahendas cartulas manum extendens, cum vnam ex eis tangeret, quasi propheta clamare cœpit: Anianus Abbas, in hac ciuitate, solus honore dignus est episcopatus. Tunc febricitans episcopus, corpus terræ, & animam *Deo* reddidit.

Prædicit obitum suum.

S. Euortius Anianum diuinitus electum sibi substituit.

Eo tempore quo Beatus Siluester Papa infulas episcopatus accepit; & die Dominica 7. Idus Septembris obijt, sicut fuerat ei reuelatum.

Migrat è corpore S. episcopus S. Siluestro existente summo Pontifice.

De Lactantio, & scriptis eius.

CAP. LXXXIX.

EX *libro Hieronymi de illustribus viris.* Hoc tempore floruit Firmianus, qui, & Lactantius, Arnobij discipulus. Hic sub Diocletiano Principe accitus cum Flauio Grammatico, cuius de medicina libri versibus compositi extant, Nicomediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ob Græcam videlicet ciuitatem, ad scribendum se contulit. Habemus eius *symposium, quod adolescentulus scripsit Africæ, & *Hodæporicum de Africa vsque ad Nicomediam exametris scriptum versibus. Et alium librum, qui Grammaticus inscribitur, & pulcherrimum de ira Dei, & institutionum diuinarum aduersus gentes libros 7. de persecutione librum vnum, ad Probum epistolarum libros 4. ad Seuerum epistolarum libros 2. ad Demetrianum auditorem suum, epistolarum libros duos, & ad eundem de opificio Dei, vel formatione hominis lib. 1.

* *Id est conuiuium.*

* *Quod Latine dici possit itinerarium.*

Hic in extrema senectute magister Cæsaris Crispi filij Constantini in Gallia fuit, postea à patre interfectus est.

Author. Omnium opusculorum nihil apud nos reperi præter 7. lib. aduersus gentes.

De Eusebio Cæsariensi, & scriptis eius.

CAP. XC.

HIeronymus *de illustribus viris.* Floruit etiam tempore Constantini Eusebius Cæsareæ Palestinæ episcopus, qui scripturis diuinis studiosissimus, & bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus perueſtigator, edidit infinita volumina, ex quibus sunt in Isaia libro 10. contra Porphyrium, qui eodem tempore scribebat in Sicilia, vt quidam putant, scripsit libr. 30. pro Origene lib. 6. commentarios eruditissimos in 150. Psalm. De vita Pamphili lib. 3. & de martyribus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tyribus alia opuscula, ecclesiasticæ historiæ libro 11. Chronicorum canonum omnimodam Historiam, & multa alia.

Author. Ex libris historiæ ecclesiasticæ, & chronicorũ Eusebij multa in hoc opere suis locis inserui. Scripsit enim chronicorum historiam, à primo anno Abrahæ vsque ad annum Domini 319. quam Hieronymus ex Græco in Latinum transferens, vlterius prosecutus est eam vsque annum Domini 38. exinde Sigibertus Gemblacensis monachus vsque ad annum Domini 1113.

Historiam quoque ecclesiasticam texuit Eusebius in libr. 10. ab Ascensione Domini, vsque ad victoriam Constantini, cum scilicet iam Christianæ religionis fautor, verique Dei venerator, nondum tamen baptizatus processit ad bellum contra Maxentium, vrbis Romæ tyrannum, ostenso ei cœlitus signo in quo vinceret. Hos libros Ruffinus Presbyter Aquileiæ, transtulit de Græco in Latinum, quorum decimus, quia perparum habebat in rebus gestis; omissis, quæ superflua viderentur, si quid habuit historiæ 9. libro coniunxit, & ipse duos libros sequentes scilicet 10. & 11. conscripsit, & addidit, prosequens historiam à temporibus Constantini post persecutionem, vsque ad obitũ Theodosij Augusti.

Præterea idem Eusebius, (vt legitur) pene omnium prouinciarum passiones martyrum, & episcoporum, & confessorum, & sacrarum virginum, ac mulierum in 20. libris comprehendit.

Deinde prosecutus ab Apostolo Petro omnium episcoporum & nomina, & gesta conscripsit; vt & earum vrbium, quæ arcem Pontificatus per Apostolicas sedes tenere noscuntur, ideſt Romæ, Antiochiæ, Hierosolymæ, Ephesi, Alexandriæ, præteritorum omnium episcoporum nomina, vsque ad tempus suum, & gesta conscripsit, ex quorum numero vnus est S. Siluester Romanæ vrbis episcopus, cuius vita nescio à quo ex Græco translata est, continens lib. duos.

Fertur autem idem Eusebius nimius fuisse in laudibus Origenis. *Hieronymus ad Cromacium, & Heliodorum.* Constantinus Augustus cum Cæsaream fuisset ingressus, & diceret eiusdem vrbis Antistiti, vt peteret aliqua beneficia Cæsarienſi ecclesiæ profutura, legitur respondisse Eusebium episcopum, operibus suis ditatam ecclesiam, nulla petendi beneficia Cæsarienſi Ecclesiæ necessitate compelli; sibi tamen desiderium immobile extitisse, vt quicquid vbique in Republica humana gestum est erga sanctos Dei, Iudices iudicibusque succedentes vniuerso orbi Romano, solicita perscrutatione monumenta publica discutiendo perquirerent. Et quis martyrum, à quo iudice, in qua prouincia, vel ciuitate, qua die, quave passione perseuerantiæ suæ obtinuerit palmam, de ipsis archiuis sublatam ipsi Eusebio iussu dirigerent. Vnde factum est, vt idoneus relator existens ecclesiasticam historiam pene omnium martyrum texeret.

De Sancto Antonio, & bonis eius initijs.

Cap. XCI.

Hieronymus de illustribus viris. Regnante autẽ Constantino floruit Antonius monachus, cuius vitam Athanasius Alexãdriæ episcopus insigni volumine prosecutus est. Hic misit Ægyptiaco sermone ad diuersa monasteria, apostolici sensus sermonisque epistolas 7. quæ in Græcam linguam translatæ sunt, quarum præcipua est ad Arsenoitas. Floruit sub Constantino, & filijs eius regnantibus.

Athanasius in eius vita. Hic Antonius in domo Christianorum parentum in Ægypto simpliciter enutritus, post eorum obitum in ætate annorum 20. quadam die ecclesiam sicut solebat, ingressus est, & audiens legi illud Euangelij.* *Si vis perfectus esse, &c.* statim omnia sua vendidit, & pauperibus tribuens, non longe à villa sua eremiticam vitam duxit, ibique tanta diaboli inuidentis tentamenta occulta, & aperta sustinuit, vt nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret, nam cum diabolus ei in forma pueri nigri, ante eum prostratus se victum confessus fuisset, eo, quod Antonius spiritum fornicationis, virtute fidei, & abstinentiæ superasset; post modicum temporis, in quodam tumulo latitantem, multitudo dæmonum ita cæde varia lacerauit, quod minister eius de villa veniens, quasi mortuum proprijs humeris ad villæ hospitium deportauit. Quo audito conuenerunt vicini, & cum post planctum funeris media iam nocte dormirent, Antonius subito reuiuiscens, vocato ministro fecit se in silentio ad tumulum reportari; ibique ex priori vulnerum dolore prostratus, cum ex animi virtute ad conflictum dæmones prouocasset, & statim illis in varias ferarum formas mutatis, ab eorum dentibus, cornibus, vnguibus laceratus fuisset, subito radius quidam lucis dæmones, & tenebras effugauit; statimque sanatus *Christum* præsentem intelligens, dixit: *Vbi eras Iesu bone, vbi eras, quare à principio non affuisti, vt curares vulnera mea?* Et vox ad eum, Antoni, inquit, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum; nunc autem, quia viriliter dimicasti in toto orbe te faciam nominari.

* *Matth* 19.

Zozomenus lib. 1 *cap.* 13. *dicit S. Antonium ex Comapago qui prope Heraclea in ripa apud Arcades est, oriundum.*

Atrocissime verberatur à Dæmonibus.

Varia Dæmonum procacium terriculamẽta.

Adest B. Antonio Iesus Christus.

De vita eius eremitica.

Cap. XCII.

TVnc Antonius annorum 35. proficiscens in eremum discum argenteum in via reperit, & intelligens dolum diaboli secum dixit: *Vnde hic argenteus discus, vbi hominum vestigia nulla videntur? Si enim viatori cecidisset, vtique prosui magnitudine latere non posset; hoc diabole artificium tuum est, sed voluntatem meam non impedies;* & hoc eo dicente discus, vt fumus euanuit. Dehinc ingentem auri veri massam reperit, sed ille aurum quasi incendium fugiens, ad montem vsque cucurrit, ibique flumine transuadato, in antro quodam per 20. annos manens, concurrentibus ad se multis, miracula fecit. Huic diabolus aliquando in tanta proceritate apparuit, quod quasi capite cœlum tangeret, quærenti, quis esset? Sathanam se esse respondit, & addidit: Cur me sic impugnant monachi? Cur mihi omnes Christiani maledicunt? Respondit Antonius: Iuste quidem hoc faciunt, tuis enim frequenter molestantur insidijs. At ille: Nihil ego facio, seipsi inter se inuicem turbant, nam ego nihili factus sum, *Christus vbique regnat, vbique Christi nomen perseuerat.* Statimque Antonius *Deo gratias reddidit,* & ille velut fumus euanuit. Antonius autem tanti feruoris erat, quod cum Maximianus Imperator Christianos occideret, ipse martyres secutus, vt cum eis martyr fieret, sitiebat: & vehementer tristabatur, quia volenti pati pro Christo, martyrium non dabatur. Ipse tamen à confessorum vestigijs non recessit, sed multis modis corpus afficiens, & gloria miraculorum corruscans, propter cautelam gloriæ vanæ ad locum ignotiorem discessit. Vbi cum diuersas Dæmonum sustinuisset insidias, rogatus à fratribus, vt eos inuisere dignaretur, deficientibus siti comitibus, fontem oratione produxit, & sic refectis socijs, ad monachos, qui se inuitauerant, lætus venit.

Insidiæ maligni Dæmonis.

Fugit auro conspecto.

Vide Baron. an. 326.

Diabolus iterum ei apparet, & cõqueritur quod Christi nomen sit vbique euulgatum.

Antonius auidus martyrij.

Fratres inuisit eorum victus precibus.

Fons erupit ad eius preces.

De visionibus ei diuinitus ostensis, & eius obitu.

Cap. XCIII.

QVadam die hora 9. ante cibum in sublime ab Angelis raptus, cum dæmones transirum prohiberẽt, & contra eum peccata à natiuitatis exordio replicarent, sed in probatione deficerent, liber quidem cum Angelis

Antonius accusatur procaciter à Dæmonibus.

ascendit,

ascendit, sed statim in se rediens, hoc tutius, quod fuerat se inuenit.

Visio S. Antonij. Alias autem cum eum fratres de situ animarum post obitum quæsissent; sequenti nocte vox Antonium vocauit dicens: *Surge, exi, & vide*: & ecce vidit quendam longum & terribilem, caput vsque ad nubes tollentem, qui quosdam pennatos ad cælum volare cupientes extensis manibus prohibebat, & alios libere peruolantes retinere non poterat, & maximum gaudium mixtum cũ dolore nimio, à victis, & victoribus Antonius audiebat, & intellexit animarum illũ esse consensũ, & diabolum prohibentem, qui sibi obnoxios retineret & de sanctorum volatu, quos retinere non poterat, sic doleret.

Vide Pallad. hist Lausiaca cap. 27.

Visio tristissima S. Antonij. Aliquando etiam dum cum fratribus operaretur, suspiciens in cælum, cum tristem visionem vidisset, prouolutus *ante Deum* rogauit vt futurum scelus auerteret; vnde cunctis trementibus, qui astabant, rogabant vt visionem exprimeret: singultu, & lachrymis præditus, dixit, quod magnum nefas, & inauditum sæculis immineret. Vidi, inquit, *altare Dei*, multorum circundatum multitudine, qui calcibus omnia dissipabãt, ac per hoc magno turbine fides catholica subuertetur, & homines iumentis similes *Christi sacra diripient*: Hæc est causa gemituum meorum. His auditis facta est vox Domini dicens: *Abominabitur altare meum.* Quod & factum est: nam post duos annos erumpentibus Arianis Ecclesia tantæ direptioni subiacuit, vt pollutis omnibus, non solum virgines, & matronæ, sed & ipsum baptisterium pollueretur, sed etiam Christiani, quasi oues iuxta altaria necarentur.

Lege Baron. & etiam Chrysostom. hom. 8. in Math. cap 2. Sozom. lib. 6. cap. 5.

Anno 342 vt habet Barronius.

Quidam Arianus nomine * Balatius dux Ægypti, cum ita ecclesiam infestaret, vt virgines, & monachos nudatos publice verberaret; sic ei scripsit Antonius:

** al. Blacius*

Epistola S. Antonij ad Balatiũ Arianum. *Video iram Dei venientem super te, iam desine persequi christianos, ne ira te occupet, quæ proximum tibi minatur interitum.*

Legit infelix literas, & risit, & eas execrans in terram proiecit, portitores quoque multis afficiens iniurijs Antonio talia remandauit: Quia tibi tanta cura est de monachis, ad te quoque transiet nostri disciplina rigoris. Sed confestim minatorem supplicium sic optessit, quod cum intra 5. dies cum alijs equum mitissimũ equitaret, morsu equi sui in terram decussus, corrosis, & laceratis cruribus, delatus ad vrbem post triduum expirauit.

Vide S. Athanasium in ep ad solit. vit. agẽtes.

S. Antonij obitus. Multa quoque, & alia miracula Antonius fecit, & in discretione spirituum gratiam magnam habens, tandẽ anno vitæ suæ 105. monens, & deosculans fratres suos, in pace quieuit.

Auctor. Hæc de gestis sanctorum illius temporis inseruimus, nunc ad historiam Constantini, & Helenæ redeamus.

De inquisitione sanctæ Crucis, ab Helena facta Hierosolymis.

CAP. XCIIII.

An. ch. 326 RVffinus 10. *lib.* Per idem tempus Helena diuinis admonita visionibus Hierosolymam petit, atque ibi locum in quo sacrosanctum corpus Christi patibulo affixum pependerat ab incolis perquirit. Qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quod ab antiquis persecutoribus simulacrum in eo Veneris fuerat defixum, vt si quis Christianorũ in eo loco *Christum adorare voluisset, Venerem videretur adorare*, & ob hoc infrequẽs & pene obliuioni datus fuerat locus.

Helena mater Constantini Augusti.

Simulacrum Veneris Adrianum illic posuisse, Paulinus author est.

Ex historia inuentionis S. Crucis. Igitur Helena conuocauit peritiores Iudæorum, qui erant Hierosolymis, quasi de lege sua responsuros, quos cum multis verbis de cæcitate arguisset, & ex dictis prophetarum *fidem Christi probasset*, ait iterum: adhuc euntes eligite meliores, & doctiores. Qui cum irent, inter se dicebant: Pro qua causa putatis hunc laborem facit nobis Regina? Vnus autem ex eis Iudas nomine dixit: Scio quia quæstionem vult facere *ligni*, in quo *Iesum* suspenderunt Patres nostri, nam pater meus Symeon cum moreretur, annunciauit mihi, dicens: *Vide fili cum inquisitio facta fuerit ligni in quo damnauerunt Messiam qui ante nos fuerunt, manifesta illud antequam crucieris; iam enim Hebreorum gens amplius non regnabit, sed regnum eorum erit, qui Crucifixum adorant, ipse autem regnabit in secula sæculorũ, quia ipse est Christus filius Dei viui.* Cæteri autem dixerunt: Nos talia nunquã audiuimus vsque hodie; si ergo inquisitio facta fuerit *de ligno crucis* vide ne ostendas. Vocati ergo à Regina. & scisciati, tum nihil verum vellent dicere, iussi sunt omnes in ignem tradi. Qui cum timuissent, tradiderunt ei Iudam, dicentes: Hic est vir Iusti prophetæ filius, qui nouit legem cum actibus. Quem vocans Helena dixit. Eligequod vis, vitam, an mortem, si vis viuere id terra, & in cælis, dic mihi, vbi est abscõditum *lignum Dominicæ Crucis.* Locum non noui, inquit, Iudas, quia nec ibi eram, *quando crucifixus est.* Beata Helena dixit: *Per crucifixum fame te interficiam, nisi dixeris mihi veritatem.* Iussit ergo eum mitti in lacum siccum, vsque in 7. dies sine cibo manentem. Quibus transactis, clamauit Iudas, de lacu dicens: obsecro vos educite me, & ego ostendam vobis *Christi crucem.*

De inuentione eiusdem, ac diuisione.

CAP. XCV.

Quomodo Iudas reuelauerit locũ Christi crucis. CVmque eductus perexisset ad locum vbi iacebat *Crux*, leuauit vocem ad Deum, & ait, *Domine Deu, si voluntas tua est, regnare filium Mariæ, qui missus est à te, nisi enim fuisset, nec eum à mortuis suscitasses, fac nobis prodigium hoc, vt sicut ostendisti ossa patris nostri Ioseph, ita nunc nobis ostendas thesaurum istum, faciens ex eodem loco fumum odoris, suauitatis ascendere, vt ego credam in Crucifixum, quia ipse est Rex Israel nunc, & in sæcula sæculorum.* Statimque commotus est locus, & multitudo fumi aromatum ascendit de loco, ita vt admiratus Iudas plausis manibus diceret: *In veritate tu Christus es Saluator mundi, gratias ago tibi Domine, qui cum indignus sim, non me fraudasti gratia tua.* Tunc accipiens fossorium, præ cinxit se, & cœpit viriliter fodere. Cumque fodisset passus 20. *inuenit tres cruces absconditas*, quas attulit in ciuitatem, Interrogabat Helena, quæ esset *Crux Christi*; sciebat enim aliquas esse latronum, qui cum eo fuerant crucifixi. Ponens igitur eas in media ciuitate, expectabant gloriam, & circa horam nonam ferebatur mortuus in grabato; *Iudas autem gaudio repletus, posuit duas Cruces super eũ & nõ surrexit. Impositа autem tertia Cruce Dominica, statim surrexit.* Omnesq; qui aderant glorificabant Deum.

Iudas reuelat locum crucis.

Quoniã Gelasius in decreto de ib. apocryphis non ita probat scripturã de inuentione S. Crucis saneputandum est illã quidem diuersam esse ab ea historia quã S. Ambros. narratur & à S. Paulino in epistola 11. ad Severum ab ipso Sulpitio his. lib. 2. Ruff. lib. 1. cap. 8 Soc. lib. 1. ca. 13. Sozom lib. 1. cap 1. Theodoret. lib. 1. cap. 18. & ab alijs plurimis.

Sed omnium bonorum semper inuidus diabolus cũ furore vociferabatur in aere dicens: *O Iesu Nazarene omnes traxisti ad te, & ego qui prius per Iudam traditionem feci, nunc per Iudam ejcior.* Tunc Beata Helena preciosam Crucem in loculo argenteo collocauit, & ecclesiam in ipso Caluariæ loco construxit; demandans omnibus christicolis, diem, in qua inuenta est *S. Crux* celebrare 5. Nonas Maij. *Rusinus in historia Ecclesiastica 10. lib. cap. 8* Tunc Regina voti sui compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat regia ambitione constuxit. Clauos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frænos composuit quibus vtebatur ad bellum, & ex aliis galeam bellicis vsibus aptam fertur armasse. Ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio, partem verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco quæ etiam nuuc ad memoriam solicita veneratoine seruant.

Claui etiam reperti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ANNOTATIO.

Testatur Paulinus stupendum plane ac perenne miraculum de ligno S. Crucis toti orbi notissimum nam cum vndique è remotissimis etiam regionibus Hierosolymam religionis ergo christiani confluere consueuissent, acciperentque de ligno eiusdem S. Crucis particulam, illud diuina quadã virtute operante, nullam sentiebat ex diminutione iacturã S Cyrillus etiã catec. 10. affirmat totum terrarum orbem, ligno S. Crucis Hierosolymis accepto, esse locupletatũ. Custodia crucis demandata erat vni ex sanctioribus cleri Hierosolimitani, cuius muneris mentio habetur in concilio Chalcedonensi · at Paschalis tempore ex adyto templi eadem populo adoranda producebatur, vt in epistola 11. ad Severum testatur S. Paulinus.

De Frumentio, & Edesio pueris in India captiuatis.

CAP. XCVI.

RVfinus vbi supra cap. 9. In ea diuisione orbis terræ quæ ad prædicandum verbum Dei, sorte per Apostolos celebrata est, Thomæ Parthia, & Matthęo Æthyopia, eique adhęrens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta, inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractatu India vlterior iacet, multis varijsque linguis, & gentibus habitata, quam velut longe remotam, nullus Apostolicæ prædicationis vomer impressérat: quæ tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit.

Metrodorus Metrodorus, quidam philosophus, inspiciendorum locorum, & orbis perscrutandi gratia, vlteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cuius exemplo inuitatus etiã Metropius, quidam Tyrius Philosophus simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos literis sibi propinquos imbuebat, quorum iunior Edesius, alter Frumentius vocabatur, Moris autem est vrbi barbarorum, vt siquando fœdus cum Romanis turbatum, vicinæ nunciauerunt gentes, omnes, qui apud eos ex Romanis inuenti fuerint, iugularentur. Inuaditur nauis Philosophi, cuncti cum ipso pariter puniuntur, pueruli reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, barbarorum miseratione seruati, duc*Edesius à poculis* cuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est, Edesium sibi Pincernam fecit, Frumentio vero, quem, quasi perspicacem deprehenderat, & prudentem, rationes suas scriniaque commisit; ex quo, & in honore magno apud *Frumentius à rationibus* Regem habiti sunt, & amore.

De Conuersione Indorum per Frumentium & Iberorum per quandam captiuam.

CAP. XCVII.

VBi supra. At vero moriens Rex vxorem cum paruulo filio regni reliquit hæredem: adolescentibus autem quid vellent, agendi dedit liberam facultatem, *Frumẽtio & Edesio committitur potentia regnũ gubernandi.* quos tamen Regina suppliciter exorat, tanquam, quæ nihil haberet in toto regno fidelius, vt secum vsquequo adolesceret filius regendi regni solicitudinem partirentur, & præcipue Frumentius, cuius prudentia ad moderandum sufficeret regnum. Nam alius fidem puram, & sobriam mentem simpliciter exhibebat. Idque dum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem eius, & animos instigante, requirere sollicitus cœpit, si qui inter negociatores Romanos christiani essent, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere, vt conuenticula per loca singula facerent, atque Romano ritu orationis causa confluerent. Sed & ipse multo magis eadem facere, & ita cæteros exhortari, fauore, & beneficijs inuitare, præstare quicquid oportunũ fuisset, loca de ædificijs, aliaque necessaria præbere, & omni modo gestare, vt christianorum inibi semen exurgeret. Sed cum adoleuisset Regius puer, qui procurationem regni gerebant, expletis omnibus, & ex fide traditis, multum licet detinentibus, & rogantibus, vt manerent, Regina, & filio; ad orbem tamen nostrum denuo reuertuntur. Et Edesio festinante Tyrũ parentes propinquos reuisere, Frumentius Alexandriã pergit, dicens, æquum non esse, occultare opus dominicum. Igitur rem omnem, vt gesta est, exponit, Episcopo, ac monet, vt prouideat virum aliquem dignum quem congregatis iam plurimis christianis, & ecclesijs constructis in barbarico solo Episcopum mittat.

Tunc Athanasius, qui nũper Sacerdotium susceperat, in consilo Sacerdotum, Frumentium ipsum tanquam spiritu Dei plenum attentius considerans, ei sacerdotium tradidit, eumque redire *cum Domini gratia*, vnde venerat, iussit. Qui cum Episcopus perrexit ad Indiam, tanta ei data esse à Deo virtutum gratia dicitur, vt signa per eum Apostolica fierent, & infinitus barbarorum numerus ad fidem conuerteretur. Hæc nos ab ipso Edesio Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentij comes fuerat, didicimus. *Frumentius Sacerdos factus vtro modo Indos interiores ad fidem perduxit. lege Soc. 1. lib. cap. 19*

Per idem tempus etiam Iberorum gens conuersa est, per quandam captiuam christianam apud eos repertam apud quos moris est, vt si paruulus ægrotet, circumferatur à matre per singulas domos, si quod forte remediũ in aliqua domo possit inuenire. Cumq; mulier quædam paruulum suum per omnes circumtulisset, tandem venit ad captiuam, quæ sola oratione illum sanauit. Quod peruenit ad reginam, quã similiter ęgrotantem sanauit. *Iberi per auxiliam ad fidem conuersi lege Bar. an. 327.*

Rex autem quadam die, dum veneraretur oberrans solus in locis obscurissimis ait: *Si vere Deus est Christus ille*, quem vxori meæ prædicat captiua, nunc me de tenebris istis liberet, & ipsum cum omnibus mihi subiectis, colam. Quod ita factum est.

In Ecclesia vero noua facienda, columnam, quæ nullis viribus erigi poterat, ipsa captiua sola oratione erexit, & in locum suum constituit.

De reuocatione Arij ab exilio, & eius fallacia.

CAP. XCVIII.

VBi supra cap. 11. Postquam autem Helena ex hac luce discessit, Constantia tunc Licinij derelicta fratris Augusti solatijs vtebatur. Huic accidit presbyterum quendam venire in notitiam latenter partibus Arij fauentem: sed is primo nihil omnino de his apud sororem principis voluit aperire; vbi vero multa familiaritas, copiam tribuit, paulatim sermonem cæpit aspergere, inuidiam dicens Ario generatam, & pro simultatibus priuatis Episcopum suum rem contentiose exagitasse, æmulationis stimulo confixum, quod Arius apud plebem satis charus haberetur.

Hæc atque homini alia frequentius suggerẽs, animos Cõstantiæ suos efficit. Quæ cũ die obitura, visitaretur à fratre atque ab eo blande religioseque compelleretur, extremam dicitur ab eo gratiã poposcisse, vt presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ sibi ab eo pro spe & salute suggererentur, audiret se quidem iam ex luce discedentem nihil curare, pro fratris vero statu esse sollicitam, ne forte pro innocentium pœnis regni sui pateretur excidium. Quibus ille monitis à sorore susceptis, & fidelem pro se germanæ sollicitudinem credens, accommodauit aurem Presbytero. Interim & accersiri de exilio Arium iubet, vt quemadmodum de fide sentiret, exponeret. Tunc ille fidem conscripsit, quæ non quidem sensum nostrum, tamen verba nostra continere professionemque videretur, miratus quidem est Imperator, & putauit vnam eãdemque in ipsius, & Concilij dudum gesti expositione sententiam contineri, tamẽ in nullo relaxat animi vigorem, sed rursus eum ad Concilij remittit examen, quoniam ad dedicationem Hierosolymorum, ex omni orbs conuenire Sacerdotes inuitabantur, & facile quidem receptus est à fautoribus suis, sed vbi Alexandriam perrexit, ibi omnem eius incœptum frustratum est, quia dolis apud ignorantes locus est, scientibus vero dolum intendere nihil est aliud quam risum mouere. *Constantia soror Constantini moritur.* *Arius reuocatur per Constantinũ de exilio.* *Hierosolymorum dedicatio celebris.*

Interea dum hæc apud Alexandriam frustra agitantur, Venerabilis Augustus in suburbana villa

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Constantini augustimors & testamentum.

Nicomediæ 3. Imperij sui anno defunctus est, libris de successione Romani orbis testamento hæredibus scriptis. Quo in tempore quandoquidē Constantius cui Orientis Regnum decreuerat, præsens non erat, dicitur secreto accersiens presbyterum, quem a sorore commendatum supra diximus, & exinde familiariter habitum, tradidisse ei testamentum quod scripserat, & obtestatur sub sacramento, ne vlli nisi Constantio, cum veniisset, in manu traderet. Cui etiam quod eunuchi, qui erant in palatio fauebant, arte, indicio de Imperatoris morte suppresso, vsque ad Constantij Imperatoris præsentiam, multis noua tentantibus oppressis, restutæ integræque mansere. Cum verò Constantius affuisset depositum presbyter restituit. Cuius beneficij gratia Imperator regni cupidus, ita ei deuinctus est, vt qui imperare cunctis ambiret, ab illo sibi imperari æquanimiter pateretur. Ex quo, deuincto sibi Imperatore, cœpit de Arij restitutione suggere, & nolentes acquiescere sacerdotes, vt cogeret, persuadere.

De sancto Iuuentio Confessore.

Cap. XCIX.

Iuuentius credit in Christum.

Ex gestis eius. Eo tempore floruit S. Iuuentius, qui quondam iuuenis Samaritanus paganis parentibus ortus, *in Christum credidit ad prædicationem B. Gregorij, cum apud Antiochiam prædicaret.* Postea veroper gradus ordinis ascendens vsque ad sacerdotium, reuersus ad parentes suos, conuertit eos *ad fidem Christi*, & baptizauit; relictisque eis recessit. Cui in itinere dormienti apparuit Angelus dicens, vt reuerteretur Thessalonicam, & Idola Daciani *signo Crucis* ibi contereret, eiusque filiam Cleopatrinam à dæmonio liberaret. Quod & factum est, baptizauitque eam cum 200. fere hominibus. Illa vero de suo patrimonio misit duo candelabra B. Petro, & alia vtensilia, per B. Benedictum episcopum, & per S. Iuuentium. Quibus Romam euntibus cum deficeret victus, exiuit de mari piscis magnus, & in littore stetit qui captus ab eis; per totam hebdomadam ad victum suffecit.

Liberauit Cleopatrinã à dæmone, & plurimos ad fidem cõuertit.

Per clamide eius furto à quodam milite ablatam fiunt miracula.

Huic S. Iuuentio abstulit aliquando quidam miles raptor cum socijs suis vestimentum suum, de quo factum est tale miraculum: *nunquam venundari potuit, & vbicunque in nocte erat, ibi de claritate ipsius magna lux erat.*

Cum autem in Asia Rex quidam Rictiouarus surgens contra christianos exardesceret, & secum deferens NAZARET DEVM SVVM Romanas partes vastaret, dum esset in Longobardia, Longobardis nimis timendum esset, tulit præfatus miles vestimentum illud ad ecclesiam B. Petri. Quo cum venisset Rictiouarus facto de cœlo magno tonitruo, & ignitis catapultis volantibus, interfectus est cum omni exercitu suo. Et hoc factum est post 30. annos postquam idem vestimentum sancto fuerat ablatum.

Abstulerat autem idem miles eidem sancto cum illo vestimento quasdam reliquias *de S. Cruce, & de S. Bartholomæo.*

Vixit autem B. Iuuentius vsque ad tempus S. Hilarij Pictauiensis, cui de exilio reuertenti obuiam Pictauis iuit, à quo etiam castellum Grauionem petijt, ad manendum cum socijs, & accepit. Hic aliquando in sex

Latrones qui eum perimere tentabant, diuinitus sunt exempti.

latrones incidit, quorum primus arrepto gladio, vt eum perimeret, semetipsum transuerberauit, secundus ad quercum se suspendit, 3. à Dæmonio arreptus expirauit, 4. oculos amisit, 5. rabie plenus manus suas, & brachia dentibus lacerauit, sextus ad mare currens, in mare se præcipitauit.

Obijt sanctissime.

Mortuus est autem annorum 120. Idus Ianuarij apud Grauionem castrum.

In martyrologio tamen dicitur Vernaco S. Iuuentij confessoris, forte illuc de Grauione translatus est: Sepeliuitque eum B. Maxentius Abbas, cui etiam reuelatum est, quod dum S. Michael animam eius deferret in cœlum; occurrerunt dęmones dicentes: *Hic homo noster est, quia per fugam timidus martyrij coronam amisit, cum scriptum sit: Beatus vir, qui suffert tentationem, &c.* *Iac. 1.*

De sancto Florentio Confessore.

Cap. C.

S. Florentius confessor.

Floruit etiam eo tempore B. Confessor Christi Florentius, qui quondam post B. Floriani martyris discessum, de quo superius sub Diocletiani tempore dictum est, Angelo reuelante, commonitus, cum ad Gallias pergeret venit ad portum fluuij Rhodani, qui dicitur Lugdunum, inuenitque nauem sine gubernatore: erat enim confracta vndique. Volens igitur ad missam, quamtocius audiendam festinare (erat enim dies dominicus) intrauit in eam, & *facto signo Crucis*, ait: *Deduc me Domine in voluntate tua*; moxque sine gubernatore flumen transmeauit, angelus quippe Domini eum custodiuit, & cum ad ripam veniisset inuenit ibi hominem dæmonio vexatum, & ob hoc ab alijs vinctum, & fraterno dolore tactus orationi incumbens, expulso dæmone hominem sanauit. Multa quoque alia miracula per eum in itinere dominus ostendit. Angelus autem, quo duce iter agebat, B. Martino Turonensi Antistiti aduentum eius ad se reuelauit, eique faciem eius ostendens, vt eum in ordine sacerdotali constitueret, præcepit. Itaque B. Martinus eum gaudenter suscipiens, multum eum dilexit, & die congruo sacerdotem ordinauit. In quo ordine degens, Dominum assiduis precibus exorauit, vt ei locum ostenderet, quo habitare deberet: quod & fecit Dominus. Perrexit itaque iuxta reuelationem sibi factam ad locum prope Ligerim, cui nomen erat* Gloriana, in quo spelunca erat, & ibi serpentes multi, quos de loco illo vir sanctus oratione fugauit, ibique oraculum in honore S. Petri, & aliorum sanctorum plurimorum fecit. Habebat autem consuetudinem, vt quolibet anno Turonis orandi gratia veniret, cumque ex consuetudine illuc ad orationem pergeret, venit ad locum, qui dicitur, Condata, vbi flumen transire volens inuenit in portu mulierem cæcam sedentem, & plorantem. Interrogata quid haberet, ait: *Domine vnicus filius meus, qui mihi cæcæ viã præbebat, iam tertius dies est, ex quo in aquam mersus est, & nemo eum inuenire potuit, qui mihi saltem sepeliendum redderet. Tunc sancto genu flexo oranti, ait Angelus Domini;* FLORENTI; *ille de quo rogas, non est mortuus sed viuit.* Moxque locum, vbi ille erat ostendit. Tunc piscatores, iubente sancto, iactantes illic retia sua statim inuenerunt eum, quem sanctus *Deo gratias agens* matri suæ reddidit, ipsa quoque per eiusdem sancti orationē in eodem loco lumen recipere meruit.

Lege Petrum in catalogo lib. 8. cap. 107. Baronius ait illum vixisse vsque ad tẽpora Theodosij quod & probabile videtur.

Vixit autem S. Florentius, postquam à B. Floriano separatus est, annis 63. cumque vixisset 123. annis. 10. Calen. Octobris migrauit ad Dominum, post cuius etiam obitum multas virtutes in loco requietionis eius operatus est *Dominus* per eum.

De Parricida per ipsum à ferreis nexibus soluto.

Cap. CI.

**alias Gloria sed correxi iuxta Petrum de Natalibus.*

Interioris Franciæ olim inoleuit mos, vt si quis propinquiorem sibi parentem iugulasset, decernente Pontifice ex ipso gladio ferrei nexus fierent, qui collum peccatoris, & ventrem, & brachia stricte innecterent, sicque de propria patria pulsus, donec eadē vincula solui perciperet; primū Romæ, dehinc per diuersa loca sanctorum veniam postulando peregre pergeret. Hac sententia quidam clericus, qui auunculum suum necauerat, à Traianensium episcopo damnatus erat, iamque diuersa sanctorum loca lustrauerat. Cumque ad monasterium S. Florentij diuina reuelatione peruenit, in ipsa vero nocte, dum fratres officiū nocturnale peragerent ille

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

retro secus cancellos consistens se paululum sopori indulsit; & ecce subito per vnum ei candidissima auis apparuit, à tumulo sancti progrediens, brachijs suis insedisse, ipsosque ferreos nexus quasi cum impetu magno percussisse, qui illico expergefactus voces teterrimas emisit clamoris, ita, vt chorum etiam psallentium interrumperet omnesque astantes nimio terrore attonitos, redderet; statimque, vt oculos, quasi somno oppressos aperuit, auis prædicta nusquam comparuit: sed illi ferrei nexus ad tactum eius inuisibilem, cum impetu magno tam valide crepuerunt, vt longius resilientes, in crastinum vix inueniri possent. Ipse autem pauore solutus, in terram corruit, sicque prostratus donec continuaretur officium, quasi amens permansit. In crastino autem omnibus hoc factum mirantibus, ille ex ordine causas culpæ suæ, & nexionis ostendit.

De quibusdam incidentibus, & de criminibus Constantini.

Cap. CII.

Avthor. Temporibus quoque Constantini iuxta Hieronymum, Arnobius Rhetor in Africa claruit.

In Antiochia Dominicvm quod vocatur arevm ædificari cepit.

Iuuencus presbyter natione Hispanus, Euangelia heroicis versibus explicauit.

Pestilentia, & fame innumerabilis multitudo in Syria Ciliciaque perijt.

Porphyrius misso ad Constantinum volumine, ab exilio liberatus est. Hic Porphyrius primo gentilis, deinde Christianus, rursus apostatauit; nam in Cæsarea Palestinæ à quibusdam christianis cæsus; iracundiam non ferens christianitatem deseruit, sicut eum Eusebius redarguit, cum eius verba destruxit. Hic enim Porphyrius contra nos scripsit, cui responderunt Eusebius, & Apollinaris: sed *Augustinus in libro de Ciuitate Dei*, fortius cæteris, qui etiam vocat eum Philosophorum doctissimum, sed christianorum acerrimum inimicum.

Ipse quoque Constantinus, (vt dicit Hieronymus) cum liberis suis honorificas ad Antonium literas direxit, Crispum autem filium suum interfecit crudelissime, & vxorem suam Faustam.

Extremo autem tempore vitæ suæ ab Eusebio Nicomediæ episcopo baptizatus est.

Baronium in annalibus, Bellarmino in controuersijs & Pontacum consule.

In Arianum dogma declinauit, à quo, inquit, vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius orbis discordia secuta est. At his verbis Hieronymi manifeste contradicit liber de actibus S. Siluestri, nisi forte bis baptizatus sit Constantinus, persuasus ab Eusebio Nicomedensi episcopo, factionis Arianæ signifero, & eidem Constantino valde familiari.

Mirandum quoque est valde, quomodo *inuentionem* S. Crvcis Hieronymus in chronicis suis annotare, vel noluit, vel neglexit, quæ tamen causa celebris fuit.

Cæterum cur Constantinus vxorem suam, & filium iuxta Hieronymum interfecerit, huiusmodi nunquam facinoris horrendi causam inuenire potui.

Sed hæc, & alia Constantini facinora cæteri historiographi dissimulant, ac silentio tegunt,

Annotatio.

Quod ad Crispi necem spectat, cum eam à Fausta nouerca procuratam omnes affirment, Zosimus certam afferens causam, ait contigisse ob suspicionem consuetudinis cum eadem Fausta, quod vero Constantini mater Helena intolerabilem inde dolorem perciperet, vt eam consolaretur Constantinus Faustam ipsam balneo supra modum calefacto inclusam extinxisse. Hæcque Romæ contigisse tradit Zosimus libr. 2. licet Ammianus lib. 14. Polæ in Istria Crispum esse necatum affirmet: lege acta Artemij (qui sub Constantino militauerat) apud Surium 20. Octob. vbi dicitur quod cum Christianitatis reus causam ageret coram Iuliano, derogans illi Constantino, ac præsertim necem propinquorum obijcienti, pro Constantino respondit: eum, vxorem Faustam iustissime interfecisse, quod exemplo Priscæ Phedræ, Crispum calumniata, de eius in se conatu, necem ei causata esset Idipsum affirmat Hierony. in Lactantio ipsius Crispi magistro, nec non Zonaras, & alij plures: Fortasse tamen ipsa Fausta, vt tantum regnarent filij à se geniti, hoc vna cum alijs in Crispum primignum obiecit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De Imperio Constantij, & disputatione Athanasij contra Arium.

CAP. I.

Ann. Mund. 4193. Chr. 340.

IERONYMVS *in chronicis* Romanorum igitur 35. regnauit Constantinus, Constantius quoque, & Constans annis 24. cœperunt autem regnare anno domini 340. mundi vero 4193. *Hugo Floriacensis 5. libro* Constantius quidem Romanum adeptus est imperium, Constantinus vero Constantinopoli imperauit, & apud Antiochiam Constans. Is autem Constantinus donec vixit, habitum regium gemmis, & caput suum perpetuo diademate decorauit. Nutriuit prætere a semper bonas artes, sed præcipuè studia literarum legebat, & ipse scribebat, & meditabatur.

Constantius autem, vt factus est Imperator Romanus, per nefarios vsus à fide catholica deprauatus est.

Athanasius disputat cũ Ario.

Porro Athanasius, vir spectabilis, & magnificæ fidei, Imperij huius anno 2. disputauit cum Ario, turbis hinc atque inde astantibus apud Laodiciam Syriæ vrbem. Probus autem quidam vir, Imperatoris iussu arbiter inter eundem Arium, & strenuissimum sanctę fidei defensorem Athanasium sedit, vbi nitor fidei ad purum discussus est, & à diuinis libris ostensum, *Patrem & Filium, & Spiritumsanctum, proprijs extare personis, & tamen vnam esse trium naturam.* Arius tamen indurata mente, in sua malignitate permansit.

De ignominiosa morte Arij.

CAP. II.

Euſebius Nicomediensis Arianorum & Paretici belli signifer.

RVffinus 10. *lib. cap.* 12. Denique Eusebius de cuius simulatione in subscribendo supradiximus, opportunitatem temporis nactus, & principi per præfatum presbyterum familiaris effectus, omnia reuoluere, & in irritum Concilij Nicæni gesta reuocare molitur. Arium venire fecit, & imperialibus edictis Concilium denuo Constantinopolim conuocari. Quo illi maxime conuenerunt, qui Arium, & Eusebium sectabantur, quique sæpe cum Alexandro Alexandriæ episcopo congressi, vt Arium susciperet. Ad vltimum certum diem statuentes denunciauerunt, vt aut ipse Arium susciperet, aut si reniteretur se ab ecclesia pulso, & in exilium truso, ab alio eum suscipiendum sciret. Tunc ille noctem, quæ ad constitutam intererat diem, sub altari iacens, atque in oratione, & lachrymis eam totam peruigilem ducens, ecclesiæ causam *Domino* commendabat. Cumque lux orta fuisset, nec tamen Alexander ab oratione cessaret, Eusebius cum omnibus suis, velut hæretici belli signifer, domum Arij matutinus ascendit, eumque sequi ad ecclesiam iubet, protestatus, quod Alexander nisi præsens acquiesceret, expulsus loco cederet.

Arius probroso interitu perit, lege Athanas. ep. ad Serapion. & orat. 1. contra Arianos.

Igitur cum cunctorum animi essent in expectatione suspensi, quo, vel Alexandri perseuerantia, vel Eusebij, atque Arij instantia declinaret, Arius ad ecclesiam pergens episcoporum, & populi frequentia constipatus, humanę necessitatis causa, ad publicum declinat locum, vbi cum sederet, intestina eius atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxere, ita tali in loco dignam mortem blasphema, ac fœtida mente exoluit. Quod cum in ecclesia, nunciatum fuisset Eusebio, & his, qui vna secum sanctum, & innocentem virum Alexandrum de recipiẽdo Ario fatigabãt, operti confusione discedũt.

De bona indole Athanasij, & eius promotione.

CAP. III.

Athanasij vita & origo.

VIde *supra* 14. *cap.* Alexãdro autem defuncto apud Alexandriã, Athanasius sedẽ susceperit, de quo, cuius à puero institutionis fuerit, libet pauca commemorare.

Tempore quo apud Alexãdriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, cum post expleta solemnia conuenturos ad conuiuium clericos expectaret, in loco mari vicino, vidit eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium, (vt fieri solet) episcopum, & ea geri, quæ mos est in ecclesiijs, quos cum intentus diutius expectaret, vidit ab his geri, quædam etiam secretiora, & mystica. Perturbatus illico, comprehensos pueros imperat ad se perduci; qui cum adessent, quis eis ludus, & quid egisset, vel quomodo, percũctatur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi negauere primo, deinde rem gestam per ordinẽ pandunt, & baptizatos à se esse quosdam Catechumenos confitentur per Athanasium, qui

Ludus puerorum imitantium episcopum & mysteria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ludi illius puerilis episcopus fuerat simulatus. Tunc ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderunt, vbi vidit secundum religionis nostrę ritū cuncta constare, collocutus cū Concilio clericorū statuisse dicitur, illis quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, non debere iterari baptismum, sed adimpleri ea, quæ à sacerdotibus mos est; Athanasium vero, & eos quos ludus ille, vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, conuocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradi ecclesiæ nutriendos. Paruo autē tempore transacto, cum à Grammatico fuisset Athanasius sufficienter instructus, mox tanquam fidele quid Domini commendatum à parētibus restituitur sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini nutritur. Qui etiam tempore Nicæni Concilij ipsius Alexandrini episcopi aderat concilijs, senem quam plurimum iuuans, & ab eo pergente ad patres in senectute bona, ad portandum post se ephod sacerdotale electus est. Cuius tanti in ecclesia per fidei integritatem agones fuerunt, vt etiam de hoc videatur illud verificatum esse, quod scriptum est: *Ego ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Non rebaptizātur, etiā ioco baptizati.

Act. 7.

De persecutione Arianorum in Athanasium.

Cap. IIII.

An. Ch. 342.

Hieronymus in chronicis. Igitur secundo anno Constantij, impietas Ariana eiusdem Imperatoris fulta præsidio, exilijs, carceribus & variis afflictionum modis, primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos persecuta est.

Impia à perversis Arianis prauitatis Sacerdotibus aduersus Athanasium mendacia.

Ruffinus 10. *lib. cap.* 15. *&* 16. *&* 17. Nam Constantius Imperator per eunuchos deceptus, ab episcopis Arianis, Intento satis studio prauis eorum contentionibus obsecundauit. Illi autem verentes nequando adeundi regis copia fieret Athanasio, & per eum de veritate fidei, quam peruertebant secundū scripturas edoceretur, omnibus modis insimulari eum apud principem, & velut omnium scelerum, ac flagitiorum auctorem aggrediuntur exponere, vsquequo humani corporis brachium loculo delatum, Imperatori ostendunt, quod ab Athanasio excisum magicæ artis gratia, de Arsenii cuiusdam corpore confirmabant.

De excisō brachio Arsenij.

Quapropter iratus Imperator, conuocato apud Tyrum Concilio, iubet Athanasium condemnari, misso è latere suo vno ex comitibus, & eo ducitur Athanasius. Introducitur accusatio mulieris cuiusdam, quæ se diceret aliquando hospitio Athanasium recepisse, & ab eo noctu nihil suspicantē, vim corruptionis esse perpessam. Introduci ad hæc Athanasius iubetur, ingreditur cum Timotheo presbytero suo, quemque monet, vt posteaquam mulier dicendi finem fecisset, se tacente ad ea quę dixerat, respōderet. Cumque mulier ea, quæ edocta fuerat, peroraisset, Timotheus conuersus ad eam: Vere, inquit, mulier ergo mansi apud te aliquando, & vim tibi, vt asseris feci? Tunc illa (vt mulierum se talium procacitas habet) obiurgans Timotheum. Tu, inquit, vim mihi fecisti, tu in illo loco cōmaculasti castitatem meam, simul & conuersa ad iudices, obtestari fidem Dei cœpit, se vera dicere. Tunc omnes ridiculosus pudor habere cœpit, quod tam facile tacente reo, fictio compositi criminis patuisset.

Calumniatur Athanasius, sed calumnia egregie detegun tur.

Hinc transitur ad aliud crimen, de quo etiam optime se purgauit: Profertur facinus sæculis inauditū. Verum quia non iudicādi, sed opprimendi hominis causa Concilium gerebatur, fragor omnium repēte attollitur, MAGVM *esse Athanasium*, & decipere intuentium oculos conclamatur, factoque impetu suis eū discerpere manibus parabant. Sed Archelaus, qui cum cæteris ex præcepto Imperatoris, concilio præsidebat, ereptū eum de discerpentiū manibus per occultos exitus eduxit. Conciliū tamen rursum conueniens, tanquā si nihil omnino deprehensum fuisset, vt confessum de intentatis criminibus

Acuerunt Ariani dentes in Athanasium.

Athanasium condemnat, & gesta in hunc modum ficta per orbē terræ mittentes ad sceleris sui consensum, Imperatore cogente, cœteros episcopos perpulerunt.

Athanasius condemnatus fugit.

De fuga eius & exilio.

Cap. V.

Vt supra cap. 18. Hinc iam toto orbe profugus agitur Athanasius, nec vllus ei ad latendum tutus supererat locus. Tribuni, Præpositi, Comites, exercitus quoque ad inuestigandum eum mouentur, edictis imperialibus præmia delatoribus proponuntur, si quis viuum maximè, sin minus, caput Athanasij detulisset. Ita totis regni viribus frustra aduersus eum, *cui Deus aderat*, certabatur. Interea sex cōtinuis annis ita latuisse fertur, in lacu cisternæ non habentis aquam, vt nunquā solem videret. Sed cum per ancillam, quæ sola conscia dominorum officijs, qui ei latebras prębuerant, videbatur, indicatus fuisset, tanquam *Dei spiritu admonitus* ipsa nocte, qua ad eum comprehendendū cum iudicibus veniebatur, emigrauit ad alium locum, ita illi, qui venerunt frustrati, dominis quoque in fugam conuersis, de ancilla, vt falsa indice pœnas sumunt.

Ruffinus cap. 19. *Athanasius fugit ad Cōstantem Cæsarem.*

Verum ne graues alicui latebræ suæ fierent, & occasio calumniæ innocentibus quæreretur, nihil sibi vltra iam tutum in Constantij regno præsumens, ad Cōstantis partes profugus abscedit, à quo satis honorifice religioseque est susceptus. Quique causa eius, quam fame cōpererat, diligētius cognita, scribit ad fratrem suū pro certo se cōperisse, quod Sacerdos Dei summi Athanasius, iniuste fugas, & exilia pateretur. Hūc itaq; recte faceret, si absq; vlla molestia loco suo restitueret, si id nollet, sibi curæ futurum, vt ipse adimpleret illud, regni eius intima penetrans, & pœnas dignissimas de authoribus sceleris sumere proponeret. Quibus scriptis perterritus Constantius (quia posse facere ea, quæ minabatur conscius erat fratrem) simulata benignitate vltro venire ad se Athanasium iubet, & leui increpatione perstrictum ad ecclesiam suam permittit ire securum.

Athanasius insimulatur Magia.

Sozomenus in tripartita lib. 5. *cap.* 27. Procedente aliquando Athanasio per Alexandriam contigit aduolantē corniculam clamitare, & statim Pagani circunstantes, quasi mago derogantes, petebant, vt eis aperiret, quid cornicula illa significaret. Quibus ille subridens: CRAS, inquit, Latina lingua dies futura est in proximo, hoc ergo clamitans, tristem vobis futurum crastinum diem significat. Altera die veniunt literæ Imperatoris ad iudices iubentes, vt pagani non admitterentur ingredi ad tēpla sua, neque solennitates suas celebrare, tunc ergo destructa est venerabilior eorum generalisque festiuitas.

Athanasij vaticinium.

Ruffinus vbi supra cap. 19. Sed cum Magnentij scelere, Imperator Constans regno simul, & vita fuisset exemptus, rursum in Athanasium veteres illi incentores, principis odia resuscitare cæperunt, fugatoque de ecclesia in locum eius Georgium quendam perfidiæ, & immanitatis suæ socium mittunt.

Athanasius rursum exulat, & quidam Georgius perfidiæ socius in locum eius subrogatus est.

De scriptis eiusdem.

Cap. VI.

Hieronymus de illustribus viris. Feruntur eius aduersum gentes duo libri, & contra Valentem, & Vrsacium vnus, & de virginitate, & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de psalmorum titulis, & de historia Antonij monachi, & multa alia, quæ enumerare longum esset.

Flores S. Athanasij.

Author. Inuenitur etiam liber Athanasij exhortatorius ad monachos valde vtilis, de quo paucos flores istos excerpsi.

Gloriari vobis *in Christo* licet huiusmodi principijs initiatis, vt sit inchoatio vestra perfectio, & ad verā viuendi frugē gradus interpositos peruolantes, apice ipsius culminis occupato disciplinæ summā teneatis, qui dum me nō solū libenter, sed etiā auide auditis, impudentem me

vestro

vestro amore feciſtis: præcedentes enim duco, & vltra menſuram meæ poſſibilitatis extenſus, quos ſequi cupio, ducere compellor.

Abſtinentia continentiæ nutrix eſt, quæ facilius frænos patitur, ſi non delitiarum calcaribus incitetur. Qui illud à quo abſtinent illicitum credunt, ipſi ſibi præmium ſui laboris imminunt. Illicitis enim cauere iugum neceſſitatis eſt, permiſſa vincere munus arbitrij, à malis abſtinere, merces eſt diſciplinæ, bona ſupergredi libertas eſt arbitrij, non finis imperij.

Orationes, ſi fieri poteſt, ſola legendi intercapedo, diſrumpat.

Sit victus facilis, veſtituſque vilis, vita veſtra iubeat, lingua ſuadeat, quia plus auctoritatis exemplum, quam ſermo geſtat.

Fœminas probas, & religionis ſtudio vere deditas cum menſura venerationis honorate, vt nec auſteritas inhumana, nec ſedulitas ſit remiſſa. In loquendo autem cum eis præcipue vobis ætas, hora, ſolitudo vitanda ſunt, vt viterur omne, quod contra vos poteſt fingi, tanquam poſſit, & credi.

Ipſa famæ ſemina priuſquam nutriantur, pereant, non enim tantum vobis fides facti, ſed poſſibilitas etiam eſt releganda mendacij, vt non blaſphemetur bonũ noſtrũ.

Beata eſt vita, & præclara, de qua nihil licet falſitati; nec me præterit ſæcularis laboris inuidia, in obtrectationem ſemper religionis ardere, ſed vtatur mundus ſua natura, dum tamen nihil inueniat in noſtra diſciplina.

Falſitas ex more iactetur, dũ nec veriſimile quidem poſſit eſſe, quod dicitur. Nemo igitur debet contemnere vulnus infamiæ, quia ſemper conuenit famam ſimulare, ſed eo attentius præcaueri, quod ſolet etiam ficta componere.

Neceſſarius ſit è domo, & rarus egreſſus, quem aut religionis ratio extulerit, aut ad ſubſtantiam victus, aut cauſa exercendi operis ordinauit.

Muneribus cunctis, niſi quæ ad quotidianum cibum annuumque veſtitum ſuppetant, abſtinere, ſcientes eſſe ſcriptum: *Habentes alimenta, &c.*

Vidua pauper plus omnibus miſit, quia non poteſt parum eſſe, quod totum eſt, nec quiſquam amplius dedit quam qui ſibi nihil reſeruauit. Cur viuendi voluntate quis non ſoluat, quod moriendi lege rumpendum eſt. Facies mercedem de ſorte, vt de neceſſitate virtutem augeas, quinimo rem familiarẽ ſuam erogans, de paruis magna, de vilibus precioſa, de caducis æterna facit.

De cæteris eius libris plura ſuperius inſerui

De ſancto Maximino Treuerenſi.

CAP. VII.

Anno Chriſti 346. *Maximinus venit Treuiros ad Agritium.*

Ieronymus in chronicis. Hoc tempore Maximinus Treuerorum epiſcopus clarus habetur, à quo Athanaſius Alexandriæ epiſcopus cum à Conſtantio quereretur ad pœnam, honorifice ſuſceptus eſt.

Ex geſtis eius. Hic Pictauorum indigena, clariſſimis eſt ortus natalibus: cuius frater Maxentius Pictauorum Pontifex fuit: ipſe autem diuino inſtinctu genitale ſolum relinquens, in Treuerorum vrbe conſtitit, vbi clericatus honore donatus, cum ad virtutum incrementa profeciſſet, quidam S. Quiriacus nocte eccleſiam B. Eucharii, ad orandum ingreſſus, angelum non per quietem, ſed vigilando vidit, eiuſque vocem corporalem audiuit præcipientem, vt Maximinum ex diuina viſione redderet certiorem, quod Agritio epiſcopo ad ſuperna gaudia intromiſſo, mox ipſe paſtorale myſterium ſubiturus eſſet, Agritio quoque per miniſterium angelicum reuelatum eſt, vt eum ſibi ſucceſſorem cõſtitueret, quod fecit. Nec multo poſt, mortuus eſt S. Agritius, & Maximinus epiſcopus ordinatus, à quo, (vt dictum eſt) Athanaſius fugiens honorifice eſt ſuſceptus.

S. Agritius ex hac vita decedit. *Ei ſuccedit S. Maximinus.*

Hic cum aliquãdo Romam pergeret, inuenit S. Martinum nondum epiſcopum, qui ſimiliter illuc pergebat, quibus vlterius progredientibus, aſellum, qui ſarcinas eorum portabat, vrſus offendit, & deuorauit, cui vrſo Maximinus dicitur imperaſſe, vt obſequium aſini adimpleret, quod & fecit, donec reuerſi ſunt ad locum, qui Vrſaria villa dicitur, vbi idem ſanctus dedit eidem vrſo priſtinam vagandi poteſtatem, erepta illi licentia lædendi, coegitque S. Maximinus S. Martinum Treuerim pergere.

Miraculum S. Maximini.

Non multo poſt B. Maximinus obijt 4. Calen. Iunij, apud Pictauos, quo regreſſus fuerat, vt ſuos reuiſeret, ſed interim tranſlatus eſt apud Treuerim, vbi ad eius tumulum glorioſa ſæpe miracula viſa ſunt.

Obitus S. Maximini: Exemplum extat apud Gregorium Turonenſem de gloria cõfeſſorũ. cap. 93.

Nam tẽpore Theodoberthi Regis Arboaſtis: quidam presbyter contendebat cum quodam franco, præſente rege, dum hæc gererentur Rex loca ſancta, quæ ſub vrbis illius vicis habentur, cauſa orationis, viſitabat. Cum autem videret Rex perſecutionem eſſe callidam: ſi vera ſunt, inquit, quæ proſequeris, hæc ſuper tumulũ Maximini ſacramento confirma. Audeo, inquit, presbyter hæc, quę pręcipis adimplere. Et ſtatim ponẽs manũ ſuper ſanctum ſepulchrum, dixit: *Huius ſancti virtute* opprimar, ſi aliquid falſi loquor de his quæ perſecutio mea contra hunc Francum inſiſtit. Fremente autem barbaro, & quaſi contra ſanctum Dei furibundo, egreſſi ſunt de baſilica. Cumque per viam pariter pegerent, ſubito dilapſus presbyter, ſolo peſſundedit, & mortuus eſt, laudauitque deinceps barbarus *virtutem ſancti*, cui prius detraxerat.

Extat & hoc exemplũ ibid. apud Greg. Turonenſem. Confeſſio liberabat à morbo.

Sic quoque Archidiaconus illius vrbis, cum à Nicetico epiſcopo dum pro adulterij crimine pulſaretur, ſacramento ad huius ſancti ſepulchrum purificari expetiit: ingreſſuſque primum cryptæ limen reſtitit quaſi ſtupens, dehinc deſcendens per gradus ad aliud oſtium venit: cumque ad tertium accedere vellet, protinus febre correptus, greſſum figere non audens amplius, crimen quo impetebatur, in diſcrimine mortis poſitus, eſt confeſſus, deprecans populum, vt pro ſe, & ſancti antiſtitis, vel epiſcopi ſui ſuffragia poſtularet: ſed ſtatim, vt confeſſus fuit, ab impulſu febris exutus, ſui etiam Antiſtitis eſt in charitate receptus.

De perſecutione Saporis in Catholicos.

CAP. VIII.

An. Ch. 347

Ieronymus in chronicis. Interea Sapor Rex Perſarum noſtros perſequitur. Sub hoc coronati ſunt in ſuo Regno, vt ſcribit Zozomenus xvi. millia martyrum, inter quos Simeõ Archiepiſcopus Seleuciæ, & Cteſiphoris ciuium regalium in Perſida, accuſatus eſt à Magis apud Saporem, qui primum quidem chriſtianos tributis immenſis affecit, & crudelibus viris has exactiones iniunxit, Simeonem autem vinctum iuſſit adduci ad ſe, qui adductus ad Regem non adorauit eum. Interrogatus à Rege, cur non adoraſſet eum? prius, inquit, vinctus non adducebar, vt *verum Deum* negarem, & nihil dubitans, ſolennia Regis implebam, nunc autem fas mihi non eſt hoc agére. Iuſſus eſt demum adorare Solem, ſed noluit, & ductus eſt in carcerem. Quo eunte, obuius ei factus eſt * Vſlazades ſenior, Eunuchus, nutritor Regis, & maior regiæ domus, qui dudum factus Chriſtianus, vim paſſus, adorauerat Solem. Sedens ergo ante ianuas Regis, conſurgens, adorauit Simeonem, qui eum increpans iniurioſe, & cum furore clamans, eum auerſatus deſpexit: mox Eunuchus flens, & gemens, claram veſtẽ deponens, & lugubrem induit. Quod audiens Rex, cum eum flectere nequiret, iuſſit decollari, qui impetrauit à rege, vt præconem clamare faceret, ſe non pro alia cauſa mori, quam *pro Chriſto*, quod ideo clamari fecit, vt qui per eius exemplum deiecti fuerant, reſumerent animos. Quod agnoſcens Simeon in carcere lætus pro eo hymnos obtulit.

* *Al. Vſthazanes*

Vſthazanis eunuchi pœnitentia, & martyrium.

Puſices autem, qui ſuper omnes artifices Regis erat, videns Ananiã, quendam ſenem ſub gladio trementem, confortauit eum dicens: Paululum, ô ſenex claude

Puſicis martyrium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

oculos, & securus esto, mox enim *Christi videbis aspectum*, moxque cum alijs decollatus est.

Passus est autem B. Simeon vndecimo Calen. Maij, & sequenti anno multi socij eius.

Ex martyrologio. Vnde & 10. Calen. Maij celebratur apud persidam Natale sanctorum martyrum, qui pro *Christi nomine* sub rege Sapore gladio iugulati sunt. In quo fidei certamine passus est Milles episcopus, & Acepsimas episcopus cum Presbytero Iacobo, Mareas, & Bigor episcopi, cum clericis fere 250. monachis, & sacratis virginibus plurimis, inter quas etiam, & Simeonis episcopi soror, nomine Tarbula cum pedissequa, Serra scissa est.

ANNOTATIO.

Hanc persecutionem à Sapore rege Persarum in Christianos motam, Baron. anno 343. num. 10. authoritate Eusebij lib. 4. de vita Constantini, cap. 8 & 9. Hieronymi in chronico, ad septimum annum Constantij & Constantis referendam esse probat, contra Theodoretum lib. 1. cap. 24. in fine, & Sozomenum lib. 2. cap 14.

De concilio Mediolanensi, & Ariminensi.

CAP. IX.

RVffinus *vbi supra cap. 19. 20. & 21.* Porro Constantius cum ob vindictam necis fraternæ ad occidentes partes venisset, & extincto tyranno, regni solus arce potiretur, fatigare occidentales episcopos, & per deceptionem ad consensum Arianæ hæresis cogere aggreditur, Athanasij prius condemnatione præmissa, & velut obicis validissimi obiectione sublata.

Concilium Mediolani tyrannica consultatio potius quam ecclesiasticū concilium

Ob hæc apud Mediolanum episcoporum concilium conuocatur, pluresque decepti sunt. Dionysius verò, Eusebius, Paulinus, Rhodanius, & Lucifer, dolum esse in negocio proclamantes, asserentesque quod subscriptio in Athanasium non aliam ob causam, quam destruendæ fidei moliretur, in exilium trusi sunt. His etiam Hilarius iungitur, cæteris ignorantibus, vel non credentibus fraudem, sed tali Concilio gestum fuisse negotium, rei exitus docuit. Illis namque de medio sublatis, continuo synodus apud Ariminum congregatur, ibi secundum ea, quæ Orientales apud Seleuciam composuerūt callidi homines, & versuti; simplices, & imperitos occidentalium sacerdotes facile circumueniunt, hoc modo proponendo eis, quem magis colere, & adorare vellent; *Omousion*, an *Christum*? Illisque virtutem verbi, quid *Omousion* significaret ignorantibus, velut in fastidium quoddam, & execrationem sermo deductus est, *Christo* se credere, non *Omousion* confirmantibus. Sic multorum, præter paucos (qui scientes prolapsi sunt) animi decepti, contra ea, quæ patres apud Niceam conscripserant venientes, *Omousion* quasi ignotum, & à scripturis alienum sermonem auferri de fidei expositione decernunt; communionemque suam hæreticorum societate commaculant.

Synodus Ariminensis.

Mira Sceleratorū versutia & diabolica animarum deceptio.

Ea tempestate facies Ecclesiæ fœda, & admodum turpis erat, non enim sicut priùs ab externis, sed à proprijs vastabatur: fugabat alius, & alius fugabatur, & vterque erat de ecclesia. Liberius quoque Papa in exilium truditur, & in eius locum Fælix diaconus eius, ab hæreticis subrogatur, qui non tā sectæ diuersitate, quam communionis & ordinationis conuenientia maculatur.

Ruffinus lib. 10. cap. 22. 23. & 24.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Hierosolymis vero Cyrillus post Maximum sacerdotio confusa iam ordinatione suscepto, aliquando in fide, sæpius in communione variabat.

Georgius Alexandrinus.

Apud Alexandriam vero Georgius satis procaciter vi raptum episcopatum gerebat, ita vt magis sibi iuris dicendi creditos fasces, quam sacerdotium ministrandum religiosis officijs æstimaret.

Meletius.

Apud Antiochiam sane diuersis temporibus multa admodum confuse gesta sunt. Nam defuncto Eudoxio, cum multi diuersarum vrbium episcopi ad illam sedem summa ambitione niterentur, ad vltimum Meletium de Sebastia Armeniæ ciuitate, contra decreta concilij illuc transferunt, qui tamen ab ipsis rursum in exilium truditur, eo quod contra ipsorum opinionem non Arij, sed nostram fidem cæpit in ecclesia prædicare. Quem magis plebs ecclesia depulsum secuta, ab hæreticorum societate diuellitur.

De tripartita secta Arianorum.

CAP. X.

INterea vt aliquandò etiam in semetipsam procliuis malitia desæuiret; Sacerdotes & populi, qui Ario duce primitus fuerant ab Ecclesia diuulsi, in tres denuo sectas, partesque scinduntur. Eunomius enim vir corpore & anima leprosus, & interius exteriusque morbo regio corruptus, arte tamen dialectica præpotens, plurima contra fidem nostram scripsit, disputandi leges sectatoribus suis dedit, à quo etiam nunc Eunomiana hæresis dicitur. Alius quoque Macedonius nomine, quem nostris expulsis immo potius necatis, apud Constantinopolim statuerant episcopum.

Rufinus lib. 10. cap 25.

Itaque pestifera bestia illa, quæ per Arium primo quasi de inferis extulerat caput, subito triformis apparuit.

Per Eunomianos, qui dicunt, *per omnia filium dissimilem patri, quia nullo genere possit esse factura similis factori.* *Eunomiani.*

Per Arianos, qui dicunt, *similem quoque posse dici filium patri, sed largitate gratiæ, non proprietate naturæ, in quantum scilicet potest creatori creatura conferri.* *Ariani.*

Per Macedonianos qui dicunt, *similem quidem filium per omnia Patri, sanctum vero Spiritum cum Patre & filio nihil habere commune.* *Macedoniani.*

Historia tripartita lib. 5. cap. 33. Iusserat autem Constantius apud Nicæam Bithynię concilium iterum celebrari, sed momento temporis ciuitas concussa est: quem terræmotum præcognouit Arsacius ex milite eremita, ibi in quadam turri ciuitatis inclusus, quem cum cognouisset nunciauit populis, quibus non credentibus, reuersus ad turrim, inuentus est pronus orando mortuus, fertur autem *rogasse Deum* vt prius moreretur, quam cladē videret ciuitatis. Hic & dæmoniacum curauit & draconem interfecit. Contigit autem hoc consulatu Taciani & Cerealis 8. die Augusti, translatum est autem concilium, apud Seleuciam Isauriæ. Et præcepit ibi Constantius adesse Lauritium Isauriæ ducem, vt in quo opus esset, episcopis ministraret.

Lege Sozomenum lib. 4. cap. 15. qui ibidem vitā & miracula Arsacij describit.

Lege tripartitam lib. 5. cap. 34. ex Socrate.

De Liberij Papæ exilio, & de Felice Papa.

CAP. XI.

EX *libro pontificum.* Igitur post Iulium Papam, qui & ipse multas tribulationes sustinuit, & 10. mensibus in exilio fuit, qui & sepultus est via Aurelia pridie Idus Aprilis, Liberius quoque successor eius à Constantio deportatur exilio, eo quod noluerit hæresi Arianæ consentire, & fuit in exilio annis tribus, & congregans Sacerdotes cum concilio eorum, silentio ordinauit in locum suum Felicē presbyterum, venerabilem virum, & fecit concilium Felix, & inuenit duos Presbyteros consentientes Cōstātio Augusto Ariano nomine Vrsaciū & Valetem, & damnauit eos in concilio 18. episcoporum.

Quæ de Felicis ordinatione hic leguntur vix subsistere posse videntur, vt testatur Baron. an. 355. lege Theodoretū lib. 2. cap. 17. qui dicit neminem ex Romano populo in ecclesiam, dum Felix intus esset ingredi voluisse, vnde signum est illum ab Arianis potius constitutum.

Post paucos etiam dies zelo ducti Vrsacius & Valēs, rogauerūt Constantium, vt reuocaret Liberiū de exilio, vt vna tantū cōmunione participarēt, extra scilicet baptismū. Tūc missa auctoritate Liberius consensit præceptis Augusti, vt tantū participatione cū hæreticis cōmunicaret, tantū vt nō rebaptizaretur. Sicque de exilio rediēs, habitauit in cæmiterio beatæ Agnetis apud germanā Cōstantij, vt quasi per eius interuētionē rediret in ciuitatē. At ila quę fidelis erat nolebat rogare Augustum, quia senserat cōciliū. Cōstantius autē vna cū Vrsacio & Valēte cōuocauit aliquos ex fece Ariana, & quasi factò cōcilio, misit & vocauit Liberiū de cæmiterio beatæ Agnetis Felicē de episcopatu expellēs, qui catholicus erat.

Hieron-

Hieronymus in chronicis. Sic ergo tædio exilij victus Liberius & in hæretica prauitate subscribens, Romam quasi victor intrauit.

Ex libro Pontificum. Ab eodem die fuit persecutio in clero, ita vt intra ecclesiam Presbyteri & clerici necarentur, & martyrio coronarẽtur: depositus autem Felix, habitauit in prædio suo *Via portuensi*, vbi & requieuit in pace 4. Kal. Aug.

* *Vide ibid. Martyrologium Romanum.*

ANNOTATIO.

Consule Baron. an. 357. qui dicit Liberium omnium animos à se alienatos inuenisse, eo quod turpiter Constantio consensisset, Caterum quamuis in his cum grauissime deliquisse, inficiari nemo possit, tamen à fide catholica defecisse, aut in hæresim incidisse, nullus vnquam probabit aut Baronius, quomodo autem se habuerit, vt integra saluaque Catholica fide Liberij Romani Pontificis, qui ab ea licet excidere visus sit, nunquam rei veritate defecerit omnino, ipsoque adhuc viuente, sederit Felix, profecto non leuis est quæstio, præsertim cum Genebrardus dicat Romanum concilium habitum fuisse an. 361. in quo Felix electus est Papa, vt & testatur Platin. & Isidorus tom. 1. conciliorum. Non igitur ab Arianis electus est vt vult Ruf. contra Nicep. lib. 9. cap. 35. Deinde cum in Romano Martyrologio habeatur pro sancto, nam 29 Iulij, ita de eo legitur. Romæ via Aurelia S. Felicis Secundi Papæ, & martyris qui à Constantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem è sede sua deiectus, glorioſe occubuit.

De sancto Eusebio Presbytero, & ceteris martyrizatis sub Constantio.

CAP. XII.

EX gestis eorum. Eusebius autem Presbyter vrbis Romæ, cæpit ipsum Liberium declarare hæreticum, multique per eius doctrinam communionem Liberij vitabant, populum congregatum confortabant *in Domino*, teneturque à Constantio cum Ipso Liberio dicente: Tu solus Christianus es in vrbe Romana? qui respondit, sic *in Domino confidimus*, quia fideles nos inueniet Christus sicut benedictionem seruamus, quam à beato Iulio accepimus. Cui dixit Liberius, Nonne Iulij fungimur vicibus? At ille, Si perseueralles, inquit, in fide quam in persecutione primo tenere visus fueras: at res ipsa te docet, & declarat. Constantius ait: Et quid est inter fidem, & fidem? Qui respondit. Nos peccatores integre fidem tenemus, vos autem diaboli tenet insania, & superstitionis inuidia, qui Felicem episcopum purum, & sacerdotem ab omnibus declaratum, in exilium direxistis, & Christianis maxime clericis, & presbyteris & diaconis necem inferri præcepistis. Tunc iratus Constantius, sub rogatu Liberij includit Eusebium presbyterum in quodam cubiculo domus suæ, quod humile erat in altitudine pedum quatuor, & ibi mensibus multis in oratione constanter perseuerans inclusus, tandem post menses 7. dormiuit in domino 19. kal. Septembris, cuius corpus collegerunt Gregorius, & Orosius presbyteri & parentes eius, & sepelierunt in crypta iuxta corpus beati Sixti, vbi & titulum eius posuerunt: EVSEBIO HOMINI DEI.

Hoc idem genus martyrij testatur & martyrologiũ Romanum. Eius acta recitat Mombri. tom. 1.

Hoc audito, Constantius in eadem crypta viuum includi fecit Gregorium. Tunc Orosius collegit semiuiuum Gregorium noctu occulte propter Constantium Augustum, & emisso spiritu sepeliuit eum iuxta corpus beati Eusebij presbyteri; qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit.

Ab eodem die intra ecclesias, iussu Constantij Imperatoris quisquis inuentus fuisset non sic confiteri, vel participari sicut Liberius, indifcinus gladio perimebatur, in plateis & in vicis & in ecclesijs siue in balneis gladio trucidabantur, persequente Constantio christianos vna cum Liberio.

Ex martyrologio. Constantinopoli quoque 7. idus Iunij celebratur natale beati Pauli eiusdem ciuitatis episcopi, qui à Constantino Imperatore apud oppidulum quoddam Cappadociæ, Cucusum nomine, ob catholicam fidem pulsus exilio, Arianorum insidijs crudeliter strangulatus, ad cælestia regna migrauit.

Eius acta ex antiquis monumẽtis col-

Item Treuiris pridie kal. Septembris natale sancti Paulini episcopi & confessoris, qui à Cõstantino ob catholicam fidem exilio relegatus, & vsque ad mortem, & iam extra christianum nomen, mutando exilia, fatigatus, ad vltimum apud phrygiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit à domino.

legit Metaphrastes, recitatea Surius tom. 3.

Item 7. idus Maij festiuitas beati Andreæ Apostoli, quando sacratissimum eius corpus vna cum ossibus sanctorum Lucæ euangelistæ & Timothei discipuli sancti Pauli, sub Constantio Imperatore, Constantinopolim translatum est.

De Gallo Cæsare & militia beati Martini.

CAP. XIII.

HIeronymus in chronicis. Hoc tempore Gallus Constantij patruelis Cæsar factus, qui Iudæos interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum inuaserant oppressit, cæsis multis hominum millibus vsque ad innoxiam ætatem, & ciuitates eorum Diocæsaream Tyberiadem, & Diospolim, plurimaque oppida igni tradidit. Nonnullos quoque nobiliũ Anthiociæ interfecit.

An. Ch. 355. consule Baron. tom. 3. an. 350. & 351.

Tripartita historia lib. 5. cap. 5. Veniente autem Gallo Antiochiam, circa orientem sub specie crucis columna in cælo visa est.

Eo tempore apud Antiochiam Leontius episcopus erat hic qui Stephano successerat. Hic antequam Præsul esset, à presbyterij dignitate fuerat deiectus, quia cũ muliere, nomine Custolia, degens, & turpem suspicionem celare nolens, genitalia sibimet noscitur abscidisse, postea tamẽ studio Constãtij Imperatoris ordinatus est.

Huius tẽpore ad hymnos dicendos Deo, in fine psalmorum catholici dicebant: *Gloria patri & filio & Spiritui sancto*, minorem patre filium significare volentes. Cum vero Leontius Arianus catholicos prohibere non posset, tangens caput suum iam canum, dixisse fertur: *Hæc nunc soluta, multum erit luti.* Significãs post mortem suam, discordiam futurã in populo pro diuersitate psallendi.

Ariani vero Gloria patri in filio.

Sub Leontio Flauianus, & Diodorus primi in duas partes choros psallentium diuiserunt, & inde per totum orbem mos iste obseruari incæpit. Hi etiam ad sepulchra martyrum vigilias celebrantes, *amatores dei* ad tale obsequium conuocabant.

Gloria Patri in ecclesijs cantatur.

Hieronymus in chronicis. Hoc tempore Magnentius Lugduni in palatio propria se manu interfecit, & DECENTIVS frater eius, quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat, apud Senonas laqueo vitam expleuit.

An. Ch. 356.

Gallus vero Cæsar sollicitatus & Constantio patrueli, cui in suspicionem ob egregiam indolem venerat* Istriæ occiditur, & Iulianus frater eius Mediolani Cæsar appellatur.

* *In vrbe maritima Istriæ Flanona, vt notat Scaliger.*

Author. Eo tempore (vt legitur) Martinus sub Iuliano Cæsare, contentus vno seruulo militabat, cui versa vice ipse seruiebat, qui in porta vrbis Ambianensis pauperi nudo sibi occurrenti in media hyeme dimidiauit pallium suum, & in nocte sequente audiuit Dominum ad Angelos circunstantes dicẽtem: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veste contexit.* Qua voce audita, Martinus statim ad baptisma conuolauit, & biennio postea inermis fuit, soloque nomine militauit.

S. Martinus hoc tempore Christianus fit.

Hieronymus in chronicis. Eo quoque tempore Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus, præceptor meus Romæ insignes habentur: è quibus, Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit.

An. Ch. 357.

Author. Hic est Donatus, cuius libellus vsque hodie in scholis legitur à pueris, prima Grammaticæ rudimenta discentibus.

De morte Antonij Abbatis, & dictis eius.

CAP. XIIII.

HIeron. in chronicis. Anno Cõstantij 19. Antonius monachus 105. ætatis suæ anno, in eremo moritur.

An. Ch. 359.

Author. Hæc sunt autem dicta Beati Antonij, quæ in verbis seniorum leguntur.

Antonius Abbas. Quocunque vadis Deum semper habe præ manibus: & in his quæ agis, adhibe testificationẽ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſanctarum ſcripturarum; & in quoque loco ſederis, non cito mouearis.

Dicta S. Antonij Abbatis.

Idem de quodam iuuene miracula faciente. Videtur, inquit, iſte mihi ſimilis eſſe naui oneratę omnibus bonis, de qua incertum eſt, vtrum peruenire poſſit ad portum. Et ſtatim cæpit flere dicens: Magna columna eccleſiæ modo cecidit, peccauerat enim frater ille, & poſt quinque dies mortuus eſt.

Idem cuidam, qui laudabatur, & iniuriam ferre non poterat ait: Similis es domui ornatæ à facie, ſed de retro latronibus ſpoliatæ.

Idem ad Hæliam, qui peccantem nolebat ſuſcipere: Nauis in pelago faciens naufragium perdidit quod portabat, & vacua vix peruenit ad terram; cur ergo liberatam in terram vultis ſubmergere?

Idem ad venatorem ſæpius dicens: Trahe adhuc: Audiuit ab eo, ſi ſupra menſuram traxero, frangitur arcus. Ad quem Antonius: ita eſt in opere Dei.

Item vox ad Antonium de laqueis tenſis in terra quærentem. Quis tranſiet iſtos? HVMILITAS.

Idem ANTONIVS ſingulos patrum interrogabat de ſcripturis, & vnuſquiſque vt poterat, reſpondebat. Et cum interrogaſſet Ioſeph; ait ille, NESCIO. Et Antonius: HIC SOLVS INVENIT VIAM, QVI SE NESCIRE RESPONDIT.

Idem aliquando accidioſus orabat Deum vt ſe adiuuaret, & ſibi oſtenderet quomodo ſaluaretur. Et ecce vidit Angelum quaſi virum torquentem funiculum, & ſurgentem ex opere & orantem & dicentem & tu Antoni ita fac, & ſaluus eris.

Idem ait: LABOR, HVMILITAS, & ORATIO, conſeruant monachum: econtra vero QVIES & VOLVNTAS PROPRIA & FIDVCIA perdunt.

Dixit etiam Abbas Antonius, ſicut piſces ſi tardauerint in ſicco moriuntur, ita Monachi extra cellam tardantes, à quieto propoſito reſoluuntur.

Dixit etiam: quieſcens in ſolitudine à tribus bellis eripitur ſcilicet AVDITVS, LOCVTIONIS, ET VISVS, & vnam tantummodo habet pugnam ſcilicet CORDIS.

Item ſi poſſet fieri, quantos paſſus ambulat monachus, vel calices aquæ bibit, deberet ſenioribus declarare, vt non deuiet in ipſis.

Frater quidam dixit Abbati Antonio: ORA PRO ME: reſpondit: *nec ego miſereor tui, nec Deus, niſi pro teipſo ſolicitus fueris, & oraueris.*

De Paulo Simplice.

CAP. XV.

Occaſio cõuerſionis Pauli Simplicis.

TRipartita hiſtoria lib. 1. cap. 11. Fuerunt autem probatiſſimi diſcipuli Antonij multi, ex quibus & Paulus ſimplex. Hunc aiunt cum ruſticus eſſet, bona ſpe coniugem habuiſſe, & ea in ipſo facinore adulterij deprehenſa, tacite ſubriſiſſe, & iurerando firmaſſe, nunquã ſe cum ea eſſe miſcendum. Tunc ait ad adulterum; habe, inquit, eam, & repente diſceſſit ad eremum apud Antonium: dicunt enim eum manſuetiſſimum & patientem fuiſſe.

Simpliciter obedit S. Antonio.

Ex vitis patrum. Hic Paulus ſimplex prima nocte cõuerſionis ſuæ, iuſſus eſt à beato Antonio eum expectare orans, donec rediret. Et ſic ſtetit orans ante cellam ſenis in æſtu totius diei, & rore noctis, nuſquam ſe mouens.

Silentij inſignis ex obedientia obſeruator.

Hic in conuentu patrum interrogauit, ſi *Chriſtus* prior eſſet an *prophetæ*? pro quo beatus Antonius erubeſcens, blando nutu eum ſilere & abire iuſſit. Cumque obſtinatiſſime pro tali nutu ſilentium ſeruaret; Dixit Antonius ad alios omnes; nos, iſte condemnat, qui de cælo loquentem Dominum non audimus, & iſte firmiſſime obſeruat, qualemcunque ſermonem noſtrum.

Varijs obedientiæ operibus à S. Antonio exercetur.

Multa autem imperabat Antonius, quæ contra rationem videbantur, ſicut aquam de puteo extrahere, & in terram effundere, veſtimentum ſuere & diſſuere, & quos ipſe curare non poterat, hos ad Paulum mittebat. Quadam die cum hominẽ rabidum curare vellet idem Paulus, & orationem non ſequeretur effectus, quaſi infantuli more indignatus, dixiſſe fertur ad Dominum: *Vere non munducabo hodie, ſi eum non curaueris*: & mox quaſi delicioſo domeſtico ſatisfactum eſt per Dominum, rabido ſanato.

Idem Paulus ſcindebat Ceraſtes, & Scorpiones per medium, dicens: *Si quis habuerit puritatem, omnia ſubijciuntur ei, ſicut Adæ in Paradiſo ante peccatum.*

Idem ſic videbat vnumquemque, cuius animi eſſet, ſicut nos facies noſtras videmus.

Lege Ruffinum lib 3 n. 167 Pelag. lib. 18.

Ingredientibus aliquando fratribus in eccleſiam, læta & ſplendida facie, & Angelo cuiuſcunque gaudente, vidit vnum inter alios nigrum & obſcurum, & dæmones ex vtraque parte tenentes & trahentes ipſum ad ſeipſos, & capiſtrum in naribus eius ponentes, & ſanctum Angelum eius lugubrem de longe ſequentem. Quod videns Paulus triſtis valde, & plorans, & pectus ſuũ percutiens, ſedebat nolens intrare eccleſiam, ſed ſedens ad ianuam, & expectans fratres vſque dum rediret: quibus exeuntibus, vidit eundem fratrem claro vultu exeuntem, & Angelum eius iuxta eum ambulantem, & gaudentem valde! demones vero de longe ſequentes, & triſtes. Paulus ergo exilijt cum gaudio clamans & dicens. *O ineffabilis Dei miſericordia & bonitas, venite & videte opera Domini, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Coactus eſt ille frater narrare vitam ſuam, & ait peccator ſum valde, & multo tempore in fornicatione viri vſque nunc: ingrediens autem modo eccleſiam, audiui Deum dicere per Eſaiam: *Leuamini mundi eſtote &c.* vſque *bona terræ comedetis.* In hoc ſermone compunctus ſum, & ingemiſcens dixi, *Domine qui venisti ſaluos facere peccatores, comple iſta in me peccatore; ego promitto tibi, me abrenunciare omni peccato, & ſeruire tibi amodo in conſcientia munda, ſuſcipe ergo in hac hora me pœnitentem, & interpellantem te, & omni peccato renunciantem.* In his promiſſionibus egreſſus ſum eccleſiam. Omnes ergo hæc audientes, *glorificauerunt Deum.*

Lætatur Angelus de digna communione ſui clientis.

1 Tim. 1.

Iſaiæ 1.

Ex lectione ſacræ ſcripturæ peccator compungitur.

De Amos Ægyptio.

CAP. XVI.

TRipartita hiſtoria vbi ſupra, Circa hoc tempus philoſophabatur & * Amos Ægyptius, de quo fertur, quia cogentibus parentibus vxorem duxerit, nec tamen eam cognouerit, ſed in alio cubiculo dormiens, eamque ad virginitatis cuſtodiam exhortans, annis 18. cum ea manſit, nec tamen à monaſtica abſtinentia ſe ſuſpendit. Interea mulier viri zelata virtutem, æſtimauit non eſſe iuſtum tantum virum domei propter ſe celari, ſed oportere potius ſeorſum vtrumque philoſophari, & ob hoc viro ſupplicauit. At ille *gratias agens Deo* pro huiuſmodi cogitatione mulieris ait: Tu quidem hãc habe domum, ego mihi aliam fabricabo. In meridianam ergo partem deſerti ſtagni maris veniens circa locũ Scythi, ad montem qui dicitur Nitriæ 22. annis ibi philoſophatus eſt, annis ſingulis mulierem ſuam viſitans, multoſque dignos diſcipulos ſucceſſores reliquit.

* *Alias Amon ſiue Ammon.*

Ammon cũ ſponſa continentiam ſeruat.

Contigit autem huic viro & Theodoro eius diſcipulo, euntibus aliquo tranſire * fluuium Lycum. Ne vero alteruter ſe nudum videret, iuſſit Amos vt recederet Theodorus ab aqua. Cumque etiam ſemetipſum intueri nudum erubeſceret, repente diuina virtute, ad vlteriorem ripam tranſlatus eſt.

* *Eſt foſſa magna Nili.*

Iniuſti parentes cuiuſdam, à cane rabido percuſſum filium & pene moriturum obtulerunt ei, & eiulantes deprecabantur eum vt curaretur. Tunc ille ad eos: Non eget, inquit, mea curatione: ſed vos ſi vultis reddere bouem quem rapuiſtis dominis ſuis, ægrotus repente ſanabitur. Quod etiam contigit, nam vt reſtitutus eſt bos, paſſio mox à puero receſſit, Quando autem Amos iſte moriebatur, dicitur Antonium vidiſſe animam eius in cælum ferri, diuinis poteſtatibus eam cum pſalmodia præcedentibus.

Rabidus reſtitutione furti ſanatur.

Hieronymus in vitis patrum. Vidimus Amonem apud

Thebai-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Thebaidam, patrem trium millium monachorum, quibus vſus eſt indui colobijs quaſi ſaccis lineis quæ vix ad cubitos vſque pertingunt Cucullis caput cooperiunt, maxime cum cibum capiunt, ne alius alium videat manducantem. Comedunt cum omni ſilentio, latet omnium abſtinentia.

* *Alias Amun, lege Palladium cap. 52.*

Vidimus & locum * Amonis alterius, ad quem cum pergeremus, vidimus tractum cuiuſdam beſtiæ tanquam trabis immenſæ in arena, quod videntes timuimus valde: erat enim longitudo draconis cubitorum 15. & craſſitas immenſa.

Latrones Ammonem annona ſua ſpoliant.

Quodam tempore cum latrones ſolito more panem, quo veſcebantur, auferrent, ; ipſe de nemore rediens ad cellam, ſecum duos dracones adduxit, quibus præcepit, oſtium ſuum cuſtodire, illi vero ante oſtium iacuerunt. Venerũt ex more latrones, videteſq; dracones, exanimes cæciderunt, quod vt vidit ſenior, aduenies erexit eos, & induxit in cellam ſuam, & increpauit eos dicens: Cernitis quantum duriores beſtiis ſitis: illi enim nobis *propter Chriſtum* obediunt, vos nec *Deum timetis*, nec vitam ſeruorum Dei inquietare erubeſcitis, eoſq; cænare ſecũ cõpulit. Tunc illi conuerſi, in breui meliores fiunt quam aliqui qui prius *Deo ſeruierant*, ſicque & ipſi poſt aliquod tempus eadem ſigna faciebant.

Defenditur Ammon a draconibus.

De duobus Macharijs & dictis eorum.

Cap. XVII.

Tripartita *hiſtoria lib. 8. cap. 1.* Eo tempore fuerunt duo Macharij, vnus ex Ægypto ſuperiori, alter Alexandrinus, per omnia conſimiles, excepto quod Aegyptius circa delinquentes ſeuerus erat, Alexandrinus hilarior: Illi Machario datum eſt vt ſaperet vltra dæmones, huic conuerſionis occaſio homicidium fuit. Nã dum puer erat, ludens circa Marinam paludem quendam coætaneũ peremit & pro metu fugiens in ſolitudinem, tribus annis ſub dio moratus eſt: poſtea paruum hoſpitium ſibi fecit, in quo 15. annis vixit, plures eum audierunt gratias referre illi homicidio, per quod conuerſus fuerat, & illud ſalutare vocabat.

Vterque Macharius virtutibus claruit.

Ruffinus lib. vndecimo cap. 4. Florentibus per Ægyptũ Antonij diſcipulis, Machario & Iſidoro, alioque Machario & Pambo, Macharius Hyenæ ſpeluncam habuit cellæ ſuæ vicinam, & quadam die catulos ſuos cæcos ad eum belua producit, atq; ante pedes eius ponit. Qui cum intellexiſſet pro cæcitate catulorum, beſtiam ſupplicare, rogauit *Dominum* vt eis redderet viſum. Quo recepto matrem ſequentes, redeunt ad ſpeluncam, & paulo poſt ipſa cum catulis egrediens, pelles ouium lanatas plurimas, velut munus pro ſuſcepta gratia ad ſenem defert, morſu oris enectarum, & eis ante fores eius poſitis abſcedit.

Macharius illuminat cacos Hyenæ catulos.

Hyena præmium affert Macario.

Ex vitis patrum. Macharius Ægyptius innocentem ad ſe fugientem qui falſo accuſabatur homicidij, liberauit per defunctum occiſum, quem vocauit de ſepulchro, & adiurauit vt illis diceret, ſi ille eum occidiſſet: qui cum dixiſſet non, & aſtantes peterent, vt interrogaret eum, quis eum occidiſſet? Ait hoc non interrogabo: Sufficit mihi vt innocens liberetur: non eſt meũ vt reus prodatur.

Ægyptius Macharius innocentem à pœna homicidij liberat.

Idem Macharius puellam quæ per magica maleficia videbatur alijs non ſibi in equam mutata, vngens oleo benedicto, à phantaſtica mutatione liberauit: Et contra quendam hæreticum diſputans, mortuum ſuſcitauit.

Vigo magicis artibus in equam viſa verti.

Locus autem in quo alter Macharius manebat Scithium dicitur, in Heremo vaſtiſſima, iter habens diei ac noctis de Nitriæ monaſterijs, & hic nulla ſemita nec terrenis aliquibus colligitur, vel monſtratur indicijs, ſed ſtellarum ſignis & curſibus pergitur, habens aquam bituminem, ſed ſaporis innoxij.

Vna per charitatis mutua officia monachorũ cellas obambulat.

Ad hunc virum aliquando quidam vuam detulit, ille miſit eam fratri cuidam, & ille alij: & ita ſibi inuicem eam miſerunt, donec ad eundem rediret Macharium.

Ad illum dixit aliquando diabolus: *Surge Macharı eamus ad collectam fratrum*, reſpondit ille: Quid tibi & collectæ ſanctorum? Et diabolus, latet ergo te, quod ſine nobis nulla collecta agitur? veni & videbis opera noſtra. Abijt ergo, & vidit per totam eccleſiam quaſi paruulos quoſdã pueros æthiopes atros diſcurrere huc, & illuc: Moris autem erat ibi ab vno dici pſalmum, cæteris vel audientibus, vel reſpondẽtibus: diſcurrẽtes ergo illi pueri ſingulis quibuſque ſedentibus: illudebant, & ſi cui duobus digitulis oculos compreſſiſſent, ſtatim dormitabat, ſi cui vero in os immerſiſſent, ſtatim oſcitabat. Vbi autem poſt pſalmum ad orationem ſe proieciſſent fratres, percurrebant nihilominus ſingulos, & ante alium in mulierum formas vertebantur, ante alium quaſi ædificantes vel portantes aliquid, vel diuerſa quæque agentes, & hæc eadem fratres in cogitatione verſabantur. Alijs vero etiam ſupra ceruices & dorſa ludebant, à quibuſdam repulſi præcipites deijciebantur. Eo quoq; tempore, quo fratres ad ſacramenta accedebant, videbat in quorundam ora prœuenientes Æthyopes carbones deponere; *corpus autem Chriſti*, quod tradi videbatur à ſacerdote, redire ad altare, Angelum quoque cernebat aſſiſtere ad altare & Sacerdotis manui ſuam manum in diſtributione ſacramentorum ſupponere.

Macharius vidit dæmones Æthiopum ſpecie collectis intereſſe.

Varia dæmonũ ſuggeſtiones orationis tempore.

Merita & demerita cõmunicantiũ & illuſiones dæmonum vidit.

De eodem.

Cap. XVIII.

Item Macharius de Schiti dormire volens in quodam monumento ſuper vnum corpus paganæ defũctæ, quod de ſepulchro traxerat, & ſub capite ſuo poſuerat tanquam plumarium de ſcirpo, videntes dæmones eius fiduciam, inuiſi ſunt, & dicebat vnus ad alium, veni domina Milla, eamus ad balneum, quæ reſpondit, peregrinum quendam habeo ſuper me, non poſſum venire. Senex autem corpus tundebat dicens: Surge vade ſi potes. Quod audientes dæmones fugerunt, dicẽtes: Viciſti nos.

Dormit ſuper corpus mortua nec dæmonibus terretur.

In ipſo feruore meridiano peruenit ad eum Euagrius valde ſitiens, & petenti aquam dixit: ſufficiat tibi vmbra, multi enim nunc iter agunt, aut nauigant etiam hac refectione priuati.

Sæcularis quidam vidit ambos Macharios vilibus veſtibus indutos, & ait, beati eſtis qui ſic mundo illuſiſtis: Tunc vnus illorum reſpondit: Vere qui mundum contemnit, ſibi illudit, veſtri autem miſeremur, quia mundus vobis illudit. Tunc ille compunctus, ſecutus eſt eos.

Egregium Macharij dictum.

Interrogauit quidam Macharium Abbatem quomodo ſic corpus tuum ſiccum eſt? Qui ait: *Timor Dei etiam oſſa conſumit.*

Abbas Macharius rogatus, vt faceret ſermonem ad fratres; dixit, cum lachrimis ploremus fratres, antequã eamus vbi lachrymæ noſtræ corpora noſtra comburãt? & flentes omnes ceciderunt proni in facies ſuas dicentes: *Pater ora pro nobis.*

Abbati Machario occurrit diabolus cum falce peracuta, volens eum percutere, & non valebat, & exclamans dixit: *Magnam vim à te Machari patior, ieiunas interdum, & ego nullo vnquam cibo reficior, tu ſæpe vigilas, me vero nunquam ſopor oppreſſit: humilitas tua ſola me vincit;* ac ſic extendens ad orationem manus beatus Macharius, ſpiritus immundus inter auras euanuit.

Fugat oratione dæmonẽ

Abbas Macharius dum maneret in illa ſolitudine qua ſolus erat, inferior autem plena eſſet multis fratribus, ſero per viam circumſpiciebat, & vidit dæmonem in ſira hominis veſtitum, tunica linea perforata, & per ſingula foramina vaſcula parua pendebant., & dixit illi ſenex: Quo vadis maligne? Et reſpondit ei: *Vado communicare fratres qui ſunt inferius*, Cui ſenex: Et propter quid tot vaſcula tecum fers? At ille, guſtum fero fratribus; & ideo tanta fero, vt ſi vnũ nõ placuerit, oſtẽdam aliud.

Dæmonem vidit cum variijs vaſculis qui ibat communicatum fratribus.

Abbas Macharius quotieſcunque cum fratribus fa-

cta charitate reficiebat, hoc in proprio corde statuerat, vt quantos vini calices oblatos hausisset, tot diebus nec aquam gustaret omnino. Cum ergo fratres vinum ei porrigerent, cum gaudio sumebat, vt postea se macera ret: quod cum discipulis eius vidisset, patefacto senis consilio, ne ei vinum porrigerent postulabat; tormenta illi ingeri potius quam pocula manifestans.

Macharij mortificatio.

Dixit Abbas Macharius: *Ille verus est monachus qui se in omnibus vincit*; nam si aliū arguens, ad iracundiā moueatur, quis propriam passionem implet; nec enim vt alterum saluet, se debet perdere.

De sancto Hilarione.

CAP. XIX.

AVTHOR. Antonij discipulus S. quoq; Hilarion fuit, cuius vitam beatus Hieronymus scripsit, quam ego abbreuiatam hic posui.

S. Hilarionis Patria.

Hieronymus tom. 1. Hilarion prope Gazam Palestinæ parentibus idolatriæ deditis ortus, *rosa de spinis floruit*, à quibus Alexandrię grammatico traditus, non circi furore, non theatri luxuria delectabatur, sed illi tota voluptas erat in Ecclesiæ congregatione.

Ecclesiam frequentat.

Audiens autem tunc celebre nomen Antonij quod per omnes Aegypti populos ferebatur, studio visendi eum succensus, ad eremum perrexit, & statim vt eum vidit, mutato habitu duobus fere mensibus iuxta eum mansit, contemplans vitę eius ordinem, & morum grauitatē. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias infirmitates, & impetus dæmonum concurrebant, vltra non ferens, ad patriam redijt, & parentibus defunctis partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans, Erat tunc annorum 15. sicque nudus & armatus in Christo, non longe à Gaza solitudinem, quæ per littus euntibus Aegyptum ad lævam flectitur, ingressus est.

Inuisit Antonium & duobus mensibus apud eum manet.

Substantiā fratribus & pauperibus diuidit.

Solitudinem petit.

Igitur sacco tantum membra coopertus & pelliceū habens opendyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & palludem vasta & terribili solitudine fruebatur, 15. tantum * caricas post solis occasum comedens: & quia regio latrocinijs infamis erat, nunquam erat in eodem loco homo manens, Cernens diabolus se à paupere vinci, & priusquam peccare potuisset per ætatem, calcatum, titillabat sēsus eius, & pubescenti corpori solita voluptatū incendia suggerebat; cogebatur tirunculus Christi cogitare, quod nesciebat, iratus itaque sibi pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cædebat, vt posset eas manibus excludere. *Ego te*, inquit, *asselle facia vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed palcis: graui te onerabo pondere per æstus & frigora, vt potius cibum cogites quam lasciuiam.*

* *Sunt caricæ ex ficorū genere quas Syriæ esse peculiares ait Plin. lib. 12 cap. 5. Cassianus coliat 8. cap. 1 caricas inter eremitarum edulia refert.*

Multas dæmonum insidias patiebatur, sæpe illi mulieres nudæ cubanti, sæpe esurienti largissimæ apparuere dapes. Interdum orantem lupus vlulans & vulpecula ganniens transiliuit, psallentiqne gladiatorum pugna spectaculum præbuit, vnus etiam quasi interfectus ante pedes illius corruens, sepulturam rogabat. Orabat semel fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens, nescio quid aliud cogitabat, insiliuit dorso eius festinus agitator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans, ait, Eia cur dormitas? cachinnansque desuper, si defecisset, & an hordeum vellet: accipere, sciscitabatur.

Domat corpus quod vocat asellū suū variis modis

Varijs ludibrijs dæmonum affligitur.

Constructa est ei deinde cellula brevis, quæ vsq; hodie permanet latitudine pedum quatuor, altitudine quinque, scilicet statura sua humilior, longitudine vero paulo amplior quam corpusculum eius patiebatur, ita vt sepulchrum potius crederet, quam domum. Capillos tantum in die paschæ tundebat, super nudum humum stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit. Saccum nunquam lauit, quo indutus fuerat, dicēs superfluum esse in cilicio munditias quærere. Cumque latrones de nocte ad eum venirent, inter mare & palu-

Tugurium culum eius.

Cellula eius amplitudo.

Cubile nuda humus & stratus iunceus.

dem à verpere vsque mane discurrentes, numquam locum cubiculi eius inuenire potuerunt: porro clara luce, reperto puero quasi per iocum dixerunt. Quid faceres si venirent ad te latrones? Qui ait, *nudus latrones non timet.* Et illi: Certe, aiunt, occidi posses: *possem*, inquit, *& ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum.* Tunc illi admirati constantiam eius, & fidem, confessi sunt noctis errorem, correctiorem vitam deinceps pollicentes.

Error latronum tota nocte.

Nudus latrones non timet.

De quibusdam eius miraculis.

CAP. XX.

ACCIDIT autem vt ad eum quidam obsessus adduceretur, cuius manus, ceruix, & latera, & pedes, ferro onerata erant, furorisque fœuitiam oculi torui minabantur. Cumque deambularet sanctus cum fratribus, & de scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentium, & amplexans eum post tergum in sublime eleuauit, clamorque est ortus ab omnibus, ne confecta iejunijs membra collideret. Et sanctus subridens ait, Sinite, & meum mihi palestritam dimittite, & reflexa super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensoque crine ante pedes eius adduxit manus eius stringens, & plantas pede calcans, simulq; ingemmans; torquere, ait, dæmonum turba, torquere, *Domine*, inquit, *Iesu, solue captiuum, & vnum, & plures vincere tuum est.* Curatus itaque & ita post paucos dies redijt cum vxore, & liberis ad monasterium plurima quasi gratiam redditurus dona afferens. Cui sanctus: Nonne legistis, quid Giesi, quid Simō passi sunt? quorū alter obtulit pretium, alter accepit: vt hic quidem vēderet gratiam spiritus sancti, ille vero vt mercaretur, ille vero flens ait, Accipe, & da pauperibus. Cui sanctus: *Ego qui mea reliqui cur aliena repetam?* multis nomē pauperum occasio est auaritiæ, misericordia artem non habet; nemo melius erogat quam qui nihil sibi reseruat.

Ab oriente diabolū pellit.

Respuit munera.

Dicebat Hilarion, diabolum tanto hominum ardere odio, vt non solum ipsos, sed etiam sua, vt iumenta & pecora cupiat interire. Cuius signum est, quia antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem substantiam eius interfecerat.

Cur iumēta diabolus corripiat.

Detestabatur autem precipue monachos, qui infidelitate quadam sua in futurum reseruarent. Vnde frater quidam auarus in vicino manens detulit fratribus ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, quæ cum ad vesperam ponerentur in mensa, exclamauit senex se fætorē eius non posse ferre. Interrogatque vnde esset? & respondit Hesychius quod frater quidam primitias agelli sui detulisset. Non sentis, inquit, fœtorem eius teterrimum, & in cicere fœtere *auaritiam*? mitte bobus, & vide an comederint. Quod cum in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus solito nugientes, ruptis vinculis fugerunt. Habebat enim hanc gratiam, vt ex odore corporum & eorum quæ quisque tetigisset, sciret, cui dæmoni vel vitio subiaceret.

Auaros & curiosos monachos odit Hilarion.

Auaritia fœtor.

Ex pulore dæmones vitia que discernit Hilarion.

De fuga & peregrinatione eius.

CAP. XXI.

IGITVR 63. vitæ suæ anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantiū turbasque eorum, qui varijs languoribus & immundis spiritibus occupatos, ad se deducebantur, ita vt omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, flebat quotidie, & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, & cur se afficeret, aiebat, *Rursum ad seculum redij, & mercedem meam in vita mea recipio.* Homines Palestinæ & vicinæ prouinciæ æstimant me alicuius esse alicuius momenti, & ego sub prætextu Monasterij ac dispensatione fratrum villæ possessiones & suppellectilē habeo. Seruabatur ergo à fratribus maximeque ab Hesychio, quicius venerationi miro amore deditus erat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

S. Antonij obitum absens diuinitus discit.

Benedicit panem & oleū.

Mala eccle-sia & suis imminentia præuidet.

Maioris solitudinis gratia aliò migrat.

Visitat Dracontium & Philonem episcopos.

Triennio clausum cælum luxit mortem S. Antonij.

Precibus pluuiam impetrat S. Hilarion.

Oleo benedicto sanat à serpente percussos.

Fugit vt gloriam declinet.

Cumque ita lugẽs biennium duxisset, mulier quædam venit ad eum, volens & ad Antonium pergere. Cui ille flens, ait, vellem ipse quoque ire, si non huius monasterij carcere tenerer, & si eundi fructus esset: biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. Credidit illa, & substitit, & post paucos dies veniente nuncio, Antonij dormitationem audiuit.

Concurrebant hinc episcopi, inde clerici, monachi, & omne genus hominum, *vt benedictum ab eo panem acciperent, vel oleum.* At ille nihil aliud nisi solicitudinem meditabatur, in tantum vt quadam die adducto asello (nimis quippe ieiunijs exesus vix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cum percrebuisset, quasi Palestinæ vastitas & exitium indiceretur, plusquam decem millia hominum diuersi sexus, & ætatis congregata sũt ad eum retinendum. Ille immobilis ad preces, & bacillo arenam discutiens, loquebatur, *fallacem Deum meum non facio*, nec possum videre subuersas Ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum sanguinem meorum, Tunc omnes qui aderant intelligebãt reuelatum ei esse quiddã secreti, quod nollet cõfiteri, & nihilominus custodiebãt eũ ne recederet. Decreuit ergo, publica voce cõtestãs, nõ se cibi vel potus quicquam sumere. nisi dimitteretur. Et post septem dies, inediæ tandem causa relaxatus cum infinito agmine prosequentium, venit Betheliam, vbi suasis turbis, vt reuerterentur, elegit 40. monachos, qui haberent viaticum, & possent ieiunantes ingredi, & post solis occasum cibũ sumere. Pergensq; ad castrum Thebatum, Dracontium Episcopum qui ibi exulabat, visitauit. Quo incredibiliter tanti viri præsentia consolato, Babylonem postea perrexit, & vt Philonem Episcopum inuiseret. Constantius enim rex Arianorum hæresi fauens, vtrumque in ea loca deportauerat. Deinde habitaculo sancti Antonij visitato, reuersus Aphroditon duobus tantum secum retentis fratribus, in vicina eremo moratus est, tanta abstinentia, & silentio, vt tunc primum se cæpisse *Christo seruire* diceret. Porro iam triennĩ erat, quod clausum cælũ illas terras arefecerat, vt vulgo dicerent Antonij mortẽ etiam elementa lugere. Nec latuit fama viri accolas quoq; illius loci, certatimque viri & mulieres, ora luridi & attenuati fame, pluuiam *à seruo Christi* idest successore Antonij deprecabantur. Quos ille cernens mire doluit, eleuatisque ad cælum oculis ac palmis, statim quod rogauerat impetrauit. Ac regio illa postquam pluuijs irrigata est, tantum serpentium ac venenatorum animalium multitudinem ex improuiso ebulliuit, vt innumerabiles percussi nisi ad Sanctum virum statim cucurrissent, interirent: benedicto itaque oleo vniuersi Agricolæ & pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant. Videns ergo se etiam ibi miris honoribus affici, de loco illo recessit.

Author. Hæc de beati Antonij ac discipulorum eius gestis, & dictis, ad præsens sufficiant, nunc ad seriem historiæ reuertamur.

De Victorino Afro, & Eusebio Emisseno.

Cap. XXII.

Victorinus Afer.

Victorinus Pitabionensis.

Hieronymus de illustribus viris. Victorinus Afer Romæ sub Constantio principe rethoricam docuit, & in extrema senectute *Christi se tradens fidei*; scripsit aduersum Arium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur & commentarios in Apostolum.

Fuerat autẽ & alius Victorinus Pitabionẽsis episcopus, qui non æque Latinam, vt Græcam linguam nouerat. Vnde opera eius grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum. Sunt autem hæc commẽtarij in Genesim, Exodum, in Leuiticum, in Esaiam, in Ezechiam, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Canticum canticorum, in Apocalypsim Ioannis, aduersum omnes hæreses, & multa alia. Ad extremum martyrio coronatus est.

Eusebius Emisseno

Eusebius quoq; Emissenus episcopus, elegantis ingenii, & rethorici innumerabiles, & qui ad plausum populi pertineant, confecit libros, magisque historiam secutus, ab his qui declamare volunt, studiosissime legitur. E quibus vel præcipui sunt aduersus Iudæos & gentes, & Nouatianos, & ad Gallatas libri 10. & euangelii homeliæ breues, sed plurimæ. Floruit temporibus Constantij Imperatoris, sub quo mortuus Antiochiæ sepultus est.

De Sancto Hilario Pictauiensi.

Cap. XXIII.

Arianorum validissimus oppugnator. Hanc fabulam vt verã astruunt Conrad. Alberst. Hermand. Gig. qui refelluntur ab omnibus.

Elorvit etiam hoc tempore beatus Hilarius Pictauiensis episcopus Regionis Aquitaniæ oriundus fuit partibus, vxorem habens, & filiam quam postea virginem conseruauit, fuit autem semper optimus Christianus, & in sacra scriptura sapientissimus: vnde cum vidissent Pictauienses, quod ipse tota virtute omnes hæreticos expugnabat, eum in episcopum omnes pariter elegerunt, qui statim ex ardore fidei, non solũ terram suam, sed etiam totam Franciam ab hæreticis defendens, suggestione Episcoporum duorum hæreticorum ab Imperatore, qui & ipse hęreticus erat, in exilium relegatus est, quia sapientiam eius sustinere nõ poterant. Quarto autem anno exilij eius iussit Imperator vt omnes episcopi conuenirent, & de veritate fidei disputarent. Reuersusque sanctus Hilarius, petijt ab Imperatore vt sibi daret licentiam loquendi, sed illi duo episcopi non sustinentes facundiam eius, obtinuerunt ab Imperatore vt iam redire Pictauii compelleretur. Redeunti ergo Pictauium, obuiauit quædam mulier flens filiũ suum sine baptismo defunctum, cuius precibus & lachrymis motus sanctus Hilarius eum suscituit.

Hæc enim Italicis & eorũ scriptis litteris descripta ridicula figmenta sũt vt constabit ex annotatione inferius posita.

Quodam tempore Ariana hæresi per orbem furente, etiam Leo Papa (vt fertur) hac peste depranatus, fecit omnium episcoporum concilium conuocari: venit & sanctus Hilarius, quamuis tardius, armis tamen fidei munitus. Cumque nunciatum esset eum adesse prę foribus, Papa veluti sero venienti, sed magis catholico indignatus, mandauit synodo, vt nullus ei assurgeret coepiscoporum, aut locum confessionis ei annueret. Præsentatus ergo vir Dei, consilio residentes, cum reuerentia salutauit. Cui Papa quasi quem ignoraret insultans, sic respondisse fertur. Tu ergo es Hilarius Gallus? At ille non sum Hilarius Gallus, sed de Gallia: ac si diceret, non sum natione Gallus, sed de Gallia Præsul. Erat enim gente Aquitanicus, pontificali autem dignitate præeminebat Gallis. Papa autem animi stomachatione permotus, ait, Et si tu Hilarius de Gallia, ego Leo Romanæ sedis Apostolicus iudex. Tunc Hilarius eius pertinacem cõtrouersiam intelligens, respondit ei, quod si Leo, sed non de tribu Iuda, & si iudicans resides, sed non in sede maiestatis. Moxque ille spreta sede, immo sedis dignitate, surrexit, multumque præsagum Antistitem minans, exiuit dicens: Vide quia te reuertẽs ab his tumidis sermocinationibus humiliatum restituam. Et si, inquit, Hilarius, non redieris. Tunc vir sanctus terræ se insidere parans, dixisse suplex fertur: Domini est terra & plenitudo eius. Ad quam vocem statim ipsa tellus erumpens, sursum excrenit, eique in medio residentium episcoporum, sessum nec humiliorem præbuit. Quod vniuersis, & maxime catholicis stupentibus, Deumque pro sancti merito collaudantibus, clamor attollitur, Leonem Apostolicum virum repentino defecisse interitu. Sicque synodus disiungitur: & episcopi omnes cum reuerentia & laudibus beati Hilarij ad propria erroris capite contrito reuertuntur.

Liberius dictus fuit Leo vt Genebrardus affirmat inde tamen nihil sequitur aduersus annotationẽ nostram.

Author, miraculum hoc non videtur habere consonantiam cum veritate historiæ. Nulla enim historia dicit hoc tempore aliquem Leonem Apostolicæ sedi præfuisse. Sed forte posset dici, quod Liberius qui Constãtio & cæteris fauebat hæreticis, ipse alio nomine vocatus est Leo. Hunc enim vt ex supradictis constat tempore Hilarij in papatu sedisse, vel forsitan circa illud tempus, fuit aliquis antipapa Leo vocatus.

ANNO-

ANNOTATIO.

Risu profecto potius, quam redargutione dignum est, recentiorum quorũdam historicorum commentum dicentium Felici fuisse suffectum Leone quendam, in Sanctum Hilarium parum æquum, quem sero accedentem ad Synodum, in panam humi considere iusserit, ipsum vero diuina vindicta, eadẽ qua Arius mulctatũ, vna cum visceribus animam afflauisse. Sẽniasse ista putãtur (ait Barronius) cum tanta rei in tanto viro totius in orbis theatro confecta, antiquorũ nullus reperiatur assertor. Et quod ad Liberiũ attinet, dicimus eum mortuo Felice, qui in locũ eius receptus fuerat, cessisse ab Arianorum communicatione, ac propterea ab omnibus vt legitimus Romanæ ecclesiæ Pontifex, vt erat ante, cognitus & acceptus fuit, atque hinc damnabat formulam Ariminensem, & ideo pellitur ab Arianis, & delitescit in cæmeterijs suburbanis vsque ad obitum Constãtij In qua re admiranda apparuit diuina prouidentia, qua Romanam ecclesiã semper moderatus est. Nam ex labefactato ex Arianorũ cõmunicatione, Liberio, Felicem antea eorum cõmunicatione coniũctum, excitat aduersus eos, quo defuncto iterum Liberium ad pugnam roborat, aduersus impiam fecem Arianorum.

De scriptis eiusdem Hilarij.

CAP. XXIIII.

Hieronymus in chronicis, Anno igitur Constantij 19. Hilarius Pictauiensis Episcopus, factione Saturnini Arelatensis Episcopi reliquorũq; qui cum eo erãt Arianorum, ante triennium in Phrygiam pulsus, libros de nostra religione composuit. An. Ch. 359.

Idem in lib. de illustribus viris. Aduersus Arianos 12. libros confecit. Et alium librum de Synodis, quem ad Galliarum Episcopos scripsit, & in psalmos commentarios, primum & secundum, in quo opere imitatus Originem nonnulla etiam de suo addidit.

Est eius & ad Constantiũ libellus, quem viuenti Constãtinopoli porrexerat. Et alius in Constantiũ, quẽ post mortẽ eius scripsit. Et liber aduersus Valentem & Vrsacium historiam Ariminensis & Seleuciensis synodi continens. Et aduersus prefectum Salustium siue contra Dioscorum, & liber hymnorum & mysteriorũ alius. Et commentarij in Mattheum, & tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit. Et alius elegãs libellus cõtra Auxẽtiũ: Et nõnullæ ad diuersos epistolæ.

Aiũt quidã scripsisse eũ IN CANTICVM CANTICORVM, sed à nobis hoc opus ignoratur, mortuusq; est Pictauis: Valẽtiniano & Valẽte regnãtibus.

De morte Constantij, & successione Iuliani.

CAP. XXV.

Ex tripartita historia l. 5. c. vltimo. Interea vero Cõstãti⁹ veniens Mopsucrenis, nimia cogitatione, apoplexiæ passione defũctus est. Cui successit Iulian⁹ Cõstãtij filius

Quo tempore à Constãtio adimitur Diuinitas à filio Dei, eodẽ quoque ab ipso imperiũ abripitur, vt testatur Bar. lege Ammianum lib. 19. & 20. & 21

Hugo vbi supra. Nã Cõstantinus, qui Byzantiũ suo nomine Constãtinopolim appellauit, duos habuit ex eodẽ patre, sed non eadẽ matre germanos scilicet Dalmachiũ, & Constantiũ, qui Cõstãtius habuit duos filios, Gallũ & Iulianũ, quorũ Gallus modico tẽpore sub Cõstãtio Augusto (vt dictum est) Cæsar fuit. Iulianus vero primò quidẽ scholis vacauit, sed postmodũ à Cõstãtio Augusto Galliarum Cæsar cõstitutus fuit, qui etiã sororẽ suã Cõstãtiã ei matrimonio iunxit. Cæsar itaq; factus Iulianus, Gallos mira celeritate vicit apud Rhenum, & militibus suis gratus ab eis appellabatur Augustus. Quo nomine tumẽs Iulianus, spreto Constantio, Italiam, Illyricũq; peruasit. Quod audiens Constantius in vrbe regia positus, instructione belli Parthici derelicta, cõtra illum venit, sed in itinere defunctus est, anno vitæ suæ 45. Eoq; defuncto, Iulianus Constantinopolim veniens factus est Imperator.

Itaq; Constantius qui catholicos persecutus fuerat: totum tempus imperij sui perꝛulit inquietum.

De Imperio Iuliani Apostatæ, & eius pueritia.

CAP. XXVI.

Iulianus Apostata an. mundi 4217 Christi 364.

Hieronymus in chronicis. Igitur Romanorũ 26. imperauit Iulianus anno domini 364. mundi vero 4217 Imperauit autem anno vno & mensibus 8.

Author. Alibi tamẽ annotantur in regno eius anni tres illis 8. mensibus pro anno computatis, vnde hic videtur fuisse vitium scriptoris, Denique Beda in libro de temporibus dicit eum regnasse annis duobus & mẽsibus 8.

Ex tripartita historia lib. 6. cap. 1. Hic Iulianus olim discẽs apud Cõstãtinopolim cũm esset adolescens, pedagogũ habebat Mardoniũ, Grãmaticum Nicloclem Rethorẽ, Eceboliũ Sophistã, tũc Christianũ: erat quoq; Iulianus ab initio Christianus. Cũq; lectione proficeret, fama per populũ volitabat, quia Romanã etiã rẽpublicã gubernare posset. Quod cũ latius audiretur ęstuationes induxit Imperatori Constantio, quãobrem abstulit eũ ab vrbe regia & misit Nicomediã: prohibẽs ne cũ Libanio Sophista cõueniret, qui ibi morabatur paganus existẽs. Iulianus ergo Libanium audire non audens: libris tantum eius vtebatur. Tunc venit ad eum *Maximus* Philosophus Ephesius fama eius protractus, quem postea Valentinianus quasi Magum iussit occidi. Cuius religionẽ cæpit Iulianus imitari, cum eius verba quasi philosophica prægustasset. Is etiam imperij cupidinem animo eius immisceuerat. Cumque hæc non laterent aures Imperatoris, inter spem metumque constitutus, suspicionem celare volens; qui dudum integer fuit, Christianus, postea proditor est effectus, tonsus monachicam simulabat vitam, & latenter quidem exercebatur in Philosophia, in manifesto autem sacros christianorum legebat libros. Denique in ecclesia Nicomediæ lector est constitutus: & sub hoc habitu furorem declinauit Imperatoris. Hæc equidem præ timore faciebat, nequaquam à spe recedens, quã mente conceperat. Dicebat autem amicis suis felicia fore tempora, cum fieret Imperator. Deinde factus suspectus Imperatori diffugit, quem celatum inueniens Eusebia vxor Imperatoris, vix persuasit Imperatori vt non occideretur, sed ad Philosophãdum mitteretur Athenas. Quo veniens, quærens vbique vates, inuenit vnum, qui ei apparere fecit solemniter dæmones: quos vidẽs Iulianus signauit se, & statim dæmones diffugerunt. Magus autẽ culpauit eum, quia se signauerat. Cumque ille laudaret *virtutem crucis*, ait Magus: Ne putes, o bone vir, quia timuerunt signum hoc, sed potius abominati recesserunt: sicque capiens miserum, repleuit eum odio signaculi christiani. Et vocatus postea ab Athenis, cõstitutus est Cæsar à Constãtio, accepta coniuge Constantia sorore eius, & directus est in Gallias contra barbaros. Ingressus ergo in aliquã ciuitatem, corona laurea, quibus solent ornari ciuitates inter columnas pendens, rupto fune decidit super caput eius, & eum aptissime coronauit: vicit ergo regem barbarorum, & *Augustus* appellatus est. Cumque deesset corona imperialis vnus signa portantium, torquem quem habebat in collo capiti eius circumposuit.

Secreto imbuitur Iulianus magia & gentilitatis studio, sed præ metu Cõstantij vitã monasticam simulat.

Metu perculsus ad apparitionem dæmonum signo crucis eos fugat.

Denictis barbaris acclamatur Augustus ab exercitu.

De moribus eius.

CAP. XXVII.

VOlens autem Iulianus placere omnibus, catholicos quos Constantius exulauerat, reuocauit. Et paganis dedit licẽtiam Idolis immolãdi: expulit à palatio eunuchos, tonsores & coquos. Eunuchos quia vxor eius obierat, post quam non duxit aliam, tonsores, quia vnus sufficit multis: coquos, quia simplicibus vtebatur cibis. Solus Imperator à Iulio Cæsare in curia senatus recitauit orationes, philosophos vndecunque congregabat. In oratione quam scripsit de Cæsaribus, cunctos ante se principes lacerauit. Et hac motus arrogantia contra christianos scripsit, in tertio libro contra christianos, cum multa dispeniationis humanę in Christo collegisset exempla, dixit. Horum igitur singula si non habent aliquam ineffabilẽ contemplationem maxima de Deo blasphemia sunt plane.

Gregor. Nazianzenus in lib. contra Paganos. Mihi enim mores Iuliani olim cõperti sunt, dũ eum clarius Athenis cognouissem, faciebat me cautum in constãtia morũ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& excessus vberior, Vates enim egregius est, qui bene considerat, nullum signũ mihi in eo vtile videbatur, cerui rix rigida, & inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes, huc illuc furiose respicientes, pedes impatientes, nares spirantes iniurias & cõtemptus, schemata risibilia, & hoc ipsum semper significantia risus incõtinens, & quasi subbulliens, consensus & negatio simul, operatio nulla ratione consistens, interrogatio inordita, responsio nulla congruentia sibi conueniens, hoc cum vidissem, repente dixi: *O quale malum nutrit Respublica Romanorum.*

De Iuliano quid auguratus Greg. Nazian.

Ex tripartita historia. Habebat barbam prolixam tanquam philosophus, de qua Antiocheni sic eum deridebant: *Tondeatur eius barba vt ad funes proficiat.* Et quoniam superstitionis causa taurum frequentius Idolis immolabat, aram & taurum suo solido formari præcepit. Dicebant ergo Antiocheni: *Iste Taurus conuertit mundum*, qui reciprocis iniurijs se vindicans, librum edidit aduersus Antiochenos satis lepidum & vrbanum, quem Antiochicum nominauit.

Differijs ab Antiochenis derisus, scribit in eos oratione Misopogonem.

De superstitione illius, & sæuitia in Christianos.

CAP. XXVIII.

QVibusdam autem sacrificijs & inuocationibus atque immolatione sanguinum, nostrum baptisma studebat ablui, & Ecclesiasticæ professioni abrenunciari, fontes aquæ Daphneos apud Antiochiam sacrificijs violauit, vt aquam bibentes eius horrore potirentur. Cumque etiam in publico venales cibos illo scelere contaminasset, aspergebantur enim ex eis panes & carnes, & poma, & olera, christiani hoc videntes ingemiscebant. Veruntamen iuxta præceptum Apostoli comedebant, *omnia* inquit, *quæ in macello vendantur, comedite, &c.*

Tripartita historia lib. 6. cap. 34.

Iulianus publicos fontes Antiochiæ & cibaria sacrificijs prophanauit.

Iulianus quidem vultu mitem se simulabat, porrò laqueos quibus innocentes deciperet instruebat. In publicis imaginibus Iouem, Mercurium, & Martem depingebat; sicque latenter subditos adorare Deos faciebat. Paganos quoque faciebat Christianorũ officijs assuescere, & de huiusmodi scripsit Arsacio Pontifici Galatię, monens, vt sacerdos ad spectacula non procedat, in tabernis non bibat, rebus turpibus non interfit, Xenodochia per singulas constituat ciuitates, ad quod opus singulis annis iussit ei dari 30. millia modios frumenti, & 60. millia vini sextarios. Horũ, inquit, quinta pars pauperibus templum obseruantibus debet expendi: reliqua peregrinis indigentibusque distribui, & ad huiusmodi, collationes faciendas esse, & primitias frugum dijs offerendas. Quod, inquit, Homerus probat introducens Eumænum talia facientem. Christianis eum adeu ntibus quod nimis grauarentur tributis & exactionibus, respondit: Vestrum est vt patienter mala sustineatis: hoc enim est præceptum Dei vestri.

Ibid cap. 29.

Iuliani Aug. epistolam ad Arsacij lege in Sozomeno lib. 5. cap. 15.

In Cæsarea Philippi, Saluatoris imaginem de muliere liberata à fluxu sanguinis per tactum fimbriæ eius æream deposuit, pro qua suam statuam ibi collocauit, quæ igne de cælo cadente circa pectus eius diuisa est, & caput cum ceruice vna parte deiectum, reliqua pars hactenus restitit, & fulminis indicium reseruauit.

Historia tripart. cap. 42.

Imaginem Iesu Christi Iulianus deiecit.

Eo aliquando sacrificante, ostensum est ei in visceribus pecudis, *signum crucis* corona circundatum, quod alijs interpretantibus, super crucifixi victoria: Ipse respondit, crucifixum potius coarctari, nec ei relinqui spacium dilatandi.

Prodigium coronatæ crucis in extis pecoris visæ.

Placere volens Iudæis sicut & gentilibus, præcepit eis vt templum suum rædificarent: quibus in opere nihil proficientibus, cum quicquid de die facerent, nocte caderet cum multorum periculo, & cum tribus diebus iam hoc factum esset, quarta die *apparuit in cælo* SIGNVM CRVCIS SPLENDIDVM, *& Iudæorum vestes crucis signaculo sunt impletæ.*

Lege Theodoretum, & tripartitam cap. 43. lib. 6.

Eo sacrificante apud Fortunam Constantinopoli, Mares episcopus Chalcedonensis senectute cæcatus, qui manu alterius regebatur, eũ aperte appellauit APOSTATAM. Cui, dicente Iuliano, neque Galilæus Deus tuus curare te potest, respondit: DEO GRATIAS, quod te non video pietate nudatum.

Iulianus obcæcatur à Marete.

Clericis nostris omnia priuilegia & honores subtraxit, & leges positas pro eis soluit, ipsosq; curiæ tradidit: à virginibus, & viduis, quę ab ecclesijs pascebãtur, iussit exigi ea, quæ dudũ à publico accepisse videbantur. Auferebat & ornamẽta ecclesiarũ, templa nostra destruebat, & pecunias ad eorũ ædificationes prius data, iterũ exigebat.

Tripartita ibide cap. 7. Clericorum priuilegia & honores abstulit.

Cæsarienſibus apud Palestinam nimis infestus erat; quia, etiam eo regnante, sacellum FORTVNÆ quod solum remanserat euerterat, & ideo possessiones & pecunias ecclesiarum illarum cum verberibus exquirens, trecentas auri libras collegit ex eis. Omnes autem clericos inter milites aggregari iussit prouinciæ seruituros.

De lucifero hæresiarcha.

CAP. XXIX.

Hieronymus in chronicis. Eo tempore Georgio per seditionem populi incenso, qui in locum Athanasij fuerat ordinatus, Athanasius Alexandriam reuertitur.

Eusebius quoque Vercellensis, & Lucifer Calaritanus de exilio regrediuntur.

Ruffinus 10. lib. cap. 27. 28. & 29. Lucifer autem cum exoraretur ab Eusebio, quia vterque in partibus vicinis Aegypto fuerat relegatus, vt ad videndum Athanasium Alexandriam pergerent, communi quæ tractatu cũ his, qui superfuerant sacerdotibus, de statu ecclesiæ decernerent, præsentiam sui abnegans, legatum pro se Diaconum suum mittit, atque ipse intento animo Antiochiam pergit; & Paulinum episcopum constituit, proprijs dissidentibus adhuc partibus, sed in vnum reuocari posse sperantibus, si sibi talis eligeretur, episcopus, erga quem non vna plebs, sed vtraque gauderet.

Lucifer creat Antiochiæ episcopum Paulinum.

Pergit Eusebius interea Alexandriam, ibique confessorum concilio congregato, pauci numero, sed fide integri & meritis multi, decernunt, vt orientis procuratio Asterio, occidentis Eusebio committatur. Ibi & de Spiritu sancto additur plenior disputatio, *vt eiusdem substantiæ & deitatis, cuius Pater & Filius etiam ipse Spiritus sanctus crederetur, nec quicquam prorsus in trinitate, aut creatum aut inferius posteriusve diceretur.* Sed & de doctrina substantiarum ac subsistẽtiarũ, sermo eis per scripturam motus est, quod Græci *Vsias & Hypostases* vocant. Substantia namque ipsam rei alicuius naturam rationemque qua constat, significat; subsistentia vero vniuscuiusque personæ hoc ipsum quod extat, & subsistit, ostendit, & ideo propter hæresiã Sabellij tres esse subsistẽtias cõfitendas.

Conuentus confessorum Alexandriæ.

De incarnatione quoque Domini in illo cõcilio comprehensum est, quod corpus quod suscepit Dominus, neque sine sensu, neque sine anima susceptum sit.

Eusebius autem cum redijsset Antiochiam, & inuenisset ibi à Lucifero ordinatum episcopum contra pollicitationem suam, pudore simul & indignatione compulsus, abscessit, neutri parti communionem suam relaxans, quia digrediens inde promiserat se acturum in concilio, vt is eis ordinaretur episcopus, à quo pars neutra descisceret. Interim Lucifer iniuriam dolens, quod episcopum à se ordinatum Eusebius non recepisset, nec ipse recipere cogitat Alexandrini decreta concilij, sed constringebatur legati sui vinculo, qui in concilio ipsius auctoritate subscripserat. Elegitque vt legato sua recepto, erga cæteros sententiam suam disparem, sed sibi placitam custodiret: ita regressus ad Sardiniæ partes, siue quia cita morte præuentus, tẽpus sentẽtiæ mutandę non habuit, etenim temere cæpta corrigi spacio solent, siue hoc animo immobiliter tenens, obijt. Verũ ex ipso interim Luciferianorũ schisma sũpsit exordiũ. Eusebius vero circumiẽs oriẽtẽ atq; Italiã medici pariter & sacerdotis fũgebatur officio, singulas quasq; ecclesias abiũrata infidelitate, ad sanitatem rectæ fidei reuocabat, maxime quod Hilariũ, iã de exilio regressum, & in Italiã positũ; hæc eadẽ erga instaurandas ecclesias, fidemque patrum recuperandam reperit molientem: nisi quod Hilarius

Dissidet Lucifer cũ Eusebio Vercellensi, indeque recedit ab ecclesia, & schisma facit, in eoque moritur atque hinc collige quod quidam nimis temere eum inter sanctos collocauit.

vir na-

Lapsos reuocant Eusebius Vercellensis & Hilarius, & in fide confirmant.

vir natura leuis & placidus, simulque eruditus, & ad persuadendum commodissimus rem diligentius & aptius procurabat, qui etiam libros de fide nobiliter scriptos edidit, quibus & hæreticorum versutias, & nostrorum deceptiones, & male credulam simplicitatem diligenter exposuit. Ita duo isti viri velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliasque suo splendore radiarunt, vt omnes etiam de absconditis angulis & obstrictis hæreticorum tenebræ fugarentur.

De impijs legibus Iuliani, & de persecutione Athanasij.

Cap. XXX.

Ruffinus lib. 10. cap. 32. RVffinus *libro* 10. *cap.* 32. Sed Iulianus postquam ad orientem Persas bello pulsaturus aduenit, & publica (quam prius occultauerat) erga Idolorum culturam ferri cæpit insania. callidior cæteris persecutor, non vi neque tormentis, sed præmiis, honoribus, blanditiis, persuasionibus, maiorē pene populi partem, quam si atrociter pulsasset, elisit.

Prouerbium Nostris ipsorum pennis impetimur.

Tripartita historia lib. 6. cap. 17. Tunc etiam contra pietatem leges posuit, & primum quidem Gallilæorum filiis (sic enim cultores Christi nominabat) Poetarum & Rethorum ac Philosophorum legere disciplinas interdixit, *proprijs enim*, inquit, *pennis secundum prouerbium vulneramur*. Nam ex nostris armati, conscriptionibus contra nos bella suscipiunt. Aliam quoque legem posuit, Galilæos præcipiens militiis expelli.

An. Ch. 366. *Hieronymus in chronicis.* Proæresius autem Sophista Athenienſis, lege data ne christiani liberalium artium doctores essent, eum sibi specialiter Iulianus concederet, vt Christianus doceret, sponte scholam dimisit.

Ruffinus vbi supra cap. 32. Itaque Iulianus ludos litterarum illis solis, qui Deos, Deasque venerarentur patere decreuit. Militiæ cingulum non dari, nisi immolantibus iubet, procurationem prouinciarum, iurisque dicendi christianis statuit non debere committi, vt pote quibus etiam lex propria gladio vti vetuisset. Et proficiebat quotidie in huiusmodi legibus exquirendis: quibus & si quid versutum vel callidum, tamen quod minus videretur crudele discerneret.

Cap. 33. *Sæuitia Iuliani erga Athanasii.*

Sed non erga Athanasium fictæ philosophiæ tenere imaginem potuit. Etenim cum velut tetri serpentes de cauernis terræ ebullientes ad eum processissent, magorum philosophorum, aruspicum, augurūque manus prophana, omnes pariter allegant, nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium velut horum omnium obstaculum sustulissent.

Cap. 34.

Iterum mittitur exercitus, iterum duces, iterum oppugnatur ecclesia. Cumque eum mœsti & flentes populi circunstarent, prophetico apud eos vsus sermone: *Nolite*, inquit, *ô filij perturbari, quia nubecula est, & cito pertransit.* Cumque discessissēt, & naui per Nilū fluuiū iter ageret, comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instanter eum insequi cæpit, & cum forte applicuisset Athanasij nauicula ad quendam locum, cōperit à prætereuntibus, & post tergum esse percussorem suum, & iam iamque, nisi prospiceret, imminere: conterriti omnes, qui simul aderant socij, eremum suadebant ad fugæ præsidium petendam. Tum ille: *Nolite*, inquit, *ô filij deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, vt sciat quia longe maior est, qui nos defendit, quàm qui nos persequitur*: & conuersa nauicula, iter agere obuiam ei, qui se insectabatur, aggressus est. Ille qui nullo genere suspicari posset in occursum sibi venire quem quereret, tanquam prætereuntes aliquos interrogari iubet, vbi audissent esse Athanasium. Cumque respondissent se vidisse eum non longe euntem, tota celeritate pertransiēs properat in vanum, festinans capere quem ante oculos videre non potuit. Ille vero Dei virtute etiam monitus, Alexandriam redijt, ibique tuto latebras vsque quo persecutio cessaret exegit.

Quæsitus ad necem Athanasius, offerens seipsum persequentibus se, egregie eos eludit, & Alexandriā rediens ibi latitat vsque ad necem Iuliani.

De sepulchro Babylæ martyris, & Theodori supplicijs.

Cap. XXXI.

DEdit & aliud Iulianus vecordiæ suæ ac lenitatis indicium. Nam cum Daphnis in suburbano Antiochiæ iuxta fontem Castalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat, responsa susciperet; causasque silentij percunctaretur à Sacerdotibus Dæmonis; aiunt Babylę martyris sepulchrum pope assistere, & ideo responsa non reddi. Tum ille venire Galilæos (hoc enim nomine nostros appellare solitus erat) & auferre sepulchrum martyris iubet.

Ruffinus lib. 10. cap. 35.

Igitur ecclesia vniuersa conueniens, mulieres & viri iuuenesque & virgines, immensa exultatione succincti, trahebant longo agmine arcam martyris psallētes summis clamoribus, & cum exultationibus dicentes: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Hæc in auribus prophani principis per sex millia passuum tanta exultatione psallebat omnis ecclesia, vt cælum clamoribus resultaret. Vnde ille in tantam tracūdiæ rabiem deductus est, vt altera die comprehendere christianos passim & trudi iuberet in carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici.

Psal. 96. Babylæ martyris sepulchrum trasfertur.

Quod Salustius Præfectus eius non probans, licet esset gentilis, tamen iussus exequitur, & deprehēsum vnum quendam adolescentem, qui prius occurrit, Theodorum nomine, à prima luce vsque ad horam decimam tanta crudelitate, & tot mutatis carnificibus torsit, vt nulla ætas simile factum meminerit. Cum tamen ille in equuleo sublimis, & hinc inde lateribus instante tortore, nihil aliud faceret, nisi vultu securo & læto psalmum, quem pridie omnis ecclesia cecinerat, iteraret. Cumque se omni expensa crudelitate, Salustius nihil egisse perspiceret, recepto in carcerem iuuene abiisse fertur ad Imperatorem, & quid egerit nunciasse, ac monuisse, ne tale aliquid tentare de cętero vellet, alioquin & illis gloriam, & sibi ignominiam quæreret. Hunc Theodorum ipsi nos postmodum apud Antiochiam vidimus, & cum requireremus ab eo, si sensum doloris habuisset ex integro, dicebat, dolores se quidem parum sensisse, astitisse autem quendam iuuenem, qui sudanti sibi linteo candidissimo sudores abstergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita sese delectatum, vt tunc mœstior factus sit, quando deposuit de equuleo iussus est.

Theodorus quidam mire torquetur.

Tripartita historia lib. 6. cap. 31. Cum ergo Iulianus, vt dictum est, peteret responsa apud Pythium Daphnæum de Parthici belli victoria, Dæmon accusare cępit vicinitatem corporis Babylæ martyris quam statim iussit auferri. Quo facto fulmē cælitus missum omne templum incendit, & ipsum Apollinis simulacrum aureum, & deauratum redegit in puluerem.

De malis factis sub Iuliano & reliquię Baptistæ.

Cap. XXXII.

Ibidem cap. 32. sed præcipue cap. 10. IBidem *cap.* 32. *sed præcipue cap.* 10. Iubentur ergo vasa ecclesiarum sacra fisci ærario deputari. Iulianus autem auūculus huius Iuliani, cum pallia Deo dicata Antiochiæ in vnum collegissēt, proijciēs ea in terra, contumelioſe etiā super ea sedit, moxque verēda eius & loca fœmoribus circūpositā, tāta putredine percussa sunt, vt vermes crearent, qua passione vsque ad mortem nō caruit.

Pœna Iuliani auunculi Iuliani Aug.

Heliopolitæ autem quia secundum suas antiquas leges, virgines eorum fornicabantur antequam nuberent; virgines sacras insolitas à populo videri nudas stare in theatro cogebant: quas primum illudentes, postea totunderunt, nouissime per medium sectas, porcos vt eas comederent prouocabant. In Ascolone & Gaza, Pagani diuidētes veteres virginū, & hordeo cumulātes porcis opponebāt. In Sebastia Ioānis Baptistæ

Heliopolitanorum crudelitas in sacras Virgines.

sepul-

sepulchrum aperuerunt, ossa igni tradiderunt, puluerem disperserunt.

Beda de sex ætatibus. Sed Dei prouidētia affuerunt quidam de Hyerosolymis monachi, mixti colligentibus, quique ad patrem suum Philippum, quæ auferre poterant, pertulere. Ille vero ducens supra se tantum thesaurum proprijs seruare vigilijs, ad maximum pontificem tunc Athanasium per Iulianum diaconum suum misit, quæ ille susc̄epta paucis arbitris, sub cauato sacrarij pariete inclusa prophetico spiritu profutura generationi posteræ conseruauit, cuius præsagium sub Theodosio principe per Theophilum eiusdem vrbis episcopum completum est, qui destructo Serapidis templo, sancti Ioannis ibidem consecrauit ecclesiam.

Cyrillo interfecto iecur eius dentibus appetunt Gentiles.

Theodoritus lib. 3. cap. 6. In Heliopoli ciuitate Phœnicis, pagani secantes ventrem Cyrilli diaconi etiam ex eius iecore comederunt. Quo scelere quicumque participati sunt, caruerunt dentibus, & elingues facti sunt, quia linguæ eorum putrefactæ defluxerunt, visum etiam perdiderunt.

In Emesa ciuitate prope præfatam Heliopolim ecclesiam nuper Deo consecratam Dionysio, Baccho mulieroso dicarunt, simulachrum illic statuentes Androgean.

Sozomenus lib. 5. cap. 9. Interea dum Gazæi Hilarionem monachum quærerent, fugit in Siciliam, vbi ligna de montibus colligens, & in ciuitate vendens transigebat vitam. Cumque eius virtus ibi patefacta fuisset per dæmones venit in Dalmaciam, vbi etiam mare quod quædam loca occupauerat orando repulit. Nouissime vero dum nauigaret in Cyprum inuitatus ab episcopo Paphi dilexit locum, & circa prædium Charbitis appellatum philosophatus est.

Felix & Elpidius à pietate deficiūt.

Theodoritus lib. 3. cap. 11. Apud Antiochiam sublatæ sunt ianuæ maioris ecclesiæ. Ingredientibus ergo Iuliano præfecto orientis, & quondam Christianus Felice præposito thesaurorum regalium, & Elpidio comite rerum priuatarum, Iulianus præfectus contra sacrum altare minxit, Felix autem videns vasa preciosissima, quæ Constantinus, & constantinus frequenter obtulerant: Ecce, inquit, in quibus vasis Mariæ filio ministratur. Nec multo post Iulianus visceribus putrefactis interijt, stercora emittens non inferius sed superius, quem vehementer increpabat vxor sua Christianissima. Rogabat ergo Imperatorem, vt Ecclesia, quibus fuerat sublata, redderetur: sed non flectens imperatorem, mortuus est. Felix autem fundens sanguinem, ex ore die ac nocte, venisque corporis vndique vacuatis, celeriter est extinctus. Valentinianus etiam tunc millenarius, postea Imperator, percussit vnum de ministris templi Fortunæ pugno, qui aspergendo quasi purgabant ingredientes in templum, cum vidisset aquæ guttam in pallio suo, dicens, se illa purgatione inquinatum, ob quam rem statim missus est in exilium.

Iuliani pana horribilis.

Felicis interitus repentinus fuit.

Valentiniani relegatio.

De Passione sancti Gallicani.

Cap. XXXIII.

Ex gestis eius. Sub hoc Iuliano passus est sanctus Gallicanus, qui olim magister militiæ Constantini ab eodem valde dilectus filiam eius Constantiam sibi poscebat vxorem. Constantinus autem valde contristatus est, videns eum paganum, & filiam suam virginitatis habere propositum. Tunc ait Constantia patri suo ne de Deo diffideret, sed si Gallicanus properaret contra Scythas ad prælium quod vrgebat, securus ei se redeunti victori de prælio sponsam daret. Ioannes quoque & Paulus Primicerij Constantiæ cum Gallicano perrexerunt ad bellum, & duæ filiæ Gallicani Attica & Arthemia cum Constantia remanserunt. Gallicanus itaque victor redijt, & ab omnibus gratanter acceptus ad ecclesiam Apostolorum redditurus gratias, properauit. Quod videns Constantinus obstupuit, & quærenti cur hoc fecisset, Gallicanus respondit: Cum essem in prælio, & deficientibus nostris quid agerem ignorarem, Paulus & Ioannes dixerunt mihi, quod victoriam obtinerem, si *votum facerem Deo cæli*. Quod statim vt feci, apparuit mihi quidam iuuenis, & ferens crucem in humero dixit mihi, sume gladium tuum, & sequere me, tunc affuerunt mihi duo armati milites, qui me vtroque latere confirmantes duxerunt per medios hostes ad Regem ipsorum. Quem cum duobus filijs eius vinctos ab eis accepi: & nullum prorsus occidi nec feci, nec iussi, me vero Christianum deuoui, & etiam à coniugio abstinere proposui. Gaudentibus ergo cunctis, duæ filiæ eius iam per Constantiam conuersæ, cum ipsa in virginitate permanserunt: ipse vero inde recedens ad vrbem Ostiensem, monasterium ædificauit, & ibi peregrinis & pauperibus manu propria ministrauit. Rogatus vero vt ibi esset episcopus, noluit, sed ipse qui ordinaretur, elegit. Tantaque ibi miracula faciebat, quod ex solo vitu de obsessis corporibus dæmonia effugabat. Habebat autem quatuor casas in quibus sustentacula pauperum reponebat, quas Deus ita custodiebat, quod quicunque malitiose vel causa tollendi aliquid, intrabat, statim aut Dæmoniacus aut leprosus fiebat. Tunc interrogata Dæmonia respondebant, quod nisi Gallicanus sacrificaret, morbus iste omnes redditūm exactores inuaderet: sed quia tantum virum nullus de hoc conuenire audebat, mandauit ei Iulianus Imperator, vt aut inde discederet, aut Idolis immolaret: qui statim relictis omnibus Alexandriam petijt, & ibi sanctis per annum continuum iunctus fuit: Inde etiam secessit in eremum, vbi cum sacrificare contemneret, decollatus migrauit ad dominum, Hilarinus autem qui quondam Gallicanum in Ostiensi vrbe susceperat, cum cogeretur à persecutoribus fidei Christianæ sacrificare, & nollet, fustibus cæsus martyrium sumpsit, cuius corpus venerabiliter Christiani sepelierunt.

Gallicanus vouet se Christianum fore vt vincat Scythas.

Potens in miraculis.

Caditur martyr clarissimus.

Hilarini martyrium.

Passio Sancti Ioannis & Pauli.

Cap. XXXIV.

Ex gestis eorum. Iulianus autem Imperator audiens quod Ioannes & Paulus de rebus suis pauperes sustentarent, mandauit eis, quod sicut Constantino ita sibi adhærere deberent. At illi dixerunt, Dum glorioſi Imperatores Constantinus, & filij eius Constans & Constantius *se esse seruos Christi* gloriabantur, nos Christiani famulabamur eis: tibi vero quia religionem plenam virtutibus reliquisti, obedire contemnimus, & à te nos omnino subtraximus. Quibus ille remandauit: Ego clericatum in Ecclesia tenui, & si voluissem, ad primum gradum ecclesiæ peruenissem. Sed considerans vanum esse inertiam sectari & ocium, militiæ animum tradidi, & dijs sacrificans, ita egi vt ad imperium peruenirem, vnde vos regia aula nutriti, non debetis deesse à latere meo, vt primos vos habeam in palatio meo; quod si me contemnitis, agam vt non contemni debeam. At illi responderunt: *Deum tibi præponentes, non timemus perdere amicitiam hominis mortalis, ne inimicitias incurramus æterni Dei.* Ad hæc Iulianus: Si intra 10. dies vltro ad me venire contempseritis, coacti post hæc facietis, quod sponte facere non curatis. Qui dixerunt hodie perfice quod post 10. dies facturus es. Iulianus dixit: Putatis quod vos martyres faciant sibi Christiani? Si quod dico non feceritis, puniam vos non vt martyres, sed vt publicos hostes. Cum ergo per 10. dies omnia pauperibus erogassent, die vndecima hora cenæ venit ad eos Terētianus, & cū sacrificare nollent, fecit foueam in domo illorum, & ibi decollatos abscondit, diuulgans quod iussu Cæsaris in exilium missi essent.

Statim Iulianus in bello Persarum occisus est: cui cū Iouinianus succesſisset, apertæ sunt ecclesiæ, & cæpit religio Christiana gaudere, dęmones autem ex obsessis

Vox apostata digno.

Constantia sanctorum martyrum.

Omnia suo dant pauperibus.

Gladio caduntur Ioannes & Paulus.

Historia hæc à Terentiano conscripta fuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Terentianus credit in Chriſtum.

corporibus intra domum ſanctorum eijciebantur, confitentes paſſionem eorum, ita vt & filius Terentiani in domo illa clamaret, quod à ſanctis martyribus vreretur: quod videns Terentianus *ad fidem conuerſus eſt*, & filius eius à dæmone mundatus eſt.

Matth. 16.

Refert autem beatus Gregorius IN HOMEL. EVANGELII: *Si quis vult poſt me venire*, quod quædam Matrona valde religioſa ad eccleſiam horum martyrum crebro veniebat. Quadam die cum ex more ad orandum veniſſet; egrediens, duos peregrinos inuenit, & eis elemoſynam dari iuſſit. Sed priuſquam eius diſpenſator eis ad largiendum eleemoſynam appropinquaſſet: aſtiterunt ei vicinius, & dixerunt: *Tu modo nos viſitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid poteris præſtabimus tibi, & hoc dicto diſparuerunt.*

De Sancto Donato Aretino epiſcopo.

CAP. XXXV.

Non placet id Baronio in notis ad martyrologium, die 7. Aug. legatur ibi Baronius, quia ſatis fuſe de hac re agit.

EX geſtis eius. Sub eodem Imperatore paſſus eſt ſanctus Donatus Aretinus epiſcopus, qui quondam Romæ clericus, in titulo paſtoris nutritus à Pigmenio preſbytero eruditus eſt omni mundana ſapientia cum Iuliano Imperatore; diuina doctrina manſuetus & humilis lector. Poſtquam autem Iulianus imperium ſumpſit, patrem & matrem Donati gladio iuſſit occidi. Donatus vero fugit in oppidum Aretinum, & ſuſcepit eum quidam, Hilarinus nomine, monachus cum gaudio, & cæpit cum eo habitare omnibus diebus: diuque Domino in abſtinentia ſeruiuit, multique ægrotantes ad eos veniebant, & eorum orationibus ſalui redibant.

** Alias Saturus.*

Erat ibi Epiſcopus ciuitatis * Satyrus nomine, qui ſanctum Donatum Diaconum conſecrauit, & poſtmodum etiam eidem benedictionem prebyterij contulit. In illis diebus erat vir quidam nomine Euſtaſius correptor Tuſciæ & exactor fiſci, & dum ageret municipalia, ſuperuenit bellum, quod exagitabat prouinciam. Vxor vero eius nomine Euphroſina, dum vidiſſet hoſtem præuenire & commoueri, tulit pecuniam publicam & abſcondit eam, & in hac tribulatione præuenta eſt morte. Reuerſus autem vir eius iam tempore pacis inuenit vxorem ſuam Euphroſinam mortuam, & cæpit pecuniam fiſci quærere, & cum non inueniret, compellebatur à principibus vt traderetur ad ſupplicia cum filijs ſuis. Qua cauſa venerunt ad Sanctum Donatum presbyterum, qui dixit ad Euſtaſium: Oſtende mihi ſepulcuram vxoris tuæ, & dum veniſſet ad locum Euſtaſius, miſit ſe Donatus in faciem ſuper ſepulchri locum orans dominum omnipotentem, & voce clara dixit: Euphroſyna per ſpiritum ſanctum te adiuro, vt dicas quid feciſti, aut vbi poſuiſti pecuniam? pro qua vir tuus torquetur. Et facta eſt vox de ſepulchro, dicens: In ingreſſu domus meæ eam effodi, Eadem hora acceſſerunt ad locum vbi dixerat, & foderunt, & inuenerunt pecuniam cum gaudio, & liberatus eſt à calumnia Euſtaſius, & cęperunt omnes gaudere in oratione, & fiducia, B. Donati. Poſt obitum beati Satyri, Donatus in epiſcopum electus eſt, & licet renitens, promotus. Cum autem quadam die miſſam celebraſſet, & diaconus ſanguinem domini populo traderet, idem Diaconus à Paganis impulſus cecidit, & calicem ſanctum fregit: vnde ipſe valde cum populo triſtis fuit, ſed eius triſtitiam ſanctus Donatus illico releuauit. Nam fragmenta calicis ſuſcepit, & facta oratione in formã priſtinam reſtauratum. Quo ſigno percuſſi Pagani fere 80. baptizati ſunt.

Mortua mulier ad interrogata reſpondet.

Esce quam vetuſta ſit miſſa celebratio.

S. Donatus oratione calicem cõfractũ reſtaurat

Poſt hæc Quadratianus Auguſtalis ipſum cũ Hilarino ſibi præſentari fecit, & vt Dijs immolarent præcepit. Cui Donatus ait: Sacrificent Dijs tuis miſeris, qui non credũt *Chriſtum filium Dei.* Tunc iratus Quadratianus, iuſſit vt os eius cum lapidibus tunderetur, qui cum diu cæderetur, in conſpectu Hilarini ſupradicti monachi, Donatus epiſcopus dixit: *Ego ſemper hoc optaui.* Deinde iuſſit Hilarinum expoliari, & extendi in pauimento, & fuſtibus cædi; qui cum cæderetur, emiſit ſpiritum. Hæc videns Quadratianus confuſus eſt, & iuſſit Donatum epiſcopum in cuſtodia retrudi.

Lege hic Adonem in martyrologio & hiſtoriam Lõbardicam.

De quibuſdam eius miraculis & tranſitu.

CAP. XXXVI.

Miracula S. Donati.

EOdem tempore cæperunt ad eum multi Chriſtiani venire ægrotantes, vt à languoribus ſuis curarentur, quos *Chriſti nomine inuocato* curabat.

Inter hæc autem erat poſſeſſio ſub territorio ciuitatis Curiæ, ſecus quam erat tranſitus publicus, in ipſo erat fons aquæ tam noxius, vt ſi quis ex eo biberet, ſtatim moreretur, quod audiens homo Dei Donatus à vinculis Quadratiani iam abſolutus, conuocatis ad ſe clericis, accepto ſancto euangelio, & cruce, vectus aſino intrepidus proceſſit ad locum aquæ: vnde exiens Draco immanis, cum ingenti impetu in occurſum eius venit, caudaque pedes inuoluit aſini, reliquoque ſe contra Donatum erexit volumine, quem Donatus facta oratione ad Dominum, vno feriens verbere flagelli extinxit. Tunc conuenit populus in vnum, & ſtruem lignorum ingentem compoſitam ſuper immenſam beſtiam ſub accenſo igne flamma conſumpſit. Verum nimio labore defectus populus cæpit ſitis ardore fatigari, & tamen non audebant adhuc ſuſpecti fontis poculum appetere. Approximans autem fonti homo Dei Donatus, facta oratione horarium ſuum plicans in circulo in terram poſuit, ipſeque ad turbas rediens puero ſuo dixit: Accipe ſitulam, & vade ad locum, vbi vidiſti me ſtare orantem, & hauriens, affer aquam. Quo facto *gratias agens Domino, benedicens, bibit, & omnibus circumſtantibus dedit.*

Eo tempore filia Theodoſij potentiſſimi pagani à Dæmonio vexabatur, qui Donatum per legatos ad ſe vocatum, lætus ſuſcepit. Introeunte autem Sancto Dæmon exclamauit, *parce Donate, quid me perſequeris?* Cui ille: Exi immunde ipiritus ab illa. At ille: Da mihi, inquit, tranſitum quomodo exeam, aut quo vadam? Video enim *ſignum crucis* in te ex qua ignis contra me exit. Cui ſanctus: Ecce habes tranſitum, vade ad locum tuum id eſt ad eremum, vnde veniſti, nihilque noceas homini. Exeunte autem Dæmone, commota eſt tota domus & ianuæ concuſſæ ſunt.

Interea mortuus quidam efferebatur, & homo quidam habens in manu chirographum, tenebat funus, dicens debere ſibi ab ipſo ſolidos 200. & non permittebat ſepelire eum: eratque in circuitu turbæ fremitus multus. Quidam autem viri eminus agnoſcentes eum, conſilium dederunt vxori illius defuncti dicentes: Curre interpella iſtum hominẽ Dei, quæ procidẽs ad pedes eius ait, fac in me miſericordiã, quia vidua ſum & geminis circũdata ſum malis. Virum perdidi, & ſepelire mortuum non permittor. Dixit autem vir meus quia compleuit illi ipſam pecuniã, & remãſit eius chirographus apud eũ. Tunc iungens ſe homo Dei ad feretrum, & defuncti manũ tãgens eũq; vocãs dixit: Surge & vide quid agas cũ homine iſto, qui non permittit te ſepeliri. Qui reſidens confutauit eũ de completo debito, & accipiens chirographum ſuum ſedens in feretro ſcidit illud: Aſpiciens autẽ in hominem Dei dixit ei: Iube ergo dormire iterum, dixit ei ſanctus Donatus, vade fili in requiem.

Tanta denique ſiccitas obtinuit terrã, vt viriditas arborum & herbarũ omnino deſolaretur, & populus fame cruciaretur. Exiens igitur homo Dei extra ciuitatem, *orauit Dominum Ieſum Chriſtum* & ſtatim venit nebula aquoſa, & effuſi ſunt cælitus tanti imbres, vt regiones inũdarẽt, cuius facti gaudio populus recreatus eſt. Cũq; sãctus Dei leuibus eſſet veſtibus indutus, ita ſiccis veſtimẽtis redijt, vt ſuper eũ nec veſtigiũ pluuiæ haberetur.

Sanctus Donatus capite punitur.

Audiẽs itaque Quadratianus quãta mirabilia CHRISTVS per eum oſtendiſſet, iterũ miſit eũ in cuſtodia, nec multo poſt fecit eũ capite truncari, cuius corpus à fidelibus ſepultum eſt iuxta ſepulchrum ſancti Hilarini prope muros ciuitatis Aretinæ, vbi per eos Dominus multas virtutes operatus eſt ad laudem ſui nominis.

De

De Passione sancti Gordiani & Epimachi.

CAP. XXXVII.

EX gestis eorum. Cum autem Iulianus persequeretur Christianos, Gordianus eius vicarius præcepto eius sanctum Ianuarium Presbyterum volebat compellere ad sacrificandum, sed tandem per prædicationem ipsius Ianuarij conuersus, perrexit flens ad vxorem suam nomine Marinam, & simul coram sancto Ianuario prostrati, baptismum petebant. Ad hæc sanctus Ianuarius respondit: Videte si bene creditis, & ne quid in absconditis teneatis. Marina respondit, vnam imaginem Iouis habemus repositam, qua Dei martyres torquebantur, & sic dicens eum in thalamum suum: ostendit ei simulachrum, quod sanctus Ianuarius apprehendens igne conflauit, & in cloacam proiecit: & sic baptizauit Gordianum cum vxore & cum alijs 53.

Gordianus cum vxore & 5. à familia sua baptizatur.

Post dies 14. iussit Iulianus Imperator Clementiano, vt videret si Ianuarius Idolis consensisset, quod si non fecisset, cæsus fustibus interiret. Videns ergo Clementianus etiam Gordianum per eum conuersum, cucurrit hæc nunciare Iuliano. Qui iratus iussit Ianuarium exilio condemnari, Gordianum vero à Clementiano loco eius substituto ad sacrificandum compelli, aut nolentem protinus decollari. Decollatus ergo cum quinque diebus ad canes proiectus fuisset, & nullus eum tangere præsumpsisset, à familia sua nocte raptus est & cum beato Epimacho quem idem Iulianus dudum occidi iusserat, sepultus est.

S. Gordianus sistitur Clementiano & caditur capite.

De cæteris martyribus eiusdem temporis.

CAP. XXXVIII.

AVthor. Passi sunt autem & plures alij sub Iuliano, quorum gesta non reperi, sed ex martyrologio hæc pauca collegi.

Pridie nonas Ianuarij. Romæ celebratur passio sanctorũ Prisci Presbyteri & Priscilliani clerici, ac Benedictæ religiosæ, qui sub tempore Iuliani Imperatoris gladio martyrium compleuerunt

Nono Kal. April. Romæ passio sancti Pigmenij Presbyteri, hic Iulianum apostatam à puero nutriuit, & sacris litteris erudiuit, à quo ipse postea in Tiberi pro fide Christi necatus est.

Item 11. Kal. Iulij. Romæ S. Demetriæ virginis, quæ cum ante impium Iulianum pro fide Christi introduceretur, in confessione Domini emisit spiritum.

Item 9. Kal. Iulij. Sancti Ioannis presbyteri, quem impius Iulianus inauditum via salaria veteri ante simulachrum solis decollari præcepit.

Item 10. Kal. Nouembris. Apud Antiochiam Syriæ natale sancti Theodori Presbyteri, qui persecutione Iuliani impij post equulei pœnam, & multos durissimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appositis inflammatus, cum in confessione Christi persisteret, occisione gladij, martyrium consummauit.

Item quarto nonas Decembris. Romæ passio sanctæ Bibianæ martyris, quæ iubente Iuliano Imperatore sacrilego, tam diu plumbatis cæsa est, donec spiritum redderet.

ANNOTATIO.

Qua leguntur in gestis supradictorum sanctorum de Iuliano Apostata existente aut viuente aliquando Romæ, aliqua censura indigent, vt testatur Baronius: certum enim est illum nunquam Romam aduentasse, idque omnes qui antiquas historias callent, atque ea sciunt qua Ammianus Marcel. conscripsit, facile intelligunt. Quod igitur per vrbis præfectum Aprouianum in martyres gestum est, id ipsi Iuliano tribuitur. Displicent insuper ea qua de Iuliani educatione Romæ sub Pigmenio vna cum Donato narrantur, vbi enim Iulianus puer vixerat vna cum Gallo fratre in Cappadocia, vbi & adolescentior Athenis eruditus fuerit, vbi demum in Gallijs exercitibus præfuerit, satis constat ex Græcorum & Latinorum antiquis historijs, ac imprimis ex eiusdem Iuliani epistolis. Postquam vero ab exercitu est acclamatus Imperator à vestigio recedens è Gallijs in Oriente aduersus Constantium duxit exercitum. Ex quibus omnibus supradictorum martyrum acta potius sub Iuliano, quam coram Iuliano Roma actitata intelligas.

De via Iuliani in Persidem.

CAP. XXXIX.

IN Vitis patrum. Iulianus Apostata proficiscens in Persidem, misit dæmonem in occidentem vt adduceret ei inde aliquod responsum, qui dæmon veniens vbi quidam monachus habitabat, non poterat transire, sed stetit ibi per 10. dies, quia tam diu ille Monachus non cessauit orans die ac nocte. Qui reuersus ad Julianum sine effectu nunciauit ei quomodo Publius monachus non permiserat eum transire. Iratus ille, ait: Cum reuersus fuero, faciam in eum vindictam, & non multo post extinctus est. Mox vnus ex præfectis eius venditis omnibus quæ habebat, iuit ad illum senem, & factus est monachus magnus.

Publius monachus diabolum Iuliani emissarium oratione fistit.

Socrates in tripartita. In Antiochia erat quidam optimus adolescentium pedagogus; cum ergo Iulianus minatus fuisset omnes Christianos euertere, cum rediret victor à Perside, ait Libanius sophista ad illum pedagogum, quasi nos deridens. *Nunc*, inquit, *Fabri filius quid putas aget?* Cui ille prophetans: *Creator*, inquit, *omnium, quem tu Fabri filium nominasti, Iuliano fabricat locellum sepulturæ.* Post paucos enim dies mortuus, in locello adductus est; Responsum autem Dæmonis de illius victoria fuit. *Nunc omnes aggredimur Dij, victoriæ trophea referentes circa fluuium Thiren: Horum ego dux ero belligerator Mars.*

Libanius Sophista.

Passio Sancti Cyriaci & matris eius & Amon.

CAP. XL.

EX gestis eorum. Iulianus igitur cum contra Persas exiret in bellum, veniens Hierosolymam fecit exquiri sanctum Cyriacum episcopum, qui à parentibus quidem Iudas nominatus est, sed à venerabili Helena post baptismum Cyriacus vocari iussus est. Huic proposuit Iulianus substantiam & honorem si sacrificaret Ioui: cui cum penitus nollet acquiescere, iussit eum Imperator extendi, & cum forcipe ferrea os eius aperiri, atque illi plumbum infundi, vt interiora viscera eius conflagrarentur. Ipse autem hoc sustinens, in cælum tacens aspiciebat, & post duas horas cum eum mortuum omnes sperarent, eleuans vocem suam exclamauit dicens; *Christe æterne & inextinguibilis splendor, benedico te, quia dignum me fecisti participari sanctis tuis; deprecor autem te, vt istius mali operarij elatio non vincat me, sed tua potentia confirmet me.* Et cum complesset orationem, Iulianus ait: Ecce Cyriace quantum dimisit te verba effutire, multotiens audiui talia, sed sacrifica Deo Ioui. Cui ille: *Ego ei, qui verus est Deus, credidi, qui te destruet in superbia tua.* Tunc Iulianus iussit grabatum æreum afferri, & in eo sanctum virum extendi, & carbones ignitos substerni, & spargi super eum sal & adipem, & desuper virgis cædi, vt venter eius & interiora viscera laxarentur ab igne, & dorsum desuper virgis verberari. Qui eleuans vocem suam Hebraicè orabat. Admiratus autem tyrannus super ingentem patientiam eius, iussit eum in quoddam domicilium inclusum custodiri, donec excogitaret qua morte eum perderet. Cumque transissent duo dies, Beata Anna mater eiusdem Cyriaci veniens hortabatur eum ad viriliter agonizandum. Ministri autem Sathanæ statim retulerunt de ea tyranno, & iussit eam exhiberi; quæ cum nollet sacrificare iussit eam capillis suspensam inungulari, & in hac pœna tribus horis manens, cum omnino non loqueretur, ait ad eam Iulianus: Quid est Anna, hæne acceperunt te vngulæ? quæ respondit: *Insensate canis & omnis iniquitatis operarie, si habes maiora tormenta infer: parata sum enim certare contra Patrem tuum Sathanam, quem spero me per nomen Christi vincere.* Tunc ille iussit lampades

Hic Cyriacus licet passus Hierosolymis non tamen fuit episcopus Hierosolymitanus, sed eo solum venit peregrinandi gratia.

Torquetur mater S. Cyriaci donec emiserat Spiritum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

magnas ardentes lateribus eius applicari: Sancta autem exclamauit ad dominum,& orans, emisit spiritum, quam tollentes Christiani sepelierunt. Tunc iussit Iulianus Cyriacum adduci, & ait: Dic mihi Cyriace, quibus maleficijs omnibus nobis caliginem induxisti tanquam non sentiens pœnas,& ideo non vis immolare? Qui respondit: *Anathematizo te indigne canis, qui virtutem Dei conuertis in maleficijs, non post multos dies cælesti plaga percutieris.* Tunc iussit Iulianus altam fossam fieri, & per incantatores serpentium cornutas aspides,& multitudinem venenosam serpentium in ea mitti, ac sanctum virum inter eos proijci. Quod cum fieret dicebat Cyriacus: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quia non solum in teipso complesti prophetiam Dauid, sed in nos humiles, & miseros hanc gratiam dignatus es consummare: ecce enim super aspides ambulamus, & conculcamus leonem & draconem:* hoc eo dicente Iulianus bestias comburi præcepit: cui miles quidam ait, O Rex insensate & demens hunc virum interficere volens, nec magi, nec aliquis ex vanis Dijs tuis potuit talia miracula facere, in veritate certus sum, quia *magnus est Deus Christianorum.*: propter hæc verba iussus est à tyranno decollari, vocabatur enim Amon. Qui vadens ad locũ dixit, *Domine Deus Cyriaci episcopi Iesu Christe suscipe animam meam in pace.* hæc dicens extendit collum,& in gladio consummauit martyrium.

Constans responsum S. Cyriaci.

Psal. 90.

De consummatione martyrij sancti Cyriaci.

Cap. XLI.

POst hæc Iulianus vocans Cyriacum suadebat vt negaret crucifixum, qui respondit: *O cor peruersum & sensus extinctus, suades vt tantorum bonorum præstatorem Deum negem, vt propter te miserabilis fiam, & similis tibi?* Iratus autem iussit cacabum magnum oleo impleri & calefieri: tantum autem feruebat cacabus, vt non possent astantes vaporem eius sustinere, & præcepit sanctum mitti in eum; qui faciens *signum crucis*, in fontem intrauit dicens: *Domine Iesu Christe, qui Iordanem sanctificasti, qui mihi baptismum per aquam dedisti, ecce nunc iterum in oleo baptizor, iterum tertium martyrium habeo perfectum sanguinis lauacro, quod iam longo tempore expecto.* Tunc tyrannus furore repletus, iussit eum cum magno ferro in pectus percuti. Percussus autem vnam emisit vocem, petens à Domino vt celerius de hoc sæculo recedere posset. Et sic assumptus est in gloria quarto nonas Maij.

Iterum nouis tormentis agitatur S. Cyriacus.

Palmam martyrij obtinuit S. Cyriacus.

Iste fuit Iudas per quem Helena *sanctam crucem Domini* inuenit. Ipsum enim postea baptizatum commendauit episcopo, qui tunc erat Hierosolymis. Quo scilicet episcopo mortuo, beata Helena, quæ ibidem morabatur, accersiuit vrbis Romæ episcopum Eusebium, & ordinauit Iudam episcopum Ecclesiæ Hierosolymorum. Mutauitque nomen eius, & vocatus est nomen eius Cyriacus: quem tanta gratia consecuta est, vt dæmones oratione fugaret, omnesque infirmitates sanaret. Cui etiam beata Helena multa dona reliquit in vsus pauperum, *mandans omnibus christicolis diem inuentionis sanctæ crucis celebrare.* Quod autem passurus erat à Iuliano, hoc ipsum prædixerat ei, omnium bonorum inuidus diabolus, post sanctæ crucis agnitionem factam per mortui suscitationem, vociferans per aera & dicens: O Iuda per te ejcior, inueniam & ego quid faciam, aduersum te suscitabo alium Regem: qui derelinquet crucifixum,& immittet in te tormenta, meis obsequens consilijs, & tunc cruciandus, crucifixum negabis. Cui Iudas spiritu feruens ait: Qui mortuos suscitauit Christus, ipse te damnet in abyssum ignis æterni.

Non fuit episcopus Hierosolymitanus, sed Anconitanus vt notat Baron. 4. Maij.

De licentia reparandi templum Iudeis concessa.

Cap. XLII.

RVffinus 10. *lib. cap.* 37. Tanta vero eiusdem Iuliani fuit ad decipiendum subtilitas & calliditas, vt etiam infælices Iudæos vanis speciebus illectos, vt ipse agitabatur, illuderet. Quos primo omnium conuocatos ad se interrogat; cur non sacrificarent, cum eis lex sua de sacrificijs imperet? At illi occasionem se inuenisse temporis rati, *non possumus*, inquiunt, *nisi in solo Hierosolymorum templo, ita namque præcepit lex.* Et accepta ab eo reparandi templum licentia, in tantum insolentiæ peruenerunt, vt aliquis eis prophetarum redditus videretur. Igitur & omnibus locis & prouincijs conuenere Iudæi, locumque templi olim igne consumpti aggredi cæpere; comite properandi operis ab Imperatore concesso, sumpto publico & priuato res omni instantia gerebatur Interea insultare nostris cæperunt, & velut reparatis sibi regni temporibus comminari acrius, ac sæuitiam ostentare prorsus in magno tumore, & superbia agere. Cyrillus post Maximum confessorem Hierosolymis episcopus habebatur. Apertis igitur fundamentis, calces cæmentaque sunt adhibita, nihilque omnino deerat, quin die postera veteribus deturbatis noua iacerent fundamenta. Cum tamen episcopus diligenti consideratione habita, vel ex his quæ in Danielis prophetia de temporibus legerat, vel quæ in euangelijs Dominus prædixerat, persisteret, nullo genere fieri posse, vt ibi à Iudæis *lapis super lapidem poneretur.* Res erat in expectatione.

Templum Iudæorum apud Hierosolymam reparatur.

Et ecce nocte quæ ad incipiendum opus iam sola restabat, terræmotus ingens oboritur, nec solum fundamentorum saxa, longe lateque iactantur, verumetiam totus pene loci ędificia complanantur. Porticus quoque publicæ, in quibus Iudæorum multitudo, quæ operi videbatur, insistere, commanebat, ad solum deductæ, omnes Iudæos, qui reperti sunt oppressere. Luce vero orta, cum se mala crederent effugisse, ad requirendos eos qui oppressi fuerant, reliqua multitudo cucurrit.

Terræmotu & igne diuinitus accenso Iudæi ab illicitis turbantur incæpti.

Ædes erat in inferioribus templi demersa, habens aditum inter duas porticus, quæ fuerant complanatæ, in qua ferramenta aliaque operi necessaria seruabantur, qua subito globus quidam ignis emicuit,& per medium plateæ percurrens, adustis & exanimatis qui aderant Iudæis, vltro citroque ferebatur. Hoc iterum sæpius & frequentissime per illam totam diem repetens, pertinacis populi temeritatem flammis vltricibus coercebat. Cum interim ingenti pauore & trepidatione omnes, qui aderant deterriti, *solum Deum verum Christum confiteri cogebantur inuiti.* Et ne hæc casu fieri crederentur, in sequenti nocte in vestimentis omnium *signaculum crucis ita euidens apparuit*, vt etiam qui diluere pro sui infidelitate voluissel, nullo genere valeret abolere. Sic deterriti Iudæi atque gentiles, locum simul & cæpta inaniter reliquere.

Signa & virtutes terrifica quæ in exitium conuersa sunt Iudæorum.

Nota crucis in vestimentis.

De mirabili nece Iuliani Imperatoris.

Cap. XLIII.

Amphilochius in vita sancti Basilij. Iulianus itaque pergens contra Persas, venit in partes Cæsariensium, Basilius autẽ simul cum eo assistentibus sibi, obuiauit ei. Quem videns Imperator dixit: Super te philosophatus sum ô Basili. Qui respondit. Vtinam philosophareris: & obtulit ei pro benedictione tres hordeaceos panes. Imperator autem iussit stipatores suos accipere quidem panes,& reddere ei fænum dicens: hordeum pabulum est iumentorũ, quod dedit nobis, recipiat & ipse fænum. Qui suscipiens dixit: *Nos quidem, ô imperator, ex quibus comedimus, obtulimus tibi: tu autem ex quibus nutris irrationabilitatem naturæ reddidisti nobis.* Voluntaria quidem irridens non voluntaria nobis in pastũ feci sti hoc fæno. Audiens hæc Iulianus & insaniẽs

Hæc non inueniuntur in editione Rosweidi quia desunt in vita Basilij quæ interpretatur per versum.

dixit

dixit ad eum, pastio istius fœni sine ablatione dabitur tibi, quando autem Persas subiciens reuersus fuero, desolabor ciuitatem tuam, vt fiat ferifera magis quam homifera: non enim ignoro audaciam à te populo suasam: vt à me adoratam Deam postquam eam statuerim, non ferens fascinationem constringeret vsque ad finem: & hæc dicens pergebat ad Persarum regionem. Regrediens autem Basilius in ciuitatem, & conuocans omnem multitudinem, narrauit ei Imperatoris verba, & dedit ei consilium optimum, dicens: Pecuniam fratres ad nihil reputate, & saluti vestræ prouidete, vt si datum fuerit tempus, tyranno, muneribus eum placemus. Qui abeuntes in domos suas quæ habebant, in manibus suis vnusquisque attulit ad eum cum alacritate, auri scilicet argenti, lapidumque preciosorum infinitam multitudinem, qui posuit in thesaurario, superscribens vniuscuiusque nomen, dicens eis: *Potens est Dominus & illum attrectare, & nobis propria restituere.* Statimque præcepit omni populo & omni clero ciuitatis, cum mulieribus & infantibus ascendere in montem Dymidi, in quo honoratur & adoratur. *Dei genitricis venerabile templum*, & tribus diebus ieiunium suscipientes, postulauerunt Deum dissipari iniqui imperatoris sensum. Et adhuc postulantibus eis, & vigilantibus in oratione cum contrito corde, vidit Basilius in visu multitudinem militiæ cælestis, hinc & inde in monte, & in medio eorum super thronum gloriosum sedentem *quandam in muliebri habitu*, & dicentem ad proxime sibi astantes magnificos viros: Vocate mihi Mercurium, & abibit interficere Iulianum, *in Deum & filium meum blasphemantem.* Sanctus autem cum armatura sua aduenies, iussus ab ea, velociter abijt. Et aduocans *illa domina* Basilium, dedit ei libellum habentem in historia omnem mundi facturam, dextrorsum vero hominem plasmatum à Deo, in fine autem vbi plasmatur homo, PARCE. Suscipiens autem Basilius librum, in præsentia eius legit, vsque ad subscriptionem PARCE. Et continuo expergiscens à somno, sub timore simul & gaudio constitutus erat.

S. Ioannes Damascenus orat. 1. de imaginibus ex Helladio Basilij Magni discipulo, & successore refert eidem Basilio per visũ à B. virgine ostensam Iuliani necem fuisse, per S. Mercurium factã. Quod ipsum cuidã ex necessarijs Iuliani ad castra progredienti diuinitus innotuisse Sozomenus l. 6. c. 2. accurate describit.

Similem visionem mortis Iuliani, vidit ipsa nocte & Libanius sophista, cum esset in Perside, & quæstoris ageret dignitatem. Expauescens ergo magnus Basilius, cum Eubulo solo venit in ciuitatem, adijtque sepulchrum sancti martyris Mercurij: in quo & ipse iacebat, & arma eius conseruabantur. Quærens autem ea & non inueniens vocauit custodem: & scisitabatur ab eo vbi illa fuissent, qui cum sacramento iurabat, vesperi ibi ea fuisse, vbi perpetuo conseruabantur. Credidit ergo visioni, & cum gaudio cucurrit ad montem omnibus adhuc dormientibus: quos excitans ad orationem nortatus est, & cum exultatione euangelizauit illis reuelationem sibi factam, & tyrannum hac nocte interfectum, & cum omnibus gratias agens reuersus est ad ciuitatem, & veniens ad sepulchrum sancti Mecurij inuenit lanceam illius sanguine madidam.

De miraculosa missa sancti Basilij & conuersione Libanij.

CAP. XLIV.

Plurima ex his quæ de S. Basilio hic dicuntur cautione indigent, veriorem Basilij vitam aliunde quærat Christianus lector, nam hæc censura indigent & castigatione Audi Bar. Quod vero in vita S. Basilij sub

ET iterum cum omnibus gratias agens Deo, imperauit cunctos venire in magnam ecclesiam: & participare diuinis mysterijs, & eo stante & exaltante hostiam, vidit columbam auream, quæ cum sacramento Dominico super altare pendebat, non moueri sicut solebat ter, & cogitans quid hoc esset, vidit vnum diaconum ventilantem, innuentem mulieri inclinare deorsum, & transponens eum de altari intra ecclesiam iussit custodiri. Post quod mota est columba sicut solebat, & hortatus est omnem populum 7. diebus ibi manere in oratione, diaconum vero ieiunijs & vigilijs submisit & quod ei abundabat, indigentibus dari iussit, & statim velum iussit appendi & præcepit de mulieribus, vt quæ foris velum apparet, dum diuinum mysterium perageretur; foris mysterium deponeretur & incommunicata permaneret. Omni autem populo festiuitatem agente vsque ad finem quatuor dierum omnibusque in ecclesia congregatis: ecce Libanius Iuliani quæstor, fuga vsus venit in ciuitatem, & audiens congregationem populi in ecclesia, eo aduenit annuncians impiam mortem tyranni, & dicens quia cum secus Euphraten fluuium esset, & relicta nocte 7. excubiæ militum custodiebant eum, venit quidam ignotus miles cum armis suis & lancea, qui valido & terribili impetu perfodit eum, & subito ascendens nusquam comparuit: ille vero miserrimus diram atque horribilem vociferationem emittens, cum blasphemo clamore expirauit. Narrauit etiam & per ordinem visionem: quam ipse in iam dicta nocte viderat, procidensque genibus Basilij, postulabat baptizari, quod consecutus contectalis factus est Basilij.

falso Amphilochij nomine narratur, Libanium per similem visionem, quam Basilius de morte Iuliani habuit, conspexisse, eundemque septimo post die ab exercitu fugientem ad Basilium Cæsaream conuolasse, ac Christianũ factum esse: sunt hæc plane digna risu, quæ & fidem deroganț nonnullis, quæ ab alijs accepta, in eadem vita vera esse probantur hactenus Baronius.

Crastina die præcepit Basilius omnes recipere suam pecuniam: qui omnes dixerunt vna voce, si mortali Imperatori hæc tribuere voluimus, vt non desolaretur nostra ciuitas, multo magis *Christo immortali Imperatori oportet ea offerri, qui à tanto interitu nos redemit*, ecce in manibus tuis sunt omnia, sicut tibi Deus iusserit, age. Qui admiratus eorum magnanimitatem tertiam etiam partem nolentibus tribuit, & de reliquo omnem presbyterum ornauit cum ciborio, & altare auro puro & gemmis preciosis decorauit.

Hieronymus in chronicis. Iulianus in Persas profectus, nostrorum post victoriam dijs sanguinem vouerat, vbi à quodã simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame & siti Apostata perdidisset exercitũ, & inconsultus à suorum erraret agminibus, ab obuio forte hostium equite conto ilia perfossus interijt, anno ætatis suæ 32.

Hugo floriacensis vbi supra. Dum autem moreretur cæpit Christum Deum blasphemare dicens: VICISTI GALILEÆ VICISTI, atque in his vocibus miser expirauit, anno imperij sui 3.

SOCRATES. Apud Carras ciuitatem inuenta est in templo (vbi proficiscens occulte sacrificauerat) mulier à capillis appensa extensas habens manus & vterum apertum, in cuius iecore Iulianus victoriam inspexerat. In Antiochia vero repertæ sunt in palatio plures arcæ, humanis capitibus plenæ, & innumera in puteis corpora dimersa mortuorum, in qua vrbe cum nunciata esset mors eius, publicam festiuitatem celebrarunt, dicentes in theatris cum exultatione, MAXIME FATVE VATVM, VBI SVNT VATICINIA TVA? VICIT DEVS ET CHRISTVS EIVS.

De Adriano pseudo-discipulo: & peregrinatione sancti Hilarionis.

CAP. XLV.

Ex vita S. Hilarionis in vitis patrũ. Adrianus magistri cõtemptor perit morbo regio.

EX gestis eius. Porro Adrianus sancti Hilarionis discipulus, de Palestina superuenit, dicens Iulianum occisum, eũque reuerti debere ad monasterium suum. Quod ille audiens detestatus est. Adrianus autem infælix volens Palestinam reuerti, & pristinam sub nomine magistri gloriam quærens, multas ei iniurias fecit. Et post aliquantum temporis morbo regio computruit.

Arreptitius naucleri filius ab Hilarione purgatur.

Habens igitur senex Zananum secum, ascendit classem quæ Siciliam nauigabat. Cumque venundato eorum codice, quem manu sua adolescens scripserat, dare naulum disponeret, & in medio ferme Adriæ naucleri filius arreptus à dæmone clamare cæpit: *Hilarion serue Dei, cur nobis per te etiam in pelago tutos esse non licet? Da mihi spacium vt ad terram veniam.* Cui ille ait: Si Deus meus concedit tibi vt maneas, mane; si autem ille te eijcit: quid mihi inuidiam facis homini peccatori & mendico? hoc dicebat; ne qui in naui erant cum ad terras peruenissẽt proderent eum. Nec multo post, purgatus est puer patre & cæteris fidem dantibus, nulli se super eius nomine locuturos.

Euangelium pro naulo offert.

Ingressus autẽ Pachymũ promontoriũ Siciliæ, obtulit Nauclero euangeliũ pro subiectione sua, & Zazani, qui

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

noluit accipere, maxime cum videret eos prẽter eo dicem, & vestes nihil habere.

Seutarius autem quidam dum in basilica beati Petri Romæ torqueretur, proclamauit in eo Dæmon, ante paucos dies ingressus est Hilarion in Siciliam seruus Christi,& putat se esse secretum,ego vadam & prodam illum;statimque cum seruulis suis, ascensa naui in portum Pachymum appulsus est, & deducente se dæmone, ante tugurium senis prostratus illico curatus est.

Curat Seutarium daemoniacum.

Hoc quoque signorum eius initium in Sicilia, innumerabilem deinceps ad eum ægrotantium multitudinem,& religiosorum hominum adduxit.

Interea Hesychius eiùs discipulus toto senem orbe quærebat, littora lustrans, deserta penetrans. Cumque post triennium eum inuenisset, & ad eius genua prouolutus, plantas lachrymis rigasset,audiuit à Zanano non posse senem in illis regionibus habitare, sed velle ad barbaras quasdam nationes pergere, vbi nomen eius, & sermo esset ignotus. Duxit ergo eum ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, vbi paucis diebus in vicino agello mansitans non potuit abscõdi. Draco enim ex his quos Boas vocant (eo quod tam grandes sint, vt boues glutire solebant) omnem late prouinciam vastabat,nec solum armenta & pecudes,sed & agricolas & pastores tractu sæui spiritus absorbebat, cui cum piram præparari iussisset, & oratione ad Christum missa euocatum struem lignorum scandere præcipisset: ignem supposuit cunctaque plebe spectante: immanem bestiam concremauit. Vnde æstuans, quo se verteret, quid faceret,aliam parabat fugam& solitarias terras mente perlustrans mærebatur,quod tacente de se lingua miracula loquerentur.

Boam draconem concremat. Miracula Hilarionem produnt.

Ea tempestate terræmotu totius orbis, qui post Iuliani mortem accidit; maria terminos suos egressa sunt, & quasi Deus rursum diluuium minaretur, vel in antiquum Chaos redirent omnia,naues ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, non ferentes vt frementibus fluctibus oppidum funditus subrueretur, egressi sunt ad senem, & quasi ad prælium proficiscentes,posuerunt eum in littore. Qui cum *tria crucis signa pinxisset in sabulo*, manusque contra tenderet, incredibile dictu est,in quanta latitud ne intumescens mare ante eum steterit. Ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in se relapsum sit. Mirabatur omnis ciuitas,& magnitudo signi saluationis quoque percrebuerat.

Tribus crucis signis in sabulo pictis diluuium ab Epidauritanis auertit.

De consummatione vitæ eiusdem.

Cap. XLVI.

Quod intelligens senex,in breui lembo, clam nocte fugit, & inuenta post biduum onerariã naui, perrexit Cyprum, & Piratæ derelicta classe in littore, quæ non antena sed conto gubernatur, duobus haud paruis myoparonibus occurrerunt. Denuo hinc inde fluctus vertente remige,omnes qui erant in naui cæperunt trepidare,flere,percurrere,contos parare dicentes seni piratas adesse. Quod ille procul intuens subrisit, & ait: *Modicæ fidei quare trepidatis?* Nunquid plures sunt hi quam exercitus Pharaonis?Cumque rostris spumantibus hostiles Carinæ immineren̄t, stetit in ora nauis, & porrecta manu contra venientes. Hucusque,ait, venisse sufficiat,statimque resiluerunt nauiculæ, & mirabantur piratæ dum multo velocius quam venerant ad littus ferebantur. Itaque propero cursu inter Cycladas nauigans hinc inde acclamantium de vrbibus & vicis & ad littora concurrentium immundorum etiam spirituum voces audiebat. Ingressus ergo vrbem Cypri Paphum, nec ibi latere potuit, clamantibus per totam insulam illam immundis spiritibus Hilarionem seruum Christi venisse, *& ad eum debere se properare.* Cumque vellet iterum ad Ægyptum nauigare scilicet ad loca Bvcolia eo quod nullus ibi Christianorum

Gloriam fugiens nauigat Cyprum.

Matth. 8. Extentione manus piratarum naues repellit.

esset sed Barbara & ferox natio, Hesychius suasit vt ad magis secretiorem locum in ipsa insula conscenderet. Quem cum diu lustrans omnia reperisset, duxit eum 12. milibus à mari procul inter secretos asperosque montes,& quo vix reptando manibus genibusque posset ascendi. Qui introgressus vidit locum remotum, arboribusque circundatum habentem aquas de supercilio montis,hortumque peramænum:sed & antiquissimi templi ruinam iuxta, ex quo vt ipse & discipuli eius referebant, tam innumerabilium per diem & noctem dæmonum voces resonabant, vt exercitum crederes. Quo ille valde delectatus habitauit & ibi per annos 5.

Damonibus. Antagonistis delectatur Hilarion.

Anno autem ætatis suæ 80. ægrotans cum iam modicus calor tepebat in pectore, nec præter sensum viui hominis quicquam supereresset, apertis oculis loquebatur. *Egredere anima: quid times? egredere quid dubitas? 70. prope annis Christo seruisti & mortem times?* In hæc verba spiritum exhalauit. Cuius rei nuncium cum audisset Palestinæ sanctus vir Hesychius perrexit Cyprum,& simulans se velle in eodem hortulo habitare cum ingenti vitæ suæ periculo,corpus eius furatus est.Sancta vero fœmina Constantia cuius generum & filiam vnctione olei de morte liberauit, & quæ peruigiles in eius sepulchro noctes ducere solita erat, perlato ad se nuncio, quod corpusculum sancti Hilarionis Palestinæ esset, statim exanimata est, veram in serui Dei morte dilectionem comprobans.

Constantia ad sepulchrũ eius excubat,eo ablato exanimatur.

De Imperio Iouiani.

Cap. XLVII.

Ex tripartita historia lib. 7. cap. 1. Post Iuliani necem Iouianus imperauit mensibus 8. Hic erat vir fortis & nobilis & in illo tempore Millenarius, quo Iulianus electionem militibus suis lege proposuit, vt aut sacrificarent, aut militiæ cederent. Qui magis elegit militiæ cingulum amittere, quam impij Imperatoris præceptionibus obedire. Hunc tamen Iulianus ad bellum proficiscens, propter belli necessitatem inter viros militares habebat. Qui cum violenter post Iuliani necem à militibus ad imperium traheretur, dixit, non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse Christianus existeret. Cumque vox omnium ei communiter proclamasset,dicentium se quoque Christianos esse, suscepit imperium.

Iouianus Imperator. An M.4218. Ch. 365.

Lege Theodoret l. 4.c.1. Sozom. l. 6. c.3.Socratem l. 3. cap. 19.

Sozomenus. Iouianus Imperator scripsit secundo præfecto prætorianam legem, vt capitali sententia plecterentur:qui sacram virginem nuptiali thoro violare prẽsumerent, vel impudico aspectu respicerent, ne dicam arripere forte tentarent.

Rufinus in 11. lib. historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. Mox vt Iouianus electus est, affuit ei diuina clementia contra omnem spem, cum clausi vndique hostibus tenerentur, nec euadendi facultas vlla suppeteret, subito missos à Barbaris oratores vident,pacemque deposcere, exercitui quoque inedia consumpto,cibos cẽteraque necessaria in mercimonijs polliceri. Itaque in 29. annos pace composita ad Romanum regressus est solum,lapsuque prædecessoris admonitus honorificis & officiosissimis litteris Athanasium requirit, à quo formam fidei & ecclesiarum disponendarum suscepit modum.

Fœdus init cum Persis.

Athanasium requirit, & fidem catholicam vbique restituit.

Hugo vbi supra. Iouianus igitur factus Imperator cogitabat de communi salute,& quomodo posset de medio hostium exercitum illæsum deducere. Sed cum & locorum iniquitate captus & hostibus circunseptus, nullam euadendi facultatem prospiceret,pepegit fœdus cum Sapore Rege, & Nisibim oppidum partemque superioris Mesopotamiæ ei concessit. Moxque Persarum rex forum venalium illi in deserto præparari fecit, & ita Iouianus de medio hostium, Romanum illæsum eduxit exercitũ. Verum cum ad Illyricum remeasset in quoddam cubiculum nouum se recepit, vbi calore prunarum, & nitore parietum nuper calce illitorum prægrauatus,& suffocatus, octauo demum mense quam

Iouiani Imperatoris repentini obitus.

imperare

imperare cæperat vitam finiuit: & tam pia tamque læta principia mors immatura corrupit.

De Imperio Valentiniani, & Apollinaris Laodiceno.

Cap. XLVIII.

Valentinianus Imperator an. M. 4220 inchoato Chr. vero 367.

VAlentinianus denique magnus, qui & ipse sicut iam diximus pro fide catholica ab impijssimo iuliano militia priuatus fuerat, Iouiano defuncto apud vrbem Nicæam Romanorum consensu militum adeptus imperium, imperauit annis 11. Hic non modo fortitudine, sed & prudentia, temperantia, atque iustitia, & corporis magnitudine præfulgebat, ipse fratrem suum Valentem sibi in consortium regni assumpsit. Et sibi quidem occiduas retinuit, fratri vero suo orientales partes regendas concessit.

Valens frater Valentiniani assumitur ab eo in collegam imperij.

Hieronymus in chronicis. Hic Valentinianus alias Imperator egregius & Aureliano moribus similis, nisi quod eius sæueritatem nimiam, & parcitatem quidam crudelitatem, & auaritiam interpretabantur.

Cæpit autem regnare cum Valente fratre suo, anno domini 367. mundi vero quarto millesimo 220.

Anno sequenti, terræmotu per orbem facto, mare littus exijt, & Siciliæ multarumque vrbium innumerabiles populos oppressit.

Apollinaris Laodicenus episcopus, multimoda religionis nostræ scripta composuit.

Idem de illustribus viris. Apollinaris Laodicenus Syriæ episcopus, patre presbytero, magis grammaticis in adolescentia operam dedit, & postea in sanctis scripturis innumerabilia scribens, sub Theodosio Imperatore obijt. Extant eius aduersus Porphyrium 30. libri qui inter cætera eius opera vel maxime probantur.

Apollinaris iunior hæresim docuit vt asserit Baronius an. 362.

Rufinus 11. libro c. 20. Apollinaris Laodicenus, vir sane in cæteris instructus, sed dum contentionis vitio nimis agitur, & aduersum omne quod quisque sentit, ire obuius delectatur, iactatione ingenij male fortis, hæresim ex contentione generauit, asserens corpus sine anima à domino fuisse susceptum. Et cum euidentibus euangelij testimonijs vrgeretur, vertit se post, & ne ex toto vinci videretur, ait eum habuisse quidem animam, sed non ex ea parte qua rationalis est, sed ex ea solum qua viuificat corpus, ad supplementum vero rationalis partis ipsum verbum Dei fuisse.

Author. Sic ergo Apollinaris à fide deuians, hæresim sui nominis instituit. Dicit autem *Tripartita historia*, per idem tempus fuisse in Laodicia duos Apollinares, Patrem Presbyterum, & filium lectorem, Patrem grammaticum, filium rhetorem, videturque potius Pater quam filius episcopus fuisse, qui Patrem habuit presbyterum, vt dicit Hieronymus, & hunc dicit Beda hæresim introduxisse, scilicet illum qui fuit episcopus Laodiciæ.

De Damaso Papa.

Cap. XLIX.

Damaso ascriptus liber de Rom. Pontif. longe postea conscriptus est ab Anastasio Bibliothecario.

HIeronymus in chronicis. Eodem anno Romanæ ecclesię 35. episcopus ordinatur Damasus.

Ex libro pontificum. Hic Damasus natione Hispanus, præsedit annis 18. Cum eodem ordinatus est sub intentione* Vrsinus, & facto concilio sacerdotum, quia fortior erat, & plurima multitudo Damasum in sede Apostolica constituerunt, Vrsinum autem ab vrbe Roma expulerunt, eumque Neapolis episcopum constituerunt.

* *Alias Vrsicinus.*

Hic Damasus multa corpora sanctorum requisiuit, & inuenit, quorum tumbas etiam versibus decorauit. Hic accusatus in crimine turpis adulterij, facta synodo purgatus est à 44. episcopis, qui etiam damnauerunt Concordium & Calixtum Diaconos accusatores, & proiecerunt de ecclesia.

Author. Hunc Damasum commendat Hieronymus in libro de viris illustribus, & ad se inuicem scripserunt epistolas, Damasus ipse rogatu Hieronymi scripsit ad eum historiam de gestis Romanorum Pontificum: eiusdem quoque rogato instituit dici in ecclesia in fine Psalmorum. *Gloria patri & filio, &c.* Instituit etiam Psalmos die nocteque per omnes ecclesias decantari.

Sepultus est autem via Ardeatina in Basilica sua 3. idus Decembris.

De Valente Imperatore.

Cap. L.

Valens ad Arianas partes trahitur vxoris blandiloquentia.

Hieronymus in chronicis. Anno 3. Valentiniani, Valens frater eius ab Eudoxio Arianorum episcopo baptizatus, nostros persequitur.

Ex tripart. hist. Valentē Imperatorē cū catholicus esset, vxor sua fecit Arrianum, cuius seditionis Eudoxius Cōstantinopolitanus episcopus auctor fuit. Qui cum baptizaret eum iureiurando alligauit eum, vt in illa secta permaneret. Hic ergo Valens exulauit Eusebium Samosatenum, qui nuncium, qui ei litteras exilij sui attulerat, celauit, ne perimeretur à populo. Nocte vero cum vno solo famulo egressus est, puluillum tantummodo & codicem secum ferens. Cuius in loco ordinato Ariano quodam Eunomio, nullus de populo ad ecclesiam veniebat, quod ille videns à ciuitate discessit, post quem Lucius ibi ordinatus est. Quo transeunte aliquando contigit adolescentes pila ludentes ibi esse, cumque eorum pila forte per pedes asini episcopi transiret, pueri eiulantes accēdunt ignem, & pilam per medium iactantes, quasi fædatam expiauerunt.

Historia tripartita l. 7. cap. 16.

Eunomius autem 7 Tomos in epistolam ad Romanos scripsit. Pelagius Laodicenus episcopus, quem Valens exulauit, primo nuptiarum die sponsæ suæ persuasit vt puritatem præponeret voluptati.

Agelius Nouatianorum episcopus.

Eo tempore erat Agelius Nouatianorum episcopus: qui semper vna tunica vtebatur, & excalceatus ambulabat.

Lege Gregorium Nazianzenum in oratione in laudem Basilij.

Amphilocius in gestis beati Basilij. Ariani etiam obtinuerunt à Valente imperatore, vt eijcerent Christianos ab ecclesia Niceæ ciuitatis & illam daret eis: ad quem vir sanctus Basilius veniens, locutus est pro Christianis. Demosthenes epularum Imperatoris præfectus, cum patrocinaretur hæreticis loquens blasphemiam, fecit barbarismum, de quo ait sanctus: Vidimus & Demosthenem sine litteris adhuc in hoc insistenti, tuum est inquit, de pulmentarijs cogitare, & non diuina dogmata decoquere: qui mox confusus obticuit. Valens autem ait Basilio: Vale: & iudica inter eos: sed non secundum immoderatum amorem populi tui, quia non decet. Cui sanctus: Si iudicium meum reprehenderis, me etiā exula, & catholicos eijce & clausam ecclesiam vtrique signate, & post tres dies, si orationibus vestris aperiatur, vestra sit, sin autem & nos idem faciemus vna nocte, quod si non aperiatur nobis, recipite eam. Quod & factum est, & aperta est vltro Christianis. Nam facta oratione contriti sunt vectes, & ceciderunt claues cum pessulo, & sub vento vehementi portæ appulsæ fuerunt parietibus, præcinente ergo Basilio: *Tollite portas &c.* intrauerunt ecclesiam. Ob hoc etiam multi Ariani viso miraculo conuersi sunt ad fidem catholicam.

Ecclesiæ sponte aperiuntur se Christianis.

Hieronymus in chronicis. Anno prænotato scilicet Valentiniani tertio, Gratianus filius eius, Ambianis factus est Imperator.

Anno Chri. 370.

Tanta Constantinopoli orta est tempestas, vt miræ magnitudinis decidens grando nonnullos hominum interfecerat.

Attrebatesnostri adhuc hodie lana huius reliquias in cathedrali Basilica religiose adseruāt, & Manna vocant.

Apud Attrebatas lana è cælo pluuiæ mixta defluxit.

Hilarius Episcopus Pictauiensis obijt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De obitu sancti Hilarij & eius miraculis.

CAP. LI.

POst multa igitur & magna miracula sanctus Hilarius infirmatus, cum obitum suum imminere cognosceret, fecit ad se venire Leontium eiusdem ciuitatis Presbyterum quem maxime diligebat. Dumque imminente nocte eum exire & si quid foris audiret, nunciare iussisset, & ipse voces tumultuantis populi ciuitatis se audisse reuertens exposuit. Et cum iuxta eum vigilaret, finem eius expectans, media nocte iubetur exire & quid audire possit iacenti referret: qui dum se audisse nil renunciat, mox nimia claritas quam etiam presbyter sufferre non poterat, intrauit ad eum, & sic paulatim recedente lumine, migrauit ad dominum.

Hilarius episcopus moritur Pictauis.

Duo autem negociatores aliquando cum ad eiusdem sancti basilicam occurrissent, habentes massam ceræ quasi socialiter in commune, vnus alterum allocutus est, vt eam tanto confessori offerrent; sed incassum sua verba in animo sui socij nolenti, expendit. Ipse tamen cum eodem collega suo in oratione prosternitur, ceramque illam ante sepulchri cancellos exponit, moxque ad omnem æqualitatem massa ipsius ceræ se diuisit, & parte illius fidelis oblatoris accepta, pars altera

Miracula S. Hilarij.

videntibus plurimis voluendo vsque ad alios cancellos nutu diuino cum omni contumelia est repulsa, quasi sanctus noller inuadere, quod alter illi deuotus non obtulit. Tnc ille confusus ingemuit & fleuit, maioraque postea obtulit.

Repellitur munus nolentis offerre.

Quidã puer dũ ad sepem obdormiuisset, iacens ore aperto, ingressum in se serpenti parauit. Quo comperto, parentes eius statuerunt eum secum ire ad Basilicam sancti Hilarij in Gallinaria insula post serpentium exterminationem extructam. Et quia nullus, (vt fertur) potest ibi viuere serpens, timebant forte ne puero insulam ingresso, coluber in eius ventre moreretur: sed hoc in sancti pietate constituentes, festinanter ad locum percurrunt, intrantesque mox se pauimento ecclesiæ prosternunt, Deum & sanctum Hilarium pro salute pueri gementes, deposcunt. Tunc ore pueri euomitur, imo quasi iussus, coluber progreditur, progressusque veneno statim coram omnibus effuso qui aderant, moritur.

Aliud miraculum.

Hieronimus in chronicis. Anno sequenti Nicæa quæ ante sæpe corruerat terræmotu, funditus est euersa.

An. Ch. 371. 372.

Anno sequenti * Athanaricus Rex Gothorum, in Christianos persecutione commota, plurimos interfecit, & de proprijs sedibus in Romanum solum expulit.

* Al. Haithanaricus.

Anno sequenti Eusebius Vercellensis episcopus moritur.

De Sancto Eusebio Vercellensi.

CAP. LII.

Baptizatur ab Eusebio Papa.

Ex gestis eius. Hic Eusebius olim temporibus Diocletiani & Maximiani adhuc cathecumenus cum parentibus Romam venit: & ab Eusebio Papa nomen & baptismum suscepit. Papa vero Eusebius instructus est ab Angelo, antequam eum baptizaret, qualis & quantus vir existeret, & quo nomine vocitaretur. In ipso eius baptismo manus angelicæ visæ sunt, quæ eum de sacro fonte leuauerunt. Virgo semper mansit, nullamque fœminam post baptismum nec etiam matrem osculando tetigit, non despiciendo naturã, sed culpam refugiendo. Cum enim quædam Matrona nobilis, eius pulchritudine capta, clam vellet eius adire cubiculum, tota nocte plateas vrbis circumiuit, & ad eius cubiculum custodientibus Angelis peruenire non potuit, vnde in crastinum ad pedes eius prouoluitur, & veniam petens, crimen quod cogitauerat coram omnibus confitetur.

Post decessum sancti Siluestri Marcus papa ordinauit eum presbyterum, eo quod constantia fidei in eo præpolleret, cum iam esset 50. annorum. Cum ergo ordinatus fuisset, tanta sanctitate claruit, vt in missarum solemnijs inter manus eius sacrum mysterium appareret.

Ordinatur presbiter à Marco Papa.

Post hæc Iulius Papa, videns Arianos sub Constantio prævalere, consecrauit eum vrbis Vercellis episcopum, quæ tunc obtinebat inter alias vrbes Italiæ principatum. Cum autem Vercellis ingressus fuisset, facientibus hæreticis, cunctarum ecclesiarum ostia clausa sunt, vt nullus intraret. Comperiens autem beatus Eusebius tantam eorum malitiam ante ostium maioris ecclesiæ, quæ est beatæ Mariæ virginis, flexis genibus orauit, & statim eo surgente, omnia ostia aperta sunt, ac diuinitus reserata: ac si minime clausa fuissent.

Constituitur episcopus à Iulio Papa.

De Constantia eius contra Arianos.

CAP. LIII.

CVm autem beatus Eusebius omnes prouincias occidentis, & sanctus Athanasius totam ecclesiam orientis ab Arianorum peste sua prædicatione purgarent, Constantius Imperator eos ab ecclesia in exilium propellere laborabat. At vero Eusebius in tantum prosecutus est Arianos, vt Auxentium hæreticum Mediolanensem episcopum, ab omnibus Christianis expulsum, damnaret, & pro eo sanctum virum Dionysium episcopum ordinaret. Vnde iratus Constantius contra Eusebium concilia congregauit, & multas cum episcopis ei literas misit, sed ille eorum consortia fugiens, sciens malitiam in multitudine prævalere, venire noluit: & suam senectutem oppposuit. Vnde Imperator statuit contra eius excusationem, in Mediolanensi vrbe quæ prope erat, concilium celebrari, quo cum ipse Imperator venisset: & collecto concilio Eusebium deesse videret, misit ad eum literas vt veniret. Sed cum ille venire tardaret, & Imperator Liberium Papam, & quosdam alios expectaret, iussit Arianos episcopos fidem suam describere, & sancto Athanasio licet absente damnato, catholicos qui aderant, fecit subscribere: quorum primus Dionysius Mediolanensis fuit.

S. Eusebius constantissimus hostis Arianorum.

Noluit interesse concilinbulis Arianorum.

Cum ergo Eusebius de vrbe Vercellis exiret, & multa se passurum prædiceret, ad quendam fluuium deuenit, nauis autem ex alia ripa fluminis procul erat: quæ statim eo iubente ad eum venit, & ipsum cum socijs nullo gubernante transuexit. Tunc obuians ei prædictus Dionysius procidit ante eum dicens *peccaui pater, libera me si vales.* Venerunt itaque simul in ecclesiam, vbi Papa Liberius cum catholicis episcopis fidem Nicæni Concilij confirmat, & ipse Eusebius & præfatus Dionysius eidem fidei subscripserunt.

Vocatus autem Eusebius ab Imperatore, cum nec minis nec blanditijs moueretur, coram omnibus dixit: Vos dicitis filium minorem esse patre, cur mihi meum filium, & discipulum prætulistis? Non enim discipulus super magistrum, nec filius super patrem. Qua illi ratione permoti, statim chirographum, quem subscripserant & cui Dionysius subscripserat obtulerunt, & ait illis: Non post filium scribam, cui præsum auctoritate, sed istum incendite: nouumque cui subscribam si vultis scribite. Sicque nutu Dei incensus est chirographus, cui Dionysius & alij 29. episcopi subscripserant. Rursumque Ariani alium chirographum citius conscripserunt, vt Eusebius, & alij subscriberent: sed cum nullatenus consentiret, gaudere catholici cæperunt, quod ipsi, qui coacti subscripserant chirographum illum, ab episcopis Arianis incensum videbant.

Noluit subscribere Arianorum chirographo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De passionibus eius & obitu.

CAP. LIV.

Diabolus quibus non potest persuadere ijs vim admouet.

TVnc iratus Constantius tradidit Eusebium voluntati Arianorum, qui statim eum ab alijs Episcopis abstrahentes, & eum fortiter flagellantes, traxerunt per gradus palatij à summo vsque ad imum, & rursum ab imo vsque ad sursum. Cumque lapidibus graduum quassato capite multum sanguinem iam fudisset, & adhuc eis consentire non vellet, iunctis retro manibus eum per collum trahebant, extorquere volentes, vt eis consentiret, ipse autem quasi nihil passus constanter dicebat, se in sua manere confessione & pro ea libenter occumbere. Tunc decreuit Constantius vt omnes episcopi, qui eius exemplo fuerāt animati, in exilium mitterentur.

Eusebius variis modis ab Arianis vexatur.

Hilarius igitur Pictauiensis, & Paulinus Treuerensis, & Dionysius Mediolanensis, cum Liberio Papa propter fidem in exilium deportantur. Eusebius vero in cauea constrictus, reclusus est apud Sercopolim vrbem Palestinæ in tribu Manasse, quæ & Bethsan vocatur. Et quia Scythæ eam condiderunt, Scythopolis appellatur. Videntes autem Ariani, quod ibi constitutus circumspicere poterat, inde abstractum negato cibo, & potu in domo angustissima recluserunt. Cumque ibi 7. diebus ieiunasset, & hoc custodibus intimasset, pietate moti in aliud eum hospitiolum receperunt, permittentes vt eum quilibet visitaret, sed non diu; 25. enim die Ariani hospitium irruunt, & eum rapientes in tali ergastulo circuncludunt, vt esset illo longitudine breuior, latitudine angustior, ita vt curuatus nec pedes extendere, nec se in latus alterum vertere, nec aliquem suorum posset videre capite depresso, humeros tantum & cubitos mouere valebat, & nisi eum Angelorum releuaret visitatio, humanum corpus tantam iniuriam tamdiu sustinere non posset. Sed qui Ionam in ventre cæti seruauit, & hunc ita vsque ad exitum Constantij custodiuit.

Arianorum inhumanitas.

Qui plura de hoc sancto viro desiderat, inueniet apud Baronium tomo 3. Annalium per singulos annos prout gesta sunt, digesta.

Iulianus igitur Imperator ei succedens, volens placere omnibus, iubet exulatos Episcopos reuocari: & templum Deorum aperiri, & pace frui sub lege, qua quisque vellet, & sic inde exiens Eusebius ad Athanasium venit, & historiam ei suæ passionis exposuit. Inde veniens ad Liberium Papam ab ipso gratanter acceptus est. Sic etiam defuncto Iuliano, Iouiniano regnante sopitis Arianis, Eusebius Vercellis redijt, & eum populus cum magna exultatione suscepit. Sed iterum Valente regnante Ariani repullulant, & contra Eusebium dioceses visitantem, seditionem excitant, & vallata domo eius, & supinum trahentes extra domum, lapidibus obruunt: & sic migrans ad dominum sepultus est à discipulis suis in ecclesia, quam ipse construxerat.

Vixit autem secundum chronicos ad minus 88. annis.

De Dydimo Alexandrino.

CAP. LV.

Hieronymus in chronicis. Anno Valentiniani 8. Dydimus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post 5. natiuitatis suæ annum luminibus orbatus est, elementorum quoque ignarus fuit. An.Ch. 375.

Rufinus 11. *libro cap.* 7. Dydimus in parua ætate cum prima adhuc elementa litterarum ignoraret, luminibus orbatus, maiori desiderio scientiæ veri luminis inflammatus est. Audiens scriptum in euangelio, *quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum.* Vnde confisus in Domino precabatur obnoxius, vt illuminationem cordis acciperet, miscebatque precibus studia & laborem, iuges continuataque vigilias vt quod alijs visus, illi conferret auditus. Cumque post lucubrationis laborem (vt fieri solet) legentibus somnus aduenisset. Matth. 19.

Dydimus tanquam immundum animal ruminans cibū quem cœperat ex integro reuocabat, & ea quæ dudum alijs percurrentibus ex librorum lectione cognouerat, memoria & animo retexebat. Ita in breui, Deo docente, in tantam diuinarum humanarumque rerum eruditionem ac sententiam venit, vt scholæ Ecclesiasticæ doctor existeret, Athanasio episcopo cæterisque viris sapientibus in Ecclesia Dei admodum probatus. Sed & in cæteris siue dialecticæ, seu geometriæ, astronomiæ quoque & arithmeticæ disciplinis ita erat paratus, vt nullus vnquam philosophorum aliqua ex his artibus proponens, obtinere eum vel concludere quieuerit. Sed statim vt responsiones eius acceperat, magistrum eum illius, de qua proposuerat, crediderit disciplinæ. *Dydimus præficitur scholæ.*

Eius scripta in magna omnium admiratione habentur. Nos tamen qui viuæ vocis eius ex parte aliqua fuimus auditores, longe maiorem gratiam ac diuinum nescio quid ac supra humanam vocem sonans in illis magis sermonibus qui de eius ore proferebantur, audiuimus. Hunc etiam beatus Antonius cum fidei Athanasij testimonium laturus aduersum Arianos de Thebaide Alexandrina descendisset, magnificis consolatus est verbis. Nihil, inquit, te offendat Dydime, quod carnalibus oculis videris orbatus, desunt enim tibi illi oculi quos mures & muscæ & lacertæ habēt: sed lætare quod habes oculos, quos Angeli habent, & quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accēditur. *Viuæ vocis energia.*

Antonius ad Dydimum.

De studio & scriptis eiusdem.

CAP. LVI.

Hieronymus in lib. virorum illustrium. Dydimus Alexandrinus captus à parua ætate oculis: & ob hoc elementorum ignarus, tantum miraculum sui omnibus tribuit: vt dialecticam quoque, & arithmeticam & geometriam. quæ vel maxime visu indigent vsque ad perfectum didicerit. Hic plurima nobiliaque conscripsit, Commentarios scilicet in psalmos omnes; commentarios in euangelia Matth. & Ioannis; & de dogmatibus; & contra Arianos libros duos, & de Spiritu sancto librum vnum, quem ego in Latinum verti; in Isaiam tomos 18. In Oseæ scripsit ad me commentariorum lib. 3. & in Zachariam meo rogatu libros 5. Et commētarios in Iob, & multa alia quæ digerere proprij iudicij est, viuit vsque hodie, & octogesimum tertium ætatis suæ iam excessit annum. *Opuscula Dydimi Alexandrini.*

Author. Omnium librorum Dydimi, nullum in armarijs; quæ sunt apud nos vspiam reperi, præter librum de spiritusancto: quem Hieronymus se in Latinum vertisse testatur dicens in prologo eiusdem libri. Volens aliquid garrire de Spiritu sancto, malui alieni operis interpres existere, quam vt quidam faciunt, informis cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum cuiusdam libellos de Spiritusancto, & iuxta Comici sententiam ex Græcis, bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi virile atque districtum; sed totum flaccidum, molle & nitidum. Dydimus vero meus, oculum habens sponsæ, & illa lumina quæ in candescentes segetes Iesus præcepit subleuari, procul altius intuens, antiquum nobis morem reddit, vt *propheta* vocetur *videns*. Certe qui hūc legerit, Latinorum furta cognoscet, & contemnet riuulos cum cœperit haurire de fontibus.

De Petro Alexandrino & Lucio Ariano.

CAP. LVII.

Hieronymus in chronicis. Anno Valentiniani 9. Alexandriæ ordinatur Episcopus Petrus, qui post Valentis interitum tam facilis in recipiendis hæreticis fuit, vt nonnullis suspitionem acceptæ pecuniæ intulerit. An.Ch. 376

Helinandus 43. *lib.* Hic est quem beatus Athanasius successorem sibi delegerit; sed vt ait Rufinus, Lucius

Arianæ

Lucius Arianus.

Arianæ partis episcopus, tanquam lupus ad ouem aduolat, Petrus autem protinus nauem conscendens, ad vrbem Romam perfudit. Lucius vero tanquam materia sibi crudelitatis oblata, ita ibat in sanguine, vt nec speciem religionis aliquam seruare videretur. Igitur Athanasius hoc anno videtur mortuus, quamuis Hieronymus in chronicis eius obitum non ponat: *Socrates in historia tripartita* dicit eum mortuum fuisse consulatu Gratiani secundo & Probi; Consulatus enim tunc temporis Constantinopoli & Romæ annotabantur.

Theodoritus vt supra. Lucio Ariano Alexandriam venienti, dicebant gentiles; *bene venisti episcope: qui filium non defendis, te Serapis amat, & huc introduxit.*

Rufinus vbi supra. Huius primo ingressu tanta & tam turpia in virgines continentes ecclesiæ gesta sunt, quæ nec in persecutionibus gentilium memorantur.

Concio execranda in Christum.

Theod. ex epist. Petri Alexandrini. Vestes sanctarū virginū dirūpebant, nudas per totā vrbē circunferentes, quibus cum turpitudine prout poterant illudebant: puerum quendam indutum veste fœminea inunctis oculis & vultu fuco colore depicto super ipsum altare huc & illuc agere & manibus ad turpiter saltandum fecerunt. Postea quendam ex suis turpitudine notissimum, veste genitalibusque nudatum, in sede ponentes Ecclesiæ, turpem concionatorem contra Christum fecerunt, pro sacris verbis scelera proferentem, laudantem luxuriam, impietatem, fornicationem, masculorum concubitum, furtum, cibos, potum.

Rufinus vbi supra lib. 11. cap. 3. Post fugas ciuium & exilium, post cædes, & tormenta: flammasque, quibus innumeros condemnauit Lucius, ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit, tria millia simul aut eo amplius viros per totam eremum secreta & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur; mittit armatam equitum ac peditum manum. At illi è contra gladijs obiectabant ceruices, & nihil aliud dicebant, nisi AMICE AD QVID VENISTI?

De exilio duorum Machariorum.

CAP. LVIII.

Homo membris aridus perunctus oleo à S. Machario sanatur.

EO tempore patres monachorum vita & antiquitate Macharius, & Isidorus, aliusque Macharius, Heraclides & Pambus Antonij discipuli per Ægyptum, & maxime in Nitriæ partibus habebantur. Quæ præsens vidi loquor, & eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui, ad eos delatus est homo membris omnibus, & maxime pedibus aridus, qui cum ab eis *in nomine Domini* oleo fuisset perunctus, statim ei firmatæ sunt plantæ eius & dicentibus eis: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, quem Lucius persequitur: Surge, & sta super pedes tuos, & redi in domum tuam*: continuo exurgens & exiliens benedicebat Deum, ostendens, *quia vere in illis erat Deus.*

Cæcus recipit visum.

Cæcus quidam antea rogauerat se deduci ad cellulam Macharij, qui erat in itinere dierum trium, qui multo labore ductantium illuc perueniens, Macharium non reperit domi, contristatus valde in fide proficiens: deprecor vos, inquit, applicate me ad illam partem parietis, vbi cubare solet. Quo facto, parum luti aridi vnde paries oblitus videbatur, assumens, palmæ suæ supposuit, rogat, vt aquam de puteo, de quo bibere solebat ei darent; quo humore soluens glebam, eodemque luto oculos superungens, & lauans de aqua, quæ hausta fuerat de puteo, repente visum accepit, & sine ductoris adminiculo ad sua redijt, & cum omni domo sua postea regressus, & *Deo gratias referens*, rem vt gesta fuerat, indicauit.

Ad eundem Macharium, vt iam superius dictum est, hyæna catulos suos cæcos ante pedes posuit, quo rogante dominum, receperunt visum. Sed in his omnibus Lucius non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mirabilibus detulit, sed iussit patres suos ablatos à grege suo, imo clam raptos in insulam quandam Ægypti paludium deportari, in qua comperetat neminem prorsus esse Christianum. Igitur cum duobus solis pediſſequis noctu ad insulam deducuntur, in qua erat templum quoddam summa veneratione ab incolis obseruatum. Cumque primum nauicula senum oram soli illius contigisset: ecce subito sacerdotis templi illius filia virgo ab immundo spiritu correpta, cum ingenti vociferatione, & cum clamoribus vsque ad cœlum datis, per medios agi populos cæpit, & crebros ducens rotatus, stridens huc atque illuc rabida ora vibrare. Cumque ad spectaculum tanti monstri populi conueniſſent, maxime cum esset sacerdotis filia, qui in honore præcipuo apud eos fuerat, per auras eam raptam sequentes, perueniunt vsque ad nauiculam senum. Ibi vero proiecta eorum pedibus & prostrata clamare cæpit: Quid venistis huc ô serui Dei summi, antiquis nos & veternosis euolare domicilijs? In hoc loco depulsi vndique latebamus, quomodo vos nequaquam latere potuimus, cedimus antiquis sedibus, populos vestros terrasque recipite.

Narrantur hæc miracula SS. Macharioru à Russino 11 l. hist. Ecclesia. cap. 5. Lege Socratem l. 4. c. 19.

Hęc illa dicente, increpatus ab eis spiritus effugatur, & puella sana vna cum parentibus suis iacebat ad pedes nostri temporis Apostolorum. Qui talibus exordijs *prædicantes, eis fidem Domini nostri Iesu Christi, in tantam conuersionem repente eos perduxerunt, vt statim manibus suis antiquissimum illud templum, & in summa veneratione habitum destruerent, & ecclesiam confestim ædificarent.* Quod cum Alexandriæ fuisset nunciatum, veritus Lucius, ne forte etiam suorum odia in eum iusta consurgerent, vtpote quia aperte iam bellum non hominibus, sed Deo indiceret, occulce eos reuocari, & in eremum mitti iubet.

De sancto Moyse Sarracenorum episcopo.

CAP. LIX.

Mauuia regina Sarracenorum Moysen eremitam petit, vt sit episcopus.

EO tempore Mauuia Sarracenorum gentis Regina, vehementi bello Palæstini & Arabici limitis oppida, atque vrbes quatere, vicinasque simul prouincias vastare cæpit. Cumque frequentibus bellis Romanum attriuisset exercitum, orata pace non aliter se amplexuram promittit, nisi Moyses monachus genti suæ daretur episcopus, qui in eremo partibus illis propinqua vitam solitariam degebat, quique meritis & virtutibus & signis, quæ faciebat per illum Deus, magnifice innotuerat. Captus ergo Moyses ad sacerdotium suscipiendum, nulla ratione passus est se à Lucio ordinari. Sed ab episcopis quos ille in exilium truserat ordinatus est episcopus. Quo facto & gentis ferocissime pacem tenuit, & vitam intemeratam custodiuit.

Dicta Moysis episcopi Saracenorū.

Huic Moysi dictum est: Vade, sede in cella tua: & illa te docebit vniuersa.

Idem homo fugiens homines, similis est vuæ maturæ, qui autem cum hominibus versatus, similis est vuæ acerbæ.

Moyses per humilitatem sibi detrahit.

Idem Moyses, audiens iudicem venientem ad se, fugit in palude: cui iudex occurrens, quærebat vbi esset Moyses? quid inquit vultis ei? fatuus est & hæreticus.

Idem inuitatus in Scythi, ad iudicandum ibi fratrem culpabilem, sportam vetustissimam plenam arena portabat, Interrogatus quid hoc esset? respondit dicens, peccata mea sunt post me sequentia, & non video ea, & hodie veni aliena iudicare.

Ad hunc Moysen dixit Zacharias Serapionis discipulus, exuta cuculla, & sub pedibus suis iactata & conculcata: nisi ita conculcatus fuerit monachus, non potest monachus esse.

Idem ad hunc Zachariam morientem dixit: quid vides? nihil melius, inquit, quam tacere pater.

Idem Moyses ordinatus & expulsus ab altari, vt sic probaretur, dicebat, *bene tibi fecerunt cinerate & cacabate, &*

quia cum tu homo non sis, in medio hominum ausus es ingredi.

Idem Moyses in Scythi 7. fratribus secum manentibus ait, hodie huc barbari veniunt, fugite: & tu, inquiunt, non fugis? Respondit, per tot annos expecto istam diem: vt compleatur sermo domini. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Ecce inquit appropinquauerunt Lamiæ; Et statim intrantes barbari interfecerũt eos. Vnus autem ex eis perterritus, abscondit se super plectas, & vidit septem coronas descendentes & coronantes Moysen, & sex fratres. *Matth.26.*

Idem Moyses in 7. capitulis ad Perimenium: Stultitia est homini, relicto suo mortuo, flere alienum. Mori à proximo tuo, est flere peccata tua, & sine cogitatu esse ab homine, quia iste bonus est: ille malus.

Idem. Per has quatuor res, passio gignitur: per abundantiam escæ & potus, per satietatem somni, per ocium, per iocum.

Socrates in historia tripartita. Moyses cum seruus esset, propter culpas à Domino expulsus est, qui latrocinio deditus, homicidia multa commisit, postea conuersus panem solum comedens 6. annis, per totam noctem stans orauit, nec genibus inclinatus, nec oculis somno clausis. Noctanter circumibat cellas monachorum, & lagenas omnium aqua implebat, cum aqua longe distaret 10. aut 20. aut 30. stadijs. Qui licet ita domaret corpus, priorem valetudinem non amisit. Aliquando autem quatuor latrones simul comprehensos ligans, impositos humeris perduxit ad Ecclesiam in voluntatem monachorum ponens quid de eis facere vellent, factusque Presbyter in Scythi terribilis dæmonibus, vixit pene annis 75.

De Abbate Pastore & dictis eius.

Cap. LX.

Verba Pastoris Abbatis.

IN *vitis patrum.* Quæsiuit Abbas Pastor ab Abbate Moyse, pater quando veniunt tentationes, resistam eis, an permittam intrare? Qui respondit, permitte, & pugna cum eis. Alij vero idem interroganti, respondit: non permittas intrare. Tunc admiratus Abbas Pastor, ait: Ego tibi committo cogitationes meas: & tu aliter doces alios quam me: Cui senex: Ego tibi dixi sicut mihi ipsi, quia vbi est maior pugna, & maior corona, quibusdam autem bonum est non dimittere tentationes intrare.

Dixit Abbas Pastor, quia paupertas & tribulatio cum discretione sunt vitæ solitariæ operationes: hi sunt tres viri scilicet Noe, Daniel, & Iob: Noe nihil possidens, Iob tribulatus, Daniel autem discernens.

Dixit etiam, bonum est fugere corporalia: quia homo qui est in corporali bello, assimilatur ei, qui stat supra locum profundissimum, vt qua hora visum fuerit inimico eius facile possit eum impingere deorsum: si autem à corporalibus longe fuerit, assimilatur viro stanti longe à puteo, vt non trahat eum inimicus, vt possit proijcere deorsum, & dum violenter trahitur, Deus ei auxilium dirigit.

Dixit Abbas Pastor: Nisi Nabuzardam venisset, templum domini crematum non fuisset, ita nisi quies gulæ & ventris in animam venerit: nunquam mens pugnans contra inimicum corruit.

Dicunt autem quod Abbas Pastor nunquam ibat ad manducandum, nisi contra voluntatem, & cum lachrymis, ne videretur inobediens fratribus.

Dixit Abbas Pastor, sicut fumo expelluntur apes, ne tollatur dulcedo operis, ita timorem Domini & omne opus bonum ab animo expellit quies corporalis.

Cum mater Abbatis Pastoris volens eum videre cum fratribus, diu lachrymata esset extra ostium, ait Abbas: Quid vult hæc vetula? Deinde Abbas Pastor intra ostium stans ait: An vis hic videre nos, an in alio sæculo? Et illa, in alio. Si, inquit, æquanimiter feras, quod non vides hic, videbis in futuro. Et illa abijt.

Voluit Iudex prouinciæ videre Abbatem Pastorem, & non acquieuit. Iudex autem incarcerauit filium sororis eius tanquam malefactorem, dicens: Si rogaret Abbas pro eo, eriperet eum. Tunc mater pueri ad ostium fratris sui fleuit, dicens: saltem moueat frater viscera tua miseratio sanguinis tui. Et mandauit senex: ad vltimum examina causam secundum legem, & si dignus est morte, moriatur, sin autem, fac quod vis.

Frater quidam interrogauit Abbatem Pastorem: Quid est quod scriptum est: *qui irascitur fratri suo sine causa?* Ille respondit: Ex omni re qua voluerit te grauare frater tuus, si irascaris contra eum, donec oculum tuum dextrum eijciat, sine causa irascaris ei; si autem aliquis te voluerit separare à Deo, pro hoc irascere. *Matth. 5.*

Dixit Abbas Pastor: Est homo qui videtur ore tacẽs, & corde alios condemnat, hic sine cessatione loquitur. Et est qui à mane vsque ad vesperam loquitur, & taciturnitatem tenet, quia nunquam sine vtilitate loquitur.

De cæteris patribus illius tẽporis, & primo de Abbate Pior.

Cap. LXI.

EO tempore florebant Pior, & Isidorus, & Pambo, & Ammonius, & Hellin, & Apelles, & Serapion, & Eulogius, & Dorotheus, & Piamon, & Beniamin, & Marcus, & Apollonius, & Euagrius, & Melas, & Paulus in Lybia, & Hor, & Copres, & Mutius, & Benus.

Horum Pior ambulans comedebat vt minorem sentiret voluptatem, pergens ad eremum fodit puteum, & aquam inueniens amaram, vsus est ea vsque in finẽ vitę. Iste, cum Moyses & eius monachi foderent puteum & aquam inuenire non possent, superuenit, & oratione facta descendit in foueam, cumque tertio percussisset terram, mox emanauit aqua: illoque statim discedente, petentibus, vt vel ex aqua parum gustaret. Feci, inquit, propter quod directus sum. *Vita & dicta Pior.*

Idem Pior duos saccos magnum & paruum impleuit arena, dicens: Saccus iste multum habens arenæ mea peccata sunt, & posui ea super dorsum meũ: vt doleam pro eis & plorem: hæc autem sportella modica peccata mei fratris sunt, & sunt ante faciem meam.

Hic fuit eremita Pior, quem beatus Antonius adolescentem in sancto proposito monachorum instruxit 30. & amplius annis: ex quo egressus est de domo parentum suorum, nunquam eis visus est. Soror eius cum esset vidua habens duos filios iam adolescentulos, misit eos in eremum ad requirendum fratrem suum: ipse vero non acquieuit petitioni eorum. Perrexerunt autem ad beatum Antonium indicantes ei pro qua causa venissent. Misit ergo Antonius, & vocauit eum ad se, dixitque ei: Vade & videat te soror tua. Tunc assumpsit secum alium monachum, & perrexit ad domum sororis suæ: & stans foris prope ianuam atrij clausis oculis, vt non videret sororem, stetit & ait: Vide me quantum volueris. Et statim reuersus est ad eremum.

De Abbatibus Isidoro & Pambo.

Cap. LXII.

Hieronymus in vitas Patrum. Monasterium Isidori erat apud Thebaidam muro circundatum, mille monachos habens. Senior sedens ad ianuam ea lege intrantes recipiebat: vt vltra non exirent.

Author. Ergo stabilitas loci etiam tunc firmata est, quam tamen beatus Benedictus dicitur inuenisse, id est scripto primus confirmasse.

Idem in vitas patrum. Ad suscipiendos autem hospites habebat cellulam sibi adhærentem. *Isidori vita & dicta.*

Huius Isidori dictum est. Ex quo factus sum monachus, non permisi iracundiam vsque ad fauces meas ascẽdere.

Abbati Moysi imposuit durissimam impugnationem fornicationis Dæmon, vt non præualeret sedere in cellula sua; sed abijt ad Abbatem Isidorum: & retulit ei impugnationis suæ violentiam: cumque de scripturis sanctis Isidorus consolaretur eum, & vt ad cellulam suam reuerteretur, rogaret, noluit. Isidorus ergo pariter

cum

cum Moyſe aſcendit in ſuperiora cellulæ ſuæ & dixit ei: Reſpice ad occidentem, & vidit multitudinem dæmonum cum furore, quaſi ad prælium præparatos. Dixit autem ei Iſidorus, reſpice iterum ad orientem, & vidit multitudinem ſanctorū Angelorū, glorioſam & ſplendentē, ſuper lumen ſolis. Ait autem Iſidorus: Ecce quos in occidente vidiſti, ipſi impugnant ſanctos Dei, nam quos ad orientem conſpexiſti, ipſi ſunt quos in adiutoriū sāctis ſuis mittit Dominus. Cognoſce ergo quia plures ſunt nobis, cum ſicut dicit Eliſęus, *quia maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui hoc in mundo.* His cōfortatus Moyſes reuerſus eſt in cellulam ſuam. 4. *Regum 6.*

Abbas Iſidorus quotiens illi cogitatio dicebat, quia magnus es. Reſpondebat ad ſe, nunquid talis ſum qualis ille? Cum vero Dæmon conturbans eum ſuggerebat ei deſperationem, dicebat: Quamuis ego in tormentis mittar, tamen vos ſubtus me inuenio.

Vita Pambi. Pambus cum ſineliteris eſſet, acceſſit ad quendam vt doceretur Pſalmus: qui cum audiſſet primum verſum Pſalmi 38. id eſt *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Secundum noluit audire: Satis eſt, inquit, ſi hunc implere potero mihi ſufficit. Requiſitus poſtea quare in 6. menſibus non redijſſet, quia inquit, illum verſum nondum opere compleui. Poſt multum, requiſitus à quodam, vtrum impleſſet: Vix, inquit, 49. annis illum implere potui.

Huic quodam aurum dante ad cibaria pauperum, & dicente numera: Reſpondit: quod dediſti non eget numero, ſed ſalubri tantum effectu.

Hic rogatus ab Athanaſio deſcendit Alexandriam, vbi cum videret mulierē Theatricam fleuit, requiſitus quare fleret, ait: Duæ res me mouent: Vna eſt illius perditio: altera quia non habeo tantum ſtudium placendi Deo, quantum illa turpibus hominibus.

De hoc dicebat Iſaac; patres noſtri, & Pambo Abbas vetuſtis & de multis partibus reſarcitis veſtibus vtebantur: nunc autē qui precioſis vtimini, deſeritis hunc locū.

Item Theophilus Archiepiſcopus volebat in Scythi ædificari ab Abbate Pambo. Qui fratribus rogantibus vt aliquid ei diceret, reſpondit: *Si taciturnitate mea non ædificatur, neque in ſermone ædificabitur.*

Idem ſicut apis, quocunque vadit, mel operatur, ita monachus.

Abbas Pambus in hora mortis ait, poſtquam veni in hac ſolitudine, & fabricaui mihi cellam extra laborem meum, non recolo panem me comediſſe, nec pœnituiſſe de ſermone, quem locutus ſim vſque in hanc horam, & ſic vado ad Deum quaſi qui nec dum initium fecerim ſeruiendi Domino Deo.

Frater requiſiuit Abbatem Pambum, ſi bonum eſſet laudare proximum, reſpondit ſenex, melius eſt tacere.

De *Ammonio, & Heleno, & Apelle.*

Cap. LXIII.

Vita Ammonij. *Hieronymus in vitas patrum.* Vidimus inter eos Ammonium ſapientiſſimum virum. Huius monaſterium erat muro circumdatum, quod in illis locis ex lateribus crudis facile fieri ſolet.

Socrates lib. 4. cap. 18. Ammonius eruditiſſimus Origenis, Dydimique diſcipulus à iuuentute vſque ad mortem præter panem aſſum nihil comedit.

Hic adeo ſine curioſitate fuit, vt cum Athanaſio Romam veniens, nullum opus ciuitatis inſpiceret, niſi tantum eccleſiam Petri & Pauli.

Hic electus in epiſcopū, dexterā ſibi amputauit aurem.

Hic à nullo viſus eſt iraſcens, aut iurās aut mētiens, aut vanum, vel aſperū, vel infirmum protuliſſe ſermonem.

Helim in ſinu portabat ignē, & veſtis eius nō ardebat.

Author. Hunc Helim Hieronymus in vitis patrum appellat Helenum, de quo dicetur inferius.

Vita Apellis & dicta. Apelles Ægyptius, vt legitur, ex fabro ferrario conuerſus eſt, qui quadā die hoc opus exercens, dæmonem eum tentantem in ſpecie mulieris forcipibus candentibus percuſſit in facie, qui ſtridens & ingemiſcens procul fugit. Hieronymus, ait quod nuda manu de ferro candente diabolum percuſſit transformatum in mulierem ſpecioſam, ex quo in vſum habuit ferrum candens nuda manu tenere, nec lædi.

Hic narrabat de quodam Ioanne, qui ſub cuiuſdam ſaxi rupe tribus continuis annis orauit ſtans, nunquam reſidēs; vel iacens ſomni tantum capiens quantum ſtans capere potuit. Cibum nunquā ſumpſit, niſi dominica die cum preſbyter ad eū veniebat, & offerebat pro eo ſacrificium, & hoc erat ei ſacramentum & victus. Pedes eius dirūpebantur, & ſanies ex eis profluebat. Completiſque tribus annis, ab Angelo ſanatus eſt & repletus ſcientia & doctrina, multoſque ædificauit: dominica die ſemper reuertens ad illum locum, ſacramentorum gratia. Reliquis diebus opera manuum faciens iumentorū cingula de palmarum folijs texens, vt in illis locis haberi mos eſt, quibus cingulis iumentorum infirmitates ſanabantur. Hanc quoque gratiam habuit, vt vnicuique fratrum ſcriberet, de quo peccato vel vitio, vel de quo virtutis opere quiſque cæteris præemineret.

De *Serapione, Theone, Eulogio, & Dorotheo.*

Cap. LXIIII.

Vita Serapionis. IN regione Arſenoite Serapionem vidimus patrem 10. milliū monachorum, qui omnes ex proprijs laboribus cibos, præcipue meſſis tempore, mercede manuū conquirebant. Hoc autem moris eſt, non ſolū ipſis ſed & omnibus pene Ægyptijs monachis, vt meſſis tempore ſe locent ad metēdum, atque ex ea mercede octogenos vnuſquiſque modios frumenti, plus, minuſque conquirit. Vnde nonſolū regionis illius indigentes aluntur, ſed & Alexandriā naues onuſtæ frumento diriguntur, vel in carcerē recluſis, vel reliquis egētibus peregrinis: neque enim intra Ægyptum ſufficiunt pauperes, qui poſſint nimiæ eorum fructus largitatis aſſumere.

In vitis patrum. Abbas Serapion quando erat iuuenis, paximatium furabatur, quē occulte manducaret: Theona autem faciente ſermonem de continentia, peccatum confeſſus eſt corā omnibus, & velut lampas ignis egreſſa eſt de ſinu eius, & impleuit totam domum fætore.

Dixit Abbas Theō: Sic nihil eſt noxiū monachis, & lætificat dæmones magis, quam celare cogitationes patribus ſpiritualibus.

Socrates vbi ſupra. Theonas pater fuit trium millium monachorū ſcientiſſimus Græcarum & Latinarum literarum. 30. annis dicitur tacuiſſe.

Hieronymus in vitis patrum. Vidimus & alium ſanctum Theonam in ſua cella clauſum ſolitarium, vt dicebatur 30. annis ſilentium tenuiſſe.

Author. Hinc apparet, quod in toto illo tempore, quo ſilentium tenuit, non fuit pater aliorum monachorum, non enim tauro tempore poſſet tenere ſilentium, ſed poſt illud tricennium factus eſt Abbas.

Eulogius. Sanctus Eulogius preſbyter cogitationes hominum præſciens, cū videret quoſdā ex monachis indigne velle communicare, remouebat ſingulos, dicens vnicuique, tu hac nocte fornicationis deſiderium habuiſti: tu vero dixiſti in corde tuo, nihil intereſt vtrum iuſtus, vel peccator accedam & hos omnes & ſimiles remouebat, donec omnes per pœnitentiam purgarentur.

Dorothei vita. *Socrates vbi ſupra.* Dorotheus genere Thebeus, quotidie lapides à mari colligebat, & ſingulis annis hoſpitium ædificabat, & non valentibus ædificare dabat, noctibus autem propter eorum cibum faciebat ſportas vt venderet. Nunquam viſus eſt in lectulo ſoporatus, vel pro requie pedes extendiſſe, & ſæpe ei dormienti cibus ex ore labebatur. Aliquādo ſomno grauatus cecidit in ſtercore, expergefactus & contriſtatus ait ſub ſilentio: Si Angelis dormire ſuaſeris, & mihi vlterius ſuadebis.

Huic laboranti dixit quidam: Cur ita perimis corpus tuum? Reſpondit, quia illud occidit me.

Huius cibus omnino abſque ignis opere fuit.

Huius cellulam cum latrones eum aurum habere æſtimarent, quodā tempore inuadentes, ita orationibus eius

foribus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

foribus affixi sunt,vt penitus mouere nō possent,donec consueta hominum multitudo aduenirent, quos vt viderunt igne comburendos trahere conabantur. Tunc vir sanctus necessitate loqui cōpulsus,ait: Sinite eos abire, alioquin sanitatis gratia fugiet à me (Sola enim manus impositione conferebat de quacunque ægritudine sanitatē.) Illi vero,his auditis, & monachi facti sunt,& pœnitentes abire dimissi sunt.

Hic etiam sanctus quoties hominibus respondebat, in tabulis scribebat.

Dicitur etiam, quod noctibus ad eremum prodiens plurimo bestiarum comitatu vteretur, quibus tanquam pro laboris remuneratione aquam de puteo suo hauriebat.

De Piammone, Beniamin, & Marco.

Cap. LXV.

Vita Piammonis. Piammon presbyter dum sacrificaret,vidit Angelum contra altare stantem,monachos præsentes in codice scribentem & delentem absentes.

Hieronymus. Piammon eo tēpore,quo fratres ad communicandum accedebant, videbat Angelum Dei stantem iuxta altare,scribentem in libro quorundam nomina, aliorum non scribentem, quorum vnumquemque seorsum discutiens;inuenit in singulis mortale peccatū, & cum eis tādiu fleuit, donec cum cæteris ascripti sunt.

Socrates. Beniamin senex hydropicus in tantum fuit, vt per ianuas cellæ suæ nō posset efferri, nisi ianuæ cum tabulis antepositis tollerentur. Qua passione laborans 8. mensibus ante mortem sedens in cella latissima, solenniter curabat ægrotantes,rogans ad se venientes, vt orarent Deum pro anima eius, de corpore non curantes, quia & dum sanum esset,inquit, nihil mihi profuit.

Vita Marci. In Scythi Marcus dum ad sacramenta accederet,Angelus ei sacramenta præbebat, cuius manum tantummodo vsque ad iunctūram brachij videbat.

In vitis patrum. Marcus scriptor,antiquarius vocatus dum scriberet (o) reliquit imperfectū. Hic Marcus vestitus erat sacco scisso & recōsuto, facie tincta de fuligine culinæ:vnde à matre nō est agnitus, ad quam clausis oculis egressus est. Hic Siluani discipulus fuit: hic ait ad Arsenium. Quare nos fugit? Qui ait,diligo vos,sed non possum esse cum Deo,& cum hominibus. Superior quidem virtutum malitia vnam habent voluntatem: vnus autem homo plures habet voluntates.

De Siluano, & eius discipulis.

Cap. LXVI.

Vita Siluani. Abbas Siluanus diu in excessu mentis factus est, & exurgens fleuit amare: rogātibus autem fratribus causam fletus,ait,ego ad iudicium raptus sum,& multos vidi de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos sęculares ad regnum, & lugens senex nolebat exire à cella sua,sed quando exire cogebatur,operiebat faciem suam dicens: Quid necesse est videre lumen istud temporale, in quo nihil est vtile?

Abbas Siluanus dum cum discipulo suo Zacharia ad quoddam monasterium suum peruenisset, fecerunt eos monachi parum comedere. Postquam vero egressi sunt, inuenit discipulus aquam,& voluit bibere. Cui Abbas ait: Hodie ieiunium est. At ille: Nunquid hodie non cōedimus pater? Et dixit ei; Illa esca charitatis erat fili:nos autem iterum ieiunium teneamus.

Quidam peregrinus superuenit ad Abbatem Siluanū in monte Synai,& vidit quod fratres operabātur, & dixit eis,quare operamini escam, quæ perit? *Maria autem bonam partem elegit.* Tūc dixit senex discipulo suo Zachariæ: Da illi codicē vt legat, & mitte eum in cellula, quæ nihil habet. Hora autem 9. circumspiciebat frater ille,si forte eum senex vocaret ad comedendum. Postquam transijt hora venit,& dixit ei: Nunquid hodie non comederunt fratres,Abba,quare me non vocastis? Dixit Abbas,tu homo spiritalis es,& non necesse habes hac esca: nos quasi carnales opus habemus comedere, & ideo operamur: tu autem *bonam partem elegisti.* Quod cum audisset, cæpit pœnitere, & dicere: Indulge mihi Abba. Tunc respondit,*ergo necessaria est Martha Mariæ.*

Luc.10.

Zenon discipulus Siluani. Huius Siluani discipulus fuit Zenon, qui ait: Nunquam maneas in loco nominato, neque cum homine habente magnum nomen.

Idem Zenon fratribus de scripturis quęrentibus,ait: Reliquerunt fratres peccata sua,& cœlestia sectantur.

Idem concupiscens cucumerem,ait intra se: Fures ad tormenta vadunt: proba te si potes ferre tormenta. Et stetit in caumate 5. diebus defricans se in Sole.

Zacharias discipulus Siluani. Huius Siluani fuit alter discipulus,vt dictum est,Zacharias, is cum sepem horti amouisset cum fratribus, vt faceret hortum maiorem,dixit Siluanus: Non ingredior in hanc cellam,nisi sepis in loco suo fuerit reuocata.

Idem Zacharias vidit fratrem suum Siluanum in extasi à mane vsque in horam decimam, & cum vidisset eum quiescentem,coegit eum lachrymādo dicere quid vidisset. Tunc ille: In cœlum raptus fui,& vidi gloriam Dei,& illic steti vsque modo,& nunc dimissus sum.

Hic Zacharias deposuit palliū suum sub pedes suos, & conculcauit & dixit: Nisi quis sic fuerit conculcatus, non potest esse monachus.

Apollonius cum nullam artem sciret,cibaria & medicamina laborantibus,ex proprijs pecunijs comparabat, singula monasteria circumiens vsque ad horam nonam, & languentes visitans,& eis ministrans.

De Sancto Apollonio.

Cap. LXVII.

Vita Apollonij. *Hieronymus.* Vidimus in finibus Hermopoleos, ad quem Saluatorem cum Maria & Ioseph fugisse, tradūt,vbi erat templum,quo ingresso Saluatore,omnia idola corruerunt,& minuta sunt. In finibus illis erat Apollonius pater 500. monachorum fere octogenarius,15. tantum annorum erat cum secessit in eremum,vbi cum 40. annis conuersatus est, ad eum dicit dominus, Apolloni per te Idola Ægypti subuertam: per te perdam sapientiam sapientum,ait: *Auser à me Domine tactantiam.* Et dominus ad eum: Mitte manum tuam ad ceruices tuas, & quod comprehenderis cōstringe;& sub arena obrue. At ille iniecta manu apprehendit quasi paruulū Æthyopem, & demersit sub arena clamantem: *ego sum superbiæ dæmon.* Tūc ait vox diuina,quicquid de cætero poposcēris consequeris. Facta sunt hęc tēpore Iuliani Apostatæ.

Orans exauditur pro iaculantia Spiritu à se reiferendo.

Sanctus autem Apollonius cum quidam fratrū suorum captus esset à Iuliano,perrexit & consolatus est eū, vt patienter ferret,quæ ei inferebantur. Tunc adueniens Tribunus inueniens virum sanctum, & ira motus, iussit etiam cum cæteris includi. Quod & factum est. Media autem nocte apparuit lux magna in carcere, & Angelus ianuas aperiens,voluit omnes incarceratos educere. Ille vero moram fieri consuluit vsque mane. Tunc custodes pedibus sanctorū aduoluti rogabant eos discedere. Mane autem facto venit Centurio; & iussit eos discedere, quia in eadem nocte terræmotu domus sua concidit, & electi famulorum suorum mortui sunt: & sic sancti cum hymnis & laudibus remearunt.

Incarceratur cum alijs vt miles fiat.

Diuinitus carceris foribus apertis liberatur.

Post hæc gentib. prædicans multa millia hominum conuertit ad fidem signis & miraculis infinitis. Persecutionis tempore egressus est vt captiuos visitaret Christianos. Cumq; quosdam consolaretur,inuentus est à iudicibus & incarceratus. Quidam vero gentilis Philemo nomine famosissimum eum opprobrijs & contumelijs affecit. Cui Apollonius: Misereatur tibi Deus fili, & nihil horum quæ dicis, tibi Deus imputet ad peccatum. Ille vero hoc audito compunctus est, & statim se christianum cōfessus est. Iudex vero hoc audito,iussit ignem fieri,& eos in medio proijci, quod & factum est. Interim vir sanctus orauit, *vt ad gloriā nominis Christi ignis extingueretur*& statim ignis rore cœli diffuso,extinctus est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod vt vidit iudex cito contritus est, & *credidit in Christum*. Tandem ducti sunt in vinculis coram præfecto, sed & qui duxerunt eos contriti sunt, & Christi nomini adhærentes, etiam ipsi vincti sunt, & iussu præfecti (quia noluit eos audire) in mare proiecti sunt. Sicq; aqua passionis facta est eis aqua baptismi, & proiecit mare corpora simul omnium in aridam, simulque sepulti, ęgritudines sanant, & orationibus pie petentium adhuc ibi subueniunt.

Vestitus eius veterascens nunquam.

Centum orationes vir sanctus toties flexis genibus per diem & totidem per noctem complebat. Indumentum eius erat stuppeum collobium & linteum: quo collum & caput obuoluebat, quæ dicuntur in deserto permansisse nunquam veterata.

Circa hunc sanctum erat templum & simulachrum: quod sacerdotes pro impetrandis aquis pluuialibus circunferebant, quos omnes orando stare fecit immobiles: & nec bobus adhibitis potuit moueri simulacrum. Sic steterunt tota die ac nocte rapidissimis æstibus adusti. Tandem scientes hoc ei per sanctum accidisse, incenso simulachro crediderunt in domino.

De eodem.

Cap. LXVIII.

PRimis adhuc diebus cum cæpisset habitare in spelunca, aderat dies sanctus paschæ, & erant eis tantūmodo pauci & sicci panes, & olera ex eis, quæ sale aspersa reponi apud eos solēt. Iussit ergo fratribus vt peteret vnusquisque à domino si quid in die festo sumere libēter habeat: quod illi iusserūt eum facere. Cumque complesset orationem, & omnes respondissent *Amen*. Ecce repentè ante fores speluncæ vident astare homines sibi penitus ignōtos cum magna ciborū copia, & in quibus erant quędam, quæ omnino in Ægypti regionibus nunquam visa sunt, pomorum genera, & magnitudo incredibilis, vuæ, nuces, fici, & malapunica, faui mellis & lactis copia, nuclei quoque ingentes, panes cādidi & mundi, qui tamen peregrinæ viderentur esse prouinciæ. Viri vero qui hæc attulerāt, statim ea tradiderunt, festināterque quasi ad eum à quo missi fuerant, regressi sunt. Horum tanta fuit copia, vt vsque ad diē Pentecostes quotidie ministrata sufficerent, illique certi erant, quod à Deo solennitatis gratia sibi missi fuerant.

Diuinitus missa sunt ei omnia genera ciborum pro festiuitate Paschatis.

Quidam ex fratribus poposcit ab eo, vt sibi daretur humilitas, & mansuetudinis gratia, quo orante completum est. Orta fame omnes habitatores loci venerunt ad eum cum vxoribus & paruulis, qui iussit eos pascere, donec non haberet nisi tres sportas panis, quæ vnius diei victum monachis præbere debebant, quas etiam iussit proferri in medium, & eleuatis ad Deum manibus, ait: Nunquid non potest manus domini multiplicare hæc, sicut dicit spiritussanctus? *Non deficiet panis in sportis his: donec satiemur omnes de fructibus nouis.* Quatuor ergo continuis mensibus non cessauit erogari panis de sportis, nec deesse potuit aliquando.

Magna eius liberalitas in pauperes & egenos.

Motus ergo Diabolus ait ad eum. Nunquid Helias es tu, aut aliquis alius Prophetarum, aut Apostolorum, quòd hæc facere ausus es? Qui ait: Quid inde? Nonne Prophetæ & Apostoli homines erant, qui nobis & fidē suam & gratiam tradiderunt? Aut tunc Deus præsens erat, nunc vero absens?

Moris erat apud eum, vt fratres eius non prius cibum sumerent quam communionem dominicam perciperēt circa horam nonam, & post hoc interdum sic vsque ad vesperam permanebāt, verbum Dei audientes; post hoc cibo sumpto alij ad eremum secedebant, per noctem totam diuinas scripturas memoria recolentes: alij percepta gratia Christi, statim discedebant. s. soli spiritali cibo contenti, & hoc faciebant per plurimos dies.

Serui Dei gaudere sem. per debent.

Iubebat fratres semper gaudere dicens: *Tristentur gentiles, lugeant Iudæi, plangant sine cessatione peccatores; Iusti vero lætantur.* Non oportet prorsus inesse tristitiam his: quibus salus in Deo est, & spes in regno cœlorum. Nam hi qui terrena diligunt, super fragilibus & caducis rebus lætantur: nos qui tantæ gloriæ, spem & æternitatis expectationem habemus, cur non omni exultatione gloriemur?

Dicebat quoque, propterea fratres aduenientes, traditum est, adorandos esse, vt certum sit in aduentu eorum, aduentum domini haberi. Sic enim & Abraham suscepit eos qui homines videbantur; dominus autem in eis intelligebatur.

Interdum etiam cogere debemus fratres ad corporalem requiem contra ipsorum voluntatem.

Monebat, vt si fieri posset, quotidie communicarent monachi, ne, *qui se faciat longe ab his, longe fiat à Deo.*

Quare 4 & 6. feria ieiunandum est.

Ieiunia legitima. i. quartæ & sextæ feriæ dicebat non esse soluenda, quia *quarta feria Iudas Domini traditionem cogitauit, & ipse Dominus sexta feria crucifixus est.* Videbiturque, qui in his diebus sine aliqua necessitate soluit statuta ieiunia, vel cum tradente, tradere saluatorem, vel cum crucifigente, crucifigere. Si ergo his diebus superuenerit aliquis, ponenda est mensa ei soli, quod si noluerit, non est cogendus.

De Euagrio, Pallidio Mela, & Paulo.

Cap. LXIX.

Euagrij monachi vita.

SOcrates *lib. 6. cap.* 18. Erat tunc tēporis Euagrius duorum Machariorum discipulus, à Gregorio Nazianzeno diaconus ordinatus, & cū eo descendens in Ægyptum & viros illos inspiciens, vitam illorū imitabatur. Hic Archidiaconus Gregorij aspectu erat pulcherrimus, & circa cultum vestis ornatus. Cumque eum quidam Senator zelotypus vxori suæ, nosset esse notissimū, mortem ei parabat; Euagrius autē vidit in somnis, quod quasi pro crimine cōprehensus esset, ferroq; vinctus pedes & manus ad suppliciū duceretur, quod dum fieret, quidam protulit euangelium, & promisit eum esse liberandum, si à Constātinopoli recederet. Idque compulit sibi iureiurādo promitti, & ille tactis euāgelijs, hoc se facere promisit, & vinculis solutus, experrectus est; & credēs visioni pericula declinauit, & venit Hierosolymam.

Is duos libros valde vtiles scripsit, quorum vnus est de actuali vita, intitulatus *Monachicus*. Alius appellatus, *Cognitionalis*.

Palladius.

Socrates vbi supra. Huius Euagrij discipulus fuit Palladius; cuius liber & de his, & de similibus affluenter loquitur.

Hic ait: *Oportet & discere quæ nescimus, & fideliter docere quæ nouimus.* Inter hos erat & Melas episcopus, ad cuius Ecclesiā cum venissent qui Episcopos Arianis resistētes exilio deportarēt, viderunt eum tanquam vltimum ecclesiæ ministrum candelas pręparantem, quē & interrogauerunt vbi esset Episcopus? At ille: Ego vos episcopo nunciabo. Tunc ex itinere fatigatos ad episcopi hospitium duxit, & posita mensa parauit vt valuit, post prandium se dixit esse episcopum. At illi mirati, propter reuerentiam dederunt ei fugam. Et ille: *Non declinabo*, inquit, *quod meis similes libenter patiuntur.* Huius Melantis frater fuit Salomon ex negociatore Monachus.

Paulus.

Paulus autē in Lybia quingentos monachos habuit, nihil operabatur, nec parciebat, nisi quòd comederet solum. Quotidie 300. orationes quasi in tributū Deo soluebat, & ne numero derelinqueret, totidem lapides ponebat; & ad singulas orationes lapides ponebat in sinu.

De Abbate Hor, & sancto Coprete.

Cap. LXX.

Vita Abbatis Hor.

HIeronymus *in vitis patrum*. Sanctus Hor apud Thebaidam erat nonagenarius, barba prolixa, vultu & aspectu lætissimus, litteras primo ignorauit, sed data est ei diuinitus gratia, & oblato codice à fratribus, quasi olim iam sciens litteras, legere cœpit.

Consuetudo ei erat non prius corporalem cibum sumere, quam spiritualem Christi cōmunionem accipere.

Idem Hor dixit ad discipulū: Vide ne aliquando alienum verbum adducas in cellam istam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Beno.

Vidimus & alium ſenem BENVM nomine, manſuetudine omnes homines præcellentem, de quo dicebant, quod neque vnquam iurauit, neque mentitus eſt, neque iratus, nec ocioſum aut ſuperfluum protulit ſermonem.

Legitur de ſancto Hor, quod hic cum iam multos annos in eremo peregiſſet, apparuit ei Angelus dicens, quotcunque in hac vita poſitus conuerteris ad ſalutem, ſuper tot principatum accipias in futuro: multa autem millia hominum per eum conuerſa ſunt.

Quoties frater aliquis venit, volens in eremo morari, ſibi cellulam parauit, & ſupellectilia dedit. Quodam autem tempore, vt ipſemet retulit, ſub nomine alterius, venerunt Dæmones in ſpecie cæleſtis militiæ, tanquã magnum regem in curru deducẽtes, iſque qui à cæteris vt Rex habebatur, dicebat ei: O homo impleſti omnia, ſupereſt vt tantum adores me, & transferam te in cœlum ſicut Eliã. Quod audiens, cogitauit: quid eſt hoc? Nonne ergo quotidie *Saluatorem meum & Regem adoro*? hic ſi eſſet ille, non à me poſceret, quod indeſinẽter me facere ſciret. Tunc ait: *Ego Regem meum habeo, quem quotidie ſine intermiſſione adoro, tu autem non es Rex meus*: & continuo Dæmon euanuit.

Diaboli phãtaſiam egregio reſponſo refellit.

Hic etiam ſanctus tribus annis pane Angelorum vixit, nullum cibum terrenum ſumens; ſed Angelus eidem de cœlo tertia die afferebat.

Per tres annos nullum cibum terreni ſumpſit. Cæleſti eſca poſt triduum paſcitur.

Dicitur etiam, quod fratres cum eo commorantes ſæpe Angelorum aſpectum in eccleſia canentium hymnos & laudes peruigiles viderent.

Copres.

Erat inter alios Copres Presbyter annorum circiter 80. Hic interrogatus de Melchiſedech, tundebat os ſuũ dicens: Væ tibi Copres, quia quæ tibi mandauit Deus vt faceres, dereliquiſti, & quę à te non requirit, illa ſcrutari præſumis. Eius olera cum quidam gentilis furatus eſſet, non poterãt coqui nec aqua calefieri; quod fur vidẽs retulit quæ abſtulit, & factus eſt Chriſtianus, eadem nocte venerunt fratres, quibus olera collecta fuerunt neceſſaria, vnde ſanctus Copres domino duplices honores retulit.

De Sancto Mutio eremita.

CAP. LXXI.

Mutius latro.

HIc narrabat nobis, quod primus in illa eremo fuit quidam Mutius, homo ſanctiſſimus, qui primo fuerat latro maximus, & ſepulchrorum violator, in omnibus flagitijs opinatiſſimus. Qui cũ quadam nocte ad quãdam virginẽ Deo ſacratam per tectum cum quibuſdam machinis vellet irrumpere, difficultate perpetrandi operis fatigatus ſomno opprimitur, & per viſũ ſibi aſſiſtere videt quendã regio habitu, dicentẽ: Deſine iam ab his flagitijs, & ab hac effuſione humani ſanguinis, & ab execrabilibus furtis; ad laborẽ conuerte vigilias, & ſuſcipe angelicã cæleſtemque militiam: & ego te huius ducem militiæ & principẽ faciam: & ecce oſtenditur ei exercitus monachorum, & principatum ſuper eum tenere iubetur. Euigilans, aſtantem vidit virginem requirẽtem quis eſſet, & cur & vnde veniret? Et ille quaſi amẽs effectus, nihil reſpõdit: niſi hoc tãtummodo vt ei eccleſiam oſtenderet: quem illa duxit ad eccleſiam, & obtulit preſbyteris, quorum ille pedibus proſtratus rogabat ſe chriſtianum fieri: & locum pœnitentię dari. Illi autem primi pſalmi tres primos verſus tradũt ei, quos ſibi dixit ſufficere: tribuſq; diebus permanens apud eos, profectus eſt ad eremum, vbi plurimo tempore demoratus eſt, cibum ex radicibus herbarum capiens. Rediens autem ad preſbyteros reddidit verſus ſuos tam verbis quam operibus; permanenſque apud eos hebdomada vna, redijt ad eremum, vbi per 7. continuos annos in omni gratia degens, plenitudinem gratiæ conſecutus eſt, ita vt omnes pene ſcripturas memoriter teneret: cibum die dominica tantum ſumebat diuinitus delatum, qui ei ſufficiebat vſque ad alteram dominicam.

Diuinitus conuertitur in actu.

Deduci ad eccleſiam pollulat.

Tribus primi pſalmi verſiculis inſtructus ad eremũ abit.

De Miraculis eius quæ narrauit ſanctus Copres.

CAP. LXXII.

CVM autem diligentiſſime ſepeliendis mortuis indumenta aptaret, ait ad eum quidã adoleſcens eius diſcipulus: Vellem vt me mortuum ita indueres; plane, inquit, faciam, & tam copioſe induam donec dicas: ſufficit. Poſt non multum temporis, ille defunctus eſt, quo induto, ait ad eum coram omnibus: ſufficiũt hæc tibi ad ſepulturã, ô filiole, an adhuc vis vt aliquid addamus? At ille obuoluta iam facie, vultuq; cõſtricto, dixit omnibus audientibus: ſufficit pater, impleſti quod promiſeras.

A mortuo diſcipulo reſponſum audit.

Pergens autem aliquando ad viſitandos fratres quos inſtituerat, reuelatum eſt ei à Domino: quod quidam ęger moriturus eſſet in proximo, hora iam erat ad veſperam. Cumque videret ſolem iam demergi ad eum ait: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſta paulliſper in itinere tuo, & expecta me donec ad vicum perueniam*; quod & factum eſt. Ingreſſus autem domũ fratris: pro quo feſtinauerat, inuenit eum iam defunctum & oratione facta, accedens ad eum oſculatus eſt eum dicens in lecto: Quid magis deſiderij habes, abire & eſſe cum Chriſto, an permanere in carne? Tũc ille recuperato ſpiritu, paululũ reſedit dicens: Quid me reuocas pater? melius eſt mihi abire & eſſe cum Chriſto: permanere autem in carne quid mihi eſt neceſſariũ? Dormi, inquit, in pace fili, & ora pro me, At ille continuo ſe reclinans in lectulo, dormiuit.

Solem ſiſtit ne noctu ambulet.

Oſculatus fratre mortuum ab eo de vita deſiderio reſponſum expoſcit

Alium fratrem decumbentem cum vidiſſet mortem difficiliter accipere, increpauit dicens: Cur imparatus es ad profectionẽ? At ille: Oro pater, vt intercedas pro me, quatenus mihi paruum tempus ad pœnitentiã dominus largiatur. Cui ſanctus: Nunc, inquit, ſpatium pœnitẽtiæ requiris, vbi vitæ tempus impleſti; quid faciebas in hoc omni vitæ tuæ tempore? nõ potuiſti vulnera tua curare, quinimo recentiora ſemper addebas. At ille, eum permanebat exorans: ait ad eum Mutius; ſi vltra non addas tuis malis mala, orabo pro te dominum, & cum oraſſet, ecce tres annos conceſſit tibi Dominus. At ille ſurgens ſine aliqua dilatione, ſecutus eſt eum ad deſertum. Expletis autem tribus annis reduxit eum ad locum vnde eum aſſumpſerat, ſtatuitque eum in medio fratrũ, atque ex ipſo, materiam de fructibus pœnitentiæ, produxit ad fratres. Ipſo aute ſermone faciente, cępit frater ille quaſi paululũ dormire: & continuo in perpetuum quieuit. Iſte Mutius ſæpe trãſiuit. Nilum pedibus ſuis aquã habens vſque ad genua: frequenter ingreſſus eſt ad fratres oſtijs clauſis: & ad quemcunque locum voluit in momento temporis, quamuis longe poſitus, eſt euectus.

Inuocatus clauſis ſæpe ad fratres ingreditur.

De miraculis ſancti Copretis, & Abbate Elia.

CAP. LXXIII.

CVM hæc & multa alia Copres narraret; vnus ex nobis quaſi ad incredulitatẽ eorum quæ dicebantur, tædere cæpit, & præ tædio dormitare. Et ecce vidit per viſum librum aureis literis ſcriptũ in manibus Copretis, vnde narratio ſenis deduci videbatur, & vocem cuiuſdam viri canicie venerandi, dicentem ſibi. *Cur non audis intente quæ recitantur tibi, ſed incredulus dormitas*? Homines autem regionis illius arenam, quæ à ſancto calcabatur & benedicebatur, aſpergebant per agros, vt terræ ſterilitas auferretur.

Dictorum authoritas.

Hucuſque verba Copretis de Mutio.

Vita Copretis.

Hic Copres inueniens Manichæum ſeducentem plures, nec potens eum verbis excludere, ait ad populum: Accendite ignem plurimum, & tunc ambo intremus in flammam, & ſiquis exuſtus non fuerit, huius vera eſt fides. Quo facto ſenex apprehendens Manichæum, cæpit pertrahere eum ad ignem: non, inquit, ita, ſed vnuſquiſque noſtrum ſingulariter ingrediatur, primus tamen intrare debes, qui hoc ipſum propoſuiſti. At ſenex *in nomine Chriſti ſe conſignans*, ingreſſus eſt flammam, quæ huc & illuc diuiſa, nihil ei nocuit, & ſtetit ibi dimidia fere hora. Quod videns populus, cõpulit alium intrare: at ille cępit ſubſiſtere & ſubtrahere ſe. Illi vero apprehendẽtes eum, in ignẽ proiecerũt, deinde cum dedecore fugarunt.

Illæſus in igne perſtat Copres ob fidei integritatem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Elias cẽtum & decem annorum. Dicta Elie.

Idẽ vero narrabat fuisse in finibus Antinoi ciuitatis, quæ est Metropolis Thebaidis, Eliam 100.& 10.annorum senem, quorum, 70.in solitudine transegerat. Hic dicebat: *quodcunque vitium propriæ passionis abieceris, eius vitij dæmonem etiam de obsessis corporibus poteris effugare. In vitis patrum.* Dixit Elias; tres res timeo: Vnam, quando anima mea egressura est de corpore meo:alterã quando occursurus sum iudici: tertiam quando proferenda est de me sententia.

Ad hunc Eliam qui peccantem nolebat suscipere, dixit Antonius: Nauis pelago faciẽs naufragium perdidit quod portabat,& vacua vix peruenit ad terrã; cur ergo liberatam in terra vultis submergere.

Idem Elias dixit: Pallor cum humilitate, & macies, decus est monachi.

Idem. Monachus edens multum, & operãs multum, non confidit; qui vero parum edit,etsi parum operatur; confidit & viriliter agit.

De Abbate Syro & Paulo & Isaia.

CAP. LXXIIII.

Syrus,Isaias, & Paulus oratione nauigij ad iter impetrãt suffragium.

Hieronymus. Beatus autem Copres inter cætera miracula quæ narrauit, addidit etiam de beato Syro & Paulo & Isaia; qui cum aliquando ad ripam fluminis sibi inuicem occurrissent,vt fratrem quendam visitarẽt, nomine Anuph, & deprecantibus illis dominum, ne in via impedirentur:ecce nauicula eis apparuit, quã ascendentes, iter quod tridui erat, in vna hora perfecerunt. Cumq; applicuerint, dixit beatus Isaias:Dominus ostẽdit mihi virum ad quem imus occurrẽtem, & dicentem vnicuique nostrum secreta cordis nostri; & Paulus ait: Et dominus ostendit mihi:quod post triduum morietur homo ille.

Cumque ad monasterium à flumine iter incederent, occurrens eis Anuph, & benedicens eos, post de vniuscuiusq; meritis patefecit. Dixit ei Paulus,quia nouimus te post triduum decessurum à mundo,tu nobis de actib. tuis quibus Deo placuisti, ad memoriam,& corroborationem fidelium narra. Qui ait: ego nihil vnquam magnum feci, hoc tamen custodiui; *semper in persecutione, Saluatoris nomen confessus sum,nunquã mentitus sum,nunquam terrena desiderare volui,nunquã gratia Christi mihi defuit: sed omnem cibum quem desideraui, Angeli mihi afferebant,nihil eorum quæ in terris fiunt,occultauit à me Dominus:nunquam somnum appetij,sed semper eum videre,sed & Angelus Dei semper mihi astitit, qui omnia quæ in mundo geruntur, ostendit. Vidi etiam cætus iustorum Martyrum & monachorum sanctorum, quorum opus semper est laudare Deum & benedicere in simplicitate cordis & fidei. Econtra vidi Sathanam & Angelos eius in æterna pœna ignibus tradi.*

Minister io angelorum nutritur Anuph.

Sanctorum gloriam, & dæmonum cruciatus vidit.

Cumque hæc & alia per triduũ eis narrasset,spiritum tradit in manus Angelorum,videntibus illis,delatum in cœlum & laudantem Deum cum Angelis atque canentem.

De Sancto Heleno & eius miraculis.*

* Alias Hellen dicitur.

CAP. LXXV.

Onager Heleno sarcinam deferendo obedit.

DE sancto autem Heleno dixit, cum diu in eremo habitasset,voluit fratres visitare,quibus attulit cibaria: cumque in medio itinere pondere eorum grauaretur,vidit onagros per eremum discurrentes, quorum vnũ vocauit dicẽs:*In nomine Domini mei.Iesu Christi,veniat vnus vestrũ & ferat sarcinã istã.* Et cõtinuo vnus accessit, ipsumq; simul cũ sarcina velocissime ad fratres detulit.

Alio quoque tẽpore visitans fratres inuenit eos non adeo solẽniter celebrare diem dominicum,vt deberent; agnita causa,s. quia non habebant sacerdotẽ, quia trans flumen quoddam manebant, quo nemo venire poterat propter Crocodilum,qui in medio occidebat homines. Ait senex:Ego vadam propter sacerdotẽ. Tunc veniens ad aquã,vidit Crocodilũ venientẽ & supponentẽ se sibi, & ascendit super eũ, & citò deuectus est ad cellã sacerdotis,quem adduxit secum ad aquã vt transiret. Dumq; Sacerdos nõ adesse caussaretur nauigium,respondit:Ne timeas,paratum est, & voce magna Crocodilũ vocauit, & dorsum eius ascendit; presbyter vero solo visu bestiæ perterritus aufugit,nec vllatenus voluit accedere. Tunc vir sanctus solus transuectus est,& cum à bestia descendisset,ait:*Melius est tibi mori,quàm tot scelerum reatu inuolui;* & continuo expirauit.

Solo verbo noxium Crocodilum perimit.

Contigit etiam:vt quidam adolescens illum maxime deprecaretur,vt eũ posset imitari ad eremum; quo impetrato tandem secutus est eũ. Hunc cũ Dæmones turpibus fornicationibus & cogitationibus affligerent;citò ad sanctum Helenum aufugit,confitens ei peccatum & illusiones. Tũc vir Dei digito suo circunducto in arena circa cellulam adolescentis, circulo prohibuit *in nomine Domini Iesu*,ne Dæmones statutum limitem transgederentur:& ita virtute verbi,de cętero adolescens securus in spelunca permansit.

Dæmonibus ne iuniorem fratrem tentent limites figit.

Hic etiam aduenientibus fratribus, non habebat quid eis apponeret, sed solebat iuuenem videre sibi deferentem cibaria quæcunque appeteret; quibus ante cellam depositis iuuenis non comparuit.

De sancto Abbate Paphuntio.

CAP. LXXVI.

Paphuntius orat, vt reueletur ei is cui sit similis.

Hieronymus in vitis patrũ. Vidimus & monasterium Paphuntij, qui & habitator erat vltimi deserti in regionibus Heracleos,splẽdidę apud Thebaidam vrbis. Hic cum multo tempore angelicam vitam duxisset,oratione facta ad dominum,vt ei ostenderet cui sanctorum similis esset,affuit ei Angelus dicens;similẽ esse cuidam symphoniaco,qui in vicino loco cãtãdi arte victũ quęsiuit. Tunc vir Dei inuẽto illo, vitã eius scrutatus inuenit eũ primo fuisse latronẽ, & inter cætera mala,duo laudabilia gessisse. Ait enim:Cũ ego & socij mei virginẽ quãdã rapuissemus, & socij mei corrumpere eã voluissent: ego de manibus illorũ rapui,& intactam domui restitui.

Symphoniacus Paphuntio aquiparatur.

Alio quoque tẽpore vidi mulierem in eremo honestæ formæ errantẽ; cumque hãc mihi causam diceret,quod vir suus cũ duobus filijs suis incarceratus esset propter debitum fiscale, & ipsa etiam ad cõsimiles pœnas quæreretur,& ideo sic oberrabat:ego duxi eam ad spelũcam meam,& animam eius post triduum fame collapsam refeci,& dedi ei 300.solidos, quibus postmodũ virũ suum & filios liberauit. His auditis vir sanctus dixit se nunquã tale fecisse. Adiungens,quia ergo non minimo loco haberis apud Deum, sequere ipsum. Tũc ille cito de manibus proiectis fistulis,secutus est eum. Ac trienniũ in maxima abstinentia continuauit, & sic inter manus Angelorum reddidit spiritum.

Symphoniacus afflictam faminam eleemosyna iuuat.

Triennalis eius pœnitẽtia. Beata mors.

Tunc orauit sanctus Paphũtius vt ante; cui Angelus dixit esse se similẽ primario cuiusdam vici. Ad que cum vir Dei venisset,cum magna reuerentia susceptus est:Et eius vita requisita vix impetrare potuit, vt sibi eã referret. Tandem ait:Quoniã vir Dei sanctus es,ideo cunctis alijs occultata,tibi pandã licet minima sint:Ego vxorem duxi tãtummodo causa prolis, ex qua tres filios suscepi; iam 30.anni transacti sunt,ex quo vltimus natus est, nec postea ipsam vel aliã noui, similiter nec ipsa alium virũ. Addidit etiã quod suscipere hospites nõ cessabat,hospitem sine viatico nunquã dimittens:in iudicio nunquam personã acceperat,litigantes nunquã pręteriens,nisi eos concordasset,nunquã greges eius alienas fruges læserãt; volẽtem seminare in agro tuo,nunquam prohibuit,meliora noualia illi relinquens quantũ in se fuit: nunquam permisit, vt potentior inferiorẽ premeret; sed studebat vt neminẽ contristaret. Et quid plura,inquit,omnia opera misericordiæ in quantum potui, vel in quantũ audire potui hominem fecisse,quantum in me fuit,expleui.

Vici cuiusdam primarius aquiparatur Paphuntio.

Hæc audiẽs vir sanctus,ait:nihil tale feci:igitur restat tibi vt nudus nudum Christũ imiteris. Quo audito statim abijt,nec post multum tempus vir sanctus sedens in cella sua vidit animam illius ab Angelis delatam; & statim adijt cellam illius,quæ non lõge erat à sua,& inuentũ corpus sepeliuit, & seipsum maiorib.exercitiis dedit.

Bonorũ omnium summum sæculi contemptus.

Tertio orauit sanctus sicut prius: & tunc ei Angelus ostendit viam:qua incedens inueniret sibi similem:tunc procedens vir sanctus, inuenit mercatorem duas naues

Negociator Alexãdrinus Paphuntio assimilatur.

haben-

habentem, in quibus habuit 30. millium ſolidorum ad mercaturam. Quem cum videret ſanctus ait. Relinque hęc quæ de terra ſunt, & cęleſtibus te iunge, & ſtatim ille acquieuit, poſt aliquod tempus conſummatus & congregatus eſt ad congregationem iuſtorum: & non multo poſt, aſtitit Angelus Paphuntio dicēs: *Veni benedicte, ingredere æterna tabernacula tibi debita.* Tūc vnā diē poſtea agens presbyteris aduenientibus ait: *Nemo ſiue fur ſiue mercator debet contemni, quia in omni gente habet Deus animas aliquas ſibi placentes.* Et poſtquā virtutes à Deo ſibi datas narrauerat, vitam finiunt præſentem, & ingreſſus eſt æternam.

Ab Angelo vocatur Paphuntius.

Nemo in hoc ſaculo deſpiciendus.

Idem Paphuntius propter latrones, contra propoſitū ſuum bibit vinum, & ſic lucratus eſt eos.

De Thaiſe meretrice conuerſa

Cap. LXXVII.

Thaiſis multos inuenes peruertit.

EX geſtis eius. Fuit eo tempore puella quędam nomine Thaiſis, decora nimis: quam mater eius à parvula ſtatuit in proſtibulo, factaque eſt famoſiſſima meretrix. Multi enim etiam è longinquis regionibus ad eam confluebant, ſed & amatores eius pro zelo litibus inter ſe conſertis, frequenter eius limina ſanguine repleban t. Quod cum audiſſet Paphuntius Abbas, ſumpto habitu ſæculari, & vno ſolido, profectus eſt ad eam: quam vt vidit, protinus proferēs ſolidum ei dedit. Quæ accepto pretio, ait: Ingrediamur domum. Cumque ingreſſus eſſet, inuitatus ab ea, vt lectum pretioſis ſtibus ſtratum aſcenderet: dixit ad eam: *Eſt hic aliquis locus ſecretior?* Ait illa eſt. Et ſenex: in illum ingrediamur. At illa ſi hominem veteris, nullus te in hoc loco conſpicit: Si verò Deum metuis, vbicunque fuerimus inſpicit Deus: Cui ſenex: Scis eſſe Deum? Illa reſpondente, ſe ſcire Deum, & eius regnum futurum, tormenta quoq; peccatorum. Senex ait, Si ergo noſti, cur tantas animas perdidiſti, & nunc non ſolum pro anima tua, ſed etiam pro illorum ratione redditura damnaberis? Illa hæc audiens pedibus eius prouoluta, cum lachrymis trium dierum inducias petiit, poſt quos factura eſſet quicquid ei præciperet. Qui cum ei locum conſtituiſſet: vbi venire deberet, illa collectis omnibus, quæ ex peccato lucrata fuerat, perlatiſque in medium ciuitatis, populo ſpectāte combuſſit: & poſt hæc ad locum, quem Abbas ei conſtituerat, perrexit: quam ille, reperto virginum monaſterio, in cellulam paruam recludens, oſtium plumbo ſigillauit, & paruam feneſtram reliquit, per quam ei cibus modicus inferretur. Iuſſitque illi quotidie parum panis aridi, & paululum aquæ miniſtrari, atque quærenti quomodo deberet orare Deum. Reſpondit: Non eſt digna Deum nominare, ſed tantum inclūbens, contra orientem reſpice, hunc ſermonem frequēter iterans: *Qui plaſmaſti me, miſerere mei.*

Paphuntius conuerſioni eius intedit.

Conuerſionis occaſione ex verbis eius captat.

Peccati pretium in media ciuitate exurit.

Oratio Thaiſis.

Igitur tres annos concluſam Abbas Paphuntius condoluit, profectuſque eſt ad Antoniū, vt ab eo requireret an Deus peccata ſua illi dimiſiſſet. Cumque iubente Antonio diſcipuli eius nocte ſinguli ſingillatim oraſſent inceſſanter, vt Deus alicui ex eis, cauſam illam declararet. Cito vidit Abbas Paulus lectū in cœlo pretioſis veſtibus adornatū, quē tres virgines clara facie tenentes tres lampades ante eum cuſtodiebant, eratque ſuper eū lectum corona immarceſſibilis poſita. Cumque Paulu eis diceret, non eſt hæc gloria niſi patris mei Antonij. Ad hæc vox diuina reſpondit: Non eſt patris tui Antonij, ſed Thaiſis meretricis. Quod cum manc facto Paulus retuliſſet, cognita Dei virtute, Paphuntius cum gaudio diſceſſit, & mox pro fectus ad locum, oſtium quod plumbo ſignauerat, diſſipauit, dixitque beatæ peccatrici: *Egredere, quia remiſit tibi Deus peccata tua.* At illa: Teſtor, inquit, Deum, quia ex quo huc ingreſſa ſum, ex omnibus peccatis meis quaſi ſarcinam mihi feci, & ante oculos meos ſtatui, & ſicut non diſceſſit anhelitus de naribus meis, ita nec quidem vno momento vſque ad hanc horam peccata mea à me receſſerunt.

Viſio Pauli de Thaiſi loco præparato.

Memoria peccatorum exanimo cōtrito, magis delet peccata quam corporalis afflictio.

De Sancto Baſilio Cæſarienſi epiſcopo.

Cap. LXXVIII.

EODEM tempore Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ clarus habitus eſt, cuius vitam mirabilē deſcripſit ſanctus Amphilochius Iconij epiſcopus.

Amphilochius Hic Baſilius, cum olim eſſet ſeptennis, à parentibus litteris philoſophicis deditus, poſtea matrem verborum Athenas apprehendit, ibi cum Gregorio Naziāzeno poſtea epiſcopo, & Iuliano, & Libanio ſtuduit in doctrinis Græcis, ibique nullatenus inuenire valens omnium creatorem, quadam nocte vigilantem, eum diuinus quidam fidei ſplēdor accendit, vt perluſtraret totius religionis ſcripturam. Profectuſque in Ægyptum libros ſacros petijt, & diuinorum meditationi vacauit: reuerſuſque in Græciam multis philoſophis viā ſalutis oſtendit: inter quos Eubulum præceptorem ſuū requirens, inuenit diſputantem, reprehenditque eum: hi autem qui cum eo erant, *quis reprehendit te*, inquiunt, *ō Philoſophe?* Qui reſpondit, aut Deus, aut Baſilus. Conuerſuſque ab Baſilium ait, quæ eſt definitio philoſophiæ qui reſpondit: Prima definitio philoſophiæ eſt, *meditatio mortis.* Et ille admirans ait: *Quis eſt mundus?* qui reſpondit: *qui eſt ſuper mundum, & dulces quidem ſunt mundi ſermones*, Amarus autem eſt mundus ei qui continet eū vitioſe. Et alia eſt voluptas corporis, alia ſpiritus, & ſimul hæc ineſſe non poſſunt cuidam. *Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire.* Tribuſque diebus incibati conquirētes manſerunt.

Diuinitus monetur ſacram ſcripturam legere.

Math. 6.

Tunc Eubulus cognita ab eo via veritatis, humiliauit ſe ſub eo, offerens ſe & ſua, venditiſque omnibus quæ habebant, & datis pauperibus vt irent in Hieruſalem, veniunt Antiochiam, vbi Libanio Sophiſtæ & diſcipulis eius, cum verbum fidei prædicaſſent, Venerunt Hieruſalem, vbi ab epiſcopo Maximino regenerationem præſtari, petentes, veniunt cum eo ad Iordanem, & orauit Baſilius ſignum reuelari fidei eius. Tunc venit ſuper eos fulgur & columba ex eodem fulgure: quæ turbans aquam reuolauit in cælum. Et poſt annum baptizati redierunt Anthiociam, vbi ſub Melecio epiſcopo diaconus conſecratus eſt Baſilius. Deinde Cæſaream illis adeuntibus nocturna viſione reuelatus eſt Euſebio Epiſcopo aduentus eorum, & quia ſucceſſor eius fieret Baſilius, quod non multo poſt factū eſt. Et conſecratus petijt à Deo ſibi dari gratiam & intellectum propriis ſermonibus offerendi ſacrificium altaris, Et poſt ſex dies in extaſi factus eſt, in aduentu Spiritus ſancti & ſeptimo die miniſtrare cępit. Quadam nocte aduenit ei Dominus Ieſus in viſione cum Apoſtolis, faciens propoſitionem panis in altari, & excitauit eum dicens: *Repleatur os tuum laude, vt ſingulis diebus offeras mihi ſacrificium.* Qui non ferens oculis viſionem, neceſſit ad altare, & ſic ſcripſit in carta, *Repleatur os meum laude, vt hymnum dicat gloriæ tuæ.* Et poſt finem orationis exaltauit panem, & diuidens in tres partes, vnam communicauit, aliam reſeruauit conſepelire ſibi: tertiam imponens columbæ aureæ, quę ſuper altare pependit. Ex exeunte eo Eubulus & cleri princeps, qui ſtabant ante portam templi proſtrati, coram eo dixerunt ſe vidiſſe lucem intelligibilem in templo, & viros candidatos, & audiſſe vocem populi glorificantis Deum. Et congregata multitudine ad diuinum myſterium in eccleſia: quidam Hebræus myſterium officij explorare volens, permiſcuit ſe populo. Et vidit infantem partiri in manibus Baſilij, & accedens cum alijs ſumpſit vere carnem Domini. Quod indicans vxori ſuæ, baptizatus eſt cum omni domo ſua.

Baptiſmus Baſilij fulgure & columba firmatur.

Cæſarienſis epiſcopus creatur.

Diuinitus edocta Euchariſtiam ſcribit.

Clariſſimo lumine & Angelis circundatur Baſilius ſacrificans.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De seruo, quem à potestate Diaboli liberauit.

Cap. LXXIX.

QVidam etiam Senator nomine Proterius suam filiam voluit Deo consecrare: cui inuidens diabolus, vnum de seruis suis ad amorem eius incendit. Qui alloquens incantatorem vnum, accepit ab eo epistolam dicentem: Vade & sta super monumentum gentilis nocte, & exalta chartam in aere, & astabunt ibi dæmones qui adducent te diabolo. Quo facto diabolus legens epistolam ait, *credis in me?* qui respondit: *credo.* Et ille: *abrenuncias Christo?* qui ait, *abrenuncio.* At ille: perfidi estis vos christiani, qui quando opus me habetis, venitis ad me: sed post completa desideria vestra reuertimini ad Christum vestrum, qui benigne suscipit vos, sed fac mihi manu scriptam Christi tui & baptismatis abrenunciationem voluntariam & professionem mei, quam habeam in die Iudicij: & statim complebo desiderium tuum, quod & fecit.

Proterij famulus filiam heri deperit.

Abrenunciãs Christo diaboli operam quarit.

Tunc immisit spiritus fornicationis ad puellam & inflammauerunt eam in amorem iuuenis, quæ proiiciens se in terram, cæpit clamare ad patrem: *miserere mihi pater, quia torqueor propter talem puerum, continge me illi, alioquin moriar.* Ille vero multis precibus & blanditijs nullatenus valens resistere, dedit eam puero. Qui post modicũ tempus à quibusdam designatus est ecclesiam non intrare, nequesacra communicare, & dixerunt coniugi eius: Scis quia vir tuus non est Christianus, sed alienæ fidei? Tunc illa dolore repleta prostrauit se, & cæpit vngulis se discerpere, & pectus tundere clamans: *Heu cur nata sum?* Ad quam vir eius accurrens non esse verum quod audierat, contendebat. Tunc illa in consolationem veniens ait: Si vis mihi satisfacere, cras eamus simul ad ecclesiam & coram me participa sacrum mysterium. Tunc coactus dixit eis sententiam capituli. At illa cucurrit ad sanctum Basilium narrans ei gestorum ordinem, qui vocans puerum, scisitatus est ab eo si ita esset, & ille cum lachrymis retulit omnia. Cui sanctus, *vis reuerti ad Deum?* Qui respondit, *volo sed non valeo, quia scripto abnegaui Christum, & professus sum diabolo.* Cui sanctus, non sit tibi curæ, *Benignus est Deus.* Et iterum: *Credis saluari?* Qui respondit: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Tunc recludens eum, facto signo crucis, in sacrario, collaborabat ei per tres dies. Post quos visitauit eum dicens: Quomodo habes fili? Qui ait, sancte Dei, non fero clamores dæmonum & terrorem & lapidationes tenentium manu scripta mea, & dicẽtium: *Tu venisti ad nos, non nos ad te.* Cui sanctus: *noli timere, in Deum crede*: & dans ei modicam escam *cum signo crucis Christi reclusit eum.* Et post paucos dies visitans, ait: *Quomodo habes?* qui respondit: *à longe clamores eorum audio & minas, sed non video eos.* Et iterum dans ei escam, & recludens abijt: 40. die reuersus ait: *Quomodo habes frater?* Qui respondit: *bene, sancte Dei, vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, & vincentem diabolum.* Tunc vir sanctus vocans omnem clerum, monuit vt orarent pro eo illa nocte. Apprehensumque puerum ducebat in ecclesiam. Quem etiam diabolus visibiliter apprehendẽs conabatur rapere eum de manu eius, ita vt virum sanctum compelleret trahens puerum: cui ait: præiudicas me ô Basili, ego enim non veni ad eum, sed ipse ad me: & ecce manu scriptam cartulam quam ego ad iudicium fero. Audiebant etiam plurimi vocem eius, clamante populo *kyrie eleison.* Cui sanctus: *Benedictus Deus non deflectet populus iste manus ab altitudine cæli, donec reddas manu scriptam.* Et orante diu populo manibus extensis in cælum: ecce manu scripta per aerem delata ab omnibus visa venit, & in manibus Basilij posita est. Qui gratias agens, ait puero: *Cognoscis has litteras?* Qui respondit: *Et iam pater de manu mea scriptę sunt.* Et disrumpens eas reddidit eumconiugi suæ, dans ei regulam decentem.

Inflammatur herilis filia in amorem famuli.

Maritus abhorret à Sacramento Eucharistiæ.

Vxor maritum ad Eucharistiam inuitat.

A Basilio opem flagitãt.

Varie à dæmonibus infestatur.

Post 40. dies educitur.

Conflictus Basilij cum dæmone.

Chirographũ miseri recipit Basilius.

De Presbytero Anastasio & eius leproso quos Basilius visitauit.

Cap. LXXX.

SAnctus quoque Basilius quadam die splendore diuino illustratus, exiuit de ciuitate sua, dicens quibusdã ex discipulis suis: filij sequimini me, vt videatis meccũ *gloriam Dei*, & admiremur de discipulis magistrum. Cognouit & hoc virtute Spiritus Sancti presbyter Anastasius, qui habebat vxorem 40. annis secum in virginitate cohabitãtẽ, & ipse quotidie in pane & aqua ieiunabat præter Sabbatũ, & diem dominicã, dixitq; mulieri sorori suæ vsu: ego vado agricolari, tu surge & orna domum & circa horã nonam thuribulũ & cereos accipiens, vade obuiam sancto Basilio archiepiscopo, venit enim diuertere in domum peccatorum. Quod cum illa cum veneratione & timore fecisset, Sanctus pater data ei benedictione ait: Quomodo habes domina Theognia? Quæ expauẽs in vocatione nominis sui dixit: bene sancte Dei. Qui ait, vbi est dominus Anastasius frater tuus? Quæ respondit: domine vir meus est, & abijt agricolari. Qui dixit: in domo tua est. Expauens mulier his verbis, & stupefacta, cecidit in terram clamans: *Sancte Dei ora pro me peccatrice, quia magnas & admirabiles in te video causas.* Qui faciens super eam orationem coram omnibus ait: Extende pannum inter brachia tua, & cum extensisset eum, iussit effundi carbones de thuribulo in pannum, & super ponẽs incensum ambulabat præcedens eos. Venientibus ergo in domum presbyteri, obuiauit & ipse, & osculatus sanctos pedes, ait, vnde mihi vt veniat sanctus Dei ad me? Cumque abiissent in ecclesiam iussu archiepiscopi Presbyter ad sanctum mysterium stetit, & dum ministraret, vidit sanctus Basilius, & quidam de dignis, tempore exaltatiouis corporis Dominici Spiritum sanctum descendentem in specie ignis, & circundantem Presbyterum & altare. Cumque communicassent & ad domum rediissent, accipientibus illis escam, dixit ei sanctus Basilius: Enarra mihi vnde tibi thesaurus iste, & quæ est vita tua? Qui respondit: Ego peccator sum subditus tributis publicis, habens iuga boum duo, vnum ad ministrationem peregrinorum, alterum ad ministrationem vectigalium, & est coancilla mea mulier ista, quę ministrat pauperibus & mihi. Dixit ei sanctus: voca eam sororem tuam, sicut & est, & enarra mihi virtutes tuas. Qui ait, Non habeo quicquã boni, & alienus sum ab omni virtute. Tũc duxit eũ sãctus ad vnã è cellulis domus, & dixit ei. Aperi mihi ostium. Qui cum nollet aperire, dicens esse necessarium domus, Sanctus aperuit illud sermone, & introiens inuenit ibi leprosum pluribus corporis membris defluxum: dixitque presbytero. Cur voluisti occultare thesaurum tuũ illum? Qui respondit: vere furiosus est & iniuriosus, ideoq; timui ne forte laberetur in sermonem. Cui ille, bene in illum certasti, sed sine me nocte hac ministrare ei, vt & ego mercedem recipiam. Tunc reliquerunt sanctum Dei in cellula cum leproso, clauseruntque ostium. At ille tota nocte faciens super eum orationem, sanauit eum: & educens eum, reuersus est in ciuitatem.

Anastasius Presbyter aduentantem Basilium diuinitus cognoscit.

Theognia Anastasij vxor vsu soror.

Insigne exemplum castitatis coniugalis quod miraculo probatum dum ignem sinu illaso gestat Theognia vti hic extat uribu'oprũna in sinum Theognię ad castitatis testimonium mictą, ita simile continẽtiæ exemplum habes de quodam Abbate qui Porphyriam meretricem conuertit.

Leprosus clãmouetur ab Anastasio.

Leprosum illum Basilius sanat.

De scriptis sancti Basilij, & regula eius.

Cap. LXXXI.

HIeronymus *de illustribus viris.* Basilius Cæsareæ Cappadociæ quæ prius Mazacha vocabatur, episcopus egregius contra Eunomium elaborauit libros, & de spiritu sancto volumen, & in Hexaemeron Homelias 8. exercitatorium & alios breues varioſque tractatus.

Author. De libris sancti Basilij hic apud nos, tantum hos reperi in Hexaëmeron libros 10. De institutione monachorum regulam in libro vno.

De libris quidem Hexaëmeron multa superius in o-

peribus

operibus nostris,diuersis locis excerpsi: de institutis autem monachorum ad ædificationem legentium & ipsius beati viri sanctitatem atque prudentiam innotescendam, hoc in loco quædam vtilia breuiter inserere volui.

*Basilius in regula sua cap.*1. Ea quæ nobis insita sunt, si recte & competenter moueamur in opus,hoc est secundum virtutem viuere: Si vero naturæ beneficia corrumpamus, hoc est in malitiam vergere.Est ergo mali definitio ista, non recte vti motibus animi à Deo nobis insitis. *Secundum virtute viuere quid?* Virtutis autem definitio eisdem motibus recte vti secundum mandatum Dei, & secundum conscientiam.Igitur affectu quodam naturali constringimur ad omne quod bonum putamus: sed & erga carnis nostræ propinquos (nullo docente) in amore constringimur, & his quoque quorum beneficia accepimus, omni affectu & officiis copulamur. Et quid habetur tam bonum quam Deus? Ineffabilem prorsus ego sentio amorem Dei,& qui sentiri magis quam dici possit. *Deus est omne bonum.* Quæ ergo Dominus in nobis virtutum semina seminauit, sine dubio horum fructum requirit.

De laude vitæ solitariæ & communis.

Cap. LXXXII.

Cap. 3. PLurimum autem prodest ad cõseruandam Dei memoriam secretius & remotius habitare: nec cum his qui negligentius agunt,viuere. Accidit enim hic,vt respiciens anima ad multitudinem nequiter viuentium, primo quidem impediatur, ne malorum suorum capiat intellectum,& possit quæ deliquit,per pœnitentiam purgare, vel causas culpæ viriorum emendatione rescindere, quia in comparatione pessimorum aliquid iam magni æstimat se perfecisse: deinde impeditur conturbationibus & occupationibus, quas communis vita hominum habere solet. *Malorum societas vitanda.*

Cap 4. Verumtamen in multis etiam video vtile esse, communem vitam ducere cum his qui eiusdem voluntatis sunt atque propositi plusquam solitariam. Primo quia etiam ad vsus corporales, victusque ministerium vnusquisque solus non sufficit, sed inuicem opera nostra indigemus, sed nec ratio charitatis permittit quod suum est quærere. Deinde nec culpas suas aliquis facile cognoscit, cum qui arguat nemo sit: in conuentu autem fratrum delinquenti delictum suum facile apparet,cum à pluribus arguitur vel notatur, sed & aduersus insidias dęmonum multo cautior est & vtilior societas plurimorum, quam solitaria vita. *Vtilitates vitæ communis.*

Cap. 9 Incontinentiæ signum est,inordinatis & incompositis motibus agere, in risu pariter cum vtique subridendo,tantummodo lætitiam mentis oporteat indicari. Indecorum est enim crepitantem cum sonitu cleuare risum, quod per incontinentiam mentis accidere solet etiam inuitis, quæ res grauitatem & constantiam animi emollire ac resoluere solet.

Cap. 10. Naturale est cibi desiderium,quoniam quidem corpus humanum semper exolescit, & defluit, iccirco repleri indiget cibis ac reformari. Si quid ergo illud est quod potest vel breuius vel facilius hanc replere necessitatem corporis,id potius in cibis eligendum est: sed & quæcumque manifestam alijs infestam inferunt noxam corporis, deuitanda sunt. Absurdum enim videtur propter substantiam corporis cibum sumere, & rursum propter ipsos cibos corpori perniciem inferre. Oportet tamen omni modo illis vti cibis, qui & facilius & vilius comparantur,vt non occasione abstinentiæ inueniamur pretiosiora quæque ac difficiliora sectari, dum suauitate condimentorum viles natura cibos in summum & delicatum saporem conamur extollere. *Vtilitas cibi fugitanda.*

Cap. 12. Vestimentum autem nobis tale eligendum,quo possit nuditas operiri, & vis frigoris atque omne quod extrinsecus lædit arceri; tale etiam quod nobis vsum exhibebat longiorem, ita tamen vt in nullo lædatur regula voluntariæ paupertatis, quod denique ad omnia nobis possit sufficere:& in die honestum appareat, & in nocte necessitatem expleat. Velut autem quidam Pedagogus est infirmis habitus ipse religionis, vt etiam inuitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat: non enim similiter turpe est in quolibet alio si inhoneste quid agat, sicut in his qui vitam sobriam etiam ipso habitu profitentur. *Religiosus habitus infirmioribus vtilis.*

Cum humilitate debet quis à fratribus obsequium *Cap.*30. suscipere,sicut seruus à domino, sicut Petrus à Christo: in quo simul etiam docemur eorum periculum,qui nolunt suscipere fratrum obsequium.

De Hypocrisi, & veritate vitæ,& obedientiæ.

Cap. LXXXIII.

INterdum quidem potest esse mali cordis bonitas simulata,bonum autem cor, malum non potest simulare;quia dicit Apostolus: *Prouidentes bona,&c.* *Rom.* 12.

Quid ergo est gaudium in domino? Hoc certe cum *Cap.* 37. secundum mandatum Dei gerimus, vel in gloriam Dei agimus,vel pro nomine eius gaudenter patimur, vel alijs recte agentibus congratulamur.

Manducat quis & bibit in gloriam Dei, si in memo- *Gaudere in Domino quid?* ria semper habeat Deum à quo pascitur,& si non solum anima,verum & corpore contestetur per singula se gratias agere, & se per eum manducare, & quasi operarium Dei ab ipso refici ob hoc, vt ad laborem vel expletionem sufficiat mandatorum. *Cap.* 38.

Quomodo autem apparet is, qui omnibus hominibus vult placere? cum præsentibus quidem his qui laudare possunt, agit aliquid boni operis: nullo autem tali præsente, vel etiam his, qui vituperare possunt astantibus segnis est & pigrior in opere. Si enim domino placere vellet,vtique & in omni loco idem esset, & idem gereret *per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, &c.* 2. *Cor.*6. *Cupiai laudis indicia.*

Qui hoc quidem quod ei iniungitur deuitat, & aliud *Cap.* 42. quærit, multorum causa malonum efficitur tam sibi, quam cæteris: quia & aditum contradictionis pluribus aperit,& seipsum ad contradicendum assuescit. Si autem ratio est aliqua,qua sibi recte excusare videtur, exponat hanc ipsam ei qui præest, vt ipse probet si excusatione dignum est quod eligit. Qui autem obediendo murmurat, infidelitate ægrotat, & certæ spei fiduciam non gerit.

Monachus qui auctoritate sua aliquid facit, manife- *Cap.* 46. stissime morbo superbiæ detinetur: sed oportet illud suscipere,quod ab his qui præsunt iniungitur. Qui autem fidel ter & pure Deum diligit, & certus est de retributione Domini,non putat sibi sufficere ea, quæ sibi iniunguntur: sed semper vlterius augmenta operis quærit,etiamsi supra vires suas videatur esse quod facit.

Omne autem quod ad religionem pertinet,si ex ne- *Cap.* 50. cessitate, & non ex proposito ac deuotione fiat,periculum generat.

Si quis fratrum iratus nolit accipere aliquid eorũ quæ *Cap.* 52. ad vsum præbentur, dignus est vt etiamsi quærat non accipiat,vsquequo probet is, qui præest: qui cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis vsibus necessarium est, præbeat.

Pauperibus venientibus ad ostium & petentibus,non *Cap.* 53. debet vnusquisque panem,vel quodlibet aliud porrigere, sed is cui dispensatio iuncta est, & cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter eius voluntatem hoc facere præsumit, tanquam inquietus & indisciplinatus confutetur, vsquequo discat loci sui ordinem custodire.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De opere & psalmodia cæterisque religionis documentis.

Cap. LXXXIIII.

Cap. 55. QVi operantur in monasterio, vtensilibus suis debēt vti sicut vasis Dei vel Deo consecratis, qui autem contemnit, vt sacrilegus iudicandus est.

Cap. 57. Si quis animam ita incendit in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discrepationem saporis ciborum: Ille est qui complet quod dicitur, *psallite sapienter.*

Psal. 46. Ille cui cellarij cura cōmissa est, erga eum qui præest, meminisse debet Domini dicentis: *non possum à me ipso facere quicquam*: ad cęteros vero, eius quod scriptum est: *diuidebatur vnicuique pro vt opus erat.*

Cap. 58. Ille qui præest oportet diligenter discutere ad quam partē aptus sit vnusquisque & ita iniungere illud quodcunque est operis vel officij; vt nec illi qui iniungunt ex hoc ideo condemnentur quod non aptum alicui officium iniunxerunt, & inueniantur mali esse dispensatores siue animarum siue mandatorum Dei: nec ipsi quibus iniungitur, occasionem peccati ex hoc habere videantur.

Cap. 84. Ille suscipit regnum Dei vt puer, qui talis est ad doctrinam dominī, qualis puer in discendo, qui nec doctoribus contradicit, nec rationes & verba componit aduersus eos resistens, sed fideliter quod docetur suscipit, & cum metu obtemperat & acquiescit.

Cap. 88. Solum ad solam accedere nulla religionis ratio permittit, nec quilibet passim, sed certus quis, & certo tempore, & certo in loco, & certis personis, apparere & loqui debeat, vt excludatur nefanda omnis suspicio.

Cap. 94. Qui quamcunque Dei gratiam detinet in suis vsibus, & non ea ad aliorum vtilitatem vtitur, iam tanquam occultati talenti crimine condemnatur.

Quomodo probari potest, vtrum quis arguat peccantem ex affectu pietatis? si cum misericordia hoc agit, & est in eo illud quod dicit Apostolus: *Si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra* Deinde si in omni peccato similiter affligitur & constringitur erga omnes qui peccant: & iuxta sententiam euangelij inter se & ipsum solum arguat.

Author. Hæc de dictis sancti Basilij ad prȩsens sufficiant.

De Gregorio Nyseno fratre sancti Basilij, & de scriptis eius.

Cap. LXXXV.

Vffinus lib. 11. cap. 9. Fuerunt autem Basilio duo fratres, Gregorius & Petrus, quorum alter in verbo doctrinæ, alter in operibus, fratrem ita exæquabat, vt vterque vel Basilium vel Gregorium redderet. Extant etiam ipsius Gregorij iunioris aliquot opuscula luculenta.

Hieronymus vbi supra. Gregorius Nysenus episcopus frater Basilij Cæsarienſis, ante paucos annos mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros, qui & multa alia scripsisse & scribere dicitur.

Author. Huius Gregorij fratris Basilij liber est de imagine id est hominis conditione, quem edidit in supplementum hexaemeron ipsius Basilij, qui tamen liber caute legendus est, propter quasdam notulas falsitatis intermixtas.

Hæc autem pauca de infirmitate simul ac dignitate hominis ex eodem libro breuiter conscripsi.

Floret ex Greg. Nyseno. *Gregorius Nyssenus.* Nudus quidem naturalibus tegumentis, inermis etiam & inops, omniumque necessariarum rerum egentissimus homo in hanc vitam producitur, qui in...a id quod cernitur, miseratione potius quā felicitate dignus esse videatur. Non enim armatur productione cornuum, non vnguium vel dentium munitione munitur, nec aliquo aculeo letiferum infundit virus, quibus rebus pleraque ferarum atque serpentum, & in vltionem sui naturaliter instruuntur. Nec pilis corpus obtegitur, cum oporteret eum, qui ad aliorum præponebatur imperium, propriis armis naturali prouisione vallari, ne ad custodiam sui aliorum adminiculis indigeret. Nam leo quidem & aper & si quid simile est, sufficientem pro sua salute virtutem naturaliter possidet, & tauro cornua sunt, & pernicitas lepori, ceruoque saltus & certus intuitus, & alijs animalibus magnitudo, & cæteris prominens oris officium. Volatilibus etiam pennarum officium, & apibus aculeus; Cuncti sque prorsus vnum naturale quidem præsidium constat esse collatum. Solus autem homo præ omnibus creditur destitutus, & his quidem qui currendi velocitate præeminent pigrior: illis autem qui mole corporis eminent, tenuior, eis etiam qui naturalibus armis excellunt, despectior esse cognoscitur.

Et quomodo, dicet aliquis, vniuersorum talis sortitus est principatum? Sed ad hoc nihil arbitror esse difficile demonstrare, quia per id quod naturæ nostræ deesse creditur, certa datur occasio, qua subditorum omnium dominium consequatur. Nam si huiusmodi adminicula corpori suo naturaliter attributa haberet, primū quidem bestijs similis existeret, & occursione ipsa difficilis appareret: deinde in alios dominatum exercere speraret, quorum nullis prorsus adiutorijs indigeret. Nunc autem in singulis quæ nobis mancipantur, vsus vitæ nostræ dirimitur, vt necessarium in eis habere principatum videamur. Nam corporis nostri tarditas, & ad motum celerem difficultas, equorum nobis adhibere prouidentiam fecit; quæ & annuis lanarum redditibus ea quæ natura deerant, supplementa prospexit. Ex alijs quoque causis, quæ ad vitam necessaria sunt, iumenta nobis subiecta sunt: quia enim & morsu indigebamus, & dentibus, ad cohibendas vltione bestias; id quod nobis defuit, canum natura suppleuit, pro cornibus, & vnguibus, fortius atque penetrabilius ferrum ab hominibus inuentum est.

De sancto Ephræm Syro.

Cap. LXXXVI.

Amphilochius in vita sancti Basilij. Porro sanctus Ephræm Syrus cum esset in eremo, audiens opera sancti Basilij, sine intermissione postulabat sibi, qualis esset, reuelari. In extasi ergo factus vidit columnā ignis, cuius caput ad cælum pertingebat, & vocem desuper dicentem audiuit, talis est magnus Basilius. Et continuo accipiens interpretem venit Cæsaream. In festo autem Theophaniæ, intrans clam, vidit procedentem in ecclesiam magnum Basilium in stola candida cum clero candidato, & ait sequenti se, in vanū laborauimus, vt suspicor frater: iste enim in tali ordine cū sit, non est quemadmodum vidi, & procedente eo, stans in loco ecclesiæ occulto, dicebat secum, nos qui portauimus pondus diei & æstus, nihil consecuti sumus: & cum sit in tali stipulatione & honore humano, columna ignis est, miror. Hoc eo proloquente, misit sanctus Archidiaconum suum dicens: Vade circa portam occidentalem, & in angulo ecclesiæ inuenies Abbatem habentem cucullam cum altero quodam pusillo, & voca eum ad me. Cumque beatus Ephræm didicisset per interpretem quæ dicebantur. Respondit, erasti frater, nos peregrini sumus, & abiens Archidiaconus retulit hoc Archiepiscopo. Quo sacros libros legente, vidit sanctus Ephræm igneam linguam loquentem per os eius Archidiacono. Vade, & dic ei domine Ephrem intra in Presbyterium: obstupescens sanctus in his, & genua flectens ait: Vere, vere, magnus Basilius, vere columna ignis, & vere spiritus sanctus loquitur per os eius. Postūlauit autem Archiadiaconum excusare se, & vt magis post ministerium

Ephræm in Spiritu apparet S. Basilius instar Columnæ ignis.

Basilius curat accersiri Ephræm.

Ephræm vidit in Basilio linguam igneam.

in se-

in secreto salutaret eum. Intrans itaque post impletionem ministerij Basilius in secretarium, salutauit eum dicens: Bene venisti ô pater filiorum eremi, qui multiplicasti discipulos Christi in ea, & dæmones eliminasti, venisti videre hominem peccatorem, Deus det tibi mercedem secundum laborem tuum. Cui cum ille omnia quæ in corde erant, perdixisset, de manibus eius communicauit, & faciẽte eo charitatem rogauit eum à Deo postulare vt loqueretur Græce. Qui ait: Super virtutem meam postulasti, sed quia fideliter petisti, veni postulemus Deum, *qui voluntatem timentium se faciet &c.* Cumque facta oratione surrexissent, dixit ei Basilius: Cur non accipis ordinationem Presbyterij, quia decet te? Qui respondit, quia peccator sum; & iacẽtibus eis in humo posuit sanctus manũ in Ephræm, & dixit græce: Ephræm *Suscipe, salua, miserere, & custodi nos Deus tua gratia.* Lętati sunt autem spiritualiter per tres dies, & ordinans sanctus Basilius interpretem diaconum, ipsum vero Presbyterum, dimisit eos in pace *glorificans Deum.*

Ephræm Basilij intercessione petit loqui Græce.

Ephræm ordinatur Presbiter.

De libris sancti Ephræm.

Cap. LXXXVII.

Hieronymus de illustribus viris. Ephræm Edissentæ ecclesię diaconus multa Syro sermone composuit, & ad tantam ven it claritudinem, vt post lectionem scripturarum publice in quibusdam ecclesijs eius scripta recitentur. Legi de Spiritusancto Gręcum volumen, quod quidam de Syria lingua verterat, & cacumen sublimis ingenij etiam in translatione cognoui, decessit sub Valente principe.

Author. Huius ꝛ. opuscula extant apud nos scilicet: De pœnitentia. De luctaminibus sæculi. De compunctione cordis. De beatitudine animæ. De resurrectione. De die Iudicij. Ex quibus multa operibus nostris inserui. Vt autem eiusdem sancti viri prudentiam ac zelum intelligas, vide qualiter in libro de compunctione cordis deploret simul, & arguat corruptionem humani generis.

Flores & dicta S. Ephræm.

Ephræm in libro de compunctione cordis. Non est mitis atque humilis, non est quietus, non est firmiter stabilitus, non est qui iniuriam perpessus sufferat, non est qui maledicatur & sustineat, omnes furibundi & ad amaritudinem prõpti, omnes pigritia torpentes, inanis gloriæ cupidi, omnes seipsos amãtes, priusquam subijciatur quis, vult habere subiectos; antequam instruatur, instruere vsurpat, & si in gradu processerit, cum auctoritate quadam insolenter minoribus imperat; exterior autem ornatus vestium indicat, quod ea quæ terrena sunt sapimus, & per studium clarioris amictus ab æterna claritate nudi esse dignoscimur. Huic sæculo renunciasti charissime, & rursum requiem sæcularem requiris: in tribulatione vocatus, & tu de refrigerio percunctaris: in nuditate, & studium vestium adhibere contendis: in siti aquam renuens, vinum bibere delectaris: ad vigilias quoque vocatus es, & inertia somni resolueris: ad flendum & lamentandũ; & tu cum cachinnorosis effundis in subiectione, & contradicis: in mansuetudine & humilitate, & tu superbus & elatus incedis, in charitate & fratrem odis, qui aduersus proximum tuum tristis ambulas, cuius onus portare debueras. Quid iugum Christi bonum & suaue, propter tuam ignauiam quasi durum & graue atque importabile detrahis & incusas?

Amator hominum benignissime adiuro te per miserationes tuas, ne me cum hædibus à sinistris statuas, vt dicas mihi *nescio te.* Nam etsi peccator sum, tamen ad ianuam tuam pulso iugiter: etsi piger sum & incuriosus, attamen viam tuam incedo. *Ascendat Domine in cor meum quasi in siluam flamma charitatis tuæ, & deuoret spinas & tribulos, pessimas cogitationes meas, & tribue mihi copiosam quasi homini* Deus *gratiãm tuam.*

Venite charissimi, negociemur quoadusque nundinæ celebrentur, sęcularis homo interdum excusationes prętendit: vt pote qui sæculo colligatus est: nos autem quid dicemus? qualem, si neglexerimus, excusationem habebimus? Timendum est ac tremendum, ne forte qui nos hic constitutos laudibus efferunt, illic nos deridere incipiant: & qui nos hic beatificant, illic nobis insultent.

Amator hominum benignissime, legio à te gregem porcorum absque lachrymis postulauit, & dedisti ei, ego autem cum fletu & gemitu supplico bonitati tuæ, libera me ab iniquitatibus meis, & fac me participem Latronis ipsius, qui per vnum verbum confessionis, hæres paradisi effectus est.

Gloria patri, qui fecit nos: & filio, qui saluauit nos: & spiritui sancto, qui renouauit nos.

De sancto Gregorio Nazianzeno.

Cap. LXXXVIII.

Rvffinus 11. *libro cap.* 9. Gregorium autem Cappadocia nobis cum Basilio germinauit, ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, ambo de auditorio digressi ad profitendam rhetoricam rogabantur. Quod opus magnifice quidem implebat Basilius: Gregorius vero magnificentius contemnebat. Quique cum se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumpsit, vt sedentem Basilium de doctoris cathedra deponeret, & secum ad monasterium manu iniecta perduceret, ibique per annos (vt aiunt) 13. omnibus Græcorum sæcularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant: earumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate sequebantur: quos & ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat, quorum præcipue in prophetas commentarios discutientes, thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos in vasis fictilibus perquirebant. Verum cum iam ipsi sufficienter instructi, diuina dispensatione ad imbuendos populos vocarentur, & alius alio itinere, ad idem tamen opus vterque traheretur. Basilius Ponti vrbes, & rura circumiens, defides gentis illius animos, & parum de spe futura sollicitos, stimulare verbis, & prædicatione succendere cæpit. Gregorius vero bonam terram cordis sui iugiter excolebat, & multo amplius hic in semetipso, quam ille in cæteris proficiebat. Suscipere ille, quæ renunciantes sæculo deferebant ad pedes suos, & diuidere vt quisque eguisset, curam gerebat. Iste nihil habendi & omnia possidendi contentus sacramento, erga solas sapientiæ diuitias auarus & multum cupidus inhærebat, & exemplo sui libertatem à sollicitudinibus sæculi prædicabat.

Vnde petenda intelligẽtia diuina scripturæ.

De pontificatu, & doctrina eius.

Cap. LXXXIX.

IGitur Basilius non multo post Cæsareę Cappadociæ episcopus fuit, Gregorius vero apud Nazianzon opidum in locum patris episcopus subrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit. Reddita vero pace, Constantinopolim ad ecclesiam docendam venire exoratus, non abnuit. Vbi breui tempore tantum ad emendandum populum vetustis hæreticorum infectum venenis profecit, vt tunc primum christiani sibi fieri viderentur, & nouellam lucem veritatis aspicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis, nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset. Sed vbi gloriam consecuta est inuidia, obniti quidam & proscriptionibus minus sanis vti cæpere, vt ipso ad propria remeante, alius ordinaretur episcopus, quod ille susurrari tantum, & sub dente sentiens ruminari; ipse profert, quod nullus ei dicere audebat. Absit, inquit, vt mei causa aliqua simultas in Dei sacerdotibus oriatur, sed si propter me est ista tem-

Gregorius Episcopus Nazianzẽ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pestas, tollite me, & immittite in mare, & desinet à vobis quassatio. Tunc regressus in Ecclesiam suam, quod superfuit vitæ tempus exegit: Et quoniam fessa iam ætate, & corpore inualidus erat, successorem sibi ipse dedelegit, quo Ecclesiam gubernante, debilitatis & senectutis ocio frueretur.

De Libris eiusdem, & fuga curæ Pastoralis.

CAP. XC.

Hieronymus de viris illustribus. Gregorius Nazianzenus Episcopus vir eloquentissimus præceptor meus, à quo scripturas explanante didici, ad 30. millia versuum omnia opera sua composuit, è quibus ista sunt. De morte fratris Cæsarij; Laudes Machabæorum; laudes Cypriani; laudes Athanasij, laudes Maximi philosophi post exilium reuersi: quem falso nomine quidam Hèronis superscripserunt; quia est & alius liber vituperationem eiusdem Maximi continens, quasi non licuerit eundem & laudare & vituperare pro tempore. Et liber hexametro versu virginitatis & nuptiarum contra se differentium. Aduersus Eunomium lib. vnus. De Spiritu sancto liber vnus. Contra Iulianum Imperatorem lib. 1.

Secutus est autem Polemonem dicendi charactere, viuoque se, Episcopũ ordinans, ruri vitã monachi exercuit; Deceßitq; ante hoc fere triennium sub Theodosio Imperatore.

Author. Hic scripsit apologeticum; quem quidam in Latinum transferens, in prologo eiusdem scribit, quod iste Gregorius signaculum castitatis integrum custodiens, cum philosophiæ studijs adhuc minor apud Athenas floreret, vidit per soporem sedenti sibi & legenti duas satis decoras dextera læuaque fæminas consedisse. Quas ille castitatis instinctu oculo toruiore respiciens, quænam essent: & quid sibi vellent percunctabatur? At illæ eum familiarius complectentes aiunt: Ne molestè accipias iuuenis, notæ tibi, & satis familiares tibi sumus; Altera enim ex nobis Sapiẽtia, altera Castitas dicitur, & missæ sumus tecum habitare: quia iucundum satis, & mundum in corde tuo habitaculum præparasti.

Castitas & Sapientia apparuerunt Gregorio Nazianzeno, & cum eo habitant.

Deinde cum ob eximium litterarum profectum Athenis, vt artem oratoriam doceret astringeretur, furtim nauem ingressus abscessit, marisque tempestate vexatus, Deo seruiturum se vouit, & ita fecit. Cum autem à Patre Episcopo in sacerdotium esset subrogatus, hoc ægre ferens discessit ad tempus. Postmodum vero regressus, scripsit apologeticum in libris duobus causas discessionis suæ, vel etiam reditus allegans. Post hęc etiam defuncto patre, successit in Episcopatum apud Nazianzum breue oppidum; Et inde cum post Valentis Ariani tempora catholici recepissent Ecclesias Constantinopolim ad instituendam Ecclesiam vel docendã transire exortatus est: vt videlicet superius dictum est. Ibi ergo Episcopus constitutus docuit, vbi & Hieronymus sanctarum scripturarum studijs ab eodem eruditum se dicit.

Causas quidem sui discessus, quas in apologetico exponit, hic inserere volui ad eius humilitatem atque prudentiam declarandam simul etiam ad quorundam præsumptuosam ambitionem confundendam, qui dignitates Ecclesiasticas non solum humiliter non fugiunt, sed etiam importunè se ingerunt.

De Apologia eius super fuga prædicta.

CAP. XCI.

Gregorius Nazianzenus in Apologetico lib. 2. Illius perturbationis meæ causa, qua tanquam pertinaciter contradixi, & soluta verecundia, quę semper indissolubilis mihi comes extitit, tam imprudenter restiti, fuit repentina superventio, sicut cum sonus repentinus increpuerit, turbantur subito terrore percussi; Deinde recordatio quietis & silentij mei; cum hoc viderem mihi impediri, quod ab initio vitæ dilexi, & in maximis periculis Deo vouì. Nihil enim reuera mihi videbatur homini præstantius ad beatam vitam, quam clausis carnalibus sensibus, extra carnem mundumque effectum quempiam in semetipsum conuerti; alienumque à mortalibus curis effectum, sibi soli & Deo loqui: vt cunctis visibilibus altior factus, mentem suam diuinis sensibus repleat, & cælestibus formis absque admixtione terrena, vere speculum immaculatum effectus imaginis Dei, & ex ipsius lumine semper lumen accipiens. Auspicia quædam vel initia futuri sæculi in eo ferens, atque in terris adhuc positus, consortio Angelorum quodammodo perfruens; Despectaque atque derelicta fragilitate terrena, ad superna Spiritus sancti subuectione transferri. Si quis forte vestrum huiuscemodi amoris ardorem aliquando sensit, scit quæ dico, & quæ loquor agnoscit; sed quibusdam inuidiæ languor recti iudicandi impedit sensum, & operi optimo nomen infligunt vitiosum, philosophiam xenodoxiam vocantes, & præclaram sapientiã ac studia, iactantiæ appellationibus infamantes. Paratior enim est imperitorum turba ad derogandum bonis studijs, quàm ad imitandum, vt sit eis omni genere delictum, dum & manifesta & publica mala non vitant, & occultis & reconditis bonis non credunt. Erubui quoque de quibusdam, quos vidi nihil penitus ad emendationem vitæ suæ pertinens habere, & immundis pedibus in sancta certatim irruere, & priusquam primo habitu, ac ianuis digni haberentur, ad tribunal continuo tendere, atque ad sacerdotium festinare; ac repulsis cæteris, ipsi sacris altaribus incubare: ita vt secundum antiquum prouerbium merito dicatur, *quòd Saul inter prophetas.* Quamuis autem perdifficile sit scire regi 1. regenti se obtemperare, multo difficilius est scire alios regere, cuius scilic. regiminis, quanto spes & gloria maior est, tanto periculũ grauius, quippe habentibus intellectum. Nam & si quis est in rectore vitiorum morbus, facile in eos qui ad obtemperandum præsto sunt ei, transfunditur, & multo facilius quod malum est, ab eo transit, quàm si quid in eo virtutis & industriæ fuerit. *Nihil enim tam facile quàm fieri malum, etiamsi nemo doceat, vel compellat, perdifficile autem fieri bonum:* parati sumus ad recipiendum malum quàmplurimi, velut si aridæ stipulæ quis scintillam ignis inijciat, quæ insuper ventis etiam inspirantibus animetur; velociusque malitiæ parua scintilla consumimur, quàm virtutis ignibus vel accendi vel etiam concalescere possimus.

Quid conuenientissimũ & maxime necessarium hominum saluti.

Periculosum est regi ab homine vitioso.

Malum facile oritur, etiam nemine docente.

De periculo & cautela curæ pastoralis.

CAP. XCII.

VErendum est autem ne inueniamur morum & virtutis decore pictores quidam pessimi, præ alijs pictoribus. i. plebeis, qui quam debent in semetipsis depingere imaginem eius, pessima præbentes exemplaria, vel certe ne accidat nobis vsitati prouerbij, *& qui ad altos curandos præsumus, inueniamur ipsi scatentes vlceribus.* Cæterum non satis est malum non esse eum, cui docendi summa committitur: quod vtique culpabile, & dedecorosum est etiam his qui docentur; sed oportet eum omnibus bonis esse præditum. Nunquam etiam putare debemus aliquem finem nobis bonorum factum aut proficiendi terminum positum, nec ita ad lucem deducenda sunt, quæ recte à nobis gesta sunt, quàm detrimento computanda, quæ nondum implere voluimus: & ascensus quidam nobis putandus est vita hæc, ex quo nihil refert explicuisse, quod ascenderis, nisi quod restat, euaseris; nec nosmetipsos ex cæterorum collatione metiamur, vt magnum aliquid esse putemur, si forte aliquibus præstantiores inueniamur, sed damnum potius illud arbitremur, si non nos digne loco & gradu nostro geramus. Et si quæ à nobis gerantur, non ex negligentium comparatione, sed ex præcepti auctoritate pendãtur. Non oportet autem illos qui præsunt vi vel necessitate subiectos constringere, sed ratione & vitæ exem-

Quomodo superior regere debet.

plis

plis suadere, quia omne quod extorquetur inuitis, cum eo quid tyrannicum videtur, nec perseuerare quidem potest. Solet enim redire quicquid violenter attrahitur; sic nouellæ arboris si quis cacumen inclinauerit, relaxatæ, rursus in quod fuerat, redit. Quod autẽ ex proposito & voluntate fit, tam legitimum est, quam certũ, validissimis vinculis propriæ voluntatis adstrictum.

Difficile est hominem regere.

Reuera mihi videtur ars artium esse, & disciplina disciplinarum, hominem regere vel imbuere, qui certe est & inter omnes animantes maxime moribus varius, & voluntate diuersus. Nobis qui præsumus, summum studium est vincere eos qui carnaliter amant, nec vllo modo volunt nobis credere, aduersus semetipsos dimicantes, ita vt sint nobis velum quoddam aduersus eos, pro quibus militamus: dum vnusquisque tantum studij gerit, in contegendis & occultandis morbis peccatorum, quantum oportebat habere studij ad ægritudinem medico ostendendam. Alios conuenit coram omnibus argui, quia monita secretiora contemnunt; alios secretius commoneri, quia publice correpti, impudentiores fiunt, aliorum conuenit omnia diligentius obseruari, & vsque ad minimum discuti, eorum præcipue, qui dum mala quædam arte sua celari se putant, aduersum cæteros eriguntur & inflantur. Aliorum autem oportet nonnulla præterire, & videntes tanquam non vidisse, & audientes tanquam non audiuisse, & ne ad contemptum vltimum veniant per increpationem, qui fortassis erubescunt culpas extendere ac multiplicare, donec eas ignorari putant. Audaces vero & præcipites efficiuntur, cum eis vltimum emendationis atque vnicum remedium interrupta fuerit verecundia.

Item ex eodem.

Cap. XCIII.

DEnique philosophari secundum Deum, & scire animarum gubernacula continere, & præesse cæteris, & regere alios cum ipse recte regentibus obedire nondum didicerim, supra me esse negocium duxi, præcipuè in hoc tẽpore, in quo videmus homines huc & illuc conuerti, ac perturbare omnia, vt nihil esse melius videatur quam fugere è medio & latere. Hesterna quidem bella non metuo, nec istã bestiã, quæ nunc insurrexit Ecclesijs .i. *Iulianum Apostatam* permitesco, in quo est diaboli plenitudo, licet ignes minetur, licet gladios intentet & bestias, licet omnem qui ante se fuerunt persecutores crudelitate excedat, licet noua suppliciorum genera exquirat: vnum mihi est ad omnia stare medium, vna victoria, *libenter mortem pro Christo suscepisse*. Ad intestinum autem bellum vitiorum, quid agam? nescio, quæ mihi auxilia comparare? quod donũ Spiritus sancti inuocẽ? quibus armis spiritualibus aduersus diaboli astutias me circundem? Ego quidem inualidissimum me esse ad huiusmodi prælia fateor: & propterea me terga dedisse confiteor, & velatus confusione faciem meam, singularis sedi, quia amaritudine repletus sum, tacere quæsiui, intelligens quod tempus malum sit.

Vocat Iulianum apostatam Bestiã.

Qualiter debeant Christiani solemnizare Festa.

Cap. XCIIII.

IDem *in sermone de Natali Domini*. Diem Festum celebramus, non humanæ deuotionis, sed diuinæ dignationis, non eorum quę ex mundo sunt, sed eorum quæ supra mundum sunt. Propter quod nequaquam postes & ianuas coronemus, nec plateas & compita perornemus, nec cantatricum choros statuamus, vt aures sonis musicis delectemus, nec gustum illecebrosis saporibus irritemus, nec tactui male prospecta contingere concedamus; non delicatis vestibus ac fluidis resoluamur, nec ornamentorum splendore gloriemur, non auri fulgore, nec colorum fucis fallentibus rapiamur, non altis thoros tapetibus extruamus, non pretiosa tentoria: nec vini peregrina nomina requiramus, nec coquorum noua & exquisita condimenta ventri & gutturi præparemus: nec terra & mare multi pretij nobis stercora conferant, (hoc enim nomine mihi videntur honorandæ deliciæ) non alter alterum per incontinentiam vincere studeat; mihi enim incontinentia est, omne quicquid plus est quam sufficit alijs esurientibus & indigentibus, qui ex eodem luto atque ex eadem massa formati sunt; quin potius fratres hoc gentilibus concedamus; illorum sit talis solemnitas, qui etiam Deos suos vsturis carnium & tetris putant nidoribus delectari. Illi consequenter solennitatem diuinam ventris dissentione concelebrent; pessimorum dæmonum & prædicatores & cultores nequissimi. Nos autem si delectari oportet & deliciari, *in verbo Dei delectemur*, Et delicias nostras in legis Dei meditatione vel intelligentia requiramus, vt pro solemnitatis ratione deliciarum nobis causa conueniens efficiatur.

De laude vitæ monasticæ.

Cap. XCV.

IDem *in sermone de Monachis*. Posui ego ori meo custodiam, & labijs meis silentium dedi; Quoniam quidem videbam consequens esse, prius opere philosophiæ purgari mentem debere, & ita demum aperire os & attrahere spiritum, atque eructare verbum bonum, & loqui Dei sapientiam perfecte inter perfectos. Desiderabam videre sanctum illum psallentem chorum, gloriam Deo in Ecclesia offerentium, *qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & exultationes Dei in gutture eorum*, qui ad exemplum & commonitionem melioris vitę cæteris omnibus viuunt, legis quoque Dei & euangelij Christi taciti prædicatores in quibus ipse quoque habitus præfert virtutis insignia, hirsutum caput incomptis & horrentibus comis, & quantum sufficit attonsis, pedes nudi & apostolicis similes; indumenti vilitas arrogantiam sæculi, superbiamque condemnans, zona ipso sui neglectu pretiosior, parum quid cohibens vestimenti, quantum euagari non sinat. Incessus ordinatus, oculus non oberrans, nusquam ridentes, sed placide subridentes, & magis vt temperantiam risus cohibeant, & subridendo comprimant. Sermo cum ratione prolatus, aut silentium verbo pretiosus; laudando non nimij, sed quãtum ad hortationem sufficiat, non adulationem. Increpatio cum laudatione gratiosior, ac tristitiæ, & lætitiæ mensura iustissima; & commodissimum ex vtroque temperamentum leuitas cum austeritate, libertas cum verecundia, ita vt alterum non impediatur ex altero. Misceri turbis, & secedere ad secretum, vtrumque agere cum mensura, vt in altero, hominibus; in altero, Deo coniungantur; communem vitam sine communibus vitijs agentes; secretam vero, non absque communi ducentes fraternitatis affectu: Et quę maiora omnibus & clariora sunt, in paupertate diuites, *nihil habentes & omnia possidentes*, nihil in mundo habentes & supra mundum viuentes, quibus labor delicię: qui in carne positi, extra carnem viuunt, quorum pars Dominus, *propter regnum pauperes & propter paupertatem reges*. In humilitate gloriosi, in infirmitate fortes.

Descriptio Monachi.

Monitio.

Illos autem qui insanabiles sunt fugiamus & vitemus, ne forte contagijs eorum maculemur, & non tam sanitatem nostram illis tradamus, quàm illorum ægritudinem capiamus.

De Sancto Ambrosio Mediolanensi Episcopo.

Cap. XCVI.

HIeronymus *in chronicis*. Eo tempore post Auxentij feram mortem; Mediolani Ambrosio Episcopo constituto omnis ad fidem rectam Italia conuertitur.

Paulinus Presbyter in vita S. Ambrosij. Posito siquidem in administratione præfecturæ Galliarum patre suo

Ambrosio

Presbyter in vita S. Ambrosij.

Ambrosio natus est hic sanctus Ambrosius, qui infans in area prætorij in cunabilis cum dormiret aperto ore, subito examen apum aduenies faciem eius & ora compleuit: ita vt ingrediendi egrediendique vices frequentarent: quas nutricem abigere volentem pater prohibens, expectabat paterno affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquandiu euolantes, in tantam aeris altitudinem sublenatæ sunt, vt humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: Si infantulus iste vixerit, aliquid magni erit. Illud igitur examen apum, Domino iam in eius infantia operante, scriptorum ipsius nobis generabat sauos, qui cælestia dona annunciarent, & mentes hominum de terrenis ad cælos erigerent.

Cum autem Romæ esset adolescens, quandam puellam matris suæ domesticam, sacerdotum manus osculari videns: ipse ludens offerebat dexteram, dicens; etiam sibi id ab ea fieri oportere; siquidem Episcopum se futurum memorabat, loquente in eo Spiritu sancto, qui illum ad sacerdotium nutriebat: At illa, vt adolescentem, & nescientem quid diceret, respuebat.

Anno 369. præficitur Liguriæ & Æmiliæ vide Baronan. memorat o.

Postquam autem disciplinis liberalibus edoctus ex vrbe regressus est, in adiutorio præfecturæ prætorij ita splendide causas perorauit, vt à viro illustri Probo tũc præfecto eligeretur ad consilium tribuendum, postea consularitatis suscepit insignia, vt regeret Liguriam Æmiliamque prouincias; venienſque Mediolanum, mortuo Auxentio, Arianę perfidiæ Episcopo; ibique ab vtraque parte in Episcopum electus, licet adhuc cathecumenus, cum penitus renueret; & cum intentionem populi nullatenus reuocare posset, fugam parauit. Egressus autem noctis medio ciuitatem, cum Ticinum pergere se putaret, mane ad portam Mediolani ciuitatis quæ Romana dicitur, (Domino fugam eius impediente) inuenitur. Cumque inuentus custodiretur à populo, missa est ad Imperatorem Valentianum relatio, qui eum summo accepit gaudio, letabatur etiam Probus præfectus, quod verbum eius impleretur in Ambrosio: Dixerat enim proficiscenti; vade non vt iudex, sed vt Episcopus. Vbi autem relationi responsum est, baptizatur, & omnibus officijs Ecclesiasticis impletis 8. die Episcopus ordinatur.

Anno 374. eligitur Episcopus vt probat Baronius: sed modis omnibus conatur subterfugere.

Post aliquot annos ad proprium solum .i. Romam pergens, ibi sanctam puellam supra memoratam inuenit; quæ cum dexteram eius oscularetur, subridens, ait illi: Ecce, vt dicebam tibi, Sacerdotis manum oscularis.

Hieronymus in chronicis. Eo tempore Melania nobilissima Romanorum Mulierum, & * Marcelli quondam consulis filia, vnico Prætore tunc Vrbano filio derelicto, Hierosolymam nauigauit; vbi tanto virtutum, præcipueque humilitatis miraculo fuit, vt Theclæ nomen acceperit.

* *Marcellini*

Theodolus miserabilis presbyter, dum aduersus cõscientiam furoris sui sacrificia Deo offerre audet, in medijs precibus eliditur.

De morte Valentiani & successoribus eius.

Cap. XCVII.

VAlentianus autem subita sanguinis eruptione, quod Græce apoplexis vocatur, Brigitione moritur. Post quem Gratianus, assumpto in imperium Valentiano fratre cum patruo Valente regnauit, anno domini 378. mundi vero quarto millesimo 231.

Gratianus Imp. an. ch. 378. mundi 4231.

Historia tripartita lib. 8. cap. 11. Valentiniano itaque mortuo, anno imperij sui 11. Italiæ milites 6. die post mortem eius, filium eius Valentinianum puerum Imperatorem constituunt, cuius imperium Frater & Patruus licet inuite (quod eis ignorantibus factum sit) tamen postea susceperunt. Hic natus est de Iustina, quam cum Seuera Valentinianus pater similiter habuit vxorẽ hoc modo: Iustus Iustinæ pater Constantij temporibus cum esset Piceni iudex, vidit in somnis, quòd ex dextero femore imperialem purpuram genuisset. Quæ visio cum per famam venisset ad Constantiũ, fecit occidi Iustum. Cuius filia in tantum peruenit ad Seueræ noticiam, vt cum ea habitaret. Cuius pulchritudine Seuera obligata, dixit imperatori; quòd Iustina adeo speciosa esset, vt eius amore etiam ipsa caperetur. Quam imperator volens accipere, non tamen Seueram abijcere, ex qua Gratianus natus erat, legem proposuit publice per ciuitates quod liceret volentibus habere duas vxores. Qua posita, Iustinæ coniunctus est, ex qua Valentinianum iuniorem habuit, & filias tres, Iustam, Gratam, & Gallam: quarum duæ virgines permanserunt, Iusta & Grata; Gallam vero duxit Theodosius maior, ex qua filiam habuit Placidiam, Honorium vero & Archadium ex Flacilla priore coniuge habuit.

De impietate Valentis, & præfecti eius in Christianos.

Cap. XCVIII.

ANno Valentis 12. qui fuit primus annus nepotum eius, multi monachorum Nitriæ per tribunos & milites cęsi sunt; Valens enim lege data, vt Monachi militarent, nolentes, fustibus iussit interfici.

Socrates in historia tripartita lib. 7. cap. 32. Cum iussisset Valens omnes catholicos ab Edessa vrbe expelli: quædam muliercula pauper suum filium ferens in brachio ostio non clauso currebat ad ecclesiam, vbi omnes catholici conueherant; cum Præfectus eius mandasset vt nemo in ecclesia remaneret, nolens eis parcere. Indignatus autem propter illam mulierem, ait ei: O infælix, quo sic indecenter curris? At illa, quo alij. Tunc ille: Non audisti, inquit, quòd Præfectus occisurus est vniuersos, qui ibi reperientur? Audiui, inquit, & ideo festino vt inueniar inter eos. Et hunc, inquit, puerum cur trahis? vt, inquit, & iste martyr efficiatur. Quo audito, statim ille recurrens ad Principem, dixit omnes paratos esse ad mortem, impium vero esse tantos in breui occidere: & sic ab ira reuocauit Principem.

Constantia mulieris orthodoxa.

Theodoricus lib. 7. cap. 33. Postea Præfectus ex præcepto Principis cogens eos, aut cum Lupo communicare, aut in exilium ire: cunctis tacentibus ait Duci eorum Eulogio: Cur taces? Non oportet, inquit, nihil interrogatum respondere. At ille: Nonne vobis omnibus locutus sum, & quibus communicat Imperator, communicare vos monui? Et ille: Pastorem, inquit, habeo, & illius nutibus obedio. Mox Præfectus 80. ex eis destinauit in Thraciam. Cum autem præfectus diceret ad sanctum Basilium, quod pro vno verbo quod est *Homousion* non est tanta persecutio suscitanda. Respondit Basilius: Qui diuinis saginantur eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus neque vnam syllabam patiuntur, sed pro his omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam autem Imperatoris magnam cum pietate iudico, sine qua potius perniciem hanc appello. Cumque Præfectus eum vocaret stultum: hanc, inquit, stultitiã semper habere exopto. Demosthenes alti ẽ super imperiales epulas constitutus, presente Imperatore, cum Basilio certando, barbarismum fecit, vt dictum est superius. Tunc Basilius subridens ait: Vidimus Demosthenem sine litteris. Cumque ille minaretur amplius. Tuũ est, inquit, de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Post hæc Imperator ita dilexit eum, vt optima prædia illi daret ad opus pauperum & leprosorum, qui ab eo gubernabantur. Post paucum vero tempus priorum oblitus, legem de illius exilio propria subscriptione roborare volens, non potuit, calamus enim contritus est; quod passi sunt, & secundus & tertius. Tunc ille tremens ambabus manibus chartam rupit.

Cap. 36.

De Aphrate Monacho, & augurio Valentis.

Cap. XCX.

SOzomenus *lib. 6.* Interea Valente furente apud Antiochiam contra catholicos, & erat ibi Aphrates

In tripartita lib. 8. cap. 4.

Mona-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

monachus, quem per plateam transeuntem de palatio respiciens Imperator, vilissimo indutum pallio, & in longæua senectute properantem, dixit ei: Dic mihi, quo vadis? pro tuo, inquit, oraturus imperio. Cui Imperator, oportet te domi orare secundum monasticum morem. Optime, inquit, dicis; si permitteres, sic facerem; & hoc egi donec oues Christi pace fruebantur: quia ergo tumultu maximo commouentur ne captiuę teneantur, necesse est me vbique discurrere, easque à necessitate saluare. Hoc audito, Imperator interminatus tacuit: vnus autem cubicularius eius, qui balnei curam habebat, aspere locutus est viro sancto: sed statim post verba descendens, vt imperatori pararet balneum, mente captus in feruentem aquam descendit, ibique extinctus est.

Erat autem Accepsemas in Cyrestensium eremo in cellam reclusus, qui 60. annis, nec visus est ab alio, nec locutus est alicui.

Tunc Valentem Antiochiæ furentem, reuocauit liber Themistij philosophi, in quo perorauit, quia propter discordiam Ecclesiasticam non deberet esse ita infestus, cum apud paganos vltra 300. sectarum differentia videretur, & vnusquisque in sua sententia permaneret, & forte hoc Deo potius gratum esset, dum non facile cognoscitur, & diuerso modo glorificatur, quatenus vnusquisque amplius timeat, dum integritatem scientiæ eius, vel quomodo vel qualiter vel quantusque sit magis ignorat.

Lib. 8. cap. 12. in historia tripartita.

Hieronymus in chronicis. Eodem anno id est Valentis 12. Theodosius Theodosij postea Imperatoris pater, & plurimi nobilium occisi sunt.

Lege Sozomenum lib. 6. cap. 35.

Socrates in historia tripartita lib. 8. Eo siquidem tempore, Valens nigromanciam fecit, perscrutans, quis post eum imperaret: Dæmon autem quatuor litteras demonstrauit T. E. O. D. Imperator autem zelo ductus, multos huius nominis occidit, putans eos tyrannidem velle assumere. Occidebantur ergo Theodoti, Theodori, Theodoli, & quicunque has litteras in capite sui nominis habebant. Quo timore plurimi sua nomina mutauerunt, negantes cum iuramento quæ prius habuerant.

Author. Ex hac occasione videtur occisus fuisse Theodosius pater Theodosij Imperatoris, quamuis eam Hieronymus tacuerit.

De morte Valentis, & fine chronicorum Hieronymi.

Cap. C.

An. Ch. 381. Mund. 4234

ANno denique Imperij sui 14. Valens de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exilijs reuocat.

Lachrymabile bellum in Thracia commissum est, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis cinctæ, vsque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse autem Imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cuiusdam villæ casam deportatus est, quo persequentibus barbaris & incensa domo sepultura quoque caruit.

De his & alijs supputationibus annorum consule Franciscum Haraeum, in fastis.

Hic finit Hieronymus chronicam suam.

Fluxerunt autem ab incarnatione domini vsque ad finem Valentis anni 381.

Ab vrbe condita 1131. scilicet sub regibus anni 240.

Sub Consulibus 464.

Sub Augustis & Cæsaribus 427.

Ab initio autem mundi secundum hebraicam veritatem 4. millia. 234. Secundum 70. Interpretes 5. millia 579.

Ab hinc ergo scribunt Prosper, & Beda, Sigibertusque monachus Gemblacensis.

Nos autem priusquam vlterius procedamus, quia constat maxime circa hæc tempora floruisse sanctos patres Ægypti, & Syriæ, cæteriscue mundi partibus, de quorum gestis & dictis multa iam supra posuimus: placuit vt ad vtilitatem legentium, intermisso paululum ordine historiæ: quorumdam, de quibus ad liquidum inuenire non potuimus, sub quibus fuerint Imperatoribus, vnico sub sequenti libello gesta abbreuiata comprehendamus: similiter etiam & aliorum sanctorum quorundam Episcoporum & confessorum vtriusque sexus, qui floruerunt in diuersis mundi partibus, quorum itidem tempora ignoramus. Et primo quidem à Barlaam & Iosaphat, quorum actus Ioannes Damascenus scripsisse reperitur, narrationis huius exordium sumamus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De Rege Abenner, & eius edicto contra Christianos.

CAP. I.

IOANNES *Damaſcenus in vita SS. Barlaam & Ioſaphat.* Fuit in India Rex quidam, nomine Abenner, diues & potens, & in bellis ſtrennuus, omnibuſque mundialibus ſucceſſionibus glorioſus, ſecundum animam vero multis malis ſuffocatus, & Idolorum ſeruituti deditus. Cũque in multis delicijs viueret, vnum erat ſterilitatis malum, quod eius lætitiam minuebat, & cor eius affligebat: nam filios habere non poterat. Genus autem Chriſtianorum & monachorum multitudines in terra illa angelicam vitam ducentes, in gratia Dei proficiebant, Regis cultum vilipendentes, & prorſus minas eius non formidantes. Multi quoque pro Chriſto mortem ſitiebant, æternam beatitudinem deſiderantes: vnde & ſine timore prædicabant, nihilque aliud niſi *Chriſtum* in ore habebant. Multi quoque doctrinam ſuſcipiebant, adeo vt quidam nobilium ac ſenatorum omnia relinquentes, monachi fierent. Rex autem vt hæc audiuit, furore ſuccenſus edictum illicò poſuit, omnem Chriſtianum coarctari, vt negaret fidem Chriſti, nouas contra eos tormentorum ſpecies excogitans, nouos mortium modos eis minans. Tunc alij tormenta timentes, execrabili præcepto obediebant, alij palam in facie regis impietatem redarguentes, per martyrium vitam finiebant: alij ſe in ſolitudinibus & montibus abſcondebant.

Abenner Indorum rex Idolis deditus.

Christiani & monachi intrepide Chriſtum pradicant.

Ex Indis ſenatoribus multi monachi fiunt.

Rex Abener Chriſtianos perſequitur.

De eius Archiſatrapa facto monacho qui eum confudit.

CAP. II.

TVnc quidam Regis Archiſatrapa, qui magnitudine, & forma, & animæ conſtantia ab omnibus alijs differebat: videns impietatem, & valefaciens huic vanæ gloriæ, monachorum præpoſitis ſe commiſcuit, ac monitium deſerta petens, ibi ieiunijs, vigilijs, & diuinis meditationibus intentus fuit. Quod cum audiuit Rex, de amico perdito doluit, contra monachos autem amplius in iram exarſit. Miſit itaque nuncios, qui eum vbique quæſierunt, donec in deſertis inuentum comprehẽdentes, tribunali Regis exhibuerunt. Quem Rex in paupere & aſperrimo veſtitu videns, dura Anachoreſeos conuerſatione maceratum, triſtitia repletus ait ad eum: O ſtulte, & mentis perdite, cur honorem tuum in contumeliam commutaſti, & ludum puerorum teipſum conſtituiſti, noſtræque amicitiæ & fiduciæ oblitus, & nec propriorum filiorum miſertus contra ipſam naturam inſurrexiſti? Vt quid hoc feciſti, & omnibus dijs hominem qui dicitur IESVS prætuliſti?

Veſtitus aſperitas in monachis & dura conuerſatio.

Hæc audiens homo Dei hilariter reſpondit: O rex ſi rationem à me audire vis, inimicos tuos eijce de medio prætorij, & tunc reſpondebo tibi: illis namque præſentibus, nullus à me tibi ſermo reddetur: propter rationem vero torque, occide, & fac quod vis: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Rege autem dicente, qui ſunt inimici, quos de medio pellere iubes? Ait vir ſanctus: IRA, ET CONCVPISCENTIA. Nam concupiſcentia in nobis operatur voluptatem, & incitat. Ira vero deſtruit. Abſcedant igitur iſta: & aſſideant ad audientiam dicendorum, & ad iudicium, ÆQVITAS ET PRVDENTIA. Cumque Rex eius petitioni annueret, ait ille: *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum, quia eruit me de lacu miſeriæ & de luto fecis, & oſtendit mihi viam compendioſam, & facilem, per quam in hoc fragili corpore poſſum angelicam ducere conuerſationem, præſentium contemnendo vanitatem. Cum enim omnium principale bonum à nobis amputare contendis, id eſt, pietatem, & Deum deſerere, quod damnis omnibus eſt præferendum, quomodo tibi in hoc communicare poſſumus, & non magis contra amicitiam & honorem & filiorum affectum, & ſi quid aliud erat negabimus? Videmus enim te ingratum eſſe Deo, qui & ipſum tibi* ESSE & RESPIRARE *præbuit, qui cœlos & terram ſtabiliuit, hominemque formauit, & immortalitate dotauit: ac Regem cunctorum quæ in terra ſunt conſtituit: Ipſumque à diaboli voluptate deceptum, & omnibus his bonis priuatum, morte crucis ſuæ redimens in priſtinam libertatem reſtituit. Tu autem eum reſpuis & in eius crucem offendis, totus delicijs corporalibus deditus, & exterminandis ſubditus paſſionibus & Idolorum errore pollutus. Scito igitur: quia non acquieſcam tibi, neque meum benefactorem & ſaluatorem negabo, etiamſi me beſtijs deuorandum proijcias, vel gladio & igni tradas, quod nunc eſt tuæ poteſtatis. Non enim mortem timeo, nec præſentia amo: quorum*

Egregia viri Dei reſponſio

Galat. 6.

Ira & cupiditas à tribunalibus ableganda.

Monachiſmus via cõpendioſa per quam angelicam vitã & conuerſationem quis ducere poteſt.

lætitiæ

lætitiæ & exultationi omnis copulatur dolor & tristitia.

His ab eo dictis, Rex ait: Vndique miſer, tui perditionem meditatus, ad hanc (vt arbitror) es fortuna perductus: acuiſti enim mentem & linguam tuam, vt hanc effunderes garriendo fatuam & vanam fabulationem, ſed niſi in principio ſermonis permiſiſſem tibi, quod de medio conſilio iram remouerem, nunc vtique igni carnes tuas traderem. Quoniam vero anticipans me talibus circumueniſti ſermonibus, ſuffero modo tuam procacitatem, quin & propter priorē meam erga te amicitiam. Surge ergo & fuge ex oculis meis, ne vltra te videam, & male te perdam. Tunc egreſſus vir Dei receſſit in deſertum, contriſtatus quidem quod martyrium non ſuſtinuit: martyrium tamen quotidie in conſcientia tolerabat, pugnans aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum. Tunc amplius Rex iratus, perſecutionem grauiorem contra monachos meditatur & ampliori honore cultores Idolorum veneratur & amat.

De ortu Ioſaphat & recluſione eius in palatio.

CAP. III.

Regi naſcitur filius Ioſaphat.

INter hæc naſcitur ei filius pulcherrimus: in cuius ortu gauiſus valde Ioſaphat eum nominauit, ac pro eo immolaturus & gratiam redditurus, ad Idolorum templa ſtultus abijt, atque ad pueri natalitia multitudines populorum vndique congregari fecit, afferentes ſecum quæ ſacrificio erant idonea, ſicut cuique poſſibile erat, & regalem dignitatem decebat. Tunc conuenerunt ad regem quaſi 50. Aſtrologi, quos accerſitos ad ſe, Rex edicere ſingulos rogabat, quidnam futurus eſſet puer, qui ſibi natus erat. Illi vero plurima perſcrutantes, dicebant illum magnum eſſe futurum in diuitijs & pōtentia, & ſupergreſſurum omnes qui ante fuerunt Reges. Vnus autem de aſtrologis excellentior cunctis ait: Sicut ex his qui me docuerunt aſtrorum curſus valeo conijcere, ô Rex, pueri huius profectus, qui nunc natus eſt tibi, non in tuo erit regno, ſed in alio meliori, & incomparabiliter eminentiori, æſtimo vero illum, quam perſequimur Chriſtianorum religionem, fore ſuſcepturum, nec puto quod ſua ſpe ipſe priuetur. Hæc dixit, ſicut olim Balaam, aſtrologia non vera pronunciante, ſed Deo, per aduerſarios ea quæ ſunt veritatis, ſignificante, vt omnem impijs excuſationem adimeret.

Ob natalem Ioſaphat ſacrificia offert.

Rex aſtrologos de filio conſulit quorum vnus dicit eum Chriſtianū fore.

Num. 23.

His auditis Rex grauiter ferens annunciationem hāc, triſtitia illi lætitiā intercidit. In ciuitate itaque ſeorſum palatium ædificauit ſpecioſiſſimum, & in ea cameras ſplendidas artificioſe atque operoſa conſtruxit: in quam puerum poſuit ad habitandum.

Rex omnes moleſtias procul à filio arcere ſtudet

Poſtquam infantiæ impleuit ętatem, & inacceſſibilem fore omnibus imperauit. Pedagogos & magiſtros illi conſtituit, iuuenes ætate & aſpectu pulcherrimos, præcipiens illis, vt nihil horum, quæ in hac vita triſtitiam generant, manifeſtum illi facerent, non mortem, nec ſenectutem, nec infirmitatem, nec paupertatem, nec aliquid aliud quod eum contriſtaret, & lætitiam ei minuere poſſet: ſed omnia iucunda, & delectabilia præponerent, quatenus his mens illius iucundata, & delectata, nihil omnino de futuris cogitare valeret. Præcepit etiam vt nec modicū verbum de Chriſto, & de eius dogmatibus penitus audiret, hoc etenim magis omnibus occultare ei cupiebat, aſtrologi metuens prænunciationem. Si quem vero miniſtrantium ei infirmari contigiſſet, hunc mox inde iubebat eijcere, alium vero pro ipſo floridum & ſanum dabat, vt nihil omnino fædum vel enorme oculi viderent illius pueri. Præcones itaque per vniuerſas regiones præcepit diſcurrere clamantes, vt nullus omnino poſt tres dies horum monachorū inueniretur. Si autem aliqui poſt tres dies inuenirentur, per ignem & gladium perderentur.

De amico Regis, quem ipſe in dolo tentauit.

CAP. IIII.

Quidam princeps occultè Chriſtianus.

INterea vir quidam inter primos illius regni præpollebat pius, fide & ſalutis ſuæ ſolicitus, ſed propter timorem Regis latebat. Cumque aliquando cum Rege ad venationem egreſſus eſſet, ſingulariter ambulans, inuenit hominem in loco quodam nemoroſo in terram proiectum & male tractatum, habentem pedem à beſtia contritum. Qui vidēs eum prætereuntem, rogabat ne pertranſiret illum, ſed miſereretur ei in tam malo euentu, & in ſuam domum deferret, adijciens, quia non inutiliter tibi & omnino inefficaciter inuentus ſum, inquit, ego: ego enim medicus ſūm verborum: ſi enim aliquando in verbis aut colloquiis lædatur aliquis, aut in tribulatione inueniatur, congruis medelis iſta curabo, ne amplius morbus ſuccreſcat. Igitur religioſus vir ille quod dictum fuerat pro nihilo computauit, illum vero propter mandatum Dei conducere in domum ſuam fecit, & competenter curam ei exhibuit. At vero inuidi homines ac malitioſi derogant viro apud Regem, quia non tantum illius amicitiam obliuiſcens negauit Deorum cultum, & ad fidem Chriſtianorum declinauit, ſed etiam mala meditatur aduerſus ipſius regnum, & turbam peruertens atque ſolicitans, & ſibimet cunctos concilians. Sed ſi vis, inquiunt, certus fieri, nihil nos fictum dicere, voca eum ſeorſum, & dic tentando velle te derelinquere paternam ſectam, & gloriam regni, & Chriſtianum fieri, & monaſticum ſumere habitū, quem quondam perſecutus es. Rex vero erga ſe viri amicitiam non ignorans, derogationem falſam putauit: Rem tamen examinare voluit. Vnde aduocans eum ſeorſum, ait, ei tentans: Noſti, ô amice, quanta mala oſtendi monachis & omnibus Chriſtianis. Nunc vero pœnitentia ductus ſuper hoc & deſpiciens præſentia, ſpe illius immortalis regni quod prædicant, ad aliam futuram vitam cupio pertingere: nam præſens morte vtique amputabitur, nec aliter hoc conſequi niſi Chriſtianus fiam & abrenuncians regno meo, & cæteris delectationibus & iucunditatibus huius vitæ, eremitas & monachos requiram vbicumque ſint, quos iniuſte perſecutus ſum, illiſq; me admiſceam. Ille vero vt hæc audiuit, dolum non intelligens, compunctus animo & lachrymis perfuſus ſimpliciter reſpōdit: *Rex, inæternū viue, conſiliū enim bonū & ſalutare reperiſti.* Quia & difficile eſt ad inueniendū regnum cœlorum, attamen omni virtute eſt quærendum. *Nam qui quærit inuenit illud.* Delectatio vero præſentium & ſi in præſenti iucunda ſit & delectet, tamen bonum eſt illam abiicere: nam in ipſo ſuo eſſe non eſt, & quod lætificat ſeptempliciter rurſus contriſtat. Nam dulcedo quidem horum, tēporalis, dolores vero perennes, Chriſtianorum vero labor temporalis eſt, dulcedo vero & ſatietas æterna. Dirigatur ergo regis bona voluntas, bonum vero & nimis bonum eſt, corruptibilia æternis commutare. Rex autem vt audiuit iſta, valde contriſtatus eſt, continuit tamen iram.

Callida regis oratio ad pium principem.

Rex monachum ſe velle fieri ſimulat.

Pij principis pia reſponſio

Rex iram premit.

Qualiter concilio infirmi iram regis placauit.

CAP. V.

Pauper pio Principi dat conſilium.

ILle autem cum cognouit Regem grauiter verba ſua concepiſſe, & quod in dolo tentauerat eum, reuerſus ad domum ſuam tribulabatur, atque grauabatur, hæſitans quali modo deliniret regem, & euaderet imminens ſibi periculum: inſomnem itaque totam noctem ducens in memoriam venit ei homo, qui pedem læſum habuerat, Cui ad ſe adducto ait: Reminiſcor quia dixeris te verborum medicum, ac procuratorem eſſe malorum, & continuo narrauit ei, quem apud Regem ab initio amicitiam obtinebat, & paulo ante propoſitum ſibi ab ipſo Rege fraudulentum colloquium. His auditis pauper ille deliberans in ſemetipſo ait: Surge ergo, & tonde comam, & exuendo veſtimenta iſta ſplendida, cilicium

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cilicium indue, ſummoque diluculo accede ad Regem. Illo vero interrogante quid ſibi vult habitus iſte? reſpondebis, pro his quæ heſterna die locutus es ô Rex, ecce ego adſum paratus ſequi te per viam qua deſideras ambulare. Nam etſi deliciæ ſunt amabiles & iucundæ, non contingat mihi his poſt te perfrui, virtutis enim via qua iturus es, & ſi difficilis eſt & aſpera: tamen tecum exeunti facilis erit & plana & amabilis. Sicut enim ſocium me habuiſti præſentium bonorum, ſic & triſtium habebis, vt etiam futurorum ſim particeps tecum bonorum. Nobilis igitur vir ille infirmi verba ſuſcipiens, fecit iuxta quod ei locutus eſt. Quem videns Rex & audiens, ſuper hæc vehementer obſtupuit, & erga ſe veram viri intellexit amicitiam, falſa quoque quæ contra eum dicta fuerant agnoſcens, ampliori honore & maiori fiducia penes ſe ſublimauit eum.

De duobus monachis martyrizatis.

Cap. VI.

Rex duos monachos capit. ITerum Rex egreſſus ad venandum, vidit duos monachos per eremum gradientes, quos ad ſe adduci præcepit, eoſque furibunde reſpiciens, ait: Non audiſtis erronei & ſeductores, præcones meos clamantes, vt nullus veſtræ ſuperſtitionis in hac regione poſt tres dies inueniretur, alioquin igne cremaretur? Qui dixerunt: Ecce vt dixiſti, egredimur de tuis regionibus, ſed longa imminente nobis via pergendi ad fratres noſtros, neceſſe habuimus cibum emere ne fame deficeremus. Rex autem ait: Mortis minas metuens eſcarum mercimonijs non adhibet ſtudium. Reſponderunt illi: Et qui ſunt illi qui mortem timent, niſi qui nullum bonum in futuro ſperantes, ſperantibus radicitus inhærent? *Nos autem qui mundum contempſimus propter Chriſtum, nec timemus, nec præſentia diligimus, ſed futura deſideramus.* Tunc Rex eos argumento comprehendere volens, ait: Si mortem non timetis, cur fugam arripuiſtis? At illi: Non mortem à te minatam timentes fugimus, ſed tui miſeremur, & ne maioris tibi cauſa damnationis efficiamur, diſcedere cogitauimus. Ad hæc iratus Rex, iuſſit eos igne cremari, & ſic per ignem adepti ſunt coronam martyrij.

Quibus mors terrori eſſe ſoleat.

Mors pijs tranſitus eſt ad vitam.

Qualiter Ioſaphat à patre obtinuit libertatem procedendi.

Cap. VII.

Regis filij ſtudia. FIlius autem Regis in parato ſibi palatio inacceſſibilis exiſtens, ad ætatem peruenit adoleſcentiæ, omni Æthiopum & Perſarum imbutus diſciplina quæſtioneſque naturales doctoribus ſuis proponebat, ita vt mirarentur de velocitate ingenij eius & intellectu eius, & ſtuperet Rex gratiam vultus eius, & animi conſtantiam. Penſabat vero in ſemetipſo cur eum fore inacceſſibilem pater eius adiudicauerat, & cur ad eum volenti ingredi non permittebat introire, tamen verebatur interrogare eum: ſed vnum ex pedagogis amabiliorem cæteris in partem traxit, interrogans, cur ſe pater ſic recluſiſſet? Adiungenſque ſi hoc veraciter mihi feceris manifeſtum, mihi charus eris præ omnibus. Pedagogus cuncta ei enucleatim reſerauit, id eſt, aduerſus Chriſtianos indictam à rege perſecutionem, & præcipue contra eremitas, & quomodo fugati ſunt, & qualia in natiuitate eius prænunciauerunt aſtrologi: ne ergo doctrinam audiens illam, præponas noſtræ ſectæ, non multos tecum colloqui voluit, ſed nos probatos & fideles circa te conſtituit, præcipiens nobis ne tibi aliquid triſte notificaremus. Hæc vt audiuit iuuenis, nihil aliud appetijt loqui: tetigit ergo cor illius ſermo ſalutaris, & Paracliti gratia intellectuales eius oculos aperire cœpit ad verum conductura Deum, vt patebit inferius. Frequenter vero pater eius ad videndum eum veniebat, nam excellenti amore diligebat eum. Quadam autem die intulit ei filius: Diſcere à te cupio, quid eſt ô domine Rex, vnde triſtitia aſſidua & ſolicitudo continua corrodit animam meam: quid ſibi vult, quod infra muros iſtos & portas concludens me, inacceſſibilem prorſus & incontemplabilem cunctis conſtituiſti? Tunc pater ait: Nolo fili vt videas aliquod quod cor tuũ poſſit amaricare, & tibi lætitiam amputare. In deliciis enim iugibus & gaudio perenni & hilaritate, viuere te per omne ſæculum deſidero. Cui filius: bene ſcias Domine quoniam iſto modo non in gaudio & lætitia viuo, ſed in tribulatione potius & anguſtia multa, in tantum, quod & ipſe cibus & potus inſipidus mihi apparet; videre enim deſidero, quæ extra portas iſtas ſunt omnia. Si ergo vis ne doloribus deficiam, iube me quo voluero procedere, vt animo queam delectari contemplatione rerum, quas hactenus non vidi: contriſtatus eſt igitur Rex propter talia, perpendebat enim quia ſi denegaret ei quod petebat, amplioris ei triſtitiæ & ſollicitudinis auctor exiſteret. Tunc ait illi: Ego deſiderio tuo ſatisfaciam.

Rogat quã de cauſa exire ſibi non liceat.

Reſpondetur ne Chriſtianus fiat.

Petit à patre vt egredi poſſit.

Comedit pater.

De leproſo, & cæco, & ſene curuo, quos in via vidit.

Cap. VIII.

ELectos igitur equos adduci continuo, & obſequium regale & idoneum præcedere eum imperans, quocunque vellet pergere permiſit, diligenter præcipiens miniſtris, vt nihil fœdum in occurſum eius venire ſatagerent, & omne bonum & iucundum ſibi demonſtrari, choroſque plaudentes in canticis & omni genere muſicorum eum antecedere, & varia delectationis ſpectacula facerent: vt his mens eius vacaret & iucundaretur. Igitur ſic frequentans proceſſiones regis filius vidit dæ quadam, clam miniſtris, duos viros, quorum vnus leproſus alter cæcus erat. Quos videns contriſtatus eſt animo, & dixit his qui ſecum erant: qui ſunt iſti, & qualis eorum aſpectus fœdus? Illi non valentes quod viderat, occultare, dixerunt: Paſſiones iſtæ ſunt humanæ, quę ex materia corrupta & corporis mala complexione hominibus ſolent accidere. Et ait adoleſcens: Omnibus hominibus nunquid iſta contingere ſolent. Dicunt illi: Non omnibus, ſed quibus ſubuertitur ſanitas ex humorum malorum abundantia. Rurſus ergo interrogauit puer: Ergo noti ſunt, quos apprehenſura ſunt iſta mala, aut indiffinite & improuiſe ſuperueniunt? At illi: Et quis hominum cognoſcere futura vel præuidere poteſt? hoc enim naturam ſupergreditur humanam: ſoliſque diis hæreditarium eſt immortalibus. Et ceſſauit puer interrogare. Super hoc ergo quod viderat doluit, & immutata eſt ſpecies vultus eius, propter inconſuetudinem rei.

Ioſaphat leproſum conſpicit & cæcum.

Rogat morborum cauſam.

Poſt multas vero dies rurſus egrediens repetit ſenẽ inueteratum dierum multorum, rugãtam habentem faciem, diſſolutis brachiis, & dorſum inclinatum, & toto capite cano, carentem dentibus, & balbutiendo loquentem. Stupefactus igitur, aſſumit eum, & propius adducens interrogat diſcere cupiens viſionis miraculum: præſentes autẽ dixerunt, iſte iam extitit plurimorum annorũ, paulatimq; imminuta ſibi virtute & ægrotantibus mẽbris, ad hanc quã cernis peruenit miſeriam. Et quis eſt, inquit, huius finis? Reſponderũt: Mors eum ſuſcipiet. Et ille: Imminetne omnibus hominibus iſtud, an aliquibus tantum? Reſponderunt, niſi mors præueniens hinc hominem transferat, impoſſibile eſt ſuccedentibus annis non venire ad iſtius ſtatus experientiam. At ille: Igitur in quot annis ſuperuenit alicui, & ſi penitus mors imminet vel non eſt ars hanc euadendi, quin ad hanc perueniatur miſeriam. Dicunt ei: in 80. quidem vel 100. annis ad hanc ſenectutem deueniunt homines, deinde moriuntur, nec aliter fieri poteſt. Ingemiſcens puer de profundo corde ait: Amara eſt vita iſta & omni dolore & amaritudine plena. Si hęc ita ſe habẽt, quomodo ſecurus eſſe poterit aliquis mortem incertam præſtolando? Cuius aduentus non tantum inæuitabilis, ſed

Miratur decrepitum ſenem.

Mors naturale debitum eſt. An moriturus ſit rogat

incertus

incertus eſt ſicut dicitur. Et abijt, intra ſe iſta ſeruans, & inceſſanter cogitans, & frequenter habens memoriam, & ob hæc in doloribus & defectionibus continuam habebat triſtitiam. Dicebat enim in ſemetipſo, ergone me mors aliquando apprehēdet: & quis erit memoriam mei faciens poſt mortem, tempore obliuioni omnia tradente? & ſi moriens in nihilum diſſoluar: aut eſt aliqua alia vita, aliuſque mundus?

Apud patrē diſſimulat triſtitiam.

Hæc & his ſimilia cogitans pallidus tabeſcebat, in præſentia tamen patris quando ad eum veniebat, hilaritatem fingebat & lætitiam. Deſiderabat autem & æſtuabat aliquem, qui poſſet cor eius certificare, & ſermonem bonum auribus eius infundere. Cumque ſuper hoc pedagogum præfatum conſuleret, vtrum ſcilicet aliquem talem cognoſceret. Ille reſpondit: Dixi tibi iam, quomodo pater tuus ſapientes & eremitas illos ſemper philoſophantes de talibus, alios interemit: alios perſecutus eſt, & non cognoſco modo talem quemque in hac regione remanſiſſe. Ille autem ſuper his triſtatus, aſſimilabatur viro, qui magnum theſaurum amiſerat, & ad eius inquiſitionem totam mentem conuerterat.

Quærit qui ſe inſtruat.

De aduentu Barlaam ad eum ſub vmbra negociatoris.

CAP. IX.

Barlaam monachus in Sennaaritide terra.

FVit eo tempore quidam monachus diuina ſapientia, vita & ſermone ornatus, qui in deſerto terræ Sennaar cellam ſibi fecerat, & huic Barlaam nomen erat. Hic ergo reuelatione diui nitus ſibi facta cognouit ea, quæ circa Regis filium agebantur. Qui egreſſus de eremo ad ſæculum deſcendit, & mutato habitu ſuo, veſtimentis ſecularibus indutus aſcendit nauem ad partes Indiæ profecturus, ad negociatorem ſe eſſe ſimulans, applicuit ad ciuitatem profecturus, & negociatorem ſe eſſe ſimulans, applicuit ad ciuitatem in qua regis filius palatium habebat: ibique diu commoratus inquirebat diligenter de eo, & de ſibi miniſtrantibus: vt autem didicit ſupradictum Pedagogum cæteris ei familiariorem, accedens ſeorſum ad eum, ait illi. Cognoſcere te volo domine mi, quoniam ego negociator ſum, & de remota regione valde huc veni, & eſt mihi lapis pretioſus, cui ſimilis aliquando inueniri non poſſit, rogo vt me introducas ad filium Regis, & tradam illum ei. Valet quippe & cæcis corde lumen conferre ſapientiæ, ſurdorum aures aperire, mutis vocem reddere, & ſanitatem infirmantibus exhibere, ſtultis ſapientiam dare, Dæmones effugare, & totum quod bonum eſt & amabile, largiter ſe poſſidenti tribuere. Dixit ad eum pedagogus: lapides eximios & pretioſas margaritas minime tibi enarrare poſſum quot viderim, habentes vero tales virtutes quales dixiſti, neque vidi neque audiui, tamen oſtende mihi ipſum, & ſi eſt ſecundum verbum tuum, mox inferam hunc ad filium regis, & honores quam maximos & munera ſuſcipies ab eo. Barlaam vero ait: Lapis iſte pretioſus cum præfatis operationibus & virtutibus adhuc habet & iſtam virtutem, non valet eum contemplari fortuitò, qui ſanam non habet oculorum viſionem & integram, caſtum etiam corpus & nullo modo inquinatum. Si enim aliquis iſta duo non bene habet temerarie reſpicit lapidem pretioſum iſtum, & ipſam quam habet viſibilem virtutem, & mentem perdet. Conſidero autem oculos tuos non ſanos eſſe, & vereor ne viſum quem habes amitteres, & ego tibi tanti mali author exiſterem. Filium autem regis vitam audiui ducere pudicam & oculos pulcherrimos & ſanos & clare videntes habere; quapropter illi iſtum theſaurum oſtendere confiſus ſum. Tu ergo non negligenter de hoc diſponas, neque re tali Dominum tuum priues. Ille autem dixit: Si ſic ſe iſta habent, noli mihi lapidem oſtendere. In peccatis multis vita mea ſorduit, neque viſum incolumem ſicut dixiſti habeo. Ingreſſus igitur diligenter omnia filio Regis annunciauit. Ille autē vt hoc audiuit, lætitia quadā ſpirituali ſenſit cor ſuum aſpiratum, & anima eius diuinitus illuſtrata eſt: iuſſit itaque ſtatim introduci virū. Qui introiens ſalutauit eū. Tunc præcepit eū ſedere: & Pedagogū abſcedere. Quo recedente, dixit Ioſaphat ſeni: Oſtēde mihi lapidē de quō quædam magnifica te dicere meus narrauit. Pedagogus. Ad quē Barlaā, niſi prius experimentum tuæ capiam prudentiæ, incongruū eſt tibi hoc myſteriū reuelare. Ait enim Dominus meus: *Exȳt qui ſeminat ſeminare, & dum ſeminat, alia quidem ceciderunt ſecus viā, & venerunt volucres & comederunt illa &c.* Si ergo terrā inuenero in te fructiferam & bonam, non tardabo diuinum ibi ſemen ſeminare, & magnum myſterium tibi reuelare. Dixit autem ad eum Ioſaphat: Ego quidē venerande ſenex, deſiderio quodā & amore incōprehenſibili quęro ſermonē audire & nouum & bonum quia intrinſecus exardeſcit ignis fortiter vrens me, & incitās me ad diſcendas quaſdā neceſſarias quæſtiones; non enim hactenus hominē reperi, qui de his me potuerit inſtruere, ſed ſi inuenero ſapientē aliquē & audiero ab eo verbū ſalutis, nequaquam volucribus prout æſtimo, ſiue beſtijs dabo, neqi petroſa neque ſpinoſa terra apparebo, ſed gratanter accipiā & ſapiēter ſeruabo, tu vero, ſi tale quid noſti, nō abſcondas à me, ſed indica mihi. Nam quia audiui te de terra longinqua veniſſe, ſenſit anima mea, & bonæ ſpei factus sū, quia per te quod iam diu deſideraui aſſequar, & idcirco mox ingredi feci te ad me, libēterq, ſuſcepi, quaſi aliquē de familiaribus, & coætaneis meis, ſi tamen non de ſpe mea fallar.

Regi filio lapidem pretioſum ſe daturū promittit.

Barlaam domini admonitu in Indiam proficiſcitur.

Narratio eius de Rege humili qui caute reprehenſorem arguit.

CAP. X.

Rex quida duos religioſos honorat.

TVnc Barlaam ait: hoc bene feciſti, dignumque regali magnificentia, quoniam non apparentis ſeu reconditæ factus es ſpei. Nam quidam Rex fuit magnus & glorioſus, & factum eſt procedēte illo in curru deaurato cum regali obſequio obuiaſſe illi duos viros attritis & ſordidis indutos veſtibus, attenuatas macie & pallidas facies habentes: vt ergo Rex vidit illos, deſiliens confeſtim de curru, & in terram procidens, adorauit, & ſurgēs amplexatus eſt eos, & affectuoſe oſculatus. Magnates vero illius ac proceres de hoc indignati ſunt, arbitrantes eum feciſſe indigna regali gloria: non tamen auſi in facie illum reprehendere, germano fratri eius ſuggeſſerunt, vt ei loqueretur, ne tantæ excellentiæ diadematis tantam inferat contumeliam: qui cum fratri iſta diceret, & eius humiliationem reprehenderet, ei Rex reſponſum dedit, quod tamen ille non intellexit. Conſuetudo autē erat illi Regi quādo ſententiā mortis contra aliquē dictabat, præconē ſuum ante ianuā illius cum tabula huic officio deputata, mittere: cuius voce omnes cognoſcebāt mortis reū illū eſſe. Veſpere igitur veniente miſit Rex buccinā mortis tubicinare ante ianuā fratris ſui. Quam cū audiſſet ille, de ſalute deſperās tota nocte ſua diſpoſuit, ac ſummo diluculo nigris & lugubris indutus veſtibus, cum vxore & filijs pergit ad fores palatij flens & lugens. Quē Rex ad ſe ingredi fecit, & videns ſe lugentem ait: O ſtulte & inſipiens ſi tu ſic timuiſti præconē germani fratris tui, aduerſus quem te nihil deliquiſſe cognoſcis. Quomodo mihi reprehenſionem intuliſti, quia in humilitate ſalutaui & oſculatus ſum præcones Dei mei ſonorabili tuba mihi mortem ſignificantes, & terribilem Domini occurſum, cum multa & magna meipſum peccaſſe conſcius ſum. Ecce deniq; tuam arguens inſipientiā iſto vſus ſum modo: Nunc vero & illorū qui te ad mei miſerunt reprehenſionem, ſtultitiam arguere curabo, & ita fratrem inſtructum remiſit domū. Præcipit autem fieri de lignis quatuor arcellas & duas quidem vndiq auro coopertas oſſa mortuorum putentia mittens in eis, aureis obfirmauit ſeris. Alias vero pice duas & bitumine liniens, repleuit lapidibus pretioſis & ineſtimabilibus margaritis, & omnium vnguentorum odoribus funiculiſque cilicinis aſtrinxit, deinde accerſiri fecit reprehenſores ſuos, magnates ſcilicet illos & proceres, & poſuit

Tuba mortis præco.

Mortui præcones religioſi.

Lapis hic nō niſi caſto oculo videri poteſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

poſuit ante eos ipſas quatuor arcellas vt æſtimarent, quanto quidem iſtæ, quanto vero illæ pretio ſint dignæ. Illi itaque deauratas magni pretij iudicauerunt. Expedit enim in ipſis Diademata regalia reponi: quæ vero illinitæ pice & bitumine erant, vili quodam & exili pretio dignas dixerunt. Rex autem dixit ad illos: Sciebam & ego talia vos dicturos, exterioribus enim oculis exteriora cernitis, & tamen non ita oportet facere, ſed internis oculis intrinſecus recondita expedit videre, ſiue honorem ſiue contumeliam: Ex mox præcepit vt aperirentur arcellæ deauratæ, ex quibus reſeratis dirus fætor exhalauit, & fætidiſſimus viſus eſt aſpectus. Ait ergo Rex: Iſte typus eſt eorum, qui ſplendidis quidem & glorioſis induuntur veſtibus, & potentia elati ſunt: ſed intrinſecus mortuis ac fætentibus, maligniſque operibus referti ſunt. Deinde piceatas bituminataſque præcipiens diſſolui & aperiri, cunctos qui aderant lætificauit, eorum quæ intus erant ſplendore & odore. Tunc ait ad illos, ſcitis quibus ſimilia ſunt iſta, humilibus illis qui vilibus operti erant veſtimentis, quorum vos exteriorem attendentes habitum, contumeliam putaſtis meam ante faciem eorum in terram adorationem. Ego vero intellectualibus oculis, reuerentiam illorum & decorem conſiderans animarum, glorificatus ſum quidem horum tactu, omnique corona & regali vniuerſa purpura pretioſiores iſtos exiſtimaui. Illos igitur ita confundens docuit, ne errarent in his quæ foris apparerẽt, ſed interna attenderent.

Homines nõ ex habitu externo æſtimandi

Quibus ſimiles qui externe tantũ pulchri.

Secundum illum itaque pium & ſapientem Regem, tu quoque feciſti, bona ſpe ſuſcipiens me, quæ te non decipiet ſicut ego æſtimo.

Inſtructio Ioſaphat de cultu vnius Dei.

Cap. XI.

Barlaam fidem Ioſaphat eꝛponit

DIxit ad eum Ioſaphat, hæc omnia bene dixiſti: Sed volo diſcere quis eſt Dominus tuus, quem de ſemine illo in initio ſermonis dixiſſe aſſeruiſti. Cui Barlaam: Si vis Dominum meum agnoſcere, *ipſe eſt vnigenitus Dei filius, Rex Regum & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem & lucem habitat inacceſsibilem, cum Patre & Spiritu ſancto glorificandus.* Non enim ego de illis ſum, qui multos iſtos Deos inanimatos & ſurdos colunt, ſed vnum cognoſco & confiteor Deum, ideſt tribus perſonis glorificandum, Patre ſcilicet, & filio & Spirituſancto, in vna natura & gloria, & regno indiuiſo, qui cuncta viſibilia & inuiſibilia fecit de nihilo. Tunc iuxta ſeriem ſacræ hiſtoriæ narrauit ei qualiter Deus creauit mundum, & qualiter diabolus hominem inuidia ſeduxit ad imaginem Dei factum, & qualiter creſcente malitia hominum, Deus induxit ſuper terram diluuium qualiter etiam poſt diluuium homines multiplicati, & Deum obliti ſunt, & in omnem prorſus errorem diſperſi ſunt. Alij namque putauerunt cuncta ſponte ſua fieri, & ſine prouidentia regi: Alij fortuna putauerunt. totum fato concedentes: Alij plures Deos toluerunt vitioſos: vt haberent eos vitiorum ſuorum authores, quorum etiam formas, figurantes, ſtatuas erexerunt, & concludentes in templis adorauerunt. Abraham vero ſolus in illa generatione inuentus eſt, qui ſenſu incolumi Deum per creaturas agnouit, quem etiam Deus ſibi familiarem effecit, eiuſque progeniem multiplicans, & populum ſibi peculiarem nominans, de ſeruitute Ægyptiaca, per multa ſigna & prodigia liberauit, dataque lege per Moyſem in terram bonam, quam Abrahæ promiſerat, introduxit, multaque magnalia glorioſa atque præcipua eis oſtendit, per quæ omnia id ſtudij fuit vt ab omni execrabili Idolorum ſeruitute & actione genus hominum abſtraheret, & ad antiquum ſtatum reduceret. Sed adhuc regnauit in hominibus mors tirannide Diaboli condemnationi inferni omnia tranſmittens. In tali igitur miſeria conſtitutos, Deus qui de nihilo nos creauerat, non deſpexit, ſed per voluntatem Dei, vnigenitus miſeris condeſcendens, de virgine natus eſt, & 30. annis cum hominibus conuerſatus eſt, multiſque miraculis clarificatus, crucem, & mortem paſſus eſt, vt & nos à paſſionibus liberaret, tertia vero die reſurgens incorruptibilis poſt 40. dies cælos aſcendit, vbi ſedet ad dexteram Dei patris, inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & vnicuique reddere ſecundùm opera eius. Poſtquam vero aſcendit, ſpiritum paraclitum ſuper diſcipulos miſit, qui exinde gratia illius in omnes gentes diſperſi ſunt, & fidem orthodoxam prędicauerunt, baptizantes, & mandata ſaluatoris obſeruare docentes, non ferens igitur hoſtis antiquus deiectionem ſuam, bella nunc contra nos excitat, ſuadens ſtultos adhuc ſequi idolatriam. Ecce tibi Dominum meum paucis notificaui, quem perfectius cognoſces, ſi gratiam eius ſuſceperis, & ſeruus illius factus fueris.

1. Tim. 6.

Rerum creatio.

Naz. 2. orat de Paſch.

Varia falſa religionis genera.

Abraham ex rebus conditis conditore agnoſcit.

Chriſti Incarnatio, Paſſio & reſurrectio.

Spiritus Sancti miſſio.

His auditis filius Regis ſurgens de throno ſuo, præ gaudio amplexatus eſt Barlaam, & dixit: Forte iſte eſt lapis ille pretioſiſſimus, quem in myſterio contines, non omni cernere volenti oſtendens: ſed quibus ſani ſunt animæ ſenſus. Ecce enim vt hæc verba ſuſcepi, lumen dulciſſimum cor meum ingreſſum eſt, & aliud graue triſtitiæ velamen iamdiu menti meæ ſuperpoſitum, ſtatim ſublatum eſt. Quęrenti ergo Ioſaphat de regno cælorum, & vtrum morientes in nihilum diſſoluantur, & his ſimilia, Barlaam plenius diſſerere cæpit, de reſurrectione futura, & de iudicio, de remuneratione quoque iuſtorum, & perditione reproborum.

Ioſaphat lumen fidei accepit.

Fabula de Luſcinia contra cultores idolorum inducta.

Cap. XII.

QVibus auditis Ioſaphat vehementer compunctus, totuſque lachrymis perfuſus ait. Quid me oportet facere, vt euadam pœnas peccatorum, & merear gaudio perfrui iuſtorum? Barlaam reſpondit: Ante omnia accedere ad eum, qui vocat te de morte ad vitam, de tenebris ad lucem viſibilium & inuiſibilium veram notitiam. Nam ignorantia Dei veraciter mors eſt & tenebræ, & idolis ſeruire mihi videtur omni ſtoliditate deterius eſſe. Aiebat mihi vir ſapientiſſimus quidam, quia ſimiles ſunt Idolorum adoratores viro ſagittario, qui comprehendit vnam de minutiſſimis auiculis, luſciniam hanc vocant. Arripiens igitur cultellum, vt occideret eam, & comederet, data eſt luſciniæ vox articulata, & ait ad ſagittarium: Quid tibi ô homo necis meę profectuum eſt? non enim de me tuum implere ventrem poteris, ſed ſi me à vinculis liberaueris, tria mandata tibi dabo, quæ ſi cuſtodieris, ex his magnam per vitam totam vtilitatem conſequeris: ille vero ſtupefactus illius loquela, promiſit, quod ſi quid nouum audiret ab ipſa, mox ipſam liberaret. Conuerſa illa, huiuſmodi dixit, nunquam aliquid coneris comprehendere eorum, quæ apprehendi non poſſunt. Et ne doleas de re perdita, quã recuperare non potes. Et verbũ incredibile non credas aliquãdo. Hæc tria mãdata cuſtodi, & bene tibi erit.

Admiratus autem vir perſpicuam verborum intelligentiam, ſoluens eam per aerem miſit liberam auolare Illa autem volens probare ſi cognouerit vir dictorum verborũ virtutẽ, & ſi lucratus fuerit ex ipſis aliquã vtilitatẽ, volitando dicit ad eum: Væ tibi, quã malum conſilium habuiſti hodie, & qualẽ theſaurũ perdidiſti hodie. Eſt enim in viſceribus meis margarita, quæ ſtruthionis ouum ſua vincit magnitudine. Quod audiens ille contriſtatus eſt valde, pœnitens quod euaſiſſet luſcinia de manu ſua, & denuo tentans illam apprehendere dixit: Veni in domum meam, & omnem humanitatem tibi exhibebo, & deinde honorifice te dimittam. Cui luſcinia: Nunc cognoui certiſſime te eſſe fatuum. Suſcipiens namque tibi quæ dicta ſunt à me prõpte, & libenter audiens, nullum ex eis profectum aſſecutus es. Dixi tibi ne doleres de re perdita irrecuperabili, & ne tẽtares incõprehẽſibilia capere, & tentaſti me cõprehendere cũ non valeas pergere itinere meo. Inſuper dixi tibi, ne verbum crederes incredibile: ſed ecce credidiſti in viſceribus

Cui ſimiles ſint Idolorũ cultores, egregio de luſcinia apologo docet.

meis

meis eſſe margaritam ſupergredientem menſuram ventris mei, & non valuiſti intelligere, quoniam ego tota non poſſum pertingere ad magnitudinem oui ſtruthionis, & quomodo margaritam talem valeam capere in me? Sic ergo ſtulti ſunt illi, qui confidunt in Idolis, operantur ea manibus ſuis, & adorant quæ fecerunt digiti eorum dicentes: Iſti ſunt qui plaſmauerunt nos. Quomodo ergo plaſmatores ſuos ab ipſis plaſmatos & factos exiſtimant, ſed & ſeruantes eos in cuſtodia ne à furibus rapiãtur, cuſtodes vocãtur ſuæ ſalutis. Ex hac ergo mala generatione & infideli vocauit te Dominus dicens tibi: Exi de medio eorum & ſepara te, & immundum ne tetigeris, ſed ſalua te de generatione iſta. Surge & vade, quia non eſt tibi requies in ea. *Si ergo crediderit & baptizatus fueris, ſaluus eris: ſi vero non crediderit, damnaberis.* Nam iſta quæ cernis hodie, & in quibus exultas; ideſt, gloria & diuitiæ & delitiæ & omnis vitæ ſeductio cito tranſeunt, eijciuntque te & hinc, nolentem, & corpus quidem concludetur paruo monumento ſolo derelictum, omnique deſtitutum amicorum & cognatorum affectu. Abijcientur vero delectationes mundi & multa fæditas & putrida corruptio pro præſenti decore & bono odore inducetur; animam vero tuam mittent in condemnationem inferni vſque ad vltimam diem reſurrectionis, quando rurſus anima ſuo ſumpto corpore eijcietur à facie Domini & tradetur igni gehennæ ſine fine arſura. Dixit ad eum Ioſaphat: Omnia verba tua bona & admiranda ſunt quæ credidi & credo, omnem quidem Idolorum ſeruitutem ex corde etiam priuſquam intrares ad me, quaſi inuitus & dubitans erga iſta habuit ſe animus meus: nunc vero perfecto odio odiui, diſcens à te vanitatem illorum, & inſipientiam illorum, qui ſeruiunt illis. Deſidero autem verus ſeruus Dei fieri, ſi tamen non repulerit me indignum propter meas iniquitates, ſed confido quia dimittet mihi omnia peccata mea, *quoniam benignus, & miſericors eſt* ſicut doces. Iam ergo paratus ſum baptiſmum ſuſcipere, & omnia quæcumque dixeris mihi cuſtodire, quid vero oporteat facere poſtquam baptizatus fuero, an aliqua alia oporteat ſubſequi manifeſta.

Res mundi fluxæ ac breui peritura.

Barlaam pœnis terret Ioſaphat.

Ioſaphat baptiſmũ petit.

Admonitio facta Ioſaphat de perſeuerantia in fide.

Cap. XIII.

Frater baptiſmum neceſſaria bona opera. Iacob. 1.

TVnc itaque ait ad eum Barlaam: Ab omni quidem peccato oportet te abſtinere, & ædificare ſuper fundamentum rectæ fidei virtutum operationem, *quoniam fides ſine operibus mortua eſt*, ſicut & opera ſine fide. Quod ſi poſt acceptam veritatis cognitionem priora rurſus mortua apprehenderimus opera, & ſicut canis ad vomitum reuerſi fuerimus, continget nobis quod à Domino dictum eſt. *Cum enim* inquit *ſpiritus immundus exierit ab homine* (gratia videlicet baptiſmatis) *ambulat per loca inaquoſa quærens requiem & non inuenit. Non ſerens autem diutius, ſine domo & ſine tecto errare dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Tunc vadit & aſſumit 7. ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Dicit ei Ioſaphat: Igitur quantum ex hac dogmatum ſubtilitate perpendere valeo, ſi hanc mundam conuerſationem poſt baptiſma vnius vel duorum tranſgreſſione mandatorum iſtorum me violare contigerit, ab omni mea corruam intentione, & omnis ſpes mea irrita fiet. Reſpondit Barlaam: noli ſic iſta perpendere, nam pro ſalute generis noſtri homo factus Deus ſciens infirmitatem naturæ noſtræ, non in hac parte dimiſit nos ſine medicina langueſcere, ſed ſicut ſapientiſſimus Medicus lubricæ voluntati noſtræ commiſcuit antidotum pœnitentiæ, prædicans iſtam in remiſſionem peccatorum: baptiſmus etiam vocatus eſt fons lachrymarum ſecundum gratiam Domini, ſed labore & dolore indigens. Vbique vero per ſcripturas, pœnitentiæ virtutem diſcimus & maximè ex præceptis & parabolis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ex tunc ait: *Cæpit Ieſus docere & dicere, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Sed in parabola filium quendam narrat qui accepit patris ſubſtantiam, & abijt in regionem longinquam, ibique diſſipauit totum viuendo luxurioſe: deinde fame in regione illa facta, abijt & adhæſit vni magnorum ciuium illius regionis, qui miſit illum vt paſceret porcos, aſperrimum & abominabile ſic notans peccatum, multum enim tribulatus ad extremam veniens inopiam intantum, vt nec de ſilequis quas porci manducabant, ſuum poſſet implere ventrem. Tandem ad ſe conuerſus ſuam ſenſit confuſionem, lamentanſque dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant pane &c.* accurrens pater cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, & in priorem reſtituens honorem fecit ſolemnitatem inuentionis eius, occidens vitulum paſcualem. Ecce hanc parabolam de pœnitentibus nobis narrauit.

Matth. 3.

Luc. 15.

Filius Prodigus.

Luc. 5.

De bono paſtore.

Inſuper de paſtore qui habuit 100. oues, dixit quod vna perdita dimiſit 99. in deſerto, & exiuit vt perditam quæreret, quã inuentam in humeris ſuis leuauit, & alijs quæ non errauerant coniunxit. Vocauitque amicos & vicinos ſuos ad epulas in eius inuentione. Sicque, inquit Saluator, gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper 99. qui non indigent pœnitentia.

Periculoſus in peccatum lapſus.

Oportet igitur poſt acceptam veritatis notitiam, guſtum diuinorum omni virtute obſeruare, ne ruamus. Nam cadere non expedit certanti, quoniam multi iam qui corruerunt reſurgere non potuerunt: alij vitijs ianuam aperientis hiſque nimis adhærentes, vlterius ad pœnitentiam venire nequiuerunt: alij vero morte præuenti & occurrentes per pœnitentiam ſeipſos à peccatis abſoluere, condemnati ſunt, propterea periculoſum eſt in qualicunque vitio eadere, & ſi contigerit ſtatim reſilire oportet & rurſus in bono ſtare certamine. Ad hoc Ioſaphat dixit: Quomodo igitur quis cuſtodiet ſe ipſum poſt baptiſmum mundum ab omni peccato: nam ſi reſtat pœnitentia delinquentibus, ſed tamen non ſine labore, & fletu, & planctu, quæ non facilia multis fore mihi videntur. Et ideo mallem inuenire viam, vt cuſtodirem diligenter præcepta Dei, & non declinarem ab eis, ne poſt indulgentiam priorum malorum ad iram prouocarem iterum dulciſſimum Deum.

Inquirit Ioſaphat de viatutiore.

Exhortatio ad eundem, de vita perfectiori.

Cap. XIIII.

Difficile eſt inter mundi tumultus ſaluti ſtudere.

TVnc Barlaam dixit: bene dixiſti domine mi Rex: nam & hoc mihi deſiderabile eſt, ſed laborioſum eſt & valde impoſſibile aliquem iuxta ignem conuerſari & non fumigari. Difficile eſt ergo & nimis arduum ſæcularibus vinctum negocijs, & eius curis implicitum, & in diuitijs & delicijs viuentem, mandatorum Dei viam indeclinabiliter pergere, & ſe mundum conſeruare. Ait enim Dominus: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Iſta ergo diuini & deiferi patres noſtri Apoſtoli audientes, *quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Quidam & aliud addiderunt baptiſmum ſuſcipere, per ſanguinem dico & martyrium. Quod & Dominus pro nobis ſuſcipiens baptiſmum decenter vocauit, hinc ipſius imitatores facti, prius quidem ſui diſcipuli & Apoſtoli: deinde vero & omnis ſanctorum martyrum chorus cultoribus Idolorum regibus & tyrannis ſeipſos & pro Chriſti nomine obijcientes, omne genus tormentorum ſuſtinuerunt, videlicet beſtijs proiecti & ignibus exuſti, atque gladijs interempti. Iſtorum non tantum verba & opera, ſed & ſanguis & oſſa omni ſanctitate ſunt plena: dæmones namque potenter eijciunt, inſanabilium vero languorum ſanitates fide accedentibus præſtant. Poſtquam vero crudeles illi Tyranni perierunt, & perſecutio quieuit, Regeſque fideles per vniuerſum orbem regnauerunt, ſuſcipientes alii & imitantes zelum illum, & deſiderium diuinum, aliam quandam vitam peregrinam, & ſibimet inſolitam ducere ſtuduerunt, & ſecundum diuinam vocem omnia derelinquentes, quaſi quidam fugitiui deſerta adierunt, egẽtes,

Matth. 6.

Act. 4.

Martyrij baptiſmus omnium præſtantiſſimus.

Monaſtica vita cur à pijs viris ſuſcepta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Alij quidam ſub dio abſque tecto perdurantes ſolis æſtu, & rigoribus frigoris, & imbribus & turbinibus ventorum affligebantur: alij vero tuguria figentes, aut ſpeluncis & antris latitantes degebant. Sic ergo virtutes virtutibus cumulantes, omni carnali conſolationi & repauſationi penitus abrenunciauerunt, oleribuſque crudis & herbis aut glandibus ſeu pane arido & valde ſicco tranſigebant dietam, nam tantum de vilibus ipſis & abiectis ſumebant eſcis, vt ſolum viuere poſſent. Quidam vero totam hebdomadam ieiunantes, dominica die cibũ ſumebant. Alij vero bis in hebdomada huius memoriam habebãt: alij autem poſt duos dies veſpere edebant, tantum modicum guſtantes, orrationibuſque & vigilijs vacabant, Angelorum vitam imitantes. Habent autem habitacula ſua alij quidam in omnimodo receſſu & ſolitudine agonem percurrentes elõgantes ſe ab hominum commoratione, toto tempore vitæ ſuæ, & Deo appropinquant. Quidam longe ab inuicem cellas habentes, dominicis diebus ad Eccleſiam vnam conueniunt, & diuina myſteria ſumunt. Alij vero cœnobialem ducunt vitam, qui plures inſimul congregati, ſub vno Prælato ab omnibus differente degunt, omnem voluntatem ſuam obedientiæ gladio occidentes, & quaſi ſeruos emptitios ſe voluntariè reputantes: non ſibimetipſis viuunt, ſed cui propter Chriſti amorem ſeipſos ſubdiderunt. Familiarius autem eſt dicere, quia *non viuunt ſibi, viuit vero in eis Chriſtus, quem ſunt ſecuti omnia deferentes.* Hoc enim eſt mundi receſſio, voluntarium odium & naturæ, negatio eorum, quæ ſupra naturam ſunt deſiderio. Hos ergo mirabiles & ſanctos viros, etiam nos deſpicabiles & indigni imitari ſatagimus. Et eſt ſecundum veritatem odibilis iſte mundus & abominabilis. Inimicus enim eſt amicorum ſuorum, & hoſtis omnium qui faciunt eius voluntatem. Diſcerpit crudeliter incumbentes ſuper ſe, & eneruat illos qui confidunt in eo, fœdus poſuit cum inſpicientibus & promiſſiones falſas eis pollicitus eſt, ad hoc tantum vt trahat eos ad ſe. Illis ſibi acquieſcentibus ingratus & fallax monſtratur nihil eorum cõplendo quæ promiſerat. Hodie namque epulis delectabilibus eorum gulam illicit, cras inimicis totos deuorandos proijcit, hodie Regem aliquem conſtituit, & cras ſeruitutis iugo ſupponit: hodie multis affluentem bonis, cras mendicantem reddit. Amabilem hunc ad modicum omnibus efficit, quem paulò poſt facit odibilem, hodie lætificat, cras fletibus afficit. Qualem vero & his finem imponit, audi: habitatores gehennæ, dilectores ſuos perficit miſerrime, neque recedentes hinc lamentatur, neque remanentium miſeretur.

Ciborum delectus.

Monaſticæ vitæ quoddam martyrij genus.

Gal. 2.

Vanitas rerũ huius vitæ.

Mundus fallax in promiſſis.

Parabola de Vnicorne contra mundi amatores.

Cap. XV.

ITaque qui tali ſeruiunt diro & maligno domino, & à bono ac benigno mente perdita ſemetipſos elongãt, & præſentibus inhiant negocijs, & eis tenentur aſtricti: nullam futurorum habent memoriam, ſed corporis delectationes ſemper deſiderant, animas ſuas dimittentes fame tabeſcere, & innumeris affici malis: ſimiles eſſe arbitror homini fugienti à facie furẽtis vnicornis, qui non ferens ſonum vocis illius, & terribilium mugituum, fortiter fugiebat ne deuoraretur ab eo. Dum ergo velociter curreret, in magnum quoddam barathrum decidit, dum autem caderet, manibus extẽſis arbuſtulam quandam apprehendit & fortiter tenuit, & baſe quadam pedibus impreſſis, viſum eſt ſibi in pace de reliquo fore & ſtabilitate. Reſpiciens ergo vidit duos mures vnum album & alterum nigrum, corrodentes inceſſanter radicem arbuſtulæ quam apprehenderat, & iam prope erant vt eam abſcinderent. Conſiderans etiam ipſius barathri fundum, vidit draconem aſpectu terribilem ignem ſpirantem, & feralibus oculis aſpicientem, oſque terribiliter aperientem, & deuorare eum cupientem. Intuens vero rurſus baſem illam pedibus eius ſuppoſitam, contemplatus eſt 4. aſpidum capita de pariete prodeuntia, vbi conſiſtebat. Eleuans autem oculos, vidit de ramis arbuſtulæ modicũ mel diſtillans. Dimittens ergo conſiderare quæ circundebant eum mala, ſcilicet ſurſum Vnicornem inſanientem, & eum quærentem deuorare, deorſum vero Draconem inhiantem, & arbuſtulam cito excidendam, & quod pedes ſuper lubricam baſem & infidelem poſuerat: tantorum ac talium malorum oblitus, ſeipſum illius mellis modici dulcedini tradidit. Hæc ſimilitudo eorum eſt, qui ſeductioni præſentis ſæculi adhæſerunt: cuius expoſitionem tibi dicam: Vnicornis quidem mortis figuram tenet, quæ ſemper perſequitur & comprehendere vult genus humanum: barathrum vero, mundus eſt iſte malis plenus & laqueis mortiferis: Arbuſtula, quæ à duobus muribus inceſſanter incidebatur, quam apprehendimus, vitæ noſtræ menſura eſt, qua conſumitur & dirimitur per horas diei & noctis & inciſioni appropiat: quatuor vero aſpides de quattuor fragilibus & inſtabilibus elementis, conſtitutionem humani corporis ſignificat, quibus inordinatis & conturbatis, corporis compago diſſoluitur, cum his, crudeliſſimus Draco terribilis inferni ventrẽ figurat, cupiens ſuſcipere eos qui præſentes delectationes futuris præponunt bonis: ſcintilla vero mellis ſignificat dulcedinem mundi, per quam ſeductor ille ſuos amicos non ſinit propriam videre ſalutem.

Homo captus exigui mellis ſuauitate periculũ negligit.

Vnicornis eſt mors. Barathrũ eſt mundus. Arbuſcula vita.

Duo mures nox & dies. Quatuor aſpides, 4. corporis elementa. Draco infernus. Mellis gutta mundi ſuauitas.

Hac ſuſcepta libenter parabola, dixit Ioſaphat quàm verus eſt iſte ſermo, & quàm bene coaptatus? Ne quæſo pigriteris tales mihi typos ſubrogare, & vt ſciam qualis eſt præſens vita noſtra, & quorum malorum amicis ſuis auctor ſit.

Parabola de tribus amicis contra eoſdem.

Cap. XVI.

SEnex vero dicit: Rurſus ſimiles ſunt amatores ſæcularium delectationum, & qui harum dulcedine illiciuntur, atque futuris & ſtabilibus fluida & fragilia præferunt, homini qui tres amicos habuit, quorum quidem duos præcordialiter & affectuoſe honorabat, ac vehementer eorum charitate afficiebatur, & vſque ad mortem pro ipſis agonizans, & periclitari deſiderans. Aduerſus tertium multo ferebatur deſpectu, neque honore, neque decenti eum aliquando gratificans dilectione, niſi quandam modicã ad eum ſimulans amicitiam. Venerunt ergo terribiles die quadam milites, accelerantes hunc ad Imperatorem ducere, rationem redditurũ pro debito decem millia talentorum. Coarctatus vero ille quærebat adiutorem ad ſubueniendum ſibi, in terribili rationis poſitione apud Regem. Currens igitur ad primum præ omnibus charum amicum, dixit ei: Noſti, ô amice, quomodo animam meam ſemper pro te poſui, nunc autem indigeo auxilio tuo in die iſta detinente me neceſſitate. Quomodo ergo promittis mihi nunc auxiliari, & quæ apud te repoſita eſt mihi ſpes dilectiſſime? Reſpondens ergo ille, ait: Non ſum amicus tuus, ô homo, neque ſcio quis ſis: habeo enim alios amicos, cum quibus oportet me hodie lætari, & amicos iſtos ammodo poſſidebo. Præbeo tamen tibi cilicia duo, vt habeas ea in via qua ambulas: quæ tamen nihil tibi proderunt, & nullam aliam ſpem à me præſtoleris. Hæc audiens ille, & diffidens de auxilio, quod ſperauerat ab eo, ad ſecundum perrexit amicum, cui & ait: Recordare amice quantum accepiſti à me honoris & gratiæ: hodie vero corruens in tribulationem & aduerſitatem, auxiliatore opus habeo, quantum vero vales ſubuenire, nunc indica mihi? Ille vero ait: Non vacat mihi hodie, vt tecum ſubeam agonem: curis enim & ſollicitudinibus circundor, & in tribulatione ſum: modicum tamen tecum pergam, quamuis tibi non ſit profuturum, & ſtatim domum reuerſus proprijs vacabat negocijs. Vacuis ergo manibus inde reuerſus vndique deſtitutus lamẽtabatur ſeipſum de vana ſpe ingratorum amicorum, & de inutilibus laboribus, quos pro eorũ ſuſtinuit dilectione. Pergit etiam ad tertium amicum, de quo nunquam curam

Fallax mũdi vanitas alia parabola trium amicorum oſtenditur.

Primus amicus duo cilicia offert.

Secundus comitatur parum.

habuit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

habuit,nec ſocium lætitiæ ſuæ eum aduocauit, & ait ad eum,confuſo & in terram vultu demiſſo: Non habeo os loquendi ad te, cognoſco enim diligenter quia nunquamtibi benefeci, nec amicabiliter circa te habui me, ſed quoniam aduerſitas apprehendit me duriſſima, & nullam ſpem ſalutis in cæteris amicis meis reperi, veni ad te rogans ſi eſt tibi poſſibile, quolibet auxilium vel modicum impendere ne tardes, memor ignorantiæ meæ. Tunc ille reſpondit ei hilari & ſereno vultu:certe amicum meum chariſſimum te confiteor eſſe, & modici illius tui beneficij non immemor, cum vſura retribuam tibi. Ne timeas ergo neque formides, ego enim præcedam te, ego interueniam pro te apud Regem, & non tradam te in manibus inimicorum tuorum. Confide ergo dilectiſſime,& non triſteris. Tunc compunctus ille dicebat cum lachrymis:Heu mihi quid prius lamẽtabor:aut quid potius plangam? vanum affectum meum reprehendam,quem falſis exhibui amicis, an amentiam meam plangam,quia huic vero & germano amico nullam oſtendi familiaritatem? Ioſaphat autem & iſtum eum admiratione ſermonem ſuſcipiens, expoſitionem requirebat. Tunc ait Barlaam: Primus amicus vtique eſt diuitiarũ poſſeſſio, & amor pecuniarum pro quibus homo multis ſubiacet periculis, & multas ſuſtinet miſerias. Veniente ergo vltimo termino mortis nihil ex omnibus illis,niſi quæ ad ſepulturam pertinent,inutiles accipit panniculos.Secundus autem vocatur vxor & filij & cognati & alij amici, quorum affectui adhærentes inſeparabiliter tenemur, animam & corpus propter illorum ſpermatis amorem,ſed ex eis nullam aliquis conſequitur vtilitatem in hora mortis, niſi quod ad monumentum ſecum pergunt, deinde reuertentes ſuis curis vacant,non minus obliuione memoriam quam corpus aliquando amici operientes ſepulchro, amicus vero tertius deſpectus, & grauis, non familiaris ſed exoſus, iuſtorum operũ chorus eſt, videlicet Spes, Charitas, fides, Eleemoſyna, Humilitas, & cætera virtutum congregatio,quæ poteſt præcedere nos cum eximus de corpore,& pro nobis apud Deum interuenire, & de exactoribus liberare.Iſte eſt gratus amicus, qui opus noſtrum bonum in memoria ſumit,& cum vſura reſtituit.

Tertius fidelis amicus.

Parabola explicatio.

Primus amicus,diuitiæ.

Secundus parentes.

Tertius amicus bonorũ operum chorus.

Ad idem de Rege qui locum exilij ſui diuitijs præmuniuit.

Cap. XVII.

RVrſus ait Barlaam: ciuitatem quendam didici fuiſſe magnam, cuius ciues talem habebant conſuetudinem antiquitus, vt aſſumerent extraneum aliquem & ignotum virum, nihil legum ciuitatis ſuæ vel traditionum ſcientem, & hunc ſibi regem conſtituebant,qui omnem poteſtatem accipiebat,& ſuarum voluntatum faciendarum facultatem habebat, vſque ad completionem vnius anni: deinde eo in omni ſecuritate manente delicijſque atque ſuauitatibus abſque formidine, & regnum ſibi permanſurum exiſtimante, repente ſurgentes ciues illi contra eum, regali ablata ſtola,nudum trahentes per totam ciuitatem, exulem tranſmittebant, & in magnam & longius remotam inſulam, in qua neque cibum neque veſtimentum inueniens, in fame,& nuditate male atterebatur,præter ſpem omnem & expectationem tranſmutatur. Interea ordinatus eſt quidam vir in regno, qui non exiguo mentis intellectu vigebat, qui tanta ex improuiſo accedente ſibi abundãtia non eſt diſſolutus nec ab ea raptus, neque eorum, qui ante eum regnauerant,& eiecti miſere fuerant,incuriam ſecutus, ſed ſolicitudinem gerebat & laborabat animo, quomodo ſe & ſua diſponeret. Dum ergo aſſidua meditatione diligentius iſta tractaret, cognouit per quendam ſapientiſſimum conſiliarium ſuum,conſuetudinem ciuium, & locum perennis exilij, & quomodo ſemetipſum oporteret cuſtodire,ſine errore edoctus eſt. Hoc ergo vt agnouit,& quia oportet illum poſt paululũ ad inſulam applicare, & regnum caducum alienigenis dimittere,apertis theſauris ſuis, quo rũ tunc habebat liberam facultatem ex illis quod vellet facere,accepit pecuniarũ multitudinẽ auri, videlicet & argenti,& lapidũ pretioſorũ ampliſſimum põdus & fideliſſimis committens famulis in illam præmiſit ad quã ducendus erat inſulam. Peracto igitur anni termino,in ſeditionem verſi ciues, nudum ſicut & illos qui ante eum fuerant,in exilium tranſmiſerunt. Tunc cæteri ſtulti & temporales Reges fame male cruciabantur. Ille vero prouidus in abundantia viuens perpetua,delicias infinitas habens,timoreque prorſus incuſſo infidelibus & malignis ciuibus ſapientiſſimo ſeipſum beatificauit conſilio.

Pulchra parabola de bonis per eleemoſynã in cælum præmittendis.

Quis ſibi male cauet.

Quis ſibi melius prouidit.

Ciuitatem ergo intellige vanum iſtum, & deceptorẽ mundũ,ciues autem principes & poteſtates dæmonum mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, qui alliciunt nos dulcedine voluptatũ, & ſuggerunt vt corruptibilia velut incorruptibilia, & mortalia velut immortalia & ſemper nobiſcum manſura conſideremus.Sic ergo nobis ſeductis & nullã ſollicitudinem de æternis & ſtabilibus gerentibus, neque aliquid in illa vita recondentibus,repente nobis imminet perditio mortis. Tunc iam nudos nos hinc maligni & amari ſuſcipientes tenebrarũ ciues,cũ quibus expẽdimus tẽpus,ducunt nos in terram tenebroſam & caliginoſam,in terram tenebratum, vbi non eſt lux neque vita hominum. Conſiliarium autem bonum qui omnia vera fecit, nota & ſalutaria edocuit ſtudia ſapientem & prudentem Regem, me vilem homunculum æſtima qui bonam & rectam viam veni monſtrare tibi,introducens te in æterna & infinita bona,ibique te omnia reponere conſulens.

Parabola explicatio.

Nihil in mundo firmum ac ſtabile.

Quo pacto cum hominibus agat mundus.

Exhortatio ad contemptum diuitiarum.

Cap. XVIII.

DIxit Ioſaphat ſeni: Quomodo ergo poſſum theſaurum pecuniarum illic tranſmittere,vt ſecuram ipſorum incorruptibilem iucunditatem abiens, repetiam, qualiter demonſtrem aduerſus præſentia odium meum,& amorem æternorum,plane quæſo inſinua mihi?Et ait Barlaam,Diuitiarum quidem ad æternum locum præmiſſio manibus fit egenorum. Ioſaphat vero ait: Cuncta ergo deſpicere,& iſtam laborioſam aſſumere vitam ſicut dixiſti ſuperius, traditio eſt antiqua ab Apoſtolorum deſcendens doctrina,an vobis nouiter ſic viſum eſt mentis veſtræ ſcientia, quaſi melius eligentibus iſtud? Reſpondens ſenex ait: Non legem recenter introductam doceo te, abſit hoc à me, ſed ab antiquo nobis traditam.Dixit enim Dominus cuidam diuiti qui interrogauit eum: *Quid faciendo vitam æternam poſſideret,* & glorianti omnia ſe cuſtodiſſe,quæ ſcripta ſunt in lege: *Vnum,*inquit,*tibi deeſt.Vade,& quæcumque habes,vende,& da pauperibus,& habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me,tollendo crucem.* Cum igitur, inquit Ioſaphat,ſit antiqua & neceſſaria huiuſmodi philoſophia,cur non hodie hanc multi quidem ſequuntur? Senex vero ait; multi quidem imitati ſunt,& imitantur: plurimi vero pigri remanent & negligentes. Pauci enim ſunt ſicut ait Dominus,qui ſtrictam & arctam viam pergũt, amplam vero & latã plures. Sic ergo ſaluatore mandante,prophetis autem & Apoſtolis prædicantibus, ac ſanctis omnibus opere & ſermone ad virtutis rectiſſimã viam nos exhortantibus,& pauci per hanc gradiuntur, cum plures ſpacioſam & quæ ad perditionem ducit,eligant,non ex hoc conuerſatio diuinæ huius adnihilatur ſapientiæ. Neque enim deeſt alicui volentium ſe intueri ſol iuſtitiæ, neque tamen cogit ſponte ſua tenebras eligentes, ſed proprio relinquitur ſuo vnuſquiſque arbitrio & præelectioni quamdiu in hoc ſæculo eſt. Ioſaphat autem ſciſcitante quid eſſet liberum arbitrium & quid præelectio: Reſpondit ſenex liberum quidem arbitrium eſt animę rationalis voluntas ſine prohibitione cuiuſquam mota ad quodcumque voluerit ſiue ad bonum ſiue ad malum, ſic ab authore conceſſum. Rurſus libertũ arbitrium eſt intellectualis animæ motus ſui iuris, Prælectio vero eſt conſultum deſideriũ eorum quæ in

Diuitiæ incalum per pauperum manus mittendæ.

Vetus de rerum abdicatione doctrina.

Matt. 10.

Luc. 18.

Simile de eo qui ſolem reſpicere renuit.

Quid ſit liberum arbitrium.

nobis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Consilium quid.

nobis ſunt,aut conſilium deſiderabile. Quod enim præiudicatum eſt ex conſilio tenemus eligentes. Conſilium vero eſt deſiderium perquirens de his quæ à nobis ſunt facienda. Omne enim conſilium fit propter id quod agendum eſt, & ſic ante omnem prælectionem conſilium eſt,ante omnem vero actionem prælectio. Idcirco non ſolum actiones,ſed & ea, quæ ſecundum intentionem prælectiones exhibent,& coronæ,& tormenti iure cauſa fiunt, principium enim peccati & iuſtæ actionis,prælectio eſt ex his quæ à nobis ſunt inducta, quorum enim nobis affectus ſunt,horum & actiones.

Tunc ait Ioſaphat ſeni: Sunt ergo alij qui & ea quæ tu prædicas prædicent, aut ſolus es hodie qui iſta doces, & ſic odibilem præſentem vitam aſtruis? Reſpondens ſenex dixit· In veſtra infideliſſima regione iſta, neminem eſſe cognoſco, nam patris tui tyrannica crudelitas innumerabilibus hos mortibus tradidit,& ſatagit ne penitus audiatur in vobis diuinæ prædicatio notitiæ: in cæteris vero omnibus linguis cantantur iſta, & glorificantur iſta. Dixitque Ioſaphat: Nunquid non aliquid ex his meus aliquando didicit pater? Et ait ſenex: Subtiliter & conuenienter nihil didicit. Clauſis enim mentis ſenſibus bonum nō vult ſuſcipere, ad malum vero præcipiti ruit impetu. Sed vellem, inquit Ioſaphat, etiam illum iſta didiciſſe. Ait vero ſenex: Apud hominem impoſſibilia ſunt iſta, apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Quid ſcis enim ſi tu ſaluum facies patrem tuum,& modo mirabili genitor tui genitoris efficiaris? Dixit autem Ioſaphat: de patre meo faciat Dominus ſicut ei placet, ego vero ex tuis ſacris ſermonibus præſentium cognoſcens vanitatem, diſcedere quidem penitus cogito, & tecum reliquum vitæ meæ ducere, ne propter tem poralia iſta & fluida, ab æternorum & incorruptibilium excidam refrigerio.

Ad idem de illo qui contempta nobili ſponſa, pauperculam duxit:

Cap. XIX.

Pulchra parabola de eo qui pauperculam vxorem duxit nobili ſponſa contempta.

CVi ſenex reſpondit: ſi hoc feceris, ſimilis eris iuueni ſapientiſſimo,de quo audiui, quia fuit filius ditiſſimorum parentum. Cui pater ſuus deſponſauit filiam cuiuſdam nobiliſſimi, & præ omnibus locupletiſſimi nimis pulcherrimam. Mouit ergo ſermonem cum puero de nuptijs,& quomodo facere meditabatur annunciauit,at ille quaſi rem malam ac nefariam reſpuens relicto patre, in fugam elapſus eſt. Ambulans autem declinauit in domum cuiuſdam ſenis pauperis propter æſtum diei ſemetipſum repauſaturus. Tunc filia ſenis virgo,quæ erat ei vnigenita,ſedens ante ianuam operabatur manibus, ore autem ſuo Deum laudabat aſſidue gratias agens ei de imo cordis. Huius autem laudes iuuenis auſcultans ait, quod eſt iſtud ô mulier ſtudium tuum? Cuius autem rei gratia cum ita ſis pauper & tenuis, quaſi pro quibuſdam magnis donis, gratias referendo ſic laudas datorem? Quæ reſpondens ait: Neſcis, quia ſicut exigua medicina de magnis languoribus ſæpius liberat hominem,ita & in paruis Dei donis,gratiarum actio magnorum auctrix bonorum efficitur? ego quidem filia ſum ſenis pauperis, gratias tamen refero Deo pro modicis iſtis donis, & benedico Dominum, certa quoniam qui hæc contulit & maiora valet dare, & iſta quidem de his quæ extrinſecus ſunt, & noſtra nō ſunt, ex quibus nec multa poſſidentibus lucrum aliquod peruenit, vt non dicam, quia & ſæpius damnum ſuſtinent,neque minora accipientibus accidit detrimentum,eandem vtriſque viam pergentibus, & ad eundem peruenientibus finem. Eorum vero quæ magis ſunt neceſſaria & perfectiſſima, multa & maxima accepi Dei dona,quæ innumerabilia & inæſtimabilia ſunt. Nam ſecundum imaginem Dei facta ſum, & ipſius notitiam habere merui, & ratione præ omnibus animalibus ſum prædita,& ab ipſo Deo muitata ſum ad vitam per viſcera miſericordiæ eius, cuius & myſteriorum particeps eſſe merui,cuius & Paradiſi ianua aperta eſt,facile ſi voluero introitū mihi præbitura. Pro tātis igitur & talibus donis,quæ indifferenter diuites percipiunt & pauperes: vt dignum eſt gratias agere, penitus eſt impoſſibile. Si autē & modicā laudationem largitori bonorū non obtulero,qualē excuſationem habeo? Iuuenis itaque eximiū illius ſtupens intellectum, eius patrem acceſiuit, cui & dixit: Da mihi vxorē filiam tuā: adamaui enim illā propter intellectū & pietatē. Tūc ſenex ait: Nō licet tibi accipere pauperis filiam,cū parentū nobilium ſis filius. Rurſus autē iuuenis ait: etiā hanc accipiā, ſi tamen mihi non negaueris eam. Nobiliū quippe & diuitū mihi filia fuit deſpōſata: ſed hāc reſpuens fugam arripui,filiā vero tuā propter pietatem quā habet in Deum,& præclarum illius intellectum adamans,copulari mihi præ omnibus cogitaui. Senex autē dixit ad eum: Non poſſū tibi hanc dare vt ducas in domū patris tui,& ab vlnis meis ſeparet eā, vnica mihi eſt. Sed,ego inquit iuuenis, apud vos manebo,& veſtrā ſuſcipiā cōuerſationē: deinde & ſplēdidum deponens veſtimentum, ſenis habitum poſtulans, induit. Tunc ille ſenex in multis tentans eum, & varie ipſius examinans cogitationes, poſtquam cognouit iuramenti illius ſtabilitatem,& quia non amore inſipientiæ detentus petijt eius filiam, ſed pietatis amore elegit pauperrime viuere, hanc præponens ſuæ gloriæ & nobilitati, tenens eum manu, introduxit in ſuum cubiculū,& oſtendit ei diuitias multas ibi repoſitas & immēſum pondus pecuniarū,quantū nō viderat aliquando iuuenis ille,& ait ad eū,Fili hæc omnia tibi do, eo quod elegiſti meæ fieri hæres ſubſtātiæ,quā tenens hæreditatem ille omnes ſupergreſſus eſt glorioſos terræ & diuites.

Simile de pharmacopola.

Præcipua Dei erganos beneficia, quæ & diuitibus & pauperibus ſunt communia.

Doctrina Barlaam de Deo creatore omnium & rectore.

Cap. XX.

DIxit autem Ioſaphat ad Barlaam: conuenienter & iſta me tangit narratio, vnde & à te eſſe dicta iſta de me æſtimo. Ergo deſiderans ſcire,precor, vt iſta mihi nota facias,diuitias ſcilicet Dei, & magnitudinem ſuperuenientē virtutis eius. Tunc dixit ei Barlaam: Oro Deum vt iſta doceat te, & ſcientiam taliū infigat animæ tuæ,quia apud homines ipſius enarrare gloriā & potētiam prorſus eſt impoſſibile, etſi omnes qui modo & aliquando fuerunt hominū linguæ vna fieret: *Deum*, inquit euangeliſta & theologus, *nemo vidit vnquam*. Nos vero ex prædicatione eorū,& ex ipſa rerum natura, iuxta quod poſſibile eſt nobis,didicimus. Dicit enim ſcriptura: *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annūciat firmamentum*. Sicut enim aliquis domum cernens ſplendidiſſimam, & artificioſe fabricatam cuius forma ingenioſe cōpacta eſt, & architectū & ædificatorē mox cōſiderans, mirabitur,ita & ego de non extantibus formatus,& ad hoc quod ſum adductus,etſi plaſtē atq; factorē videre non poſſum, ſed tamē ex bene cōpacta & mirabili fabrica mei ipſius ad notitiam veni ſapientiæ eius,non ſecundum quod eſt, ſed ſicut potui intelligere quia non à meipſo veni,nec meipſum feci, ſed ille plaſmauit me ſicut voluit. In principio quidem omnes fecit creaturas, quarum aliquas diminutas & contritas, rurſus meliori innouatione reformat. Deinde ſubleuans hunc diuino ſuo imperio,ad aliam transfert vitam infinitam & æternam: nullus enim hominum potuit aliquando horum perficere,neque Rex,neque ſapiens,neque diues,neque alius humana peragens ſtudia. Ex his ergo,quæ circa me ſunt,ad ſcientiam creatoris & magnificentiæ perductus ſum. Cum his autem & bene compactam fabricā,& conſeruationē creaturæ totius cōſideraui & vidi, quia ipſa omnia ſecundū ſeipſa commutationi ſubiacent & corruptioni: Intellectualia quidem ſecundū liberum arbitriū,& in bono profectū,& à bono defectum, ſenſibilia vero iuxta generationem, & corruptionē augmentūq; & detrimētū, & iuxta qualitatem tranſmutationum & localem motionē: ex his prędicant

Dei diuitiæ multis verbis exprimi poſſunt.

Ioann. 1.

Pſal. 18.

Simile.

Quomodo ex rebus cōditis conditor agnoſcitur.

Item ex rerū conſeruatione.

vocibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vocibus ineffabilibus, ab increato & incommutabili ſe facta eſſe Deo, cõtinerique conuerſari, & ſemper prouideri. Quo modo ergo contrariæ naturæ ad vnius mũdi completionem inſimul conuenerunt, & indiſſolubiles permanſerunt, niſi quædam omnipotentis virtus iſta commiſcuiſſet, & ſemper indiſſolubilia conſeruaret? *Simile de nauſine gubernatore.* Quomodo enim aliquid maneret, niſi ipſe voluiſſet? Si enim nauis ſine gubernatore non poteſt ſubſiſtere, ſed mox ſubmergitur, & domus modica nunquam ſtabit ſine prouiſore: mundus quomodo ſtat tanto tempore, creatura ſic magna, ſic bona, & mirabilis, ſine glorioſa quadam & magnifica atque mirabili gubernatione & ſapientiſſima prouidentia? Ecce enim cælum quantum tempus habet, & non denigratum eſt: terræ virtus non eſt laſſata ex tanto creata tempore: fontes non deſierunt fluere, ex quo facti ſunt: mare tot & tanta ſuſcipiens flumina non ſupergreditur menſuram: curſus ſolis & lunæ non mutantur, ordines diei & noctis non peruertuntur. Ex omnibus iſtis ineffabilis Dei virtus & magnificentia nobis declaratur, teſtificata à prophetis & Apoſtolis, ſed nemo digne conſiderare vel laudare gloriam eius poterit. Miſeretur vero omnium, quia omnia poteſt: & diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Solus bonus & amator animarum Dominus: *Dan. 3.* *benedictum ſit nomen eius laudabile & ſuperexaltatum in ſæcula.*

Barlaam Ioſaphat vitam ſuam enarrat.

Cap. XXI.

DIxit autem ad eum Ioſaphat: ſi multo tempore meditareris vir ſapientiſſime, quatenus propoſitarum enodationem quæſtionum nobis diſſolueres, non melius facere mihi poſſe videris, quam talia dicendo, qualia paulo ante protuliſti. Authorem enim cunctorum datorem bonorum Deum docuſti eſſe: incomprehenſibilem etiam cogitationibus humanis gloriã magnificentiæ eius ſermonibus euidentiſſimis oſtenditi. His ergo prætermiſſis, dic mihi chariſſime, quot annorum ipſe es? & in quibus locis conuerſaris? quoſque huius philoſophiæ ſocios habes? fortiter enim anima mea ex tua pendet, & à te nequaquam omni tempore vitæ meæ volo ſeparari. Cui ſenex ait: Annorum ſum ſicut opinor 45. In deſertis autem terræ Sennaar degens, agonizantes habeo mecum eos qui in curſu ſuperni itineris laborant. Quomodo, inquit, Ioſaphat, hoc mihi dicis? amplius enim mihi appares 70. annorum eſſe. Qui reſpondit: Siquidem à natiuitate annos meos quæris diſcere, bene hos æſtimaſti, amplius 70. annorum eſſe, ſed nullo modo à me in menſura vitæ computantur, quotquot in vanitate mundi expẽſi ſunt. Quando enim viuebam carne ſeruiens peccatis, mortuus eram in interiori homine. Annos igitur mortis nũquam vitæ nominabo. *Gal. 6.* *Ex quo vero mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, & depoſui hominem veterem, qui corrumpitur ſecundum deſiderium erroris, non iam viuo in carne, ſed viuit in me Chriſtus.* *Quanam vera vita exiſtimanda ſit.* Quod autem viuo, in fide viuo filij Dei, qui tradidit ſeipſum pro me: hos merito & annos vitæ, & dies ſalutis vocabo, quos circa 45. computabo annos. Dixit autem Ioſaphat: quoniam quidem vita carnalis iure non vita vocatur, ergo nec mors temporalis mors debet appellari. Cui reſpondit ſenex: Indubitanter & de his ita ſentio, nequaquam hanc temporalem mortem timens, *Mundo addicti in mortuis habend: mors autem temporaria iuſtorum propria mori non eſt.* nec mortem ipſam appellans: quoniam contemnens patris tui minas, abſque timore ad te veni, & ſalutare tibi verbum annunciaui, cum diligenter nouerim, quia ſi ei iſta in notitiam venerint, mille me, vt poſſibile eſt ei, mortibus ſubijciet.

Iſta ergo, inquit Ioſaphat, veracis veſtræ philoſophiæ exercitia nimis ſupergrediuntur naturam terrenorum, & vitę præſenti radicitus inhærentium. Beati eſtis vos, qui tam virilem atque conſtantem habetis voluntatẽ. Sed vnde, & qualis tibi, & his qui tecũ ſunt in huiuſmodi deſerto victus? Vnde etiã iudumenta & qualia? *De victu & veſtitu Barlaam & ſociorũ eius.* veraciter quæſo mihi inſinua. Cui Barlaã: victus quidem nobis eſt, ex his quæ inueniri poſſunt, fructus videlicet arborum, & herbæ quas eremus defert rore rigata cæleſti, & præcepto creatoris obediẽs, pro quibus nullus nos impugnat, vel nobiſcũ contendit, plus quęrens diripere auaritiæ cauſa, vel lege cupiditatis. Sine inuidia enim omnibus adiacet illaborata eſca, & vltro præperata mẽſa. Si vero aliquis vicinorum fideliũ fratrũ panis offerat benedictionẽ, quaſi diuina prouidentia tranſmiſſum, ſuſcipimus illũ pro benedictione fideliter offerentium. Indumẽta vero lanea & cilicina & melotaria inueterata & aſpera ſunt, atterentia infirmã carnẽ iſtã. Idipſum namq; nobis eſt opertoriũ æſtate, & hyeme, quod nullo modo ex quo induimus, exuere licet, donec inueterarum penitus corrũpatur. Sic enim frigoris & ardoris neceſſitatibus vexati, futurorũ incorruptionis veſtimentorum meremur nobiſipſis operimenta. Ioſaphat vero ait: Vnde hoc igitur vnũ eſt quo indueris veſtimentũ? Reſpõdit ſenex. En iſtud à quodã fideliũ fratrũ ſuſcepi, iter ad te facturus, non enim congruebat cũ conſueta veſte huc aduenire. De cætero me redire oportet vnde veni, quo cum peruenero, alieno habitu depoſito, propriũ reſumã. Rogauit igitur ſenẽ, oſtendi ſibi ab eo conuetũ veſtimentum. Tunc Barlaam, exuta qua indutus erat veſte forinſeca, apparuit Ioſophat viſio horribilis. Erat enim tota carnis qualitas conſũpta denigrataq; cutis ab ardore ſolis, & oſſibus hærens & tenſa, ac ſi pellis ſubtilibus tẽdatur calamis, laneo vero panno quodã diſciſſo, & valde aſpero percinctus erat à lumbis vſque ad genua, ſimilique huiuſmodi pallio circa humeros opertus erat.

Ioſaphat volentem eum ſequi, Barlaam reprimit.

Cap. XXII.

ADmiratus itaque nimiũ Ioſaphat, huius duræ laborem conuerſationis, & perſeuerantiæ ſtupuit eminentiã, & ingemiſcens lachrymatus eſt, & ait ſeni: Quoniam me de dura & amara ſeruitute diaboli liberare veniſti, finem congruum imponens tuo beneficio, educ animam meam de carcere iſto, & me tecum ſumpto eamus hinc, vt perfecte redemptus de mundi errore, ſignum tunc ſuſcipiam ſalutaris baptiſmatis, & ſocius tibi admirabilis huius philoſophiæ & eximiæ conuerſationis fiam. Dixitque ad eum ſenex: Hinnulum capræ nutrierat quidam diuitum, quæ cum creuiſſet deſerta deſiderabat, naturali attracta affectu. Egreſſa igitur die quadã inuenit gregẽ caprarũ paſcentem. & iuncta his circumibat per campos & ſiluas: reuerſa tamen ad veſperam denuo ſummo diliculo famulorum negligentia exibat & ſilueſtribus aggregata capris, paſcebatur cum eis. Quibus longius ad paſcendum recedentibus ſubſecuta eſt & illa. Miniſtri diuitis hoc ſentientes, aſcenſis equis abierunt poſt eam, & ſuam capram vnam capientes & reducentes domum, de cætero exire prohibuerunt. Reliqui vero perſecuti gregem, alias quidem occiderunt, alias vero male diſperdiderunt: Eundemque modum timeo fieri in nobis, ſi me ſubſecutus fueris: nam & tuo conſortio carebo, & multorum malorum fratribus meis author exiſtam; ſed hoc te vult Dominus nunc quidem ſignare ſigno baptiſmatis, & manere in regione iſta, omnemque firmiter tenere pietatem & mandatorum Chriſti operationem. Cum autem hoc author omnium dederit bonorum, tunc venies ad me, & reliquum præſentis vitæ ſimul habitantes ducemus. Confido vero in Domino, quod & in futuri ſæculi conuerſatione coniuncti erimus & aſſociati. Rurſus lachrymãs Ioſaphat ait ad ſenem: Si Domino iſta placent voluntas eius fiat.

Afperitas veſtitus monachorum antiquorũ.

Optat Ioſaphat comitari Barlaam.

Parabola valde ad rẽ accommodata diſſuadet id Barlaam.

Talibus ergo dogmatibus & verbis ſalutaribus inſtruens Barlaam filium Regis, & ad diuinum baptiſmum præparans: Ieiunare quoque & orare ei mandans per multos dies non deſeruit eũ, ſed frequenter ingreſſus eſt, totam ex integro ſeriem orthodoxæ fidei inſinuans, & diuinum euangelium recitans ei, inſuper & Apoſtolicas admonitiones, & prophetica dicta exponens. Nam vir ille à Deo doctus, qui totam in ore veterem & nouam ſcripturam ferebat, diuino afflatus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ioſaphat baptizatur.

Spiritu illuminauit eum ad veram notitiam Dei, & fidei ſymbolum expoſitum in Nicæna ſynodo docens eum, baptizauit illum *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Reuerſus autem ad hoſpitium ſuum, ſacram miſſam celebrauit, traditque ei intacta Chriſti myſteria, & exultabat ſpiritu, gloriam referēs Deo & Domino Ieſu Chriſto, dicens ad Ioſaphat: *Dignum te faciat Dominus veram adipiſci beatitudinem.*

Zardan duro corde verba Barlaam audit.

Cap. XXIII.

Zardā monet Ioſaphat de Barlaam extero homine ab legādo.

MInistri autem Iuuenis, & Pedagogi frequenter ipſius Barlaam introitum in palatium cernentes, mirabantur, vnus autem qui inter eos præpollebat, Zardan nomine, ait ad filium Regis: Noſti itaque Domine mi, quantus patris tui timor ineſt mihi, & quanta erga eum mea fides: ideoque me quaſi famulum fideliſſimum, vt tibi ſeruirem præcepit, nunc autem virum hūc extraneum frequenter videns colloquentem tibi, vereor ne forte ſit ſectæ Chriſtianorum, aduerſus quam valde hoſtiliter ſe habet pater tuus, & ſi hoc ita eſt, mortiferæ ſubiacebo ſententiæ, nunc ergo vel Regi de ipſo notifica, aut ammodo ab eius ceſſa collocutione. Si autem illud nō vis facere, eijce me à facie tua, ne ſim reprehēſibilis, & alium loco mei poſtula huc introduci. Filius autem Regis ait ad eum: Hæc ante omnia Zardan fac, ingredere tu infra cortinam, audi ipſius ad me ſermocinationem, & poſtea dicam tibi quid te oporteat facere. Venturo itaque Barlaam ad eum, introduxit Zardan, & poſt cortinam poſuit eum, & dixit ſeni: Recapitula mihi doctrinam tuam quatenus cordi meo infigatur.

Zardane audiente exponitur ſumma doctrina Chriſtiana.

Exorſus itaque Barlaam, multa de Deo, & fidei pietate pronunciauit, & primi hominis plaſmationem recommemorauit. Cum hoc etiam non tacuit, quomodo creator noſtræ ſalutis ſollicitudinem gerens, benignitatem ſuam impendit, multaque de mundicia vitæ diſputans & preſentium vanitatem demonſtrans: finitaque oratione ad hoſpitium iterum abijt. Regis autem filius Zardan tentans ait: Audiſti qualia mihi ſeminator verborum iſte dixit, ſeducere me ſuis vanis perſuaſionibus moliens, & alienare à iucunda iſta delectatione & refrigerio, & extranæo ſeruire Deo: Zardam vero ait: Quid tibi viſum eſt Domine mi rex, tantarene ſeruum tuum? Noui enim profundius in corde tuo deſcendiſſe huius viri ſermones: niſi enim hoc eſſet, non vtique tam libenter & inceſſanter cum eo loquereris. Ego vero quid faciam? ad huiuſmodi quidem aſpicere non valens auſteritatem, timore vero Regis animo meo in doloribus poſito, ſollicitus ſum quid reſpondeam ei, nam negligentius præceptis illius inuigilans, hunc ad te virum permiſi intrare. Tunc ait ad eum filius Regis: Ego quidem maxime tuæ erga me beneuolentiæ nullam aliam magis congruam recompenſationem agnoſcens, hanc dignam tuo beneficio repperi, vt opus iſtud bonum manifeſtum facerem tibi, vt ſcias ad quid factus es: & creatorem tuum, qui te fecit, recognoſceres, quatenus derelinquendo tenebras, ad lucem curreres, moxque vt audires, incomprehenſibili deſiderio illam ſequereris. Sed ſicut video, ſpes mea fefellit me, nam cerno te durum ad ea quæ dicta ſunt & ſtolidum. Si vero iſta patri meo manifeſtaueris, nihil aliud effecies, quam curis & triſtitia illius animam replebis, ſed ſi illi gratiam vis impendere, nullo modo vſque ad tempus opportunum quicquam de his annuncies.

Explorat Ioſaphat mentem Zardanis.

Cilicium & doctrinæ finem Ioſaphat à Barlaam accepit.

Cap. XXIIII.

Barlaam diſcedendi poteſtatem à Ioſaphat petit.

MAne autem Barlaam veniens de profectione ſua loquebatur, Ioſaphat autem non huiuſmodi ferens ſeparationem animo triſtabatur, & oculi eius lachrymis replebantur. Multa tunc ſenex locutus eſt, & vt immotus permaneret in bono, conteſtabatur, verbiſque conſolatorijs cor illius ſtabiliuit, & vt ſe alacriter dimitteret precabatur, ſimul etiam prædixit, quod non poſt longum tempus ſociarentur ipſi ſocietate inſeparabili. Tunc Regis filius nolens amplius ſeni labores incutere, metuens etiam, ne Zardam de ipſo regi manifeſtaret, & tormentis ipſum ſubijceret, dixit: Quandoquidem tibi hoc viſum eſt, vlterius te impedire vel detinere non audeo: vade igitur in pace à Deo cuſtoditus, & meæ miſeriæ in ſanctis tuis orationibus memor eſto propter Dominum, vt valeam venire ad te, & venerandam faciem tuā ſemper videre, ſed & fac vnā nſeam petitionem: Quoniam quidē noluiſti accipere pro confratribus tuis, ſuſcipe ſaltē pro temetipſo aliquam pecuniam ad victū & veſtitū. Quia vero in hoc obedire non acquieuit Barlaā, rurſus ſecundū petitionē Ioſaphat, fecit ne penitus ipſius deprecationē ſperneret, & in omni illū dimitteret defectione, ſed relinquere ei laneū illud veſtimentū & aſperum palliū, & tam in memoriam religionis magriſtri, quā ad munimentū ſibi, contra omnē Sathanæ operationē, ſuſciperet etiā aliud à ſe pro ipſo, vt vtique à me datū, inquit, cernens, meā ſemper in memoria feras humilitatem. Senex vero ait: Vetus quidem ac ſciſſum tibi dare & nouū veſtimentū accipere non decet, ne modici laboris mei retributionē in hac vita recipiā: vt autē tuā deuotionē nō amputē: vetera & quæ nihil à meis differant, quærantur cilicioſa, & illa ſuſcipiā: quæſita ſunt igitur & data ſunt ſeni. Cuius Ioſaphat & ipſe indumentum ſuſcipiens, vehementer gaudebat, omni purpura regali & veſte coccinea pretioſius iſtud incomparabiliter exiſtimans.

Barlaam à regis filio nihil accipere vult.

Ioſaphat quauis purpura meliorē æſtimat veſtem Barlaā.

Tunc ſanctus Barlaā poſt paululum diſceſſurus, nouiſſimā ei doctrinā adhibuit dicens: Frater & fili dulciſſime ſcito cui militas regi, & apud quē confeſſiones tuas depoſuiſti: oportet ergo vt firmas iſtas cuſtodias, & militiæ præcepta deuotus compleas, quātacunque promiſiſti in charta confeſſionis omniū domino, præſente cæleſti exercitu & teſtificāte, necnō deſcribente confeſſiones tuas, quas ſi cuſtodieris, beatus eris. Nihil igitur præſentiū Deo & ipſius præferas bonis. Quid enim ſic terribile eſt in hac vita, quomodo eſt gehenna ignis æterni ardentis, nec prorſus lucē habentis, cruciantis & nunquā deſinētis? Quid autē rurſus mundi bonorum taliter lætificat, ſicut Deus idē ipſe diligētibus ſe donaturus? Cuius pulchritudo quidē ineffabilis, potentia vero inexpugnabilis, & gloria ſempiterna: cuius bona amicis ſuis repoſita omnibus viſibilibus incōparabiliter ſupereminēt, *quæ oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēderūt*, quorū hęres fieri merearis, Dei magni potētia cōſeruatus. Tūc Filius Regis lachrymis profuſus, męrore & luctu detinebatur, & à patre tā amabili & magiſtro optimo derelinqui nō ſufferens, aiebat: Quis mihi pater vicē tuā ſupplebit, aut vbi talē paſtorē, & ducem ſalutis animarū recipiā? Quod vice tui amoris ſolatium capiā? Ecce enim malum ſeruū & apoſtata, Deo recōciliaſti, & in filij & hæredis ordine conſtituiſti: & qui perieram & errabam, & omni beſtiæ expoſitu erā ad deuorandū, me requiſiſti, & eis qui non errauerant de ouibus copulaſti, & oſtēdiſti mihi cōpendioſam veritatis viam, educens me de tenebris & vmbra mortis.

Nullum bonum cum Deo conferendum.

1. Cor. 2.

Recedente Barlaam, Zardan ſecretum Regi aperit.

Cap. XXV.

Oratio Barlaami pro Ioſaphat.

BArlaam itaque lamentationem illius amputare volens, ſurrexit, & in oratione ſtans eleuatis ad cœlum manibus ſuis, dixit: *Reſpice Domine ſuper hanc rationabilem ouem tuam, accedentem per me indignum ad ſacrificium tuum, & ſanctifica ipſius animam tua virtute & gratia.* Conſummata ergo oratione, conuerſus oſculatus eſt filium iam cæleſtis patris, pacemque & ſalutem imprecando exijt de palatio, & ibat gaudens & gratias agens Deo, qui proſperam fecit viam illius in bonum.

Poſtrema Barlaami ad regis filiū oratio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex tunc itaque Iosaphat omni custodia attendebat sibimetipsi, puritatem animæ pariter & corporis vigilantius seruans, in abstinentia viuens,& orationibus totis noctibus,diei namque sæpius partem amputabat,eorum qui secum erant commoratione præpeditus. Zardan vero ille talem illius sentiens conuersationem, tristitia replebatur, curisque malis in animo agitatus, nesciebat qualiter euaderet & ad quem finem peruenire posset. Tristitia ergo comprehensus, in domũ suam abijt, & ægrotare se simulauit. Vt autem in notitiam Regis istud peruenit, alium pro illo ministrare filio direxit, ipseque salutis Zardan sollicitudinem gerens, medicum ei mittit probatissimum, & multum curationis studium ei iubet impendere. Medicus itaque sciens, quod Zardan morbum simulauerat, Regi protinus nunciauit dicens: Ego quidem nullius infirmitatis causam in homine isto inuenire valeo; existimo tamẽ quod cum defectione quadam obsessus, sic infirmetur. Rex autem his auditis, suspicatus est ei grauiter filium indignatum fuisse, & huius rei gratia contristatum, Zardan ab eo discessisse. Discere autem volens rem, mandauit ei; quia crastina die ad te videndum veniam, vt quæ tibi accidit ægritudo cognoscam. Tunc Zardan hoc audito nuncio, summo diluculo induens se vestimento suo pergit ad Regem. Rege autem scisitante,quæ defectionis tuæ est causa? Respondit Zardan:magnum mihi periculum imminet,& maximis ego dignus sum tormentis,multarum etiam mortium reus existo,quia tuis præceptis negligenter obaudiens circa Dominum meum filium tuum negligentius vigilaui. Nam quidam malignus homo & magus veniens, locutus est ei, quæ ad sectam Christianorum pertinent;deinde narrauit minutatim Regi,quæ filio eius à sene dicta sunt,& cum quanta dilectione & desiderio, idem filius sermonem susceperit, & quomodo totus Christi est effectus; insuper & senis vocabulum significat.

Zardan discessit à Iosaphat.

Simulat morbum.

Regem adit.

Omnia de filio aperit.

De vano consilio Arachis & insectatione Barlaam.

Cap. XXVI.

Fecitque Rex accersiri Arachim quendam nomine, qui secundus erat à Rege, & primus in omnibus consilijs ei aderat, simulque astrologicæ artis scientia nimium pollebat, qui ait: Ante omnia, ô Rex,istud faciamus, malignum Barlaam comprehendere festinemus:& si hunc consequi poterimus, nostra intentione non priuabimur, neque à spe nostra decidemus. Sed idem ipse aut verbis persuasorijs, aut diuersis tormentorum generibus coactus, etiam nolens confitebitur falsa & erronea se dixisse,& Dominum meum etiam filium tuum ad sequendum paternum dogma suadebit. Si vero illum comprehendere nequiuerimus, alium ego cognosco senem eremitam solitarium, qui Nachor vocatur, similem Barlaam per omnia, quẽ non est facile dignoscere illum Barlaam non esse. Sed iste de nostra secta est, & magister meus in litterarum eruditione fuit. Hunc ergo allocuturus adibo nocte, cunctaque ei per singula notificabo, deinde captum esse Barlaam diuulgantes, hunc exhibebimus qui & Barlaam seipsum nominabit, & dogmata christianorum tueri simulabit,qui post multam disputationem quasi responsione deficiens potenter superabitur. Cumque ista filius Regis viderit, quoniam Barlaam quidem victus erit, nostris quoque ipse idem victoribus omnino palmam dabit, libenter tuum regnum timebit, & tibi quam grata sunt facere non tardabit,conuertetur insuper & ille,qui personam Barlaam simulabit, & errasse seipsum confitebitur.

Rex Arachẽ ad se accersit.

Arachis consilium vt Barlaã quæratur.

His ergo auditis, Rex gauisus est nimis, & optimum reperisse Arachim consilium arbitratus est, vanæ etenim spei incumbebat. Quia vero nouiter Barlaam discessisse cognouerat, apprehendere eum festinabat. Insidiatoribus igitur & lancearijs missis,plures exitus viarum occupauit; in totis vero 6. diebus laborans vane fatigatus est. Deinde ipse quidem in quodam regalium palatiorum in villa posita restans, Arachim cum militibus non paucis, vsque ad Sennaritidem eremum ad inquisitionem Barlaam direxit. Perueniens itaque ille ad locum, omnes vicinos conturbauit, quibus se non vidisse virum asserentibus, ad deserta ipse princeps pios venaturus exijt, multoque eremi transmisso spatio, montes circundedit, & valles inuias, & prærupta quædam pedibus & manibus reptando.

De cuneo eremitarum, qui ferebant reliquias sanctorum.

Cap. XXVII.

Cvm turba vero, quę secum erat ad crepidinem montis cuiusdam peruenit, super quam stans vidit sub ipso monte cuneum eremitarum ambulantem. Et statim præcepto principis omnes super eos vnanimiter irruerunt, tenentes viros venerabiles, & signa eremiticæ conuersationis in vultibus ferentes. Ille vero qui præcedebat eos sicut Abbas, peram portabant laneam plenam reliquijs quorundam sanctorum patrum. Considerans vero ipsos Arachis, postquam non vidit Barlaam, (agnoscebat quippe eum) contristatus est valde, & dixit ad eos: vbi est erroneus ille qui filium Regis seduxit? Tunc ille qui peram gestabat dixit: Non est ille inter nos, abijt, fugit enim nos gratia Christi repulsus, sed in vobis habitationes habet. Ait princeps: Cognoscis ergo illum? etiam, inquit eremita,noui seductorem dictum quia est diabolus, quia in medio vestrum habitat, & apud vos latitat, & ibi procuratur. Princeps autem dixit: De Barlaam ego te requisiui, & discere cupiens vbi sit interrogaui te. Monachus autem ait; Si Barlaam quæris,oportebat vtique te dicere, vbi est qui de errore conuertit & liberauit filium Regis. Ille enim frater noster est, & sanctę conuersationis, sed ex multis iam diebus non vidimus eum. Et ait Princeps: Extranea quidem morte vos interficiã, nisi continuo Barlaam exhibueritis mihi. Et quid, inquit eremita, mundialium cernis, quod tenacius amantes, præsentem timeamus vitam amittere,& à te intentatam formidemus mortem. Potius enim gratias tibi confitebimur,si nos virtutum amatores præsenti subduxeris vitæ. Ita confidenter loquentes non sustinens miser, sed aduersus fortitudinem prudentiæ, celerrime multas eis imposuit plagas & tormenta, quorum magnanimitas & fortitudo, etiam tyranno dignæ miraculo visæ sunt. Deinde præsentat eos ante faciem Regis atrociter furentis; quos cum vidisset furore succensus est, & furioso similis,cædi illos immisericorditer iubet. Postquàm autem vidit eos crudeliter plagis laceratos,vix à multa respirans insania,quiescere cædentes iubet, & ait ad illos: Cur ossa ista defunctorum circumfertis? Si ergo illos amantes ossa eorum baiulatis, hac hora ponam & vos cum ipsis, vt desideratos adepti, grates nobis exinde referatis. Diuinæ illius cohortis princeps & magister pro nihilo Regis minas computans, ac si nihil triste contigisset ei, libera voce & sereno vultu, inhabitantem in se significans gratiam, ait: Ossa ista munda & sancta circumferimus ô Rex,illorum repræsentantes amorem,quorum sunt mirabiliũ virorum,& exercitij eorum,& adeo dulcis conuersationis,in memoriam nosmetipsos reducentes & ad similẽ zelum excitantes,requiem quoq; speculantes,&delicias in quibus modo conuersantur. Insuper & mortis nobismetipsis assidue memoriã præsentamus,& sanctificationem nobis horum tactu haurimus: ecce causas quinque fuisse dixerim, cur sanctorum reliquias circumferamus; tu vero tuam impinguans carnem, materiam præparas vermium deuorationi, sed euigila de graui somno isto, & aperi clausos oculos tuos, & vide vbique splendentem omnibus Dei nostri gloriam, & tu aliquando temetipsum seruum illius facito.

Antistes peram secum deferebat, plenam reliquijs sanctorum patrũ.

Monachorũ constantia.

Flagris cæduntur monachi.

Monachi sistuntur Regi.

De sanctorũ reliquijs disputatio.

Quintuplex reliquiarum vtilitas.

Tunc Rex ait:ab hac tua stulta nugacita? quiescens,

Rex mortem monachis minatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Barlaam illico oſtende mihi, aut experieris tormentorum genus, quorum nunquam experientiam accepiſti. Fac, inquit, quod vis, nobis enim extra quod conuenit agere aliquid non eſt congruum, nec vllo peccato dabimus aſſenſum. Non autem hoc paruum putes eſſe peccatum, ſi confratrem noſtrum & commilitonem in tuis tradiderimus manibus; quotcumque noſti tormentorum genus exhibe. *Nobis enim viuere Chriſtus eſt, & mori pro eo lucrum optimum.*

Egregia Abbatis libertas & conſtantia.

Super his ergo furore accenſus tyrannus, iuſſit diuinas quidem eorum abſcidi linguas, erui vero oculos, manuſque ſimul & pedes detruncari. Data igitur ſententia, apparitores quidem circumſtantes atque lictores, inhumanè & immiſericorditer ſummitates mẽbrorum detrũcabant, & linguas quidem eorum vncinis detrahentes crudeliter abſcidebant. Viri igitur illi & omni reuerentia digni animo conſtanti, quaſi ad epulas inuitati, viriliter accedebant ad tormenta, inuitem ſeipſos exhortantes, & ad mortem *propter Chriſtum* ſine timore accedentes. In talibus ergo & tam diris tormentis perſeuerantes, animas ſuas ſacri eremitæ illi Domino tradiderunt, decem & ſeptem numerum perficientes.

Septẽdecim monachorũ cades.

De ſimulato Barlaam, id eſt Nachor.

Cap. XXVIII.

HIs itaque piè conſummatis Prothoconſiliario ſuo Rex Arachi dixit: Primo irrito facto ad ſecundum conſilium reſpice, & Nachor illum accerſire. Arachis itaque intempeſta nocte ſpeluncam illius adijt, nam in deſertis habitabat, diuinationum vacabat artibus. Tunc omnibus ei conſiliorum adinuentionibus reſeratis, ad Regem ſummo diluculo redijt, & equitibus ab eo rurſus poſtulatis & acceptis, ad perſcrutandum Barlaã egredi ſe ſimulauit. Exeunti vero & deſerta circumeunti, apparet vir quidam de valle quadam egrediens. Illoque ad proſequendum eum præcipiente, conſequũtur eum velocius, & comprehendentes ad ſe adducunt. Illo vero ſciſcitante, & quis eſſet & cuius profeſſionis, aut quî vocaretur? ille quidem chriſtianum ſe vocabat, Barlaam nominauit, ſicut edoctus erat. Gaudio itaque repletus Arachis ſicut apparebat, hoc aſſumpto celerius ad Regem reuertitur, & iuſſus eſt ad Regem intrare, & ait Rex in audientia omnium aſſiſtentium: Tu es dæmonis operator Barlaam? Reſpondit ille: Dei operator ſum, non dæmonum; noli ergo maledicere mihi, multas enim mihi gratias agere deberes, quia filium tuum colere docui, & omni virtutum ſpecie ad ornatum reddidi illum. Rurſus autem Rex quaſi iratus ait: Iuſtum eſſet equidem, vt ſermonis pariter & reſponſionis tibi facultate ſublata abſque vlla interrogatione morti tradereris; ſed ſuffero te propter naturaliter mihi inſitam humanitatem vſque ad conſtitutam diem, perſcrutabor nempe de te, & ſiquidem obedieris mihi, indulgentia dignus eris, ſin autem, male peribis. Sic locutus, Arachi illum tradidit, cuſtodiri diligentiſſime mandans.

Nachor ab Arache ſubornatus vt ſe Barlaam fingat.

Sequenti igitur die ſurgens inde ad ſuum redijt palatium, & auditum eſt, captum eſſe Barlaam, peruenitque fama vſque ad Regis filium. Quod cum audiſſet, vehementer animo doluit, & nullo modo à lachrymis abſtinere poterat, gemitibus & lamentationibus & orationibus Deum exorabat, & in in auxilium ſenis inuocabat eum. Non deſpexit vero illum, nec diutius affligi permiſit benignus ac miſericors Deus; qui & iuueni per viſionem nocturnam notificat, & fortitudinem illi immittit, & ad pietatis confortat agonem, & fiduciam præſtat, gaudioque plenum & confidentia, & lumine dulciſſimo paulò ante contriſtatum & dolore plenum cor ſuum repetit. Rex itaque ſic iſta peragens, & ita conſiderans, gratulabatur, bene prouidiſſe exiſtimans, & Arachi immenſas reddebat gratias.

Ioſaphat Regis filio Deus omnia reuelat.

Rex filium, quòd à Barlaam ſeductus ſit, reprehendit.

Cap. XXIX.

POſt duos autem dies pergit Rex ad palatium filij ſui, & hunc in occurſum illius egreſſum non oſculatus eſt pater vt ſolebat, ſed irato ſimilis, ingreſſus eſt regale cubiculum, & mæſtus ſedit. Deinde filium aduocans ait: Fili mi quæ eſt iſta fama, quæ in auribus meis inſonuit, & defectionibus animam meam comburit? Nullus enim hominum tanto fuit repletus aliquando gaudio in filij natiuitate prout arbitror, quanto ego in tua; neque rurſus contriſtatum eſſe puto, ſicut tu me in triſtitia poſuiſti, & meam inhonoraſti caniciem, lumenque abſtuliſti oculorum meorum, & meorum vires occidiſti neruorum. Timor enim quem timebam de te, euenit mihi, Infantili conſilio ſeductorum verbis obaudiens, & conſilium male ſapientium meo præferens, & noſtrorum Deorum cultum derelinquens, alieno ſeruiſti Deo, & quem ſperabam cum omni nutrire & educare cuſtodia; & ſenectutis habere baculum & fortitudinem, regnique ſucceſſorem optimum derelinquere: ea quæ inimicorum & hoſtium ſunt, non erubuiſti oſtendere mihi in te. An non oportebat te mihi amplius obedire, & mea ſequi dogmata, quam doloſi & putridi ſenis obaudire facuitati & ſtultiloquijs, amaram tibi pro dulci ſuggerentis vitam, & pro amantiſſimis delicijs duram & aſperã pergere viam, quam filius Mariæ ambulare præcepit? Sed nunc fili chariſſime mihi patri tuo acquieſce, & longe ab iſtis deliramentis ſecedendo; veni, & ſacrifica Dijs pijs & manſuetis cẽtum tauros, ſi forte libaminibus eos placare poterimus, vt veniam tibi offenſionis prębeant. Multa ergo talia Rege vaniloquia percurrente, & noſtra quidem irridente ac reſpuente, Idola vero efferente atque laudante; videns ſanctiſſimus iuuenis quia non oportet iam rem in angulo & in occulto, ſed ſuper candelabrum & in excelſo poni, vt manifeſta fiat omnibus, confidentia ſimul & conſtantia repletus ait.

Regis ad filium oratio.

Quod circa me actum eſt Domine Pater, nunquam negabo, tenebras effugi, ad lumen cucurri, & errorem deſerui, veritati acquieui, & dæmonibus abrenunciaui, Chriſtoque fœderatus ſum, & Dei patris filio & verbo, per quem totum quod eſt, factum eſt: qui & hominem de limo terræ formauit, & vitalem ei flatum tradidit, & in paradiſo deliciarum poſuit conuerſari; prævaricantem vero mandatum illius, & morti addictum, poteſtatique diaboli rectoris tenebrarum ſubditum non deſeruit, ſed omnia faciendo & ad antiquum honorem volens eum reducere, totius factor creaturæ, & noſtri generis auctor HOMO FACTVS EST *propter nos, de virgine ſanctã natus.* Interea cum hominibus eſt conuerſatus, & pro nobis indignis & ingratis famulis ſuis mortem ſuſcepit, & *mortem crucis*, quatenus ſolueretur peccati dominium, vt prima condemnatio deſtrueretur, & cælorum portæ rurſus nobis panderentur. Ipſe enim eſt vita omnium, ſtabilitas cunctorum & illuminatio, omnimoda dulcedo, & auditas inſatiabilis & omnium deſiderabilium ſumma Igitur cum tam inenarrabilibus bonis occurrentibus mihi gauderem quidem, quod de malignorum ſeruitute dæmonum liberatus eſſem, dolebam tamen quod animam meam dimidiam perdidiſſem; eo quod tu dominus & pater meus talium non eſſes particeps bonorum, Deum vero inceſſanter exorabam, vt traheret te ad ſe, de me igitur ſic certus factus, noli fruſtra laborare, quoniam nunquam me poteris à bona confeſſione reuocare.

Philip. 2.

Filij ad Patrem pia reſponſio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iram Patris filius placare nititur, eumque ad rectam viam conuertere.

Cap. XXX.

REx vt audiuit hęc omnia ſtatim commotus eſt, & furore incomprehenſibili arreptus, in acundè ei loquebatur, & amariſſime dentibus frendens, & furioſo ſi milis ait: Et quis horum mihi auctor eſt malorum, niſi ego ipſe, qui ſic te diſpoſui, & talia tibi feci, qualia nullus aliquando patrum fecit filio ſuo: merito igitur in tua natiuitate aſtrologi dixerunt, te malignum fore virum ac peſſimum, arrogantemque & parentibus inobedientem. Nunc vero ſi meo non obedieris conſilio, & à mea diſceſſeris filiatione, pro patre inimicus effectus, illa faciam tibi, quæ nec etiam hoſtibus aliquis oſtendit. Tunc Ioſaphat reſpondit: Cur Rex ita ſuccenſus? quoniam ego talium particeps effectus ſum bonorum triſtaris? & quis vnquam Pater in filij fælicitate contriſtatus apparuit? aut quomodo Pater iam talis, & non inimicus reputabitur? Non enim Patrem meum de reliquo vocabo te, ſed diſcedam à te, ſicut aliquis fugit à ſerpente, ſi cognouero te inuidere ſaluti meæ, & ad perditionem me coarctaueris violẽta manu. Sed potius intellige Pater, & albuginẽ atq; caliginem, de mentis tuæ oculis excute, vt cernere valeas Dei mei ſplendidiſſimum lumen. Scito quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni.* Cur ergo ſic inſane tenes ac defendis more recentium florum marceſcendã, & perituram gloriam atque abominandas fædaſque delicias, & ventris ac ſub ventre immundiſſimas paſſiones, quæ ad tempus quidem delectant ſenſus ſtultorum, poſtea vero amariores felle faciunt retributiones. Si enim præſentes iucunditates non perditioni ſubiacerent & fluxui, ſed perenniter forent permanſuræ cum dominis ſuis; nec oporteret Chriſti bonis & ęternis donis iſta præferre. Quanto enim ſol nocte profunda ſplendidior eſt & lucidior, tanto & eo amplius bona promiſſa diligentibus Deum omni terreno regno & gloria glorioſiora ſunt, & magnificentiora. Cum autem fluxui omnia & corruptibilitati ſubiacent, & quaſi viſio & ſomnium & vmbra prætereunt & pereunt, adeo vt auræ potius eſt credendum, & nauis pontum prętерlabentis veſtigijs, quam hominum proſperitati; quantæ eſt improuidentiæ, vel potius vecordiæ & imprudentiæ, corruptibilia & mortalia, infirma & fragilia, incorruptibilibus præferre, & æternis immortalibuſque & infinitis; temporali horum refrigerio, inſucceſſibili priuari bonorum illorum refectione? Non intelligis iſta pater? non pertranſibis tranſeuntia & adhærebis permanſuris? non prę-
feras peregrinationem incolatui, lucem tenebris, æternam vitam vmbræ mortis?

Pater appellandus nõ eſt qui filij ſalute angitur.

1. Pet. 2.

Pergit Ioſaphat ſerio monere Patrem.

Ira & admiratione repletur Pater.

Rex autem ſtupefactus eſt, pariter & ira repletus, tam intellectu pueri & verbis, quibus contradici non valebat, quam & ex hoc, quod non dimiſerat filius eius quicquam, quod ad derogationem Deorum pertinere potuerit, ſed totam eorum ſubſannauerit & deriſerit vitam, ſermonis tamen claritatem ob internam tenebrarum craſſitudinem non percepit; & punire illum, aut mali aliquid de illo diſponere propter naturalem amorem non potuit. Cum ita igitur ſurgens, diſceſſit, & dixit: Vtinam nunquam natus eſſes, vel in lucem iſtam proceſſiſſes, talis futurus blaſphemator Deorum, & paternæ ſpretor amicitiæ, & admonitionis: niſi enim obediens fueris mihi, & dijs gratus extiteris, multis & varijs affectum tormentis, male te interficiam.

Minatur mortem filio.

Ioſaphat in oratione pernoctat & fictionem Regis per viſionem agnoſcit.

Cap. XXXI.

HOc patre minante & cum irà diſcedente, in ſuum cubiculum filius ingreſſus, ad ſuum adiutorem oculis eleuatis orauit: *Domine Deus de profundo cordis clamaui, dulcis ſpes & vera promiſſio, tu refugium ad te confugientium, vide contritionem cordis mei, propitio & manſueto oculo, & ne derelinquas me. Te enim vires ſubminiſtrante, infirmi fortes efficiuntur, quia ſolus es adiutor inſuperabilis, & Deus miſericors, quem benedicit omnis creatura glorificandum in ſæcula, amen.*

Egreſſo Rege Ioſaphat diuinam opem implorat.

Sic orando diuinam ſenſit conſolationem in cor ſuu deſcendiſſe, & conſtantia repletus perſeuerauit tota nocte in oratione. Rex autem Arachi amico ſuo notam faciens de puero duram illius pertinaciam, & immutabilem ſignificans voluntatem, conſilium ab eo accepit; cum eo amabilem potius ac ſuauem faciendam eſſe, quã ſæuam & aſperam collocutionem, blanditijs ſperans potius eſſe trahendum.

Venit igitur Rex ſequenti die ad filium, & ſedens propinquius aduocauit eum. Oportebit te quidem (inquit) fili, meis obedire præceptis in omnibus; ſed quoniam durus exiſtens & inobediens ita fortiter reſtitiſti mihi, tuam potius quam meam cupiens facere voluntatem, veni, vt poſtpoſita pertinacia & vana contentione pariter cedamus veritati: & quoniam Barlaam qui te ſeduxit, ferro vinctus apud me tenetur. Congregabo eccleſiam magnam & omnes noſtros, & Galilæos in vnũ congregabo, præconeſque manifeſte præclamare præcipiam, vt nullus chriſtianorrm metuat, ſed omnes ſine timore conueniant, & ſic communi conſiderabimus deliberatione, & aut ſuadentes vos cum veſtro Barlaam aſſequimini quæ optatis, vel fuaſi à nobis vltronea voluntate præceptis noſtris obedire conſentite.

Regis ad filium blanda oratio ex cõſilio Arachis.

Prudens vero iuuenis per viſionem ſibi demonſtratam prægnita Regis fictione: *Voluntas* (inquit) *Domini fiat, & ſit quemadmodum iuſſiſti: Ipſe enim bonus Dominus, & Deus præſtet ne à veritate deuiemus; nam in ipſo confidit anima mea, & ipſe miſerebitur mei.* Tunc iubet Rex omnes congregari, idolatras videlicet & chriſtianos, litteris quidem vbique tranſmiſſis, præconibuſque per vniuerſas ciuitates & villas clamantibus, vt nullus chriſtianorum timeat ſe aliquid mali paſſurum, ſed ſecurè omnes in vnum conueniant ad ſpontaneam non coactam veritatis conquiſitionem futuram cum principe & duce ſuo Barlaam. Similiter vero Pontifices & cultores Idolorum, & ſapientes Chaldæorum & Indorum qui in toto regno illius reperiri potuerunt, conuocauit; & quoſdam augures, & magos, & diuinos. Conuenit itaque ad Regẽ multitudo magna de ſua execranda ſecta, chriſtianorum vero vnus inuentus eſt ſolus in auxilium veniens illius qui putabatur eſſe Barlaam, nomine Barachias. Alij fideles mortui erant ab inſania principum, qui per ciuitates erant occiſi, alij vero in montibus & ſpeluncis latitabãt, timore imminentium malignorum, & non audebant in aperto patere; ille vero ſolus cum eſſet fortis animo, ad agonem proceſſit veritatis.

Diſputatio indicitur.

Nachor in conſilium vocatus, conſilio ſuo capitur, & illaqueatur

Cap. XXXII

PRæſidente igitur Rege in tribunali excelſo, conſedere ſibi filium iuſſit: ille vero ob patris reuerentiam & honorem hoc noluit facere, ſed in terra prope illum ſedit. Aſſiſtentibus itaque his omnibus, aut Rex Rhetoribus ſuis & Philoſophis, imo populi ſeductoribus, & ſtultis corde: ecce certamen nobis adiacet, & agonis magnitudo: ex duobus .n. alterũ fiet hodie vobis,

Rex diſputationis legem ſtatuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aut nostram viam tenentes errare Barlaam, & eos qui cum eo sunt redarguentes, & gloriam maximam & honorem à nobis & ab omni senatu consequimini, & coronis victoriæ coronabimini; aut superati cum omni confusione, pessimæ trademini morti, & omnia vestra populo dabnntur, & vt omnino deleatur memoria vestra de terra, corpora vestra bestijs dabo ad deuorandum, & filios vestros perenni condemnabo seruitute.

His ita dictis à Rege, filius quoque illius ait: Iustum hodie iudicasti ô Rex, corroboret Dominus hanc voluntatem tuam; sed & ego eadem magistro meo: Et conuersus ad Nachor dixit; Nosti, ô Barlaam, in quali gloria me inuenisti, & delicijs; sed verbis plurimis suasisti mihi, vt à paternis quidē discederem legibus & moribus, & ignoto seruirem Deo. Ineffabilium quorundam æternorum bonorum promissionibus trahendo mentem meam ad sequendum dogmata, & meum exacerbandum dominum & Patrem. Nunc ergo quasi in lance existima temetipsum stare: nam si viceris imminentem luctam, vera esse dogmata tua ostendens quæ me docuisti, erroneosque redarguens, qui contra nos hodie dimicaturi sunt, & tu glorificaberis plus omnibus, qui aliquando fuerunt & prædicator veritatis vocaberis; ego quoq; in tua permanebo doctrina, & Christo seruiam vsque ad finem vitę meæ. Si vero superatus, seu veritate seu falsitate confusionis mihi hodie auctor extiteris, statim meam contumeliam vindicabo in te manibus meis; cor tuum & linguam extrahens, canibusque ad deuorandum ista cum cætero corpore tuo tradam, vt discant omnes per te, ne præsumant filios Regum in errorem mittere.

Filij verba ad falsum Barlaam Nachor.

Transit Nachor ad partes Filij.

His auditis Nachor sermonibus tristis effectus est valde, videns semetipsum decidisse in foueam quam fecit, & laqueo quem abscondit esse comprehensum, & gladiū suū in cor eius ingressum: animaduertēs ergo in semetipso, cognouit sibi melius esse Regis filio adhærere, & partem illius defendere, quatenus euaderet sibi præparatum periculum. Sciebat enim quomodo erat ei facillimum se tormentis tradere, si vel modicum illum exacerbaret. Totum enim ex diuina fiebat prouidentia, sapienter etiam per aduersarios nostra tuente. Etenim vtrique ad verba venerunt cultores scilicet Idolorum & Nachor, quemadmodum ille Balaam, qui sub Balaac aliquando maledicere Israhel proposuerat: sed econtrario multis Philosophis restitit.

Num. 22.

Disputationis initium.

Sedente igitur rege in throno suo, consedente quoque filio sicut iam diximus, astiterunt & insipientes, qui quasi gladium, linguam exacuerunt ad destructionem veritatis. Conuenerunt & innumerabiles populi ad spectaculum istius certaminis, vt dicerent, quæ pars victoria potiretur.

Idem contra propositum suum vera loquitur de Deo & de errore Chaldæorum.

Cap. XXXIII.

TVnc vnus Rhetorum sapientior omnibus, dixit ad Nachor: tu es Barlaam qui imprudenter sic & inuerecunde Dijs nostris contumeliam, & omne dedecus infers, & dilectissimum Regis filium in errorem induxisti? Suscipiens ergo Nachor rhetorem illum, responsione nullo modo esse dignum iudicauit; manu autem multitudini silentium indicens & aperiens os suum (sicut Asina Balaam, quæ non proposuerat dicere, illa locutus est) & ait ad regem. Ego Rex prouidentia Dei veni in mundum, & considerans cælum, terram, mare &c. & solem & lunam, admiratus sum ornatus eorum. Cernens autem mundum, & quæ in eo sunt omnia, quia secundum necessitatem mouentur, intellexi mouentem & tenentem esse Deum. *Omne enim mouens fortius est moto, tenens fortius tento.* Ipsum ergo dico esse Deum, qui constituit omnia & tenet, qui sine initio est, & sine fine immortalis, æternus, nullo egens; superior omnibus passionibus, & diminutionibus, id est ira, obliuione, ignorantia &c. per ipsum vero omnia sunt constituta, non indiget sacrificio & libamine, nec aliquo cunctorum apparentium, omnes vero illo indigent.

Nachorie oratio.

Manifestum est autem nobis, ô Rex, quia tria genera sunt in hoc mundo, quorū sunt apud nos; qui dicuntur Deorum adoratores, & Iudæi, & Christiani. Ipsi autem rursus qui multos colunt Deos in tria diuiduntur genera, Chaldæos scilicet & Græcos & Ægyptios. Nam isti fuerunt principes & magistri cæteris gentibus in multorum Deorum cultu & adoratione. Videamus igitur horum qui sunt participes veritatis, & qui erroris. Chaldæi namque nescientes Deum, errauerunt post elementa, & cæperunt colere creaturam, potius quam suum creatorem, quorum & imagines quasdam facientes nominauerunt figuras cæli & terræ, & maris, Solisque & Lunæ & cæterorum elementorum & luminarium, & concludentes in templis adorauerunt, Deos vocantes eos, quos seruant diligenter, ne rapiantur à furibus. *Et non intellexerunt quod omne quod seruat, maius est seruato, & faciens maius est facto.* Quid ergo dico de elementis, qui dicunt cælum esse Deum, errant: nam videmus ipsum volubile & secundum necessitatem motum & ex multis constitutum. Nam astra ordine & spacio feruntur de loco ad locum, de signo in signum, & nunc quidem occumbunt, nunc autem oriuntur, & secundum tempora iter peragunt, vt perficiant æstatē & hyemen, sicut ordinatum est eis à Deo, & pertranseunt proprios terminos secundum ineuitabilem naturæ necessitatem cū cæleſti ornatu, vnum manifestum est, non esse cælum Deū sed opus Dei. Qui autem putant terram esse Deam errauerunt: vidimus enim illam ab hominibus contumeliam patientem & dominationi eorum subiacentem, defossam consperſam & inutilem factam; nam si igne torreatur, efficitur mortua, insuper & paulo amplius infundatur, corrumpitur & ipsa, & fructus eius, conculcatur autem ab hominibus, & cæteris animalibus sanguine interfectorum inquinatur, effoditur, impletur, mortuorum theca fit corporum. His ita se habentibus, non sequitur terram esse Deam, sed opus Dei ad vtilitatem hominum.

Tria in mūdo religionis genera, Gentiles, Iudæi Christiani.

Elementa Deos non esse.

Cælū Deum non esse.

Terram Deū non esse.

Qui autem putauerunt aquam esse Deam, errauerūt: Nam & ipsa ad vsum hominū facta est, & dominationi subiacet eorum, polluitur, corrumpitur, & immutatur, calescit, & tingitur coloribus, & frigore congelatur, cruoribus inquinatur, & ad cunctarum sordium ablutionem assumitur; idcirco impossibile est aquam esse Deam, sed opus Dei.

Aquam Deū non esse.

Illi vero qui arbitrantur ignem esse Deum errant; nā ignis factus est ad vsum hominum, subiacet illorum dominationi, circumfertur de loco ad locum, & accenditur ad elixandas carnes diuersas & assandas, adhuc autem ad mortuorum corpora comburenda, multis etiam modis corrumpitur ab hominibus & extinguitur: propter quod non est congruum ignem Deum æstimare, sed opus Dei.

Ignem Deū non esse.

Qui autem putant hominem esse Deum errant, videmus quippe illum motum secundum necessitatem, & enutritum, ac senescentem, etiam se nolente: & aliquando quidem lætatur, & aliquando tristatur; indiget potu, & vestitu. Est & iracundus, & inuidus; & auidus, & pœnitens, & minorationes multas habens, corrumpitur multis modis ab elementis, & animalibus, vel imminente morte sibi; non conuenit ergo hominum esse Deum, sed opus Dei. Errore igitur magno errauerunt Chaldæi post opiniones suas.

Hominem non esse Deū.

De errore Græcorum & Ægyptiorum.

Cap. XXXIV.

VEniamus igitur ad Græcos, vt videamus quid forte de Deo sentiant. Græci namque dicentes plurimos Deos factos esse: alios quidem masculos, alios fœminas, omnium vitiorum cunctarumque auctores

Disputatio aduersus Græcos.

iniqui-

iniquitatum, vt aduocatos iſtos & patronos habentes ſuæ nequitiæ, adulterent, rapiant, occidant, & omnia mala faciant.

De Saturno. Inducitur enim ab eis, ante omnes Deos, Saturnus, & huic ſacrificant filios ſuos; qui genuit multos pueros de Rhea, & inſaniens comedit filios ſuos. Aiunt etiam Iouem abſcidiſſe ſibi virilia, & proieciſſe in mare, vnde Venus fabuloſe dicitur fuiſſe nata, alligans vero ſuum patrem Iuppiter proiecit in tartarum.

De Ioue. Secundus introducitur Iuppiter, quem ferunt Regē eſſe aliorum Deorum, & transformatum eſſe in animalia, vt cum mortalibus mulieribus adulteri a committeret. Inducunt enim hunc transformatum in taurum propter Europam, & in Aurum propter Danaem, & in cygnum propter Ledam; & in Satyrum propter Antyopam: & in fulmen propter Semelem; & ita genuiſſe ex his filios Liberū videlicet & Zetum & Amphionem & Herculem & Apollinem & Arthemiam & Perſeum, Caſtoremque & Pollucem & Helenam, & Minoen & Rhadamantum, & Sarpedonem & nouem filias, quas appellauerunt muſas.

Deinde inducunt de Ganimede ſermonem. Contigit igitur ô Rex hominibus imitari hæc omnia vt fiant adulteri, & maſculorum concubitores, & aliorū malorum operum pertractatores ſecundū imitationem Dei ſui. Quomodo autem creditur Deum eſſe adulterum, aut ſodomitam, aut parricidam.

De Vulcano. Cum hoc inducunt & Vulcanum quendam Deum, & iſtum claudum & tenentem malleum & forcipes, & ferrariam artem exercentem victus gratia. Virgo egenus erat, quod non conuenit Deum eſſe, nec claudum.

De Mercurio Deinde Mercurium inducunt eſſe Deum cupidum, & furem, & auarum & magum & verſipellem, & ſermonum interpretem, ſed non conuenit Deum eſſe talem.

De Æſculapio. Æſculapium etiam inducunt eſſe Deum medicum, & potiones efficientem, & amplaſtra componentem, victus gratia; indigentiam enim patiebatur, nouiſſime vero fulmine ictus à Ioue propter Tyndarij Lacedemonis filium, interijt.

De Marte. Mars autem inducitur Deus eſſe belligerator, & Zelotes, cupidus ouium & aliarum quarundam rerum: nouiſſime vero adulterio perpetrato cum Venere, ligatum eſſe ferunt à puero Cupidine, & à Vulcano.

De Baccho. Bacchum vero inducunt eſſe Deum, nocturnas agētem feſtiuitates, & magiſtrum ebrietatis, & euellentem vxores proximorum & furioſum & fugitium: nouiſſime autem à Tyrannis occiſus eſt.

De Hercule. Herculem vero inducunt eſſe Deum, & ebrioſum fuiſſe & inſanum, & ſuos occidiſſe, & ad vltimum igne conſumptum interijſſe.

De Apolline. Apollinem quoque inducunt Deum eſſe Zelotem, inſuper arcum & pharetram geſtantem; aliquando vero cytharam & tybiam & diuinantem hominibus mercedis gratia.

De Diana. Dianam vero inducunt ſororem illius fuiſſe venatricem & arcum habuiſſe cum pharetra, & hanc errare in montibus ſolam cum canibus, vt caperet ceruam aut capram.

De Venere. Venerem autem dicunt Deam eſſe etiam adulteram: nam aliquando habuit mæchum Martem, aliquando vero Anchiſem, & aliquando Adonidem, cuius & mortem deflet quærens amaſium ſuum, quam dicunt etiam ad infernum deſcendiſſe, vt redimeret Adonidē à Proſerpina.

De Adonide. Adonidem quoque inducunt Deum eſſe venatorem, & hunc violenter mortuum eſſe apro plagatum, & non potuiſſe auxiliari miſeriæ ſuæ.

Hæc omnia & multa plura turpiora & maligna incunt Græci, ô Rex, de Dijs ſuis, quæ neque dicere congruit, neque in memoriam omnino deferre. Vnde ſumentes homines occaſionem à Dijs ſuis, perpetrant omnem iniquitatem, & luxuriam, & impietatem, polluentes terram & aerem prauis ſuis actibus. Ægyptij vero ſceleratiores & ſtolidiores his exiſtentes, deterius omnibus errauerunt. Non enim contenti fuerunt Chaldæorum & Græcorum cultibus; ſed inſuper & bruta animalia inducunt Deos eſſe, terrena videlicet & aquatilia, & arbores, & germinantia, & contaminati ſunt omni inſania, & luxuria, deterius omnibus. Nam quidam eorum colunt ouem, quidam vero hircum, alij vero vitulum, & porcum, nonnulli vero coruum & accipitrem, & vulturem, & aquilam; alij vero crocodilum; quidam autem cattum, & canem, & lupum, & ſimiam, & draconem, & aſpidem; & alij cæpe & allium, & alij ſpinas, & cæteras creaturas.

Aduerſus Ægyptios diſputat. *Ægyptiorū impietas.*

De errore Iudæorum, & vera fide chriſtianorum.

Cap. XXXV.

VEniamus ergo rex ad Iudæos, vt videamus quid & ipſi ſentiant de Deo. Hi namque exiſtentes de ſtirpe Abrahæ, Iſaac, & Iacob, habitauerunt in Ægypto. Eduxit autem illos Deus inde in manu forti; nam ſępius Dijs gentium ſeruierunt, & miſſos ad ſe prophetas & iuſtos interfecerunt. Deinde poſtquam complacuit filio Dei vt veniret in terram, negantes eum, tradidērunt eum Pilato præſidi Romanorum & crucifixerunt eum, immemores beneficiorum eius, & innumerabilium miraculorum, quæ inter eos operatus eſt, & perierunt propria iniquitate. Colunt etiam nunc ſolum Deum omnipotentem, ſed non ſecundum ſcientiam, nam Chriſtum negant filium Dei, & ſunt ſimiles gentibus licēt appropinquare aliquo modo veritati videantur, à qua ſe ipſos elongauerunt. Iſta vero de Iudæis ſufficiant.

Aduerſus Iudæos diſputat.

Chriſtiani autem à Chriſto dicuntur: ſic etenim filius Dei altiſſimi vocatur, qui de cælo deſcendens propter ſalutem hominum, de Spiritu ſancto ex Maria virgine abſque virili ſemine, & ſalua matris integritate carnem ſuſcepit, & hominibus apparuit, vt à multorum Deorū errore ipſos reuocaret. Qui mirabili ſua diſpoſitione per crucē morte guſtata ſpontanea voluntate, poſt tres dies reſurgens per 40. dies cum eis conuerſatus, cælos aſcendit 12. Apoſtolos habuit, qui poſt eius in cælū reditū exierunt & in omnes orbis prouincias, & docuerunt illius magnificentiam: vnde qui adhuc miniſtrant iuſtitiæ prædicationis illius Chriſtiani vocantur; & hi ſunt qui ſuper omnes gentes terræ inuenerunt veritatē. Cognoſcunt enim Deum creatorem, & auctorem omnium in filio vnigenito & Spiritu ſancto. Veraciter enim eſt hæc via veritatis, quæ ambulantes per eam in regnum ducit æternum promiſſum à Chriſto in futura vita. Et vt noueris Rex, quia non à meipſo dico, ſcripturas intuens chriſtianorum, inuenies nihil extra veritatem me dicere. Quapropter, quieſcant ſtulti ſapientes tui aduerſus Chriſtum vana loqui, expedit enim vobis Deum creatorem colere, & incorruptibilia illius auribus percipere verba; vt condemnationem euadentes & tormenta vitæ extinguibilis; vtæ æternæ hæredes eſſe mereamini.

Chriſtianorū doctrina.

De fine certaminis, qua Nachor omnes confutauit.

Cap. XXXVI.

VT autem pertranſiuit iſta Nachor, Rex quidem furore concitabatur; Rhetores vero illius & Sacerdotes dolorum muti ſtabant, non valentes contradicere, niſi quod infirma quædam & nullius momenti verbula muſſitabant: filius autem Regis exultabat Spiritu, & lætabunda facie glorificabat Deum, quæ in inuio tranſitum dedit confidentibus in ſe. Nam per hoſtem & inimicum veritatis, veritatē defendit, & erroris princeps, aduocatus recti ſermonis monſtratus eſt. Rex quidem quamuis atrociter iratus fuiſſet Nachor, nihil tamen mali in eum exercere potuit, eo quod coram hominibus iuſſerat ei, vt fiducialiter & ſine vllo timore ageret pro chriſtianis: multum tamen ipſe contradicens ſubinferebat per ænigmata, vt cederet inſtantiæ diſputandi, vt pateretur ſe vinci à Rhetoribus; ſed Nachor multo magis conualeſcebat, diſſoluens omnes

Muti ſtant qui à parte regis.

oppositiones eorum & sillogismos, & redarguens persuasiones erroris. Pertracta vero vsque ad vesperam disputatione, iussit Rex dissolui concilium quasi sequenti die rursum de his tractaturus.

Iosaphat eum ducit secum, & secreto arguens gratias egit.

Cap. XXXVII.

FIlius autem ait Regi: sicut in principio præcepisti, iustum iudicium fieri Domine, iustitiam & fini impone; de duobus alterum faciendo, aut meum magistrū permitte mecum manere nocte ista, vt simul conferamus de his, quæ opus est cras respondere aduersarijs nostris: tu au autem denuo tuos tecum assumens congrua vobis meditamini, prout volueritis: aut tuis mihi permissis, accipe meum ad teipsum. Si vero vtrique fuerint apud te, meus quidem erit in timore & tribulatione, tui vero in gaudio futuri sunt, & requie, & hoc non videtur mihi iustum esse iudicium, sed violentiam esse potestatis, & fœderis præuaricationem. Superatus denique Rex euidentia sermonis, suis quidem philosophis & sacerdotibus penes se retentis, Nachor concessit filio spem adhuc in illo retinens, & seruaturum quæ promiserat arbitrans. Abijt igitur Regis filius ad palatium suum quasi quandam olympiacam victoriam de aduersarijs reportans, habens secum Nachor. Quem singulariter aduocans ait ad illum: Ne putaueris me ignorare quis sis, scio enim diligenter te non esse sanctum Barlaam, sed Nachor Astrologum, & miror quomodo vobis visum est talem simulare hypocrisim, & tantæ cæcitatis me putare esse, vt media die lupum pro oue susciperem. Sed bene sermo cantatur, quia cor fatui vana cogitabat. Cogitatio igitur vestra inanis, & cōcilium istud vanum fuit, & omnino fatuum: sed opus quod operatus es omni intellectu plenum est: Ideo Nachor gaude & exulta, plurimas igitur grates refero, quia defensor hodie veritatis factus es, & non contaminasti labia tua pollutis sermonibus, & dolosa simulatione, sed potius illa purificasti ab inquinationibus, errorem falsorum redarguendo Deorum, & veritatem christianorum dogmatum asserendo. Ego autem sategi te mecum adducere duabus de causis: Ne videlicet Rex seorsum se suscipiens, tormentis adijceret, eo quod non sibi placita pronunciasti, & vt gratiam hanc quam hodie operatus es, tibi recompensarem. Sed quæ est retributio? Ista scilicet vt ostendam tibi declinare à via mala & lubrica, per quam hactenus incessisti, & vt ambules per rectam & salutarem semitam, quam non ignoranter, sed scienter & sponte male agendo effugisti; barathris ac præcipitijs teipsum committendo. Intellige ergo Nachor intellectualis existens, & præ omnibus *solum desidera Christum*, vt apud ipsum absconditam vitam lucreris, fluxa ista & corruptibilia despiciens: non enim per omne viues sæculum, sed cum sis mortalis, discedes hinc post modicum, sicut & omnes alij, qui ante nos fuerunt; & ne tibi sit graue, peccati onus baiulans, cum ieris illuc, vbi iudicium iustum & retributio operum est, & non abieceris prius illud, cum facilis eius sit depositio.

Iosaphat à patre Nachorem sociū postulat.

Iosaphat secum Nachorem abducit.

Agit gratias quod pro veritate steterit.

Nachor verbis eius compunctus ad eremum conuolauit.

Cap. XXXVIII.

NAchor igitur compunctus animo, in verbis istis ait, bene dixisti, ô Rex, bene dixisti. Noui enim & ego verum, & qui non mentitur Deum per quem omnia facta sunt, & futurum iudicium scio, quia ex multis scripturis hoc audiui. Sed mala consuetudo, & veteris inoleuitas erroris, oculos cæcauit cordis mei, & tenebras profundas asperfit cogitationibus meis. Nunc autem in verbo tuo velamentum obscuritatis reijciens, ad lumen curro vultus Domini, forsitan miserebitur mei, & ianua pœnitentiæ aperiet seruo nequam apostatæ; licet impossibile mihi videatur remissionem peccatorum meorum, quæ arena maris grauiora sunt, adipisci posse, quæ scienter & non ignoranter peccaui ab infantia vsq; ad hanc ætatem. Hæc vt audiuit filius Regis, mox Spiritu sancto inflammatus intrinsecus in corde concaluit, & cogitationem Nachor ad desperationem inclinatam releuare cæpit, & ad stabilitatem fidei Christi erigere, dicens: Nulla ô Nachor, nulla tibi dubitatio sit. Scriptum est enim: *Possibile est Deo de lapidibus istis excitare filios Abrahæ*, qui propter summam benignitatis eminentiam, omnibus ad se conuersis cælestem aperuit ianuam, nulli salutis denegans introitum sed misericorditer pœnitentes recipit. Nam ideo *prima & tertia & sexta & nona &* .11. *hora* æqualis omnibus merces redditur, sicut sacrum refert euangelium. Itaque licet hactenus in peccatis consenseris, si flagranti corde acceleris, eorum qui à iuuentute pondus diei & æstus portauerunt, consortio dignus efficieris.

Illum Iosaphat in spē erigit.

Ioan 8.

Math.10.

Hæc & alia multa de pœnitentia sanctissimus locutus iuuenis, in malis inueterato Nachor, & pollicitus remissionem peccatorum, promittensque Christum fore propitium, & plurimis exemplis certificans, quia paratus est semper ad suscipiendam pœnitentiam; languidam illius animam velut quibusdam medelis refocillās plene restituit sanitati. Ait enim confestim Nachor ad illum: Tu quidem, ô nobilissime anima pariter & corpore, bene instructus his mirabilibus mysterijs, perseuera in bona confessione vsque ad finem, & nullus modus, vel tempus hanc de tuo corde amputet: Ego vero vadam salutem meam quærere, & per pœnitentiam Deum placare iratum, non ego vlterius Regis videbo faciem, nisi tu tantummodo volueris. Lætus igitur vehementer effectus est filius Regis, & grataner verbum suscipiens complexans, eum osculatus est, & attentissime pro eo oratione effusa, & commendans eum Deo, emisit de palatio.

Nachor Iosaphat ad Constantiā hortatur.

Egressus autem Nachor compunctus corde, ad profundissimam currendo quasi ceruus peruenit eremum, & monachi cuiusdam sacerdotali honore præditi speluncam attigit, vbi absconditus ille latitabat propter regis timorem. Cui humiliter prostratus abluit pedes lachrymis, imitatus meretricem in euangelio, & diuinum postulabat baptismum. Sacerdos igitur, cum diuina plenus esset gratia, intellexit istud diuinitus fieri, & continuo sicut mos erat catechizans eum, & instruens diebus non modicis, demum baptizauit eum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Mansit itaque Nachor cum eo pœnitentiam agens de peccatis suis & benedicens Deum, qui non vult aliquem perire.

Nachor abit in eremum. Luc.7. Math. vltimo.

Rege circa cultum Deorum vacillante, Theudas Magus accersitus est.

Cap. XXXIX.

MAne autem discessu Nachor cognito, Rex decidit à spe quam retinebat in illo. Videns autem suos sapientes & imprudentes rhetores ita facile superatos, in defectu erat maximo, & illos quidem contumelijs plurimis & dedecore affectos, quosdam in neruis vehementer flagellatos, nnōullos etiam oculis orbatos eiecit à facie sua. Ipse autem partim recognoscere cæpit falsorum Deorum infirmitatem, licet perfecte *lumen Christi* respicere tunc noluerit; nam circumfusa caliginis spissa nebula, adhuc cordis illius velabantur oculi. Veruntamen iam Sacerdotes non honorabat, nec festiuitates agebat, & libamina non exhibebat Idolis, sed vacillantem vbique mentem gestabat; hinc quidem infirmitates recognoscens Deorum suorum: inde vero certitudinem atque diligentiam formidans euangelicæ conuersationis, sed radicitus malignis tenebatur moribus vehementer, voluptatibus seruiebat corporis, & omnino vitijs more captiui inhiabat.

Regis animi anxietas.

Secundum tempus illud solemnitas erat futura falsorum Deorum celeberrima in ciuitate illa; solebat autem Rex interesse festiuitati, & sacrificiorum largitate hanc exornare. Vnde metuebat templorum Pontifices, cernentes

nentes eum negligēter circa cultum eorum, & tepidam se habentem, ne forte ex toto subtraheret præsentiam suam à templis, & priuarentur ipsi regali munificentia, quæ dabatur eis, & cæteris oblationibus. Surgentes itaque adeunt antrum in vastissima positum eremo, vbi habitabat quidam vir magicis vacans artibus, & erroris Idolorū accertimus defensor Theudas nomine, quem rex honorabat magnifice, & vt amicum colebat & magistrum, dicens per ipsius diuinationem ad augmentum & perfectum veniſſe suum regnum. Vt ergo sordidi Sacerdotes peruenerunt ad illum, hunc in auxilium suum aduocant, & factam Regi Deorum hæsitationem manifestam faciunt; & qualia filius Regis egerit, qualiterque Nachor aduersus eos publice concionatus sit. Et quia nisi ipse (inquiunt) veneris nobis auxiliaturus, tota spes nostra deficit, cunctique Deorum cultus perierunt. Surgit ergo Theudas cum præsenti sibi diabolica malitia, & contra veritatem armatur, multos malignorum spirituum vocans, quos ad mala facienda nouerat promptissimos; & quibus ille semper ministris vtebatur, & cum his proficiscitur ad Regem. Vt autē nunciatus est Regi aduētus eius, & intrauit quidem virgam oliuæ baiulās, melote vero præcinctus, surrexit Rex de sede sua, & procedens obuiam illi, osculatus est eum, & allata sede sua, iuxta se sedere fecit.

Theudas magus ab impijs sacerdotibus accersitur.

Theudas ad regem se confert.

Huius concilio Rex omnes ad solennitatem Deorum conuocat.

Cap. XL.

TVnc Theudas ait Regi: Rex in æternum viue, maximorum Deorum benignitate protectus: audiui autem te certamē magnum egisse aduersus Galilæos, & splendissimo victorię diademate esse coronatum, ideo q; veni vt lætabundam simul solennitatem celebremus; iuueneſque pulcherrimos & decoras virgines immortalibus Dijs sacrificemus; tauroſque centum & animalia plurima his offeramus, vt habeamus eos deinceps adiutores inuictos, & per omnem vitam nostram placabiles. Ad hæc Rex ait: Non vicimus ô senior, non vicimus, sed debiliter potius separati sumus, nam qui pro nobis putabantur esse, subito contra nos facti sunt, & bacchantem & amentem infirmam nostram inuenientes aciem, prorsus hanc deiecerunt. Nunc vero si qua tibi virtus adest, & fortitudo ad auxiliandum depositæ sectæ nostræ, & rursus hanc erigendam, annuncia mihi. Tunc Theudas tales dedit regi responsiones: Galilæorum quidem congressiones, & vaniloquia noli Rex formidare; nam quæ sunt, quæ dicuntur ab eis aduersus viros rationabiles & sapientes? quæ si mihi obuia sunt, multo facilius deijciuntur, quàm folium quod à vento motum corruit. Neque enim ante faciem meam venire sustinebunt, nec mecum sermonem conferre, & interrogationes & oppositiones mecum facere. Sed vt istud certamen propositum, & totum quodcunque voluerimus recte nobis eueniat, & secundum votum res nobis procedat, exorna solennitatem hanc celeberrimam, & pietatem deorum, quasi quædam arma fortia indue, & bene tibi erit.

Theudas ad regem impudens oratio.

Sic gloriabatur potens in malitia, & cooperatione malignorum spirituum ex toto regem fecit obliuiſci verba salutaria, quæ cor illius aliquantulum tetigerant, & ad consueta penitus reuocauit. Vnde litteræ regales vbique mox transmissæ sunt vt conuenirent omnes ad execrandam solennitatem Deorum. Tunc cernere erat confluentes populos, oues & boues & vniuersa adducentes animalia. Omnibus itaque congregatis surgens Rex cum seductore Theuda, ad templum abijt, tauris ad sacrificium adductis centum viginti, & alijs multis animalibus celebrabant prophanam solennitatem, adeo quod resonaret quidem ciuitas à vocibus brutorum animalium, & ipse aer pollueretur nidore sacrificiorum.

Rex cum Theuda dijs sacrificat.

Idem de Iosephat per mulieres seducendo consilium dat.

Cap. XLI.

HIs itaque consummatis, & nequitiæ spiritibus valde gloriantibus super victoria Theudæ, & gratias ei referentibus templorum Sacerdotibus, Rex iterum ad palatium redijt, & ait Theudæ: Ecce sicut iussisti totum impendimus studium in exornatione solennitatis & sacrificiorum liberalitate; iam ergo tempus est vt promissa adimpleas, & filium meum, qui à nostris discessit cultibus, ab errore Christianorum liberes, & clementibus Dijs reconcilies; ego enim omnem artem & manus agitans, nullam morbi huius inueni curationem, tuæ derelinquens sapientiæ, quod mihi contigerit infortunium, committo. Si ergo per te liberatus ab hoc rursus videro filium meum Dijs seruientem, & delectationibus voluptuosæ huius vitæ & regni fruentem, statuam tibi erigens auream, sicut Dijs sacrificabo illi, & ab omnibus honorari te faciam per infinita tempora. Theudas igitur aurem inclinans maligno, & ab illo edoctus, consilium malum & exterminabile lingua illius & os effectus, ait ad Regem: Si recuperare vis filium tuum, & vanam illius peruicaciam deponere, inueni artem cui non prævalebit reſistere, sed facile mollescet rigida eius cogitatio, sicut cera à facie ignis. Cunctis, ô Rex, assistentibus filio tuo & ministrantibus longe ab eo remotis, mulieres decoras & speciosas valde, & ornatas introduci præcipe, vt sint cum eo assidue & ministrent ei, conuersentur & morentur cum eo; ego autem de spiritibus vnum qui ad huiusmodi mihi ordinati sunt immittens ei, fortius libidinis ignem succendam; postquam vero coierit ipse cum vna sola talium mulierum, nisi tibi omnia concesserit pro voto, despicabilis ero tibi, & de reliquo inutilis, & supplicijs dignus. Nihil.n. vt facies mulierum, adducere & seducere iuuenum cogitationes prævalet: audi enim narrationem meo sermoni testificantem.

Sundet Theudas dandas filio suo in ministerio feminas pulchras

Quidam Rex filios mares habere non poterat, vnde vehementer tristis erat, & hoc infælicitatem non modicam æstimabat; qui cum in huiusmodi esset anxietatibus, nascitur ei filius, & super hoc gauisus est gaudio magno. Dixerunt autem ei peritissimi medicorum, quod si infra 10. annos solem vel ignem videret, omnino lumine priuaretur, hoc.n. oculorum illius positio significabat. Rex itaque vt audiuit talia, fertur speluncam in quadam petra excidisse, & ibi filium cum nutricibus inclusisse, & nullo modo vsque ad completionem. 10. annorum lucis claritatem viderat. Finitis autem annis 10. de antro puer educitur nullam mundialium rerum peritum habens noticiam: Tunc iubet rex omnia sibi secundum genus exhiberi, & ostendi ei viros quidem in vno loco, alibi vero mulieres, hic aurum & argentum, ibi margaritas & lapides pretiosos, vestes splendidás & ornamenta, currus spacioſos cum equis regalibus: & vt breuiter dicam omnia secundum ordinem & genus ostenderūt puero. Interrogante vero ipso, quid horum vnumquodque vocaretur, Regis ministri, vniuscuiusque appellationem indicauerunt. Cum autem mulierum nomen discere anxie quæreret, fertur Spatarius Regis ludendo dixisse; Dæmones eas esse, quæ seducunt homines. Cor autem pueri illarum desiderio plasquam cæteris rebus anhelabat, ostēsis igitur omnibus ad Regem reduxerunt eum. Tunc interrogat Rex filium, quid amplius amaret ex omnibus quæ viderat. Quid inquit Pater, nisi dæmones illos, qui seducunt homines, nullius.n. eorum quæ hodie demonstrata, sicut illorum amicitia exarsit anima mea: & miratus est Rex ille in verbo pueri. Vide igitur quàm tyrannica res est amor mulierum, & tu igitur non aliter putes superare posse te filium tuum nisi hoc modo.

Theudas fabulam narrat.

Quid amor famonat

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ioſaphat ſpiritu fornicationis vexatus oratione ſe armat.

CAP. XLII.

Puella ad Ioſaphat introducuntur.

SVſcepit Rex verbum libenter,& adducuntur ei prę-electæ puellæ, & valde ſpecioſæ, quas & ornatu illuſtrat ſplendido, vt amplius ad captiuandum puerum ſint idoneæ, famulos quidem & miniſtros pueri omnes eiecit de palatio, illas vero loco eorum conſtituit. Itaque ipſæ aſſident ei, eumque circumplectuntur,ad execrandum ſuum coitum illiciunt, omni geſtu & verbis incitantes ad libidinem, non habebat alium ad quem reſpiceret, aut cum quo loqueretur aut conueſceretur, ipſe namque erant ei omnia. Theudas vero rurſus ad illam malignam ſpeluncam redijt, & libros ſuos reſpiciens,per quos talia operari poterat,vnum malignorum accerſiuit,& ad bellandum contra Chriſti militem trãſmiſit. Malignus vero Spiritus alios quoque nequiores ſecum aſſumens dæmones, cubiculum adijt fortiſſimi iuuenis, & irruit in eum vehementiſſimum carnis ſuccendens caminum. Munda vero illa anima diaboli ſuggeſtiones ſentiens, & bellum cernens malarum cogitationum ſuper ſe veniens,fortiter turbabatur; mox vero amori libidinoſo diuinum amorem præpoſuit,& in memoriam reduxit ſeipſum illius pulcherrimæ & ineffabilis gloriæ Chriſti immortalis Sponſi mundarum animarũ & nuptiarum, de quibus miſerrime eijcientur,qui nuptialem polluerunt tunicam,ligatis pedibus & manibus in tenebras exteriores. Hæc cogitans & lachrymis perfuſus,percutiebat pectus ſuum vt malignas inde cogitationes effugaret. Deinde ſurgens & manu in cœlum eleuans flagrantiſſimis lachrymis & gemitibus Deum inuocabat ad auxilium, & dicebat: *Domine Deus omnipotens, miſericors & miſerator, ſpes deſperatorum, & deſtitutorum adiutorium, recordare mei indigni ſerui tui in hac hora, & propitio me oculo reſpice, & libera à gladio dæmoniaco animam meam.* Et cum dixiſſet, *Amen*, diuinam ſenſit conſolationem cęlitus ſuper ſe venientem, & ſtatim malignæ diſceſſerunt cogitationes. Ipſe vero vſque ad mane in oratione perſtitit, & agnitis machinamentis diaboli cæpit corpus ſuum amplius affligere,& fame & ſiti & alia cõtritione,totis namque noctibus ſtabat ſuper pedes ſuos ſibimetipſi reducens in memoriã quæ promiſerat Deo, & deſcribẽs in animo hinc iuſtorum ſplẽdorem, & inde malorum gehennam,commemorãs aſſidue, ne ocioſam & vanam ſuam inueniens animam,cogitationes illi malas facile aſpergeret, & mentis munditia pollueret.

Theudas eidem mittit ſpiritum fornicationis.

Amori impudico amorẽ diuinum obijcit Ioſaphat.

Orat Ioſaphat aduerſus ingruentem carnis tẽtationem.

A Deo accipit ſolatium.

Puella Regia cum de fornicatione multiplici colloquio tentat.

CAP. XLIII.

Alia fraus diaboli.

VNdique hoſtis igitur deſtitutus eſt, & omnino deſperans ſeipſum totaliter poſſe ſtrenuum deijcere iuuenem, aliam vadit inuenire ſeductionem. Nam ingreſſus eſt vnam illarũ quæ cunctis erat formoſior, & Regis fuerat filia, quæ captiua de ſua alienata eſt patria, & Regi Abenner quaſi quoddam eximium fuit oblata. Omnia enim ad maliciam pertinentia machinamenta facile & cito malignus inuenit; deinde Regis filio à dexteris corruens, compaſſionis charitatem erga puellam immittit ei, quaſi ſub obtentu intellectus & ornamenti mentis illius, quia eſſet ingenua & de regali genere, patria etiam ſua & gloria eſſet priuata. Cum his & cogitationes ſubmittit ei, vt liberaret eam ab Idolis, & chriſtianam faceret. Itaque loqui cæpit puellæ Regis filius, & diuinæ notitiæ ſibi verba proferre dicens: *O mulier cognoſce viuentem in ſæcula Deum, noli hoc errore Idolorum corrumpi, ſed Dominum Ieſum Chriſtum intellige creatorem eſſe omnium rerum, & beata eris deſponſata immortali ſponſo:* multaque talia dicente illo, ait illa: Si meæ ſalutis domine mi, ſolicitudinem geris & cupis Deo tuo me offerre, & ſi humilem animam ſaluam facere, fac & ipſe vnam petitionem meam & omnibus ſtatim Diis paternis abrenuncians,tuo adhærebo Deo. Coniungere mihi nuptiarum copula, & ego præceptis tuis gaudens obediam. Cui ille: Inaniter,ô mulier,talem mihi prętendis duram petitionem; ego.n. licet fortiter tuæ geram ſollicitudinem ſalutis, inquinare tamen corpus per turpem commixtionem graue mihi eſt, & omnino impoſſibile. Illa autem complanans illi totam viam, quare,inquit, talia faris? tu omnino repletus ſapientia,vt quid turpem rem & pollutam vocaſti commixtionem? Non.n.& ego expers ſum ſcientiæ chriſtianorum librorum, ſed multa volumina legi in patria mea,multoſque chriſtianos mecum colloquentes audiui. Nonne ſcriptum eſt in quodam librorum veſtrorum; *Honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus, & melius eſt nubere quàm vri; & quos Deus coniunxerit, homo non ſeparet?* An non antiquos iſtos Patriarchas ſcilicet & Prophetas vxores habuiſſe docent ſcripturæ veſtræ? Nonne Petrum illum,quẽ principem Apoſtolorum dicitis fuiſſe, coniugem ſcriptum eſt habuiſſe? Quibus igitur auctoritatibus fultus nuptias, pollutionem debes appellare, valde videris mihi à veritate dogmatum veſtrorum errare. Cui ille reſpondit: etiam mulier ſic ſe habent iſta quemadmodum dixiſti. Nam permittitur volentibus vxores ducere, ſed non eis, qui ſemel promiſerunt Chriſti virginitatem illibatam ſeruare; ego.n. ex quo lauacro purificatus ſum diuini baptiſmatis, à iuuentutis & ignorantiæ meæ delictis, mundum meipſum ſeruare Chriſto ſpopondi; & qua ratione quod Deo promiſi, violare potero? at illa rurſus ait: ſit & iſta tua voluntas quemadmodũ propoſuiſti, aliam vero minimam quandam & fere nullam petitionem meam perfice. Si vis ſaluam facere animam meam,concube mecum hac nocte, & tua perfrui me patere pulchritudine, necnon & ipſe meo ſociare decore: & promitto tibi quod ſummo diluculo chriſtiana fiam,& omni abrenunciem cultui deorum, & erit non tibi ſolum indulgentia pro diſpẽſatione iſta, ſed inſuper munerum retributio pro ſalute mea à Deo tuo. Nonne plurima principes & religionis veſtræ Apoſtoli ſecundum diſpenſationem egerunt, prætereuntes nonnunquam minus propter maius mandatum? Nonne Paulus dicitur circuncidiſſe Timotheum propter meliorem diſpenſationem? Et licet Chriſtianis execrabilis ſit circunciſio, tamen ille non reſpuit hanc facere,& multa talia in ſcripturis tuis inuenies.

A puella regia in matrimonium expetitur.

Rennit Ioſaphat.

Heb. 13.
1. Cor. 7.
Matth. 16.
Luc. 4.

Votum caſtitatis.

Ad fornicationem à regia puella elicitur.

Pſal. 30.
Pſal. 24.

Ioſaphat vacillanti Dominus ſelicitatem ſanctorum & pœnas reproborum per viſum demonſtrauit.

CAP. XLIIII.

Actuum 10.

HÆc igitur dicens & blandiẽs, retiaque & laqueos à dextris & à ſiniſtris circumplicans, turrem animæ illius,cõmouere cæpit, rigoremque deponere propoſiti illius,& deliberationẽ imitabundam efficere. Seminator autem malitiæ & iuſtorum inimicus vacillans cor illius conſiderans, cum ſuis canibus vnanimiter aggrediuntur *Chriſti militem*, omneſque illius animæ virtutes conturbant, & dirum amorem puellæ ſuggerentes, ignem vehementiſſimum concupiſcentiæ ſuccenderũt in eum. Cernens autem ille ſeipſum fortiter inflammatum,& ad peccandum captiuatum, & cogitationes ſuas ad puellæ ſalutem, & ad Deum conuerſionem quaſi hamo eſcam propoſitæ actioni, circumpoſitas & occultantes ei hoſtis ſubmiſſiones, id eſt, non eſſe peccatum pro ſalute animæ ſemel mulieri miſceri, ingemiſcens defectionem animæ peſſundatæ. Mox ſemetipſum ad orationem conuerſit,& *flumina lachrymarum ex oculis largiter profundens clamabat ad Deum qui ſaluos facit ſperantes in ſe; in te Domine ſperaui non confundar in æternum. Neque irrideant me inimici mei.* Per plurimas vero horas cum lachrymis orans, & multas genuflexiones faciens, collocauit ſeipſum in pauimento & ſoporatus paululum, vidit ſemetipſum à quibuſdam terribilibus raptum,& loca quæ nunquam viderat perttranſeuntem, & ad quoddam

Viſio Ioſaphat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dam perductum maximum pratum, decoris floribus bene redolentibus exornatum,vbi arbores quidem cernit omnigenas & varias, fructibus quibuſdam extraneis & mirabilibus ornatas, foliaque arborum dulcem ſonum reddebant, aura quadam grata agitata & inſatiabilem & gratiſſimum odorem emittebant.Sedes quoque poſitæ erant, & lapidibus pretioſis fabricatæ, nimium ſplendorem reddentes,& lecti lucidi pretioſiſſimis ſtramentis, quæ decore ſuo omnem narrationem ſuperant. Aquæ etiam prꝛterfluunt limpidiſſimæ ipſos lætificantes oculos. Per mirabilẽ vero iſtum & maximum campum terribiles illi deducentes illum, in ciuitatem introduxerunt ineffabili fulgore ſplendentem,& ex auro quidem obrizo muri erant, & de lapidibus quos nullus aliquando vidit,propugnacula altiſſima. O quis illius referre prævalet ciuitatis decorem & claritatem? Lux autem deſuper infuſa radijs ſuis, omnes plateas illius illuſtrat, & ætherei quidam exercitus ſplendidi in ea conuerſantur,canticum cantantes, quod auris mortalis nũquam audiuit, & vocem audit dicentem: *hæc eſt requies juſtorum,iſta eſt lætitia eorum qui complacuerunt Domino.* Inde denique educentes illum reuerendiſſimi viri illi repedabant. Qui iucunditate illa & gaudio totus perfuſus,ne priuetis me, aiebat, ne priuetis me ineffabili gaudio iſto, ſed concedite mihi in vno præclaræ ciuitatis huius angulo conuerſari·Illi autem dicebant: Impoſſibile eſt te nunc hic eſſe,ſed ſudore multo & labore venies huc,ſi tamen tibimet vim inferre potueris.

Ducitur ad loca amæna.

Ducitur ad loca triſtia.

His dictis & maximum campum rurſum tranſeuntes, ad loca deduxerunt tenebroſa, & omni fæditate & triſtitia & tribulatione & turbine plena, vbi fornax æſtuabat ignis ſuccenſa, & vermium genus atque ſerpentum,ibi erat inter flammas viuens, & animas crucians. Et vox audita eſt dicens: *Iſte eſt locus peccatorum: Iſta ſunt tormenta eorum,qui prauis actibus ſemetipſos polluunt.* Poſtea eduxerunt eum inde hi qui eum introduxerant.

Idem in ſe reuerſus ægrotat,& patrem ſe viſitantem ſceleris, arguit.

Cap. XLV.

Ad ſe redit.

STatim in ſemetipſum reuerſus tremebũdus erat totus,fluminaque lachrymarum decurrebant ex oculis eius, omnis.n.pulchritudo illius impudicæ puellæ & cæterarum fætidior ſtercore atque putredine ei videbatur. Voluens autem in animo eorum quæ viderat memoriam,deſiderio bonorum, & timore malorum ſuper lectum infirmus decubuit, nequaquam ſurgere valens.

Ægrotat. Pater eum viſitat. Pſal. 36. Pſal. 39.

Nunciatur ergo Regi ægritudo filij, qui poſtquam venit,interrogauit,quid eſt quod acciderat? Ille autem refert ei per ordinem quæ viderat & ait: *Vt quid laqueum pedibus meis præparaſti,& deijcere animam meam voluiſti?niſi Dominus.n.adiuuaſſet me,paulominus in inferno habitaſſet anima mea.* Et nunc ô Pater quoniam aures tuas obturaſti,

Admonet patrem.

ne audires vocem meam bona tibi ſuggerentem,ſaltem me ne prohibeas per viam rectam incedere. Hoc.n.deſidero,hoc ambio, ideſt ab omnibus terrenis liberari, & ad loca pergere,vbi Barlaam Chriſti famulus habitat, & cum eo reſiduum præſentis vitæ meæ expendere. Si autem vi retinere volueris, videbis me repente triſtitia & anguſtia mori, & neque tu Pater de reliquo vocaberis, neque filium me vlterius habebis. Iterum ergo defectus apprehendit Regem,rurſus tædet eum vitæ ſuæ,& male ad ſemetipſum conuerſus,in ſuum abijt palatium. A Theuda vero qui miſſi fuerunt nequitiæ Spiritus aduerſus ſanctum puerum,redeuntes ad eum confuſi, deiectionem confitentur,& licet ſint mendaciſſimi,tamen caſum ſuæ deiectionis aperte retulerunt. Ille autem ſic ait: Vos infirmi & miſeri quomodo ab vno puero eſtis ſuperati? Non,inquit, valuimus ſuſtinere, nec omnino reſpicere Chriſti virtutem & VEXILLVM PASSIONIS eius,quod CRVCEM vocant. Rex autem vndique deſtitutus, Theudã iterum aduocat,cui & dixit:omnia quæ nos docuiſti, ô ſapientiſſime, complentes, nullam vtilitatem conſecuti ſumus, nunc autem ſi alia tibi ars reſidua eſt,& illius experientiam capiemus, forte inueniemus aliquam mali ſolu tionem.

Crucis ſignũ dæmonibus terrori eſt.

Ioſaphat contra Theudam verborum certamen inijt.

Cap. XLVI.

PEtente vero Theuda ad colloquium filij venire, mane Rex ſecum aſſumens eum, ad viſitãdum pergit filium:& Rex ſedens loqui cæpit, exprobrans & reprehendens eum de inobedientia ſua, & pertinaci voluntate:ille vero denuo confirmante,& nihil præponendum Chriſti charitati clamante; procedens in medium Theudas ait: Quid cognouiſti Ioſaphat, in immortalibus dijs noſtris, quia ab eorum cultu diſceſſiſti, & patrem tuum Regem ita in iracundiam prouocaſti, odibilis factus omni populo? Nonne ab ipſis tibi præſtita eſt vita,nonne & ipſi exhibuerunt te patri,oratione eius exaudita,& eum de ſterilitatis vinculo liberaſſe runt? Qui ait ad Theudam; audi erroris profunditas & palpabilium tenebrarum,Babylonium ſemen,vaniloque ac miſerrime ſenex. Cur deridere conaris ſalutis prædicationem, per quam errabundi viam inuenerunt, per quam perditi & male captiuati reuocati ſunt? Quid melius eſt, dic mihi, an ſeruire omnipotenti cum filio ſuo vnigenito, & ſpirituſancto Deo increato & immortali principio & fonti bonorum, an dæmonibus perditis & inanimatis idolis, quorum gloria & laus adulterium eſt, & puerorum corruptio, & cætera impietatis opera? Stulte,precioſius eſt tuo Idolo animal quod offertur ei;nam Idolum homo fecit,animalia vero Deus creauit,& ideo lõge te rationali,intellectualius eſt animal irrationabile; nam iſtud cognoſcit nutrientem ſe,tu vero Deum ignoras, per quem de nihilo factus es, & per quem vitis & conſeruaris. Non eſt igitur congruum vos inſipientes, & cæcos & ſine intellectu,iuſtos ſubſannare,ſed potius voſmetipſos deflere. Amentiæ quippe,non pietatis ſunt opera veſtra. Nam ſtudioſus bellorum militaris aſpectus, ſimile idolum erigens vocauit MARTEM. Alius autem mulierum concupiſcentia ſuccenſus, vitiũ ſuum Deum fecit, quem vocauit VENEREM. Iſte autem propter vinolentiam finxit Idolum quod vocauit BACCHVM. Similiter vero & aliorum malorum concupiſcentes,ſuorum vitiorum ſtatuerunt idola: *Nam paſſiones ſuas Deum vocauerunt,*& ideo in delubris ſuis fiunt ab eis impudicæ ſaltationes, & luxurioſa cantica reſonant, & furioſi impetus fiunt, quis ſuſtinebit eorum turpitudines perferendo, os ſuum inquinari? Iſti tui cultus ſunt Dij ô Theuda ſtatuis inſenſibilior, hæc me ſuades adorare? hæc colere? *Ego vero Deo meo ſeruiam, & illi ſacrificabo meipſum totum, Deo creatori & prouiſori vniuerſorum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſpem noſtram,per quem acceſſum habemus ad patrem luminum in Spiritu ſancto, per quem redẽpti ſumus de amara ſeruitute in ſanguine eius.* Quid enim pulchrius eſt quàm iſta confiteri,& talem colere Deum bonum ac benignum, qui mandat iuſtitiam, continentiam imperat,munditiam iubet,miſericordiam docet,fidem exhibet,pacem prædicat,ipſa veritas nominatur, & eſt ipſa charitas; ipſa bonitas. Hunc melius eſt colere, quàm Deos tuos nefarios, & vitioſos, turpes pariter actionibus & nominibus.

Theudas rurſus oppugnat Ioſaphat.

Egregie reſiſtit Ioſaphat.

Idololatriæ amentia.

Laudat fidem chriſtianam.

Idem eundem de ſtulta ſuorum ſapientia confudit.

Cap. XLVII.

DIxit autem ad eum Theudas: Ecce manifeſtũ eſt quia noſtram ſectam multi & magni ſapientes & narratores tam virtute quàm ſcientia mirabiles tradiderunt:& omnes reges terræ & potentes tanquam bonam & nihil falſitatis habentem ſuſceperunt: Galilæorum vero quidam ruſtici paupereſque & viles homines prædicauerunt, & ipſi pauci numero nec duodenarium ſupergredientes. Quomodo ergo paucorum & ignobi-

Theudas chriſtianis paupertatem & ruſticitatem obijcit.

lium

lium atque ruſticorum prædicatio præponenda eſt multorum & magnum ſapientiæ tanta ſplendentium traditione? Quæ eſt autem aſſertio, hos verum dicere, & illos mentiri? Rurſus ergo Regis filius reſpondit: forſitan Theuda aſinus es, rationis liram audiens, & ſine intellectu permanens, vel potius aſpis obturans aures, ne audias vocē incantātium. Stulte, ecce quomodo non reduces te in ſenſum veritatis: Hoc enim ipſum quod à multis quidem ſapiētia admirandis veſtri cultus laudati ſunt, & à multis regibus defenſi: Prædicatio vero euāgelijà paucis & ignobilibus viris prędicata eſt, oſtēdit diuini cultus noſtri virtutē, & veſtrorum malignorum dogmatum infirmitatem & exterminium. Si enim à rhetorib. & Philoſophis expoſita fuiſſet fides noſtra, Regeſque & potentes habuiſſent cooperatores, merito dicere poſſes humana virtute totum fieri: nunc autem cernens à piſcatoribus ſanctum compoſitum euangelium, ab omnibus vero tyrannis perſecutum, & poſtea orbem impleſſe vniuerſum: quia iam *in omnem terram exiuit ſonus eorum*, quid dicere potes aliud quàm diuinam quandam eſſe & inexpugnabilem virtutem pro ſalute hominum ſemetipſam altruentem. Quin & piſcatores reſplenduerunt ſignis & prodigijs & varijs virtutibus: nam vmbræ illorum ſolæ omnes languores hominum curabant, dæmones quos vos timetis quaſi deos, non ſolum ab hominum pellebant corporibus, ſed etiā ab ipſo exturbauerunt mundo *crucis ſigno*, per quod omnem perdiderunt artem magicam, & omnia veneficia ineffícacia eſſe fecerunt. Quid ergo potes dicere de ſapientibus tuis & rhetoribus, quorum ſtultam fecit Deus ſapientiam? Fautores diaboli quid memoria dignum reliquerunt ſæculo? Quid potes dicere de ipſis, niſi irrationabilitatem & turpitudinem & artem vanam ornatu verborum, cænum contegentem fætentiſſimæ ſectæ ſuæ.

Argumentū Theuda in eum retorquet Ioſaphat.

Pſal. 18.

Theudas compunctus eremum poſt Nachor petit.

Cap. XLVIII.

Theudas o-tione. Ioſaphat ad fidem adducitur.

THeudas autem his auditis ſermonibus, quia ſermo plenus erat diuinæ ſapientiæ, quaſi tonitrui fragore conſternatus ſine voce obſtupuit. Sero autem & vix ſenſit ſuam miſeriam, tetigit.n. obtenebratos cordis illius oculos ſermo ſalutaris. Multum igitur de prioribus ſuis actibus pœnitentiam gerens, & Idolorum errorem condemnans, ad lumen veritatis cucurrit. Ex illo tempore ita à maligna conuerſatione diſceſſit, & tantum ſeipſum execrandis vitijs & magicis artibus hoſtem exhibuit, quantum ante hoc tempus erga illam amicitiam habuit. Tunc enim in medio concilij ſtans, rege præſidente, magna voce clamauit: *Vere Rex ſpiritus Dei habitat in filio tuo.* Veraciter victi ſumus, & nullā vltra reſponſionem habemus; vel reſiſtere his, quæ ab eo dicta ſunt, prævalemus. *Vere, magnus Deus Chriſtianorum, magna fides eorum, magna myſteria.* Conuerſus autem ad filium Regis ait: Dic mihi, ô illuminata anima, *ſuſcipiet me dominus Deus veſter Ieſus Chriſtus, ſi diſcedens à malis actibus meis conuerto me ad ipſum?* Etiam, inquit, veritatis præco, etiam ſuſcipiet te & omnes qui conuertuntur ad ipſum, ſuſcipiet autem non qualitercunque, ſed ſicut pater filium, qui de longinqua reuerſus eſt regione. i. de via iniquitatum conuerſus, obuiam exiuit, & hunc apprehendens oſculatus eſt, & peccati confuſione ſublata, mox eum veſte induit ſalutari. Nam & ipſe Dominus ait; *gaudium fieri Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Et iterum dicit: *Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Noli hæſitare, ô homo, neque ambigas, ſed *veni ad Chriſtum Deum benignum noſtrum, & illuminare, & facies tua non confundetur.* Mox.n.vt deſcenderis in piſcinam *diuini baptiſmatis* omni confuſio veteris hominis, & tota ſarcina multorum peccatorum, ſepelietur in aqua & in nihilum defluet. Theudas igitur inſtructus ſermonibus, exijt continuo, & execrabile illud antrum repetens, & ſuæ magicæ artis libros ſumens, velut totius auctores malitiæ, & myſteriorum dæmoniacorum theſauros igne combuſſit. Deinde vero ſpeluncam adijt ſacratiſſimi illius viri, ad quem Nachor venit, & de ſe narrat omnia, puluerem ſuper caput ſuum aſpergens, graueſque gemitus emittens, & abluens ſemetipſum lachrymis per ordinem, etiam ſeni execrandas etiam ſuas referens actiones. Ille vero cum ad ſaluandas animas, & de fraudulenti Draconis faucibus eripiendas artificioſus eſſet, incantat illum verbis ſalutaribus, promittit remiſſionem peccatorum, propitium ſpondet fore iudicem; deinde catechizans eum ieiunare multis diebus pro his quæ deliquerat, mandauit, lachrymis & gemitibus deum pro illo exorans.

Luc. 15.

Luc. 15.

Luc. 5.

Baptiſmus omnia peccata prorſus eluit.

Libros magicos exurit Theudas.

Ad ſacerdotem baptiſmi cauſa adiit.

Rex concilio Arachis regnum cum filio diuidit.

Cap. XLIX.

HIs itaque peractis, Rex vndique deſtitutus vehementer triſtis erat, & plurimam commotionem in animo ferebat. Conuocans autem rurſus quotquot de concilio habebat, diligenter perquirebat ab eis, quid de reliquo faceret filio. Multa autem conſilia multis ſuperponentibus, Arachis ille ſuperius memoratus illuſtrior ducatu, & primus conſilij exiſtens ait: Quid oportebat Rex filio tuo facere, & non fecimus, ſuadendo ei noſtra ſequi dogmata & noſtris ſeruire Dijs? ſed vt video ad impoſſibilia nitimur, nam ex natura ineſt ei, vel forte ex fato contentio iſta atque duritia: igitur ſi tormentis eum tradere volueris & cruciatibus, tu hoſtis eris naturæ, & pater non vocaberis, & illum amittes, *pro Chriſto mori cupientem.* Reſtat igitur ad faciendum illud, vt diuidas ei regnum, & in parte quæ contigit, eum regnare permitte, & ſiquidem rerum negocia, & cura ſæcularium traxerint eum ad noſtrum laborem ſequendum & vitam, ex ſententia res nobis proueniet: nam mores fortiter in animo roborati facile deleri non poſſunt, & ideo perſuaſione potius quam vi ſunt tranſmutandi. Si autem in ſecta permanſerit chriſtianorum, hoc ipſum non amiſiſſe filium, erit tibi defectionis magnum ſolacium. Hoc Arachi dicente, omnes laudauerunt, ſuſcipientes conſilium; conſentit itaque & rex ſic iſta diſponi.

Quid de filio Ioſaphat faciendum rex deliberat

Inueterati mores vix poſſunt per vim euelli.

Mane autem facto, accerſito Rex filio, ait ei: Iſte vltimus mihi iam ad te ſermo fili: cui niſi confeſtim obedieris, & ſaltem in hoc cor meum recreaueris, non vltra bene ſcias, parcam tibi. Illo autem ſciſcitante, quæ virtus eſt verbi? quoniam quidem, inquit, multum laborans inobedientem te ad omnia reperi, vt acquieſceres ſermonibus meis, veni iam regnum meum diuidens, in vna parte te eſſe, & regnare faciam, eritque tibi licitum amodo quamcunque deſideras pergere viam. Cognoſcens autem illa diuina veraciter anima, & iſtud ad lapſum ſuæ deliberationis proponere Regem, tamen obedire conſenſit, vt ipſius manus euaderet, & deſideratam ſibi viam ambularet. Suſpiciens autem ait Regi: Ego quidem deſiderabam diuinum illum quærere virum, qui oſtēdit mihi viam ſalutis, vt omnibus abrenunciando terrenis, cum ipſo reſiduum vitæ meæ expenderem, ſed quoniam me Pater non promittis, vt deſiderata peragam, in hoc obediam tibi; nam in quibus non adiacet manifeſta perditio & à Deo alienatio, bonum eſt patri obedire. Rex igitur maximo repletus gaudio diuidit ſtatim in duas partes vniuerſam ſibi ſubiectā prouinciam, ordinat filium Regem, & ciuitatem quandam magnam & populoſam conſtituit ei in caput regni, & omnia tribuit quæ erant congruentia Regi.

Rex filium regni participem facit.

Parenti in diuiſione memorem gerit.

Qualiter Ioſaphat ſe geſſit in poteſtate regni, & quæ fecit.

Cap. L.

TVnc autem Ioſaphat regni poteſtate percepta cū peruenit ad ciuitatem, in qua regnaturus erat, *Dominicæ* quidem *paſſionis ſignum*, ideſt *crucem Chriſti vene-*

Erigit crucē in regni auſpicijs.

randam

randam in vnaquaque vrbis turre poſuit, templa vero idolorum & delubra inſtantius inſequens deſtruxit, & vſque ad fundamenta diruit, ipſaque etiam fundamenta effodit, nullas impietatis reliquias derelinquens. In medio ciuitatis templum magnum & ſpatioſum Domino ædificat Chriſto, & præcipit multitudini, vt ibi frequenter conueniat ad exhibendum Deo cultum *per ſanctæ crucis adorationem.* Deceptionem oſtendit Idolatriæ, prædicationem inſinuat euangelij Dei, verbi deſcenſionem docet, & miracula prædicat, aduentum eius & paſſionem notificat crucis, per quam ſaluati ſumus, reſurrectionis virtutem, & ad cœlos aſcenſionem, metuendam cum his denunciat diem terribilis illius aduentus ſecundi, repoſitaque fidelibus bona & ſuſceptura peccatoribus ſupplicia. Et eo amplius trahebat omnes ad ſeipſum, quo erat quidem operibus mirabilis, manſuetus & modeſtus moribus. Itaque ſic in breui tẽpore cunctus ſubiectus ſibi populus, ciues ſcilicet & ruriculæ, diuinis edocti ſunt ſermonibus, vt abnegarent quidem multorum Deorum errorem, rectæque iungerentur fidei, & eius certiſſimis doctrinis CHRISTO reconciliarentur. Omnes qui in montibus & ſpeluncis propter timorem Patris incluſi fuerant, ſacerdotes ſcilicet monachi & epiſcoporum pauci egreſſi de abditis ſuis, ad eum gaudẽtes veniebant. Ipſe autem eos *qui propter Chriſtum in talibus deciderant malis & tribulationibus* obuiam exeundo, honorifice ſuſcipiebat, & in ſuum introducebat palatiũ, pedes lauans, capita abluẽs, & omnino eos procurans: piſcinã autẽ confeſtim prẽparans baptizari eos, qui ad eũ conuerſi fuerant iubet, & baptizãtur prius principes & quotquot in dignitate erãt, deinde milites & reliqua turba. Et baptizati non tãtum animarum recipiebãt ſanitatem, ſed etiam quantiſcunque languoribus fuerant grauati corporalibus & febribus vexati, omnia deponebant, & anima purificati & corpore roborati, à diuino fonte egrediebantur. Hinc & confluebant ad Regem Ioſaphat vndique multitudines, de tẽplis vero illis ac delubris, in quibus conſeruabantur ſordidi dæmones, perſecutione atrociſſima pellebantur, & miſeriam quæ eis ſuperuenerat, in multorum audientia vociferando flebant; & liberata eſt tota regio illa à terrima ſeductione eorum, *lucequeſulgebat immaculatæ fidei Chriſtianorum.* Igitur Rex bonum præbebat ſe omnibus exemplum, & ad ſimilem multos inflammabat intentionem, & accendebat. Sciebat.n. & ante omnia hoc regis opus eſſe, vt homines *doceat Deum timere, & iuſtitiã ſeruare.* In hoc autem maxime Deum imitabatur, quod nihil æſtimabat miſericordia pretioſius. Hinc ſcrutabãtur ab eo carceres, & qui in metallis erant concluſi, & qui à creditoribus erant ſuffocati, & omnia omnibus largiter miniſtrabat. Pater erat orphanorum omnium, & viduarum & egenorum. Tunc & illi qui erant patri eius ſubditi, ei potius adhærebant; cunctum errorem abijcientes veritatem euangelizabant. Et domus quide Ioſaphat creſcebat & confortabatur, domus Auennir minuebatur & infirmabatur.

Templum Chriſto ædificat.

Omnes ad ſe trahit.

Qui ſe abdiderant prodeunt.

Sanantur baptizati ab omni infirmitate.

Dæmones fugiunt.

Pecunias in pauperes diſtribuit.

Qualiter patrem Deus viſitauit.

CAP. LI.

ISTis Rex Auennir conſideratis, & vix ante ſero in ſenſum rediens, ſuorum recognouit falſorum infirmitatem deorum, & vanam ſeductionem, & iterum primos concilij conuocans in lucem profert à ſe meditata, omnibus autem eadem confirmantibus, viſitauerat enim eos *oriẽs ex alto ſalutaris*, exaudita oratione Ioſaphat famuli ſui, viſum eſt Regi hæc manifeſta filio facere. Scribit ergo ſequenti de epiſtolam Ioſaphat continentem hunc modum.

Regis ad filium epiſtola.

REX ABENNIR DILECTISSIMO FILIO IOSAPHAT BENE VALERE.

Cogitationes plurimæ, fili chariſſime, meam ſubintrantes animam crudeliter conturbant, nam noſtra omnia cernens deficientia quemadmodum fumus deficit, quæ vero ſunt ſectæ chriſtianorum ſuper ſolem reſplendentia, ſenſi vera eſſe quæ mihi à te ſemper dicebantur. Multa quidem tibi mala oſtendimus, infeliciterque Chriſtianorum non paucos occidimus, qui cooperante ſibi inexpugnabili virtute roborati, aduerſus noſtram crudelitatem dimicauerunt. Nunc autem craſſam illam nebulam de noſtris auferentes oculis, lucem quandam licet modicam veritatis cernimus, & priorum nobis pœnitentia ſubintrat malorum. Sed & hanc lucem nubes alia malæ deſperationis interpolans, obtenebrare tentat, multitudinem oppĩens meorum malorum. Et quia abominabilis ego ſum Chriſto, & non ſuſcipiendus ſicut apoſtata & hoſtis illius factus. Quid ergo adiſta dilectiſſime fili dicas ipſe manifeſtum mihi citius facito, & quod oportet me facere, tuum patrem edoce, & ad notitiam rei quæ expedit me pertrahe.

Hanc epiſtolam Ioſaphat ſuſcipiẽs, & quæ in ea continebantur legendo pertranſiens, gaudio ſimul & admiratione replebatur. Moxque ingreſſus in ſuum cubiculum ante dominicam imaginem in faciem corruit, & lachrymis terram irrigans ait: Gratias ago tibi Domine amator hominum, Deus miſericordiæ qui patienter, ſuſtinuiſti, & ſuſtines exceſſus noſtros, & hactenus nos impunitos dimiſiſti. Nos enim digni eramus olim proijci à facie tua, & exemplum fieri in ſæculo iſto, ſicut Pentapolim habitantes, facinoroſi fuerunt, quos igne & ſulphure combuſſiſti, & immenſa patientia tua miſericorditer effuſa eſt ſuper nos. Inde cum regali officio ad domum Patris ſui venire properat.

Procumbit ad imagine Chriſti Ioſaphat.

Gratiarum actio pro patris conuerſione.

Qualiter filius eum inſtruxit, & de ſacro fonte ſuſcepit.

CAP. LII.

VT autem patri annunciatus eſt aduentus filij, egreditur confeſtim obuiam illi, circumplectitur, oſculatur, maximum facit gaudium, & celebrem feſtiuitatem peragit in aduentu eius. Quid plura? poſt hæc patriter, vel ſingulariter conſident; & quis dicet quę diſſeruit Patri filius, & cum quanta philoſophia? ſed quæ alia niſi quæ à Spiritu ſancto fuerint adminiſtrata, per quem piſcati ſunt Chriſto piſcatores totum mundum, & illiterati ſapientibus ſapientiores oſtenſi ſunt. Multa quidem de Deo locutus eſt, & fidei pietatem oſtendit, deinde inueſtigabile benignitatis Dei enarrat pelagus, & quomodo paratus ſit ſemper ad ſuſcipiendam pœnitentiam ad ſe conuertentium, & quia non eſt peccatum vincens eius pietatis viſcera, ſi tamen voluerimus pœnitentiam agere, & multis hoc exemplis, & ſcripturarũ confirmans teſtimonijs, ſermoni finem impoſuit. Compunctus itaque Rex in hac à Deo docta ſapientia, voce magna & flagrantiſſimo animo *ſaluatorem Chriſtum confitetur*, ab omni dæmoniorum errore diſcedens; ſignumque *viuificæ crucis* adorans, ſub aſpectu omnium & in cunctorum audientia, *Deum prædicat eſſe verum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, prioremque ſuam confitetur impietatem; & propriam aduerſus chriſtianos crudelitatem, & homicidia arguit. Magna portio ad pietatem efficitur, vt in eo quod dictum eſt à Paulo, opere completum eſſe videatur: *Vbi abundauit iniquitas, ibi abundauit & gratia.* Multa ergo ſapientiſſimo Ioſaphat his qui cõuenerant magiſtratibus & ſatrapis, & omni populo de Deo & de pietate eius fidej perorante, & quaſi ignea lingua nouum canticum cantante, ſancti ſpiritus gratia ſuperueniens, omnes excitat ad glorificationem Dei, quaſi ex vna voce turbis clamantibus: *Magnus Deus chriſtianorum; non eſt alius Deus præter Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum cum Patre & ſpiritu ſancto glorificandus.* Zelo itaque diuino ſuccenſus Rex Abennir, inſurgit fortiter aduerſus Idola quæ erãt in palatio ſuo ex auro & argẽto facta, & in pauimentum ea proijci, deinde per minutas partes diuidens egenis diſtribuit, proficuum ſibi de inutilibus faciens. Poſtea & cum Filio Idolorum templa & delubra omnia inſtanter vſque ad ipſa ſubruit fundamenta; ſacra autem Deo oratoria in loco ipſorũ ædificat. Nec ſolum in ciuitate, ſed etiam in regione miro ſtudio eadem

Quam rationem tenuerit Ioſaphat in erudiendo patre.

Rex Abennir ſignum crucis adorat.

Idola euertit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dem perficiunt. Maligni vero Spiritus qui habitabant in delubris, eiulantes pellebantur, & *expugnabilem Dei nostri virtutem* trementes confitebantur. Omnis autem in circuitu regio, & vicinarum gentium multitudines *ad piam fidem Christi* currebāt. Tunc episcopo veniente catechizatur Rex Abennir, & diuino perfruitur baptismate: *In nomine patris & filij & spiritussancti*, Iosaphat eum de diuino fonte suscepit, & carnali genitori spiritualis regenerationis auctor effectus est: Cum quo & tota ciuitas, & in circuitu regio vniuersa, diuinum meruit baptisma accipere, & filij lucis effecti sunt, qui prius erant tenebræ. Cunctus autem languor & omnis dæmoniaca calamitas, procul à credentibus pulsa est, perfecti autem & sani omnes animabus & corporibus erant; & plurima alia miracula ad confirmationem fidei facta sunt. Ecclesiæ reædificabantur, & episcopi qui abscōditi erant propter timorem, exibant, & suas recipiebant ecclesias; & alij de sacerdotibus & monachis ordinabantur ad pascendum gregem Christi.

Rex baptizatur & filius patris patrinus.

Qualiter & ipse Pater post conuersionem se gesserit, & de morte eius.

Cap. LIII.

Rex egit pœnitentiam.

REx quidem Abenner ita derelicta priore illa infælici conuersatione, & pœnitentiam agens de his quæ fecerat, totum quidem regalem principatum Filio tradidit. Ipse autem apud seipsum solitariam vitam deducens, pulueremque semper capiti aspergens, graues gemitus emittebat, lachrymis seipsum abluendo, solus soli vbique præsenti colloquebatur, indulgētiam à Deo suarum postulans culparum. In tantam vero compunctionis & humilitatis abyssum semetipsum deposuit, vt non auderet etiam *Dei nomen* suis nominare labijs, & vix hoc Filij exhortatione præsumere. Ista ergo bona mutatione immutatus, ad virtutum decentem perrexit viam, vt supergrederetur pietate priorum iniquitatum ignominiam.

Satisfactionis opere priora peccata compensauit.

Per quatuor vero annos ita viuens in pœnitentia, & lachrymis & omni virtute in ægritudinem decidit, de qua etiam mortuus est. Quando autem finis eius appropinquauit cæpit timere & tædere, in memoriam reducens mala quæ fecerat. Iosaphat autem verbis consolatorijs alleuabat tristitiam & formidinem, quæ sibi contigerat dicens: *Noli pater timere, non vincunt.n. peccata conuertentium se ad Deum, inæstimabilem illius bonitatem: ipsa quippe sub mensura sunt & numero, quantacunque sunt, illa vero immensa est & innumerabilis. Non.n. potest quod subiacet numero, immensum superare.*

Iosaphat patrem consolatur.

Talibus verbis consolationis incantans ipsius animā, bonæ spei effecit, deinde extendens Pater manus, gratias agens bona etiam precabatur illi, & diem benedicebat in qua natus fuit ipse, dicens; *Fili dilectissime, fili, non meus sed cœlestis Patris, quam retribuam tibi gratiam? qualibet benedicam te benedictione? Quam ergo gratiarum actionem Deo referam pro te? Perditus.n. eram & inuentus sum per te.* Sic locutus est, & frequenter osculabatur filium: deinde orauit dicens: *In manus tuas domine benignissime Deus commendo spiritum meum*, & ita in pœnitentia Deo animam reddidit.

Pater Deo & Filio gratias agit.

Moritur Abenner rex.

Tunc filius eius Iosaphat lachrymis honorans Patrem mortuum, & exequias dignas illi exhibens, posuit corpus eius in monumento inter sanctos viros, non tamen cooperuit vestimento regali, sed pœnitentiæ texit cilicio. Stans autem super monumentum, manibus in cœlum eleuatis, & flumina lachrymarum ex oculis deducens, orauit ad Deum septem diebus nullo modo à monumento surgens, immemor cibi & potus; octaua autem die palatium regressus cunctas diuitias indigentibus distribuit, quatenus per angustam intraturum portam non impediret pondus pecuniarum.

Cum cilicio sepelitur.

Septem dies ieiunat Iosaphat pro patris anima.

De Substitutione Barachiæ, & fuga Iosaphat.

Cap. LIIII.

QVadraginta dies obitus patris memoriam ei perficiens conuocat omnes principes & militari præcinctus baltheo, & vrbani populi non paucos, sedensque pro tribunali ait in audientia omnium: Ecce sicut videtis Rex Abenner pater meus quasi vnus de pauperibus mortuus est, abijt ad illa iusta iudicia rationem redditurus conuersationis præsentis vitæ, nullum de omnibus ducens secum adiutorem, nisi tantum quæ egit opera qualiacūque sint. Idipsum autem & omnibus humanam sortitis naturam cōtingere constat, nec aliter: nunc ergo audite me amici & fratres.

Oratio Iosaphat.

Ipsi nostis inter vos conuersationem meam, quomodo ex quo Christum cognoui, seruus eius esse merui, omnia habens odio, ipsum concupiui solum: ideo mihi erat desiderabile, vt à strepitu vitæ & vana conturbatione subtrahendo me, solus soli vacarem, & in silentio & quiete animi seruirem domino Deo; sed impediuit me patris mei obstinatio, & mandatum præcipiens honorare genitorem. Vnde Dei gratia & cooperatione non frustra laboraui, nec in vanum tales dies expendi; nam illum Christo reconciliaui, & vos omnes hunc solum recognoscere *Deum verum & Dominum omnium* docui; non autem hoc ego feci, sed gratia Dei mecum. Tempus est igitur eundi, quo deducet me ipse, & reddam vota quæ voui ei. Nunc ergo vos considerate quemcunque velitis præesse vobis & regnare; iam.n. perfecti estis in voluntate Domini, & nihil vos latet præceptorum eius, in istis ambulate.

Vota persoluere cupit.

Hoc vt audiuit populus ille & virorum congregatio, tumultus illico & planctus & voce maxima confusio fit flentibus omnibus & lamentantibus suam desolationem. Talia lamentantes, cum lamentationibus etiam sacramentis obtestabantur se non eum dimissuros aliquatenus, sed comprehensuros & discedere penitus non concessuros. Itaque vociferante populo & principibus omnibus. Rex turbam sedare volens, silentio imperato eorum se obedire promittit obstinationi; cōtristatos tamen & tristitiæ signa in vultu ferentes, domum remisit. Ipse autem vnum de principibus, qui fuit ei charus præ omnibus, & propter fidei pietatem & pudicitiam vitæ admirandus, Barachiam nomine, (quem & superius sermo indicauit) singulariter assumens, leniter alloquebatur & dulciter flagitabat, vt regnum susciperet, & cum timore Dei populum illum regeret, quatenus ipse desideraram viam pergeret. At illum negantem inuenit, & omnino respuentem & dicentem: O Rex, quam iniustum est iudicium tuum, quam que non secundum mandatum tuum tuus est sermo: Si.n. proximum tuum diligere sicut teipsum edoctus es, qua ratione onus quod ipse deponere festinas, mihi conaris imponere? *Nam si bonum est regnare, ipse quod bonum est tene: Si autem istud est animæ scandalum atque offendiculum, cur mihi imponis illud, & vis me supplantare?* Postquam ergo talia dicentem & asserentem vidit, à colloquio cessauit, & ecce intempesta nocte epistolam quidem scripsit ad populum, multa refertam philosophia, & omnem pietatem pronuncianten, quomodo deberent in domino gloriari, & qualem vitam ei offerre, qualesque hymnos, & quas gratiarum actiones, deinde non alium quàm Barachiam præcepit in regalem principatum eis assumere, & in suo cubiculo chartam, in qua epistola scripta erat derelinquens, clam omnibus, de palatio egreditur.

Iosaphat Barachia regnum offert.

Relinquit epistolam.

Clam fugit.

De reditu eius, & confirmatione Barachiæ in regnum.

Cap. LV.

SEd penitus latere non valuit, nam summo diluculo hoc auditum est, & turbationem repentinam & luctū populo exhibuit; qui celeritate multa ad inquisitio-

nem

nem eius egrediuntur, præripere ei fugam omnimodo satagentes. Vnde nec in vanum cessit eis studium, vt enim omnes præoccupauerunt vias, cunctosque montes circundederunt, & in vias circumierunt valles, in torrente quodam hunc inuenerunt, manus in cælum extẽsas habentem, & orationem sextæ celebrantem horæ. Videntes autem eum, perfusi sunt lachrymis, rogantes, & discessionem improperantes. Ille autem ait: Cur frustra laboratis? non enim vltra me Regem habere valetis. Plurima vero illorum constrictus instantia, reuertitur ad palatium, & congregatis omnibus consiliũm suũ declarauit, deinde etiam iuramento confirmauit sermonem, quod nec vnam cum ipsis diem de reliquo facturus esset. Tunc Barachiam illum inuitum atque nolentem in regali principatu constituit, diademata capiti eius imposuit, annulumque regalem dedit in manu eius, & stans contra orientem orationem fudit pro eo ad Dominum, orauit etiam & pro omni grege; conuersusque dixit Barachiæ: Ecce tibi frater mando, sicut aliquando Apostolus testificatus est: *Attende tibi & omni gregi, in quo te Spiritus sanctus Regem posuit ad regendum populum Domini, quem acquisiuit sanguine suo*: & sicut ante me cognouisti Deum & seruisti ei munda conscientia, sic & modo ampliori studio placere satage illi. Nam quanto maiorem à Domino adeptus es principatum, tanto potioris exactionis debitor existis, Et ideo retribue benefactori, debitum gratiarum actionis, sancta illius custodiendo mandata, & ab omni declinando via, quæ ducit ad perditionem. Sicut enim in nauigantibus quãdoquidem fallit nauta, modicam remigibus infert læsionem, quando vero gubernator, totius efficit nauis perditionem: Sic & in Regibus, si quis principum delinquit, non tantum populo quantum sibiipsi nocet. Si vero Rex ipse omnis operatur conuersationis detrimentum, & ideo maximas sustinebis pœnas, si quid vtilium spreueris. Quapropter cum multa diligentia custodi teipsum in bono, cunctam exosam habens voluntatẽ ad peccatum te trahentem. Ait enim Apostolus: *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Circulum attende humanarum rerum quomodo currit, contrarioque modo & vano fert ipsas & circunfert, & istarum veloci permutatione, immobilem serua piam cogitationem; nam variari rerum mutatione, mentis inconstantis est indicium. Tu autem fixus esto in bono & omnino stabilis, nec extollaris propter temporalem gloriam inani tumore, sed expiata cogitatione tuæ naturæ ignobilitatem considera, breuitatemque & incertitudinem istius vitæ; & carni mortem copulatam: & ista cogitans in superbiæ non decides foueam, sed timebis *Deum verum & cælestem Regem.* Et certe maximam potestatem accipiens, datorem potestatis iuxta possibilitatem debet imitari. In hoc autem Deum maxime imitabitur: si nihil iudicauerit quam misereri pretiosius. Idcirco beneficus esto indigentibus: & aperi aures pauperibus, vt inuenias auditum Dei tibi reseratum: *Quales enim nostris conseruis erimus, talem circa nos inuenerimus Dominum.* Malitiæ memoriam non retinebis aduersus peccantes, sed veniam postulans delictorum tuorum, indulge & ipse in te peccantibus, quoniam remissioni recompensatur remissio, & aduersus nostros conseruos reconciliatio dominicæ iræ fit sedatio. *Et nunc fratres commendo vos Deo, qui potest vos ædificare, & dare vobis hæreditatem sanctificationis omnibus.*

Ioſaphat extensis manibus orationem ſextæ horæ perſoluens inuentus.

Barachiam Regem constituit.

Oratio Ioſaphat ad Barachiam.

Actor. 20.

Similè à nauicleris.

Heb. 12.

De fuga Ioſaphat in eremum.

CAP. LVI.

ET hæc dicens positis genibus suis cum lachrymis orauit, & conuersus osculatus est Barachiam, quem Regem ordinauerat, & omnes principes. Tunc iam funduntur lachrymæ, quem & ipsi veraciter ex corde osculabantur, & amplexabantur, væ vobis clamabant ab infælicitate atrocissima; deinde illum vocabant patrem, saluatorem & benefactorem: per te, inquiunt, *Deum cognouimus*, ab errore liberati sumus, & ab omnibus malis requiem inuenimus. Ille autem in sermonibus consolationis plurimos gemitus illorum compescuit, cum eis se spiritu affuturum promittens, quia corpore id iam esset impossibile.

Poſitis genibus rurſus orauit cum lachrymis

Talia dicens omnibus videntibus egreditur de palatio, cum quo mox omnes exierunt, promittentes se ad ciuitatem non reuersuros, etiam nec oculis eam amplius visuros. Vt autem extra ciuitatem facti sunt, quia sermone blando ab illo nolebant discedere, increpatione auulsi sunt; & multi reuertebantur, quidam feruentiores, mærentes à longe sequebantur eum, quousque nox superueniens separauit eos ab inuicem.

Egrediebatur ergo de regno suo fortis ille iuuenis gaudens, velut quando de longo exilio in suam aliquis reuertens patriam lætus ambulat, & erat indutus extrinsecus quidem consuetis vestibus, intrinsecus vero laneo panno illo quem Barlaam sibi dederat. Nocte itaque domunculo cuiusdam pauperis hospitatus, vestimentis exutus, ea pauperi tradidit, vltimam eleemosinam illam perficiens, & indumentum lætitię sibimet circumponens, ad eremiticam egressus est viam, non panem secum deferens, non aquam, non aliquid ad cibum pertinens, non vestimento indutus alio nisi duro panno illo tantum, cuius paulo ante memoriam fecimus. Desiderio enim quodam incredibili & amore diuino vulneratus; animo immortalis regis Christi omnino desiderati erat extra se factus, totus eius liquefactus amore. *Fortis est enim*, inquit, *vt mors dilectio*; huiusmodi ipse a diuina charitate susceperat ebrietatem: ita exarserat siti secundum prophetam dicentem: *Quemadmodum desiderat cerous ad fontes aquarum: ita desiderat ad te Deus anima mea fontem viuum.* Et ita inconuertibiliter ingressus est vastitatem eremi, & quasi onere quodam & graui catena depositi rerum temporalium confusione, lætabatur spiritu, & desideratum intuens Christum clamabat ad eum quasi præsentem & vocem audientem, dicens: *Da mihi Domine viam inuenire per quam veniam ad te, quia vulnerata est anima mea amore tuo, & te sitio fontem vitæ & salutis.*

Pauperibus dat vestes ſolum ciliçium ſecum portat.

Cant. 8.

Pſal. 41.

Hæc voluebat penes semetipsum semper, & Deo dicebat, per orationem ei & contemplationem altissimam vinctus: & ita impensius iter suum peragebat, ad chorum sanctorum peruenire satagens vbi Barlaam degebat. Edebat vero herbas, quæ per eremum nascebantur: nihil enim aliud deferebat secum nisi solum corpus suũ & pannum quo coopertus erat, sed & cibum mediocrem & parum de herbis sumebat. Aquæ vero penuriã omnino patiebatur, in aquosa & arida existente eremo illa. Itaq; iam contra meridiem sole ardente vehementer iter agendo vehementius ipse æstuabat siti, æstu perseuerante, & vltima affligebatur miseria; sed vincebat desiderium naturam, & sitis qua dominum sitiebat flammam sitis aquæ extinguebat.

Herbis tantum victitat

Sit i laborat.

De tentationibus quas ibi ſuſtinuit.

CAP. LVII.

Diaboli tentationibus impetitur.

INuidus vero osor hominum diabolus plurimas ei per eremum excitauit tentationes, submittens ei memoriam regalis gloriæ suæ, & dudum assistentis ei splendidissimi obsequij, amicorumque & cognatorum atque coætaneorum, & quia cunctorum animæ ex ipsius perficiebantur anima, & alia vitæ refrigeria. Deinde asperitatem conuersationis proponebat ei, & plurimos illius sudores, corporisque infirmitatem, & inconsuetudinem eius in tali miseria, & temporis longitudinem, præsentisque sitis necessitatem, & nusquam sperandam consolationem tanti laboris vel finem. Et omnino excitauit ei puluerem cogitationum in mentem, quemadmodum scriptum est de magno Antonio. Vt autem vidit semetipsum inimicus debilem aduersus istius propositum, alteram peregit viam (multæ enim malitiæ eius semitæ,) & fantasmatibus inanibus varijs eum euertere tentabat, & in formidinem mittere.

Aliquando vero gladium acutum tenens, inſiliit ſuper eum, & percutere minabatur, niſi ſtatim retro conuerteretur. Alia vice diuerſarum beſtiarum formas aſſumebat, frendens aduerſus eum, duriſſimum edens mugitum & ſonitum, deinde & in draconem & aſpidem & baſiliſcum transformabatur. Bonus vero ille & lætiſſimus athleta intrepidus erat animo, ſed altiſſimum ſibimetipſi refrigerium poſuerat. Mente vero vigilans & malignum ſubſannans, dicebat: Non latet me, ô ſeductor, quis ſis, qui mihi iſta excitas, & qui ab initio contra genus hominum talia es fabricatus, *Dominus mihi adiutor eſt, ego deſpiciam inimicos meos. Confundantur & reuertantur inimici mei omnes, conuertantur & erubeſcant valde velociter.* Hæc dicens & *ſignum crucis* ſibimetipſi imprimẽs, arma inexpugnabilia, omnia diaboli fantaſmata abſentauit. Ipſe vero Chriſti virtute munitus, ambulat gaudens, & *gratias agens Domino.* Sed & beſtiæ plurimæ & variæ, & ſerpentium atque draconum diuerſa genera, quæ eremus illa nutrit obuiantia illi, non iam fantaſtice, ſed in veritate apparuerunt: quocirca timore quidem erat plena via, & labore. Ipſe vero vtraque ſpernebat animo, timorem quidem dilectione foras mittente, laborem vero amore alleuiante.

Vexatur ſpectris.

Pſal. 117.

Pſal. 6.

Vincit ſigno crucis.

Vera beſtia occurrunt.

De inuentione Barlaam.

Cap. LVIII.

ITa ergo multis ac varijs incommodis ac miſerijs fatigatus diebus non modicis, tandem peruenit ad eremum Sennaariticæ terræ, in quo Barlaam habitabat, & aquam inueniens, flammam ſitis extinxit. Manſit autem Ioſaphat duobus annis integris per eremi illius vaſtitatem vagabundus, & non inueniebat Barlaam: Deo etiam in hoc fortitudinem animi eius & cogitationis ſtabilitatem probante. Et erat ibi ſub dio ſole exuſtus per diem, & frigore per noctem congelatus, & inceſſanter quærens velut theſaurum pretioſum venerandum ſenem. Plurimas vero ſuſtinuit tentationes & pugnas malignorum ſpirituum, & multos labores & herbarum indigentiam quibus in cibum vtebatur, quia & iſta cum ſicca eremus eſſet, rariſſimas ferebat; ſed amore Domini inflammata adamantina illa anima inuicta, facilius ſuſtinebat triſtia iſta, quàm voluptates. Inuenit etiam Dei gratia ſpeluncam veſtigia ſequens illuc ambulantium, & monachum quendam reperit, vitam eremiticam tranſigentem, & hunc flagrantiſſime amplexatus & oſculatus, rogabat ab illo ſibi oſtendi Barlaam habitaculum, & de ſeipſo cuncta viro illi manifeſta fecit: per ipſum itaque locum didicit habitationis quem quærebat. Ambulat itaque gaudens & robuſtus ſicut paruulus ex longo tempore patrem cupiens videre. Stetit ergo ante oſtium ſpeluncæ, & pulſans ait: Benedic pater, benedic. Vt autem vocem audiuit, exijt Barlaam de ſpelunca, cognouerat autem per ſpiritum quem ſecundum exteriorem aſpectum perfecte cognoſcere non valebat, propter mirabilem transfigurationem qua mutatus & transfiguratus erat ab aſpectu illo priore & decora ac florida iuuentute. Nam denigratus erat à feruore ſolis, comatuſque crinibus, exeſam habens faciem, & oculos in profundum dimerſos, & cilia exuſta riuis lachrymarum, & multa inopiæ afflictione. Sed Ioſaphat cognouit ſpiritualem patrem caracterem vultus ſeruantem eundem: Stans ergo mox contra orientem ſenex orauit, gratias agendo Deo, & poſt orationem dicto *amen*, apprehendentes ſe & oſculantes ferueniſſime alterutrum amplexibus conſtringebant, & præ interno amore ſatiari non poterant.

Biennio Barlaamum quarit.

Inuenit Barlaamum.

De mutua ſalutatione eorum & conuictu.

Cap. LIX.

SErmonem autem incipiens Barlaam, *bene veniſti*, dicebat, *fili Dei & hæres cæleſtis regni per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: quem dilexiſti, quem merito deſideraſti ſuper omnia temporalia & corruptibilia, & ſicut prudens negociator & ſapiens, omnibus venditis pretioſiſſimam emiſti margaritam.* Ioſaphat referre cæpit quanta poſt illius abſceſſum facta ſunt ei, & quomodo Dominus omnia in proſperitatem vertit vſque ad præſentem eorundem coniunctionem. Senex autem audiens iſta cum delectatione & miraculo præ gaudio lachrymatus, dicebat: *gloria tibi Deus noſter, qui ſemper ades, & auxiliaris diligentibus te.* Sic ab ambobus Deo gratiæ referuntur, & talia colloquentibus, & Dei exultantibus gratia, ſupernenit veſpera. Tunc ad orationem ſurgentes diuinum celebrabant officium, deinde cænaturis ponit menſam Barlaam locupletem, ſpiritualibus plenam epulis, ſenſualis vero nequaquam participem conſolàtionis. Olera enim fuerunt cruda, quorum ſenex ipſe operator & cultor fuit, & dactyli pauci, qui in ipſa eremo inueniebantur, & ſilueſtres herbæ; gratias agentes ergo & appoſita edentes, & aquam de fonte qui aderat bibentes, *& aperienti manum & implenti omne animal benedictione*, denuo gratias egerunt. Rurſus autem ſurgentes, & rurſus nocturnas complentes orationes, ſpirituale poſt orationem cæperunt colloquium, ſermones videlicet ſalutis & cæleſti plenos philoſophia.

Barlaam bene illi præcatur. Math. 13.

Barlaam abſtinentiæ & ciborum delectus.

Pſal. 144.

Manſit autem Ioſaphat cum Barlaam ſic plurimis annis, mirabilem illam & ſuper hominem tranſigens conuerſationem, & quaſi Pater huic & eruditori per omnia obediens, & conſentiens, omnique ſubiectione & humilitate ſe illi ſubijciens, & ad omnem virtutis ſpeciem ſemetipſum exercens, optimeque inſtructus ad luctandum contra iniquiſſimos ſpiritus. Et vt ſimpliciter dicam, tantus inerat ei labor conuerſationis, vt & ipſe miraretur, qui plurimos in hoc expenderat annos Barlaam, & perſeueranti illius vinceretur inſtantia. Nam tantum de illo duro & inconſolabili cibo percipiebat, vt ſolum poſſet viuere, ne ſi violenter moreretur, mercedes amitteret bonorum operationis. Sic ergo ad vigilandum naturam ſubdidit quaſi incorporeus aliquis & ſine carne. Orationis etiam illi & intellectualis operis inſatiabile erat opus, vt nec horam nec punctum ipſe perderet omnino, ex quo in illo eremo habitauit. Hoc enim opus veri monaſtici ordinis eſt, nunquam otioſum inueniri à ſpirituali operatione.

Vigilia & nocturna orationes.

Studium virtutis.

Verum monachi munus in quo ſitum ſit.

Qualiter Barlaam obitum ſuum ei nunciauit.

Cap. LX.

SIc ergo inuicem conuerſantes Barlaam & Ioſaphat, poſt multos ſuos pro pietate labores quadam die aduocauit ſenex ſpiritualem filium, dicens: Dilectiſſime Ioſaphat, in hac te eremo habitare oportebat, & mihi Chriſtus oranti de te promiſit ante vitæ meæ obitum te videndum, vidi ergo ſicut deſiderabam. Nunc ergo quoniam mihi reſolutionis tempus in ianuis eſt, & ſociale & cœtaneum deſiderium eſſe cum Chriſto, iam completum eſt; tu quidem corpus meum terra operi, & puluerem trade puluери; mane vero de cætero in hoc loco, ſpirituali adhærens conuerſationi, & meæ memoriam faciens humilitatis; timeo enim ne forte obſcura dæmonum multitudo animę meę obſiſtat propter multitudinem mearum ignorantiarum. Tu autem fili ne metuas lobórem conuerſationis, neque formides longitudinem temporis, & verſutias dæmonum, ſed horũ quidem infirmitatem, Chriſti virtute munitus, audacter deride. Aduerſus vero duritiem laborum & temporis ſpatiũ, ſic eris quaſi quotidie hinc migrationẽ expectans & quaſi initium tibi eſſe conuerſationis hanc diẽ & finem.

Mortẽ prædicit Barlaam.

Timet purgatorium ideo petit preces.

Mortis memoriam Ioſaphat inculcat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

His à beato Barlaam dictis, riui lachrymarum Iosaphat mensurã non habebant, sed velut de fonte multifluo scaturientes, eum totum ac terram in qua sedebat rigabant. Deflens autem separationem vehementer rogabat, vt comes eius itineris moriendo fieret, & ne post se relinqueret illum in hac vita, dicens: Cur, quæ tua sunt tantum quæris, Pater, & non ea quæ proximi sunt? ad requiem ipse pergens, in tribulatione & miseria me derelinquis, priusquam bene exercitatus sum laboribus conuersationis; sed deprecare Deum quæso te, vt comitem me tecum de hoc sæculo assumas. Hæc Iosaphat cum lachrymis dicente, senex leniter & plane respondit dicens: Non debemus incomprehensibilibus iudicijs Dei resistere; ego enim plurimum deprecatus sum Dominum, ne separemur ab inuicem, & edoctus sum à bonitate illius, quia non est congruum te nunc pondus deponere carnis, sed permanere oportet in exercitio, donec splendidiorem coronam tibimet componas. Non enim sufficienter adhuc decertasti ad eam quæ tibi præparata est mercedis retributionem, sed oportet te hic modicum laborare, vt lætus intres in gaudium Domini tui. Ego fere centum sum annorum; in hac vero eremo annos 75. peregi: tibi autem licet non tantum tempus sit constitutum, sed tamen appropinquare oportet sicut iubet Dominus, vt consimilis ostendaris mihi, & nihil minus habeas ab eis qui portauerunt pondus diei & æstus. Suscipe ergo charissime libenter quæ à Deo decreta sunt. Iosaphat igitur consolatus est.

Cũ illo mori desideraſ.

Conſolatur Ioſaphat.

De dormitione Barlaam.

Cap. LXI.

DEinde ad quosdam transmittit eum fratres procul habitantes, vt afferret ei quæ ad sacram hostiam consecrandam erant necessaria. Tunc confortatus Iosaphat velociter mysterium impleuit, metuebat enim ne forte se absente, naturæ debitum Barlaam solueret, & spiritum Domino traderet, detrimentumque sibi durissimum inferret; non verba testatoria, non orationes, non benedictiones illius adeptus. Ita ergo viriliter ab illo longa via peracta & allatis pro quibus ierat, offert Deo sacrificium sanctissimus Barlaam, & communicans ipse, tradidit & Iosaphat incontaminata Christi mysteria, & exultauit spiritu, Deinde consuetum percipientes cibum ædificatorijs verbis animam rursus Iosaphat alebat, dicens: Non iam nos, dilectissime fili, in vnum congregat esus & mensa in hac vita; ingredior enim iam vniuersalem viam patrum meorum: oportet ergo te erga me dilectionem per custodiam mandatorum Dei, & in hoc loco vsque in finem perseuerantiam ostendere, conuersans quemadmodum didicisti, & edoctus es, memor semper humilis & negligentis animæ meæ: *Fidelis seruus & omni acceptione dignus*, sicut clamat Paulus. *Nam si commorimur & conuiuemus, si sustinemus & conregnabimus.*

Adfert Ioſaphat neceſſaria ad ſacrificium.

Commendat iterum ſuam animam.

1. *Tim.* 1.

Talia quidem Barlaam vsque ad vesperam & per totam noctem Iosaphat loquebatur ineffabili dolore detento & separationem non ferenti. Mox vero illuscente die, eleuatis in cælum manibus & oculis ait:

Meritum & merces.

Oratio Barlaam morientis.

Domine Deus meus, qui vbique præsens es & omnia imples, gratias ago tibi, quia respexisti humilitatem meam, & in orthodoxa confessione, & in via mandatorum tuorum dignum me fecisti cursum consummare huius incolatus mei. Et nunc optime Domine misericordissime, suscipe me in æterna tua tabernacula: & ne recorderis peccata, quæ tibi peccaui scienter & ignoranter, custodi etiam & hunc fidelem famulum tuum: cui præesse me voluisti indignum famulum tuum, erue eum ab omni vanitate & tentatione aduersarij, & altiorem illum facito, contritis laqueis quos in laqueum malignus posuit omnibus qui salui fieri volunt.

Finita oratione paterno affectu amplexatus Iosaphat, osculatus est eum in osculo sancto, *signoque crucis* semetipsum signans, & pedibus extensis exhilarato vultu quieuit in pace. Tunc Iosaphat corruens super eum fletibus atque suspirijs, gemitibusque dolori satisfaciens, & lachrymis corpus abluens, ac laneo panno quem dederat ei in palatio inuoluens, decantabat per totam diem & totã noctem psallens pariter, & lachrymis venerandũ beati madefaciens corpus. Sequenti vero die sepulchrũ faciens prope speluncam & religiose valde, & cum summa reuerentia sacram glebam deferens; in monumento deposuit spiritualem patrem bonus ac venerabilis filius.

Muniens ſe cruce moritur.

Ioſaphat ſuper corpus pſalmos recitabat.

De visione Iosaphat, qua cælestes ei mansiones apparuerunt.

Cap. LXII.

ET flagranti animo ad intensissimam extendens se orationem ait.

Oratio Ioſaphat ad Deũ Pſal. 26.

Domine Deus meus exaudi orationem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me: quoniam ego te ex toto corde meo quæro. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus: quoniam pater meus & mater mea derelinquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Et notam fac mihi viam in qua ambulem & saluum me fac: quoniam bonus es amator hominum orationibus & intercessione famuli tui Barlaam.

Deum orat vt per famulũ ſuũ Barlaã preces ſe ſeruet.

Finita oratione iuxta sepulchrum sedebat flens, & sedens obdormiuit, & vidit terribiles viros illos: quos & prius viderat venientes ad se, & deducentes illum in maximum campum & mirabilem, Deinde ad glorioſissimam & splendidissimam introduxerunt ciuitatem. Ingrediente vero illo, alij obuiabant, multo fulgentes lumine coronas in manibus ferentes, ineffabili decore resplendentes, quales humani oculi nunquam viderunt. Interrogante vero Iosaphat, cuius sunt coronæ gloriæ splendidissimæ quas cerno. Responderunt: tibi quidem vna propter animas multas quas saluasti præparata est: ornanda vero nunc amplius pro exercitatione eremitica quam peragis, si tamen viriliter in hac vsque in finem perduraueris. Alia vero quidem tua & ipsa, sed patri tuo oportet te exhibere eam, qui per te à via mala declinando, & pœnitentiam veraciter agendo reconciliatus est Domino. Iosaphat igitur hoc audito, hæsitanter & mœste hoc accepit, & dixit: Quomodo possibile est nõ impar mihi: qui tanta sustinui, patrem meum adipisci donum, propter solam pœnitentiam: dixit hæc; & Barlaam confestim æstimabat se videre quasi exprobrantem sibi & dicentem: Isti sunt sermones mei Iosaphat, quos aliquando dicebam tibi, quia cum tu prædiues fueris non beneficus eris, & ipse hæsitabas in verbo. Nunc autem quomodo contristatus es de æquali honore tibi videlicet & patri, & non potius lætatus animo, quia exaudita est tua multa oratio pro ipso. Iosaphat autem, prout mos erat ei semper dicere. *Ignosce Pater*, ait, *ignosce, & vbi habitas ostende mihi.* In hac, inquit senex, speciosa & magna ciuitate habitationem habere merui in media vrbis platea luce fulgente eximia. Rogare vero iterum Iosaphat Barlaam se putabat: vt eum induceret in habitaculum & affectuose in hospitio suo reciperet, sed nõdum tempus venisse dicebat ille, quo ad illa venire posset tabernacula adhuc onere subiectus corporis. Si ergo ait viriliter perseueraueris quemadmodum mandaui tibi, venies paulo post, & eisdem dignus efficieris mansionibus, & eandem gloriam consequeris, & eodem gaudio frueris, & in æternum insimul erimus. Excitatus vero à somno Iosaphat, luce illa & ineffabili gloria habebat animam adhuc satiatam, & cum multa admiratione *Domino gratiarum referebat hymnum.*

Viſio Ioſaphat.

Videt coronas duas.

De obitu eiusdem.

Cap. LXIII.

MAnsit autem vsque ad finem vitæ suæ, angelicam veraciter in terra ducens conuersationem: & duriore exercitatione post transitũ senis vtens. Ætatis suæ quidem 25. anno terrenum deseruit regnum, & eremiticum subiit laborem. 35. vero annos in hac eremo conuersatus est; multas vero animas prius diabolo subri-

De corona patris mirantur.

Illum obiurgat Barlaã.

Triginta quinque annos egit inſolitudine Ioſaphat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

subripuit, & Deo saluandas obtulit, & in hoc perficiendo gratiam apostolicam promeruit. Erat autem martyr voluntate, nam cum fiducia Christum in conspectu Regum & tyrannorum confessus est, & prædicator eius magnitudinis eximius claruit. Multos etiam spiritus nequitiæ in eremo luctando prostrauit, & omnes Christi superauit virtute, cęlestisque particeps muneris diutius extitit & gratiæ. Denique tali peracta conuersatione, & ita dignam sua vocatione operationem retribuens ei, qui se vocauit, crucifigens mundum sibi, & seipsum mundo, in pace ad Deum pacis vadit: illiusque gloriæ iam ante promissa sibi corona exornatur, & Christum cernere dignus efficitur, cuius in manus animam suam commendans, in viuentium transmigrauit regionem, vbi sonus epulantium, vbi lætantium omnium habitatio. Pretiosum vero corpus illius, quidam vir sanctus qui habitationem suam non procul ab eo fecerat: qui & ad Barlaam iter illi prius ostenderat, diuina quadā edoctus reuelatione, ipsa hora dormitationis eius aduenięs, & sacris laudibus honorificans illum, lachrymasque effundens, erga illum dilectionis signum & alia omnia perficiens, quæ christianis sunt legitima, in sepulchro patris Barlaam posuit eum; nam decebat eorum simul esse corpora in terra, quorum perenniter in cælis erant animæ iunctæ.

Mors Iosaphat.

Cum Barlaam sepelitur.

De translatione vtriusque sacri corporis in Indiam.

Cap. LXIIII.

Per visionē hac in India iubentur nunciari.

PRæcepto igitur cuiusdam terribilis per visionem fortiter in mente illum contestantis, acquiescens eremita qui eum sepelierat, ad regnum Indorum pergere contendit, & ad Regem Barachiam peruenit; omnia sibi manifesta de Beato Iosaphat facit. Ille autem non negligens illico pergit cum multitudine magna, & virtute ad speluncam peruenit, monumentum aspicit, & superlachrymatus tollit operculum, & vidit Barlaam & Iosaphat habentes membra secundum proprietatem speciei vtriusque posita, & corpora nil prior e colore immutata, sincera vero & omnino integra cum suis indumentis. Tunc illa sanctarum animarum tabernacula, multam odoris suauitatem emittebant, nil penitus fœditatis retinentia; quæ Rex in thecis prætiosis reposita in suam reportauit patriam. Vt autem peruenit ad aures populi quod factum fuerat, multitudo innumerabilis ex omnibus ciuitatibus & in circuitu regionibus ad adoranda & videnda illorum beatorum corpora confluebant honorifice, cum hymnis & canticis & lampadibus ac cereis ardentibus. Vnde quidam ibi congruenter satis & valde idonee dixit; *luminaria circa luminis filios & hæredes.* Splendide vero simul & magnifice in ecclesia, quam Iosaphat ab ipsis fundamentis erexerat deposita sunt corpora. Plurima ergo miracula & sanitates in translatione & depositione, & deinceps per sanctos suos famulos operatus est Christus ad laudem & gloriam nominis sui. Et vidit Rex & omnis turba virtutes quæ per eos fiebant, & plurimę gentes, quæ erant in circuitu, infidelitate languentes & Dei ignorantia, per ea quæ ad sepulchrum fiebant signa, crediderunt. Et omnes videntes & audientes, angelicam Iosaphat conuersationem & à pueritia inæstimabilem eius ad Deum amorem mirabantur, glorificantes in omnibus Deum.

Corpora integra Rex Barachias in patriam transfert.

Cum honore suscipiuntur.

Multa miracula in translatione & depositione sanctorum.

Explicit historia.

De Sancto Zosima monacho.

Cap. LXV.

IN vitis Patrū fuit quidam senex in Palestinæ monasterijs, vir vita & verbo decoratus, qui ex ipsis cunabilis monasticis nutritus est morib. Zosimas nomine; qui, vt fertur, ita certaminibus erat ignitus, vt de propinquis & longinquis monasterijs, ad eius cucurrerent doctrinam & eius imitarentur abstinentiā. Dicebat autē & ipse quod ex matris sinu in eodē traditus monasterio 53. ibidem degusset annos monasticum cursum perficiens. Post hęc, vt retulit, infestabatur à quibusdam cogitationibus, quasi perfectus esset in omnibus aliena doctrina minus egeret; nullusque cum monachus in deserto, sensu, vel opere præcelleret. Hoc secum eo cogitante, Pater quidam astitit ei & ait ad eum: *Zosima bene certasti in omnibus, sed nullus præfectus est in omnibus*, nam sunt & aliæ salutis viæ, quas si vis apprehendere, egredere de terra & cognatione tua, & sequere me. Pergens igitur, cum peruenisset ad Iordanem fluuium, deductus est voce clamantis in quoddam monasterium, vbi desertus erat locus: & propinquis incognitus, ibique ab Abbate deuote & humaniter est receptus. Illic prima ieiunij hebdomada Dominico die omnes ex more monachi ad sancta Dei mysteria celebranda vocabantur, & corpus Domini viuificum ab vnoquoque suscipiebatur. Completaque oratione, flectentes genua senes se inuicem osculabantur. Deinde omnes amplexantes, & pacem dantes Abbati, rogabant sibi ab eo orationem futuri certaminis eorum auxiliatricem fieri. His peractis monasterij * regia aperiebatur simulq; psallentes & dicentes, *Dominus illuminatio mea, & salus mea &c.* ipsius psalmi, exibant. Egredientes vnum forsitan tantum vel duos custodes monasterio relinquebant, non qui infra reposita custodirent, quia nec erat quod à furibus raperetur, sed ne oratorij sine celebratione solenni postponerent. Singuli autem eorum secum deferebant vitæ necessaria vt poterant, alij panem, alij carycas, alij dactylos, cæteri vero legumina aquis infusa, alij autem nihil, nisi tantum propriū corpus, & palliū quo vestiebantur. Nutriebātur vero quoties natura cōpellebat herbis, quę in deserto nascebantur: igitur regulam propriam quam sibi quisque nouerit expedire, creabat; talemque habebant immutabilem legem, ignorare alium, & quale alius operaretur certamen. Atque Iordanem mox derelinquentes, seorsumque ab inuicem de longe discedentes à ciuitate, habitationem habebant desertam, nullus alij iungebatur. Sic igitur omnes dies ieiunij complentes, ad monasterium remeabant dominica die in ramis palmarum. Nulli vero licitum erat interrogare proximum suum, quomodo vel qualiter præsens certamen exercuerat; nam demonstratio hominum infructuosa opera & damnosa acquirit.

Zosima monachi perfectio.

E sinu matris religiosus.

Tentatur superbia perfectionis sua.

Monasterium ad Iordanem situm ex diuina monitione petit.

** Intelligit primam monasterij tantum quæ regia dicebatur. Psal. 26*

In Quadragesima solitudinem petunt.

Qualiter inuenit Mariam Ægyptiacam in eremo.

Cap. LXVI.

TVnc vero Zosimas iuxta consuetam regulam monasterij pertrāsito Iordane, paruum secum detulit cibū ad sustentationem corporis, & pannum quo induebatur, & quidem regulā adimplebat pertranseundo eremum. Tempus vero refectionis quod erat necessariū pro natura corporis, modico siccoq; trāsigebat cibo; soporem vero paruum in terra iacens faciebat, & iterum diluculo iter suum carpebat, sperans aliquem patrem inuenire, qui posset eum iuxta desiderium suum ædificare. 20. vero dierum pergens iter, facta hora quasi sexta, paululum se abstinuit ab itineris labore, eleuatisque oculis ad orientem, consuetam sibi celebrabat orationem. Solebat etenim statuto diei tempore prima, tertia, sexta, & nona, abstinere se à sui itineris cursu orationis causa. Eleuansque oculos ad superna, & respiciens à dextris vidit in quodam loco stare quasi vmbraculum humani corporis. Stupefactus autem fantasma esse putans, & *ter signaculum sanctæ crucis sibi faciens*, completa oratione vidit quendam in partem ambulantem meridianam, nudo nigroque corpore ex incendio solis exusto, capilli eius vt lana candidi atque parui vsque ad collum corporis descendentes. Hoc dum videret Zosimas admirans repletus est magno gaudio, cæpitq; currere ad eandem partem qua videbatur. Cum autem ille vidit Zosimam de longe ad se proquinquantem, cępit concito fugere in

Reseruantur Dominica palmarum.

Zosimas per desertum vagatur.

Orat certis horis quiescens ab itinere.

Signat se ad spectri vt putabat occursum.

Mariam sugientem Zosimas insequitur.

interio-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

interiora deserti. Zosimas vero contemnens senectutis debilitatem, fastidiumque itineris, concito eum gradu sequebatur, emittens vocem cum lachrymis, vt quid me fugis hominem senem & peccatorem seruc Dei vi-ui? sustine me quicunque sis. *Coniuro te per Deum pro cuius amore hanc habitas eremum, & recipe me debilem & indignum senem.* Cumque iam fatigatus currere non posset, & lachrymis lachrymas augeret; ille qui prius fugiebat ait, *Suo nomine appellat Mariam Zosimam hactenus incognitum.* Abba Zosima quid me persequeris? ignosce mihi, per Deum te peto, quia minime possum conuertere faciem meam ad te, eo quod sim mulier nuda, sed pallium quo tu indutus es porrige, vt possim corporis meæ verecundiam tegere, veniamq; ad te vt accipiam tuas orationes. Tunc stupefactus atque turbatus est, eo quod audisset se vocari ex nomine; intellexitque quod non eum nominatim vocare posset, quem nunquam viderat neque audierat, nisi quia hoc superna prouidentia reuelauerat: statimque expolians se, pannum quo induebatur vetustissimum, iactauit illi auersa facie. Illa autem sumens eum præcinxit se vt potuit, & cooperuit partem necessariam sui corporis, respicienscque Zosimam, ait ad eum: Quid tibi visum fuerit Abba peccatricem mulierem viderc? aut quid quærens agnoscere, tot tibi imposuisti labores? Ille vero genua flectens obsecrabat vt benedictionem ab ea reciperet: illaque prostrata humo, ado-*Mutuo benedictionem petunt.* rabat eum. Erant, ergo vterque in terra inuicem se adorantes, & rogantes alterutrum initium facere benedictionis. Nulla alia penitus audiebatur vox, nisi tantummodo *benedic me pater.* Consentiens tandem sermonibus senis mulier, ait ei. *Benedictus Dominus redemptor animarum nostrarum.* Zosimas respondit *amen.* Moxque erecto à terra ait mulier seni: Rogo te, pater, vt mihi conuersationē christiani generis, quomodo sint Reges vel Pastores ecclesię enarres. Zosimas vero respondēs ait ad eā multifaria relinquens, breui sermone dicam tibi mater, quod Christus Dominus ac redemptor noster, omni suo populo firmam pacem concedere dignatus est: sed rogo te vt depreceris Dominum pro totius stabilitate, simulque pro peccatis meis.

Quod vidit eam orantem in aere subleuatam.

Cap. LXVII.

Diuinitus doctus nouit Maria Zosimam esse Presbyterū. Respondit mulier: oportunum est, & valde necessarium te Abba Zosima qui habitu & mente sacerdotali ornaris officio, pro omnibus atque pro me peccatrice orare Deum, cum ad hoc vocatus es; tamen propter præceptionem tuam obedio cum omni virtute, & orabo Deum licet peccatrix. Et eleuans oculos ad otientem, manus erexit ad cælos, & cæpit silenter orare, ita vt tantum labia mouerentur, & vox penitus non audiebatur, vnde & Zosimas nullum verbum orationis potuit intelligere; sed hoc Deum sibi testem adhibens dicebat, quoniam dum prolixam mulier faceret orationem, vidit eam in loco in quo stabat orans à terra *Suspensa in aere orat Maria.* suspensam in aere, quasi vnius cubiti mensura. Qua visione, magno comprehensus est timore: & cadens in terram, cæpit sudoribus inundare, stuporibus comprehendi, admirationibus æstuare, nihilque aliud dicere poterat, nisi tantum *kyrie eleyson.* Dum hoc ageretur, cæpit senex cum magna dubietate hæsitare, ne forte esset spiritus fantasiæ fingens orationem, moxque conuersa mulier leuauit Abbatem à terra, & ait ad eum: Abba, vt *Corrigit Zosimæ dubitationem.* quid te conturbant cogitationes tuæ, in tantum vt scandalizatus sis in me, existimans me immundum esse spiritum, orationem simulantem? satisfacit tibi Dominus: peccatrix sum mulier, tamen *sanctum Domini nostri Iesu Christi baptismum induta sum, & non sum spiritus, sed magis terra & cinis, nullaque habeo spiritus opera maligni.* Et hæc di-*Signat se signo crucis.* cens; *signo redemptionis sanctæ crucis* frontē, oculos & pectus sibi depingens dixit: Deus omnipotens, Abba Zosima, eripiat nos de iniquo. Senex autem proijciens se in terram, apprehendit pedes eius, dicebatque cum lachrymis: *Coniuro te per Christum Dominum nostrum, qui nasci pro hominum redemptione ex virgine dignatus est, propter quem carnes tuas ita afflixisti, ne absondas à seruo tuo quæ sit, vel vnde, aut quando, vel quomodo ad habitandum hanc eremum aduenisti?* *Mulier* à terra eum eleuans dixit ad eum: *Narranda peccata vt aliorum orationibus iuuemur.* Turpe quidē & omnino verecundosū mihi videtur Abba Zosima, tibi enarrare verecundiam operum meorum; sed peto vt veniam mihi concedas dicenti.

Nudam me vidisti corpore, notos faciens tibi actus meos, vt scias quod mei operis opprobrium non gloriam meam quærens occultabam. Nam per quæ opera mea habeo gloriari, dum fuissem vas perditionis diaboli? Scio enim quod si operum meorum initium narrationis fecero, fugam petiturus es, ac si quis fugiat à serpente, tamen dicam omnia, nec quicquam tibi occultum faciam; sed peto & deprecor te, Pater, vt indesinenter orare pro mea miseria digneris vt tuis intercessionibus merear inuenire misericordiam in illo examinis die. Tunc senex protensis manibus, copiosas fundebat lacrymas.

Qualiter illa cæpit ei narrare cursum vitæ suæ

Cap. LXVIII.

Exponit Maria Zosima anteactam vitam suā. Mvlier autem cæpit explanare suam narrationem dicens: ego Pater, patriam habui Ægyptum, & dum mei adhuc superessent parentes 12. anno derelinquens eos, Alexandriā petij ciuitatem, vbi qualiter ab initio corpus meū tradiderim corruptioni, qualiterue iugiter insatiabili libidinū fluxui deseruierim, sermonibus enarrare minime possum. Breuiter etiam tibi dicam Abba, meæ fornicationis iniquitatem: Decem & septem & amplius ferè annis publico astans loco pessimum mei corporis negotium exercebam, tradens volentibus irrecusabiliter carnis meæ pudorem, repellens à me omne acquisitionis lucrum, vnum tantum mihi erat lucrum, luxuriosam acquirere vitam. Nam ludus, ebrietates, insomnietates mihi pro thesauro videbantur, multotiensque oblatum mihi lucrum recusabam, vt amplius acquirerem pessimi mei desiderij amicos, & hæc quasi locuples faciebam; sed & egestatem pro diuitijs reputabam. Vnus vero & magnus mihi erat ardor desiderij, prodigijs & conuiuijs, risibus & iocis insistere, & diebus & noctibus pessimam corporali naturæ iniuriā irrogare. Æstiuo autē tempore contigit me videre turbam Ægyptiorum & Libyorum currentem contra mare, interrogans quo festinarent, audiui eos in Hiero-*Exaltatio sanctæ crucis Hierosolymis celebris.* solymam ascendere, crucem redemptionis post paucos dies desiderantes videre. Tunc respondi viro narranti mihi: per Deum te coniuro, si voluero eis comitari, dabunt licentiam mihi. Ille respondit: Si naulum dederis, expensasque habueris, nullus eorum te prohibere potest. Dixique ad eum: Corpus meum erit illis pro naulo: Ideo autem cum ipsis comitari festinabam, vt habe-*Hierosolimā nauigat libidini dedita.* rem in eis amicos pessimæ & sordidissimæ meæ voluptatis. Ego quidem Abba Zosima, rogaueram te: vt nō mihi imputares meas tibi ineffabiles dicere verecundias, quia vndique tremore concutior: viuit dominus, quod polluuntur meis sermonibus non solum aures tuę sed etiam ipse aer. Tunc Zosimas fortiter lachrymatus dixit: Loquere per Deum te coniuro, soror mi, loquere, ne prætermittas cęptam narrationem ædificationis. Illa vero cæpit explanare; ita dicens: Vir ille qui à me interrogatus fuerat quo turba illa pergeret, audiens turpes meos sermones, subridens abijt: ego vero velocius ad mare cursum faciens, vidi iuuenes ad littora maris astantes numero 10. lusus & motiones vanæ iuuentutis habentes, expectantes sodales suos nauigatores; nam plurimi in nauiculam iam ascenderunt. Ducentibus me autem simul cum eis in nauiculam ascendi: totaque mihi nauigatio erat lusus, ebrietates, adulteria ridicula, *Acta sua in naui recesset.* turpia verba, vel alia similia, quæ tibi lingua explanare minime potest, vt etiam honestatis viros ad miseriam inuitarem: totaque vitā meā animarum erat perditio, & lacus earum erat mea crūdelissima caro. Vnde sæpe admirans stupefacta quomodo mare meas sustinuit iniquitates, aut quomodo terra os suum non aperuit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& viua me infernus non absorbuit; sed vt video misericors Deus mea iniqua opera sustinuit, pœnitentiam desiderans, *qui non vult mortem peccatoris.* Ezechiel. 18.

Qualiter beatam Virginem apud filium suum fidedictricem pro se dedit.

Cap. LXIX.

VT ergo peruenimus Hierosolymam, præteritis etiam deteriora faciebam, in perditionem multorum insaniens, omnem ciuitatem gyrabam, animas innocentium venando. Igitur concurrentibus mane ad ecclesiam volens comitari, peruenisimul cum eis ad regias atrij, & non permittebar ingredi. Vixque cum magno fletu & labore appropinquabam; sed quando limē Regiæ calcabam, alijs ingredientibus me solam quædam diuina virtus ingredi prohibebat. Rursus imprudenter me ingerebam, sed iterato repellebar, in tantum vt sola in atrijs astans inuenirer. Existimans ergo ne ex fœminea debilitate hoc mihi contingeret, iteraui cum alijs amplius repetendam ingressionem, cupiens introitum adipisci, sed tanquam militaris acies contra consistens ingredi non sinebat, & iterata vice vsque foras atrium repellebat. Dum hoc frequenter, mihi contingeret, iam defecta viribus ac desolata membris, ita vt nec standi mihi virtus sufficeret, postpositis omnibus in quodam angulo atrij seorsum recessi, tractans mecum vnde mihi hoc accidisset, quod minime templum ingredi potuissem, tandem aliquando intellexi vnde talis eueniret contrarietas, vt *adorandi mihi lignum vnificum sanctæ crucis copia negaretur.* Salutis enim verbum patefecerat cordis mei oculos reuelans mihi, ob sordes peccatorum meorum ingressum templi me non mereri. Tunc cæpi miserabilis flere, pectusque manibus tundere, & ex alto cordis infinita dare suspiria, lachrymasq; affluenter effundere. Respiciens autem de loco in quo stabam, vidi seorsum imaginem fixam, vultum habentem sanctæ Dei genitricis, ad quam de toto cordis affectu dixi: *Sancta Virgo, quæ Dei verbum incarnatum genuisti, scio quod immerita sum tantis polluta sordibus, & tantis miserijs repleta, respicere magnitudinem tuam, sed certa sum quod ideo Deus quem genuisti, homo dignatus est fieri, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam. Auxiliare ergo mihi sancta Dei Genitrix, quia nullum habeo solatium, & impetra me regias sanctæ introire ecclesiæ. Obsecro te Domina, vt cognoscere me facias videntibus cunctis sanctæ crucis venerabile lignum, in quo carne affixus est Deus, quem tu sancta & immaculata genuisti Virgo: qui suum propter totius mundi salutem effudit sanguinem. Iube mihi Domina clausas regias patefieri, meumque adimpleri desiderium, vt adorem sanctissimum lignum crucis, fide dic coram Deo quem genuisti, quod denuo carnem istam sordidis & pessimis non maculabo operibus; sed mox vt mihi lignum sanctæ crucis adorare concesseris, renunciabo sæculo & omnibus quæ sunt sæculi, & vadam vbi præceperis.* Non admittitur intra templum diuinitus repulsa. Proponit corrigere vitā. B. Maria suffragio libere templū ingreditur.

Hæc dum dicerem, satisfeci menti meæ, quia sancta Dei genitrix posset pro me hæc omnia obtinere; & relinquens locum in quo orabam, miscui me inter hos qui templum ingrediebantur, nullusque repertus est qui me foras repelleret, sed magis vt vnda maris ita me turba intus impellebat, donec appropinquarem sancto loco, quem prius nec pedibus calcare poteram. Nam absque vllo labore adoraui sanctum lignum crucis: & sensi ibi odorem suauitatis.

Qualiter ad eremum pergens ibi pœnitentiam egit.

Cap. LXX.

APpropinquans ergo loco, in quo promissionem fidedictionis sanctæ Dei genitricis feceram, flectens genua, his cæpi loqui sermonibus: *Tu mihi Domina misericors es, meaque preces non repulisti, nunc vbi tibi placuerit, dirige me, & demonstra mihi pœnitentiæ & salutis viam.* Intelligens scelera ab aspectu sanctæ crucis arceri compungitur. Implorat suffragia sanctissimæ virginis Mariæ. Voce missa calitus docetur quid facere debeat.

Dum hæc dicerem, facta est vox dicentis: *Si Iordanem transieris, illic bonam inuenies requiem.* Ergo dum talem audissem vocem, credens eam dictam fuisse propter me, initium viæ cum lachrymis faciebam, & ascendens nauiculam transfretaui Iordanem, peruenique in eremum, & ex illo tempore vsque nunc superelongaui fugiendo, habitans in deserto, expectans Deum meum, *qui saluos facit conuertentes ad se.* Quadraginta septem anni sunt, vt existimo, ex quo sanctam egressa sum ciuitatem, duos quidem panes mecum ferebam & dimidium, quando Iordanem transieram, qui per tempora quasi lapides duri facti fuerant; ex his modicum comedendo aliquantos transegi annos. Crede autem mihi, Abba Zosima, quod decem & septem annos cum immansuetis cogitationum bestijs in hoc deserto transegi, carnalibus reluctans cogitationibus dum recordabar affluentiæ præteritorum ciborum. Desiderabam enim carnes vel pisces, quos antea in Ægypto comedebam, delectabar & vini potu insatiabiliter, multo enim vino vtebar dum fuissem in sæculo, delectabar nefandis canticis dæmonum quæ ante didiceram, sed mox vt lacrymas fundebam, & manibus pectus vulnerabam, reducebam ad memoriam illam, quam fidedictricem mihi feceram, dum in hanc egrederer eremum, & quasi ante Dei genitricis astarem imaginem, ita eam lachrymabiliter orabam, vt amoueret pessimas ac sordidissimas mentis meę cogitationes: & dum plurimas funderem lachrimas, vndique mihi refulgens videbam lumen atque claritatis circundabar choruscis. Rursus infestabar fornicationū mearum cogitationibus; quæ quasi ignis vehemens ita deuastabant viscera cordis mei, sed ad consueta orationis recurrebam arma, terræ me proijciens, eamque lachrymis inundans, meam mihi orabam succurrere fidedictricem, ne postmodum vt præuaricatrix damnationis extremæ luerem pœnas. Non enim eleuabam faciem meam à terra, nisi totius diei noctisque consummatum fuisset spacium, & dulcissimi illius splendoris fuissem lumine circundata, qui totam illam tentationem cogitationum fugaret, sicque sanctę Dei genitricis fidedictricis meæ protecta solatio, transegi 17. annorum spacia, innumera euadens pericula: & ex illo tempore vsque ad hactenus auxiliatrix mea mihi præsto inuenitur vbique, & vndique vigilans custodit me: Illisque expensis vt dixeram panibus per 17. annos, comedebam herbas quæ in deserto inueniebantur. Vestimenta autem mea cum quibus Iordanem transgressa sum, dirupta atque putrefacta sunt; nam valde à pruinis hyemalibus & æstiuis ardoribus tribulata sum. Ab illo tempore vsque nunc diuina misericordia eripuit corpus & animam meā à cunctis periculis, fitque mihi recordanti quanta mala, quantaque pericula per diuinam euaserim gratiam, magna lætitia & spes crescit salutis. Cibus potusque aut vestimentum mihi est verbum Domini; *quoniam non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Annis 17. conflictatur memoria præteriti luxus. Resistit memoria originis suæ conuersionis. Promptum B. Maria subsidium. Æstu, algore. que cruciata Math. 3.

Qualiter narrationem finiuit, & sacramenti communionem petijt.

Cap. LXXI.

HÆc audiens Zosimas quod ex testimonijs diuinarum scripturarum locuta est, ait ad eam: psalmos, ô Domina mi, vel alios scripturæ libros legebas? ait ad eum? Crede mihi homo Dei quia non vidi alium hominem, ex quo transfretaui Iordanem, nisi tantum nunc tuam præsentiam, sed neque bestiam qualemcumq; aut aliud tantum animal: litteras vero nunquam didici, neque aliquem legentem aut psallentem audiui, sed verbum Dei superuiuens omnem hominem docet scientiā.

Ecce explanaui tibi opera mea, ô pater, rogo te ora pro me peccatrice.

Cumque mulier sermonem complesset, flectēs senex in terra genua, vocem cum lachrymis eleuauit dicens: *Benedictus Deus qui facit magna mirabilia.* Illa vero eleuans senem à terra, dicebat: Hæc omnia *quæ audisti à me homo Dei, per saluatorem te coniuro dominum nostrum Iesum* Nec hominem, nec animal vid. 5 annis 47 Viua & superflues vult celari.

Chri-

Christum, vt nulli ea loquaris, quousque de terra me Deus assumi iusserit. Rogo autem te per dominum, vt in sanctis ieiunijs futuro anno minime transeas per Iordanem iuxta consuetudinem monasterij. Audiens autem Zosimas quod & solennē monasterij regulam ei nūciasset, mirabatur nihil ei dicens: nisi tantum, *gloria tibi Deus.* Habita, ait illa, in monasterio, & non egrediaris iuxta regulam, quia nec permittetur tibi; & sancta vespertina hora cenæ dominicę, sume *sacrosanctum corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi* in vas mundissimum, ferēnsque mihi expectans me in illa parte Iordanis iuxta sæculū, vt ibi veniēs suscipiam viuificationis ac redemptionis mysteria: quia à die illa qua in oratoriū sancti Ioannis veniēs, (priusquam transissem Iordanem) communicaui vsque nunc, minime *sacri corporis vel sanguinis Domini nostri Iesu Christi percepi mysterium.* Abbatem autem Ioannem primum monasterij in quo habitas commone, dicens: Cautus esto frater mi, & solicitus erga congregationē tuam, eo quod aliqua ibi prouenient, quæ necessaria sunt emendari: & hæc dicens adiecit, ora pro me Domine pater, petijtque interiora deserti.

Petit sibi viuifica sacramenta honorifice adferri.

Notuit monasterij secreta.

Qualiter Zosimas recedens, ad eam cum sacra communione redijt.

Cap. LXXII.

Zosimas redit ad monasterium.

ABbas vero Zosimas flectens genua sua, osculabatur terram in qua sancta pedibus steterat, remeāsque de eremo eo die ad propriū deuenit monasterium, quo solitum fuerat monachis remeare, & totū quidem annum siluit, nullum alicui verbum dicens, de his quæ viderat. Elapso autem anni circulo superueniētibus diebus ieiunij, prima dominicorum die post solennem orationem, alij omnes iuxta regulam egredientes psallebāt: Zosimas autem leui febri cōtactus egredi monasterium minime potuit. Sicq; recordatus est verborū sāctæ mulieris, quæ dixerat ei, quod si egredi monasterium volueris, minime tibi licebit. Transactisque paucis diebus cōfortatus ex ægritudine, propinquante die cenæ dominicæ festimans præceptis Dei parere & mulieris, detulit secum in parno ealice *sacramēta corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi*, sumens etiam paucos dactylos, caricas, lēticulam aqua infusam, vespere peruenit ad ripam Iordanis, expectans præsentiam sanctæ mulieris. Quæ dum moram faceret; ille dicebat intra se, forsitā peccata mea prohibuerunt eam venire ad me, aut certe in hunc locum me præcessit, sed non inueniēs me remeauit. Cumque dominum cum lachrymis orasset vt desideriū suum ei ostenderet, ecce sancta mulier venit & in ripa fluminis stetit. Quam videns Zosimas exultauit glorificans dominum; & cogitās eo quod non esset nauicula, qualiter mulier posset trāsire, vidit eam, *facto signaculo sanctæ crucis* super aquas Iordanis, pedibus ambulare, sibique festināter occurrere. Quæ transiens cum peruenisset ad senem, ait ad eum: *Benedic me Pater*, factaque oratione pacē seni dedit, & sacrosancta mysteria suscepit, extendensq; manus ad cœlos ait: *Nunc dimittis famulam tuam domine secūdum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Dixitque ad senem: Perge cum pace ad monasterium tuum, venturo autem anno venies & inuenies me in loco vbi prius tecum locuta sum. At ille, deprecor te, inquit, vt comedas mecum de his quæ attuli. Illa vero tria grana lenticulæ infusa sumēs cum gratiarum actione percepit, dicens; sufficiat nobis gratia spiritus sancti, vt conseruare possimus præcepta Dei; ora pro me Abba, & memor esto mei. Ille vero tactis pedibus dicebat, ora Domina pro sanctis Dei ecclesijs, & pro me peccatore, & inuicem sibi valedicentibus *signum sanctæ crucis faciens mulier*, Iordanem vt prius fecerat pedibus transijt. Senex vero regrediens reprehendebat seipsum, quod nomen sanctæ mulieris minime requisisset.

Zosimas redit ad monasterium.

Ægrotus remanet in monasterio

Assumpta Eucharistia ad Mariam properat.

Iterum videt Mariam ad Iordanem venientem.

Edito signo sanctæ crucis ambulat Maria super aquas.

Sub obitum sumit sacrosanctam Eucharistiam.

Crucis edito signo ambulat super aquas.

Quod tertio rediens eam sepeliuit.

Cap. LXXIII.

TRansacto autem anno ad eremum iuxta consuetudinem Zosimas properare studuit, vidensque nullum ad se venientem, cæpit lachrymis faciem inundare dicens: *Reuela mihi domine Iesu Christe thesaurum tuum angelum corporeum.* Tunc peruenit ad locum qui quasi torrens fuerat, & vidit in parte illius quasi solem orientem, vbi corpus sanctæ mulieris exanime iacebat, pedibus manibusque ita dispositis, sicut oportet disponi mortuus, respiciens in partibus orientis. Tunc cursu cōcito ruit, & eius pedes lachrymis cæpit rigare, nullamq; aliam partem corporis vel tangere præsumebat, cæpitq; ibi opportuna spallere cantica, & orationē offerre solennem, secumque cogitabat dicēs: Ego quidē sepelire volebam corpusculum sanctum, sed timeo ne sanctæ mulieri displiceat hoc. Hæc eo cogitante, vidit literas iuxta caput eius in terra descriptas continētes ita: *Sepeli Abba Zosima in hoc loco miserę corpusculum Mariæ, & redde terræ puluerem suum, & ora pro me ad Dominum, cuius precepto, mēse Aprili die secunda de hoc sæculo sum assumpta.*

Tertio pergit ad Mariam Zosimas.

Zosimas inuenit eius corpus exanime.

Repletus autē senex gaudio magno, eo quod per scripturā cognoscere potuit eius nomē, certus factus quod postquam Iordanem sancta Dei præceperat mysteria, mox in eodem cucurrit loco, in quo vitam finiret, ad illudque desertum quod Zosimas per 22. dierū spacium vix perambulabat, illa sancta mulier in vna peruenit hora, & ad Dominū migrauit. Tunc Zosimas intra semetipsum dicebat, tempus est adimplere preceptum, sed quid faciam miserabilis? Ignoro qualiter terram possim fodere, erat autem durissima & nullo modo fodiebatur, laborabat senex profusus sudoribus, & suspirans ex intimo cordis affectu, respicienſque vidit leonem magnum stantē ad pedes eius, & osculantem vestigia eius. Quem cū vidisset Zosimas, tremefactus est; recordatus est autē sermonis Mariæ quæ dixerat ei, quod nunquam feram vidisset in eremo, *& consignās se venerabilis crucis signaculo*, credidit quòd non ei noceret leo, propter virtutē sancti illius corporis: Leo autē cæpit innuere seni, ostendens se illi mansuetum. Zosimas ait ad eum: sancta hæc mulier præcepit vt sepelirē corpus suum; & ego senex minime possum terrā fodere, quia nec habeo tale acutum ferramentum, sed tu assume talem operam, & fode terram, vt possit sanctū sepeliri corpus. Mox cæpit leo terram fodere pedibus, ad suscipiendum corporis depositionem. Tunc deponens eā Zosimas terra cooperuit astante secum leone, nudā vt antea fuerat, nisi quod panno rupto quem ei iactauerat, corporis necessariā partē cooperuerat. Discedentib. vero vtrisque leo vt agnus mansuetus desertum petiit, Zosimas autē regressus est *benedicens & hymnum dicens Deo*, omniaque monachis enarrauit quæ viderat & audierat, & illi glorificauerunt eum; qui etiam anniuersariam sanctæ mulieris depositionem celebrauerunt cum honore. Abbas autem Ioannes reperit aliquos in suo monasterio reprehensibiles vt verba sanctæ mulieris adimplerētur: & habitauit Abbas Zosimas in eodē monasterio venerabilem ducens vitam centum annis.

Signo crucis vndique se munit Zosimas.

Leo suis vnguibus parat sepulchrum.

Zosimas octenarius.

De Sancta Marina & eius falsa accusatione.

Cap. LXXIIII.

QVidam sæcularis hominis vnicam filiā paruulam, commendauit eam cuidam parēti suo; & ingressus monasterium, fidelem se & obedientem exhibuit, ita vt Abbas eum plusquā cæteros fratres diligeret. Qui cum aliquando recordaretur filiæ suæ; contristari cæpit & affligi intra se multis diebus. Quod videns Abbas dixit ei: Quid habes frater, quod sic tristis ambulas? qui procidens ad pedes eius cum lachrymis ait, habeo vnū filium in ciuitate, quem reliqui paruulū, & recordatus affligor propter eū: & noluit ei indicare quod puella esse. Vade

Pater sollicitus de salute filiæ Marinæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inquit Abbas, ſi diligis illum, adduc eum huc, & ſit tecum. Quod cum feciſſet, illam quæ Marina dicebatur, vocauit Marinum & dedit eam ad diſcendas literas intra monaſterium. Quæ cũ eſſet annorum 14. cepit eam docere pater ſuus viam domini, monens vt myſterium ſuum nullus cognoſceret, & ab inſidijs diaboli ſollicite caueret. Dum autem facta eſſet annorum 17. defunctus eſt pater eius, & illa relicta ſola in cella Patris, erat obediens omnibus, ita vt ab Abbate ſuo & à cunctis diligeretur. Habebat autem monaſterium par boum & carrum, quia vicinum erat mare, vbi erat emporium ad tria milliaria; ibantque monachi & afferebant monaſterio neceſſaria. Erat autem in ipſo emporio * Pandochium. Cæpitque frater Marinus ex præcepto Abbatis frequẽter pergere cum carro, & ſi tardabat reuerti, manebat in ipſo Pandochio cum cęteris monachis. Contigit autem vt Pandox ille filiam virginem haberet, ad quam ingreſſus m.les, cum ea concubuit & cõcepit. Quam cum parentes affligerent vt diceret de quo concepiſſet, reſpondit, frater Marinus qui hic frequenter cum carro manſit, ipſe me oppreſſit & concepi. Quod cum retuliſſent Abbati, requiſitus Marinus, vtrum hoc ſcelus perpetraſſet, ingemiſcens ait, peccaui pater, pœnitentiam agam, ora pro me.

Vt in monaſterijs virorum recipiatur, habitum eius mutat & Marinũ vocat.

** Taberna.*

Marinus fornicationis accuſatur Peccatum quod no admiſit, agnoſcit quaſi a ſe admiſſum.

De pœnis, quas propter conſcientiam rei ſuſtinuit.

Cap. LXXV.

TVnc iratus Abbas eum contundi & affligi iuſſit, ipſumque de monaſterio eiecit. Qui nulli myſterium ſuum confeſſus, iactauit ſe ante fores monaſterij, iacenſque ſuper terram, & in pœnitentiam ſe affligens, ingredientibus fratribus poſtulabat ſibi buccellam panis dari. Pandochis vero filia peperit filium, & ablactauit, quem mater puellæ ſecum ad Marinum ante monaſterium adduxit, ibi reliquit eum & abijt. Quem virgo ſuſcipiẽs, de ipſa buccella quã ab introeuntibus accipiebat, alienum filium tãquam proprium nutriebat. Poſtea fratres miſericordia compuncti, rogantes vix coegerunt Abbatem, vt fratrem Marinum ad veniam ſuſciperet, qui iam quinque annis pœnitẽs ante ianuam monaſterij iacuiſſet. Ingreſſus itaque vocauit Abbas ad ſe, & iuſſit ei, vt omnes immunditias in monaſterio faceret, aquam ad neceſſaria portanda portaret, & omnibus ſeruiret. Quod virgo ſancta libenter ſuſcipiens, & adimplẽs poſt paucos dies dormiuit in Domino, quod cum nũciaſſent fratres Abbati, dixit eis: Videte quale peccatum eius fuerit, vt nec pœnitentiam meruerit, ipſum tamen lauate: & longe à monaſterio ſpelite. Cumque lauarent eã cognito quia MVLIER ESSET, tundentes ſe clamabant, quia talis conuerſationis & pœnitẽtia inuenta, ſic ab eis afflicta fuiſſet. Vocatus quoque Abbas, cum videret eſſe MVLIEREM, mox cecidit in terram, & percutiebat caput ſuum, poſtulans ab ea veniam, iuſſitq; corpus eius intra monaſterium in oratorio reponi.

Eijcitur ex monaſterio & ad portã ponitur.

Admittitur rurſus in monaſterio.

Viliſſima obit miniſteria.

Moritur Marina & ſexus cognoſcitur.

Eadem die puella illa à dæmonio arrepta, venit ad monaſterium, confitebaturque crimen quod admiſerat, & de quo conceperat. Septima autem die repauſationis eius *in Domino liberata eſt* ibidem intra oratorium à dæmonio, vbi etiam vſque modo Deus orationibus ſanctæ virginis multa facit miracula.

Fornicaria à dæmonio arrepta apud corpus Marinæ liberatur.

De Sancta Euphroſyna, quæ ſexum ſuum ſimiliter inter monachos celauit.

Cap. LXXVI.

FVit etiam in Alexandria virgo nomine Euphroſyna, quam cum pater eius Paphnucius vellet nuptiis tradere, illa monachum quendam adiens petiit ſe doceri ea quæ Dei ſunt, qui dixit ei: Si potes tentamenta carnis ferre relinque omnia & fuge. Qua poſtulante vt deſiderium ſuum adimpleret, facta oratione, abſcidit comam eius, induens eam tunicam ſchematis, & impoſuit ei nomen Smaragdus, oranſque pro ea diſceſſit. Illa vero cogitans in ſemetipſa ait: Si intrauero monaſterium puellarum, pater meus requirens inueniet me, & violẽter me trahet inde propter ſponſum meum. Proiecta ergo à ſe veſte muliebri, induit virilem, pergenſque ad monaſteriũ, vbi pater erat notiſſimus, ſimulans eunuchum quendam ſe eſſe de palatio venientem, vt reciperetur petiit & impetrauit, dicens ſe vocari Smaragdum, quam tradidit Abbas vni fratrum Agapito viro ſancto, dicens: Hic erit filius tuus & diſcipulus, talem eum ſigna vt ſuperet magiſtrum. Cum autem Smaragdus veniret ad eccleſiam, multos concitabat diabolus, ad decorem vultus eius per malas cogitationes, ita vt omnes moleſti eſſent Abbati: qui talem pulchritudinẽ introduxiſſet in monaſterium. Proinde vocauit eum Abbas & dixit ei: Fili pulchra eſt facies tua: & fratribus infirmis fit in ruinam. Volo te ſedere in cella tua ſolum, ibique pſallere, & ibi mãducare, nuſquam egreſſurum. Ingreſſus ergo frater Smaragdus cellam ſolitariam orabat ibi, vacans ieiuniis, vigiliis, & orationibus, ita vt miraretur qui eum ſuſcepit frater Agapitus, & fratribus referret conſtantiam eius.

Simulat ſe eunuchum.

Inſtruitur à ſene monacho Agapito.

Decore vultus eius diabolus abuti nititur.

Qualiter eius pater ab ipſa neſciens conſolationem ſuſcepit.

Cap. LXXVII.

PAphnucius cogitans quid actum eſſet de filia ſua, quia à domo ſua diſceſſerat, afflictus eſt vehementer, quia vnica illi erat & eam de vxore ſua ſterili per ſuffragia monachorum à Deo impetrauerat, petens vt ei hæredem daret poſt obitum ſuum, qui congrue ſubſtantiam eius gubernaret. Audiens autẽ hoc ſponſus eius, & pater ipſius venerunt ad Paphnucium, & contriſtati valde dixerunt: forſitam aliquis eam ſeduxit, & fugit cum eo, ſtatimque ſui cum equis per totam Alexandriam & Ægyptum miſſi, requirebant eam, ſcrutantes quoque monaſteria puellarum, eremum & ſpeluncas, & nuſquam inuenientes eam, lugebant quaſi mortuam ſponſus ſponſam, pater filiam. Paphnucius autem dolorem ſuum non ferens, venit ad Abbatem ſupradictum, & cadẽs ad pedes eius dixit: Peto ne ceſſes orare Dominum vt inueniatur fructus orationum tuarum, neſcio enim quid actum ſit Euphroſynæ filiæ meæ. Audiens Abbas contriſtatus eſt valde, iuſſitque omnes fratres adeſſe; vt charitatem orando pro ea oſtenderent, quibus ieiunantibus & orantibus nihil reuelatum eſt de illa, nam & ipſa iugiter orabat dominum, ne manifeſtam eam faceret in vita ſua. Abbas autem conſolabatur virum, dicens: Credo quia bonam partem ſibi elegit, ideo nihil nobis de illa Deus reuelauit; ſi enim quod abſit in malis operibus incidiſſet, nunquam Dominus tantum laborem fratrum deſpexiſſet.

Pater anxius Euphroſynã curat inquiri.

Patris lamẽtatio.

Orant omnes monachi vt reueletur Euphroſyna.

Altera die quadam cum veniret ad monaſterium, videns eum Abbas nimio dolore afflictum, dixit ei: Vis loqui cum quodam fratre ſpirituali, qui venit de palatio Theodoſij? Qui reſpondit; volo. Dixit Abbas Agapito vt introduceret eum ad cellam Smaragdi. Cumque Euphroſyna ſubito vidiſſet patrem ſuum & cognouiſſet, tota lachrymis repleta eſt. Quod ille compunctionem putans eſſe, non cognouit eam; quia ſpecies vultus eius præ abſtinentia & lachrymis emarcuerat, cuculla quoque cooperuit faciem ſuam ne aliquo modo agnoſceret eam. Et facta oratione cũ ſediſſent, cæpit ei loqui de futura beatitudine, quomodo per eleemoſynam, & charitatem, & patientiam poſſit quis ad eam pertingere; de contemptu ſæculi, non diligendos eſſe filios pluſquam Deum, nec patrẽ plus eo qui factor eſt omnium. Videns autem eum in graui mœrore, compatiebatur ei, & volẽs eum conſolari, dixit ei: Si filia tua in perditionem iſſet animæ. Deus eam tibi manifeſtaret; potens eſt autem in hoc ſęculo manifeſtare eam tibi. Tu tantum gratias age, nihil deſperans; nam & ego à magiſtro meo Agapito dolorem tuum audiens, tibique compatiẽs, ſæpius oraui Deum, vt tibi ſufferentiam tribuat, & tam de te quàm

Pater ad filiam neſcius admittitur.

Patrem filia religioſis ſermonibus inſtruit.

Mœrentem patrem filia ſolatur.

de filia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

de filia tua quomodo expedit adimpleat. Confirmatus igitur Paphnucius discessit, veniensque ad Abbatem ait: Ædificata est anima mea ab isto fratre, & ita lætus effectus sum in gratia Dei, tanquam si filiam meam inuenissem. Commendansque se orationibus fratrum, reuersus est in domum suam.

Paphnutius iam tutior domum reuertitur.

Qualiter tandem mortuam eam agnouit.

Cap. LXXVIII.

Triginta octo annis in cella solitaria vixit Euphrosyna.

COmplens autē Smaragdus intra cellam 38. annos, cum tandem in infirmitatem decidisset, introiens ad eum Paphnucius, cæpit eum deosculari clamans & dicens: Heu me vbi sunt verba tua dulcia, quibus mihi filiam meam videndam promittebas; ecce non solum illam non videbo, sed & te, per quem consolationē habebam, amitto. Cui Smaragdus ait: Iam pone finem tristitiæ; recordare quia Iacob manifestauit Deus Ioseph, quem quasi mortuum lugebat. Cumque iam diem suæ dormitionis instare cognosceret, dixit ei: Quia desiderium meū Deus adimpleuit, & vsque in finē viriliter certando perduxit, nolo te iam esse sollicitum pro filia tua Euphrosyna, ego enim sum illa misera, & tu es pater meus, corpus meum nudari & lauari ab alio nō permittas, sed & per teipsū hoc facias. Et qu a in ingressu meo promisi Abbati me multas possessiones habere, & si perdurare possem in hunc locum eas adducere, tu imple quod promisi, & ora pro me, hæc dicens tradidit spiritū. Quod cum Paphnucius audisset & vidisset, commota sunt viscera eius, & cadens in terrā factus est quasi mortuus. Accurrens autem Agapitus vidēs Smaragdum defunctum & Paphnucium iacentem ęmiuiuum, proiecit aquam in faciem eius, & leuauit eum, qui dixit ei: Dimitte me, vt hic moriar, surgensque lamētari cæpit cum fletu, dicens: Heu me filia mea dulcissima, quare non antea te manifestasti mihi, vt ego quoque tecum sponte commorarer? Audiens Agapitus & causam agnoscens, currens nunciauit Abbati. Qui veniens concidit super eam, eiulans & dicens: *Euphrosyna sponsa Christi, ne obliuiscaris seruorum tuorum, sed ora pro nobis ad dominum Iesum Christum*, & iussit vt congregatis fratribus cum honore debito sepeliretur corpus.

Reuelat se patri Euphrosyna.

Tradit spiritum.

Patris consternatio in agnitione filiæ.

Abbas Euphrosyna iā cœlo gaudentis orationes petit.

Quidam autem frater, qui vnum oculum amiserat osculatus est vultum eius cum lachrymis, statimque vt eam tetigit, oculus eius restitutus est. Pater vero eius in eodem monasterio conuersus factus est, plurimam substantiæ suæ partem ibidem offerens; vixitque in sancto proposito annos 10.

Documenta quorundam Patrum de modo viuendi.

Cap. LXXIX.

AVthor. Post gesta quorundam sanctorum, quorum tempora ignoramus, libet etiam dicta quorūdam patrum moralia de modo viuendi inserere quæ diuersis locis sparsa collegimus.

Tres ordines Deo grati.

Ex dictis patrum. Dixit Abbas Ioseph quod tres ordines sunt honorabiles in conspectu Dei: Primus, quando homo infirmatur, & tentationes ei adiiciuntur, & cū gratiarum actione suscipit eas. Secundus, quādo aliquis omnia opera sua facit munda coram Domino nihil habens humanum. Tertius, quando aliquis sedet in subiectione & præceptis spiritualis patris obedit, & omnibus propriis renunciat voluntatibus.

Compendiosum ad salutem verbum.

Abbas Ioannes cum moreretur, petentibus fratribus ab eo aliquod verbum compendiosum loco hęreditatis: ingemiscens ait: Nunquā feci propriam volūtatem, nec aliquem docui quicquam quod primus non fecerim.

Gen. 18.

Secundum Deum operandum

Senex quidā fratri interroganti quid faceret? ait: Non sunt omnia opera nostra æqualia: nam Abraham hospitalis fuit, & Deus erat cum eo, & Helias quietem diligebat, & Deus erat cum eo, & Dauid humilis erat, & Deus erat cum eo: quod ergo videns animā tuam secundum Deum velle, hoc fac, & custodi cor tuum.

Vnde requies.

Dixit Abbas Sisois esto contemptibilis, & voluntatem tuam & curas sæculares post tergum proijce, & tunc habebis requiem.

Dixit senex, ne habeas amicitiam cum muliere, neque cum puero, neque cum hæreticis.

Interrogatus est senex à fratre, quomodo inuenio Deum, vtrum in ieiunio, vel in laboribus, vel in vigilijs aut misericordia? & respondit: In his omnibus cum discretione: dico enim tibi quod multi afflixerunt carnem suam, & quia sine discretione, abierūt vacui, os nostrum de ieiunio fætet, & scripturas omnes didicimus, & quod Deus inquirit non habemus humilitatem, scilicet, & charitatem.

Frater requisiuit Abbatem Agathonem, volo in congregatione manere cum fratribus, quomodo habitem cum ipsis? Respondit: Qualis primo die ingredieris, talis etiam reliquos dies peragas cum humilitate.

Frater dixit cuidam seni: Abba volebam inuenire senem aliquem iuxta voluntatem meam, & morari cum ipso. Et dixit ei senex: Non vt tu sequaris voluntatem senis illius: sed vt ille tuam sequatur.

Examinanda est conscientia.

Dixit senex, debet monachus quotidie mane & sero intra semetipsum sollicite inquirere, quid per totam diem fecerit eorum quæ vult Deus: & quid non.

Theodorus in his tribus excellebat, in nihil possidendo; in abstinendo; in homines fugiendo.

Lucius ait ad monachos Euchitas, & laboro & oro simul, dicens in laborando, *miserere mei Deus*, & dormio & oro simul, dans alicui pauperi de labore meo, qui orat pro me quando dormio.

Agatho ait, homo similis est arbori corporali, cuius labor folia, interior custodia fructus.

Arsenius orans visus est à fratre quasi totus igneus. Ad eum facta est aliquando vox dicens: Veni & ostendā tibi opera hominum; & egressus, vidit Æthyopem incidentem ligna, & addentem sarcinæ, quā ferre non poterat. Et ait vox: Hi sunt qui peccata peccatis addunt. Et vidit iterum templum, & duos homines stantes in equis portantes lignum transuersum, propter quod non poterant intrare. Hi sunt, inquit vox, qui portant iustitiam cum superbia. Et vidit iterum hominem stantem super lacum & implentem ex aqua vas & effundentem in cisternam pertusam. Hi sunt, inquit, qui habent bona aliqua, sed malis permixta.

Quidam ductus est ad Arsenium, & senex more solito post orationem tacuit. Postea idē ductus est ad Moysen ex latrone cōuersum, qui benigne eū susċepit. Interrogatus frater quis ei melior videretur, ait: mihi interim hic melior videtur, qui nos tā bene susċepit & pauit. Et orauit quidem frater ad Dominum dicēs: Domine, vnus istorum propter nomen tuum omnes hommes fugit aut videre aut compellere: alter propter nomen tuum omnibus communis est. Et ecce illi ostensæ sunt duæ naues per fluuium, in quarum vna nauigabat Arsenius cum silentio & requie: In altera Moyses, in cuius ore Angeli fauum mellis eis videntibus inferebant.

Dixit Abbas Pastor: Noe personam tenet nihil possidentium, Iob tribulatorum, Daniel discernentium, hæ sunt tres actiones monachi.

Quis liber à mundo.

Idem, odium duarum rerū facit monachum, odium s. carnalis repausationis, & vanæ gloriæ.

De contemptu vel amore pecuniæ

Cap. LXXX.

QVidam frater habens euangelium vendidit illud, dicens: Ipsum verbum vendidi quod iubet, *vende omnia quę habes & da pauperibus*. Abbas Ioannes mutuauit solidum à quodā fratre vt inde emeret linum quo operaretur. Petentibus autem fratribus linum ad vestes suas faciendas, libenter dabat. Petente autem fratre solidum, cū non haberet, abijt ad Abbatem Iacobum dispensatorem, & inuenit in via solidum iacētem, & facta oratione

Liberter mutuum præstans in via solidum inuenit.

non

non contigit illum, sed rediit in domum suam, similiter secundo & tertio iuit, & inuenit sed non contigit. Contristato autem fratre pro solido suo, abijt senex & solidū in eodē loco vbi ante, inuenit, & facta oratione attulit, quæsiuitque vtrum aliquis amisisset, & non inuento cuius esset, reddidit ei.

Frater quidam sæculo renuncians, pauca tamen sibi retinens venit ad Basilium; cui ille, & senator esse destitisti, & monachum non fecisti.

Quidam rogauit senem vt pecuniam acciperet in necessitatibus: qui cum noluisset, dixit alter: Accipe in vsus pauperum. Cui senex, duplex est tūc mihi opprobrium, quia cum non indigeam accipio, & aliena tribuens vanam gloriam colligo.

Qui non indiget nihil accipiat.

Obtulit quidam seni pecuniam quia senex & leprosus & infirmus erat. Cui senex post 70. annos venis mihi auferre nutritorem meum.

Quidam Græci pulsauerunt ad ostium mulieris viduæ, videntesque filiam eius nudam, obtulerunt ei vestimentum & nummos; quæ noluit accipere nummos dicens, quia mater eius in die inuenerat quid operaretur, vnde manducarent.

Quidam hortulanus totum laborem suum effudit in eleemosynam, & vix victum sibi retinuit; postea Sathana instigāte collegit lagenam nummorum, quibus in senectute vteretur. Contigit autem vt putrefieret pes eius, consumptisq; omnibus nummis in medicos sine profectu ad vltimum consilio boni medici voluit pedem inscidi, & in eadem nocte rediens in seipsum, ingemuit de peccatis suis, & stetit Angelus dicens; vbi sunt nummi, quos collegisti, & vbi est spes eorum? Tunc intelligens, ait: Peccaui Domine ignosce mihi, & amodo non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem eius, & sanatus est; & rediens medicus, inuenit eum in agro operantem, & benedixit Deum.

Non in nūmis sed in Deo spes ponenda.

Abbas Theodorus Machario dixit: Habeo tres codices, proficio ex lectione eorum, sed & fratres petunt eos ad legendum, & ipsi proficiunt. Respondit senex; boni quidem sunt, sed maius omnibus est nihil possidere. Quod cum audisset, vadit & vendidit codices, & dedit indigentibus pretium.

Optimum nihil possidere.

Gelasius habebat codicem solidorum 18. continebat enim vetus & nouum testamentum, & erat penitus in ecclesia, vt qui vellet dè fratribus legeret. Quem furatus quidam exposuit ad vendendum; emptor autem dixit ei, vt dimitteret eum ostendere alij si tamen valeret, & ostendit illam Gelasio, qui ait, eme illum: quia bonus est & tamen valet, quod ille retulit venditori. Compunctus ille retulit illum ad Gelasium, qui nolebat eum recipere, & coegit eum vt reciperet.

Arsenius monacho suo dedit aurum & nummos, & quicquid volebat, tātummodo ne furaretur. Ille autem non continens se, iussus est à senibus expelli dicentibus: Frater infirmitatem carnis patiens sustinendus est, qui autem furatur & admonitus non quiescit expellendus est.

De contemptu carnalis affectus.

Cap. LXXXI.

QVidam monachus ad eum qui nunciauerat ei, patrem suum esse mortuum, ait: Noli blasphemare, quia Pater meus immortalis est.

Frater quidam voluit videre sororem suam in monasterio ægrotantem, quæ nolens ei præbere occasionem, ait cuidam: Vade & dic fratri meo quod eat in domum suam, & oret pro me, quia cum Christi gratia videbo eum in regno cœlorum.

Etiam Abbas Ioannes habebat sororem quæ ex infantia in sancto proposito conuersabatur, ipsa eum erudiuit & docuit, vt relinqueret sæculi vanitates: ingressus in monasterium, per 24. annos non est egressus. Illa vero nimis desiderabat eum videre, frequenterq; mittebat ad eum epistolas, vt ante exitū de corpore veniret ad eam, vt in charitate Christi de præsentia sibi inuicē lętarētur, ille autem excusabat se. Iterum scripsit ad eum dicens, quia si nolueris venire ad me, necesse est vt ego veniam ad te. Accepit ergo secum duos fratres de monasterio, & cum venisset ad ianuam sororis suæ, clamauit dicens: *Benedicite & videte peregrinos.* Egressa illa non cognouit fratrem suum, ipse autem cognouit illam: sed non est locutus verbū, ne forte in voce cognosceret eum. Cum autē comedissent & bibissent aquā, reuersi sunt ad monasterium suum. Post aliquantos dies scripsit ad eum soror vt veniret. Tunc ille rescripsit, ego veni ad te, & dedisti nobis aquam: & accepi de manib, tuis & bibi: sufficiat ergo tibi, quia vidisti me, sed ora pro me.

Frater interrogauit senem dicens, soror mea pauper est, si do ei eleemosynam, non est sicut vnus de pauperibus. Et dixit senex: non est, quia sanguis modicum trahit te.

De Amore solitudinis.

Cap. LXXXII.

DIxit Abbatissa Matrona, multi in monte positi ea quæ sunt popularia agentes perierunt. Melius est enim cū multis esse; & vitam solitariā agere voluntate, quam solus esse, & proposito mentis cum multitudine.

Solitudo mētis præfertur solitudini corporis.

Narrauit quidam quod tres studiosi sese diligentes, monachi facti sunt: quorum vnus elegit, litigantes in pacem reducere: secundus infirmos visitare: tertius solitudine quiescere. Primus ergo laborans propter lites hominum, non poterat omnes placare, & tædio victus venit ad secundum; & inuenit ipsum animo deficientem, & non valentem mandatum perficere. Et concordantes hi duo, venerunt ad tertium, narrantesque tribulationes suas, rogauerūt eum vt diceret quid ipse profecerit. Qui paululum reticens, misit aquam in sciphum, & ait: Attendite in aquam, & turbulenta erat. Et post modicum iterum dixit, attendite, quomodo limpida modo facta est aqua. Et cum intenderent in aquam vident tanquam in speculo vultus suos. Et tūc dixit eis, sic est qui in medio hominum consistit, à turba enim non videt peccata sua, cum autem quieuerit & maxime in solitudine, tunc delicta sua conspicit.

Quies & solitudo sui cognitionem generat.

Solitudo hominem munit.

Nilus ait: imperforabilis est inimici sagittis qui amat quietem: qui autem miscetur multitudini, crebra suscipiet vulnera.

Arsenius homines fugit

Beatus autem Arsenius ad Theophilum archiepiscopum rogantem sermonem ab eo: & si, inquit, dixero, illum custodieris? Quo respondente, etiam, ait: Vbicumque audieritis Arsenium, approximare nolite.

Idem Arsenius sonum camelorum appellabat terræmotum.

Pastor rogabat Dominum, vt non daret ei gratiam impetrandi pro reis ante iudices, dicens. Domine noli mihi dare hanc gratiam, alioquin non permittent homines sedere me in loco isto.

De Luctu & compunctione.

Cap. LXXXIII.

FRatribus manducantibus in charitate risit vnus ad mensam; quem videns Abbas Ioannes fleuit amare, dicens: Quid putas frater iste habet in corde, quia risit cum magis flere deberet, quia charitatem manducat.

Risus importunus.

Dixit sancta Syncletica, quia labor est & certamen magnum in primordio conuersorum, sed postea inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignem accendere vult, prius fumatur; & postea ex fumi molestia lachrymatur: sicque obtinet quod volebat, *Deus enim ignis consumens est*, sic nos oportet ignem istum in nobis cum lachrymis & laboribus accendere.

Post lachrymas gaudia.

Cuidam ridenti dixit senex; coram cœli & terræ creatore rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides? quemadmodum vmbram corporum nostrorum

Vt vmbra corpus, sic compunctio te comitetur.

vbique

vbique circunferimus nobiſcum, ſic debemus fletum & compunctionem nobiſcum habere vbicunque ſumus.

Duo fratres impugnati à ſpiritu fornicationis, abierunt & acceperũt vxores; poſtea abijt vnus ad alterum, dicens: Quid lucrati ſumus in hac immunditia ex qua pœna ſequetur æterna, & vitam angelorum deſeruimus? Recedamus ad eremum. Reuerſiſque ad ſenem, incluſi ſunt per annum integrum recipientes panem ad pẽſum æqualiter. Et anno reuoluto egredientes, viſi ſunt habere vnus faciem pallidam, alter vero pulchram. Et cauſa palliditatis requiſita, dixit, quia memorabar pœnarum inferni mihi debitarum, niſi pœnitentiam egiſſem. Similiter & ab altero quæſierunt: cur cum eodem pane & põdere tam bene coloratus es, quo frater tuus palleſcit: qui ait, recolo beneficium Dei, & exulto quia me extraxit de inferno, & ex hoc ſemper gaudium habeo. Tunc intellexerunt quod æqualis fuerat eorum pœnitentia.

Arſenius operans, pannum tenebat ad extergendas lachrymas.

Idem ait, ſufficit monacho dormire vnam horam, ſi tamen pugnator eſt.

Idem niſi ſemel in anno non mutabat aquam palmarum, ſed tantum adijciebat, dicens: pro odore vnguentorum, quo in ſæculo vſus ſum, opus eſt vti me nunc fętore iſto.

Mortẽ Arſenij audiens Abbas Paſtor, lachrymatus eſt dicẽs: Beatus es Arſeni, quia fleuiſti temetipſum in hoc ſæculo, qui enim ſe hic non fleuerit, ſempiternè illic plorabit. Siue enim voluntarie hic, ſiue illic cogentibus tormentis, impoſſibile eſt non flere.

Idem ait: Monumentum quod Abraham emit in terra promiſſionis eſt luctus.

Paſtor ait: Volo magis hominem poſt peccatum pœnitentem, quam hominem neque peccatum neque pœnitentiam intelligentem.

De Silentio & locutione.

Cap. LXXXIIII.

Dixit Abbas Felix fratribus ſermonem interrogantibus, modo non eſt ſermo, abſtulerat Deus à ſenibus gratiam, vt non inueniant quid loquantur, quia non eſt, qui operetur.

Aliquando quã plurimi ſedentes fratres conferebant ſanctis ſcripturis; ſtabant autem Angeli circa eos lętantes, delectabãtur enim eloquio Domini. Cum autẽ aliud quid inter ſe loquerentur, ſtatim Angeli ſancti recedebãt longius, indignantes contra eos; veniebãt vero porci ſordidiſſimi & morbo pleni, & volutabant ſe inter eos; dæmones autẽ delectabãtur in vana & ſuperflua loquela. Beatus autem ſenior hoc videns, abijt in cellam ſuam, & per totam noctem gemẽdo deflebat miſerias noſtras, & commonebat fratres per monaſteria dicens: Cohibete fratres à multiloquio, & etiam ab ocioſis.

Quidam frater interrogauit ſenem; vſquequo etiam ſeruandum eſt ſilentium? Reſpondit; vſquequo interrogeris.

Frater requiſiuit Abbatem Pambo, ſi bonum eſſet laudare proximum. Reſpondit ſenex, melius eſt tacere.

Interrogauit Ammonas Abbatẽ ſuum, dicens: Quando lego ſcripturas, vult cogitatio mea ornare ſermonem vt paratus ſim ad interrogata reſpondere. Dixit ei ſenex, non eſt opus, ſed magis de puritate mentis prouide tibi.

Ab Abbate Theodoro quidam tribus diebus interrogabat ſermonem: quo nihil dicente exijt triſtis. Interrogatus Theodorus quare nihil ei dixiſſet: reſpõdit quia negociator eſt, & alienis verbis gloriatur.

Agatho volenti ſua cõparare dicebat, pretium ſemel datum ſuſcipies & tacens & nunquam dinumerans.

Idem per triennium lapidem in ore mittebat, quo tacere diſceret.

Siſois dixit: peregrinatio noſtra eſt, vt teneat homo os ſuum.

Paſtor ad Anub fratrem ſuum non reſpondit, homo dicens aſtantibus, ego iam mortuus ſum, mortuus autem non loquitur.

Idem ad quendam fratrem loquentem de ſcripturis non dedit reſponſum, dicens aſtantibus: Iſte de ſurſum eſt & de cæleſtibus loquitur: ego autem de deorſum & de terrenis loquor. Si mihi locutus fuiſſet de paſſionibus animæ, reſpondiſſem ei.

De abſtinentia.

Cap. LXXXV.

Qvæſiuit Abraham ab Abbate Siſoi, Si bibit frater tres calices nonne multum eſt? Cui abbas: Si non eſſet Sathanas. i. concupiſcentia non eſſet multum.

Frequenter dixit diſcipulus Siſoi ad eum. Abba ſurge, & manducemus. Et ille: Non adhuc manducauimus? At ille, non.

Dixit Abbas Hyperichius: Melius eſt manducare carnem & bibere vinum, quàm in obtrectatione comedere carnem fratrum.

Venit quidam ſenex ad alium ſenem, qui præcepit diſcipulo ſuo: fac nobis modicum lenticulæ & infunde panes: quo facto manſerunt ſic vſque ad alium diem loquentes de ſpiritualibus: hora autẽ ſexta iterum idem præcepit. Cui diſcipulus: ab heſterno die feci, & ſurgentes comederunt.

Quidam ſenex annis 40. non bibit: quãdo autẽ fiebat cauma lauabat lagenã, & impletã aqua appendebat ante oculos ſuos. Et interrogatus à fratribus quare hoc faceret, dixit vt videns quod deſiderio, maiorẽ ſuſtineam ardorem: & ſic à Deo maiorem conſequar mercedem.

Referebant ſeniores de quodam fratre: quod ita impugnabant eũ dæmones, vt ſtatim hora diei prima tantã famen & defectionẽ corpori eius facerent, vt penitus ſuſtinere non poſſet. Veruntamẽ ille dicebat in corde ſuo, quia qualitercunq; ſit, oportet me vel vſque ad horam tertiam expectare: hora tertia idem dicebat, etiam nunc violẽter oportet me ſuſtinere vſq; ad ſextam: hora ſexta infundebat panẽ in aqua dicẽs: Dum hic panis infundetur, oportet etiam me expectare nonam. Cumque hora nona veniſſet, ſecundum conſuetudinem implebat orationes & pſalmodiam ſecundũ regulam, & ponebat panem vt comederet: hęc ergo per plurimos dies ſuſtinuit. Quadam autem die cum hora nona ſediſſet, vt cibum caperet, vidit de ſportella vbi panis. i. paſtinacea repoſita erant, ſurrexiſſe fumum magnũ, & egreſſum eſſe per feneſtras cellulæ ſuæ, itaque ex illo die non eſuriit, ſed ita corroboratum eſt cor eius, vt etiam nec poſt biduum delectaret eum cibum ſumere. *Mira illuſio dæmonum.*

Frater requiſiuit Abbatem Siſoium, quemadmodum in cella propria ſe gerere debebat? Cui ille: Comede panem tuum cum aqua & ſale, & non erit tibi neceſſitas aliquid excoquendi, aut longius euagandi.

Requiſitus Abbas Poemẽ, quemadmodum oportebat ieiunare, reſpondit: Ego volo monachum ita quotidie parum comedentem, vt non ſatietur: nam biduana & triduana ieiunia vanæ gloriæ vacant.

Dicebat vnus ex patribus, quia qui multum comedit, & adhuc eſuriens continet ſe, maiorem mercedem habet quam ille qui parum comedit, & ſe ſatiat.

Dixit quidam ſenex: Ne quod deſideraueris aliquando, manduces: comedens autem quod tibi à Domino tranſmiſſum fuerit: gratias ei age.

De quodam ſene referebãt fratres, quia deſiderabat cucumerem, quem cum tuliſſet ſuſpendit ante oculos ſuos: & ne vinceretur ex cupiditate, non tetigit eum, ſed magis agebat pœnitentiam, puniens ſemetipſum: quia deſideraſſet eum.

Nyteras Siluani diſcipulus, antequã factus eſſet epiſcopus in Pharan, mediocriter victitabat; factus epiſcopus, arctiſſime vixit. Dicebat enim: ſi infirmitatem modo incurro, plurimi ſuccurrunt; tunc autem nemo ſuccurreret. *Nyteras ſeuerior in epiſcopatu quam monachatu.*

De ſim-

De simplicitate & humlitate.

Cap. LXXXVI.

PResbyter quidam cum visitaret episcopum, reuersus;quæsierut fratres,quomodo est ciuitas: respondit, credite mihi quod nullius faciem ibi vidi, nisi tantum episcopi.

Theodorus factus Diaconus in Scythi,non acquieuit ministrare,& cum cogeretur à senib. petijt sibi dari locum & tēpus orandi,vt ei demonstraret Dominus,si deberet ministrare vel non, & ostensa est ei columna ignis à terra vsque in cœlum porrecta,& vox insonuit dicens: Si potes fieri sicut columna hæc, vade & ministra:& vlterius non acquieuit ministrare ad altare. *Sublime est ministerium Sacerdotij.*

Olympius ex seruo monachus factus, non deseruit seruitutem exhibere dominis suis, & annuas mercedes in Alexandria, dicens illis renuentibus: si non vultis recipere,remaneo hic & seruio vobis.

Elladius cum 20.annos esset in cella,nō leuauit oculos vt videret tectum.

Motlois & frater eius ordinati presbyteri ab episcopo Gabalon, nunquam consenserunt sacrificare, sed dicebat senex: hoc officium illorum est, qui sine querela viuunt.

Idem,quantum approximat homo Deo,tanto se peccatorem videt.

Hyperichius ait: Mysterium monachi obedientia est: quam qui habuerit crucifixo stabit.

Idem: Arbor vitæ est,in excelsis, sed non ascendit ad eam nisi humilitas.

Sisois dixit: Si haberem vnam cogitationem Antonij,efficerer totus velut ignis.

Idem: Non est magnum,vt mens tua cum Deo sit,sed hoc magnum est vt te videas sub omni creatura.

Idem ad puerum mortuum, quem Pater ante cellam eius iactauerat,putans eum agere pœnitentiam, ait: Surge,foras vade,& surgens statim egressus est.

Idem cum Abraham discipulus eius à diabolo vexaretur,ait: Deus, vis non vis, non te dimitto, donec eum curaueris,& statim curatus est.

In die mortis eius resplenduit facies eius sicut sol, & ait assistētibus: Ecce Antonius Abbas venit. Et post paululum: Ecce prophetarum chorus venit. Et iterum plus facies eius resplenduit,& ait: Ecce chorus Apostolorum venit,& dupliciter adhuc facies eius fulsit, & quasi cum omnibus loquebatur,& dicebat astantibus: Ecce angeli venerūt accipere me, & rogo vt dimittar pœnitere modicum. Dicentibus autem qui aderant, non eges pœnitentia; respondit,vere nescio me vel initium fecisse pœnitentiæ. Et iterum facta est facies eius vt sol: & ait: Ecce Dominus venit dicens, afferte mihi vas electionis eremi, & repletus est totus locus fulgore & odore eo reddente spiritum.

Dum Arsenius esset in palatio, nemo melioribus vestimentis vtebatur,cum factus est monachus,nemo vsus est peioribus.

Dicebat autem latinam,& græcam eruditionē apprehēdi,sed alphabetū rustici istius,nec dum discere potui.

Nusquam voluit loqui de quæstione aliqua,nec cito ad aliquem scripsit epistola.

In ecclesia post columnam stabat,ne quis faciem eius videret,& ne ipse in alium intenderet.

De Patientia.

Cap. LXXXVII.

QVidam frater veniens ad cellam cuiusdam senis, ingrediebatur & furabatur eius victum: cum autē videret senex,non illum arguebat,sed amplius operabatur,dicens: puto,frater ille mihi necessarius est. Habebat enim grandem tribulationem ex penuria panis. Cum autem moretur, & circundarent eū fratres, videns eum, qui solebat ei furari panem suum, apprehendit manus eius,& osculatus est, dicens: Gratias ago manibus istis, fratres, quia per eas arbitror me intrare in regna cœlorum. Ille autem compunctus factus est:& ipse strenuus monachus ex actibus senis quos vidit. *Porta cœli perpessio iniuriarum.*

Frater interrogabat Abbatem Sisoium,dicens: Si latrones aut barbari super me irruerint,occidere me volētes,& ego si prænalere potuero,iubes occidam eos? Cui ille respondit: Ne facias omnino, sed totum te Deo cōmitte. Quicquid enim tibi aduersi contigerit, profitere hoc propter tua euenire peccata.

Dixit senex; cui voluntarie nocetur,aut iniuriatur, & parcit proximo suo, hic secundum naturam Christi est: qui autem nec lædi vult,hic secundum naturam Adam: qui autem nocet aut iniuriatur, hic secundum diabolum.

Senex ait, in omni tentatione quæ tibi contigit per hominem, ne argues eum nisi tantummodo dic, quia propter peccata mea contingunt mihi hæc.

Dicebat Abbas Poemen: Si quis tibi malum fecerit, tu illi bonum redde: vt per bonitatem vnicas malitiam. *Bonitate vincitur malitia.*

Quidam frater cum ei aliquis iniuriabatur, aut eum irridebat,currebat ad eum,dicens: Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum; quoniam hi qui beatificant nos,ipsi decipiunt nos.

Alter senex erat,si quis detraxisset ei,festinabat si vicinus ei erat, per se eum remunerare: quod si longius manebat, transmittebat ei munera.

Zacharias pallium suum deposuit sub pedibus suis & dixit, nisi sic fuerit quis conculcatus, non potest esse monachus.

Agathon,dicentibus sibi fratribus: Tu es superbus,& fornicator & detractor,& verbosus,& hæreticus: omnia concessit præter vltimum, dicens, quia esse hæreticum est esse à Deo separatum.

De Pace fraterna.

Cap. LXXXVIII.

ABbas Hilarion cum visitasset quendam episcopū, obtulit ei in mensa quidam de auibus. Cui Abbas, postquam hunc habitum suscepi, non comedi occisum. Et dixit ei episcopus: Ex quo habitum istum suscepi, non dimisi aliquem dormire, qui aliquid haberet aduersum me,nec ego dormiui,aliquid habens aduersus aliquem. *Dimittenda peccata aliorum ante solis occasum.*

Puriſſimus quidam monachus dicebat,quoniam omnem aduersariorum virtutem soluit humilitatis intētio. Addebat etiam,quoniam frequēter audiuisset dæmones inter se loquentes, quia quando ad iracundiam succendimus corda hominum, si quis sustinuerit patienter iniuriarum conuitia,& conuersus magis rogauerit ea quæ ad pacem sunt,dicēs,quia ego peccaui; statim sentimus omnem nostram virtutem marcescere,quia approximat ei gratia diuinæ potentiæ.

Quidam senex dixit: Si quis tecum de scripturis aut de quacunque causa locutus fuerit,non contendas cum eo:& si bene dicit, consenti ei:si vero male, dic ei: Tu scies quomodo loqueris,hæc enim conseruans,& in humilitate semper te agnosces,& requiem possidebis.

Quidam frater requisiuit senem, dicens: Si mihi debet paucos nummos frater, repetam eos? Cui senex ait: Semel tantummodo illi dic cum humilitate. At ille: Nō possum vincere cogitationem meam, nisi illi fuero importunus. Cui senex: dimitte cogitationem tuam crepare,tantummodo fratrem tuum non contristes,quia monachus es. *Non contristandus frater quia monachus.*

Aliquis infirmus de nimia abstinētia tussiēs excreabat fleugma,quo nolente, cecidit de sputo eius super alium fratrem; qui cum à cogitatione sua cōpelleretur ei dicere,quiesce iam & non excrees super me: vt superaret cogitationes suas,tulit quod excreauerat,& mittens in ore suo comedebat, & ad seipsum dixit, aut non dicas fratri quod eum contristet,aut manduca quod horres.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Abbas Poemen quando vocabatur vt comederet extra voluntatem ſuam, ibat plorans, ne non obediret fratri ſuo & contriſtaret eum.

Anachorita ſedebat in ſpelæo multas virtutes faciens, & monachi compulerunt eum hora non conſueta comedere, & dicunt ei fratres: contriſtatus es quia extra conſuetudinem feciſti? Ille reſpondit, tunc eſt mihi tribulatio, quando propriam fecero voluntatem. *Tribulatio eſt facere propriam voluntatem.*

Quidam ſenex dixit: Si quis audit malum verbum à proximo, & vim ſibi facit, ne forte reſpondeat illi malum & contriſtet illum, talis animam ſuam ponit pro amico ſuo.

Dixit quidam ſenum: nunquā deſideraui opus quod mihi vtile eſſet, & fratri meo diſpendij, huiuſmodi ſpem habens, quia lucrum fratris mei fructificatio eſt mihi.

De Stabilitate ac perſeuerantia.

Cap. LXXXIX.

DIxit Abbas Beſſarion quia 40. noctibus ſtetit inter ſpinas nec dormiuit.

Abbas Theodorus fratri conquerenti, quia turbaretur dixit: Quot annos habes in ordine iſto? Qui ait octo. Cui ſenex: Crede mihi quia in ordine iſto habeo 70. annos, nec vna die potui requiem habere, & tu vis in octo annis habere pacem? Et alius frater quæſiuit abeo: Si fiat ſubito ſonitus ruinę alicuius, fit tibi timor Abba? At ille: Si cęlū terrę adhæreat, Theodorus nō formidat: popoſcerat enim à Deo precibus quod auferret ei timorem. *Nulla requies in hac vita.*

Dixit Abbas Hyperichius, ſicut viator ſarcina prægrauatus, flando & reſpirando paulatim viæ laborem minuit, ita nos hymnis & lectionibus laborem noſtrum & pondus tentationum minuamus.

Dicebat ſenex quod antiqui non cito mouebantur de loco ſuo, niſi tribus de cauſis, aut ſi aliquis aliquid haberet aduerſus aliquem, & ſatis faciens ei non poſſet placere, aut ſi à pluribus laudatus, aut ſi in tentationem fornicationis incidiſſet. *Simile.*

Senex quidam in eremo longe habebat aquam à cella ſua, vbi dum ſemel iret, in via defecit, & ait quid neceſſe habeo ſic laborare? maneho iuxta aquam, hoc dicto: conuerſus vidit quendam ſequentem & ſua veſtigia numerantem. Cui ait, quis es? At ille, ego ſum Angelus Dei miſſus numerare veſtigia tua: & reddere tibi mercedem, tunc ille fortis animo factus eſt, & amouit longius cellam ſuam per 5. milliaria.

Dicebant patres propter tentationes non deſeras locū tuum, quia quocunque ieris, inuenies quod fugis. *Quocunque fugis inuenies teipſum & tuos defectus.*

Cuiuſdam ſenis diſcipulus ſolitus erat veſpere venire, vt doceret ſe: quadam die inuenit eum dormientem, cumque diu expectaſſet, ipſemet compulſus eſt dormire, tamen extorſit ſibi ſepties, ne dormiret, ſemper repugnans cogitationi. Cumque euigilaſſet ſenex, dixit matutinas cum illo, poſtea factus in exceſſu mentis, vidit locum glorioſum, & ſuper ſedem 7. coronas, & oſtenſum eſt ei, quia diſcipuli eius erat locus, promeruerat que illa nocte 7. coronas.

De Puſillanimitate & inconſtantia.

Cap. XC.

DIxit ſenex, ſicut arbor quæ frequenter transfertur fructificare non poteſt; ſic neque monachus frequenter migrans. *Simile.*

Quidam frater 9. annis impugnatus eſt à cogitatione hac. ſ. quod exiret de cōgregatione, & quotidie tollebat pelliculam ſuam, in qua ſolitus eſt iacere vt exiret, & in veſpere dicebat, cras hinc recedam, & in mane dicebat, extorqueamus nobis hic ſtare etiā hodie propter Deum. Qui cum ita faciens de die in diem 9. annos adimpleſſet, abſtulit Deus ab eo omnem tentationem.

Quidam frater in tribulatione tentationum perdidit monachalem regulam, nec valēs reinchoare mōnachale opus, affligebatur. Senex vero hoc audiens exhibuit ei hoc exemplum: Homo quidam habuit terram, & per negligentiam eius ſpinis & tribulis repleta eſt: cumque poſtea vellet eam colere, dixit filio ſuo, vade & purga agrum illum: & cum ibi veniſſet prę multitudine ſpinarum & tribulorum animo deficiens ait intra ſe, quando purgabo hæc omnia? & proijciens ſe in terram cæpit dormire, & hoc fecit multis diebus. Quod videns pater ait, fili ad menſuram latitudinis qua iacēs, terram occupas, quotidie operare: qui paulatim proficiens, & patri obediens terram purgauit: ſimiliter & tu frater paulatim operare: & Deus per gratiam reſtituet te in ordine tuo. *Exemplum.*

Senex quidam frequenter ſolitus ægrotare, vno anno non ægrotauit: ideo grauiter afflictus plorabat, dicens, dereliquit me Dominus, & non viſitauit me.

Frater quidam propter cogitationes ſuas deſperans, & ad ſæculum rediens, audiuit vocem dicentem: tentationes tuæ quas 9. annis ſuſtinuiſti, coronæ tibi ſunt: reuertere ergo & ſubleuabo te à cogitationibus.

Achillas fratri intertoganti cur patior accidiam? Reſpondit, quia nondum vidiſti requiem, quam ſperamus, vel tormenta quæ timemus: hæc enim ſi diligenter inſpiceres, de cella plena vermibus vſque ad collum attæ-diatus non exires. *Cogitatio futuri præmij aut pœnæ ſubleuat labores.*

Cum quidam frater Abbatem Siſoium frequenter taliter requireret, dicens: Quid faciam pater quia cecidi? Surge inquit. Illo vero ſe & ſurrexiſſe, & iterum cecidiſſe, profeſſo, reſpondit: Non deſiſtas ſurgendo. Cui frater, vſquequo poſſum ſurgere? At ille, vſquequo aut in bono opere aut in malo deprehenſus occumbas, in quo enim opere fuerit homo deprehenſus, in eo iudicabitur.

De Præſumptione & iactantia.

Cap. XCI.

QVidam Anachorita cum veniſſet ad Abbatem Poemenen, ſuſcepit eum ſenex cum lætitia, & cæpit Anachorita de ſcripturis ſanctis & de rebus cæleſtibus conferre. Tunc ſenex vertit faciem ſuam ad alium fratrem, & nullum Anachoritæ dedit reſponſum, ille vero egreſſus eſt triſtis. Ingreſſus autem diſcipulus, ad Abbatem dixit: Propter te venit huc homo iſte magnus, tantam gloriam in locis ſuis habens, & tu non vis loqui cum ipſo? Reſpondit ſenex, ille de ſuperioribus eſt & cæleſtia loquitur: ego autem de inferioribus ſum, & terrena vix poſſum loqui. Egreſſus ergo diſcipulus dixit hæc ad Anachoritam. At ille compunctus in hoc ſermone, ingreſſus ad ſenem dixit: Quid faciam Abba, quia paſſiones cordis mei dominantur mihi? Tunc ſenex reſpexit eum gaudens & dicens: modo bene veniſti pater: aperi ergo os meum, & imple illud bonis tuis, & ex hoc ſermone ædificatus Anachorita, dixit ei: In veritate, bona eſt hæc via quam tenes, & vera, & agens ſeni gratias reuerſus eſt in propriam regionem. *Abbas Poemen libenter loquebatur de ſuis imperfectionibus.*

Quidam ſenex dixit: Ego iam mortuus ſum ſæculo huic. Cui alter, ne confidas in te, donec egrediaris de corpore, nam etſi dicas quoniam mortuus ſum, diabolus tamen necdum mortuus eſt. *Ante obitum nemo tutus aut mortuus ſæculo.*

Quidam ſenex dum per 50. annos eſſet in deſerto, neque panem neque aquam ad ſatietatem accipiens, dicebat, quia occidi auaritiam & vanam gloriam. Quod cum audiſſet Abbas Abraham, venit ad eum, & dixit ei: Ecce dum per viam ambulas, vides lapides & maſſam auri. Nunquid poteſt cogitatio tua illud ſimile illis iudicare? Dixit ei ſenex non. At ille, ecce viuit adhuc auaritia, ſed ligata eſt. Iterum dicit ei, hic diligit te & laudat, alter vero te horret & detrahit: ſi vterque veniunt ad te, nunquid vtroſque ſimiliter aſpicis? Dixit ſenex: non, ſed pugno cum cogitatione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Viuunt passiones in homine, licet aliquando ligata: vnde in viris sunt ligata sed non extincta. Iactantia virtutes euacuat.

mea, vt & illum diligam, quem horreo, Cui Abraham: Ecce viuunt in te passiones adhuc, sed ligatæ sunt.

Venerunt aliquando tres fratres ad quendam senem in Scythi, & eorum vnus dicens: Abba commendaui nouum & vetus testamentum memoriæ. Respondit senex, replesti verbis aerem. Secundus vero dicens, vetus & nouum testamentum ego scripsi per memetipsum. Dixit autem & huic: & tu replesti fenestras chartis. Tertius dixit, mihi in sotularem herbæ ascenderunt. Et respondit senex & dixit: & tu expulisti à te hospitalitatem.

Ioannis breuis statura dixit fratri suo iuniori quod vellet esse securus sicut Angeli Dei, qui semper Deo seruiunt: & deponens vestimenta sua, abijt & mansit in eremo nudus per hebdomadam. Tandem redijt & pulsauit ad ostium cellæ, & quæsiuit frater eius, quis esset? Cui ille: Ego sum Ioannes: & dixit frater: Si Ioannes Angelus est factus, iam non habet inter homines necesse conuersari, & dimisit eum multum affligi. Tandem aperuit dicens: Si homo es, opus habes iterum operari vt viuas. Si autem Angelus, quid quæris intra cellam? At ille, ignosce mihi frater quia peccaui.

Dixit Abbas Lucius cuidam qui volebat carere sollicitudine & fugere homines: nisi vitam tuam inter homines correxeris, solus habitans corrigere non valebis.

De fugienda inani gloria.

Cap. XCII.

Fuga vanæ gloriæ.

Abbas Nisteron cum fratre alio ambulabat in eremo, & videntes draconem ambo fugerunt; & ait frater, tu times pater? Cui senex: Non timeo fili, sed expedit vt fugiam spiritum vanæ gloriæ.

Fugit quidā monachus in eremum ne virtutem humilitatis perderet.

Quidam monachus Constantinopoli temporibus Theodosij habitabat in parua cellula foris ciuitatem. Audiens imperator solus, perrexit, & non cognouit quod esset Imperator, festinauit & misit aquam & sal & buccellas, & comederunt pariter. Tunc dixit ei: Ego sum Theodosius Imperator, & ob deuotionem tui veni huc. *Beati estis vos, qui securi & liberi de negocijs sæculi, tranquilla & quieta perfruimini vita, certe in regno natus sum, & nunc in regno dego, & sine sollicitudine nunquam cibum capio, & ita regressus est ab eo.* Eadem vero nocte cæpit Dei famulus intra se cogitare dicens: Non solum de populo, sed etiam de palatio quamplurimi exemplum Imperatoris secuti, ad videndum me venturi sunt, & honorem mihi tanquam seruo Dei deferendo non cessabunt, timeo ne forsitan malignus mihi subripiat, & libenter incipiam eos suscipere, & condelectetur cor meum laude eorum & honore ac per hoc iam incipiam virtutem humilitatis perdere. Eadem ergo nocte fugit inde & perrexit in Ægyptum ad sanctos patres in eremum.

Mutandus locus si saluti obsit.

Quidam senex dixit, qui ab hominibus amplius honoratur, non paruum animę damnum patitur.

Idem dixit: Quando cogitatio vanæ gloriæ vel superbiæ te impugnat, perscrutare teipsum, si omnia mandata Dei conseruasti, & si inimicos tuos diligis. Si gaudes in gloria inimici tui, & contristaris in deiectione eius, & si habes apud te quod seruus inutilis es, sciens quod elata cogitatio omnia bona dissoluit.

Venit iudex prouinciæ videre Abbatem, & ille audiēs operuit se sacco, & in manu cæpit panem & caseum, & sedit in ingressu cellæ suæ. Quem cum vidisset iudex contempsit eum, dicens. Estne hic homo de quo talia audiebamus & recessit.

Similc.

Dixit sancta Syncletica, sicut manifestus thesaurus cito expenditur, sic quælibet virtus cum innotuerit vel publica fuerit, exterminabitur. Sicut enim cera à facie ignis soluitur, ita anima laudibus inanitur, & virtutum rigorem amittit.

Aliquando in cellis festiuitate celebrata, edebant fratres in ecclesia, inter quos vnus iussit sibi afferri sal, quia non comedebat coctum, & minister clamauit coram omnibus, afferat aliquis sal, quia coctum non comedit. Quidam autem senum surgens dixit illi fratri: expedierat tibi hodie comedisse carnes in cella tua, quam hanc vocem audisse coram omnibus tantis fratribus.

Non est dimittendum opus ob vanam gloriā.

Pastor autem ait: Non est dimittendum opus propter vanam gloriam, quæ inquinat illud. Duo enim homines erant agricolæ, vnus ex eis sicut seminauerat collegit pauca & sordida, alius nihil seminauit, & nihil collegit: facta igitur fame quis euadet?

De ira cauenda.

Cap. XCIII.

Frater requisiuit Abbatē Isaac, quare te Dæmones ita timent? Respondit: Ex quo factus sum monachus, statui apud me, vt iracundia mea foras guttur meum non procederet.

Achillas expuens sanguinem dixit: sermo est cuiusdam fratris, qui me contristauit, & factus est sanguis in ore meo, dum conarer illud seruare apud me.

Abbas Ioannes quæsiuit ab Abbate Arsisio, qui 40. annis habitauerat in summitate eremi, à nullo homine facile molestiam patiens, dic mihi quid profeciſti? Qui respondit: Nunquam me vidit sol manducantem, & Ioannes, me nec irascentem.

Frater quidam quia sæpe mouebatur ad iram, recessit à congregatione & habitauit solus. Cumque quadam die implesset lagenam aqua, posita in terra versabatur, & iterum impleta versabatur, & tertio similiter. Tunc percipiens quod ab eodem dæmone iracundiæ sit illusus, quo prius redijt ad congregationem.

Dixit senex, Imitari debet monachus canem venaticum, non illum qui viso lepore sequitur, & postea lassatus reuertitur, hic vero nec vepres nec spinas nec præcipitium timet, donec apprehendat: ita monachus qui Deum quærit, & cruci indesinenter intendit: & quæcunque occurrerint scandala leuiter pertranseat, donec AD CRVCIFIXVM perueniat.

De temerario contemptu.

Cap. XCIIII.

Non est recedendum à vita solitaria propter tentationes carnis.

Frater quidam impugnatus à Spiritu fornicationis, confessus est cuidam seni, qui non benigne corripuit eum, sed ait: Indignum eum nominari monachum, qui sic tentatur. Ille autem desperans, relicta cella, redijt ad sæculum. Dispensatione autem Dei, occurrit ei Abbas Apollonius, qui quæsita causa fugæ, consolatus est eum blande, dicens: In hac etiam ætate valde huiusmodi tentationibus tentor, reuersusque est frater ad cellam suam. Tunc accessit Apollonius ad ostium cellæ illius senis, qui sic eum desperare fecerat, & orauit vt & ille alterius fratris bellum sentiret, & ille liberaretur: tunc vidit quasi paruum Æthyopem immittentem sagittas in senem. Tunc senex adeo turbatus est, quod & ipse eadem via ad sæculum redijt, cui occurrit Apollonius dicens: Reuertere in cellam tuam, & recognosce fragilitatem tuam, & compatere proximis tuis: & oratione facta à cogitationibus liberatus est, redijtque in cellam suam.

Quidam frater requisiuit Abbatem Poemenen quomodo possum minorem me arbitrari eo, qui homicida est? respondit: Dicas in temetipso, iste quidem hoc solum peccatum fecit, ego autem omni hora homicidium committo, meipsum interficiens, hæc enim sola est iustitia hominis, vt seipsum reprehendat.

Venit Abbas Isaac in cænobium, & vidit ibi quendam fratrem negligentem, & iratus iussit eum expelli. Cum ergo egrederetur ad habitaculum suum, venit Angelus Domini & stetit ante ostiū cellæ eius dicens: Non te permitto ingredi: tulerunt homines iudicium, & non mihi permiserūt illud, dicit Dominus, hoc autē dictum

est,

est, quia si contigerit de illis perfectis aliquem vel in paruo peccare, mox sunt prodituri?

Contigit fratri cuidam culpa in cœnobio, & cœperunt exprobrare ei. Ille vero se fecisse negabat. Erat autem ibi Paphuntius Cephala, vidi, inquit, in ripa fluminis hominem vsque ad genua in limo demersum, venientes autem quidam, vt eum porrecta manu extraherent, vsque ad collum demerserunt: quo fratres sermone compuncti, eum qui discesserat ad cœnobium reuocauerunt.

Ob culpam non est dimittendus monachus.

Dixit quidam senex: Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in illum qui impugnat eū dicens, Væ mihi, quia iste volens victus est, sic & ego, & plange, & inquire Dei solatium quia omnes decipimur.

Abbas Pastor ait: Si vis requiem inuenire in hoc sæculo, & in futuro: in omni causa dic: quis sum ego? & non iudices quenquam, nullum spernas neque condemnes, & nulli obloquaris.

Presbyter iussit quendam fratrem qui peccauerat exire de ecclesia, & Abbas Bessarion exiuit cum eo, dicens: & ego peccator sum.

De Suspitione & detractione.

Cap. XCV.

EGressi sunt aliquando de monasterio fratres ad visitandum eos, qui in eremo commorantur patres. Cum autem venissent ad quendam eremitam, senior suscepit eos cum grandi gaudio: videns enim eos fatigatos de itinere, ante horam nonam fecit eos reficere, & quicquid habebat in cellula sua apposuit eis, vespere orationes & psalmos secundum consuetudines compleuerunt, similiter nocte. Dictus autem senior separatim quiescebat: & audiebat eos loquentes & dicentes inter se, quoniam isti æremitæ melius cibantur quam qui in monasterijs conuersantur, hoc audiens tacuit, & cum illuxisset dies arripuerunt viam ad alium, qui in vicino habitabat. Cum autem egrederentur, dixit eis senior, salutate eum ex me, & dicit ei, obserua, & noli irrigare olera. Ipse vero audiens, intellexit huius rei causam, & tenuit eos, deditque eis vt operarentur texentes sportas, sedensq; cum eis ipse non cessauit de opere manuum. Vespere autem post completas orationes dixit eis: Nos quidem consuetudinem non habemus cœnare quotidie sed propter aduentū vestrū oportet nos hodie cœnare, & apposuit eis panes siccos, & salem dicens: quia propter vos debemus amplius aliquid cœnare: misit autem modicum acetum & modicum olei, & cum surrexissent de mensula, cœpit iterum psallere vsque prope lucem, & dixit eis: Non possumus propter vos omnem canonem psallere, & ideo repausate modicum, quia de itinere fatigati estis. Cum autem factum fuisset mane hora prima voluerunt recedere ab eo, sed non permisit eos senior dicens: propter charitatem tenebo vos alios tres dies. illi vero surrexerunt nocte, latenterque fugerunt.

Temere de alijs suspicantes punitur, & mortificantur.

Cum aliquando sederent fratres, vnus quendam laudauit dicens: bonus est ille frater quoniam mala horret. Cui senex, & quid est mala horrere? Ille horret mala qui sua propria peccata horret, & omnem fratrem suum beatificat & diligit.

Frater quidam requisiuit Abbatē Poemenem, quomodo potest vitare homo ne mala loquatur de proximo, respondit: Ego & proximus meus duæ imagines sumus. Cum ergo meam imaginem perspexero & reprehendero me, inuenitur imago fratris mei apud me venerabiliter: quando autem meam laudauero, fratris mei imaginem prauam respicio. Tunc ergo de alio non detraho si semper me reprehendo.

Pastor autē ait, quacūq; hora tegimus peccatū fratris nostri, tegit Deus nostrū, & quādo prodiderimus, prodit.

Idem ad eū qui fratrē suum expellendum iudicauerat: duo homines erant in loco vno, & habebant ambo mortuos, & reliquit vnus mortuum suum, & abijt plorare mortuum alterius.

De Tentationibus Dæmonum.

Cap. XCVI.

DIcebat quidam Thebæus senex, quod filius esset Sacerdotis Idolorum, & cum quadam die videret Patrem suum in templo sacrificantem Idelis, vidit & Sathanam cum militia eius ei astantem: quem cum Dæmones adorassent, retulerunt facta, nequitię suæ diuersimode, vnus retulit se per 30. dies homines vnius prouinciæ plurimos occidisse, alius retulit se plurimos submersisse in mari per 20. dies, alius se interfuisse quibusdam nuptijs, & sponsum occidisse, & multam sanguinis effusionem per 10. incitasse, hoc cum audisset Sathan, præcepit eos omnes flagellari, dicens: Cur tantum temporis in hoc solo consumpsistis? Postremo vero quidam ait se per 40. annos incitasse quendam monachum in eremo ad peccandum: & vix illa nocte compulisse eum fornicari. Tunc surrexit Sathanas & deosculatus eum, imposuit capiti eius coronam, quam habebat, dicens se maximum quid egisse.

Consistorium Dæmonum.

Lætitia dæmonum de monachi lapsu.

Beatus Abbas Pachomius dicebat fratribus: sicut mihi testis est Dominus, sæpe audiui immundos spiritus dæmonum loquentes inter se varias artes suas quas contra seruientes Deo, maximeque contra monachos, habent. quidam enim ex eis dicebant: Ego ad durissimum hominem causam habeo, & quotiens ei immitto peruersas cogitationes, statim prosternit se in oratione, & sic cum gemitu & grandi confusione egredior. Alius dicebat: Ego ad illum quem obseruo, cum cogitationes immisero, consentit, & suscepit eas: sæpe enim exardescere eum in iracundiam facio, & in contentionem rixæ, & pigritiam in oratione, & dormitationem in psalmodia immitto, & non contradicit mihi.

Quidam frater impugnabatur à Spiritu blasphemiæ, & erubescebat dicere. Cum ergo frequenter ad Abbatem Poemenem perueniisset, dicit ei: Ecce frequenter venis ad me habens cogitationes, & sic remeas tristis, tecum illas reportans: dic ergo quid habes? mox vt aperuit causam leuior eius impugnatio apparuit, & dixit ei senex: ne contristeris fili, quando enim hæc cogitatio venit ad te, dic, blasphemia tua super te Sathana; hanc enim causam anima non vult.

Malarum cogitationū semina suffocantur quando Patri spirituali reuelantur.

Abbas Isidorus quotiens ibi cogitatio dicebat quia magnus es, respondit ad se: Nunquid talis sum qualis Antonius? Quando vero Dæmon conturbans eum suggerebat ei desperationem, dicebat, quamuis ego in tormentis mittar, tamen vos subtus me inuenio.

Tentamur grauius quia arma proijcimus.

Quidam frater requisiuit senem: Cur tam grauiter impugnamur à Dæmonibus? Respondit, quia arma nostra proijcimus.

Quidam senex dixit, sicut ad succensam ollàm muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, incident in eam & faciunt vermes: Ita & monachum succensum igne diuini Spiritus, fugiunt dæmones, tepidum vero illudunt & sequuntur.

De Tentatione carnis.

Cap. XCVII.

FRater quidam volens cum matre sua transire fluuium, & manus suas inuoluit pallio eius & portauit eam vltra. Interrogatus à matre quare sic fecisset? Respondit, quia corpus mulieris ignis est, & eo ipso quod contingebam te, veniebat mihi memoria de alijs mulieribus.

Tentationis remedium oratio.

Abbatissa Sara impugnata 13. annis à Spiritu fornicationis petebat à domino fortitudinem, & non amotionem. Cui tandem apparuit Spiritus fornicationis corporaliter dicens: vicisti me Sara. At illa, ego non vici te, sed Dominus meus Christus.

Quidam senex in monasterio habuit filium, qui ibi nutri-

nutritus neſciebat cuiuſmodi mulieres eſſent. Cumque factus eſſet vir, immittebat ei Dæmon ſpecies, & habitum mulierum. Ille autem retulit patri qui mirabatur: cumque cum patre deſcenderet in Ægyptum, videns mulieres ait, iſti ſunt qui veniebant ad me de nocte in eremo. Admiratus ergo pater dæmonum fraudulentiam, ait illi: Fili, iſti ſunt monachi ſæculares, qui alio vtuntur habitu quàm eremitæ: ſicque ſtatim reuerſi ſunt in cellam ſuam.

Monachus quidam in tentationibus egregie ſecum certat fatore cadaueris.

Quidam frater tentationibus probatus in Scythi, affligebatur à Diabolo, pro memoria cuiuſdam mulieris. Cumque nunciatum eſſet ei à quodam fratre veniente de Ægypto, vxor illius mortua eſt: erat autem illa de qua inquietabatur: ſurgens nocte venit vbi audierat eam eſſe ſepultam, & fodiens locum excerpſit ſanguinem putredinis in veſtimento ſuo, & tulit in cellam ſuam, & cum nimis fæteret ante oculos ſuos poſuit dicens: Ecce habes tuum deſiderium, ſatia te eo: ſicque caſtigabat ſe, donec morerentur concupiſcentiæ ſuæ.

Quidam frater iuuenis à Spiritu fornicationis vexatus, voluit redire ad ſæculum, ſed alterius monitis acquieſcens ad interiorem eremum perrexit, Cumque per 20. dies moram feciſſet, vidit opus dæmonum, nam coram eo ſtetit quaſi mulier æthyopiſſa fœtens, quam præ fœtore non ferens ſtatim abiecit eam: & gratias agens, ſic exit & abijt ad patrem dicens, modo nolo redire ad ſæculum.

Carnalis cõcupiſcentia fatida Æthiopiſſa.

Senex quidam inflammabatur, & videns obſequium & laborem fratrum ait: Vado in Ægyptum, Cui Abbas Moyſes: Non eas quia incurſurus es fornicationem. At ille hoc grauiter ferens ait: Mortuum eſt corpus meum, & tu mihi ita dicis? Surrexit igitur & abijt. Erat autem virgo quædam fidelis, frequenter veniens ad domum patris eius, quam poſtmodum corrupit, & ex ea filium genuit. Et poſtmodum conualeſcens, tulit puerum in humeris ſuis die feſto fratrum in Scythi, & intrauit eccleſiam coram omnibus quibus lachrymantibus ait: Ecce fratres filius inobedientiæ eſt iſte, orate ergo pro me, ſicque permanſit in loco ſuo priori.

Quidam ſenex quandam hoſpitauit in domo ſua: cumque vltra modum pro ea torqueretur, accendit lucernam & poſuit in digitos ſuos, & combuſtionem non ſenſit præ ardore alio, ſicque omnes alios combuſſit. Mane vero venientibus iuuenibus ad mulierem, quibus ſpoponderat illa ſe eiecturam ſenem de cella ſua, ait ſenex: Videtis quam male filia iſta Diaboli perdidit omnes digitos meos, ecce vbi dormit, quibus illam excitantibus nihil reſpondit, mortua enim erat: & viri ſancti oratione reſuſcitata eſt, ſicque commiſſa poſtmodum pœnituit.

Mirum cuiuſdam ſenis in reſiſtendis tẽtationibus exemplum.

Frater quidam impugnabatur à Spiritu fornicationis, & ſecedens in vicum Ægypti, vidit filiam cuiuſdam ſacerdotis paganorum, & petijt eam à patre, qui reſpondit, volo conſulere Deos meos, & abijt & ait: monachus vult filiam meam habere, donem illam illi? Cui dæmon, ne dederis ei donec renunciauerit Deo ſuo, & baptiſmo, & propoſito: & tunc dabis. Tunc Sacerdos abijt ad fratrem, & hæc omnia retulit: cui monachus conſenſit. Et vidit ſtatim quaſi columbam de ore ſuo egredientem, & volantem in cœlum. Tunc Sacerdos conſuluit Dæmonem, qui dixit ne dederis ei, quoniam adhuc Deus ſuus iuuat illum. Et rediens ſacerdos hæc omnia dixit monacho. Tunc contriſtatus monachus ait: Væ mihi, Deus meus mihi bonum pro malo reddit, & cuiuſdam ſenis conſilio pœnitentiam agens meruit columbam iterum videre, intrantem in os eius quam prius amiſerat.

Qui adhæret dæmoni abnegat Deũ.

Adhuc de Eodem.

Cap. XCVIII.

Quidam frater moleſtiam ſuſtinebat à Spiritu fornicationis, frequenter autem venientem ad ſe videns ſenior & deprecantem ſe, vt pro ſe oraret, valde contriſtatus mirabatur, quia non exaudiuit Dominus orationes eius. Eadem autem nocte vidit ſedentem illum monachum, & Spiritus fornicationis in diuerſis mulierum formis ante illum ludentes, & ipſum cum eis delectari, & Angelum Domini aſtantem & indignantem grauiter contra eum: quia non ſurgebat neque proſternebat ſe in orationibus ad Deum. Hæc ergo oſtenſa ſunt per reuelationem ſeniori, quia culpa & negligentia illius monachi erat, quod non exaudirentur orationes eius: & tunc dixit ei, tua culpa eſt frater, quia condelectaris cogitationibus malis. Impoſſibile eſt enim diſcedere à te ſpiritum fornicationis alijs orationibus & Deum pro te deprecantibus, niſi & tu laborem aſſumas in ieiunijs & orationibus, & vigilijs. Nam etſi ille, qui infirmatur non ſe abſtineat à noxijs cibis, nihil ei proficiet cura & ſollicitudo medicorum. Hæc audiẽs frater compunctus eſt, & ſecundũ doctrinam ſenioris ſemetipſum afflixit, & receſſit ab eo ſpiritus immundæ paſſionis.

Post tuas cõcupiſcentias ne eas in ijs te delectãdo.

Concupiſcẽtia oratione & vigilijs ſuperanda.

Erat quidam Græcus adoleſcens in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine carnis flãmã poterat extinguere, cumque ad patrem monaſterij hæc eius tentatio perlata fuiſſet, hac eum ille arte ſeruauit: Imperauit cuidã viro graui & aſpero, vt iurgijs atq; conuicijs infectaretur adoleſcentem, & poſt irrogatam iniuriam, primus veniret ad querimonias. Cumque imperata ſibi perficeret, inſuper etiam vocati teſtes pro eo loquebantur, qui contumeliam adoleſcenti fecerat. At ille cœpit flere contra mendacium: & ſedebat ſolus, omnique auxilio deſtitutus ad Ieſu pedes iacebat. Quid multa? ita totus annus ductus eſt. Quo expleto interrogatus ſuper cogitationibus priſtinis, an moleſte aliquid ſuſtinere? Reſpondens dixit, pape viuere mihi non libet, quemadmodum fornicari non libet.

Hiperichius ait: Sicut leo terribilis eſt onagris, ita probatus monachus cogitationibus ſordidis.

Simile.

Paſtor ait: Sicut Spatarius principis ei aſſiſtit ſemper paratus, ſic oportet animum ſemper eſſe paratum aduerſum dæmonem fornicationis.

De Vtilitate tentationum.

Cap. XCIX.

Diſcipulus cuiuſdam ſenioris impugnabatur à Spiritu fornicationis, ſed auxiliante gratia domini reſiſtebat viriliter. Senior videns eum ſic laborantem, dixit ei: Si vis, ô fili, deprecabor Dominum vt auferat à te iſtam impugnationem. Ille vero reſpondit: Etſi laborem ſuſtineo, ſentio tamen fructum: quia per occaſionem huius & amplius ieiuno, & in vigilijs, & in orationibus plus tolero. Verumtamen ores Deum, vt mihi det virtutem quatenus poſſim ſuſtinere & certare legitimè.

Tentationes viriliter ſuperata vtiles ſunt & fructuoſæ.

Dicebat quidam ſenex, niſi paſtor velaret oculos animalis ad molam circumeuntis, conuerteret ſe animal & cemederet labores ſuos. Ita & nos velamen accipimus ſecundum diſpenſationem Dei ne videamus bona & beatificantes nos perdamus mercedem noſtram, ſordidæ cogitationes velamen ſunt modici ipſius boni operis.

Quidam ſenex dixit, permittit dominus laborare ſuos vt rememorentur tribulationum labores. Vnde ſemetipſos cuſtodiunt, timentes ne tantos labores amittant. Nam & filios Iſrael per deſertum 40. annis circunduxit vt rememoratis tribulationibus non redirent retrorſum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Orosius dixit, fragmen crudæ tegulæ in fundamento non durat, coctæ durat vt lapis, sic homo tentationum igne coctus.

Syrus dixit, si cogitationes fornicationis non habes, operationes habes, qui enim cogitatione aduersus peccatum non pugnat, neque contradicit, corporaliter peccat.

Agathon ait: Non est peior passio quàm fiducia.

De remedijs contra impetum praue cogitationis.

CAP. C.

Quomodo cogitatio sordida superanda,

FRater quidam dixit seni: Quid faciam quia occidit me cogitatio sordida? Dixit ei senex: Mulier quando vult puerum suum ablactare, superungit amarum vberibus suis & cum ex consuetudine voluerit puer sugere, sentiens amaritudinem fugit. Tu ergo mitte in cogitatione tua cogitationem amaram mortis, & tormentorum, quæ præparata sunt peccatoribus in futuro.

Abbas Zenon cum post laborem resideret iuxta cucumerariū, dicebat ei animus: Tolle tibi vnum cucumerem & manduca. Tunc consurgens stetit 5. diebus in cauma, & defricans seipsum in sole, dicebatque ei animus suus, non se posse portare tormenta. Tunc respondit intra se: Si tormenta ferre non potes, non rapias quæ mand uces.

Oratio cum ieiunio repellit cogitationes sordidas.

Dixit quidam senex: Sicut venenata animalia fortiores herbæ vel pigmenta expellunt, ita cogitationes sordidas oratio cum ieiunio repellit.

Quidam frater requisiuit senem dicens: Si quis mihi debet paucos nummos repetam eos? Cui senex ait: Ego in hac causa nunquam impugnatus sum. Scandalizatus ipse venit ad alterum senem & dixit ei: Supra naturam humanam locutus est. Dixit ei ille, non simpliciter tibi dixit ô homo Dei, Vade vt dicat tibi virtutem verbi. Reuersus est ad senem & dixit: Rogo te explana mihi quemadmodum non es impugnatus. Dixit ei senex, ex quo factus sum monachus non sum satiatus, neque pane, neque aqua, neque somno & horum omnium cogitatio, non me permisit habere pugnam quam tu dixisti.

Gaudet inimicus cum cogitationes malas non manifestamus.

Abbas Poemen dixit: In nullo sic gaudet inimicus, quomodo in illo qui non vult cogitationes suas manifestare.

Dixit Abbas Euagrius, mentem errantem & nutantem solidat lectio, vigiliæ, & oratio: Concupiscentiam vero feruentem madefacit esuries, labor, & sollicitudo. Iracundiam autem reprimit psalmodia, & longanimitas, & misericordia.

Quidam venit ad eundem Abbatem & dixit ei: Multæ cogitationes veniunt in animam meam & periclitor in eis. Et eiecit eum senex sub aere nudo, & dixit ei: Expende sinum tuum, & apprehende ventum. At ille respondit: Non possum hoc facere, & dixit senex: Nec cogitationes prohibere potes ne introeant, sed tuum est resistere eis.

Cogitationibus malis ne aurem accommodes, & putrescent.

Idem ait Pastor ad Amon. Non porrigas manus tuas cogitationibus malis, & ociosæ erunt sicut securis: & gladius sine feriente non ferit.

Idem ad Isaac: Capsa plena vestibus si dimissa fuerit longo tempore, putrefient in ea vestes: Ita & cogitationes nostræ si non fecerimus eas corporaliter.

Idem ad Ioseph: Serpens si longo tempore clauditur in vase, moritur, sic & cogitationes clausæ.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER DECIMVSSEXTVS.

De contemporalitate nouem regnorum & primo de Regno Romanorum.

CAP. I.

Contemporalitas regnorum.

AVTHOR. Ab anno primo Gratiani, qui fuit ab incarnatione Domini 381. incipit Sigibertus Regnorum contemporalitatem describere: in prima linea ponens Regnum Romanorum: in secunda, Persarum: in tertia, Francorum: in quarta, Anglorum: in quinta, Wandalorum: in sexta, Longobardorum: in septima, Visigothorum: in octaua, Ostrogothorum: in nona Hunnorum.

An Ch. 381. Mũdi 4234.

Primo quoque eorum omnium originem describit, & nos etiam eorum originem hic breuiter exequemur. Singulorum quoque lineas à principio vsque ad finem, sigillatim & succincte perstringentes, excepto tantum regno Romanorum, cuius originem & lineam iam superius integre posuimus, de quo regno hoc solum hic tangit Sigibertus, quod iuxta Danielis interpretationem, de quarto Regno, *sicut ferrum comminuit, & domat & conterit omnia:* sic ab origine sui tutuderit, domuerit, & contriuerit pene omnia mundi regna. Nouissimo vero tempore, & regnum illud quod in tibijs suis ferreis diutissime & firmissime sine aliqua lassitudine steterat, tandem ferro suæ fortitudinis commixto cum testa humanæ imbecillitatis, ex alto dominationis suæ gradu cum fragore terribili labore cœpit! Hoc regnum primi Persæ impulerunt, qui semper cum Romano pene ex æquo se habuerunt, modo vero vacillante reipublicæ statu, eos vltro impetere non timuerunt, imo & insuper eos suis finibus expellere potuerunt, quando Iuliano Apostata cæso, & exercitu miserabiliter subiugato, nimis fortunati sunt facti ex eorum infortunio. Ita regnum illud quod tanto tempore omnes pene mundi gentes, prædæ & donationi habuit, modo Dei omnipotentia miscente ei duplum in poculo, quo cæteris miscuit, cunctis pene gentibus prædæ & ludibrio patuit: & qui olim cum alijs gentibus pro sola gloria certabant, modo saluti suæ vix satis consulere poterant, nam quæcunque gentes aut minuendæ domo multitudinis causa, aut amore exercendæ suæ feritatis à patria sua exulabant, Romanum imperium lacessebant, & de eius latissimo corpore velut partes quasdam sibi excidebant & in eis sibi regnandi locum statuebant.

Dan. 2.

Dan. ibid.

Romanum Imperium diuisum & in multa regna partitum.

De Regno Persarum.

CAP. II.

Origo Persarum antiquissima.

ITem Sigibertus in Chronicis. Porrò regni Persarum originem altius repetere modo non videtur vtile, quia quæ huius regni fuerit antiquitas, quanta est & quam potens huius antiquitatis nobilitas, satis recolet lector per antiquorum historias. Hoc tantum notabo, quia sæpe victoria abusi de Romanis, nunc autem recenter cæso Iuliano, & exercitu Romanorum profugato, & finibus suis Romano imperio mutilato, & sic pro suo libitu pacis fœdere in 29. annos composito felicitatem suam non temperanter ferebant, & Sapore Rege eorum insolentius agente Christianis & Romanis omnimodis infesti erant.

Hic Sapor qui diu iam ante imperauerat, ab anno primo Gratiani imperauit annis 28. post hunc Isdigerdes 24. Vararanes filius eius 38. Post hunc Cauades annis 41. Carabes 16. Cosroe 37. Hormisda 17. Hunc filius eius Cosroe occidit, & regnauit 38. annis. Hunc quoque filius eius Siroes peremit & anno 1. regnauit. Post hunc Hormisda anno 1. Tunc Saraceni qui hactenus fuerunt sub Persarum regno, eos bello victos versa vice sub suo redegerunt dominio, scilicet anno Heraclij 20. secundum chronica: Ex tunc ergo pro Regno Persarum titulatur Regnum Saracenorum: quorum Amiras scilicet Muhamina mortuo, Elubezer principatus est annis 3. Post quem Haumar 12. Quem Persa quidam se velle adorare simulans, infixo in ventre eius gladio peremit eum. Cui substitutus Hoam principatus est annis 10. Hoc quoque perempto Muhanias ex Amiro Amiras factus principatur annis 25. Post quem Gizid filius eius annis 3. Maruani. Habdala anno vno. Hedimelech 22. Vlid. 7. Zulzimin 3. Haumar 2. Gizid. 3. Huic Iudæus quidam maleficus promittens eum 40. annis principaturum, suasit vt in toto regno suo Dei sanctorum imagines deponi ediceret. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proponit, ipse tamen mox obijt. Post quem Euelid principatur Saracenis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nis annis 20. Gizid. 1. Maruanæ 6. Quo perempto Muhamat 5. Habdallas 19. Mady 9. Moſes 2. Aaron frater eius 21. Muhamat 5. Qui fratri ſuo Habdallæ congreſſus, & ab eo ſuperatus, eum ſibi conregnare inuitus paſſus eſt, & hoc bello Regnum Saracenorum per aliquot annos diſciſſum eſt, ibique deficit eius hiſtoria ſcilicet ſub anno domini 821.

De Origine Regni Francorum.

CAP. III.

Origo Francorum.

ORiginem autem Regni Francorum hanc eſſe notificemus, ex relatu fideli maiorum. Poſt illud famoſum, & cunctis ſæculis & gentibus notum, Troianæ ciuitatis excidium, victoribus Græcis cedentes reliquiæ Troianorum, pars eorum cum Ænea ad fundandum Romanum imperium, ad Italiam perrexit: pars vna ſcilicet 12. millia, duce Antenore, in finitimas Pannoniæ partes ſecus Meotidas paludes peruenium, ibique ciuitatem ædificauerunt, quam ob ſui memoriam Sicambriam vocauerunt, in qua multis annis habitauerunt, & in magnam gentem coaluerunt, & crebris incurſibus Romanum ſolum inceſſentes vſque ad Gallias ferocitatis ſuæ veſtigia dilatauerunt. Hos adeo Romanis infeſtos, Conſtans Cæſar filius Magni Conſtantini bello oppreſſit, & tandem Romano imperio ſubiectos, aliquantulum à ſua ferocitate manſuefieri coegit. Poſt aliquot annos, rebellantibus Alanis contra Valentinianum Imperatorem, cum eos non poſſet Imperator debellare, penitus, eo quod eos intranſibiles Mæotidę paludes tutarentur: propoſuit Valentinianus, quod ſi qua gens has paludes intrare, & rebelles Alanos poſſet conterere, 10. annis eos à tributis liberos redderet, Hac pactione Troiani illecti, & fortitudine & prudentia ſua confiſi, duce Priamo Mæotidas paludes Romanis inuias ingreſſi, Alanorum gentem exterminauerunt, & ita Valentiniano ſatisfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus, eos qui prius vocati erant Troiani, deinde Anthenoridæ, poſt etiam Sicambri Francos Attica lingua appellauit, quod in Latina lingua interpretatur feroces. Alij dicunt Francos denominatos à quodam eorum Rege Franchione, ſed vndecumque denominati ſunt, quantum altius colligere potuerunt hiſtoriographi, Priamus ille regnabat ſuper eos tempore Valentiniani. Non vtique Priamus ille magnus Rex Troiæ, ſed alius qui ab Hectore illius filio, per Francionem filium Hectoris in chronica Francorum legitur deſcendiſſe.

Troiani cur Franci vocati

De his autem plenius require ſuperius.

De Catalogo Regum in Francia.

CAP. IIII.

PRimo igitur anno Gratiani & Valentiniani Imperatorum, qui fuit ab incarnatione Domini 381. Primus regnauit ſuper Francos Priamus annis 5. Secundus filius eius Marcomirus annis 33. Tertius Pharamundus 11. Quartus Clodius filius eius Rex crinitus 18. Quintus Meroueus 10. Sextus Hildericus annis 26. Septimus Clodoueus 30. Hic à ſancto Remigio baptizatur. * Octauus Lotharius. 50. Nonus Chilpericus 23. Decimus Lotharius 44. Vndecimus Dagobertus 14. Duodecimus Clodoueus 16. Tredecimus Lotharius 4. Decimuſquartus Theodericus, frater eius in regnum ſublimatur, ſed à Francis repudiatus, tonſuratur, & Pariſijs in cænobio ſancti Dioniſij relegatur, & regnauit an. 15 Decimuſquintus Hildericus frater eius annis 12. Decimuſſextus Theodericus in regnum reſtitutus annis 14. Decimuſſeptimus Clodoueus 4. Decimusoctauus Hildebertus 18. Decimus nonus Clodouæus, 4. Viceſimus Lotharius 2. Vigeſimusprimus Chilpericus 5. Viceſimus ſecundus Theodericus 15. Viceſimustertius Hildericus 9. Hic in Monachum tonſuratur.

* Hic ponitur ſecundum alios Chilbertus qui regnauit cũ Lothario.

Pipinus autem princeps auctoritate apoſtolica & Francorum electione in Regem vngitur, & conſecratur à ſancto Bonifacio Moguntiæ epiſcopo, à Stephano quoque Papa, eius generatio per filios ſuos Carlomannum & Carolum in hæreditate regalis ſucceſſionis benedicitur, & omnis alienigena ab eius inuaſione Apoſtolico anathemate interdicitur. Hic ergo 24. regnauit annis 18. Viceſimuſquintus carolus filius eius, qui dicitur magnus, annis 44. quorum 33. tantum ſuper Francos compartito regno cum Carolomanno fratre ſuo. Deinde Romani ab imperatore Conſtantinopolitano deſciſcentes, Carolo regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant, & AVGVSTVM appellant: & ex tunc imperauit Romanis, ſimul & Francis annis 13. Deinde Ludouicus filius eius 26. Deinde Lotharius filius Ludouici vſurpat ſibi imperium, ſed fratribus eius hoc grauiter accipientibus, & contra eum inſurgentibus 4. anno imperij eius conuenerunt, & pacificati ſunt diuiſo imperio regnauitque Ludouicus in Germania, Carolus in Francia annis 34. & is fuit 28: Viceſimusnonus Ludouicus Baldus 2. Triceſimus Ludouicus & Carlomannus fratres * 5. Triceſimuſprimus Carolus imperator à Francis in auxilium ſibi contra incurſum Normandorum inuitatus regnauit in Francia annis 5. Triceſimus ſecundus Odo filius Roberti ducis 9. Triceſimustertius Carolus filius Ludouici Baldi 27. qui exul & martyr mortuus eſt. Triceſimuſquartus Rodulphus annis 2. Triceſimuſquintus Ludouicus 27. Triceſimuſſextus Lotharius 31. Triceſimuſſeptimus Ludouicus filius eius anno 1. quo mortuo Francis regnum transferre volentibus, ad Carolum ducem fratrem Lotharij regis, dum ille rem ad conſilium differt, regnum vſurpat Hugo, qui dictus eſt Capetus Mareſcallus Franciæ, filius Hugonis magni ex Hauuidæ ſorore primi Othonis imperatoris, ſicque defecerunt Reges de ſtirpe Caroli, anno Domini 987. Regnauit ergo 38. Hugo Capetus annis 9. Triceſimuſnonus Robertus filius eius 34. Poſt quem 40. Henricus filius eius 30. Poſt quem 41. Philippus filius eius. Poſt quem 42. Ludouicus Craſſus filius eius 28. Huius filius Philippus nuper in regem inunctus adhuc puer, dum in ciuitate Pariſienſi equo vehebatur iuxta eccleſiam ſancti Geruaſij, Porcus eqni pedibus ſe forte ſubmittens, equum ſuper ipſum præcipitem dedit, & de eius ſubita ac miſeranda morte Francis luctum induxit. Regnauitque 43. Ludouicus eiuſdem Ludouici filius annis 40. Poſt hunc 44. filius eius Philippus 44. Quadrageſimus uſquintus filius eius Ludouicus 3. Quadrageſimuſſextus filius eius Ludouicus, qui adhuc regnat.

* Legitur in manuſcriptis an. 31.

De Bruto Rege, à quo Britannia dicta eſt.

CAP. V.

NArrat antiquorum Britannorum hiſtoria, quod Aſcanius Æneæ Troiani filius, de filio ſuo Siluio nepotem habuit nomine Brutum, hic matrem ſuam naſcendo, patrem vero in venando, caſu interfecit. Cuius parricidij cauſa tam eum exoſum parentibus ſuis reddidit, vt de Italia pulſus in Græciam fugeret: vbi exul cum eſſet, tanta cæpit probitate pollere, vt confluentibus ad eum Troianis, qui ibi captiui habebantur, ducatum eorum ſortiretur. Quorum fretus multitudine & animatus conſilio, petijt à Pandraſo rege Græcorum libertatem eundi ad alias nationes. Rex autem ira permotus bello eos conterere voluit, ſed nequaquam potuit, nam victoria Bruto adeo proſpera prouenit, vt plurimos de exercitu regis perimeret, ipſumque ex improuiſo caperet. Regi autem mortem minatus eſt niſi rogatis annueret: exegit autem ab eo filiam ſuam in coniugium, auri & argenti copiam multam, naues, frumentum, cæteraque marino itineri neceſſaria. Quæſitis igitur ex Regis imperio pluſquam trecentis nauibus, & omni genere faris oneratis. Troianis auro & argento plurimo ditatis, Brutus filiam Regis accepit, & ſalutato

Brutus vnde originem duxit.

Brutus felix in bello.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Rege æquoreum iter aggreſſus eſt. Tranſierunt autem Africam & Mauritaniam, veneruntque ad littora Tyrrheni maris, vbi quatuor generationes gentis ſuæ exules inuenerunt cum duce eorum Corinæo. Quibus ſecum aſſumptis, direxerunt iter ad fines Aquitaniæ, ibi eis exortum eſt cum Gallis grauiſſimum prælium quibus eo tempore decem Reges præſidebant, in quo congreſſu apparuit miranda fortitudo Corinæi ducis, qui tam valide percuſſit conſulem vnum in ſummo capite, vt eum diſſecaret in duas partes toto corpore diuiſo. Nepos autem Bruti Turnus, & ipſe fortiſſimus miles, qui ſolo gladio ſuo 900. viros ibi peremit, hoſtium gladijs occiſus eſt deditque nomen Turoni ciuitati, quia in loco illo ſepultus fuit.

Brutus & Corinæus pugnant cũ gallis.

Finito illo certamine, vbi ex vtraque parte multi ſunt interfecti: Brutus cum ſuis ad naues redijt, cæptumque iter aggreſſus, tandem ad inſulam deſtinatam peruenit. Erat autem nomen illius Inſulæ Albion, & à ſolis Gigantibus inhabitabatur, cum quibus certamen perſæpe habuerunt: Brutus vero de ſuo nomine inſulam appellauit Britanniam, hominesque ſuos Britones, vel Britannos. Dux autem Corinæus terram quæ ſorti ſuæ ceſſerat, Corinæam vocauit, quæ modo Cornubia, vel à cornu Britanniæ, vel per corruptionem prædicti nominis appellatur.

Brutus nauigando peruenit Albionẽ.

De ſucceſſoribus Bruti & qualiter Saxones Angliam obtinuerunt.

Cap. VI.

Porro exactis 24. annis ex quo inſulam ingreſſi ſunt, mortuus eſt Brutus relictis tribus filijs regni ſui hæredibus. Qui ſepulto patre, diſtribuerunt inter ſe regnũ Patris ſinguli partem ſuam de nomine proprio appellantes. Primus cui nomen erat Locrinus mediam partem Inſulæ poſſedit, quæ poſtmodum Leogotia eſt appellata. Secundus qui Camber dicebatur, accepit partem illam, quæ Cambria dicta eſt, & modo VVallia vocatur. Tertius cui nomen Albanactus, poſſedit terram quæ nunc Scotia dicitur, eique nomen indidit de nomine ſuo Albaniam. regnauit autem Locrinus 10. annis & mortuus eſt. Et ita vſque ad Iulium Cæſarem Britanni libera dignitate regnauerunt, ſub cuius Imperio Romanis tributarij facti ſunt. Porro tempore Marci Antonij Veri, inſtantia Lucij Britanniarum Regis, per legatos Eleutherij Papę, myſteria Chriſtianitatis ſuſceperunt, in qua aliqui eorum vbique ad martyrij coronam proiecti ſunt. Orta enim perſecutione ſub Diocletiano Cæſare, licet fides in pluribus defecerit, in alijs tamen frangi nec morte potuit. Sed poſtquam Maximus tyrannus inſulam Britanniæ militum præſidio euacuauit, irruerunt Picti, cæteræque barbaræ nationes cum eis, populumque imbellem & terram totam, cæde & præda vaſtare cæperunt. Acceſſit huic malo & aliud, quod Rex Vortigernus ad tutamen ſui, hoſtiumque expugnationem inuitauit gentem Saxonum adhuc paganorum. Nam cum aliquamdiu ſtrenue, ac fortiter eos tutati fuiſſent, dominandi cupiditate illecti, dignitates ciuium à rege petierunt, vt & non iam opem ferre ciuibus, ſed potius tyrannidem exercere in eos liberius poſſent. Quod Britanni præcauentes expulerunt eos, ſed illi repulſi multiplicius redierunt, pacemque ſimulantes pene vniuerſos principes eorum fraudulenter occiderunt: præualentes igitur ad tempus, ciuitates & caſtella occupauerunt, donec ſurgeret rex Aurelius Ambroſius, qui eorum ducem interfecit, ciuitates eis abſtulit, & reliquias eorum effugauit. Poſt quem ſurrexit Vterus pendragon Aurelij frater, qui genuit Arthurum Regem inuictum atque magnificum. Poſt hos, ſex reges de gente eorum regnauerunt, & tũc præualentibus Anglis auxilio Africanorum, aliarumque gentium, Britones Monarchiam Inſulæ, & diadema regni amiſerunt: & alij quidem in minorem Britanniam, vbi eorum & genus & nomen permanet, alij vero in Galliam transfugerunt.

Moritur Brutus.

Angli Romanis tributarij.

Arthurus filius vteri Pendragonis inuictiſſimus.

denuo cum redirent, regnum obtinuerunt. Sed non multo poſt vrgente eos diuina vltione, per famem & mortalitatem inſulam alienigenis gentibus inuadendam reliquerunt, & ab illo tempore Saxones id eſt Angli, Angliam de nomine eorum nuncupatam, ſub domino ſuo tenuerunt.

De Catalogo Regũ Britanniæ.

Cap. VII.

A Primo igitur anno Gratiani & deinceps regnauit apud Britannos Maximus annis 33. Ex tunc Britannorum vires nimijs hoſtium irruptionibus attenuati ſunt, & quia à Romanis vndique bello laborantibus nihil ſubſidij habere poterant, ſubtrahunt ſe ab eorum dominatione. Inito autem conſilio direxerunt Londonienſem Archiepiſcopum ad Regem minoris Britanniæ Aldroenum, vt eis ſuccurreret. At ille tradidit eis fratrem ſuum Conſtantinum, cum armata militum manu, Sicque Conſtantinus erectus eſt in Regem: regnauitque 10. annis, habuit autem tres filios Conſtantem qui monachus factus eſt, Aurelium Ambroſium, & Vterpendragon. Itaque poſt alios 13. annos, ponunt quidam, Anglos veniſſe in Britanniam ſcilicet anno 447. & Ambroſium Aurelium hinc regnare cæpiſſe. Sed verius videtur eos multo ante veniſſe quam regnarent. Denique poſt annos 45. ab anno prænotato ponunt initium Regni Anglorum: nam in hac re multum diſſonant hiſtoriæ. Itaque Britanni non valentes amplius ferre virtutem Anglorum, vt victi conceſſere in ius & nomen eorum, & primus de gente Anglorum Elli, & ſecundus Celi, alter, alteri mortuo ſuccedendo, regnauerunt apud eos per annos 70. Poſt hos tertius regnauit Edilbertus annis 55. Poſt hunc Caldbaldus filius eius 24. cuius filius Caruſbertus anno Domini 640. regnauit annis 25. hic in Anglia primus Idola deſtruxit, & fidem Chriſti dilatauit. Poſt hunc filius eius, Egbertus annis 8. Poſt hunc frater eius Lother 12. Edrith. 4. Quo mortuo externi gentium Reges Regnum Angliæ diſcindũt annis 4. Poſt Vuydred filius Egberti Anglos ab illorum oppreſſione liberat, & ſuper eos regnat annis 16. poſt huuc filius eius Edilbertus annis 8. ſcilicet vſque ad annum domini 735. Ab hinc autem regnum Anglorum annotare ſupерſedeo, quia maiorum hiſtorias quas ſequar non habeo.

Quando Angli cœperunt regnare.

Hiſtoria Anglorum eſt plena confuſionis vſque ad tempus Egberti qui regnauit an. domini 801.

De Origine regni VVandalorum.

Cap. VIII.

VVandali quoque de Scithia oriundi, à Gothis victi alienas terras inuadere cæperunt qui ſuas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium commorantes, rurſum poſt multum tempus Giberich Gothorum Rex bello victos inde exturbauit, & ad hoc perpulit vt quas quoquomodo habere videbantur relictis ſedibus, Romano imperio ſe ſubderent, & à Conſtantino magno locum habitandi ſibi dari ſuppliciter peterent. Quod & impetrauere & Panonias ab eo ſibi delegatas, per 60. annos pacifice inhabitauerunt. Vnde anno Archadij 13. & Honorij euocati, inſtinctu Stiliconis rebellionem contra rempublicam meditantis, infuderũt ſe per Gallias, iunctis ſecum Alanis, eaſque aliquamdiu miſerrime dilacerauerunt. Exinde eos expellebant Gothi non quidem proſpicientes Galliarum quieti, ſed vacue facientes patriam ſuæ rapacitati. Vuandali Hiſpanias aggreſſi, nunc Hiſpanias, nunc Gallias multo tempore depopulati ſunt: ſed nec ibi à Gothis tuti eſſe potuerunt, quippe quia Gothi nimis Italiam inquietabant, Honorius deliberato cum ſuis conſilio, Hiſpanias & Gallias, quas ſibi à Vuandalis & alijs gentibus præreptas dolebat, Gothis rata confirmatione donauit. Cum ergo Gothi à finibus ſibi deputatis Vuandalos alioſque hoſtes effugare maturarent, & Vuandali vndique concluſi,

VVandali à Gothis victi.

VVandali adhuc à Gothis victi.

timo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

timore Gothorum æſtuarent, populi peccatis facientibus, inopina & grata occurrit eis felicitatis opportunitas. Nam inter Bonifacium & Ætium Romanos duces, per inuidiam orta ſimultate, Bonifacius factus inferior, cum dolorem ſuæ iniuriæ nollet vlciſci, niſi damno & periculo reipublicæ ad Hiſpanias traſiuit, & Vuãdalos ad occupandam Lybiam & Africam inuitauit. Quo cum peruolaſſent, ibi regnum ſuum multo tempore confirmauerunt, & diuina & humana ſine aliquo reſpectu humanitatis, vel diuinitatis, perturbauerunt.

De Cathalogo regum Vuandalorum.

CAP. IX.

PRimo igitur anno Gratiani, & deinceps regnauit ſuper eos Modogoſilus annis 30. Poſt hunc filius eius Gudericus in Hiſpanijs annis 16. Hic capta Hiſpali cum impie elatus, manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio à Dæmone correptus interijt. Cui Giezericus frater in regno ſuccedens, regnauit annis 48. Hic vt fertur de fide catholica in Arianam ſectam apoſtatauit, hic ſucceſſione regnandi inter filios ſuos ordinata, vt fratri moriẽti frater ſuperſtes, ſine controuerſia filiorũ ſuccederet, moritur. Cui ſuccedens Honorichus filius eius regnauit annis 8. Hic in Eccleſiã Dei grauiter efferatus, tandem iudicio Dei percuſſus ſcatens vermibus, miſerabiliter expirauit. Poſt quẽ Gundamundus 9. annis regnauit. Poſt quẽ Thraſamũdus frater eius 26. Hic Hilderichũ filiũ ſuum ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genſerico captiuata, aſtringit ſacramento, ne catholicis in regno ſuo conſuleret, qui patre mortuo antequam regnũ ſuſciperet, omnes catholicos ab exilijs iuſſit reuocari, & epiſcopis eccleſias reformari, ſicq; ſuſcepto regno regnauit annis 8. euolutis 74. annis ex quo Genſericus Auus eius ſtatum eccleſiæ in Africa prophanauit. Gilimer perimens annis 5. poſt eum regnauit. Qui tantæ crudelitatis fuit vt nec parentibus parceret. Tandem Biliſarius Patricius à Iuſtiniano Imperatore ex iuſſu Dei ad Africam liberandam de manu Vuandalorum miſſus, noctu cum plauſtris ruſticorum vrbem introeuntibus ingreſſus, Carthaginem cæpit, pecunias infinitas recepit, Gilimerem ex fuga poſt deditionem reductum Imperatori Conſtantinopolim duxit. Sic Vuandalorum regnum deſtructum eſt, & tandem illa Vuandalica rabies cum ipſo nomine funditus extincta eſt.

De regno VVinilorum, ſiue Longobardorum.

CAP. X.

VVinilorum qui poſtea patria lingua *Longobardi* à longis barbis vocati ſunt, certam quidem Originem legimus, ſed certum originis eorum tempus non inuenimus. Nam Reges regnaſſe ſuper eos legimus, quorum etiam nomina didicimus: ſed annos regni eorum per tempora diſtinctos non inuenimus. Hi in Scandinauia Scythiæ inſula degentes, cum ita multiplicati eſſent, vt eos terra ſua capere non poſſet, egreſſione tertiæ partis minuere multitudinem conſilium habuerunt, & quinam exire deberent miſſa ſorte quæſierunt. Ergo tertia Pars VVinilorum prout eos miſſa ſors elegerat, ducibus Agion & Ibor, de Scandinauia inſula egreſſi, de loco in locum ibant incerti & vagabundi: & à multis bellis ſæpe impetiti, viriliter, quia pro anima res erat illis, ſalutem & libertatem ſuam defendebant. Porro Agion & Ibor mortuis, regnauit primus ſuper eos Agelmundus 33. annis, qui dum ageret ſe iuſto ſecurius, à Bulgaribus, cum multis ſuorum eſt extinctus. Lamiſſio regnauit ſecundus, ſic dictus, eo quod à lama id eſt voragine fuit extractus, Lethu tertius, Ildehoch 4. &c.

Origo longobardorũ.

Author. Horum & cæterorum qui ſequuntur lineam & numerum annorum regni, require infra lib. 20. capitulo 99. ſcilicet ſub temporibus Zenonis imperatoris, ex illo enim loco incipit Sigibertus lineam eorum proſequi.

De Origine Regni Gothorum.

CAP. XI.

Sigibertus in chronicis. At Gothorum qui apud antiquos Getæ dicti ſunt, & poſtea diuiſi, duo ex ſe regna id eſt Oſtrogotharum & Viſigotharum fecerunt, talem Originem fuiſſe cognouimus ex hiſtorijs Iordanis. Iſti Scantiam Scythiæ inſulam primo incoluerunt. Cuius poſſeſſione non contenti, cum Rege eorum Berich inde exierunt, & vicinas Scythiæ inſulas & terras peragrantes vicinas gentes bellis laceſſebant, & terrore nominis ſui finitimas gentes ſibi ſubigebant. Poſt ſub Filimere quinto Rege ſuo ad vlteriora Scythiæ progreſſi, ad citeriores vſque ripas Danubij, terras Thraciæ Daciæ Mœſiæque diu longe lateque ſunt peruagati, ibi per multa tempora, imo per multa ſæcula in gentem magnam coaluerunt, & multas gentes victorijs ſuis applicantes, nomen & fortitudinem ſuam amplificauerunt, viribus vigentes in gentem magnam coaluerunt, & multas gentes ingenio callentes, philoſophiæ quoque ſtudijs eruditi, natiuam barbariam exeuntes humanitate & honeſtate alijs barbaricis gentibus præeminebant. Tempore autem Decij Imperatoris tranſito Danubio, cum Gniua Rege ſuo grauiter incubabant Romano imperio, qui à Decio impetiti bello, exercitu Romano protrito ipſum Decium peremerunt cum filio Decio. Hac fælicitate elati, & ſæpe poſtea in congreſſu Romanis ducibus ſuperiores effecti toti orbi Romano erant Terrori. Iſti adhuc trans Danubium conſtituti tempore Valentis Imperatoris, cæperunt ciuili bello inter ſe collidi. Athalaricus dux vnius partis, cum prævaluiſſet Fritigerno duci alterius partis, Fritigernus à Valente auxilium petit, Chriſtianum ſe fieri promittit, Valens auxilium mittit; eoſque in ſectam Arianorum, Arianus ipſe induci fecit.

De Diuiſione eorum in duo regna, Viſigotharum & Oſtrogotharum.

CAP. XII.

ANno 13. Valẽtis Hunni qui etiam ipſi in Scythia potenter debacchabantur, atque ferociter, nacti opportunitatem ex inteſtina Gothorum ſimultate, fines eorum ex improuiſo inuadunt, eoſque bello victos aut ſibi ſubiugant, aut captiuitate excruciant, aut patria eliminant. Ita Gothi qui multas gentes ſubdiderant ſuo ſeruitio, Hunnorum ſubduntur dominio, & nimis eorum potentiam adaugent, dum omnes qui Gothis ſeruiebant, per Gothos Hunnorum parent principatui. Taliter Hunni etiam omni pene ſcythia principatu & fortitudine cunctis præeminebant. Gothi victi partim ſe Danubio tranſito ingeſſerunt finibus Romani imperij, & à Valente petierunt terram ad inhabitandum ſibi dari. Qua re impetrata: cum aliquandiu ſe continuiſſent, ab omni armorum inſolentia, tandem Romanorum auaritia coacti, & rei familiaris inopia, in ipſo imperij ſui ſinu grauia concitauerunt prælia. Quibus Valens Imperator occurrens, bello victus ab eis & igni crematus, iuſto Dei iudicio Reipublicę nimiam intulit incommoditatem, hoſtibus vero auxit elationem. Hi ergo Gothi qui Romano imperio incubabant, Viſigothas id eſt ſe occidentales Gothos nominabant, & per multos annos occidentales Romanorum fines vſque ad ipſas vlteriores Hiſpanias infeſtabant, vbi etiam poſtmodum in regnum coaluerunt. Porro Gothi qui in patrio ſolo trans Danubium, ſub Hunnorum dominio remanere paſſi ſunt, regulos quidem ſuæ gentis habuerunt, & ſe Oſtrogothas id eſt Orientales Gothos appellauerunt,

Gothi ſubduntur Hunnis.

Valens Imperator à Gothis igne crematus.

qui

qui & ipſi poſtea per Theodoricum Regem ſuum à Zenone Imperatore Italiæ regnum dono acceptum, per multos annos tenuerunt. Ita Gothi quaſi duobus capitis ſui cornibus, Orientem & Occidentem ventilantes acerrime, duo ex ſe regna creauere, ſcilicet Viſigotharum in Hiſpania & Oſtrogotharum in Italia.

De Catalogo regni Viſigotharum.

CAP. XIII.

IGitur à primo anno Gratiani & deinceps regnauit ſuper Viſigothos Frigiternus annis 3. Poſt hunc Athanaricus anno vno, qui confederatus Theodoſio, & ab eo Conſtantinopolim inuitatus, mox 15. die quo venerat ibi obijt. Ex tunc igitur Viſigothi ſine Rege ſub Theodoſio Imperatore fuerunt annis 14. Poſt hæc Viſigothi rupto cum Romanis fœdere, Alaricum ſuper ſe Regem creant, qui regnauit annis 15. Poſt hunc Athaulfus 3. Quo à ſuis perempto, Sigericus anno vno. Eo itidem à Viſigothis perempto, regnauit Vallia annis 22. Poſt hunc Theodericus 14. Poſt quem Thuriſmondus filius eius 3. Eo à fratribus ſuis Frederico & Theuderico iugulatus, Theodericus frater eius in regnum ei ſuccedens, regnauit annis 13. Sed & hoc à fratribus ſuis iugulato, Henricus regnauit annis 19. Poſt hunc filius eius Alaricus 21. Hunc tandem Clodoueus Rex Franciæ, ſignis diuini auxilij animatus, in bello congreditur, eoque perempto, quicquid Galliarum Viſigothi poſſidebant, ad partes Francorum tranſtulit. Amalricus autem fugiens in Hiſpaniam 16. annis ibidem regnauit. Cumque Rhothildem vxorem ſuam indigne tractaret, eo quod Arianæ ſectæ ſecum inſeruire nollet, à Childeberto fratre Rhothildis in Hiſpania peremptus eſt, regnauitque Theuda poſt eum annis 17. Quo à ſuis perempto Theudiſclus annis 2. Eo quoque inter conuiuandum à ſuis perempto, Agilla annis 9 Qui cum inſolenter in ſuos ageret, Athanagildus auxiliantibus ſibi Romanis eo perempto regnauit annis 22. Quo mortuo Leongildus cum fratre ſuo Lemba, & poſt ſolus regnat annis 46. Poſt hunc Recharedus filius eius 15. Victericus 7. Siſebodus 29. Suintilla 2. Quo ob crudelitatem ſuam à Viſigothis reprobato, Siſenandus 20. Cintilla 16. Tulcas filius eius adhuc puer 4. Quo propter pueritiæ leuitatem reprobato, & in clericum tonſurato, Cindaſuindus 17. Poſt hunc filius eius Flauius, cui annotantur anni 19. Tandē Saraceni ex Africa in Hiſpaniam transfretant: eamque ſibi vendicant. Ita regnum Viſigothorum & Sueuorum deſtructum eſt: & redactum ſub Saracenis, annis plus minus 346. euolutis, ex quo à Scythia expulſi ſunt ab Hunnis, ex quo vero cedentibus Vuandalis, & deuictis Sueuis, cœperunt regnare in Hiſpanijs annis circiter 256. euolutis. Regnum vero tertiæ partis Hiſpaniarum, quod dicitur Gallicienſium, quod nec tunc Viſigothi nec poſtea Saraceni, potuerunt ſubigere, adhuc viget incolume, & Deo protegente, fide manet inexpugnabile, finitumeſt autem Regnum præfatum anno domini 720.

De Ortu Regni Hunnorum.

CAP. XIIII.

POrro apud Oſtrogothos regnauit Vuinitharius ab anno primo Gratiani, & deinceps annis ſex, quem Balamber Rex Hunnorum in bello peremit, & poſt eum regnauit, Hunimundus annis 2. Horiſmud. 2. Poſt quem Oſtrogothi ſine Rege fuerunt annis 40. poſt hoc Vualamer regnum ſuſcipiens regnauit annis 31. Quo in bello perempto, Theudemer frater eius annis 11. Theodericus huius filius ei ſucceſſit, cui annotantur anni 19. Theodericus autem Odoathro Rege Italiæ, quem in fide ſuſceperat perempto, Italia potitus eſt, ibique regnauit annis 32. Hic Boetium exilio fatigatum tandem peremit. Symachum quoque patricium & conſulem interfecit, ſed & Ioannes Papa ab eo in carcere cruciatus, fame defecit. Poſt dies autem 15. Theodericus ſubito defunctus, à quodam ſancto Eremita viſus eſt nudus & diſcalceatus, à Ioanne Papa & Symmacho patricio in olla Vulcani eſſe detruſus. Athalaricus Theoderici ex filia nepos, in regno Italiæ & Oſtrogothorum ſuccedens, regnat annis 8. Poſt quem Theodatus ab Amalſmunda matre Athalarici aſcitus in regnum, regnat cum ea annis duobus, poſt hanc ſolus vno Eldepadus vno, Erarius vno, Totila 10. Theias 2. in quo regnum finitur.

De Catalogo Regum Oſtrogotharum.

CAP. XV.

DE Regno Hunnorum quod in omni pene Scythia tenebat principatum, ipſa gentis barbaries meſilere faceret, niſi illud famoſum Galliarum & Italiæ excidium me loqui cogeret, quando per Attilam eorum Regem iudicium Dei ſe longe lateque effudit, quem quaſi gladium limatum, & exacutum de vagina ſuæ indignationis ſuper peccatrices gentes Deus diſtrinxit. De eorum ergo Origine, quæ in antiquorum leguntur hiſtorijs, aperiam paucis, Filimer Gothorum Rex Gadarici magni filius poſt regreſſum Scantiæ inſulæ, iam quinto loco tenens principatum Getharum, & terras Scythiæ cum ſua gente introiuit, reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, quas Gothico ſermone Alirunnas dicunt, eaſque habens ſuſpectas de medio ſui perturbat, longeque ab exercitu ſuo fugatas, in ſolitudine coegit errare. Quas ſilueſtres homines, quos nonnulli Faunos Ficarios vocant, per deſertum vagantes dum vidiſſent, & earum complexibus ſe in coitum miſcuiſſent, genus hoc ferociſſimum ediderunt. Quod fuit primum inter Mæotidas Paludes minutum, tetrum, atque exile quaſi hominum genus, nec alia voce notum, niſi quod humani ſermonis imaginem aſſignabat. Et quos bello forſitan minime ſuperabant, & vultus ſui terrore nimium pauorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis ſpecies pauendæ nigredinis, & velut quædam, ſi dici fas eſt, deformis offa non facies, habenſque magis puncta quam lumina, quorum animi fiduciã toruus prodidit aſpectus, qui etiam in pignora ſua primo die nata deſæuiunt. Nam maribus ferro genas ſecant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur ſubire tolerantiam. Hinc imberbes ſeneſcunt, & ſine venuſtate ephebi ſunt: quia facies ferrofulcata, tempeſtiuam pilorum gratiam cicatrice abſumit: exigui quidem forma ſed arguti, motibus expediti & ad equitandum promptiſſimi, ſcapulis latis, & ad arcus ſagittaſque parati, ceruicibus firmi, & ſuperbia ſemper erecti. Tali ergo ſtirpe procreati, Hunni cunctis vicinis gentibus erant horrori & formidini. *Fauni.*

De Victoria eorum ex Gothis, & de Regibus eorum.

CAP. XVI.

EOrum potentiam auxit victoria de Gothis manentibus trans ripas Mæotidis Paludis, qui in Scythia pollebant gloria ſingularis potētiæ & fortitudinis. Quã victoriam hoc modo Hunni adepti ſunt, venatores Hũnorũ ſequentes veſtigia ceruę, Meotidas Paludes tranſeuntis, quas, imperuias hactenus eſſe putabant, Scythicam regionem diligenter explorant, explorata omnia Hunnis nunciant, ad tranſeundum eos animant. Horum ducatu paludibus tranſitis velut quidam turbo, ſubito incubuerunt gentibus Scythicis, eaſque omnes ſubiugauerunt ſibi, ipſoſque Gothos cæteris imperitantes, aut præeminentes expulerunt ſedibus ſuis. Hoc fælicitatis ſucceſſu Hunni inter cæteras Scythiæ gentes elati, poſt victoriã de Gothis per annos fere 80. laboraueruũt ad concuſſionē & ruinã mundi. Ab hac eorum victoria

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vsque ad mortem Attilæ, regnum eorum in hoc opere annotabimus.

A primo igitur anno Gratiani regnauerunt super eos Balamber & Mundzuch pater Attilæ, Octar & Rugila fratres eius, Bleda & Attila frater eius vsque ad mortem Marciani Imperatoris annis plus minus 80. Cui scilicet Marciano Imperatori, apparens dominus in somnis, arcum Attilæ fractum esse ostendit, nec id vanum fuit. Eadem quippe nocte Attila in nuptijs crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus in lecto est suffocatus. Cui filius eius Heruac successit, & annumerantur ei anni sex. Ex tunc regno Hunnorum diminuto, tum ex gentium subiectarum dissensione, tum ex pugnandi infælicitate, regnauerunt quidem, sed non in priori fortitudine, donec longo post tempore à Carolo magno victi, cum ipso suo nomine disperierẽt. His ab hinc filij Attilæ, & post eos Zeliobes regnauerunt annis 9. ex tunc regni Hunnorum annotatio cessat, quia omnes gentis illius reges Kagani vocati leguntur, & nulla distinguendi proprietas inuenitur. Præterhas, & aliæ gentes fuerunt, quæ Romanum imperium dilacerauerunt, id est Gepides, Turci, Alani, Bulgares, & aliæ plures: quæ omnes ab Aquilonis plaga exierunt, vt super hoc fortasse videatur dictum per prophetam, *ab Aquilone pandetur malum super vniuersam terram.*

Deinitio Regni Gratiani & viris illustribus huius temporis.

Cap. XVII.

An. Ch. 381. Mun. 4234. ANno itaque Gratiani primo ab incarnatione Domini 381. ab initio vero mundi 4234. Theodosius ab eo magister militum ordinatus incredibili celeritate & mira fælicitate, deuictis multis barbaris gentibus lassam rempublicam in orientis partibus reparauit.

Viri illustres sepore Gratiam. Maximus à Roma deductus in Britanniam Regis Octauij filiam in coniugium accepit, regnique diademate pro eo insignitus est, quia hæredem masculum non habebat. Nec multo post idem Maximus in Britannia per Tyrannidem inuasit Pictos, & Scotos Britanniam incursantes superauit.

Damasus Papa. Clarebat eo tempore Damasus Romæ 13. papatus annum agens. Dydimus Alexandrinus qui quarto ætatis anno lumine captus, quãuis esset elementorum ignarus, tamen in litterarũ scientia etiam Philosophus erat mirabilis.

Hieronymus totus diuinæ scripturæ incumbens. Basilius quoque Cæsarienſis. Gregorius Nicænus, Gregorius Nazianzenus. Martinus Turonensis episcopus Ambrosius Mediolanensis. Rufinus Aquileiensis presbyter, Miletius Antiochenus episcopus per hoc clarior, quod Theodosius in somnis præuidit, se ab eo indui clamyde imperiali, & diademate coronari. In Ægypto Pachomius abbas.

Author. De Damaso Papa, & Dydimo, Basilioque, & vtroque Gregorio, iam supradiximus, nunc autem de cæteris sermonem ordiemur.

De Vita & actibus S. Hieronymi Presbiteri, ex gestis eius.

Cap. XVIII.

Roma dat operam literis vt constat ex eius epistola 51. Domnioni epist. 113. in prafatione in Iob. HIeronymus Eusebij filius, Romæ puer baptizatus litteris Græcis & latinis, & hebraicis plenissime eruditus, monachorum vitam & habitum diu tenuit, & semper virgo permanens, & puritate mentis & abstinentia corporis omnibus post futuris eximia sanctitatis exempla reliquit. Annorũ itaque 39. Romanæ Ecclesiæ cardinalis presbyter ordinatus, cum Romæ per triennũ sacris litteris studuisset, tantũ apud populos fauoris obtinuit, vt omniũ iudicio dignus sũmo sacerdotio esset. Sed dũ quorundam monachorum & clericorũ lasciuiam increparet, & illi non ferentes, ei insidias tenderẽt, profectus inde ad Gregoriũ Nazianzenum Constantinopolitanum episcopum, poltquã ab ipso sacras litteras plenissime didicerit, in eremũ properauit, vbi quanta sustinuerit, ipse ad Eustochiũ de se dixit. Quadriennio huius pænitẽtiæ sic exacto, ad oppidũ Bethlehem remeauit ibique in breui multos discipulos coadunans, in sancto proposito, & translatione & explanatione scripturarum 50. annis & 6. mensibus desudauit.

Lege epistolã 22. ad Eustochium.

Leo claudicans ad monasterium S. Hieronymi confugit. Quadam die aduesperascente, dum de scripturis cum discipulis disputaret, subito leo claudicans cænobium ingressus est, cuius timore dum fratres diffugerent, Hieronymus ei quasi hospiti obuiauit, & dum leo sibi pedem ostenderet, iubens illum à fratribus ablui, inuenit quod à sentibus læsus esset. Nec mora leo conualuit, & omni feritate deposita, inter eos quasi domesticum animal habitauit. Tunc Hieronymus videns quod non tam pro sanitate pedis sui quam pro eorum vtilitate venisset, ex consilio fratrum id ei iniunxit officij, vt asinum qui ligna de nemore deferebat, in pascuis custodiret. Interea leo sit obediens, quadam die pascente asino somno pressus dormiuit: & ecce negociatores asinum sine custode viderũt, & eum secum duxerunt, expergiscens leo, socium non inuenit & eum diu vbique perquirens, ad portam cænobij tristis venit, & videntes fratres quod tardius solito sine asino veniret, veniens ingredi non auderet, putauerunt quod fame cõpulsus asinum comedisset, & nihil ei dantes, sed ad reliquũ cadaueris quod comederat remittentes, cũ tamen hoc ambigerẽt exierunt ad pascua, si forte aliquod mortis eius indicium inuenirent. Et nihil inuenientes, reuersi Hieronymo rem retulerunt, & monitis eius damnum patienter ferentes, & lecnem moderate tractantes, eidem officium ligna ferendi quod asinus faciebat imponunt. Et hoc ipsum cum leo libenter faceret, quadam die expleto opere ad agrum exijt: quasi socium suum adhuc quærere vellet, & ecce vidit à longe negociatores cum onustis camelis & præcedente asino venientes, mos enim est illi regioni, vt quando cum camelis longius gradiuntur, præcedentem & collo funiculum gestantem asinum subsequuntur. Cum ergo inuicem propinquarent leo cognito Asino, cum magno rugitu super eos irruit, & omnibus fugientibus terribiliter cauda terram feriens oneratos camelos ante se ad cellam ire coegit. Audiens hoc Hieronymus iubens summum silentium, benigne fores aperi præcepit, & exoneratis camelis voluntatem Dei super hoc expectauit. Tunc leo per monasterium vt solebat deambulans, & ad fratres singulos se prosternens, quasi de culpa tanta, quam non fecerat, veniam postulabat, vnde fratres pœnitentiam agebant de culpa, quam leoni crudeliter imposuerant. Cumque sicut eos Hieronymus præmonuerat, venturis hospitibus necessaria præparassent, ecce hospites stare præ foribus nunciantur, qui Abbatem videre volebant. Ingredientes ergo, verecunde ante Hieronymum prosternuntur, vt pro culpa quam fecerant veniam mererentur: at ille eos clementer eleuans & monens ne deinceps aliena vsurparent, præcepit vt reficerentur, receptisque camelis abirent. Illi vero nihil comedere voluerunt, donec Hieronymo, licet plurimum reluctanti, darent medietatem olei quod ferebant, & deinceps à se, & à suis hæredibus eandem olei mensuram annuatim dimitterent, & sic læti ad propria redierunt.

Asinum monasterij in pascuis custodit leo.

Per incuriã leonis furatur asinus, sed deplorat leo suam negligentiam.

Leo inuento asino reducit ad monasterium gaudens.

Negotiatores qui furabantur asinum agunt pœnitentiam.

De Libris eiusdem.

Cap. XIX.

Author. Hic Hieronymus trium linguarum peritus, nouum testamentum græcæ fidei reddidit, & vetus iuxta veritatem hebraicam transtulit, solus ex antiquis doctoribus omnes 16. prophetas exposuit, quorundam etiam Græcorum doctorum opuscula in linguam nostram transtulit.

Scripsit autem & ipse hæc omnia quæ subscripta sunt.

Scripta S. Hieronymi.

Exposi-

Expoſitionis fidei ſuæ ad Damaſum Papam tractatum vnum.
De ſymbolo Nicæno tractatum vnum.
Ex regulis definitionum, contra hæreticos tractatum vnum.
Contra Pelagianos libros tres.
Contra Iouinianum lib. 2.
Contra Luciferianum lib. 1.
Contra Heluidium de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ lib. 1.
Contra Vigilantium lib. 1.
Contra Origenem de reſurrectione carnis lib. 1.
Ad Auitum preſbyterum de erroribus Origenis lib. 1.
Ad Pamachium & Oceanum lib. 1.
Contra Rufinum preſbyterum Aquileiæ lib. 1.
Apologeticum ad Auguſtinum lib. 1. Exhortatorium ad Iulianum lib. 1.
De pœnitentia ad Ruſticum lib. vnum.
De frugi & luxurioſo ad Damaſum Papam lib. 1.
Ad Oceanum de hoc quod ſcriptum eſt, *vnius vxoris virum lib.* 1.
De 12. quæſtionibus ad Heidibiam lib. 1. De quæſtionibus Simeon ad Algaſiam lib. 1.
De corruptione 70.
In pſalterio ad Suniam & Fretellam lib. 1.
De homine perfecto lib. 1.
De hiſtoria Ioachim & Annæ lib. 1.
De 15. ſignis iudicij tractatum vnum.
De illuſtribus viris lib. 1.
De diſtantia locorum lib. 1.
De interpretationibus hebraicorum nominum lib. 1.
De optimo genere interpretandi ad Pammachium lib. 1.
De ſtudio ſcripturarum ad Paulinum lib. 1.
De quæſtionibus hebraicis in Geneſi lib 1.
De tribus quęſtionibus ad Damaſum Papam lib. 1.
De veſte ſacerdotali ad Fabiolam lib. 1.
De 42. manſionibus filiorum Iſrael lib. 1.
De 7. gradibus Eccleſiæ ad Damaſum Papam lib. 1.
De quæſtionibus hebraicis libri regum lib. 2.
De quæſtionibus Paralipomenon lib. 2.
Breuiarij ſuper pſalterium lib. 1.
Commentariorum ſuper Eccleſiaſtem lib. 1.
Super Iſaiam lib. 18.
Super Hieremiam lib. 20.
Super Ezechielem lib. 14.
Super Danielem lib. 2.
Super Oſee lib. 3.
Super Iohel lib. 3.
Super Amos lib. 3.
Super Abdiam lib. 1.
Super Ionam lib. 1.
Super Michæam lib. 2.
Super Naum lib. 1.
Super Habacuc lib. 2.
Super Sophoniam lib. 1.
Super Aggæum librum vnum.
Super Zachariam lib. 3.
Super Malachiam lib. 1.
Super Matthæum lib. 4.
Super Marcum librum vnum.
Super epiſtolam ad Epheſios lib. 3.
Super epiſtolam ad Galatas lib. 3.
Super epiſtolam ad Titum lib. 1.
Super epiſtolam ad Philemonem lib. 1.
De vita clericorum ad Nepotianum lib. 1.
Epitaphium Nepotiani ad Heliodorum Epiſcopum lib. 1.
De inſtructione clerici, vel monachi, ad Paulinum lib. 1.
De vita monachi ad Ruſticum lib. 1.
De vita clerici ad Oceanum lib. 1.
De virginitate ſeruanda ad Euſtochium lib. 1.
Ad Demetriadem virginem lib. 1.
Ad Lætam de inſtitutione Paulæ filiæ ſuæ lib. 1.
Ad matrem & filiam in Gallia commorantes lib. 1.
Obiurgationis Suſannæ virginis conſecratæ de lapſu ſuo lib. 1.
Ad Sabinianum Diaconum lapſum lib. 1.
Ad Gerontiam de monogamia lib. 1.
Ad Furiam de viduitate ſeruanda lib. 1.
Ad Saluiniam de morte Nebridij lib. 1.
Ad Paulam conſolatoriam ſuper dormitione Bleſillæ lib. 5.
Ad Pammachium de dormitione Paulinæ lib. 1.
Ad Oceanum de dormitione Fabiolæ lib. 1.
Epitaphium ſanctæ Paulæ lib. 1.
Ad Tiraſium conſolatorium ſuper dormitione filiæ ſuæ lib. 1.
Ad Mineruum & Alexandrum de reſurrectione carnis lib. 1.
Apologeticum ad Pammachium lib. 1.
Ad Heliodorũ monachũ de contemptu ſæculi li. 1.
Ad Cteſiphontem lib. 1.
Ad Dommonem lib. 1.
De tribus virtutibus tractatum vnum.
De morte Oziæ lib. 1.
Expoſitionis pſalmi 44. Ad Principiam virginem li. 1.
Epiſtolas breues ad diuerſos 105.
Sermones 10.

De his omnibus quæ ad ædificationem morum vel fidei pertinent dicta egregia, & de multis breuiter excerpta, hic conſequenter inſerui, ac per propria capitula diſtinxi.

Flores eius de vita monachi.

Cap. XX.

Felicitas Chriſtiani.

Hieronymus *ad Ruſticum.* Nihil eſt Chriſtiano fælicius, cui promittuntur regna cœlorum; nihil laborioſius eo, qui de vita quotidie periclitatur, nihil fortius eo qui vincit diabolum, nihil imbecillius eo, qui à carne ſuperatur. Iudas de Apoſtolatus faſtigio in perditionis tartarum labitur; & nec familiaritate conuiuij, nec intinctione buccellæ, nec oſculi gratia frangitur, ne quaſi hominem tradat, quem filium Dei nouerat.

Quid Salomone ſapientius? attamen infatuatur amoribus mulierum. Hæc dicimus, vt prima, te, fili Ruſtice, fronte doceamus, magna cœpiſſe, excelſa ſectari, & adoleſcentiæ imo pubertatis incentiua calcantem, perfectæ quidem ætatis gradum ſcandere. Sed lubricum iter eſſe per quod ingredieris, nec tantum ſequi gloriæ poſt victoriam, quantum ignominiæ poſt ruinam. Scio, me offenſurum eſſe quamplurimos, qui generalem diſputationem de vitijs in ſuam referunt contumeliam: & dum mihi iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam, multoque peius de ſe quàm de me iudicant. Ego enim neminem nominabo, nec veteris comediæ licentia, certas perſonas eligam atque perſtringam. Prudentis viri eſt diſſimulare, imo emendare quod in ſe intelligat, & indignari ſibi, nec in admonitorem maledicta congerere. Qui etſi eiſdem teneatur criminibus, certe in eo melior eſt, quod ſua mala ei non placent. Audio te religioſam habere matrem, multorum annorum viduam, quæ aluit quæ erudiuit infantem, & poſt ſtudia Galliarum, miſit Romam non parcens ſumptibus, & abſentiam filij ſpe ſuſtinens futurorum. Hanc tu ſuſcipe vt parentem, ama vt nutricem, venerare vt ſanctam, nec aliorum imiteris exemplum, qui relinquunt ſuas, & alienas appetunt, quorum dedecus in propatulo eſt: ſub nominibus pietatis quærentium ſuſpecta conſortia, videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, à mulieribus non poſſe diſcedere, ſub eodem manere tecto, ſimul inire conuiuia, ancillas iuuenes habere in miniſterio, & præter vocabulum nuptiarum omnia eſſe matrimonij. Tu vero ſi monachus eſſe vis, non mundi habeto curam, non rei familiaris curam, cui renunciando hoc eſſe cœpiſti, ſed animæ tuæ. Sordes veſtium cãdidæ

De hũ in epiſtola ad Euſtochium. Veſtis qualis

mentis

mentis indicium sint, vilis tunica contemptum sæculi probet; ita duntaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant. Balneorum fomenta non requiras, qui calorem corporis ieiuniorum cupis frigore extinguere. Ieiunia tibi moderata sint; ne nimia, debilitent stomachum; & maiorem refectionem poscentia, erumpant in cruditatem, quæ parens est libidinum. Modicus ac temperatus cibus, & carni & animæ vtilis est. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant; & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior earum ruina est. Et Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum, cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus *Christum*, nihil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ, melque siluestre, omniaque virtuti & continentiæ præparata. Filij prophetarum (quos monachos in veteri testamento legimus) ædificabant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant. Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso, varia scripturarum poma decerpe; his vtere delicijs, harum fruere complexu. *Si scandalizat te oculus, pes, manus tua, proijce ea,* nulli parcas, vt soli parcas animæ. *Quis gloriabitur castum se habere cor? castra non sunt munda in conspectu Domini, quanto magis homines, quorũ vita tentatio est?* Vę nobis, qui quoties concupiscimus, toties fornicamur. *Inebriatus est*, inquit, *in cælo gladius meus multo amplius in terra, quæ spinas & tribulos generat.* Vas electionis, in cuius ore *Christus* resonat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem repugnare suæ sententiæ; vt quod non vult, hoc agere compellatur. Et tu te arbitraris absque lapsu & vulnere posse transire; nisi omni custodia seruaueris cor tuum, & cum Saluatore dixeris: *Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.* Crudelitas ista pietas est, imo quid tam pium quàm sanctæ matri, sanctum filium custodire? Optat & illa te viuere, & non videre te ad tempus, vt semper cum Christo te videat. Anna Samuelem non sibi, sed tabernaculo genuit.

Ieiunia moderata.

Lectio sacra.

Matth. 5. Prouerb. 20. Iob 25.

Esa. 34.

1. Cor. 9.

Matth. 12. & Marc. 3.

1. Reg. 1.

Idem ex eodem.

Cap. XXI.

Filij Ionadab, qui vinum & siceram non bibebant, qui habitabant in tentorijs; primi captiuitatem sustinuerunt, qui ab exercitu Chaldæorum vastante Iudæam, vrbes introire compulsi sunt. Viderint alij quid sentiant, vnusquisque enim suo sensu ducitur. *Mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus est.* Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Moyses vt præesset populo Iudæorum 40. annis eruditur in eremo. Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem hostiam offeras Christo, ne miles antequam tyro, ne magister priusquã sis discipulus. Nunc monachi incunabula moresque discutimus. Primumque tractandum est vtrum solus an cum alijs in monasterio viuere debeas: mihi placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque ductore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas; plusque aut minus ambules quàm necesse est, ne currens lasseris, moramq; faciens obdormias. In solitudine cito surrepit superbia, & si parumper ieiunauerit, hominemque non viderit, putat se alicuius esse momenti, oblitusque sui alienos seruos iudicat. Quo gula poposcerit, porrigit manus, dormit quantum voluerit, facit quod voluerit, nullum veretur, omnes se inferiores putat. Quid igitur? solitariam vitam reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudamus. Sed de ludo monasteriorum huiusce modi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint; qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando, nec superauit saturitas, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Volo ergo te & propter causas quas supra exposui, non habitare cum matre, & præcipue ne vt offerentem delicatos cibos renuendo contristes, aut si acceperis, oleum igni adijcias, & inter frequentiam puellarum per diem videas, quod noctibus cogites.

Solitudo paradisus.

Viuendum cum alijs in monasterio.

In solitudine aliquoties est magna licẽtia.

Qui apti ad eremum.

Adhuc ex eodem.

Cap. XXII.

Nvnquam de manu & oculis tuis recedat liber. Corpus pariter animusque tendatur ad Dominũ. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua varijs perturbationibus, quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & deducent ad delictum maximum. *Facito aliquid operis, vt semper diabolus inueniat te occupatum.* Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis texe verminibus. * Sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguę, vt pulcherrimorum versuum spectator assistas. Inserantur ergo * fructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui, dulcia poma decerpas. Apũ fabricare debes aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia, & monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Texantur & linea capiendis piscibus, scribantur & libri, vt & manus operetur cibos, & anima lectione satietur. In desiderijs enim est omnis ociosus. Ægyptiorum monasteria hunc tenent morem, vt nullum absque opere ac labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem omni trãseunti diuaricet pedes suos.

Dum essem iuuenis, & solitudinis deserta me vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram. Quem cum crebris ieiunijs frangerem, mens tamen his cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri: qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceroniscque fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum discerem, stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quotiesque cessauerim, & contentione discendi rursus incæperim, testis est conscientia, tam mea qui passus sum. quàm eorum qui mecum duxerunt vitam: & gratias ago Deo, quod de amaro semine litterarum dulces fructus capio.

Dicam & aliud quod in Ægypto viderim: Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla abstinentia, nulla operis magnitudine, flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantẽ Pater monasterij hac arte seruauit; imperat cuidam viro grani, vt iurgijs & conuicijs insectaretur hominem, & post irrogatas iniurias primus veniret ad querimonias. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium cæpit; nullus alius credere veritati; solus Pater defensionem suam callide opponere studuit, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? Iam anno expleto interrogatos adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret. Papę, inquit, mihi viuere nõ licet, & fornicari libet? Hic si solus fuisset, quo adiutore superasset.

Philosophi sæculi solent amorem veterem amore nouo quasi clauum clauo expellere. Quod & Assuero Regi septem principes fecere Persarum, vt Vasthi Reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compesceret. Illi vitium vitio remediantur, nos amore virtutum

Sit homo nunquam otiosus.

** Sarrire est furculo frãgere glebas ac repurgare terram.*

** magis probatur vt legamus infructuosa; ad sensum enim magis quadrat. Siquidem inseri dicitur non solum id quod immittitur, verum etiam arbor in quã immittimus; inseruntur autẽ infrugifera, vt arte fiant frugifera.*

Hebræa lingua studiũ.

Malum malo expellitur

vitia superemus. *Declina*, ait, *à malo, & fac bonum, quære pacem & persequere eam.* Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. Pax quærenda est, vt bella fugiamus: nec sufficit eam quærere, nisi inuentam fugientemque omni studio persequamur, quæ exuperat omnẽ sensum, in qua habitatio Dei est. Pulchreque persecutio pacis dicitur, iuxta illud Apostoli: *Hospitalitatem persequentes*, vt non leui vsitatoque sermone, & (vt ita loquar,) summis labijs hospites inuitemus: sed toto ardore mentis teneamus, quasi offerentes se cum lucro nostro atque compendio.

Psal. 38.

Rom. 12.

De eodem.

Cap. XXIII.

NVlla ars absque magistro discitur, etiam muta animalia & ferarum greges, ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus; iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est,* duos fratres simul Reges habere non potuit, & patricidio dedicatur. In naui vnus gubernator, in domo vnus Dominus; in quouis grandi exercitu vnius signum expectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum; vt ab illo discas humilitatem, ab illo patientiam, hic te silentium, ille doceat mansuetudinem. Non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiaris quod acceperis, operis tui * pensum persoluas, subiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, nec dum expleto somno surgere compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, iuxta illud: *Psallite sapienter.* Seruias fratribus, hospitum laues pedes, passus iniuriam taceas, præpositum monasterij timeas vt dominum, diligas vt parentem, credas tibi salutarẽ quicquid ille præceperit, nec de maioris sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse; *audi Israel & tace.* Tantis negocijs occupatus, nullis vacabis cogitationibus, & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente retinebis, quod agere compellaris. Vidi ego quosdam qui postquam renunciauerunt sæculo, vestimentis duntaxat & vocis promissione, non rebus, nihil de pristina conuersatione mutauerunt. Res familiaris magis aucta quàm imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuij. In vitro & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas & * examina ministrorum, nomen sibi vendicat solitarij. Qui vero pauperes sunt & tenui substantiola, videnturque sibi scioli, pomparum ferculis similes procedunt ad publicum, vt * caninam exerceant facundiam. Alij subtatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinant, vt si præconem addideris putes incedere præfecturam. Sunt qui humore cellularum immoderatisque ieiunijs, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, & Hipprocratis magis fomentis quàm nostris monitis indigent. Cæterum sub religionis titulo exercentur iniusta * compendia, & honor nominis christiani fraudem magis facit quam patitur. Quodque pudet dicere, sed necesse est, publice extendentes manus pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus. Tibi cum in monasterio fueris, hæc facere nõ licebit, & inolescente paulatim consuetudine, quod primum cogebaris, velle incipias, & delectabit te labor tuus, oblitusque præteritorum semper priora sectaberis, nequaquam considerans, quid alij mali faciant, sed quid boni tu facere debeas. Ita ergo age, & viue, vt ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium, fœminæque tuum nomen nouerint, vultum nesciant. Age quæ clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores, quia in omni conditione & gradu optimis sunt mixta pessima. Ne ad scribendum cito prosilias, & leui ducaris insania. Multo tempore disce, quod doceas.

** Romulus occidit Remum, quod mœnia transiliisset, atque ita Fraterno primi maduere sanguine muri. Quod Hieronymus dedicationem appellat.*

** Id est modum operis, præscriptum.*

Psal. 46.

** Ita vocat innumerabilem multitudinem, ducta similitudine ab apum examinibus.*

** Sic Appius vocare consuetus maledicam ac rigorosam eloquentiam.*

** Compendia hoc loco lucra vocat vt pugnet cũ dispendijs.*

Idem de eodem.

Cap. XXIV.

NE credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus tuis aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus fouerint: & quodammodo impotem mentis effecerint; si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendas post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus sæpe quod facimus, & contra nosmetipsos diserti, in nostra vitia inuehimur, muti de eloquentibus iudicantes. Testudineo * Grunnius incedebat ad loquendum gradu, & per interualla quædam vix pauca verba carpebat, vt eum putares singultire non proloqui. Qui multos inescare solitus, multum in escam resolutus erat, factoque cuneo circunstrepentium garrulorum, procedat in publicum, * *intus Nero, foris Cato*: Totus ambiguus, vt ex contrarij diuersisque naturis vnum monstrum, nouamque bestiam diceres esse compactam. Iuxta illud poeticum:

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimera.

Nunquam ergo tales videas, nec huiuscemodi hominibus appliceris, quoniã repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? tam scilicet eius qui loquitur, quàm illius qui audit loquentem. *Veritas angulos non amat, nec quærit susurrones.* Aduersus presbyterũ accusationẽ cito non receperis. Non est enim facile de prouecta ætate credendũ, quàm & vita præterita defendit, & honorat vocabulũ dignitatis. Verũ quia homines sumus, interdum contra annorum maturitatem puerorum vitijs labimur. Si me vis corrigere delinquentem, aperte increpa, tantum ne occulte mordeas, *corripiat me iustus in misericordia.* Quid enim mihi prodest si mala mea alijs referas, si me nesciente peccatis meis imo detractionibus tuis alium vulneres? & cum certatim omnibus narres, sic singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris; hoc est non me emendare, sed vitio tuo satisfacere.

Psal. 140.

Vtinam quod renunciamus sæculo voluntas sit, non necessitas, & paupertas habeat expetita gloriam, non illata cruciatum. Cæterum iuxta miserias huius temporis, & vbique gladios sæuientes: satis diues est; qui pane non indiget. Nimiũ potens est, qui seruire non cogitur.

Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus domini canistro vimineo sanguinem portat in vitro; quę auaritiam eiecit de templo; qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona Spiritus sancti, & mensas subuertit mammonæ, & nummulariorum æra dispersit, *vt domus Dei domus orationis vocaretur, & non spelunca latronum.* Huius è vicino sectare vestigia, si habeas substantiam, vende, & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es. *Nudum Christum nudus sequere: durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia.*

** Quoniam à vero nomine voluit abstinere, fictitia est vsurpata Grunnius à Grũnienãdo deducitur, qua vox est pecorum.*

** Intus Nero ob luxum vitæ, foris Cato ob supercilium & severitatem incessus & habitus.*

Sequendus est Christus nudus.

Quòd à senibus sapientia potius expetenda est, quàm eloquentia.

Cap. XXV.

IDem *ad Nepotianum de vita clericorum.* Dauid frigidus senex obuoluitur vestimentis, & nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Quæ sit ista Sunamitis vxor, & virgo tam feruens, vt frigidum calefaceret, tam sancta, vt calentem, ad libidinem non prouocaret? Exponat

sapien-

ſapientiſſimus Salomon patris ſui delitias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus. *Poſside ſapientiam, poſside* Prouerb. 4. *intelligentiam, ama illam, & ſeruabit te.* Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia decreſcunt cæteræ virtutes, ieiunia, vigiliæ, & eleemoſynæ; huc illucque diſcurſus, peregrinorum ſuſceptio, defenſio pauperum, ſtandi in oratione perſeuerantia, viſitatio languentium, labor manuum, & cuncta, quæ per corpus exercẽtur, fracto corpore minora fiunt. Nec dico quod in iuuenibus ſemper frigeat ſapientia, quæ in pleriſque ſenibus ætate marceſcit; ſed quod adoleſcentia, multa corporis bella ſuſtineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quaſi ignis in lignis viridibus ſuffocetur, vt ſuum non poſſit explicare fulgorem. Senectus vero eorum qui adoleſcentiam ſuã honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, fit doctior ætate, vſu certior, *Senes ſapientia præclari.* proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit. Vnde & ſapiens ille vir Græciæ Themiſtocles, cum expletis 107. annis ſe mori cerneret, dixiſſe fertur ſe dolere, quod tunc egrederetur è vita, quando ſapere cœpiſſet. Porro Sunamitis in lingua noſtra coccinea dicitur, vt ſignificet callere ſapientiam, & diuina lectione feruere.

Quorſum hæc tam longo repetita principio? Ne à me quæras declamationes pueriles, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum ſingulorum, acuta quædam breuiterque concluſa, quæ plauſus & clamores excitent audientium. Amplexetur me modo ſapientia; & Abiſac noſtra, quæ nunquam ſeneſcit, in meo requieſcat ſinu. Audi igitur, vt beatus Cyprianus ait, non diſerta, ſed fortia. Audi fratrem collegio, patrem ſenio.

De vita & ornatu clerici.

Cap. XXVI.

CLericus qui ſeruit Eccleſiæ, primo vocabulum ſuum interpretetur, nitatur eſſe quod dicitur. Cleros enim græce ſors dicitur; clerici ergo vocantur, vel quia *de ſorte Domini ſunt*, vel quia Dominus ipſe eſt ſors, id eſt, pars clericorum, tales igitur exhibere ſe debent, vt poſſideant Dominum, & ipſi à Domino poſſideantur. Qui poſſidet Dominum, & cum propheta dicit, *Pſal. 13. & 72.* *pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere poteſt, quòd ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus; verbi gratia: Si aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cum iſtis partibus Dominus pars eius fieri dedignatur. Obſecro te, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne lucra ſęcula quæras in Chriſti militia, ne plus habeas quam quando clericus eſſe cœpiſti. Negociatorem quoque clericum, & ex inope diuitem factum, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge. Oſtiolum autem tuum nunquam aut raro mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige: vide ne ſub eodem tecto maneas, nec in præterita caſtitate confidas, quia nec *Gen. 3.* Dauid ſanctior, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior, memento ſemper,, quod Paradiſi colonum de propria poſſeſſione mulier eiecerit. Ægrotanti tibi frater ſanctus aſſiſtat, & germana vel mater vel quælibet probatæ fidei & caſtitatis perſona. Scio quoſdam corpore conualuiſſe, & animo ægrotare cœpiſſe. Periculoſe tibi miniſtrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua à *Colloquia ſolitaria.* te viſitetur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas, ſolus cum ſola ſecreto & abſque arbitro, vel teſte, non ſedeas. *Tales quoque habeto ſocios, quorum contubernio non infameris.* Non veſte ſed moribus ornentur, nec * calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu pollicantur. Caueto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter contra te fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori ap-

* Acus eſt magna, qua calefacta criſpantur capilli. *Munuſcula ſuſpecta.*

plicitas, ac deguſtatos cibos, blandaſque & dulces litterulas, ſanctus amor non habet. *Mel meum, lumen meum, meumque deſiderium Chriſtus eſt.* Omnes delicias, & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comedijs erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur: quanto magis in clericis & in monachis, quorum & ſacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio, nec hoc dico quod aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem, ſed quod in omni propoſito, & in omni gradu, & ſexu, boni & mali reperiantur; malorumque condemnatio, laus bonorum ſit.

De eodem.

Cap. XXVII.

GLoria epiſcopi eſt pauperum opibus prouidere. Ignominia eſt omnium Sacerdotum proprijs ſtudere diuitijs. Natus in paupere domo & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio. Noui & genera & nomina piſcium, in quo littore concha lecta ſit calleo: ſaporibus auium diſcerno prouincias; & ciborum me raritas, ac nouiſſime damna ipſa delectant. O quanta apud Dominum merces, ſi vnuſquiſque in præſenti pretium non ſperaret. Quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur? minori labore margaritum Chriſti emi poterat. Diuinas ſcripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas, permane in his quæ didiciſti. Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne loquẽs in eccleſia, tacitus quilibet reſpondeat: *Cur ergo hæc quæ dicis ipſe non facis?* Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat. Accuſare auaritiam & latro poteſt. Illud etiam dico quod epiſcopi, Sacerdotes ſe ſciãt eſſe, non Dominos; honorent clericos, quaſi clericos, vt & ipſis à clericis quaſi epiſcopis honor deferatur. Scitum illud eſt oratoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principem, cum tu me non habeas vt ſenatorem? Docente te in eccleſia, non clamor populi, ſed *Conciones epiſcopi.* gemitus ſuſcitetur, lachrymę auditorum laudes tuę ſint. Sermo Presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulum garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum. Attrita frons interpretatur ſæpe quod neſcit, & cum alijs ſuaſerit, ſibi quoque vſurpat ſcientiam. Nihil tam facile quàm vilem plebeculam & indoctam concionem, linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur.

Delicia clericorum.

Studio & doctrina.

Veſtes pullas æque vita, vt candidas. Ornatus vt ſordes pari modo fugiendæ ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet, Non abſque amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere laudabile eſt; alioqui ridiculum & plenum dedecoris eſt; referto marſupio; quod ſudarium orariumque non habeas, gloriari. Sunt qui pauperibus parum tribuunt, vt amplius accipiant, & ſub prætextu eleemoſinæ quærunt diuitias; quæ magis venatio appellenda eſt, quàm eleemoſina. Sic beſtiæ, ſic aues, ſic capiuntur & piſces. Modica in hamo eſca ponitur, vt matronarum in eo ſacculi protrohantur. Melius eſt non habere quod tribuam, quàm impudenter petere quod recondam.

Cultus qualis.

Non omnia poſſumus omnes.

Alius in eccleſia oculus eſt, alius lingua, alius manus &c. Nec ruſticus tamen & ſimplex frater, ideo ſe ſanctum putet ſi nihil nouerit; nec peritus, nec eloquens, in lingua æſtimet ſanctitatem; multo melius eſt è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem de eodem.

Cap. XXVIII.

MVlti ædificant parietes & columnas, ecclesiæ substruunt marmora, nitent auro, splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla est electio. Neque vero mihi aliquis apponat, diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, cyphos, mortariola, &c. ex auro fabricata. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum. Quamuis hæc omnia præcesserint in figura, scripta tamen sunt propter nos. Alioquin si tantum literam sequimur, & in auro atque diuitijs simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus &c. Ducunt Pontifices Christi, vxores virgines. Lepra corporis animæ præferatur vitijs. Crescamus & multiplicemur, & repleamus terram, nec pascha mysticum celebremus, quia hæc absque templo fieri lege prohibentur. Quod si hæc omnia sic intelligamus, vt dominus sabatthum; aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum.

De eodem.

Cap. XXIX.

Fuga magnatum.

COnuiuia tibi vitanda sunt sæcularium, & maxime horum qui honoribus tument. Turpe est ante foras Sacerdotis Domini crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare, iudicemque prouinciæ melius est apud te prandere, quam te in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, vt roges pro miseris, atque subiectis; Iudex sæculi, plus defert clerico continenti, quàm diuiti, & magis sanctitatem tuam veneratur, quàm opes. Aut si talis est qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis, nisi inter calices & phialas, libentur carebo huiuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro iudice, qui magis subuenire potest quam iudex, *Melius est enim confidere in Domino, quàm confidere in hominibus.* *Psal. 117.*

Abstinentia vini.

Nunquam vinum redoleas, ne audias illud Philosophi: *Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare.* Quicquid inebriat, & statũ mentis euertit, fuge similiter vt vinũ. Nec hoc dico quod Dei à nobis creatura dãnetur, (siquidem & Dominus vini potator est appellatus; & Timotheo dolenti stomachum, modica vini sorbitio relaxata est) sed modum & ætatis & valetudinis, pro corporum qualitate, exigimus in potando. Quod si absque vino ardeo & adolescentia, & inflammor calore sanguinis, libenter carebo poculo in quo veneni est suspicio. Pulchre dicitur apud Græcos, sed nescio vtrũ apud nos æque resonet. *Pinguis venter non gignit sensum tenuem.* Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo nõ vesci, & molestias quasdam, difficultatesque ciborum quærere, cary cas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, * pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt pane cibario non vescamur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumque naturam aquam non bibere, & pane non vesci, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera, betarumque succum, non calice sorbere, sed concha. Proh pudor, non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in delitijs quærimus. *Fortissimum ieiunium est aqua & panis.* Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium non petatur. *Math. 11. 1. Tim. 5.* *Inedia moderata.* * *pastinacia.*

Idem de eodem.

Cap. XXX.

CAue ne rumusculos hominum aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes. *Si adhuc,* inquit Apostolus, *hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylacteria, & conscientia repugnante, pharisaica ambitione circundari. Intellige quid magis tacendo loquar. Tot te regulæ, quot species gloriarum percurrant. Quanto melius erat hoc in corde portare, quàm corpore, & dominum habere fautorem, non aspectus hominum? *Vis scire quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem.* His plagis cœli includere, hæc te quadriga in altum ferat. Nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius, & ornamento tibi sunt & tutamini. *Gloria vana.*

Caue quoque ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse alijs detrahas, aut alios audias detrahentes. Et scito, quia per cuncta, quæ de alijs loqueris, tua sententia iudiceris, & in his ipsis deprehendendus eris, quæ in alijs arguebas. Neque vero iusta est excusatio illa, referentibus alijs, iniuriam facere non possum. *Nemo inuito auditori libenter refert.* Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. *Cum detractoribus,* ait Salomon *ne miscearis &c.* Numquam de formis mulierum disputes, nec alia domus quid agatur in alia domo, per te nouerit. *Gal. 1.* *Detractoris nullo modò sunt audiendi.* *Prou. 24.*

Adhuc de eodem.

Cap. XXXI.

HIppocrates adiurat discipulos suos antequam doceat, & in verba sua iurare compellit, extorquet sacramento silentium, sermonem, incessum, mansuetudinem, habitum, moresque describit. Quanto magis nos quibus animarum medicina commissa est, omnium christianorum domos debemus amare quasi proprias? Consolatores nos potius in mœroribus suis, quàm conuiuas in prosperis nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium venire non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. *Beatius est enim magis dare, quàm accipere.* Nescio enim quo modo etiam ipse qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te miratur. Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet. Procuratores & dispẽsatores domorum alienarum atque villarum, quomodo esse possunt clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quippiam propria rapere, furtum est. Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse quod pauperibus erogandum sit & esurieniibus plurimis, vel cautum velle esse, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, velle aliquid exinde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem exuperat. Ego fame torqueor & tu iudicas quantum ventri meo satis sit? Aut diuide statim quod acceperis, aut si timidus dispẽsator es, dimitte largitorẽ, vt sua sponte ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius, mea seruare potest. *Optimus dispensator est, qui nihil sibi reseruat.* *Silentium.* *Vocatus ad conuiuia nõ eas.* *Actuũ 20.*

Non vt aduersarijs, Nepotiane charissime, sed vt amicis scripsimus, nec inuecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent ante monuimus: neque in illos tantumi, sed & in nosipsos iudices seueri fuimus, volentesq; festucam tollere de oculo alterius, nostram prius trabem eiecimus. Nullum læsi, nullius nomen descriptione mea signatum est, neminem specialiter meus sermo pulsauit. Generalis de vitijs disputatio est, sed qui mihi irasci voluerit, prius ipse de se quod talis sit confitebitur.

Quòd

Quod senectus sapientiæ, non sapientia senectuti reputanda sit.

Cap. XXXII.

IDem ad Paulinum de institutione monachi vel clerici. Meritis nos virtutibus tuis, & paruos magnus extollis, vltimamque partem conuiuij occupas, vt Patrisfamilias iudicio promouearis. Noli frater chariſſime, annorum æſtimare nos numero, nec ſapientiam canos reputes, ſed canos ſapientiam. Nam & Moyſes 70. presbyteros iubetur eligere, quos ipſe ſciret eſſe presbyteros, *Num. 11.* vtique non æuo, ſed prudentia iudicandos. Et Daniel *Dan. 13.* adhuc puer longæuos iudicat, atque impudicos ſenes ætas laſciua condemnat. Noli, inquam, fidem penſare temporibus, nec me idcirco meliorē putes, quod prior *Act. 9. & 7.* in Chriſti exercitu cæperim militare. Paulus Apoſtolus in vas electionis de perſecutore mutatus, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia extremus licet, plus omnibus laborauit. Iudas qui quondam audierat, *tu autem homo vnanimis dux meus &c.* proditor amici, & magiſtri; Saluatoris arguitur voce. *Pſal. 54.*

Et nodum informis leti, trabe nectit ab alta.

Econtrario autem latro crucem mutat Paradiſo, & facit homicidij pænam martyrium. Subito calor longū vincit teporem. Denique & tu audita ſententia ſaluatoris, *ſi vis perfectus eſſe &c.* verba vertis in opera; & *Math. 19.* nudam crucem nudus ſequeris, expeditior & leuior ſcandis ſcalam Iacob. Tunicam mutas cum animo nec pleno marſupio glorioſas ſordes appetis, ſed puris manibus, & candido pectore, pauperem te & ſpiritu & opibus gloriaris. Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, cum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; nec putauit ſe poſſe, & virtutes ſimul & diuitias poſſidere. Nos ſuffarcinati auro, Chriſtum pauperem ſequimur, & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes, quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timide reſeruamus? *Plenus venter facile de ieiunijs diſputat.*

Quòd non iuuat ſacer locus, ſi ſpiritus deſit.

Cap. XXXIII.

NOn Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt. Illa expetenda eſt ciuitas, non quæ occidit prophetas, & Chriſti ſanguinem fudit, ſed quam *fluminis impetus lætificat.* Neque hoc di- *Math. 23. Pſal. 45.* cens meipſum inconſtantiæ redarguo, damnoque quod facio, vt fruſtra videar ad exemplum Abraham, & meos & patriam reliquiſſe. Sed non audeo Dei omnipotentiam anguſto fine concludere & coarctare paruo terræ loco, quem non capit cælum.

Singuli quique credentium non locorum diuerſitatibus, ſed fidei merito ponderantur. Et quia Deus ſpiritus eſt, adoratores eius in ſpiritu & veritate adorare eū oportet. Poſtquam ſiccato Iudææ vellere vniuerſus orbis cæleſti rore perfuſus eſt, *& multi de Oriente & Occidente venientes recubuerunt in ſinu Abrahæ*; deſijt notus *Matth. 8.* eſſe tantum in Iudæa Deus. Et crucis igitur & reſurrectionis loca his proſunt, qui portant crucem ſuam, & *Pſal. 75.* cum Chriſto reſurgunt quotidie, qui dignos ſe exhibent tanto habitaculo. Cæterum qui dicunt templū Domini, templum Domini; audiant ab Apoſtolo: *Vos eſtis templum Dei, & Spiritus ſanctus habitat in vobis.* Et de *2. Cor. 6.* Hieroſolymis & de Britannia æqualiter patet aula cæleſtis. Regnum enim Dei intra vos eſt.

Beatus Hilarion cum Palæſtinus eſſet, & in Paleſtina viueret, vna tamen die vidit Hieroſolymam, vt nec contemnere loca ſancta propter viciniam, nec rurſus Deum loco claudere videretur.

Ab Adriani temporibus vſque ad imperium Conſtantini, per annos circiter 180. in loco reſurrectionis ſimulacrum Iouis, & in crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à gentilibus poſita colebatur; & in ſpecu, in quo quondam Chriſtus paruulus vagijt, Veneris amaſius plangebatur.

Hæc tam longo repetita ſunt proœmio, ne quicquam ſpei tuæ deeſſe putes, quia Hieroſolymam non vidiſti; nec nos idcirco meliores æſtimes, quod huius loci habitaculo fruimur. Sed ſiue hic ſiue alibi æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem.

Quod monacho appetenda ſit ſolitudo.

Cap. XXXIIII.

REuera differentias in locis arbitror, ſi vrbibus & frequentia vrbium derelicta, in agello habites, & Chriſtum quæras in ſolitudine, & ores ſolus in monte cum Ieſu. Non de Epiſcopis, non de presbyteris, non de clericis loquor, quorum aliud officium eſt, ſed de monacho. De toto huc orbe concurritur, plena eſt ciuitas vniuerſi generis hominibus, & tanta vtriuſq; ſexus conſtipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas, hic totum ſuſtinere cogaris. Si officium vis exercere presbyteri; ſi epiſcopatus te vel opus vel honor forte delectat, viue in vrbibus & caſtellis, & aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ: Sin autem cupis eſſe quod diceris, *Monachus*, id eſt, ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Habet vnumquodque propoſitum principes ſuos. Romani duces imitentur Camillos, Frabritios, Regulos, Scipiones. Philoſophi, proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici Thucydidem, Saluſtium, Herodotum, Liuium. Oratores Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium. Et vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi & presbyteri habeant in exemplo Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propoſiti noſtri principes, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macharium. Et vt ad ſcripturarum auctoritatem redeam, noſter princeps Heliſeus, Helias; noſtri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris aut ſolitudine, faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs. Obſecro itaque te, vt multitudines hominum, & officia, & ſalutationes, & conuiuia, velut quaſdam catenas fugias voluptatum.

Qua via incedendum pro viro ſolitario.

Qualiter Monacho viuendum ſit.

Cap. XXXV.

SIt vilis & veſpertinus cibus, olera, & legumina, interdumque piſciculos pro ſummis ducas delicijs. Qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærit magnopere de quam pretioſis cibis ſtercus conficiat. Quicquid poſt gulam non ſentitur, idem tibi fit quod panis & legumina. Habes aduerſum Iouianū libros de contemptu ventris & gutturis, plenius diſſerentes,

Semper in manu tua ſacra ſit lectio, frequenter orandum, crebræ vigiliæ; & ventre vacuo ſæpius dormiendum, Rumuſculos, & glorioſos, & palpantes adulatores, quaſi hoſtes fuge. Humilitatem veſtium tumenti animo non appetas; ſæcularium maxime potentium conſortia deuita. Quid tibi neceſſe eſt ea videre crebrius, quorū contemptu monachus eſſe cæpiſti? Soror præcipue tua matronarum declinet colloquia, ne inter ſericas veſtes & gemmas circunſedentium fœminarum ſe ſordidatam aut doleat, aut miretur, quia alterum propoſiti penitentia, alterum iactantiæ quaſi ſeminariū eſt. Caue ne quaſi fidelis & famoſus tuorum quondam diſpenſator, alienam pecuniam diſtribuendam accipias. Habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & ſerpentis aſtutiam, aliorum ſupplanteris inſidijs. Non multū diſtat in vitio, vel deſpicere, vel decipi poſſe

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

poſſe Chriſtianum, quem ſenieris tibi aut ſemper, aut crebro de nummis loquentem, excepta eleemoſyna, quę indifferenter patet omnibus, inſtitorem potius habeto, quam monachum.

Præter victum & veſtitum, & manifeſtas neceſſitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant. Verum Chriſti templum anima credentis eſt: Illam exorna, illam veſti, illi offer donaria; in illa Chriſtum ſuſcipe. Quæ vtilitas eſt parietes fulgere gemmis, & Chriſtum in paupere fame mori? Iam non ſunt tua, quæ poſſides, diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Saphiræ, illi ſua timide ſeruauerunt: tu conſidera ſubſtantiam Chriſti, ne imprudēter effundas, ideſt, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, *liberalitate liberalitas pereat*. Noli reſpicere ad phaleras & nomina vana Catonum. Ego te, inquit, intus, & in cute noui. Eſſe Chriſtianum grande eſt, non videri. Et neſcio quomodo plus placent mundo qui Chriſto diſplicent.

Actorum 3.

Quòd clericis vitanda ſunt mulierum conſortia.

Cap. XXXVI.

Idem ad Oceanum de vita clerici. Prima tentamenta clericorum ſunt mulierum frequenter acceſſus. *Nociuũ genus Fœmina; ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, flammigero igne percutit, cum proximat ſtipula ignem accendit, exuritque fundamenta montium.* Ego iudico, ſi cum viris fœminæ habitent, non deerit viſcarium diaboli. De duobus enim quod vnus deſiderat, ſi loqui non poteſt, vel tentatur. Remotio igitur viri caſtitatis collocat arma, conſtruit in melioribus caſtra pudoris. Tecla poſt tentationem paſſionis Antiochiæ cum Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum vxore pergit ad bellum. Si congregationes conſtituis puellarum, bina in hebdomada viſitatione ad benedicendam congregationem conuenias, ſed non ſolus propter rumigerulos. *Ferreas mentes libido domat.* Fœminam quam videris bene conuerſantem mente dilige, non frequentia corporali. Germinant fœminæ ſpinas cum viris habitantes, & arcana mentis acuto mucrone percutiunt. Proh nephas, dolor eſt dicere, ſed nō decet prætetire, vnde ſine nuptijs nouũ genus vxorũ? Et ad nos quid pertinet, ſi eos quos diligunt viderint? ridentibus oculis ſalutationis tenera verba procedunt. Deinde cũ ſalutauerint, ſi eas Dei viros præterire celerius viderint, contemptores ſuos iudicant & iraſcuntur. Lege Hieremiam qualis debet eſſe ſolitarius, ait enim, *ſedebit ſolitarius, & tacebit.* Mariam in cubilis penetrabilibus Angelus ſolã inuenit, non cum Agapeta loquentem: & illa ad virilem introitum trepidauit: tu quæ fornax es malitiæ, quid à viro deſideras frequentius ſalutari?

Thren. 3.

De Ornatu morum Epiſcopi.

Cap. XXXVII.

Idem ad Oceanum de vita clerici epiſt. 83. Si quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat; opus, non dignitatem, laborem non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non faſtigio intumeſcat. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Omnes virtutes in vno ſermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Quis enim abſque reprehēſione verſatur in mūdo? ſed futurus paſtor Eccleſiæ talis eligitur, in cuius comparatione recte grex, cæteri nominentur. Perdit enim auctoritatem docendi, cuius ſermo opere deſtruitur. Vnde & illud Tullij: *Caput artis eſt docere quod facias.*

1. Tim. 3.

Item *ornatum*, id eſt virtutibus, ſecundum menſuram. Sunt enim quidam ignorantes menſuram ſuam, & tantæ ſoliditatis ac vecordiæ, vt & in motu, & inceſſu, & habitu, & ſermone communi, riſum ſe ſpectantibus præbeant; & quaſi intelligentes quid ſit ornatus, comunt ſe veſtibus, & mundicijs corporis, & lautioris menſæ epulas parant, cum huiuſmodi omnis ornatus & cultus ſordibus fœdior ſit.

Item, *doctorem.* Innocens enim, & abſque ſermone conuerſatio, quantum prodeſt exemplo, tantum nocet ſilentio. Item *non vinolentum*: vinolentia eſt ſcurrarum & commeſſatorum; venterque mero æſtuans, cito diſpumat in libidinem. Noe ad vnius horę ebrietatem nudauit fęmora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth quoque per temulentiam, neſciens libidini miſcuit inceſtum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Item *non litigioſum.* Nihil eſt enim impudentius arrogantiæ ruſticorum qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ſemper ad lites, in ſubiectũ ſibi gregem ſermonibus tumidis tonant. Item, *domus ſuę bene præpoſitum.* Non vt opes augeat, non vt regias epulas paret, non vt cælatas patinas ſtruat, & phaſides aues lentis vaporibus coquat, qui artifici temperamento & ad oſſa perueniant, & carnium ſuperficiem non diſſoluant: ſed vt quod præcepturus eſt populo prius à domeſticis exigat. Item, *non Neophitum.* Heu heu, heri cathecuminus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Eccleſia: veſpere in circo, mane in altari, dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator.

Gen. 9.

Gen. 19.

Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab ijs qui foris ſunt. Talis ergo ſit vt qui religioni detrahunt, eius vitæ detrahere non audeant.

De contemptu Patriæ, & ſæculi ad monachos.

Cap. XXXVIII.

Idem ad Heliodorum Monachum. Quanto ſtudio & amore contenderim, vt pariter in eremo moraremur, cōſcium mutuæ charitatis pectus agnoſcit. Verum tu quaſi paruulus delicatus contemptum rogantis per blandimenta fouiſti, & abiens poſtularas, vt tibi poſtquam ad deſerta migraſſem, inuitatoria ſcripta tranſmitterem. Nolo priſtinarũ neceſſitudinum recorderis, nudos amat eremus: Qui in Chriſtum credis, & eius crede ſermonibus. *Quærite primum regnum &c.* Affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt. Qui rogantem contempſeras, forſitan audias obiurgantem. Quid facis in paterna domo delicate miles? ecce de cœlo tuba canit; ecce cum nubibus debellaturus orbem, Imperator armatus egreditur: Ecce biſacutus gladius, ex Regis ore procedens, obuia quæque metit, & tu mihi de cubiculo ad aciem; tu egrederis de vmbra ad ſolem? Corpus aſſuetum tunica, loricæ onus non fert. Caput opertum linteo galeam recuſat. Mollem ocio manum, durus exaſperat capulus. Audi ēdictum Regis tui: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Recordare tyrocinij tui diem quo Chriſto in baptiſmate conſepuleus, in ſacramenti verba iuraſti; pro nomine eius non te patri parciturum eſſe, non matri. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis *ad vexilium crucis* conuola, ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Facile erumpit hæc vincula, *amor Chriſti, & timor gehennæ*: At contra, ſcriptura præcipit *parentibus obſequendum*; ſed quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam ſuam. Gladium tenet hoſtis, ne me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? propter Patrem Chriſti militiam deferã, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? Domino paſſuro timide conſulens Petrus ſcandalum fuit. Paulus retinentes ſe frattes, ne Hieroſolymam pergeret, redarguit. *Aries iſte pietatis quo fides quatitur, Euangelij retundēdus eſt mucrone. Mater mea & fratres mei hi ſunt quicunq; faciunt voluntatem patris mei qui eſt in cælo &c.* Si credunt in Chriſtum faueant mihi pro eius nomine pugnaturo? Si non credunt, mortui ſepeliant ſuos mortuos. Sed hoc nis in martyrio. Erras frater, erras, ſi putas vnquam chriſtianum perſecutionem non pati, & tunc maxime oppugnaris,

Math. 6.

Math. 12.

Luc. 8.

ſi te

1. *Petr* 3. si te oppugnare neſcis. *Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: & tu pacem putas? *Pſal.* 9. *Sedet in inſidijs cum diuitibus.* Et tu frondoſæ arboris tectus vmbraculo, molles ſomnos, futurus præda carpis? Inde me perſequitur luxuria: inde auaricia conatur irrumpere. Inde venter meus vult mihi eſſe Deus pro Chriſto. Perſequitur, inquam, me hoſtis, cui nomina mille, mille nocendi artes, & ego infælix, me victorem putabo dum capior?

De eodem.

Cap. XXXIX.

Luc. 14. ANnimaduerte frater, non tibi licet quicquam habere de tuis rebus: *omnis*, inquit Dominus, *qui non renunciauerit cunctis quæ poſsidet, &c.* Cur timido animo chriſtianus es? *Luc.* 9. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*; & tu amplas porticus, & ingentia tectorum ſpacia metiris? Hæreditatem expectans ſæculi, cohæres Chriſti eſſe non poteris. Interpretare vocabulum *Monachi*, hoc eſt, nomen tuum: Quid facis in turba qui ſolus es? Et hoc ego, non integris rate, vel mercibus, nec quaſi ignarus fluctuum præmoneo: ſed quaſi nuper naufragio eiectus in littus, timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu Carybdis, ibi Scylla. Hic barbarum littus, hic Diabolus pyrata, cum ſocijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri; licet in morem ſtagni fuſum equor arrideat, intus eſt periculum, intus eſt hoſtis; tranquillitas iſta, tempeſtas eſt. Quid ergo? Quicunque in ciuitate ſunt, chriſtiani non ſunt? Non eſt ibi eadem cauſa quæ cæteris. Nam cum derelicta domo te caſtraſſes propter regna cœlorum, quid aliud quàm perfectam ſecutus es vitam? perfectus autem Chriſti ſeruus, nihil præter Chriſtum habet. Audet quiſquam Chriſtum mendacem facere, mammonæ, & Chriſto ſeruiendo, vociferatur ille ſæpe, *Luc.* 9. *ſi quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, &c.* & ego onuſtus auro arbitror me Chriſtum ſequi? Quod ſi nihil habeas (vt te reſponſurum ſcio) cur tam bene paratus ad bella non militas, niſi forte in patria te tua arbitraris hoc facere poſſe, cum in ſua Dominus ſigna nõ fecerit. Sume rationem: *Luc.* 4. *Nemo propheta in patria ſua honorem habet.* Non quæro inquies honorem, ſufficit mihi conſcientia mea. Neque Dominus quærebat honorem, quippe qui ne à turbis Rex conſtitueretur, aufugit. Sed vbi honor non eſt, ibi contemptus eſt, vbi autem contemptus, ibi frequenter iniuria, ibi & indignatio, & nulla quies. Vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex ſtudio, perfectum dici non poteſt. Ex hoc colligitur *monachum perfectum in patria ſua eſſe non poſſe*, perfectum autem eſſe nolle, delinquere eſt. Sed de hoc gradu pulſus, prouocabis ad clericos. Abſit autem vt quicquid de his ſiniſtrum loquar, qui apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt; per quos etiam nos chriſtiani ſumus, qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant, qui ſponſam domini ſobria caſtitate conſeruant. Sed monachi alia cauſa eſt, alia clericorum. Clerici oues paſcunt, ego paſcor. Quod ſi te quoque ad eundem ordinem pia fratrum blandimenta ſollicitant, gaudebo de aſſenſu, timebo de lapſu. 1. *Tim* 3. *Qui epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*, oportet autem huiuſmodi irreprehenſibilem eſſe. Non omnes epiſcopi, epiſcopi ſunt. Attendis Petrum, ſed & Iudam conſidera.

Adhuc de eodem.

Cap. XL.

QVid agis frater in ſæculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbræ premunt, quamdiu fumoſarum vrbium carcer includit? Libet ad purum ætheris volare fulgorem, paupertatem times, ſed BEATOS *pauperes* Chriſtus appellat. Labore terreris? nemo athleta ſine ſudoribus coronatur; de cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Supra nudam metuis humum exeſa ieiunijs membra collidere? ſed dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu Paradiſum mente deambula, quotieſcunque illuc cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis; ſed *qui in Chriſto ſemel lotus eſt, non habet neceſſe iterum lauari.* *Ioan.* 13. Et vt breuiter ad cuncta Apoſtolum audias reſpondentem; *non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi, &c.* *Rom.* 8. Delicatus es chariſſime, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Veniet illa dies, quia ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, lugubrior mundus immugiet. Potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt; exhibebitur cum prole ſua Venus, tunc ignitus Iuppiter adducetur, & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis; Ariſtotelis argumenta non proderunt. Tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & ridebis & dices: *Ecce crucifixus Deus meus, Ecce iudex qui obuolutus pannis in præſepio vagyt.* Hic eſt ille operarij & queſtuariæ filius. Hic *Marc.* 6. qui fugit in Ægyptum, hic qui veſtitus coccino, hic ſen- *Matth.* 2. tibus coronatus; hic Magus dæmonium habens & Samarites. Cerne manus Iudææ, quas fixeras, cerne latus Romane, quod foderas.

Contra monachum vagum & garrulum.

Cap. XLI.

IDem *ad Domnionem.* Miror non erubeſcere monachum & iuuenem cuius de ore veneres fluunt, cuius tanta in loquendo elegantia eſt, vt comico ſale ac lepore perfuſus ſit, luſtrare nobilium domos, matronarum ſalutationibus adhærere, religioni noſtræ pugnam facere, & inter hæc fratri ſuo detrahere. Hic idcirco ſe eruditum putat, quia Iouiniani verba ſolus intelligit. Eſt quippe prouerbium: *Balbum melius balbi verba intelligere.* Inter mulierculas ſciolus ſibi, & eloquens videbatur, poſtquam vero Romam opuſcula mea peruenerunt, me quaſi æmulum exhorruit, quia eius eloquia deſpiciebantur. Vnde intelligat non æque inter fuſa & calamos puellarum, & inter eruditos viros de diuinæ legis dogmatibus diſputare. Scribis igitur hunc de triuio, & de compitis, de plateis, * circumforanum monachum, rumigerulum, rabulam, inſtrumentum ad detrahendum. Qui per trabem oculi ſui feſtucam alterius nitatur eruere; concionari aduerſum me, & libros quos contra Iouinianum ſcripſi, canino dente rodere, lacerare, conuellere. Stultus ego, qui ſine cauſa Gregorium Nazianzenum, & Didymum in ſcripturis ſanctis catechiſtas habui. Nihil mihi profuit Hebræorum eruditio, & ab adoleſcentia vſque ad hanc ætatem, quotidiana in lege, Prophetis, Euangelijs, Apoſtoliſque, meditatio. Inuentus eſt homo abſque præceptore perfectus, qui eloquentia Tullium, argumentis Ariſtotelem, prudentia Platonem, eruditione Ariſtarchum, multitudine librorum Chalcenterum; Didymum ſcientia ſcripturarum, omneſque ſui temporis vincat tractatores. Denique dicitur materiam poſcere, & ad carnẽ, & ad Deum aliquid referens in vtranque partem, hoc eſt & pro iuſtitia & contra iuſtitiam diſputare. Quæſo igitur te pater chariſſime, vt moneas eum ne loquatur contra propoſitum ſuum, ne caſtitatem habitu pollicens, verbis deſtruat, ne virgo vel continens, (ipſe enim viderit quid eſſe ſe iactet) maritatas virginibus comparet. Parcat ſibi, parcat mihi, parcat nomini chriſtiano. Monachum ſe eſſe, non loquendo & diſcurſando, ſed tacendo & ſedendo nouerit. Non damno nuptias, ſed volo omnes, qui propter timores forſitan nocturnos ſoli cubitare non poſſunt, vxores ducere.

* *contumelioſe addit circumforaneum cum monachus nomen habet à ſolitudine.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Cuſtodia virginitatis.

CAP. XLII.

IDem *ad Euſtochium de virginitate ſeruanda.*
Audi filia & vide &c. Nulla in hoc libello adulatio. Adulator quippe blandus inimicus eſt. Nulla erit rhetorici pompa ſermonis, quæ te etiam inter Angelos ſtatuat. Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro, latro tibi vitandus eſt, ſtadium eſt vita hæc mortalibus. Hic contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. *Et inebriatus eſt*, inquit Dominus, *gladius meus in cœlo, & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & ſpinas, quas ſerpens comedit.* Magnis inimicorum circundamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia, caro fragilis, & cinis futura poſt modicum, pugnat ſola cum pluribus. Quòd ſi eorum te multitudo turbauerit, & ad ſingula incitamenta vitiorum cæperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua: Quid faciemus? reſpondebit tibi Heliſæus: *Noli timere, quoniam plures nobiſcum ſunt quàm cum illis.* Et apertis oculis, videbis igneum currum, qui te ad exemplum Heliæ in aſtra ſuſtollet. Et tunc læta cantabis: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt, &c.* Caue quæſo nequando dicat de te Deus: *Virgo Iſrael cecidit, non eſt qui ſuſcitet eam.* Audenter loquar: cum omnia Deus poſſit; ſuſcitare non poteſt virginem poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam. Rectius fuerat hominis ſubijſſe coniugium, ambulaſſe per plana, quàm ad altiora tendentem, in profundum inferni cadere. *Nolo ſinas cogitationem creſcere, dum paruus eſt hoſtis, interfice, nequitia elidatur in ſemine.*

Pſal. 44. Eſai. 34. 4. Reg. 6. Pſal. 123. Amos 5.

Exemplum Hieronymi de ſeipſo.

CAP. XLIII.

QVoties in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putaui me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine eram repletus. Horrebat ſacco membra deformia; & ſqualida cutis ſitum æthyopicæ carnis obduxerat; quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix hærentia oſſa collidebam. De cibis vero, & potu taceo; cũ etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid acceperim, luxuriæ ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque ab omni auxilio deſtitutus, ad *Ieſu* iacebam pedes, rigabam lachrymis, & crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non erubeſco confiteri miſeriam infælicitatis meæ; quin potius plango me non eſſe quòd fuerim. Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm à Domino rediret increpante tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam quaſi cogitationum mearum conſcientiam pertimeſcebam; & mihimet iratus, & rigidus ſolus deſerta penetrabam. Sic vbi concaua vallium, vel aſpera montium, rupium prærupta cernebam: ibi meæ orationis locus erat, ibi miſerrimę carnis ergaſtulum. Et (vt mihi ipſe teſtis eſt Dominus) poſt multas lachrymas, poſt cœlo oculos inhærentes, nonnunquam videbar intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſque cantabam. *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Si autem hæc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus impugnantur: quid patitur puella, quæ delicijs fruitur? *viuens mortua eſt.*

Cant. 1. 1. Tim. 5.

Quod per abſtinentiam nutrienda eſt caſtitas.

CAP. XLIIII.

SI quid itaque poteſt in me eſſe conſilij, ſi experto creditur, hoc primum moneo; hoc obteſtor, *vt ſponſa Chriſti* VINVM *fugiat pro veneno*: hæc aduerſus adoleſcentiam prima arma ſunt dæmonum. Non ſic auaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambitio, facile alijs caremus vitijs. Hic hoſtis intus incluſus eſt, quocunque pergimus nobiſcum portamus inimicum. *Vinum, & adoleſcentia, duplex incendium voluptatis.* Quid oleum flammę adijcimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Paulus ad Timothæum: *Iam noli*, inquit, *aquam bibere. &c.* Vide quibus cauſis vini potio concedatur, vt ex hoc ſtomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas. Et ne nobis forſitan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcepit eſſe bibendum, medici potius conſilio quàm Apoſtoli. Noe vinum bibit, & inebriatus eſt, rudi adhuc ſæculo. Et vt intelligas ſcripturæ in omnibus ſacramentum, (margaritum quippe eſt ſermo Dei, & ex omni parte forari poteſt) poſt ebrietatem nudatio fœmorum ſubſecuta eſt, libido iniuncta eſt luxuriæ, prius venter extenditur, & ſic cætera membra concitantur. *Manducauit enim populus & bibit, & ſurrexerunt ludere.* Loth amicus Dei, in monte ſaluatur, & de tot millibus populi ſolus iuſtus inuentus; inebriatur à filiabus ſuis. Et licet illæ putarent genus hominum defeciſſe, & hoc facerẽt liberorum magis deſiderio, quàm libidinis: tamen virum iuſtum ſciebant, hoc niſi ebrium non eſſe facturum; denique quid fecerit, ignorauit. Et quamquam voluntas non ſit in crimine, error tamen in culpa eſt. Helias cum Iezabel fugeret, & ſub quercu feſſus iaceret: ecce ad caput eius panis colliryda, & vas aquæ. Reuera non poterat Deus conditum ei merum mittere & electos cibos, & carnes contuſione mutatas Heliſeus filios prophetarum inuitat ad prandium, & herbis agreſtibus eos alens, conſonum prandentium audit clamorem, mors in olla, homo Dei; non iratus eſt cocis: Lautioris enim menſæ conſuetudinem non habebat, ſed farina deſuper iacta, amaritudinem dulcorauit, eadem ſpiritus virtute, qua Moyſes mutauerat maran in dulcedinem. Et primus è paradiſo homo ventri magis obediens, quàm Deo, in hanc lachrymarum deiectus eſt vallem, & ipſum dominum fame Sathanas tentauit in deſerto. Et Apoſtolus clamitat, de luxuriosis, *quorum Deus venter eſt.* Id enim colit vnuſquiſque quod diligit. Ex quo ſollicite prouidendum eſt, vt *quos ſaturitas de Paradiſo expulit, reducat eſuries.*

1. Tim. cap. 5. Gen. 9. Exod. 32. Gen. 19. 4. Reg. 4. Exod. 15. 1. Cor. 6.

Quòd ſi volueris reſpondere, te nobili ſtirpe generatam, ſemper in delicijs, ſemper in plumis, non poſſe à vino, & ſculentioribus cibis abſtinere, nec his legibus viuere, diſtrictius reſpondebo: Viue ergo lege tua, quæ Dei non potes: Non quod Deus vniuerſitatis creator & dominus, inteſtinorum noſtrorum rugitu & inanitate ventris, pulmonumque delectetur ardore: ſed quia aliter pudicitia tuta eſſe non poſſit. Iob Deo charus, audi quid de diabolo ſuſpicetur: *Virtus eius in lumbis eius, &c.* Honeſtè viri mulieriſque genitalia, immutatis ſunt appellata nominibus. Omnis igitur aduerſum vires Diaboli virtus in lumbis eſt, omnis in vmbilico contra fœminas fortitudo. Vis ſcire ita eſſe? accipe exempla: Samſon leone fortior, ſaxo durior, & qui vnus & nudus mille eſt perſecutus armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. Dauid ſecundum cor Domini electus: & qui venturum Chriſtum ſancto ſæpe ore cantauerat, Bethſabee captus nuditate, adulterio iunxit homicidium. Salomon, per quem ſe cecinit ipſa ſapiẽtia, receſſit à domino, quia amator mulierum fuit. Et ne aliquis ſibi de ſanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar ſororis, Amnon frater exarſit incendium.

Iob 40. Iud. 14. & 16. 1. Reg. 16. 2. Reg 11. 2. Reg. 13.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Viduis fictis & libidinosis.

CAP. XLV.

VIdeas pleraſque viduas antequam nuptas, infælicem conſcientiam mentita tantum veſte protegere, quas niſi tumor vteri, vel infantum vagitus prodiderint, erecta ceruice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ vero ſterilitatem præbent, & necdum nati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum ſe ſenſerint cōcepiſſe, de ſcelere abortiui venena meditantur; & frequenter ipſæ commortuæ trium criminum reæ, ſic ad inferos perducuntur, homicidæ ſui, adulteræ Chriſti, necdum nati filij parricidæ. Hæ ſunt quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtiuis oculorum nutibus Adoleſcentium greges poſt ſe trahunt: & quam viderint pallentem ac triſtem, miſeram, ac Manichæam vocant. Et cum ſe mero ingurgitauerint, ſacrilegium corpus domini ſumendo committunt. Purpura tantum in veſte tenuis & laxius, vt crines decidant ligatum caput, ſoccus vilior, & per humeros hyacinthina læna mauorte volitans; ſtrictæ manicæ brachijs adhærentes, & ſolutis genibus fractus inceſſus. Hæc eſt apud illas tota virginitas; habeant iſtæ huiuſmodi laudatores ſuos, vt ſub virginali nomine citius pereant. Libenter talibus non placemus. Pudet dicere, proh nefas; triſte, ſed verum eſt. Vnde in eccleſias Agapetarum peſtis introiuit? Vnde ſine nuptijs aliud nomen vxorum? quæ eadem domo, vno cubiculo, ſæpe vno tenentur & lecto: & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliud æſtimemus.

De Vita virginum.

CAP. XLVI.

NVnc ad te mihi omnis dirigatur oratio, quæ quāto prima Romanæ vrbis virgo nobilis eſſe cæpiſti, tanto tibi amplius laborandum eſt, ne & præſentibus bonis careas, & futuris. Et quidem moleſtias nuptiarū, & incerta cōiugij, de domeſtico exemplo didiciſti, cum ſoror tua Bleſilla ætate maior, ſed propoſito minor, poſt acceptum maritum, ſeptimo menſe viduata, & virginitatis coronam & nuptiarum perdidit voluptatem. Nolo te ad domos nobilium matronarum accedere, nec frequenter videre quod contemnis. Diſce in hac parte ſanctam ſuperbiam, quæ ſponſa Chriſti es, ſcito te illis eſſe meliorem, nec earum tantum te cupio vitare congreſſus, quæ maritorum inflantur honoribus, quas Eunuchorum greges ſepiunt, ſed etiam eas quas viduas neceſſitas facit, quarum domus plena conuiuijs, plena adulatoribus. Quarum rubentibus buccis cutis farta diſtenditur, vt eas putes maritos non amiſiſſe, ſed quærere. Rarus tibi ſit in publicum egreſſus, martyres tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquàm deerit cauſa procedendi, ſi ſemper quando eſt neceſſe, proceſſura ſis. Ad orationem tibi nocte ſurgenti non indigeſtio tibi ructum faciat, ſed inanitas. Crebrius lege, quamplurima diſce, tenenti te codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſaturitatem fugiens. Nihil prodeſt biduo triduoque tranſmiſſo, vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur; ſi compenſatur ſaturitate ieiunium. Illico irrigata humus ſpinas libidinum germinat, & mēs repleta torpeſcit. Siquando ſenſeris exteriorem hominem florem adoleſcentiæ ſuſpirare, & accepto cibo cū te in lectulo compoſitam dulcis libidinum pompa concuſſerit, *arripe ſcutum fidei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur ſagittæ; omnes enim adulterantes, quaſi clibanus corda eorum.* At tu Chriſti comitata veſtigijs, & ſermonibus eius intenta dicito: *Nonne cor noſtrum ardens erat, &c.* Difficile eſt humanam animam aliquid non amare, & neceſſe eſt, vt in quoſcunque noſtra mens trahatur affectus; carnis amor ſpiritus amore ſuperetur. Deſiderium deſiderio reſtringatur, quicquid inde minuitur, hinc creſcat.

Ephes 6. Oſee 7. Luc. 24.

De Laude virginitatis.

CAP. XLVII.

QVis noſtrum ex corde dicere poteſt. *Potum meum cum fletu miſcebam?* an non flendum eſt, non gemēdum, cum me rurſum ſerpens de paradiſo virginitatis eiectum, tunicis vult veſtire pelliceis, quas Helias ad Paradiſum rediens, protecit in terram? Quid mihi & voluptati quæ in breui perit? Nolo illi ſubiacere ſententiæ, qua in homines eſt illata damnatio. *In doloribus paries &c.* Lex iſta non mea eſt, & ad virum conuerſio tua, ſit conuerſio illius ad maritum eius quæ virum non habet *Chriſtum.* Meum propoſitum ſine ſexu eſt, habeāt nuptiæ ſuum tempus, & titulum; mihi virginitas in MARIA dedicatur & CHRISTO. Dicat aliquis. Et audes nuptijs detrahere, quę à Domino benedictę ſunt? Non eſt detrahere nuptijs, cum illis virginitas anteferatur. Glorientur & nuptæ, cum virginibus ſint ſecundæ: Creſcat & multiplicetur ille, qui impleturus eſt terram; tuum agmen in cœlis eſt. Poſt Paradiſum & nuditatem & ficus folia auſpicantia pruriginem nuptiarum. Nubat & nubatur ille, qui in ſudore faciei comedit panē ſuum, cuius terra tribulos generat & ſpinas, cuius herba ſentibus ſuffocatur, meum ſemen centenaria fruge fœcundum eſt. Conſuant tunicas, qui inconſutam deſurſum tunicam perdiderunt, quos vagitus delectat infantium, in ipſo lucis exordio fletu lugentium quod nati ſunt. Eua in paradiſo virgo fuit, poſt pelliceas tunicas, initium ſumpſit nuptiarum. Tua regio paradiſus eſt, ſerua quod nata es. Et vt ſcias virginitatem eſſe naturæ, nuptias poſt delictum; virgo naſcitur caro de nuptijs, in fructu reddens, quod in radice perdiderat. Virga eſt mater domini ſimplex, pura, ſincera, nullo extrinſecus germine cohærente, & ad ſimilitudinem Dei vnitate fœcunda. Virgo flos Chriſtus eſt, dicens: *Ego flos campi.* Laudo nuptias quia mihi virgines gnerant, lego de ſpinis roſam, de terra aurum; de concha margaritam. Plus nuptiæ honorantur, quando quod de illis naſcitur, plus amatur.

Pſal. 101. Gen. 3. 4. Reg. 2. Gen. 3. Gen. 3. Cant. 2. Gen. 25. Gen. 30. 1. Cor. 7. Ibid. 1. Cor. 7.

Adhuc de eodem.

CAP. XLVIII.

QVid inuides Mater filiæ tuæ? indignaris quod militis noluit vxor eſſe, ſed Regis? Grande tibi beneficium præſtitit, ſocrus Dei eſſe cœpiſti. *De virginibus,* inquit Apoſtolus, *Præceptum Dei non habeo.* Quare? Quia vt ipſe eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Nec enim audiendi ſunt, qui eum vxorem habuiſſe confingunt, cum de continentia diſſerens & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: *Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum.* Et infra: *Dico autem innuptis & viduis, bonum eſt illis vt ſic permaneant, ſicut & ego.* Quare ergo non habet domini de virginitate præceptum? Quia maioris eſt mercedis, quod non cogitur, ſed offertur. Quia ſi fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ; & duriſſimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere: & id quodammodo damnare, quod conditum eſt. Alia fuit in veteri lege fælicitas, beatus qui habet ſemen in Sion. Vacuus erat orbis, & vt de typicis taceam, ſola erat benedictio liberorum. Propterea & Abraham iam ſenex Cethuræ copulatur, & Iacob mandragoris redimitur, & concluſam vuluam in Eccleſiæ figuram Rachel pulchra conquerit. Paulatim vero increſcente ſegete meſſor immiſſus eſt, virgo Helias, Heliſeus virgo, virgines multi filij prophetarum. Hieremias captiuitate propinqua, vxorē prohibetur accipere. Alijs verbis idipſum Apoſtolus loquitur: *Tempus breuiatum eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores, ſint quaſi non habentes.* Inueniebatur, parturiebat. Poſtquā virgo vero concepit in vtero, & peperit nobis patrem futuri ſæculi, ſoluta maledictio eſt. Statim vt filius Dei

Gen. 25. Gen. 30. 1. Cor. 7.

ingreſſus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris. Si tibi placet ſcire quot moleſtijs virgo libera foret, quot vxor aſtricta ſit, legas Tertullianū ad amicum philoſophum, ſcribentem de virginitate alios libellos, & beati Cypriani volumen egregium, & Papæ Damaſi ſuper hac re verſus proſaſque compoſitas, & Ambroſij noſtri quod nuper ad ſororem ſcripſit opuſculum: In quibus tanto ſe effudit eloquio, vt quicquid ad laudem virginum pertinet exquiſierit, ordinauerit, expreſſerit; nobiſque diuerſo tramite quo inceſſerit, incedendum eſt virginitate, non tantum efferimus, ſed ſeruamus. Nec ſufficit ſcire quod bonum eſt, niſi cuſtodiatur attentius, quod electum eſt: quia illud iudicij eſt, hoc laboris, & illud commune cum pluribus, hoc vero cum paucis.

De Cautela virgini ſeruanda contra ſæculi tentamenta.

CAP. XLIX.

ITaque obteſtor te coram Domino & Angelis eius, ne vaſa templi facile in publicum proferas, ne ſacrarium Dei quiſquam profanus inſpiciat. Oza arcam quā non licebat tangere, attingens morte ſubita proſtratus
2.*Reg.*6. eſt. Neque enim aureum vas, & argenteum tam charum fuit Deo, quàm templum corporis virginalis. Præceſſit vmbra, nunc veritas eſt. Tu quidem ſimpliciter loqueris, & ignotos quoſque blanda voce non deſpicis: Sed aliter impudici vident oculi, non norunt animæ pulchri-
*Pſal.*140. tudinem conſiderare, ſed corporum. *Ne declines aurem tuam in verba malitiæ.* Sæpe enim indecens aliquid loquentes, tentant mentis arbitrium: ſi libenter audias virgo quod dicitur, ſi ad ridicula quæque ſoluaris; quicquid dixeris, laudant; quicquid negaueris, negant: Caſtam vocant & ſanctam; ecce vere Chriſti ancilla dicentes, non vt illa horrida, turpis, ruſticana, terribilis, & quæ ideo forſitan maritum non habuit, quia inuenire non potuit. Naturali ducimur malo, & adulatoribus noſtris libenter fauemus: & quamquam nos reſpondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur. Sponſa Chriſti arca eſt teſtamenti, intrinſecus & extrinſecus deaurata, cuſtos legis domini, ſuper hoc propiciatorium, quaſi ſuper Cherubin ſedere vult Dominus. Mittit diſcipulos ſuos, vt in te, ſicut in pullo aſinæ, ſedeat. Curis te ſæcularibus ſolue, vt paleas & lateres Ægypti derelinquēs,
*Matth.*21. *Exod.*5. Moyſen ſequaris in eremo, & terram repromiſſionis introeas; & nemo ſit, qui prohibeat, non mater, non ſoror, non cognata, non germanus, Dominus te neceſſariam habet. Quod ſi voluerint impedire, timeant flagella Pharaonis. Ieſus ingreſſus templum, omnia quæ
Marci 11. templi non erant, proiecit. *Deus enim zelotes eſt*: ergo vbi in pectore virginali ſæcularium negociorū cura æſtuat, ſtatim velum templi ſcinditur; ſponſus conſurgit iratus, & dicit: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Semper te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant; ſemper tecum ſponſus laudat intrinſecus, orans, loqueris ad ſponſum,
*Matth.*23. *Cant.*4. legenti, tibi ille loquetur. *Hortus conclusus, ſoror mea, fons ſignatus.* Caue ne domum exeas, vt velis videre filios regionis alienæ; quamuis fratres habeas Patriarchas, & Iſrael parente læteris, nolo te ſponſum quærere per plateas, nolo te circuire angulos ciuitatis. Sponſus in plateis non poteſt inueniri, *arcta & angusta via eſt quæ ducit ad vitam.* Atque vtinam non inueniſſe ſufficiat, vul-
*Matth.*7. *Cant.*5. neraberis, nudaberis, & gemebunda narrabis; *Inuenerunt me &c.* Zelotipus eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem tuam. Foras vagentur virgines ſtultæ, tu intrinſecus eſto cum ſponſo; quia ſi oſtium clauſeris & in
*Matth.*25. occulto oraueris, veniet & pulſabit & dicet; *ecce ego ſto ante ianuam, &c.* Daniel in cænaculo ſuo (neque enim manere poterat in humili) feneſtras ad Hieruſalē apertas habuit, & tu habeto apertas feneſtras; ſed vnde lumen introeat, vnde videas ciuitatem Dei, ne aperias illas feneſtras de quibus dicitur; *mors intrauit per feneſtras veſtras.* *Hierem.*9.

Quòd Virgini cauenda ſit inanis gloria.

CAP. L.

ALiud quoque tibi vitandum eſt cautius, ne vanæ gloriæ ardore capiaris. Cum facis eleemoſynam, Deus ſolus videat. Cum ieiunas, læta ſit facies tua. Veſtis nec ſatis munda, nec ſatis ſordida, & nulla diuerſitate notabilis; ne tibi obuiam prætereuntium turba cōſiſtat, & digito demonſtreris. Nec ſatis religioſa velis videri, nec plus humilis quàm neceſſe eſt, nec gloriam fugiendo quæras; plures enim paupertatis, & miſericordiæ, atque ieiunij arbitros declinantes, in hoc ipſo placere cupiunt, quod placere contemnunt; & mirū in modum laus dum vitatur, appetitur. Hoc vitio pauci admodum ſunt qui caruerint, & ille eſt optimus, qui quaſi in pulchro corpore rara neruorum ſorde reſpergitur. Neque vero moneo, ne de diuitijs glorieris, ne de generis nobilitate te iactes: ſcio humilitatem tuam; ſtultiſſimum quippe eſt docere, quod nouerit ille quem doceas. Sed ne hoc ipſum tibi iactātiam generet, quod ſæculi iactantiam contempſiſti; nec cogitatio tacita ſubrepat, vt quia in auratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordidis, & ſi quando in conuentum fratrum veneris, vel ſororum, humilius ſedeas, ſcabello te cauſeris indignam, vocem ex induſtria quaſi cōfectam ieiunijs non tenues, & deficientis imitata greſſum humeris ne innitaris alterius. Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes, quæ ſtatim vt aliquem viderint, ingemiſcunt, demittunt ſupercilium, & operta facie, vix vnum oculum liberant ad videndum. Veſtis pulla, cingulum ſacceum, ſordidis manibus pedibuſque, venter ſolus quia videri non poteſt, æſtuat cibo. Aliæ virili habitu, veſte mutata, erubeſcunt fœminæ eſſe quod natæ ſunt, crinem amputant, & impudenter
1.*Cor.*11. erigunt facies eunuchinas. Sunt quæ cilicijs veſtiuntur & cucullis fabrefactis, vt ad infantiam redeant, imitantur noctuam & bubones. Sed ne tantum videar diſputare de fœminis, viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi impatientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli. Triſtitiam ſimulant, & quaſi longa ieiunia furtiuis noctium cibis protrahunt. Pudet reliqua dicere ne videar inuehi potius, quàm monere.

De Quibuſdam diſſolutis Monachis.

CAP. LI.

ITerum *de moribus virginis.* Sunt & alij, (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo ad preſbyterium & ad diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant; ſi pes laxa pelle non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur; digiti annulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis æſtimato quàm clericos.

Quidam in hoc omne ſtudium vitamque poſuerunt, vt matronarum nomina, domos moreſque cognoſcant. Mane ſurgentes; de domo in domum ſalutādi cauſa diſcurrunt, & penè vſque ad cubiculum dormientium importune ingrediuntur: Si puluillum viderint, vel mantile elegans, vel aliquid domeſticæ ſupellectilis, laudant, mirantur, attrectant, & ſe eo indigere cōquerentes, non tam impetrant quàm extorquent. His inimica caſtitas & ieiunia. Os barbarum & procax, & in conuicia ſemper armatum. Quocūque te verteris, primus in facie eſt. Quicquid nouum inſonuerit, vel auctor vel exaggerator eſt fame. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conueniunt chriſtiano. Si quid ignoras, ſi quid de ſcripturis dubitas, interroga eum quem vita cōmendat, ex-

cuſat

cuſat ætas, fama non reprobat, aut ſi non eſt qui poſſit exponere, melius eſt aliquid neſcire ſecure, quàm cum periculo diſcere. Memento quia in medio laqueorum ambulas, & multæ veteranæ virgines caſtitatis indubitatæ, in ipſo mortis limine coronam perdidere de manibus. Si quæ ancillulæ ſunt comites propoſiti tui, ne erigaris aduerſus eas, nec infleris vt domina; vnum ſponſum habere cœpiſti. Eas autem virgines viduaſque, quæ ociosæ & curioſæ domos circumeũt matronarum, quæ rubore frontis attrito, paraſitos vincunt mimorum, quaſi quaſdam peſtes abijce. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* 1.Cor.15. Nulla illis, niſi ventris cura eſt, & quæ ventris ſunt proxima. Vinoſæ atque laſciuæ quicquid vis mali inſinuant, ac ferreas quoq; mentes ad delitias mollunt.

Quod Libri Poetarum & Philoſophorum propter ſacros libros ſpernendi ſunt.

CAP. LII.

2.Cor.6. 1.Cor.8. QVæ enim communicatio luci ad tenebras? Quid facit cum Pſalterio Horatius? cum euangelijs Maro? cum Apoſtolis Cicero? Olim cum relicta domo & parentibus pro Chriſto militaturus pergerem Hieroſolymam; bibliotheca quàm mihi Romæ ſummo ſtudio confeceram, carere non poteram. Itaque poſt crebras vigilias & lachrymas, quas præteritorum recordatione peccatorum fundebam, Plautus vel Tullius ſumebatur in manibus; ſi quando in memetipſum reuerſus, Prophetam legere cepiſſem, ſermo horrebat incultus, & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum culpam putabam eſſe, ſed Solis. Denique in medio ferme 40. medullis infuſa febris ſic infælicia membra depaſta eſt, vt oſſibus vix hærerent. Interim parabantur exequiæ, & vitalis animæ calor toto iam frigeſcente corpore, in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat. Tamen ſubito raptus in ſpiritu ad tribunal Iudicis pertrahor, vbi tantum luminis erat, vt proiectus in terram ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, *Chriſtianum* me eſſe reſpondi. Et ille qui præſidebat: mentiris ait, Matth.6. CICERONIANVS ES, *non Chriſtianus: vbi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Illico obmutui, & inter verba, quibus cædi me iuſſerat, cõſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum repetens: Pſal.6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Clamabam autem inter verbera: *Miſerere mei domine, miſerere mei.* Tandem ad præſidentis genua prouoluti qui aſtabant precabantur, vt veniam daret adoleſcentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego itaque qui conſtitutus in tanto articulo etiam vellem maiora promittere; deierare cæpi & dicere: Domine ſi vnquam habuero codices ſæculares, ſi legero, te negaui. Inter hęc verba dimiſſus reuertor; & mirantibus cunctis oculos aperui, multo lachrymarum imbre perfuſos; nec hæc vani ſomnij illuſio fuit. Teſtis mihi tribunale ante quod ſteti, & iudicium quod timui, nam fateor me plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & liuentes ſcapulas habuiſſe. Tantoque dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram.

De Auaritia fugienda.

CAP. LIII.

AVaritiæ quoque tibi vitandum eſt malum, non vt aliena non appetas (hoc enim & publicæ leges puniunt) ſed quo tua quæ tibi ſunt aliena, non ſerues. Si Luc.16. in alieno, inquit, fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Aliena nobis auri argentique ſunt pondera; noſtra poſſeſſio ſpiritualis eſt, de qua alibi dicitur: *redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.* At dicis: Puella ſum delicata, & quæ meis manibus laborare nõ poſſum, ſi ad ſenectam venero, ſi ægrotare cæpero, quis mei miſeribitur? Audi Apoſtolis loquentem Ieſum: *Reſpicite volatilia cæli &c.* Si veſtis defuerit, lilia proponuntur, ſi eſurieris, *beatos audies, pauperes & eſurientes.* Si aliquis afflixerit dolor, legito, *complaceo mihi in infirmitatibus meis, & datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ ne extollar.* Lætare in omnibus iudicijs Dei. *Exultauerunt enim filiæ Iudæ in omnibus iudicijs tuis Domine. Nihil intulimus in hunc mundum, neque auferre quid poſſumus.* At nunc pleraſque videas armaria ſtipare veſtibus, tunicas mutare quotidie, & tamẽ tineas non poſſe ſeparare. Inficiuntur membranæ colore purpureo, aurum liqueſcit in literas, gemmis codices veſtiuntur, & nudus ante fores earum Chriſtus emoritur. Infinita de ſcripturis exempla ſuppetant, quæ auaritiam doceant eſſe fugiendam, verum quid ante non plures annos Nitriæ geſtum ſit referam.

Matth.6. Matth.5. 2.Cor.12. Pſal 47. Iob.1.

Quidam è fratribus parcior magis quàm auarior neſciens, 30. argenteis dominum venditum. c. ſolidos, quos lina texendo acquiſierat, moriens dereliquit: Initum eſt inter monachos conſilium, nam in eodem loco circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant, quid facto opus eſſet: & alij pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant, alij dandos eccleſiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macharius vero, & Pambo, & Iſidorus, & cæteri patres, ſancto in eis loquente ſpiritu decreuerunt infodiendos eſſe cum eodem, dicentes: *Pecunia tua tecum ſit in perditione:* grandiſque per totum Ægyptum cunctos terror inuaſit. Et quoniam Monachorum fecimus mentionem, & te ſcio libenter audire quæ ſancta ſunt, aurem pauliſper accommoda.

De Triplici genere monachorum antiquorum.

CAP. LIIII.

TRia ſunt in Ægypto genera monachorum: Primum eſt Cœnobitarum, ideſt, in communi viuentium. Prima apud eos confœderatio eſt obedire maioribus. Diuiſi ſunt per decurias & centurias, ita vt. 9. hominibus decimus præſit, & rurſum 10. præpoſitos ſub ſe habeat centeſimus Manent ſeparati, ſed iunctis cellulis vſque ad horam nonam. Statutum eſt vt nullus pergat ad alium, pręter decanos; vt ſi forte fluctuat quis cogitationibus, illius conſoletur alloquijs. Poſt nonam vero in commune concurritur, pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur, & completis orationibus, cunctis reſidentibus medius quem patrem vocant, incipit diſputare, quo loquente tantum ſilentium fit, vt nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare, dicẽtis, laus in fletu eſt audientiũ. Tacitę voluuntur per ora lachrymæ, nec in ſingultis erũpit dolor. Cum vero de regno Chriſti, & futura gloria cęperit annunciare vẽtura, videas cũctos ſuſpirio moderato, & oculis ad cęlum leuatis dicere intra ſe: *Quis dabit* Pſal.54. *mihi pennas, &c.* Dehinc vnaquæque decuria cum parẽte ſuo pergit ad menſas, quibus viciſſim miniſtrant, pane viuitur & leguminibus & oleribus, quæ ſale ſolo condiuntur. Vinum tantum ſenes accipiunt, quibus & cum paruulis ſępe fit prandiũ, vt aliorum feſſa ſuſtentetur ætas, aliorũ non frangatur incipiens. Ipſi autem patres nocte circumeunt cellulas ſingulorum, & aure appoſita diligenter quid faciant explorãt. Quem tardiorem deprehenderint, non mox increpant, ſed diſſimulato quod norunt, eum ſępius viſitant, & prius incipientes prouocant magis orare, quã cogunt. Et quia non licet cuiquam dicere, tunicam vel ſagum nõ habeo, ita Oeconomus vniuerſa moderatur, vt nemo quid poſtulet, nemo non habeat. Si quis autem ægrotare cęperit, transfertur ad exedram latiorem; & tanto ſenum miniſterio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quęrat affectum.

Secundum genus eſt Anachoritarum, ideſt, ſolitariorum, qui de cœnobijs exeuntes, excepto pane & ſale, nihil ad deſerta perferunt. Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & vt altiùs conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta fuit. Tertium genus eſt quod dicitur Remoboth, deterrimum atque neglectum: hi bini vel trini habitant, nec multo plures, ſuoque arbitrio ac ditione viuentes de eo quod laborauerint, in medium par-

tes

tes conterunt vt habeant alimenta comestunia: habitant autem quamplurimi in castellis & vrbibus, & quasi ars sit sancta, non vita, quicquid vendiderint, maioris est pretij. Inter hos sępe iurgia sunt, quia cibo suo viuentes non patiuntur alicti se esse subiectos. Reuera solent certare in ieiunijs, & rem secreti victoriæ facere. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, & caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.

De Oratione & cæteris quæ debet virgo seruare.

CAP. LV.

1. ad Thes. 5. QVanquam Apostolus semper nos orare iubeat, & sanctis etiam ipse somnus oratio sit, tamen diuersas orandi horas debemus habere, & si forte aliquo opere detenti fuerimus, ipsum tempus nos ad officium admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperum nemo est qui nesciat. Cibi non sumantur, nisi oratione præmissa, nec à mensa surgendum, nisi gratia referatur creatori. Noctibus bis surgendum; egredientes de hospitio armet oratio; regredientibus occurrat oratio prius quàm sessio; ad omnem incessum manus pingat crucem. Teipsam considerans noli in alterius ruina, sed in tuo opere gloriari. Nec dicas; illa suis rebus fruitur, honoratur ab hominibus, fratres ad illam veniunt & sorores. Primum dubium est, an virgo
1. Reg. 16. sit talis; nam *homo videt in facie, Deus in corde.* Dehinc, etiamsi corpore virgo est, an spiritu virgo sit, nescio. Apo-
1. Cor. 7. stolus autem ita virginem diffiniuit, *vt sit sancta corpore & spiritu.* Ad extremum habeat sibi gloriam suam: vincat Pauli sententiam, delicijs fruatur & viuat; nos meliorum exempla sectemur. Propone tibi beatam MARIAM, ad quam cum Angelus Gabriel in viri specie
Luc. 1. descendisset, perterrita respondere nō potuit, nunquam enim fuerat à viro salutata. Deinde nuncium discit, & loquitur, & quæ hominem formidabat, cum Angelo fa-
Esaia 26. bulatur intrepida. Potes & tu *Mater esse Domini*, vt dicas: *A timore tuo Domine concepimus.* Cæterum virgines quales apud diuersas hæreses esse dicuntur; scorta sunt æstimādæ, non virgines; sed quia sciunt virginale vocabulum glorioſum, sub ouium pellibus lupos tegunt; Christum
Math. 7. mentiuntur, Antichristum conuestiunt. Gaude virgo, quia quod aliæ simulant, tu vere esse cœpisti. Hæc omnia quæ digessimus, dura videbuntur ei quæ non amat
Rom. 8. Christum. Quæ autem commortua est Domino, & cōsurrexit, libere clamabit: *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Amemus & nos Christum semper, & eius quæramus amplexus, & facile videbitur omne difficile, breuia putabimus vniuersa quæ longa sunt, & iaculo illius
Psal. 119. vulnerati, dicemus: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Filius Dei pro salute nostra hominis factus filius, decem mensibus in vtero vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, & ille pugillo mundum includens breui præsepio collocatur,
Psal. 115. deridetur, verberatur, crucifigitur. *Quid igitur retribuam Domino &c. Calicem salutaris.* Hæc est enim sola digna retributio, cum sanguis sanguine compensatur.

Apostolus *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in fame & siti &c.* Nos autem si cibus insulsior fue-
2. Cor. 11. rit, contristamur, calix frangitur, mensa subuertitur, verbera sonant, & aqua tepidior sanguine vindica-
Matth. 11. tur. *Regnum cælorum vim patitur.* Nisi vim feceris, cæ-
Luc. 11. lorum regna non capies. Nisi pulsaueris importune, panem non accipies sacramenti. An non tibi videtur esse violentia, cum caro vult esse quod Deus est, & illum locum vnde Angeli corruerunt, Angelos iudicatura conscendit? Egredere, quæso, paulisper de carcere, & præsentis laboris mercedem ante oculos tuos pinge,
Esa. 64. *quam oculus non vidit.* Qualis erit illa dies, cum tibi Maria Mater Domini choris occurret comitata Virginum? cum post mare rubrum Pharaone submerso cum exer-
Exod. 15. citu suo, tenens tympanum præcinet responsuris: *Cantemus &c.* Tunc Tecla in tuos læta volabit amplexus. Tūc & ipse sponsus occurret & dicet: *Surge propera amica mea &c.* Cant. 6. Tunc & Angeli mirabuntur & dicent: *Quæ est ista quæ progreditur &c.* Ibidem. Videbunt te filiæ, & prædicabunt Reginæ, & laudabunt. Sara cum nuptis, obuia veniet, Anna cum vidnis; Pueri quoque clamabunt: *Osanna in excelsis.* Ioan. 12. Quoties te vana sæculi delectauerit ambitio, quoties ibi videris aliquid glorioſum; ad Paradisum mente transcende.

De custodia virginitatis.

CAP. LVI.

IDem *ad Demetriadem virginem.* Incredibilis animę fortitudo est, inter gemmas & sericum, inter eunuchorum & puellarum cateruas, & adulationem & ministeria familiæ perstrepentis, & exquisitas epulas, ieiuniorum laborem appetere, vestium asperitatem, victus continentiam. Solent miseri parentes, & non plenæ fidei christianæ; deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inuenerunt, virginitati tradere, tanti (vt dicitur) vitrum æstimantes margaritam, & eas inopes relinquunt, aliorum filiorum luxuriæ, & delicijs ad omnem copiam prouidentes. Fertur autem, & omnium christianorum laude celebratur, quicquid fuerit nuptijs præparatum à sancta Christi Sinoride virgini traditum, ne sponso fieret iniuria; imo vt dotata pristinis opibus veniret ad sponsum; & quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum Dei inopiam sustentaret. Mirantur æmuli, (virtus enim semper inuidiæ patet) mihi propositum est stilo ecclesiastico laudare Auiam virginis meæ, & gratias agere, quod voluntatem eius sua adiuuerit voluntate. Alioquin cellula monasterij, vilis cibus, vestisque contempta & ætas vicina iam morti, breuisque temporis viaticum, carent omni assentationis infamia. Denique in reliquis partibus, omnis mihi sermo ad virginē dirigetur; nobile non minus sanctitate quam genere, cuius quanto sublimior ascensus, tanto lapsus periculosior. Quando eras in sæculo, quæ sæculi erant diligebas, polire faciem, ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere. Nunc autem quia sæculum reliquisti, secundo post baptismū renunciasti diabolo & pompis eius. Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, omni custodia serua cor tuum; & crebro signaculo crucis munias frontem, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. Citheram assumere, iubetur & Tyrus, multis peccatorum confossa vulneribus, vt agat pœnitentiam, & maculas pristinis fœditatis, cum Petro amaris abluat lachrymis. Verum nos ignoremus pœnitentiam, ne facile peccemus. Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit, in virgine integra seruetur nauis: aliud est quærere, quod perdideris, aliud possidere quod nunquam amiseris.

De abstinentia virginum.

CAP. LVII.

POst cogitationum diligentissimam cautionem, ieiuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum Dauid: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* Eua per cibum *Psal. 34.* deiecta est è paradiso. Helias 40. dierum exercitatus ieiunio igneo curru rapitur ad cælum. Moyses ieiunans *Gen. 3.* 40. diebus & 40. noct. familiaritate Dei pascitur. Saluator quoque qui virtutum & conuersationis suæ nobis *3. Reg. 19. Exod. 24.* reliquit exemplum. In Iob scriptum est de Dracone; *Iob 38.* *virtus eius in lumbis est.* Aduersus iuuenes & puellas ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotam natiuitatis nostræ. *Omnes enim adulterantes quasi clibanus.* *Osee 7.* Hæc sunt ignita diaboli iacula, quę fimul & vulnerāt & inflammant, & à rege babylonio tribus pueris præparātur. Sed quomodo ibi quartus speciem habens quasi fi- *Dan. 3.* lij hominis immēsos mitiganit ardores: Sic & in animo virginali rore cælesti & ieiuniorū rigore; calor puellaris

extingui-

extinguitur,& humano corpori Angelorum impetratur conuersatio. Quamobrem & vas electionis, *de virginibus se* dicit *Domini non habere præceptum.* Quia contra naturam, imo vltra naturam est, non exercere quod natâ sis: interficere in te radicem tuam, & sola virginitatis poma decerpere, nescire thorum, omnem virorum horrere contactum, & in corpore viuere sine corpore. Neque vero immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur,& ante ægrotare incipiunt,quam sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Philosophorum quoque sententia est,moderatas esse virtutes,excedentes modum atque mensuram inter vitia reputari. Vnde & vnus de septem sapientibus, NE QVID ait NIMIS. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis,& comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus : sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigilijs, solito quid minus facias. Ieiunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum est fundamentum.

1. Cor. 7.

De institutione morum virginis.

Cap. LVIII.

Salust. in Catul.

IMitare sponsum tuum. Esto auiæ matrique subiecta nullum virorum & maxime iuuenum, nisi cum illis,videas. Nullum scias,quem illæ nesciant. Sæcularis quoque sententia est, *eadem velle, & eadem nolle*, ea demum firma amicitia est. Eunuchorum quoque tibi & puellarum,ac seruulorum mores magis eligantur quam vultuum elegantia. Scurrilitas atque lasciuia te præsente non habeat locum. Nunquam verbum inhonestum audias aut si audieris,non inesceris. Ridere & rideri sæcularibus derelinque, grauitas tuam personam decet. Catonem quoque (illum dico Censorium) & vestræ quondam vrbis principem,qui in extrema ætate Græcas literas non erubuit censor,nec desperauit senex discere, & Marcum Crassum risisse semel in vita scribit Lucilius. Fuit illa affectata seueritas,& gloriam quærens popularem: Nos affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, fragili corpore circundamur, moderari & regere possumus, amputare non possumus. Vnde psalmista ait, *Irascimini & nolite peccare.*

Psal. 4.

Superfluum reor te monere contra auaritiam, cum generis tui sit,& habere & calcare diuitias. Da pauperibus, non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Sive ille sacerdos, siue cognatus sit, siue affinis, nihil in illo aliud consideres, nisi paupertatem. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia. In actibus Apostolorum, quando domini nostri adhuc calebat cruor, & ferebat recens in credentibus fides, omnes possessiones suas vendebant, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas. Ananias & Saphyra dispensatores timidi, imo corde duplici: quia post votum obtulerunt quasi sua & non eius, cui semel ea vouerant, partemque sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt, metuentes famem, quam vera fides non timet, præsentem meruere vindictam. Alij ædificent ecclesias,columnarum deaurent capita,altare auro & ebore distinguant, non reprehendo, *vnusquisque in suo sensu abundat*: meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud præpositum est, Christum vestire in pauperibus, pascere in esurientibus, visitare in languentibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis fidei,virginum alere monasteria,seruorum Dei & pauperũ spiritu habere curam,qui diebus ac noctibus seruiunt Domino tuo,qui in terra positi, imitantur Angelorum conuersationem, & nihil aliud loquuntur, nisi quod ad laudes Dei pertinet,habentesque victum & vestitum, his gaudent diuitijs, qui plus habere nolunt, si tamen seruant propositum. Alioquin si amplius desiderent, his quoque quæ necessaria sunt,probantur indigni. Hæc ad virginem diuitem, & nobilem sum locutus: nunc tantum ad virginem loquar,ideſt,non ea quæ extrà te sunt, sed in te sunt,considerans.

Actorum 4 & 5.

De exercitio virginis & societate eius.

Cap. LIX.

PRæter psalmorum & orationis ordinem quod tibi hora tertia & sextâ, & nona, ad vesperum, medio noctis & mane semper est exercendum, statue quot horis sanctam scripturam ediscere debeas,quanto tempore legere non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Cumque hæc finieris spacia, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animi suscitauerit: habe lanam semper in manibus,aliarumque neta, aut in globum collige, aut texenda compone. Quæ texta sunt, respice,quæ errata reprehende, quæ facienda constitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupata,nunquam tibi dies longi erunt, nec idcirco tibi ab opere est cessandum,quia Deo propitio nulla re indiges. Sed ideo cum omnibus laborandum est,vt per occasionem operis nihil aliud cogites,nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. Simpliciter loquar, quamuis omnem sensum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius,quam quod manibus tuis ipsa confeceris,vel in vsus proprios, vel in exemplum virginum cæterarum, vel quod auiæ, matrique offeras, maiora ab eis in refectionem pauperum pretia recepturа. Solet tamen inter plerosque esse certamen,vtrum solitaria, aut cum multis sit vita melior: quarum prior præfertur quidem secundæ,sed si in viris periculosa est, ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impijs cogitationibus pateant, & pleni arrogantiæ, & supercilij cunctos despiciant, armentque linguas suas, vel clericis vel alijs monachis detrahendo. Quanto magis in fœminis, quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur,cito ad deteriora labitur? Noui ego in vtroque sexu,per nimiam abstinentiam,cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam, præcipueque in his qui in humectis & frigidis habitauere cellulis, ita vt nescirent quid agerent, quove se verterent, quid loqui,quid facere deberent. Certe si rudes sæcularium literarum de tractatibus hominum disertorum quippiam legerint, verbositatem solum discunt, absque notitia scripturarum,& iuxta vetus eloquium,*cum loqui nesciant, tacere non possunt*, eruditorum sibi assumunt supercilium prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. Bonum est igitur obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas scripturarum,vitæ suæ tramitem ab alijs discere,nec præceptore vti pessimo, scilicet præsumptione sua. De talibus fœminis & Apostolus loquitur, *quæ circunferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.* Graues fœminæ,& maxime viduæ,ac virgines,tibi comites eligantur, quarum probata est conuersatio,sermo moderatus,sancta verecundia. Fuge autem lasciuiam puellarum, quæ ornant capita,crines à fronte demittunt,cutem poliunt, astrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes,vt sub nomine virginali vendibilius pareant. Mores enim & studia dominarum plerumque ex ancillarum,& comitum moribus iudicantur. Illa tibi sit pulchra,& amabilis,illa tibi socia,quæ nescit se esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum,non pectus & colla denudat,nec pallio reuoluto crura vel ceruices aperit,sed quæ celat faciem, & vix vno oculo, qui viæ necessarius est,patente graditur. Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas,quasi pestes & venena pudicitiæ deuita. Virginum quæ in monasterio viuunt, nunquam aliqua sola procedat.

Ephes. 4. 2. Timoth 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De institutione virginis ab infantia sub cura parentum.

CAP. LX.

IDem *ad Lætam de institutione filiæ.* Filia tua Paula cantica mundi ignoret,& turpia non intelligat, adhuc tenera lingua, psalmis dulcibus imbuatur, procul sit ætas lasciua puerorum . Fiant ei litteræ buxeæ vel eburneæ, & ludat in eis, & vt ludus eius eruditio sit, habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Nec est obiurganda si tardior sit, sed laudibus excitandum ingenium, vt & vicisse se gaudeat,& victa doleat. Caue ne ineptis blanditijs fœminarum dimidiata verba dicere filia consuescat, in auro atque purpura discat ludere, quorum alterum linguæ, alterum moribus officit, ne discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. Græca historia narrat, Alexandrum orbis dominatorem , in moribus , & in incessu Leonidis Pedagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuerat infectus , procliuis est enim malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas cito vitia imitaris. Modestam habeat gerulam, nutricem grauem. Cum auum viderit in pectus eius transiliat,& collo dependeat, nolenti ALLELVIA decantet, sit omnibus amabilis , & vniuersa propinquitas rosam ex se natam esse gaudeat. Ipse habitus doceat eam , cui promissa sit. Caue ne ceruſa & purpurisso ora Christo consecrata depingas, ne collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irruses, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. Prætextata nobilissima quondam fœmina, iubente viro Himetio , qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit,& neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & virginis propositum , & matris desiderium. Eadem nocte vidit Angelum Dei in somnis, terribili facie minitantem sibi, & dicentem: *Tu ausa es viri imperium Christo præferre? & virginis Dei caput tuis sacrilegis manibus attrectare, quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris, & finito mense 5. ad inferna duceris: Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs.* Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiã velox signauit interitus . Sic se vlciscitur Christus in violatoris templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.

Iterum de eodem.

CAP. LXI.

1. *Reg.* 4. 1. *Tim.* 3. HEli Sacerdos offendit Dominum ob vitia liberorum, & episcopus fieri non potest, qui habuerit filios luxuriosos & non subditos. Si autem ætas perfecta,& sui iuris parentibus imputatur, quanto magis lactens & fragilis, quæ ignorabat boni & mali distantiam? Qui itaque paruulus est, & sapit vt paruulus, donec ad annos sapientiæ venerit, tam mala eius quam bona parentibus imputantur . Si solicita es & prudens ne filia tua percutiatur à vipera cur non eadem cura prouideas , ne percutiatur à malleo vniuersæ terræ ne egrediatur cum Dina, vt videat mulieres regionis alienæ ? Ne ludat pedibus, ne trahat tunicas? venena non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt nisi sub specie vmbraque virtutum. Non vescatur filia in publico, id est in parentum conuiuio, ne videat cibos quos desideret. Et licet quidam putent maioris esse virtutis, præsentem contemnere voluntatem, tamen ego securioris arbitror continentiæ , nescire quod quæras. Carnium edulio sustentetur ne prius deficiant pedes, quam currere incipiat. Nusquam abs te procedat in publicum, basilicas martyrum & ecclesias sine matre non adeat: nullus ei iuuenis nullus cincinnatus arrideat. Nolo de ancillulis suis aliquã plus diligat, cuius crebro auribus insusurret, quicquid vni loquitur hoc omnes sciant. Placeat ei comes non compta atque formosa, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur, sed grauis, pallens, sordidata subtristis. Nocte ad orationes surgat, mane hymnos decantet. Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Discat & tenere colum, rotare fusum, stamina pollice ducere, spernat bombicum telas, sericum vellera,& aurum in fila lentescens. Talia paret vestimenta, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur. Cibus eius oluscula sit,& simila, raroque pisciculi: sic comedat, vt semper esuriat, vt statim post cibum possit orare & legere. Displicent mihi in teneris maxime ætatibus, longa & immoderata ieiunia. Experimento didici asellum in via cum lassus fuerit, diuerticula quærere , hoc in perpetuum præceptum sit, vt longi itineris perpetes vires superent , ne in prima mansione currentes, corruamus in medijs. Cæterum in quadragesima continentiæ vela pandenda sunt,& tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus . Quanquam alia sit conditio sæcularium, & alia virginum ,atque monachorum. Sæcularis homo in quadragesima, ventris ingluiem decoquit, & in coclearum more, sua victitans succo, futuris dapibus, ac saginæ, aqualiculum parat. Virgo & monachus sic in quadragesima suos dimittant equos, vt sibi meminerint semper esse currendum. Mihi omnino in adulta virgine lauacra displicent. quæ seipsam debeat erubescere,& nudam videre non posse. Si enim ieiunijs & vigilijs macerat corpus suum,& in seruiturem redigit, cur è contrario balnearum fomentis, sopitos ignes suscitat? pro gemmis & serico virgo tua diuinos codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio. Caueat omnia apocrypha, iurare non discat, mentiri sacrilegium putet. Trade ei comitem sanctitatis, cuius sermo , & incessus , & habitus , doctrina sit virtutum.

Reprehensio Virginis consortium Matris suæ deuitantis.

Hæc epistola inscribitur de vitando suspecto contubernio.

CAP. LXII.

IDem *ad matrem & filiam in Gallijs.* Obsecro vt si mordacius aliquid scripsero, non tam meæ credatis austeritatis esse quam morbi putridæ carnes ferro curantur,& canterio, venena serpentino pelluntur antidoto, & quod satis dolet, maiori dolore curatur. Mater & filia pietatis nomina, officiorum vocabula, naturæ vincula, secundaque post Deum fœderatio. Non est laus si vos diligatis, sed scelus est quod odistis . Tu vero filia (iam enim desinam ad matrem loqui, quam forsitan & ætas & imbecillitas, ac solitudo excusabilem faciunt) cur domum eius angustam iudicas , cuius non tibi fuit venter angustus. Decem mensibus vtero clauso vixisti, & vna die in vno cubiculo cum matre non duras? an oculos eius ferre non potes? Si virgo es quid times diligentem custodiam? Si corrupta, cur non palam nubis? Secunda post naufragium tabula est, quod male cæperis saltem hoc remedio temperare. Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire aut vincere? Quis vnquam iuxta viperam securus dormit ? Quæ etsi non percutiat certe solicitat, Securius est perire non posse, quam iuxta periculum non periisse. Inter lasciuas puellas, & comatos linteatosque iuuenes furuarum vestiũ puella gradieris. Dabit tibi barbatulus quilibet manum,& pressis digitis aut tentabitur aut tentabit. Erit tibi inter viros & matronas cõuiuium, spectabis aliena oscula. In alijs sericas vestes, auratasque miraberis: in ipso quoque conuiuio vt vescaris carnibus, quasi inuita cogeris , vt vinum bibas, Dei laudabitur creatura, vt laueris balneis, sordibus detraheris . Inter hæc aliquis conuiuantium vel assistentium, quoniam alienas non audebit vxores, te quia custodem non habes sæpius respectabit , loquetur nutibus , &

quicquid

quicquid metuit dicere, significabit affectibus. Inter has & tantas illecebras voluptatum, etiam *ferreas mentes libido domat*, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit.

Vidimus aliquem ossibus vix hærentē illicitis arsisse amoribus, & ante vita caruisse quam peste. Quid tu facies puella, sani corporis, delicata, pinguis, rubens, æstuans, inter carnes & vina, & balnea iuxta maritatas, & iuxta adolescentulas? Quæ & si rogata non feceris, tamen deforme putes testimonium, si rogeris. Libidinosa mens ardentius honesta persequitur, & quod non licet, dulcius suspicatur. Difficile inter epulas seruatur pudicitia. Nitens cutis, sordidum ostendit animum, vestis ipsa tacentis animi indicium est, si rugam non habeat, si per terram vt altior videaris, trahatur: Si de industria dissuta sit tunica, vt aliquid intus appareat, operiatque quod fædum est, aperiat quod formosum est. Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens, stridore ad se iuuenes vocat, papillæ falciolis comprimuntur & crispanti cingulo angustius pectus arctatur. Capilli vel in frontem vel in aures defluunt. Palliolum interdum cadit, vt candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, cælare festinat, quod volens detexerat, & quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte, id solum arte ostendit, quod ostensum magis placere potest. Respondebis, vnde me nosti? & quomodo tam longo positus, in me oculos tuos iactas? fratris tui hoc mihi lachrymæ narrauerunt, qui vtinam mentitus fuisset, & magis hoc timens quam arguens, dixisset. Dispensatorem domus omnes famuli rodunt & quicquid domina non dedit, illum clamitant subtraxisse. Querulum seruorum genus est, & quantumcunque dederis, semper eis minus est, non enim considerant de quanto, sed quantum detur, doloremque suum solis, quod possunt, obtrectationibus consolantur: facilius credunt mala homines, & quodcunque domi fingitur, rumor in publico fit. Bona conscientia nullius oculos fugit.

Reprehensio & institutio virginis lapsæ.

Cap. LXIII.

Idem de lapsu Susannæ virginis & consecratæ. Quid taces ô Susanna, quid non erumpis in vocem, & mentis tuæ exponis ardorem. Audite me omnes populi, & videte dolorem meum. Iuuenes mei & virgines meæ abierunt in captiuitatem. Ad te nunc mihi sermo est, quæ caput horum & causa malorum es, quæ multipliciter misera, cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. Nefas est enim te vocari Susannam, quæ casta non es. Vnde incipiam? quid primum, quid vltimum dicam? bona commemorem, quæ perdidisti, an mala defleam quæ inuenisti? Eras virgo in paradiso Dei, vtique inter flores Ecclesiæ eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritussancti. Et quotiens dico eras, totiens necesse est vt ingemiscas, quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est, *Pennæ columbæ deargentatæ*. Splendebas enim vt argentum, fulgebas vt aurum, eras tanquam stella in manu domini. Quæ est ista subita conuersio? quæ repentina mutatio est, de Dei virgine facta es corruptio Sathanæ: de sponsa Christi scortum execrabile, de templo Dei fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritussancti, tugurium Diaboli. Quæ incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates in tenebris vt vespertilio. Quæ fulgebas vt aurum propter virginitatis decorem, nunc vilior facta es luto plateārum. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto cælo ruens, conuersa es in carbonem. Væ tibi misera, & iterum væ, quę tanta bona pariter propter parui temporis luxuriam perdidisti. Aperi oculos si potes, erige frontem si audes, & aliquem sanctorum diligenter intuere. Nonne faciem tuam, conscientiæ commissa tanquam plumbum inclinant. Quid facies coram Maria, & Tecla & Agnete? & immaculato thoro puritatis? Quid iterum facies coram Angelis sanctis? Nonne splendore & claritate immaculatorum, quasi fulminibus percussa combureris? sed dictura es forsitan: Non potui sustineri, quia carne fragili circumferebar. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus socijs, & nos eadem carne amictæ fuimus, nec tamen plenum castitatis nostræ propositum, aut fragilitas carnis potuit mutare, aut sæuitia Christianorum per varia tormenta deijcere. Reuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta, remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in crimine. O furtiua turpitudine constuprata, habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu & in aspectu. Virgo secundum Apostolum sollicitata est, *vt sit sancta corpore & spiritu*, tu autem in contrarium totum vertis, vt nec sis sancta corpore, nec spiritu, corpore quidem fornicando, spiritu autem virginitatem mentiendo, pœnitudo ergo necessaria est, sed quāta putas & qualis necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina aut certe excedat. Imprimis omnis cura huius vitæ intermittenda est tibi & quasi mortuam te existimans sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde tibi lugubris vestis accipienda est, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem, luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymis, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam impudice irrubuit. Totum itaque corpus iniurijs & ieiunijs maceretur, cinere aspersum & cilicio coopertum quia sibi male de pulchritudine placuit perhorrescat. Cor vero seipsum inquietans & cogitationibus ventilans, tanquam cera liquescat. Grandi plagæ, alta & prolixa opus est medicina, grande scelus grandem habet necessario satisfactionem. Et certe si mente tenerent homines, quale iudicium imminet mundo, sensus humanus necessitate sæculari non dispergeretur, si non infidelitate grauaretur. Quantum vis, & qualemuis cruciatum ad præsens libenter sufferrent, dummodo illas pœnas ignis æterni non incurrerent.

Psal. 67.

1.Cor.7.

De custodia vidualis castitatis.

Cap. LXIV.

Idem ad Furiam de viduitate seruanda. Non quæruntur in christianis initia, sed fines. Paulus male cæpit, sed bene finiuit. Iudæ exordia laudantur, sed finis proditione damnatur. Quid facit in facie Christianæ purpurissus & ceruſa? quorum alterum ruborem genarum, labiorum que mentitur, alterum candorem oris & colli ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicium. Quo modo fleret potest pro peccatis suis quę cutem vndat lachrymis, & sulcos in faciem ducit. Ornatus iste non Domini est, sed velamen Antichristi. Qua fiducia vultus ad cælum erigit, quos conditor non agnoscit, non æthnei ignes, non vulcania tellus, non Vesęuus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuuenules medullę vino plenę, & dapibus inflammatæ. Grandis virtutis & sollicitæ diligentiæ est, superare quod nata sis in carne, non carnaliter viuere, tecum quotidie pugnare, & inclusum hostem Argi (vt fabulæ ferunt) centum oculis obseruare. Nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt, dum solam carnium abstinentiam putant, & leguminibus stomachum onerant, & vt quod sentio loquar, nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut cibus indigestus ructusque conuulsus. Quicquid seminarium voluptatum est: venenum puta; parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis prefertur ieiunijs; & multo melius est quotidie parum, quàm raro satis sumere. Cogita te quotidie esse morituram, & nunquam de secundis cogitabis nuptijs.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eodem.

CAP. LXV

IDem ad *Ageruchiam, de monogamia.* Interdum sibi libido blanditur, vt quod propter intemperantiam suam quædam faciunt, vt videantur facere desiderio liberorum. Veruntamen semen terræ bonæ centesimum, sexagesimum, tricesimum fructum tenet, centenarius tamen pro virginitatis corona primum gradum teneat: Sexagenarius pro suo labore viduarum in secundo sit numero, tricenarius fœdera nuptiarum, ipsa digitorum coniunctione testetur: digamia in quo erit numero? imo extra numerum. Certe in bona terra non oritur, sed in vepribus & spinetis vulpium. Itaque obsecro te religiosa in Christo filia: vt testimonia ista non noueris, quibus incontinentibus & miseris subuenitur, sed illa potius lectites, quibus pudicitia coronatur. Sufficit tibi quod perdidisti primum virginitatis gradum, & per tertium venisti ad secundum, idest per officium coniugale, ad viduitatis continentiam. Extrema immo abiecta non cogites. Quod si & post diluuium & ante diluuium viguit illa sententia, *crescite, & multiplicamini, replete terram.* Quid ad nos, in quos fines sæculorum decurrerunt? Quibus dicitur, tempus breue est, & iam securis ad radicem arboris posita est, quæ siluam legis, & nuptiarum euangelica castitate succidat? *tempus amplexandi, &c.* Olim glorię erat, illum audire versiculum: *filij tui sicut nouellæ oliuarum,* & videas filios filiorum tuorum. Nunc de continentibus dicitur, *qui adhæret domino, vnus spiritus est.* Proponis mihi gaudia nuptiarum, ego tibi opponam, pyram, gladium, & incendium. Non tantum boni est in nuptijs quod speramus quantum mali quod accidere potest & timendum est: libido enim transacta semper sui reliquit pœnitudinem, nunquam satiatur, & extincta iterum reaccenditur. Vsu crescit, & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur.

Gen. 1.8. *1. Cor.* 7. *Ezech.* 3. *Psal.* 127. *1. Cor.* 6.

Sed dicis, amplæ opes, & dispensatio rei familiaris, egent auctoritate viri, sed & nisi cum seruulis tuis ipsa seruieris, familiæ tuæ imperare non poteris, quasi non possis probatæ ætatis habere famulos, vel liberos, qui præsint domui, vel ad publicum respondeant, tributa peruoluant. *Quære primum regnum Dei, & hæc omnia apponentur tibi.* Melius est rem familiarem minui, quam animæ salutem perire. Melius est amittere, quod aliquando periturum est, quam id pro quo omnia dimittenda sunt. Nos vero ardemus auaricia, & contra pecuniam disputantes, auro sinum expandimus, nihilque nobis satis est. Et illud quod de Magarensibus dicitur, iure miseris coaptari potest: *Ædificant quasi semper victuri, viuunt quasi altera die morituri.* Et hæc facimus, quia domini verbis non credimus, & quia ætas optata cunctis, non viciniam mortis, quæ debetur mortalibus lege naturæ, sed cassa spe annorum nobis spacia pollicetur. Nemo enim tam fractis viribus, & sic decrepitæ senectutis est, vt non se putet vnum adhuc annum esse victurum. Vnde subrepit obliuio conditionis suæ, vt terrenum animal, iam iamque soluendum erigatur, in superbiam, & animo cælum teneat.

Matth. 6.

De bono vsu diuitiarum Nebridij.

CAP. LXVI.

IDem ad *Saluinam viduam de viduitate seruanda.* Nec diuiti obsunt opes, si eis bene vtatur, nec pauperem ægestas commendabiliorem facit, si inter sordes peccata non caueat. Nihil nocuit militanti Nebridio paludamentum, & baltheus & apparitorum cateruæ, quia sub habitu alterius alteri militabat, sicut è contrario nihil prodest alijs vile palliolum, furua tunica, corporis illuuies, simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruant. Ioseph & in egestate & in diuitijs dedit experimenta virtutum. Daniel & tres pueri sic præerāt Babyloniæ operibus, & inter principes ciuitatis, vt habitu Nabuchodonosor, Deo mente seruirent. Mardochæus & Esther inter purpuram, sericum, & gemmas, superbiam humilitate vicerunt. *Diuitibus,* inquit, *huius sæculi præcipe &c.* Hic didicimus, quomodo Camelus intrare posset per foramen acus, quomodo animal tortuosum deposito onere sarcinarum assumat sibi pennas columbæ, & requiescat in ramis arborum, quæ de sinapis semine succreuit. Legimus in Isaia, Camelos Madian & Epha, & Sabà, aurum & thus ad vrbem domini deportantes Docet & Æsopi fabula, plenum muris ventrem per angustum foramen egredi non valere.

Gen. 41. *Dan.* 1. 3. *Esther.* 2. *1. Tim.* 6. *Marc.* 7. *Esa.* 60. *1. Tim.* 6.

Ergo Nebridius meus quotidie illud reuoluens. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli &c.* Quicquid & Imperatoris largitio, & honoris insulæ sibi dederant, in vsus pauperum conferebat. Nec semel abijciebat sarcinam, quod fecerunt Apostoli, Patrem, & rete, & nauiculam linquentes, sed ex æqualitate aliorum inopiæ suam abundantiam communicabat, vt postea illorum diuitiæ huius indigentiam sustentarent. Scit ipsa cui scribo, me non nota sed audita narrare, nec ex aliquo in me beneficio scriptorum more Græcorum gratiam lingua reddere, vbi namque vile oluisculum, & cibarius panis & cibus potusque moderatus, ibi diuitiæ superuacuæ, ibi nulla adulatio. Ex quo colligitur, fidele esse testimonium, quod causas non habet mentiendi. Ad virtutes eius certas veniam, quas singulas in paucis hominibus deprehendimus. Quis fornacem Regis Babylonis sine adustione ingressus est? Cuius adolescentis Ægyptia domina pallium non tenuit. Mirum dictu est: Nutritus in palatio, contubernalis & discipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terra ac maria seruiunt inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem in se obscæni rumoris fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, & cum ambobus studijs eruditus, non est inflatus in superbiam, non cæteros homines obducta fronte contempsit, sed cunctis amabilis fuit.

Luc. 5. *2. Cor.* 8.

De institutione viduæ.

CAP. LXVII.

DIdicisti catalogum virtutum tuarum, quid debeas nomini tuo, quibus meritis secundum pudicitiæ gradum possideas, nec te moueat quod sexagenaria eligatur vidua, & putas adolescentulas ab Apostolo reprobari. Sed te credas eligi ab eo, qui discipulo suo dixerat: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Procul sint à conuiuijs tuis Phasides aues, turtures crassi,* attagen Ionicus, & omnes aues, quibus amplissima patrimonia auolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes, si suum, leporum, atque ceruorum, & quadrupedum animalium esculentias reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suauitate gustus iudicantur, omnis creatura Dei bona est. Audiant hæc mulieres, quæ sollicitæ sunt quomodo placeant viris: comedant carnes, quæ carnibus seruiunt, quarum feruor despumat in coitum: quæ ligatæ maritis generationi ac liberis dant operam. Quarum vteri portant fœtus, earum & intestina carnibus impleantur. Tu vero quę in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpurisso & ceruſa faciem super feretrum eius lachrymis diluisti, quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, candidæ vestis, & aurati socci depositione sumpsisti, nihil habes necesse aliud, nisi perseuerare in ieiunio. Pallor & sordes gemmæ tuæ sint, plumarum mollities iuuenilia membra non foueat, balnearum calor nouum non succendat adolescentulæ sanguinem. Audi quid ex persona viduæ continentis Ethnicus Poeta decantet.

Ille meos, primus qui me sibi iunxit amores.

1. *Tim.* 4. * *Attagen auis est olim inter rarae epulas habita.*

Abstulit: Ille habeat secum, seruetque sepulchro.

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum? Si sic communi lege naturæ damnat omnes gentilis viduæ voluptates, quid expectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed ei, cum quo regnatura est? Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, & quasi flos pulcherrimus cito ad leuem marcessit auram, leuique flatu corrumpitur, maxime vbi ætas cõsentit ad vitium & maritalis deest auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est. Quid facit vidua inter familiæ multitudinem? inter ministrorum greges? quos nolo contemnat vt famulos, sed vt viros erubescat. Certe si ambitiosa domus hæc officia flagitat, præficiat his senem honestis moribus, cuius honor domini dignitas sit. Scio multas, clausis ad publicum foribus, non caruisse infamia seruulorum, quos suspectos factebat, aut cultus impudicus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti, securus animi tumor, qui etiã bene dissimulatus frequenter erumpit in publicum, & conseruos quasi seruos despicit. Omni ergo diligentia custodias cor tuum, & caueas quicquid de te fingi potest. Non ambulet iuxta te calamistratus procurator, non histrio fractus in fœminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non iuuenis cultus & nitidus, nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequijs molle iungatur. Habeto tecum viduarum, & virginum choros, habeto tui sexus solatia, ex ancillarum quoque moribus dominæ iudicantur.

Iterum de eodem.

Cap. LXVIII.

SEmper in manibus tuis diuina sit lectio, & tam crebræ orationes vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiuscemodi clypeo repellantur. Difficile est, quin potius impossibile, perturbationum initijs carere quempiam, eo quod incentiua vitiorum omnium titillent animos, & quasi in meditullio nostrum iudicium sit, vel abijcere cogitata vel recipere. Optimus ille est qui minimis vrgetur, velut si egregio inspersos reprehendas in corpore neuos, hoc est quod alijs verbis prophcta significat: *Turbatus sum & non sum locutus. Irascimini & nolite peccare.* Et illud Architæ Tarentini ad villicum negligentem: Iam te verberibus enecassem, nisi & iratus essem. *Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur.* Sicut irasci hominis est, & iram non perficere, Christiani: Sic omnis carõ concupiscit quidem ea, quæ carnis sunt, sed nostrum est voluptatis ardorem maiore Christi amore restinguere, & lasciuiens iumentum frenis inediæ subiugare vt non libidinem, sed cibos quærat ac desideret & sessorem Spiritum sanctum moderato ac composito portet incessu. Quorsum ista? Vt hominem te esse noueris, & passionibus humanis nisi caueris subiacere. De eodem cuncti facti sumus luto, ijsdem compacti exordijs. In serico & in pannis eadem libido dominatur. Nec Regum purpuras timet, nec mendicãtium spernit squalorem, multoque melius est stomachum dolere quam mentem, imperare corpori, quam seruire, gressu vacillare, quàm pudicitia. Nec statim nobis pœnitentiæ blandiantur subsidia, quæ sunt infælicium remedia. Cauendum est vulnus, quod dolore curatur. Aliud est integra naue, & saluis mercibus portum salutis intrare; aliud nudum habere tabulatum, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi. Nesciat vidua digamiæ indulgentiam, nec nouerit illud apostoli, *melius est nubere quam vri;* tolle quod peius est vri, & per se non erit bonum nubere. Primus Lamech maledictus & sanguinarius, & de stirpe Chain descendens vnam costam diuisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluuij pœna subuertit, vnde illud Apostoli: *Volo adolescentulas nubere, &c.* cur indulserit statim subiecit: *Iam enim quædam declinauerunt post Sathanam.* Ex quo intelligimus illum non stantibus coronam, sed iacentibus manum porrigere. Vide qualia sint secunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur. *Quia declinauerunt,* ait, *quædam post Sathanam,* ideo adolescentula vidua, quæ se non potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam Diabolum.

Ibidem.

De morte amici & institutione monachi.

Cap. LXIX.

IDem ad Pammachium de morte Paulinæ. Quid boni habeat sanitas, languor ostendit. Plus sensimus quod habuimus postquam habere desiuimus. In tribus mulieribus & sanguine & virtute coniunctis, tria Christi præmia recognosco, Eustochium virginitatis flores metit, Paula laboriosam viduitatis aream terit. Paulinæ castum matrimonij cubile conseruat. Etenim nec sororis felicitatem, nec continentiam matris ausa appetere, maluit in humilioribus tuta pergere quam pendulo gradu in sublimioribus fluctuare. Et vt quadrigam domus vna emitteret sanctitatis, nobis post dormitionem Paulinæ Pammachium Monachum ecclesia peperit posthumum, & patris & coniugis nobilitate Patricium, eleemosynis diuitem, humilitate sublimem.

Prima virtus est monachi, hominum contemnere iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: *Si adhuc hominibus placerem &c.* Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quam metus superat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. Non est parum virum nobilem, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis rusticis, de principe vulgus fieri. Sed quanto humilior, tanto sublimior est. Lucet margarita in sordibus. Parua quidem dimisimus, grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur. Semper grandia in audientium ponuntur arbitrio. Non tibi imponitur necessitas, vt voluntas præmium consequatur, *Si ergo vis perfectus esse, & desideras esse* quod Christus est, *vende non partem* substantiæ, ne timor penuriæ infidelitatis occasio sit, sed *totum, & da pauperibus,* non locupletibus, non superbis. Da quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes. Cumque legeris illud Apostoli, *non alligabis os bouis trituranti, &c. & dignus est operarius mercede sua. & qui altari ministrant, de altari participant.* Memento quoque huius sententiæ, *habentes victum atque vestitum his contenti sumus.* Vbi videris fumare patinas, & phasides aues lentis vaporibus discoqui, vbi argenti pondus, feruentes buricos mannos, comatulos pueros, preciosas vestes, picta tapetia, ibi ditior est largitore, cui largiendum est. Pars sacrilegij est rem pauperum non dare pauperibus: Et tamen non est satis perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare & proijcere, quod in momento, & perdi & inueniri potest. Fecit hoc Socrates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare quam mundi philosophus, glorię animal & popularis auræ atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Sentio te diuinis ardere doctrinis, nec temeritate quorundam docere quod nescias, sed ante discere quod docturus sis. Non cothurnatam affectas eloquentiàm, nec more puerorum argutas sententiolas in clausulis struis. Cito turgens spuma dilabitur. Felices, inquit Fabius, artes essent, si de illis soli artifices iudicarent. Hæc præteriens tetigi, vt eruditis contentus auribus non magnopere cures, quid imperitorum de ingenio tuo ramusculi iactitent, sed prophanarum quotidie medullas bibas. Hæc quoque moneo & non solum pecuniam, sed etiam Christo teipsum offeras, *hostiam viuam.* Scit hostis antiquus maius continentiæ quam nummorum esse certamen. Facile abijcitur quod hæret extrinsecus: Intestinum bellum periculosius est. Zachæus diues erat, Apostoli pauperes: & quantum ad diuitias, nihil, quantum ad voluntatem, totum mundum

Gal. 1.

Actor 5.

1. Cor. 9.
1. Tim. 5.
1. Cor. 9.
1. Tim. 6.

Rom. 12.

Luc. 19.

Psal. 76. *Psal. 4.* *Iacob. 1.* *1. Cor. 7.* *1. Tim. 5.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pariter reliquerunt. Si offeramus Christo opes cum anima nostra, libenter suscipiet. Sin autem quæ foris sunt Deo, quæ intus Diabolo demus, non est æqua partitio. Quod patricij generis primus inter primos monachos esse cæpisti, non tibi sit tumoris, sed humilitatis occasio. Quantumcunque te deieceris, humilior Christo non eris. Esto incedas nudis pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, aquam portes, ligna conscidas, focum extruas. Vbi vincula? vbi alapæ? vbi sputa? vbi flagella? vbi patibulum? vbi mors? & cum omnia quæ dixi feceris, ab Eustochio tua, Paulaque vinceris, si non opere certe sexu. Hæc dico non quod de ardore tuæ mentis quicquam dubitem, sed quo currentem impellam, & acriter dimicanti feruorem fauore augeam.

De laude sanctæ Marcellæ.

Cap. LXX.

Idem ad Principiam virginem de vidua, vel obitu sanctæ Marcellæ. Solent viduæ sæculares purpurisso ac cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, fragrare myrrha, dominatu se caruisse virorum lætantur, quæruntque alios, non quibus, iuxta sententiam Dei, seruiant, sed quibus imperent, vnde & pauperes eligunt, vt nomen tantum virorum habere videantur: In vidua nostra Marcella confusa est gentilitas. Omnibus enim patefecit quæ esset vidua Christiana, quam conscientia & habitu promittebat. Talibus vsa est vestibus, quibus frigus depelleret, non membra nudaret, aurum vsque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum quam in marsupijs recondens, nullum clericorum, vel monachorum (quod amplæ domus plerumque necessitas exigebat) absque arbitris vidit. Sæpe in comitatu suo virgines & graues viduas habuit; sciens ex lasciuia puellarum sæpe de dominarum moribus iudicari. Raro procedebat in publicum, & maxime nobilium matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre quod contempserat. Respondeat forsan infidelis lector, me in mulierculorum laudibus immorari: qui si forte recordetur sanctas mulieres, comites domini saluatoris, quæ de substantia sua ei ministrabant, & tres Marias stantes ante crucem, Mariamque proprie Magdalenam, quæ prima ante Apostolos, Christum videre meruit resurgentem, se potius superbiæ, quam nos condemnabit ineptiæ, qui virtutes non sexu, sed animo iudicamus. Hæc annis plurimis suam sic transegit ætatem, vt ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminissem laudans illus Platonicum: *Philosophia est meditatio mortis.*

Gen. 3. Col. 3.

Matth. 27. Ioan. 19. Ioan. 20.

De consolatione fidelium super morte amicorum.

Cap. LXXI.

Idem ad Tyrasium. Stupeo murum fidei tuæ penetratum vulneribus orbitatis, quem sepire debuerat spes resurrectionis. Nunquam spes cum dolore concordat, nec fides sentit quamcunque iacturam. Resurgere credimus mortuos, & plangimus. Quid faceremus, si mori tantum præciperet Deus? Voluntas eius vtique sola sufficeret ad solatium, cui nullum iubemur imponere affectum. Nihil abstulit tuum, quia recipere dignatus est proprium. Et creditum suum recipere decuit creditorem, & nihil decuit quam creditori gratias agere mutuantem: & dicere cum Iob, *Dominus dedit, dominus abstulit &c.* Additur & alia consolationis prouidentia, quæ iaculis orbitatis occurrat, plangere enim deberemus amicis de sæculo recedentibus, si sæculi inimicitias contraire minime sentiremus, & plangimus Domini beneficia, qui nouit infirmitati nostræ quid præstet. Periclitari docebat adhuc, qui dolet aliquem dormientem & inter fructus vitæ præsentis videre cupiebat miserum laborare. Quid ergo pro dormiente lachrymas fundis, quasi nescias quid in teipso quotidie patiaris. Propter hoc enim & dominus discipulos admonet dicens: *Si diligeretis me &c.* Plane mortuum Lazarum fleuit, sed non tuas lachrymas fudit: Doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem, & flebat quem cogebatur propter alios saluandos sæculo reuocare; hanc vitam dans ingemiscebat, quam tu doles esse sublatam. Contra lachrymas eius, pugnant lachrymæ tuæ; & amor tuus eius amori non conuenit. Ille enim nolebat reddere laboribus, quem dilexerat, & tu amare te credis, cui laborum vis adhuc præstare tormenta. Mihi crede: Sola in omnibus incredulitas mæret. Et sicut non potest fides nosse quod doleat, sic diffidentia sola doloribus inuenitur ancilla. Præterea vide si aliquid debeat dolori concedi, vbi sine aliquo remedio potest animus fatigari. Sequitur consummatio omnium gaudiorum, quod in resurrectione inuicem nobis domino reformante reddemur, sicut scriptum est. *Si enim credimus quia Christus mortuus est, & resurrexit, &c.*

Ioan. 14.

1. Thess. 2.

Idem de eodem.

Cap. LXXII.

Idem ad Theodoram de morte Lucinij. Aduersus mortis necessitatem, quæ inter fratres diuidit, & charissima inter se nomina crudelis & dura dissociat, hoc solatio erigimur, quod in breui visuri sumus eos quos absentes dolemus. Neque enim mors, sed somnus appellatur secundū Apostolum, Lucinius in breui consummatus, expleuit tēpora multa. Nos dolendi magis, qui quotidie in prælio stamus peccatorū vulnera accipimus, vitijs sordidamur: Ille iā securus, & victor te aspicit de excelso, & fauet laboranti: & iuxta se locū præparat, eodem charitatis amore, quo in terra quoq; oblitus officij coniugalis sororem habere te cæperat.

1. Thessal 4.

Idem ad Paulam consolatoriam super morte Blesillæ. Testor mi Paula Iesum, quem Blesilla nunc sequitur, testor sanctos Angelos eius quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta quæ pateris. Verum consideremus quid Ethicus ille psalmus sonet: *Iustus es domine & rectum iudicium tuum.* Hoc non potest dicere nisi ille, qui ad vniuersa quæ patitur, magnificat Dominum, & suo merito imputans in aduersis de eius clementia gloriatur. Cur autem durum sit quod quandoque patiendum est? cur dolemus quenquam mortuum, ad hoc enim nati sumus, vt maneamus æterni? Ceterum nonne vereris, ne tibi Saluator dicat, irascaris Paula, quia filia tua mea facta est filia, indignaris de iudicio meo & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? Cibum tibi denegas, non ieiuniorum studio, sed doloris, non amo inediam istam. Ieiunia hæc aduersarij mei sunt, nullam animam recipio, quæ nolente me separatur à corpore. Tales stulta Philosophia martyres habeat, habeat Zenonem, Cleombrotum vel Catonem. Si viuentem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Luxisse legitur Iacob filium, quem putabat occisum, ad quem & ipse erat descensurus ad inferos, dicens: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quia necdum Paradisi ianua Christus effregerat, necdum flammeam illam romphæam, & vertiginē præsidentium Cherubin, sanguis eius extinxerat. Vnde & Abraham licet in loco refrigerij fuerat, tamen apud inferos esse cum Lazaro scribitur. Et Dauid iuste fleuisse filium patricidam, qui alium paruulum, postquam vt viueret impetrare non potuit, quia sciebat non peccasse, non fleuit. De Moyse vero & Aaron, quod eis ex veteri more fit planctus exhibitus, non est mirādum, cum & in actibus Apostolorū iam euangelio coruscāte, Stephano fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnū, & vtiq; planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu æstimas, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus sit. Parce quæso tibi, parce filiæ iam cum

Gen. 37. Luc. 16. 2. Reg. 12. Actorum 8.

Christo

Christo regnanti, parce saltem Eustochio tuæ, cuius parua adhuc ætas, & rudis penè infantia, te magistrante dirigitur. Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. Gen.22. Abraham vnicum filium lætus interfecit, & tu vnam de plurib⁹ quereris coronatam? Detestandæ sunt istæ lachrymæ, plenæ sacrilegio crudeli, quæ non habent modum, sed vsque ad vicinium mortis accedunt: vlulas, & exclamitas, & quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui semper homicida es. Sed & ad talem Mar.5.& Luc.8. semper clemens Iesus ingreditur & dicit. *Quid ploras? Non est puella mortua, sed dormit.* Irrideant circunstantes. Ista infidelitas Iudæorum est. Te quoque si ad sepulchrum volueris filiæ volutari, Angelus increpabit: *Quid* Luc.24. *quæris viuentem cum mortuis.*

De vita Nepotiani militis.

Cap. LXXIII.

Epitaphium Nepotiani ad Heliodorum Episcopum. Nepotianus dum esset in palatij militia, sub clamyde, & candente lino corpus eius cilicio tritum sit: ante sæculi potestates stans liuida ieiuniis ora portauit, sub alterius signis & vestibus summo regi militauit. Et ad hoc cingulum habuit, vt viduis, pupillis, oppressis, ac miseris subueniret. Mihi tamen non placent donationes istæ imperfectæ seruitutis Dei. Sed tamen baltheo posito, habituque mutato, quicquid castrensis peculii fuerit, in pauperes erogauit, excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantum corpore, frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit. Cultus ipse prouinciæ morem sequens, nec mundiciis, nec sordibus notabilis erat. Quid multa? fit clericus, & per solitos gradus presbyter ordinatur. O bone Iesu, quis ibi gemitus, quis vlulatus, quæ cibi interdictio, iuuenilem ætatem indignam sacerdotio causabatur? Sed eo dignior erat quo clamabat se indignum: & negando, merebatur quod esse nolebat. Igitur clericatum, non honorem, sed onus intelligens, primam curam habuit, vt humilitate superaret inuidiam. Deinde vt nullam in se obsceni rumoris fabulam daret: vt qui mordebantur ad eius ætatem, stuperent ad continentiam. Spes miserorum, solamen lugentium fuit: Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi cæteras non haberet. Inter presbyteros & coæquales primus in opere, extremus in ordine. Grauitatem morum, hilaritate frontis temperabat, gaudium in risu, non cachinnum intelligens. Ieiunia in aurigæ modum pro lassitudine & viribus corporis temperabat. Mensæ Auunculi intererat, & sic appositaque libabat, vt & superstitionem fugeret, & continentiam reseruaret. Sermo eius & omne conuiuium de scripturis aliquid proponere, libenter audire, verecunde respondere, recta suscipere, praua aeriter confutare, disputantem contra se magis docere quàm vincere, lectione assidua, & meditatione diuturna, pectus suum bibliothecam fecerat Christi. Vnde hic feruor nisi ex amore Dei? Vnde legis Christi indefessa meditatio, nisi ex amore & desiderio eius qui legem dedit? Alij nummum addant nummo, & marsupium suffocantes, matronarum opes venentur obsequiis, sint ditiores monachi, quàm fuerant sæculares, possideant opes sub paupere Christo, quas sub locupletе Diabolo non habuerant, & suspiret eos ecclesia diuites, quos tenuit mundus antea mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, scædulas consectatur. Ita magnus erat eius animus in magnis, vt nec minima negligeret. Erat enim solicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si velum in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa lucentia. Vbicunque eum in Ecclesia quæreres, inuenires. Basilicam Ecclesiæ, & conciliabula martyrum diuersis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrabat.

De laude Virginitatis in comparatione nuptiarum.

Cap. LXXIV.

Idem contra Iouinianum lib. 1. Cum minora maioribus coæquantur, inferioris comparatio superioris iniuria est. *Bonum est*, inquit Apostolus, *mulierem non tangere*, ergo malum est tangere. 1.Cor.7. Sed ideo ignoscitur ne deterius fiat, vnde dicit, *propter fornicationem autem &c.* Sed quale est illud bonum, quod deterioris conditione vel comparatione conceditur. Illud naturaliter bonum est, quod non habet mali comparationem, quod prælatione alterius non obumbratur. Quale est illud bonum quod orare prohibet, & corpus Christi accipere non permittit. Vacandum est enim ab amplexibus vt vacetur orationi, secundum illud: *Nolite fraudare inuicem &c.* Denique loquens Apostolus dicens: *Bonum est homini mulierem non tangere, & bonum est illis si sic permaneant sicut & ego:* vbi autem venit ad nuptias, non dicit bonum est nubere, sed melius est nubere, quàm vri. O Paule si nuptiæ per se bonæ sunt, noli eas incendio comparare, sed dic simpliciter, *bonum est nubere*. Suspecta est mihi bonitas rei huius, quam magnitudo mali alterius, malum cogit esse inferius. Ego autem non leuius malum, sed simplex per se bonum volo. Illi iam Eunuchi Deo placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas. Tantum interest inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare, & benefacere. *Erunt*, inquit, *duo in* Gen.2. *carne vna*, non tres, non quatuor. Alioquin iam non duo, sed plures. Vnde Samaritana sextum habens mari- Ioan.4. tum, arguitur quod non sit eius vir. Vbi enim numerus maritorum est, ibi vir qui proprie vnus est, esse desistit, cum vna costa à principio in vxorem versa sit. Primus Gen.4. Lamech sanguinarius & homicida vnam carnem in duas vxores diuisit, & fratricidium & bigamiam eadem diluuij pœna deleuit. Quòd sancta sit bigamia hinc ostenditur quod bigamus in clerum eligi non potest. Et vidua quæ duos habuit viros, etiam decrepita & egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere. Non damno bigamos, imo nec trigamos, & si dici potest octogamos, sed vt plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem. Castitas semper operibus nuptiarum prælata fuit. Nam primi parentes ante offensam virgines in paradiso fuerunt: Post peccatū autē & extra Paradisum protinus nuptiæ. Nuptiæ itaque terrā replēt: virgi- Gen.1. nitas Paradisum, vnde dictum est. *Crescite & multiplicamini &c.* Prius enim oportuit siluam plantari & crescere, vt esset quod deinceps posset excidi. Quantumque interest inter radicem & fructum, tantum inter nuptias & virginitatem. Sic etiam ab initio cōditionis humanæ, nec carnes comedebantur, nec homines circumcidebantur, nec repudium vxoribus dabatur, & hoc vsque ad diluuium. Postquam ergo venit Christus in fine temporum, & reuoluit omega ad alpha, id est finem retraxit ad principium, nec circuncidimur, nec repudium dare permittimur, nec carnes comedimus, dicente Apostolo: *bonum est non manducare carnem, & non bibere vi-* Rom.14. *num*. Nam & vinum cum carnibus post diluuium dedicatum est. Moyses moriens à populo Israel plangitur: Iosue autem qui nec filios nec vxorem habuisse legitur, quasi victurus in morte non plangitur. Nuptiæ enim finiuncur in morte, virginitas autē post mortem incipit coronari: excepto Petro non legitur de alijs Apostolis quòd vxores habuerint. Cumque de vno sit scriptum & de alijs tacitum, intelligere debemus illos sine vxoribus fuisse.

De fugiendo amore mulieris & de peruersitate Iouiniani.

Cap. LXXV.

Amor non dico meretricis, sed generaliter mulieris semper insatiabilis est, qui extinctus, reaccendi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tur, & post copiam, rursus inopiam patitur, animúque virilem effæminat, & excepta passione quam sustinet, aliud cogitare non sinit. Qui vxorem ducit, in ambiguo est vtrum odiosam an amabilem ducat. Si odiosam duxerit, ferri non potest. Si amabilem, amor eius insatiabilis est: infernoque & terræ arenti, & incendio iuxta Salomonem comparatur. Legimus turturis hanc esse naturam, vt si parem perdiderit, non coniugatur alteri. Vnde patet, bigamiam & à mutis auibus reprobari. Si omnes, inquies, virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? Noli inquam metuere, ne omnes virgines fiant. *Difficilis est res virginitas, & ideo rara.* Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret, *qui potest capere capiat*. Nec Apostolus in persuadendo trepidaret dicens: *de virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Sed erunt*, inquit Apostolus, *illusores &c.* Ibi describit sermo Apostolicus Iouinianum buccis tumentibus loquentem, & inflata verba trutinantem, repromittentem in cœlis libertatem, cum ipse sit seruus vitiorum atque luxuriæ. Nam cum monachum se iactasset esse, & post sordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem & aquæ potum ad candidas vestes, & nitidam cutem, ad mulsum, & elaboratas carnes, ad balneas, & popinas se conferat, manifestum est, quod terram cælo & vitia virtutibus præferat. Verumtamen monachus iste formosus, crassus, nitidus, dealbatus, & semper quasi sponsus incedens, aut vxorem ducat, aut virginitatem æqualem nuptijs probet, aut si non duxerit, frustra contra nos verbis agit, cum opere nobiscum sit. An iam cum propinquis moneret, vt alteri viro nuberet, eo quod esset adhuc ei ætas integra, bona facies, nequaquam, inquit, faciam. Si enim bonum virum inuenero, vt ante habui, nolo timere ne perdam: Si malum, quid necesse est, post bonum pessimum sustinere? O rem improbam. quorundam matrimonia adulterijs cohærerũt. Adulter enim est, vt ait Xystus in sententijs, in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens itaque vir iudicio debet amare coniugem, non affectu: reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil enim fœdius est, quam vxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa reipublicæ, & humani generis, vxoribus iungi, saltem pecudes imitentur, & postquàm vxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se exhibeant vxoribus, sed maritos.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Quòd per abstinentiam carnis libido frænanda sit.

Cap. LXXVI.

Idem in lib. 2. Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est, per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam est introitus, horum perturbationibus anima prægrauatur & capitur. Qua ratione multi philosophorum inuitati, frequentias vrbium, & amœnitates locorum, & quinque sensuum illecebras reliquerunt: ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo molleſceret. Inutile est quippe crebro videre, per quæ aliquando captus sis, & eorum te periculo committere, quibus difficulter careas. Quòd si quis æstimat & abundantia ciborum & potionum se perfrui, & posse vacare sapientiæ, hoc est in delicijs versari, & vitijs deliciarum non teneri seipsum decipit. Cum enim ab his procul remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere quorum copiam non habemus, quanto magis si circundati retibus voluptatum esse nos liberos arbitremur? Sensus noster illud cogitat quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat. Quosdam etiam Philosophos legimus sibi oculos eruisse, ne per illorum visum à contemplatione Philosophiæ auocarentur. Frustra igitur quidam simulant salua fide & pudicitia, & mentis integritate, se voluptatibus abuti, cum contra naturam sit copijs voluptatum sine voluptate perfrui. Vnde Apostolus, *quæ in delicijs*, inquit, *est viuens, mortua est*. Sensus corporum sunt quasi equi sine ratione currentes. Anima igitur in Aurigæ modum retineat fræna currentium. Absque gustu quidem impossibile est humanum corpus subsistere, sed adesse debet ratio, vt tales & tantas sumamus escas, quibus nec corpus oneretur, nec libertas animi prægrauetur, olerum, pomorum, ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte, impendijsque coquorum non indiget, & sine cura sustentat, moderateque sumitur, nec auide deuoratur. Ex diuersitate autem carnium, & saporis delectatione, ventris inflatio concipitur, morbique ex saturitate nimia concitantur. Multi quoque impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Quod autem mirandum est, etiam Epicurus voluptatis assertor in libris suis dicit, oleribus, & pomis, & vilibus cibis, esse viuendum, eo quod carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura præparentur, maioremque pœnam habebant in quærendo, quàm voluptatem in abutendo. Grandis autem animæ exultatio est, paruo contentum esse, mundum sub pedibus habere, & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ, diuitiæ comparantur, vilibus cibis mutare, & grossiori tunica compensare. Quid necesse est sapienti viro & philosopho Christi tantam habere fortitudinem, quæ athletis, & militibus necessaria est, quam cum habuerit, ad vitia prouocetur? Christiano sanitas absque viribus nimis necessaria est. Tolle epularum & libidinis luxuriam, & nemo quærat diuitias, quarum vsus aut in ventre aut sub ventre est. Etiam ex vilissimis cibis vitanda est satietas, nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter, & æstuans, & huc, & illucque se vertẽs, & in ructus & in crepitus ventorum efflatione respirans. Quale est istud ieiunium, aut qualis resectio est post ieiunium, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixioris inediæ famem quærere; tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat, itaque non tam ieiunium appellandum est, quàm crapula, aut fœtens ac molesta digestio.

1. Tim. 5.

Assertio perpetuæ virginitatis beatæ Mariæ.

Cap. LXXVII.

Iterum contra Heluidium. Heluidius iste homo turbulentus sacerdos simul & laicus, loquacitatem facundiam æstimat, & maledicere omnibus bonæ conscientię signum arbitratur, discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui. In partu virginis nulla obstetrix fuit, nulla muliercularum sedulitas interfuit. Ipsa pannis infantem inuoluit, ipsa Mater & obstetrix fuit, & eum in præsepio reclinauit. Sed vnde inquit fratres domini dicti sunt, qui fratres non erant? Iam nunc doceberis quattuor modis fratres in scripturis dici, natura, gente, cognatione, affectu. Natura vt Esau & Iacob, gente vt omnes Iudæi, cognatione vt Abraham & Loth, affectu qui in duo scinditur, in spirituale, & sic omnes Christiani fratres vocantur: & commune, & sic omnes homines quia ex vno patre. Imperitissime vero hominum ista non legeras, & toto scripturarum pelago derelicto, ad iniuriam virginis tuam rabiem contulisti, in exemplum eius quem fabulæ ferunt, qui cum vulgo esset ignotus, & nihil boni possit facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianæ templum incendit. Et nullo prodente sacrilegium, fertur ipse in medium processisse, clamitans se incendium subiecisse. Scisitantibus Ephesi principibus quam ob causam hoc facere voluisset, respondit, vt quia bene non poteram, male omnibus innotescerem, & hoc quidem de illo Græca narrat historia. Tu vero templum dominici corporis succendisti, tu contaminasti sacrarium Spiritussancti, ex quo vis quadriugam fratrum & sororum processisse congeriem. Apud Christianos solæcismus est magnus, & vitium turpe quid vel narrare vel facere. Si describatur infans Iesus tegmine membranarum solito inuolutus: ingerantur dura præsepia, vagitus paruuli, octaua die circuncisio,

Quatuor modis aliqui dicuntur fratres.

cunciſio, non erubeſcimus, non ſilemus. Quanto humiliora ſunt quæ pro me paſſus eſt, tanto illi plus debeo. Et cum omnia replicaueris, nihil cruce proferes contumelioſius, quam profitemur & credimus, & in qua de hoſtibus triumphamus. Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe, ergo plus mihi vendico, etiam Ioſeph virginem per Mariam fuiſſe, vt ex virginali coniugio, virgo filius naſceretur, & cum Maria virgo permanſit, qui Pater Domini appellari meruit. Nec hoc ideo dicimus, quod nuptias condemnemus: ipſa quoque virginitas eſt fructus nuptiarum. *Virgo cogitat quæ ſunt domini, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, nupta autem cogitat quæ mundi ſunt &c.* Idem vero tu putas eſſe diebus ac noctibus ieiunijs vacare atque orationi, & ad aduentum mariti faciem expolire, greſſum frangere, blanditias ſimulare. Illa hæc agit vt turpior appareat, & naturæ bonum infuſcet iniuria. Hæc ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe, quàm nata eſt. Inde infantes garriunt, familia perſtrepit, liberi ab ore dependent, computantur ſumptus, præparantur impendia. Hinc coquorum accincta manus, carnes terit, hinc textricum turba commurmurat, nunciatur interim vir venire cum ſocijs: Illa ad hirundinis modum luſtrat omnia penetralia, ſi thorus rigeat, & pauimenta verrerint, ſi ordinata ſunt pocula, ſi prandium paratum. Reſponde quæ inter iſta vbi ſit Dei cogitatio; nec tamen negamus maritatas ſanctas mulieres inueniri, ſed quæ vxores eſſe deſierint, quæ in ipſa neceſſitate coniugij imitantur virginum caſtitatem. 1. Cor 7.

Subſannatio errorum Vigilantij.

Cap. LXXVIII.

Idem contra Vigilantium. Multa in orbe monſtra generata ſunt, ſola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortibus & eloquentiſſimis abundauit. Exortus eſt ſubito VIGILANTIVS, verius *dormitantius*, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & martyrum neget ſepulchra veneranda: damnandaſque dicat vigilias, continentiam, hæreſim putat. Dolet martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in ſterquilinium, vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim: apud quas Dæmones rugiunt, & habitatores Vigilantij illorum ſe ſentire pœnitentiam confitentur. Dicis in libello tuo quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare poſſumus. Poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio. Sed ſi Apoſtoli & martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cęteris, quando de ſe adhuc deberent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Denique ſancti non appellantur mortui, ſed dormientes. Tu vigilans dormis, & dormiens ſcribis. Cereos autem non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed vt vigilantes, noctis tenebras hoc ſolatio temperemus. Quòd ſi aliqui per imperitiam & ſimplicitatem zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Cauſabantur & quondam Apoſtoli: quod periret vnguentum, ſed domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat vnguento, nec martyres lumine cereorum, tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur. Et quicunque accendunt cereos ſecundum fidem ſuam, habent mercedem, dicente Apoſtolo, *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, nam & abſque martyrum reliquijs per totas orientis Eccleſias quando legendum eſt euangelium, accenduntur luminaria iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Miror quod non dicas nequaquam perpetranda martyria, Deum enim qui ſanguinem taurorum, hircorumque non quærat, multo magis hominum non requirere. Rideas forſitan, & mulierculorum deliramenta ſubſannes, non erubeſco earum fidem, quæ primæ viderunt dominum reſurgentem, quæ mittuntur ad Apoſtolos, quæ in Matre Domini ſaluatoris ſanctis Apoſtolis commendantur. Tu ructato cum ſæculi hominibus, ego ieiunabo cum fœminis, imo cum religioſis viris, qui pudicitiam vultu præferunt, & pallida iugi continentia ora portant. Videris mihi dolere & aliud, ne ſi inoleuerit apud gallos continentia & ſobrietas atque ieiunium, tabernæ tuæ lucra non habeant, & vigilias diaboli ac temulenta conuiuia tota nocte exercere non poſſis. Matt. 26. & Marc. 14. Rom. 14.

De bonis pauperibus ſuſtinendis & de tumultibus fugiendis.

Cap. LXXIX.

PRæterea ad me relatum eſt, quod prohibeas Hieroſolymam in vſus ſanctorum aliqua ſumptuum ſolacia dirigi, cum Apoſtolus hoc in epiſtolis ſuis inſtanter præcipiat fieri; reſpondebis hoc vnumquemque in patria ſua poſſe facere, nec pauperes defuturos: qui opibus ſuſtentandi ſunt Eccleſiæ. Nec nos quidem negamus cunctis pauperibus etiam Iudæis ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas. Sed Apoſtolus docet faciendam quidem eleemoſynam ad omnes, ſed maxime ad domeſticos fidei. De quibus & Saluator ait: *facite vobis amicos &c.* Nunquid iſti pauperes, inter quorum pannos, & illuuiē corporis, flagrans libido dominatur, poſſunt habere æterna tabernacula, qui nec præſentia poſſident, nec futura? Non enim ſimpliciter pauperes, ſed *pauperes ſpiritu* beati appellātur, de quibus ſcriptum eſt: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* In vulgi pauperibus ſuſtentandis, nequaquam intellectu, ſed eleemoſyna opus eſt. In ſanctis pauperibus beatitudinis eſt intelligentia, vt ei tribuat, qui erubeſcit accipere, & cum acceperit dolet, metens carnalia, & ſeminans ſpiritualia. Quod autem aſſerit, melius eos facere qui vtantur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum pauperibus diuidant, quàm illos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiantur, non à me eis, ſed à domino reſpondebitur: *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia &c*, Nec à ſuo ſtudio monachi deterrendi ſunt à te linguis vipereis, quibus argumentaris & dicis: Si omnes ſe clauſerint, & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? qui ſæculares homines lucrifaciet? hoc enim modo ſi omnes tecum fatui ſunt, ſapiens eſſe quis poterit? & virginitas non erit approbanda. Si enim omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt. Interibit enim genus humanum, ſolus atque contractus dormitantius vigilabit in lectulo: rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur, atque vtinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt, de quibus dicitur, *multi ſunt vocati, pauci vero electi*, & vacui eſſent carceres. *Monachus autem non doctoris habet, ſed plangentis officium*, qui vel ſe vel mundum lugeat, & domini pauidus præſtoletur aduentum, qui ſciens imbecillitatem ſuam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum maximeque adoleſcentularum vitat aſpectum: & in tantum caſtigator ſui eſt, vt etiam quæ tuta ſunt pertimeſcat. Cur inquis, pergis ad eremum? videlicet, vt te non audiam, non videam: vt tuo furore non mouear: vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus! reſpondebis. Hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Sta in acie, aduerſarijs armatus obſiſte, vt poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo in ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui. Si ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe eſt certa dimittere, & incerta ſectari? aut ſcuto aut pedibus mors vitanda eſt. Tu qui pugnas, & ſuperari potes & vincere, ego cum fugero non vinco in eo quod fugio, ſed ideo fugio ne vincar. Nulla ſecuritas eſt cum vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri vt me non mor- Actor. 24. Luc. 16. Pſal. 40. Matth. 19. Matth. 20. & 22.

deat,

deat, tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Matres vocamus sorores & filias, & non erubescimus vitijs nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit monachus in cellulis fœminarum? Quid sibi volunt sola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et idcirco vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur: quæ nos non tam natura cogit facere, quàm voluntas.

Inuectio Hieronymi contra æmulos & detractores suos.

Cap. LXXX.

Idem ad Asellam de fictis amicis. Grâtias ago Deo meo, quod dignus sum quem mundus oderit. Ora autem vt de Babylone, Hierusalem regrediar, ne mihi dominetur Nabuchodonosor, sed Iesus filius Iosedech; veniat Esdras qui interpretatur adiutor, & reducat me in patriam meam. Stultus ego qui volebam cantare canticum domini in terra aliena: nec recordabar, quod qui de Hierusalem egreditur, statim incidit in latrones. Maleficum me quidam garriunt: Sed scio per infamiam & bonam famam perueniri ad regna cœlorum. Ante tribunal Christi simul stabimus, ibi patebit qua mente quis vixerit. O inuidia primum mordax tui! O Sathanæ calliditas semper sancta persequens! Non facilis venia praua dixisse de rectis.

Psal. 13. 6. *Luc.* 10.

2. *Cor.* 6.

Idem Hieronym. * *Bonoso.* Ita se habet natura, vt amara sit veritas, blanda vitia existimentur. Vnde non mirum si nos vitijs detrahentes, plurimos offendimus. Disposui nasum secare fætentem: timeat qui strumosus est. Volo corniculæ detrahere garrienti, raucedulam se intelligat cornix. Nunquid vnus in vrbe Romana est: qui habeat truncas inhonesto vulnere nares? Nunquid Bonasus caua verba, & in vesicarum more tumentia buccis trutinatur inflatis? placet mihi de laruis, de bubone, de Niliacis ridere portentis. Quicquid dictum fuerit; in te dictum putas. In quodcunque vitium styli mei mucro contorquetur, te clamitas designari. An ideo tibi bellus videris, quia fausto nomine vocaris? quasi non & lucus ideo dicatur, quia minime lucet. Quod si in descriptione fædorum semper irascaris, iam te cum Persio cantabo:

* *alias* Onasso.

Optent te generum Rex & Regina; puellæ
Te rapiant; quicquid calcaueris, hoc rosa fiat?

Dabo tamen consilium: quibus absconditis possis pulchrior apparere: nasus non videatur in facie, sermo non sonet ad loquendum, atque ita & formosus videri poteris, & disertus.

Idem ad Sabinianum diaconum lapsum. Liber ille quem propheta denotat, omnis series scripturarum est, in quibus & pœnitens plangitur, & iustus canitur, & desperanti maledicitur: nihil enim tam repugnat Deo, quàm cor impœnitens. Solum hoc crimen est: quod veniam consequi non potest. Inimicus tibi factus sum, vera dicens. Nec doleo de maledictis tuis. Quis enim nesciat, nihil nisi flagitiosum ore tuo laudari? Hoc plango, quod tuipse non plangis, quod te mortuum non sentis, quod quasi gladiator paratus libithynæ, in proprium funus ornaris. Dentes puluere teris, raros in rubenti caluaria capillos digeris; taurina ceruix toris adipeis intumescẽs, nec quia propter libidinem fracta est, inclinatur. Super hæc vnguentis fragras, mutas balneas, & cõtra renascẽtes pilos pugnas, per forum ac plateas nitidus ac politus amator incedis, facies Meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Age itaque pœnitentiam, conuertere miser ad Deum, vt ad te Deus conuertatur: an malorum tuorum putas solatium, si multos tibi similes habeas? fluant paulalum de oculis tuis lachrymæ, & inter sericum & linteamina, quibus tibi videris fulgidus & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem.

Iterum de eodem.

Cap. LXXXI.

Idem ad Marcellam de detractoribus suis. Quidam superbiæ nos arguere solent, qui crassam rusticitatem solam pro sanctitate habent: piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco iusti sint, si nihil sciuerint. Quos ego cum possem meo iure contemnere (asino quippe lyra superflue canit) verum ita responsum habeant. Si displicet eis fontis vnda purissimi, cœnosos riuulos bibant: & diligentiam, qua auium siluas, & concharum gurgites norunt, in scripturis legendis, abijciant. Sintque in hac re tantum simplices, vt Christi verba existiment rusticana: in quibus per tanta iam sæcula, tantorum sudauerint ingenia: vt rationem vniuscuiusque verbis magi opinati sint, quam expresserint. Apostolum quoque arguant imperitiæ, qui ob multas literas dicitur insanire. Scio te cum ista legeris, rugare frontem, & libertatem meam rursum seminarium timere rixarum, ac meum, si fieri potest, os digito velle comprimere, ne audeam dicere, quæ alij facere non erubescunt. Rogo quid à nobis libere dictum est? vnum miser locutus, quod virgines sæpius esse debent cum mulieribus, quàm cum masculis: totius vrbis oculos offendi, cunctorum digitis notor. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis.* Verum ne Flaccus de nobis rideat: Amphora cæpit institui currente rota, cur vrceus exit? Reuertamur ad asellos bipedes nostros, & in aurem eorum buccina magis quàm cithara concrepabimus.

Actorum 26.

Psal. 68.

Idem ad magnum oratorem vrbis Romæ. Quæris cur in opusculis nostris sæcularium litterarũ interdum exempla ponamus, & candorem Ecclesiæ, Ethnicorum sordibus polluamus. Responsum breuiter habeto: Nunquam hoc quæreres, nisi te totum Tullius possideret: si sanctas scripturas legeres, & earum interpretes, omisso Volcatio, euolueres. Nam & in Moyse, & in prophetarum voluminibus, & Epistolis Pauli quædam de libris gentilium assumpta sunt. In Deuteronomio quoque, Domini voce præcipitur, mulieris captiuæ radendum capur, & supercilia, omnesque pilos, & vngues corporis amputandos, & sic eam habendam coniugem. Quid ergo mirum, si & ego sapientiam sæcularem, propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua, Israelitidem facere cupio, & si quid in ea mortuum est idolatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præscido vel rado, & mixtos puriſſimo corde vernaculos Domino Sabaoth ex ea genero?

Deuter. 21.

Idem in apologetico ad Pammachium. Delicata doctrina est, pugnanti dictare ictus de muro, & cum ipse vnguentis delibutus sis, cruentum militem accusare formidinis: inuenti sunt scioli tantum ad detrahendum: qui eo in se doctos ostentare velint, si cunctorum dicta lacerent, Plautinam familiam imitantes. Non damno nuptias, virginitatem in cœlum fero, non quia habeo, sed quia magis miror, quòd non habeo. Ingenua & verecunda confessio est, quo ipse careas, id in alijs prædicare. Miseriæ delicijs, & deliciæ miserijs commutantur. In arbitrio meo est vel Lazarum sequi, vel diuitem.

Adhuc de eodem.

Cap. LXXXII.

Idem ad Minerium & Alexandrum, de resurrectione carnis. Si quis contra me murmuret, quod eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire: *omnia probate, quod bonum est tenete.* Ego ab adolescentia mea profiteor, & Origenem, & Eusebium Cæsariensem, viros doctissimos fuisse: sed errasse in dogmatum veritate: & tamen in explanationibus scripturarum sudoris sui nobis memoriam reliquerunt. In terra aurum quæritur: & de

1. *Thess.* 5.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fluuiorum alueis ſplendens glarea profertur: pactoluſque ſcæno ditior eſt, quàm fluento.

Idem contra Vigilantium. Operis ac ſtudij mei eſt, multa legere, vt ex plurimis diuerſos flores carpam, non tam omnia probaturus, quàm quæ bona electurus. Non eſt eiuſdem hominis, aureos nummos & ſcripturas probare, vina deguſtare: & Prophetas, & Apoſtolos intelligere. Meam iniuriam patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui.

Idem ad Pammachium & Oceanum. Ipſe quoque Origenes in epiſtola quam ad Fabianum Romanæ vrbis Epiſcopum ſcribit, pœnitentiam agit quod talia ſcripſit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecreto edita, in publicum protulerit. Qui obijcit mihi Origenem, obijciat & mihi, cur hominem Iudęum habuerim præceptorem, cum ego miro odio auerſer circunciſionem. Libros quidem Origenis congregaui, & ideo errores eius non ſequor, quia ſcio omnia quæ dixit, atque vtinam omnium tractatuum haberem volumina, vt tarditatem ingenij, eruditionis diligentia compenſarem.

Idem in prologo Hebraicarum quæſtionum. Non mirum ſi contra me paruulum homunculum immundæ Sues grunnient, & pedibus margaritas conculcent, cum aduerſum doctiſſimos quoque viros, & qui gloriam inuidia calcare debuerant, liuor exarſit. Semper quidem in propatulo fortitudo æmulos habet, feriuntque ſummos fulgura montes. Me vero procul ab vrbibus, foro, litibus, turbiſque remotum, ſicque latentem reperit inuidia. Vt autem nos humiles atque pauperculi nec habemus diuitias, nec oblatas dignamur recipere: ita & illi nouerint ſe non poſſe notitiam ſcripturarum ideſt diuitias Chriſti, cum mundi pariter habere diuitijs, Balſamum, piper, & poma palmarum, ruſtici non emant.

De ſtudio ſanctarum ſcripturarum.

Cap. LXXXIII.

Idem de ſtudio ſcripturarum. Vera illa neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio, ſed Dei timor & diuinarum ſcripturarum ſtadia conciliant. Habet autem neſcio quid latentis energiæ, viuæ vocis actus, & in aures diſcipuli de actoris ore transfuſa fortius ſonant. Ingenium docile, & ſine doctore, laudabile eſt. Sancta quidem ruſticitas ſolum ſibi prodeſt, & quantum ædificat ex vitæ merito: tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. Verumtamen etiam qui vilia opuſcula fabricant, abſque doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt. Quod Medicorum eſt, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant.

Scribimus indocti, doctique poemata paſsim.

Hanc garrula Anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mullerculas de ſacris literis philoſophantur. Alij quadam facilitate verborum, imo audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas poſt ſæculares literas veniunt, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec dignantur ſcire, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. Nolo autem vt offendaris in ſcripturis, ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de induſtria ſic prolata ſunt, vt ruſticam concionem facilius inſtruerent, & in vna eademque ſententia aliter doctus, aliter ſentiret indoctus. Diſcamus in terris quorum ſcientia nobis, perſeueret in cœlo: feſtina, quæſo te, & hærentis in ſalo nauiculæ funem potius præſcide, quàm ſolue. Antiquè dictum eſt, auaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus diuiriarum eſt: totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit, facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum.

De imperfecta huius vitæ perfectione.

Cap. LXXXIV.

Idem contra Pelagianos in prologo. Scitote me nunquam hæreticis peperciſſe, ſed omni ſtudio egiſſe, vt hoſtes Eccleſiæ, mei quoque hoſtes fierent. Nunquid ego ſolus ſum, qui cunctorum gloria mordeor: & tam miſer, vt his quoque inuideam, qui nec merentur inuidiam?

Idem in lib. 1. Hæc eſt vera ſapientia imperfectum ſe eſſe noſſe, atque vt ita loquar, cunctorum in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt. Qui habet vnam virtutem habet omnes, participatione quidem, non proprietate. Neceſſe eſt enim vt ſinguli in quibuſdam excellant. Non ſufficit epiſcopo propriam habere pudicitiam, niſi etiam comitum & miniſtrorum pudore decoretur: qui non ſolum opere, ſed ſermone quoque ac nutibus ſe abſtineant ab impudicitijs, ne forte in illam pœnam incidat Heli, qui certe increpauit filios ſuos, dicens: *Nolite filij mei, non eſt bona res, quam audio de vobis.* 1. Reg. 2. Corripuit quidem & tamen pœnam accepit: quia non debuit corripere, ſed abijcere. Quid ergo Epiſcopus faciet, qui ad vitia gaudet, & emēdare non audet, & quod totus populus clamitat, neſcire ſe ſimulat. Veritas amara eſt, rugoſæ frontis ac triſtis, offenditque correptos. Vnde Apoſtolus: *Inimicus vobis factus ſum verum dicens vobis.* Gal. 4. Et comicvs: *Obſequium amicos & veritas odium parit.* Nonne vobis ſatis eſt patienter perdere, quod habemus, niſi etiam violento, atque raptori gratias agamus, & cum benedictionibus proſequamur? Nunquid præceptum eſt, vt ita inimicos diligam, quaſi proximos, & conſanguineos, & amicos, vt inter æmulum & neceſſarium nulla ſit diſtantia? Si inimicos quaſi proximos diligo amicis quid amplius exhibeo?

Idem in lib. 2. Quamuis alijs vitijs carere poſſumus, hipocriſeos maculam non habere, aut nullorum, aut paucorum eſt. Non eſt iniuſtus Deus, vt tantum peccata condemnet, & bonorum operum non meminerit. Voluntas Dei non eſt diſcutienda, ſed cum gratiarum actione patienda.

Idem in lib. 3, Da mihi hominem, qui non eſuriat, nec ſitiat, nec algeat, nec doleat, non torqueatur aliqua corporis difficultate: & ego tibi concedam poſſe hominem nihil aliud niſi de virtutibus cogitare. Dicis Critobule ſentio te iam dudum loqui geſtire. Et tamen erumpentia verba non promere. Quis te prohibet quod ſentis dicere? aut bonum eſt, quod dicturus es, & nos bono fraudare non debes, aut malum, & tunc non noſtri gratia, ſed pudore filuiſti: vicinia ſunt vitia virtutibus, & ſi paululum declinaueris, aut errandum tibi eſt, aut in præceps cadendum. Quantum enim inter ſe diſtant pertinacia & perſeuerantia, parſimonia & frugalitas, perfuſio & liberalitas, prudentia & calliditas, fortitudo & temeritas, cautela & timiditas, quorum alia ad bona referuntur, alia ad mala. Ille quidem hæreticum interficit, qui hæreticum eſſe patitur. Noſtra autem correptio viuificatio eſt.

De imperfecta pœnitentia.

Cap. LXXXV.

Idem ad Iulianum. Contemnis aurum, quod contemſerunt, & multi philoſophi, è quibus etiam vnus multarum poſſeſſionum pretium proiecit in pelagus, dicens: Abite in profundum malæ cupiditates, ego vos ſubmergam, ne ipſe mergar à vobis. Iepte obtulit filiam virginem, & idcirco in enumeratione ſanctorum ab Apoſtolo ponitur: Nolo ea tantum offeras Domino,

quæ

quæ potest fur rapere, hostis inuadere, proscriptio tollere, quæ saltem velis nolis dimissurus es in morte. Illud offer, quod nullus tibi possit hostis auferre, nulla tyrannidis eripere, quod tecum pergat non ad inferos, imo ad Paradisi delitias. Extruis quidem monasteria, sanctos sustentas, sed melius faceres, si inter sanctos, sanctus viueres. Difficile immo impossibile est, vt & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, & hic ventrem, & illic mentem repleat, vt de delitijs ad delitias transeat, vt in vtroque sæculo primus sit, vt in terra, & in cælo gloriosus appareat.

Idem ad Rusticum de pœnitentia. Nihil ita offendit Deũ, vt desperatione malorum fauere prioribus, & ipsa desperatio incredulitatis est indicium.

Idem de homine perfecto. Ante tribunal venturi iudicis omnis obtumescet sæculi lingua, & sola erit in rusticulis suis facunda iustitia. Hæc est autem illa stultitia sæcularium: hæc est sapientia vocatorum, Christum, semper in ore habere, quoniam *verbum* est, esurire quoniam *panis* est, ipsius spiritu ebrios mente excedere, scilicet Deo, quoniam *calix* est noui testamenti, illum petere, qui peti se vult à Deo, vt poscendi verba ministret: qui quod nouum & mirabile est apud nos, solus petentes se amat, solus irascitur, nisi petatur. Infidelitas enim est nihil præsumpsisse de Domino, quia nihil iudicat illum posse, qui quod posse iudicat, non poscit. Sed ecce iam iniuriam fecisse virtutis est: aliena possidere, potentiæ: innocentem circumuenisse, astutiæ: hominem despexisse humilem, nobilitatis: prophetam horrere eloquentis; non Christum sapere, sapientis. Sic erroribus plena sunt omnia: sic infusa per hominum mentes caligine: alio alium incursante, mundus obuoluitur, & ad hoc vsque veritas obscuratur, vt in mortis gremio iacuisse beatitudo dicatur.

De laude sanctarum mulierum Blesillæ & Asellæ.

Cap. LXXXVI.

Idem ad Marcellam de ægrotatione Blesillæ. Scandalizat quempiam vestis fuscior: Scandalizet & Ioannes, qui camelorum pilis vestitus, zona pellicea cingebatur. Cibi displicent viliores, nihil locusta vilius. Illæ Christianos oculos potius scandalizent, quæ purpurisso, & quibusdam fuscis ora, oculosque depingunt, quarum facies gipseæ, & nimio candore deformes, Idola mentiuntur, quibus si forte improuidens lachrymarum stilla eruperit, sulco defluit, quas nec numerus annorum docere potest, quod vetulæ sunt, quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt, quæ ante nepotum gregem trementes vt virgulæ componuntur. Erubescat mulier Christiana, si natura cogit decorem. Ecce vidua nostra prius vndique ornabatur, & tota die quid sibi deesse quærebat ad speculum nunc neglectum caput scit sibi tantũ deficere quod velatur, plumarum quoque mollicies tunc dura videbatur, & in extructis thoris iacere vix poterat, nunc ad orandum festina consurgit, flectuntur genua super humum, & crebris lachrymis facies ante sordidata purgatur. Pulla est tunica, minus cum humi iacuerit sordidatur. Soccus vilior, & auratorum pretium calceorum egentibus datur. Cingulum non auro gemmisque distinctum, sed laneum & simplex, quod possit vestimenta astringere magis quã scindere. Si quis huic proposito inuidet, & detrahit, Blesilla nostra ridebit: nec dedignabitur ranarum loquacium audire conuitia.

Idem ad Marcellam de vita Asellæ. Asella nostra sano corpore, sanior animo, solitudinem putabat delicias. Et in vrbe turbida inuenit eremum monachorum. Nihil illius seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius. Ita pallor in facie est, vt continentiam indicet, non redoleat ostentationem, sermo silens & silentium loquens: nec citus, nec tardus incessus: idem semper habitus, neglecta mundicies, inculta vestis, & cultus ipse sine cultu. Sola vitæ suæ qualitate promeruit, vt in vrbe lasciua, & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant, viduæ eam imitentur, & virgines maritatæ colant, noxiæ timeant, sacerdotes suscipiant.

De amore scripturæ & fuga sæculi.

Cap. LXXXVII.

Idem ad Marcellam. Ambrosius, quo chartas, sumptus, & notarios ministrante, tam innumerabiles libros Adamantius noster, & Chalcenterus noster explicauit: refert, nunquam se cibos, Origene præsente, sumpsisse sine lectione, nunquam somnum iisse, nisi vnus ex fratribus sacris litteris personaret, hoc diebus egisse vel noctibus, vt & lectio orationem susciperet, & oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale vnquam fecimus? quos si secunda hora legentes inuenerit, oscitamus, manu faciem defricantes, & quasi post multum laborem mundialibus rursum negocijs occupamur. Prætermitto prandia, quibus onerata mens premitur, pudet dicere frequentiam salutandi, qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros expectamus. Deinceps itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur, & mordentes inuicem, consumimur abinuicem. Talis nos cibus & occupat & dimittit. Cum vero amici recesserint ratiocinia supputamus; & si damnum vt sæpe in re familiari accidere solet fuerit nunciatum, vultus mœrore deprimitur. Lætamur ad nummum, obolo amisso contristamur. Sicque imagini Dei in qua conditi sumus, personas plurimas superinducimus. Et quomodo in theatris vnus & idem histrio nunc Herculem robustus ostendat, nunc mollis in Venerem frangitur. Nunc tremulus in Cybelem; ita & nos tot habemus personarum facies, quot peccata, vnde dicit propheta: *Domine in ciuitate tua imaginem ipsarum ad nihilum rediges.* *Psal 72.*

De significatione munerum Eustochij & Marcellæ.

Cap. LXXXVIII.

Idem in Epistola ad Eustochium de transmissis muneribus. Parua specie, sed magna charitate sunt, munera accepisse à virgine, armillas, epistolam, & columbas; & quoniam in Dei sacrificijs mel non offertur, nimia dulcedo arte mutata est; & quadam (vt ita dicam) piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil suaue placet; nihilque quod in se non habeat aliquid veritatis & mordacitatis. Pascha Christi cum amaritudinibus manducatur; festus est dies & natalis beati Petri, festiuius solito condiendus, ita tamen vt scripturarum ordinem, iocularis sermo non fugiat, nec à præscripto palestræ nostræ longius euagemur. Caue ne operis ornamenta dimittas, quæ vere ornamenta sunt brachiorum ne epistolam pectoris tui scindas, quam à Baruch traditam, nouacula Rex profanus incidit, ne ad similitudinem Effraim per Osee audias: *Facta es insipiens vt columba.* *Osee 7.* Nimium respondebis, austere, & quod festo non conueniat diei. Talibus ipsa muneribus prouocasti, dum dulcibus amara sociata sunt, & à nobis paria recipies. Verum ne videar dona minuisse, accepimus & canistrum cerasis refertum, talibus & tam virginali verecundia rubentibus: vt ea nunc à Lucullo delata existimarem. In scripturis quidem canistrum ficis plenum legimus, cerasa vero non inuenimus. *Hier. 24.* Optamus itaque te de illis pomis fieri, quæ contra templum domini sunt, & de quibus dicitur, *quia bona bona valde.* *Apoc. 3.* Nihil quippe Saluator medium amat: & sicuti frigidum non refugiens, calidis delectatur; ita tepidos se euomere in Apocalypsi loquitur: Vnde nobis solicitius prouidendũ est, vt solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus: quia valde absurdum est nimia saturitate martyrem honorare velle, quem scimus Deo ieiunijs placuisse. Ita tibi semper comeden-

dum

dum eſt, vt cibum & oratio ſequatur, & lectio. Quod ſi aliquibus diſplicet; Apoſtoli verba cantato. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ancilla non eſſem.*

Gal. 1. *Idem ad Marcellam de ſignificatione munerum.* Vt abſentiam corporum ſpiritus confabulatione ſolemur, faciat vnuſquiſque quod prævalet. Vos dona tranſmittitis, nos epiſtolas remittimus gratiarum: ita tamen vt quia velatarum virginum munus eſt, aliqua in ipſis munuſculis eſſe myſteria declaremus. Saccus orationis atque ieiunij ſignum eſt; ſella, vt foras pedes virgo non moueat; cerei, vt accenſo lumine, Chriſti expectetur aduentus; calices, mortificationem carnis oſtendunt, & animum ſemper ad martyrium præparatum. Quod autem & matronis offertis muſcaria, paruis animalibus ventilanda, elegans ſignificatio eſt debere luxuriam cito reſtingere, quia muſcæ morientes, perdunt ſuauitatem vnguenti.

De Sancto Firmino Ambianenſi epiſcopo.

Cap. LXXXIX.

Ambianum. *Ex geſtis eius.* Gratianus itaque Valentiniani filius ciuitatem quam ab adiacenti flumine *Lombonabeiam* Antonius pius eius conditor appellauerat, ſuo præfecit dominio, ibique imperialem ſibi ſortitus eſt dignitatem, cui & nomen mutando indidit, & ab ambitu fluminum, *Ambianis* eam nominauit. Per idem tempus Fauſtianus vir genere nobilis, non ſolum Ambianis, ſed etiam totius Galliæ præfectus erat; hic vnicum filium habuit, quem in honore & memoria ſancti Firmini martyris Firminum nuncupauit. Qui bonæ indolis puerulus eſſe incipiens ætatulam ſuam Domino conſecrauit. Cumque virtutum gradibus ad culmina eccleſiæ conſcendere videretur, Ambianicis plebibus gratus epiſcopus ordinatur. Vbi qualem, quantumque ſe præſtiterit quis digne valeat explicare. Quis tantorum verborum copia inſtructus ſit, vt cuncta eius bona, vt decet, proſequi queat? Ab omni errore infidelitatis & vanæ gentilium ſuperſtitionis vrbe purgata, in loco vbi corpus beati Firmini martyris tumulatum fuerat, eccleſiam *ſanctæ Dei Genitricis* ſemperque virginis Mariæ cōſtruxit, quam populorum confluxus ſupremis honoribus munerauit. In qua dum in paſchali feſtiuitate ſacra pertractaret myſteria, cælis apertis *palmam Domini noſtri Ieſu Chriſti aſpexit*, quæ eius vitæ ſacroſancta chriſmata beauit, qui de ſacroſancti numeris viſione, imo perceptione ſacrificatus, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus poſtmodum manſit illæſus. O quoties ob veritatis aſſertionem paratam habuit mortem, ſed licet ei ſors temporis præſtare martyrium non potuerit, gloriam tamen martyrij non amiſit, quia pro ſpe æternitatis iugiter laborauit. Inſignis itaque virentibus miraculis coruſcus Cal. Septembris migrauit ad Chriſtum.

Fauſtianus pater S. Firmini.

Templum B. Mariæ Virginis Ambianis à S. Firmino conſtructum.

De ſanctis eiuſdem vrbis epiſcopis Honorato & Saluio.

Cap. XC.

Honoratus epiſcopus Ambianenſis. *Ex geſtis eorum.* In eadem eccleſia per ſucceſſiones temporum floruiſſe leguntur etiam alij plures ſancti viri. Nam tempore Chilberti Regis Franciæ ſanctus præſul Ambianenſis, vir clariſſimus prodigijs, & miraculis eximius, nomine & nobilitate Honoratus, is quoque, dum ſacrum corpus Chriſti ſuper altare virginis Mariæ conſecraret, palmam domini meruit conſpicere: & vice ſua conſecrationis myſterium perficere; qui Spirituſancto repletus, alacri corde de menſa ſacrificium manu Saluatoris conſecratum accipiens, & cum ſubita mentis veneratione ſumens ab omni inquinamento carnis & Spiritus poſtmodum manſit illæſus.

Honoratus vir Sanctiſſimus. Idem etiam, donum tantæ dignitatis accepit, vt pignora ſanctorum Fuſciani, atque Victorici, & Gentiani martyrum, Angelo nunciante venerabili Lupicino preſbytero, inueniret.

Saluius epiſcopus Ambianenſis. Poſtea tempore Theodorici Regis nobiliſſimus vir Saluius, Ambianenſem cathedram ſuſcepit, homo facundus, pudicus, moribus ornatus, in conſilio prouidus, omnique dignitate perfectus. À primæuo namque iuuentutis flore diuinis ſtudijs deditus gloriam & blandimentum ſæculi deſpexit; & diuini cultus officio maximo amore aſſidue exarſit. Fuit itaque à populo vocatus in ordinem magiſtratus, & à Deo coronatus in honore Pontificatus. Erat autem aſtutus vt ſerpens, ſimplex vt columba, totum regnum Francorum eius cōſilio Theodoricus Rex ordinabat, eiuſque conſultu barbaras nationes feruido gladio ſuæ poteſtati ſubiugabat.

Honoratus aſtutus vt ſerpens, ſimplex vt columba.

Idem etiam Præſul ſanctæ prædicationis pabulo corda populorum aſſidue reficiebat, & ad paſcua æternæ refectionis inuitabat. Corpus quidē beati Firmini martyris, qui ab Idolorum cultura vrbem expiauerat; & tempore paſſionis ſuæ miraculis innumeris coruſcauerat, in eccleſia beatæ virginis Mariæ requieſcere nouerat, quam beatus Firminus confeſſor eiuſdem vrbis epiſcopus conſtruxerat, & in ea ſepulturam ſuam elegerat. In quo autem loco beatus martyr conditus eſſet, ignorabat. Cumque aſſidue Domino preces fundens, cum largiſſimis lachrymis intra ſemetipſum pertractaret, ſi tempore ſuo Chriſtus hunc martyrem declarare dignaretur, quadam die plebem omnem diuerſi ſexus, & clerum conuocauit, & more ſolito officium diuinum cum verbo ſanctæ prædicationis celebrauit; atque inter cætera ieiunium triduanum cum oratione, & gemitu, pro reuelatione ſancti martyris indixit.

De inuentione & tranſlatione corporis ſancti Firmini.

Cap. XCI.

Visio B. Saluij. Itaque Præſul in terra proſtratus, & cinere atque cilicio indutus, cum inundatione lachrymarum, imo flatum à pectore trahebat, populuſque indeficienter clamabat; nec ab Eccleſia per triduum recedebat, ſed indictum ieiunium humili mente perficiebat. In tertia vero die cum aurora primam partem luminis extuliſſet, ſanctus Saluius erectis ſurſum ad cœlum oculis, vidit quaſi radium ſolis ab arce præcelſi throni exire, & vſque ad locū in quo ſanctus martyr quieſcebat inenarrabiliter refulgere: qui mox Deo gratias immenſas referens, cum timore, ac tremore acceſſit, fodienſque ſepulchrum aperire cæpit, & ſtatim odor ſuauitatis, ac ſi omnia pigmentorum genera illic conderentur, & ager floridus adeſſet, excreuit, quantoque plus ad ſacrum corpus fodiens accedebat, tanto amplius odor immenſus fragrabat, totamque diœceſim illam, & vrbes vicinas irrigabat, ita vt omnis multitudo Thauranenſium, Cameracenſium, Nouiomenſium, ac Beluacenſium in ipſa hora, quaſi in Paradiſo deliciarum ſe eſſe putarent. Hoc itaq; ſolo nuncio cognoſceres, quod tam ſacrum myſterium Ambianis per reuelationem Spiritusſancti, Saluius & ſacerdotes, ac populus celebrarent, cum cereis & pſalmis pſallentes, celeriter ad vrbem prædictam obuiam tanto martyri venerunt, ac ſi præceptorem & ducem habuiſſent, ibique inuiſa & inaudita viderūt. Mox enim vt ſanctus Præſul ac religioſi ſacerdotes, martyrē à ſepulchro leuauerunt, cum eſſet hyems & glacialis aſperitas ſcilicet idibus Ianuarij, tam feruidus calor mundum inuaſit, vt illi qui aderant ſtupefacti, totum mundum æſtimarēt ab imminentia caloris diſſolui, & ad nihilum redigi. Et enim ſol in cancrum contra naturam flammigeris euectus quadrigis, æſtiuali feruore nimietatem frigoris in vno momento diſſoluit, idemque calor pene trium horarum ſpatio manſit.

S. Saluium inuenit Sepulchrum Sancti Firmini martyris.

Dum autem ſanctum martyrem populi deferentes ad vrbem, iter acciperent, occurrētes cateruæ plurimæ, veſtimenta ſua in via ſternebant, & clamabant: *Oſanna in excelſis*: & ſubito reſpicientes viderūt omnes arbores florū

Miracula plurima facta in inuentione corporis S. Firmini.

amænitate vernantes: ac tuauiter redolentes, quasi vt prope iam formatum fructum depromerent. Cacumina vero arborum cū fructibus assidue glisscētibus submissa astabant, & inclinando obsequium in aduentu præclari martyris præbebant. Omnis autem plebs admirans cōfestim frondes cum floribus de arboribus euellebat, & in via humili deuotione pandebat. Omnia quoque prata & campi circunquaque Ambianis, in momento plena fuerunt rosis ac liliis, ac diuersis generibus olerum ac florum. Quotquot autem infirmi obuiam accedentes rumpebant flores, & in plateis semitisque sternebant, sanitatem recipiebant.

Ita scribit Petrus de Natalibus in actis S. Firmini.

Omnes igitur diem illam in lætitia & gaudio solenniter celebrarunt; quia pro gelu æther calorem protulit, pro niue flores, pro pruina frondes, plurimique ægroti sanati sunt.

Hæc translatio celebratur in octaua Epiphaniæ.

De quibusdam gestis Damasi Papæ & Hieronymi.

Cap. XCII.

Sigebertus in chronicis. Anno Gratiani secundo psalterium quod secundum 70. interpretes in omnibus Ecclesijs cantabarur, Hieronymus correxit, quo iterum vitiato psalterium nouum composuit, quod à 70. interpretum editione non multum discordaret, & cum Hebraico multum concordaret. Quod vt omnibus clarum fieret, ipsum psalteriū distinxit per asteriscos. i. stellas * ; & per obelos. i. virgam iacentem — docēs ea quæ continentur sub asterisco, vsque ad duo puncta: in Hebræo haberi, & à 70. prætermissa esse: ea vero quæ cōtinentur sub obelo vsque ad duo puncta: in Hebræo non haberi, sed à 70. addita esse, *iuxta Theodotionis duntaxat translationem.* Hoc psalterium Damasus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Ecclesijs cantari instituit, & propter hoc Gallicanvm vocatur. Romanis psalteriū secundum 70. retinentibus sibi, propter quod etiam Romanvm vocatur. Hæc duo psalteria cum non sufficerent ad proponenda testimonia de Christo contra Iudæos, qui non recipiunt, nisi ea quæ habentur in Hebræo, addidit & tertium, quod vocatur Hebraicvm, eo quod rogatu Sophronij viri sapientis transtulit illud de Hebraica veritate de verbo ad verbum. Quod psalterium autem, & alia Hieronymi opuscula, idem Sophronius de Latino in Græcum transtulit.

Hæc verba sunt in manuscripto Gemblacensi cultro erasa

Theophilus Alexandriæ Episcopus, cyclum de obseruatione paschæ per centum annos digestum, quem laterculum vocauit, ab hoc anno inchoauit; hoc est, à primo consulatu Theodosij.

An. Ch. 382.

Damasus Papa instituit, rogatu Hieronymi, dicere in ecclesia in fine psalmorum, *gloria patri, &c. Sicut erat in principio, &c.* Instituit & psalmos in Ecclesia nocte dieque cantari.

Confitetur id Baronius anno Chri. 38. in principio.

Author. Ab hoc etiam Damaso Papa legitur Hieronymus ordinatus fuisse Romæ presbyter, cardinalis; & postea sub eodem electus fuisse de Roma à clericis Romanis sibi inuidētibus, indutus veste muliebri. Qui Romam egressus, profectus est ad Gregoriū Nazianzenum tunc Constantinopolitanum episcopum: deinde profectus est in Syriam, vbi cum moraretur in possessione Euagrij presbyteri, Malchum Monachum captiuum reperit, cuius captiuitatis historiam scripsit.

De actibus Monachi captiui.

Cap. XCIII.

Hieronymus de vita Malchi. Malchus cum à parentibus vxorem ducere cogeretur, non consentit dicens se monachum velle fieri. Vnde fugitiuus à parentibus ad eremum peruenit, ibique inuenit plures fratres cum quibus monachus iam factus moram fecit. Post aliquod vero tempus incidit ei cogitatio ad patriam ire, vt patre defuncto (vt audierat) matris viduitatem consolaretur. Abbas vero hoc audito ait tentationē esse diaboli, & prohibuit abscessum: ille vero pertinaciter asserebat se profecturum. Tandem cum lachrymis dimisit eum Abbas. Qui pergens vidit virorum multitudinē ac mulierum circiter 70. cum quibus comitatus est. Contigit autem vt itinerantibus occurrerent latrones Saraceni in equis & camelis; qui eos inuadentes deuicerūt. Malchus autem captiuus ductus est cum vxore alterius captiua christiana; tandem deducti coram Domina quadam, ipsam adorare compulsi sunt. Quid multa? ouium custos factus est, & vt securius & melius curam pastoris ageret, cōpulerunt eum gētiles, vt carnaliter coniungeretur captiuæ. Malchus vero imminente metu mortis duxit eam in speluncam præ incumbente sibi tristitia: ibique accipiens gladium, se, inquit, velle potius occidere; quam cū alterius vxore adulterare. Cui illa, ne occidas te; quia etiamsi velles in me peccare, ego prius morerer, sed habeto me potius coniugē pudicitiæ, quàm corporis, sperent domini maritum, Christus nouerit fratrem, facile suadebimus nuptias, cum nos viderint sic amare. Tunc Malchus audita virtutis fæmina, consensit ei; & coniugem plus dilexit. Dixit autē Malchus: In tali matrimonio, transierunt dies plurimi, nec vnquam carnem eius vidi, nec ipsa meam, similiter nec adinuicem tetigimus. Cumque iam fugæ nulla haberetur suspicio, solus in eremo sedens, cogitaui vitæ dulcedinem Eremitarum. Hac in cogitatione voluens animum, nec vultu potui celare conceptum. Tunc mulier causam tristitiæ percipiens, ait: Et ego similiter tecum fugiam. Quid plura? eadem nocte cæteris dormientibus, acceptis capris duabus, carnes ad viaticum decoquimus, & ex pellibus sacculos nobis facientes portauimus, cucurrimus, post terga semper aspeximus.

Post diem tertium ecce duos subsequentes nos vidimus camelis insidentes, statimque timentes, vestigiis per arenam nos proditos intelligimus, sed offertur ad dexteram specus: in qua nos misimus, licet in ea pericula venenatorum animalium timeremus. Cumque insequentes nos. s, dominus & seruus nos vocarent, vt egrederemur, accessit Leæna & vnum post alium gutture suffocato introtraxit. Tunc inter gaudium & metū constituti sumus, timebamus enim Leænam. Tunc hora sequente matutina Leæna catulum suum defert, nobisque cōcessit hospitium. Exiuimus autem ad vesperam & cæpimus camelos: quos dromedarios vocāt propter velocitatem, quibus insidentes, decima tandem die ad castra Romana per deserta venimus, oblatique tribuno, rei ordinem narrantes, tandem pretio camelorum accepto, ad priorem abbatiam volui reuerti; sed iam Abbate mortuo in Mesopotamiam me monachis tradidi; illamque virginibus dilectam vt sororem commendaui, cui tamen me non credidi vt sorori.

Ex chronicis. Porrò Maximus quidam ex imperatorio genere descenderat, & Constantini magni consanguineus erat, vnde & partem imperij sibi competere calumniabatur. Qui cum Britanniæ factus fuisset Rex, cēpit superbire, atque tyrannidem exercere contra Romanum imperium.

De obitu sancti Basilij & fide Amphilochij.

Cap. XCIIII.

Sigebertus in chronicis. Anno tertio Gratiani, Basilius Cæsariensis obiit: qui gemina philosophia, & sanctitate claruerat; cui Deus apparens ad precem eius; eum docuit* vt proprijs verbis sanctum sacrificiū cōsecraret. Cui reuelatū est, quod Mercurius miles & martyr Iulianum imperatorem peremerit; qui iuuenē qui ob amorem virginis sibi per Diabolum conciliatæ, negauerat Christum, reconciliauit Christo, palàm altercans cum Diabolo, qui impetrauit à Deo, vt sanctus Effrem Syrus, Græcè loqueretur; qui peccata peccatricis scripta, & signata orando obliterauit. His & multis aliis clarus, dum

* *Conjule Baronium & alios.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Medicus Hebræus imminere sibi mortem per tactum venæ reuera pronunciaret, mortem orando in crastinum distulit, & ita medicum cum suis ad Christum conuertens fœliciter moritur.

Amphilochius in vita S. Basilij. Erat iste Ioseph in tactu venæ peritissimus; quem præsciens diuinitus vir sanctus Basilius habitum nostræ religionis susceperturum, valde amabat eum, & assidue alloquebatur eum, vt discederet de polluta religione, & viam salutis teneret; qui non acquiescebat ei. Cum vero transitus viri sancti immineret, duxit eum ad se occasione medicinalis disciplinæ, dicēs: Quomodo vides circa me frater? Ille, à tactu venæ sentiens mortem imminere, ait, crede Domine, sol cum sole occidet hodie. Cui sanctus: Et si non morior vsque mane, quid? Qui respondit: Non potest hoc esse Domine, nam vix erit vna hora anima tua in te. Cui sanctus: Et si fuero cras vsque ad sextam, quid facies? Qui respondit: Ego moriar. Cui sanctus: Etiam moriaris peccato, viuas autem Christo. At ille: Scio quid dicis, & hoc faciam. Tunc vir sanctus postulauit à Deo sibi dari additionem vitæ, vt illum saluaret. Veniens autem Hebræus inuenit eum viuentem; & prostratus, *adorauit magnum Deum christianorum*, & baptizatus est ab eo. Et completo mysterio sacro, vir sanctus migrauit ad Christum. Videns autem Ioseph quod sicut Dei vir dixit, sic & requieuit, cadens super pectus eius cum lachrymis dicebat: *Vere serue Dei si nō voluisses, nec modo mortuus fuisses;* crastino autem congregata est multitudo, & duxit honorificū corpus in ecclesiam. Audiens autem & Gregorius Nazianzi episcopus, currens, & iste aduenit, procidensque super honorificum corpus, multumque lamentans, hortabatur populum cum decenti honore memorationem eius facere. Simul autem concurrentibus. 12. episcopis deposuerunt eum in archarismo marmoreo in templo sancti martyris Isichij. Requieuit autem prima die Ianuarij.

S. Basilius an. Ch 383. animam Deo reddidit.

Vita S. Basilij quæ Amphilochi fertur nomine falso, haud digna satis habetur, cui fides adhibeatur: vt ait Baronius, anno Christi 378.

Author. Hic Amphilochius Iconij episcopus, qui vitam sancti Basilij descripsit, legitur aliquando venisse ad Theodosium, petens vt Arianorum conciliabula de singulis ciuitatibus expelleret; quod ille crudele iudicans, non fecit. Amphilochius autem tunc quidem tacens, iterum reuersus est, Theodosiumque solenniter salutauit; Archadium vero iam imperatorem stantem iuxta patrem non salutauit. Imperator autē putans eum oblitum, inuitauit vt eum oscularetur. At ille: Sufficiat ei, inquit, proprius honor. Imperator autem hanc iniuriam filij dicebat suam. Tunc Amphilochius clamauit: Vides imperator quomodo filio tuo non magis quam tibi pateris iniuriam fieri: similiter ergo crede, & omnipotentem patrem eos abominari, qui filium eius vnigenitum blasphemant. Miratus Imperator, protinus legem dedit hæreticorum conciliabula prohiberi.

De persecutione Iustinæ Imperatricis Ariana in Ambrosium.

Cap. XCV.

An. Ch. 385. *Sigebertus in chronicis.* Anno Gratiani 5. Iustina Valentiniani Mater Ariana, in Ambrosium & omnem sanctam Ecclesiam catholicam execrabili odio desæuit.

Paulinus presbyter S. Ambrosij amanuēsis in vita S. Ambrosij. Cum itaq; Sirimum ad ordinandū episcopum Auennium Ambrosius perexisset, ibique Iustinæ Reginæ potentia & multitudine coadunata, de Ecclesia pelleretur: vt non ab ipso, sed ab Arianis episcopus in eadem Ecclesia ordinaretur; vna de virginib. Arianorum impudentior cæteris, tribunal eius conscendens, apprehenso eius vestimento, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, vt ab ipsis cæsus, ab Ecclesia pelleretur, audiuit ab eo: Etsi ego indignus sum tanto sacerdotio, te tamen non conuenit vel professionem tuam, in qualemcunque sacerdotem manus mittere; vnde vereri debes ne iudicio Dei aliquid tibi eueniat. Quod dictum exitus confirmauit, nam alio die mortuam ad sepulchrum vsque perduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non leuem aduersariis metum incussit: & sic in pace ordinato catholico sacerdote. Mediolanum reuersus, ibique prædictæ Iustinæ innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus & honoribus oblatis, populum contra eum excitabat, promittens hæc illis qui eum de Ecclesia raptum, ad exilium perduxissent. Quod cum multi conantes, Deo præsule, perficere non valerent; vnus infælicior cæteris Euthymius, domum sibi iuxta Ecclesiam parans in ea carrum constituit, quo facilius raptum ac superpositum ad exilium perduceret. Sed iniquitas eius in verticem eius descendit, nam post annum eodem die, quo se rapere eum arbitrabatur, in eodem carpento appositus de eadem domo ad exilium destinatus est; reputans ipse Dei iudicio id in se esse conuersum; cui etiam episcopus dando sumptus, vel alia necessaria solatium præbuit. Sed hæc hominis confessio, nec mulieris, nec Arianorum furorem repressit, qui cum Basilicam Portianam inuadere niterentur; exercitus armatus ad custodiendas fores Ecclesiæ directus est, vt nemo catholicus ingrederetur. Sed dominus ad Ecclesiæ suæ munimentum militum corda conuertit, vt auersis scutis ecclesiæ fores seruarent, nec egredi dimitterent, sed ingredi Ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent, insuper etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent.

Iustina Imperatrix Valentiniani senioris uxor ei est infensissima. Vide Baron ad annum 387.

Vltio diuina in temerariam quellam.

Hoc tēpore primum antiphonæ, hymni, & vigiliæ, in ecclesia Mediolanensi celebrari cæperunt, & martyres sancti Geruasius & Prothasius se sacerdoti reuelauerunt.

Antiphonæ Hymni, vigiliæ, in ecclesia Mediolanensi, Angelus ad aures S. Ambrosij.

Erat autem vir quidam Arianorum disputator acerrimus, ad fidem inconuertibilis, & durus; is in Ecclesia constitutus, tractante Episcopo, vidit (vt ipse postmodum loquebatur) Angelum ad aurem eius loquentem, vt verba Angeli Episcopus populo nunciare videretur.

Sigebertus in chronicis. Francis post Priamum Marcomirus Priami filius, & Sunno filius Antenoris principātur annis * 34. quorum ducatu Francisi cambria egressi, consedere secus Rhenum, in oppidis Germaniæ, nec multo post, Quintinum & Heraclium duces Romanorum, cum omnib. pene suis iuxta Treuerim delerunt.

* codex Gēblacensis 36.

Hoc tempore Vuisigothi sine rege fuerunt annis 3. sub Theodosio Imperatore.

De Synodo Constantinopolitana & Priscilliano hæresiarcha. An. 386.

Cap. XCVI.

Sigebertus in chronicis. Anno Gratiani sexto secunda synodus vniuersalis centū & quinquaginta patrum, congregatur Constantinopolim, iubente Theodosio & annuente Damaso Papa; quę Macedonium, negantē spiritum sanctum Deū esse, condemnans, consubstātialem patri & filio Spiritum sanctum esse docuit, dans symboli formam, quam tota Latinorum & Grecorum confessio in Ecclesia ad missam solemnibus dieb. decantat. Hic decretum est, vt Constantinopolis, tanquam nouæ Romæ, Episcopus, post Romanum pontificem habeat priuilegium.

Priscillianus hæresiarcha & magus perturbauit ecclesiam.

Priscillianus in Hispania episcopus comedens hæresim sui nominis Ecclesiam perturbat. Hic personas sanctæ trinitatis confundebat, dicens; eundem esse patrem, quem filium, quem spiritum sanctum: carnium escas pro immundis habebat; coniuges viros à nolentibus fœminis, fœminas à nolentibus viris separabat; opificium omnis carnis non Deo vero & bono, sed Angelis malis assignabat; animas eiusdem naturæ & substantiæ esse dicebat, cuius est Deus, & eos ad agonem quendam spōtaneum, non tamen in terris exercendum per 7. cœlos, & per quosdam principatus gradatim descēdere, & in malignum principem incurrere; à quo mundum istum factum esse dicebat atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari; homines vero fatalibus stellis colligatos, corpusque nostrum secundum 12. Signa cœli compositum esse dicebat, constituēs Arietem in capite,

Eius hæreses vide Baron. ad an. 381.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Taurum in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore. Leonem in manib. Virginem in ventre: Libram in vmbilico, Scorpium in coxis, Sagittariū in virili, Aquarium in vesica: Capricornum in tibiis, pisces in plantis.

Super his auditus in conciliis episcoporum Romam petijt: ibiq; à sanctis Damaso, & Ambrosio, repudiatus, in Gallijs quoq; in synodo Burdegalēsi à sācto Martino alijsque, hęreticus iudicatus, vbi se damnandū intellexit, Imperatorem Maximum appellat, à quo auditus, & Episcopatu pulsus, Treueris ab Euodio præfecto perimitur cum multis sequacibus suis, edicente imperatore, vt huius sectæ cōplices in Hispania perimerētur. Itachius & Vrsatius episcopi, accusatores Priscilliani, communione Ecclesiæ priuantur ab episcopis: nefas esse dicentibus cuiuscumque modi hominem episcoporum accusatione necari, Maximo Imperatore, & aliquibus episcopis Itachium & Vrsatiū defendentibus. Et hac de causa sanctus Martinus à Maximo molestatur, quia nolebat communicare Itachianis, vix tamēn obtinuit, vt Priscillianistæ non occiderentur.

Ab Euodio præfecto perimitur Priscillianus.

An Ch. 386.

Anno quoque prēnotato Maximus in Gallias trāsijt; partem Galliæ sibi subditam Britonib. tradit; inde vsque hodie, minor Britannia appellatur. Maximus quoque apud Treuerim sedem Imperij sui statuit, Gratianum Imperatorem Lugduni perimit, fratrem vero eius Valentinianum simulato pacis fœdere, per triennium Italia expellit.

Helinandus. Hic iustissimam cum matre sua Iustina pœnam luit exilij, quæ & ipsum Ariana hæresi polluit, & eminentissimam catholicæ fidei arcem, Ambrosium, perfida obsidione vexauit, nec priusquam prolatis beati Geruasij & Prothasij martyrum reliquiis incorruptis nefanda incæpta deserta sunt.

De quibusdam miraculis sancti Ambrosij.

Cap. XCVII.

Paulinus vbi supra. Tēporibus Gratiani beatus Ambrosius cum ad prætorium Macedonij, tunc magistri officiorum, pro quodam intercessurus perrexisset & præcepto illius viri fores clausas inuenisset, ne ingrediendi copiam habere posset, ait: Et tu quidem ad Ecclesiam veniens, clausis ianuis nequaquam ingrediaris. Quod factum est mortuo Gratiano, confugiens. n. ad Ecclesiam, patentibus ianuis aditum reperire nō poterat. Erat autem vir sanctus multis vigilijs & laboribus, & quotidiano ieiunio macerans corpus. Erat gaudens cum gaudentibus & flens cum flentibus. Quotiescunque illi aliquis lapsus suos confessus esset, ita flebat vt & illum flere compelleret. Cum 43. psalmum me excipiente & vidente dictaret, subito in modum scuti breuis caput eius operuit ignis, & paulatim per os eius tanquam habitator est ingressus in domū, factaque est facies eius velut nix, & post ad speciem suam reuersa est, quod cum fieret stupore percussus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, donec visio transiuit. Quod cum Casto Diacono (sub cuius cura degebam) retulissem, ille gratia Dei repletus, aduentum Spiritus sancti me vidisse in illo edocuit.

Vide Sozom. lib. 7. cap. 24. & Bar. ad annum 381. Visio Paulini Beato viro assistentis.

Quidam Stiliconis comitis seruus, falsas epistolas faciebat tribunatus, ita vt tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant, quod vt Stilico cognouit, homines qui decepti erant, interuentum sacerdotis dimisit, de ipso vero sacerdoti quæstus est. Quem vir sanctus ad se perductum cum interrogasset, & auctorem tanti flagitij dehrehendisset, ait: Oportet illū tradi sathanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in posterum audeat admittere. Quem eodem momento cum adhuc sermo esset in ore sacerdotis, spiritus in. mundus arreptum cæpit discerpere.

De seruo Stiliconis vide Bar. ad an. 396.

Sigebertus in chronicis. Temporibus quoque Gratiani in Gallia sanctus Romanus Blauiensis obijt. Ambrosius libros de spiritusancto ad ipsum Gratianum scripsit. Corpus Pauli Constantinopolis episcopi sub Constantio in exilio ab hæreticis pro Christo suffocati, Constantinopolim relatum est cum gloria à Theodosio Imperatore.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

De Initio imperij Theodosij senioris.

CAP. I.

Theodosius senior imperat an. Chri 387. Mund. 4240.

EX *chronicis Sigeberti.* Mortuo igitur Gratiano Theodosius solus imperauit annis 11. Cæpit autem anno domini 387.

Hugo Floriacensis 5. lib. Hic non immemor beneficiorum Gratiani, in vindictam eius, totius orientis viribus insurrexit, & à Constãtinopolitana vrbe progrediens, reliquit ibidem Archadium filium suum Imperatorem, demum vero cum Thessalonicam peruenisset, inuenit Valentiniani duces in maxima tristitia constitutos, quia Maximum tyrannum necessitatis causa iam susceperant. Et dum ad Italiam properaret, Valentinianus ei occurrit, quem paterna pietate suscipiens, sese aduersus tyrannum sola fide maior, nam longe vniuerso belli apparatu minor propipuit. Aquileiæ Maximus victoriæ spectator præfuit, & eius comes Andragathius summam belli administrabat. Qui cum largissimis militum copiis, & præcellenti concilio omnes alpium ac fluminum aditus occupauisset, iudicio Dei dum nauali expeditione incautum hostem præuenire, & obruere parat; sponte eadem castra deseruit: & ita Theodosius, nemine sentiente aut repugnante, vacuas hostibus transmeauit alpes, atque Aquileiam improuisus aduenies, hostem illum MAXIMVM, magnum, trucem, ac formidabilem, & ab immanissimis etiam Germanorum gentibus tributa ac stipendia magno terrore nominis, exigentem; sine dolo, & sine controuersia clausit, cæpit, & occidit. Tunc Valentinianus recepta Italia, potitus est imperio; Andragathius vero comes Maximi nece comperta, præcipitem sese è naui in vndas dedit, & suffocatus est. Sicque Theodosius incruentam victoriam, Deo dante, suscepit.

Vincitur à Theodosio Maximus, & ad mortem rapitur.

Andragathius præcipitem se dat in fluctus.

De impiæ Iustinæ exilio, & Valentiniani nece.

CAP. II.

Helinandus. Valentinianus quidem à matre sua corruptus, cum Ambrosium pertrahi & in exilium mitti iussisset, tanta fuit perseuerantia fidelium populorum, vt animas prius amittere, quam Episcopum mallent. Iustina volebat vt Ariminensis concilij decreta susciperentur, & hoc esse exequendum mandauit ipsa cum filio Beneuolo tunc memoriæ scrinijs præsidẽte, qui obedire noluit; & cum ei propter hoc maior honor promitteretur, hunc ipsum, inquit, quem habeo, tollite; tantum mihi conscientia fidei maneat illæsa: & hæc dicens ante pedes impia præcipientium cingulum iecit. Ambrosius vero aduersus Reginæ furorem, non se manu defendebat & telo, sed ieiunijs, continuatisque vigilijs sub altare positus, Deum sibi & Ecclesiæ defensorem per obsecrationes parabat. Cumque hæc Iustina in longum diuersis machinis & oppugnationibus moliretur, sed frustra; Maximus, qui se exuere Tyranni infamia, & legitimum principem gestiret ostendere; datis litteris, impium protestatur incœptum, fidem Dei impugnari, & statuta catholicæ Ecclesiæ subrui. Et inter hæc appropinquare Italiam cæpit.

Hic Maximus, vt ait Rufinus, per Andragathium ducem Lugdunensium Gratianum imperatorem magis proditione, quàm bello peremerat. Igitur Maximo ad Italiam properante, Iustina hoste simul & impietatis conscientia perurgente in fugam versa cum filio, exilia, quæ Dei sacerdotibus parabat, sortita est.

Hugo vbi supra. Post hæc Valentinianus regno restitutus, extincto Maximo eiusque filio Victore: quem Imperatorem Gallis Maximus reliquerat, ipse in Galliam transijt, vbi cum tranquillam rempublicam in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui, (vt ferunt) strangulatus; atque vt voluntariam sibi constituisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Mortuo igitur Valentiniano Augusto, Arbogastes Eugenium Tyrannum mox Imperatorem creare ausus est.

Beneuolus magister memoriæ Valentiniani eligit gradũ deponere quã decretum pro Arianis dictare.

Occiditur Valentinianus proditione Arbogastis comitis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter Theodosius Eugenium Tyrannum vicit, & de Antipapa Vrsino, & Papa Syricio.

Cap. III.

ITaque Imperante Theodosio, & interfecto Valentiniano, Eugenius & Arbogastes instructas acies campis expedierant, & alpium alta latera, ineuitabileque transitus præmissis callide insidijs occupauerant; etsi numero vel viribus impares, sola tamen belli positione victores. At vero Theodosius in summis alpibus constitutus expers cibi ac somni, sciens quod destitutus suis, nesciens quod alienis clausus; *Dominum Christum solus, solum, qui potest omnia*, corpore humi fusus, mente cœlo fixus, orabat. De hinc vero postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, & testes propemodum quas in pretium præsidij cælestis appenderat, lachrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit; soluſque sciens se esse non solũ, *signum crucis* prælio dedit, ac se in bellum etiamsi nemo sequeretur, victor immisit futurus; prima salutis via extitit arbitrio hostilium partium comes. Qui cum ignarum imperatorem circumpositis excepissent insidijs, conuersus ad reuerentiam præsentis Augusti, non solum à periculo liberauit, verum etiam instruxit auxilio. At vbi ad contigua miscendæ pugnæ spatia peruentum est, magnus turbo ventorum in ora hostium venit: ferebanturq; per aera spicula nostrorum, atque vltra mensuram humani ictus, per inane deportata nusquam cadere, priusquàm impingerent, sinebantur; & quæ ipsi vehementer intorserãt, excepta ventis impetu, supinata retrorsum, ipsos infæliciter configebant. Prospexit itaque sibi humanæ conscientiæ pauor; nam continuo sese parua suorum manu fusa, victorum Theodosio hostilis prostrauit exercitus; Eugeniusque captus, atque interfectus est, Arbogastes vero sua sese manu pertulit. Sicque horum duorum sanguine, bellum ciuile restinctum est.

Sanctissimi apparatus Theodosij ad bellum cõtra Eugenium tyrannum.

Vincitur ingenti prælio Eugenius, & captus morte afficitur.

Eugenio à Theodosio victo Arbogastes sibi manus infert.

Eo tempore in Romana cathedra Papa Damasus residebat; quem prælatum sibi non ferẽs Vrsinus quidam Romanæ Archidiaconus Ecclesiæ, collecta turbulẽtorũ & seditiosorum manu, Episcopum se contra ius & fas consecrari fecit; qua de re tanta seditio in Romano excreuit populo, vt replerentur humano sanguine orationum loca; sed tandem aggregato in vrbe sanctorum concilio sacerdotum, pulsus est Vrsinus ab Apostolica dignitate, sed apud Neapolim intuitu misericordiæ ordinatus est episcopus.

Sigebertus in chronicis. Anno Theodosij primo Siricius Romanæ Ecclesiæ 37. præsidet. Hic constituit hæreticũ pœnitentem, per impositionem manus sacerdotalis ab Ecclesia esse recipiendum. Hic Manichæos Romæ inuentos exsiliauit. Ambrosius Episcopus ritum canendi Antiphonas in Ecclesia primus apud Latinos trãstulit à Græcis, apud quos hic ritus iamdudum inoleuerat, ex instituto Ignatij Antiocheni Episcopi, & Apostolorum Discipuli; qui per visionem in cœlum raptus, vidit & audiuit quomodo Angeli per antiphonarum reciprocationem *sanctæ Trinitati* hymnos canebant. Idem etiam Ambrosius post Hilarium Pictauiensem hymnos in Ecclesia canendos primus composuit.

Anno quoque prænotato Franci Quintinum & Heraclium Romanorum duces, cum omnibus penè suis iuxta Treuerim delent. In Ægypto Ioannes Anachoreta sanctitate & philosophiæ spiritu claret.

Annotatio.

Quotus ordine hic fuerit Pontifex vide apud Platinam, Onuphrium, Baronium & alios historia pontificia scriptores, nam in numeris Pontificum annotandis Manuscript. Sigeberti exemplaria non consentiunt. Ipse Gemblacensis codex, in numeris, audaci cuiuspiam manu est vitiatus. Atque hoc loco semel monuisse sufficerit, ipsummet Sigebertum ad annum 995 agnoscere se in annis, temporibus, & numeris Pontificum annotandis, vtpote in rebus non visis, dissonantia scribere.

De vita sancti Ioannis Anachoretæ.

Cap. IIII.

EX gestis eius beatus Ioannes manens in rupe montis ardui, in monasterio clauso & obstructo, aduenientibus per fenestram se videndum præbebat; mulier tamen nulla ad conspectum eius accessit; sed viri & raro. In huius itaque monasterium ab anno ætatis suæ 40. vsque ad 90. quando à Hieronymo visus est, nullus intrauerat, sed aduenientibus, vt dictũ est, per fenestram se videndum præbebat, viris duntaxat. Cumque Tribunus quidam venisset ad eum, obsecrauit, vt & coniugem suam permitteret intrare ad se, multa enim eam dicebat pertulisse pericula, vt faciem eius videret. Cumque ille negaret, dicens; se in monasterio nunquam moris fuisse videndi mulieres; Tribunus persistebat obsecrãdo, confirmans, quod nisi eum videret, esse sine dubio ex multa tristitia moritura. Et ait: Vade, videbit me coniux tua hac nocte, non tamen huc veniet, sed in domo tua, & in lecto suo manebit. Tunc recessit ille ambiguitatem responsi in pectore versans. Cum etiam hæc coniugi nunciasset, illa similiter sermone incerto, fatigatur. Sed postquam somni tempus aduenit, adest homo Dei per visum assistens mulieri, *fides tua*, inquit, *magna est ô mulier, & ideo tuo desiderio veni satisfacere, te tamen moneo, vt non faciem corporalem seruorum Dei desideres, sed vt actus & gesta eorum per spiritum contempleris. Spiritus est enim qui viuificat, nam caro non prodest quicquam.*

Egregia huius viri sanctitas meruit clarissimorũ virorũ scriptionibus illustrari. Scribit enim de eo S. Hieron. ad Ctesiphõtem, contra Pelagianos. S. Augustl. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 26. Sozom. lib. 7. cap. 22. Euagrius in vitis Patrũ, & alij quàm plurimi.

Cum quidam clericus Diaconus ad eum veniens, ab eo interrogatus, mentiretur, se non esse clericum humilitatis gratia; osculans eum, ait: Noli fili negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium: Cauendum est. n. omnibus modis mendacium siue pro malo, siue pro bono proferri videatur.

Non permittebat etiam ad se incommodantes deferri, sed benedicens oleum dabat, ex quo vncti sanabantur.

Vni ex fratribus tertiano typo laboranti, & curari volenti, rem tibi, ait, necessariam cupis abscere, sicut enim corpora nitro, vel aliis huiusmodi lomentis abluuntur à sordibus, sic animæ languoribus alijsque huiusmodi castigationibus purificantur: benedicens tamen oleum dedit & sanauit.

Nullum per ignem paratum sumebat cibum. Eratq; attenuati & aridi corporis præ abstinentia; capilli eius & barba ex languore nimio rari & tenues.

De Quibusdam eius documentis.

Cap. V.

COngregatis autem fratribus ad eum, instruendo dixit: Graue est iactantiæ vitium, & periculosum nimis, ita quod de ipso etiam perfectionis fastigio deiicit animas; cuius duæ sunt species: Quibusdam. n. accidit, quod statim in initio conuersionis suæ cum parum aliquid vel abstinentiæ impenderint, vel pecuniæ erogauerint, ita sentiunt quasi eminentiores sint illis qui aliqua largiti sunt. Alij vero cum ad summam virtutem peruenerint, non totum Deo, sed suis laboribus tribuunt, & dum ab hominibus gloriam quærunt, illam quæ ex Deo est amittunt. Si autem mundi corde ante Deum steterimus, Deum videre poterimus, quantũ est possibile eum videre, videbimus. n. eum inuisibilem mente, non corpore, scientiæ intellectu, non carnis aspectu: nemo. n. putet se posse ipsam, sicut est, diuinam substantiam intueri, ita vt speciem sibi aliquam vel imaginem corpoream in corde figuret: nulla. n. forma in Deo est, nulla circũscriptio, sed sensus, & mens, qui sentiri quidẽ potest, & mentis affectu perstringi, nec tamen comprehendi, aut describi, aut enarrari. Ideo oportet cum omni reuerentia & metu accedere ad Deum, & ita librare in eum mentis intuitum; vt quicquid potest splendoris, claritatis,

Contra iactantiæ vitiũ proponit quædam documenta.

Duæ species iactantiæ.

Deus quomodo mentis affectu perstringatur.

maie-

maiestatis, mens humana conspicere, saper hæc omnia
Psal. 45. sentiat eum semper; oportet autem vacare, vnde *vacate & videte &c.* & quanto purior in eo mens fuerit, tanto plura ei Deus reuelabit, & mysteria eius agnoscet: aqua & panis si cum cupiditate sumantur, id est, non vt necessitati corporis, sed animi desiderio satisfiat; hoc etiam abstinenti, vitium deliciarum dicitur, ideo volens
Matth. 7. Dominus, animam voluptatibus resistere, dicebat: *Intrate per angustam portam &c.* larga est via animæ, cum qualicunque desiderio suo satisfecerit; angusta vero est cum voluptatibus suis repugnat. Ad hæc autem obtinenda multum prodest secretior habitatio, quia interdum per occasionem aduentantium fratrum, & euntiũ ac redeuntium frequentiam, abstinentiæ frena laxantur, & sic etiam quandoque perfecti viri capiuntur. Ideo di-
Psal. 54. cebat Dauid: *Ecce elongaui fugiens &c.*

Idem Ioannes dixit. Quid putas habet frater iste in corde, quod ridet ad prandium, cum magis flere debeat, quia charitatem manducat.

De exemplis eius contra detractores & contra præsumptuosos.

Cap. VI.

Idem contra detractores ait: Mulier quędam nuda exiliuit de dolio & cooperuit se pannis veteribus; altera vero nuda remanens, dicebat marito, ecce meretrix illa nuda est, & non confunditur: Et sic faciunt detractores.

Idem contra præsumptuosos. Erat quidam monachus in spelunca summæ abstinentiæ cunctis animæ florens virtutibus. Cum in profectibus suis confidens non totum Deo, sed sibiipsi retribueret, hanc præsumptionem intuens tentator; quodam vespere fingit se in speciem mulieris oberrantis per eremum, quę vt fessa, ad ostium spelunce lassitudinem simulans, intus seipsam proiecit, & obuoluta genibus eius vt sui misereatur, exorat. Nox, inquit, me comprehendit, iube me quiescere in angulo cellulæ tuæ ne forte efficiar bestijs præda. At ille primo miserationis obtentu recepit eam in spelunca, quærēs causam errandi eam per eremum. At illa causam fingit accurate, & interim venena blandimentorum per textũ narrationis interserit; & nunc se miserandam, nunc defensione dignam ostendens, elegantia & suauitate sermonis affectum hominis illecebroso amore deflectit. Hinc iam blandiora colloquia, ioci, risusque miscentur; manus etiam procax ad mentum, barbamque quasi venerando sæpe protendit. Tunc vero palpare ceruicem mollius, collumque leuigare. Quid multa? ad vltimum captiuum ducit militem Christi; continuo enim libidinis fluctibuas æstuans, etiam laborum præteritorum ac professionis oblitus, obscænos iam conabatur inire amplexus. Illa vero vlulatum teterrimum emittens, vt vmbra etat tenuis, per manus amplectentis elabitur, ipsumque dedecoris motibus inanes auras sectantē, fœdissima cum irrisione deseruit. Tunc multitudo dæmonum in aere ad hoc ipsum spectaculum congregata, ingenti clamore inquit: O qui te vsque ad cælum extollebas, quomodo demersus es in infernum? Discе ergo, quia *qui se*
Matth. 23. *extollit, humiliabitur.* Tunc ille velut amens effectus, & deceptionis suæ non ferens pudorem, grauius à seipso decipitur, quam fuerat à dæmonibus deceptus. Cum enim se reparare & certamen renouare deberet, desperans, tradidit se omni impudicitiæ & impietati.

Exemplum qualiter tentat diabolus peccatorem de desperatione, & post victoriam, de præsumptione.

Cap. VII.

FVit vir quidam pessimam vitam ducens, qui Dei miseratione compunctus, intra sepulchrum quoddam se recludens, priorum scelerum pollutiones lachrymarum fontibus alluebat, semper prostratus, leuare oculos ad cælum nolebat, neque etiam nomen Dei nominare sed in solis gemitibus perdurabat. Nocte venerunt ad eum dęmones in sepulchro clamantes: Quid est quod agis ô impiissime & flagitiosissime? Postquam omni spurcitia & impuritate satiatus es, nec iam sufficiunt vires ad facinora, tu christianus videri vis, & pudicus, & patiens, quasi iam alius possit tibi dari locus satiato in malo, quam qui tibi nobiscum debetur? vnus ex nobis es, aliud esse non potes, redi ad nos, & quod tibi supereſt tempus, in perfruenda voluptate non perdas. Quid temetipsum ante tempus supplicijs tradis? Quid enim aliud passurus esses in inferno, nisi hoc quod tibi nunc ipse conquiris? si te pœna delectat, expecta paululum & inuenies paratam, nunc interim fruere muneribus nostris, quæ semper dulcia & grata duxisti. Ille autem tacitus iacebat, & cum eadem & duriora sæpe repeterent, nec ille moueretur; videntes dæmones verba contemni in furorem prolapsi verberibus eum cedere aggressi sunt, ita quod seminecem reliquerunt, nec tamen moueri potuit de loco, quo orationis causa iacuerat. Altera vero nocte repente eum grauioribus verberibus cruciant, nec tunc etiam moueri potuit, melius esse dicens mori, quàm dæmonibus obedire. Tertia autem nocte absque vlla miseratione irruentes in eum, omnibus pœnis & cruciatibus eum conficiunt. Cumque iam corpus in supplicijs defecisset, tamen extremus spiritus dęmonum obsistebat imperio. Quod postquam viderunt impij voce magna clamantes. Vicisti, inquiunt, vicisti. Et vt virtute quadam cœlitus fugati, præcipites abscedunt.

Idem exemplum eiusdem contra præsumptuosos.

Cap. VIII.

FVit quidam monachus in eremo omni virtutum flore ornatus, qui cum in corpore instar Angelorum vitę fungeretur officijs, Dominus quotidiani victus ei curam exhibebat, quotidie enim ingrediens speluncam, inueniebat mensam & panem superpositum miræ suauitatis, mirique candoris, ex quo refectus, gratias Deo referens, ad orationes & hymnos conuertebatur. Cumque de suis meritis gloriari cœpisset, continuo subintrauit in eum desidia quædam animi tam parua, quam nec posset aduertere; post hæc maior creuit negligentia, ita vt iam tardior fieret ad orationem. Cumque parum psallendi ministerium exhibuisset, anima eius quasi nimio labore fatigata requiescere festinabat, quia sensus eius reprobus effectus est; erat enim iam clandestina quædam in corde eius turpis cogitatio ac nefanda. Cumque post orationes cibum solito requisiuisset, inuenit solito panem mensæ superpositum, ex quo refectus de his quæ in corde eius versabantur, nihil emendare curauit, & spernentem minima paulatim casurum sere non intellexit. Cumque iam grauis libidinis stimularetur incendio, post orationem ingressus vt cibum sumeret, panem quidem inuenit, sed aliquantulum sordidiorem, admiratusque & tristis factus intellexit, quod hoc ipsum respiceret hoc genus monstri; cibo tamen sumpto refectus est. Post diem tertium triplicatis vrgeri stimulis cœpit; occupauerunt enim eum cogitationes, & quasi iam præsens & secum accumbens imago mulieris, quam & amplecti sibi videbatur, & ad turpes vsus habere substratam. Processit tamen & alia die ad solita psallendi officia, sed stabat vagis oculis, & mente captiuus. Cumque solito ad vesperam ingressus esset sumere cibum, panem quidem inuenit, sed sordidissimum atque aridissimum, & quasi à muribus vel à canibus vndique corrosum. Tunc ille ingemuit, & lachrymas fudit, sed non ita vberes, quæ possent flammam tanti ignis extinguere, sumpsit tamen cibum, sed non * tanquam solebat. Cum igitur cogitationes quasi cohors barbarica vndique eum vallarent, exurgens nocte iter arripuit per eremum tendens ad ciuitatem. Die autem

* *In manu scr. legitur quantum.*

facto vidit quandam fratrum cellulam vbi fatigatus requieuit; cumque refectus esset, & parum quieuisset, ex more quasi ab eruditissimo & prudentissimo patre cæperunt verbum ædificationis expetere, interrogareq; eum, quis diaboli laqueos possit effugere, & turpes cogitationes ab eo immissas depellere. Tunc ille eos sufficienter docuit, & in semetipsum regressus, ait: Quomodo alios moneo, & ipse decipior. Age ergo prius miser, quæ facere alios mones. Et intelligens se miserabiliter supplantatum, valedicens fratribus, cursu rapidissimo ad speluncam suam redijt; prosternens se in orationem & dicens; *Nisi Dominus adiuuisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Psal. 93. Concluſit autem se in speluncam, & in cilicio, & in cinere cum lachrymis iacuit, donec adstitit Angelus Domini dicens ei: Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & repropiciatus est tibi, sed caue tibi ne vltra elatus decipiaris.

De Sanctis Abbatissis Sara, & Sincletice, & dictis earum.

Cap. IX.

Helinandus. Eodem tempore creduntur fuisse duæ laudabiles Abbatissæ Sara, & Sincletice, quarum Sara 13. annis à spiritu fornicationis fortiter est impugnata, & orabat Deum; vt non recederet ab ea huiusmodi pugna, sed dicebat; Domine da mihi fortitudinem: Apparuit autem ei oranti super lectulum suũ spiritus ille dicens; Tu me vicisti Sara. *Ego*, inquit, *te non vici, sed Dominus meus Iesus Christus.* Hæc super alueum fluminis 40. annis habitauit, & nunquam inclinata est vt flumen aspiceret.

Quæ autem fuit illa Sincletice, vel vbi habitauit, legisse me non memini, sed multa ab ea sapienter dicta sunt, ex quibus ista sunt.

Sicut qui ignem accendere volunt prius sumantur: ita & nos diuinum ignem cum lachrymis accendere in nobis debemus.

Dicta sapientia Sincletice.

Stulta castitas est quę indecenter aspici, vel inordinate ridet.

Sicut venena expellunt acriora medicamenta, sic sordidas cogitationes ieiunium cum oratione. Et sicut fortia vestimenta calcata pedibus, & sæpius reuersata incandidantur, sic fortis anima per paupertatem voluntariam amplius confirmatur.

Aduersarius noster facilius à nihil possidentib. superatur: non enim habet quo lædat.

Sicut gallina deserens nidum suum facit oua sua sine pullis perire; sic monachus vel virgo de loco ad locum transiens frigescit, & mortificatur.

In tribulatione positus, si ferrum es, spera tibi ignem appositum ad tollendum eruginem; si aurum, idem spera ad augendam claritatem.

Qui peccant in sæculo, etiam nollentes mittuntur in carcerem & puniuntur, & nos ergo voluntarie rediganus nos in custodiam, vt æternas pœnas euadamus.

Qui nauigare incipiunt primo prosperum ventum habent, postea sæpe contrarium: Sed sicut nautæ non statim nauem exonerant, sed sustinent procellam & pugnant, & postea rectum cursum inueniunt, sic & nos aduersa incurrentes in proposito crucem pro velo erigamus, & per patientiam cito superabimus.

Thesaurus manifestus cito perditur, sic & virtus cognita & publicata.

Noli subito, & simul arma tua expendere, ne nudus inuentus in bello, facile capiaris: Anima nostra miles est, arma nostra corpus nostrum.

Nos in tranquillo marinauigamus, sæculares in procelloso, nos in die, illi in nocte; & tamen plerumque periclitamur de negligentia, illi timentes, & solliciti saluantur.

Sicut nauis aliquando mole fluctuum exterius opprimitur, aliquando pondere suo crescente sentina, sic & nos aliquando dæmonum nequitia, aliquando iniquitate propria.

De bona indole sancti Martini.

Cap. X.

Author. Floruit his temporibus in Gallia beatus Martinus Turonensis Archiepiscopus; cuius vitam Sulpitius Seuerus, qui fuerat eidem viro sancto familiarissimus, luculento sermone descripsit.

Seuerus Sulpitius in vita S. Martini. Igitur Martinus Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed in tra Italiam Ticini altus est; parentibus secundum sæculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen, pater eius miles primum, post Tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub Rege Constantino, deinde sub Iuliano Cæsare militauit; non tamen sponte, quia à primis fere annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri aspirauit infantia. Nam cum esset annorum decem, inuitis parentibus ad Ecclesiam confugit, seq; catechumenũ fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cum esset annorum 12. eremum concupiuit; feciſſetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animus tamen eius aut circa monasteria aut circa Ecclesias, semper intentus meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cum edictum esset à Regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui fælicibus eius actibus inuidebat; cum esset annorum 15. raptus, & catenatus sacramentis militaribus implicatus est, vno tantum seruo comite contentus; cui tamen versa vice Dominus seruiebat, adeo vt plerumque ei calceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret, cibum vna caperent, hic tamen sæpius ministraret. Necdum in Christo regeneratus, egebat quod decuit bonis operibus baptismatis candidatum, assistere, scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos; nihil sibi ex militiæ stipendijs præter quotidianum victum reseruabat. *Beati Martini militia.*

Quodam itaque tempore cum iam nihil pręter arma, & simplicem militiæ vestem haberet, obuium habuit in porta Ambianensi pauperem nudum; nihil præter clamydem qua indutus erat habebat, iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro quo accinctus erat, mediam diuidit, partem eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Nocte igitur insecuta cum se sopori dedisset, vidit Christum clamydis suæ, quam pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum, vestemque quam dederat iubetur agnoscere: mox ad Angelorum circunstantium multitudinem audiuit *Iesum* clara voce dicentem: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Cum autem esset annorum duodeuiginti, ad baptismum conuolauit. *Pauperem vestit apud Ambianenses.* *Martino apparet Christus.* *Quo tempore baptizatus est.*

Interea Iulianus Imperator contra Barbaros irruentes intra Gallias pugnaturus, militibus suis pecunias erogauit, sed Martinus nolens accipere donatiuum, quia nolebat amplius militare Iuliano, respondit; *Christi ego sum miles, pugnare mihi non licet.* Et cum Iulianus diceret, quod metu belli, non religionis gratia, militiam resignaret, Martinus intrepidus respondit; quod *solo signo crucis armatus die crastina hostium cuneos penetraret*; vnde custodiri iubetur, vt inermis Barbaris obijceretur: sed die sequenti data pace, sic eum Dominus custodiuit, vt subactis sine sanguine hostibus, propter eum nullus in prælio moreretur. *Militiam mundi deserit vt Christum sequatur.*

De persecutionibus quas relicta militia sustinuit, & de duobus mortuis quos suscitauit.

Cap. XI.

EXinde relicta militia perrexit ad sanctum Hilarium Pictauiensem Episcopum, ibique acolythus ordinatus est. Monente Domino in somnis ad patriam & parentes suos redijt, & in illo itinere se multa aduersa passurum prædixit. Nam inter alpes incidens in latro- *Ad Beatum Hilarium festinat.*

nes,

A latronibus capitur.

nes, cum iam ictum ferientis latro alius contineret, vinctis post tergum manibus custodiæ traditur, eumque latro an timeret percunctatur. At ille dixit; nunquam se tam fuisse securum, misericordemque Deum maxime in tentationibus affuturum. Sicque latroni qui eum custodiebat de euangelio prædicabat, quod latro credens, & Martinum ad viam reducens, postea vitam in religione finiuit. Diabolusque in humana forma ei apparuit dicens: Quocumque ieris, diabolus tibi aduersabitur. Et cum Martinus dixisset: *Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo*, diabolus ante eum euanuit. Itaque Matrem suam conuertens, patre in malitia perdurante dum per totum orbem Ariana hæresis pullularet, penè solus constanter obsistens, publice virgis cæsus, & de ciuitate eiectus, Mediolanum venit: & inde ab hæreticis exturbatus, cum vno tantum presbytero ad quādam insulam perrexit, ibique inter alias radices herbarum helleborum gramen venenatum comedit, & sentiens periculum, non solum mortem, sed etiam omnem dolorem *virtute fidei & orationis exclusit.* Ibique audiens quod beatus Hilarius de exilio rediret, profectus est ei obuiam. Cumq ab eo gratissime fuisset exceptus, haud longe sibi ab oppido monasterium collocauit; & post modicum duos mortuos suscitauit: horum vnus catechumenus se ei iunxerat, cupiens instrui disciplinis, sed paulò post correptus, ipso absente absque baptismate decessit. Regressus ergo Martinus exanime corpus inuenit; flens & eiulans accurrit, eumque oratione sua suscitauit; qui baptizatus plurimis annis postea vixit. Idem referre solitus erat, se corpore exutum ad tribunal Iudicis ductum, deputandumque obscuris locis, & cum vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam: tunc per duos Angelos Iudici fuisse suggestum, hunc esse pro quo Martinus oraret; ita per eosdem Angelos iussum reduci, & Martino redditum, vitæq; pristinæ restitutū.

Latronem conuertit ad fidem.

Arianis resistens virgis caditur.

Radicibus & helleboro vescitur.

Catechumenum sibi socium in vitam reuocat.

Nec multo post dum agrum Lupicini cuiusdam honorati præteriret, & audito clamore & luctu, quid esset inquireret, indicatur, vnum de familia seruulum laqueo sibi vitam extorsisse: quo cognito cellulam in qua corpus iacebat, ingreditur: exclusis omnibus turbis, superstratus corpori, aliquantisper orauit; & eum ad vitam reduxit. Qui apprehensa beati viri dextera in pedes constitit, atque ita cum eo vsque ad vestibulum domus turba omni inspectante processit.

Suffocatus à mortuis suscitatur.

De vita eius episcopali & monastica.

Cap. XII.

SVb eodem fere tempore Martinus ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur; sed cum erui à monasterio suo non facile potuisset, Ruricius quidam, vnus è ciuibus vxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus vt egrederetur obtinuit. Ita dispositis in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur. Pauci tamen & nonnulli ex ipsis qui ad constituendum Antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant, dicentes: scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententiæ fauoris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. Iam vero sumpto Episcopatu, idem constantissime perseuerabat, qui prius fuerat; eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas fuit: atque ita plenus auctoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum monachi, virtutemque desereret. Aliquamdiu ergo adhærēte ad Ecclesiam cellula vsus est: deinde cum inquietudinem frequentantium ferre non posset, duobus fere extra ciuitatem miliaribus monasterium construxit. Qui locus secretus & remotus, vna tantum eademque arcta admodum via adiri poterat, ipseque ex lignis contextam cellulam habebat. Multi quidem è fratribus in eundem modum, plerique saxo superiecti montis cauato, receptacula sibi fecerant. Discipuli vero erant 80. qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, & mollior habitus pro crimine erat, pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas aut Ecclesia, quæ non se de Martini monasterio cuperet habere sacerdotes?

D. Martinus tractus ad Turonēsem episcopatum.

Episcopus Turonensis creatur.

Monasteriū construit apud Ligerim.

Monastica vitæ ratio.

Erat haud longe ab oppido proximus monasterij locus, quem falsa opinio hominum velut consepultis ibi martyribus sacrauerat. Nā & altare ibi à superioribus Episcopis constitutū habebatur: sed Martinus, non temere adhibens incertis fidem, ad locū pergit, deinde super sepulchrum ipsum astans orauit ad Dominū, vt quis esset vel cuius meriti esset sepultus, ostenderet. Tunc conuersus ad læuam, videt prope assistere vmbram sordidā, trucem. Imperat, nomen meritumque vt loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, errore vulgi celebratum, nihilque sibi cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna teneret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant audiebant, personam tamen non videbant. Tunc Martinus quid vidisset exposuit; iussitque ex eo loco altare quod ibi fuerat, submoueri, atque ita populum superstitionis illius absoluit errore.

Aram latroni consecratam demolitur.

De miraculis eius.

Cap. XIII.

ACcidit autem post, dum iter ageret, vt Gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet: conspicatusque eminus venientium turbam, quid nam id esset ignarus, paululum stetit. Æstimans autem profanos ritus agi sacrificiorum, eleuato in aduerso signo crucis, imperat turbæ, non moueri loco, onusque deponere; Hic vero mirum in modum videres miseros, primum velut saxa riguisse, deinde cum primo mouere se summo conamine niterentur, vltra accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi corporis grauitate, onus deponunt, attoniti & semetinuicem aspectantes, quid nam, sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed cum beatus vir comperisset exequiarum illam esse frequentiam, non sacrorum, eleuata rursum manu dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem: ita eos & cum voluit stare compulit, & cùm libuit abire permisit.

Obuios resistere coegit baculos reddiditque suis impotes.

Iterum dum in vico quodam templum antiquissimū diruisset, & arborem Pinum, quæ fano proxima, esset aggressus excidere, Antistes loci illius, cæteraque turba gentilium cœpit obsistere. Et cum ijdem illi dum templum euerteretur, imperante Domino quieuissent, succindi arborem non patiebantur. Ille eos sedulo commonere cœpit, nihil esse religionis in stipite, Deum potius, cui seruiret ipse, sequerentur; arborem illam excindi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tunc vnus ex his qui erat audacior cæteris; si habes, inquit, aliquā de Deo tuo quem dicis te colere fiduciam, nosmetipsi succindemus hanc arborem, tu ruentem excipe; & si tecum est tuus (vt dicis) Dominus, euades. Cumque ille confisus in Domino intrepide se offerret; illi facilem arboris suę iacturam habentes, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruisset, eo loco vbi Pinus accliuis ruitura erat, vinctum Martinum statuunt; & ipsi Pinum cum gaudio succindunt. Psallebant eminus monachi, solam martini mortem exspectantes. At ille confisus in Domino arbori iam super se ruenti manu leuata *signum salutis* opposuit, & illa, turbinis modo retroacta, diuersam in partem ruit, adeo vt rusticos, qui tuto in loco steterant penè prostrauerit. Tunc cœperunt gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in communi prędicare, nemoque fere ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, relicto impietatis errore, *Dominum Iesum crediderit*; vbi autem fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias, aut monasteria construebat.

Fana gentilium diruit.

Ruentem arborem excipiens liberatur.

Ædificantur templa Deo.

Item

Item de eodem.

Cap. XIIII.

CVm in vico quodam fano antiquiſſimo ac celeberrimo ignem immiſiſſet, in proximam imo inhærentem domum agente vento, flammarũ globos ferebatur, quod vbi Martinus aduertit, rapido curſu tectũ domus ſcandit, obuium ſe aduenientibus flammis inferens; tum vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter ſe elementorum quidam conflictus videtur; ita virtute Martini ibi tamen ignis eſt operatus, vbi iuſſus eſt.

Aduentu B. Martini ignis extinguitur.

Cum ibidem templum opulentiſſimum ſuperſtitione religionis voluiſſet euertere, reſtitit multitudo gentium, adeo vt non abſque iniuria ſit repulſus. Itaque ſeceſſit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus, & cinere, ieiunans ſemper atque orans precabatur Dominum, vt quia templum illud euertere humana manu non potuiſſet, virtus illud diuina dirueret. Tunc ſubito ei duo Angeli haſtati atque ſcutati inſtar militiæ cæleſtis ſe obtulerunt, dicentes, miſſos ſe à Domino, vt ruſticam multitudinem fugarent, præſidiumque Martino ferrent. Itaque regreſſus ad vicum, inſpectantibus gentilium turbis & quieſcentibus, dum profanam ædẽ vſque ad fundamenta dirueret, aras omnes atque ſimulachra redegit in puluerem. Omnes autem fere in Dominum Ieſum crediderunt.

Ab Angelis iuuatur in diruendo fano.

Quid etiam in pago Æduorum geſtum ſit referam, vbi dum templũ itidem euerteret, furens gentilium ruſticorum in eum irruit multitudo. Cumque vnus audacior cæteris, ſtricto eum gladio peteret, retecto pallio nudam ceruicem percuſſori præbuit, nec cunctatur ferire gentilis; ſed cum dexteram altius extuliſſet, reſupinus ruit, conſternatuſque diuino metu veniam precabatur.

Gladio ferientis ſe ſubijcit.

Nec diſſimile huic fuit illud quod cum eum Idola deſtruentem cultro quidam ferire voluiſſet, in ipſo ictu ferrum ei de manibus excuſſum, non comparuit. Curationum vero in eo tam potens gratia fuit, vt nullus fere ad eum ægrotus acceſſerit, qui non continuo recepit ſanitatem.

Adhuc de eodem,

Cap. XV.

ALiquando in quodam oppido Patrisfamilias cũiuſdam domum ingreſſus, in ipſo limine reſtitit, dicens; horribile in atrio domus dæmonium ſe videre. Cui cum, vt diſcederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiori parte ædium morabatur, arripuit: ſæuire dentibus miſer cœpit, & obuios quoſcumque laniare. Commota eſt domus, familia turbata, populus in fugam verſus. Martinus ſe furenti obiecit, ac primum ſtare ei imperauit; ſed cum dentibus fremeret, hiantique ore morſum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: dicens: *Si habes*, inquit, *aliquid poteſtatis, hos deuora.* Tum vero, ac ſi candens ferrum faucibus accepiſſet, longe reductis dentibus digitos beati viri vitabat attingere: & cum fugere de obſeſſo corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens veſtigia, fluxu ventris eſt eiectus.

Dæmoniacum curat.

Interea cum, de motu atque impetu barbarorum ſubita ciuitatem fama turbaſſet, dæmoniacum ad ſe exhiberi iubet; imperat vt an verus eſſet hic nuncius, fateretur. Tunc confeſſus eſt 16. dæmones fuiſſe, qui rumorem hunc per populum diſſeminaſſent, vt hoc ſaltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur; barbaroſque nihil de irruptione cogitare.

Dæmonum ſtratagema eludit.

Apud Pariſios vero, dum portam ciuitatis illius magnis ſecum turbis euntibus introiret, leproſum miſerabili facie horrentibus cunctis oſculatus eſt, atque benedixit; ſtatimque ab omni malo emundatus eſt. Sed nec hoc prætereundum eſt, quod fimbriæ veſtimento eius, cilicioque detractæ, crebras ſuper infirmantibus egere, virtutes.

Oſculo leproſum ſanat.

Paulinus vero, vir magni poſtmodum futurus exempli, cum oculum grauiter dolere cœpiſſet, & iam pupillam eius craſſior nubes ſuperducta texiſſet, oculum ei Martinus peniculo contigit, priſtinamque ei ſanitatem, ſublato omni dolore reſtituit. Ipſe autem cum caſu quodam eſſet de cænaculo deuolutus, & per confragoſos ſcalæ gradus decidens, multis vulneribus eſſet affectus, cum exanimis iaceret in cellula, & non modicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus viſus eſt vulnera eluere, & ſalubri vnguine concuſſi corporis membra contingere, atque ita poſtero die reſtitutus eſt ſanitati, vt nihil vnquam videretur pertuliſſe.

Oculum ſanat tactu peniculi.

Ipſe caſu vulneratus ab Angelo curatur.

De eiuſdem conſtantia & æquitate.

Cap. XVI.

CVm autem ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures è diuerſis partibus Epiſcopi confluerent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur, ſeq; degeneri inconſtantia, regię clientelę ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino apoſtolica auctoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit, imperauit potius, quàm rogauit. A conuiuio eius frequenter rogatus, abſtinuit, dicens; ſe eius menſæ participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores, vnum regno, alterum vita priuaſſet. Poſtremo cum Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe imperium, affirmaret, ſed impoſitam ſibi à militibus diuino nutu regni neceſſitatem armis defendiſſe; tandem victus vel ratione vel precibus ad conuiuium venit, & ſellula iuxta Regem poſita conſedit. Ad medium fere conuiuium (vt moris eſt,) pateram Regi miniſter obtulit. Ille ſancto admodum Epiſcopo potius dari iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet; nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero pertuliſſet. Quod factum Imperator, omneſque qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant placeret.

Adulatio Epiſcoporum.

An. Ch. 386.

Dignitas ſacerdotalis Regia dignior.

Conſtat autem etiam Angelos ab eo plerumque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerentur. Diabolum vero tam conſpicabilem, & ſubiectum oculis habebat, vt ſiue ſe in propria ſubſtãtia contineret, ſiue in diuerſas figuras ſpiritualeſque nequitias trãſtuliſſet, qualibet ab eo ſub imagine videretur. Quod cum diabolus ſciret ſe effugere non poſſe, conuicijs eum frequenter vrgebat, quia inſidijs fallere non poſſet.

Angelorum conſortio ſæpe eſt vſus.

Quòd dæmonum inſidias & præſens & abſens proſpiciebat.

Cap. XVII.

QVodam autem tempore cornu bouis in manu cruentum tenens, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamque oſtentans dexteram, & admiſſo recenter ſcelere congaudens; *vbi eſt*, inquit, *Martine virtus tua? vnum de tuis modo interfeci.* Tunc ille conuocatis fratribus, refert, quod diabolus indicaſſet, ſollicitos eſſe iubet per cellulas ſingulorum, quiſnam hoc caſu fuiſſet affectus. Neminem quidem deeſſe de monachis, ſed vnum ruſticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret iuiſſe ad ſiluam nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiam. Itaque haud longe à monaſterio iam pene exanimis inuenitur, extremum tamen ſpiritum trahens, indicat fratribus caſum mortis & vulneris; iunctis ſcilicet bobus, dum diſſoluta arctius lora conſtringi, bouem ſibi excuſſo capite inter inguina

Cellam eius irrumpit diabolus.

cornu

cornu iecisse; nec multo post vitam reddidit. Videris quo iudicio Dei, diabolo data fuit hæc potestas. In Martino mirabile illud erat, quod & hæc & multa huiusmodi si quoties accidissent, lõge ante pręuidebat, & sibi nunciata fratribus indicabat. Frequenter autem diabolus dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem ei se formis diuersissimis ingerebat, aduersus quem semper interritus, se *signo crucis & orationis auxilio protegebat*. Testabãtur etiam aliqui de fratribus, audisse dæmonem proteruis Martinum vocibus increpantem, cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui cum baptismi gratiam diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset; exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo repugnantem, respondisse constanter, antiqua delicta melioris vitæ conuersatione purgari, & per misericordiam Domini absoluendos esse peccatis, qui peccare desierint; contradicente diabolo, non pertinere ad veniam criminosos, & semel lapsis nullam à Domino præstari clementiam: tunc in hanc vocem fertur exclamasse Martinus; si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum infectatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo est, pœniteret, ego tibi vere confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer.

Diaboli & varia forma & illusiones.

Qualiter diabolum sibi purpuratum apparentem repulit.

Cap. XVIII.

Quodam die diabolus luce purpurea circumiectus, indutus veste regia, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, oranti Martino in cella astitit; qui cum primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multumque ambo silenti um tenuerunt. Tunc prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine quem cernis; Christus ego sum; descensurus ad terras, prius me tibi manifestare volui. Adhuc cum Martinus taceret, nec quicquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine quid dubitas credere, cum videas? Christus ego sum. Tum ille reuelante sibi spiritu, vt intelligeret diabolum esse; non se, inquit, Dominus Iesus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prædixit; ego Christum, nisi in eo habitu formaque qua passus est, nisi crucis stigmata præferentem videro, venisse non credam. Ad hãc vocem ille statim vt fumus euanuit, & cellulam tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret diabolum se fuisse. Hoc itaque gestum, vt supra retulimus; ex ipsius Martini ore cognouimus, ne quis forte existimet fabulosum.

Diaboli arte tentatur B. Martinus.

Christi apparentis imago.

Nam cum olim audita fide eius, vita atque virtutibus, æstuaremus desiderio illius, gratam nobis ad eundem videndum peregrinationem suscepimus, simul quia iam ardebat animus vitam illius scribere; partim ab ipso inquantum ille interrogari potuit, scisciti sumus: partim ab his qui interfuerant, vel sciebant cognouimus. Quo quidem tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit; congratulatus plurimum, & gauisus in Domino quod tanti esset habitus à nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. Miserum me, (pene non audeo confiteri) cum me sancto conuiuio suo dignatus est adhiberi; aquam manibus nostris ipse obtulit, ad vesperam pedes lauit.

Auctoris cũ Martino congressus & cõuictus.

Qualiter in incendio tentationem passus est.

Cap. XIX.

Cvm ad diœcesim quandam pro solenni consuetudine (sicut Episcopis visitare ecclesias suas moris est) media fere Martinus hyeme venisset; mansionem ei in secretario ecclesiæ clerici parauerunt, multumque ignem scabro iam & pertenui pauimento subsiderunt, lectumque ei plurimo stramine extruxerunt. Deinde cũ se Martinus cubitum collocasset, insuetam mollitiem strati male blandientis horrescit, quippe qui nuda humo vno tantum cilicio superiecto, accubare consueuerat. Itaque quasi accepta permotus iniuria, stramentum omne proiecit, & casu super fornaculam, partem paleæ illius, quam remouerat, aggessit. Ipse autem, vt erat moris nuda humo lassitudine itineris vrgente requieuit. Ad mediam vero noctem per interruptum pauimentu ignis æstuans, arescentes paleas apprehendit. Martinus somno excitatus, re inopinata, ancipiti periculo, & maxime (vt referebat) diabolo insidiante atque vrgente præuentus, tardius quam debuit ad orationis confugit auxilium. Nam erumpere foras cupiens, cum pessulo quem ostio obdiderat, diu multumque luctatus, grauissimum circa se sensit incendium; adeo vt vestem, qua indutus erat, ignis absumpserat. Tandem in se reuersus, non in fuga, sed in Domino esse præsidium, scutum fidei, & orationis arripiens, medijs flammis totus ad Dominum conuersus, incubuit. Tum vero diuinitus igne submoto innoxio sibi orbe flammarũ, orabat. Monachi autem, qui præ foribus erant, crepitante, & colluctante incendij sono, obseratas infringunt fores; emotoque igne medijs flammis Martinum auferunt, cum iam penitus esse consumptus tam diuturno incendio putaretur. Cæterum (vt verbis meis Dominus est testis) mihi ipse referebat, & non sine gemitu fatebatur, in hoc se diaboli arte deceptũ, vt excussus à somno consilium non haberet, quo per fidem, & orationem periculo repugnaret: denique tam diu circa se sæuisse ignem, quamdiu erumpere per ostium turbatus mente tentauit. Vbi vero auxilium crucis, & orationis arma repetisset, medias cessisse flammas; seque sensisse tunc rorãtes, quas fugiens male esset expertus vrentes, vnum intelligat, quisquis hæc legerit, non tantum tentatum quidem illo Martinum periculo, sed probatum.

E medijs flammis liberatur.

In Deo præsidium collocat.

De vita sancti Maurilij Andegauensis.

Cap. XX.

Ex gestis eius. Huic sancto viro contempotaneus fuit Maurilius Andegauensis Episcopus. Hic enim Mediolanensis oppidi indigena exstitit, parentibus splendidissimis, & ab ipsis pene cunabulis à B. Martino, qui illis temporibus Mediolani sibi monasterium collocauerat, sacris litteris, & liberalibus studijs institutus est. Sed B. Martino Arianorum præsidia de ciuitate illa expulso, sanctus iam Maurilius tam amore, quam magnorum præceptis parentum, qui Martinum prius sequi concupierant, ibidem demoratus est quousque à B. Ambrosio ipsius ciuitatis Episcopo officium lectoris accepit. Interea patre eius, qui nobilitate, ac viribus totam pene regebat Hesperiam, defuncto, relicta matre omniumque rerum suarum cupiditate habendi, sub * Iuliano, tunc Cæsare, Martinum, qui Turonicam in Gallia iam regebat Metropolim expetijt; & sacerdotij gratiam eo cogente suscepit. Deinde Turonis egressus, qui solitariam, si posset, sibi vitam eligeret, Andegauorum vrbem aggressus est; & audiens non longe à fluuio in villa, cui Calonna nomen erat, fanum esse antiquissimum, diuersisque Idolorum culturis dedicatum, illuc aduenit; vidensque illud, eo quod dignitatem loci tenebat, humananon posse manu dirui, Dominum vt illud destrueret, exorauit. Mox vero diuinitus ignis de cælo dimissus, quicquid simulacrorum, & immunditiæ ibidem reperit, sub momenti hora consumpsit. Eliminata igitur omni spurcitia Christo honorabilem ecclesiam ibi fundauit, & vt dedicaretur à B Martino obtinuit, ibique biffenos degens per annos, multis se ieiunijs, & orationibus sedule Domino mancipauit, magnasque & mirabiles virtutes per eum Dominus fecit.

Patria, & Mauriliꝰ.

* *Est mendũ librarij, legendum fortassis, Valentiniano.*

Fanum dæmonum diuinitus concrematur.

Nam dum pastores in illa regione vigilarent, vnusquisq; eorum noctu pecora custodiret, contigit vt quidam

dam puer morderetur à vipera, cuius virus se repẽte per omnes pueri venas infudit, & totum hominem in tumorem conuertit, de quo cum nihil aliud prestolaretur nisi interitus; cæteri pastores fide commoniti, eum præsentiæ deferunt confessoris, qui vniuersa pueri membra signauit, & oculos ad cœlum erigens, in ipso vulnusculo per quod vipera virus influxerat, de propria saliua *signum crucis* impressit, statimque venenum ex omnibus corporis partibus reuocatum, cucurrit ad ipsum, per quem se immerserat, locum, & puer integræ sanitati mox redditus, ad Domini sui, quem reliquerat, cucurrit seruitium.

Vide vim mirabilem signi crucis.

De quibusdam eius miraculis.

Cap. XXI.

NOn longe vero à præscripto vico Calonnæ, cui vir beatus præerat, quemque sedulus incolebat, erat quidam collis nomine Præsciacus, diuersis Idolorum titulis decoratus, vnde Maurilius animarum perditionem dolens, adhibitis secum fidelibus viris, perexit ad locum, vt illud euerteret: quo cum peruenisset, dæmonia ibi latentia clamauerunt, dicentia: Quid nos etiam hic Maurili persequeris? in his regionibus nullus est locus quo te euadere valeamus. Illico in aduersum *signo sanctæ crucis* oppositio, dæmonia repente, eleuato magno mugitu, non sine immenso fœtore fugerunt. Ille aut omnium Idolorum simulacra coaduri præcepit, & ignibus concremans, in fauillam redegit, mundansque diligentius locum, ibidem honorabile monasterium statuit.

Fugantur dæmones signo crucis.

Prętereuntibus autem mercatoribus sedem eius, vnus eorum qui vendendus ducebatur, magno prosiliens impetu Ecclesiam ingressus est, & prouolutus cum lachrymis confessoris pedibus, orabat vt suis precibus aut precijs sese pro amore Dei redimeret, secumque retineret, qui furtim propria captiuabatur patria, vendendus ducebatur in alienam. Cuius verbis & fletibus suum patrioticum recognoscens, commotus pia mente sacerdos; nec mora, pro captiuo ipso Dominum supplicaturus egreditur, humiliter sibi supplicabat, vt sibi venderetur, quatenus à se seruitio absolutus, liber ad patriam reuerteretur. Sed cum Dominus ipsius summa obstinatione id fieri posse negaret, annuit suis, vt ipsum de ecclesia velociter detraherent. Cædentibus autem ministris, vimque facientibus, ac Domini sui præcepta exequentibus, immensis vocibus captiuus clamare cœpit: Miserere, & succurre serue Dei, quem deuotus & liberandus expetij. Sacerdos vero flens solo paululum positis genibus, rursusque eleuatis ad cælum manibus, inquit: *Domine Deus omnipotens, qui in angustia constitutis, & de tua misericordia vere confidentibus, celeri pietate succurris, subueni huic captiuo, pro quo te supplex exoro.* Ad hanc Sacerdotis vocem, tanta vis febrium Dominuũ ipsius arripuit; vt antequam pœnitere succurreret, spiritum exhalaret. Tunc tanta formidine cæteri percelluntur metuentes ne sese viuos terra absorberet, vt vnanimes expeterent Sacerdotem, flebiliter postulantes, quatenus & sibi indulgentiam, & defuncto suis meritis acquiteret vitam. Vir vero beatus nimium metuens, ne ipse occasio illius esset perditionis, prostratus terræ immensis planctibus, & crebris singultibus *inuocat Christum*, vt defuncto redderet animam. Nec ante surrexit à solo, donec, & defuncto vitam, & captiuo libertatem acquireret. Negociatores denique, vt sibi retroacta præsumptio indulgeretur, multis donarijs ipsum honorauerunt locum. Quæ prope omnia in vsus pauperum deputauit.

Confugit ad virum Dei captiuus quidam.

Precibus à Deo obtinet captiui missionem.

Excitat defunctum.

Idem de eodem.

Cap. XXII.

NImirum præterea, vt necessitudo compulit humana, nauis Argo haud modica mercibus referta per Ligerim vehebatur. Quędum contra Calonnã ascenderet, subito turbato cũ flamine ponto, nauis in vertiginẽ rotabatur: frangitur antenna, & nũc prora surrigitur eleuata fluctibus, nunc puppis deprimitur inter vndarum hiatus. Victi ergo nautæ tantæque tempestatis timore perterriti, de prędenti iam desperantes salute, omnia nauis armamenta eiecerunt, solum præstolantes interitũ. Tum repente immensis clamare vocibus cœperunt, dicẽtes: *Miserere vir Christi Maurili, nostro succurre naufragio, potes enim hoc obtinere à Christo, qui post funus, vitam acquisisti defuncto.* Ad quorum voces exurgens ab oratione Maurilius, festine cucurrit ad littus, & eleuato ex aduerso crucis signo, imperat procellæ ne sęuiret. Cedunt mox depositio rigore spiramina, tumescentes vertuntur vndæ in ęquora, subsequiturque tranquilla serenitas.

Signo crucis sedat tempestatem & multos à morte seruat.

Erat autem familiare beato viro, vt nunc ecclesias, nunc infirmos sedule circuiret, & ne vltra modum fatigatus corpore defecisset, habebat humilis sessor asellum quo sępius vtebatur. Quem nocturnis latro temporibus apprehensum, furari non metuit; sed infœlix dum furatur asellum arripitur à dæmonio, & sic deuians per noctem totam vagabundus illuditur. Mane autem reddito, ante fores beati viri affuit ipse pariter cum asello, crimen, quod commiserat, inuitus confitetur, deinde arreptus à dæmonio fugere nititur, ne curaretur; sed beatus vir furiosum per exorcismi gratiam, prius à dæmonio liberauit, & postmodum ab omni crimine; recepto asino miratus absoluit. Veruntamen propter nocturnã, quam percussus est latro, iniuriam, ne voto priori priuaretur ex toto, qui necessitate cæperat violare, non vitio, tres illi sacerdos aureos dedit, sicque liberum abire permisit.

Sanat dæmoniacum.

De promotione eius ad episcopatum.

Cap. XXIII.

INterea cum talibus vir beatus in prædio Calonnæ floreret meritis, & virtutibus, vrbs Andegaua proprio pastore viduatur; & collectis vndique sacerdotib. cum in vnum non valerent venire secretum alijs alios præferentibus, subito nunciatur Archiepiscopum Sanctissimum Turonicę sedis adesse Martinum. Cuius dum pene omnes sententiam præstolarentur, ait: Viri fratres, audite, & attendite consilium bonum; qui à Deo est electus, erit Pontifex vester Maurilius Calonnensis presbyter ecclesiæ. Qui pari voto conuenientes in sententiam, iam enim eiusdem viri virtutes & merita nouerant, accepto Archiepiscopi præcepto celerrime pergunt, eumque de propria raptum Ecclesia, Martini præsentiæ nolentem sistunt. Qui dum cum B. Martino ecclesiam ingrederetur, statim ad declaranda tanti sacerdotis merita, niueo colore columba diuinitus elapsa super caput eius descendit ac sedit. Multi etiam videre meruerunt, quia quotiescumque B. Martinus ad sacram consecrandi Antistitis benedictionem super caput eius extendisset manum, semper ei præfata aditum dabat columba. Tali igitur miraculo Andegauensis ecclesiæ Maurilio Pontifice substituto; & B. Martino ad propriam sedem reuerso, idem Martinus referre sæpius solitus erat, quod ad benedicendum Maurilium Antistitem, non solum in specie columbæ Spiritus sanctus, sed etiam adfuerat Angelorum exercitus.

Inuitus rapitur ad Andegauensem episcopatũ.

Nota de eo testimonium S. Martini cum consecrantis.

Ordinato itaque in Pontificali cathedra ad pastoralis

curæ

Ingentia edit miracula.

curæ ministerium, & custodiam Christi ouium Maurilio Pontifice, tanta in eo gratia Domini rutilabat, vt non minora per eum quam dudum per Apostolos signa & miracula fierent. Nam verbis tantum dæmones effugabat, ægrotos vero sola oratione curabat: sed & cæcis, *impositio crucis signo*, visum reddebat.

De spontaneo eius exilio pro puero mortuo sine baptismo.

CAP. XXIV.

EO, in beati Petri Apostoli basilica, sancta solemnia celebrante, aduenit cum moriente puero Matrona, cui quondam sterili eundem, vt nasceretur, ante episcopatum apud Dominum suis meritis obtinuerat: postulans vt filio suo, quem Domino habendum obtulerat, manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret: sed remorante in sancta corporis, ac sanguinis Christi consecratione paululum præsule, puer excessit. Beatissimus igitur Maurilius expleto sancto solemnitatis mysterio, obitumque pueri, qui absque chrysmatis dono excesserat, percognito totum id suæ desitudini deputauit, lachrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cum nec ista sufficerent, diu multumque quid ageret secum animo colluctante, tandem repetit quod inter conciues tantæ negligentiæ piaculum plene expiare nequiret, nisi singularis elapsus, patriam propriam ciuesque relinqueret. Tali igitur reperto consilio, occulte exinde semetipsum eripuit, ex sanctorum reliquijs, quibus sancta Andegauensis Ecclesia decorabatur, secum claues exportans. Cum autem peruenisset ad mare, diuina omnipotentis Dei prouidente clementia, qui manebat in litore, diem transitus sui exarauit in lapide, sicque accersita puppi, inchoati itineris cœpit maturator existere. Cumque processisset in altum, & reliquiarum claues quare secum detulerit, cogitaret: insidiante humani generis inimico, vt dolorem super dolorem sancto viro imponeret, repente claues de manibus elapsæ, submerguntur in æquore. Tunc cum lachrymis fertur exclamasse Maurilius, quod postea rei probauit euentus. Nisi, inquit, has iterum claues videre meruero, patriam, & vrbem nunquam repetam, quam effugio. Transmisso igitur mari, quò, quis esset, abscondere potuisset, mutato habitu vni regionis principum adhæsit, professus se hortulanum fore, quatenus corpus quod vigilijs, ieiunijs, & orationibus castigare decreuerat, ne ex toto deficeret, proprio labore pauisset. Qui cum tali proficeret ministerio, tantam copiam eius meritis Dominus oleribus dabat, vt etiam omnibus quibuscunque necesse fuerat, ex eisdem sufficienter tribueret, & tamen nunquam olera defecerunt, vnde pluribus placebat, & penè ab omnibus amabatur.

Nota de sacramento confirmationis omisso, quantum doleat vir sanctus.

Clam se subducit ab episcopatu.

Fit Principis cuiusdam hortulanus tantus vir.

Qualiter vsquequaque quæsitus est, & inuentus.

CAP. XXV.

INterea plebs Andegauorum, cælitus sibi quondam electo viduata pastore, pauore nimio percellitur, crebrisque visionibus minatur, persepe etiam admonetur, vt proprium pastorem circumquaque perquireret, nisique Maurilius inuentus suæ redderetur ecclesiæ, vrbem Andegauam fore celerius subuertendam. Vnde eiusdem regionis non solum tota nobilitas, sed & vulgaris immensitas collatione facta, in vnum venere decretum, eligere ex ciuibus 4. diffusæ virtutis, ac fidei viros: quibus quæ necessaria ad tanta itineris erant supplenda negocia, sumptibus ex toto collatis, præcipiant, ne vnquam reuertentur donec proprium inuenissent patronum. Qui functi legatione, & deuotius iussa exequentes, vrbes omnes, oppidaque, vel vicos, præterierunt: omnemque fere Europam circuitu ambiunt. Septimo tandem in partes Galliæ reuertentes anno, & minime quem quærebant inuento, diuino ductu ad portum Oceani maris, qui in Britannia manet minori cursu auido peruenerunt, quatenus eis mare quem inuenire non poterant, trans mare quærere niterentur. Præstolantes igitur nauem, cum qua cœptum explere valerent obsequium, dum residerent in littore, scriptum quod supra diximus, inuenerunt in silice. *Hic transijt Maurilius Andegauorum episcopus.* De tam euidenti igitur alacres effecti indicio, trans pontum abiere securi, haud longe autem adhuc acta puppis erat à littore, cum leui flatu, & pendulo velo, ac mari tranquillo, iam medios sali fluctus sulcare secura cœpisset, repente immanis emersus è gurgite piscis prosilijt in Argi. De quo cum Deo gratias retulissent ipsumque piscem exenterare cæpissent, reliquiarum claues quas Maurilius in mari perdiderat, in piscis iecore reperiuntur, quas recognoscentes nimium mirantes turbabantur attoniti, metuentes, ne cum ipsis Maurilius naufragium passus, hominem exuisset. Demissis igitur nauis anchoris in hoc stantes, vt de mari reuerterentur, asserentibus nautis Maurilium esse defunctum, dum singuli sequenti nocte vnum eundemque visum, Domino tribuente, viderunt in quo dictum est eis: Nolite, inquit, metuere, nec reuertimini de itinere, cœptum maturate negocium, proculdubio diu quæsitum, & vsque huc dilatum, vestrum inuenietis desiderium. Mane autem reddito, quid singuli viderant, inuicem referebant. Vnde factum est, vt Angelico ductu ad domum principis cum quo Maurilius habitabat, recto itinere ducerentur. Ingressi autem, illico vocari Maurilium, vt cum oleribus quibus rex vti consueuerat, accurreret, audierunt. Oculorum igitur aciem in partem qua illum audierunt inclamari, dirigentes, nec mora, cum oleribus accurrere Maurilium perspexeruut. Quem cum recognouissent, prostrati pedibus illius, cum magno fletu rogabant, vt propriæ subueniret Ecclesiæ, atque ciuitati, quæ eius absentia nihil iam aliud nisi supremum præstolaretur exitium. Ad quorum fletum, cum se negare non posset, obstupefactus cum lachrymis repugnare cæpit obnoxius, dicens: Voto me, ac iuramento constrinxi, nunquam me ad patriam reuersurum, nisi claues videre merear iterum, quas amisi. Quibus statim exhibitis, quicquid in mari viderant, & pertulerant ex ordine referebant.

Septem annis tota fere Europa perquiritur.

Vide rem stupendam.

Tandem inuenitur vir beatus.

Nota hic lector diuinā prouidetiam

Qualiter ad vrbem suam rediit, & præfatum puerum suscitauit.

CAP. XXVI.

INterea istiusmodi circumquaque negocij fama peruolitat, ipsumque sollicitat Regem. Morantur cuncti, & quem vt hortulanum habuerant, nunc vt sanctissimum præsulem venerantes adorant, multis eum muneribus, & donarijs honorare, quantocyus concertantes, vt qui pauper & peregrinus ad eos venerat, fælix, & diues reuerteretur ad propria. Tunc Maurilius tot precibus vt regrederetur, & miraculis victus, dum sollicitior de reuersione cunctaretur, & vigilijs, ac orationibus insomnem ducere sequentem disponeret noctem, tandem fatigatus ieiunio paululum obdormiens vidit Angelum dicentem sibi: Surge Maurili, & populorum te quærentium exequere votum, ecce enim tuis præcibus, atque meritis, tibi commissas seruauit Dominus

Minatur passiue.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

oues pro quibus rogasti, & insuper reddidit tibi puerum, quem diutius plorans quæsisti. Quid multis? Reddito mane, concurrentibus vndique populis, cum honore magno deducitur ad nauem, & traducto ponto, non minori gloria à propria excipitur patria. Taliterque propriam regressus ad vrbem, nimirum ex spectantibus turbis de Domini promissione securus, venit ad tumulum pueri, quem rastris discoopertum, inuocat planctibus diutissime Christum. Tandem expleta cum lachrymis oratione vtrique consurgunt, Maurilius de oratione, & puer de morte. Quo septiformis Spiritus gratia consecrato, ex euentu vocauit eum Renatum. Qui diuinis cultibus illico mancipatus, & à beato Maurilio diligentius eruditus, tantis promeruit florere virtutibus, vt post Maurilium pontificalem ecclesiæ cathedram, & posthumus sortiretur & hæres.

Ecce rem profecto stupendam de puero tot annis mortuo.

Idem resuscitatus succedit Maurilio in episcopatu.

De cæteris eius miraculis.

Cap. XXVII.

VIr quidam auarus, omnium malorum radice instigatus cupiditate, temerario ordine arrepta securi, die dominico auidus operator extiterat. Quem securis manubrio manibus adhærente, vltio diuina statim damnauit. Ijsdem tamen cogentibus doloribus, post menses quinque sanctum Maurilium expetens, suæ ordinem culpæ flebiliter confitebatur. Cuius cum vir beatus pœnitudinem vidisset, commotus spiritu cœpit dolere, sed cum manibus sanctis manubrium tetigisset securis, illico laxatis neruis, & directis digitis, omni fugato dolore manus integrè reformantur.

Miraculum.

Cumque aliquando ad portum Lidi fluminis peruenisset, nullam ibi nauem reperit, sed omnes ex parte fluminis tenebantur altera, nec etiam nauta apparebat, qui naulgium adduceret. Qui dum præstolaretur, & nemo esset, qui traduceret, repente omnes carinæ, diuina iussione semotæ à littore, ad obsequium præsulis in partem alteram deducuntur. Vnde cum omnipotenti Deo gratias retulisset, ingressis nauibus, Deo solo gubernatore, absque humanorum nautarum adminiculo transierunt. Verumtamen nautis qui accurrerant, quasi si eorum labore transtulissent, naulum non expetitus, vti fidelis debitor, dari præcepit.

Villam quandam Geriacum nomine, ad alimentum captiuorum, viduarum, atque pupillorum, necnon subsidia clericorum, ac pauperum profuturam, vir beatus ex rebus ecclesiæ comparauerat, quam dum quadam die, vt ibidem quiddam operis ageret, cum fratribus circumiret: repente cornupeta vitula, instinctu dæmonis acta, cum ingenti mugitu, ac toruis furibunda luminibus in eum rotatim cum magno impetu currebat, contra quam cum B. Episcopus *signum Crucis* opponeret, mox diabolus de capite eius in specie corui egrediens, euolauit: & subito velut fumus euanuit: multi enim fidelium, qui comitabantur cum eo oculis hæc corporeis videre meruerunt. Bucula vero gregi suo statim mitior oue se immiscuit, & deinceps neminem læsit.

Idem vir sanctus semper victum pauperem, & aquam breuem, & superlectilem habuit vilem. Cum autem sanctæ quadragesimæ dies aduenirent, per omne tempus afflictionis erat ei (vt dictum est) aridus & vespertinus die tertia cibus, aqua tepida, & modicum salis, ac panis hordeaceus, quem tamen ipse excutiens molebat, sibique causa obedientiæ præparabat, hoc vero pro summa mollicie, summisque vtebatur delicijs. Pedem non proferebat eisdem diebus in publicum, cilicio semper interius tectus & cinere. Verumtamen non ideo macie corporis torpebat, non pallor in vultu apparebat, robustus semper in corpore, facies eius, vt rosa rubebat.

Mira eius abstinentia.

Obijt autem anno ætatis suæ 90. & episcopatus 30. Idibus Septembris, cuius corpus sanctum cum die altera portaretur ad tumulum, gemini ex vtero matris suæ cæci, vt sancti corpusculi loculum tangere potuerunt, lumem quod nunquam habuerunt, ad declaranda defuncti Antistitis merita, illico meruerunt accipere.

Innocentem animam vir sanctissimus reddit creatori. Extant hæc gesta apud Surium 13 Septemb. descripta (vt creditur) à Fortunato.

De inuentione corporum Gerualij, & Prothasij martyrum.

Cap. XXVIII.

ANno Theodosij 2. Corpora sanctorum Gerualij, & Prothasij martyrum Mediolani ab Ambrosio reperta sunt.

Visio S. Amb oblata

Ambrosius in vita horum sanctorum. In diebus, inquit, transactæ nuper quadragesimæ, cum Dominus mihi donasset, vt ieiunantium, & orantium faceret me esse participem, in oratione posito, ita mihi somnus irrepsit, vt nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis duos iuuenes, ephebos, vestibus candidissimis, id est, collobio indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem grauedinem patiens, loqui cum eis non poteram: sed quia (vt dixi) pars in me somni incumbebat, quæ me ad interrogationem eorum verbum proferre non sinebat. Plene autem me euigilante, visio ab oculis meis elapsa est. Vnde factum est, vt rogarem Domini misericordiam, vt si ludificatio dæmonum esset, abscederet, si vero veritas esset, plenius appareret. Ad impetrandum vero, quod poscebam à Domino, augmentaui ieiunium, similique modo, & canente gallo, orantes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia vero nocte defecto ieiunijs corpore, non dormienti, sed stupenti: cum quædam mihi tertia apparet persona, quæ similis esset beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat, factum est, vt ipse mecum illis tacentibus loqueretur, dicens: *Isti sunt qui monita mea secuti, respuentes prædia, & diuitias: secuti sunt Domini nostri Iesu Christi pia vestigia, nilque terrenum, nilque carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi vrbe per decem annos in Dei seruitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, vt Christi martyres fierent: quorum corpora eo in loco inuenies, in quo stas, & oras: 12. pedum altitudine terra coopertam arcam inuenies, quàm superius exaltabis, & in nomine eorum ecclesiam fabricabis.* Cumque ab eo eorum nomina requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum librum scriptum inuenies, in quo, & ortus eorum & finis scriptus est.

Vsus imaginum tempore S. Ambrosij.

Miracula ad sanctorū reliquias.

Inuenimus ergo miræ magnitudinis duos viros, vt prisca ætas ferebat, ossa integra, sanguinis plurimum, ante cancellos sanctorum Fœlicis, & Naboris. Ingens concursus populorum per totum illud biduum. Condidimus ossa integra, & ad ordinem transtulimus, vespere iam incumbente, ad basilicam Faustæ. Ibi vigiliæ tota nocte, & manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam Ambrosianam, & dum transferremus, cæcus sanatus est.

Author. Quoniam autem hi martyres sub Nerone passi sunt, prefatum libellum quem inuenit Ambrosius eorum gesta, simul & parentum eorum scilicet Vitalis, & Valeriæ continentem, superius * in loco suo inseruimus.

** libro sc. 9. cap. 51.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De vita, & agone ſanctæ Agnetis.

Cap. XXIX.

SCripſit autem Ambroſius vitam ſanctæ Agnetis, quam nos abbreuiatam hic poſuimus in hunc modum. *Ambroſius de ſacris virginibus in epiſtola 34. vltimæ editionis.* Sancta virgo Agnes genere nobilis 13. ætatis ſuæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit, quia ſolum vitæ dilexit authorem. Corpore quidem iuuencula, ſed animo cana, pulchra facie, ſed pulchrior fide, dum à ſcholis reuertitur, à Præfecti vrbis filio adamatur. Detulit ſecum precioſiſſima ornamenta, quæ ab ea, velut ſtercora ſunt recuſata. Cœpit per ſe, per amicos omnes, diuitias promittere. Ad quem illa tale fertur reſponſum dediſſe: Diſcede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia iam ab alio amatore prę-uenta ſum: qui mihi ſatis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei ſuæ ſubarrhauit me: longè melior te genere, & nobilitate, cuius generoſitas celſior, poſſibilitas fortior, aſpectus pulchrior, amor ſuauior, & omni gratia elegantior. Iam mel, & lac ex ore eius ſuſcepi, iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo eſt, cuius pater fœminam neſcit, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius tactu ſanantur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt, ipſi ſoli ſeruo fidem: quem cum amauerò caſta ſum, cum tetigerò munda ſum, cum accepero virgo ſum.

Tempore D. Ambr. celebratur feſtum S. Agnetis.

Nota conſtantiam tenerrimæ virginis.

Audiens hæc inſanus iuuenis, amore cæco corripitur, & inter anguſtias animæ, & corporis lecto proſternitur, & per alta ſuſpiria amor à medicis aperitur. Tunc pater eius cœpit vehementer inquirere, quis eſſet ſponſus, de cuius ſe Agnes poteſtate iactaret. Extitit qui diceret eam eſſe *Chriſtianam*, & ita magicis artibus occupatam, vt diceret *Chriſtum ſponſum ſuum eſſe*. Audiens hæc Præfectus lætus efficitur, & ſuis tribunalibus præſentatam, primo quidem blandis eam ſermonibus ſecretius prouocat: deinde terroribus pulſat: ſed virgo Chriſti terrentem, ſicut & blandientem animo deridebat. Videns Præfectus Simphronius eius conſtantiam, parentes eius alloqui cœpit, & quia nobiles erant, & vim eis publice inferre non potuit, titulum eis *Chriſtianitatis* oppoſuit. Virgini autem ſibi præſentatæ dixit: Ad venerabilem Dearum Veſtam te præparare neceſſe eſt, vt cui perſeuerantia virginitatis placet, eius ſacrificijs inſiſtas. Quæ reſpondit: Quia te ad hoc quòd impetrare non potes, video tendere, quicquid tibi videtur in tormentis, exerce. At ille: Aut cum virginibus Deæ Veſtæ ſacrificabis, aut cum meretricibus in lupanari ſcortaberis. Virgo reſpondit: Noui virtutem *Domini noſtri Ieſu Chriſti*, credens, quod neque ſacrificem Idolis tuis, neque polluar ſordibus alienis: mecum enim habeo *Angelum Domini*. Tunc iuſſit eam ſpoliari, & ſub voce præconaria nudam ad lupanar duci. Statim autem vt ſpoliata eſt, crine reſoluto tantam denſitatem capillis eius gratia diuina contulit, vt melius eorum fimbrijs, quàm veſtibus tecta videretur. Ingreſſa autem turpitudinis locum *Angelum Domini* illic paratum inuenit, qui eam circundaret immenſo lumine, ita quod nullus poſſet eam perſpicere, nec contingere. Cumque ſe in orationem proſtrauiſſet, apparuit ante oculos eius ſtola corpori eius apta, & nimio candore perſpicua, & apprehendens eam induit, *Deoque*, qui ſibi eam per Angelum præparauerat, *gratias egit*. Interea lupanar, locus orationis efficitur, in quo omnes qui ingreſſi fuiſſent præ nimio ſplendore, *adorarent, & darent honorem Deo.*

Contemnit minas iudicis.

Sapienter reſpondet præfecto.

Nudatur S. Virgo, & ad lupanar ducitur. Vide miraculum.

Accipit cælitus veſtem.

De morte filij Præfecti, & eius ſuſcitatione, & martyrio virginis.

Cap. XXX.

PRæfecti autem filius veniens ad locum cum ſodalibus ſuis, quaſi exultaturus de virgine, cum qua libidinem ſuam ſe poſſe credebat exercere, & ingreſſos ante ſe pueros turpiter ſæuientes, cum nimia veneratione, & ingenti admiratione egreſſos cæpit arguere, & molles, ac miſeros iudicare. Et audacter ingreſſus, vbi virgo orabat, irruens in ipſum lumen, priuſquam eam contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à Diabolo expirauit. Videntes autem ſocij eius, quòd moras intus faceret, putabant eum obſcœnibus operibus occupatum. Et ingrediens vnus, qui ei familior erat, mortuum eum inueniens: exclamauit: Pijſſimi Romani ſuccurrite, magicis artibus iſta meretrix Præfecti filium interfecit. Fit repente populorum concurſus, & clamor. Audiens quoque Præfectus cum ingenti clamore venit ad theatrum, & ingreſſus locum ait: Crudeliſſima fœminarum, ad filium meum voluiſti apodixen tuæ magicæ artis demonſtrare. Et cum talia verba innecteret, & cauſam mortis ab ea vehementer inquireret. Illa reſpondit: Ille cuius voluntatem perficere voluit, in eum poteſtatem accepit. Cur autem omnes, qui ad me ingreſſi ſunt, ſani ſunt, niſi quia omnes *honorem Deo dederunt*. Videntes enim ſplendorem Angelicum adorabant; & illæſi aſcendebant: hic autem impudens, ſtatim vt ingreſſus eſt ſæuire cæpit, & fremere. Præfectus ait: In hoc apparebit quod magicis artibus non hæc feciſti, ſi deprecata fueris Angelum, vt reſtituat mihi filium meum vnicum. Quæ reſpondit: Licet hoc fides veſtra non mereatur: tamen quia tempus eſt, vt *virtus Domini* manifeſtetur, egredimini foras. Omnibuſque egreſſis proſternens ſe in pauimento *orauit Dominum*. Tunc *Angelus Domini* ei apparuit. qui eam flentem eleuauit, & iuuenem ſuſcitauit. Qui egreſſus foras cæpit publice clamare: *Vnus eſt Deus in cælo, & in terra, Deus Chriſtianorum. Omnia templa vana ſunt, nec ſibi, nec alijs auxiliari poſſunt.* Tunc omnes Auruſpices, & templorum Pontifices conturbati, clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ mentes mutat, animos alienat. Præfectus autem obſtupuit, ſed ne contra templorum Pontifices ageret: Vicarium ſuum iudicem dereliquit, & ipſe triſtis abſceſſit, quod eam liberare non potuit. Vicarius Aſpaſius populi ſeditionem non ferens, iuſſit ignem copioſum accendi, & eam in medium iactari. Quo facto, flammæ hinc, & illinc ſeditioſos populos exurebant, & ipſam penitus in nullo contingebat incendium. Tunc illa extendens manus in medio igne orauit dicens: *Benedico te Pater, quia per filium tuum minas hominum euaſi, & ſpurcitias Diaboli impolluta calle tranſiui, ecce iam quod credidi, video, quòd ſperaui, teneo: quòd concupiui, complector: te labijs, & corde confiteor.* Cumque orationem compleuiſſet, ignis ita extinctus eſt, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc iuſſit Aſpaſius, vrbis Romæ Vicarius, gladium in eius gutture demergi. Sicque ſanguine ſuo perfuſam, Chriſtus ſibi martyrem, & ſponſam dedicauit. Parentes vero eius cum gaudio tulerunt corpus eius, & poſuerunt in prædio ſuo via Numentana, vbi cum omnes Chriſtiani concurrereſit, inſidias à paganis perpeſſi, fugerunt: quidam etiam ictibus læſi, euaſerunt.

Præfecti filius à diabolo ſuffocatur

Redit ad vitam precibus S. Virginis, & Chriſtum palam confitetur.

S. Agnes iactatur in ignem.

Orat in medijs flãmis.

Illuſtre miraculum.

Gladio iugulatur S. Agnes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De his quæ circa ſepulchrum illius geſta, & viſa ſunt.

Cap. XXXI.

Emerentiana lapidatur.

AT vero Emerentiana eius collactanea, quæ ibidem orabat, conſtans & immobilis ſtetit, & exprobrans illis miſeris, quod pro defenſione lapidum innocentes homines iugulaſſent, lapidata eſt ab eis.

Eadem hora factus eſt terræmotus vehementiſſimus, & cum nimia eſſet cæli ſerenitas, tantæ coruſcationes, & fulgura, & tonitrua extiterunt, vt pars maxima populi inſani expiraret. Dum autem parentes ſanctæ Agnetis cum pluribus alijs ad ſepulchrum eius vigilarent; in medio noctis ſilentio viderunt exercitum virginum, omnes indutas cycladibus auro textis, cum ingenti lumine pergere, & beatam Agnetem, Agnumque ad dexteram eius ſtantem, niue candidiorem: quæ rogatis virginibus vt parumper gradum figerent, ſtans, parentibus ſuis dixit: Videte nè me quaſi mortuam lugeatis, ſed congratulamini mihi, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi, & illi in cœlis iuncta ſum, quem in terra poſita tota animi deuotione dilexi.

Conſtantia ad tumulũ eius orans, ſanatur.

Hæc viſio publicè ab omnibus qui viderunt diuulgata eſt. Inde poſt aliquot annos Conſtantia filia Conſtantini Auguſti, cum eſſet à capite vſque ad pedes ex omni parte vulneribus obſeſſa, nocte veniens ad ſepulchrum virginis, & martyris, licet pagana, tamen credula intentione preces effudit: & repente ſomno correpta vidit per viſum B. Agnetem ſibi dicentem: *Conſtanter age filia Conſtantia, & crede Chriſtum filium Dei eſſe Saluatorem tuum, per quem modo ſanitatem conſequeris.* Ad hanc vocem euigilauit ita ſana, vt nec ſignum alicuius vulneris in membris ſuis remaneret. Reuertens igitur ad palatium, patrem & fratres rogauit, vt baſilicam B. Agnetis conſtruerent, & ſibi illic mauſoleum extruerent. Perſeuerauit autem ipſa Conſtantia in virginitate, per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, ſacra velamina ſuſceperunt.

Author. Hanc huius virginis paſſionem hic inſerere volumus, quia ſub quo Imperatore paſſa ſit nunquam legimus.

De cæteris ſcriptis ſancti Ambroſij.

Cap. XXXII.

Præclara opuſcula D. Ambroſij.

PRæter illa vero beati Ambroſij opuſcula, quæ iam ſuperius abbreuiata poſuimus, videlicet Inuentionem corporum S. Geruaſij, & Prothaſij martyrum, & paſſionem ſanctarum Agnetis, & Emerentianæ virginum: ſcripſit etiam Ambroſius, & alia multa eccleſiæ vtilia, videlicet.

De Paradiſo lib. 1.
De vnica pœnitentia lib. 2.
De fuga ſæculi lib. 1.
De fide ad Gratianum lib. 5.
De Spiritu ſancto lib. 3.
De incarnatione Chriſti lib. 1.
De myſterijs initiandis lib. 1.
De Sacramentis lib. 6.
De cura paſtorali lib. 1.
De officijs miniſtrorum lib. 3.
De exceſſu Satyri fratris ſui lib. 1.
De conſolatione Valentiniani lib. 1.
De eligendo Pontifice ad Vercellenſes lib. 1.
In hexaemeron lib. 6.
De arca Noë lib. 1.
De ſancto Abraham lib. 2.
De Iſaac & anima lib. 1.
De bonis mortis lib. 1.
De Iacob, & vita beata lib. 2.
De ſancto Ioſeph lib. 1.
De benedictionibus Patriarcharum lib. 1.
De ſancto Dauid Apologiam, lib. 1.
De Helia lib. 1.
De ſancto Tobia lib. 1.
De ſancta virginitate lib. 3.
De Naboth lib. 1.
Super 12. pſalmos tractatus 11.
Super beati immaculati lib. 1.
Super Lucam lib. 10.
Super 14. epiſtolas Pauli lib. 12.
De traditione Baſilicæ tractatus 2.
De obitu Theodoſij tractatum 1.
De ſymbolo ad Neophitum lib. 1.
De interpellationibus, & infirmitate hominis libr. 4.
Epiſtolas breues ad diuerſos.
Sermones quoque declamatorios varios.

Ex his igitur omnibus hæc pauca quæ ſequuntur excerpta, ſub quadam continuatione per diuerſa capitula certis materiebus diſtincta, hic breuiter in hunc modum inſerui.

Flores eiuſdem de moribus Epiſcopi.

Cap. XXXIII.

AMbroſius *in Paſtorali.* Qui collatam ſibi diuini muneris gratiam cunctis communicabilem fecerit, copioſius prærogando ſecurius poſſidebit.

Nomen epiſcopi conueniat actioni, & actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane, honor ſublimis, & vita procliuis, Deifica profeſſio, & illicita actio, religioſus amictus, & irreligioſus profectus, gradus excelſus, & deformis exceſſus, cathedra ſublimior, & conſcientia humilior, locutio columbina, & mens canina.

Sicut nihil eſſe dicimus Epiſcopo excelſius: ſic nihil miſerabilius, ſi de vita ſancta periclitatur, & in crimine teneatur: quia quanto gradus Epiſcopalis eſt altior, tanto ruina grauior, & ideo magna ſublimitas, magnam debet habere cautelam: *quia cui plus creditur, plus ab eo exigetur, ſicut ſcriptum eſt*, quia optimis permixta ſunt peſſima, *& potentes, potenter tormenta patientur.* *Sap. 6.*

Oportet epiſcopum eſſe vnius vxoris virum. Iuxta literam prohibet Epiſcopum bigamum ordinari. Si vero ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet epiſcopum duas vſurpare Eccleſias. *1. Tim. 3.*

Si oculus inquam tuus nequam fuerit &c. Quid ergo facient membra, quibus lux oculorum eſt adempta? id-eſt, quid ſæcularis multitudo factura eſt, cum voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis ad ſimilem facinorum voraginem epiſcopus multitudinem populi prouocauit, vt nulli iam tamquam illicitum eſſe videatur, quòd ab Epiſcopo quaſi licitum perpetratur, ſed magis credant homines eſſe laudabile, quicquid Epiſcopus habuerit delectabile, vt quiſquam, quod agere Pontifex non dubitat: ſe dubitanter agere, dicat? *Matth. 6.*

De modeſtia, & verecundia.

Cap. XXXIIII.

IDem de officijs lib. 1. cap. 1. Homines diſcunt prius quod doceant. Ego autem à tribunalibus raptus ad Sacerdotium docere cœpi, quod ipſe non didici, itaque diſcendum mihi ſimul & docendum eſt, quoniam diſcere ante non vacauit.

Quid autem præ cæteris debemus diſcere, quam tacere, vt poſſimus loqui. Plures in peccatum vidi incidiſſe loquendo, vix quendam tacendo. Si pro ocioſo verbo ratio poſcitur, quanto magis pro ſermone impietatis pœna exoluitur? *Cap. 2.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Deinde si pro ocioso sermone rationem reddemus, videamus ne pro ocioso silentio reddamus. Est enim & negocioſum ſilentium, vt erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quam feciſſet loquendo. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec vllum maius inuenit ſuæ caſtitatis indicium, quam ſilentium. Conſcientia loquebatur, vbi vox non audiebatur. Nec quærebat pro ſe hominum iudicium, quæ habebat Domini teſtimonium. Lingua menti ſubdita ſit, & frænos habeat, quibus poſſit reuocari: ad menſuram ſermones proferat, libra examinatos iuſtitiæ, vt ſit in ſenſu grauitas, in ſermone pondus, atque in verbis modus.

Cap. 3.

Dan 13.

Cap. 4. Tunc enim maxime inſidiatur diabolus, quando in nobis videt paſſiones aliquas verecundię generari. Tunc enim fomites mouet, laqueos parat, & inſerit aculeòs ſuos, vt ſemina iurgiorum excitet.

Cap. 5. Qui vero bene ſibi conſcius est, facile non debet moueri, nec æſtimare plus ponderis eſſe in alieno conuicio, quam in ſuo teſtimonio.

Cap. 7. Ego quidem non minus diligo quos genui in euangelio, quam ſi eos ſuſcepiſſem coniugio: nihil enim vehementior est natura ad diligendum quam gratia. Illi degeneres frequenter naſcuntur, & neceſſitate diligunt, quæ non ſatis idonea est ad perpetuitatem diligendi magiſtra: iſti autem iudicio.

Cap. 17. Sicut autem in ſenibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in adoleſcentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturæ.

Cap. 18. Est in ipſo motu, geſtu, & inceſſu tenenda verecundia, habitus enim mentis, in corporis ſtatu cernitur, & vox quædam est animi, corporis motus. Sunt qui ſenſim ambulando hiſtrionicos habitus imitantur, & quaſi quædam fercula pomparum, & ſtatuarum motus imitantium, vt quotieſcunque gradum transferunt, modulos quoſdam ſeruare videantur. Nec curſim ambulare honeſtum arbitror, niſi cum cauſa exigit alicuius periculi, aut iuſta neceſſitas. Si quid ſane in natura vitij est, ars emendet. Non ſolum nihil indecorum loqui, ſed nec aurem quidem præbere debemus dictis huiuſmodi, quoniam quem audire delectat, alium ad loquendum prouocat.

Cap. 19. Verecundia quoque in ipſo corporis decore plus eminet, ita tamen vt ipſum decus non ſit affectatum, ſed naturale, ſimplex, neglectum magis quàm expetitum, non precioſis, & albentibus veſtimentis adiutum, ſed communibus, vt honeſtati vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori. Vox ipſa non remiſſa, non fracta, nihil fœmineum ſonans, qualem multi grauitatis ſpecie ſimulare conſueruntſed formam quandam, & regulam, ac ſuccum virilem reſeruans. Sicut molliculum, aut infractum vocis ſonum, aut geſtum corporis non probo, ita nec agreſtem, ac ruſticam: naturam imitari volo.

Cap. 20. Conuenire quidem arbitror eccleſiaſticis & maxime miniſtrorum officijs extraneorum declinare conuiuia, vel vt ipſi hoſpitales ſint peregrinantibus, vel vt nullus ſit opprobrio locus. Viduarum, ac virginum domos iuniores adire non opus est, niſi viſitandi gratia, & hoc cum ſenioribus, id est cum epiſcopo, vel ſi grauior est cauſa cum preſbyteris. Cur non (ô clerice) tempora illa quibus ab eccleſia vacas, lectioni impendis? cur non Christum reuiſas? Christum alloquaris? Christum audias? illum enim alloquimur, cum oramus, illum autem audimus, cum diuina oracula legimus.

Cap. 23. Licèt autem interdum honeſta ioca ac ſuauia ſint, tamen ab eccleſiaſtica abhorrent regula: nec ſolum perfuſos, ſed etiam omnes iocos arbitror eſſe declinandos.

De iuſtitia, & beneficentia.

Cap. XXXV.

FOrmam iuſtitiæ putauerant quidam, vt quis communia, id est, publica pro publicis habebat, priuata pro ſuis, ſed hoc quidem ſecundum naturam non est: natura enim omnia omnibus in commune profundit, ſic enim generari iuſſit Deus omnia, vt paſtus omnibus communis eſſet, & terra. Natura igitur ius commune generauit, vſurpatio ius priuatum fecit. Cap. 28.

Non autem probatur largitas, ſi quòd alteri largitur, alteri quis extorqueat. Nec illa perfecta est liberalitas, ſi iactantiæ cauſa, magis quàm miſericordiæ, largiaris. Affectus tuus nomen ponit operi tuo, quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur. Vides quam moralem Iudicem habeas? teipſum conſulit, mentem tuam interrogat, quomodo opus tuum ſuſcipiat. *Neſciat*, inquit, *ſiniſtra tua &c.* Grandis culpa est ſi ſciente te, fidelis egeat: nam & ſi omnibus debetur miſericordia, iuſto tamen amplius, vbi vero cauſa manifeſtatur, perſona cognoſcitur, tempus vrget, largius ſe profundere miſericordia debet. Non est autem auarus dominus vt plurimum quærat, nec vult ſimul opes effundi, ſed diſpenſari. Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas, melius est enim vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor est depoſcere ſumptum ab alijs, non tamen vt illi velint eo fieri ditiores, quod tù in opibus, conferre potes. Neminem vero pudere debet, ſi ex diuite pauper fiat, dum largitur pauperi, quia Chriſtus pauper factus est, cum diues eſſet, vt omnes inopia ſua ditaret. *Qui multum*, inquit, *non abundauit, & qui modicum non minorauit*. Qui plurimum aurum poſſidet, nõ abundat, quia nihil, quicquid in ſæculo est. Et qui exiguũ habet nõ minorat, quia nihil est quod amittit. Res enim ſine diſpẽdio est, quæ tota diſpendiũ est. Poteſt etiam ſic intelligi: Qui plurimũ habet, & non dat, non abundat, quia quantumuis acquirat ſemper eget, qui plus concupiſcit: & qui parum habet non minuit, quia non multum est quod pauperem paſcit. Conſideranda etiam est in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos natales prodit, vt ſenibus & debilibus plus largiaris, qui ſibi laborare, & victum quærere nequeunt. Cap. 30. Matth. 5. 2. Cor. 8. Exod. 16.

Pulchrum est quoque propenſiorem illius habere rationem, qui tibi, aut beneficium aliquod, aut munus contulit, ſi in neceſſitate ipſe incidit. Quid enim tam contra officium, quam non reddere, quod acceperis? Non dare cuiquam vix licet, non reddere non licet: nec menſura pari, ſed vberiori reddendum arbitror, & vſum penſare beneficij, quia qui prior contulit, tempore ſuperior est, humanitate prior. Humanitatis exemplum & ipſa quoque terra ſuggerit, quæ & fructus miniſtrat quos non ſeueris, & multiplicatum reddit quod acceperit. Cap. 31.

Magna vero beneuolentia est, quæ etiam ſi nihil conferat, plus exhibet. Cap. 32.

De fortitudine, & prudentia.

Cap. XXXVI.

FOrtitudo ſine iuſtitia, iniquitatis materia est. Nunquam Dauid niſi laceſſitus, nec niſi prius conſulto Domino bellum intulit. Prudentia enim in prælio, comitem Fortitudinis habuit: ideo in omnibus prælijs vſque ad ſenectutem ſummam, manu promptus victor extitit. Cap. 35. 1. Reg. 17.

Qui vero ſi poteſt, iniuriam non repellit à ſocio tam est in vitio, quam ille qui facit. Illa reuera iure fortitudo vocatur, qua vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, non aduerſis perturbatur, Cap. 39.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

perturbatur, nec secundis extollitur, nec variarum rerum mutatione quasi vento quodam circumfertur. In duobus generibus animi fortitudo expectatur. Prima vis eius est, vt externa corporis, pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quam expetenda ducat. Secunda, vt ea quæ summa sunt, & omnia in quibus honestas (& illud præpotens cernitur) præclara animi intentione vsque ad effectum prosequatur, illisque mentem ita intendat, vt quicquid acciderit, quo frangi homines solent, quasi superior, non sentiar.

Cap. 38. Fortis igitur, & diligentis animi est, ante oculos locare quid possit accidere, & quid agere debeat, si ita acciderit, definire.

Cap. 44. Vnusquisque autem ingenium suum nouerit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Nam alius lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius sacrario opportunior. Hæc omnia Sacerdos spectet, & quid cuique congruit, id officij deputet.

Cap. 47. Neque vero adulantem se, neque quis adulandu mse cuiquam exhibeat. Alterum enim calliditatis est, alterum vanitatis.

Nec despiciat quid se vnusquisque, & maxime vir optimus sentiat, sic enim discit bonis deferre reuerentiam, nam negligere bonorum iudicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est.

Boni vero speculatoris est animo attendere, vt appetitus, neque rationem præcurrat, nec deserat, ne præcurrendo eam perturbet, & excludat, vel deserendo desticuat.

Cap. 50. Officium quidem est depositum seruare, & reddere: sed interdum commutatio fit, aut tempore, aut necessitate, vt non sit officium reddere quod acceperis, vt si quis contra patriam opem barbaris ferens, pecuniam apertus hostis reposcat, aut si cui reddas, cum assit qui extorqueat, vel si furanti restituas, cum seruare non queat, si insanienti gladium expositum non neges, quo se ipse interimat, nonne soluisse contra officium est? Si furto quæsita, sciens suscipias, vt fraudetur qui amiserat, nonne contra officium est? *Matth. 14.* Est etiam contra officium nonnunquam promissum soluere, sacramentum custodire, vt in Herode, qui necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret.

De bonitate, & liberalitate.

Cap. XXXVII.

Idem in lib. 2. cap. 1. Tantus est honestatis splendor, vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Beata plane, quæ non iudicijs alienis æstimatur, sed domesticis sensibus percipitur, tanquam sui iudex, neque populares opiniones pro mercede aliqua requirit, nec pro supplicio pauet.

Cap. 7. Popularis, & grata est omnibus bonitas, nihilque est, quod tam facile humanis sensibus illabatur.

Cap. 8. Quis autem eius consilio se committat, quem non putat plus sapere, quam ipse sapiat?

Cap. 12. Quomodo potes eũ iudicare consilio superiorẽ, quẽ videas moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me paro committere. An vero putabo idoneum eum, qui mihi det consilium, quod sibi non dedit? Et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet, cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, metus quatiat? quomodo hic locus consilij, vbi nullus quieti.

Cap. 15. Summa liberalitas est captos redimere, ex hostium manibus eripere, subtrahere homines neci, & maxime fœminas turpitudini. Est autem duplex liberalitas, vna quæ subsidio rei adiuuat, id est vsu pecuniæ. Altera, quæ impenditur operarum collatione, vel consiliorum exhibitione, multo splendidior, vt frequenter, multoque clarior: facile enim pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt, sed vsu augentur. Pecunia minuitur, & cito deficit, atque ipsam benignitatem destituit, vt quo pluribus largiri volueris, pauciores adiueris, & sæpe tibi desit, quod alijs contuleris: consilij autem operisque collatio, quo in plures refunditur, eo redundantior manet, & in fontem suum recurrit. In se enim refluit vbertas Prudentiæ, & quo pluribus fluxerit, eo exercitius fit omne quod remanet.

Cap. 16. Liberalitatis autem modus tenendus est, sed & calcar plurimum videtur adhibendum. Modus ideo vt quod benefacis, id quotidie facias, ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni. Calcar autem idcirco, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quam in diuitis sacculo. Caue ergo ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam paupertum. Poterat quidem Ioseph totas opes Ægypti dare, thesauros regios effundere, sed maluit *Gen. 41.* frumenta vendere, quam esurientibus dare, quia si paucis dedisset, pluribus defuisset, eamque liberalitatem probauit quæ omnibus abundaret.

De suo vero iure virum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis est, sed plerumque etiam commoditatis. Primum enim dispendio litis carere, non mediocre lucrum est. Deinde augeretur amicitia, quæ plures habet commoditates. *Cap. 21.*

Nihil autem simulatum. & fictum veræ virtutis esse certum est, quin etiam diuturnum esse non sinet, quod in principio vernat in processu tanquam flosculus dissipatur, & soluitur. Quod autem verum est, & certum, ac sincerum, alta radice fundatur. *Cap. 22.*

Nunquid vero dives idcirco honestior est, quia habet id quo plurimum honestas amittitur quia habet id quod custodiat magis, quam possideat? Illud enim possidemus quo vtimur, quod autem vltra vsum est, non vtique habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum. *Cap. 26.*

Contemptus itaque pecuniæ forma est iustitiæ. *Cap. 27.*

Qui sine auro Apostolos misit, sine auro Ecclesias congregauit. Aurum habet ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget. O Sacerdos, nonne dicturus est Dominus tibi, cur passus es tot pauperes fame mori? & certe aurum in vasis ecclesiæ habebas, nec pauperibus alimoniam ministrabas: melius fuerat vt vasa viuentium custodires, quam metallorum. Quid dicturus es? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Respondit tibi: Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum est redemptio captiuorum. Ille verus Domini thesaurus est, qui operatur, quod sanguis eius operatus est. Tunc vas dominici sanguinis agnosco, cum in vtroque redemptionem video, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis redemit à peccato. Opus tamen est, vt de ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis mysterium transferatur. Sane si in sua aliquis hæc deriuat emolimenta, crimen est, sin vero pauperi erogat, vel captiuũ redimit, misericordia est: & in huiusmodi, vasa ecclesiæ etiam sacrata confringere, conflare, ac vendere licet. *Cap. 28.*

Illud sane diligenter est intuendum vt deposita viduarum intacta remaneant, & sine vlla offensione seruentur, nec solum viduarum, sed omnium: fides enim exhibenda est omnibus, sed maior est causa viduarum, & pupillorum. *Cap. 29.*

De ocio fructuoso, & de pietate.

Cap. XXXVIII.

Idem in lib. 3. cap. 1. Non primus Scipio sciuit solus non esse, sciuit ante ipsum Moyses, qui cum taceret, clamabat, cum ociosus staret, præliabatur, & ociosis manibus de hostibus triumphabat. In silentio ergo loquebatur, & in ocio operabatur, cuius autem maiora negocia, quam huius ocia. Quando vero iustus solus est, qui cum Deo semper est? Quando autem à negocio, qui nunquam feriatur à merito quo negocium consu- *Exod. 17.*

matur:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

matur? Quibus autem locis circunscribit, cui totus mundus diuitiarum est possessio?

Cap. 4. Quærunt aliqui, si aliquis sapiens in naufragio positus, insipienti naufragio tabulam extorquere possit, vtrum debeat. Mihi quidem, & si præstabilius communi videatur vsui sapientem de naufragio quam insipientem euadere, tamen non videtur quod vir Christianus, iustus, & sapiens, quærere sibi vitam aliena morte debeat, vtpote qui etiam si in latronem armatum incidat, ferientem ferire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De hoc enim in euangelio aperta & euidens sententia est: *Matth. 26.* *Reconde gladium tuum, omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit.* Quis latro detestabilior, quam Christi persecutor? Et tamen noluit Christus persecutorum defendi vulnere qui venerat vulnera nostra suo vulnere sanare. Cur autem te potiorem altero iudices cum viri Christiani sit sibi alterum præferre, nihil sibi arrogare, nec meriti sui precium vendicare?

Cap. 6. Qui frumenta recondis cur naturæ industriam ad fraudem conuertis? Quid inuides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? cur affectas inopiam? De fame publica negociaris, ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, vberes soli partus ingemiscis, exploras quando sterilior peruentus sit, & tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de miseria omnium opes congeris, & hoc tu remedium vocas quod est commentum nequiciæ? latrocinium hoc, an fœnus esse appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora quibus in viscera hominum tanquam durus insidiator obrepas. Augetur precium tanquam forte fœnoris cumulatum, & lucrum tuum in damnum publicum est. Ioseph sanctus omnibus aperuit horrea non clausit sed perenne subsidium collocauit, nihil sibi acquisiuit, sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, prouida ordinatione disposuit.

Cap. 7. Canes ante mensam, impastos esse non patimur, & homines excludimus?

De fidelitate, & amicitia.

Cap. XXXIX.

Cap. 10. Sancti viri affectu suo cæteros æstimant, & quia ipsis amica est veritas mentiri neminem putant, fallere quid sit, ignorant, nec suspectum habere putant *Prouerb. 14.* quod non sunt. Hinc Salomon ait: *Innocens credit omni verbo.* Hoc est, innocentem esse, ignoráre quod noceat & si circunscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur.

Cap. 12. Vnusquisque simplicem sermonem proferat, nec fratrem circunscriptione verborum inducat, nihil inhonestum promittat, aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt se iurisiurandi sacramento. Et cum ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spopondemunt, sicut Herodes qui saltatrici præmium turpiter *Matth. 14.* promisit, crudeliter persoluit. Quanto tolerabilius fuisset tali sacramento periurium? si tamen periurium dici posset, quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter saltantium choros permiserat. Infertur disco caput Prophetæ & hoc æstimatum est fidei esse, quod fuit amentiæ. Nec vnquam inducar, vt credam, non incaute principem promisisse Iepte, vt immolaret Deo, quicquid sibi reuertenti intra limen domus suæ occurreret, cum & ipsum voti sui pænituerit, postquam filia sibi occurrit. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere, etiam ipse qui fecit. Non possum accusare virum, qui necesse habuit implere, quod vouerat, sed tamen miserabilis necessitas, quæ soluitur parricidio.

Cap. 16. Non potest homini esse amicus, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitia est, & æqualitatis magistra vt superior inferiori se æqualem exhibeat, & inferior superiori. Inter dispares enim mores amicitia esse non potest. Quid est enim amicus, nisi amoris consors, ad quem animum tuum adiungas, atque applices, & ita misceas, vt vnum fieri velis è duobus, cui te tanquam alteri tibi commitas, à quo nihil inhonestum petas? Non est enim vectigalis amicitia, sed plena decoris, gratiæ, & virtutis. Denique meliores sunt amicitiæ inopum plerumque quam diuitum: & frequenter diuites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, vbi est fallax adulatio. Diuitibus autem plerique assentatorie gratificantur, erga pauperem nemo simulator est. Verum est quicquid defertur pauperibus huius amicitia inuidia vacat, *vos* inquit, *amici mei estis si* *Ioan. 15.* *feceritis quæ præcipio vobis.* Dedit nobis formam amicitię, quam sequamur, scilicet vt amici voluntatem faciamus, vt aperiamus amico secreta nostra quæcũque in pectore habemus, & illius arcana non ignoremus, nihil enim occultat amicus si verus est.

De iniurijs illatis Ambrosio, & de gestis eiusdem.

Cap. XL.

Prosper in chronicis. Anno quoque prænotato scilicet Theodosij secundo. Iustina mater Valentiniani Arrianis fauens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem ecclesiam diuersa iniuriarum genera congessit. *Paulinus in vita S. Ambrosij.* Mortua autem Iustina, cum quidam aruspex in maleficiorum causa à iudice torqueretur, aliud quam interrogaretur fateri cœpit. Clamabat enim ab Angelo sibi maiora tormenta adhiberi, qui custodiebat Ambrosium, eo quòd temporibus iustinæ ad excitanda in eum odia populorum, çacumen tecti ecclesiæ conscendens medio noctis sacrificauerit. Misisse etiam se dæmones qui illum necarent, fatebatur: dæmonesque renunciasse, se non solum ad illum appropinquare non posse, verumetiam, nec ad fores domus in qua manebat, eo quod ignis insuperabilis ædificium illud communiret, ita etiam vt longe positi vrerentur. *Confessio innocentij maleficí.*

Alius etiam gladium ferens ad cubiculum vsque sacerdotis, vt eum interficeret, peruenit, sed cum eleuasset manum districto gladio, dextera obrigescente remansit. *Percussor sancto viro Iustina immissus.*

Per idem tempus vir illustris Probus cum suum puerum notarium à dæmonio vexatum direxisset ad episcopum, egressum vrbe dimisit diabolus, timens ad sanctum virum adduci, ita puer quamdiu Mediolani apud episcopum fuit, nulla in eo comminatio diaboli apparuit. Sed vbi Mediolano egressus, prope vrbem peruenit, idem spiritus cœpit eum vexare. Qui interrogatus ab exorcistis cur Mediolani non vexasset, confessus est se Ambrosium timuisse & ideo ad tempus recessisse, & reuertente puero vas quod deseruerat repetisse.

An. 388. Castellum hoc Callicinum vocat Ambrosius. In partibus orientis in quodam castello synagoga Iudæorum à Christianis concremata, eo quod Iudæi monachis Christianis insultarent. De hoc facto comes orientis ad Theodosium, tunc Imperatorem relationem direxit. Qua accepta, præcepit Imperator, vt synagoga reædificaretur ab episcopo loci cuius præcepti tenor cum ad aures S. Ambrosij peruenisset, direxit ad eum epistolam in qua illum conuenit, vt statutum reuocaret. Quod si dignus non esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo à Domino audiretur, vel cui preces, aut vota sua committeret. Paratum etiam se esse asserens pro tali negocio mortem subire, ne dissimulatione sui præuaricatorem Imperatorem faceret, qui tam iniusta contra ecclesiam præcepisset. Postea vero de Aquileia, vbi tunc erat, Mediolanum reuersus, Imperatore in ecclesia posito de eadem causa tractauit in populo. In quo tractatu introduxit personã Domini loquentis Imperatori: Ego te ex vltimo Impe-

ratorem feci: Ego tibi exercitum inimici tui tradidi: Ego de ſemine ſuo ſuper ſolium regium conſtitui, & tu de inimicis meis donas triumphos? Cui deſcendenti ab exedra, imperator ait: Contra nos hodie epiſcope propoſuiſti? At ille reſpondit: Non ſe contra ipſum, ſed pro ipſo fuiſſe locutum. Itaque obtinuit, vt ſtatutum reuocaretur, nec prius ad altare accedere voluit niſi fide ſua Imperator illud agere ſe debere teſtaretur, qua ſpõſione, fide ſua iterata, peregit ſacerdos diuina myſteria.

Lege 17. Epiſtolam operum ipſius tom. 5.

Adhuc de geſtis eiuſdem.

Cap. XLI.

CViuſdam clariſſimi viri filius Panſophius admodum paruulus, cum immundo ſpiritu loboraret, frequenti oratione, & manus impoſitione ſacerdotis, ſanatus eſt. Deinde ſubita infirmitate correptus, exhalauit ſpiritum. Cuius mater fide plena, tollens eum in lecto ſacerdotis ipſo abſente compoſuit. Quem cum reuertens Sacerdos, in lectulo inueniſſet, miſeratus matrem, & contemplatus eius fidem, Heliſeo ſimilis ſupra infantis corpus ſe compoſuit, & quem mortuum inuenerat, orando viuum reddere meruit. Ad quem etiam infantulum libellum conſcripſit, vt quod ætatis infantia ſcire non potuerat, legendo cognoſceret.

Ambroſius infantulum mortuum reſuſcitat.

Data eſt aliquando copia, miſſis militibus à Stilicone comite, vt Creſconius quidam de eccleſia raperetur. Quem confugientem ad altare Domini S. Epiſcopus cum Clericis defendendum circumdedit, ſed multitudo militum, quæ duces ſuos de perfidia Arrianorum habebat, aduerſus paucos præualuit, ablatoque Creſconio ad amphitheatrum redeunt exultantes, eccleſiæ luctum non modicum relinquentes, Sacerdote proſtrato, & flente diu ante altare Domini. Cumque reuerſi renunciaſſent his à quibus miſſi fuerant, dimiſſi leo pardi ſaltu celeri ad locum in quo ſedebant, qui de eccleſia triumphauerant aſcendentes, grauiter laniatos reliquerunt, quod vidēs Stilico pœnitentia motus eſt ita, vt per multos dies Sacerdoti ſatisfaceret, & illæſum quidem illum qui ablatus fuerat dimiſit, ſed quia grauiſſimorum criminum reus erat, & alter emendari non poterat, ad exilium deſtinatur, non multo poſt indulgentia proſequente.

Vide miraculum ob violatam eccleſiæ libertatem.

Per idem tempus cum ad palatium pergeret, eumque pro loco officij noſtri ſequeremur, Theodolo tunc notario, qui poſtea ſumma cum gratia Mutinenſem rexit eccleſiam, cum caſu quidam pede lapſus eſſet, atque proſtratus in terra iaceret, ridenti ait Sacerdos: Et tu qui ſtas, vide ne cadas. Quo dicto, ſtatim ille qui alienum lapſum riſerat, ſuum doluit.

De vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi, & libris eius.

Cap. XLII.

AVthor. Eo tempore floruit S. Ioannes, qui primo fuit preſbyter Antiochenus, poſtea vero futurus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, cognomento Chryſoſtomus, doctrinæ fama clariſſimus, cuius geſta maxime tripartita hiſtoria diligenter proſequitur.

Lege Tripartitam li. 10. cap. 3.

De geſtis eius. Hic Ioannes filius fuit Secundi, & Anthuſæ nobilium perſonarum, diſcipulus Libanij Sophiſtę, & auditor Andragatij Philoſophi. Cuius condiſcipuli fuerunt apud Libanium Theodorus, poſtea Mopſueſtenus epiſcopus, & Maximus epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ. Cum autem eſſe Ioannes ſocius Baſilij Cappadocis, lector factus eſt in Antiochia, in quo gradu poſitus librum fecit contra Iudæos. Poſt paucum tempus factus eſt Diaconus à Melitio, & tunc fecit librum de Sacerdotio, & alios plurimos. Ab Euagrio vero ſucceſſore Paulini, preſbyter factus eſt. Erat autem tunc propter zelum caſtitatis ſeuerior, & furori magis, quam reuerentiæ ſe præbebat. Et propter vitæ rectitudinem incautus erat proſpicere de futuris. Propter ſimplicitatem vero, oris libertate profuſus, apud colloquentes à neſcientibus arrogans putabatur.

Hieronymus de illuſtribus viris. Ioannes Antiochenæ eccleſiæ preſbyter Euſebij Emiſſeni Diadorique ſectator, multa componere dicitur, de quibus librum de ſacerdotio tantum legi.

Author. De ſcripturis huius Ioannis, hoc tantũ reperi.

De hoc quod nemo lædítur, niſi à ſemetipſo lib. 1.

De reparatione lapſi li. 1.

De compunctione cordis lib. 2.

Super Matthæum in modum commentariorum li. 2.

De his tamen dubito, an ſint Ioannis illius Chriſoſtomi, licet ei aſcribantur, an forte alterius Ioannis, neſcio cuius, nam & inueniuntur aliæ homeliæ Ioannis Chryſoſtomi ſuper Mat. 90. quæ tamen raro inueniuntur omnes ſimiliter, ſed tantum 25. quæ apud nos ſunt.

Item ſuper Ioannem homeliæ 88.

Super epiſtolam Pauli ad Hebræos homeliæ 34.

De laudibus Pauli homeliæ 7.

Sermones diuerſos 30.

De his omnibus pauca quæ ſequuntur excerpſimus.

Idem Ioannes Chryſoſtomus de hoc quod nemo læditur niſi à ſeipſo.

Cap. XLIII.

QVid eſt virtus animi? Recte de Deo ſentire, & recte inter homines agere, hoc ſolum eſt quod nullus auferre poteſt. Nam libertas & ſanitas corporis, & diuitiæ, & huiuſmodi auferri poſſunt, quia nec propria bona hominis ſunt, ſed ſola virtus animi. Vnde patet quod nemo lædi poteſt, quia virtus, quæ ſola, hominis bonum eſt ei auferri non poteſt. Nec dico, quod nemo lædit alium, ſed quia nemo lædítur ab alio. Nam & Ioſeph fratres ſui læſerunt, & inique egerunt in eum, ſed ipſe læſus non eſt. Verum & amplius aliquid dicam? quia illi ſoli lædúntur qui lædunt, & nulli alij nocet noxa quam alijs inferunt. Si quis ab alio verberatus, vel afflictus, verbum blaſphemum, & impium protulerit, læſus quidem eſt in hoc, non tamen ab alio, ſed à ſe per impatientiam ſcilicet ſuam. Ignis quidem auaritiæ, diuitijs accenditur, & diuitijs paſcitur. Et cum eis, qui manus ei dederint, gladios acuat, quotidie foueas, & præcipitia paret, milleque ſcopulis, & naufragijs illidat, volutari tamen tanquam Sues in cœno eius delectantur, & vt canthari ſtercus eius euoluere. Dic quæſo, ob quam cauſam videantur expetendæ diuitiæ quæ virtutibus animi nihil conferunt, ſed nec hominem meliorem ſecundum virtutum titulum reddunt, imo etiam bona ſi qua inuenerint, ſubruunt, & vitia pro virtutibus introducunt? Verum qui partes agunt luxuriæ, nihil aduerſus eam patiuntur audire. Conferamus menſam diuitis & mediocris, vtroſque conuiuas diſcutiamus, qui magis puram, & veram menſæ capiunt voluptatem, illi toto die attritis, & laceſſentibus cubitis recumbunt, & cœnas prandijs iungunt, ventris diſtentione rumpuntur, ac ciborum ſuorum oppreſſione premuntur. In quorum corpore vino inundato, velut naufragij cuiuſdam fluctibus anima obruta necatur, vbi nec oculus, nec lingua, nec pes proprijs deſeruiunt officis, ſed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta grauius, quam catenis, vbi nec ſopor eis ad quietem datur, ſed exterriti ſomnijs inſanientibus deteriores fiunt, & quaſi ſponte Dæmones animæ ſuæ ſuperducunt. Nunquid in talibus conuiuijs eſt magis voluptas, quam in eis vbi tantus eſt cibus, & potus, quantus famem & ſitim depellat? in quo etiam ſanitas adeſt, & ratio permanet, & honeſtas cum ſobrietate perdurat. Hunc modum vitæ natura docuit, illum corruptela libidinis inuenit. Hi etiam qui delicijs, & luxuria ducunt vitam, reſoluta corpora, & omni cera molliora circunferunt, & quodam infirmitatum agmine repleta, eiſque ſemper vita cum medicis, & medicamentis, ſenſus autem ipſi tardi, & graues, atque

Lege homeliam nonam.

obtuſi,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

obtuſi,& quodamm odo ſepulti. Quis hæc iocun da dicat,& grata,atque voluptuoſa? Voluptas enim eſſe dicitur,cum deſiderijs ſuis fruitur, ſic à prudentibus definitur, vbi vero deſiderijs frui non poteſt, vel ægritudo non ſinit, vel ſatietas ipſa deſiderari non facit ea; quæ oneroſa abundantia efficit,& iocunditas in eis,& voluptas perit.

Simplicior igitur victus, & menſa mediocris plurimum habet iocunditatis, econtra vero menſæ diuitum execrabiles,& horridæ,ac morborum & contaminationis plenæ,& ſicut ait quidam, *in quibus moleſta ſunt,etiam quæ videntur delectabilia.* Sicut autem plerumque meretricis vultus cum turbidus, ac fœdus ſit per naturam, fucis & coloribus pigmentatus,proſtituitur ad decipiendos eos, qui ignorant, quæ fœditas ſub velamine fuci illius contegatur:ita & diuitiæ faciunt,cum adulationem honorem videri volunt: Neque enim voces illæ populi per quas iudicibus acclamatur ex veritate proferuntur, ſed & ipſæ ſunt quibus nomẽ honoris depingitur. Nam ſi conſcientias acclamantium tibi interroges, inuenies apud vnumquemque eorum mille te capitibus accuſari. Denique vbi poteſtatis metus ceſſauerit,& publicæ pꝺpæ ſcena fuerit reſoluta, tunc videbis quanti ſint oblatrantes,& inſimulantes, etiam ex his qui tibi acclamabant,& immenſis te laudibus extollebant. Certũ eſt itaque quod niſi quis ſemetipſum læſerit ab alijs lædi non valet,etiam ſi contra eum orbis coniuret. Nec lapſus,& ruinæ cauſa tentatio eſt, ſed inſtabilitas animi, & ignauia, quæ etiam ſine tentatione interdum ſponte deijcitur, ſicut & ipſa fabrica, quæ ſupra arenam fundata eſt, etiamſi flumina & venti non vrgeant, paulatim tamen effluens illa, inſtabilis arena, ædificij crepidinem ſubruit. Tu quidem ſi facias omnia,quæ in te ſunt, ſperare debes & ea, quæ à Deo ſunt,aderit namque & tibi,ſi tu ipſe prius non defueris tibi.

Inuectio contra illos,qui Euangelij documenta non ſeruant.

Cap. XLIIII.

IDem *de compunctione cordis lib.* 1. *qui dixerit fratri ſuo fatue,reus erit gehennæ ignis.* Hoc quidem Chriſtus ait: nos autem plus, quam infideles hanc legem calcamus, & quotidie innumeris iniurijs fratres afficimus. Sed ſiue *fatuum* quis dixerit, ſiue *vanum*, ſiue *latronem* ſiue quolibet alio nomine, *iniuriam* vel *maledictum* fratri ingeſſerit,ex quolibet horum vocabulo *ſub maledicti titulo* gehennæ condemnatur ſupplicio. At vbi amicitia permanet,nihil facile recipitur, quod diſſidium poſſit operari. Si vero inimicitiæ ſemel animos occupauerint, omnia quæ fiunt,quæ dicuntur,quæ audiuntur,ita accipiuntur, vt ad inimicitias maiores proficiant: Si quid enim boni de inimico dicitur, non creditur,ſi quid mali hoc ſolum creditur,& confirmatur. Chriſtus orare nos pro calumniantibus iubet, nos inſidias etiam & dolos amicis concinamus. Chriſtus maledicentibus benedici iubet, nos inſidias econtrario,aut priores maledicimus, aut maledictis alterius multiplicata maledicta reſtituimus. Tantuſque hominibus diuinorum præceptorum eſt contemptus,vt etiam ſi quid ex eis facere videantur,nec ipſum quidem Deo,qui mandauit impendant, ſed vanæ gloriæ conſecrent, ita vt in vtroque modo pari damno feriantur,& cum videntur facere quæ mandata ſunt,& tamen omnino non faciunt. Nonnulli etiam pedibus ſancta calcant,& pleno ſordibus pectore hauriunt diuinæ ſcientiæ poculum. Cæterum arctam viam iuſſus es ambulare,vt quid de requie,de abundantia percontaris? Per anguſtam ianuam iuſſus es introire,vt quid amplos requiris ingreſſus? Cœlum paras aſcendere, & regnum Dei inuadere, & interrogas ne qua tibi in itinere difficultas occurrat, ne quid tibi in via aſperum accidat, aut laborioſum,& non erubeſcis,non pudore oppreſſus,ſub terram temetipſum defodis? Non video clariſſime, quod aliquis noſtrum, vera & perfecta cupidine teneatur cæleſtium,alioquin omnia quæ videntur eſſe grauia, vmbras putaremus,& riſum. Verus Chriſti amator totum ſe illo transfert quo eum amoris ſui ducit intentio illaque delectatio, ac ſuauitas quam per ſpiritum contuetur, omnem delectationem huius viſibilis ſuauitatis obſcurat,in tantum enim ſuccenſus eſt, & ardet amore Chriſti,vt ei etiamſi flammas immortales adhibeas,neſciat,non ſentiat,non vratur, multo namque vehementior eſt ignis Chriſti, quo vtitur per amorem, & beato deſiderio conſtrictus ita fert omnia,vt ex his quas patitur pœnis,ſolatia amoris ſui capiat, quam dolorem corporis ſentiat. Hic amantium mos eſt,vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, & flammas ſuas intra pectus cohibere non valeant, ſed frequentius enarrant, vt ipſa aſſiduitate narrandi,amoris ſui ſolatium capiant, & refrigeria immenſi ardoris aſſumant. Nunc non tam loquamur compunctionem cordis, quam patiamur, quia docere, & non facere non ſolum nihil lucri, ſed etiam damnum plurimum confert, grandis enim condemnatio eſt ſermonem ſuum componenti, & vitam ſuam negligenti.

De vera cordis compunctione qualiter haberi poteſt.

Cap. XLV.

IDem *in libro ſecundo.* Quomodo fieri poteſt, vt anima infirma & frigida compunctionis pariat verba? Nolo putes quod montes,& deſerta, vel abuia ita poſſint animæ conferre ſilentium, perturbationeſque eius perimere, vt ignis ille, quem in ea Chriſtus accendit. Requirenda ſunt itaque ſilentia & quies,non ſolum locorum, ſed & animi ac propoſiti. Si enim propoſitum quietis anima gerat,nec in vrbis habitatione turbabitur. Sicut autem impoſſibile eſt,vt in aqua inflammetur ignis,ita impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in delicijs. Vera cordis compunctio eſt magna agere, & humilia loqui iuſte,agere,& ſuper peccatores timere,ac tremere. De peccatis noſtris,quæ multa ſunt, & grauia, non dico non cogitamus, aut ingemiſcimus, ſed nec mentionem quidem facimus. Sicubi vero parum aliquid boni operis agere videmur,hoc ſine intermiſſione, & dici volumus & audiri, nec deſinimus donec per iactantiam euacuetur,& pereat. Vere ignorat homo quantum boni ſit placere Deo, ſi enim ſcires, nunquam aliquid aliud extrinſecus mercedis expectares; Frequenter quidem noſmetipſos peccatores pronunciare vidimus, ſed ex eo arguimur,quia ſi hoc ipſum ab alio audiamus, quod de nobis pronunciare videmur, ſtatim indignamur,& iraſcimur,& nos iniuriam paſſos conquerimur. Sic ficta in nobis ſunt omnia, vt ne Publicanum illum poſſimus imitari,qui cũ peccata ſua audiret exprobrari ab alio,non ſolum patienter tulit,ſed etiam confeſſionem ſuam addidit,& ob hoc ab illo iuſtificatus diſceſſit. Dum autem de præteritis dolor eſt nullus, facilius ſuperuenientibus malis locum damus. *Luc.* 18.

Idem de reparatione lapſi. Sicut pro morte communi Philoſophicum eſt à lachrymis temperare, ita in morte animæ inſipiens, & irreligioſum dico conſolationem recipere.

Nihil autem,crede mihi,boni operis,quamuis ſit exiguum,deſpicietur apud iuſtum Iudicem,ſi enim peccata cum tanta examinatione diſcutienda ſunt, vt etiam verborum, & cogitationum vnuſquiſque perferat pœnas, quanto magis bene geſta, & magna recompenſabuntur in iudicio,& parua. Nonnulli quidem imperiorum ſibi ſatis eſſe credunt, & optabile videri,ſi gehenna tantummodo careant, ego autem multo grauiores gehenna dico eſſe cruciatus,ab illa gloria remoueri, & arceri à conſpectibus. Chriſti Ignis autem inextinguibilis dicitur,non ſolum, quia non extinguitur, ſed quia nec eos quos ſuſcipit,extinguit, aut peremit, & ſicut naturam non habet conſumendi, ita nec illuminandi, ſed ignis obſcurus eſt, & flamma tenebroſa. *Peccare*

ergo

ergo humanum eſt, permanere autem in peccato diabolicum eſt.

De Origine Sancti Auguſtini, & erroribus adoleſcentiæ eius.

Cap. XLVI.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Auguſtinus cum eſſet Manichæus per Ambroſium ad rectam fidem conuertitur.

De geſtis eius. Auguſtinus hic ex prouincia Africana, ciuitate Carthaginenſi, de numero curialium, honeſtiſſimis parentibus oriundus in ſcholam miſſus, ad plenum eſt eruditus, græcas literas quibus docebatur oderat, latinas ſatis diligebat. Hortante eius beata matre monica, vt baptizaretur, renuente patre gentili Patricio, baptiſmum eius dilatum eſt. Exceſſerunt autem caput ipſius, eo pubeſcente, libidinum vepres, & nulla erat eradicans manus, multum enim ſatagebat Pater eius, non qualis Deo creſceret, vel quam caſtus, ſed vt diſertiſſimus. Interea peruenit in librum quendam Ciceronis, qui exhortationem continet ad Philoſophos & vocatur Hortenſius, liber ille mutauit eius affectum, & ad ipſum dominum preces, & vota mutauit, & deſideria eius alia fecit. Erat autem tunc 19. annorum defuncto iam patre ante biennium. Viluit ei repente omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebat æſtu cordis incredibili, & ſurgere cæperat, vt ad Deum rediret. Hoc autem ſolum in tanta flagrantia refringebat, quod illa exhortatione, *nomen Chriſti* non erat, quod in ipſo adhuc lacte Matris tenerum cor eius pie biberat, & alte retinebat, & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis, & expolitum, & veridicum, non eum totum rapiebat. Interea vſque ad eas perductus eſt nugas, vt crederet ficum plorare cum deſerpitur, & matrem eius arborem lachrymis lacteis, necnon, & Manichæi ſectam aliquantulum ſapiebat. Proinde multum pro eo fleuit ad Dominum mater eius, & vidit ſomnium ſe cum filio viuere, & habere ſecum eandem menſam in domo, quoniam illa iam nolebat cum filio ſuo habere menſam, deteſtans blaſphemias eius erroris, viditque ſe ſtantem in quadam lignea regula, & venientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem, atque arridentem ſibi. Cui triſtitię cauſas inquirenti, reſpondit: *Perditionem filij mei Auguſtini plango*, Tunc ille iuſſit, vt ſecura eſſet, admonuitque vt attenderet, & videret vbi ipſa eſſet; ibi eſſe & filium ſuum. Quod vbi illa attendit, vidit eum iuxta ſe in eadem regula ſtantem. Quod vbi filio narrauit viſum, & ille ad id trahere conaretur, vt illa poſt ſe non deſperaret futuram eſſe, quod ipſe erat. Non, inquit, mihi dictum eſt vbi eſt filius tuus, ibi eris, & tu: ſed vbi tu, ibi & ille.

Qualiter vixerit Auguſtinus in iuuentute.

Auguſtinus aliquando Manichæi ſecta infectus. Vide Baron. ad an. 377.

Monica mater S. Auguſtini admodum ſollicita de conuerſione filij. Propheticum habuit reſponſum de ſua conuerſione.

Nouem deinde anni ſecuti ſunt, quibus ille in illo limo profundi tinctus eſt, cum tamen illa vidua caſta, ſobria, & pia (quales Deus amat) iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu & gemitu non ſegnior, non deſineret omnibus horis orationũ ſuarũ de filio ſuo plãgere ad Deum, & intrabant in conſpectu Dei preces eius, qui dedit alterum reſponſum per quendam magnum epiſcopum. Quem cum mater rogaſſet, vt dignaretur cum filio eius colloqui, & refellere errores eius, noluit, ſed reſpondit adhuc illum eſſe indocilem, eo quod inflatus eſſet nouitate illius hæreſis. *Sine*, inquit, *adhuc illum, roga tantum pro illo Deum, ipſe legendo reperiet quis ille ſit error & quanta impietas.* Quod cum dixiſſet, nolebat illa acquieſcere, ſed magis inſtabat deprecando, & vbertim flendo, vt illum videret, & cum eo conferret, vel diſſereret. Tunc ille ſubſtomachans tædio, dixit ei: *Vade* inquit, *à me, ita viuas, fieri non poteſt, vt filius iſtarum lachrymarum pereat.* Quod verbum ita illa accepit, ac ſi de cælo ſonuiſſet.

De ſtudijs eius, & doctrina ſæculari.

Cap. XLVII.

IN illis annis vnam habebat non legitimo coniugio cognitam, cui tamen ſeruabat thori fidem, docebatque eo tempore artem rhetoricam. Volebat habere diſcipulos bonos, & eos ſine dolo docebat dolos. Erat autem ei amicus, quem comparuerat ſocietate ſtudiorum nimis charum, coæuum ſibi, & flore adoleſcentiæ conflorentem: hunc & à fide vera quam tenebat in ſuperſticioſas fabellas Auguſt. deflexerat, propter quas eum Mater plangebat. Sed cum ille laboraret febribus, & deſperatus eſſet, baptizatus eſt, Auguſtino non curante, poſtea recreatus eſt & ſanatus, ſed poſtea febribus repetitus, eſt defunctus. Quo dolore contenebratum eſt cor Auguſtini, & quicquid aſpiciebat mors erat illi, patria, ſupplicium, & quicquid cum illo communicauerat, & ſine illo, in cruciatum immanem verterat.

Scripſit præterea libros tres de pulchro, & apto (*pulchrum diffiniens quod per ſeipſum, aptum autem quod ad aliquod accommodatum deceret*) ad pulcherrimum Romanæ vrbis oratorem quem non nouerat facie, ſed amabat hominem ex doctrinæ fama. Erat tunc annorum 26. aut 27. cum illa volumina ſcripſit.

Omnes etiam, libros liberalium artium quoſcunque legere poterat, intelligebat. Quod autem legerat de arte loquendi, vel differendi, de dimentionibus figurarum, & de muſicis, & de numeris, ſine magna difficultate nullo hominum tradente, intellexit.

Anno ætatis eius 29. venerat Chartaginem quidam Manichæorum epiſcopus, Fauſtus nomine, magnus laqueus diaboli, diſciplinis liberalibus eruditus. Et quia Auguſtinus multa Philoſophorum legerat, cum dictis Manichæi conferebat, qui de pluribus rebus multa ſcripſerat copioſiſſime delirans, & non ei ratio occurrebat (libri quippe eorum pleni ſunt fabulis, & de cœlo & ſideribus, & ſole & luna) Quæ tamen vbi diſcutienda Auguſtinus protulit, ille nec auſus eſt ſubire ſarcinam, ſciebat enim iſta non eſſe, nec eum puduit confiteri, & ita ſuperatus abſceſſit. Poſt hæc ignorante matre aſcendens Auguſtinus nauem, nocte clanculo Romam adijt, ibique artem rhetoricam docuit. Poſt hæc miſſum eſt à Mediolano Romam ad prefectum vrbis, vt magiſtrum artis rhetoricæ prouideret, & Mediolanum dirigeret. Tunc Symmachus Præfectus Auguſtinum probatum magiſtrum miſit, & venit Mediolanum ad Ambroſium epiſcopum in optimis notum orbi terrarum. Qui eum paterne ſuſcepit, & peregrinationem eius ſatis epiſcopaliter dilexit, & cæpit eum amare Auguſtinus, verbiſque eius ſuſpendebatur intentus, & delectabatur ſuauitate ſermonis illius.

Auguſtinus Romam petit & priuatim docet Rhetoricam incipiens abhorrere hæreſim.

Mittitur Mediolanũ ad docendũ publice Rhetoricam.

Inter hæc venit ad eum mater pietate fortis, terra marique eum ſequens & in periculis omnibus de Deo ſecura. Indicauit ei ille quod iam non eſſet Manichæus, ſed nec catholicus Chriſtianus. Tunc illa confidens ait: Credo in Chriſto quod priuſquam de hac vita migrem, viſura ſim eum Chriſtianum fidelem. Etiam fundebat preces & lachrymas pro eo ad Deum, diligebatque & ipſa ſanctum Ambroſium, ſicut Angelum Dei, eo quod per illum agnouerat filium ſuum ad illam ancipitem fluctuationem iam eſſe perductum. Omni quippe die dominico audiebat eum Auguſtinus, verbum Dei populo diſſerentem, & colloquebatur cum chariſſimis ſibi amicis Alipio, & Nebridio multas quæſtiones.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De compunctione, & lachrymis eius.

CAP. XLVIII.

QVorum Alipius ex eodem quo ipſe erat ortus municipio parentibus primatibus municipalibus natu minor Auguſtino, hunc Auguſtinus Romæ inuenerat,& illi adhæſerat & cum illo Mediolanum profectus fuerat, Nebridius quoque relicta patria vicina Carthagini, Mediolanum abierat quærens Auguſtinū. Quo inuento, erant pariter hi tres in conſilio nutantes, quiſnam eſſet tenendus vitæ modus. Cumque eſſent Auguſtinus & alipius in domo,& abſens eſſet Nebridius, venit ad eos Politianus, quidam ciuis afer. Quo narrante, ortus eſt ſermo de Antonio Ægyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud ſeruos Dei. Stupebant autem illi audientes tam recenti memoria, & propè ſuis temporibus, tanta mirabilia. Deinde volutus eſt ſermo eius ad monaſteriorum greges, & mores, quorum illi nihil ſciebant. Cumque Pontianus talla loqueretur, ingemiſcebat Auguſtinus,& confūdebatur pudore horribili. Terminato autem ſermone, & cauſa qua venerat, abijt ille, Auguſtinus autem cæpit flagellare animam ſuam,& vultu turbatus exclamauit ab Alipium & dixit: Quid patimur? Quid eſt hoc quod audiſti? SVRGVNT INDOCTI ET COELVM RAPIVNT, ET NOS CVM DOCTRINIS NOSTRIS IN INFERNVM DEMERGIMVR. Et cū hæc dixiſſet intēdebat in eum attonitus Alipius: non enim ſolita ſonabat verba. Pluſquam alloquebantur animum eius, frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quam verba quæ promebat. Itaque fremebat ſpiritu,& erat turbulentiſſimus,& aceuſabat ſemetipſum. Alipius vero affixus lateri eius tacitus eum dolens conſiderabat. Inter verba accuſantis ſe, oborta eſt procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum, & vbi ſe iam cohibere non poterat, ſurrexit ab Alipio velociter, quia ſolitudo illi ad negocium flendi aptior videbatur, & ſeceſſit remotus. Alipius vero manſit vbi ſederant prius nimis ſtupens. Auguſtinus ſub quadam fici arbore ſtrauit ſe neſcio quomodo, & dimiſit habenas lachrymis, & prorumpūt flumina oculorū eius, *acceptabile ſacrificium Deo*, & non quidem his verbis, ſed hac ſententia multa locutus. *Et tu Domine vſquequo, vſquequo Domine iraſceris in finē? Ne memor fueris iniquitatū noſtrarum antiquarū.* Et iactabat voces miſerabiles, & plorabat amariſſima contritione cordis ſui. Et repente audiuit vocem eum cantu, dicentis, & crebro repetentis quaſi pueri. TOLLE LEGE, TOLLE LEGE Statimque mutato vultu intentiſſimus cogitare cœpit; nihil aliud interpretans diuinitus ſibi iubeti, niſi vt aperiret codicem,& legeret, quod primum caput inueniret. Aperuit,& legit in ſilentio capitulum quo primum conieĉti ſunt oculi eius: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus &c.*

Lege Baronium ad annum 349.

Cognita Magni Antonij vita, ad Chriſtum conuertitur Auguſtinus & diuinitus monitus ex lectione Pauli Apoſtoli diſcit quid ſibi agendum eſſet.

Rom. 13.

De ſtudio eius in ſacris libris, & eiuſdem baptiſmo.

CAP. XLIX.

STatim cum fine huius ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi eius, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, & profectus in villam cum ſuis omnibus gaudens, legebat pſalmos Dauid, catechumenus cum Alipio catechumeno, matre ſemper adhærente ſibi muliebri habitu, virili fide, anili ſecuritate, materna charitate, Chriſtiana pietate, legebat,& ardebat aduerſus literas de melle cœli melleas,& de lumine Dei luminoſas. Reuerberauit enim Deus infirmitatem aſpectus eius radians in eum vehementer, & inuenit longum ſe eſſe à Deo in regione diſſimilitudinis, tanquam audiret vocem eius de excelſo: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me, & tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed & tu mutaberis in me.* Senſit igitur & expertus eſt non eſſe mirum, quod palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuauis eſt,& oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis. Et quærebat viam roboris comparandi, quid eſſet idoneum ad fruendum Deo, nec inueniebat donec amplectaretur mediatorem Dei, & hominum, *hominem Chriſtum Ieſum qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, vocantem,& dicentem: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Inde vbi tempus aduenit, quo ſe nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeauit. Placuit & Alipio renaſci in Chriſto pariter cum ipſo. Adiunxerunt etiam ſibi puerum Adeodatum ex Auguſtino natum carnaliter, annorum enim 15. erat,& ingenio præueniebat multos doctos viros, & erat patri horrori ingenium eius, ſed cito de mundo abſtulit eum Deus. Et baptizati ſunt à ſancto Ambroſio, & fugit ab eis ſolicitudo vitæ præteritæ. Cæterum ſatiabantur illis diebus dulcedine mirabili dum conſiderabant altitudinem diuini conſilij ſuper ſalutem generis humani.

Mira D. Auguſtini conuerſio.

Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuauis eſt.

Ioan. 14.

Baptizatur à S. Ambroſio vna cum adeodato filio naturali.

De libris quos ante baptiſmum ſuum ſcripſit.

CAP. L.

AVthor. Scripſit autem Auguſtinus ante conuerſionem ſuam, vt dictum eſt, *de pulchro & apto li. 3. quos nuſquam reperi.* Poſt conuerſionem vero ſuam adhuc catechumenus libros ſoliloquiorum 2.

De immortalitate animæ li. 1.
De beata vita li. 1.
De ordine li. 2.
De academicis li. 3.
De diſciplinis liberalibus li. 1.
De omnibus his hæc pauca excerpſi.

Floſculi Soliloquiorum D. Auguſtini.

Auguſtinus in ſoliloquijs ſuis li. 1. Deus per quem omnia, quæ ſine te nihil eſſent, tendunt ad eſſe.

Deus qui ne id quod ſe inuicem prodit perire permittis;

Deus qui malum non facis,& facis eſſe, ne peſſimum fiat:

Deus qui paucis ad id, quod vere eſt refugientibus oſtendis malum nihil eſſe.

Deus per quem vniuerſitas etiam cum ſiniſtra parte perfecta eſt.

Deus à quo diſſonantia vſque in extremum nulla eſt cum deteriora melioribus concinunt.

Deus quem amat omne, quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens.

Deus in quo ſunt omnia, cui tamen, vniuerſæ creaturæ nec malitia nocet, nec error errat.

Deus de cuius regno lex etiam in iſta regna deſcribitur.

Deus à quo exire mori, in quem redire reuiuiſcere, in quo habitare viuere eſt.

Deus quem nemo amittit, niſi deceptus, quem nemo quærit, niſi admonitus; quem nemo inuenit, niſi purgatus.

Deus cui nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit.

Deus per quem bene ſeruimus, & bene dominamur.

Deus per quem minutæ res non nos minuunt.

Deus qui nos eo quod non eſt, exuis,& eo quod eſt, induis.

Deus qui nos vnis.

Deus cuius legibus in æuo ſtantibus, motus inſtabilis rerum mutabilium, perturbatus eſſe non ſinitur, frænique circumeuntium ſæculorum ſemper ad ſimilitudinem ſtabilitatis reuocatur. Cuius legibus arbitrium animæ liberum eſt, boniſque præmia, & malis pœnæ, fixis per omnia neceſſitatibus diſtributa ſunt. Qui feciſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam quod qui ſe nouit agnoſcit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exaudi me Deus meus, Pater meus, rex meus cauſa mea, ſpes mea, res mea, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea.

Exaudi me more tuo illa, paucis notiſſimo. Tibi ſoli ſeruire paratus ſum, quia tu ſolus iuſte dominaris.

Recipe oro fugitiuum tuum, ſatis fuerim fallaciarum ludibrium. Iam ſatis pœnas dederim, ſatis inimicis tuis ſeruierim, tui iuris eſſe cupio, accipe me ab iſtis fugientem famulum tuum, quia & iſti me, quando à te fugiebam acceperunt alienum. Vindica me ab errore quærentem te, nihil mihi aliud occurrat pro te, ſi nihil aliud deſidero quam te. Si autem eſt in me ſuperflui alicuius petitio, tu ipſe munda me, & fac idoneum ad videndum te.

Cæterum de ſalute corporis mei, quamdiu neſcio quid mihi vtile ſit, tibi committo. Tantum hoc oro vt me penitus conuertas ad te, nihilqui mihi repugnare facias tendenti ad te.

Idem in ſecundo libro. Deus ſemper idem, nouerim me, nouerim te &c.

De promotione eius in eccleſia Hipponenſi.

Cap. LI.

Ex geſtis eius. Anno igitur vitæ ſuæ * 30. per merita, & orationes matris ſuæ, & per prædicationem ſancti Ambroſij ab hæreſi purgatus, & baptizatus, protinus in fide catholica confirmatus, ſpem omnem quam habebat in ſæculo dereliquit, & ſcholis renunciauit quas regebat. Huic ſe conſociauit Euodius iuuenis ex eius municipio, qui & ipſe tamen prior conuerſus, & baptizatus erat. Quærebant quis eos locus haberet, vtilius ad ſeruiendum Deo, ſimulque remeabant ad Africam. Sed cum eſſent apud, Oſtia Tyberina pia mater eius defuncta eſt, quæ vnius viri fuerat vxor, & ipſum etiam virum iam in extremo vitæ lucrata eſt Deo.

Poſt mortem igitur matris, nauigantes, reuerſi ſunt ad agros proprios, eratque cum amicis in Africa, *meditans in lege domini die ac nocte,* ſcribens libros, & docens inſcios. Et cum iam terminum in ieiunijs & orationibus trangeſiſſet, à ſancto Valerio Hipponenſi epiſcopo, licet inuitus ordinem Sacerdotis ſuſcepit. Qui ſtatim monaſterium clericorum inſtituit, & cæpit viuere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Sanctus autem Valerius ordinator eius exultabat vberius, hominem ſibi datum talem diuinitus, qui in doctrina ſana eccleſiam ædificare eſſet idoneus. Vnde & ipſe Valerius quia Græcus erat, videns ſe in Latina lingua & literis minus doctum, beato Auguſtino poteſtatem dedit contra vſum orientalis Eccleſiæ coram ſe in eccleſia prædicare. Vnde cum ei multi epiſcopi derogarent ille linguas obtrectantium non curabat, dummodo per eum fieret, quod à ſeipſo impleri plenarie non valebat. Interea ſanctus Valerius metuens ne ab alia eccleſia Sacerdote priuata in epiſcopum Auguſtinus quæreretur, & ſibi auferretur, ſciens ſe iam corpore & ætate infirmum à Cattnaginenſibus per literas impetrauit, vt Hipponenſi Eccleſiæ Auguſtinum, licet modis omnibus renitentem promoueri permitterent paſtorem. Quo facto cum tanta inſtantia omnes hæreticos, libris, & epiſtolis, & diſputationibus, debellabat, quod ſe victos erubeſcentes, & augmentis eccleſiæ inuidentes, grauiſſimas & intolerabiles perſecutiones vnitati eccleſiæ inferebant, & aliquotiens vias beati viri inſidijs obſidentes, ſemper Dei prouidentia itineris errore ſeducti inuenirè non poterant.

* Anno 34. ait Baron.

Matre Oſtia defuncta, ipſe cũ ſocijs rediit in Africam & per trienniũ (vt ait Baron) vacat ieiunijs, orationibus & libris conſcribẽdis.

Primus ex preſbiteris contra morẽ eccleſia Africana Euangelium, præſente epiſcopo annunciat populo.

Ingenti omnium deſiderio cogitur ordinari epiſcopus Hipponenſis.

Qualiter vixit in epiſcopali dignitate.

Cap. LII.

Veſtes & calciamenta & lectualia eius ex moderato & competenti habitu erant, nec nimium nitida nec abiecta plurimum quia plerumque (vt dicebat) vel iactare ſe inſolenter ſolent homines, vel abijcere, ex vtroque *non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærentes.* Ille vero medium tenens in regula canonicorum, dixit: *Fateor, de pretioſa veſte erubeſco,* & ideo cum datur mihi, vendo eam, quia veſtis non poteſt eſſe communis, pretium fit commune. Menſa frugali & parca vſus eſt, & inter olera & legumina carnes etiam propter infirmos & hoſpites habebat, in menſa ſemper lectionem aut diſputationem diligens, contra peſtem detractionis in ea ita ſcriptum habebat.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam.
*Hanc menſam * indignam nouerit eſſe ſibi (vel) ſuã.*

Vnde ſi forte aliquando detractio emergeret, dicebat, quod ſi non tacerent aut verſus illos ipſe deleret, aut à menſa recederet. Erga pauperes tam pius tam miſericors erat, quod cum eccleſiæ ſuæ pecunia deeſſet, hoc ipſum populo denunciabat, non ſe habere quod egentibus erogaret. Nam & de vaſis dominicis propter captiuos & indigentes frangi, & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod etiam Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum dixit, & ſcripſit. Fœminarum nulla intra domum eius manſit, nec etiã germana ſoror, ſednec fratris ſui filiæ, quæ Deo pariter ſeruiebant. Dicebat enim quia & ſi de ſorore, & neptibus nulla poſſet naſci mala ſuſpicio, tamen quia tales perſonæ ſine alijs neceſſarijs ſecumque manentibus, eſſe non poſſent, & ad eas etiam aliæ aduentarent, ex illis poſſent infirmiores aut tentationibus humanis perire, aut certe malis hominum ſuſpicionibus infamari. Et ſi forte eum aliqua fœminarum ad ſe videndum vrgeret, nunquam ſolus cum ſola loquebatur, niſi ſecretum aliquid intereſſet. Hic itaque ſapientiæ lumen præfulgidum, propugnaculum veritatis, & fidei tutamentum, omnes eccleſiæ doctores, tam ingenio, quam ſciẽtia vicit, incomparabiliter florens tam exemplis virtutum, quam affluentia doctrinarum. Etenim tanta ſcripſit; vt non ſolum ab aliquo toto vitæ ſuæ tempore ſcribi, ſed nec poſſint lectione percurri. Huius enim librorum, tractatuum, & epiſtolarum numerus pluſquam ad mille triginta extenditur, vt merito ei dictum illud conueniat: *Mentitur quis te totum legiſſe fatetur.*

Sigebertus. Eo tempore Maximus Tyrannns ab Ambroſio excõmunicatus quia corrigi noluit, à Theodoſio * Aquileiæ in bello perimitur, & Valentianus imperio reſtituitur. Alia hiſtoria dicit, Maximum Romę ab inimicis Gratiani eſſe interfectum.

Eius victus & veſtitus.

Non quæ ſuã ſunt, quærebat ſed quæ Ieſu Chriſti

Leges menſæ ipſius. * Alias vetitam.

Eius in pauperes liberalitas.

Nullã apud ſe fœminam patitur.

Nunquam ſine clericis teſtibus locutus eſt mulieribus.

Magna ſcriptorum ac operum eius copia.

De facinore Theodoſij in Theſſalonicenſes commiſſo, pro quo excommunicatus eſt ab Ambroſio.

Cap. LIII.

Anno Imperij ſui quinto Theodoſius imperator immane facinus, quod commiſit, quando Theſſalonicæ 7. millia ciuium fecit occidi, in vltionem iudicum in ſeditione occiſorum, imitabili publicæ pœnitentiæ exemplo diluit, ab Ambroſio Eccleſia expulſus, & humili ſatisfactione reconciliatus.

Hugo floriacenſis libro quinto. Theſſalonica ciuitas eſt grandis & populoſa, in qua dum fuiſſet orta ſeditio, quidam iudices lapidati ſunt à populo atque trucidati, vnde indignatus Theodoſius iracundiæ non refrænauit infirmitatem, ſed iuſſit omnes pariter interimi, non ſecernens nocentes ab innocentibus. Igitur ſic in meſſibus occiſi ſunt non præcedente iudicio

* Ita Baron. ad an. 388. lege Zoſimũ l. 4. & Amb. ep. 29. ad Theod.

Anno Chriſti 391. Theodoſium Imperatorẽ ob eadem Theſſalonicenſem eccleſia pellit S. Amb. & poſt actam pœnitentiam reſtituit vid. Baron. ad annum 390. Item Ruffinũ lib 2. cap. 18. Theodoretũ inſuper & Sozomenum atque ipſum Amb. epiſt. 28. ad Theo.

fere

fere 5. millia hominum. Hanc cladem audiens vir virtutis Ambrosius; cum Princeps Mediolanum venisset, & templum intrare voluisset, occurrit ad ianuam, & his sermonibus à sacris liminibus prohibuit eum, dicens: Nescis Imperator perpetrata à te? cur post causam tanti furoris non agnoscis molem tuæ præsumptionis? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperij, decet tamen vt vincat ratio potestatem. Scienda quippe natura est, eiusque mortalitas, atque resolutio & puluis progenitorum; & ex quo facti, & ad quē redigendi finem sumus, vt non flore purpureo confidentes infirmitate operti corporis, ignoremus nos coęquales hominum. Princeps es, Imperator; sed conseruorum, *vnus est enim omnium Dominus Rex atque creator.* Quibus oculis aspicies communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum pauimentum? Quomodo manus extēdes de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctū corpus Domini? Qua præsumptione ore tuo poculum sanguinis eius pretiosi percipies, cum furore sermonum tuorum tantus iniuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum quo omnium te Dominus ligat; est enim maxima medicina sanitatis.

De compunctione eius & humili postulatione absolutionis, & de correctione edicti, & absolutione Theodosij.

Cap. LIV.

His sermonibus Imperator obediens (erat enim diuinis eruditionibus enutritus, & aperte sciens, quę sunt propria Sacerdotum, & quæ Regum) gemens & deflens ad regalia remeauit. Cumque 8. mensium continuum transisset spacium, propinquauit nostri Saluatoris Natiuitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, lachrymas incessabiliter expendebat. Ingressus est autem Rufinus militum magister, singularem apud eum fiduciam habens, & videns principem lamentationibus prostratum, accessit vt lachrymarum inquireret causas. At ille ingemiscens amarissime, & vehementius lachrymas fundens. Tu, inquit, Rufine non sentis mea mala, ego autem lamentor, & gemo calamitatem meam; quia seruis quidem, & mendicantibus aperta sunt templa Dei, & proprium domini locum ingredientes, licenter exorant, mihi vero ingressus ad eum non est, sed insuper etiam cæli sunt clausi. Et hæc dicens verba singula singultibus irrumpebat. Tunc Rufinus: Curram inquit (si tibi placet) & Pontifici persuadebo, vt soluat vinculum quo te ligauit. Ad quem Imperator: Non, inquit, persuadebis Ambrosio, noui enim decretum illius esse iustum, neque reuerebitur Imperialem potentiam, vt legem possit præuaricare diuinam. Sed cum Rufinus verbis pluribus vteretur, & promitteret Ambrosium esse flectendum, Imperator eum pergere cum festinatione præcepit. Ipse etiam, spe data, post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus.

Porro vir mirandus Ambrosius, mox vt vidit Rufinum ait: Impudentiam canum es secutus ô Rufine, tantæ videlicet necis auctor existens, & nunc pudorem ex fronte detergens, non erubescis, nec mecuis contra maiestatem latrare diuinam. Cumque Rufinus supplicasset, & diceret statim Imperatorem esse venturum, superno zelo accensus Ambrosius ait: Ego, inquit, Rufine tibi prædico, quoniam eum ingredi sacra limina prohibebo: si vero imperium in tyrannidem mutauerit, necem libenter suscipio. Quod audiens Rufinus nunciauit Imperatori votum Antistitis, monens, vt palatium remearet. Imperator autem hoc in media platea cognoscens. Pergam, inquit, & iustas in facie suscipiam, contumelias. Tunc ad sacra limina perueniens, in sacram non est ausus intrare basilicam, sed accedens ad Antistitem inuenit eum in salutatorio residentem. Quē illico rogare cæpit, vt solueret eius vincula. Episcopus autem tyrannicam dicebat esse eius præsentiam, & contra Deum insanire, eiusque legem calcare. Ad hæc Imperator: Non, inquit, insurgo contra ecclesiasticas sanctiones, neque inique ingredi sacra limina contendo, sed te soluere mea vincula deposco; precor denique vt & communis Domini pro me exores clementiam, & ne mihi claudas ianuam quam cunctis per pœnitentiam Dominus noster aperuit. Tunc Antistes: Quam, inquit, pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Quibus medicaminibus post tanta vulnera plagas curasti? Ad hęc Imperator: Durum, inquit, opus est, & docere, & medicamina temperare, meum est oblata suscipere. Tunc sanctus Ambrosius: Quoniam furori, inquit, tuum iudicium commisisti, & non ratio protulit sententiam, sed potius iracundia, scribe legem quę decreta furoris euacuet. Scribe, inquam, legem vt intra dies 30. sententia necis atque proscriptionis in litteris tantum scripta permaneat, & iudicium rationis expectet, quibus tractatis, ira cessante, ratio causam examinet, ac demum, quod apud semetipsam cognouerit sub veritate disponat. Itaque intra horum dierum numerum animaduerti poterit, an iusta sit quam protuleris, an iniusta sentētia. Et si quidem ratio probauerit iniusta, quę sunt prolata disrumpet, si vero iusta, firmabit, porro ille dierum numerus, ad hæc inuestiganda sufficiet. Quā admonitionem discreti & sapientissimi viri Imperator animo libenti suscipiens & optimā esse considerans, legem repente conscribi præcepit, & propria manu confirmauit. Quo facto vinculum eius dissoluit Episcopus. Sicque demum Imperator ingredi limina præsumpsit Ecclesiæ, & adherens pauimento, manibus capillos euellens, cum lachrymis à Domino veniam impetrare poscebat. Verum cum tempus affuisset, quo munus ad altare offerre solebat, surgens cum lachrymis est ingressus. Cumque obtulisset sicut solitus erat, intra cancellos stetit. Rursus autem Ambrosius non quieuit, sed differentiam locorum edocuit: & primo quidem requisiuit, quid ibidem exspectaret. Imperatore dicente, sustinere se sacrorum perceptionem mysteriorum; per archidiaconum remandauit ei Archiepiscopus; O Imperator interiora loca Sacerdotibus tantum sunt collata, quæ cæteris nec ingredi nec contingere permittitur; egredere igitur & cum cæteris hanc expectationem communem habe; purpura namque Imperatores; non Sacerdotes facit. Tunc Imperator fidelissimus hanc etiam contradictionem animo gratanti suscipiens remandauit, dicens; Non audaciæ causa intra cancellos mansi, sed in Constantinopolitana vrbe hanc consuetudinē esse cognoui, sed ago gratias pro huiusmodi medicina. Tali ergo tantaque & Præsul, & Imperator, virtute clarebant, & tantum prodest increpatio à viro virtutis prolata.

Theodosij Imperatoris pœnitentia insignis qua viguit, vigebitque semper in ecclesia Dei, tanquam nobile quoddam trophaum erectum ex illustri victoria quam de seipso Imperator est consecutus, quā quidem panitentiam tum alij omnes, tum S. Amb. oratione in funere Theodosij, & Aug. 5. de ciuit. cap. 26. & homelia 49.

Quod Flaccilla imperatrix intendebat pauperibus sustentandis, ipse vero Theodosius idolis euertendis.

Cap. LV.

Vxor vero Theodosij nomine Flaccilla, claudorum atque debilium maximam habebat curam; non sernis, non alijs vtens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hæc agens, ad eorum habitacula veniebat, vnicuique quod opus erat præbens, & per Ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus infirmis ministrabat, ollas eorum extergens, ius gustans, offerens cochlearia, panem frangens, cibos ministrans, calices diluens, & alia cuncta faciens quæ seruis & ministris mos est solemniter operari. His autem qui eam de rebus nitebantur talibus prohibere, dicebat: *Aurum distribuere imperij est opus; ego autem pro ipso imperio, hoc opus offero, bona mihi tribuenti.* Sed & viro suo sępe dicebat: Oportet te marite semper

Quod spectat ad legē illam Theodosij de dilatione sententiarum triginta dierum extat ipsa in codice Theodosiano & Iustiniano l. 23. C. Theod. l. 20. C. Iustin. de pœnitentia.

Alij legunt Placillam, sed male, vt ait Baron. ob hac & plura alia insignia eius gesta laudatur Flaccilla plurimum à SS. Patribus: eā laudauit funebri oratione Gregorius Nyssenus sub omine Placillæ.

cogitare quid dudum fueris, & quid modo sis, nam si semper hæc cogitaueris, ingratus benefactori non eris, sed imperium, quod eo largiente, suscepisti, legaliter gubernabis. Ita his & similibus sermonibus optima mulier proficere virum suum in virtutibus sedule hortabatur.

Denique fidelissimus Imperator contra errorem gentilium insurgens, eum funditus euertere destinauit. Lege igitur data præcepit; Idolorum templa solo tenus euerti. Ante eum enim Imperator Maximus Constantinus qui primus pietate morum ornauit Imperium, sacrificare dæmonibus interdixit, non tamen eorum templa euertit, sed inaccessibilia esse præcepit, cuius filij paterna vestigia sunt secuti. Iulianus autem eis succedens, impietatem renouauit, & flammam veteris impietatis reaccendit. Iouinianus vero interrempto Iuliano, imperium assecutus, rursus immolationes prohibuit Idolorum. Valens denique omnibus imperij Romani gentibus concessit, vt religiones suas colerent sicut vellent; solummodo illos impugnans qui Ariana dogmata non suscipiebant. Itaque vsque ad tempora huius magni Theodosij, & ad Idolorum aras ignis accendebatur, & libamina ac sacrificia offerebantur; sed & publicas festiuitates populi per plateas agebant, & orgia Dionysij celebrabant, & cum scutis currebant, canes euiscerantes, & furentes atque bachantes, & agebant omnia, quæ nequitia erroris proprij insinuat. Sed hæc omnia Theodosius catholicus Imperator extirpare radicitus imperauit, & euulsit, corripuit, & condemnauit.

Lege tripartitam lib. 9. cap. 33.

Tripartita historia lib. 9. cap. 24. Erant ab initio Romæ domus magnæ in quibus panis fiebat, qui vniuersæ ciuitati ministrabatur. Harum mancipes, procedente tẽpore, pistrina publica, fecerunt latrocinia priuata. Cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula earum domuum latera, tabernas ibi constituentes, meretrices ibi prostare faciebant, vt per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane, alios qui pro libidine veniebant. Arte namque mechanica in molam decaberna cadebant, & maxime peregrini, & ibi laborantes vsque ad senectutem putabantur mortui. Ibi fortè ceciderat quidam miles Theodosij, qui dum exire non permitteretur, extraxit gladium, & prohibentes occidit. Alij vero territi eum dimiserunt, qui exiens dolum narrauit Imperatori; moxque Imperator mancipes interemit, & pistrina funditus euertit.

Romæ pistrinum subterraneum in quo peregrini velut in carcerem per dolum arripiebantur.

Item mos erat Romæ vt mulier in adulterio deprehensa non puniretur, sed ad augmentam peccati in angusto prostibulo includebatur, & admissis qui cum ea fornicarentur, hora qua turpiter commiscebantur, tintinabula percutiebant, vt sono illo iniuria fieret manifesta. Hæc prostibula Theodosius iussit destrui, & alijs pœnis adulteram puniri.

Romæ adulterarum pœna sublata.

De subuersione templi Iouis apud Apameam.

CAP. LVI.

PRimus igitur aliorum Marcellus Episcopus lege principis pro armis vsus, propriæ ciuitatis templa destruxit, de fiducia diuina non de hominum virtute confidens, quod opus dignum memoria narrare non fileam. Defuncto Ioanne Apameiæ ciuitatis Episcopo, Marcellus vir sanctissimus ordinatus est, feruens spiritu secundum Apostolum. Inter hæc venit Præfectus orientis Apameiam, duos millenarios cum subiectis habens, quo facto populus militari timore perterritus est. Vbi dum esset templum Iouis valde præcipuum, & ornamentis plurimis variatum, Præfectus id destruere nitebatur. Videns autem forte nimis ædificium ac robustum, impossibile iudicauit hominibus lapidum iuncturas & commissiones posse dissoluere. Erant enim ingentes & alterutris illigati, insuper & ferro plumboque coniuncti. Porro Marcellus pusillanimitatem Prefecti videns, eum quidem misit ad alias ciuitates: ipse vero supplicabat Deo, vt templo distruendi præberet occasionem. Inter hæc venit quidam sponte diluculo, non structor, non lapidum sector, neque alterius cuiuscumque peritus artis, sed lapides ferre & ligna in humeros consuetus. Is ergo accedens promisit facile templum esse soluendum, qui tantummodo duorum mercedem accipere poscebat artificum. Cumque hoc sanctus Pontifex promisisset, hoc ille machinatus est. Cohærebat templo in altitudine constituto ex quatuor lateribus porticus; erantque columnæ ingentes & altitudinem templo habentes æqualem. Singularum vero circulus columnarum erat 16. cubitorum. Porro natura petræ fortissima erat, quę non facile quibuslibet ferramentorũ generibus rumperetur. Has itaque per circuitum subfodiens & sub earum basibus fortia ligna supponens, immisit ignem. Quo facto, non poterat ligna naturaliter ignis accendere; dęmon etenim quidam teterrimus apparuit, qui flammam secundum vires suas prohibebat operari. Cumque frequenter hoc facerent, & molitionem suam explere non possent, nunciauerunt hoc Pontifici meridie dormienti. At ille repente ad Ecclesiam concurrens, & aquam in vasculo portari præcipiens aquam posuit sub altari. Ipse vero in pauimento posita fronte, clementi Domino supplicabat, ne amplius tyrannidem dæmonis vllam pateretur habere fiduciam, sed vt infirmitatem illius denudaret, & signum propriæ virtutis ostenderet, ne magis ex hoc infidelibus exultationis occasio nasceretur. Hæc cum dixisset, facto signaculo crucis in aqua, quendam diaconum suum Equitium fide & zelo munitum, sumere iussit aquam, & velociter currere & confidenter pergere, ignemque supponere. Quod dum fuisset factum, fugit dæmon non ferens aquæ virtutem; ignis autem velut oleum habuit illius aquæ naturam, comprehensaque ligna sunt & repente consumpta, columnæ vero suffulturæ subsidio nudatæ, & ipsæ ceciderunt, & alias 12. vnà traxerunt. Tunc latus quod cohærebat templo violenta ruina depositum est. Sonus autem totam ciuitatem concutiens, cunctos fecit illuc concurrere. Et dum inimici dæmonis aperte cognouissent fugam, in diuinas laudes ora soluebant. Sic enim & alia templa sacratissimus Pontifex ille destruxit; qui & victoribus scribebat martyribus, & rescripta suscipiebat, & nouissime etiam martyrio ipse coronatus est.

Ex tripartita cap. 34.

Templum Iouis apud Apameiam

Hic Marcellus Apameensis episcopus martyrium subit à gentilibus sub Theodosio magno, vt aut Baronius ob dictum ipsorum templum.

De subuersione Serapis in Alexandria.

CAP. LVII.

RVffinus 11. lib. cap. 22. Eo tempore apud Alexandriam erat Basilica quædam publici operis vetusta, & admodum neglecta, quam Constantius Imperator hæreticus donasse Episcopis perfidiam suam prædicantibus ferebatur; quæ longa incuria nihil validum præter parietes habebat. Visum est Theophilo Episcopo hanc ab Imperatore deposcere, vt crescentibus fidelium populis, orationum quoque crescerent domus. Quam cum acceptam vellet excolere, reperta sunt intus antra quædam latentia, & terræ defossa, latrocinijs & sceleribus magis quam cęremonijs apta. Igitur gentiles, qui retegi criminum suorum latebras, & flagitiorum suorum cauernas viderant, non ferentes operta tot sæculis mala & tenebris obtecta referari, velut draconum calice potaco insanire omnes ac palam furere cœperunt, & crebros conflictus manu & ferro agere in plateis. Nostri autem numero & potentia multo plures, sed modestia religionis minus feroces erant, ex quo frequenter nostrorum plurimis vulneratis, aliquantis etiam interfectis, ad templum Serapis quasi ad arcem quandam refugiebant. Quo nonnullos ex Christianis captos secum adducentes accensis aris immolare cogebant; renitentes nouis & exquisitis supplicijs excruciatos necabant, alios patibulis affigentes,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

alios confractis cruribus, in speluncas præcipitantes.

Templum autem Serapis locus erat non natura, sed manu & constructione per centum aut eo amplius gradus in sublime suspensus, quadratis & ingentibus spacijs ex omni parte distentus, miroque opere constructus. In hoc Serapis simulachrum ita erat vastum, vt dextera vnum parietem, alterum læua pertingeret. Quod monstrum ex omnibus generibus metallorum signorumque compositum ferebatur. Erant etiam quædam ad stuporem & admirationem videntium dolis & arte composita. Nam fenestra perexigua ab ortu solis ita erat aptata, vt die qua institutum fuerat simulachrum solis ad Serapem salutandum introferri; diligenter temporibus obseruatis ingrediente simulachro, solis radius per eandem fenestram directus, os & labia Serapis illustraret, ita vt inspectante populo, osculo salutatus Serapis videretur à sole. Signum autem solis ad hoc ipsum ex ferro subtilissimo manu artificis fuerat fabricatum, vt magnes lapis cuius natura ferrum ad se trahit, desuper in laquearibus fixus cum temperatè sub ipso radio ad libram positum fuisset simulachrum & vi naturali ad se raperet ferrum, sic quod assurrexisse populo simulachrum, & in aere pendere videretur; & ne hoc lapsu præpropero proderetur, ministri fallaciæ, surrexit, aiebant, sol vt valedicens Serapi, discedat ad propria. Persuasio autem quædam à gentilibus fuerat dispersa, quod si humana manus simulachrum illud contigisset, terra dehiscens illico solueretur in chaos, cælumque repente rueret in præceps. Quæ res stuporem quendam paululũ populis dabat, cum ecce vnus ex militibus fide quam armis magis munitus, correptam bipennem insurgens maxillæ veteratoris illidit; clamor attollitur vtrorumque populorum; neque tamen aut cælum ruit, nec terra dehiscit. Inde iterum atque iterum repetens putris ligni fumosum genu cædit. Post hoc reuulsum cernicibus caput trahitur, & pedes aliaque membra cæsa securibus, & rapta funibus distrahuntur ac per singula loca membratim in conspectu cultricis Alexandriæ senex veternosus exuritur.

Destruitur simulachrũ Serapis à Christianis.

Theodoricus lib. 5. cap. 22. Cum autem caput, Serapis abstulissent greges murum inde cucurrerunt, erat enim habitatio murum Ægyptiorum Deus.

Ruffinus vbi supra. Post hæc capite ipso idololatriæ deiecto, studijs vigilantissimi sacerdotis Theophili, quęcumque fuerant per totam Alexandriam portenta potius quam simulachra, pari exitu & simili dedecore publicantur. Quot ibi capita infantium defecta inauratis labris inuenta sint. Quot paruuli vi necati. Quot ibi visæ sunt despicatæ obtibrarum inspectionem.

De flagitijs Tyranni sacerdotis in templo dolo commissis.

Cap. LVIII.

Ruffinus cap. 2.

ITaque Sacerdos erat apud eos in templo Saturni Tyrannus nomine; hic quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibuscumque & primarijs viris, quorum sibi matronę ad libidinem placuissent, dicebat Saturnum præcepisse, vt vxor sua pernoctaret in templo. Tum is qui audierat, gaudens, quod vxor sua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius, insuper & donarijs onustam, ne scilicet vacua repudiaretur, coniugem mittebat ad templum. In conspectu omniũ concluſa intrinsecus matrona, Tyrannus clausis ianuis, & traditis clauibus discedebat; dein de facto silẽtio per occultos & subterraneos aditus intra ipsũ Saturni simulachrum, quod erat à tergo exesum, & patieti diligenter annexum, patulis erumpebat cauernis; ardentibusque intra ędem luminibus, intentæ supplicantique mulieri, vocem subito per simulachrum æris concaui proferebat, ita vt pauore simul & gaudio infælix mulier trepidaret, quod dignam se tanti numinis putaret alloquio. Posteaquam vero quod libitum fuit, vel ad consternationem maiorem, vel ad libidinis incitamentum differuisset, numen impurum arte quadam linteolis obductis repente lumina extinguebantur vniuersa. Tunc descendens, obstupenti mulierculę consternatæque adulterij fucum prophanis commentationibus inferebat. Hæc cum per omnes miserorum matronas multo tempore gererentur, accidit quandam pudicę mentis fęminam facinus horruisse, & attentius designantem cognouisse vocem Tyranni. Quæ domum regressa viro fraudem sceleris indicauit. Ille de iniuria coniugis imo potius sua ardentius inflammatus, inscriptum Tyrannum ad tormenta perducit. Quo conuicto atque confesso, pudor omnis & dedecus, paganorum peruasit domos, adulteris matribus, incertis patribus, liberis spurijs comprehensis. Quibus diuulgatis, & cognitis raptim cum simulachris & ædibus excitabantur & crimina.

Tyrannus Saturni sacerdos quid gesserit.

De simulachro Simiæ, & inundatione Nili contra Paganorum opinionem.

Cap. LIX.

TVnc quidem apud Alexandriam relictum est ex industria vnum simulachrum Simiæ, ne Pagani postea negarent se etiam tales Deos adorasse. Quam rem grauiter ferebant philosophi. Inuentæ sunt autem ibi in templo litteræ in lapidibus insculptę, quæ indicabant templum Serapis terminum habiturum, quando apparuisset *character crucis*, qui interpretatur, *vita superuentura.*

Rufinus lib. 11. cap. 30. Moris erat in Ægypto, vt mensura ascendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur, velut ad incrementa aquarum, & inundationis auctorem, subuerso autem eius simulachro, ignique succenso, omnes Pagani negabant Serapim iniuriæ memorem aquas vltra affluentiam solitam largiturum. Sed vt ostenderet Deus non Serapin, qui multo erat Nilo posterior, sed se esse, qui aquas fluminis temporibus suis iubet excrescere, tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quanta prius nulla ætas meminerat.

Nili insolita inundatio.

Zozomeus lib. 7. cap. 20. Eo tempore fertur Nilus solito non excreuisse. Sæuientibus ergo Ægyptijs, quia sacrificare non sinebantur; quod audiens Imperator, dixit: Nunquam currat ille fluuius, si magicis artibus, & fluxu sanguinis polluendę sunt vndæ sacræ paradisi. Post paululum vero altius, quam solebat excurrit, clamantibus Paganis in theatro, quod *velut senex deliraret Nilus.* Quo facto plures ad Christianitatem sunt conuersi.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Claudianus gentilis poeta Romæ claruit.

Author. Huius duo volumina metrice composita inueniuntur, vnum maius, alterum minus.

De dispersione ossium beati Ioannis Baptistæ, & reuelatione capitis eius.

Cap. LX.

Sigebertus in chronicis. Anno Theodosij 6. caput Ioannis Baptistæ à Theodosio Imperatore Constantinopolim est translatum: quod cum Valens Imperator olim illuc voluisset transferre, vehiculum in quo sanctum caput ferebatur, nullo modo mouere potuit.

Ex historia inuentionis sancti Ioannis. Narrat Iosephus vinctum fuisse Ioannem in castello Macheronta ibique caput eius truncatũ. Quod Herodias à saltatrice susceptum, non est passa cũ reliquo corpore sepeliri, metuens ne integrum sancti corpus cum omni facilitate resurgeret. Hoc autem fieri posse non putauit, si caput cum corpore vni non traderetur sepulturæ. Ideo illud intra septa

Caput S. Ioannis vbi primo seruatum?

palatij infossum occulta sollicitudine procurauit custodiri, corpus autẽ apud Sebasten, quæ quondam Samaria dicta est, legitur humatũ, & à barbaris vsq; ad Julianum apostatam intactum. Tunc vero Pagani sepulchrũ eius inuadunt, ossa dispergunt, eadem rursus collecta & cremata latius dispergunt: sed Dei prouidentia affuerunt quidam ex Hierosolymis monachi, qui mixti cum alijs colligentibus, quæque potuerunt ablata, ad Philippum Hierosolymorum Episcopum pertulerunt. Qui supra se esse dicens tantum thesaurum seruare, misit ea ad Athanasium maximum tunc Alexandriæ Episcopum. Quæ ille susceptа paucis arbitris sub cauato sacrarij pariete inclusa reseruauit, prophetico spiritu credens generationi futuræ profutura. Postmodum vero caput reuelatum est duobus monachis, qui causa orationis in Hierusalem venerunt, quibus in visione Angelica dictum est: *Ite ad palatium Herodis quondam principis, & vbi fumum è terra ascendere videritis, ibi caput Ioannis Baptistæ inuenietis.* Qui ita facientes, cum magno honore clanculo secum illud Hierosolymam deportauerunt. Et non multo post à latronibus raptum est, qui mittentes illud in quodam specu, ibidem dimiserunt, donec idem Ioannes cuidam Eremitæ reuelauit, dicens: Accipe caput meum, quod in hoc specu depositum est, & da illud Iuliano Episcopo, qui præest Alexandriæ, vbi reliquiæ corporis mei requiescunt, qui & ita fecit.

Caput S. Ioannis inuentum per miraculum.

De translatione eiusdem ab Alexandria in Aquitaniam.

Cap. LXI.

Caput S. Ioannis transfertur in Gallias.

POst aliquot autẽ annos cuidã monacho nomine Felicio, qui orationis gratia Hierusalẽ adierat angelica visione dictum est, vt pergeret Alexandriam, ibique in quadam ecclesia beati Ioannis, caput eius cum tribus paruulis Innocentium reconditum accipiens transferret in partes Galliarum in regionem Aquitaniæ. Qui iussa complens thesaurum sibi à Deo destinatum vnius sportellæ conclusum in sinu recepit, statimque iunctis sibi socijs ascendit nauem. Cumque in mare iter agere cœpiscet Felicius, eleuans oculos & palmas ad cælum orauit Dominum Iesum, vt mitteret eis Angelum suum ducem itineris ad locum destinatum, vbi collocaret quem portabat reliquiarum thesaurum. Hæc autem eo orante. Ecce nubes valida descendit super nauim, & de medio nubis egressa est columba ad instar niuis alba, & super puppim immobilis stetit, tam in die quam in nocte, vsque dum in partibus Aquitaniæ ad littus Oceani pertingerent. In portu autem Agolinensi, exierunt ad terram, & mouentes inde quasi duo milliaria inuenerunt corpora mortuorum. Scilicet Regem Vuandalorum cum omni exercitu suo, vt opinor viginti millium virorum. Egressus enim fuerat idem populus crassa ceruice de vagina sua per mare cum classe magna, & ventus vehemens transuexerat eos in prædictum portum Agolinensem. Nunciatumque erat Pipino Regi Aquitaniæ, quod gens Vuandalica regnum eius inuaderet. Qui cum eis & cum omni multitudine armatorum occurreret, omnem illorum exercitum exercitu suo interfecit, ita vt nullus ex tanta multitudine illæsus euaderet; de suo autem exercitu non nisi 20. viri minuerentur, quos tamen ipse præ cæteris diligebat. Cumque ab hac cæde lætus pro victoria rediret, quodam in loco pressus somno stratum suum in papilionibus parari iubet: & pro lassitudine somno propere ingruente, vox diuina ad eum allata est: *Cur piger somnus te ita presßit? noueris magni prophetæ, & plusquam prophetæ, & mundi lucernæ caput ex transmarinis partibus huc afferri cum tribus paruulis Innocentibus, & propter eius nomen in hoc prælio diuinitus victoriam tibi à Domino esse collatam. Ecce post tergum tuum sequuntur viri fratres habitu peregrino, & qui præest cæterũ Felicius vocatur; vade in occursum eorum, & eos humiliter suscipe, ac pacifice tecum coneris deducere, & videbis magnalia Dei.* Qui & ita fecit. Cunctus quoque exercitus, qui in castris erat, audito aduentu eorum, quasi vir vnus eis obuiam processerunt triginta millia virorum, corpora mortuorum qui in prælio corruerant, secum deferentes, apprehendentesque sportellam qua sanctum caput portabatur singulis feretris apponentes, miro modo mox vita per mortuum mortuis reddita est. Sed & alia plura per eum mirabilia facta sunt. Rex autem Pipinus in honorem eius basilicam ædificauit, vbi reliquias concluſit, eamque ex prædijs ac possessionibus suis dotauit, omniaque necessaria monachis Deo seruientibus ordinauit.

Baronius hac non intelligit de Ioanne Baptista, sed de alio Ioanne martyre qui olim cum Cyro Alexandriæ passus, illustrissimus habebatur; cuius domus mutata est in ecclesiam nomine trium puerorum erectam, vt eadem acta testantur quæ descripsit Metaphrastes 31. Ian. quæ quidem concinnitatẽ quandam habent cum his quæ scribuntur de translatione capitis, ac trium puerorum simul cum capite conditorum.

De Prudentio Poeta, & quibusdam actis Hieronymi.

Cap. LXII.

Sigebertus in chronicis. Tempore quoque Theodosij in Hispania Prudentius Poeta lyricus claruit.

Author. Hic Prudentius librum metricum de conflictu vitiorum, & virtutum eleganter composuit. *Gennadius de viris illustribus.* Hic Prudentius vir sæcularibus litteris eruditus extitit, qui composuit διτλόχαιον, de toto veteri & nouo testamento personis exceptis. Commentatus est & in morem Græcorum Hexameron de mundi fabrica vsque ad conditionem primi hominis, & præuaricationem eius. Composuit & libellos quos Græca appellatione prætitulauit ἀποθέωσις, ψυχομαχία, ἁμαρτιγένεια, id est de diuinitate, de compugnantia animi, de origine peccatorum. Fecit & in laudem Martyrum sub aliquorum nominibus; inuitatorium ad martyrium librum vnum; & hymnorum alterum. Speciali tamen intentione aduersus Symmachum idololatriam defendentem, ex quorum lectione agnoscitur Palatinus miles fuisse.

Sigebertus in chronicis. Eo quoque tempore Gregorius Nazianzenus Episcopus obijt. Terribile signum in cælo, columnæ per omnia simile, apparuit. Librum virorum illustrium hic finit Hieronymus. Gennadius autem ab hinc incipit.

Hieronymus in vitis de illustribus viris dicit.

Hieronymus natus patre Eusebio, oppido Stridonis, quod à Gothis euersum, Dalmaciæ quondam Pannoniæque confinium fuit, vsque ad præsentem annum, id est Theodosij principis 14. hæc scripsi: Vitam Pauli monachi. Epistolarum ad diuersos librum vnum &c.

Author. Hæc de se Hieronymus in præfati libri fine commemorat. Cæterũ quę de scriptis eius, quæ & tunc iam ediderat & postmodum editurus erat, plenius iam supra diximus.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore sanctus Patricius Scotus in Hibernia cum suis sororibus venditur, vbi cum esset Regis Porcarius, Angeli sæpe alloquio fruitur. Hieronymo sacras scripturas veteris testamenti, de Hebraica veritate in latinam linguam vertente; editio 70. Interpretum quæ tenebatur à cunctis, & Græcis, & Latinis, cœpit in secundis haberi. Quod contra inueteratum vsum ecclesiæ fieri, quamuis sancti & docti viri ægre ferrent, prævaluit tamen auctoritas Hebraicæ veritatis; postquam patuit, quantum ab ea discreparent 70. Interpretes.

De gestis, & dictis sancti Arsenij Abbatis.

Cap. LXIII.

EO tempore Arsenius Romę claret, qui vsq; ad quadragesimum ætatis annum in aula Imperatorũ gloriosè militãs, ex Senatore fit monachus, & per annos 55. in eremo sanctitatis exẽplo, omnibus mirabilis enituit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ex vitis patrum. Abbas Arsenius cum adhuc esset in palatio, orauit Dominum vt eum dirigeret ad salutem. Et facta est vox dicens: *Arseni fuge homines, & saluaberis.* Ipse etiam descendens ad vitam monachalem orauit iterum sicut prius. Et iterum audiuit: *Arseni, fuge, tace, quiesce: hæc enim sunt radices non peccandi.*

Fuge, tace, quiesce salutis principia.

Cum quidam frater ad beatum Arsenium aduenisset, volens eum videre, pulsauit ostium eius. At ille sperans suum esse discipulum, aperuit ei: sed postquam alterum conspexit esse, mox se in terram proiecit in faciem. Illo autem vt surgeret postulante, respondit Arsenius dicens: Non hinc exurgam nisi discesseris, & per aliquot horas non acquieuit surgere, quousque discederet ille.

Pronus in terram cadit ne homines videat.

Abbas Daniel de eo referebat, quod die Sabbatorum vespere solem relucentem post dorsum suum dimitteret, extendensque manus ad cælum non desinebat orare, nisi sequenti die Sol iterum oculos eius surgens implesset. Cæteras autem noctes peruigiles ducebat, & prope diluculum cum vellet parum pro naturæ fragilitate quiescere, dicebat somno: *Veni male serue,* & mox claudens oculos, surripiebat parum somni sedendo; & statim surgebat.

Iterum ait Arsenius: Nos qui mundanæ eruditionis disciplinis intenti sumus, nihil habemus; hi autem rustici Ægyptij, & proprijs laboribus virtutes acquisierunt.

Scriptura sacra pie recitata, etsi non intellecta, dæmones fugat.

Quidam ex fratribus dixit beato Arsenio: Ecce Pater meditari festino de sacris scripturis quæ didici, & non sentio compunctionem in corde, quia non intelligo virtutem scripturæ. Respondit: Illi qui serpentes solent incantare, non intelligunt verba, quę leguntur, sed serpentes audientes intelligunt virtutes verborum, & acquiescunt, & subduntur eis: Ita ergo & nos faciamus, quamuis enim non valeamus intelligere diuinarum scripturarum virtutem, tamen dæmones terrentur, & effugati, discedunt à nobis, non sustinentes eloquia Spiritus sancti.

Faminarum conspectum auersatur.

Quędam vero matrona mandauit Arsenio se velle eum videre: qui cum negasset, illa ait: *Credo in Deum, quia videbo eum.* Quæ cum ad cellam eius peruenisset, virum Dei inuenit extra cellam, & prostrauit se ad pedes eius. Ille autem leuans eam cum indignatione, & intuens eam, ait: Si faciem meam videre vis, *ecce, vide.* Illa autem præ verecundia non considerauit faciem eius. Et ille ait: Nescis quia mulier es, & per mulieres seducuntur perfecti viri? Nunquid sufficit tibi audisse opera mea: At illa: Nolo inquit videre faciem tuam, sed ora pro me. Et ille: Oro inquit Deum, vt deleatur memoria tui de corde meo. Illa vero ingemiscens recessit.

Ex gestis eius. Hic cum tempus obitus eius appropinquaret, dicentibus discipulis: Quid faciemus Pater, quia nescimus hominem sepelire? Ille respondit: Nunquid nescitis funem in pedibus meis mittere, & ita ad montē trahere. Dum ergo moreretur, cœpit flere; & cū fratres illum requisissent dicentes: Quid fles pater, nunquid & tu times? Ille respondit: *in veritate timeo, & iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit,* ex quo factus sum monachus. Cum autem venisset Abbas Pomen, quia transijt, dixit; Beatus es Abbas Arseni, quia te tantum in hoc seculo planxisti; qui enim hic se non planxerit, illic in perpetuum lugebit.

De puero nato Gemello, & libro Heraclidis de Paradiso.

CAP. LXIV.

Anno Chr. 396.

SIgebertus *in chronicis.* Eo tempore in castello Iudeæ Emaus natus est puer perfectus, ab vmbilico, & sursum diuisus, ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & vnusquisque proprios sensus, & vnus edebat & bibebat, & alter non edebat; vnus dormiebat, & alter vigilabat, nonnunquam insimul dormiebant, insimul ludebant, ad alterutrum, & flebat vterque, & percutiebant seinuicem. Porro vixerunt annis duobus, & vnus ex eis mortuus est, alter vero superuixit diebus quatuor.

Floruit etiam his temporibus (vt ex ipso volumine patet) sanctus Heraclides vir religiosissimus, qui & ipse descripsit ad Lausum Episcopū in vno volumine vitas sanctorum Patrum quos ipse viderat, & quos, alijs deferentibus, nouerat, cum quibus etiam deserta penetrauerat Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, Syenæ, circa fines quoque Mesopotamiæ, Syriæ, Palestinæ, & sub occidentalibus regionibus Romę, atque Campaniæ. Qui liber merito Paradisus vocatur, quia in eo sanctorū virtutes, & conuersationes, tanquam lignorum Paradisi, pulchrę visui species describuntur. De quo hæc pauca, quę sequuntur breuiter excerpsi.

Heraclides in libro qui dicitur Paradisus. Suadeo tibi serue Dei Lause, vt omni virtute mentis diffugias eorum conspectum atque colloquium, quorum contrarium est bonæ vitę propositum, quoniam etsi nulla eorum læsione maculaberis, morum probitate munitus; certe vel leuiter aut resolueris, vt securior; aut erigeris, vt melior, & irridebis vel vituperabis tales, quod non sine tua noxa fecisse cognosces. Sanctorum autem sectare conspectus, vt tanquam codicem scriptum possis diligenter inspicere; & ex ipsa comparatione vel diligentiam, vel negligentiam tuam curiosius approbare.

Narratio eius de sancto Isidoro Alexandrino Presbytero.

CAP. LXV.

CVm itaque primùm Alexandriæ vrbem attigi in secundo Theodosij Imperatoris senioris consulatu, reperi sanctum Isidorum Presbyterum, susceptorem ac prouisorem pauperum fratrum, 70. annorum ætatis, qui nec linteo vtebatur, nec carnibus vescebatur, nec pane satiabatur, per gratiam tamen spiritualis alimonię tam lauti corpusculi erat, vt omnis qui vitam eius nescirent, epulationibus ac voluptatibus hoc imputarent; tam humilis, tamque pacificus, vt etiam inimici vmbram eius erubescerent. Tantam quoque diuini dogmatis fertur habuisse notitiam, vt etiam inter fratrum conuiuia subito obstupesceret, mente mutata, sensibusque spiritualiter occupatis. Noui etiam eum dum cibum sumeret lachrymas fudisse, meque admirante cur fleret: *Erubesco,* inquit, *irrationabilem cibum sumens, qui rationabilis factus, à Domino deberem in Paradiso voluptate versari, ciboque diuino satiari propter eam quam Christus nobis tribuit potestatem.* Retulit autem mihi præfatus Isidorus de virgine quadam ancilla, quam Dominus suus frequenter varijs promissionibus tentans, stuprare non potuit, & ob hoc eam Alexandrię Præfecto, Christianorum persecutori tradidit. Qui inter diuersa supplicia, vas etiam æreum pice repletum incendens, ait: Aut vade, obtempera Domino tuo, aut scias te hic esse mittendam. Quæ respondit: Nunquam sit alter monitor talis, qui adijci iubeat libidini castitatem. Per caput inquit Imperatoris tui quod vereris, obtestor vt si me his tormentis necare statuisti, non simul totam, sed paulatim iubeas immitti, vt videas quantam mihi patientiam dederit ignotus tibi Christus. Quæ per vnius horæ spacium in ahenum candens demissa, defecit, vbi primo pix ebulliens ad eius colla peruenit.

A quibus abstinuerit Isidorus.

Vel vmbra eius gentilibus venerabilis.

Cibus beatitudinis consolatur esurientem.

Constantia Potamęnia.

In ahenum bulliente pice repletum dejicitur.

De sancto Dorotheo Thebano.

CAP. LXVI.

IS cum ad eum iuuenis venissem, & peterem vt me instrueret ad vitam, moresque monachorum (cui non tantum necessaria esset doctrina verborum,

quantum iugis labor & fatigatio corporis) quasi bonus equorum domitor, productum me ad solitudinis loca, Dorotheo cuidam Thebano monacho 60. annum in spelunca agenti, commendauit, qui erat vitæ durissimæ; quotidie namque in ardore maximo circa littora maris lapides colligebat, & singulis annis cellulam construens, his qui fabricare non poterant, ferebat. Me vero dicente, cur pater tam senex interficis corpusculum tuũ sæuis ardoribus? Respondit: O CCIDIT ME, OCCIDO ILLVD. Edebat autem modicum panis, & oleris vilissimi, parum etiam aquæ bibens. Nunquam vidi eum pedes extendisse, nunquam in matta, vel in lecto quieuisse, sed per totam noctem sedens, funem ex arbore dactylorum intexebat, cuius pretio vesci solebat, vt & ab alijs eius discipulis agnoui, sic à prima ætate viuebat. Nunquàm vero sponte dormiebat, nisi aut opere fatigatus, aut cibo vtens, frequenter enim edendo, nimia vi somni capite nutabat, panisque ex eius labijs cadebat. Et cum à me cogeretur, vt vel ad momentum super mattam iaceret, aiebat: *Si Angelis persuadere potueris, vt quiescant, persuadebis & ei qui Deo placere festinat.*

Dorotheus 60. annos in spelunca versatus.

Heraclides eius disciplinã traditur.

Affligendum corpus ne illud nos occidat.

Quadam die ad puteum ab eo missus, vt cadum implerem, cum aspidem in imo visam perhorruissem, vas vacuum reportaui, causamque timoris exposui. At ille subridens ait: si placuerit diabolo per omnes se puteos serpentem facere, nunquid poteris esse sine potu? Mox egressus aquam de puteò traxit, at prior ipse signatã degustans ait: *vbi crux adest, ibi sathanæ malignitas nihil valet.*

Ne sopor obruat virtutis studiosum.

Crucis signũ contra venenum.

De Didymo Alexandrino, & eius narrationibus.

CAP. LXVII.

PLures autem sancti viri ac fœminæ tunc in Alexandria obierunt, in quibus & Didymus erat, qui vt ipse mihi retulerat ab anno ætatis suæ 4. oculis captus fuerat, sed nec magistris litterarum traditus, nec vnquã elementa prima cognoscens, *naturalem magistrum conscientiam suam habebat.* Itaq; vetus ac nouum testamentum de verbo ad verbum interpretatus est, omnesque sectas tam subtiliter exposita super eas ratione disseruit, vt omen veterem scientiam peritiamque transiret.

Didymus oculis orbatus.

Sacras scripturas nouerat, etsi non didicisset.

Hic quoque mihi retulit: Cum, inquit, olim grandi sollicitudine ac tristitia fatigatus propter infælicissimã vitam Imperatoris Iuliani, die quadam vsque ad noctem profundam non ederem, accidit vt somno residens, occupatus, reuelationem talem viderem: Quatuor scilicet equites cum albis equis discurrentes atque clamantes: Dicite Didymo, hodie hora 7. mortuus est Iulianus. Surge igitur ac cibum sume, & ad domum Athanasij, vt ipse quoque hoc agnoscat, mitte. Diem igitur & horam, inquit, notaui, & quod audieram probaui sic esse.

Mors Apostatæ Iuliani reuelatur Didymo.

Retulit mihi etiam de quadam puella, cui nomen erat Alexandria, quæ vrbe relicta consederat intra quoddam sepulchrum, per foramen exiguum alimenta necessaria suscipiens, & nec viros, nec mulieres vnquam per annos 10. videns.

Alexandria sepulchro per decem annos se inclusit.

De ipsa, & beata Melania Romana, dicebat, vultum quidem eius se videre non potuisse, sed stantem ad foramen conclusionis eius causam requisisse. At illa: Cuiusdam, inquit, in me animus quondam fuerat læsus, & ne viderer eum vel contristari, vel perdere, malui me in sepulchro quamdiu viuo recludere, quam nocere animæ ad similitudinem Dei factæ. Qua rursus dicente: Qualites potes in tali solitudine contra accidiam vel cogitationes tam iuge habere certamen? Illa respondit: A principio diei orationis vaco, opus faciens ex lino. Postea per sanctos patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, cogitationibus discurro, cæteris horis cibum panis capio, appropinquante vespera cum maxima quiete Dominum glorifico, finemque vitæ meæ cum spe bona patienter exspecto.

Cur se inclusserit Alexandria.

Quibus vacaret sic inclusa.

De sanctis viris Ammone & Pambo.

CAP. LXVIII.

CVm ergo per triennium in monasterijs circa Alexandriam moratus fuissem, & optimos illic viros vsque ad duo millia vidissem, hinc ad montem Nitriæ veni, in quo degebant, vt arbitror, quinque millia viri, diuersum tenentes prout vellent, & posse nt institutum propositi sui. In quibus erat maior Arsisius, & alij multi senes eiusdem temporis, cuius & beatus Antonius. Hic nobis & beatum Ammonem Nitriotidẽ nosse se retulit, qui puer à parentibus relictus cum ad annos 22. peruenisset, inuitus ab auũculo suo solennia nuptiarũ sufferre coactus est. Sed postquam omnes à thalamo recesserunt, de lectulo surgit, ostium claudit, prolatum de sinu libellum puellæ legit, eiq; castitatis, & virginitatis conuersationem exposuit, ita quod illa in ictu gratia Dei repleta, castam vitam libenter amplecti se dixit. Sicque igitur in eadem cella, separato lectulo 18. annis cum ea vixit, & post hoc in solitudine 22. alijs. In cuius obitu sanctus Antonius vidit animam eius, quod ab Angelis ferretur in cælum.

Ammon inuitus adigitur ad matrimonij iugum.

Cohortatur coniugem ad virginitatem seruandam.

Huius quoque montis habitator sanctus Pambo fuit, de quo mihi sancta Melania retulit, quod ipsa ei trecentas argenti libras obtulerit. Qui cum sederet, & vimem intexeret, hoc tantum ait: Det tibi Deus mercedem tuã. Deinde Æconomo suo dixit: Suscipe, & in fratres egentes diuide. Cumque illa stans pro munere dato benedictionem aut laudem exspectaret nihilque vlterius ab eo audiret, ait: Scitò Domine in hac argentaria trecentas esse libras. Qui ait, nec rursum quidem aspiciens illam: Si mihi, ô filia, istud offerres, competenter hoc diceres, cum autem non mihi, sed illi quem non spreuisse, sed amplius honorasse duos nummos cognouimus, tace, quiesce, nam qui montes lance pensauit, non opus habet à te mensuram cognoscere. Paulopost non febre vel aliqua ægritudine fatigatus, sed sportellam consuendo, vocauit eam; & mox requieturus ait: Accipe sportellam hanc de manibus meis, quoniam aliud non habeo, quod tibi relinquam, vt memor mei sis. Quam illa corpore sepulto vsque ad proprium finem habuit.

Aurum despicit Pambo & dispensari curat egenis monachis.

Sapiens responsum.

Pambo annum 70 moritur.

De Ammonio & Beniamin.

CAP. LXIX.

HVius discipulus Ammonius in episcopum postulatus, & etiam à multitudine ciuium captus, vt ad benedictum quendam Timotheum adduceretur; dicebat, acquiescere se omnino non posse vt vel exiret de solitudine. Cumq; videret se non posse euadere, ferro sinistram aurem radicitus (cunctis videntibus) secuit, dicens, *vel nunc probatur non posse quod cupitus impleri, quia nullus aure præscisa debet ordinari.* Ad hæc Episcopus respondit: *A Iudæis lex ista seruatur, ego autem si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non cunctabor facere Episcopum.* Cum ergo vim quoque inferre tentarent, respondit. *Si me vltra coegeritis etiam linguam meam, propter quam mihi molesti estis, abscindam.* Tunc dimiserunt eum.

Renuit episcopatum Ammonius.

Importune quæsitus aurem sibi amputat.

De hoc etiam beatus Euagrius ait; Neminem se vidisse qui sic passiones corporeas superauerit. Itaq; cum carnalis delectatio corpusculum eius sine vlla intermissione vexaret, tandem ferro candenti propria membra laniabat, vt ex omni parte semper vlceribus plenus esset.

Candenti ferro libidinem extinguit.

Fuit in eodem monte sanctus Beniamin qui per 80. annos in abstinentiæ virtutibus summam gratiam consecutus, siue manus cuiquam imposuisset, siue benedictionẽ olei dedisset, ab omni languore sanabatur. Hunc vidimus tanto corporis tumore distentum, vt minorem digitum manus eius, vtrarumque manuum nostrarum digiti coniuncti non valerent complecti. Orate, inquit,

nobis

Internus homo si sanus, sit, non magnopere laborandum de corpore.

nobis filij vt homo meus interior isto languore sit liber; hoc namque corpus, nec sua me sanitate sublimem reddit, nec dolore dejectum. Itaque per 8. menses facta est ei Sella latissima, in qua incessanter sedebat, non valens in lecto quiescere, tamen alios quocunque languore vexatos sanabat.

De Macario Ægyptio.

Cap. LXX.

Macarius Ægyptius.

FVerunt & duo Macarij, quorum vnus Ægyptius genere, 60. annos in desertis impleuit, ad quæ tricenarius ingressus, contra spiritus aëreos, & in curationibus hominum, & in dènunciationibus futurorum diuinam gratiam meruit; tandem etiam Sacerdotis nomen accepit.

Præstigiator amatorij precibus mulierem equã apparere fecit.

Ægyptius quidam cum amore vesano alienæ vxoris arderet, nec ad effectum concupiscentiæ peruenire posset, eo quod illa virginitatis suæ coniugem nimis amaret, maleficum precatus est, vt aut ab ea se amari faceret, aut à marito proprio repudiari. Qui multis illectus muneribus solito suæ artis ingenio, fecit illam equam videri. Itaque vir eius turbatus, quod equam suo lectulo iacentem videret, ingemiscens flebat, eo quod illam alloquens nullum audire responsum poterat. Adductis ergo presbyteris quid illa pateretur ostendit, & nec sic quidem calamitatis causam agnouit. Illigatam igitur eam in morem iumenti ad desertum deduxit. Cumque iam cellæ sancti Macarij propinquaret, monachi arguebant eum cur ad monasterium cum equa veniret. Vxor, inquit, mea hæc fuit, sed in equam conuersa, iam tertia dies est ex quo cibum non sumpsit. Quod cum sancto Macario cui iam Deus hoc ipsum notum fecerat, retulissent; vos, inquit, equi estis, & equorum oculos habetis: Illa namque mulier est, nec in illam naturam transfigurata videtur, nisi in eorũ oculis, qui præstigij vanitate falluntur. Mox aquam ei benedictam infundens oratione completa subito eam omnibus videri fœminam fecit, eamque refici iussit, & cum viro suo reuerti, dicens: Nũquam à communione sanctorum mysteriorum, nec ab ecclesiæ oratione discedat; hæc enim idcirco perpessa est, quia per quinque septimanas mysteria diuina non attigerat.

Aqua benedicta virtute phantasma Macarius à famina depellit.

Famina fuit præstigijs obnoxia quia rarius communicauit.

De hoc quoque sancto viro in desertis illis fama, sicut est vera, permansit, quod dum hæreticum quendam, resurrectionem corporum futuram negantem, docere vellet, mortuum suscitauerit.

De alio Macario Alexandrino.

Cap. LXXI.

Macarius Alexandrinus.

ALius vero Macarius Alexandriæ presbyter fuit, cum quo per triennium in cellis vixi, & quædam miracula sub oculis meis fecit. Habebat in proposito vitæ, vt si quid magnum à quibuscunque sanctis in abstinentia fieri didicisset, hoc feruenter impleret. Itaque cognito, quod Tabennensiotæ nihil cocti per totam quadragesimam edere dicerentur; statuit vt per 7. annos nihil coctum igne gustaret, sed crudo tantum olere contentus esset. Dicebat autem, quod per 20. dies nec semel quidem sub tectum fuisset ingressus; diurnis æstibus flagrans, & nocturnis frigoribus tremens, vt sic somnum vinceret.

Quadam die dũ in cella sua matutinus sederet, à culice vulneratus in pede, dolensque manu sua eum peremit, qui & moriens, plurimum cruoris effudit. Reprehendens igitur se, quòd iniuriam propriam vindicasset, ita condemnare se voluit vt in pratis Scithiæ nudus per 6. menses sederet, vbi culices crabronibus similes, aprorum quoque perforant cutem. Sic ergo totus illic exulceratus est, vt tuberibus per omnia eius membra turgentibus elephantiosus vilis appareret. Post hæc ad cellam suam regressus, sola eius voce patefactum est, quòd ipse esset Macarius.

Quia culicẽ occiderat, culicum morsibus se exponit.

Monumentũ magorũ Iannę & Mambre adire statuit.

Aliquando desiderauit (vt solebat referre) hortum, in quo sepulti essent Iannes & Mambres magi Pharaonis, videre, qui longo tempore quadratis lapidibus opus illud extruxerant, vbi & aurum reconderant, & variis arbustulis locũ repleuerant, puteũ quoque fecerant, quia post obitum illic se tanquam in paradiso mansuros esse crederent. Quia vero Macarius viam ignorabat, æstimatione quadam animi solas cœli stellas sequens (sicut nautis in mari solet fieri) deserta perambulat, fascem quoque calamorum secum portauerat, & per millenos passus singulos figerat, quo facilius hæc signa cognoscens, remeare posset. Per. 9. igitur dies, itinere confecto præfatis locis appropinquauit; cui ferocissimus dæmon quiescenti, calamos omnes ex propriis locis collectos, ad caput posuit: ipseque à somno surgens quos alibi reliquerat, illic agnouit. Credo, quod hoc, Deo permittente, ad examinationem beati viri contigerit, ne spem aliquam haberet in calamis, sed magis in gratia Dei, qui in nube per annos. 40. populo Israel iter per desertũ monstrauit. Dicebat autem de præfato horto. 70. dæmones ad eius aduentum prosilisse, clamantes; & circa vultum eius & oculos coruorum more volitantes, ac dicentes: Quid vis Macari? Quid nostras regiones ingrederis? Tua tibi solitudo sufficiat. Quid hanc possessionem irrumpere quæris, in quam nunquam homo postquam nobis à fratribus, hic manu nostra sepultis tradita est, viuens ingressus est? Sanctus Macarius respondit: Ingrediar tantum vt videam, continuoque discedam. Mox dæmones ab oculis eius recesserunt. Ingressus igitur cum locum vidisset, per 20. dies ad cellam suam reuersus est; cui cum aquam quam portauerat cum panibus deesse cæpisset, ac iam penuriæ molestia penè deficeret, apparuit ei quædam lineo cooperta ferens ampullam aquæ stillantis, vno stadio à se separata, ita vt eam quidem assequi se posse putaret, nec tamen valeret. Itaque spe bibendi laborem se trium dierum patienter sustinuisse dicebat. Multitudo vero bubalorum apparuit, inter quas vnà de bubalis subito cum pullo suo astitit, cui lac ex vbere fluebat in terram. Subieci ergo me, inquit, & labia mea ferinis vberibus in os meum experturus, apposui, donec ad satietatem refectus sum. Ipsa quoque bestia subsecuta, vbera ei sua præbebat, nec proprium fœtum, illius sancti contemplatione suscipiebat.

Varia dæmonum apparitiones.

Tentatur esuriens & sitiens.

Lactatur à bubala.

Alio tempore dum ad requiem monachorũ puteum faceret, aspidis mortifero dente percussus, correptam eam vtraque manu ab ore distentam, scidit mediam, dicens ei: *Cum te non miserit Deus meus, cur ausa es huc venire?*

Aspidis morsus non obfuit Macario.

Iterum de eodem.

Cap. LXXII.

Diuersa cella Macarij.

HAbebat autem diuersas in diuersis locis cellulas, in quibus virtutum operabatur insignia. Vna tamen sine fenestris erat, in qua per totã quadragesimam in tenebris sedere dicebatur. alia vero angustior in qua pedes suos extendere non valebat. Tertia vero latior in qua venientes ad se suscipere consueuerat. Hic cum audisset grandem vitæ conuersationem habere Tabennensiotas sumpto habitu sæculari Thebaidem vsque peruenit. Et accedens prędictorum monasterium, primum quidem archimandritam Pachomium requisiuit, qui prophetiæ quidem gratiam habebat, sed nihil ei de Macario reuelatum fuerat. Cumque ab illo peteret vt eum in monachum reciperet, ait: Senilibus annis grauatus iam non potest monachus esse, nec inter fratres, qui labores & abstinentiam ab adolescentia didicerunt viuere: alioquin tentationes non ferens, animo læso exibis, eisque maledicere incipies, quos imitari non potueris. Noluit igitur eum per totam septimanã recipere. Dumque iugiter in rogando ieiunus persisteret, tandem ait: Suscipe me Abba, & si me inferiorem eis deprehenderis in ieiunio, vel in opere, statim de tuo monasterio pelle.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tunc ille persuasit fratribus, vt reciperetur. Est autem illic vnius mansionis numerus, habens vsque ad 400. viros. In hanc ingressus Macarius, cum superueniente quadragesima videret diuersos vario more viuentes, & alium quidem vespertinis horis, aliũ vero post biduum, alios etiam post dies 5. gustantes. Alium quoque totis noctibus stantem, & per diem sedentem ac laborantem; ille in quodam angulo stabat vsque ad quadragesimæ finem, non panem non aquam gustans, non genua flectens, non in terra iacens, sed tantum modica cauliculorum folia cruda dominico die sumens, non alicui quicquam loquens, sed in summa taciturnitate consistens, in corde suo iugiter orans, palmarum cortices infusos tenens, & id solum operis efficiens. Quem cum tam duræ & ineuitabilis vitæ cæteri considerassent, quasi seditione quadam contra suum principem commoti, dixerunt: Vnde nobis istum adduxisti, qui ad condemnationem omnium nostrum ita viuit, quasi in carne humana non sit? Aut igitur eum à nobis tolle, aut scito nos omnes hodie de hoc monasterio egressuros. Ipse itaque Deum precatus est, vt ei quis esset reuelaret. Quo statim facto, arreptum illum, duxit ad oratorium suum, osculatusque eum dixit illi: Macarius es, & mihi celare tentabas. Gratias ago tibi, quia colaphos infantibus nostris dedisti, ne magnum aliquid in conuersatione vitæ suæ facere se putarent. Reuertere igitur ad locum vnde venisti, quia sufficienter omnes nos ædificasti, & ora pro nobis. His verbis rogatus ab omnibus, inde discessit.

eius ium portentosum Macarij.

Pachomius agnoscit Macarium reuelatione.

Adhuc de eodem.

Cap. LXXIII.

IDem etiam retulit nobis dicens: Quodcunque genus vitæ & abstinentiæ desideraui imitatus sum, & perfeci. Iterum inquit: animum meum aliquando quædam nouæ cogitationis cupiditas occupauit, vt vellem continuis diebus quinque cordis mei sensus inseparabiles à Deo facere. Clausis igitur ostijs vt nullus à me posset responsum accipere, cœpi instare à principio septimanæ, dicens sensui meo: Vide ne velis à cœlo ad terram descendere, habes illic Angelos primumque omnium creatorem Deum, illic conuersare. In hoc itaque duobus diebus & noctibus perseuerans, adeo dæmonem prouocasse ac stimulasse me sensi, vt ille subito conuersus in flammam ignis, omnia quæ intra cellã haberem, videbatur incendere, ipsam etiam mattam super quam stare consueueram, vt totum iam arsurum me crederem. Denique tãto timore percussus ab huiusmodi proposito tertia die abscessi, & iterum ad cogitationes sæculares descendi, ne ex perpetuo diuinitatis intuitu aliquod mihi genus arrogantiæ nasceretur.

Furiens vita angelice & contemplationis desiderium.

Ad hunc Macariũ ego veniens aliquando repeti presbyterum ante fores ecclesiæ ipsius, qui venerat vt curaretur, habebat.n. caput totum carcino exesum; vt etiam vertices nudarentur, & necdum à sancto Macario susceptus fuerat, aut visus; qui mihi pro illo rogãti, vt ei misereretur, respõdit: Non est dignus iste curari, hanc.n. pœnam diuinitus accepit, quia fornicatione pollutus, mysteria domini violare consueuit. Persuade autem illi, vt in perpetuum se suspendat à sancti sacrificij immolatione, & sic Deo iuuante poterit curationem recipere. Quod etiam factum est.

Presbyter ẽt. cro laborans ad Macariũ accedit.

Eundem Macarium aliquando cogitationes vanæ gloriæ stimulabant, prætendentes quasi boni operis speciem, vt à dæmonijs vexatos curaturus, pergeret Romã. Cumque fortiter vrgeretur, proiecit se subito supra cellulæ suæ limen, ita vt pedes extra cellulam relinqueret, & ait, *Ducite me dæmones si potestis, & trahite, quoniam ego pedibus meis non ibo quo vultis.* Sicque diu iacens immobilis, circa vesperam surrexit. Sequenti nocte rursus eum molestantibus dæmonibus, sportam arenis impletam humeris suis imponens per deserta spaciabatur. Cui Theosebius Antiochenus occurrens ait: Abba, quid tantum onus portas? in me potius quod deuehis transfer. At ille respondit: *Vexo vexantem me, ocio namque fruens, iter aliquod agere me compellit.* Cum ergo sic onustus ambulasset diutius, & illo pondere corpusculum suum confecisset, in cellam regressus est.

Miro onere se affligit.

Macarius vexantem se vexans.

Mihi quoque aliquando cum tristitia conquerenti, quod variæ cogitationes animum meum conturbarent, dicentes; Vade hinc, quia nihil agere cernis. Respondit; Dic ipsis cogitationibus tuis: *Propter Christum parietes huius cellulæ custodio.*

Idem etiam hoc mihi retulit: Notaui, inquit, mihi, quando sancta mysteria fratribus dabam, quod Marco monacho nunquam dedissem, sed semper ei sancta de altari Angelus dabat, solam tamen manum dantis videbam.

Referebat Paphnutius de hoc Marco, quod belua quædam ostium eius capite percussit, & ingressa catulum suum cæcum ante pedes eius proiecit. Quem ille tenens & expuens in oculos eius, & orans illuminauit, eumque mater eius abducens, sequenti die viro sancto pellem ouis exhibuit, qui eam beato Athanasio dereliquit, à quo postea sancta Melania eundem accepisse dixit.

Belua pramium adfert Marco.

De sancto Moyse Æthiope.

Cap. LXXIIII.

MOyses Æthiops genere, niger colore, latro publicus, & homicida fuisse dicebatur. Vix autem aliquando necessitatis cuiusdam periculo compunctus, ad monasterium fratrum se contulit, ac pœnitentiæ vitam vehementer arripuit, pluresque etiam ex latronibus exemplo suo conuertit. Sed (vt ipse referebat) dæmonibus eum vrgentibus, vt ad antiquam fornicationem rediret, tot & tantis modis tentatus est, vt penè à proposito recederet. Quas videlicet impugnationes cũ sancto Isidoro referret, ille respondit: Noli tristari, quoniam adhuc principia tua hæc sunt, & ideo cogitationes huiusmodi vehementer insurgunt, antiquam consuetudinem requirentes. Sicut.n. canis à macello quo vesci assuetus est, non recedit, quod rursus si clausum fuerit, nec vllus in eo steterit, à quo aliquid speret, abscedit: Sic & si tu in abstinentia perstiteris, gastrimargiæ excludens introitum (quæ est fornicationis incentiuum) fatigatus dæmon ac victus, cui ciborum fomenta non porrigis, vlterius tibi molestus esse cessabit. Ex tunc Moyses curam sui fortiter gerens, ante omnia cibo abstinuit, nihil præter panem accipiens, maximo tamen operi incumbẽs. Hoc modo corpusculum suum consumpsit, nec sic tamen circa ipsum vanitas somniorum cessauit. Rursus alium probatissimum virum super hoc consuluit: qui respondit: Idcirco adhuc hæc pateris, quia nondum mẽtem tuam ab huiusmodi cogitationibus separasti. Si ergo volueris te paulisper vigilijs occupare, & orationibus puris insistere, facile poteris liberari. Tunc statuit per totas noctes in medio cellæ suæ stans orare, nec genua flectere, nec oculos claudere. Quod quidem per 6. annos ibidem impleuit, & nec sic illo malo carere, potuit. Aliud iterum durioris vitæ genus arripuit, nam monachorum senum, qui ex longinquis locis aquam sibi deferebant, totis noctibus habitacula circumiens, lagenas eorum implebat, nulloque sentiente referebat. Itaque dæmon vlterius eius certamina non ferens, quadam nocte dum aquam pronus è puteo tollit, renes eius desuper graui fuste percussit, eumque semiuiuum reliquit, nec quid vel à quo passus fuisset sentientem. Postero die inuentus atque ad monasterium exhibitus, per totum annum ægritudine tali laborauit. Tunc ait illi sanctus Isidorus: Cessa Moyses in tantum dæmones prouocare, tamque pertinaciter contra eos contendere, est.n. & certus modus vitæ monasticæ, vltra quem non oportet vires nostras exercere. At ille respondit: Ego quidem non recedam ab hac intentione propositi, donec somnia vanasque cogitationes à me videam separari. Tunc ait illi:

Mira hominis ad Deum ex summa miseria conuersio.

Quid faciẽdum contra fornicationis spiritum.

Vitiosa somnia vigilia, media, oratione superanda.

Moyses noctu hydrias monachorum replet aqua.

Moyses aegrotat.

Moyses propter somnia turpia non communicabat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In nomine Iesu Christi iam recesserunt à te, ideoque ad sanctorum mysteriorum communionem fidenter accede. Scias autem quod idcirco dæmon ad tempus fortior te esse visus est, ne iactare te posses, quod tantam tentationem facile superasses. Sic igitur ad cellam propriam reuersus, nihil se huiusmodi perpessum vltra fuisse dixit, ex illa hora qua Dei famulus pro ipso orauit. Tantam vero gratiam aduersus dæmones promeruit, vt amplius nos à muscis, quam ille à dæmonibus terreretur.

De sancto Eulogio Monacho Alexandrino, & eius elephantioso.

Cap. LXXV.

CHronius Nitriæ presbyter referebat, quod Eulogius quidam scolasticus, immortalitatis desiderio captus huic mundo renunciauit, rebusque suis dispersis, pauca tamen quibus (quia per se operari non poterat) vteretur, sibi reliquit. Cum igitur nec cum multis posset in monasterio degere, nec solitudinem patienter ferre, reperit quendam in platea iacentem elephantiaco morbo sic repletum, vt sine manibus & pedibus esse videretur, lingua tantum à tantis cruciatibus erat immunis. Tunc Eulogius orans, & quandam cum Domino pactionem celebrans, ait: Domine Deus in nomine tuo suscipiam istum, & vsque in diē mortis repausabo eum, vt & ego saluari valeam propter ipsum. Mox eum super asinum ad hospitium suum transuehens per annos 15. ei sollicite seruiebat, ipsumque manibus proprijs medicamentis ac cibis, & balneis curabat, & ille grandi patientia cuncta tolerabat. Sed post hæc instinctu dæmonis, beneficiorum ipsius immemor, cæpit ab eo velle discedere, multisque eum iniurijs & opprobrijs increpare dicens. Fugitiue, qui propriam domum deuorasti, furatusque es alienam substantiam in me salutis tuæ occasionem reperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum dicēs: Noli Domine mi, talia loqui, sed dic potius emendabo, si quid te contristaui. At ille cum furore: Vade, inquit, adulationes tuas istas nolo, proiice me in publicum, refrigeratione tua non indigeo. Illo iterum eum obsecrante, ægrotus ait: Iam fraudulentas irrisiones tuas non fero, nec mihi hæc arida parcaque vita iucunda est, carnibus saturari volo. Quas cum ei exhibuisset Eulogius, iterum clamauit ægrotus: Non potes volūtati meæ satisfacere, nec tecum solitarius habitare prævaleo, ad publicum ire, populumque videre desidero. Ego, inquit Eulogius, multitudinem tibi fratrum adduco. Rursus ille: Væ inquit, mihi misero, tuam faciem videre nolo, & adducis mihi tui similes, solius panis deuoratores; concutiensque seipsum inquieta voce clamabat: Nolo nolo, sed ad publicum ire desidero. O violentia! ibi me proijce, vnde me sustulisti. Tanta igitur erat eius insania, sensusque illius in ferinos clamores dæmon conuerterat, vt & laqueo forte se suspendisset, si manus, quibus hoc facere posset, habuisset. Eulogius igitur propter præcedentem cum Deo pactionem, eum proijcere non audens, habuit cum vicinis monachis consilium, vt eum in naui perduceret ad sanctum Antonium.

Elephantiosum debilem membris recreandum suscipit Eulogius.

Mira in Elephantiosum Eulogij humanitas.

Elephantiosus agitur spiritu dæmoniaco & in Eulogium murmurat.

Perplexus quid agat de elephantioso Eulogius cōsuluit SS. Patres.

De fine vtriusque.

Cap. LXXVI.

ITaque blandis verbis eum superans, cum ad habitaculum discipulorum Antonij sic eum duxisset, altera die superuenit illuc Antonius. Solebat autem illuc veniens vocare Macarium, & his verbis interrogare; Venerunt huc aliqui fratres? Quo respondente, venerunt. De Ægypto, inquit sunt, an de Hierosolyma? Hoc.n. signum dederat, vt siqui non satis eius colloquio digni venissent, de Ægypto venisse dicerentur. Cumque dixisset: Fac eis lenticulam, & comedant, oratione cum eis completa, iubebantur abscedere. Spirituales autem, & sancti viri qui de Hierosolyma venisse dicebantur, tota nocte cum eis sedens saluti eorum proficua loquebatur. Igitur illa nocte cum fratribus sedens, reuelatione sibi facta de facto Eulogi, proprio eum nomine ter vocauit, & vt coram fratribus aduentus sui causam exponeret, iussit. Quod cum fecisset, & elephantiosum eijcere se voluisse diceret, Antonius seuera voce respondit: Tu illum à te proijcies Eulogi? sed ille non proijcit, quia se factum esse cognoscit. Si proijcis eum, meliorē te Deus inueniet, & eliget qui colligat destitutum. Cumque territus his Eulogius tacuisset, ægrum quoque cæpit Antonius verberare sermonibus dicens; Elephantiose cæno ac luto horride, nec terra digne nec cælo; non desinis in iniuriam Dei vociferari. Nescis quia Christus est, qui ministrat tibi? Propter Christum enim iste tali seruitio se subiugauit. Post hæc ad vtrumque conuersus ait: Nolite filij ab inuicem separari, sed redite ad cellam cum pace, in qua tamdiu vixistis, ne coronis vestris fraudemini, quia vterque vestrum merebitur coronari. Et idcirco tentatio hæc accidit vobis, quia ad finem vitæ ambo venistis. Qui cum redintegrata pace redijssent, intra quadraginta dies Eulogius obijt, & post aliud triduum ægrotus animo vehementer incolumis, defecit. Horum sermonum interpres ego fui, quia nesciebat Antonius linguam Græcam, ego vero noueram & Græcam, & Ægyptiam.

Sancto Antonio reuelatur nomen Eulogij.

Non proijcie di egens, & ægroti.

Dimittuntur in pace Eulogius & elephantiosus.

Obitus Eulogij & elephantiosi.

De conuersione Pauli simplicis.

Cap. LXXVII.

PAulus simplex rusticus, vxorem adulteram relinquens, & ad eremum pergens, Antonij fores pulsauit, eoque egresso & quid cuperet scisciti, monachum se fieri velle respondit. Cui Antonius ait: Cum sis homo senex & debilis, annorum 60. non potes hic monachus fieri, sed vade ad leuiora monasteria; ego enim solus hic sedeo, & post quinque dies etiam cum summa penuria sumo cibum. Illo vero non acquiescente, sed dicente: Quicquid me docueris faciam, intra cellam per totum triduum se reclusit, nec ille tamen de foribus exclusus abscessit. Post hæc necessitate naturæ compulsus Antonius exiuit, & ait; Recede senex, mecum habitare non potes. At ille: Certe, inquit, hic viuam, & moriar. Circumspiciens autem, & quòd nihil penitus alimenti secum portaret, & iam quarto die continuo ieiunio permaneret, timens ne ex eius morte sibi maculam relinqueret, tandem eum suscepit, ac durius & laboriosius solito conuersari cæpit. Infusos itaque cortices dactylorum obtulit ei dicens: Accipe & intexe funes sicut me facere vides. Qui cum orgyas. 15. vsque ad nonam laboriosissime confecisset; male, inquit, Antonius intexuisti, solue quod factum est, & rursum intexe. Itaque seni per 4. dies ieiuno, tam graue pondus imposuit vt cum imparem tanto labori se videret, hac necessitate coactus ab eo recederet. Qui tamen omnia patienter ac libenter impleuit, & nec vultum tristem secum murmurando monstrauit. Tunc Antonius compunctus occidēte iam sole dicit; Vis, ô senex, vt edamus partem panis. Respondit: Vt tibi placet Abba. Quæ responsio rursum Antonium flexit, eo quod ad nomen cibi non statim accurrit, sed in voluntate iubentis omnia posuit. Pone ergo, inquit, mensam, & affer panes. Quod cum fecisset, vnum sibi de* paximatibus Antonius, quia sicci erant, aqua perfudit, tresque portiones ante illum posuit. Psalmum vero consuetum dicens, orationes 40. fecit, vt ad hoc eum sic probaret, qui rursus cum eo patiēter ac libenter orauit. Denique profunda nocte, Antonius absumpto vno paximate, senem tardius comedentem, donec vnum totum assumpsisset, expectauit. Et tunc ait: Manduca senex, & alterum. Qui respondit; Non manducabo, nisi idem te facere videro. At ille: Mihi inquit hoc satis est quia monachus sum. Cui Paulus. Mihi quoque hoc satis est, quia monachus esse desidero. Post hæc Antonius resurrexit, & dictis 12. psalmis, totidemque orationibus factis pauliſper quieuit. Rursumque consurgens, à me-

Pauli quatuor dierum media.

Paximates hi panes, dicti etiam erant panes sicci. Ruffin. lib. 11. cap. 7. in vita Apollonij.

Qui Ægyptij, qui Ierosolymitæ monachi dicebantur Antonio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dio noctis vsque in lucem psallendo, & orando vigilauit. Videns igitur ad omnia tam paratum senem, ait illi; Ecce frater, si huiusmodi vitam agere quotidie poteris, mecum manebis. Respondit Paulus; Si forte plus aliquid iubeas, ignoro, nam ea, quæ vidi facile me impleturum esse confido. Post certos menses, quia iam eius animam perfectam esse comprobauerat, à tertio vel quarto lapide cellam ei fecit. Et ait; quia monachus effectus es, iam solus manebis, vt etiam dæmones experiri possis. Illic ergo Paulus intra annum diuinam gratiam meruit, & contra ægritudines hominum, & contra potestates dæmonum.

Obedientia & simplicitas Pauli gratiam curationis & eijciendi dæmones promeretur.

De dæmoniaco per eius sanctam simplicitatem curato.

Cap. LXXVIII.

CVm ergo quidam rabidus homo, vexatus à principe legionis dæmonum, curandus perduceretur ad sanctum Antonium, respondit hoc opus esse simplicis Pauli non suum. Solent enim misertimi ac vilissimi dæmonum, à magnis quidem viris solo robore fidei, magni vero dæmones à simplicibus, vel humilibus fugari. Itaque cum eis ad Paulum pergit, & ait: Pelle hunc dæmonem ab homine, *vt Deum benedicat, nam mihi quidem non vacat.* Cumque relictis illis ad cellam rediisset, Paulus surgens, intentissime orauit, & ait dæmoni: Abbas Antonius dixit, vt ab homine isto recedas. Dæmon autem iniuriam Dei proclamans, aiebat: Non exibo detestabilis senex. Arrepta ergo pelle qua tegebat humeros suos, verberabat eum, repetens ac dicens: Exi, quia hoc Abbas Antonius dixit. Tunc dæmon in vtrumque contumelias proferre cæpit, hoc clamitans: Detestandi senes quos obliuio nostra præterit; insatiabiles, qui proprijs contenti non estis, quid in nos vestram tyrannidem exercetis? Tandem Paulus ait: Si exire nolueris ab isto certe væ tibi erit, quia vadam, & hoc loquar Christo. Cum igitur dæmon iterum blasphemans contradiceret, iratus Paulus cellam egreditur in medijs æstibus diei, qui in Ægypto fornacis Babylonis ardoribus comparantur, in ipso itaque scopulo montis velut columna stetit immobilis, & orauit his verbis: Tu vides Iesu Christe, quia non ego de hac rupe descendam, nec cibum, vel potum sumam, sic profecto moriturus, nisi prius hominem istum à dæmone liberes. Nondũ hæc verba compleuerat, & dæmon maxima voce clamabat: *Vade, vade, vim patior, & exeo, nec vlterius accedo. Simplicitas Pauli me vrget, ac persequitur, & quo vadam nescio.* Mox igitur egressus & in immanem draconem cubitorum 70. conuersus, in mare rubrum protinus est deuolutus.

Adolescens dæmoniacus per Paulum curatur.

Pauli simplicitas pellit dæmonem.

De sancto Pachomio Scithiotico.

Cap. LXXIX.

EGo cum aliquando graui tentatione carnis vrgerer, nihil de hoc vicinis meis, nec Euagrio quidem magistro meo patefeci, sed occulte ad interiora deserta perrexi, ibique Pachomium septuagenarium in loco Scithi prope Palmã inter cæteros monachos tenere reperiens, anxietatem ei meam retuli. Qui dixit mihi: Non tibi sit noua res ista quam pateris, nam, quòd non ex negligentia vel desidia mentis in ea incurreris, testimonium tibi præbet, & natura locorum, & inopia omnium rerum, & absentia fœminarum; sed magis ista tentatione laboras propter studium ac desiderium castitatis, nam aliquando quidem caro nostra si fuerit nimis sana, lasciuit, aliquando ex cogitationibus vanis, morbus iste procedit: interdum vero dæmon contra nos dum nobis inuidet præliatur; nam & ego, vt vides admodum senex per 40. annos in hac cella degens, maximamque salutis propriæ curam gerens, huiusmodi tentatione sollicitor vsque ad præsens. Certe per annos duodecim post quinquagesimum, nunquam die, vel nocte hic morbus recessit à me, ita vt me priuatum auxilio Dei suspicarer, malẽs tamen tunc irrationabili quadam morte deficere, quàm tali corporis obscenitati succumbere, solitudines peragrans, in speluncam feræ cuiusdam me nudum proieci, vt ab egredientibus ex ea bestijs deuorarer. Cumque sic vsque ad vesperã iacuissem, in qua (sicut scriptum est) *pertrãsierunt omnes bestiæ siluæ*, exeuntes masculus, & fœmina, odore ducente ad me peruenerunt, & à capite vsque ad pedes lingua me blandiente lambuerunt, sicque illæsum reliquerunt. Cogitans igitur & credens, quòd Deus pepercisset mihi, mox ad cellam redij, dæmon autem paucis diebus quieuit, sed rursum mihi vehementius, quàm solebat incubuit, vt penè me cogeret blasphemare. Transfiguratus est enim in puellam quandam, quam in iuuentute me vidisse memineram, messium tempore calamos colligentem. Quæ subito supra genua mea sedens, adeo me per omnia membra commouit, vt pœnè mecum eam coijsse putarem. Iratus igitur dextera mea percussi eam, statimque euanuit, & certe per totũ biennium fœtorem manus, qua eam percusseram ferre non poteram. Anxius igitur ac desperãs, ad deserta vagabundus perrexi, repertamque modicam aspidem manu tenens genitalibus membris apposui, vt vel morsus eius mihi mortem inferret; caput etiam serpentis perfricando conterens, in verendis tanquam ex eis mihi tentationis causa procederet, nec sic me momorderit, diuina (sicut credo) gratia prouidente. Tunc itaque vocem hanc ad me descendentem audiui: Vade Pachomi, insiste agoni tuo, ob hoc enim permisi te dæmonis virtute superari, ne quasi fortior superbires, sed infirmitatem tuam agnoscens ad auxilia diuina confugeres, sic igitur ad propria secreta remeans, de cętero cum fiducia sedi, pacatisque sensibus vixi; hostisque meus vt se contemptum vidit, omnino confusus abscessit.

Pachomius aperit miras dæmonis tẽtationes.

Desperat acriter à dæmone tentatus. Psal. 103.

Pachomius à bestijs illæsus circumlingitur.

Dæmon in specie Æthiopissæ Pachomium tẽtat.

Humilitas ex tẽtatione.

Dæmon despectus tentare cessat.

De quodam sancto Stephano, & Valente præsumptuoso.

Cap. LXXX.

STephanus quidam in parte locorum Mareotidis, per annos sexaginta, monachus sedens, tantum habuit in discernenda rerum ambiguitate iudicium, vt nullus ad ipsum in quacunque causa tristis veniret, qui non post eius visionem atque sermonem lætus abscederet. Sanctus Euagrius, & Ammonius, & qui cum eis erant, aliquando referebant, quòd inuenerant eum in verecundis naturæ, quodam morbo laborantem, & opus quidem manibus facientem, ideſt de palmulis funem torquentem, fratribus quoque sermocinantem, cæteras vero corporis partes medico ferroque prębentem, adeo namque per patientiæ gratiam alienus erat à sensibus corporis, & mens eius occupata cœlestibus, & in tantum separata erat à rebus humanis; vt abscisis verendis omnibus, nihil sentiret penitus.

Stephani ægritudo.

Patientia.

Palæstinus quidam nomine Valens, peruenit ad eremum, in qua pluribus annis vixit nobiscum; difficilisque vitæ studium assecutus, ad tantum superbiæ cacumen ascẽdit, vt diabolicis illusionibus falleretur; nescio quid magnum se esse putans, tanquam Angelorum visione ministerioque quotidie frueretur. Referebant igitur eius notissimi, quòd vno die dum in tenebris opus faceret, acus ei qua sportulam consuebat è manibus cecidisset, & dum eam in obscuro cernere non potuit lampade sibi ministerio dæmonis accensa eandem inuenit, eo igitur ex ipsa inflatione refecto, accidit vt quidam illuc peregrini venirent, variaque leguminum, & fructuum genera fratribus exhiberent. Quæ cum suscepisset sanctus Macarius presbyter noster singulis fratribus pusillum misit, inter quos & Valenti partem destinauit. Qui latorem ipsum iniurijs confecit, dicens ei: Vade, & dic Macario, quia non sum deterior illo, vt benedictiones ad me transmittat. Quo audito Macarius ad eum veniens consilium ei humilitatis dedit, sed persuadere non valens de ruina eius tristis abscessit. Deniq;

Elationis vitium.

diabolus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

diabolus in effigiem Saluatoris transfiguratus, nocte venit ad eum, choros mille (vt finxerat) Angelorum lampades accensas tenentium, & cum flammea rota, in qua Saluatorem sedere simulauit, vno ex illis præcedente, eique dicente. Placuit Christo conuersatio tua, & probabilis vitæ fiducia, & ecce venit ad te, tantum egredere de cella tua, & venientem eminus cernens adora. Egressus igitur, illum vt Deum adorauit; & sequenti die congregatis ad ecclesiam fratribus, ait: Ego iam communione non indigeo, Christum enim ipsum hodie vidi. Tunc sancti patres ferreis vinculis eum alligatum, sæcularis vitæ conuersationi dederunt, vt ex eo tumor eius animi cessaret, quòd nihil commune cum sanctis haberet: & sic eum per totum annum proprijs orationibus curauerunt.

Elatum dæmon fallaci Saluatoris specie eludit

Ligatur Valens à patribus.

De sanctis Elia, & Dorotheo.

Cap. LXXXI.

Monasteriũ virginum adficat Elias.

SAnctus Elias monachus amore virtutis succensus, & fæminei sexus miseratione commotus, deuotarum Deo virginum curam habebat, & in grandi quodam monasterio, vsque ad trecentarum fœminarum numerum collegerat, earumque conuersationem ordinabat. Quod cum per biennium iam fecisset, & adhuc iuuenis tringinta, vel quadraginta annorum esset, subito carnis tentationem passus est. Relictoque monasterio dum per solitudines iugi biduo ieiunus erraret, ait: *Domine Deus aut occide me, aut à me tentationem istam exclude.* Vespere igitur ei subito somnus irrepsit, & tres Angelos ad se venisse conspexit, dicentes: Cur egressus es, de monasterio fœminarum? Qui cum timuisse se diceret, ne aut sibi aut illis noceret. Illi dixerunt: Si huiusmodi metu per nos liberatus fueris, rursus illarum curam suscipies? Cumque libenter acquieuisset, & hoc ipsum exigentibus illis, iuramento firmasset, vnus eorum manus illius tenuit, & alter pedes, tertius vero arrepta nouacula testiculos eius abscidit, non quòd verè hoc faceret, sed quòd facere videretur. Angelis autem interrogantibus an aliquid sibi profuisse sensisset factum suum. Vehementer, inquit, intelligo quoddam onus mihi esse sublatum, & satis credo me omni quam formidabam molestia liberatum. Igitur post quinque dies regressus, & lugentium fœminarum monasterium ingressus, in cella quadam illic habitauit, & alios quadraginta annos vixit sanctis patribus asseuerans, quod nunquam vlterius in cor eius cogitatio talis ascenderet.

Elias rector, 300. virginũ tentatur voluptate.

Fugit à conspectu virginum.

Ab Angelo curatur à fomite concupiscentiæ.

Huic successit sanctus Dorotheus, qui in superiore cella monasterij consenuit, fenestræ ibi factæ iugiter assidens, & ad vnanimitatem, pacemque sorores erudiens, cum nec illæ ad eum possent ascendere, nec ipse ad illas descendere.

Dorotheus incluſus, rector tamen virginum.

De Sancto Pachomio Tabennensi, & eius regula per angelum dictata.

Cap. LXXXII.

IN Thebaide prouincia Tabennensis dicitur locus, in quo fuit Sanctus Pachomius, vir iustus, & deuotus, in tantum vt per diuinam gratiam, & nosceret futura, & visione frueretur angelica. Hic perfectè misericors, & humanus fuit, & inestimabili fratres amore dilexit. Ad hunc igitur in spelunca sedentem venit Angelus Domini dicens ei: Per omnia quæ ad propositum tuum pertinent, perfectus es, vnde & in spelũca superfluò sedes; veni igitur, & omnes iuniores monachos collige, eosque iuxta regulam vitæ quam à me disces, institue. Tabulas autem æreas illi dedit in quibus scriptum erat: *Diuersas intra domus atrium cellulas facies, ternosque per singulas manere præcipies. In vno tamen loco cibus omnium fiat. Nec ieiunare nec manducare quenquam prohibebis, fortioribus tamen magis edentibus grauius opus iniunges. Somnum vero non iacentes capiant, sed super instructas, & paululum reclines cathedras, pallijs suis velatas sedentes quiescant. Pellibus caprinis tegantur, quas nec propter cibum, vel somnum capiendum deponant, sed tantum quando ad communionem ingrediuntur. Tunc vnusquisque cingulum suum soluat, pellemque deponat, & cum cuculla tantum accedat. Si quis alterius regulæ peregrinus aduenerit, non edat cum eis nec bibat, nec in mansionem eorum introducatur, nisi forsitan eis, in via aduinctus fuerit. Quicunque vero ad permanendum cum eis intrare voluerit, nõ eum in loca monasterij secretiora recipies, nisi triennium totum laboriosius opus duriusque perficiens, impleuerit. Edentes cucullis capita sua velent, ne alter alterum aspiciat manducantem, sed solum catinum, vel mensam, nec loqui quicquam liceat dum manducat. Porro vigintiquatuor ordines esse fratrum instituit, & vnicuique literam græcam, qua tanquam proprio signo, vel vocabulo dignosceretur, superposuit. Hoc etiam ordinauit, & iussit, vt orationes duodecim per totum diem, & in vespere totidem ad lumen facerent, & in nocturnis quoque vigilijs totidem preces effunderent.* Tunc sanctus Pachomius ait Angelo: Parum hoc est. *At ille: Ideo,* inquit, *has paucas fieri præcepi, vt & iuniores implere sine tristitia possint impositam sibi regulam viuendi; qui vero firmiores, & perfectiores sunt, non illis necesse est aliena regula cõstringi, quia vitam suam totam visioni, & cultui Dei penitus dederunt.*

Quomodo admittendi hospites.

Regula imbecillioribus debent esse accommodata.

His itaque dispositis discessit Angelus ab eo. Plurima igitur monasteria sunt, in quibus vsque ad septem millia virorum sunt, qui huiusmodi instituta custodiunt: sed illud in quo Pachomius ipse degebat, maximum, & primum habetur, ex quo, & cætera processisse videntur.

7000 virorum numerus in monasterijs S. Pachomij.

De virgine humili, & abiecta, quam sanctus Piterius visitauit.

Cap. LXXXIII.

Quis labor monachorũ Pachomij.

EST in ciuitate Panos monasterium quadringentos viros habens, inter quos, & fabros ferrarios, & carpentarios, & sarcinatores, & camelarios, & fullones reperi, singulos in arte propria laborantes; & ex his quæ quotidiano victui superesse poterant, etiam monasterijs fœminarum, carceribusque vicinis necessaria quæque præbentes. Est & apud istos monasterium numero quadringentarum fœminarum eisdem moribus, & eadem ordinatione viuentium, excepto solo velamento pellium, & hæ quidem habitant trans fluuium; intra fluuium autem viri. Et cum aliqua illarum defuncta fuerit, eam ex more vestitam aliæ deferentes, supra ripam ponunt, quam inde viri nauicula cum psalmis transferentes in sepulchro proprio condunt, nec vllus transit ad earum monasterium excepto presbytero, & diacono, & hoc tantum per diem dominicum.

Monasteriũ mulierum Tabennensiotarum.

Sepultura virginum cũ psalmis.

Fuit in eo monasterio quædam virgo, quæ stultam se fecit propter Christum, vt virtutis posset implere propositum. Cumque se admodum humiliaret, atque dejiceret, adeo omnibus alijs horrori erat, vt nec cibum cum ea caperent, ab omnibus cedebatur, omnium odia, & maledicta sustinebat. A coquina vero nunquam recedens, totius illic ministerij tanquam ancilla cunctis obediens, officium implebat. Nunquam ad mensam sedebat sed micas tantum mensuram detergens, & ollas abluens, his solis alimonijs contenta viuebat. Nunquam calciamentis vtebatur, caput pannis inuolutum habebat, & sic omnibus seruiebat, & certe cum ab omnibus pateretur, nulli vnquam iniuriam fecit, nulla ipsius murmur audiuit. Inter hæc astitit Angelus domini sancto Piterio probatissimo viro, semper in desertis viuenti, dixitque illi: Cur magnum aliquid te esse credis in tuo proposito, & huiusmodi degens loco? vade ad Tabennensiotarum monasterium fœminarum, & inuenies vnam ex eis habens in capite pannum conscissum, ipsamque cognosce te esse meliorem, cum enim sola contra tantas diebus ac noctibus pugnet, cor eius nunquam à Deo recessit, tu autem in vno loco residens nunquam progrederis, & per omnes vrbes animo, &

Virgo ob humilitatem stultitiam simulans.

Contamelijs affectata acc.

Sanctus Piterius ad virginem se sanctiorem ab angelo mittitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adit virginum monasterium.

mo, & cogitatione vagaris. Statim igitur ad prædictum monasterium venit, seque ad fœminarum habitaculum transitehi petijt. Ingressus autem omnes sorores videre voluit, inter quas illam solam propter quam venerat, non vidit. Ait ergo: Omnes adducite, nam aliqua videtur hic deesse, quam mihi Angelus ostendit. At illæ; omnes, inquiunt, hic sumus, vnam quidem stultam habemus in coquina intrinsecus. Exhibete, ait, mihi eam, vt ipsam quoque videam. Quod cum fecissent, ille, frontem eius pannis inuolutam cernens, proiecit se ad pedes illius dicens: Anima, ideſt, Mater spiritualis benedic me. Procidens autem & ipsa dicebat: Tu me benedic domine. Omnes itaque sorores obstupuerunt dicentes: Noli talem iniuriam sustinere Abba, nam ista quam cernis est fatua. At ille dixit omnibus: Vos fatuæ estis, nam ista melior est & me, & vobis; deprecor autem Deum vt in die iudicij dignus ipsa merear inueniri. Tunc omnes prociderunt ad sancti Piterij pedes, singulæ propria ei peccata confitentes, quibus illam sanctissimam contristarent: Et alia quidem dicebat, ego eam delusi: alia ego habitum eius deiectum irrisi: alia ego eam eo quod tacita esset, iniurijs affligebam: alia ego sordes abluens catini super eam fundebam: alia quoque colaphis eam à se verberatam sæpe dicebat: alia nares eius sinapi impletas à se esse deflebat: cæteræ quoque diuersas ei se referebant iniurias irrogasse. Pro quibus omnibus ille sanctus vnà cum eadem sanctissima virgine fusis precibus regressus est. Post paucos dies illa non ferens tantam sui gloriam, grauarique se credens satisfactionibus singularum, egressa de illo monasterio, quo ierit vel quo fine defecerit, hactenus ignotum est.

Virgo à sororibus proinsania habita, omnibus tamen erat melior.

Non ferens gloriam & honorem fugit.

De sancto Ioanne incluso & eius Spiritu Prophetico.

Cap. LXXXIIII.

Ioannes primum faber.

FVit & Ioannes quidam Carpentarius, qui sæculo renuncians, & per quinque annos in diuersis monasterijs degens, tandem solus in Lycum montem se contulit, ibique triginta cum iam annos complesset inclusus; gratiam Prophetiæ meruit, nam & Imperatori Theodosio frequenter ventura prædixit. Primum quidem de Maximo Tyranno, quod eum esset superaturus, & ex Galliarum partibus reuersurus. Postea quoque de Eugenio, quod eum esset victurus, sed ibidem vitam finiturus. De hoc igitur apud omnes grandis fama conualuit propter quod & Theodosius ipsum honore prophetali venerari consueuit. Et ego igitur virtutem eius agnoscere cupiens, illuc perrexi, decem & octo diebus itinere confecto, partim ambulando, partim nauigando. Post primam autem salutationem ait mihi per interpretem. Vnde es, aut cur veniſti? nam vnum te esse comicio de socijs Euagrij. Quod & ego annui. Interea dum loquimur, præses illius Prouinciæ nomine Alipius ingreditur. Ad quem cum ille relicto quem habebat mecum sermone se contulisset, paululum ab eis secessi, & eminus steti. Prolixas autem illorum confabulationes grauiter ferens, illum senem intra me arguebam. quòd meo sermone contempto, illum potius honorasset. Cum igitur eodem spreto, recedere cogitarem, vocauit Theorum interpretem suum, & ait: Dic fratri illi: Noli esse pusillanimis, quia iam nunc tecum loquar. Ex hoc igitur hominem eum esse spiritualem, & occulta prouidere cognoui, & ideo magis cœpi remorari. Egresso vero mox Præside vocauit me, quem sic allocutus est: Cur, inquit, animam tuam mea reprehensione læsisti? cur in tuis sensibus cogitasti, quod nec in me cognosco, nec tuos mores dicere scio? an ignoras, scriptum esse, *non sanos, sed male habentes egere medico*? Tu me cum velis, & ego te inuenire possum, & si forsitan ex me nullum, ex alijs tamen fratribus aliquod patribusque poteris habere solatium. Iste vero totus ex sæcularibus rebus diabolicæ potestati deditus, vix ad horam respirare potuit, & nunc tentans venit, sicut seruus austerum fugiens Dominum suum, vt hic salutis inueniret auxilium. Inconsulta igitur & importuna res fieret, si illo relicto tecum morarer, qui salutis tuæ commodis consueti vacare iugiter. Tunc ego magnopere deprecatus sum illum, vt pro me dignaretur orare, quoniam hoc mihi certissimè persuasit virum eum spiritualem esse. Ille vero iam lætior in sinistra faciei parte leuiter me percussit dicens: Multæ tribulationes te manent, & futurus episcopus es, plurimumque laborum habiturus. Pias autem, & quasi rationabiles occasiones afferens tibi dæmon ventilare te tentat, suggerens, & patris desiderium, & fratris sororisque conuersionem. Ego vero ibi renuncio, vtrosque saluatos esse cognosce, renunciauerunt enim ambo sæcularibus rebus, & pater tuus alios septem annos est victurus. Insiste igitur, & in desertis locis vt cœpisti viue, nec parentum tuorum causa festines, ad patriam redire, *quia nemo manum mittens ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*. Denique quadragintaocto annos, in eadem cellula se habitasse dicebat, affirmans nullius vnquam fœminæ vultum se vidisse, nec se edentem aut bibentem ab altero visum fuisse.

Ioannes donatur gratia prophetia.

Imperatori Theodosio euentum belli prædixit.

Heraclides ad Ioannem venit qui & nouit ex quo conuentu sit,

Heraclides mora impatiens, abitum parat.

Matth. 9. Maxime colloquendum cum iis quibus prodesse possumus.

Heraclidis parentum conditione prædicit Ioannes

Luc. 9.

De Sancto Serapione.

Cap. LXXXV.

SEiapion, qui & Sindonius vocatur, quia veste non alia, quàm syndone vtebatur, Apathes etiam, id est, impassibilis vocabatur, quia nullum possidendi desiderium patiebatur, & abstinentia nimia omnium rerum, & iugi meditatione diuinorum librorum vnius cellulæ quiete non poterat esse contentus, sed per diuersa trahebatur mens eius. De hoc referebant patres sancti, quòd in quodam oppido viginti solidorum precio se paganis mimis tradidit, & in eorum seruitio permanserit, ita vt eis pedes quoque lauaret, donec eos Christianos efficeret, & à ludis theatralibus, separaret: nullumque cibum nisi panem, & aquam sumere consueuerat, nec diuinas scripturas legere cessabat. Illis autem ad piam, & castam vitam conuersis cum ei libertatem offerrent, dicentes, quia per ipsum à turpi seruitio liberati essent, viginti solidos, quos pro se acceperat, & apud se seruauerat, reddidit eis, dicens: Quia per me Deus in vobis impleuit quod volebam, nunc aurum, quod pro me dediſtis, recipite, vt alios quoque quibus subuenire possim, reperiam. Cumque rogatus, acquiescere nollet, vt cum eis tanquam Pater eorum, & dominus remaneret: dabis ergo, inquiunt, aurum illud pauperibus, quod nos velut arthas quasdam pro salute nostra dedisse cognouimus. At ille: Date, ait, vos, ego enim alienas pecunias non do. Saltem, inquiunt, hoc precamur, vt vel post anni circulum Athenis nos requiras. Itaque seruus Christi peregrinando frequenter Helladam venit, ac per triduum moratus Athenis, à nullo panem quo vesceretur, accepit. Neque vero pecuniam habebat, nec peram vel pellem, vel aliud quicquam secum præter sindonem, qua erat amictus, ferebat. Cum ergo ieiunus vsque ad quartam diem peruenisset, esurire fortiter cæpit. Nihil ergo peius illo ieiunio, quod extorquetur inuito, ex cuius necessitate sæpe etiam perfidia procedit; stetit ergo supra colliculum vrbis vbi primates eiusdem oppidi consilium habere consueuerant, & illic manus suas percutiendo, vim se maximam pati clamabat dicens: *Athenienses viri succurrite.* Concurrentes itaque simul omnes pallijs, vel birris induti, quæsierunt, vnde veniſſet, vel quid pati se diceret? Ille respondit: Genere sum Ægyptius, conuersatione monachus; ex quo autem de patria mea vera discessi, in trium fœneratorum manus incurri; quorum duos

Hoc exemplũ habetur ex Vincentio in speculo magno Exploril. tit. Abstinentia. exemplo 6.

Serapion se mimis vendidit vt eos lucrifaceret Christo.

Aurum respuit.

Absque pecunia, absque pera, absque pelle incedit.

quidem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quidem, quocunque modo debitum ſoluens, potui euadere, tertius autem adhuc retinet me, nec habeo vnde poſſim ei ſatisfacere. Illis autem requirentibus, quis eſſet vel vbi degeret, quis ei moleſtus eſſet, & in omnibus adiutores ſe pollicentibus, ſi hoc indicaret, ait: *Cupiditas pecuniæ, deſiderium voluptatis, & voracitas ventris, hi tres ſemper mihi moleſti fuerunt à principio iuuentutis.* Ex quibus primos duos euaſiſſe iam videor, nec vltra mihi moleſti ſunt, tertium vero ferre non poſſum, cum enim quarto die iam ex neceſſitate ieiunem, vrget me ſeueriſſimus fœnerator, exigens debitum, & niſi reddidero, mortem minatur. Tunc quidam philoſophorum obtulerunt ei ſolidum vnum. Quo ille ſumpto, & eadem qui panes vendebat dato, vnoque tantum ab eo pane ſuſcepto, mox ab vrbe profectus eſt, & nunquam poſtea in eam reuerſus. Circa Lacedæmonis loca veniens, vnum illic de primoribus vrbis bonum in cæteris rebus virum, omneſque de domo Manichæos eſſe cognouit, iuxta ſuperius exemplum ſe vendidit, & intra duos annos ab execrabili ſecta tam ipſum, quam coniugem eius, totamque familiam abſtractos eccleſiæ tradidit.

Tres pernicioſi fœneratores auaritia, gula, fornicatio, ſed gula importunus fœnerator.

Vendidit ſe viro Manichæo vt ipſũ reduceret ab errore.

De ſancto Euagrio.

Cap. LXXXVI.

SAnctus Euagrius primus ordinatus eſt lector à ſancto Baſilio, poſtea vero diaconus à beato Gregorio Nazianzeno. Hic quidem in ſæculari vita tentatus, tandem beatæ Melaniæ ſtudio, veſte mutata, ad Ægyptiacum Nitriæ montem profectus, biennium illic degens impleuit, tertio anno ad interiores ſolitudines pergens quaturdecim annis in abſtinentia vixit, panis & olei modium ſumens, ille qui prius intra copias magnas delicioſam ſemper vitam habuerat. Huic fortiter ſpiritus fornicationis ſemper incubuit, vnde ſicut nobis, vt ipſe referebat, per totam noctem in hyeme nudus in puteo ſtabat, vt gelu quoque carnes eius conſtringerentur. Aliquando blaſphemiæ ſpiritus cæpit eum vrgere, & ad ſacrilega contra Deum verba repellere, propter quod dies, quadraginta iugiter ſine tecto fuit, ita vt per totum corpus eius papulæ quædam exirent. Tam vehementer dæmones expertus eſt, quod per innumeras vices ab eis verberatus eſt.

Auſteritas eius qui delicatam vitã fuerat ſectatus.

Vt fregerit dæmonum impetus.

Quodam dies tres ſimul in ſpecie clericorum aſtiterunt ei dæmones, de fide cum eo tractare cupientes. Ex quibus vnus Arrianum, alterum Eunomianum, tertius Apollinarium ſe eſſe dixit. Quos omnes ille ſapienter ac breuiter differendo ſuperauit.

Idem cum Eccleſiæ claues perijſſent, *inuocato Chriſti nomine* illam oſtij partem, vnde clauis erat, ſignauit, & manu fores pulſans, aperuit.

Crucis ſigno oſtiũ aperit.

Cuidam quoque diſcipulorum omnia quæ poſt octo annos eſſent ei ventura, ſigillatim res ipſas prophetando prædixit.

Cum vero quidam ei mortem patris ſui nunciaret, reſpondit: Quid blaſphemas ô homo? immortalem ego patrem meum noui. Dicebat autem: Ex quo ad ſolitudines veni, non lactucam aut aliquid viride attigi, non poma, non carnes, non balnea vidi. Denique decimoſexto talis vitæ ſuæ anno, in qua nihil edebat, quod coctum eſſet, cum propter infirmitatem ſtomachi neceſſe eſſet, vt tale quid ſumeret, panem quidem nunquam attigit, ſed olera, poſcam & lenticulam, per biennium guſtans, ita de ſæculo exiuit.

Non afficitur morte patris ſui.

Circa ipſum vitæ finem referebat, quod tertium annum ageret, ex quo carnali deſiderio liberatum ſe eſſe intelligeret, & hoc poſt talem ipſius vitam, poſt tantos labores, poſt illas tam iuges orationes. Bonorum, & malorum ſpirituum differentias nouit, arteſque quibus demones ſubiugari poſſent, monſtrauit.

De ſanctis Ephræm, Adolio, & Innocentio.

Cap. LXXXVII

BEatus Ephræm Ediſſenæ eccleſiæ diaconus per gratiam Dei naturalium rerum notitiam habere meruit, quietam ſemper vitam egit, & omnes qui ad eum videndum veniebant, per annos plurimos docens, tandem de cella ſua talis rei neceſſitate proceſſit.

Cum fames grauis in eadem vrbe ſæuiret, pereuntem multitudinem ruſticam miſeratus, acceſſit ad diuites dicens: Quare nulla vos miſericordia mouet humanæ naturæ ſic ante oculos veſtros deficientis, ſed putrefacta intrinſecus ad condemnationem veſtram ſeruatis? Tunc illi, inquiunt, non habemus, quibus pecuniam egenis diuidendam credere debeamus, omnes enim negociari pro ſuis commodis volunt. At ille ait: Qualis vobis videor? Scimus inquiunt ſeruum Dei te eſſe. Credite ergo, inquit, mihi pecunias veſtras & ego miniſterium peregrinorum miſerorum ſuſcipiam. Acceptaitaque pecunia certis parietibus porticus ciuitatis intercluſit, & trecentos in eis lectos poſuit, in quibus fame pereuntes reficiebat, ægrotantes quoque curans, & morientes ſepeliens. Impleto autem anno illo poſt quem frugum copiæ grandes fuerunt, ad cellam redijt, in qua poſt ſpacium vnius menſis obijt.

Auari frumentum ſinunt putreſcere.

Ephræm ſuccurrit fameſcentibus.

Apud Hieroſolymam vidi quendam Adolium nomine, Tarſenſem genere, qui cum illo veniſſet, nouum ſibi quoddam, & vltra homines propoſitum conuerſationis aggreſſus, ita vt etiam dæmones auſteritatem vitæ eius contremiſcerent, & ab ea fugerent. Nam per quadrageſimam quidem quinto die, reliquo anni tempore poſt biduum ſemper cibum ſumere conſueuerat. A veſpertinis horis vſque ad matutinorum tempus in loco montis Oliueti ſtans, vnde Saluator aſſumptus eſt orando, & pſallendo parnoctabat, & ſiue ſub niuibus, ſiue ſub pluuis, vel prunis immobilis permanebat. Et poſtquã eo modo ſolitũ tẽpus impleuerat, ſigno mallei, quo fratres excitabat, omnium cellarum fores percutiẽs eos ad oratoria propria deducebat. In quibus cum vnoquoque eorum vnum, vel alterum in antiphona pſalmum canens, totidem cum ſingulis preces fundens, ſic ante lucem ad cellulam ſuam redibat. Quem certe fratres veſtibus ſuis ſpoliatum aquam ſepius diſtillantibus, alijs induebant, donec illæ ſiccarentur. Sic ergo paulisper ſomno refectus vſque ad horam tertiam, iterum pſalmos canens, ad alterius diei veſperam venire nitebatur.

Adolius dæmonibus eſt terrori.

Quomodo quadrageſimam obſeruabat.

Innocentius presbyter, cum quo vixi tribus annis ſimpliciſſimus hominum fuit, qui cum olim ſub Imperatore Conſtantino militaſſet, ſæculo renunciauit, filium ſuum Paulum maledixit, eo quod filiam presbyteri cuiuſdam corrupiſſet, deprecatus eſt Deũ dicens: Da illi Domine talem ſpiritum, vt in carne ſua nunquam tempus inueniat ad peccandum. Rectius enim fore credebat, ſi cum atrocitate dæmonis, quam ſi cum impuritate corporeæ voluptatis certaret. Quod vt dixit: ita factum eſt. Nam etiam vſque nunc idem Paulus ferreis catenis vinctus in monte Oliueti conſiſtit à dæmone vexatus.

Innocentius à matrimonio monachus.

De ſancto Philoromo presbytero.

Cap. LXXXVIII.

PHiloromus quoque preſbyter fuit in regione Galatiæ, cum quo etiam fui multo tempore. Hic quondam, Imperante Iuliano, ſæculo renunciauit, interrogatuſque ab illo, magna ei cum auctoritate reſpondit. Tunc ille (prius caluicie ei facta) verberari eum à pueris iuſſit, qui plagarum ſupplicium patientiſſime ferens, maximas eis gratias egit. Huic

Iulianus apoſtata illudit Philoromo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tamen inter principia cum fornicatione, & ingluuie maxima fuit pugna, sed illos ille spirituales morbos ita superauit, sicut aliquis immensum ignem validissimis aquis extinguit, in quadam enim cellula se clausum ferro semper onerauit, nec panem de tritico factum, nec vllum coctum ignibus cibum sumpsit, & sic demum in 18. annis, præfatis passionibus domitis, *Deo gratias egit.* Cui, & frequens, & varius cum impuris spiritibus per annos quadraginta, patientissime intra vnius monasterij claustra degenti, conflictus fuit. Et vt ipse nobis referebat per annos trigintaduos, ex nullo pomorū genere gustauit. Cum autem metus mortis ipsum aliquando vexaret per sex annos se clausit intra memoriam mortuorum, vt dæmonem quem ex sepulturæ formidine terribilem sentiebat in sepulchris habitando superaret. Dicebat etiam quod ex quo baptizatus fuerat alieno pane sine causa se vsum fuisse nesciebat, quin etiam ex laboribus proprijs ducentos, & quinquaginta solidos elephantiosis præstiterat.

Tentatio fornicationis & gula quomodo retundatur.

Peregrinatio Romana & Hierosolymitana.

Idem quoque pedester multa sanctorum loca orationis causa petijt, vt Romam, Alexandriam, Hierosolymam. Ad nostram etiam ædificationem sæpius dixit non se meminisse, quod vnquam sensibus suis à Deo separatus fuit.

De sanctis mulieribus Eustochio, & Melania.

Cap. LXXXIX.

MVltas quoque fœminas vidi viriles mores, & honestos habentes, inter quas & Paulam vrbicam Toxotij matrem, prudentem ac spiritualem mulierem, cuius filia Eustochium vsque hodie apud Bethleem in monasterio suo degit, virgo castissima secum habens virgines quinquaginta.

Eustochium cum 50. virginibus exercetur.

Sancta quoque Melania fuit mulier vrbica, Marcellini exconsulis filia, quæ vigesimo secundo ætatis suæ anno viduata, & æterno sponso diuinitatis amore perpetuo copulata, nulli prodens animi sui secreta, ea quæ in mobilibus habere videbatur cum certis pueris, & puellis in nauem misit, sicque festinans, Alexandriam nauigauit: illic omnibus venditis, & in pecuniam aurumque redactis, nitriæ montem attigit, ibique venerabiles patres vidit Pambo. Assisium, Serapionem, Paphuncium, Isidorum, & Dioscorum. Apud quos in desertis locis sex tantum mensibus commorata, omnes qui illic erant sanctos viros peragrans, visitauit. Post hæc cum Alexandriæ Præfectus Augustalis Isidorum, Paphuncium, Pambo, & Ammonium, & duodecim episcopos, & presbyteros, & alios quosdam vsque ad centum & duodecim numero circa Palæstinam, & Diocæsaream damnasset exilio, hæc illos secuta minysteriū suum eis ex proprijs facultatibus tribuit; & cum à custodibus prohiberetur hoc facere, tunc illa veste puerili sumpta, circa vespertinas horas deferebat eis omnia vitæ necessaria. Quo cognito Palestinæ consularis, putans quòd terrore quodam ex eius pecunia sinus suos implere posset, iussit eam corripi, & in carcerem trudi. Quæ tunc ei per internuncios sic mandauit. Ego inquit, illius filia, & illius coniux fui, nunc vero sum ancilla Christi. Nec vales igitur in aliquo me terrere, nec quicquam de rebus meis auferre. Neque enim ob vilitatem præsentis habitus me putes condemnandam, quia facile si velim, extollere possum meipsam, ne autem hoc ignorans, periculum aut crimen incurras, idcirco tibi ista mandaui. Sic nimirum contra imprudentes aut superbos interdum opottet arrogantia vti. His itaque verbis territus Iudex, ei factum suum excusauit, & eam vt meruerat, honorauit, atque vt ad prædictos viros quo ties vellet accedere, iussit. Quibus ab exilio reuocatis, monasterium prope Hierosolymam sibi fecit, in quo 27. annorum tempus impleuit, quinquaginta sorores virgines secum habens. Erat etiam cum ea Rufinus ciuis Italicus ex oppido Aquileiæ, vir sapiens, nobilium fortiumque morum, qui & ad presbyteratum postea meruit peruenire. Igitur in 27. annis omnes apud Hierosolymam sanctos, & peregrinos episcopos monachos, & virgines (hoc enim Deo vouerant) suscipere proprijs sumptibus, ac fouere consueuerunt, omnesque venientes ad se exemplo tali meliores fecerunt. Sed & 400. monachos, qui se propter Paulum ab Ecclesia separabant, rursus ecclesiæ sanctæ reddiderunt, pluresque etiam alios homines peruersæ sectæ, vera suadendo, iugiterque docendo, ad ecclesiam reuocauerunt.

Melania Hierosolymis monasterium virginum extruit.

In monte Nitria Melania Sanctos patres inuisit.

Subministrat monachis necessaria.

Peregrinos voti causa Hierosolymam venientes excipit.

De sanctis Elpidio Sisinnio Gaddano & Elia.

Cap. XC.

ELpidius genere Cappadox, qui postea presbyter fieri meruit, habitans in spelunca studio abstinentiæ cunctos vicit. Nam per annos 25 quos vixit dominico tantum, & sabbati die, cibum sumebat, ac per totas noctes stando, & orando psallebat. Quem sicut apes regem suum, sic innumera fratrum multitudo secuta, faciebat in solitudine quasi quandam apparere ciuitatem, eratque voluptas eorum conuersationis agnoscere varietatem. Hunc, cum quadam nocte nobiscum psalleret, scorpio vulnerauit, quo ille calcato, ne standi quidem spacium in quo fuerat, mutauit, in tantum ictus dolorem contempsit.

annis 25. tantum comedit Sabbathis ac dominicis diebus

Illæsus scorpium calcat.

Quadam etiam die cum vnus è fratribus exiguam aridi partem sarmenti ex vite teneret, accipiens eam quasi plantans infodit solo, cum certe tempus plantationis non esset omnino, quo in immensum crescente, tam magna vitis effecta est, vt totius Ecclesiæ tecta cooperiret.

Sarmentum ab eo plantatum crescit in vitem. Semper ad Orientem conuersus.

Fertur autem quod per annos vigintiquinque nunquam ad occidentem se conuertit, nec Solem ad occasum declinantem respexerit.

Huius discipulus nomine Sisinnius cum apud eum 6. vel 7. annis fuisset, tandem intra sepulchrum quoddam se clausit, in quo per triennium stans semper orauit, & nec nocte, nec die deambulauit, aut sedit, aut iacuit. Qui etiam contra dæmones specialem gratiam meruit, adeoque sine vllo vitio mentis & corporis vixit, vt nullam generis esse distantiam inter mares, & fœminas comprobaret. Itaque nunc ad patriam ideſt Cappadociam regressus, & presbyter factus, fratres pariter, & sorores in vnum collegit.

Sisinnius Elpidij discipulus sepulchro se includit.

Noui etiā Palestinæ senē, Gaddanu nomine, qui sine tecto semper circa loca Iordanis vixit. Contra hunc Iudæi quidam inuidia furibundi aliquando venerunt armati, quorum vnus cum ferire vellet, dextera quam erexerat aruit, & ex eius digitis gladius excidit.

Gaddanus absque tecto viuens.

Aresicit manus Iudæi ipsum ferire tentantis.

Elias quidam in spelunca degens, hospitalis, & charitate plenissimus, aliquando cum ad eum multitudo fratrum venisset, quia publicus illic erat transitus, subito deficiente ei pane tristari cæpit, & ingressus speluncam tres illic panes grandes ac recentes subito reperit, ex quibus 25. simul fratres vsque ad saturitatem refecit, vnus quoque superfuit, qui ei postea per 25. dies ad victum suffecit.

Tres panes Eliæ diuinitus suppeditantur ad exercendam hospitalitatem.

De sancta Siluia virgine & sancto Diocle, & Capitone.

Cap. XCI.

CVm autem ad Ægyptum ex Elia proficiscerēmur, sanctam * Siluiam Dei virginem, Rufini autem præfecti sororem deducentes, Sanctus Iouinius, qui nobiscum erat æstu nimio fatigatus, intra Pelusium oppidum manus suas, & pedes

* Palladio c. 143. dicitur Siluania.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aqua frigidiſſima refouere cæpit, ſeque poſtea ſuper pelliculam, & in ſolo ſtratam plumam proiecit. Ad quem illa accedens ait: Quomodo auſus es hanc ætatem agens, in qua ſanguis tuus adhuc viuit, ſic curare corpus tuum, atque fouere? non intelligis, quæ ex hoc naſci ſolebant læſiones animæ? Crede mihi confidenter loquenti, quod ego 60. agens annum, non ora, non pedes, non aliquam membrorum partem, exceptis digitis meis aqua laui. Cumque ægritudinibus laborans etiam à medicis lauacro cogerer vti, nunquam tamen antiquum corporis mei morem palpitare volui. Non in lecto quieui, non in lectica recumbens iter feci.

Auſtera vita Siluæ.

Doctorum ſcripta legit ſtudioſè.

Hæc virgo eloquentiſſima erat, & magnum habens amorem literarum, noctes in diem legendo vertebat.

Anachoretæ in ſpeluncis rupium.

In Antinoo Thebaidis prouinciæ ciuitate quatuor annis fui, quibus illic vniuerſa monaſteria cognoui, habitant in vrbis illius territorio 1200. probatiſſimi viri, propriarum manuum ſe labore paſcentes, ex quibus multi Anachoritæ ſe contulerunt ad rupes, & ſolitudines. Inter hos Diocles quondam ſæcularis Philoſophus, ſed iam ad cæleſtis Philoſophiæ ſtudium diuina gratia tranſlatus, quintum in ſpeluncis annum habens, hæc nobis aiebat: *Senſus humanus cum à cogitatione Dei receſſerit aut dæmonibus efficitur ſimilis, aut animalibus brutis:* neceſſe eſt enim, inquit, vt aut *in deſiderium* aliquod, aut *iracundiam* ruat, & *deſiderium* quidem illud brutorum: *iracundiam* verò dæmonum eſſe dicebat. Me autem contradicente quomodo fieri poſſit vt ſenſus humanus cum Deo iugiter maneat reſpondit: In quacumque cogitatione, vel actu fuerit anima, ſi pia eſt, & Deo placere ſtudet, vtique cum Deo eſt.

Diocles è philoſopho monachus.

Quomodo mens humana fiat vel dæmon vel beſtia.

Illic & quidam Capito nomine iuuenis erat, qui prius latro fuerat. Cum autem in ſpelunca ſua iam impleſſet annos quinquaginta, nec tunc vſque ad quartum lapidem vrbis accedere volebat, nec vſque ad fluuium Nili, qui proximus erat: dicebat enim, quòd necdum ſe conuerſationi ac ſermoni plurimorum hominum ingerere poſſet, eo quòd adhuc inimicus ei fortiter repugnaret.

Capito quinquaginta annis in ſpelunca degit.

De ſancta virgine Amata, & quadam alia & Melania iuniore.

Cap. XCII.

Amata 80. annis aſcetria.

SVnt etiam in eadem vrbe xij. monaſteria virginum, in quibus, & quandam Amatam nomine, vidi ſenem 80. iam (vt ferebatur) annos in monaſterio ſuo habentem. Cum hac habitabant 60. mulieres in abſtinentiæ puritate ſub eius doctrina viuentes. In hoc erat virgo quædam nomine Taor eius diſcipula, quæ habens in monaſterio annos triginta, non tunica, non mauorte, non calciamentis vnquam nouis volebat vti, dicens, ne propter hoc foras cogeretur progredi: alijs quidem omnibus dominico tantum die ad Eccleſiam ex more procedentibus, illa pannis vilibus induta domi reſidebat ſola. Tam elegantis autem erat formæ, vt etiam caſtiſſimum, & conſtantiſſimum virum eius pulchritudo vultus illicere poſſet, niſi ita moribus ornata eſſet, vt inæſtimabilem quendam in ſemetipſa caſtitatis propriæ cuſtodem haberet, qui turpiter cupientis cuiuſlibet oculos ad immenſum pudorem ac timorem compelleret.

Taor nouas veſtes veſtiuit, ne egredi cogatur.

Forma ſua morum grauitate conſulit.

Alia quoque in vicino commanens, nunquam de monaſterio fertur egreſſa, in quo cum matre ſua impleuit annos 60. Cui tandem aſtitit beatus martyr Colothus, & ait: *Hodie perges ad Dominum tuum, veni igitur in baſilicam martyrij mei, vt ibi prandeas mecum.* Tunc illa primum poſt annorum tot curricula procedens, mane ad martyrium ſancti venit, panem & olera ſecum tulit, vbi completis orationibus, cum omnes à loco receſſiſſent, illa ſedens martyrem inuocauit dicens: *Benedic eſcam meam Sancte Colothe, & interceſſionibus tuis mecum proficiſci dignare.* Sumpto itaque cibo, & facta rurſus oratione, circa Solis occaſum ad monaſterium redijt, & matri ſuæ dixit: *Proficiſcor ad Dominum meum.* In ipſa etiam nocte, neque dolorem capitis, nec calorem corporis ſentiens, ipſa ſe, vt erat ſepelienda, compoſuit, & ſpiritum ſuum manibus Dei commendauit.

Virgo nunquam egrediens.

Preces pro viatico ſuo extremo petit.

Porro Melania iunior præfatæ Melaniæ neptis cum 13. eſſet annorum virum ſuſcepit, vij. annis cum eo vixit, & 20. renunciauit, ipſumque virum ſuum ad contemptum ſæculi conuertit. Et primum quidem veſtes ſuas ſericas ad Eccleſiarum ornamenta diſtribuit, argentum autem, & aurum ſuum per Paulum preſbyterum ad orientem nauigio tranſmiſit, ibique per diuerſas prouincias erogauit. Sub occidentali vero plaga, ipſa per ſeipſam cunctis egentibus, quæ ſciret neceſſaria miniſtrauit. Seruos autem promiſcui ſexus vſque ad octo millia liberos fecit. Poſſeſſiones omnes quas habuit in Aquitania, Gallia, Tarracone, Hiſpania, diſtraxit. Agros quos tantum habebat in Sicilia, Campania, & Africa, vt ex eis monaſteria deinceps aleret ac foueret, ſibimet reſeruauit. Poſt alterum diem ſemper cibum capere conſueuerat: nam inter ipſa principia, quinto quoque die guſtabat, idque obſeruans etiam diurnas cum ancillis ſuis miniſterii vices agebat, quas tanquam ſorores habebat. Parem quoque Pinianus vir eius cum 30. monachis vitam agebat,

Melania marito continentiam perſuadet.

Melania quomodo ſua diſtribuebat.

De virgine apud quam ſanctus Athanaſius ſex annis latuit.

Cap. XCIII.

VIrginem quandam in Alexandria 70. annorum vidi, de qua dicebant illic omnes clerici, quòd olim cum eſſet iuuenis pulchra valde, conſpectus omnium vitare conſueuerat, nequa propter miraculum vultus ſui ſuſpicione vel malitia notaretur. Tunc Arrianis ſub Imperatore Conſtantio Beato Athanaſio calumnias excitantibus, ille corruptum iudicium declinans, non amico vel parenti vel clerico ſe credidit, ſed cum apparitores ſubitò domum eius intraſſent tunica, birroque veſtitus, media nocte fugiens, ad hanc virginem venit. Cui tam inopinatæ rei perterritæ nouitate ſanctus Epiſcopus ait: Ab Arrianis quæror, & calumnioſis criminibus incurſor, ne igitur, & ego irrationabili nota deformer, & qui ad pœnam meam parati ſunt, propter me ruant in peccatum, magis credidi fugiendum. Deus autem hac nocte reuelauit mihi, quòd apud nullum ita, vt apud te, poſſem ſaluari. Tunc illa congaudens in Domino, proiectis cogitationibus vanis, ſanctum illum per 6. annos intra cellæ ſuæ ſecreta celauit, quamdiu Præfatus Conſtantius vixit; ipſa ei pedes abluens, & omnia neceſſaria per ſe præparans ac miniſtrans, libros quoque quos ille quærebat, mutuo ſumens, eique legendos præbens. Nullus tamen in vrbe quod degeret eum inuenire potuit, donec Conſtantio mortuo, rurſus nocte propriis veſtibus indutus, in eccleſia ſubitò cunctis ſtupentibus apparuit. Omnes enim ſe videre credebant eum, tanquam ex mortuis ſuſcitatum. Amicis autem intimis ſuis ſatisfaciebat, dicens: Idcirco me ad latebras veſtras non contuli, vt tutè poſſetis iurare, quòd vbi degerem neſciretis. Et quia neceſſe erat vbique me quæri, in cella illius virginis latui, vbi me celari nullus ſuſpicaretur, eo quòd iuuenis, & pulchra videretur. Sic ergo, & ipſi, & famæ, vel gloriæ meæ, profui.

Athanaſius vt apud virginem deliteat, diuinitus monetur.

Mirū huius virginis obſequium in Athanaſiū.

Athanaſius redit ad ſuos.

De virgine Corinthia per iuuenem à lupanari liberata.

Cap. XCIIII.

Virgo apud impium iudicem accusatur.

APud Corinthum nobilissima quædam, & pulcherrima puella, virginitatis voto degebat, quam apud paganum iudicem nonnulli veluti Dijs ipsorum, & Imperatoribus sacrilegis conniciantem criminibus impetebant. At Iudex insanus amore fœmineo, postquam machinamentis, & artibus varijs non potuit ei persuadere, quod voluit, nouo contra eam furore desæuiens, non eam morti vel alicui pœnæ destinauit, sed quod erat grauius, & crudelius, in lupanari prostitui præcepit, lenonique ipsarum turpitudinum, vt trinos ad eum per singulos dies ex ipsius concubitu solidos exhiberet, iniunxit. Quam scilicet pecuniam vt à se leuo flagitandam intellexit, in omnium eam, qui vellent potestatem dedit. Quod vbi prædæ tales accipitres didicerant, ibant, & perditionis officinam obseruabant, datoque precio cum ea loquebantur optabilium sibi principia voluptatum. At illa vulnus quoddam in interioribus se habere dicens, cuius fœtorem si venientes ad eam sentirent, horrore contagionis effugerent, singulos miserabiliter precabatur, vt ei paucos dies ad quietem concederent. Interea dum orationes perpetuas, ac maximas ad Deum faceret, humanæ salutis custos Deus iuuenem quendam vultu, moribusque bonum, ita mente commouit, vt amore diuino succensus, interire pro ea cuperet. Itaque sub specie perpetrandæ turpitudinis ingressus profunda nocte, datis lenoni quinque solidis, vestibus se proprijs spoliauit, eisque puellam induens, clamyde quoque caput velatam, de lupanari incorruptam emisit. Postera die cognito omnibus hoc facto, iudici traditus est, ac bestiarum feritate discerptus est, vt etiam in hac parte confusus dæmon remaneret, cum eum tam pro sua, quam pro virginis salute, duplici martyrio coronatum videret.

Prostibulo traditur.

Fornicatores insigni stratagemate deludit.

Adolescens seruat virginis castitatẽ.

De quodam pijssimo monacho, & de virgine lapsa, reconciliata perfectè.

Cap. XCV.

Monachus in omnes misericors.

IN Ancyca Galatiæ, quidam erat monachus, à sancto ciuitatis episcopo non recedens, adeo pietatis operibus intentus, vt etiam noctibus, manum dando petentibus, circumiret, ne ægris, ne carcere clausis, ne pauperibus auxilio deesset. Quadam igitur hyemis nocte, cum mulier quædam in ecclesiæ porticu stimulata partus doloribus vlularet, oratione derelicta, quam tunc in ecclesia solenniter celebrabat, egrediens, vidensque quod ei nullus ei assisteret, ministerium obstetricis assumpsit, ne misericordiæ genus obmitteret. Tanto enim affectu tenebatur humanitatis, vt præ desiderio huius operis nullum habebat studium lectionis. Nam si quis ex fratribus ei codicem donauit, mox eum vendere consueuit, & requisitus causam cur hoc faceret, respondit: Vnde probabo magistro meo, quod eius artem iam sciam, nisi distractis codicibus, ipsius artis necessaria mihi prouideam?

Monachus parturienti subuenit.

Ancilla Dei, virgo quędam abstinentiam nouem annis custodiens, à quodam cantore solicitata est, & corrupta. Quæ statim concipiens, partu explicito, nimio dolore pœnicentiæ mens eius compuncta est, in tantum, vt fame semetipsam vellet occidere, lachrymosis, precibus Deum iugiter interpellans, ac dicens: *Tu Deus magne, qui totius mundi malitiam portare consuesti, quia tua voluntas est cunctos saluari, me quoque perditam in hoc ostende si saluti restitues, vt quod ex peccati mei perditione creatum est: ex hac luce celerius tollas, ne forsitan aut laqueo, aut præcipitio perire compellar.* Statimque partu diuinitus morte subtracto, illa se pœnitentiæ summis angustijs tradidit, & elephãtiosis mulieribus per annos triginta seruiuit. Cuius humiles preces misericors Deus, non repulit, cuidam namque sancto presbytero reuelauit dicens: Illa virgo plus mihi placuit in pœnitentia, quam in virginitate sua.

Virgo lapsa desperabunda.

Oratio pœnitentis virginis.

Pœnitentia virginitate Deo gratior.

De illa quæ corruptionis suæ crimen in quendam lectorem transtulit

Cap. XCVI.

APud Cæsaream quoque Palestinæ, cuiusdam presbyteri filia virgo fornicatione ruit, cui corruptor persuasit, vt factum proprium in quendam lectorem mentiendo transferret. Quod cum illa iam grauida apparens patre cogente, vt auctorem sceleris proderet, lectori imposuisset, episcopus hoc audiens à presbytero fecit eum in conuentu clericorum omnium accersiri. Qui interrogatus ab eo, nihil speciale feciſſe, poterat confiteri. Cum autem episcopus vehementer iratus ei contumelias irrogaret, quasi qui peccatum suum impudenter negaret, respondit. Ego quidem quod erat in conscientia mea dixi, sed si vis audire, quod non est, ego hoc crimen admisi: statimque gradu lectoris eum episcopus deposuit. Tunc ille: Iube, inquit, eam mihi dari in matrimonium, quia nec illa iam virgo, nec clericus esse possum. Tunc episcopus dedit eam illi, putans quod ipse diligeret eam, nec posset ab ea separari. Igitur tam ab episcopo, quam à patre sibi traditam monasterio fœminarum commendauit, rogans Abbatissam, vt haberet eam illic donec pareret sustentandam. Ipse vero in præfato monasterio, in angusta cellula se concludens, & abstinentiam difficilem nimis arripiens, cum lachrymis, & gemitibus, & ieiunijs Christum adijt dicens: *Tu Domine cui nota sunt omnia, cui nihil iniquum placet, causam quoque meam tua sententia manifesta.* Illo igitur in his iugiter perseuerante, mulier cum dies suos impleſſet cæpit vehementer vrgeri partus dolore. Cumque Dei iudicio partus angustijs expedire se non posset, tantumque cruciatum vsque ad septimum diem sustineret, iamque moritura calumniatrix inferna conspiceret, nec vltra manducare, vel bibere, vel dormire posset, intolerabili dolore clamauit: *Væ miseræ mihi, quæ ad hoc periculum dupliciter veni, primum quod virginitatem perdidi, deinde quod illi lectori falsum crimen imposui.* Hoc Pater eius vt audiuit, timens ne tanquam calumniator reprehenderetur, quieuit, & tacuit. Audiens autem episcopus, diaconos ad lectorem misit, sicque ei mandauit: *Ora vt pariat calumniatrix tua.* Quibus ille nullum responsum dedit, sed nec ostium quidem suum apperuit. Rursus orationes in ecclesia fiunt, & nec sic remedium vllum in ea percipiunt. Tunc ille episcopus ad Lectorem venit, ostium pulsauit, & ingressus, ait: *Surge frater Eustathi, & solue, quod ligasti.* Ipso itaque momento cum Lector vna cum episcopo genua sua flexisset, mulier enixa est: Tantumque innocentiæ iugis oratio valuit, vt & calumnia periret, & calumniatrix pœnas ad emendationem sustineret.

Lector iniustè accusatus de stupro.

Deponitur ab officio.

Oratio lectoris Eustathij iniustè accusati.

Puella in partu diuino iudicio cogitur fateri stuprum & purgare lectorem.

Innocens Eustathius lector perstat inclusus instar pœnitentis.

Precibus lectoris scripturmisera à partus doloribus.

De sancto Nathanaele seniore.

Cap. XCVII.

FVit quidam nobilissimus agonista Nathanael, qui fraude dæmonis accidiam passus, ex priore cella dicitur recessisse & aliam cuidam vico vicinam fabricasse, vt cum habitare cæpisset, dæmon ad eum per noctem accessit, in speciem carnificis figuratus, qui pannis obsitus, sordere deformiter, sonumque flagris facere videbatur. Ad quem vir sanctus: Quisnam, inquit, es, qui talia in hospitio meo facere conaris? Ille respondit: Ego sum qui te ex priori cella fugaui, quique nunc vt ex hac etiam te expellerem, veni.

Dæmon specie carnificis eum terret.

Tunc

Tunc ſanctus illuſus ſe videns à dæmone, mox ad habitaculum prius redijt, ibique 37. annos complens, nunquam ex tunc in propoſito ſuo titubauit, nec ipſum quidem, limen egrediens, cum dæmone quem ſuperare volebat, contendens, qui tantis eum machinationibus vexabat, vt quocunque modo cellam cogeretur exire, quantas ſigillatim non poſſum referre.

Contendit Nathanael cũ dæmone.

Inter hæc etiam captato 7. epiſcoporum aduentu, qui ad illum requirendum, ſiue prouidentia Dei, ſiue dæmonis ipſius tentatione venerunt, cum ipſos poſt orationem factam, ne vno quidem paſſu proſequeretur, eorum diaconi dixerunt: Abba ſuperbam rem admodum facis, quod ſanctos epiſcopos non deducis. Quibus ille: Ego, inquit, dominos meos, epiſcopos veneror, ſed & his, & vniuerſo ſæculo mortuum me eſſe profiteor, occultum autem propoſitum meum nouit Deus, propter quod eos non proſequor. Iterum dæmon alias contra eum machinatur artem, ſitque ſubito quaſi puer paruulus annorum 10. minans aſinum, panes in ciſta ferentem: qui cum ad cellam eius profunda nocte veniſſet, aſinum in terram ruiſſe finxit, & clamans ait: Abba Nathanael, miſerere, mihique manum porrige. Audita ille quaſi puerili voce intra oſtium ſtabat, cuius partem recluſerat, dicens: Quis es? Puer, inquit, ſum monachi illius, & panes ei porto, quia cras agapem eſt facturus. Quæſo ergo, ne iacentem deſpicias ac ferarum morſibus tradas. At vir ſanctus, velut æneus ſtabat, & certis cogitationibus ſtupens hæc ſecum verſabat: Neceſſe eſt me, aut miſericordiam (quod maximum eſt in diuinis præceptis) non facere, aut à propoſito deuiare. Tandem ad Deum oratione facta, reſpondit ei: Audi infans, credo in ipſo cui ſeruio, qui omni ſpiritui dominatur, quia ſi neceſſarium habueris auxilium, ipſe tibi præſtabit, nec feras, aut quemquam alium nocere patietur: Si vero res iſta tentatio eſt, iam nũc aſpiciat Dominus meus, nec ex ea me lædi permittat vlterius. Tunc oſtio clauſo, ſe recepit. Dæmon itaque victus, & confuſus, in venti turbinem eſt reſolutus, & in * ſues agreſtes diſcurſibus, ac ſtrepitu laſciuientes.

Septem epiſcopi inuiſunt Nathanaelem.

Dæmon in pueri figura Nathanaelem è cella euocare tentat.

Agape, ſpiritualis oblatio.

Firmum Nathanaelis propoſitum.

* Alias onagros.

De ſanctitate cuiuſdam fratris cum Heraclide conuerſantis.

CAP. XCVIII.

FRatrem quendam qui mecum ab initio iuuentutis vſque hodie vixit, noui nullo mentis, aut corporis deſiderio victum, & pro contemptu ſuo gratias ſemper agere conſuetum, pro veris amicis etiam periculum ſubire cupiebat, millieſque & forte amplius dæmonum poteſtatem: expertus erat. Vnde quadam die diabolus cum eo paciſci voluit, dicens, promitte mihi, quod vel ſemel peccabis, & exhibebo tibi fæminam quamcumque in hoc mundo deſideraueris. Alio tempore dæmon per 14. noctes cum eo confligens, pedibus eum de cella ſua trahebat, eique humana voce dicebat: Noli Chriſtum adorare, & nunquam vlterius accedam ad te. Cui ille: Propterea, inquit, eum adoro, & iugiter adorabo, quia multum angeris, & cruciaris eo ipſo quod facio.

Socius Heraclidis miris fulget virtutibus.

Confligit cũ dæmone.

Hic nullam fœminam eſt expertus, nec inter ſomnia, niſi in viſione certaminis, & conflictus. Scio etiam eum ter ab Angelis accepiſſe cibum. Die vero quadam in vaſtiſſima ſolitudine, cum ne quidem micam panis haberet, tres in pelle ſua reperit paximates.

Ab Angelis paſcitur.

Alio quoque tempore vinum pariter inuenit & panes. Frequenter cum videret aliquos graui penuria laborare, multum flebat, eiſque præter corpus ſuum, quicquid habere poterat, dabat. De hoc itaque maxime gloriabor, qui mecum vixit, & talis fuit.

Miſeris compatitur.

Tu ergo famule Chriſti Lauſe, beatas ſanctorum vitas lege, promptiſque ſenſibus ſequere, ſciẽs paucos fore qui ſequentur eos, qui hos præceſſerunt dies.

Author. Hæc de geſtis ſanctorum illius temporis confeſſorum, iuxta Heraclidem, hoc loco inſerui, quorum tamen quædam dicta & facta notabilia, iuxta Tripartitam hiſtoriam, & Vitaſpatrum iam ſuperius poſui, non quidem omnium, ſed aliquorum, vt duorum Macariorum, Moyſi Æthyopis, Pauli ſimplicis, aliorumque multorum. Nec eadem hic quæ ſuperius, ſed alia, etſi aliquando eadem, plenius tamen, & apertius.

De Rufino preſbytero, & ſcriptis eius.

CAP. XCIX.

APparet autem, & Rufinum Aquileiæ preſbyterum his temporibus floruiſſe, quem ſupra dixit Heraclides apud Hieroſolymam, cum ſancta Melania triginta ſeptem annis deguiſſe, pauperes, & peregrinos ſumptibus proprijs fouiſſe, multos etiam hereticos vel ſciſmaticos ad vnitatem fidei, & pacem eccleſiaſticam reuocaſſe: quem etiam ibidem Heraclides ſic commendat: Erat inquit vir nobilium morum, & in ſingulari propoſito ſatis fortium, quo nullus manſuetior & placidior, tanquam omnia ſciens, in ſexu virili potuit inueniri. *Encomia Rufini.*

Helinandus. Hunc tamen beatus Hieronymus inſimulauit Pelagianæ hæreſis, præter hæreſim Origenis, ſimul & Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopum, de quibus ſcilicet duobus ſic loquitur Gennadius Rufinus preſbyter Aquileienſis eccleſiæ, non minima pars eccleſiæ doctorum fuit, & in transferẽdo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem Græcarum bibliothecarum Latinis exhibuit.

Baſilij ſcilicet Cæſarienſis epiſcopi.

Gregorij Nazianzem,

Clementis Romani, recognitionum libros.

Euſebij Cæſarienſis Eccleſiaſticam hiſtoriam, cui, & duos libros addidit.

Euagrij quoque ſententias.

Pamphili martyris contra Mathematicos.

Origenis autem omnia, nam & Hieronymus tranſtulit aliqua, quæ ſuo prologo diſcernuntur.

Symbolum etiam ita diſſeruit, vt in eius cõparatione cæteri nec expoſuiſſe credantur.

Benedictionem quoque Iacob ſuper patriarchas, & epiſtolas multas ad Dei timorem exhortatorias, ſed & obtrectatori opuſculorum ſuorum duobus voluminibus reſpondet.

Scripſit, & explanationem ſuper prophetas tres ſcilicet Oſeæ. Iohel, & Amos.

Ioannes quoque Hieroſolymitanus epiſcopus ſcripſit aduerſus obtrectatores ſtudij ſui librum, in quo ſe oſtendit Origenis ingenium, non fidem ſecutum.

Author. De mutuis inuectiuis Hieronymi, & Auguſtini dicetur in libro ſequenti.

De mutuis epiſtolis Hieronymi, & Auguſtini.

CAP. C.

IPſe quoque Hieronymus, & Auguſtinus de quibuſdam ſcripturæ capitulis inter ſe epiſtolas mutuas vſque ſimultatem diſceptauerunt, de quibus hæc pauca inſerere volui.

Hieronymus Auguſtino. Fortiſſimos quoque milites ſubita bella conturbant, & ante coguntur fugere, quam poſſint arma corripere. Peto vt quieſcentem ſenem militare non cogas, & rurſum de vita periclitari, Tu, qui iuuenis es, & in pontificali culmine conſtitutus, doceto populos, & nouis Africæ frugibus Romana tecta locupletare, mihi ſufficit cum auditore pauperculo in angulo monaſterij ſuſurrare.

Idem ad eundem. Non ego tibi, ſed cauſa cauſæ reſpondit, & ſi culpa eſt reſpõdiſſe, multo maior eſt prouocaſſe. Sed faceſſant huiuſmodo quærimonia, ſit inter nos pura germanitas & deinceps non quæſtionum ſed charitatis ad nos

ad nos ſcripta mittamus, atque in campo ſi placet ſcripturarum ſine noſtro inuicem dolore ludamus. Ego quondam miles, nunc veteranus, & tuas, & aliorum debeo laudare hiſtorias, non rurſus effæto corpore dimicare.

Auguſtinus Hieronymo. In expoſitione tua epiſtolæ ad Galatas inuenimus aliquid, quod multum nos mouet. Si enim Paulus vbi dicit, *Petrum, & Barnabam ad veritatem euangely non ambulaſſe*, mentitus eſt officioſe vbi ergo verum dixit? an ibi verum dixiſſe videbitur, vbi hoc dixerit quod lector ſapit? Cum vero contra ſenſum lectoris aliquid occurrerit, officioſo mendacio deputabitur. Nequaquam autem mihi arrogauerim, vt ingenium tuum diuino dono aureum obolis meis ditare contendam nec te quiſquam magis idoneus eſt, qui opus illud emendet.

Gal. 2.

Idem ad eundem. Mihi idem exitioſiſſime credi videtur, homines illos per quos ſcriptura ſancta eſt miniſtrata aliquid in ipſis libris fuiſſe mentitos, admiſſo enim ſemel ibi officioſo mendacio, nulla particula remanebit, quæ non, vt cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad finem incredibilis, ad mentientis auctoris conſilium officiumque referri poſſit. Video quidem, & ego interdum vitia mea, ſed hoc audire malo à melioribus, ne cum me recte fortaſſe reprehendero, rurſum mihi blandiar, vt meticuloſam mihi potius videar in me, quam iuſtam protuliſſe ſententiam. Quapropter, etſi vt bos, tibi videris laſſus ſenectute forte corporis, non animi vigore, tamen in area Domini fructuoſo labore deſudas. Ecce ſum: ſi quid perperam dixi, fortius fige pedem. Non mihi debet moleſtum eſſe pondus ætatis tuæ, dummodo conteratur palea culpæ meæ. Rogo te ſi fieri poteſt, vt inter nos quæramus, & diſſeramus aliquid, quo ſine amaritudine diſcordiæ corda noſtra paſcantur. Si vero non poſſum dicere quid mihi videatur emendandum in ſcriptis tuis, nec tu in meis, niſi cum ſuſpitione auaritæ, quieſcamus ab his, & noſtræ ſaluti parcamus. Minus certe aſſequatur illa quæ inflat, dum non offendatur illa, quæ ædificat.

De Claudiano poeta, & floſculis eius.

Cap. CI.

Avthor. Tempore Theodoſii Claudianus gentilis Poeta Romæ claruit.

In duobus libris metricis Claudiani, maiori ſcilicet & minori, multa ſunt prouerbia notabilia de quibus hic pauca ſubieci.

Claudianus in maiori.

Tenero tractari pectore neſcit
Publica maieſtas.
Truncentur, & artus,
Vt liceat reliquis ſecure viuere membris.
Heu quam cæcus ineſt vitijs amor.
Multis delicta fuere
Nexus amicitiæ.
Quid iuuat errores merſa iam puppe fateri.
Si metuis, ſi plura cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges,
Tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris Rex eſſe tui.
Procliuior vſus
In peiora datur, ſuadetque licentia luxum.
Iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror, tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.
Tu conſule cunctis
Non tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota,
Ne cunctos paucorum crimine damnes.
Componitur orbis
Regis ad exemplum.
Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitrijs hebetat caligine ſenſus.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus,
Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores.
Non tibi quod liceat, ſed quod deciſſe decebit.
Occurrat mentem domitet reſpectus honeſti.
Dys proximus ille eſt
Quem ratio non ira mouet, quæ facta rependens
Conſilio punire poteſt.
Quas male collegit fallacis dextra parentis,
Has peius nati dextra refundit opes.
Plus eſt ſeruaſſe quæſitum,
Quam quæſiſſe nouum.
Carmen amat quiſquis, carmine digna gerit.
Munere charior omni
Aſtringit ſua quemque ſalus.
Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores.
Eſt malus interpres rerum metus.
Clauſa putat ſibi cuncta pauor,
Idem in minori.
Omnia mors æquat tu damnatura nocentes,
Tu requiem datura pijs, diſſuaſor honeſti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes.

De floſculis Prudentij.

Cap. CII.

PRudentij quoque qui eodem tempore floruiſſe ſuperius dictus eſt, paucos flores metricos de conflictu vitiorum, & virtutum hic placuit inſerere.

Prudentius.

Prima petit campum, dubia ſub ſorte duelli,
Pugnatura fides agreſti turbida vultu,
Prouocat inſani frangenda pericula belli.
Ecce modeſta grauis ſtabat patientia vultu,
Per medias immota acies varioſque tumultus
*Spectabat defixa oculos, & * læta manebat*
Hanc procul ira tumens, ſpumanti feruida rictu,
Sanguinea intorqueus ſuffuſo lumina felle,
Impatienſque more.
Inde quieta manet patientia fortis ad omnes
Telorum nimbos
Humilitas
Intendit greſſum mediocriter, oraque parce
Erigit, & comi moderatur gaudia vultu.
Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum.
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cauere.
Scandunt celſa humiles, truduntur ad ima feroces.
Fertur auaritia gremio præcincta capaci.
Quicquid luxus edax precioſum liquerat, vnca
Corripuiſſe manu.
Nec ſufficit amplos
Impleuiſſe ſinus, Iuuat infarcire crumenis
Turpe lucrum.
Omne hominum rapit illa genus,
Non eſt violentius vllum
Terrarum vitium.
Summa quies nil velle ſupra, quam poſtulat vſus
Debitus, vt ſimplex alimonia, veſtis & vna
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturæ non trahat vltra,
Pallor in ore,
Conſcius audacis facti, dat ſigna reatus.
Et deprenſa tremit languens manus; & color albet.
His dictis curæ emotæ, metus, & labor, & vis,
Et ſcelus, & placidæ fidei fraus inſidiatrix.
Quod ſapimus coniungat amor, quod viuimus vno
Conſpiret ſtudio, nil diſſociabile firmum eſt.
Pax belli exacti precium eſt, pretiumque pericli.
Nil placitum ſine pace Deo, nec munus ad aram.
Meritorum clauſula pax eſt.
Non inflata tumet, non inuidet æmula fratri.
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.

* lenta

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nunquam læſa tumet, cuncta offenſacula donat.
Occaſum lucis venia præcurrere geſſit.
Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum.
Latitat lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ouem ſub vellere molli.
O quotiens animam, vitiorum peſte repulſa,
Senſimus incaluiſſe Deo:

De Ioanne Damaſceno.

Cap. CIII.

Ioannis Damaſceni pietas in Beatã Virginem.

Ex geſtis eius. Eo quoque tempore floruit Ioannes presbyter Damaſcenus. Hic ab infantia Græcis literis eruditus infra 12. annos omnium liberalium artium ſcientiam apprehendit: in amore Dei, ac gloriosæ Matris eius ſe exercens, monachalem habitum aſſumpſit, virgoque permanens *Reginæ virginum horas quotidie ſtudioſiſſime decantabat*: factuſque presbyter in eius honore miſſas deuotiſſime, ac frequentiſſime celebrabat. Inſuper etiam orationes, antiphonas, reſponſoria, proſaſque facere conſueuerat, quas in eius ſolemnitatibus ad ipſius laudem dulciſſime decantabat. Tradebant ei nobiles viri proprios filios erudiendos, quos ille nón ſolum litetis ſtudioſiſſime inſtruebat, ſed etiam ad timorem, & amorem, in omni morum honeſtate diligenter informabat. Quadam die cum egreſſus ciuitatis muros cum ſcolaribus ſuis pauliſper ſpaciaretur, Saraceni ſubito irruentes more ſolito, cum hominum, & animalium multitudine, ipſum quoque rapuerunt, ac ſecum in Perſidam detulerunt. Et cum inter prædones prædæ diuiſio fieret: contigit, vt cuidam inter eos ditiſſimo, Ioannes in partem veniret: qui cæteris ad ſeruitutis opera deputatis, nutu diuino *meritis beatæ virginis* erga ipſũ mitius ageret. Captiuus namque, ſeruitutis penſum ſolitũ reddere non negligebat, ſed & ieiunijs, ac vigilijs inſiſtens *orationes, ad beatam virginem deuotiſſimas quotidie dirigebat*. Quod ille gentilis animaduertens, eius bona conuerſatione tanquam ſpiritali prædicatione conuictus, ipſum ire ac redire liberum quo vellet infra palatij ſpacia permittebat: & die quadam ſic eſt eum allocutus: Mi Ioannes chariſſime miratus ſum prudentiam tuam, dictandi curialitatem, ſcribendi vtilitatem, cantandi, & organizandi ſuauitatem, ſanctum quoque propoſitum, & conuerſationem. Habeo filiolum non minus meipſo mihi charum, quem precor, vt in artibus liberalibus erudias, & in dictando, ſcribendo, legendo, cantando, ſic eum tibi conformare ſtudeas, vt ſi forte aliquando liber à nobis receſſeris, in ipſo tamen apud nos quodammodo totus remaneas. Qui puerum obedienter humiliterque ſuſcipiens, & à primis elementis erudire incipiens, intra paucos annos in omnibus artibus liberalibus inſtructum adeo reddidit, vt ſi magiſtri ac diſcipuli rhetoricum dictandi genus attenderent, ſi literæ formam aſpiceres, ſi vocis melodiam audires, nullam eſſe differentiam inter vtrumque clamares.

Ieiunijs & orationibus inſiſtit Ioannes etiam in captiuitate.

Placuit Saraceno eius vita, & morum probitas.

Quæritur à Theodoſio Imperatore.

Porro cum Imperatori Theodoſio pro vitæ merito, & morum honeſtate, necnon & pro eloquentiæ nitore, in quibuſdam cauſis neceſſarius videretur, miſſa legatione ſub pœna capitis Domino mandat, vt ei quantocyus mitteretur. Qui præcepto Imperiali contradicere non auſus, Ioannem, Conſtantinopolim ad ipſum honorifice deduci fecit: Imperator eum cum honore ſuſcepit, & ei monaſterium in quo cum fratribus Deo quiete ſeruiret in vrbe dedit, vbi, & ipſemet ſæpius veniebat, ac de ſtatu regni, & ſalute animæ ſuæ, familiariter cum eo tractabat.

De falſo crimine in eo punito.

Cap. CIIII.

VT autem bonus Ioannes ad meritorum augmentum probaretur, adhuc in camino tribulationis: iuuenis ille quem in Perſide docuerat ſuum genus dictandi, & propriam manum ſcribendi, nequitiæ ſpiritu exagitatus, epiſtolam proprio ſenſu ingenioque dictauit, ſcriptamque Conſtantinopolim furtiue direxit, & in palatij loco vbi citius à miniſtris Imperialibus inueniri poſſet, iactari præcepit. Eratque talis:

Calumnia in Ioannem

DILECTIS AMICIS, QVI SVNT IN PERSIDE, DAMASCENVS IOANNES MONACHORVM MINIMVS SALVTEM.

Extant huius res geſtæ à Ioanne epiſcopo Hieroſolymitano conſcripta, ſed ibi dicitur, quod vix erat temporibus Leonis Iſaurici, vti etiam Baro. teſtatur, Cedrenus, Suidas & plures alij.

Noueritis Imperatorem, robur exercitus ad diuerſa bella in nationes extremas miſiſſe, vrbemque regiam, & finitimas, hominibus vacuas remanſiſſe. Quoniam ergo ſapientes eſtis, ſecuri venite, & victoriam vobis paratam abſque mora viriliter obtinete.

Inuenta eſt igitur à miniſtris epiſtola, & coram Imperatore perlecta. Traditio ab omnibus exclamatur, & quis huius proditionis auctor eſſet, inquiritur: forma litteræ, ingeniumque ſcribendi reſpicitur, & Ioannes eſſe Imperatori nunciatur. Statim Ioannes quæritur, & cum iniuria multa ad Imperatoris præſentiam trahitur, ipſo mirante, vnde tam ſubito talis tumultus, & contra ſe conſpiratio oriretur: populus vniuerſus intorquens conuitia mille, non ſacerdotem, ſed proditorem, non monachum, ſed apoſtatam proclamabat, & furibundus vix manus ab eius oculis continebat. Tunc Imperator facto ſilentio ſuſpirans, ait: O nequiſſime Ioannes, beneficijs meis ingrate, malum mihi pro bono reddidiſti, Sarabaita peſſime: quantum eſt in te patriam prodidiſti, mihique ac meis auferens libertatem in captiuitatem peſſimam nos retruſiſti. Oſtenſaque illi epiſtola reſpondit ita: Vere Domine, formam ſcribendi ac dictandi, genus meum hoc eſſe cognoui, ſed teſtis eſt mihi Deus, quod eam omnino non feci. Dumque omnes in eum perſtreperent, eo quod veritatem occultare velle videretur, vndique proclamabant, vt abſque dilatione morte puniretur. Iudices, facto conſilio, pari aſſenſu dicunt, ipſum, quia ſpecialis amicus Imperatoris fuerat, non debere occidi, ſed manum qua tantum facinus perpetrauerat abſcidi. Quo facto Ioannes de dolore vulneris, ac diminutione corporis, *Deo gratias egit*, & quod in eius honorem amplius offerre ſacrificium non poſſet, pauliſper condoluit. Abſciſa itaque manus officio ſpiculatoris, inſtu Imperatoris ad teſtimonium tanti ſceleris ſuſpẽſa eſt in monaſterio ipſius Ioannis.

Dextera manus Ioannis amputatur.

De miraculo per beatam virginem in eo demonſtrato.

Cap. CV.

Inuocat matrem Dei Damaſcenus.

ILle mox *ante imaginem ſpecialis Dominæ ſuæ* mancus aduenies, diſcooperto vulnere, & extento brachio, cum ea pie rixabatur, inquiens: *Hæccine Domina noſtrorum præmia ſunt meritorum? Hæccine tuorum beatitudo ſeruorum? Eſto Domina mi, digne pro meritis peccatorem me flagellari voluiſti: ſed, vt quid inſtrumentum officij tui permiſiſti penitus abſcidi. Hæc, quippe manus hymnorum laudis tuæ cantica ſæpius ſcribendo parabat, & Deo patri ſacratiſſimum corpus, & ſanguinem filij tui, multotiens in honore tuo ad omnium peccatorum ſalutem offerebat.*

Cumque talia ſæpius ibi lamentando peroraret, contigit nocte quadam, vt poſt huiuſmodi lamentationem in lectulo feſſus, nec dormiens, nec vigilans ex toto pauſarat: & ecce regina virginum affuit cum ingenti lumine, hilari facie, tali conſolans eum affamine. *Quid agis*, inquit, *puer meus fideliſſime? Heu*, inquit ille, *Domina, quid me interrogas? Quinimo interrogo te ego. Cum hęc paterer, vbi eras? Ecce ad meam imo ad tuum dedecus in eccleſia pendet abſciſa clientis tui manus.* At illa: *Confortare*, inquit, *fili in domino, manum tuam tibi reſtaurare poteſt, qui totum hominem plaſmauit ex nihilo*. His dictis, eo vidente illa Eccleſiam petijt, delatamque inde manum, eius brachrio cum mira benignitate in momento reſtituit. Tunc ille gratias ineffabiles agens, reddita diei luce ſurgit, fratribus conuocatis manum oſtendit, eoſque ſecum *ad magnalia Dei glorificandum* animauit. Mox ſolemniter indutus, alta

Sancta Maria reſtituit ei manum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

voce *missam de beatissima virgine celebrauit*. Imperator, audito miraculo, pedes ad eum venit, & ore proprio manum manum deosculans, *post Dei laudem & gloriosæ virginis* ab ipso diligenter inquirit, si quem alicubi cognosceret, qui suum dictandi genus, ac scribendi formam haberet. Quod ille quidem ei retulit, & sic rei veritas inquisita diligentius innotuit.

De Nece Valentiniani & Eugenij Tyranni.

Cap. CVI.

IGitur Valentinianus Imperator, nimia austeritate Arbogastis magistri militum ad vitæ tædium perductus, laqueo vitam finiuit.

Eugenius auxilio Arbogastis tyrannizat.

Corpora Abacuc, & Micheæ prophetarum reuelantur.

Didymus absque oculis, anno ætatis 85. Alexandriæ obijt.

Eugenius ex ludi magistro tyrannus.

Tripartita historia lib. 9. cap. 45. Hic Eugenius quondam Grammaticus, Latinarum literarum Doctor, relinquens scholas suas, in palatio militabat, & erat Imperatoris Antigraphus, & propter eloquentiam à multis honorabatur. Cooperatorem autem habebat Arbogasten de minoribus gallijs ortum, militaris ordinis ducem, virum sæuum, & necibus præparatum. Isti quoque contra Valentinianum iuniorem dolos cogitabant, cubicularios Eunuchos corrumpentes, qui dormientem principem suffocauerunt. Quo facto: Eugenius factus est Imperator Hesperiæ Quo audito, Theodosius designans filium suum Honorium Imperatorem consulatu suo, & Abundantij, 10. die Ianuarij contra eum profectus est, responso prius accepto à Ioanne monacho. Idem Ioannes ei victoriam prius prædixerat de Maximo.

Hunc Ioannem aliqui arbitrati sunt fuisse Ioannem Damascenũ.

Veniens ergo ad Gallias, cum in quodam monte oratorium inuenisset, ibi nocte domino supplicabat, & circa gallicantum sopore depressus, vidit in somnis quasi iaceret in campo, & astitisset ei quidem duo viri vestibus albis, & equis candidissimis residentes eumque iubentes habere fiduciam, & diluculo armare milites ad victoriam: dicentes se illi pro solatio destinatos, quorũ alter se Ioannem Euangelistam, alter se Philippum dicebat Apostolum. Qua visione comperta nequaquam ab oratione cessauit, sed lachrymas vberiores effudit.

** Frigidus legit Niceph. lib. 12. c. 30.*

Socrates lib. 5. cap. 24. Fit deinde cõgressio circa fluuium vocabulo * Phrigdus, ventus autem vehementissimus emissa iacula ex parte Eugenij, reuocabat in eos, & ex parte Theodosij cum maiore fortitudine in eos impingebat. Quo viso Tyrannus ad pedes Imperatoris cucurrit, ibique prostratus, à militibus capite sectus est 8. Idus Septembris. Arbogastes autem post paululum proprio gladio se peremit.

De religiositate Theodosij, & fine eiusdem.

Cap. CVII.

Rufinus lib. 11. cap. 33. Ante hoc bellum Theodosius cum sacerdotibus, & populo circumibat omnia orationum loca, ante martyrum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, auxilia sibi fida sanctorum intercessione deposcens, Pagani autem Romani funestis victimis cruentantes, securam Eugenij victoriam promittebant, Flauiano tunc præfecto, qui cum postea potuisset euadere eruditus admodum, mereri se mortem pro errore iustius quam pro crimine iudicauit. Fundebantur ex parte Theodosij auxilia barbarorum: stetit aliquandiu anceps victoria, & terga iam hostibus dabant, sed fiebant hæc, non vt Theodosius vinceretur, sed ne per barbaros vinci videretur. Cum ille stans in edita rupe, vnde conspicere posset, & conspici, proiectis armis, proiecit se in oratione, dicens: *Omnipotens Deus, tu nosti, quia in nomine Christi filij tui vltionis iustæ vt puto, ista prælia suscepi, sin alter in me vindica. Si vero cum causa probabili, & in te confisus huc veni, porrige dexteram tuis, ne forte dicant gentes, vbi est Deus eorum.*

Sanctissimi Theodosij apparatus ad bellum contra Eugenium tyrannum in Occidente.

Difficillimo prælio diuinitus obtinet Eugenium. Psal. 113.

Post hanc orationem, surrexit ille ventus validus, de quo præduximus, & de quo ait Claudianus gentilis Poëta, qui tunc florebat.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti!

Laudes Theodosij videri possunt apud Baronium anno 395.

Hugo vbi supra. Hic Theodosius patre Honorio natus originem à Traiano principe traxit, fuitque clemens animo, & ita amicis communis, vt solo habitu differre se ab eis putaret. Præterea fuit in omnes homines munificus, sed magis effusus in bonos: simplicia ingenia diligere, erudita imitari, largiri magno animo magna, & irasci quidem rebus indignis, sed flecti cito. Hic etiam consobrinarum nuptias vetuit tanquam sororum.

Porro bene tranquillata iam republica, apud Mediolanum ægritudinem incurrit. Qua ingrauescente, quietem naturalis mortis inuenit, anno regni sui * 16. vitæ vero suæ 60. Huius denique corpus Constantinopolim est translatum atque tumulatum.

** cum mensib. octo ait Socrates lib. 5. cap. vlt.*



SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

De Imperio Arcadij, & Honorij, & sæuitia Gildonis Africæ Comitis.

CAP. I.

Arcadius & Honorius Imperãt an. Chr. 398 M. vero 4251.

THEODOSIO defuncto, succeſſerunt duo filij ſui Arcadius, & Honorius, in partibus Occidentis, vtriuſque tamen cura, & palatij diſciplina duobus potentiſſimis viris credita manebat Ruffino, & Stiliconi: Ruffino, aulæ Orientis, & Stiliconi, Occidentis. Gildo etiam Comes Africæ præerat.

Sigebertus in chronicis. Sumpſerunt autem duo fratres Imperium anno Domini 398. mundi vero 4251. & Imperauerunt annis 13.

Eodem tempore corpora ſanctorum Nazarij, & Celſi Martyrum Mediolani ab Ambroſio reperta, & leuata ſunt. Conſtantinopolis iram Dei formidans, igne ſuper nubem terribiliter fulgente, ad pœnitentiam conuerſa, euaſit.

Hic Gildo fuit Ethnicus & ſceleratiſſimus vt teſtatur Baron. ad annum 398.

Hugo vbi ſupra. Gildo autem vt defunctum comperit Theodoſium, rupta fide, & calcato Sacramento Africam Orientalis Imperij partibus iungere conabatur. Sed erat huic frater nomine Maſcezil, qui nouarum molitiones rerum inferre deteſtatus, relictis apud Africanam militiam duobus adoleſcentibus filijs, in Italiam abijt. Gildo vero, & fratris abſentiam, & filiorum eius præſentiam habens ſuſpectam, adoleſcentes interfecit.

Hoſtis à ſenatu declaratur & aduerſus eam mittitur Maſcezil ipſius frater.

Igitur Maſcezil contra fratrem, ſicut contra publicum hoſtem ab Honorio miſſus eſt, vt vlciſceretur mortem filiorum ſuorum. Quò dum proficiſceretur: Caprariam ſiluam expetijt, & inde ſecum quoſdam Dei omnipotentis famulos permotos precibus ſumpſit, cum quibus, ieiunijs, & precibus inſiſtens aſſiduis, meruit ſine bello, de fratre victoriam, ſine cæde vindictam.

De interitu Gildonis Maſcezilis, & Rufini Præfecti.

CAP. II.

ARdalio fluminis nomen eſt, quod fluit inter Thebaſtem, & * Metrideram ciuitatem, vbi cum quinque millibus militum contra 70. millia hoſtium caſtrametatus eſt, ſed cum inde loci anguſtias fugere cupiens, latiorem campi planiciem expetere deliberaret, nocte ſuperueniente non potuit. Et dum ſopori membra dediſſet, vidit in ſomnis beatum Ambroſium paulo ante defunctum, baculo quem gerebat locum victoriæ ſibi demonſtrantem atque dicentem, HIC, HIC, HIC. Quod vir ſapiens protinus intellexit, *verbo locum, numero diem* ſignificari. Subſtitit ergo, & in diem tertium ab ipſis cœleſtium ſacramentorum myſterijs in hoſtem procedit circumfuſum. Et cum ad eos, qui primi occurrerant verba pacis loqueretur, ſigniferum inſolenter reſiſtentem, & iamque pugnam excitantem gladio percuſſit in brachio, qua percuſſione protinus ille pronum inclinauit vexillum. Quod cernentes reliquæ cohortes deditionem priorum fieri putantes, ſtatim Miſcezili certatim ſe ſignis tradiderant conuerſis. Barbari vero, quos Gildo coadunauerat, territi, in diuerſa fugerunt. Gildo ipſe fugiens nauim intrauit, ſed volens nolens cogentibus ventis in Africam remeauit. Quo cum degeret, poſt aliquot dies ſtrangulatus, interijt. Et non poſt multos iterum dies Maſcezil elatus inſolentia fortunæ, cum ſanctos quorum meritis victor extiterat, nequiter inquietaret, occiſus eſt.

Et dum hæc in Africa geruntur, milites, qui contra Eugenium Tyrannum, viuente adhuc Theodoſio Imperatore, profecti fuerant cum præfato Principe Rufino, Conſtantinopolim reuerſi ſunt. Quibus dum ſecundum conſuetudinem ad portas occurriſſet Arcadius Imperator: ſtatim milites Rufinum Præfectum interemerunt: erat enim ſuſpectus Imperatori, quaſi qui tyrannidem poſſet aſſumere. Et non multis diebus interiectis, Gainas quidam, genere Celticus, conſilio Barbarus, cum eſſet magiſter militum, faſces imperij cogitabat arripere, & Imperatorem Arcadium extinguere: ſed mox detectus, capite plexus eſt. Poſt cuius oppreſſionem Roilas dux Scithiæ tranſiuit Hiſtrum, cum innumero exercitu, & Thraciam depopulatus eſt, vehe-

* *alias Ammederam.*

Ambroſius nunciat victoriam.

Gildas ſtrãgulatur lege Claudia.

Ruſinus præfectus occidistur.

Gainas interemptus.

Lege Tripartitam lib. 10 cap 27.

menter

menter & regiam ipsam obsedit ciuitatem. Sed ipsum eius exercitum vis diuina concremault fulminibus. Interea vero Stilico comes occidentalis palatij contractis inimicitijs cum Arcadij ducibus, egit cum Honorio Imperatore, vt Alaricum Regem Gothorum magistrum palatij sui constitueret. Occulto enim fœdere illum sibi copulauerat: & patulpendens, quod sub Honorio imperabat, Eucherium filium suum Imperatorem facere deliberabat.

Stilico cupiens imperium transferre in filium suum Eucherium Alaricum sibi fœdere quodam copulat.

De ordinatione Ioannis Chrysostomi, & eius austeritate.

Cap. III.

Sigibertus in chronicis. Florebat hoc tempore sanctus, & doctus vir Ioannes Chrysostomus Constantinopoli episcopus, sanctitate quidem, & scientia clarus, sed in facundia sua seuerior, & liberior iusto.

Lege Tripartitam lib. 10. cap. 3.

Author. Hic post Nectarium presbyter ab Antiochia euocatus est ab Arcadio, vt testatur Tripartita historia. Theophilus autem detrahebat eis, volens presbyterum suum Isidorum ordinare, quia pro eo magnum periculum Romæ sustinuerat. Cum enim Theodosius pugnaret contra Maximum, Theophilus per Isidorum duplices epistolas misit, & xenia, iubens vnam earum, & xenia victori dari, aliam vero victo. Sed quidam lector rapiens epistolas monstrauit Imperatori. Quo facto, timens Isidorus, fugit Alexandriam. Coactus tamen Theophilus ordinauit Ioannem.

Theophylus Ioan. Chrysostomo parum fauens.

Suscepto autem episcopatu maiori fastu, quàm decebat vtebatur, plurimosque clericorum pro diuersis exemit causis, vitam eorum corrigere volens. Vnde eum veluti furiosum vniuersi declinabant. Instigabat autem eum Serapio diaconus eius, dicens præsentibus clericis: Nunquam poteris istos, ô Episcope, corrigere, nisi vno baculo percusseris vniuersos. Quod dictum maius odium clericorum concitauit in eum. Qui conspirantes aduersus eum derogabant ei apud populum maxime, quia neminem patiebatur comedere secum, nec ipse ad alium inuitatus, accedere, quod ideò (vt aiunt quidam) faciebat: quia turpiter, escas percipiens, comedebat. Alij propter continentiam, propter quam etiam capite, & stomacho sæpe dolebat. Dum vero plurimos Procerum obiurgare cœpisset, maior in eum accensa est inuidia, & maximè homelia contra Eutropium Eunuchum dignitatem consulis habentem, qui legem ponere fecerat Imperatorem, vt nullus reus ad ecclesiam confugeret, & qui fugerent retraherentur.

Sacerdotes aduersum Chrysostomum conspirant.

Ioannes Chrysostom. declamat publice in Eutropium.

Post paucos autem dies dum ipse Eutropius offendisset Imperatorem, inter cæteros refugas apud Ecclesiam erat, quo iacente prope altare, episcopos Ioannes residens super ambonem, homeliam increpatoriam fecit aduersus eum. Imperator autem caput Eutropij iussit auferri propter quædam vitia, & eius nomen ex ordine consulum penitus abrogari.

Ioannes ergo totam Thraciam quæ sex prouincijs diuisa est, & vndecim administrationibus dispensatur, sacris legibus ordinabat, & etiam ponticam regionem, quæ totidem iudicibus gubernatur. In Phœnice multos conuertit ab Idolorum cultura, dans pecunias templorum destructoribus à fidelibus mulieribus sibi oblatas. De populo quoque Celticorum Arriano multos ad veram fidem conuertit, diuinam scripturam apud eos exponens per interpretem Celticum. Apud Scythas etiam conuertit multos. A nostra prouincia Marcionistas compulit per literas Imperatoris.

De Celtis loquitur, hoc est, germanis qui apud Honorium militabant.

De miraculo communionis in lapidem conuersæ, & actibus Ioannis Chrysostomi.

Cap. IIII.

Nastasius Chronographus. Quidam Macedonicus cõuersus per Ioãnẽ Chrysostomũ, vix potuit persuadere vxori suæ, vt conuerteretur, & communicaret ei: illa vero communionem, quæ erat ex Macedonianis dans ancillæ suæ, vt haberet secum, accessit ad Chrysostomum, & perceptam ex eius manibus communionem fingens eam se sumere, porrexit eam ancillæ, & receptam Macedoniorum communionem ad os offert, quam inuenit lapidem factam. Tunc illa territa, & tremefacta pedibus Ioannis aduoluitur, temeritatem confitens. Lapis autem ille adhuc reseruatur in vasorum custodiam.

Macedoniana mulieris simulatio miraculo prodita.

Lege Sozomenum lib. 8. cap 5.

Theodoretus. Sacerdotes, qui secundum ecclesiasticas sanctiones non viuerent, ad templum prohibebat accedere, dicens: quia non deberent honore sacerdotis frui, qui eorum vitam contemnerent imitari. Arriani autem foras ciuitatem collectas agentes sæpe in nocturnis antiphonis decantabant: Vbi sunt qui dicunt, tria virtute vnum? Contra quos Ioannes auxit orationes in nocturnis horis, faciens etiam de nocte processiones cum crucibus argenteis & cereis, expensas ad hoc præbente Eudoxa Augusta. Arriani vero zelo tacti plures ex catholicis occiderunt: vnde ab Imperatore prohibiti sunt hymnos vlterius publice decantare. Ioannes autem in Asiam pergens Seueriano Gababensi Episcopo suam commendauit ecclesiam, quia eum propter eloquentiam diligebat. At ille magis se suis auditoribus commendabat. Quod cum Ioannes audisset, Serapione nunciante, æmulari cœpit. Reuerso igitur Ioanne ab Asia, contigit, vt transeunte Seueriano, studio non assurgeret Serapio. At ille exasperatus, clamauit: Si Serapio clericus mortuus fuerit Christvs inhumanatus non est. Ob quam rem accusatus à Serapione, pulsus est à Ioanne ab ecclesia, sed reconciliatus est ei, Eudoxa deprecante, & filium suũ Theodosiũ in genibus eius ponente supplicãs, vt Seuerianũ ipsius consiliaret affectui.

Vide Nicephlib. 13 cap 8. Socrat. lib. 6. cap. 8.

Lege Sozom. lib. 8 cap. 10.

De sanctis Donato, & Epiphanio episcopis.

Cap. V.

Author. Eo quoque tempore legitur floruisse Donatus Episcopus, qui ingentem draconem in os eius expuens, interfecit, quem octo iuga boum vix trahere potuerunt ad cremandum. Hic draco (vt ait Zozomenus) in via publica circa pontem iacebat, capras, & oues, & equos, & boues & homines, comedebat. Qui contra Episcopum transeuntem dum caput leuasset quasi eum deuoraturus, *facto signo crucis* in os eius expuit, & eum interfecit: quem 8. paria boum in campum vicinum traxerunt, & ibi combustus est.

Draco crucis signo, & sputo necatus.

Tripartita historia lib. 9. cap. 48. Fuit in eo tempore Epiphanius Cyprorum episcopus ad cuius sepulchrum hactenus dæmones expelluntur. Idem enim dum substantiam propriam necessitatem sustinentibus erogasset, & multis quoque offerentibus ei pecunias manus largissima dispensaret: contigit vt pecunijs deficientibus Æconomus ecclesiæ murmuraret. Quo facto assistens quidam in domo qua manebat Æconomus saccum multarum pecuniarum dedit, & ita disparuit, vt nec qui dedit, nec etiam qui misit agnosceretur. Quod factum omnes diuinum esse iudicauerunt.

Epiphanij in pauperes munificentia.

Aliud quoque eius libet referre miraculum. Quidam pauperes studentes Epiphanium arte deludere, vt aliquid eis daret, dum iter ageret, vnus eorum supinum se prostrauit in terra, alter stabat quasi mortuum defiens, nec habens, vnde mortuum sepelire potuisset. Epiphanius autem superueniens orauit, vt sub quiete dormiret, & sepulturæ necessaria præbuit, simulque consolatus

Mendicus morte simulata vere mortuus.

est,

est flentem, dicens: Quiesce fili à lachrymis, non enim fletu resuscitari poterit, est enim ineuitabile quod euenit. Cumque discessisset Epiphanius, cœpit ille pulsare socium vt exurgeret. Et cum hoc semel & secundo fecisset, dicens: Surge hodie tuis laboribus epulemur, & ille penitus non sentiret, cognoscens illum mortuum, cucurrit ad Epiphanium flens, & petens, vt eius socium suscitaret. At ille consolatus est eum ne ferret grauiter quod euenerat, non tamen defunctum denuo suscitauit. Hoc enim credo proinde gestum vt non Dei ministri facile deludantur.

Lege Sozomenum lib. 7 cap. 26. & Niceph. lib. 12. cap. 46.

Sigibertus in chronicis. Eo quoque tempore floruit sanctus Seruatius 10. Tungrensium episcopus, *Domini nostri Iesu Christi* secundum carnem consanguineus.

De Orosio, & scriptis eius.

CAP. VI.

Sigibertus in chronicis. Floruit etiam eo tempore in Hispania Orosius historiographus.

Author. Hic scripsit de historia mundi libros, de quibus in hoc opere multa inseruimus, diuersis tamen locis, pro temporum congruentia. Hanc autem historiam Mundi scripsit, petente vel iubente Augustino, videlicet miserias, & clades hominum ab initio peccati retexens, contra vaniloquia paganorum, quia præsentia tempora, velut malis extra solitum infestissima, ob hoc solum quod Christus coleretur, & Idola spernerentur, infamabant.

Idem etiam scripsit Apologeticum librum pro se contra hæresim Pelagianam, de quo hæc pauca excerpsi.

Orosius in Apologetico. Quasi illustrati à Domino persuademur, vt præparatæ in operibus bonis sint lucernæ ardentes in manibus nostris, quæ multimodis tentationibus fatigatæ; & defectu semper proprio, & verbere periclitantur alieno. *Sed si lumen,* inquit, *quod in te est, tenebræ sunt, istæ quantæ erunt?* An vero facile arbitraris, vt simplex scurrilitate careat, lætus verbo, sollicitus iracundia, patiens negligentia, mitis pigritia, doctus iactantia, summus inuidia, extra illam, quæ est omnium bonorum operum caligo generalis vanæ gloriæ, concupiscentiam. Vnusquisque ergo nostrum assumat comparationem, vt magis se melioris prælatione condemnet, quàm in minoris despectione iustificet. Christus filius Dei in virtute & gloria patris, quæ in principio condidit, & in medio redemit, & in nouissimo iudicabit.

Idem in prologo historiæ Mundi. Si diuina prouidentia (quæ sicut pia, ita & iusta est) agitur hic Mundus, hominem, qui conuertibilitate naturæ, ac libertate licentiæ, & infirmus, & contumax est, sicut pie gubernari egenum opis oportet, ita iuste coripi immoderatum libertatis necesse est.

De Ticonio & regulis, & libris eius.

CAP. VII.

Lege Gennadium de viris illustribus.

Helinandus. Florebat etiam tunc temporis Ticonius Afer, in diuinis literis eruditus, iuxta historiam sufficienter, & in sæcularibus non ignarus, in Ecclesiasticis quoque studiosus negocijs, qui scripsit de bello intestino libros tres, & expositiones diuersarum causarum, in quibus ob suorum defensionem, antiquarum meminit Synodorum: e quibus omnibus cognoscitur Donatianæ partis fuisse. Composuit etiam regulas ad inuestigandam & inueniendam intelligentiam scripturarum, & 8. quasi volumina conclusit. Exposuit & Apocalypsim Ioannis ex integro.

Augustinus, de doctrina Christiana libro 3. Ticonius qui contra Donatistas inuictissimè scripsit, cum fuerit Donatista, & illic inuenitur absurdissimi cordis, vbi eos non ex omni parte relinquere voluit. Fecit librum quem regularem vocauit, quia in eo septem regulas exetutus est, quibus quasi clauibus diuinarum scripturarum aperirentur occulta.

Quarum primam ponit de Domino, & eius corpore scilicet vt non hæsitemus, quando à capite ad corpus, vel à corpore ad caput transitur, & tamen ab vna eademque persona non receditur.

Secunda est de corpore Domini bipartito, vel potius, de corpore eius vero & simulato, siue de permixta ecclesia: quæ regula lectorem vigilantem requirit, quando scriptura, cum ad alios loquatur, vel de alijs tanquam ad eos ipsos ad quos loquebatur, vel de eis, de quibus loquebatur: loqui videtur tanquam vnum sit vtrorumque corpus, propter temporalem commixtionem, & sacramentorum communionem.

Tertia est de spiritu & litera.

Quarta de parte & toto.

Quinta de temporibus, quæ duobus modis viget aut troposynodoche, aut legitimis numeris.

Sexta de recapitulatione.

Septima de diabolo & eius corpore.

De Seuero & scriptis eius.

CAP. VIII.

Vide Gennadium de viris illustribus.

Helinandus. Eodem tempore Sulpitius Seuerus florebat in Aquitania apud vrbem Tolosam, genere & literatura nobilis: paupertatis, & humilitatis amore conspicuus, charus etiam viris sanctis Martino, & Paulino.

Et scripsit non contemnenda opuscula.

Epistolas ad amorem Dei & contemptum Mundi exhortatorias sorori suæ multas: & ad supradictum Paulinum Nolanum duas, aliasque ad alios. Sed quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur. Composuit etiam chronica, & vitam beati Martini, & collationem Postumiani & Galli se mediante & iudice habita. Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatum, quod loquendo, contraxerat, tacendo, penitus emendaret.

Author. Scripsit Seuerus de vita & actibus sancti Martini. Primo quidem ad desiderium librum vnum virtutibus eius & miraculis plenum, qui fere per totum orbem legitur, cuius etiam flores supra posuimus.

Deinde ad Eusebium presbyterum de quodam miraculo quod in præfato libro omiserat epistolam vnam, hoc & nos supra breuiter posuimus.

Ad Aurelium Diaconum, de hoc quod eundem ascendisse in cœlum viderat, Epistolam 1.

Ad Bassulam Socrum suam, de transitu eiusdem tractatum 1.

Scripsit & per Dialogum, libros 3. vnum scilicet de narratione Postumiani amici sui, qui causa ipsius ab oriente venerat, vbi ante triennium patriam relinquens se contulerat, omnemque suæ peregrinationis historiam ei retulerat, præsente Gallo, qui fuerat præfati Martini discipulus: duos autem sequentes, de narratione eiusdem Galli, qui & ipse per biduum multa de beati Martini virtutibus, eisdem præsentibus retulit.

De his omnibus hæc quæ sequuntur excerpsi.

ANNOTATIO.

Meminerit lector libros istos dialogorum Seueri ob aliquot errores in eis repertos, fuisse à Gelasio Papa in Romano concilio 70. episcoporum in classem apochryphorum reiectos, atque ob id caute legendos. Inseruerat illis Seuerus errorem de mille annis Christi regno in terris post iustorum resurrectionem, vt S. Hieronymus refert in 38. Ezech. vide Baron ad annum 402. qui etiam non semel alibi hos dialogos erroris arguit.

De

De initio peregrinationis Postumiani.

CAP. IX.

Quinto die nauigatum Narbona in Africam.

ANte hoc triennium, inquit Postumianus, quo tempore, tibi Sulpici, hinc abiens, vale dixi, vbi Narbona nauem soluimus, quinto die portum Africæ intrauimus, adeo prospera, Dei nutu, nauigatio fuit, libuit animo adire Carthaginem, loca visitare sanctorum, & præcipue ad sepulchrum Cypriani martyris adorare, 15. die ad portum regressi, prouectique in altum, Alexandriam petentes, reluctante austro, pene in Syrtes illati sumus: quod prouidi nautæ cauentes iactis naues anchoris sistunt. Sub oculis autem terra continens erat, *Insula incognita.* in qua scaphis egressi sumus: cum vacua ab humano cultu omnia cerneremus, ego studiosius explorandorum locorum gratia longius processi, tribus fere à littore milliaribus tugurium paruum inter arenas conspicio, cuius tectum (sicut Salustius ait) quasi carina nauis erat, contiguum terræ, satis firmis tabulatis constructum: non quod ibi vis imbrium vlla timeatur: fuisse enim illic pluuiam nequando quidem auditum est: sed quod ventorum ea vis est, vt si quando vel clementiore cœlo aliquantulus spirare flatus cœperit, magis in illis terris, quam in vllo mari naufragium sit. Nulla ibi germina sata in illa proueniunt, quippe instabili loco arentibus arenis, ad omnem motum ventorum cedentibus. Verum vbi aduersa quædam à mari promontoria ventis resistunt, terra aliquantulum solidior, herbam raram atque hispidam gignit. Ea ibi sola messis est, quæ celeri- *Maturitas frugum mirabilis.* tate prouentus, per naturam solis siue aeris ventorum casus euadere solet, Quippe fertur à die iacti seminis 30. die matureſcere: consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quàm quod omnes liberi sunt à tributo.

Narratio Postumiani de loco deserto, quam explorauerat.

CAP. X.

ERgo ad tugurium illud, quod eminus conspexeram, pertendi. Inuenio senem in veste pellicea, molam manu vertentem, consolatus nos benigne accepit, eiectos nos in illud littus exponimus, & ne statim repetere cursum possimus, mollitie maris attineri, egressos in terram (vt est mos humani ingenij) naturam locorum cultumque habitantium voluisse cognoscere, Christianos nos esse, id præcipuè quærere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani. Tum vero ille flens gaudio ad genua nostra prouoluitur: iterum nos, ac sæpius exosculatos inuitat ad orationem. Deinde impositis in terram veruecum pellibus, facit nos discumbere. Apponit *Prandium optimum quinque conuiuarum.* prandium sane locupletissimum, dimidium panem hordeaceum. Eramus autem nos quatuor, ipse erat quintus. Fasciculum etiam herbæ intulit, cuius nomen excidit, quæ mentę similis, exuberans folijs, saporem mellis præstabat, huius prædulci admodum suauitate delectati, atque satiati sumus. Ad hæc subridens ego, ad Gallum meum: Quid, inquam, Galle, placetne tibi prandium, fasciculus herbarum, & panis dimidius viris quinque? Tunc ille, sicut est verecundissimus, aliquantulum erubescens, dum fatigationem meam accepit, facis, inquit, Sulpici tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis, quin nos edacitatis fatiges, sed facis inhumane, qui nos Gallos homines cogis exemplo *Gallorum & Orientalium vita dissimilis.* Angelorum viuere.

Enimuero Postumianus ait, cauebo post hac, cuiusquam abstinentiam prædicare, ne Gallos nostros arduum penitus offendat exemplum. Statueram autem etiam cænam Cyrenensis illius, vel consequentia (septem enim diebus apud ipsum fuimus) referre conuiuia, sed supersedendum est, ne Gallus se æstimet fatigari. Cæterum postero die cum aliqui ex incolis ad nos visendos confluere cæpissent, cognoscimus illum nostrum hospitem esse presbyterum, quod nos summa dissimulatione celauerat. Deinde cum ipso ad ecclesiam processimus, quæ fere duobus milibus aberat à conspectu nostro interiectu montis exclusa. Erat autem vilibus texta virgultis, non multo ambitiosior, quàm nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incuruus quis non poterat consistere. Cumque hominum mores quæreremus, illud præclarum animaduertimus, nihil eos neque emere, neque vendere: quid sit fraus, aut furtum nesciunt, aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, néque habent, neque habere cupiunt, nam cum ego presbytero illi decem nummos aureos obtulissem, refugit. *Gens sine dolo.*

De certamine Episcoporum & Monachorum Alexandriæ super libris Origenis.

CAP. XI.

PRosperoque cursu 7. die Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur, ex ea occasione vel causa, quia congregati in vnum sæpius sacerdotes frequentibus decreuisse synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, vel haberet: qui tractator sacrarum scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insanius scripta memorabantur, quæ assertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant: & ideo non propter illa etiam reliqua esse damnanda. Aduersum hæc episcopi obstinatius renitentes, pro potestate cogebãt, rectè etiam vniuersa cum prauis, & cum ipso auctore damnare: quia satis superque sufficerent libri, quos ecclesia recepisset, respuendam esse penitus lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus. Mihi autem ex illis libris quædam curiosius indaganti, admodum multa placuerunt: sed & multa reprehendi in quibus illum praua sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror vnum eundemq; hominem tam diuersum à se esse potuisse, vt in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habebat æqualem, in ea vero quæ iure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Cum hæc atque alia istiusmodi ab episcopis proderentur, ex studijs partium orta seditio est. Quæ cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset, sæuo exemplo ad regendam ecclesiæ disciplinam Præfectus assumitur: cuius terrore dispersi fratres, ac per diuersas oras monachi sunt fugati, ita vt propositis edictis, in nulla consistere sede finerentur. Illud me admodum permouebat, quod Hieronymus vir maxime catholicus, & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus, primo tempore putabatur, qui nunc idem præcipue, vel omnia illius scripta damnaret. Nec vero ausus ium de quoquam temere iudicare: præstantissimi tamen viri, & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere, sed tamen siue illud error est, vt ego sentio, siue hæresis, vt putabatur, reprimi non potuit multis animaduersionibus sacerdotum, sed nequaquam tam late potuisset se effundere, nisi contemptione creuisset. Istiusmodi ergo turbatione cum veni Alexandriam fluctuans, me quidam episcopus illius ciuitatis benigne admodum, & melius quàm opinabar, excepit, & secum tenere tentabat, sed non fuit animus ibi consistere, vbi recens fraternę cladis feruebat inuidia. *Concertatio sacerdotum de Origenis scriptis.* *Hæreses seditionibus crescunt.*

De visitatione beati Hieronymi in Bethleem.

CAP. XII.

INde igitur digressus in Bethleem oppidum petij, quod Hierosolymis 6. milibus disparatur, ab Alexandria autem 16. mansionibus abest: ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit, nam parrochia est *Seueri de Origene iudicium.* *B. Hieronymus in Bethleem rexit ecclesiam.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

epiſcopi, qui Hieroſolymam tenet. Hic vir præter fidei meritum, dotemque virtutum, non ſolum Latinis atque Græcis, ſed Hæbreis etiam litteris ita inſtitutus eſt, vt ſe illi in omni ſcientia nemo audeat comparare. Miror autem, ſi non vobis per multa quæ ſcripſit opera compertus eſt, cum per totum orbem legatur. Nobis quoque, Gallus inquit, nimirum, nimiumque compertus eſt: Nam ante hoc quinquennium quendam ipſius libellum legi, in quo tota noſtrorum natio monachorũ ab eo vehementiſſime vexatur, & carpitur. Vnde interdum Belgicus noſter valde iraſci ſolet, quod dixerat nos vſque ad vomitum ſatiari. Ego autem, inquit Gallus, illi viro ignoſco, atque ita ſentio de Orientalibus potius illum monachis, quàm de Occidentalibus diſputaſſe, nam edacitas, in Græcis gula eſt, in Gallis, natura Tum ego: Scholaſtice, inquam, Galle defendis gentem tuam; ſed quæſo te, liber iſte, nunquid hoc ſolum vitium damnat in monachis? Imo vero, inquit, nihil penitus omiſit, quod non carperet, laceraret, exponeret, præcipue auaritiam, nec minus vanitatem inſectatus eſt. Multa de ſuperbia, non pauca de ſuperſtitione diſſeruit; vere fatebor pinxiſſe mihi videtur vitia multorum. Cæterum de familiaritatibus virginum, & monachorũ, atq; etiam clericorum; quàm vera, quàm fortia, diſputauit? Vnde à quibuſdam, quos nominare nolo, dicitur non amari. Ego autem, inquit Poſtumianus, vt dicere inſtitueram apud Hieronymum 6. menſibus fui, cui ingis aduerſus malos pugna, perpetuumque certamen, conſciuit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non deſinit; oderunt clerici, quia vitia eorum inſectatur, & crimina, ſed plane eum boni omnes admirantur, & diligunt. Nam qui eum hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt. Vere dixerim, Catholica hominis ſcientia, ſana doctrina eſt. Non die, non nocte requieſcit, aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit. Quod niſi mihi fuiſſet animo fixum, & promiſſum, Deo teſte, propoſitam eremum adire, vel exigui temporis puncto à tanto viro diſcedere noluiſſem. Huic ergo traditis omnibus meis, omnique familia, quæ me contra voluntatem meam ſecuta tenebat implicitum, liber regreſſus ſum Alexandriam. Ac viſitatis ibi fratribus ad ſuperiorem inde Thebaidam, id eſt ad Ægypti extrema, contendi; ibi enim vaſtæ patentis eremi ſolitudines plurimum ferebantur habere monachorum.

Laus Beati Hieronymi.

Græcorum & Gallorum vita diſpar.

De puero poſt victoriam aſpidis ab Abbate verberato.

Cap. XIII.

HAud longe ab eremo contigua Nilo multa ſunt monaſteria, habitant vno in loco plerumque centeni, quibus ſummum ius eſt ſub Abbatis imperio viuere, nihil arbitrio ſuo agere. Caſu per illos dies, quibus illò aduenera m, cuidam qui nuper ad eremum ſeceſſerat neque amplius ab hoc monaſterio quam 6. milibus tabernaculum ſibi conſtituerat, panem Abbas per duos pueros miſerat, quorum maior habebat ætatis annos 15. minor duodenis erat. His ergo inde redeuntibus aſpis miræ magnitudinis ſit obuiam: Cuius occurſu nihil perterriti, vbi ante pedes eorum venit, quaſi incantata carminibus, cerula colla depoſuit; minoris pueri manu apprehenſa, ac pallio inuòluta ferri cæpit. Deinde monaſterium quaſi victor ingreſſus, in occurſum fratrum expectantibus cunctis, captiuam beſtiam reſoluto pallio, non ſine iactantiæ tumore depoſuit. Sed cum infantium fidem atque virtutem cæteri prædicarent. Abbas ille altiori conſilio, ne infirma ętas inſoleſceret, virgis vtrumque compeſcuit, multum obiurgatos, cur ipſi quod per eos Dominus operatus fuerat, prodidiſſent, & opus illud non ſuæ fidei, ſed diuinæ fuiſſe virtutis; diſcerent Deo potius in humilitate ſeruire, & non in ſignis, & virtutibus gloriari, quia melior eſſet infirmitas conſcientia virtutum vanitate. Hæc vbi ille monachus audiuit, & periclitatos infantulos ſerpẽtis occurſu, & ipſos inſuper multa verbera victo ſerpente meruiſſe, Abbatem conſecrat, ne ſibi poſt hæc panis vllus, aut cibus aliquis mitteretur. Iamque octauus dies fuerat emerſus, quo ſe homo Chriſti intra periculum famis ipſe concluſerat. Arebant membra ieiunio, ſed deficere mens cęlo intenta non poterat, corpus inedia fatiſcebat, fides firma durabat. Cum interim admonitus Abbas ille per ſpiritum, vt diſcipulũ viſitaret, pia ſollicitudine cognoſcere cupiens, qua vitę ſubſtantia vir fidelis aleretur; qui miniſtrari ſibi panem ab homine noluiſſet, ad requirendum eum ipſe proficiſcitur. Ille vbi eminus ſenem venire conſpexit, agit gratias, ducit ad cellulam; tum ingreſſi ambo pariter conſpiciunt palmiciam ſportam foribus affixam de poſte pendere; ac primùm calidi panis odor ſentitur, tactu vero ac ſi ante paululum focis eſſet ereptus, oſtenditur; Ægyptij tamen panis forma non cernitur. Obſtupefacti ambo, munus cæleſte cognoſcunt. Cum ille hoc Abbatis aduentui præſtitum fateretur, Abbas vero illius fidei ac virtuti id potius adſcriberet, ita ambo cæleſtem panem cum multa exultatione fregerunt. Hoc ſenex ad monaſterium regreſſus fratribus retulit, per quod eos ad amorem ſolitudinis vehementer incitauit.

Aſpidẽ puer illaſus defert.

Caditur ab Abbate.

Deus paſcit ſuos.

Eo quoque monaſterio duos ſenes vidi, qui per annos 40. ibi degere ferebantur. Abbatis quoque teſtimonio & omnium fratrum audiui ſermone celebrari, quod vnum eorum ſol nunquam vidiſſet epulantem, alterum nunquam vidiſſet iratum.

Perſeuerantia in propoſito.

De Anachoreta, quem Leo verebatur.

Cap. XIV.

VBi autem prima eremi ingreſſus ſum, vno ex fratribus duce locorum perito, peruenimus ad quendam ſenem monachum ſub radice montis habitantem, ibi (quod in locis illis rariſſimum eſt) puteus erat; bouem habebat, cuius hic erat totus labor impulſa rotali machina aquam producere, nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus illic erat multis oleribus copioſus; id quidem contra naturam eremi; vbi omnia arentia, exuſta ſolis ardoribus, nullius vnquam ſeminis, vel exiguam radicem deperiſſe ferunt̃. Verum hoc, ſancto illi labor cum pecore communis, & propria præſtabat induſtria. Frequenter enim irrigatio aquarum tantam pinguedinem arenis dabat, vt mirum in modum virere ac fructificare horti illius olera viderimus. Ex his igitur vnà cum Domino bos ille viuebat, nobis quoque ex ea copia, cænam ſanctus dedit. Ibi vidi (quod vos Galli forte non creditis) ollam cum oleribus, quæ nobis in cœna præparabatur ſine igne feruere; tanta vis ſolis eſt, vt quibuſlibet coquis etiam ad Gallorum pulmenta ſufficiat. Poſt cœnam autem iam inclinante veſpera, inuitat nos ad arborem palmam, cuius interdum pomis vti ſolebat, quæ fere duobus militibus aberat. Ad quam, vt peruenimus, leonem ibi offendimus. Quo viſo, ego, & ille dux meus, intremuimus; ſanctus vero iucunctanter acceſſit, nos licet trepidi, ſecuti ſumus, fera palulum, cernens imperata adeo modeſta deceſſit, & conſtitit, dum iſte contigua ramis humilioribus poma decerperet. Cumque plenam palmulis manum obtuliſſet, occurrit beſtia, atq; tam libere accepit, quàm nullum animal domeſticum, & cum comediſſet, abſceſſit. Nos hæc intuentes, & adhuc trementes, facile potuimus perpendere quanta in illo fidei virtus, & quanta in nobis eſſet infirmitas.

Hortus fertilis in loco ſteriliſſimo.

Olla in Ægipto feruet ardore ſolis.

Leo Anachoretæ conuiua.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De alio cui cænanti astabat Lupa.

CAP. XV.

ALium æque singularem virum vidimus paruo tugurio, in quo non nisi vnus recipi possit habitator. De hoc illud ferebatur, quod ei Lupa solita erat astare cænanti, nec facile vnquam bestia falleretur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret, & tandiu pro foribus expectaret, donec ille panem, qui cænulæ superfuisset, offerret: Illam, manum eius lambere solitam, atque ita quasi impleto officio, & præstita consolatione, discedere. Sed forte accidit, vt sanctus ille dum fratrem, qui ad eum venerat, deducit abeuntem, diutius abesset, & non nisi sub nocte remearet; interim bestia ad consuetudinarium illud cœnæ tempus occurrit, vacuam cellulam (cum familiarem patronum abesse sentiret) ingressa est, curiosius explorans, vbi nam esset habitator: Casu contigua cum panibus. v. palmicia sportella pendebat, ex his vnum præsumit, & deuorat; deinde perpetrato scelere discedit. Regressus eremita, vidit sportulam dissolutam non constante numero panum, damnum rei familiaris intelligit; ac prope limen panis assumpti fragmenta cognoscit, sed non erat incerta suspicio, quæ furtum persona fecisset. Ergo cum sequentibus diebus secundum consuetudinem bestia non venisset (nimirum audacis facti conscia ad eum venire dissimulans cui fecisset iniuriam) ægre patiebatur eremita se alumnæ solatio destitutum. Postremo illius oratione reuocata, post diem septimum affuit (vt solebat ante) cænanti. Sed, vt facile cerneres verecundiam pœnitentis, non ausa propius accedere, deiectis in terram profundo pudore luminibus, quod palam licebat intelligi; quandam veniam precabatur, quam illius confusionem eremita miseratus, iubet eam propius accedere, ac manu blanda caput triste permulcet; deinde pane duplicato ream suam reficit, ita indulgentiam consecuta, officij consuetudinem mœrore depositio reparauit.

Lupa astat cænanti Eremita.

Bestia sceleris sui conscia.

De alio qui Leænæ catulos cæcos illuminauit, & alio cui Ibex herbas innoxias ex fasciculo elegit.

CAP. XVI.

HAbitant plerique in eremo sine vllis tabernaculis, quos Anachoretas vocant; viuunt herbarum radicibus, nullo vnquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur, quas nox coegerit, sedes habent. Ad quendam igitur hoc ritu atque hac lege viuentem, duo ex Nitria monachi licet longa, & diuersa regione, tamen, quia olim ipsis in monasterij conuersatione charus, & familiaris fuisset, auditis eius virtutibus tetenderunt. Quem diu multumque quæsitum tandem repererunt mense 7. in extremo isto deserto, quod est Memphis contiguum, demorantem; quas ille solitudines iam per annos 12. dicebatur habitare. Qui licet omnium hominum vitaret occursus, tamen agnitos non refugit, seque charissimis per triduum non negauit. Quarto die aliquantulum progressus, cum prosequeretur abeuntes, Leænam miræ magnitudinis ad se conuenire conspiciunt. Bestia licet tribus repertis, non incerta quem peteret, anachoretæ pedibus aduoluitur, & cum fletu quodam ac lamentatione procumbens, indicabat gementis pariter ac rogantis affectum; mouit omnes, & præcipue illum, qui se intellexerat expetitum; præcedentem sequuntur, nam præsens, & subinde restans, subinde respectans, facile poterat intelligi, id eam velle, vt quo illa ducebat anachoreta sequeretur. Quid multis? ad speluncam bestiæ peruenitur, vbi ista adultos iam quinque catulos male fœta nutriebat, qui vt clausis luminibus ex aluo matris exierant, cæcitate perpetua tenebantur; quos singulos de rupe prolatos ante Anachoretæ pedes mater exposuit. Tum demũ sanctus

Anachoretarum domicilia & viuendi ratio.

Leæna anachoreta supplicat, & vi sum catulis suis impetrat.

animaduertit, quid bestia postularet; inuocatoq; nomine Dei, contrectauit manu lumina clausa catulorum; ac statim cæcitate depulsa, apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit. Ita fratres illi, Anachoreta quem desiderabant, visitato, cum admodum fructuosa laboris sui mercede redierunt; qui in testimonium tantæ virtutis admissi, fidem sancti, gloriam Christi, quæ per ipsos esset testificanda vidissent. Mira dicturus sum. Leæna post dies quinque ad auctorem tanti beneficij reuertisse, eidemque inusitatæ feræ pellem pro munere detulisse; qua plerumque sanctus ille quasi adminiculo circutectus, non dedignatus est munus per bestiam sumere, cuius alium potius interpretabatur auctorem.

Leæna gratitudo.

Erat etiam alterius Anachoretæ in illis regionibus nomen illustre, qui in ea parte deserti, quæ Syenis iungitur, habitabat. Hic cum primum se contulisset ad eremum, herbis herbarumque radicibus quas prædulces interdum, & saporis eximij fert arena, victurus, ignarus germinis eligendi, noxia plerumque carpebat, nec erat facile vim radicum sapore discernere, quia omnia æque dulcia, sed pleraque occultiore natura virus lethale cohibebant. Cum ergo edentem vis interna torqueret, & immensis doloribus vitalia vniuersa quaterentur, ac frequens vomitus cruciatibus non ferendis, ipsam animi sedem stomacho iam fatiscente dissolueret, omnia penitus, quæ essent edenda formidans, septimum in ieiunijs diem spiritu deficiente, ducebat. Tum ad eum fera, cui Ibicis nomen est, accessit; huic propius astanti fasciculum herbarum, quem collectum pridie attingere non audebat, obiecit; sed feta, quæ virulenta erant, ore discutiens, quæ innoxia nouerat, eligebat. Ita vir sanctus eius exemplo, quid edere, quid respuere deberet, edoctus, & periculum famis euasit, & herbarum venena vitauit.

Fera docet signo vsum bonarum herbarum & radicum.

De Hirsuto, & duobus obedientiæ miraculis.

CAP. XVII.

DVo beati Antonij monasteria adij, quæ hodie quoque ab eius discipulis incoluntur. Ad eum etiam locum in quo beatissimus Paulus primus eremita est diuersatus, accessi, rubrum mare vidi, iugum Synai montis ascendi, cuius summum cacumen cælo pene contiguum nequaquam adiri potest. Inter huiusmodi recessus Anachoreta aliquis esse ferebatur, quem diu multumque quæsitum videre non potui, qui fere iam ante 50. annos à conuersatione humana remotus, nullo vestis vsu, setis corporis sui tectus, nuditatem suam diuino munere vestiebat. Hic quoties eum religiosi viri adire voluerunt, cursu auia petens congressus vitabat humanos, vni tantummodo ferebatur se ante quinquennium præbuisse, qui credo potenti fide id obtinere promeruit: cui inter colloquia percunctanti, cur tanto homines opere vitaret, respondisse perhibetur, eum, qui ab hominibus frequentaretur non posse ab Angelis frequentari.

Anachoreta in Synai monte degit nudus.

Cum quidam sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressum cæpisset rogare; Abbas ei cæpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores, sua vero dura imperia, quæ nullius facile valeret implere patientia; aliud potius monasterium (vbi facilioribus legibus viueretur) expeteret; non tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille vero nihil his terroribus permoueri, sed magis ita cœpit omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præceperit, non recusaret intrare: quam illius professionem vbi magister accepit, non cunctatur probare profitentem. Casu clibanus prope ardebat, qui multo igne succensus, coquendis panibus parabatur; exundabat abruptis flammam fornacibus, & intra cameræ illius concaua totis habenis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam istũ iubet magister intrare: Nec distulit parere præcepto

Abbas initiandum igne explorat.

medias

medias flammas nihil cunctatus ingreditur; quæ mox audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris cessere venienti, superata natura est, fugit incendium, & qui putabatur arsurus, velut quodam frigido rore perfusus, se ipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum *Christe* tyronem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pæniteret imperio paruisse?

Illæsus ab igne egreditur.

Quidam itidem ad eumdem Abbatem recipiendus aduenerat, & cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia, vel extrema patientiam; casu Abbas storacinam virgam iam pridem aridam, manu gerebat. Hanc solo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tamdiu virgulæ aquam ministraret, donec, (quod contra naturam erat) solo arente lignum aridum viuisceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo fere milliaria petebatur: Iamque emersi anni spacio labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat; tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cum neque noctu, neque interdiu aquatius iste cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illa virgula arbusculam (quæ hodie quoque intra atrium monasterij est) ramis virentibus vidi; quæ in testimonium manens quantum obedientia meruit, & quantum fides posset ostendi.

Monachi miranda patientia & obedientia.

Virgo arida floruit.

De isto qui precibus obtinuit, vt à diabolo per quinque vexaretur.

Cap. XVIII.

QVidam sanctus fugandorum dæmonum incredibili potestate præditus, non solum præsens, neque verbo tantum, sed absens quoque interdum cilicij sui fimbrijs, aut epistolis missis corpora obsessa curabat. Et dum miro modo frequentaretur à populis, ex toto ad eum orbe conuenientibus, insuper etiam à præfectis, & comitibus diuersarum potestatum iudicibus, qui ferebatur etiam omni potu penitus abstinere, & pro cibo septem tantum caricis sustentari. Interea vt ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit obrepere. Quod malum ille vbi primum potuit in se sentire grassari, diu multumque discutere conatus est; sed repelli penitus, vel tacita conscientia vanitas, perseuerante virtute non potuit. Vbique nomen eius dæmones fatebantur, excludere à se confluentium populos non valebat. Virus interim latens serpebat in pectore, & cuius nutu aliorum corporibus dæmones fugabantur, seipsum occultis cogitationibus vanitatis non poterat purgare. Totis igitur precibus conuersus ad Deum fertur orasse; vt permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curauerat. Quid multis morer? ille præpotens, ille signis atque virtutibus toto oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi ante confluxerant, ad cuius fores summæ istius sæculi se prostrauerant potestates, correptus à dæmone est, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni solent ferre, perpessus. Quinto demum mense purgatus est, non tantū dæmone, sed quod illi erat vtilius atque optatius, vanitate. Sed mihi ista replicanti, nostra infælicitas, nostra occurrit infirmitas. Quis enim nostrum est, quem si vnus homunculus humilis salutauerit, aut fatuis aut adulantibus, verbis fœmina vna laudauerit, non continuo elatus sit superbia, non statim inflatus sit vanitate. Quinetiam si non habebat conscientiam sanctitatis, tamen quia vel stultorum adulatione, aut fortassis errore sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit. Iam vero si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia asserit honorati, cui dormienti atque resoluto necessaria conferantur. Quod si vel de modico ei aliqua virtutis signa succederent, Angelum se putaret. Cæterum cum neque opere neque virtute conspicuus sit; si quis clericus effectus fuerit, dilatat fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursionibus, ipse etiam vbique discurrit. Et qui ante pedibus, aut asello ire cōsueuerat; spumeo equo superbus inuehitur; parua prius, ac vili cellula cōtentus habitare, erigit celsa laquearia; cōstruit multa conclauia, sculpsit ostia, pingit armaria, vestē respuit crassiorem, indumentum molle desiderat; atque hæc charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus, ista, vt birrum rigentem, hæc vt fluentem texat lacernam. Verum hæc describendā mordacius beato viro Hieronymo relinquamus. Et quia satisfeci vestris auribus, imo etiam verbosior fui fortasse quam debui, tu modo (ad me autem loquebatur) debitum fœnus exolue, vt de Martino tuo, vt es solitus, plura referentem, iam pridem in hoc desiderijs meis æstuantibus, audiamus. Quid? inquam, tibi, de Martino meo liber ille non sufficit, quem ipse tu nosti, me de illius vita atque virtutibus edidisse.

Perpetui potus abstinentia.

Damonum celeberrimus fugatur à dæmone possideri optat.

De libello gestorum sancti Martini & eius vitæ prærogatiua.

Cap. XIX.

AGnosco id quidem, (Postumianus inquit) neque vnquam à dextera mea liber ille discedit. Nam si agnoscis, (& aperit librum, qui sub veste latebat). En ipsum. Hic mihi, inquit, terra ac mari Comes; hic in peregrinatione tota socius, ac consolator fuit. Primus eum Romanæ vrbi vir studiosissimus tui, Paulinus inuexit: vnde cum tota certatim vrbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæstuosius haberetur, siquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur. Hic nauigationis meæ cursus longe ante progressus, cum ad Africam veniissem, iam per totam Carthaginem legebatur. Hunc ego in eremo à quondam sene legi vidi, cui cum me familiarem tuum esse dixissem, & ab illo & à multis fratribus hæc mihi iniuncta legatio est, vt si vnquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere compellerem, quæ in illo tuo libro de virtutibus beati viri professus es præterijsse. Et quidem Postumiane, inquam, cum te iam dudum de sanctorum virtutibus intentus audirem; tacitis ad Martinum meū cogitationibus recurrebam, merito prospiciens omnia illa, quæ singuli diuersa fecissent, per vnum istum facile completa. Nam cum excelsa retuleris, (quod mihi dixisse liceat pace sanctorum,) nihil à te penitus audiui, in quo Martinus esset inferior. Illi enim ab omni impedimento liberi, cęlo tantum atque Angelis testibus, plane admirabilia docentur operari: Iste in medio cœtu & conuersatione populorum, inter clericos dissidentes, inter Episcopos sæuientes, cum se quotidianis scandalis hincinde premeretur, inexpugnabili tamen aduersus omnia virtute fundatus stetit: & tanta operatus est, quanta ne illi quidem, quos ante audiuimus esse in eremo vel fuisse, fecerunt. Ac si illi paria fecissent, quis iudex tam iniustus fuisset, vt non istum esse potiorem merito iudicaret? puta enim istum fuisse militem qui pugnauerit in in quo loco & tamen victor euasit. Illos autem æque compone militibus. qui ex æquo loco aut etiam de superiore certauerunt. Quid ergo? Etsi omnium vna victoria est, non potest par esse gloria; tamen cum præclara retuleris, à nemine retulisti mortuum suscitatum: quo vno vtique te necesse est confiteri Martino neminem conferendum. Nam si admirandum est, quod illum Ægyptium flammam non attigit, hic quoque sæpius imperauit incendijs. Si reuoluas quod Anachoretis feritas bestiarum victa succubuit: hic familiariter & rabiem bestiarum, & serpentium venena compescuit. Quid si illum conferas, qui immundis spiritibus obsessos, verbi imperio, aut etiam fimbriarum virtute curabat; ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinum multa documenta sunt. Si etiam ad illum recurras, qui setis suis pro veste contextus, putabatur ab

Hactenus Postumianus.

Libri de vita B. Martini laus & celebritas.

Omnia singulorum monachorū insignia in vno sunt B. Martino.

Idem sanctus Martinus incomparabilis declaratur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Angelis viſitari; cum iſto Angeli quotidie loquebantur. Iam vero æduerſus vanitatem atque iactantiam ita inuictum ſpiritum geſſit, vt iſta vitia nemo fortius contemſerit. Ergo fatearis neceſſe eſt, in Martino omnium illorum quos enumeraſti, fuiſſe virtutes. Martini autem in illis omnibus non fuiſſe.

Qualiter in hoc conuenerunt, vt Gallus narraret de Martino.

Cap. XX.

QVid tu, (inquit Poſtumianus) ita mecum? quaſi non eadem tecum ſentiam, ſemperque ſenſerim; ego vero quo ad viuam, ſemper & ſapiam: Ægypti prędicabo monachos, laudabo Anachoretas, mirabor eremitas, Martinum excipiam. Non ego illi quenquam audebo monachorum, certè non epiſcoporum quempiam comparare, hoc Ægyptus fatetur, hoc Syria, hoc Æthyops comperit, hoc Indus audiuit, hoc Parthus, & Perſa nouerunt, nec ignorat Armenia; Boſphorus excluſa cognouit; & poſtremo ſi quis aut fortunatas inſulas, aut glacealem frequentat Oceanum, quo miſerior eſt regio iſta noſtra, quæ tantum virum cum in proximo habuerit, noſſe non meruit. Non tamen huic crimini miſcebo populares; ſoli illum clerici, ſoli neſciunt ſacerdotes, nec immerito: noſſe illum inuidi noluerunt, quia ſi virtutes illius noſſent, ſua vitia cognouiſſent. Horreo dicere, quod nuper audiui, infælicem dixiſſe, neſcio quem te in illo libro tuo plura mentitum, non eſt hominis vox iſta, ſed diaboli, nec Martino in hac parte detrahitur, ſed fidei euangelij derogatur. Nam cum Dominus ipſe teſtatus ſit iſtiuſmodi opera, quæ Martinus impleuit, ab omnibus fidelibus eſſe facienda: qui Martinum iſta non credit feciſſe, non credit *Chriſtum* ita dixiſſe. Sed infælices, degeneres, ſomnolenti, quæ ipſi facere non poſſunt, facta ab illo erubeſcunt; & maluntiſtius negare virtutes, quàm ſuam inertiam confiteri.

Verum nobis ad alia properantibus omnis iſtorum memoria relinquatur; tu potius, (vt iam dudum deſidero) reliqua Martini opera cõtexe, atque ego, inquam, arbitror rectius iſta à Gallo eſſe poſcenda. Quippe qui plura nouerit, (neque enim ignorare potuit magiſtri facta diſcipulus.)

Ego plane (inquit Gallus) licet impar ſim tanto oneri, tamen relatis ſuperius à Poſtumiano obedientiæ cogor exemplis, vt munus iſtud non recuſem, quod imponitis. Cauendum autem mihi imprimis eſſe arbitror, ne ea de Martini virtutibus repetam, quæ in libro ſuo Sulpicius ille memorauit. Vnde prima illius inter militando geſta prætereo, neque ea attingam, quæ laicus egit, ac monachus. Nec vero audita ab alijs, potius quàm quæ vidi ipſe dicturus ſum.

Narratio Galli de globo igneo, & quibuſdam eius miraculis.

Cap. XXI.

EX *ſecundo libro dialogorum.* Primo igitur tempore, relictis ſcholis beato viro me iunxi, paucos poſt dies euntem ad eccleſiam ſequebar. Interim ei ſeminudus hibernis menſibus pauper occurrit, orans ſibi veſtimentum dari. Tunc ille, accerſito Archidiacono, iuſſit algentem ſine dilatione veſtire: deinde ſecretarium ingreſſus eſt, quo ſolus, vt erat illi conſuetudo, reſideret, (hanc.n. ſibi etiam in Eccleſia ſolitudinem permiſſa clericis libertate præſtabat.) Hoc ſecretum beati viri pauper ille captatum, cum ei Archidiaconus dare tunicam diſtuliſſet, irrupit, diſſimulatum ſe à clerico quærens, algere deplorans. Nec mora, ſanctus, paupere non vidente, intra amphibalum tunicam ſibi latenter eduxit, pauperemque contectum diſcedere iubet. Deinde paulo poſt Archidiaconus ingreſſus, admonet pro conſuetudine in eccleſia expectare populum, illumque ad agenda ſolennia debere procedere. Cui ille reſpondens ait: Pauperem prius, (de ſe autem dicebat) oportere veſtiri, ſeque ad eccleſiam non poſſe procedere, niſi veſtem pauper acciperet. Diaconus vero nihil intelligens, quia extrinſecus indutum amphibalo ſcilicet, veſte nudum interius non videbat, poſtremo pauperem non comparare cauſatur, mihi, inquit, veſtis, quæ præparata eſt, deferatur pauper non deerit veſtiendus. Arctatus demum clericus, neceſſitate compulſus, iamque felle commoto, è proximis tabernis bigerrigam veſtem, breuemque atque hiſpidam, quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes exponit. En, inquit, veſtem, ſed pauper non eſt hic. Ille nihil motus, iubet cum paululum ſtare pro foribus. Secretum itaque procurans dum ſibi veſtem nudus imponeret, totis viribus elaborans, vt poſſet occultum eſſe, quod fecerat. Sed quando in ſanctis viris latent iſta, quærentibus, velint, nolint, cuncta produntur.

S. Martinus nudos veſtit

Globus igneus in capite eius micat.

Cum hac oblaturus ſacrificium Deo veſte procedit; quo quidem die (mira dicturus ſum) cum iam altarium, ſicut eſt ſolemne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in ſublime contendens, longius collum crinemque flamma produceret. Hoc, licet celeberrimo factum die, in magna multitudine populi viderimus, vna tantum de virginibus, & vnus de preſbyteris, tres tantum videre de monachis; cæteri cur non viderint, non poteſt mei eſſe iudicij.

Per idem fere tempus cum Euantius, auunculus meus, vir licet ſæculi negocijs occupatus, tamen admodum chriſtianus, grauiſſima ægritudine extremo mortis periculo cæpiſſet vrgeri; Martinum euocauit, nec cunctatus ille properauit, prius tamen, quàm medium vitæ ſpacium vir beatus euolueret, virtutem aduenientis ſenſit ægrotus; receptaque continuo ſanitate, venientibus nobis obuiam, ipſe proceſſit. Altera die redire cupientem, magna prece detinuit; cum interim vnum de familia puerum læthali ictu ſerpens perculit; quem iam exanimem vi veneni ipſe Euantius ſuis humeris illatum, ante pedes ſancti viri, nihil illi impoſſibile confiſus, expoſuit. Iamque ſe malum ſerpentis per omnia membra diffuderat; cernens omnibus venis inflatam cutem, & ad vtris inſtar tenſa vitalia. Martinus porrecta manu vniuerſa pueri membra pertractans, digitum prope ipſum vulnuſculum, quo beſtia virus infuderat, fixit. Tum vero (mira ſum dicturus,) vidimus venenum ex omni parte reuocatum, ad Martini digitum cucurriſſe; deinde per illud vlceris foramen, exiguum, ita virus ſtipaſſe cum ſanguine, vt ſolet ex vberibus caprarum, aut ouium, paſtorum manu preſſis, longa linea copioſi lactis effluere. Puer ſurrexit incolumis: Nos ſtupefacti tantæ rei miraculo, id quod cogebat ipſa veritas, fatebamur, non eſſe ſub cælo, qui Martinum poſſet imitari.

Veneno mortuus reuiuiſcit.

De verberibus ei illatis ob pauorem iumentorum.

Cap. XXII.

COnſequenti itidem tempore iter cum eo dum diœceſes viſitaret, agebamus, nobis (neſcio qua neceſſitate) remorantibus, aliquantulum ille proceſſerat, interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat. Sed vbi Martinum in veſte hiſpida, nigro, & pendulo pallio circuntectum, contigua de latere iumenta viderunt, paululum in partem alteram pauefacta hæſerunt, deinde funibus implicatis, protentos illos, quibus (vt ſæpe vidiſti) animalia iſta miſera conglobantur, ordines miſcuerunt, dumque ægre expediuntur, moram facere properantibus. Qua permoti iniuria militantes, præcipitatis in terram ſaltibus ſe dederunt, deinde Martinum flagris ac fuſtibus vrgere cæperunt; cum quidem ille mutus, & incredibili patiẽtia prębens terga cædentibus, maiorem infęlicibus commoueret iram; magis ex hoc

Martini veſtis.

Beatus Martinus à militibus caditur.

furentes,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

furentes, quod iſte quaſi non ſentiens verberа illata cõtemneret. Nos illico conſecuti, fœde cruentum, atque vniuerſa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuiſſet inuenimus, ſtatimque eum aſello ſuo impoſuimus, oc locum cędis illius execrantes raptim abire properauimus. Interea illi regreſſi ad rhedam ſuã furore ſatiato, agi quo ire cæperant, iumenta præcipiunt. Quæ cum omnia ſolo fixa, ac ſi ænea riguiſſent, tollentibus altius vocem magiſtris, flagris hinc atque inde reſonantibus, nihil penitus mouebantur. Conſurgunt deinde omnes pariter in verberа, conſumit Gallicas mularum pœna maſtigias. Tota rapitur ſilua de proximo, trabibus iumenta tunduntur, ſed nihil penitus ſæuæ manus agebant; vno eodemque loco ſtabant fixa ſimulachra; quid agerent infelices homines, neſciebant. Nec iam vltra diſſimulare poterant, quin, quamlibet brutis pecoribus agnoſcerent diuino numine ſe teneri. Tandem ergo in ſe regreſſi cæperunt quærere, quis ille eſſet quem in eodem loco paululum ante cæcidiſſent. Tum percunctantes, cognoſcunt ex viantibus, Martinũm à ſe tam crudeliter verberatum; tum vero fuit omnibus cauſa manifeſta, nec ignorare iam poterant, quin ob illius viri iniuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos paſſibus conſequuntur, conſcio facti ac meriti pudore confuſi, flentes, & puluere quo ſe ipſi fædauerant, caput atq; ora conſperſi, ante Martini proſternũt genua, veniam precantes, & vt eos abire ſineret, poſtulantes; ſatis ſe vel ſola conſcientia dediſſe pœnarum; ſatiſque intellexiſſe, quam eoſdem ipſos viuos abſorbere terra potuiſſet, vel ipſi potius amiſſis ſenſibus in immobilem ſaxorum naturam rigeſcere debuiſſent, ſicut affixa locis, quibus ſteterant iumenta vidiſſent: orare ſe atque obſecrare, vt indulgeret ſceleri veniam, & copiam præſtaret abeundi. Senſerat etiam, priuſquam occurreret, vir beatus illos teneri, nobiſque iſtud iam ante dixerat, veniam tamen clementer indulſit, eoſque abire permiſit, animalibus reſtitutis.

Dant pœnas ſui delicti.

Veniam rogant ac impetrant.

De tribus mortuis ab eo ſuſcitatis.

CAP. XXIII.

ILlud autem animaduerti ſępe Sulpici Martinum tibi dicere ſolitum, nequaquam ſibi in epiſcopatu eam virtutum gratiam ſuppetiſſe, quam prius ſe habuiſſe meminiſſet. Quod ſi verum eſt, imo quia verum eſt, conijcere poſſumus quanta fuerunt illa, quæ monachus operatus eſt, & quæ teſte nullo ſolus exercuit, cum tanta illum in epiſcopatu ſigna feciſſe ſub oculis omnium viderimus? Siquidem ante epiſcopatum duos mortuos vitæ reſtituit, quod liber tuus plenius eſt locutus: In epiſcopatu vero, quod prætermiſiſſe te miror, vnum tantummodo ſuſcitauit; ego rei huius teſtis ſum. Fuerat enim cauſa neſcio quæ qua Carnotum petebamus, interea dum vicum quendam præterimus, obuia nobis turba immanis proceſſit, quæ erat tota gentilium, nam in iſto vico nemo nouerat Chriſtum. Senſit hic Martinus operandum, & annunciante ſibi ſpiritu totus infremuit, verbum Dei gentilibus prædicabat, ſæpius ingemiſcens, cur tanta *Dominum ſaluatorem* turba neſciret. Interea mulier quædam cuius filius paulo ante defecerat, corpus exanime beato viro protenſis manibus obtulit, cui etiam cætera multitudo ſe innxit, acclamans precibus matris, vt filium vnicum ſibi reſtitueret. Tunc Martinus defuncti corpus proprijs manibus accepit, & flexit genibus vbi conſummata oratione ſurrexit, viuificatum paruulũ matri reſtituit. Tunc omnis multitudo clamãs, cæpit *Chriſtum Deum* fateri, fideliter poſtulans ſe chriſtianos fieri, & ille cunctos manu catechumenos fecit. Conuerſuſque ad nos ait, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi ſolent martyres conſecrari. Viciſti, inquit, Poſtumianus: Galle, viciſti, non vtique me, qui Martini ſum potius aſſertor, & qui omnia hæc de illo viro, & ſciui ſemper, & credidi; ſed eremitas omnes Anachoretaſque viciſti. Nemo enim illorum ſicut Martinus hic noſter imo veſter mortibus imperauit, meritoque hunc iſte Sulpicius Apoſtolis, & Prophetis comparat, quem per omnia illis eſſe ſimilem, fidei virtus, ac virtutum opera teſtantur.

Ante potiora quam in epiſcopatu edidit.

Vitæ & matri filium mortuum reſtituit.

Qualiter Valentinianus Martino coactus eſt aſſurgere.

CAP. XXIV.

EOdem fere tempore, quo primum epiſcopatus datus eſt, fuit ei neceſſitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerũ potiebatur; is cum Martinum ea petere cognouiſſet, quæ præſtare nolebat, iuſſit eum palatij foribus arceri: etenim ad animum eius immitem ac ſuperbum, vxor acceſſerat Arriana, quæ totum illum à ſancto viro ne ei debitam reuerentiam præſtaret, auerterat. Itaque Martinus vbi ſemel atque iterum ſuperbum principem fruſtra adire tentauit; recurrit ad nota præſidia, cilicio obuoluitur, cibo potuque abſtinet, orationibus diebus ac noctibus perpetuat. Septima vero die aſtitit ei Angelus, iubet eum ad palatium ire ſecurum, regias fores quamlibet clauſas ſponte reſerandas, Imperatoris ſpiritum ſuperbum moliendum. Igitur iſtiuſmodi præſentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit: patent limina, nullus obſiſtit, poſtremo vſque ad Regem, nemine prohibente, peruenit. Qui cum eminus venientem videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam eſt aſſurgere dignatus aſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea parte corporis qua ſedebat, afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit; multumque complexus quem ſpernere ante decreuerat, virtutem diuinam ſenſiſſe emendatior fatebatur. Nec expectatis Martini precibus, prius omnia præſtitit, quàm rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequenter adſciuit: poſtremo abeunti munera multa obtulit, quæ vir beatus, vt paupertatis ſuæ cuſtos, cuncta reiecit.

Imperatoris vxor Arriana Martinũ aula arcet.

Coactus Valentinianus ei aſſurgit.

Idem munera reſpuit.

Qualiter Imperatrix ei in conuiuio miniſtrauit.

CAP. XXV.

MAximus Imperator Martinum ſæpius euocatum receptumque intra palatium venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo ſermo de præſentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate ſanctorum; cum interim diebus, ac noctibus, de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigiſſet, iſtius aſſiduitatem imo potius ſeruitutem non poterat euadere. Poſtremo à viro ſuo poposcit, deinde Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus miniſtris præberet ſalo conuiuium. Nec potuit vir beatus obſtinatius reluctari. Componitur caſtus Reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat; cibum quem ipſa coxerat, apponit. Finita cænula fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias imperialibus reliquijs anteponens.

Maximi Imp. vxor Martini prudentiæ famula.

Ad hæc Poſtumianus: Iam dudum, inquit, Galle audiens te loquentem, vehementer admiror Reginæ fidem, ſed vbi illud eſt, quod nulla vnquam fœmina ferebatur propius aſtitiſſe Martino? Ecce iſta Regina non ſolum aſtitit, ſed etiam miniſtrauit; & vereor ne iſto aliquantulum ſe tueantur exemplo, qui libenter fœminis inſeruntur. Cui Gallus: Quid tu, inquit, non vides quod ſolent docere grammatici, locum, tempus, perſonam, cogita captum in palatio Imperatoris precibus ambiri, Reginæ precibus cogi, temporis neceſſitate conſtringi, vt incarceratos liberaret, exules reſtitueret. Hæc quantum putas conſtare epiſcopo debuiſſe, vt pro his omnibus non aliquantulum de rigore propoſiti relaxaret? Veruntamen quia occaſione huius exempli male vſuros eſſe aliquos arbitraris, illi fœlices

erunt, si à disciplina exempli istius viri non recedant; videant enim quod Martino semel tantum in vita iam septuagenario, non vidua libera, non virgo lasciuiens, sed sub viro viuens, ipso viro pariter supplicante, Regina seruiuit & ministrauit. Hæc edenti astitit, non cum epulante discubuit; nec ausa est participare conuiuium, sed deferebat obsequium. Disce igitur disciplinam, seruiat tibi matrona, non imperet; seruiat, non recumbat. Sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est adscita conuiuio, imo prælata est ministranti, quæ verba potius audiebat. Sed in Martino, illa Regina vtrumque compleuit, & ministrauit vt Martha, & audiuit vt Maria.

Claudiomachus vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum, ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacratum virginum multitudo; præteriens ergo Martinus, in secretario ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius cunctæ in secretarium illud virgines irruerunt, adlambunt singula loca, vbi aut sederat aut steterat vir beatus; stramentum etiam in quo quieuerat, parturiuntur. Vna earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, in energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit; nec mora, dicto citius eiecto dæmone persona purgata est.

Energumenus stramine in quo Martinus decubuerat, curatur.

De potestate & intelligentia, quam etiam circa bestias habuit, & xenio quod à virgine accepit.

Cap. XXVI.

Per idem fere tempus Martino à Treueris reuertenti fit obuiam vacca, quam dæmon agitabat, quę relicto grege suo in homines ferebatur, & iam multos noxiæ petulca confoderat. Verum vbi nobis cœpit esse contigua, qui eam eminus sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed postquam ad nos toruis furibunda luminibus proprius accessit, Martinus eleuata protinus obuiam manu, pecudem consistere iubebat, quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis. Cum interea vidit Martinus dorso illius dæmonem supersedentem, quem increpans; Discede, inquit, funeste, de pecude, & innoxium animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus, & recessit. Nec defuit sensus in Bucula, quin se intelligeret liberatam, ante eius pedes recepta quiete prosternitur: deinde iubente Martino, gregem suum petit, seque agmini cæterarum oue placidior immiscuit. Hoc illud tempus fuit, quo inter medias flammas positus, non sensit incendium.

Vacca à dæmone vexata liberatur.

Quodam autem tempore dum Diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus; canes leporem sequebantur, iamque multo spacio victa bestiola, cum vndique campis late patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem iamiamque capienda crebris flexibus differebat, cuius periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus desistere sequi, vt sinerent abire fugientem. Qui continuo ad primum sermonis imperium constiterunt; crederes vinctos imo potius affixos in suis hærere vestigijs. Ita lepusculus persecutoribus alligatus incolumis euasit. Operæ precium autem est etim familiaria illius verba spirituali sale condita, memorare. Quem recens tonsam forte conspexerat, euangelicum, inquit, ista mandatum compleuit, duas habens tunicas, vnam earum largita est non habenti: Ita ergo & vos facere debetis.

Ad imperiū B. Martini canes prædā deserunt.

Eiusdem S. Martini ioci spirituales.

Item cum bubulcum algentem, & pene nudum in pellicea veste vidisset. En, inquit, Adam eiectus de Paradiso in veste pellicea sues pascit; sed nos illo vetere deposito, qui adhuc in isto manet, nouum Adam potius induamus.

Gen. 3.

Illud vero Sulpici meminisse te credo, quo affectu nobis, cum & tu coram adesses, illam virginem prædicaret, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis remouisset, vt ne ipsum quidem ad se Martinum (cum eam ille officij causa visitare vellet) admiserit. Ergo cum haud longe ab illa villula nos manere nox imminens coegisset, xenium beato viro illa eadem virgo transmisit: Fecitque Martinus, quod ante non fecerat; nullius enim ille vnquam xenium, nullius munus accepit; nihil ex his quæ virgo venerabilis miserat, refutauit, dicens; benedictionem illius à sacerdote minime respuendam, quę esset multis sacerdotibus preferenda. Audiant quęso virgines istud exemplum, vt fores suas si eas mali obsidere voluerint, etiam bonis claudant. In eius viri conspectum puella non venit, quem videre salus videntium fuit. Quis autē hoc alius præter Martinuū sacerdos, nō ad suam iniuriam retulisset? Verum ego ita virtutem huius virginis prædicabo, vt tamen nihil illis, quæ ad Martinum videndum ex longinquis regionibus sæpe venerunt, arbitrer derogandum; siquidem hoc beatum virum frequenter affectu, etiam Angeli frequentarint.

Quod frequenter occulte visitabatur à sanctis virginibus, Apostolis, & Angelis diuinitus.

Cap. XXVII.

Cæterum id quod dicturus sum Postumiane, hoc te (me autem intuebatur) teste recte perhibeo.

Quadam die ego & iste Sulpicius pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore & tremore, ac si ante angeli, tabernaculum mandatas excubias duceremus; cum quidem clauso cellulæ suæ ostio, nos ibi esse nesciret; interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circumfundimur, ac stupescentes, nec ignorare potuimus, nescio quid fuisse diuinum. Post duas vero horas ad nos Martinus egreditur; ac tum eum iste discipulus (sicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, vt perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuisset honoris, quod fatebamur, nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocutus; tenuē enim nos licet, & vix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audiuisse. Tum ille multum diuque cunctatus est, (sed nihil erat, quod ei Sulpicius non extorqueret inuito) incredibiliora, ait, forte dicturus sum, sed Christo teste non mentior, nisi quisquam est tam sacrilegus, vt Martinum æstimet fuisse mentitum. Dicam, inquit, vobis, sed vos nulli quæso dicatis: Agnes, Thecla & Maria mecū fuerunt. Referebat autem nobis vultum atquo habitum singularum. Nec vero illo tantum die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari: Petrum etiam & Paulum Apostolos videri sæpius à se non negauit. Iam vero dæmones, prout ad eum quisque veniisset, suis nominibus increpabat. A Martino autem sæpe Angelos visos familiariter, & sensimus, & experti sumus. Rem nimiam dicturus sum, sed tamen dicam.

B. Mariæ, Petri, & Pauli, & aliorum sanctorum conspectu & colloquio fruitur.

Apud Nemauson, Episcoporum Synodus, habebatur, ad quam quidam ire noluerat, sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpicius nauigabat, sed procul vt semper à cæteris, in remota parte nauis residebat, ibi Angelus ei, quid gestum esset in Synodo nunciauit. Nos postea tempus habiti Concilij sollicite requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conuentus, & ea ibi ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nunciarat.

Acta Synodi didicit ab Angelo.

Idem de miraculis eius,

Cap. XXVIII.

Nvper Harpagio Presbytero referente cognoui, Auitiani comitis vxorem misisse Martino in ampulla vitrea oleum, quod ad diuersas morborum causas necessarium esset, sicut est consuetudo benedicere,

ampul-

ampullam iſtiuſmodi fuiſſe, vt rotonda in ventrem creſceret ore producto, ſed oris extantis concauum non repletum, quia id moris eſt, ſic vaſcula complere, vt pars vmbonibus obſtruendis libera relinquatur. Teſtatur presbyter vidiſſe oleum ſub Martini benedictione creuiſſe, quoad exundante copia ſuperne defluueret, eandemque, dum ad matremfamilias vaſculum referretur, ſeruaſſe virtutem. Nam inter manus pueri portantis, ita ſemper exundaſſe oleum, vt omne veſtimentum, copia ſuperfuſi liquoris operiret; matronam itaque ad ſummum labrum plenum vaſculum recepiſſe teſtatur presbyter; vaſque vitreum cum oleo quod Martinus benedixerat, in feneſtra paululum editiore (vbi depoſuit) puer familiaris incautior linteum ſuperpoſitum, ampullam ibi eſſe ignarus, attraxit, vaſque ſuper conſtratum pauimentum marmore decidit; cunctis metu exterritis, ne benedictio deperiret, ampulla adeo incolumis eſt reperta, ac ſi ſuper plumas molliſſimas decidiſſet.

B Martini benedictione olei creſcit.

Vas vitreum lapſu non frangitur.

Canis nobis importunior oblatrabat aliquando, cui quidam, cuius nomen (quia præſens eſt, & prodi ſe vetuit) ſupprimetur. In nomine, inquit, Martini iubeo te obmuteſcere; cani hæſit latratus in gutture; linguam, vt abſciſam putares, obmutuit. Ita parum eſt ipſum Martinum feciſſe virtutes. Credite mihi, quia etiam alij nomine eius multa fecerunt.

Canis obmuteſcit ſolo eius nomine.

Qualiter propter ipſum Auitianus catenatos laxare eſt coactus.

Cap. XXIX.

AVitiani quondam Comitis noueratis barbaram nimis, & vltra omnes cruentam feritatem. Hic rabido ſpiritu ingreſſus Turonorum ciuitatem, ſequentibus eum miſerabili facie ordinibus catenatis, diuerſa perdendis parari iubet genera pœnarum, diſponens poſtero die attonita ciuitate ad opus tam ſtricte procedere. Quod vbi Martino compertum eſt, ſolus paulo ante mediam noctem ad prætorium beſtiæ illius tendit. Sed cum profundæ noctis ſilentio quieſcentibus cunctis, nullus foribus obſeratis pateret ingreſſus, ante limina cruenta proſternitur. Interea Auitianus graui ſomno ſepultus, Angelo ingruente percellitur: Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quieſcis? Qua ille voce percepta, lecto ſuo turbatus excutitur, conuocatiſque ſeruis trepidus exclamat; Martinum eſſe pro foribus; irent protinus, clauſtra reſerarent, ne Dei ſeruus iniuriam pateretur. Sed (vt eſt omnium natura ſeruorum) vix prima limina egreſſi, irridentes Dominum ſuum, quod ſomno fuiſſet illuſus, negant quenquam eſſe pro foribus; ex ſuomet ingenio coniectantes neminem poſſe nocte vigilare, nedum illi crederent in iſto noctis horrore iacere ante aliena limina Sacerdotem. Idque cum eſſet Auitiano facile perſuaſum, rurſus ſoluitur in ſoporem: ſed mox vi maiore concuſſus, exclamat Martinum ſtare pro foribus, ſibique ideo nullam quietem animi corporiſque permitti. Tardantibus ſeruis ipſe ad limina exteriora progreditur, ibique, vt ſenſerat, Martinum deprehendit. Perculſus miſer tantæ manifeſtatione virtutis; quid, inquit, Domine mihi hoc feciſti? nihil loqui te neceſſe eſt, ſcio quid deſideres, video quid requiras, diſcede quantocius, ne me ob iniuriam tuam cæleſtis ira conſumat, ſatis ſoluerim hucuſque pœnarum; crede quia non leuiter apud me actum eſt, vt ipſe procederem. Poſt diſceſſum autem ſancti aduocat officiales ſuos, iubet omnes cuſtodias relaxari, & mox ipſe proficiſcitur.

Auitianus à ſcelere perpetrando reuocatur.

Adhuc de miraculis eius.

Cap. XXX.

MOnaſterium beati viri duobus à ciuitate erat milibus diſparatum; ſed quoties venturus ad eccleſiam pedem extra cellulæ ſuæ limen extulerat, videres per totam eccleſiam energumenos rugientes, & quaſi adueniente iudice, agmina damnanda, vt aduentum trepidare Epiſcopi clericis, qui venturum eſſe neſcirent, dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quendam appropiante Martino in aere raptum, manibus extentis in ſublime ſuſpendi, vt nequaquam ſolum pedibus attingeret.

Aduenientẽ procul ſentiunt Energumeni.

Pagum quendam in Senonico annis ſingulis grando vaſtabat; compulſi extremis malis incolæ à Martino auxilium popoſcerunt: miſſa eſt per Auſpicium præfectorium virum ſatis fida legatio, cuius agros ſpecialiter grauior, quàm cæterorum aſſueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione, Martinus ita vniuerſam liberauit penitus ab ingruente peſte regionem, vt per 20. annos, quibus poſtea manſit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitum eſſe, & non potius Martino præſtitum putaretur, eo anno quo ille defunctus eſt, rurſum incubuit rediuiua tempeſtas: adeo ſenſit, & mundus viri fidelis exceſſum, vt cuius vita iure gaudebat, eiuſdem morte lugeret.

Pagum Senonenſis Diœceſis annua grandine liberat.

Quodam die ad Auitianum veniens, vbi eius ſecretarium eſt ingreſſus, videt poſt tergum illius dæmonem miræ magnitudinis aſſidentem; quem eminus (vt verbo, quia ita neceſſe eſt, parum Latino loquamur) exſuflans, Auiatinus ſe exſufflari exiſtimans, quid me, inquit, ſancte ſic aſpicis? Tum Martinus, non te, inquit, ſed eum, qui ceruici tuę teter incubuit. Ita receſſit diabolus, & reliquit familiare ſubſellium.

Columnam immenſæ molis, cui Idolum ſuperſtabat, parabat euertere; ſed nulla erat facultas, qua id daretur effectui. Tum ad orationem ſuo more conuertitur. Viſam, certum eſt, parilem quodammodo columnam ruere de cælo, quæ impacta Idolo totam illam inexpugnabilem molem ſoluit in puluerem; parum ſcilicet, ſi inuiſibiliter cæli virtutibus vteretur, niſi ipſæ virtutes viſibiliter ſeruire Martino humanis etiam oculis cernerentur.

Oratio deſtruitur columna cui Idolum ſuperſtabat.

Iterum de eodem.

Cap. XXXI.

SErpens aliquando flumen ſecabat, & ripam, in qua conſtiteramus innatabat. *In nomine*, inquit, *Domini iubeo te redire*. Mox ſe mala beſtia ad verbum ſancti retorſit, & in vlteriorem ripam nobis ſpectantibus tranſmeauit. Quod cum omnes non ſine miraculo cerneremus; altius ingemiſcens, ait: *Serpentes me audiunt, & non audiunt homines.*

Serpentes obediunt dictis ſanctorum, ſed homines non.

Quidam fuit cum ad fornaculam illius carbonum copiam reperiſſet, & admota ſibi ſellula diuaricatis pedibus ſuper illum ignem nudato inguine reſideret, continuo Martinus factam ſacro tegmini ſenſit iniuriam, magna voce proclamans: Quis, inquit, nudato inguine noſtrum inceſtat habitaculum? Hoc vbi ille frater audiuit, & ex conſcientia quòd increpabatur, agnouit; continuo ad nos cucurrit exanimis; pudorem ſuum, non ſine Martini virtute, confeſſus.

Fornacula iniuria.

Quadam itidem die dum in area, quæ parua admodum tabernaculum iſtius ambiebat, in illo ſuo, (quod noſtis) ſedili ligneo reſediſſet, vidit duos dæmones in excelſa illa, quæ monaſterio ſupereminet, rupe conſiſtere, inde alacres ac lętos vocem iſtiuſmodi adhortationis emittere: Eia te Brictio, Eeia te Brictio. Credo cernebant miſerum eminus propinquantem, conſcij quantam illi rabiem ſpiritus ſuſcitaſſent. Nec mora Brictio furibundus irrupit, ibi plenus inſania, euomit in

Brictionis contumelia in D. Martinum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Martinum mille conuitia. Interea credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus reductus in pœnitentiam mox reuertitur, & ad Martini genua se prosternit, veniam poscens, fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse tandem, senior confitetur, nec erat apud Martinum labor iste difficilis, vt ignosceret supplicanti. Tunc, & ipsi, & nobis omnibus sanctus exposuit qualiter istum à dæmonibus vidisset agitari, se que conuitijs non moueri, quæ magis illi à quo essent effusa, nocuissent. Exinde cum idem Brictio multis apud eum magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, vt eum à presbyterio summoueret, ne suam persequi videretur iniuriam, illud sæpe commemorans, quod *Dominus Iudam tolerauit.*

De obitu eiusdem.

Cap. XXXII.

Anno Chris. 399 secundum Sigebertum.

Sigebertus in chronicis. Anno Arcadij, & Honorij secundo obijt sanctus Martinus secundùm quosdam; imo secundum Prosperum anno Arcadij, & Honorij 5. & secundum Seuerum, qui scribit in vita eius, eum post mortem Priscilliani 16. annos vixisse.

Seuerus in epistola ad Bassulam socrum suam. Martinus igitur obitum suum longe ante præsciuit, dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit, qua Condatensem diœcesim visitaret. Nam clericis inter se istius ecclesiæ discordantibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam non recusauit. Itaque profectus cum sancto discipulorum comitatu, mergos immensos in flumine conspicatur, piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis. Forma, inquit, hæc dæmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exaturari non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti virtute verborum, vt eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent, desertasque regiones, eo nimirum circa aues istas vsus imperio, quo dæmones fugare consueuerat. Ita grege facto, omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes siluasque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino viderant virtutem, vt etiam auibus imperaret.

Imperat Martinus auibus.

Visitat Diœcesim Condatensem.

Aliquamdiu ergo in vico isto, vel in ecclesia ad quam ierat commoratus, pace inter clericos restituta, cum iam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente destitui, conuocatisque discipulis indicat se iam resolui. Tum vero mæror, & luctus omnium vox vna plangentium. Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces; & quis eos à morsibus, percusso pastore, prohibebit? Scimus, quidem desiderare te Christum, sed salua tibi tua sunt præmia; nec dilata minuentur; nostri potius miserere, quos deseris. Tunc ille motus his fletibus, vt semper in Domino totus misericordiæ visceribus affluebat, lachrymasse perhibetur; conuersusque ad Dominum hac tantum voce respondit flentibus: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusabo laborem, fiat voluntas tua: At si iam parcis ætati, bonum est mihi, fiat voluntas tua;* hos vero, quibus timeo, ipse custodias. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! qui in nullam se partem pronior inclinauit, nec mori timuit, nec viuere recusauit.

Nec mori, nec viuendo laborare recusat,

Itaque cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur; non tamen à Dei opere cessabat pernox in orationibus, & vigilijs fatiscentes artus spiritui seruire cogebat, nobili illo stratu suo, in cinere, & cilicio recubans. Et cum à discipulis rogaretur, vt saltem vilia sibi sineret stramenta supponi. *Non decet,* inquit, *filij, christianum nisi in cinere mori: ego si aliud exemplum vobis relinquo, ipse peccaui.* Oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictũ ab oratione spiritum non relaxabat; & cum à presbyteris, qui tunc ad eum confluerant, rogaretur, vt corpuscu-

Quo in stratu mori conuenit christianũ.

lum lateris mutatione releuaret: *Sinite,* inquit, *sinite me fratres, cælum potius, quam terram aspicere, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Hæc locutus diabolum vidit prope assistere. Quid, inquit, hic astas cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies. Abrahæ me sinus recipiet. Cum hac ergo voce flagitatum diuinis operibus, spiritum cælo reddidit. Testatique nobis sunt qui affuerant, iam exanimo corpore glorificati hominis vidisse se gloriam; vultus luce clarior renitebat, cum membra cætera ne tenuis quidem macula fuscaret.

Alloquitur diabolum moriturus.

Obitus B. Martini.

De visionibus longe ostensis Seuerino & Ambrosio Episcopis.

Cap. XXXIII.

Hæc ex Gregorio Turonensi desumpta sunt lib. primo miraculorum S. Martini cap. 4.

Beatus autem Seuerinus Colonensis ciuitatis Episcopus, vir sanctæ vitæ, & per cuncta laudabilis, dum die dominica loca sancta ex consuetudine post matutinas cum clericis suis circumiret, illa hora, qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in sublimi; vocatoque Archidiacono, interrogat, si aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret; respondit, nequaquam. Tunc iste inquit: Diligenter ausculta. Archidiaconus autem cœpit sursum collum extendere, aures erigere, & super sũmos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, à quo, hæc non merebantur audiri. Tunc prostrati terræ, ipse pariter & beatus Episcopus Dominum deprecabantur, vt hæc ei diuina pietas audire permitteret. Erectus autem, rursũ interrogat senex. Quid audis? Qui ait: Voces psallentium tanquam in cælo audio, sed quid sit, prorsus ignoro. Cui ille: Ego tibi, inquit, narrabo. Dominus meus Martinus Episcopus migrauit ex hoc mundo, & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Et vt parumper esset mora, vt hæc audirentur, diabolus eum cũ iniquis Angelis retinere tentauit, nihilque suum in eodem repertens, confusus abscessit.

Ex eodem Gregorio lib. 1. cap. 5. sed redarguuntur hac à Baronio quæ scribit Gregorius de Ambrosio quod per visum interfuerit funeri S. Martini, cum constet ante S Martinum obijsse S. Ambrosium anno scilicet Domini 397. S. Martinus anno 402. hac Baronius.

Eodem quoque tempore beatus Ambrosius, cuius hodie flores eloquij per totam ecclesiam redolent, Mediolanensi ciuitati præerat Episcopus. Cui celebranti festa dominicæ diei, erat consuetudo, vt veniens lector cum libro non ante legere præsumeret, quam sanctus nutu iussisset. Factum est autem, vt illa die dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altare stante, qui lectionẽ beati Pauli proferret; beatissimus Antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret; quod videntes multi, cum nullus eum penitus excitare præsumeret, transactis fere duarum aut trium horarum spacijs excitauerunt eum dicentes: Iam hora præterit, iubeat Dominus lectori lectionem legere, expectat enim populus valde iam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius: Nolite, inquit, turbari, multum enimmihi valet sic obdormisse, cui tale miraculum ostendere Dominus dignatus sit: Nam noueritis fratrem meum Martinum sacerdotem egressum fuisse de corpore; me autem eius funeri obsequium præstitisse, peractoque ex more seruitio, capitellam tantum, vobis excitantibus, non expleui. Tunc illi stupefacti, pariter & admirantes, diem & tempus notant, sollicite requirentes; qui ipsam diem, tempusque reperiunt, quo beatus confessor dixerat, se eius exequijs deseruisse.

De visione ostensa Seuero Aquitannico.

Cap. XXXIV.

Seuerus ad Aurelium. Postquam à me mane digressus es, eram residens solus in cellula, & peccatorum meorum recordatio tristem me atque confectum reddiderat. Deinde cum fatigata angore animi in lectulo membra posuissem, vt plerumque ex mœstitudine solet, somnus obrepsit. Qui vt semper matutinis horis leuior, incertusque, ita suspensus, ac dubius per membra diffunditur; vt quod in alio sopore non euenit pene vigi-

lans

In somno apparet B. Martinus Sulpitio.

lans dormire te sentias. Cum repente sanctum Martinum Episcopum videre mihi videor prætextum candida toga, vultu igneo, stellantibus oculis, crine purpureo, atque ita mihi in ea habitudine corporis, & forma qua noueram, videbatur, vt quod eloqui pene difficile est nobis, non posset aspici, cum posset agnosci. Arridensque paululum, mihi libellum quem de vita eius scripseram dextera præferebat. Ego sancta genua eius complexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam; superpositamque manum capiti meo tactu blandissimo sentiebam. Cumque inter benedictionis verba solemnia familiare illud ori suo crucis nomen iteraret, mox in eum luminibus intentus cum satiari vultu illius conspectuque non possem, subito mihi in sublime sublatus eripitur, donec immensa aeris istius vastitate, cum eum rapida nube supervectum, acie sequeremur oculorum, patenti cælo receptus, videri vltra non potuit. Nec

Clarus discipulus B. Martini.

multum post, sanctum presbyterum CLARVM illius discipulum, qui nuper excesserat, video eandem, quam magistrum, viam scandere. Ego impudens sequi cupiēs, dum altos gressus molior, & connitor, euigilo; somnoque excitatus, congratulari cæperam visioni, cum ad me puer familiaris ingreditur, solito tristior vultu, loquentis pariter & dolentis, duo, inquit, monachi à Turonis

Mors B. Martini nunciatur.

affuerunt, qui Dominum Martinum obijsse nunciant. Concidi fateor, obortisque lachrymis fleui vberrime; quin etiam dum hęc ad te frater scribimus, fluunt lachrymę, nec vllum impatientissimi doloris admitto solatium, te vero, vbi hoc nunciatum est, participem esse volui luctus mei, qui eras amoris socius. Veni ergo ad me statim, vt pariter lugeamus, quem pariter amauimus. Quanquam sciam virum istum non esse lugendum, cui post euictum triumphatumque sæculum, nunc demum reddita est corona iustitiæ, sed tamen mihi ego imperare non possum, quin doleam. Sed quid te in lachrymas fletusque commoueo? Ecce nunc consolatum te esse cupio, qui me consolari ipse non possum. Non deerit nobis ille, mihi crede, non deerit, intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus. Quodque iam hodie prestare dignatus est, videndum se in gloria sua sæpe præbebit, & assidua (sicut ante paululum fecit) benedictione nos proteget.

Obijt autem hic sanctus anno ætatis suæ 81. episcopatus vero 26.

De institutione ludi gladiatorij, & inuectiuis mutui. Hieronymi ac Ruffini.

CAP. XXXV.

Ex chronicis Sigeberti an. Christ. 400.

EOdem tempore Romæ celebrato gladiatorio ludo, Telematius monachus, increpans populum attentius spectaculo inhiantem, lapidatur à populo. Vnde offensus Honorius Imperator gladiatorium ludum edicto suo in perpetuum remouit.

Imperatores zelum patris sui Theodosij secuti, in toto orbe Romano, templa Idolorum destrui iubent. Hieronymus, & Ruffinus presbyter Aquilienſis, orta inter se simultate pro quæstionibus scripturarum, libros inuectiuarum, satis quidem luculentos, sed nimis mordaci sermone, in alterutrum conscribunt.

Psal. 56. *Rufinus contra Hieronymum lib. 1. Filij hominis dentes eorum arma & sagittæ &c.* Verum ad hæc vulnera quæ ex lingua inter homines infliguntur, medicus pene nullus est; & ideo *conuerti me ad Iesum cælestem medicum, qui mihi antidotum potentissimum dedit, de sui pixide euangelij prolatum, quæ vim doloris spe futura iusti examinis solaretur.*

Math. 5. Potio ergo illa quam temperauit Iesus, hæc erant verba: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint &c.*

Idem in 2. lib. Iste magister orientalis, residente in tribunali iudice Christo, Angelis assistentibus, & pro se intercedentibus, inter verbera & cruciatus positus, iurat se libros sæculares, nec habiturum vnquam nec lecturum. Relegamus nunc quęso, ea quæ scribit, si vna operis eius pagina est, quæ non eum iterum Ciceronianum pronunciet, vbi non dicat, sed Tullius noster, sed Flaccus noster, & Maro. Iam vero Crysippum & Aristidem & Empedoclem, & cætera Græcorum auctorum nomina vt doctus videatur, & plurimæ lectionis, tanquam fumos, & nebulas lectoribus spargit. Puellis quoque vel mulierculis scribens, quæ non vtique nisi de nostris scripturis ædificari cupiunt, & debent; exempla Flacci sui, vel Maronis intexit.

Hieronymus contra Rufinum. Apparet iuxta inclyti oratoris eloquium, voluntatem habere mentiendi, sed artem non habere fingendi, errauimus iuuenes, emendemus senes. Eodem feruore quo Originem ante laudauimus, nunc damnatum toto orbe, damnemus. Si accusatus taceam, videbor crimen agnoscere. Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus. Veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio, ne nobis Iesus dicat excluſus: *Hospes eram & non me collegistis.* Solos hæreticos, non recipimus, propositum quippe nobis est, pedes lauare venientium. *Inuno tibi consentire non potero, vt parcam hæreticis. Si hæc est causa discordiæ, quam habes erga me, mori possum, tacere non possum.*

Math. 25.

De obitu sancti Ambrosij.

CAP. XXXVI.

ANno Arcadij & Honorij * 6. Ambrosius Mediolanensis obijt, cuius vitam Paulinus Nolanus Episcopus ad Augustinum Episcopum describit.

* *Dissentit Baronius vt dixi supra.*

Paulinus in vita B. Ambrosij. Cum autem in infirmitatem vir sanctus decidisset, comes Stilico dixisse fertur, quod tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiæ. Vnde conuocatis nobilibus ciuitatis, quos ab eo diligi cognouerat, persuadebat eis, vt pergerent ad illum, suaderentque illi, vt sibi viuendi à Domino peteret commeatum. Quod ille, vt ab eis audiuit, respondit: Non ita vixi inter vos, vt pudeat viuere, nec timeo mori, quia bonum habemus Dominum. Cum autem in extrema parte porticus, in qua iacebat, diaconi secum tractarent, ita voce repressa, vt vix inuicem se auditent, quis post obitum eius ordinandus esset Episcopus, cum de sancti Simpliciani nomine loquerentur, tanquam tractatui interesset, cum longe positus iaceret, approbans, exclamauit tertio: *Senex, sed bonus.* Qua voce audita, expauescentes fugerunt. Defuncto tamen eo, non alius ei quam Simplicianus successit.

Præclara vox sanctissimi Patris.

In eodem loco in quo iacebat, cum oraret, vidit Dominum Iesum ad se venisse arridentem sibi, nec multos post dies ablatus est.

Videt Christum arridentem sibi.

Tempore autem quo migrauit ad Dominum ab hora circiter 11. diei vsque ad horam qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit Dominum. Honoratus autem Vercellensis ecclesiæ sacerdos, cum in superiora domus suę se ad quietem composuisset, vocem tertio se vocantis audiuit, dicentis: Surge, festina, quia modo est recessurus: Qui descendens obtulit sancto *corpus Domini*, quod vbi glutiuit, emisit spiritum; bonum secum ferens viaticum; atque ad maiorem ecclesiam corpus eius est deportatum, supra quod plurimi stellam se videre narrabant. Dæmonum quoq; turba ita clamabat se ab isto torqueri, vt eiulatus eorum ferri non posset.

Donatus, quidem Mediolanensis ecclesiæ presbyter, cum in conuiuio cum quibusdam militaribus religiosis positus, memoriæ sacerdotis detraheret aspernantibus illis, & deferentibus linguam nequam, subito graui vulnere percussus, de eodem loco in quo iacebat alienis manibus subleuatus, in lectum positus est, & inde ad sepulchrum vsque perductus.

In vrbe etiam Carthaginensi cum apud Fortunatum fratrem Aurelij episcopi, ad conuiuium vna cum pluribus episcopis, & diaconis conueniissem, Murano

Vltio diuina in obtrectatores viri sancti.

Episcopo detrahenti sancto viro, retuli presbyteri exitum supra memorati; quod ille de alio dictum, de suo maturo exitu comprobauit oraculum, nam subito ingenti vulnere percussus ad lectum portatus est, & inde ad domum in qua hospitabatur reductus, obijt.

Sigebertus in Chronicis. Hoc tempore in Italia Sisinnius, Martyrius, & Alexander à Gentilibus martyrizantur. Quorum corpora cum Mediolanum deferrentur, cæcus per eos illuminatur, dicens se illuc per visum directum esse ab Ambrosio Episcopo, dicente se in horum martyrum consortio deputatum esse.

De sancto Paulino Episcopo, qualiter pro captiue se seruituti barbari addixit.

Cap. XXXVII.

Paulinus episcopus omnia sua captiuis largiebatur.

PRæfatus autem Paulinus, Nolæ postmodum Episcopus cum esset innumerabilium prædiorum Dominus, admirabili exemplo, venditis omnibus, religionem expeditus elegit: cui Terasia, ex coniuge facta soror, æquatur beatæ vitæ testimonio, & merito. Hic semetipsum pro captiuo filio pauperis viduæ in seruitutem barbari addixit; sed diuinitus proditus, quis esset, multos captiuos libertati restituit.

Gregorius in libro dialogorum tertio cap. 1. Dum sæuientium Vuandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terra in regionem Africanam transducti, vir domini Paulinus, cuncta quæ ad Episcopi vsum habere potuit, captiuis, indigentibusque largitus est. Cumque iam nihil omnimodo superesset, quod petentibus dare posset; quædam vidua aduenit, quæ à Regis Vuandalorum genero, filium suum captiuum ductum perhibuit, & à viro Dei precium eius postulauit; cui ille respondit: Mulier quid possim dare non habeo; sed memetipsum tolle, & me seruum iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias; me vice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit, quam compassionem. At ille, vt erat vir eloquentissimus, atque apprime in exterioribus quoque studijs eruditus, dubitante fœminæ citius persuasit, vt audita crederet; & pro redemptione filij sui in seruitium, Episcopum tradere non dubitaret. Perrexere igitur vterque ad Africam. procedente autem Regis genero, vidua rogatura se obtulit, ac prius petijt, vt filium suum ei donare debuisset. Quod cũ vir barbarus, typo superbiæ turgidus, etiã audire despiceret, vidua subiunxit dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe; mihique filium vnicum redde. Cumque ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem noscet inquisiuit: Cui vir Domini Paulinus respondit dicens: Aliquam artem quidem nescio, sed hortum excolere bene scio. Quod vir gentilis libenter accepit, & pro eo viduæ filium suum reddidit. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit. Paulinus vero excolendi horti susceptit curam, cumque idem Regis genet crebro ingrederetur hortum suum, & hortulanum suum requireret, sapientem valde esse hominem videret; amicos cœpit familiares deserere, & sæpius cum solo hortulano colloqui; atque eius sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam, olera virentesque herbas deferre consueuerat, & accepto pane ad curam horti remeare.

Paulinus hortulanum se esse dixit.

De liberatione ipsius cum suis, & de morte eiusdem.

Cap. XXXVIII.

Paulinus prædixit Regem vandalorum statim moriturum.

CVm hæc diutius agerentur, quadam die suo Domino secum secretius loquenti ait: Vide quid agas, & Vuandalorum regnum quomodo disponi debeat, prouide; quia Rex citius, & sub omni celeritate moriturus est. Quod ille audiens, (qui ab eodem Regi præ cæteris diligebatur,) ei minime tacuit, sed quid à suo hortulano, sapiente scilicet viro audiuisset, indicauit. Quod dum Rex audisset, illico respondit: Ego velim hunc de quo loqueris hominẽ videre. Cui gener eius. s. venerabilis Paulini tẽporalis dominus respondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit; has itaque huc ad mensam eum deferre facio, vt quis sit, qui mihi hæc locutus est, agnoscas. Factumque est, cum Rex ad prandium discubuit, Paulinus ex suo opere olera quæque, & virentia delaturus, venit. Cumque hunc Rex subito conspexisset, infremuit, atque accersito eius Domino sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod prius absconderat, indicauit dicens. Verum est, quod audisti. Nam nocte hac in somno, sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos simul iste sedebat, & flagellum, quod aliquando accepe-ram, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percunctare, quisnam sit, hunc ego tanti meriti virum, popularem, vt conspicitur esse, non suspicor. Tunc Regis gener secreto Paulinum tulit, quis nam esset inquisiuit. Cui vir Domini respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ Vicarium suscepisti. Cumque ille instanter requireret, vt non quis esset, sed quis in sua terra fuisset, indicaret; atque hoc ab eo frequenti inquisitione exigeret, vir Domini constrictus magnis coniurationibus iam nõ valens negare, quid esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valde timuit & humiliter obtulit dicens: Pete quod vis, vt ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui Paulinus ait: Vnum est quod tu impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro viri Dei satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Nec multo post Vuandalorum Rex occubuit, & flagellum, (quod ad suam pernitiem, dispensante Deo, pro disciplina filiorum accepit) amisit, sicque factum est, vt famulus Dei vera prædiceret, & qui se in seruitium solus tradiderat, cum multis ad libertatem rediret; illum scilicet imitatus qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati.

Paulinus cũ omnibus suis ciuibus Nolam reuersus est.

Author. De huius etiam morte apud eius ecclesiam scriptum est, quia cum dolore lateris esset tactus ad extrema perductus est. Cumque eius domus in sua soliditate persisteret, cubiculum, quo iacebat æger, facto terræmotu contremuit, omnesque qui illuc aderant nimio terrore concussi sunt; sicque anima sancta carne soluta est.

De sancto Felice Martyre.

Cap. XXXIX.

PRæter vitam Beati Ambrosij scripsit idem Paulinus vitam Beati Felicis Nolani Presbyteri, qui passus est 19. Calen. Februarij.

Felix fit presbyter.

Ex gestis eius. Hic à Maximo Nolanæ vrbis Episcopo presbyteri honore præditus est. Qui Pontifex, cum Imperatorum decreta christianos insequi præcepissent, iam senio prægrauatus, putans se non posse ferre supplicia, siluarum saltus adijt. Quos dum turbidus de hac persecutione pererrat, affectus fame, gelu attritus, solo semiuiuus corruit. At Felix cum multa de Deorũ portentis, quod nihil fuerint, disputasset, quod post perpessa diuersorũ suppliciorũ genera carceri adiudicatur, vinculis astringitur. Nocte autem media venit ad eum Angelus Domini, & confractis catenis, scissaque trabe, qua pedes eius concluſi erant, ait: Surge, & sequere me. Egressoque cum eo de carcere, ait: Conscende ad montana, & require sacerdotem tuum, ac refocillatum duc ad vrbem, & absconde, ne inedia, ac frigore pereat, donec persecutio desinat. Pergens ergo, quò, nesciebat, prouidente Domino, reperit Sacerdotem solo prostratum, clausis oculis, strictisque dentibus, membra hyeme rigida, & præmortua. Cumque anxius esset, quod nullum alimentum, quod periclitãti porrigeret, haberet;

Episcopi afflictio.

Felix comprehenditur & in carcerẽ mittitur.

Angelus Felicem vinculis absoluit.

de cæ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Felicis erga episcopum charitas, quem pene examinem refocillauit.

de cælo dilapsum munus contemplatur Angelicum: ecce enim de sente, quę proxima erat, vnam pendere miratur, de qua granis in os Sacerdotis expressis, paululum refocillatus, erectus est: quem humeris impositum, velocissime detulit, & tugurio cuiusdam viduæ commendatum alimento refecit.

Eo autem migrante Felix electus à populo, vt cathedrę præsideret, noluit acquiescere, & Quintus nomine, presbyter ordinatus est Episcopus. Quarta autem persecutione cum Felix in platea populum moneret, persecutor missus affuit, Felix latebram petens inter parietes dirutos, per modicum ingressus aditum, se occultauit. *Nota miraculum.* Nec mora, persecutor insequitur, sed Deus solicitudinem quærentis elusit, nam iussu eius araneę per aditum illum telarum stamina prętendunt. At illi per vestibulum persequentes, dum locum explorare nituntur, exordia telæ conspiciunt, & dicunt: Putasne hęc fila homo transijt, quæ sæpius tenuitas muscarum erumpit. Et sic illusi prouidentia Dei, discesserunt. Sanctus autem Felix, data nocte, ad alium locum secessit, in quo per tres menses latitans, à muliere quadam alimenta suscepit, nusquam tamen eiusdem ministrantis faciem suspexit. Denique data pace sanctæ ecclesiæ, ac populo restitutus, in pace quieuit; sepultusque est iuxta vrbem in loco, qui dicitur Pincis, multis se virtutibus declarans in populis.

Miraculum post obitum S. Felicis.

Quidam pauper habens duos boues; cum quadam die laßus ab aratro veniret, his dimissis se hospiciolo recondidit, fur statim rapax affuit, qui eos clam capiens abduxit secum: egressus pauper, nec boues inueniens, per deuia quęrit, siluas circuit, ardua scandit, sed nec vestigium quidem deprehendit. Tunc lamentans ad sepulchrum S. Felicis martyris accedit, flens, ac gemens, eius virtute perditum, sibi reddi petit. Egressus autem à templo, ante atrij ianuam boues suos agnoscit regressus, gratias egit. Oculum quoque eiusdem hominis, quem cæcum habebat, martyris virtus illuminauit.

Lege vitam hanc longiore & elegantiore stylo descriptam apud uritii 14. Ianuarij.

Hæc Paulinus versibus conscripsit, quos Gregorius Turonensis in prosam conuertit.

De sancto Felice Presbytero, & Confessore.

Cap. XL.

Ex gestis eius. Post completionem autem Sancti Felicis presbyteri, alius Felix germanus eius, iunior nomine, & actione, & ipse presbyter adductus ad Draceum vrbis præfectum, cum nollet Idolis immolare, iussus est fustibus cædi, & exilio deportari in montem, qui vocatur Circeio, vbi lapides quadrati excidebantur, vt & ipse ibidem tota vita sua hoc faceret. Sed ibi filiam Probi tribuni, qui loco præerat, à dæmonio vexatam, inuocato *nomine Iesu* liberauit, propter quod Probus misit se ad pedes eius, dicens: *Vere tu es homo Dei sanctus.* Erat autem iste, nomine, & opere, Probus, ciuis Nolanus, cuius etiam vxor morbum hidropicum incurrens, oleo, à sancto Felice benedicto, peruncta, post triduum salua facta est. Tunc collega Probi pergens ad consulares, egit vt eum vinctum duceret, eo quod eum Christum confitentem audiret. Cumque ex officio venissent, vt eum tenerent, manus eorum in dolorem sunt conuersæ, ita vt vlulatum diræ vocis emitterent. Quibus ait Felix, *vt confiterentur Christum esse verum Deum.* Et cum clamarent: *Verus Deus Christus*, mox à dolore liberati sunt, & vniuersi qui aderant credentes, liberati sunt. Expleto autem Tribunitij sui tempore Probus cũ S. Felice Nolanum est reuersus: ibi dæmonum Pontifex erat, qui miseris Paganis quasi diuinabat. Hic videns Felicem, cecidit ad pedes eius dicens: *Domine, te Deus meus venientem vidit, & fugit, dicens mihi: Virtutem huius Felicis, qui cum Tribuno venit, ferre nullatenus possum. Ergo si Deus meus sic te timet, quanto magis ego te timere, & venerari debeo?* Qui respondit: *Christum time, & venerare, cuius ego seruus sum.* Quod audiens iste, credidit in Christum. Cum autem ibi Felix existens hortum sibi excoleret, venerunt nocte, qui eius olera raperent; & inuenientes ibi vangas tota nocte lucente Luna laborauerunt, & videbatur eis, quod furtum facerent, mane autem inuenti sunt laborantes. Et cum vidisset eos Felix ait: *Adiuuet vos Dominus, ô filioli.* Illi autem mittentes se ad pedes eius, confessi sunt, quid voti eorum fuisset, & quid Dominus procurasset. Supervixit autem B. Felix in eadem ciuitati 12. annis, quicumque veniebat ex Paganis, vt eum raperet, & in iudicium offerret, statim dæmonio replebatur. Cumque Christo credidisset, à S. Felice mundatus, gratias agens, christianus abscedebat, qui Paganus aduenerat. Tandem Dominica die confectis mysterijs, & data pace vniuerso populo, proijciens se in pauimentum, in oratione perrexit ad Dominum.

Felix deportatur in exilium ibique multis claret miraculis.

Latrones furari in eius horto volentes, diuina virtute sunt delusi.

Author. Hæc de gestis eius Felicis, occasione alterius fratris eius, scilicet eiusdem nominis, cuius vitam Paulinus descripsit; hic inferere volui, quo tempore vterque floruerit ignorans.

Scripsit autem etiam Paulinus præter prædicta; librum epistolarum vnum ad diuersas personas.

De Sancto Brictio Turonensi.

Cap. XLI.

Ex gestis eius. Post excessus Beati Martini Sanctus Brictius in episcopatu succedit: nam in iuuentute sua multas Beato Martino contumelias inferebat, eo quod eum illo tempore Martinus, cur res faciles sequeretur, arguebat. Quadam vero die dum infirmus quidam medicinam à B. Martino expeteret, Brictium adhuc diaconum, in platea conuenit, dicens: Ecce beatum virum expecto, & vbi sit nescio. Qui respondit: Si delirum illum quæris, prospice eminus, ecce cælum, solitò sicut amens, respicit; cumque pauper ille à B. Martino quod petierat impetrasset, Brictium alloquitur Martinus, dicẽs: En ego Bricti delirus tibi videor. Cumque ille confusus, negaret se dixisse, ait vir sanctus. Nonne aures meæ ad os tuum erant, cum hæc eminus loquebaris? ecce apud Deum obtinui, vt & post me ad Pontificatus honorem accederes, sed noueris te in episcopatu multa aduersa passurum. Brictius hæc audiens, irridebat eum; qui quanquam esset superbus, & vanus in corpore, tamen castus habebatur.

Scripsit vitã B. Brictij Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Francorum cap. primo.

S. Martinus obtinuit precibus suis vt in episcopatũ ei succederet.

Igitur 33. ordinationis suę anno oritur contra eum lamentabile crimen. Nam quædam mulier ad quam cubicularij vestimenta eius deferebãt, ad abluendum concepit, & peperit. Qua de re totus populus Turonorum iratus, totum crimen in Episcopum referunt, & eum vnanimiter lapidare volunt: Illo viriliter hæc negante: Afferte, inquit, infantem ad me. Qui cum oblatus fuisset 30. dies ab ortu habens; ait ad eum: *Adiuro te per Iesum Christum, vt si ego te genui, edicas coram cunctis.* Qui respondit: Non es tu pater meus. Populis autem interrogantibus, vt quis esset pater interrogaret. Ait Episcopus; non est hoc meum, quod ad me pertinuit, solicitus fui. Cumque illi magicis artibus hoc factum assererent, & contra eum insurgerent, vt eum ab episcopatu pellerent, ipse ad satisfaciendum populo prunas ardentes in birro suo posuit, & ad se stringens, vsque ad sepulchrum B. Martini vna cum populorum turbis perrexit, proiectisque ante illud prunis, vestimentum illud inustum apparuit. Dixitque turbis: Sicut hoc vestimentum ab his ignibus videtis illæsum, ita & corpus meum à tactu mulieris est impollutum. At illis non credentibus, sed contradicentibus, Sanctus Brictius trahitur, calumniatur, ejcitur, vt sermo sancti Martini impleretur. Denique Romanum Papam expetijt, flens, & eiulans, ac dicens: *Merito hæc patior, quia peccaui in sanctum Dei, cuius videns virtutem non credidi.* Ibi ergo quicquid in sanctum Dei deliquerat, deflens, & 7. anno rediens, Episcopatus cathedram recepit, ibique fœliciter viuens vitam finiuit.

Falso ei affingitur crimen quod non admiserat; sed insani loquitur & eum purgat.

Brictius fert prunas ardentes panno illæso.

Ejcitur à sede sua.

Redit ad sedem suam, & ibi beatè vixit.

Conuertit Pontificem dæmonum ad Christi fidem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Innocentio Papa, & Pelagio hæresiarcha.

CAP. XLII.

Anno Christ. 404.

Sigebertus in Chronicis. Anno Arcadij, & Honorij 7. Innocentius Romanæ ecclesiæ 38. præsidet. Hic decreuit pacis osculum ad missas dari. Sabbatho ieiunium celebrari, oleo ad vsus infirmorum ab episcopo consecrato licere vti, non solum presbyteris, sed etiam omnibus christianis, in suam suorumque necessitatem vngendo.

Dogmata Pelagij.

In Britannia Pelagius execrabilis doctrina ecclesiam Christi maculare nititur, dicens hominem sine gratia Dei posse saluari suis meritis, vnumquemque propria voluntate ad iustiam regi, infantes sine peccato originali nasci, sed tam iusontes esse, quam insons fuit Adam ante præuaricationem, nec ideo baptizandos esse, vt à peccato soluantur; sed vt per adoptionem, in Regnum Dei admittantur; qui etsi non baptizentur, esse tamen eis extra regnum Dei; æternam, & beatam vitam; Adã solum suo peccato læsum esse, eumque mortuum esse non ex culpæ merito, sed ex conditione naturæ, qui moriturus fuisset, etiamsi non peccasset.

Dicebat etiam irritas esse orationes, quæ fiunt ab ecclesia, siue pro infidelibus, siue pro fidelibus. Hunc & Cælestium, & Iuliannm complices eius Innocentius Papa damnauit. Hieronymus quoque, & Augustinus & alij, eos vt fidei hostes, armis veritatis impugnabant. Orientales etiam grauiter exagitat, mota de Deo quæstio, vtrum Deus sit corpus, & humanum schema habeat, an sit incorporeus, & ab humano schemate omnino alienus; simplicioribus Deum corporeum, & sub humano schemate esse astruentibus, alijs hoc destruentibus.

De peregrinatione sancti Alexij.

CAP. XLIII.

Lege hanc vitam phrasibus Paulũ variatis apud Surium 17. Iulij.

ANno sequenti Romæ, Alexij nobilissimi Romanorum vita mirabilis declarata est.

Ex gestis eius. Huius pater Euphemianus Romæ fuit vir diues, & nobilis, primus in Palatiõ Imperatoris, erantque tria millia pueri, qui zonis cingebantur aureis, & vestimentis sericis induebantur. Hic iustus & misericors erat, eleemosynis, ac ieiunijs intentus; vxor quoque eius Aglais religiosa erat, ac timens Deum, sed sterilis; cumque tristes orarent Dominum, vt daret eis hæredem, exaudiuit eos, & dedit eis filium. Quo nimis lætantes, *Deo gratias egerunt*, & deinceps à thoro coniugij abstinere statuerunt. Puer autem magistris traditus, & edoctus, ac sacramentis ecclesiasticis imbutus, cum adoleuisset, & eum nuptialibus infulis aptum iudicassent, elegerunt ei puellam ex genere imperiali, & ornauerunt eis thalamum, & impositæ sunt eis singulæ coronæ in templo sancti Bonifacij martyris per manus Sacerdotum, & sic cum gaudio, & lætitia lætum duxerunt diem. Vespere autem facto dixit Euphemianus filio suo: Intra fili in cubiculum, & visita sponsam tuam. Vt autem intrauit cæpit eam instruere, & plura ei sacramenta differere, deinde tradidit ei anulum suum aureum, & caput baltei quo cingebatur inuolutam in purpureo sudario, dixitque ei: Suscipe, & conserua vsquedum Domino placuerit, & *Dominus sit inter nos.* Postea accepit de substantia sua, & discessit ad mare, ascendensque nauim Domino prosperante, peruenit Laodiciam. Et iter arripiens, adijt ad Edessam Syriæ ciuitatem, vbi sine humano opere *imago Domini nostri Iesu Christi in sindone habebatur.* Quo perueniens, omnia, quæ secum tulerat, pauperibus erogauit; & induens se vestimentis vilissimis; cæpit sedere cum cæteris pauperibus ad atrium *sanctæ Dei Genitricis Mariæ.* Sancta quoque Dei mysteria, singulis diebus Dominicis accipiebat, & de eleemosynis, quæ ei dabantur, quantum ei sufficeret, reseruabat; cætera vero pauperibus erogabat.

Valedicit sponsæ Alexius & peregre profi. ciscitur.

Viuit pauper apud Edessam.

Qualiter à seruis suis eleemosynam accepit, & in domo patris tanquam extraneus hospitatus est.

CAP. XLIV.

POst eius vero discessionem facta est inquisitio magna Romæ, & nõ inueniens eum, misit pater ipsius seruos suos, vt per vniuersas mundi partes inquirerent eum: quorum aliqui dum venirent Edessam, viderunt eum inter pauperes sedentem, & dantes ei eleemosynam discesserunt, quia eum non cognouerunt. Ipse autẽ eos cognoscens, ait: *Gratias ago tibi Domine, qui feci sti, vt propter nomen tuum acciperem à seruis meis eleemosinam.* reuersi autem serui nunciauerunt se non inuenisse eum. Mater autem à die, quo discessit, sternens saccum in pauimento, sedensque super illud eiulans, dicebat: Viuit Dominus, quia ita manebo, donec cognoscam quid actum sit de filio meo. Spõsa vero eius dixit ad socrum suam: Non egrediar de domo tua, sed similabo me turturi, quæ omnino alteri, non copulabitur, dum eius socius captus fuerit: sic & ego faciam, quousque sciam, quid factum sit de dulcissimo coniuge meo. Ipse autem homo deinde, eodem de quo dictum est atrio, permansit in sancta conuersatione, & vitæ austeritate per decem & septem annos incognitus. Postea vero, volente Deo, reuelare causam ipsius, imago S. Mariæ Dei genitricis custodi ecclesiæ dixit: *Fac introire hominem Dei, cuius oratio sicut incensum in conspectu Dei ascendit.* Qui exiens quæsiuit eum & non cognouit; & reuersus, interrogabat Dei clementiam vt eum isti ostenderet. Cui iterum imago ait: iste, qui sedet foris in ostio, ipse est. Tunc egressus, cognouit eum & procidens ad pedes eius rogauit eum, vt in ecclesiam intraret. Quod factum, dum cunctis innotesceret, & idem homo Dei ab hominibus venerari cæpisset, humanam fugiens gloriam, occulte exijt de ciuitate Edessa, & venit Laodiciam; ibique nauem ascendens, volebat ire in Tarsum Ciliciæ, vt in templo Sancti Pauli, quod ibidem erat maneret incognitus. Deo itaque dispensante, rapta est nauis valdissimo vento, & ad Romanum portum applicuit. Vt autem se homo Dei illuc prospexit venisse, exiens, venit & obuiauit patri suo incognitus ab eo, redeunti à palatio, obsequentium multitudine circundato, & exclamauit dicens: Serue Dei, respice in me, & fac mecũ misericordiam, quia pauper sum, & peregrinus, & iube me recipi in domum tuam, vt pascar de micis mensæ tuæ, vt Deus benedicat annos tuos, & ei quem habes in peregrinatione misereatur. Tunc Pater filij recordatus, & compunctus, eum iussit venire ad se, & deputato ei ministro, iussit ei fieri grabatum in atrio domus suæ, vt intrans, & exiens, videret eum; præcipiens, vt de mẽsa eius pasceretur, & ne in aliquo contristaretur. Susceptus autẽ, perseuerabat in austeritate vitæ suæ, orationibus, cõtiuuis vigilijs, & ieiunijs indefessus. Pueri quoque cœperunt deridere eum, & aquam quadiscos lauabant super caput eius fundebant, & multas ei iniurias inferebant. Quę omnia homo Dei propter amorem Domini libenter sustinebat. Sciebat enim, quia antiquus humani generis inimicus, has ei parabat insidias. Sicque fecit in domo patris sui incognitus annos alios 17.

Accepit eleemosynam à seruis paternis.

Mater & vxor eius eũ deflent.

De transitu eius, & cartain manu eius reperta.

CAP. XLV.

In domo paterna viuit ignotus.

Multa patitur à seruis paternis.

CVm autem completum sibi tempus vitæ cognouisset, scripsit per ordinem omnem vitam suam, qualiter nuptias despexerit, & qualiter in peregrinatione conuersus fuerit, qualiter etiam contra voluntatem suam Romam redierit, & in domo patris sui

Moriturus nomen suum ac vita ordinem scripto pandit.

oppro-

opprobria multa ſuſtinuerit. Quo peracto, volente Deo manifeſtare certamen eius, dominica die poſt Miſſam vox cœlitus inſonuit in ſanctuario, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & oneratis eſtis, & ego reficiam vos.* Qua voce territi, ceciderunt omnes in facies ſuas clamantes: KYRIELEYSON. Item ſecundo facta eſt vox dicens: *quærite hominem Dei, vt oret pro Roma, illuceſcente enim die paraſceue, Deo ſpiritum reddet.* Tunc egreſſi quæſierunt eum, & non inuenerunt. Congregati autem die paraſceue ad eccleſiam cum gemitibus implorabant Dei clementiam, vt hominem ſuum eis oſtenderet. Et facta eſt vox ad eos dicens: *In domo Euphemiani quærite.* Euphemianus requiſitus, cur talem gratiam in domo ſua habitam non oſtendiſſet, neſcire ſe reſpondit: Tunc Imperatores Arcadius, & Honorius, vna cum Papa Innocentio, ſtatuerunt ire in domum Euphemiani, diligenterque exquirere de homine Dei. Euphemianus autem primo iuit cum pueris ſuis, vt ſedes ordinaret, & cum lampadibus, incenſo quoque, & thuribulis, obuiam Imperatoribus, & Pontifici exiret. Et cum illuc peruenirent, factum eſt ſilentium magnum. Miniſter autem *hominis Dei* acceſſit ad Dominum ſuum, dixitque ei: Vide Domine ne forte ſit ille, quem mihi aſſignaſti, quia magna & laudabilia vidi eum operantem, per omnem enim diem Dominicam ſancta Dei munera accipiebat, ieiunijs vigilijſque ſemetipſum cruciabat, & iniurias multas atque moleſtias à ſeruis tuis illatas, libenter ſuſtinebat. Euphemianus autem hæc audiens, feſtinus aucurrit ad eum, & inuenit eum iam defunctum. Et accedens, diſcooperuit faciem eius, *& vidit vultum ipſius velut lampadem lucentem, vel ſicut vultum Angeli Dei*, habebatque in manu cartam breuem ſcriptam, voluitque ab eo eam accipere, nec valuit: qui ſtupefactus, citò reuerſus ad Imperatores dixit: quem quærebamus, inuenimus: & narrauit eis, quæ ei recitata fuerant de eo a miniſtro, & qualiter eum defunctum inueniſſet, tomumque in manu haberet, quem nequiſſet ab eo accipere.

Diuinitus monitus ſunt Imperatores vt quærant Alexium virum Dei.

Nota abſtinentiam Alexij patientiam & mortificationem.

De planctu, & exequijs eiuſdem.

CAP. XLVI.

TVnc Imperatores, & Pontifex cum Euphemiano perrexerunc ad locum vbi iacebat, & accedens Pontifex accepit cartam de manu eius, & tradit cancellario ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nomine Ætio, vt legeret eam. Et facto ſilentio magno, lecta eſt coram omnibus. Euphemianus autem pater eius, vt audiuit verba cartæ, factus exanimis cecidit in terram: & ſurgens, ſcidit veſtimenta ſua, cœpitque canos capitis ſui euellere, barbam trahere, atque ſemetipſum diſcerpere. Et corruens ſuper ipſum corpus clamabat: Heu me, Domine mi, quare mihi feciſti ſic, & quare contriſtaſti animam meam? & per tot annos ſuſpiria, & gemitus incuſſiſti mihi? Ego enim ſperabam aliquando audire vocem tuam, & te agnitum habere vbicunque eſſes, & nunc video te cuſtodem ſenectutis meæ in grabato iacentem, & mihi non loquentem: Heu me, qualem conſolationem in corde meo ponam? Mater verò eius hæc audiens quaſi Leæna rumpens è viuario, ita ſciſſis veſtibus, coma diſſoluta ad cœlum oculos leuabat, & cum præ nimia multitudine ſanctum corpus adire non poſſet, clamabat: Date mihi viri Dei aditum, vt videam filium meum, conſolationem animæ meæ, qui ſuxit vbera mea. Et cum peruenirent ad corpus incumbens ſuper illud clamabat: Heu mi fili, lumen oculorum meorum, quare ſic nobis feciſti? quare tam crudeliter nobiſcum egiſti? videbas patrem tuum, & me, miſerabiliter lachrymantes, & non oſtendebas teipſum nobis? Serui tui te iniuriabant, & ſuſtinebas? Et iterum atque iterum proſternebat ſe ſuper corpus, & nunc brachia ſuper illud expandebat, nunc manibus vultum Angelicum contrectabat, oſculanſque clamabat: *Plorate mecum omnes, qui adeſtis, quia 17. annos cum in domo mea habui, & non cognoui, quod vnicus filius meus eſſet.* Sed ſerui eius eum iniuriabant, alapis percutiebant, ſputa in faciem eius iactabant. Populus autem flebat, omneſque currebant obuiam corpori ſancto, cum duceretur in ciuitatem. Vbi ſi quis infirmus illud tangebat, protinus curabatur, cæci illuminabantur, dæmonia eijciebantur. Imperatores autem tanta mirabilia videntes cæperunt per ſe cum Pontifice lectum portare, quatenus, & ipſi ſanctificarentur ab eodem corpore ſancto. Tunc Imperatores iuſſerunt copiam auri, & argenti in plateis ſpargi, vt turbæ occuparentur amore pecuniarum, & ſinerent perduci grabatum ad eccleſiam. Sed plebs amore pecuniæ ſepoſito, magis ac magis ad tactum ſanctiſſimi corporis irruebant, & ſic cum magno labore ad templum Sancti * Bonifacij martyris illud tandem perduxerunt, & illic per ſeptem dies in Dei laudibus perſiſtentes, operati ſunt monumentum de auro, & gemmis precioſis, in quo ſacratiſſimum illud cum magna veneratione corpus collocauerunt, die 17. menſis Iulij. De ipſo quoque monumento ita ſuauiſſimus odor fragrauit, velut omnibus eſſet aromatibus plenum.

Poſt obitum agnoſcitur à ſuis.

Planctus Patris Alexij.

Planctus matris.

Planctus populi.

Nota ſolo reliquiarum eius aſpectu tot edita miracula.

** In ſancti Petri templum, vnde exiſtimat Baronius hunc locum eſſe corrigendum.*

De ſancto Abbate Pachomio.

CAP. XLVII.

Sigibertus in chronicis. Anno Arcadij, & Honorij 9. Pachomius Abbas 110. annum agens in virtutibus conſummatur.

Ex geſtis eius. Hic Pachomius docuit monachos regulam viuendi, quam Angelo dictante didicerat. Hic præcepit piſtoribus, vt cum ſacras oblationes coquerent, ſalutaria meditarentur, nihil vani loquerentur. Quod præceptum cum in monaſterio Tabennenſi quadam vice violaretur, ſtatim diuinitus Pachomio reuelatum eſt: qui protinus Theodorum mittens, negligentiam hanc emendari fecit, tanquam diuini præcepti tranſgreſſionem. Huic eidem Pachomio apparuit diabolus in ſpecie mulieris pulcherrimæ: quam ille cernens, & ſciens phantaſiam eſſe, orabat multum, vt euaneſceret. Cui illa propius aſtans ait: Quid ſuperflue laboras, poteſtatem accepi à Domino tentare quos volo: ad quam ſanctus: Quid vis eſſe? Et illa: Ego ſum virtus Diaboli, & caligine voluptatis mortiferæ mortales inuoluo, *ſed tuis, vel tibi propter Chriſtum, qui humanatus eſt appropinquare non poſſum.* Sed nunquid ita ſemper erit? Veniet tempus poſt obitum tuum, quando, provt libuerit, debachabor inter eos, quos nunc orationibus tuis munis. Tunc ſanctus: Et quis ſcit ſi non meliores tunc erunt, qui iſtos corroborent: nam tu præſcire nihil omnino præuales, quod eſt ſolius Dei. At illa: Plura tamen futura ex præcedentibus cognoſco. Cui ſanctus: & quomodo? Tunc iſta: *Omnis rei principium tendit ad augmentum prius, deinde ad detrimentum vergit. Sic & in hac veſtra profeſſione, vt conycio fiet: nam inter initia ſua ſignis & virtutibus roborata ſuccreuit: cum autem ſeneſcere cœperit, aut temporis diuturnitate labeſcens, aut negligentia temporis deficiens, ab incrementis propryis minuetur.*

Damon in mulieris ſpecie Pachomio apparet.

Principium omnis rei tendit ad augmentum deinde vergit ad detrimentum.

Poſt hæc Pachomius inſtanter orabat, vt ſibi Dominus reuelaret, qui ſtatus monachorum poſt ſe futurus eſſet. Qui per viſionem à ſe factam edoctus eſt, quod monaſteria quidem multipliciter dilatarentur, & nonnulli piè, & continenter viuerent, plurimi verò negligenter, ſuamque ſalutem perderent, maximè verò per negligentiam præpoſitorum; quibus primatum tenentibus, ambitioſa lite, quis eorum præſit, contenderent: reprobabuntur boni præpoſiti, & mali eligentur, & tunc omnia pene, quæ diuinis regulis ſubnixa ſunt, humanis comitabuntur illecebris. Tunc Pachomius exclamans ad Dominum ait: Heu me, quia fruſtra laborani, ſi enim tam peruerſi erunt præpoſiti, qui futuri ſunt eorum ſubditi, quales erunt? Tunc apparuit ei

Præceptum Pachomij neglectum diuinitus reuelatur.

Quam vana & pernicioſa eſt ambitio præpoſitura.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mirabili fulgore quædam imago, spineam coronam portans, inter cætera dicens ei: *Confortare Pachomi, quia posteritas tua vsque in finem non deficiet, & quisquis inter eos, qui futuri sunt, pie & continenter vixerit, amen dico tibi requiem sortietur.*

De sancta Paula, & eius peregrinatione.

CAP. XLVIII.

SIgibertus *in Chronicis.* Eodem anno Paula Bethleem obijt, cuius vitam Hieronymus scripsit.

Hieronymus ad Eustochium virginem. Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ Paulæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed nobilior sanctitate, potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior. Omnium Romæ matronarum castitatis exemplum fuit, quæ ita se gessit, vt nunquam de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama confingere. Non appetebat potentes, nec tamen superbos, & gloriam quærentes fastidio despiciebat; pauperes sustentabat: diuites ad benefaciendum inuitabat: fugiendo gloriam, merebatur gloriam, quæ virtutes quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deferens, appetit contemptores. Tali igitur stirpe generata iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ, & Iuliorum altissimum sanguinem trahit, & hæc dicimus, non quod habentibus grandia sint, sed quò contemnentibus mirabilia. Homines sæculi eos, qui his pollent priuilegijs suscipiunt, nos laudamus eos, qui pro Christo ea despiciunt. Et miro modo, quos habentes paruipendimus, si habere noluerint, prædicamus. Quinque liberos edidit, Blesillam scilicet super cuius morte eam Romæ consolatus sum, & Paulinam, quæ sanctum virum Pamachium, & propositi, & rerum suarum reliquit hæredem, ad quem etiam super obitu eius paruum libellum edidimus: & Eustochium, quæ nunc in sanctis locis virginitatis, & ecclesiæ monile pretiosum est, & Rusinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternauit, & Toxotium, post quem parere desijt.

Castitas insignis S. Paulæ.

Humilitas eius laudabilis.

Iungitur Toxotio.

Eius liberi.

Quis inopum moriens, non illius vestibus obuolutus est? quis * clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos curiosissime tota vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis, aut esuriens cibo sustentaretur alterius. Expoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam, loquebatur dimittere. Nec diu potuit excelsi generis, & nobilissimæ familiæ visitationes, & frequentiam sustinere. Epiphanium Salaminæ Cypri episcopum, quæ nunc Constantia dicitur, hospitem aliquando habuit, & Paulinum Antiochiæ episcopum in alia manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitauit. Quid plura? descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & liberis prosequentibus, & matrem pietate vincere cupientibus, paruulus Toxotius supplices manus tendebat in littore: Rufina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamen illa siccos oculos tendebat in cœlum, pietatem in filios, superans pietate in Deum. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Atque sic nauigio mare sulcans, multas regiones peragrauit, loca sancta terræ promissionis, & Ægypti monachos visitauit. Tandem in Bethleem mansura perpetuo, per triennium angusto mansit hospitio, donec cellas, & monasteria, & peregrinorum mansiones extrueret, iuxta viam, in qua Maria, & Ioseph, hospitium non inuenerant.

Summa benignitas in pauperes.

* *clinicorũ, id est, debilium à Graco* κλίνη *quod est lecto decumbentium.*

Paula visitat loca sancta.

De prosapia ipsius, & virtutibus eiusdem.

CAP. XLIX.

NVnc virtutes eius latius describamus. Blesillam habuit matrem, Rogatum Patrem, quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est, alter verò per omnes Græcias vsque hodie diuitijs, & nobilitate fertur Agamemnonis sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione deleuit.

Parentes S. Paulæ.

Tanta humilitate, quæ prima est virtus Christianorum se deiecit, vt qui prius eam vidisset, iam ipsam esse non crederet, sed vltimam ancillarum. Et dum frequentius virginum choris cingeretur, & veste & voce, & habitu, & incessu omnium minima erat. Nunquam post viri mortem cum aliquo viro, quamuis eum sanctum sciret, comedit; balneas nisi periclitans non adijt, mollia lectuli strata etiam in grauissima febre non habebat, sed super humum durissimam stratis ciliciolis quiescebat: si tamen quies dicenda sit, quæ iugibus penè orationibus, dies noctesque iungebat. Ita leuia plangebat, vt eam grauissimorum criminum ream crederes. Cumque à nobis crebrius moneretur, vt oculis parceret, eosque euangelicæ lectioni seruaret, dicebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpe depinxi: affligendum est corpus, quod multis vacabat delicijs: longus risus, perpeti fletu compensandus est, mollia linteamina, & serica preciosissima asperitate cilicij commutanda: liberalitas sola excedebat modum, & vsuras tribuens, * versuram quoque sæpe faciebat, vt nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: Cum in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo: *Non vt alijs refrigerium, vobis autem tribulatio, &c.* Et præcauendum esse, ne, quod libenter faceret, semper facere non posset, multaque huiusmodi, quæ illa mira verecúdia, & sermone parcissimo dissoluebat, dicens: hoc se habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, & nec vnum nummum filiæ dimitteret, etiam in funere suo aliena sindone inuolueretur. Ad extremum inferebat, ego si petiero, multos inueniam, qui mihi tribuant: mendicans si à me non acceperit, quæ possum ei etiam de alieno tribuere, & si mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? Hebræam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore & sudore didici, discere voluit, etiam consecuta est, ita vt psalmos Hebraicè caneret, & sermonem absque vlla Latinæ linguæ proprietate resonaret. Quod vsque hodie in sancta filia eius Eustochio cernimus, quæ ita matri semper adhæsit, eiusque imperijs obediuit, vt nunquam absque ea cubaret, vel procederet, vel cibum caperet, & nec vnum nummum suæ potestatis haberet, sed & paternam, & maternam substantiolam, à matre distribui pauperibus gaudens, pietatem in parente, hæreditatem maximam, & diuitias crederet. Nec præterire debeo quanto gaudio exultauit, quod Paulam neptem suam, ex Læta, & Toxotio genitam, audierat in cunis, & crepitabulis *Alleluia* cantare, auiæque, & amitæ nomina dimidiatis verbis frangere. In hoc solo patriæ desiderium habuit, vt filium, nurum, virum, neptem renunciasse sæculo, & Christo seruire cognosceret. Quod, & impetrauit ex parte. Nam neptis Christi * flammeo reseruatur, nurus æternæ se tradens pudicitiæ, socrus opera, fide, & eleemosynis sequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Hierosolymis illa compleuit.

Studium humilitatis.

Stratu eius.

Copia lachrymarum.

Liberalitas.

* *versuram faciebat, id est, as alienum, alieno dissoluebat are.* 2. *Cor.* 8.

De obitu, & exequijs eiusdem.

CAP. L.

CVm in validissimam ægritudinem decidisset, Eustochij filiæ semper in matre probata pietas, tunc

Studium paupertatis.

Hebraicam linguam discit.

* *flammeum erat illud indumentum coloris flammei, quo mulieres præsertim virgines caput tegebant.*

magis

magis ei in omnibus sedulè assistendo, comprobata est. Quibus precibus, quibus lamentis, & gemitu, inter iacentem matrem, & specum Domini discurrebat, ne tanto contubernio priuaretur, ne illa absente viueret, sed eodem feretro portaretur? Quid plura? Sentiebat prudentissima fœminarum adesse mortem, & quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, istos versiculos susurrabat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. Et quam dilecta tabernacula tua domine, &c.* Cumque interrogaretur à me, cur taceret, cur respondere nollet, inclamanti, an aliquid doleret, Græco sermone respondit, nil se habere molestiæ, sed omnia tranquilla, & quieta, respicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis quasi iam humana despiceret, vsque ad expirationem animæ, eosdem versiculos repetebat, digitumque ad os tenens, *signum Crucis* in labijs pingebat, animamque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes domini conuertebat. Aderant Hierosolymorum, & aliarum ciuitatum episcopi, ac sacerdotum, & leuitarum, monachorumque, & virginum innumerabilis multitudo, nec vlulatus, nec planctus, vt inter homines sæculi fieri solet, sed psalmorum diuersis linguis examina concrepabant: translataque episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij pontifices lampades, cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent, in medio ecclesiæ in spelunca Saluatoris est posita. Nihil pallor mutarat in facie, sed ita dignitas quædam, & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, sed dormientem.

Eustochij in matrem pietas.

Psal. 25. Psal. 83.

In supremo Spiritu Crucis signum sibi imprimit.

Funeralia eius solemnissima.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore Ioannes Chrysostomus Eudoxiam vxorem Arcadij Imperatoris, sacerdotumque multos infestos habens, episcopatu pellitur, & exsiliatur: sed populo pro hoc tumultuante, reuocatur. Secundo exsiliatur, sed terræmotu regiam vrbem grauiter concutiente, a ciuibus reuocatur,

De trino exilio Ioannis Chrysostomi, & morte eiusdem.

CAP. LI.

CVm reuersurus esset Epiphanius ad Cyprum, ferunt quidam hæc eum mandasse Ioanni: Spero, quia non morieris episcopus. At iste remandauit ei: Spero te ad tuam patriam non rediturum, vtrumque sic contigit. Nam Epiphanius in naue defunctus est: & Ioannes post paululum depositus est.

Lege Tripartita lib. 10. c. 12, & 13.

Facto autem concilio apud Chalcedonem, instigantibus maxime Theophilo, & Seueriano, & Cyrino Chalcedonensi, qui Ioanni detrahebant, vocantes eum impium, & superbum. Maruthas episcopus Mesopotamiæ inuitus calcauit Cyrini pedẽ, ex quo dolore frequenter crus eius abscisum est, propter putredinem, quæ per totum corpus eius serpebat, & post paululum est defunctus. Conuenientes autem episcopi in suburbio Chalcedonensi, quod Rufini nomine vocitatur, iusserunt venire Ioannem satisfacturum de eis quibus accusabatur. Ioannes autem conuocantes velut inimicos refutans, vniuersalem synodum fieri proclamauit. At illi nil morati quater eum vocauerunt. Qui nolens occurrere depositus est: populus autem non sinebat eum trahi ab ecclesia, sed principis iussio imminebat. Et Ioannes, ignorante populo, se tradidit exilio. Orta autem seditione propter eum, mota Augusta, rogauit Imperatorem, vt reuerteretur. Qui coactus reuerti, coactus est à populo in episcopali sede residere: & ibi facere sermonem, quod initium fuit alterius eiusdem depositionis. Ioanne igitur secundo in exilium eunte, terræmotus concussit ciuitatem. Legati ergo post illum missi sunt primi, secundi, & tertij, tandem Bosphorus nauibus est opertus, omnis enim populus occurrit, cereos, & lampades accendens pro reuersione pastoris.

Lege hic Socratem lib. 6. cap. 14.

Interea Theophilus aduenit in Hierapolim, vbi populus Nilammonem monachum in episcopum elegerat. Cui suadente Theophilo, vt episcopatum susciperet, cras, inquit, fiet Domini voluntas. In crastino, orante ipso, & Theophilo, quia dixerat oremus prius: orando mortuus est. Amatores autem Ioannis Ioannitæ appellati sunt. Cum secundo autem exsiliaretur Ioannes, quidam Ioannitarum ea die ecclesiam incendunt vigesimo die Ianuarij: Flans autem ventus etiam basilicam senatus comprehendit. Ioannes autem missus est in Cucuson paruulam Armeniæ ciuitatem, inde rursus ad Pityuntem. Idem quoque tertio exsiliatus est. Et dum duceretur exilio, cognouit per visionem diem in qua moriturus erat, reuelante sibi Basilico martyre in Comanis, vbi dolore capitis, & ardore solis vitam languore finiuit, 14. die Septembris.

Ioannita vocati qui erant à parte Ioannis Chrysostomi

Chrysostomus moritur.

Innocentius autem Papa, & occidentales episcopi, ab orientalium communione se suspenderunt pro Ioannis præiudicio: nec prius eis communicauerunt, donec nomen eius inter prædecessores episcopos poneretur.

Socrates lib. 6. cap. 17. Post paucum tempus grando vehemens apud Constantinopolim, & eius suburbana cecidit, 30. die Septembris. Quarta die autem post grandinem defuncta est Augusta.

Sozomenus lib. 8. cap. 16. & 27. Tunc etiam Cyrinus Chalcedonensis episcopus, Ioannis derogator, secto pede defunctus est. Arsacius etiam frater Nectarij Ioannis successor, post paucum tempus defunctus est, cui nemo de Ioannis parte communicabat. Post quem ordinatus est Atticus, genere Armenius, habitu monachus, naturali sapientia decoratus: quo tempore Hunni transeuntes Histrum, Thraciam deuastabant.

Theodoretus. Populus autem cum cereis, & lampadibus Bosphorum nauigauit, indeq; reliquias sancti Ioan. Chrysost. in regiam tulit ciuitatem, Theodosio iuniore ei multum supplicante, vt patri, & matri, remitteret iniurias.

ANNOTATIO.

Theodosius iunior Imperator multa hic agit, qua haretici tanquam superstitiosa repudiant. Nam imprimis reliquias S. Ioannis adorat vide Niceph. lib. 14. cap. 44. Deinde pro parentibus suis veniam à S. Chrysostomo precatur: vnde prospicere licet viuos tunc homines ad Deum sanctosque pro mortuis vota fundere consueuisse. Tertio refert Theodoretus historia Trip. lib. 10. cap 26. Corpus D. Ioannis cum cereis & lampadibus per vndas Bosphori collucentibus à populis illuc concurrentibus fuisse susceptum. Vnde etiam perspicitur solitos esse Christianos sanctorum corpora cum cereis fascibusque ardentibus in pompis celebribus honorifice comitari.

De quibusdam incidentibus, & obitu Imperatoris Arcady

CAP. LII.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore Ragadasus Scytha cum 200. millibus Gothorum à Scythia veniens, Italiam inuadit. Ex hoc murmur blasphemantium infremuit in Christum, & Christianitatis tempora culpantes, fœlicitatem gentium attollunt. Inter quos præcipue Symmachus orator furebat, qui etiam scriptis epistolis suis agebat de Idololatria, & de repetenda ara victoriæ. Quorum latrantium ora, iniecto eis osse veritatis, obstruxerunt Augustinus lib. de ciuitate Dei, & Orosius historia sua. Prudentius quoque Poëta luculento metrici operis libello, blasphemias Symmachi refellit.

Symmachus gentilitia superstitionis fotor.

Arcadius Imperator ossa Samuelis Prophetæ a Iudæa Constantinopolim transtulit, tam hilariter occurrentibus populis, ac si eum viuentem cernerent.

Epistola inter Aug. & Hieronym.

Augustinus apud Hippone Aphricæ, & Hieronymus apud Bethleem Iudæ per epistolas inter se, vsque ad simultatem disceptant, de quibusdam scripturæ capitu-

lis, maxime de eo, quod dicit Paulus, se Petro in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat: De quo Hieronymus scripserat, quia Paulus Petrum non reuera, sed simulatè reprehendit: Augustinus contradicebat, quòd eum reuera, non simulate reprehenderit.

Iram Dei, pro morte Ioannis, nimia grandinis tempestas Constantinopoli incumbens, & mors Eudoxiæ Augustæ subsecuta, intentat.

Arcadius moritur anno, Christi 410.

Anno Imperij sui 13. Arcadius Imperator Orientalis, timens filio suo octenni puero Theodosio, eique tutorem Sdigerdem Persarum Regem testamento designans, obijt. Sdigerdis tutelam pueri benigne suscipiens, pacem firmissimam cum Romanis fecit, mediante Marutha Mesopotamiæ episcopo. Is Maruthas, & apud Persas, & apud Romanos, omnimodis clarissimus habebatur.

Vticæ terra diebus septem mugitum dedit.

Stilico regnum Honorij affectans filio suo Eucherio: Reipublicæ pernicios⁹s efficitur, barbaras gentes ipse alias regno immittens, alias consensu suo fouens. Vnde modo solito grauius earum, & maximè Vuandalorum rabies per Gallias exarsit.

De libris Augustini.

CAP. LIII.

ARcadij, & Honorij temporibus Augustinus in Ecclesia philosophatus est, cuius librorum, tractatuum, & epistolarum numerus, plusquam ad mille triginta extenditur, multis numero non comprehensis.

Gennadius in libro de illustribus viris. Augustinus Afer Hipponensis oppidi episcopus, vir eruditione diuina, & humana orbi clarus, fide integer, vita purus: scripsit quanta nec inueniri possunt. Quis ergo glorietur omnia se illius habere, aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit.

Edidit etiam senex, quod iuuenis cœperat, de Trinitate libros quindecim, in quibus, vt scriptura ait, introductus in cubiculum regis, & decoratus veste multifaria, Dei sapientia exhibuit ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.

Cant 1. & 2.

De Incarnatione quoque Dei, idoneam edidit pietatem.

De Resurrectione quoque mortuorum simili cucurrit sinceritate. licet minus capientibus dubitationem de abortiuis ingesserit.

Hieronymus ad desiderium. Augustinus Episcopus volans per montium cacumina quasi aquila, & ea, quæ in montium radicibus fiunt non considerans, multa cœlorum spacia, terrarumque situs, & aquarum circulum claro sermone pronunciat.

Laus B. Augustini.

Prosper. in libro de vita contemplatiua. Sanctus Augustinus episcopus acer erat ingenio, suauis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione circumspectus, in expositione fidei nostræ catholicus, in quæstionibus absoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumspectus, & in explanandis scripturis canonicis cautus, quem in libellis meis pro possibilitate mea sum secutus.

Author. Hic itaque (vt in gestis eius legitur) sapientiæ lumen præfulgidum, propugnaculum veritatis, & fidei tutamentum, omnes ecclesiæ Doctores tam ingenio, quam scientia, vicit incomparabiliter, florens tam virtutum exemplis, quàm affluentia doctrinarum. Etenim tanta scripsit, vt non solum ab aliquo, toto vitæ suæ tempore scribi, sed ne quidem possint lectione percurri. Huius enim librorum, tractatuum, & epistolarum numerus, plusquam ad mille triginta, vt dictum est, extenditur, vt merito illud ei dictum conueniat: *Mentitur, qui se totum legisse fatetur.*

ANNOTATIO.

Hoc saculum virorum sanctissimorumque doctissimorumque copia fœlicissimum fuisse, nec ipsi nostri aduersarij negant. Caluinus enim in epistola ad Sadoletum scripsit sic: si veterem illam ecclesiæ faciem, qualem Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Basilij, Augustini, Cyrilli monumenta exprimunt, & deinde ruinas quæ supersunt, contemplemur, videri sane potest, illam fuisse ecclesiam, qualis sub Dauide & Salomone floruit: hanc vero, qualis sub Ioachim & Sedechia vitiata erat. Hæc Caluinus. Et certe dubitandum non est, quin præcipue nostræ religionis, post Apostolos, lumina hoc sæculum produxerit, ex quibus maximè vera religionis doctrina confirmari, & falsæ & mentitæ pietatis impostura redargui facile possit; vt diserte docet Stapletonus oratio. prima.

De nominibus librorum eius, qui apud nos reperiuntur.

CAP. LIIII.

PRæter illos itaque libros quos eum adhuc catechumenum scripsisse iam supra diximus, scilicet Soliloquiorum lib. 2. de immortalitate animæ, li. 1. de beata vita, lib. 1. De ordine, lib. 2. De academicis, lib. 3. De disciplinis liberabilibus, lib. 1. scripsit etiam, quæ sequuntur.

Catalogus librorum D. Augustini.

De confessionibus suis, lib. 13.

De moribus ecclesiæ, & moribus Manichæorum, libr. 2.

De Trinitate li. 15.

Contra Faustum Manichæum, li. 22.

Enchiridion ad Laurentium, li. 1.

Ad Hieronymum de origine animæ, li. 1.

Ad eundem de verbo Iacobi. *Quicumque totam legem seruauerit, offenderit autem &c.* li. 1.

Ad eundem de hoc, quod Paulus vere reprehendit Petrum, lib. 1.

Ad Ambrosium Presbyterum, de errore Priscillianistarum, lib. 1.

De musica, lib. 6.

De diuinatione dæmonum librum vnum.

De diuersis hæresibus 88. li. 1.

Ad Quod-vult-Deus diaconum, li. 1.

De vera religione, li. 1.

De vita Christiana, lib. 1.

De agone Christiano, li. 1.

De vtilitate credendi, librum vnum.

De octo quæstionibus veteris testamenti, librum vnum.

De gratia noui testamenti, li. 1.

De magistro li. 1.

De cura pro mortuis gerenda, li. 1.

De diuersis consuetudinibus ecclesiæ ad inquisitionem Ianuarij, lib. 2.

Contra Fœlicianum de vnitate Trinitatis, li. 1.

De fide, vel symbolo, lib. 1.

Ad Aurelianum de opere Monachorum, li. 1.

De octo quæstionibus Dulcitij, librum vnum.

Ad Prosperum de opere Monachorum, li. 1.

Ad Prosperum, & Hilarium de prædestinatione, & perseuerantia sanctorum, libros duos.

De mendacio, li. 1.

De altercationibus cum Maximo episcopo Arrianorum, lib. 1.

Contra eundem Maximum, li. 1.

Contra Manichæos, li. 1.

Contra Adimantium Manichæum, li. 1.

Ad Aurelium comitem de nuptijs, & concupiscentia, lib. 1.

Ad eundem contra Iulianum Pelagianistam, li. 1.

De Pastoribus, & ouibus, libros duos.

De baptismo contra Donatistas, libros septem.

Ad Marcellinum de baptismo paruulorum, li. 3.

De vnico baptismo, li. 1.

De spiritu, & litera, librum vnum.

De concupiscentia carnis aduersus spiritum, orationes quatuor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Contra quinque hoſtium genera, li. 1.
De prædeſtinatione diuina, lib. 1.
De natura boni contra Manichæos, li.1.
De quæſtionibus Oroſij ad eundem, lib.1.
De fide ad Petrum, librum vnum.
De cathecizandis rudibus, librum vnum.
De præſentia Dei ad Dardanum, lib. 1.
De doctrina Chriſtiana, lib.4.
Speculum, librum vnum.
Contra Donatiſtas poſt collationem cum eis habitam, lib. 1.
De anima, & eius origine, lib. 4.
Contra ſermonem Arrianorum, li. 1.
Contra quæſtiones eorundem librum vnum.
Contra aduerſarium legis, & prophetarum, li.2.
Solutionum diuerſarum quæſtionum ab hæreticis obiectarum, lib.1.
Contra mendacium, li.1.
Ad Vitalem de gratia Dei, librum vnum.
Ad Caſulanum preſbyterum de ieiunio Sabbati, librum vnum.
De bono coniugali, lib.1.
De adulterinis coniugijs ad Pollentium libros duos.
De bono viduitatis ad Iulianam, lib.1.
De virginitate lib.1.
De decem chordis pſalterij, li. 1.
De pœnitentia, li.1.
De patientia, librum vnum.
De libero arbitrio, li. 3.
Contra epiſtolam Manichæi, quæ dicitur fundamentum, lib. 1.
De duabus animabus contra Manichæos, librum vnum.
Contra Iulianum & Pelagianum, lib. 6.
Contra epiſtolam Parmeniani Donatiſtæ, li.3.
Contra literas Petiliani, lib.3.
Contra Creſconium Grammaticum Donatiſtam, lib. quatuor,
Ad Simplicianum Mediolani epiſcopum de diuerſis quæſtionibus, libros duos.
De continentia, librum vnum.
De quantitate animæ, librum vnum.
De videndo Deo ad Paulinam, librum vnum.
De ſecundo aduentu Domini ad Eſycium epiſcopum, lib. 1.
Ad Voluſianum de quibuſdam quæſtionibus ab eo miſſis, librum vnum.
Reſponſionis ad Marcellinum, librum vnum.
Ad Vincentium librum vnum.
Ad Deo-gratias de ſeptem quæſtionibus expoſitis contra paganos:
Ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum, librum vnum.
Ad Macedonium librum vnum.
Ad Dioſcorum librum vnum.
Ad Paulinum epiſcopum librum vnum.
Ad Euodium epiſcopum librum vnum.
Ad probam religioſam fœminam, librum vnum.
Ad Optatum epiſcopum, li.1.
Ad Glorium, Eleuſium, & cęteros quibus hoc gratum eſt, librum vnum.
Ad Paſcentium comitem Arrianum, librum vnum commonitorum.
Ad Fortunacianum, li.1.
De ciuitate Dei li.22.
Expoſitionis ſymboli contra Iudæos, & paganos, & hæreticos, li.1.
Ad Paulinum, & Eutropium de perfectione iuſtitiæ, lib. 1.
Ad Timachium, & Iacobum de natura, & gratia lib. vnum.
Ad Valentinum, & cum illo monachos de gratia, & libero arbitrio, li.1.
Ad eoſdem de correptione, & gratia, li. 1.
Ad Sixtum preſbyterum contra Pelagianos, li.1.
De Incarnatione Chriſti libros duos.
De fide, & operibus li.1.
De diſciplina Chriſtiana li.1.
De Symbolo tractatus quatuor.
De tempore barbarico, li.1.
De 83. quæſtionibus librum vnum.
De Geneſi contra Manichæos li. vnum.
Super Geneſim ad literam li. 12.
Quæſtionum in Heptateuchon li.7.
Locutionum in Heptateuchon lib. 7.
Annotationum in Iob li.1.
Super pſalterium tractatus centum quinquaginta.
Super *Mulierem fortem, quis inueniet?* tractatum vnum.
De ſermone Domini in monte li.duos.
De quæſtionibus in Matthæo, & Luca, libros duos.
De conſonantia Matthæi, & Lucæ in generationibus Domini, tractatum vnum.
Super Euangelium Ioannis tractatus, vel homelias, ſiue ſermones 124.
De verbis Domini, tractatus 65.
De verbis Apoſtoli tractatus 20.
Super epiſtolam Pauli ad Romanos, li.1.
Super epiſtolam ad Galatas li.1.
De verbis Iacobi, *Ante omnia nolite iurare*, &c. tractatum vnum.
Super primam canonicam Ioannis tractatus, vel homelias 10.
Regulam de inſtitutione canonicorum li. 1.
Retractionum librorum ſuorum quorundam, libros duos.
Epiſtolas paruas ad diuerſos 150.
Sermones diuerſos 200.

De nominibus cæterorum, quos videre non potui.

Cap. LV.

SCripſit etiam præter hæc quędam alia, quę nuſquam vidiſſe me recolo, ſcilicet acta contra Fortunatum Manichæum li.1.
De Geneſi ad literam librum vnum, quem reliquit imperfectum.
Pſalmum contra partem Donati,
Contra epiſtolam Donati lib. 1.
Epiſtolæ ad Romanos inchoatam expoſitionem librum vnum.
Contra partem Donati libros duos.
Contra Fœlicem Machæum libros duos.
Contra Secundinum Manichæum li.1.
Contra Hilarium Tribunitium li. 1.
Contra id, quod attulit Centurius a Donatiſtis, librum vnum.
Probatiorum teſtimoniorum contra Donatiſtas, librum vnum.
Contra neſcio quem Donatiſtam, lib. 1.
Admonitorium Donatiſtarum de Maximianiſtis, librum vnum.
Expoſitionis epiſtolæ Iacobi, li.1.
De Maximianiſtis contra Donaſtitas, li. duos.
Breuiculum collationis cum Donatiſtis, lib. tres.
Ad Emeritum epiſcopum Donatiſtarum poſt collationem, li. 1.
De geſtis Pelagij, librum vnum.
Contra Pelagium, & Cœleſtinum duos li.
Geſtorum cum Emerito Donatiſta, vnum.
Contra Gaudentium epiſcopum Donatiſtarum duos.
Contra epiſtolas Pelagianorum quatuor.
Horum omnium in lib. retractationum reperiuntur, tantum 26. volumina, quæ continent lib. 232. cæteros enim nondum fecerat, quando iſtos retractauit.
Inueniuntur autem eius libri cum epiſtolis, & tractatibus, circiter 300. exceptis ſermonibus, quorum non eſt numerus. Fertur autem ſcripſiſſe libellum de anima, & ſpiritu, qui nunc apud ſcholaſticos præcipue habetur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

habetur, ſed mihi non videtur liber ille ſtylum Auguſtini ſapere, nec inter Auguſtini libros in armarijs publicis, & antiquis inuenitur. Eſt autem liber ille procul dubio vtiliſſimus, & eleganter, diſerte, atque compendioſiſſime compoſitus, mihique videtur ex Auguſtini libris diuerſis, ad compendium extractus, quod magiſter Hugo de ſancto Victore feciſſe fertur. De hoc autem libro multa in noſtris operibus, locis congruis inſeruntur.

Ex prædictis libris Auguſtini multa quoque in his, per diuerſa loca inſerui: hic etiam quorundam ex eis floſculos, præcipueque confeſſionum eius, ſupponere volui in hunc modum.

Floſculi Auguſtini deſumpti ex libro primo cap. primo Pſal. 144. 146. Admiratur diuinã maieſtatem accenſus cupiditate illam laudibus proſequendi. Cap. 2. A deo habet homo vt ſit & quod Deus in eo, & ipſe in Deo.

Flores eius de inuocatione, & laude Dei.

Cap. LVI.

Hier. 23 Cap. 3. Deus vbiq; totus, & non per partes à creatura cabitur.

Magnus es Domine, & laudabilis valde, & ſapientiæ tuæ non eſt numerus: laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, homo circumferens mortalitatem ſuam, teſtimonium peccati ſui, & teſtimonium, *quia ſuperbis reſiſtis*, & tamen te laudare vult. Tu excitas, vt lauderis, *quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Inuocat te Domine fides mea, quam inſpiraſti mihi per humanitatem filij tui, per myſterium prædicatoris tui.

Quomodo inuocabo Deum meum? Quoniam vtique in meipſum eum inuocabo. Et quis eſt locus in me, quo venias in me? Itane Deus quicquam in me eſt, quod capiat te? An potius non eſſem, niſi eſſem in te in quo omnia? Etiam ſic Domine, quò te inuoco, cum in te ſim? Aut vnde venias in me? Quò recedam extra cœlum, & terram, vt inde veniat in me Deus meus, qui dixiſti, *cœlum, & terram ego implebo.*

Capiuntne ergo te cœlum, & terra, quoniam imples ea? An non habes neceſſe, vt à quoque continearis, qui contines omnia, quoniam quæ imples, continendo imples? Non enim vaſa, quæ te plena ſunt, ſtabilem te faciunt, quia & ſi frangantur, non effunderis: & cum effunderis ſuper nos, non tu iaces, ſed erigis nos, non tu diſpergeris, ſed colligis nos. Sed quo imples omnia te toto imples omnia. An quia non poſſunt totum te capere omnia, partem tui capiunt & eandem partem ſimul omnia capiunt? an vbique totus es, & res nulla te totum capit?

Cap. 4. Quid es ergo Deus meus? Quid rogo, niſi Dominus meus? Summe, oprime, potentiſſime, ſecretiſſime, præſentiſſime, pulcherrime, ſtabilis, & incomprehenſibilis, immutabilis, mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt. Semper agens, ſemper quietus, colligens, & non egens, portans, implens & protegens, creans, & nutriens, & perficiens, quærens cum nihil deſit tibi. Amas, nec æſtuas, zelas, & ſecurus es, pœnitet te, & non doles, iraſceris, & tranquillus es, opera mutans, nec mutans conſilium. Recipis, quod inuenis, & nunquam amiſiſti, nunquam inops, & gaudes lucris, nunquam auarus, & vſuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus Deus meus, vita mea, dulcedo mea ſancta, aut quid dicit aliquis cum de te dicit, & væ tacentibus de te, quia loquaces muti ſunt.

Deus omnibus donat nihil amittens.

Cap. 5. Orat venia admiſſorum & charitatem Dei. Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud, & obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miſerere vt loquar. Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? paruane eſt ipſa miſeria ſi non amem te? Dic mihi per miſerationes tuas Domine Deus meus, quid mihi ſis. *Pſal. 34.* *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum*, Anguſta eſt domus animæ meæ, quo venias, oro vt dilatetur abs te, ruinoſa eſt, refice eam, habet quæ offendant oculos tuos, ſed quis mundabit eam? *Pſal. 18.* *Ab occultis meis munda me domine & ab alienis parce ſeruo tuo.*

De confeſſione peccati infantiæ eius.

Cap. LVII.

NOnne tibi prolocutus ſum aduerſum delicta mea Deus meus, & tu remiſiſti impietatem peccati mei? Non iudicio contendam tecum, qui veritas es: nolo enim fallere meipſum, ne mentiatur iniquitas mea ſibi. Non ego iudicio contendo tecum, quia *ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?*

Sine me tamen loqui, quoniam ecce miſericordia tua eſt, non homo irriſor meus cui loquor, & tu fortaſſe irrides me, ſed conuerſus miſereberis mei. Quid eſt enim, quod volo dicere Deus meus, niſi quia neſcio vnde venerim in hanc vitam mortalem, ſiue mortem vitalem neſcio? Exceperunt me conſolationes lactis humani, nec mater mea, vel nutrices meæ ſibi vbera implebant, ſed tu mihi Domine per eas dabas alimentum infantiæ ſecundùm inſtitutionem tuam, & diuitias vſque ad fundum rerum diſpoſitas. Tu etiam mihi dabas nolle amplius quàm dabas, & nutrientibus me dare mihi velle, quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant, quo abundabant ex te. Nam bonum erat eis, bonum meum ex eis, quod ex eis non, ſed per eas erat. Ex te quippe bona omnia Deus, & ex te ſalus mihi vniuerſa. Quod animaduerti poſtmodum clamante te mihi per hæc ipſa, quæ tribuis intus, & foris. Nam tunc quidem ſurgere noram, & acquieſcere delectationibus, flere autem offenſiones carnis meæ, nihil amplius. Et ecce paulatim ſentiebam vbi eſſem, & voluntates meas volebam oſtendere eis, per quos implerentur, & non poteram, quia ille intus erant, illi autem foris. Itaque iactabam membra & voces, ſigna ſimilia voluntatibus meis, qualia poteram, & cum mihi non obtemperabant, vel non intellecto, vel ne obeſſet, indignabar, & me de illis flendo vindicabam. Tales eſſe infantes didici, & me talem fuiſſe magis ipſi mihi indicauerunt neſcientes, quam ſcientes nutritores mei. Vnde autem tale animal, niſi abs te Deus meus? Aut quis erit ſui artifex, aut vlla vena trahitur aliunde, qua eſſe, & viuere currat in nos, præterquam quod tu facis nos Domine, cui eſſe, & viuere non aliud atque aliud eſt, quia ſumme eſſe, & ſumme viuere, idipſum es? Summus etiam es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur: quia in te ſunt & iſta omnia. Non enim haberent vias tranſeundi, niſi contineres ea. *Et quoniam anni tui non deficient*, an anni tui hodiernus dies? Et quam multi iam dies noſtri, & patrum noſtrorum per hodiernum tuum tranſierunt, & ex illo acceperunt modos, & vtcumq; extiterunt, & adhuc alij trãſibunt, & accipient, & vtcumque exiſtant. *Tu autem idem ipſe es*, & omnia craſtina atque vltra, omniaque heſterna, & retro, hodie facies, hodie feciſti.

Quod omnia beneficia receperit à Deo, & in ipſo conſeruetur ab ipſo

Infantia Auguſtini.

Pſal. 101.

Exaudi Deus. Væ peccatis hominum. Et homo dicit hæc, & miſereris, eius, quia feciſti eum, & peccatum in eo non feciſti. Quis mecum commemoret peccatum infantiæ meæ, *quia nemo mundus à peccato, nec infans, cuius vnius diei eſt vita ſuper terram.* Quid ergo tunc peccabam, an quia vberibus inhiabam plorans? Nam ſi quidem nunc faciam, non quidem vberibus, ſed eſcæ congruenti annis meis ita inhians, deridebor, atque reprehendar iuſtiſſime. Tunc ergo reprehendenda faciebam: ſed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos, nec ratio ſinebat me reprehendi. Itaque imbecillitas membrorum infantilium innocens eſt, non animus infantium. Vidi ego, & ſum expertus zelantem puerum. Nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collectaneum ſuum. *Quod ſi in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, vbi quæſo te Domine Deus meus, vbi aut quando innocens fui?

Cap. 7.

Iob 25.

Infantiam quoque peccatis eſſe obnoxiam.

Pſalm. 50.

De Confessione peccati pueritiæ.

Cap. LVIII.

Cap. 8. INfantiæ meæ, succeſſit puericia, vnde loqui incæpi, & vitæ humanæ procelloſam ſocietatem ingreſſus ſum altius, pendens ex auctoritate parentu, natuque maiorum hominum.

Cap. 9. *Odium literarum & amor luſus in pueris.* Deus meus, quas ibi miſerias expertus ſum, & ludificationes, quandoquidem mihi recte viuere puero, id proponebatur, obtemperare monentibus, vt in hoc ſæculo florerem, & excellerem linguoſis artibus ad honorem hominum, & falſas diuitias famulantibus. Inde in ſcholam datus ſum, vt literas diſcerem, in quibus quid vtilitatis eſſet, ignorabam miſer, ſi tamen ſegnis eſſem in diſcendo, vapulabam. Laudabatur enim hoc à maioribus, & multi ante nos, vitam iſtam agentes præſtruxerant erumnoſas vias, per quas tranſire cogebamur multiplicato labore, & dolore filijs Adam. Peccabamus autem minus ſcribendo, aut legendo, aut cogitando, de literis, quam exigebatur a nobis. Non enim deerat Domine memoria, vel ingenium, quæ nos habere voluiſti pro illa ætate ſatis, ſed ludere delectabat, & in nos ab eis vindicabatur, qui talia vtique agebant. Sed maiorum nugæ negocia vocantur, puerorum autem cum ſint, puniuntur, à maioribus.

Cap. 12. *Ad literas cogebatur quo tamen Deus vtebatur bene.* Et tamen bene mihi fiebat, & non faciebam ego bene. Non enim diſcerem niſi cogerer. Nemo autem benefacit inuitus, etiamſi bonum eſt, quod facit, nec qui me vrgebant, benefaciebant, ſed bene mihi fiebat abs te Deus meus. Illi enim non intuebantur quo referrem, quod me diſcere cogebant, præterquam ad ſatiandas inſatiabiles cupiditates copioſæ inopiæ, & ignominioſæ gloriæ. Tu vero cui numerati ſunt capilli noſtri, errore omnium, qui mihi inſtabant, vt diſcerem, vtebaris ad vtilitatem meam, meo autem, qui diſcere nolebam, vtebaris ad pœnam meam, quia plecti non eram indignus tantillus puer, tantus peccator. Ita de non bene facientibus benefaciebas mihi, & de peccante meipſo iuſte retribuebas mihi. Iuſſiſti enim, & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi omnis animus inordinatus.

Cap. 13. *Quibus ſtudijs potiſſimum ſit delectatus.* Tenere cogebar Æneæ neſcio cuius errores, oblitus errorum meorum, & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem, cum interea meipſum in his à te morientem Deus vita mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero, non miſerante ſeipſum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, & non flente mortem ſuam, quæ fiebat non amando te? Deus lumen cordis mei, & panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam, & ſinum cogitationis mentis meæ, non te amabam, & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat vndique euge, euge. Amicitia enim huius mundi fornicatio eſt abs te.

Cap. 16. Væ tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi? Quamdiu non ficcaberis? quouſque volues filios Æuæ in mare magnum, & formidoloſum, quod vix tranſeunt, qui lignum conſcinderint? nonne ego in te legi, & tonantem Iouem, & adulterantem? fingebat hæc Homerus, hominibus flagitioſis diuina tribuendo, ne flagitia, flagitia putarentur, & vt quicunque ea feciſſet, non homines perditos, ſed cæleſtes Deos putaretur imitatus.

Cap. 17. Laudes tuæ Domine ſuſpenderunt palmitem cordis mei ad te, vt non raperetur præ inania nugarum turpis præda volatilibus.

Cap. 18. Vultum tuum Domine requiram? nam longe à vultu tuo in affectu tenebroſo receſſeram. Vide, Domine patienter, vt vides, quam diligenter obſeruent homines pacta literarum, & ſyllabarum à prioribus locutoribus accepta, & à te pacta perpetuæ ſalutis accepta negligant, vt ſi quis contra grammaticam diſciplinam ſine aſpiratione hominem dixerit, magis diſpliceat hominibus, quam ſi contra præceptum tuum hominem oderit, cum ipſe ſit homo. Et certe non eſt interior literarum ſcientia, quam ſcripta conſcientia, id ſe alij non facere, quod noluit pati. Quam ſecretus es, habitans in excelſis in ſilentio, Deus magnus ſolus, lege infatigabili ſpargens pœnales cæcitates ſupra illicitas cupiditates.

Cap. 19. Dico hæc, & confiteor tibi Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere erat mihi tunc honeſte viuere, non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam proiectus eram ab oculis tuis.

Cap. 20. Eram tamen, & iam tunc, viuebam, & ſentiebam, meamque incolumitatem, veſtigium ſecretiſſime vnitatis ex qua eram. Hoc autem peccabam, quod non in ipſo, ſed in creaturis eius, me atque cæteras voluptates, ſublimitates, veritates quærebam, atque ita in dolores, confuſiones & errores irruebam.

De confeſſione peccati adoleſcentiæ.

Cap. LIX.

Adoleſcentia ætatem & vitia ingreditur. IDem *in ſecundo libro cap.* 1. Recordari volo tranſactas fœditates meas, non quod eas amem, ſed vt amem te Deus meus. Amore amoris tui hoc facio, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine cogitationis meæ, vt tu dulceſcas mihi, dulcedo non fallax, fœlix, & ſecura, colligens me à diſperſione mea, in qua fruſtratim diſciſſus ſum, dum ab vno te auerſus, in multa euanui. Exarſi enim in adoleſcentia, & ſilueſcere auſus ſum vmbroſis amoribus, & computrui coram oculis tuis, mihi placens, & placere cupiens oculis hominum.

Cap. 2. Accuſat adoleſcentiam in ardore libidinoſo conſumptam. Et quid erat, quod me delectabat, niſi, amare, & amari? Sed non tenebatur modus ab animo, vſque ad animum, quatenus eſt luminoſus limes amicitiæ, ſed exaltabantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis, & obnubilabant cor meum, vt non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis, ſed vtrunque in confuſo æſtuabat.

Inualuerat ſuper me ira tua, & neſciebam iamque longius à te, & ſinebas, iactabar, & effundebar, ac diffluebam. O tardum gaudium meum, tacebas tunc, & ego ibam longè à te. Porro ibam in plura ſterilia ſemina dolorum, ſuperba deiectione, & inquieta laſſitudine. Quis mihi modularetur ærumnam meam, & nouiſſimarum rerum fugaces pulchritudines in vſum verteret, & vſque ad coniugale littus exæſtuarent fluctus carnis meæ. Fœlicior abſciſus propter regnum cœlorum, expectarem amplexus tuos: ſed efferbui miſer ſequens impetum fluxus mei relicto te, & exceſſi omnia legitima mea, nec euaſi flagella tua. Quis enim hic mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimus aſpergens offenſionibus omnes illicitas iocunditates meas, vt ita quærerem ſine offenſione iucundari, & vbi hoc poſſem non inuenirem quicquam, præter te Domine, *qui fingis laborem in præcepto*, percutis, vt ſanes, occidis nos ne moriamur abs te. *Pſal. 93.*

Cap. 3. De peregrinatione ſtudiorum cauſa & parentis propoſito. Monuit autem me mater mea, cum ingenti ſolicitudine ne fornicarer, qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubeſcerem. Illi autem tui erant, & neſciebam, & in illa contemnebaris à me filio eius. Sed præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coetaneos meos puderet me minoris dedecoris, quando audiebam eos iactantes flagitia ſua & tantomagis gloriantes, quanto magis turpes eſſent, & libebat facere non ſolum libidinem facti, ſed etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium: egone vituperarer vitioſior fiebam. Et vbi non ſuperat, quo admiſſo æquarer perditis fingebã me feciſſe, quod non feceram, ne eo viderer abiectior, quo eram innocentior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cęno eius, tanquam in cinamomis, & vnguentis precioſis & in vmbilico eius, quo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tenacius inhærerem, calcabat me inimicus inuiſibilis,& ſeducebat me, quia ego ſeductilis eram. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ, vltra temperamentum ſeueritatis in diſſolutionem affectionum variarum, & in omnibus erat caligo intercludens mihi Deus meus ſerenitatem veritatis tuæ, *& prodibat quaſi ex adipe iniquitas mea.* *Pſal. 72.*

De furto eius in pyris commiſſo.

Cap. LX.

Cap. 4. Furtum Diui Auguſtini. FVrtum punit lex tua domine,& lex ſcripta in corde hominis, quam nec ipſa delet iniquitas, quis enim fur æquo animo furem patitur? Et ego furtum feci nulla compulſus egeſtate,nec penuria, ſed faſtidio iuſtitiæ, & ſagina iniquitatis. Nam id furatus ſum, quod mihi abundabat,& multo melius. Amaui defectum meum, non illud ad quod deficiebam. Turpis anima deſiliens à firmamento tuo in exterminium, non de decore aliquid,ſed dedecus appetens.

Cap. 6. Omnia quæ ſpecie boni nos ad vitia inuitant, in ſolo Deo eſſe vera & perfecta. Iſta enim poma, quæ furatus ſum, decerpta proieci, epulatus inde ſolam iniquitatem. Nam & ſi quid eorum in os meum intrauit condimentum mihi facinus fuit,erat enim mihi meliorum copia,illa autem decerpſi vt furarer. Nunc igitur Domine Deus quæro, quid me in furto iſto delectauerit, & ecce ſpecies nulla eſt, non ſaltem,vt eſt quædam defectiua ſpecies, & vmbratica vitijs fallentibus, nam & ſuperbia celſitudinem imitatur,cum tu ſis ſuper omnia Deus excelſus,& blanditiæ amari volunt,cum nihil ſit tua charitate blandius. Ignauia quietem appetit,& quæ quies certa præter dominum? Luxuria ſatietatem, & tu es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis ſuauitatis. Auaritia multa poſſidet, & tu poſſides omnia. Inuidia de excellentia litigat, te autem quid excellentius? Ira vindictam quærit, te autem iuſtius quis vindicat? Triſtitia rebus amiſſis contabeſcit, quia ita nollet ſibi, ſicut tibi nihil poteſt auferri. Ita fornicatur anima cum auertitur abs te,& quærit extra te ea quæ pura & liquida non inuenit, niſi cum redierit ad te. Peruerſæ te imitantur omnes, qui longe ſe faciunt à te, & extollunt ſe aduerſum te,ſed etiam ſic te imitando iudicant te creatorem eſſe omnis naturæ,& ideo non eſſe quo omnino recedatur a te. Quid ergo in illo furto dilexi, & in quo Deum meum peruersè imitatus ſum? An libuit facere contra legem, ſaltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt in creatam libertatem captiuus imitarer faciendo impune, quod non liceret tenebroſa omnipotentiæ ſimilitudine.

Cap 7. Gratias agit Deo pro remiſſione peccatorũ quodque à multis ſeruatus ſit. Ecce eſt iſte ſeruus fugiens Dominum ſuum,& conſecutus vmbram. O putredo! O monſtrum vitæ, & mortis profunditas? Potuit ne libere quod non licebat, non ob aliud niſi quia non licebat? Gratiæ tuæ domine, & miſericordiæ tuæ deputo, quia peccata mea tanquam glacies ſoluiſti,gratiæ tuæ deputo etiam quæcunque mala non feci. Quid enim facere non potui? Non ergo me derideat,qui ab illo medico ęgrum ſanari,a quo ſibi præſtitum eſt vt non ægrotaret,vel potius vt minus ægrotaret.

Cap. 8. Quis eſt autem,qui doceat me,niſi qui illuminat cor meum, & diſcernit vmbras eius? quia in illis pomis mihi voluptas non erat,erat in ipſo facinore, quod faciebat conſortium ſimul peccantium, nam confricatio conſciorum animorum accendebat pruritum cupiditatis meæ.

Cap. 9. Contagioſa res ſodales mali. Et quid erat ille affectus animi? riſus erat, quaſi titillato corde,quod eos fallebemus, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. Nemo autem ſolus facile ridet,niſi cum aliquid nimis ridiculum ſenſibus occurrit animo, ego igitur ſolus id omnino non facerem. O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis inueſtigabilis, ex ludo, & ioco nocendi auiditas,nulla lucri, nulla vlciſcendi libidine, ſed cum dicitur eamus, & faciamus,pudet non eſſe impudentem.

Quis aperiet hanc tortuoſiſſimam, & implicatiſſimam nodoſitatẽ,quæ fæda eſt,nolo eam videre, te volo iuſtitia pulchra, & decora honeſtis luminibus, & inſatiabili ſatietate. Quies eſt apud te valde, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini ſui,& non timebit, & habebit ſe optime in optimo. Defluxi ego a te,& erraui deuius à ſtabilitate tua, & factus ſum mihi regio egeſtatis. *Cap. 10. In Deo omne bonum.* *Matth. 25.*

De amoribus eius illicitis.

Cap. LXI.

Idem in lib. 3. cap. 1. Veni Carthaginem, & circumſtrepebat me vndique ſartago flagitioſorum amorum. Oderam ſecuritatem, & viam ſine muſcipulis, quoniam fames erat mihi intus ab interiore cibo, teipſo Deus meus, & ea fame non eſuriebam, ſed eram ſine deſiderio alimentorum incorruptibiliũ, non quia plenus eis erã,ſed quo inanior,eo faſtidioſior, & ideo non bene valebat anima mea, ſed vlceroſa proijciebat ſe foras miſerabiliter ſcalpi auida contactu ſenſibilium. Amare, & amari dulce mihi erat, magis ſi amantis corpore fruerer. Venam igitur amicitiæ coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ,candoremque eius obnubilabam tartaro libidinis. Deus meus quanto mihi felle ſuauitatem illam,& quam bonus aſperſiſti, rapiebant me ſpectacula theatrica. *Amore que venabatur capitur.*

Cap. 2. Spectacula tragica. Quid eſt autem quod ibi homo vult dolere, cum ſpectat luctuoſa, & tragica,quæ tamen ipſe pati nollet, & tamen pati vult, ex eis dolorẽ ſpectator,& ipſe dolor voluptas eius eſt. Quid eſt niſi miſerabilis inſania? Quamquam cum ipſe patitur,miſeria, cum alijs compatitur, miſericordia dici ſolet. Sed qualis tandem miſericordia in rebus fictis, & ſcenicis? Non enim ad ſubueniendum prouocatur auditor,ſed tantum ad dolendum inuitatur. Et ſi calamitates ille ſic agantur, vt qui videt non doleat, abſcedit inde faſtidiens, & reprehendens, ſi autem doleat manet intentus, & gaudens, lachrymæ ergo amantur, & dolores? Certe omnis homo gaudere, & amare vult, an cum miſerum neminem eſſe libeat, libet tamen eſſe miſericordem? Quod quia non ſine dolore eſt, hac vna cauſa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ eſt. Sed quo vadit, quo fluit? vt quid decurrit in torrentem picis ebulientis in æſtus immanes tetrarum libidinum in quos ipſa mutatur, & vertitur per nutum proprium de cæleſti ſerenitate detorta, & deiecta? Repudietur ergo miſericordia? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando. Sed caue immunditiam anima mea ſub tutore Deo meo. Neque enim nunc non miſereor, ſed tunc in theatris congaudebam amantibus, cum ſeſe fruebantur per flagitia, quamuis imaginariè gererentur hæc in ludo ſpectaculi. Cum autem ſeſe amittebant, quaſi miſericors contriſtabar, & vtrunque delectabat tamen. Nunc vero magis miſereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpeſſum detrimenta pernicioſæ voluptatis, & amiſſione miſeræ fælicitatis. Hæc certe verior eſt miſericordia; ſed non ea delectatur cor. Nam, etſi approbatur officio charitatis, qui dolet miſerum, mallet tamen vtique non eſſe quod doleret,qui germanitus miſericors eſt. Nonnullus itaque dolor approbandus eſt, nullus amandus. Hoc enim tu Domine Deus, qui amas animas, longe alteque purius quam nos, & incorruptibilius miſereris,quo nullo dolore ſauciaris. Et ad hæc quis idoneus.

De ſtudijs eius,& errore Manichæorum.

Cap. LXII.

VSitato iam ordine diſcendi, perueneram in quendam librum cuiuſdam Ciceronis de exhortatione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hortentius Ciceronis excitauit illum ad ardorem Philoſophiæ.

ad Philoſophiam, qui mutauit affectum meum, & ad teipſum Domine mutauit preces meas, viluit mihi repente omnis vana ſpes & ſapientiæ immortalitatẽ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te rediremi. In eo libro manifeſtatur illa Apoſtoli admonitio: *Videte ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem ſeductionem, &c.* Sed tunc Deus lumen cordis mei, nondum mihi Apoſtolica iſta nota erant, hoc tamen ſolo in illa exhortatione delectabar quod non illam, aut illam ſectam, ſed ipſam, quæcunque eſſet, ſapientiam, vt diligerem, & quærerem, & tenerem fortiter, excitabar ſermone illo, & accendebar, & ardebam. Et hoc ſolum me in tanta flagrantia refrigebat, quod non erat ibi nomen Chriſti, quod in ipſo lacte matris, tenerum cor meum pie biberat, & alte retinebat. Et quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literarum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.

Coloſ. 2. Cap. 5.

Cap. 6. Faſtidit ſacras literas propter ſimplicitatem ſtyli.

Itaque inſtitui in ſcripturas ſanctas animum intendere, & ecce video rem non detectam ſuperbis, nec nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſterijs, & non eram ego talis, vt in eum intrare poſſem, & ad eius greſſus inclinare ceruicem, ſed viſa eſt mihi indigna, quam Tullianæ compararem dignitati. Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Verum tamen illa erat, quæ creſceret cum paruulis, ſed ego faſtu turgidus mihi grandis eſſe videbar.

Cap. 6. A Manichais quomodo captus.

Itaque incidi in homines ſuperbe delirantes, carnales, & loquaces, qui dicebant, veritas nuſquam erat in eis. Væ væ quibus gradibus deductus ſum in profunda inferi? laborans, & æſtuans inopia veri, cum te Deus meus non ſecundum intellectum mentis, quo me beluis præſtare voluiſti, ſed ſecundum carnis ſenſum quærerem: Tu autem eras interior intimo meo, & ſuperior ſummo meo, ſummè bone, pulchritudo pulchrorum omnium. Offendi in illam mulierem, audacem, inopem prudentiæ, ænigma Salomonis, quæ me ſeduxit, quia inuenit me foras habitantem in oculo carnis meæ, & talia ruminantem apud me, qualia per illam voraſſem.

Cap. 7. Doctrina Manichæorũ abſurda.

Neſciebam enim aliud vere quod eſt, & quaſi acutule mouebar, vt ſuffragarer ſtultis deceptoribus, cum à me quærerent vnde malum, & vtrum forma corporea Deus finiretur, & haberet capillos, & vngues. Quibus rebus ignarus perturbabar, & à veritate recedens, in eam mihi ire videbar, quia malum non noueram nihil eſſe, niſi priuationem boni vſque ad quod omnino non eſt. Quod vnde noſſem cuius videre, vſque ad corpus erat oculis, & animo vſque ad phantaſma. Et non noueram ſpiritum eſſe Deum, neque quid in nobis eſſe, ſecundum quod ſimiles eſſemus Deo. Neque noueram iuſtitiam interiorem veram, non ex conſuetudine iudicantem, ſex ex lege iuſtiſſima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum, & dierum, pro regionibus, & diebus cum ipſa vbique ac ſemper eſſet, non alibi alia, nec alias aliter, ſecundum quam iuſti eſſent Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſes, & Dauid, & illi omnes laudati ore Dei, ſed eos ab imperitis iudicari iniquos, iudicantibus ex humano die.

1. Cor. 4.

Excuſatio Patriarcharum contra blaſphemiam eorum.

Cap. LXIII.

Leges pro ratione temporum mutandas eſſe, etiã ipſi legum libri declarãt.

QVidam indignantur cum audierint illo ſæculo licuiſſe iuſtis aliquid, quod iſto ſæculo non licet iuſtis, & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem iuſtitiæ vtrique ſeruierint, cum in vno homine, & in vno die, & in vnis ædibus videant aliud alij membro congruere, & aliud iamdudum licuiſſe, & poſt horam non licere, quiddam in illo angulo permitti, aut iuberi, quod in iſto iuſte vetetur, & vindicetur. Nunquid iuſtitia varia eſt, & mutabilis? ſed tempora, quibus præſidet, non pariter eunt, tempora enim ſunt. Homines autem, quorum vita breuis eſt ſuper terram, quia ſenſu non valent cauſas contexere ſæculorum priorum, aliarumque gentium quas experti non ſunt, cum his quas experti ſunt. In vno autem corpore, vel die, vel domo, facile poſſunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus perſonisve congruat, in illis offenduntur, his ſeruiunt. Hæc ego tunc neſciebam, & non aduertebam, & feriebant vndique oculos meos, & non videbam.

Cap. 8.

Mala omnia fiunt cum tu derelinqueris fons vitæ, qui es vnus, & verus rector, & creator vniuerſitatis, & priuata ſuperbia diligitur in parte vnum falſum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos à mala conſuetudine, & propitius es peccatis confitentium, ſi iam non erigamus aduerſum te cornua falſæ libertatis, auaritia plus habendi, & damno totum amittendi, amplius amando proprium noſtrum, quam te bonum omnium.

De carnali eius dolore ſuper amico defuncto.

Cap. LXIIII.

IDem *in lib. 4. cap. 1.* Sine me Domine, & da mihi circumire memoria præſenti præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi hoſtiam iubilationis. Quid enim ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? aut quid ſum cum mihi bene eſt, niſi ſugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur. Irrideant nos fortes, & potentes, nos autem infirmi, & inopes confiteamur tibi.

Cap. 4.

Comparaueram amicum ſocietate ſtudiorum nimis charum, ſed nondum ſic erat amicus, ſicut eſt veta amicitia, quia non eſt vera, niſi cum tu eam agglutinas, charitate diffuſa in cordibus. Sed tamen dulcis erat nimis cocta feruore parilium ſtudiorum. Et ecce tu imminens dorſo fugitiuorum tuorum, Deus vltionum & fons miſericordiarum ſimul qui conuertis nos ad te miris modis, abſtuliſti hominem de hac vita. Quo dolore contenebratum eſt cor meum. Quicquid cum illo communicaueram, ſine illo in cruciatũ mihi vertebatur, ſolus fletus dulcis erat mihi, & ſucceſſerat amico meo in delicijs animi mei.

Pſal. 93.

Cap. 7.

Vbi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis ſarcina miſeriæ, quæ ad te domine leuanda erat, & curanda. Sciebã, ſed nec volebam, nec valebam: Mihi autem, quia infęlix locus ego remanſeram, vbi nec eſſe poſſem, nec inde recedere.

Cap. 6.

Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc ſentit miſeriam qua miſer eſt, & antequam eas amittat.

Cap. 8.

Porro tempora de die in diem inferebant alias ſpecies, & alias memorias, & paulatim reſarcinabant me priſtinis generibus delectationum, quibus cedebat ille dolor meus. Succedebant autem non quidem dolores alij, cauſæ tamen aliorum dolorum. Nam vnde me facillime ille dolor penetrauerat intime, niſi quia fuderam in arenam cor meum, diligendo moriturum quaſi non moriturum. Máxime autem me recreabant aliorum amicorum ſolatia, cum quibus amabam, quod non pro te amabam. Et hoc erat ingens fabula, & longum mendacium, cuius adulterina confricatione corrumpebatur mens mea pruriens auribus. Alia quoque erant, quæ in eis amplius animum capiebant, colloqui, corridere viciſſim, beneuole obſequi, ſimul legere. His itaque huiuſmodi ſignis à corde amantium, & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratiſſimos quaſi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnum facere.

Tempus dolori medetur.

Hoc eſt, quod diligitur in amicis, ita vt rea ſibi ſit humana

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Humana amicitia cũ diuina comparatio.

mana conſcientia, ſi amantem non remeauerit, nihil quærens ex eius corpore præter indicia beneuolentiæ, hinc ille luctus ſi quis moriatur, & ex amiſſa vita morientium mors viuentium. Beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Nullum enim charum ſolus amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur. Et quis eſt iſte, niſi qui fecit cœlum, & terram, & implet ea, & implendo fecit ea. Te nemo amittit, niſi qui dimittit, quo it, quo fugit, niſi à te placido, ad te iratum. Nam vbi te inuenit, non inuenit legem tuam in pœna ſua, lex tua veritas eſt, & veritas tu.

Pſal. 118. Cap. 10. *Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, nam quaqua verſum ſe vertit anima hominis, ad dolores figitur, præterquam in te, tam etſi figitur in pulchris extra te, & extra ſe, quæ tamen nulla eſſent, niſi ex te.

Exhortatio animarum, vt amore ſenſibilium redeant ad Deum.

Cap. LXV.

LAudet te Deus anima mea ex illis, ſed non in eis figatur glutino amoris per ſenſus corporis.

Cap. 11. Ecce enim iſta decedunt vt alia ſuccedant, & omnibus ſuis partibus conſtet infirma vniuerſitas, verbum autem Dei nuſquam diſcedit. Ibi fige manſionem tuam ô anima mea, ſaltem fatigata fallacijs veritati commenda, quicquid tibi eſt à veritate, & non perdes aliquid, & putrida tua refloreſcent, & fluxa tua conſtringentur ad te, & ſtabunt tecum ad ſemper ſtantem, & permanentem Deum. Vt quid peruerſa ſequeris carnem tuam? ipſa te ſequatur conuerſa. Quicquid per illam ſentis in parte eſt, & ignoras totum cuius hæ partes ſunt, & tamen te delectat. Sed ſi ad totum comprehendẽdum eſſet idoneus ſenſus carnis tuæ, ac non etiam ipſe in parte vniuerſi accepiſſet pro pœna ſua iuſtum modum, velles vt tranſiret quicquid exiſtit in præſenti, vt magis tibi placerent omnia. Nam, & quod dicitur, per eundem ſenſum carnis audis, & non vis vtique ſtare ſyllabas, ſed tranſuolare vt aliæ veniant, & totum audias. Ita ſemper omnia quibus vnum aliquid conſtat, & non ſunt omnia ſimul, plus delectant omnia, quam ſingula ſi poſſint ſentiri omnia. Sed longe his melior eſt Deus, qui fecit omnia, ipſe eſt Deus noſter & non decedit, quia nec ſuccedit ur ei. Si placẽt corpora, Deum ex illis laua, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent tu ei diſpliceas.

Omnia creata ſunt in ſe mutabilia, in Deo ſtabilia.

Cap. 12. Amor non improbatur, modo in his quæ placent amemus Deum. Si placent animæ in Deo amentur, quia & ipſæ mutabiles ſunt, & in ipſo ſtabiliuntur fixæ, alioquin irent, & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, ipſe fecit hæc, & non eſt longe, non enim fecit, & abijt, ſed ex illo, in illo ſunt. Ecce ibi eſt, vbi ſapit veritas. Intimus cordi eſt, & cor errauit ab eo. Redite præuaricatores ad cor, inhærete ei, qui fecit vos. State cum eo, & ſtabitis, requieſcite in eo, & quieti eritis. Quo itis in aſpera, quo itis? Non eſt requies vbi eam quæritis, beatam vitam quæritis in regione mortis. Et quomodo eſt vita beata, vbi nec vita? Sed deſcendit huc ipſa vita noſtra, & tulit mortem noſtram, & occidit eam, & tonuit clamans, vt redeamus ad Deum, & diſceſſit ab oculis vt redeamus ad cor, & inueniamus eum. Illic enim abſceſſit, vnde nunquam receſſit, quia illuc enim abſceſſit, quia Mundus per eum factus eſt, & in hoc Mundo erat, & venit in hunc Mundum peccatores ſaluos facere, cui confitetur anima mea, & ſanat eam, quia peccauit illi. *Filij hominum vſquequo graui corde.* Nunquid, & poſt deſcenſum vitæ non vultis aſcendere, & viuere? Sed quo aſcenderis, quando in alto eſtis, & poſuiſtis in cœlo os veſtrum? Deſcendite vt aſcendatis, & ad Deum aſcendatis: cecidiſtis enim aſcendendo contra eum. Dic eis iſtâ vt plorent in conualle plorationis, & ſic eos tecum rape ad Deum, quia de ſpiritu eius hæc dicis, ſi dicis ardens igne charitatis.

Pſal. 4.

De vano amore laudis, & ſcientiæ ſæcularis.

Cap. LXVI.

SCripſi libros de pulchro, & apto, puto duos aut tres, tu ſcis Deus. *Cap. 13.*

Quid autem monit me Domine vt ad Icherium Romanæ vrbis oratorem ſcriberem illos libros, quem non noueram facie, ſed amaueram ex doctrinæ fama, quæ illi clara fuit. Laudatur homo, & amatur abſens. Vtrum nam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Abſit, ſed ex amante alio accenditur alius. Hinc enim amatur, qui laudatur, dum non fallaci corde laudantis prædicari creditur, id eſt cum amans eum laudat. Sic enim amabam tunc homines ex hominum iudicio, non enim ex tuo Deus meus, in quo nemo fallitur. Ita eum laudatum amabam, quoniam & me laudari vellem? Non autem ita vellem laudari, & amari ſicut hiſtriones, quanquam eos & ipſe laudarem, & amarem, ſed mallem odio haberi, quam ſic amari. Vbi diſtribuuntur illa pondera variorum amorum in anima vna? Quid eſt, quod amo in alio, quod rurſus niſi odiſſem non à me dereſtarer, & repellerem, cum vterque noſtrum ſit homo. Grande profundum eſt ipſe homo, cuius etiam capillos tu domine numeratos habes, & non minuuntur in te, & tamen capilli eius magis numerabiles, quam affectus eius, & motus cordis eius. Confiteor tibi, quod illum, magis in amore laudantium amaueram, quam in rebus ipſis de quibus laudabatur: quia ſi vituperando atque ſpernendo ea ipſa narraſſent, non accenderer in eum. Et certe res non aliæ forent, nec homo ipſe alius, ſed tantummodo alius affectus narrantium. Ecce vbi iacet anima infirma, nondum habens aliquid ſolidum veritatis. Sicut auræ linguarum flauerint à peccatoribus opinantium, ita vertit, & vertitur, torquetur, & retorquetur & obnubilatur ei lumen, nec cernitur veritas.

Liber de Apto & Pulchro.

Et ecce ante nos, ego quidẽ conabar ad te, & repellebar abs te vt ſaperem mortem, quia ſuperbis reſiſtis. Eram fortaſſis annorũ 26. quando ſcripſi volumina illa, voluens apud me corporalia figmenta cordis mei auribus obſtrepentia, quas intendebam dulcis veritas in interiorem melodiam tuam, cogitans de pulchro, & apto, & ſtare cupiens, & audire te, & gaudere propter vocem ſponſi, ſed non poteram, quia vocibus erroris mei foras rapiebar, & pondere ſuperbiæ meæ in ima deprimebar. Non dabas auditui meo gaudium, aut exultabant oſſa mea, quæ humiliata non erant. *Cap 13. Corporalibus imaginibus contenebratus non potuit capere Spiritalia.* *Pſal. 50.*

Quid autem mihi profuit, quod annos natus ferme 20. decem categorias Ariſtotelis legi ſolus, & intellexi, cum etiam te ſimplicẽ, & incommutabilem illis decem prædicamentis ſic intelligere conarer, quaſi & tu ſubiectus eſſes magnitudini aut pulchritudini, vt illa eſſent in te quaſi in ſubiecto, cum tua magnitudo, & pulchritudo tu ipſe ſis. Dorſum enim habebam ad lumen. *Cap. 16.*

De confeſſione laudis, & inquiſitione veritatis.

Cap. LXVII.

ITem *in lib. 5. cap. primo.* Domine Deus meus accipe ſacrificium confeſſionum mearum de manu linguæ meæ, quam formaſti, & excitaſti, & confiteatur nomini tuo, & ſana omnia oſſa mea, & dicant: *Domine, quis ſimilis tibi?* Non docet te quid agatur in ſe, qui tibi confitetur, quia oculum tuum non excludit cor clauſum, nec manum tuam repellit duritia. Sed te laudet anima mea, vt amet te, & confiteatur tibi miſerationes tuas vt laudet te. Non ceſſat nec tacet laudes tuas vniuerſa creatura tua, nec ſpiritus omnis per os conuerſum ad te, nec

Pſal. 4.

Excitat mentẽ ad Deum laudandum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

te,nec animalia, nec cætera corporalia per os conſiderantium ea, vt exurgat in te à laſſitudine anima noſtra innitens his,quæ feciſti,& tranſiens ad te,qui feciſti hæc mirabiliter.

Cap. 2. *Dei præſentiam neminem effugere cum ſit vbique.*

Eant, & fugiant, à te inquieti, & iniqui, & tu vides eos, & diſtinguis vmbras,ſed fugiunt vt non videant te videntem ſe,atque excæcati in te offendunt, quia non deſeris aliquid eorum, quæ feciſti. In te offenderunt iniuſti,vt iuſte vexarentur,ſubtrahentes ſe lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in aſperitatem tuam. Conuertantur ergo,& quærant te, & ecce ibi es in corde eorum confitentium tibi, & proijcientium ſe in te, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis terges lachrymas eorum, vt magis plorent,& gaudeant in fletibus, quia tu domine, qui feciſti, reficis, & conſolaris eos. Et vbi eram ego quando te quærebam ? Et tu eras ante me. Ego autem, & à me diſceſſeram,,nec me inueniebam, quanto minus te.

Cap. 3. Philoſophis huius ſolis defectum futurum præuident, & ſuum in præſentia non vident. Non enim religioſe quærunt vnde habeant ingenium quo iſta quærunt.

Cap. 4. *Sola Dei cognitio beat.* Infælix autem qui iſta omnia ſcit, te autem neſcit, beatus autem qui te ſcit,etiam ſi iſta neſciat. Qui vero & te,& illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te beatus eſt, ſi cognoſcens te ſicut Deum glorificet, & diligat. Sic ergo fidelis homo cui totus mundus diuitiarum eſt,& quaſi nihil habens, omnia poſſidet, inhærendo tibi cui ſeruiunt omnia,quamuis nec ſaltem ſeptentrionis gyros,nouerit,vtiquę melior eſt,quam menſor cœli, & numerator ſyderum, & penſor elementorum, & negligens,tui, *qui omnia in menſura,& numero, & pondere diſpoſuiſti.*

Sap. 11.

De ingreſſu eius ad fidem ſacrorum librorum.

Cap. LXVIII.

IDem in lib. 6. cap. 1. *Spes mea à iuuentute mea*, vbi mihi eras,& quo receſſeras ? An vero non tu feceras me, & diſcreueras me à quadrupedibus,& volatilibus cœli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras, & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inueniebam Deum cordis mei, & veneram in profundum maris, & diffidebam, & deſperabam de inuentione veri.

Cap. 4. Sanari credendo poteram, vt purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam incommutabilem.Sed ſicut euenire aſſolet,vt malum medicum expertus,etiam ſe bono timeat committere, ita erat valitudo animæ meæ, quæ vtique niſi credendo ſanari non poterat, & ne falſa crederet, curari recuſabat, reſiſtens manibus tuis,qui medicamenta fidei confeciſti,& ſparſiſti ſuper morbos orbis terrarum.

Cap. 5. Deinde tu Domine paulatim manu mitiſſima pertractans, & componens cor meum, conſideranti quam innumerabilia crederem, quę non videram,neque cum gererentur affuiſſem, ſicut tam multa in hiſtoria gentium,tam multa amicis,tam multa medicis, & hominibus alijs,quæ niſi crederentur in hac vita omnino nihil ageremus. Poſtremo,quam inconcuſſe fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus fuiſſem, quod ſcire non poſſem niſi credidiſſem. Perſuaſiſti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta fere cunctis gentibus auctoritate fundaſti,ſed qui non crederent eſſe culpandos,nec audiendos eſſe ſi qui forte mihi dicerent, vnde ſcis libros illos vnius veri Dei ſpiritu eſſe humano generi miniſtratos ? Idipſum enim maxime credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumnioſarum quæſtionum, per tam multa, quæ legeram, inter ſe conſligentium Philoſophorum,extorquere mihi potuit,vt aliquando non crederem te eſſe quicquid eſſe poſſes, quod ego neſcirem,aut adminiſtrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robuſtius, aliquando exilius,ſemper tamen credidi,& eſſe te,& curam noſtri genere, etiamſi ignorabam vel quid ſentiendum eſſet de ſubſtantia tua, vel quæ via duceret, aut reduceret ad te. Ideoque cum infirmi eſſemus ad percipiendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus eſſet auctoritate ſanctarum literarum, iam credere cæperam nullo modo te fuiſſe tributurum tam excellentem illi ſcripturæ per omnes iam terras auctoritatem, niſi & per ipſam tibi credi, & te quæri voluiſſes. Iam enim abſurditatem,quæ me in eis literis ſolebat offendere, cum multa ex eis probabiliter expoſita audiſſem, ad ſacramentorum altitudinem referebam, eoque mihi illa venerabilior, & ſacroſancta fide dignior apparebat auctoritas, quo & omnibus eſſet ad legendum in promptu & ſecreti ſui dignitatem in intellectu profundiore ſeruaret, verbis apertiſſimis, & humillimo genere loquendi ſe cunctis præbens, & exercens intentionem eorum,qui non ſunt leues corde, & vt omnes exciperet populari ſinu,& per anguſta foramina paucos ad te traijceret,multo tamen plures,quam ſi nec tanto apice auctoritatis emineret,nec turbas gremio ſanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc,& aderas mihi, ſuſpirabam, & audiebas me, fluctuabam & gubernabas me, ibam per viam ſæculi latam, nec deſerebas.

De ſacrorũ librorum auctoritate, & neceſſario vſu.

Cap. 6. *De miſeria ambitioſorũ.* Inhiabam lucris,honoribus, coniugio,& tu irridebas, patiebar in his cupiditatibus maximas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas dulceſſere mihi,quod non eras tu.

Cap. 7. Taceat laudes tuas, qui miſerationes tuas non conſiderat,quæ tibi de medullis meis confitentur.

Cap. 14. Multę cogitationes erant in corde meo,conſilium autem tuum manet in æternum,ex quo conſilio noſtra derides,& tua præparas.

Cap. 16. Sed ô tortuoſas vias, væ animæ audaci, quæ ſperauit ſi à te receſſiſſet,aliquid ſe melius habituram. Verſa, & reuerſa,in tergum,& in latera,& in ventrem,& dura ſunt omnia,& tu ſolus requies. Et ecce ades,& conſtituis nos in via tua,& conſolaris nos,& dicis:Currite,ego feram, & ego ibi perducam.

De ſerenatione mentis ad agnitionem veritatis.

Cap. LXIX.

IDem in lib. 7. cap. 1. Non te cogitabam in figura corporis Deus meus, ex quo audire cæpi aliquid de ſapientia,ſed ſemper hoc fugi. Et clamabat cor meum vehementer aduerſus omnia phanthaſmata mea, & hoc vno ictu conabar abigere circumuolantem turbam immunditiæ ab aciæ mentis meæ, & vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rurſum aderat, & irruebat in aſpectum meum, & obnubilabat eum, vt quamuis non formam humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer, per ſpacia locorum, ſiue mundo infuſum ſiue extra mundum per infinita diffuſum.

Cap. 7. Lumen oculorum meorum non erat mecum, intus enim erat,ego autem foris. Nam tu quidem gaudium verũ mihi,ſubiecto tibi,ſubieceras,quæ infra me creaſti, & hoc erat temperamentum, & media regio ſalutis meę,vt tibi ſeruiens dominarer corpori.Sed cum ſuperbe contra te ſurgerem,& craſſa ceruice contra te currerem, etiam iſta infirma ſupra me facta ſunt, & premebant me,& nuſquam erat reſpiramentum. Occurrebant enim mihi vndique aceruatim cernenti,& opponebantur redeunti,quaſi diceretur:Quo is indigne ac ſordide? Et hæc de vulnere meo ereuerat, *quia tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum*,& tumore meo ſeparabat abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.

Iob. 15.

Pſal. 88.

Cap. 8. *Quomodo diuina miſericordia ſubuenerit Auguſtino.* Sed tu in æternum manens, non in æternum iraſceris, ſed miſeratus es terram, & cinerem, placuitque tibi reformare deformia mea, ſtimulis internis agitabas me, & reſidebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ,acieſque mentis meæ contenebrata; acri

collyrio

collyrio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanabatur.

Cap. 9. Et primo volens oſtendere mihi, quam ſuperbis reſiſtis,& quanta miſericordia demonſtraſti hominibus,via humilitatis procuraſti mihi per quendam hominem immaniſſimo typo turgidum, quoſdam Platonicorum libros,vbi legi *quod in principio erat verbum,&c.* vſque ibi, *& tenebræ eum non comprehenderunt.* Et quia anima hominis quamuis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſum lumen,ſed verbum Dei, *Deus eſt lumen verum,quod illuminat omnem hominem* &c vſque ibi,*& Mundus eum non cognouit. Quia autem in propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius*, non ibi legi,*abſcondiſti enim hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.*

Ioan. 1.

Qualiter in ſe reuerſus agnoſcere cæpit veritatem.

Cap. LXX.

Cap. 10. ADmonitus redire ad me ipſum intraui in intima mea duce te, & vidi qualicunque oculo animæ meæ ſupra mentem meam lucem incommutabilem. Qui nouit veritatem,nouit eam,& qui nouit eam, nouit æternitatem, O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, ad te ſuſpiro die ac nocte. Et cum te primum cognoui, tu aſſumpſiſti me, vt viderem eſſe, quod videram, & nondum me eſſe qui viderem:& reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer,& contremui amore,& horrore,& inueni me longe eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelſo: Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. *Et cognoui, quoniam pro iniquitate corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut arancam animam meam.* Clamaſti de longinquo, *ego ſum qui ſum*, faciliuſque dubitarem me viuere, quam veritatem te non eſſe, *quæ per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicitur.*

Clarius intoteſcunt iã Auguſtino diuina,

Pſal. 38.

Exod. 3. Rom. 1.

Cap. 11. Inſpexi cætera infra te, & vidi neque omnino non eſſe, quia abs te ſunt,neque omnino eſſe,quia non ſunt quod tu. Id enim vere eſt,quod incõmutabiliter manet. Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, quia ſi non manebo in ipſo,nec in me potero. Ipſe in ſe manens, omnia innouat.

Pſal. 115. Et manifeſtatum eſt mihi,quia bona ſunt quæ corrumpuntur,quæ neque ſi ſumma bona eſſent, corrumpi poſſent.

Cap. 14. Nec eſt ſanitas animæ, cui diſplicet aliquid creaturæ tuæ,ſicut meæ non erat,cum ei diſpliceret multa, quæ feciſti. Quia enim nolebat vt tu ei diſpliceres,tuum eſſe nolebat quicquid ei diſplicebat, & inde ierat in opinionem duarum ſubſtantiarum,& aliena loquebatur,ſe ceratque ſibi Deum per infinita ſpacia locorum, & eum putabat eſſe te, & collocauerat eum in corde ſuo, factaque erat templum idoli ſui. Sed poſtquam fouiſti caput neſcientis, & clauſiſti oculos meos ne viderent, vanitatem: conſopita eſt inſania mea, & euigilaui in te, & vidi te, infinitum eſſe aliter.

Sana mentis homini nihil diſplicet inter creaturas Dei.

Cap. 16. Senſique non eſſe mirum, quia palato non ſano pœna eſt panis,qui ſano eſt ſuauis,& oculis ægris odioſa eſt lux,quæ puris amabilis eſt, Et iuſtitia tua diſplicet iniquis,nedum vipera,& vermiculus.

Adhuc de eodem.

Cap. LXXI.

QVæſiui quid eſſet iniquitas, & non inueni ſubſtantiam, ſed à ſumma ſubſtantia te & Deo detorta in infimam voluntatis peruerſitatem, proijcientis intima ſua, & tumeſcentis foras.

Cap. 17. Et quidem te amans non ſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar à te decore tuo, moxque diripebar abs te pondere meo,id eſt carnali conſuetudine, tunc vero *inuiſibilia tua per ea,quæ facta ſunt intellecta conſpexi*, ſed aciem figere non valui, & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis,non mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere non poſſem.

Rom. 1.

Et quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te, & non inueni donec amplecterer mediatorem Dei, & hominum, dicentem: *Ego ſum via.*Et cibum cui capiendo inualidus eram,miſcentem carni, *quia verbum caro factum eſt, &c.* vt noſtræ infantiæ lacteſceret ſapientia tua, per quem creaſti omnia. Non enim tenebam Deum meum Ieſum Chriſtum,humilis humilẽ, nec cuius rei magiſtra eſſet infirmitas eius noueram. Verbum tuum æterna veritas, ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam: In inferioribus vero ædificauit ſibi domum humilem de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe traijceret, ſanans tumorem, & nutriens amorem, ne fiducia ſui progrederẽtur longius,ſed potius infirmarẽtur, ante pedes ſuos videntes infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ,& laſſi proſternerentur in eam. Illa autem ſurgens leuaret eos.

Cap. 18.

Solus Chriſtus via ad ſalutem.

1. Tim. 2.

1. Ioan. 1.

Garriebã plane quaſi peritus,& niſi in Chriſto Saluatore noſtro viam tuã quærerẽ, non peritus, ſed imperitus eſſem. Iam enim cæperam velle videri ſapiens, plenus pæna mea,& non flebam. Inſuper & inflabar ſcientia mea. Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis,quod eſt Chriſtus Ieſus? Aut quando illi libri me docent eam.

Cap. 20.

Cap. 21.

Non habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lachrymas confeſſionis, ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum,*cor contritum & humiliatum*, populi ſalutem, ſponſam,ciuitatem,arram Spiritus ſancti,poculum precij noſtri. Nemo ibi cantat: *Nonne Deo ſubdita erit anima? Ab ipſo enim ſalutare meum. Etenim ipſe eſt Deus meus,& ſalutaris meus, ſuſceptor meus,& non mouebor amplius.* Nemo ibi audit: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Dedignantur ab eo diſcere,*quia mitis eſt,& humilis corde. Abſcondiſti enim hæc à ſapientibus,& prudentibus*,& reuelaſti ea paruulis. Et aliud eſt de ſylueſtri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire, & fruſtra conari per inuia, circum obſidentibus fugitiuis deſertoribus cum principe ſuo leone, & dracone, & aliud tenere viam illuc ducentem,cura cœleſtis Imperatoris munitam, vbi non latrocinantur,qui cœleſtem militiam deſeruerunt, vitant enim,ſicut ſupplicium.

Pſal. 50.

Pſal. 61.

Matth. 11.

De certitudine veritatis,& gaudio ſuper pœnitentia peccatoris.

Cap. LXXII.

IDem *in lib. 8. cap.* 1. Deus meus recorder in gratiarum actione tibi, & confitear miſericordias tuas ſuper me. Perfundantur oſſa mea delectatione tua, & dicant: *Domine quis ſimilis tibi?* Inhæſerant prærordijs meis verba tua, & vndique circumuallabar abs te. De vita tua æterna certus eram,quamuis eam enigmate, & quaſi per ſpeculum viderem. Dubitatio tamen omnis de tua ſubſtantia æterna ablata mihi erat, nec certior de te,ſed ſtabilior in te eſſe cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant omnia, & mundandum erat cor meum à fermento veteri, & placebat via ipſe Saluator, & ire per eius anguſtias adhuc pigebat.

Pſal. 115. 1. Cor. 13.

Cap. 5.

Deus bone,quid agitur in homine vt plus gaudeat de ſalute animæ deſperatæ,& de maiore periculo liberatæ, quam ſi ſemper ſpes fuiſſet aut ſi minus periculum fuiſſet? Etenim tu quoque miſericors pater, plus gaudes de vno pœnitente,quam de 99. iuſtis,quibus non opus eſt pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate gaudemus cum audiuimus, quoniam exultantis paſtoris humeris reportetur ouis, quæ errauerat, & dragma referatur in

Quod Deus & Angeli magis gaudent in peccatorum cõuerſione.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſauros tuos collætantibus vicinis mulieri, quæ inuenit. Et lachrymas excutit gaudium ſolennitati domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio tuo, quia mortuus erat,& reuixit,perierat,& inuentus eſt. Gaudes quippe in nobis & in Angelis tuis ſancta charitate ſanctis. Nam tu ſemper idem, qui ea,quæ non ſemper,nec eodem modo ſunt, eodem modo ſemper noſti omnia. Quid ergo agitur in anima cum plus delectatur, inuentis aut redditis rebus,quas diligit, quam ſi eas ſemper habuiſſet. Conteſtantur enim, & cætera, & plena ſunt omnia teſtimonijs clamantibus: Ita eſt. Triumphat victor Imperator, & non viciſſet, niſi pugnaſſet. Et quantomagis periculum in prælio fuit; tanto magis gaudium in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes,minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt Tranquillatur cœlum,& mare, & exultant nimis, quia nimis timuerunt. Edendi, & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi,& ſitiendi moleſtia. Ebrioſi quędam ſaltiuſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor, quem dũ extinguit potatio,ſit delectatio. Hoc in turpi, & execranda lętitia;hoc in ea,quæ conceſſa,& licita eſt, hoc in ipſa ſinceriſſima honeſtate amicitiæ, hoc in eo, qui mortuus erat,& reuixit,perierat & inuẽtus eſt. Vbique maius gaudium moleſtia maiore præceditur. Quid eſt hoc Domine Deus meus, cum & æternum tibi ſis tuipſe gaudium, & quędam de te circa te gaudeant? Quid eſt, quod hæc rerum pars alternat defectu, & profectu, offenſionibus & conciliationibus? An is eſt modus earum,& tantum dediſti eis, cum à ſummis cælorum vſque ad ima terrarum,ab initio vſque ad finem ſæculorum, ab Angelo vſque ad vermiculum, à motu primo vſque ad extremum,omnia genera bonorum, & omnia opera tua iuſta ſuis quæque ſedibus locares, & ſuis quæque temporibus ageres?

Luc. 15.

De difficultate perfectæ conuerſionis.

Cap. LXXIII.

HEu mihi, quam excelſus es in excelſis, & quam profundus in profundis, & nuſquam recedis, & vix redimus ad te.

Cap. 4. Age Domine,fac, excita, & reuoca nos, accende & rape,flagra,& dulceſce. Amemus,curramus.

Cap. 5. *Quæ remorabãtur eius conuerſionẽ.* Vacationi tuæ ſuſpirabam ligatus, non ferro, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus,& inde mihi catenam fecerat,& conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis quaſi catena tenebat me dura ſeruitus obſtrictum. Itaque duæ voluntates meæ, vna noua, & ſpiritualis, alia vetus carnalis, inter ſe confligebant, & diſſipabant animam meam. Ego quidem in vtroque, ſed magis ego in eo, quod approbabam, quam in eo quod improbabam:ſed conſuetudo aduerſum me pugnatior ex me facta erat, quia volens quo nollem perueneram. Ego igitur adhuc obligatus terra, recuſabam militare,& impedimentis omnibus ſic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſæculi veluti ſomno aſſolet,dulciter premebar,& cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Nec erat,quid tibi reſponderem dicenti, *ſurge qui dormis*, &c. niſi verba lenta,& ſomnolenta. Modo,ecce modo,ſine paululum ſed modo,& modo, non habebant modum,& ſine paululum,in longum ibat. Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur, & tenetur, etiam inuitus animus, eo merito, quo in ea volens illabitur. *Miſerum ergo me,quis liberabit de corpore mortis huius, &c.*

Epheſ. 5.

Rom. 7.

De Compunctione eius,& conatu contra conſuetudinem.

Cap. LXXIV.

POntiano,aliàs Potitiano narrante de vita Beati Antonij; tu Domine inter verba eius retorquebas me ad me, auferens me à dorſo meo, vbi poſueram me, dum nollem attendere me. Videbam igitur me, & horrebam, & non erat quo à me fugerem. Increpabat me conſcientia, intus rodebar,& confundebar pudore horribili, flagellaui animam meam vt ſequeretur me conantem ire poſt te,& renitebatur. Quaſi mortem enim formidabat reſtringi à fluxu conſuetudinis,quo tabeſcebat in mortem, conuicta erãt omnia argumenta,quibus excuſarer de incertitudine veri, & remanſerat muta trepidatio. Cap. 7. *Diſplicuit ſibi audito Potitiano.*

Tandem in ipſa rixa grandi interioris domus meæ, quam fortiter excitaueram, inuado Alipium, & exclamo, quid patimur? Quid eſt, quod audiſtis? *Surgunt indocti,& cœlum rapiunt,& nos cum doctrinis noſtris,ecce vbi volutamur in carne, & ſanguine?* An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet, nec ſaltem ſequi? Inſaniebam ſalubriter,& moriebar vitaliter; fremebam indignatione,quod non ibam in pactum tecum Deus meus, in quod eundum eſſe omnia oſſa mea clamabant. Et illuc non ſolum ire,ſed etiam peruenire, nihil aliud erat, quam velle ire, ſed velle fortiter, & integre non ſemiſanciam hac atque illac verſare, & iactare voluntatem, partem aſſurgentem cum alia parte cadente luctantem. Cap. 8.

Sic ergo ægrotabam, & excruciabar accuſans meipſum, & voluens ac verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen: & inſtabas tu Domine in occultis meis ſeuera miſericordia, flagella ingeminans timoris, & pudoris. Dicebamque intus apud me, ecce modo, ecce modo fiat, hæſitans morti mori, & vitæ viuere: pluſque valeat in me deterius molitum, quam melius inſolitum, punctumque ipſum temporis quo aliud futurus eram, quanto propius admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem,non tamen auertebat, ſed ſuſpendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitas vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant. Dicebat mihi conſuetudo violenta, putaſne ſine iſtis eſſe poteris? Iſta controuerſia in corde meo non niſi de me, aduerſum meipſum. Cap. 11. *Luctꝫ ſpiritus & carnis in Auguſtinum.*

De ruptione conſuetudinis,& recollectione voluntatis, & amoris à multis in vnum.

Cap. LXXV.

IDem in lib. 9. cap. 1. *O Domine, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Quam ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat,iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, tu vera, & ſumma ſuauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior,ſed non carni, & ſanguini, omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior. Pſal. 115.

In ſinu Abrahæ viuit Nebridius,dulcis amicus meus. Iam non ponit aurem ad os meum, ſed os ſpirituale ad fontem tuum, vbi potat ſapientiam tuam: Nec eum ſic arbitror inebriari ex ea,vt obliuiſcatur mei, cum tu Domine quem potat ille,noſtri ſis memor. Cap. 3.

Dulce mihi ſit Domine confiteri tibi, quibus internis me ſtimulis perdomueris, & quomodo me complanaueris humilitatis montibus, & collibus cogitationum mearum, & tortuoſa mea direxeris, & aſpera lenieris. Quas tibi Deus meus voces dedi,cum legerim pſalmos Dauid excludentes turgidum ſpiritum meum, rudis in Cap. 4.

germano amore tuo. Volentes gaudere forinsecus, facile euanescunt, & effunduntur in ea, quæ videntur, & temporalia sunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt. O si fatigentur inedia, & dicant, *quis ostendit nobis bona?* Et dicamus, & audiant: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Psal. 4. Osi viderent in æternum, quod ego, quia gustaueram, frendebam, quoniam eis ostendere non poteram. Ibi vbi mihi iratus eram intus in cubiculo, vbi compunctus eram, vbi & vetustatem meam mactans sacrificaueram: Ibi mihi dulcescere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, & intus agnoscens Nec volebam multiplicari terrenis bonis, deuorans temporalia, & deuoratus temporalibus, cum haberem in æterna fælicitate aliud frumentum, vinum, & oleum. Et exclamabam in sequenti versu alto clamore cordis mei: *O in pace. O in idipsum.* 1. Cor. 15. O qui dixit, *dormiam, & requiescam,* quoniam *quis resistet nobis cum absorpta erit mors in victoria?* Et tu es idipsum, qui non mutaris, & in te requies obliuiscens omnium laborum, quoniam nullus alius tecum, sed neque ad alia multa adipiscenda, quæ non sunt, quod tu, sed *tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Legebam hæc, & ardebam, qui prius latrator amarus fueram aduersus literas tuas, de melle cœli melleas, & de lumine tuo luminosas.

Cap. 8 *Vtilitas ab inimicis plerumque capienda.* Sicut autem amici adulantes peruenerunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi volunt eis retribuis. At tu Domine rector omnium, ad vsus tuos torques fluxum sæculorum, & de alterius animæ insania, sanas alteram.

De colloquio Augustini cum matre super veritatis contemplatione.

Cap. LXXVI.

Cap. 10. *Colloquium cum matre de regno cælorum.* IMpendente die dormitionis matris meæ, ego & ipsa ad fenestram colloquebamur soli valde dulciter, & inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis vitę, qui est apud te, vt inde aspersi pro captu nostro, rem tantam quoquo modo cogitaremus, perambulantesque gradatim cuncta corporalia, adhuc ascēdebamus interius cogitando, & loquendo, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi pascis Israel in æternum veritatis pabulo. Et ibi vera sapientia est, per quam facta sunt omnia, sed ipsa non fit, sed sic est vt fuit, & sic erit semper, quin potius fuisse, & futurum esse non est in ea, sed esse solum, quia æterna est. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attingimus eam modice toto ictu cordis, & suspirauimus: & reliquimus ibi primitias spiritus religatas, & remeauimus ad strepitum oris nostri, vbi verbum incipitur, & finitur. Et quid simile verbo tuo Domine, in se semper manenti sine vetustate, atque innouanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, phantasiæ terrę, aquarum, & aeris sileant, & poli, etiam ipsa sibi anima sileat, & transeat se non (se) cogitando, sileant somnia, & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne signum, & quicquid transeundo fit, si cui sileant omnino, quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia. Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos, qui manet in æternum. His dictis si iam taceant, quoniam erexerunt aures in eum, qui fecit ea, & loquatur ipse solus non per ea, sed per seipsum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, nec per sonitū nubis, nec per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem. Si continuetur hoc, & subtrahebantur aliæ visiones longe imparis generis, & hęc vna rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauimus, Nonne hoc est. *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25

De oratione ipsius & de duplici confessione.

Cap. LXXVII.

IDem *in lib.* 10. *cap.* 1. Cognoscam te cognitor meus sicut & à te cognitus sum, virtus animæ meæ, intra in eam, & coapta eam tibi, vt possideas, sine macula, & ruga. Hæc est spes mea, & in ea spe gaudeo, quando sanum gaudeo. Cætera vero huius vitæ tanto magis flenda sunt, quanto minus fletur in eis. *Ecce veritatem dilexisti,* Confessio cordis. quia qui facit eam venit ad lucem.

Et tibi quidem Domine, quid esset occultum in me, etiam si nollem confiteri tibi? Te enim absconderem mihi, non me tibi. Nunc autem, quod gemitus meus testis est displicere me mihi, tu refulges, & places, & erubescam de me, & abijciam me atque eligam te, vt nec mihi, nec tibi placeam nisi de te. Cum enim malus sum nihil aliud est confiteri tibi quam displicere mihi. Cum vero pius, nihil aliud est confiteri, quàm hoc non tribuere mihi; *quoniam tu domine benedicis iustum,* sed prius eum iustificas impium. Cap. 2. Deo nota ac cæca. Psal. 5.

Quid mihi cum hominibus vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire qui sim, qui à te nolunt audire, qui sint? Et quid est à te audire de se, nisi cognoscere se? Cap. 3.

Quo igitur fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cum audierint quātum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces, & doleat, quod dolendum doces. Animus inquam, non extraneus, scilicet filiorum alienorum, *quorum os locutum est vanitatem, &c.* sed fraternus, scilicet qui cum approbat me, gaudet de me, cum autem improbat me, dolet de me, quia siue improbet me, siue approbet, diligit me. Indicabo me talibus, respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea instituta tua sunt, & dona tua; mala mea, delicta mea sunt, & iudicia tua. Respirent in illis, suspirent in his, hymnusque & fletus ascendant in conspectum tuum de fraternis cordibus thuribulis tuis. Tu autem Domine non deserens cæpta tua, consumma imperfecta mea. Cap. 4. Psal. 143.

De primo gradu contemplationis per creaturas visibiles.

Cap. LXXVIII.

PErcussi *Domine cor meum,* & amaui te, sed & cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt vt amem te. Nec dicere cessant omnibus diebus vt sint inexcusabiles. Quid autem amo cū te amo? Non corporis speciem, non dulcem cantilenam, non aromatum suauitatem, vel aliquid huiusmodi, & tamen amo quandam lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ, quod non capit locus, vbi sonat, quod non rapit tempus, vbi olet, quod non spargit flatus, vbi sapit, quod non minuit edacitas, vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non sum: Et omnia quæ in ea sunt, idem confessa sunt. Interrogaui cœlum, & luminaria eius, & dixi omnibus, quæ circumstant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo, quod vos non estis, dicite mihi de eo aliquid. Et exclamauerunt voce magna, *ipse fecit nos.* Interrogatio mea, intentio mea, responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, & dixi mihi: Tu quis es, & respondi, homo. Et ecce in me præsto sunt, & corpus & anima, vnum exterius, aliud interius, sed melius, quod interius. Renunciant quippe nuncij corporales præsidenti rationi, & iudicanti de responsione cœli, & terræ dicentium: Non *sumus Deus, sed ipse fecit nos. Ego* Psal. 118. Cap. 6. Deus quid sit & quomodi nosci-tur. Psal. 99.

itaque interior homo cognoui hæc per exterioris ministerium id est per sensus corporis mei. Nunquid ergo omnibus quibus integer est sensus apparet hæc species? Cur autem non omnibus eadem loquitur? Animalia quidem pusilla, & magna vident, nec tamen interrogare valent non enim proposita est in eis sensibus nunciantibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare, *vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur*, Sed amore subduntur eis, & subditi iudicare non possunt, nec illa respondent interrogantibus nisi iudicantibus. Et vox quidem eorum id est species eorum omnibus loquitur, sed illi soli intelligunt, qui eam foris acceptam, intus cum veritate conferunt. Dicit enim veritas, *non est Deus cœlum & terra, neque omne corpus*. quia moles est minor in parte, quam in toto. Iam tu melior es, ô anima, quia vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori. Deus autem tuus etiam tibi vita est.

Per ipsam igitur animam meam ad illum ascendam.

De cæteris gradibus per animæ vires.

Cap. LXXIX.

TRansibo vim meam qua corpori hæreo, & vitaliter compagem eius repleo, *quia communis est æquis & mulis.*

Transibo, & illam, quæ carnem meam sensificat, quia & ipsa communis est bestijs, & ecce venio in campos, & lata prætoria memoriæ meæ vbi sunt thesauri innumerabilium imaginum de huiuscemodi rebus sensibus inuectarum, quas, & ipsas abigo à facie recordationis meæ, donec enubiletur quod volo atque in conspectum prodeat ex abditis. Ibi mihi cœlum, & terra præsto sunt, cum omnibus quæ sentire in eis potui, præter illa, quæ oblitus sum. Ibi mihi, & ipse occurro, meque recolo, quid quando & vbi egerim, & quomodo cum agerem affectus fuerim. Ibi sunt omnia, quæ siue experta à me, siue credita. Ex eadem copia etiam similitudines rerum vel expertarum, vel ex eis, quas non expertus sum creditarum, alias atque alias, & ipse contexo prætecitis, & ex his etiam futuras actiones, & euenta, & species, & hæc omnia quasi præsentia meditor.

Hic sunt, & illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt, quasi remota interiore loco, nec eorum imagines, sed res ipsas gero.

Nam cum audio tria genera quæstionum: An sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, & eos per aures cum strepitu transisse, ac non iam esse scio. Res vero ipsas, quæ illis significantur sonis, neque vllo sensu corporis attigi, neque vspiam vidi, præter animum meum, & in memoria mea recondidi non imagines earum, sed ipsas. Quę vnde, & qua ad memoriam meam intrauerint, nescio. Nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognoui, & vera esse approbaui, & commendaui ei tanquã reponens vnde proferrẽ quando vellem.

Quocirca nihil est aliud ea discere, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sicuti sunt sine imaginibus per seipsa intus cernimus, nisi ea, quæ passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animaduertendo curare, vt tanquam ad manum posita in ipsa memoria, vbi sparsa, prius & neglecta latitabant, iã familiari intentioni facile occurrant.

Item continet memoria numerorum dimentionumque rationes, & leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit, quia nec ipsæ coloratæ sunt, nec sonant, nec olent, nec gustatæ, nec contrectatæ sunt.

Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non eo modico quo eas habet animus cũ patitur, sed longe alio, sicut sese habet vis memoriæ. Nam, & lætatum me fuisse, reminiscor, non lætus, & tristitiam meam præteritam recordor non tristis.

Nimirũ memoria quasi venter est animi, lætitia verò atque tristitia, quasi cibus dulcis & amarus, cum memoriæ commendantur, qua traiecta in ventrem recondi illuc possunt, sapere non possunt.

Ecce igitur in memoriæ meæ campis, & antris, & cauernis innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, siue per imagines sicut omnium corporum, siue per præsentiam, sicut artium, siue nescio per quas notiones vel notationes, sicut affectionum, quas & cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit quicquid est in memoria, per hæc omnia discurro atque volito hac illac, penetro etiam quantum possum, & finis nusquam. Tanta est vis memoriæ in homine viuente mortaliter. Transibo igitur ad hanc vim meam, quæ memoria vocatur, per animum meum ascendens ad te, qui desuper mihi manes. Habent enim memoriam pecora, & aues, alioquin non cubilia nidosve repeterent, non alia multa quibus assuescunt, neque enim assuescere valent vllis rebus nisi per memoriam.

Qualiter per memoriam experitur Deus, vel vita beata.

Cap. LXXX.

SEd vbi inueniam te vere bona & secura suauitas? Si præter memoriam te inuenio, tui sum immemor. Et quomodo iam inueniam te, si memor tui non sim? Perdiderat enim mulier drachmam, & quæsiuit eam cum lucerna, & nisi memor esset eius non inuenisset eam. Cum enim esset inuenta, vnde sciret vtrum ipsa esset si immemor eius esset?

Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit cum obliuiscimur, & quærimus, vt recordemur? Vbi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et si aliquid pro alio offeratur, respuimus, donec illud occurrat quod quærimus, & cum occurrerit, dicimus: hoc est: Obliti ergo fueramus, nec totum exciderat, sed ex parte qua tenebatur, pars alia quærebatur, quia sentiebat se memoria non simul voluere, quod simul solebat, & quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi quod deerat, flagitabat.

Quomodo ergo quæro te Domine? Cum enim te quæro, vitam beatam quæro. Et quomodo eam quæro? Vtrum per recordationem tanquam eam oblitus sim, oblitumq; me esse adhuc teneam, an per appetitum discendi incognitam, siue quam nunquam scierim, siue quam sic oblitus fuerim vt me, nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita quam omnes volunt, & omnino qui nolit, nemo est? Vbi ergo nouerunt eam vt amarent? Nimirum habemus eam nescio in qua notitia, de qua satago vtrum in memoria sit, quia si ibi est iam beati fuimus aliquando.

Nunquid si meminimus eam sicut meminit Carthaginem, qui vidit? Non ita. Non enim videtur beata vita oculis, quia non est corpus. Nunquid sicut meminimus numeros? Non. Qui enim hos habet in notitia, non adhuc quærit adipisci. Nunquit sicut meminimus gaudium? Fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristis memini, sicut vitam beatam miser, neque vnquam corporis sensu gaudium meum, vel vidi, vel audiui, sed expertus sum in animo meo. Quoniam igitur gaudium res est, quam se expertum non esse nemo potest dicere, ideo reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

Sed absit Domine, vt si quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium quod non datur impijs, sed eis, qui gratis colunt te, quorum gaudium tu es & ipsa est beata vita gaudere ad te, de te propter te. Qui autem aliud sectantur gaudium, non ipsum verum, ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum non recedit.

Omnes igitur beati esse volunt: sed, *quia caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem*, vt non faciant quod volunt, cadunt in id quod valent, eoque contenti

Cap. 14.
Cap. 17.
Cap. 18.
Luc. 15.
Cap. 19.
Quid sit reminisci.
Cap. 20. Beatitudine appetunt omnes.
Cap. 21.
Cap. 22. Verum gaudium.
Cap. 23. Gal. 5. Beata vita quid & vbi.

Rom. 1.
Cap. 7.
Psal. 31.
Cap. 8.
Memoria vis.
Cap. 9. Memoria disciplinarũ.
Cap. 10. Sensus res tradunt memoria.
Cap. 11. Species verũ in anima.
Cap. 12. Mathematicorum memoria.
Cap. 13. Affectionum memoria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

contenti sunt, quia illud, quod non valent non tantum volunt, quantum sat est vt valeant. Nam beata vita est gaudium de veritate. Hoc gaudium omnes volunt, malunt enim de veritate, quam de falsitate gaudere. Itaque multos expertus sum, qui fallere vellent, qui autem falli, neminem. Amant igitur omnes veritatem, nec amarent, nisi aliqua notitia eius esset in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudẽt? cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in alijs, quæ potius eos miseros faciunt, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt. *Adhuc enim modicum lumen est in hominibus, ambulent,* ambulent, *ne tenebræ eos comprehendam.* *Ioan.* 12.

Quod vita beata est gaudium de veritate sola.

Cap. LXXXI.

Cur veritas odiũ pariat.

CVr autem veritas parit odium, & inimicus eius factus est homo tuus prædicans veritatem, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate, nisi quia sic amatur veritas, vt quicunque aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem, & quia falli nolent, nolunt conuinci, quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant, amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem, quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum se ipsa indicat, & oderunt eam cum eos ipsos indicat. Inde retribuit eis, vt qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes ipsa manifestet, & eis propterea non sit manifesta. Sic animus humanus languidus, & cæcus, turpis & indecens latere vult, se autem vt lateat aliquid non vult, econtra illi redditur, vt & ipse non lateat veritatem, & ipsum lateat veritas. Tamen etiam sic dum miser est, veris mauult gaudere, quam falsis. Beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit.

Cap. 26. *Vbi inuenitur Deus.*

Vbi ergo veritas te inueni, vt discerem te? Neque enim iam eras in memoria mea priusquam te discerem. Vbi ergo inueni, vt discerem te, nisi in te, supra me? Et nusquam locus, & recedimus, & accedimus, & nusquam locus. Veritas vbique præsides, omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diuersa consulentibus, liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes vnde volunt consulunt, sed non semper quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur, hoc à te a dire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.

Cap 27. *Quomodo rapiat hominem Deus.*

Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, & ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram, ea me tenebant longe à te quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, & splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Flagrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

Cap. 28.

Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi labor & dolor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples subleuas eum, quia tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mæroribus, & ex qua parta stet victoria, nescio.

De tentationibus huius vitæ & primo de concupiscentia carnis.

Cap. LXXXII.

Miseria huius vita. Iob. 7.

HEu mihi Domine, miserere mei, ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum, tu misericors es, miser sum. *Nunquid non tentatio vita est humana super terram?* Quis velit molestias, & difficultates pati? Tolerare iubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat, amat, etiamsi tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult non esse, quod toleret. Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo. Quis inter hęc medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? Væ prosperitatibus sæculi, semel & iterũ à timore aduersitatis, & corruptione lætitiæ. Vę aduersitatibus sæculi, semel & iterum & tertio, à desiderio prosperitatis. Et quia ipsa aduersitas dura est, & ne frangat tolerantiam, *nunquid non tentatio est vita humana super terram,* sine vllo interstitio.

Cap. 29. *In Deo spes.*

Et tota spes mea, non nisi in magna misericordia tua. *Da quod iubes, & iube quod vis.* Imperas nobis continentiam. Et cum scirem (ait quidam) quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur, & redigimur in vnũ à quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Charitas Deus meus, accende me.

Cap. 30. *Somniorum ludibria.*

Iubes certe vt contineam à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, & ambitione sæculi. Iussisti à concubitu, & quia dedisti factum est. Sed adhuc viuunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, & occurśant mihi vigilanti quidem carentes viribus. In somnis autem non solum vsque ad delectationem, sed etiam vsque ad consensionem, factumque simillimum, falsa visa persuadent, quod vera vigilanti non possunt simillimum. Et vbi est tunc ratio quæ talibus suggestionibus resistit vigilans? Sæpe etiam in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissime permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, vt cũ aliter accidit, euigilantes ad conscientiæ requiem redeamus, ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquomodo factum esse doleamus. Augebis Domine magis magisque in me munera tua, vt anima mea sequatur me ad te concupiscentiæ visco expedita, vt non sit rebellis sibi, atque in somnis non solum perpetret tales corruptelas per imagines animales vsque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Exulto igitur cum tremore in eo, quod donasti mihi, lugens in eo, quod inconsummatus sum, sperans perfecturum te in me misericordias tuas vsque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora, & exteriora mea, *cum absorpta fuerit mors.* *1. Cor.* 15.

De Gulæ voluptatibus.

Cap. LXXXIII.

Cap. 31. *Gulæ tẽtatio.*

EST & alia malitia diei, quæ vtinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escas & ventrem destruas, cum occideris indigentiam saturitate mirifica, *& corruptibile boc indueris incorruptione sempiterna.* *1. Cor.* 6. Hoc autem me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod causa salutis me facere vel dico vel volo: nec idem modus vtriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an, voluptuaria cupiditatis fallacia, ministerium suppetat. Ad hoc incertum infælix hilarescit anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non appetere, quod satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obrumpet negocium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & ad te refero æstus meos, quia consilium

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mihi de hac re nondum ſtat. Audiam vocem iubentis
Luc 21. Domini mei, *non grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Ebrietas longe eſt à me, miſereberis ne appropinquet mihi. Crapula nonnunquam ſurrepit ſeruo tuo, miſereberis vt longe fiat à me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des. Audiui Apoſtolū dicentē:
Philip. 4. *Omnia poſſū in eo, qui me confortat.* Cōforta me Domine vt poſſim, *da quod iubes, iube quod vis.* Iſte ſe accepiſſe cōfitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. Audiui aliū rogantē vt accipiat: *Auſer à me*, inquit, *ventris cōcupiſcentias.* Vnde apparet Sancte Deus meus te dare, cum fit quod imperas fieri. Docuiſti me Pater bone, *Omnia munda mundis.* ſed malum eſſe homini, qui per offenſionem manducat, & omnem creaturam tuam bonam eſſe. nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, & qui manducat, non manducantem non iudicet, & qui non manducat manducantem non ſpernat. Didici hæc, gratias tibi Deo meo, magiſtro meo, pulſatori aurium mearum, illuſtratori cordis mei. Quotidie certo contra concupiſcentiam edendi, & bibendi, non enim eſt, quod ſemel præcidere, & vltra non attingere decernam, ſicut de concubitu potui. Itaque fræni gutturis temperata relaxatione, & conſtrictione tenendi ſunt. Quis autem eſt Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnifices nomen tuum. Ego autem non ſum, quia homo peccator ſum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis, qui vicit ſęculum, numerans me inter infirma membra corporis ſui, quia
Pſal. 138. *imperfectum eius viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.*

De illecebris odoratus & auditus.

Cap. LXXXIV.

Cap. 32. DE illecebra odorum non nimis ſatago, cum abſunt non requiro, cum adſunt non reſpuo: paratus eis etiam ſemper carere. Ita mihi videor, forſitan fallor.
Nihil ſecurum eſt in hac vita. Sunt enim iſtæ plangendæ tenebræ in quibus me latet facultas mea, quæ in me eſt, vt animus meus de viribus ſuis ipſe ſe interrogans, non facile ſibi credendum exiſtimet, quia & quod ineſt, plerunque occultum eſt, niſi experientia manifeſtetur. Et nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio eſt. Vt qui fieri potuit ex deteriori melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna ſpes, vna fiducia, vna firma promiſſio miſericordia tua, voluptates aurium me tenacius implicauerant, & ſubiuganerant, ſed reſoluiſti, & liberaſti me.

Cap. 33. Nunc in ſonis quos animant eloquia tua, cum ſuaui voce cantantur & artificioſa fateor aliquantulum acquieſco, non quidem vt hæream, ſed vt ſurgam cum volo. Attamen cum ipſis ſententijs quibus vtuunt, vt admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus eis mihi videor tribuere honoris quam decet, dum ipſis dictis ſanctis religioſius, & ardentius ſentio moueri animos noſtros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam ſi non ita cantarentur & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſuaui diuerſitate habere proprios modos in voce, & cantu, quorum neſcio qua familiaritate occulta excitatur. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem eneruandam dari non oportet, ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur vt patienter ſit poſterior, ſed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio: Aliquando autem hanc fallaciam immoderatius cauens, erro nimia ſeueritate, vt melos omne cantilenarum ſuauium, quibus Dauidicum pſalterium frequentatur, ab auribus meis velim remoueri, & ipſius eccleſiæ tutiuſque videtur mihi, quod de Alexandrino epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum eſt, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor canendi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium animus infirmus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res quæ cantatur moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce vbi ſum, flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiſcum intus agitis, vnde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc mouent. Tu autem Domine miſerere, & ſana me, in cuius oculis mihi quęſtio factus ſum, & ipſe eſt languor meus.

De oculorum voluptate.

Cap. LXXXV.

Cap. 34. REſtat voluptas oculorum carnis meæ. Pulchras formas & varias, virides & amœnos colores amant oculi. Nec teneant hæc animam meam, teneat eam
Gen. 1. Deus meus, *qui hæc fecit bona valde.* Sed ipſe eſt bonum meum, non hæc. Ipſa Regina colorum lux illa omnia perfundens, inſinuat ſe ita vehementer, vt ſi repentè ſubtrahatur cum deſiderio requiratur, & ſi diu
Tob. 4. abſit, contriſtat animum. O lux quam videbat Tobias cum clauſis oculis iſtis docebat filium viam vitæ. Vna eſt, & alia non eſt, & vnum omnes qui vident & amant eam. At iſta corporalis, illecebroſa & periculoſa dulcedine condit vitam cæcis amatoribus. Qui autem, & de ipſa laudare te volunt Deus creator omnium aſſumunt eam in hymno tuo, non abſumuntur ab ea in ſomno ſuo. Sic eſſe cupio, reſiſto ſeductionibus oculorum, nec implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuiſibiles oculos, vt euellas de laqueo pedes meos. Tu ſubinde euellis eos, nam illaqueantur. Tu non ceſſas euellere, ego autem crebro inhæreo vbique ſparſis inſidijs, *quia neque dormies neque*
Pſal. 120. *dormitabis, qui cuſtodis Iſrael.* Quam innumerabilia varijs artibus, & opificijs in veſtibus, calciamentis, vaſis, & huiuſcemodi fabricationibus, picturis etiam diuerſiſque figmentis, atque his vſum neceſſarium atque moderatum, & piam ſignificationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras ſequentes, quod faciunt, intus relinquentes à quo facti ſunt, & exterminantes quod facti ſunt. At ego Domine Deus meus, & decus meum, etiam hinc dico tibi hymnum, & ſacrifico laudem ſanctificatori meo, quoniam pulchra traiecta per animas in manus artificioſas ab illa pulchritudine veniunt, quæ eſt ſuper animas cui ſuſpirat anima mea die ac nocte. Sed pulchritudinum exteriorum operatores, & ſectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt vtendi modum, & ibi eſt, & non vident eum, vt non eant longius, & fortitudinem ſuam ad te cuſtodiant, nec eam ſpargant in delicioſas laſſitudines. Ego autem hæc loquens & diſcernens, etiam in illis pulchris greſſum inPſal. 25. necto, ſed tu euellis Domine, *quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt.* Nam ego capior miſerabiliter, & tu euellis miſericorditer, aliquando non ſentientem, quia ſuſpenſius incideram, aliquando cum dolore quia iam inhæſeram.

De Curioſitate

Cap. LXXXVI.

Cap. 35. Curioſitas cognoſcendi. HVnc accedit alia forma tentationis multipliciter periculoſa. Præter carnis concupiſcentiam, quæ eſt in delectatione omnium ſenſuum, ineſt animæ per eoſdem corporis ſenſus quædā ſe non oblectandi in carne, ſed experiendi per carnem vana, & curioſa cupiditas, nomine cognitionis, & ſcientiæ palliata, quæ (quia in appetitu nocendi eſt, oculi autem ſunt ad noſcendum in ſenſibus principes) *concupiſcentia oculorum*
1. Ioan. 2.

eloquio Dominico appellatur. Ex hoc autem euidentius diſcernitur, quid voluptatis, quid curioſitatis agatur per ſenſus, quod voluptas pulchra, canora, ſuauia, ſapida, & lenia ſectatur. Curioſitas autem etiam his contraria cauſa tentandi, non ad ſubeundum moleſtiam, ſed experiendi nocendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadauere quod exhorreas, & tamen ſicubi iacet occurrunt, vt contriſtentur, vt palleant. Timent etiam ne in ſomnis hoc videant, quaſi quiſquam eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis fama vlla perſuaſerit. Ita & in cæteris ſenſibus, quæ perſequi longum eſt. Ex hoc morbo cupiditatis in ſpectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perſcrutanda occulta naturæ, quæ præter nos eſt operata, proceditur, quæ ſcire nihil prodeſt, & nihil aliud, quam ſcire homines cupiunt. Hinc etiam ſi quid eodem peruerſæ ſcientiæ fine per magicas artes quæritur. Hinc etiam in ipſa religione Deus tentatur, cum ſigna & prodigia multa flagitantur, non ad aliquam ſalutem, ſed ad ſolam experientiam deſiderata. Sane me iam theatra non rapiunt, nec curo noſſe tranſitus ſyderum. Veruntamen in quammultis minutis rebus curioſitas noſtra quotidie labatur, quis enumeret? Quoties narrantes inania, primo quaſi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter aduertimus. Canem currentem poſt leporem iam non ſpecto cum in circo ſit. At vero in agro ſi caſu tranſeam auertit me fortaſſis ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe conuertit illa venatio non deuiare cogens corpore iumenti, ſed cordis inclinatione. Et niſi iam mihi demonſtrata infirmitate mea, cito admoneas, aut ex ipſa viſione per aliquam conſiderationem in te aſſurgere, aut totum contemnere aut tranſire, vanus hebeſco. Quid cum me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit? Nam quia parua ſunt animalia, ideo non res eadem agitur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem omnium rerum, ſed non inde intentus eſſe incipio. Aliud eſt cito ſurgere, aliud non cadere. Cumque in huiuſmodi rerum conceptaculum ſit cor noſtrum, & portet copioſæ vanitatis cateruas, hinc & orationes noſtræ ſæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conſpectum tuum dum ad aures tuas, voce cordis intendimus, neſcio vnde irruentibus nugatorijs cogitationibus res tanta præciditur.

De vano appetitu fauoris, & laudis.

Cap. LXXXVII.

Cap. 36. vitium ſuperbia.

NVnquid Domine, qui ſolus ſine typho dominaris, quia tu ſolus verus Dominus es, qui non habes Dominum, nunquid hoc tentationis genus ceſſabit à me, in hac vita timeri & amari velle ab hominibus, non propter aliud, ſed vt inde ſit gaudium, quod non eſt gaudium: Miſera vita eſt, & feda iactantia. Hinc fit vel maxime non amare te, nec caſte timere te, *ideoque ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam.* Nobis quia propter quædam humanæ ſocietatis officia neceſſarium eſt, amari & timeri ab hominibus, inſtat aduerſarius veræ beatitudinis noſtræ, vbique ſpargens in laqueis, *euge euge*, vt dum auide colligimus, incaute capiamur, & à veritate tua gaudium noſtrum deponentes, in hominum fallacia ponamus, & libeat nos amari, & timeri, non propter te, ſed pro te, peruerſa via atque diſtorta imitari te. Cæterum, qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem *non laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*, laudatur homo propter aliquod donum, quod dediſti ei. At ille plus gaudet ſibi laudari ſe, quam ipſum donum habere vnde laudatur etiam iſte te vituperante laudatur. Et melior iam ille, qui laudauit, quam ille, qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic autem magis placuit donum hominis, quam Dei.

Iacob. 4.

Pſal. 9.

Tentamur ſic Domine quotidie. Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua. Eſt enim qualiſcumque in alijs tentationum generibus mihi facultas explorandi me in hoc pene nulla eſt, Nam, & à voluptatibus carnis, & à curioſitate ſuperuacua cognoſcendi, video quantum aſſecutus ſim poſſe refrenare animum meum, cum eis rebus careo, vel voluntate, vel cum abſunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minuſve mihi moleſtum ſit non habere, laude vero vt careamus, atque in eo experiamur, quid poſſumus? Nunquid male viuendum eſt, & tam perdite atque inaniter, vt nemo nos nouerit, qui non deteſtetur? Quæ maior dementia dici poteſt? At ſi bonæ vitæ, & bonorum operum comes, & ſolet & debet eſſe laudatio, tam comitatum eius, quam ipſam bonã vitã deſeri non oportet, non autẽ ſenſio ſine quo eſſet aut æquo animo, aut ægre poſſim, niſi cum affuerit.

Cap. 37. Laudes & vituperatio mouent.

Adhuc de appetitu laudis.

Cap. LXXXVIII.

ECce in te veritas video, non me laudibus meis propter me, ſed propter proximi vtilitatem moueri oportere, & vtrũ ita ſit neſcio. Obſecro te Deus meus, & meipſum mihi indica, vt cõfitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me ſaucium reperero. Interim me diligentius interrogem, ſi vtilitate proximi moueor in laudibus meis, cur minus moueor, ſi quiſquam alius iniuſte vituperetur quam ſi ego, cum vtraque contumelia eadem iniquitate coram me iacitur? An & hoc neſcio: Etiamne id reſtat, vt non faciam veritatem coram te in corde meo, & in lingua mea, & ſeducam meipſum: Inſaniam hãc Domine longe fac à me, ne oleum peccatoris mihi ſit os meum, ad impinguandum caput meum. Egenus, & pauper ego ſum, & melior in occulto gemitu diſplicens mihi, & quærens miſericordiam tuam donec reficiatur defectus meus, & perficiatur vſque in pacem, quam neſcit arrogantis oculus.

Pſal. 140.

Pſal. 108.

Sermo autem ore procedens, & facta quæ innoteſcunt hominibus, habent tentationem periculoſiſſimam ab amore laudis, qui ad priuatam quandam excellentiam contrahere emendicata ſuffragia tentat, & cum à me in me arguitur, eo ipſo quo arguitur. Et ſæpe homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur. Ideo non iam de ipſo contemptu vanæ gloriæ gloriatur, non enim eam contemnit cum gloriatur intus.

Cap 38. Et virtuti periculum à vana gloria.

Etiam intus eſt aliud in eodem genere tentationis malum, quo inaneſcunt qui ſibi placent de ſe, quamuis alijs vel placeant vel diſpliceant, nec placere affectant cæteris, ſed ſibi placentes multum tibi diſplicent, non tantum de non bonis, quaſi bonis, ſed etiam de bonis tuis, quaſi ſuis, aut etiam ſicut de tuis, ſed tanquam ex meritis ſuis, aut etiam ſicut ex tua gratia, non tam ſaucialiter gaudentes, ſed alijs inuidentes ea. In his omnibus periculis vulnera mea Domine magis ſubinde à te ſanari, quam mihi non infligi ſentio.

Cap 39.

De contemplatione veræ lucis, & beneficio incarnationis.

Cap. LXXXIX.

TV es lux permanens, quam de omnibus conſulebam, an eſſent, quid eſſent, quanti pendenda eſſent. Et audiebam dicentem ac iubentem. Et ſæpe illud facio. Hoc me delectat, & ab actionibus neceſſitatis quantum relaxari poſſum ad iſtam voluptatem refugio. Nec in his omnibus quæ percurro conſulens te inuenio tutum animæ meæ locum niſi in te, quo colligantur ſparſa mea, nec à te quicquam recedat ex me, & aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus, ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi

Cap. 40.

perficiatur

perficiatur in me, neſcio quid erit quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc erumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multum fleo, ſed multum teneor. Tantum conſuetudinis ſarcina degrauat. Hic eſſe valeo, nec volo, illic volo, nec valeo, miſer vtrobique.

Cap 41. Ideoque conſideraui languores peccatorum meorum in cupiditate triplici, & dexteram tuam inuocaui ad ſalutem meam. Vidi enim ſplendorem tuum corde ſaucio, & repercuſſus dixi: Quis illuc poteſt? *Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.* Tu es veritas ſuper omnia præſidens. At ego per auaritiam meam non amittere te volui, ſed volui tecum poſſidere mendacium: ſicut nemo vult ita falſum dicere, vt neſciat ipſe, quid verum ſit. Itaque amiſi te, quia non dignaris cum mendacio poſſideri.

Pſal. 30.

Cap. 42. Chriſtus interceſſor eſt mediator efficax. Quem ergo inuenirem, qui me reconciliaret tibi? Mediator inter te, & homines oportuit vt aliquid haberet ſimile tibi, aliquid ſimile hominibus, ne in vtroque ſimilis hominibus longe eſſet à Deo, aut in vtroque ſimilis Deo longe eſſet ab hominibus, atque ita mediator non eſſet.

Cap. 43. Hic eſt, quem ſecreta tua miſericordia demonſtraſti humilibus, & miſiſti vt eius exemplo etiam ipſam diſcerent humilitatem. Hic inter mortales peccatores, & mortalis, & iuſtus apparuit, mortalis cum hominibus, & iuſtus cum Deo. Vt quia ſtipendium iuſtitiæ vita eſt & pax, per iuſtitiam coniunctam Deo euacuaret mortem iuſtificatorum impiorum, quam cum illis voluit haberi communem. Hic demonſtratus eſt antiquis ſanctis, vt ipſi ita per fidem futuræ paſſionis eius, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalui fierent. Quomodo nos amaſti pater bone, qui filio tuo vnico non pepercifti, ſed pro nobis impijs tradidiſti eum? pro nobis tibi factus eſt victor, & victima, & ideo victor, quia victima: pro nobis tibi ſacerdos, & ſacrificium: & ideo ſacerdos, quia ſacrificium, faciens tibi nos de ſeruis filios, de te naſcendo, nobis ſeruiendo? Merito mihi ſpes valida in iſto eſt, quia ſanabis omnes meos languores, *per eum qui ſedet ad dexteram tuam*, & te pro nobis interpellat, alioquin deſperarem. Multi enim, & magni ſunt ijdem languores, ſed amplior eſt tua medicina. Potuimus putare, quod verbum tuum remotum eſſet à coniunctione hominis, & deſperare de nobis, *niſi caro fieret, & habitaret in nobis.* Iſte tuus vnicus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, redemit me ſanguine ſuo. *Non calumnientur mihi ſuperbi*, quoniam cogito precium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio ſaturari ex eo inter eos *qui edunt & ſaturantur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

Rom. 8.

Pſal. 102.

Ioan. 1.

Coloſſ. 2. Pſal. 118.

Pſal. 21. Ex libro de moribus Eccleſiæ cap. 3.

Quod ad beatitudinem via ſit amor ordinatus.

CAP. XC.

Quis beatus dicendus quis vero non. OMnes beate viuere volumus. Beatus autem neque ille eſt, qui non habet quod amat, qualecumque ſit: neque qui habet, quod amat, ſi noxium ſit, neque qui non amat, quod amandum eſt, cum ſit optimum. Nam, & qui appetit quod adipiſci non poteſt, cruciatur: & qui adeptus eſt, quod adipiſcendum non eſſet, fallitur: & qui non appetit, quod adipiſcendum eſſet, ægrotat. Reſtat ergo quartum vbi beata vita inueniri queat, cum id quod eſt hominis optimum, & amatur, & habetur. Quid eſt ergo hominis optimum? Tale debet eſſe, quod non amittat inuitus. Virtus certe, animam facit optimam, & proculdubio aliquid anima ſequitur, vt virtutem aſſequatur. Hoc ergo erit aut ipſa anima, aut virtus, aut aliud quid. At ſi ſeipſam, ſtultum quid ſequitur, ſtulta eſt enim ante adeptam virtutem, & ſi ſequitur ſtultam, eandem ſtultitiam quam vitat, aſſequitur. Si autem virtutem, quomodo ſequitur id, quod non eſt, aut quomodo aſſequi cupit, quod habet: aut igitur virtus eſt præter animam, aut aliquid aliud ſequitur anima, quo virtutis, & ſapientiæ compos ſit: hoc autem aut homo ſapiens erit, aut Deus. Sed iam dictum eſt tale quid eſſe debere, quod inuiti nequeamus amittere. Quis verò dubitet hominem ſapientem, ſi eum ſequi ſatis putauerimus, auferri nobis poſſe? Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur, bene, ſi autem aſſequimur, beate viuimus?

Cap 5 & 6

Virtus facit animam optimam.

Difficulter mens aſſequimur Deum. Sed quomodo ſequimur, quod non videmus? Aut quomodo videmus, qui inſipientes ſumus? Quæ enim mens cum ſtultitiæ nube obtegatur, illam lucem valeat vel etiam conetur haurire: Hactenus potuit ratio perduci. Verſabatur enim non veritate certior, ſed conſuetudine ſecurior in rebus humanis. At vbi ad diuina peruentum eſt, auertit ſe, non poteſt intueri, palpitat, æſtuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis ad familiaritatem tenebrarum ſuarum, non electione, ſed fatigatione conuertitur. Quàm hic formidandum, ne maiorem hinc concipiat anima imbecillitatem, niſi quietem feſſa conquirit. Ergo refugere in tenebroſa cupientibus diuina diſpenſatione, nobis iſta auctoritatis opacitas occurrat, & mirabilibus rerum vocibuſque librorum velut ſignis, temperatorijs veritatis vmbriſque blandiatur. Itaque veræ religionis fide præceptis ſeruatis, non deſeramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum ſegregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præſagio, & ſuſcepti hominis Sacramento, & Apoſtolorum teſtimonio, & ſanguine Martyrum, & gentium occupatione muniuit: noſtraſque ratiunculas diuinis ſubmittamus affatibus.

Cap. 7. Deus authoritate ſcripturarum inueſtigandus.

Captiuemus intellectum, & audiamus Deum deducentem nos per ſemitas veritatis.

Cap. 8. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis Chriſte præſcribas, nec dubium quin is ſit finis, quò nos ſummo amore tendere iubes. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum ſicut teipſum &c.* Vellem videre, quid poſſet eſſe amplius. Quid ad hæc Paulus? *Scimus*, inquit, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Dicat etiam dilectionis modum: *Quis nos*, inquit, *ſeparabit à charitate Chriſti, tribulationes, an angustiæ, &cet.* Dilectio igitur in Deum redit, qua ſe illi homo non componere, ſed ſupponere affectat: quod quanto fecerit inſtantius, tanto erit beatior, & ſublimior, & illo dominante, liberi erimus, fietque per charitatem, *vt conformemur Deo*, & circumciſi ab hoc mundo, non confundamur cum his, quæ nobis debent eſſe ſubiecta.

Matth. 22.

Rom. 8.

Omnia tendere debent ad dilectionem Dei.

Cap. 15.

Quòd virtus nihil aliud ſit quam amor Dei ſummus.

CAP. XCI.

Virtus quid niſi ſummus amor Dei? DEnique ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil virtutem eſſe affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei. Nam & illud, quod virtus quadripartita dicitur, ex ipſius amoris vario quodam effectu dicitur.

Quadripartita virtus. Eſt enim temperantia amor integrum ſe præbens ei, quod amatur. Fortitudo eſt amor facile tolerans omnia propter id, quod amatur. Iuſtitia amor ſoli amato ſeruiens, & ideo recte dominans. Prudentia amor, ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur ſagaciter eligens. Sed hunc amorem non cuiuſlibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt, ſummæ ſapientiæ, ſummæ concordiæ. Eſt enim charitas ſimplex & pura, quæ Spiritu ſancto inſpirata perducit ad filium, per quem pater cognoſcitur.

Officium Temperãtiæ. Cap. 19. Omne igitur officium temperantiæ eſt exuere veterem hominem, & in Deo reuocari, id eſt, contemnere illecebras omnes corporeas, laudemque popularem, totumque amorem ad diuina conferre, ne ſubijciat ſe homo per peccata his rebus, quæ ſibi per recte facta diuina lege ſubiecta ſunt. Quid eſt enim aliud falſis bonis illudi atque decipi, quàm teipſo inferiora miranda, & appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in his rebus mortalibus vitæ regulam, vtroque teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt, vſurpet, vtentis modeſtia, non amantis affectu.

Vſus temperatus verum creatarum. De fortitudine autem non multa dicenda ſunt, amor namque ille, de quo loquimur, quem tota ſanctitate

Cap. 22.

Quis vere fortis.

inflammatum oportet esse in Deum, in non appetendis istis, temperans in amittendis, fortis vocatur. Sed inter hæc omnia, quæ in hac vita possidentur, corpus grauissimum vinculum est, iustissimis Dei legibus propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur laboris, & doloris, ne autem auferatur atque perimatur mortis terrore, animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo bene atque scienter vtatur, resurrectionem reformationemque, eius operè, & lege diuina, sine vlla molestia iuri suo subditam fore. Sed cum hoc amore totum in Deum conuerterit, his cognitis, non solum

Amor vincit omnia.

mortem contemnet, sed etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictio, nihil tamen est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur, quocum se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabat pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor

Cap. 23.

castus innititur. Ad exemplum autem nobis considerandum est: Amatores auri vel laudis vel fœminarum, quàm fortes sunt in perferendo pro eo quod diligunt, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vocetur: in quibus apparet quantus sit impetus animi, ad ea quæ diligit cursu flexo per inania quæque tendentis. Argumentoque nobis est, quàm sint omnia perferenda ne deseramus Deum, si tanta illi, ne deserant amata, perferant. Merito commemorandus est sanctus Iob, in cuius vocibus satis elucet, quanti pendenda sint ista, quæ eum volunt homines per dominationem tenere, & ab his potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium serui fiunt dum imperite Domini esse desiderant. Amissis

Fortitudo animi consideratur in Iob.

enim ille omnibus repente diuitijs, tam inconcussum animum tenuit, & infixum Deo, vt satis non illas sibi magnas fuisse ostenderet, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines non magnopere in nouo testamento ab illorum possessione prohiberemur vt perfecti essemus. Multo enim mirabilius est non inhærere istis quamuis possideas: quàm ea omnino non possidere.

Iustitia munus.

Iustitiæ verò congruit, vt Deo quem diligit libentissime seruiat, cæteraque omnia partim sibi subiecta regat, partim subijcienda præsumat.

Nec de prudentia diutius differendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum & vitandorum; quæ si desit, nihil horum, quæ dicta sunt effici potest. Huius excubiarum vigilia est ne surrepente paulatim

Eccles. 19.

mala suasione fallamur. *Qui enim spernit modica paulatim deficit.*

De bipartita dilectione.

CAP. XCII.

Cap. 25.

QVid amplius de moribus disputem? Si Deus est summum bonũ hominis, nihil aliud est hominĩ bene viuere, *quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere*, à quo existit, vt incorruptus in eo amor custodiatur,

Matth. 22.

quod est temperantiæ: nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis: nullis alijs seruiat, quod est iustitiæ: vigilet in discernendis rebus ne fallacia surrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis vna perfectio, qua sola impetratur, vt veritate perfruatur; hoc nobis vtroque testamento conijcitur. Non potest autem seipsum

Hominis perfectio in quo posita?

non diligere, qui Deum diligit, imo ille solus se diligit, qui Deum diligit; quia sedule agit, vt summo bono perfruatur. Quod autem agis tecum, agendum est cum

Cap. 26.

Dilectio proximi.

proximo, scilicet vt ad id bonum, ad quod ipse tendis, eum adducas. Illud enim est vnum bonum, quod omnibus tecum tendentibus, non sit angustum. Ex qua scilicet dilectione proximi, nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Duobus enim modis peccatur in homine, vno, si lædatur, alio, si cum

Cap. 27.

potest non adiuuetur. Cumque homo sit anima rationalis mortali vtens corpore; partim corpori, partim animæ benefacit qui proximum diligit. Ad corpus pertinet medicina, ad animam disciplina. Medicinam voco, quicquid corporis instaurat vel tuetur salutem, vt est cibus, potus, regimen, & tectum, & huiusmodi. Disciplina verò illa, quæ animi medicina est, in duo distribuitur, scilicet cohibitionem, & instructionem. Cohibitio, timore, instructio, amore perficitur, eius dico cui per disciplinam subuenitur. Nam qui subuenit nihil horum habet nisi amare. In his duobus testamentis Dominus disciplinæ nobis regulam dedit. In veteri enim timor præualet, in nouo amor: quod ibi seruitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur.

Quibus modis diligitur proximus.

Merito igitur ô ecclesia catholica non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita beata est, pure colendum prædicas, cui soli anima rationalis cohærendo, non misera est, secludens omne quod factum est, quod subditum tempori, neque confundens, quod æternitas, quod veritas, quod pax distinguit, neque separans, quod maiestas vna coniungit, sed etiam proximi charitatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.

Cap. 30. Apostrophe ad ecclesiam totius sapientia magistram.

De rebus fruendis, & vtendis, & diligendis.

CAP. XCIII.

Rerũ diuisio 1 sen. dist. 1. c. Id ergo.

IDem *in libro primo de doctrina Christiana cap.* 3. Res quibus fruendum est, nos beatos faciunt: istis quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur, vt ad illas quæ beatos nos faciunt peruenire, & eis inhærere possimus. Nos verò qui fruimur & vtimur, inter vtrasque constituti, si eis quibus vtendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, vt ab his rebus quibus fruendum est obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur, inferiorum amore præpediti.

Cap. 4. Frui & vti

Frui enim est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Vti verò quod in vsum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est: nam vsus illicitus, abusus potius nominandus est.

Cap. 13.

Sicut cum loquimur, vt id quod in animo gerimus, in animum audientis per aures carneas illabatur, fit sonus, verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur: non tamen in eum sonum cogitatio nostra conuertitur, sed apud se manens integra, formam vocis, qua se insinuat auribus sine aliqua labe suæ mutationis assumit: ita verbum Dei non communicatum, caro tamen factum est, vt habitaret in nobis.

Verbũ quomodo factũ caro.

Cap. 14.

Sicut autem qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, vt calidum frigido, humidum sicco, quædam vero similia, vt linteolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongo oblongum, sic sapientia Dei hominem curans seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, & ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus erat, humilitatem exhibuit ad sanandum. Serpentis astutia, vel sapientia decepti sumus, per Dei clementiam liberati sumus. Nos immortalitate male vsi sumus, Christus mortalitate bene vsus est, vt viueremus. Corrupto animo fœminæ ingressus est morbus, integro animo fœminæ processit salus. Similia verò quasi ligamenta vulneribus nostris adhibita hæc sunt, quòd per fœminam deceptus, per fœminã natus, homo homines, mortalis mortales liberauit.

Deus hominem quomodo sanauit.

Cap. 22. Matth. 22.

Hæc autem regula dilectionis diuinitus cõstituta est: *Diliges Deum tuũ ex toto corde tuo &c.* vt omnes cogitationes tuas, & omnẽ vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers. Nullam enim partem reliquit vitæ nostræ, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim diligens eum tanquam seipsum, totam dilectionem sui &

Solo Deo fruendum.

illius,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

illius, refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a ſe riuum extra patitur duci.

Cap. 23. Quid ſit diligendum S. ſen. diſ 27. cap. Sed quia hæc & cap. Hic poteſt.

Non autem omnia quibus vtendum eſt diligenda ſunt, ſed illa ſola, quæ aut nobiſcum quadam ſocietate referuntur in Deum: ſicut eſt homo, vel Angelus, aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, ſicut eſt corpus. Nam vtique martyres non dilexerunt ſcelus perſequentium ſe, quo tamen vſi ſunt ad promerendum Deum. Cum ergo quatuor ſint diligenda: vnum quod ſupra nos eſt: alterum quod nos ſumus, alterum quod iuxta nos eſt, alterum quod infra. De ſecundo, & quarto nulla præcepta danda erant; quantumlibet enim excidat homo à veritate, remanet illi dilectio ſui, & corporis ſui. Fugax quippe animus ab incommutabili lumine omnium regeneratore, id agit vt ſibiipſi regnet, & corpori ſuo. Magnum vero aliquid adeptum ſe putat, ſi etiam ſocijs id eſt alijs hominibus dominari potuerit, quod affectare eſt intollerabilis omnino ſuperbia, & ſibi tanquam debitum vendicare, quod Dei eſt proprium.

Cap 24.

Quando autem nonnulli dicunt male ſe eſſe ſine corpore, omnino falluntur, non enim corpus ſuum, ſed pondus eius, & corruptiones oderunt, non enim nullum corpus, ſed incorruptum & celerrimum corpus habere volunt.

Cap. 26.

Quia ergo præcepto opus non erat, vt ſe quiſque & corpus ſuum diligat, hæc enim inconcuſſa lege naturæ diligimus, quæ etiam in beſtijs promulgata eſt, reſtabat vt de illo quod ſupra nos eſt, & de illo quod iuxta præcepta ſumeremus. Vnde, *diliges*, inquit, *Dominum ex toto corde &c. & proximum tuum ſicut teipſum.* Vbi ſi totum intelligas id eſt animam, & corpus proximi nullum rerum diligendarum genus in his duobus mandatis prætermiſſum eſt. Cum enim præcurrat dilectio Dei, & eius modus præſcriptus appareat, ita vt cætera in illū confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cum dictum eſt, *& proximum tuum ſicut teipſum*, ſimul & tui abs te dilectio non prætermiſſa eſt.

De Deo diligendo, proximo, & ſeipſo.

De ordine dilectionis.

Cap. XCIIII.

Cap. 27.

Ille iuſte & ſancte viuit, qui rerum integer æſtimator eſt. Ipſe autem eſt qui ordinatam habet dilectionē, ne aut diligat non diligendum: aut non diligat quod diligendum eſt: aut amplius diligat, quod minus diligendum eſt: aut minus, vel plus quod æque diligendū eſt: aut æquè, quod minus, vel plus diligendum eſt. Omnis quidem peccator in quantum peccator non eſt diligendus: & omnis homo in quantum homo eſt diligendus propter Deum, Deus vero propter ſeipſum. Et ſi Deus omni homine amplius diligendus eſt: plus debet quiſq; Deum diligere, quàm ſeipſum. Item alius homo diligendus eſt pluſquàm corpus noſtrum, quia propter Deum diligenda ſunt omnia, & poteſt nobiſcum alius homo frui Deo, quod non poteſt corpus.

Cap. 28. Quibus potiſſimum ſit ſuccurrendū

Omnes autem homines æquè diligendi ſunt, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur.

Cap. 29.

Inimicos autem noſtros diligimus: non enim timemus, quia nobis auferre poſſint, quod diligimus: ſed potius eos miſeramur, quia tāto magis non oderunt, quanto ab illo quem diligimus ſeparati ſunt: ad quem ſi conuerſi fuerint, & illum tanquàm beatificum bonum, & nos tanquam ſocios tanti boni neceſſe eſt vt diligant.

Cap. 30.

Luc. 10.

Si autem, vel cui præbendum eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, recte proximus dicitur (ſicut ex parabola Domini in Euangelio probatur, vbi proximum eſſe non docuit niſi illum qui erga ſauciatum recreandum atque curandum miſericors extitit) ex æquo conſequens eſt, vt etiam ille à quo nobis hoc viciſſim exhibendum eſt, proximus noſter ſit, proximi enim nomen ad aliquid eſt, nec quiſquam eſſe proximus, niſi proximo poteſt: manifeſtum ex hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri à quibus magna nobis miſericordiæ officia impenduntur.

Angeli quoque proximi nobis.

Cap. 31. Deus non fruitur nobis, ſed vtitur.

Cæterum diligit nos Deus non tanquam fruens, ſed tanquam vtens. Sed neċ ſic vtitur vt nos: nam nos res quibus vtimur, ad hoc referimus, vt Dei bonitate perfruamur, Deus vero ad ſuam bonitatem, & noſtram vtilitatem.

Cap 34. Ioan. 14.

Ego ſum, inquit, *via, veritas, & vita*, per me venitur, ad me peruenitur, in me permanetur. Cum autem ad eum peruenitur, etiam ad patrem peruenitur, quia per æqualem ille cui æqualis eſt agnoſcitur, vinciente & agglutinante nos Spiritu ſancto, quo in ſummo bono permanere poſſumus. Ex quo intelligitur, quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus in quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluit, ſed tranſire, ne rebus temporalibus quamuis ab eo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis hæreamus infirmiter, ſed potius per eas curramus alacriter: vt ad ipſum qui naturam noſtram à temporalibus liberauit, & ad dexteram patris collocauit, peruehi mereamur.

Quod totius ſcripturæ finis eſt charitas de corde puro.

Cap. XCV.

Cap. 35. Scripturæ ſumma amor Dei.

Omnium igitur, quæ prædicta ſunt hæc ſumma eſt, vt intelligamus legis, & omnium diuinarum ſcripturarum plenitudinem & finem eſſe dilectionem rei qua fruendum eſt, & rei quę nobiſcum ea re frui poteſt, vt enim quiſque ſe diligat, præcepto non opus eſt.

Cap. 36. Scopus totius ſcripturæ.

Quiſquis igitur ſcripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet charitatem geminam, ſcilicet Dei, & proximi, nondum intellexit. Quiſquis verò talem inde ſententiam duxerit, quæ huic ædificanti charitati ſit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco ſenſiſſe probatur, non pernicioſe fallitur, nec omnino mentitur. Sed ita fallitur, ac ſi quis errore deſerens viam, eò tamen per agrum pergat quò etiam via ipſa perducit. Corrigendus eſt tamen ne conſuetudine deuiandi etiam in tranſuerſum aut peruerſum ire cogatur.

Cap. 37. Scripturæ qualem lectorem poſtulet.

Aſſerendo enim temere, quod ille nō ſenſit quē legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi ſententiæ contexere nequeat. Quæ ſi vera & certa eſſe conſentit, illud non poſſit eſſe verum quod ſenſerat: fitque in eo neſcio quomodo, vt amando ſententiam ſuam, ſcripturæ incipiat eſſe offenſior quam ſibi. Quod malum ſi ſerpere cœperit, euertetur ex eo. Titubat enim fides ſi diuinarum ſcripturarum vacillat auctoritas: Fide autem titubante Charitas etiam ipſa langueſcit, quia non poteſt quiſquam diligere, quod non credit. Porro ſi credit, & diligit, bene viuendo efficit, vt etiam ſperet ſe ad id, quod diligit eſſe venturum.

Cap. 38. Charitas perpetuo manet.

Itaque hæc tria ſunt quibus & Prophetia omnis, & ſcientia militat, Fides, Spes, Charitas, ſed Fidei ſuccedit Spes quam videbimus: & Spei beatitudo ad quam perueniemus, Charitas autem etiam iſtis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quantomagis cum videre cœperimus? Et ſi ſperando diligimus, quo nondum peruenimus, quantomagis cum peruenerimus? Inter temporalia namque & æterna hoc intereſt, quòd temporale plus diligitur antequàm habeatur, vileſcit autem cum aduenerit, non enim ſatiat animam cui vera, & certa ſedes eſt æternitas. Æternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm deſideratum. Nulli enim deſideranti conceditur plus de illo exiſtimare quàm in ſe habet, vt ei vileſcat cum minus inuenerit, ſed quantum quiſque veniens exiſtimare potuerit, plus perueniens inuenturus eſt.

Cap. 39. Fides, ſpes, charitas illuminant.

Homo itaque fide, & ſpe, & Charitate ſubnixus, eaſque inconcuſſe retinens, non indiget ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. 40.

Quapropter cum quisque cognouerit finem præcepti esse charitatem *de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta*, omnem scripturarum diuinarum intellectum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat. *De corde puro*, inquit, vt nihil aliud quàm id quod diligendum est diligatur. *Conscientiam bonam* addit, propter spem, ille enim sperare non potest cui malæ conscientiæ scrupulus inest. *Et fide non ficta*, idest, sine mendacio. Inest quidem mentienti voluntas falsa dicendi, & ideo multos inuenimus, qui mentiri velint, qui autem falli, neminem: cum ergo hoc sciens, homo faciat, illud nesciens, patiatur, satis apparet in vna eademque re eum qui fallitur, illo qui mentitur esse meliorem, quandoquidem pati melius est iniquitatem, quàm facere: omnis autem qui mentitur, inique facit. Nemo enim mentiens, in eo quòd mentitur, seruat fidem: nam hoc vult vtique, vt cui mentitur fidem sibi adhibeat, quam tamen ei mentiendo non seruat, omnis autem fidei violator iniquus est.

Omnis qui mentitur inique facit.

De obscuritate, & intelligentia scripturarum.

Cap. XCVI.

Obscuritas scripturæ no inutilis.

IDem *in lib. 2. cap. 6.* Hi qui diuinas scripturas legunt, quædam obscure dicta plerumque densissimam caliginem obducunt, quod diuinitus prouisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio remouendum, cui facile inuestigata plerumque vilescunt.

Cap. 13.

At vero vtrum *ignoscere* producta an correpta syllaba tertia dicatur non multum curat, qui pro peccatis suis Deum petit, vt ignoscat. Sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores sunt, & eo infirmiores sunt, quo doctiores videri volunt.

Cap. 16. *Cognitio herbarum, animalium, lapidum & similium necessaria.*

Rerum quidem ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque ponuntur in scripturis similitudinis alicuius gratia. Numerorum quoque imperitia multa multa facit in eis intelligere mystice posita.

Quæ vt figurate dicta sint accipienda.

Idem in libro tertio cap. 10. Quicquid autem in sermone diuino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum, & proximum: Fidei veritas ad cognoscendum Deum, & proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodum se sentit in dilectionem Dei, & proximi, cognitionemque proficere. Verum est procliue humanum genus, non ex momentis libidinis, sed potius suæ consuetudinis æstimare peccata: ex quo contingit, vt si quid scriptura vel præcepit quod abhorreat à consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpauerit, figuratam locutionem putent. Non præcipit quidem scriptura nisi Charitatem, non culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis, & futuris, & præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænunciatio, præsentium demonstratio. Sed omnia hæc ad eandem charitatem nutriendam, & corroborandam, & cupiditatem vincendam, & extinguendam valent. Charitatem autem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autẽ motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, *flagitium* vocatur; quod autem agit, vt alteri noceat, *facinus* dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum, sed flagitia priora sunt: Quæ cum exinaniuerint animum, & ad quandam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quibus remoueantur impedimenta flagitiorum, vel adiumenta quærantur. Item quod agit Charitas vt sibi prosit, vtilitas est, quod autem agit, vt proximo prosit, beneficentia nominatur. Et hinc præcedit vtilitas, quia nemo potest ex eo quod non habet, prodesse alteri. Quanto autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto Charitatis augetur.

Charitas, cupiditas.

1. sent. dist. 17. cap. quod autem.

Flagitium. Facinus.

Vtilitas, Beneficetia.

De eloquentia, & sapientia.

Cap. XCVII.

IDem *in lib. 4. cap.* 5. Qui affluit insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis in his quæ audire inutile est, delectatur auditor, etenim quem diserte dicere audit, etiam vere dicere existimat. Sapienter vero dicit homo tanto magis vel minus: quanto magis vel minus in scripturis sanctis profecit. Non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt ne intelligant: quibus longe sine dubio præferendi sunt, qui verba eorum minus tenent, & cor earum sui cordis oculis vidẽt. Sed vtrisque ille melior, qui & cum vult eas dicit, & sicut oportet intelligit.

Cap. 10.

Quid autem prodest integritas locutionis, quam non sequitur intellectus audientis, cum omnino loquendi nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos loquimur, vt intelligant.

Cap. 11.

Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere, quod clausum est?

Cap. 15.

Vir autem sanctus, & eloquens, cum iusta & bona, & sancta dicit, neque enim alia dicere debet, agat quantum potest, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hoc se posse si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, vt orando pro se ac pro illis quos alloquturus est, sit orator antequam dictor. Ipsa itaque hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat linguam proferentem ad Dominum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit: vel fundat quod impleuerit.

Cap. 27.

Habet autem vt obedienter audiatur quantacumque granditate dictionis maius pondus vita dicentis. Nam qui sapienter, & eloquenter dicit, nequiter autem viuit, erudit quidem multos discendi studio quamuis animæ suæ inutilis sit. Ideo audiuntur vtiliter, etiam qui vtiliter non agunt; quia sua quidem quærere student, sed sua docere non audent. Multis itaque prosunt dicendo, quæ non faciunt, sed pluribus prodessent faciendo quæ dicunt.

Cap. 28.

Sic autem eligat Doctor bonam vitam, vt etiam bonam non negligat famam, sed prouideat bona coram Deo, & hominibus quantum potest: illum timendo, his consulendo, in ipso etiam sermone malit rebus placere, quam verbis, nec existimet dici melius, nisi quod dicitur verius, nec Doctor verbis seruiat. sed verba Doctori.

Verbis contendere.

Verbis autem contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni alterius præferatur.

Cap. 28.

De labore clausstralium manuali.

Cap. XCVIII.

IDem *in libro de opere Monachorum cap.* 1. *Respice*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non serunt &c. considerate lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent.* His verbis Euangelicis nonnulli non solum pigritiam, sed etiam arrogantiam suam fouent qui operari nolunt. In eo autem, quod dixit Apostolus *qui non vult operari, non manducet*, opera, inquiunt, spiritualia debemus accipere, quæ & nos facimus, legimus cum fratribus, & oramus, alloquimur eos, & consolamur, & talia opera si non faceremus periculose à Domino alimenta ipsa spiritualia sumeremus. Sed ne cuiquam prædicta verba liceret postea pro

Matth 7.

2. Thess. 3.

voluntate

2. *Theſſ* 3. voluntate non pro charitate interpretari, ipſe exemplo ſuo docuit, quod præcepit. *Non*, inquit, *panem gratis ab aliquo manducauimus, ſed in labore, & fame die ac nocte operantes, &c.*

Cap. 17. Qui autem dicunt ſe vacare lectioni, nonne illic inueniunt, quod Apoſtolus præcipit? Quæ eſt ergo iſta peruerſitas lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & vt quod bonum eſt diutius legatur, ideo nolle facere, quod legitur? Quis enim neſciat tanto citius quemque proficere cum bona legit, quanto citius facit, quod legit.

Cap. 18. Si autem alicui ſermo erogandus eſt, & ita occupatur, vt manibus operari non vacet, nunquid omnes in monaſterio poſſunt, fratribus ad ſe venientibus, diuinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæſtionibus ſalubriter diſputare? Quando igitur hoc non omnes poſſunt, cur ſub hoc obtentu omnes vacare volunt. Quamquam & ſi omnes hoc poſſent, viciſſim facere deberent, non ſolum ne cæteri à neceſſarijs operibus occuparentur, ſed quia etiam ſufficit, vt audientibus vnus loquatur.

Cap. 17. Sed & cantica diuina cantare, etiam manibus operantes, poſſunt facile & ipſum laborem tanquam diuino celeumate conſolari.

Cap. 18. Ipſa autem eſt optima gubernatio, vt omnia ſuis temporibus diſtributa ex ordine gerantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus inuoluta perturbent.

Ordo in laborando.

Cap. 19. Si quis autem veram corporis infirmitatem, vt laborare non poſſit, oſtendit, humanè tractandus eſt, quam vero falſam prætendit, & conuinci non poteſt, Deo dimittendus eſt.

De illis qui nollunt operari propter pigritiam, vel arrogantiam.

CAP. XCIX.

Cap. 22. VEniunt plerumque ad hanc profeſſionem ſeruitutis Dei, & ex conditione ſeruili, & ex vita ruſticana, & ex opificũ exercitatione, & plebeio labore, tanto vtique fœlicius quanto educati fortius. Qui, ſi non admittantur graue peccatum eſt, *propterea enim & ignobilia mũdi elegit Deus, & ea quæ nò ſunt; vt ea quæ ſunt diſſiperet.* 1. *Cor.* 1. Tales ergo ſe quia quò minus operentur, de infirmitate corporis excuſare non poſſunt, præteritæ vitæ quippe conſuetudine conuincũtur, ſed vmbraculo malæ diſciplinæ ſe contegunt, vt ex male intellecto Euangelio præcepta Apoſtolica peruertere meditentur, *vere volatilia cæli*, ſed per ſuperbiam in altum ſe extollendo, *& fœnum agri*, ſed carnaliter ſentiendo; atque vtinam illi qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis.

Cap. 23. Verum illi qui nihil carnaliter operando *volatilia cæli* imitantur: cur manus ocioſas, & repoſitoria, vel horrea habere volunt? cur ea quæ ſumunt ex aliorum labore recondunt? cur denique molunt, & coquunt? Hoc enim aues non faciunt.

Cap. 25. Illi itaque qui præter iſtam ſanctam ſocietatem, vitam labore corporis tranſigebant, ex quorum numero plures ad monaſterium veniunt; ſi nolunt operari, nec manducent: Non enim propter hoc in Chriſtiana militia ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes extollantur: nec vllo modo decet, vt in ea vita, vbi ſenatores fiunt laborioſi, ibi fiant opifices ocioſi: & quò veniunt relictis diuitijs ſuis qui fuerant prædiorum domini, ibi ſint ruſtici delicati.

Cap. 28. Teſtem inuoco Dominum Ieſum in animam meam, quoniam quantum attinet ad commodum meum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere liberas ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotijs ſecularibus, vel iudicãdo dirimendis, vel interuenindo præcidendis.

Cap. 30. Cæterum quis ferat homines contumaces, ſaluberrimis Apoſtoli monitis reſiſtentes, non ſicut infirmiores tolerari, ſed ſicut ſanctiores etiam prædicari, vt monaſteria ſaniore doctrina fundata, gemina illecebra corrumpantur, & diſſoluta licentia vacationis, & falſo nomine ſanctitatis? Quid etiam iniquius, quàm velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
LIBER DECIMVSNONVS.

De Imperio Honorij, & Theodosij, & de sancto Desiderio Lingonensi

CAP. I.

Honorius & Theodosius Imp. an. Ch. 411. Mund. 4264.

SIGEBERTVS *in chronicis*. Honorius post mortem Arcadij cum fratruele suo Theodosio regnauit annis 14. Cœpit autem anno Domini 411. mundi vero 4264.

Huius anno primo Vuãdali, duce Crosco, Gallias peruagati, multas vrbes, & ecclesias subuerterut. Croscus tandem à Mariano præside Arelati captus, & per victas vrbes ignominiose retractus, ad mortem tormentatur. Sub hoc turbine inter multos martyrizantur Sedunenses Florentinus, & Hilarius; Desiderius Lingonensis, cum Vincentio Archidiacono, Antidius* Besontionensis episcopus.

* Alias Vesontionensis. *agit de S. Desiderio Petrus in Cathalogo lib. 5. cap. 31.*

Ex gestis sancti Desidery. Huius Desiderij vitæ initium fuit castitas, sobrietas, eleemosynarum largitio, misericordia in pauperibus, pietas, morum probitas, patientiæ æquanimitas. Itaque Vuandalis vrbem Lingonicam obsidentibus, Desiderius eiusdem vrbis pontifex virtutibus præstantissimus, cum suis sacerdotibus, vel cæteris ciuibus de muro clamabat, dicens: *Christi serui sumus, Christum Deum viuum, & verum colimus, qui vniuersum mundum constituit. Nolite in nobis scelus crudele admittere, per quod Dei potentiam contra vos in iracundiam prouocetis,* Vuandali vero præcipiti cursu irruptis portis ingrediebantur in mœnia. Alij scalis appositis in muros diuersa de parte ruentes, ignes de Pergamo submittebant, & gladijs, diuersisque iaculis ciues omnes cæde impia prosternebant. Antistes in Ecclesia in oratione positus inuenitur, Regisque cum cæteris christicolis obtutibus præsentatur. Ille autem de perditione ciuium pastoralis solicitudinis dolore repletus, pro se Principem rogare voluit, sed vt pereuntibus ciuibus subueniret, attentius exorauit. Qui barbarus, naturali crudelitate durus, cum elocutione barbara responderet, quod etiam vir sanctus non intelligeret; obtulit se etiam pro suis ciuibus, ceruice parata, pius Pastor ad victimam, vt cessaret de ciuibus pereuntibus, vel aliquantulum iam ruina. Nulla rector impius pietate permotus, sed crudelitatis perseuerantia inflammatus, caput amputari præcepit sacerdotis, plures etiam Christianos eadem sententia simul interire præcepit, & in toto Pergamo in Christi confessione perseuerantes, eadem die diuersa sunt passim cæde prostrati. Et quicunque Christum confessus, se dixit in eum credere, de cultu religionis interrogatus, nusquam in tota vrbe potuit euadere.

Mira crudelitas barbarorum.

Christi nomen barbaris odiosum.

De miraculis eiusdem martyris.

CAP. II.

AD confirmandum autem præclari martyris testimonij veritatem, porta, vbi percussor pro admisso scelere reus, impulsione capitis semetipsum peremit, nullum ab eodem tempore ingressionis officium viantibus præbuit, nec egrediendi ab vrbe aditum populis vlterius patefecit, sed saxis clausa, pro offensionis indicijs damnata, potius perseuerat.

Speculator episcopi portã vrbis intrare volens, capite illiso, mox expirauit.

Denique cum ipse gladiator sacerdotis beatum corpus truncaret, in librum diuinum apertum, ferientis ictus peracceſſit, & ibi quidem multa folia perforauit, diuina tamen saluatione literarum tramitem non contigit.

Effusio sanguinis, & liuor, in libro certum beati martyris Passionis indicium manifestat, & in nullo scripturæ seriem legentibus perturbat.

Croscus diuino iudicio captus ab hostibus miserrime pœnas luit.

Denique non post multum temporis *Deus Iudex iustus* sancti sui Desiderij martyris, vel cæterorum martyrum vrbis ipsius vltione commotus, in Arelatensi vrbe Croscum Principem suis tradidit inimicis. Qui captus, catenatusque tamdiu est diuersis tormentis tempore diuturno afflictus, quousque per crudelissimam assiduamque cædem ad mortis interitum iuxta suum meritum peruenirer.

Beatus igitur Desiderius pontifex ob præcedentem conuersationem, & boni operis studium, condignam martyrij coronam promeruit. Nam si quis ad eius limina ægrotus aduenerit, inde Deo opitulãte, reuertitur

confor-

S. Desiderius miraculis claret.

confortatus; Si mærore perterritus, ſancti martyris obtentu, inde redit exultatus. Si cæcus, claudus, ſurdus, mutus, etiam ab aduerſa parte vexatus aduenerit, ſuam ibi quiſque medicinam, & remedia priſtina ſine mora percipit opportuna.

Si quis intra ſepta eccleſiæ ſuæ, falſo ſcienter iurat, mox cæleſti vltione punitur.

Inter cætera virtutum ſuarum inſignia multiplicia, in ſuo nomine non patitur impunitam ferre perfidiam; nam ſi intra ſepta eccleſiæ ipſius *inuocato nomine Chriſti* ſuper eius ſanctum altare, ſub falſitatis ingenio, mendax perpetrare tentauerit Sacramentum, vltione diuina illico in perditionis ſententia condemnatur.

Huius paſſio celebratur. 10. Kalend. Iunij.

Paſſio ſancti Antidij epiſcopi.

Cap. III.

S. Antidius damonum multitudinē vidit & ſuper vnum eorum vehebatur.

Ex geſtis eius & chronicis Sigeb. Porro ſanctus Antidius eadem tempeſtate, vt dictum eſt, martyrium ſubijt, qui aliquando in tertia feria poſt Palmas tranſiens pontem Duuij fluminis, vidit agmen dæmonum geſta ſua Principi ſuo referentium, & inter eos Æthiopem manu ſandalium præferentem ad iudicium, quod Romanum præſulem cuius hoc erat, per 7. annos impugnatum, tandem ad lapſum traxerit; qui vocans ad ſe Aethiopem, & *in virtute Dei, ac ſanctæ Crucis ſuper eum aſcendens*, præcepit vt eum Romæ ſub manu Domini eadem velocitate qua venerat, ſaluum, & incolumem perferret. Itaque dæmoni ſuperpoſitus, illum ſæpe perferret. Itaque dæmoni ſuperpoſitus, illum ſæpe verſiculum iterans: *Deus in adiutorium meum intende &c.* eo vectante Romam venit, feria quinta, hora celebrandi officij: & dæmone pro foribus expectante, Papæ rem retulit, negantem, per ſandalium ad pœnitentiam mouit, & miſſa, vice eius, celebrata, & parte chryſmatis à ſe conſecrati aſſumpta, dæmone reuectante ad eccleſiam ſuam redijt, Sabbato ſancto hora celebrandi officij.

Hanc hi floriam putat Baronius Apochryphā & à veritate alienam, qua cum magiā magis quam pietatem re doleat, merito reijcienda eſt, ſed contrarium ſentit Rauſnus.

Denique idem venerabilis ac ſanctus Archiepiſcopus in perſecutione Vuandalorum alapis in facie cæſus eſt, cunctiſque ſpoliatus veſtibus, varijs ictibus cruciatus; nam cruentus carnifex, os, & oculos cæteraſque corporis compagines, fuſtibus & flagellis tundens, omnia crudelitatis inſtrumenta, niſi Chriſtum, in aris ſuis litans obnegaret, minabatur. Et poſtquam corpus intumeſcens vulneribus, incuſſos flagellorum ictus nudis vix ferre poſſet oſſibus, conſtanti voce *Deum orabat*, & tortoris ora reſpiciens, dicebat: *Perage miſer cœpta, Dominus enim mihi adiutor eſt &c.* Quod indigne ferens peſtifer, ictu ſingulari caput eius gladio excuſſit.

Crudeliter Antidius cruciatur ob Chriſti fidem.

Huius paſſio celebratur 7. Cal. Iulij.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Romæ fœmina giganteæ magnitudinis, de parentibus mediocris ſtaturæ nata, multis ſtupore erat.

De bellis Honorij Imperatoris.

Cap. IIII.

Lege Sozo. lib. 9. & Niceph. lib. 14. & Baron. ad an 409. 410. Vuandali, Sueui, & Alani Hiſpanias vaſtant.

Alaricus obſidet Romam.

Alaricus autem Rex Vuiſigothorum per Italiam debachatus, mandat honorio Imperatori, vt aut ſecum bello congrediatur, aut Gothis in regno ſuo locum ad habitandum largiatur. Honorius Gallias furori gentium vndique expoſitas, eis conceſſit. Vuandali Gallias quas per tot annos laceraverunt, relinquentes timore Gothorum, cum Alanis, & Sueuis Hiſpanias occuparunt, ibique fere 30. annis habitauerunt. Alaricus facto fœdere cum Honorio, cum ad Gallias ſibi datas tenderet, Stilico ipſo ſancto die Paſchæ ex improuiſo ſuper eum irruit, & primo impetu victor, poſtea à Gothis turpiter vincitur. Honorius cognito Stiliconem eſſe tantorum malorum incentorem, & vitæ ſuæ inſidiatorem, eum cum filio eius Eucherio occidit. Alaricus rupto fœdere Italiam repetit, ipſam Romam capit, in ea loca multa incendit, multos affligit, à ſanguine tamen, & cæde temperat, & ad ſanctorum limina confugientibus indulget; tertia die ſponte Roma egreditur, ad Siciliam nauigare tendens, naufragium patitur; & non multo poſt apud Coſentiam vrbem ſubita morte defungitur. capta eſt autem Roma 8. Kal. Septemb anno M. clxiiij conditionis ſuę.

Moritur Alaricus apud Coſentiam

His diebus apud Africā in Vticenſi littore dēs Gigantis inuentus eſt, tam ingens, vt ſi minutatim in modulos noſtrorum dentium concideretur centum dentes inde fieri poſſent.

Nota ſtupendum monſtrum de dente gigantis.

Interim Vuandalis Gallias incurſantibus, congreſſi Franci, Modigiſilum Regem, cum 20. millibus Vuandalorum, extinguunt; & ſuprema forte internecio Vuandalorum fuiſſet, niſi reliquijs eorum Rex Alanorum Reſplendial ſubſidio veniſſet.

Vuandali à Gallis ferme extincti.

Honorius porro imperator, quia in Deo ſperauit, affectu optimæ religionis, liberauit eum Deus à multis in ſe vndique inſurgentibus tyrannis. Siquidem in Britannijs Gratianus, in Gallijs Conſtantius, alias Conſtantinus, & Conſtans filius eius ex monacho Cæſar factus. Item poſt eos in Gallijs Gerontius, & Maximus, Saluſtius, Iouinus, Sebaſtianus, in Africa Heraclianus, Romæ Tertullus, & Attalus ille, quem Gothi capta Roma, Imperatorem ludicro creatum, vno die Imperiali ſchemate procedere, craſtino autem ſeruili ſchemate cuique miniſtrare fecerunt. Hic inquam non iam ludicrò, ſed ſeriò imperare affectans: hi omnes, vt tyrannidem inuaſerunt, diuerſis locis, diuerſis temporibus, à militibus Honorij, capti aut extincti, perierunt.

Lege Sozomenum lib. 9. cap. 13. & Niceph. lib. 14. cap. 6 & Baron ad an. 411.

De ſancto Maximo Taurinenſi, & ſcriptis eius, & hæreſi prædeſtinatorum.

Cap. V.

Extant huius opera, qua modo haberi poſſunt in noua Bibliotheca Patrum Saculo quinto.

EO tempore Maximus Taurinenſis epiſcopus claruit, qui in homelijs componendis, & in eccleſia declamandis, ſtuduit eleganter.

Author. Hic legitur compoſuiſſe tractatus in laudem Apoſtolorum, & Ioannis Baptiſtę, & de ſancto Euſebio Vercellenſi epiſcopo, & de ſancto Cypriano; & librum de gratia Baptiſmi, de auaritia, & hoſpitalitate, de defectu Lunæ, de eleemoſynis, de ieiunio, de Paſſione Domini, de Iuda traditore, & multa alia.

Prædeſtinatorum hæreſis ex ſcriptis S. Auguſtini male intellectis orta vid. Bar. ad an. 520.

Sigebertus in chronicis. Prædeſtinatorum hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere; qui ideo prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione, & diuina gratia diſputantes, aſſerebant, quòd nec piè viuentibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint, nec impijs obſit, quod improbè viuant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio, & bonos à nobis auocabat, & malos ad mala prouocabat.

Hæc hæreſis ex libris Auguſtini male intellectis, initium ſumpſiſſe dicitur.

De Iudæo ficte Baptizato, cæterisque geſtis illius temporis.

Cap. VI.

Miraculum de Iudæo ficte baptizato.

ANno Honorij vj. Iudæus quidam cum quæſtus cauſa ſæpe in multis hæreticorum eccleſijs Baptizatus fuiſſet, venit etiam ad eccleſiam Orthodoxotum, ſub eadem intentione baptizandus; & cum baptizari deberet, aqua fontis ſubito diſparuit, & iterum atque iterum aqua allata, & fonte repleto, iterum atque iterum aqua diſparens, virtutem Dei, & Iudæi perfidiam oſtendit.

Zoſimus Papa decreuit cereum paſchalem benedici debere Sabbato Paſcha.

Anno ſequenti Zoſimus Romanæ eccleſiæ 40. præſidet. Hic decreuit cereum Sabbato ſanctæ Paſchæ per eccleſias benedici.

Quidam occidentales, vltimo anno cycli decemnouennalis, pro emboliſmo communem annum tenentes, ac per hoc in Paſcha celebrando aberrantes, diuino

miraculo ad veritatem reuocantur: in vna enim Italiæ Ecclesia, vbi in Sabbato sancto Paschæ hora baptizandi solebat aqua diuinitus manare, & statim ex se redire, nullo deductorio penitus apparente, tunc temperius iusto ideſt. 8. Kal. Aprilis, Pascha celebrantes, aqua non emanans, expectatione totius diei ac noctis fefellit. Legitimo autem die Paschæ, hora baptizandi, aqua solito emanans 10. Kal. Maij, Pascha debere celebrari, ostendit.

Corpus S. Stephani inuentum cũ alijs.

Corpora sanctorum Stephani Protomartyris, Nicodemi, Gamalielis, & Abibon, Luciano Presbytero reuelata sunt; & corpus quidem Protomartyris Stephani Ioannes episcopus a Caphargamala Hierusalem transtulit, quod post aliquot annos inde leuatum a Iuliana matrona, quæ corpus Alexandri viri sui, sepulti iuxta corpus Protomartyris, leuare volens, pro corpore viri sui, corpus Protomartyris leuauit, & multa miraculorum gloria illustratum Constantinopolim detulit.

De inuentione sancti Stephani cum socijs.

CAP. VII.

Visio oblata Luciano.

EX *historia reuelationis eius quæ extat in epistola Luciani presbyteri.* Itaque sanctus Gamaliel nocte quadam apparuit Præfato presbytero in territorio Hierosolymitano, quem cum tertiò vocasset dixit ei: Surge vade, & dic Ioanni episcopo Hierosolymitano, vt nos reuelet velocius, quia eius tempore reuelandi sumus. Nec propter me hoc dico, sed propter illos, qui mecum sunt, sunt enim digni magnis honoribus tumulari, & ille locus in quo iacemus nimis est despectus. Cui Presbyter nomine Lucianus: Domine tu quis es? Ego sum, inquit, Gamaliel, qui nutriui Paulum Apostolum; qui autem iacet mecum, ipse est sanctus Stephanus, qui à Iudæis lapidatus est, & die ac nocte extra ciuitatem iacuit, & inde abstractus, iussu sacerdotum in via proiectus est, vt à feris, & auibus deuoraretur, & tamen eum nec aues, nes canes tangere præsumpserunt, ego autem feci eum sepeliri in monumento meo nouo. Ille alter qui mecum iacet, ipse est Nicodemus, nepos meus, qui nocte ad Dominum venit, & a Petro Apostolo, & Ioanne baptismum suscepit. Vnde indignati in eum principes Sacerdotum, cogitabant eum occidere, sed ob reuerentiam mei, verberantes eum tantum, seminecem reliquerunt; & ab vrbe eijcientes, omnem substantiam eius diripuerunt. Cui cum ego ægrotanti necessaria ministrassem, paululum superuixit, & ego feci eum ad pedes sancti Stephani sepeliri. Ille vero tertius, qui mecum est, ipse est Abibas filius meus, qui anno ætatis suæ 20. mecum baptismum suscepit, & virgo permanens cum Paulo discipulo meo legem didicit. Vxor vero mea Ethna, & Sedemias primogenitus meus, *nolentes in Christum credere*, alibi sepulti sunt, quorum sepulchra vacua inuenies.

Sancti molestè ferunt suas negligi reliquias.

Hæc citantur à Beda lib. Retract. in Act. Apo. cap. 8.

S. Stephani corpus in sepulchro S. Gamalielis primo sepultum.

Eadem visio offertur Luciano secundo.

Hoc dicto disparuit. Cum ergo Lucianus orasset Deum, vt si hæc visio ex Deo esset, iterum ei, & tertiò appareret, in sequenti sexta feria ei sicut prius apparuit, & interrogauit eum cur ita dissimulans ad Ioannem episcopum non perrexit? Non, inquit, dissimulaui Domine, sed rogaui Deum, vt si hoc ex Deo esset tribus mihi vicibus appareret. Cui Gamaliel: Audi Pater: quia cogitasti, si nos simul inuenires, quomodo reliquias singulorum discernere posses, vide quæ tibi ostendo. Et ostendit ei quatuor calathos, tres aureos plenos, vnum rosis rubentibus, & duos alios rosis albis, & quartum calathum argenteum plenum croco. Et dixit Gamaliel! Isti sunt loculi in quibus iacemus, & hæ rosæ reliquiæ nostræ sunt. Calathus plenus rosis rubeis, est locus in quo sanctus Stephanus requieſcit, qui solus ex nobis quatuor martyr fuit: alij duo aurei pleni rosis albis, sunt locus meus, & Nicodemi, nepotis mei: quartus autem argenteus, est Abibæ filij mei, quia virgo, & mũdus exiuit de mundo: & his dictis iterum disparuit.

Feria autem sexta sequẽtis hebdomadæ, ei tertio, quasi iratus nimis apparuit, & de hac dilatione, & negligentia eum grauiter increpauit. Statim Lucianus surgens iuit Hierosolymam, & cum hoc episcopo retulisset, ille gratias agens, conuocatis alijs episcopis perrexit illuc. Et cum cœpissent fodere, facto terræmotu, tantus odor erupit, quantum nullus sensisse se meminit. Cuius odoris virtus, meritis sanctorum. 73. homines à diuersis infirmitatibus liberauit. Et sic cum magno gaudio in ecclesiam Sion, quæ in Hierusalem est sanctorum reliquias transtulerunt, vbi Beatus Stephanus archidiaconus ab Apostolis fuerat ordinatus.

Tertio videt eadem Lucianus

De miraculis eiusdem martyris.

CAP. VIII.

Aperit visionem Ioanni episcopo Lucianus.

Multi curantur odore Sanctarum reliquiarum.

SIgebertus *in chronicis* Anno Honorij. 8. Orosius Presbyter rediens a Hieronymo, ad quem missus fuerat ab Augustino, pro discenda quæstione de origine animæ, reliquias Protomartyris Stephani ad Africam detulit, cum historia inuentionis eius, quam gratia miraculorum prosequente vbique Deus mirificauit. Vnde plura Augustinus multo plura scripsit Euodius.

Augustinus, de ciuitate Dei. lib. 22. cap. 8. Ad aquas Tibilatanas, episcopo afferente Proiecto reliquias glorioſissimi Stephani martyris, ad eius memoriam veniebant magnæ multitudinis concursus, & occursus. Ibi cæca mulier, vt ad episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, protinus vidit; stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.

Lucillus episcopus vectatione reliquiarum S. Stephani sanatur.

Memorati memoriam martyris, quæ posita est in Castello Synicensi, quod Hipponensi Coloniæ vicinum est, eiusdem loci Lucillus episcopus, populo precedente, atque sequente portabat; fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eum secarat, operiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est, Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit.

Eucharius liberatur à morbo calculi.

Eucharius Presbyter ex Hispania Calaniæ habitans, vetere morbo calculi laborabat, per memoriam supradicti martyris, quem Possidius illo aduexit episcopus, saluus factus est.

Idem ipse postea morbo alio perualescente, mortuus sic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur; opitulatione memorati martyris, cum de memoria eius reportata fuisset, & super iacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica susciatus est.

Martialis meritis S. Stephani fit christianus.

Fuit ibi vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum abhorrens a religione Christiana: Habebat sane fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cum eo ægrotante multis, & magnis lachrymis rogarent, vt fieret Christianus, prorsus abnuit; eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius, vt iret ad memoriam S. Stephani, & illic quantum posset pro eo oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardentis pietatis affectu: deinde abscedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit; eique cum iam nox esset, ad caput posuit. Tum dormitum est; & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui forte mecum tunc erat apud Hipponem; cum ergo eum audisset absentem, venire presbyteros postulauit. Venerunt; credere se dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc quamdiu vixit ore habebat. *Christe accipe spiritum meum;* cum hæc verba Beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret; quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est. Sanati sunt illic per eundem martyrem etiam podagrici duo, vnus ciuis, peregrinus vnus: sed ciuis omnimodo, peregrinus autem per reuelationem quid

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad hiberet quando doleret, audiuit; & cum hoc fecerit, dolor continuo conquieſcit.

Item de eodem.

Cap. IX.

Puer B. Stephani memoriâ mortuus ſuſcitatur.

Avdurus nomen eſt fundi, vbi eccleſia eſt, & in ea memoria martyris Stephani. Puerum quendam paruulum cum in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confeſtim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum, ad eandem memoriam poſuit; & non ſolum reuixit, verum etiam illæſus apparuit.

Item ſanctimonialis quædam femina.

Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Caſpaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, & de vita deſperaretur ad eandem memoriam tunica eius allata eſt; quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto ſpiritu ſalua facta eſt.

Item filia cuiuſdam Syri.

Apud Hipponem Baſſus quidam Syrus ad memoriã eiuſdem martyris orabat pro ægrotante, & periclitante filia, eoque ſecum veſtem eius attulerat, & ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum, orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum rediſſet, iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ quam ferebat, ſuper eam proieciſſet, reddita eſt vitæ.

Item filius cuiuſdam Irenæi.

Rurſus ibidem apud nos Irenæi cuiuſdam collectarij filius, ægritudine extinctus eſt. Cumque corpus iaceret exanime, atque a lugentibus, & lamentantibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & reuixit.

Item filius Eleuſini.

Item apud nos vir tribunitius Eleuſinus aliàs Eulenisius ſuper memoriã martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum ſuum; & poſt orationem quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit.

Petroniæ meritis S. Stephani ex incurabili languore ſanata eſt.

Vzali etiam quæ colonia Vticæ vicina eſt, multa preclara per eundem martyrem facta cognouimus; cuius ibi memoria longe prius quàm apud nos ab epiſcopo Euodio conſtituta eſt. Cum enim nuper illic eſſemus Petroniam clariſſimam fœminam, quæ ibi mirabiliter ex magno atque diuturno (in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant) languore ſanata eſt; hortati ſumus, volente ſupradicti loci epiſcopo, vt libellum daret, qui recitaretur in populo, & obedientiſſime paruit. In quo poſuit etiam, quod hic reticere non poſſum, quamuis ad ea, quę hoc opus vrgẽt, feſtinare compellar. A quodam Iudæo dixit ſibi fuiſſe perſuaſum, vt annulum capillatio cingulo inſereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur; qui annulus haberet ſub gemma lapidem in renibus inuentum bouis; hoc alligata quaſi remedio ad ſancti martyris limina veniebat; ſed profecta à Carthagine cum in confinio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens vt iter perageret, ante pedes ſuos illum iacentem annulum vidit, & capillatiam zonam, qua fuerat alligatus, miratâ tentauit; quã cum omnino ſuis nodis firmiſſimis, ſicut erat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe atque exiliſſe annulum ſuſpicata eſt; qui etiam ipſe cum integerrimus fuiſſet, inuentus, futuræ ſalutis quodammodo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit; atque illud vinculum ſoluens ſimul cum eodem annulo proiecit in flumen.

De hoc renium lapide nihil, de alio, quem in capite habet legi apud Plinium li. 30.

Iterum de eodem.

Cap. X.

VNum eſt apud nos factum, non maius quam illa quę dixi, ſed tam clarum atque illuſtre miraculũ, vt nullum arbitrer eſſe Hipponenſium, qui hoc non viderit, vel didicerit; nullum, qui obliuiſci nulla ratione potuerit. Decem quidem fratres quorum 7. ſunt mares, tres fœminæ; de Ceſarea Cappadociæ ſuorum ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti Patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit, tali pœna ſunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum ciuium non ferentes, quaque verſum cuique ire viſum eſt; toto pene orbe vagabantur Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & ſoror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miſeria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Paſcha ferme dies quindecim, & eccleſiam quotidie ingredientes, in ea memoriam glorioſiſſimi martyris Stephani frequentabant orantes, vt ſibi iam placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quocũque ibant, conuertebant in ſe ciuitatis aſpectũ. Nonnulli qui eos alibi viderant, cauſamque tremoris eorum nouerant, aliis vtcunque poterant indicabant. Venit & Paſcha, atque ipſo die dominico mane, cum iam populus frequens præſens eſſet, & loci ſancti cancellos vbi martyrium erat idem iuuenis orans teneret, repente proſtratus eſt, & dormienti ſimillimus iacuit; non tamen tremens, ſicut etiam per ſomnum ſolebat. Stupentibus qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs dolentibus, cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, ſed potius exitum expectandum eſſe dixerunt. Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quam ſanatus erat; & ſtabat incolumis intuens intuentes. Cum autem veniſſet ad me, produxi eum ad populum, & re eis oſtẽſa, ſequenti die libellum de narratione illius eis recitandum promiſi. Quod dum fieret, videbat populus fratrem ſanatum, & ſororem eius iuxta eum membris omnibus contrementem. Poſt hæc recitata vita de conſpectu populi eos abire præcepi. Et cum de hac diſputarem, illa ſoror cancellum intrauit, & ſtatim velut obdormiens, ſubito ſanata ſtetit. Vnde ea producta in medium, de vtriuſque ſanitate apud omnes exultatio magna fuit.

Parentum execratione magnopere metuere debent filij. Multa nunciſce vel leguntur horribilia exempla.

Paulus & Palladia liberantur à tremore membrorum interceſſione beati Stephani.

De Bonifacio Papa, & de quibuſdam alijs.

Cap. XI.

Primus rex Gallia Pharamundus an. Ch. 49.

SIgebertus in chronicis Anno Honorij. 9. Sunnone, & Marcomiro Francorum ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, vt & ipſi, ſicut Italiæ gentes, Regem habeant; & filium Marcomiri Ducis Pharamundum ſibi Regem ordinant, qui regnauit annis 11.

Bonifacius Papa conſtituitur.

Anno eiuſdem Imperatoris, 10. Bonifacius Romanæ Eccleſiæ 4. præſidet. Contra hunc ordinato Eulalio, & pro hoc diſſidente eccleſia, ambo iuſſu Honorij Auguſti vrbe egrediuntur; & ſic reprobato Eulalio, iuſſu Auguſti Bonifacius, quia prior ordinatus fuerat, ſedi Apoſtolicæ reſtituitur. Hic decreuit, vt nulla mulier, aut monacha pallam ſacratam altaris contingeret, aut lauaret, aut incenſum poneret; & vt ſeruus, vel obnoxius curiæ, aut cuiuſlibet rei, non fiat clericus.

Hieronymus moritur.

Anno ſequenti Hieronymus per 56. annos, libris ſuis confectis; ita corpore præ laboribus defecto, vt lecto ſurgere nequiret, niſi apprehenſo manibus funẽ, qui ad hoc de trabe pendebat, obijt apud Bethleem anno ætatis ſuæ 88.

Lex Salica promulgata in Francia.

Anno ſequenti Franci vti cęperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Vſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, Vuidigaſt; in villis Germaniæ, Salenhaim, Bodokaim, Vuindokaim. Hi quatuor Proceres per tres malas cauſarum origines conuenientes, ſolicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat, iudicare decreuerunt.

Vuandali, Alani, Sueui, regiones Hiſpaniarum ad habitandum inter ſe trifariam cõpartiti, & in tribus regnis diuiſi, colliduntur inter ſe inteſtino bello.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Bellum intestinum inter Hunnos, & Suenos.

Aetij res & gesta.

Anno sequenti Honorius Constantium, virum sororis suæ Placidiæ in Imperium asciuit, qui octauo imperij mense obijt, Estimo hunc esse Constantium quem Beda dicit in Gallia, ab Honorio missum.

Hugo, vbi supra. His diebus Aetius ordinatur Patritius Romanorum, vir inclytus, & bello strenuus, siquidem Burgundiones contra Romanos rebellantes perdomuit. Quæ gens ab Italia quondam exiens super ripam Rheni fluminis resederat, & crebra habitacula, quę vulgo Burgi vocantur, condens, nomen ex opere assumpserat.

A Burgis Burgundiones appellati.

Hac præterea tempestate Attila Rex Hũnorum Gallias depopulaturus, aduenit. Iamq; Metensi vrbe exusta, Aurelianensem minabatur euertere ciuitatem.

De sancto Aniano Aurelianensi.

Cap. XII.

Lege Greg. Turonensem lib. 2. Hist. cap. 7.

ERat tunc sanctus Anianus eiusdem vrbis episcopus, cuius precibus inuitatus præfatus Aetius Romanorum Patritius ab Arelato Aurelianum properauit, & vnà cum Theudone, & Thorismodo Theudonis Regis Gothorum filio, Attilam inuasit, & vrbem, ab imminenti periculo, quam iam tenebat obsessam, liberauit.

Agrippini militiũ præfecti pœna, recusantis libertati restituere captiuos ad preces S. Aniani.

Ex gestis eius. Hic sanctus Anianus virtutum insignijs declaratus, Beato Enurtio, vel Euertio in Aurelianensi cathedra successit. Cum igitur ciuitatis illius mœnia solenniter ingressurus esset, petijt ex Agrippino, qui in litibus præerat, vt omnes quos pro varijs criminibus in carcere tenebat inclusos, ob introitus sui gratiam redderet absolutos; quos cum ille omnino resistendo, negaret, lapis magni ponderis ab alto cecidit, eique in verticem illisit. Qua percussione prostratus, & famulorum manibus ad domum propriam deportatus, quantocyus agnouit, quòd idcirco læthalis plaga super eum descenderit, quia præstare noluit, quod vir Dei postulauerat. Sed cum Sanguis ex eius capite fluere non cessaret, & prædictus Pontifex eum, charitatis gratia, visitasset; mox vt eius vulneri manu propria *vexillum crucis* opposuit, riuum sanguinis stringens, eum ab interitu liberauit. Et sic dum vnum correctum oratione saluauit, pro reliquis quos ante petierat impetrauit. Visum est autem, vt Ecclesiam quam eius prædecessor fundauerat, altiori culmine proueheret. Tunc Mellius qui artificibus præerat, de tecto corruens, incurrit mortis periculum, ita vt omni quassato corpusculo, vix vltimo spiritu palpitaret. Ad quem sanctus accurrens *signum Christi porrexit*, apprehensaque dextera, saluti pristinæ in momento eum restituit, atque ad perficiendum opus, quod cœperat, ire mandauit.

Agrippinus restituitur.

S. Anianus Mellij grauiter lapsi quassatim curat.

Qualiter vrbem suam liberauit ab Hunnis.

Cap. XIII.

Hunni Gallias vastant.

INterea gens Hunnorum perfida, cum Rege suo Attila, vagina suæ habitationis egressa, crudeliter in plurimarum gentium frendebat pericula. Cumque Gothis obuiam properans, ad omnem Ligerim peruenisset, & Aurelianensium mœnia vallans, omne malitiæ suæ argumentum in eiusdem vrbis interitum conuertisset; episcopus in Domino confidens, per ambulatorium muri, sanctorum pignora gestans suaui voce cantabat. Tum miser quidem sacerdos à barbaris captus his verbis eum allocutus est: Quod tu modo agis, vnusquisque nostrum in ciuitate sua studiosè peregit, sed nulli profuit. Hæc locutus, diuina vltione statim cecidit mortuus, perpetua pœna condemnatus. Interim hostilis exercitus tela iactabat, etiam arietibus murum quatiebat. Tunc fugiente ad ecclesiam populo, episcopus hortabatur eũ sperare in Domino: ipse verò murum ascendit, & tacitus cœlum aspiciens orauit. Cumque sibi domini auxilium adesse sensisset, repente contra barbaros expuit, tantaque subito pluuiæ moles descendit, & impiorum impetum quatriduana inundatione compressit, vt nequaquam se vllus pugnaturus ex hostibus transferre in locum alterum posset; sed mira Dei potentia cæteruam hostilem sistebat. Cessante igitur nimbo, sanctus episcopus ad Attilam pro populo sibi commisso rogaturus accessit, sed à perfido spretus responso contrario, ciuitatis claustro se retulit. Postera die apertis portarum repagulis, Attilæ Proceres vrbem ingressi sunt, sorteque ad diuidendum populum missa, plaustra onerabant innumera de populi substantia. Cumque sanctus populum admoneret, vt nec sic quoque de Domino desperarent, repente more prophetico translatus est à Domino ad locum, vbi Aetius Patritius, qui rempublicam in Gallijs gubernabat, cum exercitu suo & pariter cum Thorismodo Rege Gothorum degebat. Itaque militi Aulico ostensus, ait. Vade, dic filio meo Aetio, quod si hodie adesse ad ciuitatem distulerit veniendo, iam crastino nihil proderit. His dictis statim recessit. Cumque miles Aetio nuntium retulisset, ille lætus, de victoria iam securus, diuina reuelatione commonitus, vna cum *Thorismodo, & suo atque Gothorum exercitu, concitus Aurelianum pergit, hostes imparatos reperit, magnamque stragem super eos exercuit. Itaque Hunnorum alij succubuerunt gladijs, alij timore coacti, tradebant se gurgiti Ligeris fortituri finem mortis. Sanctus vero Anianus bona pro malis reddens, plures per precem suam eripuit, quos coram se cruciandos aspexit. Lætabatur autem in Christo, quod nullus ex eius ouibus defuisset è numero, nisi qui contra eius præceptum desperasset de Domino, & se populo tradidisset barbarico. Prostrata igitur acerba barbarie, tanta vbertas frugum in Aureliana tellure surrexit, vt dupliciter populus exultaret in Domino, & de ereptione impiæ ferocitatis, & de diuinæ gratia largitatis.

Vide Greg Turon. lib. 2. cap. 7.

Nota rem mirand.

Attila S. Aniani preces reijcit.

Aetium præfectum de aduentu Attila monet.

**al. Thorismundo.*

Attila ab Aetio in fuga vertitur.

Magna lætitia Antistitis & populi.

Anno 451. Attila Aurelianum obsidet teste Sigeberto in Chronicis, & Baron.

Obijt autem sanctus Anianus. 15. Kal. Decembris.

Author. Hæc iuxta Hugonem in præsenti loco inserere volui: cæterum iuxta Sigebertum, Attila Regnum Hunnorum pluribus annis post imperium Honorij legitur suscepisse.

Annotatio.

Hanc admirabilem Aurelianorum liberationem ipsa Aurelianensium ciuitas adhuc hodie prædicat, qua huius liberationis memoriam quotannis facit 14. Iunij. Cæterum quamuis Greg. Turonensis lib 2. cap. 7. in modo, quo liberata sit, cum Vincentio non consentiat, & historiæ à Surio edita id taceat, tamen fuisse S. Aniani precibus liberatam, & victoriam ab Hunnis reportatam ijdem nuthores tradunt. Sed si historiæ huic non credis, crede D. Augustino qui in 22. Ciuit. cap. 8. in Aphrica factitatum fuisse refert.

De morte Honorij, & collationibus Cassiani.

Cap. XIV.

Honorius Imp. obijt.

HVgo vbi supra. Honorius autem Augustus transactis annis decem, quibus imperauerat cum Archadio fratre suo, & alijs iterum 16. annis cum Theodosio nepote suo, humanis rebus excessit.

Ioannes Cassianus eremita.

Author. Claruit eo tempore vir illustris, prudens, & facundus, Ioannes heremita, qui & Cassianus. Hic nescio qua ex causa de ecclesia Constantinopolitana à Ioanne Chrysostomo electus, & in Massiliam Galliæ presbyter ordinatus, multa scripsit, inter quæ etiam compertas in Aegypto vitas patrum, doctrinasque, & regulas, datis ad plurimos libris exposuit.

Primo quidem scripsit ad Castorem Episcopum 12. libros de institutis cœnobiorum, & de 8. principalibus vitiorum remedijs.

Deinde ad Leontium episcopum, & fratrem Helladium. 10. collationes patrum scilicet Moysi, Paphutij, Danielis, Serapionis, Theodori, Sereni, Isaac Abbatum, in eremo Scithiotica commorantium, quas ab eis audierat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Post hæc ad Honoratum episcopum, & Eucherium aliàs 7. trium Anachoretarum in alio Ægypti eremo commorantium, sancti Chæremonis, & Nesterotis, & Ioseph.

Idem habet S. Antonius Archiepiscopus Florentinus par 2. histor. tit. 10

Postremo totidem alias, ad fratres Iouinianum, Mineruium, & Leontium, & Theodorum, quæ sunt, Abbatum Piamonis, Ioannis, Pinusij, Theonæ, Abraham.

Cassiano quantum tribuerit S. Dominicus.

Quæ certe ipsius opuscula multam ædificationem continent animarum, & luculento sermone nitescunt; nec inter multa antiquorum opuscula quicquam ad spirituales profectus, atque perfectionis apicem tendenti vtilius arbitror me legisse. Nam & beatus noster Pater Dominicus, vt in eius vita legitur, librum illum (*qui collationes patrum inscribitur*) studiose legens ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber ille de cordis puritate, de vitijs, & de omnium perfectione virtutum: cuius frequens lectio Christi discipulum, ad multam cordis puritatem, ad contemplationis arcem & totius spiritualis disciplinæ perfectionem, gratia opitulante, prouexit.

ANNOTATIO.

Verùm dicitur liber ille numerari inter apocryphos. dist. 15. Sancta Romana. ibi dum dicitur: Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum. Quod forte ideo est, quia Prosper, cuius doctrina est approbata ab ecclesia in dicto capitulo, & post eum etiam Cassiodorus, arguunt eum, quod plus attribuisset libero arbitrio, minusque gratiæ quam conueniat, in collatione videlicet prima Moysi, & illa Cheremonis de protectione Dei. In quo tamen aliqui, vt Dominus Ioannes Dominici in lib. qui intitulatur amor charitatis, excusant eum dicentes dicta eius posse saluari, si sane & mature intelligantur, & non eo modo quo Prosper, & alij ea exponunt nimis curtiue & superficialiter intelligentes.

De numero, & materia librorum eiusdem.

CAP. XV.

Vide Sixtum Senesem lib. 8. Biblioth. cap. 42.

DE hoc scribit Gennadius in libro virorum illustrium in hunc modum: Cassianus circa Constantinopolim à Ioanne magno episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter, condidit duo monasteria, virorum, scilicet & mulierum, quæ vsque hodie extant. Scripsit experientia magistrante, librato sermone, (& vt apertius dicam) sensu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium monachorum professioni necessarias, id est, de habitu monachi, & de canonica oratione, atque psalmorum modo; quæ in monasterijs Ægypti die noctuque tunc tenebatur, libros tres.

Institutionum lib. 1.

De origine, & qualitate, & remedijs octo principalium vitiorum lib. 8. singulos de singulis vitijs libros expediens.

Digessit etiam collationes cum patribus Ægypti habitas; hoc est.

De destinatione monachi, ac fine.

De discretione.

De tribus ad seruiendum Deo vocationibus.

De pugna carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

De natura omnium vitiorum.

De nece sanctorum.

De mobilitate animæ.

De octo principalibus vitijs.

De qualitate orationis.

De integritate & iugitate orationis.

De perfectis.

De castitate.

De protectione Dei.

De scientia spiritali.

De diuinis carismatibus.

De amicitia.

De finiendo, vel non finiendo.

De tribus antiquis generibus monachorum, & quarto nuper exorto.

De fine cœnobitæ, & eremitæ.

De satisfactione pœnitentiæ.

De remissione quinquagesimæ.

De nocturnis illusionibus.

De eo quod dicit Apostolus: Non enim quod volo, bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.

De mortificatione. Ad extremum rogatus à Leone archidiacono postea vrbis Romæ episcopo, scripsit aduersus Nestorem de incarnatione Domini lib. 7. Et in his scribendi apud Massiliam, & viuendi finem fecit, Theodosio, & Valentiniano regnantibus.

De his autem omnibus eiusdem libris quos reperire potui, pauca hæc quę sequuntur per ordinem excerpsi in hunc modum.

De doctrina eiusdem de habitu monachorum.

CAP. XVI.

EX *libro de institutis monachorum lib. 1. cap. 3.* Vestis sit monachi quæ corpus contegat tantum, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam, non quæ seminaria vanitatis aut elationis enutriat, ita Apostolo prædicante. *Habentes alimenta, & operimenta his, contenti sumus*, id est quæ corpus operiant tantum, non quæ amictus gloriam blandiantur; ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate tuteri cæteros huius propositi viros habeantur insignia, ita studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolorata. Postremo sic ab huius mundi separentur ornatu, vt cultui seruorum Dei in omnibus communia perseuerent. Quicquid enim inter famulos Dei præsumitur ab vno vel paucis, nec catholicæ per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum, aut elatum est, & propter hoc noxium iudicandum. Quamobrem cilicinam vestem velut circunspectam à cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipso non solum nulla spiritui emolumenta possit conferre, sed etiam elationis concipere vanitatem, quæque ad necessarij operis exercitium in quo monachum semper impigrum expeditumque oportet incedere, inhabilis atque inepta sit, omnimode refutarunt: Quod si quosdam hoc amictu circundatos audiuimus probabiles exstitisse, non ex eo nobis monasteriorum est regula sanctienda vel antiqua sanctorum patrum sunt perturbanda decreta; generali namque omnium constitutioni paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia. Illis enim debemus institutis ac regulis indubitatam fidem, & indiscussam obedientiã per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas temporum tantorum, & innumerositas sanctorum patrum concordi diffinitione in posterum propagauit. Nec hoc præiudicare nobis debet, quod vel Ioram sacrilegus Rex Israel, cateruis hostium circumseptus, scissa veste, cilicium habuisse perhibetur intrinsecus, vel quod Niniuitæ ad mitigandum Dei sententiam cilicij asperitate velati sunt, cum & ille ita intrinsecus latenter indutus eo fuerit, vt nisi scisso desuper vestimento à nemine prorsus potuisset intelligi, & isti eo tempore operimentum cilicij ostentarent, quo cunctis super imminenti vrbis euersione lugentibus, eodemque amictu circundatis, nullus posset à quoquam ostentatione notari. Quia nisi insolens sit diuersitas, non offendit æqualitas.

1. Tim. 6.

Sordes non affectanda. Singularitas in veste vitiosa.

Monachi semper expediti ad opus.

1. Reg. 6. Ioan. 1. Cilicium non ostentandũ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De modo psallendi, & orandi.

Cap. XVII.

EX *libro secundo cap.* 3. Per vniuersum Ægyptum, & Thebaidem legitimum orationum modum in vespertinis conuentibus seu nocturnis vigilijs vidimus retentari.

Cap. 3. Nam cum in primordijs fidei pauci quidã, sed probatissimi, monachorum nomine censerentur, qui à Beato Marco, qui primus Alexandriæ vrbis Pontifex præfuit, normam suscepere viuendi. Eo feruore lectioni orationique, & operi manuum diebus ac noctibus incumbebant, vt nec escarum quidem appetitus, vel memoria nisi alio, tertioue die corporis interpellaret inediam. *Magnus veterum Patrũ abstinentiæ rigor.* Cumque pro suo vnusquisque feruore infirmitatis immemor alienæ, id statui debere censeret, quod contemplatione fidei ac roboris sui facillimum iudicabat, parũ discutiens quid generaliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoq; partem maximam reperiri, diuersoque modo enormen psalmorum numerum instituere, pro animi sui virtute certarent, essetque inter eos pro religionis regula piæ contentionis sancta diuersitas; ita vt tempus solennitatis vespertinæ sacratissimę succederet quæstioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque sedentibus cunctis, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim psalmos orationum interiectione distinctos continuis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub *Alleluia* responsione consummans, ab vniuersorum oculis repente subtractus, quæstioni pariter, & cæremonijs finem imposuit.

Cap. 6. Hinc Patrum senatus intelligens, Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem constitutum, decreuit hunc numerum tam in vespertinis, quã in nocturnis conuentionibus custodiri: quibus lectiones geminas adiunxerunt, id est, vnam veteris, & aliam noui testamenti.

Cap. 7. Finito psalmo, non statim ad incuruationem genuum corruunt, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, de refectione potius lassi corporis cogitantes, quã orationis vtilitatem & commoda requirentes. Apud illos non est ita, sed antequam flectant genua paulisper orant, & stantes in supplicatione maiorem temporis partem expendunt. Post hęc puncto breuissimo procidentes humi, velut adorantes tantum diuinam clementiam, summa velocitate consurgunt. Humi namque diutius procumbentes non solum cogitationibus aiunt, verumetiam somno grauius impugnari. Quod etiam nos verum esse vtinam non experimentis, & quotidiana consuetudine nosceremus, qui sæpe eandem incuruationem, non tam orationis, quàm * requietionis obtentu in terram prostrati optamus diutius prolongari.

* al. refectionis.

Adhuc de oratione & vigilia.

Cap. XVIII.

Cap. 10. CVm igitur solennitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt præter illum, qui psalmum decantat in medio, nullus adesse credatur; ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non sputum emittitur; non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissolutis labijs, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria, etiam astantes impeditura promuntur. Nulla vox absque sacerdotis præce concludentis, auditur, nisi forte quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi surrepserit, immoderato atque intollerabili spiritus feruore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non prævalet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Illum vero qui constitutus in tempore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum, quæ prædiximus, è faucibus suis emittit, ac præcipue oscitationibus præuenitur, dupliciter peccare pronunciant. Primò quod orationis suæ reus sit, quod eam negligenter offerat Deo. Secundò quod indisciplinato strepitu, alterius quoque qui forsitan ardentius orare potuit, intercipit sensum. Ideoque præcipiunt eam celeri fine concludi, ne forte immorantibus nobis in ea, redundantia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat nostræ orationis excessum; & idcirco dum adhuc feruet velut è faucibus inimici velociter rapienda est; qui cum sit nobis semper infestus, tunc maxime assistit, cum contra se offerre nos preces Domino velle præuiderit. Quamobrem vtilius censent breues quidem orationes, sed creberrimas fieri.

Sacerdos precationem claudit.

Oscitantem hominem inter orandum dupliciter peccare.

Diabolus infestus monachis tempore orationis.

Cap. 11.

Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur. Ideoque vtilius habent decem versus cum rationabili assignatione cantari, quam totum psalmum cum confusione mentis effundi; quæ nonnunquam pronunciantis festinatione generatur, dum residuorum psalmorum qui decantandi sunt, modum numerumque considerans, non distinctionem sensuum audientibus studet pandere, sed ad finem sinaxis properat peruenire.

Ex libro 3. *cap.* 8. Omni obseruatione custodire conuenit totum diem in operę, ac necessarijs ducere officijs, ne somnum quem nocti subtraximus, resumere per diem vigiliarum lassitudine, & inanitate compulsi, non tam requiem corpori subtraxisse, quãm quietis tẽpus, & refectionem nocturnam commutasse videamur. Totum enim carni huic proculdubio reddet, quisquis ei non rationabiliter partem subtrahere, sed totum tentauerit denegare, & non superflua, sed necessaria voluerit amputare, propter quod maiore fœnore necesse est vigilias compensari, si fuerint vsque ad lucem inconsiderata nimietate protactæ.

Semper enim æquanimius quælibet fatigatio sustinetur, si interiecta ei vicissitudo quædam vel operis immutatio qualiscumque succedat.

Cap. 11.

De forma recipiendi, & instituendi nouitium.

Cap. XIX.

EX *libro quarto cap.* 1. In Thebaide est cœnobium in quo plusquam quinque millia fratrum sub vno Abbate reguntur, tantaque fit obedientia omni æuo, quanta non potest apud nos, vnus vel vni obedire pro modico tempore, vel præesse. *Tabennensiotarum monachorum obedientia.*

Cap. 3. Ambiens quis intra cœnobium recipi, non ante admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius præ foribus excubans, indicium perseuerantiæ, ac desiderij sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstrauerit; omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus atque despectus, tanquam qui non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; iniurijs quoque, & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ, qualis qui futurus sit in tentationibus opprobriorum tolerantia declarauit. *Quo examine probetur, qui in cœnobio suscipiendus est.*

Cap. 4. Cur facultates eius qui collegio monachorum ascribitur, nolint monasterij vsibus applicari.

Et idcirco ne vsibus quidem cœnobij profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescunt; primum, ne confidentia huius oblationis inflatus nequaquam se pauperioribus fratribus coæquare dignetur; tum, ne ea, quæ spiritali feruore succensus intulerat, tepefactus postea non sine iniuria monasterij sacrilego spiritu exigere moliatur.

Cap. 5. Cur hi qui renuncuant sæculo propria vestimẽta deponant, & ab Abbate alijs induantur.

Quamobrem ita nudatus, cum receptus fuerit, omni pristina facultate, vt ne ipsum quidem quo opertus est vestimentum habere permittatur vlterius, sed per manus Abbatis induatur monasterij vestimentis; per hoc se iam operibus sustentandis, non sæculari arte quæsitis, nec de infidelitate pristina reseruatis, sed de sanctis ac monasterij largitionibus militiæ suæ stipendia

perce-

percepturum, atque inde se deinceps vestiendum alendumque cognosces, & nil habere, & nihilominus *de crastino non esse solicitus*, secundum Euangelij discat sententiam.

Math. 6.

Cap. 7.

Nec statim congregationi fratrum commiscetur permittitur, sed deputatur seniori, qui seorsum commanens habet curam peregrinorum, eisque omnem diligentiam susceptionis, & humanitatis impendit. Cumque ibidem integro anno deseruiens absque vlla quærela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hæc prima institutione humilitatis ac patientiæ, alij traditur seniori, qui decem iunioribus præest, quos sibi creditos ab Abbate constituit & gubernat.

Annua probatio.

Cap. 8.

Quibus primum institutis iuniores exerceantur, vt ad superandas omnes concupiscentias proficiant.

Huius hæc erit solicitudo, vt doceat eum primitus suas vincere voluntates: hæc illi semper imperare procurabit de industria, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, monachum, & maxime iuniores, nec voluptatem quidem concupiscentiæ refrænare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. Ideoque pronunciant nullatenus præualere, vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnamque posse retinere concordiam, sed, nec in cœnobio quidem diutius perdurare eum qui prius voluntates suas non didicerit superare.

Cap. 9.

Iunior seniori suo malas suas cogitationes reuelare debet.

Consequenter instituitur nullas penitus cogitationes prurientes in corde pernicioſa confusione celare; sed confestim vt exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori; nec super earum iudicio quicquam suę discretioni cõmittere, sed illud credere malum esse, vel bonum, quod discusserit senioris examen. Generale namque & euidens indictum diabolicę cogitationis esse pronunciant, si eam seniori confundantur aperire.

De distinctione obedientiæ, & disciplinæ.

CAP. XX.

Cap. 10.

Quanta iuniorum obedientia etiã in his quæ naturali necessitati subiecta sunt.

POst hæc tanta obseruantia obedientię regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia, vel permissu, non solum non audeant cellam progredi; sed nec naturali necessitati satisfacere auctoritate sua præsumant; sicque vniuersa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam à Deo sint cælitus edita, sine vlla discussione festinant; & nec impossibilitatem quidem præcepti pro seniori reuerentia metiantur.

Cap. 11.

Summæ reputantur delitiæ, si herba sale condita, quam lapsainum vocant, aqua diluta ad refectionem fratribus apponatur.

Cap. 12.

Ad sonitum pulsantis ostium studio celebriter accurrendi omne opus imperfectum relinquunt.

Cum sonitum audierint ad orationem, eos, vel ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubiculis suis prorumpunt; ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam finire non audeat, sed imperfectam derelinquens non tam operis compendiosa lucra sectetur, quam obedientiæ virtutem, quam non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ, verumetiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia postponenda, & vniuersa dispendia subire contenti sunt, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur.

Cap. 14.

Inter quos nullum peculiare opus, non dicam effectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo penitus affectatur.

Cap. 15. De immodico apud nos studio habendi.

Ad hęc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobijs commorantes ac sub Abbatis cura, & solicitudine constituti, peculiares circumferimus claues. Quique ita nonnunquam pro vilibus nullisque rebus accendimur, eas dumtaxat velut proprias vendicantes, vt si quis, vel digito quicquam contrectare ex his præsumpserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, vt commotionem cordis nostri à labijs, ac tota quidem corporis indignatione reuocare non possimus.

Cap 16.

Si quis igitur gillonem fictilem, quem baucalẽ nuncupant: aut huiusmodi aliud, casu aliquo fregerit, aut perdiderit aliquid; non aliter negligentiam suam, quàm publica diluet pœnitentia. Similiter si superflue, si durius, si contumacius responderit, si lectionem operi vel obedientię præferens, officia statuta segnius fuerit executus; si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinauerit; si alterius tenuerit manum; si cum illo qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumque præsumpserit; si parentum quempiam, vel amicorum sæcularium viderit, vel collocutus eis sine suo fuerit seniore; si epistolam cuiuscunque susceperit; rescribere sine Abbate suo tentauerit; in his inquam, & similibus admissis, procedit animaduersio spiritualis. Residua vero, quę apud nos indifferenter admissa, a nobis quoque reprehensibilius sustinentur, id est aperta conuicia, manifesti contemptus, familiaritas apud fœminas, simultates & iurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur; extraordinaria, ac furtiua cibi refectio, & his similia, plagis emendantur, vel expulsione purgantur.

De regulis diuersarum correptionũ.

De disciplina, & reuerentia in mensa, & vbique omnibus seruanda.

CAP. XXI.

Cap. 17. Cur sit inuentum vt reficientibus fratribus, sacra lectiones in cœnobijs recitentur & quantum apud Ægyptios præbeatur silentiũ.

ILlud autem, vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in cœnobijs recitentur, non tam spiritalis exercitationis causa, quàm compescendæ superfluæ ociosæq; confabulationis gratia, & maxime contentionum, quæ plerumque solent in conuiuijs generari, statuerunt. Tantaque vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras dimissis (ne scilicet liber aspectus habeat copiam curiosius euagandi) nihil amplius intueantur quàm mensam, & appositos cibos, ita vt quemadmodum, vel quantum reficiat alius nullus inuicem notet.

Cap. 18. Quam illicitum sit extra mensam cõmunem quicquam cibi, potusue gustare.

Summa cautione seruatur, ne extra mensam quicquã cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat, vt incedentibus per hortos & pomaria, cũ passim blandeque per arbores poma pendentia non solum obijciãt se pectoribus transeuntium, verumetiam strata per terram conculcanda pedibus offerant, sacrilegium ducatur, non modo ex his quicquam degustare, verum etiam manu contingere, absque eo, quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum œconomi dispensatione per fratrum obsequia publice ministratur.

Cap. 20.

De tribus lẽticula granis ab œconomo repertis.

In septimana cuiusdam fratris cum præteriens œconomus tria lenticulæ grana vidisset iacere in terra, quæ hebdomadario festinanti dum ea præpararet coctioni, inter manus cum aqua qua diluebantur elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit, à quo velut peruersor neglectorq; sacri peculij iudicatus, ab oratione suspensus est, cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non solum enim seipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit in monasterio semel collatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari. Tantaque fide vniuersa procurant atque dispensant, vt etiam ea quæ despectui habentur, & parua reputantur ac vilia, si vel loco mouerint, vel competentius collocauerint, si gillonem aqua impleuerint: si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum. si tenuem festucam de oratorio cellaue submouerint, mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exempla obedientiæ sanctorum Ioannis & Mucij.

Cap. XXII.

Cap. 24. & 26. *Quomodo Ioannes suo obedierit seniori cum niteretur volutare prægrande saxũ quod ne à multis quidem possibile erat moueri.*

BEatus Ioannes in adolescentia seniori deseruiens tanta humilitate, vt ipsi quoque seni stuporem summum obedientia eius incuteret, audiuit ab eo: Curre, inquit, Ioannes, saxum illud huc aduolue quamtocyus. Qui confestim saxum immane, quod turbæ multæ hominum, vel mouere non possent, applicata nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto nisu atque conatu prouoluere contendebat, vt sudore omnium membrorum totum infunderet vestimentum, patum metiens impossibilitatem præcepti, simplicitate sincera qua credebat senem tota fide nil posse incassum ac sine ratione præcipere.

Cap. 27. *De humilitate & obedientia Abbatis Mucij, quam in proijciendo in fluuium paruulo filio ex præcepto senioris non hasitauit implere.*

Mucius abrenunciare desiderans mundo, tamdiu præ foribus monasterij excubans perduranit, donec contra omnem consuetudinem cœnobiorum cum filio suo paruulo, qui octo circiter erat annorum, vt susciperetur, eliceret. Confestim cellæ habitatione seiuncti sunt, vt quemadmodum se iam diuitem non esse sciebat, ita etiam patrem se esse nesciret. Quod vt plenius probaretur, vtrum videlicet plus faceret affectione sanguinis, an obedientia, de industria negligebatur paruulus, pannis potius quam vestimentis indutus, colaphis atque alapis expositus diuersorum, quas plerumque sub obtutibus suis innocenti paruulo etiam gratis cernebat inferri, ita vt nunquam genas eius nisi lachrymarum sordentibus vestigijs videret infectas, pro amore nihilominus Christi, & obedientiæ virtute rigida semper atque immobilia patris viscera permanserunt. Non enim iam reputabat suum filium, quem secum pariter obtulerat Christo. Cœnobij senior ad comprobandam penitus animi eius constantiam, cum plorare quadam die vidisset infantem, simulans se aduersus eum commotum, præcepit patri, vt eum iactaret in flumen. Tunc ille velut à Domino sibi esset hoc præceptum, confestim celeri cursu rapiens filium vlnis propijs vsque ad oram fluminis aduexit iactaturus, quod profecto fuisset consummatum nisi procurati de industria fuissent fratres, qui solicitè ripam fluminis obsiderent, proiectum iam & quodammodo de fluminis alueo paruulum raperent.

Cap. 28. Reuelatum est continuo seniori, hac eum obedientia Abrahæ patriarchæ opus impleſſe.

De peregrinatione Abbatis Pynusij causa humilitatis.

Cap. XXIII.

Cap. 30. *De Abbatis Pinusij humilitate, qui relicto cœnobio celeberrimo cui præerat longinquum monasterium in quo velut incipiens susciperetur, desiderio subiectionis expetijt.*

VIdimus Abbatem Pynusium qui cum esset immanis cœnobij presbyter in Ægypto, cunctis honorabilis, videns se pro hoc ipso humilitatem, exercere non posse, nec habere quo virtutem desideratæ subiectionis extenderet, clam fugiens de cœnobio, secessit solus in Thebaidos vltimas partes: Ibique assumpta sęculari veste cœnobium Tabennensiotarum expetijt, quod sciebat cunctis esse districtius, & in quo se credidit facile posse celari. Vbi diutissime pro foribus perseuerans, vt susciperetur summis precibus institit. Cumque multo despectu tandem fuisset admissus, quod scilicet decrepitus senex ingredi cœnobium postularet, quo tempore nec iam deseruire quidem suis voluptatibus prȩualeret, ac ne hoc ipsum quidem causa religionis expetere eum assererent, sed famis, & inopiæ necessitate astrictum, vt seni nullique operi apta, horti cura mandatur. Quam sub alio fratre iuniore, qui eum sibi creditum retinebat exercens, sic ei subdebatur, vt non solum ea, quæ ad horti curam pertinebant, verum etiam vniuersa officia, quæ cunctis erant aspera, vel indigna, tota sedulitate quotidie compleret. Complura etiam nocte consurgens, ita furtim efficiebat, vt authorem operis nemo deprehenderet. Cumque ibidem triennio delitescens dispersis per vniuersam Ægyptum vbique fratribus quæreretur, à quodam tandem visus, vix potuit pro humilitate habitus ac vilitate officij, quod gerebat agnosci. Nam sarculo laxabat oleribus terram, deinde stercus humeris suis aduectans eorum radicibus ingerebat. Hæc intuens frater, ad pedes eius procidens stuporem summum cunctis incussit, cur istud fecerit ei qui apud ipsos velut nouicius, ac de sæculo nuper egressus habebatur extremus. Post vero miraculo sunt maiore perculsi, cum eius nomen, quod apud ipsos quoque magna fuerat opinione compertum, prodidisset, à quo vniuersi fratres prioris ignorantiæ veniam postulantes, quod eum tanto tempore inter iuniores ac paruulos deputassent, inuitum ac flentem, quod inuidia diaboli digna sibi fuisset couuersatione atque humilitate fraudatus, quam diutissime requisitam tandem aliquando se inuenisse gaudebat, nec meruisset vitam suam in illa quam arripuerat subiectione finire, ad proprium cœnobium reduxerunt.

De nouitio quem in ingressu de norma religionis instruxit.

Cap. XXIV.

Cap. 32. HVnc igitur senem cum post hæc in Ægypto studiosissime requisissemus, exhortationem hanc dedit fratri, quem sub nostra præsentia in cœnobio suo recipiebat. Nosti, ait, quot diebus præ foribus excubans hodie sis receptus, cuius difficultatis cautam primitus debes agnoscere.

Cap. 33. Sicut namque immensa gloria fideliter seruientibus Deo ac secundum regulæ huius institutionem ei cohærentibus repromittitur in futurum ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepide eam negligenterque fuerint executi, & secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint, quia *maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Ideo igitur à nobis diutissime refutatus es, non quia tuam, vel salutem omnium, non toto desiderio cupiamus amplecti, & his qui ad Christum cupiunt peruenire, etiam procul occurrere non optemus: sed ne temere recipientes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipsum reum grauioris supplicij faceremus, si ad præsens facile susceptus, nec pondus professionis huius intelligens, vel destitutor post hæc, vel tepidus extitisses.

Ierem. 48. *Cur non debeat quis facile admitti in monasterio.*

Caue ergo ne quid aliquando eorum resumas, quæ renuncians abiecisti, & contra Domini interdictum de agro euangelicæ operationis reuersus, inueniaris tunica tua, qua te expoliaueras, reuestiri, caue ne parentum, ne affectionis pristinę recorderis. Caue ne quando superbiam, quam nunc incipiens ardore fidei ac pia humilitate calcasti, cum cœperis Psalmorum, vel professionis huius quandam notitiam, degustare paulatim elatus resuscitare mediteris. In hac quoque humilitate ac patientia qua vt susceperis in monasterio decem diebus præ foribus perseueraus multis lachrymis imploraſti, non solummodo persistas, verumetiam proficias atque succrescas. Satis enim miserum est, vt cum debes à rudimentis ac primordijs tuis prouehi, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipsis incipias ad inferiora decidere. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam &c.* Considera ergo te de paucis & electis effectum, te ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri mereatis in regno Dei. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Et pusillus est grex cui complacuit patri hæreditatem dare.* Itaque non leue noueris esse peccatum, perfectionem professum quempiam, ea, quæ sunt imperfecta sectari. Ad quem perfectionis statum his gradibus atque hoc ordine peruenitur.

Cap. 36. Matth. 24. *Quod renũciatio nostra nihil prosit, si ijsdem quibus renũciamus implicemur.*

Actorum 14. Matth 20. & 22. Luc. 12.

De decem

De decem humilitatis indicijs.

Cap. XXV.

Cap. 39. *Principium nostræ salutis* eiusdemq; custodia, *timor Domini est*; per hunc enim, & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui cum penetrauerit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione facultatum omnium, humilitas acquiritur. Humilitas vero his indicijs comprobatur: Primo, si mortificatas in se habeat omnes voluntates. Secundo, si non solum actuum suorum, verumetiam cogitationum nihil suo celauerit seniori. Tertio, si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens libenter auscultet. Quarto, si in omnibus seruet obedientiam mansuetudinem, & patientiæ constantiam. Quinto, si non solum iniuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur. Sexto, si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis regula, vel maiorum cohortantur exempla. Septimo, si omni vilitate contentus sit, & ad omnia, se, quæ sibi præcipiũtur velut operarium malum iudicauerit, & indignum. Octauo, si semetipsum cunctis inferiorem non superficie pronunciat labiorum, sed intimo cordis credat affectu. Nono, si linguam cohibeat, vel non sit clamorosus in voce. Decimo, si non sit facilis, ac promptus in risu.

De temperantia gulæ.

Cap. XXVI.

Ex libro quinto cap. 3. Non qualitas sola, sed etiam quantitas escarum, aciem cordis obtundit, ac mente cum carne pariter impinguata, noxium vitiorum fomitem igneumque succendit.

Cap. 6. Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxuriæ parit. Sodomitis causa subuersionis atque luxuriæ non vini crapula, sed saturitas extitit panis.

Cap. 7. Facilius vidimus victos qui ab escis corpulentioribus omnimodis temperarent, quàs moderare vsus pro necessitate concedit, & qui totum sibi pro continentiæ amore denegarẽt: quam qui eas sub infirmitatis occasione sumentes, mensuram sufficientiæ custodirent. Habet etiam corporis imbecillitas continentiæ suæ palmam, dummodo escis defectioni carnis indultis ad huc se indigentem refectione defraudet, tantumque esui indulgeat, quantum sufficere ad vsum viuendi temperantiæ discretio rigida iudicauerit, non quantum desiderij appetitus exposcit. Quamobrem vt nulli statui virtus parsimoniæ adimitur, ita nec integritatis quidem consummatio denegatur.

Cap. 9. Vtilis quidem & omnimode obseruanda est canonica ieiuniorum custodia, sed nisi hanc temperanter fuerit ciborum refectio subsecuta ad integritatem mentis non poterit peruenire, integritas enim mentis ventris cohæret inediæ. Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quam per interualla arduum longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia non modo mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere, lassitudinem corporis eneruatam.

Ad conseruandum puritatem mentis abstinentia ciborum non solum sufficit.

Cap. 11. Impossibile namque est ignita extingui corporis incentiua priusquam cæterorum quoque principaliũ vitiorum fomites radicitus excidantur.

Cap. 14. Prima nobis est calcanda gulæ concupiscentia, & eousque extenuanda mens non solum ieiunijs, verumetiam vigilijs, lectione quoque, & crebra compunctione, donec eiusmodi meditationibus occupata pariter ac possessa, ipsius cibi refectionem, non tam iucunditati cõcessam, quàm oneris vice sibi impositam recognoscat.

Illud enim est cunctorum luctaminum fundamentum, vt primitus carnalium desideriorum incentiua perimantur. Non enim meremur mentis robore conquisito grauiores pugnas nequitiarum cælestium experiri, qui carnem fragilem resistentem spiritui nostro subiugare nequiuimus.

Cap. 16.

Cap. 20. Qui enim gulæ superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ valebit extinguere? Et qui nequiuit passiones in pro patulo sitas paruasque compescere, qualiter occultas nulloque hominum teste prurientes, poterit debellare.

Cap. 21. Non enim nobis est aduersarius extrinsecus formidandus, in nobisipsis hostis incluſus est. Intestinum nobis quotidie ingeritur bellum dẽuicto eo, omnia, quæ forinsecus sunt reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt, & subdita.

De ieiunio spirituali, & quid edendum, & quando, & qualiter abstinendum.

Cap. XXVII.

Cap. 22. Nec solum nobis ieiunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis & corporis puritatem sufficere posse credamus, nisi fuerit huic animæ quoque ieiunium copulatum. Habet namque & illa suos noxios cibos, quibus impingua ta, ad luxuriæ præcipita deuoluitur: Detractio cibus est eius, & quidem persuauis; Ira etiam cibus est eius, licet minime leuis. Inuidia cibus est mentis, virulentis eam succis corrumpens, & prosperitate alieni successus iugiter miseram excruciare non desinens. Cenodoxia, delectabilis equè esca permulcet, post vero, vacuam omnique virtute spoliatam reddit.

Cap. 23. Igitur est cibus eligendus non tantum, qui concupiscentiæ flagrantes æstus temperet, minusque succendat; verumetiam qui ad parandum sit facilis, & ad comedendum opportunior, viliotis pretij compendium præstet, quique sit conuersationi fratrum vsuique communis. Triplex enim est natura gastrimargiæ: Vna quæ canonicam refectionis horam præuenire compellit: Alia quæ tantummodo ventris ingluuie & saturitate quarumlibet gaudet escarum: Tertia, quæ exquisitoribus epulis & esculentioribus delectatur.

Qualis esse monachi cibus debeat

Cap. 24. Cum Aegypti prouinciam petissemus, ibique nos tanta alacritate cordis suscipi miraremur, vt nulla prorsus, vsque ad præstitutam ieiunij horam refectionis regula seruaretur, sed absque legitimis quartæ sextæque ferijs, quocunque pergebamus quotidiana statio solueretur; quidam seniorum percunctantibus nobis, cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana ieiunia; respondit: Ieiunium semper est, mecum iugiter tenere non valeo.

Quod in Aegypto indifferenter vidit sub aduentu nostro solui quotidiana ieiunia.

Cap. 25. Quidam seniorum cum reficientem me, vt adhuc paululum quid ederem hortaretur, iamque me dixisse non posse, respondit: Ego iam sexies diuersis aduenientibns fratribus mensas posui, hortansque singulos cum omnibus cibum sumpsi, & adhuc esurio, & tu primitus, nunc reficiens iam te dicis non posse.

Cap. 26. Itaque vt norunt in aduentu fratrum indifferenter soluere quotidiana ieiunia, ita discedentibus eis, refectionem ab illis indultam continentia maiore compehsant.

Cap. 29. Vidimus senem Machetem nomine, hanc à domino gratiam diuturnis precibus impetrasse, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritualis nunquam somni torpore penitus laxaretur. Si quis vero detractionis verbum seu ociosum tentasset inferre, in somnum protinus concidebat, ac ne vsque ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De continentia, & charitate.

Cap. XXVIII.

Quid interſit inter caſtitatem & continentiã, & an vtraque ſimul ſemper habeatur.

EX *libro ſexto cap.* 4. Aliud eſt continentem eſſe, aliud caſtum, & vt ita dicam in effectum integritatis, vel incorruptionis tranſire, quod dicitur agon. Quæ virtus illis tribuitur maxime, qui virgines, vel mente vel carne perdurant, vt vterque Ioannes in nouo teſtimonio, in veteri quoque Elias, Hieremias, Daniel, fuiſſe noſcuntur. In quorum gradu hi quoque reputantur, qui poſt experimenta corruptionis, ad ſimilem puritatis ſtatum per laborem longum & induſtriam, integritate mentis & corporis peruenerunt; & aculeos carnis non tam impugnatione concupiſcentiæ turpis, quàm naturæ tantum modo ſentiunt motu, quem ſtatum dicimus difficillime poſſe inter hominum turbas apprehendi; cæterum continentes multos exiſtere non dubitamus, qui impugnationem carnis, quam vel raro, vel quotidie ſuſtinent, ſeu metu gehennæ ſeu deſiderio regni cœlorum compeſcunt. Quos ſeniores, ſicut pronunciant poſſe non penitus incentiuis obtui vitiorum, ita ſecuros & inſaucios ſemper exiſtere non poſſe definiunt. Neceſſe eſt enim vnumquemque in colluctatione poſitum, quamuis frequenter aduerſarium vincat ac ſuperet, & ipſum tamen aliquando turbari.

Cap. 6.

De peculiari grati a Dei ad caſtitatis conſecutionem neceſſaria.

Quodammodo enim exire de carne eſt in corpore commorantem, & vltra naturam eſt fragili carne circumdatum, carnis aculeos non ſentire. Nulla etenim virtute tam propriè carnales homines ſpiritualibus Angelis imitatione conuerſationis æquantur, quàm merito & gratia caſtitatis.

Cap 10.

Quod ſit indicium perfecta & integra puritatis.

Cuius puritatis euidens hoc erit indicium, ſi vt nulla imago illiciens, nobis in ſoporem laxatis occurrat, vel interpellans nullos concupiſcentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minime computetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium eſt, nec ad purum excocti vitij manifeſtatio cum per fallaces imagines huiuſmodi operatur illuſio.

Cap. 11.

Quo vitio illuſio nocturna procedat.

Qualitas enim cogitationum, quæ in diſtenſionibus diei negligentius cuſtoditur, probatur quiete nocturna; & idcirco cum interceſſerit aliqua talis illuſio, non culpa ſomni credenda eſt, ſed negligentia temporis præcedentis, & manifeſtatio morbi latentis intrinſecus, vt ſolent malæ quoque valetudines corporum, non ea colligi tempeſtate in qua videntur emergere, ſed negligentia ſunt præteriti temporis acquiſitæ, quo paſtus quis imprudenter eſcis ſãluti cõtrarijs, noxios humores ſibimet lethaleſque contraxit. Quamobrem illius præcepti iugiter meminiſſe debemus.

Cap. 12. *Prouerb.* 4.

Omni cuſtodia ſerua cor tuum.

Fertur ſancti Baſilij Cæſarienſis ſententia: *Et mulierem*, inquit *ignoro, & virgo non ſum*. In tantum intellexit incorruptionem carnis, non tam in mulieris eſſe abſtinentia, quam in integritate cordis.

Cap. 19.

Cap. 23.

Remedia curationis quibus perfecta poſſit cordis & corporis noſtri puritas permanere

Igitur vt hæ illuſiones ne dormientibus quidem nobis ſurripere valeant, æquale moderatumque ſemper eſt tenendum ieiunium. Quiſquis enim menſuram diſtrictionis excedit, neceſſe eſt vt modum quoque remiſſionis excedat: nunc quidem nimia inanitate defectus, nunc autem cibo propenſiore diſtentus. Deinde iugis humilitas ac patientia cordis eſt adhibenda aduerſus iram vel cæteras paſſiones, vbi enim furoris inſederit virus, libidinis quoque neceſſe eſt incendium penetrare. Ante omnia vero peruigil neceſſaria eſt ſolicitudo nocturna, nam ſicut puritas & cuſtodia diei nocturnam præparant caſtitatem; ita nocturnæ vigiliæ cordi pariter & obſeruationi diuturnæ ſtatum ſolidiſſimum, roburque permittunt.

De auaritia & proprietate Monachi.

Cap. XXIX.

De ſpiritu Philargyria.

EX *libro ſeptimo cap.* 1. Tertius nobis conflictus eſt aduerſus philargyriam, id eſt amorem pecuniarum, ſiue contra peregrinum bellum, & extra naturam. Cætera namque vitiorum incitamenta humanæ inſerta naturæ, & quodammodo inuiſcerata carni, propemodum coæua natiuitati, diſcretionem boni malique præueniũt; & licèt prima arripiant hominem, longo tamen labore vincuntur.

Cap. 2.

Hic verò morbus poſterius ſuperueniens & extrinſecus accedens animæ, quanto facilius caueri poteſt ac reſpui, tanto neglectus & intromiſſus ſemel cordi fit pernicioſior cunctis, difficiliuſque propellitur. Malorum omnium radix efficitur.

Cap. 7.

Hæc igitur eum remiſſam tepidamque poſſederit monachi mentem, quoſdam velut rationabiles ei colores ob quos vel reſeruare ſibi aliquid pecuniæ debeat, vel parate deſcribit. Nam ex ea quæ præbentur in monaſterio quæritur non eſſe ſufficientia, & ſano robuſtoque corpore vix poſſe tolerari. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, miſere eſſe moriendum. Itaque cum huiuſcemodi cogitationibus laqueauerit mentem, qualiter vnum ſaltem denarium acquirere poſſit, excogitat. Cumque illi hoc ex voto ceſſerit, auidior fames auri accreſcit. Cum pecuniæ incremento rabies cupiditatis augetur. Tum deinde vita longæua promittitur, ſenectus incurua, infirmitates diuerſæ atque prolixæ, quæ niſi maior ſumma in iuuentute fuerit præparata, tolerari in ſenecta non poſſunt. Itaque infelix anima ſempiternis nexibus obligata, nihil aliud reſpicit cordis intuitu, quàm vnde pecuniam parare valeat, per quam poſſit de monaſterij diſciplina quantocius euolare, nullam exhibens fidem vbi potuerit nummi ſpes aliqua refulgere. Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorreſcit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore ſuppleri. ficque per omnia ſicut alijs venter, ita huic aurum & ſpes lucri pro Deo.

Quibus vitijs philargyria generetur, vel quantorum malorum ſit eadem procreatrix.

Cap. 8. Philargyria omnes virtutes impedit.

Nullam deinceps humilitatis, charitatis, obedientiæ non dicam virtutem, ſed ne vmbram quidem retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad ſingula opera murmurat atque ſuſpirat. Nec victu quotidiano, nec ſolito indumento contentus, non ſe diutius hæc toleraturum eſſe teſtatur, Deum quoque non ibi ſolummodo eſſe proclamat, nec ſalutem ſuam in illo tantum loco eſſe concluſam.

Cap. 9.

Itaque inſtabilitatis ſuæ habens viaticum nummos inſolenter ad omnia præcepta reſpondet; & tanquam peregrinum extraneumque ſe gerens, quæcunque indigentia correctione perſpexerit, contemnit. Cumque furtim poſſideat pecuniam, nec calciamenta quidem ac veſtimenta ſe habere conqueritur, darique ſibi tardius indignatur. Deinde occaſiones quibus offendi, vel iraſci debeat ſtudioſe perquirit, ne leuiter motus de cænobij diſciplina videatur exire. Nec ſolus tamen tranſmigrare contentus, ne tanquam ſuo vitio deſeruiſſe credatur, quantos potuerit ſuſurrationibus clandeſtinis deprauare non deſinit. Diſceſſus ſolatium & excuſationem leuitatis, non ſe aliter credens, quàm nota vel macula monaſterij reperturum.

Quod monachus habens pecunias in cœnobio permanere non poſſit.

De tribus eiuſdem vitij ſpeciebus.

Cap. XXX.

Cap. 14. 4. *Reg.* 3.

TRiplex itaque eſt huius valetudinis morbus, cuius exempla in ſcripturis ſanctis inuenimus, non leui pœna fuiſſe damnata Nam Giezi ea, quæ nec antea quidem poſſederat, volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ poſſidere non meruit, quam per ſucceſſionem velut hæreditariam à ſuo habuit magiſtro

ſuſcipere;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

suscipere; verum etiam econtrario æterna lepra sancti Eliſei maledictione perfunditur. Iudas volens resumere pecunias quas antea Christum secutus abiecerat, non solum ad perditionem domini lapsus, Apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam Biothanati morte conclusit. Ananias & Saphira reseruantes partem quam dam, ex his, quæ possederant, Apostolico ore morte mulctantur.

Alij vero auaritiæ occasione, Domini sententiam oorrumpere, atque suum desiderium gestiunt deprauare; nec suam vitam nec intellectum scripturarum sensui coaptantes, sed vim scripturis pro desiderio suæ libidinis inferentes, consentire eas suis opinionibus volunt. Aiuntque scriptum esse: *Beatius est magis dare, quàm accipere*. Cuius interpretatione prauissima, eneruatam domini putant illam esse sententiam, qua dicitur. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus &c.* beatiores, scilicet se pronunciãtes, si pristinis suffulti substantijs, alijs quoque de earum superabundantia largiantur: dum erubescunt pro Christo glorioſam cum Apostolis suscipere nuditatem.

Itaque si agonem spiritualem, & certare legitime cupimus, hunc quoque pernitiosum hostem a cordibus nostris extrudamus. Quem quantum superare non magnæ virtutis est, tantum ab eo vinci ignominiosum plenumque dedecoris.

Respice Iudam, cum ob hoc loculos dispensationi pauperum deputatos sibi creditos accepisset, vt saltem pecuniarum abundantia satiatus, concupiscentiæ suæ modum imponeret; in tãtum fomitem cupiditatis exarsit, vt iam non loculos clanculo compilare, sed ipsum Dominum venundare maluerit. Vniuersas enim diuitiarum moles, cupiditatis huius exuperat rabies.

Denique princeps Apostolorum Ananiam & Saphiram, quia sibi quippiam de sua facultate reseruauerant, morte mulctauit. Quanta in hoc quoque facinoris ac supplicij similitudo concurrit. Ibi namque philargyriam proditio: hic falsitas subsecuta est. Ibi veritas proditur, hic mendacij crimen admittitur. Ille refugiens paupertatem, resumere quæ abiecerat concupiuit, hi ne fierent pauperes de substantia sua retinere tentauerunt. Itaque si in eos, qui non alienas concupierunt substantias, sed proprijs parcere tentauerunt, processit tam seuera sententia; quid censendum de his, qui nunquam possessa cupiunt congregare, & nuditatem coram hominibus præferentes, affectu concupiscentiæ coram Deo diuites comprobantur.

Cõstitutus in agro atque operatione virtutu, substãtia mundi qua te renuncians spoliasti, quid recurrens niteris reuestiri! Si vero paupertate præuentus, nihil quod dimitteres habuisti, multomagis acquirere nõ debes, quod antea non possedisti. Ob id enim ita domini beneficio præparatus es, vt expeditior ad eum nullis pecuniarum laqueis impeditus accurreres.

De ira perniciosa, & salubri.

Cap. XXXI.

Quartum certamen est iræ. *Omnis*, inquit, *ira & indignatio & clamor, & blasphemia tollatur a vobis*. Cum dicit *omnis ira*, nullam penitus velut necessariam, & vtilem nobis excipit. Delinquentemque fratrem si necesse est, ita quisque curare festinet, vt dum medelam leuiori forsitan febricula laboranti procurat inferre, non semetipsum iratus deteriori morbo cæcitatis inuoluat. Oportet namque aliquando illum qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbo alienum subsistere.

Qualibet ex causa iracundiæ motus efferuẽs excæcat oculos cordis, & acumini visus exitialem validioris morbi ingerens trabem, solem iustitiæ non sinit intueri. Habemus sane iræ ministerium satis commode nobis insertum, ad quod solum eam recipere vtile nobis est ac salubre, cum contra lasciuientes cordis nostri motus indignantes infremimus; & ea quę agere confundimur coram hominibus, vel proloqui, in latebras ascendisse nostri pectoris indignamur; Angelorum scilicet ac Dei ipsius præsentiam vbique trementes.

Vel certe cum contra hãc ipsam iram, cur à nobis aduersus fratrem irrepserit commouemur, & irati lætales instigationes eius extrudimus. Taliter irasci docet nos propheta: *Irascimini*, inquit, *& nolite peccare*. Ille etenim cum aquam de cisterna Bethleem concupisset, eamque à viris fortibus per medias hostium cateruas suscepisset allatam, protinus effudit in terram; & ita voluptuosam concupiscentiæ passionem iratus extinguens, libauit eam Domino, & cupiditatis suæ desiderium non expleuit, dicens: *Propitius sit mihi Deus, ne faciam hoc. Num sanguinem istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum non bibam!* Vel cum vellet Abisai conuicij regalis vltionem truncatione capitis explere, Dauid indignatione pia commotus, hum litatis modum & patientiæ rigorem in cõcussa lenitate seruauit, dicens: *Quid mihi & tibi &c.* Iubemur itaque irasci salubriter, sed nobismetipsis, ac suggestionibus grauis.

Aduersus eos in quos commoti fuerint rãcorem animi reseruantes, negant quidam se verbis irasci, sed re ipsa & opere indignari comprobantur. Nam neque congruo sermone eos compellunt, nec affabilitate eis solita colloquuntur; Et eos se minime delinquere putant, quo vindictam suæ commotionis non expetunt. Quam tamen, quia proferre palam & exercere, aut non audent aut certe non possunt, in suam perniciem virus iracundiæ retorquentes, concoquunt eam in corde, taciti ac silentes in semetipsis consumunt; amaritudinem tristitiæ non virtute animi protinus expellentes, sed digerentes processu dierum, & vtrumque pro tempore mitigantes, quasi vero in effectu solummodo sit iracundia moderanda, & non potius ab arcanis nostri pectoris eruenda, & tenebris illius obscurati, nec consilij salubris, nec scientiæ lumen admittere, sed nec templum spiritussancti, habitante in nobis spiritu iracundia nequaquam valeamus existere. Cohibitus enim in corde furor, astantes quidem homines non offendit, sed æque spiritussancti splendidissimum iubar, ac si prolatus, excludit.

Aut quemadmodum vel ad momentum vult eam Dominus retentari, qui nec sacrificia quidem spiritualia orationum nostrarum permittit offerri; si vel alium contra nos aliquid rancoris habere cognoscimus.

Non enim ita nostris obsequijs communis omnium Dominus delectatur, vt quod in vno acquirit, perdat in altero, dominante tristitia. In cuiuslibet namque dispendio vnum patitur detrimentum, qui eodem modo omnium famulorum suorum salutem desiderat & expectat. Et idcirco æque, habente aduersus nos fratre, inefficax erit oratio nostra, ac si nos aduersus eum indignationem reseruemus.

Sed quid diutius præceptis euangelicis atque Apostolicis immoramur, cum etiam vera lex, quę aliquid remissionis habere videtur, hæc eadem præcauet dicens. *Ne oderis fratrem in corde tuo*. Et iterum: *Non eris memor iniuriæ*. Non solum iniuriæ retributio, sed etiam ipsa memoria radicitus iubetur euelli.

De illis qui præ superbia, vel impatientia solitudinem requirunt.

Cap. XXXII.

Interdum superbia, vel impatientia superati, cum inconditos mores nostros nolumus emendare, solitudinem nos desiderare conquerimur, tanquam ibi nullis nos concitantibus, illico virtutem patientiæ reperturi; excusantes negligentiam nostram, causamque commotionis non nostra dicentes impatientia, sed fra-

trum

Matth. 26. — Cap. 16. — Actor. 20. — Matth. 19. — Cap. 20. — Cap. 24. — Exemplum de Iuda — Cap. 25. Actor. 5. — De exitu Ananiæ, Saphiræ, & Iudæ quem philargyria impellente subierunt — Cap. 27. — Ex libro octauo cap. 1. & 5. — Ephes. 4. — Cap. 6.

Cap. 7. — Psal. 4. — 2. Reg 23. — 1. Reg. 16. — Cap. 8. Cap. 10. — Cap. 11. — Cap. 12. — Cap. 13. — Cap. 14. — Leui. 19. — Cap. 15. Notat eos qui impatientia sua causas in alias conijciunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

trum vitio generari. Dumque in altos erroris noſtri vergimus cauſas, nunquam ad patientiæ ac perfectionis calcem valebimus peruenire.

Cap. 16. Summa igitur emendationis ac tranquillitatis noſtræ, non eſt in alterius arbitrio collocanda, quod noſtræ non ſubiacet poteſtati: quia vt non iraſcamur, non debet ex alterius perfectione, ſed ex noſtra virtute deſcendere, quæ non aliena patientia, ſed propria longanimitate conquiritur.

Cap. 17. Porro eremum, perfectos omnique vitio curatos oportet expetere, & excoctis ad purum in cõgregatione fratrum vitijs, non puſillanimitatis perfugio, ſed diuinæ contemplationis obtentu intrare; quæ non niſi in ſolitudine à perfectis ſolummodo poterit apprehendi. *Quo ſtudio eremum debeamus expetere.* Quæcunque enim vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis & non abolita ſentientur. Solitudo namque ſicut nouit emendatis moribus contemplationem puriſſimam reſerare, ita eorum, qui minus emendati ſunt vitia non ſolum ſeruare, verumetiam exaggerare conſueuit. Tamdiuque ſibi patiens quis videtur & humilis, donec nullius hominum commiſcetur conſortio, ad naturam priſtinam mox reuerſurus, cum interpellauerit cuiuſlibet commotionis occaſio. Emergunt quippe ex eo confeſtim vitia, quæ latebant, & velut equi infrenes certatim è ſuis repagulis ocio longiore nutriti, acrius ad perniciem aurigæ proprij, ferociuſque prorumpunt. Magis enim exercitio vſuque humano ceſſante efferuntur vitia in nobis, niſi fuerint antea purgata, ipſamque vmbram patientiæ quam poſſidere imaginarie permixti fratribus ſaltem pro eorum reuerentia, & nota publica videbamur, deſidia ſecuritatis amittimus.

Cap. 18. Quaſi vero vniuerſa virulenta ſerpentium genera vel ferarum, cum ſuis in cubilibus immorantur, pronunciari poſſint innoxia, quia nulli nocent, hoc enim eis non affectus bonitatis, ſed neceſſitas ſolitudinis confert.

Quod nec etiam contra inſenſibiles creaturas iraſci liceat.

Cap. XXXIII.

Impatientes atque iracũdos eſſe frequenter etiã illos qui ab hominibus non prouocantur. Ideoque perfectionem quærentibus non ſufficit contra hominem non iraſci. Meminimus enim in ſolitudine commorantibus nobis contra calamum cum aut groſſitudo eius aut exilitas diſpliceret, contrave ſcalpellum cum incendia hebeti acie ſegniter execaret; ita indignationis irrepſiſſe motum, vt non alias perturbationem mentis, quàm vel contra inſenſibiles materias, vel certe aduerſus Diabolum maledictione prolata digerere, atque euaporare poſſemus. Quamobrem ad perfectionis rationem ſatis non proderit abeſſe homines, in quos ira moueamur, cum etiam erga res mutas exerceri poſſit: niſi forte in eo putemus commotionibus noſtris aliquod remedium comparari, quod maledictionibus vel iracundiæ noſtræ minime res in animatæ reſpondeant, & intemperantia cordis noſtri ad maiorem nequaquam prouocent inſaniam.

Cap. 19. Matth. 5. Quapropter ſi illam ſummam diuini præmij cupimus adipiſci, de qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: non ſolum è noſtris actionibus hæc amputanda eſt, ſed etiam de internis animæ actibus radicitus extirpanda. *Radices* enim *vitiorum potius excidi* præcipiantur, *quàm fructus*, a Domino, qui non ſolum pro ope rationis effectu, ſed etiam pro voluntatis deſiderio vnicuique aut præmium reddit aut pœnam, ſecundum illud: *Ego autem opera eorum & cogitationes venio, vt congregem.* *Iſai. 66.*

Cap. 20. Matth. 5. In eo autem quod in quibuſdam exemplaribus inuenitur. *Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa reus erit iudicio*, ſuperfluum eſt ab his adiectum, qui amputandam iram pro iuſtis cauſis minime putauerunt, qui propoſitum non intellexerunt ſcripturæ, volentis fomitem iracundiæ omnimodis amputare. Finis enim patientiæ non iraſcendo iuſtè, ſed penitus non iraſcendo conſiſtit.

Cap. 21. Remedia quibus iram de cordibus noſtris eradicare poſſumus. Cuius morbi hæc erit medicina perfecta, vt primitus credamus nullo modo ſiue iuſtis ſiue iniuſtis ex cauſis nobis licere iraſci; ſcientes nos diſcretionis lumen, & iuſtitiæ moderamina protinus amiſſuros, ſi principale cordis noſtri eius fuerit tenebris obſcuratum, tum deinde puritatem mentis noſtræ mox perturbandã, templumque eam Spiritusſancti effici omnino non poſſe, iracundiæ in nobis ſpiritu commorante. Poſtremo vt cogitemus nequaquam licere nobis orare, nec iratos fundere preces ad Deum. Et præ omnibus incertum ſtatum conditionis humanæ præ oculis habentes, quotidie nos credamus a corpore migraturos.

De triſtitia pernicioſa, & ſalubri.

Cap. XXXIV.

De ſpiritu triſtitiæ. EX *libro nono cap.* 1. Quinto nobis certamine edacis triſtitiæ ſtimuli retũdendi ſunt; quæ ſi paſſim per ſingulos incurſus, & incertos ac varios caſus, obtinendi animum noſtrum habuerit facultatem, ab omni nos ſeparat diuinæ contemplationis intuitu. Non orationes explere cum ſolita cordis alacritate permittit, non ſacrarum lectionum ſinit remedijs incubare, tranquillum quoque ac mitem cum fratribus eſſe non patitur, & ad cuncta operationum, vel religionis officia impatientem & aſperum reddit.

Prouerb. 25. cap. 4. *Sicut enim tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Nonnunquam iræ præcedentis vitio ſubſequi, ſeu concupiſcentiæ lucrive cuiuſdam minus adepti generari ſolet, cum ſe harum rerum ſpe quadam mente concepta quis viderit excidiſſe. Interdum vero, etiam nullis exiſtentibus cauſis, inimici ſubtilis inſtinctu tanto repente mœrore deprimimur, vt ne charorum quidem ac neceſſariorum noſtrorum aduentum ſolita ſuſcipere affabilitate poſſimus, vel quicquid ab eis competenti fuer t confabulatione prolatum, importunum nobis ac ſuperfluum iudicetur, nullaque à nobis reddatur eis grata reſponſio, vniuerſos cordis noſtri receſſus felle amaritudinis occupante. *Vnde vel quibus modis triſtitia gignatur.*

Cap. 5. Non aliorũ ſed noſtro vitio commotiones excitantur in nobis. Vnde manifeſtiſſime comprobatur, non ſemper nobis aliorum vitio commotionum ſtimulos excitari, ſed potius noſtro, qui reconditas in nobiſmetipſis habemus offenſionum cauſas ac ſeminaria vitiorum, quæ cum mentem noſtram tentationum imber alluerit in germina confeſtim fructuſque prorumpunt.

Cap. 6. Nunquam enim quis alterius vi iolaceſſitus, peccare compellitur, ſi repoſitam materiam delictorum in ſuo corde non habeat. Nec tunc ſubito quiſpiam deceptus eſſe credendus eſt, cum inſpecta mulieris forma in barathrum concupiſcentiæ turpis inciderit: ſed potius occultos ac latentes medullitus, morbos occaſione viſus in ſuperficiem tunc fuiſſe productos.

Cap. 7. Non fratriũ deſerenda ſunt conſortia vt perfectio acquiratur, ſed patientia iugiter excolenda. Ideoque perfectio cordis non tam ſeparatione hominum, quàm patientiæ virtute conquiritur, quæ firme poſſeſſa, ſicut poteſt nos etiam cum his, qui oderunt pacem, pacificos conſeruare, ita ſi parta vel nacta non fuerit, & ab his quod perfecti ac meliores nobis ſunt, facit iugiter diſſidere. Occaſiones enim commotionum ob quas eos quibus iungimur deſerere feſtinamus, in conuerſatione humana deeſſe non poterunt, & idcirco triſtitiæ cauſas, ob quas a prioribus ſeparamur, non enadimus, ſed mutamus.

Cap. 8. Procurandum itaque nobis eſt, vt noſtra potius emẽdare vitia feſtinemus, quæ proculdubio ſi fuerint emendata, & tunc non dicam cum hominibus, ſed etiam cum feris & belluis facillime nobis conuenit, ſecundum illud:

illud: *Beſtiæ terræ pacatæ erunt tibi.* Extrinſecus enim venientia pacata erunt tibi offendicula; ſi in nobis intus radices eorum receptæ, inſertæque non fuerint; *pax enim multa diligentibus nomen tuum, & non eſt illis ſcandalum.*

Iob. 5. Pſal. 118.

Eſt enim aliud deteſtabilius triſtitiæ genus, quod deſperationem animæ inijcit delinquenti. Quod nec Chain fecit poſt fratricidium pœnitere, nec Iudam poſt traditionem.

Cap. 9.

Sed illa triſtitia, quæ pœnitentiam ad ſalutem ſtabilem operatur, obediens eſt, affabilis, manſueta, humilis, ac patiens, vtpote ex Dei charitate deſcendens, ad omnem dolorem corporis ac ſpiritus contritionem infatigabiliter ſemetipſam deſiderio perfectionis extendens, & quodammodo læta ac ſpe profectus ſui vegetata, habens omnes in ſe fructus ſpiritus, quos enumerat Apoſtolus. Hæc vero ſæculi triſtitia eſt aſperrima, impatiens, dura, plena rancore & mœrore in fructuoſo.

Cap. 11. Gal. 7.

Quapropter abſque illa, quæ vel pro ſalutari pœnitentia, vel pro ſtudio perfectionis, ſeu pro deſiderio ſuſcipitur futurorum, omnis triſtitia tanquam ſæculi, & quæ mortem inferat æqualiter repellenda eſt, ſicut fornicationis ſpiritus, ſeu philargyriæ, vel iræ.

Cap. 12.

Hoc.n. modo vniuerſa triſtitiarum genera valebimus ſuperare, cum æternarum rerum ac futurarum intuitu ſuper læti, nec caſibus deiecti præſentibus, nec proſperis fuerimus elati, vtraque velut caduca, & mox tranſeuntia contemplantes.

Cap. 13. *Remedia, quibus triſtitiam de cordibus noſtris exterminare poſſimus.*

De tædio, vel accedia.

CAP. XXXV.

IDem ex libro 10. cap. 1. Sextum nobis certamen eſt contra accediam ſiue tædium ſiue anxietatem cordis. Affinis hæc triſtitiæ, ac ſolitarijs magis experta.

Cap. 2.

Quæ cum miſerabilem obſederit mentem, horrorem loci, faſtidium cellæ, fratrum quoque, qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium, ac minus ſpiritualium aſpernationem gignit. Ad omne quoque opus, quod intra ſepta ſui cubilis eſt, facit deſidem & inertem. Ab omni ſe dolet ſpirituali quæſtu inanem in loco vacuumque conſiſtere; vtpote qui cum poſſet etiam alios regere, ac prodeſſe plurimis, nullum ædificauerit, nec quemquam inſtitutione ſuæ doctrinæ lucratus ſit. Abſentia longeque poſita magnificat monaſteria; conſortia quoque ibidem ſuauia, & plena ſpirituali conuerſatione depingit. E contra vniuerſa, quæ habentur in manibus aſpera, vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quàm viſitatione fratris cuiuſpiam, ſeu ſomni ſolatio poſſe æſtimet inueniri. Deinde ſuggerit ſalutationes exhibendas fratribus, viſitationeſque infirmorum, parentes inquiri ſalutandos, illam religioſam deuotamque Deo fœminam, omni præſidio deſtitutam, frequentius inuiſere, magiſque oportere in his operam pietatis impendi, quàm ſine vllo profectu in cellula reſidere.

Quomodo accedia ſerpat in corde monachi, quæue inferat menti diſpendia. Varia artes & techna diaboli ad abſtrahendũ monachum à cella & ſolitudine.

Agitur itaque infelix anima talibus inimicorum machinis accediæ ſpiritu velut ariete validiſſimo fatigata, hoc quo vtitur ad præſens remedio, paulo poſt acrius infirmanda. Frequentius enim ac durius aduerſarius attentabit, quem conſerto prælio præbiturum cominus ſibi terga cognoſcit; ſalutemque ſibi non de conflictu, ſed de fuga ſperare præuidet; donec paulatim protractus à cella, actum ſuæ profeſſionis incipiat obliuiſci; qui non eſt aliud quàm contemplatio diuinæ puritatis, quæ non alibi poteſt niſi in ſilentio, & iugi cellæ perſeuerantia ac meditatione perquiri: atque ita militiæ ſuæ fugitiuus effectus, *implicet ſe negotijs ſæcularibus, ei cui ſe probauit minime placiturus.*

Cap. 3. 2. Tim. 2.

Itaque inſtabilem eum de cætero reddet ac vagum, & ad omne corpus deſidem nihilque aliud procurare, quàm vbi, quove colore occaſionem refectionis futuræ valeat præparare; *mens enim ocioſi nihil aliud cogitare nouit, quam de eſcis ac ventre.*

Cap. 6.

Et neceſſe eſt eum inhoneſtum eſſe, dum neceſſaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum ſectari, cauſarum fabularumque occaſiones conquirere, per quas ſibimetipſi aditum paret ac facultatem, qua diuerſorum domos valeat penetrare.

De huius vitij remedio, quod eſt laboris exercitium.

CAP. XXXVI.

VErum ſi ille qui euangelium prædicabat, ſignis illud virtutibuſque commendãs, ne grauaret quempiam, *gratis panem manducare non audebat:* quomodo illi non æſtimant ſe grauare, qui quotidie eum ocioſi vacanteſque præſumunt.

Cap. 9. 2. Theſ. 3.

In actibus etiam Apoſtolorum graue nobis ſuæ conuerſionis reliquit exemplum, cum ſe non ſolum id operatum eſſe teſtatur, quod neceſſitatẽ ſui corporis expediret, ſed etiam, quod vſibus eorum, qui ſecum erant, poſſet ſufficere.

Cap. 18.

Et hoc ipſum dicit eſſe mandatum Domini, quoniam ipſe, inquit, dixit. *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Hoc eſt, impartientis beatior largitas, quàm accipientis penuria, quæ non de pecunia per infidelitatem vel diffidentiam reſeruata, nec de reconditis auaritiæ theſauris impeditur, ſed quæ de fructu operis proprij, & pio ſudore profertur. Et duplici gratia decoratur, quod & perfectam nuditatem Chriſti vniuerſarum rerum ſuarum abiectione poſſideat, & munificentiam diuitis labore ſuo exhibeat, & effectu. Hic quidem honorat Deum de ſuis iuſtis laboribus, & delibat de fructibus iuſtitiæ ſuæ; ille vero otij torpore reſolutus & inertia, indignum ſe eſſe etiam cibo panis, Apoſtoli probat ſententia, dum contra eius ſcilicet interdictum ocioſus eum non ſine reatu peccati contumaciæque præſumit.

Cap. 19. Act. 20. *Quomodo intelligitur illud Beatius eſt magis dare quam accipere.* 2. Theſ. 3.

Nec merebitur incorruptionis veſtimento ornari, quiſquis ſomno ocij vel accediæ ſoporatus, non induſtriæ ſuæ labore, ſed inertiæ pannis in copiam operiri maluerit, quos abſcindens de plenitudine ſcripturarum, non veſtimentum decoris, ſed ignominioſum excuſationis velamen ſuæ coaptauit ignauiæ. Solent enim hac ſegnitie diſſoluti, nolentes opere manuum ſuarum ſuſtentari, quod Apoſtolus indeſinenter exercuit, vel nobis exercere præcepit, quibuſdam vti teſtimonijs ſcripturarum, quibus inertiæ ſuæ velamen imponant; dicentes ſcriptum eſſe: *Operamini non cibum, qui perit.* Et *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris,* In deſiderijs eſt omnis ocioſus, & ad extremum multa mala docuit ocioſitas.

Cap. 21. Ioan. 6. Ioan. 4.

Hæc eſt apud Ægyptum ab antiquis patribus ſancta ſententia; *operantem monachum dæmone vno pulſari, ocioſum vero innumeris ſpiritibus deuaſtari.*

Cap 23.

Denique Abbas Paulus probatiſſimus patrum, cum in eremo vaſtiore conſiſtens, quæ Porphyrion nuncupatur, palmarum fructibus, & horto modico ſecurus, haberet ſufficientem alimoniæ ſubſtantiam, nec poſſet aliquid aliud vnde ſuſtentaretur, operis exercere, eo quòd ab oppidis, vel habitabili terra ſeptem manſionibus ſepararetur, vel eo amplius deſerti illius habitatio, pluſquam expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere poſſet pretium operis deſudati, collectis palmarum folijs, quotidianum penſum velut exinde ſuſtentandus à ſemetipſo iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius fuiſſet impletum, ſuppoſito igne concremabat, in tantum probans ſine opere manuum nec in loco poſſe monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conſcendere; vt cum hoc fieri nequaquam neceſſitas victus exigeret, pro ſola purgatione cordis, & cogitationum ſoliditate, ac perſeuerantia cellæ, vel accediæ ipſius victoria, & expurgatione perficeret.

Cap. 24. *De Abbate Paulo qui ſingulis annis opus ſuũ igne ſuppoſito, concremabat.*

Cum incipiens in eremo commorari, Abbati Moyſi

Cap. 25.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

omnium sanctorum summo dixissem me ægritudine accediæ confectum, ad Abbatem Paulum protinus cucurrissem: Ille, te non, ait, ab ea liberasti, sed magis ei deditum ac subditum præbuisti. Grauius enim te, vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de conflictu superatum, protinus aufugisse conspexit.

De inani gloria, spirituali, & occulta.

Cap. XXXVII.

EX *libro* 11. *cap.* 1. Septimum nobis certamen est contra spiritum Cenodoxiæ, multiformem atque subtilem.

Cap. 2. Tantoque est pernitiosior ad conflictum, quanto obscurior ad cauēdum. Qui cum pro elatione carnali pulsauerit mentem, & fuerit responsionis scuto repulsus, priore habitu personaque mutata, sub virtutum specie victorem iugulare pertentat.

Cap. 3. Ex omni parte bellatori occurrens, & in habitu, & in forma, in incessu, in voce, in opere, in vigilijs, in ieiunijs, in oratione, in deuotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, vulnerare militem Christi conatur.

Cap. 4. Nam cui sub specie succinctæ vestis ac nitidæ Cenodoxiam non poterit diabolus generare, in squalida, & inculta conatur inserere. Quem non potuit per honorem deijcere, humilitate supplantat. Quem scientiæ, & locutionis ornatu nequit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulsatur, sed si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur. Ne vanæ gloriæ contagio maculetur, orationes prolixius sub fratrum vitat celebrare conspectu, & quòd eas latenter exerceat, non effugit aculeos vanitatis.

Quomodo Cenodoxia monachum à dextris & à sinistris impugnet.

Cap. 5. Pulchre seniores naturam morbi huius, in modum cæpe, bullorumque describunt, quæ vno decoriata tegmine, alio rursum inueniuntur induta; totiensque reperiuntur obtecta, quotiens fuerint expoliata.

Cap. 6. In solitudine quoque cunctorum mortalium consortia glorię causa fugientē, persequi non desistit. Quanto amplius, quis vitauerit mundum tanto eum acrius insequitur.

Cap. 7. Omnia vitia separata marcescunt, & vel in loco, vel tempore minuūtur, atque deferuent, seu certe à contrarijs virtutibus dissidentia, vel cauentur facilius, vel vitantur; hoc vero deiectum acrius resurgit ad luctam, & eam putatur extinctum sua morte viuacius conualescit.

Cap. 8. Nec loco nouit excludi, nec extrinsecus materia subtracta marcescere.

Cap. 9. Pestis hæc virtutibus inserta, & aciei permixta, velut in nocte cæca dimicans atrocius inopinatos decipit, & incautos.

Cap. 10. Ita namque Ezechias vir in omnibus consummatæ iustitiæ, quæ internecionem centumoctogintaquinque millium de exercitu Assyriorum Angelo sub nocte testante, vna prece valuit impetrare, qui post mortis diem Domini sententia præfinitum 15. annis vitæ metas excedere vna oratione promeruit, sole, per decem gradus, reuertente, duplicatum diem vniuerso orbi contra fixas naturæ leges præbuit; post tanta incredibilia signa, post tam immania documenta virtutum, successibus suis elisus est, ita vt vniuersis virtutibus suis ac si non fuissent, obliuioni traditis, iram confestim Domini suscepisset, nisi eam resumpta humilitate placasset.

4. *Reg.* 19. *Exemplum regis Ezechiæ, quomodo telo vanæ gloriæ deiectus fuerit.*

De vana gloria carnali, & huius vitij remedio.

Cap. XXXVIII.

Cap. 13. SOlet etiam insipientium mentes, & eorum quæ minus adhuc, vel virtute animi, vel scientia profecerunt, aut propter sonum vocis extollere, quod scilicet modulatius psallant, aut quod parentes diuites aut nobiles habeant, vel quòd militiam honoresque contempserint. Interdum etiam dignitates & opes, quæ forte nec apprehendi quidem aliquando potuissent, persuadet quempiam perfacile fuisse adepturum si perseuerasset in sæculo; vana etiam spe de incertis inflans eum, & de his quæ nunquam possedit; velut qui ea contempserit gloria vanitatis extollens.

Quibus modis Cenodoxia monachum pulset

Cap. 14. Nonnunquam clericatus gradum & desiderium presbyterij, vel diaconatus immittit, quem si vel inuitus fuisset adeptus, tanta expleturum sanctitate ac rigore depingit; vt cæteris quoque sacerdotibus præbere potuerit sanctitatis exempla; deinde mulcos non solum conuersationis forma, verumetiam doctrina sua sermoneque lucratūrum.

Cap. 17. Quapropter hæc est antiquitus patrum sententia, monachum fugere debere mulieres & episcopos, neuter enim eum finit, quem semel suæ familiaritati deuinxerit, vel quieti cellæ vlterius operam dare, vel diuinæ theoriæ purissimis oculis inhærere.

Cap. 18. Hanc multiformem bestiam tali remedio poterimus euadere, vt cogitantes, quia *Dominus dissipabit ossa eorum qui hominibus placent.* Primitus nihil inanis gloriæ capiendæ gratiæ nos facere permittamus. Deinde ea, quæ bono initio fecerimus obseruatione simili custodire nitamur, ne laborum nostrorum fructus, pòst, irrepens Cenodoxiæ morbus euacuet. Et ea quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda vitemus. Consideremus non solum fructum laborum nostrorum nos penitus amissuros, quoscunque Cenodoxiæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos, æterna supplicia velut sacrilegos soluturos, vtpote qui ad iniuriam Dei opus, quod eius obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere, ab eo qui occultorum est conscius homines Deo, & gloriam mundi gloriæ domini prætulisse conuicti.

Psal. 25.

Remedia aduersus Cenodoxiæ malum.

De superbia spirituali qua tentantur perfecti.

Cap. XXXIX.

EX *libro* 12. *cap.* 1. Octauum, quod & extremum aduersum spiritum superbiæ nobis certamen est. Qui morbus licet vltimus sit in conflictu, origine tamen & tempore primus est. Sæuissima, & superiobus cunctis immanior bestia perfectos maxime tentans.

Cap. 3. Omne namque vitium suis est terminis & fine contentum, & licet contristet alias quoque virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit. Hæc vero subtilissima, capta arce virtutum, vniuersam funditus ciuitatem diruit.

Cap. 4. Et vt gratissimæ tyrannidis eius potentiam cognoscamus, Angelus Lucifer splendorem sapientiæ & virtutum pulchritudinem qua ornabatur gratia conditoris, naturæ suæ potentia non illius beneficio se credidit obtinere, & ob hoc elatus infirmitatem propriæ naturæ persensit, & beatitudinem qua de munere fruebatur, amisit.

Cap. 5. Hæc fuit prima origo principalis morbi, qui rursum per illum, qui fuerat à se deiectus in protoplastum serpens, infirmitates omnium vitiorum & materias germinauit.

Cap. 7. O quantum est malum superbiæ, vt non Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur.

Cap. 9. Huius laqueum poterimus euadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profeciſſe, dixerimus, *non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. *Cor.* 15.

Cap. 13. Patrum sententiam proferamus, qui viam perfectionis, & qualitatem eius, non verborum iactantia depinxerunt, sed experimentis proprijs, & exemplis certissimis tradiderunt.

Atque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. 15. Atque ad hanc fide ſe potius peruenisſe, quàm laborũ merito teſtabantur. Quibus etiam hoc acquiſita puritas conferebat, vt magis magiſque ſe deprimi peccatis agnoſcerent. Nec blandientes ſibi de inferiorum ac tepidorum negligentia, ſed contemplatione potius illorum, quos vere peccato carere, atque in regno cœlorum iam æterna beatitudine perfrui nouerant, humilitatem perpetuam conquirebant; atque ita conſideratione hac & elationis ruinam declinabant; & quò contenderent, vel quod dolerent, ſemper inueniebant.

Cap. 16. Igitur ſecundum traditiones eorum, & ſic ad eam feſtinare debemus ieiunijs, vigilijs, orationibus; contritioni cordis, & corporis operam dantes, ne hæc omnia morbo hoc inflante euacuemus.

Cap. 17. Pſal. 43. *Quia nec patres noſtri in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluabat eos ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Poſtremo vniuerſa beneficia eius mente ſolicita perluſtrantes, non ſolum pro his ei gratias referamus, quòd vel rationales nos condidit, vel baptiſmi largitus eſt gratiam, vel ſcientiam legis conceſſit, ſed etiam pro his, quæ erga nos quotidiana eius prouidentia conferuntur; quòd ſcilicet ab aduerſariorum nos inſidijs liberat, quòd à periculis nos etiam ignorantes protegit, quòd à lapſu peccati communit, quòd adiuuat nos & illuminat, quod pro negligentijs delictiſq; noſtris eius inſpiratione latenter compungimur, quòd ab eo nonnunquam etiam inuiti trahimur ad ſalutem. Poſtremo, quia liberum arbitrium noſtrum, quod procliuius fertur ad vitia, ad meliorem dirigit frugem.

Cap. 18. *Quod non ſolum in naturali conditione, ſed & in quotidiana diſpenſatione Dei gratia muniamur.*

Cap. 19. Hæc eſt proprie erga Deum humilitas, hæc eſt patrum ſincera fides, ſine qua, nes pietas in Deum, nec purgatio vitiorum, nec emendatio morum, nec virtutum conſummatio poterit apprehendi.

Cap. 24. Hucuſque de ſpirituali ſuperbia qua diximus perfectos quoſque pulſari, dixiſſe ſufficiat. Quod genus non multis expertum eſt, quia nec plures ſtudent perfectam cordis apprehendere puritatem, vt ad hos præliorum gradus valeant peruenire.

De ſuperbia carnali, & eius indicijs ac remedijs.

CAP. XL.

CÆterum nos qui ad huc terrenis ſumus paſſionibus inuoluti, nequaquam hoc modo tentare dignatur, ſed craſſiore, & carnali elatione ſupplantat.

Cap. 23. Hæc igitur cum tepido ac male arrepto renunciationis principio in monachi reſederit mente, primum inobedientem eum reddit & aſperum, æqualem fratribus fieri communemque non ſinit; ſpoliari etiam terrenis opibus non concedit: Et cum renunciatio nihil aliud ſit, quàm quòd quotidie credat ſe eſſe moriturum, econtrario facit eum vitam ſperare longæuam.

Cap. 26. Super hæc initia male fundata, neceſſe eſt vt vniuerſa deinceps vitiorum ſtructura conſurgat.

Cap. 27. *Expoſitio vitiorum quæ per morbum ſuperbiæ generantur.* Nec vnquam poteſt in corde ſuo humilitatem Chriſti ſuſcipere, cum ſibi vel de natalium nobilitate gloriatur, vel inflatur de ſæculi (quam corpore non mente deſeruit) dignitate, vel de pecunijs ad ruinam ſuam retentis extollitur: ne ipſam quidem auribus ſuis doctrinam perfectionis admittit, tantumque concreſcit in corde eius ſpiritualis verbi faſtidium, vt cum forte talis fuerit oborta collatio, vno in loco ſtare neſciat eius obtutus, ſed huc illucque ſtupidus circumferatur. Pro ſuſpirijs autem ſalutaribus ſputa de ſicco gutture contrahuntur, digiti ludunt, & in modum quiddam ſcribentis volitant atque depingunt, & ita huc atque illuc membra commouentur, vt ſe vel ſcatentibus vermibus, vel acutiſſimis ſudibus credat inſidere, & quicquid ſimplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ad ſuam ſugillationem eſtimet eſſe prolatum Totoque corpore quo ſpiritualis vitæ examinatio ventilatur, ſuis ſuſpicionibus occupatus, non quid exinde ad profectum ſuum capere debeat aucupatur, ſed cauſas cur vnum quodque ſit dictum, ſollicita mente perquirit, vel quid eis obijcere poſſit. Et ita fit, vt non ſolum in nullo ei proficiat collatio ſpiritualis, verumetiam damnoſa magis exiſtat; dum enim conſcientia ſua totum ſuſpicatur contra ſe eſſe prolatum, vehementiore cordis obſtinatione duratur, iræque ſtimulis acrius inſtigatur. Deinde poſt hæc excelſa vox, ſermo rigidus, amara, & turbulenta reſponſio, inceſſus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, ne vnquam taciturnitas amica, niſi cum contra fratrem rancorem in corde ſuo conceperit; ita vt quid in eo deteſtabilius ſit haud facile cernatur, vtrum diffuſa illa petulanſque lætitia, an dira hæc virulentaque taciturnitas. Et cum ipſe tumore poſſeſſus facile cunctis triſtitias inferat, atque ad ſatisfactionem læſi fratris ſemetipſum ſubmittere dedignetur; etiam ab illo ſibimet oblatam contemnit.

Depingit eorum mores qui non ſincere neque perfectionis amore cœnobij ingreſſi ſunt.

Cap. 29. His igitur iudicijs carnalis iſta ſuperbia declaratur. Ineſt in loquela eius clamor, in taciturnitate amaritudo, excelſus & effuſus in lætitia riſus, irrationabilis in ſerietate triſtitia, in reſponſione rancor, facilitas in ſermone, expers patientiæ, charitatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas puſillanimis, ad obediendum difficilis, niſi in quo eam deſiderium ſuum voluntaſque præuenerit.

Cap. 32. *Quomodo depopulatrix omnium virtutum ſuperbia per veram humilitatem poſſit extingui.* Nullo enim modo poterit in anima noſtra virtutum ſtructura conſurgere, niſi prius iacta fuerint veræ humilitatis fundamenta. Quod nullatenus poterimus implere, niſi abrenunciatio verà facultatum in nobis fuerit Chriſti amore fundata; deinde obedientiæ ſubiectio ſimplici corde ſuſcepta; ita vt præter Abbatis mandatum, nulla penitus voluntas viuat in nobis. Quod non aliter obſeruari poterit, niſi quis non ſolum ſe mortuum mundo, verumetiam inſipientem iudicauerit ac ſtultum; vniuerſa quæ ſibi fuerint à ſenioribus imperata ſine vlla diſcuſſione proficient, ſacroſancta ea credens ac diuinitus promulgata.

Cap. 33. *Remedia aduerſus morbum ſuperbiæ.* In qua conſiſtentibus æqualitate, proculdubio ſtatus ille humilitatis vere tranquillus ſubſequitur; vt noſipſos inferiores omnibus iudicantes, vniuerſa quæ nobis irrogata fuerint, iniurioſa, vel triſtia, tanquam à ſuperioribus noſtris illata, patientiſſime toleremus. Denique eandem humilitatem erga Deum feruentiſſime retentemus, vt nihil nos abſque illius opitulatione, vel gratia poſſe perficere cognoſcamus.

Collatio Abbatis Moyſi de puritate cordis.

CAP. XLI.

Quinam ad capiendam perfectionis doctrinam idonei ſint.

IDem *in libro* 1. *collatione prima cap.* 1. Cum in eremo Scythiæ Abbatem Moyſen expetiſſemus, pariterque ab eo ædificationis ſermonem fuſis lachrymis poſceremus, quippe cuius animi rigorem hunc noueramus, vt niſi fideliter deſiderantibus, & cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam acquieſceret ianuam perfectionis aperire, ne ſcilicet indignis, & faſtidioſe ſuſcipientibus pandens, aut ſanctantiæ virium aut proditionis crimen videretur incurrere. Tandem fatigatus precibus noſtris ita exorſus eſt.

Cap. 2. Omnes, inquit, artes & diſciplinæ ſcopon quendam i. deſtinationem, & telos. i. finem proprium habent ad quem reſpiciens vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores, & pericula atque diſpendia æquanimiter libenterque ſuſtentat.

Cap. 4. Finis quidem noſtræ profeſſionis, eſt regnum Dei; ſcopos, puritas eſt cordis.

Cap. 5. Quæ ſi præ oculis noſtris iugiter ſtatuta fuerit, non ſolum cunctos labores noſtros varios atque inſtabiles reddet, ſed etiam cogitationes diuerſas ſibi contrarias ſuſcitabit. Neceſſe eſt. n. mentẽ, quo recurrat, cuive princi-

paliter inhæreat non habentem, per ſingula momenta pro incurſuum varietate mutari, atque ex his, quæ extrinſecus accidunt, in illum ſtatum continuo transformari, qui ſibi primus occurrerit.

Cap. 6. De his qui abrenunciates mundo ad perfectionẽ ſine charitate contendunt.

Hinc namque eſt, quod nonnullos mundi huius maximas facultates, & prædiorum magnificentiam cõtemnentes, poſt hoc videmus pro ſcalpello, pro acu, pro calamo commoueri. Nonnulli tanto zelo codicem ſeruant, vt eum ne leuiter quidem legi, vel contingi ab aliquo ſinant, & inde occaſiones impatientiæ ac mortis incurrunt, vnde monentur ſtipendia patientiæ, & charitatis acquirere. Cumque omnes diuitias ſuas pro Chriſti amore diſperſerint, priſtinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, & pro ipſis nonnunquam mobiliter iraſcentes, ex omnibus infructuoſi ſterileſque redduntur.

1. Cor. 13. *Si diſtribuero*, inquit Paulus, *in cibos pauperum &c.* Vnde liquido comprobatur, perfectionem non ſtatim nuditate ſeu dignitatum abiectione contingi, niſi fuerit Charitas illa, cuius Apoſtolus membra deſcribit; quæ in ſola cordis puritate conſiſtit. Nam quid eſt aliud *Ibidem.* *non æmulari, non inflari, non irritari*, & reliqua, niſi cor perfectum, & mundiſſimum Deo ſemper offerre, & vacuum illud à cunctis perturbationibus cuſtodire.

Cap. 7. Omnia igitur huius gratia gerẽda appetendaque ſunt nobis, pro hac ſolitudo ſectanda eſt, pro hac ieiunia, vigilias, labores debere nos ſuſcipere nouerimus; & non propter has obſeruationes, ne ſi forte non potuerimus implere, incidamus in triſtitiã, vel iram, ſiue indignationem: non.n. tantum eſt lucrum ieiunij, quantum iræ diſpendium; nec tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur quæ ſequentia ſunt, ideſt, *ieiunia, vigiliæ &c.* propter principalem ſcopon.i. puritatem cordis, quod eſt Charitas, nos conuenit exercere, & non propter illa, hanc principalem perturbare; qua in nobis integra durante nihil oberit, ſi aliquid eorum per neceſſitatem fuerit prætermiſſum. Nec proderit vniuerſa feciſſe, adempta hac principali cauſa, cuius obtentu ſunt omnia peragenda, quæ non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt. Quicquid igitur poteſt iſtam mentis puritatem tranquillitatemque turbare, quamuis vtile ac neceſſarium videatur, vt noxium deuitandum eſt.

Vniuerſa actiones & ſtudia noſtra ad animæ puritatem conſectãdam referenda ſunt.

Præclara ſententia.

De contemplatione diuinitatis.

Cap. XLII.

Cap. 13. Theoria huius vitæ non eſt impoſſibilis. INhærere quidem Deo iugiter, & contemplationi eius inſeparabiliter copulari impoſſibile eſt homini carnis fragilitate circundato. Verum oportet nos ſcire, vbi noſtræ mentis intentionem debeamus habere defixam, & ad quam deſtinationem ſemper animæ noſtræ reuocemus intuitum, quam cum poterit obtinere mens, gaudeat, & à qua diſtractam ſe doleat atque ſuſpiret, fornicationem iudicans, vel momentaneum à Chriſti contemplatione diſceſſum, à quo cum deuiauerit paululum noſter obtutus, rurſus ad eum mẽtis aciem reuocemus.

Cap. 16. Contemplatio vero Dei multifarie concipitur: Nam Deus non ſola incomprehenſibilis illius ſubſtantiæ ſuæ admiratione cognoſcitur, quod adhuc in ſpe repromiſſionis abſconditum eſt, ſed etiam creaturarum ſuarum magnitudine, vel æquitatis ſuæ conſideratione, vel quotidianæ diſpenſationis auxilio præuidetur, quando ſcilicet quæ cum ſanctis ſuis per ſingulas generationes egerit, mente puriſſima perluſtramus, cum potentiam ipſius qua vniuerſa gubernat, moderatur ac regit; cum immenſitatem ſcientiæ eius, & oculum quem ſecreta cordium latere non poſſunt, tremente corde miramur, cum arenam maris vndarumque numerum dimenſum ei, & cognitum cogitamus, cum pluuiarum guttas, cum ſæculorum dies & horas, cum præterita futurave vniuerſa, ſtupeſcentes ſcientiæ eius aſſiſtere cõtemplamur; cum ineffabilem clementiam eius cõſideramus, qua innumera flagitia, quæ ſingulis quibuſque momentis ſub ipſius committuntur aſpectu, indefeſſa longanimitate ſuſtentat; cum intuemur vocationem qua nos nullis præcedentibus meritis gratia ſuæ miſerationis aſciuit; cum denique quot occaſiones ſalutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur exceſſu: quod ita nos naſci præcepit, vt ab ipſis cunabulis, gratia nobis legiſque ſuæ notitia traderetur, quod ipſe aduerſarium vincens in nobis pro ſolo bonæ voluntatis aſſenſu æterna beatitudine ac perpetuis nos præmijs numerat; quod poſtremo diſpenſationem incarnationis ſuæ pro noſtra ſalute ſuſcepit, ac mirabilia myſteriorum ſuorum cunctis gentibus dilatauit. Sunt alia quoque huiuſmodi innumeræ contemplationes, quę pro qualitate vitæ ac puritate cordis in noſtris ſenſibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur; quas profectò nullus perpetuo retentabit, in quo adhuc aliquid carnalium viuit affectuum.

De purgatione mentis à cogitationibus prauis.

Cap. XLIII.

Cap. 17. MEntem quidem non interpellari cogitationibus impoſſibile eſt; ſuſcipere vero eas ſiue reſpuere omni ſtudenti per gratiam Dei poſſibile eſt. Eſt, inquam, noſtrum magna ex parte, vt cogitationum qualitas emendetur, vel ſanctæ oriantur in nobis, vel terrenæ carnaleſque decreſcant. Ideo namque frequens lectio, & iugis adhibetur meditatio ſcripturarum, vt exinde nobis ſpiritalis memoriæ præbeatur occaſio. Idcirco decantatio crebra pſalmorum, vt aſſidua nobis exinde compunctio ſubminiſtretur. Idcirco vigiliarum orationumque ac ieiuniorum ſedulitas adhibetur, vt extenuata mens non terrena ſapiat, ſed cæleſtia contempletur. Quibus rurſum negligentia irrepente ceſſantibus neceſſe eſt, vt mens vitiorum ſqualore concreta, in carnalem partem inclinetur, & corruat.

Quid poſſit mens ſuper cogitationũ ſtatu, quid non poſſit.

Cap. 18. Comparatio aquariæ molæ & animæ. Quod exercitium cordis non incongrue molarum ſimilitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit, quæ nullatenus quidem ceſſare poſſunt ab opere ſuo aquarum impulſibus circumactæ. In eius vero qui præeſt ſitum eſt poteſtate, vtrumnam triticum molit, an hordeum loliumve comminui. Illud quippe eſt proculdubio commolendum, quod ingeſtum fuerit, ab illo cui operis illius cura commiſſa eſt. Ita igitur etiam mens per vitæ præſentis incurſus, vndique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æſtibus eſſe non poterit, quales vero, vel admittere, vel parare ſibi debeat, ſtudij ac diligentiæ ſuæ prouidebit induſtria, & ſecundum ſententiam domini ſaluatoris, *vbi* *Elegans ſimilitudo.* *Matth. 6.* *fuerit theſaurus* intentionis noſtræ, *ibi & cor noſtrum* neceſſario permanebit.

De triplici origine cogitationum.

Cap. XLIIII.

Cap. 19. ILlud ſane noſſe debemus, tria cogitationum noſtrarum eſſe principia.i. *ex Deo, ex Diabolo, & ex nobis. Ex Deo* quidem ſunt, cum Spirituſſancti illuſtratio nos viſitat, & in quibus vel minus acquiſiuimus, vel deſidioſe agentes ſuperati ſumus, ſalubri compunctione caſtigat; vel cum reſerat nobis cæleſtia ſacramenta, & propoſitum noſtrum ad meliores actus voluntatemque conuertit. *Ex Diabolo vero*, cum ſubuertere nos tam vitiorum oblectatione, quam etiam occultis conatur inſidijs, *transfigurans ſe in Angelum lucis. Ex nobis* autem, cum eorum quę gerimus, vel geſſimus, vel vidimus, naturaliter recordamur. *2. Cor. 11.*

Cap. 20. Hinc oportet nos vniuerſas cogitationes quæ emergunt

guntin corde noſtro ſagaci diſcretione diſcutere, origines earumque vel cauſas auctoreſque primitus indagantes,vti quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito,qui eas ſuggerunt conſiderare poſſumus, vt efficiamur probabiles ſecundum præceptum Domini, Trapezitæ, cuius ſumma peritia eſt probare,quod ſit autum puriſſimum,quodve minus purgatum, de æreo quoque vilique denario,ſi pretioſum nummiſma ſub colore ſeu indumento auri fulgentis imitetur, & non ſolum nummiſmata tyrannorum vultus exprimentia,ſed etiam illa, quæ ſunt veri Regis imagine,ſed non legitime figurata, diſcernere, deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum ſit,cenſura trutinæ diligenter inquirere. Diabolus enim decipit cum fuerit ſub colore ſanctitatis obtectus; *odit autem ſonum cautelæ id eſt* diſcretionis vim.

Docet ex ſimilitudine probati Trapeſita quomodo cogitationes noſtræ diſcernendæ ſint.

In quo etiam Abbatem Ioannem, qui Lyci moratur nouimus nũper illuſum. Nam cum exhauſto corpore atque defecto, perceptionem cibi biduano ieiunio diſtuliſſet, accedente ei ad refectionem die poſtero, veniens Diabolus in figura Æthiopis tetri pueri ad eius genua prouolutus. Indulge,inquit, mihi, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque vir ille tantus intellexit ſe calliditate Diaboli tali ſe diſtentum ieiunio, vt laſſitudinem non neceſſariam, imo etiam ſpiritui nocituram fatigato corpore ſupponeret.

Cap. 21. De illuſione Abbatis Ioannis.

Erit ergo hæc quadripartito modo nobis neceſſaria diſcretio,vt primum nos materia auri veri fucative non lateat: Secundo, vt has cogitationes quæ mentiuntur opera pietatis,tanquam adulterina nummiſmata reprobemus,vtpote, quæ falſam imaginem Regis non legitime ſignatam contineant, vel illa,quæ in auro puriſſimo ſcripturarum vitioſo,& hæretico ſenſu, non veri Regis, ſed tyranni præferunt vultum,ſimiliter diſcernentes refutare poſſimus; ſiue illa quorum pondus ac pretium ærugo vanitatis arrodens exagio ſeniorum non ſinit adæquari vt nummiſmata leuia atque damnoſa minuſque penſantia recuſemus.

Cap. 22. De quadripartita diſcretionis ratione.

Itaque beatus Moyſes collationi noſtræ dans finem, adhuc nos auidos ac de ſuo ore pendentes, deguſtare ſomnum pauliſper hortatus eſt,eiſdem ipſis quibus inſidebamus pſiathijs admonens incubare.

Cap. 23.

De indiſcreta præſumptione, quorundam.

CAP. XLV.

EX *libro ſecundo & collatione* 2. *cap.* 4. In craſtino a nobis vero requiſitus, hæc ait: Omnium virtutum generatrix,cuſtos,moderatrix, diſcretio eſt.

Recolite,id quod nuper vidiſtis ſenem videlicet Heronem, illuſione Diaboli à ſummis ad ima deiectum, Nam licet annis in hac eremo commoratus,tanto rigore ieiunium ſemper exercuit, & ſolitudinis ſecreta ſectatus eſt, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuij,nec veneratio quidem diei paſchatis aliquando potuerit obtinere, ne quantulumcunque perceptione parui leguminis à ſuo videretur propoſito relaxaſſe. Qua præſumptione deceptus, Angelum Sathanę velut Angelum lucis ſuſcipiens,eius præcepto obediens ac deſponſione eius non dubitans,qui eum pro merito virtutum ac laborum ſuorum nequaquam poſſe firmauerat vlli iam diſcrimini ſubiacere. Cuius rei fidem vt experimento comprobaret,in profundiſſimum puteum ſe deiecit magnum ſcilicet virtutis ſuæ meritum probaturus, cum inde exiſſet illæſus. De quo cum penè exinde exanguis ingenti fratrum labore fuiſſet extractus, vitam die tertia finiturus, quod his deterius eſt, ita in ſuæ deceptionis obſtinatione permanſit, vt ei ne experimento quidem mortis ſuæ perſuaderi potuerit, quod dæmonum calliditate fuiſſet deluſus. Hic igitur quo pacto, quaue ratione poſt tantos labores ab inſidiatore deluſus, grauiſſimo lapſu corruens,cunctos in hac eremo conſtitutos,luctuoſo dolore percuſſit, non-

Cap. 5. De morte Heronis ſenis.

Mirum Exemplum.

ne, quia minus diſcrete,ſuis definitionibus regi, quam conſilijs fratrum, & inſtitutis maiorum obedire maluit? Quamobrem pro meritis laborum, & annorum tantorum numeroſitate qua in eremo perduauit, hæc miſeratione ab his qui eius compatiebantur exitio, vix ab Abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non inter Biothanatos reputatus, etiam memoria, & oblatione pauſantium iudicaretur indignus.

Quid etiam de illo commemorem, qui dum longo tempore in Angeli claritate dęmonem ſuſcepit, & reuelationibus eius innumeris ſæpe deceptus, credidit internuncium eſſe iuſtitiæ? Etiam per omnes noctes in cella eius lumen abſque illius lucernæ præbebat officio. Ad extremum iubetur à dæmone, vt Deo filium ſuum, qui cum eo pariter in monaſterio commanebat offerret,vt ſcilicet hoc ſacrificio Abrahę Patriarchę meritis adæquaretur. Parricidiũ perfeciſſet opere,niſi eum videns puer cultrum extra conſuetudinem præparare acuendo,& vincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum,conſtringere diſponebat,inquirere,præſagio ſceleris futuri perterritus aufugiſſet.

Cap. 7.

Rurſus aliud lepidum exemplum.

Quod per humilitatem veram acquiritur diſcretio.

CAP. XLVI.

VEra diſcretio, non niſi vera humilitate conquiritur. Cuius hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa non ſolum quæ agenda ſunt,ſed etiam quæ cogitantur, referuntur ſeniorum examini. Nullatenus enim decipi poterit quiſque ſi non ſuo iudicio ſed maiorum viuit exemplo,& ſerpens teterrimus velut tenebroſa ac ſubterranea ſpecu, virtute cõfeſſionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehoneſtatus abſcedit.

Cap. 10.

Denique in tantum Deo placita hæc ſententia comprobatur,vt puerum Samuelem iudicio prælectum ſuo nollet per ſemetipſum erudire, ſed recurrere ſemel & iterum pateretur ad ſenem, & qui offenderat Deum, vt & illius qui ad diuinum myſterium vocabatur probaret humilitas, & iunioribus forma ſubiectionis huius proponeretur exemplo.

Cap. 14.

1. Reg. 3.

Paulum quoque per ſemetipſum vocans, & alloquẽs Chriſtus cum poſſet ei perfectionis viam reſerare, confeſtim dirigere ad Ananiam maluit,eumque illius potius doctrina,quam ſua cenſet inſtitui,ne quod recte geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſque ſibimet perſuaderet, ſimili modo ſe quoque debere Dei ſolius magiſterio ac doctrina potius quam ſeniorum inſtitutione formari. Quis ergo tam præſumptor, & cæcus ſit,qui ſe ſuo audebat iudicio diſcretionique committere, cum & *vas electionis* indiguiſſe ſe coapoſtolorum ſuorum collatione teſtetur? Vnde probatur nulli à domino viam perfectionis oſtendi, qui habens vnde valeat erudiri, doctrinam ſeniorum, vel inſtituta contempſerit, paruipendens illud: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi.*

Cap. 15.

Sic noſtri temporis impij ſectarij ſe Spiritu ſancto imbutos, atque ab illo edoctos iactant.

Deut. 3.

Omni igitur conatu debet diſcretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illęſos ab vtraque poteſt nimietate ſeruare. Ad vnum finem nimietas ieiunij, ac voracitas peruenit, eodemque diſpendio vigiliarum immoderata continuatio, monachum quo ſomni grauiſſimi torpor inuoluit. Quapropter inter vtraſque nimietates diſcretione moderante gaudendum eſt.

Cap. 16.

Medus in re qualibet optimus.

Etenim memini me frequenter ita appetitum cibi penitus reſpuiſſe, vt duobus diebus ac tribus refectione dilata,nec memoria quidem vllius edulij meam interpellauerit mentem: Et rurſum ita ſomnum ab oculis meis Diaboli impugnatione ſubtractum, vt pluries die ac nocte paululum quid ſomni meis oculis à Domino precarer infundi grauiſque me periclitatum ſomni cibique faſtidio, quam ſoporis & gaſtrimargiæ collucta-

Cap. 17.

Somni & refectionis hora neque anteuertenda, neque prætereunda eſt.

De discreta refectionis corporis moderatione.

Cap. XLVII.

ITaque sicut festinandum nobis est, ne appetitu corporeæ voluptatis in dissolutionem noxiam labamur, & ante præstitutum tempus, vel cibo indulgere, vel modum eius excedere præsumamus, ita est elcæ, & somni refectio hora legitima etiamsi horreat ingerenda. Vtrumque enim bellum aduersarij factione consurgit & perniciosius continentia immoderata, quam satietas remissa supplantat. Ab hac nanque ad mensuram discretionis intercedente salutari compunctione conscendi potest, ab illa non potest.

Cap. 22. In vtraque enim parte sustinebit maximum detrimentum, quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem ieiuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Vt enim mens cibi inanitate lassata, perdit orationum vigorem, dum carnis nimia lassitudine prægrauata condormitare compellitur, ita nimietate voracitatis oppressa, emittere ad Deum preces puras leuesque non poterit, sed ne castimoniæ puritatem indirupta valebit iugitate seruare, dum ei præterita cibi materia ignem carnalis concupiscentiæ subministrat.

Quinam generalis continentiæ ac perfectionis modus sit.

Cap. 23. Nam quod semel per escarum abundantiam concretum fuerit in medullis, necesse est egeri, atque ab ipsa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cuiuslibet humoris superflui, velut noxiam atque sibi contrariam, in semetipsa residere non patitur. Ideoque rationabili semper, & æquali est corpus nostrum parsimonia castigandum, vt si naturali ac necessitate commorantes in carne omnimodis carere non possumus, saltem rarius nos & non amplius, quam trina vice ista colluuione respersos totius animi cursus inueniat. Quod tamen sine vllo pruritu quietus egerat sopor, non fallax imago iudex occultæ voluptatis eliciat. Quamobrem hæc est temperata continentiæ æqualitas atque mensurata, quę patrum quoque iudicio comprobatur, vt quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries in vno eodemque statu pariter animam corpusque conseruans.

Quemadmodum abundantia humorum genitalium castigentur.

Cap. 24. Et intantum hoc non sine labore perficitur vt malint hi, qui perfectionem discretionis ignorant, etiam biduo protelare ieiunia, idque quod hodie sumpturi fuerant in crastinum reseruare, dummodo ad refectionem peruenientes desiderata satietate potiantur. Quod nuper Beniamim ciuem nostrum tenuisse cognoscitis, qui ne quotidie duo paximatia percipiens, æquali castigatione continuam parcitatem iugiter retentaret, maluit biduana semper continuare ieiunia, dummodo ad refectionē veniens duplicata mensura repleret vētris ingluuiē. Qui obstinatione & pertinacia mentis suæ, definitionibus potius proprijs, quam seniorum traditionibus acquiescens, relicta eremo rursum ad vanitatem sæculi deuolutus est.

Inepta ieiunandi ratio.

Cap. 26. Plerique districtiorem abstinentiam se credentes tenere, totam refectionem ad vesperam differunt, quibus stomachus exinde grauatur vespere. Nam recens escæ perceptio tam in vespertinis, quam in nocturnis orationibus, tenuem leuemque sensum non finit inueniri. Ideoque satis commodum & vtile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens monachus, nisi solum in nocturnis vigilijs leuis ac vacuus, verum etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto iam cibo aptissimus inuenietur.

Non excedendus est refectionis modus.

Talibus nos sanctus Moyses germine institutionis epulis saginauit.

Collatio Paphnuty de trina specie vocationis.

Cap. XLVIII.

EX *libro* 3. *collatione* 3. *& cap.* 1. In nullo sanctorum choro vidimus sanctum Paphnutium, qui presbyter nostræ congregationis id est illius quæ in eremo Scythi morabatur fuit. In qua ita vsque ad extremam durauit ætatem, vt nunquam è cella, quam iunior cæperat habitare, quæque ab ecclesia millibus quinque distabat saltem ad viciniora migrauerit, nec fessus annis die sabbati, vel Dominico venturus ad ecclesiam tanti itineris spacio vexaretur, sed nec vacuus quidem reuerti exinde contentus, vas aquæ quam per totam erat hebdomadam sumpturus, suis ceruicibus superponens reportabat ad cellam. Cumque nonagenariam excessisset ętatem, nunquam passus est eam iuniorum sibi labore deferre.

Paphnutij Abbatis encomium.

Huius igitur magisterio institui cupientes, illa nobis precabamur infundi, quibus cōpungi, vel humiliari, non quibus nobismetipsis blandiri extollique possemus. *Cap. 2.*

Tunc ille. Tres, inquit, vocationum sunt ordines, tresque renunciationes. *Cap 3.*

Primus ordo vocationis ex Deo est, quoties scilicet inspiratio quædam immissa in cor nostrum nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat. Secundus est per hominem cum vel exemplis quorumlibet sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur. Tertius est, quæ ex necessitate descendit, cum nos diuitijs mundi huius voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula cominantur vel amissione bonorum aut proscriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Deum quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem in aduersis inuiti properare compellimur. *Cap. 4.*

Expositio trium vocationum.

Nunc de renunciationibus differēdum est. Prima est qua corporaliter mundi facultates contemnimus: Secunda qua mores ac vitia fructusque pristinos animi carnisque respuimus. Tertia, qua mentem nostram de præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes, futura tantum & inuisibilia concupiscimus. Quæ tria etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum dicit ad eum: *Exi de terra tua*, id est de facultatibus terrenis. Secundo, *de cognatione tua*, id est de conuersatione, & moribus, vitijsque prioribus, quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia velut quadam consanguinitate cognata sunt. Tertio, *de domo Patris tui* id est omni memoria mundi, quod fit quando mens nostra nulla carneæ pinguedinis hebetata contagio, sed peritissimis elimationibus expolita, ab omni affectu, & qualitate terrena, per indesinentem diuinarum rerum meditationem, spiritalesque theorias, ad illa quæ inuisibilia sunt eousque transierit, vt circundatam se fragilitate carnis ac situ corporis, supernis & incorporeis intenta non sentiat. Cuius rei finem atque virtutem non nisi his capiet, qui hæc quæ dicuntur experientia magistrante perceperit, cuius videlicet ita Dominus oculos cordis de vniuersis præsentibus auocauerit, vt ea non tanquam transitura, sed quasi transacta iam reputet, & velut inane in fumum in nihilum resoluta, conuersatione moribusque translata, non inueniatur in præsentis sæculi vanitate. *Cap. 6. De triplici abrenunciatione.* *Gen. 12.* *Perfecta renunciationis modus.*

Ergo prima abrenunciatio rerum alienarum est, secunda rerum nostrarum, tertia quoque per quam etiam ipsam cunctorum elementorum plenitudinem tāquam vanitati subiectam, & mox transituram transcendentes mente despicimus, *intuentes non ea quæ videntur, sed quæ non videntur*, vt ita demum illud supremum mereamur audire, quod dicitur ad Abraham: *Veni in terram, quam tibi monstrauero.* *Cap. 10.* *2. Cor. 4.* *Gen. 12.* *Cap. 19.*

Ita perdocemur, & initium voluntatis bonæ nobis domino inspirante concedi, cum aut per se, aut per exhortationem cuiuslibet hominis, aut per necessitatem

nos

nos ad salutis attrahit viam, nostrum vero hoc esse, vt exhortationem auxiliumque Dei, vel remissius, vel enixius exequamur.

Cap. 22. His nos sermonibus eruditos Abbas Paphnucius è sua cellula, non tam alacres, quàm compunctos corde, ante medium noctis emisit.

Collatio Danielis de triplici causa sterilitatis mentis.

CAP. XLIX.

EX *libro* 4. *collatione* 4. *cap.* 1. Abbatem quoque vidimus Danielem omni virtutum genere æqualem his qui in eremo Scythi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatum.

Cap. 2. *Vnde oritur repentina commutatio mentium ab ineffabili lætitia in mœstissimam animi deiectionem.* Qui inquirentibus nobis, cur interdum residentes in cellula nostra, tanta alacritate cordis repleremur, vt eam non dicam sermone percurrere, sed ac ne ipse quidem sensus occurreret, & mens plena spiritualibus fructibus preces suas efficaces ac leues etiam per soporem supplicans ad Dominum peruenire sentiret: ac rursus nullis existentibus causis tanto subito repleremur angore, & irrationabili quadam mœstitia, vt etiam horreret cella, sorderet lectio, ipsa quoque instabilis ac nutabunda emittitur oratio, ita vt ingemiscentibus & conantibus nobis, ad directionem pristinam reuocari, mens nostra non possit, nec desiderio regni cœlorum, nec metu gehennæ proposito, ab hoc lætali quodam somno valeret excitari. Ita respondit.

Cap. 3. *Responsio super proposita quæstione.* Tripartita nobis à maioribus ratio super hac sterilitate mentis est tradita. Aut enim de negligentia, aut de impugnatione diaboli, aut de dispensatione Dei, & probatione descendit.

Cap. 4. *Dispensatio ac probatio Dei duplici causa fit.* Dispensationis autem ac probationis duplex causa est. Prima vt paulisper à Domino derelicti, & mentis nostræ infirmitatem humiliter intuentes, super præcedente puritate cordis, quæ nobis est illius visitatione donata, nullatenus extollamur, probanteque nos ab eo derelictos, intelligamus præteritam cordis alacritatem non nostro studio sed illius nobis dignatione fuisse collatam, & præsentem de ipsius rursum gratia, & illuminatione esse poscendam. Secunda vero, vt perseuerantia nostra vel mentis constantia, & desiderium comprobetur, & orationum instantia deferentem nos visitationem Spiritus Sancti requiramus, ac solicitius inuentam custodire ac tenere attentius studeamus: quodammodo enim custodiri negligentius solet quicquid facile creditur posse reparari.

Cap. 5. Denique frequenter etiam odoribus vltra omnem suauitatem compositionis humanæ, in his ipsis subito visitationibus adimplemur, ita vt mens hac oblectatione resoluta, in quendam spiritus rapiatur excessum, seque commorari obliuiscatur in carne.

Cap. 6. Intantum vero illam desertionem beatus Dauid vtilem esse cognouit, vt nequaquam amoueri, sed temperari eam potius deprecatus sit, dicens: *Non me derelinquas vsquequaque.* Ac si diceret: Non rogo, vt nunquam me derelinquas: quia non expedit mihi, vt non vel meam infirmitatem sentiens dicam: *Bonum mihi, quia humiliasti me*, vel exercitium vt non habeam præliandi, quod sine dubio habere nõ potero si mihi semper & indisrupte cohæserit tua diuina protectio. Suffultum namque me tua defensione Diabolus tentare non audebit, illud obijciens, & exprobrans, vel mihi, vel tibi: *Nunquid gratis Iob colit Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius?* Sed magis peto ne me vsquequaque deseras, sed facias cum tentatione etiam prouentum. Quam vtique pugnam non inuidens Dominus quieti Israelis, sed sciens esse vtilissimam reseruauit, vt dum gentium superstitum impugnatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere: & ob id semper in eius meditatione & inuocatione persistens, non meriti ocio solueretur, nec bellandi vsum, & exercitia virtutis amitteret. *Frequenter enim quos non potuerunt aduersa superare, securitas & prosperitas deiecerunt.*

Psal. 118.

Psal. ibid.

Iob 1.

Vtile est aliquando à Deo derelinqui.

De pugna carnis, & spiritus, & eius vtilitate.

CAP. L.

HAnc pugnam nostris quoque insertam membris, & in Apostolo ita legimus: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Habemus hic pugnam inuisceratam quodammodo corpori nostro, dispensatione domini procurante, qua sublata proculdubio econtrario pernitiosa pax succedit. Cap. 7. Galat. 5.

Caro luxurijs ac libidine delectatur, spiritus nec ipsis quidem naturalibus desiderijs acquiescit. Illa cupit satiari somno, replerì cibo: hic vigilijs & ieiunijs saginatur. Honoribus illa & laudibus hominum confouetur: hic irrogatis sibi iniurijs ac persecutionibus gloriatur. Cap. 11.

Carnis & Spiritus pugna qualis sit.

Inter has igitur vtrasque concupiscentias, animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistẽs, nec vitiorum flagitijs oblectatur, nec virtutum laboribus acquiescit: absque castigatione carnis castimoniam corporis desiderans obtinere, absque vllius exasperatione conuitij patientiæ gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum sæculi iactura exercere, Christo cum hominum laude ac feruore seruire, districtionem veritatis sine cuiuspiam vel tenui offensione proferre. Postremo sic vult futura consequi bona, vt præsentia non amittat. Quæ voluntas nunquam nos ad veram perfectionem faceret peruenire, sed in tepore quodam deterrimo collocaret, nisi hunc statum altrinsecus hæc insurgentia bella dirumperent. Hæc igitur inter vtraque contentio, illam pernicioſiorem excludens animæ voluntatem, vt quandam æquitatis libram statera nostri corporis collocat, quæ spiritus carnisque confinia iusto discernit examine, nec à dextris mentem spiritus ardore succensam, nec à leua carnem vitiorum aculeis præponderare permittens. Tepidum nostræ voluntatis arbitrium, hinc spiritus feruor, illinc carnis gelidissimus rigor, moderatissimo calore contemperat. Cap. 12.

Qua sit voluntas nostra quæ inter concupiscentiam carnis & spiritus ponitur.

Deinde Dæmones cum sint de eminentiore Angelorum ordine deuoluti, detestabiliores esse hominibus contemplamur, eo quod passibilitate eorum desiderijs adiacente, id quod nequiter semel conceperunt, irreuocabili malo perficere non morentur: quia sicut est animus eorum velox ad cogitandum, sic ad perficiendum pernix, & absoluta substantia; & quia nulla ad peccandum impugnatione carnis extrinsecus lacessita est, ob hoc sine venia peccatum, & sine remedio languor est. Sic colligitur, quod non solum noxia non sit hæc in nobis carnis spirituſque contentio, verum etiam multam nobis conferat vtilitatem. Cap. 13. & 14.

Cur dæmonum peccata nullam merentur veniam.

Primò quòd desidias ac negligentias nostras statim arguit: Secundò quòd pro castimoniæ puritatis integritate, cum in secretis conscientiæ nostræ fuerimus elati, suo nos rursum quamuis quieto ac simplici visitans influxu humiliat ac retundit, nosque homines esse suis stimulis admonet. Quodammodo enim cum in cæteris generibus vitiorum, & quidem grauioribus magisque noxijs indifferentius soleamus incurrere, nec tamen facile in eorum compungamur admissu, in hoc peculiarius humiliatur conscientia nostra, per quæ hanc illusionem neglectarum quoque passionum recordationem mordetur; euidenter intelligens immundam se factam naturalibus incentiuis, quæ cum esse immundior spiritualibus vitijs ignorabat. Cap. 15.

Quod nobis prosit carnis aduersum spiritum cõcupiscentia.

Essemus ita penitus sine remedio tepidi, vtpote non habentes iudicem negligentiæ nostræ, vel in corpore nostro, vel in conscientijs nostris insidentem, nec studeremus vnquam ad perfectionis peruenire feruorem, sed nec frugalitatis quidem districtionem continentiæ teneremus, nisi nos hæc titillatio carnis increscens humiliaret atque retunderet, & aduersus quoque spiritualium vitiorum purgationem solicitos redderet. & intentos. Cap. 16.

De incentiuis carnis quibus nisi humiliaremur grauius rueremus.

Denique in his qui spadones sunt corpore, idcirco hunc animi teporem plerumque inesse deprehendimus, Cap. 17.

De Eunuchorum tepore.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quia velut absoluti ab hac necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere, & hac securitate resoluti, nunquam perfectionem cordis, sed nec spiritualium quidem vitiorum purgationem quærere festinant.

De pernitiosa securitate, & tepore, ac superbia.

Cap. LI.

SIc status à carnali qualitate descendens, efficitur animalis, qui est proculdubio deterior gradus. Ipse enim est, qui de frigido ad tepidum transiens, detestabilior voce Domini signatur.

Cap. 19. Torpor atque tepiditas animi monachis valde pernicioſa.

Quicquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, ac salutifera suauitate percipitur: quod autem vitio semel pernicioso teporis abiectum est, non dicam labijs admouere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore non possumus. Rectissime ergo pronunciatur esse deterior, quia facilius ad salutarem conuersionem ac perfectionis fastidium, carnalis quis, ideſt, sæcularis vel gentilis accedit, quam is qui professus monachum ab illo semel spiritualis feruoris igne discessit. Ille namque saltem vitijs corporalibus humiliatus, ac spiritus ardore succensus, ad perfectionem facilius conuolabit. Nam qui semel, vt diximus, tepido exorsus initio, monachi cæperit abuti vocabulo, quodammodo resolutus, nec ex se vlterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri: dicit enim, *quia diues sum, & locuples, & nullius egeo, &c.* in eo factus etiam sæculari deterior, quod nec miserum se, nec cæcum aut nudum, vel egere monitis alicuius, aut institutione cognoscit.

Notent hæc monachi.

Apoc. 3.

Cap. 20.

Denique, quod pudet dicere, ita pleroſque abrenunciasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitijs ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo atque habitum sæcularem. Nam & acquirere pecunias gestiunt, quas nec antea possederũt; vel certe quas habuerãt, retinere non desinunt, aut quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant, sub hoc prætextu, quod famulos suos exinde semper vel fratres alere se debere iustum esse contendant: vel certe sub obtentu congregandi cætus reseruant, quos velut Abbates instituere se posse præsumant. Quod si in veritate viam perfectionis inquirerent, semetipsos singulares ac nudos ita sub seniorum imperio collocarent, vt curam non modo aliorum nullam, sed ne sui quidem gererent. Econtrario autem euenit, vt dum fratribus præesse festinant, nunquam senioribus ipsi subijciantur, & à superbia inchoantes, dum alios instruere cupiunt, nec discere ipsi nec agere ea quæ sunt docenda mereantur.

Pecuniarum quæstus & cupiditas monastica professioni contraria est.

Cuius superbiæ duplex est species, vna quæ * serietatem grauitatemque iugiter imitatur, alia quæ effrenata libertate in cachinnos risusque fatuos dissoluitur. Et ille quidem taciturnitate congaudet, hæc vero dedignatur silentio coarctari, nec confunditur passim proloqui res incongruas, & ineptas, dum erubescit vel inferior cæteris vel indoctior iudicari. Nec alius superbiæ fomes est, pro ieiunio fratrem, quam pro refectione contemnere, nisi quod perniciosiora, & à remedijs longinquiora sunt vitia, quæ sub specie virtutum, & imagine spiritualium rerum videntur emergere, quam illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expositi, & manifesti languores, & arguuntur cominus, & sanantur: Illa vero dum sub prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quosque periculosius faciunt ac desperatius ægrotare.

** Seueritatem, ſeremitatem vel veritatem*

Nam illud ridiculum qualiter exprimatur, quod nonnullos tanto cernimus studio in his quæ penitus abscindi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamuis parua viliaque sint, esse deuinctos, vt horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. Quibus profecto non magni proderit maiores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ sunt, in res paruas atque exiguas transtulerunt. Quid enim differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? Nisi quod in eo reprehensibilior iudicandus est, quod qui maxima spreuerit, minimis obligetur.

Cap. 11.

De his qui contemptis magnis, occupantur in paruis

Collatio Serapionis de octo principalibus vitijs.

Cap. LII.

EX *libro quinto collatione 5. cap.* 10. In illo cætu senum fuit vir nomine Serapion à primæua ætate gratia discretionis ornatus. Ambientibus autem nobis vt de impugnatione vitiorum aliqua disputaret, quibus origines eorum & causæ manifestius panderentur, ita exorsus est.

Octo sunt principalia vitia, quæ humanum infestant genus. *Cap. 2.*

Horum igitur genera sunt duo: aut enim naturalia sunt, vt gastrimargia, aut extra naturam vt philargyria. Efficientia vero quadripartita est: Quædam enim sine actione carnali consummari non possunt, vt est gastrimargia, & fornicatio; quædam vero sine vlla corporis actione complentur, vt est superbia, & Cenodoxia: Nonnulla commotionis suæ causas extrinsecus accipiunt, vt est philargyria, & ira: alia vero intestinis motibus excitantur, vt est accedia atque tristitia. *Cap. 3.*

Puritati studentibus plurimum confert, vt carnalium passionum ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earundem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim vt morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies & materia illiciens subtrahenda est, & animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio scripturarum, & sollicitudo peruigil ac remotio solitudinis vtiliter apponenda est. In cæteris autem vitijs nihil humana consortia obsunt, quinimo etiam plurimum conferunt his qui carere eis in veritate desiderant, quia frequentia hominum magis arguuntur, & dum lacessita crebrius manifestantur, celeri medicina perueniunt ad salutem. *Cap. 4.*

Quod autem extra naturam sit philargyria liquet. Nihil enim ad vsum ac necessitatem naturæ communis præter escam quotidianam ac potum certum est peruenire: ideoque hoc vitium non nisi tepidos ac male fundatos monachos pulsat. Quæ autem naturalia sunt, etiam probatissimos in solitudine commorantes attentare non desinunt. Et in tantum hoc verissimum comprobatur vt etiam nonnullas gentes ab hac passione, ideſt philargyria liberas omnimodis agnoscamus. Cuius rei testes multa hominum millia possumus inuenire, qui dispersis omnibus substantijs suis ita eradicauerunt hanc passionem, vt ne tenuiter quidem ab ea pulsentur: vlterius nihilominus omni tempore contra gastrimargiam pugnantes. *Cap. 8.*

De conſæderatione eorum mutua ſive concatenatione.

Cap. LIII.

HÆc igitur octo vitia, licet diuersos ortus ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora quadam inter se cognatione, vel vt ita dixerim concatenatione connexa sunt, ita vt prioris exuberantia, sequentis efficiatur exordium. Nam de abundantia gastrimargię fornicationem, de fornicatione philargyriam, de philargyria iram, de ira tristitiam, de tristitia accediam, necesse est pullulare. Ideoque simili contra hæc modo atque eadem ratione pugnandum est, & à præcedentibus semper aduersus sequentes oportet nos inire certamina. Facilius enim cuiuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si antea radices eius quibus innititur, vel nudatæ fuerint vel succisæ. Et infestates humores aquarum continuo siccabuntur, cum generator eorum fons *Cap. 19.*

Deſex vitiorum concordia & duorum ab eis diſſidentium cognatione.

ac pro-

ac profluentes venæ ſolerti induſtria fuerint obturatæ. Quamobrem vt accedia vincantur ante ſuperanda triſtitia eſt; vt triſtitia propellatur, ira prius eſt extirpanda, &c. Reſidua vero duo ſibi quidem ſimili ratione iunguntur; Cenodoxiæ enim exuberantia, ſuperbiæ fomitem parit, ſed ab illis ſeptem prioribus vitijs penitus diſſident, nec ſimili cum eis ſocietate fœderantur. Siquidem non ſolum nullam ex illis occaſionem ſuæ generationis accipiunt, ſed etiam contrario modo atque ordine ſuſcitantur. Nam illis euulſis hæc vehementius fructificant, & illorum morte viuacius pullulant atque ſuccreſcunt. Valde etiam diuerſo modo ab his duobus vitijs impugnamur. In vnumquodque enim illorum ſeptem vitiorum tunc incidimus, cum à præcedentibus eorum fuerimus eliſi. In hæc vero duo victores vel maxime poſt triumphos periclitamur incurrere. Et licet hæc octo vitia inuicem ſibi connexa atque permixta ſint, ſpecialius tamen in quatuor coniurationes, & copulas diuiduntur, gaſtrimargiæ namque fornicatio peculiari cõſortio fœderatur, philargyrię ira, triſtitiæ accedia, Cenodoxiæ ſuperbia familiariter coniugatur.

Cenodoxia & ſuperbia vitia cunctis virtutibus inſidiantur.

De Gula & luxuria, & ira & triſtitia.

Cap. LIIII.

ET vt ſigillatim nunc de vniuſcuiuſque vitij generibus diſputemus, gaſtrimargiæ genera ſunt tria. Primum, quod ad refectionem perurget monachum ante horam ſtatutam vel legitimam feſtinare; ſecundum, quod expletione ventris, & quarumlibet eſcarum voracitate lætatur; tertium, quod accuratiores ac delicatiſſimos deſiderat cibos. Ex his tribus cauſis diuerſæ ac peſſimæ valitudines animæ procreantur. Nam de prima, monaſterij odium gignitur; de ſecunda, igniti luxurię ac libidinis aculei ſuſcitantur, tertia etiam inextricabiles philargyriæ laqueos nectit ceruicibus captiuorum. Cuius nobis paſſionis ineſſe veſtigia deprehendimus, cum forte ad refectionem detenti ab aliquo fratrum, contenti non ſumus eo ſapore cibos ſumere, quo ab exhibente conditi ſunt, ſed quiddam ſuperfundi eis vel adijci importuna atque effrenata poſcimus libertate. Quod fieri penitus non oportet tribus de cauſis. Prima mens monachi ſemper debet in omni tolerantia ac parcitate excitatione verſari, & ſecundum Apoſtolum diſcere in quibus eſt ſufficiens eſſe. Nullatenus enim poterit vel occulta vel maiora corporis deſideria refrænare quiſquis de guſtatione modicæ inſuauitatis offenſus, ne ad momentum quidem delicias gutturis ſui maluerit caſtigare. Secundo, quia nonnunquam euenit vt ad horam deſit illa ſpecies, quæ poſtulatur à nobis, & verecundiam neceſſitati vel frugalitati ſuſcipientis incutimus, publicantes ſcilicet paupertatem eius, quam ſoli Deo cognatam eſſe maluerit. Tertio, quod interdum ſolet ſapor ille quem nos adijci poſcimus alijs diſplicere, & inuenimur iniuriam multis, dum noſtræ gulæ ac deſiderio ſatisfacere cupimus, irrogare: propter quod omnimodis in nobis eſt huiuſmodi caſtiganda libertas. Fornicationis genera ſunt tria. Primum, quod permixtione ſexus vtriuſque perficitur. Secundum, quod abſque fœmineo tactu pro quo Onam Patriarchæ Iudæ filius à Domino percuſſus legitur, quod in ſcripturis ſanctis immunditia nuncupatur. Tertium, quod animo, & mente concipitur, de quo Dominus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Philargyriæ genera ſunt tria. Primum, quod renunciantes diuitijs ac facultatibus ſuis ſpoliari non ſinit. Secundum, quod ea, quæ à nobis diſpenſata ſunt vel indigentibus diſtributa, reſumere nos maiori cupiditate perſuadet. Tertium, quod ea, quæ ne antea quidem poſſedimus, deſiderare acquirique compellit. Iræ quoque genera ſunt tria, vnum quod exardeſcit intrinſecus, aliud quod in verbum opuſque prorumpit, tertium, quod per tempora reſeruatur. Triſtitiæ genera ſunt duo. Vnum, quod vel iracundia deſinente, vel de illato damno ac deſiderio præpedito caſſatoque generatur, aliud quod de irrationabili mentis anxietate ſeu deſperatione deſcendit. Accediæ genera ſunt duo. Vnum, quod ad ſomnum præcipitat æſtuantes, aliud quod cellam deſerere ac fugere cohortatur.

Cap. 11. Gaſtrimargia tria ſunt genera, aduerſus quæ monachos diligenter luctari debere oſtendit.

Gula diſpendia & dãna præſertim monachis vitanda.

Contra delicatos monachos.

Gen. 38. Tria Fornicationis genera.

Matth. 5. Tria genera Phylargyriæ

Ira totidem genera.

Triſtitia duo genera.

Accedia duo genera.

De Inani gloria, & Superbia.

Cap. LV

CEnodoxiæ quoque genera duo ſunt. Primum, quod pro carnalibus ac manifeſtis extollimur rebus: Secundum, quod ſpiritualibus rebus, & occultis deſiderio vanæ laudis inflammamur.

Cap. 12.

In quo ſit vtilis cenodoxia.

Vna re tamen Cenodoxia vtiliter ab incipientibus aſſumitur, & ab his duntaxat, qui adhuc vitijs carnalibus inſtigantur; verbi gratia: Si illo tempore quo fornicationis ſpiritu perungentur, mente conceperint vel ſacerdotalis officij dignitatem, vel opinionem cunctorum qua ſancti, & immaculati eſſe credantur, & ita immundos concupiſcentiæ ſtimulos quaſi turpes & indignos vel exiſtimationi ſuæ, vel illi ordini iudicantes, hac ſaltem contemplatione declinent, minori malo id quod maius eſt retundentes. Satius eſt enim Cenodoxiæ vitio quemcunque pulſari, quam incidere fornicationis ardorem, vnde reparari aut non valeat, aut vix valeat poſt ruinam. Nam *laude* inquit *mea infrenabo te, ne intereas*, id eſt vt dum Cenodoxiæ laudibus comprehenderis nequaquam ad inferni profunda proruas, & irreuocabiliter mortalium peccatorum conſummatione mergaris. Nec mirum tantam paſſioni huic ineſſe virtutem, vt irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrenare, cum ita eum quem ſemel veneni ſui peſte corruperit infatigabilem reddat, vt faciat ab eo ne biduana quidem ieiunia vel triduana ſentiri. Quod enim nonnullos in hac eremo frequenter nouimus fuiſſe confeſſos, ſeque in cœnobijs Syriæ conſtitutos, quinis diebus refectionem cibi ſine labore toleraſſe; nunc autem tanta ſe fame etiam ab hora tertia perurgeri, vt vſque ad nonam vix queant differre quotidiana ieiunia. Super qua re pulchre Abbas Macharius cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia in eremo pulſaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris, refectionem cõtemnens non ſenſiſſet eſuriem, Reſpondit: Quia hic nullus eſt ieiunij tui teſtis, qui te ſuis laudibus nutriat atque ſuſtentet, ibi autem te digitus hominum, & Cenodoxiæ refectio ſaginabat. Populum Iſraelem à Nechao rege Ægypti captiuatum aſcendens Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum de finibus Ægypti ad ſuam tranſtulit regionem, non vt eos libertati reſtitueret, ſed vt ad ſuas abduceret terras longius, quam fuerant in terra Ægypti. Licet enim tolerabilius ſit Cenodoxiæ, quam fornicationis vitio deſeruire, difficilius tamen à Cenodoxiæ dominatione diſceditur. Superbiæ genera ſunt duo: Primum carnale, ſecundum ſpirituale, quod etiam perniciouſius eſt.

4. Reg. 23. & 24.

Superbia duo genera.

De conflictu cum vitijs prædictis.

Cap. LVI.

IGitur vnuſquiſque vitium quo maxime infeſtatur explorans, aduerſus illud arripiat principale certamen, indeſinentes quoque orationum fletus ad Deum fundens. Impoſſibile eſt enim de qualibet paſſione triumphum quempiam promereri, priuſquam intellexerit induſtria vel labore proprio victoriam certaminis ſemet obtinere non poſſe, cum tamen vt valeat emundari neceſſe ſit die noctuque eum in omni cura, & ſollicitudine permanere. Cumque ſe ab ea ſenſerit abſolutum, rurſus latebras ſui cordis perluſtret, & excipiat ſibi quam inter reliquas inuenerit ditiorem, atque aduerſus eam ſpecialius omnia ſpiritus arma commoueat, & ita ſemper validioribus ſuperatis celerem de reſiduis habebit facilem victoriam, quia mens triumphorum proceſſu

Cap. 14.

De inſtituẽdo aduerſum vitia certamine ſecundum ipſorũ infeſtationẽ.

Eſai. 48.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cessu redditur fortior, & insidiorum pugna succedens promptiorem ei faciet prouentum præliorum. Nec tamen putandum est, quod principaliter, quis contra vnum dimicans vitium, & velut incautius aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari. Impossibile namque est eum, qui pro cordis sui mundatione sollicitus erga impugnationem vitij cuiuslibet intentionem suæ mentis armauerit, aduersus cætera quoque vitia generalem quendam horrorem, & custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa, qua absolui desiderat passione merebitur obtinere, victoriam quem indignum purgationis, præmio aliorum facit contagio vitiorum.

Cap. 16. Deut. 7. Plures sunt vitiorum quã virtutũ differentia.

Denique 7. inquit *gentes multo maioris numeri sunt, quam tu es, & robustiores te.* Quod multo maioris numeri esse dicuntur, quia plura sunt vitia, quam virtutes. Numerosior enim est carnalium passionum populus de septenario fomite vitiorum procedens: fortior enim militat in membris nostris oblectatio carnalium passionum, quam studia spiritualium virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis, & corporis acquiruntur.

Collatio Theodori de prosperis & aduersis huius sæculi.

Cap. LVII.

EX libro sexto cap. 1. In Palestinæ partibus iuxta Thecuæ vicum, qui Amos Prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est, in hac summę sanctitatis monachi diutissime commorantes, repente sunt à discurrentibus Saracenorum latrunculis interempti. Ob hoc igitur mœsti ad Sanctum Theodorum perreximus: cui cum prædictorum nece querimoniam fudissemus, admirantes cur Deus admitti in seruos suos tantum facinus consensisset, respondit.

Cap. 2. Hęc quęstio illorum solet animos permouere, qui parum fidei vel scientiæ possidentes, mœrita sanctorum vel præmia quæ reposita sunt in futurum arbitrantur in huius vitæ breuitate restitui.

Tria sunt omnia quæ sunt in hoc mundo, idest bonum, malum, medium. Nihil in rebus humanis principale bonum est nisi virtus animi, nihil malum nisi peccatum, media sunt, quæ in vtramque partem pro affectu & arbitrio vtentis deriuari possunt, vt diuitiæ, potestas, honor, robur, sanitas, pulchritudo, vita, mors, paupertas, infirmitas, iniuriæ, & his similia, quæ pro qualitate, & affectu vtentis, vel ad bonam partem possunt proficere, vel ad malam.

Cap. 6. Ideoque cum illata fuerit mors sancto viro, non ei malum illatum esse credendum est, sed medium quiddam, quod cum peccatori malum sit, iusto requies, & absolutio sit malorum.

Cap. 8. Nec enim, quis impius vel iniquus idcirco impunitus erit, quia malitia sua iusto nocere non potuit. Tolerantia & virtus iusti, non illi quf mortem vel supplicia intulit, sed illi proficit ad mercedem, qui illata sibi patienter excepit.

Cap. 9. *Nemo laditur nisi à seipso.* Neque enim patientia Iob mercedem Diabolo reddidit, nec Iudas supplicij immunitate damnabatur, quia proditio eius ad salutem proficit generis humani. Non enim prouentus considerandus est operis, sed operantis affectus. *Rom. 8.* *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, non solum, quæ prospera, verum etiam quæ putantur aduersa. Eiusdem nanque virtutis est tristia fortiter tolerare, cuius etiam secunda moderari & eum qui in vno eorum superatur, neutrum sufferre certissimum est. Facilius tamen quis elidi potest prosperis, quam aduersis. Hæc enim interdum etiam inuitos retinent atque humiliant, & compunctione saluberrima vel minus peccare faciunt vel emendant, illa vero mollibus mentem ac perniciosis extollentia blandimentis securos fælicitatis suæ prouentu ruina maiore prosternunt.

Cap. 10. Iud. 3. Isti ergo sunt ambidextri, vt ille Aioth in libro Iudicum fuisse describitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Quam virtutem nos quoque ita poterimus intellectualiter possidere, si ea, quę prospera sunt dexteraque censentur, & ea, quæ aduersa sunt & sinistra dicuntur, bono rectoque vsu ad partem fecerimus dexteram pertinere, vt quæcumque fuerint illata, fiant nobis secundum Apostolum *arma Iustitiæ*. Ambidextrum merito dixerim & Ioseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo, in aduersis castus, Domino fidelis, carcerisque mitissimus vinctus, iniuriarum immemor, beneficus inimicis inuenitur. Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutauerit, sed similiter Deo gratias in vtroque referentes, parem fructum de secundis aduersisque capiamus. Qualem se ille verus ambidexter doctor gentium consecutum fuisse testatur, dicens: *Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio, & humiliari, scio & abundare.* *Quis ambidexter figuraliter.* 2. Cor. 6. Laus Ioseph. Philip. 4.

Quod iusti mens inter hæc debet stare immobilis, ac semper proficere.

Cap. LVIII.

ITaque mens viri iusti non debet esse similis ceræ, vel alterius cuiusque materiæ mollioris, quæ semper caracteri signantium cedens, nunquam in sua qualitate persistat: quin potius debet esse velut quoddam adamãtinum signatorium, vt inuiolabilem figuram sui semper caracteris, custodiens, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet atque transformet, ipsa vero insigniri nullis incursibus possit. Cap. 12. Vir iustus nõ debet esse cæra simulis.

GERMANVS. Potestne mens nostra vnum statum iugiter retinere, & in eadem qualitate semper persistere? Cap. 13.

THEODORVS. Necesse est vt secundum Apostolum aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat ad ea in ante sunt se semper extendens, aut si neglexerit, consequens est vt retro redeat, atque in deterius relabatur. Quapropter istud erit euidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse nec dubitemus nos retrorsum omnimodis reuocatos, qua die nõ senserimus ad superiora progressos, quia nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens, ita virtutum apicem possidebit quisquis ille sanctorum vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adijci illis semper aut minui, nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni. Solum namque Deum immutabilem confitemur. Cap. 14. *Non progredi in via domini regredi est.* Cap. 16.

Vnde neque illi immutabilis naturę esse putdãi sunt, qui in illa qua creati sunt beatitudine perseuerant, eo quod in contrariam partem non fuerint similiter deprauati. Aliud namque est immutabilis naturæ esse, aliud virtutis industria bonique custodia per immutabilis Dei gratiam non mutari. Quicquid enim per diligentiam vel acquiritur vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire. Ideoque dicitur, *Ne beatifices hominem ante exitum suum.* Et idcirco Deus solus immutabilis vel bonus dicitur, qui bonitatem non industriæ studio, sed naturaliter possidens, non potest aliud quid esse quam bonus. Nulla igitur virtus potest immobiliter ab homine possideri, sed vt parata iugiter teneatur, necesse est eam semper illa, qua acquisita est sedulitate atque industria custodiri. Eccles. 11. Cap. 17.

Lapsus vero quispiam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decedente. Ideo Salomon eleganter mẽtis incuriam domati comparauit tectoque neglecto, per quam primo quidem veluti minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si, velut parua & leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & posthæc influunt imbre largissimo vitiorum. Prou. 27.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De castitate Sereni Abbatis, & eius responsione super mobilitate mentis.

Cap. LIX.

EX. *libro 7. cap.* 1. Summæ sanctitatis, & continentiæ virum nominisque sui speculum Abbatem Serenum singulari sumus veneratione præ omnibus admirati. Cui supra omnes virtutes, quæ non solum in eius actu vel moribus. sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, vt iam sene ipsis quidem naturalibus incentiuis inquietari vel in sopore sentiret.

Cap. 2. Primo quidem pro interna cordis castitate nocturnis diurnisque precibus ac ieiunijs insistens, cum vidisset orationum suarum obtinuisse se vota, cunctosque æstus in corde suo concupiscentiæ carnalis extinctos, maiori zelo castitatis exarsit, & intentionibus ieiunijs & obsecrationibus incubare cæpit, vt mortificatio passionis huius etiam ad ipsam carnis puritatem eatenus peruenireṭ, vt ne illo quidem simplici ac naturali motu, qui etiam paruulis ac lactantibus excitatur, vlterius pulsaretur, credens multo facilius Deum hos stimulos carnis radicitus posse conuellere, quos etiam humanæ artis industria solet quibusdam poculis vel medicamentis seu ferri sectione detrahere. Cumque petitioni cæptæ, supplicatione iugi ac lachrymis indefessus insisteret; aduenies Angelus in visione nocturna, eiusque velut apeniens vterum, quandam ignitam carnis strumam de visceribus eius euellens atque proijciens, suisque omnia vt fuerant locis restituens intestina, ecce, inquit, incentiua tuæ carnis abscisa sunt, & noueris te obtinuisse in hodiernum diem perpetuam corporis puritatem, quam fideliter poposcisti. Hic cum à nobis de qualitate cogitationum nostrarum & interioris hominis statu quæsisset, vel quid nobis ad eius puritatem tanti temporis eremi habitatio contulisset, his eum querimonijs adorsi sumus.

Serenus Dei gratia liber factus ab omni cogitatione & cupiditate carnis.

Cap. 3. Supputatio temporum ac solitudinis habitatio hoc solummodo contulit nobis, vt discereṃus, quid esse nequeamus. Et quid profuit didicisse, quod summum est, si cognitum nequeat apprehendi. Nam cum directionem cordis ad destinatam contemplationem prætendere senserimus, insensibiliter mens inde reuoluta ad priores euagationes impetu vehementiore prolabitur. Ad hanc opinionem fracti desperatione traducimur, vt non nostro iam sed naturæ vitio has animę peruagationes humano generi inesse credamus.

Cap. 4. SERENVS. Periculosæ præsumptionis est, nec dum rebus recte discussis de natura cuiuslibet rei præpropere definire, ac de consideratione fragilitatis suæ capere coniecturam non de statu & qualitate ipsius disciplinæ, vel de aliorum experientia proferre sententiam. Neque enim siquis natandi ignarus, sciens pondus corporis sui ferri aquarum liquore non posse, experimento suæ voluerit imperitiæ definire, neminem posse penitus liquidis elementis solida carne circundatum sustineri, idcirco vera eius opinio iudicanda est, quam secundum experientiam suam visus est protulisse, cum hoc non solum non esse impossibile, sed etiam perfacile ab alijs fieri ratione certissima comprobetur.

Qualiter mens se possit in bono cogitatu stabilire, & diabolo resistere.

Cap. LX.

MEns itaque definitur semper mobilis, & multum mobilis. Hæc igitur pro conditione naturæ nunquam potest ociosa consistere, sed necesse est eam, nisi prouisum habuerit vbi suos exerceat motus, & in quibus iugiter ocupetur, propria mobilitate discurrere, & per omnia volitare donec longo exercitio vsuque assuefacta, discat erga quas materias circumagat volatus, & ita prævaleat aduersas inimici suggestiones, quibus detrahebatur, extrudere, atque in illo quem desiderat statu, & qualitate durare.

Iugis & indefessa mẽtis occupatio.

Si igitur viriliter aduersus perturbationes & vitia dimicantes, potuerimus ea ditioni nostræ discretionique subijcere, vel instabilem cogitationum nostrarum cohortem rationis imperio subiugare, pro tantorum meritis triumphorum ad spiritualis centurionis ordinem prouehimur, MALIS quidem SVGGESTIONIBVS imperantes, *abite, & abibunt*, BONIS vero *venite, & venient*. Seruo quoque nostro id est corpori, ea quæ castitatis sunt similiter iniungemus, & sine vlla contradictione deseruiet, omnem exhibens spiritui famulatum.

Cap. 5.

Nec ab intentione huius obseruantiæ pernicioſa desperatione frangamur, quia *regnum cœlorum patitur vim*. Nulla namque virtus sine labore perficitur, nec vlli possibile est ad istam quam cupitis stabilitatem mentis sine ingenti contritione conscendere, vt *in virum perfectum possit occurrere in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Ad quam nemo perueniet in futurum, nisi qui præmeditatus & imbutus fuerit ea in præsenti, eamque adhuc in sæculo positus prælibauerit, Christique membrum præciosissimum designatus, arrham compaginis illius per quam corpori eius valeat copulari in hac carne, possederit, vnum duntaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solum actus suos, verumetiam cogitationes semper intendens, vt iliud quod in futurum dicetur de beata conuersatione sanctorum, iam subarrhatum teneat in præsenti, id est *vt sit ei Deus omnia in omnibus*.

Cap. 6. Matth. 11.

Ephes. 4.

Quem scopũ laboribus ac studijs præfixum esse oporteat.

1. Cor. 15.

Aduersarios quidem nobis iugiter insidiari, quicumque interioris hominis pugnam experti sunt dubitare non possunt: sed ita dicimus hos nostris profectibus aduersari, vt eos tantummodo incentores malorum, non etiam impulsores esse credamus. Cæterum nullus hominum posset omnino vitare peccatum, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita & ad compellendum facultas violenta suppeteret. Quamobrem sicut in illis est instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi siue acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam, & impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adiutoria Dei econtrario conferamus, maior enim est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo, cuius & auxilia multo vehementiori militant virtute pro nobis, quam aduersus nos illorum multitudo confligit. Nam bonarum rerum non tantum suggestor, sed etiam factor atque impulsor est Deus, ita vt nonnun quam nos etiam inuitos, & ignorantes attrahat ad salutem. Constat ergo neminem posse à Diabolo decipi, nisi eum qui præbere ei maluerit suæ voluntatis assensum. Quos Ecclesiastes his verbis euidenter expressit: *Quia enim non fit contradictio ab his, qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis vt faciant mala*. Ergo manifestum est hinc vnumquemque delinquere, quod ingruentibus cogitationibus prauis non eis confestim cõtradicit, *Nam resistite*, inquit, *ei & fugiet à nobis*.

Cap. 8.

Responsio Sereni super adiutorio Dei, & liberi arbitrij potestate.

Iacob. 4.

De corporali refectione, & diuersis sensibus.

Cap. LXI.

EX libro octauo siue collatione 8. cap. 1. Consummatis, quæ diei solennitas exigebat, & ecclesiæ congregatione dimissa, reuersi ad cellam senis, refecti primum lautissime sumus. Nam pro muria, quæ superiecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, & olei quiddam solito propensius superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc vnusquisque quotidie refecturus instillat, non vt eius ex hoc gustu suauitatem percipiat, sed vt hoc vsu iactantiam cordis quæ pro abstinentiæ distributione blande solet ac latenter irrepere, & stimulos elationis obtundat. Deinde apposuit salem frictum, oliuas ternas, quibus post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum,

Hæc est secunda collatio Abbatis Sereni.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ctum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, mixaria bina, caricas singulas, hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. Qua refectione transacta ita locutus est.

Cap. 3. Satis proprie diuina scriptura opimo agro comparatur ac fertili, qui cum multa gignat ac proferat ad hominum victum, quædam sine aliqua coctione ignis proficiunt, quædam nisi prius flammæ calore mitigata atque mollita omnem asperitatem suę deposuerint cruditatis, vel incongrua erunt vsibus humanis, vel noxia sentirentur, nonnulla vero ita vtrique vsui apta nascuntur, vt nec incocta sua cruditate displiceant vel offendant, & tamen ignis calore decocta salubriora reddantur. Plura quoque ad escam tantummodo iumentorum vel ferarum ac volucrum proferuntur, cibis hominum minime profutura. Quam rationem satis euidenter aspicimus in hoc vberrimo scripturarum Paradiso contineri, in quo ita quædam significatione literæ plana ac luculenta respondent, vt cum sublimiori interpretatione non egeant, simplici tantum literę sono abunde pascant ac nutriant audientes, vt est illud: *Deut. 6.* *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* *Ibid.* Et *diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo &c.* Quędam autē si allegorica explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, magis ex eorum perceptione læsio, quam vtilitas aliqua consequetur, vt illud est: *Luc. 21. & Matth. 10.* *Qui non habet gladium &c.* Et *qui non accipit crucē suam, & sequitur me, &c.* Quod quidam districtissimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easque humeris iugiter circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Nonnulla vero ad vtramque perceptionem id est tam historicam quam allegoricam ita commode capiuntur, vt vtraque explanatio vitales succos animę sumministret, vt est illud: *Matth. 5.* *Siquis te percusserit in dexteram maxillam, &c.* Et *Matth. 10.* *cum persequūtur vos inimici*, &c. Producit sane & fœnum iumentis, simplicem scilicet puramque narrationem historicæ lectionis, qua simpliciores quique ad laborem actualis vitę vegetiores robustioresque reddantur.

De lapsu Angelorum, & eorum pugna adinuicem.

Cap. LXII.

Cap. 7. Ante conditionem huius visibilis creaturæ, spirituales cælestesque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes indesinenter ei laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Quas Apostolus per ordinem dinumerans ita describit: *Coloss. 1.* *Quia in Christo creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, siue Angeli, siue Archangeli, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates.*

Cap. 8. De lapsu diaboli & Angelorum. De istorum itaque numero nonnullos fuisse principes collapsos lamentatio Ezechielis siue Isaiæ docet. Quibus indicijs colligitur has differentias, quas instar sanctarum cælestiumque virtutum aduersæ potestates habere dicuntur, vel ex illius anterioris ordinis gradu, in quo vnaquæque creata fuerat, nunc etiam retentare, vel certe de cælestibus deuolutas ad similitudinem illarum virtutum, quæ ibidem perseuerant, pro nequitiæ suæ merito, in qua vnaquæque in malum creuit, hos inter se gradus & ordinum vocabula in parte contraria vendicasse.

Cap. 13. Quod impugnationē quam erga homines; impendant dæmones, etiam aduersum se cōmoueant. Dan. 10. Itaque impugnationes quibus homines impetunt, etiam contra se inuicem eos affectare certissimum est. Nam discordias atque conflictus super nonuullis gentibus pro quadam sibi nequitiæ vernacula familiaritate susceptis, indefesso certamine similiter exercere non desinunt, Quæ etiam in visione Danielis legimus figurata Angelo Gabriele ita narrante, *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michael vnus de principibus, primus venit in adiutorium mihi &c.* Legimus etiam Græcorum principem, qui vtique fauens genti sibi subditæ, tam nationi Persarum quam populo Israeli videbatur aduersus. Ex his liquido peruidetur, quod discordias gentium & conflictus ac simultates quas inter se istis instigantibus gerunt, etiam contra se exerceāt aduersæ potestates, & illarum vel victoria gaudeant, vel diminutione crucientur, & ob hoc non possunt inter se esse concordes, dum vnusquisque pro his quibus præest contra alterius gentis præsulem inquieta semper æmulatione contendit.

Cap. 14. Nos igitur præter illas quas superius exposuimus opiniones etiam idcirco dici principatus vel potestates euidenti possumus ratione colligere, quod scilicet vel diuersis gentibus dominentur ac presint, vel certe quod in inferiores spiritus atque dæmonia (de quibus etiam euangelium legiones esse propria ipsorum confessione testatur) suos exerceant principatus.

Quod inter dæmones alijs alij dominantur.

Cap. LXIII.

Cap. 16. Regi autem immundos spiritus à nequioribus potestatibus eisque esse subiectos, non solum illa dominica responsio, *Matth. 12.* *Si ego in Beelzebub principe dæmoniorum eijcio dæmonia*, sed etiam perspicuę visiones & experimenta sanctorū multa nos edocent. Nam cum vnus è fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascente die quadam antrum reperiens, ibidem substitit, vbi psalmos ex more decantās medium noctis excessit. Cumque refecturus lassum corpus recidisset, repente cæpit cateruas dæmonum vndique confluentiū innumerabiles intueri, quæ infinita constipatione, & ordine longissimo procedentes, aliæ principem suum prębant, aliæ sequebantur. Qui tandē & magnitudine cunctis procerior, & aspectu terribilior aduenit, ac posito solio sublimissimo cum sedisset, vniuscuiusque actus diligenter examinabat illosque qui necdum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes à conspectu suo iubebat cum iniuria expelli, spacia tanti temporis, & opus inaniter expensum exprobrans cum fremitu furoris, illos vero, qui se nunciabant sibi consignatos decepisse, summis laudibus cum exultatione & fauore cunctorum; vt fortissimos bellatores extollebat. Quorum vnus cum victor lætus aduenisset, nomen cuiusdam monachi designauit, asserens post 15. annos quibus eum iugiter obliuisset, tandem se prævaluisse, vt eum eadem nocte ruina fornicationis elideret, & cum sacra puella quadam non solum impulisse vt stupri crimen incurreret, sed etiam persuasisse, vt eam sibi iure coniugij retineret. Super cuius relatione cum immane cunctorum gaudium fuisset exortum, summis à principe tenebrarum laudibus eleuatus abscessit. Mane autem cum euanuisset illa dæmonum multitudo, dubitans frater de assertione spiritus immundi, magisque id ratus, quod solita fallacia sibi voluisset illudere, & innocenti fratri crimen incesti inurere, Pelusium petijt, vbi monachum illum qui sibi notissimus erat, nouerat commorari, quem cum requisisset, reperit, quod eadem nocte qua ruinam eius dæmon nunciauerat, relicto monasterio vicum petijsset, & cum designata puella lapsu miserabili deuolutus fuisset.

De Angelis personalibus, & de differentia dæmonum.

Cap. LXIIII.

Cap. 17. Singulis hominibus duo Angeli adhærent. Nam, quod vnicuique nostrum duo cohæreāt Angeli id est bonus, & malus, scriptura testatur. De vtrisque vero liber pastoralis plenissime docet. Si consideremus, & illum qui beatum Iob expetijt, apertissime instruimur illum fuisse, qui semper insidiabatur ei, & eum nūquam ad peccatum potuit incitare, & idcirco potestatem à Domino poposcisse, velut qui non virtute

Exemplo sui illustrat sententiam ac docet inferiores dæmones principibus subditos.

De subiectione dæmonū quam suis principatibus prębent.

illius

illius, ſed Domini defenſione, qui illum ſemper protexerit vinceretur.

Cap. 18. De differentijs dæmonum per illos duos philoſophos multum cognitionis accipimus, qui deſpicientes beatum Antonium, velut imperitum ac ſine literis virum, volenteſque ſaltem eum de cella ſua magicis præſtigijs perturbare, ſpiritus ei nequiſſimos immiſerunt, & ad hanc impugnationem morſu liuoris adducti, eo quod hominum turbæ ad eum velut Dei famulum conuenirent. Cumque illo nunc quidem pectori ſuo, & fronti ſignaculum cruci imprimente, nunc vero ad orationem ſuppliciter incumbente, ne approximare quidem dæmones ei prorſus auderent, & ad illos qui eos direxerant abſque vllo reuerterentur effectu, & illi alios rurſus nequiores immitterent, itidemque illis inaniter redeuntibus, potentiores iterum miſſi contra militem Chriſti nihil omnino prævalerent, eo tales eorum inuidiæ tota magica arte quæſitæ profecerunt, vt per hæc euidentiſſime magnam profeſſioni Chriſtianorum ineſſe virtutem comprobarent, quibus illæ tam ſæuę & tam potentes vmbræ, quas æſtimabant, Solē Lunamque ſi ad eos directe fuiſſent obducere potuiſſe, hunc non ſolum nihil lædere, ſed ne ad punctum quidem de monaſterio ſuo valuerant perdurare.

Differentiã nequitiæ quæ malus ſpiritibus ineſt duorum philoſophorum teſtimonio confirmat.

Cap. 19. Cumque pro hac admiratione confeſtim venientes ad Abbatem Antonium, impugnationes ſuas & cauſas & inſidias liuoris occulti patefeciſſent, Chriſtianos ſe fieri popoſcerunt. Requiſito autem ab illis, proditæ impugnationis die, aſſeruit ſe amariſſimis cogitationum ſtimulis tunc fuiſſe pulſatum.

Cap. 21. Nullo autem modo credendum eſt ſpirituales naturas coire cum fœminis carnaliter poſſe.

Qualiter intelligendum ſit, quod filij Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum.

Cap. LXV.

POſt necem Abel iuſti, ne à fratricida & impio omne hominum genus exordium ſumeret, in locum fratris extincti natus eſt Seth. Cuius progenies patris ſecuta iuſtitiam à ſocietate & coniunctione cognationis illius, quæ ex Cayn ſacrilego deſcendebat, ſemper diuiſa permanſit. Donec ergo perſeuerauit inter illos generationis eorum illa diſcretio, ſemen Seth, vtpote de optima radice, procedens, pro merito ſanctitatis Angeli Dei, ſiue filij Dei vocati ſunt, & econtrario illi propter impietatem vel ſuam vel patrum ſuorum, & opera terrena, filij hominum nuncupantur. At illi videntes filias eorum, deſiderio pulchritudinis earum ſuccenſi, acceperunt ſibimet de ipſis vxores quæ viris ſuis parentum ſuorum nequitias infundentes, ab illa eos ingenita ſanctitate ac ſimplicitate paterna protinus corruperunt. Quique ab illa vera Phificę Philoſophiæ diſciplina tradita ſibi à maioribus exciderunt, quam primus homo, qui vniuerſarum naturarum inſtitutiones è veſtigio ſubſecutus eſt, potuit euidenter attingere ſuiſque poſteris certa ratione trāſmittere. Quippe qui mũdi ipſius infantiam adhuc teneram, & quodammodo palpitantem rudemq; conſpexerat, & in quem tanta fuit non ſolum ſapientiæ plenitudo, ſed etiam gratia propheticæ, diuina illa inſufflatione transfuſa, vt vniuerſis animantibus nomina rudis adhuc mundi huius habitator imponeret, ac non ſolum omnigenos beſtiarum atque ſerpentium furores vireſque diſcerneret, ſed etiam virtutes herbarum & arborum, lapidumque naturas, ac temporum necdum expertorum viciſſitudines partiretur, vt potuerit dicere: *Dominus Dedit mihi bonorum horum, quæ ſciam ſcientiam veram, &c.* Hanc ergo ſcientiam per ſucceſſiones generationum, ſemen Seth paterna traditione ſuſcepit. Cum vero impiæ generationis fuiſſet admixtum, ad res prophanas & noxias, quas impiè dedicerat, inſtinctu quoque dæmonum deuiauit, curioſaſque ex ea maleficiorum artes atque præſtigia ac magicas ſuperſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ſuos, vt ſacro illo cultu diuini nominis derelicto, vel elementa hæc ignem vel aereos dæmones venerarentur, & colerent. De illis ergo filijs Seth, & filiabus Cayn, ne quiores filij procreati ſunt qui fuerunt venatores violentiſſimi, qui pro enormitate corporum vel crudelitatis atque malitiæ, gigantes dicti ſunt, præda potius exigere vitam ſuam, quam ſudore operis ac labore contenti. Quorum vſque adeo ſcelera ſupercreuerunt, vt expiari mundus, alias niſi diluuij inundatione non poſſet. Ita ergo filiis Seth libidinis inſtigatione transgreſſis mandatum, quod ab exordio mundi naturali intinctu diutiſſime fuerat cuſtoditum, neceſſe fuit per literam legis poſtea reparari. *Filiam* inquit, *tuam non dabis filio eius vxorem, &c.*

Genſ. 5.

Genſ. 2.

Maleficiorũ artes à Chāſilio Noe laminis metallorum & columnis ante diluuium inſcriptæ fuerunt.

Deut. 8.

Cap 23. Deus igitur hominem creans, omnem naturaliter ei ſcientiam legis inſeruit, quæ ſi fuiſſet ab homine in ſecundum propoſitum Domini, vt acceperat cuſtodita, non vtique neceſſarium fuiſſet aliam dari, quam literis poſtea promulgauit. Nam quia ſit homini omnis ſcientia legis ab initio creationis infuſa, hinc manifeſte probatur, quod mandata legis abſque lectione literæ ante legem imo ante diluuium omnes Sanctos obſeruaſſe cognoſcimus.

Collatio Iſaac de puritate mentis ad orandum.

Cap. LXVI.

EX libro nono cap. 1. Præmiſſa ſuper diuerſis inſtitutis diſputatione copioſa, hæc ad extremum Beatus Iſaac intulit verba.

Cap. 2. Omnis Monachi finis cordiſque perfectio, ad iugem atque indiruptam orationis perſeuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur ad immobilem tranquillitate mentis ac perfectam nititur puritatem, ob quam poſſidendam omnem tam laborem corporis, quam contritionem ſpiritus indefeſſe quærimus, & iugiter exercemus, & eſt inter alterutrum reciproca quædam inſeparabiliſque coniunctio.

Quis monachi finis.

Cap. 3. Idcirco vt eo feruore ac puritate qua debet emitti poſſit oratio, primum, ſollicitudo rerum carnalium generaliter abſcindenda eſt, deinde nullius negocij cauſæve non ſolum cura, ſed ne memoria quidem penitus admittenda, & vitijs extruſis, & abſciſis, iacienda ſunt primę profundæ humilitatis inconcuſſa fundamenta, quę ſcilicet turrem pulſaturam cælo valeant ſuſtinere. Deinde ſuperponenda virtutum ſpiritualis extructio, & ab omni diſcurſu atque euagatione lubrica animus eſt inhibendus. Quicquid enim ante orationis horam anima noſtra concepit, neceſſe eſt vt orantibus nobis per inſtigationem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus prępparare debemus: ex præcedenti enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur, & idcirco quicquid orantibus nobis nolumus vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectoris extrudere feſtinemus.

Cap. 3. Qua ratione parari poſſit pura & ſincera oratio.

Qualiter curæ ſæculares vexant etiam claſtrales.

Cap. LXVII.

QVod autem ſęculares curæ etiam in nos qui nullis actibus mundi huius admiſcemur, cadere nonnunquam poſſint manifeſta ratione monſtratur ſecundum regulam ſeniorum, qui quicquid neceſſitatem victus quotidiani, & ineuitabilem vſum carnis excedit, ad ſæcularem definierunt curam, & ſollicitudinem pertinere, vt verbi gratia: Cum duarum ſufficiat velamen tunicarum, duarum, trium aut quatuor fieri domini procuremus. Cumque vnius aut duarum ſufficiat habitatio cellarum, ambitione ſæculari atque amplitudine delectat, quatuor, ſeu quinque cellas, & has eaſdem exquiſiti ornatus, & capaciores quam vſus deſiderat extruamus, quod non ſine inſtinctu dæmonum fieri manifeſtiſſima nos experimenta docuerunt.

Cap. 5.

Quæ ſeculares curæ in monachis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. 6.

Visio cuiusdam senis quam super fratris inquieta operatione prospexit.

Nam quidem probatissimus seniorum cum transiret iuxta cellam cuiusdam fratris, ac animi quam diximus ægritudine laborantis, vtpote qui in extruendis reparandisque superfluis inquietus quotidianis distensionibus desudaret, & eminus conspexisset eum graui malleo saxum durissimum conterentem, vidisset que Æthiopem quendam astantem illi,& vna cum eodem ictus mallei iunctis consertisque manibus illidentem, eumque ad operis illius instantiam ignitus facibus instigantem,diutissime substitit, vel impressionẽ durissimi dæmonis vel fraudem tantæ illusionis admirans. Cum enim nimia lassitudine fatigatus frater, requiescere iam finemque operi vellet imponere, instigatione spiritus illius animatus iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione incepti operis vrgebatur, ita vt ijsdem eius incitamentis infatigabiliter sustentatus, tanti laboris non sentiret iniuriam. Tandem igitur senex tam dira dæmonis ludificatione permotus, ad cellam fratris diuertit, salutansque eum, quid, inquit, est frater istud opus,quod agis? At ille,laboramus, inquit, contra istud durissimum saxum, vixque potuimus illud aliquando conterere. Ad hæc senex: Bene dixisti potuimus, non enim solus eras cum illud cæderes, sed fuit alius tecum quem non vidisti,qui tibi in hoc opere non tam adiutor quam violentus impulsor astabat. Et reuera non minus hæc quæ parua videntur,& minima, quæque ab his qui nostræ professionis sunt cernimus indifferenter admitti, pro qualitate sua aggrauant monachi mentem,quam illa maiora,quæ secundum suum statum seu operationem sæcularium sensus ineptiare consueuerant, non sinentia deposita fece terrena ad Deum, in quo semper defixa debet esse intentio, monachum respirare.

Cap. 8. *Diuersa sunt orationum qualitates.*

Vniformes orationes emitti semper à nemine posse certissimum est,aliter enim quisque supplicat cum alacer est,aliter cũ tristis,aliter cũ spiritualibus successibus viget,aliter cum impugnationum mole deprimitur, aliter cum veniam peccatorum,aliter cum acquisitionem gratiæ seu cuiuslibet virtutis exposcit, vel certe extinctionem cuiusque vitij deprecatur,aliter cum consideratione gehennæ aut futuri iudicij timore cõpungitur, aliter cum spe futurorum bonorum desiderioque flammatur, aliter cum in necessitatibus ac periculis, aliter cum in securitate, & tranquillitate versatur.

De quatuor speciebus orationis,& de oratione Dominica.

CAP. LXVIII.

Cap. 11. 1. *Tim.* 2.

Deprecor itaque primo omnium fieri obsecrationes. Obsecratio est imploratio pro peccatis seu petitio qua vel pro præsentibus, vel præteritis admissis suis vnusquisque compunctus veniam deprecatur.

Cap. 12. 13. 14.

Orationes sunt quibus aliud aliquid offerrimus seu vouemus Deo. Postulationes quas pro alijs quoque dum sumus in feruore spiritus constituti solemus emittere. Gratiarum actiones quas mens vel cum præterita Dei recolit beneficia vel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum,quę & quanta præparauerit, his qui diligunt eum prospicit,per ineffabiles excessus Domino refert.

Cap. 16. *Gradatim ad has orationũ species contendendum est.*

Expetendæ sunt nobis per. profectum vitæ consummationemque virtutũ illæ potius supplicationũ species quæ vel de contemplatione futurorum bonorum, vel de charitatis ardore funduntur,seu certe vt humilius & secundum insipientium mensuram loquar,pro acquisitione quarumcunque virtutum, seu cuiuslibet vitij extinctione generantur. Aliter enim ad illa sublimiora supplicationum genera peruenire nulltenus poterimus, nisi per ordinem postulationum istarum sensim mens nostra fuerit gradatimque prouecta.

Cap. 17. *Actor.* 1. *Matth.* 26.

Has quatuor species ita etiã Dominus exemplo suo nobis initiare dignatus est,*cæpit enim Iesus facere & docere.* Obsecrationem assumit cum dicit: *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Orationem cũ dicit, *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem.* Postulationem cum dicit: *Pater ignosce eis,non enim sciunt, quid faciunt.* Gratiarum actionem cum dicit *Gratias ago tibi quoniam exaudisti me,ego autem sciebam,quia semper me audis.* Ioan. 17.

Hæc itaque genera supplicationum sublimior adhuc Cap. 18. status ac præcelsior subsequitur, qui contemplatione Dei solius & charitatis ardore formatur, per quem mẽs illius dulcedine resoluta atque reiecta familiarissime Deo velut patri proprio peculiari pietate, colloquitur. Quem statum debere nos diligenter expetere formula dominicæ orationis instituit ita dicens: *Pater noster &c.* Matth. 6.

Cap. 22.

Quisquis igitur in se delinquenti fratri non ex corde remiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit, suaque professione semetipsum poscit dirius iudicari, dicens: *Remitte mihi sicut, & ego remisi.* Quod formidantes nonnulli, cum in ecclesia, hæc oratio ab vniuersa plebe concinitur,hunc locum taciti prætermittunt,ne scilicet semetipsos obligare potius quam excusare sua professione videantur,non intelligentes quod frustra cauillationes has iudici omnium prætendere moliantur,qui quemadmodum iudicaturus sit suis supplicibus voluit præmonstrare, *quia scilicet iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam.* *Remitte mihi sicut & ego remisi.* Iacob. 2.

Videtis ergo qualis nobis ab ipso qui per illam exorandus est iudice orationis sit modus,& forma proposita,in qua nulla diuitiarum petitio,nulla memoria dignitatum,qua nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis seu temporalis vitæ mentio cõtinetur. Nihil enim caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale æternitatum cõditor implorari. Itaque magnificentiæ eius ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam,quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit erit postulare,& offensam potius, quam propitiationem iudicis sui vtilitate orationis incurret. Cap. 24. *Petenda sunt solum quæ orationis Dominicæ modulo continentur.*

Hæc igitur oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpote quæ ipsius domini autoritate vel initiata sit vel statuta, prouehit tamen ad illam igneam ac per paucis expertam orationem, qui omnem transcendens humanam sensum,nullo non dico sono vocis,sed nec linguæ motu, distinguitur, sed quam mens infusione cœlestis illius luminis illustrata, conglobatis sensibus velut de fonte quodam copiosissimo effundit vbertim, atque ineffabiliter eructat ad Deum,tanta promens in illo breuissimo temporis puncto,quanta, nec eloqui facile, nec percurrere mens in semetipsam reuersa,præualeat. Quem statum Dominus quoque inter illarum supplicationum formulas, quas vel solus in monte sedens, vel tacite fudisse describitur. Similiter figurauit,cum in orationis agonia constitutus etiam guttas sanguinis inimitabili intentionis profudit exemplo Cap. 25. *De qualitate sublimioris orationis.*

De diuersis speciebus compunctionis & affectu. puræ orationis.

CAP. LXIX.

Cap. 26.

QVis vero possit diuersitates & causas ipsas atque origines compunctionum exponere, quibus inflammata mens atque succensa ad orationes puras ac feruentissimas incitatur? Nonnunquam psalmi cuiuscumque versiculus occasionem orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit, interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos incitauit, necnon exhortatio viri perfecti,& collatio spiritualis frequenter ad vberrimas preces iacentium erexit affectum. Scimus etiam fratris seu chari cuiuslibet interitum non minus nos ad plenam compunctionẽ fuisse raptos. Recordatio quoque teporis ac negligentiæ nostræ nonnunquam nobis salubrem spiritus inuexit ardorẽ atque in hunc modũ nulli *Diuersa occasiones cõpunctionis & deuotionis.*

dubium

dubium esse occasiones innumeras nō deesse, quibus per Dei gratiam tepor ac somnolentia nostrarum mentium valeat excitari.

Cap. 27. Quemadmodum autem vel quibus modis istæ ipsæ compunctiones de intimis animæ conclauibus proferantur, nō minoris difficultatis est indagare. Frequenter enim per ineffabile gaudium, & alacritatem spiritus saluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita vt etiam in clamores quosdām intollerabilis gaudij immensitate prorumpat, & cellam vicini iucunditas cordis, & exultationis penetret magnitudo. Nonnunquam vero tanto mens silentio intra secretū profundæ taciturnitatis absconditur, vt omnem penitus sonū vocis stupor subitæ illuminationis intercludat, omnesque sensus attonitus spiritus vel contineat intrinsecus vel amittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundātia ac dolore suppletur, vt alias eam digerere nisi euaporatione lachrymarum non possit.

Diuersi sunt affectus feruēter orantium.

Cap. 29. Ab his lachrymis multum distant illæ, quæ obdurato corde de siccis oculis exprimuntur: quas licet non penitus infructuosas esse credamus, bono enim proposito earum attentatur emissio, ab his præsertim qui necdum, vel ad scientiam peruenire perfectam, vel pristinorum seu præsentium vitiorum potuerunt ad purum labe mundari.

Cap. 30. Ab his tamen, qui in effectum iam transiere virtutum nequaquam debet hoc modo extorqueri profusio lachrymarum, nec exterioris hominis magnopere affectādi sunt fletus, qui etiā si fuerint vtcūque producti, nunquam pertingere ad illam spontanearum lachrymarum vbertatem poterunt, magis enim supplicantis animum suis conatibus distrahentes humiliabunt atque ad ima demergerent, & ab illa cælesti sublimitate deponent, in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet esse defixa, eamque compellent precum suarum intentione laxata erga steriles, & coactitias lachrymarum guttulas ægrotare.

Eligenda nō sunt lachrymæ quando non sponaneæ proferuntur.

Cap. 31. Et vt orationis veræ percipiatis affectum, non meam vobis, sed Beati Antonij sententiam proferam, Non est inquit perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit. Nos quoque orationis, quæ exauditur à Domino, inquantum experti sumus, indicia proferemus.

Cap. 32. De Exauditionis iudicio. Cum orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ qua tam desperatione deiecerit, si obtinuisse nos in ipsa effusione orationis, quod poscimus senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis namque est illa Domini sententia: *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Marc. 11.

De diuersis causis exauditionis, & de secreto orationis.

Cap. LXX.

Cap. 34. Diuersas exauditionum causas esse secundum animarum diuersum ac varium statum, Euangelica siue Prophetica testantur eloquia. Habes enim in duorum connexione fructum exaudicionis dominica voce signatum, secundum illud: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.* Matth. 18. Habes aliam in fidei plenitudine, quæ grauo sinapis comparatur. Matth. 17. Habes in assiduitate orationum. Habes in eleemosynarum fructu. *Include,* inquit, *eleemosynam in sinu pauperis &c.* Luc. 11. Habes in emendatione vitæ: *Dissolue,* inquit *colligationes* impietatis &c. Isaiæ 58. Nonnunquam sane exaudiri etiam tribulationum nimietas facit, secundum illud: *Ad Dominum cum tribularer, &c.* Psal. 119. Idcirco absque hæsitationis infidelitate precibus insistentium est. Hortatur enim Dominus vt eum importunitate nostra quodammodo coarctemus, qui importunos nos non modo non despicit, nec refutat; sed etiam inuitat & laudat. Et idcirco si cunctæ nos exauditionum quas prædiximus causæ omnino deficiunt, saltem animet importunitatis instantia, quæ absque vlla vel meriti vel laboris difficultate in cuiuscumque volentis sita est potestate. Retractare enim non conuenit illam Beati Ioannis Euangelistæ sententiam: *Hæc est,* inquit, *fiducia, quam habemus ad Deum, quia quicquid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* 1. Ioan. 5. Quod *etiam in oratione Dominica* admiscere præcipimur, dicentes. *Fiat voluntas tua.* s. non nostra si enim & illud Apostoli recordemur, quoniam *quid oremus secundum quod oportet nescimus,* Rom. 8. intelligimus nonnunquā nos saluti nostræ contraria postulare, & commodissime nobis ab eo, qui vtilitates nostras rectius quam nos ac veracius intuetur, ea quæ poscimus, denegari. Quod illi quoque magistro gentium accidit, cum oraret à se auferri angelum Sathanæ. 2. Cor. 12. Idcirco cunctas obsecrationes nostras simili nos quoque debemus oratione concludere, hanc vocem cunctis petitionibus nostris semper adiungere: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26.

Cap. 35. Matth. 6. Ante omnia sane illud obseruandum est, vt intrantes in cubiculum nostrum clauso ostio oremus patrem. Intra cubiculum nostrum supplicamus, cum ab omnium cogitationum siue sollicitudinum strepitu cor nostrum penitus amouentes, secreto quodammodo ac familiariter preces nostras soli Deo referamus. Clauso ostio oramus, cum strictis labijs omnique silentio supplicamus, non vocum, sed cordium scrutatori. In abscondito oramus, quando corde tantum & silentio petitiones nostras soli pandimus Deo, ita vt non solum ne fratres astantes nostris susurris vel clamoribus auocemus, & orantium sensus obstrepemus, sed vt ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maxime insidiantur, lateat petitionis nostræ intentio. Ita enim præceptum illud implebimus: *Ab ea, quæ dormit in sinu custodi clausuras oris tui.* Mich. 7.

De oratione intra cubiculum & clauso ostio facienda.

Cap. 36. Psal. 50. Psal. 140. Ob quod frequenter quidem sed breuiter est orandum, ne immorantibus nobis inferere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. Istud nanque verum sacrificium est, quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ista sunt *holocausta medullata, quæ contritis, & humiliatis corditus offerentur,* quęque hac qua diximus disciplina & intentione spiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute cātare: *Dirigatur oratio mea* sicut incensū in cōspectu tuo.

Quod secundum qualitatem mentis formatur oratio.

Cap. LXXI.

Hæc est secunda collatio Abbatis Isaac 10. cuius in ordine collationum. EX *libro decimo cap. 6.* Secundum mensuram puritatis suæ, sicut collatione superiore præfatus sum, mens in oratione sua vel erigitur vel formatur, tantum scilicet à terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedens, quantum eam status suæ prouexerit puritatis, fecerit que Iesum vel humilem adhuc, vel carneum, vel glorificatum & in maiestatis suæ gloria venientem, internis obtutibus animæ peruideri. Sed illi soli purissimis oculis diuinitatem ipsius contemplantur, qui de humilibus ac de terrenis operibus, & cogitationibus ascendentes cum illo secedunt in excelsum solitudinis montem. Si interpellare nos quoque voluerimus Deum, ab omni inquietudine turbarū secedamus, vt in hoc corpore commorantes ad similitudinē quandā illius beatitudinis quæ in futuro promittitur sanctis, vel ex parte aliqua nos aptare possimus, sitque nobis *omnia, & in omnibus Deus.*

1. Cor. 15. Cap. 7. Ioan. 17. Tunc enim perfecte consummabitur in nobis illa saluatoris nostri oratio, *vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ipsi in nobis.* cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, *Deus erit:* illaque vnitas, quæ nūc est patris cū filio, & filij cum patre, in nostrum fuerit sensum mentēque transfusa,

In quo consistit finis & consummatio nostrarũ orationum. Ioan. 17.

fusa, id est vt quemadmodum nos ille sincera & pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua & inseparabili dilectione iungamur, ita scilicet eidem copulati, in illum peruenientes finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri, *vt omnes sint vnũ sicut nos.* Hęc igitur destinatio solitarij, hæc esse debet omnis intentio, vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, & quodammodo arrham illius cælestis gloriæ in hoc vasculo prægustare. Hic inquam finis totius perfectionis est, vt eo vsque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritualia quotidie sublimetur, donec omnis eius conuersatio, omnis volutatio cordis, vna & iugis efficiatur oratio.

Cap. 8.

GERMANVS. Cuiuslibet artis perfectio necesse est vt facilioribus primum ac tenerrimis initijs imbuatur, paulatim educata succrescat, atque ita ab imis ad summa sensim gradatimque conscendat. Quapropter huic quoque sublimissimæ disciplinæ, per quam instruimur Deo iugiter inhærere, hæc esse principia tenuiter suspicamur, vt primum nouerimus qua meditatione teneatur vel cogitetur Deus: Deinde quandam memoriæ huius materiam qua Deus mente concipiatur vel perpetuo teneatur nobis cupimus demonstrari, vt eam præ oculis retentantes, cum elapsos nos ab eadem senserimus, habeamus in promptu quo resipiscentes illico reuertamur ac resumere illam sine vlla circumitus mora, & inquisitionis difficultate possimus, ne antequam spiritualis quidam pariatur intuitus, concepta cordis euanescat intentio. Quam confusionem idcirco nobis accedere satis certum est, quia speciale aliquid præ oculis propositum, velut formulam quandam stabiliter non tenemus, ad quam possit vagus animus post multos amfractus reuocari. Itaque fit vt hac ignoratione ac difficultate mens iugiter præpedita, errabunda semper & velut ebria per diuersa iactetur, & ne illud quidem quod casu potius quam industria sibimet occurrerit spirituale, diu ac firmiter teneat, dum adhuc semper ex alio recipiens, sicut introitus eorum atque principia, ita etiam finem discessumque non sentiat.

Quaritur qua via possimus ad perpetuam Dei memoriam peruenire.

De formula orationis à Sancto Isaac tradita.

CAP. LXXII.

Cap. 9.

ISAAC: Inquisitio vestra tam subtilis proximę puritatis præsignat iudicium. Proximus enim cognitioni est, qui quid inquirere debeat, prudenter agnoscit, nec à scientia longe est, qui cæpit intelligere, quid ignoret.

Cap. 10.

Hæc igitur vobis huius quam quæritis disciplinæ atque orationis formula proponetur, quam vnusquisque monachus ad iugem Dei memoriam tendens incessabili cordis volutatione meditari, expulsa omnium cogitationum varietate assuescat. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Hic namque versiculus habet aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ deuotionis & confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semper astantisque præsidij. Hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, donec ineffabili eius exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, is te vigilante cogitationes anticipet vniuersas.

Psal. 69. Modus vtiliter orandi.

Cap. 11.

Hic te omni tempore prosequatur, donec vsu eius incessabili, & iugi meditatione firmata cunctarum cogitationum diuitias mens refutet, atque ita versiculi huius paupertate constricta, propheticum implebit eloquium: *Pauper & inops laudabit nomen Domini.* Omnes namque affectus in psalmis inuenimus expressos, vt ea quæ incurrerint, velut in speculo purissimo præuidentes, eorum sensu non textu lectionis sed experientia præcedente penetremus, atque ad illam orationis incorruptionem mens nostra perueniat, quæ non solum nullius imaginis occupatur intuitu, sed etiam nulla verborum prosecutione distinguitur. Ignita vero mentis intentione per ineffabilem cordis excessum inexpugnabili spiritus alacritate profertur, quamque mens extra omnes sensus ac visibiles effecta materias, gemitibus inenarrabilibus atque suspirijs profundit ad Dominum.

Psal. 73.

Qualiter mens in oratione vaga possit stabiliri.

CAP. LXXIII.

Cap. 12.

GERMANVS. Expone quemadmodum hunc versiculum quem nobis vice formulæ tradidisti, stabiliter retinere possimus.

Cap. 13.

Cum enim capitulum cuiuslibet psalmi mens nostra conceperit, insensibiliter eo subtracto, ad alterius scripturę textum nesciens stupensque deuoluitur. De hoc quoque ad alterum subintrante alia meditatione transfertur, & ita animus semper rotatus per omne scripturarum corpus instabilis vagusque iactatur, nihil pro arbitrio suo prævalens vel abijcere vel tenere, nec pleno quicquam iudicio & examinatione finire, palpator tantum spiritualium sensuum ac degustator, non generator nec possessor effectus, atque ita mens mobilis semper ac vaga in tempore quoque synaxeos velut ebria per diuersa distrahitur, nullum officium competenter exoluens. Verbi gratia: Cum orat, psalmum aut aliquam recolit lectionem, cum decantat, aliud quid meditatur, nihil disciplinate, nec opportune recipens vel emittens.

Quomodo spirituales cogitationes immobiliter teneri possint.

Cap. 14.

ISAAC. Tria sunt quæ vagam mentem stabilem faciunt, *vigiliæ, meditatio, & oratio*, quarum assiduitas & iugis intentio conferunt animæ stabilem firmitatem, quæ tamen alias non poterit apprehendi, nisi per operis non philargiriæ, sed sacris cœnobij vsibus dedicati infatigabilẽ iugitatem omnes omnino sollicitudines & curæ vitæ præsentis prius fuerint abdicatæ, & in hanc solam obseruantiam defixa fuerit tota mentis intentio, vt ita illud Apostolicum mandatum: *Sine intermissione orate*, possimus implere. Perparum namque orat quisquis illo tantum tempore quo genua flectuntur, orare consueuit, nunquam vero orat, quisquis etiam flexis genibus euagatione cordis qualicunque distrahitur. Et idcirco quales orantes volumus inueniri, tales non esse oportet, ante tempus orationis. Necesse est enim mentem in tempote supplicationis suæ, de statu præcedenti formari, illisque eam cogitationibus orantem, vel ad cælestia sublimari, vel ad terrena demergi, quibus ante orationem fuerit immorata.

Mens vaga quibus modis stabiliatur.

Hucusque Abbas Isaac. Cuius doctrinam super prædicti versiculi meditatione excolere tenacissime cupientes, vtpote quam compendiosam ac facilem credebamus, difficiliorem satis ad obseruandum experti sumus, quam illud studium nostrum quo solebamus antea per omne scripturarum corpus absque vllius perseuerantiæ vinculo varia passim meditatione discurrere. Constat igitur neminem prorsus ob imperitiam literarum à perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capescendam animæ puritatem, quæ compendiosissime adiacet cunctis, si modo sanam, & integram mentis intentionem iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.

De sanctis Archebio episcopo, & Charemone.

CAP. LXXIIII.

EX *libro septem collationum ad Honoratum, & Eucherium: Ex collatione prima. cap.* 1. In cœnobio Syriæ consistentes post prima fidei rudimenta statuimus Ægyptum petere, ac sanctorum plurimos, quorum se fama diffuderat, si non æmulandi, saltem cognoscendi studio inuisere. Igitur ad oppidum Ægypti cui Thennesus

nomen

nomen est, emersa nauigatione peruenimus. Cuius accolæ ita vel mare vel stagnis falsis vndique circumluuntur, vt solis, quia terra deest, negociationibus dediti, opes ac substantiam nauali commercio parent, ita vt cum ædificijs cum voluerint extruendis terra non suppetat, nisi de longinquo nauigijs apportetur.

Cap. 2. Archebius anachoreta ad episcopatum euocatus solitudinis ac primæ professionis institutum non deseruit.

Vbi cum aduenientibus nobis, fauens desiderijs nostris diuinitas, beatissimi viri Archebij episcopi præstitisset aduentum, qui ratus de Anachoretarum cætu, & episcopus Panephisi oppido datus, tanta districtione omni æuo suo propositum solitudinis custodiuit, vt nihil de præteritæ humilitatis tenore laxauerit, aut de adiecto sibi honore blanditus sit. Agnito desiderio nostro: venite, inquit, & videte senes, quorum sola contemplatio magnam possit conferre doctrinam.

Cap. 3. Baculi & pera gestamẽ monachis familiare.

Sumpto itaque baculo & pera, ad ciuitatem nos suam perduxit, cuius terras repentino terræmotu excussum mare transgressis limitibus occupauit, atque ita collapsis ferme omnibus vicis, opimas olim terras falsis paludibus supertexit. Multa in hunc modum oppida fugatis habitatoribus eluuies illa velut insulas fecit, quæ desideratam secedentibus sanctis solitudinem præberent, in quibus tres senes, idest Chæremon Nesteros, & Ioseph, Anachoretæ antiquissimi consistebant.

Cap. 4.

Itaque primum nos perduxit ad Chæremonem, qui & monasterio eius propior erat & cum centenarium vitæ annum spiritu tantum alacer excessisset, ita dorsum eius temporis fuerat vetustate, & orationum iugitate curuatum, vt quasi in primæuam redactus infantiam, summissis ac protentis terratenus manibus progrederetur. Huius igitur & vultum mirabilem, & incessum pariter intuentes, cum sermonem suppliciter poscere-

Chæremonis laus.

mus, grauiter ille suspicans: quid vobis, ait possum conferre doctrinæ, cui imbecillitas senectutis, vt ademit rigorem pristinum, relaxauit ita loquẽdi quoque & fiduciam? Quemadmodum enim docere præsumam, quod me iam vel minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum iuniorum mihi in hac vsque ætate cohabitare permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Nunquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.

Boni doctoris officium.

Cap. 5.

Ad hæc nos non mediocri confusione compuncti, respondimus: Licet sufficere nobis ad omnem instructionem debeat, vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam iuuentus quoque robusta vix tolerat, si etiam reuelatus tibi tepor noster impetrare quod petimus non meretur, debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quod huc de Bethleemitici cœnobii rudimentis institutionis vestræ desiderio, & profectus nostri amore properauimus.

Collatio Chæremonis de causis vitandi peccatum.

CAP. LXXV.

Cap. 6. Tribus modis vitia vincuntur.

TVnc Beatus Chæremon. Tria sunt, inquit, quæ faciunt homines à vitijs temperare, idest aut metus gehennæ, siue præsentium legum, aut spes atque desiderium regni cœlorum, aut affectus boni ipsius, amorque virtutum. Idcirco Apostolus salutis summam trium virtutum consummatione concludens. *Nunc,* inquit, *manent Fides, Spes, Charitas: tria hæc.* Fides nanque est, quæ futuri iudicij ac suppliciorum metu vitiorum facit contagia declinari. Spes, mentem de

1. Cor. 13. Fides, Spes, Charitas.

præsentibus auocans, corporis voluptates cœlestium præmiorum expectatione contemnit. Charitas ad amorem Christi, & virtutum fructum succendens, quicquid illis contrarium est, facit detestari.

Cap. 7.

Si quis igitur ad perfectionem tendit, de illo primo timoris gradu, quem diximus seruilem, ad altiorem spei tramitem gradu proficiente conscendet, quia iam non seruo, sed mercenario comparatur.

Cap. 8.

Festinandum proinde etiam est ad tertium filiorum gradum, qui omnia quæ patris sunt, sua esse credunt, per indissolubilem charitatis gratiam: *Diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos,* non aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus nisi quemadmodum nullius alterius rei, nisi nostræ salutis gratia prior nos ipse dilexit ita eum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu.

1. Ioan. 4. Plurimum excellunt qui per charitatis affectum multum declinant à vitijs.

Aliud namque est præsenti bono quempiam delectatum, odio habere vitiorum animæ cætnisve contagia, aliud futuræ remunerationis intuitu cõcupiscentias refrænare, & aliud est præsens metuere detrimentum, & aliud formidare futurum supplicium. Prostremo multo maius est propter bonum ipsum à bono nolle discedere, quam propter metum mali malis non præbere consensum. In illo enim voluntarium bonum est, in isto vero velut coactum, & tanquam nolenti violenter extortũ, vel metu supplicij, vel cupiditate præmiorum.

Cap. 9.

Cum ergo quis per hanc charitatem ad imaginem Dei similitudinemque peruenerit, bono iam propter boni ipsius delectabitur voluntatem, ac similem quodammodo possidens patientiæ ac lenitatis affectum, nullis deinceps peccantium vitijs irascetur, sed veniam potius, infirmitatibus eorum condolens atque compatiens, implorabit, seque reminiscens tamdiu similium passionum stimulis impugnatum, nec suo studio, sed Dei protectione saluatum, vt non iracundiam, sed misericordiam errantibus intelligeret impendendam. Et in hac mentis humilitate consistens poterit etiam illud perfectionis explere mandatum: *Diligite inimicos vestros &c.* Quem affectum Beatus Ioannes assecutum se esse cognoscens, ait, *vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* In quo enim infirma & fragilis humana natura esse, sicut ille est, potest, nisi in bonos, & malos, iustos, & iniustos, ad imitationem Dei placidam semper sui cordis extenderit charitatem? & vt bonum propter boni ipsius operetur affectum. Cum ergo quis hũc bonitatis affectum, & imitationem Dei fuerit assecutus, tunc visceribus Dominicæ longanimitatis indutus, pro persecutoribus quoque suis orabit similiter dicẽs: *Pater ignosce eis, non enim sciunt, quid faciunt.* Cæterum euidens indicium est animæ necdum vitiorum fecibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu misericordiæ condolere, sed rigidam iudicantis tenere censuram.

Cap. 10.

Luc. 6.

1. Ioan. 4.

Infirmioribus condolendum. Luc. 23.

De timore seruili, & filiali.

CAP. LXXVI.

Cap. 11.

GERMANVS. Magnifice de perfecta Dei charitate dissertum est, verum illud nos mouet quod cum eam tanta laude pertuleris, timorem Dei, & spem retributionis imperfecta esse dixisti, cum multo aliud videatur de eis Propheta sensisse dicens: *Quia nihil deest timentibus eum.* Et *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Psal. 33. Psal. 118.

Cap. 12. Responsio Chæremonis de diuersitate perfectionum.

CHÆREMON. Pro statu atque mensura vniuscuiusq; mentis scriptura diuina ad diuersos perfectionum gradus arbitrij nostri prouocat libertatem. Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona proponi, quia nec omnium vna virtus aut voluntas aut feruor est. Secundum ergo hunc sensum nostra quoque est intelligenda sententia, non quod contemplationem perpetuæ illius pœnæ vel beatissimæ retributionis nullius pronũciemus esse momenti, sed quia cum sint vtiles, & sectatores suos ad initia beatitudinis introducant, charitas rursum in qua plenior fiducia perpetuumque gaudium iam est, assumens eos de timore seruili, & mercenaria spe, ad dilectionem Dei, & adoptionem transfert filiorum & quodammodo perfectiores faciet de perfectis. *Multæ* enim, ait Saluator, *mansiones sunt apud patrem meum.*

Ioan. 14.

Cap. 13.

Quisquis igitur fuerit in huius charitatis perfectione fundatus, necesse est vt ad illum gradũ excellentiorẽ cõscendat, quem non pœnarum terror, nec cupido præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De timore qui de charitatis magnitudine generatur.

miorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem, vel amicus amicum, vel coniugem coniux, sollicito reueretur affectu, dum non eius verbera neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam. Multa ergo distantia est inter istum timorem cui nihil deest, qui sapientiæ scientiæque thesaurus est, & illum imperfectum qui *principium sapientiæ* nuncupatur, quique pœnam in se continens de perfectorum cordibus superueniente plenitudine charitatis extruditur. Et reuera si principium sapientiæ in timore consistit, quæ erit eius nisi in Christi amore perfectio, quæ illum in sese perfectæ dilectionis continens metum, non iam principium sed thesaurus sapientiæ, & scientiæ nuncupatur? *Replebit* inquit, *eum Spiritus timoris Domini.* Tanta enim vbertatis eius est magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immerito. Illi enim quę nunquam excidet cohærens charitati, non replet solum, sed etiam perpetua cum quem cæpit iugitate, possidet.

Psal. 110.

Isaiæ 11.

De corpore peccati destruendo per desideria boni.

Cap. LXXVII.

Rom. 6. EX *lib.* 2. *cap.* 2. *Et destruatur, inquit, corpus peccati.* Peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum, & ad eius attinere portionem quicquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur. Cuius

Colos. 3. Apostolus membra describens: *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram &c.* Quisquis non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis diuinæ preferens charitati.

Cap. 3. Si ergo multos ita pro Christo suas vidimus abiecisse substantias, vt etiam desiderium de cordibus eorum in perpetuum probemus abscissum, consequens est vt eodem modo etiam fornicationis ardorem extingui posse credamus. Neque enim impossibile Apostolus cum impossibili coniunxisset, sed vtraque sciens esse possibilia pari modo mortificanda decreuit.

Cap. 4. Certos tamen nos esse conuenit, quod licet omnem continentiæ districtionem, famem ac sitim, vigilias ac operis iugitatem, atque incessabile subeamus studium lectionis, perpetuam tamen castimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, nisi in his iugiter desudantes, experientiæ magisterio doceamur incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate concedi. Ob hoc sane solummodo se quisque infatigabiliter in his exercitijs perdurare debere cognoscat, vt per illorum afflictionem misericordiam Domini consecutus, de impugnatione carnis ac dominatione præpotentium vitiorum diuino mereatur munere liberari. Tanto autem erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore flammemur, quanto quis pecuniarum cupidissimus acquisitor, vel qui summa bonorum ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore rapiatur, desiderium suum impatientissimo ardore optat expleri: & ita fiet, vt dum pro integritatis perpetuitate insatiabili cupiditate succendimur, desiderabilis despiciatur cibus, necessarius horreat potus, somnus denique ipse naturę debitus respuatur, vel certe vt deceptor fraudulentissimus puritatis, æmulus atque contrarius castitati, attonita atque suspecta mente capiatur, & ita vnusquisque quotidie integritatis suæ matutinus explorator effectus, de collata sibi puritate cōgaudeat, eamque se non suo studio nec vigilantia, sed protectione Domini sentiat prosecutum.

Quantopere castimoniæ perfectio expetenda sit.

Cap. 5. Cuius desiderium eum quem semel accenderit, famen, sitim, vigilias, nuditatem, & cunctos labores corporis libenter sustinere compellit. Alias namque non poterunt desideria præsentium rerum vel reprimi vel auelli, nisi pro istis affectibus noxijs quos cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis absque alicuius desiderij, vel timoris gaudij vel mœroris affectione subsistere.

Cap. 6. Quantum autem, quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet, non enim æstus corporis declinabit nisi quiranimi motus ante compresserit. Quod aperte saluator declarat; *Beati*, inquit, *mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Pax enim *multa diligentibus nomen Domini, & non est illi scandalum, &c.*

Matth. 5. *Psal.* 118.

De sex castimoniæ gradibus.

Cap. LXXVIII.

Cap. 7. MVlti sunt autem castimoniæ gradus, quibus ad illam inuiolabilem conscenditur puritatem. Primus est, nec vigilans impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, ne mens voluptarijs cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo, vel tenuiter ad concupiscentiam moueatur aspectu. Quartus, ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ vel tractatus ratio vel necessitas lectionis ingesserit, subtilissimus aut mentem voluptariæ actionis perstringat assensus, sed velut ministerium humano generi necessario contributum, puro cordis contempletur intuitu, nihilque amplius de eius recordatione concipiat, quam si operationem laterum vel cuiuslibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus, ne illecebrosis phantasmatibus fœminarum illudatur dormiens. Licet enim hanc ludificationem peccato esse obnoxiam non credamus, concupiscentiæ tamen adhuc medullitus latitantis indicium est. Quam tamen illusionem diuersis modis constat accidere. Nam secundum vsum, quæ vigilans exercere vel cogitare consueuerat, dormiens etiam quisque tentatur. Aliter vero falluntur, qui carnalem copulam norunt, aliter qui expertes sunt, hi enim sicut simplicioribus ac purioribus somnis inquietari solent, ita etiam minore possunt labore purgari: illi autem sordidioribus magisque expressis phantasmatibus illuduntur, donec paulatim secundum mensuram castitatis ad quam vnusquisque contendit in odium illius rei, quam voluptariam ante sentiebat, mens etiam somno sopita vertatur, & ita demum, quis ad illam beati Sereni paucorumque similium virorum perueniet puritatem, vt etiam ipso naturali motu carnis emortuo illum obscœnum liquorem omnino non perferat.

De causa nocturnæ pollutionis.

Cap. LXXIX.

Cap. 8. HAnc carnis colluuionem quidam dicunt non idcirco dormientibus euenire, quod eam producat fallacia somniorum, sed potius quia redundantiæ humoris illius aliquas in ægrotanti corde fingat illecebras. Denique aiunt quando non inquietet illa concretio, quemadmodum fluxus eius ita etiam illusio conquiescit.

Sed hæc definire poterit nemo, nisi per experientiam longam, & cordis puritatem ad confinia carnis ac spiritus, verbo Domini dirigente, peruenerit, sicque puritatis modum certa experientia perpendens, nequaquā illorū decipietur errore, qui negligētiæ suæ vitio crebrioribus quam natura compellit egestionibus sordidati, de naturali conditione causantur. Cumque eos constet inferre potius vim naturæ, & extorquere ad pollutionem, quam ipsa non ingerit in temperantiam suam ad necessitatem carnis, imo ad eius referunt creatorem. Ideo quisquis ad illum puritatis statum iugi cordis intentione peruenerit, vt iam mente ab huius passionis titillatione penitus absoluta, per soporem caro eius velut redundantiam superflui humoris expellat, conditionem modumque naturæ certissimè deprehendit. Et ita cum expergefactus inuenerit carnem suam post longa tempora, se insćio atque ignorante

pollu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pollutam, tamen demum de naturali cauſatur neceſſitate, ad illum ſine dubio perueniens ſtatum, vt talis inueniatur in nocte, qualis in die, talis in lecto, qualis in oratione, talis ſolus, qualis turbis hominum circumſpectus. Poſtremo, vt nunquam ſe talem ſegregatus aſpiciat, qualis videri ab hominibus erubeſcit, & ita cum cœperit ſuauiſſimo lumine caſtitatis iugiter delectari, dicere poterit cum propheta: *Et nox illuminatio mea in delicijs meis &c.* Denique hoc ipſum, quia ſupra conditionem naturæ videtur humanæ, qualiter obtinuerit propheta ſubiungit: *Quia tu poſſediſti renes meos*, ideſt non induſtria mea hanc promerui puritatem, ſed quia tu mortificaſti inſitum renibus meis voluptatis ardorem.

Pſal. 138.

De vera, & perfecta caſtitate.

Cap. LXXX.

Cap. 10. PORro caſtitas non vt arbitramini diſtrictionis præſidio, ſed amore ſui, & propriæ puritatis delectatione ſubſiſtit. Non enim caſtitas, ſed continentia dicitur, vbi adhuc aliqua ei reſiſtit aduerſitas voluptatis. Quamobrem donec pulſari nos carnis commotione ſentimus, nouerimus ad caſtitatis nos necdum peruenisſe faſtigia, ſed adhuc ſub infirmitate continentiæ conſtitutos prælijs fatigari, in quibus neceſſe eſt dubios ſemper eſſe euentus. Hac commotione ipſi Eunuchi carere demptis genitalibus poſſunt. Sciendumque eſt non eis carnales æſtus, nec affectum libidinis, ſed ſolam ſatiuæ generationis deeſſe virtutem. Vnde ſi ad hanc caſtitatem cupiunt peruenire, nec ab humilitate & contritione cordis, vel continentiæ diſtrictione debent laxari, licet nequaquam ſit diſcredendum minore ab eis caſtimoniam poſſe labore comprehendi.

Caſtitas à continentia differt.

Eunuchis deeſſe libidinis incentiua.

Cap. 11. Quamobrem perfectio caſtitatis à laborioſis continentiæ rudimentis perpetua tranquillitate diſcernitur. Hæc eſt enim veræ conſummatio caſtitatis, quæ non impugnans carnalis concupiſcentiæ motus, ſed horrore toto deteſtans, iugem ac inuiolabilem ſui retinet puritatem, nec poteſt aliud quid eſſe, quàm ſanctitas. Hoc autem fiet, quando iam deſinens caro aduerſus ſpiritum concupiſcere, deſiderijs eius virtutique conſenſerit, cœperintque ſibi inuicem pace firmiſſima fœderari, & *habitauerint fratres in vnum*, & illam repromiſſam à Domino beatitudinem poſſidentes, de qua ait: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt.* Quemadmodum autem vrina cum veſicam iugi inſtillatione repleuerit, quieta etiam ſuſcitat membra, licet veris ſectatoribus puritatis ad obtinendam eam nihil præiudicet iſta commotio, quam hæc ſola interdum & tamen per ſoporem neceſſitas excitarit, ſciendum tamen eſt, quod ita ſi commota fuerint, ad quietem propriam reducantur caſtitatis imperio, vt non modo cum nullo pruritu, ſed nec cum minima quidem libidinis recordatione ſedentur. Et idcirco, vt cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipſius aquæ potu ita eſt nimietas caſtiganda, vt humoris quotidiani illa collectio prius arefactis influens membris, illum quem incuitabilem putatis corporis motum, non ſolum rariſſimum, verumetiam lentum reddat ac tepidum, frigidumque, (vt ita dixerim) ignem, & abſque vllius aduſtionis ardor rorantem ſuſcitet flammam, inſtar admirabilis illius Moſaycæ viſionis, vt carnis noſtræ rubus innoxio igne circundatus non vratur; vel ſicut illorum trium iuuenum, quibus ita rorante ſpiritu fornacis Chaldaicæ flamma diſcuſſa eſt, vt illud quodammodo, quod ſanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus iam in hoc corpore poſſidere: *Cum ambulaueris per ignem non cambureris, &c.*

Cap. 12. Pſal. 138. Stupẽda Dei operain ſanctis ſuis.

Cap. 13. Soli qui experiuntur agnoſcunt dulcedinem caſtitatis.

Cap. 15. Intra quod tempus caſtitas poſſit acquiri.

Cap. 16.

Etiam in aquæ potu modum eſſe ſeruandum.

Exod. 3. Dan. 3. Iſaiæ 43.

De miraculis Dei, circa peccatores conuerſos.

Cap. LXXXI.

VEre mirifica ſunt, nec vllis niſi his qui experti ſunt nota, quæ Dominus fidelibus ſuis adhuc in iſto corruptionis vaſculo conſtitutis ineffabili liberalitate largitur. Quæ propheta mentis puritate perluſtrans, exclamauit: *Mira opera tua Deus, & anima mea cognoſcet nimis.* Quis enim in ſe opera Domini non miretur, cum inſatiabilem ventris ingluuiem ita in ſe viderit compreſſam, vt vix ipſum exiguum ac viliſſimum cibum raro inuituſque percipiat? Qui ignem libidinis, quem naturalem antea, & velut inextinguibilem ineſſe credebat, ita refriguiſſe præſenſerit, vt nec ſimplici quidem ſe corporis motu ſentiat incitari? Quomodo virtutem Domini non contremiſcat, quiſque homines quondam diros, atque truculentos, qui ad ſummum iracundiæ furorem etiam blandiſſimis ſubditorum irritabantur obſequijs, ad tantam viderit tranſiſſe lenitatem, vt non ſolum nullis iam commoueantur iniurijs, ſed etiam cum illatæ fuerint ſumma magnanimitate congaudeant? Quis planè non miretur opera Dei, cum vel ſe vel alium, ex rapaciſſimo liberalem, ex prodigo continentem, ex ſuperbo humilem, ex delicato, ac tenero ſqualidum hirſutumque perſpexerit, & egeſtate atque anguſtia præſentium rerum etiam voluntarie perfruentem? Iſta ſunt *prodigia, quæ poſuit ſuper terram, auferens bella, vſque ad finem terræ, &c.* Vt prætermittam illam cœleſtem infuſionem lætitiæ ſpiritualis, qua deiectus animus inſperati gaudij alacritate ſuſtollitur ad illos ignotos cordis exceſſus, & tam ineffabilia quàm inaudita ſolacia gaudiorum, quibus nonnunquam ignauiſſimo ſtupore torpentes, ad orationem feruentiſſimam, velut de ſomno profundiſſimo ſuſcitamur. Hoc eſt gaudium de quo Apoſtolus: *Quod oculus inquit non vidit, &c.*

Pſal. 45. 1. Cor. 2.

In his igitur omnibus quantum mens ad ſubtiliorem profecerit puritatẽ, tanto ſublimius intuebitur Deum, & admirationis intra ſemetipſam potius capiet incrementa, quàm loquendi facultatem inueniet. Vt enim vim lætitiæ huius inexpertus mente percipere, ita explicare ſermone non valebit expertus. Iſtud ergo eſt mirabile opus Dei, hominem carneum carnales affectus reſpuiſſe, & in tanta rerum atque incurſuum varietate vnum tenere animi ſtatum, atque immobilem in omni accidentium permutatione durare. Qua virtute fundatus ſenex quidam, cum apud Alexandriam turbis infidelium circunfuſus, non ſolum maledictis verumetiam grauiſſimis impellentium vrgeretur iniurijs, eique à ſubſanantibus diceretur, quid miraculi Chriſtus veſter quem colitis fecit? Ille, inquit: Vt his ac maioribus ſi intuleritis, non mouear, non offendar iniurijs.

Qualiter perfectionem Caſtitatis obtinere quis poſſit.

Cap. LXXXII.

QViſquis igitur extractus à cunctis confabulationibus ocioſis, & mortificatus ab omni ira, & ſollicitudine curaque mundana, duobus tantum paſtinacijs fuerit quotidiana refectione contentus, & aquæ ſatietate ſubtracta quietem ſomni trium, vel vt alij ſtatuerunt quatuor horarum ſpacio terminauerit, nec tamen laborum ac continentiæ huius merito, ſed miſeratione Domini eam ſe crediderit adepturum, quia ſine hac fide, vana eſt omnis laboris humani intentio, non amplius quàm ſex menſibus, perfectionem iſtius impoſſibilem ſibi non eſſe cognoſcet.

Quæ fides licet facilis ac plana omnibus videatur, tamen tam difficile ab incipientibus, quam ipſius caſtitatis perfectio poſſidetur. Nam cum eis vel particula

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De fine ac remedio acquirenda & custodiendæ castitatis.

puritatis arriserit, continuo in conscientiæ suæ secretis, elatione quadam subtiliter illabẽte sibimet blandiũtur, credentesque illam se diligentiæ suæ studio consecutos, necesse est vt superno illo præsidio paululum denudati, tamdiu illis, quas diuina virtus extinxerat, passionibus opprimantur, quamdiu experientia docente cognoscant se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse. Et vt disputationem nostram breuiter concludamus, hæc est consummatio castitatis, vt vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, vt quiescentem, somniorum non fallat illusio, sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit; quemadmodum sine vlla titillatione voluptatis excitata est, ita etiam sine vllo pruritu corporis conquiescat. Hæc de castitatis fine non verbis sed experientia magistrante digessimus. Quæ licet à desidiosis ac negligentibus arbitrer impossibilia forsitan iudicanda, certus tamen sum à studiosis ac spiritualibus viris agnoscenda pariter ac probanda.

Qualiter Deus à nobis merita per gratiam suam extorquet.

Cap. LXXXIII.

EX libro tertio cap. 12. Dubitari non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutũ semina beneficio creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis, non potuerunt peruenire: quia secundum Apostolum, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3.

Cap. 13. Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adiuuat, protegit, ac defendit, vt nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet, ne penitus dormienti aut inerti ocio dissoluto sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens quibus humanæ segniciei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impartitur, vt nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam conatibus tantam immortalitatis gloriam tribuit.

Conatus humani gratiã Dei compensare non possunt.

Cap. 14. Et vt incomparabili clementiæ creatoris nostri mortale aliquid ex aliqua similitudine comparemus: Si nutrix pia, ac sollicita diu sinu paruulum gestat, vt quandoque ingredi doceat, & primum quidem eum reptare permittit, dehinc erectum vt alterius passionibus innitatur, dexteræ suæ virtute sustentat, mox paululum derelictum, si titubantem viderit, protinus apprehẽdit, nutantem suscipit, lapsum erigit, & vel arcet à casu, vel etiam decidere leniter sinens eleuat post ruinam: cum autem eum ad pueritiam, vel adolescentiæ ac iuuentutis perduxerit robur, quædam etiam pondera vel labores quibus non opprimatur, sed exerceatur, iniungit & cum æmulis decertare permittit: quantomagis ille cœlestis omnium pater nouit, quem sinu gratiæ suæ gestet, quem liberæ voluntatis arbitrio in conspectu suo exerceat ad virtutem, & tamen adiuuat laborantem, exaudit vocantem, non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam nescientem?

Eleganti similitudine ostendit quomodo Deus tẽtationibus suis virtutẽ humani experiatur arbitrij.

Cap. 17. Hanc dispensationem atque amorem suum, quem nobis tribuere dominus indefessa pietate dignatur, volens motu humanæ affectionis exprimere, nec inueniens in hac creatura talem charitatis affectum, cui eum comparare dignius posset, tenerrimis piæ matris visceribus comparauit. Nunquid ait, *potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Isai. 49. Sed non contentus hac comparatione, transcendit eam confestim, atque subiungit dicens: *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar.*

Hucusque Beatus Chæremon.

Collatio Nestorotis de vita actiua.

Cap. LXXXIIII.

EX libro quarto cap. 1. Abbatis Nestorotis præclari in omnibus, summæque scientiæ viri institutio subsequitur. Qui cum sacrarum scripturarum nos aliqua memoriæ commendasse, & eorum intelligentiam desiderare sensisset, talibus nos adorsus est verbis.

Cap. 2. Quisquis ad theoreticen voluerit peruenire, necesse est vt omni studio atque virtute actualem primum scientiam consequatur.

Cap. 3. Actualis perfectio duplici ratione subsistit: Nam primus eius est modus, vt omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoscatur. Secundus, vt ita discernatur ordo virtutũ earumque perfectione mens nostra formetur, vt illis non iã velut coacta, & quasi violento imperio subiecta famuletur, sed tanquam naturali bono delectetur atque pascatur, & arduam illam atque augustam viam cum oblectatione conscendat. Quo enim modo, vel virtutum rationem, qui secũdus in actuali disciplina gradus est, vel rerum spiritualium & cœlestium sacramenta, quæ in theoriæ gradu sublimiora consistunt valebit artingere, qui naturam vitiorum suorum, nec potuit intelligere, nec enisus est extirpare? Consequenter enim pronunciabitur progredi ad excelsiora non posse, qui non euicerit planiora; multoque minus ea, quæ sunt extrinsecus apprehendet, quisquis intelligere ea, quæ sunt sibi inserta non quiuerit. *Ecce*, inquit, *constitui te hodie super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Ieremi. 1. In expulsione noxiarum rerum quatuor esse necessaria designauit, idest *euellere, destruere, dissperdere, dissipare.* In perficiendis, verò virtutibus, ædificare tantummodo atque plantare. Vnde liquidò patet difficilius conuelli atque eradicari inolitas corporis atque animi passiones, quàm spirituales extrui plantarique virtutes.

Actualis perfectio duplici ratione subsistit.

Cap. 4. Hęc igitur practice, quæ duobus subsistit modis, erga multas professiones studiaque diuiditur. Quidam enim summam intentionis suæ erga eremi secreta & cordis constituunt puritatem: quidam erga institutionem fratrum, & peruigilem cœnobiorum curam: quidam eligentes ægrotantium curam: alij intercessionem, quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exequentes.

Cap. 5. Quapropter hoc vnicuique vtile atque conueniens est, vt secundum propositum quod elegit siue gratiam quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti profectionem peruenire festinet, & aliorum quidem laudans admiransque virtutes, nequaquam à sua quam semel elegit professione discedat, sciens secundum Apostolum, *vnum* quidem esse *corpus* ecclesię, Rom. 21. *multa* autem *membra*. Nec enim vlla membra aliorum sibi membrorum, possunt ministeria vendicare.

Quod vnusquisque proprio dono, vel officio contentus sit

Cap. LXXXV.

Cap. 6. SOlent autem hi qui necdum sunt in illa quam arripuerunt professione fundati, cum audierint quosdam in diuersis studijs ac virtutibus prædicari, ita eorum laude succendi, vt imitari eorum protinus gestiant disciplinam, in quo irritos necessario impendit conatus humana fragilitas. Impossibile namque est vnum eundemque hominem simul vniuersis, quas superius comprehendi, fulgere virtutibus. Quas si quis voluerit pariter affectare, in id incidere eum necesse est, vt dum omnes sequitur, nullam integre consequatur, magisque ex hac immutatione ac varietate dispendium capiat, quam profectum. Multis enim vijs ad Deum tenditur, & ideo vnusquisque illam, quam semel arripuit irreuocabili cursus sua intentione conficiat, vt sit in qualibet professione profectus.

Mobilitas infirmorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Absque illo namque dispendio quo feriri monachum diximus, qui mobilitate mentis ad studia cupit transire diuersa, etiam hinc periculum mortis incurritur, quòd nonnunquam recte, quædam ab alijs gesta, malo ab alijs præsumuntur exemplo, & ea, quæ nonnullis bene cesserant pernicioſa ab alijs sentiuntur. Nam, vt quædam exempli gratia proferamus, velut si quis illam viri illius imitari virtutem velit, quam solet Abbas Ioannes non ad imitationis formulam, sed tantummodo pro admiratione proferre. Quidam veniens ad prædictum senem habitu sæculari, cum ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo quendam dæmonio arreptum ibidem reperit. Qui eum Abbatis Ioannis obtestationes, ac præcepta despiciens testaretur, se nunquam ad illius imperium de corpore quod obsederat migraturum, huius aduentu perterritus cum reuerendissima nominis illius inclamatione discessit. Cuius tam euidentem gratiam senex non mediocriter admiratus, eoque amplius obstupescens, quòd eum habitu cerneret sæculari, cœpit ab eo vitæ ac professionis eius ordinem inquirere. Cumque ille sæcularem se atque vxorio vinculo ligatum esse dixisset; beatus Ioannes excellentiam virtutis eius & gratiæ mente pertractans, quænam illi esset conuersatio attentius explorabat: Ille se rusticum, ac quotidiano manuum opere victum quærere, nec vllius boni esse se conscium testabatur, nisi quòd nunquam ante ad ruris opera mane exercenda procederet, neque vespere domum reuerteretur, nisi in ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu largitori eius Deo gratias retulisset, neque se vnquam de fructibus suis aliquid vsurpasse, nisi prius Deo primitias eorum, ac decimas obtulisset, & nunquam se boues suos per alienæ messis transduxisse confinium, nisi eorum prius ora clausissent, ne vel parum damni per incuriam eius proximus sustineret. Et cum hæc quoque necdum Abbati Ioanni ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum sibi prælatum esse cernebat idonea esse viderentur, atque ab eo quid nam esset illud, quod tantæ gratiæ meritis conferri posset scisciſtans scrutaretur, ille reuerentia tam sollicitæ inquisitionis astrictus, vxorem se parentum vi imperioque compulsum, cum profiteri monachum vellet, ante duodecim annos, accepisse confessus est, quam neminę etiam nunc conscio sororis loco à se virginem custodiri testabatur. Quod factum cum audisset senex, tanta est admiratione permotus, vt coram ipso publice proclamaret, non immerito dæmonem qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cuius ipse virtutem non solum in iuuentutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere. Quod factum Abbas Ioannes, licet admiratione summa prætulerit, tamen neminem monachorum vt experiretur, hortatus est, sciens multa recta ab alijs gesta, magnam alijs imitantibus intulisse perniciem.

Exemplum castitatis quo docetur non omnia ab omnibus æmulanda.

Elegans exemplum.

De vita theorica, ideſt Speculatiua.

CAP. LXXXVI.

THeorice verò in duas partes diuiditur, ideſt, in historicam interpretationem, & intelligentiam spiritualem. Spiritualis autem scientiæ genera sunt tria: Tropologia, Allegoria, Anagoge; de quibus in prouerbijs ita dicitur: *Tu autem describe ea tibi tripliciter, &c.*

Cap. 8.

Prou. 22.

Quapropter si vobis cura est ad spiritualis scientiæ lumen, non inanis lactantiæ vitio, sed emendationis gratia peruenire, illius primum beatitudinis cupiditate flamamini, de qua dictum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et idcirco ab omni vos vitiorum contagione purgate, & curis sæculi præsentis exuite. Obserua igitur in primis, ne studium lectionis, aut desiderij tui labor, vana elatione cassetur, vt inducas summum ori tuo silentium; hic enim primus est actualis disciplinæ ingressus: *omnis quippe labor hominis in ore ipsius;* & vt omnium seniorum instituta, atque sententias intento corde & quasi muto ore suscipias, ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea, potius quam ad docenda, festines. Nihil in collatione seniorum proferre audeas, nisi quod interrogare te aut ignoratio nocitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit, vt quidam vanæ gloriæ amore distenti pro ostensione doctrinæ suæ, ea, quæ optime norunt, interrogare se simulant. Impossibile est enim eum, qui proposito acquirendæ laudis humanæ studio lectioni insistit, donum veræ scientiæ promereri. Nec quemquam verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris. Si enim ille, *qui vnum mandatum minimum soluens docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Qui multa, & maiora negligens docere præsumpserit, consequens profecto est, vt non iam minimus in regno cœlorum, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Et ido cauendum est tibi, ne illorum ad docendum in cæteris exemplis, qui peritiam disputandi ac sermonis affluentiam consecuti, qui possunt ea quæ voluerint ornate copioseque differere, scientiam spiritualem possidere creduntur, ab his, qui vim eius & qualitatem discernere non nouerunt. Aliud namque est facilitatem oris & nitorem habere sermonis; & aliud venas ac medullas cœlestium intrare dictorum, ac profunda & absondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina nec eruditio sæcularis; sed sola puritas mentis per illuminationem Spiritussancti obtinebit.

Eccl. 6. Taciturnitas ad actualem vitam primus gradus.

Docendi manus nemo temere vsurpare præsumat.

Matth. 5.

Cap. 9.

Matth. 5.

Incessabiliter est recensenda series scripturarum, hæc etenim meditationis iugitas duplicem nobis confert fructum. Primum, quod dum in legendis, ac parandis lectionibus occupatur mens, necesse est vt nullis noxiarum cogitationum laqueis captiuetur. Deinde, quod ea, quæ creberrima repetitione percursa, dum memoriæ tradere laboramus, intelligere ad id temporis obligata mente non quimus, postea ab omnium actionum ac visionum illecebris absoluti, præcipueque nocturna meditatione taciti reuoluentes, clarius intuemur.

Cap. 10.

De Gratia curationum corporis, cui præfertur curatio mentis.

CAP. LXXXVII.

EX *libro quinto cap.* 1. Prima curationum causa est, cum pro merito sanctitatis, electos quosque ac iustos viros signorum gratia comitatur, sicut Apostolus. Secunda cum ob ædificationem ecclesiæ, vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt fidem, sanitatum virtus etiam à peccatoribus indignisque procedit. Tertius modus etiam collusione Dęmonum, ac factione simulatur, vt dum homo manifestus criminibus obligatus propter admirationem signorum, sanctus ac Dei famulus creditur, etiam vitiorum eius æmulatio suadetur, & per hoc obtrectationis aditu referato, etiam religionis sanctitas infametur, vel certe, vt his qui curationum dona habere se credit, per superbiam cordis elatus grauius elidatur.

Ideoque à patribus nostris opera ista signorum nequaquam vidimus affectata, quinimo cum ea Spiritussancti gratia possiderent, nunquam exercere voluerunt, nisi forte extrema illos & ineuitabilis necessitas coarctasset.

Cap. 2.

Ideo si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet esse apud nos laudabilis.

Cap. 7.

Et reuera maius miraculum est de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et præclarior virtus sublimiorque profectus est animæ proprios curare languores, quam corporis alieni.

Cap. 8.

Et vt hoc ipsum, quod diximus, vel testimonijs veteru vel diuinis oraculis approbemus, quid Beatus Paphnutius

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tius, vel de admiratione signorum, vel de gratia sensserit puritatis, imo quid Angeli reuelatione cognouerit, prophetamus. Hic namque ita multis viuens annis districtione præcipua, vt crederet se etiam carnalis concupiscentiæ laqueis penitus absolutum, eo quod cunctis infestationibus dęmonum, cum quibus diu aperteque conflixerat, superiorem se factum esse sentiret, dum aduenientibus viris sanctis, pulmentum lenticulæ, quod illi Atheran nominant, pręparet, manus eius in clibano, vt assolet flamma superuolitante combusta est. Quo facto tristificatus, magnum in modum cœpit secum tacitus voluere, cur ignis, inquiens, mecum non habet pacem, cum diriora mihi dæmonum cesserint prælia? Aut quemadmodum me in illo metuendi examinis die per se transiturum ille ignis inextinguibilis inquisitor meritorum omnium non tenebit, cui nunc extrinsecus hic temporalis, ac paruas non pepercit? Cumque æstuanti huiuscemodi cogitationibus atque tristitia sopor subito obrepsisset, aduenies Angelus Domini; Cur, inquit, Paphunti tristis es, quòd necdum tibi pacatus ignis sit iste terrenus, cum adhuc residebat in membris tuis carnalium motuum, necdum ad purum, excocta commotio? Vade, & apprehende nudam & pulcherrimam virginem, & si illam tenens tranquillitatem tui cordis immobilem, æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, huius quoque visibilis flammæ mitis atque innoxius ignis, in modum illorum trium in Babylonia puerorum, te allambet attactus.

Reuelatio de perfecta castitatis experimento.

Collatio Ioseph de diuersis generibus amicitiæ.

Cap. LXXXVIII.

EX *libro sexto cap.* 1. Beatius verò Ioseph cum institutionem suam nos desiderare sensisset, percunctatus primum, vtrumnam essemus germani fratres, audiensque à nobis quòd non carnali, sed spirituali essemus fraternitate deuincti, tali vsus est sermonis exordio.

Cap. 2. Amicitiarum, ac sodalitatis multa sunt genera: quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ, post etiam amicitiæ fecit inire commercia. Quosdam verò compactus quidam seu dati acceptiuè * depactio. Quosdam negotiationis seu militiæ, vel artis ac studij similitudo atque communio, per quam ita effera sibi inuicem corda mansuescunt, vt etiam hi qui in siluis ac montibus latrocinijs gaudent, & effusione humani sanguinis delectantur, suorum scelerum participes amplectantur, ac foueant. Est etiam dilectionis aliud genus, quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, seu fratres, aut filij, naturaliter cæteris præferuntur, quod etia omnibus altilibus, atque animantibus inesse deprehenditur; vt frequenter pro ipsis etiam obijcere se periculis mortique non metuant. Sed hæc omnia genera charitatis sicut bonis ac malis, feris etiam atque serpentibus videmus esse communia, ita etiam vsque in finem certum est perseuerare non posse. Etenim interrumpit ea frequenter ac diuidit locorum discretio, & obliuio temporalis, & verbi vel causæ negociorumque contractus.

* *defectio sine pactio.*

Cap. 3. Vnum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officij vel munerum magnitudo contractusque cuiusquam ratio, vel naturæ necessitas iungit, sed sola similitudo virtutum. Hæc, inquam, est, quæ nullis vnquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum interualla non prævalent, sed nec mors quidem ipsa diuellit. Cuius semel initum fœdus, nec desidetiorum varietas, nec contentiosa dirumpit contrarietas voluntatis. Cæterum multos nouimus in hoc proposito constitutos, qui cum pro charitate Christi flagrantissima essent soliditate coniuncti, non perpetuo eam, nec indirupte seruare potuerunt; quia non æquali vtriusque virtute, sed vnius patientia seruabatur, quæ quamuis ab vno magnanimiter atque infatigabiliter retentetur, necesse est tamen eam alterius vel pusillanimitate dirumpi. Infirmitates namque illorum qui tepidius perfectionis expetunt sanitatem quantalibet fortium tolerantia sustententur, ab ipsis tamen qui infimi sunt non feruntur; habens enim insitas sibi commotionum causas, quæ eos quietos esse non sinunt, vt solent hi, qui carnali ægritudine detinentur, stomachi sui infirmitatisque fastidia coquorum, vel ministrantium negligentijs imputare; & quantalibet eis obsequentium sollicitudo deseruiat, nihilominus tamen sanis causas suæ commotionis ascribere, quas sibi vtique vitio valitudinis suæ inesse non sentiunt. Quamobrem hæc est amicitiæ, vt diximus, fida indissolubilisque coniunctio, quæ sola virtutum parilitate fœderatur, de qua dicitur: *Dominus inhabitare facit vnius moris in domo.* Et idcirco in his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus idem propositum ac voluntas vnum velle, ac nolle confistit. Quam si vos quoque cupitis inuiolabilem retentare, festinandum est vobis, vt expulsis primitus vitijs, mortificetis proprias voluntates, & vt vnico studio atque proposito, illud quo propheta admodum delectatur grauiter impleatis: *Ecce quàm bonum, & quam iucundum, &c.* Quod non localiter, sed spiritualiter oportet intelligi.

Vnde indissolubilis amicitia sit.

Psal. 67.

Psal. 132.

De sex gradibus Amicitiæ veræ conseruandæ.

Cap. LXXXIX.

Cap. 6. PRima igitur sunt veræ amicitiæ in contemptu substantiæ mundialis & omnium quas habemus rerum despectione fundamenta. Quàm enim iniustum atque impium est, si post abrenunciatam mundi & omnium quæ in eo sunt vanitatem preciosissimæ fratris dilectioni suppellex vilissima quæ superfluit, præferatur. Secundum est, ita vt suas vnusquisque resecet voluntates, ne sapientem se aut consultum esse iudicans, suis malit quàm proximi definitionibus obedire. Tertium est, vt omnia sciat etiam quæ vtilia, & necessaria æstimat, postponenda bono charitatis ac pacis. Quartum est, vt credat, nec iustis nec iniustis de causa penitus irascendum. Quintum, vt aduersum se iracundiam fratris etiam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi pernicioſam alterius esse tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod genetale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Hæc igitur quicunque tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec poterit pati, nec inferre. His autem cessantibus, cum primus ille æmulus charitatis in cordibus amicorum tristitiæ sensim venenà suffuderit, necesse est vt frequentius iurgijs paulatim dilectione tepefacta, amantium corda diu exulcerata quandoque dissocier. Nihil enim proderit si te quidem asseras non irasci, alterius verò tristitiam, quam delinire tua mansuetudine potuisti, contumaci corde despicias.

Quibus modis inuiolabilis possit societas retentari.

Mortis assidua memoria vitiorum omnium propulsatrix.

Cap. 7. Sicut ergo nihil præponendum est charitati, ita furori vel iracundiæ nihil est econtrario postponendum. Omnia namque quamuis vtilia ac necessaria videantur, spernenda sunt tamen, vt iræ perturbatio deuitetur; & omnia etiam quæ putantur aduersa suscipienda atque toleranda sunt, vt dilectionis pacisque tranquillitas illibata seruetur.

Cap. 9. Quapropter ad conseruandam perpetuam & indiuiduam charitatem, nihil prodest primam causam amputasse dissidij, quæ nasci solet de rebus caducis atque terrenis, & vniuersa despexisse carnalia, atque omnium quibus noster vsus indiget rerum, indiscretam communionem fratribus permisisse, nisi etiam secundam quæ sub specie spiritualium sensuum nasci solet, similiter abscindentes, acquisierimus in omnibus humilem sensum, & consonas voluntates.

Amputanda spirituales causa discordiarum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Honore alterutrum præuenientes, vt plus vnuſquiſque conſorti ſuo ſcientiæ & ſanctitatis aſcribens, ſummam diſcretionis veræ in alterius magis quàm in ſuo credat ſtare iudicio.

Cap. 11. Rom. 12.

Cap. 12. *Quam ob cauſam non debeant inferiores in collatione contemni.*

Sæpe namque accidit ſiue illuſione diaboli, ſiue interceſſione erroris humani, quia nullus eſt in hac carne qui falli velut homo non poſſit, vt ille interdum qui acrioris ingenij ſcientiæque maioris eſt, aliquid falſum mente concipiat, & ille qui tardioris ingenij ac minoris eſt meriti, rectius aliquid veriuſque perſentiat. Et idcirco nullus ſibi quamuis ſcientia præditus, inani tumore perſuadeat, quod poſſit collatione alterius non egere. Nam etiamſi iudicium eius diabolica non fallat illuſio, elationis tamen & ſuperbiæ grauiores laqueos non euadet.

Cap. 12.

Denique in tãtum virtus charitatis extollitur, vt eam beatus Ioannes Apoſtolus non ſolum rem Dei, ſed etiam Deum eſſe pronunciet, dicens: *Deus charitas eſt.*

1. Ioan. 4. Cap. 14.

Hæc eſt enim vere charitas odinata, quæ odio habens neminem, quoſdam meritorum iure plus diligit.

De impatientia, & ficta patientia.

Cap. XC.

Cap. 15. *De his qui vel ſuam, vel fratrum cõmotionem diſſimulatione corroborant.*

NOuimus, quod vtinam neſciremus, nonnullos fratrum tantæ eſſe obſtinationis atque duritiæ, vt cum vel ſuos aduerſus frattem, vel fratris aduerſum ſe ſenſerint animos excitatos, ad diſſimulandam mentis ſuæ triſtitiam, quæ ex indignatione alterutræ commotionis exorta eſt, ſecedentes ab eis quos humili ſatisfactione atque colloquio lenire debuerant, aliquos pſalmorum incipiunt decantare verſiculos. Qui dum conceptam corde amaritudinem delinire ſe putant, inſultando augent, quod ſtatim extinguere potuerunt ſi magis anxij atque humiles eſſe voluiſſent; vt opportuna compunctio, & ipſorum cordibus mederetur, & fratrum animos deliniret. Nam illo vtique modo puſillanimitatis imo ſuperbiæ ſuæ vitium palpant; & nutriunt potius, quàm extirpant fomitem iurgiorum; Dominicæ præceptionis immemores, quæ ait: *Qui iraſcetur fratri, &c.* Neque.n.ait, ſi habet veram querelam aduerſum te frater tuus, ſed *ſi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid*, etiamſi leue aliquid aut vile ſit, quo fratris in te fuerit excitata commotio.

Matth. 5. Cap. 16.

Cap. 17.

Illud quoque deflendum quod nonulli fratrum cum fuerint contumelia cuiuſlibet ſermonis accenſi, ſi alterius cuiuſquam, qui eos deſiderat lenire precibus fatigentur, proclamant illico: Si paganus aliquis, ſi ſæcularis hic feciſſet, aut iſta dixiſſet, recte debuit ſuſtineri. Quis autem ferat fratrem tam grauis conſcium culpæ, aut tam inſolens de ore conuitium proferentem? Quaſi verò patientia infidelibus tantum atque ſacrilegis, & non omnibus ſit generaliter exhibenda, quia non dicitur: Omnis qui iraſcitur alienigenæ, ſed; *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio.*

Matth. 5.

Cap 18. *De his qui patientiam mentientes ad iracundiam fratres ſilentio accendunt.*

Illud verò quale eſt; quod interdum patientes nos credimus eſſe, quia reſpondere contemnimus laceſſiti, ſed ita commotos fratres amara taciturnitate, vel motu geſtuque irriſorio ſubſannamus, vt eos magis ad iracundiam vultu tacito prouocemus, quam tumida potuiſſent incitare conuitia, in eo nos æſtimantes minime quidem apud Deum reos, quia nihil ore protulimus, quod nos notare hominum iudicio aut condemnare potuiſſet. Non enim ſola commotionis illatæ qualitas, ſed etiam propoſitum irritantis innoxia eſt. Quid enim differt, vtrum quis gladio ipſe peremetit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit? Quaſi verò cæcum in præceps manu propria non impediſſe ſufficiat, cum ſimiliter reus ſit qui pronum & imminentem iam foueæ, cum potuerit reuocare contempſerit. Sæpe autem vnica patientia etiam acrius ad iracundiam, quàm ſermo ſuccedit, & atrociſſimas verborum tranſcendit iniurias maligna taciturnitas, leuiuſque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentium ſubdola blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam: *Mollliti ſunt ſermones eius, &c.* Denique cum magna ad comprehendendum Dominum cum gladijs & fuſtibus multitudo veniſſet, nemo in auctorem vitæ noſtræ illo cruentior extitit parricida, quàm qui cunctos ficto ſalutationis honore præueniens, oſculum ſubdolæ charitatis ingeſſit.

Pſal. 54 *Iuda traditoris in dominum crudelitas.*

Item de eodem.

Cap. XCI.

Cap. 19. *De his qui ex indignatione ieiunant.*

ALiud quoque Profanum triſtitiæ genus eſt, quod à nonnullis fratribus videmus admitti, qui cum triſtificati fuerint vel irati, ab ipſo etiam pertinaciter abſtinent cibo, ita vt, quod differre abſque pudore non poſſumus, illi qui dum placidi ſunt, refectionem cibi vſque ad horam ſextam, vel vt multum, nonam negant ſe poſſe differre, cum fuerint vel furore ſuppleti, ieiunia etiã biduana non ſentiant, tantamque inediæ defectionem iracundiæ ſatietate ſuſtentent. In quo planè ſacrilegij crimen euidenter incurrunt, ieiunia ſcilicet quæ ſoli Deo pro humiliatione cordis & purgatione vitiorum ſunt ſpecialiter offerenda, pro diabolico tumore tolerantes. Illamque increpationem meretur audire: *Sacrificarunt Dæmonijs, & non Deo.*

Deut. 32.

Cap. 20.

Non ignoramus etiam aliud dementiæ genus, quod ſub colore fucatæ patientiæ in nonnullis fratribus inuenitur, quibus parum eſt iurgia commouiſſe, niſi etiam inſtigatorijs verbis, vt feriantur, irritent. Cumque, vel leui fuerint impulſione contacti, aliam quoque partem corporis ingerunt verberandam, quaſi per hæc perfectionem mandati illius impleturi, quo dicitur: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi, & alteram* ſcripturæ vim ac propoſitum penitus ignorantes. Euangelicam namque patientiam per iracundiæ vitium exercere ſe putant; ob quod radicitus excidendum, non ſolum viciſſitudo talionis, & concertandi irritatio prohibetur, ſed etiam furorem verberantis geminatæ iubemur iniuriæ tolerantia mitigare, vt ſi exterior dextera tua impetum ferientis exceperit, interior quoque homo per humilitatis aſſenſum dexteram ſuam præbeat verberandam. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*; quod ab illis impleri non poſſe certiſſimum eſt, qui illo ſpiritu ac tumore verba lenitatis atque humilitatis emittunt, vt non ſolum non mitigent conceptum furoris incendium, ſed magis illud tam in ſuo quam in fratris commoti ſenſu faciant conflagrare, qui tamen etiamſi poſſunt aliquo modo ipſi mites ac placidi permanere, nec ſic quidem iuſtitiæ aliquos caperent fructus, cum damno proximi patientiæ ſibi gloriam vendicantes, & per hæc ab illa apoſtolica charitate alieni, *quæ non quærit, quæ ſua ſunt*, nec acquirere quicquam cum alterius deſiderat nuditate.

Matth. 5. Cap. 22.

Rom. 12.

2. Cor. 13.

Quod melius ſit tolerare, quàm toleravi, nec tamen ſemper tolerandum.

Cap. XCII.

Cap. 23. *Ille fortis & ſanus eſt qui alterius ſuccumbit voluntati.*

SCiendum ſane generaliter illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris ſuam ſubijcit voluntatem, quàm eum qui in defendendis, definitionibus ſuis ac tenendis pertinacior inuenitur. Ille enim ſuſtentans ac tolerans proximum, ſani ac validi; hic autem infirmi & quodammodo ægrotantis obtinet locum; quem ita palpari neceſſe eſt ac foueri, vt interdum, etiam à rebus neceſſarijs pro eius quiete, ac pace ſalubre ſit aliquid relaxari. Apoſtolicum namque præceptum eſt: *Vos, qui fortiores eſtis imbecillitates infirmorum ſuſtinete.* Nunquam enim infirmus ſuſtentat infirmum.

Rom. 15.

Cap. 24.

Notandum eſt infirmorum naturam eſſe ſemper huiuſmodi, vt prompti quidem ac faciles ſint ad contume-

lias

lias ingerendas,& iurgia conferenda, ipsi vero nec minima quidem iniurię velint suspicione contingi. Ideoque secundum prædictam seniorum sententiam, charitas stabilis atque indirupta non poterit perdurare, nisi inter viros eiusdem virtutis atque propositi.

Cap. 25. GERMANVS. In quo ergo laudabilis profecti viri potest esse patientia, si tolerare non valet semper infirmum.

Cap. 26. *Infirmus nō sinit se sustentari.* IOSEPH. Nec ergo dixi, quod illius qui fortis est ac robustus, virtus tolerantiaque vincenda sit,sed quod infirmi pessima valetudo,illius qui sanus est sustentatione nutrita, ac in deterius quotidie prolabens, generatura sit causas, ob quas vel ipse vltrà non debeat sustineri, vel certe patientiam proximi, notam ac deformationem impatientiæ suæ esse conijciens, abire quandoque malit, quam semper magnanimitate alterius sustineri.

Qualiter debeat dari locus iræ, & de ruptione fœderis amicitiæ.

CAP. XCIII.

Ergà iniurias quomodo se monachus gerere debeat. HÆc ergo ab his qui sodalitatis affectum cupiunt inuiolabilem custodire,præ omnibus obseruanda censemus, vt primum quibuslibet iniurijs lacessitus, non solum labia, sed etiam profunda pectoris sui monachus tranquilla custodiat. Quæ tamen si senserit vel tenuiter fuisse turbata, omni semetipsum taciturnitate contineat,& illud obseruet: *Turbatus sum, & non sum locutus.* Et *Posui ori meo custodiam.* Nec præsentem considerans statum, ea proferat quæ ad horam turbulentus suggerit furor, sed vel recolat gratiam præteritæ charitatis, vel reformandam pacis reintegrationem mente prospiciat,eamque velut continuo reuersuram, etiam in ipso commotionis tempore contempletur.

Psal. 76. *Psal.* 33.

Cap. 27. *Totam enim iram suam profert stultus sapiens autem dispensat per partes,* ideſt, paulatim eam maturitate consilij ac moderationis extenuat & expellit. Tale est, & illud: *Rom.* 12. *Non vosmetipsos vindicantes charissimi, sed date locum iræ,* hoc est: Non sint corda vestra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustijs coarctata vt violentas commotionis procellas cum irruerint, sustinere non possint, sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersus iracundiæ fluctus in illis extentis finibus charitatis, *quæ omnia suffert, omnia sustinet,* & ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata,habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo atque diffusus tetetrimus iracundiæ fumus protinus euanescat. Vel ita certe,intelligendum est:Damus locum iræ, quoties commotioni alterius, humili atque tranquilla mente succumbimus, & quodammodo dignos nos qualibet iniuria profitentes,in patientia sæuienti obsequimur. Cæterum hi qui ita sensum apostolicæ professionis inclinant, vt locum iræ illos dare existiment,qui ab irascente discedunt, videntur mihi dissensionum fomitem non abscindere,sed nutrire. Nisi enim iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, prouocat eam fugiens potius quam declinat. Occultat autem ignominiam suam astutus,vt dum ad præsens sapienter obtegitur in perpetuum deleatur. Hæc enim est natura iræ, vt dilata langueſcat & parcat, prolata vero magis magisque conflagret. Dilatanda ergo atque amplificanda sunt pectora, ne angustijs pusillanimitatis arctata iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur,& recipere secundum prophetam illud, *nimis latum mandatum* *Psal.* 118. Dei angusto corde nequeamus, nec dicere cum propheta: *Viam mandatorum tuorum,&c.*

Cap. 28. Illud quoque multis est experimentis probatum, nullo modo eos qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam potuisse concordiam, siue quod eamnon pro desiderio perfectionis, nec pro apostolicæ charitatis imperio, sed pro amore terreno, & per necessitatem ac vinculum pacti retinere conati sunt siue quod ille callidissimus inimicus, vt eos præuaricatores sui faciat sacramenti,celerius ad irrumpenda amicitiarum vincula præcipitat. Certissima ergo est prudentissimorum virorum illa sententia: *Concordiam veram, & individuam societatem, nisi inter emendatos mores eiusdemque virtutes ac propositi viros stare non posse.* *Vera amicitia non nisi inter probos inuenitur.*

De incauta definitione vtrum obliget.

CAP. XCIIII.

EX *libro septimo cap.* 2. Collatione finita, Abbas Germanus grauiter ingemiscens. Quid agimus inquit? Ingenti namque discrimine nos videmus constrictos, quod & ratio ipsa conuersatioque sanctorum quid salubrius sit ad profectum vitæ spiritualis efficaciter docet,& eligere id quod expedit, data senioribus sponsio non admittit. Etenim potuimus exemplis talium & tantorum virorum ad perfectiorem vitam propositumque formari, nisi nos instanter ad cœnobium recurrere promissi pactio coarctaret.

Cap. 8. Ad hæc B. Ioseph: Nihil oportet abrupte monachum definire ne aut id quod incaute promisit, implere cogatur, aut consideratione honestioris intuitus reuocatus, sponsionis suæ præuaricator existat. Veniabiliter enim imo etiam laudabiliter definitio incauta mutabitur, si ad salubriorem transeat partem, nec constantiæ præuaricatio, sed temeritatis emendatio esse credenda est,quoties sponsio vitiosa corrigitur.

Cap. 9. *Matth.* 22. Quod in illis quoque duobus filijs,qui in Euangelio ad operationem vineę destinantur euidentissime perdocemur,quorum vnus patris restitit imperio, & id quod reprehensibiliter statuerat definitione correpta laudabiliter emendauit. Primum enim est optima statuere, quod si aliter cesserit, sequens est in melius ea quæ sunt statuta mutare, ordinationibusque nostris iam iacentibus vt ita dixerim, manum dexteram porrigere.

Cap. 10. GERMANVS. Quantum spectat ad desiderium nostrum, optaremus ædificari vestræ iugitate consortij. Si enim ad cœnobium nostrum fuerimus reuersi, non solum nos ab hoc tam sublimi proposito relapsuros, sed etiam pro mediocritate conuersationis illius multis certum est dispendijs quatiendos. Verum illud nos Euangelicum mandatem vehementer absterret: *Sit sermo vester*: EST, EST. NON, NON. Credimus enim tanti *Matth.* 5. transgressionem præcepti nulla compensari posse iustitia, nec in extremis rectè cedere, quod malo initio semel fuerit inchoatum.

Quod in huiusmodi recurrendum sit ad intentionem spondentis.

CAP. XCV.

Cap. 11. IOSEPH. In omnibus vt diximus, causis non processus operis, sed voluntas operantis est intuenda, nec statim quis quid egerit,sed quo voto egerit inquirendum.

Cap. 12. His itaque præstructis,respondeatis mihi primus velim, cuius rei causa vos illius sponsionis nexibus vinxeritis.

Cap. 13. GERMANVS. Prima, vt diximus, extitit causa, qua nostros mæstificare seniores, ac præceptis eorum obsistere verebamur. Secunda, qua si quid perfectum atque magnificum vel auditu vel visu percepissemus à vobis, cùm reuersi ad cœnobium fuissemus,exercere nos posse incultissima persuasione credidimus.

Cap. 14. *Disputatio sensus,quod sine culpa actionis ordo mutetur, dummodo boni studij capiatur affectus.* IOSEPH. Sicut præfati sumus, destinatio mentis vel condemnat, vel remunerat. Quamobrem desiderio perfectionis,vt video, hoc vos sponsionis vinculo colligastis, dum credidistis illo eam posse ordine cōprehēdi quo nunc superueniente pleniori iudicio ad sublimitatem eius conscendi non posse perspicitis. Non ergo

præiudicat

præiudicat refragatio ſponſionis incautæ,ſi quolibet genere ſcopos tantum,ideſt, propoſita pietatis deſtinatio teneatur. Omnia namque ob hoc agimus, vt Deo cor mundum exhibere poſſimus:Cuius conſummatio ſi in his,locis iudicatur facilior,nihil vobis oberit extortæ immutatio pactionis dummodo principalis illius perfectio puritatis pro qua ſponſio veſtra proceſſerat , ſecundum Domini voluntatem maturius acquiratur. Nõ enim ex immutatione vllum poteſt indicari mendacium ſed inconſultæ definitionis prudens ſalutariſque correctio. Nam ab infantia in pueritiam, de pueritia in iuuentutem,de iuuentute in ſenectutis vlteriora transferimur, vt ex hac permutatione nullum mendacium aſcribatur ætati. Sic rudimenta veteris inſtrumenti, diſpenſatione legiſlatoris Dei,ad perfectionem beatitudinis euangelicæ transferuntur, nec tamen ex hoc immutatio præteritæ ſanctionis interueniſſe credenda eſt , ſed adimpletio & cumulus ſublimiorum & cœleſtium præceptorum,nec ſacræ promulgationis illius æſtimanda eſt abolitio,ſed aſcenſus,nec varietates,ſed profectus. Vnde & dominus noſter: *Non veni ſoluere,ſed adimplere.* Hæc de incautæ definitionis immutatione prædiximus , non vt referemus aditum vetitis noxiiſque mendacijs:Aliud namque eſt mentiri, aliud ſtatuta mutare.

Math. 5.

Quod noſtræ diffinitioni,vel ſponſioni non eſt pertinaciter adhærendum,ſi poteſt in melius commutari.

Cap. XCVI.

Cap.25.

PRoinde nec debere,nec poſſe nos vniuerſa complere,quæ vel cum quiete animi, vel cum commotione decernimus,etiã alijs ſcripturarũ teſtimonijs edocemur,quibus vel viros ſanctos,vel ipſum omnipotentẽ Deum,ea quę definierant pro vtilitatibus hominum frequenter legimus immutaſſe. Cum intraturus ſe domũ Loth, Sodomis Angeli denegaſſent,continuo eius precibus compelluntur ſtatutum mutare ſermonem. Quæ vtique non ob aliam credimus cauſam, Spiritumſanctũ ſacris voluminibus indidiſſe, niſi vt iſtis erudiamur exemplis,in definitionibus noſtris non pertinaciter permanere, ſed eas arbitrio noſtro debere ſubijcere, & ita iudicium noſtrum ab omni legis vinculo liberum conſeruare,vt promptum ſit ad ſequendum quocunque vocauerit ſalubre conſilium, nec differat ac recuſet ad id quod vtilius diſcretio ſalutaris inuenerit abſque vlla cũctatione tranſire. Et vt ad ſublimiora adhuc aſcendam exempla: Dominus cum neceſſe fuerit , incunctanter ſe ſuam ſententiam mutaturum pro noſtris meritis promittit dicens: *Repente loquar aduerſus gentem*, &c. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eã agam & ego pœnitentiam ſuper malum quod cogitaui vt facerem ei.*

Gen.19. Teſtimonia ſcripturarum de commutatis definitionibus.

Ierem.18.

Cap.27. Nec illius præcepti vtilitas eſt ſilenda , quod etiam ſi inſtigante ira vel qualibet alia paſſione , ſacramento nos aliquo vinxerimus,comparanda eſt illa res quam ſtatuimus huic ad quam tranſire compellimur , atque ad eam ſine cunctatione eſt tranſeundum , quæ ſuperueniente ſaniore tractatu iuſtitior fuerit iudicata. Rectius eſt enim noſtram nos immutare ſententiam , quam rei ſalubrioris ac piæ ſubire iacturam . Denique nunquam rationabiles ac probatos patres, duros aut irreuocabiles in huiuſcemodi definitionibus fuiſſe reminiſcimur, ſed velut ceram calore ſolis , ita eos ratione mollitos , & intercedente ſalubriori conſilio,melioribus partibus ſine hæſitatione ceſſiſſe . Quoſcunque autem vidimus definitionibus ſuis pertinaciter inhærere,irrationabiles ſemper probauimus, ac diſcretionis expertes.

Sancti viri pertinaces ac duri eſſe non poſſunt.

Cap 29. In quibus immobilis ſit definitio retinenda; & in quibus reſcindenda

Nos quidem non de principalibus mãdatis,ſine quibus non poteſt noſtra ſalus omnino perſiſtere,ita decreuimus,ſed de his quæ ſine periculo ſtatus noſtri vel relaxare poſſumus,vel tenere;vtpote de irremiſſo rigore ieiunij,de vini ſiue olei perpetua abſtinentia,de progreſſu cellulæ penitus cohibendo, de lectionis ſeu meditationis inceſſabili iugitate . Cæterum ſuper obſeruantia illorum principalium mandatorum conſtantiſſime definiendum eſt,ac pro his etiam mors ſi neceſſe fuerit non vitanda,pro quibus immobiliter eſt dicendum : *Iurauí & ſtaui.* De illis vero corporalibus exercitijs quæ ad modicum dicuntur eſſe vtilia,ita eſt,vt diximus,ſtatuendum:vt ſi quã ſuperuenerit certior pietatis occaſio,quæ illa ſuadeat relaxari,nulla pro his lege teneamur,ſed prætermiſſis eis ad vlteriora libere tranſeamus.

Præfigens ſiquidem ſibi legem vnuſquiſque ſub libertatis gratia conſtitutus,pernicioſa ſemetipſum obligat ſeruitute;vt ea quæ licite imo etiam laudabiliter cũ gratiarum actione præſumere potuiſſet,ſi neceſſitas forte compulerit,velut trãſgreſſor percipere compellatur. *Vbi enim non eſt lex,nec præuaricatio.*

Cap.31.

Rom.4.

Hac Beati Ioſeph inſtitutione atque doctrina velut diuino oraculo confirmati , in Ægypto reſidere maluimus; tamen expleto ſeptem annorum numero ſponſionem noſtram impleuimus; primumque ſenioribus noſtris honorem debitum ſoluimus: deinde aculeo noſtræ ſponſionis auulſo ad Scythioticæ ſolitudinis ſecreta remeauimus.

Collatio Piammonis de doctrina ſeniorum humiliter ſuſcipienda.

Cap. XCVII.

IDem in libro ſemptem collationum poſteriorum , collatione prima ſiue lib.1.cap.primo. Poſt conſpectum & colloquium illorum trium ſenum , quorum collationes ſancto fratre Eucherio compellente,vtcumque digeſſimus ad vicum cui nomen eſt Dyoltos peruenimus,& Abbatem Piammon omnium anachoretarum illic inhabitantium ſeniorem,eorundemque presbyterum velut quãdam ſublimiſſimam Pharum primus aduertit circũſpectantium intuitus. Cuius virtutes atque mirabilia quæ per eum etiam ſub conſpectu noſtro,diuina gratia teſtimonium meritis eius reddente perfecta ſunt,prætermittenda credidimus. Non enim de mirabilibus Dei,ſed de inſtitutis ſtudijſque ſanctorum quædam, quæ reminiſci poſſibile eſt,nos ſpop ondimus memoriæ tradituros , vt neceſſariam tantum perfectæ vitæ inſtructionem,non inutilem abſque vlla emendatione vitiorum, ac ſuperuacuam admirationem legentibus præberemus . Cum itaque B. Piammon ſumma nos gratulatione ſuſceptos, humanitate etiam congrua refeciſſet; de cænobio Syriæ ob deſiderium perfectionis nos illo aduenisse cognoſcens,ita exorſus eſt:

Dyolcon venientes,ab abbate Piãmone recepti ſunt.

Cap.2. Quiſquis hominum,ô fili cuiuſlibet artis peritiam aſſequi concupiſcit,niſi omni cura atque vigilantia eius ſe quam noſce deſiderat diſciplinæ ſtudijs mancipauerit, fruſtra eorum ſimilitudinem exoptat attingere,quorum curã atque induſtriam detractat æmulari . Nouimus enim nonnullos ita ad hæc loca de veſtris regionibus aduenisse,vt cognoſcendi tantũmodo gratia fratrum monaſteria circumirent,non vt has regulas , ob quas huc commeauerant,atq; inſtituta ſuſciperent.

Cap.3. Quãobrem ſi vos Dei cauſa ad emulationẽ noſtræ cognitionis attraxit,omnibus inſtitutis quibus illic primordia veſtra præuenta ſunt penitus abdicatis, quæcunque ſenioꝛes noſtros agere vel tradere videritis , ſumma humilitate ſectamini. Neque vos moueat , aut ab inuentione diuertat ac retrahat,etiamſi vobis ad preſens alicuius rei,vel facti ratio,vel cauſa non liqueat. Nunquam ratione veritatis intrabit quiſquis à diſcuſſione cæperit erudiri,quia videns eum inimicus ſuo potius quam patrum iudicio confidentem,facile in id vſque propellet vt etiam illa quæ maxime vtilia,ac ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur,ac noxia.

Cap.4. Quamobrem ordo ac principium profeſsionis noſtræ quemadmodum,vel vnde deſcenderit primum debetis agnoſcere. Tunc enim poterit quis deſideratæ artis efficacius aſſequi diſciplinam , & ad exercendam eam ardentius incitari,cum auctorum atque fundatorum eius agnouerit dignitatem.

De tribus generibus bonorum monachorum.

Cap. XCVIII.

TRia sunt in Ægypto genera monachorum: Primum est cœnobitatum; Secundum, anachoretarum. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium, nam *multitudinis credentium erat cor vnum &c.* Talisque erat tunc omnis ecclesia, quales nunc per paucos in cœnobijs inuenire difficile est. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maxime quæ ad fidem Christi de alienigenis cōfluebat, à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis & inueterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebāt, *nisi vt ab immolatitijs idolorū & fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent.*

Actor. 4. Cap. 5.

Atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatē primæ credulitatis indulta est, etiam illius ecclesiæ perfectionem, quæ Hierosolymis consistebat paulatim contaminare cœpisset, non solum hi qui ad fidem Christi confluxerant, verumetiam illi, qui erāt ecclesiæ principes ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum facultatibus suis fidem Christi sequerentur. Hi autem quibus adhuc apostolicus inerat feruor, discedentes à ciuitatibus suis, ab illorumque consortio, qui sibi, vel ecclesię Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis, ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per vniuersum corpus ecclesiæ generaliter meminerant instituta priuatim, ac peculiariter exercere cœperunt, atque ita monachi siue Monzontes singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Vnde consequens fuit, vt ex communione consortij, cellæ ac diuersoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo solum fuit antiquissimum Monachorum genus, quod non modo tēpore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inuiolabile vsque ad Abbatis Pauli, vel Antonij durauit etatem.

Actor. 15. Quibus authoribus Cœnobitarum sit instituta professio.

Cap. 6. De Anachoretarum ordine ac principio.

Qui nō vt quidam pusillanimitatis causa, nec impatiētiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus cōtēplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt. Ita ergo processit ex illa, quā diximus, disciplina aliud perfectionis genus cuius sectatores anachoretæ, ideſt, secessores merito nuncupātur; eo quod nequaquā contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli calcauerunt, aperto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi penetrare secessus non timeant, ad imitationem beati Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota ætate permansit; Eliæ quoque, & Elisei, atque illorum de quibus Apostolus ait: *Circumierunt in melotis, &c.* De quibus etiam figuraliter Dominus ad Iob: *Quis dimisit onagrum liberum &c.*

Heb. 11. Iob. 39.

De alijs duobus generibus malorum.

Cap. XCIX.

Immersit post hæc illud teterrimum & infidele monachorum genus, vel potius noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiam, & Saphiram in exordio ecclesiæ pullulans Petri Apostoli seueritate succisa est. Hi Sarrabaitæ nuncupati euangelicam perfectionem simulare potius quàm in veritatate arripere maluerunt, æmulatione scilicet eorum vel laudibus prouocati quæ vniuersis diuitijs mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem summæ virtuti affectant, cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subdu ntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti suas discunt vincere voluntates, nec vllam sanæ districtionis regulam cupientes, suscipiunt. Nec solum in crastinum, sed in multorum etiam annorum spacia infidelem sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum, aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus sufficientiam præbere eis aut non possit aut nolit.

Cap. 7. Actor. 5.

Sarabaitarum origo & principium & cōuersatio.

Est etiam quartum genus, quod nuper cernimus emersisse in his qui anachoretarum sibi specie atque imagine blandiuntur, quique in primordijs suis feruore quodam breui cœnobij perfectionem videntur expetere, sed continuo tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, ac solitarij sedere desiderant, vt ita à nemine lacessiti, patientes, mansueti, vel humiles possint ab hominibus æstimari. Quæ institutio imo tepor eos quos semel infecerit ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non solum non abscindentur, verumetiam in deterius eorum vitia conualescunt, dum à nemine prouocati quodam læthale & intestinum virus quanto amplius cælatum fuerit, tanto profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reuerentia enim singularis cellæ, nullus iam vitia solitarij audet arguere, quæ ille ignorari maluit quam curari.

Cap. 8. De quarto genere monachorum.

De humilitate, & patientia conseruanda.

Cap. C.

QVamobrem quoniam video vos de laudabili cœnobiorum palestra ad excelsa vestigia anachoreticætendere disciplinæ humilitatis patientiæque virtutem, quam vos illic didicisse non dubito, vero sectamini cordis affectu, non eam sicut quidam falsa humiliatione verborum, nec affectata atque superflua in quibusdam officijs corporis inclinatione fingentes. Quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ fulgebit indicijs, cum quis non ipse de se crimina ab alijs non credenda iactauerit, sed ab alio sibimet arroganter ingesta contempserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerauerit.

Cap. 11.

Vera humilitas non in corporis inclinatione & exterms officijs consistit.

Patientia vera atque tranquillitas absque profunda cordis humilitate nec acquiritur nec tenetur. Quæ si de hoc fonte descenderit, nec beneficio cellæ, nec perfugio solitudinis indigebit; nec enim patrocinium cuiusquam rei extrinsecus quęrit, quæ humilitatis, ideſt, generatricis atque custodis suæ intrinsecus virtute fulcitur. Cæterum si mouemur ab aliquo lacessiti, certum est non esse in nobis fundamenta humilitatis firmiter stabilita, & ideo ab incursu vel exiguæ tempestatis, ædificium nostrum ruinosa commotione concutitur.

Cap. 13.

Firma definitione teneamus, à tentationum procellis tutos nos esse non posse, si omne præsidium patientiæ nostræ omnemque fiduciam, non in interioris hominis nestri viribus, sed in cellulę clausstris; aut in solitudinis secessu, sanctorumque consortio, vel cuiusquam extra nos sitę rei præsidio collocemus. Non ergo quietem extrinsecus inquiramus, nec opitulari impatientiæ nostræ vitijs alienam putemus posse patientiam. *Sicut enim regnum Dei intra nos est, ita inimici hominis domestici eius.* Nemo enim mihi magis quam sensus meus, qui mihi est vere intimus domesticus aduersatur. Et idcirco si fuerimus soliciti ab intestinis hostibus liberari, & ab externis lædi minime possumus. Si autem lędor non est vitium indignationis alienæ, sed impatientiæ meæ. Sicut enim grauis, ac solidus cibus sano vtilis, ita pernicioſius ægrotanti est. Non autem lædere fumentem potest nisi ei ad nocendum vires adiecerit percipientis infirmitas. Nec peruersos atque execrabiles quoque sanctorum virorum numero insertos latitare miremur; quia dum in huius sœculi area conculcamur, atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo deputandas inter electissima frumenta misceri De-

Cap. 16. De perfectione patientia.

Matth. 10. Nihil aque nobis aduersum est quam internus & domesticus noster sensus.

nique

nique si vel Sathan inter archangelos, vel Iudam inter Apostolos, vel Nicolaum prauissime hæreseos inuentorem inter diaconos reminiscamur electos, hoc quod inserui mirum non erit.

De inuidia detestanda.

Cap. CI.

Cap. 17. SCiendum sane est inuidiæ morbum, difficilius ad medelam quam cætera vitia peruenire. Ipsa namque est lues de qua figuraliter dicitur. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* Sicut enim ille qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum vllius curationis admisit ita & hi qui eisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatores excludunt. Quia cum vtique non culpis eorum quibus inuident, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt. Quarum, quia omnimodis falsæ sunt, vana est curatio, cum illud mortiferum virus, nolunt prodere quod latet in medullis. De quibus alibi: *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.* Adeo incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, infletur obsequijs, muneribus irritetur. Quanto enim amplius, aut alius humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis agitatur, quia non nisi ruinam aut mortem eius cui inuidet concupiscit. Cunctis ergo vitijs pernicioſiorem atque ad purgandum difficiliorem esse constat inuidiam, quæ ipsis remedijs quibus reliqua extinguuntur accenditur. Nam verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, compensatione curatur: qui de illata iniuria indignatur, humili satisfactione placatur. Quid de illo facias, qui hoc ipso magis quod te humiliorem ac benigniorem sentit offenditur? Quis autem est, qui se, vt satisfaciat inuidenti à bonis corruere, aut à prosperis alienari, aut calamitate aliqua opter inuolui; Non autem aduersus hominem, sed plane aduersus Deum blasphemus extollitur, qui nihil in fratre aliud nisi bonum meritum carpens, non hominis culpam, sed Dei tantum iudicia reprehendit. Hæc est ergo illa sursum *germinans amaritudinis radix*, quæ se erigens ad superna, in contumeliam ipsius qui bona homini confert, tendit auctoris. Nec quemquam moueat quod Deus missurum se serpentes regulos, qui eos, quorum criminibus offenditur, mordeant, comminatur. Nam licet certum sit Deum inuidiæ auctorem esse non posse, æquum tamen & diuino dignum est iudicio, vt dum bona data humilibus conferuntur, & superbis negantur, eos, qui secundum Apostolum *tradi in reprobum sensum merentur*, quasi ab ipso missa percutiat & consummat inuidia, secundum illud: *Ipsi me ad æmulationem irritauerunt, &c.*

Ecclesiast. 10.

Heb. 12.

Deut. 32.

De Ioanne Seniore cur eremitica vita relicta ad cœnobialem transierit.

Cap. CII.

Cap. 2. EX *libro secundo cap.* 1. Post dies paucos maioris doctrinæ desiderio pertrahente, rursus ad beati Pauli cœnobium summa spiritus alacritate perreximus; vbi scilicet plusquam ducentorum fratrum numerus moraretur, reperimus antiquissimum senem nomine Ioannem, cuius verba pariter & humilitatem qua sanctis omnibus præeminebat, nequaquam silenda censemus. Scientes eum hac maxima perfectione viguisse, nec ad illam sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam, vsque ad senectutem, sed vix biennio subiectionis iugum sustinere contenti, ad præsumptionem noxiæ libertatis protinus euolamus, vt non patientiæ fructum edisce re, sed tempus adipiscendæ licentiæ expectare videamur. Ætatem primum, & gratiam viri, qua erat præditus admirati, demisso in terram vultu precari cœpimus, vt nobis pandere dignaretur, quam ob causam relicta eremi libertate, & illa professione sublimi, qua eum præ cæteris eiusdem vitæ viris fama celebrauerat, cœnobij iugum subire maluisset. Ille velut imparem se anachoreticæ disciplinæ, & sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad iuniorum scholas se reuertisse dicebat. Cuius responsionis humilitatem cum refragrando nostræ deprecationis excluderet conatus, ad extremum ita exorsus est:

Humilitas virtutum omnium parens.

Cap. 3. Anachoreticam disciplinam, quam me deseruisse miramini, non solum non respuo nec refuto, sed tota potius veneratione complector, atque suscipio. In qua post 30. annos quos in cœnobij congregatione transegeram, annos 20. explesse me gaudeo. Sed quia degustata eius puritas sollicitudine interdum carnalium rerum interpolata sordebat, recurrere ad cœnobium commodius visum est, & promptior arrepti planioris propositi consummatio consequeretur, & minus de præsumpta sublimioris professionis difficultate periculum, Melius est enim deuotum in minoribus, quàm indeuotum in maioribus professionibus inueniri. Et idcirco si quid elatius imo liberius fortasse protulero, quæso vt non iactantiæ vitio, sed ædificationis nostræ studio censeatis depromptum.

Responsio abbatis Ioannis cur eremum reliquisset.

De commemoratione vtriusque vitæ.

Cap. CIII.

Cap. 4. MEmini me in huiusmodi raptum frequenter excessum, vt obliuiscerer me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentem meam ita exteriores omnes sensus subito respuisse, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, vt neque oculi neque aures meæ proprio fungerentur officio, & ita diuinis meditationibus, ac spiritualibus theorijs animus replebatur, vt sæpe ad vesperam cibum me percepisse nescirem, ac sequenti die de hesterna absolutione ieiunij penitus dubitarem.

De virtute pradicti senis quam in anachoretica exercuit disciplina.

Cap. 5. Quamdiu igitur raritas eorum qui in eremo tunc temporis morabantur, libertatem nobis largiendo, diffusiore solitudinis vastitate blandita est, quamdiu maioribus remoti secretis frequentissime ad cœlestes illos rapiebamur excessus, solitudinis plane tranquilla secreta, & illam conuersationem angelicam toto animi ardore sectatus sum. Sed cum maior numerus fratrum, habitationem illius solitudinis cœpisset repetere, & coangustata vastioris eremi libertate, non modo ignem illum diuinæ contemplationis frigere fecisset, sed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi huius disciplinæ vtcunque implere propositum, quàm in illa tam sublimi professione carnalium necessitatum prouisione torpere; vt abiecta crastinæ diei sollicitudine, etiam id quod mihi de illa theorica sublimitate subtrahitur, hac subiectione compensetur. Miserum namque est cuiuslibet artis ac studij disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minime peruenire.

De commodis erem.

Cap. 6. In hac ergo conuersatione venditionis vel coemptionis nulla est distensio, non sollicitudo corporalium rerum, nulla arrogantia laudis humanæ, quæ immundior his omnibus in conspectu Dei etiam magnos eremi labores frequenter euacuat; vt illa prætermittam quibus attonita anima ac spiritualibus theorijs semper intenta specialius ingranatur, concursus scilicet fratrum, susceptionis quoque ac deductionis officia, mutuas visitationes, diuersarumque fabulationum atque occupationum interminabilem cutam; quarum etiam illo tempore quo hæc videntur impedimenta cessare, tamen animum consuetudinariæ inquietudinis assiduitate suspensum expectatio ipsa distendit; atque ita fit, vt anacho-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

resecos illa libertas huiusce modi nexibus impedita ad illam cordis ineffabilem alacritatem prepedito non perueniat ascensu, ac fructum erimiticæ professionis amittet. Qui si mihi nunc in congregatione atque in turbis sito fuerit denegatus, saltem ero solius euangelici præcepti compensatione contentus, quod certum est omnibus eremi fructibus non posse postponi, vt scilicet de crastino nihil cogitem quod vsque in finem subiectus Abbati, illum aliquatenus videar æmulari, de quo dicitur: *Humiliauit semetipsum, &c.* Et *non veni facere voluntatem. &c.*

Philip. 2. Ioan. 6.

De vtriusque professione, & imperfectione.

Cap. CIIII.

Cap. 8.

IN vtraque professione magnum quidem est consummatum quēpiam reperiri, quanto magis ad plenum vtramque perficere, arduum. Finis quidem cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, & secundum euangelicæ perfectionis salutare mandatum, *nihil de crastino cogitare*; quam perfectionem prorsus à nemine, nisi à cœnobita impleri posse certissimum est. Eremiræ verò perfectio est exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo.

Aurea sententia cœnobitis notanda.

Eremita finis.

Cap 9. De consummata ac vera perfectione.

Rara est ergo, & paucissimis dono Dei concessa perfectio. Is enim vere & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat; licet vtrumque perfecte Abbatem Moysen, atque Paphuntium duosque Macharios nouerim possedisse: qui cum vltra omnes eremi accolas secedentes insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, tamen ita frequentiam ac fragilitates ad se concurrentium sustinebant, vt cum ad eos visitationis vel profectus gratia, innumera fratrum multitudo confluueret, tam iugem penè susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didicisse vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quàm vt communibus tantum aduenientiū officijs deseruirent.

Cap. 10.

De his qui imperfecti eremum petunt.

Solent autem nonnulli ita diuturno silentio solitudinis efferari, vt prorsus hominum consortia perhorrescant, & cum paululum à secreti sui consuetudine interueniente fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore & euidentibus pusillanimitatis indicijs æstuare. Quod vel maxime his euenire consueuit, qui non perfecte in cœnobijs instituti, nec excoctis prioribus vitijs ad solitariam se vitam immaturam desiderio transtulerunt. Qui in vtraque parte imperfecti semper ac fragiles, quocunque aura commotionis impulerit inclinantur. Nam quemadmodum consortio, vel interpellatione fratrum impatienter exæstuant, ita in solitudine consistentes, eius ipsius quod expetunt, silentij non ferunt vastitatē, quippe qui nec ipsam quidē rationem norunt, cuius causa desiderari vel expeti debeat solitudo, sed hanc esse virtutis ac professionis eius existimant summam, vt fratrum consortia declinantes, humanos tantummodo refugiant ac detestentur aspectus.

Quod in solitudine non extinguantur vitiorum affectus sed reprimuntur effectus.

Cap. CV.

Cap 11. Interrogatio de remedio eorum qui cito de cœnobijs discedunt.

GERMANVS. Quo ergo nobis remedio poterit subueniri, qui cœnobialibus disciplinis tenuiter instituti, ante expulsionem omnium vitiorum, habitationem solitudinis cœpimus affectare! Qualiter nunc perfectionem longanimitatis ac patientiæ consequemur, vel quemadmodum has sibi inesse vel deesse virtutes exploratrix internorum motuum conscientia deprehendet, ne forte quia ab hominum consortio segregati, nullis eorum irritationibus prouocamur, falsa æstimatione decepti, tranquillitatem nostræ mentis immobilem nos possidere credamus.

IOANNES. Remedia curationū ab illo verissimo animarum medico deesse non possunt, his qui valetudines suas non desperando vel negligendo contempserint, sed pro languoribus ignorantia vel errore vel necessitate contractis, humili tandem ac cauta ad cœlestem medicum mente confugerint. Ideoque nosse debemus quod si ad solitudinem, vel ad abdita loca nondum curatis vitijs secedamus, effectus eorum tantummodo reprimitur non extinguitur affectus: latitat enim intra nos imo etiam serpit interna radix, omnium quæ extirpata non fuerint, peccatorum; quam adhuc in nobis viuere his deprehendimus indicijs. Verbi gratia: Cum in solitudine constituti, aduentum fratrum vel breuissimam eorum moram cum quadam æstuantis animi anxietate susci imus, inesse adhuc in nobis viuacissimum impatientiæ fomitem nouerimus. Item si fratre, vel codicē ad legendum vel quamlibet aliam ad vtendum speciem postulante, aut nos illius petitio contristauerit, aut illum negatio nostra repulerit; dubium non est nos adhuc auaritiæ, seu philargyriæ laqueis compediri. Quod si recordationem fœminæ nobis vel cogitatio subita vel sacræ series lectionis attulerit, & in ea quadam nos senserimus titillatione pulsatos, sciamus necdum extinctum in membris nostris fornicationis ardorem. Si verò de comparatione districtionis nostræ & remissionis alienæ vel tenuissima mentem nostram tentauerit elatio, certum est nos dira superbię peste corruptos. Cum ergo hæc vitiorum in corde nostro deprehenderimus indicia, manifeste agnoscamus nobis non affectum, sed effectum deesse peccati. Quæ vtique passiones, si nos quandoque conuersationi miscuerimus humanæ, protinus de cauernis nostrorum sensuum procedentes, probant se, non tunc primum cum eruperint nasci, sed tunc demum, quia diu latuerint, publicari.

Cap. 12. Responsio quomodo possit Solitarius vitia sua agnoscere.

De examinatione patientiæ propriæ.

Cap. CVI.

Cap. 14.

CVm se igitur impatientiæ siue iræ perturbationibus incursari, illis quæ supra ostendimus indicijs vnusquisque deprehenderit, contrarijs semetipsum semper obiectionibus exerceat, & propositis sibi multimodis iniuriarum dispendiorumque generibus, velut ab alio sibimet irrogatis, assuefaciat mentem suam omnibus quæ inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atque aspera sibi quæque, & intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate, omnium iugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium siue domini ipsius passiones, vniuersa non solum conuitiorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuncians ad omnem se dolorum tolerantiam præparabit. Cumque aliquando ad cœtus fratrum aliqua fuerit inuitatione reuocatus, quod vel non potest, vel raro etiam districtissimis eremi accolis prouenire, si mentem suam etiam pro leuibus quibusque rebus deprehenderit tacite fuisse commotam, vt quidam occultorum motuum seueriſſimus censor, mox sibi illa durissima iniuriarum genera quibus ad perfectam tolerantiam semetipsum quotidianis meditationibus exercebat, exprobret; atque ita se obiurgans, & increp ns alloquatur: Tune es ille bone vir, qui te dum in illa solitudinis tuæ exerceres palæstra, omnia superaturum mala constantissime præsumebas, quæ dudum cum tibi non solum summas conuitiorum acerbitates, verumetiam intoleranda supplicia ipse proponeres, satis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo inuicta illa patientia tua lenissima, verbi profusione concussa est? Quomodo domum tuam super illam solidissimam petram

Impatientiæ morbus quomodo curetur.

tanta

canta; vt tibi videbatur, mole conſtructam, leuis aura commouit? Vbi eſt illud, quod inani fiducia bellum in pace deſiderans proclamabas? *Paratus ſum, & non ſum turbatus*; & cum propheta ſæpe dixiſti; *Proba me domine & tenta me; & Proba me Deus, & ſcito cor meum?* Quomodo ingentem certaminis apparatum exigua hoſtis vmbra conterruit? Tali ergo ſemetipſum compunctionis animaduerſione condemnans, inultam animi ſui commoiunculam eſſe non ſinat, ſed iugibus continentiæ pœnis, culpam ſuæ mobilitatis excrucians, hoc exercitationis igne conſumat; nihil diſpendioſius iracundia, nec precioſius tranquillitate animi, ac perpetua cordis ſui iudicans puritate, ob quam non ſolum carnalium verumetiam illarum quę ſpirituales videntur, rerum ſpernenda ſunt commoda.

Pſal. 118. Pſal 25. Pſal. 38.

De examinatione propriæ caſtitatis.

Cap. CVII.

Contra ſpiritum vero fornicationis diuerſa ratio & diſpar eſt cauſa. Nam quemadmodum corpori vſus libidinis carniſque vicinitas, ita etiam menti memoria eius eſt penitus ſubtrahenda. Satis enim pernicioſum eſt adhuc infirmis ægriſque pectoribus, vel tenuiſſimam recordationem huius paſſionis admittere, ita vt nonnunquam etiam ſub recordatione ſanctarum fœminarum, velus ſub ſacræ lectionis hiſtoria noxiæ titillationis ſtimulus excitetur. Cuius cauſa ſeniores noſtri huiuſcemodi lectionis ſub præſentia iuniorum ſolent conſultiſſime præterire. Sane perfectiſſimis quibuſque & ſummo affectu iam caſtimoniæ conſummatis, erit ſimilis his, quæ ſupra dicta ſunt etiam ſuper hac paſſione probatio ſui ſcilicet, vt qui ſe radices morbi huius penitus iam extirpaſſe cognouerit, explorandæ ſi volet cauſa caſtitatis, interdum etiam aliquam exploratricem ſui imaginationem poſſit admittere. Cæterum ab his, qui adhuc minus firmi atque perfecti ſunt, hanc examinationem nullatenus conuenit vſurpari, vt coniunctionem fœmineam, & palpationem, quodammodo teneram ac mollem corde pertractet: erit enim eis magis noxia quam ſalubris. Quod enim experimentum huiuſcemodi hominibus poteſt in hac ratione ſuppetere, vbi & in experimento ipſum eſt quod vitatur, & in ipſa exploratione diſcrimen. Cum ergo perfectiſſima quis virtute fundatus, ad illecebram blandientium cogitationum nullum mentis aſſenſum, nullam commotionem carnis in ſe deprehenderit excitari, certiſſima puritatis ſuæ capiet documenta, ita vt ad hanc ſe firmitatem puritatis exercens, etiamſi corporalem fœminæ attactum cauſa cuiuſcunque vt ſolet neceſſitatis attulerit, paſſionis ſenſum penitus ignoret.

Cap. 16. *Memoria libidinis prorſus eximenda.*

Hiſtoria Sanctarum faminarum apud iuniores prætermiſſa.

Collatio Pinufij de perfectione pœnitentiæ.

Cap. CVIII.

Idem ex libro tertio cap. 1. Præclari atque ſingelaris viri Abbatis Pinufij de fine pœnitentiæ præcepta dicam.

Cap. 3.

Pœnitentiæ plena & perfecta definitio eſt, vt peccata quibus noſtra conſcientia remordetur, nequaquam vlterius admittamus. Indicium vero ſatisfactionis & indulgentiæ eſt, affectus quoque eorum de noſtris cordibus expuliſſe. Nouiter enim vnuſquiſque necdum ſe peccatis priſtinis abſolutum, quamdiu ſibi ſatisfactioni, & gemitibus incubanti, vel eorum quæ egit, vel ſimilium criminum ante oculos imago præluſerit, eorũque non dicam oblectatio, ſed vel recordatio infeſtauerit mentis arcana.

Pœnitentiæ verę fructus præcipuus.

Cap. 8. Cum ergo præteritorum memoria vitiorum pulſauerit ſenſum, ita ab ea reſiliendum eſt, ſicut refugit vir honeſtus & grauis ſi impudicæ ac leuis fœminæ in publico aut colloquijs, aut amplexibus appetatur. Solet enim frequenter accidere, vt dum vel ſuos, vel aliorum lapſus, imperitorum quiſpiam miſerantis retractat affectu, ipſe etiam ſubtiliſſimi teli voluptario perſtringatur aſſenſu, & initium ſub ſpecie pietatis exortum, obſceno ac noxio fine concludat. Quapropter ſtudendum nobis eſt, vt virtutum potius appetitu & deſiderio regni cœlorum, quàm noxijs vitiorum recordationibus noſmetipſos ad compunctionem laudabilẽ prouocemus; quia neceſſe eſt tamdiu quempiam peſtilentiſſimis cloacæ fœtoribus præfocar, quamdiu ſupra eam ſtare, vel cœnum eius voluerit commouere.

Vtilis eſt aliquando obliuio flagitiorum & vitandæ eorum recordatio.

De conuerſione Sancti Theonæ.

Cap. CIX.

Ex libro quarto cap. 1. Abbas Theonas cum adhuc eſſet adoleſcens admodum, parentum imperio ſtudioque connexus eſt vinculo coniugali. Cum ergo hic vnius luſtri tempus coniugio peregiſſet, venit ad Abbatem Ioannem Diaconum, deferens religioſa munera inter cæteros, qui certatim decimas vel primitias frugum ſuarum offerebant. Qui cum deuotioni eorum viciſſitudinem cuperet repenſare, cæpit eis *ſpiritualia ſeminare*, quorum *metebat* dona *carnalia* dicens:

Delector quidem ô filij, pia veſtrorum munerum largitate, quia fideliter ſacrificium domino bonæ ſuauitatis offertis, harum ſcilicet oblatione, plenitudinẽ quoque fructuum, ex qua hæc Domino delibaſtis, vbertim benedicendam credentes, voſque vbertate bonorum omnium etiam in hoc ſæculo cumulandos: ſicut ſcriptum eſt: *Honora Dominum de iuſtis tuis laboribus, & libabis de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt impleantur horrea tua abundantia tritici, vino autem torcularia tua redundent.* quam deuotionem fideliter exequentes, ſcitote legis antiquæ conſummaſſe iuſtitiam, ſub qua tunc poſiti & tranſgredientes eam, reatum ineuitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem peruenire non poterant.

1. Cor. 9. Cap 2. *Decimarum & primitiarum oblatio maximi meriti ſacrificium eſt.* Prouerb. 3.

Cap. 3. Iuſti enim quibus lex non eſt poſita, ſit probantur non eſſe ſub lege, vt iuſtitias legis non ſolum implere, verumetiam ſuperare contendant, ſitque deuotio eorum legali maior imperio, quæ obſeruantiam cumulans præceptorum voluntarie addat ad debita.

Cap. 4. Gen. 14. Ita namque, & Abraham futuræ legis legimus præcepta ſupergreſſum, cum ſuperatis quatuor Regibus, de ſpolijs Sodomorum, quæ ſibi velut victori non immerito debebantur, & quidem Rege ipſo, cuius ſpolia retulerat, ſuppliciter offerente, nihil penitus acquieuit attingere. Dauid etiam qui præcipiente Moyſe, vt inimicis talio redderetur, non ſolum hoc non fecit, verumetiam cordis affectu complexus eſt perſequentes, & pro his domino pie ſupplicans, etiam lugubriter fleuit. Ita Eliam, & Hieremiam probamus non fuiſſe ſub lege, qui cum licito vti coniugio abſque reprehenſione potuerint, virgines tamen perſeuerare maluerunt.

Cap. 5. Quapropter ſcire debemus nos à quibus iam nõ exigitur legale mandatum; ſed quibus euangelicus quotidie intonat ſermo: *Si vis perfectus eſſe, &c.* cum decimas de ſubſtantijs noſtris offerimus Deo, adhuc quodãmodo ſub legis ſarcina detineri, & necdum ad euangelicũ illud faſtigium perueniſſe nos conſtat, quod obtemperantes ſibi non tantum præſentis vitæ beneficijs, ſed etiam futuris præmijs numerat. Nec immerito. Nõ enim tam laudabile eſt, ſi ab illicitis, quàm ſi etiam à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur, qui ea nobis propter infirmitatem noſtram vtẽda permiſit. Itaque ſi etiam hi, qui decimas fructuum ſuorum fideliter offerentes præceptis dominicis antiquioribus famulantur, necdum poſſunt euangelicum culmen aſcendere; illi qui necdum hæc quidem faciunt, quantũ ab eo abſunt manifeſtiſſime peruidetis.

Matth. 19.

Cap. 8. Quibus auditis beatus Theonas inextinguibili deſiderio euangelicæ perfectionis accenſus eſt & humiliatus atque compunctus coniugẽ ad deſideriũ ſimile pro-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uocare cæpit,& vt Deo pariter in sanctimonia,& castitate seruirent, diurnis nocturnisque fletibus admonere.

Cap. 9. Astruebat non licere cuiquam eius se boni extorrem facere quod didicisset, maioriſque esse noxæ despicere cognitam bonitatem,quàm incognitam nõ amare. Adijciebat quoque : Agnosco & veneror adiutricem meam Domini mihi sententia deputatam,nec à me separo , dummodo sis & ipsa quod conditor esse te voluit , si vero non in adiutorium esse volueris sed in deceptionem, Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam;vt me à spirituali bono nulla carnis auellere possit affectio. Cumque ergo his & huiusmodi verbis,mulieris non flecteretur intentio. Si ego te , inquit Theonas,à seculo abstrahere non possum, nec tu me separabis à Christo. Confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium præuolauit,vbi splendore sanctitatis,& humilitatis emicuit.

Quemadmodum non acquiescente vxore Theonas ad monasterium peruolauit.

Cap 10. Nemo autem existimet nos hæc ad prouocanda coniugiorum diuortia texuisse , sed vt lectori initium conuersionis,quo tantus ille vir Deo dicatus est fideliter pãderemus , cui etiam Apostolicarum collata sunt signa virtutum.

Exponit Cassianus quorsum exemplum istum in medium produxerit.

Quod ieiunia,& alia huiusmodi pro loco & tempore seruanda sunt & moderanda.

Cap. CX.

Cap. 11. IGitur Theonas cum diebus quinquagesimæ nostrã cellulam visitasset,humi paululum consedentes cæpimus percunctari, cur apud eos tanta obseruantia caueretur,ne quis totis diebus 50. vsque ad horam nonam ieiunare presumeret.

Cap. 12. Ad hæc ille: Oportet quidem nos consuetudinem maiorum custodire,etiam non percepta ratione. Verũtamẽ quoniã causas huius rei vultis agnoscere, *tempus est omni rei sub cælo,tempus plorandi,& tempus ridendi,& c.*

Eccle. 3. Principali autem bono ita nullum oportet esse vacuum tempus,vt sine eo cuiquam esse non liceat. Itaque si quis in fratris aduentu,in quo Christum debet humanitate reficere , vel cum defectio & imbecillitas carnis reparationem virium escæ perceptione deposcit, vel cũ tempus festiuitatis escarum congruum votum indulget, ieiuniorum rigidam obseruantiam indirupte voluerit retinere,necesse est, vt non tam religiosus,quam inconditus irrationabilis habeatur.

Cap. 14.

Cap. 15. Non enim præcepta virtutum, in quibus vtique bonum est principale propter ieiunia sunt tenenda;sed potius ieiunia propter illa.

Cap. 17. Talem ergo definitionem super ieiunij qualitate iugiter retinentes,ita id nobis congruum nouerimus, si in eo temporum ratio,si qualitas,si mensura seruetur; nec ita vt in ipso spei nostrę terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis, & Apostolicam charitatem peruenire possimus.

Cap. 18. *Nunquid autem*,ait,*possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus*,*& c.* Hæc verba proprie tempus ostendunt in quo post resurrectionem per 40. dies Domino cum discipulis epulante, ieiunare illos quotidianæ eius pœnitentiæ gaudium non sinebat.

Cap. 22. Illas autem ieiuniorum victimas, quas nobis violenta viscerum conuulsione inconsiderare extorquentes, domino rectè offerre nos credimus, *ille qui diligit misericordiam,& iudicium* execratur,dicens. *Ego dominus diligens iustitiam & odio habens rapinam in holocausto.*

Gen. 4.

De primitijs,& decimis spiritualiter offerendis.

Cap. CXI.

Isaia. 61. ILlos etiam qui oblationum idest officiorum atque actuum suorum precipua ad votum carnis ac vsus proprios presumentes,reliquias eorum Domino ac minimam deferunt portionem,velut operarios fraudulentos sermo diuinus ita condemnat: *Maledictus , qui facit opera domini fraudulenter,& c.*

Itaque qui substantiarum nostrarum omniumque fructuum decimas offerre præcipimur,multo magis necesse est vt ipsius quoque conuersationis nostræ , & humani vsus operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profecto in supputatione quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierum numerus quibus reuolutus in orbem annus includitur , 36. semis dierum numero decimatur.

Ierem. 48. Cap 25.

Quid vero de primitijs dicam,quas ab omnibus qui Christo fideliter famulãtur quotidie certum est exhiberi? Nam cu expergefacti à somno,& quasi re diuina post soporem alacritate surgentes, priusquam motum sensus vllius corde concipiant,vel memoriam aut curã rei familiaris admittant,cogitationum suarum ortus atque principia diuinis consecrant holocaustis , quid nisi primitias vere suorum fructuum , per summum Sacerdotẽ Iesum Christum pro vsu vitæ huius,& imagine quotidianæ resurrectionis exoluunt ? Quique etiam à somno excitati hostiam iubilationis suæ Deo similiter offerentes,primo linguæ suæ motu ipsum inuocantes immolant Deo sui oris officia. Cui etiam pari deferunt modo prima manuum suarum gressuumque libamina , cum è cubilibus consurgentes in oratione consistunt,& priusquam in proprijs causis membrorum suorum fungantur officio,nihil sibi de ministerio eorum ante decerpunt, sed ad ipsius honorem promouent gressum,atque in eius laudatione defigunt incuruationem genuum,& totius corporis prostrationem persoluunt. Illud enim alias implere non possumus: *Præueni in maturitate , & clamaui, &c.* nisi vt post quietem somni in hanc lucem velut è tenebris reuocati,de vniuersis officijs mentis & corporis nihil omnino in nostris præsumere necessitatibus audeamus.

Cap 26.

Psal. 118.

Quòd perfectis non est lex impositа quia communia supergrediuntur præcepta.

Cap. CXII.

Cap. 29. POtro quadragesimæ lege qui iustus atq; perfectus, est non tenetur; nec exigui huius canonis subiectione contentus est,quem profecto illis qui per totum anni spacium delitijs vel negocijs sæcularibus implicantur,ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hac legali quodammodo necessitate constricti his saltem diebus domino vacare cogerentur,ac dierum vitæ suæ,quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas domino dedicarent. Cæterum *iusti* quibus *lex non est posita*,quique spiritualibus officijs non exiguam illam,idest, decimam partem , sed totum vitæ suæ tempus impendunt,quia liberi sunt à decimarum legalium sanctione, idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coarctauerit,audent stationem ieiunij absque vlla susceptione laxare. Non enim ab eis decimarum exiguitas mutilatur,qui omnia sua domino secum pariter obtulerunt. Quod profecto absque summo fraudis reatu facere ille non poterit,qui nihil voluntariè offerens Deo, inexcusabiliter soluere decimas suas legis necessitate compellitur. Quapropter liquidò comprobatur perfectum esse non posse famulum legis , qui tantum vel illa quæ prohibentur cauet,vel illa quæ præcipiuntur exequitur, sed illos vere esse perfectos, qui etiam his quæ à lege concessa sunt,non vtuntur.

1. Tim. 1.

Perfecti supergrediuntur legem communem.

Cap. 34. Quicunque vero perfectionis euangelicæ plenitudini subiectus esse noluerit , non ignoret se quamuis baptizatus sibi videatur aut monachus,non sub gratia, sed sub legis vinculis præpeditum peccati pondere prægrauari.

De diuersis causis stimulorum carnis.

Cap. CXIII.

EX quinto libro cap. 1. Vester ardor meus profectus est,nam vtique & ipse nunc mente torperem nisi

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

me vester feruor ad recordationem rerum spiritualium suscitaret quodammodo dormitantem.

Cap. 2. Hoc enim ni fallor inquisitio vestra complexa est, cur interdum districtius abstinentes afflicto exhaustoque corpore incentiuis acrioribus vrgeamur, ita vt experrecti reperiamus nos humorum naturalium egestione respersos.

Cap. 3. Huius ergo infestationis triplicem causam nostri prodidere maiores. Aut enim escarum superflua nimietate congeritur, aut per incuriam mentis elabitur, aut inimici illudentis insidijs prouocatur. Primum igitur gulæ vitium, hanc redundantiam obsceni humoris extrudit, nam & cum districtioris abstinentiæ tempore statum polluit puritatis, non de præsenti vt putatis inedia, sed de nimietate præteritæ saturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluuiem cõcretum est in medullis, necesse est vt per pruritum, vel certè per ignorãtiam, quãuis magno ieiunio tabefacti corporis egeratur. Quamobrem non solum lautioribus est epulis abstinendum, sed etiam a vilioribus cibis æquali est abstinẽtia temperandum, imo etiam ipsius panis, & aquæ satietas est cauendã, vt possit diu in nobis acquisita corporis puritas permanere, atque imitari quodammodo intemeratam spiritus sanctitatem, licet nos necesse sit confiteri, interdum etiam absque vlla mentis industria, vel temperie corporum, vel ætatis maturitate quosdam ratius sordidãri, vel certè fluxus istius egestione non pollui. Sed alterius meriti est, qui pacem inerti facilitate consequitur, alterius qui triumphum glorioſis virtutibus promeretur. Secunda impuri illius profluuij causa est, si mens spiritualibus studijs atque exercitijs vacuata, quendam sibi segnitiei situm per consuetudinem continui teporis adduxerit, aut cum sordidarum cogitationum inimicitias non cauens, ita illam puritatem segniter concupiscit, vt omnem perfectionis, & castimoniæ summam in sola credat exterioris hominis castigatione consistere. Cuius erroris atque socordiæ vitio consequenter eueniet, vt non solum multimoda cogitationum peruagatio inverecundè atque procaciter secretum irrumpat mentis; sed etiam pristinarum omnium passionum intra eam semina perseuerent, quæ quandiu in eius abditis delitescunt, quamuis rigido corporis ieiunio castigetur, tamen nihilominus dormientem illecebrosis phantasmatibus inquietãt. Quarum inquietatione ante legitimi temporis cursum, non iam ex naturæ necessitate, sed nec adhuc ex fraude nequitiæ spiritalis obsceni eliciuntur humores. Ideoque in primis discursus sunt sensuum coercendi, ne mens istis excessibus assuefacta, ad fædiora incitamenta luxuriæ somnians pertrahatur. Tertia causa est, cum contritione cordis, & corporis perpetuam castimoniæ puritatem optamus acquirere, sed nos fraudulentissimi hostis impugnat inuidia, dum illis præcipuè diebus quibus maiore integritatis merito desideramus diuino placere conspectui, simplici fluxus illius egestione nos polluit, vt à sacrosancta communione nos deterreat, licet in quosdã incipientium ob hoc diabolica factione hęc euenire credatur illusio, vt cum eos intensioribus ieiunijs studere cognouerit, omnes eorum conatus hac arte subuertat; vt dum se non solum nihil ad puritatem corporis districtiore ieiunio profecisse, verumetiam grauius sentiunt fuisse pulsatos, magistram incorruptionis ac puritatis altricem, abstinentiæ districtionem tanquam æmulam perhorrescant.

Gastri marginocturnæ pollutionis causa.

Panis quoque & aquæ saturitas vitanda est.

Assiduus torpor & accedia.

Dæmonum fraudulentæ illusiones.

Quod non semper pro carnis pollutione sit abstinendum a sacra communione.

CAP. CXIV.

Cap. 5. OMni quidem industria quantum in nobis est studere debemus, vt castimoniæ puritatem illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus. Verum si hostis ille nequissimus, vt nobis cælestis remedij subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita dumtaxat, vt nullo reprehensibili interueniente pruritu, nullo oblectationis contaminemur assensu, sed egestione aut naturali necessitate propulsa, aut certè diabolica impugnatione absque sensu voluptatis elicita, ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Si vero nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, illud Apostolicum formidemus: *Qui manducauerit panem, & biberit calicem domini indigne. &c.* 1. Cor. 11.

Cap. 6. Nouimus fratrem, qui cum castimoniam cordis & corporis summa circumspectione atque humilitate prometitam, iugiter possideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quotiescunque se tamen ad percipiendam communionem dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fædabatur. Qui cum multo se tempore a sacrosanctis mysterijs trepidus abstineret, tandem hanc ad seniores detulit quęstionem, remedium impugnationum ac doloris sui medicabili eorum consilio consecuturum se esse confidens. Sed cum primam causam morbi huius spiritualium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abũdanti ciborum præsumptione descendere, eamque memorato fratri deprehenderẽt non inesse, inquirunt de secunda causa, discutientes ne animæ forsan culpa, caro exhausta ieiunio impuris illusionibus vrgeretur, quibus etiam districtissimi viri, cum paululum elati de sui corporis fuerint puritate, per superbię vitium polluuntur, qua causa in fratre non deprehensa, ad tertiam recurrentes, occultas diabolicæ factionis insidias peruiderunt, probantesque nec animæ culpã esse, nec carnis, sacrosanctis eum epulis debere miscerì confidentissimè censuerunt, ne per hanc fraudem medicina remedij salutaris in perpetuum fraudaretur. Quo facto omnis diabolicæ factionis scena detecta est, vt mox virtute dominici corporis protegente, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret. Vt ergo fallax imaginatio somniorum illectrix egestionis impuræ, vel in perpetuum, vel certis mensibus ignoretur, post illam fidem, qua de Dei specialiter gratia puritatis donũ iugiter sperare nos consueuit, escæ potusque nimietas est castigãdã, quorum redundantia huiusmodi humores propensius gigni necesse est, quoniam concreti non possunt non egeri, atque ab naturæ ipsius lege possunt propelli, ne sub occasione cuiuscunque pruritus atque illusionis emergant. In qua nobis castimonię puritate fundatis, *peccatum in nobis iam non dominatur.* Interioris enim potu ac pabulo puritatis subministrari necesse est etiam exteriori homini castitatem. Et ideo fatuæ illæ virgines glorioſum sponsi thalamum non meruerunt ingrare, quæ integrum Spiritum sanctum suum, & animam & corpus sine querela in die domini non seruauerunt. Rom. 6.

Nonnunquã pollutio corporis culpa vacat & inimici factione contingit.

Sacrosancta Eucharistiæ vis & efficacia.

Quod à culpis venialibus nemo præter Christum sit immunis.

CAP. CXV.

Cap. 9. MVltos quidem esse sanctos ac iustos negare non possumus, sed inter sanctum & immaculatum multa distantia est. Aliud est enim esse quempiam sanctum, ideſt, diuino cultui consecratum, hoc enim nomẽ non solum hominibus, sed etiam locis, & vasculis templi atque lebetis scriptura attestante commune est. Aliud est esse absque peccato, quod vnius Domini nostri Iesu Christi singulariter conuenit maiestati. De quo etiam Apostolus velut pręcipuum quid ac speciale pronunciat dicens. QVI PECCATAM NON FECIT. Hac ergo sola ab hominibus nobis exceptione distinguitur, quia nos non absque peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum quamuis fortis atque bellator sit, hostibus tamen telis plerumque non pareat? Quis velut impenetrabili carne circundatus, tantis prælioruin periculis sine periculo misceatur? Ille solus *speciosus præ filijs hominum*, conditionem mortis humanæ cum vniuersa carnis fragilitate susci-

Multi sancti esse possunt sed nemo sine crimine nisi Christus 1. Pet. 2. Psal. 44.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

piens, nullius est vnquam sordis maculatus attactu.

Cap. 13. Cæterum iustos ac sanctos viros non immunes a culpa esse, manifeste scriptura pronunciat dicens: *Septies in die cadit iustus, &c.* nec iustitiæ eius præiudicant lapsus
Prouerb. 24. fragilitatis humanæ, quia multum interest inter sancti & peccatoris hominis lapsum. Aliud enim est admittere
Peccata sanctorum non sunt tã grauia vt eis auferant sanctitatem. mortale peccatum, & aliud cogitatione quæ peccato nõ caret, præueniri, vel ignorantiæ aut obliuionis agi errore, aut facilitate ociosi sermopis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare, aut subtili, quadam cænodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturæ aliquantisper à summa perfectione recidere. Hæc
Venialium peccatorum septẽ genera. enim sunt. vij. lapsuum genera in quibus vir sanctus licet nonnunquam cadat, tamen iustus esse non desinit. Apostolorum eximius Petrus, quid aliud credendus est fuisse quam sanctus, præsertim quando ei a domino dicebatur: *Beatus es Symon Bariona*. Et tamen post paululum cum ignorans mysterium passionis, tantæ vtilitati
Matth. 16. humani generis insçius obuiaret dicens, *Absit à te*, merebatur audire: *Vade post me Sathanas*. GERMANVS. Quo-
Cap. 15. modo ergo beato Paulo, quem ad summum perfectionis culmen certum est peruenisse, illud poterit conuenire quod dicit: *Non enim facio bonum quod volo, &cæt.*
Rom. 7. Cap. 16. THEONAS. Intrante me tutissimum silentij portum, rursus ad immẽsum profundissimæ quæstionis pelagus reuocare conamini. Sed hic interim taciturnitatis anchorã iaciemus, vt cras flatu prosperi spiritus explorato, disputationis vela pandamus.

De excellentia, & perspicuitate vitæ contemplatiuæ.

CAP. CXVI.

Cap. 2. EX *libro sexto cap.* 1. Reuersa igitur luce ita affatus est.

Quid sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuerit perficere cum vellet, diligentius indagemus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia: quæ omnia in Apostolo Paulo eiusque consortibus ita plena atque perfecta fuisse non dubium est, vt virtutum potius quam verborum magisterio ab eis religio doceretur.

Cap. 3. Sed vna & sola theoria, idest, contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur; & eius comparatione fuscantur.

Cap. 7. Bonum ergo hoc summum (idest, Dei cõspectu frui, & Christo iugiter inhærere) vt perfectè Apostolus possit adipisci, dissolui optat à corpore, quod caducum & multis fragilitatis suæ necessitatibus impeditum nõ po-
Nemo ab omni peccato immunis est. test a sæculi consortio penitus auelli. Quod enim tam pertinax sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus est, vt nunquam cogitationibus superfluis laberetur? Quis tam familiaris est Deo, tamque coniunctus, qui Apostolicum illud imperium, quo *sine intermissione orare* nos præcipit, vel vno die se gaudeat executum? Quæ licet omnia non-
Venialia peccata non leuiter astimanda esse. nullis, qui sunt grauioribus vitijs inuoluti, leuia atque a peccato penè aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauissima est; multisque sibi maculis videntur aspergi; si non dicam vanæ cogitationis improbitas in atria mẽtis irrepserit, sed vel psalmi qui dicendus est recordatio, orationis tempore intentionem supplicantis auertit. Si
Quanta mentis intentione & attentione orandum sit. enim, inquiunt, cum sublimi homini, non dicam pro vita ac salute nostra, sed etiam pro alicuius lucri commodo supplicamus, totam in eo mentis & corporis aciẽ defigentes, de nutu eius trepida expectatione pẽdemus, non mediocriter formidantes, ne quod forte ineptum aut incongruum verbum misericordiam audientis auertat, tum deinde si nobis in foro constitutis assistente e-contra aduersario in medio conflictu, tussis, screatus, risus, oscitatio, somnus obrepserit, quanta in perniciem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidia? quanto magis cum illi occultorũ omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamur, præsertim cum è diuerso callidus seductor pariter & criminator assistat, intenta atque sollicita oratione iudicantis pietas imploranda est? Nec leui peccato astringitur qui precem Deo fundens subito a conspectu eius quasi ab oculis non videntis, nec audiẽtis, cogitationis improbæ vanitatem secutus, abscesserit. Illi autem qui oculos cordis sui contegunt crassio velamine vitiorum, vix in recessibus pectoris sui etiam illa quæ magna & capitalia sunt crimina contemplantur, & inuerecundis semper cogitationibus euagantes nec dolere norunt, cum ab illa contemplatione, quæ singularis est, distrahuntur, nec habent quod se doleant amisisse.

Quod ea quæ imperfectis inculpabilia videntur, perfecti grauia in se reputant.

CAP. CXVII.

HÆc sane nos in hunc errorem causa præcipitat, quia impeccantiæ ipsius virtutem penitus ignorãtes, existimamus nullam omnino culpam ex istis ociosis ac lubricis cogitationum excursibus nos posse contrahere, sed hebetudine stupefacti, & velut cæcitate percussi, nihil in nobis nisi capitalia crimina contemplamur, ea tantummodo credimus euitanda, quæ legum quoque sæcularium seueritate damnantur, a quibus si nos immunes vel paululum sensserimus, nihil nobis inesse peccati protinus arbitramur. Proinde ab illo videntium numero segregati, quia minutias multarum sordium, quæ intra nos aggestę sunt non videmus, nequaquam salubri compunctione mordemur, si sensum nostrum interpellauerit ægritudo tristitię, nec dolemus vanæ gloriæ subtili suggestione pulsati, nec de emissa tardius vel tepidius oratione deflemus, nec reputamus ad culpam cum psallentibus vel orantibus nobis, aliquid aliud quam ipsa oratio vel psalmus occurrerit, nec illud horremus, quod multa quæ vel loqui vel agere coram hominibus pudet, non erubescimus; vel ad horam coit-de concipere, quod diuino nouimus patere conspectui; nec feriri nos vllo credimus detrimento, cum derelicta memoria Dei corporea cogitamus, ita vt nobis satis cõgrue Salomonis illud aptetur eloquium: *Ferierunt me sed* Prou. 23. *non dolui, &c.*

Econtra hi, qui summam totius voluptatis & gaudij & beatitudinis suæ, in diuinarum ac spiritualium rerum tantum contemplatione constituunt, cum ab ea, vel inuiti, vel paululum violentis cogitationibus abstrahuntur, velut quoddam in se sacrilegij genus præsentis pænitudinis puniunt vltione, ac vilissimam creaturam, ad quam sit detortus mentis intuitus creatori suo se prætulisse lugentes, pœnæ impietatis sibi crimen ascribunt, & quicquid ab illo vero lumine mentis aspectum retrahit execrentur, fastidiunt ergo vniuersa in quibus mundus iste versatur, sed impossibile est, vt non ad ea vel breui cogitationum rapiantur excessu nullusque etiam nũc hominum, excepto Saluatore nostro, naturalem peruagationem mentis, ita defixus semper in Dei contemplatione continuit, vt nunquã ab ea raptus mundanæ cuiusquam rei delectatione peccaret, dicente scriptura: *Sidera ipsa non sunt munda in conspectu eius, & inter sanctos eius* Iob. 25. *nemo immutabilis.*

Cum ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægrauatos, ab illa mentis sublimitate decidere, & inuitos imo etiam nescientes in legem peccati mortisque transduci, habent profecto pro quibus ad Deum iugiter ingemiscant, & in veritate humiliati atque compuncti, ad gratiam Dei quæ impios iustificat, conuolantes, Cum Apostolo protestantur: *Infelix ego homo, quis nec liberabit de corpore mortis hu-* Rom. 7. *ius, &c.*

Cap. 8. Peccatorum sanctitatem & magnitudinem perpauci cognoscunt.

Et

Cap. 11. Et condelectantur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, qui visibilia vniuersa transcendentes, conantur Deo semper vniri, *sed vident aliam legem in membris suis, quæ repugnat legi mentis eorum, &c.* Vere enim lex peccati est, quam humano generi præuaricatio induxit, *quia maledicta terra in operibus tuis.* Quæ terra post agnitionem boni ac mali, cogitationum spinas cæpit ac tribulos germinare, quarum aculeis naturalia virtutum semina præfocantur, ne illum panem qui de cœlo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus.

Gen. 3.

Qualiter hoc corpus mortis aggrauat animam.

Cap. CXVIII.

Cap. 16. HOc ergo ineuitabile corpus est mortis, in quod perfecti cuique qui gustauerunt, quàm suauis est dominus, quotidie reuoluti, sentiunt cum propheta, quàm *malum* sibi, *& amarum sit discedere à domino Deo suo.*

Ierem. 2. Hoc est corpus mortis, quod à cœlesti eos intuitu retrahens ad terrena deducit, quod psallentes eos atque orationi prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negocia, vel actus facit superfluos retractare.

Quid sit corpus peccati & mortis. Hoc est corpus mortis, quod volentes Deo iugiter inhærere, perfectionem tamen huius boni, quia mortis corpus obsistit inuenire non possunt, sed faciunt malum quod nolunt, ideſt traducuntur mente etiam ad illa quæ ad profectum virtutum non pertinent.

Cap. 7. Idcirco quotidianis suspirijs sancti omnes pro hac substantiæ suæ fragilitate compuncti, dum cogitationum varietates, & conscientiæ latebias perscrutantur, suppliciter clamant: *Non intres in iudicium cum seruo tuo &c.* Et illud: *Quis gloriabitur castum se habere cor.* Et ita infirmam hominum imperfectamque iustitiam, ac misericordiæ Dei semper indigentem indignam esse sentiunt, vt vnus ex his cuius iniquitates & peccata Deus misso de altari ignito verbi sui carbone purgauit, post illam mirificam contemplationem Dei, post intuitum sublimem Seraphin, & reuelationem sacramentorum cælestium, dicat: *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum.* Orans quoque non iniquorum tantum sed etiam iustorum plebem generali supplicatione complectitur, dicēs: *Facti sumus, vt immundi omnes nos, &c.*

Psalm. 142 Prou. 20.

Isaiæ 5.

Cap. 20. Quisquis itaque impeccantiam naturæ ascribit humanæ, non inanibus verbis, sed conscientiæ suæ nobiscum testimonio ac probatione confligat, & si quidem vt non dicam amplius vnam synaxim, sine vlla verbi; vel facti vel cogitationis interpellatione se deprehenderit celebrasse, absque peccato se esse pronunciet. Proinde quia his omnibus ociosis ac superfluis rebus velocem humanæ mentis excursum fatemur carere non posse, per hoc vtique consequenter sine peccato nos non esse veraciter confitemur. Quanto enim magis profecerit mens humana & ad sinceriorem contemplationis peruenerit puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suę puritatis inspiciet, quia necesse est vt dum animus ad sublimiorem se tendit intuitum, & maiora quam agit prospiciens cōcupiscit, illa in quibus est vt inferiora semper ac viliora despiciat.

Vix in ipso orationis tempore quis declinare potest peccatum.

Cap. 21. Plura siquidem denotat sincerior obtutus, paritque maiorem reprehensionis dolorem irreprehensibilis vita, & multiplicat gemitus, atque suspiria emendatio morum, & æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo in quo profecerit gradu, potest esse contentus; & quanto quis fuit mente purgatior, tanto se sordidiorem videns, magis humilitatis quàm elationis inuenet causas: quantoque pertinacius ad sublimiora conscenderit, tanto amplius præuidet sibi superesse quo tendat. Denique *qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, & quibus verè crucifixus est mundus*, cum de cordibus suis non solum radicitus vitia vniuersa conuulserunt, verumetiam cogitationes ac memoriam peccatorum conentur excludere, nihilominus tamen quotidie fideliter profitentur, ne vna quidem hora sine macula se posse esse peccati.

Quo quisque perfectior est, eo se magis inquinatum ac sordidum reputat.

Galat. 5. & 6.

Quod propter venialia non oporteat quenquam a sacra communione se subtrahere.

Cap. CXIX.

NEc tamen ex eo debemus nos a dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis ac magis est propter animi medicinam & purificationem spiritus auidè festinādum. Verumtamen ea humilitate mentis ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, potius nostris remedia vulneribus expetamus. Alioquin nec anniuersaria quidem dignè præsumenda est communio, vt quidam faciunt qui in monasterijs cōsistentes, ita sacramētorum cælestium dignitatem & sanctificationem ac meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos & immaculatos debere præsumere, & non potius vt sanctos mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam sibi declinare vidētur, incurrūt, quia vel tunc cū ea percipiūt dignos se eorū perceptione dijudicāt. Multo autē iustius est, vt cū hac cordis humilitate qua credimus omni tēpore & fatemur illa sacrosācta mysteria nūquā pro merito nos posse cōtingere, singulis ea dominicis ob remediū nostrarum ægritudinum præsumamus, quàm vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione nos esse credamus. Quapropter vt hęc intelligere & fructuose tenere possimus, misericordiam domini, vt nos ad perficienda hæc adiuuet attentius imploremus, quę nequaquam ita vt humanæ cæteræ artes præcedente quadam ratione verborum, sed actu potius & experientia præeunte discuntur, quæque rursum, nisi tam collationibus spiritalium virorum frequenter examinata fuerint & polita, quàm documentis & quotidiana experientia sollicite ventilata, aut absolescunt incuria, aut ociosa obliuione depereunt.

Licet agnoscimus nos sine peccato non esse, non debemus tamen a Dominica cōmunione suspendere.

Collatio Abraham de omnimoda solitudine appetenda.

Cap. CXX.

EX libro septimo cap. 1. Vltima collatio Abbatis Abraham Christo fauente producitur. Ad quem impugnationem cogitationum nostrarum anxia confessione detulimus, qua ad repetendam prouinciam nostram animi æstibus vrgebamur. Hinc etenim nobis maxima desideriorum nascebatur occasio, quod tanta religione atque pietate parentes nostros præditos recordamur, vt eos nequaquam impedituros nostrum propositum præsumeremus, quodque profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, in nullaque nos corporalium rerum sollicitudine occupandos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam spe inanium gaudiorū animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conuersione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi. Tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat maioribus nostris auita possessio, ipsaque amænitas iucunda regionum ante oculos pingebatur, quam congruæ solitudinis spacijs tenderetur, ita vt non solum delectare monachum possent secreta siluarum, sed etiam maxima victus cunctis præbere compendia. Quæ omnia seni cum secundum fidem conscientiæ nostræ suppliciter panderemus, tacitus ille diuque cunctatus, atque ad extremum grauiter ingemiscens ita respondit.

Collatio Patris Abrahā.

Cap. 2. Necdum vos desiderijs renunciasse mundanis, nec mortificasse concupiscentias pristinas cogitationum vestrarum prodidit infirmitas. Nam sicut desidiam cordis vestri desideriorum vestrorum peruagatio protestatur, hanc peregrinationem ac parētum absentiam, quam mente potius suscipere debuistis, carne tātummodo sustinetis. Ideoque vos illa ocij ægritudine sentio laborare,

Prou.7. rare, quæ in prouerbijs ita notatur: *In desiderijs est omnis ociosus*: Nam & nobis potuerant hæc quæ commemorastis carnalium commodorum non deesse compendia,
Luc.14. nisi nobis illa sententia Saluatoris occurreret: *Qui non reliquerit, siue oderit patrem, & matrem, &c.* Potuimus etiam cellulas saltem nostras supra Nili fluminis alueum collocatas aquam habere pro foribus, ne eã a quatuor millib. passuum nostris cogeremur deferre ceruicibus, nisi
1. Cor 3. nos ad tolerantiam laboris istius indefessos beatus Apostolus reddens, hoc iugiter animaret eloquio, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Nec ignoramus esse nonnulla etiam in regionibus nostris amæna secreta, in quibus pomorum copia, & hortorum gratia, necessitati corporum expedirent, nisi impingendam nobis illam exprobrationem vereremur; *quia recepisti consolationem in vita tua*. Sed despectis illis omnibus
Luc.16. Non satis est monacho semel renunciasse. his tãtum squaloribus delectamur, vniuersisque delicijs horrendam solitudinis istius præferimus vastitatem. Parum est enim renunciasse monachum semel, i. dest, in primordio cõuersionis suæ cõtempsisse præsentia, nisi quotidie eis renunciare perstiterit.

Cap.3. Idcirco ei, qui de interioris hominis puritate sollicitudinem gerit, expetenda sunt ei loca, quæ mentem eius nulla ad culturæ distensionem vbertatis suæ fæcunditate sollicitent; nec de cellulę fixa statione perturbent,

Cap.4. Non enim cogitationum suarum tempestatibus obuiare, iugi sollicitudine ac perseueranti intentione didicerunt, qui subdiualibus quotidie operibus desudantes, tota die sub aerea inanitate non solum corpore, verum etiam mente peruolitant, & cogitationes suas cum mobilitate corporea passim in aperta diffundunt.

Quod figendum sit & corpus in loco, & mens in Deo.

Cap. CXXI.

Cap.5. NEc mirum si in cellula quis residens, quasi intra arctissimum claustrum cogitationibus congregatis, cum foras progreditur anxietatum multitudine suffocetur, quæ de carceribus habitaculi cum homine prorumpentes, continuo velut equi effrenes in diuersa
Euagatione corporis grauatur magis quam releuatur cordis anxietas. peruolitant. Cum vero ad cellam propriam remeant, grauiores excitat stimulos ipsa inueteratæ licentiæ consuetudo. Hi ergo qui necdum possunt, vel nouerunt voluntatum suarum instigationibus reluctari, cum accedia pectus insolitum vehementius impugnante intra cellam fuerint anxiati, si progrediendi sæpius libertatem sibi remissa districtionis lege concesserint, acriorem aduersum se pestem, hoc vt putant remedio suscitabunt, sicut gelidissimæ aquæ hausta vim internarum febrium quidam restringere posse se credunt, cum vtique accendi ex hoc æstum illum constet potius quàm sedari. Si quidem momentaneam illam releuationem multo grauior consequitur afflictio.

Cap.6. Quamobrem ita omnis monachi intentio in vnum semper est defigenda, cunctarumque cogitationum eius ortus atque circumitus ad ipsum, i. dest, memoriam Dei strenue reuocandi, velut si quis absidis cameram volens in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam iugiter circumducat, ac secundum certissimam normam omnem rotunditatis parilitatem, & structuræ colligat disciplinam; aliter indecoram in corde suo atque indignam Spiritui sancto domum continuoque lapsuram imprudenter attollit, non glorificandus beatifico habitatoris hospitio, sed ruina constructionis suæ lugubriter opprimendus.

Quod quædam falsa perfectorum non sunt infirmis trahenda in exemplum.

Cap. CXXII.

GERMANVS. Parentum viciniam quam nec vos nimium respuistis cur tanto opere a nobis debeat euitari, non satis claret. ABRAHAM. Nonnunquam mala ex bonis rebus sumi videntur exempla; nam si quis eadem agere non eodem affectu atque proposito aut dissimili virtute præsumpserit: profecto exinde laqueum deceptionis ac mortis incurrit, vnde alijs æternæ vitæ fructus acquiritur. Quod per Dauid giganti illi in certamine comparato haud dubie pertulisset, si fortissimis Saulis armis fuisset indutus, & non tam prudenti discretione congrua adolescentiæ suæ armorum genera delegisset. Quamobrem mensuram virium suarum confiderare conuenit vnumquemque nostrum. Non enim quia bona est anachoresis, vniuersis eam cõgruam comprobamus. Nec quia institutionem cœnobiorum, vel curam fratrum sanctam atque laudabilem merito profitemur, idcirco ab vniuersis eã expectandam esse censemus. Proinde primum regionis vestræ atque huius inter se pensanda sunt instituta, deinde vires hominum iugi vel virtutum, vel vitiorum assiduitate collectæ diuersa inuicem lance trutinandæ. Fieri etenim potest, vt quod alterius gentis homini arduum atque impossibile est, hoc alijs insita consuetudo quodammodo vertit in naturam. Itaque diligenter expendite vtrum in illis torpidis (vt fama est) regionibus, vt velut frigore nimiæ infidelitatis obstrictis, hanc nuditatem sustentare possitis. Nostris enim istam propositi fortitudinem naturaliter quodammodo indidit sanctæ conuersionis antiquitas, quorum si constantiæ atque virtuti pares vos esse cernitis, viciniam patrum fratrumque vestrorum similiter fugere non debetis. Cap.7. Cap.8. Anachoresis alijs salutaris, alijs perniciosa esse potest.

Cap.9. Rimamini itaque nunc arcana pectoris vestri prudẽterque conijcite, an talem etiam vos iuxta parentes vestros districtionem mentis iugiter retentare possitis. Cũque vos in hac animi mortificatione consimiles eidem senseritis, tunc scitote parentum fratrumque viciniã, vobis quoque similiter noxiam nun futuram, vt scilicet eis quamuis in proximo constitutis, velut mortuos vos esse credatis, ita vt nec illos vestris fouere solatijs, nec vos illorum sinatis obsequio relaxari.

Quod perfectionem appetenti, fugienda sint parentum & amicorum blandimenta.

Cap. CXXIII.

GERMANVS SAne quid proposito nostro oberit, si illis submiistrãtibus vniuersa nos sollicitudine parandi victus penitus absoluti, lectioni tantum & orationum operam dederimus. ABRAHAM. Nõ meam contra hoc vobis, sed beati Antonij sententiam proferam. Nam cum ad illum quidam veniens, anachoreticam disciplinam minimè diceret admirandam, maioris pronuncians esse virtutis, si ea quæ perfectionis sũt inter homines quispiam quam in eremo positus exerceret, beatus Antonius vbi nam ipse consisteret percunctatur. Cumque ille se iuxta parentes suos habitare dixisset, & eorum præbitione ab omni cura, & sollicitudine diurni operis absolutum, lectioni tantum & orationi insisteret. Rursus Antonius: Dic, inquit, fili, vtrum in eorum damnis vel aduersis casibus contristeris, parique etiam modo super eorum prosperitate congaudeas. Ille vtriusque rei se participem esse confessus est. Cui senex: noueris te etiam, inquit, in futuro sęculo in eorum sorte censendum cum quibus in hac vita in lucri detrimentive consortio, vel gaudio vel mærore concuteris. Hæc conuersatio atque hic tepidissimus status, non hoc solo, quo dixi, te feriunt detrimento, (licet id nunc ipse non sentias dicẽs quodãmodo *fericrunt me, sed non dolui, &c.*) Cap.10. Cap.11. Responsio ex S. Antonij sententia desumpta. Prou.23.

quod

quod scilicet diebus singulis mentem tuam pro casuum varietate mutantes, indesinenter ad terrena demergunt, verumetiam quòd fructu manuum tuarum, & iusta proprij laboris mercede defraudant, non permittentes te horum præbitione suffultum, secundum beati Apostoli regulam, quotidianum tibi victum manibus præparare.

Cap. 12. *De vtilitate operationis & otij detrimento.*

Ideo cum etiam nobis parentum præsidia non deessent, tamen hanc cunctis opibus prætulimus nuditatem, & quotidiana corporis alimenta nostris maluimus sudoribus præparare, quã secura parentum præbitione fulciri, laboriosissimæ huic penuriæ illam quam prædicas ociosam scripturarum meditationem, atque infructuosam lectionis instantiam postponentes. Noueris autem te etiam ex hoc non leuius quam illo, quod supra diximus, feriri detrimento, quia cum sis sani corporis ac robusti, stipe sustentaris liena, quæ iuste solis est debilibus attributa, secundum Apostolum, qui ociosis penitus interdicens opem largitatis alienæ, *qui non operatur*, inquit, *nec manducet*. His beatus Antonius aduersus quendam vsus verbis, etiam nos magisterij sui informauit exemplo, vt parentum pernicios issima blandimenta, & omnium qui victui necessariam subministrat agapem, insuper etiam omnem amænæ habitationis gratiam deuitemus.

2. *Thes.* 3.

Quod melius sit pauca merita cum securitate acquirere, quam ad maiora lucra cum periculo aspirare.

Cap. CXXIV.

Cap 13.

NAm quod alios quoque saluare vos posse confiditis, & spe maioris lucri ad reuisendam patriam festinatis, audite etiam super hoc quandam Abbatis Macarij fabulam iucundissime atque aptissime figuratam, quam & ille cuidam similibus desiderijs æstuanti ingesserit: Erat, inquit, in ciuitate quadam pertitissimus tonsor, qui denarijs trinis vnumquenque detondens, necessaria victui quotidie comparabat, centumque denarios expleta õni corporis cura marsupio suo diebus singulis inferebat. Sed audiuit in quadam longè posita ciuitate, singulorum solidorum singulos homines tonsori præbere mercedem. Itaque sumens artis suæ protinus instrumenta, expensis in sumptu omnibus quæ hic multo tempore collecta seruauerat, ad vrbem illam quæstuosissimam cum summo labore peruenit. Vbi cum ea qua ingressus est die, secundum hoc quod compererat ab vno quoque mercedem sui operis recepisset, ad vesperum videns se grandem solidorum numerum conquisisse, ad macellum lætus intendit, escas empturus. Quas cum cępisset magno solidorum precio comparare, expensis in perexiguo victu vniuersis, quos acquisierat solidis, nec vnius quidem denarij intulit lucrum. Cumque itaque acquisitionem suam singulis diebus vidisset consumi apud se recogitans, reuertar, inquit, ad ciuitatem meam, illumque repetam tenuissimum quæstum. Quæstuosior fuit mihi ille nummorum quam iste solidorum imaginarius quæstus, ex quo non solum nihil exuperat quod recondam, sed etiam vix ipsa quotidiani victus necessitas sustentatur. Idcirco nobis est rectius hunc solitudinis huius tenuissimum fructum indirupta iugitate sectari, quem nullæ sæculares curæ, nullæ mundanæ distensiones, nulla cenodoxiæ ac vanitatis abrodat elatio, nullæ diurnæ sollicitudinis necessitates imminuant. *Melius est* enim *modicũ iusto*, quã affectare illa lucra maiora, quæ etiã si parta fuerint quæstuosissima conuersione multorũ, necessitate tamen mundanæ conuersationis, & quotidianæ distensionis diminutionibus absumuntur. *Melior* nãque *est pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore, & præsumptione spiritus*. Quibus illusionibus atque dispendijs omnes admodum infirmos necesse est implicari, qui cum etiam de salute sua sint dubij, ipsique adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, ad conuertendos alios ac regendos diabolicis illusionib. instigantur, quique etiam si potuerint lucri aliquid ex quorundam conuersione conquirere, impatientia sua atque inconditis moribus quicquid acquisierint profligabunt. Illud quoque eis euenie: *Qui mercedes congregat misit eas in saculum pertusum. Et melior est vir ignobilitate seruiens sibi, quam qui dignitatem sibi acquirit & indiget pane.*

Abbatis Macarij fabula de tonsoris mercede cõposita, ad illusiones diaboli cognoscendas.

Pſal. 38.

Eccles. 4.

Aggai. 1. Prou. 12.

De radicibus vitiorum in anima.

Cap. CXXV.

Cap. 14.

GErmanvs. Satis congrue nobis his comparationibus disputatio tua illusionum nostrarum manifestauit errores, quorum causas & curationes similiter optamus agnoscere, & vnde acciderit nobis ista deceptio.

Cap 15.

Abraham. Omnium vitiorum vnus fons atque principium est, secũdum qualitatem vero membri, quod in anima fuerit vitiatum, diuersa vocabula passionum corruptionumque sortitur. Quod nonnunquam etiam morborum corporalium probatur exemplo: Etenim cũ arcem corporis, ideſt, caput, vis noxij humoris obsederit, cephalalgiæ procreat passionem. Cum vero aures oculosve peruaserit in otalgicum, siue ophthalmicum vertitur morbum. Cum se ad articulos quosque, & ad manuum summa transfuderit, articularis atque chirogrica dicitur valetudo. Cum autem ad pedum ima defluxerit, podagra nuncupatur: totque vocabulis vna atque eadẽ noxij humoris origo distingu tur, quot membrorum cęperit portiones. Eodemque modo animæ nostræ partibus vniuscuiusque vitij inesse credamus. Nam si rationabilem eius partem vitiorum pestis infecerit, cenodoxiæ, elationis, inuidiæ, superbiæ, præsumptionis, contentionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulnerauerit sensum furorem, impatientiam, tristitiam, accediam, pusillanimitatem, crudelitatemque parturiet. Si concupiscibilem vulnerauit, gastrimargiam, fornicationem, philargyriam, & desideria noxia, terrenaque generabit.

De tripartito animæ motu.

Cap. 16.

Et idcirco si fontem vitij huius vultis agnoscere, rationabilem mentis vestræ portionem noueritis esse corruptam, ex qua præsumptionum, vel cenodoxiæ solent vitia pullulare, dum non solum ad perfectionis iam peruenisse fastigia, sed etiam alios docere posse vos credetis, & per elationem cenodoxiæ ac peruagationum vanitate raptamini: quas amputare absque difficultate poteritis, si quam difficile sit vnicuique vestrum saluare animam suam mentis vestræ contritione discatis, & intimo cordis affectu, non modo longe vos ab illa docendi præsumptione submotos, verumetiam adhuc egere doctoris agnoscatis auxilio. Adhibite ergo huic membro vel parti animæ vestræ quam specialiter diximus vulneratam, veræ humilitatis medelam.

Corruptam rationalem animæ partem principio curandam esse.

Quod non sit fugienda penitus hominum frequentia.

Cap. CXXVI.

Cap. 18.

GErmanvs. Inter cætera illusionum errorũque nostrorũ genera, quæ nos ad desideriũ patriæ nostræ flammauerant, etiam hęc vel maxima extitit causa, quod interdum à fratribus frequentati, iugi secreto, ac diuturno silentio, secundum desiderium nostrum nequaquam possumus inhærere, per quod necesse est interscidi mensuram quotidianæ continentiæ, quam per castigationem corporis indiruptam perpetuo cupimus retentare. Quod nullatenus in nostra prouincia credimus euenturum, in qua aut nullum aut certe rarissimum professionis huius virum, inuenire possibile est.

Cap. 19. *Perfectos viros etiam in remotissimis solitudinibus latentes, ab hominibus Deus vult frequentari.*

Abraham. Irrationabilis atque inconsideratæ districtionis, imo potius summi temporis indicium, nequaquã ab hominibus frequentari. Qui enim in hac quam arripuit via nimium tardis passibus graditur, ęquum est ad eum non dicam sanctorum, sed nec hominum quidem vllus adueniat. Vos autem si Deum, qui

qui vtique *charitas est*, pleno spiritus feruore sectamini, ad quælibet loca inaccessibilia fugeritis, necesse est eas ab hominibus frequentari; quãtoque vos propiores Deo amoris diuini ardor effecerit, tanto ad vos maior sanctorum fratrum confluet multitudo. *Non enim potest ciuitas abscondi supra montem posita, quia diligentes me* inquit dominus *glorificabo*. Verumtamen nosce debetis hanc esse subtilissimam inimici foueam, in quam miserabiles & incautos quosque præcipitat, vt dum maiora eis promittit necessaria quotidiani fructus emolumenta surripiat, obstrusiores scilicet ac vastiores solitudines expeti debere persuadens, easque velut miris amænitatibus consitas in eorum corde pingens.

Matth. 5. 1. Reg. 2.

De austeritate interdum aliquatenus relaxanda.

Cap. CXXVII.

Cap. 20. *Vtilis est remissio in aduentu fratrum.*

ILla quoque remissionis atque humanitatis intercapedo gratissima, quæ nonnunquam pro aduentu fratrum interuenire consueuit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quàm sit vtilis ac salubris tam corpori quam spiritui vestro, paucis patienter attendite. Sæpe accidit non dicam nouitijs & infirmis, sed etiam experimentissimis atque perfectis, vt nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in pernicioſam corporis valitudinem collabatur. Et idcirco a prudentibus atque perfectis cum interceſſerit fratrum crebra etiam visitatio, non solum toleranda patienter, sed etiam grataner est amplectenda. Primum quod prouocat nos auidius seper solitudinis desiderare secreta; nam quodammodo cursum nostrum dum interpolare creditur, infatigabilem iugemque conseruat, qui si nullo obice interdum tardaretur, vsque ad finem contẽdere indefessa pertinacitate non posset. Deinde cum necessitatem reficiendi corpusculi cum fructu humanitatis indulget, maiora nobis confert lucra, iucũdissimo corporis laxamento, quam illa sint quæ per abstinentiæ fatigationem fuerant acquirenda. Super qua re aptissimam comparationem antiqua narratione vulgatam breuiter vobis indicabo.

Honesta recreatio religiosis etiam congrua & honesta. Quam vtile sit subinde a fratribus visitari.

Cap 21. *Idem quod superius demonstrat S. Ioannis Euangelistæ authoritate*

Fertur beatissimus Ioannes Euangelista, cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio venientem subito conspexisse. Qui miratus, quod vir tantæ opinionis ac famę ad tam parua & humilia se oblectamenta submitteret. Tu ne es, inquit, ille Ioannes cuius fama insignis atque celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui beatus Ioannes: Quid est quod manu gestas? At ille: Arcus ait. Et cur eum non, inquit, tensum semper circumfers? Cui respondit: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat atque depereat, & cum oportuerit vt fortiora in aliquam feram specula dirigãtur, rigore per nimietatem continuæ intentionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit, beatus Ioannes, animi te offendat. ô iuuenis, tam parua hæc breuisque laxatio, qui nisi remissione quadam rigorem intensionis suæ interdum releuet ac relaxet, irremisso rigore lentescens, virtuti spiritus cum necessitas poscit obsecundare non poterit.

De suaui iugo Christi, & eius exasperatione.

Cap. CXXVIII.

Cap. 22. GErmanvs. Quoniam nobis illusionum cunctarum remedia contulisti, & diabolicæ quibus quatiebamur insidiæ, per doctrinam tuam domino donante detectæ sunt: hoc quoque nobis precamur edisseri, quod in Euangelio dicitur: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Quippe cum Apostolus dicat: *Omnes qui volunt pie viuere in Christo persecutionem patientur.* Matth. 11. 2. Tim. 4.

Abraham. Verissimam domini esse sententiam experientiæ ipsius facile probabimus documento, si perfectionis viam legitimè fuerimus aggressi. Quid enim graue poterit esse, quid durum ei, qui vera humilitate fundatus, in omnibus quæ fuerint sibi irrogatæ lætatur iniurijs dicens; *Complaceo mihi in infirmitatibus?* Quo familiaris rei cruciabitur damno, qui perfecta nuditate glorioſus, mundi facultates omnesque concupiscentias, *arbitratur vt stercora*, qui omnia quæ ab alijs auferri possunt sua non esse cognoscit? Cuius inopiæ necessitate fugabitur, qui cum Apostolo gloriatur *in ieiunijs multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate.* Quis labor quodve tam arduum senioris præceptum, tranquillitatem pectoris eius poterit perturbare, qui omnibus quæ sibi fuerint imperata, non solum patienter, sed etiam gratanter occurrit, dicens & ipse: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cap. 23. 2. Cor. 12. Philip. 3. 2. Cor. 12. Matth. 26.

Vt autem nobis econtrario iugum Christi, nec leue nec suaue videatur, contumaciæ nostræ est ascribendum, qui diffidentia atque incredulitate deiecti contra illius consilium qui ait: *Si vis perfectus esse vade, vende omnia tua, & sequere me;* inepta peruersitate pugnamus, terrenarum scilicet facultatum materias retentantes. Quarum cum nexibus animum nostrum diabolus teneat illigatum, quid superest nisi vt cum voluerit nos spiritualibus gaudijs separare, earundem imminutione ac priuatione mæstificet, sæcularium curarum flagris semper excruciet, ex nobismetipsis quo dilaceramus exculpans? Ipsæ enim nobis tormento sunt quibus vtimur voluptates, & oblectamenta huius carnis atque delitiæ carnificum vice in suum retorquentur autorem. Nos, inquam, non esse manifestum est, qui semitas domini refectas ac leues, prauis ac duris desideriorum cantibus exasperamus, qui viam regiam apostolicis ac propheticis silicibus communitam, sanctorumque omnium atque ipsius domini vestigijs complanatam amentissime deserentes, deuia quæque ac dumosa sectamur, & præsentium oblectationum illecebris obcæcati, per obscuros impeditosque vitiorum anfractus laceratis cruribus, & disrupta nuptiali veste repetamus, non modo acutissimis veprium aculeis confringendi, sed etiam virulentorum serpentium, vel scorpionum illic latitantium ictibus vulnerandi. *Oblitus est*, inquit, *mei populus meus, frustra libantes, & impingentes in vijs suis in semitis sæculi, vt ambularent per eas itinere non trito.* Viæ eorum secundum sententiam Salomonis, *sunt stratæ spinis*, & Ecclesiastes hoc exprimens: *Labor*, inquit, *stultorum affligit eos.* Cap. 25. Matth. 26. Cap. 24. Matth. 19. Cur amarũ iugum & graue omus domini sentiatur. Hier. 18. Eccles. 20. Eccles. 10.

Et reuera si comparare volueris splendentem virginitatis florem, & suaue olentem castimoniæ puritatem, terris ac fætidis libidinum volutabris, quietem securitatemque monachorum, periculis & ærumnis quibus mundi huius homines implicantur, paupertatis nostræ requiem, edacibus diuitum triſtitijs ac peruigilibus curis, in quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus consumuntur, suauissimum iugum Christi, onusque leuissimum facillime comprobabis.

De centupli retributione perfectorum in hac vita.

Cap. CXXIX.

Cap. 26. *Quomodo perfecte abrenuncianti-bus centuplũ in hoc mundo repromitt atur. Centuplum in pretio seu æstimatione.*

PRoinde etiam illa retributio præmiorum, qua perfectè renunciantibus in hac vita centuplum dominus repromisit, verissime eodem sensu suscipitur. Multo credibilius est, tum scilicet qui aliquid sæcularium vel affectuum vel bonorum Christo suadente contempserit, a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spirituali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere charitatem. Hanc siquidem quam societas copulæ seu consanguinitatis necessitudo coniungit, satis breuem esse constat ac fragilem. Monachi soli perpetuam conjunctionis retinent vnitatem, atque indiscrete possident vniuersa, qui omnia

Monachis omnia communia.

ſua eſſe quę fratrum, omnia fratrum cedunt eſſe quæ ſua ſunt. Ergo iſtam centupli retributionem in magnitudine meriti, & in diſcretione tam incomparabilis charitatis noueritis expreſſam. Si autem pro iræ turbatione iugem patientiæ lenitatem, pro labore ſolitudinis ſecuritatis quietem, pro infructuoſa ſæculi huius pœnalique triſtitia, ſalutaris triſtitiæ fructum, pro vanitate lætitiæ temporalis, gaudij ſpiritualis appenderis vbertatem, retributionem in horum affectuum commutatione centuplam peruidebis. Et ſi vniuſcuiuſque vitij breui ac lubricæ voluptati contrariarum virtutum merita conferantur, centuplo hæc eſſe meliora multiplicata iucunditas approbabit. Centuplam namque fratrum parentumve recipiet quantitatem quiſquis patris vnius, vel matris, ſeu filij, pro Chriſti nomine charitate contempta, in omnium qui Chriſto deſeruiunt dilectionem ſinceriſſimam tranſit. Multiplicata etiam domorum atque agrorum poſſeſſione ditabitur, quiſquis vna domo pro Chriſti dilectione reiecta, innumera monaſteriorum habitacula tanquam propria poſſidebit, in quacunque orbis parte velut in ſuæ domus iure ſuccedens. Quomodo enim non centuplum ſed pluſquam centuplum recipit qui 10. vel 20. ſeruorum miniſteria inuita vel coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobiliũm ſponte obſequio fulcitur? Sed hoc ſancto miniſterio merito ac fiducialiter perfruuntur qui prius in ſeruitutem fraternitatis ſeipſos ſuaque omnia voluntaria deuotione ſubdiderint. Quiſquis autem hæc humilitate ſincera conſortibus ſuis ante non detulerit, quomodo deferri ſibi ab alijs patienter admittit, cum grauari ſe eorum obſequijs intelligat potiusquam foueri.

Centuplum in quantitate.

De perſecutionibus adiunctis, & de fine ſermonis.

CAP. CXXX.

HÆc tamen omnia non cum remiſſa ſecuritate, nec cum inerti oblectatione percipiet, ſed verbum domini *cum perſecutionibus*, ideſt, cum preſſuris ſæculi huius ſummis angoribus paſſionum. Regnum enim cœlorum non deſides, non remiſi, non delicati, non teneri, ſed violenti diripiunt, qui non aliis ſed voluptatibus ſuis præclaram inferunt violentiam: qui direptione laudabili omni ſe præſentium rerum voluptate fraudantes, per huiuſcemodi rapinam regnum cœlorum violenter inuadunt. Et idcirco Saluator vt nobis amputandarum voluntatum noſtrarum formam traderet; *Non veni* inquit *facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Quam virtutem illi ſpecialiter exercent, qui in cœnobijs commorantes, regũntur imperio, qui nihil omnino arbitrio ſuo agunt, ſed voluntas eorum ex voluntate pendet Abbatis. Poſtremo, vt iam diſputationis huius ſermo claudatur, nonne obſecro in hoc centuplam gratiam euidentiſſime qui fideliter Chriſto deſeruiunt conſequuntur, dum pro nomine eius à ſummis principibus honorantur; ac licet ipſi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in perſecutionum anguſtijs iudicibus cunctis ac poteſtatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forſitan deſpicabilis eſſe potuiſſet, vel pro obſcuritate Natalium, vel pro conditione ſeruili, ſi in ſæculari conuerſatione manſiſſent? Pro Chriſti autem militia nobilitatis nemo ſtatus calumniam commouere, nemo obſcuritatem generis audebit opponere, quin potius illiſipſis viliſſimæ conditionis opprobrijs, quibus confundi & dehoneſtari ſolent cęteri, ipſi famuli glorioſius nobilitantur.

Regnum cœlorum vio lenti rapiunt

Ioan. 6.

Centuplum recipiunt viri ſancti dũ à principibus honorantur pro nomine Chriſti.

Tali beatus Abraham ſermone de illuſionis noſtræ vel origine, vel medela diſſeruit, atque oculis quodammodo noſtris cogitationum, quas diabolus auctor ingeſſerat, propalauit inſidias, noſque ad deſiderium noſtræ mortificationis accendit, quo etiam multos, licet incompto hæc omnia ſermone digeſta ſint, credimus inflammandos.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS.

LIBER VIGESIMVS.

De Imperio Theodosij iunioris, qui solus imperauit.

CAP. I.

IGEBERTVS *in chronicis.* Post mortem Honorij Theodosius eiusdem nepos cæpit anno Domini 425. mundi vero 4278. & imperauit solus annis 3.

Theodosius Imp. An. Ch. 425. M. 4278.

Huius anno primo Vuãdali Mauritaniam inuaserunt.

Celestinus Papa statuit vt psalmi 150 canerẽtur ante sacrificium.

Anno secundo Cælestinus Romanę Ecclesię quadragesimus secundus præsidet. Hic constituit, vt psalmi Dauid 150. ante sacrificium canerentur anthiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantum epistola beati Pauli, & sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de psalmis introitus, gradualia, offertoria ante sacrificium, orationes inter communicandum cum modulatione ad missam in Ecclesia Romana cantari cæperunt.

Theodosius per Ardaburium ductu angeli Ioannem tyrannum opprimit.

Romæ inter Ætium, & Bonifacium ex rei militaris gloria, orta inuidia, R.P. parturit dispendia.

Anno sequenti Cassianus de Ecclesia Constantinopolitana à Ioanne Chrysostomo electus, & in Massilia Galliæ presbyter ordinatus, multa scripsit, inter quæ etiam compertas in Ægypto vitaspatrum doctrinasque & regulas, datis ad plurimos libris, exposuit.

Author. Hic est Ioannes Eremita, cuius dicta superius, & collationes abbreuiatas ad ædificationem legentium inserui, licet apochrypha reputari videantur eius opuscula, decreto Papæ Gelasij.

De Imperio eiusdem Theodosij cum Valentiniano.

CAP. II.

Sigebertus in chronicis. Anno Theodosij iij. Theodosius Valentinianum Placidiæ amitæ suæ ex Constãtio filium, Imperatorem facit, eumque cum Placidia matre Romam ad imperandum mittit; & regnauerunt simul annis 24. Cæperunt autem anno domini 428. mundi scilicet 4281.

Theodosius & Valentinianus Imp. An. Ch. 428. Mũdi 4281.

Horum anno primo in Bithynia Timotheus quidam continentiæ & religionis imagine multis illudens, eos in errorem suæ hæresis induxit, dicens Christum verum quidem Deum, & verum hominem de virgine Maria natum fuisse, sed mentiens, dicendo, quòd diuina natura conuersa sit in humanam.

Romani Hunnos à Pannonia fugant, quam per 50. annos tenuerant.

Anno 2. Gundericus Rex Vuandolorum capta Hispali, cum impiè elatus, manus in ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio à dæmone correptus, interiit. Cui Gensericus frater in regno succedens, regnauit annis 48. Hic, vt fertur, de fide Catholica in Arianam sectam apostatauit.

Anno 3. Clodius Pharamundi filius, Rex crinitus, annis * 18. regnat super Francos, & ex hoc Franci cæperũt habere Reges crinitos.

* al. 20.

Anno eius primo.

Hic Clodius Toringiam inuasit, & in Dispargo castello Toringorum aliquamdiu habitauit. Inde missis exploratoribus vsque ad vrbem Cameracum, Rhenum transijt, & prostrato multo Romanorum populo, citra Rhenum vsque ad Ligerim habitantium, * Carbonariam siluam ingressus, Tornacum obtinuit. Indeque vsque ad vrbem Cameracum properauit; vbi pauco tempore residens, Romanos, si quos inuenit ibi, peremit, & exinde vsque ad * Somonam fluuium perueniens, omnia occupauit.

Anno 15.

* Carboniã.

* al. Summam.

Anno 5. Cælestinus Papa ad Scotos in Christo credentes, Palladium mittit primum episcopum. Post quẽ ad eosdem ab eodem Cælestino missus est sanctus Patricius, genere Brito, filius Conches sororis sancti Martini Turonensis, qui in baptismo quidem dictus est Suchat, à sancto Germano Magomus, à sancto Cælestino vero Patricius, à quo Archiepiscopus Scotorum ordinatus, per 40. annos signis, sanctitate, & doctrina excellens, totam insulam Hiberniam conuertit ad Christum.

Nestorius Constantinopolis episcopis factus, sit auctor hæresis separantis in Christo hominem à Deo, dicens purum hominem, non Deum, de Maria natum, & à Iudæis crucifixum.

Vuandalos, qui olim timore Athanulphi excesserant à Gallijs, Vuallia Rex Gothorum expellere parat etiam ab Hispanijs.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quibusdam euentibus illius temporis.

CAP. III.

An. Ch. 433. ANno sequenti tertia synodus vniuersalis, Ephesina prima, ducentorum episcoporum, iussu Theodosij iunioris Augusti, edita est, quæ Nestorium, duas personas in Christo asserentem, iusto anathemate condemnauit, ostendens manere in duas naturas, vnam Domini nostri Iesu Christi personam.

In Hispanijs 20. millia ferme militum contra Vuandalos pugnantium cæsa sunt.

Gensericus odia Gothorum veritus, & simul à Bonefacio inuitatus, cum Vuandalis & omnibus eorum familijs ad Africam transfretauit, eamque inuadens & dilacerans, multo tempore cladem Romanis intulit.

In Galliam cum Suptar Rex Hunnorum Burgundionenses nimis opprimeret, illi in Deum Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt, & statim Hunnis congressi, pauci multa millia peremerunt, & sic rabiem ipsorum refrenauerunt.

An. Ch. 434. Anno sequenti Sixtus Romanæ ecclesiæ 43. præsidet.

Romani in Africa Vuandalis congressi superantur.

Bonefacius conflictu cum Ætio habito, victor quidem, sed moriturus abscedit.

In Britannia dux Saxonum Hengistus considerans animum Regis ad amorem sui, suæque gentis inclinatum, postulauit tantum terræ spacium sibi dari, quantum vna corrigia posset ambiri, vt ibi promontorium ædificaret. Cui cum Rex acquieuisset, accepto illo corio tauri, incidit illud in corrigiam longissimam, & loco quem præuiderat circumducens inter ambitium illius construxit castellũ, appellauitque illud castrũ Corrigiæ.

An. Ch. 435. Anno sequenti Sixtus Papa à Basso criminatur, & iussu Valentiniani Imperatoris Romæ congregata synodo coram 56. episcopis synodico iudicio purgatur: Bassus vero damnatus proscribitur, & non multo post à Deo percussus, ipsius Sixti manibus honorifice sepelitur.

Germanus Antisiodorensis, Lupus Trecassinus, Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis episcopi in Gallijs clarent.

De origine & priori statu sancti Germani Antisiodorensis.

CAP. IV.

Patria. *EX gestis eius.* Hic sanctus Germanus Antisiodorensis oppidi indigena fuit, parentibus splendidissimis procreatus, & ab infantia studijs liberalibus institutus,

Magna eius eruditio. post auditoria quoque Gallicana Romæ iuris scientiam acquisiuit. Deinde tribunalia præfecturæ, professione

Fit aduocatus. aduocationis ornauit, in quo actu multiplici laude splẽdens, sublimem genere, moribus & diuitijs vxorem sortitus est, protinus eum respublica ad honorum præ-

Duxit vxorem. sumpsit * insignia.

* Dux constituitur. Cumque territorium Antisiodorense gubernaret, mos erat tyrunculorum potius industrijs indulgere, quam Christianæ religioni operam dare. Erat autem arbor pirus in vrbe media, ad cuius ramusculos ferarum ab eo deprehensarum capita, pro admiratione venationis nimiæ, depẽdebat. Quem sanctus Amator episcopus ciuitatis, his frequens compellebat eloquijs: Desine, quæso, vir bonorum splendissime hæc iocularia, quæ Christianis offensa, paganis vero imitanda sunt,, exercere. Ille tamen nullo modo admonenti se voluit obedire. Cum autem quadam die in sui iuris prædia secessisset, sanctus Amator illam arborem cum caudicibus abscidit, ignique concremandam illico deputauit. Ossilla vero dependentia lõgius à ciuitate proiici præcepit. Quod cum audiret Germanus, ira animum accendit, ita vt sanctæ religionis oblitus, cuius iam munere fuerat insignitus, mortem beatissimo viro minitaret. Et ne Christiano-

S. Amator eũ reprehendit.

Amputat arborem, quæ erat offendiculo.

rum conuentu se furenti resisteret, turbas suorum sibi coadunans, ciuitati improuisus aduenit. Hæc omnia, dum à quibusdam cognita, sancto Amatori panderentur, ait: Ego me indignum iudico, * testem fieri fuso sanguine Saluatori.

Germanus minatur S. Amatori mortem.

* Hoc est, quod graci appellant martyrem.

De oratione eiusdem & obitu sancti Amatoris.

CAP. V.

DIuina ergo reuelatione finem suum, & Germanum sibi successurum præuidens, Heduam profectus est, vbi Iulius Reipublicæ rector, & gubernator Galliæ præsidebat. Quem sic allocutus est: Finem meum, domino mihi innotescente, cognoui, & quia non est alter, qui regimen sanctæ ecclesiæ suscipiat, nisi illustrissimus Germanus, sicut mihi reuelauit Dominus, posco celsitudinem tuam, vt mihi eundem tonsurare tribuas licentiam. Cui Præfectus: Licet, inquit, reipublicæ necessarius sit, tamen quia Deus, vt tua beatitudo testatur, sibi eum elegit contra Dei præceptum venire non possum. Tunc sanctus Amator voti compos, ad vrbem suam, cum lætitia redijt. Subeunte autem illo ecclesiam, cum & populus ingredi vellet, sic eum allocutus est: Exonerate, filij, manus iaculis, quia hæc est domus orationis, non Martis statio prẽliantis. Quod etiam fecerunt. Tunc videns episcopus Germanum nihil oneris truculenti portantem, præcepit ostiarijs, vt fores ecclesiæ clausstris arctarent. Ipse vero glomerata secum turba clericorum inijciens manus, Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini, cæsariem eius capiti detrahens, reiectis sæcularibus ornamentis, habitu religionis cum honore promotionis induit, talibus eum verbis exhortans: Satagere te oportet, frater, quomodo incontaminatum custodias commissum tibi honorem, quia tibi omnipotens Deus pastorale commisit officium.

Reuelatur S. Amatori Germanum futurũ episcopum.

Germanus à S. Amatore tondetur, & in clerum adscisitur.

Populo quoque adhortato, vt voluntati Dei de electione Germani consentiret, omnis turba consentiens ad confirmationem persuasionis eius respondit, AMEN. Ipse autem Calen. Maij 4. feria, cæpit acrius dissolutione corporis fatigari, sed nec inter dolores à prædicatione cessabat, & dicebat: Prohibete lamenta, ibi profecto luctuosæ voces emittendæ sunt, vbi meliori deteriori fuerit successurus, huius autem non solum vita proderit vobis, sed etiam mors. Tunc præcepit se ad ecclesiam prouehi, vt ibi spiritum datori redderet, vbi die ac nocte solebat eidem profiteri. Et ascendens pontificalem thronum, fere hora diei tertia emisit spiritum. Continuo chorus sanctorum successit, & spiritum eius cum hymnis & laudibus in specie columbæ multis cernentibus ad cælum prouexit. Inde corpus ad sepulturam deducitur. Vnde dum redeunt quendam paralyticum prospiciunt, qui iam 30. annis hoc morbo detinebatur, ceruicibus hominum baiulari. Hic orabat, vt vel aquis paululum frui mereretur quibus perfusum fuerat sanctum corpus. Cuius fidem admirans Germanus tunc presbyter, iussit ex eadem aqua membra eius perfundi, & protinus omnis languor recessit.

Rogat populum S. Amator vt recipiat Germanum sui loco.

Beatus Amator in cælos proficiscitur.

Nota vim aquæ qua perfusum fuit corpus Beati Amatoris.

De vita eiusdem sancti Amatoris episcopi.

CAP. VI.

EX gestis eius. Hic sanctus Amator in iuuenili ætate literis optime eruditus, coactus est à parentibus quandam virginem desponsare, sed cum tempus copulationis vrgeret, se mutuo adhortantes votum virginitatis fecerunt. Et ecce Angelus affuit, qui duas eis coronas attulit, propositum laudans & ad perseuerandum adhortans. Porro puella virginum cœtui se tradidit, Amator vero in clericatu tantis præconijs virtutum enituit, vt post excessum sancti Eladij mereretur in Pontificatum substitui. Sanctus ergo Pontifex multis

Sanctus Amator cum Sponsa vouet perpetuam continentiam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

refulsit miraculis, cæcos illuminans, paralyticos sanans, mortuos etiam reducens ad vitam. Cum autem multos subiecisset fidei, tum exhibitione miraculorum, tum ex instantia prædicandi, videns paruam adhuc ibi esse basilicam, nec posse capere Christianorum multitudinem tam ingentem; petijt à quodam Antisiodorensi ciue, Ruptilio nomine, vt sibi concederet domicilium, quod intra claustrum habebat vrbis amplum & excelsum. Ille statim abnegat, sed non multo post grauissime infirmatus sancto annuit quod rogarat. Tunc vir Dei eandem domum basilicam consecrauit, in qua sanctum Germanum postea tonsurauit. Hæc est hactenus basilica in honore Protomartyris Stephani, Christianis populis frequentata.

Fit episcopus & claret multis virtutibus.

Vitam huius descripsit Cõstantius in actis S Germani lib. 1. cap. 1. 2. & 3.

De austeritate sancti Germani.

Cap. VII.

S Germanus coactè suscipit episcopatum.

Nota mirã vitæ austeritatem.

Vestes eius quales fuerint.

Lectus eius. Nullum habebat cervical.

Redimitur sanctorum reliquijs eius hospitalitas.

EX gestis eius. Igitur Germanus suscepit sacerdotium coactus & inuitus, sed repente mutatur ex omnibus; deseritur mundi militia, cælestis assumitur, vxor in sororem mutatur, substantia in pauperes erogatur. Ex die qua sacerdotij sumpsit exordium vsque ad vitæ terminum, nunquam panem frumenti, non vinum, non oleum, non legumen, non salem ad vsum condiendi saporis accepit. Sanè die resurrectionis vel natiuitatis dominicæ potiones singulæ sumebantur; in quibus vini sapor aquis nimijs diluebatur. In refectionibus primum cinerem prælibauit, deinde panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipse excussit & moluit. Indumentum semper cuculla & tunica, nec hyeme adiectio, nec æstate leuamen admissum est. Quod vtrumque tamdiu vsui fuit, vel forte donatum est, donec attritione nimia solueretur, cilicio semper interius inhærente.

Spacium vero lectuli sui trabeculæ dolatiles ambiebant, iectos cineres vsque ad marginem continentes, qui tamen quotidiana impressione densati, in confecti soli duriciem præferebant. Stratum omne, subiecto cilicio, & superposito vno tantum sagulo, fuit. Caput autem ab humeris per ceruicis confinium nulla subleuauit adiectio; ita vt pronus prostrata ad terram membra damnauit. Noctibus nunquam vestitum, raro cingulum, raro calciamenta detraxit. Redimitus loco semper, & capsula sanctorum reliquias continente. Iugis gemitus, & oratio perseuerans. Hunc absolute definio inter tot cruces longum traxisse martyrium. Omnibus sine acceptione personæ hospitium præbuit; pedes omnibus, manibus suis lauit.

De primo transitu eius in Britanniam, & de sancta Genouefa virgine.

Cap. VIII.

S. Germanus & Lupus episcopi mittũtur in Angliam ad extirpandam Pelagianam hæresim.

De S. Genouefa virgine quid vir Dei testatus sit.

CVmque vita eius & fama multis fulgeret miraculis, ex Britannijs directa legatio, Gallicanis episcopis nunciauit, Pelagianam hæresim in locis suis late populos occupasse, & fidei catholicæ succurri debere. Ob quam causam synodus numerosa collecta est, omniumque iudicio præclara regionis luminaria Germanus, & Lupus vniuersorum precibus ambiuntur. Negotium deuotissime ab eis suscipitur. Quibus Parisiacæ vrbis territorium permeantibus, ciues obuiam procedunt, tantorum benedictionem virorum expetunt, eisdem debitam venerationem impendunt. In vico cui Metodori vocabulum erat hospitati sunt. Cumque beatus Germanus multitudinem confluentem verbi salutaris exhortatione refoueret, puellam quandam nomine Genouefam inter astantes eminus conspexit, & nescio quid in ea cæleste vel Angelicum auspicatus, tali eam præconio extulit, eius genitores sic affatus: Beatos, inquit, dies illa vos fecit, quia tantæ prolis parentes vos esse contigit, cuius natiuitas ipsis quoque Angelis lætitiam peperit. Erit enim precioſi apud Deum meriti, & spiritualis perfectione propositi.

Votum virginitatis conseruandæ in primitiua ecclesia.

Plura quoque in laude virginis prosecutus, tandem ipsam benignitate suaui complectitur, & inter lenia blandimenta percunctatur, si sanctimonialis vitæ cælibatum velit suscipere, & Christi sponsalitio titulari. Illa tanti sponsi nomine delectata, titulum virginitatis amplectitur, seque huius professionis iamdudum astringi desiderio profitetur. Interea gressum diuertit idem sanctus ad ecclesiam maximo populorum agmine prosequente, ibique inter sanctos psalmos ac prolixam orationem manum dexteram super caput virginis indefesse tenuit. Deinde in crastino, cũ illa ad eum rediisset, & ipse de pridiana professione eam allocutus fuisset, ipse vultum in terram defixit, moxque nummum æreum diuina forsitan allatum sentẽtia, expressione crucis insculptum inspexit, ac protinus à terra collegit, quem loco muneris Genouefæ tradidit, ac semper collo suspensum ob sui memoriam ferre præcepit. Cæterum, inquit, alia mundialis pulchritudinis ornamenta nunquam tuis vel collo, vel digitis inseri patiaris. Ita fatus, virgini valefecit, & vt sui memor esset, admonuit, commendansque eam parentibus iter cæptum cum beato Lupo perrexit.

Interdicit S Genouefæ, Deo se virginem consecranti, omnia mundi ornamenta.

De egritudine sancti Germani, & eius pugna contra Saxones.

Cap. IX.

QVadam die, diabolus insidiator casualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapsus occasione contriuit, ignorans illius merita, sicut beati Iob, afflictione corporis propaganda. Et dum aliquandiu vno in loco infirmitatis necessitate constringitur, in vicinia, qua manebat, casuale exarsit incendium. Quod consumptis domibus, quæ illic palustri arundine tegebantur, ad illud habitaculum, in quo idem vir iacebat, flabris stimulantibus ferebatur. Sed hospitium sancti viri expaueſcens flamma transiliuit, vltra citraque desæuiens, multasque virtutes faciebat infirmus. Et cum debilitati suæ nihil remedij pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niueis vestibus vidit sibi adesse personam, quæ manu extensa videretur iacentem extollere, eumque firmis vestigiis imperabat consistere. Post quam horam ita fugatis doloribus recepit sanitatem, vt die reddito, intrepidus subiret itineris laborem.

Flammã nõ audet attingere sancti viri hospitiũ.

Diuinitus curatur eius pes læsus.

Interea Saxones Pictauiq; bellum aduersus Britones iunctis viribus susceperunt, & illi trepidi sanctorum antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes aduentum, tantum contulerunt fiduciæ, vt maximus crederetur exercitus aduenisse. Itaque Apostolicis ducibus Christus militabat in castris in tantũ, vt quotidianis prædicationibus instituti, certatim ad gratiã cõuuolarẽt baptismatis. Ita baptismate madidus procedit exercitus, & contempto armorũ præsidio Dei auxiliũ expectatur. Hæc institutio vel forma castrorum hostibus nunciatur, qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, assumpta alacritate festinant. Germanus signifer, & dux exercitus omnes admonet, vt voci suæ vno clamore respondeant appropinquantibus hostibus ALLELVIA tertio repetitum, sacerdotes exclamant; sequitur vnus clamor omnium, & eleuatum clamorẽ repercusso aere montium inclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur, & ruisse super se non solum rupes circundatas, verumetiam ipsam cæli machinam cõtremiscunt. Vix sufficere pedum pernicitas creditur, passim fugiunt, arma proijciunt, gaudentes vel nuda se corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites flumen quod sensim venientes transierant, deuorauit. Sicque hostibus sine sanguine superatis, collectis spoliis christiani triumphant, & sancti antistites ad propria redire festinant.

In fugam compellit hostes, dum Alleluia clamat cũ suis.

Mirum in modum liberat Britones ab inuasione Saxonum & Pictauorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De secunda profectione eiusdem in Britanniam, & discipulo suscitato.

CAP. X.

Noui Pelagiani rursus exurgunt in Anglia, quo rursum proficiscitur S. Germanus cuius comes est Seuerus episcopus Treuerensis.

NOn multo post nunciatur præfatos hæreticos in Britannijs iterum pullulasse. Rursumque ad sanctum Germanum preces omnium deferuntur, vt causam Dei quam prius obtinuerat, tutaretur. Adiuncto itaque sibi sancto Seuero Treuerensi episcopo, libenter annuit, dum & laboribus delectatur, & se Christo gratanter impendit. Iamque eo aliquantulum progresso, vnus ex discipulis eius, qui eum de Hibernia secutus fuerat, ad hanc ipsam delectus expeditionem, quia cum ipso exire nequiuerat post eum profectus est. Cumque ad * Cormodorum peruenisset, ibi decumbens post paululum defunctus est. Cum autem sanctus Germanus cum sociis suis hæreticos sicut & antea confudisset, & ad propria remearet, contigit eum ad eundem deuenire locum, cognoscensque per spiritum ibi decessisse discipulum, accedens ad locum quo fuerat tumulatus, iussit reuelli sepulchrum, ipsumque vocans nomine, & quid ageret, & si secum adhuc militare cuperet, requisiuit. Mox vitali resumpto spiritu defunctus residet, cunctaque sibi constare suauia, ac se nolle huic vlterius reuocari respondet. Tunc sancto annuente vt quiesceret, ille capite deposito, rursum obdormiuit in Christo.

** Lego in historia Lombardica Cordomarum.*

De Rege Britanniæ ab eodem expulso & Subulco substituto.

CAP. XI.

Hanc historiam non inuenio in vita S. Germani scripta à Constantio quæ extat apud Surium 31. Iulij: habetur autem in historia Lõbardica inter catera eius miracula, & in eius vita quæ extat apud Petrum de Natalibus lib. 6 cap. 161. sit fides penes illos & Vincentium & etiam Gotschalcum Hollen. ser. 32.

GErmanus igitur cum in Britannia prædicaret, die quadam Regis Britanniæ palatium cum suis discipulis introiuit, & directo ad regem nuncio pro vehementi frigore, & superueniente nocte hospitium postulauit. Sed cum rex immitis concedere noluisset; Germanus cum discipulis suis sub diuo persistens, niuem & grandinem patienter sustinuerat; iamque veniente nocte Subulcus Regis regressus à pascuis, acceptam in palatio præbendam suam ad propriũ tugurium referebat. Is vbi sanctum Germanum conspexit vehementi frigore cum discipulis tabescentem, personæ dignitate permotus, oro, ait, quisquis es domine, vt tibi & sociis parcas, & veniens ad hospitium meum officium meæ paupertatis suscipias benignè. Cumque Germanus ad eum humiliter declinasset, porcarius ille vxorem suam monuit, vt vnicum vitulum, quem habebant, occideret, & hospitibus cænaturis apponeret. Post cænam igitur Germanus mulierem euocat, iubetque, vt ossa vituli diligenter collecta super pellem eius ante matrem in præsepio componat. Quo facto, vitulus sine mora surrexit, matrique coastans, comedere fænum cepit. Tunc Germanus hoc audiens, rogat hospites suos, vt saluo iure hospitij hoc interim beneficium acceptarent. Facto autem mane, Germanus ad palatium progreditur, & Regem egressurum de palatio prestolatur. Exeunti festinus occurrit, & cur ei sero hospitium negasset potenter inquirit. Rex stupore defixus, & sancti auctoritate attonitus, respondere non potuit. Tunc Germanus: Egredere, inquit, & Regnum meliori dimitte. Illo hæsitante, Germanus cunctantem impellens: Egredieris, ait, & sicut dominus definiuit, nequaquam deinceps potestate regia abuteris. Rex autem auctoritatem cælestem in Præsule reformidans, cum coniuge, & liberis indifferenter exiuit, & vlterius ingredi non presumpsit. Tunc Germanus Subulcum cum coniuge venire fecit, & vniuerso stupente palatio, Regem constituit.

Ex tunc Reges ex Subulci genere prodeuntes damnantur genti Britonum, Deo res humanas mirabiliter ordinante per beatum Germanum.

ANNOTATIO.

Anglorum regum series certamine colligi potest, vsque ad Egbertum, qui primus domitis reliquis regulis, Anglia vniuersa præfuit circa annum Christi 800 Lesæus lib. 5. de historia Scot. Caterum Anglia non ex vna familia hactenus reges habuit. Nam & Gulielmus nothus qui conquestor dictus est, Nortmannia ducis filius, occiso Heraldo rege, Anglia potitus est circa annum Christ. 1066. & postea Franci per Stephanum Francum Comitis Blesensis filium regnum illud obtinuerunt. vide Lesæum, & Genebrardum.

De sancto Cassiano Augustodunensi, qui respondit ei de tumulo.

CAP. XII.

Sancti pro nobis orant.

CVmque de Btitãnia remearet per Augustodunum transiens, ad tumulum sancti pontificis Cassiani peruenit. Quem cum quomodo se haberet inquireret, ille statim è tumulo audientibus cunctis dixit: *Dulci quiete perfruor, & aduentum redemptoris expecto.* Cui Germanus respondit: *Quiesce per longum in Christo tempus, & pro nobis attentius intercede, vt obtinere sacræ resurrectionis gaudia mereamur.*

Vita S. Cassiani.

Ex gestis eius. Hic Cassianus olim ex nobili genere in Alexandria vrbe natus, à sancto Zenone eiusdem vrbis episcopo diuinis literis eruditus, Deum ab infantia coluit, & omnia pro Christo deserens, in Hortensi vrbe ecclesiam in honore sancti Laurentij sicut ab eodem in visu doctus fuerat, construxit. Tunc Iouinianus Imperator Deum timens, qui successerat Iuliano Apostatæ, elegit eum conclamante populo in Hortensi vrbe episcopum. Sed cum eam aliquam diu in omni sanctitate rexisset, valedicens omnibus omnia dereliquit, & cum paucis clericis pro Christo peregrinationem arripuit. Intransque mare, prosperante Deo, vsque ad Massiliam nauigauit, & inde sæuiente hæreticorum & paganorum persecutione Augustodunum peruenit & à sancto Simplicio episcopo gratanter exceptus, ad petitionem ipsius Simplicij cum eo per triennium mansit. Quarto anno sanctus Simplicius migrauit ad dominum, & omnis clerus, & populus Cassianum elegerunt episcopum. Cui tantam gratiam dominus Iesus Christus conferre dignatus est, vt assidue miracula per eum ostenderet, cæcis lumen donaret, surdis auditum, debilibus sospitatem, ægrotis incolumitatem tribueret, & omnem hominem diligebat sicut seipsum. Consummauit autem, regens ecclesiam beatus Cassianus episcopus, annos 20. & migrauit ad dominum Iesum Christum, qui est resurrecturus cum sanctis in gloria æterna.

Melanus testatur huius sancti acta extare, sed ea hactenus nobis sunt incognita.

De latrone eius prodigio diuinitus irretito, & duobus aureis compensatis.

CAP. XIII.

Ex historia Constantij.

CVm autem redijsset vir sanctus Germanus in Galliam, quadam die imminente iam vespera comitatui suo nudus pede, cucullo vacuus, viator accessit, cuius etiam nuditati condoluit. Qui dolose inhærens contubernio iungitur mansioni, & inter occupatos custodes qui Deo, non animalibus, vigilabant, iumentum quo senior vehebatur, prædo nocturnis arripuit. Die reddito amissio euectionis agnoscitur, & vt sacerdoti animal non deesset, vnus ex clericis in peditem ex equite mutatur. Et dum iter agitur, circumiecti comites beatum virum intuentur extra morem conceptam lætitiam vultus obumbratione velantem. Tum vnus auctoritate concepta causam lætitiæ percunctatur. At ille: Paululum, inquit, remoremur, quia infælicis illius labor, & irridendus est, & dolendus, quem mox videbitis æstuantem. Cumque substitissent, respiciunt post se captum animal peditem manu deducentem. Cumque expectassent accelerantem, ille statim vestigiis prouolutus, crimen quod commiserat cõfitetur, & ita totius

Pœna homicidij nequam qui furto abstulerat iumentum viri Dei.

noctis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

noctis ſpacio irretitum fuiſſe ſe retulit, vt longius prodire non poſſet, nec euadendi viam aliam repetiſſet, niſi vt ablatum animal reſtitueret. Ad hæc vir ſanctus: Si heſterna, inquit, die nudo tibi tegmen dediſſem, furandi neceſſitas non fuiſſet. Accipe, quod deeſt, redde, quod noſtrum eſt. Ita confeſſor criminis non ſolum veniam pro pœna commiſſi, verumetiam præmium cum benedictione ſuſcepit.

Quadam die dum iter carperet, occurrunt pauperes eleemoſynam poſtulantes. Conſulit Diaconum quantum eſſet in ſumptibus; tres tantum aureos eſſe reſpondit: quos ille totos ſtatim erogari præcepit. Ad hæc Diaconus: Vnde victuri hodie ſumus? Qui reſpondit: *Pauperes ſuos paſcet Deus: tu quod habes, præſta pauperibus.* Diaconus quaſi prouidus, duos erogat, & vnum reſeruat. Poſt paululum equites quidem poſt eum venientes, obtulerunt ei munus ducentorum ſolidorum, deinde conuerſus ad Diaconum ait: Accipe, quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter hodie trecentos reddidiſſet. Contremuit Diaconus, ſecretum reatus ſui innotuiſſe Pontifici.

Vide benignitatẽ eius in pauperes.

De operibus pietatis eius, & aſini ſui ſuſcitatione.

Cap. XIIII.

IDem ſanctus dum Alpes Italiæ conſcenderet, quibuſdam mercatoribus aſſociatus, vidit inter alios quendam claudum & ſenem, qui torrentem tranſire non poterat de montibus decurrentem. Huius faſcem vir ſanctus arripiens proprijs humeris tranſportauit, ipſum quoque ſenem iterato tranſitu ſubiecta ceruice tranſpoſuit. Ecce mira virtus charitatis, quæ ſancto viro tantam vim contulit, vt quem tanta ieiuniorum inedia fatigabat, quem continui itineris fatigatio diſtrahebat, qui denique ſemetipſum ferre vix poterat, cum etiam eſſet perſona tam nobilis, ruſticum ætate & debilitate grauiſſimum, faſce prius tranſpoſito, ſanctis humeris vectitaret.

Nota eximiam humilitatem tanti viri.

Cum autem Rauennam peruenisſet, vbi tunc Petrus Pontifex eccleſiam Chriſti apoſtolica inſtitutione gubernabat, diu cum deſiderio expectatus excipitur. Occurrunt principes, ambiunt proceres, eccleſia cum cum exultatione amplectitur. Sed & regina venerabilis Placidia, quæ cum filio ſuo Valentiniano Romanum regebat imperium ad Sacerdotis diuerſorium vas argenti ampliſſimum, cibis delicatioribus refertum, ſine vlla carnis admixtione tranſmiſit. Quod ſuſceptum ipſe ita diſtribuit, vt cibos miniſtris ſuis traderet. Ipſe vero argentum vendicaret, remittens loco muneris patenulam ligneam panem hordeaceum continentem. At illa cum ingenti gratulatione vtrumque complexa eſt, quod & argentum ſuum tranſmiſiſſet ad pauperes, & illam eſcam beati viri cum miniſterio abiecti vaſculi ſuſcepiſſet, nam, & lignum auro poſtea ambijt, & panem multis remediis ac virtutibus reſeruauit.

Nota admirabilem cibi abſtinẽtiam. Petrus epiſcopus Rauẽna, cognomẽto Chryſologus.

Nota quanta fecit regina vaſculũ ſancti viri.

Cum autem Rauennæ moram faceret, ibi, & mortuũ ſuſcitauit, & multis miraculis eius fama refulſit.

In illa ſiquidem Rauenna cum eum Regina Placidia, ad prædictum vel ad aliud conuiuium euocaſſet, & ille humiliter annuiſſet, ſenio, ieiunijs, vigilijs, laboribusque confectus, ab hoſpitio ſuo vſque ad palatium aſino deferente portatus eſt. Cum ergo inter epulas miniſtri ſecreto Reginæ dixiſſent; aſinum ſancti Germani repente defunctum, & illa tacere iuſſiſſet; miræ manſuetudinis equum vice aſini ſancto præſentari præcepit. Quem ille intuens; Meus, inquit, mihi aſinus præſentetur, quia qui me huc attulit, reportabit. Pergensque ad cadauer diſtenſum; Surge, inquit, Muſcio, reuertamur hoſpitio: ſtatimque ſubſiliens, ſemetipſum concuſſit, & quaſi nihil mali paſſus eſſet, Germanum alacriori virtute portauit.

Mortuum reuocat ad vitam.

Aſinũ ſuum repente mortuum ſuſcitat.

De tranſitu, & exequijs eiuſdem.

Cap. XV.

SEd antequam de vrbe Rauenna exiret, quadam die matutinali ſolennitate perfecta, dum cum epiſcopis ſermonem de religione conferret triſtiſſimam protulit mentionem, dicens: Commendo vobis, fratres chariſſimi, tranſitum meum, videbar mihi per nocturnum ſoporem à Domino viaticum peregrinationis accipere. Factum eſt autem poſt aliquot dies cum ingraueſcente incommodo, migraret ad Dominum, capſulam cum reliquijs regina ſuſcepit. Cucullam cum cilicio Petrus epiſcopus vſurpauit. Cæterorum antiſtitum vnus accepit pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo ſagulum diuiſerunt, vt aliquid monumenti ex ſucceſſione haberent ſanctitatis. Corpus autem in Galliam ad vrbem ſuam relatum eſt, ſicut adhuc viuens petierat à Regina Placidia.

Prædicit obitum ſuum.

Feliciſſime decedit beatus vir.

Eius ſancta hæreditas deuiditur.

Cumque ad vrbem Vercellenſem portitores venirent, ſanctus Euſebius eiuſdem vrbis epiſcopus comperto ſancti Germani deceſſu, eccleſiã quam ei ſanctus Germanus cum rediret, dedicare promiſerat, eam dedicaturus ſolenniter ingreſſus, cereos accendi iuſſit. Sed miniſtri eos admota flamma accendere non valebant, licet id ſæpius attentarent. Quod videns ſanctus Euſebius intellexit dedicationem aut in aliud tempus debere differri, aut alio epiſcopo reſeruari. Interea ſacri funeris pompa venire narratur, & obuiãtibus ei cunctis per manus ſancti Euſebij in prædictam eccleſiam inducitur, & ſtatim omnes cerei diuinitus inflammantur. Tunc ſanctus Euſebius promiſſionis ſancti Germani meminit, & quod viuens ſe facturum promiſerat, mortuum feciſſe cognouit. Vnde feſtum diem populo indicens ad altare acceſſit, & quanto altius potuit, *Gloria in excelſis* decantans, poſtea ſacras exequias celebrauit. Itaque corpus ſancti Germani cum multa deuotione, & frequentia populorum à propriis ciuibus kalen. Octobris excipitur, & honorifice ſepelitur.

Funus honorifice curatur.

Nota miraculum de luminibus.

Obijt autem anno domini* 450. epiſcopatus ſui 30. Siquidem tres mortuos ſuſcitauit. Vnum quando Aurelianum tranſiens à ſancto Aniano Epiſcopo totiusque populi concurſu reuerenter exceptus, mortuum iam elatum obuiam habuit, quem mox virtute precis vitæ priſtinæ reformauit: alterum vero cum apud Italiam præfecti filium, quem vis febrium extinxerat, reuocauit ad vitam tertium vero diſcipulum ſuum.

** Ita Sigebertus in chronicis. Tres mortuos ſuſcitauit.*

De Sancto Lupo Treẽſi, & Petro epiſcopo Rauennenſi.

Cap. XVI.

EX *geſtis eius.* Porro ſanctus Lupus Leucorum familiæ primus fuit, cui glorioſæ memoriæ Pimeniola ſancti Hilarij Arelatenſis epiſcopi germana, coniux fuit vij. annis coniugij ſe ad conuerſionem hortatu mutuo, contulerunt. Tunc ille relictis omnibus ſanctum Honoratum Abbatem Lirinenſem expetijt, cuius inſtitutioni ceruice ſubdita, omnium vigiliarum abſtinentiarumque dogmatibus inſtitutus eſt. Poſt annum vero regrediens, vt quæ ſibi remanſerant, pauperibus eroganda diſtraheret, ad vrbis Tricaſſinæ illico Pontificatum raptus eſt, vbi populum viam ſalutis docens, clerumque ſtrenue gubernans, poſt biennium cum ſancto Germano in Britanniam perrexit. In quo itinere ſignorum mirabilibus cunctis admirationi fuere. Nec longe poſt cum per Gallias vbique diffuſus premeret Hunnorum exercitus Tricaſſinam vrbem patentibus campis expoſitam, nec armis munitam nec muris; vir ſanctus recurrens ad nota præſidia, ſola ad Deum interceſſione, & prece interpoſita, ſuperno auxilio defendit. Multis quoque alijs miraculis claruit. Nam, & mulierem paralyticam ſanauit, puellã impulſu

Sanctus Lupus ſuſcipit habitum in monaſterio Lirinenſi.

Anno 429.

Hunni vaſtãt Gallias.

S. Lupus precibus ſuis tuetur vrbem.

dæmonis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dæmonis mutam, ſigno crucis impoſito, liberauit, & alios plures ægros ſanauit. Annis ferme 25. expers lectuli, iacendi laborem ſuperpoſitus tabulæ ſuſtinuit, cui indumentum non niſi cilicij conſuetudo fuit, vnius tunicæ ſemper vſu contentus, in orationibus peruigil alternis noctibus perdurabat, biduanis ieiunijs defatigato corpuſculo, iuuentutis incentiua proſternens, fletibus ora, futuris intentus, indefeſſe rigabat. Cæterum, quæ fuerint eius facta, ex ſcholis eiuſdem diſcipulorum virtutis exempla docuerunt. Nam in ſancto Polychronio Virdunẽſi epiſcopo curationum gratia perlucebat, ſanctum Seuerum Treueris ordinatum Germaniæ gentibus prædicantem, apoſtolorum non ambigimus ſocietate permixtum. Sanctus autem Lupus 52. annis ſacerdotio functus, ſpiritum emiſit ad cœlum.

Eius cubile, veſtis, vigilia, ieiunia.

Eius aliquot inſignes diſcipuli.

Petrus Chryſologus Rauennenſis epiſcopus.

Author. Extant vero ſermones elegantes ſancti Petri Rauennatis epiſcopi, ex quibus excerpta plurima opuſculis noſtris inſerui.

ANNOTATIO.

S. Lupi vitam ex MS. codicibus Surius tomo 4. edidit. Memineruns eiuſdem Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum cap. 67. & 68 & Sidonius libi 6. epiſtola 1. & Beda lib. 1. hiſtor. cap. 17. & etiam Conſtantius in vita S. Germani.

De vita ſancti Mamertini Abbatis.

CAP. XVII.

Hanc hiſtoriam inueniet lector in vita S. Germani quæ extat apud Surium.

EX geſtis eius. Eo quoque tempore fuit ſanctus Mamertinus, qui quondam paganus, cum idola coleret, vnum oculum perdidit, & alterius manus ariditatem incurrit. Qui cum ſe Deos offendiſſe putaret, & ab eis veniam iugiter imploraret, quadam die dum iret ad templa Deorum obuiauit ei quidam nomine Sauinus, tonſus capite & habitu religionis amictus. Qui dum eum requireret, vnde ei talis infirmitas accidiſſet, reſpondit: Deos noſtros offendi, & ideo ſemper eos cum lachrymis rogo, vt mihi reconciliati, quæ abſtulerunt irati, reforment propitij. Tunc ille: Erras, inquit, dæmones Deos putans: ſed fac quod dixero tibi. Si vis in oculo & manu ſanari, vade ad ſanctum Germanum Antiſiodorenſem epiſcopum, & ſi conſilio eius acquieueris, continuo ſanus eris. Qui ſtatim iter arripiens, venit ad ſepulchra ſancti Amatoris epiſcopi, & aliorum ſanctorum, & cogente pluuioſa nocte receſſit illuc ad quandam cellulam ſuper tumbam ſancti Corcodomi collocatam. Et cum fatigatus itinere obdormiſſet, apparuit ei viſio mirabilis, quod quidam vir pulcherrimus venit ad oſtium cellæ illius, & vocauit ſanctum Corcodomum Diaconum vt veniret ad feſtum, quod ſanctus Peregrinus, & ſanctus Amator cum alijs epiſcopis faciebant. Cui ille reſpondit de tumulo: Non poſſum modo ire, quia hoſpitem habeo, quem me oportet cuſtodire, ne à ſerpentibus, qui hic ſunt, occidatur. Abijt ille nunciare quod audierat, & reuerſus eſt dicens: Sancte Corcodome ſurge & veni, & adduc tecũ Iouianum ſubdiaconum, & Iouinianum lectorem, & faciant officium ſuum. Alexander enim qui tecum eſt, cuſtodiet hoſpitem, tuum. Viſumque eſt ita ſancto Mamertino, quod ſanctus Corcodomus apprehenſa manu eius duxit eum ſecum & oſtendit ei ſanctum Peregrinũ & ſanctum Amatorem, & duos alios epiſcopos. Et cum ijſſet ad eos ſanctus Corcodomus, dixit ei ſanctus Amator: Quis eſt ille qui tecum eccleſiam ingreſſus eſt? Qui reſpondit: Hoſpes meus eſt. At ille: Expelle, inquit, eum à nobis, quia pollutus Idolis nobiſcum eſſe non debet. Qui cum expelleretur, proſtratus coram eis impetrauit gratiam ſancti Amatoris: Qui iuſſit ei vt iret ad ſanctum Germanum.

Mamertinus feruentiſſimus damonum cultor.

Requieſcit ſuper ſarcophagum S. Corcodomi. Viſio offertur Mamertino.

Mamertinus deſtinatur S. Germano epiſcopo vt ab eo inſtituatur.

Mox ergo euigilans, & viſione certificatus venit ad eum, & procidens ante eum veniam poſtulabat. Et cum ei cuncta ita narraret, perrexerunt ſimul cum multis alijs ad tumbam ſancti Corcodomi vbi ſerpentes erant, & remoto lapide, viſi ſunt ſerpentes 8. quorum vnus 10. pedum longitudinem excedebat: & cum aſtantes præ timore diffugerent, beatus Germanus ſtans immobilis iuſſit eos illuc ſecedere, vbi nulli poſſent omnino nocere. Et poſt hæc baptizatus eſt, & ſanatus ſanctus Mamertinus, & factus eſt monachus monaſterij ſancti Germani, & poſtea fuit Abbas ipſius Eccleſiæ poſt ſanctum Alogium.

Mamertinus baptizatur & fit monachus.

De ſancto Mariano Monacho.

CAP. XVIII.

TEmpore ſancti * Alogij ſucceſſoris ſancti Germani, circa annum Domini 480. ſanctus Marianus, de territorio Bituricenſi venit ad monaſterium ſancti Germani tractus opinione ſanctitatis, quæ adhuc inibi redolebat. Cumque ibi toto deſiderio recipi poſtularet, & receptus, in breui veteranis Monachis ſanctitatem imitabilem ſe præberet, ſanctus Mamertinus tunc Abbas volens probare obedientiam eius, vilius ei monaſterij commiſit officium, paſtorem eum conſtituens Bucularum. Cum ergo iuſſu Abbatis in quadam ſilua quæ erat prope villam, quæ dicitur Miciglis, vel Meſigles, boues & vaccas libentiſſime cuſtodiret, tanta ſanctitate pollebat, quod etiam aues ſilueſtres ad ſe venientes manu propria nutriebat. Vbi die quadam cum eſſet in nemore, canes eius aprum latratibus excitantes, cum iam eum grauius perurgerent, fugit ad cellam ſancti Mariani, qui vbi canes latrantes audiuit, deſertis bobus illuc properas, & canes compeſcuit, & aprum incolumem abire permiſit.

* *Aliàs Alodij.*

Marianus fit monachus ſub S. Mamertino

Huius ſancti geſta cõpendioſe conſcripta reperies apud Petrum de Natalibus l. 4. cap. 105.

Quidam latrones cum eũ in campo expoliaſſent, veſtem eius ſecum ferentes abierunt, ſolum ei palliolum dimiſerunt. Qui ſtatim clamauit poſt eos dicens: Reuertimini Domini mei, ecce denarius in meo pallio colligatus, qui vobis forſitan erit neceſſarius. Qui protinus reuerſi cum pallium cum denario rapuiſſent, eum nudum penitus dimiſerunt. Sed cum feſtinantius ad ſuas latebras properarent, in ipſo crepuſculo ad oſtium cellæ eius inuenti ſunt. Quos ille in cella ſua benigne recepit, & pedes eorum lauans, hoſpitalitatem quantam potuit miniſtrauit, vnde cunctis facti ſui pœnitentibus, vnus eorum ad fidem conuerſus eſt.

Latronibus hoſpitalitatẽ prabuit, & vnum ex ijs ad Chriſtum conuertit.

Adhuc de miraculis, & tranſitu eiuſdem.

CAP. XIX.

QVodam etiam tempore monachi cum ei ad boum cuſtodiam fuerant deputati, inuenili voluntate vrſam quandam cum catulis quæ vitulis eorum inſidiabatur laqueis & ingenio capere voluerunt. Cumque illi nocte laqueos pertẽdiſſent, & vrſa in eos irruens teneretur, ſanctus Marianus hoc præſciens de lecto ſurrexit, & eam inueniens dixit ei: Quid facis hic miſera, fuge cito ne capiaris. Et ſtatim illa humiliter & manſuete diſceſſit. Marianus vero monachos excubantes inueniens, increpauit, & vrſam quam capere cupiebant, incolumen redijſſe nunciauit. Solebat autem ſingulis dominicis ad propinquam eccleſiam proficiſci. Quadam itaque die iuſſit vni ex monachis ſecum ire. Cui ille: Non, inquit, hodie, quia debeo ad menſam fratribus miniſtrare. Tunc iuit cogente imperio ſancti viri, ſed cum eſſent in eccleſia finito euangelio ſtatim foras egreditur, & aſcendens equum ſuum ad domum redire citius nitebatur, ſed cum equum inde mouere non poſſet, licet eum dure calcaribus perurgeret, intelligens cauſam, confuſus redijt ad eccleſiam, & finita miſſa dixit ſanctus Marianus: Dic mihi, frater, perrexiſti vbi volebas, qui me relicto diſcedere cupiebas, ecce equus obediuit Deo, cui tu repugnabas.

Vrſam laqueis comprehenſam liberat.

Adueniente die Paſchæ rogabant eum fratres, vt diem Paſchæ in Fontaneto monaſterio celebraret, quod cum feciſſet, ſequenti die corripitur dolore febrium, & quarta feria migrauit ad Dominum. Quem

Fratrem inuitum ſecũ duxit ad eccleſiam, qui exinde non valebat cum equo progredi ſine ſancto Mariano.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dum portitores veherẽt ab Antisiorum, in quadam villa existentes, moueri inde penitus nequiuerunt; donec quidam qui erat pro suis malefactis in carcere compeditus, fractis catenis & aperto carcere liber exiens, venit ad corpus, & cum alijs portauit vsque ad vrbem. Qui cum processione episcopali solenniter exceptus, in ecclesia sancti Germani est sepultus.

De Sanctis episcopis Eucherio Lugdunensi, & Hilario Arelatensi.

CAP. XX.

Author. Porro sancti episcopi Eucherius Lugdunẽsis, & Hilarius Arelatensis, quos eodem tempore cũ sancto Germano Antisiodorensi floruisse iam supra diximus, ambo viri nobilissimi fuerũt, & eloquẽtissimi. *Eucherius epiſcopus.* Eucherius ex nobilissimo senatorum genere inter speluncam inclusus, reuelante Angelo Pontifex factus est: cuius natalis est 16. Calen. Decembris. Hilarius multos sermones ad populum splendidissimos composuit, cuius Natalis est 3. Nonas Maij. Sancti vero Honorati. Calen. Februarij.

Eucherij scripta extãt in nona Bibliotheca Patrum. Eucherius, vt ait Gennadius, scripsit ad Valentinianum propinquum suum de contemptu mundi, & sæcularis philosophiæ epistolam vnam, scholastico & rationabili sermone: & aliam ad personam filiorum Salonij & Veroni postea episcoporum obscuram. Sed & sancti Cassiani quædam opusca lato tensa sermone, angusto verbi reuoluens tramite, in vno coegit volumine: quæ tam ecclesiasticis quam monasticis studij sunt necessaria. Moritur, inquit, Valentiniano & Martiano regnantibus.

Hilarius epiſcopus & eius ſcripta, qua etiam extant in prædicta Bibliotheca. *Idem quoque Gennadius de Beato Hilario ita scripsit:* Hilarius Arelatẽsis episcopus, vir in sanctis scripturis doctus, & paupertatis amator: & erga inopum prouisionem, nõ solũ pietate mentis, sed & corporis sui labore sollicitus. Nam pro reficiẽdis pauperibus etiam rusticitatem cõtra vires suas, homo genere clarus, & longe aliter educatus, exercuit, sed nec in spiritualibus laborare neglexit, nam & in docẽdo gratiam habuit, & absque personarum acceptione omnibus castigatũ opus prædicationis ingessit. Ingenio vero morali aliqua etiam parua edidit quæ eruditę animæ, & fidelis linguæ indicio sunt: in quibus præcipua & ad multorum vtilitatem necessaria opera vitam sancti Honorati prædecessoris sui composuit. Moritur Valentiniano & Martiano regnantibus.

De sancto Honorato Arelatensi epiſcopo, & eius primordijs.

CAP. XXI.

Hilarius in ſermone de vita & morte S. Honorati. Hic Honoratus in adolescentia baptismum arbitratu proprio concupiuit, & maturo consilio sanus mortem expauit. Itaque adhuc cathecumenus lasciuiam respuebat, clericos vt patres honorans, & puerili interdum sensu pauperem iuuans. *Expetit baptiſmum adoleſcens Honoratus.* Hunc iam baptizatum pater eius terrenę pietatis suspicione sollicitus timens sibi à Christo præripi, conatur eum studijs iuuentutis illicere, venatibus & ludis, varijsque mundi voluptatibus irretire, demum fastidiebat adolescens, quo grandeuus oblectabatur pater, tali se semper adhortatione cõpellens. *Delectat hæc vita, sed decipit.* Itaque conuersus, iugo Dominicæ seruitutis se subdidit, intelligens summum esse captiuitatis genus licentiam iuuentutis.

A Baptiſmo dat ſe vita religioſa. Tonsus igitur capillis & veste mutata, sic repente totus, ex alio alius ostenditur, vt non aliter pater eius quã se orbatum filio lamentaretur. Occurrit, renititur, comminatur, nec tamen vllo horum pueritia Deo freta concutitur. Tyroni suo Dominus consolator astitit, eiusque vnum ex germanis suis in collegium suscitauit, qui eius exemplo conuersus, senioriuniorem secutus est. *Parens eum nititur mundi vanitatibus implicare.* Cumque multis virtutibus emicarent, & omnem simul patriam adornarent, cæpit alter alterum laudi obijcere, & gloriæ exponere. Sed dum vnusquisque sub vmbra alterius obscurari volebat, tanquam repercussa claritas vtrumque radiabat. Gloriam itaque suam pauentes, quam in hac vita per mercedem se percepisse putabant, & humanam conuersationem, & gratiam fastidientes eremi amore flagrabant.

In eremum ſe fratres recipiunt. Omnibus igitur erogatis, de terra sua exeunt, & ne quid iuuenili ausu temere ab eis inceptum putaretur, senem perfectæ grauitatis sanctum Capuasium ætatis suæ custodem assumunt. Quæritur ergo latebra peregrinationis, fugitur fama virtutis, at vbicumque itur, ibi alia, vellent nollent, fama patiebatur.

De vita eius monastica, & epiſcopatu eiusdem.

CAP. XXII.

S. Honoratus ingreditur Lirinenſem inſulam. Denique Germano suo in Christo viro Venatitio defuncto, sanctus Honoratus, ad eremum vrbi Arelatensi propinquam peruenit, vacantemque insulam ob immietatem squaloris, & inaccessam venenatorum animalium frequentiã petijt propter secreti opportunitatem. Ingrediente eo fugit horror solitudinis, cedit turba serpentium, ibique multis ad eum confluentibus, factus est pater multorum monachorum, multisque admirandis virtutibus fulgens, de aduenis quoque & peregrinis recipiendis magno opere sollicitus erat, & pauperibus largiter erogans, nihil sibi suisque præter victum præsentium dierum ac vestitum reseruabat. *Eximia eius liberalitas & fiducia in Deum.* Exhausta est aliquando dispensationis substantia, fides nunquam. Vnde quadam vice cum vnum iam ex multis millibus aureorum arca profluа ac munifica retineret, hunc ipsum etiam in multarum rerum defectu constantissime pauperi dedit, & mihi atque alijs astantibus ait: Certum iam est appropinquare qui deferat. Vix trium aut quatuor horarum spacium transierat, & mox qui verbis suis fidem faceret occurrit. Mei quoque gratia patriam, quam fastidierat, accessit, meque durum & indomitum vix tandem suis pijssimis exhortationibus simulque lachrymis, ac precibus ad Deum conuertit, secumque ad eremum perduxit. Et primum quidem lacte, postea cibo sapientiæ nutriuit. *Hilarij lucrandi gratia qua fecerit.* Tandem in hac ecclesia dum regnum accepisset, sub illo floruit Christi ecclesia, sicut monasterium ante floruerat. Somno tandem vltimo excipitur, multorum interea varijs visionibus somnus concutitur, quorum facies erat, quod scilicet illi sancto occurrerent officia sanctorum. *Geſta huius ſancti copioſius habes in eius vita quæ extat apud Surium.* Et vere ille in eodem mediæ noctis puncto ecclesiam in occursum sancti corporis conuentus impleuit, vt non nisi Angelicis nuncijs suscitatus putaretur. Sicque cum honore sepulturæ traditur.

De ſancto Patricio Hibernorum epiſcopo.

CAP. XXIII.

An. Chriſti 432. Sigibertus *in chronicis.* Eo tempore Cælestinus Papa ad Scotos in Christum credentes Palladium mittit episcopum, post quem ab eodem missus est sanctus Patricius ad eos, genere Brito, filius Conches sororis sancti Martini. *Scothi pro Hibernis ſæpe ſumũtur.* Qui in baptismo quidem dictus est Suchat, à sancto Germano Magonius, à Cælestino vero Patricius à quo Scotorum Archiepiscopus ordinatus per annos 60. sanctitate, signis, & doctrina excellens totam insulam Hiberniæ conuertit ad Christum.

Author. Hæc Sigibertus: Legitur tamen quod idem Patricius Magonius cognominatus sit, & apud Scotos porcarius primum fuit: Inde liberatus Romam adijt, sacras literas affatim didicit. Palladio autem episcopo defuncto quem Cælestinus Papa ad Scotos miserat, mittitur cum Germano Patricius & Hibernorum episcopus ordinatur. Auxilius autem & Seruinus cum eo in inferiori gradu ordinati sunt.

Præter virtutes reliquas quas fecit 60. mortuos suscitauit,

S. Patricius Apostolus Hibernia.

tauit, captiuos multos proprijs sumptibus redemit: ecclesias 365. fundauit, & totidem episcopos ordinauit, Presbyterorum 3. millia consecrauit, 12. millia hominum baptizauit, 7. reges filios Almogith vno die baptizauit, 40. diebus, & 40. noctibus in vertice montis vt Helias ieiunauit, 80. annis in Hibernia prædicauit, 120. vixit, & sepulchrũ eius non inuenitur. Completo in Helia 40. dierum & noctium ieiunio, tres petitiones pro Hibernensibus fecit eo quod fidem recepissent. Primam, vt vnusquisque credentium, petentium etiam in extremo vitæ suæ statu veniam susciperetur. Secundam ne Hibernia à Barbaris in æternum consumeretur. Tertiam, ne aliquis Hibernensium superuiuat in aduentu iudicis: Hinc pro honore sancti Patricij delenda dicitur 7. annis ante iudicium. In colle Hibernensium podulo benedixit, & pro eo orauit. Ibi aues multicolores innumerabiles ad eum venerunt, vt benediceret eis, quibus signantur quique fideles, qui per eum conuersi sunt ad dominum.

De baculo Iesu sibi dato, & purgatorio sibi ostenso.

Cap. XXIIII.

VErum in primis cum præfatam gentem admodum bestialem, & terrore tormentorum, & amore gaudiorum ab errore conuertere voluisset, dicebant ad Christum se nunquam conuertendos verbis eius, vel miraculis, nisi aliquis eorum & tormenta illa malorum, & gaudia beatorum intueri posset, vt rebus visis certiores fierent quam promissis. Cumque ille etiam tunc pro salute populi ieiunijs, & orationibus deuotior fieret, apparuit ei pius Dominus Iesus visibiliter, dans ei textum Euangeliorum & baculum. Quæ hucusque pro magnis preciosisque reliquijs in Hibernia veneratione habentur, ac pro signo summi præsulatus id est archiepiscopatus illius patriæ cuilibet habenti hæc reputantur. Ipse quoque baculus, pro eo quod illum dominus Iesus dilecto suo Patricio contulit, *baculus Iesu cognominatur.*

Christus S. Patricio apparet.

Vulgatam hanc de purgatorio S. Patricij historiam auctor qui Bedæ assuitur, non habet.

Itaque dominus eundem sanctum in locum desertum deduxit, & quandam foueam rotundã intrinsecus obscuram ostendit ei, dicens: Quia quisque veraciter pœnitens, & vera fide armatus, fossam eandem ingressus, vnius diei ac noctis spacio moram in ea faceret, ab omnibus peccatis suis purgaretur: & per illam transiens, non solum tormenta malorum videret, sed etiam gaudia beatorum. Sicque Domino ab oculis eius disparente, lætus statim in eodem loco ecclesiam construxit, & beati patris Augustini canonicos in ea constituit. Fossam autem quæ est in cæmeterio, extra frontem Ecclesiæ muro circumdedit, & ianuas seraque apposuit, ne quis eam temere & sine licentia ingredi præsumeret. Clauem vero custodiendam Priori eiusdem Ecclesiæ commendauit. Ipsius autem beati patris tempore multi pœnitentia ducti, fossam ingressi sunt, qui regredientes, & tormenta maxima se perpessos, & se vidisse testati sunt, quorum relationes iussit beatus Patricius in eadem ecclesia notari. Eorum vero attestatione, cœperunt alij prædicationem beati Patricij suscipere. Et quoniam à peccatis ibidem homo purgatur, locus ille Purgatorium sancti Patricij nominatur, locus autem ecclesiæ regalis dicitur.

Purgatorij S. Patricij historia non recipitur ob rationẽ Vincentij, verum si dicatur (vt à quibusdam de illis partibus asseritur) quod post mansionem in illo loco purgatorij per aliquod tempus breue in quo sustinent magnas pœnas & lasiones à dæmonibus, tantũ per imãginationẽ, inde egressi in mundo viuant vt alij, & per illas pœnas purgatorij satisfaciant pœnis debitis pro peccatis, nullum videtur sequi inconueniens.

Verum historia hæc à multis non recipitur, propter illud maxime, quod ibi dictum est animas à purgatorio liberatas, non statim ad cœlum euolare, sed in paradiso terrestri tanquam in loco quietis intermedio temporaliter commanere, & inde statuto tempore, ad cæli palatia transmeare, cum econtra nullus credatur locus esse medius animarum inter purgatorium & cælestem paradisum.

De Petronio Bononensi & scriptis eius.

Cap. XXV.

EOdem tempore fuit Petronius Bononiensis Italiæ ecclesiæ episcopus vir sanctæ vitæ, & monachorum studijs ab adolescentia exercitatus. Hic scripsisse putatur vitas patrum monachorum Ægypti, quem velut speculum ac normam professionis suæ monachi amplectuntur.

Legi, inquit Gennadius, sub eius nomine de ordinatione episcopi, ratione & humilitate plenum tractatum, quem lingua elegantior ostendit non ipsius esse, sed vt quidam dicunt, patris eius Petronij eloquentissimi & eruditissimi in sæcularibus literis viri. Nam & præfectũ prætorij se fuisse in ipso tractatu designat. Mortuus est Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Author. De quodam libro Petronij partim metrico, partim prosaico, pauca hæc moralia quæ sequuntur excerpta notaui.

Petronius.

Quid faciunt leges vbi sola pecunia regnat?
Aut vbi paupertas vincere nulla potest.
Iam nunc iudicium nihil est, nisi publica merces.

Prosa Tutius est paruo ære rem perditam recuperare, quam in ambiguam litem descendere.

Periculosum est alienis interesse secretis

Versus Non bibit inter aquas poma aut pendentia carpit
Tantalus infælix, quem sua vota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit omnia cernens,
Qui tenet, & sicco conquirit ore famem.
Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est.
Nil erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus dum licet esse bene.
Omnes opertis oculis bona sua computant:
Cum fortuna manet vultum seruatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Ex Petronio arbitrio hæc desumpta sunt.

Prosa Vanam facit mixturam cum sapientia forma. Ego sic semper & vbique vixi vt vltimam quamque lucem tanquam non redituram consumam. Quid non commune est, quod natura optimum fecerit? Nescio quomodo bonæ mentis est soror paupertas. Nihil tam arduum est, quod non improbitas extorqueat. Ingeniosa gula est.

Versus Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertit.
Venalis populus, venalis curia primum.
Ipsaque maiestas auro corrupta tacebit.
Quærit se natura nec inuenit omnibus ergo.
Scorta placent, fractique nerui serpere gressus.
Et laxi crines, & tot noua nomina vestis.
Quisquis habet nummos secura nauigat aura,
Fortunamque suo temperat arbitrio.
Carmina componit, declamat, concrepat omnes:
Et peragit causas fitque Catone prior:
Parua loquor, quod vis nummis præsentibus opta
Eueniet clausum, possidet arca Iouem.
O maxima rerum,
Et merito pietas homini mitissima virtus.

De cæteris eiusdem temporis doctoribus, & scriptoribus.

Cap. XXVI.

EOdem tempore fuit Cælestinus quidam qui antequam ad Pelagium concurreret, imo adolescens scripsit ad parentes suos, de monasterio suo epistolas in modum libelli, tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias: morales siquidem in eis dictiones; nihil vitij postmodum proditi, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit.

Ex Gennadio de viris illustribus.

Fuit & tũc Iulianus episcopus Capuanus vir acris ingenij in negocio, in diuinis scripturis doctus, in Græca & Latina lingua scholasticus. Prius ergo quã impietatẽ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Iuliano Capuano Pelagiano ex eodem Gennadio.

Pelagij [in se aperiret, clarus in doctoribus Ecclesiæ fuit. Postea vero hæresim Pelagij] defendere nisus, scripsit aduersus sanctum Augustinum impugnatorem illius, libros 4. & iterum libros 8. Est & liber altercationis ambarum partium. Hic Iulianus eleemosynis tempore famis,& angustię indigentibus omnibus prorogatis suis,multos nobilium miserationis specie præcipueque religiosorum alliciens, hæresi suæ sociauit. Mortuus est Valentiniano Constantij filio regnante.

Paulinus Nolanus episcopus.

Florebat etiam tunc Paulinus Nolanus episcopus, qui multa composuit versu breuia, & ad celsum quendam epitaphij vice consolatorium libellum,super morte Christiani & baptizati infantis, spe Christiana vnctum, & ad Seuerum plures epistolas, & ad Theodosium Imperatorem ante episcopatum Panegyricum super victoria tyrannorum, eo maxime quod fide & oratione plusquam armis vinceret. Fecit & de sacramento hymnos. Ad sororem quoque epistolas multas de contemptu mundi, & de diuersis causis diuersas disputationes tractatus edidit. Præcipuus tamen omnium eius opusculorum liber est de pœnitentia & de laude generali omnium martyrum. Claruit temporibus Honorij & Valentiniani non solum obseruatione & sanctitate vitæ,sed etiam potentia aduersum dæmones.

Eutropius presbyter.

Scripsit eodem tempore Eutropius presbyter ad duas sorores ancillas Christi, quæ ob deuotionem pudicitię & amorem religionis exhæredatæ fuerant à parentibus,epistolas in modum libellorum consolatorias eleganti & aperto sermone duas, non solum ratione sed etiam testimonijs scripturarum munitas.

Vigilius.

Scripsit & tunc Vigilius Diaconus ex traditione Patrum monachorum regulam,quæ in cœnobio ad profectum fratrũ in conuentu legitur, breuiate & aperto sermone totius monasticæ professionis tenentem in se disciplinam.

Victorinus Rhetor.

Scripsit & tunc Victorinus Massilienſis rhetor in Genesim à principio libri vsque ad obitum Abrahæ Patriarchæ, & quatuor edidit libros, Christiano quidem & pio sensu,sed vtpote sæculari literatura occupatus homo,& nullius magisterij in diuinis scripturis exercitatus,leuioris ponderis sententias figurauit, Mortuus est Theodosio & Valentiniano regnantibus.

De quibusdam illius temporis accidentibus.

Cap. XXVII.

Igebertus in chronicis. Apud Persas hoc tempore Christianitas dilatata est,nam Maruthas episcopus legatione ad eos functus,filium Sdigerdis regis orando à dęmonio liberauit, per quod quidem maior gloria fidei accreuit,at contra ab inimicis Dei grauior in Christianos persecutio exarsit. *An. Christi 438.*

Eudoxia Augusta vxor Theodosij Hierosolymam ex voto properauit, & inde reliquias protomartyris Stephani,& duas catenas, quas Angelus de manibus Petri Apostoli disiecit,Dei nutu attulit, eisque adiuncta catena,qua etiam Romæ Petrus vinctus fuit, triadem fecit, & inde cum consilio Romani præsulis, solemnitatem sancti Petri, quæ dicitur, *Ad vincula*, Romæ instituit Calend. Aug. id eo maxime vt populum reuocaret à gentilis superstitionis pompa,quod adhuc solennizabat in hac die ciuitas,ex ritu gentili,pro victoria Octauiano Augusto collata. *Institutio festi S. Petri ad vincula.*

Diabolus Iudæos, in specie pseudoprophetæ, Moysen se esse mentientis,seduxit, & promittens se in terram repromissionis eos reducturum, ad mare transfretandum adduxit, ibique eorum multos multis modis perire fecit. Quæ res multis eorum hoc periculo erutis, credendi in Christum profuit.

De obitu sancti Augustini Hipponensis episcopi.

Cap. XXVIII.

Anno eorundem Imperatorum 13, Vuandali in-uasam Africam deuastant omnimodis: Sub hoc turbine tribulationis, sanctus Augustinus migrauit ad dominum 13. mense obsidionis suæ vrbis, anno ætatis suæ 75. Clericatus, vel episcopatus 40. qui tanta scripsit, vt nullus libros eius in omni tempore vitę suæ, non solum scribere sed ne legere quidem valeat. *An. Christi 440.*

Ciuitas enim per 14. menses obsessa est à barbaris, quia verò prædicandi facultas ei non erat, coepiscopos & alios qui tunc forte ad vrbem confugerant, ad pacem commouebat, orans iugiter dominum quatenus aut ei uitatem liberaret, aut se de sæculo vocare dignaretur. Tertio mense obsidionis lecto decubauit, & inter cætetera quibus exitum suum communiebat 7. psalmos pœnitentiales flendo iugiter decantabat. Dicebat enim post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos,absque digna & competenti pœnitentia non debere de corpore exire. Hic non solum clericos,sed etiam laicos ab omni iuramento compescebat. Propter loquacitatem & detractionem, quæ maxime in conuiuijs abundare solet, hos versus in mensa sua scribi fecit. *D. August. 13. mense obsidionis vrbis suæ animã immaculatã Deo reddidit.*

Quisquis amat dictis absentum rodere famam.
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Propter hoc etiam & propter ædificationem, legi semper faciebat ad mensam. Vestes eius,& calciamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida aut speciosa nimium,nec abiecta plurimum. Migrauit autem 13. mense obsidionis vrbis suæ.

De sancto Leone Papa sermologo,& scriptis eius.

Cap. XXIX.

Anno prædictorum Imperatorum 14. Leo Romanæ ecclesiæ 44. præsidet. Hic in homelijs declamandis multum valuit. Hic in canone missæ addidit, *Sanctum sacrificium,& immaculatum hostiam.* Hic quoties rogabatur ab aliquibus, vt eis Apostolorum vel Martyrum reliquias daret, consueuit ad corpora vel memorias Apostolorum vel Martyrum, quorum reliquiæ petebantur, missas celebrare in ipsorum honore, sicque brandeum altaris, quo consecratum corpus domini inuoluerat,particulatim diuidebat,& pro reliquijs Apostolorum vel Martyrum dabat. Vnde si ab aliquibus dubitabatur, cultello pannos illos pungens sanguinem eliciebat:Sic palam cunctis faciens,quod in consecratione mysteriorum Christi,sanguis Apostolorum vel Martyrum, qui pro illo effusus est, intret per diuinam virtutem in pannos illos, & ideo merito illos dari pro reliquijs sanctorum,in quorum honore consecrati sunt. *An. Christi 442.* *Consule Platinam Bar. & alios.*

Author. Hic scripsit epistolas decretales 70. Sermones ad populum 79. vnde & dictus est sermologus. De his autem ad eiusdem sancti viri ingenij prudentis, & eloquentiæ venustatis commendationem, simul etiam ad legentium ædificationem quædam excerpsi, quæ & opusculis nostris per diuersa loca inserui. *Hoc Ioannes Diaconus à D. Greg. factum, testatur in vita ipsius lib. 2. cap. 42.*

De quibusdam euentibus illius temporis,& de Merlino, & eius prophetia.

Cap. XXX.

Igebertus in chronicis. Anno Theodosij & Valentiniani prænotato,corpora Prisci,aliorumque cum eo apud Antisiodorum passorum, Germano episcopo diuinitus reuelantur.

Anno eorundem 17. corpus Ioannis Chrysostomi in exilio defuncti tandẽ Constantinopolim refertur,instan- *An. Christi 444.*

tia

tia Procli episcopi & iussu Theodosij Imperatoris, cum lachrymis orantis, vt veniam daret Archadio patri suo & Eudoxiæ matri, qui eum exsiliauerant: & per hoc finita est dissentio, quæ adhuc erat in ecclesia pro eiusdem Ioannis damnatione.

Constantinopoli, contigit hoc anno ingens terræmotus.

Constantinopolim per 4. menses terræmotu terra fluctuante, quidam coram omnibus orantibus sublatus in aere diuina virtute, admonitus est à diuina voce, vt factis litanijs canerent omnes: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS MISERERE NOBIS, nihil aliud apponentes: quo facto cessauit terræmotus.

De Vortigerio vel Vortigerno rege Anglorum ex lib. Olanfredi Arthuri.

Anno sequenti rex Vortigernus consilio inito cum sapientibus, quid agere deberet, ad tutamen sui, iussit conuenire artifices, vt ei turrim fortissimam construerent. Sed cum opera eorum tellus absorberet, suasum est ei, vt hominem sine patre quæreret, & eius sanguine lapides & cæmentum aspergi præciperet, quasi hoc facto fundamentum stare potuisset. Inuentus igitur adolescens, cui nomen erat Merlinus, qui cum matre sua adducitur coram rege, quæ professa est de spiritu in specie hominis se illum concepisse.

Merlinus conceptus est ab incubo diabolo.

Merlinus autem multa obscura reuelauit, multa prædixit futura: aperuit enim sub fundamento lacum, sub lacu duos latere dracones, quorum vnus rubeus, populum Britonum, alter vero albus, gentem Saxonum designaret, & quis in conflictu suo alteri præualeret. Prædixit Aurelium Ambrosium deuicto Hengisto & combusto Vortigero regnaturum. Fratremque eius Vterpendragonem in regno ei successurum, & vtrumque veneno periturum. Arthurum vero, quẽ Aprum Cornubię vocat, prophetauit, quod ecclesiæ Dei succurreret, quod insulas occidentales sibi subiugaret, quod Gallicanas prouincias possideret, quod Romano exercitui terribilem se exhiberet, & quod exitum dubium haberet. Prænunciauit, quod Archiepiscopatus Londoniarum transferendus esset in Doroberniam, quæ modo Cantuaria nominatur, & quod Eboracensis Archiepiscopus scilicet beatus Samson cum 7. episcopus ad Armoniconam transiret regionem, quę modo minor Britannia nominatur. Prophetauit etiam quod sub Normannorum domino rediginda esset Anglia, & alia plurima quæ vix intelligi possunt donec apparere incipiant. Solet enim spiritus Dei, per quos voluerit mysteria sua loqui, sicut per sibillam, sicut per Balaam cæterosque huiusmodi.

De Arthuro rege Britanniæ.

Num. 24.

ANNOTATIO.

De Merlino historia Scotorum dubie satis loquitur: Sic enim scribit Leslæus in vita Congalli lib. 4. id quod Merlinus vates ex nobili famina (vt dicitur) susceptus illi prædixerat. Porro Merlini huius quicumque sit liber obscurarum prædictionũ omnino inter libros prohibitos à Patribus Concilij Tridentini recensetur, vnde non eum Spiritu Dei plenum, sed potius malo dæmone agitatum scripsisse perhiberem. Cæterum si quis melius certiusque velit intelligere, quis fuerit insula status illo sæculo legat Paulum Diaconum in 14. histor. rerum Romanorum.

De persecutione Vuandalorum in Africa, & de septem dormientibus quomodo se inclusserunt in spelunca.

CAP. XXXI.

Anno Chris. 446.

ANno sequenti Gensericus dolo Chartaginem capit, & omnem Africam sibi subijciens lachrymabili clade potentiam Romani regni deiecit. Hic nihil pensi habens, neque sancti, & infestus cunctis, maxime nobilitati & religioni, omnia diuina & humana exterminauit. Episcopum & omnem clerum ecclesiæ Chartaginensis expulit. Loca sancta aut suorum habitacula fecit, aut Arianis contradidit, & Catholicos vbique persequi iussit.

An. Ch. 447.

Anno sequenti apud Ephesum 7. fratres à Decio Imperatore pro Christo tormentati, in spelunca se clauserunt, & facta oratione ibi obdormierunt, post annos suæ dormitionis circiter centum nonagintaduos ore speluncæ, quod in suo tempore Decius obstruxerat, patefacto, diuinitus à somno surgunt, & asserta fide nostræ resurrectionis coram Theodosio Imperatore, de qua multum dubitabatur, iterum dormiunt in Christo. Nomina autem eorum hæc sunt quæ in baptismo acceperunt. Martianus, Malchus, Maximianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, & Constantinus.

De resurrectionis prædictorum septem fratrum, & de stupefactione Malchi.

CAP. XXXII.

TEmporibus siquidem Theodosij pullulauit hæresis eorum qui negabant resurrectionem mortuorum. Vnde contristatus Theodosius, christianissimus Imperator, quia fidem tam impiè agitari videbat, indutus cilicio sedens in interiori cubiculo per singulos dies flebat. Quod videns misericors Deus consolari lugentes & confirmare spem de resurrectione mortuorum voluit, & thesaurum suæ pietatis aperiens ita prædictos martyres suscitauit. Misit siquidem in cor cuiusdam ciuis Ephesi, vt in illo monte ædificaret stabula pastoribus suis. Cæmentarijs ergo speluncam aperientibus, surrexerunt sancti, & se inuicem salutantes putabant se vna tantum nocte dormisse. Et pridianam tristitiam recordantes, interrogauerunt Malchum qui eis ministrauerat quid de eis Decius decreuisset. At ille respondit sicut dixit sero: Quæsiti sumus, vt Idolis immolemus, & ecce malum de nobis cogitat Imperator. Respondit Maximianus: Deus scit, quod non sacrificabimus. Cumque socios confortasset, iussit Malcho, vt empturus panes ad vrbem descenderet, & plures quam heri panes afferens, quid iussisset Imperator rediens nunciaret.

Hic ciuis vocabatur Adolius. Reuiuiscunt dormientes.

Credebant se vna tantum nocte dormisse.

Tollens ergo Malchus, 5. solidos de spelunca exiuit, & videns lapides miratus est, sed aliud cogitans, parum pro lapidibus cogitauit. Veniens ergo timidus ad portam vrbis, valde miratus est videns superpositum signum crucis. Vnde pergens ad alteram portam idem signum inuenit & vltra modum admiratus est, omnibus portis signo crucis appositis & mutata ciuitate, signans se ad primam portam redijt, se æstimans somniare. Inde se confirmans & vultum operiens vrbem ingreditur, & veniens ad venditores panum, audiuit homines de Christo loquentes. Et amplius stupefactus, quid est, inquit quod nemo heri audebat Christum nominare, & nunc eum omnes confitentur? Puto quod hæc non est Ephesiorum ciuitas, quia aliter ædificata est, sed aliam ciuitatem iuxta nescio. Et cum interrogans, audisset hanc esse Ephesum, errare veraciter se putauit, & redire ad socios cogitauit. Accessit tamen ad eos, qui panes vendebant. Et cum argenteos protulisset, mirati venditores, dicebant ad inuicem, quod ille iuuenis antiquum thesaurum inuenisset. Malchus verp videns illos loqui ad inuicem putauit, quod vellent eum trahere ad Imperatorem, & territus, rogauit eos vt dimitterent panes, & argenteos retinerent. At illi tenentes eum, dixerunt ei: Vnde es tu, quia thesauros antiquorum Imperatorum inueniſti? Indica nobis, & erimus socij tecum, & celabimus te, quia aliter celari non potes. Malchus vero non inueniebat quid diceret illis præ pauore: illi ergo videntes eum tacentem, misso fune in collo eius, trahebant eum per vicos vsque ad medium ciuitatis, & exijt rumor ad omnes, quod quidam iuuenis thesauros inuenisset. Congregatis ad eum vniuersis & admirantibus, satisfacere volebat eis, quod nihil inuenerat, & circumspiciens omnes, à nemine cognosci poterat, & prospiciens in populum volebat aliquem cognoscere de consanguineis suis, quos veraciter viuere putabat. Et nullum inueniens stabat quasi insanus in medio populi ciuitatis.

Fuit emissus Iamblicus ad emendos panes ait Metaphras.

Vide antiquissimum S. Crucis vsum.

Putat se alicuius spectri illusione deceptum.

Moneta veteris figura ciuibus Ephesinis testimonium dedit veræ resurrectionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter eorum resurrectione diuulgata, rursus obdormierunt.

Cap. XXXIII.

Malchus trahitur ad episcopum & Procõsulem.

QVod cum audissent episcopus, & Proconsul, qui nuper in vrbem aduenerat, mandauerunt ciuibus, vt eum caute adducerent cum argenteis. Cumque à ministris traheretur ad ecclesiam, putabat vere quod duceretur ad Imperatorem. Episcopus igitur, & Proconsul mirantes argenteos, interrogauerunt eum, vbi thesaurum incognitum inuenisset. At ille respondit se nihil inuenisse, sed de sacculo parẽtum suorum eosdem denarios habuisse, quid ei vero nũc acciderit se penitus ignorare. Et interrogatus cuius ciuitatis esset? respondit. Bene scio quod huius ciuitatis sum, si tamen hæc est ciuitas Ephesiorum. Proconsul dixit, fac venire parentes tuos vt testentur de te. Quos cum nominasset, & nullus eos cognosceret dicebant se eum fingere, vt aliquo modo euaderet. Et ait Proconsul: Quomodo credemus tibi quod hoc argentum parentum tuorum fuerit, cum scriptura eius plusquam 142. annos habeat, & sit primorum Decij Imperatoris dierum, & in nullo similes sunt argenteis nostris: & quomodo parentes tui ante tantum tempus fuerunt, tu vero iuuenis vis decipere sapientes, & senes Ephesi? Idcirco te iubeo legibus tradi, donec confitearis, quid inuenisti. Tunc procidens Malchus ante eos dixit: Pro Deo domini, dicite mihi, quod vos interrogo, & ego dicam vobis, quod est in corde meo. Decius Imperator qui fuit in hac ciuitate, vbi est? Episcopus dixit: Fili, non est hodie in terra qui Decius nominetur. Imperator autem fuit ante longum tempus. Et ait Malchus: In hoc domini ita stupeo, quod nemo mihi credit, sed sequimini me, & ostendam vobis socios meos, qui sunt in monte Celio, & ipsis credite. Hoc enim scio, quod à facie Decij Imperatoris nos fugimus, & ego sero vidi quod ingressus est Decius Imperator in hanc vrbem, si tamen hæc est Ephesis ciuitas. Tunc episcopus cogitans in seipso, dixit Proconsuli, quod visio est quam Deus vult ostendere in iuuene isto. Perrexerunt ergo cum eo & ciuitatis plurima multitudo, & ingressus est prius Malchus ad socios suos, & post eum episcopus ingrediens inuenit inter lapides literas sigillatas duobus sigillis argenteis. Et conuocato populo legit eas audientibus & mirantibus cunctis. Et videntes sanctos sedentes in spelunca, & facies eorum quasi rosas florentes, procidentes glorificauerunt Deum, statimque episcopus, & Proconsul miserunt ad Theodosium Imperatorem, rogantes vt cito veniret & mirabilia Dei nuper ostensa videret. Qui protinus surgens de humo & de sacco in quo lugebat, glorificans Deum venit à Constantinopoli Ephesum. Et obuiantibus eis cunctis, ascenderunt omnes simul ad speluncam ad sanctos. Et mox vt sancti viderunt Imperatorem, *resplenduerunt facies eorum sicut sol*. Et ingressus Imperator procidit ante eos glorificans Deum, & surgens; amplexus est omnes, & super singulos fleuit dicens: *Sic video vos tanquam si viderem Dominum resuscitantem Lazarum*. Tunc dixit sanctus Maximianus ad eum: Crede nobis, quod propter te suscitauit nos Deus ante diem magnæ resurrectionis, vt credas indubitanter quod resurrectio mortuorum est. *Vere enim resurreximus, & viuimus.* Et sicut infans est in vtero matris non sentiens læsionem & viuit, sic fuimus viuentes, iacentes & dormientes, & non sentientes. Et his dictis videntibus cunctis inclinantes capita sua in terram, obdormierunt, & tradiderunt spiritus suos secundum Domini imperium. Surgens autem Imperator cecidit super eos flens & deosculans eos. Et cum iussisset fieri loculos aureos in quibus mitterentur, in ipsa nocte apparuerunt Imperatori dicẽtes, quod sicut hactenus in terra iacuerant, & ex terra surrexerant, ita eos dimitteret donec eos Deus iterum suscitaret. Iussit ergo imperator locum illum inauratis lapidibus adornari, & omnes episcopos resurrectionem confitentes absolui.

Vide Greg. Turonẽsem li. de gloria martyrum c. 95 & Nicephorum l. 14. c. 45. Simile quiddã Paulus Diaconus de septẽ quoque dormiẽtibus in Germania refert de gestis Lõgobardorum l. 1. c. 3. quos illos esse putamus de quibus Greg. Turonnensis epistolam scripsit ad Sulpitiũ episcopum Bituricẽsem, qua illorum recenset Originem. Et si ex gentilibus de longo tempore dormiente cupis exemplum, habes Plinium qui l. 7. c. 52. puerum quẽdam annos 37. dormisse tradit.

Attendant hunc locum noui Sadducæi.

De quibusdam euentibus, & obitu Theodosij, & CODICE eiusdem.

Cap. XXXIV.

Ambrosius Aurelius Anglia rex, sine Britannia.

An. Christi 449.

Baron. ad annum 541. & in notis ad martyrol. 1. & 21. Octob. Persecutio VVandalorum in Africa.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato Ambrosius Aurelius Vortegerno incenso prælium cum Saxonibus committit, Hengistum ducem captum perimit, cæteros intra ciuitates includit, misericordiam poscentibus donat, & terra eis iuxta Scotiam delegata, fœdus pacis cum eis confirmat. Deinde reuocauit ciues, regnum disposuit, leges sopitas renouat, ecclesias reformat, præsules statuit, atque sepulturam consulum qui in proditione ceciderant, per industriam Merlini miris lapidibus construxit.

Anno sequenti Germanus Antisiodorensis, cum Seuero Treuerensi episcopo iterum ad Britanniam missus, renascentem Pelagianam hæresim confutat.

Anno sequenti Remigius Rhemensis nascitur, prænunciatus ex nomine per Montanum monachum. Quo nato idem Montanus, quia cæcus, erat de lacte Ciliniæ matris eius oculos suos liniens illuminatus est.

Anno sequenti in Africa, exardescentibus Vuandalis, ita vt libros diuinos exurerent, & de sacris pallis ac vestibus vestes, sibi facerent, Valerianus episcopus octogenarius nolens diuina sacramenta profanis tradere à Rege Genserico omni vrbe & domo exclusus, reliquũ vitæ vsque ad mortem nudus sub nudo aere exegit.

Tandem Theodosius Imperator obijt, cui Martianus cum Valentiniano successit.

Author. Temporibus Theodosij (vt dicit Prosper) Theodosij liber omnium legum legitimorum principum in vnum collatarum editus est, anno scilicet imperij eius 15. Hic liber in legibus CODEX appellatur. *Codicis* autem appellatio ad omnes auctores extenditur, sed cum *Codicem* sine adiectione audis, *Imperialis liber*, antonomasicè intelligendus est. Iste liber qui dicitur CODEX compositus est ex constitutionibus antiquorum principum, in tribus codicibus congregatis, Hermogeniano, Theodosiano, Gregoriano, & alijs constitutionibus diuagantibus, huc illucque dispersis.

Codex editus fuit anno 15. Theodosij. Imp.

De imperio Martiani & concilio Chalcedonensi.

Cap. XXXV.

Martianus Imp. an. Ch. 452. Mund. 4305.

Sigebertus in chronicis. Post Theodosium igitur Martianus sumpsit imperium anno Domini 452. mundi scilicet 4305. & imperauit annis 6. cum quo Valentinianus annis 5.

Huius imperij anno 1. instantia Leonis Papæ iubente Imperatore Martiano congregata & habita est vniuersalis Synodus apud Chalcedonem: in qua Euthycem Constantinopolitanum Abbatem, pronunciantem verbi Dei & carnis vnam esse naturam, eiusque defensorem Dioscorum Alexandrinum quondam episcopum, vna patrum sententia præiudicauit. Nestorium etiam Constantinopolitanum quondam episcopum, olim in Ephesina synodo damnatum, iterum anathematizans, cum reliquis hæreticis damnauit. Prædicans eadem Synodus Christum Deum, fic de virgine natum, vt in eo & diuinæ & humanæ naturæ substantiam esse fateamur. Hic decretum est, vt Mater Domini Maria non solum Christotocos, sed etiam Theotocos credatur, & appelletur, propter Nestorij blasphemias, mentientis eam non Deum sed hominem purum genuisse.

Sanctum vniuersale concilium Chalcedonẽse an. Ch. 452.

Mater Christi vere est Theotocos.

Author. In eiusdem Synodi gestis legitur, quod cum facta esset 4. Synodus 630. patrũ, vbi erat sanctus Leo Papa, disputantibus hęreticis cum Orthodoxis, dixerunt

Hoc etiam refert Niceph. lib. 15. cap. 5.

Orthodoxi:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Orthodoxi: Scribamus in charta fidem nostram, & vos in alia vestram, & ponamus eas cum sigillis nostris super corpus sanctæ Euphemiæ, & firmemus corporis sepulchrum coram Imperatore, & oremus Deum secundum fidem nostram, & vos secundum potius perfidiam vestram, vt Deus manifestet nobis rectam fidem. Quo facto ieiunauerunt Orthodoxi & orauerunt per septem dies, post hæc abierunt omnes cum Imperatore ad sepulchrum, Quod aperientes viderunt sanctam tenentem in manu chartam Orthodoxorum, & charta hæreticorum erat deiecta sub pedibus eius.

Sine licentia episcopi non licet monasterium vel oratorium ædificare Cõcil. Chal. act. 6 cap. 1. & 11, ca. 4.

Ex gestis illius hæc pauca excerpta sunt. Non desinit per foriculas quasdam malignus insidiari pietatis sequacibus, sed semper noui quiddam aduersus veritatem indãgat. Placuit nullum vsquam ædificari posse, neque monasterium, neque oratorium absque ciuitatis Episcopi voluntate.

In monasterijs non esse suscipiendum seruum ad monachum faciendum præter proprij domini voluntatem.

Neque monachos ecclesiasticis vel sæcularibus rebus communicare. Nec licere clericum duarum pariter ciuitatum ecclesiis militare.

Clerici & Monachi coniuratores vel conspiratores proprium amittunt gradum. Hoc enim vitium etiam apud extrinsecas leges penitus amputatur.

Clericum vel laicum qui episcopum accusat, non suscipi debere nisi prius eorũ æstimatio fuerit discussa. intra tres menses episcoporum ordinationes debere fieri.

Placuit omnem ecclesiam habentem episcopum etiã œconomam habere de proprio clero.

Oportet vt sit numerosa seueritas sanctionum, vbi est licentia crebra culparum.

Annotatio.

Leonem Romanum Pontificem concilio non interfuisse ex ipso concilio Actio. 1. & 16. & ex historijs Niceph. lib. 15. cap. 2. Euagr. lib. 2. cap. 2. & 4. & aliorum colligitur: sed eius loco in eodem præsedisse Paschasinũ Lilybæi & Euentium episcopos, & Bonifacium sacerdotem. Caterum cum quis per alium aliquid agit id ipse agere videatur, non immerito Leo fuisse præsens consilio dicitur, cuius loco alij eidem concilio interfuerunt.

De persecutione Hunnorum in Gallia, & expugnatione eorum.

Cap. XXXVI.

Sigebertus in Chronicis. Eodem anno terræ motus pene assidui, & signa plurima in cœlo ostenduntur. Vespere ab Aquilone cœlum efficitur rubeum vt ignis, intermixtis per igneum rubore clarioribus* lychnis in hastarum speciem deformatis, Luna obfuscatur. Cometes apparet, & multa alia signa, quæ non esse ociosa, ostendit instans rerum consequentia.

* *aliàs lineis*

Visa rerum mutationem portendetia. Gentes Attilæ imperio subiectæ.

Anno sequenti Attila Hunnorum Rex Vualameris Ostrogothorum Regis, & Ardarici Gepidarum Regis, & multarum Aquiloniarum gentium, sibi subiectarum auxilio fultus à Pannoniis egressus, occidentale imperium inuadit, cum quingentis millibus armatorum. Et primo per totas Gallias, per eos tanta efferbuit Dei indignatio, vt nullam omnino ciuitatem, castellum, vel oppidum, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Postremo Aureliam vrbem eis obsidentibus, ad subsidium Galliarum aduolauit Patricius Romanorũ Ætius, fultus & ipse Theoderici Vuisigothorum Regis, & Meroueei Francorum Regis, aliarumque gentium copiis militaribus. Conserto prælio in campis Catalanicis, Ætius quidem superior recessit, Attilam tamen non vsque ad internecionem deleuit. Cæsa sunt ibi 180. millia pugnatorum, inter quos etiam cecidit Theodericus Rex Vuisigothorum. Attila resumpta spe ex Ætii decessu, repatriauit, mature rediturus supplete exercitu.

Lege Nauel. generat. 16. & Antoninum parte 2 cap. 8. paragraph. 3.

Nicasius Rhemensis episcopus cum Eutropia sorore ab Hunnis martyrizatur.

Author. In gestis tamen eorundem leguntur passi sub Vuandalis in hunc modum.

De sancto Nicasio Rhemensi, & eius sorore Eutropia.

Cap. XXXVII.

S S. Nicasius & Amianus iuxtà Dei pretibus suis differre decertarunt.

Ex gestis eorum. Tempore quo Vuandali multas vrbes subuertentes per diuersas prouincias, nihil aliud quam Christianorum sanguinem sitire videbantur. Clarebant in Galliis Nicasius Rhemensis, & Amianus Aurelianensis, pontifices magnis prodigus ac virtutibus insignes. Qui meritis suis, ac precibus hanc iram indignationis Dei diu differre decertauerunt, vt populum interim ad pœnitentiam reuocarent. At illi thesaurizantes sibi iram, nullatenus eorum salutaribus præceptis obtemperabant. Interea Vuandali castrametantua, circa vrbem Rhemorum, & omni regione depopulata Christianos tantum velut Deorum suorum inimicos & moribus paganorum contrarios omnino delere cupiebant. Vltimo itaque subuersionis die illis circumquaque fortiter præliantibus, ciues terrore percussi, ad sanctum Nicasium in orationibus prostratum cucurrerunt interrogantes, quid vtilius fieri decerneret, aut seruituti gentilium se tradere, aut vsque ad mortem pro salute vrbis dimicare. Qui præsciens ex reuelatione Dei vrbem penitus subuertendam, cum magna constantia respondit: Indignationem hanc nostris sceleribus prouocatam non ignoramus. Quapropter ad flagella diuina compuncti, non inuiti aut desperantes, sed patientes, & deuotissime cum summa spe salutis nostræ suscipiamus mortis periculum; quatenus ipsa mors præsens nõ supplicium nobis fiat, sed remedium. Ecce ego quasi pastor pro ouibus mori paratus sum. Instantius oremus pro inimicis nostris, salutem illis optantes tanquam amicis.

Rhemenses ad s. Nicasium desperatis pene rebus confugiunt.

Pia & fortis S. Nicasio oratio Consilium S. Nicasij.

Sancta quoque Eutropia germana sua, expansis ad cœlum manibus, plebem pro viribus ad martyrij coronam excitabat. Dum ergo furibundus paganorum impetus irruit, vir sanctus comitante sorore cum hymnis, & canticis spiritualibus ad ostium basilicæ *sanctæ Dei genitricis Mariæ*, quam in arcem sedis fundauerat eis occurrit. Moxque vt ferratas acies vidit, manu silentium indicens, ait: *O nutibus diuinis ministra fortitudo, quare contrà naturam humanæ conditionis victoriam vestræ dignitatis in rabiem vertitis? Nam veri iuris titulus, quondam nobilium bellatorum inscriptus erat.*

Eutropia virgo.

S. Nicasij resolutus animus.

Virgil. Æn. ed. 6.

Parcere subiectis & debellare superbos.

Et ecce plebs Christiana de se humilis & deuota, vestris in conspectibus prostrata, remissionem peccatorum vsque ad mortem obediens expectat: Pœnitemini & vos proscleribus vestris Deum verum agnoscentes; ne forte indignatio eius, quæ per vos alijs fit ad correptionem salutis, vobis fiat stipendium tartareæ damnationis. Quod si oues meas perseuerante impietate queritis trucidare, me primum pro ipsis victimam diuinæ maiestati libate, vt pariter digni beatitudine cælesti mereamur inueniri.

De martyrio vtriusque.

Cap. XXXVIII.

His dictis cum in oratione prostratus versum, hunc decantaret; *Adhæsit pauimento anima mea*; illico ictu gladiatoris sequente capite trucidato verbum sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sententiam, quam petiit adimplendo impetrauit, dicens: *Viuifica me secundum verbum tuum.* Sancta vero Eutropia videns, circa sẽ impietatem mitigatam, & pulchritudinem sũam quasi litibus paganorum reseruatam, super interfectorem sacerdotis insiliens ait: Heu tyranne crudelis magnum

Psal. 118.

S. Nicasius gladio caditur.

S. Eutropia zelus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dei virum indignis manibus iugulatti, & me tibi abuendam reseruas. Diuina te iam iamque sententia damnat. Tunc eum ad martyrium suum prouocans saltu repentino raptis palpebris non fœminea virtute, sed diuina vltione oculos eius vindex euulsit; & sic confestim gladios persequẽtium incurrere, quam delectationibus paganorum assentiendo succumbere malens, illico cum germano suo, & cæteris palmam martyrij sustinuit, vel promeruit. Vniuersa autem expleta cæde & martyriem inũdante sacro sanguine, terror subitus persecutores inuasit, quasi dimicantes acies cœlestes vidẽtes, horribilique sonitu, ipsa ecclesia reboante, ita vt relictis spolijs vrbis per compita irreuocabiliter aufugerent. Sicque diu solitaria permanente ciuitate sub custodia tantum Angelica martyrum ibi corpora seruabantur, ita vt in noctibus à longe cernerentur lumina, & suauissimi soni pro choreis supernarum virtutum sydereis audirentur à multis carmina. Vnde & ex reuelatione diuinæ virtutis iam iamque confortati conciues pauciſſimi, qui ad sepelienda sanctorum corpora diuina prouidentia remanserant, ad vrbem cum ieiunijs & orationibus properantes, ibique odorem suauissimum sentientes, gemitum gaudio miscentes, in locis cõgruis, circa ciuitatem corpora sancta venerabiliter humauerunt; & ex tunc sine timore hostium Domino attentius seruire decertauerunt.

S. Entropia & sodalium martyrium.

Cæde peracta Vandali horrore perculsi diffugiunt.

Sanctorum martyrum corpora subdio ab Angelis asseruantur.

Author. De sancto Aniano iam superius diximus. Sanctus autem Nicasius, vt legitur, longe ante prædixerat dissipationis Galliarum causam esse sodomiticam peruersitatem, quæ futura erat internecio Rhemensium ex saturitate, scilicet & ocio, & auaritia, & carnis concupiscentia.

Sodomiticũ scelus fuit causa desolationis.

Sigebertus in Chronicis. Anno quoque prænotato Metensis episcopus auctor captiuatur, sed Hunnis cæcitate percussis, cum captiuis suę vrbis relaxatur.

Iterum de percussione Hunnorum in Gallia, & de miraculo Trinitatis in vnitate.

Cap. XXXIX.

Hunni in Gallijs desaeuiunt. vid. Diac. lib. 15. in Martiano.

HOc excidium Gallijs impendere Seruatius Tungrensis episcopus longe ante in spiritu præuidebat, & Romæ à Petro Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat. Ideoque relicta Tungrensi vrbe quæ euertenda erat, ad Traiectum sedem episcopalem transposuit.

Ex vita sancti Seruatij. Theoderico itaque (vt dictum est) Rege Vuisigothorum perempto, in crastinum Gothis acerrime pugnantibus pro cæde regis sui, timens Ætius, ne si omnes Hunnos auxilio eorum vinceret, nouos hostes in rempublicam prouocaret, insipienti vsus consilio, prælium diremit.

Attila igitur tanquam leo insaniens liber dimissus, infinitas strages per Gallias dedit, Tungris diu obsessa, capta & dirupta est. In portis Rhemensium ipse Sathanas sese ostendit ductorem barbarorum.

Trecas vrbẽ Gallię S. Lupus defendit.

Post hæc ventum est ad Trecas, vbi sanctus Lupus venit obuiam Attilæ, & ait illi: Tu quis es, qui vastas terras nostras, & gentem nostram perturbas? Cui ille: *Ego sum Attila, flagellum Dei.* Ad quam vocem sanctus Lupus iussit portas aperiri dicens: Bene venerit *flagellum Dei*; Et induxit eum in ciuitatem. Miro autem modo omnes Hunni cæcitate percussi transierunt per mediam ciuitatem à porta in portam neminem lædentes.

Flagellum Dei suscipitẽ dum.

Sigebertus in Chronicis. Pullulante inter Gallias Ariana hæresę, quæ inæquales credens esse personas sanctæ Trinitatis, dicebat Filium minorem esse Patre, Spiritum vero sanctum minorem Patre & Filio: Dominus errantes corrigit, ostenso plano miraculo Deum in tribus personis vnius & ęqualis esse substantię, nec debere ab indignis de diuinitate tractari. Nam * Vasatensi vrbe ab Hunnorum obsidione liberata per diuinum auxiliũ, cum episcopus pro gratiarum actione missam populo celebraret, respiciens sursum, vidit desuper altare, quasi de camera templi, cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis, crystallo clariores, quæ simul defluentes & in vnum coniunctæ quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt. Quam cum in medio crucis aureę & gemmatæ posuissent, aliæ gemmæ ceciderunt; seorsum vero posita, infirmis dabat sanitatem, adorantibus vero imaginem *sanctæ crucis* augebat deuotionem, quia pijs & mundis clara, impijs, & immundis obscura videbatur.

** Forsan. Nannetensi. sed Leo Vasatensi cum Mirao*

Quo miraculo SS Trinitatis mysterium ostẽsum est.

Omnibus bellis famosius fuit bellum, quod candidatus sanctarum vndecim millium virginum exercitus bellauit, duce sancta virgine Vrsula.

Author. Harum igitur vitam & passionem quamuis longe ante passæ fuerint, vt in earum gestis legitur, hic placuit inserere, eo quod in hoc chronicorum loco, Sigebertus de his mentionem facit, nescio qua de causa, nisi forte quia sub persecutione Hunnorum passæ sunt, quæ maxime isto tempore videtur inualuisse.

De sancta virgine Vrsula cum sociabus suis.

Cap. XL.

Ex Sigebert. in Chronicis confer quæ habet Baronius in notis martyrologij.

HÆc igitur Vrsula vnica filia Dionothi nobilissimi & ditissimi Britannorum principis, cum nondum nubilis à filio regis Angliæ ad nuptias peteretur, & patrem suum valde Christianum super hoc anxiari videret, (qui Deum metuebat, si filiam suam iam Deo deuotam nubere cogeret, & tyranni pagani feritatem timebat si ei filiam denegaret) diuinitus inspirata patri suasit, vt tyranno assentiretur, ea tamẽ illi proposita cõditione, vt & ipse tyrannus 10. virgines genere, forma & ætate electas, sibi traderet, & tam sibi quam singulis earum mille virgines subscriberent; & comparatis ad numerum ipsarum 11. trieribus, inducias triennij sibi darent ad exercitium virginitatis suæ; & ipse iuuenis baptizatus his tribus annis institueretur in fide; nouo vsa consilio, vt aut difficultate propositæ conditionis animum eius à se auerteret, aut hac opportunitate omnes coæuas suas secum Deo dicaret. Hac conditione libenter accepta, iuuenis protinus baptizatus, cuncta accelerari quæ virgo petierat, impetrauit. Tunc pater virginis accepto consilio, caute præordinauit vt filia sua, quam tenerrimè diligebat, viros quorum solatio tam ipsa quã eius exercitus indigebat, in comitatu suo discedens haberet. Cumque congregari cæpissent, multi ad spectandum eas vndique confluxerunt, ita etiam vt quidam Episcopi Britanniæ secum irent. Inter quos Pantalus Episcopus Basilienſis eas Romam vsque perduxit, & inde reuersus martyrium cũ eisdem suscepit. Sancta quoque Gerasiua regina Siciliæ, quæ virũ siue regem crudelissimum quasi de lupo fecerat agnum, soror Mauritij Episcopi Dariæ matris sanctæ Vrsulæ; cum pater ipsius Vrsulæ secretum illud ei per literas intimasset, illa statim suspirante cum quatuor filiabus suis Babyla, Iuliana, Victoria, & Aurea, & paruulo filio Adriano, qui amore sororum suarum vltro se ingessit peregrinationi, relicto regno in manu vnius filij sui, & duarum filiarum vsque ad Britanniam Anglicam nauigauit, eiusque consilijs sacræ virgines collectę & ordinatæ sunt, & semper ductrix earum ad vltimum cum eis passa est martyrium.

Conditiones nuptiarum à S. Vrsula propositæ. Sponsus eius fit Christianus.

Qualiter Romam nauigantes à Papa Cyriaco susceptæ sunt.

Cap. XLI.

Sigebertus hæc habet in Chronicis suis.

IVxta condictũ igitur virginibus trieribus & sũptibus cõpatatis, vt per trienniũ belli præludia cũctis mirãtibus facientes, dũ modo cõcursibus, modo discursibus, interdũ fugã, interdũ bella dissimulant, omnique genere ludorũ excitatæ, nihil quod animo occurrisset intentatũ reliquerunt. Tãdem sub vno die, agente vento, ad portũ

Galliæ,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Veniunt Coloniam.

Galliæ, qui Tiela dicitur,& inde Coloniam sunt appulsæ:ibique ex Angeli monitu,qui eis futura prædicebat, Romam tendentes,ad vrbem† Basiliam nauibus,à Basilia vsque Romam pedibus profectæ, ibi aliquandiu moratæ sunt. Quarum aduentu Papa Cyriacus valde lętatus est cum omni clero suo,& eas cum honore susce-

** Basileam. Sanctæ virgines Romã veniunt.*

pit. Nam & ipse de Britannia natus plures consanguineas inter ipsas habuit, & ipse semper virgo permansit. In ipsa nocte fuit ei diuinitus reuelatum, se cum eisdem virginibus palmam martyrij percepturum. Ipse vero celans hoc apud se, multas earum baptizauit quæ necdum baptizatæ erant. Cum autem oportunum tempus adesset, manifestauit voluntatem suam, & coram ecclesia resignauit officium dignitatis suæ, cum post Pontianum Papam rexisset ecclesiam anno vno & 11. septimanis,nonũ decimus post beatum Petrum. Sed cum in hoc reclamarẽt omnes,& maxime Cardinales, qui eum delirare putabant, quod quasi post fatuas mulierculas declinaret,nescientes monitionem Angeli,qui eum vrgebat,ipse constanter permanens, in loco suo virum sanctum qui Antherus dictus est,ordinauit, vnde quia sedem Apostolicam inuito clero reliquit, nomen ipsius,de cathalogo Romanorum Pontificum idem clerus erasit,& ab illo tempore omnem gratiam, quã prius in Romana ecclesia habuerat,sacer ille virginum conuentus amisit.

Quæ hoc loco de Cyriaco Papa referuntur,non habent MS. codices quos Surius publicauit, neque id referunt authorei probati, qui de his sanctis martyribus scripserunt. Certe cum alicubi in glossis decretorũ hac historia de Papa Cyriaco haberetur, eã magister sacri Palatij expungẽdam esse decreuit.

Qualiter idem Papa multique alij magnates eis adiuncti sunt.

Cap. XLII.

CVm autem sic essent Romæ, Maximus & Aphricanus duo iniqui Principes Romani,videntes magnam virginum multitudinem, & quod multi ad eas confluerẽt,timuerunt ne forte per eos cresceret religio Christiana. Vnde cum exploraſſent iter earum quo ire debebant, missis nuncijs ad Iulium cognatum suum Principem gentis Hunnorum, monuerunt eum vt educto contra eas exercitu, ipsas cum venirent Coloniam, trucidaret. Exeunte itaque beato Cyriaco Papa de vrbe cum prædictis virginibus, secutus est ipsum Vincentius Presbyter Cardinalis, & Iacobus, qui de Britannia patria sua in Antiochiam profectus, Archiepiscopatus ibi septem annis dignitatem tenuit. Et cum tunc beatum Papam Cyriacum visitasset,& de vrbe Roma egressus fuisset, audiens de aduentu virginum ad ipsas redijt, & se eis in itinere & passione coniunxit. Mauritius quoque Lauicanæ vrbis episcopus, qui & ipse de Britannia auunculus erat duarum virginum Babylæ & Iulianæ, cum quibus sepultus est. Item Foillanus Lucensis episcopus, & Sulpicius Rauennensis episcopus, qui tunc Romam profecti, & inde super hoc reuelatione diuina Coloniam properantes, in occursum virginum, quæ nondum redierant perrexerunt; & sic eis adhærentes cum eisdem occisi sunt. * Eucherius quoque sponsus beatæ Vrsulæ, manens in Britannia Anglica, per visionem à Domino monitus est, vt matrem suam Demetriam hortaretur fieri Christianam; Nam Pater eius Agrippinus in primo anno quo baptizatus fuerat, defunctus est,& succesſit ei in regnum filius eius * Eucherius, qui & ipse ante illud triennium ex conditione beatæ Vrsulæ fuerat baptizatus.

** alias Ethereus.*

** Ethereus.*

Cum autem sacræ virgines Roma redirent, nunciatum est illi * Eucherio, vt exiret de terra sua & occurreret sponsæ suæ, vt cum ea in vrbe Colonia palmam martyrij obtineret. Qui confestim diuinis monitis acquiescens, matrem suam baptizari fecit, & cum ipsa & sorore sua paruula Florentina iam Christiana eis obuians, cum eis martyrium susceptit & cum Clemente episcopo quem secum adduxit. Sed etiam Marcalus episcopus Græciæ cum nepte sua Constantia filia Dorothei Regis Constantinopolitani & Frandinæ Reginæ, quæ Constantia defunctis parentibus, nubens cuidam adolescenti filio regis alterius, sed ante nuptias morte præuento, virginitatem suam Deo vouit, & sic cum prædicto episcopo Romam veniens, sicut ille à Deo per visionem monitus fuerat, venientibus virginibus se coniunxit.

** Ethereo.*

Rursus sanctæ virgines cũ associatis eis pluribus episcopis sanctæ Coloniã proficiscũtur.

Annotatio.

Hisce actis nulla ratione consentit Baronius, nam, vt ait, qua hic Vincentius, vel etiam alij plures diuersi authores, siue ex suo ingenio, siue ex leui vulgi rumore de his sacris virginibus scripsere, adeo mutant, vt grauissimam historiam commentitiam pene reddiderint. Quamobrem magis ipsi arridet historia illa quam ex antiquis monumentis rerum Britannia excepisse Gaufridus episcopus Asaphensis in suo de rebus Britannicis commentario tradit. Vide notas Baronij in Martyrol. Rom 21. Octobris. Quibus subscribunt gestis Hermannus Plerinus & Boethius 7. Histor. Scotiæ,eisdem & adstipulatur Lindanus episcopus Gandauensis eruditione clarissimus. Verũlicet hæc ita sint, tamen ex verbis Sigeberti colligi potest historiam, Vincentij ante Sigeberti ætatem scriptam fuisse, ac propterea non omnino reijciendam, præsertim cũ multi graues authores citari possint qui huic etiam historiæ adstipulantur. Vide Surium tom. 5.

De martyrio totius prædictæ multitudinis apud Coloniam.

Cap. XLIII.

SImul itaque omnes isti cum multis socijs suis & sacris virginibus ipso quo prius eundi tenore, reuersæ sunt Coloniam,ab Hũnis vndique iam obsessam: statimque Barbari explorata re subito super eas cum clamore irruunt, & quasi lupi in oues sæuientes, totam illam multitudinem occiderunt. Cum autem ad beatam Vrsulam cæteris iam iugulatis venissent,stupentes eius pulchritudinem, manum & animum repressserunt; ipseque Princeps sceleris in eius amore succensus, putauit quod eam blanditijs deliniret: & confortans eum de nece virginum, promisit quod eam sibi in coniugio copularet. Sed cũ hoc illa libere respuisset, ille non ferens repulsam directa in eam sagitta,trãsfixit, & sic illa martyrium consummauit. Erat autem inter illas quædam virgo, nomine Cordula, quæ cæteris virginibus trucidatis, humano timore sola in alueo nauis illa nocte delituit, & in crastinum se sponte morti offerens, mox ictum tyranni ferientis excepit. Vnde & ipsa longo post tempore cuidam apparens, quia vna nocte superuixerat eiusque festiuitas cum alijs virginibus non fiebat, præcepit vt sicut pridie beatarum virginum celebritas agitur, ita sequens dies beatæ Cordulæ laudibus impendatur.

Hunni omne illud sacrum collegiũ virginum cum cæteris omnibus martyrio ad cælũ trãsmiserũt.

De S. Cordula. Helẽdrudra inclusa apparet sancta Cordula. Etsi dubium sit de tẽpore passionis nullo modo dubitat ecclesia de earum martyriõ.

Passæ sunt aut em beatæ virgines tempore Antheris Papę, & Maximiani Imperatoris, anno domini 237.

De quibusdam earum miraculis post transitum.

Cap. XLIV.

QVidam Abbas impetrauit ad Abbatissã Coloniæ corpus vnius sanctarum virginum, promittens quod eam ad Ecclesiam suam ferret, & in capsa argentea collocaret. Sed cum per annum integrum eam super altare in capsa lignea tenuisset, quadam nocte cum idem Abbas cum conuentu matutinas cantaret, videntibus cunctis virgo sancta corporaliter desuper altari descendit, & inclinans maiestati, per medium chorum omnibus monachis inclinans, exiuit. Stupefactus Abbas ad capsulam cucurrit, & ea non inuenta, Coloniam properans, cum rei ordinem Abbatissæ dixisset, corpus virginis in tumba, vnde illud sumpserat, inuenit. Cumque petens veniam, eandem vel aliam repeteret, promittens certissime, quod capsam precioſiorem facere non tardaret, obtinere non potuit.

Sancta virgo neglecta dimittus Coloniam repedat. Vide Surium 21. Octobris.

Aliud Miraculum.

Quidam in religione couerſus, cum hãs virgines vehementer diligeret, quadam die vidit vnam virginem pulcherrimam ſibi tunc infirmo apparentem, & ſi ſe cognoſceret, inquirentem, mirantique eius gloriam, & ſe neſcire dicenti; ego ſum, inquit, vna virginũ, erga quas tu habes tantum dulcedinis affectum; & vt inde mercedem accipias, ſi amore & honore noſtri *vndecies millies orationem dominicam dixeris*, in hora mortis protectionem & ſolatium habebis, & ſic virgo diſparuit. Tunc ille quam cito potuit, hoc perfecit, ſtatimque mandans Abbatem & conuentum inungi ſe velociter poſtulauit. Sed dum Abbas cum conuentu eum inungeret, infirmus ſubito exclamauit vt ſurgerent, & venientibus ſacris virginibus locum darent. Tunc Abbas quæſiuit ab eo, quid hoc eſſet? Et ille ſeriatim virginis promiſſionem exponens, recedẽtibus cunctis, & paulo poſt redeuntibus, defunctus inuentus eſt.

An. Ch. 454.

De perſecutione Hunnorum in Italia, & de morte Attilæ Regis, & ſepulchro ſancti Seruatij.

Cap. XLV.

Lege diacon. lib. 15. Blond. lib. 2. decad. 2. Naucl. & alios ſed Blond. ſcribit duos fuiſſe Leonis comites quos Petrum & Paulũ quidã ſcribunt.

Igebertus in chronicis Anno Martiani 5. Attila Italiam aggreſſus, omnes pene eius ciuitates, aut diripuit, aut incendit, ad eum Leo Papa venit, & non ſolum ſalutem, ſed etiã, vt rediret, obtinuit. Rex Attila requiſitus à ſuis cur ei fuiſſet tam placabilis. Reſpondit, ſe non fuiſſe eum reueritum, ſed ſenem quendam venerabilem, euaginato gladio ſibi mortem minitantem, niſi eius in omnibus expleret voluntatem.

Anno ſequenti Attila Vuiſigothos debellare aggreſſus, à Thuris modo victus redijt inglorius. Martiano Imperatori apparens Dominus in ſomnis, arcum Attilæ fractum eſſe oſtendit: nec id vanum fuit, eadem quippe nocte Attila in nuptijs ſuis crapulatus, erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus in lecto eſt ſuffocatus. *Hernac filius eius poſt eum regnat.

* *Ita MS alibi Hellac legitur.*

Ex vita ſancti Seruatij. Reſpirauit igitur mundus tanta peſte liberatus. Inter iſta mala vaſtatis omnibus circumquaque locis, ſolum Traiectum in olume remanſit, prẽcibus ſancti Seruatij ſeruatum. Eo tempore in beati Seruatij feſtiuitate, aperto deſuper cœlo vſque ad tumulum per tectum in baſilicam fulgurantis ignis colũna à veſpera vſque ad auroram viſa eſt demiſſa ab indigenis quicumque aderant, & ab aduenientibus de longinquo.

Lege Gregorium Turonenſem lib. 2. cap. 5 & 6. Hiſteria & de gloria confeſſorum cap. 72 Videré admirandam.

Quodam die eiuſdem tectum baſilicæ grauis ruina ſubruit, quod cum cooperire niterentur, nullo modo potuerunt: nunquam tamen vel imber, vel grando, vel nix ſuper ſepulchrum eius cecidit.

Item quadam nocte inuentum eſt ſepulchrum eius mirabili pallio coopertum, angelicis, vt creditur, manibus allato.

Poſt ſanctum Seruatium electus eſt Præſul in Traiecto Agricolaus, quoniam tungris indiguum epiſcopatu ſe fecerat.

De ſancta Genouefa virgine, & eius infantia, & qualiter vrbem Pariſienſem liberauit ab Hunnis.

Cap. XLVI.

Igebertus in chronicis Anno Martiani ſexto, Genouefa virgo Pariſiẽſis, multa ſanctitate per Gallias claruit.

Ex geſtis eius. Hanc beatus Germanus cum ſancto Lupo ad Britanniam pergens, ad † Metodorenſem patrochiam orandi gratia declinans, inter populũ ſibi obuiantem, in ſpiritu intuitus eſt; & requiſito nomine eius & parentibus, prædicens etiam multos per eam præmia æterna percepturos, quæſiuit ab ea vtrum vellet Chriſto conſecrari, & intacta permanere. Quæ reſpondit, ſe deſiderio, quod ſciſcitabatur, adipiſci. In cuius memoriam dedit ſanctus nummum æreum, vt transforatũ collo ſuo ſuſpenderet habentem *ſignum crucis*; & ne auri, vel argenti, vel margaritarum ornamentis collum ſuum vel digitos honoraret, admonuit, ne cœleſti ornamento pro eis priuaretur.

* *Memethodorenſi.*

Hæc ex vita S. Germani extant apud Surium.

Tunc abijt itinere quod cœperat; & poſt aliquot dies cum mater eius ad eccleſiam iret, præceperat eam domi manere: illa vero clamabat ei cum lachrymis: Ego fidem quam beato Germano pollicita ſum, Chriſto me conſolante, ſeruabo & eccleſiæ limina frequentabo. Ideo irata mater dans ei alapam, ſtatim orbata eſt lumine per 9. menſes. Tandem recordata teſtimonij quod dederat Pontifex de filia, iuſſit ei affere aquam de puteo. Quæ pergens fleuit ſuper marginem putei, quia propter eam mater lumen amiſerat. Deinde impleto vaſculo, *facto ſigno crucis ſuper aquam*, matri obtulit. Quam illa cum fide & veneratione manibus in cælum extenſis ſuſcepit, & ex ea fomentans ſibi oculos bis & ter, lumen recepit. Cumque cum duabus puellis Iulico Epiſcopo ad conſecrandum offerrent, & hoc iuxta numerum annorum ætatis, epiſcopus diuinitus comperiẽs Genouefam omnibus ſublimiorem, ait: Illam, quæ poſt tergum ſequitur, anteponite, quia cælitus hæc iam ſanctificationem adepta eſt.

Mater Genouefa fit cæca ob cæſã filiam.

Recuperat viſum.

Virgines ab epiſcopo conſecrantur.

Parentibus autem defunctis, hæc ad Pariſios vrbem migrauit, & per tempus aliquod ita eſt obſeſſa paralyſi, vt corpus eius triduo iam examine ſolis paululum genis rubentibus cuſtodiretur. Quæ cũ denuo ſanaretur, profitebatur ſe in ſpiritu ab Angelo in requiem iuſtorum, & in ſupplicium impiorum deductam. Cumque Hunnorũ Rex Attila Galliam vaſtaret, Pariſiorum ciues perterriti facultates ſuas in alias vrbes tutiores deferre nitebatur. Quorum matronas ſancta conuocans ſuadebat ieiunijs, orationibus, & vigilijs inſiſtere, vt poſſent, ſicut Iudith & Heſter cladem euadere. Viros etiam earum monebat ne bona ſua à Pariſijs auferrent, eo quod alijs vrbibus vaſtatis Pariſius Chriſto protegente ſaluaretur, propter quod inſurrexerunt in eã dicentes Pſeudoprophetiſſam. Et tractantibus illis, vt eam lapidarent, aut gurgite mergerent, aduenit archidiaconus ab Antiſiodoro referens teſtimonium beati Germani de ipſa, quod ex vtero Matris à Deo electa fuiſſet. Et ecce (inquit) eulogias, quas illi a ſancto Germano relictas exhibeo. Tunc ciues diſſipauerunt conſilium, illa vero orationibus ſuis prædictum exercitum, ne Pariſios circundaret, abegit.

Genouefa fit paralytica.

Patitur obtrectatores. Archidiaconus Antiſiodorenſis ei a S. Germano eulogias ideſt munera defert.

De auſteritate vitæ eius, & Baſilica ſancti Dionyſij, quam ædificauit.

Cap. XLVII.

QVintodecimo vero anno vſque ad quinquageſimum eſca erat ei panis hordeaceus & faba; quam poſt duas aut tres hebdomadas in olla recommiſcens edebat. A die dominica vſque in 5. feriam ieiunabat, & à 5. vſque in die dominicam. Vinum autem & quodlibet inebrians nunquam potauit. Poſt quinquageſimum annum ſuadentibus epiſcopis propter obedientiam, piſcem & lacecum pane hord aceo edere cœpit. Multa autem veneratione Catullacenſem vicum, in quo beatus Dionyſius paſſus eſt, dilexit; cui etiam deuotio erat in honore illius baſilicam conſtituere. Suadebat presbyteris, vt faceret vnuſquiſque collationem ad hoc ædificium. Qui reſponderunt: Erunt forſan paruitati noſtræ vires ædificandi, ſed coquendæ calcis copia deeſt. At illa Spiritu ſancto repleta vaticinans ait: Egredimini, queſo, ad portam ciuitatis, & quæ audieritis, nunciate mihi. Qui egreſſi in platea ſtabant attoniti, & ecce duo cuſtodes porcorum ſermocinantes, quorum vnus ad alterum ait; Dum ſuis veſtigium ob partus vagantis legerem, inueni, furnum calcis, miræ magnitudinis. Alter reſpondit: Et ego inueni in ſilua ſub radicibus arboris à vento euulſæ furnum calcis, de quo nihil ſublatum credo vnquam eſſe. Quod audientes presbyteri, gratias agentes reuerſi ſunt. Audiens hæc ſancta, lachrymis præ gaudio ſinum imple-

Victus S. Genouefæ.

Tractat de conſtruenda S. Dionyſij baſilica.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

impleuit; accersiuitque Genesium presbyterum, vt in honorem prædicti martyris basilicam construeret, sicque omnibus cibus auxilium conferentibus, illa imp*lorante* constructa est. In cuius opere collectis carpentarijs, cùm potus deficeret, accipiens sancta cuppam, seorsum prostrata cum lachrymis orauit; deinde surgẽs *facto signo crucis super vas* vsque ad summum poculum impletum est, ex quo operarij vsque ad consummationem basilicæ vberrime potantes, gratias egerunt.

Potum precibus impetrat a Deo.

Eius vigilia certo tẽpore.

Quadam nocte sabbathi circa gallicantum egressa est ad basilicam sancti Dionysij, cereus vero qui ante ferebatur, extinctus est. Quo turbatis virginibus quæ cum ea erant præ horrore noctis, sibi dari præcepit; quem vt tenuit, statim illuminatus est.

Cereus diuinitus accenditur.

Similiter eodem tempore cum in ecclesia diu prostrata in oratione, surgeret, cereus nondum igne contactus, diuino nutu accensus est in manu eius, de quo, & plures infirmi paululum in fide accipientes, sanari sunt.

Cæcam illuminat.

Quædam mulier furata est calceamenta eius, quæ (vt domum venit) excæcata est, deinde prostrata ad pedes eius, veniam petens, signatis ab ea oculis, visum recepit.

De amabilitate eiusdem, & ipsius miraculis.

CAP. XLVIII.

Hic Childericus fuit rex Francorum Clodouei pater.

CHILDERICVS etiam Francorum Rex, valde diligens eam, timens ne vinctos quos interimere cogitabat, sancta eriperet, egrediens vrbe Parisiorum portam claudi præcepit. Quod audiens sancta, statim ad liberandas animas perrexit. Inter cuius manus porta ciuitatis sine claue reserata est, & sic Regem consecuta, ne vinctorum capita amputarentur, obtinuit.

Simeon Stylites per Spiritũ cognouit S. Genouefam.

Fuit etiam eo tempore beatus Simeon in columna, quem negociatores euntes & redeuntes ferunt de illa interrogasse, & eam veneratione profusa salutasse, & se in orationibus eius memorem esse poposcisse.

Obsessi liberantur.

Parisijs etiam oblati sunt ei energumeni, pro quibus in basilica beati Dionysij ipsa orante, vociferabantur clamantes prope iam esse, quos sibi in solatium venire beata Genouefa precabatur, forsitan Angeli vel martyres. Quæ surgens, & signans vnumquemque curauit à spiritu immundo, vt fætor grauissimus astantium nares attingeret.

Iterum cæcã illuminat.

A die etiam Epiphaniæ vsque ad cænam domini in cella recluſa, soli Deo vacabat in orationibus & vigilijs. Aduenientes puella religiosa ad fores eius, magis curiositate quam fide permota, quid sancta in cella sua agebat scire volens, statim lumen amisit: quam sancta post consummationem egrediens, oratione & signo crucis illuminauit.

Fugauit nequissimum Spiritum.

In Ecclesia etiam beati Martini Turonensis, cum in angulo quodam oraret, vnus de psallentibus arreptus à dæmonio proprios artus lacerabat. Cumque beata Genouefa spiritum immundum exire iuberet, & ille per oculum progredi se minaretur, impetante illa, fluxu ventris eiectus est, fœda relinquens vestigia.

Pluuiam auertit.

Per idem tempus stans in aditu domus suæ, vidit puellam in manu ampullam gestantem, quam paulo ante emerat, & interrogata quid esset, vidit dæmonem sedentem in ore ampullæ, & minans insufflauit in eam, statimque pars de ore ipsius ampullæ cecidit.

In territorio Meldensi cum propriam messem meteret, valde turbati sunt operarij propter imbrem imminentem; at illa ingressa tentorium, quod sine intermissione facere consueuerat, cum lachrymis prostrata, oratione obtinuit, vt cum in circuitu omnium segetes pluuia rigaret, nec messem nec eius messores gutta aliqua contingeret.

Vixit autem plusquam 80. annis: tantaque sanctitate pollebat, quod etiam prophetiæ spiritu plena esset. Omnes quoque morbos ab humanis corporibus expellebat, egẽtibus panes integros dabat, adeo vt eius puellæ sæpe partem panis quam in clibano posuerãt, non inuenirent.

Legę Surium in actis huius Sanctæ 3. Ian. quibus & hæc acta consentiunt.

Huius natale celebratur 3. nonas Ianuarij.

De quibusdam gestis illius temporis.

CAP. XLIX.

Sigebertus in chronicis. Anno Martiani 6. Maximus tyrannidem arripuit, Eudoxiam relictam Valentiniani, vi rapuit. Illa Genſericum ex Africa inuitat, vt se a Maximo eripiat. Genſericus Romam capit, omnia diripit, vt tamen ab igne, cęde, & supplicijs hominum abstineret, Leo Papa ab eo obtinuit per 14. dies Roma despoliata, Genſericus Eudoxiam cum duabus filiabus & multo populo captiuat, & Campaniæ vrbes omni vastationis genere exterminat. Inter hæc Paulinus Nolanus episcopus dum pro captiuo filio viduæ se vicariũ in seruitutem barbari subijcit, omnes captiuos suæ vrbis recepit.

Anno Ch. 457.

His Martiani temporibus, Ioannem Baptistam caput suum duobus monachis reuelasse quidam describunt.

Super insulam Britãniæ stella miræ magnitudinis apparuit, cuius radio globus igneus draconi similis adhærebat: Ex cuius ore duo radij procedebãt, quorum vnus vltra Galliam se extẽdebat, alter vero versus Hiberniam tendens, in 7. minores radios terminabatur.

Cometa mirę magnitudinis apparuit super Angliam

Eo tempore occiso Aurelio Ambrosio Rege, interrogatus Merlinus vates à fratre regis Vter de stellę significatione, dixit eum illo sydere & igneo dracone signatũ. Per radium vero de ore draconis procedentem, & Gallias respicientem figurari filium ei potentissimum nasciturum; altero autem radio portendi filiam, cuius filij, & nepotes regnum Britanniæ succedentes, essent habituri. Vter autem audita morte fratris sui cæpit diadema insulæ, duosque dracones ex auro iubens fabricari ad instar ignei draconis, obtulit vnum in ecclesia, altero autem in prælijs pro signo vtebatur. Et ex eo tempore cognomentum accepit Vter Pendagron, idest, caput draconis. Saxones vero post mortem Aurelij à pactione fœderis soluti, inuaserunt ciuitates & promontoria, & ab Albania vsque Eboracum omnia vastabant. Cum quibus Rex prælians, fugam cum suis inijt, sed nocturno tempore illos aggressus, superauit. Captisque eorum ducibus, Octa & Eosa, Arthurus natus, cæteros Saxones dissipauit. Post hæc adamauit Rex vxorem cuiusdam ducis, habuitque rem cum ea, de qua genuit celeberrimum illum Arthurum, & filiam nomine Amam.

Quomode Merlinus prophetauit de cometa.

De Morte Valentiniani, & Martiani, & imperio Leonis.

CAP. L.

Hugo vbi supra. Interea Valentinianus Imperator factione Heraclij Spadonis Ætium interfecit patricium, sed non multo post, idem Valentinianus à satellitibus Ætij dolo Maximi comitis palatij perfossus, interijt; & mox eius inuasit imperium idem Maximus, eiusque vxorem Eudoxiam (vt dictum est) in suum coniugium transire coegit. Verum hac incontinentiã non diu lætatus est, nam post alterum mensem à famulis regijs membratim dilaniatus, & in Tyberim est proiectus. Post cuius necem Romani Auitum Cæsarem creauerunt, cum quo Martianus Imperator vnanimitatis fœdus composuit. sed cum ambo rem concorditer administrarent publicam, Martianus vj. imperij sui anno, vj. pariter mense defunctus est; cui Leo magnus succeſſit.

Vide Baron. ad annum 454.

Cõsule Euagrium lib. 2. Cap. 7. Marcellinum & Cassiodorũ in Chronicis, & Procopide bello Vandal.

Sigebertus in Chronicis. Leo itaque Martiano succeſſit anno Domini 458. mundi scilicet 4311. & regnauit annis quindecim. Hic super synodo Chalcedonensi, singulorũ patrũ singulas sententias requisiuit, & quia omniũ

Leo Imperator. an. Chr. 458. Mundi. 4311.

vnam esse cognouit, eam fideliter tenuit. Hic cum Vualamere Ostrogothorum Rege fœdus pepigit, & Theodericum fratruelem eius, puerum octennem, obsidem accepit. Hucusque Prosper chronicam suam perduxit.

De Sancto Simeone Anthiocheno, & eius vita monastica.

Cap. LI.

Consule Baronium, & alios de eo scribentes.

EO tempore Simeon, qui 40. *annis inclusus*, in columna stetit, mira sanctitate Antiochiæ claruit.

Ex gestis eius. Hic ex vtero matris electus, cum duodennis pasceret oues patris sui, videns ecclesiam relicto pecore cucurrit ad eam, & audiens vocem Euangelicam iūgit sē cuidam seni & ait: Domine pater, quid est quod legitur, doce me, rogo, quia idiota sum & insipiens. At ille loquens ei de virtutibus animæ, & contemptu huius sæculi, addidit, quod licet virtutes à multis in ecclesia fideliter impleantur, in monasterijs tamen Deo iuuante facilius exercentur. Tunc ille cecidit ad pedes senis dicens: Vere ab hodie tu es mihi pater, & mater, quia tu es magister bonorū operū; ecce ego secundū cōsilium tuū vadam in monasterium vbi Deus voluerit. Tunc exposuit ei regulam, & afflictiones monasterij, suadens ei patientiam & perseuerantiam. Qui valedicens ei, abijt ad Monasterium Timothei, & proijciens se ante fores monasterij tribus diebus & noctibus, neque comedit neque bibit. Post hæc egrediens Abbas eleuauit eum, & quæsita causa fugæ, ille respondit: Seruus Dei esse desidero; obsecro, vt me in monasterio tuo suscipias, & fratribus omnibus deseruire iubeas. Susceptus itaque ab eo fuit, ibi sex mensibus obediens humiliter fratribus. Alijs autem à mane vsque ad vesperam ieiunantibus, ille post 7. dies interdum cibum sumebat, annonas suas secreto pauperibus irrogabat, quadam die egressus ad puteum, funem de palmarum folijs contextum apprehendens, in totō corpore suo constrinxit à renibus vsque ad scapulas, ita vt parvo temporis spacio putrefactum est corpus de obligatione funis, qui vsque ad ossa ingressus est, ita vt foris vix appareret.

Qui spiritualiter nos docent sunt nostri patres, spatres.

Simeon fit monachus tota hebdomada manet ieiunus.

Plura de S. Simeone habes in vita Danielis Stylitæ & in actis S. Theodosij Cœnobiarchæ.

Ob nimium vitæ rigorem dimittitur à monasterio.

Quadam die aliqui ex fratribus inueniut eum cibum suum pauperibus dantem, & dixerunt hoc Abbati: Insuper & quod fœtor grauissimus ascēderet de corpore eius, vt nullus iuxta eum stare posset, & vermes stillantes de corpore eius lectum suum impleuerant. Abbas vero cum quæreret ab eo veritatem, inclinato capite nihil respondit. Vnde Abbas iratus, iussit eum expoliari vestibus; vidensque summitatem funis eminentem, exclamauit dicens: Vnde nobis aduenisti homo, destruere vis regulam Monasterij vt video? quia non vis sicut cæteri cum discretione Deo seruire, oro te recede hinc, & vade quo vis. Cum graui tamen labore tulerunt de corpore eius funem & curam illius egerunt.

De puteo in quo latuit, & columnis in quibus stetit.

Cap. LII.

POstea egressus est de monasterio & nullo sciente intrauit in puteum desertum sine aqua, vbi spiritus immundi habitabāt & ipsa nocte reuelatur Abbati, quod multitudo populorum armatorum circundaret monasterium clamans; Da nobis seruum Dei Timothee, alioquin incendemus te & monasterium tuum, quia exasperastis hominem iustum. Quod nunciauit Abbas fratribus. Simile etiam vidit in alia nocte, & expergefactus misit monachos ad quærendum eum & non inuenerunt, pergēnsque Abbas cum eis, venit ad puteum, & faciens orationem descendit cum fratribus in eum, & vi adduxerunt eum ad monasterium. Fratres vero omnes prostrauerunt se coram illo petentes veniam, & fecit ibi quasi annum. Vnde post hęc egressus occulte, perrexit non longe ad montem, vbi clausstrum de sicca petra ædificauit, & ibi fuit annis tribus. Et confluentes ad eum vicini, fecerunt ei columnam cubitorum 6. in qua stetit annis 7. deinde columnam 12. cubitorum, in qua & pariter stetit, & rursum aliam 20. in qua annis. 22. & rursus aliam 30. cubitorum in qua annis. 4. Et iuxta columnas duas basilicas. Et multi ægri virtute eius sanabantur, & multi gentiles ad fidem conuertebantur.

Reuocatur ad monasterium.

Multi ad Simeonem confluunt. Stat super columnam.

Super columnā vnam construere cellulam ex tabulis primus omnium docuit C. Manius Rom. vt testatur Baron. ex Ascon. in Martyrolog.

Post hæc putrescente fœmore eius, anno integro stetit super pedem vnum vermibus de alio decurrentibus per columnam in terram. Antonius vero, qui hoc scripsit assistens ei, secundum præceptum eius colligens vermes in terram porrigebat ei sursum. At ille ponens eos ad vlceta dicebat: *Manducate, quod vobis Dominus dedit.* Audiens autem Basilicus Rex Saracenorum famam eius, cum fide venit ad eum. Et orāte sancto cecidit vermis de vulnere eius, quem ille currens apprehendit & tetigit ex eo oculos suos. Deinde aperiens manum inuenit margaritam preciosam. Cui sanctus ait: *O homo non pro meis meritis hoc fit, sed secundum fidem tuam datum est tibi.* Qui gratias agens abijt. Post septem annos mater eius visitans eum prohibita est, quia locum mulier non ingrediebatur. Cui sanctus ait: Sustine me mater modicum, & videbimus nos si Deus voluerit. At illa solutis crinibus, tribus diebus & noctibus plangens, & deprecans eum & increpans, tandem de planctu in somnum conuersa est. Cumque sanctus oraret pro ea, tradidit spiritum. Rursum fecerunt ei columnam quadraginta cubitorum, vbi stetit annis sex vsque ad obitum suum.

Vitam S. Simeonis descripsit Antonius eius discipulus quā & reperies in lib. primo vitarum SS. Patrum.

De eiusdem miraculis.

Cap. LIII.

TVnc draco ingens iuxta eum habitabat in parte Aquilonis, vnde nec herba ibi nascebatur. Cui lignum intrauit oculum dextrum, venitque cæcus, trahens se ad ostium monasterij prostratus totum se in gyro complicuit, & quasi veniam poscens, oculum dextrum iuxta columnam posuit tribus diebus nemini insidians. Tunc iussit sanctus, vt de terra & aqua perfunderetur. Quo facto statim exijt de oculo eius lignum cubiti longitudinis. Quod videntes glorificauerunt Deum, fugientes tamen propter metum belluæ. At illa inuoluens se, immobilis permansit, donec omnis populus pertransisset. Deinde surgens adorauit ad ostium Monasterij fere per duas horas, & sanus reuersus est in cubiculum suum nemini nocens.

Miraculum de modo quo curauit draconem.

Sed & mulier nocte bibens ad hydriam in qua erat modicus serpens, transglutiuit eum: & medicis nihil in ea proficientibus, post annos multos adducitur ad eum, qui terram & aquam miscere iussit, & in ore eius poni, & statim exijt serpens trium cubitorum per os eius; Qui eadem hora crepuit, & ad multorum testimonium suspensus est ibi 7. diebus.

Aliud miraculum deliberationis mulieris qua deglutiuit serpentem: Huius egregia sanctitas, admirandumque vita genus quod excoluit, non tantum in Syria vbi agebat, sed toto innotuit orbi. Roma etenim vt præsens adeo notus fuit, vt opifices in omnium officinarum vestibulis, alij in porticibus, (vt scribit Theodoretus) imaginē eius affigerent in Gallijs, etiam notissima extitit eius fama, prædicante eius mirabilem sanctitatem S. Genouefa, qua licet lōge absens, cum tamen velut præsentē Dominus noverat, vt constat ex supradictis actis S. Genouefa.

Aliquando etiam periclitante populo & iumentis pro defectu aquę, orationibus eius subito dirupta est terra, & inuenta est quasi spelunca mestimabilis, habens aquas salubres ad potandum, vsque in hodiernum diem.

Quodam tempore quidam de longe expectantes eius orationem, diuerterunt paululum ad arboris vmbraculum, Et videntes cernam prægnantem quæ præteribat, dixerunt ei, per orationes sancti Simeonis adiuramus te, modicum sta. Quæ statim stetit, & apprehendentes eam occiderunt, & manducantes ex ea, statim obmutuerunt. Et currentes ad sanctum Simeonem cum corio steterunt ibi per duos annos, & vix aliquando sanari potuerunt. Corium autem ceruæ in testimonium ibi suspenderunt.

Quidam etiam Pardus ingens, vastabat homines & animalia loci illius. Iussit autem vir Dei de terra monasterij,

sterij, vel de aqua aspergi loca illa. Quo facto, po stmodum inuenerunt pardum illum iacentem mortuum ibi.

Suadebat etiam quos sanabat, ne iurarent per nomen Dei, sed magis per se humilem peccatorem. Ideo omnes populi orientales & barbari illius regionis, per ipsum iurant.

Ionathas autem latro flagitiosus cum à militibus persequeretur, ingressus monasterium amplexatus est columnam, & flens vehementer requisitus à sancto quis esset, ait; Ego sum Ionathas latro pessimus qui huc veni penitere, & ecce ab Antiochia officiales dicentes: *Trade nobis inimicum, quia bestiæ paratæ sunt ad deuorandum eum.* Quibus sanctus respondit: *Non possum, quia eum timeo qui misit eum ad me, qui maior vobis est.* Et per. 7. dies columnam amplexans, ait ad sanctum Simeonem, Si iubes ambulare volo. Qui respondit: an iterum festinas ad mala? At ille: Non domine, sed tempus meum iam impletum est. Et cum hoc diceret, tradidit spiritum. Et ecce alijs officialibus requirentibus eum, respondit sanctus: Qui illum huc adduxit, venit cũ multitudine cœlestis militiæ, & reconciliauit eum sibi, & sic cum timore abierunt.

Superuixit Simeon vt ait Baronius vsque ad 4. annum Leonis Im quod & colligitur ex actis Danielis Stilite.

De transitu eius & exequijs.

Cap. LIIII.

QVadam autem die 6. sabbati, inclinauit se ad orationem sicut consueuerat; & cum omnis populus expectasset eius benedictionem per tres dies, tunc ascendit Antonius ad eum dicens: Surge domine benedic nos. Cumque neque vocem neque flatum audiret, sed velut odor aromatum de corpore eius exiret, flenit amarè, & osculatus oculos eius & barbam ait: Cui me dereliquisti domine, & vbi doctrinam tuam angelicam requiramus? Quale responsum dabo infirmis requirentibus te? Aut quo amictu operiam columnam tuam? Deinde ob tristitiam obdormiuit. Tunc apparuit ei vir sanctus dicens non derelinquam columnam hanc, neque montem hunc benedictum, in quo illuminatus sum sed descendens satisfac populo, & annuncia Antiochiæ quia requieui. Tu autem ne cesses ministrare in loco isto, & Deus tibi retribuet mercedem. Et expergefactus iterum fleuit, & ait: Quales reliquias tollam à te domine in memoriam? Tunc motum est corpus eius, magisque timuit tangere eum. Et descendens celeriter misit Anthiochiam ad episcopum, qui venit cum alijs tribus episcopis & magistro militum. Et extenderunt cortinas circa columnam, & defixerunt vestimenta eius, quia propter auram confixa erant, accipientesque eum deposuerunt iuxta altare ante columnam. Moxque colligentes se aues supra columnam, volabant quasi pro luctu clamantes, ita vt magis accenderetur planctus populi & iumentorum. Montes etiam, & campi circa loca illa contristati sunt, & resonabat planctus per milliaria 7. & facta est nebula tenebrosa vbique ad circuitum: & vidit Antonius Angelum visitantem corpus eius, cuius vultus erat vt fulgur, & vestimenta eius sicut nix, & circa horam decimam septem seniores loquebantur cum eo. Mysterium autem ignorauit. Volens ergo Papa Anthiochenus aliquid de barba sancti pro reliquijs tollere, extendit manum. Quæ statim arefacta est. Et multæ orationes fiebant pro eo, donec sanaretur. Tulerũt corpus eius Antiochiam, & iurauit episcopus, quod nemo quicquam de corpore eius contingeret. Et cum venisset in vicum, qui vocatur Meroe. v. f c. milliario ab Antiochia, nullus eum mouere potuit.

Vir sanctus Simeon apparet suo discipulo Antonio.

Quasi creatura luget mortem S. Simeonis.

Miraculum de manu episcopi arefacta, eo quod aliquid ipsius barbæ capere voluit

Quidam homo cum esset 40. annis surdus & mutus, eo quod violauerat sepulchrum mulieris quam dilexerat, subito proijciens se ante feretrum clamauit: *Bene veniſti mihi ſerue Dei, quia tuus aduentus ſaluauit me.* Et surgens apprehendit vnum de burdonibus, qui portabat feretrum, & sanus factus deseruiebat ei omni tempore vitæ suæ. Tunc omnes exeuntes de ciuitate susceperunt corpus cum hymnis & psalmis, & lampadibus, & portantes in maiorem ecclesiam; & inde in aliam ecclesiam quæ vocatur Pœnitentia. Multò autem plures virtutes operatur dominus ad sepulchrum eius quam quas fecerat in vita sua.

Claret idem sanctus plurimis miraculis.

De quibusdam euentibus, & victoria Vterpendragon.

Cap. LV.

An. Ch. 461. SIgebertus *in chronicis* Anno Leonis. 4. apud Tolosam vrbem Gallię, ex eius medio sanguis tota die largissimo fluxit riuo; quod Gothi pro portento suæ perditionis acceperunt.

Anno eiusdem, vi. Pictor quidam, cum Saluatorem; secundum similitudinem Iouis depingere voluisset, aruit manus eius. Quem culpam confessum sanauit Gennadius episcopus Constantinopoleos. *An. Ch. 463.*

Anno sequenti Eliseus propheta qui duplici Eliæ spiritu plenus multis in vita claruit virtutibus: & mortuus, mortuum hominem supra corpus suum casu iactatum; solo corporis sui attactu resuscitauit, & multo tempore *An. Ch. 464.* in Samaria, (vbi sepultus est) multis claruerat miraculis, vt præter cætera etiam dæmones ibi frementes varijs *An. Ch. 466.* vocibus, ab inuasis fugarentur corporibus, Alexandriam transfertur.

Anno eiusdem ꝟ. Vterpendragon Rex Britonum diuturna infirmitate vexatur, & principes Saxonum Octa & Eosa, quos tenebat in vinculis, cum custodibus carceris fugerunt in Germaniam, commoueruntque innumerabilem armatorum manum, & reuersi sunt insulam vastaturi. Rex autem infirmitate decubans ducem belli posuerat generum suum. Sed ignauia ciuium atque superbia plurimum quidem eis nocebat, hostibus autem maiorem audaciam atque fortitudinem ministrabat. Cumque dubia inter eos alternaret victoria, rex vt hostes sua præsentia deterreret, se deferri ad prelium iussit. Qui positus in vehiculo, & ad bellum delatus, suos quidem animauit, sed hostibus risum fecit, quod semimortuus homo ad pugnam venisset. Congressu inito Britones victoriam obtinuerunt, Saxonumque duces Octam, & Eosam interfecerunt. Tunc Rex hilaris effectus tanquam sanitatem recepisset, erexit se & ait: Vocabant me semi-mortuum Ambrones isti, sed malo semimortuus eos superare: quam incolumis superari: *præstantius enim est mori cum honore, quam cum pudore viuere.*

Lepida Vterpendragonis responsio.

De institutione rogationum, & victorijs Arthuri.

Cap. LVI.

ANno eiusdem. ii. Mamertus episcopus Viennensis claruit, qui Litanias ante ascensionem Domini instituit, hac de causa, quia terræ motus in vrbe Vienna, ecclesias domosque euertebat, & feritas Luporum aliarumque siluaticarum bestiarum toto anno per vrbem vagantium homines deuorabat. Ad hoc & palatium Regis die sancto Paschę cælesti igne consumptum ad cladem multum terroris addebat. Qui litaniarum ritus à Viennensi ecclesia in omnes Galliarũm ecclesias decucurrit.

Rogationum institutio.

Mortuo autem Vterpendragon Rege, sublimatus est in regno filius eius Arthurus. Cuius mirabiles actus etiam ora linguæque personant populorum, licet plura esse fabulosa videantur. Qui multa probitate pollens cunctis se amabilem exhibebat, quia cum virtute animi etiam mira liberalitate affluebat. Porro aduersus Saxones, Scotos, & Pictos varijs conflictu decertans, tandem concluſit eos in quodam saltu, sed illi arboribus pro munimento contra Britonum tela vtebantur. Quod videns Arthurus, iussit arbores per multa loca incidi, & in circuitu nemoris poni, vt liberòs exitus non habentes fame ibi deficerent. Vnde cogente necessitate, ad hoc compulsi sunt, vt licentiam peterent redeundi in patriã suam, omnia relicturi, & tributa cũ obsidibus reddituri

Arthurus rex. Audi Coccii Sabellicum. Reponitur in hac tempora (inquit) Arthurus rex qui in Britãnis regnauit, vir bellica gloria insignis, sed circulatoribus fabulis magis quam e-

ruditorum testimonijs decantatus, dignus tamen cuius memoria sit ad posteros quod fuisse fertur cultor pietatis.

Sed in reditu positi pactionem ruperunt, & retroactis velis insulam depopulari cæperunt. Arthurus vero congregato exercitu, processit contra hostes in prælium, accinctus gladio nomine Caliburno, & auream galeam simulacro draconis insculptam capiti superponens, clypeumque in quo imago *sanctæ Dei Genitricis* erat impicta humeris imponens. Lanceam quoque quæ Ron vocabatur, assumens, cumque pugna valida vtrinque fieret Arthurus impetu facto in hostes occidit ex eis solo Caliburno gladio 470. viros, cæteros autem in fugam cōuertit, principibus eorum prostratis.

An. Ch. 471. Anno Leonis. 14. Rhemigius fit Rhemorum episcopus, Saracenis Ægyptum incursantibus, hoc tempore negociatores Venetiæ, corpus sancti Marci Euangelistæ ab Alexandria transtulerunt Venetias.

Annotatio.

Mira refert Chronicon Chronicorum cum eius supplemento de isto Arthuro, quod sc. Christianissimus fuisset, & ecclesia collabenti in Gallia & Britannia plurimum subuenisset, nec non & catholicam fidem mirum in modum ampliasset, & ob eam causam plurimas regiones suo subiugauit imperio, & tam multa etiam commisit prælia, vt breui triginta regna sibi vendicauerit, quam ob rem & rotundam mensam apud Corunbiam ciuitatem instituit. Tandem cum in prælio multas hostium strages dedisset & ipse vulneratus in insulam defertur, ibique constitutus; vt Britonum tradunt historia, in de sublatus, nusquam comparuit; quem & nunc vsque Britones expectare dicuntur iuxta illud: Arthurus Britto rex quondam, rexque futurus. Sane, multa me in hanc sententiam inducunt, vt putem hac potius in anilibus quam in Annalibus numeranda Lesłaus lib. 14. de rebus Scot. hac & alia mendacia refellit. Guliel. Nembringensis in proam. rerum Anglicar. Polydorus Virgil. lib. 1. Angl. histor. Genebrad & plures alij.

De Translatione sancti Martini.

Cap. LVII.

An. Ch. 465 Anno à translatu S. Martini 64. HIs diebus sanctus Perpetuus Turonensis episcopus cernens ad sepulchrum sancti Martini fieri multa miracula, fecit magnam basilicam fabricari iuxta cellulam in qua corpus ipsius quiescebat, eamque in eius nomine dedicans transtulit in illam sanctum corpus ipsius, præmonente pariter & adiuuante quodam sene veneranda canicie formoso, qui nec prius visus fuerat, nec postea comparuit.

Perpetuus episcopus angelico fretus auxilio corpus S. Martini transfert in templum suum. *Ex historia translationis eiusdem.* Hic itaque sanctus Perpetuus cum ecclesiam sancti Martini mirifice ampliasset, & eam dedicare volens sancti Martini corpus transferre vellet, conuocatis episcopis, & presbyteris & clericis, voluit hoc agere, tertia. kal. Iulij; sed cum vigilassent vna nocte, facto mane, discooperto tumulo, manus apponentes, mouere sepulchrum non potuerunt. Vigilata iterum alia nocte, mane tentantes nihil proficiunt. Turbati igitur, cum nescirent quid agerent, dicit eis vnus ex clericis: Scitis quod post hoc triduum, natalis episcopatus eius celebrari solebat, & fortsitan tunc se vellet transferri. Tunc omnes ieiunijs & orationibus insistentes, quarta die manus inijciunt, sed penitus mouere non possunt. Pauore ergo nimio conturbati, cum iam tumulum vellent tegere, apparuit eis quidam pulcherrimus senex, & ait eis: Vsquequo turbamini & tardatis? nō videtis sanctum Martinum paratum iuuare vos, si vos manus apponatis? Tunc iactans pallium suum, posuit manus ad sarcophagum cum alijs presbyteris. Et statim cantantibus clericis, ad conatum senis cum facilitate sustollitur, & in loco vbi nūc colitur, collocatur. Cumque completis officijs veniissent ad conuiuium, requirentes senem nusquam inuenerunt; sed nec quisquam fuit, qui eum de ecclesia exire vidisset.

In prædicto templo (ait Sigebertus) sub ciborio, auro, argento, gemmisque vestito, decenter corpus collocatū tanta miraculorum illustratur magnificentia, vt toto Christianitatis orbe Apostolicam gloriam obtineat.

De Prospero, & Theodoreto & libris eorum.

Cap. LVIII.

Viri illustres Prosper & Theodorus HVgo vbi supra. Floruit eo tempore Prosper vir Aquitanicæ regionis, & beati Papæ Leonis notarius necnon Theodoretus episcopus ciuitatis, quæ à Cyro quondam Rege Persarum condita, Cyria vocitatur; qui ecclesiasticam scripsit historiam, à fine librorum Eusebij sumens exordium & perduxit vsque ad suum; idest, vsque ad Imperatoris huius Leonis tempus, quo & defunctus est.

Gēnadius in libro virorum illustrium. Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scolasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego chronica, nomine ipsius prætitulata legi, cōtinētia à primi hominis conditione iuxta diuinarum scripturarum fidem, vsque ad obitum Valentiniani Augusti: & captiuitatem vrbis Romæ à Genserico Vuandalorum rege factam. Legi & librum eius aduersus opuscula Cassiani, quæ ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat velut nociua. Re enim vera Cassiani & Prosperi de gratia Dei & libero arbitrio sententiæ, in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ. Epistolæ Leonis Papæ aduersus Eutychē de vera Christi incarnatione ad diuersos datę, ab ipso dictatæ creduntur.

Hic pelagianismū profligauit Vide Baron. ad an. 444. & 466. Pro S. Augustino & eius scriptis fortiter dimicauit. Bar. an. 426

Theodoretus Cyriæ ciuitatis, & prouinciæ Cyriæ episcopus (à Cyro enim Rege Persarum condita, seruat vsque hodie apud Cyriam nomen authoris) scripsisse dicitur multa: ad meam tamen notitiam ista sunt quæ venerunt. De incarnatione Domini aduersus Eutychen Presbyterum, & Dioscorum Alexandriæ episcopum, qui humanam in Christo negant carnem fuisse; scripta fortia, per quæ confirmatur ratione, & testimonijs scripturarum, ita illam veram maternæ substantiæ carnem habuisse, quam ex Matre virgine sumpsit: sicut & veram deitatem, quam æterna nascibilitate Deo Patre gignente, ipse nascendo accepit. Extant & historiæ Ecclesiasticæ libri eius, in quibus imitatus Eusebium Cæsarienſem conscripsit à fine librorum Eusebij, vsque ad suum tempus: ideſt à vicennalibus Constantini, vsque ad imperiū Leonis sub quo & mortuus est.

Vide Bar. 423. 431. 436.

Author. De opusculis Prosperi viri religiosissimi & prudentissimi, duo tantum excerpta, quæ valde moralia sunt & vtilia, huic operi inserere volui. Vnum scilicet sententiarum siue epigrammatum, qui liber partim metricus est, partim prosaicus: alterum ad Iulianum Pontificem de vita contemplatiua tres libros continens: vtrumque ex dictis beati Augustini compendiose contractum.

Sententia Prosperi. Hæc sunt ergo quæ de his moralia, & electa breuiter excerpsi: de primo flores metricos & prosaicos sigillatim ponens, in hunc modum.

De Floribus Prosperi metricis.

Cap. LIX.

PRosper in libro Epigrammatum metrice.

Nam quicunque alium molitur lædere, primum.
Ipse se iaculo percutiet proprio.
Naturæ quisquis propriæ non spernis honorem.
In quocunque hominum, quæ tua noscis ama.
Sic tamen vt prauos vitet concordia mores.
Nullaque sint pacis fœdera cum vitijs.
Æternus vere est solus Deus omni-creator.
Vita in se viuens permanet esse, quod est.
Virtus præteritis prior, vlteriorque futuris.
Nil recipit varium, nihil habet occiduum.
Multa diu summi differt patientia regis.
Suspendens æqui pondera iudicij.
Verbere nonnunquam plectuntur corda paterno.
Et curat medicus vulnera vulneribus.
Laus vera in dominum depromitur ore precantis.
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.
Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis:
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.
Nam fari recte miserum est, & viuere praue.
Damnat nota malum regula iustitiæ.
Est & in hac vita requies multis data sanctis.
Quorum animos mundus non tenet occiduus.
Quos desideriys nullis peritura fatigant.

Ladens alium seipsū ladit. epi. 2.

Deus solus æternus epi. 4.

Patientia Dei epi. 3.

Quies in hac vita datur aliqua sanctis ep. 15

Et

Et quibus omne bonum est Christus, & omnis honor.
Cœlestem ad patriam Christo redimente vocatus,
Vitam labentis temporis hospes agit.
Doumque ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla viæ.
Quæ nunc obsessa aduersis nunc pena secundis,
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios.
Inter quos laqueos currentem ad gaudia vera,
Non capiet mundus cui via Christus erat.
Mens nullos poterit carnis compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.
Amplis incedit spacys terrena voluptas:
Angusto virtus limite celsa petit.
Hac desiderij Deus est pietate colendus:
Iustitiæ vt merces tota sit ipse Deus.
Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est.
Præsertim, si quæ cognita sunt, bona sunt.
Non pateant faciles sæuis rumoribus aures.
Quæ nescire iuuat, credere non libeat.
Ex operum specie clarebunt intima cordis.
Quisue hominis mentem spiritus intus alit.
Spernuntur mundi prælia pace Dei.
Non satis est domini præcepta exoluere linguæ:
Is meminit legis, qui memor est operis.
Scrutari legem possunt vtcunque quieti,
Si mundi à strepitu libera corda iacent.
Doctrinæ domini penetralia tempore in isto.
Ad plenum nulli peruia sunt homini.
Semper enim superest sanctis quo crescere possint,
Et perfectorum gloria principium est.

Mens libidini dominatur per Christum epi. 19.

Dei præcepta non tam legenda quam facienda epi. 25.

De eodem.

Cap. LX.

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis.
Impia pars mundi parti est infesta piorum.
Quod quis non cecidit, proprijs si viribus aptat.
Hoc ipso quo sestare putat cecidit.
Semper erunt, quo erant æterna gaudia vitæ,
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus.
Nec varios pariet motus diuersa voluntas.
Vnum erit in cunctis lumen, & vnus amor.
Inque bonis summis posita experientia felix.
Nec volet augeri, nec metuet minui.
Qui se peccatis gaudet feliciter vti.
Infelix nimis est prosperitate sua.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ.
Qui sanctum & iustum non amat imperium.
Non merita obscurat grandia culpa leuis.
Et bona quæ prauis naturæ ex dote supersunt.
Augent peccati ponderanon minuunt.
Cum datur iniusto peccandi optata potestas.
Vt mala mens praue quod cupit efficiat.
Ita est magna Dei qua multos sic quoque punit.
Vt quibus exultant criminibus pereant.
Et magis erranti ne parcant flagra timendum est,
Quam ne non fiat quod voluisse nocet.
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt vires, & bene gesta dare.
Cuncta bonis prosunt, quoniam & mors ipsa beatos
Efficit, vt sumant præmia principium.
Mens illæsa nihil violato in corpore perdit.
Inuitam carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta voluntas:
Velle magis facinus, quàm tolerare nocet.
Qui valet aduersis oneratam ducere vitam.
Et tolerare magis vult mala, quam fugere.
Hic magni est animi.
Non seruile grauat libera corda iugum.
Solus peccator seruit male qui licet impio
Vtatur regno sat miser est famulus.
Cum mens carnali nimium dominante tyranno.
Tot seruit sceptris, dedita quot vitijs.
Optima vota Deo, quorum est dator ipse, fouentur.

Æterna vita æterna sunt gaudia epi. 38.

Hoc sursum dignum est ire quod inde venit.
Tales à Domino quales formamur amamur,
Non quales nostris extitimus meritis.
Terrenorum auidos infima suscipient.

Adhuc de eodem.

Cap. LXI.

Scire volens in qua lis rerum parte locandus:
Discute quid timeas, quid ve sit, id quod amas.
Nam cuncti hoc gemino nascuntur fomite motus,
Respondentque suis germina principijs.
En miris operum signis ostenditur author:
Authorem que suum condita quæque canunt.
Non semper vere est felix impleta voluptas,
Cum sæpe insusti sint mala vota animi.
Maiestate Dei concluditur omne, quod vsque est,
Qua sine nil rerum stare, vel esse potest.
Huic homo si recte famulatur, proximus hæret:
Si resilit misero degit in exilio.
Fallaces curis semper torquentur amoris.
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet.
Ad patriam vitæ de noctis valle vocati,
Virtutum gradibus scandite lucis iter.
Gratior est fructus quem spes productior addit.
Vltro obiectorum vile aderit precium.
Qui dedit vt quæras, addet vt inueniat.
Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Hac properent fontes, peccati abrumpere nodos
Ante diem mortis, dum locus est veniæ.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectat cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam:
Sed nulli nostrum est vltima nota dies.
Quando peccati merito manus omnipotentis:
Omnia concludens, arctat vbique reum.
Vnum perfugium tutum est Deus ipse timenti:
A quo discedens, ne pereat, redeat.
Conuerti namque ad Dominum certissima vita est.
Pacem offensi quærere sola salus.
Qui terret parcit; qui percutit, ipse medetur.
Viuere vis illi subdere, quem metuis.
Carnis virginitas, intacto corpore habetur.
Virginitas animæ est intemerata fides.
Magnum peccatum est amor immoderatus habendi.
Et plusquam vitæ sufficiat cupiens.
Si qua igitur superant, quorum non indiget vsus.
Debilibus prosint, atque iuuent inopes.
Quisquis enim cupide non expendenda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.
Terrenis opibus cum dives gaudet iniquus,
Veris se miserum nescit egere bonis.
Cui licet, aduersis cessantibus, omnia parcant,
Lege tamen mortis sit faciendus inops.
At bona iustorum nullis obnoxia damnis,
Hostes, furta, ignes, & mare non metuunt.
Omnis virtutum semper substantia salua est,
Inuitis Christi munera nemo rapit.
Sed vetitorum auidis grauior tunc ira timenda est,
Cum sese remouent verbera iustitiæ.
Nam, quid erit morbi, quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium iam medicina negat.
Felices vere faciunt, semperque beatos.
De vero & summo gaudia nata bono.
Nam mundi ex opibus brevis ac peritura voluptas.
Edita perpetuæ semina mortis habet.
Non placeat vanis animum submitere rebus,
Pestiferisque auidam mentem onerare cibis.
Cor mundum & sapiens fructu virtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor.

Timor & amor omnium actionum fontes ep. 59.

Deus tutum peccatori perfugium epi. 72.

Virginitas carnis, corpus intactũ. Virginitas anima fides incorrupta. epi. 74.

Non potest vnquã fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem De eodem.

Cap. LXII.

*al. Ambitiũ mundi totiũ.

*Omnem habitum mundi totus Deus implet, & ambit,
Quem templo cordis mens pia semper habet.
Non recto seruat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vitutum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos,
Omnia conueniunt tempora iustitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus ocia sancta.
Tantum à peccatis libera corda vacent.
Libertas nulla est melior, maiorve potestas,
Quam seruire Deo, cui bene seruit amor.
Absque iugo posita est ditionis amica voluntas,
Quæ viget affectu, non gemit imperio.
Ancipius vitæ qui vis superare labores,
Dilige, quod semper verus amor habet.
Nam nihil est inter carnalia vota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo.
Lingua assentatrix vitium peccantis acerbat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis vnda fuit.
Et quicquid sancti fert mystica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.
Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem
Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.
Absque dolore quidem nequeunt mala sueta repelli,
Sed quod læserunt dulcia, amara mouent.
Ad veniam tendunt iusti pia verbera regis.
Ira breuis rectis gaudia longa dabit.
Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,
Et cum quo certet, mens pia semper habet.
Pulsant exterius diuersis moribus hostes.
Intus ciuile est, & sociale malum.
Qui credunt sacros verum cecinisse prophetas,
Et qui non dubitant verba manere Dei.
Qui Christum passum pœnas crucis, vltima mortis,
In toto excelsi patris honore vident.
Quique ipsum multa cum maiestate tremendum
Expectant pingui lampade peruigiles.
Hic sordent terrena, patent cælestia, nec se
Captiuos seruos temporis huius agunt.
Imperia & fasces, indocti munera vulgi,
Quasque orbis scelerum semina fecit opes,
Calcarunt sancta cælum ambitione petentes.
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.

Iterum de eodem.

Cap. LXIII.

Epigra. 96.

Cum Deus effectum precibus non præstat iniquis,
Multum concedit, quod nocitura negat.
Iratus sineret, quod prohibet placidus.
Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos.
Quodque volunt homines, se bene velle putant.
Delicias iam nunc promissi concipe regni.
Virtute atque fide, quod cupis esse, tene:
Esse volens, gaudere optans, scire abdita quærens,
Vt te non teneant infima; summa pete.
Cum pia mens in laude Dei superata labores
Gaude, quod tantum te bene vincit opus.
Quære bonum sine fine, bono & persiste reperto.
Quærere, non habeant alia vota modum.
Nam qui se nullo iam munere credit egere.
Crescere non cupiens, perdit adepta tepens.
Ferro, peste, fame, vinclis, ardore, calore.
Mille modis miseros mors rapit vna homines.
Quod sibi quis nolit fieri non inferat vlli.
Vindictam Iesus nesciat exigere.
Sperni non timeat spernere non* soleat. * libeat.
Non sua non cupiat; quæ sua sunt tribuat.
Quid rogo mandatis diuum censetur in istis?
Aut quid erit, quod non possit* adire fides? * obire.
Exulta agnoscens te verbi in carne renatum:
Cuius si pars es, pars tua Christus erit.
Qui ne damnandi legeres mala gaudia mundi.
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.
Ille Deus rerum cæli terræque creator,
Me propter sacra virgine natus homo est. Christi in nos beneficia
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora saliuis
Præbuit, & figi se cruce non renuit.
Me gessit moriens, me victa morte resurgens,
Et secum ad patrem me super astra tulit.
Quidnam igitur tanta pro spe tolerare recusem?
Aut quid erit quod me separet à domino?
Ignem adhibe rimare manu mea viscera terror.
Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere si cæco claudar, nectarque catenis:
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor.
Impauidum inueniet mors cita, vita breuis,
Non metuo exilium, mundus domus omnibus vna.
Sperno famem, domini sit mihi sermo cibus.
Nec mirabor opes, nullos sectabor honores.
Pauperiem Christo diuite non timeo.
Qua stetero aduersis, hac vtar mente secundis:
Nec mala me vincent, nec bona me capient.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit:
Tu das Christe loqui, tuque pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, & superare facis.
Semper agam grates Christo, dabo semper honores.
Laus Domini vigeat semper in ore meo.

De Flosculis eius prosaicis.

Cap. LXIIII.

IDem in libro sententiarum prosaice. Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores, quia aliud est amare: quod facti sunt, aliud odisse, quod faciunt.

Nulla dei opera à misericordia vacant, quando homini & indulgentia consulit, & flagello.

Bene loqui, & male viuere nihil aliud est, quam se sua voce damnare.

Cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est eum exsuspicione reprehendere.

Qui Deum colit, vt aliud quam ipsum promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit.

Qui legem diligit, probet se in hominibus iniquis id, quod contra legem est odisse non homines.

Non est putanda mala mors, quam bona vita præcesserit.

Bonus etiamsi seruiat, liber est, malus autem etsi regnet, seruus est, & tot dominorum quot vitiorum.

Verius cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est, quam cogitatur.

Non parua autem notitiæ pars est, si antequam possimus scire quid sit, possimus scire quid non sit.

Bonæ sunt in scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant, ob hoc quæruntur, vt exerceant, ob hoc aperiuntur, vt pascant.

Non differenda est ad Deum conuersio. Qui enim pœnitẽti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit:

Omnia quæ timentur rationabiliter declinantur; Deus autem sic timendus est, vt ab ipso ad ipsum fugiatur.

Vana quærentibus nihil sufficit.

Alienorum quodammodo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

Parum est nulli nocere, nisi studeas multis prodesse.

Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

siue summo bono,

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis vt boni fiant, studiosius supplicandum, quia numerus sanctorũ de numero semper augetur impiorum.

Non facile inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.

Idem dicta eius de Angelis, & vita æterna contemplatiua.

Cap. LXV.

IDem *in prologo libri de vita contemplatiua.* Tractatio quęstionum, & si nõ instituit inuenientis quod quęrit animum, exercet tamen quærentis ingenium,

Scientia sicut sine dono charitatis inflat, ita si ei charitas admisceatur ædificat.

Idem in libro primo. Angeli mali, quia perseuerare cum possent noluerunt, iusto Dei iudicio & voluntatem redeundi & facultatem penitus amiserunt; sicut in sanctis Angelis e contrario factum est, vt quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria fælixque necessitas, vt Deo suo infatigabiliter & amanter seruiant; ita perfecte beati, vt nec cupiant beatiores fieri vltra nec valeant.

In illa cælesti patria ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales. Ibi etiam corporales oculos nihil creaturæ visibilis latebit, & quocumque spiritus ire voluerit, ibi corpus erit sine mora temporis aut impedimento ponderis. Tunc filiorum, parentum, coniugum miseria beatos contrista e non poterit, quia nomina necessitudinũ corporalium quæ hic nostra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit, vbi omnes qui fuerint, vnum corpus erunt, & singuli de sua vel singulorũ fælicitate gaudebunt.

Vita contemplatiua esse dicitur rerum latentium, futurarumque notitia, siue vacatio ab omnibus mundi occupationibus, siue diuinarum studium literarum, siue quod his probatur esse perfectius, Dei visio.

De officio prædicationis.

Cap. LXVI.

Cap. 20. Nil proderit bene viuere, si male viuentem non corrigas.

ILle cui verbi dispensatio commissa est, etiamsi sancte viuit, & tamen perdite viuentes arguere aut erubescit aut metuit. cum omnibus qui, eo tacente, pereunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior si non per Ezechielem hoc dominus loquitur dicens. Speculatorem dedi te &c.

Aduersus suo officio male fungentes cap. 21.

Pastores dici volumus, non tamen esse contendimus. Officij nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Quando peccantes diuites vel potentes conspicimus, non solum non arguimus, sed etiam veneramur, ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant. Itaque imperitiæ meæ ac finis recordatus ingemui, & volui sarcina episcopatus mei deposita *elongare fugiens, & manere in solitudine*, & ibi expectare Deum, *qui saluum me faceret, à pusillanimitate spiritus &c.*

Psal. 54.

Hoc specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, vt fiant qui eum audiunt sanis disputationibus meliores, nõ vana assentatione fautores: lachrymas quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat.

Sacerdotes tam simpliciter docere debeant, vt omnes intelligant.

Tam simplex & aptus etiamsi minus latinus, tamen disciplinatus & grauis debet esse sermo pontifici, vt ab intelligentia sua nullos quasi imperitos excludat, sed in omnium audientium pectus eum quadam delectatione distendat.

De auditu verbi Dei, & modo corripiendi, & contemptu sæculi.

Cap. LXVII.

EX *libro secundo.* Sunt qui nec rationem dictorum sed dignitatem dicentium praua examinatione discutiunt, & magis quis dicat, quàm quid dicat attendunt, & quod facere aut fieri nolunt, dici quoque sibi fastidiunt, paratiores aliquid doctrinæ, etiam quod scire cupiunt, ignorare, quàm à persona inferiore cognoscere: cum veritas vndecunque claruerit, non humano ingenio, sed Deo deputanda sit. *In præfatione.*

Cap. 1.

Ita peccatis dissimilia sunt adhibenda remedia, sicut ex dissimilibus causis veniunt ipsa peccata.

2. Tim. 4. Cap. 5.

Argue coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores *in omni patientia & doctrina*, quia leuiter castigatus exhibet castiganti reuerentiam: asperitate autem nimia increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem; quin potius tales plerunque mole tristitiæ supra modum grauati succumbunt, & sanctorum omniũ vultus per quos possunt restitui Deo refugiunt; aut certe ad omnem peccandi impudentiam exacerbati prosiliunt.

Cap. 6. Peccata aliena patienter accusant qui sua non cognoscunt.

Tamdiu quis peccata sua, quæ nosse & deflere debet ignorat, tandiu curiose aliena considerat. Quod si mores suos ad seipsum conuersus aspiciat, non requirit quod in alijs reprehendat, sed in seipso quod lugeat. Proinde fratrum vitia non debemus facile accusare sed gemere, vt inuicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere; qui vtique non accusauit peccata nostra, sed tulit.

Cap. 7.

Huc accedit, quòd & peccata ipsa sic habentur occulta, vel aliena nobis, vel nostra alijs, vt plerunque & sanctus inter peccatores lateat, & famam sancti peccator obtineat.

Cap. 9 Facultates ecclesiæ habere expedit quasi communes, pro quibus Deo rationem reddituri sunt.

Expedit facultates ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni. Nam, & sanctus Paulinus ingentia sua prædia vendita pauperibus erogauit, sed cũ postea factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensauit. Sic & sanctus Hilarius, sed vterque non, vt possessor, sed vt procurator possidebat ecclesiæ facultates. Scientes enim nihil aliud esse res ecclesiæ nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas in vsus proprios, vt proprias vendicauerunt, sed vt commendatas pauperibus diuiserunt. Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere, & quod habet ecclesia cum omnibus nihil habentibus habere commune; nec inde aliquid eis, qui sibi sufficiunt erogare, cum nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.

Cap. 10. Cum quo damno anima sua ab ecclesia, qua pauperes pascit accipiat illi qui sibi de suo sufficiunt.

Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, non sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat, accipiunt. Ipsi quoque pauperes si se possunt suis artificijs aut laboribus expedire, non debent præsumere, quod debet debilis, & infirmus accipere.

De suaui iugo Christi, & abijciendo iugo sæculi.

Cap. LXVIII.

Cap 13. Qua sint vera gaudia vel vera diuitiæ.

EA, quæ nolumus obseruare, non impossibilitas facit dura, sed nouitas. In vsum veniant, & neminem cõturbent.

Illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possint pariter & munire, quas nec acquirere possumus inuiti nec perdere. Hæ sunt diuitiæ virtutum, facultates pauperum, patrimonium cordium, diuitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi qui carnalibus scilicet diuitijs ex corde renunciant. Boni temporalis amissio, fit iusti exercitium, & iniusti supplicium: quia & iustus cælestium desiderio captus, omnia tẽporalia siue habeat, siue amittat, omnino non sentit; & iniquus quod cum delectatione habuit sine dolore non perdit.

O fa-

O facinus inauditum: suaui iugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus, & abiecto Domini nostri leui onere, quod subiectos non onerat, sed honorat, non deprimit omnino sed subleuat, plumbeum pondus nostris ceruicibus aggregamus, quod citius deponi potest, quā ferri; quia ipsa cupiditas cōtēni potest facili*, quā expleri.

Cap. 16. Proinde quam possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creauit expedita mente possideat, & in eo habebit quæcunque habere sancte desiderat. Et quia nemo possidet Deum nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitus Dei possessio, & efficitur ei Deus possessor & portio. Quid autem vltra quærit cui suus conditor omnia fit, aut quid ei sufficit, cui ille non sufficit? Igitur qui vult Deum possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio.

Cap. 21. Qualiter debeant viuere qui Christum imitari desiderant. Quid est ambulare sicut Deus ambulauit, nisi contemnere omnia prospera quæ ille contempsit, non timere aduersa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, docere quæ docuit, sequi quo ipse processit.

Cap. 22. Nihil contra abstinentiam faciunt qui vinum non pro ebrietate sed pro corporis salute percipiunt.

Cap. 24. Si quolibet adueniente ieiunio intermisso reficior, nō soluo ieiunium sed impleo charitatis officium. Ipsa cōtinuatio ieiuniorum nisi fuerit quando res exigit, prætermissa, & me inflat, & fratrem, cui charitas iubet seruire, contristat; cum sine abstinentia quemlibet hominem catholicum sola charitas perficiat; & omnis abstinentia sine adiunctione charitatis, aut perdat aut pereat.

Idem in libro tertio cap 1.

De hipocrysi, & inuidia, pudicitia quoque, & superbia.

Cap. LXIX.

Sicut virtus animam sibi veraciter inhærentē si fuerit vera, iustificat; ita simulata condemnat: dupliciterque rea est anima si & bonum non faciat, vnde spiritualiter viuat & appetat similitudinē boni sub qua male viuat & lateat. Superbus vult se constantē credi, prodigus liberalem, auarus indigentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, gulosus humanum: ignauus quietum, timidus cautum. Impudentia sibi fiduciæ nomen ascribit, procacitas libertatis appellationem ostendit, eloquentiam verbositas fingit, & curiositatis malū sub spiritualis studij colore delitescit.

Quantum a veris virtutibus virtutum similitudines differant.

Inuidus alienum bonum suum facit, inuidendo supplicij. Tantos inuidus habet iusta pœna tortores, quātos inuidiosus laudatores. Inuidiosum enim facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati.

Cap. 5. Inuidiæ pernicies.

Quosdam pudicos aut temperatio corporum facit, aut timor supplicij temporalis ab impudicitiæ actione suspendit, aut occasio negata destituit. Sed licet necessitate pudici sint, non voluntate, tamen & primi si de beneficio naturæ suæ Deo gratias agunt, & secundi & tertij si pudice viuere consuescunt, in virtutem de necessitate proficiunt, & paulatim ipsius pudicitię delectatione crescente, pudici veraciter fiunt.

Cap. 7. Etiam hi quos ab impudicitia qualibet necessitas vetat si videre pudice consuescant ad amorem castitatis ascendunt.

In quibusdam superbia tam aperte regnat, vt nec dignetur se occultare nec valeat; quorum etiam ipse habitus & incessus, ceruix erecta, facies torua, truces oculi, sermo tetribilis, nudam superbiam clamant. Hi quos superbæ mentis tabes prurulenta corruperit, seniorū suorum non obseruant imperata, sed iudicant de suis negligentijs obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant. De loco superiori disceptant, præferri se melioribus etiam impudenter affectant, simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitant, sententias suas procaciter iactant, obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt. Habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione iactantiam; in humilitate fallaces, in iocatione mordaces; in odio pertinaces. Ad opus bonum pigri, ad communionem feri, ad obsequium duri, ad exequendum quod nesciunt prompti, ad fraterna obsequia inhumani. Temerarij in audendo, clamosi in loquendo, fastidiosi in audiendo, præsumptuosi in docendo, efferati deformiter in cachinno, ingrati beneficijs, inflati obsequijs, imperiosi abiectis.

Cap. 8. Quibus indicijs possit ostendi superbia, quæ vel in perditis aperta est, vel in fictis occulta

De Inuidia, & vana gloria.

Cap. LXX.

Inuidi sancte viuentium merita, sua faciunt inuidēdo peccata, & quicquid boni fieri vel dici à sanctis audierint, aut omnino non credunt, aut in malum male interpretando conuertunt; & omne malum quod de illis mendax fama iactauerit, statim tanquam si ipsi viderint credunt, ac feraliter eis qui illud non verum esse probauerint, contradicunt, omnia suos æmulos fingunt, quorum profectu deficiunt. Inimicitijs gratuitis ardent deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi. Amici diaboli, inimici sui, omnibus* dolosi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vtrobique peruersi. Inter amicos discordias seminant, opinionem bonorum mendacijs decolorant, odiorum sibi occasiones prauis suspicionibus decolorant: velut amici in obsequio, hostes in animo, continentes in verbo, turpes in facto. Considerate obsecro qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi poterunt fieri boni, qui sunt in bono mali, aut quādo malis bene vsuri sunt, qui male bonis vti non desinunt? Quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem?

Cap. 9. Quibus signis inuidorum declaretur inuidia.

* odiosi.

Vanitas est inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris auida, simul & nescia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina, male fundātis omnibus blanda, repugnantibus fumea capiendis seductoria, captis inuicta. Hæc vanos homines afflatus sui vento circunfert, qui se de operibus, quorum sibi conscij non sunt turpiter iactant, & ab omnibus se prædicari, affectant. Salutationibus occurrentium gaudent, adulatoribus suis fauent, voluptatibus parent: gestiunt docere quod nesciunt, credi de se sublimia volunt, delectabilia grauibus anteponunt: In promissione veloces, in exhibitione mendaces, in verbo graues, vbique fallaces: læti ad prospera, fragiles ad aduersa: inflati ad obsequia, anxij ad opprobria: immoderati ad gaudia, difficiles ad honesta.

Cap. 10. Quantis malis vanitas vanos involuat.

De Timore supplicij, & amore Dei.

Cap. LXXI.

Nulla res sic nos ab omni peccato seruat immunes sicut timor supplicii & amor Dei. Ad pœnam quę peccanti debetur, mens antequam peccet, aspiciat; & nulla eam ad peccandum delectatio corporalis inclinet.

Cap. 11.

Cogitate quale malum sit ab illo gaudio diuinę contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, mori vitæ æternæ, & morti viuere sempiternæ, profundo gehennæ fluctuanti immērgi, edacissimis vermibus in æternum dilaniari, nec finiri, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat. Hæc & multa similia cogitare, nihil aliud est quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia carnalia blandimenta refrænare.

Cap. 12.

Charitas est recta voluntas ab omnibus terrenis prorsus auersa, & Deo inseparabiliter vnita, igne quodam spiritussancti, à quo est, & ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, supra omnia quæ carnaliter diligantur excelsa, affectionum omnium potentissima, summa bonarum actionum, salus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum anima sanctarum mentium, causa meritorum p ræmium perfectorum, quam fides concipit

Cap. 13.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit.

Cap. 14. Quidam honesta prædicare non cessant, non vt auditores eorum prædicatione proficiant, sed vt ipsi videantur curare quę prædicant, & hoc modo turpitudinem suæ conuersationis obnubilent.

Cap. 15. Quid est diligere Deum nisi occupare illi animum, concipere fruendæ visionis eius affectum, peccati odiũ, mundi fastidium: diligere etiam proximum, quem ipse censuit diligendum, in ipso amore seruare modum & ordinem legitimum? Proximos autem sicut nos diligimus, si non propter aliquas vtilitates, vel affinitates, vel consanguinitates, sed propter hoc tantum quod naturæ nostræ participes sunt diligamus. Nam si propinquos nostros quamuis turpes & incompositos, plusquam quoslibet sanctos à sanguine nostro extraneos, diligimus; grauiter in eorum tali dilectione peccamus. Hæc est autem proximi tota dilectio, vt bonum quod tibi conferri vis, conferas & proximo.

Vid. Aug. lib. 1. cap. 27. de doct. Ch.

De Temperantia, & Iustitia.

Cap. LXXII.

Cap. 19. TEmperantia est virtus quæ libidines frenat, desideria sancta multiplicat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat: mentem placida tranquillitate componit, & ab omni vitiorum tempestate defendit. Temperantiæ est quod loquenti seniori præstamus silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus sonum, quod visu prorumpere non audemus in cachinnum, quod nulli detrahimus nec detrahentibus acquiescimus, sed nec detrahentes æquanimitet sustinemus. Qui ad hoc alios viles videri volunt, vt se commendent eorum comparatione quos carpunt, & videantur ea in se vitia non habere, quæ malitiose in alijs reprehendunt:

Cap. 22. Ex iustitia manat æquitas, quæ facit vt nos omnium necessitates hominum nostras esse dicamus, nec nobis tantum sed etiam generi humano nos natos vtiles esse credamus, vt quicquid cuilibet homini nocere potest, tanquam si nobis noceat euitemus. Qui enim homines sumus, nihil humani à nobis alienum putare debemus. Siquidem belluarum est sibi viuere nec suas vtilitates in commune conferre.

Cap 23. Duo autem sunt Iniustitiæ genera, vnum quo iniurias irrogamus, alterum quo ab alijs irrogatas, cum possimus propulsare, negligimus. Neque enim mihi aliquid prodest, quod non circumuenio aliquem vel decipio, si eum decipi vel circumueniri permitto. Et in omnibus peccantibus pecco, quando quos peccare vel peccasse scio, quadam crudelis animi malignitate non increpo.

Cap 25. Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum coniungitur amare sed commodum, quod cum esse desierit, amare cessabit. Qui autem propter Deum diligit, sicut Deus æternus est, ita in æternum ipsa amici dilectio permanebit.

Cap. 26. Dominetur vitijs ratio, subijciatur corpus animo, & animus Deo, & impleta est tota hominis perfectio.

Cap. 28. Qui æquitati seruiunt, omnes omnium bono viuunt, ac velut sibi inuicem nati salutem mutuam tuentur & diligũt. Ac per hoc contra iustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis vel eruditionis electi, ocioſum studium fructuosæ vtilitati regendæ multitudinis anteponunt. Sed quia sunt multi qui se impares tantę sarcinæ norunt; tales iuste se, etiam quæsiti non offerunt; ne videantur non ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores ambire: cum dignitas ecclesiastica nec ambienda sit nec vitanda.

Non recte faciunt qui cum possint, nihil humanæ societati proficiunt.

De imperio Zenonis, & astutia eius.

Cap. LXXIII.

Zenon Imp. An. Ch. 473 Mund. 4326

S*igebertus in chronicis.* Mortuo Leone Imperatore anno Domini 473. mundi scilicet quarto milesimo, 326. successit Zenon, & imperauit annis 18.

Hic Theodoricum regem Ostrogothorum consulem ordinarium fecit, quæ post imperialem dignitatem prima est dignitas, & equestrem statuam auream ante regiam illi collocauit.

Theodorici ars inseruãda Italia.

Hugo Floriacensis libro. 5. Theodoricus iste scripturam contra fidem Ecclesiasticam composuit, regnum Italiæ sibi præsumpsit & vsurpauit. Quod vt sibi perenniter confirmaret, filias suas vicinis regibus copulauit, dans vnam earum Regi Gothorum Alarico, & alteram Regi Burgundionum Sigismundo; neptem vero suam Hamalabergã copulauit Regi Turingiorum Hermifredo. Vtque gentem sibi Francorum faceret etiam fœderatam, Regis Clodouei filiam suo coniunxit matrimonio. Sororem quoque suam Vuandalorum Regi copulauit, sessionemque suam Rauennæ constituit, homo Arianæ sectæ, & bestialem contra catholicos viros gerens in animo crudelitatem.

Genserico succedit filius eius Hunericus.

Sigebertus vbi supra. Hoc tempore Gensericus Rex Vuandalorum successione regnandi inter filios suos ordinata, vt fratri morienti frater superstes sine controuersia filiorum succederet, moritur. Cui succedens Hunericus filius eius regnauit annis octo. Sub hoc Eugenius Carthaginensis episcopus & omnis clerus eius cõtra Arianam hæresim Vuandalorum pro Christo fortiter agonizant.

De Huncrico Rege Vuandalorum, & Eugenio Carthaginensi episcopo.

Cap. LXXIV.

Hunericus Vuandalorũ rex nostris fauere initio se simulat, Vide Victorem Africanum lib. 2.

EX *gestis eiusdem Eugenij.* Sic quidẽ Hunericus in primordio regni (vt habet subtilitas Barbarorum) cæpit mitius & moderatius agere, & maxime circa religionem nostram, & vt se religiosum ostenderet sollicitius requirebat hæreticos Manicheos, ex quibus multos incendit, plurimos autem distraxit nauibus transmarinis, quos pene omnes Manichæos suæ religionis inuenit, & præcipue presbyteros & diaconos Arianæ hæreseos; vnde magis erubescens, amplius in illis exarsit.

Dedit autem licentiam Zenone Imperatore atque Placidia per edita libri rogantibus, vt Carthaginensis ecclesia sibi quem vellet episcopum ordinaret; quæ iam per 24. annos tali ornamento fuerat destituta. Destinauit ergo per notarium suum edictum, quod publicè legeretur; iubens vt iuxta petitionem Zenonis ecclesia Carthaginensis religionis suæ proprium haberet episcopum. Quod dum edictum nobis præsentibus ecclesiæ legeretur, gemere cepimus, * eo quod meditantibus dolis malorum esset futura persecutio præparata. Et ita legatis respondimus. Si ita est, interpositis his conditionibus periculosis, *Ecclesia non vult habere episcopum, gubernet eam Christus qui semper dignatus est gubernare.* Quam suggestionem legatus accipere neglexit, simul & populus, vt tunc fieret, vt ignis exarsit, cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari. Ordinato itaque episcopo Eugenio viro sancto, Deo quoque accepto, sublimis nata est lætitia, & gaudium cumulatum est ecclesiæ Dei: exultat multitudo catholica sub barbara dominatione de ordinatione Pontificis reparati. Cœpit enim ille vir Dei per conuersationem bonam, venerabilis & reuerendus haberi his etiam qui foris sunt, & ita esse omnibus gratus: vt si fas esset animam suam pro eisdem vniuersis ponere, delectaret; pecunia apud eum nunquam mansisse probatur, nisi forte tali hora offerretur quando sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordi-

** In hoc edicto Hunericus permittebat quidem catholicis episcopum suæ religionis eligere, dummodo episcopi Ariani Constantinopoli & in alijs Orientis ecclesijs possent suo more conuẽtus facere: Quod si hoc non fuerit concessum suis in oriẽte se catholicos omnes in exilium missurũ esse denunciat.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ob id Catholici tali edicto suscepto lugere caperunt & persecutionẽ futuram sunt suspicati.

nem daret & locum tantum reseruabat quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset, Deo nostro subinde quotidie ingentia & maiora dominante.

De initio persecutionis Hunerici in ecclesiam Africanam.

CAP. LXXV.

SEd cum fama eius esset vbique celebris atque manifesta, cœperunt exinde Arianorum episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis & præcipue cum Syrila eum calumnijs insectantes. Quid plura? Suggerunt Regi de illo, quod in suo nequaquam sederet throno, nec ad populum Dei verbum faceret consuetum. Deinde quoscunque mares, vel fœminas in habitu barbaro incedentes in ecclesia conspiceret, prohiberet. Ille respondit vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere, & maxime quia ingens fuerat multitudo nostrorum catholicorum in habitu illorum incedentium, ob hoc, quod domui regiæ seruiebant. At vbi ab homine Dei tale responsum accepit, statuit in portis ecclesiæ collocari tortores: qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis, iactis in capite, crinibusque in eisdem collocatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum fieret, statim oculos amiserunt, alij ipso dolore defuncti sunt. Mulieres vero post hanc pœnam capitibus pelle nudatis præcone præeunte per plateas ad ostensionem ciuitatis ducebantur, quod sibi magis quæ patiebantur, lucrum maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec scimus tunc aliquem eorum etiam pœnis vrgentibus à recto itinere destitisse.

Crudelitas Arianorum & regis.

Catholicorum constantia.

At vbi isto modo fidei murum infringere non valuit, cogitat vt nostræ religionis homines in aula eius constituti, neque annonis neque stipendijs solitis potirentur. Addidit quoque & laboribus eos cõterere rusticanis, & dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticensem, vt sub ardentis solis incendio cæspites messium desecarent: vbi omnes cum gaudio pergentes in Domino lætabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quæ per annos quamplurimos nullum ei præstiterat obsequium, qui cum veraciter excusaret se operari non posse, magis violenter iussus est pergere. Sed vbi ad locum ventum est, & præsertim pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate diuina illa arida incolumis confessori Dei restituta est manus.

**Nota in aula regis Ariani multos fuisse catholicos qui si Vuandali erant, vt certe verisimile est: plane arguit Vuandalos non ab initio fuisse Arianos, sed Catholicos, qui quamuis Censericus rex à catholica fide defecisset in Arianam perfidiam in fide catholica perstiterunt certe vt meminit Victor Africanus Vuandali in sua gentis homines persecutionem sæuissimam exercuerunt*

Hinc iam Hunerici persecutio doloris atque paruitionis nostræ sumpsit initium.

De crudelitate eiusdem in suos.

CAP. LXXVI.

IPse autem qui sese iamdudum omnibus bene ostenderat, desiderans post obitum suum filijs (quod non contigit) regnum statuere, Theodoricum fratrem, filiosque eius, Gentonisque fratris nihilominus filios, crudeliter cœpit insequi, quorum nullum dimitteret, nisi ei mors desiderij sui voluntatem auferret. Primo sciens vxorem Theodorici fratris astutam, credo ne forte maritum aut maiorem filium, qui prudens & sapiens videbatur consilijs acrioribus aduersus tyrannum armasset, crimine impositio, gladio eam interfici iubet. Post occiditur & ille filius, magnis literis institutus, cui secundum constitutionem Genserici, eo quod maior omnibus esset, regnum inter nepotes potissimum debebatur.

**Accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare; astante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateæ nouæ, episcopum suæ religionis nomine Iucundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc, quod in domo Theodorici Germani regis acceptissimus habebatur, cuius forte suffragio memorata domus regnum poterat obtinere. Tunc & Gentonis maiorem filium nomine Godagisus cũ vxore absque solatio serui vel ancillæ, crudeli exilio delegauit; fratrẽ vero Theodoricum post occisionem vxoris, & filij nudum atque destitutum similiter exulauit. Post cuius mortem filium qui supererat infantulũ duasque filias eius adultas impositas asinis longius affligendo proiecit; sed & comites quamplurimos & nobiles gentis suæ obiectionibus falsis insectans, ob hoc quod Germano faueren t; alios incendit, alios iugulauit gladio; imitator existens Genserici patris, qui sui fratris vxorem ligato pondere lapidum in Amsagam fluuium Cirtensem famosum iactando dimersit, & post necem Matris etiam filios interfecit.*

Vide immanem tyrannum.

Sed multos ei Gensericus pater moriens sacramento interposito commendauerat; quos ille immemor fidei, & sacramenti violator diuersis pœnis & incendio trucidauit. Nam Heldicam quendam quem pater præpositum fecerat regni iam annosum, atque veteranum cũ dedecore capite truncauit, eiusque vxorem cum alia nomine Theucaria in medio ciuitatis incendit. Quarũ corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à suis episcopis, vix vespere sepelire concessit. Hæc per quinque vel amplius perpessi sũt annos, quibus hæc supplicia sufficere poterant ad æternam mercedem, si catholici fuissent, & fidei suæ merito ista proferrent. Sed istud ideo silere nequiuimus, vt impietas regis etiam in suis minime sileretur: qui non solum episcopum suum Iucundum flammis adussit, sed etiam presbyteros & Diaconos suos, ideſt, Arianos quã plurimos incendit, & insuper bestijs mancipauit.

**Si hæc supplicia ad æternam sufficere poterant mercedem, necessario sequitur esse merita vitæ æternæ & proinde ecclesiã Romanam cum catholica Africana consentire. cum docet supplicia pro Christo tolerata, & bona opera in gratia Dei facta, vitæ æternæ esse meritoria.*

De signis quæ persecutionem Catholicorum præcesserunt.

CAP. LXXVII.

AMputatis igitur in breui omnibus quos timebat, & solidans sibi, vt putabat, regnum, quod breue fuerat & caducum, ex parte ociosus atque securus vniuersa tela furoris in persecutiones ecclesiæ Catholicæ, *rugiens sicut leo*, conuertit.

Ante persecutionis tamen tempestatem multis præeuntibus visionibus & signis imminens demonstratum fuerat malum. Nam ferme ante biennium, quam fieret, vidit quidam Fausti ecclesiam solito in ornatu fulgentem, & dum lætaretur candore tãti fulgoris, cereis quoque fulgentibus, pallijsque velaminum ac lampadibus rutilantem, subito ait, luminis illius concupiscibilis extinctus est fulgor, ac tenebris succedentibus, aduersarius naribus natus est fætor, & omnis illa beatorum turba, expellentibus quibusdam Æthiopibus, minata est foras, ob hoc lamentatum, quòd eam in claritate pristina nequaquam viderit iterum restitutam. Nam visionẽ istam nobis præsentibus sancto retulit Eugenio.

Nota de cereis fulgentibus.

Vidit & quidam presbyter istam Fausti basilicam refertam turba innumerabilium populorum, & post paulum euacuatam, & repletam multitudine porcorum atque caprarum.

Hæretici porci & capræ.

Iterum alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis ventilatoris iudicio, nec dum à palea separatis: & dum ingentis massæ confusæ magnitudinem miraretur, subito ecce turbo veniens tempestatis soniuago flatu cæpit aduentum suum surgente puluere demonstrare. Cuius impetu palea illa omnis omnino volauit, remanentibus granis. Post hæc venit quidam procerus, splendido vultu habituque nitido fulgens, & cæpit grana vacua macilenta, atque similagini reproba, purgando proijcere. Quæ diu examinans, vix magnitudinem illius massæ licet probatæ, ad aceruum tamen perduxit exiguum. Sed Quintinianus honorabilis episcopus vidit se supra quendam montem stare, de quo conspiciebat

Visa varia persecutionẽ Africanam portendẽtia.

Visio Quintiniani.

spiciebat gregem innumerabilium ouium, & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant autem ouium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant, & cum ita fieret omnis illa magnitudo consumpta est gregis. Reor ergo illas duas ollas Sicca veneria & Laribus duas esse ciuitates, in quibus multitudo prima fuit congregata, & à quibus incendium initium sumpsit, aut Hunericum regem & Cyrilam episcopum eius. Sed de multis visionibus, quia breuitati consulendum fuit, hæc dixisse sufficiat.

De impijs edictis in milites & episcopos, & sacras virgines.

Cap. LXXVIII.

Edictum Hunerici plane barbarum.

QVid vltra? Censet primo tyrannus iussione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones, nisi se Arianum fecisset. Quorum ingens numerus vigore inuicto ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit; quos postea domibus proiectos. omnique substantia expoliatos in insulas Siciliam & Sardiniam relegauit. Quod etiam statuere per totam Africam festinauit, vt nostrorum episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiam vendicasset. Qui autem defuncto succedere poterat, non ordinaretur nisi fisco regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc ædificium vbi construere nisus est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus, Suggerunt ei domestici sui dicentes. Si istud seruauerit præceptio vestra, nostri episcopi in partibus Thraciæ, & alijs regionibus constituti pessima incipient pati.

Hunericus contra nostros edictũ decernens à suis reuocatur.

Præcepit deinde sacras virgines congregari dirigens Vuandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspiciendum & contrectandum, contra ius verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua catholica matrona quas cremantes graui suspendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas quoque ferri ignitas dorso, ventri, mammillis, & lateribus apponebant; quibus inter supplicia dicebant. Dicite quomodo episcopi vobiscum concumbunt, & clerici vestri? Quarum acerbitate pœnarum, plurimas scimus tunc extinctas; aliæ quæ remanserant cutibus arescentibus factæ sunt curuæ. Nitebatur enim semitam inuenire, per cuius aditum, publicam sicut fecit, faceret persecutionem. Et ita faciens nullo modo inuestigare potuit, quomodo Christi ecclesiam macularet.

Vide hæretici regis bellui-nã féritaté.

Catholici de impudicitia redargui nõ potuerunt.

De viris ecclesiasticis, & mulieribus, & infantibus in exilium directis.

Cap. LXXIX.

QVibus autem prosequar fluminibus lachrymarum quando episcopos Presbyteros diaconos & alia ecclesiæ membra, ideſt quatuor millia nongentos sexagintasex ad exilium eremi destinauit? in quibus erant podagri quamplurimi, alij per ætatem annosam lumine temporali priuati. In quorum erant numero beatus Felix Abdiritanus episcopus habens iam in episcopatu 44. annos. Qui paralysis morbo percussus, nec sentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non posset iumento portari, suggessimus vt à suis rex peteretur, vt saltem eum propere motiturum Chartagini esse iussisset, quod ad exiliũ nulla ratione posset perduci, cui ita fertur tyrãnus cũ furore dixisse: Si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti qui eum colligatum funibus trahendo perducant, vbi ego præcepi. Quem ex transuerso super burdonem vinctum, quasi quendam ligni truncum toto itinere portabamus. Congregantur vniuersi in Siccensem & Larensem ciuitatem, vt illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perducerent. Superuenientes igitur comites duo, subtilitate damnabili, blandis sermonibus cum Dei confessoribus agere cœperunt: Quid vobis inquiunt, videtur; vt ita pertinaces sitis, & domini nostri præceptis minime obtemperatis quî esse poteritis in conspectu Regis honorabiles, si eius festinetis facere voluntatem? Statim illis ingenti vociferatione clamantibus, & dicentibus; *Christiani sumus; Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur*, includuntur grauiori quidem sed adhuc latiori custodia, vbi nobis copiæ dabantur & introire, ac verbum admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare.

Vide Felix episcopus Abdiritanus qui-bus tormentis affectus

Crudele tyranni respõsum.

Præclara Catholicorũ vox.

Ibi & infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes; alię gaudebant se martyres peperisse, aliæ morituros* diluuio rebaptizationis nitebantur à confessione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædam tunc quæ fecerit anus, breuiter delectat referre. Dum enim iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & forte magis noctibus promoueremur propter solis ardorem, conspicimus mulierculam sacculum, & alia vestimenta portantem, matrie infantulum vnum tenentem, atque his sermonibus consolantem: *Curre Domine meus, vides vniuersos sanctos quomodo pergunt, & festinant hilares ad coronam.* Quam nos cum increparemus, quod importuna videretur, aut viris pro sexu iungi, aut exercitui Christi sociari; respondit: *Benedicite, benedicite & orate pro me, & isto nepote paruulo meo, cum quo ad exilium pergo ne inueniat eum solum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem.* Ad hæc verba repleti lachrymis nihil dicere valuimus, nisi vt voluntas fieret Dei.

**Ariani suos rebapti-zant.*

Anus nepo-tem pariulũ ad mar-tyrium hor-tatur.

De carceribus eorum arctissimis, & teterrimis.

Cap. LXXX.

SEd vbi aduersarius, qui iam forte dicebat, partibor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea, nullum potuit occupare; requirit angusta & teterrima loca; in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam visitationis humanæ negata est consolatio. Puniuntur, & fustibus graviter affliguntur. Iactantur confessores Christi, angustia coarctante vnus super alium, vt agmina locustarum, & (vt propriæ dicatur) vt præciosissima grana frumentorum. In quâ constipatione secedendi ad naturale officium nulla ratio sinebat loci, sed stercora, & vrinam vrgente necessitate ibidem faciebant, vt illic tunc fætor & horror vniuersa pœnarum genera superaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Vuandalis, vix clam admissi sumus intrare. Qui introeuntes veluti in gurgite luti vsque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuisse completum. *Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua.* Quid multa? præcepti sunt, vndique perstrepentibus Mauris, ad iter vbi destinati fuerant, se* præparare. Exeuntes itaque die dominica, linita habentes stercoribus vestimenta, & facies simul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: *Hæc est gloria omnibus sanctis eius.* Aderat enim tunc beatus Pontifex Cyprianus Vnizibirensis episcopus consolator egregius, qui singulos pio, & paterno fouebat affectu, non sine fluminibus currentium lachrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & se vltroneum (si dimitteretur) talibus passionibus dare; qui totum quod habuit, egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit. Quærebat enim occasionem, qualiter confessoribus sociaretur ipso animo & virtute cõfessor: qui postea per multos gones, & squalores carceris in exilio quod desiderabat cum exultatione perrexit.

Exod. 15. Mirè puniũtur Catholici.

Vide miseriam.

Thren. 4.

**properare*

Psal. 149.

Cyprianus Vnizibiren-sis episcopus egregius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De mortuis in itinere & exilij asperitate.

CAP. LXXXI.

QVantæ & tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus, ad visendos Dei martyres cõcurrerint populorum testantur viæ vel semitæ, quæ cum agmina visentium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrentes turbæ fidelium inæstimabiles descendebant, cereos manibus gestantes suosque infantulos vestigijs martyrum proijcientes, ista voce clamabant: *Quibus nos miseros reliquistis, dum pergitis ad coronam?* qui hos baptizaturi sunt parvulos fonte & aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgẽtia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est, *quemcunque solueritis super terram erit solutus, & in cælis.* Qui solennibus orationibus sepulturi sunt morientes, à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? Vobiscum & nos licebat pergere, si liceret, vt tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret. In his vocibus & lachrymis nullam iam pergere admissus est consolator, sed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi tunc cannaua erãt præparata, laboriosam caperent mansionem: qui cum senes deficerent, & alij forte, etsi iuuenes delicati, cæperunt hastilium cuspidibus ad currendum, & lapidibus tundi, vnde magis deficientes, amplius lassabantur. Post vero imperatum est Mauris, vt qui ambulare non poterant, ligatis pedibus velut cadauer animalis mortui trãherentur per dura & aspera loca, vbi primo vestimenta, postea membra singula carpebantur, quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ita inter trahentium manus spiritum exhalabant; quorum numerum colligere nequaquam valuimus, multitudine cohærente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis sepultura sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca perueniunt, in quibus collati hordeum ad vescendum vt iumenta accipiunt vbi etiam venatorum animalium atque scorpionum tanta esse dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur, quæ solo flatu etiam procul positis veneni virus infundat, à scorpione autem percussum nullum dicunt aliquando euasisse. Quorum feritas virulenta vsque ad præsens Christo defendente, nullum seruorum eius nocuisse docetur. Sed cum illic alantur hordeaceis granis, postea & hoc ablatum est, quasi non posset Deus, qui pluerat patribus manna, pascere & nunc in tali exilio mancipatos.

Vide deuotionem catholicæplebis Matth. 18.

Hordeũ cibus exulum catholicorũ.

Exod. 16.

De citatione reliquorum episcoporum Catholicorum ad concilium.

CAP. LXXXII.

COgitat acriora aduersus Ecclesiam Dei, vt qui membra aliqua abscideratur, totum laniando perderet corpus. Nam die Ascensionis Domini legato Zenonis imperatoris, Rege non præsente, legendum in media Ecclesia Eugenio Episcopo dirigit præceptum, tali tenore conscriptum, quod etiam vniuersæ Africæ veredarijs discurrentibus destinauit.

Epistola impij Hunerici ad Eugeniũ episcopum.

Rex Hunericus Vuandalorum & Alanorum vniuersis episcopis Homousianis.

Homousianos catholicos vocat, quod S. Trinitatem eiusdem substãtia confiteãtur.

Non semel, sed sæpius, constat esse prohibitum, vt in sortibus Vuandalorum sacerdotes vestri conuentus minime celebrarent, ne sua seditione animas subuerterent Christianas. Quam rem spernentes plurimi, nunc reperti sunt contra interdictum missas in sortibus Vuandalorum facere asserentes se integram regulam Christianę fidei tenere. Et quia in prouincijs à Deo nobis concessis scandalum esse noluimus, ideo Dei prouidentia cum consensu sanctorum episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, vt ad diem Calendarum Februariarum proximè futurarum omissa omnĩ excusatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum nostris venerabilibus episcopis possitis inire conflictum, & de fide Homousianorum, quam defenditis, de diuinis scripturis proprie approbetis, quo possit agnosci, si integram fidem teneatis.

Huius autem edicti tenorem nos qui aderamus cognoscentes, simulque legentes ingemuimus, eo quod futuræ persecutionis furorẽ indicaret, & præsertim vbi dixit, in prouinciis nobis à Deo concessis * scandalum esse nolumus.

** Ac si diceret catholicos esse nolumus.*

Tunc sancto Eugenio rationabile videbatur, si cor barbarorum suggerendo molliretur; nitebaturque Regi suggerere consortes suæ religionis etiam transmarinos vocari debere. Agnoscat, inquit, clementia regis, nos disputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare vel fugere, sed sine vniuersitatis assensu nos non debere asserendæ fidei nostræ causas assumere. Hoc autem agebat Eugenius, non quod deessent in Africa, qui aduersariorum obiecta refellerẽt, sed vt illi venissent, qui alieni ab illorum dominatu maiorem fiduciã libertatis haberent pariterque oppressionis nostræ calumniam vniuersis terris & populis nunciarent. Ille autem qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoscunque episcoporum audierat eruditos, variis iniectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianensem secundo Donatianum inpositis cẽtũ quinquaginta fustibus miserat episcopũ, necnõ & Sufetulensem Præsidium virum acutũ. Tũc & venẽrabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum, & multos alios fustigauit. Dum hæc geruntur, imperat cũ viris nostræ religionis illorum mensam nullum communem haberet neque cum catholicis omnino vescerẽtur. Quæ res non ipsis aliquod præstitit beneficium, sed nobis maximum contulit lucrum. Nam si sermo illorum, dicente Apostolo, sicut cancer consueuit serpere, quanto magis communis mensa ciborum potent inquinare, cum dicat idem Apostolus, *cum nefarijs, nec cibum habere* communem. Sed cum ignis persecutionis accenderetur & flamma infestantis vbique regis arderet, ostẽdit Dominus noster quoddam miraculum per seruum suum fidelem, quod præterire non debeo.

Hunericus Catholicos fustibus cadit.

2 Tim. 2. 1. Cor. 2.

Non vesci cum hæreticis lucrum.

De Felice cæco per beatum Eugenium illuminato.

CAP. LXXXIII.

FVit in eadem ciuitate Carthagine quidã cæcus cunctis huius ciuitatis notissimus nomine Felix; hic visitatur à Domino diciturque ei nocte per visum (dies enim Epiphaniorum lucescebat) Surge, & vade ad seruũ meum Eugenium Episcopum & dices ei, quia ego te ad illum direxi. Et illa hora qua benedixerit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos & aperientur, & videbis lumen. Qui cum tali visione commonitus est, putans se, quomodo assolet, deludi per somnum, surgere noluit cæcus. Sed cum iterum vrgeretur in somno, similiter vt ad Eugenium pergeret, compellitur; rursum negligit. Tertioque festinanter, & grauiter increpatur. Excitat puerum qui ei solitus erat manum porrigere, pergit veloci agilitate ad Fausti basilicã & orat. Et veniens cum ingentibus lachrymis, suggerit cuidam subdiacono nomine Peregrino, vt eum episcopo nunciaret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens episcopus iussit hominem introire. Iam enim ob celebritatem festinantis hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus Antistiti ordinem visionis suæ, dicitque illi: Non te dimittam, nisi sicut à Domino iussus es, mihi reddideris oculos meos. Cui ille Recede à me frater, quia peccator sum. Cũq; ille instaret, attẽdẽs Eugenius inuerecundã credulitatẽ eius, & quia tempus vrgebat, pergit cum eo comitante officio clericorum ad fontẽ, ibique fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cælum, crispantẽ benedixit aquæ fontẽ. Et cũ cõ-

Cæcus ad Eugenium accedere diuinitus admonetur.

** Vide antiquum morẽ benedicendi fontem baptismi.*

Hymni nocturni in ecclesia.

Felicem cæcum illuminat Eugenius signo crucis.

pleta

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pleta oratione surrexisset,respondit cæco ; Iam tibi dixi frater,homo peccator sum, sed qui te visitare dignatus est,præstet tibi secundum fidem tuam.simulque *vexillo crucis* oculos eius consignauit,qui statim visum recepit: quem secum quousque baptismus celebraretur ibi detinuit. Fit hoc ecclesiæ manifestum statimque nũcius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix,inquiritur ab eo quid factum sit qualiterque lumen receperit. Dicit ille ex ordine totum. Dicunt episcopi Arianorum ,hoc per maleficia fecisse Eugenium. Et quia oppressione confusi lumen non potuerunt nubilare, eo quod felix vniuersæ ciuitati manifestus esset & notus, tamen volebant eum si fas esset necare,quomodo Iudęi suscitatum Lazarum cupiebant occidere.

Nota vocem hæreticis familiarem.

De conuentu episcoporum ad concilium congregato.

CAP. LXXXIV.

APpropinquabat iam futurus ille dies calumniosus Calendarum Februariarum ab eodem statutus. Conueniunt non solum vniuersæ Africæ , verumetiam insularum multarum episcopi, afflictione & mærore conflicti, Fit silẽtium diebus multis quousque peritos quosque & doctissimos viros exinde separaret †calumnijs oppositis necandos. Nam vnum ex ipso choro doctorum nomine Lætum , strenuum & doctissimum virum , post diuturnos carceris squalores incendio concremauit, estimans quod tali exemplo timorem incuteret reliquos elisurum . Tandem venitur ad disputationis conflictum , ad locum scilicet quem elegerant aduersarij . Vitantes igitur nostri vociferationis tumultus,ne forte postmodum Ariani dicerent,quod eos aliquis nostrorum oppresserit,eligunt de se nostri,qui pro omnibus responderent,decem. Collocatsibi Cyrila cum suis satellitibus,in loco excelso superbissimũ thronum astantibus nostris: dixeruntque nostri episcopi; Illa est semper grata collatio vbi superba non dominatur potestatis elatio . Conuersique nostri Cyrilæ dixerunt. Propone quod disponis. Cyrila dixit: Nescio latine, Nostri dixerunt episcopi : Semper te latine esse locutum manifeste nouimus, modò excusare non debes,præsertim quia tu huius rei incendium suscitasti. Si autem nostram fidem cognoscere desideratis,hæc est veritas quam tenemus. Præcipimur reddere rationem,ideoque aggredimur pro nostrarum virium mediocritate fulti fidei adiutorio , quam credimus, & prædicamus breuiter intimare. Primũ igitur de veritate substantiæ patris & filij,quod Græci Homousion dicũt exponendum nobis esse cognouimus.

Sic hæretici catholicos vincunt.

Vide luciferi assectam.

Episcopus Arianus Latine loqui se nescire profitetur.

Expositio fidei catholicæ contra Arianos.

CAP. LXXXV.

PAtrem & Filium & Spiritum ita in vnitate deitatis profitemur, vt & Patrem in sua proprietatis persona subsistere, & filiũ nihilominus in propria extare persona,atque Spiritum sanctum personæ suæ proprietatem retinere, fideli confessione fateamur. Non enim eundẽ asserentes patrem , quem filium neque filium confitentes,qui pater sit,aut Spiritus sanctus , neque Spiritumsanctum accipimus vt aut pater sit filius , sed ingenitũ patrem,& de patre genitum filium,& de patre & filio procedentem Spiritumsanctum , vnius credimus esse substantiæ,vel vnius essentiæ,quia ingeniti patris & geniti filij,& procedentis Spiritussancti vna est deitas, tres vero personarum proprietates.

Præclara sane ista patrum Africanorum de Sancta Trinitate confessio multa habet quæ aperte Sabellianos eg Tritheritas ungulant, quin & nouos nostros Antotheanos Caluinistas.

Et quia contra hanc catholicam vel Apostolicam fidem hæresis exorta nouitatem quandam induxerat asserens filium non de patris substantia genitum, sed ex nullis extantibus ideſt ex nihilo cum substitisse. Ad hãc impietatis professionem quæ contra fidem emerserat,refellendam & penitus aboicndam Homousiõ sermo Græcus positus est, quod interpretatur *vnius substantiæ vel essentiæ*,significans filium non ex nullis extantibus, nec alia substantia,sed de patre natum esse . Qui ergo putat Homousion auferendum , ex nihilo vult asserere filium extitisse. Sed si ex nihilo non est,ex patre sine dubio est,& recte Homousion, ideſt vnius cum patre substantiæ filius est.

Probatur filius Patri consubstantialis.

Ex patre autem esse ideſt vnius cum patre substantiæ his testimonijs approbatur, Apostolo dicente: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius* . Ipse quoque in Euangelio dicit; *Ego in patre,& pater in me ; & ego & pater vnum sumus*. Quod non ad vnitatem tantummodo voluntatis,sed ad vnam refertur eandemque substantiam, quia non dixit,*ego & pater vnum* volumus,sed *vnũ sumus*.

Heb.1.

Io.14 & 10.

Verum quia duas in filio profitemur esse naturas,ideſt *Deum verum & hominem* quicquid excellentis sublimitatis & potentiæ de eo referunt scripturæ,ad memorandam eius diuinitatem tribuendum sentimus: & quicquid infra honorem cælestis potentiæ de eodem humilius narrant,*non verbo Dei, sed homini deputamus assumpto*. Secundum diuinitatem ergo est hoc quod superius diximus,vbi ait:*Ego & pater vnum sumus* , & *qui me videt,videt & patrem,& omnia quæcunque pater facit,eadem & filius facit*. Illa vero quæ de eo , secundum hominem referuntur ista sunt. *Pater maior me est*, & *non veni facere voluntatem meam,& pater si fieri potest &c*. Non est etiam filius Dei degener,quia Deus verus de Deo natus est vero,sicut Ioannes dicit:*Hic est verus Deus,& vita æterna*. Et ipse Dominus ait:*Ego sum via,veritas. & vita.*

Christus duabus naturis constat

Ioan.10. Ioan.14. Ioan.5. Ioan.14. Math.26. & 27. Ioan.14.

Cæterum de Spiritusancto dicit Apostolus : *Diuisiones gratiarum sunt,idem autem spiritus &c*. Et post: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult*. Vnde indubie claret Spiritum sanctum , & Deum esse,& suæ voluntatis authorem , qui cuncta operari,& secundum propriæ voluntatis arbitrium, diuinæ dispensationis dona largiri apertissime demonstratur,quia vbi voluntaria gratiarum distributio prædicatur,non potest videri conditio seruitutis. Habes quoque creatorem Spiritumsanctum in libro Iob:*Spiritus* inquit *diuinus est , qui fecit me, & Spiritus omnipotentis , qui docet me*. Et Dauid dicit. *Emitte spiritum tuum,& creabuntur*. Vna itaque est religio,vna glorificatio Trinitatis: vt audiamus Apostolum sicut audierunt Corinthii:*Gratia Domini nostri Iesu Christi &c.*

1. Cor.12.

Spiritus sãctus verus Deus esse ostenditur. Iob.33. Psal.103. 1. Cor 13.

De proscriptione Catholicorum episcoporum,& expoliatione.

CAP. LXXXVI.

HÆc est fides nostra euangelicis & Apostolicis traditionibus, & omnium quæ in mundo sunt catholicarum Ecclesiarum societate fundata , in qua nos per gratiam Dei omnipotentis permanere vsque in finem terræ huius confidimus & speramus.

Hæretici audita catholicorum cõfessione insaniunt lege Victorem Africanum libro tertio.

Qui cum noster libellus legeretur oblatus , veritatis lumen nequaquam sufferre cæcis oculis potuerunt, insanientes vocibus , infrementes grauiterque ferentes, quare nos nomine nostro catholicos dixerimus,statimque mentientes,suggerunt Regi de nobis, quod strepitum fecerimus , audientiam fugientes. Qui eadem hora accensus , & credens mendacio, festinauit facere quod volebat. Iamque conscriptum decretum habens, & occulte cum eodem decreto per ũiuersas prouincias suos homines dirigens,episcopis Carthagine positis vna die vniuersę Africę ecclesias clausit,vniuersamque substãtiam episcoporum & ecclesiarum suis episcopis munere condonauit. Nescius quoque quid loqueretur,neque de quibus affirmabat legem, quam† Christiani Imperatores nostri contra eos , & contra alios hæreticos prohonorificentia ecclesiæ catholicæ dederant, aduersum nos illi proponere non erubuerint , addentes multa de suis, sicut placuit tyrannicæ potestati.

Nimirum hic bolus est cui inhiant hæretici.

†Catholicorum Imp. leges Codex Theodosianus sparsim habet lib.16 tit.5.

Post hæc dicta feralia veneno toxicato transuersa, iubet

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iubet cunctos episcopos qui Carthagine fuerant congregati quorum iam ecclesias, domos & substantiam cæperat, in hospitijs quibus erant, expoliari, & expoliatos extra muros propelli. Non animal, non seruus, non mutanda quæ ferebant vestimenta, penitus dimittuntur. Addidit adhuc, vt nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam præstitaret: qui autem miserationis causa secus facere tentasset, cum vniuersa domo sua incenderetur. Sapienter tunc etiam proiecti episcopi fecerunt, vt licet mendicantes exinde non abirent, quia si recederent, non tantum violenter omnino reuocarentur, sed & mentirentur eos, sicut mētiti sunt, fugisse conflictum maximeque quia vbi reuerterentur iam nequaquam fuerat, ecclesia substantia, vel eorum domibus occupatis.

O Barbarum haereticum.

Mendaces semper haeretici.

Dum ergo gementes in circuitu murorum nudo sub aere iacerent: factum est vt Rex impius ad piscinas exisset. Cui vniuersi occurrere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur: Pro quibus malis forte commissis ista perpetimur? Si ad disputationem sumus congregati, quare expoliamur? Quare traducimur? Quare deferimur, & sine ecclesijs, & domibus nostris extra ciuitatem fame, & nuditate laborantes, medijs stercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis aspiciens, priusquā suggestionem eorum audisset, iussit super eos cum sessoribus equos dimitti, vt tali violentia possent non solum conteri, verum etiam enecari: quorum tunc multi contriti sunt, & præcipue senes.

Hunerici in Christianos episcopos impietas constans catholicorum vox.

Christiani. vis illata.

De iuramento per dolum ab eis exacto.

Cap. LXXXVII.

Episcoporum catholicorū miserabilis status.

TVnc deinde iubentur ad quendam locum, qui dicitur ædes memoriæ, illi viri Dei occurrere, nescientes fraudem sibi aptatam; vbi cum venissent, charta eis ostenditur inuoluta, diciturque illis ista subtilitate serpentis: Dominus noster rex Hunericus licet doleat quod fueritis contemptores, & adhuc eius voluntati obedire tardetis, vt eius efficiamini religionis cuius est ipse, tamen de vobis bonum cogitauit. Si iurauueritis ita, vt quod ista charta continet faciatis, dimittet vos ecclesijs & domibus vestris. Ad quod vniuersi episcopi responderunt: Semper dicimus, & diximus, & dicturi sumus; *Episcopi sumus, Christiani sumus Apostolicam fidem & vnam, & veram tenemus.* Accelerauerunt quoque illi à rege destinati, scripturæ eis propalare tenorem, qui huiusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series continebat: iurate, si post obitum domini nostri regis eius filium Hilderichum desideratis esse regem, vel si nullus vestrum ad regiones transmarinas epistolas diriget. Quia si sacramentum huius rei dederitis, restituet vos ecclesijs vestris. *a Cogitauit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam sacramentum dare, ne Dei populis in posterum diceret, quod vitio sacerdotum, qui iurare noluerunt, non fuerint ecclesiæ restitutæ. Alij quoque astutiores episcopi sentientes dolum fraudis, nequaquam iurare voluerunt, dicentes, prohibitum fuisse euangelica auctoritate, ipso Domino dicente: *Non iurabis in toto.* Quibus ministri regis: In parte secedant, inquiunt qui iurare disponunt. Qui cum secederent, notarij scribentes, quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuisset. Similiter factum est illis, qui non iurauerunt. Statimque pars vtraque custodiæ mancipatur. Post vero fraus, quæ celabatur, apparuit. Iurantibus dictum est: Quia contra præceptum euangelii iurare voluistis; iussit Rex vt ciuitates atque ecclesias vestras nunquam videatis, sed relegati colonatus iure ad excolendum agros accipietis: ita tamen vt non psallatis, neque oretis aut ad legendum codicem manibus gestetis, non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præsumatis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnum filii domini nostri non optatis, idcirco iursre noluistis, ob quam causam iussi estis in Corsicam insulam relegari, vt ligna profutura nauibus dominicis incidatis.

Matth. 5.

Ecce prodit fraus haereticorum.

Episcopi catholici agrorum cultura deputantur & alij in Corsicanam insulam relegantur.

Addidit itaque bestia illa sanguinem sitiens innocētum, episcopis necdum in exilia directis, per vniuersas Africanæ terræ prouincias vno tempore tortores crudelissimos destinare, vt nulla remansisset domus & locus, vbi non fuisset vlulatus & luctus: vt nulli ætati, nulli parcererur sexui, nisi illis qui eorum succumberent voluntati; hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant, mulieres etiam præcipue nobiles, contra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam nostram Dionysiam cursim ac breuiter nominabo.

Crudelissimi tortores tota Africa vexant Catholicos.

ANNOTATIO.

a Ex loco illo superiori notato asterisco nequaquam existimes patres Africanos existimasse omne iuramentum christianis esse interdictum: Nam imprimis cum eis fuit proposita chartula, dixerunt, nunquid nos animalia irrationabilia sumus, vt nescientes quid charta contineat, facile aut temere iuremus? Deinde narrantur paulo post in historia Victoris duo martyres super corpus & sanguinem Christi iurasse: Sed cum rex impius iusiurandum iniquum à patribus postularet, in quo alij fraudem & dolum perspiciebant, alij vero minime, qui iurare voluerunt, fraudem minime suspicati, iurare parati erant, qui vero fraudem agnoscebant, iuramentum præstare noluerunt. Vide Sixtum Senensem lib 6. Biblioth. vbi quomodo intelligenda sunt S. Patrum sententia, qui Christianis penitus iuramentum videntur interdicere, explicat.

De martyrio sanctæ Dionisiæ, & suorum.

Cap. LXXXVIII.

Dionysia pro Christo passa.

CVm viderent eam non solum audacem esse, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primo nisi sunt fustibus expoliatam aptare. Quæ cum peteret, diceretque; De Deo sum secura, qualiter libet cruciate; verecunda tamen membra nolite nudare: amplius illi magis furentes celsiori loco vestimentis exutam consistunt, spectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat: *Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa laus mea est.* Et quia esset scripturarum diuinarum scientia plena, aptatis arctata pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. quæ sup sancto exemplo pene vniuersam suam patriam liberauit.

Libera vox sancta faemina.

Hæc quoque cum filium suum vnicum admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, nomine Maioricum timore pœnarum formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans auctoritate materna ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur: *Memento, ait, fili mi, quod in nomine Trinatis in matre catholica baptizati sumus. Non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator, vestem non inueniat nuptialem,* & dicat ministris. *Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium.* Illa pœna timenmenda est: quæ nunquam finitur, illa desideranda vita, quæ semper habetur. Talibus itaque solidans filium verbis, velociter martyrem fecit. Amplexansque illa hostiam suam, quantum potuit vocibus domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ, in sua maluit domo sepeliri, vt quotiens super sepulchrum eius Trinitati preces effunderet, alienam se à filio nunquam esse confideret. Quanti ergo per eam in illa ciuitate, vt fati sumus, acquisiti sunt Deo, longum est enarrare. Nam & eius germana nomine Datiua, atque Leontia filias sancti Germani episcopi, cognatusque Datiuæ venerabilis Emelius medicus vel Sibidensis episcopus Bonifacius quanta pertulerint, qualibusque cruciatibus euiscerati sunt, qui valet, ex ordine dicat.

Maioricus Dionysia filius à matre ad martyrium roboratur.

Matth. 22.

Multi martyrio coronantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passio Sancti Maiori, & sanctæ Victoriæ.

Cap. LXXXIX.

SEruus quoque Tuburbitanę ciuitatis Maiorus, generosi & nobilis viri, pro Christo quos pertulerit quis explicet pœnas? Qui post cædes innumerabiliū fustiū trocleis frequētibus eleuatus, dū tota præ vrbe pēderet nunc in sublime se tollente ictu celeri, demissis iterum canabinis super silices platearum pondere corporis veniens, vt lapis super lapides corruebat. Sed & sæpius tractum, & lapidibus acutissimis defricatum, & cutibus separatis pelles corporis lateribusque videres & ventre pendere. Iste iam temporibus Genserici nō valde dissimilia pertulerat, ne amici cuiusdam sui secreta nudaret.

Atrox supplicium.

Innumeri martyres & confessores in ciuitate Culusitana.

In ciuitate vero Culusitana non valeo, quæ gesta sūt, nunciare, quia & ipsam quantitatem martyrum, vel etiā cōfessorum homini impossibile est supputare. Vbi quædam Matrona auctrix sui nominis Victoria, dum in cōspectu vulgi continuato suspendio concremaretur, à marito iam perdito, filijs præsentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me despicis, vel horum quos genuisti miserere. Impia paruulorum mater quare obliuiscēris vteri tui, & pro nihilo ducis quos cum gemitu peperisti: vbi sunt fœdera coniugalis amoris? vbi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis iure tabulæ conscriptæ fecerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ iussionis implere festina præceptum, vt imminentia adhuc tormenta lucreris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum oculorum altius eleuans à terra, mundum cum suis desiderijs contemnebat. Quam cum iam continuaro suspendio auulsis humeris etiam qui cruciabant conspicerent mortuā, deposuerūt prorsus omni parte exanimem. Quæ postea retulit quandam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, & illico fuisse sanatam.

Victoria martyr à marito filijsque tentata vincit.

Victoria à virgine sine dubio Maria suscitatur.

Passio Sancti Victoriani proconsulis, & duorum germanorum.

Cap. XC.

QValiter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuem Victorianum tunc proconsulem Carthaginis prædicem, nescio deficientibus verbis: quo in Africę partibus nullus ditior fuit. Qui etiam apud impium Regem pro rebus sibi cōmissis fidelissimus habebatur; mādatur ei à rege familiariter, diciturque quod eum habiturus esset præ omnibus charum, si eius præcepto facilem commodasset assensum. Sed ille vir Dei missis ad se, tale dedit cum fiducia magna responsum: *Securus sum de Christo Deo & domino meo*, & hæc regi dicatis: *Subrigat ignibus, adigat bestijs, excrucict omnium tormentorum genere, si consensero frustra sum in ecclesia baptizatus*. Nam si hæc præsens sola vita fuisset, & aliam, quæ vera est, non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus existere qui suam mihi fidem contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum tormentorum, & quantis eum afflixerit pœnis, humanus sermo non poterit explicare. Qui tripudians in domino fæliciterque consummans martyrialem coronam accepit.

Victoriani proconsulis præstans virtus.

Nec pro hac vita Christus deserendus.

Diuturni cruciatus.

Apud Tambaiensem quoque ciuitatem gesta, quis queat certamina martyrum explicare, vbi duo germani Aquisregiensis ciuitatis sibi securi de domino inuicem iurauerunt, vt rogarent tortores, vt vna pœna parique supplicio torquerentur. Et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis tōta die penderent, vnus illorum petiuit se deponi & sibi inducias dari. Cuius frater alius metuens ne fidem negaret, de suspendio clamabat: Noli, noli frater, non ita iurauimus Christo, accusabo te cum ante thronum eius terribilē venerimus, quia super corpus & sanguinem eius iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Ista dicens & alia, cōfortauit Germanum ad prælium passionis. Qui clamans ingenti voce dicebat: Adigite supplicijs quibus vultis, & pœnis Christianos arctate crudelibus, quod frater meus facturus est hoc etiam & ego. Quantis iam laminis adusti sūt ignitis, qualibus stimulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipsa res docet, quod eos ipsi tortores à sua facie protecerunt, dicentes: Istos imitatur vniuersus populus, vt nullus ad nostram religionem penitus conuertatur, & præcipue, quia nulli liuores, nulla pœnarum vestigia in eis penitus videbantur.

Duorum Fratrum certamen. Vides Sanctos Africanos super corpus & sanguinem Christi iurasse.

De illis qui linguis abscissis loquebantur.

Cap. XCI.

IN Typacēsi vero quod gestum est Mauritaniæ maioris ciuitate, ad laudem Dei dicere festinemus. Dū suæ ciuitati Arianum episcopum ex notario Cyrilæ ad perdendas animas ordinatum vidissent, omnis simul ciuitas euectione nauali de proximo ad Hispaniam confugit, relictis paucissimis, qui aditum non inuenerant nauigandi. Quos Arianorum episcopus primo blandimentis, postea minis compellere cæpit, vt eos faceret Arianos. Sed fortes in domino, non solum suadentis insaniam irriserunt, verumetiam publice mysteria diuina in domo vna congregati, celebrare cæperunt. Quod ille cognoscens, occulte Carthagini relationem aduersus eos direxit. Quæ cum Regi innotuisset, comitem quendam cum iracundia dirigens, precepit vt in medio foro congregata illuc omni prouincia, linguas eorum, & manus dextras radicitus abscinderet. Et Spirituſancto præstante. ita locuti sunt, & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Et si quis incredulus voluerit esse, pergat nunc Constantinopolim, & ibi reperiret vnum de illis subdiaconum Reparatum, ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue Regina mira eum reuerentia veneratur. Sed quis congruo sermone possit assequi, aut coaceruare diuersitates pœnarum, quas ex iussu Regis sui, etiam ipsi Vuandali in suos homines exercuerunt.

Notæ insigne miraculum.

Martyrum liuores nulli nec vestigia post pœnas.

Notæ factinus præclarū Typacensiū.

Mysteria diuina celebrant intrepide.

Catholici elingues locuti quod & testatur Greg. Mag. dial. lib. 3. cap. 32. & ex his vnum lapsum in luxuriam, mox dono miraculi carnisse.

De persecutione, quæ facta est in Carthagine.

Cap. XCII.

IN ipsa quoque quæ gesta sunt Carthagine, si nitatur scriptor sigillatim astruere, etiam sine ornatu sermonis, nec ipsa nomina tormentorum poterit dicere. Quæ res hodie posita in promptu demonstrat, alios sine manibus, alios sine oculis, alios absque pedibus, alios truncatos auribus intendas; alioſque nimio suspendio scapulis euulsis caput eorum quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum, dum iugiter in altis ædibus suspendio cruciantes, impulsione manuum funibus agitatis, per vacuum aerem huc atque illuc faciebant vagare pendentes; qui nonnunquam diruptis funibus, de illa altitudine suspensionis ictu valido corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiserunt, alij confractis ossibus spiritum continuo reddiderunt, alij post paululum exhalauerunt. Sed qui hoc fabulosū putat; Vranių Zenonis legatum interroget, cuius præsētia præcipue gesta sunt, illa scilicet causa, quia veniens Carthaginem se pro defensione ecclesiarum catholicarum venisse iactabat; & vt illi ostenderet tyrannus se neminem formidare in illis plateis, vel vicis, plures tortores & crudeliores statuit, in quibus legatis moris est ascendendo ad palatium, & descendendo transire, ad opprobrium videlicet ipsius reipublicæ, & nostri iam deficientis temporis fœcem.

Vvandali ab Hunerico pro fide cruciati.

Tunc igitur, & quædam vxor cuiusdam Cellaritæ Regis nomine Dagila, qui temporibus Genserici multoties iam confessor extiterat, matrona nobilis ac de-

Dagila matrona constantissima.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

licata flagellis & fustibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbi nullus hominum forte consolationis gratia veniendi haberet accessum, relinquens cum gaudio domum, maritum simul & filios. Cui postea oblatum esse dicitur, vt in mitiori eremo translata, frueretur si vellet solatio sociorum. Illa vero ingens sibi adesse credens gaudium, vbi nullus humanus esset consolantis affectus, ne fieret supplicauit. Tunc etiam Eugenio pastore iam in exilio constituo, vniuersus clerus ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratus, fere quingenti, vel amplius, inter quos quamplurimi erant * lectores infantuli gaudentes in domino, procul exilio crudeli traduntur.

Clerus Carthaginensis vexatur.

** Lectores & infantuli magis arridet Baronio in notis ad Martyrol.*

De sancto Muritta diacono, & increpatione Elpidofori.

Cap. XCIII.

Sed tunc dum in media vrbe crederentur, Murittam diaconum cæteris liberiorem tacere non debeo. Fuit quidam * Elpidoforus nomine, nimium crudelis & ferus, cui fuerat delegatum membra confessorũ Christi supplicijs grassantibus laniare. Hic enim fuerat apud nos dudum in ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alueo fontis susceperat generatum. Post vero dum apostataret, tantæ extitit feritatis aduersus ecclesiam Dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus. Quid multa? Dum primo presbyteri in supplicijs macerandi ordine citarẽtur, post archidiaconum salutarem arctatur pœnis memoratus Muritta: fuit enim secundus in officio ministrorum. Qui cum Elpidoforo sedente & fremente, honorabilis senior cæpisset extendi, priusquam exueretur, clam furto, nescientibus cunctis, illa quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensionem cunctorum extensis, in his verbis, totam ad fletum & lachrymas cõmouisse dicitur ciuitatem. Hæc sunt linteamina, Elpidofore minister erroris, quæ te accusabunt, dũm maiestas veneric iudicantis, custodientur diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerunt de fonte surgentem; Hæc & acrius persequentur; flammantem gehennam cum cæteris possidere; quia induisti maledictionem sicut vestimentum; scindens atque amittens veri baptismatis, & fidei sacramentum. Quid facturus es miser, cũ serui patrisfamilias ad cænã regiam congregare cæperint inuitatos? Tunc te aliquãdo vocatum; terribiliter indignatus exutum stolam Rex conspiciens nuptialem, dicet tibi, *amice, quo modo huc veniſti veſtem non habens nuptialem?* Non video, quod contuli; non cognosco, quod dedi; perdidisti militiæ clamydem, quam in tela virgineorum membrorum decẽ mensibus texi, & tendiculas crucis quas extendens, aquam mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, si conspiciunt oculi mei; characterem non video Trinitatis. Talis interesse non poterit epulis meis. *Ligate eũ manibus & pedibus* suis funiculis, qui seipsum voluntarie separari voluit à catholicis fratribus suis. Ipse funes extendit continuatos in laqueum, quibus & semetipsum vinxit, & alios, ne ad istud venirent conuiuium, impediuit. Iuxta semitam multis scandalum posuit, quem nunc cum rubore perpetuo & dedecore sempiterno de conuiuio meo proieci.

** alias Helpidiphorus.*

Passio Muritta diaconi.

Egregia Muritta exhortatio & vaticinium.

Hæc & alia Muritta dicente, igne conscientiæ ante ignem æternum obmutescens Elpidoforus terrebatur.

De tormentis eiulantium & 12. infantium à grege separatorum.

Cap. XCIV.

Parentes vniuersi igitur dorsa sua verberibus, alacres ad exilium pergunt; quibus adhuc in itinere longioris viæ constitutis; destinantur, episcopis Arianorũ suggerentibus, homines immitericordes ac violenti, vt illud quod eis forte miseratio Christiana victui contulerat profuturum, crudeliter auferretur, quãdo vnusquisque eorum libentius forte cantabat: *Nudus exiui de vtero matris meæ*, nudum etiam me oportet ad exilium pergere, quia dominus nouit esurientibus cibum porrigere, & in deserto vestire. Nam & Vuandali duo sub Genserico fidei confessores, comitante matre, cõtemptis omnibus diuitijs suis, cum eisdem clericis ad exilium perrexerunt.

Episcopi Ariani crudelissimi, sicut hæretici omnes.

Iob. 1.

Duo Vuandali confessores in exilium mittũtur.

De multitudine autem pergentium confessorum. i. ecclesiæ Carthaginis clericorum, suggerente quodam ex lectore Teuchario perdito, quos ille nouerat vocales strennuos atque aptos modulis cantilenæ, designatione sua debere dicit. 12. infantulos separari, quos ille dum catholicus esset tunc discipulos habuit. Statim illo suggerente, sub festinatione dimittuntur, & vi barbarici furoris bis senus numerus puerorum de itinere vocatur. Segregantur corpore, non spiritu à grege sanctorũ. Qui timentes præcipitium cum suspirijs lachrymarum, ne diuellerentur constringebant manibus genua sociorũ. Quos violentia tamen hęretica minacibus separans gladijs, Carthaginem reuocauit. Sed dum cum eis quasi cum tali ætate non blanditijs ageretur, superiores sus inuenti sunt annis. Et ne obdormirent in mortem, lucernam sibi euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter Ariani, & se superatos à pueris erubescunt. Vnde accensi, subdi iterũ fustibus iubent, quos iam ante pauciſſimos dies varijs verberibus dissiparant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursum pœna restaurata crudescit. Factum est, domino confortante, vt nec ætas iunior deficeret in dolore, & magis animus creſceret roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi 12. Apostolorum chorum conspicit puerorum. Vna degunt, simul vescuntur, pariter psallunt simul in Domino gloriantur.

Pueroriũ duodecim in fide constantia.

Pueri duodecim Catholici cadunturfustibus.

Illis diebus & duo negociatores Frumentius, & alius Frumentius eiusdem vrbis egregio martyrio coronati sunt. Tunc & 7. fratres non natura, sed gratia, in monasterio simul commanentes, confessionis certamine expleto, immarcessibilem peruenerunt ad coronam, idest, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus & Rogatus monachus, & Maximus monachus, & Septimus monachus.

De passione sancti Eugenij Carthaginensis episcopi.

Cap. XCV.

Iam illo tempore crudelius Arianorũ episcopi, presbyteri, & clerici, quam Rex & Vuandali sæuiebant. Nam ad persequendum ipsi cũ suis clericis vbique gladijs accincti currebant, sicut quidam episcopus inter illos cæteris crudelior Antonius nomine, qui tam nefaria & incredibilia in nostris exercuit, vt narrari non queant.

Vide furorẽ Arianorum episcoporum qui ipsis militibus sæuiores sunt. Hos Caluinistæ maximẽ amulantur.

Fuit iste in quadam ciuitate proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicina erat; qui vt bestia insatiabilis, catholicorum sitiens sanguinem, huc illucque ad raptendum fugientes excurrebat. Nam impius Hunericus sciens ferocitatem Antonij, in ipsis eremi partibus voluit sanctum Eugenium relegare. Quem dum custodiendum Antonius accepisset, ita eum arctiori custodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret, insuper varijs insidiarum atque pœnarum supplicijs extinguere cogitauit. Sed Eugenius sanctus, dum nostræ persecutionis defleret incommoda, & asperitate cilicij senile attereret corpus, nudamque super humum cubitans, stratum sacci irrigaret imbribus lachrymarum, aliquando sensit infestum peralysis morbum, quo nuncio in gaudium conuersus Arianus, pergit festinans ad cubile eximij hominis Dei. Et cum videret vrgente passione verum pontificem balbutiẽtia verba producere, cogitauit simul extinguere, quem superesse nolebat. Præcepit igitur vt acetũ asperum nimisque acerrimũ quæreretur.

S. Eugenius ab atrocissimo Ariano episcopo mire affligitur.

Quod

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod cum fuisset allatũ, venerabilis senis recusantibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nam si communis dominus, qui ad hoc venerat, vt potaret, *cum gustasset, noluit bibere*, quanto magis iste seruus, & confessor fidelis omnino nollet nisi hæretica feritas ingessisset? Ex quo aceto præsertim illi passioni noxio, morbus accepit augmentum. Cui pietas Christi misericorditer subueniens, postea salutem exhibuit.

Matth. 27. Luc. 15. Marc. 23. Ioan. 19.

De passione sancti Habetdeum Episcopi, & cæterorum.

Cap. XCVI.

Episcopus Habetdeum ab eode dire vexatus.

ALio autem episcopo nostro Habetdeum similiter relegato Tamalumensis ciuitatis, in qua Antonius fuerat, quantum potuit infestari res ipsa demõstrat. Nam cum diuersis eum persecutionibus affligeret, nec posset facere Arianum, videretque Christi militẽ semper in confessione constantem, pedibus manibusque ligatis, vinculis ingentibus arctat episcopum oreque obturato, ne lingua clamaret, aquam corpori vt putabat rebaptizationis spargit, quasi valeret conscientiam ligare cum corpore, aut nõ adesset, qui audit gemitus compeditorum, & cordis secreta rimatur, vel superare posset aqua mendax tantæ voluntatis propositum, quod iã homo Dei lachrymis manãtibus miserat ligatũ in cælũ. Exuit statim virũ vinculis, & tali quasi gaudẽs voce prosequitur: Ecce iam frater Habetdeum Christianus effectus es. Cui Habetdeum. Illa est, impie Antoni, mortis damnatio, vbi voluntatis tenetur assensio. Ego fidei meæ tenax, vocibus confitens crebris, quod credo, & credidi, clamando defendi. Sed & postea, quam catenis vinxisti, & oris ianuam oppilasti, in prætorio cordis meę violentiæ, subscribentibus Angelis, gesta confeci, & lectitanda Imperatori meo transmisi.

Nullum violentum tenere potest.

Erat generalis quidem ista violentia tyrannorum. Nã Vuãdali pro hac re vbique fuerãt destinati, vt transeuntes itinera sacerdotibus suis adducerent iugulãdos. Nõ licebat siue priuatis siue negociatoribus alicubi trãsire, nec aliquid emere vel vendere, nisi qui haberet characterem bestiæ in fronte sua, & in manu sua. Nam & episcopi atque Presbyteri illorum cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos vel oppida circuibant, & sic despicatibus ianuarum aquam gladiumque gestãtes, animarũ prædones intrabant: & quos domi reperierant, alios forte in lectis soporatos, igneo imbre atque fulmineo respergentes demoniaca vociferatione Christianos suos ipsi pariter vocitabant, vt ludum potius suæ hæreseos, quam aliquam religionem ostenderent. * a In quo minus capaces, & ignaui impletum in se pollutionis sacrilegium putabant; prudentiores vero nihil sibi, quod nolentibus atque dormientibus ingestum est, obesse gaudebant. Nam & multi eadem hora cinerem suis capitibus iniecerunt, alij sese vel quia factum est, cilicio lugubri texerunt, nonnulli cæno fætido linierunt, & linteamina violenter imposita per fila conscinderunt, atque in latrinis fætidisque locis manu fidei proiecerunt.

Responsis Habetdeum episcopi conuincitur Antonius Arianus.

Vide hæreticam barbariem.

Episcopi & presbyteri Ariani homines vi ad suam impietatem pertrahunt.

Linteamina baptizatis imposita.

Tali violentia, nobis videntibus, ibi Carthagine filius cuiusdam nobilis annorum circiter 7. iussu Cirilæ à parentibus separatus est, sine verecundia matronali, matre solutis crinibus post raptores tota vrbe currente, infante clamante vt poterat: *Christianus sum: Christianus sum: Christianus sum.* Cui & os obturantes insontem infantiam in suum gurgitem demerserunt.

ANNOTATIO.

* a *Hoc est quod Augustinus sæpe repetit nullũ est peccatum nisi voluntarium, & in libro de ciuitate Dei primo cap. 16. sit igitur in primis positum atque firmatum, virtutem qua recte viuitur, ab animi sede mẽbris corporis imperare, sanctũque corpus vsu sancta fieri voluntatis. Qua inconcussa ac stabili permanente, quicquid alius in corpore vel de corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat euitari, extra culpam esse patientis. Indicat igitur voluntatem ac peccandum cogi non posse, sed liberũ habere arbitrium ad peccandum vel non peccandum; quo non assentiente nullum peccatum committere, neque damnationem incurrere. Paulo post Victor Africanus idem docet Prudentiores, inquiens, nihil sibi, quod dormientibus & nolentibus ingestum est, obesse gaudebant.*

De constantia Liberati & vxoris eius.

Cap. XCVII.

Liberatus medicus vxoris vocibus confirmatur.

ITa de medici filijs venerabilis Liberati factum esse probatur; Nam cum iussu Regis cum vxore & liberis ad exilium mitti iubetur, cogitauit impietas Ariana à parentibus paruulos suos separari, & per pietatis affectum virtutem prosternere genitorum. Disiunguntur à parentibus tenera pignora filiorum. Qui, cum vellet Liberatus lachrymas mittere, auctoritate vxoria increpatur, & in ipso medio exitus sui, illico lachrymæ siccauerunt. Ait enim ei coniux: Et propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? Computa eos nõ fuisse natos. Nam & ipsos vindicaturus omnino est Christus. Nonne vides eos clamantes, & dicentes, *Christiani sumus.*

Vide mirabilem fœminæ zelum.

Sed hæc mulier quæ in cõspectu Iudicũ egerit, tacendũ non est. Nam cũ ipsa & maritus, licet seorsum carceris custodia tenerentur, ita vt se penitus non viderent, mandatur mulieri, diciturque illi: Solue iam duritiam tuam; ecce vir tuus paruit imperio regis, & noster factus est Christianus. At illa: Videam illum, faciam & ego quod voluerit Deus. Educta igitur de carcere, inuenit virum suum stantem ingenti multitudine pro tribunalibus connexum, & verum æstimans, quod finxerant inimici, iniecta manu apprehendens oram vestimentorum eius gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum dicens: Perdite, reprobe, gratię Dei & misericordiæ eius indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurũ? quid argentum? Nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cui Maritus respõdit: Quid pateris mulier? Quid tibi videtur? Aut qui de me audire forte potuisti? Ego in nomine Christi catholicus permaneo, nec aliquando amittere potero quod teneo. Vbi hæretici mendacij sui conscij & detecti, fallaciam suã colorare minime potuerunt. Et quia superius de violentia immanitatis eorum breuiter diximus, hanc plurimi metuentes, alij se in speluncis, alij in desertis locis viri vel fœminæ nullo sibi conscio sese claudebant, & ibidem nulla succurrente sustentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritum & contribulatum spiritum exhalabant; inter hæc afflictionis incommoda, inuiolatæ secum fidei securitatem portantes, sic enim Cresconius presbyter Myzentinæ ciuitatis in spelunca Zuitensis montis repertus est, putrescente cadauere iam solutus.

Admirabile facinus.

Multi frigore & fame pereunt.

De angustia famis in Africa, & interitu Hunerici tyranni.

Cap. XCVIII.

Grauis. fames & mortalitas in Africa.

EA tempestate facta est incredibilis fames, & cæpit Africam totam vna depopulatione vastare, nullus tunc affuit imber, lurida remanserat terræ facies omnis, quia nec boues suberant, nec castra vsquam omnino remanserant; sed & rusticorum manus alia interierat, & subinde quę forte supererat iam sepulturam quærebat. Alij diffusi per campos, alij secreta syluarum petebant, antiquas radices herbarum vel quisquilias aliquas requirentes. Nonnulli tamen cum domos niterentur egredi, in ipso limine corruentes, cateruatim fame debellante cadebant. Stratæ vero vel semitæ cadaueribus repletæ, exhalantium fætore mortuorum, gradientes viuos ex omni parte necabant, nec deerant quotidie vbique expirantium funera, & non erat virtus quæ miserationis impenderet sepulturam. Neque enim sufficiebant ad sepeliendũ viui fame dominante, & ipsi post paululum morituri. Vrgebatur infælix multitudo ad ipsam vrbem Carthaginem congregari. Et dum adhuc cateruatim illuc animata cadauera fluerent, vbi Rex inferendarum mortium vidit strages, pelli vrbe omnes illico iubet, ac contagio deficientium commune

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pararet etiam exercitui eius sepulchrum.

Horrenda mors impij Hunerici.

Sigebertus in chronicis. Tandem Hunericus iudicio Dei percussus, scatens vermibus miserabiliter expirauit. Post quem Gunthamundus annis 9. regnat, & hic Eugenium episcopum ab exilio reuocat.

De Regno Italiæ, & cathalogo Regum ipsius.

Cap. XCIX.

TEmpore Zenonis Odoacer Rex Italiæ Philegæũ Regem Rugorũ bello oppressum extinguit. Huic Philegæo & vxori eius Gisæ, sanctus Seuerinus hæc futura prædixerat, quia eos à malis compescere non poterat. Exterminatis autem Rugis Longobardi Rugilam, ideſt, Rugorum patriam, inuadunt, quibus tunc temporis quintus Rex Gedeoch principabatur. Quia ergo Longobardorum mentionem fecimus, quorum tempora propter ignoratã historicæ narrationis distinctionem nõdum attingimus, iam nunc narrationem eorum ordinamur, & paulatim ad plenam, & distinctam eorum historiam ascendere nitamur.

Series Longobardorũ. Sic vocati à lõgis barbis. Vide Diac. lib.1.cap.8.

Horum itaque post Ibor & Agion primus fuit Rex Agelmundus, secundus Lamissio sic dictus quod à lama, id est, voragine fuit extractus. Nam mater eius septem vno partu enixa, cum eos in piscinam proiecisset, & Rex Agelmundus iter faciens eos hasta reuolueret, is hastam eius firmiter tenuit, propter quod inde leuatus & ab eo nutritus, eo virtutis processit, vt in regno succederet ei, & necem eius in Bulgaros vltus sit.

Lethus tertius, Gildeoch quartus, Gedeoch quintus fuit. Ex quo ergo in Rugilant profecti sunt vsque ad annos 40. talis fuit rerum gestarum eorum consequentia.

*Vide Diac. lib.1.cap.10. *al. Tattone.*

Sub Gedeoch, & filio eius Claffone Rege sexto in Rugilant habitauere. Sub *Tadone septimo rege in campis Affeld habitauere, vbi tertio anno Rodulfo Herulorum Rege à Tadone perempto, & regno Herulorum destructo, Longobardorum creuit potentia. *Tadonem Vuascho perimit, & ipse octauus regnauit annis 40. secundum chronicas, filiumque suum Vualtharith successorem regni reliquit, qui regnauit annis septem. Post hunc Andochin. 17. Albuinus filius eius 31. scilicet 25. in Pannonia, & 6. in Italia Clepha 2. Post quem fuerunt sub ducibus annis 10.

**Tattonem.*

Lege hic iterum Diaconum.

Post hæc Auctharim Regem sibi statuerunt; quem ob dignitatem Flauium appellauerunt, à quo omnes deinceps Longobardorum Reges Flauij appellati sunt. Huic anni 6. annotantur. Agilulfus 25. Adoloadus filius eius 13. Rotharim 16. Rodoaldus filius eius 5. Ariberith 9. Huius filij de regno contenderunt anno 1. Quorum Godobertum Grimoardus dux Taurinatium dolo peremit, eiusque regnum arripuit, & sororem eius vxorem duxit, ac regnauit annis 9. Post hunc Pertaricalcus alter filius Ariberith annis 17. Cuniberch filius eius 12. Cui successit filius eius Luithberth habens tutorem Ausprandum Quem Ragumbertus dux Taurinensiũ in bello superauit, & regnauit anno 1. Quo mortuo Ariperth filius eius annis 9. Cum quo filius Ausprandi cõflixit, eoque fugiente, & in fluuium demerso, regnum recepit. Sed eo post tres menses mortuo, Luiprandus filius eius regnauit annis 32. Rascis septem. Quo monacho effecto Aristulphus frater eius annis 7. Quo iudicio Dei percusso, Desiderius regnauit 18. annis, in quo regnum finitum est sub Carolo magno sicut infra dicetur.

Vt plenius hæc omnia discutiat lector consulat Paulũ Diaconum lib.1. cap.10. Anno Ch. 481.

Hęc de regno Lombardorum.

Tẽpore quoque Zenonis fama inualescente in Burgundia, senator Hectitius quatuor millia pauperes sustentans, cælestis promissionis vocem audiuit.

De sancto Remigio Rhemensi Archiepiscopo.

Cap. C.

EO quoque tempore claruit in Gallijs sanctus Remigius Rhemensis episcopus.

Huius vitã scripsit Hincmarus ex quo hæc habet Vincentius, meminerunt etiã Greg. Turon. lib.2. histo. cap.31. & sequentibus, Albinus quoque in vita S. Vedasti.

Ex gestis eius. Cum enim persecutio Vuandalorũ totam Franciam grauiter deuastasset, quidam reclusus vir sanctus enim sæpissime orasset pro pace sanctæ ecclesiæ quadam nocte diutius vigilans, tandem fatigatus leuiter obdormiuit, & subito nutu Dei visum est ei, quod Angelis interesset. Qui cum ex pietate de succursu Gallicanæ ecclesiæ loquerentur, venit vox ad eos dicens: Mulier illa Cilinia nomine pariet filium nomine Remigium, qui gentem suam liberabit ab incursu malorum. Statim ille euigilans ad domum Ciliniæ cucurrit, & quod audierat nunciauit. Cui non credenti, quod iam anus ex marito sene concipere posset, respondit: Scias, quod cum ablactaueris puerum, perunget oculos meos de lacte tuo, & recipiam visum. Nam vt meritum illi accresceret, sicut & Tobiæ, oculorum lumen amiserat. Sicque factum est, vt prædixit. Literis itaque traditus quam cito puer potuit reclusorium intrauit. Et cum 22. esset annorum, ab omni populo Archiepiscopus Rhemẽsis electus est, imo potius raptus. Sed cum reniti conaretur, descendit subito radius noui luminis super eius verticem, ac si sol ipse de cælo motus super eum cecidisset. Qui cum ante & post omni virtute polleret, tantæ mansuetudinis fuit, quod etiam ad mensam eius passeres veniebant, & in manu eius ciborum reliquias comedebant.

Adolescens rapitur ad Pontificatũ.

Quodam autem tempore cum Parochias circumiret, hospitatus est in domo cuiusdam cognatæ suæ, & dum adinuicem loquerentur, famulus domus dixit dominæ suæ, quod caupo totum iam vinum vendiderat, excepto modico, quod pro seruando vase retinuerat. Videns ergo beatus Remigius illam erubescẽtem, cognita causa confortauit eam, & statim in viridarium quasi spaciaturus exiuit, & veniens ante ostium cellarij intrauit, & quid haberet vini quæsiuit. Ecce (inquit famulus) modicum, quod remansit. Et ille: Claude, inquit, ostium, & sta ibi donec reuertar ad te. Et pergens retro dolium, fecit crucem super illud. Cumque flexis genibus oraret, statim vinum per buridonem egreditur, ita quod per medium cellarium fundebatur. Quod videns famulus exclamauit, & cucurrit ad dominam suam, & hoc quod viderat nunciauit.

De Gelasio Papa, & scriptis, & statutis eiusdem.

Cap. CI.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Gelasius Romanæ Ecclesiæ 47. præsidet. Hic Manichæos Romæ inuentos in exilium deportari fecit, & codices eorum incendit. Hic tractatus & hymnos composuit; Hic inter cætera, sacramentorum præfationes, & orationes cauto & limato sermone fecit. *Anno Ch. 487.*

Ex libro pontificali. Hic amator pauperum, clerum ampliauit, & à periculo famis Romam liberauit.

Scripsit contra Nestorium, & Vtychem libros quinque; contra Arium 2. Fecit etiam hymnos in modum sancti Ambrosij, & sacramentorum præfationes, & multa alia; Sedit annis quatuor. *Consule Baron. Platinam, & alios.*

Hic suggestione synodi cum fletu sub satisfactione libelli purgatũ Mesenum episcopum reuocauit, quem ecclesiæ suæ restituit.

Sepultus est autem in basilica beati Petri 12. Kalend. Decembris.

Author. Idem etiam cum multis episcopis, vt in decretis Isidori legitur, decretum composuit, in quo libros quosdam tanquam authenticos approbauit, alios vero tanquam apocryphos reprobauit. Quod videlicet decretum in capite huius operis mihi inserere placuit, vt *Patet distin. 15. Sancta Romana. Nota*

hoc

hoc totum opus ex diuersis libris collectum, qui legeret,in ipso capite operis quid esset apocryphum,& quid authenticum discernere posset.

Idem Gelasius in quodam decreto, negociationem clericis interdixit hoc modo,vt ex ipso decreto breuiter excerpsi. Nuper ad nos missa relatio nunciauit plurimos clericorum negotiationibus inhonestis & lucris turpibus inhiare, nullo pudore cernentes, quod dominus ipse negociatores è templo verberatos flagellis expulit;nec apostolica verba,quibus ait: *nemo militans Deo implicat se secularibus negocijs.* psalmistam quoque surda dissimulantes aure, cantantem: *Quoniam non cognoui negociationes, introibo in potentias domini.* Proinde huiusmodi postea quæstibus indignis nouerint abstinendum; & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio vel cupiditate cessandum, aut in quocunque gradu sint positi, mox à clericalibus officijs abstinere cogantur.

Clerico non negotiãdum.

Matth.21. 2.Tim.1. Psal.70.

Domus Dei est domus orationis,non officina negociationis.

De inuentione cryptæ sancti Michaelis in Gargano monte.

CAP. CII.

Apparitio S. Michaelis in Gargano monte quæ facta fuit 2. Gelasij Papæ ãno, vt notat Sigebertus, & post eum Baronius.

HVgo *Floriacensis*. Hoc etiam tempore cathedræ Romanæ Ecclesiæ Gelasio Papa præsidente facta est inuentio sancti Michaelis Archangeli, in Garganо monte, sub Zenone Imperatore anno incarnationis Dominicæ 471.

Ex historia eiusdem memorię. Est enim locus in Campaniæ finibus, vbi inter sinum Adriaticum, & montem Garganum ciuitas Sepontus sita est, in qua fuit prędiues quidam nomine Garganus, qui ex euentu suo mõti vocabulum indidit. Huius pecora dum per deuexi mõtis latera pascerentur, contigit taurum gregis spernentem consortia, singularem incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non esse regressum. Quem cum dominus cum seruis per deuia quæque requireret, inuenit tandem in vertice montis foribus speluncæ cuiusdam assistere; iraque permotus eo quod soliuagus incederet,correpto arcu appetijt sagitta toxicata, quæ veluti venti flamine retorta eum, à quo missa est, percussit. Turbati ciues & stupefacti, nec audentes propius accedere, consuluerunt episcopum quid facto opus esset. Qui indicto triduano ieiunio à Deo monuit esse quærendum. Quo peracto sanctus Michael Archangelus Domini apparuit episcopo per visionem dicens: Ego sum Michael, qui in conspectu domini semper assisto, locumque hunc in terris incolo,& hoc volui probare indicio, videlicet hominis telo suo percussi,me omnium quæ ibi geruntur, ipsius quoque loci inspectorem esse atque custodem.

Hac reuelatione comperta consuetudinem fecerunt hic dominum precibus, & sanctum Michaelem deposcere. Nec tamen vltra cryptam præruptam intrare audebant, sed præ foribus quotidie orationi vacabant. Est igitur in loco illo ecclesia; ipsius Archangeli & opere condita, & nomine consectata. Hanc enim ad promerendam mortalibus ibi supernorum ciuium societatem, propria manu condere dignatus est, vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore eiusdem saxi instar speluncæ excauata ostenditur.

Nota templũ & festum S. Michaelis.

Vide quæ dona conferat S. Michael eius memoriam celebrantibus.

Ibi cum Neopolitæ paganis adhuc ritibus oberrantes, Sepontinos tentarent bello lacessere;illi, Antistitis sui monitis edocti,triduo petunt inducias, vt triduano ieiunio liceret sancti Michaelis implorare præsidium. Ecce iam nocte quæ belli diem præcedebat,adest in visione sanctus Michael Antistiti, preces dicit exauditas, victoriam affuturam spondet, & quarta hora diei hostibus occurrendum præmonet. Quod cum fieret in primo belli paratu Garganus immenso tremore concutitur, fulgura crebra volant, & caligo totum montis cacumen obducit, impleta prophetia, quæ dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus*, &c. Fugiunt pagani, partim ferro hostium,partim igniferis impulsi sagittis Neapolim vsque cedentibus aduersarijs. Mænia tandem vrbis suæ moribundi subintrant.

De inuentione sancti Barnabæ, & viris illustribus illius temporis.

CAP. CIII.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Barnabas Apostolus, qui apud Salaminam Cypri à BarIesu mago, & à Iudæis, pro Christo igne crematus est, corpus suũ, quod à Ioanne Marco consobrino suo in crypta occultatum adhuc latebat,reuelatione sua inueniri fecit; cum quo etiam euangelium Matthæi, ipsius Matthæi manibus Hebraice scriptum, quod erat simul recõditum,inuenitur. Quod euangelium ipse Barnabas ex doctrina Apostolorum secum semper ferre solebat, & vbicunque inueniebat infirmos, ponebat illud super illos, & tam fide Barnabæ, quam merito Matthæi omnes sanabantur. *Anno Ch. 489.*

Hoc quoque tempore floruerunt in Gallia sanctus Remigius Rhemensis episcopus,& etiam sanctus Principius frater sancti Remigij Suessionensis episcopus; & sanctus Auitus Viennensis episcopus, qui Gallias ab Ariana hæresi defendit. Hic metrice de conditione mũdi libros composuit. *S. Remigius. S.Principius. S.Auitus.*

Sanctus quoque Solennis Carnotensis episcopus claruit, qui in prædicando Francis Christum non segniter institit. *S.Solennis.*

In Africa Fulgentius episcopus Ruspensis. In Italia Germanus Capuanus, & Epiphanius Ticinensis. *S.Germanus*

Author. Iste Germanus Capuanus quantæ perfectionis fuerit per illud solum miraculum de transitu eius patet,in quo beatus Benedictus eius animam vidit ad cœlũ in sphera ignea ferri. Quæ autem de Fulgentio legi, hic breuiter inserui.

De origine sancti Fulgentij Ruspensis,& eius monachatu.

CAP. CIIII.

Ex gestis eius. Fulgentius natus est* ex Fulgentio patre,& matrem* Martiana in Lepte ciuitate de nobili genere Cathaginensium senatorum. Quem primo mater sua fecit erudiri græcis literis,& nihil omnino de latinis donec in græcis eruditus esset. Adultus,factus est procurator. Cum autem legisset expositionem beati Augustini de psalmo 36. cæpit velle monachum profiteri.Potens est, inquit, Deus volenti dare facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem.

* al.Claudio.

* Mariana sic lego apud Surium. Institutio Fulgentij.

Factus est ergo monachus à beato Fausto episcopo, qui pro fide relegatus ab Hunerico Ariano, in loco suo monasterium sibi construxit. Quo audito cucurrit mater ad eum, clamans ad Faustum: Redde mihi filium meum. Ille autem contumelias eius irridens,nec saltem videndi filium licentiam ei dedit. Post hæc Fulgentius de nimia abstinẽtia obsessus est impetigine, qui pro hoc se culpantibus aiebat: Infirmantur etiam illi qui quotidie cibis lautioribus saginantur.

Ad Faustum episcopum se confert. Mater eius proposito cruciatur.

Iterum expulso exinde Fausto, accepta licentia, petijt vicinum monasterium, vbi Felix præerat paucis, sed simplicibus fratribus, à quo statim coactus est Abbatis locũ tenere. Et quia se dilexerant ab adolescentia, alter sumpsit nomẽ alterius. Trahũtur postea hi duo à quodã Presbytero Ariano Felice nomine facultatibus locupletе. Dumque Fulgentium sanctum verberarent, ait Felix: Parcite quæso Fratri Fulgentio, qui non potest tormenta sufferre, conuertatur in me crudelitas vestra. Tãdẽ presbyter illos decaluatos, & vestibus ablatis, nudos & inanes à domo sua proiecit. Cũque multi dicerẽt Fulgentio,vt querimoniã faceret de presbytero,qui eos cæciderat respondit: Non licet in hoc sæculo quærere vindictam Christiano: Nouit Deus quomodo seruorum suorum defendat iniurias.

Felix presbyter Arianus Fulgentio infestus.

Post hæc ad monasterium suum reuersus est, & iterũ inde fugit ad aliud districtionis regulæ, vbi nomen deposuit Abbatis. Ibi duo senes presbyteri Abbatis of-

Decaluationem magnũ apud barbaros fuisse supplicium, docent leges Theodorici.

ficio

ficio fingebantur; quibus se subiciens Fulgentius scriptoris arte laudabiliter vtebatur;& palmarum foliis flabellos sępissime contexebat. Cui operi etiā, cum fuisset Abbas in suo monasterio vacabat, sed coactus est per Faustum Episcopum ad proprium redire locum.

De episcopatu eiusdem,& exilio.

CAP. CV.

Fit episcopus Ruspensis, sed tamen monasticam seruauit vitam.

FActus autē postea Episcopus Ruspensis, prius propositum tam in veste quam in cibo retinuit, cōtentus vna vilissima tunica tam in æstate quam in hyeme, & nec inter hospites manducās. Orario sicut omnes episcopi non vtebatur; pelliceū cingulū gestabat, caligis in tempore hyemis, caligulis æstatis tempore simpliciter vtebatur. Intra monasteriū soleas interdum accipiebat, sæpe nudis pedibus ambulabat, casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos habere permisit: subtus casulam nigello, vel lactinio pallio circundatus incessit, scapulis nudis nunquā à nobis visus est,nec depositō cingulo somnum petiuit. In tunica dormiebat,in ipsa sacrificabat, & in tēpore sacrificij mutanda potius corda,quam vestimēta dicebat. Carnes cuiuslibet generis nunquam comedebat, sed simpliciter olera,ptisānas, & oua. Quamdiu iuuenis fuit sine oleo, postquam senuit superfuso oleo, ne caligo oculorum lectionis impediret officium,& à vino tamen sanus semper abstinuit, quod cum propter infirmitatem biberet, sic obruebat aqua, vt vinum vix saperet; semper ante fratres surgebat ad vigilias.

Carnibus perpetuo abstinuit, Item vino quando sanus.

Truditur in exilium cum 60. episcopis. Vide Baron. ad an. 504.

Post hæc missus est in exilium apud Sardiniam 60.& amplius episcopi cum eo catēna ligabantur exilij: quorum omnium ipsa lingua, & ingeniū erat. Et sicut beatus Aurelius Carthaginensis episcopus inter sua priuilegia meruit, vt literas in Africano concilio dandas solus ipse scriberet, similiter iste, vt literas ex illo dirigendas solus ipse dictaret. Inuitatus est Carthaginem à Thrasimundo rege Ariano, cui idem rex quædam plena perfidiæ scripsit: quibus ille capitulatim respōdit. Scripsit ad eum & tres libellos, quibus Pinta episcopus Arianus respondere voluit magis, quam valuit. Contra quem Fulgentius postea scripsit librum, quem titulauit aduersus Pintam. Mirabilia facere nūquam delectatus, hanc gratiam sibi dari nullatenus desiderauit.

Opus Fulgētij aduersus Pintam desideratur vt notat Baron.

De iterato eiusdem exilio, & regimine monasterij.

CAP. CVI.

Iterum relegatur, sed pradicit celerem suum reditum. Monita S. Fulgentij.

CVm secundo mitteretur in exilium prædixit Iuliano tæo viro religioso nimis dolenti de illius recessū, quod cito reuerteretur: Et addidit: Hoc quæso secretū sit apud te, quod me nimia charitas indicare compellit. Dicebat enim: *Mirabilia non conferunt homini iustitiam, sed hominum notitiam, quæ magis fugienda est, quam quærenda.* Quisquis enim fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna perueniet supplicia condemnatus. Iustus autem in conspectu Dei, & si hominibus fuerit incognitus, beata sanctorum gaudia percipiet coronatus.

Veri monachi qui.

Idem dicebat vt monachus lautioribus forsitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis. Vt autē cupiat in quibuslibet exiguis rebus iuris proprij dominium vendicare, superbę voluntatis, & auaræ cupiditatis euidens testimonium est.

Idem, de substantia communi quisquis aliquid plus accipit, omnium fit debitor, quorum est illa substantia: debitorem vero sola iuuat humilitas.

Idem, veri monachi sunt,qui mortificatis voluntatibus suis parati sunt nihil velle, nihil nolle, sed Abbatis tantummodo consilia vel præcepta seruare. Si quis autem præsumpsisset plusquam acciperet petere, negabat continuo, etiamsi mereretur accipere, dicens monachum ijs quæ acceperit debere esse cōtentum. Sine suo autem consilio nec suum propositum sinebat aliquem agere. Laborantes fratres & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionisque studium habentes minus diligebat, nec honore maximo dignos iudicabat. Amator autem scientiæ spiritualis, etiamsi virtute corporis esset destitutus ab eo peculiariter amabatur. Amabat, quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones acerrimas proponeret, in quibus laborabat, licebatque passim omnibus fratribus,etiam natura simplicibus, vnde vellent interrogare, nec priusquam satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere, nisi victus tædio vel labore cessabat.

Studijs vacantes præferebat alijs.

Scripsit contra Faustum episcopum Galliarum, qui occulte consentiebat Pelagianis, aperte volens catholicus videri. Cum autem reuocaretur ab exilio, tam deuote à populo susceptus est, vt de suis pallijs super eum extensis nouum genus tabernaculi facerent. Egresso illi de Carthagine obuius occurrebat vbique populus cum lucernis, & lampadibus, & arborum frondibus.

Faustus episcopus Galliæ Pelagianus.

De institutione cleri, & transitu eiusdem Fulgentij.

CAP. CVII.

Qualiter suum clerū instituerit.

SVmmam diligentiam præbuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur,aut negocijs sæcularibus occuparetur. Iussit omnes clericos non longe ab ecclesia domos habere, manibus proprijs hortū colere, psallendi suauiter & pronunciandi curam gerere, per singulas septimanas omnes clericos, & viduas, & quicunque potuisset ex laicis 4. & vi feria statuit ieiunare. In consilio * Vincentij iudicio omnium sacerdotum qui cōuenerant,prælatus est episcopo cuidam nomine, Quodvultdeus, qui priorem se illius existere confirmabat; tunc autem tacuit, ne auctoritatem concilij minuere videretur. Sentiens autem post concilium dolere episcopum, timensque propter suum honorē generare fratri scandalum; melius iudicans per charitatē se fieri minorem, quam sine charitate maiorem:exegit postea precibus importunis à Suphetano consilio,vt nomen suum posterius recitaretur.

** Vincentij.*

Bonifacius episcopus Carthaginensis apud Burnos ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente sermonem tractantem expectauit, tantum delectatus in verbis eius, vt tamdiu lachrymis terram rigaret, donec ille sermonem finiret.

Nota insignē tanti viri humilitatē.

Anno vno ante mortē suā ecclesiasticas occupationes reliquit,& à suo monasterio secrete recedens,in insulam Circinā in quodam scopulo breui cui nomē est Chilmi habitauit,vbi ædificato monasterio,Deo vacauit,& sibi. Infirmatus est acerrime 70. diebus,& hoc solū dicebat: *Domine da mihi modo hic pœnitentiam, postea indulgentiam.* Suadentibus medicis, vt balneis vteretur, non acquieuit dicens: Nunquid bālneæ poterunt facere, vt non moriatur in tempore suo homo mortalis? Moriens circunstantibus fratribus dixit: Ego fratres animarum vestrarū saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti, & ideo obsecro vos vt ignoscat mihi quisquis aliquis dolet. Iussit autem egentibus pecuniā dari, per seipsum memoriter recolens, viduarum, pupillorum, peregrinorum,contractorumque illic indigētium nomina; quibus quid cui sigillatim daretur propria deliberatione constituit.

Precatio Fulgentij in summis doloribus.

Moriturus. distribuit omnia pauperibus.

Obijt Kalend. Ianuarij. anno episcopatus sui 25. vitæ 65.

De scriptis eiusdem.

CAP. CVIII.

Opuscula S. Fulgentij.

AVthor. Scripsit autem idem Fulgentius opuscula nonnulla ad ædificationem ecclesiæ vtilia. Siquidem edidit ad Eutimium de remissione peccatorum lib. 2.

Ad donatum de fide lib. 1.

De mysterio mediatoris lib. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Monimum de prædestinatione, & quibusdam alijs quæstionibus lib. 3.
Responsionum contra obiectiones Thrasimundi Regis Ariani lib. 1.
De continentia coniugatorum seruanda post votum lib. 1.
Ad Probam de virginitate, & humilitate lib. 1.
Ad eandem de oratione, & compunctione li. 1.
Ad Eugipyum de charitate lib. 1.
Ad Theodorum senatorem li. 1.
Ad Venantiam de pœnitentia, & indulgentia li. 1.
Scripsit, & sermones nonnullos, præcipueque de natiuitate Domini, ac de solemnitate beati Stephani Protomartyris pulcherrimos.
Et de his omnibus opusculis eius plura quidem notabilia dicta excerpsi, quæ & opusculis nostris per loca diuersa inserui. Hic tamen etiam pauca de quibusdam eorum ad eius eloquij commendationem inserere volui.

Exhortatio ipsius ad sanctimoniam vitæ vidualis.

Cap. CIX.

Fulgentius ad Gallam de viduitate seruanda cap. 11. Post obitum temporalis mariti omnes in corde tuo reliquię debent mundanæ cogitationis extingui.

Cap. 12. Habitus quoque tuus talis sit qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet. Nec quæras vt placeas oculis hominum, sed vt Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod dedit inueniat, quod delectetur agnoscat. Sit oratio crebra in cogitatione sancta, & operatione continua. Oratio namque est in conspectu Dei omne bonum opus, quo delectatur nullo indigens Deus.

Officium vidua adhærere Deo & instare orationibus

Cap. 13. Refectione tua non voluptas expleatur, sed infirmitas sustentetur.

Cap. 16. Disce nihil tibi assignare de nobilitate generis, sed in eo te illustrem fieri cognosce, in quo virtus accrescit humilitatis. Voluntarium ieiunium tuum esuriem subleuet indigentium, vt in fructu misericordiæ tuorum possit ieiuniorum fœcunditas apparere. Prosit etiam tibi vilitas vestium, & per te vestiatur nuditas pauperum. Tunc enim vtiliter fugies prætiosæ vestis ornatum, si nudos vestias.

Distribuendum pauperibus.

Cap. 17. Nec ipsis pauperibus quos pascis aut vestis superiorem te credas; tanquam ideo potior sis, quod plura contempseris. Frustra enim contemnis facultates tuas, si noxias iactantiæ teneas in corde diuitias. Plures diuitias Zachæus pro Christo dicitur impendisse pauperibus, pro quo vilissima retia reliquit Petrus & nauem: & tamē à Christo nō Zachæus diues pauperi Petro, sed pauper Petrus diuiti Zachæo præponitur: vt diuitibus Christi nulla de contemptis diuitijs iactantia nascereture.

Fugienda iactantia in bonis operibus.

Cap. 19. In operibus bonis laudet te quidem humana lingua, sed tu laudem à solo Deo desidera. Sic fiet, vt dum tu laudem ab hominibus non quæsieris, Deus laudetur in operibus suis.

Fugienda laus hominum.

De commendatione virginitatis, ac de ieiunio & lachrymis.

Cap. CX.

Idem ad Probam de virginitate, & humilitate cap. 5. Virago dicitur à viro, & vir à virtute.

Cap. 7. Claret itaque inter cæteras ecclesiæ donationes, illius præcipuum munus spiritualis esse charismatis, vbi virtus ipsa integritatis perfectio meretur vocabulo censeri virtutis.

Cap. 9. Multiplex inter virginitatem & connubia comparatio. Nec in eo quod virginalis integritatis agnoscimus culmen, pudicitiæ coniugalis asserimus crimen: sed sanctam virginitatem dicimus merito potiore distare à cōiugali vita, quantum distant à bonis meliora, à terrenis cælestia, à carne spiritus, ab infirmitate virtus.

Cap. 10. Nec dicere dubitamus, tantum à sancta virginitate carnis & spiritus, fidelium coniugatorum (licet à Deo concessum) distare concubitum, quam similitudo pecorum ab imitatione discernitur Angelorum. In vno quippe ad terram spiritus, terrena carnis voluptate deprimitur; in altero terrena caro cœlesti delectatione spiritus, ad cœlestia subleuatur.

Virginitas longe superior connubio carnali

Cap. 13. Ieiunijs sic est adhibenda temperies, vt corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Saturitas facit, vt inaniter ieiunemus: debilitas ne ieiunare possimus.

Cap. 14. Vestis talis sit sacræ virginis, quæ testis existat intimæ castitatis.

Cap. 15. Virgo quæ parat intuentibus illecebram, non habet castitatem veram, sed virtutum splendore spoliat animam suam. Hæc fidem non seruat Christo, quæ populo magis quærit placere, quam sponso.

Idem ad eandem, de oratione & compunctione cap. 5. Humilium fletus, magnus est concupiscentiæ carnalis interitus: lachrymæ quoque quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt.

Cap. 8. In cœlesti vero patria non minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio.

De quibusdam alijs moralibus dictis eiusdem.

Cap. CXI.

Idem ad Theodorum Senatorem. Quantum inesse luctū Diabolo putas, quod à te contemptum prospicit mundum, & te conuersum agnoscit ad Christum? Quāuis enim Christus æqualiter sit cunctis fidelibus mortuus, tamen conuersiō potentium sæculi militat acquisitionibus Christi. In Deo nihil deest, quia in illo totum est, nihil sibi supereſt, quia nihil præter illum est: Si qui ergo rerum temporalium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in illo pleni sunt, in quo nullo indigetur. In illo securi in quo nihil timetur: in eo vero glorioſi, cuius gloria non auferetur.

Diabolus de conuersione sæcularium dolet.

Qui viam mandatorum currere delectaris, non hoc tibi dat natura, sed gratia. Nam & oculus sic factus est, vt videre lumen possit, sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus, beneficium est luminis: quo si cauerit, cæcus manebit in tenebris. Nil iraque tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias quod accipere poteras, & quod acceperas, perdas.

Gratia dat viam mandatorum Dei currendi.

Superbia hominis quam maxime detestabilis.

Detestabilis est cordis humani superbia, qua facit homo, quod Deus in hominibus damnat; sed illa detestabilior, qua sibi tribuit homo, quod Deus in hominibus donat. Damnabilis est, qui substantia sæculi male vtitur sed dānabilior, qui spiritualibus donis superbus effertur

Idem ad Venantiam de pœnitentia, & spe indulgentiæ. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur; non est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Nemo igitur de medico desperans in infirmitate remaneat peccati, quia dicit Apostolus. *Pro impijs mortuus est.*

Deus omnia peccata delet. Rom 5. Pœnitentia vera duo requirit.

Salubris conuersio duplici ratione subsistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem. Si diuturnitas peccatorum misericordiam vinceret non in ætate mundi nouissima Christus veniret, vt peccatū mundi pereuntis auferret. Quacumque ergo quis ætate vocatus, si benignitatem Dei vocantis non spernat, necesse est vt denarium vitę accipiat. Nec vnquam est pœnitētia apud Deum sera, in cuius cōspectu semper pro præsentibus habentur tam præterita, quam futura.

Author. Hæc ad præsens de illius dictis sufficiant.

Vsque ad hoc tempus Gennadius librum suum de illustribus viris perduxit, qui presbyter Massilienſis fuit.

Hæc de temporibus Zenonis sufficiant Imperatoris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

De Imperio Anaſtaſij, & Papa Symmacho & Antipapa Laurentio.

CAP. I.

Cepit Anaſtaſius an. Ch 493. Mūd 4344.

Vgo. vbi ſupra. Mortuo Zenone, Anaſtaſius ab Auguſta aſſumptus, Imperator ſimul & Auguſtæ Maritus cunctis innotuit.

Author. Anno domini 493. ſecundum chronica: Mundi vero 344. ſumpſit imperialem purpuram, & imperauit annis. 25. Iſte ab Anterico deprauatus eſt Conſtantinopolitano epiſcopo, qui fauebat hæreticis, & perſequebatur catholicos.

Contentio inter Symmachum & Laurentium pro ſede Petri.

Ex libro Pontificali. Temporibus Anaſtaſij Auguſti Symmachus Papa floruit. Hic ſub contentione ordinatus eſt vno die cum Laurentio Symmachus in baſilica Conſtantiniana, Laurentius in baſilica beatæ Mariæ. Ex qua cauſa ſeparatus eſt clerus, & diuiſus eſt populus Senatorum etiam alij cum Symmacho, alij cum Laurentio. Et facta contentione, hoc conſtituerunt partes, vt ambo ad Rauennam pergerent ad iudiciū Regis Theodorici. Qui cum ambo introiſſent Rauennam, hoc iudicium æquitatis inuenerunt, vt qui primo ordinatus fuiſſet, & in quem pars maxima conſenſerunt, ipſe ſederet in ſede apoſtolica. Aequitas in Symmachum venit & cognitio veritatis, & factus eſt Præſul Symmachus.

Symmachi in Laurentium benignitas.

Eodem tempore Papa Symmachus congregauit ſynodum, & conſtituit Laurentium in Nucerina ciuitate epiſcopum lutuitu miſericordiæ.

Poſt annos vero quatuor, zelo ducti aliqui ex clero, & alij ex ſenatu, maxime Feſtus, & Probinus, incriminauerunt Symmachum, & ſubornauerunt teſtes falſos, quos miſerunt Rauennam ad Regem Theodoricum, accuſantes beatum Simmachum, & occulti reuocauerunt Laurentium. Poſt libello Romæ facto fecerunt ſchiſma & diuiſus eſt iterum clerus, & alij adhærebant Symmacho, alij Laurentio.

Tunc Feſtus, & Probinus ſenatores miſerunt relationem Regi, & cæperunt agere, vt viſitatorē daret Rex ſedis apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ ciuitatis epiſcopum, quod canones prohibebant.

Eodem tempore Symmachus congregauit epiſcopos 115. & facta ſynodo purgatur à crimine falſo. Damnantur Petrus Altinenſis epiſcopus inuaſor ſedis apoſtolicę & Laurentius Nucerinus, quia viuo Symmacho epiſcopo peruaſerunt ſedem eius. Tunc ab omnibus epiſcopis, presbyteris & diaconis & omni clero vel plebe, reintegratur beatus Symmachus cum gloria & apud beatum Petrum ſedit vt verus Præſul.

De ſeditione Romanæ eccleſiæ, & geſtis Symmachi Papæ.

CAP. II.

Mira ſeditio excitatur Romæ ex inuidia.

EOdem tempore Feſtus caput conſulum, & Probinus conſul cæperunt intra vrbem Romam pugnare cum aliis ſenatoribus, & maxime cum Fauſto conſule; & cædes & homicidia exercere in clero ex inuidia. Qui vero communicabant beato Symmacho, iniuſte & publice, qui inuenti fuiſſent intra vrbem, gladio occidebantur. Sanctimoniales mulieres & virgines deponentes de monaſterio, vel de habitaculis ſuis, & denudantes ſexum fœmineum, cędibus plagarum afflictas vulnerabant, & omni die pugnam contra eccleſiam media ciuitate gerebant: etiam & multos ſacerdotes occiderunt, inter quos Digniſſimum, & Gordianū presbyteros, ad vincula beati Petri Apoſtoli, & ad ſanctos Ioānem, & Paulum, quos fuſtibus, & gladio interfecerunt Multos etiam Chriſtianos, vt nulli eſſet ſecuritas die ac nocte de clero in ciuitate ambulare. Solus autem Fauſtus conſul pro eccleſia pugnabat.

Presbyteri trucidati inhumaniter

Poſt hæc omnia beatus Symmachus inuenit Manichæos in vrbe Roma; quorum omnium ſimulachra, vel codices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremauit, & eos ipſos exilio relegauit. Hic etiam captiuos per Lyguriam, & Mediolanum, & per diuerſas prouincias pecuniis redemit, & dona multiplicauit & dimiſit. Multa quoque opera præclara in vrbe Roma fecit in eccleſiis extruendis, illuſtrandis, & decorandis.

Sigebertus in Chronicis Hic etiam Symmachus conſtituit omni die dominico, vel natalitio martyrum, *Gloria in excelſis Deo*, ad miſſas cantari: quem hymnum Teleſphorus ſeptimus à Petro Papa, nocte tantū natalis domini ad miſſas, à ſe in ipſa nocte inſtitutas, cantari inſtituit, & in eo, ad Angelorū verba, quæ ſequuntur adiecit

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quibusdam incidentibus illius temporis.

CAP. III.

Ann. Chri. 498. EO tempore Trasamundus Rex Vuandalorum, in Africa clausis catholicorum ecclesijs. 220. Episcopos exsiliauit, erga quos Symmachus Papa manum suæ libertatis benevole exercuit. Hac persecutione Fulgentius episcopus sanctitate, sapientia, & scientia, stylo & facundia præclarus, multa ab Arianis pro vera fide perpessus, diutino in Sardiniam exilio maceratur.

An. 503. Cæterum in Africa Olympius quidam, dum in balneis sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito iaculo cælitus veniente, visibiliter combustus est.

Constantinopoli dùm Deuterus Arianus episcopus Barbam quendam baptizaret, & male distinguens Trinitatem diceret, Baptizo te, Barba, in nomine patris, per filium in spiritusancto, aqua disparuit.

An. Ch. 505. Alamundarus Rex Saracenorum ab orthodoxis baptizatus, cum eum vellent Eutychiani seducere, refellit eos ac fabulosa inductione, dicens quòd literas acceperit, Michaelem Archangelum mortuum esse; Illisque respondentibus, hoc impossibile esse, eo quod Angeli sint impassibilis naturæ. Quomodo ergo, inquit secundum vos nudus crucifixus est Christus, nisi duarum naturarum esset, quandoquidem, nec Angelus mortuus est?

Hoc etiam tempore Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Gallia peregrinatus vrbem Rhemensem & vita & morte sua illustrauit.

Genouefa virgo Parisiensis octogenaria, ad dominum transijt. In Alexandria multi vtriusque sexus arrepti à dæmone, repente quasi canes latrabant.

De desponsatione Clotildis Chodoueo regi,

CAP. IIII.

GRegorius Turonensis lib. 2. hist. cap. 28. In illo tempore Gundenchus Rex Burgundionum regnabat, qui ex genere Athanarici fuisse perhibetur. Huic fuerunt quatuor filij, Gundobaldus. Godegisilus, Chilpericus, & Godomarus. Gundobaldus igitur Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, vxoremque Chilperici ad collum ligato saxo, in aqua præcepit necari: filias quoque duas eius quarum senior vocabatur Mucurina mutata veste exilio condemnauit, iuniorem vero Clotildem secum domi retinuit, Clodoueus itaque Rex Francorum adhuc paganus, dum adhuc frequenter legationem in Burgundiam mitteret, Clotildis puella inuenitur à legatis. Qui cum eam vidissent pulchram & elegantem atque sapientem Clodoueo nunciauerunt de ea: At ille hæc audiens iterum legationem ad Gundobaldum misit, pro Clotilde nepte sua petenda, erat autẽ Christiana.

Quadam enim die dominica, cum ad missarum solemnia Clotildis venisset, Aurelianus missu Clodouei accepta veste paupercula, vestes quas secum attulerat reliquit sodalibus suis in siluis, & ante ecclesiam matriculam in medio pauperum consedit. Transactis vero missarum solemnijs, Clotildis iuxta cõsuetudinem, erogare cæpit eleemosynam pauperibus. Cumque ad Aurelianum venisset, misit aureum vnum in manum eius; at ille osculatus est manum ipsius puellæ. Post hæc illa ingressa cubiculum suum, misit ancillam suam vocare pauperem illum. At ille annulum Clodouei regis tenẽs manu, astitit humiliter coram illa. Cui ait illa: Cur te pauperem simulas? Dominus, inquit, meus Clodoueus Rex Francorum misit me ad te, & vult te habere Reginam. Accepto itaque annulo reposuit illum in thesauro auunculi sui; & salutem dicens Clodoueo Regi, non est, inquit, rectum, christianam fœminam pagano nubere. Et adiecit: Vide vt hanc causam nemo sciat, sed sicut Dominus Deus meus vult, sic fiat. At ille venieris, nunciabit hæc domino suo.

Anno insecuto misit Rex legatum ad Gundobaldũ pro sponsa Clotilde, Audiens hoc Gũdobaldus, ait: Renuncia Domino tuo, quia frustra mendacium locutus est, sponsam se habere neptem meam. Burgundiones consiliarij eius metuentes valde irã Clodouei, dato cõsilio, requisitis omnibus thesauris regis inuenerunt annulum Clodouei inscriptione & imagine signatum. Tunc contristatus valde Gundobaldus ait: Simpliciter, & sine consilio hoc ita actum fuit. Acceptam ergo eam cum ira Aureliano legato Clodouei tradidit. Ille autem Clotildẽ cũ magno gaudio adduxit Clodoueo Suessionis. Gauisus ergo Rex eã copulauit sibi in matrimoniũ.

al Gundobandum.

Qualiter ei Clotildis christianismum suadebat.

CAP. V.

CVmque esset sero die illa quando insimul nuptiali more accumbere deberent, illa confisa in dominũ ait: Domine mi Rex, concedere digneris quod deprecor antequã famula tua tibi societur. Et Rex ait: Postula quod vis. At illa, primũ peto, *vt in Deũ cęli patrẽ omnipotẽtẽ credas, qui te creauit: Et in Iesum Christum Regem Regũ, qui te redemit, & in Spiritumsanctum confirmatorem & illuminatorem iustorum omnium. Hanc maiestatem agnitam crede, & idola vana derelinque, & ecclesias sanctas quas succendisti restaura. Memento etiam quæso, vt requiras portionem genitoris mei & genitricis meæ, quos Gundobaldus auunculus meus malo ordine interfecit, & vna sanguinem eorum Dominus vindicet.* Et Clodoueus ait. Vnum restat quod difficile petis, vt Deos meos relinquam, & Deum tuum colam, aliud vero quod petis, vt potero, faciam. Et illa: Hoc inquit, maxime obsecro, *vt Dominum Deum cœli adores.* Clodoueus ergo iterum Aurelianum ad Gundobaldum direxit propter thesaurum Clotildis Reginæ; qui in ira commotus ait: Nunquid in manus Clodouei tradetur regnum meũ aut thesauri mei? Recede à me. Aurelianus ait: Mandat tibi dominus meus Rex, vt ei certissime remandes thesauros vxoris suę sin autem cum exercitu suo tibi occurret. Tunc Burgundiones dato consilio dixerunt Regi suo: Da nepti tuæ de facultate tua, quod ei cõtingit, quia sic iustum esse decernitur, habeasque fœdus cum Clodoueo, & gente Francorum, ne forte irruant in terram nostram, quia populus ille ferocissimus est, & sine Deo existens. Obaudiens Gũdobaldus, dedit per manus Aureliani Clodoueo partem maximam ex thesauro suo supellectilique neptis suæ.

Clotildis ad religionem Christianã maritum hortatur.

In diebus iilis dilatauit Clodoueus regnum suum vsque ad Sequanam, & sequenti anno vsque ad Ligerim occupauit. Concepit denique Clotildis Regina filiũ, & peperit, quem & baptizari voluit: quæ etiam regem, *vt in Deum cœli crederet*, quotidie rogabat, sed ille audire nolebat: Baptizatus autem puer in ipsis albis de hac vita transiuit. Vnde Rex contristatus ait: Si in nomine Deorum meorum dedicatus fuisset, vtique vixisset. Regina vero ait: Ego pro hac causa nullo dolore conturbor in corde meo, sed *Deo gratias ago*, quia me dignam duxit, vt de vtero meo primogenitum recipere dignaretur in regnum suum. Post hunc genuit alterum, quem baptizatum vocauit Clodomirem; Et hic cum ægrotare cœpisset, dixit Rex: Non potest aliud fieri nisi & de isto sic vt & de fratre eius. Sed orante Regina, sanitatem à Deo recepit.

Gregorius Turonensis li. 2. histo. Cap. 9.

Ingomerus primo genitus baptizatus in albis moritur.

De modo conuersionis, & baptismo Clodouei populique Francorũ.

CAP. VI.

FActum est autem bellante Francorum exercitu cum Alemanis, vt Clodouei exercitus nimis corrueret. Et Aurelianus Regem intuens ait: Domine mi Rex, *crede tantummodo in Deum cœli*, quem domina mea Regina prædicat & prestabitur tibi victoria. Ille vero eleuatis ad cœlum oculis commotus lachrymis ait: *Iesu Christe quem Regina meaprædicat esse filium Dei viui, qui subuenis in tri-*

Gre. Turon. lib. 2. cap. 30.

Clodoueus Christo nomen spondet si vinceret.

in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adiutorium deuotus postulo, vt si mihi victoriam super hos hostes dederis, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, & in nomine tuo baptizabor. Inuocati enim Deos meos, & non anxiliantur mihi; ideo eos nulla potestate esse præditos credo, qui sibi credentibus non succurrunt. Te igitur verum Deum, ac Dominum inuoco, tibi credere desidero, tantũ vt liberer ab aduersarijs meis. Cumque hæc orans clamaret, Alemani in fugam lapsi, terga verterunt. Cumque Regem suum vidissent interfectum Clodouei potestati se subdunt, & ille terram eorum sub iugo tributario cõstituit.

Lege Hincmarum in vita S. Remigij.

Facta igitur victoria reuersus est in Franciam ad Reginam suam, narrauitque ei qualiter *per inuocationem nominis Iesu Christi Domini victoriam obtinuit.* Facta sunt hęc anno quintodecimo Clodoueo regnante. Tunc Regina clam vocauit Sanctum remigium, vrbis Rhemẽsis Antistitem, deprecans eum, vt Regi viam salutis predicaret. Conueniens autem Rex cum populo, cœpit cohortari eos ad fidem Christi. Acclamauerunt autem omnes populi Francorum dicentes, *Mortales Deos relinquere gloriose Rex, & Deum verum immortalem credere, quẽ Remigius prædicat, parati sumus.* Nunciantur itaque hæc Sancto Remigio; ille quoque magno gaudio repletus, iussit baptismum lauacri parari. Velis depictis adumbrantur plateæ, fabricantur ecclesiæ, componitur baptisterium. Venit nouus Constantinus ad baptismum, abnegatis omnibus diaboli pompis. Quo ingresso ad baptismum, sanctus Dei Remigius sic ait ore facundo; Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, & incende, quod hactenus adorasti.

Clodoueus rex baptizatur, & Sacra ampulla è cælo defertur.

Ex gestis sancti Remigij. Cumque nõ adesset, qui chrisma afferre debuerat, ecce subito columba cœlitus elapsa ampullam cum chrismate rostro detulit, de quo Pontifex Regem in baptismo liniuit. Hæc ampulla in Rhemensi ecclesia hodie quoque seruatur, & etiam inde reges Francorum inunguntur.

Vide D. Th. 2. lib de reg. prin. cap. vltimo.

Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 31. Igitur Clodoueus in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatus est, & de exercitu eius plusquam tria millia virorum baptizantur, & sorores eius ipso die, & postea cunctus populus Francorum cum gloria.

ANNOTATIO.

Clodoueus (quem in baptismo Ludouicum nominatum quidam scribunt) quintus Francorum rex in Gallijs creatus, primus fuit ex regibus Francorum Christianus, sub quo Romanum imperium in Gallijs omnino defecit Romanis ducibus cæsis.

De miraculo autem quod Dominus dignatus est ostendere per columbæ speciem in allatione chrismatis sicut & de alijs, rata est Catholicorum patrum tenenda sententia: diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Hincmarus in vita S. Remigij.

De sancto Genebaldo Laudunensi, & eius lapsu ac pœnitentia.

CAP. VII.

Sigebertus in chronicis Collatis autem à Clodoueo Rege multis prædijs Ecclesię Rhemensi, sanctus Remigius multa eorum parte data ecclesiæ Laudunensi, sedem episcopatus ibi esse constituit, primumque illuc episcopum Genebaldum constituit.

Ex gestis Sancti Remigij. Hic relicta vxore, nepte scilicet Beati Remigij, cum ipso iam viuere cœperat. Qui Genebaudus parum attendens virtutem hominis contra peccatum, vxorem suam clam causa instruendi frequenter ad se venire permisit. Tandem *sicut gutta cauat lapidem*, crębræ frequentationes, & blanda colloquia animum episcopi ad peccatum traxerunt. Concipiens ergo mulier, mandauit ei secreto dicens: Quia filium masculum peperisset. Qui confusus remandauit dicens: Puer generatus est in latrocinio, volo vt Latro vocetur. At ne suspicio inde procederet, vxorem suam sicut prius ad se venire permisit; qui tamen iterum post fletũ illius peccati, ad peccatum tedijt, concepitque mulier, & vt prius mandauit, quod filiam genuerat. At ille eam Vulpeculam nominauit. Tandem in se reuersus episcopus misit ad Sanctum Remigium vt Laudunum veniret, quia talis causa emerserat, quam ipse per se emendare non poterat. Veniens, & deuote susceptus episcopum interrogauit cur eum vocauerat? Tunc Genebaldus cum maximo fletu & eiulatu, volens tollere stolam suam de collo suo & procidere ad pedes sancti Remigij cum magna virtute ab eo retentus est, ne stolam deponeret. Et postquam diu ambo fleuerunt (intellexit enim Remigius episcopum ali quod peccatum incurrisse, propter quod stolam vellet deponere) vix poterat ei Genebaldus, quod fecerat præ lachrymis enarrare. Quem Sanctus Remigius videns contritum, & pene desperatum, blande confortauit eum dicens: quod peccaret magis, eo quod desperabat, quam de hoc quod fecerat:

Nota casum S. viri & caue peccandi occasiones

Reclusit itaque eum in parua cellula septem annis, & ipse interim ecclesiam gubernauit. Septimo autem anno cum idem Genebaldus in vigilia cœnæ Domini pernoctaret in oratione, & se lachrymis affligeret, de hoc quod ipse qui alios pœnitentes feria quinta domino reconciliare solebat, nec inter pœnitentes in Ecclesia esse merebant: Ecce Angelus Domini media nocte apparuit ei dicens, peccatum eius esse dimissum præcepitque ei, vt exiret, & sicut debet episcopus, pœnitentes in crastino reconciliaret. Qui cum præ nimio terrore respondere vix posset, ait: Non possum hinc egredi, quia dominus meus Sanctus Remigius clauem huius ostij secum habet, quod & sigillo suo signauit. Cui Angelus: Vt scias me tibi à Deo missum, sicut cœlum tibi apertum est, ita & ostium patebit tibi. Et statim saluo sigillo & cera apertum est. Tunc Genebaldus iactans se in medio ostij in modum Crucis, ait: *Et si Iesus Christus modo veniret ad me, non hinc egrediar, nisi Sanctus Remigius huc venerit, qui hic me recluſit.* Et statim Angelus recedens, apparuit Sancto Remigio, qui in oratione vigilabat in quadam crypta Beatæ Mariæ, & quasi obdormienti rei ordinem intimauit; & iussit, vt cito iret Laudunum, & Genebaldum sicut prius, restitueret in locum suum. Sicque fecit. Et ille in sanctitate vsque ad obitum perdurauit, cui filius eius Latro successit, qui & sanctus fuit.

Eximium cordis contriti exemplum.

De dæmoniaca curata à sancto Remigio, & de transitu eiusdem.

CAP. VIII.

**Crytam hanc postea Herimus præsul in honorem S. Remigij consecrauit.*

BEatus autem Remigius 22. annos in clericali ordine egit & in episcopatu 74. Quandam dæmoniacam curauit, quam Beatus, Benedictus curare non potuit, cum multum pro ea orando & ieiunando laborasset, confitente dæmone per os obsessę, quod nisi à Remigio expellendus non esset. Vnde gaudens Beatus Benedictus, misit ad Sanctum Remigium humillimam epistolam rogans eum pro infirmo, vt in eo perficeret, quod ipse non potuerat.

Moritur quo anno, & quãto tempore sederit, vide Bar. an 541. vbi errores arguit Hincmarum quod 74. annos episcopatus S. Remigij constituat, eumque conuincit ex actis Concilij Auernensis quod celebratum est an. 541. vbi nono loco subscriptus recensetur Flauius Rhemensis episcopus quem adhuc antecessit Romanus primus S. Remigij successor.

Tandem defunctus beatus Remigius cum deferretur ad sepulturam versus ecclesiam sanctorum Timothei, & Apollinaris, secus ecclesiam beati Christophori, ita feretrum grauari cœpit, quod nullo modo moueri potuit. Stupentesque nimis cum vellent eum ferre ad ecclesiam prædictorum martyrum, feretrum mouere nullatenus potuerunt. Tandem coacti Dominum orauerunt, vt ostenderet eis vtrum vellet sepeliri in illa ecclesiola Sancti Christophori, quæ erat in cæmeterio Rhemensi, vbi mille sanctorum reliquiæ quiescebant. Statimque feretrum leuissime sustulerunt, & ibi corpus Sancti Remigij honorifice posuerunt. Vbi cum multa miracula quotidie fierent, ampliauerunt ecclesiam. Et facta crypta retro altare, cum effossum corpus vellent ibi reponere, mouere non potuerunt. Cumque in orationibus pernoctarent, & media nocte omnes pariter obdor-

obdormissent,in crastinum,scilicet Calendis Octobris, inuenerunt sepulchrum cum corpore Sancti Remigij in illam cryptam retro altare ab Angelis deportatum. Post longum etiam tempus eodem die translatum est in pulchriorem cryptam, & in capsa argentea collocatum.

ANNOTATIO.

Epistolam beati Patris Benedicti ad S. Remigium vna cum miraculo in fine epistolæ contento adfert Hincmarus. Quod si irrepsisse hac in re errorem ob similitudinem nominis Benedicti suspicetur Baronius cur non potius arrideat coniectura oppositæ, fuisse sc. horum nominum conuenientiam occasionem aptissimam S Remigio agnoscendi D. Benedicti, cuius sanctitatis fama vndique volauerat, maxime in Gallia per S.Romanum.Et certe qui attente consideraret stylum prædictæ epistolæ vix assereret illam dictatam fuisse à patre puella,nomine Benedicto, vix enim credibile est quod ille tantum sibi arrogaret sanctitatem, vt aliquando dæmones ab obsessis corporibus profligare præsumeret Eandem epistolam adfert Appendix chronici Cassinensis,& Arnoldus Wion ligni vitæ lib 1. qui & ait eam sapissime in diuersis locis impressam, & vidi eam excusam vna cum regula,& ipsius explicatione facta per Cardinalem Turrecremata anno 1517.

De Sancto Vedasto Attrebatensi.

CAP. IX.

Sigebertus in chronicis. Eodem quoque tempore floruit in Gallia Sanctus Vedastus, qui fuit Attrebatensis episcopus.

*Author.*Huius vitam scripsit Alcuinus,qui & Albinus vnde hæc excerpta subieci.

Albinus in vita S.Vedasti quæ extat apud Surium. Sanctus Vedastus prædicator egregius tempore Clodouei, Regis Francorum, fuit, qui Alemanis bella inferebat Regno suo tunc per se potientibus. Qui collecta fortissima manu Regi Clodoueo circa ripas Rheni fluminis obuiauerunt vnanimes. Tunc Rex in arcu positus oculos ad cœlum cum hac voce leuauit:*O Deus vniuersæ potestatis & summæ maiestatis,quem Regina Clotildis vxor mea confitetur & adorat,concede mihi hodie de inimicis meis victoriam;nam ex hac die tu solus eris mihi Deus.Presta mihi igitur triumphum & ego tibi seruitium promitto sempiternum.* Mox diuina virtute terga verterunt Alemani & victoria cessit Regi & Francis.

Clodoueus licet gentilis preces offert Deo & votum.

Post hanc victoriam venit Rex ad Tullum oppidum vbi nouerat præsidere Sanctum Vedastũ.Hunc à Sancto Remigio accepit socium,quatenus ab eo instrueretur in fide;quem cum sanctus Vedastus ad Beatum Remigium causa baptismi consequendi deduceret, cæcum illuminauit prope Regnliacam villam in pago† Vungise,vbi postea à religiosis viris facta est ecclesia in testimonium tanti miraculi. Quo miraculo Rex valde confortatns in fide, festinauit ad Sanctum Remigium. Cum quo aliquantis moratus est diebus,vt ante baptismum pœnitentiæ lachrymis ablueretur,& statuit Sanctus Remigius diem quo Rex baptizaretur: Qui tandem baptizatus cum optimatibus suis & populo,commendauit illi Sanctum Vedastum.

Glodoueus venit ad Vedastum

**Vngise habet Baronius*

Clodoueus rex baptizatur.

Ad hunc Sanctum Vedastum, venit postea vir quidam nobilis, & religiosus visitare illum ; quem discedentem noluit Sanctus dimitere sine viatico,& mandauit puero,vt siquid ei remansisset vini auferret.Qui aridum inuenit vasculum, in quo vinum seruare solebat.Quod cum tristis nunciasset sancto, ille confisus de Dei gratia ait: Vade & quicquid inueneris affer. Qui currens vas vino optimo plenum,& superfluens inuenit,& attulit.Sanctus autem Vedastus sub magna attestatione præcepit puero, omnibus diebus vitæ suæ hoc tacere miraculum.

Precibus vinum obtinet à Deo S Vedastus.

De episcopatu eius,& transitu,& exequijs.

CAP. X.

S.Vedastus ordinatur episcopus Attrebatensis anno 542. vt habet Baron in martyrol. Roman.

POst hæc Sanctus Remigius ordinauit eum episcopum,& misit Attrebatum,qui in ipsa ciuitatis porta sanauit claudum quendam,& alium cœcum illuminauit. Inuenit autem inter domorum murorumque fragmenta,antiquæ ruinas ecclesiæ. Quod dum videns suspiraret,ecce subito ex ruinosis speluncis VRSVS prosiliit. Cui vir Dei præcepit,vt deserta loca peteret ne vltra ripas illius fluminis transiret;qui nunquam postea visus est in illis partibus.Post hæc quidam nobilis Frãcus Ocinus nomine, regem Clotharium Clodouei filium vocauit ad prandium, & cum eo Sanctum Vedastum.Qui domum intrans more sibi solito dextra extenta omnia signo Sanctæ Crucis signauit : quædam vero ibi vascula erant ceruisia plena, sed male gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta, quæ mox per virtutem *Sanctæcrucis* diruptа crepuerunt, & quicquid liquoris continebant in terram effuderunt. Territus Rex, & eius optimates, quæsierunt causam tanti prodigij. Qua audita, multi in fide confortati sunt.

Nota vim crucis manu S Vedasti ex pressa.

Annis fere quadraginta ecclesiæ Attrebatensi præfuit,nocte illa qua transijt,visa est columna clarissimæ lucis à culmine domus in qua iacebat, vsque ad summum cœli,horarum fere spacio duarum, stare. Conuenerunt ad eius exequias chorus & populus copiosus, aliarumque ecclesiarum sacerdotes,& diaconi,& clerici multi,& inter lachrymantium voces in terra, audiebantur psallentium voces in cœlo. Et dum feretrum in quo iacebat paratum staret in medio accedentes mouere eum non valebant. Tunc sciscitati sunt Scopilionem archipresbyterum, qui secretarius fuerat sermonum viri Dei,si quid eum de sepultura sua mandasse memoraret. Qui respondit sæpius eum audisse se dicentem,quod nullus intra muros ciuitatis sepeliri deberet,quia omnis locus ciuitatis debet esse viuorum, non mortuorum. Volebant enim illum in ecclesia Beatæ Mariæ semper Virginis, vbi episcopus præsederat tumulari.Ipse vero sepulturæ suæ locum in oratorio,quod paupere sumptu, idest, ligneis tabulis prope littus Crientionis fluuioli ædificauerat, fieri dispositisse cognoscitur.Sed indignum dixerunt tanti viri corpus in loco tam humili sepelire quia palude obsitus, inaccessibilis erat populo. Tunc Scopilio cunctos hortatus est ad orationem,& clamauit cum lachrymis. Heu mihi pater beatissime,quid vis vt faciam, quoniam & dies in vesperum iam declinat,& qui ad tuas conuenerunt exequias ad propria remeare festinant, permitte obsecro te perferri ad locum,qui tibi filiorum cura præparatus est. Et his dictis, accipientes feretrum nullum onus sentientes portauerunt illud ad ecclesiam Sanctæ Dei genitricis,& sepelierunt illud in dextera parte altaris, & iacuit ibi vsque ad tempus Sancti Auberti, qui septimus ei in sede Pontificali successit.

Feretrum eius moueri non potest.

Vide plura apud Surii.

De Vita Sancti Leonardi Lemouicensis.

CAP. XI.

*EX gestis eius.*Floruit quoque eodem tempore Beatus Leonardus, qui à Sancto Remigio de sacro fonte leuatus, & ab ipso salutaribus disciplinis instructus est. Cumque parentes eius primi essent in palatio Regis Franciæ Clodouei tantam ab ipso Rege gratiam obtinuit,vt quoscunque incarceratos personaliter visitaret,absolueret. Tantam quoque à Domino impetrauit, vt omnibus infirmis ad se confluentibus sanitatis remedium obtineret. Cum ergo fama sanctitatis eius se vbique diffunderet, Rex eum secum manere multoties rogauit, donec opportuno tempore ei episcopatum daret, sed ille humiliter renuit, & optans inuenire soli-

S.Leonardus quid petierit à rege Francia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Respuit oblatum episcopatum.

Manet in solitudinem quam Paniū vocant.

Reginam ex partus difficultate morientem sanat.

Magna munera regis nō vult recipere sed accipit partem nemoris à Rege, ibique extruit ecclesiā

solitudinem, relictis omnibus Aureliam prædicando cum fratre suo Liphardo peruenit: vbi postquam in quodam cœnobio aliquandiu vixerunt, cum Liphardus ibi super Ligerim solitarius remanere vellet, & Leonardus in Aquitania prædicare disponeret, osculantes se adinuicem discesserunt. Leonardus igitur constanter vbique prædicans & miracula faciens in quadam silua prope Vrbem Lemouicas habitauit. Accidit autem quodam tempore, vt Rex cum suis iuuenibus more solito in illo nemore venaretur, & Regina, quæ cum ipso causa delectandi perrexerat partu periclitans moreretur. Dum ergo morienti medici subuenire non possent, & Rex & familia propter eam vehementer lugerent, Leonardus tunc per nemus iter faciens planctus eorum audiuit, & illic ex pietate veniens, ad Regem sine mora vocatus intrauit. Cumque interrogatus quis esset, & vnde, Leonardum se esse, & discipulum Sancti Remigij fuisse se diceret; Rex spem nouam concipiens, eum ad Reginam induxit, rogans, vt pro ea oraret, quatenus de edita prole, & liberata coniuge duplex per illum gaudium obtineret. Tunc Dei fusa oratione, quod petebat obtinuit. Et oblatis ei copiosis muneribus cuncta respuit, hoc solum à Rege postulans vt sibi, & posteris suis Deo seruitutis tantum de nemore illo daret, quantum ipse nocte cum asino circuiret. Constructo itaque monasterio strictissime Deo viuens, duos secum monachos habuit. Et quia aqua vno ab eis milliario longe erat, puteo quem foderant, aquam precibus venire facit; locum ipsum Nobiliacum propter Regem nobilem, qui locum dederat, appellauit. Ibi quoque tantam contulit Deus ei gratiam, vt vbicunque aliquis nomen eius in carcere, vel in vinculis inuocasset, statim solutus, & liber ad eum veniens, suas ei catenas, & compedes præsentaret. Huiusmodi plures cum eo in perpetuum remanebant, & qui male aliena rapuerant, iam de suo labore etiam alios sustentabant. Septem quoque familiæ de genere eius ad eum venerunt & distributo singulis nemore, ibi cū ipso manentes exemplo suo plurimos attraxerunt.

De obitu ipsius, & miraculis sequentibus.

Cap. XII.

Transfertur iussu diuino sacrum eius corpus.

POstquam autem in pace quieuit, & in loco illo vbi primum sepultus est, miracula multa fecit, reuelatum est clericis illius ecclesiæ, vt alibi ecclesiam fabricarent, & ibi corpus sancti Leonardi honorifice transportarent. At illi peracto in oratione triduano ieiunio, tertia nocte prospicientes, totam prouinciam immensa luce fulgentem viderunt præter illum locum, vbi corpus transponere debuerunt. Ibique translatus infinita circa incarceratos & compeditos miracula faciens, quanti apud Deum meriti sit monstrat.

Infinita eius miracula.

Vicecomes Lemonicensium quandam maximam catenam fecerat, quam ad terrorem malorum ita in cippo suæ turris confixerat, quę foris prominens ad omnem aeris intemperiem quemcumque tenebat, milleque quasi mortibus exponebat. Tunc accidit, quod quidam seruus sancti Leonardi in ea sine culpa ligatus, cum iam inciperet mori, sanctum Leonardum rogauit, vt qui extraneos absoluebat, seruo suo iniuste morienti misericorditer subueniret. Statim sanctus Leonardus in alba veste apparens, imperauit vt surgeret, & præeuntem subsequens, catenam illam ad suam ecclesiam baiularet. Quod & fecit, & ad laudem Dei videntes hoc plurimos excitauit.

Homo innoxius diro afficitur supplicio.

Eum sanctus Leonardus liberat.

Peregrinum inhumaniter captum mire eripit.

Quidam peregrinus à sancto Leonardo rediens, in Aruernia captus est, & quærenti cur innocentem in carcere conclusissent, responderunt, quod nisi se copiose redimeret non exiret. Sequenti nocte Domino castelli sanctus Leonardus apparuit, & vt peregrinum suum innocentem abire permitteret, imperauit. Sed ille mane euigilans, & visionem quasi somnium paruipendens, de sancti imperio nihil fecit. Altera nocte similiter somniauit, & tamen propter hoc neminem non laxauit, Tertia nocte sanctus Leonardus peregrinum arripiens, extra oppidum deduxit, & statim turris cum media parte castelli corruens oppressis plurimis, solum Principem adsui confusionem fractis cruribus reseruauit.

Apud Nannetes, quod est minoris Britanniæ oppidum hoc factum est.

In Britannia similiter quidam tenebatur, sed tamen sanctum Leonardum, vt sibi succurreret, continue precabatur. Vnde ipse sanctus in medio carcere statim affuit, & palam custodibus hominem sic absoluit, quod imposita ei catena, quam ad ecclesiam suam ferret, manu propria per medium illorum deduxit.

Qualiter Clodoueus auxilij Dei signis animatus, de Gothis triumphauit.

Cap. XIII.

Bellum cum Alarico.

GRegorius Turonensis *lib. 2. his. cap.* 37. Cum autem venisset Rex Clodoueus Parisios, ait ad reginam & ad populum suum: Satis mihi durum videbitur, quod Gothi Ariani, partem Galliarum optimam tenent. Eamus igitur, & cum Dei gratia eijciamus eos de terra. Cui regina ait: Faciamus ecclesiam in honore Beati Petri Apostoli, vs in bello sit auxiliator tibi. Tunc Rex in directum proiecit à se bipennem suam, & dixit: Hic fiet ecclesia beatorum Apostolorum, dum auxiliante Deo reuertemur. Commouit hinc Rex cunctum exercitum suum Francorum, & ad Pictauos direxit; ibi enim Alaricus Rex Gothorum commorabatur. At vero cum multa pars hostium per territorium Thuronensis ciuitatis transiret, præcepit Rex pro reuerentia sancti Martini, vt nihil aliud nisi herbam præsumerent accipere ad eorum equos sustentandos. Direxit itaque nuncios Rex ad Beati Martini basilicam cum muneribus multis, & equum suum quem amabat plurimum, & ait: Ite & forsitan aliquid victoriæ ex sancti sermone accipietis. Tunc datis muneribus nuncijs dixit: Si tu domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam meis manibus tradideris, in ingressu basilicæ sancti Martini dignatus esto mihi reuelare. Venientibus autem pueris eius ad beati Martini ecclesiam, cum ipsa limina introissent Primicerius ecclesiæ hanc Antiphonam imposuit dicens: *Præcinxisti me virtute ad bellum &c.* Quam vocem psallentium vt audierunt, *Deo gratias agentes*, dimissis muneribus cum lætitia annunciauerunt Regi. Cum venisset autem Rex ad fluuium Viennam cum exercitu suo, in quo loco eum vadare deberet non inueniebat: inundauerat enim à multitudine pluuiarum: deprecatusque est Dominum vt vadum illi ostenderet, & nocte illa ibidem fuit. Mane autem facto cerua miræ magnitudinis eos, domini nutu præcedente, vadum ostendit. Illaque vadante, populus quoque sequens vadauit. Veniente verò Rege apud Pictauos, dum procul ab ecclesia sancti Hilarij tentoria fixisset, ea nocte Pharus ignea ex ea visa est exisse, apparuit nempe super ipsa tentoria in auxilium Clodoueo Regi cum virtute beati Hilarij. Præcepit ergo Rex exercitui suo, vt nec cibum, nec quippiam stipendij de pago ipso acciperent, neque etiam spolia. Tunc fortiter dimicauit cum Rege Gothorum in campo Vocladense super fluuium Cliuum, milliario decimo ab vrbe Pictaua, Illisque inter se pugnantibus, Gothi cum rege suo nimis collisi, terga verterunt, & Clodoueus Rex victor extitit. Deinde Turonensem ciuitatem ingressus, multa munera basilicæ beati Martini tribuit. Equum vero quem antea ad ipsam ecclesiam transmiserat, recipere voluit, datis pro eo argenti solidis centum. Quibus datis, equus ille nullatenus se mouit. At ille ait: Date alios centum solidos; quos cum dedissent, statim equus solutus abijt. Tunc cum lætitia Rex ait: Vere beatus Martinus bonus est in auxilio, sed carus in negocio.

Turonū possessiones pro reuerentia B. Martini veretur Clodoueus attingere.

Cerua eis diuinitus Vienna vadum ostendit.

Ab Anastasio imperatore accipiebat tunc codicillos Clodoueus Rex in basilica sancti Martini, qui corona

aurea

Cap. 38. Clodoueus fit senator Patric. Roman.

in capite suo imposita, ascenso equo, aurum & argentum in atrio, quod est inter ciuitatem, & ecclesiam Beati Martini præsente populo multum erogauit manu propria.

De Symmacho Patricio Boethij socero, & dictis eius.

Cap. XIV.

Sigebertus in Chronicis. Eodem tempore Symmachus Patricius Rempublicam Romanam illustrauit, & cum eo gener eius Boethius vir consularis, conspicuus in vtraque lingua, & præstans eruditione omnium liberalium artium, quas pene omnes à Græco in Latinum transtulit, & exposuit.

Author. Scripsit autem Symmachus epistolarum librum vnum, de quo paucas istas notabiles sententiolas hic excerptas subieci.

Eloſculi Symmachi Patricij.

Omnis ostentatio non caret suspicione mendacij, quia quicquid assumitur, proprium non putatur.

Facit affectio tenerior, vt sit querela proeliuior.

Mollis est animus diligentis, & ad omnem sensum doloris arguitur: si negligentius tractes cito marcescit, vt rosa, si durius teneas, liquescit vt lilium.

Lætitia loquax res est, atque ostentatrix sui.

Semper natura gaudet æqualibus, & familiare sibi est omne, quod simile est.

Natura rerum est, vt qui balbutiunt plus loquantur, affectant enim copiam sermonis pudore defectus.

Quorum mens honesta est imbecilla frons est.

Iusta coniectura est, quæ de amicorum pondere, & æstimatione colligitur.

Pro optimis viris quisquis interuenit, non magis illorum videtur iuuare commodum, quam suum commendare iudicium.

Leuatur ægritudine animus, quoties in officia amica diligitur.

Minus est alienam sententiam spernere, quam à propria discrepare.

Odi in paruo corpore longa velamina: Illa enim vestis decenter induitur, quę non trahit puluerem nec in humum dimissa calcatur.

Scio senes ad capescendum laborem segnes fieri, sed quia crescunt vitia cum tempore, aptius est negocijs intimandis viuæ vocis indicium.

Superuacanei laboris est commendare conspicuos, vt si in sole positis facem præferas.

Ex meo animo metior amicitiam non posse sentire officiorum satietatem.

In re aperta piget esse prolixum; in arduis autem rebus multum valet longior diligentia.

Reuera omnis affectio impatiens est, etiam iustæ & legitimæ tarditatis.

Mediocribus scriptis amicorum benignitas scit fauere, aliorum autem inuidia nescit ignoscere.

Patriam defectu alimentorum laborantem periculosum est inhabitare; crudele & impium deserere.

Non deest nobis vsus aduersa tolerandi, nam crebro ictum fortunæ ferre didicimus.

Sicut in vestitu hominum cęteroque vitę cultu, loco ac tempori apta sumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quandã debet imitari, in forensibus autem acuere arma facundiæ.

Bonis familiare est studia bona cumulare, quorum gratiam sentiunt non perire.

De Scriptis Boethij, & quibusdam dictis eius.

Cap. XV.

Boethius scripsit libri de Sancta Trinitate.

Boethius quoque multa composuit. Tempore nãque eius, (vt legitur) exorta est hæresis de Trinitate; sed ipse, congregata omni synodo, se subtraxit, ne sibi propter facundiam eloquentiæ, causæ imponerentur agendæ. Ob quam causam cum suspectus à christicolis haberetur, composuit contra ipsos hæreticos de Sancta Trinitate librum vnum. Quando autem Rex Gothorũ Theodoricus Romanam Rempublicam armis inuasit, Boethius plus omnibus ei restitit, postmodum apud eũ accusatus, quod solicite laboraret, vt Senatum & Rempublicam ab eius manibus eriperet, cum pluribus alijs proscriptus atque in exilium missus, Papiæ incarceratus est. In carcere autem positus, quasi de graui gloriæ ac rerum mutatione doleret, vt consolationis medicinas tanto dolori non tam sibi, quam alijs quæreret, librum edidit de consolatione Philosophiæ, ostendens gloriam & dignitatem cæteraque terrena non vera bona; sed nihil esse, & ideo nulli appetẽda esse, nec de eorum amissione dolendum, vel adeptione gaudendum. Tandem vero longo exilio fatigatus, ab ipso Theodorico peremptus est, anno Domini quingentesimo vigesimoprimo secundum chronica.

Liber de cõsolatione philosophica à Boethio editus quando sit.

Præter hæc etiam quæ prædicta sunt, inuenitur scripsisse librum de disciplina scholarium, librum de Musica. de Logica vero libros Topicorum & diuisionum, libros etiam Categoricorum syllogismorum & hypotheticorum, & commenta super Aristotelis libros; & alia plura de quibus ad præsens hic inserere placuit hæc pauca moralia.

Sententia Boethij.

Boethius in libro Categoricorum syllogismorum. Nemo siquid in puerilibus disciplinis acceperit, id sacrosanctum iudicet, quandoquidem res teneris auribus accommodatas senior Philosophiæ tractatus eliminat.

Idem in libro hypotheticorum secundo. Nullum bonũ est quod non pulchrius eluceſcat, si plurimorum notitia comprobatur. Hoc in se obtinet proprium munus amihoneste quisque cogitat, nulli promptius, quam ei quem citia, vt nolit habere solitarias cogitationes: nam, quod diligit, confitetur.

Idem in libro diuisionum. Quis hoc non videat plurimũ ad bonarum artium valere defectum, si apud mẽtes hominum nunquam sit desperatio displicendi.

Iterum de dictis eiusdem.

Cap. XVI.

Idem in libro de consolatione Philosophię primo.

Mors hominum fœlix, quæ se, nec dulcibus annis,
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.
Quid me fœlicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Studia poetarum infructuosis affectuum spinis, vberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant, quæ dolores eius nullis fouent remedijs, sed dulcibus insuper alunt venenis, Sirenes vsque in exitium dulces. Talia tibi cõtuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur inquit Philosophia Boethio. Stultorũ & si numerosus est exercitus, tamẽ spernendus est, quia nullo duce regitur, sed errore tãtũ temere ac passim lymphante raptatur. Si operã mẽdicãtis expectas, oportet vt vulnus detegas. Hoc cõscientiæ libertas habet, pro tuẽdo iure spreta à me potentiũ sẽper fuit offensio. Minuit se quodãmodo probantis cõscientiæ secretũ, quoties ostẽtando quis factũ, recipit famæ preciũ. Vltimã hãc dixerim aduersæ fortunæ sarcinã, quod dum miseris aliquod crimen affigitur, quæ perferunt, meruisse creduntur.

Stultorum numerus spernendus, Prosa 3.

Nam cur tantas lubrica vertat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna.
Ac peruersi residet celso
Mores solio, sanctaque calcant
Iniusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris.
Nubibus atris
Condita nullum,
Funderе possunt
Sidera lumen
Tu quoque si vis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem.
Gaudia pelle,
Spemque fugato,
Pelle timorem,
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctaque frenis,
Hæc vbi regnant.

Adhuc ex eodem.

Cap. XVII.

Rerum mutatio grauis. Pros. 1.

IDem *in libro secundo*, Omnis subita rerum mutatio, non sine quasi quodam conflictu contingit animorum. An pretiosam æstimet quis fœlicitatem abituram? & cara sit fortuna præsens, nec manendi fida, & cum discesserit, allatura mærorem. Non quod ante oculos situm est sufficit intueri. Rerum exitus prudentia metitur. Quis enim est tam compositæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum statu sui qualitate rixetur? Nemo facile cum fortunæ suæ fœlicitate concordat. Inest enim aliquid singulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quod fœliciſſimi cuiusque delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis aduersitatis insolens, minimis quibusque prosternitur, adeoque perexigua sunt, quæ fortunatissimis summam beatitudinis detrahũt. Locus iste quẽ exilium vocas, incolentibus patria est. Adeo nihil est miserum nisi cum putes, contraque beata sors omnis est æquanimitate tolerantis. Quis enim est ille tam fœlix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum mutari non optet.

Natura paucis contenta. Pros. 3.

Paucis minimisque natura cõtenta est, cuius satietatẽ si superfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium. Pluribus adminiculis opus est, ad tuendam pretiosæ supellectilis varietatẽ; verumque illud est eos permultis indigere, qui permulta possident, contraque minime indigere qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus superfluitate metiuntur.

Homines iniuriam Deo faciunt, dum rebus infimis se abdicant.

Cætera animalia suis finibus contenta sunt, vos autem Deo mente consimiles, à rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis, nec intelligitis quantam conditori vestro faciatis iniuriam. Ille genus humanũ terrenis omnibus præstare voluit, vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cuiusque bonum, eo cuius est constat esse pretiosius, cum vilissima rerum vestra bona esse iudicatis, eisdem vosmetipsos vestra æstimatione submittitis.

In omni aduersitate fortunæ, infœliciſſimum infortunij genus est, fuisse fœlicem. Quam multis amaritudinibus humanæ fœlicitatis respersa est dulcedo, quæ &si fruenti iucunda videatur, tamen quominus abeat, cum velit retineri non potest. Liquet igitur, quam sit mortalium rerũ misera beatitudo, quæ nec apud æquanimos perpetua durat, nec anxios tota dilectat. Diuitiæ magis effundendo, quam coaceruando nitent, tũc enim pretiosa est pecunia, cum translata in alios, largiendi vsu desinit possideri. Auaritia semper odiosos, claros largitas facit. O angustas inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt.

Adhuc ex eodem.

Cap. XVIII.

HVmanæ naturę ista conditio est, vt tunc tantũ cæteris rebus (cum se cognoscit) excellat, eadẽ tamẽ infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animalibus sese ignorare, naturæ est, hominibus vitio venit. Tu qui nunc contum gladiumque solicitus pertimescis, si viæ huius callem vacuus viator intralles, corã latrone securus cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam qui adeptus fuerit securus esse desistit.

Incertitudo rerum humanarum. Prosa 7.

Non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedit, & collata improbis dignitas, non modo nõ efficit dignos, sed prodit potius & ostẽtat indignos. Nos nisi ad populares aures inanesque rumores recte facere nescimus, & relicta cõscientiæ virtutisque præstantia de alienis præmia sermunculis captamus. Quidã cũ adorsus esset contumelijs quendã qui nõ ad veræ virtutis vsum, sed ad superbã gloriã falsum sibi nomẽ Philosophi induerat, adiecisseque iã se scituũ, an ille Philosophus esset, videlicet si illatas iniurias patienter toleraret, Tũ ille patientiã parumper assumpsit, acceptaque contumelia, velut insultans, iã tandem inquit Philosophum me esse intelligis. At alter nimium mordaciter: Intellexeram (inquit) si tacuisses.

Fugare indigentiam copia quærimus at hoc nobis in contrarium cedit, quippe pluribus adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ suppellectilis varietatem, verũque illud est, permultis indigere, qui permulta possident.

Mors spernit altam gloriam.
Inuoluit humile pariter & celsum caput,
Æquatque summis infima.

Aduersa fortuna plusquã prospera prodest. Prosa 8.

Ego plus hominibus reor aduersam, quam prosperã prodesse fortunam. Illa semper specie fœlicitatis blanda mentitur, hæc semper vera est. Illa fallit, hæc instruit. Postremo fœlix à vero bono blandimentis deuios ducit, aduersa plerũque ad vera bona reducẽs vnco retrahit. An hoc etiam inter minima æstimandum putas, quod amicorũ tibi fideliũ mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? hæc tibi certos sodaliũ vultus ãbiguosque secernit. Illa discedens suos aufert, tuos relinquit.

Fælix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis.
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande:
Ne bacchica munera norat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Vmbras altissima pinus.
Vtinam modo nostra redirent.
In mores tempora priscos.
Sed sæuior ignibus Ætnæ
Feruens amor ardet habendi.
Heu primus quis fuit ille,
Auri qui pondera recti
Gemmasque latere volentes,
Preriosa pericula fodit?

Prosa sexta.

Si nunc inter mures videres vnum aliquem ius sibi ac potestatem præ ceteris vendicantem, quanto moueteris cachinno? Quid vero si corpus spectes imbecillius homine reperire queas? Nemo autem in quempiam ius aliquod nisi in solum corpus, & quod infra corpus est (fortunam loquor) exercere potest. Omnia fortunæ bona ad improbissimum quemque vberiora proueniunt, & collata improbis dignitas, non modo efficit dignos, sed prodit potius, & ostentat indignos.

Ex eodem in libro tertio.

Cap. XIX.

Omnia appetunt bonũ. Pros. 2.

OMnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tamen beatitudinis finẽ nititur peruenire, quo quis adepto nihil vltra desiderare queat: est enim cuncta intra se bona continens. Liquet ergo *beatitudinem esse statum bonorum omnium congregatione perfectum:* quem (vt diximus) mortales omnes

diuerso

diuerso tramite adipisci conantur. Est enim hominum mentibus veri boni naturaliter insita cupiditas, sed ad falsa deuius error adducit.

Prosa 3. Naturæ quidem minimum, auaritiæ vero nihil satis est.

Regum familiares regia potestas sæpe incolumis, sæpe elapsa prosternit. Quem fœlicitas amicum fecit, infœlicitas inimicum faciet. *Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus.* Si tuam non habes, splendidum te aliena claritudo non efficit.

Voluptatum contemptus. Voluptatum appetentia est plena anxietatis, satietas vero pœnitentiæ. Pecuniamne congregare conaberis? at eripies habenti. Dignitatibus fulgere vis: danti supplicabis; & qui præire cæteros honore cupis, poscendi humilitate vilescis. Potentiamne desideras? subiectorum insidijs obnoxius periculis subiacebis. Gloriam petes? sed per aspera quæque distractus securus esse desistes. Voluptariam vitam deges? quis non spernat & abijciat vilissimæ rei, scilicet corporis seruitium.

Quis legem det amantibus.
Maior lex amor est sibi.

Voluptatum turpitudo. Quod quisque præ cæteris petit, hoc summum bonũ iudicat. Potentem censes, qui satellite latus ambit, qui quos terret, & ipse plus metuit. Tragicus exclamat. O doxa, doxa, ideſt gloria quæ mentibus hominum nihil aliud facta es, quam aurium inflatio magna. Qui falso prædicantur suis, ipsi necesse est laudibus erubescant. Si voluptas corporalis beatum facit, beatiores sunt pecudes hominibus, quarum omnis ad explendam corporalem lasciuiam festinat intentio.

O qui perpetua mundum ratione gubernas.
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.
Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum, mente gerens.
Tu numeris elementa ligas.

Nihil est quod non possit omnipotens, sed malum facere non potest, ergo malum nihil est.

Ex eodem.

Cap. XX.

Idem in quarto libro. Imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmio caret, verumetiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur. Qui virtute deserta, homo desinit, cum in diuinam conditionem transire nõ possit, vertitur in belluam. Eorum qui in possessione, vel in profectu, vel adeptione virtutis sunt, omnẽ, quæcunque sit, bonam iudico, in improbitate vero manentibus omnem pessimam esse fortunã. Sicut probis probitas ipsa præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium. Miserum est voluisse praua, potuisse miserius, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Triplici ergo vrgerentur infortunio, qui scelus volunt, possunt, perficiunt: Et si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam. Infœliciores sunt mali impuniti, quam supplicia luentes, quamuis in eorum supplicio nulla spes correctionis, nullus respectus habeatur exempli. Nam pœna ratione iustitiæ bona est, impunitas merito iniquitatis mala, mali similes sũt auibus, quarum intuitum nox illuminat, dies cœcat. Illata iniuria non accipientis, sed inferentis miseria est.

Probis probitas est præmium Prosa 3.

Male agẽtes miserrimi.

Mali impuniti miseriores. Prosa 4.

Idem in libro quinto.
Qui recto cœlum vultu petis, exerisque frontem.
In sublime feras animum quoque, ne grauata pessum
Inferior fidat mens corpore celsius leuato.

Æternitas est interminabilis vitæ cota simul & perfecta possessio. Magna vobis si dissimulare non vultis, indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agatis iudicis cuncta cernentis.

De sancto Seuerino Abbate Agauensi.

Cap. XXI.

Ex gestis eius. Cum autem Clodoueus iam per annos 25. regni Francorum apicem gubernaret, subito febrili dolore correptus, cùm à nullo medicorum sanari posset, audiuit famam sancti Seuerini Abbatis Agaunensis monasterij, quod ab incolis loci multis signorum titulis insignis haberetur; eum ad se accedere per nuncium suppliciter rogauit. Qui deuotus, & benignus ad eum accessit, eumque precibus suis ab infirmitate sua diutina liberauit. Porro per aliquod temporis spacium cum illo manens, multos de domo eius, simul & de Parisiaca plebe diuersis calamitatibus oppressos ad sanitatem sacris orationibus reformabat; claudis videlicet restituens gressum, mutis loquelam, cæcis lumen, surdis reiterabat auditum, immundos quoque spiritus de corporibus pellens obsessis, præclaris virtutum diuulgabatur titulis. Rex denique Clodoueus benigno eum poscebat affatu. Obsecro, inquiens, Abba pater, accipe pecuniam de thesauro nostro quantuncunque volueris, & eam prout libet, eroga pauperibus. Rei etiam quicunque in regno meo carcere recluſi pro sua detinentur nequitia, tua indulgentia cuncti laxentur. Iubente itaque Rege cuncti in regno suo panduntur carceres, & innumera eorum multitudo, quod diuersis erãt cruciatibus afficiendi & morte debita puniendi, Beati Seuerini aduentu lætabũdi egredientes soluuntur ab omni tormentorum genere. Cum autem obitum suum appropinquare cognosceret, sicut ei ostensum fuerat ab Angelo, ab vrbe Parisijs discedens ad montem (quem castrum Nantonense vocant) peruenit, in cuius vertice erat oratorium, in quo duo presbyteri Deo seruiebant; quibus corpus suum commendauit sepeliendum, sicut ei fuerat reuelatũ ab Angelo. A quibus honorifice susceptus, inter sacra eorum colloquia spiritũ exhalauit. ipsa autem hora obitus, instar stellæ totus lumine circunfusus est locus.

Clodoueus beatũ ad Seuerinum se euocat vide Baron. tom. 6. Annal. ad ab. 508.

De Seuerino Trithemius, de viris illustribus ord. D. Benedicti lib. 3. cap. 257. Petrus in catalogo lib. 3 cap. 215. Demochares & alij.

Huius festum recolitur 5. Idus Februarij.

De Sancto Maxentio Abbate Pictauensi.

Cap. XXII.

Sigebertus in Chronicis. Quintilianus Rutensis episcopus, & Maxentius Pictauensis Abbas hoc tempore in Gallia claruerunt.

Agit de eo pluribus Greg. Turon. lib. 2. histo. Franc. c. 37

Ex gestis eiusdem Maxentij. Hic Maxentius inter cætera virtutum miracula mortuum suscitare promeruit Multotiens aues feræ relictis nemorum ramis, in manu eius modo tritici grana, modo panis fragmenta sumebant. Sæpius etiam visitabatur ab Angelis, adeo vt splendor cellulæ in qua psallens iugiter habitabat, veluti micantium globis astrorum videntibus ministris, vel monachis reluceret. Refectio eius erat panis hordeaceus & aqua, frequenter tamen diuinis dapibus pascebatur ab Angelis. Sic autem orationibus incumbebat, vt se incuruando ad instar camelorum in eius membris velut gibbi apparerent.

Quodam tempore æstiuo dum monachi inter opera æstuantes siti grauarentur, idem vir Dei oratione expleta baculum quem tenebat in aruo fixisset & in conspectu astantium fons viuus deorsum effluxit, vnde & monachi Deo gratias agentes sitim extinxerunt, & multi languentes postea sanati sunt.

Quodam tempore Franci cum Gothis conflictu bellico aduenientes, præcedente eos Rege Clodoueo, cum monasterio, cui Maxentius præerat, appropinquassent, cogitare cœperunt, vt illud debellarent, & sanctum virum occiderent. Cumque suadente diabolo vnus ex barbaris manũ extenderet, vt eũ decollaret, suspenso in

aere

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aere gladio, manus gladiatoris inaniter remansit extenta, & ceruix sancti viri permansit illæsa, post paulum autem cœpit seipsum dentibus laniare, & proprium corpus crebris vulneribus lacerare, & tandem accensus insania proprius infœlix extitit sui homicida. Reliqui vero repente luminibus sunt cœcati & mente turbati; ita vt vix alter alterum recognosceret. Quod cum ad aures Clodouei peruenisset, ad sanctum virum ocius accurrit, seque prosternens humiliter adorauit, & veniam sibi suisque postulauit. Vir autem Deo plenus, motus precibus regis, *signo Crucis super eos expresso*, & * eulogiarum ex panis fragmine benedictione largita, sanitatem intulit, & eos incolumes ad castra redire permisit.

Percussoris viri sancti manus diriguit.

** Eulogiarũ ex panis fragmine benedictio, est quod panẽ benedictũ vocamus.*

Post hæc quidam segetis cultor cum ad euellendum siliginem die dominico properasset in messem, manus eius circunstricta per biennium permansit, ita, vt nullus medicorum adhibere posset medicinam. Tandem ad virum Dei perrexit, qui oratione fusa sanitatem integrã manui eius reddidit. Simili modo mulier cum cupiditate stimulante die dominico fila torqueret, manus eius inutiles factæ sunt; quæ ad virum Dei præfatum venit, & ille mox *per signum sanctæ Crucis*, eam sanam reddidit.

Obitum quoque suum longe ante præsciuit, & monachis suis 6. Calend. Iunij, hora nona diei se de mundo transiturum indicauit. Quod & ita accidit, vt vir sanctus prædixit.

De Concilio Aurelianensi, quod primum fuit in Francia.

Cap. XXIII.

Synodus Aurelianensis prima in Gallia.

PRima synodus à Francis hoc tempore iussu Clodouei Regis Aurelianis habita est, in qua multa decernuntur Ecclesiæ vtilia. Hanc synodum 32. episcoporum congregauit Sãctus Melanius, qui Regi Clodoueo familiaris erat, fuitque auctor canonum ibi promulgatorum, sicut in præfatione eiusdem synodi legitur.

Decreta Cõcilij Aurelianensis.

Ex cuius decretis sunt ista: Populus à Missa non discedat, antequam Missæ solennitas impleatur, & (nisi episcopus fuerit) benedictionem accipiat sacerdotis.

Rogationes ante Ascensionem Domini ab omnibus ecclesijs placuit celebrari, ita vt triduanum ieiunium præmittatur, per quod triduum serui & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat: quo triduo omnes abstineant, sic vt quadragesimalibus cibis vtantur. Clerici vero, qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium episcopi, ecclesiæ suscipiant disciplinam.

Si clericus monachus, scholaris, diuinationes, vel auguria crediderit obseruanda vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuslibet putauerint intimandas, cum his qui eis credunt ab ecclesiæ communione pellantur.

Episcopo si infirmitate nõ fuerit impeditus ecclesiæ, cui proximus fuerit, die dominico deesse non liceat.

Hæc & alia plura ibidem ecclesiæ vtilia, (vt dictum est) auctore Sancto Melanio Rhedonensi decreta sunt.

De Sancto Melanio Rhedonensi.

Cap. XXIV.

** alias Plantio.*

EX *gestis eius.* Fuit autem Sanctus Melanius de Venetensi parochia, de villa * Placio, nobilis genere, forma præcipuus, corpore castus; cuius consilio Rex Clodoueus pauperes alebat, & sanctos honorabat. Hic habuit aliquando diabolum obuium in specie tauri cornutum; quem interrogans sanctus, quo iret, respondit ille; Ad fratres vado potionem eis dare. Et mox iuit sanctus ad oratorium suum: diabolus autem vnum de senioribus haurientem aquam ingressus est. Quem cum vexaret, sanctus vexato alapam dedit, & dæmonem excussit, tantæque virtutis erat, vt dæmones ante illum celare se non auderent.

Huius meminit Greg. Turonensis lib. de gloria Confessorum cap. 55.

Quadam die conuenerunt apud Andegauensem vrbem Sanctus Melanius, Sanctus Albinus, Sanctus Victor, Sanctus Marsus, atque Lautonius. Quibus cum eulogiam dedisset Sanctus Melanius, & omnes accepissent, Sanctus Marsus tenuit eulogiam & insinum suum cadere permisit, quæ versa est in cingulum serpentis. Quod ille sentiens, cucurrit ad pedes Sancti Melanij, quem ille misit ad S. Albinũ vt confiteretur quod fecerat; Sanctus autem Albinus misit ipsum ad S. Victorem Cenomanis, qui remisit eum ad sanctum Melanium Rhedonis; qui orans fudit super eum benedictionem, & versus est serpens in pristinam eulogiam. Et ita communicatus est Beatus Marsus à Beato Melanio.

Idem Sanctus Melanius oratorium suum, quod dicitur * Placio manibus proprijs fabricauit. Sanctus Albinus, & Victor, & Lautonius, & Marsus, admoniti sunt per angelicam visionem ire ad corpus eius mortui custodiendum. Quod dum deferrent nauigando per Vicennam ad vrbem Rhedonem 12, vincti, qui tenebantur in carcere, in turre iuxta aquam clamauerunt, *Sancte Melani miserere nobis.* Et statim diuisa est turris in duas partes, à summo vsque deorsum, & sic liberati sunt. In Venetensi pago puerum mortuum suscitauit, qui à dæmonio vexabatur, quem dæmon seducens, & sciens se ejciendum, in secreto cubiculo laqueo strangulauit.

** Plantio.*

Duodecim vincti meritis S. Melanij liberati.

De vita sancti Arnulphi martyris.

Cap. XXV.

SIgebertus *in Chronicis.* Hoc tempore Sanctus Arnulphus. Sancti Remigij in baptismo filius, in Gallia claruit, qui post multos in prædicando Christum agones, in silua Parisiorum Aquilina, martyrizatus est.

Ex gestis eius. Huius Arnulphi pater primo gentilis Quiriacus dictus est, mater primo gentilis similiter Quintiana. Postea baptizati à sancto Remigio, ille Rogatianus, ista Euphrosyna dicta est. Qui omnia, quæ habebant in villa Reitheste Sancto Remigio tradiderunt. Sanctus autem Remigius cum * Ludouicum baptizasset cum omni Francorum exercitu, commendauit ei Sanctum Arnulphum. Cui Clodoueus Scaribergam neptem suam dedit in vxorem, & eos ambos sancto Remigio tradidit. Quibus ille persuasit, vt virgines permanerent: in quo proposito cum beatus Arnulphus vitam decreuisset finire, facta est ad eum vox de cœlo in somnis dicens: *Si quis non renunciat omnibus quæ possidet, nõ potest esse meus discipulus.* Et iterum. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Qui statim expergefactus cum summa festinatione abijt Rhemos ad sanctum Remigium, & eius fidei sponsam suam credens, & testamento suo omnia relinquens, viaticum petijt & accepit. In peregrinatione sua 27. annos in laicali habitu perfecit.

** alias Cloduenm.*

Luc. 14.

Apud Rauennam die dominica post matutinas solus remanserat in ecclesia ad orandum, vbi cuiusdam peccatoris anima, quam diabolus ad infernum trahebat exuta à corpore cœpit clamare: *Sancte Arnulphe, Dei electe succurre, & hos impetus inimicorum comprime.* Tunc ille his fletibus commotus, flens largissime orauit, & anima ad corpus redijt, & homo reuixit, & cuius meritis saluatus fuerit, indicauit, & quod ipse esset Arnulphus peregrinus clara voce præsentibus patefecit. Statim sanctus propter inanem gloriam fugiendam, reuersus est ad sanctum Remigium.. Veniens autem super Sequanam fluuium ad locum, cui Cella nomen est, obuium habuit quẽdam mortuum in feretro delatũ: orauit sanctus, & ille resurrexit, quem secum adduxit ad sanctũ

Meritis S. Arnulphi anima e diaboli potestate eripitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Remigium. Sanctus autem Remigius suam vxorem ei reddidit. Beatus autem Arnulphus fugiens populum Rhemensem iterum peregrinationem arripuit, venitque causa orandi Tolosam ad corpus Sancti Saturnini & Pictauis ad Sancti Hilarij & deinde Turonis ad sancti Martini. Ibi Angelo reuelante factus est episcopus, vbi dum quadam nocte inciperet ad vigilias, *Domine labia mea aperies*, & clerici obdormirent, & nemo esset qui responderet, Angelus subiunxit, *Et os meum annunciabit laudem tuam.*

S. Arnulphus fit Archiepiscopus Turonensis.

De Martyrio sancti Sigismundi Regis.

CAP. XXVI.

Anno Ch. 514.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Sigismundus mortuo patre suo Gundobaldo regnauit in Burgundia. Clodoueus autem Regno Francorum per omnes Gallias dilatato, & legitime, & pacifice confirmato, mortuus est, & Parisijs in Basilica Sancti Petri Apostoli, quam ipse & regina Clotildis ædificauerunt sepultus est.

Sigismundus regnat in Burgundia.

Gregorius Turonensis in historia Francorum. Igitur post mortem Clodouei Regis quatuor filij eius, videlicet Theodoricus, Clodomirus, Childebertus, & Clotharius regnum eius inter se diuiserunt æqualiter. Habebat quoque tunc Theodoritus filium nomine Theodobertum strenuum, & vtilem, eleuatique sunt in potentia magna. Almaricus quoque filius Alarici Gothorum Regis, sororem ad coniugium sibi petijt à supradictis fratribus, & obtinuit.

Filij Clodouei aduersus Burgundiones bellum gerunt reg. Turon. lib. 3 cap. 1. & 6.

In diebus illis Clotildis Regina Parisios veniens, rogauit filios suos, vt iniuriam eius indignantes patris & matris suæ mortem vindicarent. Qui in ira magna commoti, cum exercitu magno Burgundiam petierunt contra Sigismundum & Godomarum reges, filios Gundobaldi. Tunc temporis, ædificauit Sigismundus Rex monasterium sanctorum martyrum Agaunensium in Burgundia scilicet Sancti Mauricij & sociorum sex millium 666. martyrum. Commoto igitur exercitu Burgundionum contra Clodomirum regem, & Childebertum, & Clotharium fratres filios Clodouei, illisque inter se pugnantibus, Burgundiones sunt cæsi cum Godomaro. Sigismundus vero dum ad Sanctos Agaunenses fugeret, insecutus est eum Clodomirus, & comprehendit eum, & vxorem eius, & filios, captosque in pagum Aurelianensem eos adduxit, atque in carcerem intrusit. Beatus autem auitus, qui erat tunc Sanctus Dei Abbas in Aurelianensi ciuitate, deprecabatur Clodomirum, vt non occideret eos, sed ille nolebat eum audire. Interfecit autem ipsum, & vxorem eius, & filios, proiecitque in puteum, in loco qui dicitur Columna vico.

De S. Auito Greg. Turon. in lib. de glo. Conf. cap. 99.

Sigebertus in chronicis. Hic Sigismundus filium suum Sigericum peremerat, malo nouercæ illius vsus consilio. Qui competenti pœnitentiæ se adijciens, & martyribus Agaunensibus se totum deuouens, quod dignus fuerit venia, testatur crebra post mortem eius per eum multis concessa sanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio.

Author. Huius festum recolitur 3. Calend. Maij.

De Hormisda Papa, & interitu Anastasij Imperatoris.

CAP. XXVII.

Sigebertus in chronicis Post Symmachum Papam; Hormisda Romanæ Ecclesiæ quinquagesimus præsidet. Hic clerum composuit, & psalmis erudiuit. Hic respectu Apostolicæ humanitatis, Græcos conuictu hæreticorum maculatos, absoluit per nuncios suos.

Lege Paulū Diaconū in vita Anastasij.

Ex libro Pontificali. Idem quoque cum consilio Regis Theodorici, direxit Ennodium episcopum Ticinensem, & Fortunatum episcopum Catinensem, & Venantium presbyterum vrbis Romæ, & Vitalem diaconum sedis Apostolicæ, & Hilarium notarium, qui euntes ad Anastasium Augustum nihil egerunt.

Idem secundo misit Ennodium ipsum, & Peregrinum Messensem, portantes* epistolas confortatorias fidei, & contestationes secretas numero 19 & textum libelli. Cui libello noluit consentire Anastasius Augustus, quia ipse in hæresi Eutychiana communis erat, voluit itaque legatos per remunerationem corrumpere, legati vero sedis Apostolicæ, contempto Anastasio Augusto, nullatenus consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactionem sedis Apostolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furia, eiecit eos per posticulam, & imposuit eos in nauem periculosam cum militibus, & magistratibus, & præfectis Heliodoro, & Demetriano, qui, & hoc dedit in mandatis, vt nullam ciuitatem ingrederentur, furoreque repletus Anastasius contra Papam Hormisdam, inter alia fatua sua, hoc scripsit dicēs: *Nos iubere volumus, non nobis iuberi.*

*Extant to. 2. Concil. in Hormisda, ep. 11. & 9.

Furor Anastasij in legatos Apostolicos, & in ipsum Hormisdam Papam.

Eodem tempore nutu diuinitatis percussus est Anastasius Imperator fulmine diuino, & obijt.

De Ennodio Ticinensi Episcopo, & dictis eius.

CAP. XXVIII.

Ex decretis Iuonis Carnotensis.

Aliquot Pōtificum de Ennodio testimonia.

NICOLAVS PAPA MICHAELI AVGVSTO.

Magnus, inquit, confessor Christi Ennodius Ticinensis episcopus, qui ab Hormisda Apostolicæ memoriæ Cōstantinopolim missus, innumeras miserias à Græcorum vesania pro Christi fide, & statu ecclesiæ non semel pertulit.

IOANNES OCTAVVS, BERCARIO ABBATI. Absit à pijs mentibus, quid de Romani culminis Pontifice sinistrum sentire, cum Beato Ennodio confessore Ticinensis vrbis Antistite scribente doceamur, *quia Deus omnipotens; aut claros ad tanta fastigia erigit, aut certe quos erigit, illustrat.* Synodus Symmachi Papæ. Synodus dixit: Ea quę in libello quem Ennodius vestra auctoritate cōscripsit, sicut in nostra præsentia relecta sunt, vt proprijs manibus roborentur, rogamus, atque in perpetuum conseruentur, sicut prædictum est, & vestra auctoritate Apostolica firmentur. SYMMACHVS respondit FIAT.

Author. Ex libro Ennodij paucos flores morales excerptos hic suppposui.

Ennodius. Superflua scribere res iactantię est, necessaria reticere contemptus. Amica est homini ad genitale solū reuertēti semper hilaritas, Male pertinax (Deus) liuoris obloquendi fomitem de loco gloriæ quærit. Exultatio eloquentiam dat, quam ingenium negat. Ira iusto liberior, suum plusquam alios lacessit auctorem. Liberior iusto laudatio tantum gloriæ decerpit quantū falsitatis adiecerit: fit enim vana narratio, quæ ex mendacijs crescit.

Artium mater est instantia, nouerca eruditionis negligentia. Argumentum est nil merentis, rogare diu. Superni beneficij vix dignoscitur qualitas dum tenetur. Postquam migrauerint cupita dulcescunt. Nisi vires æstimes dum aggredieris sarcinam, subiacebis. Nemo in altero mores amplexatur, nisi quos in se formauerit.

Extant Ennodij opera in noua Bibliotheca Patrum.

De Imperio Iustini Senioris, & de Sancta Brigida.

CAP. XXIX.

Sigebertus in Chronicis. Post Anastasium imperauit Iustinus senior annis vndecim. Cœpit anno Domini 518. mundi scilicet 4369. Hugo tamen aliter dicit sic: Iustinus igitur senior Christianissimus Imperator Anastasio perfido succedens in regno; anno Incarnationis diuinæ 518. imperauit annis 23.

Iustinus Imp. An. Ch. 518. Mundi 4369.

Ad

Ad hunc misit Hormisda venerabilis Papa, in vrbem regiam sanctum Germanum Capuanum episcopum, & Ioannem, & Blandinum Presbyteros, Felicem quoque, & Dioscorum diaconos, necnon & Petrum notarium, vt episcopos quos Anastasius pro catholica exsiliauerat fide, ad proprias reuocaret ecclesias. Quos omnes cum grandi lætitia suscepit clementissimus Imperator, & remisit honorabiliter.

Sigebertus in Chronicis. Eo quoque tempore virgo Dei Brigida obijt in Scotia, scilicet anno primo Iustini senioris.

Ex gestis eius per Laurentium Dunel. Hæc de Christianis ac nobilibus parentibus orta in Scotia à pueritia bonarum rerum studijs inoleuit, pudicitiæ & sobrietati semper intenta, & semper de bonis ad meliora crescens, ab ipsa puellari ætate virtutum signis extitit admiranda.

Pro mitre Eurius habet magum cuius addicta erat seruituti.

Cum à matre sua transmissa esset, vt de vaccarum lacte butyrum congregaret, & ad pondus redderet, sicut aliæ puellæ in illis regionibus facere solebant; hæc iam dedita hospitalitati *magis volens obedire Deo, quam hominibus.* pauperibus & hospitibus tam lac, quam butyrum largiter distribuere cœpit. Et cum tempus aduenisset, vt omnes redderēt fructum vaccarum cooperatrices eius monstrauerunt opera sua. Ventum est ad Brigidam, vt redderet opus suum: quæ pauida non habens quid redderet, quia totum pauperibus erogauerat, timore matris pauida se totam conuertens ad Dominum cucurrit ad orationem, quam Dominus exaudiuit, & mox post orationem super omnes cooperatrices suas, opus suum in butyro amplius abundans matri assignauit.

Miraculose butyrum ad virginis preces augetur.

Iterum de miraculis eiusdem.

Cap. XXX.

Vt virginitatem suam Deo vouerit.

NOn multo post cum parentes eam more humano desponsare voluissent, illa cœlitus inspirata, virginem castam se vouens, & volens exhibere Christo, ad Episcopum sanctissimum beatæ memoriæ Machillam perrexit, qui pallium album, & vestem candidam super ipsius venerabile caput imposuit. Quæ coram Deo, & Episcopo ad altare genua humiliter flectens, & suam virginalem coronam Domino offerens, fundamentum ligneum altaris tetigit: quod statim viride factum est, & vsque hodie sic virescens languores & morbos de fidelibus expellit.

Huius miraculi mentio fit in martyrol.

Cum aliquando lardum aduenientibus hospitibus in caldaria coxisset, cani adulanti ac flagitanti misericorditer dedit. Et postea cum lardum de caldaria tractum, ac hospitibus esset diuisum, plenissime est repertum, ac si non esset demptum.

Messis S. Brigidæ solum arida.

Aliquando cōuocauit messores & operarios in messem suam, & facta est dies illa nebulosa, & pluuialis valde per circuitum in totam prouinciam, sed in messem eius gutta non cecidit.

Vestem imbre madidā ex vmbra solari suspēdit.

Cum suas oues aliquando pasceret in campestri, & herboso loco nimia pluuiarum inundatione facta humectatis vestibus domum redijt. Et cum radius solaris per foramina domus intrinsecus intraret, illa vmbram obtusa oculorum acie arborem fuisse transuersam & fixam putans, desuper suam vestem complutam posuit, & ita tanquam in arbore grandi & firma, in ipso tenui solari radio pependit.

Ex lapide sal conficit.

Lepro si ab illa flagitabant cereuisiam, quam cum illa non haberet, videns aquam ad balnea paratam, cum virtute fidei benedicens in optimam cereuisiam conuertit, & sitientibus abundanter tribuit.

Quidam venit ad eam potens sal, illa lapidem benedixit, & in salem conuertit, & poscenti tribuit.

Cœco nato oculos restituit.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXI.

Fures virginis boues auferre volentes aquis suffocantur.

QVidam fures nequissimi de alia prouincia venientes, & amnem grandem facili meatu pedū transgredientes, boues eius furati sunt. Quos eadem reuertentes via, impetus fluminis, inundatione subita facta, conturbauit, & fures dimersi sunt, boues de manibus eorum liberati, loris ad cornua pendentibus ad proprium armentum reuersi sunt.

Eius de vulpe miraculū.

Quidam aper ferus, singularis & siluestris, ad gregem porcorum Brigidæ præcipiti cursu peruenit, quem illa cernens benedixit, deinde impauidus, ac si familiaris esset cum grege illius permansit.

Quidam simplex vulpem vidit ambulantem per Regis palatium, quam nescíens esse domesticam, & varijs artibus agilitatis doctam, occidit. Quo cognito Rex iussit illum occidi, & vxorem eius, & liberos, & omnia quę habebat, in seruitutem redigi, nisi sibi vulpis similiter docta redderetur. Quod audiens Brigida iuncto curru Regem rogatura, per planiciem campi pergebat viam, quæ ducebat ad palatium Regis, ex intimo corde rogans Deum vt prouideret. Statimque Dominus vnam de feris vulpibus ad eam transmisit, quæ currens per campestria appropinquauit currui beatæ Brigidæ, & leuiter se eleuans in currum intrauit, & sub veste beatæ virginis se constituens, mansuete cum ea in curru sedebat perueniens ad Regem Brigida rogare cæpit, vt quæ ignorans deliquerat, absolueretur. Noluit Rex, nisi ei vulpes similis restitueretur. Protulit Brigida vulpem suam omni calliditatis artificio, vt prior illa fuerat, edoctam. Miratus Rex, & eius optimates, iussit illum reum liberum abire. Non multo post illo liberato, cum sancta Brigida remearet domum, vulpes dolosa inter turbas se torquens, & callide mouens aufugit, & capi non potuit.

Captiuum liberat.

Anates sacra virginis imperio parent.

Altera die Brigida videns anates pectore in aqua natantes, & per aera interdum volitantes ad se venire præcepit: & venerunt. Quas aliquamdiu manu tangens & amplectens, redire permisit.

De eodem.

Cap. XXXII.

NOuem viri consueti erant superstitione quadam nefaria votis, & iuramentis constringere se, quod in Calend. Iulij hominem iugularent. Quibus Brigida prædicabat, vt ab hoc errore desisterent, qui noluerūt, nisi prius voto completo. Illa pro obcæcatione cordis eorum, cœpit rogare Deum. Egressi illi, contemplantur imaginem instar viri, quem disposuerant iugulare. Quā continuo suis lanceis, & gladijs confoderunt, quasi post triumphum de suo aduersario cum armis suis cruentatis ad Brigidam reuertuntur; & sic ad pœnitentiam conuertuntur.

Homicida miraculose ad panitētiā conuertūtur.

Quidam vir Luguidina nomine tam fortis erat, vt in vno die laboraret quantum alij 12. & solus comedebat quantum 12. Is deprecatus est beatam Brigidam, vt rogaret Dominum quatenus eius ingluuiem salua sua fortitudine temperaret. Quod & fecit, nam post precem virginis cibo vnius viri contentus, laborabat quantum 12.

Mirabilem cuiusdā ingluuiem curat, permanente solito corporis robore.

Arbor ingens securi excisa in silua, cum ad locum destinatum cum multis bobus & machinis trahi non posset, Beatæ virginis orationibus, cunctis recedentibus, sine vlla difficultate ad locum, quo volebant, delata est.

Faminam quandam, pudicam ab incestuosis cuiusdam amoribus liberat.

Quidam vir sæcularis, & nobilis in cuiusdam fœminæ concupiscentiam exarsit, & callide suam sentem argenteam preciosamque illi commendauit. Quam dolose retraxit, illa ignorante, & iecit in mare, quatenus cū illa nō posset reddere, sibi esset ancilla, & ea vteretur vt vellet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vellet. Quo facto, cum ille repeteret ſentem ſuam, & illa reddere non poſſet, perpendens dolum eius, pudica fœmina, cucurrit ad Brigidã, quæ cum cogitaret de hoc, ſuperuenit ad eam quidam cũ piſcibus de flumine tractis, quorum viſcera cum aperta, & exciſa fuiſſent, inuẽta eſt in medio vnius piſcis ſentis illa argentea, & reddita eſt illi viro crudeli, & ſic fœmina liberata eſt. Tunc ille confitens Brigidæ culpam ſuam, ſubditus factus eſt illi.

Vitulum hoſpita & telaria ligna reſtituit.

Aliquando diuertit Brigida ad quandam pauperculam mulierem, quæ cum non haberet vnde ignem faceret ad coquendum cibum Brigidæ, & eis qui ſecum venerant, inſcidit ligna telaria in quibus telæ texebantur, & iecit in ignem, & vitulum, qui erat in paſcuis occidit & præparatum eis appoſuit. Mane facto, inuenit vitulum in ſimilitudinem prioris formæ, & ligna telaria prioribus ſimilia reſtaurata.

Vas argenteum aquali portione leproſis tribus diuidit de hac ſacra virgine multa Giraldus Cambrenſis in Topographia Hibernia.

Aliquando tres leproſi ab ea aliquid petebant, quibus ſtatim vas argenteum dedit, & ne diuiſio fieret, & eis cauſa rixæ, cuidam perito in ponderibus auri & argenti petito dixit, vt illud diſpartiret in tres æquales partes. At ille ſe excuſare cœpit, dicens hoc eſſe difficillimum, & penè impoſſibile. Tunc Brigida vas apprehẽſum contra lapidem iecit, & tres partes æqualis ponderis fecit.

Nunquam pauperes ſinebat à ſe recedere ſinu vacuo. Quidam neceſſitate compulſus poſcebat ab ea ſextarium mellis. Illa dolens, quod non haberet ad manum id quod petebatur, ſubito audiuit murmur apum ſub pauimento domus, perfoſſo loco, repertum eſt ſextarium mellis.

De Ioanne Papa, & eius legatione ad Imperatorem Conſtantinopolis.

Cap. XXXIII.

Hugo vbi ſupra. Poſt Hormiſdam, Ioannes cathedram Apoſtolicam tenere meruit, qui & ipſe ad principem Iuſtinum venit. Et cum in Corinthi partes iam veniſſet, neceſſe ei fuit, vt in itinere ad ſedendum equus requiri debuiſſet. Quod illic quidam nobilis vir audiens, equum ſuper quem eius coniux ſedere conſueuerat, ita ei conceſſit, vt eo ad loca alia perueniente, cum illi aptus equus potuiſſet inueniri, deberet ille quem conceſſerat, propter ſuam coniugem retranſmitti. Quod & factum eſt. Nam cum prædictus vir vſque ad certum locum equo eodem ſubuehente perductus fuiſſet, mox vt alium reperit illum quem acceperat retranſmiſit. Sed cum denuo prædicti nobilis viri coniux equum illum ex more conſcendere voluiſſet, vltra non valuit. Cœpit nempe immenſo flatu & fremitu, atque totius inceſſante corpotis motu quaſi deſpiciendo prodere, quia poſt membra pontificis mulierem ferre nequiret. Quod vir eius prudenter intuitus hunc ad eundem venerabilem virum retranſmiſit equũ magnis precibus petens, vt ipſe illum poſſideret, quem iuri ſuo ſedendo dedicaſſet.

Equum qui Ioãnem Papam portauerat, mulierem ferre dedignatur. Gregorius li. 3. Dial. c 2.

S. Ioannes papa honorifice ab Imperatore ſuſcipitur: hoc refert Pontificale ad verbum cui omnes conſentiunt.

Denique cum Conſtantinopolim peruenisſet, & ibidem vir Dei honorifice ab Imperatore, & ab omni fere populo eiuſdem vrbis ſuſceptus fuiſſet, mox in eorum conſpectu ad portam, quæ aurea vocitatur, roganti cœco lumen indulſit. Demum vero impetratis pro quibus ierat Rauennam remeauit.

Helinandus in chronica ſua 43. lib. Miſerat autem eum Theodoricus in legatione ad Iuſtinum propter eccleſias Arianorum, quas Iuſtinus volebat catholicis dare, vt Arianis redderentur. alioquin ipſe Theodoricus omnem Italiam gladio daret. Qui Ioannes infirmatus ambulauit cum fletu, cum ſenatoribus & exconſulibus. Suſceptus eſt autem ab omni ciuitate Conſtantinopoli à milliario 15. cum cereis, & lampadibus, & crucibus, quia Beati Petri vicariatum meruerat ſuſcepiſſe. Iuſtinus autem humiliauit ſe, & adorauit pronus in terram Sanctum Ioannem Papam, qui Ioannes cum cæteris legatis rogauit Iuſtinum, vt ſuſciperet legationem, quatenus Italia liberaretur. Quod & factum eſt.

Hugo, vbi ſupra. Impetratis igitur, vt dictum eſt, pro quibus ierat, Rauennam remeauit, vbi ſæpe nominatus tyrannus Theodoricus, zelo, & inuidia ductus quia audierat eum ab Auguſto honorifice ſuſceptum atque tractatum, cum comitibus eius tenuit eum, & carceris afflictione peremit. Symmachum patricium interfecit, ſed & Boetium conſularem, virum ſummæ prudentiæ, qui dialecticam & Arithmeticam atque Muſicam ſuo ſermone nobilitauerat, & alios libellos elegantiſſime compoſuerat, idem tyrannus exilij pœna damnauit, & in territorio Mediolanenſi iugulari fecit. Hac tamen immanis ſeueritatis impunitate Theodoricus nequaquam eſt gauiſus: nam non multo poſt horribili & inopinata morte pollutam peccatis animam exhalauit.

Ioãnem Papam in carcere à Theodorico occiſũ ſcribit Greg. l. 4. cap. 30.

Sigebertus in chronicis. Hic etiam à quodam Sancto eremita, viſus eſt nudus & diſcalciatus, à Ioanne Papa, & Symmacho patricio in ollam Vulcani eſſe detruſus.

Ex libro Pontificali. Obijt autem Papa Ioannes Rauennæ in cuſtodia 5. Calen. Iunij Martyr. Cuius corpus tranſlatum eſt de Rauenna. & ſepultum in baſilica Beati Petri Apoſtoli, ſub die Calendarum Iunij.

De filijs Clodouei regis, & ſtrage Thoringorum.

Cap. XXXIV.

Hugo vbi ſupra. Clodouei itaque filij patri defuncto ſuccedentes, regnum Francorum inter ſe diuiſerunt, & Theodoricus ſedem regni ſortitus eſt Metis, Clodomirus aurelianis, Clotharius Sueſſionis, Childebertus vero Pariſijs, vbi & pater eorum: ſed & ſoror ipſorum Clotildis Amalrico nupſit, & in Hiſpaniam perductus eſt.

Gregorius Turonenſis in hiſtoria Francorum lib. 3. cap. 6. Clodomirus autem Sigiſmundo Rege Burgundiæ cum vxore & filijs eius perempto, vt ſupra dictum eſt, iterum fratri eius Godomaro congreſſus, ac percuſſus corruit, & mortuus eſt. Quod videntes Franci, nimio dolore & ira commoti, Godomarum perſequentes exterminant, omne ſque regiones deuaſtantes, à puero vſque ad ſenem omnes peremerunt, & ita reuerſi ſunt. Clotharius hæc audiens vxorem fratris ſui accepit in coniugium Gunthecam nomine, filios quoque Clodomiri orphanos ſcilicet Theodobaldum, Guntharium, & Clodobaldum, Clotildis Regina nutriebat, ſecũ illos retinens.

Franci infeſti tranſeunt Rhenum.

Eo tempore Theodoricus, & Theodobertus filius eius, & Clotharius Rex cum Francorum exercitu Rhenum tranſeuntes in Thoringiam dirigunt contra Herminefredum Regem Thoringorum. Hæc audientes Thoringii foſſata fecerunt ſub dolo, deſuper cooperientes ea ceſpitibus. Cumque ad bellum ibidem conueniſſent, intelligentes quod equi eorum ibidem corruiſſent, indignati ſunt valde, tantaque cædes ibi fuit de Thoringis, vt ipſe fluuius ex eorum cadaueribus repletus, Franci ſuper eos tanquam per pontem tranſirent, & conculcabant eos, vaſtanteſque omnem regionem illam, & captiuos adducentes, omnia depopulati ſunt. Herminefredus quoque per fugam lapſus vix euaſit, Franci autem cũ ſpolijs reuerſi ſunt. Fuerunt hic Herminefredo duo fratres Baldericus, & Bertharius.

Greg. Turon. cap. 7.

Radegunda Clotharij vxor fit monialis.

Hugo, vbi ſupra. Clotharius, vero inde rediens Radegundam Bertharij Regis filiam Herminefredi neptem ſecum adduxit, & eam ſibi legitimo matrimonio copulauit. Sed illa poſt tempus modicum, relicto maritali thoro, intra Pictauenſem vrbem veſtem ſuſcepit religioſam, in qua perſeuerans, curſum vitæ laudabiliter conſummauit.

Gregorius Turonenſis, vbi ſupra. Theodoricus autem data fide Herminefredo regi ad Tulpiacum ciuitatem fecit eum ad ſe venire. Cumque ſupra murum ciuitatis ipſius colloquerentur, impulſus de muro ipſo, corruit ad terram, & mortuus eſt: huius infantes quoque Theodoricus iuſſit interfici.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Pugna Childeberti contra regem Gothorum pro sorore sua.

Cap. XXXV.

Greg. Turon. l. 3. cap. 10

CHildebertus quoque cum esset apud Auernos ciuitatem misit soror eius vxor Amalrici Regis Gothorum nuncios ad eum, & innotuit ei quanta mala Amalricus fecisset, & qualiter ei insidiaretur propter fidem catholicam. Nam cum ad ecclesiam Christi iret & orationem faceret, stercora & multos fætores ipse super eam proijciebat, atque in tantum eam verberabat, vt sanguinem vomeret, quem illa in sudario suo collectum fratri suo transmisit, dicens: *Vindicate dulcissimi fratres, laborem & iniuriam meam domini charissimi.* Cum hæc audisset Childebertus Rex, ira magna commotus in hostem maximam turbam collegit, & in Hispaniam direxit, atque pugnam inijt contra Amalricum. Qui in fugam versus, dum nauem ad fugiendum quæreret, & hanc non tam cito vt volebat attingere posset, ab exercitu Childeberti circundatus, cum ad ecclesiam Christianorum fugeret, antequam ad introitum ecclesiæ peruenisset, Francus quidam lancea eum percussit, & mortuus est.

Clotildis ob fidem multa patitur.

Amalricus perimitur.

Tunc Childebertus deuastata Hispania, Toletum vrbem ingressus, thesauros magnos inde abstulit, & vna cum sorore sua reuersus est. Sed nescio, quo periculo imminente languore in ipso itinere mortua est, Parisios quoque deportata in basilica sancti Petri, iuxta patrem suum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros ad ministeria ecclesiarum detulit, scilicet de vasis Salomonis preciosissimis, sexaginta calices, quindecim patenas, viginti capsas Euangeliorum ex auro purissimo gemmario opere celatas & pulchre ornatas. Quæ omnia ille noluit confringere, sed per ecclesias cuncta distribuens, dispensauit.

Calices & alia ornamẽta ecclesiæ ex auro facta fuerunt.

De crudelitate Clotharij in nepotes suos.

Cap. XXXVI.

Greg Turon. ibidem c.18.

CLotildis autem Regina post mortem viri sui frequenter Thurones pergens ad basilicam Sancti Martini diutissime commorata domino seruiebat, taroque Parisios visitabat, filios autem filij sui Clodomiri vt dictum est, nutriebat. Cum autem Parisijs resideret, videns Childebertus Rex, quod illa filios fratris sui senioris enutriret, & nimis eos diligeret, cogitans, quod eos Reges facere vellet, dixit Clothario fratri suo: Mater nostra filios fratris nostri vult eleuare, consilio igitur accepto pertractare debemus, quid de eis facere debeamus: aut tondeamus eos, aut interficiamus, regnumque fratris nostri, patris eorum inter nos diuidamus. Miserunt igitur ad Reginam Parisios Arcadium nobilem virum & industrium, dolose dicentes: Dic matri nostræ, vt mittat ad nos filios fratris nostri, nepotes nostros, vt eos Reges constituamus. At illa credens hoc verum esse, gaudens, eos transmisit. Quibus venientibus apprehendit Clotharius puerum seniorem, proiecitque eum ad terram, ac defixit in axillam eius cultrum, qui transuerberatus, statim mortuus est. Frater quoque eius iunior cum hoc vidisset, proiecit se ad pedes Childeberti dicens, flendo: Succurre mihi pijssime patrue ne & ego peream sicut & frater meus. Tunc Childebertus commotus lachrymis ait: Obsecro te, chariſſime frater, vt huius mihi vitam concedas, & quantuncunque volueris dabo tibi pro eius vita. At ille ira succensus ait: Aut eijce eum à te, aut certe pro eo morieris. Tu es, qui hoc malum pertractasti, & modo tu vis liberare eum. Hæc audiens Childebertus, proiecit eum à se, Clotharius quoque elisit eum in terram, & defixo in axillam eius cultro, interfecit eum, & pueros cum nutricijs eorum similiter iugulauit, accensisque equis abscesserunt.

Regina hæc audiens nimio furore attrita, compositis eorum corpusculis, cum magno cætu psallentium, & immenso luctu Parisios ad basilicã Sãcti Petri deportata eorum corpuscula sepeliuit: quorum vnus erat 10. annorũ, & alius 7. Tertius vero nomine Clodoaldus effugit, & per auxilium virorum fortium liberatus est. Qui postea relicto regno terreno ipse se propria manu totondit, & clericus factus est, ac bonis operibus præditus presbyter ordinatus est. Clotildis autem Regina in eleemosynis profluens cum summa abstinentia & sobrietate vitæ iugiter degebat.

Clodouei filij interficiunt nepotes.

In illis diebus mortuus est Theodoricus Rex, regnauit autem annos 23. Theodobertus quoque filius eius regnum eius suscepit.

Qualiter idem Clotharius de persecutione fratrum diuinitus est liberatus.

Cap. XXXVII.

Greg. Turon. lib. 3 cap. 28.

POst hæc Childebertus, & Theodobertus commouentes exercitum contra Clotharium ire disponunt. Ille hæc audiens & videns quod eorum exercitui resistere non posset, in siluam confugit totamque spem suam in Dei pietate transfudit. Sed Clotildis Regina hæc audiens Beati Martini sepulchrum adijt, ibique in oratione prostrata, tota nocte vigilans deprecabatur Dominum, ne inter filios ciuile bellum consurgeret. Cumque conuenissent cum copijs magnis contra Clotharium, vt sequenti die eum interficerent, mane facto, in loco in quo erant congregati, orta est tempestas magna, tentoria disrumpens cum immixtis fulgoribus, atque cuncta subuertit, irruentibus imbribus cum tonitruis validis. Illi vero prostrati in terram corruentes, cæsi grandinibus validissimis, & grauiter verberati corruunt. Nullum eis tegumen remansit nisi solus clypeus, & hoc maxime timebant ne ab igne cœlesti cremarentur. Sed equi eorum ita dispersi sunt, vt vix in vigesimo stadio reperirentur. Multi etiam de his non sunt inuenti. Tunc illi lapidibus cæsi & humo prostrati, pœnitentiam agentes, veniam deprecabantur à Deo, eo quod talia contra sanguinem suum agere voluissent. Super Clotharium vero neque vna quidem gutta pluuiæ decidit, neque sonitus tonitrui est auditus. Illi quoque mittentes nuncios, pacem & concordiam petierunt: qua data, in propria sunt reuersi.

Bellum inter regios fratres exortum meritis D. Martini dirimitur.

De obsidione Cæsaraugustæ, & morte Childeberti, & Clotildis.

Cap. XXXVIII.

POst hæc iterum Childebertus & Clotharius collecto magno exercitu, in Hispaniam se dirigunt. In quam ingressi ipsam terram vastantes succenderunt, & interficientes populum Cæsaraugustam ciuitatem circundantes obtinuerunt. Populus autem, qui ibidem obsessus tenebatur, indutus cilicijs aspersoque capite cinere, in tantam humilitatem ad Deum conuersi sunt, vt cum tunica Beati Vincentij Martyris muros ciuitatis psallendo circumirent. Quod hi Reges videntes, apprehenso vno rustico de ciuitate dixerunt: Vade dic episcopo ciuitatis, vt cum fiducia veniat ad nos, nihil dubitans. Ille vero cum hoc episcopo nunciaret, ipse cum muneribus statim occurrit eis. Childebertus quoque postulauit ab episcopo sibi dari reliquias Beati Vincentij Martyris. At ille dedit ei stolam eius. Memorati ergo Reges acquisita maxima parte Hispaniæ, cum multis thesauris & spolijs reuersi sunt. Childebertus vero Parisios veniens, ecclesiam in honore Beati Vincentij martyris ædificauit.

Tunica S. Vincentij in supplicatione à populo defertur.

Greg. Tur. cap. 29.

Tandem Childebertus ægrotare diutissime cæpit, & apud Parisios febribus decubans, mortuus est, & in basilica Beati Vincentij Martyris, quam ipse construxerat, sepultus est: cuius regnum, & Thesauros, Clotharius rex accepit. Sed & bonæ memoriæ glorioſissima

Lege Æmil. lib. 1.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Clothildis Regina, bonis operibus pollens, apud vrbem Turonicam migrauit ad Dominum plena dierum. Quæ cum magno pſallentiū choro Pariſios deportata, in ſacrario baſilicæ Beati Petri ad latus Clodouei Regis viri ſui, ſepulta eſt à filijs ſuis, Childeberto, & Clotharío regibus, vbi & beatiſſima Genouefa ſepulta eſt.

De Sancto Vigore Baiocenſi, & mortuo ſuſcitato ab eo.

Cap. XXXIX.

S. Vigor degit in monaſterio.

EX *geſtis eius.* Temporibus Childeberti Regis Francorum floruit Sanctus Vigor Baiocaſſinæ vrbis epiſcopus, qui Attrebatenſi prouincia nobilibus parentibus & fide pollentibus oriundus, intra Sancti Vedaſti monaſterium in religione monachorum cohabitauit. Tantaque in eo obedientiæ humilitas erat, vt omnibus gratioſior videretur. Quem cū parentes eius valde locupletes in rerum opulētijs eum ſuperſtitem habere cuperent, ille magis cæleſtibus inhians, aſſumpto ſecum vno puerulo, nomine * Redimiro, peregrinationē, neſciens, quo iret, arripuit, & diuino nutu in regionem Baiocaſſinam peruenit. Cumque eſſet in itinere, Angelus Domini eum in ſomnis admonuit, dicens: Perge quo ire decreuiſti, quia locus tibi à Domino præparatus eſt, & plebs non modica per te ad fidem veram conuertenda eſt. Itaque Dei adiutorio fretus, peruenit ad vicum, qui Redeuerus dicitur, vbi erant homines bruti Idolorum cultu detenti, & veri Dei cultus ignari. Illic igitur ædificato oratorio vigilijs & orationibus pernoctans, aſſidue Dominum precabatur, vt ad veritatem cognoſcendam, populum virtute ſui ſpiritus illuſtraret. Tantamque Dominus ei gratiam contulit, vt per eius prædicationem, & ſanctitatis exemplum, omnes pene conuerterentur ad fidem Chriſti. Cum autem vellet Deus militem ſuum manifeſtum fieri; cuiuſdam viri filium quem paruulum ipſe conuerterat ad fidem Chriſti, vexatum febribus contigit mori. Cuius cadauer nimijs doloribus fatigata mater in lectulo collocauit, & cum vlulatu cucurrit ad virum Dei, rogans vt eum reſuſcitaret. Qui completa pro paruulo oratione, conuerſus ad mulierem ait: *Si ex toto corde in Deum verum quem Chriſtiani colunt credideris, quæcumque petieris impetrabis.* Illa hoc audito credens, abijt: Cumque è foribus domus ſuæ proceſſiſſet, vidit filium ſuum exilientem, *& laudantem Deum.* Propter hoc ergo miraculum longe lateque fama viri Dei perſonuit, & ægrotantibus medicinam multimodam pietas diuina per orationes eius tribuit, vt cæcis viſum, claudis greſſum, languentibus ſanitatem.

** Al. Theddemiro. Iuſtus à domino dirigitur in vias.*

Conuertit multos ad Chriſtum.

Excitat puerum defunctum.

Curat multos agros.

De cæteris eius miraculis, & obitu eiuſdem.

Cap. XL.

VIr quidam locuples rogauit eum, vt ad poſſeſſionem eius accederet (eo quod in loco ſyluæ ſerpens eſſet immanis valde, qui homines & pecora flatu ſuo exureret) ſi forte per orationes ſuas valeret eos ab eius interitu liberare. Qui facta oratione pergens ad locum, inuenit ſemitam per quam idem ſerpens ad fontem ibat, & iterum ad ſpecum ſuum remeabat. Acceſſit igitur ad ſpecum, & ait: *Serpens antique, & Sathana in nomine Ieſu Chriſti præcipio, vt exeas de ſpecu illo.* Qui exijt erecto capite flammas vomens, ac ſtridens dentibus, & quaſi ad deuorandum paratus. Eratque pedum 40. longitudo illius. Quem mox, Dei famulus vt vidit, eleuata manu *ſignum crucis* iniecit. At ille clauſo ore, & depreſſa ceruice ad eum venit. Quem vir Dei orario per collum ligauit, tradiditque famulo ſuo Redimiro, & ait: Vade, & duc eum ad littus maris, ne hic poſſit vlterius commorari. Tunc omnes populi qui conuenerant ad ſpectaculum *glorificauerunt Deum.*

Immanem ſerpentem profligat.

Alium quoque ſerpentem eiecit de loco, qui dicitur Cella, alium vero de loco transfretum qui dicitur Cameron. Ob quam cauſam cuncta præfata prædia, viro Dei tradita ſunt in poſſeſſionem.

Item duos alios ſerpentes.

Defuncto autem Baiocaſſino epiſcopo, petente clero & populo, Dei nutu ordinatus epiſcopus, magis ſtuduit Dei famulatum exercere & ieiunijs, vigilijs, & orationibus ac lectionibus vacare.

Creatur Baiocenſis epiſcopus.

Comes Beltulfus auaritia æſtuans, agrum illius ſuperbe & violenter occupauit, eumque aratris conglobatis arare cæpit. Sed orante viro Dei Dominum, vt hæreditatem ab eo ſibi datam defenderet, ſuperbus ille de equo quo ſedebat, corruit, & fractis ceruicibus expirauit.

Ecce tibi horrendum iudicium Dei in comitem bona eccleſiaſtica ſibi vendicātem.

His & alijs multis virtutibus, idem vir Sanctus claruit, nam & olim dum in vtero matris necdum editus eſſet, meruit eius venerabilis genitrix audire ab Angelo ſancto ſomno depreſſa, quod in vtero filium haberet, quem Dominus gratia ſua illuſtraturus eſſet.

Obijt autem ſenex Calend. Nouemb. plurimos diſcipulos in fide educatos relinquens.

De ſanctis Carilelpho, & Auito Abbatibus.

Cap. XLI.

EX *geſtis eius.* Præterea temporibus Childeberti, & Clotharij regum Francorum, Sanctus Carilelphus floruit, & in caſtris Sanctæ eccleſiæ tanquam ſtrenuus miles contra poteſtates aereas, clypeo fidei protectus, ſpicula doctrinæ contorſit, fulminaque miraculorum emiſit. Hic in Aruernenſi territorio clariſſimis parentibus ortus doctrinę gratia in monaſterium Menatæ mittitur, vbi literarum facundiam, & Sanctæ conuerſationis excepit formam. Cumque vellet ſingulari contra diabolum dimicare certamine, & eremiticam vitam ducere, eiuſdem cænobij monachus Auitus nomine, ei collocutionis gratia affuit, vir meritorum ſummorum prærogatiua præditus. Dum ergo inter ſe colloquia ſerunt, codicem Sancti Euangelij aperiunt, & linea, quæ prima fronte occurrit, hæc fuit: *Qui plus diligit patrem aut matrem, quam me, non eſt me dignus.* Itaque beatus Auitus, qui apothechis monaſterialibus erat præpoſitus, claues cellarij clam Abbatis ſuis ſuppoſuit ceruicali, & pergentes ſimul, in ſuburbium Aurelianenſe deuenerunt: auditaque Sancti Maximini fama, qui ibi monachorum cohortibus in cænobio Mitiatenſi degentium præerat, ad eum viſendū, conuolauerunt, & ab eo humaniter excepti, ſacerdotali dignitate per eum inſigniti ſunt. Sed poſtmodum remotius habitaculum perquirentes, vaſtas partiti ſaltus ſolitudines expetunt, quas peragrantes, inter opaca quæq: nemorum, & luſtra abditiſſima ferarum, obuium ſe tulit eorum conſpectibus fertilis locus, qui tunc Pithiacus dictus eſt, at nunc *Cella Sancti Auiti* vocatur. Illic fonte viuentis aquæ reperto beatus Carilephus eum manu ſua vt aquæ retentor eſſet, tereti circundedit ædificio, & hactenus ob amorem illius à deuotis non ignobili tegitur operculo. Illic ergo manentes diebus plurimis deuote Deo ſeruierunt.

S. Auitus iungit ſe S. Carilelpho.

Luc. 14.

Auitus & Carilelphus initiantur Sacerdotio.

Denique cum fama beati Auiti, Regis aures occupaſſet, iuſſu ipſius regis in eodem loco baſilica fabricatur, opibuſque regijs ditatur. Beatus autem Carilelphus prout moris eſt, ſanctis viris proſpera vitare, ſiniſtra ob cuſtodiam ſui appetere, in his chariſſimum ſuum relinquens Auitum in carne, ab eius præſentia in interiora ſeceſſit eremi, cum tamen ei inextricabilibus eſſet deuinctus nexibus animi. Itaque aſſumpto ſecum ſuo commilitone Daumero, conſeruoque itidem Gallo, pedem vertit in partes Cenomannicæ vrbis: tandemque diuertit in locum veterum vocabulo Caſaguani nuncupatum, ſitum in parrochia Labroſinenſi. Ibi erat locus à cuiuſlibet acceſſu ſecretus, attamen terræ fertilitate iucundus, quem ſibi, Deo gratias agens, ei *ſeruiturus, elegit vir ſanctus.*

Fugit homines Carilelphus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De reuerentia à bestia ei exhibita, & irreuerentia Regis Childeberti.

Cap. XLII.

ITaque eremi ferarum aduentu sæpe visitabatur, ita vt quodammodo de Deo proprie dictum videretur, *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Inter hęc Childebertus cum coniuge sua omnique eius comitatu partes Cenomannicas adijt, ibique ei consistenti, nunciatur bubalum in locis illis inusitatam bestiam delitescere. Rex autem gaudens iussit venatores præparare necessaria bestiæ capiendæ. Quibus peractis cum terram curiose pererrarent signa itineris bubali diu rimata repererunt, & acres post eum molossos ad insequendum funibus absoluunt. Miser autem iamiamque capiendus, ad sanctum Carilephum decurrit bubalus, & quasi cui quaquauersum fuga negaretur domum viri quasi singulare adijt suffragium. Sane venatores sequentes deuenere ad locum vbi sanctum virum & post tergum illius prædictum astantem veluti querulum ac trementem videre bubalum. Tum vero insolita rei nouitate turbati, nec bestiam attingere, nec Sancto viro aliquam molestiam ingerere ausi sunt, Rex viso miraculo nequaquam Dei potentiam honorauit, sed indignatus ait: Vnde vobis, ô incognitæ personæ, tanta præsumptio, vt mei iuris saltum, nullo concedente, ausi sitis irrumpere, & nostræ venationis dignitatem in aliquo mutilare. At vir Sanctus ait: O Rex bone, nequaquam despectus tui gratia, aut conturbandæ venationis, lustra ferarum irrumpimus, sed vti familiarius atque enixius Domini occuparemur seruitio, inaccessibilia hominibns loca petiuimus. Rex autem nimio felle suffusus: Præcipio, ait, auctoritate nostra, & te, & socios tuos hinc secedere, & vt deinceps nullus hic ex vobis inueniatur, cauete.

Iob. 5.

Bubalus recurrit ad virum Dei tãquam ad asylum.

De elatione ipsius, & humiliatione erga præfatum virum.

Cap. XLIII.

TVnc vir sanctus, nec in minimo minis perturbatus regalibus, ad implenda diuina præcepta se vertit. Est nobis, inclyte Rex, seruis tuis aliquid vini, quod parua vitis hic inuenta atque exculta elicuit, petimusque serenitatem culminis vestri, vt aliquantisper eius poculo indulgeatis, quatenus alacrius ad palatium redeundi habeatis facultatem. At ille hæc spernens, tumore immoderaco distentus, cum iter in redeundo accelerare vellet, equus illius stupore repentino captus, subito constitit, & licet hincinde cruentatus, processum Regi denegauit. Inter hæc admiratio timori sociata mentem occupat, & quod facto opus esset, omnes cogitare compellit. Sed cum diu in his hæsitarent, vnus illorum, qui prudentior erat, ait: Optime Rex, homo ille, vt æstimo, qui à nobis contumelioſe tractatus est, Domini seruituti deuotus est, cuius virtute hoc præstitit Dominus, vt quia à te, non vt decuit est tractatus, tibi quoque ad ea quæ vis peragenda, denegetur effectus. Itaque celer ad virum Dei dirigitur nuncius, qui & de præteritis veniam impetraret, & responsionem illius de his quæ agenda forent Regi deferret. Qui audiens hæc, Domini misericordiam se honorantem glorificauit, dicens: Vade fili, & dic Regi vt reuertatur, & quia sine benedictione receſſit ira permotus, benedictionem accipiat à Domino per famulum eius. Itaque ipse quidem orationi deuotissime incubuit, apparitor vero ad Regem celeriter redijt. Qui mox vt verbum serui Dei audiuit, equus quibus vinctus fuerat solutus est nexibus. Itaque equo absoluto festine ad hominem Dei deuenit. Rex dudum tremendus modo tremebundus, oculos quos dudum præ iræ magnitudine cruentata obsederat nubes, nunc abluebat cor contritum lachrymas eliciens: ceruicem quam dudum superbia rediderat rigidam, nunc humilitas reddebat curuam. Plantis itaque Sancti aduoluitur, dextera pectus frequenter quatit, reumque se iterumque fatetur, & veniam petit. At vir Sanctus Regem prostratum humiliter adijt, & vt deinceps se à tali leuitate temperaret, admonuit. Ille vero se iterum vestigijs eius submittens, loco magni beneficij habiturum se dicebat, si Beati viri munificentia, vino illo quod dudum nihili habuerat, nũc potiretur. Cumque vir Sanctus celerrime vinum & calicem afferri iussisset, Regi poculum porrexit: qui osculata manu eius os admouit, & eo hausto, *Deo gratias retulit*, itidemque comitum eius quisque fecit. Mirum autem erat videre vas per paruulum in tantam exuberasse copiæ magnitudinem, vt liquor ille vitreus vbertim singulis propinaretur, nec tamen detrimentum inopiæ, quousque omnes sufficienter biberent, pateretur.

Childebertus dum minas intentat seruis Dei diuinitus castigatur.

Rex pedibus Sancti prouolutus humiliter rogat veniam.

De cautela Sancti Carilelphi in vitando mulierum aspectu, & de obitu eiusdem, & miraculis sequentibus.

Cap. XLIV.

REgina quoque aldiogadis Domini deuotione nobilissima, viri Dei vitæ qualitatem audiens, cibi scilicet parsimoniã & noctium insomnietatem, vestium quoque vilitatem (erat enim ei consuetudo cinere, & cilicio corpus obuoluere, & quando summa exigebat lassitudo quieti indulgere nuda humo corpus supersternere) misit ad eum apparitores, desiderans eius præsentia perfrui, & animam suam Deo commendare per eius interuentionem. Quod si, inquit, precibus meis annuerit, omnia fisci illius (in cuius parte residet) prædia ei tribuam. Quibus auditis, vir Sanctus parumper deliberans cogitabat. Vnde talia Reginę, vt tantopere me videre exoptet, diutinis sudoribus incultum, ieiuniorum squalore horridum, rurali exercitio rusticum? Noui certe, noui virulentam veterni hostis calliditatem, quia in paradisi amænitate per fœmineam imbecillitatem fregit viri vigorem: ideoque æquum est mihi cauere muliebrem, aspectum, ne capiar ego laqueis inimici, incolens squalida eremi loca. Ite, inquit, optimi iuuenum, & dominæ vestræ hæc verba referte: *Si quod prænaluero pro ea exorabo*: certum tamen habeat quamdiu in corpore superfuero, faciem me mulieris nequaquã visurum neque hoc cœnobiolum, quod Domino præcipiente constrnxi ingressui mulieris vnquam patebit. Neque enim decet nos, qui de Christi censemur familia, vendere nostrum mulieribus aspectum, aut pro capescenda terra inimico humani generis animã nostrã prostituere. Ideoque animũ suum ab hac intẽtione submoueat, & fisci sui partẽ, cui libuerit, attribuat. Quæ consuetudo in eodem monasterio, Domino fauente, hactenus manet inconuulsa.

Paulo post monachis astantibus resolutionem suam futuram prædixit, & vt sui memores essent admonuit.

Post eius excessum ad eius sepulchrum cæci visum receperunt, debiles sanati sunt, & dæmones ex obsessis corporibus propulsi. Cumque per ora vulgi fama percurreret. Beato Carilelpho nunquam cordi fuisse in vita sua mulierem videndi, sed & petitionẽ fudisse ad Deum vt à cœnobio eius mulieris arceretur conuentus, cuiusdã inhonestæ mulieris cor sathanas adeo face incredulitatis igniuit, vt an fama vera esset experiri vellet. Hæc igitur nomine Gunda comam capitis scidit, & contrà Dei iura virilia sumpsit indumenta. Itaque armis accincta, baculoque innixa, peruenit ad monasterium. At vero ea domus interiora petente & curiose perscrutari volente, gemina capitis eius lumina crepitu repentino mulctata sunt, & que irreuerenter inconcessa sibi contemplari voluit, ad ea quæ consueuerat videnda ius visionis amisit. Nam simul & dæmone peruasa, vndam cruoris teterrimi per os arca eius pectoris repente emisit, quæ vbertim defluens terram cruentando madefecit.

Respuit possessiones oblatas à regina.

Monasterium S. Carilelphi nulla mulier ingreditur.

Multa miracula ad eius sepulchrum.

Punitur diuinitus femina volens in monasterium eius ingredi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De transitu Sancti Auiti Abbatis, & quodam eius miraculo.

CAP. XLV.

Sancti Auiti obitus.

EX *gestis eius.* Sanctus quoque Auitus Abbas Carnotensis pagi, quem Portensem vocant, sæpius imminere dissolutionem sui corporis Spiritu sancto reuelante prædixit: Qui recedens à corpore, honorifice apud Aurelianensem vrbem humatus est. Super quem fideles Christiani ecclesiam construxerunt. Post cuius obitum cum anniuersarius assumptionis eius dies cum summo coleretur honore, vnus ex ciuibus, alijs ad missarum solennia spectanda euntibus, accepto rastro vineam pastinare surrexit. Increpatusque à multis, cur huic festo deesset, redire noluit, dicens: & hic, quem colitis, operarius fuit. Verum vbi ingressus vineam primo apparuit, protinus retorta ceruice facies eius ad tergum conuersa est. Tunc tremens, spectantibus populis cum fletu magno basilicam Sancti ingreditur. Post paucos vero dies, orans in eodem loco assidue, directa ceruice conualuit.

De Sidonio Aruernensi episcopo, & scriptis eius.

CAP. XLVI.

Lege Greg. Turon. li. 2. hist. Franc. c. 21. 22. 23. quæ habet Surius to. 4.

AVthor. Eo tempore legitur floruisse Solius Sidonius Appollinaris apud Aruernorum vrbem ex præfecto episcopus, vir secundum sæculi dignitatem nobilissimus, & literali disciplina peritissimus.

Helmandus in lib. 44. Hunc Sidonium Gẽnadius in libro virorum illustrium (nisi fallor) appellat Saluianum Massiliensem presbyterum de quo cum multa laude meminit in hunc modum,

Saluianus Massiliensis ecclesiæ presbyter, humana & diuina literatura instructus, & (vt absque inuidia loquar) episcoporum magister, scripsit scolastico & aperto sermone multa, ex quibus sunt ista, quæ legi. De virginitatis bono ad Marcellum presbyterum libri tres. Aduersus auaritiam libri 4. De præsenti iudicio libri 9. & pro eorum merito satisfactionis ad Salomum episcopum liber vnus. Et expositionis extremæ partis ecclesiastici liber vnus. Ad Claudium episcopum Viennensem, epistolarum li. 1. In morem Græcorum de principio Geneseos vsque ad cõditionem primi hominis, composuit versu quasi hexaemeron librum 1. Homelias episcopis factas quantas, non recordor. *Hæc Gennadius.*

Claudius autem episcopus Viennensis, ad quem dicit Sinodium scripsisse epistolas, ipse est sanctus Mamertus Viennensis episcopus, qui etiam cognominatus est Claudianus, de quo supra.

Author. Hunc Claudianum, qui librum de statu animæ composuit, idem Sidonius in epistolis suis multum commendat. Hic enim Sidonius vir ingeniosus, & accuratæ eloquentiæ, multas difficiles scripsit epistolas, ex quibus has morales excerpsi sententias.

De flosculis epistolarum eiusdem.

CAP. XLVII.

Sidonij Apollinaris morales sententiæ.

EX *primo libro.* Non minus est morum naturalium personam suam excolere, quam villam. Amico reuerentia debetur, etiam afflicto. Roma domicilium legum, gymnasium literarum, curia dignitatum, vertex mundi, patria libertatis. Non grandis alicui gloria datur, si deteriorum collatione claresçat.

Ad iudicem commonitio

Ex libro secundo. Hoc ipsum, quod copiam tui iurgantibus difficile concedis, indicium est bene iudicaturi. Quis enim se non ambiat arbitrium legi, aut precio aliquid indulturus aut gratiæ? Sententiam tuam, nec victus accuset, vt stolidus, nec victor irrideat vt argutus. Veritatisque respectu impendant tibi addicti reuerentiam, gratiam libertati. Vitanda sunt plerunque consilia medicorum assidentium, & dissidentium, qui parum docti, & satis seduli languidos multos officiosissime occidunt. Quidam ius fasque commune supergressi summam beatitudinem summam potestatem putant, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt se inquietissimo famulatui subiacere. Nam sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur. Non magis cordi esse debet, aut voluptati agér cum redditibus amplis, quam vicinus æqualis moribus bonis.

Summa potestas, summa miseria.

Ex tertio libro. Garrulo non respondere conuicium est. Plurimum laudis iuuenes moribus suis applicant, quoties de negociorum meritis ambigentes ad peritorum consilia reccurrunt.

Aduersus detractores.

Est hic loquax nec dicax, ridiculus nec lætus, arrogans nec constãs, curiosus nec perspicax, tẽpora præsentia colẽs, præterita carpens, futura fastidiens. Beneficij si rogatus immemor est, importunus petitor est, derogator negati, æmulator accepti, callidus reformãdi, quetulus flagitati, garralus restituti. At si rogandus, simulator parati, venditor præstiti, publicator occulti, calũniator morati, inficiator soluti, olor ieiunorum, sectator epularum, laudabilem proferens, non de bene viuente, sed de bene pascente sententiam. Inter hęc tamen ipse auariissimus quẽ non tam pascit panis bonus, quam alienus, auidus bibẽdi, auidior detrahendi: rapido pariter ore spirans cænum, spumans vinum, loquens venenum. Ita viuens paucis est voluptati, nullis amori, omnibus risui, facilius inuenies, qui seria loquens obscene viuat, quam qui pariter existat & dictis probus, & moribus.

Ex quarto lib. Nemo vt Claudianus, qui librum de statu animæ scripsit tempore meo, quæ voluit, affirmare sic valuit. Sentit vt Pythagoras, diuidit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Aristoteles, blanditur vt Æschines, trascitur vt Demosthenes, vernat vt Hortensius, moratur vt Fabius, simulat vt Crassus, dissimulat vt Cæsar, suadet vt Cato, dissuadet vt Appius, persuadet vt Tullius. Iam si ad sacrosanctos patres pro comparatione veniatur, instruit vt Hieronymus, destruit vt Lactantius, astruit vt Augustinus, attollitur vt Hilarius, submittitur vt Ioãnes, corrigit vt Basilius, cõsolatur vt Gregorius, affluit vt Orosius, stringitur vt Eusinus, natrat vt Eusebius, vt Paulinus prouocat, vt Ambrosius perseuerat.

Amici veteres nouis præferendi.

Sodales vetustos nunquam pro consequentium nouitate fastidias, aliter enim videberis sic vti amicis quasi floribus, tamdiu gratis, quamdiu recentibus. Bonum publicum semper euertunt studia priuata.

Adhuc ex eodem.

CAP. XLVIII.

EX *quinto libro.* Perfecta dilectio non tàm debet recolere quid officiorum soluerit, quam meminisse quid debeat. *Exactissimum virum posse censeri arbitror, de quo ciuis malus loqui, bonus tacere non possit.* Non maior est gloria dixisse quod noueris, quam siluisse, quod nescis. Est hæc quidem vis malis moribus, vt innocentiam multitudinis deuenustẽt scelera paucorum, cum tamen ex diuerso bonorum raritas flagitia multorum virtutibus communitatis nequeat excusare. Quis non exacerbescat, cum videat sordidari virtutem criminatione vitiorum. Si eligimus humilem, vocatur abiectus, si erectum, superbus, si minus institutum propter imperitiam creditur irridendus: si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus: si seuerum, tanquam crudelis horretur: si indulgentem, facilitate culpatur: si simplicem, despicitur vt brutus: si acrem, vitatur vt callidus. Si diligentem, * supersticiosus decernitur: si remissum, negligens iudicatur: si solertem, cupidus: si quietum, ignauus: si abstemium, auarus: si bene pascentem gulosus. Naturali vitio fixum radicatumque est pectoribus humanis, vt qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. Monasterialibus disciplinis ægrè subditur, vel ceruicositas popularium,

Vulgus fuit rectoribus tribuit quæ bona sunt, vitio.

* *Suspitiosus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vel licentia clericorum. Persona matronæ, verecundam succinctamque sui exigit mentionem. Idiotarum est, sicut facile vinci, ita difficile compesci. Humana substantia rectius mente, quam mole censenda est. Inter opes quaslibet positi, quæ bona à stultis falso vocantur, si quid agimus, nostrum, si quid habemus alienum est. *His quos amplius diligimus, plus timemus.* Quidam superbissimi opinantur solo se censu sanctæ censendos qui sic vitijs, vt diuitijs incubant. Iuste sub iusto principe iacet, qui per se minimus, & tamen per sua maximus, animo exiguus viuit, & patrimonio plurimus. Vt vera laus ornat, ita falsa castigat. Necessitas abiecta nascendi, misera viuendi, dura moriendi. Multa in te genera virtutum superno munere congesta gaudemus, siquidem agere narraris, sine superbia nobilem, sine inuidia potentem, sine superstitione religiosum, sine iactantia literatum, sine ineptia grauem, sine studio facetum, sine asperitate constātem, sine popularitate communem. Quidam barbarismus est morum, sermo iucūdus, & animus afflictus. Ad nectar cælestium poculorum per amaritudinum terrenarum calices peruenitur. Si quantamlibet nobis anxietatem vitæ præsentis propinet afflictio, parua toleramus si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui inuitat ad cœlum.

Colitur S. Sidonius 23. Aug.

De Cassiodoro senatore, & floribus epistolarum eius.

Cap. XLIX.

Helinandus. Eodem quoque tempore floruit Cassiodorus prius senator, postea monachus, qui Theodorici Regis Italiæ fuit cancellarius, & ex parte eius multas fecit epistolas ad diuersas personas de negocijs curialibus.

Lege Ioan. Ferrerium in initio hist. Tripartitæ.

Author. Idem super psalmos commentatus 150. tractatus fecit, librum quoque de ratione animæ eleganter composuit, & librum de orthographia. De ipsis Epistolis pauca excerpsi notabilia, quæ in hoc loco inserui.

Sententia Cassiodori ex eius epistolis.

Cassiodorus in prologo epistolarum. Declinanda est suasio quæ plus habet periculi, quam decoris. Aliter multa lectione faciatis, aliter mediocri gustatione suspensis, aliter à literarum sapore ieiunis, persuasionis causa loquendum est, vt plerunque sit peritię genus vitare, quod placeat doctis.

Idem in Epistola tertia. Conuentus sapientium dignitas est imperantium. Facilis recti persuasor est innocens iudex, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.

Idem in epistola 7. Iniquum valde est, vt de vna substantia quibus competit æqua successio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodis ingemiscant.

Idem in nona. Decet quemque honorem quem gerit nomine, moribus exhibere.

Idem in 13. Animus dolosus non arbitrium sequitur imperantis, sed suas potius explicat voluntates, Debemus omnes bene gerentibus, vt eos laudis nostræ comitetur assensus. Nam si equorum cursus clamoribus incitantur, & insonantum manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas expectetur, quantum etiam homines stimulari posse credimus, quos ad laudis auiditatem natos singulariter inuenimus.

Idem in 14. Libenter omnibus præbeamus assensum, quoties est vox iusta poscentium. Non decet esse difficile beneficium, quod non patitur largitate detrimentum.

Idem in 15. Peruiæ sunt semper iniurijs facultates absentium, & quodammodo videtur occasio in delictum trahere, quæ non potest animum peruadentis insultatione terrere.

Idem in 20. Regnantis facultas tunc ditior fit, eum remittit & acquirit nobiles thesauros fame, neglecta vilitate pecuniæ.

Idem in 23. Latet sub ocio laudabilis fortitudo, & dum se probandi non habet spacium, occulta est lux tota meritorum. Quod in iuuentute non discitur, in ętate matura nescitur. Maior in conseruandis rebus quam inueniendis adhibenda cautela est.

Idem in 24. Maiora principem decet tribuere, quam à seruiente videatur accepisse.

Idem in 28. Procliuior semper ad misericordiam via bonis mentibus patet.

De Imperio Iustiniani, & Prisciano grammatico, cæterisque viris illustribus illius temporis.

Cap. L.

Sigebertus in chronicis. Iustinus denique, Iustiniano ex sorore nepote suo in regno substituto, Moritur. Qui Iustinianus Imperium sumpsit anno Domini 528. mundi scilicēt quarto-millesimo 379. & imperauit annis 38.

Iustinianus Imp. an. Ch 528. Mund. 4379.

Hic Persas ab irruptionibus in partes Romanorū per Bilisariū repressit & libros Romanarum legum, in vno volumine, quod IVSTINIANVM vocatur, abbreuiauit.

Florebant hoc tempore Cassiodorus Senator postea monachus, Arator poeta, Priscianus Grammaticus, & Victor Capuanus episcopus qui cyclos paschales scribens, errores Victorij redarguit, Gregorius quoque Lingonensis, & Nicetius Treuerensis, & Domitianus Tungrensis.

Author. De Cassiodoro, & scriptis eius iam superius diximus. Porro de Domitiano Tungrensi, & Nicetio Treuerensi nihil aliud reperi, nisi quod Nicetius multum in Martyrologio commendatur.

De Prisciano grammatico, & eiusdem opera.

Prisciani libri vbique patent, cuius est illa sententia in maiori volumine: *Nihil in humanis, admentionibus ex omni parte perfectum esse credo.* Ex hoc autem loco patet eos errare, qui dicunt eum fuisse temporibus Iuliani Apostatæ. Scripsit enim maius volumē de partibus orationis non Iuliano Apostatę, qui fuit antea longo tempore, sed Iuliano consuli ac patricio, sicut legitur in ipso libri titulo. Scripsit autē & volumen minus de constructione, & aliud minimū de accētibus, & hæc omnia de grāmatica. Extat etiā liber Prisciani de naturalibus quęstionibus ad Cosdroe Regem Persarū directus, de quo plura excerpsi, & in superiori huius operis congruis locis inserui.

De Aratore poeta, & dictis eius.

Cap. LI.

ARator fuit Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui libros metricos duos de historia actuum Apostolorum eleganter composuit; de quibus hos paucos flores excerptos ad eiusdem viri solertiam insinuandam hic inserui.

Ex lib. 1. de actis Apost. statim in initio.

Arator in primo libro.
Vt sceleris Iudæa sui polluta cruore,
Ausa nefas compleuit opus.
Nostris quia proditor amens
Mercedem sceleris soluit sibi, tædia noxæ
Horruit ipse suæ, cœlo terræque perosus,
Inter vtrumque perit.
Turba perennem
Portatura crucem, dominumque secuta fidelem,
Spreuit agros habitura polos, hęc nempe facultas
Fortior est de parte magis conquirere totum,
Atque caducorum pensare manentia causis,
Et quæstum per damna sequi.
Auri cesset amor, qui pectora semper adurit,
Quo captur mortale genus, qua pullulat omne
De radice malum, cuius violentius ardet
Ambitio crescente modo, stimulantque rapinis
Addita lucra famem.
Clauditur obscuro, sed non sine lumine Petrus
Carcere, nec possunt tenebræ caligine fulua
Ecclesiæ celare diem, quem ditat honore,
Te Dominum confessus amor, de nomine petræ
Nomen Petrus habens, æterna vocabula portat.

Petri fides nunquam ruinam passura est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Fundamenta gerens nunquam passura ruinam,
Corpore somnus erat sed cum vigilaret in illo,
Quæ nescit dormire fides, hoc cantica clamant,
Dormio corde vigil.

Adhuc ex eodem.

Cap. LII.

Idem in libro secundo.
Spiritus accensam verbo radiante lucernam
Sub modio lucere vetans: secernite Saulum
Dixit.
Vt ventris amæni
Fructus ad æternæ floresceit semina vitæ.
Dauidica nam stirpe satus genitrice Maria.
Christus adest, quem tota canunt oracula vatum
Venturum sub carne Deum, seseque creantem,
Virgineos intrare sinus.
O Lupe Paule rapax, dedit hoc benedictio Iacob
Nomen habere tibi, quid iam remanebit in orbe,
Quod non in ore trahas? postquam solertia Graia.
Cessit, & in victas im dogmate vincis Athenas.
Repellitur error
In diuersa trahens cum Spiritus efficit vnum.
Cognosce furorem
Gens inimica tuum, dæmon regnare fatetur,
Quem venisse negas, atque hoc conuinceris ipso,
Quos stimulante ruis.
Hæc est vera fides, quam lex comitatur amoris.
O mala parta quies; ô semper dedita somno,
Pectora nuda bono, quantis patet ille ruinis.
Quem nox sola tenet, nescit vigilare periclo.
Qui patitur dormire Deo.
O Dilecta manus quæ Christi militat armis.
O summo plebs nata Deo, mitissima sors est
Pœnarum quas vota gerunt regnique facultas
Perpetuo pro Rege pati.
Ardet amor scelerum, cupiuntque in sanguine Pauli
Sacrilegas versare manus quam dura malorum
Vota,
O pallida cordis imago.
Pocula sunt meliora tibi Iudæa cruoris,
Quam laticis, nullasque volens contingere mensas,
Esuris ad facinus, saturamque cadauere iusti.
Quæris habere famem, non hæc ieiunia Moses
Condidit exemplo, tot consummata diebus.
Medijsque tenebris
Apparet radiata fides, sit laurea iustis,
Et precio quod terror agit, mansuaque virtus
Crescit in aduersis, quod telis ipsa periclis,
Ad meritum discrimen habet.
Quæ tamen humanum transcendunt gaudia votum,
Hæc facile est præstare Deo, cui muneris vsus
Hic potior, quam nemo putat.
O quantum per inania currit,
Mens ignara boni.

De sancto Gregorio Lingonicnsi episcopo.

Cap. LIII.

Huius sancti res gestas scripsit Greg. Turonensis in vita patrũ Sanctorum c. 7. qui de eodem agit de gestis Franc. li. 3. c. 15. & 19. ex quibus eũ claruisse tẽporibus Theodorici filij Clodouæi regis Francorum.

EX gestis eius. Sanctus autem Gregorius ex senatoribus Augustudunensibus ortus est, & regionem illam per 40. annos rexit, ita seuere, & districte, vt eum rei sustinere non possent, habuit coniugem nomine Armentariam, de qua filios suscepit, post cuius mortem electus est in episcopum Lingonensem.

Sub panibus triticeis tenues hordeaceos sibi faciebat apponi, & triticeos frangẽs & erogãs, hordeaceos nullo sciente comedebat, similiter & de vino faciebat, cum ei pincerna aquã porrigeret desuper vinũ infundi iubebat tale vitrum eligens, quod claritatem aquæ obtegeret. Multi de virga quam ille ferre solebat, signatos energumenos curabant, & de stratu eius si quis ægrotus aliquid abstuliſſet, curabatur.

Hic ignoranter prohibebat sepulchrum Sancti Benigni frequentari. Cui Sanctus Benignus apparens corripuit eum, & monuit vt oratorium ædificaret super sepulchrum suum: lætusque effectus pro inuentione Martyris, flebat amarissime, quod prius prohibuerat, & cryptam antiquitate collapsam decenter reparauit. Ibi habebat oratorium pro amore martyris, in quo multorum Sanctorum reliquiæ habebantur, ad quod nocte de domo sua baptisterio adhærente pergebat, & ostiũ clausum sola manu pulsans aperiebat, ingredienſque diutissime orabat in silentio, postea voces sanctorũ cum eo psallentium per tres horas & amplius audiebantur quo expleto, reuertens ad lectulum, ita caute se super stratum deponebat vt nemo sentiret. Obseruatores autem baptisterij claue sua ostium reserabant, ac si nemo illud aperuisset, & commoto signo, Sanctus Gregorius sicut & reliqui ad diuinum officium consurgebat. *Vide Surii etiam tom. 1.*

In die sepulturæ illius quidam religiosus vidit cœlos apertos. Defunctus faciem habebat roseam, & cæterum corpus candens vt lilium. Fecit autem se sepeliri iuxta Sanctum Benignum. Cum deferretur corpus eius ad sepulturam, vincti clamabant vt sui misereretur, & ita aggrauatem est corpus eius, vt sustineri non posset. Quo depoſito trabs in qua pedes vinctorum inclusi erant, & coarctati, repulsis obicibus scissa est media, & liberati sunt à iudice. *Claret miraculis post mortem.*

Post multa tempora cum transferretur corpus eius in alium locum, à Sãcto Tetrico successore & filio eius, facies eius integra & illæsa inuenta est, & nihil de vestimento eius immutatum. *Colitur 4. Ianuarij.*

Quædam puella die dominica pectens caput suum, sensit dentes pectinis ita affigi digitis suis, & palmis vt valde cruciaretur, hæc ad sepulchrum Sancti Gregorij curata est, pectine decidente, quem diu adhærentem portauerat.

De sancto Patre nostro Benedicto Abbate, & bonis eius initijs.

Cap. LIIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Iustianiani. 2. Sanctus Benedictus cũ de loco cui Sublacus vocabulum erat, ad montem Cassinum transmigraret; ad omne biuium duo ei Angeli occurrebant, viam qua ire deberet, præmonstrantes. Huius admirabilem vitam virtutibus plenam Sanctus Papa Gregorius scribit in libro dialogorum secundo, vbi etiam testatur eum non aliter vixisse, quam docuit.

In Dialogorum libr. 2. Fuit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus, & nomine, qui ex Nursia prouincia ortus, literas ab infantia deserens, in quandam specum intrans tribus annis incognitus hominibus fuit, excepto quodam Romano monacho, qui semper ei quantum potuit, ministrabat, & ei panem longissimo funi ligatum cum tintinnabulo porrigebat. Sed diabolus istius refectioni, & illius charitati inuidens, lapidem iactauit, & tintinnabulum fregit: sed tamen ille monachus prout potuit ministrauit. *Sanctus Benedictus vtrum puer an adolescens deserta petierit vide Bar. ad an. 494.*

Cuidam post hæc presbytero dominus in festo paschæ apparuit dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus in illo loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, & cum difficultate maxima ad locum veniens, dixit ei vt comederet, quod ei Dominus misit, & dixit: Hodie dies paschæ est, abstinere non debes; longe quippe ab hominibus positus, quòd pascha esset ignorabat. *Paschalis solennitas.*

Ibidem quadam die de fœmina quadam, quam aliquando viderat, cogitare cepit, & diabolus in specie merulæ volitans, tanto calore eius animum incendit, quòd etiam deserere eremum voluptate victus volebat. Sed subito ad se per Dei gratiam reuersus, exuit se, & nudum in spinis & vrticis, quæ ibi erant se proiecit, & ibi diu volutatus, ex magno dolore corporis extinxit calorem cordis; ex quo ei contigit, quòd deinceps nullam tentationem libidinis in se sensit. *Tentatio carnis vehemens.*

Qualiter ſe habuit in cura regiminis.

CAP. LV.

CReſcente itaque fama eius dum Abbas cuiuſdam monaſterij obijſſet, totus ille conuentus ad illum venit, & vt eis præeſſet orauit. Qui diu negando diſtulit, ſuiſque illorum moribus non poſſe conuenire dixit. Sed præcibus victus, tandem conſenſit. Cumque illic regulam diſtrictius ſeruari cõpelleret, dolentes illi, quod affueta relinquerent, quia prauis moribus ſemper grauis eſt vita bonorum, venenum in vino recumbenti obtulerunt. Sed Benedictus extenſa manu *ſigno crucis* quaſi iacto lapide vitrum fregit, vnde vir Sanctus ſurrexit, & vultu placido eis valedicens ad eremum remeauit, & ibi creſcentibus ſignis, & multis ad eum venientibus 12. monaſteria conſtruxit, in vno autem illorum quidam monachus erat qui diu eſſe in oratione non poterat, ſed orantibus alijs ipſe ſemper exiens, aliquid facere volebat. Quod cum Abbas beato Benedicto dixiſſet, iuit illuc, & vidit quod illum monachum, qui ſtare in oratione non poterat, quidam niger puerulus per veſtis fimbriam foras trahebat. Ex dixit Sanctus Benedictus, Abbati & Mauro cuidam monacho, ſi viderent, quis illum foras traheret. Qui cum dixiſſent, Non: Ait: Oremus vt videatis. Et cum biduo oraſſent, Maurus vidit, ſed Abbas videre non potuit. Die ergo tertio egredientem de oratione monachum Benedictus virga percuſſit, & ex tunc ille immobilis in oratione permanſit.

Diſſoluti fratres non ferunt ſancti viri rectitudinem.

Benedictus ſigno crucis edito, vas in quo venenũ erat perfregit.

De Florentio eius æmulo, & monacho ſuperbo.

CAP. LVI.

TAntis eius laudibus quidam Florentius inuidens, ad hoc ductus eſt, vt ei panem venenatum quaſi benedictionem tranſmitteret. Quem Sanctus gratanter accepit, & coruo, qui de manu eius panem accipere ſolebat, proiecit, dicens: *In nomine Domini tolle hunc panem & ibi eum proijce vbi nullus eum valeat inuenire.* Tunc coruus aperto ore, expanſis alis, circa panem cæpit volitare, & crocitare, ac ſi aperte diceret; & obedire ſe velle ſed iuſſa implere non poſſe. Cui Sanctus iterum iuſſit dicens: *Tolle eum ſecurus, & proijce.* Qui tollens eum poſt tres horas redijt, & de manu eius panem ſicut ſolebat accepit.

Florentius preſbyter necem machinatur ſancto viro.

Videns ergo Florentius, quòd nihil ſic proficeret. 7. puellas nudas in horto Monaſterij ludere, & cantare præcepit, vt monachos Sancti Benedicti ad libidinem prouocaret. Quod vir ſanctus Sanctus de cella proſpiciens, & lapſum diſcipulorum metuens; inuidiæ locum dedit, & ordinatis fratribus, & rebus eccleſiæ inde receſſit. Sed Florentius preſbyter ſtans in ſolatio cum eum receſſiſſe cognoſceret, & gauderet, repente ſolarium cecidit, & eum occidit. Reuerſus autem, cum quadam nocte cænaret, monachus quidam filius defenſoris lucernam ei tenens, cæpit intra ſe cogitare dicens: Quis eſt hic cui ego manducanti aſſiſto, lucernam teneo, ſeruitium impendo? Quis ſum ego, & quis eſt hic vt ei ſeruiam? Cui ſtatim Sanctus ait: *Signa cor tuum frater, quid eſt, quod cogitas?* Vocatiſque fratribus, iuſſit ei lucernam de manibus tolli, & ipſum à miniſterio recedere, & quietum ſedere. Qui requiſitus à fratribus, quid cogitauerat, cuncta dixit.

Nititur perdere animas diſcipulorum S. Benedicti.

Florentius percutitur à Deo.

Occultas vidit monachi cogitationes.

De monialibus poſt obitum abſolutis, & monacho terrore draconis ad monaſterium reuocato.

CAP. LVII.

NOn longe ab eius monaſterio duæ ſanctæ moniales erant ex nobili genere, quæ illum, qui eis ſeruiebat, quotidie contumelijs prouocabant, quod cum diutius toleraſſet, retulit Sancto Benedicto, & ille eis mandauit, dicens: Corrigite linguam veſtram, quia ſi non emendaueritis, excommunico vos. Quam excommunicationis ſententiam non proferendo, ſed intentando dixit. Illæ verò nihil correctæ, poſt paululum defunctæ, & in eccleſia ſepultæ ſunt. Vbi dum miſſæ celebrarentur, & diaconus ex more diceret: *Qui non communicat exeat foras,* Nutrix eorum, quæ ſemper pro eis offerebat, quotidie eas de ſepulchris extra eccleſiam exire videbat. Quod cum Sancto Benedicto cum lachrymis retuliſſet, ille manu ſua panem dedit ei quem offerret; dicẽs: Vade, & pro eis hoc offer, & vltra excommunicatæ non erunt. Quod cum factum fuiſſet, & diaconus ex more clamaret, illæ de eccleſia nunquam deinceps exierunt.

Minatur excommunicationem linguis procacibus.

Illius excommunicationis minata vis.

Quidam iuuenis monachus leuitate mentis in monaſterio manere non valens, Sancto viro tam diu inſtitit donec iratus eum abire permiſit. Qui mox vt de monaſterio exijt, contra ſe aſſiſtere repente aperto ore draconem in via inuenit; quem cum deuorare vellet, cæpit tremere, & magna voce clamare, dicens: Currite, currite, quia draco iſte me appetit deuorare. Et currentes fratres draconem non viderunt, ſed tremẽtem monachum ad monaſterium reduxerunt. Qui ſtatim promiſit, nunquam ſe de monaſterio receſſurum, ſancti quippe precibus draconem contra ſe viderat, quem prius male ſequi volebat.

Inſtabilis monachus draconem vidit.

De multiplicatione olei, & tranſitu Sancti Benedicti.

CAP. LVIII.

QVodam tempore fames magna totam prouinciam fatigabat, & Sanctus ita omnia quæ habere poterat diſtribuit, quod nihil in monaſterio præter modicum olei in vitreo vaſe remanſit, quod cuidam petenti protinus dari iuſſit. Sed cum cellerarius non dediſſet, timens ne nihil fratribus remaneret, iratus vir Dei, iuſſit alijs vt hoc ipſum vas vitreum cum oleo per feneſtram proijcerent, ne quid in cella per inobedientiam remaneret. Proiectum itaque, ſuper ſaxa ita cecidit ſuauiter, ac ſi manſuete locatum fuiſſet, quod vir Dei iuſſit leuari, & dari integrum poſtulanti; & vocatis fratribus monachum illum increpans, ſimul cum illis orauit, & ſtatim quoddam dolium, quod ibi erat vacuum, repente oleo inuentum eſt plenum.

Inſigne miraculum.

Precibus impetrat oleum à Deo.

Tandem ante ſextum obitus ſui diem, iuſſit ſuam fieri ſepulturam, & ſtatim febribus fatigatus ſingulis diebus ingraueſcente languore 7. die fecit ferri ad monaſterium. Et cum communicaſſet orando migrauit ad Dominum. Ipſa die duo fratres in diuerſis locis manentes, viderunt viam pallijs & cereis ſplendidam, à cella Sancti Benedicti verſus orientem vſque ad cœlum tendentem. Cui venerando habitu vir deſuper clarus exiſtens, cuius eſſet via quam cernerent, inquiſiuit. Qui cum neſcire ſe dicerent: *Hæc eſt,* inquit, *via qua dilectus Dei Benedictus aſcendit.*

Mortem ſua munit Euchariſtia & feliciter obdormit.

De quibuſdam incidentibus illis temporibus.

CAP. LIX.

SIgebertus in chronicis. Anno quoque prænotato corpus Antonij monachi diuina reuelatione inuentum, & Alexandriam delatum eſt ſcilicet anno Domini. 529. *An. Ch. 529.*

Anno Iuſtiniani. 3. in Africa quidam Orthodoxi epiſcopi linguis ſibi exciſis radicitus, à Vuandalis, poſtmodum clare loquendo miraculo multis fuere. Quod miraculum vnus eorum auxit, qui in elationem verſus, ſtatim Dei dono priuatus obmutuit.

Author. Hæc Sigebertus: Gregorius tamen in dialogo dicit, quòd vnus eorum in luxuriam lapſus mox dono miraculi eſt priuatus recto Dei iudicio, vt qui continentiam carnis ſeruare neglexerat, ſine lingua carnis non haberet verba virtutis. Sed forte duo fuerunt quorum vnus verſus eſt in elationem, alter corruit in

libidinem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

libidinem, & vterque perdidit miraculi virtutem.

Sigebertus in chronicis. Anno ſequenti Clodoaldus filius Clodomiri regis, fratribus ſuis olim impie à patruo ſuo Clothario extinctis, mundanam nobilitatem transferens ad nobilitatem diuinæ ſeruitutis, in clericali gradu præminet exemplo ſanctitatis.

De vita Sancti Clodoaldi presbyteri.

CAP. LX.

Scribit de hoc ſanctiſſimo viro Gregorius Turo l. 3. c. 18. & Petrus in cathalogo pluresque alij iuniores.

EX geſtis eius. Itaque patrimonium, quod ei de iure hæreditario obuenerat à patre ditiſſimo, laudabili liberalitate indigentibus curabat diſtribuere. Corpuſculum, quod regio cultu in byſſo & purpura enutritum fuerat, vilis indumenti aſperitate domabat, & qui dudum dormire niſi in pluma præ nimia teneritudine neſciebat, ſuper nudam humum tectus cilicio dulcem ſomnum Capiebat. Tandem deliberauit apud ſe plauſus hominum ſibi fauentium, & opus præclarum tantummodo diuino amore patratum, vanis & humanis laudibus extollendum deuitare & declinare, & regionem longe poſitam, quæ Prouincia nuncupatur, adire, vt ibi quaſi ignotus incæpto propoſito poſſet Deo ſeruire. Sed quia non poteſt lucerna latere ſuper montem poſita, in eadem regione magno emicuit virtutum fulgore. Denique precibus fugabat dæmones de obſeſſis corporibus, aperiebat ora mutorum, reddebat cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & cunctis ex fide poſcentibus Dei clementiam, impetrabat opem ſanitatis. Sed nec illud duco tegi ſilentio, quod claruit eius dono. Cum in parte præfatæ regionis conſtrueret domum orationis, pauper quidam venit, & eleemoſynam ab eo dari ſibi popoſcit: vir autem Dei cum in præſenti non haberet, quod indigenti daret, cucullam qua induebatur dedit. Qua pauper accepta receſſit, & in domum cuiuſdam fidelis hoſpitandi gratia venit: qui cum ſe poſt cibum, & potum ſopori dediſſet, magna iam tranſacta parte noctis paterfamilias de nocte ſurrexit, domum ſuam claro lumine ſplendere vidit. Qui illico ſuę coniugi excitatę à ſomno narrare curauit. Illa vero rem inuſitatam intuens dixit: Aliquid muneris diuini, peregrinus hic, qui à nobis ſuſceptus eſt, ſecum detulit. Qui mane ab eis requiſitus, retulit eis qualiter cucullam loco muneris à Sancto viro acceperit. Quod factum in illo loco in laude omnipotentis Dei, vulgi ore circumquaque eſt diffamatum, & celebri ſermone vulgatum. Talibus donis à Deo honoratus Pariſios reuertitur; & turba populorum gaudentium excipitur, ab Euſebio epiſcopo ciuitatis preſbyter ordinatur. Condidit autem monaſterium in loco quodam nomine Nouigento, quod eius, & nomine pollet, & merito, migrauitque ad Dominum 7. Idus Septembris.

Clodoaldus variis miraculis claret.

Miraculum de eius cucculla.

Fit presbyter Pariſijs.

Colitur 7. Idus Septem.

De Sancto Agapito papa.

CAP. LXI.

ANno Iuſtiniani 6. Theodatus Rex Italiæ & Oſtrogothorum, Reginam Amalſuindam, quæ ſecum eum in regnum aſciuerat exſiliauit, eaque non multo poſt in balneo ſtrangulata iuſſu Theodati, ſolus ſuper Oſtrogothos anno vnico regnauit. Qui ſciens pro hoc iram ſe Imperatoris incurriſſe, Agapitum Papam Conſtantinopolim miſit pro impetranda huius facti impunitate.

Ex libro Pontificum. Hic Agapitus in ortu epiſcopatus ſui, libellos anathematis quos inuidiæ dolo extorſerat Bonifacius, Presbyteris & epiſcopis contra canones, & contra Dioſcorum in medio eccleſiæ congregatis omnibus incendio conſumpſit, & abſoluit totam eccleſiam de inuidia perfidorum. Hic miſſus à Theodato Rege Gothorum ad Iuſtinianum Auguſtum in legationem, ambulauit Conſtantinopolim, & cum gloria ſuſceptus eſt. Et primum cæpire habet altercationem cum Auguſto prjſſimo Imperatore de religione: cui reſponſum reddidit de Domino Ieſu Chriſto Deo, & homine, hoc eſt de duabus naturis in vno Chriſto. Et dum contentio verteretur, ita Dominus, affuit, vt epiſcopum Conſtantinopolitanum nomine Anthimium inueniret hæreticum. Dumque contentio eſſet inter Auguſtum, & Agapitum Papam, dixit ei Imperator: Aut conſenti, nobis, aut exilio te deportari faciam. Tunc B. Agapitus reſpondit cum gaudio; *Ego quidem peccator ad Iuſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum deſideraui venire: nunc autem Diocletianum inueni, attamen minas tuas non pertimeſco*: & vt ſcias te idoneum non eſſe religioni Chriſtianæ, epiſcopus tuus non confitetur duas naturas in Chriſto. Tunc ex præcepto Auguſti accerſito epiſcopo Anthimio, & diſcuſſione patefacta, nunquam confiteri voluit duas naturas in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quem conuicit Sanctus Papa Agapitus, & glorificatus eſt ab omnibus Chriſtianis. Tunc Imperator gaudio repletus, humiliauit ſe ſedi Apoſtolicæ, & adorauit beatiſſimum Agapitum. Eodem tempore amouit Anthimium à communione, & expulit in exilio. Tunc pijſſimus Auguſtus rogauit Agapitum, vt in locum Anthimij epiſcopum catholicum conſecraret nomine * Menam. Ipſe vero Papa omnia obtinuit, propter quæ directus fuerat. Poſt dies vero aliquantos ægritudine commotus, defunctus eſt Conſtantinopoli 10. Colen. Maij: cuius corpus in loculo plumbeo tranſlatum eſt vſque ad Baſilicam Beati Petri Apoſtoli, vbi & ſepultus eſt 12. Calendas Octobris.

Iuſtinianus infectus hæreſi Eutychetis.

Iuſtinianus Agapitum Papam adorat.

** Apud Euagrium l. 4. c. 36. ſcriptũ eſt Anthimio ſucceſſiſſe Epiphanium, & Epiphanio Menam.*

Vide Blondũ l. 3. dec. 1. & Naucler. Gen. 18. de eo etiam agit Greg. l. 3. dialog. c. 3. quem claudum & mutum ſanaſſe poſt miſſarum ſolemnia refert.

De Ceteris viris illuſtribus illius temporis, & de Sancto Medardo Suſſioncnſi.

CAP. LXII.

Igebertus in chronicis. Eo tempore florebant in Gallia Theodoricus Abbas diſcipulus ſancti Remigij, & Theodulpus Abbas diſcipulus ipſius Theodorici. Fratres quoque vterini, vno & eodem die nati, & pontifices conſecrati, Medardus ad titulum Nauiomenſem, Gildardus ad Rothomagenſem, & vno die abſoluti à ſæculo, & aſſumpti à Chriſto. Germanus quoque Pariſienſis.

Anno Chriſt. 555. De S.S. Medardo & Gildardo S. Andoenus metrum cõpoſuit, apud Surium tom. 3. & Greg. Turon. Antiphonam quam idem habet cum vita S. Medardi compoſita à Fortunato preſbytero.

Porro Sanctus Medardus ſedem epiſcopalem, quæ prius erat Vermandis propter eiuſdem ſubmerſionem tranſtulit Nouiamum. Ipſe etiam poſt deceſſum ſancti Eleutherij Tornacenſis epiſcopi regendam ſuſcepit Tornacenſium eccleſiam.

In Italia quoque clarebant epiſcopi, Sabinus Canuſinus, Caſſius Narnienſis, Fulgentius Vtricolenſis, Serbonius Populonij.

Author. De Sancto Gildardo nihil aliud reperi ibi, quam quod hic dicitur, nam nec in legenda Sancti Medardi fratris eius aliquid de eo legitur, quod valde mirum eſt. De Sancto autem Medardo legitur, quod natus fuerit in territorio Viromandenſi, filius Nectardi, de forti Francorum genere, & Protagiæ Romanæ: qui cum forte caſulam, quam ei genitrix ſua dederat ferret ad artificem, dedit eam cuidam cæco ſibi obuianti. Similiter quicquid ad eſcam accipiebat, dum gregem porcorum paſceret egenis dabat, ipſe de die in diem egens. Cum adhuc eſſet puer in ſcholis, prædixit cuidam compari ſuo Eleutherio, quod in actione publica comitiuam aſſumeret, & cum 30. annorum foret, futurus Pontifex eſſet: qui poſtea factus eſt epiſcopus Tornacenſis ſecundum hoc verbum Medardi. Sexto autem Idus Iunij tranſiuit Medardus ad Dominum. In cuius tranſitu vidit Vilcarius Presbyter cælos apertos prorſus, & ante corpus Sancti diuina micare luminaria videntibus cunctis, qui aderant per tres horas. Mox in terram grande fluxit diluuium, pluuia nimis calida de cœlo cadente.

Floruit tempore Lotharij Regis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Sancto Germano Parisiensi.

Cap. LXIII.

S.*Germani parentes.* SAnctus verò Germanus territorij Augustodunensis indigena fuit, patre Eleutherio, matre Eusebia, quæ pro eo quod hunc post alterum infra breue spacium concepisset, pudore mota muliebri cupiebat eum ante partum extinguere; & accepta potione vt eum extingueret, dum ei nocere non posset, incubabat in ventrem, vt vel pondere præfocaret, quem venena non læderent. Habebat socium Stratidium, cuius mater vt hæreditatem Germani acciperet filio suo temperatam potionem in ampulla condidit, & vinum in altera, præcipiens puellæ vt venientibus ex schola ambobus, Stratidio porrigeret vinum, & Germano maleficium. Illa ignoranter mutauit pariter & ampullas, & pocula, & illi dedit maleficium, huic autem vinum. Cui Stratidio solicito impenso studio, & si mors vitam non abstulerit, tamen signum mortis infixit.

Mater eum vult nec potest extinguere.

Item Asia.

Germanus igitur à venerabili Pontifice Nectario Abbas adsciscitur ad sanctum Symphorianum; cuius bonis operibus inflammatus episcopus, eum in custodia trusit: cui nutu diuino aperiebatur ergastulum, sed tamen non inde exibat, nisi cupplex ei episcopalis daretur præceptio. Cumque incendium fortuito accidisset, rapta de foco cucuma, ascendit Germanus super fabricam concinens *Alleluia*, fundensque paululum aquæ in modum crucis restinxit incendia.

Extinguit incendium.

Cariulphus quidam Francus res eius inuaserat, quem vindicauit vrsus singulis diebus tres equos eius deuorans, & damnum semper triplicans donec ille resipisceret.

Nota visionem.

Anna vxor Ebronis, ingrediẽte ad eam Germano, ait: ecce Beatus Germanus cornuta facie mihi videtur incedere. Ebron vero eodẽ die sedere iuxta sanctũ nullatenus præsumpsit honoris causa pariter & terroris. Credimus autem, quod pro colloquio Domini sicut Moyses, meruit sanctus iste cornutus videri.

Exod. 34.

De promotione eius in episcopatum, & miraculis eius.

Cap. LXIIII.

Fit episcopus. ANte. 4. annos cognouit se futurum episcopum. Vidit enim in sopore à quodam sene claues portę Parisiacæ sibi porrigi, & interrogans cur hoc fieret, accepit responsum, vt saluas faceret animas. At post ciuitatis eius episcopo decedente, dum Regi Childeberto occurreret, mox electus est in episcopum. Factus episcopus, pro victoria sic satagebat corporis, ac si simul accessissent dignitas, & necessitas. Cũ de basilica sancti Martini ad villam sanctæ ecclesiæ Sabarico recurreret, adiungit in itinere quendam Amantium iuuenem, quem deprehendit à Iudæis duci in vinculis, quia se recusaret legibus subdi Iudaicis: tunc dissimulabant cum claue Iudæi vincula ferri reserare, facto à sancto viro desuper crucis signaculo mox ferri sera euellitur.

Lege hic Fortunatum Pictauorum episcopum qui vitam huius sancti conscripsit.

Itidem cum Parisijs ad basilicam Sanctorum Geruasij, & Prothasij orandi causa procederet, ianuis obseratis ingressus illi negatus est, tunc requisitis clauibus, nec ipsis apparentibus, reserauit pessulum facto crucis signaculo. Quid plura? Quocumque Pontificis se conuertit præsentia, nulla morborum generibus defuit medicina. Ante quem etiam dæmones non tolerantes eius præsentiam, terribili vlulatu sua gemebant incendia. Et cum pedem efferret de domo, vel ecclesia, videres vndique strages dæmonum ante tanti pontificis ac triumphatoris obtutum. Cadebant circa sancti cateruatim vestigia diuersis modis effusa, hæc muta, illa clamantia, illa fixa, hæc lubrica, & velut ante iudicem dum gesta referrent, propria non effugiebant tormenta: sed ad sancti præconium quanta est hæc laudatio, cum ineffabiliter multa & stupenda fierent sub momento.

Vide Sancti viri potestatem ergà dæmones.

Erga omnes commiseratio.

De moribus, & obitu eiusdem.

Cap. LXV.

Largitas eleemosynarum. CÆterum eleemosynis quantum prodigus fuerit explicari non potest; qui frequenter contentus vna casula vel tunica, quicquid erat residui nudum pauperem vestiebat, vt inops calefieret largitore algente. Quanta etiam fuit in eo redemptionis effusio, cum ad nomen beati concurrerent vndique liberandi iugo seruitij? Cum verò aliquatenus quod daretur nihil esset præ manibus, tristis sedens, & anxius seuerior in vultu, austerus erat eloquio. Tunc si fortassis ab aliquo inuitaretur ad prandium, compellebat conuiuas, aut ministros proprios, vt conferentes pariter agerent vnde vel vnum captiuum seruitio liberarent.

Captiuorum redemptio. Concionum eius efficacia.

Quis verò digne repetat, quanta virtus verborum ab eius ore rotabatur, cum prædicaret in populo? vt omni literaturæ nasceretur stupor, & fieret in commune generalis compunctio, atque ex ore dicentis crederes, quod formarentur verba ab Angelo, dum plusquam homo loqueretur, trãslatus in mentis excessu, cum abrasis maculis sinceritate dogmatis pectora plebis cogeret diuinis efflagrare pigmẽtis? Qui equitans in itinere semper de Deo aliquid, aut verbo contulit, aut cantauit, cursum nudo capite dicẽs, etiamsi nix aut imber vrgeret. Cũ verò veniisset ad mensam confestim affuit recitans minister diuina colloquia, vt inter cibi fercula animi pastu alimento plus saturaretur conuiua. Nullum tempus interpolans, quo non aut alij prodesset aut ipse non proficeret. Diem autem obitus sui hoc modo prædixit; ante aliquot dies vocans ad se notarium suum, imperat in cubiculo super lectum suum scribere hoc tantummodo. 5. *Calen. Iunij.* Sed nescientibus omnibus, quid hoc esset, postea sanctus eius discessum de sæculo manifestauit; nam neque hoc idem familiari suo Dominus abscondere pertulit.

Nota de cursu 1. precibus horarijs.

Lege Surium qui plura refert de illo sancto.

Denique eadem die post peractum prælium fere octogenarius migrauit ad Christum.

De Sanctis episcopis Sabino, Cassio, Fulgentio, & Cerbonio.

Cap. LXVI.

Vide D. Gregorium in dialogorum lib. 3. cap. 5. EX *gestis eorum.* Porro 4. Sanctorum quos in Italia tunc temporis florere iam diximus: horum præsenio Sabinus cæcus erat, & spiritum prophetiæ habebat, qui Totilam Regem in illis partibus veniẽtem ad prandium rogauit: qui discumbere noluit, sed ad dexteram eius sedit. Et cum puer ex more vini poculum episcopo porrigeret, Rex ei poculum abstulit, & episcopo porrexit. Qui accipiens dixit: *Viuat ipsa manus.* De quo verbo Rex lætus erubuit. Hunc Sabinum archidiaconus eius veneno extinguere molitus est; & cum vnum ex pueris corrupisset, ille poculum veneni edenti obtulit. Cui sanctus: Bibe tu, quod mihi bibendum præbes. Qui tremefactus cum vellet bibere, prohibuit sanctus dicens: Non bibas. Da mihi, ego bibam. Sed vade, dic ei qui illud tibi dedit, ecce ego venenum bibo, sed tu episcopus non eris. Facto igitur signo crucis, episcopus bibit venenum securus, & eadem hora archiadiaconus in loco vbi erat, mortuus est, ac si per os episcopi ad eius viscera venenum peruenisset.

Sabinus venenum bibit quo alter extinguitur.

Cassius autem Narniensis episcopus conspersam habebat faciem, quod Rex Totila de nimia potatione putans inesse, despexit eum: sed in Narniensi campo malignus spiritus vnũ de eius spatharijs vexare cæpit, quem episcopus oratione facta corã Rege sanauit, post quod idem Rex eum in magno honore habuit.

Vide D. Gregor ibid c. 6.

Fulgentius autem Vtriculensis episcopus eundem Regem Totilam valde infensum habebat. Qui cum ad easdem partes propinquasset, Episcopus illi per clericos suos munera misit, vt eum mitigaret. Quod vt ille vidit

Cap. 12.

protinus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

protinus ſpreuit,& iratus iuſſit epiſcopum teneri, & ſub omni aſperitate conſtringi, eumque examini eius reſeruari. Tunc Gothi circundantes epiſcopum vno in loco ſtare præceperunt, eique in terra circulum deſignauerunt vltra quem pedem tendere non auderet. Cumque vir Dei ſole nimio æſtuaret, ab eiſdem Gothis circundatus; & circuli deſignatione incluſus, repente Choruſcatio, & tonitruum, & tanta vis pluuiæ erupit, vt hi qui eum cuſtodiebant immenſitatem pluuiæ ferre non poſſent; intra verò eundem circulum, nec vna pluuiæ deſcendit gutta. Quod dum Regi crudeliſſimo nunciatum eſſet, illa mens effera ad magnam epiſcopi reuerentiam verſa eſt.

Intra circulum Fulgentij non pluit.

Cap. 11. Cerbonius hoſpitalitatis ſtudio valde intentus, quoſdam milites tranſeuntes hoſpitio ſuſcepit, quos Gothis ſuperuenientibus abſcondit. Quod cum Totila audiſſet,iuſſit eum adduci ad ſe, & vrſis proijci ad deuorandum populo inſpectante. Dimiſſus itaque vrſus immaniſſimus ex canea concitus petijt epiſcopum; ad quem cum veniſſet,ſtatim ſuæ feritatis oblitus, deflexa ceruice,& ſubmiſſo capite, cæpit lambere pedes eius. Tunc populus cum ipſo Rege in illius admirationem, & reuerentiam conuerſus eſt.

Totila rex Cerbonium vrſis dilaniandum tradidit.

De his, quatuor epiſcopis narrat Beatus Gregorius in libro dialogorum tertio.

De obitu ſancti Benedicti, & legatione ſancti Mauri in Galliam.

Cap. LXVII.

An.Ch.536. ANno Iuſtiniani. 9. Eldepado perempto Erarius Oſtrogothis regnat anno vnico, quo rurſus peremptо, Totila, qui etiam Baduilla regnat annis 11. qui mox Italiam inuaſit, & à ſancto Benedicto ventura ſibi audit.

Hocanno quidam dicunt ſanctum Benedictum obijſſe.

Helinandus. Eodem anno quo mortuus eſt ſanctus Benedictus, miſit ipſe beatum Maurum in Gallias ad ædificandum monaſterium accepta legatione à beato Bertigranno Cenomanenſi epiſcopo cum 4. Monachis, Fauſto, Simplicio Antonio, Conſtantiniano, dicens ad eos; *præſentior vobis ero carnis onere depoſito, veſtrique per Dei gratiam cooperator aſſiduus exiſtam.* Et hæc dicens (ait Fauſtus) dans oſculum nobis proſecutus eſt nos cum omni congregatione vſque ad portam monaſterij, & rurſus oſculans nos, & benedictione ſuper nos tradita, dedit ſancto Mauro librũ regulæ, quã ipſe Sanctus manu ſua ſcripſerat,& põdus libræ panis,& ęreũ vaſculum heminam vini capiens. Cum autem iuga alpium tranſiremus, famulus noſter Sergius de equo cui inſederat ſuper immane ſaxum ſiniſtrorſum cadens pedem ſibi attriuit; quem beatus Maurus ſiniſtra manu pedem eius tenens,& dextera *ſignum crucis faciens*, & orans, illico ſanauit. Exinde cum Eccleſiam ſanctorum Martyrum Mauri ſociorumque eius ingreſſi eſſemus, cæcus quidam ad portam eccleſiæ ſedens & mendicans, adiurans ſanctum Maurum per ſanctos Martyres ſanatus eſt Hic cæcus Linus nomine 11. annis eccleſiam illam frequentauerat,& vt ab ipſo comperimus, tã pſalterium, quam omnia officia nocturna & diurna audiendo didicerat. Cui ſanato, præcepit ſanctus Maurus vt ibi iugiter deſeruiret; quod & fecit, clericatus officio in ea functus poſtea. Cum autem nocte quadam iuxta eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in locis hoſpitaremur virentibus, mulieris cuiuſdam viduæ Remeiæ nomine, filius adoleſcens,ex defuncto nuper viro ſuſceptus morti proximus à ſancto Mauro ſanatus eſt; qui ſanatus, dicebat Mauro: Vere tu ille es qui metuis lachrymis, & meritis à tribunali, de quo iam triſtem acceperam ſententiam,quia iam incendioſis deputatus eram locis, ſuperis reuocaſti.

Maurus mittitur in Gallias anno 10 poſtquam ordinẽ ſubijt vt habet Bar.in martyrolog.

Ecce ſignum crucis quanta ſit virtutis.

Cæcus videt.

Curat filium viduæ Remeiæ.

Die cænæ Dominicæ Antiſiodorum venimus, die paraſceue hora 6. venimus ad monaſterium ſancti Romani monachi,qui per reuelationem Gallias petens,cænobium conſtruxerat in pago Antiſiodorenſi in loco, qui Fons rogi dicitur. Officio ſolemniter eo die adimpleto dixit Maurus ad Romanum: *Craſtina die beatus Benedictus migrabit ad Dominum.* Craſtina igitur die tranſacta,iam hora tertia beatus Maurus in oratione raptus in ſpiritu, vidit illam viam pallijs ſtratam & choruſcam lampadibus, per quam Beatus Benedictus cœrum aſcendebat, quam viderunt cum eo duo congregationis noſtræ fratres, ex quibus vnus in noſtro morabatur cænobio,alter longius poſitus vidit.

Viſio ſancti Mauri.

Secunda feria Paſchæ à Romano diſceſſimus.

De inſtitutione Sanctorum Fauſti, & Mauri ſub Beato Benedicto.

Cap. LXVIII.

Author. Huic Sãcto viro Benedicto præfatus Maurus oblatus eſt vt legitur duodennis, manſitque cum eo.20.annis, & cõmoratus eſt in monaſterio quod ipſe ædificauit.40.annis & diebus 37.qui ſimul ſunt anni 72. dies 37. Huius vitam ſcripſit primo Fauſtus monachus Beato Benedicto à parentibus ſeptennis traditus,in cænobio, quod idem ſanctus ædificauit in Caſſino. Cuius Fauſti propoſitum Beatus Benedictus ſæpe experiebatur iniungendo ei impoſſibilia, & importabilia. Hic Fauſtus poſt mortem ſancti Mauri reuerſus ad ſuum monaſterium, compulſus eſt ab omnibus fratribus Caſſinenſis cænobij, & præcipuè ab Abbate ſanctæ Theodoræ, qui tertius poſt Sanctum Valentimanum prolixiori tempore Lateranenſe rexit cænobium, vt vitam beati Mauri ſcriberet. Quam poſtquam ſcripſerat Bonifacio Papæ oſtendit,qui eam approbauit,& auctoritate ſua confirmauit.

S. Maurus duodennis traditur monaſterio.

Hiſtoria hæc à ſummo pontifice approbata.

Hic itaque Maurus generis Senatorij,patre Eutychio, matre Iulia natus eſt. Frequenter eum vidimus in quadrageſima (ait Fauſtus) nec cuculla nec tunica,ſed tantummodo ſacco vti cilicino, & duabus tantum vicibus in hebdomada paruiſſimum cibum ſumere (qui mos in omni vita ſancto Benedicto fuit) reliquo totius anni tempore ſub monachali tunica ſemper aſperrimo à ſcapulis vſque ad renes induebatur trogulo, eiuſdem ſubtegminis in ſtratu ſuper aggreſtum calcis & ſabuli recumbens tantum modo, excepto quadrageſimali tempore vſus ſemper cilicio: tunc enim, quantum poterat, ſollicite ſatagebat, non iacendo, ſed potius ſtando, vel cum nimium laſſus erat ſedendo dormire. Nemo vnquam vidit illum de lectulo cum cæteris fratribus ſurgere,ſed ſemper vigilias præuenire procurabat; plerunque quinquagenos ſæpe centenos pſalmos, nonnunquam totum pſalterium ante nocturnalem conſummãs ſynaxim,exceptis duntaxat horarum ſpacijs, quibus cũ lachrymis & gemitu orabat. Silentio verò ac lectioni aſſidue vacabat, vt pro hoc etiam ipſi ſancto Benedicto admirabilis haberetur. Plerumque Sanctus Benedictus in conuentu fratrum, ſuppreſſo eius nomine, tanquam de alio virtutes eius narrabat.

Nota veſtem & abſtinentiam ſancti viri.

Item vigilias & preces.

Item ſilentium & lectionem.

Hic Beatus Benedictus nigrum puerulum, qui monachum foras trahebat per veſtimenti fimbriam virga eundem monachum percutiẽdo ab eodem eiecit, quem beatus Maurus vidit, cum Pompeius Abbas eius videre non poſſet.

Hic ipſe Maurus ſuper aquam cucurrit poſt puerum Placidum Tertullij Patricij filium.

Abeunte quadam vice Beato Benedicto ad quẽdam nobilem, vt vxorem eius & filium nuper ſuſceptum à dæmonio pariter vexatos liberaret, Maurus remanſit vicem gerens præpoſiti; qui rediens ad horam refectionis ſextam cum fratribus de frugibus colligendis, inuenit ad portam monaſterij claudum & mutum puerulum,quem ſanauit matre impetrante, ponens ſuper caput infirmi ſtolam quam illo anno iuxta morem gratia ſanctitatis indeſinenter ferebat,& ſignum crucis faciens, dixit: *In nomine Sanctæ Trinitatis, adiutus meritis Sanctiſſimi magiſtri noſtri, ſta ſanus & incolumis ſuper pedes tuos re-*

Nota hic quod de ſtola dicitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ctus, & loquere: & deinceps Beatus Benedictus cæpit eum in veneratione habere.

ANNOTATIO.

Notent hoc loco hæretici, qui antiqua monasteria mera fuisse scholas somniant, Romanos nobiles & religiosos, liberos suos non solum eruiendos sed etiam Christo nutriendos, id est, pijs & religiosis moribus imbuendos D. Benedicto dedisse, vt à teneris annis suaue iugum Christi in religione ferre discerent, & ætate prouecti facilius per totam vitam Christo famularentur, vt duobus his pueris accidit. Vnde non inficior in monasterijs à senioribus iuniores ita bonis literis fuisse instructos, vt nemo fere totis nongentis annis, aut mille, doctrina saltem theologica, canonica, philosophica, & historica clarus extiterit, qui ex monasteriorum officinis non prodierit, sed aliud est puram nudamque eruditionem profiteri quod scholæ faciunt; aliud vitæ sanctitati doctrinæ institutionem adiungere, quod in monasterijs nostris bene institutis est factitatum, & adhuc apud nos obseruatur.

De Theophilo Vicedomino, & chirographo, quod dedit diabolo.

CAP. LXIX.

Hæc historiam ex Eutychiano refert Metaphrastes & post eum Surius tom. 1. & Canis. lib. 6. de Maria virgine c. 20. agnoscit eãdem historiã Petrus Damianus scriptor grauissimus sermone primo de Natiuitate B. Virginis.

SIgebertus ex Mariali. Eo tempore factum est miraculum in Theophilo: Hic Theophilus fuit quidam in vna ciuitate Ciliciorum sanctæ ecclesiæ Vicedominus, moribus & conuersatione præcipuus, quiete & moderate ad ecclesiam pertinentia optime regens. Qui affectualiter à populo & clero dilectus, mortuo eiusdem ciuitatis episcopo in episcopum est electus. Sed cum plurimum reniteretur, contestans se indignum tanti honoris officio, vi ad Metropolitanum episcopum perductus, ab eo cum gaudio est susceptus, & vt voluntati plebis assensum præberet commonitus. Videns autem eius nimiam in renitendo constantiam dimisit eum, & alium in loco eius ad episcopatus promouit officium. Porro ordinato episcopo cum ad propriam remeasset ciuitatem, quidam de clero instigauerunt episcopum, vt amoto illo, alium ecclesiæ ordinaret Vicedominum. Quo facto, callidus hostis & inuidus immittens ei Vicedominatus zelum, & ambitionis æmulationem; in tantum eum seduxit, vt etiam maleficorum postularet auxilium. Itaque cum ingenti desiderio ambitionis vreretur, ad quendam accessit in ciuitate Iudæum diabolicæ artis operatorem nequissimum, qui iam in infidelitatis & perditionis foueam multos immerserat; ac genibus eius prouolutus ait: Quæso te adiuua me, quoniam episcopus meus me ad opprobrium adduxit, & hæc & hæc in me fecit. Respondit ille: Proxima nocte veni ad me, & ducam te ad patronum meum, qui subueniet tibi quomodo volueris. Quo facto duxit eum ad * circum ciuitatis, & ait: Quodcumque videris, vel quemcumque sonum audieris, ne terreatis: signum quoque crucis nullo modo tibi imponas. Illo hoc ita spondente, subito ostendit ei albos clamydatos cum multitudine candelabrorum clamantes, & in medio principem sedentem, erat enim diabolus, & ministri eius. Tenens autem Iudæus manum Theophili, duxit eum ad illud flagitiosum consilium. Et ait ei diabolus: Vt quid nobis hunc hominem adduxisti? Respondit, ab episcopo suo præiudicatum, & vestrum auxilium postulantem. Cui diabolus: Quale adiutorium dabo homini seruienti Deo suo, tamen si seruus meus esse cupit, ego illi subueniam, ita vt plus facere possit quàm prius, & imperare omnibus etiã episcopo. Audiens Theophilus, spopondit omnia se facturum quæ diceret, cæpitque osculari pedes eius, & rogare eum. Qui ait ad Iudæum: Abneget filium Mariæ, & ipsam, quia odio mihi sunt, & firmet scripto se per omnia vtrumque abnegare, & post hæc quæcumque voluerit, à me impetrabit. Tunc respondit Theophilus: Abnego Christum, & matrem eius facienſque chirographum, imposita cera signauit annulo proprio: & abscesserunt cum nimio perditionis gaudio. Crastino autẽ episcopus procuratione diaboli, aut diuina, vt reor, prouidentia motus, remoto Vicedomino quem turpiter promouerat, hunc cum omni honore reuocauit, & duplo quam ante fuerat, denuo sublimauit; ita vt peccasse se clamaret, quod tam idoneam personam aliorum delationibus eiecisset, & illum inutilem promouisset. Restitutus itaque Theophilus, cæpit super omnes eleuare se, omnibus sibi obedientibus cum metu & tremore.

Restituitur pristina administrationi.

De pœnitentia eiusdem, & chirographi restitutione per Beatam Virginem.

CAP. LXX.

Theophilus pœnitentia ductus vacat lachrymis.

CVmque paruum tempus in huiusmodi iactantia moraretur, creator omnium & redemptor, *qui non vult mortem peccatoris*, recordatus qualiter prius ille fideliter ecclesiæ suæ ministrauerat, & quàm pius in ministrando egenis extiterat, non despexit creaturam suam, sed dedit ei pœnitentiam, nam in se reuersus sobrietate recepta, cæpit affligi in his quæ gesserat, & seipsum acriter arguere. Væ, inquit, mihi misero, *quo ibo, quem rogabo, cuius auxilium implorabo, qui diuino meipsum fraudaui adminiculo*, Christum, & Matrem eius negaui, & feci me seruum diaboli per chirographum nefandæ cautionis. Quis putas poterit illam abstrahere de manu vastatoris. Cumque hæc, & alia fermocinaretur, tandem inspiratus diuinitus cum fletibus ait: Licet sciam Christum Dei filium, quem infœlix infideliter negaui de Virgine Maria natum, ibo tamen ad ipsam, & toto corde ipsam solam interpellabo, donec misericordiam Domini per eius interceſſionem obtineam. Tunc animatus fortiter cum omni humilitatis deuotione, procedit coram templo beatæ Virginis, 40. diebus, & noctibus persistens in orationibus, & ieiunijs, eam incessanter deprecando, vt à maligno draconе, & ab illa, quam gesserat abnegatione, per ipsam eriperetur. Quibus expletis apparuit gloriosa virgo media nocte dicens ei: *Confitere homo Christum, quem ego peperi, & tu abnegasti, misericors enim est, & suscipiet lachrymas pœnitentiæ tuæ: Ideo enim ex me carnem sumere dignatus est, vt peccatores saluaret.* Tunc ille cum reuerentia, submisso vultu, cum magno vlulatu, protestatus est dicens: *Credo in Deum patrem, & adoro filium Dei ex patre ante sæcula, & in nouissimis diebus ex te sancta Maria Virgine natum, pro nobis peccatoribus pati dignatum, hoc confiteor, hunc colo, & amplector. Cum hac precatoria cautione offer me sancta virgo filio tuo.* Quod spondens beata virgo cum dies illuxisset, abscessit. Illo verò enixius triduo Dominum postulante cum lachrymis, rursum illa nebula clarifica apparuit ei hilari vultu, & lætis oculis, dicens: *Homo Dei ecce ad petitionem tuam suscepit Deus lachrymas tuas, precibus annuit, si tamen vsque ad mortem perseueraueris in his, quæ filio meo me teste promisisti.* Qui respondit: etiam domina, obseruabo & non præteribo sermones meos. Sed ego peccator, & impius rogo perennem fontem benignitatis tuę, qui in profundum cæni demersus sum, vt recipere valeam illam execrabilem abnegationis meę chartulam ab illo, qui me cæpit, diabolo signatam; nam hoc est quod supra modum titillat animã meam. Cumque in hac triduana postulatione perseuerasset, iterum eadem virgo Maria in visione ei apparuit, & eandem cautionis chartulam habens in manu de cera sagillatam exhibuit, atque pectori dormientis superposuit; quam ille à somno surgens inuenit, & lætus effectus, in crastinum cum esset dies Dominica, pergens ad ecclesiam, in qua cum populo episcopus aderat, post lectionem euangelij prostrauit se pedibus episcopi, eique omnem impietatis suæ historiam retexuit. Post hæc etiam qualiter ad fontem misericordiæ beatam Virginem confugiens, eius meritis & precibus per pœnitentiam & lachrymas à Deo veniam meruit, necnon qualiter chirographum signatũ pessimæ scriptionis receperit, adiunxit; & obsecrans vt coram omnibus legeretur, episcopo porrexit. Omnes itaque clerici & mulieres tanta Dei miseratione permoti, diutissime gratias Deo retulerunt. Episcopus quoque gaudio repletus, clamabat ad populum multis exhortationibus eos prouocãs ad gratiarum

Videt quomodo vera agitur pœnitentia; vacabat, inquit, ieiunijs, precibus, & lachrymis.

Charta abiurationis redditur Theophilo.

** Hyppodromum.*

Nota quid dicat de signo crucis sathanæ mãcipium.

O miserum pedes diaboli osculãtem.

Negat Christum & matrem eius.

actionem,

actionem, & Christi ac sanctæ matris suæ Virginis glorificationem. Interim autem Theophilus solo iacebat prostratus, quem post orationis laudem episcopus surgere iussit, & ei chartulam illam nefandissimam in conspectu omnium comburere præcepit. Quo facto, ingressus episcopus missarum solennia peregit. Cumque percepisset Theophilus sacræ communionis mysterium, statim refulsit facies eius sicut sol. Videntes autem omnes subitaneam viri transfigurationem, magis *glorificabant Deum, qui facit mirabilia solus*, & beatæ Mariæ diutissimè laudes referebant. Beatus autem Theophilus, in locum illum, in quo beatam viderat visionem, declinans, tanquam fixus perstitit in illo per triduum. Post triduum verò omnibus fratribus valedicens & osculum tribuens, animamque suam sanctæ Trinitati, & beatæ Mariæ liberatrici suæ commendans, vitam hanc in eodem loco fœliciter finiuit, vbi & corpus eius sepultum fuit.

Vide plura de pœnitentia Theophili apud Surium 4. Februarij.

Feliciter migrat ad dominum.

De aduentu sancti Mauri in Andegauiam, & monasterio quod ædificauit.

CAP. LXXI.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore claruit in Gallia sanctus Maurus (de quo paulò ante dictum est,) monachus sancti Benedicti discipulus.

Faustus in eius vita. Postquam autem beatus Maurus vidit in spiritu beati Benedicti animam in cœlum cum gloria ascendere, tunc secunda feria Paschæ à Romano discessimus, & ex eo loco Aurelianis venientes, audiuimus beatum Bertrigrannum migrasse ad Dominum. Locus autẽ, qui ab eo nobis prouisus fuerat Rumpiacus dicebatur, ipso nomine deformis & scabiosus. Cui Bertigranno successit Domnolus episcopus. Decimo die postquam Aurelianis fuimus ingressi, iter arripientes tendimus Andegauum, venimusque 5. die ad locum, qui Restis nuncupatur, vbi iam Harderadus cum coniuge sua Cæcilia biduo nos expectauerat. Hic habebat consobrinum nomine Florum, familiarem & charissimum Theodeberto Regi Francorum. Hic Florus videns beatum Maurum humillimo monachi habitu indutum, de equo, cui insidebat, statim desilijt, ac tertio antequam ei appropinquaret toto corpore in terram se prosternens, cum ab eo humiliter & modeste eleuatus esset, omnes nos est osculatus. Ad quem Maurus: Obseruatio ordinis nostri, summam deposcit quietem & securitatem. Vt primo igitur ædificauit Maurus domum orationis non admodũ magnam, in nomine sancti Martini, in qua & se sepeliri præcepit; sicut & sanctus Benedictus in oratorio eiusdem sancti Martini, quod, destructa ara Apollinis, ipse construxerat, sepultus est.

Nota reuerentiam viri erga S. Maurum.

Quidam clericus Longiscus nomine, qui cæmentariæ arti præerat, de altissimis gradibus corruens, super deportatum illic aceruum lapidum, toto corpore contritus est, & sanatus à Mauro. Ex illo die Florus ita Maurum habuit in maxima veneratione, vt nunquam postea propius ad eum accedere auderet.

Pœna detrahentium.

Quidam postea ex operarijs Mauro detrahere cæperunt, dicentes eum cupidum inanis gloriæ, & magum. Ex quibus detractoribus tres subito malignus spiritus inuasit, ita vt vni ex illis nomine Flodegiso animam extorqueret, reliqui se inuicem dentibus lacerabant: quibus digitos vtriusque manus sanctus Maurus in os misit, & spiritus malignos per ventrem eiecit, fœda relinquentes vestigia; tertium verò resuscitauit à mortuis, cui præcepit vt si vellet viuere, in locum ipsum nũquam amplius intraret; quod ideo iussit, vt plausum, & fauorem populi vitaret.

Rex humiliter prosternitur coram conuẽtu monachorum.

Theodebertus Rex, venit illuc ad orationem; post orationem in conuentum fratrum pergens, regali indutus purpura, humiliter se prostrauit, & vt pro illo precarentur cum lachrymis postulauit, & dedit eis fiscum regium, qui Boscus vocatur cum omnibus villis & redditibus ad eum pertinentibus. Altera die visitans fiscum regium sibi donatum beatus Maurus paralyticum à septem annis sanauit.

De multiplicatione fratrum, & diminutione.

CAP. LXXII.

Nobiles confluunt ad vitam monasticam.

Secundo anno aduentus nostri nobiles aduenire cæperunt, & nostram habitationem expetere, & filios suos offerre 26. anno fundationis ipsius cœnobij, factus est numerus fratrum 140. quem neque minui neque augeri præcepit Maurus. Clotharius Rex Andegauis veniens, mandauit viro Dei Mauro se velle ire ad monasterium; qui veniens dedit ei fiscum regium, qui Blazon appellatur, & villam, quæ dicitur Longus campus. Ex eo tempore beatus Maurus non facile de monasterio iàm egredi volebat: secessitque in domum, quæ illi fabricata erat iuxta ecclesiam beati Martini cum duobus monachis, qui ei seruirent. Primo, & Aniano, substituens prius Bertulfum Abbatem sibi successurum. Et cum ibi duos & dimidium annos fecisset in oratione, vidit diabolum sibi minantem stragem se facturum maximam de monachis suis, quem postea confortauit Angelus Domini & Maurus postea confortauit fratres, prædicens eis de morte sua, & illorum imminente. Factumque est, vt infra 5. menses 116. monachi morerẽtur, nec de tanto grege remanerent nisi 24. Inter quos mortui sunt, Antonius, & Constantinianus, qui nobiscum venerant. Nec multum post, mortuus est sanctus Maurus dolore lateris 41. anno aduentus sui ad illum locum 18. Calendarum Februarij ante altare beati Martini super cilicium stratus sui recubans,

Vide regiam liberalitatem in monasterium.

Diabolus sãcto Mauro insultat.

De miraculis Benedicti iuniores, & cæteris quibusdam incidentibus illius temporis.

CAP. LXXIII.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore in Campania Italiæ, Benedictum iuniorem sanctitate clarum Rex Totila pro Christo persequens, cum eum cum cella sua comburere voluisset, nec valuisset, in clibanum ardentem eum proiecit: qui inde, die altero illæsus, illæsis etiam vestibus exiuit.

Childebertus Rex Francorum cum fratruele Theodeberto in fratrem Clotharium insurgit, sed matre eorum satis agente Clotilde apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum horrenda intempestate coerciti, cum super Clotharium ne signum quidem apparuerit horroris huiusmodi, reddunt se fraternæ paci.

An. Ch. 541. Anno Iustiniani 14. in diuersis Galliarum locis diuersa signa visa sunt. Cometes apparuit die Sancto Paschæ; cœlum ardere visum est; verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum; Domus cuiusdam abintus sanguine respersa apparuit, & secutæ variæ clades, & malæ valitudines cum pustulis, & veficis populos afflixerunt.

Anno sequenti, Constantinopoli morte magna insurgente, statuta est solennitas Purificationis beatæ Mariæ, quæ Græcè Hypopanti, idest, obuiatio dicitur, eo quòd die illo obuiauerit Symeon oblato in templum Domino, & ita mortalitas illa cessauit. Clotharius & Childebertus fratres obsessa in Hispanijs Cæsaraugusta, ciuibus Deum adorantibus, & circumlata Vincentij Martyris tunica, accepta ab eis pro munere ipsius Martyris stola, redeunt acquisita Hispaniæ parte maxima.

De Arthuro Rege Britanniæ.

CAP. LXXIIII.

An. Ch. 542. Vsque ad hoc tempus historia Britonum perducit narrationem suam de Rege Arthuro. Refert enim eum post celeberrimam illam curiam in vrbe legionum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

habitam, in qua omnes Reges inſularum occidentalium,& duces Galliarum fuerunt,maximum duxiſſe exercitum in fines Burgundiæ, aduerſus Lucium Principem Hiſpaniarum ſub Leone Imperatore reipublicæ procuratorem,& in eundo quendam immenſum gigantem ſingulari pugna deuiciſſe; deinde vtrarumque partium legiones in pago Lingonenſi,ad præliandum conueniſſe, & poſt innumeram cædem vtriuſque exercitus tandem Brittonibus victoriam proueniſſe. Poſtea narrat, quòd Arthurus iuga alpium tranſcendere, & Romam inuadere voluerit. Sed interim audiens, Modredum nepotem ſuum diadema Britanniæ per tyrannidem arripuiſſe, Britanniam remeauerit, atque in vltimo prælio, quod cum eo habuit, poſt neces fere omnium ducum, ipſe læthaliter vulneratus fuerit, & in inſulam quandam ad ſanandum deportatus, relicto regni ſucceſſore cognato ſuo Conſtantino. Ipſe vero Arthurus, iuxta Merlini vaticinium, dubium habet exitum, quia vtrum viuat, an mortuus fuerit, nemini certum exiſtimatur eſſe.

Vide quæ diximus ſuperius de iſto Arthuro.

Hæc omnia vt ſupra diximus nullum fidei authorem videntur habere ſi cum cæteris hiſtorijs conferantur.

De Vigilio Papa, & eius afflictione pro Anthimio Patriarcha.

CAP. LXXV.

Helinandus. Eo tempore Vigilius Papa, quia ſecundum promiſſionem ſuam noluit Anthimium hæreticum reuocare, Conſtantinopolim ignominioſe mittitur; Theodora namque Iuſtiniani vxor mandauit ei, vt ſecundum promiſſionem ſuam reuocaret Anthimium,qui noluit. Quo audito,illa miſit Romam quendam Scribanem, vt adduceret eum per vim. Qui cum in naui eſſet impoſitus, & nauis mota eſſet, populus Romanus iactabat poſt eum lapides, fuſtes, & cacabos, dicens: Male feciſti Romanis, male inuenies vbi vadis, fames tecum,mortalitas tecum. Ingreſſo autem eo Cōſtantinopolim vigilia Domini noſtri Ieſu Chriſti, per biennium fuerunt contentiones de Anthimio Patriarcha; cui Vigilius nullatenus conſenſit, dicens; Vt video non me fecerunt venire ad ſe Iuſtinianus & Theodora; ſed Diocletianus, & Eleutheria; facite quod vultis digna factis recipio. Tunc quidam dedit ei alapam, dicens: Neſcis quibus loqueris homicida,qui Siluerium Papam occidiſti,& filiam mulieris viduæ calcibus,& fuſtibus interfeciſti. Tunc fugit Vigilius ad baſilicam ſanctæ Euphemiæ, & tenuit columnam altaris; à qua abſtractus eiectus eſt foras eccleſiam, & miſſus eſt funis in collum eius, & tractus eſt per totam ciuitatem vſque ad veſperam; tunc miſſus eſt in cuſtodiam, vbi dabatur ei modicum panis & aquæ. Clerus autem, Romanus qui cum eo erat, miſſus eſt in exilium ad diuerſa metalla incidenda.

Eo tempore Gothi fecerunt ſibi Regem Baduillam, qui & Totila nuncupatus eſt, qui deſcendens obſedit Romam,& facta eſt tanta fames in ciuitate, vt & natos ſuos vellent comedere. Intrauit Totila Romam à porta ſancti Pauli in die 15. & tota nocte fecit buccina clangi, vt totus populus fugeret, vel per eccleſias ſe celaret, ne interficeretur; habitauit cum Romanis aliquandiu pater cum filijs manſuefactus, vt credebatur, ſancti Benedicti monitis.

De Paſsione ſancti Herculani Peruſini epiſcopi.

CAP. LXXVI.

Sigebertus in Chronicis. Anno Iuſtiniani decimoſeptimo, Herculanus Peruſinus epiſcopus,à Totila Rege ſecto capite martyrizatur.

Gregorius in Dialogo tertio libro cap. 13. Nuper Floridus venerabilis vitæ epiſcopus narrauit memorabile valde miraculum, dicens: Vir ſanctiſſimus Herculanus nutritor meus Peruſinæ ciuitatis epiſcopus fuit ex conuerſione monaſterij ad ſacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi Regis temporibus, eandem vrbem annis ſeptem continuis Gothorum exercitus obſedit,ex qua multi ciuium fugerant, qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero ſeptimo nondum finito, obſeſſam vrbem Gothorum exercitus intrauit. Tūc comes qui eidem exercitui præerat,ad Regem Totilam nuncios miſit,exquirens quid de epiſcopo vel populo fieri iuberet. Cui ille præcepit dicens: Epiſcopo prius à vertice vſque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa:omnem vero populum qui illic inuentus eſt,gladio extingue. Tunc idem comes venerabilem virum Herculanum epiſcopum ſuper vrbis murum deductum capite truncauit; eiuſque cutem iam mortuum à vertice vſque ad calcaneum inſcidit, vt ex eius corpore corrigia ſublata videretur; moxque corpus eius extra murū proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulſi,abſciſſum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante qui illic extinctus inuentus eſt, iuxta murum corpus eius ſepulturæ tradiderūt. Cumque poſt eandem cædem die quadrageſima rex Totila iuſſiſſet, vt ciues vrbis illius qui quolibet diſperſi eſſent,ad eandem ſine aliqua trepidatione remearent; hi qui prius famem fugerant,viuendi licentia accepta ſunt reuerſi. Sed cuius vitæ eorum epiſcopus cognitus fuerat, memores vbi ſepultum eſſet, corpus eius quæſierunt; vt hoc iuxta honorem debitum in eccleſia beati Petri Apoſtoli humarent. Cumque itum eſſet ad ſepulchrum,effoſſa terra inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die quadrageſima tabe corruptum, & vermibus plenum; corpus vero epiſcopi,ac ſi die eodem eſſet ſepultum. Et quod eſt adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput vnitum cum corpore fuerat, ac ſi nequaquam eſſet abſciſum, ſic videlicet vt nulla veſtigia ſectionis apparerent. Cumque hoc & in terga verterent, exquirentes ſi quod ſignum vel de alia monſtrari inſciſione potuiſſet, ita ſanum atque intemeratum omne corpus eſt inuentum,ac ſi nulla hoc inſciſio ferri tetigiſſet.

Crudele edictum in Herculanum epiſcopum.

Herculani caput corpori poſt mortem miraculoſe reunitum.

De quibuſdam euentibus illius temporis.

CAP. LXXVII.

Sigebertus in Chronicis. Anno Iuſtiniani xviij. Obijt ſanctus Remigius Rhemorum epiſcopus.

Anno eiuſdem vigeſimo, conſerto prælio inter Chunimundum Regem Gepidarum, & Albuinum Regem Longobardorum corruerunt vtrinque ſexaginta millia eorum. Vbi Albuinus Chunimundum peremit,& ex teſta capitis eius poculum ſibi ad bibendum fecit, filiamque eius captiuam,vxorem ſibi accepit. Huius vero terras Gepidarum inuadentibus, deſtructum eſt Regnum Gepidarum penitus. *An. Ch. 547.*

Anno eiuſdem vigeſimoſecundo. Agericus Virdunenſis epiſcopus claruit.

Anno ſequenti arboris, quæ dicitur ſambucus, flores, grana, & fructus, in flores, grana, & fructus vitis transformantur.

Anno eiuſdem vigeſimoquinto, Pelagius Romanæ eccleſiæ 58. præſidet. Hic inſimulatus de morte Vigilij Papæ tenens ſancta euangelia, & crucem iureiurando publice ſatisfecit.

Anno Iuſtiniani vigeſimoſeptimo, Clotildis Regina moritur. Hyems niue & glacie ita exaſperatur, vt volucres & feræ indomitæ manu capi poſſent. *An. Ch. 554.*

Anno ſequenti obijt ſanctus Medardus Nouiomenſium & Tornacenſium epiſcopus. In cuius tranſitu cœlum apertum eſt,& diuina ante eum micuerunt luminaria ſpacio duarum horarum. Cuius corpus Rex* Clotharius transferri fecit ad vrbem Sueſſionenſem, promittens, quòd ſuper eum decentiſſimam baſilicam ædificaret, atque inibi religioſorum virorum conuentum ſtatueret. Quod opus ipſe quidem cæpit, ſed filius eius Sigebertus adimpleuit.

** Vel Lotharius.*

De

De miraculo pueri Iudæi qui cum Christianis Eucharistiam perceperat.

CAP. LXXVIII.

Greg. Turon. lib. de gloria martyrum cap. 10. Eandem historiã confirmat Glycas, & Menam Patriarcham adfuisse dicit, qui totam rem exposuerit Iustino eius nominis secundo Imperatori.

EO tempore in oriente, puer quidam Iudæorum filius, cum à coæuis suis Christianorum filijs ad hoc adductus fuisset, vt in ecclesia sanctæ matris Domini nostri Iesu Christi, corpus & sanguinem Christi perciperet; propter hoc à patre suo proiectus in fornacem ardentem, illæsus inde à Christianis extractus est.

Ex Mariali. Nam mater pueri cum audisset, quod filium communem pater deliberasset exurere, cucurrit ad liberandum eum; sed cum vidisset incendia ab ore fornacis patulo huc illucque respergi, ornatum capitis ad terram proiecit, diffusaque cæsarie se miseram clamitans, ciuitatem vocibus impleuit, Christiani autem concurrentes ad spectaculum, retractis ignibus ab ore fornacis, inuenerunt puerum quasi super plumas mollissimas discumbentem. *Cumque benedixissent Dominum*, proiectum huius sceleris auctorem Iudæum in fornacem, ita totum ignis absorbuit, vt vix de ossibus eius paruum quodammodo relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Christiani, quale ei inter ignes fuisset vmbraculum, ait: *Mulier, quæ in basilica illa, vbi panem de mensa accepi, in cathedra sedens, puerulum in sinu gestat, hæc me pallio suo, ne ignis me voraret operuit.* Vnde indubitatum est, beatam ei Mariam auxilium apparendo præbuisse. Agnita vero infans fide Catholica, *in Patrem, & filium & Spiritum sanctum credidit*, ac salutaribus aquis renatus, vna cum genitrice sua denuo in fide vixit. Multi quoque Iudæorum hoc exemplo in vrbe illa saluati sunt.

Sigebertus in Chronicis. Anno Iustiniani 30. Radegundis Regina, vxor quondam Clotharij regis, mutata veste, claruit sanctitatis nobilitate.

De sancta Radegunde Regina.

CAP. LXXIX.

De S. Radegunde agit Greg. Turon. lib 9. histor. Francorum, eius vitam S. Fortunatus & Bandomira scripserũt, quam Surius habet 13. Aug.

EX gestis eius. Hæc natione barbara fuit de regione Turinga, patre Rege Berchario, quæ regione Francorum victoria deuastata, exiuit de patria. Tunc inter ipsos, quorum erat in præda regalis puella, fit contentio de captiua. Et nisi reddita fuisset transacto certamine, inter se Reges arma mouissent, quæ veniens in sortem Clotharij Regis in Veromadensem ducta: Atheias villam regiam nutriendi causa custodibus est deputata. Quam cum præparatis expensis Victuariaci voluisset Rex prædictus accipere; nocte cum paucis elapsa est. Deinde cum ad Suessiones eam direxisset, vt Reginam erigeret, illa euitabat pompam regalem ne sæculo cresceret; sed cui debetur, etiam humana gloria non mutatur, Nupsit ergo terreno principi, non tamen separatur à cælesti; ac dum sibi accessisset sæcularis dignitas, plus se inclinauit voluntas, quam permitteret dignitas; timensque ne à Deo degradasset, cum mundi gradu proficeret, se cum sua facultate eleemosynæ dicauit. Nam cum sibi aliquid de tributis accideret, ex omnibus quæ venissent ad eam, ante dedit decimas, quàm recepit: deinde quod supererat, monasterijs dispensabat, & quo ire pede non poterat, misso munere circumibat.

Larga eius eleemosyna.

Nocturna eius precos.

Item nocturno tempore cum reclinaret cum principe, rogans se pro humana necessitate velle consurgere, & leuans egressa cubiculo, tamdiu ante secretum orationi incumbebat iactato cilicio, vt solo calens spiritu, iaceret gelu penetrata, tota carne præmortua. De qua Regi dicebatur, habere se magis iugalem monacham, quàm reginam, vnde & ipse irritatus, pro bonis erat asperrimus: sed illa tolerabat modeste rixas illatas à coniuge. Diebus vero quadragesimæ satis est scire, qualiter rexerit se inter vestes regias singulariter pœnitens. Igitur appropinquãte ieiunij tempore ad religiosam monacham nomine Piam mittebat, cui sanctum propositum illa dirigebat, veneranter in linteo sigillatum cilicium; quod sancta induens ad corpus, per totam quadragesimam subter vestem regiam dulci portabat in sarcina. Si autem Rex deesset, quis credat qualiter orationi se diffunderet? qualiter se tanquam præsentis Christi pedibus alligaret? & quasi repleta delicijs, sic longo ieiunio satiaretur in lachrymis? Cui, despecto ventris edulio, Christus erat tota refectio, & tota fames erat ei in Christo. Illud qua pietate peragebat solicita [vt quæ per oratoria, vel loca venerabilia tota nocte perlucerent, candelas suis manibus factas iugiter ministraret.]

Tota quadragesima vtitur Cilicio.

Qualiter incarceratos precibus & miraculo liberauit, vestemque sæcularem mutauit.

CAP. LXXX.

QValiter vero, si quis pro culpa criminali, vt assolet à Rege interfici deputabatur, sanctissima Regina moriebatur cruciatu, ne designatus reus moreretur gladio? Qualiter concursabat per domesticos fideles seruientes & proceres? quibus blandimentis mulcebat animum Principis, donec mitigata ira Regis vnde processerat sors mortis, inde curreret vox salutis.

Anxie intercedit pro morti adiudicatis.

His igitur beatis actibus occupatam, in tantum prouexit diuina clementia, vt etiam in palatio adhuc laica, Domino largiente, declararentur per eam miracula. Denique in Perona villa post prandium dum perambulauit per hortum sanctissima, rei trusi pro crimine, succurri sibi clamabant vociferantes de carcere. Ipsa autem quid esse interrogat: mentiuntur ministri, quòd mendicorum turba quæreret eleemosynam; credens hæc illa, transmittebat quo indigebat inopia. Interea à iudice compelluntur tacere qui tenebantur in compedibus. Cum vero nox superueniisset, & solitum cursum faceret, fractis vinculis soluti, sanctæ occurrunt de carcere. Quo cognito, reos se viderunt, qui Beatæ mentiti sunt, dum qui rei fuerant, de catenis soluti sunt. Et quoniam frequenter aliqua occasione, diuinitate prosperante, casus cedit, ad salutem, vt hæc religiosius viueret, frater interficitur innocenter. Directa igitur à Rege, veniẽs ad beatum Medardum Nouiomum supplicat instanter, vt ipsam mutata veste Domino consecraret, moxque indumentum nobile, quo celeberrima die solebat, pompa comitante, Regina procedere, exuta ponit in altari ablatis gemmis & ornamentis, mensam diuinæ gloriæ onerat venerabilis, cingulum auro ponderatum fractum, dat inopijs pauperum.

Soluuntur diuinitus cõpediti.

Eius munera liberalitet ecclesijs donata.

De Sancto Brendano Scoto, & bonis initijs sancti Gregorij.

CAP. LXXXI.

AVthor. Per idem tempus floruit in Scotia sanctus Brendanus, qui scilicet magnæ abstinentiæ vir, & in virtutibus clarus, trium fere millium monachorum pater fuit. Huius autem peregrinationis historiam, propter apocrypha quædam deliramenta, quæ in ea videntur contineri, penitus ab opere isto resecaui.

Gregorij vitam scripsit Ioã. Diacon. libris quatuor. vide to. 2. Surij. Meminit eiusdẽ Beda lib. 2. hist. Angl. & Paul Diac. lib. 3. de gestis Longobardorum cap. 11.

Sigebertus in chronicis. Eo quoque tempore, Gregorius *filius Gordiani Senatoris* Romæ adolescit, qui sex monasterijs in Sicilia fundatis, & septimo Romæ in domo sua, ex Prætore vrbano factus monachus, sapientia & doctrina & sanctitate claruit.

Ex gestis eius. Hic enim literarum studijs optimè eruditus, etiam in adolescentia sua cogitabat, quomodo posset Deo fideliter in religione seruire, sed dum conuersionem differret putans esse melius, vt Deo in sæculari habitu seruiret, cæpit ei cura rerum sæcularium succrescere, adeo vt iam in mundo non tantum specie, sed

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sed etiam teneretur & mente. Vnde defunctis parentibus, libere suas erogans facultates, cuncta distribuens, religionem intrauit, & septem Abbatias de proprio ædificauit. Et qui ante vestiri serico solebat & gemmis, post, in vili habitu ministrabat pauper ipse pauperibus. In monasterio autem proprio ad tantam perfectionem excreuit, quòd in ipso suæ conuersionis initio iam posset in perfectorum numerum deputari: tanta etiam districtione corpus suum afflixit, vt infirmato stomacho, & tussi grauissima, mori quotidie se putaret. Cuius virtutum famam Papa Pelagius audiens, abstractum de monasterio diaconum ordinauit.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore terræmotus terribilis nimis per decem dies factus est.

Childeberto Rege mortuo, Monarchia Regni Francorum cedit fratri eius Clothario.

De Sancto Leonardo Corbeiacensi.

Cap. LXXXII.

Ex gestis eius. Temporibus regis* Clotharij sanctus Leonardus in pago Cenomannico eremiticam vitam ducens, & sibi & sequacibus suis monasterium construens, tantæ humilitatis inter ipsos extitit, vt etiam prioris nomen refugeret, & cum esset prælatus omnibus, cunctis se viliorem & inferiorem habitu & meritis demonstraret. Cuius fama cum se vndique diffunderet, tantus ad eum populus concurrebat, cunctis ad superabundantiam necessaria deferentibus, vt locus ille in triennio ad coquendos panes clibanum non haberet. Sed laudi eius inuidentes maligni, suggesserunt Clothario Regi Franciæ, quòd nisi sibi & suæ genti consuleret, per Leonardum illum eremitam, qui multos sub obtentu religionis colligebat, Regnum Franciæ detrimentum non modicum sustineret. Quibus Rex Clotharius nimis credens, missis militibus expelli eum cum iniuria iussit, vt omnes audientes hoc timerent, & nequaquam tale quid vlterius attentarent. Cum ergo milites ad eum venissent, & contra eum querentes calumniam diutius allegarent, tandem verbis eius compuncti, mirantes vitam eius, tempore opportuno se futuros eius discipulos spoponderunt, & sic ad Regem regressi, cuncta quæ viderant & audierant retulerunt. Vnde Rex quoque compunctus de his quæ in iniuriam viri Dei conceperat, Deo gratias retulit, qui tam constantes sibi famulos eligebat. Et in tãtum sanctum Leonardum dilexit, quòd ei cuncta liberaliter porrigens, & detractores eius rebus & honoribus suis priuans, vix tandem precibus sancti viri eos suæ restituit dignitati. Erat enim erga miseros tantæ compassionis affectus, quòd & hoc à Deo precibus impetrauit, vt quicunque in carcere vel compedibus teneretur: mox inuocato eius nomine solueretur.

Quadam die dum diu in oratione incumberet, serpens maximus à parte pedum sursum tendens, & sinum eius perlustrans, non solum ei nocere non potuit, sed nec mentem eius ab oratione turbare. Et facta oratione dixit ei: Scio quidem quòd ab initio tuæ creationis homines quantum præuales inquietas, & nunc in spe misericordiæ Dei fac in me, quicquid merui, si tibi detur potestas. Quo dicto serpens per capitium tunicæ eius exiens, ad pedes eius exanimis corruit, & ex tunc ibi nullus serpens apparuit. Perdurans itaque vsque ad tempora sancti Germani Parisiensis episcopi, & sancti Domnoli, qui Innocenti Episcopo Cenomanensi successit, cum eos forte abinuicem discordantes sedasset, in crastinum se finiendum, & prædicti Domnoli aduentum prædixit: quin & ipse Domnolus diuina reuelatione præmonitus est, vt iret ad sanctum Leonardum, & eius animam commmendaret. Quo facto idus Octobris circa annum Domini 559. obijt, & sub Chilperico Rege Franncorum sepultus, duos cæcos illuminauit, & etiam nunc quanti apud Deum sit meriti, frequentia miraculorum ostendit.

Huius Leonardi vita apud Corbiacum legitur, quia corpus eius ibi requieuit; vnde & locus ipse propter miraculorum multitudinem quotidie à populis frequentatur.

De Launomaro Carnotensi, & latronibus eius stupefactis.

Cap. LXXXIII.

Ex gestis eius. Tempore quoque præfati Clotharij, scilicet filij Clodouei senioris, qui primus in regibus eiusdem gentis à beato Remigio Rhemorum episcopo baptizatus est, intra Galliam Lugdunensem Launomarus Carnotensium partium ciuis, parentibus Christianis natus est. Qui cum in domo patris puerulus nutriretur, gregem patris sui pascens, bonæ spei agebat principia, quia quæ victui necessaria sibi parentes ministrabant, vel egenis & peregrinis occurrentibus impertiebatur, aut coæuis sibi opilionibus diuidebat. Euangelium nondum nouerat, sed crucis mortificationem ferre gaudebat; vsque ad solis occasum frequenter ieiunium extendens. Denique parentes, pueri conuersionem admirantes, liberalibus studijs eum tradiderunt, & cuidam venerabilis vitæ sacerdoti in oppido Carnotensi, Domino militanti, commiserunt. Qui susceptum paruulum tenere fouebat, & pedetentim ad literarum cognitionem, & sanctitatis normam cohortabatur. Ad tempus ergo celans animi propositum, dum adhuc in eadem vrbe moraretur, sacerdotalem insulam est adeptus. Tandem intempesta nocte omnibus alto sopore depressis, baculum in manibus sumpsit, & ad concupitam eremum peruolauit. Dum autem quadam nocte inter cætera silentia hymnos deuotæ meditationis Deo redderet, infestam latronum rabiem præsensit, qui vt ad eius mortem peruenirent, longos viæ errores illi passi sunt: putabant enim eum aliquam pecuniam in deserto seruare. Diluculo autem facto, repente se in conspectu eius vident, quem tantopere quæsierant. Et ad visionem eius diuino timore correpti, ad pedes eius corruerunt clamantes: *Parce nobis vir Dei, parce, reatum nostrum cognoscimus, & ideo veniam petimus.* Quibus ille ait: *Et ego dolos vestros non ignorabam filij; Misereatur vestri Dominus. Redite in pace, & iam à rapinis manum contrahite, nam mihi nulla pecunia est in terris, pecunia nostra vere Christus est.* Quibus verbis eius ædificati, ad propria vix post triduum sunt reuersi, & pluribus, quod eis acciderat, narrauerunt.

De cæteris eius miraculis, & transitu eiusdem.

Cap. LXXXIIII.

HOmo quidam è vicino filium suum claudum ei cum lachrymis curandum obtulit, qui intra sacra missarum libamina pro sanitate pueri obsecratus solenni prece peracta, fragmento panis benedicti, & patrem refecit, & filium à debilitate curauit.

Casu accidit, vt ianitor clauem oratorij perderet, cumque Dei famulus à fratribus secedens orandi gratia oratorium peteret, & clauem non inuenisset ante foras humi prostratus aliquantisper orauit, moxque vltro ianua est patefacta.

Cum autem monachi de viminibus facta machina superposuissent quod messuerant, ignis accensus paulatim vires capiens, cum omnes alia curarent, subito & fruges & domum inuasit incendium. Quod vbi vir Dei comperit, *signum Crucis faciens*, ignis impetum orationibus superauit.

Insecuta deinde nocte, inter sacras vigilias inuidia Diaboli eum inquietare tentauit, & qui à cœlesti luce cecidit, lampadis lumen ter extinxit, sed militem Christi sibi prævalere sensit, qui per verum lumen Christum lucernæ radios reparauit.

Quadam

* al. Lotha.

Milites qui ad eum expellendum venerãt mutant propositum.

Pietas & liberalitas puerilis.

Ieiunijs se macerat adhuc puer.

Eremum petit.

Latronum errores.

Claudum sanat.

Fores templi vltro ei patent.

Signum crucis opponit flammis & eas extinguit

Immanem quercum precibus transfert.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quadam etiam die annosam quercum ad oratorium construendum non apto loco positam, vbi à fratribus dolari posset, vir Dei *in virtute Crucis*, quo voluit, transportauit.

Vir nobilis Ermoaldus in angustia constitutus misit ei 40. solidos, obnixe petens, vt intercessionis eius meritis, spes ei salutis à Deo præstaretur: qui accipere recusans, tandem tamen latore perurgente, suscepit; ingressusque oratorium orationem fudit, vt oblatio viri acceptabilis fieret in conspectu Dei, & super altare pecuniam deposuit, grandique studio vnumquemque nummum appendens, manu reuoluebat, & genu sæpius flectens orabat. Tandem vnum solidum, quem in spiritu mundum, & non ex rapina acquisitum, cognouit, vsibus suis retinuit: reliquos autem latori tradidit, & ait: O homo, pecunia ista iniqua est, & diuinam non potest mutare sententiam; sed nec peccatorum remissionem impetrare, nam *victimæ impiorum abominabiles sunt Domino*. Sic ille reuersus ad Dominum suum adhuc eum viuentem reperit; sed morbo inualescente, ab hac luce est abstractus.

Pecuniam male partam respuit. Prou. 15.

Episcopus autem Carnotensis Malardus, comperta fama viri Dei, cupiebat eius collocutionis dulcedine recreari. Pro qua re accersitus ab eo cum & finem vitæ suæ appropinquare sciret, iam senior ad vrbem properauit; vbi per aliquot dies moratus ægrotare cæpit, & præfato episcopo virum desolatorem religionis, & quæ per barbaros post obitum vtriusque futura essent, prædixit; & sic in pace requieuit 14. Calen. Februarij.

Prædicit futuras clades.

Obitus S. viri.

De monasterio pietatis à sancta Radegunde constructo, & eius persecutione.

Cap. LXXXV.

Ex gestis eius vbi supra. Porro sanctæ Radegundis supradictæ virginis mens intenta ad Christum, Pictauis inspirante & cooperante gratia Dei, monasterium sibi per ordinationem præcelsi Regis Clotharij construxit: in quod gaudens ingressa est, vbi perfectionis ornamenta conquireret, & magnam congregationem puellarum Christo nunquam morituro sponso congregaret. Quæ electa Abbatissa, & iam constituta, tam se, quam sua omnia eius tradidit potestati, ex proprio iure nihil sibi reseruans, vt curreret expedita post Christi vestigia, & tantum sibi plus augeret in cœlo, quantum subtraxisset de sæculo. Sed inuidus bonorum humani generis inimicus, cuius voluntatem etiam dum esset in sæculo, facere abhorruit, eam persequi non cessauit. Sicut enim iam per internuncios cognouerat, quod timebat, præcelsus Rex Clotharius cum filio suo præcellentissimo. Sigiberto Turonos aduenit, quasi deuotionis causa, quo facilius Pictauos accederet, vt suam Reginam acciperet. Quo cognito, beata Radegundis sacramentales litteras fecit sub contestatione diuina, viro Apostolico domino Germano Parisiensis ciuitatis episcopo, qui tunc cum Rege erat, quas per Proculum suum agentem secretius direxit cum xenio, vel eulogijs. At vbi eas relegit vir Deo plenus, lachrymans prosternit se pedibus Regis ante sepulchrum sancti Martini deprecans eum cum contestatione diuina, sicut ei literis fuerat intimatum, vt Pictauos non accederet. Hinc Rex amaritudine plenus, intelligens hanc petitionem esse beatæ Reginæ, pœnitentia ductus, malis consiliarijs istud imputans, seque indignum iudicans, quòd talem habere reginam diutius non meruisset, prosternit se & ille ante limina sancti Martini pedibus apostolici viri rogans, vt sic pro ipso veniam peteret à beata Radegunde, vt ei indulgeret, quod in ea per malos consiliarios peccauerat, vnde vltio diuina de præsenti eos vindicauit. Sicut enim Arrius, qui contra fidem Catholicam certans omnia intestina sua in secessum deposuit, ita & istis euenit, qui contra beatam reginam egerunt. Tunc Rex timens Dei iudicium, quia regina Dei voluntatem magis fecerat quam suam, dum commorata cum eo fuerat, rogabat beatum virum illic celeriter ire. Sic vir Apostolicus dominus Germanus Pictauos veniens, ingressus monasterium in oratorium sanctæ Mariæ dicatum prosternit se ad sanctæ reginæ pedes pro Rege veniam poscens. Illa vero gaudens se de faucibus sæculi ereptam, benigne indulget; & se Dei aptat seruitio, expedita iam sequi Christum quocunque iret.

Pictauis S. Radegundis construxit monasterium.

Clotharius dolet se voluisse reginā à monasterio reuocare.

Diuina vltio in eos qui id consuluerāt.

De mira eius abstinentia, & humilitate.

Cap. LXXXVI.

Qualiter se gessit per singula, quis enumeret infinita? Hæc etiam in mensa sub fladone siligineum panem absconitum, vel hordeaceum manducabat occulte, sic vt nemo perciperet. Nam ex illo tempore quo beato Medardo consecrante velata est, vsque ad infirmitatem nihil præter legumen & olera, non pomũ, piscem, vel ouum, vel aliud esui habuit; pòtum vero præter aquam mulsam atque pyracium non bibit. Tum vero more sancti Germani iubet sibi molam secretissimam deferri, in qua tota quadragesima tantum laborauit, quantum quatriduana refectio postulauit. Balneo parato ipsa succincta sabano, capita lauabat egenorum, defricans quicquid erat crustæ, scabiei, tineæ, nec prurulenta fastidiens; interdum & vermes extrahens, purgans cutis putredines, singillatim capita pectebat ipsa quæ lauerat. Vlcera vero cicatricum quæ cutis laxa detexerat, aut vngues exasperauerant, euangelico more oleo superfuso mulcebat morbi contagium. Egredientibus exinde, si cui mueterata esse indumenta conspiceret, tollens rasa, noua reddebat, ante pannosos, faciebat venire cultos ad prandium: quibus congregatis, ministerio parato ipsa aquam siue mappam singulis, porrigebat, & inualidis ipsa pariter & os & manus tergebat. Hinc tribus fercculis illatis, factis delicijs, stans ante prandentes ieiuna, præsens conuiuis, ipsa incidebat panem, carnem, vel quicquid apponeret; languidis autem & cæcis, non cessabat ipsa cibos cum cocleari porrigere. Mulieres varijs lepræ perfusas maculis comprehendens, in amplexu osculabatur, in Deo eas toto diligens animo. Deinde posita mensa ferens aquam calidam, facies lauabat, manus vngens, & vlcera, & rursus administrabat. Ipsa pascens singulas; recedentibus præbebat auri vel vestimenti solatium vix vna teste munifica, quæ etiam præstante Domino diuerso fulsit miraculo. Denique si quis pustulæ desperaret de vulnere, offerebat ministrationi sanctæ folium pampini, mentiens opus hoc sibi esse; sicque obtento vix signaculo, portabat ad desperatum, vulnerique superpositum mox occurrebat remedium.

Mira eius abstinentia.

Erga egenos singularis humanitas.

Iterum de eodem.

Cap. LXXXVII.

Præter Dominicum diem, fuit sacratissimæ omnibus diebus ieiunium lenticulæ, vel oleris, prope ieiuna refectio; non piscem, nec pomum, vel ouum habens edulio. Panis vero deliciarum siligineus fuit, aut hordeaceus, quem absconsum sub fladone sumebat, ne quis perciperet. Hæc etiam fuit eius potio aqua mulsa pyracium, sed modice libata ac sitibunda potatio.

Prima quadragesima qua se reclusit in cellula, donec fuisset transacta, panis non sumpsit cibaria nisi die dominico, sed tantum herbas aut olera de maluis, sine olei gutta, sine sale composita; verum aquæ toto ieiunio nec duo sextaria sumens, tanta siti laborabat, vt faucibus desiccatis vix psalmos diceret arida. Cilicium autẽ habens ad corpus pro linteo, ac iugiter cursum decantans, peragebat vigilias, ante se habens cinerem stratũ, superiecto cilicio hoc vtebatur pro lectulo: non illam

Abstinentia eius in quadragesima.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aliquando mollis pluma fulciuit, neque linteaminis nitor instruxit. Manicam qua brachium indueret non habebat, nisi quod de caliga sua duas faceret manicas: sed ita se tractabat, vt hæc ne abbatissa sentiret. Adhuc monachalibus omnibus soporantibus calciamenta tergens, & vngens retransmittebat per singulas. Alijs quadragesimis aliquid relaxans, quinta feria sumebat, deinde dominica, nam & reliquo tempore præter dies Paschales ac summæ festiuitatis, donec infirmitas permisit, in cinere & cilicio semper vitam duxit austeram, prius se leuans, vt psalleret, quàm congregatio surrexisset: nam de officijs monasterialibus nihil sibi placuit, nisi prima seruiret, & ipsa se castigabat si bonum fecisset post alteram. Ergo suis vicibus scopans monasterij plateas vel angulos, quicquid erat fædum purgans, sarcinas quas alij horrebant videre, non abhorrebat euehere: secretum etiam opus purgare non tardans, sed scopans, ferebat stercoris fætores. Credebat se minorem sibi si se non nobilitaret seruitij vilitate: ligna supportans brachijs, [focum flatibus, & forcipibus admouens] calens nec læsa se retrahebat, extra suam hebdomadam infirmantibus seruiens ipsa, cibos decoquens, ægrotis facies abluens. [Ipsa calidum porrigens, visitabat quas fouebat, ieiuna rediens ad cellam.]

Insignis beata Radegundis humilitas.

Ministeria vilia exercet.

De laboribus eius, & afflictione carnis.

Cap. LXXXVIII.

ILlud quoque quis explicet quanto feruore excita ad coquinam cursitabat, suam faciens septimanam. Denique nulla monacharum nisi ipsa, de postico quantum ligni opus erat, sola ferebat in sarcina: aquam de puteo trahebat, & dispensabat per vascula. Olus purgans, legumen lauans, focum flatu viuificans, & vt decoqueret escas satagebat æstuans, vasa de foco ipsa leuans, discos lauans, & inferens. Hinc consummatis conuiuijs, ipsa vascula diluens, purgans nitide coquinam, quicquid erat lutulentum ferebat foras ad locum designatum. Inde per ægrotantes ferès necessaria, ibat non tepida, & priusquam excipere Arelatensem regulam; hebdomada trãsacta sufficienter faciebat ad omnes humanitatem sanctissima, pedes lauans & osculans, & adhuc omnibus prostrata deprecabatur veniam pro commissa negligentia. Itaque post tot labores, quas sibi pœnas intulerit, ipsa vox quæ refert, perhorrescit.

Grauissimè corpus torquet.

Quadam vice, sibi translatos circulos ferreos diebus quadragesimæ collo vel brachijs innexuit, & tres catenas inserens circa suum corpus, dum alligasset strictè, inclusit durum ferrum caro tenera succrescens; & transacto ieiunio cum voluisset sub cute clausas catenas extrahere, nec valeret, caro per dorsum atque pectus super ferrum catenatum est incisa per circulum, vt & sanguis fusus ad extremum exinaniret corpusculum. Inde iussit vice altera fieri laminam de aurichalco in signum Christi: quam accensam in cellula locis duobus corporis altius sibi impressit tota carne decocta. Sic spiritu flammante, membra faciebat ardere. Aliquid adhuc grauius in seipsa tortrix excogitans, vna quadragesimarum super austerum ieiunium, & sitis torridum cruciatum, adhuc lima cilicij tenera membra setis asperis dissipante, iubet portari aquimanile plenum ardentibus carbonibus. Hinc discedentibus reliquis, trepidantibus membris animus armatur ad pœnam, tractans quia non essent persecutionis tempora, vt fieret martyr. Inter hæc vt refrigeraret tam feruentem animum, incendere deliberabat corpus. Apponit æra candentia, stridunt cremantia membra, consumitur cutis intima, quo attigit ardor, fit fossa, tacens tegit foramina, sed computrescens sanguis manifestabat, quod vox non prodebat in pœna. Sic fœmina pro Christi dulcedine, tot amara libenter excepit. Hinc actum est, vt quod ipsa abdiderit, hoc miracula non tacerent.

De moribus eiusdem laude dignis.

Cap. LXXXIX.

IN tantum de corde, vel de ore illius laus Dei non discedebat, vt cum quadam vice vidisset posticariam monasterij transeuntem nomine Codegundem, vbi eam voluit appellare, pro eius nomine, Allelvia clamabat; hoc millies fecit. Nunquam mendacium, nunquam maledictum contra qualemcunque personam ab eius ore processit; & non solum non detraxit cuiquam, sed neque detrahentem audiuit patienter. Pro persequentibus se semper orauit, & orare docuit. Nunquam imposuit abcui, quod ipsa prius non fecit. Vndecunque seruus Dei veniisset solicite perquirebat, qualiter Domino seruiret; si quid vero noui ab eo agnouisset, quod ipsa non faceret, continuo cum omni alacritate, sibi prius imposuit, & post congregationem tam verbo docuit, quam exemplo ostendit. Cum vero ante eam psalmus cessaret, lectio nunquam discessit. Dum nocte, quasi vel vnius horæ spacio videretur somnum capere, semper tamen lectio legebatur, & quæ legebat, in se somni marcorem sentiens, putabat eam iam paululum requiescere. Vbi vero à lectione cessasset mens intenta ad Christum tanquam si diceret: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; aiebat. *Quare taces? lege, ne cesses.*

Catalogus virtutum S. Radegundis.

De miraculis eius in vita sua ostensis.

Cap. XC.

MVlier quædam dum inimici inuasione grauiter laboraret, & vix ad sanctam potuissent rebellem hostem adducere, imperat aduersario, vt se suo cum tumore pauimento prosterneret. Mox ad beatæ sermonem in terram, se deijciens, qui timebatur, extimuit; cui sancta plena fide cum calcasset in ceruice, fluxu ventris egressus est. Et quia in rebus minimis magna est gloria Creatoris, ergo casu dum glomus, quem sancta filauerat, penderet de camera, veniens sorex vt tangeret, antequam filium incideret, mortuus pependit in morsu.

Rogauit beatissima de loco suo euelli arborem validam lauri, & ad suam cellulam pro iucunditate transferri: quo facto, transplantata non adhærente radice, fit tota folijs arida. Cui abbatissa ioculariter imputat, quod nisi exoraret, vt arbor terræ adhæreret, se à cibo suspenderet; quod non inaniter dictum est: Nam sancta intercedente; folijs, ramis, & radice laurus siccata reuiruit.

Cum autem beatissima fœmina recluſa esset in cellula, audiuit fletum de monacha mortua, & signi tactu venientem, quis esset interrogat: quæ mortuam sororem nunciauit infantulam, & frigidam aquam qua lauaretur paratam iam esse calidam. Condolens sancta tunc imperat, vt cadauer ipsius suam deferret ad cellulam. Quo sibi deportato excipiens manu propria, & clausa post se ianua, iubet longe omnes discedere ne quis sentiret, quid ageret: sed quod occulte gessit, celari diu non potuit. Interea dum defunctæ exequiæ pararentur, ferè per horas septem mortuæ tractat corpusculum: sed Christo vidente fidem cui negare non potuit, reddita prorsus salute, surgit hæc ab oratione, illa resurgit de funere.

Multa miracula efficit lignum S. Crucis.

Ad petitionem eiusdem, transmisit ei Imperator legatos cum euangelijs, auro & gemmis ornatis, & lignum sanctæ Crucis. At vbi lignum, in quo salus mundi pependerat, Pictauis aduenit, illa ad honorem loci, & salutem populi in monasterio suo dimisit; cuius virtute, Dei cooperante potentia, cæcorum oculi lumen recipiunt, aures surdæ patefiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, dæmones effugantur. Cumque misisset beata legatos ad Imperatorem cum simplici vestimento vt

gratias

gratias agerent, cæpit mare fluctibus agi, & nauis eorum quadraginta diebus & noctibus periculo ſubiacuit in medio mari. Iamque de vita deſperantes, clamabant dicentes: Domina Radegundis ſubueni ſeruis tuis dum tibi obedimus, ſubmerſi ne pereamus. Ad has voces in medio mari aduenit columba, quæ ter nauem circumiens fluctuantem, in nomine ſanctæ Trinitatis, ſecus eos propius cum volaret, ſeruus beatæ Reginæ, nomine Beneſarus extendit manum, & de cauda eius tres tulit pennas, quas mari intingens tempeſtatem compeſcuit: Et ad inuocationem nominis beatę Radegundis columba quæ apparuit, eius famulos de mortis ianua vitæ reddidit, & facta eſt tranquillitas magna in medio mari.

De miraculis eius poſt obitum.

Cap. XCI.

COmmemoretur & illud nobile factum. Per ſomnum tribunus fiſci, cognomento Demolemus, die quo ſanctiſſima migrauit de ſæculo, dum ſuffocationis languore totus deficeret, videbatur ei, quod ſancta in vicum eius dignabiliter acceſſiſſet, percurrit, ſalutat, interrogat quid beata requireret. Tunc ipſa dixit, quod ad eum illic videndum peruenerit, & quia votum plebis erat, vt beati Martini oratorium conderent, apprehendit tribuni manus beatiſſima dicens: Hoc loco ſint confeſſoris venerandæ reliquiæ, hic ædificate templum, quod ſibi ducant digniſſimum. O quale myſterium Dei, fundamentum & pauimentum repertum eſt, quo baſilica facta eſt. Adhuc in ipſo ſopore manum trahens per fauces eius, & gulam diu deliniens, inſuper & hæc dicens, veni vt tibi melior à Deo ſanitas conferatur, videbatur ſic rogare: Per meam vitam volo, vt relaxes illos, quos habes in carcere. Euigilans tribunus, refert, quod viderat, coniugi dicens: Vere credo, quod hac hora exijt ſancta de ſæculo. Dirigit ad ciuitatem, vt per hæc vera cognoſceret: tranſmittit ad carcerem quo 7. reos ibi retentos admonitus relaxaret. Redeunte miſſo, refert ea hora Iuſtam migraſſe de ſæculo, & triplici myſterio, carcere vacuato, tribuno ſanitati redito, ædificato templo, ſanctæ probatur oraculum.

Horrendum ſupplicium famula in eius locum reſidentis.

Vinobiſga vna eius fuit famula, quæ auſu temerario in cathedra beatæ reginę poſt eius diſceſſum ſedere præſumpſit. Quo facto, iudicio Dei percuſſa ita ardebat, vt viderent omnes fumum de ea in altum procedere, & illa coram omni populo confitens ſe ream proclamauit peccaſſe, & propterea arderet, quia in beatæ ſede conſederat. Tribus ergo diebus & noctibus incendium paſſa, vociferans clamabat: *Domina Radegundis peccaui, male egi, indulge mihi, refrigera mihi membra duro cruciatu exuſta.* In tanta pœna ipſam omnis populus videns, pro ea precabatur. Sicque beatiſſima ad preces omnium benigne indulget, ignem feruentem compeſcuit, illa ſo ſpes domum redijt.

Huius ſanctæ Reginæ tranſitus colitur idibus Auguſti.

De miraculo imaginis à Iudæo tranſfixæ & de quibuſdam alijs.

Cap. XCII.

An. Ch. 560. *Sigebertus in chronicis.* Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Saluatoris de eccleſia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clam ad domum ſuam deferens, cum eam vellet flammis exurere, ſe ſanguine imaginis cruentatum videns, præſtupore eam abſcondit: quam Chriſtiani requirentes, & per veſtigia ſanguinis inuenientes, eam ſanguinolentam receperunt, Iudęum vero lapidauerunt.

An. Ch. 561. Miſerabilis in Italia peſtilentia mortalitatis fuit.

In Gallia mons ſuper Rhodanum fluuium multis diebus dans mugitum, tandem & ab alio monte ſibi vicino diſciſſus, cum eccleſijs & domibus, & hominibus, & beſtijs in Rhodanum præcipitatus eſt.

Clotharius Rex Chramnum filium ſuum diu contra ſe rebellantem & multa mala in regno ſuo facientem, in Britannia perſecutus, ei eiuſque auxiliario duci Britonum Chonobro bello occurrit, & Chonobrum quidem peremit, Chramnum vero captum igni cum vxore & filiabus conſumi fecit.

Gregorius Turonenſis in geſtis francorum. Poſt hæc dum Clotharius in Cotilia ſilua venationem exerceret, à febre valida corripitur, & exinde compendium villam (quæ eſt palatium regale) adijt, vbi dum grauiter vexaretur dicebat: Vah, vah, quid putatis qualis eſt iſte Rex cœleſtis, qui tam magnos Reges ſic interfeciſſe dignoſcitur? Et in hoc tædio ſpiritum exhalauit. Obijt autem anno 51. regni ſui, quem quatuor filij ſui cum magno honore Sueſſionis deferentes, in baſilica ſancti Medardi ſepelierunt.

De ſancto Maclouio & eius infantia.

Cap. XCIII.

Sigebertus in chronicis. Eo quoque tempore in Scotia Brendanus claruit, qui fortunatas inſulas ſeptennali nauigatione perquirens, multa miraculo digna vidit, à quo Machutes, qui & Maclouius regulariter educatus, & ipſius nauigationis ſocius, in Britannia ſanctitate, & miraculis claruit. Qui à Britannis exacerbatus, eis maledictis, tranſit ad Gallias, & ſub Leontio Sanctonum epiſcopo multo tempore virtutibus claruit. Britannos propter ſuam maledictionem varijs cladibus addictos, data rurſum benedictione, abſoluit & ſanauit.

Huius vitã ſcripſit Sigebertus monachus Gẽblacenſis & extat apud Surium 15. Nouemb.

Ex geſtis eius. Hic parentibus generoſis in Britannia quadrangula ortus eſt, matre (vt fertur) iam decrepita ideſt, 66. annorum, quæ ſoror erat Haymonis patris ſancti Samſonis, & Vmbrafel patris ſancti Maglorij. Hæc ad monaſterium in valle quæ Carruana dicitur fitum, cui ſanctus Abbas Brendanus præerat, in vigilia ſanctæ Paſchæ ad vigilandum & orandum venit, vbi & ipſa nocte eundem filium ſuum edidit, quem Brendanus baptizans ſpiritualem filium ſpiritualiter educandum deinceps accepit, & in litteris erudiuit. Qui licet ætate tener, animo tamen fortis erat, & ſtabili grauitate fundatus, igneumque vigorem corpuſculi in ſe validum feruere teſtabatur, ita vt dum eius condiſcipuli præ nimio frigore ſtriderent dentibus, ille iam ſpiritu feruens, omnibus horis calebat in corpore, ita vt ſimplo veſtimento contentus continue guttas ſudoris emitteret.

De inſula propter eius conſeruationem miraculoſe facta.

Cap. XCIIII.

ITaque more puerorum ipſe & condiſcipuli ad littus maris perrexerunt, vt laborem diſciplinæ iocandi licentia releuarent. Sed cum cæteri ante inundationem maris continue æſtuantis fugerent, & ludum relinquentes ad ſcholas redirent, puer ſanctus dormiens ſuper faſcem algæ remanſit in littore. Cumque appropinquaret mare, minime eum tangens circumdedit, nutuque diuino quantum circa eum creſcebat, tantum locus littoris ſuper quem ille iacebat, exaltabatur. Tandem puer prę horrore ſonitus fluctuum maris euigilans, dum circumſpiciens neminem videret, condiſcipulos nominatim inclamare cæpit. Cui cum nemo reſponderet, ait ſecum, Deus omnipotens, vbi nunc poſitus ſum ego? ne derelinquas me, ſed adiuua, & ſalua.

S. Maclouius in medio mari in alga ſoſce dormit. Hoc habet Sigebertus.

Interea magiſter ſollicite quærebat à diſcipulis, vbi eſſet alumnus eius chariſſimus. Quibus reſpõdentibus, eum vna cum illis ad littus iſſe, ſeque illum dormiẽtem in littore vidiſſe, ſed vtrum poſt ibi remanſerit neſcire,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ingemuit, & iam imminente veſpere cum ſcholaſticulis ſuis ad littus maris perrexit, & ecce inſula nunquam ante viſa, in ipſo mari apparuit. Quam cum inter ſe mirati fuiſſent, cæperunt circumquaque per littus, & per vndas maris intueri, ſi forte cadauer pueri contingeret videri. Quo facto, nocte iam inſtante, ad monaſterium redierunt, & intrantes eccleſiam exequias pueri quaſi iam mortui celebrarũt. Nec multo poſt patrẽtes pueri ad Brendanum miſerunt, vt filiũ ebrum ſibi ſanum & incolumẽ redderet, qualem ſibi eum commiſerunt. Tunc ſancto Brendano, inſtanter ea nocte vigilijs & orationibus inſiſtenti, aſtitit Angelus Domini, & ait: *Noli timere ſerue Dei, quia puerum de cuius interitu angebaris, Deus omnipotens inter vndas illæſum conſeruauit. Ecce enim pro eius conſeruatione facta eſt ibi perpetua inſula, vbi quieſcendo remanſerat. Et vt hoc primum diuinę virtutis in eo declaratum miraculum perpetuo teſtimonio commendetur, mare quod quotidianis prius illic acceſſibus adeſſe, vel receſſibus abeſſe ſolitum erat, nunc iuſſu Dei tam ſtabili profunditate eam inſulam circumcinget, vt nunquam inde redeat, nec quiſquam abſque nauigio illuc peruenire queat.*

Insigne miraculum.

De Pſalterio eius quod in mare miſſum ad ipſum natauit.

Cap. XCV.

Vt à magiſtro repertus fuerit.

TVnc ſanctus gratias agens mane cum fratribus ad littus abijt, ibique puerum in ſuperiori loco inſulæ odas domino concinentem proſpexit, gaudenſque eum ſalutauit. Qui omnes ad benedicendum Dominum inuitans, addidit: Nunc ſaltem vna die permittite me permanere, vbi Dei pietas ſaluationis miraculo me dignata eſt illuſtrare, ſed pſalterium meum vt mecum habeam efficite, & ſi non eſt modus quo ad me perferatur, in mari illud ponite. Tunc magiſtro illud in manu tenente, & in mare mittente, faſcis algæ ſuper quem ille dormiebat accurrit, & ſuper ſe pſalterium excepit, & ad ripam ſuper quam puer ſtabat aquis minime infectum ſuſtulit. In craſtino autem nauiculam pro puero miſerunt, & eum ad monaſterium adduxerunt. Tunc eius parentibus ait Brendanus: Nunc filium veſtrum miſericordia Dei ſanum & incolumem ſicut ſtomachati mandaſtis, recipite. Quod audiens puer lachrymabiliter ait: Magiſter ſancte & mihi venerande præ parentibus, nonne cum euangelium legeretur, audiui *Nolite vobis vocare patrem ſuper terram.* Parentes itaque pœnitentes, de legatione dure directa, & veniam flagitantes, eum cum magiſtro dimittunt, & ad ſua redeunt.

Matth. 23.

De igne quem in gremio tulit, & eius nauigatione, & electione in epiſcopum.

Cap. XCVI.

Inuidia quorũdam erga illum.

ERat autem mos, vt vnus puerorum in hebdomada ſua ferret lucernam ante magiſtrum adeuntem noctu baſilicam, matutinalis officij cauſa. Adueniente ergo ſeptimana fælicis pueri, alij compares ſui inſtigante inuidia extinxerunt focum, quo accenſa lucerna ire debebat, cupiẽtes eum ob hoc à magiſtro verbera perpeti. Tunc puer quid ageret ambigens abijt ad officinam vbi ſicera fiebat, petens à confectore ſibi ignem præberi. Illo autem nolente imo pigritante lumen accendere, tandem anxianti puero impoſiti ſunt carbones in gremio à quibus nil læſum eſt veſtimentum eius, reuerſuſque ad magiſtrum, reperit candelam iam ab Angelo

Diuinitus candela eſt ei accenſa.

diuinitus illuminatam.

Itaque omni vita ſua virgo in ſæculum permanens, monaſticum habitum induit, & cælibem vitam duxit: tandem remotiorem locum ſibi quærere deſiderans, quandam ſiluam Oceani nomine Imam cum magiſtro ſuo & ſocijs nauigio adire diſpoſuit, quę paradiſi deliciarum ſimilitudinem habere dicebatur. Parata itaque naui cum omnibus neceſſarijs 25. circiter fratres hac & illac nauigando vagantes, cum inſulam inuenire nequirent, ad patriam redierunt: & multis annis elapſis, ſanctum Machutem perſæpe miraculis coruſcantem, Reges & nobiles illius prouinciæ ad epiſcopatus apicem vnanimiter elegerunt.

Fit epiſcopus.

De ſecunda eius nauigatione, & gigante quem reſuſcitauit & baptizauit.

Cap. XCVII.

Proficiſcitur cum Brẽdano ad inſulas Fortunatas.

QVi ſolenniter ordinatus ſacrum officium aliquandiu fæliciter adminiſtrans, naualibus iterum apparatibus inſtructis ad præfatam inſulam, in qua etiam cœli ciues Angelos habitare ferebatur, cum ſacro quondam magiſtro ſuo Brendano, alijſque viris ſanctis aggreſſus eſt nauigare. In qua nauigatione pluribus annis permeantes in anno ſeptimo ſepulchrum miræ magnitudinis in quadam inſula repererunt, mirantibus omnibus ſi humana ſtatura tantum ſpacium videretur occupatum, tunc beatum Machutem, cui nihil apud Deum impoſſibile fore credebant, ſanctus Brendanus cum omnibus fratribus depoſcebat, vt corpus illud quodcunque tumulatum oratione ſua ſuſcitaretur. Quod ipſe primum expauit, indignum ſe iudicans ad hoc impetrandum, ſed multis precibus magiſtri coactus, ne inobediens ei videretur, lachrymabiliter ſe in oratione proſtrauit. Quam cum, audientibus omnibus, concluſiſſet, ecce toto tremefacto tumulo, proceræ & incomparabilis ſtaturæ homo prodijt. Interrogatus quis, & cuius conditionis fuerit; Gigantem ſe nomine Milduinum, & Idololatram fuiſſe reſpondit, tormenta etiam quæ cum alijs perditis in inferno ſuſtinuerat narrauit, & quia meritis B. Machutis inde ereptus ſit, conſitebatur, quoque Chriſtum verum Deum, & filium Dei eſſe, Iudæoſque eius crucifixores centies æterno incendio plus alijs incredulis cruciari ſe vidiſſe. Tunc quoque deitatis opere ſe ſuſcitatum intelligens, vitam quærebat æternam, aqua ſcilicet & ſpiritu renaſci enixe eſſlagitans, Sanctus autem epiſcopus eum in fide plenius inſtruxit, & ſic eum baptizauit.

Homo damnatus reſuſcitatur & baptizatur.

His peractis ſciſcitati ſunt ab eo, vtrũm inſulam, quam quærebant nomine Imam, ipſe maris incola noſceret. Quibus ille reſpondit, ſe Imam inſulam olim cum per mare ambularet vidiſſe, omnibus inſulis nitore & delicijs præſtantem. Introitus autem, inquit, in ea nullus mihi apparuit. Credo, inquit, equidem me indignum, vtpote gentilem, talia intrare non meruiſſe mœnia, quorum decorem mirabantur cæli palatia. Tunc ſancto epiſcopo petente ab eo, vt prouius ductor nauim eorum in eam partem dirigeret, ille rudentem qua nauis anchora retinebatur manu cæpit, & quaſi cædrina proceritate ſublimis profundum, pelagi pedetentim gradiendo ſulcans, poſt ſe nauim trahebat, ſi forte eos ad locum illum ducere poſſet. Sed repente fretis feruentibus, inſanientibuſque ventis, oborta tempeſtate contraria, cum non valerent illuc progredi, reuerſi ſunt ad inſulam, vbi gigantem ipſum beatus Machutes ſuſcitauerat. Vbi cum Deo deuote ſeruiendo morarentur, contigit denuo ibi gigantem ex vita migrare. Cuius inopinum obitum epiſcopus & ſocij eius admirantes, animam eius Deo fideliter commendauerunt, & corpus terræ commiſerunt.

Sanctus Maclouius rediuiuum catechizat, & baptizat.

Non adeo creditu difficile eſt, quæ hic de Ima inſula narrantur, ſi ad memoriam reuocetur quod de Atlantide inſula poſt Platonem in Timæo refert Thomas Bozius tom. 2. de ſignis eccleſiæ, part. 1. ſig. 72. c. 17. num. 4.

De miſſa quam ſuper cetum in mari celebrauit.

Cap. XCVIII.

DIffiſi vero à ſpe inueniendi inſulam quam quærebant, in patriam redire dijudicant. Denique carinam à ſtatione ſubmouentes illuceſcente ſacratiſſima die Paſchę circumſpicientes, quaſi modicam inſulam viderũt, ad quam & applicuerunt. Illic ſanctus Machutes

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cete mentionem iucundam ac eruditam reperies apud Fe. narulentium, comment. in Ionam prophetam.

suggerentibus fratribus, missarum solennia celebrare cæpit. Cumque fratres psallendo missam canerent, peruentum est missali ordine vsque ad orationem dominicam, tum subito tota illa, quæ videbatur quasi insula, commota est. Erat autem bellua, ex his quæ cæte dicuntur abyssi incola, tantæ enormitatis & magnitudinis, vt crederetur paulo ante ab episcopo, & socijs eius insula esse, vel terræ spacium aliquod. Aduerterunt igitur superstantes viuum animal esse, & exterritis omnibus, seque iam mergendos & deglutiendos clamantibus, vir Dei fidens in Domino interritus perstitit, donec impleta missa fratrum cateruam confortare cæpit proponens eis Ionam Prophetam triduo in ventre ceti incolumẽ seruatum, diuinaque adesse suffragia, vbi prorsus desunt humana. Tunc diffugientibus cunctis ad nauim, sanctus vir in oratione se ibidem prostrauit inuocans Deum, vt cetum illum cui superstabat immobilem faceret, donec illa congregatio fratrum illæsa transeundo euaderet. Qua oratione completa, bellua virtute diuina quasi rupes vel mons facta est, immobilis, donec sanctus Machutes libero post omnes de naui gressu descenderet. Sicque laudantes Deum prospero cursu ad patriam redierunt incolumes.

De quibusdam eius miraculis.

Cap. XCIX.

Mortuum ad vitam reuocat.

Cvm autem sanctus Machutes in vigilia Paschæ missam celebraret, transibant ante fores ecclesiæ viri cadauer mortui portantes, quos ille vsque ad consummationem missæ subsistere mandauit, eaque expleta, orationem omnibus circumstantibus indixit, pro suscitatione mortui. Cumque illo simul orante mortuus surrexisset, fatebatur se sitim feruidam tolerare, haustumque vini sibi propinari cæpit obsecrare. Sed quia vinum nusquam prope habebatur, conspiciens episcopus vasculum marmoreum iussit sibi afferri, super quod episcopali benedictione edita, mutauit illud in vas vitreum, aquam vero introfusam vertit in vinum. Sicque vno die tria tam mirifica patrauit miracula. Mortuum reddidit viuum, marmor fecit vitrum, aquam vinum.

Aqua mutatur in vinũ.

Cum autem transiret per Britanniam euangelij semina serens, inuenit quendam subulcum mærentem non modice pro quadam porca, quam iactu lapidis interemerat, eo quod messes importuna voratrix sæpissime irrumpebat, cui incumbebant septem suilli fœtus, nec lac nec quicquam à mammillis, solito haustu elicere gestientes. Cumque sciret præsul angorem subulci iam Domini sui iram pro interfecta sue formidantis, viscerali pietate compassus, posuit cuspidem baculi sui in aure scrophæ, & statim rediuiua effecta, præbuit vber fomentum lactis fœtibus suis. Quæ res apud Dominum subulci adeo conualuit quod per seipsum pontificem adiens, seque illi humilians & opem suæ gratiæ efflagitans, eandem villam ei iure dominij possidendam donauit.

Reflituit suæ exanimatã.

Die autem quadam idem sanctus episcopus cum aliquot monachis suis in agrum causa putandi vineam iuit & vt posset leuius ac promptius operari, cappam in quodam loco vineæ deposuit, peractoque labore cum vellet cappam reinduere, inuentum est in ea cuiusdam auiculæ ouum. Quo comperto vir Dei condescensionis illius non expers, sine cuius prouidentia nec vnus passer perit super terram, prohibuit indumentum de loco amoueri, donec suos auicula fœtos pullos excluderet. Interim tamen nulla aeris intemperies vel pluuia ipsum sacri præsulis vestimentum inficere, vel attaminare vi diuina inhibita, præsumpsit vel temerauit.

Matth. 10. Cappa eius à pluuia sub dio non violatur.

Adhuc de eodem.

Cap. C.

Post mortem Hailoch ducis Britanniæ, qui beatum Maclouium quandiu vixit honorauit, surrexit impia generatio hominum illius prouincię contra sanctum Dei inuidia & malignitate feruens. Accidit autem, vt eius pastorem male fustibus & flagellis contusum super littus maris sternerent, arcuatisque viminibus ne se illinc tollere posset vndique arctarent, vt ab accessu etiam maris statim enecaretur & periret. Hoc audito, episcopus orationibus obtinuit, vt mare exiens, & inundans more solito, circa virum illum spacium circumquaque milliarij relinqueret inaccessum, ne æstus sui feruore flamulum eius absumeret vel necaret. Deinde vt citius potuit locum, vbi ille arctatus & irretitus iacebat, adijt, eumque sanctitatis suæ præsentia effectum incolumen secum vegetum, & sanum reduxit.

Multa patitur vir Dei ab improbis.

Denique æmulos suos exemplo Domini declinans, sanctonicæ vrbis pagum prouinciæ Aquitaniæ cum cœnobitis expetijt: cui aliquandiu illic manenti, contulerunt sibi Pagenses de rebus suis multa donaria, inter quos quidam rusticus contulit ei asellum ligna de sylua vsibus necessarij allaturum. Hunc Asellum Præsul mãcipio commendauit, qui cum vna dierum ligna Asello imponenda decideret, lupus rapaci auiditate eum inuadens occidit, & absumpsit. Quod ægre ferens famulus, lignorum partem humeris imposuit, & Præsuli deportauit, narrans, quæ de asino acciderant. Qui dixit ei: Dirigito me præuius in syluam: quam ingressus episcopus, precibus facillime obtinuit præsto sibi adesse lupum, quem iussit sterni more iumenti, struemque lignorum ei superponi, & onustam domum minare. Qui lupus postea extitit quasi canis domesticus, pergens semper cum famulis & rerum custodibus, custodiam peruigilem & instantem sagacissimo rependens astu.

Migrat in Gallias pulsus à sede sua.

Plura de hoc Sancto lege in eius vita quæ extat in Bybliotheca Floriacensi.

Obijt autem vir sanctus 17. Calendas * Decembris.

* Septẽbris.

De morte Iustiniani, & Imperio Iustini iunioris.

Cap. CI.

Hvgo *quinto libro*. Interea Iustinianus Augustus dum à diuinis mandatis aurem cordis auertit, iusto Dei Iudicio amentiam incurrit. Vnde accersito Iustino viro Christianissimo: Curopalatem eum constituit, & ei totius curam Imperij delegauit, quod cum fecisset, decessit Imperij sui anno 38. & mense septimo. Iustinus itaque iunior genere Thrax, ex Curopalate factus Imperator, habuit vxorem nomine Sophiam, quam & coronauit Augustam.

Narses à populo Romano in inuidiã adducitur l. 2. de gestis Longobar. cap. 3.

Huius temporibus, Narses Romanorum Patricius, cuius supra meminimus, cum ab incursu diuersorum hostium totam quietam reddidisset Italiam, pro magnis beneficijs magnam inuidiam pertulit à Romanis, ita vt in vrbem regiam Iustino mandarent dicentes, quia melius erat Romanis Gothis seruire, quam Græcis, vbi Narses Eunuchus imperat, & pro sua libidine dominatur. Quibus sermonibus commotus Imperator, Longinum Præfectum suum Narsetis loco substituit. Sed & Augusta Sophia hanc Narseti mandauit contumeliam, vt Constantinopolim remearet, & cum puellis suis in cõuentu fœminarum lanarum pensa diuideret. Ad quę verba Narses dicitur respondisse, talem se ei telam orditurum, vt quamdiu viueret, nunquam deponeret. Et Neapolim secedens Longobardis mandauit, vt pauperrima Pannoniæ rura, quæ incolebant, deserent, & ad Italiæ fertile solum possidendum confluerent. Quod audiens Alboinus Rex Longobardorum Hunis Pannonia tradita, in Italiam cõmeauit cum multitudine magna Longobardorum, anno ab incarnatione Domini quingentesimo sexagesimo octauo, deinde Mediolanum

Longobardi inuitantur à Narsete vt in Italiam transeant.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

diolanum ingressus est,& intra breue spacium temporis penè sibi totam præter Romam & Rauennam, subiecit Italiam. Antequam tamen Alboinus Italiam inuaderet,igneæ acies apparuerunt in cœlo,humano sanguine,qui postea effusus est,coruscantes.

Sigebertus in chronicis. Sumpsit autem Iustinus imperium anno domini 566. mundi scilicet 4417. & imperauit annis 12.

Huius anno primo, sanctus Columbanus presbyter veniens de Scotia, clarus habetur in Britannia.

De sancto Columbano Abbate.

Cap. CII.

Iustinus iunior Imperator an. Ch. 566. Mund. 4417.

Visio matris S. Colũbani.

EX gestis eius. Hic Columbanus ex Hibernia insula inter primordia fidei gentis illius natus est, cuius etiam mater cum iam conceptu grauida teneretur,subito per noctem sopore depressa,vidit ex sinu suo rutilantem Solem procedere, & mundo lumen iam magnum præbere.

Cum autem iam vicesimum annum ageret, cum 12. comitibus nauem ingressus, Christo duce Britanniam peruenit,& inde ad Galliam tendit. Agebat autem vt quæcunque ad loca progrederetur,verbum euãgelicum pronunciaret. Peruenit autem fama eius ad aures Sigeberti Regis,qui duobus scilicet Austrasiorum Burgundiorum tunc præerat regnis. Data itaque optione,Regis suasionibus obtemperans eremum vastam nomine Vosagum petijt,ibique cum suis resedit,nouem iam anni transierant,quo non alias carpserat dapes, quam herbas saltus,& arborum cortices.Cum autem Abbas monasterij, cui est Salicis nomen per visum à Deo commonitus est vt famulo suo Columbano in eremo deferret necessaria,expergefactus Cellerarium suum Marchulphum iussit, omnia quæ posset parare beato Columbano deferre. Oneratis igitur vehiculis, Marchulphus iter arripuit. Sed cum viam ignoraret, consilium fuit,vt si in hoc esset Dei imperium,præmissis equis imperantis potentia viam aperiret. Mira virtus: Antecedentes equi ignotum vngula callem terunt, rectoque itinere ante fores beati Columbani perueniunt. Ille grates conditori rependit,qui sic famulis suis in deserto mensam parauit.

Abbas quidã mittit ei escas.

Quadam die dum secessit ex cella,vasta eremi penetrans reperit saxum immane, cuius abdita perscrutans reperit vrsi habitaculum,ipsumque intus residentem,qui eius imperio abijt, nec vltra redire ausus est. Ibi ergo vir sanctus in rupe concaua in diebus festiuis ab aliorum societate se segregans tutabat, vt absque curarum inquietudine solus orationi vacaret, nec aliud penitus victui erat quam agrestium herbarum exigua mensura, vel pomorum eremi paruulorum, quæ * bulgulas vocant,potus vero aqua. Eratque in eius ministerio puerulus nomine Domualis. Qui cum sub silenti voce quereretur,quod in promptu aquam non haberet, sed hanc cum magno labore per montis ardua deferret,Columbanus præcepit ei pauliſper saxi terga scrutari, at ille patri obediens, rupem cędere est aggressus. Tunc vir sanctus genibus prouolutus Deum precabatur, vt necessitati suæ opportuna tribueret,moxque latice producto manare cæpit fons perennis,qui vsque hodie manat. Cumque iam multorum monachorum societate densaretur, quærens in eadem eremo potiorem locum, quo monasterium construeret, inuenit castrum olim fuisse munitissimum,nomine Luxouium, vbi aquæ calidæ eximio cultu constructæ habebantur, & imaginum lapidearum densitas quas pagani coluerant, sed solum tunc ibi ferarum multitudo frequentabat. Ibi ergo residens,monasterium construere cæpit. Ad cuius famam plebs vndique concurrit, ita vt multitudo monachorum adunata, vix vnius cęnobij collegio valeret consistere.

Vrsum abscedere iubet Dominicos & festos dies vt coluerit,

** Bullugas & Bullucas.*

E saxo aquã elicit precibus.

Luxouiense monasteriũ extruit.

De miraculis eiusdem.

Cap. CIII.

CVm aliquando fratri nomine Gallo præcepisset,vt ad Bruscam iret,piscesque caperet, ille abijt, ratumque duxit,vt ad ligonem amnem pergeret. Quo cum peruenisset, & rete in alueum iactasset, aspexit piscium multitudinem venire, nec prorsus reti teneri, sed quasi in parietem impingerent retrocedere, itaque per totam diem laborauit,nec vnum capere quiuit. Reuersusque de frustrato labore patri nunciauit: illeque inobedientem increpans, ait: Vade cito ad denunciatum locum. Qui pergens vt vndis rete apposuit, tali copia impletum est,vt vix præ multitudine trahi posset.

Quadam autem vice dum moraretur in præfato scopuli sinu, à quo vrsum expulerat, cognouit per reuelationem fratres qui apud Luxouium erant,diuersis morbis vexari,nec amplius quam qui ægrotis ministrabant remansisse. Egressus ergo de specu,illuc peruenit. Cumque omnes afflictos cerneret, imperat vt omnes surgerent, & ad messes in area virgas cæderent. Quod cum obedienter ac fideliter facerent,mirabantur de sospitate nullo doloris vestigio remanente.

Tempore autem messis cum vrgeret necessitas ne maturæ segetes germine misso perirent,irruebant venti cum imbrium vehementia. Inter hæc anxius vir Dei fide ornatus,fratres accersiuit omnes,& segetem prędi iussit quatuor angulis messis quatuor fratres præponens, & ipse cum reliquis medius messem præcidit. Mira virtus,fugiebat imber à segete, & diffundebatur vndique, medios tamen messores solis ardor torrebat, æstusque vehemens quoadusque messem conderent, afflauit.

Salina sanat digitum præcisum.

Quadam die quoque dum ad præscindendam messem cum fratribus venisset, contigit vt vnus eorum Theodegisus digitum sibi falce præscinderet, nec prorsus haberet præter paruæ pellis retentaculum. Itaque vir Dei stantem eum cernens, imperat vt cum fratribus opus perficiat, qui cum rei gestæ causam prompsisset, ille celer ad eum properauit,digitumque saliua illitum pristinæ statim sanitati reddidit, deinde imperat vt celer ad cæptum opus vires augeat.

Coruus restituit quod abstulerat.

Alia vice eum ad capiendum cibum veniret, chirothecas quas ad laborem operis habere solebat super lapidem ante fores refectorij deposuit: mox quiete reddita,coruus aduolauit, vnamque ex eis rostro ferens abstulit. Peracta refectionis hora, vir Dei egrediens chirothecas requisiuit. Cumque omnes inter se quis abstulisset conquirerent,vir sanctus ait,quod nullus alius attingere præsumpsisset,nisi ales,qui ad arcam à Noe dimissus non redijsset, addiditque se nullo modo pullos suos aliturum,si rapax furtum celeri volatu non referret. Expectantibus illis in medium omnium coruus aduolat, & furtum rostro reportat,nec se fuga conatur eripere,sed ferocitatis oblitus vltionem expectat,quem vir sanctus abire imperat.

Adhuc de eodem.

Cap. CIIII.

QVadam die dum hora refectionis appropinquaret, & minister refectorij ceruisiam administrare conaretur,vas quod Typrum vocant ad cellarium asportauit,& ante vas quo ceruisia condita erat apposuit, tractoque serraculo mea tim in Typrum currere sinit. Quem beati Columbani Imperio alius ex fratribus vocauit. At ille obedientia feruens, oblitus meatum reserare,cucurrit ad patrem serraculum, quod Duciolum vocant,manu deferẽs. Postquam sibi vir Dei, quod voluerat deprompsit,oblitus negligentiæ,celer ad cellarium redijt, conijciens nihil in vase de quo decurrebat

Præclarum obedientiæ miraculum.

ceruisia

ceruisia remansisse. Intuitus est autem supra Typrum ceruisiam creuisse, nec minimam quidem stillam foris cecidisse, vt crederes in longitudine Typrum geminatum esse, vt qualis & quanta rotunditas infra Typri coronam inerat, talis in altum creuisset vrna. Sic apparuit, & imperantis meritum, & obedientia obsequentis.

Eo tempore vir Dei solitudinis amator ambulans, reperit cadauer cerui à lupis prærepti vrsum velle deuorare, cuius iam sanguinem lambens exiguam carnis partem vorauerat, huic imperauit ne corium, quod ad calciamentorum vsus necessarium erat, læderet. Tunc bestia contra naturam mitis effecta blandiens, ac colla submittens cadauer reliquit. Quod vir Dei ad fratres rediens indicauit, præcipiens, vt irent & è cerui cadauere corium auellerent. Abeuntes itaque repererunt vndique rapacium alitum multitudinem adesse, nec ad cadauer supra viri Dei interdictum audere accedere.

Fera Sancto viro obedit.

Erat autem in ipso cœnobio luxouio quidam frater, & ipse Columbanus nomine, ex genere beati Columbani, vnoque comitatu ex Hibernia processerat, cui etiam bestiæ, & volucres, sicut beato viro parebāt. Nam ad imperium eius feræ, & aues veniebant, seque manu blandientis attrectari sinebant, eique gaudentes ac ludentes, sicut catuli solent Dominis, exultabant. Hic febre correptus, cum iam vltimo halitu carere vellet fidens de cœlesti munere, quod & longo famulatu quæsierat, vidit ad se virum fulua luce amictum accedere, sibique dicere: Non te modo à corpore educere possum quia orationibus, & lachrymis patris tui præpedior. Quod cum audisset mærens, sanctum Columbanum ad se per nuncium accersiuit, & ait: Cur me in hac erumnosa vita tuis orationibus detines, nam adsunt, qui me ducere volunt, si tuis precibus non præpediuntur. Recedentibus ergo solue obstacula, vt mihi iam pateant regna cælestia. Tunc ille corpus Christi ab hac vita abeunti viaticum præbuit, ac post extrema oscula functionis cantus impleuit.

De sancto Samsone Dolensi, & eius origine, & magistro eius Elchuto.

Cap. CV.

An. Ch. 566

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato Samson Dolensis archiepiscopus, consanguineus beati Maclouij, & successor Samsonis Maglorius, qui de transmarina Britannia ad Cismarinam transierat Britanniam, claret sanctitate, & doctrina.

Ex gestis eius. Hic Samson de Metiana prouincia nobilibus parentibus ortus fuit, huius mater Anna cum sterilis putaretur, desperato iam fœtu cum marito suo Amonio ieiunijs & eleemosynis frequentibus incumbebat. Cui nocte quiescenti, per visum Dominus ait: O mulier firma in fide, stabilis in Dei dilectione, ac perseuerans in prece, ne timeas neque dissidas, quia prolem habebis, & primarium filium Samsonem vocabis, hic erit coram Deo sanctus, Deoque iubente sacerdotali officio condignus. Itaque mulier cum gaudio concepit & peperit, & infanti baptizato nomen Samsonis imposuit. Qui cum esset annorum circiter 5. Christi scholam adire voluit, sed pater eius ne fieret clericus contradixit. Tandem vero cœlesti increpatione per somnium admonitus, eundem ad scholam duci compulit egregij scilicet Britannorum magistri nomine Elchuti, qui ex discipulis erat sancti Germani. Erat autem omnium scripturarum veteris scilicet, & noui testamenti, & omnium artium philosophiæ, omnium Britannorum compertissimus & futurorum præscius. Qui post gesta mirifica cum ægritudine mortis teneretur, duos alios Abbates scilicet Isanum, & Atroclium ad se venire fecit, eisque dixit: Gaudeo fratres de aduentu vestro, quia tempus adest meæ in Christo dormitionis, & vos debitum obsequium mihi præbebitis. Sed confortamini, quoniam & vos cito post me transibitis, vno quidem transitu sed diuerso euentu. Ego quidem hac nocte præsentibus vobis Angelorum manibus percipiar, ita quod in similitudinem aquilæ duas pennas aureas habentis, animam meam Isanus videbit, & animam Atroclij pariter in aquilæ quidem typum, sed duas pennas plumbeas habentis grauiter volitare, & post 40. dies frater Isanus, & ipse æqualiter cum eo exitu fæliciter perueniet ad Christum. Tu quidem frater Atrocli concupisti ea quæ mundi sunt, sed mundus es propter antiquam sanctitatem tuam, ab infantia hucusque reseruatam: grauidus autem in pennis tuis propter plumbeum auaritiæ pondus, quas pennas Omnipotens Deus à te dignetur euellere. Hæc & huiusmodi dicens, media fere nocte de carne cum hymnis & choris fæliciter exijt animamque suam per imàginariam speciem, sicut ipse dicebat, beatus Isanus vidit, & alterius fratris animam similiter, vt ille dixerat cernit: vixque per eius suggestionem, & sanctorum orationes, & missas multas cantatas redempta fuit, ita quod & ipse solus eam vidit in melius reparatam, ac de pessimis peccatorum suorum vinculis solutam. Et ille nihilominus die condito, & simili exitu secundum promissionem senis fæliciter peruenit ad Christum.

Angelus apparet matri S. Samsonis.

Elchuti doctrina eximia.

De bona indole eiusdem Samsonis.

Cap. CVI.

Hic itaque sanctus Elchutus electum Dei puerum Samsonem de manu suæ matris excipiens, cum eum amanter deosculasset, respiciens in cœlum, & benedicens eum ait: Gratias agimus Deo, qui hoc luminare nobis indignis de gente nostra dignatus est accendere. En omnium nostrum caput augustum. En omnium Britannorum sacerdos egregius, multisque citra & vltra mare profuturus. Itaque literis apud eum puer eruditus, cum esset annorum circiter 25. ieiunijs ac vigilijs plus omnibus fratribus se exercebat, ita quod sæpe biduana ieiunia facere contendebat. Quadam etiam die ipse & magister eius inciderunt in quandam altam quæstionem, cuius explanationem nullatenus potuerunt reperire. Tunc destinauit Samson inter se ieiunijs ac vigilijs incumbere, donec eam Deus illi dignaretur ostendere. Dum autem tertia nocte oraret, assistere sibi vidit lucem cælitus emissam, ac vocem audiuit de luce suauiter sibi dicentem: Ne fatigeris amplius electe Dei, ecce etenim non solum hanc quæstionem, pro qua laboras consequeris, sed etiam quęcunque petieris à Deo per orationem & ieiunium exigentibus tuis bonis meritis impetrabis.

Ieiunia S. Samsonis.

Quadam die in æstiuo tempore dum irent fratres ad purganda mala gramina de messe, coluber quidam de rubo exiliens, quendam fratrem momordit in inguine, & ad terram cadens semiuiuus remansit. Fratres autem circa eum flentes orabant, nec aliud quam morituram sperabant. Quo audito Samson, qui cum magistro erat, cucurrit etiam inueniens fratrem extremum pene halitum iam trahentem, serpentino morsui signum Crucis imposuit, & per 3. horas orationem protelans, aquamque oleo mixtam benedicens, fratrem penè mortuum Deo operante reddidit incolumem & sanum.

Quendam fratrē morsu colubri exanimatū curat.

De ordinatione ipsius in diaconum cum miraculo.

Cap. CVII.

Veniens autem * papa Dubritius ad domum Elchuti Samsonem Diaconum ordinauit. In quo facto grande miraculum interfuit. Tres fratres ibidem ordinati sunt duo in presbyterij, & ille tertius in diaconatus officio, sed cum ad genua flectenda iuxta morem fratres inuitarentur, vidit Papa sanctus vna cum magistro Elchuto, columbam cęlitus emissam per fenestram sursum apertā descendere, ac super sanctum Samsonem

** Id est episcopus.*

non

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Visa est columba supra caput S. Samsonis immobilis hærere cum diaconatus susceperit gradum.

non vt est moris aufugitare vel volitare, sed semper sine vllo penniculæ motu immobiliter stare, quin etiam episcopo manu ad confirmandum eum diaconum super eum leuante, illa quod est mirabilius, in scapula eius dextra descendit, ibique constanter mansit tamdiu, donec officium ab episcopo consumaretur totum. Nec longe post ab eodem episcopo ordinem presbyterij dignus accepit, & quale signum cælitus visum est quando diaconus factus est, tale etiam visum est, quando presbyteratus ordinem suscepit. Quanto autem in maiori gradu inhæserat, tanto & in arctioris abstinentiæ tramite se inferebat: qui etiam libidinosa incentiua adolescentiæ suæ flore vinceus, voluntariam carnis munditiam pro natura habebat, nec vnquam aliquid alicuius animalis in sua tota vita gustabat.

De veneno sibi propinato.

Cap. CVIII.

Hæc historia diuersa est ab ea quæ conscripta est à quodam anonymo & extat in bibliotheca Floriacensi.

At duo fratres diabolicis repleti venenis, & maxime quidam malus presbyter ei inuidebant, vnde quasi ebrij & amentes huc & illuc vertebantur. Frater autem eiusdem presbyterij pistor effectus est monasterij, qui accepto mali fratris consilio, venenum sancti Samsonis miscuit poculo. Tillum quoddam fricans ei propinauit, & vt fieret probabile mortiferum parum de eo prius animali dedit, quod scilicet animal vt bibit, saltum præcipitem dedit, & statim mortuum est. Sancto vero Samsoni oranti Spiritus Domini monstrauit sibi malum nuper præparatum. At ille de Dei promissione confidens, vbi ait: *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*: lætus refectorium est ingressus, eo quod ipse monasterij esset œconomus, pocula fratribus benedicens, & sanctæ Crucis signaculum imponens, absque hæsitatione totum bibit, nec vllum paruissimum dolorem cordis vnquam sensit ex eo. Tunc pistor mali commissi pænituit, & fratrem de liuoris malitia increpauit, sed in obstinatione perdurans, nullum assensum bono consilio præbuit, sed vindicta Dei velox affuit: nam dominica die proxima de manu Samsonis sancti communicans, cum buccella in os eius intrasset, eadem hora dæmonio est arreptus, ita vt pallens, tremens ac discerpens, seque imprudenter denudans, labra sua dentibus morderet, & alios fratres absque verecundia degarriret. Sed sancto Samsone ei condolente, & pro eo cum lachrymis orante, sanitatem recepit, malique commissi pænitudinem agens coram omnibus fratribus agnouit. Itaque vir sanctus totam diem operibus manuum & orationibus, totam vero noctem lectione scripturarum & meditatione ducebat. Et siquando vt homo quiescere opus haberet, seipsum parieti aut alicuius rei duræ firmamento inclinans, nunquam in lecto dormitabat.

De itinere ipsius ad patrem suum infirmum, & diacono propter Theomacham stupefacto.

Cap. CIX.

Quadam hyeme pater eius ægrotans ad mortem, affirmabat se nunquam vel mortem gustaturum, vel sanitatem recepturum, vel sacrificium orationis percepturum, nisi Samsonem primogenitum suum videret, per quem pariter corporis & animæ sanitatem se percepturum dicebat. Quod beatus Samson, vt à nuncijs à se directis audiuit, apud se ingemuit, & ait: Iam nisi fallor Ægyptum reliqui, non est opus me in ipsam redire, potens est autem Deus ægrotantem sanare. Sanctus vero Piro misericordia motus dixit ei: Quare sic dicis electe Dei? Curam te oportet habere de animarum profectu, tuaque merces grandis erit cum Deo, dum vbi carnalia creuerint, spiritualia seminentur. Qui respondit: Vtinam voluntas Dei fiat: nam propter Deum, & propter animarum lucra, omnibus paratus sum. Itaque faciens nuncios progredi subsecutus est ipse cum quodam iuuene diacono sibi ab Abbate associato. Et dum irent orantes per vastissimam syluam, dirissimam audierunt vocem, à quadam persona horribili valde, ad dexteram partem iuxta illos terribiliter strepitantem. In cuius auditu diaconus expaueſcēs & pallens, equum quem manu tenuerat cito dimittens, & pallium suum iactans, in velocem fugam se dedit. Clamante post tergum beato Samsone confide frater, confide, ne timeas: sed eo non intendente, ac semper fugitante eminus lachrymabilibus oculis inspiciens, scutum fidei firmiter tenens, seque semper Crucis signaculo circumuallans, vidit Theomacham hirsutam canutamque iam vetulam crysulatam venalem in manu sua tenentem, syluasque vastas veloci cursu volucritantem, & fugientem recta linea insequentem. At sanctus in fide stabilis mansit & intrepidus palliumque fugientis in equum imponens ac fugientem & persequentem fiducialiter secutus, frattem seminecem reperit, ipsumque paululum intuens, Theomacham anum currentem à longe vidit, & cernens eam in vallem iam descendentem exclamauit: Quid fugis mulier? Et ego homo sum, vt ille quem prostrasti, si in potestate tua datus sum, ecce adsum. At illa non attendente, sed semper fugere nitente, iterum clamauit: Impero tibi in nomine Iesu Christi, ab eo loco in quo modo stas vltra donec veniam ad te pedem non moueas.

De responso eiusdem vetulæ diabolicę, & sanatione diaconi, & parentum Samsonis conuersione.

Cap. CX.

Tvnc illa stante & tremente, & venalem in terra laxante, vir sanctus aduenit, & ait: Quæ es mala forma, vel qualis? Quæ cum ingenti tremore respondit: Theomacha sum, cuius gentes vsque huc vobis præuaricatrices extiterunt, & nunc nulla de meo genere remansit in hac sylua nisi ego sola: habeo enim 8. sorores & matrem, quæ non hic sunt, sed in vlteriori sylua degunt. Ego autem marito in hac eremo tradita sum, eoque iam mortuo secedere de hac silua non possum. Cui sanctus ait: Nunquid potes fratrem quem percussisti rediuiuum reddere, vel certe solicitari de profectu animæ tuæ? Illa respondit: Nolo. Nec in melius reparari possum, nullum enim bonum facere possum, sed semper ab infantia mea hucusque ad mala exercitata sum. Tunc sanctus ait: Deum omnipotentem imploro, ne amplius iniuriam facias, sed cum sis irremediabilis, hac hora moriaris. Tunc illa saltum præcipitem in latus sinistrum dans ad terram corruit, & mortua est. Tunc vir sanctus ad fratrem iacentem venit, & diligenter perscrutans in pectore, tantum vitalem flatum manere reperit, & more Helisei os ori membraque cætera singulis componens, flens & orans eum sanitati restituit. Iter igitur cæptum pariter peregerunt, & Amonem patrem sancti Samsonis ægrotantem in lecto inuenerunt. Qui in aduentu eorum gauisus, capitale crimen ad mortem quod in se celauerat, in medium publicauit, Deoque se seruiturum vsque ad finem suum deuouit, & caput suum eadem hora tonderi fecit, vxore sua maxime ei suggerente, atque dicente: Non solum ego & tu, vt decet & conuenit, seruiamus Deo, sed & totam prolem nostram in Dei seruitute iungamus, & omnia nostra Dei tota fiant. Quo ascendente præsentatis 5. fratribus suis S. Samsoni vna cum sorore valde paruula, paululum silens respondit: Fratres quidem mei boni sunt, & Deo donati, sed hæc pusilla ad mundanas voluptates data est tamen nutrite eam quia homo est.

Quo modo parentem visitans salutis ei causam adfert.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De reditu eius ad monaſterium & electione ipſius in Abbatem.

Cap. CXI.

COnfirmatis itaque ſuis in bonis operibus, & ad monaſteria fundanda ſuggeſtis, ſanctus Samſon vna cum patre ſuo & auunculo & diacono in pace perrexit. Et dum iter agerent, præcedens illos Amon vidit ſemitam,& quaſi igne exuſta rura circa eam, ac veſtigium quoddam quaſi trabes per exuſtas herbas traheretur. Et primo quidem intremuit, fratrique ſuo ſequenti ſe monſtrauit dicens: En, quem audiuimus eſſe in hac ſylua ſerpens antecedit nos, & niſi fallor non longe à nobis eſt. Quod audiens ſanctus Samſon conſolans eos ne timerent, ſed in Deo confiderent addidit: Stabiles eſtote, expectantes me donec reuertar ad vos,orantes & ſilentes. Sedentibus autem illis,ipſe progrediens vidit à longe ſerpentem flammeo capite ſerpitantem, pſallenſque & dicens: *Dominus illuminatio mea* &c. ad eum cucurrit. At ſerpens morſu glebam ex terra apprehendens, in aduenientis faciem iactauit, ac ſibilum diræ vocis quaſi gladio cæderetur emiſit, poſtea tremens,& caudam rabidis dentibus rodens, in ſpiram ſe velociter collegit. Sanctus autem circulum faciens, & ſignum crucis imponens ait: Vade nunc quouſque permitteris. Et ait comitibus ſuis: *Venite,& videte opera Domini*. Qui venientes viderunt ſerpentem è circulo ſuo pigro ſe ſoluentem ſuper terram repere, & vſque ad locum fixi baculi ſancti in gyro rotitare,qui nullatenus vltra terminum caput poterat erigere. Tunc ſanctus multis verbis eos confortans,& vt creatorem credentes creaturam non timerent exhortans, tandem imperauit ſerpenti in nomine Ieſu Chriſti vt eis præſentibus moreretur. Qui mox ad caudam ſtans,& caput ſurſum leuans arcumque de ſe inepte faciens omne venenum euomuit, & mortuus eſt. Tunc illi Deo gratias agentes profecti ſunt,& ad monaſterium cum proſperitate peruenerunt in quo ſanctus Samſon Abbas ab omnibus electus, fratres ſuos ſecundum regulam ſuauiter inſtituit,nec ibi plus anno dimidio primatum tenens inter dapes & pocula ieiunus ſemper & ſitiens eſſe ſtuduit. Tantemque vaſtiſſimam eremum adire deſtinauit, vbi experto ſpecu ſecretiſſimo, cœleſtem vitam agens habitauit. Sed cum ei aqua omnino deficeret 7. die dum ieiunus & ſitiens proſtratus oraret, ſudantem glebam ſenſit, & haſta baculi ſui infixa fons aquæ dulcis emanauit.

Pſal. 26.

Serpentem mirabiliter domat & occidit.

Rediens ad monaſteriū quid egerit.

De ordinatione eiuſdem in epiſcopum.

Cap. CXII.

ERat autem mos epiſcopis in cathedra ſancti Petri ad ordinandos epiſcopos conuenire. Illo igitur feſto propinquante, beatus Samſon vidit in viſu quadam nocte tres epiſcopos egregios diadematibus aureis coronatos,& auloſericis veſtibus indutos ſibi aſſiſtere, & cauſa orationis ſecum pariter eccleſiam intrare. Tunc eorum nomina ſedule percunctatus, ab eis reſponſum accepit, Petrum,& Iacobum fratrem Domini,& Ioannem Euangeliſtam eſſe,eoſque ad eum ſacerdotem Domini confirmandum aduenisſe. Perfuncto itaque ab eis ſecundum morem integre epiſcopi officio, benedictionem eorum accepit, & illis abeuntibus epiſcopum iam ſe factum per ſpiritum intellexit. Venientibus igitur epiſcopis ad diem condictum, & duos ſecum ad ordinandum deferentibus, tertium vero ordinare volentibus,ſed adhuc quis eſſet ignorantibus, nocte ſequenti affuit ſancto Dubricio Angelus Domini in ſomnio, ſanctum Samſonem ſacerdotem fore firmans, Deique placitum eſſe dicens. Tunc ſanctus Dubricius omnes conſiliarios præ gaudio expergiſci, & in vnum conueniri fecit, eiſque quod viderat, & audierat enarrauit.

Ordinatur diuinitus epiſcopus.

Qui & omnes ſine vllo diſtinctu eum epiſcopum fieri accepte firmauerunt,& epiſcopalem cathedram inſedere ſtatuerunt. Quo facto facto omnes ibi aſtantes viderunt Columbam cælitus emiſſam, conſuetam vicem reddere,& tandiu ſuper eum quouſque perfectè epiſcopus eſſet ordinatus,immobiliter ſtare.

Eodem etiam die miſſam illo cantante, præſentibus omnibus,viſum eſt Dubricio & duobus egregijs monachis, quaſi ignem de ore & naribus eius irrumpere. quod autem his maius eſt,ab eo die quo Preſbyter fuit vſque ad finem ſuum,quando miſſam cantabat, Angeli Dei ſemper altaris & ſacrificij miniſtri fiebant, oblationemque cum ſuis manibus illo ſolo vidente frequenter frangebant.

De tranſitu eius in Britanniam minorem,& monaſterio Dolenſi.

Cap. CXIII.

QVadam nocte Paſchæ cum miſſam cantaſſet, & ad altare ſtans ſolus oraret, in exceſſum mentis exijt,& aſſiſtere ſibi virum valde fulgentem vidit. Qui ei dixit: Confortare Dei ſancte, non enim debes in hac patria diutius immorari, peregrinus enim es deſtinatus & vltra mare maximus in eccleſia futurus. Poſt hæc & alia verba Angelus ab eo receſſit, & ille viſionem memorans iter arripuit, & in via matrem ſuam viſitauit, ſororem ſuam iam à matre diſceſſam adulterio pollutam reperit,& in hoc malo perdurantem excommunicauit. Multumque in locis illis doctrina & miraculis proficiens, nauigio tandem in Britanniam peruenit. Deſcendens autem de naui vidit prope portum tuguriolum, & ad oſtium eius priuatum plorantem, ac ſemper ad mare inſpicientem. Qui percunctatus ab eo quid hoc eſſet, reſpondit: Vxorem habeo in hac manſione leproſam, & filiam dæmoniacam, & promiſſionem habui illarum in hoc portu ſanandarum à quodam, quem mihi Deus promiſit venire tranſmarinum. Tunc ſanctus incunctanter manſiunculam introiens, & ſuper vtraſque ægrotantes orationem fundens, coram omnibus eas incolumes dimiſit. Inde exiens aptiſſimum ibi reperit locum, & honorificum, vbi fundauit monaſterium, vſque hodie Dolum nuncupatum. Vt autem ferebant de eo, qui in vita ſua ſatis comperti erant, ſuperponens frequentiſſimas necnon & biduanas,interdum autem & totas hebdomadas id eſt 7. dies totos peragens, ſeptimo demum die reficiebat. Noctes vero longiſſimas ſæpiſſime tranſire ſolebat, ſtando de luce vſque ad lucis reciprocum,nec ſtans omnino laſſabatur. Non diebus non noctibus ab orationibus, & diuinis colloquijs ceſſabat, tempus vero Quadrageſimæ ſic eum peregiſſe audiuimus,vt in initio in quodam remotiori loco ab hominibus ſegregatus oblationes ſecum tres portans,, inde tantum vſque ad Paſcha Deo illum confortante vtebatur, zelo Dei, & Eccleſiarum eius in pectore ardebat, ſermonem ſuum ſale diuino conditum prudenter ſecundum qualitates peccantium temperabat,omnibus,vtputa Deo plenus, affabilis & charus erat, multiſque miraculis clarus requieuit in domino.

Quomodo Angeli admonitu ſit peregrinatus.

Huius ſancti meminit Sigebertus in vita S. Maclouij.

Huius natale celebratur 5. Cal. Auguſti.

De ſancto Ethbino eius diſcipulo,& qualiter dominum per latera tenuit.

Cap. CXIV.

EX geſtis eius. Porro ſanctus Ethbinus in Britanniæ partibus fuit natus, & in domo patris ſui viri nobiliſſimi vſque ad 15. annum liberalibus artibus eruditus. Quo ſcilicet eius patre mortuo, mater eius ad ſancti Samſonis præſidium confugit, qui eam ſacro velamine conſecrans Deo dicauit, & filium ſuum Ethbinum coma capitis radens clericauit. Qui annis aliquot cum eo manens, eique iugiter ſeruiens, eo quadam die celebrante,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lebrante, audiuit verba Domini in Euangelio dicentis: *Luc.14.* *Qui non renunciauerit omnibus quę possidet, non potest meus esse discipulus.* Hac voce compulsus, cuncta reliquit, & ad sanctum Similianum Abbatem peruenit, habitumque monachalem de eius manu suscepit, & in Tauraco monasterio sub iugo Domini cerucem suam inclinauit. In quo, scilicet monasterio, habitabat sanctus * Vignalocus sacerdos, & monachus, cui iussu Abbatis ecclesiam vno milliario distantem à monasterio visitare, ibique hostias offerre consuetudo fuit, & ad hoc secum Ethbinum diaconum sociauit. * *Vinvvaloeus.*

Quadam igitur die dum irent, inuenerunt leprosum in messe iacentem, totum vulneribus plenum, flebili voce ab eis auxilium postulantem. Qui requisitus de infirmitate, suspirans ait: Graues dolores grassantur in corpore meo, sed insuper inest vnus dolor tam nociuus, vt si hunc diem sine eius auxilio transiero, mortem proximam esse puto. Nares enim meæ plenæ stercoris, concremantur ab ardore infirmitatis. Tunc Ethbinus eum per latera arripiens à terra sursum erexit, & Vignalocus ad nares eius manum porrexit, Sed & pauper flebili voce clamare cæpit: Noli senior manibus nares capere, quia dolor non permittit, sed si dolorem meum leuiare volueris, necesse est vt in ore tuo nares meas miseris, & ita traxeris. Tunc ille meritis exaltatus humiliauit se, & quando putauit dolorem alleuiare pauperi, ore suo carnem excepit filij Dei. Mox ergo, vt ad se traxit, * petia mirabilis in eius ore cecidit. Beatus autem Ethbinus per latera Dominum tenens sursum aspexit, cœlum apertum vidit, & in capite Domini quem tenebat sancta crux apparuit, Angelosque in obuiam Domini venire vidit. Tunc sacerdoti ait: Pater sancte, ipsum quem teneo manibus, & tu ore, Dominum Iesum Christum, qui pro nobis seipsum dedit, esse crede. Cumque dominum vellent tenere manibus, eleuauit se nubibus dicens: *Non me erubuistis, serui mei, in angustijs meis, nec ego vos erubescam in regno patris mei. Hæreditas vestra mecum est, & his, qui memores vestri fuerint in orationibus suis, salus in regno meo.* His dictis euanuit ab oculis eorum, & cum magna voce receptus est in cœlum, vocem quidem audiebant, sed neminem videbant. Cumque stupefacti laudassent Dominum Vignalocus Ethbino ait: Hoc tuis meritis nobis accidit frater, qui tantæ humilitatis & obedientiæ es, vt quicquid humana lingua percipere potest, tu in corde deuotissimo impleas. At contra Ethbinus ait: Non est ita pater, sed tu qui quotidie carnem & sanguinem Domini immolas, ipsum meruisti videre in corpore suo, quem assiduè tenes in animo.

* Lapillus.

Christus apparet sanctis in specie leprosi.

Tẽtat Christus fideles seruos suos.

Visio Ethbini.

Ecce quam recipiat merceden, qui in nomine Christi subueniunt pauperibus.

De vita & miraculis eiusdem.

Cap. CXV.

DEnique cum Franci vastassent Britanniam, sanctus Ethbinus Hiberniæ partes petens, in silua quæ Noctensis dicitur, vt pauper peregrinus tugurium fecit, & ecclesiam fabricauit, in qua assidue Domino militauit, & quadam die claudum ab eo petentem eleemosynam *in nomine Christi* sanauit. Quædam etiam mulier pro sanitate filij sui paralytici ab eo postulauit. Cui ille respondit: Nos peccatores sumus, hoc miraculum in vsu non habemus, sed si vis sanari filium tuum, perduc eum ad sanctæ Brigidæ sepulchrum. At illa: Ibi, inquit, ô Pater eum iam portaui, sed quadam nocte expletis vigilijs vocem mihi dicentem audiui. In Noctensi silua moratur seruus Dei Ethbinus, ad quem si filium tuum duxeris, sanitatem suis meritis obtinebit. Viuit ergo Dominus, quod à te non recedam, donec filium meum incolumem ante me reducam. Tunc sanctus oratorium intrans in oratione ante altare iacuit, quousque adolescens, de domo matris veniens dixit ei: *Gratias ago tibi pater, qui me in lecto ægritudinis iacentem visitasti, & tuis manibus erexisti, tantæque infirmitati sanitatem donasti.* Tunc erigens se vir sanctus *Deum benedixit*, &

Franci vastant Britanniam.

Ethbinus sanat claudũ.

Et puerum paralyticũ.

adolescenti, vt nemini diceret, eo quod non suis meritis, sed gratia Dei sanatus esset, præcepit. Vixit autem in eodem loco 20. annis opera Dei operans, & sanitatem infirmantibus donans. Tantæque ibi abstinentiæ fuit, vt in hebdomada cibus in eo non intraret, nisi tantum in 5. feria panis, & aqua. Vinum autem non bibebat, nisi tantummodo quando communicabat. Cumque iam esset 80. trium ferme annorum, acri dolore fatigatus, fratribus, qui in eadem silua morabantur, conuocatis, obitum suum prædixit, eisque Deo commendatis, ante altare spiritum reddidit 14. Cal. Nouembris.

Eius abstinentia singularis.

Obitus eius.

De sancto Basolo Rhemensi anachoreta & eius miraculis.

Cap. CXVI.

SIgebertus *in chronicis.* Anno Iustini 2. Basolus abbas, & Sindulphus Presbyter, & reclusus in Francia clarent.

Ex gestis eius. Sanctus Basolus in territorio Lemouicino ortus cum tempora adolescentiæ sacri tyrocinij incrementa contigisset, ad diuinæ seruitutis opus totum se conuertit. Cumque extra regni sui fines pedem peregrinaturus extenderet, apparuit ei Angelus Domini socius itineris, quo duce ad Rhemensem vrbem peruenit, vbi pontificatum tenebat sanctus vir Ægidius post beatum Remigium 4. Hunc Rex Francorum Chilpericus, & regni proceres valde diligebant. In ea quoque altercatione quæ inter Chilpericum & Childebertum de principatu regni fuerat oborta, idem Præsul Chilperici Regis auxilio non defuit. Vnde & multa postea aduersa sustinuit. Ab hoc vir Dei Basolus honorifice susceptus, petijt ab eo secretius concedi habitaculum sibi, eo quod haberet propter turbas vitare populum. Et primo quidem eiusdem Præsulis auctoritate & gratia in quodam cænobio ad radices montis Rhemorum monasticam vitam solitariam duxit. Deinde cum de virtute in virtutem sublimiter excreuisset, volens aggredi vitam solitariam in nemorosi montis cacumine cellam sibi cum oratorio construxit, vbi per 40. annos habitans, singulariter contra antiquum serpentem Deo fideliter & fortiter militauit. Ibi cum aquæ penuria vir sanctus laboraret, quadam die dum ad fodiendam terram in celsitudine montis accedens, aquam sibi deesse anxius ferret, deuote ad Deum conuersus orauit. Mox dicto citius fons in eodem loco fluere abundantissimus cœpit, qui etiam vsque hodie de superioribus ad ima dilabitur, haustu dulcis, & infirmis ad potandũ salubris.

De S. Basolo agit Petrus in cathal. li. 9. c. 69. Trithemius de viris illustribus ord. D. Benedicti li. 3. cap. 45.

S. Basolus secedit in eremum.

Attila quidam diues, & præpotens cum venandi gratia siluam cellulæ viri Dei contiguam intrasset, miræ magnitudinis aprum fugientem insequebatur anhelantibus equis. At illa immanis bestia montem in quo vir Dei residerat ascendit, & ad cellam eius recto gressu peruenit: depositaque feritate ante pedes eius prouoluta est hispida bellua, quasi vitæ suæ præsidium imploratura. At ille eius misertus, tanta insecutores bestiæ virtute vna in loco fixit, vt & bestiam sibi proximam oculis viderent, & tamen omnino contingere non possent. Tunc Attila cognita Dei virtute, præsumptionis suæ veniam flagitans, quicquid circa locum sui iuris fuerat, nonnulla etiam possessionis propriæ prædia prædicto sancto viro contulit, locumque eius traditis facultatibus primus ipse ditauit.

Aper recurrit ad præsidium Sancti Basoli.

Homo quidam pro crimine commisso diiudicatus, & patibulo suspensus, cum iam in extremis agerent inter laqueos, huius sancti confessoris sibi subito memoria incidit. Voce itaque qua poterat, astrictus vt erat faucibus, omni conamine spiritum colligens, totis præcordijs sanctum Basolum inuocat, & vt sibi succurrat lachrymabiliter postulat. Mox laqueus rumpitur, & ille ab alto labitur. Super omnes stupor & admiratio ruit, & ille liber à morte recedit.

De

De diuisione Regni Francorum inter filios Clotharij, & vxoribus eorum.

Cap. CXVII.

Gregorius Turonensis lib.4.cap.22. Chilpericus vero post Patris sui mortem, thesauros, qui in villa Brumacho congregati erant, accepit & Francos vlteriores petijt, ipsosque muneribus multis donatos sibi subdidit, & mox Parisios ingreditur, sedemque Childeberti Regis occupauit, sed non diu licuit ei possidere, nam coniuncti fratres eius eum inde expulerunt. Et sic inter se hi quatuor Charibertus, Gunthrannus, Chilpericus, atque Sigebertus, diuisionem legitimam riteque inter se fecerunt. Accepit namque Charibertus regnum Childeberti, sedemque constituit Parisijs: Gunthrannus regnum Clodomiris accepit, & Aurelijs instituit sedem: Chilpericus vero regnum Clotharij patris sui accipiens Suessione sedem statuit: Sigebertus autem regnum Theodorici sortitus, sedem statuit habere in Rhemensi ciuitate Charibertus Rex Nigebridam duxit vxorem, habebat ipsa Regina puellas duas, cuiusdam pauperis filias, nimis speciosas, nomen senioris Marcanesa, & nomen iunioris Meroidis, in quarum amorem Rex nimis exarsit. Ob hoc Nigebrida quoque affligebat eas nimio odio, nam & patrem earum compositorem lanificij iussérat fieri. Pro qua causa Rex nimis iratus Nigebridam reliquit, & Merofidem vxorem sibi accepit.

Post hæc etiam Marconesam sororem eius ad coniugium sibi copulauit. Et ob hanc causam à sancto Germano Parisiẽsi episcopo excommunicatus est. Sed cum Rex eam relinquere nollet, percussa iudicio Dei mortua est. Et non post multum tempus Charibertus etiam Rex mortuus est, & in Blauia castello in basilica sancti Romani est sepultus.

Porro Sigebertus Rex cum videret, quod fratres eius indignas sibi vxores acciperent, & ancillas ad coniugium sibi copularent, legationem in Hispaniam misit, & multis muneribus datis Athanagildi Regis filiam petijt. erat enim puella elegans, & pulchra, atque ingeniosa nomine Brunechildis. Quam in vxorem acceptam, quia Arianæ legi fuit subiecta, præcepit baptizari. Quod videẽs Chilpericus Rex, cum iam plures haberet vxores sororem ipsius Brunechildis nomine Galsondam petijt promittens per legatos alias vxores se dimissurum. Qua ab eo in coniugium assumpta & baptizata, magnæ sanctitatis effecta est fœmina.

De insidijs Fredegundis contra Galsondam Reginam.

Cap. CXVIII.

Per odium autem Fredegundis pessimæ concubinæ suæ, ortum est inter eos magnum scandalum. Itaque dicebat Galsonda, se nullatenus posse tantas iniurias Fredegundis sustinere. Petijtque à rege, vt relictis thesauris quos secum de Hispania detulerat, liberam dimitteret redire ad patrem suum, sed ipse eam verbis mollibus blandiebatur. Per consilium itaque pessimum Fredegundis, dominam suam Andoueram decepit, nam & ipsa Fredegundis eam per noctem in stratu suo strangulauit. Post cuius obitum, Deus pro ea virtutes ostendit. Quo facto fratres Chilperici hoc indignantes, eum de regno eijcere voluerunt. Habebat tunc Chilpericus tres filios de Audouera Regina sua scilicet Theodobertum, Meroueum, & Clodoueum.

Ipsa quoque versuta Fredegundis ex familia infima fuit, de villa sancti Vedasti quæ vocatur Babancurt. Cũ igitur Chilpericus Rex in hostem pergeret cum Sigeberto fratre suo contra Saxones, Audouera Regina domi grauida remansit, & filiam peperit. Cui Fredegundis consilium dedit, vt eam cito faceret baptizari, quatenus Rex de prælio rediens, filiam baptizatam gratanter recepiceret. Vocato itaque episcopo vt eam baptizaret, cum non esset matrona, quæ puellam susciperet, ipsa mater à Fredegunde monita, eam de sacro fonte suscepit. Venienti autem Regi Victori exijt Fredegũdis obuiam dicens: Deo gratias, quia Dominus noster Rex victoriam recepit de inimicis suis, nataque est tibi filia. Cum qua Dominus meus dormiet ac nocte? quia Domina mea Regina est commater tua de filia tua Childeinda. Et ille ait: Si cum illa dormite nequeo, dormiam tecum. Cumque introisset Rex in aulam suam occurrit ei Audouera Regina cum ipsa puella: Et ait Rex: Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam, iam enim coniunx mea amplius esse non poteris. Rogauitque eam sacrum velamen induere cum ipsa filia sua, & dedit ei prædia multa & villas: episcopum vero qui eam baptizauit exilio condemnauit, & Fredegundem Reginam sibi copulauit.

Sigebertus in chronicis. Anno Iustini 5. sanctus Vedastus obijt.

ANNOTATIO.

Et si 30 causa quæst. 1. Canones aliquot recensentur, quibus statuitur, vt vir vel mulier qui filium suum de fonte sacro susceperunt, debeant à coniugio separari: qui canones hoc sæculo sexto vim suam habebant & roborem: tamen alij in eadem quæstione canones referuntur, qui prorsus contrarijũ definiunt, & propterea circa hanc materiã sequẽdus D. Antoninus part. 2. suæ historiæ tit. 13. c. 1. paragrapho 2 & parte 3 tit. 8 c. 6. qui si hoc fiat propter necessitatẽ, vel propter imprudentiã, asserit non impediri propterea coniugẽ eum qui susceptit filiũ in fonte, à debito exigendo, vel petendo. Quod si malitiosè hoc etiam factum sit, matrimonium non propterea dissolui, quod ad ius reddendi debitum quamuis grauis sit ei qui hoc fecit iniungenda pœnitentia. Hoc etiam constitutum est ab Alexandro tertio in decretalibus lib. 4 tit. 11. cap. 2.

De ortu sancti Amandi Traiectensis episcopi, & eius vita.

Cap. CXIX.

ANno Iustini 6. sanctus Amandus nascitur. *An. Christi 571.*

Ex gestis eius. Hic ex nobilibus parentibus ortus, ab infantia sacris literis eruditus, parentes suos reliquit, & in quodam monasterio religionis habitum assumpsit. Qui dum quadam die circa monasterium ambularet, repente quendam maximum serpentem inuenit, quem statim *virtute crucis & orationis*, ad foueam suam nunquam inde exiturum redire coegit. Post hæc exiens de monasterio illo quod erat prope mare, causa peregrinationis venit Turonos ad sepulchrum sancti Martini, & fuit ibi in quadam cella 15. annis cilicio semper tectus, & aqua & pane hordeaceo sustentatus. Exinde iuit Romam ad sanctum Petrum, vbi dum quadam nocte vigilare voluit, inueniens eum custos ecclesiæ, nimis irreuerenter eiecit. Qui dum ante fores ecclesiæ dormitaret, apparuit ei sanctus Petrus, rogans vt causa prædicationis ad Franciam remearet. Quo cum veniſſet, & verbum Dei constantissime prædicans, multas iniurias esset passus, dum ipsum Regem Franciæ Dagobertum de suis criminibus increparet, de Regno expulsus est. Tandem Rex filium non habens orauit Dominum, vt ei daret filium, qui succedere posset ad regnum. Cum ergo nutu Dei filium genuisset, cœpit valde inquirere quis eum baptizaret. Et sic ei in mentem venit vt Amandum propter hoc requiri solicite iuberet. Inuentus ergo, cum regali imperio contraire metueret, ad Regem veniens cum magno gaudio est susceptus. Rex autem eius pedibus aduolutus, precabatur, vt peccatum quod de eo habebat remitteret, & filium, quem ei Deus dederat, baptizaret. Ille vero primam eius petitionem benigne concessit, sed sæcularibus negocijs metuens implicari secundam prorsus renuit & abscessit. Rex tamen misit ad eum sanctum Eligium, & socium eius Dadouem, qui tunc in curia morabantur, quorum precibus fatigatus, Amandus ad Regem veniens eius filium baptizauit.

Signo crucis pellit immanem serpentem.

Vir sanctus multa patitur, & à Dagoberto rege in exilium mittitur vide Surium in vita S. Richtrudis ad 12. Maij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De peregrinatione eius in Vasconiam, & reditu in Galliam.

Cap. CXX.

Fit episcopus Traiectensis anno 632. vt habet marginalis nota Ægidij, vel 633. vt habet Meyerus cap. 42.

POst hæc Traiectensis episcopus obijt, & Rex sanctum Amandum licet plurimum reluctantem in Traiectensi vrbe pontificali cathedra sublimauit. Vbi cum triennio verbum Dei constanter omnibus prædicasset, & à plerisque suam prædicationem contemni videret, contemptores suos deseruit, & in Vasconiam[1] gentem ferocissimam causa prædicationis intrauit. Vbi dum similiter prædicaret, ioculator quidam leuis, & lubricus, verbis eius detrahere cœpit, sed statim à dæmone correptus, proprijs dentibus se discerpens, & quod iniuriam viro Dei fecerat confitens, protinus expirauit. Inde pergens ad aliam ciuitatem, ab episcopo ciuitatis reuerenter exceptus est. Cui cum ille episcopus causa humilitatis, & more hospitalitatis aquam in manibus daret, iussit famulo vt aquam illam diligentius custodiret, credebat enim quod meritis viri Dei esset multorum profutura saluti nec enim fides ista fefellit, nam & cæcus quidam ante fores ecclesiæ mendicans, ex consilio ipsius episcopi aqua illa oculos suos lauit, & protinus clare vidit.

Post hæc rediens sanctus Amandus in Galliam, impetrauit à Rege Childeberto locum qui dicitur Nanto vt ibi ædificaret cœnobium. Sed quidam episcopus proximæ ciuitatis molestè hoc sustinens, iussit famulis suis vt eum inde eijcerent, vel certè occiderent. Qui venientes ad eum, dolosè dixerunt ei vt secum pergeret, & illi locum aptum ad monasterium construendum ostenderent; sanctus autem malitiam eorum, Deo reuelante, agnoscens, iuit cum eis ad cacumen montis, vbi eum occidere cupiebant, nec suis hoc dixerat, quia valde martyrium cupiebat. Sed subito orta tempestate pluuiæ & grandines, ita montem texerunt, quod maligni qui eum occidere volebant, penitus nihil viderunt, & iam se mori putantes, prostrati veniam postulabant, & vt eos viuos abire permitteret exhortabantur. Tunc sanctus tamdiu exorauit, donec reddita serenitate, & visu recepto ad propria redierunt. Itaque sanctus Amandus euadens, & multa alia miracula faciens, tandem in pace quieuit.

Properat ad intentatam sibi necem, sed diuinitus seruatur.

De sancto Maglorio Dolensi archiepiscopo.

Cap. CXXI.

Sãcto Samsoni succedit in episcopatu S. Maglorius.

Apparet ei Angelus in somnis.

Budocum pro se consecrat episcopũ & petit solitudinem,

Sanat Maglorius leprosum comitẽ.

EX gestis eius. Porro sanctus Maglorius quasi magna gloria, merito malis refulget nomine, quod acquisiuit in opere. Hic ex Britannia oriundus genere spectabilis, sancti Samsonis consors fuit qui etiam decedens eum in Archiepiscopatu Dolensi sibi constituit successorem. Vbi cum spectabilis documentis simul & exemplis enitesceret, Angelus ei in somnis apparuit eumque admonuit, vt Pontificatus culmine relicto ad remotioris loci latibula pergens solitariam vitam duceret, vbi monachorum gregem pascens, laudes quoque Domini licentius celebraret. Qui expergefactus, gratias egit Deo & in episcopatu viro nomine Budoco substituto; mandatum impleuit, multisque miraculis effulsit.

Quidam comes opulentus iam 7. annis leprosus, fama eius audita, venit, & eius præmissis orationibus, manu quoque eius toto corpore, tactus, plenam sanitatem recepit. Huius terrarum magnitudo triplici continebatur diuisione, quarum vnam non integram, sed dimidiam beato Maglorio contulit in munere. Has autem diuisiones copiosa multitudo auium, quæ miræ magnitudinis & pulchræ erãt, consuete frequentabant, captura quoque piscium ingens, in sinum maris è contra pullulabat. Contigit ergo, cum beatus Maglorius portionem suam perlustrasset, quod omnis auium & piscium congeries, quæ alteri medietati comitis inerat, fugam mitteret, & sancti partem expeteret. Quod vxor comitis grauiter ferens ei iuasit vt illam sibi vendicaret, & quam vtroque genere orbatam tenebat, beato Maglorio daret. Cuius ille suggestionem nequam mox suscipiens quod non debuit, expleuit, factaque nefandę commutationis controuersia, subito aues, & pisces ab illa parte quam comes auare sancto viro surripuerat, recesserunt, & mox ad Dominum suum Maglorium sunt reuersi. Tunc Comes apud se pœnitentia ductus, vtramque partem sancto Maglorio concessit, & tunc auium & piscium agmina vtramque partem sicut ante repleuerunt.

Eius castitas cibi parsimonia. Cilicium, vestes, vigilia.

Cumque virgo esset hic sanctus ab vtero, panem hordeaceum & viliora legumina etiam parce sumebat 4. & 6. feria ab omni pabulo abstinebat. Corpus eius cilicio iugiter tegebatur, vestimentis foris mediocribus vtebatur, vinum & siceram non bibebat, excubias noctis, cũ fratres se sopori darent, clam ab eis sequestratus super alueum maris peruigil ducebat. Denique multisque miraculis clarus in vigilia Paschæ dum in ecclesia de more pernox excubaret, Angelus Domini coruscus ei astitit, obitumque suum imminere, & dignam mercedem certaminis eum manere prædixit. Cumque ille hęsitaret ne *diabolus* forte *in Angelum lucis se transformasset*, orationem diutissime protelauit, & eum Angelus de visione certum reddere cupiens, bis & ter eundem sermonem repetijt. Tandem de manu ipsius Angeli viaticum visibiliter accepit, & ab illo die, nisi causa ineuitabilis extitisset, vsque ad diem vocationis suæ versiculum hunc semper in ore repetijt. *Vanam petij à Domino &c.* Et 9. Cal. Nouembris, ad Dominum migrauit.

2. Cor. 11. Angelus ei apparet secũdo, & tertio.

Psal. 26.

De sancto Paulo Leonensi episcopo, & bonis eius initijs.

Cap. CXXII.

Paulus Leonensis discipulus S. Elchuti.

EX gestis eius. Sanctus quoque Paulus Leonensis episcopus beato viro Elchuto à pueritia traditus est, doctrina & moribus informandus, simul cum beato Samsone futuro postmodum episcopo, & alio, nomine Gilda, & alijs pluribus. Tellus autem maris euacuata fluctibus, sancti Elchuti seruiebat vsibus: in cuius lata planicie triticum seuit, quod vastabant alites marinæ, quas nulla arte valens abigere, curæ 4. discipulorum imposuit messem defendere. Vna autem nocte, quæ Paulo deputata fuerat, exercitus auium ita campum vastauit, vt nulla spes colligendæ frugis remaneret. Qui ante auroram consurgens campum adijt, detrimentum segetis mox agnouit, seque pigrum custodem accusans, biduo à præceptoris sui præsentia, iuuenilis gratia pudoris abstinuit. Tertia die condiscipulos suos conueniens, campum pariter cingunt, & infestarum auium immensam multitudinem velut ouiũ gregem ad claustra monasterij quasi reos deducunt: diriguntur ad caulas pennata animalia, velut quædam inertia pecora. Vbi autem ventum est ad lumen carceris, tanquam captiui repleuerunt cælum clangore miserabili. Ad quod spectaculum confestim accitus magister, quorsum huiuscemodi præda deduceretur, inquirit: Cui Paulus: Hi sunt hostes segetis tuæ vastatores, quos tibi deduximus, vt imperio tuo debitas luant pœnas ob commissa præsumptionis flagitia. Ad cuius verba stupefactus pater hæsit, & sinapi comparandam in dulci filio fidem admirans, expauit.

Mira virtus sanctorum super animalia volatilia.

Huius sancti scilicet Pauli cibus post longam carnis macerationem panis erat, æqua trutina pensus, cum sale sicco diebus solennibus addebat paucos piscículos pro magno apparatu. Bipedis, vel quadrupedis carnem in omni vita sua gustu non legitur contigisse, vinum & siceram nunquam præter missarum solennia libauit, quippe qui nec aquam sumebat, nisi quantum naturæ necessitas exposcebat.

Mira abstinentia S. Pauli.

De

De miraculis eiusdem.

CAP. CXXIII.

HIc etiam cum venisset ad domum sororis suæ Deo deuotæ super littus maris Britannici sitam, rogatus,ab ea, precem ad Deum fudit quatenus statuto fluctus maris coerceretur alueo, & terra optata aliquo sibi,& incolis illius insulæ ampliaretur spacio. Cumque subito mare vndas retraheret & terra sicca apparere cœpisset, ab oratione pariter ipse & soror surgunt, & ad ripam accedunt. Tunc Paulus sorori imperat,vt in manibus lapillos vsque ad summam maris marginem deferat: nam mille passibus vel amplius aquis exhausta terra,per eius orationem dilatata est. Tunc genua in oratione super ripam flectunt. Qua finita, Paulus ad mare conuersus ait: Lapilli quos in finibus tuis posui, sint in signum inter me & te,vt denuo nunquam eos transgredi, nec hæc nostra territoria audeas ingredi. Cuius sermonis imperium, vsque hodie conseruat horridum maris elementum. Cumque reuerterentur domum, subito viderunt præfatos lapillos diuina virtute columnas lapideas miræ magnitudinis factos, vt res simpliciter postulata,redderetur duplicata. Via quoque quam eo die tenuerunt, per medias illas columnas incedentes,adhuc à Britonibus semita Pauli vocatur.

S. Paulus mari terminos præfigit.

Discipulis suis aquam per siluas quærentibus miraculose procurat.

Quadam die cum iter agerent discipuli eius grauiter fessi siluas peragrantes aquam exquirunt,nec inueniunt. Quorum lamentationibus ille misericorditer commotus, oratione præmissa confidenter tribus in locis terram baculo suo percussit,tresque inde glebas effodi iussit,singulas,de singulis,quas euulsas,tanta largitas aquarum secuta est,vt non solum sitim astantis cæteruæ reficeret, sed etiam copioso ductu totam patriam decoraret. Serpenti quoque cuius ferocitas orientalem insulæ plagam vendicabat, ita vt nec ab armatis in aliquo lædi posset,& plures necaret, vir Dei *sanctæ crucis signo confidenter occurrit armatus*, & stola qua induebatur collum eius astringens,baculo suo velut canem furiosum,sæpe feriendo eum vsque ad mare deduxit: quem in confinio maris & terræ respiciens ait: Antequam marinis carybdibus, demergaris, cerulea extende colla, vt mea recipiam indumenta. Quo recepto, in præcipitium maris iussit eum abire,cum interdicto præcipiens,ne quempiã hominum vltra noceret. Quo dicto,citius disparuit.

Serpentem maximum in maris præcipitium ire coegit.

His,& alijs virtutibus clarus,ad episcopatum,licet renitens plurimum,promotus est.

Huius festum recolitur 4. Idus Martij.

De sancto Gregorio Turonensi Archiepiscopo.

CAP. CXXIV.

SIgebertus *in chronicis.* Anno Iustini 7. Gregorius Turonensium ordinatur episcopus,& clarus habetur in omnib.

Ex gestis eius. Hic Aruernicæ regionis indigena, cum aliquando de Burgundia ad Aruerniam iter faceret, magna contra se tempestas exorta est, densus aer in nubibus cogitur,cælum crebris ignibus micare,& tonitruis resonare cœpit, omnibusque timore pallentibus, Gregorius sanctorum reliquias,quas indesinenter collo ferebat de sinu protraxit, ac nubibus constanter opposuit. Quæ protinus diuisæ, dextra læuaque præteuntes,illæsum iter gradientibus præbuerunt. At superbia,quæ plerumque nutritur virtutibus, iuuenili animo protinus irrepsit,& quia superbiæ vicinus est casus,dum priuatim gaudens, suis meritis præstitum arrogaret, equus cui insederat illico lapsus, hunc ad terram graiter elisit,ita vt omni corpore contusus vix posset assurgere,causamque ruinæ intelligẽs,satis deinceps cauit ne se vanę glorię stimulus qualibet occasione deijceret.

Sanctorum reliquijs fugat tempestatem.

Anno 172. post obitum sancti Martini Turonensis, Regni Sigeberti 12.anno, beato migrante Euphronio, Gregorius beati Martini amore flagrans, & pastorali officio existens idoneus,eius vice cathedram Turonensem regendam accepit. Ecclesias plures instruxit, & libros in laudem sanctorum vel in expositionem scripturarum sanctarum edidit. Matricem quoque ecclesiam quam beatus Martinus construxerat,hic nimia vetustate confectam, arcuato schemate reparauit, atque historicis eiusdem Martini gestis decorauit.

Vide cap. 9. lib. 10. hist. Fran. Greg. Turonens. vbi qua in episcopatu egerit breuiter recenset.

De miraculis & scriptis eiusdem.

CAP. CXXV.

CVm autem aliquando per viam graderetur,& crucem auream cum reliquijs collo gestaret, cuiusdam pauperis hospitiolum folijs,ac furculorum cremijs contectum,cremari conspexit, illoque cum vxore & liberis hac & illac curritantibus & strepentibus, & aquã afferentibus, flammam mitigare non poterant. Tunc Gregorius accurrit, & contra flammarum globos crucem eleuauit, moxque in aspectu sanctarum reliquiarum ita totus ignis obstupuit,vt nec ea quæ iam apprehenderat,vltra vel ad modicum vstulare posset.

S. Gregorius multa fecit miracula.

Causa fuerat qua Rhemense oppidum adire debuerit,vbi ab Ægidio Pontifice humanitus susceptus,noctu quieuit. In crastino vero Siggo quondam Sigeberti ferendarius,ad eum accessit. Dumque sermocinarentur, & ille de ore Gregorij penderet, subito auris eius, quæ per idem obsurduerat, cum quodam crepitu reserata est.

Aliquando sepulchrum beati Hilarij Gregorius supplicaturus adijt & indead visendum quoque sanctam Radegundem Reginam diuertit. Et cum secum quasi duo incolæ Paradisi de temporibus loquerentur,oleum quod ante pignora sanctæ crucis guttatim illic defluere solebat, sic in aduentu Pontificis auctum est, vt infra vnius horæ spacium vltra vnum sextarium exundaret. Porro cum hæc beata Regina ad regnum cœlorum accersenda esset,Gregorius de eius transitu nuncium accepit. Cumque iam illa eo accurrente migrasset, sancta eius membra sepulturæ locauit.

Gregorius ad S. Hilarij sepulchrum pergit.

Sexdecim annis hic in episcopatu exegerat, cũ æquiuocus eius ille magnus Gregorius, in sede Apostolica subrogatus est, opinata quoque res est, quod dudum alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Cum igitur sacra Apostolorum limina hic expetisset, cum magna reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad beati Petri confessionem introducens ex latere constituit, præstolans donec assurgeret. Interim autem (vt erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans,considerabat in huiusmodi homine (erat enim statura breuis) tantam gratiam profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidoque vt erat vultu ad Papam respiciens, *Dominus* inquit, *fecit nos & non ipsi nos,idem in paruis,qui & in magnis.* Cumque illud cogitationi suæ sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam quam hactenus in Gregorio mirabatur in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedemque Turonicam, ita nobilitauit, vt etiam auream ei cathedram donaret, quę præstita apud sedem præfatam in posterum seruaretur. Cum autem moreretur, in tali stratu vel loco sæpeliri fecit,vbi semper omnium pedibus conculcaretur, nec in vlla reuerentia haberetur. Sed grex beati Martini talia non ferens eum de loco leuauit, & edito sibi pulchro Mausolæo,ad lęuam sancti sepulchri digna reuerentia collocauit.

It Romã & à Papa humanissime excipitur.

Auream cathedram dat ei Sanctissimus Papa vide Surium 17. Nouem.

Obijt autem 15. Cal. Decembris.

Author. Hic scripsit historiam Regum Francorum de qua multa in hoc opere posuimus: Miracula quoque beati Martini post obitum eius ostensa scripsit in quatuor libris,& quædam alia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quibusdam euentibus illius temporis.

CAP. CXXVI.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore Hispani & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, Hispanis, 12. Cal. April. Francis vero 14. Cal. Maij Pascha celebrantibus. Sed Frãcos recte celebrasse per hoc diuinitus clarnit, quod fontes in Hispania qui in sabbato sancto Paschæ ad baptizandum sponte diuinitus repleri solent, non in Hispanorum sed in Francorum Pascha sunt repleti.

An. Christi 573.

Albuinus Rex Longobardorũ ab armigero suo perimitur, fraude vxoris suæ, cuius patrem Cunimundum, Gepidarum regem, ipse olim in bello peremerat, & ex testa capitis eius sibi pateram ad bibendum fecerat: quam cum vno die sibi porrigeret, dicens: bibe cum patre tuo, illa fæmineo furore accensa, illum ab armigero eiusdem in lecto perimi fecit.

Cleb subrogatus Regno Longobardorum regnat annis duobus.

An. Christi 575.

Anno Iustini decimo Benedictus Romanæ ecclesiæ 60. præsidet. Ab hoc Gregorius ad prædicandum Anglis, abire permissus, sed populo tumultuante retractus septimus leuita est ordinatus.

Athanagildo Rege Vuisigothorum mortuo Leuigildus, cum fratre suo Leuua, & post solus annis regnat 16.

Fortunatus Poeta veniens ab Italia, claret in Gallia.

Author. Hic Fortunatus (vt dicit Hugo Floriacensis) vir egregius, ingenio clarus, sensu celer, ore suauis, qui ab Italia Turonos aduenies, actus beati Martini quatuor libris heroico contexuit metro: verum inde assumptus, pictauorum ordinatus est episcopus. Scripsit etiam vitam beati Hilarij Pictauensis, & beati Maurilij Andegauensis. Huius est illa sententia breuis, & vtilis.

Pauper in angusto regnat, habendo Deum.

De morte Iustini & imperio Tiberij secundi.

CAP. CXXVII.

Hugo vbi supra. Proinde Iustinus Imperator 8. imperij sui anno pedibus cæpit infirmari, qua de re assumens comitem excubitorum Tiberium, adoptauit eum in filium, & successorem suum ipsum declarauit.

Tiberius Secundus Imp. An. Christi 577. Mundi 4429.

Sigebertus in chronicis. Iustino itaque Imperatore mortuo cœpit Tiberius anno Imperij sui 12. scilicet anno Domini 577. mundi scilicet quarto millesimo 428. & regnauit annis 6: Hic missa ab Ægypto frumenti copia, Romam liberat ab inedia. Nam antea vrgente fame, multi Romanorum se Longobardis dederant.

Hugo vbi supra Iste fuit vir catholicus & religiosus, vnde multas in Constantinopolitana vrbe reuocauit ecclesias. Hic & terram Persarum intrauit, & eos potentissime debellauit, indeque egrediens tantam molem prædæ cum Elephantis multis adduxit, vt humanæ cupiditati crederetur posse sufficere.

Sigebertus in chronicis. Huius anno primo Sigebertus Rex fratri suo Chilperico pugna congreditur, ibique Theodobertus filius Chilperici perimitur. Francis vero pro Chilperico exoso, Sigebertum super se Regem leuare volentibus, à duobus pueris, à Fredegunde Chilperici vxore immissis Sigebertus perimitur.

De pugna Chilperici regis, contra fratrem suum Sigebertum.

CAP. CXXVIII.

Historia Francorum. Chilpericus siquidem Theodebertum filium suum seniorem, qui antea Sigeberto iurauerat, vltra Ligerem cum hoste direxit. Qui abiens ciuitates Sigeberti auunculi sui peruasit, id est Turones, Pictauos, & reliquas. Apud Pictauos autem contra Gundobaldum ducem pugnauit, collisusque est exercitus Gundobaldi, & fugit, magnamque illic cædem Theodobertus fecit. Commoto inde exercitu, Lemonicium Cadurcinumque abiens, peruasit atque vastauit, ecclesias accendit, monasteria detraxit, clericos interfecit, monasteria virorum deiecit, puellarum delusit, & cuncta deuastauit. Fuitque eo tempore peior in ecclesijs gemitus, quam tempore persecutionis Diocletiani & Maximiani Imperatorum. Inter has discordias Chilpericus etiam commoto exercitu vsque Rhenum accessit, cuncta incendens atque debellans. Quod audiens Sigebertus, conuocatis gentibus illis quæ vltra Rhenum sunt, Parisios venit, & contra fratrem suum ire disposuit Chilpericus quoque per Rothomagensem fugiẽs cũ vxore sua & filijs Tornacum ciuitatem ingressus, ibi se recluſit & communiuit. Sigebertus vero ciuitates illas, quæ vltra Parisios sunt positæ, vsque ad Rothomagum accepit, & reuersus est inde Parisios.

Bellum ciuile inter Frãcia Reguloſ.

De nece Sigeberti per insidias Fredegundis.

CAP. CXXIX.

TVnc Franci qui quondam ad Childebertum seniorem aspexerant, ad Sigebertum legationem, mittentes, relicto Chilperico ipsum Sigebertum sibi Regem stabiliunt. Qui misit eos, vt fratrem suum in memorata vrbe Tornaco obsiderent, dicens se cum exercitu eos esse secuturum. Cui beatus Germanus episcopus dixit: Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor inde redies: Si autem aliud cogitaueris, morieris. Sicut enim Dominus per Salomonem ait, foueam quam fratri tuo parabis, cades in eam. Quod ille audire neglexit. Tunc Fredegundis memor artium suarum, inebriauit duos pueros Tornacenses, dixitque eis: Ite ad cuneum Sigeberti, & simulate, vt eum supra vos Regem eleuare debeatis, & interficite eum. Si euadere poteritis vitii, ego mirifice honorabo vos, & sobolem vestram. Si autem corrueritis, ego pro vobis elemosynas multas per loca sanctorum tribuam. Illi vero nec dubij, fero ad eum, vt erant corde, venientes, cum cum aliam causam se suggerere velle simularent, abstractis cultris quos vulgo seranſaxos vocant vtraque ei latera feriunt. At ille vociferans, corruit & emisit spiritum. Vbi etiam homicidæ illi corruerunt. Chilpericus vero nesciebat, donec ei Fredegundis omnia de interitu fratris narrauit. Tunc Chilpericus Rex de Tornaco egressus, Sigebertum fratrem suum apud Lambras vicum sepeliuit.

Sigeberti cædes.

Interempto igitur Sigeberto Rege, Brunechildis Regina cum filijs suis residebat plena luctu, quid agere deberet ignorans. Gundobaldus autem dux apprehẽdit Childebertum filium eius furtim per noctem, & cum eo in * Austriam fugit. Collectisque gentibus super quas pater eius regnauerat Regem eum instituit. Chilpericus vero Rex Parisios veniens apprehensa Brunechilde, apud Rothomagensem vrbem eam in exilium intrusit, thesauris eius ablatis, filias quoque eius Meldis vrbe teneri præcepit.

* *Austria sæpe in Frãcorum historia, pro Austrasia & Mediomatricum regno seu Lotharingia vsurpatur.*

De incestu Merouei & malitia Fredegundis, & eius breui pœnitentia.

CAP. CXXX.

CHilpericus post hoc filium suum Meroueum cum exercitu vltra Ligerim direxit. At ille relicta ordinatione patris, tunc per Cenomannicum reuersus, matrem suam Audoueram visitare fingens, Rothomagum venit, ibique Brunechildi reginæ coniunctus, eam sibi in coniugium copulauit. Hoc autem sciens Chilpericus, scilicet quod contra fas & legem canonicam vxorem patrui sui accepisset, valde amarus factus est, & festinus ad ipsam vrbem perrexit. Illi vero cum cognouissent quod eos separare deberet, ad basilicam sancti Martini, quæ est ligneis tabulis super murum constru-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

* *Ingenium vocat Vincentius & tormẽta bellica.*

ĉta, cõfugiunt. Rex vero illos * ingenio inde eijcere non valens, iurauit eis dolose. Si, inquit, voluntas Dei est, ego eos non seperabo. Quo audito, de basilica sunt egressi, & dignanter acceptis, epulatus est cum eis Rex. Posthæc vero insidiante Fredegunde propter coniugationẽ Brunechildis, Meroueus tonsuratus est, & iubente Chilperico rege, presbyter est ordinatus, & in monasterium Cænomannicum directus, vt illic regulariter degere deberet.

Tempore quoque illo beatus Germanus Parisiorum episcopus, plenus virtutibus magnis, migrauit ad Dominum & glorioſe cum magno psallentium choro in ecclesiã B. Vincentij delatus, ibidem sepultus nitet. Childebertus post hæc iunior legationem ad Chilpericum misit propter Brunechildem matrem suam. Ille quoque pacifice reddidit eam.

Chilpericus igitur Rex descriptiones nouas & graues per cõsilium Fredegundis in omni regno suo fieri iussit; pro qua causa multi relinquentes ciuitates illas & possessiones suas alia regna petierunt, dicentes melius esse peregrinari, quam tali periculo subijci; populus vero valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Eo tempore Chilpericus Rex grauiter ægrotauit, quo sanitatem recuperante filij eius grauiter ægrotauerunt; & Fredegundis plena dolore filiorum & gemitu, ait ad Regem iam serio pœnitens: Diu nos male agentes pietas diuina sustinet. Sæpe enim nos febribus & alijs malis corripuit & emendare negligimus. Ecce iam perdimus filios, *iam enim eos lachrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt.* Ecce auri & argenti immensa pondera; cellaria & horrea plena redundant, & nescimus cui congregamus ea? Ecce quod pulchrius habebamus perdidimus, quid nobis proderunt ista omnia? Nunc igitur placeat tibi consilium meum, & iube reddere, quod male peruasimus, & descriptiones nouas, quas iniuste & nequiter fecimus, iube igne cremari, vt & si natos perdidimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc rex corde compunctus, tradidit omnes descriptiones iniquas igni comburendas. Post hęc filius eius paruulus mortuus est, alius quoque nomine Clodobertus. Fredegundis autem filium peperit, quem vocauerũt Clotharium. Hic postea fuit Rex magnus, qui etiam genuit Dagobertum. Maximæ tunc etiam discordiæ inter Chilpericum & Childebertum nepotem suum consurgebant; irritabant etenim eos ex vtrisque partibus, Fredegundis, & Brunechildis.

Nota.

De luxuria eiusdem, & proprij viri nece.

Cap. CXXXI.

ERat autẽ Fredegundis Regina pulchra & ingeniosa nimis, atque adultera. Landericus.n. erat tunc in aula Regis Chilperici vir efficax atq; strenuus, quem memorata Regina diligebat multũ, quia luxuriabatur cum ea. Quadam itaque die cum maturius Rex ad venationem exercendam de villa Callensi in Parisiacam pergeret, reuersus est in cameram palatij de stabulo equorum. Illa faciem suam erat abluens aqua in ipsa camera; & Rex retro veniens, eam in nates suas fuste percussit. At illa cogitans quod Landericus esset, ait: Quare sic facis Landerice? Respiciensque vidit quod Rex esset, & expauit. Rex vero nimium tristis effectus, in venationem perrexit. Fredegundis itaque vocauit ad se Landericum, & narrauit omnia quæ fecerat dicẽs: Cogita quid agere debeamus, quia crastina die ad tormenta valida exhibebimur. Et ait Landericus contrito spiritu & commotus lachrymis, dicens: Tam mala hora te viderunt oculi mei. Ignoro.n. quid agere debeamus, quia comprimunt me vndique angustiæ. At illa dixit ei: Noli timere, audi consilium meum, & faciamus hanc rem, & non moriamur. Cum Rex de venatione summo vespere obtenebrante aduenerit, mittamus, qui eum interficiat, & præcones clament, quod insidiæ sint Childeberti. Illo quoq; mortuo, nos cum filio meo Clothario regnabimus. Factum est autem in initio noctis, reuertente Chilperico Rege de venatione, quidam pueri adulatores inebriati vino à Fredegunde missi, dum de equo descenderet, pergentibus reliquis personis ad negocia sua, ipsi gladiatores percusserunt Regem in aluum seranſaxis. At ille vociferans, emisit spiritum. Succlamaueruntque gladiatores, quos Regina fraudulenter miserat, dicentes: Insidiæ, insidiæ fecerunt hoc Childeberti Regis Austrasiorum super Dominum nostrum. Tunc exercitus huc illucque discurrens, cum nihil inuenissent, reuersi sunt ad propria sua.

Improbitas Fredegundis qua ipsi regi est machinata mortem. Vid. Æmil. lib. 1.

De pelagio Papa, & legatione beati Gregorij Constantinopolim.

Cap. CXXXII.

Sigebertus in Chronicis. Anno Tiberij 4. Pelagius Romanæ ecclesiæ 61. præsidet. Hic obsidentibus Romam Longobardis ordinatur absque iussione Principis. Hic decreuit quotidianam sacramentorum præfationem ad missas 9. tantummodo prefationibus secundum antiquum Romanorum ordinem esse commutandam, scilicet in Natali Domini; in Apparitione; in Pascha; in Ascensione; in Pentecoste; de sancta Trinitate; de Apostolis; de sancta cruce; de ieiunio quadragesimali. Ab hoc Gregorius Constantinopolim Apocrisiarius direrectus, hortatur Leandri Hispalẽsis episcopi libros moralium in Iob composuit. Et ibidem Eutychium Constantinopolitanum episcopum, male de resurrectione dogmatizantem, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëreque subtilius esse venturum, in præsentia Imperatoris Tiberij, confutauit, & illo non multo post mortuo penitus extinxit. *An. Ch. 581.*

Duces Longobardorum Gallias aggrediuntur, & vario bellandi euentu nunc Galli nunc Longobardi inter se colliduntur.

Hospitius famulus Dei in Gallia claret, qui etiam aduentum Longobardorum prædixerat.

Eo tempore Vuinochus Britto veniens de Britannia sanctitate claret in Gallia. *An. Ch. 582.*

Lupi Burdegalam vrbem ingressi, neminem metuentes, deuorauerunt canes.

De legatione eiusdem Gregorij in Angliam.

Cap. CXXXIII.

EX *vita beati Gregorij.* Cum die quadam aduenientibus nuper mercatoribus, multa venalia in forum Romæ collata fuissent, multique ad emendum hinc indeconfluerent, contigit & Gregorium antequam Pontificale decus haberet, per forũ trãsitum facere, ac vidisse inter alia pueros venales positos lactei corporis, ac venusti vultus, capillos quoque præcipui candoris habentes. Quos cum aspiceret, interrogauit de qua regione essent allati; dictumque est, quia de Britannia insula, cuius incolæ tali omnes decore niterent. Rursus interrogauit, vtrum in eadem insula Christiani essent, an paganorum erroribus implicati, dictumque est, quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahẽs suspiria. Heu, prohdolor, inquit, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque frontis specie gens grata, mentem ab internis gaudijs vacuam gestat. Rursus ergo interrogauit: quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At illi: Bene, inquit, Nam & Angelicam habẽt faciem, & tales Angelorum in cælis decet esse cohæredes. Quod habet, inquit, nomẽ ipsa prouincia de qua isti sunt allati? Respõsum est, quia Deiri vocarentur. i. prouinciales. At ille: Bene, inquit, Deiri de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex, ait, prouinciæ illius quomodo vocatur? Respõsum est, quod Ælle vocaretur. At ille alludens ad nomen ait: Laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Accedensque ad Pontificem Apostolicæ sedis, rogauit

Pueri à Britannia Romæ venales vid. Bedam lib. 2. ca. 1. & Nauclerum. Gen. 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerteretur mitteret; asserens & seipsum in hoc opus Domino cooperante perficiendum paratum esse, si tamen eidem Apostolico Papę hoc fieri cōplaceret. Quod cum ei primo minime Pontifex annuisset, postremo infatigabilibus eius precibus victus assensit. Qui ciuibus profectionis suæ celans negocium, quoniam si id nosserent nullatenus, illi quoquo pacto acquieuissent, quanto celerius potuit, iter cum Apostolica benedictione arripuit.

S. Gregorius it ad conuertēdos Britannos. vid. Baron, ad an. 583.

De reuocatione eiusdem adhuc in itinere constituti.

Cap. CXXXIIII.

SEd interea ad notitiam populi veniebat, & mox vnanimi condicto omnes vrbici ac suburbani, vel quicumque audientes accurrere potuerunt, sese in tres partes diuidunt, & proficiscenti Apostolico Pelagio ad ecclesiam sancti Petri terribili voce conclamant: Eia Apostolice quid feciſti? Sanctum Petrum offendisti, Romam destruxisti, Gregorium non tam dimisisti, quam expulisti. His autem vocibus horribiliter permotus Pōtifex, plurimumque vehementissime metuens, post eum summa cum festinatione legationem, vt quantocyus Romam rediret cum interdictione direxit. Sed antequā missi eum adissent, trium dierum iam confecto itinere, dum idem vir Domini Gregorius, vt iter agentibus moris est, circa sextam horam in quodam prato, socijs quibusdam quiescentibus; alijs autem illi assidentibus, vel quibusdam rebus necessarijs occupatis, sederet ac legeret, venit ad eum locusta, & dans saltum, paginæ quam percurrebat insedit. Cernensque eam beatus Gregorius tam mansuete, loco quo assederat, permanere, cæpit collectaneis suis ipsius nomen interpretari. Locusta hæc, inquam, dici potest, quasi Loco sta, & subiungens: Sciatis, inquit, non progressius nos iter cæptum licere protendere: verumtamen surgite, & iumenta sternite, vt quantum licuerit, quo tendimus, properemus. Dum autem hinc mutuo confabularentur, & secum quærerent, peruenerunt missi Apostolici equis sudantibus, & admodum fatigatis, statimque illi cum magna celeritate epistolam quam detulerant, porrexerunt. Qua perlecta, ita est, inquit, socij, vt prædixeram. Romam celeriter remeabimus. Talique ordine interim dilato suæ deuotionis effectu, mox vt ipse Pontificatus officio functus est, opus diu desideratum perfecit.

S. Gregorius reuocatur ex itinere.

De sancto Ermenigildo Rege, & martyre.

Cap. CXXXV.

Sigebertus in Chronicis. Anno Tiberij 6. Ermenigildus, Leuigildi Regis Vuisigothorum filius, filiam Sigeberti Regis vxorem duxit, per quam ad Orthodoxam fidem conuersus, iram patris sui Leuigildi Arriani incomparabiliter incurrit.

Hugo vbi supra. Childeberti Regis soror Ingudis Ermenigildi Leuigildi Hispanorum Regi filio nupsit. Ermenigildus vero prædicatione Leandri Hispalensis episcopi, & adhortatione suæ coniugis, ab Arriana hæresi, qua pater suus languebat, ad catholicam conuersus est fidem. Quod vt pater cognouit, illum ad eandem hæresim vt rediret, & præmijs suadere, & minis terrere conabatur. Cui cum ille constantissime responderet, nunquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnouisset, iratus Pater eum regno priuauit, rebusque omnibus expoliauit. Sed cum nec sic virtutem mentis illius emollire valeret, arcta eum custodia concludens, collum manusque eius ferro ligauit. Superueniente autem paschalis festiuitatis die, intempesta nocte silentio ad eum perfidus pater Arrianum episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, ac per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo dilectus Arriano episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia & si exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaq; reuerso episcopo, Arrianus pater infremuit, statimque apparitores suos misit, qui illum vbi ille iacebat occiderent; qui mox vt ingressi sunt, securim cerebro illius infigentes, vitam corpori abstulerunt. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna non defuere miracula. Nam cæpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis & martyris audiri, & lampades ardentes videri. Quod & perfidus pater illius audiens, commotus pœnitentia, hoc scilicet fecisse doluit, non tamen vsque ad obtinendam salutem pœnituit. Nā quia vera esset fides catholica agnouit, sed gentis suæ timore perterritus, peruenire ad hāc non meruit. Obortā tamen ægritudine ad extrema perductus Leandro episcopo, quem prius vehemēter afflixerat, Recaredum Regem filium, quem in sua hæresi reliquerat, commendare curauit, vt & in ipso talia faceret, qualia in fratrem eius suis exhortationibus peregisset. Qua commendatione completa, defunctus est. Post cuius mortem Recaredus Rex, non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens ab Arrianæ hæresis prauitate conuersus est, totamque Vuisigothorum gentem ira ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret.

Ex libro 3. Dialogorum S. Gregorij cap. 31.

Ermenigildi pater Arianus ad eum conuertendum misit.

Pater filium vita priuauit.

Ermenigildi regis in morte miracula.

Recaredus rex fratrem Ermenigildū secutus est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER VIGESIMVSSECVNDVS.

De Imperio Mauricij & ſubuerſione partis Antiochiæ.

CAP. I.

IBERIVS quoq; Auguſtus, vbi ſibi finem vitæ imminere præuidit, elegit ad imperium quendam virum genere Cappadocũ, ſtrenuum ac ſapientiſſimum, qui & Mauricius nuncupabatur, cui etiam filiam ſuam Conſtantiam ornatã tradidit regalibus indumentis dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella conceſſum. Vtere ergo eo fœliciter, & habe in mente inceſſanter *& æquitatem & iuſtitiam*, præcipua optimi Imperatoris eſſe inſignia. Quod poſtquam dixit, ſpiritum exhalauit. Tunc Mauricius purpura indutus, & diademate coronatus, ad circum proceſſit, & acclamatis ſibi laudibus, & largitis ſecundum morem muneribus, primus ex Græcorum gente Romano potitus eſt imperio. *Idem Hugo in 6. libro.* Hic fuit vir fide catholicus, & reipublicæ ſatis vtilis: ſiquidem Hunni, qui & Auares appellantur, eius ſunt induſtria ſuperati, atque edomiti.

Mauricius Imp. Anno Chriſti 584. Mũdi 4435.

Sigebertus. Cæpit autem imperare Mauricius anno domini 584. mundi ſcilicet quarto milleſimo 435. & imperauit annis 21.

Circa hoc tempus, Turonis verus de fracto pane ſanguis effluxit.

Anno Mauricij primo, Perſæ Armeniam prædis, incendijs, captiuitate epiſcoporum ac populorum perturbant, Eccleſiam tamen 48. martyrum apud Armeniam ſub Licinio paſſorum, nullo modo incẽdere potuerunt.

Anno ſecundo Antiochia diuinitus ſubuertitur hoc modo: Quidam ciuis illius adeo eleemoſynis & hoſpitalitati deditus, vt nullo vnquam die ſine paupere vel hoſpite comederet, cum vno die vſque ad veſperam vrbem circumiſſet, vt pauperem vel hoſpitem inueniret, inuenit virum ſeniorem veſte alba cum duobus ſocijs ſtantem in medio ciuitatis; & inuitans eum ad hoſpitiũ, hoc reſpõſum accepit ab eo: Non poteras, ô homo Dei, cum vero Simeone hanc vrbem ſaluare, ne ſubuerteretur? Et hoc dicto ſudarium quod in manu tenebat excuſſit ſuper vnam medietatem vrbis, ſtatimque ipſa medietas cum habitaculis, & habitatoribus eſt ſubuerſa. Et volens adhuc excutere ſudarium ſuper aliam medietatem vrbis, vix ab illis duobus ſocijs ſuis multa prece flexus eſt, vt parceret reſiduæ vrbis medietati. Sicque virum qui hoc aſpiciebat attonitum conſolatus, ex ſaluatione domus ſuæ, diſceſſit, & vltra non comparuit.

De ſomnio Guntranni Regis, & regno Fredegundis, & Landerici.

CAP. II.

ANno quoque Mauricij 3. Guntrannus, Frãcorum Rex in venando feſſus, dum in gremio armigeri ſui dormiret iuxta riuum aquæ, vidit armiger ex eius ore paruum animal exire: cui volenti tranſire riuum nec valenti armiger gladio trans riuum poſito, viam ei eundi & redeundi parauit. Quo iterum in os eius intrante Rex experrectus eſt, & ſtupefactus, dixit ſe per ſomnium per pontem ferreum tranſiſſe, & ſub quodam monte multos theſauros vidiſſe, vbi cum Rex perrexiſſet ſecũdum fidem ſomnij, multos theſauros inuenit, eoſque acceptos ſanctæ eccleſiæ vſibus delegauit.

Anno eiuſdem 4. Chilpericus Rex Francorum immiſſu ſuæ vxoris Fredegundis perimitur, Clotharius filius eius infans 4. menſium in regno ſublimatus regnauit annis 44.

Hiſtoria Francorum. Itaque Fredegundis viro ſuo Chilperico ingenioſe perempto, ipſa cum Clothario Rege paruulo ſuo, & Landerico, quem maiorem domus palatij elegerunt, in regno reſedit, Franci quoque prędictum Clotharium Regem ſuper ſe in regno ſtatuunt.

De pugna Francorum contra Childebertum Regem Auſtraſiorum.

CAP. III.

AVdiens vero Childebertus Rex Auſtraſiorum filius Sigeberti omnia hæc, hoſtem collegit, nam defuncto Guntranno patruele ſuo, regnum Burgundiæ ipſe acceperat. Igitur Burgundiones, & Auſtraſij, & ſuperiores Franci ſimul commoto magno exercitu per Campanias digreſſi, pagum Sueſſionicum cum Gundebaldo, & Vintrione deuaſtant. Hæc audiẽs Fredegundis

Lege Diac. lib. 3. de geſtis Longobard. cap. 17.

cum

cum Landerico & reliquis Francorum ducibus hostem congregat,& ad Brumacum villam veniens multa dona & munera Francis dedit, eosque ad pugnandum contra inimicos suos incitauit. Cum autem cognouisset, quod multus esset exercitus Austrasiorum, coadunatis Francis,qui cum ea erant,consilium dedit eis dicens:De nocte consurgamus contra eos cum lucernis, quas portant ante nos præcedentes, & similiter ramos siluarum in manibus nostris feramus,cũ tintinabulis supra equos ligatis,vt eorum vigiles,& custodes castrorum nos cognoscere nequeant, & illucescente initio diei super eos irruamus, & forsitan eos deuincemus. Platuitque hoc consilium. Cum autem denunciatum fuisset placitum, qua die ad præliandum in loco nuncupato Truncia, in pago Suessonico conuenire deberent, illa sicut consilium dederat,de nocte consurgens cum armorum apparatu, cum ramis in manibus, vel reliquis quæ superius diximus,ascensis equis,Clotharium paruulum regem in brachio vehitãs,vsque ad Trunciam peruenerunt. Cum ante custodes hostium Austrasiorum, ramos siluarum quasi in montibus,in agmine Francorum cernerent, & tinnitum tintinnabulorum audirent, dixit vir ad socium suum:Nonne hesterna die in illo & in illo loco campestria erant, quomodo nunc siluas cernimus? At ille irridens eum,dixit:Certe hac nocte inebriatus fuisti,& modo deliras.Nũquid audis tintinnabula equorum nostrorum iuxta ipsam siluam pascentium?Dum hæc argerentur & aurora diei initium daret, irruerunt Franci cum strepitu turbarum super Austrasios, & Burgundiones dormientes, & interfecerunt maximam potestatẽ exercitus eorum à maiore vsque ad minorem. Gundebaldus quoque & Vintrio per fugam delapsi vix euaserunt,Lãdericus quoque insecutus est Vintrionem,sed ille cursu velocissimi equi euasit. At vero Fredegundis cum reliquo exercitu vsque Rhemos accessit,at tota Campania succensa cum multis spolijs reuersa est ad Suessionem ciuitatem.

Fredegundis hostes mira arte fefellit.

Francorum de Austrasianis & Burgundionibus victoria.

Eo tempore Childebertus Rex Austrasiorum habebat duos filios,senior vocabatur Theodobertus ex concubina,iunior vero ex Regina natus erat,nomine Theodoricus,quem cum auia sua Brunechilde in Burgundiã in regnum Guntranni regis magni direxit. Eo tempore mortuus est Childebertus Rex iunior,regnauitque annis 20. Theodobertus autẽ filius eius in regnum patris sui successit,idest in austria,Theodoricus vero in Burgũdia. Eo tempore mortua est Fredegundis Regina plena dierum, & in Basilica sancti Vincentij martyris est sepulta.

De stimulatione Brunechildis & Theoderici contra sanctum Columbanum.

Cap. IV.

THeodoricus ergo quia intra regni sui terminos sanctum Columbanum haberet gratulabatur. Ad quem vir Dei sæpissime cum veniret, cæpit increpare eum cur concubinarum adulterijs misceretur, & non potius ad regalem prolem procreandam legitimo coniugij solamine frueretur. Cumque ad eius imperium Rex obtemperans,se ab omnibus illicitis segregaturum responderet, eius auia Brunechildis contra virum Dei stimulata est,verebatur enim ne si Rex abiectis concubinis Reginã auiæ præfecisset, dignitatis suæ & honoris modum amputaret. Quadam igitur die dum ad eum veniret illa Theodorici filios adulterinos ad eum adduxit. Quo sciscitante quid sibi vellent, ait:Regis filij sunt, tu eos tua benedictione robora. At ille: Nequaquam illos regnaturos scias,quia de lupanaribus emerserunt. Tunc illa furens paruulos abire iussit, egredienſque vir Dei aulam regiam,dum limitem transiliret,fragor subito est exortus, qui totam domum quatiens, omnibus terrorem incussit, nec tamen miseræ fœminæ furorem compescuit. Tunc monasterij præpositis per nuncios imperat, vt nulli eorum extra terminos iter pandatur, nec receptacula monachis eius,vel quælibet subsidia tribuantur.Cernens vir Dei regios animos contra se permotos, ad eorum frangendam pertinaciam properans, apud Spissiam villam publicam, vbi tunc Rex erat,occidente sole peruenit. Quod cum Regi nunciatum esset, iussit regio cultu opportuna subsidia parari, Deique famulo dirigi. Qui cum vidisset dapes & pocula cultu regio administrata, quæsiuit quid sibi de his agere vellent. Qui dixerunt:Tibi sunt hæc à Rege directa. Abominatus ea securus dixit: Munera impiorum reprobat altissimus, nec dignum est, vt ora famulorum Dei cibis eius polluantur, qui non solum in suis, verumetiam in aliorum habitaculis Dei famulis aditum denegat. His dictis vascula omnia in frusta dirupta sunt, vinaque & sicera solo diffusa,cæteraque separatim dispersa. Pauefacti ministri rei gestæ causam Regi nunciant,& ille pauefactus,cum auia sua disuculo ad virum Dei properat, de commisso veniam precantur, seque postmodum emendare pollicentur.His pacatus promissis ad monasterium redijt.

S. Columbanus obiurgat regem.

Pradicit filios regis ad regnum nõ peruenturos.

Refpuit dapes à Rege missas.

Brunechildis altera Iezabel Regis animum in virum Dei commouet.

Pradicit regina suam ruinam & totius propaginis interitum.

Expellitur è monasterio.

De exilio eiusdem,& de damnatis è carcere liberatis per eam.

Cap. V.

HÆc pollicita matrimonij iura non diu seruata violantur, solitaque à rege adulteria perpetrantur. Quo audito,vir Dei literas ad Regem verbis plenas, & comminatorias direxit: vnde rursum permota Brunechildis animum Regis contra eum excitauit,episcopos etiã solicitare aggressa est, vt eius religioni detraherent, ac statutum regulæ quam monachis suis tradiderat, vituperando macularent. Coactus itaque Rex Luxouium venit,conquestus est cum eo, iura prouincialium moribus discederet,& intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Cui beatus Columbanus, vt erat audax & animo ingens ait: Si in hunc locum veneris,vt habitacula seruorum Dei destruas,& regularem disciplinam macules, scito regnum tuum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia euersurum. Quod postea rei probauit euentus. His ergo dictis Rex territus foras refectorium quod ingressus fuerat, celer repedauit.Cumque viri Dei duris increpationibus vrgeretur, ait: Martyrij coronam me tibi speras illaturum,sed non sum tantæ dementiæ,vt hoc tantum scelus perpetrem. Quin potius placet, vt qui aliorum moribus regulari tuo proposito discordas, via qua venisti,repedare studeas. Ad hæc ille se dicit de cœnobij septis non egressurum,nisi violenter abstraheretur. Discessit ergo Rex, & virum procerem nomine Bandulfum reliquit, qui virum Dei à monasterio pellens penes Vexontionense oppidum ad exulandum perduxit.

Ibi ergo commorans, audiuit carcerem in loco illo plenum esse damnatorum. Illuc properans,& nullo obstante ingressus verbum Dei damnatis proposuit. Qui cum sponderent se si liberarentur emendaturos,& pœnitentiam acturos, ille supradicto ministro suo Domoali præcepit,vt ferrum quo compedes erant innexi, apprehenderet. Quod cum faceret, velut frutex putrefactus per partes comminuitur. Tunc egredi damnatos ex carcere iussit, peractoque euangelici cultus officio pedes lauit,& linteo abstersit, deinde imperauit vt ecclesiam peterent, & commissum scelus fletibus abluerent. Properantes ergo ecclesiæ fores obseratas reperiunt. Tribunus autem cum vidisset carcerem vacuum, ipse & milites damnatorum calces insequi cœperunt. Qui post tergum eos appropinquare videntes, & obseratas ecclesiæ fores, gemina vallati angustia, virum Dei vt eruantur, compellunt. Ille rursum caput attollit,precaturque Deum,vt sua virtute ereptos ex ferro non sinat denuo tradi satellitum nexui,nec morata Dei bonitas,fores firmiter obseratas reserauit,& in angustijs positis aditum pandit, Pernici cursu intrant ecclesiam,fores vero post eorum introitũ in oculis militum absque humana manu obserantur ac si custos more clauigero

Vinctos liberat S. Columbanus.

Magno miraculo fores templi & patefiunt & clauduntur.

perniciter

perniciter eas reſeraſſet, & obſeraſſet. Nec quiſquam poſtea damnatis inferre iniuriam auſus eſt, quos diuina virtus eruiſſet.

De iterato eiuſdem exilio.

CAP. VI.

Reuertitur ad monaſterium.

POſthæc vir Dei cernens, quod nullis cuſtodijs angeretur, videbāt enim omnes in eo Dei virtutes flagrare, & ideo omnes ab eius iniurijs ſegregabantur, ne culparum ſocij forent, aſcendit dominica die in eacumen montis illius. Cumque nullum videret, qui iter ad monaſterium reuertēdi prohiberet, per mediam vrbem cum ſuis ad monaſteriū regreſſus eſt. Quo audito Rex & auia eius atrocioribus aculeis iræ ſtimulati iubent cohorti militum, vt virum Dei rurſum vi abſtrahant, & ad priſtinum exilium reuocent. Qui cum tribuno venientes, ſeptaque monaſterij peruagantes eum perquirunt, ille in atrio eccleſiæ ſedebat, librumque legebat, vbi cum ſæpe veniſſent, & prope cum tranſiſſent, ita vt nonnulli in eum pedibus offenderent, obcæcati luminibus, ipſum nequaquam videbant. Eratque ſpectaculum pulcherrimum, quia & ille orans cernebat quærentes, & illi in medio eorum poſitum non videbāt. Veniens autem tribunus, & intuitus per feneſtram, vidit virum Dei inter ipſos lætum reſidere & legere, cernenſque Dei virtutem ait: Nequaquam amplius errore inſaniæ cor noſtrum decipiatur; non enim poteſtis inuenire, quem virtus diuina tegit. Renunciantibus illis talia Regi, ille aucto furore Bertharium comitem & ſupradictum Bandulfum deſtinauit; qui cum eum in eccleſia pſallentem reperiſſent, ſic eum allocuti ſunt: Vir Dei precamur vt regis præceptis obedias, egreſſuſque quo primum huc veniſti itinere pergas. At ille ſe ait iam ſæpius eſſe teſtatum, niſi vi traheretur ſe non diſceſſurum. Illi gemino vallati periculo cū formidine pallium eius attigerunt; alij genibus prouoluti precabantur, vt tanti ſceleris culpam illis ignoſceret, qui non ſuis deſiderijs, ſed Regis obtemperarent præceptis. Videns vir Dei periculum aliorum eſſe, ſi ſeueritati ſuæ ſatisfaceret, cum omnium eiulatu egreſſus ad Auallonē caſtrum peruenit. Sed priuſquam illuc peruenire, in via cuſtos equorum Theodorici ei occurrit, eumque lancea trajcere voluit, ſed eum mox diuina vltio pertulit, nam dextera quam contra ſanctum tetenderat, torpente, lanceam ante pedes ſuos terræ defixit, & ipſe à dæmone correptus, ante veſtigia viri Dei corruit. Quem cernens ille coram ſe vltione diuina percuſſum, die illa noctuque penes ſe tenuit, & ſequenti die ad ſe accerſiuit, Deoque fauente curatus ad propria remeauit.

Iterum quæritur S. Columbanus ad exilium & non videtur.

Producitur extra regnū Theodorici S. Columbanus.

De quibuſdam miraculis eiuſdem.

CAP. VII.

Miracula S. Columbani.

QVodam tempore dum vir Dei per Ligerim ad vrbem Turonicam peruenisſet, ad beati Martini ſepulchrum acceſſit, ibique tota nocte in oratione excubauit. Sublato deinde prandio ad ſcapham redijt, ſuoſque multa triſtitia depreſſos reperit: inquirens autem, inuenit præterita nocte quæcunque in ſcapha habuerant furto perdidiſſe, ſimulque aureos quos in pauperes non erogauerat, furtim ablatos fuiſſe. Quo audito, ad ſepulchrum ſancti redijt; quærens, ſe non idcirco ad eius excubias excubaſſe, vt ille ſua ac ſuorum damna patrari ſineret. Nec mora qui ſaccellum cum aureis furatus fuerat, cæpit inter flagella corporis, & pœnas clamare, illo & illo in loco aureos occultos ſe habere. Quod videntes ſocij, omnes currunt, furto ſublata omnia reddunt, virumque Dei precantur, vt tanti ſceleris culpas ignoſcat.

Nota quid poſſint Sancti inuocati.

Poſt hæc ad Meldenſe oppidum venit, quo vir nobilis Channericus, Theodoberti connipa, vir ſapiens, & conſiliarius Regis gratus, miro gaudio eum recepit; qui domum eius benedixit, & filiam eius nomine Burgundoforam Deo vouit.

Quodam etiam loco prope Sueuos, cum moraretur, reperit habitatores loci ſacrificium prophanum litare velle, & cupam magnam 20. circiter modiorum, cereuiſia plenam in medio poſitam eſſe. Cumque inquireret quid de illo agere vellent, aiunt ſe Deo ſuo Vadono, quē alij Mercurium autumant, velle immolare. Audiēs opus peſtiferum, vas inſufflauit, miroque modo vas cum fragore diſſolutum eſt, & in fruſta diuiſum, vaſque rapido cum liquore oereuiſiæ prorupit; vnum & datur intelligi diabolum in vaſe occultatū fuiſſe vt caperet animas ſacrificantium. Stupefacti barbari, aiunt virum Dei habere anhelitum qui poſſet diſſoluere vas ligaminibus munitum. Multique verbis eius ab errore caſtigati, ad Chriſtum conuerſi, ſunt baptizati

Sueuos Idololatras ad Chriſtum conuertit.

Cumque ſub quodam ſcopulo inter vaſta eremi ieiunio corpus conficeret, & nihil aliud præter ruris poma in cibos caperet, hora refectionis propinquante, Magnoaldum miniſtrum direxit, vt cōſuetam menſuram pomorum deferret. Qui abiens vrſum inter ruris frutices, rubosque peruagari perſpexit, ac poma lambendo carpere. Feſtinus ergo redijt, patriq; indicauit. Ille imperauit vt iret, partemque fruticum in cibos feræ dimitteret, aliam ſibi reſeruari iuberet. Abijt ergo, & iuſſa impleuit, diuiſitque virga frutices, ruboſque quæ poma ferebat & partem ſuam vt fera comedat iubet, aliamque partem in vſum viri Dei reſeruet. Mira in fera obedientia, nequaquam ſibi ex parte prohibita cibos capere auſa eſt, ſed in ſegregata & permiſſa ſibi fruticum parte, tantummodo pabula requiſiuit, quamdiu vir Dei in loco illo commoratus eſt.

Vrſus obtemperat iuſſis viri Dei.

De completione prophetiæ eius ſuper domo Theodorici Regis, & obitu ipſius, & quibuſdam alijs.

CAP. VIII.

PORro Theodoricus penes Metenſe oppidum diuinitus percuſſus, inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt. Poſt quem Brunechildis filiū eius Sigebertum in regnum ſuffecit. At Clotharius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu fines regni, qui ſuæ ditioni debebantur, volens recipere. Sigebertum captum peremit, fratreſque eius quinque Theodorici filios cū auia Brunechildæ cæpit; & pueros quidem ſeparatim peremit, Brunechildem vero ignobiliter camelo impoſitam, hoſtibus gyrando monſtrauit primo, poſtque indomitorum equorum caudis irretitam miſerabiliter vita priuauit. Funditus ergo radicituſq; Theodorici ſtirpe deleta, Clotharius trium regnorū monarchia ſolus potitus eſt, & ſic beati Colūbani prophetia in omnibus impleta eſt.

Theodorici dira mors quem veneno ſublatam à Brunechilde ſcribit Aimon. lib. 3. cap. 100.

Obijt autem vir ſanctus 9. Cal. Decembris. Huius vitam ſcripſit frater Ionas, cætera eius miracula quidam alius. In quadā Petra veſtigium pedis eius dextri ſic impreſſum eſt, ſicut & hodie apparet, ac ſi aliquis ſigillum in cera impreſſiſſet, vnde & ipſe locus ob reuerentiam ſancti, lingua ruſtica vocatur, *ad vrnam ſancti Columbani.*

Sigebertus in Chronicis. Anno Mauricij 7. nimiæ pluuiæ inundant, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuio ſuperinundarent, & tanta clades fuit, vt nullus grauiorem à ſæculo fuiſſe meminerit. Magnus etiam draco in modū validæ trabis cum innumerabili ſerpentium multitudine per Tiberim in mare deſcendit, à quibus ſuffocatæ beſtiæ maris, & ad littus proiectæ, putredine aërem corruperunt.

An. Ch. 590.

Serpentes extincti corrūpunt aërem.

Anno ſequenti Hormiſdam Regem Perſarum à Perſis excæcatum, filius eius Coſdroë occidit, & ad Mauricium Imperatorem confugit, eiuſque virtute Perſas debellans Regnum Perſarum accepit, & annis 38. regnauit. Leuigildo Vuiſigothorum rege mortuo. Recharedus filius eius regnauit annis 15. In Italia facto diluuio vltra fidem penè omnium, poſt multam confuſionem rerum, ſubſecuta eſt per cladem inguinariam immedicabilis mortalitas hominum.

De

De peſte inguinaria quæ accidit Romæ & electione Gregorij Papæ.

Cap. IX.

Vide Greg. Turonenſem lib. 10. hiſt. cap. 1.

Ex geſtis eius. Eo namque tempore Tiberis fluuius, ita ripas ſuas exceſſit, vt ſuper muros vrbis influens maximam partem regionis occuparet, & plures domos euerteret. Tunc etiam multitudo ſerpentium cum ingenti dracone per medium fluuium in mari deſcenderunt, & ſalſis fluctibus præfocati ad littus eiecti ſunt. De quorum fætore ſecuta eſt plaga peſſima, quam inguinariam vocant, quæ tanta fuit, vt etiam ipſum Papam Pelagium occideret, & paſſim ſubtractis habitatoribus, plurimæ domus in vrbe vacuæ remanerent. Sed quia eccleſia ſine rectore eſſe non poterat, Gregorium licet totis viribus renitentem plebs omnis elegit, & electionem eius Imperator Mauricius confirmauit. Cum ergo benedici deberet, & lues populum deuaſtaret, ſermonem fecit ad populum, vt pœnitentiam agentes litanias cum proceſſione facerent, & pro remouenda peſte Deum attentius exorarent. Dum omnes ſimul orarent cum lachrymis, morbus ille in tantum deſæuit, vt in hora vna 80. homines expirarent. Finito itaque ſermone & peſte ceſſante, volens effugere, ſed non valens, quia ſemper portas vrbis propter eum vigiles obſeruabant, obtinuit tamen à negotiatoribus, vt in dolio ſuper quadrigam educeretur de vrbe, & ſic triduo latuit, donec illum orationibus & ieiunijs Romanus populus, columna lucis tertia nocte ſuper eum emiſſa, obtinuit. In qua columna, Angelos aſcendentes & deſcendentes, quidam recluſus proſpexit.

S. Gregorius plane nolens creatur Romanus Pontifex.

De quibuſdam euentibus illius temporis.

Cap. X.

An. Ch. 593. *Sigibertus in Chronicis.* Anno Mauricij 10. in Gallia quidam in ſilua cædens ligna, adeo à muſcis infeſtatus eſt vt per biennium amens fieret. Deinde ſub religionis habitu exhibebat ſe Pſeudoprophetam, deinde magum. Deinde etiam ſanitates ſuper infirmos faciens, Chriſtum ſe eſſe dicebat, & pro Chriſto ſe adorari iubebat: nolentes ſe adorare cum populo, qui ei multus adhærebat, impetebat hoſtiliter. Qui poſtea à quodam fideli occiſus eſt; & ita ſequaces eius diſperſi ſunt.

Recharedus Rex Vuiſigothorum terminos Romanorum inquietauit.

Hoc tempore regnabat in Hibernia inſula Philtanus, & in Scotia regnabat Brendinus, cui frater erat nomine Adelphius, de cuius Adelphi filia, quæ vocata eſt Gelgehes, genuit Rex Hiberniæ Philtanus ſanctum Furſeum, & fratres eius Foillanum, & Vltanum.

Huc vſque Gregorius Turonenſis hiſtoriam Francorum digeſſit.

An. Ch. 594. Anno ſequenti tunica D. Noſtri Ieſu Chriſti in ciuitate Zaphat, non longe à Hieroſolyma, confeſſione Simonis Iudæi inuenta, & ab epiſcopis Gregorio Antiocheno, & Thoma Hieroſolymitano, & Ioanne Conſtantinopolitano, Hieruſalem in loco, vbi crux Chriſti veneratur eſt poſita.

Gaugericus Cameracenſis epiſcopis claret.

Anno ſequenti Recharedus Rex Vuiſigothorum Synodo. 62. epiſcoporum apud Toletum congregata, ibiq; Arriana hæreſi abdicata & Anathematizata, ſe cum tota Vuiſigothorum gente confirmat in fide catholica.

Conſtantinopoli naſcitur puer quadrupes; & alter duos vertices habens: quæ prodigia protendunt aduerſa locis in quibus naſcuntur.

Anno ſequenti Agilulfus Rex Longobardorum in Romanos inſurgit; ſed agente Theudelinda Regina, non multo poſt cum eis fœdus inijt. Huic Reginæ Gregorius Papa libros Dialogi ſui miſit.

His diebus irruentes Longobardi in montem Caſſinum, diripuerunt omnia quæ in monaſterio ſancti Benedicti inuenire potuerunt, neminem vero tenere valuerunt, ſicut idem famulo ſuo Dominus promiſerat, vt ſi res gentibus traderet animas ſeruaret. Monachi autem fugientes, Romam petierunt, codicem regulæ à beato Benedicto editum, & pondus panis, atque menſuram vini ſecum deferentes.

Sol à mane vſque ad meridiem minoratus eſt vſque ad tertiam ſui partem.

Anno ſequenti Guntrannus Rex ſanctitate clarus dormit in Chriſto. Regnũ eius ceſſit fratrueli ſuo Childeberto.

De legatione Auguſtini in Angliam, & conuerſione illius gentis.

Cap. XI.

An. Ch. 597. EOdem anno Gregorius Papa, quod ipſe olim facere intenderat, Auguſtinum cum alijs ad prædicandum in Angliam deſtinauit.

Quomodo Anglos ad Chriſtum conuerti curauerit.

Ex geſtis eius. Itaque ſerui Dei Mellitus, Auguſtinus, & Ioannes ad eãdem inſulã directi cum multis alijs Deum timentibus monachis, intra breue tẽporis ſpacium Regem illum, qui in capite inſulæ morabatur, cum ſuo populo conuerterunt. Quibus Deus tantam faciendorum miraculorum gratiam contulit, vt verbum Dei quod ore prædicabant, ſignorum officio confirmarent. Vnde factum eſt, vt paucis elabentibus annis etiam cæteri Reges ipſius inſulæ cum his qui erant ipſis ſubiecti, accederent ad fidem Chriſti. De cuius gentis conuerſione ſiluam & miraculorum prodigijs, quæ ibidem fiebant, ita beatus Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat quã Barbarum frendere, iam dudum in diuinis laudibus Hebręa cæpit verba ſonare: Ecce quondã tumidus, iam ſubſtratus ſanctorũ pedibus ſeruit Oceanus, eiusque barbaros motus quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine ſacerdotum ora ſimplicibus verbis ligant. Et qui cateruas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humiliũ linguas timet. Quia. n. perceptus cæleſtibus verbis, clareſcentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiuſdẽ deitatis terrore frænatur, vt praue agere metuat, ac totis deſideriis ad æternitatis gratiam venire concupiſcat. Quod totum vt fieret, ita eadẽ beato Gregorio Dei gratia conceſſit, vt merito ab Anglorum populis debeat Apoſtolns appellari.

Exultat S. Gregorius de conuerſione Anglorum lib 17. Moralium c. 8.

Hugo libro 6. Quam gentem præfatorum labore virorum Deo lucrifaciens, Londoniæ & Eboraci Metropolitanos conſecrauit epiſcopos.

An. Ch. 598. *Sigibertus in Chronicis.* Anno Mauricij 15. ſanctus Columbanus Abbas & preſbyter, Doctor Scotorum & Pictauorum obijt, qui poſteris ſuis multa ſanctitatis monumenta reliquit, præterquam quod ruſtica ſimplicitate, Paſcha Dominico die celebrari debere neque didicit, neque docuit.

Marculfus Abbas Baiocaſſinenſis ſanctitate claret in Gallia.

De conuerſione Cantuariorum & regibus Nordanymbrorum.

Cap. XII.

An. Ch. 599. ANno ſequenti Edilbertus Rex Anglorum, qui Cantuarij vocantur, prædicante Auguſtino, cum gente ſua baptizatur. Porro gens Anglorum, qui Mercij dicuntur, & gens Nordanymbrorum, qui, quod ad aquilonarem partem Hymbri fluminis habitent, ita vocantur, ſub regibus Ethelfrido & Ællæ nondum audierant verbum vitæ.

Gulielmus Malmesburienſis lib. 1. cap. 3. Annis 99. fuere Nordanymbri duces, communi habitu contenti, ſub imperio Cantuaritarum; quibus Nordanymbris primi præfuerunt frater Hengeſti Otha & eiuſdem filius

Ebuſa,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ebula, sed anno ab incarnatione domini 547. post mortem Hengesti 60. ducatus in regnum est mutatus; regnauitque ibi primus Ida vir nobilis, ætate & viribus integer. Vuodenio quippe fuerunt tres filij, Vueldegius à quo Reges Cantuaritarum; Vuithlegius à quo Reges Merciorum, Beldegius à quo Reges Vuestsaxonum & Nordanymbrorum, Ida igitur à Beldegio nonus * xij. annis regnauit. Post hunc * Ælla annis 30.

* 14. * Alla.

Huius tempore venales ex Anglia pueri Romam deducti, saluti omnium compatriotarum suorum occasionem dedere per beatum Gregorium tunc Archidiaconum; Quos ille conspicatus, quæsiuit ab astantibus; qui genus? vnde domo? Respõsum est, genere esse Anglos, prouincia Deiros (Est enim Deira prouincia Nordanymbriæ) * Ællæ Regi subditos, paganismo deditos: Quorum extremum dolentibus suspirijs prosecutus, reliquis eleganter allusit, vt Angli Angelis similes de ira Dei eruerentur, & Alleluia cantare docerentur. * Ælla tamen Rex nescio quo infortunio de Christianitate nihil audire meruit; sed ad filium eius manauit electio. Post * Ællã regnauit Ethelricus Idæ filius annis v. Post quem filius eius Ethelfridus. Hic fugauit Regem Scotorum Edam, in quo bello mortuus est frater Ethelfridi Thedbaldus ciuitatem Legionum, quæ nunc Cestra dicitur, expugnauit, prius in monachos debacchatus, qui pro salute populi supplicaturi frequentes conuenerant. Quorum maximus conuentus erat in loco qui dicitur Bangor; Edroinum * Ællæ filium regno & prouincia eliminauit. Qui fugiens, venit ad Redroaldum Regem orientalium Anglorum, qui contra eum pugnauit, & eundem occidit, amisso prius filio Reinerio. Regnauit autem Ethelfridus annis 24. Hic habuit ex Acca filia Ællæ sorore Edroini filios duos, Osroaldum duodennem, & Osroinũ quadrimũ, qui occiso patre in Scotiã sunt delati. Post Ethelfridum regnauit Edroinus.

* Alla.

* Alla.

* Allam.

* Alls.

De Sancto Goare, & falsa eius accusatione apud Archiepiscopum suum.

Cap. XIII.

Sigebertus in Chronicis. Anno Mauricij 17. sãctus Goar veniens ex Aquitania, claret in Gallia. Ex gestis eius. Hic in suburbano Treuerico iuxta fluuium Vuochara ecclesiolam fecit, multorumque ibidẽ reliquias sanctorum collocauit. Ibi, die noctuque Deo seruiebat in ieiunijs. vigilijs, prædicatione, & oratione, multosque paganos verbo conuertit, & ægrotos multos oratione sanauit. Vnde diabolus virtutibus eius inuidens, multas ei tribulationes ingessit. Itaque contigit vt legati episcopi Treuerici nomine Rustici scilicet: Albuinus & Adaluinus ad cellam viri Dei quasi speculatores aduenirent, vt ibi aliquam rem nouam vel inanem inuenire possent: Viderunt ergo quod more solito mane post psalmodiam & missam, cum peregrinis & pauperibus in charitate cibum sumeret. Quod ipsi non charitate, sed gulositate fieri æstimantes, accusauerunt eum apud Archiepiscopum dicentes se eum vidisse sine temperamento mane comedere, vel potum sumere. Quod audiens Archiepiscopus statim iussit ipsos legatos illic redire, & sanctum Dei Goarem sibi præsentari, dicens, quod inquisitionem de ipso facere vellet, vt posset scire quo ingenio, vel arte talia præsũsisset plebi sibi commissę exempla monstrare. Qui venientes ad sanctum Goarem, locuti sunt ei dolose, putantes quòd accusationem illam per quam eum infamauerunt, possent blandicijs verborum obtegere. Archiepiscopus, inquiunt, noster Rusticus salutem tibi mandat, iubetque vt ad colloquium ipsius Treueris festinanter accedas. Hæc audiens homo Dei S. Goar, cũ gaudio dixit: Faciat mihi Deus, vt possim ei obedire, quia obedientia sine mora est facienda. Nocte illa fecit illis cænam secundum vires suas, & ipse in Dei laudibus (vt solebat) fuit perseuerans.

Relicta patria migrat in diœcesim Treuirẽsem.

Æmuli Sãcti viri.

Mane autem facto, postquam * cursum suum finiuit, missarũ solẽnia celebrauit, cumque cõplesset diuinũ officium die illo, dixit ministro suo, Fili fac nobis lætum diem de abundantia nostra, vt isti legati Archiepiscopi simul nobiscum faciant charitatem, quia in itinere sũt, & forsitan Deus aliquem peregrinum vel pauperem adducet, vt pariter epulemur. Quod audientes illi, non potuerunt malignitatem cordis abscondere, nec ei voluerunt consentire. At sanctus introducto quodam peregrino per charitatem comedit cum illo. Quod videntes legati cum lætitia strauerunt equos dicentes: Nunc manifeste vidimus, quod domino nostro Archiepiscopo nuncienus.

Charitatiũ officia æmuli eius sinistre interpretantur & carpunt.

Qualiter aduersariorum suorum famem & sitim sedauit

Cap. XIV.

Accepto itaque à viro Dei cibo & potu in vasculis ad viaticum itineris, ambulantes cum eo cæperunt fame & siti vehementer vrgeri. Miseruntque manus ad sistarciam & ad vtrem, & nihil inuenerunt, cũ vtique de domo S. Goaris sufficientem in eisdem deportassent alimoniam. Et ait Albuinus ad Adaluinum: Talem ego famem & sitim nunquam habui. Et hæc dicens, cecidit de equo suo quasi mortuus. Adaluinus vero conuersus, ait ad famulum Dei Goarem: Succurre nobis pie sacerdos Christi, quia fame & siti morimur. Sanctus Goar cum hoc audisset, cum gaudio dixit: Hodie filij quando me indignum vidistis charitatem facere, non debuissetis recusare; ista vero quæ nunc patimini, ad corripiendum vos Deus meus permittit fieri. Dum hæc illis diceret, & eos vehementer cruciabat fames, venerunt tres ceruæ miræ magnitudinis, quasi sãctam Trinitatem præfigurantes, steteruntque à longe, ipsos qui loquebantur aspicientes. Quas cum vidisset vir Domini, & inuocasset S. Trinitatem, iussit eas stare, quæ cum stetissent, apprehendit vasculum suum, & mulsit eas. Quod cum factum fuisset, præcepit eas abire, & ex ipso lacte linuit membra prædictorum virorũ, & statim nullum dolorẽ lassitudinis; quæ in eis de inedia acciderat, senserunt. Hoc remedio confortati mox vt miserunt manus ad sacculos, inuenerunt quæ apta erant ad manducandum & bibendum vsque ad abundantiã, & ceperunt epulari. Cumque mirarentur de his quę viderant, & stupentes timerent, cæperunt incitatis equis velociter itinerari, donec venirent Treueris ciuitatem. Seruus autem Dei Goar, per oratoria & ecclesias sanctorum sicut solitus erat facere, pergebat. Et sæpe dicti legati festinãter venientes ad episcopũ Metropolitanũ, inuenerũt eũ in synodo sedentẽ in solito suo vna cũ clero; narraueruntque ei omnia, quæ acciderãt eis, vel quæ facta viderãt ab ipso Scoto Goar. Quæ cũ audisset, cum iracundia cæpit dicere: In quantum intelligentia cordis considerare valeo, consuetudo istius pertinacis viri, qui sic mane comedit, & bestias mulget, sine dubio potius deputanda est gulositati, quam charitati. Inquirendus est tamen quamobrem, vel quo humanę iudis desiderio hæc faciat, & vtrum ex parte Dei sit, an ex deceptione aduersarij.

Vltio diuina æmulos suo persequitur.

Qualiter voce pueri peccatum episcopi coactus publicari fecit.

Cap. XV.

Vix verba compleuerat, & ecce vir Dei Goar intrauit in domum in qua ipse Archiepiscopus residebat. Ingressus domum itaque cæpit quaquauersum aspicere: si forte esset locus vbi posset stare discipulus eius & cappam suam pendere vel abscondere. Diu ergo circumspiciens, vidit in angulo domus quasi similitudinem fustis, quæ certe non erat fustis sed radius solis qui per senestram penetrabat interiora mansionis. Cumque appropiasset ad radium Solis, speciem crassioris perticæ prætendentis, appendit cappam suam super ipsum, ibique stare præcepit ministrũ suum. Quod cum vidisset Rusticus archiepiscopus, vna cum

Ceruas iubet stare & earũ lacte moribundos sanat.

Calumnias episcopi in sanctum virum.

Ad solis radiũ suspendit cucullam suam.

* *Cursum, vocat illatas preces horarias.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum clero ſuo dixit, videtis quid nunc fecit? Vere ſi hęc cauſa ex Deo fuiſſet, tam mane non comediſſet vel bibiſſet, quia anteriores ſancti per elemoſynas & ieiunia intrauerunt in regnum Dei; hoc autem mirabile factum quod video quid ſit omnimodis neſcio, ſed inde non mediocriter ſtupeo. Mane comedit & bibit, beſtias mulget, cappam etiam ſuam in radio ſolis ſuſpendit. Quid plura? Accedat propius, vt reddat rationem circumſedentibus. Tunc venit quidam portans in brachio ſuo infantem tres noctes habentem, qui fuerat proiectus in concham marmoream, vbi pauperculæ fœminæ ſolent infantes ſuos iactare. Quem videns Archiepiſcopus, inquit ad ſanctum Goarem: Nunc oportet vt oſtendas nobis miniſterium tuum, ſi verum ſit an falſum: Si verum eſt, per veram obedientiam præcipio tibi, vt facias iſtum infantem nobis innoteſcere genitorem ſuum, & genitricem ſuam; ſi hoc facere potes, credemus tibi & virtutib. tuis: Sin autem nihil tibi credere debemus. Tunc vir Dei ſuſpirauit grauiter & lachrymas fudit, vehementer admirans, quamobrem pontifex ſuorum vituperator operum, talem ſibi inanem atque ineptam obedientiam facere præcepiſſet, & fundens orationem ait: *Trinitas ſancta te innoco, atque te infans in nomine eiuſdem Trinitatis conuro, vt genitorem tuum per nomen denomines, & genitricem tuam ſimiliter.* Reſpondens infans dixit: Iſte Ruſticus epiſcopus eſt pater meus, & mater mea * Afflagia nuncupatur. Quo audito epiſcopus cecidit velociter ad pedes S. Goaris dicens: Nunc ſcio vere, & credo Dei te ſanctum ſore ſeruum, cui ſcelera mea, quæ ſic abſconſa putabam, vt nullus alius præter me, & illam mulierem, & vnum puerum meum vnquam noſſe poſſet, ita ſunt tibi patefacta per ipſius nati mei verba. Hæc audiens B. Goar, ſtupore miraculi repletus, atque quaſi in exceſſu factus mentis dixit ad eum: Heu, heu domine, quare per me miſerum peccata tua hactenus latentia facta ſunt manifeſta? Melius quidem fuiſſet ſpontanea, * a & ſecreta coram Deo confeſſio, quam iſta contra votum tuum ignominioſa publicatio. Deinde ſollicite ac benigne monuit eum ad pœnitentiam dicens: Quantum ſaluator noſter pius eſt ad dimittendũ, tantum nos oportet paratos eſſe ad pœnitendum. Ego autem in quantum pietas diuina me exaudire, & vitam dignabitur condonare 7. annis pœnitentiam pro te compellente fraterna charitate iam deliberaui facere.

Vir ſanctus inſpectorem ſecretorum teſtem inuocat Deum.

* Flauia S. Goaris miraculum no vulgare.

Annotatio.

* a *Hæc ſpõtanea ſecretaque confeſſio coram Deo quidem, ſed apud Sacerdotem facienda eſſe intelligitur, illo enim, ſicut etiam ſuperioribus ſæculis fuit in vſu hæc peccatorum apud Sacerdotem ſecreta confeſſio, vt colligi facile poteſt ex lib. 1. dialog. D. Greg. cap. 12. Quod etiam non obſcure indicat ipſe S. Goar, quem Vualdebertus dixit huic ſuaſiſſe epiſcopo, vt conſilijs ſalubribus acquieſcens ſuſcipiat pro reatu proprio duram prolixamque pœnitentiam ex iudicio Sacerdotum. In ipſo autem auctore quem Surius edidit, hæc verba non ſunt (coram Deo) quibus quidem verbis ſubſtractis, plane de ſecreta apud Sacerdotem confeſſione locutum fuiſſe S. Goarem perſpicit.*

Qualiter in Archiepiſcopatum poſtulatus, & renuens beneficio mortis euaſit.

Cap. XVI.

TAntæ igitur ſanctitatis famam vel noua geſta audiens Sigebertus Rex Francorum, ſtatim tranſmiſſis legatis ſuis iuſſit ſanctum Goar ad ſe venire. Miratite autem rege, atque diſcente omnia quæ facta fuerant à ſancto miracula, vniuerſus populus vnanimiter clamabat ad Regem, quatenus ipſum Dei virum conſtitueret Treuericæ ciuitatis epiſcopũ. Quod Rex gratanter audiens, petijt beatũ Goar vna cũ cõſenſu ſacerdotum & clericorum, vt epiſcopus fieret Treuerorum. Statim autem vt vir Dei hoc audiuit, dixit; Melius eſt mihi mori quam ſuper epiſcopum adhuc viuentem miniſterium illius accipere, & peccare in cõſpectu Domini. Conſidera nunc, ô Rex, ſi te Deus Regem ſæculi cõſtituit, ſcito tamen Regẽ ſempiternũ te habere in cælis: ideo dimitte Ruſticum pœnitere facinora ſua, ſicut vis, vt Dominus dimittat tibi peccata tua. Hæc audiẽs Rex ſuſpirauit grauiter, & ait: Per ſalutem principum voluntarie obediam conſilijs tuis, attamen aliud non fiet, niſi quod definiui cum voluntate totius populi, ſcilicet, vt Epiſcopus Treuerorũ efficiaris, quamuis contra votũ tuum. Cũ hoc audiſſet vir Dei ingemuit, & dixit: Glorioſe princeps ſine me prius ad cellam meã pergere, vt ad reſpõſum tuæ celſitudini dandum præparem me. Ait ad eum Rex: Vade cũ pace. Et tranſactis 20. diebus inducias iterũ venit ad Metenſẽ ciuitatẽ ad colloquiũ prædeſtinatum. Cumq; peruenĩſſet ad cellam ſuã cœpit triſtari, & à valida febre fatigari, & nimium corporali afflictione conteri. Quid multa? die ac nocte Dominũ precabatur, vt ei donaret defenſionis ſuæ auxiliũ, & eriperet eum de tã graui iugo, quod Rex ei imponere cupiebat. Sicque ſex annos tranſigens, ad Regem redire non potuit. Sed tandem in bona ſenectute obijt in pace pridie nonas Iulij.

Sigebertus rex ei epiſcopatum offert Treuerẽſem.

Recuſat epiſcopatum.

Obtinet à Deo ne poſſet creari epiſcopus.

Plura vide in Surio. 6. Iulij.

De quibuſdam euentibus illius temporis.

Cap. XVII.

Sigebertus in Chronicis. Anno Mauricij 17. Auguſtinus ab Ætherio Arelatenſi epiſcopo cõſecratur Anglorũ epiſcopus. Childebertus Rex Francorũ moritur, cui Theodebertus, & Theodericus filij eius ſubrogantur. *An Ch. 600.*

Anno ſequenti contentio inter Romanam eccleſiã, & arrogantiã Ioannis epiſcopi cõſtantinopolitani, vniuerſalis Patriarchæ nomen ſibi vſurpantis, ſub Pelagio Papa concepta, & à Gregorio iam inde non leuiter exagitata, non antea quieſcere potuit, quam Ioannes ipſe ſubita morte obijt. *An. Ch. 601.*

In Nilo Ægypti flumine viſa ſunt animalia humanæ formæ vir ſcilicet & mulier, vſque ad lũbos ſuper aquã extantes, qui & ab hominibus per Deum adiurati, à mane vſque ad nonam ſe videndos præbuerunt. *An. Ch. 602.*

Anno ſequenti Auguſtinus epiſcopus Anglorũ, habita ſynodo cum Brytonum, & Scotorum epiſcopis, quia ſacerdotes & monachos inuenit aduerſarios æquitatis, quos voluit habere ſocios prædicationis, terruit eos vaticinio futuræ ſuper eos calamitatis.

Sanctus Columbanus ex Hibernia in Burgundiã venit, ibique permiſſu Theodorici regis, cœnobium Luxouium ædificare cœpit.

Anno 21. Mauricij orientales Angli cum Rege ſuo Sigeberto per Mellitum epiſcopum conuertuntur ad Chriſtum. *An Ch. 604.*

Per archiepiſcopum Auguſtinum tranſlata eſt dignitas archiepiſcopatus, quæ prius Londini erat, ad Cantuarienſem eccleſiam.

Anno eodem Mauricius Imperator, cum vxore & filijs à Phoca perimitur, & imperat Phocas annis 8. *Phocas Imperator. An. Ch. 605. capit; Mundi vero, 4456.*

De Pœna Mauricij iuxta reuelationem Dei ſibi præſentialiter inflicta vt euaderet futuram.

Cap. XVIII.

HVgo vbi ſupra. Mauricius Auguſtus dum eſſet vir Deum timens, malebat in hoc ſæculo facinorum ſuorum corporali ſupplicio vindictam perſoluere, quã tormentis gehennalibus cruciari: quod cum iugiter in ſuis orationibus Dominum deprecaretur, exaudiri meruit. Quadam itaque nocte dum in ſtratu ſuo quiſceret, vidit per ſomnium, ante ſe æneam aſtare Saluatoris effigiẽ, quæ erat ante portã palatij, ex qua eſt emiſſa vox ad eum dicens: Date Mauricium. Et tenentes eum quidam iudiciarij miniſtri, exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum Saluatoris imago: Vbi vis reddam tibi mala, quæ meruiſti, hic, an in futuro ſæculo? Et ille: O amator hominum Domine, hic potius, quam in illo. Tunc iuſſit

Vide Paulũ Diac. lib. 17. Ioan. Diac. lib. 4. vita S. Gregorij cap. 17.

Chriſti Saluatoris ſtatua ſiu imago ænea.

diuina

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

diuina vox tradi eum, & Constantiam eius vxorem, & omnem eorũ cognationem Phocæ militi, Experrectus vero, misit ad accersendum Philippicum generum suũ. Cui sibi assistenti dixit Mauritius: Scis inter agmina nostra, aliquem militem nomine Phocam. Cui ille: Scio vnum: Et imperator: Cuius est qualitatis, qui ait: Iuuenis timidus & temerarius. Tunc referens Augustus Philippico somnium, glorificauit magnifice Dominum pro huiusmodi reuelatione. Ipsa etiã nocte apparuit in cælo stella, quæ dicitur Cometes. Nata sunt præterea eadẽ tẽpestate prodigia in suburbanis Bizantij, puer videlicet quadrupes, & alter duos vertices habens. Sed, & apud Ægyptum in Nilo flumine sicut (iam dictum est) apparuerunt duo animalia humanæ formæ vir scilicet & mulier. Et vir quidem erat pectorosus, & vultũ terribilis rufa coma, canisque permixtis; qui etiam vsque ad lumbos cunctis demonstrabatur nudus, & reliqua corporis membra cooperiebat aqua, mulier quoque mammillas habebat & femineum vultum, cesariesque prolixas, & vsque ad horam nonam omnis populus admirabatur hęc animantia videns.

Mauritius Imperator occisus est 8. Cal. decemb. cum Petro fratre, vxore, quinque filijs & totidem filiabus, & demum ordine propinquis omnibus, sepultique sunt omnes tumulo ad S. Mammatẽ in suburbio Constantinopolis, quorũ sepulchro inscisum est egregium epitaphium, quod Nicepho. Zonaras, & Onuphr. habent.

Post hæc autem Mauricius Augustus in hostili terra positus, cum milites suos ferro & rapinis abstinere cõpelleret, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, Phocam rogare cæperunt, vt imperij regnum super eos acciperet. Quibus sæpe dictus Phocas obaudiens, regalem purpuram sumpsit. Quod audiens Mauricius animo dissolutus, rebus aduersum se fluentibus cessit, & in quandam siluam mari contiguam fugit. In qua cum vxore & quinque filijs iussu Phocæ Cæsaris interemptus est.

De moribus, & conuersatione beati Gregorij Papæ.

CAP. XIX.

Ierem. 1.

EX gestis eius. Gregorius itaque animaduertens se ideo summum Pontificem à Deo constitutum, vt iuxta illud propheticum, radicem vitiorum euelleret, virtutesque plantaret, omnes consuetudines quas contra Apostolicam traditionem nouiter pullulasse cognouerat anathematis interminatione damnauit. A cubiculo suo non solum iuuenculos, sed & omnes seculares exclusit; clericorum vel monachorum prudentissimos sibi familiares consiliarios elegit. Qui sanctimonia, vel sapientia carebat, subsistendi coram eo fiduciam non habebat. Mox vt Papa factus est. superstitiosum vniuersalis vocabuli nomen refutauit, primusque *se seruum seruorum Dei* in epistolis suis nominauit. Mediocribus indumentis ad suæ humilitatis indicium in Pontificalibus vtebatur. Pauperibus ita seruiebat, vt quaslibet ciborum species eis suo tẽpore ministraret; Ex quibus pauperibus dum vnum in quodam recessu mortuum vespiliones reperissent, Gregorius æstimans eum stipis inopia perijsse, per aliquot dies à missarum celebratione pœnitendo cessauit. Apostolatus sui gloriam ita vilipendebat, vt Angelus Domini ad quendam eremitam, qui vnum cattum pro releuando tædio secum habebat, de eodem Gregorio testaretur dicens: Maiorem delectationem habes in hoc catto, quã Gregorius in omni imperio Romano. Tantæ humilitatis fuit, vt cum idem eremita peregrinus ei in solemni apparatu præcedenti se prosternere vellet, ipse eidem peregrino prior de equo descendens, seipsum prostrauit. Crimina semel audita, nullatenus indiscussa præteribat. Subdiaconum ordinari vetuit, nisi continentiam à coniugio profiteretur: nullumque altius progredi permisit, nisi cuius castitas in subdiaconatu probata fuisset.

Traditioni Apostolicæ contrarias vollit consuetudines.

Pauperis obitu quam fuerit afflictus.

De miraculo veri corporis Christi per eum ostenso.

CAP. XX.

MAter familias quædam Romæ nobilis erat, quæ religionis & deuotionis studio oblationes facere, & die dominica ad ecclesiam deferre, summoque Pontifici ecclesiasticæ consuetudinis, & familiaritatis eiusdem gratia offerre solebat. Quæ cum quadam die ex more ad communicandum de manu Apostolici viri ordine suo accederet, illique Pontifex hostiam dominici corporis porrexisset dicens: *Corpus domini nostri Iesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum omnium, & vitam æternam*, subrisit. Quod vir domini cernens illi communionem sacram retraxit, & seperatim super altare reposuit, eamque diacono seruandam vsque dum cuncti communicarent fideles, tradidit. Expleto vero sacro mysterio, interrogauit eam beatus Gregorius dicens: Dic ergo quid cordi tuo emerserit, cum communicatura risisti? At illa: Recognoui, inquam, illam portiunculã ex eadem oblatione fuisse, quam ego proprijs manibus feci, & tibi obtuli; & cum eam te intellexerim corpus domini appellasse, subrisi. Tunc sanctus Dei Pontifex sermonem exinde fecit ad populum, & hortatus est eũ, vt dominum suppliciter exoraret, quatenus ad multorũ fidem corroborandam carnis oculis ostenderet, quod infidelitas huius mulieris mentis oculis videre, & fidei luminibus conspicere debuisset. Quod cum fuisset oratum, ipse vna cum populo, & eadem muliere exsurrexit, & ad altare cunctis cernentibus, & sese ad cernendum cæleste spectaculum comprimentibus, corporalem pallam eleuauit, & vniuerso populo, ipsaque muliere intuente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam inuenit, ac mulieri dixit: Disce inquam veritati, vel modo iam credere contestanti: *Panis quem ego do caro mea est, & sanguis meus vere potus est.* Sed præscius conditor videtur infirmitatis nostræ ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne super virginis operante Spiritu sancto fabricauit; panem & vinum aqua mixtum manente propria specie, in carnem & sanguinem suum ad catholicam pacem, ob reparationem nostram, spiritus sui sanctificatione conuertit. Indeque vniuersos iussit diuinam precari clementiam, vt in formam pristinam sacrosanctum reformaret mysterium, quatenus mulieri ad sumendum fuisset possibile, quod & factum est. Vnde stupefacta mulier, plurimum in sancta religione & fide proficiens, participatione dominici sacramenti consecrata est. Et omnes qui viderant, in diuino amore & orthodoxa credulitate feruentius excreuerunt.

Mulier enon credente transsubstãtiationem corporis Dominici, pretibus S. Gregorij hostia in carnem & denuo caro in hostiã transit.

De Partibus corporalium, quas pro reliquijs misit, & de quibus sanguis exiuit.

CAP. XXI.

QVidam quoque nobilis & potens cum familiaritatem Apostolicæ sedis adeptus esset, misit per legatos condigna xenia ad sedem pontificalem, petens reliquias beatorum Apostolorum ac Martyrum sibi trãsmitti. Quos sãctus Apostolicus honorabiliter suscipiẽs aliquamdiu secum morari fecit, atque indesinẽter sanctorũ Apostolorũ memorias, ac cœmeteria martyrum ex more prisco pro huiusmodi negocio missas celebrando, & reliquias in eorũ veneratione cõsecrãdo circumiens, præfatosq; legatos sibi comites sẽper habẽs; cũ expleuissent eorũ celebrationes, quorũ reliquiæ petebãtur, particulatim eosdẽ pãnos cõsecratos, super quib⁹ sãcta celebrauerat diuidit, & singulis singulatim * bustulis imposuit, munitisq; eis sigillo suo petitorib⁹ tradidit. Qui accepta benedictione gaudẽtes profecti sunt: sed dum iter carperẽt, ei qui primus cæteris habebatur, amica humanitati surripuit curiositas, stulte tanti itineris subijsse laborẽ, cum nescirent quid pretiosi domino suo referrent.

Reliquiæ reuerenter habitæ.

* *al. buretis siue pixidibus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pedetentim autem crescente collatione verborum, & virescente suggestione sociorum, confractis dignitatis Apostolicæ sigillis apertæ sunt bustulæ, & in singulis singulæ panni sunt repertæ portiunculæ; moxque cum indignatione Romam regressi, Archidiaconum adeunt, conquirentes: vt quid, inquiunt, Dominus Apostolicus tam vilipendit dominum nostrum, qui tantam gratiam se apud eum obtinuisse sperauerat, quod sic voluerit illi illudere, & nos dehonorationi & offensioni suæ addicere; Existimauimus siquidem nos ossa Apostolorum vel Martyrum pretiosa hinc ferre sicut decuerat tãtum virum, vti Dominus noster est, à tanta nihilominus sede quæsita, tam longo & difficillimo satis itinere, & datæ nobis sunt panni modicæ portiunculæ, ac si hutusmodi panniculi genus apud nos nequiuisset inueniri. Quos Archidiaconus modesta increpatione redarguit, cur in tantam præsumptionem eruperint, vt Apostolica sigilla corruperint, hortans eos vt redirent, & quæ acceperant Domino suo cum honore deferrent. Sed nullatenus monitis eius acquiescẽtes, vsque ad Domini Gregorij venere præsentiam, factoque comperto patientissime eorum tulit stultitiam, eosque sacrosanctis missarum solemnijs præcepit interesse. Vnde cum ad locũ sui sermonis est ventum, suadet populo Dei sanctorum gratiam exorare, quatenus in hac re dignetur apertissime sic suam potentiam patefacere, vt quid mereatur fides euidentius minus creduli & ignorantes possint cognoscere. Et data oratione accepit ab eo cultellum qui temerauerat signa, & super altare corporis sancti Petri acceptam vnam panni portionem per medium secuit: Ex qua statim sanguis decurrit, & omnem eandem particulam cruentauit. Videntes igitur legati & populi stupendum miraculum, ceciderunt proni in terram adorantes Dominum. Et facto silentio, dixit beatus Gregorius: Scitote, fratres, quia in consecratione corporis & sanguinis domini, cum ob sanctificationem reliquiarum in honore Apostolorum vel martyrum eius offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intrauit, qui effusus est pro nomine eius. Et ædificatis in fide cunctis qui viderant, munitisque iterum signo suo bustulis, voti sui munera legatis tradidit, & cum gaudio ad Dominum suum reuersi, hoc ei per ordinem narrauerunt. Qui sancta reuerenter suscepit, & in loco venerabili cõdidit, quo Deus etiam frequentiora miracula, quam in ecclesia beati Petri fecit.

Pro reliquijs martyrum, lineũ altaris dare solebant.

Hac historia similem de D. Leone confirmat historiam quam supra retulit Vincentius.

Miraculum de sanguine corporalis incisi per beatum Gregorium.

De duobus magis quos intuitu solo excæcauit, & anima Traiani quam ab inferis euocauit.

Cap. XXII.

PAterfamilias erat Romæ ditissimus, sed non minus vitijs plenus, quam rebus, qui quia sibi vxor sua displicuit contra præceptum domini diuortium fecit; quod beatum Gregorium non latuit. Qui cum suauissimis monitionibus, & diuini iudicij terroribus eum indesinenter suadere contenderet, vt eam in gratiam reciperet pactam; ille pertinax eius monita spreuit. Quem beatus Gregorius ab Ecclesia sub anathemate nisi resipisceret sequestrauit. Quam ille sententiam ægre ferẽs, duos magos pecunijs * locauit, vt ad secundum Apostolicum apodixen artis suæ ad vindictam exercerẽt; qui quadam die vt eum ad processionem ex more pergentem viderunt, equum illius repente maleficijs suis vexari à dæmonibus fecerunt. Statim ille nomen domini Iesu inuocauit, *& edito signo crucis* ab equo dæmonia perturbauit; respicien sque in partem mox vt magos vidit, cæcati sunt; & ab eisdem dæmonibus peruasi retrorsum ceciderunt. Vnde id eorum nequitia perpetratum intellexit, eosque ad se duci iussit; qui interrogati, cum ordinem rei prodidissent, Papa respondit: Perpetuo cæci esse debetis, ne videntes ad consuetam peruersitatem redire tentetis, *In nomine Domini Iesu à vexatione dæmonum liberi sitis.* Qui mox à dæmonibus emundati, & credentes baptizati sunt; sed perpetua cæcitate damnati; iubente beato Gregorio, de cætero stipe ecclesiastica aliti sunt.

* conducit

Quomodo equum per maleficia furiosum, curauerit.

Magos cæcitate plectit.

Beatus igitur Gregorius cum quodam tempore ante palatia Traiani transiret, recordatus clementiæ eius, vt plenius videlicet superius enarratum est, amarissime cepit flere, & pro eo tandiu ante altare sancti Petri flens orauit, donec vox ad eum dormientem dixit; *Traianum precibus eius à pœnis infernalibus liberatum; sed de cætero caueret ne pro aliquo infideli defuncto orare præsumeret.*

Historiam de Traiani anima ab inferis reuocata copiosissime confutat Baron. an. 1604. eãque in dubium vocat ipse Ioan. Diac. qui vitã D. Greg. conscripsit.

Annotatio.

Cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones solum legitur, huius precibus Traiani animam ab inferis liberatam, ob id vel maxime dubitari posset, quod tantus Doctor nequaquam præsumeret pro pagano prorsus orare, qui 4. dialog. dicit eandem esse causam cur non oretur à sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus damnatis; qua nunc etiam causa est, cur non orent sancti homines pro infidelibus & impijs defunctis: præsertim cum dicitur Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Vnde nota, quia non legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata, & in paradyso reposita (hoc enim omnino incredibile videretur, nisi iterum resuscitatus fuisset, & baptizatus, & non finali Dei sententia condemnatus, sed ad tempus, quousque Gregorius pro eo oraret) sed simpliciter dicitur, ab inferni solummodo cruciatibus liberata, quod potest videri credibile cum ita valeat anima in inferno existere & eius cruciatus per Dei misericordiam nõ sentire; sicut vnus gehenna ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei iniustitiam cunctos non aqualiter exurere.

De transitu eiusdem, & pœna successoris eius sibi detrahentis.

Cap. XXIII.

CVm autem sedisset beatus Gregorius annis 13. anno domini 604. migrauit ad dominũ. Cuius caput Ansegisus monachus Archiepiscopus Senonensis Roma transtulit Senonem anno Domini 880. & in ecclesia sancti Petri viui collocauit honorifice.

Moritur D. Gregorius an. Ch. 604. vel vt alij 606.

Post obitum beati Gregorij cum fames grauis totam prouinciam fatigaret, venerunt ad successorem eius religiosi & pauperes, quibus sanctus Gregorius ministrare solebat, & dixerunt: Domine Papa, quos Pater noster Gregorius pascere solebat, tua sanctitas fame perire non sinat. Quibus verbis indignans Papa sic semper respondebat: Si Gregorius ad famam suæ laudis cunctos populos curauit suscipere, nos omnes non possumus pascere, sicque vacuos remittebat. Vnde sanctus Gregorius tertio apparuit, & tertio blande corripuit de sua detractione, & illius tenacia, & pauperum necessitate. At ille nec ad misericordiam se flexit, nec à detractione compescuit, nec manum ad misericordiam extendit. Vnde illi quarto apparẽs, horribiliter redarguit, & comminans illum in capite percussit, cuius dolore vexatus in breui defunctus est.

Gregorius detrahentem sibi percussit & breui post dolore capitis vexatus obijt.

De libris ab ipso beato Gregorio compositis.

Cap. XXIV.

ANte pontificatum cum à Papa Pelagio de monasterio ad ecclesiasticum officium assumptus Leuita esset ordinatus, & pro responsis ecclesiasticis Constantinopoli apocrisarius directus: à fratribus enixe rogatus, maximeque à Leandro Hispalensi episcopo, qui pro causis Vuisigothorum legatus Constantinopoli aduenerat: compulsus est vt librum beati Iob multis inuolutum mysterijs enodaret. Quem quomodo iuxta literam intelligẽdus, qualiter ad Christi & ecclesiæ sacramenta referendus: quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per 35. librorum seriem mira ratione perdocuit. In quibus ita de virtutibus vitijsque disseruit, vt non solum eadem verbis videatur exponere, sed formis aliquo modo visibilibus demonstrare. Vnde non dubiũ eum perfectionẽ ipsarũ assecutũ virtutum, quarũ, tã efficaciter intimare valuit effectum.

Compilatio librorum moralium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Porro eo tempore quo ad Pontificatu raptus est, dum à Ioanne Rauennatis episcopo reprehensus fuisset, cur à pastorali officio delitescendo se subducere vir tam idoneus voluisset, hac occasione compulsus librum pastoralem composuit: In quo manifeste aperuit qualis ad ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi rectores viuere, qua discretione singulas quasque personas instruere, quantaque consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare.

Liber pastoralis beati Gregorij.

Sed & euangeliorum homelias xl. composuit, quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam dialogorum 4. edidit, in quibus rogatu Petri diaconi sui, virtutes sanctorum quos in Italia clariores nosse vel audire poterat, ad exemplum viuentium posteris collegit, vt sicut in libris expositionū suarū quibus sit virtutibus insudandum edocuit, ita etiam de scriptis sanctorum miraculis, quę virtutum earum sit claritas ostenderet.

Opuscula eius.

Primam quoque & vltimam Ezechielis partem quæ videbantur obscuriores per homelias 22. quantum lucis intus habeant, demonstrauit.

Scripsit præterea & alia vir sanctus nonnulla, sed etiā epistolas quamplures. Eoque magis mirum est tot eum & tanta condere volumina potuisse, quem omni fere iuuentutis suæ tempore, creber viscerum dolor cruciabat; horis atque momentis omnibus fracta stomachi virtute fatiscebat; lentis quidem sed tamen continuis febribus anhelabat. Fatigabat eum præterea de ordinandis vrbis vigilijs ne ab hostibus caperetur; solicitudo continua, vrebant animum eius incessanter filiorum hinc inde discrimina nunciata.

Infirmitates beati Gregorij.

De miraculo circa eum ostenso dum visionem Ezechielis exponeret.

Cap. XXV.

Columba ad aures beati Gregorij visa dum dictaret.

Denique à fideli & religioso viro & ei familiarissimo fideliter post obitum eius narratum didicimus, quod cum visionem vltimam Ezechielis interpretaretur, appensum velum inter ipsum & exceptorē eundem tractatus sui, illo per interualla prolixius reticente, isdem minister eius stylo perforauerit, & euentum per foramen conspiciens, vidit columbam niue cādidiorem super caput eius sedentem, rostrumque ipsius ore diu tenere appositum. Quę cum se ab ore eiusdem amoueret, incipiebat Pontifex loqui, & à notario graphum ceris imprimi. Cum vero reticebat sancti Spiritus organum, minister eius oculum foramini iterum applicabat, eumque ac si in oratione leuatis in cœlū manibus simul & oculis, columbæ rostrum more solito conspicatur ore suscipere. Quod tandem eodem spiritu reuelante sanctus pontifex cognouit, & vehementissime tristis effectus, interminatus est auctoritate apostolica miraculi diuini in se perpetrati conscium, ne in vita sua id aliqui quoquo modo patefaceret. Quidsi interim secretum custodiens; post defunctionem sanctissimi sacerdotis compulsus quorundam inuidia, qui obiectabant virum beatissimum præsumptionis tumore tanta ac talia de cælestium arcanorum mysterijs fuisse locutum, ita hæc se per omnia vidisse fideliter reuelauit.

De libro moralium amisso, & per miraculum inuento.

Cap. XXVI.

Post decessum beati Isidori, qui beato Leandro Germano suo in Archiepiscopatu Hispalensi successerat, libri moralium beati Gregorij in Iob, quos eodem Leandro petente ediderat, per negligentiam amissi sunt, ita vt in tota Hispania non inuenirentur. Post aliquot annos Gyndesindus Rex Hispaniæ cōsilium 30. episcoporum in vrbe Toletana cōgregauit, & omnium consilio Tagionem Cæsaraugustanum episcopum, qui diuinæ scripturæ feruentior amator erat, Romæ cum epistolis suis pro libris eisdem requirendis misit. Qui cum de die in diem videret petitionē suam à Papa differri, quasi præ multitudine librorum aliorum præfati libri non possent in archiuo sedis apostolicæ inueniri, tandem petijt & obtinuit vna nocte licentiam in ecclesia beati Petri vigilandi. Vbi cum enixius Deum obsecraret, iamiamque prosperum iter suum faceret, multitudinem virorum reuerendorum conspexit ecclesiæ ianuas ingredientem, & ordine decenti, binos ac binos ad altare sancti Petri incedentem. Territus itaque, cum se mouere non auderet, vidit duos ex illis ad se venientes, ex quibus vnus dulciter eum salutatum percunctatus est, quis esset, vnde, & cur venisset? Qui cum protinus ei causam sui aduentus exposuisset, ille digitum protendens in scrinio, inquit, illo quod cernis, continentur libri quos quæris. Tunc episcopus confidens, obsecro, inquit, Domine, vt aperias mihi seruo tuo; quæ sit illa tam præclara virorum processio? Cui ille respondit: Duo illi quos vides præcedentes, seque ad inuicem inserta manu complectentes, Apostoli sunt Petrus, & Paulus. Cæteri vero successores eorum Romani Pontifices eodem ordine quo eos secuti sunt in pontificatu, & nunc in processione sequuntur. Tunc episcopus magis exhilaratus, Obsecro, inquit, Domine, dic mihi quis ipse sis, qui mecum dulciter loqueris? At ille, ego sum, ait, Gregorius, pro cuius libris tanti laborem itineris sustinuisti. Et adiecit episcopus: Edic etiam, obsecro, mihi, si hic est, & quisnam est beatus pater Augustinus, cuius libros non minus, quam tuos semper dilexi. Ille respondit: Beatum Augustinum excellentissimum virum (de quo loqueris) altior à nobis continet locus. Hoc dicto statim cum socio suo qui secum venerat, ad cætum aliorum redijt. Post hæc vidit episcopus, quod omnes ad altare sancti Petri submissis capitibus reuerenter inclinantes, eodem ordine quo venerant ianuam Ecclesiæ repeterent. In crastinum autem omnia quæ viderat, Papę retulit, acceptosque moralium libros in Hispaniam detulit.

Hæc visio in omnibus libris moralium ante ipsum prologum per totam Hispaniam inuenitur.

De excerptis flosculis prædictorum librorum, & primo de cura regiminis.

Cap. XXVII.

Authon. Præter libros beati Gregorij supra nominatos, extat & apud nos commentariolus eius super Cantica Canticorum; & liber de conflictu vitiorū & virtutum, quem tamen plerique ascribunt Augustino, quidam autem Gregorio.

Porro registrum Gregorij ideſt liber epistolarum eius decretalium per 12. libros partiales diuiditur, qui continent epistolas numero 690.

De his autem omnibus pauca capitula, quæ sequuntur causa breuitatis hic inseruimus. *Gregorius in pastorali, libro 1. in prologo.* Pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat, & bene viuens qualiter doceat; & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat; ne aut humilitas accessum fugiat, aut præuētioni vita cōtradicat, aut vitā doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat.

Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab impietatis ergo pastorale magisterium, quādam temeritate suscipitur, quandoquidē ars est artium, regimen animarum. Sæpe vero imperitia pastorum meritis congruit subiectorum, quia quamuis lumē scientiæ culpa sua exigente non habeant, districto tamen iudicio agitur, vt per eorū ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Vnde scriptum est. *Obscurētur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Obscuratis enim oculis dorsum flectitur; quia cum

Cap. 1.

Psal. 73.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lumen scientiæ perdunt qui pereunt, profecto adportanda peccatorum onera curuantur, qui sequuntur.

Cap. 2. Et sunt nonnulli, qui solerti cura spiritualia pręcepta scrutantur, sed quæ intelligẽdo penetrant, viuendo cõculcãt, & quod verbis prædicãt, moribus impugnãt, vnde fit, vt cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitiũ grex sequatur. Hinc per prophetã Dominus cõtra contemptibilẽ pastorum scientiã queritur, dicẽs: *Cum limpidissimam aquam biberitis, &c.* Ezech 44. Hinc rursum de Sacerdotibus dicitur: *Facti sunt domui Israel offendiculum iniquitatis.* Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quã qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem quippe hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Cap. 4. Sæpe susceptæ curæ regimĩuis, cor per diuersa diuerberat, & impar quisque inuenitur ad singula dum confusa mente diuiditur ad multa. Vnde sapiens prouide admonet dicens: Eccl. 11. *Fili ne in multis sint actus tui, quia videlicet nequaquam plene in vniuscuiusque operis ratione colligitur, cum mens per diuersa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur, fitque in exteriorum dispensatione sollicita, & sui solummodo ignara; scit multa cogitare se nescien.* Hæc autem proferentes non potestatem reprehendimus; sed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quique culmen regiminis arripere audeant, & qui in planis stantes titubant, in præcipitio pedem ponant.

De illis qui ex diuersis causis recusant officium pastoris.

Cap. XXVIII.

Cap. 5. SVnt autem nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi pleramque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro alijs acceperunt. Cumque sua, & non aliorum lucra cogitant; ipsis se quæ priuata habere appetunt, bonis priuant. Hinc Petro Dominus ait: Ioan. 21. *Si diligis me, pasce oues meas.* Si ergo testimonium dilectionis est cura pastonis, quisque virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, pastorem summum conuincitur non amare. Ideo enim 2. Cor 5. *Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Deut. 25. Hinc Moyses ait; *vt vxorem fratris sine filijs defuncti superstes frater accipiat; atque ad nomen fratris filios gignat.* Sunt itaque nonnulli, qui magnis (vt diximus) muneribus ditati, dum solius contemplationis studijs inardescunt, parere vtilitati proximorum in prædicatione refugiunt, de quo si districte iudicentur; ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus enitescret, vtilitati proximorum secretum proponit suum, quando ipse summi patris vnigenitus, vt multis prodesset, de sinu patris egressus est ad publicum nostrum.

Cap. 6. Et sunt nonnulli, qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis, quibus se impares æstimant, præferantur. Quorum profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est.

Qualiter hoc officium recipiendum sit, & qualiter declinandum.

Cap. XXIX.

CVm ergo alicui regiminis culmen imponitur, si iam donis præuentus est, & ex corde debet fugere, & inuitus obedire.

Quamuis nonnunquam prædicationis officium nonnulli laudabiliter appetunt, ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur. Isaias quippe Domino quærenti quem mitteret, vltro se obtulit dicens: *Ecce ego, mitte me.* Cap. 7. Isaia 6. Hieremias autem mittitur, & tamenne mitti debeat humiliter reluctatur dicens; *A. a. a. domine Deus, &c.* Hier. 1. En ab vtrisque exterius diuersa vox prodijt; sed nõ à diuerso fonte dilectionis emanauit. Per actiuã enim vitã prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicatonis appetit. Per contẽplatiuam vero Hieremias cõditioris amori inhærere cupiens, ne mitti ad prædicandũ debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetijt, hoc laudabiliter alter expauit. Iste ne tacite cõtemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damnã studioſi operis tacendo sentiret. Sed hoc in vtrisque subtiliter intuendum est, quia & is, qui recusauit plene non restitit: & is qui mitti voluit prius se per altaris calculũ purgatum vidit, ne aut nõ purgatus adire quisque sacra mysteria audeat. aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur, non tamen declinari pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Quod Moyses vtrumque miro opere expleuit, qui præesse tantæ multitudini & noluit & obediuit. Hinc ergo & quique præcipites colligant cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si sancti viri plebium ducatum suscipere Deo etiam iubente timuerunt. Moyses suadente Domino trepidat, & infirmus quisque vt honoris onus accipiat anhelat. Et qui ad casum valde vrgetur ex proprijs, humerum libenter opprimendum ponderibus submittit alienis.

De vanis argumentis ambitiosorum.

Cap. XXX.

PLerumque qui præesse concupiscunt, ad vsum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Cap. 8. 1. Tim. 3. Qui tamen laudans desiderium, in pauorem protinus vertit quod laudauit, dicens: *Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse.* Ibid. Notandum quoque quod hoc illo tempore dicitur, quo quisque plebibus præerat; primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Vnde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Sacrum ergo officium non solum non diligit omnino, sed nescit qui ad culmen regiminis anhelans in occulta cogitatione cæterorum subiectione pascitur, laude propria laudatur, ad honorem cor eleuat, rerum effluentia exultat.

Cap. 9. Sed plerumque hi qui subire pastorale magisterium concupiscunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt, & quamuis hoc elatione appetant, operaturos tamen se magna pertractant, fitque vt aliud in imis intẽtio suprimat, aliud tractanti animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. Cumque percepti principatus officio perfrui seculariter cæperit, libenter obliuiscitur quicquid religiose cogitauit. Pensет ergo quisque quid subiectus egerit, &

repente

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

repente agnoscit si prælatus bona agere quæ proposuerat possit, quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desijt superbire. Nescit laudem cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit cum deesset anhelare. Ex anteacta ergo vita se quisque inueniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Quamuis plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis vsus perditur, qui in tranquillitate tenebatur, quia quieto mari recte nauem & imperitus nauta dirigit, turbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus se nauta confundit.

Quam eminentis vitæ debeat esse, qui prælationis officium suscipit.

Cap. XXXI.

INter hæc itaque quid tenendum est, nisi vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. Considerandum quippe est quia cum causam populi electus Præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in eius corpore passiones viunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat.

Cap. 10. Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum viuendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, iam spiritualiter viuit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla aduersa pertimescit: qui ad aliena cupienda nõ ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plusquam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab alijs vt propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluenti irrigare. Qui orationis vsu & experimento didicit, vt obtinere à Domino quę poposcerit, possit.

Cap. 11. Si enim homo apud hominem de quo minime præsumit fieri intercessor erubescit, qua mente apud dominum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ meritum nescit. Aut quomodo ab eo alijs veniam postulat, qui vtrum sibi sit placatus ignorat. Est adhuc & aliud sollicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Quia cùm is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Partis 2. Cap. 1. Tantum itaque debet actionem populi actio transcendere præsulis; quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque vt se metiri studeat quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur.

Qualis esse debeat in cogitatione & opere, in silentio & sermone, in comparatione, & contemplatione.

Cap. XXXII.

Cap 2. SIt ergo necesse est, cogitatione mundus: vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat, quia necesse est vt esse munda studeat manus, quæ diluere sordes alienas curat; ne tacta quæque deterius inquinet, si fordida insequens lutum tenet.

Cap. 3. Sit operatione præcipuus, vt viam vitæ subditis viuendo denunciet, & grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quã dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, ostendendo adimuat, vt fiat.

Cap. 4. Sit discretus in silentio, vtilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Sæpe namque rectores improuidi humanam gratiam amitttere formidantes, loqui libere recta pertimescunt, nec iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc per prophetam dominus dicens queritur: *Non ascendistis ex aduerso. &c.* Hinc rursum delinquenti populo dicitur: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, &c.* Clauis quippe apertionis est sermo correctionis, quia increpatio culpam detegit, quam sæpe nescit etiam qui perpetrauit. Prouidendum quoque rectoribus est, vt non solum praua nullo modo, sed ne recta quidem nimie & inordinate proferantur, quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitas incauta opportunitate leuigatur. Vnde Paulus discipulum de instantia prædicationis admonens dicit: *Prædica verbum, insta opportune importune.* Dicturus *importune* premisit *opportune*, quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vtilitate se destruit, si haberé importunitas opportunitatem nescit. Ezech. 13. 2. Tim. 4.

Cap. 5. Sit etiam rector singulis compassione proximus, præcunctis contemplatione suspensus, quia tunc ab alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & cum benigne descendit ad ima, valenter recurrit ad summa. Tales quoque sese qui præsunt, exhibeant, quibus subiecit occulta quoque sua prodere non erubescant, vt cum tentationum fluctus paruuli tolerant; ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant.

Qualiter se debet subiectis æquare, & qualiter præferre.

Cap. XXXIII.

Cap. 6. SIt autem & bene agentibus socius, & honore suppresso æqualem eis se credat, in nullo se præferat. Omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios alijs culpa postponit. Ipsa autẽ diuersitas quæ accessit ex vitio, diuino dispensatur iudicio, vt quia æque stare nonvalet omnis homo, alter regatur ab altero. Vnde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis, nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres non Reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et Noe ac filijs eius dicitur. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Quorum videlicet terror quia esse super animalia præcipitur, profecto esse super homines prohibetur, quia contra naturam superbire est ab æquali velle timeri: & tamen necesse est vt rectores à subditis timeantur quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt, vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Non enim præpositi ex hoc quęsito timore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum iustitiam quęrunt. In eo enim quod metum sibi à peruerse viuentibus exigunt quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini subiacere substrati. Sed plerunque Rector dum ad vsum ei cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt; plerumque laudant quod reprobare debuerant, seductus ab his quæ infra suppetunt, super se animo tollitur, & dum foris immenso fauore circundatur, intus veritate vacuatur, atque sui oblitus in voces se spargit alienas talemque se esse credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subiectos despicit, & quos forte potestatis excedit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. Sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt &c.* Apostatæ quippe similis angelo efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Hãc autem potestatem bene regit, qui & tenere illam nouerit & impugnare. Qui scit & per illam super culpas erigi, & cum illa cæteris æqualitatem componi, æqualem Gen. 9. Iob. 40.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

se cum illa cæteris cernere,& tamen se peccantibus zelo vltionis anteferre. Summus itaque locus bene regitur,cum is qui præest,vitijs potius quam fratribus dominatur.

Quod erga subiectos seruari debeat,& amor & vigor.

Cap. XXXIV.

PLerumque etiam dignum est vt eosdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum namque vitia per nos disciplinæ vigore feriuntur, in his vero quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur. Tanto ergo apud Deum obligatiores sumus,quanto apud homines inulte peccamus. Disciplina vero nostra subditos diuino iudicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit.Seruanda itaque est & in corde humilitas,& in opere disciplina, atque inter hæc solerter intuendum est,ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis saluantur iura regiminis. Teneant ergo rectores exterius,quod pro aliorum vtilitate suscipiunt,& seruent interius quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subiecti deprehendant, quatenus & in auctoritate eorum quod formident, videant,& de humilitate quod imitentur agnoscãt. Curãdum quippe est,vt Rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina, ne aut districtio rigida,aut pietas sit remissa. Erga subiectos enim inesse rectoribus debet;& iuste consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina, vt nec multa asperitate exulcerentur subditi,nec nimia benignitate soluantur. Sit itaque amor,sed non emolliens: sit vigor,sed non exasperans,vt per vinum putrida mordeantur,per oleum sananda foueantur.

Cap.7: Caput subiectorum sunt cuncti,qui præsunt. A subiectis itaque inferiora gerenda sunt,à Rectoribus summa cogitanda,vt scilicet,oculum,qui præuidendis gressibus præeminet,cura pulueris non obscuret.

Cap.10. Aliquando subiectorum vitia prudenter dissimulanda sunt,sed quia dissimulãter indaganda, aliquando & aperte cognita,mature toleranda, aliquando vero subtiliter & occulte perscrutanda,aliquando leniter arguenda,aliquando autem vehementer increpanda.

Quod diuersi diuersimode admonendi sunt,vt aliter egeni, quam diuites,& læti,quam tristes.

Cap. XXXV.

IDem *in libro* 2.Sicut longe ante nos venerandæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit, sæpe namque alijs officiunt,quæ alijs prosunt: quia & plerumque herbæ, quæ quędam animalia nutriunt,alia occidunt:& leuis sibilus equos mitigat,catulos instigat:& medicamentum quod hunc morbum imminuit,alteri vires iungit:& panis qui vitam fortium roborat,paruulorum necat.

Pro qualitate igitur audientium debet formari sermo doctorum,vt etiam & sua singulis congruant,& tamen à comunis ædificationis arte nunquam recedat.

Admonitione 3. Aliter iraque admonendi sunt inopes,aliter locupletes:illis namque debemus offerre solatium contra tribulationem,istis vero inferre metum contra elationem. *Esaiæ. 48.* Illis dicitur: *Elegi te in camino paupertatis*:de istis vero di- *1.Tim. 6.* citur:*Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum.*

Aliter læti,aliter tristes.Habent enim læti ex propinquo luxuriam,tristes iram.Discant itaque læti ex minarum asperitate quod timeant,audiant tristes præmiorũ gaudia,de quibus presumant.

Quod aliter admonendi sunt subditi,quam prælati, & serui,quam domini.

Cap. XXXVI.

ALiter admonendi sunt subditi,aliter prælati. Illos ne subiectio conterat, istos ne locus superior extollat. Illi ne minus impleant,quæ iubentur; isti ne plus iusto iubeant,quæ compleantur. Illi discant quomodo ante occulti arbitri oculos interiora sua componant:isti quomodo etiam commissis sibi exempla bene viuendi exterius præbeant. Scire etenim Prælati debent, quia si peruersa nonnunquam perpetrant tot mortibus digni sunt,quot ad subiectos suos perditionis exempla transmittunt,vnde necesse est,vt tanto cautius se à culpa custodiant,quanto per praua quæ faciunt non soli moriũtur, sed & aliorum animarum quas prauo exemplo destruxerunt,rei sunt. Admonendi sunt illi, vt tanto circa se sollicitius viuant, quanto eos aliena cura non implicat,isti vero,vt sic aliorum curas expleant, quatenus & suas agere non desistant, & sic in propria solicitudine ferueant,vt à commissorum custodia minime torpescãt *Admonit. 5.* Sicut scriptum est:*Fili si spoponderis pro amico tuo,&c.* Pro *Prou 6.* amico spondere est alienam animam in periculo suę cõuersationis accipere. Verbis oris sui illaqueatur,quia dũ commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum necesse est prius,quæ dixerit,custodire. Apud districtum enim iudicem cogitur in opere tanta exoluere,quanta eum constat alijs voce præcepisse. Admonendi sunt qui præsunt vt per circumspectionis studium oculos peruigiles intus & in circuitu habeant,& cæli animalia fieri contendant;quatenus & interno iudici in semetipsis placere studeant,& exempla vitæ exterius præbentes, etiam ea quæ in alijs corrigenda sunt,deprehendant. Subditi vero admonendi sunt,ne præpositorum suorum vitam temere iudicent,si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident;ne cum culpas eorum considerant,contra eos audaciores fiant.Sed sic siqua valde sunt eorum praua, apud semetipsos diiudicent,vt tamen diuino timore cõstricti,ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Cũ enim erga præpositos delinquimus, eius ordinationi qui nobis eos prætulit obuiamus, dicente Moyse: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.*

Aliter admonendi sunt serui aliter domini. Illi vt in *Admonit.6.* se semper humilitatem conditionis aspiciant, & dominos non despiciant,ne Deum offendant, si eius ordinationi superbe contradicant:isti vero vt naturæ suæ memoriam non amittant,sed quos per conditionem subditos tenent,per naturæ consortium sibi æquales agnoscant. Illi,vt sciant se seruos esse dominorum suorum,isti vt cognoscant se seruos esse seruorum.

Quod aliter impudentes admonendi quàm verecundi,& inuidi,quam benevoli.

Cap. XXXVII.

ALiter admonendi sunt impudentes,aliter vero verecundi. Illos namque non nisi increpatio dura compescit,istos autem plerunque ad melius exhortatio modesta componit. Illos melius corrigit, qui inuehẽdo,reprehendit;istis maior profectus adducitur, si hoc, quod in eis reprehenditur,quasi ex latere tangatur. *Admonit, 8.*

Aliter impatientes, aliter patientes. Impatientibus *Admonit.10* namque dicendum est,quia dum frænare spiritum negligunt,per multa etiam quæ non appetunt iniquitatũ abrupta rapiuntur:quia videlicet mentem furor impellit quo desiderium non trahit, & agit commota velut nescíens vnde postmodum doleat sciens. Audiant ergo, quod scriptum est:*Melior est patiens viro forti &c.* Ani- *Prouerb.16.* mus quippe non aliquid exterius, sed semetipsum sibiipsi subigit,quãdo eum patientia intra se frænare compellit. Audiant etiam,quod electis suis veritas dicit. *In patientia vestra possidetis animas vestras.* Sic enim conditi

mirabi-

mirabiliter ſumus, vt ratio animam, & anima poſſideat corpus. Ius vero animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima à ratione poſſidetur. Patientes vero admonendi ſunt, ne in eo quod exterius portant interius doleant: ſed illos etiam ſtudeant diligere, quos ſibi neceſſe eſt tolerare, ne ſi patientiam dilectio non ſequitur, in deteriorem odij culpam virtus oſtenſa conuertatur. *Vnde Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt.* Quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitate non ceſſat. Virtus eſt coram hominibus aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere, quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos flamma charitatis accendit.

1. Cor. 13.

Admonit. 11 Admonendi ſunt beneuoli, vt ſic alienis bonis congaudeant, quatenus & propria habere concupiſcant. Sic proximorum facta diligenda laudent, vt ea etiam imitando multiplicent, ne ſi in hoc præſentis vitæ ſtadio ad certamen alienum deuoti fautores, ſed pigri ſpectatores aſſiſtant, poſt certamen ſine brauio remaneant, & tunc eorum palmas afflicti reſpiciant, iniquorum laboribus nunc ocioſi perdurant. Valde quippe peccamus, ſi aliena bene geſta non diligimus, ſed nil mercedis habemus, ſi ea quæ diligimus in quantum poſſumus non imitamur. Et etiam grauius extrema vltione feriendi ſunt, quibus placuit, quod imitari noluerunt. Inuidi autem admonendi ſunt, vt perpendant quantę cæcitatis ſunt, qui alieno profectu deficiunt, & aliena exultatione contabeſcunt; qui aliorum bona quę habere non poſſunt, ſi diligerent ſua facerent. Noſtra ſunt nimirum, quæ; & ſi imitari non poſſumus, in alijs amamus, & amantium fiunt quæcunque amantur in nobis. Hinc ergo penſent inuidi: Charitas quantæ virtutis ſit, quæ alieni laboris opera noſtra ſine labore facit.

Quod aliter impuri quam ſimplices, & ægri, quam incolumes.

Cap. XXXVIII.

Admoni. 12. ALiter admonendi ſunt ſimplices, aliter impuri. Simplices quidem, vt ſicut fallaciam ſemper vtiliter vitant, ita veritatem ſemper vtiliter proferant, & ſimplicitatis bono prudentiam adiungant, ſecundum illud: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo.* Impuri vero, vt quàm grauis ſit quem culpa ſuſtinet duplicitatis laborem agnoſcant, dum enim deprehendi metuunt, ſemper improbas defenſiones quærunt, ſemper pauidis ſuſpicionibus agitantur. Nil autem ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam ſuam tueri conantur, duro cor labore fatigatur.

Rom. 16.

Admo. 13. Aliter admonendi ſunt incolumus, aliter ægri. Incolumes quidem, vt ſalutem corporis exerceant ad ſalutem mentis, ne ſi eam ad vſum nequitiæ inclinent dono deteriores fiant. Ægri vero, vt eo ſe filios Dei eſſe ſentiant quo illos diſciplinę flagella caſtigant. Conſiderentque quanta ſit ſalus cordis moleſtia temporalis, quæ ad cognitionem ſui mentem reuocat, & quam plerunque ſalus adijcit, infirmitatis moleſtia reformat, quæ etiam admiſſa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant compeſcit; quæ ſumpta ab exterioribus plagis concuſſę menti pœnitentiæ vulnera infligi. Conſiderent quoque inceſſanter, quanta Redemptor noſter ab his quos creauerat mala pertulit, quod tot abiecta conuitiorum probra ſuſtinuit, inſultantium alapas accepit, & perfidorum ſputis faciem non abſcondit, flagella & colaphos pertulit, ſpinis caput ſuppoſuit, fel in ſiti ſua accepit, ſub irriſione adoratus tacuit, vitam mortuis præparans vſque ad mortem ipſa vita peruenit. Cur itaque aſperum creditur, vt à Deo homo toleret flagella pro malis, ſi tanta Deus ab omnibus pertulit mala pro bonis: aut quis ſana intelligentia de percuſſione ſua ingratus exiſtat, ſi ipſe hinc ſine flagello non exijt, qui hic ſine peccato vixit?

Quod aliter taciti, quàm loquuces.

Cap. XXXIX.

Admon. 15. ALiter admonendi ſunt nimis taciti, aliter multiloquio vacantes. Inſinuari namque nimis tacitis debet, quia dum quędam vitia incaute fugiunt, occulte deterioribus implicantur, nam ſæpe linguam qui immoderatius frænant in corde grauius multiloquium tolerant, vt eo plus cogitationes in mente ferueant, quo eas violenta cuſtodia indiſcreti ſilentij anguſtat. Plerunque nimis taciti cum nonnulla iniuſta patiuntur, eo in actiorem dolorem prodeunt, quo ea quæ ſuſtinent, non loquuntur. Nam ſi illatas moleſtias tranquillæ linguæ ſermone dicerent, mens à dolore conſcientiæ aliena maneret, vulnera enim clauſa plus cruciant. Nam cũ putredo quæ interius feruet eijcitur, ad ſalutem dolor aperitur. Admonendi ſunt itaque vt ſi proximos, ſicut ſe diligunt, minime illis taceant, vnde eos iuſte reprehendunt. Vocis enim medicamine vtrorumque ſaluti concurritur, dum & ab illo qui infert actio praua compeſcitur, & ab hoc qui ſuſtinet doloris feruor vulnere aperto temperatur. Qui enim proximorum mala reſpiciunt, & cum in ſilentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahunt, & eo mortis authores fiunt, quo virus cum poterant, curare noluerunt. Lingua itaque diſcrete frænanda eſt, non inſolubiliter liganda. Sicut ſcriptum eſt: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* At contra admonendi ſunt multiloquio vacantes, vt vigilanter aſpiciant, quod mẽs eorum quot ſuperuacuis verbis à ſilentij ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot riuis extra ſe ducitur. Vnde & redire interius ad ſui cognitionem non ſufficit, quia per multiloquium ſparſa, à ſecreto ſe intimę conſiderationis excludit, totamque ſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit, qui nulla munitione cuſtodiæ circumcluditur. Vnde ſcriptum eſt. *Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum &c.* Quia enim murum ſilentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis plerumque dum ocioſa verba cauere negligimus ad noxia peruenimus. Ocioſum autem verbũ eſt, quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Si ergo ratio de ocioſo verbo exigitur, penſemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiã per noxia verba peccatur.

Eccl. 3.

Prouerb 2.

Quam aliter manſueti quàm iracundi, & humiles quam elati.

Cap. XL.

Admo. 17. ALiter admonendi ſunt manſueti, aliter iracundi. Sæpe enim manſueti diſſolutionis torpeſcunt tædio, ſæpe iracundi rectitudinis falluntur zelo; dum iræ ſuæ ſtimulum iuſtitiæ zelum putant, & cum vitium virtus creditur, ſine metu culpa cumulatur. Ideo Spiritus ſanctus in columba & igne monſtratus eſt, quia ſcilicet omnes quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Admonendi ſunt ergo mãſueti vt habere etiã æmulationẽ iuſtitię ſtudeant. Iracũndi vero, vt æmulationi quam ſe habere æſtimant manſuetudinem ſubiungant. Sæpe iracundi etiam ſe declinantes inſequuntur, rixæ occaſionem commouent, labore contentionis gaudent. Quos tamen melius corrigimus, ſi in ipſa iræ ſuæ commotione declinamus, perturbati quippe quid audiant, ignorant, ſed ad ſe reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto ſe tranquillius toleratos erubeſcunt. Menti autem furore ebriæ omne quod dicitur peruerſum videtur. Cũm vero ita iracundi ſic alios impetunt, vt declinari omnino non poſſint, non aperta exprobratione, ſed ſub quadam cautela ſunt reuerentiæ parcendo feriendi: ſicut legitur quod percuſſit Abner Azael: auerſa haſta in inguine, cum inſequens eum nollet de-

1. Reg 2.

ſiſtere

sistere. Auersa hasta persequētem ferire, est furentē trā-quille ex quibusdā tangere,& quasi parcēdo superare.

Admo.18. Aliter admonendi humiles elati. Illis dicatur, quia dum se deijciunt,ad Dei similitudinem ascendunt: istis quia dum se erigunt in apostatæ Angeli imitationē cadunt. Quid itaque elatione deiectius,quæ dum supra se tendit,ab altitudine veræ celsitudinis elongatur.Et quid humilitate sublimius,quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super summa coniungitur? Plerunque nonnullis qui sibi humiles videntur,is qui hominibus deferri non debet,timor coniungitur, & cum quædam increpanda sunt vitia,illi reticent ex timore, & tamen tacere se æstimant ex humilitate. Plerunque etiam elatos comitari solet liberę vocis assertio, & loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Vnde & elati admonendi sunt,ne plusquam decet sint liberi, & humiles ne plusquam expedit sint subiecti;ne aut illi defensionem iustitiæ vertant in exercitationem superbiæ, aut isti cum student plusquam necesse est hominibus subijci, compellantur etiam eorum vitia venerari.

Quam aliter abstinentes,& aliter gulosi.

CAP. XLI.

Admon. 20. ALiter admonendi sunt gulosi, aliter abstinentes. Illos enim superfluitas locutionis, leuitas operis, atque luxuria;istos vero sæpe impatientiæ, sæpe vero superbiæ culpa comitatur.Nisi enim gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dies ille qui epulatus quotidie splendide dicitur,in lingua grauius non arderet.Rursum,quod gulæ deditos leuitas protinus operis sequatur, auctoritas sacra testatur dicens: *Sedit populus manducare,& bibere & surrexerunt ludere.* Quos tamen plerunque edacitas ad luxuriam pertrahit,quia dum saturitate venter extenditur, aculei libidinis excitantur, tantoque longius à secundo parente receditur, quanto per immoderatum vsum dum manus ad cibum tenditur,parentis primi lapsus iteratur. Abstinentes vero admonendi sunt,vt abstinentiam suam & semper sine imminutione custodiant, & nunquam hanc apud occultum iudicem eximiæ virtutis credant, ne si forte magni esse meriti credatur,cor in elationem subleuetur. Hinc namque per Prophetam dicitur: *Nunquid hoc est ieiunium* *Esaia. 58.* *quod elegi?sed frange,* inquit, *esurienti panem tuum &c.* Qua in re pensandum est virtus abstinentiæ quam parua respicitur,quæ non nisi ex alijs virtutibus commendatur. Nouerint quoque quia tunc Deo abstinentiam placentem offerunt,cum ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largiuntur.Audiantque quod per Prophe-tam Dominus redarguit dicens:*Nunquid ieiunium ieiu-* *Zach.7.* *nastis mihi,&c.* Nō enim Deo sed sibi ieiunat,qui ea quæ ventri subtrahit non inopibus tribuit,sed vētri postmodum offerenda custodit.

Quam aliter misericordes,aliter rapaces, & aliter inter vtrunque medij.

CAP. XLII.

Admon. 21. ALiter admonendi sunt,qui iam sua misericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt. Admonendi namque sunt qui sua misericorditer dant, ne cogitatione tumida se super eos quibus terrena largiuntur extollant:ne idcirco meliores se æstiment, quia contineri per se cæteros vident; sed à cælesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium cognoscant,& tanto se humiliter præbeant, quanto & aliena esse intelligunt,quę dispensant.Vnde & necesse est vt sollicite perpendant ne commissa indigne distribuāt, ne aliqua quibus nulla,ne nulla quibus aliqua, ne multa quibus pauca, ne pauca prębeant quibus impendere multa debuerant,ne præcipitatione hoc quod tribuunt, inutiliter spargant,ne tarditate petentes crucient,ne recipiendæ hic gratiæ intentio surrepat, ne dationis lumen transitoriæ laudis appetitus extinguat, ne oblatum munus coniuncta tristitia obsideat: ne in bene oblato munere animus plusquam decet hilarescat:ne sibi quicquam cum totum recte impleuerint, tribuant, & simul omnia postquam peregerint,perdant.Nam ne saltem aliquid illis præbeant,quibus omnino conferre nihil debent,audiant quod scriptum est: *Da bono & noli recipere* *Eccl.12.* *peccatorem.* Nonnulli enim huius mundi diuites cum fame crucientur Christi pauperes,effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori panem suum,non quia peccator est,sed quia homo est,tribuit,non peccatorem sed iustum nutrit,quia in illo non culpam,sed naturam diligit.Admonendi sunt etiam ne cum peccata commissa eleemosynis redimunt, adhue redimenda committant.Qui enim escam vel vestimētum pauperibus largitur,sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur,quod minus est offert iustitię,quod maius est culpæ:sua enim dat Deo,& se diabolo.At cōtra admonendi sunt qui aliena rapere contendunt, vt *Luc.12.* sollicite audiant, quid veniens ad iudicium Dominus dicat.*Esurijui & non dedistis mihi ad manducandum, &c.* *Math. 25.* quibus & præmittit dicens: *Discedite à me maligni &c.* Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur,qui sua indiscrete tenuerunt: Perpendat quid mereatur iniustitia illata,si tanta percussione digna est pietas non impensa.

Admon. 22. Admonendi sunt,qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur,vt sciant quod ea de qua sumpti sunt cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque hominibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant,qui commune Dei munus sibi priuatim vendicant:qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur,quia tot pene quotidie perimunt,quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus sua illis reddimus, non nostra largimur,& iustitiæ potius debitum soluimus quam misericordiæ opera implemus.Hinc enim Psalmista dicit:*Dis-* *Psal.111.* *persit dedit pauperibus &c.* Quidam vero nonnunquam dicere solent:Concessis vtimur,aliena non quærimus,& si dignam misericordiæ retributionem non agimus,nulla tamen peruersa perpetramus.At illum diuitem, qui induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendide,post hanc vitam vltrix flamma suscepit, non quia aliena rapuit,vel aliquid illicitum gessit, sed quia infructuose proprijs vsus fuit, & immoderato vsu totum se licitis tradidit. Admonendi sunt ergo tenaces, vt nouerint,quod hanc primam Deo iniuriam faciunt, quia danti sibi omnia nullam misericordiæ hostiam reddunt.

Quod aliter admonendi sunt discordes quàm pacati,& prosperitate fruentes,quàm miseri.

CAP. XLIII.

Admon. 23. ALiter admonendi sunt discordes, aliter pacati. Qui abstinentiam à concordia separat, audiat *Psal. 150.* quod dicitur:*Laudate eum in tympano, & choro, &c.* In tympano sicca & percussa pellis resonat, in choro autem voces sociatæ concordant. Quisquis itaque corpus affligit,sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano,sed non laudat in choro. Admonendi sunt pacati,nedum nimis humanam pacem desiderant, prauos hominum mores nequaquam redarguant, & consentiendo peruersis, ab auctoris sui se pace disiungant. Nam Iosaphat, qui tot de anteacta vita præconijs attollitur,de Achab Regis amicitijs pene periturus increpatur,& ei à Domino per prophetam dicitur: *Impio præ-* *2.Paral. 19* *bes auxilium etc.* Admonendi sunt ergo, ne si ad correptionis verba prosiliāt, temporalem pacem sibi perturbare formident:& rursus admonendi sunt, vt eandem pacem integra dilectione interius teneant, quam per

inue-

inuectionem vocis sibi extrinsecus turbant, sicut Dauid qui dicit. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus &c.* *Psal.119.*

Admonendi sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt tunc prosperantur, ne cum cũcta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant, si in his, quæ dantur animum figant, ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itineris in obstacula peruentionis peruertãt. Quisquis enim prosperitatem qua vtitur apud iudicium cordis melioris vitæ amore non reprimit, fauorem vitæ transeuntis in perpetuę mortis occasionem vertit. Solerter autem considerent quod præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitã prouocet, aliquando vero, vt in æternum plenius damnet. De primo dicitur: *Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possiderunt, &c.* De secundo in inferno diuiti cruciato dicitur: *Recepisti bona in vita tua, etc.* Idcirco enim hic bona recipit, & malus, vt illic plenius malã recipere t, quia hic nec per bona fuerat conuersus. At contra admonendi sunt qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur, vt sollicite perpendant, creator dispositorque cunctorum quanta super eos gratia vigilat, quos in sua desideria nõ relaxat. Ægro quippe quem medicus desperat, concedit vt cuncta quę concupiscit accipiat. Nam qui sanari posse creditur; à multis quæ appetit prohibetur. Et pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus seruamus. Considerent quoque quod plerumque etiam iustos cum temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpa comprehendit. *Psal 104.* *Luc.16.*

Quod aliter continentes, quam coniugati.

Cap. XLIV.

Admonendi sunt coniugati, vt cum vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere studeat coniugi, vt non displiceat conditori. Sic ea quæ mundi sunt agant, vt tamen appetere quæ Dei sunt non omittant. *Sicque qui habent vxores tanquam non habentes habeant.* Vxorem quippe quasi non habens habet, qui curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia ex desiderio spiritus expectat. Admonendi sunt, vt suscipiendæ prolis causa meminerint se coniunctos, & cum immoderatæ admixtioni seruientes propagationis articulum in vsum transferunt voluptatis, perpendãt, quod licet extra non exeant, in ipso tamen coniugio coniugij iura transcendunt. Vnde necesse est, vt crebris exhortationibus doleant, quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. At contra admonendi sunt, qui ligati coniugijs non sunt, vt præceptis cælestibus eo rectius seruiant, quo eos ad curas mundi iugum carnalis copulæ non inclinat: vt tanto eos paratiores, quanto & expeditiores dies vltimus inueniat, ne quo meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eo deteriora supplicia mereantur. Audiant quod Paullus dicit illis quos ad cælibatus gratiam instruit: *Non vt laqueum vobis injiciam, etc.* *Admon.28.* *1.Cor.7.* *1.Cor.7.*

Plerumque actione sæcularium confunditur vita cõtinentium, & illi vltra habitum assumunt opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Hinc per Prophetam dicitur: *Erubesce Sydon ait mare.* Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sydon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus, & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sic ergo in humano genere, & quidam in meliori ordine deteriores sunt, & quidam in deteriori meliores: quia & isti sortem extremi habitus bene viuendo transcendunt, & illi superioris loci meritum moribus non exequendo diminunt. *Admon.29.* *Esai 23.*

Quod aliter admonendi sunt, qui peccata deplangunt, et qui non.

Cap. XLV.

Admonendi sunt qui peccata deplorant operum, vt singula quæque admissa peccata considerent, & dum per vnumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lachrymis mundent. Vnde bene per Hieremiam dicitur: *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus.* Admonendi sunt vt de misericordia quam postulant præsumãt, rursumque sic de spe fiduciam habeant, ne incauta securitate torpescant. Plerumque enim hostis callidus mentem quam peccato supplantauit, cum de ruina sua afflictam respicit, securitatis pestiferæ blanditijs seducit. Quod figurate circa factum Dinæ memoratur. Dina quippe vt mulieres videat extraneæ regionis egreditur, quando vnaquæque mens studia sua negligens & actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem proprium vagatur. Quam Sichen Princeps terræ opprimit, quia inuentam in curis extetioribus diabolus corrumpit. Deinde, quia mens cum à culpa resipiscit, afflicitur, atque admissum flere conatur, corruptor autem spem ac securitates vacuas ante oculos reuocat, quatenus vtilitatem tristitiæ subtrahat, recte illic adiungitur: *Tristemque blanditijs delinuit.* Modo enim aliorum facta grauiora modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur: modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur: vt dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur. In primo quidem parente didicimus quia tribus modis omnis culpæ nequitiam perpetramus suggestione scilicet, delectatione, consensu. Primum per hostem, secundum per carnem, tertium verò per spiritum perpetratur. Vnde, & illic serpens prauа suggessit, Eua quasi caro delectationi se subdidit; Adam vero tanquam spiritus suggestione ac delectatione superatus, consensit. *Admon.30.* *Thren.3.*

Admonendi sunt qui peccata admissa deplangũt nec tamen deserunt, vt sciant quia flendo se inaniter mundant, qui viuendo nequiter inquinant. Nam & sus in volutabo luti dum sanatur sordidior redditur: &, qui admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ grauioris culpæ se subijcit, qui & ipsam quam impetrare flendo potuit veniam contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lachrymas facit. Hinc scriptum est: *Ne iteres verbum in oratione tua.* Verbum namque in oratione iterare, est post fletum committere, quod rursum necesse sit fletę. At contra admonendi sunt, qui admissa deserunt, nec tamen plangũt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas & si agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim debitor absolutus est, qui alia non multiplicat, nisi & illa quibus se ligauerat persoluat, ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi & voluptates quas dileximus, et contrario appositis lamentis insequamur. Nec tamen Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contraris medetur, vt qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus. & qui per illicita deflendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringenda surgamus. *Admo. 31.* *Eccl.7.*

Qualiter illi mala sua laudant, & qui econtrario.

Cap. XLVI.

Admonendi sunt qui illicita faciunt, quæ etiam laudant, vt considerent, quod plerunque plus ore, quam opere delinquant. Opere namque per semetipsos solos praua perpetrant, ore autem per tot personas iniquitatem exhibent, quot audientium metes iniqua laudantes docent. Admonendi sunt ergo, vt si eradicare *Admo. 32.*

mala

mala dissimulant, saltem seminare pertimescant. De talibus enim scriptum est: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt.* Et alibi: *Clamor Sodomorum, &c.* Peccatum in voce est, culpa in actione. Peccatum vero cum clamore est, culpa cum libertate. At contra admonendi sunt, qui accusant praua, nec tamen deuitant; vt proinde perpendant, quid in districto Dei iudicio pro sua excusatione dicturi sunt: qui de reatu criminum suorum etiam semetipsis iudicibus non excusantur. Hi itaque quid aliud quàm præcones sui sunt, qui voces contra culpas proferunt, & semetipsos operibus reos trahunt. Nam cum acceptam ad adiutorium scientiam negligunt, hanc cõtra se in testimonium vertunt. Quorum nimirum nequitia, cum malum agit, quod diiudicat, venturum iam iudicium hic degustat, vt tanto illic grauiora tormenta percipiat, quanto hic malum non deserit etiam quod ipsa condemnat.

Esaia. 3. Gen. 18.

Qualiter illi qui in minimis frequenter excedunt, & qui bona incepta non perficiunt:

Cap. XLVII.

Admoni. 34. ADmonendi sunt, qui quamuis in minimis, tamen frequenter excedunt, vt neq uaquam considerent qualia, sed quanta committunt; facta sua si despiciunt, timere dum pensant: debent formidare, cum numerant. Solicite quoque considerent, quia nonnunquam in parua deterius, quam in maiori culpa peccatur. Maior enim quo citius, quia sit culpa cognoscitur: eo etiam celerius emendatur, minor vero dum quasi nulla creditur, eo peius quo & securius in vsu retinetur. Vnde fit plerumque vt mens assueta malis leuibus nec grauiora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perueniat, vt tanto in maioribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timẽdo peccare. Leuari namque non appetit, qui & hoc ipsum quia cecidit, nescit. Qui dolorem vulneris non sentit, salutis remedia non requirit.

Admon. 33. Admonendi sunt, qui inchoata bona minime consũmant, vt considerent, quia dum proposita non perficiũt, etiam quæ fuerant cæpta conuellunt. Si enim quod gerendum est solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi in mari nauis est, contra ictum fluminis condescendentis, vno in loco nequa uam stare permittitur, quia ad ima relabitur nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non subleuat. ipsa operandi remissio contra id quod operatum est pugnat. Hinc per Salomonem dicitur: *Qui mollis* & dissolutus in opere fuerit.

Prouerb. 18

Qualiter illi qui mala occulte agunt, & bona publice, & qui econtrario.

Cap. XLVIII.

Admo. 36. ADmonendi sunt, qui mala occulte agunt, & bona publice vt in fine rerum mentis oculos figant: pensentque humana iudicia quanta velocitate euolant, diuina autem iudicia quanta immobilitate perdurant. Dum ergo occulta mala sua diuinis iudicijs, recta autem sua humanis oculis anteponunt, & sine teste. est bonum, quod publice faciunt, & non sine æterno teste est, quod latenter delinquunt. Cumque pro recto opere laus transitoria quęritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. At contra admonendi sunt qui bona occulte faciunt, & tamen quibusdam factis publice de se mala opinari permittunt, ne cum semetipsos actionis rectæ virtute viuificant, in se alios per exemplum prauæ æstimationis occidant, ne minus quam se proximos diligant; & cum ipsi salubrem vini potum sorbeant intentis in sui consideratione mentibus pestiferum veneni poculum fundant, dicente Apostolo; *Peribit infirmus in tua scientia frater, &c. sicut autem*, inquit, *peccantes &c.* *1. Cor. 8.*

Plerumque autem fit vt bonum opus, & in occulto fit cum fit publice, & rursum in publico cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere, non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit: quia illum solum testem habuit, cui placere curauit, & qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, & si nullus fortasse vidit, hoc tamen coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secũ duxit, quot humanas laudes requisiuit.

Qualiter vox Prædicatoris temperari debet inter vitia contraria.

Cap. XLIX.

TAnta vox exhortationis arte temperanda est, vt cũ diuersa sint auditorum vitia, & singulis inueniatur congrua, & tamen sibimetipsi non sit diuersa, vt inter passiones medias vno quidem ductu transeat, sed more bicipitis gladij tumores cogitationum carnalium ex diuerso latere incidat, quatenus sic superbis prædicetur humilitas, vt tamen timidis non augeatur metus, sic timidis infundatur auctoritas, vt tamen superbis non crescat effrænatio. Sic continentibus laudetur virginitas corporis, vt tamen in coniugibus despecta non fiat fæcunditas carnis &c. Sic ergo prædicanda sunt bona, ne ex latere iubeantur mala. Sic laudanda sunt bona summa, ne despiciantur vltima: Sic nutriantur vltima ne dum creduntur sufficere nequaquam tendatur ad summa. Ecce dum demonstrare qualis esse debeat Pastor inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fæd us, aliosque ad perfectionis dirigo littus, qui ad huc in delictorum fluctibus versor.

De conflictu vitiorum & virtutum, & primo de superbia cum filiabus suis, & horum contrarijs.

Cap. L.

SVperbia dicit: Certe multis imo pæne omnibus melior es verbo, scientia, diuitijs honoribus. Cunctos ergo despice, cunctis te superiorem attende.

Humilitas respondet: Memento, *quia puluis, & cinis es, quia putredo & vermis es.* Qui etiam si aliquid es, nisi tanto te humilies quanto magnus es, perdis omnino quod es. Quod si ille primus Angelus de tanta sublimitate per superbiam cecidit, quomodo tu ad tantam celsitudinem superbiens de imis conscendes? Cæterum *filius Dei humiliauit semetipsum &c.* Si tanta humilitate se deprimit diuina maiestas, quomodo superbire in aliquo audet humana infirmitas. *Gen. 3.* *Philip. 2.*

Inanis gloria dicit: Ostende bonum cunctis quod agis, vt à cunctis bonus dicaris, vt à cunctis venerabilis prædiceris, & nemo te despiciat, sed debitum tibi honorem quisque personat.

Timor domini respondet: Imo si boni aliquid agis nõ pro transitorijs honoribus age, sed pro æternis. Occulta quod agis in quantum vales, quod si ex toto non vales, si in animo occultandi voluntas, & non erit de ostentatione vlla temeritas, nec crimini erit manifestare, quod semper vis celatum habere.

Simulatio dicit: Quia nihil boni in abscondito facis, ne à cunctis cognitis detesteris, finge te foris esse, quod intus non appetis.

Vera religio respondet: Imo magis satage esse, quod non es, & iuxta domini scientiam prius munda, quod intus est, vt fiat & id quod de foris est mundum.

Contẽptus, id est inobedientia dicit: Quis tu vt peioribus temperes, magis te quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio, vel industria coæquari. Obtempera igitur magis Domini imperio, & non sit tibi cura de aliquo.

Subiectio respondet: Si D omini obtemperandum est imperio humano subdi necesse est magisterio, ipso di-

cente

cente. *Qui vos audit me audit &c. Non est enim potestas nisi* Luc.10. *à Deo &c.*

De invidia, & ira cum filiabus suis, & virtutibus contrarijs.

Cap. LI.

INuidia dicit: in quo illo minor es cur ergo eis, vel æqualis vel superior non es?

Fraterna congratulatio respondet. Si cæteros virtutibus antecellis, tucius in loco infimo, quam in summo temetipsum conseruabis, semper enim de alto peior ruina fit. Si autem alii tibi superiores sunt, quid hoc te lædit?

Odium dicit; Absit vt illum ames, quem in omnibus tibi contrarium vides, qui tibi insultat, peccata tua improperat, & te dictis operibus, atque honoribus, præire festinat. Nisi enim tibi inuideret, nequaquam se tibi ita præferret.

Dilectio respondet: Nunquid, quia hæc quæ narras odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine, imago scilicet Christi qui & in cruce positus inimicos suos dilexit, & ante crucis tor-
Matth 5. mentum admonuit dicens: *Diligite inimicos vestros &c.* Detractio dicit: Quis potest sustinere, vel silentio tegere quanta ille, vel ille praua committit, nisi forte, qui consentit.

Libertas iustæ correctionis respondet. Nec tacenda sunt mala proximi; nec cõsẽtiẽda, sed charitate fraterna in facie proximus redarguendus, nõ occulte detrahẽdus.

Ita dicit. Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt, imo hæc patienter tolerare peccatum est, quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur.

Patientia respondet: Si passio redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo
1. Petr.2. toleretur, *Christus enim passus est, nobis relinquens exemplum &c.* Sed quanta sunt in comparatione passionum illius ea quæ patimur? Ille enim opprobria, irrisiones, alapas, sputa, flagella, spinas, crucemque sustinuit, & nos miseri ad nostram confusionem vno sermone fatigamur, vno verbo deijcimur. At plura sunt, inquis, quæ committit, & me sæpius offendit. Ad hæc non ego, sed dominus re-
Matth. 18 spondet: *Non dico tibi vsque septies, sed &c.* Quam multi autem sunt, qui suas iniurias tarde relaxent, Dei vero citius indulgent, fitque nonnunquam vt occasione Domini iniurias vindicandi, suas vindicent irati.

Tumor dicit: Testem habes Deum in cœlis, non tibi sit curæ; quid de te homines suspicientur in terris.

Satisfactio respondet. Non est danda detrahendi occasio, non suspirandi suspicio, sed aut si sunt, quæ corrigantur manifestanda, aut certe si desunt humili protestatione neganda, quia & Apostolus, monet, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia

De Tristitia cum filiabus suis, & virtutibus contrarijs.

Cap. LII.

TRistitia dicit: Quid habes vnde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas?

Spiritale gaudium dicit: Memento, quia nostræ religionis *Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam*
Act 5. *digni &c.* Nullus ergo locus mœrori sit, vbi tanta lætitia succedit.

Torpor ignauiæ dicit: Si lectioni continuato studio semper infixis caliginem oculorum incurris, si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis, si protelatis vigilijs psallis, insaniã capitis acquiris, si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale consurgere non poteris.

Exercitium respondet: Quid tibi ad hæc perferrenda tam longa spacia proponis? Nunquid scis si crastina vi-
ãturus sis? Discute corporis inertiam, semperque memento, quia regnum cœlorum non tepidi & molles sed violenti diripiunt.

Dissoluta vagatio dicit: Si Deum esse vbique credis? cur vnum singulariter locum vbi tanta mala perpetrãtur custodis. & non potius ad alia transis?

Firma stabilitas respondet; Si ita est, vt asseris, quia Deum vbique esse fateris, ergo nec iste locus deserendus est, quem fugere appetis, quia in ipso Deus est. At in quis meliorem requiro, meliorem inuenio. Cui respondeo: Nunquid meliorem, aut etiam talem inuenis: qualẽ diabolum, & hominem perdidisse cognoscis? Memor esto itaque, quia primus Angelus de cœlo ruit, & primus homo de Paradiso expulsus ad ærumnam huius sæculi peruenit, Loth exercitio malorũ probatus inter Sodomitas sãct⁹ fuit, in mõte vero securitate torpẽs peccauit.

Desperatio dicit: Quę & quanta & quam innumerosa crimina, & delicta commisisti & pænè in melius nec dũ vitam mutasti. Mala consuetudine obligatus teneris, exurgere conaris, sed peccatorum oneribus prægrauatus relaberis. Quid ergo agendum est, quando & de præteritis imminet certa damnatio, & de præsentibus nulla succurrit emendatio.

Spei fiducia respondet: Si de criminibus agitur, ecce Dauid adulterij simul & homicidij reus, de inferni faucibus Dei misericordia liberatus, describitur. Ecce Manasses omniũ peccatorũ nefandissimus & sordidissimus atque sceleratissimus, per misericordiam Dei de morte ad vitam redijt. Sic Maria Magdalena post innumerarũ fornicationum inquinationem; sic Petrus post negationem; latro post seditionem, & fraterni sanguinis effusionem, Paulus quoque post Ecclesiæ Dei persecutionem. Vbi ergo tot tantaque præcedunt exempla, dent locum desperationis mala colloquia, cum etiam scriptũ sit: *Quacumque die ingemuerit peccator &c.* De conuersione vero in melius non mutata, quid aliud respondeã, nisi vt quod heri quisq; non egit, agat hodie, dum adhuc licet viuere: semperque viribus desuper acceptis, prauæ consuetudini resistens, dicat mane, & vespere: *Dixi nunc cœpi, &c.*

De Cupiditate, & Gula, & Luxuria cum filiabus suis, & virtutibus contrarijs.

Cap. LIII.

CVpiditas dicit: Valde sine culpa es, quod quędam habenda concupiscis, quia multiplicari appetis, sed egere pertimescis, & quod male alius retinet, ipse melius expendis.

Mundi contemptus respondet: Quanto quisq; plus habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit, fitque vt modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris huius sæculi curis deseruire festinat. Hic autẽ auaritiæ morbus nunquam melius compescitur, quam cum dies mortis iugiter meditatur.

Ventris ingluuies dicit: Ad esum Deus omnia munda creauit, & qui saturari cibo respuit, quid aliud quã muneri concesso contradicit.

Parsimonia respondet: Omnia quidem ad esum Deus munda creauit, sed ne comedendi mensarum homo excederet, abstinentiam imperauit. Nam inter cætera sua mala, saturitate panis maxime Sodoma periit. Quapropter sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes quisque debet accedere, nequaquam scilicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens, ipsa veritate, dicente: *Attendite ne grauentur corda vestra crapula &c.* Et Apostolo: *Esca ventri &c.* Huius autem ille ple- 1Cor .6.
ne vitium superat, qui in sumendis dapibus non solum parsimoniam tenet vt scilicet refectionem semper esuries imperet, verum etiam accurratiores & lautiores epulas excepta corporis infirmitate, & hospitum susceptione contemnit.

Inepta lætitia dicit. Vt quid animi gaudium lætus abscondis, egredere in publicum lætus, & dic aliquid, vnde vel tu, vel proximi tui irrideant.

Moderatus mœror respondet. Cõprime inanẽ lætitiã

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quia nec dum euasisti, pœnalem ærumnam, necdum de exilio rediisti ad patriam. Nonne apud omnes infamis iudicatur, qui carceralibus tenebris reclusus gaudere conatur? An forte memoria excessit, quod Dominus dicit: *Væ vobis qui nunc ridetis &c.* Et alibi; *mundus autem gaudebit &c.*

Luc. 6. Multiloquium dicit: Nequaquam ille reus tenetur, qui plura quidem sed bona loquitur, sed ille qui saltem tara, sed mala dicere probatur.

Prou 10. Discreta taciturnitas respondet: Verum est, quod dicis, sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit, vt à bonis locutio inchoans ad aliquid prauum deriuetur, dicente scriptura: *In multiloquio peccatum non deerit.* Tenendus est ergo modus in loquendo, & ab ipsis nonnunquam vtilibus verbis parcendum, sicut Dauid fecisse se dicit. *Humiliatus sum*, inquit, & silui à bonis.

Psal. 114. Fornicatio dicit. Si Deus misceri hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum, & fœminam non fecisset.

Carnis munditia respondet: Nubendi licentia quibusdam ideſt his qui continentiam non sunt professi, tribuitur, fornicatio vero nulli conceditur impune.

Appetitus sæculi dicit: Quid pulchrius, quidue delectabilius esse potest, quam quod in præsenti vita quotidie cernimus? ô quam mirabilis cœli camera in Sole, & Luna, & sideribus, quam oblectabilis terra in nemorum floribus, in fructuum suauitatibus, in pratorum riuorumque amœnitatibus &c.

Amor patriæ respondet. Si te ita delectant, quæ sub cœlo sunt, cur non magis ea, quæ supra sunt? si carcer ita pulcher est, patria ciuitas, & domus qualis est? Si talia sunt quæ colunt peregrini, qualia sunt ea, quæ possident filij? Quapropter recedat amor præsentis sæculi, & succedat amor futuri.

De Miraculis sanctorum Petri, & Pauli.

Cap. LIIII.

Idem in registro libro 3. ad Cõstantiam Augustam. Serenitas vestræ pietatis religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificat ecclesiam, caput eiusdem sancti Pauli Apostoli aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se iussionibus à me præcipit debere transmitti. Illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum tantis in ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illic timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis prædecessor meus, argentum, quod supra sacratissimum corpus sancti Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedibus mutare voluit, signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui, & quia necesse erat vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altius debuisset, Præpositus loci ipsius ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alio loco transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ prędecessor meus idem ad corpus sancti Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitut vbi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, & subito sepulchrũ ipsius ignoranter apertum est. Et hi qui pręsentes erant atque laborabant monachi & mansionarii, qui corpus eiusdem martyris viderunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum & iustum corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantũmodo in pixide brandeũ mittitur, atq; ad sacratissima corpora sanctorum ponitur. Vnde contigit, quod beatæ recordationis Leonis Papæ tempore, sicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis namque vel totius occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine qui ossa leuare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.

Adhuc de corporibus eorum, & catbena sancti Pauli.

Cap. LV.

De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum dum constet, quia eo tempore quo passi sunt ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium suorum repeterent. Quæ ducta vsque ad secundum vrbis miliarium, in loco, qui dicitur Catatumbas collata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit ac dispersit vt talia denuo nullatenus tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora qui hoc ex pietate domini meruerunt, leuauerunt, & in locis quibus nunc sunt condita posuerunt. Sudarium vero, quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad illius corpus accedi. Sed quia sereniſſimæ dominę tam religiosum desiderium non debet esse vacuum, de catenis quas ipse sanctus Paulus Apostolus in collo, & in manibus gestauit, & quibus multa miracula in populo demonstrantur partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hant tollere limando prævaluero. Quia dum frequenter ex catenis eiusdem multi venientes benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura percipiant, assistit Sacerdos cum lima & aliquibus petentibus ita concite aliquid de cathenis ipsis excutitur vt mora nulla sit, quibusdam vero petentibus diu per cathenas ipsas lima ducitur, & tamen vt aliquid exinde exeat non obtinetur

De claue aurea sancti Petri.

Cap. LVI.

Idem in libro sexto Theotisto, & Andreæ. Sancti Petri Apostoli clauem à sacratissimo eius corpore transmissam, de qua videlicet claue hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardus ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus inuenisset, quia sancti Petri clauis esset, despiciens, sed pro eo, quod eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum vt illam inscideret. Qui mox cultellum cum quo eam per partes minuere voluit, arreptus per spiritum sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illuc Rex Longobardorum Antharith, atque alii multi eius homines adessent, & ipse qui se percusserat seorsum mortuus, clauis vero seorsum iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, vt eandem clauem de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulsus nomine vocatus est, atque ipse hanc leuauit de terra. Antharith vero pro eodem miraculo aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ prædecessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset.

De

De quibusdam miraculis sancti Andreæ Apostoli.

CAP. LVII.

Eccl.29. IDem in libro nono ad Rusticanam Patritiam. De eleemosyna quam beati Andreæ Apostoli monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cum scriptum sit: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te orabit.* Si ergo apud secretas aures Domini habet ipsa bona operatio vocem suam, siue nos clamemus, siue taceamus, hoc ipsum quod bene egistis clamat. Indico tamen, quia tanta miracula, tanta cura, tanta custodia Monachorum, in eodem monasterio eiusdem Apostoli est, ac si specialiter Abbas monasterij ipse sit. Nam vt pauca de multis loquar, quę Abbate ac præposito monasterij narrantibus cognoui; quadam die duo exinde fratres transmissi sunt qui aliquid emere pro monasterij vtilitate debuissent, vnus iunior qui prudentior videbatur, alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vterque, & de precio quod acceperunt ipse qui custos iunioris missus fuerat, nesciente altero de eodem pretio furtum fecit. Qui mox vt in monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonio is qui furtum fecerat cecidit & vexari cępit. Dimissus autem à demonio concurrentibus Monachis requisitus est, ne forsitan de eo quod acceperat furtum fecisset. Negauit atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus vexatus est, post octauam vero negationem confessus est, quantos nummos furto abstulerat: & agens pœnitentiam prostratus se peccasse testatus est, perceptaque pœnitentia vlterius ad eum demonium non accessit.

Alio quoque tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli iam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cæpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testatur ferre se non posse, quod patiebatur. Concurrerunt fratres, viderunt cæcum oculis apertis trementem, & clamantem, & à præsentibus alienum, nihilque quod foris agi poterat sentientem, eumque in manibus leuauerunt, atque ante altare sancti Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsi quoque pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit dicens: Quare de monasterio isto fugere voluisti? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam Monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam se confessus est postea dicens, quia in eo die quo ista pertuli, consilium habueram de eodem monasterio fugere.

Adhuc de eodem.

CAP. LVIII.

ALius quoque Monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit. Cumque hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi, & statim dæmonio traditus vehementissime vexatus est. Relinquebatur vero à dæmonio & si extra oratorium stetisset, nihil patiebatur aduersi. si vero conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cum hoc sępius fieret culpam suam confessus est, quia de monasterio egredi cogitabat. Tunc pro illo fratres collecti sese per triduum in precibus astrinxerunt; atque ita curatus est vt ad eum postmodum nunquam malignus spiritus accederet. Dicebat autem eundem se beatum Apostolum dum vexaretur vidisse, seque ab eo increpatum esse cur voluisset abscedere.

Alij quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atque aliqua prius colloquędo fratribus signa dederunt quod per viam Appiam descendentes Hierosolymam tenderent. Qui exeuntes diuerterunt de itinere, & vt à sequentibus inueniri minime potuissent, retrusas cryptas iuxta flammineam portam inuenientes in eis se occultauerunt. Cum vero vespertinis horis requisiti minime in congregatione inuenti essent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt, per Metroni portam exeuntes, vt eos in latinam portam vel Appiam viam sequerentur. Subito consilio eis ortum est, vt eos in Salariam viam requirerent extra ciuitatem. Igitur pergentes deflexerunt in Salariam, eos vero minime inuenientes per portam flammineam decreuerunt reuerti. Cumque reuerterentur, mox vt equi eorum ante cryptas illas venerunt in quibus se abscondérant, fixerunt gradum. Pulsati & compulsi, passum mouere noluerunt. Considerauerunt Monachi, rem talem sine mysterio esse non posse, attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria damnatos, sed caballis suis nusquam vehentibus; descendentesque deposuerunt lapides, qui introitu cryptarum positi fuerant. Ingressi sunt eosque in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terræ inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, ex eodem miraculo ita meliorati sunt, vt eis multum profuerit, ad parum temporis de monasterio fugisse.

De sancta simplicitate & patientia Libertini Fundensis Præpositi.

CAP. LIX.

IDem in dialogo lib. 1. Via reuerendissimus Libertinus Regis Totilæ tempore, Fundensis monasterij Præpositus fuit, dumque Datida Gothorum Comes cum exercitu in eundem locum venisset, Dei seruus ex caballo quo sedebat ab hominibus eius est protectus. Qui iumenti damnum libenter ferens, etiam flagellum quod tenebat diripientibus obtulit dicens: Tollite, vt habeatis qualiter hoc iumentum minare possitis. Quibus dictis protinus se in oratione dedit. Cursu autem rapido prædicti Ducis exercitus peruenit ad fluuium nomine Vulturnum, vbi equos suos cæperunt singuli hastis tundere, calcaribus cruętare, sed tamen equi verberibus cæsi, calcaribus cruentati, fatigari poterant, moueri non poterant: sicque aquam fluminis tangere, quasi mortale præcipitium pertimescebant. Cumque diu sedendo sessores singuli fatigarentur, vnus eorum intulit, quia ex culpa quam seruo Dei in via facerent, illa sui itineris dispendia tolerabant. Qui statim reuersi post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum. Cui cum dicerent, surge tolle caballum tuum. Ille respondit: Ite cum bono, ego opus caballo non habeo. Descendentes vero inuitum eum in caballo de quo deposuerant leuauerunt, & protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu fluuium transierunt, ac si alueus aquam minime haberet. Sicque factum est, vt dum seruo Dei vnus suus caballus redditur, omnes à singulis reciperentur.

Libertini patientia.

Caballus Libertino restituitur.

Eodem tempore in Campaniæ partibus Buccellinus cum Francis venit. De monasterio vero præfati Dei famuli rumor exierat, quod multas pecunias haberet. Ingressi oratorium Franci cæperunt sæuientes Libertinum quærere, Libertinum clamare, vbi ille in oratione prostratus iacebat: mira valde res, quærentes sæuientesque Franci in eum impingebant, & ipsum videre non poterant. Sicque sua cęcitate frustrati, à monasterio vacui sunt regressi.

Libertinus Francis inuisibilis.

Quadam die is qui post Honorati exitum monasterij regimen tenebat, contra eundem Libertinum in graui iracundia exarsit, ita vt eum manibus cæderet. Et quia virgă qua eum ferire posset minime inuenit, cŏprehenso scabello suppedaneo ei caput & faciē tutudit, totūq; illius vultū tumentē, & liuidu reddidit. Qui vehemēter cęsus ad stratū proprīū tacitus recessit. Expleus hymnis matutinalibus ad lectū Abbatis venit, orationem sibi humiliter petijt. Cūq; ille pro vtilitate monasterii ad consti-

Libertini mira patientia.

tutionem cautæ egressus fuisset, multi viri noti ac nobiles, qui eum valde semper honorabant admirari requirebant, quid hoc esset, quod tam tumentem, & liuidam faciem haberet. Quibus ille dicebat: Hesterno sero peccatis meis facientibus in scabello suppedaneo impegi, atque hæc pertuli. Sicque vir sanctus seruans in pectore honorem veritatis, & magistri, nec Patris prodebat vitium, nec falsitatis crimen incurrebat.

Libertini modestum responsum.

De Hortulano eiusdem monasterij & fure deprehenso.

Cap. LX.

IN eodem monasterio quidam magnæ vitæ Monachus erat hortulanus. Fur vero venire consueuerat & per sepem ascendere, & occulte olera auferre. Cumque ille multa plantaret quæ minus inueniret, & alia pedibus conculcata, alia direpta conspiceret, totum hortum circumiens, inuenit iter vnde fur venire consueuerat. Qui in eundem hortum deambulans reperit etiã serpentem. Cui præcipiens dixit: Sequere me. Atque ad aditum furis perueniens, imperauit serpenti dicens: *In nomine Iesu Christi præcipio tibi, vt aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas.* Protinus serpens totum se in itinere in transuerlum tetendit; ad cellam Monachus redijt. Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur aduenit, ascendit sepem, & dum in hortum pedem poneret, vidit subito quia tensus serpens clausisset viam. Extreme factus post semetipsum concidit, eiusque pes per calciamentum in sude sepis inhæsit. Venit hortulanus pendentem in sepe furem repperit. Serpenti autem dixit: Gratias ago Deo implesti quod iussi, recede modo. Qui illico abscessit, ad furem vero perueniens ait: Quid est frater, tradidit te mihi Deus? Qua re in laborem Monachorum furtum totiens facere præsumpsisti: Qui hæc dicens, pedem eius à sepe in qua inhæserat soluit, eumque sine læsione depositi. Cui dixit: Sequere me. Quem sequentem duxit ad aditum horti, & olera quæ furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine præbuit dicens: Vade, & post hæc furtum non facias, sed cum necesse habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laboras tollere, ego tibi deuotus dabo.

Serpens horti custos.

Fur miraculose deprehensus.

De virtutibus sancti Abbatis Equitij.

Cap. LXI.

VIr sanctissimus Equitius nomine in Valeriæ partibus pro vitæ suæ merito apud omnes illic magnæ admirationi habebatur. Hunc cum in iuuentute sua acri certamine carnis incentiua fatigarent, & hac in re à Deo remedium continuis precibus quereret nocte quadam assistente Angelo eunuchizari se vidit, eiusque visioni apparuit, quod omnem motum ex genitalibus eius membris abscinderet. Atque ex eo tempore ita alienus extitit à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus ex Dei auxilio vt viris ante præerat, ita excepit postmodum etiam fœminis præesse.

Visio de Eunuchatione Equitij.

Quadam vero die, vna Dei famula ex monasterio virginum hortum est ingressa: quæ lactucam conspiciens concupiuit, eãque signo crucis benedicere oblita auide momordit; sed arrepta à Diabolo protinus cecidit. Cũque vexaretur, eidem Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret citius, & vt orando, succurreret. Moxque vt portam monasterii idem Pater est ingressus, cæpit ex eius ore quasi satisfaciens ipsẽ, qui hanc arripuerat diabolus clamare dicens. Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam nisi super lactucã, venit illa, & momordit me. Cui graui indignatione vt abscederet præcepit vir Dei, & locum in Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam contingere vltra præualuit.

Monialis obsessa per Equitium liberatur.

Quidam vero Felix nomine, Mirsiæ Prouinciæ nobilis, cum eundem venerabilem virum sacrum ordinem non habere conspiceret, & per singula loca discurrere, atque studiose prædicare, eum quadam die familiaritatis ausu adit dicẽs Qui sacrũ ordinẽ non habes, atque à Romano Pontifice sub quo degis prædicationis licẽtiam non accepisti, prædicare quomodo præsumis? Qua eius inquisitione compulsus vir sanctus indicauit prædicationis licentiam qualiter accepit dicens: Ea quę mihi loqueris, ego quoque mecum ipse pertracto, sed nocte quadam speciosus mihi per visionem iuuenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum idest flebotomum posuit dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum, atque ex illo die etiam cum voluero, de deo tacere non possum. Tantùs quippe illum ad colligendas animas Deo feruor accenderat, vt sic monasteriis præesset, quatenus per Ecclesias per castra, per vicos per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem Patriæ cælestis excitaret. Erat vero valde vilis in vestibus, atque ita despectus, vt si quis illum fortasse nesciret, salutatus etiam salutare despiceret. Et quotiens ad alia tendebat loca, iumento sedere consueuerat, quod esse despicabilius iumentis omnibus in cella potuisset, reperiri, in quo etiam capistro pro fræno, & veruecum pellibus pro sella vtebatur.

Licẽtia prædicandi Equitij sine sacris ordinibus.

Equitij vita

De virtutibus sanctorum Constantij, & Marcelli ni.

Cap. LXII.

VIr sanctus Constantius, Ecclesię beati Stephani mansionarius, dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & vnde lampades accenderet omnimodo non haberet, omnes Ecclesiæ lampades aqua impleuit, atque in medio ex more papyrum posuit, quam allato igne succendit. Sicque aqua arsit in lampadibus, ac si oleum fuisset. Perpende igitur cuius meriti vir iste fuerit, qui necessitate compulsus elementi naturam mutauit. Quia vero valde opinio sanctitatis eius excreuerat, multi hunc ex diuersis prouinciis anxie videre sitiebant.

Constantius aquam loco olei ardere in lampadibus fecit.

Quadam igitur die ex longinquo loco ad videndum eum quidam Rusticus venit. Eadem vero hora casu contigerat, vt vir sanctus stans in ligneis gradibus reficiendis lampadibus deseruiret. Erat autem pusillus valde, exili forma atque despecta. Cumque is ad videndum eum venerat, quisnam esset inquireret, hi qui illum nouerant monstrauerunt quis esset. Sed sicut stultæ mentis homines meritum ex qualitate corporis metiuntur, eum paruulum atque despectum videns non credidit, quod ipse esset. Cui ipsum esse dum à pluribus fuisset astructum despexit, & irrisit dicens: Ego grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. Quod vt vir Dei Constantius audiuit, lampades quas reficiebat protinus lætus relinquens, concitus descendit, & in eius Rustici amplexum ruit dicens: Tu solus es, qui in me oculos apertos habuisti. Ex qua re pensandum est, cuius apud se humilitatis fuit, qui despicientẽ se Rusticum amplius amauit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat.

Constantij forma & statura.

Constantij humilitas magna.

Eiusdem quoque Anchonitanæ Antistes Ecclesiæ venerabilis virtute Marcellinus fuit, cuius gressum dolore nimio podagra contraxerat, eumque familiares sui vbi necesse esset in manibus ferebant. Quadam vero die, per culpam incuriæ eadem ciuitas succensa est. Cumque vehementer arderet, concurrerunt omnes, vt ignem extinguerent. Sed illis aquam certatim proijcientibus cum obsistere nullus valeret, deductus manibus venit Episcopus, & tanta periculi necessitate compulsus familiaribus suis se portantibus præcepit dicens. Contra ignem me ponite. Cæpit autem miro modo in semetipsum incendium retorqueri, ac si reflectione sui impetus exclamaret se transire non posse. Sic que factum est, vt flãma frigesceret, & cõtingere

Marcellinus ignem æstuantem compescuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vlterius quicquam ædificij non auderet. Perpendis Petre cuius sanctitatis fuerit ægrum hominem sedere, & flammas exorando premere?

De virtutibus sancti Bonifacij Episcopi.

CAP. LXIII.

FVit vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine, qui in ea ciuitate quæ Ferentis dicitur episcopatum officio tenuit, moribus impleuit. Hic peractis missarum solemnijs cum ad nobilis viri Fortunati mensam inuitatus venisset, priusquam Deo hymnum diceret, sicut quidam ludendi arte solent victum quærere, repente ante ianuam vir cum Simia astitit, & cymbala percussit. Quem sanctus vir sonitum dedignatus dixit. Heu heu mortuus est miser iste, mortuus est miser iste. Ego ad mensam refectionis veni, os adhuc ad laudem Dei non aperui, & ille cum simia veniens cymbala percussit. Subiunxit tamen & ait: Ite & pro charitate ei cibum potumque tribuite, scitote tamen, quod mortuus est. Qui infelix vir, dum panem, & vinum ex eadem domo percepisset, egredi ianuam voluit, sed saxum ingens subito de tecto cecidit eique in verticem venit, die vero altero, secundum viri Dei sententiam funditus finiuit vitam. Qua in re apette pensandum est, quatenus sit sanctis viris timor exhibendus, templa etenim Dei sunt. Etsi ad iracundiam sanctus vir trahitur, quis alius ad irascendum nisi eiusdem templi inhabitator excitatur? Tanto ergo metuenda est ira iustorum quanto & constat, quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam vltionem quam voluerit inualidus non est,

Bonifacius ioculatorij mortem prædixit.

Sancti viri Dei templa sunt.

Alio tempore Constantius Presbyter nepos eius equum suum 12. aureis vendidit, quos in propriam arcam ponens ad exercendum aliquod opus discessit. Cũ subito ad Episcopum pauperes venerunt, qui importune præcabantur, vt eis aliquid largiretur. Sed vir Dei, quia quod tribueret non habebat, æstuare cæpit in cogitatione, ne ab eo pauperes vacui exirent. Cui repente ad memoriam redijt, quia Constantius equum vendidisset, & pretium in arca sua haberet. Absente igitur eo accessit ad arcam, & pie violentus claustra arcæ comminuit. & 12. aureos tulit, eosque indigentibus diuisit. Itaque Constantius reuersus arcam fractam repperit, & caballi sui pretium. quod illic posuerat, non inuenit, cæpit magna voce perstrepere, & cum furore clamare. Cumque eum vir Dei locutione blanda temperare voluisset, cæpit ille cum iurgio respondere dicens: Omnes tecum viuunt, ego solus hic ante te viuere non possum. Redde mihi solidos meos. Quibus vocibus commotus episcopus, beatæ Mariæ semper virginis Ecclesiam est ingressus. Et eleuatis manibus stando cæpit orare, repenteque in sinu suo 12. aureos inuenit, quos in sinum furentis presbiteri proiecit dicens. Ecce habes solidos quos quæsisti. Sed hoc notum tibi sit, quia post mortem meam tu huic Ecclesię Episcopus non eris propter auaritiam tuam. Ex qua sententiæ veritate colligitur, quia eosdem solidos presbyter pro adipiscendo episcopatu præparabat.

Bonifacius pauperibus subuenit.

Bonifacius orando duodecim aureos à B. Virgine impetrauit.

Quadam die ingressus hortum, magna hunc eruca rum multitudinem inuenit esse coopertum. Qui omne olus deperire conspiciens ad easdem erucas conuersus dixit: *Adiuro vos in nomine Domini nostri Iesu Christi recedite hinc atque hæc olera comedere nolite.* Quæ statim ad viri Dei verbum ita omnes sunt egressæ, vt ne vna quidem intra spacium horti remaneret.

De bonis eius initijs ab infantia, & eius abstinentia.

CAP. LXIV.

EO tempore quo cum matre sua puer habitabat, egressus hospitium nonnunquam sine linea, crebro etiam sine tunica reuertebatur, quia mox vt nudum quempiam reperisset vestiebat. Die quadam mater eius horreum ingressa, penè omne triticum quod sibi in stipendio totius anni parauerat, inuenit à filio suo pauperibus expensum. Cumque semetipsam alapis pugnisque tunderet, quod quasi anni subsidia perdidisset, superuenit Bonifacius puer Dei eamque verbis quibus valuit, cæpit consolari. Quæ cum nihil consolationis admitteret, hanc rogauit ab horreo exire, seseque illic protinus in orationem dedit. Post paululum egressus, ad horreum matrem reduxit. Quod ita triticio plenum inuentum est, sicut ante plenum non fuerat. Quodam vero die dum vestibulo puer Bonifacius staret vulpes ex more venit, & gallinam abstulit. Ipse autem concitus ecclesiam intrauit & se in orationem prosternens dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimento matris meę manducare non possum, ecce enim gallinas quas nutrit, vulpes comedit. Qui ab oratione surgès ecclesiam est egressus. Mox vulpes redijt gallinam quam in ore tenebat dimisit, atque ipsa moriens, ante eius oculos in terram cecidit.

Bonifacius adhuc puer oratione horreum tritico impleuit.

Bonifacius oratione vulpes necauit.

De muliere voluptuosa per sanctum Fortunatum episcopum à legione dæmonum curata.

CAP. LXV.

MAtrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ habebat nurum, quæ intra breue tempus quo filium eius acceperat cum eadem socru sua ad dedicationem oratorij beati Sebastiani martyris fuerat inuitata. Nocte vero eadem qua subsequenti die ad dedicationem prędicti oratorij fuerat processura, voluptate carnis deuicta, à viro suo sese abstinere non potuit. Cumque mane facto conscientiam deterreret perpetrata carnis delectatio, processionem vero imperaret verecundia, plus erubescens vultum hominum, quàm Dei metuens iudicium, cum socru sua ad dedicatum oratorium processit. Mox vero vt martyris oratorium sunt ingressæ matronæ nurum malignus spiritus artipuit, & coram omni populo vexare cæpit. Eiusdem vero oratorij presbyter dum hanc vehementissime vexari cõspiceret, ex altari protinus syndonem tulit, eamque cooperuit Sed & hunc repente simul & diabolus inuasit, quia vltra vires voluit quicquam præsumere. Ducta itaque est ad fluuium atque in aquam mersa. Ibique diutius incantationibus agere malefici moliebantur, vt is qui eam inuaserat diabolus exiret. Sed miro Dei iudicio dum peruersa arte ab ea vnus repellitur, in eam subito legio intrauit. Cæpit ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribusq; perstrepere, quot spiritibus tenebatur. Tunc inito consilio parentes eius suæ perfidiæ culpam fatentes, hanc ad virum Dei fortunatum episcopum duxerunt, eique reliquerunt. Qua ille susceptа se diebus & noctibus in orationem dedit. Non post multos dies eam sanam atque incolumem reddidit.

Matrona ob carnis vitium à diabolo correpta.

Fortunatus matronam de legione dæmonum liberat.

De cæteris eiusdem Episcopi virtutibus.

CAP. LXVI.

ALio quoque tempore, idem Dei famulus ex obsesso quodam immundum spiritum excussit. Qui spiritus adueperascente iam die peregrinum quempiam esse se simulans, circumire cępit plateas ciuitatis, & clamare: O virum sanctum Fortunatum Episcopum, ecce quid fecit, peregrinum hominem de hospicio suo expulit, quæro vbi requiescere debeam; & in ciuitatem eius non inuenio. Tunc quidam in hospitio cum vxore sua & paruulo filio ad prunas sedebat, qui vocem eius audiẽs, & quid ei Episcopus fecerit requirẽs, huc hospitio inuitauit, & sedere secũ iuxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua cõfabularentur, paruulũ eius filium idem malignus spiritus inuasit, & in easdẽ prunas proiecit, ibi q; mox eius animã excussit. Qui orbatus miser, vel quẽ

Diabolus sub forma peregrini puerũ extinxit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ipſe ſuſceperit vel quem Epiſcopus expuliſſet agnouit. Multa præterea videntur bona, ſed non ſunt, quia bono animo non fiunt. Ego namque hunc virum qui dū quaſi hoſpitalitatem exhiberet orbatus eſt, non pietatis opere delectatum æſtimo, ſed Epiſcopi de rogatione, nam pœna ſubſequens innotuit, quod præcedens illa ſuſceptio ſine culpa non fuit. Sunt namque nonnulli, qui idcirco bona facere ſtudent, vt gratiam alienæ operationis obnubilent, nec paſcuntur bono quod faciunt, ſed laude boni quæ ceteros præmunt. Quare exiſtimo hunc oſtentationi potius intendiſſe quàm operi, vt meliora, quam epiſcopus feciſſe videretur.

Acceſſit idem vir ſanctus aliquando rogatus, ad locum vbi iacebat corpus exanime, ibique ſe in orationem dedit. Defunctum per nomen vocauit, dicens: Frater Marcelle, Ille autem ac ſi leuiter dormiens oculos aperuit, atque ad Epiſcopum reſpiciens dixit: O quid feciſti, o quid feciſti. Quid, inquit, Epiſcopus? At ille ait: Duo heſterno die venerunt, quia me eijcientes ex corpore in bonum locum duxerunt, hodie autē vnus miſſus eſt qui dixit. Reducite eum quia Fortunatus Epiſcopus in domum illius venit. Quibus expletis verbis, mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutius māſit. Nec tamen credendum eſt, quia locum quem acceperat, perdidit, quia dubium non eſt, quod interceſſoris ſui precibus potuit poſt mortem melius viuere, qui & ante mortem ſtuduit domino placere.

Fortunatus reſuſcitauit mortuum Marcellum

De virtutibus ſanctorum, Martirij & Seueri.

Cap. LXVII.

QVidam autem in Valeria prouincia Martyrius nomine deuotus valde Deo famulus fuit: qui, dum quadam die fratres illius ſubcinericium panem feciſſent eique obliti eſſent ſignum crucis imprimere, vt in hac prouincia crudi panes ligno ſignari ſolent affuit, eiſque referentibus ſignatum non fuiſſe cognouit. Cumque iam panis prunis & cineribns eſſet coopertus dixit. Quare hunc minime ſignaſtis? Hæc dicens, ſignum crucis digito contra prunas fecit, protinus immenſum crepitum panis dedit. Qui dum coctus fuiſſet, ab igne ſubtractus, ea cruce ſignatus inuentus eſt: quem non contactus, ſed fides fecerat.

Martyrius in panes furno cruce fidei ſignauit.

Erat quidam vir vitæ valde admirabilis nomine Seuerus, Eccleſiæ beatæ Mariæ virginis Sacerdos. Hunc cum quidam Paterfamilias ad extremum veniſſet diem miſſis concite nuncijs, rogauit vt ad ſe quantocius veniret, ſuiſque orationibus pro peccatis eius intercederet, vt acta de malis ſuis pœnitentia, ſolutus culpa ex corpore exiret. Qui ſcilicet ſacerdos inopinate contigit, vt ad putandam vineam eſſet occupatus, atque ad ſe venientibus diceret: Antecedite, ecce ego vos ſubſequor. Cumque videret ſibi in eodem opere parum aliquid ſupereſſe. paululum moram fecit, vt opus quod minimum reſtabat expleret. Quo expleto, cæpit ad ægrum pergere. Eunti vero in itinere, occurrentes hi qui prius venerant, obuiam facti ſunt, dicentes: Quare tardaſti Pater? noli fatigari, quia iam defunctus eſt. Quo audito, ille contremuit, magniſque vocibus ſe interfectorem illius clamare cæpit. Flens itaque peruenit ad corpus defuncti, ſeque coram lecto illius cum lachrymis in terram dedit. Cumque vehementer fleret, ſeque reum mortis illius clamaret, repente defunctus animam recepit. Cumque eum requirerent vbi fuerit, vel quomodo rediiſſet ait: Tetri valde erant homines qui me ducebant, ex quorum ore, & naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram. Cumque per obſcura loca me ducerent, ſubito pulchræ viſionis iuuenis cum alijs nobis euntibus obuiam factus eſt, qui me trahentibus dixit: Reducite illum, quia Seuerus presbyter plangit, eius enim lachrymis Dominus eum donauit. Qui ſcilicet Seuerus protinus de terra ſurrexit, eique pœnitentiam agenti opem ſuæ interceſſionis præbuit. Et dum per dies. 7. de perpetratis culpis pœnitentiam æger rediuiuus ageret. 8. die lætus de corpore exiuit. Perpende quæſo hunc Seuerū quam dilectum dominus attendit, quem contriſtari, nec ad modicum pertulit.

Seuerus lachrymis ſuis mortuum reſuſcitauit.

Annotatio.

aEx hac hiſtoria cōfeſſionis peccatorum coram ſacerdote neceſſitas maxime declaratur, cum ex ea aperte perſpiciatur eum qui ſine confeſſione deceſſerat diaboli poteſtati fuiſſe traditum: nam interceſſio ſacerdotis quam tam ardenter hic ager expetiuit, eſt abſolutio, vt etiam verba illa declarant, (vt acta pœnitentia de culpis ſuis ſolutus de corpore exiret) vbi autem abſolutio eſt, ibi peccatorum neceſſe eſt precedat confeſſio. De hac peccatorum confeſſione ſupe D Greg. agit vt lib. 8. Moral. cap. 15 & 25 & lib 22. cap. 13. & 14 & multis alijs in locis.

De ſancto Benedicto Abbate, & eius virtute contra dæmones.

Cap. LXVIII.

IDem in 2. libro. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus & nomine a pueritia cor gerens ſenile. Hic in monte Caſſino habitans, commorantem circumquaque multitudinem, prædicatione continua ad fidem vocabat, Sed hoc antiquus hoſtis tacite non ferens aperta viſione eiuſdem Patris ſe oculis ingerebat, & magnis clamoribus vim ſe perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis eius imaginem minime cernerent, prius etenim hunc vocabat, ex nomine dicens: Benedicte, Benedicte. Et cum eum ſibi in nullo reſpondere conſpiceret, protinus adiungebat: Maledicte non Benedicte, quid mecum habes? Quid me perſequeris.

Diabolus Benedictum vocabat Maledictum

Quadam die dum fratris habitacula conſtruerēt, cellæ lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Sed ita immobilis manſit, ac ſi radicitus in terra teneretur, vt palam daretur intelligi, quod ſuper eum ipſe per ſe antiquus hoſtis ſederet. Difficultate igitur facta ad virum Dei miſſum eſt. Qui mox venit orationem faciens benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus eſt, ac ſi nullum prius pondus habuiſſet. Tunc in conſpectu viri Dei placuit vt in loco eodem terram foderent. Quamdum fodiendo altius penetrarēt, æreum illic Idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam caſu in coquinam proiecto, exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum monachorum oculis, quaſi omne eiuſdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. Cumque iaciendo aquam, & ignem quaſi extinguendo perſtreperent, pulſatus eodem tumultu vir domini aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum eſſe, in ſuis vero non eſſe conſiderans, caput protinus in orationem flexit, & vt oculos ſuos ſignarent monuit, & ſanum illud coquinę ædificium aſſiſtere cernerent, & flammas quas antiquus hoſtis finxerat, non viderent.

Benedictus lapide diabolo grauatum oratione leuem fecit.

Phantaſticus idoli ignis oratione reſtinctus.

Rurſum dum fratres parietem paulo altius ædificarent, vir Dei orationis ſtudio intra cellulæ ſuæ clauſtra morabatur. Cui antiquus hoſtis inſultans apparuit, & quod ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod etiam vir Dei per nuncium fratribus celerrime indicauit, dicens: Fratres caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus ſpiritus venit, is qui mādatum detulit; vix verba compleuerat & malignus ſpiritus eundem parietem, qui ædificabatur, euertit, & vnum puerulum monachū cuiuſdam curialis filium opprimens ruina contriuit. Cōtriſtati omnes, patri Benedicto ſtuduerunt hoc celeriter cum graui luctu nunciare. Tunc idem Pater, ad ſe dilaceratum puerum deferri iubet: Quem portare non niſi in ſacco potuerunt, quia collapſi ſaxa parietis, eius non ſolum membra, ſed etiam oſſa contriuerant. Vir Dei orationi inſtantius incubuit; hora eadem hunc incolumē ad eundem iterum laborem miſit.

Diabolus murum euertendo puerum contriuit.

Benedictus dilaceratum puerum oratione reuiuificauit.

De

De spiritu prophetiæ quo futura vel absentia nunciabat.

Cap. LXIX.

Benedictus absentia in Spiritu vidit.

Cæpit vero inter ista etiam prophetiæ spiritu pollere; ventura prædicere, præsentibus absentia nunciare.

Gothorum temporibus cum Rex eorum Totila sanctum virum prophetiæ spiritum habere audisset, ad eius monasterium pergens, paulo longius subsistit, eique se venturum esse nuncianit. Quidam vero eius Spatarius Riggo dictus, cui calceamenta sua præbuit eumque indui regalibus vestibus fecit, quē quasi in persona sua pergere ad Dei hominem pręcepit. Quem ille venientē conspiciens, clamauit dicens. Pone fili, pone hoc quod portas non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit, & quia tanto viro illudere præsumpsisset expauit. Tunc per se idem Totila ad Dei hominē accessit. Quē cum longe sedentem cerneret, non ausus accedere se in terrā dedit. Quē de terra lenās de suis actibus increpauit, & cuncta quæ illi erāt vētura prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate compescere; Et quidem Romam ingressurus es, mare transiturus, 9. annis regnabis, 10. emorieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex eo tempore minus crudelis fuit.

Benedictus regem Totilam increpat sibi prædicens futura.

Quodam tempore exhilaratus noster transmissus à Domino suo fuerat, vt Dei viro in monasterium, vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo flascones vocātur, deferret. Qui vnum detulit, alterum vero pergēs in itinere abscondit. Vir autem Domini quem facta absētia latere non poterant, vinum cum gratiarum actione suscepit, & discedentem puerum monuit dicens: Vide fili ne de illo flascone quem abscondisti, iam bibas. Sed inclina illum caute, & inuenies, quod intus habetur. Qui confusus valde, à Dei homine exiuit, & reuersus volens adhuc probare quod audierat, cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens est egressus. Tunc exhilaratus puer per hoc quod in vino reppetit, expauit malum quod fecit.

Vinum absconditum in serpentem. versum.

Alio tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, iamque in Benedicti monasterio triticum deerat, panes vero penè omnes consumpti fuerant, vt non plusquam 5. ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, ait: Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die 200. farinæ modij, ante fores cellę in saccis sunt inuenti. Quod Omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia, nec in egestate dubitare.

Ducenti farinæ modij diuinitus ad S. Benedictū missi.

Qualiter in somnis apparens cuidam, quid agendum esset ostendit.

Cap. LXX.

A Quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio construere monasterium debuisset. Qui & roganti consentiens; deputatis fratribus patrem constituit dicens: Ite, & die illo venio, & ostendo vobis in quo loco oratorium in quo etiam refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæcumque sunt necessaria ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illico perrexerunt. Nocte vero qua promissus illucebat dies eidem seruo Dei quem ibi patrem constituerat, ac eius præposito vir Domini in somnis apparuit, & loca singula vbi quid ædificare debuisset subtiliter designauit. Cumque vterque à somno surgeret, sibi inuicē quod viderant retulerunt. Non tamen visioni illi omnino fidem dantes, virum Dei expectabant. Cumque constituto die non venisset, ad eum sunt reuersi dicentes, expectauimus Pater vt venires sicut promiseras, & nobis ostenderes vbi quid ædificare debemus, & non venisti. Quibus & ipse ait: Nunquid sicut promisi, non veni? Nunquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, & loca singula designaui? Ite & sicut per visionem audistis, omne habitaculum monasterij ita construite.

Benedictus apparuit quibusdam in somnis.

Vix ipsa petre communis eius locutio a virtutis erat pondere vacua, quia cuius cor se in alta suspenderat, nequaquam verba de ore eius in cassum cadebant.

De cæteris eius miraculis.

Cap. LXXI.

QVadam autem die, dum quidam eius puerulus monachus parentes suos vltra quam debuit diligens, & ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exisset, eo die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumque esset sepultus die altero proiectum exterius vt prius inuenerunt. Tunc concite ad Benedicti vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite & hoc Dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, eumque sepulturæ tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit.

Sepultus in terra manere nō potuit.

Quadam die vir Dei, dum ad beati Ioannis oratoriū pergeret, ei antiquus hostis in mulo Medici specie obuiam venit, cornu & terdicam ferens. Quem cum requisisset dicens, vbi vadis? ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionem eis dare. Vnum igitur seniorem monachum inuenit aquam haurientem, in quo statim ingressus eum in terram proiecit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei alapam dedit, & ab eo malignum spiritum protinus excussit, ita vt ad eum vltertius redire non auderet.

Benedictus per alapam obsessum liberauit.

Gothorum quidam * Galla nomine, auaritiæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum tormentis crudelibus affligeret, victus pænis rusticus, se res suas Benedicto Dei famulo comendasse est confessus, vt dum hoc à torquente creditur, suspensa iuterim crudelitate, ad vitam horæ reparentur. Tunc eū idem Galla loris fortibus astringens ante equum suum cæpit impellere, vt quis esset Benedictus, qui eius res susceperat demonstraret. Quem ligatis brachijs rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedere reperit, & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est de quo dixeram Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu cum peruersæ mētis insania fuisset intuitus, cæpit vocibus clamare dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei oculos protinus leuauit à lectione, eumque intuitus, mox etiam rusticum qui ligatus tenebatur attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cæperunt alligata brachijs lora dissoluere, vt dissolui tam cōcite nulla hominum festinatione potuissent. Ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidam ad eius vestigia inclinans, orationibus se illius commendauit.

** alias Zalla.*

De sancta Scholastica sorore eius, & visionibus ei ostensis.

Cap. LXXII.

SOror eius Scholastica, Domino ab infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire cōsueuerat. Ad quam vir Dei non longe extra ianuam in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

possessione monasterij descendebat.

Quadam vero die venit ex more ad eam cum discipulis descendit. Qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquis ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mēsam sederēt, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt hac nocte me non deseras, vt vsque mane aliquid de cælestis vitę gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? Manete extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat cæli serenitas, vt nulla in aere nubes appareret; Sanctimonialis autem, cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit & caput in manibus Dominum rogatura declinauit. Cumque leuaret de mensa caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque Benedictus, neque etiam fratres, qui cum eo aderant, extra limen pedem mouere possent. Cæpitque conqueri contristatus dicens: Parcat sibi Deus soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti; rogaui Dominum meū, & audiuit me. Sicque factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Cumque die altero eadem fæmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium redijt. Cum ecce post triduum in cella consistens eleuatis in aera oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam in colūbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens Deo gratias reddidit, eiusque obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinus misit, vt eius corpus ad monasterium deferrent, & in sepulchro quod sibi ipse præparauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora, nec sepultura separaret. Cumque vir Dei benedictus adhuc quiescentibus fratribus instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & Dominum deprecans, subito respiciens vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugare, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ inter tenebras radiasset. Mira autem res in hac speculatione secuta est, quia sicut postea ipse narrauit, omnis etiam mundus quasi sub vno solis radio collectus ante oculos eius adductus est, qui dum intentam oculorum aciē in hoc splendore infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphera ignea ab Angelis in cœlum ferri.

Scolastica orando pluuiam tempestatemque fecit.

Benedictus vidit animā sororis defuncta.

Totus mundus in quadā noctis claritate Benedicto apparuit.

De Iudæo signato qui episcopi tentationem à dæmonibus didicit.

Cap. LXXIII.

Idem in lib. 3. Ad memoriam venit quid erga Andreā Fundanę ciuitatis episcopum diuina misericordia fecerit. Hic namque vir cum vitam multis plenam virtutibus duceret, neque in arce continentiæ custodiret, quandam sanctimonialem, quam secum prius habuerat noluit ab episcopi sui cura repellere, sed certus de sua eiusque continentia, secum hanc permisit habitare. Ex qua re actum est, vt antiquus hostis apud eius animum aditum tentationis exquireret. Nam cæpit speciem eius oculis mentis illius imprimere, vt illectus nefanda cogitaret. Quadam vero die, quidam Iudęus ex Campaniæ partibus Romam veniēs, Appiæ iter capiebat. Qui ad Fundanum clinum perueniens, cum diem iam adueſperascere cerneret, & quo declinare pōsset minime reperiret, iuxta Apollinis templū fuit, ibique se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem crucis minime haberet, signo tamē crucis se munire curauit. Nocte autem media pio solitudinis pauore turbatus peruigil iacebat, & repente conspiciens vidit malignorum spirituum turbam, quasi in obsequium cuiusdam potestatis præire, eū vero qui cæteris præerat in eiusdem gremio loci consedisse. Qui cæpit singulorum spirituum obsequentium sibi causas & actus discutere, quatenus vnusquisque quantum nequitiæ egessisset inueniret. Cumque singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent quid operati contra bonos fuissent, vnus in medium prosilvit, qui in Andreæ episcopi animum per speciem sanctimonialis fœminæ, quæ in episcopio eius habitabat, quantam tentationem carnis commouisset aperuit. Cum vero hoc malignus, qui præerat spiritus inhianter audiret, & tanto sibi factū lucrum grande crederet, quanto sanctioris viri animum ad lapsum perditionis inclinaret, ille spiritus qui hæc eadum fatebatur, adiunxit, quia vsque ad hoc quoque die præterito vespertina hora eius mentem traxerit, vt in terga eiusdem sanctimonialis fœminæ blandiens alapam daret. Tunc malignus spiritus & humani generis antiquus inimicus exhortatus hunc blande est, vt perficeret quod cæperat, quatenus ruinæ illius singularē inter cæteros palmam teneret. Cumque Iudæus qui aduenerat hæc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu qui cunctis illic ob sequentibus præerat iussum est, vt requirerent quisnam esset ille, qui iacere in templo eodē præsumpsisset. Qui maligni spiritus pergentes & subtilius intuentes crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerūt: Væ, væ, vas vacuū & signatū. Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit. Iudæus vero qui hæc audierat illico surrexit, atque ad episcopū cum festinatione peruenit. Quem in Ecclesia sua repetiens seorsum tulit, ei qua tentatione vrgeretur inquisiuit. Cui confiteri episcopus tentationem suam verecūdatus noluit. Cum vero ille diceret, quod in illa tali Dei famula praui amoris oculos iniecisset, & adhuc episcopus negaret; adiunxit dicens. Quare negas, quos inquireris, qui ad hoc vespere hesterno es perductus vt posteriora eius alapa ferires? Ad quæ nimirum verba deprehensum se episcopus intuens, humiliter est confessus quod prius pertinaciter negauit. Cuius ruinæ & verecundiæ idē Iudæus consulens, qualiter hoc cognouisset, vel ea quæ in conuentu malignorum spirituum de eo audisset, indicauit. Quod ille cognoscens, sese in terra protinus in orationem dedit, moxque de suo habitaculo non solum eandem Dei famulam, sed & omnē quoque fœminam, quæ in eius illic obsequio habitabat expulit. In eodem vero templo Apollinis, beati Andreæ Apostoli repente oratorium fecit, & omni illa tentatione carnis funditus caruit. Iudæum vero cuius visione, & increpatione saluatus est, ad æternam salutem traxit.

Congregatio seu cōcio dæmonum.

Spiritus malignus inter cæteros palmā nactus.

Diſtum diabolorum de Iudæo signato cruce.

Andreas episcopus abdicat mulieres a se.

De sanctis episcopis Datio Mediolanensi & Sabino Placentino.

Cap. LXXIV.

Cvm Datius Mediolanensis vrbis episcopus causa fidei exactus, ad Constantinopolitanam vrbē pergeret, Corinthum peruenit. Aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, eāque sibi præparari ad hospitandum iussit. Cumque eiusdē loci incolæ dicerent, in ea hunc manere non posse, quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideo vacua remansisset, Datius respondit, dicens: Imo ideo hospitari in domo eadē debemus, si hanc malignus spiritus inuasit, & ab ea hominum habitationem repulit. Itaque nocte cum vir Dei quiesceret, antiquus hostis immensis vocibus cępit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, rugitus asinorū, sibilos serpentum, grunnitus porcorum, & stridores soricum. Cumque repente Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit, vehementer iratus, & contra hostem cæpit clamare dicēs: Bene tibi contigit miser, & qui imitari Dominū indigne noluisti, ecce vt dignus es, bestias imitaris. Ad quā eius vocem, deiectionē suā spiritus malignus erubuit, qui eandē domū ad exhibenda monstra, quæ consueuerat vlterius non intrauit.

Datius episcopus diabolum alloquitur.

Datius domum à diabolo possessā habitabilem fecit.

Venerabilis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Venerabilis viri Venatij Episcopi miraculum relatione cognoui, quod in Placẽtia vrbe perhibet gestum. In ea namque ciuitate Sabinum nomine fuisse asserunt mirę virtutis episcopum. Cui dum die quadam suus diaconus nunc asset, quod cursus sui Padus alueum egressus, Ecclesiæ agros occupasset, totaque illic loca nutriendis hominibus profutura teneret, respondit dicens: Vade, & dic ei: Mandat tibi episcopus, vt te compescas, & ad proprium alueum redeas. Quod diaconus eius audiens despexit, & irrisit. Tunc vir domini accersito notario, dictauit dicens:

Sabini mandato Padus inundans intra suum alueum sese retraxit.

Sabinus domini Iesu Christi seruus, commonitorium Pado. Præcipio tibi in nomine domini Iesu, vt de alueo tuo in locis istis vlterius non exeas, nec terras ecclesiæ lædere præsumas. Atque eidem notario subiunxit dicens: Vade hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis proijce. Quo facto sancti viri præceptum suscipiens, statim se à terris ecclesiæ fluminis aqua compescuit, & ad propriũ alueum reuersa, exire vlterius in loca eadem non præsumpsit. Qua in re Petre quid aliud, quam inobedientiam hominum duritia confunditur, quando in virtute Iesu etiam elementum irrationabile sancti viri præceptis obediunt.

De sancto Isaac Spoletano.

Cap. LXXV.

TEmporibus Gothorum fuit iuxta Spoletanam vrbem vir vitæ venerabilis Isaac nomine. Hic cum primo de Syriæ partibus ad Spoletanam vrbem venisset ingressus Ecclesiam à custodibus petiit, vt sibi quantum vellet licentia concederetur orandi, eumque horis secretioribus egredi non vrgerent. Qui mox ad orandum stetit, diem quoque tertium in oratione peregit. Cumque hoc vnus ex custodibus superbiæ spiritu inflatus cerneret, vnde proficere debuit, inde ad defectus damna peruenit. Nam, hunc simulatorem dicere, & verbo rustico cæpit impostorem clamare qui se tribus diebus & tribus noctibus orare ante oculos hominum demõstraret. Qui & protinus virum Dei alapa percussit, vt quasi religiosæ vitæ simulator de Ecclesia cum contumelia exiret. Sed hunc repente vltor spiritus inuasit, & ad viri Dei vestigia strauit, ac per os illius clamare cæpit, Isaac me eiicit. Vir quippe Peregrinus quo censeretur nomine nesciebatur, sed eius nomen ille spiritus prodidit, qui se ab illo posse eiici clamauit. Mox autem super vexati corpus vir Dei incubuit, & malignus spiritus, qui eum inuaserat, abscessit. Currere viri, & fæminę nobiles pariter cæperunt, certatimque eum in suis rapere domibus conantur. Egressus vrbem non longe desertum locum repperit, ibique sibi humile habitaculum construxit. Ad quem dum multi pergunt exemplo illius æternæ vitæ accendi desiderio cæperunt, atque sub eius magisterio Domini seruitium se dederunt. Cumque ei crebro discipuli humiliter innuerent, vt pro vsu monasterij possessiones, quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos fortem sententiam tenebat dicens: *Monachus, qui in terra possessionem quærit, Monachus non est,* Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire.

Isaac tribus diebus & noctibus cõtinuo orauit.

Isaac eiecit diabolũ ab obsesso.

De quibusdam eius miraculis.

Cap. LXXVI.

IBi itaque prophetiæ spiritu, magnisque miraculis cunctis longe lateque habitantibus vita eius inclaruit. Nam die quadam ad vesperum in hortum monasterij fecit iactare ferramenta, quæ vsitato nos nomine vangas vocamus, dixitque discipulis suis. Tot vangas in hortum proijcite & citius redite. Nocte vero eadem dum ex more cum fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcepit dicens: Ite & operarijs nostris coquite pulmentum, vt mane primo sit paratum. Facto autem mane fecit deferri pulmentum quod parari iusserat, atque hortum cum fratribus ingressus quot vangas iactari præceperat, tot in eo laborantes operarios inuenit. Ingressi quippe fures fuerant, sed mutata mente per spiritum apprehenderunt vangas quas inuenerũt, & ab ea hora qua ingressi sunt, quousque vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spaciũ, quæ inculta erant coluerunt. Quibus vir Domini mox vt ingressus est, ait: Gaudete fratres multum laborãtes, iam quiesci te. Quibus illico alimenta, quæ detulerat præbuit, eosque post tanti laboris fatigationem refecit. Sufficienter autem refectis ait: Nolite malum facere; quotiens de horto aliquid vultis, ad horti aditum venire, & tranquille petite, cum benedictione percipite, & à prauitate cessate. Quos statim collectis oleribus onustari fecit. Actũque est, vt qui ad hortum nocituri venerant, cum laboris sui præmio, & repleti ab eo & innocui redirent.

Fures versi sunt in operarios.

Alio quoque tempore accesserunt & peregrini quidam misericordiam postulantes, scissis vestimentis, pannisque obsiti, ita vt pænè nudi viderentur. Cumque ab eo vestimenta peterent eorum verba vir Domini tacitus audiuit. Qui vnum ex discipulis suis protinus silenter vocauit, eique præcepit dicens: Vade & in illa silua in tali loco cauam arborem require, & vestimenta quæ in ea inueneris affer. Cumque discipulus abijsset, arborem vt fuerat iussum exquisiuit. Vestimenta repperit, & latenter detulit magistro. Quæ vir Dei suscipiens peregrinis nudis & petentibus ostendit, & præbuit dicens, Venite, quia nudi estis, ecce tollite, & vestite vos. Hæc illi induentes, recognouerunt quæ posuerunt magnoque pudore consternati sunt, & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confuse receperunt sua.

Isaac fraudem peregrinorum in Spiritu cognouit.

Alio quoque tempore quidam, se eius orationibus commendans, sportas duas plenas alimentis ei per puerum transmisit, quarum vnam idem puer surripuit, atque in itinere abscondit; vnam vero ad Dei hominem detulit, quam vir Domini benigne suscipiens, eundem puerum admonuit dicẽs: Gratias agimus, sed vide sportam, quam in itinere posuisti ne incaute tangere præsumas, quia in eam ingressus est serpens. Age ergo solicitus ne si incaute tollere volueris à serpente feriaris. Quibus verbis puer valde confusus, reuersus ad sportam caute attendit, sed eam iam sicut vir domini prędixerat serpens tenebat.

Isaac in Spiritu furtum vidit.

De sancto Florentio, & verso sibi in solatium dato.

Cap. LXXVII.

EOdem quoque tempore in Nursinæ partis prouincia, duo viri in vita, & habitu sanctæ conuersationis habitabantur, quorum vnus Euthicius fratrum precibus acquiescens multis annis monasterium rexit. At ne oratorium in quo prius habitauerat solum remanere potuisset, illic venerabilem virum alterum, scilicet Florentium reliquit. In quo dum solus habitaret, die quadam sese in oratione prostrauit, & à Domino petijt, vt ei illuc ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur. Qui mox vt compleuit orationem, oratorium egressus ante fores vrsum repperit stantem. Qui dum ad terram caput declinaret, nihilque feritatis in suis motibus demonstraret, aperte dabat intelligi, quod ad viri Dei obsequium venisset. Quod vir Domini protinus agnouit. Et quia in eadem cella pecudes quatuor, vel quinque remanserant, quas omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit dicens: Vade & oues ad pastum eijce, ad sextam vero horam reuertere. Cæpit itaque indesinenter hoc agere. Iniungebatur vrso cura pastoralis, & quas manducare consueuerat pascebat oues bestia ieiuna. Cum vir Domini ieiunare voluisset, ad nonam præcipiebat reuerti vrso cum ouibus, cum vero voluisset ad sextam, & ita in omnibus viri Dei mãdatis obtẽperabat vrsus. Cumque diu hoc ageretur,

Vrsus pastor ouium effectus.

cæpit

cæpit in loco eodem tantæ virtutis longe lateque fama crebrescere. Quatuor autem viri ex discipulis venerabilis Euthicij vehementer inuidentes, quod eorum magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto miraculo clarus appareret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Quem vsque ad vesperam expectans cæpit affligi, quod is quem ex simplicitate multa fratrem vocare cōsueuerat vrsus minime reuerteretur. Die vero altera perrexit ad agrum vrsum pariter ouesque quæsiturus, quem occisum repperit, sed solicite inquirens citius à quibus fuerat occisus inuenit. Tunc sese in lamentis dedit, fratrum magis malitiam, quam vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Euthicius ad se deductum consolari studuit. Sed idem vir domini coram eo doloris magni stimulis accensus imprecatus est dicens: Spero in Deo, quia in hac vita ante oculos omnium ex malitia sua vindictam recipient, qui nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina secuta est. Nà quatuor monachi, qui eundem vrsum occiderunt, statim morbo elephantino sunt percussi, ita vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, seque fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat; se crudelē in eorum interitu clamabat homicidam.

Idem Florentius vir Dei egit aliud, quod fieri non debeat. Cum enim magna eius opinio lōge lateque crebresceret, quidam diaconus longe positus ad eum pergere studuit, vt eius se orationibus commendaret. Qui ad eius cellulam veniens, omnem locum per circuitum inuenit innumeris serpentibus plenum. Cumque vehementer expauisset, clamauit dicens: Serue Domini ora. *Florentius orando serpētes expulit.* Erat autem tunc mira serenitas. Egressus vero Florentius oculos ad cœlum & palmas tetendit, vt illam pestē sicut sciret Dominus auferrēt. Ad cuius vocem subito cœlum intonuit, & idem tonitrus omnes illos qui eundem locum occupauerant serpentes interemit. Quos dū vir Dei Florentius interemptos aspiceret, dixit: Ecce occidisti eos Domine quis eos hinc leuabit? Moxque ad eius vocem tantæ aues venerunt, quanti serpentes occisi fuerant. *Aues serpentes extulerūt.* Quæ eos portantes singulos, & longius proijcientes, locum habitationis illius mundum omnino à serpentibus reddiderunt.

De Sancto Martino solitario.*

* *al Marcio, & sic deinceps.*

CAP. LXXVIII.

NVper quoque in parte Campaniæ vir valde venerabilis Martinus nomine, in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit. Cuius hoc miraculum primum fuit, quod vt mox se in prędicti montis foramine contulit, ex petra eadem, quæ in semetipsa concaua angustum specum fecerat, aquę stilla prorupit, quæ Martino Dei famulo in vsu quotidiano sufficeret, & nec plus adesset, nec necessitati deesset. Sed antiquus hostis eius virtutibus inuidens, amicam sibi bestiam scilicet serpentem ingressus hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore est conatus. *Diabolus in specie serpentis Martinū, siue Marciū molestat.* Cæpit etenim serpens in speluncam venire solus cum solo, eoque orante se ante eum sternere, & cum cubāte pariter cubare. Sed vir sanctus omnino imperterritus eius ori manum, vel pedem extendebat dicens: Si licentiam accepisti vt ferias, ego non prohibeo. Cumque hoc per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis tanta eius hac continua fortitudine victus, infremuit, seque per deuexum montis latus in præcipitium serpens dedit, omniaque arbusta loci illius flamma ex se exeunte concremauit. *Triennio pacto hostis deuictus est.* Qui in eo, quod montis latus omne combussit, cogente Deo mōstrare compulsus est, quantæ virtutis fuerat, qui victus abscedebat. Perpende quæso, iste vir Domini in quo montis vertice stetit, qui cum serpente per triennium iacuit securus. In specu vero illius magna desuper rupis eminebat, qui cum ex parte exigua monti videretur affixa, Martini cellæ prominens casum suum quotidie, & illius interitum ruitura minabatur. Itaque dū ea, quę venerat multitudo conaretur, si posset sine periculo viri Dei illud ingens, quod desuper incubuerat saxum leuare, cunctis videntibus repente res admirabilis contigit, quia moles ipsa quam conabantur euellere, subito ab eisdem laborantibus auulsa, ne speluncæ Martini tectum tangeret, saltum dedit, & qua si serui Dei læsionē fugiens longius cecidit. *Rupes euulsa per saltū miraculosū longius cecidit.* Hic cum prius in eodem monte se contulit, necdum clauso specu habitans catena sibi ferrea pedem ligauit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi, quam catenæ eiusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cuius superius memoriā feci, ei per discipulum suum mandare curauit. Si es seruus Dei, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Ad quam vocē Martinus protinus eandem compedem soluit, sed nūquam postmodum solutum tetēdit pedem vltra locum, qui hunc tendere ligatum consueuerat.

De sanctis Stephano presbytero, & Mena solitario.

CAP. LXXIX.

VIr vitæ venerabilis Stephanus nomine Valeriæ prouinciæ presbyter fuit. Huius nostri Bonifacij diaconi. & dispensatoris Ecclesiæ agnatione proximus. Qui quadam die quasi de itinere domum regressus, mācipio suo negligenter loquens præcepit dicēs: Veni diabole discalcia me. *Diabolus discalciare voluit Stephanum.* Ad cuius vocem mox cæperunt se caligarum corrigia in sūma velocitate soluere, vt aperte constaret, quod ei ipse qui nominatus fuerat extrahēdas caligas diabolus obedisset. Quos mox vt presbyter vidit vehementer expauit, magnisque vocibus cæpit clamare dicens: Recede miser recede, non enim tibi, sed mancipio meo sum locutus. Ad cuius vocem protinus recessit, & ita vt inuentæ sunt magna iam ex parte dissolutæ corrigiæ remanserunt. Qua in re colligi potest, antiquus hostis, qui tam præsto est factis corporalibus, quam nimijs insidijs nostris cogitationibus insistat.

Nuper in Samniæ prouincia quidam venerandus vir Menas nomine solitariam vitam ducebat, qui nihil aliud ad vsum suū nisi pauca Apum vascula possidebat. Huic cum Longobardus quidam in eiusdem apibus rapinā voluisset ingerere, prius ab eodē viro verbo correptus est, & mox per malignum spiritum ante eius vestigia vexatus. Qua ex re factum est, vt sicut omnes incolas, ita etiam apud eandem Barbaram gentem eius celebre nomen haberetur. *Menas vrsos de apibus ferula fugauit.* Sæpe enim ex vicina silua venientes vrsi, apes eius comedere conabantur; quos ille deprehensos ferula quam portare consueuerat, cedebat, ante cuius verbera immanissimæ bestiæ rugiebant, & fugiebant, & quæ gladios formidare vix poterant, ex eius manu ictus ferulæ pertimescebant. Huius studium fuit, nil in hoc mundo habere, nil quærere, omnes qui ad se charitatis causam veniebant ad æternæ vitæ desideria accendere, si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parceret.

Possessor quidam Carrerius nomine, immundo desiderio deuictus, quandam sanctimonialem fœminam rapuit, sibique illicito matrimonio coniunxit. Quod mox vt vir domini cognouit, ei per quos potuit quæ fuerat dignus audire mandauit. *Cognouit Menas oblationem Carrerij in Spiritu.* Cumque ille sceleris sui conscius timeret, & ad virum Dei accedere nequaquam præsumeret, ne forte hunc aspere, vt delinquentes solebat, increparet; fecit oblationes suas, easque inter aliorum oblationes misit, vt eius munera saltem nescio do susciperet. Quod vt ille per spiritum cognouit spreuit & abiecit dicens: Ego tuam oblationem non accipio, quia suam abstulisti Deo.

De

De miraculis in quibusdam ecclesijs ostensis.

CAP. LXXX.

AD hoc vero quinquennium quando apud hanc Romanam vrbem, alueum suum Tiberis est egressus, tantumque crescens vt eius vnda super muros vrbis influeret, & in ea maximas regias occuparet, apud Veronensem vrbem fluuius Athesis excrescens, ad beati Zenonis martyris, & Pontificis Ecclesiam venit. Cuius ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam non intrauit. Quæ paulisper crescens vsque ad fenestras ecclesiæ, quæ erant terræ proximæ peruenit. Sicque stans aqua ecclesiæ ianuam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis esset immutatum. Cumque essent multi interius inuenti, sed aquarum magnitudine ecclesia omni circumdata qua possent egredi nō haberent, ibique siti, & fame deficere formidarent, ad ecclesiæ ianuam veniebant, & ad bibendum hauriebāt aquam. Ad ostendendum igitur cunctis meritum, martyris, & aqua erat ad adiutorium, & quasi aqua non erat ad inuadēdum locum. Quid autem mirum si electi quique in carne positi multa facere mirabiliter possūt, quorum ipsa ossa mortua plerumque in multis miraculis viuunt.

Athesis fluuij ingens miraculum.

In Valeriæ namque prouincia res est hæc gesta quam narro. Ibi etenim quidam venerabilis Sacerdos defunctus est, & ante ecclesiam sepultus. Quadam autem nocte cum clericis intra ecclesiam psallentibus fur venisset, vt ingressus caulas furtum faceret, veruecem tulit, & concitus exijt. Cum vero peruenisset ad locum vbi vir Domini sepultus erat, repente hæsit, gressumque mouere non potuit, veruecem quidem de collo deposuit, eumque dimittere voluit, sed manum laxare non valuit, facto autem mane, expletisque laudibus Dei, ab ecclesia egressi sunt clerici, & inuenerunt ignotum hominem veruecem mānu tenentem. Res venit in dubium, vtrum veruecem tolleret an offerret; sed culpæ reus citius indicauit pœnā. Qui se protinus in orationē dederunt suisque precibus vix obtinere valuerunt, vt qui res eorū venerat rapere, saltem vacuus exire mereretur.

Sacerdos sepultus ante caulas veruecis furem retinuit.

Cum ad Spoletanam vrbem Longobardorum episcopus, scilicet Arianus venisset, & locum ibi vbi solemnia sua ageret non haberet, cæpit ab eius ciuitatis episcopo ecclesiam petere, quā suo errori dedicaret. Quod dum valde episcopus negaret, idem qui venerat Arianus Beati Apostoli Pauli illic ecclesiam comminus sitam se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit, ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere lāpades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis noctis crepusculo, Arianus episcopus collecta multitudine aduenit, clausas ecclesiæ ianuas effringere paratus. Sed repente cunctæ simul portæ diuinitus concussæ, abiectis longius seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia ecclesiæ claustra patuerunt, effusosque desuper lumine, omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt. Arianus vero episcopus, qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate est percussus, & alienis manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam præsumpserunt vlterius catholica temerare.

Arianus episcopus cæcitate percussus est.

De miraculis in dedicatione cuiusdam ecclesiæ demonstratis.

CAP. LXXXI.

ARianorum Ecclesia in regione vrbis huius, quæ Subura dicitur, cum clausa vsque ante biennium remansisset, placuit vt in fide catholica introductis illic Beati Stephani, & Sanctæ Agathæ Marthæ reliquijs dedicari debuisset: quod & factum est. Nam cum magna populi multitudine venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Ecclesiam ingressi sumus. Cumque in ea iam missarum solemnia honeste celebrarentur, & præ eiusdem loci angustia populi se cōprimeret multitudo, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subito intra suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus ecclesiæ ianuas petijt, & omnes per quos transiuit in admirationem commouit, sed videre non potuit quamuis sentire potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peracta igitur missarum solennitate recessimus, sed adhuc nocte eadem magnus in eiusdem ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in ijs aliqui errando discurrerent. Sequenti autem nocte grauior sonitus excreuit, cum subito tanto terrore insonuit, ac si illa omnis ecclesia à fundamentis fuisset euersa. Et protinus recessit ac nulla illic vlterius antiqui hostis inquietudo apparuit, sed per terroris sonitum quem fecit innotuit, à loco quem diu tenuerat, quam coactus exibat. Post paucos vero dies, in magna serenitate aeris super altare eiusdem ecclesiæ, nubes cælitus descendit; suoque illud velamine operuit, omnem ecclesiam tanto terrore ac suauitate odoris repleuit, vt patentibus ianuis nullus illuc præsumeret intrare. Et Sacerdos atque custodes, vel hi qui ad celebranda missarum solennia venerant, rem videbant, ingredi minime poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die vero alio cum in eam lāpades sine lumine dependerent, emisso diuinitus lumine sunt accensæ. Atque post paucos dies, iterum cum expletis missarum solēnijs extinctis lampadibus, custos ex eadem ecclesia egressus fuisset; post paululum intrauit, & lampades quas extinxerat repperit, quas negligēter extinxisse se credidit, atque eas iam sollicitus extinxit. Qui exiens ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spacium regressus est, & lucentes lampades quas extinxerat inuenit, vt videlicet ex illo lumine aperte clarescceret, quia locus ille de tenebris ad lucem venisset.

Porcus inuisibilis ex ecclesia Arianorū exijt.

Nubes cælitus ascendit super aram.

Lampades diuinitus accensæ.

De Sancto Gregorio, quod Sancti Eleutherij precibus robur corporis accepit, & de Sancto Maximiano.

CAP. LXXXII.

CVm ergo quodam tempore in monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrisque angustiis per horarum momenta ad exitum propinquarem (quā medici molestiam Græco eloquio syncopin vocant) & nisi me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus intercidi videretur, paschalis superuenit dies. Et cum sacratissimo sabbato in quo omnes, & etiam paruuli pueri ieiunant ego ieiunare non potuissem, cæpi plus merore, quam infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius inuenit, vt Eleutherium virum Dei secreto in oratorium ducerem, eumque peterem, quatenus vt mihi de illo ad ieiunādum virtus daretur, suis ad Dominum precibus obtineret. Quod & factum est. Nam mox vt oratorium ingressi sumus, à me humiliter postulatus, sese cum lachrymis in orationem dedit, & post paululum completa oratione exiit, & ad vocem benedictionis illius virtutem tantam meus stomachus accepit, vt mihi funditus à memoria tolleretur cibus, & ægritudo. Et cæpi mirari, quis essem, quis fuerim: quia & cum ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his, quæ memineram recognoscebam. Cumque in dispositione monasterii occupata mens esset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ. Si vero (vt prædixi) rediret ægritudo ad memoriā, cū tam fortē me esse sentirē mirabar si nō comedissē. Qui ad vesperū veniēs tantæ me fortitudinis inueni, vt si voluissem ieiunium vsque ad diem alterū transferre potuissē. Sicque factū est, vt in me probarē ea etiā de illo vera esse, quibus ipse minime interfuisse. Dū iussione Pōtificis mei in Cōstantinopolitanæ vrbis palatio respōsis ecclesiasticis deseruirē, illuc ad me

Eleutherius orando impetrauit vt Gregorius ieiunare posset.

venerabilis Maximianus charitate exigente cum fratribus venit. Qui cum ad monasterium meum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine & inusitato miraculo, erga se cunctosque qui cum eo aderant omnipotentis Dei, & iram cognouit, & gratiam. Nam cum in eorum morte ventorum nimietatibus eleuati fluctus sæuirent, ex naui claui sunt perditi, arbor abscisa est, vela in vndis proiecta, totumque vas nauis quassatum nimijs fluctibus ab omni fuerat compage sua dissolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam nauis inter vndas quàm vndę iam intra nauem esse videretur. Tunc in eadem naui residentes non iam ex mortis vicinia, sed ex ipsa eius præsentia, & visione turbati, omnes sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptoris acceperunt, Deo sę singuli commendantes. Sed omnipotens Deus, qui mentes eorum mirabiliter terruit, eorū quoque vitam mirabilius seruauit. Nam diebus 8. nauis vsque ad superiores tabulas aquis plena propriū iter peragens enatauit. Nono autē die in Cotronensis castri portum deducta est, vbi cum omnes egressi fuissent incolumes, mox in eiusdē portus profundum nauis demersa est, ac si illis egredientibus prę pondere subleuatione caruisset.

Nauis aqua plena ad portum peruenit.

De viro Dei Sanctolo, & eius transitu.

Cap. LXXXIII.

Die quadam à Longobardis captus quidam diaconus tenebatur ligatus eumque ipsi qui tenuerant interficere cogitabant. Adueſperascēte autē die vir Dei Sanctolus ab eisdem Longobardis petijt, vt relaxari, eique vita concedi debuisset, quod posse se facere omnino negauerunt. Cumque mortem illius deliberasse eos cerneret, petijt vt sibi ad custodiam tradi debuisset. Cui protinus responderunt: Tibi quidem eum damus ad custodiēdū, sed ea conditione interposita, vt si ipse fugerit pro eo ipso moriaris. Quod vir Domini libenter accipiens, prædictum diaconum in suā suscepit fidem. Nocte media cum Longobardos omnes somno graui depressos aspiceret, excitauit eum, & ait: Surge, & concitus fuge, liberet te omnipotens Dominus: Sed idem diaconus promissionis eius non immemor respondit dicens: Fugere pater nō possum, quia si ego fugero pro me sine dubio morieris. Quem vir Domini Sanctolus ad fugiendum compulit dicens, Surge, & vade omnipotens Dominus te eripiet, nam ego in manu eius sum, tantum in me possunt facere, quantum ipse permiserit. Fugit itaque diaconus, & quasi deceptus in medio fideiussor remansit. Facto igitur mane Lōgobardi, qui diaconum ad custodiendum dederant venerunt, & quem dederant petierunt. Sed hunc venerādus presbyter fugisse respondit. Tunc omnibus, qui illic aderant Longobardis placuit, vt eum capite trucare debuissent, quatenus sine graui cruciatu vitam eius compendiosa morte terminarent. Venerandus igitur vir inter armatos deductus ad sua arma statim cucurrit. Nam petijt vt sibi paululum orandi licentia daretur. Cui dum concessum fuisset, in terra se strauit, & orauit. Qui dum paulo diutius oraret, hunc electus interfector calce pulsauit, vt surgeret dicens. Surge, & flexo genu tende ceruicem. Surrexit autem vir Domini, genu flexit, & ceruicem tetendit; sed tenso collo, eductam contra se spatam intuens, hoc vnum fertur publice dixisse: Sancte Ioannes suscipe illam. Tunc electus carnifex euaginatum gladium tenens, ac nisu forti in altum brachium percussurus leuauit, sed deponere nullo modo potuit. Nam repente ditiguit, & erecto in cœlum gladio brachium inflexibile remansit. Tunc omnis Longobardorum turba, quæ ad illud mortis spectaculum aderat, in laudis fauorem conuersa mirari cæpit, virumque Dei cum timore venerari, quia profecto claruerat cuius sanctitatis esset, qui carnificis sui brachium in aere ligasset. Itaque postulatus vt surgeret surrexit, postulatus vt brachium sui carnificis sanaret, negauit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, nisi mihi ante iuramentum dederit, quod cum manu ista Christianum hominem non occidat. Omnes igitur tantæ virtutis hominem cognoscentes, boues & iumenta quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre in munere volebant, sed vir Domini tale munus suscipere renuit, munus autem bonæ mercedis quæsiuit dicens: Si mihi vultis aliquid concedere, omnes captiuos quos habetis mihi tribuite, vt habeam vnde pro vobis debeam orare.

De vita Animæ post obitum.

Cap. LXXXIV.

Homines cur non facile spiritalia credunt.

Ex *libro quarto dialogorum.* Carnales quique quia inuisibilia scire non valent per experimentum dubitant, vtrumne sit, quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas primo parenti nostro esse non potuit, quia exclusus à Paradisi gaudijs, hoc quod amiserat, quantum viderat recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt, qui eorum nullum sicut ille saltem de præterito experimētum tenent. Ac si enim prēgnans mulier mittatur in carcerem, ibique puerum pariat, qui natus in carcere nutriatur & crescat, cui si fortasse mater, quę hunc genuit, Solem, Lunam, stellas, montes & campos, volantes aues, currentes equos nominet, ille vero qui est in carcere natus & nutritus, nihil aliud, quam tenebras carceris sciat, & hoc quidem esse audiat, sed quia ea per experimentum nō nouit, veraciter esse diffidit: Ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa atque inuisibilia audiunt, diffidunt an vera sint, quia sola hæc infirma in quibus nati sunt visibilia nouerunt. Vnde factum est, vt ipse inuisibilium & visibilium creator Spiritum sanctum ad corda nostra mitteret, quatenus per eum viuificati crederemus, quæ adhuc scire per experimentum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hæreditatis nostræ pignus accepimus, de vita inuisibilium non dubitamus. Nam quia pōst mortem carnis viuat anima, patet ratio, sed fidei admixta. Et quidnam Sancti Apostoli, & Martyres Christi præsentem vitam despicerent, pro amore Dei animas ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent? Et ecce hi qui animas in morte posuerunt, atque animarum vitam post moreem carnis esse crediderunt, quotidianis miraculis coruscāt. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ post corpus, & iam per ossa mortua in virtute miraculorum? Nam & multi nostrorum mentis oculum fide pura, & vberi oratione mundantes egredientes ex carne animas frequenter viderunt.

Exempla quædam ad hoc probandum.

Cap. LXXXV.

Spes Abbas cœtus quadraginta annis curatus est.

Venerabilis pater nomine Spes, monasteria construxit. Cui cum iam anni quadragesimi fuisset in cæcitate tempus exemptum, ei Dominus lumen reddidit, vicinum suum obitum denunciauit, atque vt monasterijs circumquaque constructis verbum vitæ prædicaret admonuit, quatenus corporis recepto lumine, visitatis in circuitu fratribus cordis lumen aperiret. Qui statim iussis obtemperans, fratrum cœnobia circumiuit, mandata vitæ quæ agendo didicerat prædicauit. Quintodecimo igitur die ad monasterium suum peracta prædicatione reuersus est, ibique fratribus conuocatis astans in medio, sacramentum Dominici corporis, & sanguinis sumpsit; moxque cum eis mysticos psalmorum cantus exorsus est. Qui illis

Spei anima visa est in specie columbæ.

psallentibus orationi intentus animam reddidit. Omnes vero fratres, qui aderant ex ore eius exisse columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorij egressa, aspicientibus fratribus penetrauit cœlum.

In eadem prouincia Nursię contigisse referebat Abbas Stephanus, quod presbyter quidam commissam sibi cum magno timore Domini regebat ecclesiam. Qui ex tempore ordinis accepti, presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens ad se propius accedere nunquam sinebat. Anno 40. ordinationis suæ inardescente grauiter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret, solutis iam membris quasi in morte distensum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens cui tenuissimus inerat flatus, quanto adnisu valuit erupit dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa recedente, concrescente virtute corporis, cum magna cæpit lætitia clamare dicens: Bene veniunt Domini mei, bene veniunt Domini mei, quid ad tantillum seruulum vestrum estis dignati conuenire? Venio, venio: Gratias ago, gratias ago. Cumque hæc iterata crebro voce repeteret, quibus hoc diceret noti sui, qui illum circum steterant requirebant. Quibus ille admirando respondit: Nunquid conuenisse hic Sanctos Apostolos non videtis? Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dicebat: Ecce venio, & ecce venio. Atque inter hæc verba animam reddidit.

Vrsinus Apostolos vidit.

De viro Dei Seruulo, & eius transitu.

Cap. LXXXVI.

SCiendum est, quia sæpe animabus exeuntibus electorum, dulcedo solet laudis cœlestis erumpere, vt dum illa libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire minime permittantur. Vnde in homelijs quoque Euangelij iam narrasse me memini, quod in ea porticu, quæ euntibus ad ecclesiam Beati Clementis est peruia, fuit quidam Seruulus nomine, cuius te quoque non ambigo meminisse, qui pauper quidem rebus, sed meritis dives erat, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam ex quo illum scire potuimus vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam? quia stare non poterat, qui nunquam in lecto surgere, sed ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum Mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosynis potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitate suscipiens, hos coram se legere studiose faciebat. Factumque est vt iuxta modum suum plene sacram scripturam disceret, cum sicut dixi literas funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Dei & laudibus, diebus & noctibus vacare. Sed cum iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cumque se morti iam proximum agnouit peregrinos viros atque in hospitalitate susceptos admonuit, vt surgerent, & cum eo psalmos pro expectatione exitus decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit, cum terrore magni clamoris dicens: Tacete tacete: *Nunquid non auditis, quantæ resonant voces in cælo.* Et dum ad easdem laudes quas intus audierat aurem cordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Qua scilicet exeunte tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes illi qui aderant inæstimabili suauitate replerentur.

Seruulus in exitu angelos cantare audiuit.

De Paruuli blasphemi interitu, & dura morte quorundam Sanctorum.

Cap. LXXXVII.

CVm humanum genus multis atque innumeris vitijs sit subiectum, Hierusalem cœlestis maximam partem ex paruulis vel infantibus arbitror posse compleri. Et si omnes baptizatos infantes atque in eadem infantia morientes ingredi regnum cœleste credendum est, omnes tamen paruulos qui scilicet iam loqui possunt, regna cœlestia ingredi credendum non est: quia nonnullis paruulis eiusdem regni cœlestis aditus à parentibus clauditur, si male nutriantur. Nam quidam vir cunctis in hac vrbe notissimus, ante triennium filium habuit annorum sicut arbitror quinque, quem nimis carnaliter diligens, remisse nutriebat, atque idem paruulus (quod dictu graue est) mox vt eius animo aliquid obstitisset, maiestatem Dei blasphemare consueuerat. Qui in hac ante triennium mortalitate percussus, venit ad mortem. Cumque eum suus pater in sinu teneret, sicut hi testati sunt, qui præsentes fuerunt, ad se malignos spiritus venisse trementibus oculis puer aspiciens, cæpit clamare: *Obsta pater, obsta pater.* Qui clamans declinabat faciem, vt se ab eis in sinu patris abscõnderet. Quem cum ille trementem requireret, quid videret, puer adiunxit dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Qui cum hoc dixisset, maiestatis nomen protinus blasphemauit, & statim animam reddidit. Vt enim omnipotens Deus ostenderet, pro quo reatu talibus fuisset executoribus traditus, vnde viuentem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare, quatenus reatum suum Pater eius agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset.

Paruulis à parentibus regnum cœleste nonnũquam clauditur.

Longobardi sæuientes duos monachos in ramis vnius arboris suspenderunt: qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere vtrorumque eorum spiritus claris illic apertisque vocibus psallere cæperunt, vt ipsi quoque qui eos occiderant, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrerentur. Electi ergo, qui proculdubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest, si ad modicum dure moriantur. Et est fortasse eorum nonnunquam culpa, licet minima quæ in eadem debeat & morte resecari. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo eodem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est, quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit de cadauere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo quem viuentem præsumpsit occidere contingere non præsumpsit occisum.

Monachi suspensi ad arborem tenebant.

De quorundam obitu diuinitus reuelato.

Cap. LXXXVIII.

IN monasterio meo quidam frater ante decennium Geruntius dicebatur, qui cum graui molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit: Ad hoc venimus vt de monasterio Gregorij quosdam fratres in militiam mittamus, atque alteri præcipiens adiunxit: Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum atque alios quorum nunc minime recordor. Quibus expletis addidit dicẽs: Scribe & hunc ipsũ, qui nos aspicit. Ex qua visione certus redditus prædictus frater, facto mane innotuit fratribus, qui & qui essent ex eadem cella morituri, quos se etiam denunciauit esse secuturum. Tum die altero prædicti fratres mori cæperunt, atque sub eodem ordine se in morte secuti sunt, quo fuerant

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in descriptione nominati. Ad extremum vero & ipse obijt.

In Portuensis ciuitatis monasterio Mellitus monachus infirmatus, Fœlici episcopo sese consolanti respondit, cursus sui tempora esse completa, dicens apparuisse sibi iuuenem, atque epistolas detulisse dicentem. Aperi, & lege: Quibus apertis asseruit, quia se & omnes qui eodem tempore à prædicto episcopo in pascha fuerant baptizati scriptos in eisdem epistolis literis aureis inuenit. Primum quidem vt dicebat nomen suum repperit, ac deinde omnium in illo tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit & se & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos. Factumque est vt die eadem ipse moreretur, atque post eum cuncti illi, qui baptizati fuerant, ita secuti sunt, vt intra paucos dies eorum nullus in hac vita remaneret.

In ea mortalitate, quæ Patricij Narsi temporibus hanc vrbem vehementer afflixit, in domo Valeriani puer armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cum vero eiusdem domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est, & vsque ad extremum deductus. Qui subito sublatus à præsentibus redit, sibique Dominum suum vocari fecit. Cui ait: Ego in cælo fui, & qui de hac domo morituri sunt agnoui: Ille, & ille, atque ille morituri sunt. Tu vero ne timeas, quia hoc tempore moriturus non es. Vt vero scias, quod me in cœlo fuisse verum fateor, ecce accepi illic vt linguis omnibus loquar. Cui tunc Græce Dominus suus locutus est, atque ita ille in eadem lingua respondit, vt cuncti qui aderant mirarentur. In ea quoque domo prædicti Narsi spatarius Vulgar manebat, qui festine ad ægrum deductus ei Vulgarica lingua locutus est. Sed ita puer ille in Italia natus & nutribus in eadem barbara locutione respondit, ac si ex eadem fuisset gente generatus, sed die tertio quo occulto Dei iudicio nescitur, manus ac brachia lacertosque suis dentibus laniauit, atque ita de corpore exiuit. Quo mortuo omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullusque in illa domo eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denunciatus non esset.

Nota rem miram.

Mors terribilis pueri.

De igne gehennali, qui iam reprobos exurit.

Cap. LXXXIX.

Sicut autem electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurit. Ignem vero gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.

Gothorum tempore quidam spectabilis vir Reparatus nomine venit ad mortem. Cumque iam mortuum familia lugeret, subito redijt, & ait: Citius ad ecclesiam Beati Laurentij Martyris, quæ ex nomine cōditoris Damasi vocatur, puerum mittite, & quid de Tyburtio presbytero agatur videat, & renunciare festinet. Qui videlicet tūc Tyburtius carnalibus desiderijs subiacere ferebatur. Cum vero puer pergeret, narrauit idē Reparatus, qui ad se reuersus fuerat, quod illum vbi ductus fuerat agnouit dicens. Paratus fuerat rogus ingēs, deductus autem Tyburtius Presbyter, & in eo est superpositus, atq; suppositio igne concrematus. Alius autem parabatur rogus, cuius à terra in cœlum cacumē tendi videbatur, cui emissa voce clamatum est cuius esset. His igitur dictis statim Reperatus defunctus est, puer vero qui ad Tyburtium transmissus fuerat iam eum mortuum inuenit.

Quidam curialis sacratissimo paschali sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post ieiunium domum reuersus, multoque vino inebriatus eandem filiam suam secum manere petijt, eamque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cæpit vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cæpitque trepidare ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad ecclesiam erubescebat homines, si vero iret, pertimescebat Dei iudicium. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad ecclesiam, sed tremebundus ac pauens stare cepit, per singula momenta suspectus, qua hora immundo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa missarum celebritate nil contigit. Qui lætus exijt, & die altero ecclesiam securus intrauit, factum est vt per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans, quod eius scelus Dominus aut non vidisset, aut misericorditer visum dimisisset. Die autem 7. subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tamdiu ossa eius concremauit, quousque omne sepulchrum consumeret & terra quę in tumulo collecta fuerat defossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens, ostēdit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit.

Ossa Curialis in sepulchro arsa.

Quod ignem illum etiam in præsenti mortalibus ad terrorem Deus ostendit.

Cap. XC.

Ollæ vulcani in Sicilia (vt solent narrare) qui nouerunt, laxatis quotidie finibus sic excrescunt, vt mundi termino propinquante, quanto certum est illuc amplius exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri. Quod omnipotens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit ostendi, vt mentes infidelium, quæ inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant. Messores autem Angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant, compares paribus in tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis ardeant. Superna quoque pietas ex magna misericordiæ suæ largitate disponit, vt nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant, & tormenta inferiorum quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant. Nam illustris vir Stephanus quem bene nosti, de semetipso mihi narrare consueuerat, quia in Constantinopolitana vrbe pro quadam causa demoratus molestia corporis superueniente defunctus est. Cumque medicus atque pigmentarius ad aperiendum eum atque condiendum esset quæsitus, & die eodem minime inuentus subsequenti nocte iacuit inhumatum corpus. Qui ductus ad inferni loca vidit multa, quæ prius audita non credidit. Sed cum præsidenti illic Iudici præsentatus fuisset, ab eo receptus non est, ita vt diceret: Non hunc deduci, sed Stephanum ferrarium iussi. Qui statim reductus in corpore est, & Stephanus ferrarius, qui iuxta eum habitabat eadem hora defunctus est. Sicque probatum est vera fuisse verba, quæ audierat, dum hæc effectus mortis Stephani demonstrauit.

Stephanus quidam pœnas inferni vidit.

De visione cuidam militi ostensa.

Cap. XCI.

Ante triennium quoque in hac pestilentia, quæ hanc vrbem clade vehementissima depopulauit, in qua etiam corporali visu sagittæ cælitus venire & singulos quosque ferire videbantur, sicut nosti, Stephanus idem defunctus est. Quidam vero Miles in hac eadem nostra vrbe percussus ad extrema peruenit. Qui eductus ex corpore exanimis iacuit, sed citius redijt, & quæ cum eo fuerant gesta narrauit. Aiebat enim sicut tunc res eadem etiam multis innotuit, quia pons erat sub quo niger atque caliginosus fætoris intolerabilis nebulam exhalans fluuius decurrebat. Transacto autem ponte amæna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus ablatorum hominum conuenticula esse videbantur. Tantusque in loco

Miles quidā acheronta & Elysios campos vidit.

eodem

eodem odor suauitatis inerat vt ipsa suauitatis fragrantia illic deambulantes habitantesque satiaret. Ibi mansiones diuersorum singulæ, magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentiæ ædificebatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset non potuit agnosci. Erant vero super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, sed alia exurgentis fœtoris nebula tangebantur, alia autem exurgens fætor à flumine minime tangebat. Hæc vero erat in prædicto ponte probatio, vt quisquis per eum iniustorum vellet transire, ille tenebroso fætentique fluuio laberetur. Iusti vero quibus culpa non assisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amæna peruenirent. Ibi se etiam Petrum Ecclesiasticæ familiæ maiorem, qui ante quadriennium defunctus est, deorsum positum in locis teterrimis magno ferri pondere ligatum ac depressum vidisse confessus est. Qui dum requireret cur ita esset, ea se dixit audisse, quæ nos qui eum in hac Ecclesiastica domo nouimus scientes eius acta recolimus. Dictum namque est, hæc idcirco patitur, quia si quid ei pro facienda vltione videbatur ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio, quam ex obedientia seruiebat. Quod sic fuisse nullus, qui illum nouit ignorat. Ibi se etiam quendam peregrinum presbyterum vidisse fatebatur, qui ad prædictum pontem veniens tanta per eum auctoritate transijt quanta & hic sinceritate vixit.

Qualiter misericordibus eleemosynę suæ post mortem suffragantur.

Cap. XCII.

IN eodem quoque ponte hunc quem prædixi Stephanum se recognouisse testatus est. Qui dum transire voluisset, eius pes lapsus est, & ex medio corpore iam extra pontem deiectus, à quibusdam viris teterrimis ex flumine surgentibus per coxam deorsum, atque à quibusdam albatis & speciosissimis viris cæpit per brachia sursum trahi. Cumque hoc luctamen esset, & hunc boni sursum, mali deorsum traherent, ipse qui hoc videbat ad corpus reuersus est, & quid de eo plenius gestum sit, minime cognouit. Qua in re de eiusdem Stephani vita datur intelligi, quia in eo mala carnis cum eleemosynarum operatione certabant. Qui enim per coxam deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet nimicum, quia eleemosynas amauerat, & carnis vitijs perfecte non restiterat, quæ eum deorsum trahebant. Sed in illo occulto arbitrij examine, quid in eo vicerit, & nos & enm qui vidit, & reuocatus est, latet. Constat tamen, quia idem Stephanus, postquam (sicut superius narraui) & inferni loca vidit, & ad corpus redijt perfecte vitam minime correxit.

Petrus. Quid est hoc quæso te, quod in amænis locis cuiusdam domus laterculis aureis ædificari videbatur. Ridiculum valde est, si credimus, quod in illa vita adhuc metallis talibus egeamus.

Gregorius. Quis hoc si sanum sapit intelligat, sed ex eo, quod illic ostensum est, quisquis ille est cui mansio ista construitur, aperte datur intelligi quid est, quod hic operatur. Nam quoniam præmium lucis æternæ eleemosynarum largitate promerebitur, nimirum constat, quia auro ædificat mansionem suam. Quod enim superius memoriam fugit vt dicerem, idem Miles, qui hæc viderat narrabat, quod eosdem laterculos aureos ad ædificationem domus senes ac iuuenes puellæ & pueri ferebant. Qua ex re colligitur, quia hi quibus hic pietas facta est, ipsi illic operatores esse videbantur. Sic etiam quidam iuxta nos Deusdedit nomine religiosus habitabat, qui calciamenta solebat operari. De quo alter per reuelationem vidit, quod eius domus ædificabatur, sed in ea constructores sui solo die sabbati videbantur operari. Qui eiusdem viri postmodum subtiliter vitam requirens inuenit, quia ex his, quæ diebus singulis laborabat, quicquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die Sabbati ad Beati Petri ecclesiam deferre consueuerat, atque indigentibus erogare.

Nota certamen.

Deusdedit suam domũ sabbatho tantum ædificabat.

De inquieto Theodoro, qui draconi traditus pœnituit, & hypocrita monacho, qui à dracone liberari non valuit.

Cap. XCIII.

INquietus valde Theodorus nomine puer fuit, qui in meum monasterium fratrem suum necessitate magis, quam voluntate secutus est. Cui nimium graue erat, si quis pro sua aliquid salute loqueretur, bona autem non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, qui nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine est deductus ad mortem. Cumque extremum ageret, conuenerunt fratres vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte mortuum, in solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cæperunt enixius orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tamen repente cæpit eisdem assistentibus fratribus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere dicens Recedite, recedite, ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest, caput meum in suo ore iam absorbuit. Date locum vt non me amplius cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior. Tunc fratres cæperunt ei dicere. Quid est, quod loqueris frater? *Signum tibi sanctæ Crucis imprime.* Respondebat ille cum magnis clamoribus dicens: Volo me signare, sed non possum, quia squamis huius draconis premor. Cumque hæc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cæperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito cæpit æger cum magnis vocibus clamare dicens, Gratias Deo ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia conuerti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui (sicut iam dictum est) ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, reseruatus ad vitam toto ad Deum corde conuersus est.

Theodorus puer prauus.

Theodori conuersio.

At contra quoddam monasterium Thongolaton dicitur in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur, moribus atque in omni sua actione compositus: sed sicut ex fine res patuit longe aliter quam apparebat, fuit. Nam corporis superueniente molestia, fratres ad se omnes congregari fecit. At illi tali vt putabat viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderunt. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum ieiunare credebatis occulte comedebam, quare nunc ecce ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua genua pedesque ligauit, caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens abstrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque vt pœnitendo liberari potuisset à dracone quem viderat expectatus non est.

De igne purgatorij, & Paschasio diacono.

Cap. XCIIII.

DE quibusdam vero leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis est credendus pro eo, quod veritas dicit, quia *si quis in Sancto spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro.* Matth. 12. In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſæculo, quaſdam vero in futuro poſſe relaxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Sed de paruis minimiſque peccatis fieri poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus ocioſus ſermo, immoderatus riſus, cura rei familiaris, aut in non grauibus rebus error ignorantiæ. Hoc tamen ſciendum quia illic ſaltem de minimis nil quiſque purgationis obtinebit, niſi bonis hoc actibus in hac vita adhuc poſitus, vt illic obtineat promereatur: nam cum adhuc eſſem iuuenculus à maioribus atque ſcientibus audiui, quod Paſchaſius huius Apoſtolicę ſedis diaconus, cuius apud nos rectiſſimi & luculenti de Sancto Spiritu libri extant, miræ ſanctitatis vir fuerit, eleemoſynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui. Sed hic in ea contentione, quæ inardeſcente Zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta eſt, ad pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium poſt vnanimitate ſuperatus, in ſua tamen ſententia ad diem ſui exitus perſtitit, illum amando atque præferendo quem epiſcoporum iudicio præeſſe ſibi Eccleſia refutauit. Hic itaque cum temporibus Symmachi eſſet defunctus, eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſaluatus eſt. Poſt multum vero temporis Sancto Germano Capuano epiſcopo medici pro corporis ſalute dictauerunt, vt in Angularibus thermis lauari debuiſſet. Qui ingreſſus eaſdem thermas, prædictum Paſchaſium diaconum ſtantem, & obſequentem in caloribus inuenit. Quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſiuit. Cui ille reſpondit: Pro nulla cauſa alia in hoc pænali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentij contra Symmachum ſenſi. Sed quæſo te pro me dominum deprecare, atque in hoc cognoſces vtrum exauditus ſis, ſi huc rediens me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus ſe in precibus ſtrinxit, & poſt paucos dies redijt, ſed iam prædictum Paſchaſium in loco eodem minime inuenit. Quia enim non malitia, ſed ignorantiæ errore peccauerat, purgari poſt mortem potuit à peccato. Quod tamen credendum eſt, quia ex illa eleemoſynarum ſuarum largitate hoc obtinuit, vt tunc potuiſſet promereri veniam, cum iam nil poſſet operari. Hac etiam in re magna debet omnipotentis diſpenſatio, & quam ſit multiplex agnoſci, cuius iudicio actum eſt, vt idem vir Paſchaſius, & ipſe vltionem ad aliquantum temporis reciperet, quod peccaſſet, & tamen ante humanos oculos mira per corpus ſuum poſt mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoſcentibus pia opera feciſſet: vt neque hi qui bona eius viderant de eleemoſynarum illius æſtimatione fallerentur, neque ipſi ſine vltione laxaretur culpa, quam nec eſſe culpam credidit, & ideo hanc fletibus non extinxit.

Paſchaſij laus.

Paſchaſij error.

Paſchaſius quomodo miraculum fecerit.

Dè pauore, & conſolatione Sanctorum in obitu ſuo.

Cap. XCV.

PLerumque de culpis minimis ipſe ſolus pauor egredientes animas iuſtorum purgat, ſicut narrari de quodam Sancto viro mecum frequenter audiſti, quia ad mortem veniens vehementer timuit, ſed poſt mortem diſcipulis in ſtola alba apparuit, & quam præclare ſit ſuſceptus indicauit. Nonnunquam vero omnipotens trepidantium mentes quibuſdam reuelationibus roborat, vt in morte minime pertimeſcant. Nam quidam mecum in monaſterio frater Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianiſque lachrymis ad gaudia patriæ cœleſtis anhelabat. Cumque ſtudioſiſſime, & magno feruore deſiderij ſacra eloquia meditaretur, non in eis verba ſcientiæ, ſed fletum compunctionis inquirebat, quatenus per hoc excitata mens eius inardeſceret, & ima deſerens ad regionem cœleſtis patriæ per contemplationem volaret. Huic per nocturnam viſionem dictum eſt: Paratus eſto, & quia Dominus iuſſit, migrare. Cumque ille non habere ſe ſumptus ad migrandum diceret. Reſponſum protinus audiuit dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimiſſa ſunt. Quod cum ſemel audiſſet, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia in eiſdem verbis eſt admonitus. Cum poſt quinque dies febre correptus cunctis fratribus flentibus orantibuſque defunctus eſt.

Antonij viſio.

Alius etiam frater in eodem monaſterio Merulus dicebatur, vehementer lachrymis atque orationi intentus, pſalmodia vero ex ore illius penè nullo tempore ceſſare conſueuerat, excepto, aut cum alimentum corpori, aut membra dediſſet ſopori. Huic nocturna viſione apparuit, quia ex albis floribus corona de cœlo in caput illius deſcendebat. Qui mox moleſtia corporis occupatus, cum magna ſecuritate animi atque hilaritate defunctus eſt. Ad cuius ſepulchrum dum Petrus, qui nunc præeſt, ſibi ſepulturam facere poſt annos quatuordecim voluiſſet, tanta vt aſſerit de eodem ſepulchro illius fragrantia ſuauitatis emanabat, ac ſi illic florum omnium fuiſſent odoramenta aggregata.

Meruli viſio nocturna.

Ante hoc autem triennium, cum quidam frater fuiſſet mortuus, atque in eiuſdem monaſterij cæmeterio à nobis ſepultus, cunctis nobis ab eodem cæmeterio exeuntibus, idem Ioannes ſicut poſtmodum pallens & tremens indicauit, illic inuentus ab eodem fratre, qui mortuus fuerat de ſepulchro vocatus eſt. Quod mox etiam ſubſequens finis docuit. Nam poſt dies decem inuaſis febribus carne ſolutus eſt.

Ioannis viſio.

Quod reprobis in Eccleſia ſepeliri non prodeſt, ſed potius obeſt.

Cap. XCV.

CVm grauia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in eccleſijs ſepeliantur, quod eorum proximi quotiens ad ea ſacra loca conueniunt, ſuorum quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis preces Domino fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad ſolutionem potius, quam ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in eccleſijs ponuntur. Quod melius oſtendimus, ſi ea quæ diebus noſtris geſta ſunt breuiter enarremus.

Sepeliri in eccleſia quibus mortuis proſit.

Vir namque vitæ venerabilis Felix Portuenſis epiſcopus in Sabinenſi prouincia ortus atque enutritus, qui quandam ſanctimonialem fœminam in loco eodem fuiſſe teſtatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, ſed linguæ procacitatem atque ſtultiloquium non declinauit. Hæc igitur defuncta, atque in eccleſia ſepulta eſt. Nocte autem eadem eiuſdem eccleſiæ cuſtos per reuelationem vidit, quia deducta ante ſacrum altare per medium ſecabatur, & pars vna illius igne cremabatur, pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc ſurgens mane fratribus narraret, & locum vellet oſtendere in quo fuerat igne conſumpta, ipſa flammę combuſtio ita ante altare in marmoribus apparuit ac ſi illic eadem fœmina corporeo fuiſſet igne concremata.

Monialis ſeminuſta.

Valerianus Patricius vſque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modumque ſuis prauitatibus ponere contempſit. Huic in ciuitate Brixia defuncto, eiuſdem vrbis epiſcopus ſepulturæ locum in eccleſia præbuit accepto precio. Eadem vero nocte qua ſepultus, Beatus Fauſtinus martyr, in cuius eccleſia corpus illius fuerat humatum, cuſtodi ſuo apparuit dicens: Vade & dic epiſcopo, vt proijciat hinc has fœtentes carnes, quas hic poſuit, quia ſi non fecerit, die tricesimo ipſe morietur. Quam viſionem cuſtos epiſcopo timuit confiteri, & rurſus admonitus declinauit. Die autem tricesimo eiuſdem ciuitatis Epiſcopus cum veſpertina hora ſanus atque incolumis ad lectum rediſſet, ſubita & inopinata morte defunctus eſt.

De Valeriano Patricio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum exempla ad idem.

Cap. XCVII.

VAlentinus Mediolanensis ecclesiæ defensor defunctus est vir valde lubricus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia Beati Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur atque traheretur foras, ad quas voces nimirum cucurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab ecclesia clamantem ac nimium vociferantem foras trahebant, qui videlicet exterriti, ad suum stratum reuersi sunt. Mane autem facto aperientes sepulchrum in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cumque extra ecclesium quærerent vbi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum ligatis adhuc pedibus sicut de ecclesia fuerat abstractum,

Corpus Valentini extra ecclesiam à diabolis extractum.

Ex qua re Petre collige, quia his quos peccata grauia deprimunt, si in sacra loca sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumptione iudicentur, quatenus ea sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accusent. Nam quid quoque in hac vrbe contigerit, tinctorum qui hic habitant multitudo testatur. Quod quidam artis eorum primus cum defunctus fuisset in ecclesia Beati Ianuarij Martytis iuxta portam Sancti Laurentij à coniuge sua sepultus est. Sequenti autem nocte ex sepultura eadem audiente custode eiusdem spiritus cæpit clamare, *Ardeo, ardeo.* Cum vero has diu voces emitteret, Custos hoc eius nunciauit vxori. Vxor vero illius eos qui diligenter inspicerent artis eiusdem viros transmisit ad ecclesiam, volens cognoscere qualiter eius esset corpus in sepulchro, de quo eius spiritus talia clamaret. Qui aperientes sepulchrum vestimenta quoque intacta reppererunt, quæ nunc vsque in eadem Ecclesia pro eius causæ testimonio seruantur, corpus vero illius omnino non inuenerunt, ac si in sepulchro eodem positum non fuisset. Ex qua re colligendum est, qua vltione anima eius damnata sit, cuius & caro est ab ecclesia proiecta.

Tinctoris corpus in sepulchro combustum.

Qualiter hostiæ salutaris oblatio liberat animas à Purgatorio.

Cap. XCVIII.

SI culpæ post mortem insolubiles non sunt multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare, ita vt hoc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere.

Presbyter quidam in loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quotiens necessitas corporis exigebat lauari consueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calciamenta abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunte ex caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius fieret, idem presbyter die quodam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans dixit: Viro illi, qui mihi solet tam deuotissime ad lauandum obsequi ingratus apparere non debeo, sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum hominem inuenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque, & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat obsequenti pro benedictione obtulit, petens vt benigne susciperet, quod ei charitatis gratia offerret. Cui ille mærens afflictusque respondit: Mihi ista quare das Pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim quem vides, aliquando loci huius Dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem depuratus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris, & me minime inueneris. In quibus verbis disparuit, & his qui homo esse videbatur euanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero Presbyter hebdomada continua se pro eo in lachrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum, eum iam minime inuenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.

Mortuus balneanti famulabatur.

Oblatio hostiarii mortui est vtilis.

De monacho proprietario per eandem hostiam sacram liberato.

Cap. XCIX.

QVidam monachus Iustus nomine medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio sedule obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruiebat. Sed prædictus Iustus, cum iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultos tres aureos haberet innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes atque illius omnia medicamenta perscrutantes eosdem tres aureos inuenerunt in medicamine absconsos. Quod mox vt mihi nunciatum est tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat æquanimiter ferre non valui. Tunc nimio mærore percussus cogitare cæpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid in exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Precioso igitur eiusdem monasterij præposito ad me accito dixi: Vade, & nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres quæsierit, ei suus frater carnalis dicat, quia pro solidis quos occulte habuit à cunctis fratribus abominatus sit, vt saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transuerberet, atque à peccato quod perpetrauit, purget. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed fossam in sterquilinio facite, in ea corpus eius proijcite. Ibi quoque super eum tres aureos quos reliquit iactate, simul omnes clamantes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et sic eum terra operite. In quibus vtique rebus vnam morienti, alteram vero volui viuentibus prodesse, vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio miscri in culpam prohiberet. Quod ita factum est. Nam cum idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxie se quæreret fratribus commendari, nullusque ex fratribus ei applicari & loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab omnibus esset abominatus indicauit, qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia de corpore exiuit. Qui ita est sepultus vt dixeram, sed fratres omnes eadem sententia perturbari cæperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat ad medium proferre, vehementer formidare, ne quid apud se esset vnde deprehendi potuissent. Cum vero post mortem eius, triginta iam essent dies euoluti, cæpit animus meus defuncto fratri compati, eiusque cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis remedium quærere. Tunc euocato monasterij nostri Præposito tristis dixi: Diu est, quod frater ille, qui defunctus est in igne cruciatur, debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum quantum possumus vt eripiatur, adiuuare.

Attende prouidum D. Gregorij factum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uare. Vade itaque, & ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude. Qui protinus abscessit, & paruit. Nobis autem alia curantibus atque euolutos dies non numerantibus, idem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset inquisiuit dicens: Quid est frater, quomodo es? Cui ipse respondit. Nunc vsque male fui, sed iam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicauit in monasterio fratribus. Fratres vero sollicite computauerunt dies, & ipse dies extiterat, quæ pro eo tricesima oblatio fuerat impleta.

Per oblationem hostiæ Iustus à pœnis liberatus est.

Qualiter eadem hostia prosit etiam vivis, & liberet eos à periculis.

CAP. C.

Cassij episcopi visio.

CAssius Naruiensis episcopus qui quotidianum Deo sacrificium offerre consueuerat, seque in lachrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandarum Domini per cuiusdam sui visionem presbyteri suscepit dicens: Age, quod agis, operare quod operaris, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui post annos septem in ipso natalitio Apostolorum die cum missarum solennia peregisset, & mysteria sacræ communionis accepisset ex corpore exiuit.

Hoc quoque audiuimus quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniux diebus certis sacrificium offerre consueuerat. Qui longo post tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerẽtur innotuit, eiusque coniux illos fuisse dies quibus pro eo offerebat sacrificium recognouit.

Agatus etiam Panormitanus Episcopus (sicut fideles mihi ac religiosi viri multi testati sunt atque testantur) cum beatę memoriæ prædecessoris mei tempore iussus esset vt Romam veniret, vim nimię tempestatis pertulit, ita vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta vero illius Baraca nomine qui nunc eiusdem ecclesiæ clericatus officio fungitur, post nauem Carabum regebat, rupto fune cum eodem Carabo inter vndarum cumulos repente disparuit. Nauis autem cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Ostica insulam fluctibus quassata peruenit. Cumque die tertio episcopus Nautam, qui ab eo abreptus in Carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit. Sed per obsequium charitatis vino vnum quod mortuo debebat impendit, vt omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerri sacrificium victimæ salutaris iuberet. Quo oblato restaurata naue perrexit ad Italiam. Cumque ad Romanum portum venisset, illic nautam repperit quem mortuum putabat, tunc inopinata exultatione gauisus est, eumque qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuisset inquisiuit, qui videlicet indicauit, quotiens in illis tempestatis fluctibus cum eodem quem regebat Carabo versatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat, & quotiens eo à superiori parte deorsum verso, ipse carinæ eius superfederat, adiungens etiam cum diebus ac noctibus hoc incessanter faceret, iamque eius virtus funditus ex fame simul & labore cecidisset, quo eum ordine misericordia diuina seruauerat indicauit, etenim hoc etiam nunc vsque testatur dicens: Laborans in fluctibus ac deficiens, subito mentis pondere sum grauatus, ita vt neque depressus somno essem, neque vigilare me crederem. Cum ecce in eodem medio mari me posito quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit, quem mox vt comedi, vires recepi, nec longe post nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit atque ad terram duxit. Quod scilicet episcopus audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse diem repperit, quo pro eo presbyter in Ostica insula omnipotenti Domino hostiam sacræ oblationis immolauit. Idcirco credo, quia hoc tam aperte cum viuentibus ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus atque nescientibus ostendatur, quia si insolubiles culpæ non fuerint ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacrę oblationis possit.

Qualiter debeant viuere, qui eandem hostiam sibi volunt prodesse.

CAP. CI.

SEd sciendum est, quod illis sacra victima mortuis prosit, qui hic viuendo obtinuerunt, vt eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod timor via sit vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum viuit ipse pro se. Beatius est quippe liberum exire, quam post vincula libertatem quęrere. Pensemus quale sit pro nobis sacrificium quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse summis ima sociari, terram cœlestibus iungi, vnum quidem ex visibilibus atque inuisibilibus fieri. Sed necesse est, vt cum hæc agimus nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis Deo hostia erit, cum nosipsos hostiam fecerimus. Sed studendum nobis est, vt etiam post orationis tempora in quantum Deo largiente possumus, in ipso animum suo pondere & vigore seruemus, ne cogitatio fluxa dissoluat, nec vana mentis lætitia surrepat, & lucrum compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Munus etiam non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente veritate: *Si offers munus tuum ad altare, &c.* qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere soluatur, quam grauis est culpa discordiæ pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamuis longe positum longeque disiunctum mente ire, eique animum subdere humilitate illum ac beneuolentia placare. Et sic conditor noster dum tale placitum nostræ mentis aspexerit à peccato nos soluit, quia munus pro culpa sumit. Igitur dum per indultum temporis spacium licet, dum iudex sustinet, conflemus in lachrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis, & fidenter dico, quia hostia salutari post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus.

Nota hoc diligenter.

Sacerdos inter celebrandum quid agere debeat.

Matth. 5.

De contemptu mundi.

CAP. CII.

IDem *in homelia Euangelica: Relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Audistis fratres charissimi, quia ad vnius iussionis vocem. Petrus, & Andreas relictis retibus secuti sunt redemptorem. At fortasse, quis dicat, ad vocem Dominicam, vterque iste piscator, quid aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? Sed hac in re fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam sensum. Multum reliquit qui nihil sibi retinuit, qui quantumlibet paruum totum deseruit. Certe nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minime habemus ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Multa fratres relinquitis si desiderijs renunciatis. Exteriora enim vestra Domino quantumlibet parua sufficiunt. Cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto

Multũ propter Deum relinquit qui sibi nil retinet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

proferatur. Æſtimationem quippe precij non habet, ſed tamen regnum Dei tantum valet quantum habes; Valuit namque Zachæo dimidio ſubſtantiæ: Petro, & Andreæ retibus, & naui: Valuit viduæ duobus minutis: Valet alteri calice aquæ frigidæ. Penſate igitur fratres, quid vilius cum emitur, quid carius dum poſſidetur? Si fortaſſe, nec calix aquæ frigidæ ſuppetit, qui indigenti præbeatur, etiam tunc ſecuritatem nobis promittit ſermo diuinus. *In terra*, inquit, *pax hominibus bonæ voluntatis*; ante Dei namque oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Hinc etenim pſalmiſta dicit: *In me ſunt Deus vota tua, &c.* Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. Voluntas autem bona eſt, ſic aduerſa alterius ſicut noſtra pertimeſcere, ſic de proſperitate proximi ſicut de noſtro profectu gratulari, aliena damna noſtra credere, aliena lucra noſtra deputare, amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere, inimicum etiam amando tolerare. Nulli quod pati non vis facere, nulli quod tibi iuſte impendi deſideras denegare. Neceſſitati proximi iuxta vires occurrere. Sed hoc bonæ voluntatis ſacrificium nunquam plene perſoluitur, niſi mundi huius cupiditas perfecte deſeratur, nam quicquid in eo concupiſcimus, hoc proculdubio proximis inuidemus. Videtur etenim, quia nobis deſit, quod alter aſſequitur. Et quia ſemper inuidia à bona voluntate diſcordat, mox vt mentem cæperit, illa diſcedit: vnde Prædicatores ſancti vt poſſent proximos perfecte diligere, ſtuduerunt in ſæculo nihil amare, nihil vnquam appetere.

Luc. 21. Matth. 9.

Luc. 2.

Pſal. 55.

Voluntas bona quam Deus appetit in quo conſiſtat.

De bono hoſpitalitatis, & Eleemoſynæ.

CAP. CIII.

IDem in homelia 23. Quidam Paterfamilias cum tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat. Cumque quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quadam die peregrinus quidam inter alios venit, & ad menſam ductus eſt. Dumque Paterfamilias ex humilitatis conſuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus vrceum accepit, ſed repente cum in eius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cumque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte ei Dominus per viſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti.

Idem in quadrageſima: *Homo quidam erat dives, &c.* Hic conſiderandum eſt qua pœna mulctandus ſit qui aliena diripit, ſi inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Nemo itaque ſecurum ſe æſtimet dicens: Ecce aliena non rapio, ſed conceſſis licite rebus fruor, quia dives iſte non idcirco punitus eſt, quoniam aliena abſtulit, ſed quia acceptis rebus ſemetipſum male dereliquit, hocque fuit, quod hunc inferno tradidit, quia in ſua fœlicitate timidus non fuit, quia peccata ſua redimere etiam cum ſibi abundaret precium, noluit. Et ſunt nonnulli, qui cultum ſubtilium precioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quòd ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives qui torquetur apud inferos *biſſo & purpura indutus fuiſſet*. Nam quia pro ſola inani gloria veſtimentum precioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quod nemo vult ſibi precioſis veſtibus indui, vbi ab alijs non poſſit videri, quam culpam poſſumus melius etiam ex diuerſo colligere, quia ſi abiectio vilis indumenti virtus non eſſet, Euangeliſta vigilanter de Ioanne non diceret, quod *erat indutus pilis camelorum.*

De initio imperij Phocæ, & ſtragę belli Senonenſis.

CAP. CIIII.

AVthor. Hæc de beati Gregorij ſcriptis quibuſdam ad præſens excerpſimus nunc ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

Hugo vbi ſupra. Phocas igitur propria temeritate Romanorum inuadens imperium, imperauit annis octo. Hic vt factus eſt Imperator, Leontiam vxorem ſuam coronauit Auguſtam.

Sigebertus in Chronicis. Sumpſit autem imperium anno domini 605. mundi vero 4456. Huius anno primo Gregorius Dialogus obijt. Cognita autem morte Mauricij graſſantur per Romanorum prouincias hinc Perſæ, & inde Hunni. Clotharius, & Theodoricus inter ſe prælio colliduntur, in quo pluſquam 30. millia cæſa referuntur, Theodoricus tamen victoria potitur.

Hiſtoria Francorum. Hic itaque Theodoricus Rex Burgundiæ erat pulcher & ſtrenuus, atque callidus nimis, qui per conſilium auiæ luæ Brunechildis exercitum maximum ex Burgundia congregans contra Clotharium patruelem ſuum venit. Quod ille audiens, commoto Francorum exercitu contra eum feſtinus perrexit. Conuenienteſque ſimul in pago Senonico ſuper fluuium Aruennam bella commiſerunt inuicem. Tanta cædes ibidem fuit de vtroque populo, vt ipſe alueus de hominum cadaueribus repletus aqua ipſa penitus currere non valeret, rubefacta præ multitudine ſanguinis effuſi. Ibi igitur in primo certamine viſus fuit Angelus Domini euaginato gladio; ſupra populum ipſum. Clotharius autem Rex læſum cernens exercitum ſuum, in fugam delapſus, ſecus fluuium Sequanam Meldunum caſtrum ingreſſus, exinde Pariſios venit. Theodoricus quoque regionem illam deuaſtans, reuerſus eſt cum ſpolijs multis, Clotharius autem Pariſijs egreſſus vſque Aureliano ſiluam properauit.

De nece Theodeberti, & Theodorici regum.

CAP. CV.

BRunechildis vero ſæpius peiora conſilia Theodorico nepoti ſuo ſubminiſtrabat, dicens: Cur negligis, & non requiris theſaurum patris tui, ac regnum eius de manu Theodeberti, cum certiſſime ſcias eum non eſſe fratrem tuum, quia filius eſt meretricis concubinæ patris tui, & in adulterio fuit natus. Cum audiſſet autem hoc Theodoricus Rex, acerbus vt erat moribus, exercitum plurimum commouit contra Theodebertum fratrem ſuum germanum, & ad Culpiacum caſtellum conuenerunt. Illis igitur inter ſe confligentibus Theodebertus læſum cernens exercitum ſuum in fugam dilabitur, & Coloniam ciuitatem ingreſſus eſt. Theodoricus autem totam terram Ribuaricenſem ſuccendit atque vaſtauit, populus itaque regionis illius eius ſeditionibus ſubdunt dicentes: Parce nobis pijſſime Rex, iam enim ſubditi ſumus tibi, noli nos amplius opprimere. At ille ait: Aut adducite mihi viuum Theodebertum, aut caput eius amputantes afferte, ſi vultis vt vobis parcam. Illi autem hæc audientes ipſam ciuitatem ingreſſi ei alia pro alijs mentientes dixerunt. Sic mandat frater tuus: Redde theſaurum patris tui, quem apud te retines, & poſt hoc cum exercitu ſuo reuertetur. Cumque ei mentientes hoc dicerẽt, ille cum eis in palatium theſauri ſui ingreſſus eſt. Cumque in arca theſaurorum ornamenta requireret, vnus euaginato gladio à retro eum in ceruice percuſſit, & amputauit caput eius, ſuſtuleruntque illud per murum ciuitatis Coloniæ. Theodoricus verò hoc vidẽs, ipſam ciuitatem comprehendit cum theſauris multis.

Brunechildis Theodoricũ contra Theodebertum concitat.

Theodeberto caput amputatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cumque sacramenta ab ipsis Francorum sublimibus accepisset, in basilica Sancti Gereonis Martyris visum fuit ei, quod percussus fuisset in latere dolose. At ille ait: Obserua ostia, nescio quis de his peieratis Ribuarijs me percussit. Cumque reuoluissent vestimenta eius, nihil aliud reppererunt nisi signum paruulum purpureum. Inde reuersus est Rex Thoedoricus cum spolijs multis, & cum filia Thoedeberti fratris sui, simulque cum duobus filijs eius paruulis. Quos Metentensem ciuitatem aduenies interficit, vbi & Brunechildis Regina tunc aderat. Videns autem Theodoricus Rex filiam Theodeberti neptem suam quod esset pulchra, voluit sibi eam copulare ad coniugium. Cui Brunechildis ait: Quomodo accipere potes filiam fratris tui? At ille ait: Num tu dixisti mihi, quod non esset frater meus? Cur inimica Dei inuentrix malorum, & auctor mortis? cur induxisti super me hoc peccatum vt fratrem & parentes interficerem, & euaginato cultro voluit eam transuerberare. Illa verò à circunstantibus erepta euasit. Post hæc odio nimio interfectrix potionem venenatam per manus ministrorum crudelium ei direxit. Qui nesciens hunc dolum veneni, ebibit illud, ac deinde deficiens iniquum efflauit spiritum. Illo quoque mortuo, paruulos filios eius præfata Regina nequiter iugulauit. Sed & minorem filium eius in albis, elisо cerebro ad petram interfecit. His regibus mortuis Burgundiones, & Austrasij cum Francis pace facta Clotharium filium Chilperici regem in totis tribus regnis in monarcham super se stabilierunt.

Rex Theodoricus veneno interficitur.

De Nece Brunechildis Reginæ.

Cap. CVI.

REx igitur Clotharius dommoto exercitu in Burgundiam abijt, fingens se dolose quasi Brunechildem vellet sibi ad coniugium copulare. Et data fide venire illa accelerat ornata cultu regali. Qui cum illam vidisset, ait. Inimica Dei cur tanta mala perpetrare præualuisti, vt tam nobilem Regum sobolem maleficijs tuis interimere non formidares, tantumque nefas agere non dubitasti? Tunc adunato agmine Francorum, & Burgundionum, cunctus populus clamabat voce magna Brunechildem dignam esse morte turpissima. Tunc iubente Clothario rege in camelum leuata, & per totum exercitum deducta est, ac deinde equorum pedibus indomitorum alligata, dissipatis membris obijt, ad postremum igni combusta, sepulchro caruit. Rex vero pace per circuitum facta, reuersus est.

Sigebertus in Chronicis. Hæc Brunechildis cum filio suo Childeberto vel Childeberti filijs regnum gubernans, propter insolentiam morum adeo intolerabilis erat Francis, vt merito crederetur Sybillam de ea vaticinatam esse: *Veniet*, ait, *Bruma de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes vel gentium reges peribunt, ipsa verò calcibus equorum dirupta peribit.* Quæ quamuis ita esset insolens, tamen Dei ecclesias honorabat, plura etiam sanctorum cœnobia fundauit, & ædificia admirandi operis construxit, vt miraculo fuerit tanta ab ea fieri potuisse.

Vide Ioannem Marianam lib. 5. rerum Hisp. cap. 10.

De quibusdam incidentibus post obitum beati Gregorij Papæ.

Cap. CVII.

An. Ch. 606. ANno imperij Phocæ secundo, Sabinianus Romanæ ecclesiæ, 63. præsidet.

Hoc quoque tempore pauper quidam cum à nautis eleemosynam peteret nec acciperet, dicente Nauclero, desiste eleemosynam petere à nobis, qui nihil hic præter lapides habemus, cum subiecisset pauper, ergo omnia vertantur in lapides, quicquid manducabile in naui erat in lapides conuersum est, colore & forma rerum earundem permanente.

Fame Romam aggrauante Romani Gregorio Papæ iam defuncto derogantes, quòd thesauros ecclesiæ suæ nimia liberalitate dissipasset, cum non esset persona in quam exardescerent, memoriam nominis illius in libris eius delere volebant, ac per hoc libros Gregorij Papæ Romanis exurere volentibus obstitit Petrus Diaconus, prodens se Spiritum sanctum in columbæ specie super caput Gregorij tractantis sedentem vidisse sæpius. Idque confirmans iurisiurandi sacramento, mox moriens ex condicto fecit fidem suo testimonio.

Anno sequenti Sabinianus Papa cum & ipse liberalitati Gregorij prædecessoris sui derogaret, & sub hoc contentu manum egenis subtraheret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ & derogationis increpatum, quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans in capite percussit. Quo ille dolore vexatus, non multo post obijt. *An. Ch. 607.*

Post quem Bonifacius Romanæ Ecclesiæ 64. præsidet. Hic obtinuit apud Phocam Imperatorem, vt ecclesia Romana caput esset omnium ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium Ecclesiarum. *Vide Baronium & Onuphrium.*

Hic in concilio 72. episcoporum decreuit sub anathemate, vt nullus viuente episcopo ciuitatis suæ de altero eligendo audeat loqui, vel partes sibi facere, sed 3. die depositionis eius fiat licenter à clero & populo electio sacerdotis. *Vide Baron. ad an. Ch. 606. in prine. & Bellarminum in controuersijs.*

Anno sequenti corpus Sancti Victoris Thebæi apud Salodorum cum Sancto Vrso passi inuenitur. *An. Ch. 608.*

Secundus famulus Dei in Italia claret.

Desiderius Viennensis Episcopus à Theodorico exiliatur.

Anno sequenti Augustinus primus Anglorum episcopus moritur, eique Laurentius substituitur. *An. Ch. 609.*

Bonifacius Romanæ Ecclesiæ 65. præsidet, hic Pantheon Romæ à Phoca Imperatore impetratum, vertit in ecclesiam Sanctæ Mariæ & omnium Sanctorum martyrum, & in Calend. Nouembris ibi instituit solennitatem omnium Sanctorum martyrum, quæ postera crescente religione Christiana decreta est fieri in honorem omnium Sanctorum.

Anno sequenti Persæ Romanorum prouincijs grauiter incubant.

Anno sequenti Alexandriæ Ioannes episcopus claruit, qui ob eximiam in Christum liberalitatem nomen eleemosynarij habere meruit.

De Sancto Ioanne eleemosynario, & eius misericordia.

Cap. CVIII.

EX gestis eius. Hic Patriarcha Sanctus (vt ipse retulit) cum esset Cypri adhuc iuuenis annorum 15. vidit vna nocte in somnis puellam super Solem splendidam, & ornatam, quæ stetit ante lectum suum, & eum in latere pulsauit. Qui expergefactus cum vere videret eam stantem, & putaret esse mulierem, quæ etiam super caput habebat coronam ex ramis oliuarum *signo crucis signatus* dixit ei: Quæ es tu, & quomodo ausa es intrare super me dum dormio? Illa hilari vultu labijsque subridendo, dicit ei: Ego sum prima filiarum regis, si me amicam possederis, ego te ducam in conspectum Imperatoris. Nemo enim habet potestatem apud eum sicut ego, quę feci eum hominem fieri in terris, & homines saluare. Et hæc dicens disparuit. Ille igitur in se reuersus, intellexit visionem, & ait: Credo eleemosyna, & compassio est, quæ veraciter Deum carne vestiri fecit. Statim ergo se vestiuit, & nullum excitans in ecclesiam abijt. Eratque iam aurora. Et dum iret obuiauit cuidam fratri frigore vexato, expoliauitque se induto caprino, & dedit ei: Nondum autem *Eleemosyna filiarum regis prima.*

ecclesiam

eccleſiam apprehenderat, & ſubito obuiauit ei quidam albis veſtibus indutus, deditque ei ligaturam centum nummiſmatum dicens: Accipe hæc frater, & diſpenſa vt vis. At ille præ gaudio ſtatim hæc ſuſcipiens reuerſus eſt, volens ei reddere ligaturam illam quaſi nihil indigens, & amplius non vidit aliquem. Intelligens ergo viſionem non eſſe phantaſiam, ſed veritatem, ſæpe fratribus, quæ poterat, erogabat. Quidam diues cuius domum fures fuerant ingreſſi, ſpoliaueruntque vſque ad ſtramentum, deprecatus eſt illum cum magna reuerentia, dicens ei calamitatem ſuam. Qui miſertus eius iuſſit ei dari quindecim libras auri. At ille cui creditum erat aurum apprehendit conſilium Oeconomi, & diaboli operatione inuidentes non dederunt ei niſi quinque libras. Cum ergo de collecta rediret Archiepiſcopus mulier viduata dedit ei in ſcriptis notitiam xenij quinque centenariorum auri. Quam cum ſuſcepiſſet conuocauit diſpenſatores, & ait illis: Quot libras dediſtis ei, qui ad me acceſſit? Qui dixerunt Domine 15. vt ſanctitas veſtra iuſſit. Cumque per inhabitantem in ſe gratiam cognouiſſet illos eſſe mentitos, adduxit eum, qui acceperat & interrogauit, quid accepiſſet. Illo dicente quinque libras, proferens ille * Pictatium, quod ei traditum fuerat, ait eis: A vobis exquiret Deus, & alia 10. centenaria, quia ſi dediſſetis 15. libras, vt dixit humilitas mea, quæ attulit 5. centenaria dediſſet adhuc & decem. Et vt certos vos faciam, mittam & adducam eam. Cumque per nuncios accerſiſſet fœminam, illa ſtatim ſurgens cum quantitate auri venit, & veſtigia ſancti apprehendit. Qui cum ſuſcepiſſet oblationes, & oraſſet ſuper eam, dixit ad eam: Obſecro te nonne hoc tantum voluiſti offerre Deo, an aliud aliquid. At illa cum ſenſiſſet deiferum illum cognouiſſe quod fecerat, tremore concuſſa dicit: Per Sanctum Mennam ego ancilla tua manu propria ſcripſeram centenaria 15. in Pictatio vt darem tibi Domino meo, & inueni 10. deleta à ſeipſo. Tunc ſtupefacta intra me dixi: Vtique voluntas Dei non eſt, vt dem niſi quinque. Tunc Patriarcha eam dimittente, ceciderunt ad pedes eius diſpenſatores indulgentiam petentes, & nihil tale vlterius ſe acturos affirmantes.

Diuiti in paupertatem lapſo vt ſubueneret.

** Pictatium Syngraphamſeu chartam de his pecunijs factam nominat.*

De ſancta eius conuerſatione, & humilitate.

CAP. CIX.

HAbebat autem hic Sanctus ſcientiam ſcripturarum, non in ſapientia ſermonis ad inanem gloriam, ſed per operum actionem. Et in ſecreto quotidiani conſilij ſui nullus ſermo ocioſus audiebatur, niſi forte ordinatio rei ciuilis exigeret, ſed aut Sanctorum patrum religiones, aut ſcripturarum traditiones, aut dogmatica problemata propter multitudinem hæreticorum regionem circundantem. Si quis aliqui detrahere incipiebat, hunc per alteram ſermocinationem vt ſapiens ingenioſe remouebat. Et ſi iterum permanebat, hunc aduocans hebdomadario præcipiebat, ne vlterius eum intrare ſineret vt per eum cæteros tentaret & erudiret. Cumque in infirmo ſtratu recumberet, & vilibus operimentis in cella ſua vteretur, quidam poſſeſſorum ciuitatis aſcendens ad eum, & videns quod opertorio ſciſſo, & laneo tegeretur, tranſmiſit ei coopertorium nummiſmatum 36. rogans eum multum vt eo cooperiretur ad memoriam ipſius. Quod ille propter inſtantiam viri ſuſcipiens, vna nocte eo coopertus, per totam fere noctem dicebat ad ſeipſum vt cubicularij eius recitabant. Quis dicet, quòd humilis Ioannes pallio 36. nummiſmatum tegatur, & fratres Chriſti frigore necantur? Quanti deſiderant ſaturari de folijs olerum, quæ de coquina mea proijciuntur? Quanti vel odorare vinum, quod in cellario meo funditur? Quanti putas fame, & frigore, & miſerijs affliguntur? Tu verò expectans etiam æternam iucunditatem aſſequi, & vinum bibis, & piſces immanes deuoras, & in cubiculis demoraris, nunc autem cum omnibus malis tuis & in coopertorio 36. nummiſmatum te calefacis? Vere ita viuens, & in tali laxamento conuerſans, non expectabis illic præparatis gaudijs frui, ſed & audies vtique, quod ille diues audiuit: *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, &c.* Benedictus Deus, humilis Ioannes alia nocte te non cooperietur. Iuſtum eſt enim vt tegantur 140. fratres Domini tui, quàm tu infœlix. Mox ergo miſit eum vt in craſtinum venundaretur. Is autem, qui hoc obtulerat, emit illud, & rurſum Patriarchæ obtulit, vt eo tegeretur. Cumque id tertiò feciſſet, Sanctus vir gratulabundus dicit ei: Videbimus, quis deficiat, ego an tu. Erat enim ille opulentus valde. Quem ſuauiter vir Sanctus quaſi vindemiabat, paulatim ab eo multa auferens vt pauperibus daret.

Luc. 15.

De ſcientia ſcripturarũ quam habuit.

De vili eius ſtrato, & ſtragulo pretioſo.

Valde quoque diligens eloqui de actibus Sanctorum, qui eleemoſynarij fuerunt, vna dierum cum recitaret de vita Sancti Serapionis, qui vocabatur Syndonites, inuenit eum, vt fertur amictum ſuum egeno dediſſe, & iterum paululum illum proceſſiſſe, & frigus patienti obuiaſſe, eique tunicam præbuiſſe. Et quia nudus ſedebat tenens Euangelium, interrogatus à quodam quis te expoliauit Abba? demonſtrans Euangelium ait: Iſte.

De Serapione Syndonita.

Alio quoque tempore hoc ipſum Euangelium vendidiſſe, & eleemoſynam dediſſe fertur. Diſcipulo autem dicente: Abba vbi eſt Euangelium? ait: Fili hoc, quod dixit mihi, *vende quæ habes, & da pauperibus*, ipſum vendidi, & dedi, vt habeam fiduciam in die iudicij. Et cum quædam vidua petiſſet aliquando ab eo eleemoſynam, quia filij eius eſuriebant, eo non habente omnino aliquid, ſeipſum ei tradidit, vt eum venderet ad Dominos Græcos, quos & in paucis diebus fecit Chriſtianos. Hæc legens de ſancto Serapione, vir ſanctus ſtupefactus, & totus lachrymis infectus ait; Credite mihi quia vſque hodie putaui, quòd vel aliquid facerem dans quas haberem pecunias, neſciens quod & ſeipſos venderent quidam compaſſione ſuperati.

Matth. 19.

Adhuc de doctrina, & actibus eiuſdem.

CAP. CX.

PRæcipiebat autem collationes pro defunctis impigrè facere, dicens: Quia ante paucum tempus quidam captiuus à Perſis ductus, & in carcerem truſus eſt. Quidam ergo fugientes illinc, & venientes in Cyprum, interrogati à parentibus illius ſi forte vidiſſent eum, reſponderunt ſe proprijs manibus eum ſepeliſſe. Non autem erat ipſe, ſed quidam ei ſimilis. Illi ergo tanquam pro mortuo, faciebant ei tres collectas per ſingulos annos. Poſt quattuor autem annos, ille fuga lapſus à Perſis, venit in Cyprum. Cumque audiſſet à ſuis, quòd memoriam eius quaſi mortui feciſſent ter in anno, ſcilicet, in Theophania, & in Dominica ſancta, & in Pentecoſte: reſpondit ille: His tribus temporibus anni veniebat quidam candidatus vt Sol, & diſſoluebat inuiſibiliter me à vinculis ferreis, & à cuſtodia, & mouebat tota die deambulando, nemoque me recognoſcebat, & in craſtinum inueniebat vincula ferrea portans. Ex hoc igitur ait ſanctus Ioannes, dormientes quietem habere diſcimus, quando pro eis collectas facimus. Huic quidam totum aurum quod habebat, ſcilicet ſeptem libras & dimidiam obtulit, rogans eum flexis genibus, vt oraret pro ſalute vnici filij eius, & vt Deus nauem eius, quæ in Africam abierat, cum bono aduentu reduceret. Quod cum ille feciſſet, mortuus eſt puer, & nauis illa in qua frater illius hominis erat naufragium pertulit, totumque quo plena erat perijt,

Collectas id eſt miſſas facere pro defunctis hortatur: ſimilem hiſtoriã refert Beda lib. 4. hiſto. cap. 22 & Gregorius homelia 37. in euangelia.

præter

præter animas & ſcapham vacuam. Cumque vir ille vltra modum triſtis eſſet; vidit per noctem in ſomnis quendam quaſi in habitu ſancti Patriarchæ dicentem ſibi: Vt quid turbaris frater? Nonne rogaſti me, vt peterem à Deo quatenus filium tuum ſaluaret? Ecce ſaluus factus eſt. Crede mihi, quia ſi viueret, prauus & immundus homo fieret. Et de naui tua ſcito, quia niſi Deus pro bono, quod feciſti placatus eſſet, ſententia data erat, vt tota cum animabus in profundum pergeret, & frattrem tuum perdidiſſes. Sed ſurge & glorifica Deum, qui donauit tibi eum, & ab hoc ſæculo vano ſaluauit filium tuum. Euigilans ergo vir inuenit cor ſuum conſolatum, & currens ad ſanctum Patriarcham iactauit ſe ad pedes eius, & gratias egit narrans viſionem quam viderat, & ille glorificauit Deum.

Cur probis infortunia accidant.

Quodam monacho gyrante in ciuitate cum vna puella iuuencula, & petente eleemoſynam, quidam hoc videntes ſcandalizati nunciauerunt Patriarchæ quod ille monaſticæ vitæ mulierem habens derogaret. Tunc vero ſanctus volens prohibere peccatum, iuſſit mulierem flagellari, monachum vero verberari, & in carcerem retrudi. Quo facto; apparuit ei per viſum nocte monachus oſtendens ei dorſum ſuum ex flagellis putrefactum, & dicens ei: Ita placet tibi Domine Patriarcha. Crede mihi, hac vice, vt homo erraſti. Et hæc dicens receſſit. Mane autem vir ſanctus memor viſionis, ſedit ſupra lectum ſuum mæſtus, & mittens pro monacho, qui erat in carcere fecit eum deſpoliari coram ſe, vt dorſum eius videret, ſi ita eſſet vt in ſomnis viderat. Quo facto Dei voluntate ſolutus eſt, etiam amictus quo erat indutus, cecidit; omneſque viderunt eum Eunuchum. Tunc vir ſanctus ait, ignoranter ſe peccaſſe in Deum, & in eum, monens tamen eum non ita oportere monachum circunducere mulierem ad ſcandalum videntium. At ille humiliter rationem reddidit dicens: Nuper cum eſſem Gazæ, exeunti mihi de vrbe hæc mulier occurrit, dicens ſe eſſe Hebræam, & velle fieri chriſtianam, conteſtans etiam me verbis horribilibus ne dimitterem eam perire. Timens ergo iudicium Dei, ſumpſi eam & baptizaui, & gyrabam cum ea ſimplici corde modicum expoſcens ſumptum, quatenus introducerem eam in monaſterium. Tunc ſanctus narrata viſione his qui præſto erant, protulit centum numiſmata daturus ei. At ille nihil accipere voluit, ſed ait: Monachus ſi fidem habet horum non indiget, & ſi horum eget fidem non habet. Hoc maxime omnibus qui audierunt, fidem fecit, quòd ſeruus Dei eſſet.

Vt monachũ de crimine ſibi ſuſpectũ flagellari fecerit.

(:) (:)
(:) (:)

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS,

LIBER VIGESIMVSTERTIVS.

De Imperio Heraclij, & quedam miraculo Sancti Ioannis Baptistæ.

CAP. I.

Heraclius Imp. an Ch. 613. Mund. 4464.

HVGO *vbi supra.* Cum igitur Phocas in suos crudeliter domesticos desæuiret, ipse quoque Heraclij Africæ Patricij iussu peremptus est. Qui post eius necem sibi Rempublicam vendicauit.

Heraclius ergo Romano potitus Imperio, imperauit annis 30. Hic inuenit valde dissolutam Rempublicam, & attritam. Siquidem Europam vehementer Auares vastauerunt, & Asiam Persæ.

Sigebertus in Chronicis. Sumpsit autem Imperium anno Domini 613. Mundi verò 4464. Huius regni anno primo virtus, & nomen Sancti Ioannis Baptistæ miraculis declaratur apud vrbem Galliæ Mauriennam, de reliquijs corporis ipsius diuinitus illustratam hoc modo: In ea olim mulier sancto Baptistæ nimis deuota expectabat à Deo donari sibi aliquid de membris eius, & in hac orandi instantia per triennium existens, cum alter quiuis posset desperare, ipsa spem in Deo ponens, iurauit se non manducaturam, donec quod petebat, acciperet; & sic septem diebus ieiunans, septima tandem die desuper altari pollicem miri candoris apparere videns, læta donum Dei accepit, ad quod orandum tres episcopi venientes cum de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo suppositio stupuerunt, & singuli singulas se meruisse sunt lætati.

Vide Baronij notas ad Martyrologium Romanum 29. Augusti.

Desiderius Vienensis episcopus consilio Brunechildis à Theoderico rege lapidibus obruptus martyrizatur.

An. 614.

Anno Heraclij II. Deusdedit, Romanæ Ecclesiæ 66. præsidet. Hic constituit secundam Missam in clero. Hic etiam secundum instituta maiorum suorum decreuit, vt si qui viri vel mulieres suos ipsi filios quocunque modo de sancto lauacro susciperent, separarentur ab inuicem, vel si quis vir commatrem suam, vel siqua mulier compatrem suum à primo dono Spiritussancti quod est pabulum salis sacrati, vsque septimum donum Spiritussancti coniugem duxerit, separentur. Mulier tamen maritalem dotem recipiat, & post expletum annum alteri si vult nubat.

Sanctus Columbanus à Theoderico Rege instinctu Brunechildis auiæ expellitur de Francia. Qui post relicto Gallo discipulo suo in Alemania, cœnobium Bobium construxit in Italia,

De Sancto Deicola Abbate, & eius peregrinatione.

CAP. II.

Ex gestis eius. Cum autem sanctus Columbanus de cœnobio Luxouiensi exturbatus discipulis comitantibus ad duo miliaria progressus fuisset, & venissent ad locũ, qui Nepras dicitur, beatus Deicolus sancti patris monachus, iam prouectioris ætatis existens, pedibus vehementer debilitari cœpit. Nec mora prouolutus genibus patris, licentiã remanendi supplicat deuotè. At ille mitissimo affectu condolens imbecillitati fratris licẽtiam ei non negauit, atque diuinæ misericordiæ illum paterna voce commendauit, pias lachrymas simul cum eo copiose fundens. Tunc pater viam cœptam arripuit, & discipulus ob multorum salutem (sicut Deus disposuit) apud Burgundiones remansit. Decursis autem passim incertis siluarum diuerticulis, intente quæritans oportuna humanæ habitationi loca, tandem venit ad locum quẽdam aridum satis, angore sitis depressus. Cumque flexis poplitibus diu ibidem rerum inuentori supplicasset, fulcitorio quo vtebatur terram paululum egerens, subito famulo suo fideli largam fonticuli Deus vndam donauit. Qui limpidissimo riuulo exinde loca vicinia irrigat, & vsque dum humus erit, ab vniuersis incolis eiusdem patris nomine, & vocitatur, & amatur, & amabilis colitur. Cumque vir sanctus quasi erraticus viator conuenientia manendi loca disquireret, quippe cui pater suus sub obedientiæ titulo denunciauit, ne Luxouiense monasterium vlterius intraret insperato contigit, vt suillum gregem videret. Subulcus ab eo interrogatus, an in vicinio esset aliquis locus habitabilis, respondit esse non longe locum palustrem, & fontibus satis irriguum, in prædio cuiusdam præpotentis vasalli nomine Vuerfarij. Cui vir sanctus: Potesne, inquit, mihi frater ducatum præbere, quo possim locum ipsum videre?

De S. Deicolo agit Petrus in Catalogo lib. 2. cap. 98. & Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 61.

Fons aqua Deicolo à Deo conceditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dere? At ille reſpondit. Poſſem, inquit, aliquo modo, ſed gregem meum abſque prouiſore dimittere non præſumo. Cui beatus Deicolus: Noli, inquit, mihi, fili, tantillum ſpacij tenaciter negare. Veraciter ſcias, quia ſi mecum pergere diſponis, nec minimum porculum interim perdes. Et ſi aliquid diſcredis, ego tibi fuſtem meum conſtituo cuſtodem vicarium, vt in redeundo cognoſcas quantum fides mea valeat cum charitate tua. Hoc dicto, fuſtem quem manu gerebat ſolo radicitus fixit, & præcedente ductore ad locum tetendit nominatum. Cumque poſt longum horæ ſpacium porcarius eadem repedaſſet via, gregem videre ſollicitus, inuenit ſecundum viri pollicitationem gregem ſũum circa fuſtem gyratum, ſaturumque accubaſſe, nec vnum quidem ex illo deeſſe.

Fuſtem ſuũ poſuit loco cuſtodis porcorum.

Vir venerabilis Deicolus ad locum deſideratum perueniens, diuino ſemper operi indefeſſus exiſtens, vtpote is qui crucifixus erat mundo, totumque ſemetipſum obtulit Deo, inuenit eccleſiam in cliuo cuiuſdam montis ſitam in honore ſancti Martini conſecratam. Vir autem Domini ſecretum horæ ſpacium expectans quando ſolus ſoli Deo ſe ſubſternere poſſet; mirum dictu, quo eccleſiæ eiuſdem ianuas ſolus adijt abſque mora nullo referante, largum illi præbuere ingreſſum.

De iniqua ſententia in eum lata, & interitu Vuerfarij.

Cap. III.

QVa re à preſbytero agnita, his verbis ſe conqueri in publico cœpit: Heu mihi propter vnum monachum iam hic viuere non poſſum. Cumque populatio non modica, quæ ad Eccleſiam conuenerat percunctaretur quid ſibi talia vellent, preſbyter adiecit: Latitat quidem in iſta ſiluula monachus quidam peregrinus, qui neſcio quibus incantationibus vtitur, & medijs noctibus orationis gratia huc frequenter venire ſolitus, ianuas diligenter obfirmatas dicto citius reſerat, & intus orationibus vacat. Teſtor Deum cœli, quia ſi poſt hoc illum in eccleſia inuenero noſtra dignis verberibus affectum reijciam, & iniuriarum. At vir ſanctus Deo nocte dieque ſupplicãs, minas hominum non verens: quippe qui cuſtodia ſemper erat ſeptus angelica, more ſolito eccleſiam intrabat, quouſque preſbyter cum officialibus acriter illum inſequeretur. Sed cum Deus omnipotens ſeruum ſuum à manibus impiorum ſeruaret innocuum, fraudulenti malitia iterum adducti feneſtras eccleſiæ aperuerunt, ianuas autem patefactas maxima congerie veprium, ſpinarum, ac tribulorum, poſtes, & liminaria vſque ad ſummum obſtruxerunt dicentes: Fortaſſis ſi monachus ille modo nititur ingredi, abſque ſigno non euadet infortunij. Sed quia nec ſapientia, nec prudentia, nec conſilium poteſt eſſe contra Deum, maleuolentia illa virum Dei non nocuit. Verum quotiens ille commodum duxit potenter intrauit. Qua de re viri ſtolidiſſimi vltra modum debachati legationem queſtuoſam Domino ſuo, qui tunc temporis in allodio ſuo manebat in loco, qui dicitur Villa Callonis tranſmiſerunt, dicentes: Placet tibi vt monachus quidam capellulam tuam ſibi vendicet in oratorium, nec vllus eum eijcere poſſit? His igitur auditis Vuerfarius furore præcipiti arreptus, crudelem nimis ſententiam in virum Dei ſanxit dicens: Ite cum feſtinatione, & ſi quis illum fidelium meorum capere poſſit, ſine audientia caſtretur. Vix ille mandatum dedit, vna eademque hora laqueum quẽ ſeruo Dei iniuſte parauit, iuſto Dei iudicio ipſe miſerabiliter incidit. Nam idem membrum, quod famulo Dei præſcidi iuſſit, mox illi in tumorem verſum eſt, ita vt omnia viſcera eius in eundem locum violenter inciderent, & mortem vicinam pararent. Cumque vehementi dolore vexari videretur, vxor eius Bertildis nomine memor ſententiæ, quam viro Dei temerè impoſuit, cum luctu graui illum admonuit dicens: Certe credo, quia propter peregrinum quem ſine cauſa caſtrari iuſſiſti, dolor ipſe in te retrorſus eſt. Mittam ergo velocius & accerſiam illum, ſi forte per orationes eius dolor tantus effugetur, Sed quia nihil ſit in terra ſine cauſa, antequam nuncij ad virum Dei peruenirent, idem Vuerfarius morte ſubactus finem viuendi fecit.

Mira malitia cuiuſdã preſbyteri ſæuitia in ſanctum Deicolum.

Sententia mali iudicis Dei iudicio in ipſum iudicem retorquetur.

De birro Sancti Deicoli in radio ſolis ſuſpenſo.

Cap. IIII.

QVibus auditis, beatus Deicolus non iniuriam irreligioſi militis, ſed fidem deuotæ mulieris inſpiciẽs, pedetentim iter arripuit. Cumque ad locum veniſſet religioſa fœmina iam vidua effecta, maximo cum honore ſicut tantum patrem decuit, ſuſcepit. Ipſe verò vtpote de itinere laſſus antequã ſeſſum pergeret, birrum ſuum, quem Græci amphibalum vocant, deponere voluit refrigerãdi gratia. Quod ſeruitores, quam plurimi, qui aderant videntes vndique accurrerunt, vt viri veſtimentum diligenter mitterent in ſaluum. Quibus ille: Non ita inquit erit filioli, nam ego ſeruitorem inuenio, qui veſtimentũ meum fideliter ſeruet, peregrinus ſum pro Chriſto, quicquid de ſeruo ſuo illi placet, fiat: Mira res atque ſtupenda; Vir venerabilis aſpiciens radium ſolis per feneſtram domus ad inſtar trabis ingredientem, quod nihil aliud eſt iuxta definitionem philoſophorum niſi craſſitudo aeris, & illuſtratio ſolis, acceſſit, & veſtimentum ſuperpoſuit. Ibi quippe ferme duarum, aut trium horarũ ſpacio abſque terreno ſuſtentaculo pependit, & virum Dei quando ſe reinduere vellet expectauit. Quod vidẽs Bertildis, pedibus eius prouoluta luctũ geminare cẽpit, & virum Dei, vt animæ viri ſui miſertus, pro ea ſupplicaret, exorauit; ſimulque locum in quo ſancti Martini eccleſia conſtructa eſt, cum omnibus appenditijs ſuis, villam quoque ipſam, in qua tunc erat cum omnibus ad ſe pertinentibus libere tradidit iure perpetuo poſſidendum, vbi vir ſanctus copioſis donarijs loco illo ditato à fidelibus, duo oratoria formoſo opere compleuit, vnũ in honore Principis Apoſtolorum, aliud vero in honore Doctoris gentium. Quibus patratis, cœperunt vndique religioſi viri ad tanti patris magiſterium confluere, & colla ſua ſuaui iugo domini deuote ſubmittere. Et factus eſt locus ille ſecundùm voluntatem Domini paradiſus monachorum, qui hactenus patuit latibulis ferarum.

De apro per eum a venatoribus liberato, & cæteris eius geſtis.

Cap. V.

QVadam die dum beatus vir vigilandi ſtudio operi diuino cum fratribus inſiſteret, contigit vt inclytus Rex Clotharius, qui ſecundum quod ei pater Columbanus prophetiæ ſpiritu plenus prædixit, iam erat trium regnorum ſoliditate roboratus, in viciniam eiuſdem monaſterij gratia adueniſſet venandi. Quadam vice cum multi optimatum venatu nobili, ſingularem maximum aprum inſequerentur, extemplo fera viri Dei cellam ingreditur, vir autem ſanctus manum miſericorditer illi præbuit, & ait: Crede mihi, quia ad charitatem confugiſti, hodie vita non priuaberis, tum ecce vndique Venatores beſtiæ veſtigia inſectantes, ad viri Dei cellam vſque peruenerunt, ingreſſi cum beſtiam inueniſſent ferocitate poſtpoſita ante altare accubare, penè ſpiritum præ ſtupore non habebant, & celeriter legatos miſerunt, qui Regem ad tantæ virtutis ſpectaculum vocarent. Qui cum regaliter veniſſet, oratione facta virum interrogauit humiliter vnde eſſet, vel quid ſtudij habuiſſet? & cum agnouiſſet, quia beati Columbani diſcipulus eſſet, ait: Omnia quæ hucuſque ad mei arbitriũ in iſta vicinia pertinebant, ſiue in ſiluis, vel piſcationibus regalibus, pratis quoque, vel paſcuis ab hodierna die & deinceps tibi trado.

His itaque firmatis, vidente Rege, & omnibus, qui aderant, viri Dei iuſſione aper abſque vllius læſione cõ-

ſueta

fueta cum impetu petijt lustra. Sicque deuotus Rex benedictione patris deuote percepta cum gaudio remeauit ad propria.

Tandem vir sanctus collecto cætu fratrum Romam petijt, & à Papa honorifice susceptus. Apostolorum limina visitauit, & orationem compleuit. Acceptoque à Papa monasterij sui libertatis priuilegio in Galliam redijt, preciosis oneratus martyrum reliquijs, & ecclesiasticis ornamentis. Postquam vero se læte peracto labore domi recepit, & omnia quæ ad Deum pertinent religiosissime in monasterio ordinauit, quendam discipulum suum nomine Columbinum, quem & de sacro fonte leuauit, & per semetipsum instituit; de cuius vita & moribus valde erat securus cum electione fratrum in locum suum Abbatem constituit, atque regimen animarum ei commisit, quo ordinato ipse ad secretiorem locum atque arctiorem vitam anhelans, seorsum sibi oratoriolum paruulũ construxit, & cum Maria secus pedes Domini sedere, & verbum eius intente audire decreuit.

Obijt autem egregius pater die 15. Calend. Februarij.

De Sancto Bauone recluso.

Cap. VI.

An. Ch. 614. *Sigebertus in chronicis.* Anno quoque prænotato, scilicet Imperij Heraclij secundo, sanctus Amandus Elnonensis per Gallias miraculorum & prædicationis gratia clarescebat. Allouuinus est qui & Bauo per eum ex prædone conuersus, & Gandaui solitarie reclusus sanctitatis exemplum erat omnibus.

Ex gestis eius. Hic sanctus Allouuinus, quem vulgo Bauonem nominant, in iuuentute sua sæculi voluptatẽ prauis actibus exercuit, sed hoc eius vitium Christus in bonitatem conuertit. Habuit vxorem filiam Odilonis comitis, de qua genuit Angladrudem virginem Christi, cui in primis annorum crepundijs vox summo missa est throno: Crede inquiens: Vxore autem defuncta noluit aliam ducere, sed sanctum Amandum Pontificem inspirante Deo expetijt, compunctionem cordis ostendit; qui ei scripturarum verba protulit, ita quod ille iuxta consilium Euangelicum facultates prædiorum suorum pauperibus erogauit, atque ad præfatum Pontificem qui morabatur apud Gandauum castrum repedans clericatum obtinuit in cœnobio clericorum, quod in eodem castro erat constructum.

Conuersio S. Bauonis.

Die quadam fratres ipsius monasterij ad obedientiam directi sunt, vt cellã viri Dei Bauonis cõstruerent. Quidam autem ex eis, qui cum vehiculis cæmentũ ministrabant super plaustrum vnũ sedit. Quem egressi de vico canes circundederũt, & cœperũt fortiter insistere, qui cũ inuidia repletus virum Dei Bauonem blasphemasset, diabolus eum sibi subiectum impugnans, animalia cum vehiculo super eũ protecit, ita quod illo põdere oppressus spiritum exhalauit. Quẽ vbi vir Dei mortuũ vidit, ingemuit, & cum lachrymis sibi pectus tũdens, ac sibi culpã reputãs, quod in labore suo mortẽ accepisset, orationi incubuit, eumque suscitauit.

S. Bauo mortuũ ad vitã reuocauit.

Quadam vero die vidit quendam virum de exilio regressum quem olim in habitu sæculari degens ipse venundarat. Quo viso in lamenta cõuersus, & eius genibus prouolutus ait: Quæso ne memineris iniuriæ, quam tibi irrogaui. Rogo quoque, vt propter scelus in te cõmissũ, corpus meum flagellis cædas, caputque meum more latronum decalues, & me vinctum manibus & pedibus, vt dignus sum in custodia trudas, forsitan enim diuina pietas si hæc feceris veniam mihi præstabit. At ille sancti pedibus prouolutus, ac penitus hoc in eum facere non audens & renitens, tandem precibus eius victus, quod sibi iusserat impleuit, idest manibus vinctum, capite tonsum, ac pedibus ligno strictum, custodiæ publicæ mancipauit.

De arctissima eius pœnitentia, & trãsitu eiusdem.

Cap. VII.

QVi vsque in proximum exitus diem vinctus perstitit, die noctuque flere non desinens, actus sæculi quos prius exercuit hordaceo tantum cinere mixto pane contentus, atque potu aquæ quam in mensura bibebat. Stratum quoque eius nuda humus erat, in quo per diem parum perquiescere solebat. Vilissimum autem cilicium super stratum eius expansum erat, cinis desuper aspersus, & capiti illius lapis superpositus cũ dormiret. Sicque membra sua domabat, quæ olim delectatio sæculi inquinauerat. In hac quoque retrusione normam obedientiæ non reliquit, sed Abbatem suum popposcit, vt ita eum super pauimentum retruderet, vt si quando ad Dei laũdes dicendas assisteret, dextra lęuaque ita circumseptus foret, ne declinandi facultatem in aliquam partem haberet, sed die noctuque quasi in agone suspensus ad Deum oraret, mãnus ad æthera tẽdens & ad alta suspiria trahens. Quod & factum est. Tum vir Dei magis, ac magis ingemiscens, iamque ad cœlestem patriam anhelans ministro sibi parenti præcepit, vt sibi lapidem afferret. At ille laterem grandem attulit. Cui vir Dei iussit, vt adhuc maiorem perquireret. Tandem inuentum lapidem, qui vix duorum manibus vehi poterat detulit, quem vir Dei gaudens accepit, & dum ad Dei laudes dicendas assistebat ipsum humeris portabat, sed antiquus hostis inuidens eius profectibus, diuersis minis, & nefandis imaginibus ex eadem cella molieba-tur eum eijcere, bestiarumque & volucrum & serpentiũ diuerso genere replens, gestiebat ei formidines ingerere. At vero illo constanter certante, maligni spiritus nihil industriam suam profeciſſe cernentes, confusi abscessere. Cumque vir Deo plenus paululum se sopori dedisset, Angelum Domini in specie colũbæ spiritu super se venientem conspexit, totamque cellulam inæstimabilis suauitatis fragrantia repleuit. Nec immerito Angelus lucis ei in specie columbæ ostensus est, quia simplicitatem columbæ gerebat in corde, & astutiam serpentis non deferebat in tentatione.

Cur Angelus in specie Columbæ S. Bauoni apparuit.

Cum autem vltimum diem sibi appropinquare intelligeret, & hoc ipsum Abbati & fratribus nunciasset, quendam fidelem presbyterum longe à se positum euocari fecit, cuius colloquio frui voluit. Minister autem obedientiam non renuens, sed viam qua pergeret nesciens, ire cæpit Angelo Domini comitante, ad eundem presbyterum sub omni celeritate peruenit, & per vastam solitudinem rectissimo tramite vterque ad virum Dei incredibili festinatione peruenerunt. Quo viso vir Dei repletus est gaudio, & præcepit ei, vt curam ageret funeris sui. Tunc corpore, & sanguine redemptoris se muniens, animam carne solutam reddidit creatori die 8. Mensis Octobris, & statim beatissimæ Virgini Gertrudi cum alijs virginibus secum commoranti longius à sẽ positis spiritus ipsius iubet sibi vestimenta mitti ad sepeliendum corpus suum, quod & factum est.

De quibusdam Regibus Anglorum, & actibus eorum.

Cap. VII I.

An. Ch. 615. *Sigebertus in chronicis.* Anno Heraclij tertio Edilfridus Rex Nordanymbrorũ, Rege Scotorum cũ omnibus pene suis in bello extinguit. Hæc calamitas Scotis contigit, secundum vaticinium Augustini episcopi, qui interminatus est Scotos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam conuerti ægre ferebant: in monachos quoque Scothorum, ira Dei sæuiente, qui cum Rege suo ad hoc bellu ex more exeuntes, vt Rege armis pugnante, ipsi orando pro eo pugnarent, perempti sunt ab Anglis millæ ducenti, tantum 50. per fugam elapsis

Clodesindis Metensis claret, quæ sponsum fugiens velamine capitis misso sibi à Deo per Angelum, se & sua Deo delegauit.

Helinandus. Anno sequenti Edilbertus Rex Cantuariorum obijt, qui primæ prædicationi Augustini nobile responsum reddidit, dicens; non posse se nouæ sectæ animum tam cito adhibere, relictis cultibus quos semper cum tota gente Angliæ exercuerat: verumtamen nulla eos molestia exacerbandos, quin potius prædicationis permissu, & amplo victu iuuandos, & libenter audiendos, quod tam longam à natali solo peregrinationem susceperint; vt Anglis, quæ optima putabant, indulgenti benignitate cõmunicarent. Sicque vt dixit, fieri præcepit, donec explorata sensim fidei veritate, ipse cum subiectis fidelis inuentus est. Decessit autẽ post acceptam fidem anno 21. secũdum VVillielmum Malmesburiensem, secundum Sigebertum anno 18. Post quẽ regnauit Cadbaldus filius eius annis 22. vel secũdũ alios 25. Hic mox exufflata christianitate nouercæ suæ pudorem expugnauit; sed per horas crebro afflatus dæmonio, contumacis perfidiæ pœnas luit; quibus offensus Laurentius Augustini successor, dum prouinciam cedere meditaretur, Dei animatus verbo sententiam reuocauit, & Regem ad fidem reduxit, & incæstas nuptias relinquere fecit. Post hæc idem Rex ædificauit monasterium extra muros Cantuariæ, quod pater eius Edilbertus fundauerat. Radualdus autem Rex Orientalium Anglorum, Edilberto Rege Cantuariæ mortuo, illam super Anglos regnandi potentiam accepit, vt sub nutu eius alij Anglorum Reges ragnarent. Edilfrido autem Rege Nordanymbrorum à Radualdo rege perempto, Edwinus post eum regnauit.

Sigebertus in Chronicis. Anno quarto Imperij Heraclij Sanctus Lupus Senonensis episcopus claruit, cui aliquãdo Eucharistiam consecranti gemma de cœlo à Deo in calice descendit.

De Sancto Lupo Senonensi, & eius exilio, & miraculis.

Cap. IX.

Quidam haud scio quam bene volunt, hos ipsius S Lupi fuisse fratres.

Precibus fugat hostes. Vid. Baron.

Vir sanctus cogitur exulare.

Ex gestis eius. Hic parentibus inclytis prope Aurelianis iuxta Ligerim oriundus ex parte regali sanguini fuit contiguus, cui parentes diuina reuelatione commoniti, quod Deo dignum Antistitem in prole fũderent, mox editum paruulum literis tradiderunt. Erant autem fratres matris eius venerandi Antistites Austrenus Aurelianensis, & Aunarius Antisiodorensis, qui cernentes puerum normam religionis & Christi præcepta diligere, eum clericatus officio manciparunt. Itaque rigore abstinentiæ carnis rebellionem domans, sepulchra martyrum orationibus frequentabat, misericordiæ operibus insistebat, donec fama eius crescente post Artemium Senonensis episcopus est electus, & ordinatus. Hic noctem quandam Christo ducens peruigilem, cum sancti Aniani basilicæ liminibus astaret, obseratum ostium ingressum prohiberet, ipso orante repente cœlitus auulso repagulo ostia patuerunt. Defuncto Theodorico, dum Rex Clotharius Burgundiam cœpisset intrare, Blidebodus ab eo cum exercitu Senonas directus, grauiter vrbem iaculis infestare cœpit, sed vir sanctus ecclesiam Beati Stephani petens, dum ad euocandum populum signum tangeret, tantus terror super hostes irruit, vt nullatenus euadere se crederent, nisi fugam expeterent. Obtento igitur regno Burgundiæ, Clotarius præcepit Faruipho potenti Duci regalia negocia exercere. Qui prope Senonas veniens exarsit indignatione, quod sanctus episcopus non ei cum munetibus occurrisset. Vnde regressus plura falsiloquijs contra eum regijs auribus intulit, donec Rex felle commotus virum sanctum exilio retrusit in Neustria, traditum Duci pagano nomine Basoni Landegisilo, quem ille duxerit in villam Andefaginam super fluuium Auciam vbi erant templa phanatica, Gaudebat ergo in Domino sentiens se à Domino missum ad populum incredulum instruendum. Ibique quendam cœcum illuminans, prædictum Ducem superbum, & Francorum exercitũm, qui adhuc errore detinebatur, conuertit, & baptizauit. Denique sanctus Vuinebaudus Abbas Sancti Lupi Trecassini Regem erga virum Dei placauit, missisque è latere Regis eum de exilio reuocatum ad palatium adduxit. Quem videns Rex ante pedes eius prosternitur, & veniam precatur. Cernens quoque corpus eius tabefactum abstinentia, vt erat intonsus capite & barba, tremens & eiulans ad gemitum mouetur, & lachrymis irrigatur, iussitque eum cũ honore reparari comam, & barbam detonderi, multisque muneribus ei à Rege oblatis, valedicens ei vna cum sancto Vuinebaudo cum Parisios pertranstrent, multa reorum turba catenatorum vel incarceratorum eorum virtute soluta, eis obuiam est egressa. Dum autem vir sanctus ad Meledunum castrum deuenisset, repente in mane horreum plenum vallauit incẽdium, nec poterat quis præstare auxilium. Tunc in oratione prosternitur, & flumen emissum super incendium cernitur, flammaque illico extinguitur & illæsa apotheca seruatur.

Rex ad pedes eius se abijcit.

Vincti soluũtur diuinitus.

Ignem precibus pellit.

Adhuc de miraculis, & obitu eiusdem.

Cap. X.

Gemma cælitus labitur in eius calicem.

Nota de capana stupendum miraculum.

** alias pulsinari.*

Precibus ardorẽ libidinis extinguit.

Audit Angelicas cantiones.

REuersus igitur Senonis, cum hymnis, & canticis obuia plebe susceptus, quadam die eo celebrante coram sacerdotali vel leuitico choro, gemma de cælo in calicem inter manus eius descendit à Domino, quæ radio fulgente pulcherrima diu seruata, iussu regio inter sanctorum pignora deportata est palatio.

Audito Rex Clotharius de campana sancti Stephani, quod miram dulcedinem haberet, iussit illud deportari Parisios, vbi sæpius illud audiret, quod dum sanctò viro nõ placuit, mox vt ab vrbe est sublatum dulcedinem sonitus sui perdidit. Quo Rex agnito ipsum loco pristino restitui iussit. Quod vbi peruenit ad pontem Syriacum, reddito sibi sono à Domino insonuit milliario septimo, & vir sanctus obuiam perrexit cum psallentium choro.

Nocte quadam dum vigilãs psalleret diabolus ei validam sitim inflixit, & ipse ministro deferri iussit frigidam aquam. Intelligensque dolos inimici, signatoque * plumario suo subserato capite strictim super vasculum posuit, ibique hostem inclusit, qui nocte tota vsque mane varijs vocibus vlulans, quis fuisset ostendit, & confusus abscessit.

Erat sancto consuetudo, vt penè singulis noctibus, & intra mænia & circumquaque vicinas sanctorum basilicas circumiret, & hora competenti ad matutinas propria manu signum ecclesiæ tãgeret. Quadam igitur nocte dum pergeret duos inter se clericos audiuit rixantes, adulterare cum mulieribus volentes. Tunc quidem se eis ostendere noluit, ne iterum in eius absentia ad volutabrum rediret, sed pergens ad ecclesiam orationem pro eis fudit. Cumque Sancti Stephani signum ad matutinas tangeretur, mox vt in eorum auribus signi sonitus sanctitas cum dextera peruenit, illico ab eorum cordibus stimulus ardoris recessit. Tunc ad ecclesiam currunt, & expleta psalmodia ab eo correpti veniã petunt, vitæque melioris exordia sumunt.

Quadam die Dominica dum vir nobilis Herlefridus eum causa prandij Ticiaco villa inuitasset, & ipse deuotus sacrificium offerret, ea hora dum vico pergeret, audito in cœlo sonitu, equo insidens, diu in vno loco astitit, cœloque intentus orationem Dominicam inter angelicos choros audiuit. Itaque sufficere sibi credidit, quod sub præsentia Christi laudes supernas audisset, ac per hoc cæpto itinere non perrexit. Denique sentiens se corpore iam resolui, conuocatis Sacerdotibus eos sacris verbis admonuit, & sic ad Dominum migrauit.

Statimque

Statimque de illo fragrauit odor nectarius, ac si fuisset multis aromatibus delibutus. Post obitum quoq; multis miraculis claruit.

Huius Natale celebratur Calen. Septembris.

De Congressu Heraclij contra Persas, & eius victoria.

CAP. XI.

An Ch. 617. *Sigebertus in Chronicis*. Anno Heraclij 5. Palæstina à Persis bello premitur, sancta quoque ciuitas capitur, in ea vsquo 90. millia virorum perimuntur; Zacharias Patriarcha captiuatur, Crux ipsa Dominica sancta asportatur.

Hugo vbi supra. Cosdroe Rex Persarum cœpit Damascum & deuastauit Hierosolymam, & venerabilia loca quæ erant in ea conflagrauit, & populorum copias captiuauit vna cum Patriarcha eiusdem vrbis Zacharia, & preciosum Crucis Christi lignum secum in Persidem asportauit. Sepulchri vero Domini locum nunquam intrare, aut violare diuina virtute est permissus. Ad quem misit Heraclius rogans magnis precibus, vt ab illo loco recederet, vsque quo definiret tributa, & acciperet pacta. Quod ille facere noluit, sed inefficaces ad Heraclium legatos remisit.

Cosdroes Ægyptum occupat, & Heraclius filium Constantinum diademate ornat.

Anno itaque imperij Heraclij 6. occupauit Cosdroe totam Ægyptum, & Alexandriam, & Lybiam, atque Carthaginem. Quod vt audiuit Heraclius assumpsit filium suum Constantinum, & regio diademate redimitum appellauit Augustum. Collecta itaque armigerorum multitudine anno Imperij sui 10. mense Aprilis die quarta secunda feria Paschæ aduersus Cosdroe mouit iter, ferens secum sanctæ Dei genitricis Iconiam, quæ apud Bizantium est, non hominis manu sicut fertur, sed diuino miraculo pictam, & proficiscens dimisit in vrbe præfatum filium suum Heraclium Constantinum cum Sergio venerabili Patriarcha, & Bonoso patricio sagaci & strenuo viro, & arripiens iter per Syriam venit vsque Gazotem Ciuitatem. Quod vt Cosdroes comperit fuga vsus ante eum igne comburens omnia sata per quę fugiebat. Heraclius quoque deuastabat ciuitates & regiones per quas ambulabat. Tunc ordinauit Cosdroe duos prætores. Sarabagam, & Sarbaran, qui cum Heraclio decertarent. Quod audiens Heraclius militum alis aduersus eos destinatis, ipse cũ reliquo exercitu trãsmeauit Euphraten, & pertransiuit Taurum montem peruenitque ad amnem Saron, & obtinuit pontem cum propugnaculis, quę in ipso erant. Peruenit etiam Sarbarus ad eundem pontem, & ante eum castrametatus est. Tunc excurrentes multi Romanorum per põtem, inordinate Persis intulere conflictum. Quod videns Sarbarus procul à se insidijs collocatis, ostendit se Romanis quasi fugientem, ac sic multos eorum abstraxit, ad insecutionem sui præter votum Imperatoris. Et subito à fuga reuersus, contra se insequentes impetum concitauit, & multos protinus prostrauit vindictam inobediẽtiæ suæ perpessos. Multitudo denique barbarorum per fluminis ripam diffusa. Romanos super pontem cum Imperatore stantes acriter sagittabant. Imperator autem cum paucis eis viriliter resistebat, vnde & multas in hoc prælio plagas, licet nullam periculosam accepit, tunc quidam vir Persa giganteus Imperatorem in medio pontis aggreditur. Imperator autem hunc lancea transfossum in amnis fluenta proiecit, quo ruente territi barbari in fugam sunt versi. Post Cosdroe misit aduersus eum alium Prętorem nomine Sahyn, cum quo Heraclius dimicans illum per intercessionem Dei genitricis Mariæ superauit. Grando quippe vehemens super eius exercitum cecidit, & multos ex eis extinxit. Acies autem Christianorum tranquilla ab ipsa tempestate manebat. Post hæc Cosdroes militijs suis prætorem super illas Razatem prouexit, & cum aduersus Heraclium destinauit. Qui veniens cum exercitu magno duriter cum Heraclio dimicauit, sed hunc Heraclius Dei genitrice Maria opitulante superauit & occidit, persistens in bello viriliter vsque ad horam nonam. In quo bello cecidit Razates, & tres turmæ Persarum, & principes multi, & maxima pars exercitus ipsorum, tuleruntque inde Romani banda Persarum viginti septem, & spolia magna nimis.

Intercessione Beatæ virginis Heraclius Sathan superat.

De Superbia, & interitu Cosdroe, & Sanctæ Crucis exaltatione.

CAP. XII.

Hanc historiã ex Paulo diacono aliter Blondus refert, quem Romanum Breuiarium Tridentini concilij decreto reformatum sequitur.

EX *historia de exaltatione sanctæ Crucis*. Hic Cosdroe in tantã prorumpere proteruiam ausus est, vt ab incolis vicinarum gentium, quas nefario suo subiugarat imperio coli se iuberet, & vocare Regem Regum & Dominum dominantium. Fecit quoque sibi turrim argenteam, in qua interlucentibus gemmis thronum extruxit aureum, ibique Solis quadrigã, & Lunæ & stellarum imaginem collocauerat, ac per subtiles & occultos meatus aquam aspergebat, vt quasi Deus pluuiam desuper videretur infundere. Cum autẽ Syriam & Palæstinam subiugasset, & ecclesijs Christi subuersis etiã ligni Crucis Saluatoris partem, quam ibi sancta Helena reliquerat asportasset contra Heraclium pergens filius Cosdroe iuxta Danubiũm sedit cum exercitu suo, tandem inspirante Dei clementia, placuit vtrique Principi, vt ipsi singuli in medio fluminis ponte confligerent, & cui sors victoriam conferret ipse sine damno vtriusque exercitus imperaret. Quid plura? pulsatus Dominus lachrymis christianorum, fideli suo Heraclio concessit de hoste triumphum, tantaque mentis mutatio Cosdroe inuasit exercitum, vt sponte cum omni familia, & prole Heraclio se subderent tam potestate, quam fide. Ipse christianissimus Princeps cum suo tantum exercitu regna, quæ Cosdroe inuaserat, circumquaque perlustrans ad sedem ipsius peruenit, sedentemque in throno aureo repperit. Qui cum tremefactus Heraclium salutaret, ille respondit: Pro eo quod lignum sanctæ Crucis, quamuis indignus honorifice tractasti, si credere volueris Domino Iesu Christo, & illius te seruum esse confessus fueris, regnum tibi Persarum tantum cum patrimonio tuo, & vita, acceptis à te pacis obsidibus dabo. Quod si nolueris, mox gladio meo interibis. Cum autem ille nequaquam acquiesceret, extracto gladio caput eius amputauit. Suscepit igitur lignum sanctæ Crucis, & omnes populi congaudentes cum ramis, & cereis, & canticis alij obuiam pergunt, & alij subsequuntur. Cumque Imperator de monte Oliueti descendens, per portam qua Dominus intrauerat, quando ad passionem venerat cum equo regio, & ornamentis imperialibus intrare vellet, repente lapides portæ descendentes clauserunt se inuicem, & factus est paries vnus. Cumque mirarentur attoniti & nimio mærore constricti, respicientes in altum viderunt signum Crucis in cœlo flammeo fulgore splendescere; Angelus quoque domini accipiens illud manibus stetit supra portam, & ait: Quando Rex cœlorum passionis sacramenta completurus per hunc aditum introiuit, non se purpuratum nec diademate renitentem exhibuit, vel equi potentis vehiculum requisiuit, sed humilis asselli terga insidens, cultoribus suis humilitatis exemplum reliquit. His dictis Angelus in cœlum confestim redijt. Tunc Imperator gaudens de visitatu Angelico, depositis imperij insignibus discalciatur, protinus zona linea tantum præcinctus, Crucem domini manu suscipiens, perfusus faciem lachrymis, oculos ad cœlum erigens, properabat ad portam. Illo humiliter propinquante, duritia lapidum cœleste sensit Imperium, statimque porta se surrigens, liberum intrantibus patefecit ingressum. Odor quoque suauissimus, qui volutante diuinitus aura de Persarum Prouincia per longa terrarum spacia Hierosolymis fuerat illapsus, eodem momento, quo de phano Cosdroe sancta Crux fuerat Heraclio baiulãte egressa,

Cosdroes ab Heraclio necatur.

Crucis Dominica lignũ Hierosolymã refertur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tunc rediit, & per pectora se gratanter infudit. Igitur populo Dei laudante potentiam, glorioſus quoque Auguſtus erumpens in laudibus, ait: *O Crux ſplendidior aſtris, &c.* Hæc cum dixiſſet precioſum illud lignum in loco ſuo reſt ituit.

Sigebertus in Chronicis. Eodem tempore terræ motus maior menſe Auguſti fuit, & ſecuta clades in populo percuſſo, ſcilicet ſcabierum ita vt nullus poſſet agnoſcere mortuum ſuum.

De Bonifacio Papa.

Cap. XIII.

Anno Ch. 618. BOnifacius tunc Romanæ Eccleſiæ 67. præſidebat. Hic decreuit, vt nullus trahatur violenter de eccleſia, hic conſtituit, vt Monachi in officio ſacerdotalis gradus vtantur poteſtate ligandi atque abſoluendi.

Ex libro Pontificum. Hic Bonifacius natione Campanus ſedit annis V. Conſtituit autem vt teſtamentum valeret ſecundum iuſſionem principis, & vt nullus trahatur de eccleſia, & vt nullus Accolythus præſumat reliquias ſanctorum martyrum leuare niſi Preſbyteri. Erat autem mitiſſimus ſuper omnes homines & miſericors. Hic amauit clerum, & togam integram clero ſuo dedit.

Eodem tempore ante diem ordinationis eius Eleutherius, Patricius & Exarcha factus in Tharcha aſſumpſit regnum, & venientem eum ad ciuitatem Romanam ad caſtrum, quod dicitur Luteolis ibidem à militibus Rauennatis interfectus eſt. Cuius caput ductum eſt Conſtantinopolim ad pijſſimum Principem. Sepultus eſt autem ad beatum Petrum 8. Calen. Nouembris, cui ſucceſſit Honorius.

De Paſſione Sancti Anaſtaſij Monachi cum ſocijs ſuis.

Cap. XIV.

Sigebertus in Chronicis. Anno Heraclij VIII. Anaſtaſius Perſa ex mago chriſtianus & monachus, à Perſis captus poſt verbera, vincula, & carceres, poſt diutinam apprehenſionem per vnam manum, tandē abſciſſo capite cum alijs 70. martyrizatus eſt.

Crudele martyrium S. Anaſtaſij monachi. *Ex geſtis eius.* Paſſus eſt autem hic Sanctus 11. Calend. Februarij ſub Rege Coſdroe, qui Crucem Domini captiuam tenuit. Et primo quidem iuſſum eſt eum deorſum poni, & lignum ſuper tibias eius imponi, duoſque viros fortiſſimos ſtare ſupra metam duarum partiū ligni. Cumque dolores fortiter ſuſtinuiſſet, iuſſus eſt ex vna manu ſuſpendi, & ſaxum magnum ad pedem ligari, & ſic derelinqui. Tandem cum alijs 70. miſſis in gutture funibus ſuffocatus eſt, & poſtea decollatus eſt. Sequenti die duo quidem in cuſtodia carceris confabulabantur ad inuicem, dicente vno ad alium: Scis, quia venerunt canes & ſederunt iuxta corpus illius Monachi, & non contingebant illud, ſed cuſtodiebant. Alio vero dicente: Et ego quando ſuppleui vigiliam meam, & ambulaui in domum meam, vidi ſicut ſtellam ſuper pauimentum lucidam, & pergēs vt viderem quid eſſet, ſtellam iam non vidi, ſed corpus illius Monachi ibidem iacens repperi. Cuſtodibus hæc dicentibus, chriſtiani qui in carcere erant, & aliquid de locutione Perſica cognoſcebant, audientes, alijs chriſtianis retulerunt, abſoluti autem à vinculis vbique diffamauerunt.

De Sancta virgine Phara, & fratribus eius.

Cap. XV.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore virgo Chriſti Phara claruit in Francia, cuius ſanctitatem imitatus frater eius Pharo ex Comite clericus, ex clerico factus Meldenſium epiſcopus claruit.

Ex geſtis eius. Horum genitor Hagnericus, ex gente Burgundionum duxit proſapiam, atque in aulam regis Theodoberti inter Prætores, & Proceres non mediocriter fulſit, erat namque conſilijs regalibus notus, ac nobilitate ſapientiæ vallatus, hoſpitalitate deditus, atque ſanctorum virorum ſuſceptor deuotiſſimus, quorum in mentibus perſpicaci oculorum, ac mentis inſpectione Chriſtum agnoſcebat. Hic eſt adeptus ſui non imparem generis coniugem nomine Leondegundam; ex qua tres ſuſcepit liberos, Pharonem virum ſanctiſſimum, Vualbertum, & Calnoaldum, filiamque miræ probitatis nomine Pharam. Calnoaldus beato Columbano erudiendus à patre traditus eius miniſter deuotus, dum in ſolitudine vaſta eremi moraretur, ei olim belua paruit ad præceptum magiſtri Colūbani, ſicut in geſtis eius ſupra poſuimus. Iſte quidem Calnoaldus germanus Beati Pharonis, poſtmodū Præſul in ciuitate Lugduno clauato claruit nobilis, vt in vita beati Euſtaſij repertum eſt. Beatus vero Vualbertus à Sancto Columbano in Luxouienſi cœnobio cum fratre Calnoaldo, & beato Agilio filio Agnoaldi fratris ſupra memorati Hagnerici, commiſſus eſt erudiendus Euſtaſio magnæ eruditionis viro, cum multis alijs qui poſtmodum eccleſiarum Dei Præſules eximij claruerunt. Cum apud Villam Papimiſiū Dei cultor Euſtaſius à genitore prænominatorum fratrum officioſiſſime ſuſceptus moraretur, atque cognouiſſet ſororem eorum Pharam beati Columbani benedictione ſacratam, graui oculorum fatigari cæcitate, quam contraxerat aſſidui fletus mærore, eo quod diſponeretur à patre nuptiali operi inſeruire, & ſanctimoniæ vota fruſtrari, nuper deliberata, Patrē aſperitate verborum obiurgatur, dicens, hoc ſui eſſe operis, quod virgo afficeretur tanto diſcrimine periculi. Ad hæc ſiquidem Pater ſimulatione verborum filiæ ſe dixit poſt habere nuptiarum coniunctionem tantum, vt ipſius mereretur iucundari corporali ſoſpitate. Itaque vir Dei horum credulus verborum, ad locum in quo ægra decubabat puella acceſſit, & vtrum in ſanctimoniali habitu viuere vellet ſciſcitatur. At illa ſuſpirās ait, ſe pudicitiam Angelis ſociam deſiderare, potiuſque ſupernum ſponſum concupiſcere, quam terreno flebiliter inhærere. Mane vero viſus eſt ei aſtitiſſe vir reuerenti vultu, oculis ardentibus dicens: Certa eſto famula Dei meiſque promiſſis firma, hodie tibi virum aduenire, qui te ſoſpitati reſtituet. Hac expleta viſione poſt modicum intrante ad eam Beato Euſtaſio, viſionis ordinem virgo Phara enarrauit, & credere ſe illum eſſe per quem ſibi audierat viſum reddendum. Tunc Euſtaſius oratione facta, promiſſum diuinitus adiutorium virgini acceleranti ſanitatem lætanter contulit.

Vide Suriū tom. quinto. Fit etiam mentio S. Phara in vita S. Euſtaſij tom. 2. eiuſdem vbi Burgundo Phora dicitur.

Calnoaldus à beato Columbano eruditur.

De fuga eius, & carcere quem tulit pro virginitatis amore.

Cap. XVI.

Pater eam iungere vult viro. QVod videns pater, voluntatem cordis factis appetit, ſponſum aduocat, ſponſalia firmat, tempus nuptiarum ſtatuit. At illa fugam arripuit, & pauitanti curſu eccleſiam Beati Petri ingreſſa, atque in terram proſtrata, pugnis tenerum pectus quaſſabat, lachrymiſque terram vbertim irrigans his verbis orabat: *O Petre, qui iuſtis regna reſeras cœleſtia, obſeras iniuſtis, huc ad tua confugi limina, tua volens eſſe virguncula. Et tu ô Chriſte, qui ſemper flecteris precibus humilium remittendo ſordes, ſerua virginitatem meam oblatam tibi per æterna ſæcula.* Quo pater cognito pueros illico dirigit, mandans eam in loco interfici. Sed pueri prouido conſilio aliquantulum in eundo cōſiſtunt, vt ipſo moram ſpacio patris mitigaretur ſæuitia. Denique eo veniente, atque acriter ſæuiente, miniſtri comminationem mortis artificioſe intentabant. Ad quos illa? Non inquit, à genitore talia munera

Sancta virgo D. Petro ſuam commendat virginitatem.

Benta Phara ab oculorum morbo per Euſtaſium liberatur.

debentur

debentur filię, sed iucundius est mihi in hoc loco pulchram mortem oppetere, quam florem iuuentutis perdere. Hoc autem certissime genitor nouerit meus, quia nuquam copulæ nuptiali in vita subdi consentiam ista. Referentibus ergo famulis hæc Domino suo, ille furorem animi nequaquam sine læsione filiæ mitigare voluit, sed custodiæ deputans seruabat eam ad ea, quæ facere disponebat. Dumque ista geruntur Dei fauēte misericordia contigit Beatum Eustasium per ipsum Hagnericum reuerti ab expletione legationis Regis Clotharij. Qui cognoscens tam diram Regis animaduersionem in filiam irreuocabiliter desęuire, studuit eius animi sæuitiam duris verborum aculeis terebrare, & ad pœnitendum compungere. Neque vero inde redijt quousque, & puellam desiderato sanctimonialı habitu per Gondoaldum Meldensem episcopum ornaret, & vt idem Hagnericus monasterium in proprio solo famularum Dei congruum habitationi construeret. Porro sanctus vir Vualbertus, clarescentibus vitæ meritis, post Gendoaldum 19. à sancto Dionysio primo Antistitum Meldensium Pontifex egregius successit.

Mauult mori quam nuptijs consentire.

De sancto Pharone fratre eius, qualiter factus est Meidensis episcopus.

Cap. XVII.

PRæstantissimus itaque Hagnericus filium dilectum Pharonem tyrocinij tempore in aula Regis Theodoberti exercendum alebat, vt sibi ad dignitatem honoris habendam quam in palatio retinebat succederet. Quod omnipotentia deitatis fauente ita actum cognouimus. Etenim quamdiu honore sublimatus est regio Theodobertus, Pharo sanctus iuuenis toga militari vestitus inter proceres palatij familiaritatis plurimum apud eum retinuit locum, & postmodū deuictis à Clothario, Theodoberto & Theodorico, cum Clotharius trium regnorum Monarchiā obtinuisset, beatum Pharonem inter reliquos Regni Proceres amicitię suæ familiaritate sublimiter nobilitauit. Qua fiducia fretus sæpe per seipsum Regem monebat, vanos huius vitæ fauores supernis desiderijs calcare, omnibus se amabilem præbere, omnes actus & mores compositos hābere. Consilia quoque regalia publica & priuata, amoris Dei munificentia prudentissime disponebat. Cumque misericordiæ operibus insisteret, & reos à morte liberaret, Regique Clothario multa bona persuaderet, cognouit sanctam Pharam sororem suam desiderio viuendi se grauiter affligi. Ad quam cum venisset, in tantum eius familiare colloquium Beati Pharonis permouit mentem vt Palatini gloriam principatus, atque regalis amicitiæ contemneret, licitaque coniugia in iuuentutis flore positus refrænaret, seque ecclesiastico ordini sociaret, & vxorem suam Blidechildem sacro velamine consecraret. Ecclesiam sancti Stephani Meldensis, quam magna premebat paupertas ditissimis villarū opibus munerauit, locum quoque virginis Pharæ magnifice sublimauit. Conciues & peregrinos, & exules ex facultatibus suis alebat eiusque fama odorifera longe lateque diffusa resonabat. Quapropter gens Anglorum eius amore irretita, suas quoque virgines monasterijs duobus Calæ, scilicet & Pharæ, Deo militaturas per eum mancipabant. Idem sanctum Cillenum Scotum ad Prouinciam Atrebatensem misit, quam sana doctrina Christo acquisiuit & claris miraculis illi attraxit.

Vita S. Pharonis.

Sāctus Pharo relicta sæculari vita fit clericus.

Sanctus Cillenus Scotus Attrebates Christo lucratur.

Quadam dic cum idem Cillenus cum sancto Pharone corpus reficeret, vas vitreum quo vinum propinabatur pincerna tenente, casu ruens, confractum est. Cernens autem beatus Cillenus vultum ministri in pallorem versum, innuit illi latenter dari frusta calicis fracti, super quem oratione facta, repente vas vitreum reintegratum est. Interea post dormitionem Vualberti episcopi Meldensis, frater eius sanctus Pharo ad idem Pontificium petitur, & à Rege Clothario quem ille de sacro fonte susceperat, assensus requiritur. Qui cum magna cordis alacritate, non modo fieri mandauit, sed etiā sine aliqua scrupulositate id fieri iudicauit. Vere admirabilis æterna sapientia, quæ tres germanos sub sacrato Trinitatis numero prædicauit Pontificiali dignitate insigniri, eorum quoque germanam magnis vitæ meritis decorari. Postquam vero sanctus Pharo in cathedra sublimatus est, quam mira sanctitatis opera in eum claruerunt, testantur virtutes, quas ob meritum eius declarandum Christus operari est dignatus.

De Miraculis eius, & tentatione carnali.

Cap. XVIII.

DIe Paschæ cum beatus Pharo manus impositione plurimos sanctificaret, atque sese, vt fieri solet, vtriusque sexus multitudo comprimeret, quidam puer allatus est inter cæteros ad confirmandum orbatus lumine oculorum. Cuius frontem cum vir Deo plenus oleo liniret visibili, & Sancti spiritus donum, & lumen oculorum recipere puer promeruit, quia Christus famulum suum per olei infusionem quanti meriti existeret participibus suis voluit declarare. Cum sanctus Antistes per ciuitatem transiens, quibus competebat visitationis pietatem conferret, contigit ante vinctorum carcerem eum transire, quem cum vincti cognouissent adesse, petere veniam facinorum, & solutionem vinculorum cœperunt. Quibus vir Dei: Exite, inquit, liberi, eo quod pœniteamini, statimque soluta sunt vincula. Nec etiam silentio est omittendum, quanta virtute animi eius conjux nomine Blidechildis, sacro velamine mancipata sancti Pontificis tentamēta aduersum se antiqui hostis iniecta malignitate repulerit. Cū igitur hæc sanctimonialis Deo inseruiret sanctimoniæ studijs, in villa residendo quam vulgo dicunt Pinneundo, Præsul Pharo recordatus ipsius amoris simul, & pulchritudinis, ad hoc vsque perductus est, vt eam ad se venire mandaret. Quæ famula Dei cum prima auditione renuisset agere, non distulit Antistes Dei mandatum ingeminare. At illa secunda huic primæ negligentiam coniunxit. Cumque his duobus mandatis tertium adiecisset, illa obstinatum intelligens animum eius, argumentosum excogitauit consilium quo Pontificem à proposito abstraheret, & suam castitatem conseruaret. Etenim ornatum abijciens vestium, totondit cæsariem capitis, & cilicio induta, sese contemplandam ei præbuit: cumque in eam intenderet, exhorruit vehementer facinus se deliberasse animo illicitum, atque abstractum se à disposito opere sagaci consilio prudentis fœminæ miratus est, quæ abiecit scandalum pulchritudinis suę à sene, ne per oculos caperetur corporis præparatus minister Deo, & sanctificatum templum Spiritui sancto.

Sanctus Pharo confirmationis sacramentū conferens cæcum illuminat.

Blidechildis S. Pharonem à se repellit.

Mira arte tētatio beati viri extinguitur.

Adhuc de miraculis eius, & obitu.

Cap. XIX.

DIe quadam egressus est ab vrbe gratia orandi ad oratorium Sancti Remigij. Dumque ab oratione surgeret, subito flebilis clamor auditur, fremitusque lugentium, & heu ingementium. Refertur nauis demersa medijs in fluctibus plena grandi populo; episcopus ascenso ponte fit pronior frigida humo, & humilē vultum deiecit, vsque ad frigidam terram. Vix hora media orauit, & flumine baculo quem dextra tenebat tāgit. Mirum dictu, ecce videres nauim depulsam relabi in summo fluctu non stridente vllo, rudente nec secāte remigio; & cunctos demersos referri summo littore, facto longo agmine obediente Sancto Pontifici elemēto fluminis.

Nauem submersam in columem reducit.

Dum beatus Audoenus in propria tellure in Burgensi saltu monasterium construxisset super torrentem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quem veteres incolæ Resbacem nominauerunt, ac oratorium beati Petri Apostolorũ Principis dedicare statuisset, idem Pharo sanctissimus huic dedicationi interfuit, quoniam idem monasterium in sua d œcesi cõstruebatur, & beatus Audoenus omnem ordinationem eiusdem loci cum consilio eius disposuerat agendam. Ipsa die dedicationis eiusdem oratorij patium marmor decentissime politum conuocati Pontifices benedicẽs cum vellent ponere super ipsum altare repente de manibus eorum elapsum terratenus ruit, & per medium fractum est tam recte, vt si quispiam ferro illud secuisset. Quod cernentes Põtifices, beatus Pharo, & sanctus Amandus cum optimatibus, Audoeno, & Eligio, de quorum manibus idem lapis elapsus est, terræ se se straverunt, orationis gemitum Deo fundentes. Surgentes vero ab oratione, vt signauerunt lapidem *signo Crucis*, ita reiunctus est solide, ac si minime fuisset fractus.

Marmor fractum instauratur diuinitus.

Idem sanctus vir extitit à Clothario Rege filiolo ipsius antistitis vsque ad tempora Childerici pronepotis ipsius Clotharij, & sedem episcopalem rexit 66. annis, in quibus & fœliciter certaminis agonem expleuit, & viam vniuersæ carnis gloriose ingressus est.

Fuit episcopus 66. annis.

Huius Natale celebratur 5. Calen. Nouembris.

De Sanctis Abbatibus Eustasio, & Attalo.

Cap. XX.

Sigebertus in Chronicis. Anno Heraclij X. Sanctus Columbanus obijt, cuius discipulus Gallus in Alemania claruit. Eustasius quoque Abbas Luxouiensis, & Attala Bobiensis post Columbanum claruerunt.

Ex gestis eius. Hic sanctus Eustasius à beato Columbano ab Italia paterno affectu directus, æquo iure subditas Monachorum cateruas rexit tempore Clotharij Regis, adeo omnibus gratus, vt nullus se beatum Columbanum perdidisse gemeret, qui eius doctrinis imbutus fuisset. De hoc iam supra diximus in gestis sancti Pharonis.

Huius Natale celebratur 4. Calen. Aprilis.

Vita S. Attali.

Ex gestis sancti Attali. Porro sanctus Attalus beato Columbano de hac luce migranti succedens, cum egregie Luxouiense cœnobium regeret, diabolus cõtra eum aliquorum subditorum corda suscitauit, qui se dicebãt tanti feruoris austeritatem, & arduæ disciplinæ pondera ferre non posse. At ille sagaciter pia fomenta præbere, & mollire corda tumentia nitebatur, suadens reminisci patres per mortificationem & contemptum præsentis vitæ regna cœlestia possidere. Cumque se nihil proficere iam cerneret pertinaces ire permisit, qui postquam ab eo segregati sunt, cum virum Dei suis detractionibus laniarent, vnus eorum subito igne febrium accensus, inter pœnas incendij clamare cœpit se si posset, ad beatum Attalum venire velle, & admissi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Vix hoc ei dicere licuit, obmutuit, & extremum halitum finaliter dimisit. At illi qui aderant videntes iniuriam viri Dei adeo vindicari, quidam ad eum cum pœnitentia redeũt, quos ille miro gaudio recepit, suisque locis suas agnoscentes culpas restituit. Alij vero, qui datum pœnitentiæ locum non redeundo contempserunt, diuersis mortibus direpti sunt, nam vnus eorum securi percussus interijt, alius dum parui fluminis alueum transmearet, irretitis poplitibus paruula vnda necatus est, tertius cum se in mari carinæ tradidisset, demersus est.

Monachi apostata male pereunt.

Quodam tempore cum Bobius fluuiolus turgidis aquarum molibus violenter & rapaciter defluens, molendinum monasterij suffodere, ac totam officinam ocius demergere, videretur, vir Dei hoc audiens. Synoaldum diaconum ad se accersiri fecit. Cui dixit: Apprehenso baculo quo sustentabatur, vade ad Bobium imperantisque voce dicito, signum dominicæ Crucis prælato, vt istas ripas perfodere desinat, ne præsumpte audaciæ modos suppleat: sed alio incedens latera ista sinat esse illæsa, imperijs se cognoscat Domini recessurum. Cumque ille viri Dei imperio obedisset, mox quoque fluuius obediens relicto alueo collis latera radens, fluenta per ardua collis latera velut animalis strictos latices sustentabat, quoadusque concaua aluei paterent, quo sustentante liquido fluerent.

Attalus fluuio imperat, & is obedit.

Vnus Monachorum dum in agro laboraret inopinato ictu ferramenti pollicem sibi ex læua præscidit, & superposita gleba quasi funus sepeliuit, pergensque ad monasterium rem patri prodidit. Cumque deinde partem abscissi pollicis terræ conditam fulcoque sepultàm sibi afferri iussisset, sputo suo illitam manui iunxit. Coniunctusque pollex carnis glutino, vt antea fuit, adhæsit tacitoque silentio, vt abiret, imperauit. Cum autem suprema vitæ præsentis hora fungeretur, inter mæsta suspiria & fluentes lachrymas cœlos intuens, vidit sibi subito eosdem apertos, quo per multarum horarum spatia, cordis rugitus premebat. Deinde gratias agens, & frarres exhortando confortans, animam cœlo reddidit.

Monacho abscissum digitum restituit.

De Sancto Vualarico, & bonis eius initijs.

Cap. XXI.

Colitur decimo Martij.

Ex gestis eius. Ex discipulis quoque beati Columbani fuit sanctus Vualaricus, qui de Aruernica quondam regione ortus, oues patris sui puerulus adhuc pascebat. Audiens autem qualiter pueri nobilium in scholis solebant erudiri, eodem desiderio prouocatus tabellam sibi fecit, & cum summa veneratione & instantissima prece impetrauit à magistro infantium, vt sibi scriberet alphabetum, & prima elementa monstraret, quo facto, lætus ad opus sibi iniunctum remeabat. Sicque in breui Dei fultus auxilio patre suo ignorante totum parauit psalterium: deinde cœpit Ecclesiam frequentare. Non multo post secutus est auunculum suum ad monasterium nomine Autimium, quem secutus pater suus minis & terroribus atque blandiciis reuocare non potuit, quamuis Abbas & fratres eum deprecarentur, vt cum patre rediret, & imponerent ei ieiunia duorum vel trium dierum si hoc non faceret. Illo autem firmiter in proposito persistente; ait Abbas fratribus: *Non abijciamus, quod misit nobis Dominus.* Post hæc cœpit semper ad altiora festinare, & peregrinationem pro amore Dei appetere. Tunc perrexit ad monasterium Macharij quondam Antiochiodorensis Episcopi, quod in suburbio ipsius ciuitatis in quodam viridario erat constructum, vbi à præfato Pontifice benigne susceptus est. Ibi etiam districtissime viuens cœpit à multis prædicari. Ad quem dum visitandi gratia quidam diues, & nobilis Bobo nomine deuenisset, audiens ab eo verbum Dei cum eo remansit, nec vltra ad sæculum est reuersus. Hi duo pariter Luxouium perrexerunt ad sanctum Columbanum. Sub huius Columbani magisterio factus est sanctus Vualaricus hortulanus, quod officium ei iniunctum est, causa humilitatis probandæ, Huius olera nec à vermibus nec à quoquam animali lædi poterant cum alia olera circunquaque deuastarentur; quod Vualaricus fratrum meritis ascribebat. Tunc cœpit sanctus Columbanus eum inter probatos Monachos reputare iudicãtibus alijs adhuc eum quasi nouitium inter pulsantes ponendum. Cum autem ad audiendum verbum Dei à sancto Columbano fratres certatim properantes intrarent, intrante sancto Vualarico cum cæteris in ipso limine sentiebat sanctus Columbanus odorem magnæ fragrantiæ & suauitatis ad se venire.

Sanctus Vualericus patre inuito in cœnobio perseuerat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De peregrinatione eius, & spiritu prophetico.

CAP. XXII.

Vualdolenus quidam ad prædicandū mitti postulat.

POst hæc quidam è fratribus nomine Vualdolenus, accensus desiderio sancto petijt à sancto Columbano, vt ei licentiam prædicandi inter gentes concederet, & pro solacio fouendæ religionis Vualaricū secum abire permitteret. Quod & ille permisit. Cumque pariter in Neustria venissent, à rege Clothario remotum locum residendi popoſcerent. Et cum ad quendam locum Ambianensium Gualimaco peruenissent, contigit, vt quidam ob reatus sui meritum in equuleo suspensus esset, ac defunctus. Quem cum à longe beatus Vualaricus inspexisset, permotus pietatis visceribus, cursu concito ad stipitem peruenit. Et prohibentibus eum carnificibus ne cadauer mortuum tangeret; ille tamen intrepidus vinculum soluit, & corpus defuncti proprijs manibus ad terram depositum, & super supinata membra eius se cum lachrymis in oratione prostrauit, ita vt à facie sua faciem illius imprimeret. Sicque astantibus cunctis, imo stupentibus quasi ex profundo somno paulatim calefacientibus membris, mortuus incolumis reuixit. Præfatus autem Rex cum Ambianensis Pontificis

Sanctus Vualericus defunctum excitat.

consensu locum eis secretum, vt petierant, qui Leucanaus dicebatur concessit, vno ex latere vicinitate maris est amænus, ex alio currit pestifer Somnę fluuius. Ibi se beatus Vualaricus in quadam cellula segregatus à fratribus reclusit, vt omni cura mundi postposita solito more tantum diuinæ meditationi insisteret, cæteri vero fratres construentes sibi cellulam de eleemosyna Regis iubebantur habere substantiam. Cum autem quædam matrona panem, & flascones aliquando per quendam puerum ei misisset, puer auiditate potus, & cibi circumuentus, partem sibi retinuit, partemque aliam seruo Dei prę sentauit. Qui cum hoc factum diuino numine cognouisset, ait: Quod nobis allatum est, inde Deo gratias referimus. Sed & tu fili hoc præuide, ne quid incaute sumpseris de illo pane, vel * flascone, quod tibi in quodam loco abscondisti, quia serpens iam est in illo vasculo, & in pane illo venenum mortiferum. Tunc stupefactus puer illico terrore obriguit, moxque reuersus cum vasculum aperuisset, & inde anguem exire vidisset, illum panem contingere non audebat, sed tremefactus & confusus de hoc quod gesserat, ad seruum Dei rediens pœnitentiam egit.

**Flascones sunt vini vascula.*

De vindicta Dei in contemptores eloquiorum eius.

CAP. XXIII.

IDem amicus Dei cum de quodam loco Caldis ad septa monasterij tempore hyemis repedaret, contigit vt per austeritatem frigoris in domum cuiusdam presbyteri cum sodalibus suis ad calefaciendum se declinaret. At illi qui tantum hospitem eximio cultu venerari debuerant, vt huius sacro eloquio, sicut ei mos erat instruerentur, magis ei turpia ac luxuriosa, & inhonesta verba vna cum iudice loci illius audacter & contumaciter loquebantur. At ille vt semper consueuerat, putridis hominum cicatricibus salubria verbi Dei medicamenta imponebat, dicens: Filij nunquid illud in Euangelio non audistis: *De omni verbo otioso rationem reddituri sumus in die iudicij.* Sed illi contempto eius præcepto, magis ac magis impudicissimis ebuliebant sermonibus. Tunc ille: Volui, inquit, propter rigorem frigoris corpusculum meum ab igne paulisper refouere, sed vestris prohibeor sceleratissimis verbis, & nunc etiam exire à vobis non calefactus compellor. Egressusque de domo puluerem ibi de pedibus suis excussit, & ad locum destinatum iter direxit, sed illos infœlices & propaces vltio diuina mox subsecuta est: nam ille presbyter qui recte sibi vel alijs prouidere neglexerat, oculorum subito lumen amisit, & præfato iudici ipsius loci statim emarcuerunt virilia, tunc sera pœnitentia ducti supplicabant humiliter vt iterum famulus Dei domum illam vellet intrare, sed ille precibus eorum non assensit. Itaque vnus in cæcitate sua permansit, alius contracto corpore, & putrescentibus genitalibus de hoc sæculo migrauit.

Iusti non sunt offendendi.

Matth. 12.

Vindicta Dei contra procaces.

De sanctitate conuersationis eiusdem.

CAP. XXIV.

ET merito vir sanctus tantis virtutibus eminebat, quæ ab vtero matris virgo manebat. Humilitas eius, & benignitas modum humanum excedebat, & in tantum diuina gratia & compunctione plenus erat, vt quotiens prędicabat discipulis, vel Deo psallens cœlum aspiciebat, totiens lachrymas effunderet, tanta in eo erat mansuetudo, vt auiculæ in manu eius sine formidine cibum sumerent, & articulis suis quandocunque vellet oblitas suæ feritatis & quasi domesticas eas palpitaret. Lectulus eius ex virgis contextus, vili * lectariola tegebatur. Facies eius valde pallida & macie confecta, quia frequenter in tota hebdomada nisi in die dominico nihil sumebat in cibo: non vinum non siceram, tantum in aduentu quodam hospitium, & in charitate de his omnibus poculis prægustabat. Quando vero pet eum Dominus languentibus gratiam curationum conferebat, vel futura & occulta pronunciabat, tunc roseo colore genæ eius nimio fulgore micabant, vt palam omnes intelligerent, quod ea per eum facta, vel dicta Spiritu sancto cooperante fiebant, sic ad fœlicem prospere properauit finem, multotiens in vigilijs pernoctauit, furtiuas orationes inter condensa veprium, & conuexa vallium frequenter fecit, tunica cum cuculla tantum vtebatur. Peccantem aliquem de fratribus iunioribus postquam iusserat flagellari, sæpe hoc fieri prohibuit, sed vocatum ad se blande admonebat, vt ista sola verecundia ei sufficeret, quatenus de cætero illud vitium non iteraret.

Cathalogus virtutum eius.

**Lectariola id est stragulum.*

Colitur 2. Decembris

De sancto Hildeuuto Meldensi episcopo.

CAP. XXV.

EX gestis eius. Per idem tempus floruit sanctus Hildeuntus natus in ciuitate Meldensi, cui episcopus prę fuit. Quinquennis traditus est sancto Pharoni sacris litecis imbuendus. Conuitia sodalium patientissime portabat. Ex quo Presbyter à sancto Pharone factus est semper cilicio ad carnem vsus est; monitu sancti Pharonis monasterium petijt; post beatum Pharonem episcopus factus est. Iuxta vrbem Meldensium habebatur Ecclesia Crucis sanctæ, in qua quondam sepultum fuit corpus sancti Pharonis. In huius ecclesiæ atrio Meldenses mortuos suos sepeliebant; accidit autem, vt quidam maligni viri beatum Hildeuntum peterent, vt in illo atrio sibi aliam ecclesiam liceret ædificare. Quod & factum est: sed idem templum auaritiæ studio fabricatum, nocte præcedente, qua in crastinum dedicari debuerat, funditus corruit. Quo timore perterritus beatus Hildeuntus est pœnitentia ductus, Romam adiit, ad Bonifacium Papam venit, vt pœnitentiam sibi iniungeret super hoc peccato. Qui post satisfactionem ab illo missus est ad prædicandum. Introiens autem per singulas domos dicebat: *Pax huic domui, pax ingredientibus & egredientibus*, & sic verbum incipiens ad finem vsque compebat. Hoc faciebat vsque ad Hierosolymam progrediens. Et reuertens septimo anno egressionis suæ retulit Papæ, quæ gesserat. Rediens autem in Galliam cum auctoritate Domini Papæ in loco, qui dicitur Latiniacus, inuenit Monachum nomine Fulseum sanctitate præcipuum, cui Angelus Domini per visum astitit dicens: Hildeuntus Episcopus mane venturus est ad te, cui à Domino peccata noueris esse dimissa, vide ergo vt eum suscipias cum honore. Ad hunc cum veniret S. Hil-

S. Hildeuntus Romam ad pœnitentiam peccatis obtinendam perrexit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

deuntus, proiecit se ad pedes eius; quod ille videns, ruit in faciem suam. Deinde peruenis Hildeuntus in vicum quendam 7. ab vrbe Meldensium milliario vbi ecclesiam in honore B. Mariæ ipse fundauerat, quam postea dedicauit, & ibi Missam celebrauit: Cumque ibi de manibus chirothecas traxisset, apposuit eas radio Solis, & sustentatæ sunt ab eo trium horarum spacio, deinde suscitauit quendam puerum sine baptismo mortuum. Quē baptizans vocauit Aldebertum ex nomine patris sui. Quem iuxta se præcepit sepeliri 7. anno postea moriturum.

Mortuus est autem Beatus Hildeuntus 7. Calen. Iunij. Horum duorum corpora beatus Mauiolus Abbas ex reuelatione Angelica postea leuauit de terra ipse & episcopi plurimi.

De sancto Austregisilo Bituricensi archiepiscopo.

Cap. XXVI.

Sigebertus in chronicis. Florebant eo tempore in Gallijs Austregisilus Bituricensis archiepiscopus, & sub eo Sulpicius Cunibertus Colonienſis, & Ioannes Tungrensis.

Ex gestis B. Austregisili. Hic Austregisilus inter cætera virtutum miracula quibus in vita sua claruit, quendam molendinarium curauit, qui die dominico temerario spiritu volens emendare molam accepto ferro ancipiti, quod vulgo scoton vocant, cæpit molam terere. Ex quo peccato adhæsit manui eius manubrium ferri illius, quod nullus poterat de manu eius auferre, & tanta districtione arctatus est, vt inter digitos eius iam cœpisset sanguis prorumpere, & aspicientibus ob fœtorem fastidium facere. Venitque ad præfatum Dei hominem, qui postulans Dei auxilium accepit manum eius vbi adhęserat malleus; & digitos primum extendens tulit ferrum istud, & manum eius attrectans omnem dolorē expulit, sanatusque homo recessit.

Vllio diuina in eos qui domum Sancti viri temerare audebant.

Post obitum eiusdem sancti cum Pipinus Francorum princeps contra Eudonem Aquitanniæ Principem volens dimicare ad vrbem Bituricam peruenisset, barbari de exercitu domum quandam in Villa Carobria, quæ præfati sancti fuerat, in qua frequenter manens iacuerat, vel dormierat vicinis contradicentibus, totam vallaverunt incendio. Statimque arrepti a dæmonio vnus ex eis abstracto ostio de ipsa domo quæ ardebat, in flammam se proiecit, ibique vitam finiuit. Alij etiam sese dentibus lacerabant, nonnulli vero sibiinuicem membra truncabant, nec multo post cum præfatus Eudo vnum de optimatibus suis Agnum nomine in monasterio S. Austregisili manere iussisset, ille quicquid inuenire potuit in ipso cœnobio comitibus suis dispensandum tradidit, ita vt nulla fratribus substantia remaneret. Cūque Abbas ei supplicasset dicens: Miserere seruis tuis, vt possint viuere, & pro te orare: & ille superbus preces eius despiceret, accedentes monachi ad sepulchrum sancti cum lachrymis orare cæperunt, vt eos Dominus ab inimico eriperet. At ille infœlix Agnus omnes S. Austregisili villas perlustrans, pecora & alia quæcunque rapiebat secum ducebat. Et dum iter ageret apparuit ei S. Austregisilus per somnium dicens: Cur me tam grauiter prædatus es, & mihi seruientes reliquisti tam tristes? Hæc dicens, percussit eum in cerebro. At ille euigilans, se à S. Austregisilo percussum exclamauit, & paulo post expirauit.

Depeculatorerum sacrarum grauiter punitur.

De sancto Sulpicio eiusdem successore.

Cap. XXVII.

Ex gestis eius. Beatus quoque Sulpicius clarissimis ortus parentibus, in flore primæuæ ætatis Christi militiam ruptis sæculi laqueis tam ardenter suscepit, vt si persecutionis tempus non defuisset, periculis se sponte ingereret. Nihil aliud adhuc in sæculari habitu positus vi sus est agere, quam monasteria construere, ecclesias instaurare, & miseris auxiliū ferre. In Ecclesia haud longe à parentum domo posita, clam silentio noctis indutus vestimentis pœnitentiæ, sacris orationibus pernoctare pergebat. Et diluculo rursum sæculari veste ornatus, sanctum propositum occultabat. Hic erat huius infantiæ ludus, talis in eo coalescebat in Deum affectus, Nocte quadam Ecclesia cum duobus pueris vigilans, cum contemplationi profundius intenderet, duo tetertimi Æthiopes apprehensos singuli pueros ab ecclesia trahere nitebantur; quos vir Dei post tergum magnis clamoribus eiulantes attendens tetros illos respexit, & manum contra eos eleuans, illos *Crucis vexillo* repressit. Quibus illico elapsis, pueri sospites manserunt.

Ex eo tempore hostis callidus omnia contra Dei militem molimina versans, quem mente non valebat corrumpere, minis fantasticis nitebatur deterrere. Fama autem de eo longe lateque resperſa, cum à fidelibus Clothario principi hoc esset suasum, ab Austregisilo Bituricæ vrbis episcopo petijt, vt vir sanctus qui iam leuiticæ sortis gradum attigerat, in castris suis Abbatis officio potiretur. Et post eodem sacro episcopo migrante ad Dominum, idem vir sanctus Domino procurante episcopalis apicis emeruit primam Aquitanniæ sedem. Decus igitur Pontificale nactus oneri succubuit non honori. Omnibus omnia factus, tradens seipsum ieiunijs indesinentibus & vigilis pene iugibus, ita, vt si quando parum aliquid somni necessitas naturalis exigeret, hunc non supra strati molliciem, qua nunquam vti consueuerat, sed super solius nattulę ciliciique superficiem deprehenderet. Tanta in eo gratia virtutum augebatur, vt non minus per eum signa, quam dudum per Apostolos fierent. Nam dæmones verbo fugauit, ægros oratione curauit, mortuum etiam suscitauit.

Eius in episcopatu vita Natiola id. est florea fuit.

De miraculis eiusdem sancti Sulpicij.

Cap. XXVIII.

Cvmque ad eum quidam de optimatibus visendi gratia venisset, & ei humanitatem quam omnibus impartiri nouerat exhiberet: ministris in aliud detentis, ignis flamma velociter tecta deuorare cœpit. Iamque resperſa cæperunt quanti vniuersa, & minante ruina, vniuersis prędidio desperatis fugam arripientibus; sacerdos Dei manu *cum vexillo Crucis* resistere nititur flammis. Et mirantibus omnibus, ita flammarum globi extemplo restincti sunt, antequam manum suam seruus Dei retraxisset, acsi magni aquarum fluminis impetu vndique vallati fuissent.

Signo crucis flammas extinguit.

Quædam mulier illustris spicis segetum repleuerat horreum magnum. Intempesta nocte scelestus ingrediens, ignem coniecit; & flamma strepente tumultus increpuit. Vir Dei reperta causa currens cum canticis spiritualibus rogum circumit, & mitis modis cū baculo, terminum defigit, quem igneus collis transgredi nequeat, flammæ itaque ex omni parte vicinas domos dū tangerent, ad se reuersæ chaos fugiunt, quod transgredi non audent.

Procul ab vrbe arborem immanem succidi præcepit quæ dum succisa velox corruit, vnus ex pueris in aliud intentus & attonitus sistens, non mortem refugit, protinus Sacerdos manum *cum signo Crucis eleuans* arborem in alteram partem vertit. Et sic de mortis periculo puerum abstraxit.

Arborem in alteram partem vertit.

Vnus ex scelleratis iu promptuarium sancti viri noctu se violentus iniecit, & diripere nitens, quæ facinus furti conceperat, cum abire festinaret, nullus remeanti exitus patuit, sed quasi carcere septus ligatur vndique reus. Sic totius noctis itinere consumpto, mane vir Dei vnum de custodibus euocat, mittens ad socium mandat vt quem errore lassatum, & quasi quibusdam vinculis arctatum, ita crimine innexum in promptuario reppertisse attraheret: Nec mora minister socium adiens vocauit, scelestum intro reperiunt, & vt attraherent com-

prehen-

prehendunt. Sed inter eorum manus elapsus, timens se in crimine deprehensum, & vndique a turbis vallatum, malensque celerem mortem subire, quam longos cruciatus trahere, in puteum cubitorum fere 80 qui ibi eminus erat, se præcipitauit, & tamen cum eum vorax terra susciperet, beati Antistitis suffragia postulabat. Tunc vir Dei velociter accurrens iubet quendam de pueris descendere, nexum & sceleſtum attrahere circumplexum. Cumque omnes eum nec posse viuere clamitarent, sed iam interisse crederent, illo vrgente famulus ingreditur signaculo sancti viri armatus repperitque alacrem, quem omnes credebant esse exanimen. Connexus ergo funibus captiuus ad solum reuocatus sancti vestigijs prostratus, postulat facinoris veniam. Illico pietate plenus indulget, & eius vsibus necessaria tribuit, sæpe monens, vt potius petat quam rapiat.

Furem se in puteum præcipitantem à morte liberat.

Cum autem vnus ex discipulis repedandi ad propria licentiam sibi postularet de ordine Leuitarum ille dilectionis affectu ne aliquid casu longi itineris accideret dare renuit. Hic vero spiritu superbiæ armatus, vix curarum obliuionem quies prima laxauerat, cum vehiculo fugam arripuit. Sed ita est cæcitate percussus, vt huc & illuc per totam noctem vacuo labore discurreret. Reddito terris die in loco de quo festinus iter arripuit se consistere cernit. Ad Sacerdotem veniens veniam petijt, cuius pia mens illico veniam tribuit confitenti.

De tentamentis dæmonum ab eo superatis.

Cap. XXIX.

Demonis ludibria fugat

CVm autem quadam nocte psalmorum cantus in baptisterio peregisset, perrexit ad beati Martini basilicam, vt ibi reliquum noctis vsque ad matutinas in diuinis laudibus expleret. Ingerens se dæmon in specie auis teterrimæ lumen quod puer præferebat primo suffocare nititur, deinde se in faciem oculosque sancti viri cum impetu se inijciens, & huc illucque eminus circũuolitans, violentum & infestum se reddebat. Cuius vir Dei gesta perpendens: scio, inquit, quis sis antiqui serpentis minister, *& facto signo Crucis* euanuit, sed de inuidia sancti viri stimulos accẽdit. Cumque vnum de pueris pro pauperum exhibendo subsidio ad quendam locum ire præcepisset, dæmon se ei obuiam intulit, seumque de vehiculo eiecit, & male mulctatum flagris exanimem reliquit. Ita defertur à proximis ad domum, & nemo retulit ad vitum. Tandem ipse spiritu Prophetiæ sensit eum continuatis diebus decem mutum, & cæcum permanere, omniaque membra permortua, & ita obseratis dentibus ex ore vt nec aquæ guttam aliquis posset interius fundere. Tunc ex affectu lachrymas fundens, & in oratione se prosternens, panis buccellam cũ vino iubet ei deferri. Mox autem vt in ore eius reseratis cum ferro dentibus stillam vini, quod miserat proximi perfuderunt, sensus amissi redduntur, & in vigorem pristinum membra redeunt: Nec multo post in ecclesia sanctus cum paucis aggreditur pernoctare: & primum quidem serpentis astutia tenui sibilo demulcet in aura, demum valido impetũ arcus, aras, lucernas, cæteraque officia concutit, ita vt putarent discipuli ecclesiam funditus euerti, & cum pauore nimio trementes ac pauentes relictis canticis, interitum expectantes pauimento adhærerent, vir sanctus fortiter, & alacriter in diuinis canticis persistebat, varuipendens quæ inuidus perpetrabat. At ille tandem cum exercitu suo in vna mole se glomerat, & putans eius constantiam grauioribus sonitibus deterrere, immenso tumultu ante faciem eius perstrepens pauimentum percutiens se præcipitat, ita vt putarent discipuli magistrum in frustra contritum fuisse; qui & diu attoniti permanserunt. Sacerdos vero diuinis iaculis aduersarium vulnerans in spiritualibus canticis perstitit, discipulos arguit, quod relictis hymnis deterriti essent minus fantasticis.

Vnus etiam ex illis cum aliquando pernoctare ad ecclesiam pergeret, diabolus bonum opus impedire nitens ei occurrit, afflictumque cædibus penè exanimẽ reliquit. Quo vir sanctus reperto, iuxta eum se prosternens fortiter ingemuit, vique dentibus reseratis sacrificium in ore eius proprijs manibus infudit, & ita repente apprehensa manu eius incolumis surrexit.

Nec multo post vnus ex rusticis arrepta manu secuti nefario opere diem Resurrectionis Dominicę polluit. Illico manus eius arescit, & cum neruis securis adhæsa reducitur. Qui cum ad seruum Dei properans, eius vestigijs se obuolueret, lugentem reum vir sanctus potius venire iubet. Ipse autem cellulam ingressurus in oratione pernoctauit, & facto mane cum ad ecclesiam pro soluendi laudibus venisset, vulgo hominem cum securi intuente, in oratione mox incumbit. Ita autem reus non sustinens cruciatus magnis clamoribus perstrepebat, vt putaretur ille locus esse commotus, & pauor vniuersos arriperet. Interea sacrilega manus subito restituitur, securis ex ea resilit, reus vbertim flens peccatum suum fatetur, & absoluitur.

Hic vir sanctus tandem plenus dierum in pace quieuit, & post obitum etiam multis miraculis claruit. *Colitur 17. Ianuarij.*

De sancta Salaberga Abbatissa.

Cap. XXX.

EX *gestis eius.* Fuit etiam eo tempus Salaberga Abbatissa. Hęc in suburbano Leucorum oppido territorio Linguonico confini, parentibus nobilibus & religiosis oriunda fuit. Cumque B. Austasius Abbas S. Columbani successor, ad eliminandam Bonosiacam hæresim in Germaniam properasset, & remeans ad præfatę puellę patrem Gondonium peruenisses ille velut gratissimum munus eum susceptit, qui inter salubria exhortationis verba scisciari cæpit: vtrum ei soboles esset. Cui ille duos adolescentulos ob benedictionis gratiam percipiendam præsentauit, sed vir sanctus si adhuc proles superesset requisiuit. Cui parentes se fatentur habere puellam dudum luminibus orbatam. Veniat, inquit, & ipse triduano igitur à semetipso exacto ieiunio super oculos puellæ oleum benedictionis infudit, & mox sanitatem pristinam recuperauit: Post hæc parentes eius de liberorum successione cogitantes, eam contra voluntatem suam cuidam generoso in matrimonio tradiderunt, qui vix eam duobus mensibus habens mortuus est. Beatus quoque Eustasius post rerum discrimina & labores, post hæreticorum procellas & scismaticorum fraudes, summis pollens miraculis migrauit ad Dominum. Cuius loco S. Vualbertus in regimine fratrum subuectus est. Sancta autem Salaberga viduata sub laico habitu, vigilijs, ieiuniis, eleemosynis intenta, doctrinam quam à B. Eustasio acceperat animo trutinabat, sæpiusque ruminabat. Iussu autem Regis Dagoberti ob liberos procreandos, cuidam viro Balduino, qui in aula regia morabatur in coniugium sociata quinque filios genuit. Tandem viro conuerso prolibusque Deo sacratis, veste religionis accepta, inito cum S. Vualberto consilio, conuenientia existente mariti cænobium puellarum in suburbio Linguonensi in hæreditate paterna extruxit.

Sancta Salaberga oculorum lumen recuperat.

Vualbertus Eustasij successor colitur 2. Maij.

Sancta Salaberga cõstruxit monasterium.

Post hæc bello ciuili inter Reges Francorum circa fines illos orto loca vicina depopulata sunt; & corpora quoque sanctorum igne cremata. Tunc illa inito consilio, cum S. Vualberto, quem postea habuit & comitem itineris, & socium laboris, paternum solum relinquens ad vrbem Lugdunensem cum maximo apparatu, & cum animabus à Deo sibi commissis perrexit. Ibique extructo monasterio intra paruum tempus trecentæ circiter famulæ Christi sunt adunatæ.

Quadam die dum beati viri Vualberti præstolaretur aduentum, & falerni copia deesset, iussit cereuisiam fieri, & indoliũ mitti, sed cum vas ad plene refertum non

esset,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

esset, soror quæ cellarium custodiebat, ad eam humiliter veniens, ait: Quid faciemus Domina, quia vas plenum non est, & aer æstuat, si S. Abbas in veniendo moram fecerit, vereor ne potus liquor acescat: Ad quam illa vade, inquit, & quod subsequens ex liquore confectum est, funde in vase. At illa celeriter pergens, vt iussionem impleret, repperit vas plenum, quod paulo ante reliquerat semiuacuum.

Mira visio Sanctæ Salaberga.

Quodam tempore vidit sancta Salaberga tabernaculum è polo miræ claritatis descendere, quod deorsum spaciosum, & sursum arduum videbatur. In quo recepta auis miri candoris & splendoris, apprehensam eam transfluuium quendam ingentem asportauit, & in prata valde amæna dimisit, vbi diuersorum florum & odoramentorum genera fragrabant, & inter candentia lilia ac rosarum rubentium flores immensa vidit infantium agmina vtriusque sexus, niueis cycladibus & laureatis capitibus ouantes. Inter quos vidit venerabilem virum Ansericũ Suessionensem pontificem, quem crebrius in domo sua accersierat, sibi obuiam venientem, & dicentem: Ecce tibi locus præparatus est, sed quia sororibus adhuc necessaria es, beata Maria filium suum deprecata est, vt à superis celerius illuc reuertaris. Iterum auis illa eam apprehendit, datoque in ore eius halitu à superis remisit. Dum autem quadam nocte soporem caperet, Angelus Domini in specie sancti Vualberti tertio ei apparuit, qui cingulum eius de renibus abstractum secum detulit, quod vlterius non comparuit. Ipse autem nimio candore refulgens, sic eam affatus est: O dulcissima filia præpara te vt brauium accipias, & exitum tuum præstolare, quia & ego ex victoria tua cupio brauium accipere. Centesima enim die laboris tui fructum cum multo feruore recipias. Præcepitque ei Angelus Domini, vt per singulos dies & noctes infra illum centenarium numerum expleret psalterium, illa autem quanto certior de promisso, tanto alacrior de obsequio.

Angelus ei apparuit.

Colitur 22. Septem.

Huius natale celebratur 10. kalen. octobris.

De Sancto Isidoro Hispalensi Archiepiscopo, & scriptis eius.

CAP. XXXI.

Sigebertus in chronicis. Eo quoque tempore in Hispanijs Isidorus Hispalensis, tum sanctitate, tum doctrina claruit.

Author. Hic sanctus Isidorus Hispalensis episcopus multa vtilia opera edidit ex quibus sunt hæc, quæ subiecta sunt.

Soliloquiorum, vel Synonimorum libros 2.
Sententiarum libros tres.
Etimologiarum li. 20.
De origine officiorum li. 2.
Ad Florentianam sororem suam contra Iudæos libros 2.
Ad Orosium episcopum de significatione veteris & noui testamenti li. 2.
Allegoriarum in Gen. li. 1.
In Exodo li. 1.
In Leuitico li. 1,
In libro Numeri lib. 1.
In Deuteronomio lib. 1.
Iosue lib. 1.
In libro Iudicum li. 1.
In libro Regum li. 1.
De corpore, & sanguine Domini, tractatus vnus, & plura alia.

Cathalogus librorum diui Isidori.

Extat apud nos liber decretorum apostolicorum, quem primus compilauit Isidorus, scilicet epistolas decretales Romanorum Pontificum, canonesque conciliorum, quę per successiones temporum diuersis locis per orbem ab episcopis catholicis celebrata sunt in vnum grande volumen compingens. Ex quo scilicet volumine siue ex eius partibus, idest, epistolis pontificalibus, & consilijs, simul & catholicorum doctorum opusculis manifestum est Iuonis & Gratiani decreta fuisse excerpta.

ANNOTATIO.

Isidorus Hispalensis prater multos alios libros, hortatu octuaginta episcoporum primus epistolarum pontificum Apostolicorum, Clementis, Anacleti, Euaristi & caterorum vsque ad Syluestrum decreta studiose collegit: cuius studium postea sunt imitati Burgardus episcopus Vuormacienſis, deinde Anselmus Lucensis, mox Iuo Carnotensis, denique Gratianus. Errant ergo Centuriatores qui epistolas decretales Pontificum à nullo fide digno authore citariante Caroli magni atatem garriunt. Genebrad. Vide plura in hanc sententiam apud Turrecrematum lib. 5. pro epist Pontif. cap. 23.

Dicta eiusdem de tentationibus carnis.

CAP. XXXII.

Sententia memoratu dignissima.

IN *libro quidem soliloquiorum contra tentationes carnis sic armat lectorem.*

Isidorus in soliquijs libro. 1. Patienter ab vno ferẽdũ est, quod multis accidit. Secutus es carnẽ, in'carne flagellaris. Tua contra te ducutur arma, telis tuis vulneraris; per quæ etenim peccasti, per hæc & torqueris. Heu difficile est prauam consuetudinem vincere. Assidua consuetudo in naturam vertitur, assiduo vsu vitium innaturatur. Quæro à lapsu resurgere, & non valeo vsui repugnare; trahor boni amore, retrahor malæ consuetudinis lege, quamuis cũ dolore, malo vsui resiste. Propone tibi aduersus carnis ardores futuri supplicij ignes. Memoria ardoris gehennæ, ardorem excludat luxuriæ.

Sap. 11.

Idem in libro secundo. Corrumpi non potest corpus nisi prius corruptus fuerit animus; castitas etenim hominem cælo coniungit, & Angelorum comitem facit. Saturitati libido semper est astricta. At contra ieiunio libido restringitur, luxuria superatur. Venis vino repletis luxuria in membris pullulat. Pocula enim sunt luxuriæ instrumenta, & igni adiecto fomite, incendium magis crescit. Si vis enim à fornicatione esse tutus, esto corpore & visione à muliere discretus. Circa serpentem enim positus non eris diu illæsus. Ante ignem consistens etsi proximus periculo, diu tutus non eris. Ferreus sis, aliquando dissolueris, ocio etiam deditis cito luxuria surripit.

Castitatis pestes.

De Humilitate, & Patientia.

CAP. XXXIII.

QVantum humilitate inclinatur cor ad infima, tantum proficit in excelso.

Humilitas vis.

Primus humilitatis gradus est libenter veritatem audire, memoriter retinere, voluntariè proficere. Veritas mentem fugit, quam humilem non inuenit; Descende, vt ascendas, humiliare, vt exalteris, ne exaltatus humilieris. Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei: tanto enim eris apud Deum preciosior, quãto fueris ante oculos tuos despectior. Humilitas casum nescit. Aequalis esto in omnibus, mentem nec gaudio, nec mærore commutes, nullus te casus imparatum inueniat. Nullus sit casus, quem non præmeditatio tua præueniat. Propone tibi nihil esse, quod non possit accidere: nam præcogitatio molestias futuras attenuat, improuisa autem mala grauiter feriunt. Disce mala ferre potius quam referre. Quod tibi in alio displicet, in te ipso displiceat. Para tibi contra verbum asperum tolerantiæ clypeum, contra linguæ gladium patientiæ scutum, conuitium non retorqueas, contumeliam ne repetas, tene silentij patientiam, tacendo citius vinces, aperi trãquillo corde dolorem iniuriæ, vulnus quamuis graue sit, apertum euaporat, valde autem animum comedit vulnus incluſum. Inuidia sibimet primum nocet, primum auctorem suum mordet: est enim animę tinea. quę sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor quasi pestis depascit. Nec fauor te seducat, nec vituperatio

Malorum præmeditatio vtilis.

Inuidia detestatio.

frangat,

frangat, qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit.

De bona, & honesta conuersatione.

CAP. XXXIV.

PRofessionem tuam habitu & incessu demonstra, sit in gestu grauitas, in incessu honestas, nihil lasciuiæ, nihil dedecoris, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in incessu tuo appareat. Mores hominis lingua pandit: qualis enim sermo ostenditur, talis & animus comprobatur, alienam vitam non laceres de malo alieno os tuum non inquines. Non detrahas peccanti, sed condole. Quod in alijs detrahas, in te potius pertimesce. Detrahentes quoque non audias, pari enim reatu detrahentes & audientes tenentur. Inter fideles non computantur, qui quod vouerunt non impleuerunt, quia fidem promissionis non soluunt. In malis promissis rescinde fidem in turpi voto muta decretum, impia est promissio, quę scelere impletur. Nulla pœna grauior, quam mala conscientia, mens enim male conscia proprijs stimulis agitatur. Prauas cogitationes tuas manifesta, vitium enim proditum cito curatur, in bonis dilatio nocet. Sæpe natura moribus immutatur, consuetudine superatur, iugis vsus in naturam se vertit, omnia vsui cedunt. Quod cum difficultate cæperis, per vsum cum voluntate perficies. Bonum quod didiceris doce. scientiam quam aute concipis ore effunde. Sapientia enim dando fit largior, retinendo minoratur. In disputione tolle certamen, tolle pertinacem vincendi defensionem. Cito cede vincenti. Plus dilige audire, quam dicere. In principio audi, nouissimus loquere, primus taceas, postremum dicas finis plus habet honoris: nam in omni re finis intenditur. Extrema quęruntur, & melior est finis orationis quam principium. Non solum factor, sed & conscius peccati tenetur obnoxius. Timor non seruat diuturnam fidem, vbi enim timor est sequitur audacia. Talem ergo te redde subditis, vt magis ameris, quam timearis, fidem etenim metus tollit, affectus restituit. Impia iustitia est, fragilitati humanæ non ignoscere, lex tua te constringit. Iudicium, quod alijs ponis, ipse portabis. Cane honores, quos sine culpa tenere non potes. Sublimitas honorum magnitudo scelerum est, & in maiori gradu sine dubio maior erit & pœna. *Potentes enim potenter tormenta patientur*, quanto itaque maior honor, tanto maiora pericula. Alta arbor ventis foris agitatur, & rami eius citius in ruinam constringuntur. Excelsæ turres grauiori casu procumbunt, & altissimi montes crebris fulminibus feriuntur. Cito patet insidijs gloriosus; Gloria enim inuidiam parit, inuidia vero pericula. Quamuis quis sæculi gloria fulgeat, quamuis cultu precioso redimitus emineat, semper tamen est in pœna, semper in angustia In sericis stratis cubat, sed turbidus; in pluma iacet, sed pallidus, in lectis aureis, sed turbatus. Tale erit opus tuum qualis & intentio tua fuerit. Qui cum tædio dat, mercedem perdit. Non auferas alteri, vnde alteri tribuas.

Detractatio fugienda.

Conscientia mille testes.

Doctrina communicanda.

Eccl. 7.

Ambitio fugienda. Sap 6.

De Dagoberto Rege Francorum.

CAP. XXXV.

Sigebertus in chronicis. Mortuo Rege Francorum Clothario regnauit filius eius Dagobertus anno Imperij Heraclij 10. scilicet ab incarnatione Domini 632. regnauit annis 14.

Ex historia Francorum. Hic Dagobertus trium regnorum Monarchiam suscepit; qui scilicet & ipse Dagobertus fuit nutritor orphanorum, benignissimus in Frãcos, in iudicio iustus, ecclesijs largus, qui primus eleemosynarum copiam per ecclesias sanctorum de fisco palatij erogari iussit in cuncto suo Regno. Rumor eius in bonos, simulque metus & timor in omnes regiones per circuitũ peruenit. Pacem in omni regno suo statuit, ac velut pacificus Salomon quietus regnum Francorum obtinuit.

Dagobertus Francorum rex.

Sigebertus in chronicis. Ipse Dagobertus aliquando iram patris sui Clotarii Regis veritus, quia consiliarium eius cæsum, & detonsum dehonestauerat, Parisios ad ecclesiam sancti Dionisii confugit. Et quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit.

De miraculo dedicationis ecclesiæ beati Dyonisij.

CAP. XXXVI.

EX historia eiusdem. Instante autem die dedicationis eiusdem Ecclesiæ 6. kal. Martij, nocte quæ diem ipsam præueniebat, populis ex more ab ecclesia seclusis, quatenus die crastina liberior Episcopis præpararetur ingressus, res contigit digna memoratu, quæ & tẽporũ futurorum ætatibus fideli innotescat relatu; an ianitorum ignorantia incertum habemus, an industria contigerit, leprosus quidam excubitoribus tamen non incognitus in Ecclesia prædictorum martyrum fide plenus pernoctauit, sacrumque locum vigiliarum gratia solus occupauit. Reliqui siquidem, vt dictum est, populi, & ipsius ecclesiæ custodes forinsecus excubabant. In ipso autem noctis conticinio tantum iubar totam illam ecclesiam illustrauit, vt multorum cereorum splendor illi iubari cederet, vt pote quam Sol diuinus suo iubare illustrasset: In somnem ducebat leprosus noctem illam, & præ claritate ineffabili obstupuit, & siquid subsequeretur lucem illam solertissimus expectare cæpit. Ecce autem repente dominus Iesus Pontificum Pontifex cum illis suis familiaribus beatis Apostolis Petro & Paulo affuit, sanctumque illud collegium sibi adiunxerat martyres glorioſos, Dionisium, Rusticum, & Eleutherium. Quam visionem nequaquam sicuti prouenire frequenter assolet somniantis more videbat, sed omnes & omnia visibilibus oculis perpendebat. Videbat namque ipsum Dominum Iesum niueis vestibus indutum præcedentem, & signa suæ dedicationis luculenter illis parietibus imprimentem, & seriatim officium episcopale cõplẽtem, ipsum vener abilem fidelium suorum processionem subsequentem, inter quos specialiter & prædictos Apostolos, & inclytos martyres annotauit. Completoque de more dedicationis officio, ad leprosum saluator accessit, eique voce quæ posset intelligi dixit. Intrepidus audi, & foris expectantibus nostris episcopis, quæ vidisti, & quæ tibi mandauero aperi, ne soliciteutur decætero pro dedicationis ecclesiæ officio, quoniam & nos ei manum consecrationis adhibuimus, & prout vidisti totum consecrationis officium expleuimus. Leprosus autem, & pro ordine diu expectatę visionis iam securior & pro saluatoris alloquio aliquantulum hilarior. Et quis, inquit, Domine mi, dictis meis aurem credulam accommodabit? Ego omnium hominum miserrimus & abiectio plebis factus, apud homines testandi locum non habeo, quoniam sicut vides elephantina peste deformiter laboro. Quid multa? ad elephantuosum accedit saluator, & leui tactu faciei eius manum admouit, eiusque caput circuntetigit, & mirum in modum ablata cum ipsis horribilibus pustulis cute, ipsaque cesarie leprosum sanitati potestatiuus Medicus restituit, & ipsam quam capiti eius carneam tunicam detraxerat lapidi, qui proximus erat imposuit, eamque sicut heri, & nudiustertius fuerat effigiatam cum ipsis vlceribus manere fecit, vt ipsam faciem excoriatam faciem veram putares, & leprosa effigie nihil dubitares; & adiecit: Vade, inquit, & si tibi non credent, istis saltem signis nullatenus discredent. His dictis, & lux illa, quæ pro sui magnitudine multorum luminarium iubar obfuscauerat astitit, & beata visio inspectantis oculis disparuit.

Quomodo Diui Dyonisij ecclesia à Christo fuerit consecrata ex Historia Dagoberti.

D. Dionisij ades à Christo dedicatur

Leprosus à Christo curatur.

De

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De propalatione eiusdem miraculi.

CAP. XXXVII.

DIes illuxit,& quidam matriculariorum Ecclesiā ingressi sunt, & in gratiarum actione leprosum reperiunt. Rogat se ad Imperatorem conduci. Rem siquidem,inquit,ad eum habeo secretam. Ad Dagobertum adducitur, & diuini oraculi seriem proloquitur. Vere dedicationem istius ecclesiæ à Domino Deo factam hac in nocte vidi,& audiui,& ita demum redditus sum sospitati. Et extendens digitum: Hæc est,inquit,fenestra,per quam Dominus aulam hanc introiuit. Si mihi non creditis,saltem venite,& ipsis operibus credite. Et adduxit eos ad lapidem nobilibus indicijs insignem. Rex admiratur,quoniam adhuc de veritate ambigebat, hominem peregrinum, & tanquam mendicantem aspernabatur,& egenum. Tandem discredenti detracta satisfecit cesaries,& super lapidem posita index miraculi leprosa fuit effigies. Indubitandum,& euidens præbebat testimonium,decorati vultus superstes indicium, vt enim verum fatear lineamenta membrorum,capitis, aurium,dico,& palpebrarum,oris & narium ita suis locis manebant immarcida, quatenus omni ambiguitate procul expulsa de miraculi veritate ceruicosi etiam & increduli siqui fuerant stuperent,confutarentur,& crederent. Nam vt magis stupeas,mollis cuticula, licet intus inanis,& vacua durans integra sic riguerat ac si gemmis ossibus sustentaretur & carnibus aleretur. Albugines etiam & impetigines elephantinæ percussionis sic illo in paleo dignoscebantur,vt adhuc ipse vlcerosæ cicatrices humore intercutaneo sudare viderentur. Aspersus rumor,& certus ad admirationem,& gratiarum actionem inuitat episcopos, & conglobatos ad dedicationem,ad laudem cogit populos. Visum ibant omnes certatim,leprosi capitis formam intuebantur, & admirabantur,& congratulabantur. Parietes diuinis insigniti manibus,rei gestæ testimonium perhibebant. Quæ & signa nec abolita, nec abolenda vsque hodie totum ita factum proclamant. Alloquuntur Seniores luculenter populos,& ostensa omnibus cæsarie tolluntur ambages de medio. Reconditur cæsaries illa competenti in capsula,quam vsque hodie inter honorabiles reliquias, & gazas celebriores illius ecclesiæ conseruant scrinia, vtpote quam ipsa Dei manus tetigerat. Conuenerunt autem populi,& quoniam nomen eius ignorauerunt, ex tunc eum sanctum Peregrinum vocitauerunt: lætiores redeunt ad propria, & de diuinitus consecrata passim contestantur ecclesia. Dagobertus super hoc non mediocriter lætificatus de honoranda ecclesia cogitauit,& ne cui de cætero subijceretur nisi Romano Pontifici, priuilegio beati Petri fecit eam muniri. Insuper etiam regalibus eam donariis honorauit,cui quicquid de suis fiscis regalibus conferebat,parum erat.

Matricularij sunt ecclesiæ custodes.

Colitur hæc dedicatio 24 Februarij.

De sancto Magnobodo Andegauensi episcopo.

CAP. XXXVIII.

EX *gestis eius*. Temporibus huius Dagoberti claruit sanctus Magnobodus Andegauensis episcopus,cuius festum celebratur.17. kalen. Nouembris. Qui scilicet Dagobertus famā bonitatis eius comperta, eum ad se Parisios accersiri præcepit. Cum ergo ciuitatem ingrediens valuas transiret,rei qui in ergastulis tenebantur,comperto eius aduentu, vocibus importunis eius solatia petebant. Iudicem ergo adiens, rogare cæpit, vt damnatis veniam præstaret. Et voluntati eius aduersans eum sine affectu abire fecit,qui ecclesiam,qua tendebat ingressus,Christum exorauit,vt noxios liberaret à nexibus. Repente compedes sunt attriti, manicisque concussis aditus carceris libere vinctis patuerunt,prosilientesque & sancti viri vestigiis prouoluti gratias retulerunt. Idem vir diœcesim sibi commissam illustrando circumiens,cum ad prædium, quod Quartiniacus dicitur peruenisset,pueri garruli conuicia nefanda ludendo iactabant. Quos illo intuente,subito vnus ex eis puluerimixtus,cum omni pernicitate raptus per aeris vasta more globi hac illacque ferebatur. Tunc sodales cum parentibus tristes ac territi per deuia quæque, ac rupium & vallium amfractus sectantes,nihil profecerunt. Iam que desperatione adacti, tandem per inuia ac dumosos tramites fatiscentes puerum repeterunt inter condensa veprium semianimem, & vix exilem anhelitum trahentem: quem parentes cum magno gemitu pallio inuolutum,& pene cunctis artibus discerptum, in præsentia sancti viri detulerunt; qui apprehensa manuum leuauit,& vitæ præpotem, ac valentem parentibus reddidit.

Reos à carcere liberat.

Quodam vero tempore cum iter faciens nauali solatio ad transmeandum fluuium indigeret,linter citra amnem situm videbatur,sed deerat qui ei adducere conaretur,qui cum more solito ad orationem confugeret, repente prora ex loco in quo annexa tenebatur exiliens, absque remige ad littus in quo præstolabundus aderat, natando deuehitur. Qui Deo gratias agens cum omni comitatu suo in eam descendit,& ad locum quo tendebat prospero cursu peruenit.

Quodam tempore cum ex famis inedia, ad virum Dei,vt consuetum erat,agmina pauperum vndique cōfluerent,ipse vt dapsilis largitor agapem fecit, & omnes vsque ad satietatem refecit. Cumque clientuli eius summam nummorum indagarent, qui in cibis pauperum distributi fuerant duplicata reppererunt, quę erogando consumpserant.

Agape pro conuiuio pauperum Christianis vsitata.

Abbas quidam Heraclius virtutibus eius inuidens per viros malitiæ suæ conscios poculum mortis clam ei propinari iussit,quos ille ad se venire conspiciens, præstigia eorum mortifera diuinitus intellexit. Sed euangelici præcepti memor,omnem eis humanitatem in cibo & potu exhibuit; deinde monita salutis adhibens, vt à tam nefanda versutie secederent, ne strictius pœna in barathro mulctarentur persuasit, datoque pacis osculo indemnes abire fecit.

De hæresi Heraclij,& principatu ac lege Machometi.

CAP. XXXIX.

HVgo *vbi supra*. Per idem tempus Syrus Alexandrinus episcopus,& Sergius Constantinopoleus patriarcha Monothelitarum hæresim prædicabant, qui scilicet vnam tantū in Christo naturam esse putabant,à quibus deprauatus Heraclius Augustus,post tantas victorias aberrauit à catholica fide, vnde diuino iudicio Agareni,qui & Saraceni dicuntur, Haumaro duce eius imperium grauiter cæperunt lacerare. Nam Haumarus Damascum & regionem Phœnicis & Hierusalem totāque Syriam occupauit & Antiochiam comprehendit: promotus est etiam Mauchias à præfato tyranno prætor & Admirans totius regionis quæ est ab Aegypto vsque ad Euphratem.

Heraclius labitur in hæresim.

Hac pręterea tempestate Saraceni,qui,& Turci dicuntur,Machomet Pseudopropheta eis ducatum præbente,à suis sedibus exierunt,& Imperium Heraclii grauiter deuastare cæperunt. Porro iste Machomet Saracenorum & Arabum Princeps,& Pseudo propheta fuit de genere Ismael filii Abrahæ. Qui cum in primæua ætate sua esset mercator,pergebat frequenter cum camelis suis apud Aegyptum, & Palestinam cum Iudeis & Christianis,à quibus tam nouum, quam vetus didicit testamentum. Sed & Magus perfectissimus effectus est. Et cum hac illacque discurreret,contigit,vt Corozaniā ingrederetur prouinciam,cuius prouinciæ domina Eadiga nominabatur,quæ cum diuersas species quas secū Machomet attulerat miraretur,cæpit ei præfata mulier familiarius adhærere. Quam Machomet incantationum suarum præstrictam fantasmate cæpit astu paulatim in errorem inducere, dicens ei quod ipse esset Messias,

De Machometo Agarenorum legislatore fadissimo, de quo Diac. lib. 8. Blond lib. 9. Decad. 1. Nauc. gen. 22. Zonoras & multi alij.

quem

quem esse venturum adhuc Iudæi expectant. Suffragabantur verbis eius tam incantationum præstigia, quam callidatis eius ingenia copiosa: qua opinione non solum potens mulier est decepta, sed & omnes Iudæi, ad quos fama eius pertingere poterat, ad eum cum Saracenis cateruatim confluebant attoniti tanta nouitate rei. Quibus cæpit nouas leges fingere, & eis tradere, adhibens etiam ipsis legibus testimonia de vtroque testamento. Quas leges Ismahelitæ suas appellant, eumque suum legislatorem esse fatentur. Præfata quoque mulier videns hominem Iudæorum, & Saracenorum pariter contubernio vallatum existimabant in illo diuinam latere maiestatem. Et cum esset vidua assumpsit est sibi maritum. Sicque Machomet totius prouinciæ illius obtinuit principatum. Deinde vero Arabes ei adhærentes, regnum Persidis cæperunt infestare, ac demum orientalis imperii fines vsque Alexandriam super Heraclium inuadere. Post hæc vero Machomet cæpit cadere frequēter epileptica passione. Quod Eadiga cernēs valde tristabatur, quod nupsisset impurissimo homini, & epileptico. Quam ille placare desiderans, talibus sermonibus demulcebat eam dicens; quia Gabrielem Archangelum loquentem mecum contemplor, & non ferens splendorem vultus eius, vtpote carnalis homo deficio & cado. Credidit ergo mulier, & omnes Arabes, & Ismahelitæ, quod ex ore Archangeli Gabrielis illas susciperet leges, quas suis discipulis dabat, eo quod Gabriel Archangelus sępe à Deo mittatur hominibus sanctis.

De quibusdam libellis, in quibus agitur de ipsius fallacijs.

CAP. XL.

Prodigijt quibusdam impostor perfidiæ suæ confirmare nititur. Machometus legem versibus rithmicis condidit vt imperita multitudini esset suauitate cantus plausibilior eā. Alphurcam nominauit, ideſt sectiones & capita, quod missam sibi à Deo fabularetur, non simul, sed vt Sybillæ folia, diuersis locis & temporibus discretis, ne quis in ea consequentiam, ordinē, rationem, sapientiam curiosius inquireret. Quare odmen alioriū Machometi successorum auxilio illam in integritatem primo collegisse notat Chronicon Saracenoiū

AVthor. Fertur autem esse libellus in partibus transmarinis de Machometi fallaciis, in quo legitur, quod ipse volens sibi conciliare animos populi Arabum dixerat se esse Prophetam ad eorum salutem diuinitus missum, vt videlicet legem Iudęis & Christianis, quę nimirum rigida nimis ac seuera esset, mitiorum præceptorum promulgatione temperaret. Et vt eiusdem missioni ad instar Moysi prodigia quædam viderentur testari, populum assignata die conuocauit ad certum locum, quasi legem diuinitus missam in signis & prodigijs accepturum. Tunc eo sermocinante ad populum columba, quæ in vicino erat ad hoc ipsum fallaciter edocta, super humerum eius aduolans stetit, & in eius aure iuxta morem solitum grana inibi reposita comedens, quasi verba legis ei suggerere simulauit. Taurus quoque similiter ad hoc ipsum consuetudine quadam edoctus vt de manu eius pabulum acciperet, ad vocem eius coram populo venit, & quasi legis nouæ mandata cælitus missa, quæ ipse cornibus eius alligauerat detulit. Sed & picerias lacte ac melle plenas, quas ipse in certis locis terræ latenter infoderat, quasi per diuinam reuelationem ibidem effodi fecit, & populo velut in signum abundantiæ futuræ, quam per eiusdem legis obseruantiam idem populus mereri iuberetur, ostendit. Sicque quasi miraculis, & magnalibus diuinis congratulantes, & acclamantes seduxit, atque ad legem suam quasi diuinam recipiendam pertinaciter animauit. Porro de libro Legis ipsius, qui Alchoranus dicitur, qualiter confictus sit, & quam dilaceratus atque confusus dicetur paulo inferius.

Hic enim pauca libet inserere de libello disputationis cuiusdam Saraceni, & cuiusdam Christiani de Arabia super lege Saracenorum & fide Christianorum inter se. Qui ambo probati Philosophi, & in secta sua perfecti Emithilmomini Regis Saracenorum erant familiares ac noti, sibique inuicem amici charissimi. Hunc autem librum fecit dominus Petrus Abbas Cluniacensis de Arabico in Latinum transferri à magistro Petro Toletano, iuuante Petro monacho scriptore, cum esset idem Abbas in Hispaniis constitutus cum Imperatore Adefenso, eo anno quo idem Imperator Choriam ciuitatem cæpit, & inde Saracenos fugauit.

De origine ac vita ipsius.

CAP. XLI.

HOmo igitur iste videlicet Machomet pupillus fuit in sinu patrui sui Abdamanef, qui cognominatur Abdemutalla. In cuius tuitione Pater ipsius moriens eum commendauerat, eratque tutor, & curator illius. Ipse vero præterea cultor fuit Idolorum quæ vocantur Ellechet Aleze in Mecha cum omni domo, & generatione sua, sicuti in sua scriptura testificatur dicēs, ita dictum sibi fuisse: *Nonne tu fuisti pupillus, & collectus es? & in errore, & iustificatus es? & pauper, & ditatus es?* Ita ergo vixit vsquequo peruenit ad seruitium camelorum Adigæ filiæ Hulert, cuius factus fuerat mercenarius. Et proficiscebatur cum camelis in Syriam, & in alia loca, donec duxit eam vxorem, interueniente causa quam tu scis. *Machometi educatio.*

Postquam vero se diuitem factum eiusdem mulieris opibus vidit, conatus est super gentem & patriam suam regnum arripere, sed dum hoc ad effectum, prout cupiebat non posset perducere, præsertim cum paucos adhuc fautores haberet, & arte & ingenio magno vsus est, vt qui Rex esse non poterat, prophetam se Dei simularet esse, & nuncium. Hoc displicuit omni parentelæ & generationi eius quæ vocabatur Chorais. Cumque hoc modo prophetæ sibi nomen vsurpasset, ingressus est ad homines, qui tanto facilius qualibet astutiæ machinatione decipi poterant, quanto longius ab omni sapientia & vsu ciuilitatis, totiusque humanæ prudentiæ honestate, per agros & villulas sequestrati, quid Dei nuncius, vel propheta esset, aut in quo cognosci deberet, denique, quid inter veritatem & mendacium, inter fatuitatem distaret, & sapientiam, discernere nesciebant. Ad hos decipiendos, cuiusdam astrologi cuius postea nomen & causam dicemus, operè & consilio non mediocriter confortatus, homines ad se pestiferos, & viarum insidiatores, fugitiuos quoque, & homicidas sibi aggregauit, quos etiam ad deuia siluarum, ad cacumina montium, & ad proxima fontibus loca, circunquaque mittebat, insidiari scilicet negociatoribus, & iter agentibus ad interficiendum tam camelos quam cætera quæ ducebant, vel quæ negociationis vel necessitatis causa portabant. *Ambitionis causa vocauit se prophetam Dei.*

De furtis, & latrociniis eius.

CAP. XLII.

DE ipso etiā scimus, quod primo tempore prophetiæ suæ cum de ciuitate veniret ad Mecham, & inueniret hominem camelum habentem, eundem illi camelum abstulit, & cum iam quinquaginta trium annorum esset, tali beneficio prædicationis suæ primordia dedicauit. Habuit autem ibi quadraginta de suis, qui affuerunt custodientes eum ab illis de Mecha, quos valde in sestos habebat, eo quod ipsi omnes artes eius, & maleficia nosset. Oderant quippe illum nimis quia cum latro & pestifer esset prophetam Dei se esse stultis hominibus mentiebatur. Abiit autem in ciuitatem quandam destructam, quam ex maiori parte Iudæi pauperes inhabitabant, in quam cum ingrederetur, volens ostendere iustitiæ suæ regulam, & prophetiæ modum, pupillis cuiusdam carpentarii filijs domum abstulit, & in eam Meskidam fecit. Deinde misit in prima sua expeditione Hanzetam filium Abdimelech cum equitatu triginta virorum, ad siluas regionis Mehemet rapere camelos Chorais quando reuertebantur de Syria. Cumque illi occurreret Hebagel filius Gysen, in trecentis viris de Mecha dispersis, vbique cū eo erant, nullum certamen ausus committere, fugit. Post hęc in secunda expeditione misit Hugaida Alarachi filii

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex latrocinijs & vita Machometi turpiter acta colligitur illum nõ fuiſſe Dei prophetam.

Amichallabi ſicut tu nouiſti in 60. militibus, vt eſſet duplex humerus primo cætui, nec facile ab aliquo terreri poſſent ad loca proxima Alfagati. Cui occurrit Ebezein cum ſuis militibus. Inter quos tanta extitit effuſio ſanguinis quantam ipſe nouiſti. Ego autem nullum ibi ab Angelis adiutum eſſe audiui., cum dicatur in Alchorano, quod Angelus Gabriel in ſimilitudinẽ equitãtis ſuper albam equam habens veſtimenta virida comitatus fuerit filios Iſrael, cum eos perſequeretur Phatao in quadringentis curribus. Sed veniamus ad tertiam expeditionem in qua cum miſſus eſſet Zaid filius Ebibacad, ſimiliter non longe ab Algafati in viginti viris, & non inueniſſet camelos, iam enim altera die tranſierant, ſpe ſua & deſiderio fruſtratus, inanis & vacuus redijt. Licet autem tres iſtæ expeditiones ſufficere poſſint ad conuincendam falſitatem tui Prophetæ, non tamen alias ipſius quas per ſe voluit facere improbitates tacebimus illam ſcilicet primum commemorantes, qua egreſſus eſt ad capiendos camelos Chorais quando venit ad locum, qui dicitur Guedem, Vbi cum conueniſſet Vmbrem filium Guhſelmuhit, & non prævaleret aduerſus eum, redijt vacuus. Iterum exijt per ſemetipſum donec veniret Iambo, quærendo iterum camelos Chorais, qui erant apud Sem, & quibus inſidiabatur in redeundo, & quamuis tunc pro eis acriter dimicaret, tandem confuſus abſceſſit. Aduerte ſi huiuſmodi expeditiones ad Dei prophetam debeant pertinere, in quibus nihil aliud quam fraus & violentia, & humani ſanguinis effuſio & quicquid prorſus latrones, & viarum inſidiatores faciunt agebatur. Fueruntque expeditiones ipſius vigintiſex, præter inſidiárum aſſultus, qui fiebant nocte ac die, quarum nouem ipſemet fecit, reliquas ſocijs imperauit.

De crudelitate ipſius.

Cap. XLIII.

Machomet impius fuit homicida, & perpetrator omnium ſcelerum.

Faciebat etiam quod peius eſt, vt ſi qui ei in iſtis ſuis maleficijs contradicerent, vel in aliquo eum reprehenderent ſtatim eos vbicumque ſibi contingeret, aut per ſe, aut per ſuos, dormientes ſiue vigilantes proditorie iugularet, ſicuti ſenem illum Iudæum dormientem ſecurum in lecto ſuo ideo iugulari fecit, quia ſe ab illo vitnperatum dicebat. Quis vnquam non dico prophetam, ſed qui vel in modico qualemcumque Dei notitiam haberet, talia feciſſe auditus eſt? An non poterat aliter de Iudæo illo ſuas iniurias vindicare, niſi dormientem confoderet, quod non ſolum apud Deum, ſed & apud omnem creaturam ipſo auditu ſuper omnia mala horribile eſt. Certe quod de brutis animalibus ipſa humani cordi naturalis affectio fieri deteſtatur, adeo vt pupillos auium in nido repertos nullatenus occidere pro lege teneat, iſte de hominibus faciebat. Vnde igitur hoc illi niſi ex diaboli parte, qui proditor & homicida primus ab initio extitit ineſſe poterat, quod & humano & diuino iudicio omnes impietates exuperat. Vbi eſt quod dicebas eum in ſua ſcriptura dixiſſe: *Miſſus ſum ad homines cum pace & miſericordia*. Hæc & his ſimilia, quæ ſi per ſingula dicerentur, poſſent fatigare legentem tu vide ſi prophetæ Dei opera ſunt. Nam illam ridiculoſam ipſius expeditionem ſuperfluum puto retexere in qua cum ei præſciſo labro dentium etiam inferiorum medius excuſſus fuiſſet. Inſuper & à Gutheba filio Abhiacad in fronte & facie vulnera ſuſcepiſſet, filius Cumennæ dextrum cum humero brachium pene illi ſuſtulerat, niſi à Thala filio Humecalla, qui ibi digitum perdidit, defenſus euaderet, cui tamen digitum quod ſatis prophetam decuiſſet non reſtituit, oſtendens quam alienus ſit ab illo qui ſicut euangelium narrat, etiam inimico auriculam abſciſam reddidit. Iſte enim nec amico qui ſe pro illo morti obiecerat in aliquo ſubuenire potuit. Et vbi erant Angeli qui olim cum prophetis ſemper fuiſſe leguntur, eoſque à perſecutoribus defendiſſe, ſicut Heliam ab Achab, Danielem & ſocius eius à Nabuchodonoſor, multosque alios quos enumerare longum eſt. Ego autem mirari non ſufficio, quo pacto tibi perſuaſum ſit Dei eſſe nuncium prophetam hominem, cuius vt breuiter eius facinoroſam vitam demonſtrem, nulla fuit alla operatio vel meditatio, quam homines interficere, aliena diripere, inceſtus & adulteria perpetrare.

De impudicitia eiuſdem & flagitijs.

Cap. XLIV.

Spurciſſima & luxurioſa vita Machomet explicatur.

Qvi tale dedecus in ſcriptura prophetiæ ſuæ ſibi facere non erubuit, vt diceret datum ſuis renibus à Deo quadraginta viros in coitum potentiſſimos fortitudine libidinis adæquare; vbi quoque inter cætera rebus odoriferis & mulieribus ſe delectari dicit. Sed vt etiam de his aliquid nominatim dicamus, nonne ipſe cum adamaſſet Temech filiam Gayſi vxorem Raidi, & non poſſet eam habere, Deum illũ in Alchorano introduxit loquentem ita: Cui dedit Deus, ego illi faciam virum tuum retineri ſuper te, tu aut timebis Deum, & celabis quod facturus eſt, & ſi times hominem, magis Deum. Iterum ad ſeipſum loqui Deum faciens, cum, inquit, compleuerit Zaidi vir eius votum ſuum in eo, tunc eam dabimus tibi. Nihil eſt enim prophetæ difficile, in eo quod Deus inſtituit. Quid vero turpius dici poteſt quam quod ſe in ſua vxore quæ vocabatur Ayſſa, ipſe feciſſe dicitur? Hæc enim cum pulchra eſſet & libidini dedita diligebatur à Zhaphagam filio Almuhathan Ethſulemi, qui & conſuetudinarium cum ea ſtuprum gerebat ipſo Machomet ſciente & conſentiente. Cumque multi inde loquerentur, & teſtificarentur maximeque Muſatha, & Hazen, ad vltimumvero Hali filius Abitalib, princeps & nobilis inter ſuos, inde eum liberius argueret, copiam mulierum eſſe dicens, nec decere tãtum hominem à muliercula dehoneſtari, dignamque eſſe repudio confirmaret; reſpondit nullam ſibi adeo charam vel dilectam, vtpote quam virginem acceperat, & adhuc iuuencula videbatur, non ſe inde curare nec propter hoc mulierem ſibi habilem dimiſſuram, vnde vſque hodie odium eſt in Arabia inter generationẽ Ayſſæ & generationẽ Hali. Poſtmodũ vero dicit in Alchorano mulierẽ illã innocẽtẽ eſſe, & ſibi hoc diuinitus reuelatũ. Fuerũt autẽ vxores eius quindecim ingenuæ, & duæ ancillæ, quarum vna fuit Humetilinæ, cuius nomen Iud filia Abinnei, ipſa eſt ſeducta mater infantium de qua dixit Machomet quod auferret ab ea zelum quando diſceſſit ab eo ad matrem ſuam fugiens vxorem Gaiere, quam poſtea reuocau it dans ei veſtes & ornamenta & duas armillas. Ipſa vero accepit hæc de poſſeſſione huius ſæculi & futuri. Alia fuit Zameb filia Gayſi, Zaidi, cui ipſe miſit portionem carnis, & ipſa reſpuit, Vnde & ipſe indignatus eſt in ea, propter illam quoque in alias vxores iratus propoſuit ſe ad nullam earum ingreſſurum per vnum menſem, ingreſſus tamen viceſimonono die. Alia quoque Zaphia Iudæa Alabaſtria filia Hai, filij Aptab, quam docuit gloriari ſuper alias vxores ſuas quæ improperabant ei iudaiſmum & vt diceret eis: Ego cuius pater eſt Aaron patruus Moyſes, maritus Machomet. O quam longe eſt ab iſta impura & turbulenta doctrina, chriſtianę diſciplinæ pia & ſancta religio, ſi vna ſola vxor à Dei amore impedit hominem, quam qui tantas habebat officium prophetæ congrue adimplere poterat? Officium namque prophetæ non aliud eſt quam ieiunare, orare & prædicare, & his ſimilia bona opera facere, quibus miror ſi homo tantis flagitijs deditus vnquam potuit vacare.

Caluiniſtarum ſecta recta ad Machometum ſpectat. Nec vlla vnquam fuit Machometiſmo propior. Certe Lutherus ipſe omnium hæreticorum noſtri ſæculi anteſignanus egregie in omni turpitudinis dedecore eſt Machometum imitatus. Quantum etiam Beza in hac faditate ſit tota vita volutatus, ſcripta ipſius abunde declarant. Vnde nemini dubium eſſe poteſt Lutheraniſmum & Caluiniſmum proxime ad Machometiſmum vita primum, deinde etiam doctrina accedere. Machometũ non fuiſſe prophetam oſtenditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De hoc quod falſo propheta dictus ſit.

Cap. XLV.

QVod ſi quis obijciat multos male vixiſſe, ſed tamen bene docuiſſe,qualiter etiam veſter prophe-
ta docuerat videamus;propheta eſt ignota prędicens,ſi-
ue de præteritis,ſiue de futuris.Scimus autem quod o-
lim quando prophetæ fuerunt non ſtatim quicunque
hoc nomen vſur paſſet auctoritatem habebat, ſed longa
& diuturna vitæ ſanctitate ſignis quoque & miraculis
Qua Ma- à principibus & populis Dei primitus comprobatus,
chometus huius nominis gloriam obtinebat:Si dixeris eum multa
docuerit. præterita enarraſſe,veluti de Adam,de Noe, de Abra-
ham,de Moyſe & Chriſto,vtinam ſicut apud nos erant
ipſe ea veraciter prædicaret,& non per multa mendacia
delirans,totam pene ſcripturę ſanctæ veritatem ſubuer-
teret. Quantum ergo ad præterita iam de ordine pro-
phetarum cecidit,qui tot mendacijs veritatem corrupit
Sane ſi aliquas fabulas forſitan ad ſuum libitum com-
poſuit, quæ nunquam auditæ ſunt, nullatenus ei cre-
dendum eſt, quia hoc à quolibet facile poteſt fieri, &
ipſe iam in alijs mendax probatus eſt. De futuris vero
quod nihil dixerit,nec teipſum ignorare puto, maxime
cum in tota ſcriptura eius nihil tale inueniatur, vnde &
quantum ad futura à prophetali gratia excluſus,iam nec
ſignis nec miraculis nec prophetia, nec vita inter pro-
phetas eſſe merebitur:nam illud totum quod de Para-
diſo quaſi prædixiſſe videtur, ad nihil aliud nos cogit,
niſi vt dicamus eum ita mentiri de futuris, ſicut proba-
tus eſt menticus fuiſſe de præteritis. De ſignis ve-
ro & miraculis quod non ſint illi data à Deo,ipſe ſibi
teſtis eſt dicens, ita ſibi dictum à Deo ,niſi ſciremus eos
tibi non credituros,ſicut nec alijs crediderunt, daremus
tibi ſigna & prodigia. Iterum forſitan dices, quia niſi eſ-
ſet propheta nunquam ad talem potentiam peruenis-
ſet, maxime cum ſocij eius pauci eſſent numero, quan-
Cur Macho- do pugnauit contra Regem Perſarum, qui erat for-
metus Per- tiſſimus atque potentiſſimus, & obtinuit triumphum
ſas vicerit. Quamuis vero ſemper illi qui Dei cultores ſunt ho-
ſtes ſuos ſuperent, tamen inueniuntur etiam in ſcrip-
tura ſacra pauci Idolatræ multos Iſraelitas fugaſſe.
Sed & illi qui ſemper vincunt, non propter ſua merita
ſemper vincunt;ſed quia illi contra quos dimicant, tali
pæna digni ſunt. Nihil enim mirum eſt Perſarum
gentem Idolatram & ſpurciſſimam à Machomet vi-
ctam eſſe, non quia ipſe melior illis erat, ſed quoniam
ipſi hoc promeruerant,vt à ſibi conſimili diabolo puni-
rentur.Illud denique quod ſibi dicit Deum dixiſſe, niſi
ſciremus eos tibi non credituros, &c. ad Arabes quid
pertinebat,qui nec prophetam viderant,& ideo nec ſig-
na prophetica contempſiſſe vnquam potuerant. Cuius
autē impudentiæ eſt dicere illos ſignis eius non credituros,qui non ſine ſignis tantum, ſed & ſine aliquo alicu-
ius boni iudicio,quod nec pecora facere debuiſſent,peſ-
ſimæ vitæ homini crediderunt.

De fabulis ab eo conſictis.

Cap. XLVI.

QVia ergo illum tam philoſophicis rationibus
quam diuinis auctoritatibus ſua etiam confeſſione
ab omni prophetali gratia extraneum eſſe probauimus,
reſtat vt quales ſint fabulæ in quibus contra id quod
Anmile; Ma- ſupra dixerat, ſigna ſe feciſſe aſſerit, videamus. Dicitur
chometi fa- itaque ibi quod aliquando audiens vlulantem lupum,
bula. ſocijs ait, ſe ex voce eius intelligere,quia lupus ille in-
ter alios maior & princeps omnium eſſet. O ſignum
propheticum. Nonne ſimiliter potuit dicere quod lu-
pus eum in illa voce prophetam eſſe ſignaret? Quis
enim inde illum poſſet arguere cum quid inter ſe lupi
dicant,homines neſciant,Certe fabulam hanc multo vr-
banius, ſi quid intelligeret cōponere potuiſſet.Sicut &
de quodā alio lupo ibi refertur,quod cū allocutus fuiſſet
Vehebem filium Heum ſtatim ſic factus eſt Saracenus,
vbi ſi leonē pro lupo ille fabularum cōpoſitor poſuiſſet,
multo elegantior fabula extitiſſet.Sed non immerito fa-
bulis ſuis prędipue lupos intexuit,qui more lupi rabidus
ſemper & cruētus inceſſit.Qui etia bouem Zozai domi-
no ſuo locutum fuiſſe dixit,& quod ſuper vbera Hume-
mabet mulieris manum ſuam poſuerit. Itē quod ipſe
præceperit arbori,& ſtatim adorauit eum. Quod tamen
Saraceni ipſi falſum eſſe teſtantur. Iterū dicit quod cu
Zameth Iudæa vxor Zehenin filij Muſlim Iudæi,in oue
aſſa venenū ſibi appoſuiſſet,ſcapula ouis locuta ſit ei,di-
cens: Noli me comedere,quia veneno confecta ſum, &
ipſe noluit comedere.Comedit autem inde Elbetem fi-
lius Mazū & mortuus eſt. Vellem ſcire vtrū ipſe ſolus,
an omnes qui cum eo aderant,vocem illius ſcapulæ au-
dierint:ſi enim ille ſolus audiuit, quare ſocium ſuum in-
de comedere permiſit, ſi vero omnes audierunt, mirum
eſt quomodo ille comedere auſus fuit, niſi forte de ſuo
propheta ſperans,quod etiam mortuum reſuſcitare po-
tuerit.

Iterum narratur ibi quod aliquando miſerit manum
ſuam in cauernam vnde exierunt aquæ de quibus ipſe
bibit,& ſocij eius,& pecora eius. Quod magis de Ma-
chomet filio Azari narrari ſolet, cum de vtroque apud
Saracenos incertum & friuolum habeatur. Ipſe quoque
iſta omnium mendaciſſima eſſe teſtatur cum in maiori
ſcriptura ſua dicat,ſigna ſibi à Deo non eſſe data. Et cum
iterum loquitur dicens: Non ſum miſſus niſi virtute
gladij,& qui non ſuſceperit meam prophetiam occida-
tur, aut reddat tributum pro infidelitate ſua,& dimitta-
tur. Vnde vero apertius aut manifeſtius ipſo teſte falſa
eſſe illa omnia comprobantur,quam ex ſuis iterum di-
ctis quibus in Alcorano ſic loquitur: Quicquid inuene-
ritis ſcriptum per me conferte illud cum Alchorano &
ſi ei non concordauerit, ſcitote quia innocens ſum ab il-
la ſcriptura,& non eſt mea.Ergo ſecundum iſtam regu-
lam ſigna illa omnia reſpuenda ſunt, quæ nullatenus in
Alchoran inueniuntur.

De Morte ipſius.

Cap. XLVII.

IAm illud tam ridiculum nobis, quam lamentabile
ſuis eſt, quod cum præcepiſſet eis, vt mortuum ſe
non ſepelirent,eo quod tertia die aſſumendus eſſet in
cælum ipſique præceptum obſeruantes magnis hoc de-
ſiderijs expectarent,& iam à ſecunda feria in qua mor-
tuus fuerat vſque ad veſperam 4. feriæ longa expecta-
tione fatigati, nihil aliud in eo quam fętoris magnitudi-
nem ſupercreſcere cernerent, tandem ſicut retulit
Humbram nudum eum proiecerunt. Gumebram ta-
men filius Hebazam dixit,quod lotus & tribus veſtibus
indutus,ſepultuſque ſit per manus Hai filij Abitalib, &
Alfadi filij Alahabet filij Abdemutalla patrui ſui. Fer-
tur enim quod per ſeptem dies morbo pleuretico ęgro-
tauerit,& amiſerit ſenſum, ſeptimo vero die conualue-
rit. Iratus eſt Hai filius Abitalib, eo quod perdiderat
ſenſum, & dixit hoc ei, At ille iuſſit nullum amplius re-
manere ſecum in domo niſi Alahabet filium Abdemu-
talla. Alia vero die ſeptima mortuus eſt, & intumuit
venter eius,& retro curuatus eſt minimus digitus eius.
Et fuit obitus eius ſecunda feria 12. die menſis Rabeg
primi anno 63. vitæ ipſius,poſtquam ægrotare cæpit 14.
die. Vita ergo eius 63. annis extitit, quorum in prophe-
tia 23.expendit,decem in Mecha 13. in ciuitate.

Hæc ſunt, quæ fecit Machomet à principio vſque ad
finem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De inſtabilitate ſectatorum eius.

Cap. XLVIII

De ſucceſſoribus Machometi.

MOrtuo vero Machomet, omnes ab eo decepti reuerſi ſunt ſtatim, vnuſquiſque ad ſuam, quam ante tenuerant ſectam, ſiue Idolatriam, ſiue quamlibet aliam, præter paucos ſuæ cognationis, qui expectabant ſe fore ſucceſſores in regno.

Eo tempore ſuit Ebuber filius Amichahaft vir prudens, & callidus, qui non multo poſt regnum adeptus eſt, quod vehementer diſplicuit Hai filio Abitalib, quouſque Rex adeo illum obſequijs, & blandicijs deliniuit, vt etiam regnum ei poſt ſe delegaret. Illos qui auerſi fuerunt à ſecta Machomet omni ingenio ad eum reuocans iterum eos ſtultitiæ mancipauit, quidam enim timore, quidam ſpe honoris & facultatum, alij alterius cuiuſlibet lucri cauſa omnes tamen ſimulatorie non ex animo redierunt. Puto autem te optime recordari, quid dominus meus Emurhelmoni aliquando cum eſſemus ei aſtantes (& quidam quererentur de aliquo, qui videbatur eſſe Saracenus, & non erat) coram omnibus reſponderit. Dixit enim ita: Ego miror, quod de iſto ſolo quaſi aliquid nouum mihi dicatis, cum ſciam non iſtum ſolum, ſed multos alios nobiliores & probiores in palatio meo Saracenos eſſe, oſtendunt quidam ſe eſſe, ſed non ſunt. Eſt enim inquit, mos pene omnium, vt ſicut de Iudæo prouerbium dicit: Iudæus niſi poſtquam efficitur Saracenus, Iudæus non eſt, & vix aliquis ſuam legem niſi prius aliam acceperit diligit. Ego autē dehoc quid aliud debeo, vel poſſum facere, quam quod dominus meus Machomet ipſe faciebat. Nam illi hoc etiam contigit, vt fere omnes, & maxime qui ei proximiores, & familiares eſſe videbantur, non niſi ſimulate ac deceptorie legem eius tenerent. Adeo enim ſpernebatur ab eis, & quidquid dicebat pro nihilo habebant, odientes eum in cordibus ſuis, vt quadam die volentes eum occidere, expectarent eum in quadam valle, quatenus tranſeunte illo terrificarent mulam eius ſubito vt præcipitatus interiret, qui tamen nunquam propter hoc eis ſe iratum monſtrauit. Eius igitur exemplo omnes iſtos, qui ſiue de Chriſtianis, ſiue de Iudæis, ſiue de Paganis Saracenos ſe eſſe dicunt in regno meo, & non ſunt, nunquam ad aliud cogam. Scio namque, quod nullus Chriſtianus, qui timore Saracenus fieret, in Saracenitate permanebit. Similiter de alijs ſentio. Quid ergo ampliuspoſſum facere, videat Deus & iudicet, hoc ſolum faciam, vt ſemper maledicam eis.

Machometo ſui inſidias moliuntur.

Quod lex eius non ſit diuina.

Cap. XLIX.

SEd iterum ſi forte dixeris non debuiſſe me reprehendere ipſum illum ſi ſe aliquando vindicauit, cū hoc inueniatur feciſſe Ioſue, & cæteri multi Prophetæ, ſcias aliud eſſe, quod fit præcipiente Deo, aliud quod homo præſumit, Deus enim hoc illis præcipiebat, de cuius præcepto quodcunque ſit, quandocunque ſit, non licet homini iudicare. Ergo, inquis, nec Machomet de his reprehendi, ſiquidem & illi Deus talia præcepit; vnde tamen probas, quod Deus illi præcepit? Deus enim ille, ſi Deus fuit, in aliquo ſe Deum eſſe oſtendere debuit, ſecundum ea vero quæ ſuperius oſtendimus, nec ſignis nec miraculis hoc oſtendit. Nos igitur eum Deum fuiſſe non credimus, nam ſi Deus eſſet, numquam ſine miralis legem daret. Quod enim de Deo credimus, tam in nouo, quam in veteri teſtamento ſignis, & miraculis confirmatum eſt, nec alium vnquam pro Deo habebimus, niſi illum vnum, & verum, qui quotiens legem dare voluit, ſignis hanc diuinis, & mirabilibus cōfirmauit, Propheta vero tuus, quis fuerit, vel vnde venerit neſcio, cum dicatur mihi à Domino meo Ieſu Chriſto, quod in Ioanne Baptiſta finis ſit omniū Prophetarum. Illud quoquæ prudentiæ tuæ nullo pacto conuenire arbitror, quod inuitare me voluiſti, vt ſcilicet dimitterem ſacroſancta & ſpiritualia Domini noſtri Chriſti præcepta, ex quibus ipſe mihi non illam ſordidiſſimam, quam deſcripſiſti paradiſum tuam ſed ęternam Angelorum vitam in cęleſtibus promittit. Nec accedendū eſt ad impuriſſimos, & pecuales ritus non à Deo, quod abſit, immo à ſpiritu fornicationis, & caſtrimargiæ miſerrimis & carnalis petulantiæ ſeruis infæliciſſimis perſuaſos, *quorum* (ſicut de ſimilibus Paulus Apoſtolus dicit) *Deus venter eſt*, gloria in confuſione ipſorum, qui non niſi terrena caduca ventri, & libidini congruentia ſapiunt, nec ſapere poſſunt; excæcauit enim eos ſpiritus immunditiæ, qui æternam putredinem, & vermes immortales hæreditabunt, quia porcorum more ſemper in ſtercore, & fætore libidinis volutantur. Ego enim mirari non ſufficio quomodo perſuaderi potuit, non dico alicui ſapienti, ſed illi, qui per ſomnium aliquid humani cordis ſe habere putaret iſtum fuiſſe Prophetam, cum eius & vita & doctrina ita contraria ſint, non ſolum diuinæ religioni, verumetiam humanæ honeſtati, vt ipſa quoque bruta animalia pene hoc intelligere poſſint. Sed vt iterum aliquid mitius dicamus, quis vnquam ſanctorum & diuinorum nunciorum, quos à Deo eſſe miſſos cognouimus, in terrore gladij ſe miſſum aſſeruit? Quis ita facinoroſe vixit, quis denique tot ſpurcitias docuit, aut quis ita ventri & libidini genus humanum proſtituit.

Machometus non eſt propheta.

Qualiter per fallaciam fuit data.

Cap. L.

ITerum tamen ad præcepta eius diligentius inſpiciēda reuertamur, quæ ego neſcio ad quam legem pertinere videantur. Duas enim à Deo accepimus leges vnam gratiæ, alteram iuſtitiæ; lex gratiæ à Chriſto data eſt Lex iuſtitiæ à Moyſe. Lex gratiæ talia iubet: *Diligite inimicos veſtros, beneſacite his qui oderūt vos, & cætera huiuſmodi.* Lex iuſtitiæ; *oculum pro oculo, dentem pro dente, vſturā pro vſtura, percuſſuram pro percuſſura, &c. quæ ad talionem pertinent reddi imperat.* Harum duarum nullam ſocii tui eſſe manifeſtum eſt. Antequam enim ipſe emergeret, vna à Chriſto, altera à Moyſe data eſt. Cum enim iſtæ duæ tantummodo leges hominibus datę ſint, quarum altera diuina, altera humana magis eſſe videtur: Iſta tertia lex à ſocio tuo inuenta, quid erit niſi diabolica? Diabolo enim inſpirante maxime hanc, ſubito neſcio vnde emerſiſſe cognoſcimus, quæ nec humana, nec diuina eſſe probatur, ſed inter vtrumque prodigioſa facit, nunc hoc nunc illud videri volens, & ſe nunc illam nūc iſtam eſſe confingens, nullum alium niſi diabolum, qui ſe inter Deum, & homines ſemper medium facere nitus eſt, imitatur. Sed forſitan dices, inde probari hanc legem eſſe diuinam, quia cum Machomet idiota & ſine literis eſſet nullatenus eam ſcribere, vel annunciare hominibus, niſi diuina virtute potuiſſet maxime cum ipſe dicat quia nec homines nec dæmones talem ſcripturam facere poſſent. Et iterum: Si hanc legem feciſſemus deſcendere ſuper montem, inclinaret ſe mons ipſe & adoraret eam præ timore Dei, & alia multa friuola, & nihil rationis habentia, quæ tu aperta & manifeſta ſigna prophetiæ ſocij eſſe dicis, quibus probetur eſſe vera. O ſigna & miracula in iſtis ait Machomet? O ſigna comparanda mari rubro diuiſo, & ſoli ad imperium Ioſue ſtanti, & Chriſti præcepto moribus imperanti, immo vere magna tam veritatis, quam virtutis inopia; cui ibi hæc ſola argumenta, immo deliramenta omni ratione & virtute vacua dereliquit.

Matth. 11.

Philip. 3.

Aperte demonſtratur quod Machomet nō fuerit Dei nuncius, vel propheta, tū quia vita eius turpiſſima fuit, tum quia eius doctrina nullis miraculis fuit comprobata.

Math. 5.

Exod. 21.

Duæ leges à Deo hominibus datæ.

Machometi lex non eſt à Deo.

Exod. 14. Ioſ. 10. Matth. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ANNOTATIO.

Arabes nominarunt legem Machomet Alchoran id est, per excellentiam impiam unde sape Vincentius vocat Alchoranum scripturam. Est autem ex haereticorum, Iudaorum, Epicureorum, & similium philosophorum erroribus, opinionibus, fabulis, blasphemijs, indigestum chaos, quod tamen dixit descendisse de summo caelo usque ad infimum; deinde paulatim ad decimumquintum mensis Ramadam in terras lapsum esse in eodem ad se loquentem introducens.

Qualiter Alchorani liber connexus sit.

CAP. LI.

SErgius monachus cum in monasterio grauiter peccasset, & propter hoc excommunicatus & expulsus fuisset, venit ad regionem Cuhennæ, & inde vsque ad Mecham descendens vbi erant duo populi, vnus cultor Idolorum, & alter Iudaicus inuenit ibi Machomet, qui colebat Idola, volensque aliquid facere vnde monachis illis qui eum expulerant placeret, & reconciliari mereretur (erant enim haeretici Nestoriani, qui dicunt Mariam non peperisse Deum, sed hominem tantum) omni studio & conamine persuadebat ei, vt ab idolis recederet, & Christianus Nestorianus esset. Quod cum effectui mandasset, discipulus eius factus est Machomet, & ille se propter hoc Nestorium nuncupauit. Et ita factum est, vt ab ipso monacho aliqua de veteri & noua testamento edoctus, ipse in Alchorano suo fabulose ac mendose intexeret. Haec ille persensit, vt in Alchorano suo poneret dictum à Deo, quod monachi, & presbyteri Christiani familiores ei esse deberent, quia non superbiunt. Cum vero cognouissent Iudaei, quod multi & etiam Machomet ipse ad qualemcumque quasi vmbram Christianitatis illum Monachum sequerentur, & pene illud quod postea factum est per Machomet per istum Nestorianum iam consumatum esset: prosilierunt tres Iudaei, & timentes ne in veram Christianitatem quandoque Machomet incideret, accesserunt ad eum, & malitiosa caliditate socios, vel discipulos eius se esse in hac secta, eique omnia quae turpiora vel Alchorano sunt scribere persuadentes vsque ad finem eius cum eo super fuerunt. Post mortem vero Machomet cum, sicut diximus, vnusquisque rediisset ad sectam suam, & successisset in regno Ebuber, Hai quoque filius Abitalib, licet nobilior eo sub ipso maneret, praedicti Iudaei volentes iterum turbare omnia persuadebant Hai dicentes: Quare cum sis fortis & nobilis, non te in prophetam eleuas, sicut fecit socius tuus Machomet, qui erat Christianus Nestorianus, & erimus tecum sicut fuimus cum illo adiuuantes te in omnibus. Ille autem vtpote iuuenis, & totius bonae doctrinae expers, facile acquieuit, iam enim quasi ad hoc praedoctus fuerat, siquidem aliquando cum puer esset & vagabundus vt illius aetatis est, quadam die per aliqua deuia incederet: Nestorij illius pseudo monachi latibulum vnde ab eo Machomet furtim responsa dabantur, offendit. At ille cum se deprehensum videret puerum tam minis quam blandimentis induxit, vt hoc nulli hominum proderet. Itaque iam pene ad hoc incidendum declinauerat Hai. Sed Rex Ebuber hoc comperto ad se venire mandauit, ad quem cum venisset, tantis blanditiis ac promissionibus deliniuit, vt ab huiusmodi incepto omnino desisteret, seque illi subditum in omnibus exhiberet, Iudaei tamen non cessauerunt facete, quod potuerunt. Nam accepto libro ab ipso Hai, quem reliquerat ei Machomet quicquid sibi visum est, aut addiderunt aut detraxerunt aut mutauerunt. Ex quibus illud est vnum dicunt Iudei: Christiani nihil sunt, dicunt Christiani, sed Iudaei stulti sunt. Item inter alia multa, & fabulosa illud capitulum vbi est fabula de formica, & aliud in quo est fabula de ape & aliud de aranea narratur.

Nestoriani haretici.

Iudai Machometum multis erroribus inficiunt.

Qualiter eiusdem scriptura dilacerata sit.

CAP. LII.

QValiter autem scriptura ista non solum à Iudaeis, sed vt ab alijs multis varie incepta, diuerse intellecta, multiformiter exposita, & tandem penè tota dilacerata sit ex aliqua parte explicabimus. Post 40. vel sicut alij volunt, post sex menses ex quo regnare ceperat Ebuber vocauit Hai filium Abitalib & dixit ei: Quare praesens non fuisti quando factus sum Rex, & non cum alijs nobis astitisti cum sis magnus princeps, & nobilis? respondit Hai: Quia occupatus fui in colligenda scriptura sicut iniunxit mihi Propheta, & iam collegerat Eleage filius Vizes multos codices, & diminuerat multa in eis, sicque caeteri multi. Quidam enim legebant secundum Hai scilicet familia, & domestici, & propinquiores eius, illam scripturam, quae fuerat apud Chorais & quae prima illius fuisse dicebatur, quam tradiderat ei Nestorius monachus, quem vocabat aliquando Gabrielem, aliquando spiritum fidelem. Alij vero legebant collectum à diuersis hominibus. Multi vero secundum Arabem quendam venientem nuper de solitudine, qui multa inde scripserat absque sensu & ratione. Alii secundum Zabefatin & Arabin, alii secundum alios qui omnes in membranis, & rotulis quod vnicuique videbatur transtulerunt. Erant itaque varii inter se & discordes. Dicebantque cum legerent alter ad alterum: Ego melius quam tu sed tu deterius, quam ego. Et ego totum habeo, sed tu nihil. Sed tu nihil, & ego totum. Hoc igitur modo aliis addentibus, aliis minuentibus, aliis alio quolibet modo corrumpentibus, liber ille omni fide indignus effectus est.

Alchoranū multis modis inuersum & mutatum est.

De iterata collectione illius & dissipatione.

CAP. LIII.

DEnique mortuo Ebuber, & succedente sibi Orimen filio Hafen cui insidiabatur Hai filius Abitalib, & quaerebat eum interficere. Cum perlatum fuisset ad Regem de diuersitate scripturae & assiduis contentionibus & rixis, quae propter eam fiebant, dicerentque illi sapientiores timere se, ne de hac causa seditiones & discidium orirentur in regno, maximeque ne ex toto scriptura illa periret, praecepit Rex omnes libros, & cartulas vndecumque colligi, licet tamen Hai Abitalib & & Ibenmuzod libros suos dare noluerunt. Reliqui vero collecti dati sunt in manus Zeindi filii Zebith Aseuzari, & Abdalla filii Alaabet ad redigendum omnia in vnum codicem & emendandum. Dictumque est illis. Si contigerit vos in aliquo capitulo non posse concordare, scribite illud secundum exemplar & auctoritatem Chorais, quod & ipsi fecerunt, sicuti verbi gratia, quando inuenerunt in quodam loco arcam, & alius dixit arcem, & alius arcum, tandem secundum id quod habebat Chorais dixerunt. Sic & de multis aliis, facientesq; quatuor similes codices, vnum miserunt in Mecham alium in Syriam, alium in Aleiarac, alium reliquerunt in ciuitate, sed ille qui ad Mecham missus fuerat incendio periit quando vastata est Mecha ab Ozeario. Ille vero qui in ciuitate remansit in diebus Gezit filii Maioma perditus est. Tertius qui in Aleiarac erat à tempore Almistar nusquam comparuit. Rex autem Azimen libros illos praeceperat fieri, quaecunque remanserunt in carthis praecepit comburi. Ex his igitur varietatibus & mutationibus, quae superius dictae sunt, contigit, vt multa ibi capitula diuersa inter se, & sibi inuicem contraria inueniantur. Sicut verbi gratia, capitulum bouis, & capitulum vaccae, de quibus dicitur, quod capitulum bouis ante fuerit prolixius capitulo vaccae, nunc vero breuius. Dicitur etiam capitulum sententiarum corruptū esse, & imperfectum. Dixit etiam Aysſa vxor Machomet Hai multa inde abstulisse;

& pene totum demutasse,& insuper prohibuisse homines,ne legeretur Alchoranum & propter hoc multos sæpe verberasse.

Qualiter recollecta,& dissipata sit.

Cap. LIV.

POst malta iterum tempora Elehegeaic filius Vizes cum regnare cæpisset, iussit congregari omnes libros & chartas, & volumina confectoque ex eis vno codice ad suum libitum, postquam multa adiecit', & multa detraxit, multaque narrauit, cętera omnia, quę vbicunque inuenirentur iussit incendi. Fecit autem de suo libro exemplaria, ex quibus vnum misit in Aegyptum,alterum in Syriam, alterum in ciuitatem, alterum in Mecham,alterum in Mesopotamiam, alterum in Albazara. Aliquando etiam venerunt ad istos multi de gente Elnebati,qui Idolatræ erant,& simulantes se velle esse Saracenos, vt legem eorum si possent annihilarent, multa nihilominus in prædicta scriptura vbicunque latenter poterant,modis omnibus lacerabãt Quod si nulla alia varietatis huiusmodi scripturæ causa fuisse videretur,quam ex illo habebatur, scilicet quod Hai,& Ebuber,& Orimen & Gomar semper discordes fuerunt,& inimici, sufficeret, dum pro certo constat, singulos eorum pro sua intentione alterum aduersus alterum in libro illo iuxta propriam voluntatem,quicquid sibi placuit ad suæ causæ commodum, vel addidisse,vel minuisse,vel narrasse. Viri certe probi Saraceni,& qui satis inde dolebant mihi sæpius hoc dixerunt,quod tota Alchorani scriptura adeo commixta, & confusa sit,vt quicquid ibi est, totum sine continuatione,sine compositione,absque omni verborum ordine,postremo absque vllo sensu,vel ratione videatur.

Iterum noua in Alchorano mutatio.

De vilitate stylj eius & materiæ.

Cap. LV.

MIror autem quid illic tibi placere possit. Nam si eloquentia consideretur,nemo tam turpiter aliquid Arabice scripsit. Quantum enim ad sapientes Arabicos scriptores,quid est totum Alchoran nisi digna risu barbaries? Si vero sententiæ perpendantur, ego nihil ibi video, si tamen esse potest aliquid boni. Nam mala illic multa reperiri non dubium est, quæ vel quilibet stultus similiter,aut certe multo elegantius fingere possit. Esto tamen, bona ibi videntur aliqua, sicuti verbi gratia,vt aliquando ieiunetur, oretur, & vt fiant aliquæ eleemosynæ, Nunquid primum talia inuenta, sunt à Machomet qualia scilicet ante ipsum nullus audierat? O quanto sanctius, quanto honestius,quanto rationabilius,& Moyses & Helias, & alij prophetarum multi, Ioannes quoque Baptista, sed & ipse dominus omnium Iesus Christus & ieiunauerunt, & adorauerunt, & misericordias impenderunt? Nos quoque ieiunare, & orare, & eleemosynam dare ante prodigiosam prophetiam Machomet infinitis retro temporibus docuerunt. Cesset, cesset Machomet earum rerum velle videri magister primus, quarum nec dignus fuit in aliquo discipulus esse,vel vltimus. Absit, absit à nobis talis prædicator ieiunij, qui post monstrosum ieiunium sic omni libidini & ingluuiei operam impendere præcepit, vt non ad aliud videatur instituisse ieiunium, quam vt postea voluptuosius & appetentius excitetur omnis turpitudo libidinum. Iam vero illud quod & tu mihi dixisti,& ipse in eadem scriptura prædicauit; hanc scil. scripturã talẽ esse,qualis nec ab hominibus nec à dæmonibus fieri potest. Certe satis ipse elegit quibus diceret rusticissimos videlicet, & agrestes homines, qui & nouiter de diuersis sectis venerant, ipsamque etiam linguam Abrabicam ignorabant. Cæterum si hoc nobis exponere liceat per omnia sic ei concedimus, quod vere tam stulta tam inhonesta tamque irrationabilis scriptura, nec ab hominibus nec à dæmonibus fieri potest. Puto enim quod etiam dæmones talia scribere erubescerent. Sane si tantum vult Machomet gloriari de suo Alchorano,quanto magis gloriari possent alij quidam quos te ignorare non puto,Mazeilenia, Helaisi,& Æthiops Alabazbi,& Calliata Ellecedi, qui eodem tempore æmulatione illius, vt & ipsi nomen sibi apud homines compararent, suum quisque Alchoranum fecerunt, multoque honestiora, saltem in aliquo verisimilia conscripserunt. Sed quia non ex toto ventri & libidini frena laxabant non tantos bestialium hominum greges asininos post se trahere potuerunt.

Quomodo verum sit nullum posse talem scripturam, qualis est Alchoranus, fingere.

De imperitia & fictione illi adhærentium.

Cap. LVI.

SI ergo miraris quare tantum quibusdam hæc scriptura placuit, pro certo teneas nulli vnquam nobili vel sapienti eam placuisse, sed miserrimo imperitissimo vulgarium hominum generi, qui ab eo de locis siluestribus congregati,cum has primas literas audissent, rei nouitate stupefacti, sacrilegas fabulas diuina esse oracula crediderunt. Denique cum & paupertate,& assiduo ruralium operum labore confecti fuissent, cibi, potus, preciosarum vestium amænitatis vmbrosæ, vasorum spectabilium, vxorum insuper pulcherrimarum, & infiniti concubitus, aliarumque spurcissimarum paradisi deliciarum,quas etiam te,proh dolor! enumerare non puduit beatitudinem audientes, sequebantur ibi ex promissione Machomet iamiamque futuros esse sperantes,ad omnia quæcunque voluit pecorini homines cucurrerunt. Inde est quod contra Regem Persidis exiens,sic adiutus est ab eis, vt vinceret; promiserat siquidem omnibus, qui in bello ipso mori pro eo eligerent, sui Paradisi delicias. Quidam tamen magis idcirco pugnasse dicuntur, vt hortos optimos quos in persida viderant obtinerent; nam & illos se post victoriam daturum eis dixerat,vt & in hoc sæculo, & in futuro semper in hortis essent. Nosti autem Arabes quantum delectentur hortorum pulchritudine. Sed dicis: Non solum rustici illi, sed & multi alij sunt secuti eum. Vere multi alij,sed pessimi & lecatores, & qui grauati ære alieno, vel pro suis sceleribus morituri hanc solam euadendi viam inuenerant. Nam dic mihi obsecro,quem vnquam sapientem aut nobilem aut honestum ad Saracenitatem venire vidisti,ille enim, qui è Iudæis,vel è Christianis adhuc veniunt ad vos,absit vt aliqua prouocati honestate hoc faciant, sed quia miseri & impudici legis suæ regulas non ferentes,ad latam spaciosam viam quam socius tuus docuit, se conuertunt. Quod quibusdam maxime christianis contingit, quorum lex spiritualis & cælestis omnia quæ in mundo sunt contemni spe & amore visionis Dei æternæ præcipiens, dum carnales & fluxas infelicium mentes comprimit,statim ab ea diffugiunt,quia pugnare contra cõcupiscentias negligunt. Hoc tamen certissime scias, quia neque Iudæi,neque pagani,neque Christiani quocumque modo se exterius habeant, & si venientes ad vos de vestra secta se esse simulent, vnquam ex corde nobiscum sint: simulant quidem se esse quod non sunt, vt sicut prædixi aliquod corporis euadant incommodũ, aut vt porcinis voluptatibus, quarum apud vos copia est,perfruantur. Adeo autem quicquid facitis pro nihilo ducunt,vt sæpe inter se loquentes,Machomet,& legi eius male dicant,nec dignum eum aliquando fuisse prophetia,vel Dei lege affirment.

Cur tam multi Machometi doctrinam sequantur.

Machometus de Perside vt victoriã reportarit.

Lecatores sunt helluones & paradisi nebulones.

Quales sũt Machometi sectatores.

Qui fiunt Saraceni simulare hoc faciunt.

De

De nomine Machometi, quod falso dicatur in throno scriptum.

Cap. LVII.

SAne superfluum mihi videtur tecum agere de illis quæ tuam non latent industriam, qualia sint apud nos, & quam nulli pudenda scilicet diuersitas in præconio, celebritates exequiarum, varietas in testimonio, orationes solennitarum, solicita ad plagam meridianam conuersio, & modus legendi, & modus discernendi, similesque huiusmodi varietates, quæ omnia in corde tuo quam nihil sint scio, cum hæc sola superficie teneas, non tamen propter principatum quem tenes dimittere velis. Porro illud, quod mihi scripsisti antequam sæcula crearet Deus, scriptũ fuisse in throno Non est Deus, nisi Deus Machomet nuncius Dei, vnde acceperis, aut vbi inueneris nescio, cum nec in Alchorano nec in alia qualibet ipsius inueniatur scriptura. Veruntamen ponamus, vt alicubi hoc repertum sit, velim ergo, vt mihi dicas, si in hoc throno scriptum est, quis hoc scripserit. An aliquis scripsit hoc Deo, sed quis posset scribere, cum nec dudum sæcula creata essent, an Deus ipse sibi scripserit, timens scilicet perdere nomen suum nisi illud scriberet, quod satis absurdum videtur. Sed forsitan Deus scripsit, vt Angeli possent hoc legere, & hoc non nimis insulsum est sentire: non enim per literas loquitur Deus Angelis, sed illuminatione præsentiæ suæ, quæ illis vbique adest. Num præterea propter homines scriptum est, vt ipsi legerent & scirent? sed homines in throno quomodo legerent. Restat ergo friuolum, & vanum esse, quod & teipsum intelligere credo, teque tibiipsi scienter illudere, sicut quidam de socijs dicunt, qui hoc pro nihilo habent, dicentes à Iudæis confictum esse, & inter alias fabulas mixtum, vt risum de vobis toti mundo mouerent. Certe cum aliquis vult benedicere Machomet, & vltra modum laudare, hoc solummodo dicit: Deus tu benedic Machomet, sicut benedixisti Abraham, & generationi eius. Vnde & in libro eius scriptum est: O filij Israel recordamini beneficiorum, quæ ego exhibui vobis, quia prætulivos omnibus gentibus; si ergo ita benedici Machomet à Deo sicut benedictus fuit Abrahã, & generatio eius, super omnes laudes, & benedictiones est, & si filij Israel prælati sunt à Deo omnibus gentibus, cum tamen nec Abraham nec generatio eius nomen habeant scriptum in throno, quomodo factum, vt nomen Machomet, qui secundũ hanc regulam ipso Abraham, & generatione eius minor habetur, ibi scriptum sit.

Vanitas Alchorani.

De superstitiosis ieiunijs, & lauacris Saracenorum.

Cap. LVIII.

DEnique inuitas me ad quinque orationes, & ad ieiunium mensis Ramazan, vbi non tam tibi respondeo, quam vt ipse tibi respondeas volo. Dixisti enim in tua exhortatione, quod inter alia, quæ de nostra religione cognoueras, etiam orationibus Monachorum & ieiunijs interfueris, genuflexiones, & instantiam deprecationum videris, & cætera omnia, quæ vere sancta & cælestia esse nullus negare poterit. Super animam ergo tuam hoc pono, & te ipsum iudicem facio. Scio nãque pro certo, quia si quod iudicium rationis exigit inde dicere volueris, quantũ ad ieiunia & orationes Christianorum, ieiunia & orationes vestrorum non solum ieiunia & orationes nõ esse clamabis. Verumetiam, quod tales sordes veris & sanctis seruorum Dei virtutibus se comparare vllo modo ausæ sint cum maxima indignatione ridebis. Quod vero frequenti corporum lauatione hominẽm purificari creditis, easque lauationes totiẽs frequentatis, hoc tibi respondeo, quod Dominus meus in euangelio suo Iudæis similia facientibus ait: *Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris ornatis deformis cum habeant intus cadauera.* Ita vos quidem lauatis corpora vestra forinsecus & corda vestra polluta sunt iniquitate. Quid ergo prodest lauare manus & pedes, & extergere caput, & insistere orationibus, cum conscientia cordis & mens & animus occupata fuerint in effusione sanguinis, & diripiendis substantijs aliorum, vxoribus quoque, & filijs captiuandis. Vide ergo quomodo respondet illis spiritus viuificans: *Oportet enim hominem prius lauare interiora cordis sui, & purificari à cogitationibus pessimis, deinde si placet, & si necesse est, etiam corpora.* Matth. 23.

De Circuncisione, & prohibitione carnis porcinæ, & vxoris repudio.

Cap. LIX.

CIrcumcisio vero, quid ad vos pertineat scire non possum, cum nec Machomet circumcisus fuerit, nec in Alchorano inde aliquid dixerit, nisi forte Abraham in hoc vos sequi dicatis. Cum enim vos Ismahelis filios esse iactetis, & Abrahæ dicatur à Deo: *Non in Ismahele sed in Isaac reputabitur tibi semen*, vos in semine Abrahæ quomodo estis, quia ad Isaac nullo modo pertinetis. Si vos dicitis Christum fuisse circumcisum, quid ad vos, qui Christiani non estis, de cuius tamen circumcisione, quam rationabilis fuerit, si vel digni essetis, vel in aliquo ad eum pertineretis, plenissime responderemus. Nunc vero cum nec Iudæi nec Christiani sitis, circuncisionem inueniſtis, nisi certe, quod valde credibile est, hoc etiam à Iudæis libro vestro insertum sit, vt sicut de quibusdam Paulus Apostolus dicit: *In carne vestra gloriarentur dum vos more suo circumcidi facerent, & suos in errore socios habere gaudent.* Quare etiam Machomet porcum comedi vetuerit nescio: nam, & Iudæi à porco, & à quibusdam alijs prohibiti sunt. Ratio certa apud nos est, quorum fideli lex illa militabat, & licet nos modo illa corporaliter non seruemus, ea tamen quæ ibi significabantur spiritualiter implemus, quibus in nouo testamento reuelata sunt omnia per Christum, qui vtriusque testamenti cõditor est. Ipse enim dixit per Apostolum suum: *Omnia munda mundis*, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Illam vero turpitudinem quis audiens non exhorreat, quam non erubuit Machomet in Alchorano suo ponere, vt scilicet viro quandocumque voluerit qualibet etiam causa possit vxorem repudiare, sed non nisi prius alteri viro iungatur, nec si velit possit eã reuocare. Hanc certe legem etiam bruta animalia si loqui possent, turpissimam esse clamarent. Tit. 1.

De peregrinatione ad domum Mecha.

Cap. LX.

QVid est autem quod me inter alia legis vestræoptima, etiam ad Alahagh, hoc est peregrinandum in domum Dei illicitam quæ est in Mecha exhortatus es, ad proiiciendos quoque lapillos, & ad inuolutionem linteoli circa renes. Miror enim quod ita mecum loqueris, ac si nunc me primo nosse inciperes, nunquid ego aut cæcus, aut surdus nuper effectus sum, aut forsitan mutatus in puerum, cui sic illudere possis, vt modo primum discere incipiam inanes & fatuas superstitiones, quæ nec rationem nec honestatem in aliquo habere probantur: quasi vero nesciam quid sit, & vnde processerit, vel qualiter ad vos ritus ipsius errorque stultissimus inter alia mala deuolutus sit. Nõne hæc & illa præclara socii tui in Idolorum destructione diligentia, vt cum à cæterorum cultu suos discipulos inhiberet, istud tamen in honore Veneris fieri Mecham suam permitteret. Quod quale sit, vel à quibus cæpit, quem tu te ignorare simulas audi: Duarum quarundam Indiæ gentium, quæ vocantur Zochia, & Albara huma antiqua consue-

tudo fuit, nudos & decaluatos magnisque vlulatibus personantes simulacra dæmonum circumire, angulos quoque osculari, & proijcere lapides in aceruum, qui quasi pro honore dijs extruebatur. Inde enim est, quod in libro Salomonis dicitur: *Qui proijcit lapidem in aceruum Mercurij.* Faciebant autem hoc bis in anno, Sole scilicet, existente in primo gradu Arietis, & rursum cum esset in primo gradu Libræ, hoc est in initio Veris, & Autumni. Hæc ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamque suo tempore apud Mecha in honore Veneris Machomet celebrari repperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen cætera idolatrię præstigia remouisset. Illud vero soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, vt lapilli retro. ideſt sub genitalibus membris proijcerentur, eo quod Venus illis maxime partibus dominetur. Vnde adhuc ita fit in domo Dei, quam tu vocas illicitam, ideſt vbi nihil licet nisi quod sacrum est. Verumtamen cum hoc olim à nudis ex toto hominibus semper fieri soleret, non tulit hoc humana verecundia, instituerunt aliqui, vt proiectores lapidum, paruo saltem linteolo renes obtegerẽt, ne omnino denudati homines canum impudẽtiam imitarentur. Hanc ergo insaniam merito creditur Machomet, saluam & incolumem, cum reliquas dæmonũ culturas cessare præciperet dimisisse, ne Dominam suam Venerem in qua se esse potentissimum ipse iactabat, penitus sine honore relinqueret. Pro quo beneficio talem illi gratiam Venus rependit, vt ad eum totam huius honoris gloriam referri, vtpote ad singularem amicum æquanimiter sustineret: dum vos modo non Veneri, sed ipsi Prophetæ eius hoc obsequium impendatis, quod apud quosdam vestrum tantę stultitiæ deputatur, vt vir prudens Gomar filius Hatha cum ad osculandos lapides (quod ante alia Machomet, & fecerat, & fieri iusserat) aliquando accessisset, sic locutus fuisse dicatur: Ego scio, quia lapides istos osculari nec obest, nec prodest. Sed quia sic fecit, & fieri iussit noster Propheta, facio, licet sit omnino inutile.

De hoc quod in domo illa dicuntur fieri mira.

Cap. LXI.

Ecce quid est Alahagh vestrum, & Alchimar, & peregrinatio in domum Dei illicitam. Ecce ad quæ sacra ad quam festiuitatem, ad quantæ honestatis & vtilitatis celebrationem amicos tuos inuitas. Obsecro chariſſime, vt & nobis in hoc, & tuæ quoque verecundiæ à modo parcas, nec homines ad huiusmodi spurcicias, sed magis porcos, si ita volueris, aduoca. Nunquid autem veriſſimum in tua laudatione dixisti, quod scilicet mira ibi fieri videantur; & vere mira non solum videntur fieri, sed fiunt quado rationabiles homines in bestialem sensum mutati, ista quæ narrauimus, & similia faciunt: non enim hoc facere possent homines, nisi prius ab humanæ rationis iudicio ad pecualem animalitatem conuerterentur. Verum ne dicas nos setio non ludo tecum agere debere, dimittamus paululum ioca, & quod ad rẽ pertinet differamus. Quæro igitur à te, quæ sint illa mirabilia, quæ ibi fieri vidisti, vel audisti? nam si me interrogares de locis, vel de ecclesijs Christianorũ tale aliquid, non vnum ego, sed mille tibi loca enumerare, & ostendere possem, in quibus cæci visum, surdi auditum, muti loquelam paralytici, vel quolibet alio modo claudi gressum recipiunt: ad vltimum ibi omniũ generum languores, & incommoda siue animarum siue corporum depelluntur. Ibi etiam sæpe, quod maius est; ipsi mortui resuscitantur. Et hoc non aliquibus exterioribus adiumentis, siue quolibet genere medicinæ humanæ, sed fide & oratione, & pura cordis deuotione id apud Deum & sanctos pro iustitia, & vera pietate erga mortuos impetrante. Tu ergo si vnquam, vel semel huiusmodi virtus aliqua in illa quam vocas domũ Dei facta sit enarra, & si saltem vnum tale quid ibi aliquando factum mihi ostendere potes, concedo vera esse, quæ dicis. Sed quoniam scio te id nullo modo posse, non enim illud tacuisses si haberes, quando me inuitans, & mirabilia illa narrans nihil habuisti, quid diceres nisi quia lapilli proijciuntur, quod non virtutis diuinæ miraculum, sed diabolicæ impuritatis constat esse deliramentum; cur illa loca sacrata etiam dixeris respondere nequis.

De hoc, quod Machometus iubet homines ad sectam suam violenter cogi.

Cap. LXII.

Denique inuitas me ad viam Dei, quæ est expeditio contra aduersarios & incredulos, & participatores scilicet in ictu gladij, & populatione, & deuastatione donec ingrediantur in fidem Dei, & testificentur quia non est Deus nisi Deus Machomet, & quia Machomet seruus eius, & nuncius aut reddant tributum subiecti. O tu prudens & sapiens obsecro te, quomodo possunt continuari verba tua? Nam multum discrepãt, cum dicas hoc contra tuam scripturam, quam credis esse à Deo, quæ ita dicit: Missus est hominibus pariter in pietate, & misericordia. Qualis habetur misericordia cum effusione sanguinis, & latrocinio, & præda. Sed dico aut tuum certe verbum est contrarium sibi, aut tu mentiris ea quæ tibi indesinenter imponis: & quæ est via diaboli, vel homicida, & furta, & præda. Si autem iterum opposueris nobis Moysen, quoniam ipse cultores Idolorum expugnauerit, recordare illa prodigia & miracula, quæ legisti eum fecisse in lege, & videbis quod iustum est credere illum ex præcepto Dei hæc fecisse. Similiter de Iosue filio Nun, cui Sol & Luna stetere; quæ miracula cum fieri non possint, nisi ab electis Dei, credimus, quod quicquid fecere, iussu Dei factum sit. Tu autem quod signum aut quod miraculum ostendis socium tuum fecisse, quod sit in testimonium vnde credamus ei; & cum suum proprium non sit nisi occidere homines, & latrocinari, & diripere aliena, & captiuare parentes cum liberis; quod semper quidẽ malũ est, sed multo magis quãdo fit contra populum Dei, qui non habent aliud numen nisi cultum Dei. An non sufficit tibi nisi nuncupes eam viam Dei? Absit hoc à Deo, vt talis sit via Dei, aut quisquis talia iusserit, sit de plebe aut de electis eius, quanto minus de prophetis? Denique inuitasti nos ad percutiendos homines gladio, eorumque facultates diripere, atque omnia pessundare, donec violenter ad tuam fidem veniant, tuisque legib. inuiti subijciantur, & coacti tuum testimonium testificentur: tu autem nunquam legisti in diuina scriptura aliquos ad Deum violenter conuersos, nec præceptis, gladio, direptione, captiuitate (sicut tuus socius fecit & iussit obedire) coactos. Multi certe olim hæretici fuerunt, quorum tamen nullus nec gladio nec aliqua coactione aliquem ad suam sectam pertrahere conatus est, sed fallaciis. Quicumque enim voluit inducere homines ad veritatem siue ad mendacium, non potuit hoc facere sine aliqua, vel saltem verisimili prædicatione, & omnes quidem præter socium tuum ita fecisse noscuntur, Ipse enim ad suam sectam non ita homines, hoc est, non sola arte calliditatis, aut ingeniosa loquacitate, sed gladio, & violentia, & oppressione, & depopulatione coegit. Nunquam auditum est ab aliquo quod ille dicebat hominibus: Quicunque non confitebitur me Prophetam esse Domini sæculorum, gladio illum feriam ego: & omnes quicumque de progenie mea sunt similiter facient, & domum eius diripiam, & omnem familiam eius captiuitate affligam.

De

De vanis promiſsionibus, & minis Machometi.

CAP. LXIII.

NOn ſcripſimus ex inuidia vel indignatione, ſed cauſa diſputationis, ad quam nos tu prouocaſſe videris, compuliſti nos pauca de multis in medium proferre. Noſter ſiquidem ignis latebat in lapide, ſed tua chalybe excuſſus coactas erupit in flammas. Quocirca tam tibi, quam omnibus, qui meum ſcriptum viderint, plane & fiducialiter loquor, quoniam illa, ad quæ me inuitaſti de rebus labilibus & fugitiuis, tam ſtulta & inania ſunt, vt etiam ſi æterna eſſent nullatenus homo rationabilis ea deberet appetere, vel ſuum ad hoc animum inclinare præſertim cum aperta ſint aſinis & porcis, ſiue cæteris animalibus, in quibus nihil eſt aliud, quam comedere, & bibere, & concumbere. Hic etenim mundus, qui maxime per iſta miſeros decipit, apud rationabiles homines cum omnibus illecebris pro nihilo deputatur, qui ſolerter ac veraciter cuncta eius blandimenta, & gaudia fugitiua, & miſera eſſe conſiderantes, ſeque ab ipſius laqueis viriliter excutiẽtes, Chriſti vera & ſempiterna bona in futuro ſæculo promittentis, ſacroſanctis veſtigijs adhæſerunt; iſti autẽ tuis inordinatis admonitionibus nemo dignus habetur, niſi qui ſuæ carnis miſeriæ ſubiacẽs, pronus & præceps ad quęlibet libidinis incitamenta, ſicut equus, & mulus fertur & rapitur. Ego autem te non puto credere me ad talia anhelare. Sapientes enim ac rerum cauſas ſubtiliter perpendentes ab omnibus illis quæ tu pro magno munere in libro tuo promittis, longe diſtare videntur. Illi enim indeſinenter toto viſu per Dei gratiam elaborant concupiſcentias, & vitia carnis extinguere, & vt etiam, quod non naturaliter ſuperfluunt habetur, in corpore poſſit auferri, ſanctiſſimo caſtimoniæ ſtudio ſeipſos nõ deſinunt caſtigare. Deus enim non creauit hominem ad hoc, nec in die iudicij ad hoc ſimile reſuſcitari faciet. Tu autem in libro tui ſocij ſcis hoc ſcriptum eſſe; nos non ad aliud homines, & dæmones creauimus, niſi ad colendum nos, deinde auerſus ſoluit pactum, & deſtruit ædificium, percipiens vxores tres vel quatuor ducere, & ancillas quantæcumque inueniri poterunt vnuquemque ſibi applicare, inſuper & more pecudum comedere, & bibere abſque ordine, omnique moderationis diſcretione.

Capitulum vero repudij, & licitæ reuocationis hic ponerem, niſi prolixus eſſe timerem, & librum iſtum verbis inhoneſtiſſimis ſordidare refugerem, nam & ipſi gentiles qui filios Idolis immolant, hanc turpitudinem omnimode abhorrebant. Ego autem confundor talia nominare & ſcribere. Illud vero quod mihi aliquando dixiſti, & me tuis minis verberaſti, fiducialiter in Chriſto agens non timeo; Dixiſti enim mihi. Conſidera quæſo diligenter, & hanc iniuriam tibi inferre noli, neque quod noceat prouocare: Audi ergo Dominum Ieſum Chriſtum in ſuo euangelio mihi dicentem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poßunt occidere, ſed potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Ego igitur ſecurus & conſtans ſcio, & credo, quia nullus in animam meam poteſtatem habet niſi Dominus Ieſus Chriſtus, cuius nomen ſit glorioſum, & benedictum, qui in me abundare fecit clementiam Domini mei Emiremolmini: nã & ego & mei ſimiles qui eius vel longe vel prope familiaritate gaudemus, ſub vmbra alarum ipſius in ſecuritate & æquitate atque benignitate manemus.

Expoſitio cultus Saracenici.

CAP. LXIV.

FRuſtra igitur inuitas me ad ſectam tuam dicens: Inuito te ad quinque orationes, quas quicumque impleuerit petitione ſua non fraudabitur, nec damnum aliquod pertimeſcet, eritque tam in hoc ſæculo, quam in futuro laudandus. Iſtæ quippe orationes duabus inſtitutionibus datæ ſunt, vna quidem à Deo, altera à Dei nuncio. Sunt enim poſt cænam tres genuflexiones, & duæ in aurora, & poſt meridiem duæ, & duæ poſt Solis occaſum. Quicunque aliquid ex hoc dimiſerit, a peccato immunis non erit, & oportet illum pœnitere, & ſubdi correctioni. Inſtitutio orationis inter diem & noctem 17. genuflexionibus conſtas, in aurora duæ, poſt meridiem 4. in veſpera 4. poſt Solis occaſum 4. in prima cæna ante comeſtionem duæ. Poſt cænam, quæ vocatur vltima, quando iam eſt Alahathama, ideſt denſitas tenebrarum, duæ. Rurſum inuito te ad ieiuniũ menſis Ramazã, quod Deus iudex inſtituit, & in eo Alcoran venire fecit, in quo menſe de nocte prædeſtinationis teſtificatus eſt, & nox illa mille menſibus melior habetur. Ieiunabis in die ab omnibus cibis & potibus, & concubitu vſquequo Solis lumen occidat, & noctis ordo incipiat, tunc comedes & bibes, & concumbes per totam noctem, quouſque filum album à nigro diſcerni poſſit, hoc enim liberum & licitum eſt, & vita tranquilla, & ſuauis à Deo. Tunc vero ſi puritate mentis ad celebrãdam noctem prædeſtinationis peruenire mereueris, ab omni malo & nũc & in futuro ſecurus eris. Dixit etiam Deus glorioſus & excelſus: Scripſi vobis ieiunium numeratis diebus ſicut ſcripſi illis, qui vos præceſſerunt, fortaſſis timebitis. Si quis infirmus eſt, aut occupatus itinere, eundem dierum numerum alio tempore ſoluat. Illorum vero ieiunium, qui ieiunare non poterint, victu vnius pauperis redimatur, interim qui obedierit melius illi erit. Si enim ieiunaueritis, & ſcieritis, quod hominibus vtile eſt, & iuſtificationis teſtimonia, & Alfurcan propriam mercedem habebitis. Dormire vero cũ mulieribus in ieiunio licentiam vobis tribuo, ille indumentũ vobis ſint, & vos ſimiliter illis. Præſciuit enim Deus, quod circumciſuri eſſetis animas veſtras, & pœnituit eũ & liberauit vos. Adhærete igitur illis, & diligite hoc quod vobis ſcripſit Deus Comedite & bibite donec in aurora diſcerni poſſit filum album à nigro. Deinde perficite ieiunium vſque ad noctem ſine coitu mulierum. Eritis enim perſeuerantes in domibus orationum cum appropiabitis eis. Hæc ſunt præcepta Dei; præferebat enim nuncius Dei veſpertinam cænam matutino cibo. Iterum inuito te ad domum Dei illicitam, quæ in Mecha ſita eſt, & videre illicitum nuncij Dei, & conſiderare veſtigia & loca ipſius, & quomodo lapilli proijciantur retro, quod vocatur Alchimar, & inuolutionem linteoli circa renes, & quomodo oſculatur angulus domus illius, & videre loca illa ſacrata, & multa mira quæ ab hominibus appetuntur. Iterum inuito te ad expeditionẽ diuinam, quod eſt contra inimicos, & aduerſum incredulos proficiſci, & expugnare participatores in hæreticos in ore gladij, donec ad fidem Dei ingrediantur & teſtificentur, quia non eſt Deus niſi Deus Machomet, & ipſe nuncius Dei & ſeruus, aut tributum reddant.

Deſcriptio Paradiſi iuxta figmenta Machometi.

CAP. LXV.

ITerum inuito te ad confeſſionem Dei, ad cuius nutum reſuſcitabuntur mortui, qui iudicabit eos in iuſtitia & bonis bona retribuet, & malis mala. Et faciet ſuum populum eos qui ſibi obedierunt, & confitentes ſingularitatem eius teſtificati ſunt, quod Machomet eſt Propheta ipſius, & nuncius, & crediderunt omnibus, quæ ſuper eum deſcenderunt à Deo, in excipiendo legem, videlicet de Paradiſo in quo multa bona ſunt illis præparata cum habuerint armillas de auro & electro, eruntque veſtimenta eorum ſerica, & dicent: Gratias Deo, quia nõ abſtulit à nobis retributionem. Nulla oppreſſio vel moleſtia eos tanget, habebunt certum alimentum, & fructus, & erunt in paradiſo delitiarum exultantes, & ſibi inuicem occurrentes honorificati. Diſcurrentque per eos in vaſis argenti candidi, quilibet bi-

Deſcriptio paradiſi tabernarij.

bentes

bentes delectabuntur, non erit ibi luctus neque mæror, habebunt mulieres venustis oculis, habebunt cænacula & supercænacula sub quibus erunt flumina; nunquam enim promissio Dei fallit. Et dicetur eis: O cultores Dei nolite hodie timere, tristitia non appropinquabit vobis. Ingredimini paradisum vos, & vxores vestræ, & estote securi. Discurretur per vos calathis & scutellis aureis, & habebitis quod animæ appetunt, & concupiscunt oculi in secura mansione in hortis & fontibus. In primo primam mors alia non sequetur. Et faciet eos securos à tormentis inferni. Hæc est gratia Dei tui, ipsa est liberatio magna. Dixit enim Deus gloriosus & excelsus: In paradiso quem pollicitus sum timẽtibus me, sunt flumina aquarum in quibus nihil noxium est, sunt flumina lactis, cuius sapor nunquam deficit, flumina quoque vini bibentium delectatio, flumina vero mellis purissimi, habent siquidẽ omnes in eo fructus, & remissionẽ à Domino. Dixit quoq; gloriosus & excelsus, timentibus Deu optime erit, in vltimis aperiẽtur in eis portæ horti Eden, vbi pariter discumbentes præcipient sibi afferri vinum, & abundantiam fructuum, & habebunt oculis vxores speciosissimas, hoc eis promittitur in die iudicij, victus ibi nunquam deficiet. Dixit iterum Deus gloriosus & excelsus in descriptione Padisi. Sunt in eo duo fontes currentes. Sunt in eo pomorum arbores, & palmæ & mala punica; discumbit in excelsis viridarijs super pomis, & prunis. Adducentur timentes Deũ in paradisum per turmas & agmina congregati. Quibus cum ostiarij ianuas aperuerint, dicent; Pax vobis, habete suauiter, ingredimini, & estote hic in perpetuum.

Adhuc de eodem.

Cap. LXVI.

ET dixit gloriosus excelsus; Feci eos occurrere gaudijs, & delectationibus, & dedi eis pro rettributione paradisum, eo quod patientiam habuerunt, in quo erunt discumbentes super plumaria, & non percutiet eos Sol, neque frigus, & super eos vmbrę illius permeabunt, per quos etiam vasis argenteis, & canistris discurretur, similiter & vasculis modicis argenti, & pixidibus ministrabitur eis, & facient eos potare vase quasi commixti zinziberi. Fons in eo est, qui Claritas appellatur. Non audient ibi dolum neque mandacium. Hæc est retributio Domini tui, quod est donum præmaximum. Dominus enim eorum liberabit eos à cruciatu inferorũ dicens illis: Comedite & bibite securi, discumbentes in lectulis dispositis. Dedimus eis vxores pulcherrimas nihilque eis de suo malo opere imputabitur, & vnusquisque secundum quod appetit obtinebit. Dedimus eis diuersitates pomorum, & quicquid carnis ad edendũ concupiscunt, & vt sibi propinent inuicem. Ministri sicut aurum fulgentes discurrent per eos ad seruiendum parati. Et dixit benedictus & excelsus: Præcedentibus & festinantibus dentur mansiones in paradiso voluptatis, pauci de primis, & pauci de nouissimis erunt super lectulis ordinatim dispositis semetipsos ad inuicem intuentes, inter quos erunt ministri sine fine mansuri, tenentes discos & conchas, & vasa pretiosa. Quicquid de pomis, vel de carne volatilium voluerint obtinebunt, cum quibus adhærebunt mulieres velut margaritæ fulgentes, scilicet sui operis præmium. Non exit illic dolus, vel iniquitas, sed tantum pax, & salus.

Hæc est descriptio paradisi, quem præparauit Deus credentibus in se, & in nuncio eius, vbi præparata sunt illis multa delectabilia edendi, & bibendi, & dormiendi cum mulieribus intactis, quæ sunt velut lapides pretiosi sine fine splendentes, & accipient omnia, quæ oculi eorum concupiscunt, & habebunt honorem & vitam, & sedebunt super thronos mollibus induti & purpureis, ornati quoque armillis pretiosis & nitidis, vultus eorum hilares, & iucundi, inter quos mares, & fæminæ seruientes ambulabunt, & velut aurum rutilantes, fragrabunt vt muscus & variæ aromatũ species, bibent de fonte suauitatis, & dicetur eis: Auete in omni pace. Comedite, & bibite, & delectamini, eo quod digni estis cum securitate.

Descriptio Inferni iuxta eundem.

Cap. LXVII.

INfideles verò qui participes faciunt Deo, & pares illi attribuunt, & prophetæ Dei non credunt, nec epistolam eius suscipiũt, & præceptis Dei aduersus prophetam eius rebelles effecti sunt, deputabuntur gehennæ incendio, eruntque in cruciatu, & stridore ineffabili, & igne sine fine inextinguibili. Quorum cutis quotiens ignis ardore consumitur, totiens ad noua iterum supplicia reparatur. Mansio eorum puteus abyssi, potus omni felle amarior, cibus de arbore quæ appellatur Azachimi, & est omni pessimo sapore deterior. Erunt sub ira Dei cum diabolo & Angelis eius. Dixit quoque Deus gloriosus & excelsus. Qui non credunt mirabilibus Dei, & prophetas & eos qui veritatem prędicant, interficiunt; erunt in horribili cruciatu, quorum opera maligna nullo eis auxiliante super ipsorum capita redundabunt; morientur, nec tamen à cruciatu liberabũtur. Et dixit; arbor Azachimi data est pro delectatione impijs. Ipsa est enim quę in profundo abyssi nascitur, cuius fructus quasi dæmoniorum capita, de quo manducantes ventrem suum implebunt denique omnibus malis subijciẽtur, & semper ad inferni supplicia reuoluẽtur. Superius & inferius caligo ignis, & tenebræ. Et dixit: In die resurrectionis facies eorum qui Deo non credunt, horribilẽs atque nigerrimæ. Nunquid enim gehenna mansio impiorum non est, & eorum qui nostris signis non credunt, & damnandi sunt? Et dixit: Qui non crediderunt, detrudentur in infernum cõglobati, ad quem cum peruenerint, & ministri portas aperuerint, dicent illis: Nonne ex vobis erant nuncij missi ad vos, qui vobis insinuantes præcepta Dei annunciauerunt diei istius occursum, intrare igitur portas gehennæ ad habitãdum in ea sine fine; hæc domicilia præparata sunt superbis. Et dixerunt qui in igne submersi sunt ministris. Deprecamur vos orare pro nobis Deum, vt alleuiet nobis cruciatum huius diei. Ministri responderunt: Orate, sed quid oratio impiorum nisi error, exhinc sentiet pondus catenarum & vincula. Erunt pallentes in igne, & rursũ fatigati in igne. Tunc videbit eos afflictione oppressos, & tumidis oculis latenter aspicientes. Iterum dixit benedictus & excelsus impij permanebunt in cruciatu gehennæ, vbi detrusi vlterius non respirabunt; nos nihil illis iniuste fecimus, sed ipsi sibi impij extiterunt. Tunc impij vociferabuntur: Vsquequo damnandi sumus, o Rex? Dixit: Ita manebitis sine fine. Et iterum dixit: Arbor Azachimi cibus est peccatorum, feruet in ventre sicut sulphur, accipite illum, & ad horribilia inferni loca deducite, & super caput eius cruciatus & dolores infundite, hæc sunt enim opera, quæ faciebatis. Et dixit gloriosus, & excelsus. Afferte aquam amaram, quæ viscera eorum dirumpant. Væ non credentibus in die qua nec permittentur loqui, vt aliquam habeant excusationem.

Scopum Alchorani esse asserit Machometus prædicare nõ esse tres aut plures Deos sed vnũ sine participe participis nomine intelligens dominũ nostrum Iesum Christũ quẽ nos diuinitatis consortem & participẽ Dei filium, Deũ, de Deo profitemur, & ea de causa nos, infideles, incredulos & impios scelerate appellat. Vide Genebrardum.

Author. Hęc de illa disputatione duorum Philosophorum, pagani & Christiani breuiter excerpsi, ad insinuãda figmenta & fallacias Machometi, nunc ad historiam redeamus.

De triumpho Heraclij ex Saracenis & de sanctis illius temporis.

Cap. LXVIII.

SIgebertus in Chronicis. Anno Heraclij 21. inter Romanos & Saracenos bellum implacabile oritur, hac de causa; quia cum quidã Spado Imperatoris Heraclij *An. Ch. 633.*

distri-

diſtribueret togas militibus, & inter alios etiam Saraceni ſub Imperatore militantes ad accipiendam venirent, Spadone indignanter eis dicente: Vix ſufficit Imperator dare militibus togas, quanto magis canibus iſtis: illi pudore, & dolore citati totam Saracenorum gẽtem ad rebellandum incitant. Amirei autem Saracenorum Romanos aggrediuntur, & cum multis tres Amirei à Romanis perimuntur.

Sigebertus infans filius Dagoberti à ſancto Amando baptizatur, vbi tacentibus cunctis ipſe infans 40. dierum, *Amen* reſpondit; & Amandus Traiectenſium epiſcopus ordinatur.

Anno eiuſdem 23. Saracenis Syriam infeſtantibus, Heraclius crucem ſanctam domini de Hieruſalem Cõſtantinopolim tranſtulit.

An.Ch. 635. Hic dicit Beda in hiſtoria Anglorum, quod Oſualdus filius Edilfridi Regis Regno Nordanymbrorum Eduuinum ſuſcepto Ceduallam ſiue Caduuallonem Regem Britonum peremerit, & quia fidem Chriſti tenebat ſuper omnes Britaniæ Reges eminuerit, & quatuor linguarum gentes ſcilicet Pictos, Scotos, Britones, & Anglos ſub ditione acceperit, ſed aliter ſe habet hiſtoria Britonum. Refert namque quod Caduualo iſte Rex Britonum Oſuualdum Regem, & præliando fugatum ſuperauerit, & poſt occiſionem ipſius Oſuualdi diu regnauerit. Sicque completis 48. annis in pace obierit, & à Britonibus in imagine ænea ad menſuram corporis illius fuſa poſitus fuerit, & eadem imago ſuper equum æneum erecta fuerit atque ſuper portam Londoniarum ad deterrendos Saxones conſtituta; Eccleſia quoque ſubtus ædificata.

Aidanus epiſcopus ſancti Columbani diſcipulus à Scotia veniens apud Anglos clarebat ſanctitate & doctrina.

Helinandus. Hic quando verbum faciebat ad populũ Scotica lingua, ſi deerat interpres, ipſe Rex Oſuualdus indutus veſte Regia interpretis officio fungebatur, ide ipſe Rex cibos ſibi propter pauperes ſubtrahebat.

An.Ch.637 *Sigebertus.* Florebant hoc tempore tres fratres, Ado Rado, Dado, qui & Audoenus eſt dictus. Qui ſuam erga Deum oſtenderunt deuotionem, ſinguli ſingula cænobia fundando. Ex quibus Dado fuit referẽdarius Regis Dagoberti. Referendarius autem dicebatur, ad quẽ publice conſcriptiones referebantur, vt per eum annullo ſeu ſigillo Regis confirmarentur. Hos ad hoc animarat Eligius aurifex iam dudum in aula Regis Clotharij clarus, qui etiam ex dono Regis Dagoberti Solemniacum monaſterium conſtruxit, vbi ſanctus Remacius ab Aquitania veniens ſe in Chriſtum tyrocinio ſub eo exercendum dedit. Sanctus vero Dado qui & Audoenus intra Briegenſem ſaltum cænobium conſtruxit, quod Reſbacis dicitur, in quo ſanctum Agilum primum Abbatem præfecit.

Sancta Aurea claruit quam Eligius monaſterio virginum à ſe Pariſijs conſtructo, præfecit.

De ſancta Aurea virgine, & Abbatiſſa.

CAP. LXIX

S. Aurea Dedã ad vitam vocat.

EX geſtis eius. Hæc igitur virgo Pariſijs 300. puellarum Abbatiſſa eſt conſtituta genere nobiliſſima, tantaque virtute patientiæ prædita, vt nulli malum pro malo redderet, ſed ſibi inuidentes etiam pluſquam cæteras diligeret. Dum autem in villis ſororum eſſet aliquando mater ſancta, huius celetaria atque clauigera ſibi dilecta nomine Deda, nunciatur et defuncta. Vnde admodum dolens mox ad monaſterium eſt reuerſa, tertia tamen iam luce ab obitu eius præterita. Non enim auſæ fuerant ſorores eam ſepelire ſine Abbatiſſa, nec etiam poterant iam migranti claues officinarum extorquere, aſſerenti nulla ſororum eas ſe reddere, ante aduentum excelſæ virginis Aureæ. Tunc illa in feretro iacentem intuita acceſſit, & eam proprio nomine vocauit, ſtatimque viua reſedit. Quid nam, inquit, de rebus monaſterij tibi commiſſis, & de clauibus egiſti? Mox illa rationem reddens de vniuerſis rebus, & expoſitis clauibus cum licentia ſanctę Abbatiſſæ migrauit ad Deum.

Quadam vice dum panes deeſſent quibus ſorores hora congruenti veſcerentur, illa valde triſtis earum murmurationes metuens, cænobij clibanos inueniendi gratia circuiuit, & ad vnum properans piſtorem, an haberet panem paratum interrogauit, quo reſpondente præſto exiſteret, ſi clibanum ſcopis nitidum aliquis redderet, illa mox clibanum penetrauit, pruniſque adhuc feruentibus cum cineribus manicis ſuis foras expulſis, fornacem mundiſſimam exhibuit. Vt autem miraculum duplicaretur, & laus ſanctæ virginis augmentaretur, campanas in turricula ſine manibus ſonantes audire ſorores, omneſque ciues circumadiacentes, Deum cunctæ celſis laudibus prædicauerunt, *Te Deum laudamus* concinentes. Poſt has igitur laudes ſufficienter largiti ſunt ei optimi panes.

De recluſione eiuſdem & acerrima pœnitentia & morte.

CAP. LXX.

Abbatiſſa nõ poteſt euangelium in miſſa dicere. lib. 5. decretaliũ tit. 38. cap. 10.

QVadam die dum miſſam audiret, & leuita euangelium incongrue pronunciaret, illa nolens in verbis dominicis audire fallaciam, de humero diaconi ſtolam auferens humero ſuo impoſuit, lectionem euangelicam perlectura. Vnde & Angelica increpatione culpata, in quodam ſancti Quintini oratorio ſe recluſit, & ab omni hominum aſpectu 7. annorum curriculis ſe remouit, ibidem acerrimam ducens præſentiam, aſſidue ſedebat in cathedra, quam ſibi mirabilem parari fecerat habentem ſcilicet 50. clauos in dextra, & totidem in ſiniſtra, totidem in dorſi regione. Sicque pſalterium quotidie cantabat, ſcilicet 150. pſalmos iuxta totidem clauis dextræ partis, alioſque totidem in ſorte læuæ cum clauis, tertios ſimiliter in poſteriori, nunquam carnes comedens aut vinum, vel ſiceram bibens, ſed pro vino potabat ſtillicidum cineribus expreſſum. Eſtimabant tamen ſororum quædam eam aliud bibere, vnde quædã temeraria experiri cupiens, & alijs propalare quid biberet, latenter intrauit loculum vbi colabatur ex cineribus potus eius. Apponens autem ori ſuo tentatrix, extemplo percuſſa eſt paralyſi in vultu, ita vt auriculæ bucca iungeretur, ſicque ſe ream agnoſcens ante pedes ſacræ virginis veniam poſtulauit à qua pariter & medelã obtinuit. Tandem beato Eligio apparente cuidam adoleſcenti in eccleſia, & ſanctam virginem ad ſe vocante, cũ ille ei nunciaſſet, ſed illa properante cum illuc veniſſet, & iam viſio abolita eſſet, intellexit ſe ex hoc mundo vocari, & migrans ad Deum, ſepulta eſt honorifice in aula beati Pauli retro altare.

Obitus S. Virginis colitur 4. Octobris.

De eleuatione corporis eiuſdem, & miraculis.

CAP. LXXI.

Quomodo eius corpus tranſlatum fuerit.

APparuit autem Angelus domini in viſione cuidã Abbatiſſæ in Syria ciuitate tranſmarina, oculos quidem habenti, ſed minime videnti dicens, vt æquora tranſiret, Pariſios adiens baſilicam B. Pauli inquireret, ſi virginẽ Aureã ab his finibus peregrinã illuc profectam & illuc humatam de humo leuaret, & in locũ magis honorabilẽ poneret, mox eius meritis viſum reciperet. Quã viſionẽ cũ epiſcopo ciuitatis retuliſſet, iter cum illa arripuit, ſed illa in itinere feſſa remanſit. Cui Præſul dixit: Sta in hoc loco fabricandi gratia ſcrinium ſanctum virginis corpus recepturum. Tunc Franciam adijt, & Pariſiorum epiſcopo viſionẽ narrauit. Itaque duo præſules cum clero & populo ad baſilicam peruenientes, ſanctum corpus, ac ſuper pectus eius librum, quem illa ſecum de Syria detulit, inuenerunt, atque in ſepulchro eius huiuſmodi epitaphium: HIC IACET AVREA PEREGRINA.

Leua-

Leuatoque corpore brachium vnum epiſcopo Syriæ dederunt. Sanguiſque cæpit à venis diffluere cum illud à corpore ſequeſtrauerunt. Epiſcopus vero pariſienſis corpus in monaſterio ſancti Eligij cum magno honore depoſuit. Syrus vero gaudens Abbatiſſæ brachium pertulit, & in ſcrinium decentiſſime fabricatum repoſuit, moxque matrona viſum recepit, ille quoque in honore virginis in patria nobile monaſterium ædificauit. Huius feſtum celebratur 4. Nonas Octobris.

Vide plura in vita S. Eligij lib. 1. cap 17. & lib. 2. cap. 47.

Sigebertus. Eo tempore ſanctus Amandus Tungrenſi epiſcopatu poſthabito verbi inſtat officio; ſub hoc ſanctus Landoaldus floruit, qui filium Apri viri illuſtris Lambertum, poſt epiſcopum, & martyrem futurum à puero imbuens in viam Dei induxit.

Romaricus Abbas, & Goericus Metenſium Epiſcopus clarent.

De ſancto Romarico Abbate, & bonis eius initijs.

Cap. LXXII.

Ex geſtis eius. Hic Romaricus cũ eſſet in aula Theodeberti quõdam Regis Auſtraſiorum poſitus, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei reddit & Deo: omnibus amabilis in aulicorum contubernio. Cumque multis bonis polleret in palatio, iunctus eſt amicitiã cuidam viro clariſſimo nomine Arnulpho. Cumque cæpiſſent corda ſua ſibi pandere mutuo, confeſſi ſunt aures ſui cordis illud præceptum Domini tetigiſſe: *Vade & vende omnia quæ habes &c.* Cogitauerunt ergo Regem mortalem deſerere, Regique æterno militare, vt ad manſura cæleſtis palatii gaudia mererentur pertingere: Itaque Lirinenſe monaſterium expetere decreuerunt, ſed aliter Deo diſponente impleuerunt. Beatus Arnulphus licet cum lachrymis reniteretur Metenſium epiſcopus conſtituitur, Romaricus vero ſpretis omnibus, multos libertatem donauit, plures vero ſecum ducens, monaſterium Luxouienſe tunc toto orbe famoſum, sãcto Amato ducente, petiit, & ſanctæ conuerſationis habitum cum his quos adduxerat deuote ſuſcipiens humilitatem, & obedientiam ſectari in tantum cæpit, vt etiam his quorum officioſiſſimo famulatu prius fulciri ſolitus fuerat pro Chriſti amore ſe ſubderet. Studebat in monaſterio cunctis abiectiorẽ ſe non ſolum oſtẽdere, ſed etiam credere. Oblatam ab alijs reuerentiam metuere, furtiuas orationes diligere, ad opus Dei cæteros præuenire. Cumque beatum Amatũ Dominus ad beatam euexiſſet requiem, ſanctus Romaricus regendam ſuſcepit ſanctam congregationem.

Beatus Romaricus ſit monachus.

De miraculis, & tranſitu eiuſdem.

Cap. LXXIII.

Cæpit etiam poſt hæc vir Dei gratia ſignorum pollere quę ita ſtudebat occultare ſicut ex auaritia diuites theſauros ſuos ſolent abſcondere.

Cum pro vtilitate monaſterij aliquando foras exibat, ad domum cuiuſdam viri, in partibus * Voſagi ſæpe hoſpitandi gratia diuertebat. Quam cum quadam die ex more intraret, intuita eum vxor illius ait: O domine mi cur tam ſero veniſti, habuit ancilla tua ſiceram, quã heri ſuperuenientes compatres & vicini noſtri biberũt, Quam cum videret vir Dei anxiari pro ſe ait: Noli timere, ſed fidens in Deo cubiculum tuum ingredere, & ſupra oſtium quo itura erat manu extenta ſignum crucis edidit. Mulier autem ingreſſa, vas quod à ſtando ſtandam nuncupant, plenum repperit. Et licet ſeraculum, ab educendo ducículum dictum, procul iaceret, & patentem meatum reliquiſſet, nulla tamen gutta cæleſtis dati liquoris exterius effluxit. Solebat hæc mulier crebro referre, potum hunc poſtea multorum infirmitatibus ſalutem contuliſſe.

** al. Vogaſi. Miracula ab eo patrãtur. Voſagus eſt eremus in Lotharingia SS. Anachoretarum celeberrima.*

Quædam puellæ in monaſterio erant lepra percuſſæ, quarum vna à balneo quo vir Dei ablutus fuerat aquam furtim rapiens totum corpus ſuum perfudit, vnde medela capta lepra paulatim ab ea tota diſceſſit. Dominus autem eo die quo victor ab inferis reſurrexit, ſanctum virum ad gaudia cæleſtia regnaturum introduxit. Quidam autem pueri quibus iuſſum fuerat vigilãdo introitum portæ cuſtodire, viderũt eadem nocte ſubito nubẽ denſiſſimam totum montem cum cellula operire, pſallentibuſque fratribus in exitu viri Dei, mox claritas miri ſplendoris radians, montem & cellulam impleuit, in quem ſplendorem cum aciem mentis intenderent, viderunt globum candidiſſimi fulgoris per medium prædictæ nubis ſcandentem cœlos penetrare, quod ſancti viri animam fuiſſe nemo poteſt ambigere. Expleto autem officio ſepulturæ, remanſit quædam mulier ſola, quæ ad ſanctorum Amati & Romarici ſe proſtrauit ſepulchra. Cumque orationem deuote protelaret, audiuit infra vnam in qua corpora ſanctorum quieſcebant eos colluquentes, & velut murmur quoddam gaudij & congratulationis inter ſe agentes.

Obijt autem vir ſanctus 7. Idus Decembris, ſceptrum Auſtraſiorum tenente Sigeberto, Francorum vero Clodoueo.

De ſancto Goerico Metenſium epiſcopo.

Cap. LXXIV.

Ex geſtis eius. Porro ſanctus Goericus primo quidẽ miles egregius de Aquitania corpore non voto ſæculi actibus ſeruiens, cum apud Deum & homines in magna honeſtate floreret; licet quæ pacis ſunt ſectaretur, quandocunque tamen paganorum infeſtatio perurgebat, primus aciei militari ſe opponens, barbaricam rabiem Dei fretus auxilio potentiſſime deuincebat, & ſpolia ampliſſima reportabat. Denique ſubita oculorum & viſus amiſſione procellitur, virtute tamen patiẽtiæ vndique munitus, Deo gratias agens fideliter aiebat: *Sicut Domino placuit ita factum eſt &c.* Eo tempore regnabat in Gallia Theodebertus, in Metenſi vrbe præſidebat Pontifex beatus Arnulphus. Tunc ſancto viro Goerico in ſilẽtio noctis quieſcẽti, Angelus domini affuit dicens: Venit tempus ſerue Dei excelſe quo mœror tuus in gaudiũ transferatur, quo etiam lux amiſſa clarior tibi reſtituatur, ergo Metenſem ciuitatem aggredere, & limina beati protomartiris Stephani deuote ingredere, Deoque preces ibi funde, & fidẽ in Deo certiſſimam tenens, noueris viſum & totius corporis ſanitatem illico recepturum. Arnulphus autẽ tibi carne propinquus, ibi pontifex reſidet, cui Spiritusſanctus te illico affuturum pręmonſtrabit, & quicquid erga te & pietatis & miſericordiæ Dei bonitas impenſura eſt, manifeſtabit. Expergefactus ergo vir ſanctus milites conuocauit, & de Aquitania ad prefatam vrbem iter arripuit, cui appropinquanti ſanctus Arnulphus affuit, & facta oratione, dataque benedictione eum in domum induxit. Qui obtentu ſancti Stephani viſum & totius corporis ſanitatem recepit pleniſſimam.

Iob. 1.

S. Goericus meritis S. Stephani viſum recuperat.

Poſt hæc ſanctus Arnulphus ſpiritali mentis intuitu videns Goericum ſucceſſorem ſibi fore digniſſimum, conſentiente clero & populo eum cõſtituit epiſcopũ & ipſe diu deſideratam eremum petijt. Igitur beatus Goericus qui alio nomine dicitur Albo, paſtorali cura aſtrictus, vocibus & moribus cæteros informabat, & qui ante epiſcopatum corpus diſtrictiſſimis ieiunijs attriuerat, enarrare fas nõ eſt, quam dura ieiunia cumulabat, quot etiam dies incibatus vſque in alterum diem pertranſibat, quin etiam biduanas & triduanas alacri vultu & mente abſtinẽtias celebrabat. Poſt obitum vero ſancti Arnulphi expleto fere anno, ſanctus vir de tranſlatione corporis eius ad ſedem cui præfuerat ſedule cogitabat, accerſitiſque duobus epiſcopis Tullenſi ſcilicet & Virdunenſi, cum corpus ſanctum cum laudibus honorifice deferretur, Sole ad occaſum vergente forte villam iniqui hominis & inceſtuoſi offendunt, quam intrare cupientes, dum ſanctarum reliquiarum portitores

S. Goericus meritis S. Stephani viſum recuperat. S. Goericus. Metenſis epiſcopus creatur.

iam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

D. Arnulphi corpus in Metensem vrbem trãsfertur.

iam penè ingrederentur, diuinitus fixi subsistunt, & cœlicam in se virtutem coacti deprehendunt. Dum enim beatus Arnulphus in hac adhuc vita subsisteret, & pastorali auctoritate virum cuius villa erat, vt ab iniquitate resipisceret sæpe commonuisset, efficere non potuit. Idcirco nunc eius hospitium iniquum subire contempsit. Quia vero nox imminebat, & nulla alia villa tantæ multitudini apta præsto erat, orante sancto Goerico Deum vt eis præstaret quietis diuerticulum, affuit quidam sapiens & dives qui huic itineri intererat. Est mihi inquit prædium in hac patria, nobis quidem non satis contiguum, sed noui ad cuncta necessaria præsentem Deum nostrum, qui & longum iter breuiare potest, & quo tendimus sub velocitate perducere. Hæc autem sanctus audiensque gaudio & fide repletus corpus sanctum illuc vertit, omnesque sequi imperat. Cerneres tantam in eundo esse velocitatem, vt non currere, sed auium more volare putares, & quod vnius diei integri spacio vix peragi credere posses, duabus vel tribus horis impletum mirareris. Cumque ad villam peruenissent, quia vini ferax omnino patria non est, cereuisiæ parum se habere homo ministris referentibus comperit. Sed iterum fide repletus, sancti Goerici meritis & precibus hoc committit, qui nota præsidia petens, Deum suorum necessitatibus subuenire postulat. Tantaque populi multitudo ex paruo liquore, quod vix credibile est, abundantissime est satiata. Huius festum celebratur 14. kal. Octobris.

Sigebertus in chronicis. Anno Heraclij, 27. Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur; Sisibodus enim Gothorum Rex glorioſissimus plurimas in Hispania prouincias Romanæ militiæ sibi bellando subiecit, & Iudæos in suo regno ad fidem Christi conuertit.

De vita prædicti Arnulphi & episcopatu eius.

Cap. LXXV.

Anno sequenti sanctus Arnulphus ex maiore domo Metensium episcopus, & ex Episcopo solitarius, dormiuit in Christo.

Author. Hic Arnulphus (vt ait Petrus Damianus) Pater Pipini fuit & auus Caroli magni. Hic non procul à Flandria in Lotharingia ducatum tenebat, qui cum vxoris & filiorum affectus postponens, eremum peteret, contigit vt per fluuium Mosellam transitum haberet. Ad cuius pontis medium veniens vbi fluuius profundior est, ibi annulum suum sub hac fœderis pactione proiecit. Cum ego, inquit, annulum hunc recepero, tunc ego procul dubio confidam me esse peccatorum meorum nexibus absolutum. Quo facto eremum petijt, vbi non paruo tempore mundo mortuus, Deo vixit. Interea defuncto Metẽsi episcopo electus est. Dumque esu carnium abstineret sicut in eremo consueuerat, piscis ei præsentatus est, quem coquus exenterans annulum repperit, quem domino suo lætabundus obtulit, quem ille statim recognouit. Est autem bidui iter à ponte in quo annulus proiectus fuerat vsque ad locum in quo præsentatus est.

Arnulphus fit Metẽsium episcopus.

Vitam S. Arnulphi habet Beda tom. 3. & Surius to. 4. meminit eiusdẽ. Diac lib. 6. de gestis Longobard. cap. 6. & in gestis Metens. pontif.

Ex gestis eiusdem. Vt ergo recognouit annulum, iam fidus gratias Deo pro suorum agens solutione peccatorum, vitam postmodum in nullo remissius duxit, sed plus etiam post hoc ieiunijs, vigilijs, & orationibus se coarctauit. Annulus quippe ille in palatio adhuc habetur. Mirari potest & in his Deus magnifice laudari, quomodo in præsenti effectu sanctus vir certificari meruit adhuc casibus subiectus de remissione peccatorum suorum; quod proculdubio non fieret nisi dignissimus Deo foret. Mox autem episcopatu suscepto tanta tamque profusa magnificentia in eleemosynis pauperum accreuit, vt etiam de longinquis regionibus atque ciuitatibus fama currente, innumera caterua pauperum ad sanctum Arnulphum Pontificem refocillanda festinaret. Erat namque iugiter solicitus & intentus in cunctis bonis actibus, & præsertim in susceptione monachorum seu peregrinantium deuotissimus inuigilabat, ita vt quos hospitio recepisset, manibus proprijs pedes ablueret, illosque vestitos atque refectos deducens, mox alios refocillandos susciperet. Porro abstinentiæ illius normam narrare quis valeat, maxime cum interdum post triduana seu etiam amplius protracta ieiunia, pane hordeaceo, vel lymphæ poculo victitaret. Indutus namque iugiter intrinsecus occulte cilicio; sicque exesis iam membris vigilijs atque ieiunijs, geminum ingerebat cruciatum.

Mira eius in egenos liberalitas.

ANNOTATIO.

Quod hic dicitur S. Arnulphum fuisse Pipini patrem, & Caroli magni auum non ita habetur in gestis eiusdem; nam S. Arnulphus ex vxore legitima tres filios suscepit, Anchisum, seu Ansegisum, Valachisum & Clodulphum. Anchisus vero filium habuit Pipinum Caroli Martelli Patrem, Martellus porro Pipinum Francorum regem; cuius denique filius fuit Carolus magnus rex & Imperator clarissimus: His consentit Onuph. Fuit ergo S. Arnulphus Pipini Francorum regis atauus; & pater ataui Caroli Magni.

De miraculis eius.

Cap. LXXVI.

Cvmque in his atque diuersis bonis actibus iugiter inuigilaret, tempore quo triduanum ieiunium celebrare vniuersalis consueuit ecclesia, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiscuo populi genere orandi gratia secundum morem ex vrbe processit: & ecce ex medijs cæteruis fœmina arrepta à dæmonio clamare cæpit. Hanc ille cum vidisset, *vexillo crucis* iniecto, mox ab aduersario ereptam sanauit.

Rogationum tempore dæmoniacum curat.

Temporibus Dagoberti Regis cum in palatio esset, ei quidam leprosus clamare cæpit, victum seu vestitum deposcens. At ille iussit eum statim in hospitium deduci. Cumque erga illum secundum morem suum solitam impenderet pietatem, scisciatari voluit, quia barbarus erat, si sacra vnda baptismatis ablutus fuisset. Repente ille: nequaquam, ait, domine mi, nam & ego infelix abiectus in populo quis mihi gratiam baptismi tribueret. Accepto ergo à sancto viro baptismi sacramento, repente de corpore eius lepra discessit, & factus est deinceps in vtraque substantia sanus, qui prius peccator fuerat & maculosus.

Leprosum sanat.

Quidam homo scelestus nomine* Noddo, quadam die aluo refertus vino æstuans cum complicibus suis viro sancto derogare ausus est, non esse scilicet cultorem Dei, sed potius hominem voluptati deditum, ad cuius scilicet lectũ nocturnis horis nõ solũ Rex, verũetiam & Regina tanquã consiliũ flagitans properaret. Cum ergo stratũ vna cu detrahente socio petisset, iubente domino casu accidit, vt omnia vestimenta illorũ flãma circudans vallaret, atque illico exiliens flamma, ingentibus deposcebant vocibus aquam. Sed & aqua iniecta flammam diuinitus missam non extinguebat. Ardebant nequiter circa nates vel genitalia loca camisiæ eorum, nec à se vestimenta ardentia exuere potuerunt. Quid plura? qui aliud facere non potuerunt, exilientes, & ad instar porcorum luto sese vociferantes inuoluunt, sed magis ac etiam magis genitalia ipsorum ignis immissus cremabat. Tunc quidem, vt reor, impletum est super illos quod scriptum est: Detrahentem occulte proximo suo hunc perdit, nam non post multum temporis in tantis transgressionibus præfatus Noddo deprehensus est, vt & scelera illius vna cum vita quia iustum erat, regalis gladius amputaret, ac ne solus moreretur, filius ipsius mox eadem sententia percussus interijt.

* al. Notte.

Vltio cælestis in eius obtrectatores.

Psal. 100.

De miraculis eius & transitu eiusdem.

Cap. LXXVII.

Cvm hæc & similes quam plures virtutes per illum cæpissent crebrescere in populo, mox remotiora à

Hinc habes ætatem huius authoris.

fragoribus vulgi expetijt loca. Interdum calciata non multum longe ab vrbe cellula retruſus cœlum diebus & noctibus precibus pulſabat. Caſu contigit, vt promptuarium Regis ignis vorax vexaret, atque eructuans excellentiſſima flamma, domos circumquaque affines minaciter lamberet. Repente exurgens omnis ciuitas videntes ſui exitium in eiulatum atque clamorem eſt conuerſa. Quo audito, nos veloci greſſu ad domum viri ſancti peruenimus, & reperimus eundem, ſicut illius iugiter mos erat, pſalmodiæ melos perſonantem, ſtatimque apprehenſa manu illius, ait Romaricus: Egredere, ne quod abſit, te in hac vrbe ignis iſte conſumat. Ad hæc ille inquit: Nequaquam dilectiſſime, ſed deducite me illic, & ponite me vicinum illius, & ſi ita vult Deus vt ardeam, ecce in manu eius ſum. Func nos tenentes ſanctas manus eius ad larem peruenimus, & mox iubente illo in oratione proſtrati, capitulo dicto, ſurreximus omnes, tunc ille eleuans manum contra ingentes flammas *vexillum crucis* iniecit, & mox miro in modo tanquam cælitus percuſſus nil alibi nocens, infra parietes in ſemetipſum totus retrorſus ignis interijt

Signo crucis ignem extinguit.

Illico autem cuidam è fratribus talis apparuit viſio. Intuens in cœlum, vidit tanquam flammam ignis ſignaculum crucis depictum, & ſtatim de cœlo ex obliquo crucis vox facta eſt dicens: Cernis hoc, inquit, ſignum, hac nocte Arnulphus epiſcopus per ipſum totam ciuitatem iſtam ab incendio liberauit. Poſt hoc autem beatus Arnulphus relictis cunctis rebus ſæculi, ſicut nouus Helyas ad eremum properans, & inter beſtias, & feras ſiluæ paruulis manſiunculis paratis, quotidiana meditatione laudes Deo perſonabat. Aſcitis quoque aliquantulis ſecum monoculis, necnon leproſis proprijs manibus fideliſſimam ſeruitutem iugiter impendebat, calciamenta à pedibus detrahens atque detergens capita, & pedes eorum crebro abluens, necnon & electos ipſorum reciprocis diebus ſtudioſiſſime compoſitos parabat, Nam & coquinæ officium non abhorrens idem epiſcopus ſanctus, & coquus ſæpe eſuriens ipſe ſuos contubernales paſcebat. Sed & lectum eius vilem, ſpretis duntaxat mollibus & pretioſis veſtibus cilicia exornabant.

De tranſlatione corporis eiuſdem.

Cap. LXXVIII.

POſt obitum beati Arnulphi ſucceſſor eius Goericus epiſcopus conſilio initio coaceruata clericorum ſeu etiam populorum caterua ingenti, aſcitis quoque duobus epiſcopis ſecum vna pergunt ad eremum Quo in loco excubias cum reuerentia celebrantes, ſancta quoque membra ab vrna lapidis auferenres, grabato imponunt, ac cum gaudio remeant ad vrbem. Dum autem geſtantes veniunt ad quendam riuum, cuius riparum tellure ſciſſa euntibus conuallem atque lubricum pandebat meatum, poſteriores feretrum portantes caſu corruunt. Sed vt reor ipſum ſtatim Angeli ſuſceperunt. Nam priores euehentes nullo retardantes greſſu grabato in aëre ſublato, gradiuntur libere, atque ſurgentes qui lapſi fuerant iam tranſmeato conualle ſeſe iungunt ad collegas. Poſt iſtud denique in illo itinere mox aliud emicuit ſignum.

Quidam homo in pago Caluomontenſi nomine Cunita inceſtuoſus fuit, hunc ille cum ſæpius redarguens, nec ad pœnitentiæ emendationem perducere potuiſſet, in hac vita impœnitentem reliquit. Venientes autem ad terminos terræ hominis inceſtui, repente figitur greſſus portantium, ita vt vlterius vehendi ſacra membra facultatem non haberent. Et ecce anguſtia ſacerdotibus & vniuerſo populo, quoniam ad manſionem ad quam verterentur ignorabant, & præſertim cum iam dies declinata eſſet ad veſperum. Tunc & Noddo dux qui erat ex euntibus vnus ait: Videtis quia terram incæſtuoſi huius ingredi deſpicit? Eſt autem procul villa mea, ſed nos ante nox includet, quam illuc venire valeamus. Sed & deeſt mihi inibi potus, vel apparatus quo hanc multitudinem reficere poſſim, niſi tantum modo in vno vaſculo modicum quidem cereuiſiæ. Quibus auditis, vniuerſus populus iter retorquens in tanta velocitate pergunt, vt potius baiuli ſemetipſos portari, quàm portare ſentirent, atque diei adhuc lucem habentes ad æſtimatum locum perueniunt. Tunc Noddo ait: Nunc ergo beatus Arnulphus paſcat nos nocte iſta, quoniam quod deeſt nobis, ipſo intercedente poteſt adeſſe, ſtatim in tanta exuberantia accreuit modicitas illius potus, vt omnibus affatim ſatiatis adhuc in craſtinum ſupereſſet. Poſt hæc autem cum magna proſperitate, & lętitia ad vrbem perueniunt. Et ecce mox omnis ciuitas cum crucibus & cereis obuiam currit, & paſtorem ſuum quem dudum veluti fugacem amiſerant, cœlo iam regnantem recipiunt, atque ſacrum corpus illius in baſilica ſanctorum Apoſtolorum cum reuerentia, & grandi exultatione ſepulturæ recondunt.

Res mira, nō vult ſanctus Dei in viri incaſti loco quieſcere.

Insigne miraculum.

Vide antiquam Chriſtianorum erga ſacras reliquias deuotionem.

Mulier quædam nomine Iulia luminibus olim cæcata ad ſepulchrum eius acceſſit, vbi cum proſtrata cum fide oraſſet, abſque mora lumen multorum annorum temporibus deſideratum recepit.

Cæca videt.

Mulier quædem auſa fuit dominica die operari, ſed mox diuinitus verberata, vtraque manu contracta eſt. Illico ante valuas ſanctæ baſilicæ ſemetipſam proſternens, ſe in orationem dedit cum lachrymis, ſtatimque digiti illius qui iam dudum fortiter palmis inhæſerant, reſoluto rigore priſtinam receperunt medelam.

Huius ſancti natale celebratur 16. Kalend. Septembris.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato Clodulphus filius eiuſdem ſancti Arnulphi poſt Metēſium epiſcopus ſanctitatem patris imitatur, Doda quoque mater ipſius Clodulphi Treueris incluſa Chriſto ancillatur. Ealdbaldo Anglorum Rege mortuo, * Carcumbertus filius eius poſt eum regnauit annis 25. Hic in Anglia primus Idola Deorum deſtruxit, & fidem Chriſti dilatauit, & ieiunium quadrageſimæ in Anglia legaliter obſeruari edixit.

* *al.* Earcō bertus.

De Imperio Conſtantis, & de miraculis ſancti Oſwualdi Regis.

Cap. LXXIX.

ANno imperij ſui 30. Heraclius Imperator moritur. Conſtantinus filius eius ſubſtituitur, & 4. menſe imperij ſui à nouerca ſua Martiana, & Pyrrho Patriarcha veneno extinguitur, & Martiana cum filio Heraclona imperium arripit. Verum Heraclonas abſciſo ſibi naſo, & Martina mater eius abſciſa lingua exiliantur, & Conſtans qui & Conſtantinus dicitur, filius Conſtantini regnauit annis 26.

Cæpit autem anno domini 643. Mundi verò 4497.

Huius anno primo Oſwualdus Rex Nordanymbrorum à Penda Merciorum Rege perimitur.

Helinandus. Huius dextera multarum eleemoſynarum largitrix, hodie quoque cum brachio & cute & neruis incorrupta iacet, toto reliquo corpore in cineres diſſoluto. Excitata rebellione à Penda Rege Merciorum, cum ipſe Oſwualdus ſuperatus plagā grauem in pectore gereret, pro animbus fidelium ſuorum Deo ſupplicabat. Huius defuncti brachia cum manibus, & capite inſatiabilis victoris ita deſecta, & ſtipiti ſunt impēſa brachia cū manibus adhuc inuiolata perdurant, quę à fratre Oſuino apud vrbem Lābueth cōpoſita in ſcrinio monſtrantur pro miraculo. Caput Lindifari humatū à fratre, nūc Durelim eſſe dicitur inter brachia ſancti Cuthberti. Oſſa reliqui corporis cum regina Offrida vxor Chelredi Regis Merciorū filia Regis Oſuini charitate patrui ducta, Hordonio monaſterio ſuo, quod eſt in regione Merciorū, non longe à Lincolnia ciuitate inferre vellet,

repule-

repulerunt eam monachi inuidentes mortuo quietem ossium, quia super eos bellico iure regnum acceperat. Sed nocte intempeste per lucernam de cœlo super reliquias emissam vltro petierunt, quod ante eiecerant, ibi ex cadenti sanguine reuiruit cespes, quo sanatus est sonipes, & quem posti affixum sinuosis amfractibus ignis vitabundus effugit. Puluisculus lauaturæ reliquiarum eius, mentis impotes sanat, stipes qui recentem cruorem susceperat, lotura sua sanitatem tribuit desperatis. Huius filius Osuinus regnauit post eum annis 27.

Columna lucis ad ossa S. Oswaldi.

ANNOTATIO.

Fertur quod tempore quodam cum die sancto Pascha cum Aidano episcopo consedisset ad prandium, positusque esset coram eo in mensa discus argenteus, regalibus epulis refertus, tamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrauit subito minister eius, cui suscipiendorum inopum cura erat demandata, & iudicauit regi, quia multitudo pauperum vndique aduenies maxima, per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus iussit sed & discum confringi atque ijsdem minutatim diuidi præcepit Quo viso, pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueterascat hac manus, vide Bedam lib. 3 Hist. Ang. cap. 6.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

CAP. LXXX.

An. Ch. 644. *Sigebertus in chronicis.* Eo tempore Iudicail Rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redimit. Virgo Christi Reginulpha sanctitate claret in Gallia. Haumar Amiras templum sibi Hierusalem ędificat, & quia nullo modo structura consistere poterat, suggestione Iudæorum crucem desuper montem Oliueti tolli imperat, & sic structura templi stare potuit.

An. Ch. 645. Anno Constantini secundo Dagobertus Rex Francorum moritur, de quo per visionem cuidam reuelatum est, quod anima eius ad iudicium Dei rapta sit, & multis contra eam pro expoliatione ecclesiarum suarum reclamantibus, cum eam iam mali Angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti martyris Parisiensis Dionysij, cui ipse maxime deuotus fuerat à pœnis liberata est.

An. Ch. 649. Anno eiusdem tertio sanctus Remaclus ordinatur Traiectensium episcopus.

Rodoaldus frater Ittæ, & auunculus sanctæ Gertrudis, Archiepiscopatum Treuerensem doctrina & sanctitate sua illustrat. Soror quoque eius Seuera Abbatissa in eadem vrbe à fratris sanctitate non degenerat.

An. Ch. 647. Anno eiusdem quarto Persa quidam simulans se adorare Haumar Amiram Saracenorum, infixo in ventrem eius gladio peremit eum.

An. Ch. 648. Anno quinto sanctus Furseus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Christo aggressus, ad Gallias vsque pertenit, & à Clodoueo Rege honorifice susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit, quem non multo post fratres sui Foillanus, & Vltanus, pari peregrinandi voto secuti, per Gallias claruerunt. E quibus Foillanus dono Gertrudis virginis Fossense monasterium postea fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quiescit.

De sancto Furseo & primo eius raptu ac reditu.

CAP. LXXXI.

S. Fursei visio admirabilis. *Ex gestis eius.* Hic sanctus Furseus nobilis genere, sed nobilior fide, ab infantia sacerdotibus per diuinam prouidentiam commissus, & sacris literis ac monasticis disciplinis eruditus, dum inter parentes suos sacri vbi semina seminaret, quadam die ægrotantis molestia correptus ad paternam domum commigrauit. Et dum vespertinalem exorsus est psalmodiam, orationi intentus, haud longe à domo tenebris subito circundatus stetit, & quasi iam mortuus ad proximam casam deportatus est. Tunc quatuor manus ad se desuper extensas conspexit, quæ tenentes illum per brachia pennis subleuabant, & illum ex vtraque parte sustinebant, ipse autem quasi per caliginem angelica cernebat corpora, tertium quoque se præcedere Angelum scuto candido & gladio armatum. Hi tres pari fulgore splendentes vno incipiente canebant: *Ibunt sancti de virtute in virtutem &c.* audiebat quoque & aliud quasi ignotum canticum, multorum millium Angelorum, vnde & vix pauca poterat intelligere, exierunt obuiam Christo. Tunc vnus ex supernis agminibus, armato præcedentique Angelo iussit ad corpus animam reducere, suamque secum debere sollicitudinem deferre; tunc vir sanctus se exutum à corpore cognoscens, & tædio separandæ societatis Angelicæ affectus, dixit se ab eis separari noluisse. Cui respondit Angelus: Ad te completa prædicta solicitudine suscipiendum reuertemur. Tunc cantabãt illum dictum versiculum: *Videbitur Deus Deorum in Syon*: Cuius carminis suauitate lætificata anima qualiter in corpus intrauit, intelligere non potuit. Tunc circa pullorum cantum, audiuit verba admirantium sibi circumstantium Et dixit eis: Quid stupentes sonos inquietos emittitis? At illi ordinem referebant, qualiter eo vespere transeunte vsque ad gallorum cantus exanime corpus in medio seruassent, at ille sedens Angelicam claritatem & dulcedinem mente reuoluens, de quali solicitudine admonitus fuisset pertractans, mœstus erat quod qui ei clare exponeret, non erat. Nec reuertentes Angeli eum inuenirent imparatum, petijtque & accepit sacri corporis communionem & sanguinis, & vixit infirmus die illo & altero. Media vero nocte 3. feria pedibus eius frigore induratis, manibus in oratione extensis, recordans iucundissimæ visionis, lętus mortem excepit.

Psal. 83.

Anima corpori restituitur.

S. Furseus corpori Christi communicat.

De secunda visione eiusdem.

CAP. LXXXII.

Rursus mira ei offertur visio. CAdensque in lectum quasi somno grauatus audit horribiles multitudinis voces clamantium, & illum exire compellentium· Apertis autem oculis, nullum nisi tres supradictos Angelos scilicet duos vtroque latere positos, & tertium armatum ad caput suum videbat, eorumque cantica dulcia audiebat. Quibus eum eleuantibus vlulatus & clamores dæmonum per medium transiens audiuit, & vnum ex eis dicentem, antecedamus, & ante faciem eius bella moueamus. Tunc vidit nubem nigram à sinistra parte crispantem, & ante faciem eius bellicam aciem constitutam. Dæmones ignitas sagittas contra eos iactabant, sed Angeli scuto extinguebantnr. Tunc aduersario virum sanctum blasphemante, & eum in multis accusante, Angelo autem econtra eum in omnibus defendente, respexit vir sanctus vallem tenebrosam sub eo positam, & ignem in aere ardentem. Cumque timeret ignem sibi appropinquantem. Dixit ei Angelus: Noli timere, quia non accendisti, non ardebit in te. Nam ignis iste licet grandis sit, & terribilis, tamen secundum merita operum singulos examinat, quia vniuscuiusque cupiditas in eo ardebit. Tunc vidit Angelum præcedentem quasi duos muros vtroque latere flammam diuidere, & alios duos vtroque latere eum ab igne defendere, quatuor quoque dæmonia per ignem volantia bellum horribile in medio ignis construere, vnus autem eum accusans ait: Dona iniquorum recepit. Cui Angelus respondit, quia credidit quod egisset pœnitẽtiam. At ille: Ante inquit, debuit pœnitentiam probare & sic fructus suscipere. Sed munera excæcant oculos sapientium, & subuertunt iustitiam. Cui Angelus: Iudicetur ante dominum. Tunc ille in blasphemiã erupit dicens: Vsque nũc æstimauimus Deum veracem esse, at hic homo in terra

Dæmones cũ Angelis pugnant.

Nota improbas dæmonum accusationes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

delicta sua non purgauit, neque hic recepit, vbi est ergo iustitia? Cui Angelus: Nescitis occulta iudicia Dei. Tandem iudice Domino triumphantibus Angelis deuictisque aduersarijs immensa claritate circunfusus est vir sanctus, Angelorum quoque choris concinentibus: Nullus labor durus, nullum longum tempus videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Vidit etiam sanctorum hominum agmina aduolantia, eumque circundantia, omnique ignis formidine & dæmonis terrore abiecto, tandem duos venerabiles præsules illius prouinciæ in qua natus erat, qui nuper videbantur obisse, & ad cœlestia migrasse, vidit à secreto cæli cum ingenti claritate ad se venire, qui sibi præcipiunt ad sæculum redire. Qui cum taceret huius nuncij tristitia stupefactus, aiunt illi: Qui times? vnius diei res est, quo laboraturus es. Cumque eum de modo viuendi docuissent, & multis sermonibus hortati fuissent, Angeli cum agmen cœlo receptum est. Illoque cum tribus Angelis ad terram reuersuro, maximus appropinquabat ignis, sed Angelus domini sicut ante medium ignem diuidens scindebat. Vir autem vnus ex igne prosiliens, dæmonibus illum proijcientibus super humerum eius maxilla sua illius maxillam expressit, quem vir sanctus cognoscebat eum esse, qui vestimentum ei proprium moriens donauerat, humerumque eius ac maxillam incendens, ab Angelo sancto in ignem vnde exiuit est proiectus. Tunc Diabolus ait: Noli repellere quém ante suscepisti, sicut suscepisti bona eius, sic etiam debes esse particeps pœnarum eius. Angelus autem Domini respondit, non propter animam eius liberandam suscepit. Tunc cessante igne, dixit Angelus Domini ad Furseum. Quod incēdisti hoc arsit in te: si enim huius viri in peccatis suis mortui vestimenta non suscepisses, in corpore tuo pœnæ illius non arderent: Prædica ergo omnibus pœnitentiam.

Panitentia agenda.

De reditu animæ eius ad corpus, & sequenti conuersatione ipsius.

Cap. LXXXIII.

His & alijs sermonibus instructus, super tectum ecclesiæ inter sanctos Angelos stans, suumque corpus considerans iubetur illud cognoscere & resumere, qui cum illud qua si cadauer ignotum timeret, & appropinquare nollet, ait Angelus: Noli timere hoc corpus suscipere, quod sine vlla infirmitatis, vel vitiorum repugnatione, quamuis inualidum patieris. Concupiscentias enim illicitas in hac tribulatione superasti vt vetera contra te non prævaleant. Tunc pectus corpus aperiri vidit, & intrauit. Quasi ergo de profunda quiete mortis præsente multitudine parentum, vel etiam vicinorum seu clericorum exurrexit humanæ stultitię magnitudinem ingemiscens, arduum & difficilem transitum admirans. Quod autem de viro iniquo sumpsit incendium inter scapulas, & in facie eius apparuit, mirumque in modum demonstrabatur in carne, quod anima sola sustinuit. Egressus ergo inde verbum Domini prædicabat, & ea quæ viderat vel audierat omnibus Scotorum populis prædicabat. Cumque diuinis virtutibus clarus, & de his, quæ ad opus prædicationis congrua sunt, iterum ab Angelo sancto edoctus, multo tempore in Hibernia prædicasset irruentium populorum multitudines non ferens, & aliquos contra se inuidia commotos deprehendens, discessit, peregrinaque littora petens per Britanniam in Saxoniam transuectus est, vbi à Rege Sigeberto honorifice susceptus, locum monasterij ab eo sibi traditum accelerauit construere. Quo facto ab omni sæculi, & ipsius monasterij cura alienare se cupiens fratri suo sancto Foillano curam eius reliquit, & ipse eremum petijt, vbi cum alio fratre suo Vltano per annum philosophatus est. Cum autem quibusdam causis ingruentibus à populo, vel Rege ad consilium vocatus, imo etiam compulsus, desideratam sibi eremum reliquisset, omnia animo peruigili tractans ad Galliarum littora nauigauit, ibique à Francorum Rege Clodoueo honorifice susceptus, monasterium in loco quem vocant Latiniacum construxit. Nec multo post fratribus ordinatis, cum Rege iter agens infirmitate correptus, ad cælestia regna migrauit, cuius corpus in villa quæ Perona dicitur in ecclesia prope altare reuerenter conditur, constructaque ad orientalem partem altaris domuncula, post quatuor fere annos ibidem à reuerendis episcopis Eligio & Autberto immaculatum sine vlla putredine transfertur.

Reducitur anima Fursei ad corpus. Labor in hoc mundo cur nullus durus videri debet.

Hanc Saxoniam vocat Beda prouinciam orientalium Anglorum.

Fursens in Gallijs cōdit monasterii.

Obitus S. Fursei.

Huius natale celebratur quarto nonas Martij.

De gestis sancti Martini.

Cap. LXXXIV.

Hvgo vbi supra. Anno quoque prænotato Martinus Romanæ ecclesiæ 72. præsidet. Eo tempore constans Imperator in Monothelitarum heresim incidit, sicut & auus eius Heraclius. Proinde Martinus Papa celebrauit Romæ concilium, vbi & damnauit omnes praui dogmatis assertores, sed maxime Paulum Constantinopolitanum falsi nominis Patriarcham, qua recognita idem Constans Martinum Papam Constantinopolim euocauit, & inde eum exilio apud Chersonesum relegauit, multos etiam orthodoxum verberibns & exilijs condemnauit, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescere vellent.

Lateranēsis Synodus sub Martino.

Ex gestis Pontificum. Ipsis diebus direxit Imperator Olympium cubicularium ad regendam Italiam, qui Romam veniens, inuenit Ecclesiam coadunatam, voluitque schisma sanctæ ecclesiæ intromittere, & non illum Omnipotens Deus permisit, quæ nitebatur perficere. Videns ergo se à sancta Dei catholica ecclesia superatum, dum ei communionem porrigeret sanctissimus Papa, voluit eum interimere, vt demandauerat suo Spatario, sed Deus excæcauit Spatarium Olympij Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho cōmunionem porrexit vel pacem dedit. Quod & postmodum prædictus armiger diuersis cum iureiurando confessus est, Videns ergo Olympius Exarchus quia manus Domini circuntegebat Martinum, necesse habuit secum Pontificem concordare, & omnia quæ ei iussa fuerant eidem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace cum sancta Dei ecclesia colligens exercitum, profectus est Siciliam aduersus gentem Saracenorum, qui ibidem inhabitabant. Et peccato faciente magnus interitus in exercitu Romano prouenit, & post hoc idem Exarchus morbo interijt. Deinde directus est ab Imperatore Theodorus Exarchus cognomento Caliopa cum Theodoro imperiali cubicularo, qui & Pullurius dicebatur cum iussione. Et tollentes sanctissimum Martinum Papam de ecclesia Saluatoris, quæ & Constantinopolitana nominatur, perduxerunt Constantinopolim & nec sic etiam eis acquieuit. Deinde directus est sępius dictus sanctissimus vir in exilium, in locum qui dicitur Chersonneson, & ibidem vt Deo placuerit vitam finiuit in pace Christi confessor, qui & multa mirabilia operatur vsque in hodiernum Diem. Depositus est autem 15. Kal. Octobris.

Exarchus contra Sanctam Romanam ecclesiā prævalere non potuit.

Author. Huius tamen natale celebratur quarto Idus Nouembris.

Sigebertus. Anno Constantis, qui & Constantinus, 6. Eligius Nouiomi Audoenus, qui & Dado, Rothomagi clarent episcopi, & Philibertus de Herio insula, & Richarius Pontinēsis, & Geremarus Flauiacensis Abbates, Angadrisina quoque sacra virgo secus Beluacum, Ansigisus etiam filius sancti Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. *An. Ch. 649.*

Author. Vitam beati Eligij scripsit sanctus Audoenus.

De

De sancto Eligio Nouiomensi, & bonis eius initijs.

CAP. LXXXV.

S. Eligij genus & patria, & parentes.

Visio matris eius grauida.

Prophetia de S. Eligio.

Fit egregius Auri faber.

Vt ad Clotharij regis notitiam peruenerit.

EX gestis eius. Hic in territorio Lemouicæ vrbis fuit oriundus patre Eucherio, matre vero Terrigia natus, quem cum mater adhuc haberet in vtero vidit in somnio aquilam volantem supra lectum suum & se tertio inclamantem, & ei nescio quid promittentem. Quæ cum ex voce aquilæ euigilasset, perterrita nimis, cæpit cogitare de somnio quid hoc esset. Cumque postea in partu periclitaretur, mandauerunt ad quendam sanctum virum, vt veniret & oraret pro ea, qui cum venisset ait: Ne timeas mater, quia puer iste sanctus erit, & magnus in ecclesia. Cum autem esset iuuenis fecit eum pater suus ab aurificibus erudiri. Et cum iam sciret totam artem illam, in Franciam venit, & cuidam aurifici, qui faciebat Regis opera se coniunxit.

Quodam tempore cum rex perquireret, quis sibi sellam de auro & gemmis pulcherrimam faceret, respondet ei magister sancti Eligij se inuenisse artificem qui optime regi faceret quicquid vellet. Et accipiens à rege auri massam magnam tradidit Eligio, qui ex eodem pondere duas sellis pulcherrimas fecit, & deferens vnam regi alteram penes se detinuit, quam cum omnes mirarentur, rex eum copiose remunerauit. Tunc Eligius alteram protulit, & regi præsentauit, dicens, quod de auri residuo hanc fecisset. Et rex amplius stupefactus quæsiuit quomodo eas ex eodem pondere facere potuisset. Bene inquit. Et excreuit fama Eligij in curia regis.

De eleemosynis eius, & miraculis, & habitu eiusdem.

CAP. LXXXVI.

Eius in pauperes humanitas.

Diuinitus pecunia eius crumenæ imponitur.

Forma corporis eius.

BEatus autem Eligius in tantum pauperes diligebat, quod quicquid poterat vsque ad nuditatem suam eis erogabat, qui in tantum eum diligebant, & sequebantur, vt siquis sanctum Eligium quæreret, ad domum vallatam pauperibus mitteretur. Quadam die dum propria manu eleemosynam daret, vnus eorum contractam habens manum alteram ad eleemosynam extendit, cui Eligius, alteram, inquit, tende, quam cum pro posse extenderet, cępit eam palpare, & extendere, & sic eam oleo vngens sanauit.

Quadam etiam die cum totum aurum & argentum suum pauperibus erogasset, venientibus & alijs pauperibus nihil habens, quod eis daret, vnam marcham auri quam à quodam vicino suo mutuauerat, erogauit. Et postmodum venientibus alijs non reminiscens quod prius fecerat, iuit ad bursam suam quam prius solicite scrutatus fuerat, & tunc inuenit vnam marcham auri, & laudans Deum, pauperibus erogauit. Erat autem statura prolixus, facie rubicundus, cæsarie formosus, crine cincinatus, Angelici vultus, simplicis & prudentis aspectus, aurato & gemmato prius habitu nitens, zonas habens comptas ex auro opertas, vestimenta omnia pretiosa, pluraque holoserica, ob ostentationem fugiendam, intrinsecus autem ad carnem cilicium quæ omnia postea in egentium necessitatibus consumpsit, deinde villosis vestibus vsus est, funiculo cinctus, plerumque propter pauperes etiam expoliatus. Cui rex tunc dabat proprium vestimentum & cingulum, quia sicut animam suam ita illum diligebat, à quo quicquid idem Eligius postulabat, sine dilatione impetrabat, & omnia expendebat in egenos, captiuos, & debiles.

De promotione eius in episcopatum, & miraculis sequentibus.

CAP. LXXXVII.

De hæresi Simoniaca lib 2. cap. 1.

Fit episcopus ibid. cap. 2

TEmpore autem Brunechildis Reginæ vsque ad tempora Dagoberti simoniaca pestis in Gallia viguit, pro qua auferenda tunc solicite inuigilabant Eligius, & Audoenus. Tunc electus est Eligius ecclesiæ Nouiomensis post Acharium eiusdem vrbis Antistitem, cum quo pariter electus est & Audoenus sodalis eius ad ecclesiam Rothomagensem. Præfuit autem Eligius Veromanduensi Mętropoli, Tornacensi quoque quondam regali ciuitati. Nouiomensi quoque & Flanarensi, Gandēsi & Corturiacensi. Habebat autem statutum locum in quo certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens deuote illis seruiebat, squalentia capita illis lauans; ac deformem cæsariem manu propria radens, potum singulis & cibum præbens, nudos vestitos dimittens, quibus exeuntibus alios si adessent intromittebat, quos similiter refouebat. Quod si plurima turba conflueret aliquando cunctis similiter faciebat. Singulis autem diebus 12. sic reficiebat, ipse cum eis hora congrua conuescens, ita tamen vt prius singulis aquam manibus funderet, vinum & panem manu propria præberet. Præterea obtinuit apud regē, vt omnia damnatorum corpora vbicunque inuenire posset per villas vel ciuitates, licentiam haberet de bargis, rotis, & laqueis deponere & sepelire, Delegauitque ex collegis suis vispilones, qui huic curæ insisterent. Igitur cum esset in comitatu regis in partibus Austriæ, apud vrbem Stratumburgum inuenit hominem ipso die laqueo vitam finisse, cui dum sepultura à comitibus pararetur, accessit & ipse proprius, & cæpit palpare corpus à summis vsque ad ima mulcendo. Cumque sensisset adesse animam vrbane virtutem facti à se repellens dixit: O quam grande scelus nisi dominus adiuuisset nunc perpetrare poteramus, vt corpus hoc humo tegeremus, cum anima eius in ipso sit, quem resuscitatum iussit vestiri & repausare. Quo audito, insectatores iterum eum ad mortem petebant, quem vix ab eorum manibus eripuit, & se ab eius collegio subtraxit propter vitandam gloriam, & chartam securitatis apud regem impetrauit pro eo.

Excitat mortuum & tamen dissimulat.

In diœcesi eius quidam presbyter nimis infamis erat, quem cum sanctus Eligius frequenter corriperet & ad confessionem modis omnibus inuitaret, ille semper crimen suum tegebat. Tunc sanctus Eligius videns, quod nihil proficeret, eum excommunicauit, vt quousque publice pæniteret, nullo modo celebrare præsumeret. Presbyter vero negligens, & episcopi sententiam paruipendens, post aliquot dies cum vellet celebrare, & altari insisteret, statim ad terram cecidit, & expirauit. Multa autem & alia miracula in vita fecit, & ad huc facit.

Presbyter excommunicatus ab eo moritur.

De gestis eius circa ecclesias, & sanctorum reliquias.

CAP. LXXXVIII.

Cæcum illuminauit lib. 1. cap. 29.

ÆDificauit in Nouiomo monasterium ancillarum Christi. Corpus sancti Quintini martyris reuelauit per eum dominus. Suessionis quoque inuenit sanctos martyres germanos Crispum & Crispinianum, quos ex quadam crypta prolatos mirifice composuit. Sed & in Beluacensi municipio beatum martyrem Lucianum quondam collegam sancti Quintini inuentum similiter transtulit atque composuit. Apud Parisios cæcum illuminauit in ponte. Rursus apud Parisios custos sanctæ columbæ nunciauit ei ecclesiam suam omni ornatu suo nocte à furibus fuisse spoliatam, tunc Eligius pergens ad oratorium sanctæ columbæ ait: Audi sancta Columba quę dico: Nouit redemptor meus, nisi cito ornamenta huius tabernaculi furata reduxeris, spinis

allatis faciam ianuam ita obſerari, vt nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie. Quo dicto diſceſſit. Sequenti die cuſtos maturius ſurgens, inuenit omnia vela vſque ad minimam pallam, ſicut prius fuerant reſtituta. Hæc ſunt autem ſepulchra, quæ auro, argento, & gemmis fabricauit, Germani, Seuerini Piatonis, Quintini, Luciani, Genouefæ, Columbæ, Maximiani & Iuliani, & præcipue beati Martini Turonenſis, Dagoberto Rege impenſas præbente, necnon & tumbam ſancti Bricij, & aliam vbi corpus beati Martini dudu iacuerat, & mauſoleum ſancti Dionyſij martyris Pariſijs, & tugurium ſuper ipſum marmoreum miro opere auro & gemmis decoratum. Cryptam quoque & ſpecies de fronde, & axes in circuitu throni altatis auro operuit. Mortuus autem anno vitæ ſuæ 70. Qui cum anno reuoluto de loco ſuo trãsferretur, ita pulcher & incorruptus inuentus eſt, vt ſemper vixiſſe in tumulo putaretur, & quod mirabilius eſt, barba & capilli tempore obitus ſui raſi, mirum in modum creuiſſe in tumulo videbantur.

Vt bona direpta eccleſia recuperauit cap. 30.

Author. Nunc de inuentione ſancti Quintini, quod hucuſque diſtulimus, proſequamur.

De tranſlatione corporis ſancti Quintini Martyris.

Cap. LXXXIX.

Maurini cuiuſdam arrogantia & temeritas.

Inuẽtio corporis B. Quintini per S. Eligium lib. 2. cap. 6.

Ex libro tranſlationis. Clericus quidam nomine Maurinus ſæpius iactitare ſolebat ſe & martyris locum noſſe, & illum ſine mutatione inuenire poſſe. Quod cum auditoribus probare geſtiret, facti ſui periculum aggreſſus eſt; ſumptoque ligone, dum pauimentum baſilicæ martyris violare præſumpſit, manubrium ligonis infixum ſuis manibus adhæſit, quod cum nec dimitti nec auferri poſſet, cæperunt manus computreſcere vermibuſque ſcaturire, qua pœna mulctatus, ſequenti die miſerabiliter defecit. Hinc tantus pauor in cunctis excreuit, vt nemo poſt hunc quamuis probatiſſimæ fuit vitæ, præter ſanctum Eligium Nouiomenſem epiſcopum huiuſmodi negocium tentare præſumeret. Is quippe pontifex factus præfati martyris locum cæpit frequentare. Vnde & diuina doctus reuelatione, triduanum ieiunium cum lachrymis peragens, & attentius orans, in loco vbi de inuentione corporis ſuſpicio nulla eſſe poterat, ſanctis manibus ſarculo effodere cæpit, ibique tumbam veterrimam tegentem corpus ſacrum inuenit. Quo terebrato, tantus odor paradiſi cum immani lumine ex eo prodijt, quod etiam ipſe Pontifex præ ſplendore luminis, & fragrãtia odoris amænatus vix ſubſiſtere potuit. Nam & globos luminis qui ex mauſoleo ictu ferientis prodijt, tam immenſum ſplendorem edidit, vt noctem illam valde tenebroſam, quæ iam media tranſacta erat per plurimam prouinciæ partem in claritatem diei verteret. Vnde multi de ſtratis ſuis conſurgentes ad opus ſeruile, ſicut in die, ex more feſtinabant, ſed procedente tempore claritatis, quæ pro re ſignifera fulſit, ſtato ſigno receſſit. Tunc ſanctus Eligius corpus ſacrum cum gaudio lachrymabili deoſculans, reliquias ſibi vndecunque voluit, ſegregauit, ex quibus etiam multa loca condiuit, medelamque diuerſis morbis eas impartiendo præbuit, dentes etiam pro medela languentium ex maxilla abſtulit, quod dum faceret ex radice vnius dentis gutta ſanguinis exiuit, deinde corpus ſanctum cum diligentia ſumma holoſerico obuolutum, retro altare tranſpoſuit, tumbamque ex auro & argento ac gemmis miro opere deſuper fabricauit; eccleſiam quoque quæ exigua erat ampliatam decorauit.

Anno 657. inuenit corpus S. Quintini. vt ait Meyerus lib. primo, Annal Flandri.

De miraculis per eundem martyrem oſtenſis.

Cap. XC.

Miracula S. Quintini Greg. Turon. lib. de gloria Martyrum cap. 71.

Latro quidam equum preſbyteri cum furtim abſtuliſſet, inuentus à preſbytero iudici manifeſtatur, apprehenſuſque & vinctus opus ſuum confitens patibulo diiudicatur. Sed preſbyter metuens ne ob damni ſui cauſam, anima hominis auferretur, iudicem deprecatus eſt, vt conceſſa illi vita reus abſolueretur, dicens ſibi iam eſſe ſatisfactum, quod per tot genera tormentorum latro quæ geſſerat, declaraſſet. Seueritas autem iudicis nullis precibus inflecti potuit, ſed reum patibulo iudicauit, tunc preſbyter proſtratus ad beati martyris tumulum, ſuppliciter eum precabatur, vt pauperem illum quem aſperitas humanæ nequitiæ abſoluere renuit, ipſe de morte clementer eriperet, ne ſibi hoc in opprobrium fieret, ſi per eius accuſationem homo moreretur. Hæc eo cum lachrymis deprecante, diſruptis vinculis patibuli, reus ad terram ruit, quod audiens Iudex timore perterritus, & diuinam admirans virtutem nihil ei vltra nocere præſumpſit.

Et hoc narrat Gregorius Turonenſis.

Fuit quidam nobilis & diues nomine Mulericus qui per ſuperbiam, & morum intemperantiam Deum offendebat, ſed cum ſanctus Quintinus ſæpe admonens in ſomnis eius pertinaciam redarguebat. Qui cum nollet acquieſcere monitori, quadam cum nocte verberibus afflixit, ipſamque cædem vt omni populo oſtenderet præcepit, tunc ille quamuis coactus palam omnibus vulnera oſtendit; deinde conuerſus ab errore ſuo, multa donaria in eadem baſilica contulit.

S. Quintinus hominẽ improbum cadit.

Alter falſus teſtis nomine Bernuinus in rebus ipſius eccleſiæ beati martyris falſum ferebat teſtimonium, volens quandam ſyluam de prædio Mogarido penitus auferre, quem ſanctus martyr in ſomnis redarguit, apprehendenſque naſum eius falſatorem proclamauit; ad quod dictum ipſe expergefactus, pedibus calciatus cum faciem ſuam aqua linire deberet, accerſita coniuge, cæpit ei explanare quid in ſomnis vidiſſet. Vt autem peruentum eſt ad hoc qualiter ipſe martyr naſum eius tenens falſatorem eum vocauit, extenta manu naſum ſuum cæſum recepit, ſtatimque in vaſe quo aqua de manibus eius diffluebat cecidit, qui nimium territus, ad palatium quo ipſa die pro præfata ſilua deberet ire, diſtulit; nec tamen hoc ſupplicio coercitus, inſuper ob ſuperbiæ faſtum aureum ſibi naſum fabricare, catenuliſque aureis aptare conatus eſt, quem iterum idem ſanctus viſu admouit dicens: Nonne tibi naturalem abſtuli naſum, vt te omnibus monſtrarem falſum teſtimonium dixiſſe, & nunc ob ſuperbiam auſus es aureum ſuperponere? Vade nunc proijce illum abs te, & cunctis innoteſcere ſtude te falſum teſtimonium protuliſſe. Ob iudicium ergo fidei naſus ipſe ex auro multis diebus ad memoriam futurorum ibidem ſeruatus manſit.

Falſus teſtis à D. Quintino naſo trũcatur.

De ſancto Audoeno Rotomageuſi, & bonis eius initijs.

Cap. XCI.

Coliter S. Quintinus 31. Octob.

Audoeni patria.

Ex geſtis eius. Sanctus vero Audoenus quondam oppido Sueſſionico nomine Sanciaco ortus, cum duobus fratribus Adone & Radone, ſancto Columbano à matre ad benedicendum eſt oblatus. Qui futurorum præſcius infantulos benedixit, eoſque futuros & Chriſtianæ religionis virtutibus eximios, & honoribus ſæculi claros, ſpiritu prophetico prædixit, nec incaſſum. Mox enim vt pubeſcere cæperunt, primum Clothario Regi, deinde Dagoberto in cunctis gratiſſimi inuenti ſunt. Denique primogenitus nomine Ado mundum ſpernens monaſticam vitam petijt. Rado vero theſaurorum regalium procurator effectus, iuſto eos ordine diſpenſauit & cuſtodiuit. Sanctus vero Audoenus, qui & Dado, ſigillum vel annulum Regis cuſtodiebat, ad cuius nutum cuncta palatina negocia gerebantur. Regem quoque aſſidue hortabatur, vt Regem omnium Chriſtum ſine quo nullus regnat pie coleret, ſubiectorum ſibi populorũ ſocium magis quã Dominum ſe putaret, ſubditis parceret, ſuperbos debellaret. Tũc etiã ſãctus Eligius mirãdus virtutibus, in aula Regis fulgebat; hiſque

Audoenus eſt Regi Dagoberto à ſecretis cap. 5. vita.

S. Eligius Sancti Audoeni Sodalis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hisque duobus cor vnum & anima vna erat. A quibus cuncti Francorum proceres sumebāt exempla Christianæ religionis, & hauriebant monita doctrinæ salutaris. Hi sub habitu sæculari militabant æterno Regi. Itaque sanctus Audoenus sæpissime vestibus pretiosis,& aureo præcinctus baltheo foris vtebatur,& subtus cilicio caro tegebatur. Persistebat infatigabiliter in orationibus, in ieiunijs, vigilijs, & diuina lectione, in pauperum infirmorum ministerio, & hospitum susceptione,in proprio quoque patrimonio monasterium construxit, quod & possessionibus opimis, & ornamentis ecclesiasticis, & libris ac diuersis rebus ad Dei seruitium pertinentibus deuotus impleuit. Ibique sanctorum monachorum multitudinem congregauit, eisque sanctum Agilum ex sancti Columbani discipulis Abbatem præposuit.Cum & ipse vellet abiectis seculi dignitatibus soli Deo in monasterio seruire,resistebat Rex & optimates eius dicentes,eum potius vtilitati plurimorum debere consulere,quam suæ tantum singularitati satisfacere. Denique iussu regali multisque religiosis suadentibus tonsuram clericatus accepit, vno eodemque tempore viro Dei Eligio comam deponente.

Monasteriū Rasbacense construit.

Abbatē ibidem præficit nomine Agilum.

De electione eius, & peregrinatione, & reditu.

Cap. XCII.

INterea defuncto sancto Romano Rotomagensi episcopo, sanctus Audoenus omnium consensu eligitur, & licet humiliter renitens in cathedra constituitur. Qui etiam sciens sub quanto periculo neophitus ordinetur, non statim sacrum ordinem sumere præsumpsit, sed relicta sede ad prædicandum verbum Dei gentibus longe positis exul efficitur. Cumque in Hispanijs reperisset populos nimia siccitate iam diu laborasse, iam enim septem annos absque pluuia transierant, prostrauit se in oratione, statimque tanta pluuiæ abundantia sequitur, vt priorem penuriam recompensare videretur. Confortato igitur Hispaniarum populo fide, verbo,miraculo, reuertens ad sedem propriam,in Andegauensi regione quendam pauperculum obuium habuit,qui cum dominica die contra vsum Ecclesiasticum opus seruile exerceret, & in mola farinam conficeret, manum qua molam rotabat aridam subito & sibi inutilem offendit, nam & pollex ad superiora manus ita astrictus est, vt sanguis in ipsa figura pollicis exiret,ipsum lignum quo mola rotabatur inter pollicem & palmam tam stricte tenebatur, vt auelli nullatenus posset. Procidens ergo pauper ad genua sancti miseriam suam deplorat, & reatum suum confitetur. At ille *signum crucis* manu eius impressit,& consuetudini pristinæ deseruire præcepit, pauperculum admonens dominicis diebus & festiuis magis ad ecclesiam venire, & verbum Dei audire, quam molam rotare, aut vllum opus seruile exercere sine summa necessitate. Cum itaque Rotomagum peruenisset,sub vno die ordinati sunt pariter Audoenus eiusdem vrbis episcopus & S. Eligius Nouiomensis episcopus. Suscepto igitur episcopatu multis virtutibus claruit, corde humilis, vultu grauis, doctrina præcipuus, denotione armatus, in colloquio sapiens,in consilio prudens,in corrigendo vehemens,in diligendo ardens,in aduersis patiens. Abstinentiæ rigorem ora pallida demonstrabant,maxillæ lachrymis humectæ contritionem cordis indicabant,lactea colla circuli ferrei premebant, ventrem,& brachia ferrum æque constringebat,ipsius etiam lecti congeries,non ex mollibus plumis pictisve tapetis,sed ex asperis construebatur virgultis.Et sæpissime in cubiculo lux immensa cælitus emissa à discipulis eius visa est, voces quoque angelicæ cum eo colloquentes audiebantur.

Septē annorum sterilitatem auertit suis precibus.

Pœna laborantis dominica die.

Signo crucis sanat manū læsam.

Consecratus episcopus.

Iterum de miraculis eiusdem.

Cap. XCIII.

INterea VVaningus quidā diuitijs & sæculari dignitate præpollens, iudicio Dei morbo percussus acerbo,in extasi mentis iam pene mortuus rapitur,multaque infernalis supplicij tormenta contemplatur, sed à beato Audoeno visitabatur, qui orationem fundens benedictionem super eum dedit, eumque pristinæ sanitati reddidit, præcipiens vt illum locum in quo iacebat Deo consecraret. Et ne tanti Pontificis admonitio cassa fieret, iterum moneretur à beata Eulalia, vt iuxta Pontificis iussionem in eodem prædio qui vocabatur Fiscanus, vbi dudum iacuerat, cænobium construi faciat, & vt in hoc mundo adhuc 20. annos habere debeat, meruit audire.

Quodam tempore cum vir sanctus parrochiam suam prædicando lustraret,& per locum qui nunc crux Christi sancti Audoeni dicitur,iter ageret,curru sedens (non enim iam nimio senio fessus equo vehi poterat) muli qui currum trahebant subito substiterunt, quos auriga percutiens, nullatenus à loco auellere potuit. Sentiens autem vir Dei nutu Dei animalia manere immobilia, ex templo oculos ad cælum reflexit, *ad vexillum crucis amplo splendore micans aspexit*, cumque spiritu sibi reuelante intelligeret, quod eundem locum ad sibi seruiendum dominus elegisset, subito conuersus quendam arantem vidit,cuius stimulum sumens, *signum crucis expressit*, eaque defixa in terra, sanctorum etiam reliquijs superpositis discessit.Cumque Sol occumberet,columna ignea in ipso loco per totam noctem visa est, cuius splendor solis claritatem vincere videbatur, & à totius prouinciæ hominibus cernebatur. Itaque confluebat illuc multitudo populorum, domino vota sua offerentium,ibique diuersis languoribus detenti sanabantur.Illic igitur beatus Leutfridus ecclesiam construxit, quæ dedicata est in honore sanctæ crucis & sancti Audoeni pontificis, ibique multitudo monachorum regulariter vsque hodie deseruit Deo.

Alia vice transiens vir sanctus iuxta insulam Belcionicam accedens paululum se dixit requiescere velle in loco,diuino vtique admonitus oraculo,cumque sopore teneretur, Angelicis eloquijs fruitur, & in eodem loco basilicam sancti Stephani prothomartyris vt ædificet, perdocetur. Accersito itaque Ausberto,qui tunc Fontinellæ cœnobio Abbas præerat, in cuius territorio idem locus esse videtur, hoc negotium patrandum impressit.

Idem Apostolorum limina Romæ visitans, singulis Apostolorum, & martyrum memoriæ se prosternens tam pro se, quam pro pace ecclesiæ preces obtulit, lachrymas tamen magis quam verba fudit. Denique ad confessionem beati Petri Apostoli cum hunc versum inciperet,*Exultabunt sancti in gloria*, diuinitus responsum est,*Lætabuntur in cubilibus suis*, qui cum per 11. annos iam mutū obuium habuit,cuius capiti *signum crucis* impressit linguam tacentem loqui continuo fecit. Exinde populis prius discordantibus pacis fœdere sociatis, ad vrbem, Virdunensem venit,vbi cum ecclesiam ingreditur, mulier quædam à spiritu immundo vexata, frendensque dentibus virum Dei rapido cursu inuadere nitebatur, qui caput eius manu strinxit, & illico dęmonem eiecit, sanamque parentibus reddidit.

44. annis ecclesiam Rotomagensem rexit,& 90. habens annum ad Deum migrauit 3. Non. Maij,ipsumque sacratissimum corpus tam alienum inuentum est ab omni corruptione,quam primum viuens decoratum est virginitate.

VVannengium virum nobilem sanat.

S. Eulalia vita celeberrima apud Hispanos habetur die decimo decembris.

Vidit crucē luculentam in aere.

Nota priscorum Christianorum erga sacra loca & sanctos deuotionem.

Psal. 149. Curat mutum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſancto Philiberto abbate.

CAP. XCIV.

EX geſtis eius. Sanctus quoque Philibertus cum eſſet bonæ indolis adoleſcens Regi Dagoberto nunciatus, aduocatur in palatium, receptuſque in ordine nobilium, adeptus eſt Audoeni optimatis conſortium, qui ſub aureo baltheo Deum valde diligens poſtmodum præfulgentibus vitæ meritis cathedram ſubijt Rothomagenſium ciuitatis. Cum autem eſſet Philibertus annorum 20. diuina præcepta audiens elegit Chriſti diſcipulus fieri. Agnitoque Dei milite Agilo, qui præerat Resbacenſi cœnobio, illuc veniens comam depoſuit, omnibuſque ſuis in eleemoſynas erogatis, iugum Chriſti ſuaue ſuſcepit, vbi cum multo religionis & abſtinentiæ culmine excreſceret, ita vt viris perfectioribus imitabilis fieret, antiquus hoſtis inuidens, pulſare eius animum cœpit, vt ampliora edulia ſumeret, ſed Dei nutu detectus, viro Dei per ſomnium eſt oſtenſus. Nam cum quadam nocte fuiſſet cibo refectus, ille ventrem eius palpare cœpit, & dicere: Modo hic bene. Tunc ille inimici iacula cognoſcens, rigorem abſtinentiæ cœpit triplicare, & contra arma tyranni Dei auxilium implorare. Cumque ſingulis noctibus eccleſiam frequentaret, in tribus ſe contra ipſum tentationibus dirus anguis erexit. Nam vrſi ſpecie eum intra eccleſiam tentauit primum terrere, & nocte alia de ferro candelabri viſus eſt eum trãsfigere, & nocte tertia ab oſtio eccleſię expanſis brachijs voluit prohibere. Sed omnia eius machinamenta Philibertus expulit virtute diuina per ſanctæ crucis præſidiũ. Cum autem beatus Agilus obijſſet in Chriſto, fratrum conſenſu Philibertus regiminis curam ſuſcepit, cœpitque domum ſibi traditam ſtrenue gubernare, nullius perſonam accipere, inuenta vitia radicitus extirpare. Tunc quidam è fratribus aſſumpta rebellione, ſanctum Dei de eccleſia, præſumpſerunt extrahere. Sed vltrix manus Domini hoc impunitum non pertulit. Nam vnus ex eis ictu fulguris interijt, alius etiam more Arij, in ſterquilinium omnia inteſtina ſua depoſuit, indignamque vitam digna morte finiuit. Reliqui timore percuſſi, veniam petentes eum ſtuduerunt reuocare, & deinceps cum charitatis ſtudio obedire. Cumque Deus in corde eius poſuiſſet, vt ex proprio labore templum domino fabricaret, à Rege Francorum Clodoueo, & Bathilde Regina ſuggeſtione ſupplici, locum in pago Rothomagenſi, Gemeticum appellatum obtinuit, vbi nobile conſtruxit cœnobium.

S Philibertus ſit monachus.

Dæmon abſtinentiam impedit.

Vltio diuina in rebelles.

Adhuc de miraculis eiuſdem.

CAP. XCV.

CVm autem pro cauſa monaſterij ad Ebroinum Francorum principem vellet quendam monachum deſtinare, inueniens eum valida febre proſtratum, iniunxit eam cauſam obedientiæ in virtute Chriſti. Vade inquiens, & reuertere, & amplius noli febricitare. Qui ſtatim ſanus effectus iuſſa compleuit. Sicque ſermo viri Dei, & cauſam obtinuit, & morbum fugauit.

Aliquando Pariſios exigente cauſa diſcordiæ perrexit pacem reformare, obtento quod voluit, latro gnãtos eius furari prætumpſit, quos ille in craſtino non inueniens, more ſolito patiẽtiam tenuit. Sed infælix ille percuſſus à Domino, furtum quod fecerat patefacit, ardere ſe eiulans clamabat, & aliud loqui non poterat, niſi extentis brachijs ſinum cum furto abſcondito demonſtrabat, illo morte mulctato, ciues ad ſanctum cœnobium reportauerunt.

Gnanti ſunt Chirotheca.

Quadam nocte cum in baſilica ſancti Petri vigilaret & pſalleret, quidam monachus, qui interius vigilabat, repente conſpexit, & tanquam duas fulgentes lampades oculos illius in ſpirituſſancto micare prẽuidit. Erat enim ei lachrymarum vbertim gratia conceſſa, maximumque illi ſtudium erat, vt antea cibum non ſumeret, quam eum dominus per compunctionis gratiam viſitaret. Cũ autem vnus ex monachis veniſſet ad extremum mortis mutus effectus eſt labijs, ad quem vir Dei ingreſſus, blandiens cœpit ſuadere, vt ſi haberet occultum facinus, vnde pœnitentiam non egiſſet, manum eius ſtringeret, quod cum ille feciſſet vir Dei eccleſiam S. Mariæ ingreſſus, cœpit exorare dominum, vt linguam ægro redderet, ne pro abſconſo crimine animam eius in barathrũ hoſtis ſubmergeret, cumque de oratione ſurgeret, ei frater alius nunciauit quod æger loqui poſſet, & confeſſionem dare ſatageret. Quod & factum eſt. Nam confeſſione data, recepta pœnitentia, tradidit animam.

Confeſſionis ſacramentalis vſus.

Quadam vero die dum meſſem fratres ſuccíderent, & manipuli ſparſim per agros iacerent, tempeſtas frendens intonuit, ſed ne labores fratres perderent, vir ſanctus extenſis brachijs dominum inclinauit, quo ab oratione ſurgente, diuina virtus tempeſtatem abſtulit, & in duabus partibus diuiſam effugauit, moxque ſerenitate reddita, monachos in laudis Dei præconia concitauit.

Quædam religioſa fœmina Pinnerno in villa virum Dei in propriam ædiculam recepit, rogans eum vt cellariũm ingredi, & vas vinarium quod Tonna dicitur benedicere, & in eadem domo refectione parata dignaretur ea nocte commanere. Quo obtento cum in honore ſancti cuncti habitatores, vel etiam hoſpites domus illius fuiſſent largiter propinati, illo maturius diſcedente prædicta fœmina ingreſſa cellarium, ita vas ipſum repperit plenum, ac ſi ex eo nihil fuiſſet expenſum. Cum autem virorum creuiſſet in monaſterio multitudo, conſtruxit fœminarum monaſterium nomine Pauliacum decem milliaribus à Gemetico ſequeſtratum.

Tandem flentibus populis, gaudentibus Angelis, anima ſancta de mundi ludibrio migrauit ad Chriſtum 13. Cal. Septemb.

De ſancto Richario Pontinenſi.

CAP. XCVI.

EX geſtis eius. Sanctus vero Richarius natus eſt in villa Centula prouinciæ Pontinæ, qui de ruſtico factus eſt vir religione notiſſimus, conuerſus eſt ad magnam religionem per Caidocum ſacerdotem quem de Hibernia venientem hoſpicio ſuſcepit. Veſcebatur pane hordeaceo cinere commixto, & aqua cum lachrymis temperata. Leproſos balneis fouebat, & eadẽ poſt ipſos intrabat, prædicauit in Britannia. Rex Dagobertus eum viſitans, orationibus eius ſe commendauit, quem ipſe famulus Dei vtrinque & ſanctitatis ſuæ benedictione roborauit, & ſacerdotali auctoritate libera voce caſtigauit, denuncians ei ne in ſæculari ſuperbiret potentia, ne in fugitiuis ſperaret diuitijs, ne etiam vanis adulantium extolleretur rumoribus, ſed magis Dei timeret, potentiam, illiuſque immenſam laudaret gloriam & humanam potentiam, vel gloriam nullam putaret, quæ ſubito ſicut ſpuma ſuper aquam vento elationis flante euaneſcit, & hoc magis timendo cogitaret, quia *potentes potenter tormenta patiuntur* & cui plus datur plus exigetur ab eo, & cui vix ſufficit, pro ſe ſolo rationem reddere, quomodo poterit pro tantis millibus populis commiſſis? Qua caſtigatione Rex vt fuit ſapientiſſimus benigniſſime ſuſcepta congaudens de eius libera veritatis fiducia, ſacerdotem Chriſti ſecum ad conuiuia venire rogauit, qui vt prædicationis nanciſceretur occaſionem, venit cum Rege ad menſam, totaque die illa & nocte inter epulas lætitiæ ſibi dapes ſalutiferas conuiuis ſuis miniſtrauit. Exinde ſanctus Dei qui ab hominibus venerabatur homines fugere meditabatur. Cui Giſlemarus vir illuſtris & Chriſtianæ religionis deuotus amator, ſimul & Maurontus nobilis quidam vir & terrarum vel ſiluarum ad Regem pertinentium ſeruator, præbuerunt locum manendi in ſilua Triſtiacenſi, quam vir Dei habitationem cum ſolo commilitone eſt ingreſſus,

S. Richarij patria.

Humanitas erga leproſos.

Rex Dagobertus monitis virum Dei.

Sap. 6. Luc. 12.

paruo

paruo tamen tugurjunculo vilissimo opere facto contentus, vt habitatio vitæ conueniret. At ibi tanta se mortificatione carnis castigauit, vt vix ossa arentia dissipatis coniuncturis adhærerent, & trementia baculo regente vestigia difficile moueret, ac mente sæculo maior sola cælestia semper cogitaret. Illum quotidie vincens in eremo, à quo Adam olim victus est in paradiso. Nec clausa eremi angustia, lucis columna latere potuit, quin magis sui fulgoris radijs longe lateque innotuit. Quapropter vndique ad hominem Dei diuersi fatigati infirmitatibus confluxerunt, quos sanctarum medicinis orationum sanauit, omnesque ad se quocunque morbo afflictos venientes, vel tristitiæ cuiuslibet rancore angustiatos, sanos & hilares domum remeare fecit.

Vita durissima.

De obitu eius, & miraculis sequentibus.

Cap. XCVII.

Migrat ad Dominum.

Præscius diei euocationis suæ, dum salutifero corporis Christi & sanguinis viatico suum iter muniuit, inter gratiarum actiones, & verba orationis spiritum emisit, positusque est in sepulchro à discipulo, in loco vbi ipse præceperat. Sed mirum dictu, inter exequias paternas subito discipulus sopore oppressus, vidit in visu quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam, imo visibili luce clariorem. In qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, sibique loquentem. Ecce frater Sigobarde qualem mansionem præparauit mihi Deus pro vili quam habui in terra pulcherrimam in cælo; pro cõtemptibili glorioſam, pro obscura lucidissimam, & pro fumosa omni suauitate renitentem, Qui euigilans lætior opus exequiarum perfecit, Deo prouidente vt filius cõsolaretur, & patris gloria ostenderetur. Non multo post fratres à Centula monasterio, cum sancto Abbate, Ocialdo viro religioso etiam & successore venerunt, & corpus sancti Richarij tulerunt, & posuerunt in loco quo & nunc cum magna meritorum gloria requiescit. Ibi præstante Deo per serui sui reliquias noua sæpius audiuntur miracula geri.

Visio discipuli.

Corpus eius Centulam transfertur.

Contractus sanatur.

Quidam igitur contractus, corpore debilis, sed fide robustus, frequentabat orando sancti Dei sepulchrum, qui optatam subito sanitatem recepit. Sed & multi dæmoniaci ad corpus sancti Dei suorum obsequio deducti liberabantur.

Vinculati soluuntur.

Quodam vero tempore vinculati & catenati quidam per publicam ducebantur stratam, quæ prope ecclesiam beati Richarij iacet, qui dum eminus ad viri Dei venerunt templum voce magna clamare cæperunt, sancte Richari solue nos, & statim ruptis vinculis soluti sunt omnes.

Item clades magna quæ vocatur Panocula vel venenosa Lacerta longe lateque morte amara habitatores interfecit terræ, & vix aliquis ab ea tactus viuus euasit, percussusque ea peste quidam è fratribus sancti Richarij: qui licet mortem timeret propter cladem, vitam tamen non desperauit propter patronum. Et quasi ad certa suffragia comitantibus fratribus cucurrit ad sepulchrum serui Dei, ibique communiter oratione facta & ipse liberatus est à morte, & omnes defensi sunt à plaga, nec aliquis ex illis fratribus mortifera cladis illius vastatione percussus est.

Huius natale celebratur quarto Cal. Maij.

De S. Geremaro agit Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti l. 3. c. 92. & Molanus in additione ad Vsuardum hac die vixit circa annum domini 670.

De sancto Geremaro Abbate Flauiacensi.

Cap. XCVIII.

Ex gestis eius. Sanctus quoque Geremarus villa Guarandra, quæ sita est in confinio Beluacensium super fluuium Itan ortus est. Genitor eius nomine Rigobertus, & genitrix illius nomine Aga ex gente Francorum nobili orta: & non erat eis filius, nisi beatus Geremarus. Post quorum mortem magis, ac magis in Christi amore exardescens, non cessabat substantiam suam erogare pauperibus. Suscepit à beato Audoeno monachalem habitum & instructus cælestibus disciplinis, missus est in monasterium Pentalli vocabulo nominatum. Erat autem in eodem monasterio multitudo magna monachorum, cui scilicet ad regendum pater Geremarus cõstitutus erat. Fuerunt ibi nonnulli malitiosi & impij, qui nolentes recipere prædicationem eius, cœperunt tractare de morte ipsius. Erat autem illi consuetudo in primo Gallicantu ad laudes Dei surgere, & vsque ad crepusculum lucis in Dei laudibus noctem peruigilem ducere. Completo autem officio suo reuertebatur in dormitorium, at illi proterui consilium inter se acceperunt, vt cultellum sub lectisterniis ponerent, vt sanctus vir rediens ab ecclesia super cultellum se cum impetu corporis inijceret, & sic semetipsum interficeret, quod & fecerunt. Manubrium cultelli solo hæserunt, acumen vero ferri nudum in aeris spacium erexerunt. Reuertens beatus Geremarus ad lectum Spiritusancto adhortante, fecit hoc quod solitus non erat facere, tetigit manu lectum, & circumducens manum, inuenit quod erat absconditum. Statim vr sensit fraudem esse paratam relicto lectulo, reuersus est ad monasterium. Et quod supererat noctis Dei amicus lachrymas fundens in hymnis & laudibus duxit, & mane primo rem quæ ei contigerat nemini indicauit. Tertia vero hora diei in capitulo ante pedes omnium prostratus rogauit, vt à pastorali cura illum absoluerent, & meliorem quemcunque vellent patrem super se eligerent. Illi autem nolebant, sed magis ac magis petebant vt eos non desereret. Pergens ergo ad sanctum Audoenum, sic allocutus est: Deprecor te sancte pater, vt locum mihi ad habitandum tuis precibus demonstres. Confido etenim, quod Deus te exaudiet. Tertia antem nocte in ieiunijs & orationibus positis apparuit per visum vtrisque Angelus domini dicens: Ite ad locum qui Flauiacus nuncupatur, & ibi inuenietis desiderium vestrum. Mane autem facto, retulit vterque quod viderat. Et gratias agentes Domino tendunt ad locum. Ecce autem nebula descendit de cælo & circundedit totum locum vbi construendum erat monasterium. Et cum nebula superna vox dicens: 40. anni euoluti sunt ex quo Dominus hunc locum benedixit & sanctificauit, & fideli suo Geremaro destinauit. Cumque obtutus suos in aspectu nebulæ defigerent, statim ab aspectibus eorum sublata est. Ex eadem autem nebula in circuitu loci quasi quædam virga geometricalis ros totum locum circumdans remansit. Beatus autem Audoenus accipiens virgam in manu, per vestigium nebulæ mensus est plateam in circuitu vbi ecclesia ædificaretur, vbi officinæ construerenter, & cætera monachorum vitæ vtilia, vt non esset monachis necessitas vagandi foras.

De sancta Angadrisma virgine.

Cap. XCIX.

Ex gestis sancti Ausberti. Sancta quoque Angadrisma filia fuit illustris * Roberti, qui genero sa stirpe præditus gerulus fuit annuli Regis Clotharii. Hanc religiosissimam virginem illustris Siuuinus à præfato Roberto expetijt, volens eam Ausberto filio suo sociari. Quo scilicet Roberto præbente assensum à casto iuuene casta despondetur & puella. Denique ambo integritatem mentis, & corporis caste seruare cupientes, deprecabantur Dominum vt voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur repellere. Deinde orante beata Angadrisma virgine, vt speciositas illius in deformitatem verteretur, illico Dominus preces eius exaudiuit. Nam facies eius, ita exulcerata ac immundissima lepra cooperta mox apparuit, vt à consortiis hominum quicunque eam vidisset, extemplo segregandam decerneret. Medicorum deinde cucurrit frequentia, sed quanto instantius insistebant tanto Christi sponsa deformior vlcerosiorque apparebat. Tum pater diuinitus hoc fieri intelli-

* *Al. Rotberti.*

Respondetur Ausberto nobilis puella.

Nota preces iam illustris virginis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

intelligens inquirebat ab ea, vtrum in virginitatis voto vitam elegisset finire. Opto, inquit, mi genitor, & totis nisibus exoro. Nam Christus quem concupiui sponsum, ipse mihi hanc corporis infert molestiam, vt animæ tribuat nitorem. Delectat hæc vita præsens pater pie, sed decipit, *quia omne quod est in mundo est vanitas.* Hæc audiens pater, illustrem accersiuit Siuuinum, & quæ circa suam filiam gesta erant, lucide pandit. Ad hæc Siuuinus respondit: Voluntatem Domini in omnibus sequi oportet, neque eius nutui vllo modo contraire velle. Vocatusque affuit & beatus Ausbertus, vbi & dissociabilem condidit libellum, vt sancta virgo Angadrisina non sua sed Christi domini vocaretur sponsa. Hoc facto ad Rothomagum vrbem sancto Antistiti dirigitur Audoeno, vt eius benedictione percepta, & sacro velamine operta in virginitatis proposito consecrari mereretur. Quo patrato pristinæ pulchritudini & speciei eleganti extemplo est reddita, ita vt cuncti auditorum dicerent, quia Christus eam sibi sponsam & famulam elegisset perennem. Denique efficitur gubernatrix cænobij quod situm est iuxta muros vrbis Beluaci. Erat autem sicut cæteris prælata ita cunctis humilior, in vestitu vilis, in cibo mediocris, ab infantia iugi orationi dedita, pudicitia exornatissima, hilaritate cordis & corporis clara, patiētiæ virtute, claritatis obsequio, eleemosynarumque largitionibus abundantissime cumulata. His virtutum sanctarum operibus ordinata in medio virginum veluti lampas refulgebat accensa.

1. *Ioan.* 2.

Virgo voto virginitatis emisso curatur.

De sponso eius Ausberto postea Rothomagensi Archiepiscopo.

Cap. C.

Ausbertus fit magnus in aula.

POst hæc vir Domini Ausbertus in aulam Regis licet nolens à genitore perductus, sicut erat acumine ingenij clarus, cæpit esse aulicus scriba, doctusque regalium priuilegiorum, & gerulus annuli Regalis quo eadem signabantur. Cum vero coram Rege & Principibus consueto more diuersa musicæ artis instrumenta in cord is & tybijs audiret personantia, aiebat sibi: O bone conditor, quale erit te diligētibus canticum indeficiens in cælestibus audire Angelorum, si tantam etiam mortalibus præbes industriam, vt peritia artis ac suauitate cantilenæ prouocent animos audientium? Post hæc factus est monachus in Fontanellæ monasterio, vbi tunc pręerat beatus Vuandregisilus. Presbyter consecratus est à beato Audoeno, prędixit Theodorico adolescenti, quod rex esset futurus, ad cuius prophetiæ fidem ager in quo tunc erat, sub hyemali tempore viridem produxit herbam cæteris agri partibus perpetuo viridiorem. Post beatum Vuandregisilum qui fuit Abbas annis fere 20. electus est Lantbertus Tauernensis, postea factus est episcopus Lugdunensis, post beatum Genesium, & beatus Ausbertus tunc factus est Abbas Fontanellæ. Post beatum vero Audoenum factus episcopus creuit gratijs, creuit metallis.

Relicta clā aula confert se ad monasteriū.

Quadam autem die expletis missarum solennijs cunctos ciues Rhotomagenses tam nobiles quam ignobiles introduci iussit ad præparata conuiuia, vbi cunctis dispositè recumbentibus ipse ad mensam pauperum resedit, census qui de villis publicis canonico ordine ad partem pontificis canonice persolui consueuerant, in restauratione ecclesiarum presbyteris indulsit, dedit priuilegium monachis Fontanellensibus, vt semper ex semetipsis Abbatem eligerent. In quo tamen priuilegio alligauit eos sub vinculo excommunicationis, si vel ipsi vel etiam posteri eorum à regula sancti Benedicti deuiarent. Quod priuilegium factum est anno incarnationis domini 682. Regis Theodorici 16. episcopatus beati Ausberti 5. indictione 10. in vrbe Rothomago, in Synodo generali. Corpus beati Audoeni transtulit in editiorem locum ecclesiæ sancti Petri in suburbano Rothomagi, & condidit super eius sepulchrum repam miræ magnitudinis auro & argento, & gemmis adornatam.

Eius studiū ergā Fontanella cœnobium.

Transfert corpus S. Audoeni.

In die Ascensionis Domini incusatus apud Pipinum principem, iussu eiusdē deportatus est in exilium apud altum montem, quod humiliter subijt, nullo extante crimine. Eo mortuo cum sudarium cera litum capiti eius imponeretur, visus est aperuisse oculos. Lampas ante eius sepulchrum à fidelibus accensa, incessanter non solum ardebat, sed etiam redundabat, ita vt sub ea poneretur vas in quo eius redundantia refunderetur.

Colitur 9. Feb.

De sancto Agilo Abbate Resbacensi, & bonis eius initijs.

Cap. CI.

EX *gestis eius.* Porro sanctus Agilus quem monasterio Resbacensi à sancto Audoeno præfectum fuisse superius diximus, filius fuit Agnoaldi viri nobilissimi, Sigeberti Regis consiliarij, puer bonæ indolis, quem propter celeres motus infantiæ parentes Agilum nominauerunt, ac sancto Columbano benedicendum obtulerunt, cuius benedictione percepta traditur puer Eustasio probatæ religionis viro sacris litteris erudiendus cum alijs nobilium filijs, qui postea præsules fuerunt Chalnoaldo scilicet & Vualberto filijs Hauguerici patrui eius, fratribus scilicet sanctæ Pharæ. Quorum alter Lugduno clauato, alter vero Meldensis vrbis est ordinatus episcopus. Achario quoque qui Virmandorum & Nouiomensis, & Tornacensis Antistes fuit Rignachario qui Augustudinensis Pontifex & Audomaro Quitarvuanensis. Porro beato Columbano à Theodorico Rege de monasterio suo consilio pessimæ Brunechildis expulso, & beato Eustasio in locum eius substituto, eo tempore prudenti fratrum consensu decretum est, vt probus Agilus ad eam dirigeretur, quæ maxime ea causa beata Columbano infesta erat, quia fœminarum accessum à monasterio propellebat, & sibi quæ regina erat idem contradixerat. Itaque pergens Agilus, cum nondum longe esset à monasterio superuenit cum impetu nepos Vuandaleni ducis cum satellitibus, qui sub obtentu venantium accepta religione obseruabant exitus monasterij more latronum. Is extenso brachio nisus est percutere virum mitissimum Agilum. At ille subducto terrore *vexillum crucis* opposuit. Moxque brachium illius obriguit, & sicut extensum fuerat adeo inflexibile mansit, vt nemo valeret gladium de pugno eius educere, nec etiam ipse pedem de loco mouere. Obstupefactis omnibus, infælix ille qui digne torquebatur singultibus lachrymosis, vt sui roboris seu doloris saltem misereretur capite submisso petebat. Vnde & sanctus Agilus commotus, in solamen fidei orationem sumpsit, deinde vt aridum brachium tetigit, continuo pristinus vigor redijt. Caro tamen palmæ capulum sicut inhæserat, secuta est, & sanguis per vngulas emanauit. Porro sicut à Donnio tunc quidem monacho sed postea Vesoncionensi episcopo didici, qui tunc adolescens huic facto intererat, saliua cum oratione & signo crucis eandem palmam beatus Agilus perunxit, & illico caro cum pelle sanitati restituta est, acsi nunquam corrupta fuisset. Præsumptor autem huius sceleris pœnitudine correptus relicta militari toga, Christi amictu sese vestiuit, & in dicto monasterio sub professione monastica Deo militauit. Fama igitur huius miraculi præueniens, regia iam impleuerat mœnia, & præclarus Agilus eorum conspectibus se præbet, supplicationes fratrum ingerens. Tum ambo repente Rex scilicet & Regina contriti, humo coram vestigijs illius procumbunt, & indulgentiam super temeritate quam sanctis viris ingesserant petunt.

De miraculis, & promotione ipsius in Abbatem.

Cap. CII.

POst hæc Clotharius, in solio trium regnorum sublimatus, decreuit synodica definitione viros peritos dirigere, qui vicinas gentes ab errore reuocarēt. Ex mul-

torum

torum igitur episcoporum & sacerdotum cætu, ad opus præfatum eligitur prudentissimus Agilus, simul & abbas Eustasius. Qui egressi multos ad fidem Christi conuertunt. In ipso itinere sanctus Agilus miraculis claruit, nam & dæmoniacum verbo curauit & Sadabergam virginem luminibus orbatam, oleo benedicto oculos eius perungens, & *crucis signo* muniens illuminauit, sibi quoque ipsi cum validissima febre ignea perfusus esset, ita vt pene spiritum exhalaret, sanitatem à Domino impetrauit precibus. Expleta namque oratione, fessa membra & æstuantia sopor occupauit. Ac semiuigilans astare sibi præclarum iuuenem vidit, qui posuit manum dexteram super pectus eius, & ait: Agile chare meus, quem ab vtero matris custodiui incorruptum, & custodiam donec æuo pleno te recipiam. Age quod agis, me donante, depulsoque languore surge. Porro beatus Audoenus adhuc in palatio degens, & beati Eligij consilio vtens, cum ardentissimo studio monasterium proprijs sumptibus, in remotis locis construere satageret, factum est, vt quadam die peragrans eremi confinia, super torrentem, quem veteris incolæ Resbacem dixerunt, deueniret, ibique paululum subter pomorum arborem subsisteret. Facto igitur in ea velocis vmbraculo, silentium imperat, significans fessa membra quieti velle concedere, quo secretius posset orationi incumbere. Diutius ergo dum prostratus oraret, vidit in aere nubem splendidam, radijs choruscis *figuram crucis* prætendentem, ex cuius claritate per tres noctes tantum lumen continuatim emicuit, vt illic videres omnia clare sicut in meridie. Per tres etiam dies vos ibidem *in modum crucis* à mane vsque ad vesperam visus est, donec triduano expleto ieiunio, vna cum beato Pharone episcopo ecclesiæ fundamenta locaret. Factum est ergo vt vbi orans subter arborem pomiferam iacuerat, ibi in schemate crucis templum Domino ædificaret. Compertaque beati Agili fama impetrauit à Rege vt eum Abbatem monasterio nouo à se ædificato præficeret. Qui & suscepto regimine erat inter fratres quasi vnus ex illis, virtutumque signis coruscans, speculum factus est, non solum sibi commissis, sed etiam mundo. erat enim in ieiunijs frequens, in orationibus assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatis amator præcipuus.

Crucis figuram in aere vidit.

De hospitalitate & fælici transitu eiusdem.

Cap. CIII.

QVadam itaque die dum vespere circumiens officinas monasterij (fuerat enim eatenus nobilium hospitum obsequijs occupatus) pergeret ad xenodochium, quod illius ordinatione sanctus Audoenus ibidē constituerat, qui multis rebus & opimis possessionibus monasterium ditauerat, audiuit ad portam monasterij velut plangentis hominis exilem vocem, apertaque fenestra quæ portæ inhærebat, cernit ante fores iacere pauperem vlceribus plenum petentem se hospitio recipi. Conuersusque ad fratrem Brandolinum, qui solus tunc secum erat, ait: Ecce quomodo alijs vtilitatibus occupati tanta negleximus, perge igitur velocius, & para ei refectionem. Illo abeunte ipse aperto ostio, ait ad pauperem: Veni frater: En faciemus tibi prout competit. Quo respondente, se præ doloribus vrcerum ambulare non posse, suis eum humeris imponens, detulit in domum absque vllo pondere, posuitque super sedile iuxta focum, hyems enim erat. Accipiensque vrceum & lintea cum super manus eius vellet aquam infundere, illico disparuit, magnaque fragrantia iucundi odoris eandem domum quasi aromatum repleuit. Huius hospitalitati diabolus inuidens, ei post matutinas ex more oranti in specie immanissimi draconis apparuit, erecto capite virus aduersus eum emittens. At ille & crucis mysterio tuto se muniens omnia disperdidit.

S. Agilus Christum hospitio suscipit.

Idem cum quibusdam sibi iunctis fratribus messores visitasset, subito cælo caligante & tonitruo coruscо terribiliter insonante, messoribus commotionem aeris verentibus, fecit in virtute Christi signum mirabile diuisis magnis imbribus, ita vt iuxta eos vndique nimia tempestas appareret, & super eos vnius saltem pluuiæ gutta non caderet. Denique cum esset 98. annorum orauit Dominum humiliter, vt cum de incolatu vitæ huius educeret, & gregem sibi commissum perpetuo custodiret. Oratione completa, apparuit ei iuuenis præclarus, & ait: Agile chare meus, expleto biennio te recipiam, age quod agis, eroque tecum, nec te deseram. Expleto itaque biennio hac eadem nocte media, scilicet quarto Cal. Septembris, beatus Agilus fæliciter migrauit ad Christum centenarius. Venerabilis autem Ado qui ad eius transitum venerat, totam noctem ducens peruigilem, post matutinas ab oratione surgens, vna cum duobus fratribus audiuit choros virginum in sublimi canentes: *Hodie sanctus Agilus cum summis laudibus pergit ad præmium, hodie cum sanctis in cœlo coronatus triumphat fœlix valde, quia ab infantia seruauit castitatem, & virgo centenarius ascendit ad gloriam.* Cum ergo corpus eius sepulturæ traderetur, quidam è fratribus validissima febre æstuans linteum quod patrem tegebat, in fide tetigit, moxque febris ab eo recessit. Alter vero qui dolore dentium torquebatur maxillam peplo quasi ceruicali imposuit. Sicque dolor omnis fugatus est.

S. Agilus moritur in Domino.

De sancto Remaclo cæterisque sanctis, qui tunc temporis clarebant in Gallijs.

Cap. CIIII.

Sigebertus. Anno Constantini 8. Sigebertus, de posteritate prolis desperans, 12. monasteria hincinde construxit Domino, in quibus Stabulans & Malmudanarium eminebant, cooperante sibi in his maiore domus Grimoaldo & Traiectensium episcopo Remaclo. Qui Remaclus nō multo post pertæsus sæcularium tumultu in ipso Stabulans monasticæ vitæ assumpsit habit. His diebus multi vtriusque sexus in Gallijs claruerunt, qui ad testimonium sanctitatis suæ in ædificandis Deo monasterijs operam suam impenderunt. Ex his in nostra vicinia tunc florebat sanctus Landelinus confessor Christi, qui & Morosus ab Auberto Cameracensi episcopo ex prædone ad Christum retractus, & à beato Papa Martino ad prædicandum ordinatus, fundator cænobiorum Lobiensis, Alnei, Vuaslaris atque Crispiniensis, vbi corpore requieuit cum discipulis suis Adoleno & Domitiano. Gislenus Cellensis, Madelgarius dux, qui & Vincentius Altimotensis & Sonegensis, eiusque coniux Vualdetrudis Castrilocensis, soror quoque Vualdetrudis Aldegundis Melbodiensis, Trudo etiam Hasbaniensis in tyronem Christi adolescebat. Præter hos & alij multi de Anglia vel Scotia in Gallijs peregrinantes verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius. Cænobium Floriacense à Leodeboldo Abbate fundatur, & non multo post corpus sancti Benedicti Abbatis ab Agiulfo monacho à castro Casslino delatum, illuc transportatur, corpus vero sororis eius sanctæ Scholasticæ Cenomanis transfertur. Anno Constantini 10. Iudocus Regis Britonum filius spreto regno & mundo, peregrinus & eremita in pago Pontino requieuit in Christo.

Inter alios fuere SS. Adalgisus Mombulus Vasnulfus & Anthbodus.

Vid. Baron. ad annum 664. Ioannē à Bosco in Bibliotheca Floriacensi & Arnoldū Wiō in ligno vitæ.

De sancto Iudoco & eius peregrinatione.

Cap. CV.

Ex gestis eius. Sic ex regia Britonum natione, patre scilicet Iudicail oriundus, fratre suo Rodichaelo (cui pater regnum post obitum reliquerat) in clericum tonsurato, cum ex ipsius decreto regnum deberet suscipere, noluit acquiescere, sed 8. dierum inducias popoſcit, aliud scilicet interim magis eligere disponens.

Iuditaelem vocat Papirius Massonius li. 1. annal. in Dagoberto.

Quadam igitur die videns vndecim peregrinos dicentes se

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tes se velle Romam pergere, baculum tantum ac tabulam arripiens secutus est eos, qui eum attendentes clericum fecerunt, diuersaque loca peragentes in pago Pontino deuote susceptus sunt à duce Haymone, qui videns Iudocum iuuenem elegantem, quodam supernæ gratiæ munere dotatum; simul & bonis moribus imbutum, secum eum retinuit & ecclesiasticis gradibus sublimari fecit, quousque in eius capella Presbyter fieret in qua septem annis officio sacerdotali functus est, filiumque eius Vrsinum de sacro fonte suscepit. Denique superno amore compunctus Haymonem suppliciter petijt vt data sibi licentia secretus habitaret, vbi pro se & suis oraret quietius. Quo annuente venit ad locum Brahic, vbi ædificata ecclesia simul & domuncula miraculis etiam cæpit claresceere.

Spernit terrenum regnũ S. Iudocus.

Initiatur sacerdotio.

Extruit ecclesiam & cellam monasticam.

Fertur quod ibi volucres diuersi generis, & pisciculi more solito de manu eius escam sumere mansuetissime veniebant, & iterum abibant ad instar columbarum.

Dum autem in eadem cellula cum Vulmaro discipulo suo solus habitaret, orante eo in ecclesia pauper ad ianuam petebat eleemosynam sibi dari. Quo audito vir Dei præcepit Vulmaro vt panem vnum, qui solus eis ad victum remanserat in duas partes scinderet, & vnam repartiens inopi vociferanti daret. Quo facto non multo post alius similiter eleemosynam quærens venit. Cui vir sanctus alium panis quadrantem dari iussit. Tertius quoque venit & ei similiter tertium dari præcepit. Discipulo molestè ferente & dicente: Non vis vt saltem nobis medietas panis seruetur? Noli inquit, fili sollicitus esse de cibo & potu, sed memento promissionis eius qui dicit: *Date & dabitur vobis.* Vix autem pauper inde recesserat, & quartus egenus accessit, cui residuum panis dari fecit. Iterum discipulo murmurante confortauit eum in fide. Vixque sermonem exhortationis compleuerat, & ecce quatuor nauiculæ iuxta numerum pauperum quibus totum victum suum diuiserat, mittuntur ei cibo & potu plenæ.

Ecce quanta fuerit misericordia erga pauperes iste sanctus.

Diuinitus illi transmittuntur victualia.

De sanctitate & miraculis & obitu eiusdem.

Cap. CVI.

Cvm autem diabolus inuidus tentaret eius animum diuersis curis affligere, venerabilis Haymonis prouidentiam, qui ad eum visitandum venire consueuerat à loco illo ad alium nomine Rimachum migrauit 14. annis vitam solitariam duxit, illic 11. gallinas cum gallo duodecimo nutriuit, quas interdum aquila deuorare cæpit. Sed vir sanctus cum ei minaturus indicasset, quasi pro nihilo duxit. Iamque per vices 11. gallinis ab aquila raptis, gallus quoque vnguibus arreptus portabatur. Quo vir Dei comperto, molestè tulit, ipsaque aquila longius auolante dato *signo crucis* post eam, comminatur vt illæsum sibi concite gallum reduceret. Cuius imperio parens aquila, redijt, & ante faciem eius gallum incolumem exponens continuo expirauit. Procedente autem tempore diabolus versus in colubrum mordere ausus est in pede sanctum virum, quo dolore comperto grauiter ferens cogitabat ex eo migrare loco. Cumque vna cum Haymone locum sibi ad habitandum quæreret, Haymo venatione consecuta grandem aprum prosternens, angustiari cœpit propter defectum aquæ. Quem cum monuisset in Domino sperare, illo obdormiente, vir sanctus baculum suum in terra defixit, & inuocato *nomine Iesu* baculum extraxit. Moxque latex sufficiens aquam viuam illis qui aderant ministrans emanauit. Quod Haymo expergefactus cum admiratione vidit, iubente autem sancto fossa à ministris facta est, in quo fons pulcherrimus exortus est, qui vsque hodie mirificus ab incolis, & de longe venientibus venerabilis habetur, cuius etiam gustu sanitatem infirmos recepisse plures, qui bene nouerunt, affirmant. Tandem vir sanctus Romam petijt, & cum multis sanctorum reliquijs inde rediens, puellam à natiuitate cæcam sicut in somnijs præmonita fuit ad se accedentem illuminauit. Cumque Idib. Decembris obijsset, duo nepotes sui Vuimoch & Atnoch in eius locum succedentes, corpus eius quod incorruptum diu mansit, frequenter lauare consueuerant. Hoc igitur dux Haymonis successor Deotricus procaciter explorare volens contra voluntatem eorum per vim sepulchrum aperiri fecit, sciscitari volens an verum esset quod sancti corpus integrum adhuc persisteret, quod dum absque vlla reuerentia intuitus fuisset, subito exterritus, ait: Ah sancte Iudoce. Statimque mutus, & surdus factus est, omnique corpore debilitatus vsque in finem vitæ suæ permansit.

Ecce virtute signi S. Crucis.

Oratione fõtem oriri facit in loco arido.

It Romam Cæca eius meritis illuminatur.

Vltio diuina in præsumptuosum ducem.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. CVII.

Sigebertus *in chronicis.* Anno Constantis vndecimo ignis de cælo cecidit, & timor magnus super homines venit, pestilentiaque grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est, cunctis visibiliter apparente, bonum & malum Angelum noctu ciuitatem circumire. Et quotiens iussu boni Angeli malus Angelus venabulo quod manu ferre videbatur, ostium cuiusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant.

An. Ch. 654.

Hoc tempore sanctus Foillanus Fossensis Martyrizatur.

Anno eiusdem 13. Osuui Rex Nordanymbrorum, facto Dei cæli voto Pendæ Merciorum Regi concurrit cum exercitu non multo, & inter nimiam Merciorum stragem ipsum Regem Pendam peremit, gentemque Merciorum ad Christum verti fecit, Pictos quoque regno Anglorum subdidit.

Helinandus. Osuui iste frater fuit sancti Osualdi Regis, qui primus Anglorum claruit, & post eum apud Bernitios regnauit.

Sigebertus in chronicis. Anno Constantis 15. obijt Itta mater sanctæ Gertrudis. Hæc Itta relicta Pipini instinctu sancti Amandi se & sua Deo deuouens monasterium Niuellense fundauit, eique filiam suam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit. Theodardo episcopo martyrizato, sanctus Lambertus filius Apri comitis episcopatum Traiectensem illustrat, gloria nobilitatis, & gratia sanctitatis.

De sancto Audomaro Taruanensi episcopo.

Cap. CVIII.

Attrebati dum corpus sancti Vedasti transfertur ab Ausberto episcopo, præsentibus Lamberto Tungrensi, & Audomaro Taruanensi, alijsque sanctis episcopis, & Abbatibus, Audomarus, qui præ senio cæcus erat, dum precibus præsentium episcoporum & meritis sancti Vedasti illuminatus esset, ægre se ferens esse liberatum à cæcitate quam pro salute sibi à Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum est excæcatus.

Audomarus cum patre suo fit monachus.

Gestis eius. Hic quoque ex nobilibus & religiosis parentibus oriundus fuit in aurea valle non longe à Constantia ciuitate, qui religiosè à cunabulis educatus matre defuncta ipse & pater eius Friulphus ætate dispares, mente similes, omnia pro Christo relinquentes ad Luxouium Cœnobiũ à beato Columbano in Burgũdia fundatum pariter perrexerũt, ibique sub sancto Abbate Eustasio sacræ regulæ se deuote subiecerunt. Ille Friulphus laudabiliter vsque ad finem perseuerauit, dehinc Audomarus fama eius peruulgata ad gubernandum & docendum Taruanensis vrbis populum episcopalem honorem cum magna mentis humilitate sumpsit, in quo gradu verbum Dei seminans, animarum & corporum languores curans misericordiæ operibus insistens plebem sibi creditam rite gubernauit, ipsosque Taruanenses, qui post beatorum Fusciani & Victorici martyrum à doctrina sana quam ab eis audierant ad idololatriam

S. Audomarus Taruanensis id est Marinorum fit episcopus.

triam reuersi fuerant, euangelij luce iterum illuminauit, & idolorum culturam in vrbe funditus euertit.

Cum autem quadam nocte ex more Dominum oraret, diabolus tantam incentiuam ei carnis tentationem immisit, quod ei nunquam similem, se habuisse meminit. Reminiscensque exemplum incendij beati Benedicti in vrticarum & veprium aculeos omni indumento exutus egressus foras illico se proiecit, ibique diu volutatus, toto corpore vulneratus exijt. tũcque bene pænaliter ardente foris, quod intus illicite ardebat extinxit.

Idem cum ab vrbe ad vicinia loca lustranda pergeret, in quodam loco prope villam quæ Iormacus dicitur contra meridiem, volens pausare, iacuit sub quadam arbore, inde vero cum à somno surrexit, *crucem Domini* ex lignis editam in eadem arbore fixit. Sequenti nocte multa ibi apparuerunt luminaria; & ab eo tepore Christus pro milite suo multorum ibidem sanauit infirmitates, atque innnmerabiles declarauit virtutes. Ad meritorum autem suorum cumulum augendum, per plurimos ante obitum suum annos oculorum lumen amisit, sicque foris cæcus, intus illuminatus, nouus Israhelita Deum videbat, & corde semper deuoto dicebat: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Cum autem obitum suum imminere sciret, ipsa die vltima vitę suæ de lecto in quo iacebat febre correptus surrexit, & ingressus ecclesiam prolixe cum lachrymis orauit, factaque diuina exhortatione ad clerum & populum, ad stratum redijt, & more solito mortuo omni corpore extensus, inter verba gratiarum actionis & diuinæ laudis spiritum cum gaudio & vultu pręclaro emisit. Testatique sunt qui tunc ibidem aderant, quod tanta in transitu illius animæ sanctæ in domo illa fragrantia odoris est aspersa, ac si domus illa omnibus aromatibus fuisset repleta.

An. 695. obijt S. Audomarus teste Baronio in annalibus.

De miraculis eiusdem post obitum.

CAP. CIX.

Miracula S. Audomari.

POst cuius obitum ad eius tumulũ oleum Dei virtute ex lampadibus pendentibus visum est mirabiliter stillasse, multaque sanitates, & alia quamplura miracula Dominus ibidem per eum dignatus est ostendere.

Vltio in peierare volentem.

Quidam vir sceleratus & auarus, solidum argenteũ à compatre suo mutuauerat, & postea fide fraudata, quod acceperat se nunquam ab eo accepisse iuramento negauit. Cui ille respondit, qui commodatum requirebat. Iura mihi supra corpus beati Audomari, per merita & virtutes ipsius sancti, quia non acceperis à me quod à te requiro, & ego negationis tuæ causæ acquiesco. Cumque ille audaci corde manus ad iuramentũ leuasset, protinus vltio diuina est secuta. Nam in loco quo stabat, ambo oculi eius crepuerũt in momento, & post hoc die tertia miserrima morte est defunctus.

Punitur sacrilegus, sed diuinitus curatur.

Tempore vindemiæ pastor cuiusdam religiosi viri in vineam glorioso viro collatam intrauit, & furtim sinum de vuis impleuit, sicque ad coæquales suos cum præda redijt. Rogantibus autem socijs, vt secum prædam quam asportauerat impertiret, in sinum manum dextram immittenti, ita ambæ immobiles adhæserũt, vt nec sinistra qua sinus tenebatur complexus, nec in sinum illata dextra posset auerti: contorto etiam ore retrorsum linguæ perdidit officium. Tunc stupentes socij puerum duxerunt ad domum propriam non cum paruo timore causam quæ acciderat referẽdo. Cui Dominus eius religiosus compatiens assumpto eo secum ad ecclesiam perrexit, & vna cum ipso puero prostratus, cum fletu Dei clementiam intercedente secũdo obtinuit, nam puer incolumis surrexit. Rexit autem vir secundus ecclesiam 30. annis, quibus expletis obiit 5. Idus Septẽbris, Cuius corpus à secundo Bertino Abbate translatum est in monasterio Bithiensi sepultum.

De sancto Bertino Abbate.

CAP. CX.

EX *gestis eius.* Hic Bertinus cum duobus alijs scilicet Mummolino & Bertramno patriam propriã scilicet Constantiensem relinquentes ad sanctum Audomarum Morinensem ecclesiam regentem venerunt, à quo gratifice susceptí sunt, & missi ad prędicandum, officium legationis suæ labore continuo impleuerunt. Interea vir nobilis, & prædiues Adroaldus non habens filium, volensque ecclesiam hæredem facere possessionum suarum, de consilio beati Audomari quæcumque habere poterat tribus prænominatis socijs conferebat, vt ibi cænobium in honore beati Petri Apostoli construendo, turbam monachorum coadunarent, quod & factum est. Decedente autem Aichario Nouiomensi episcopo Mummolinus ad episcopatum eiusdem vrbis prouehitur, & Bertamnus cænobio sancti Quintini à Mummolino præfertur. Secundus vero Bertinus in loco sibi à Deo collato resedit, & cum sibi adunatis aptiorem locum ædificandi cænobium quærere cæpit. Sed illud dictum dominicum reuoluens: *Sine me nihil potestis facere*; prouidentiæ Dei cuncta committens, protinus nauim conscendit, sine gubernatore vel remige per spatiosum stagnum cui adhæret prædictum monasterium, Dei tantum nutu nauis agitabatur. Angelicoque ministerio cernens carinam transfluenta fluuij præcipitis impingi quousque aptum tenendo portum consisteret, & sanctus Bertinus hunc versum psalmi decantanti promeret: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, &c.* Cognoscens igitur locum illum à Deo sibi electum, ibi monasterium nomine Sithin in honore sancti Petri ædificare cæpit, & confluentibus vndique religiosis viris in breui multitudinem monachorũ coadunauit, quẽ etiã Deus contra diabolicas persuasiones indefesse pugnantem, & magnam de ouibus sibi creditis habentem curam, almificis signis glorificauit.

Sine remige & ventis nauigãt Sãcti viri.

Psal. 131.

De miraculis eius post obitum.

CAP. CXI.

POst cuius etiam obitum plurima Dominus ostendit miracula per eius merita circa eiusdem sepulchrum.

Nota cælestẽ vltionem in profanatore sacratissimæ noctis.

Tres viri nocte dominica in Rhodano, iuxta beati Mauricii monasterium, serui enim erant illius loci nauim ascendentes, retia extendunt ad capiendos pisces, quæ scilicet retia intrauit piscium magnorum multitudo, quantam antea nunquam cæperant vna nocte. Hinc nauigantes ad portum quem soliti erant post piscationem intrare, nequiuerunt se de prædicta nauicula mouere. Duo enim ex ipsis pedum ac manuum officio priuati, toto erant contriti corpore, tertius vero pedum officio priuatus, ac surdus effectus, hic duobus innitendo scilicet fustibus, orationis causa loca sancta circumire decreuit. Tandem in Sithin monasterio ad beati Bertini sepulchrũ venit, & cum fratres nocturnas cantarent vigilias ecclesiam intrauit. Cumque diu cum lachrymis sanitatem postulasset, Euangelii lectione recitata, vidit cõtra se multa lucere luminaria, paulatimque à se sentit infirmitatem recedere, audituque recepto ac recuperato pedum officio, post synaxim lætus & sanus ad domum propriam repedauit.

De hoc B. viro inueniet lector nonnulla in vita S. Audomari episcopi; nec non in actis S. Vuinoci.

Quidam malignus cum religionis cuiusdam se esse simulasset, per tres dies continuos quasi orandi gratia beati Bertini ecclesiam ingressus, valuas diligenter considerauit, horam qua fratres refectorium causa refectionis peterẽt notauit, arreptoq; clerico callide valuas aperuit, & ingressus vasa argẽtea, quæ sub coronis, ac lampadibus pendebant, furtim surripuit. At dum egressos quærere cæpisset, ad aditũ portę vidit vt ipse postea narrauit, quãplurimos & terribiles ibi inimicos sibi assistere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Itaque reuertens per monasterium quasi per præcipitia parietum, & tectorum, cõcitos cæpit dare saltus. Quod cũ vidissent ibi degẽtes, sublata prorsus ambagine hunc esse reum clamitant, & sacri furem thesauri, ideoque taliter à Dæmonio agitari. Itaque comprehensus & interrogatus, quid sibi accidisset, statim veritatem exposuit, & in neruum missus est. Sed fratres ei condolentes, miserunt ad comitem eiusdem loci, & redditum est ei liberum exire, qui tamen septimanam tantummodo superuixit.

Adhuc de eodem.

Cap. CXII.

BEniamin quidam nobilis plurimum ex hæreditate propria monasterio conferens intrauit, & laudabili vt facie tenus videbatur simplicitate totum se monasterio contulit, sed non multo post insolescens cæpit opera sua mala defendere, & mortiferis persuasionibus cõsentire: correptus à fratribus emendari noluit, verumetiam exosos habuit. Tandem de monasterio est egressus, cœpitque lustrare domus propinquorum, frequentare furta & stupra, aliaque nefanda exercere facinora: at clementia Dei, quæ ingratos quosque per flagella vocat ad regnũ, fecit eum ex nimio capitis dolore corporale lumen amittere. Vix autem tunc obtinuit à propinquis, vt aliquod ei solatium impenderent propinquitatis. Ab illis ergo susceptus est, sed iugiter verborum contumelijs verberatus. Quadam igitur die contumelia frequenti valde mæstus ad monasterium beati Bertini perduci se rogauit. Ibique coram ecclesiæ ianuis prostratus, quotidie Dominum de præteritis negligẽtijs placare studuit, ieiunijs & orationibus lachrymisque assiduis insistens. Cuius humilitatem pater monasterij videns, ad portam eum collocauit, præbendo ei victum quotidianum: Ille autem in præsentia perseuerauit, quatenus humum sæpissime lachrymis rigans; mereretur audire: *Dimissum est peccatum tuum*. Quadam igitur die iuxta altare situm in media ecclesia stetit, casuque subitaneo in terram proruit, quem fratres accurrentes à terra leuauerunt, eumque videntes oculorum aciem clarissime protendentem, interrogauerunt qualiter à Domino recuperasset visionem. Ille autem dicebat, quia cum Dominum pura mentis intentione exoraret, duas faculas ex sepulchro beati Bertini vidit iactatas oculis suis clarissimum lumen infundentes, statimque frater in priorem locum reuocatus, gratias egit, & itinera Christi deinceps recto calle perrexit.

De infama Clodouei Regis, & epistola Martini Papæ.

Cap. CXIII.

An. Ch. 660. *Sigebertus in Chronicis.* Anno Constantis 17. Clodoueus Rex corpus sancti Dionysij Parisiensis, discooperiens minus religiose licet cupide, os brachij eius fregit & rapuit, moxque in amentiam perpetuam incidit.

Anno sequenti sanctus obij Amandus Eluonensis.

Author. Huius vitam abbreuiatam iam supra posuimus. Extat ad hunc sanctum Amandum epistola decretalis Martini Papæ, in qua significatur eundem Amandum voluisse pastorale obsequium deponere pro eorum inobedientia; qui presbyteri vel diaconi post suas ordinationes in lapsum inquinabantur, à qua voluntate illum dehortabatur idem beatissimus Papa persuadens eum ad patientiam, & commonens vt nullam eis in delicto compassionem exhibeat, sed lapsos omnes ab officio deponat, & eos in iugem pœnitentiam mittat. Si enim, inquit, tales quærimus ad sacros ordines promouendos, quos nulla ruga, nullum vitę contagium ab ordinibus sacris præpediat; quanto magis si aliquis post ordinationem suam in lapsum ceciderit, &

Epistola S. Martini Papæ ad S. Amandum.

præuaricationis peccato deprehendatur obnoxius omnimode prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare. Sicque homini super (iuxta sacrorum canonum statuta) in hac vita depositus, vt illum qui mentis interna scrutatur, nullumque de ouibus errare congaudet, dum aspexerit sinceram præsentiam eius in terribili iudicio habeat reconciliatum.

Sigebertus in Chronicis. Eo tempore sanctus Niuardus Rhemensis Archiepiscopus, & Reolus successor eius, Bercharius quoque martyr, qui fuit Abbas primus Autuillarensium; Sancta etiam Berta martyr & Abbatissa sanctitate claruerunt in Gallia.

De sancto Berchario Rhemensi & sancto Niuardo Archiepiscopo.

Cap. CXIV.

Ex gestis eius. Hic sanctus Bercharius sub præfato sancto Niuardo Rhemorum pontifice moribus, & sapientia imbutus, Luxouiense monasterium expetijt, vbi sub Abbate sancto Eustasio monasticam vitam duxit. Cum autem in cura promptuarii rectoris nutu aliquando esset implicitus; quadam die subito iussu eius est vocatus, forte ille tunc promptuarium ingressus ante vas steterat, & sudem quæ vulgo duciculum, à potu, scilicet educendo dicitur, in manu tenens cerealem amphoræ potum infundebat. Mirum dictu, ad vnius iussionis nutum relictis quæ habebat in manibus cucurrit concitus ardore obedientiæ amphoræ obseruantiam oblitus. Illoque ante Abbatem stante interim potus in vasculum suppositum defluere non cessans postquam ad superficiem vasis peruenit, in modum columnæ supernę constipatum in gyrum coronari cæpit, vltro cernens illud liquamen quod vix clausum valet contineri, vt quondam Dei populo transeunte absque lintribus Iordanis fluenta in sublime tolli, vt liquido patesceret quanta esset virtus obedientiæ, cuius fructus nullo modo possit in terra deperire. At ille quod acciderat non suo sed Abbatis merito deputauit.

S. Bercharij obedientia miraculo illustratur.

Iam vero regularibus disciplinis edoctus ad sanctum Niuardum reuertitur. Qui cum in aliquo prædiorum suorum ædificare cœnobium vellet, cum Berchario vicum quendam sparnacum, quem beatus Remigius Ecclesiæ Rhemensi precio acquisierat, expetens, ipso processu itineris graui sopore deprimitur, ita vt eundi facultate remota, omnem illum equestrem, qui se forte comitabatur ordinem stare præciperet. Itaque fagus frondosa eligitur, sub cuius tegmine recubans. Bercharij decumbentis gremio vertice composito recipitur. Interim eo quiescente sanctus Bercharius in cælum defixis luminibus aspicit, subito niueam columbam è sublimibus descendere, & arbori cui substrati erant residere. Quæ repente ab arbore prosiliens, & rupẽs aera vacuum futuræ fabricæ spacium circumuolans, locum quo cœnobium construi debeat gyro designat, præsentia sanctificat. Cumque eosdem sui ambitus circulos tertio repetisset, aperto cælo reconditur; & quod idẽ Bercharius corporalibus deprehenderat oculis, hoc quidem quiescens pontifex senserat sopore cæleſtis visionis. Itaque à somno excitatus, ô, inquit, Berchari, votorum meorum compar fidissime, quam gratũ mihi est huc paululum soporis gratia diuertisse. Quod enim diu differens corde gestauerã, visionis Arcano maturius aggrediendum esse compellor. Illoque visum referente ait Bercharius: O pater sanctissime, quicquid in visione spiritus diuinitus tibi testaris illatum, noueris etiam me corporaliter fuisse conspicatũ. Tunc præsul eius industriæ hoc sanctum opus disposuit committere, qui in loco ipso qui Altiuillare dicitur cœnobij fundamenta fecit, nec prius ab opere destitit, quã opus cæptũ ad laudem Dei compleret. Ibi monasticæ cõuersationis

S. Bercharius Rhemis ad S. Niuardũ reuertitur.

S. Niuardus monasteriũ construere parat.

Visio S. Bercharij vigilantis.

Vide vitam S. Niuardi 1. Sep.

Altiuillarẽse cœnobium Haut villiers gallice construi captum.

viros

viros religiosos aggregauit, & cuncta quæ huic ordini commoda iudicantur, diligenter impleuit.

Obijt autem sanctus Niuardus die Calen. Septembris.

De martyrio sancti Bercharij, & de maioribus domus.

Cap. CXV.

S. Bercharius à discipulo quem correxerat necatur.

SAnctus autem Bercharius in ordinando plurima forte accidit, vt filiolum suum Dagouinum, quem de sacro fonte susceperat, & monachum esse statuerat, exigentibus culpis suis verbere increpationis feriendum decerneret, qui merito suo sathanæ cum Iuda traditus indigne patris obiurgamina tulit. Et cum ille fessus lectulo reclinatus membra sopori dedisset, idem filius sathanæ irruens in eum mortali cum vulnere attentauit; arreptumque ferrum quo eum percusserat, in piscinam quæ intra monasterium erat quam citius potuit occultandum dedit. Videns tunc laticem, velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expauescere. Nam mox vt aquam tetigit velut leuissimæ materiei pluma super aquas natauit, ipse autem amens factus, homicida ecclesiam petijt, cruentisque manibus signum cæpit pulsare. Fratres inconsueta hora eum admiratione surgentes, & sanctum virum interfectum audientes, ad lectum eius cucurrerunt, & adhuc in eo spiritum reppererunt. Comprehensum igitur Dagouinum ei obtulerunt, scire cupientes quid de commisso tanto scelere iudicaret. At ille Domini non immemor, Deum, inquit, tibi frater pœnitentialiter placabilem fieri studeto; nam quantum ad me attinet, omni te liberum impietate remitto.

Ex eius sepulchro longo tempore post oleum pullulans visum est defluxisse cunctis morbo obsessis salubre.

An. Ch. 662. *Sigebertus in Chronicis.* Anno Cõstantis 19. Clodoueus Rex Francorum obijt, & Clotharius filius eius succedit, & quatuor annis regnauit. Huius maior domus post Erchanoaldum fuit Ebroinus. Ab hinc Frãcorum Regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, regni potentia disponebatur per maiores domus Regibus solo nomine regnantibus: quibus moris erat, principari quidem secundum genus, & nil agere vel disponere quam irrationabiliter edere & bibere, domique morari, & Cal. Maij præsidere coram tota gente, & salutare & salutari, obsequia & dona accipere & repẽdere, & sic secum vsque ad alium Maium permanere. Batildis Regina mater Clotharij Corbeiam, & Chalam monasteria Deo construxit.

De Sancta Bathilde Regina.

Cap. CXVI.

De regina Bathilde, vide in Manuscriptis codicibus, authore incerto, sed illius tempore aquali rubra valle.

EX. *gestis eius.* Hæc de transmarinis partibus deprædata, redempta est à venerabili viro Herchanoaldo, qui tunc maior domus palatium gubernabat. Fuit autẽ de claro sanguine Saxonum, aspectu decora, vultu hilaris, incessu grauis, pudica, sobria, prudens & cauta, humilis & gratiosa, adeoque placuit prædicto Principi; vt loco pincernæ eam constitueret. In qua dignitate omnibus senioribus in domo domini sui ita humiliter obsequebatur, vt eis calciamenta detraheret & detergeret, & aquam ad lauandum afferret, & vestimenta eorum festinãter pararet absque omni murmure & adulatione, bono & pio animo. Mortua vero vxore Herchanoaldi voluit idem princeps eam ducere. Quæ cum vocaretur ad principis cubiculum se abscondit in angulo domus, & super se iecit pannos vilissimos, vt nemo putaret illic aliquem latere potuisse. Ea igitur non inuenta, princeps duxit alteram. Tunc illa iterum quæsita inuẽta est, sed à Principe non contacta. Postea per Dei gratiã facta est vxor Clodouei Regis filii Dagoberti; Et merito, erat enim & ipsa de sanguine Regio. Faciebat autem eleemosynas multas ecclesiis, & pauperibus per manũ Genesii Abbatis, quem Rex ei in adiutorium dedit, qui tunc erat assiduus in palatio, qui postea factus est Lugdunensis episcopus. Hæc Regina pestem symoniacam à Francia exturpauit, & impiissimas exactiones publicas cessare fecit, quæ adeo grauabant populum, vt multi filios suos magis optarent mori quam viuere. Construxit cœnobium sanctimonialium in pago Parisiaco nomine Chalam, in Ambianensi monasterium Corbeiæ, quod villis & prædiis magnifice instruxit. Diuersis quoque monasteriis multa donaria cõtulit, & ecclesiis præcipuis immunitates concessit. Multos captiuos redemit, multos relaxauit, multos in monasteria transmisit. Orta tandem contentione inter Francorum proceres pro Superbia Sigebranni episcopi, pro qua & ipse occisus est, desideratum meruit adimplere propositum, deductaque à quibusdam senioribus regni proceribus ad monasterium Chalam, religionis ibi habitum suscepit. In hebdomada sua ministrabat in officio coquinæ, sicut & cæteræ sorores, & mundicias faciebat etiã plusquam cæteræ sorores, inquinamẽta stercorum propriis manibus emundans. Incidit tandem in Iliacam passionem, de qua cum auxilio Dei & medicorum est sanata. Appropinquante igitur obitu suo visio præclara ei ostẽsa est. Scala ei videbatur erecta stare ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ, cuius cacumen cœlos attingebat, & per eiusdem gradus se comitantibus sanctis Angelis secreta cælestia penetrare. Habebat autem quandam filiolam, quam ex fonte sacro susceperat, pro qua Dominum exorauit, vt ante se morereretur. Quod & factum est. Cuius mortem & ipsa statim est secuta in exitu autem animæ eius à corpore, diuinus splendor in eius corpusculo clarissime coruscauit, & visus est à circunstantibus Angelorum chorus ei obuiam aduenisse, & cũ eis fidelissimus amicus eius Genesius episcopus. Visique sunt Angeli animam eius remigio alarum & manibus eleuatam in cælum portasse. Monasterium vero Chalæ primo construxit Clothildis Regina, vxor Clodouei magni, quẽ sanctus Remigius baptizauit, & construxit illud in honore sãcti Gregorii. Sed quia ambitus ecclesiolæ illius strictior erat, & magno sanctimonialiũ gregi non sufficiens, eam Bathildis Regina euerti fecit, & ampliorem construi.

Vacat misericordia operibus.

Extruit corbeiense monasterium.

Sigebranni episcopi cædes.

S Bathildis fit monialis in suo Chalensi monasterio.

Visio eius ante mortẽ.

Ab angelis in cælum defertur comitante S. Genesio.

De sancta Gertrude virgine Niualensi.

Cap. CXVII.

SIgebertus in chronicis. *Ex gestis eius.* Anno Constantis 21. obiit sancta Gertrudis * Niualensis. Hæc ipsa die obitus sui apparuit cuidam Abbatissæ Treuerensi nomine Modestæ sibi in vita sua amicitia familiariter constrictæ, quamuis corporaliter longe remotæ. Hæc etenim quadam die ante altare beatæ virginis prostrata, cum oratione finita surrexisset, subito vidit ad dextram altaris sanctam Gertrudem stantem, quæ dixit ad eam: Soror Modesta certissime scias me hodie in eadẽ hora de habitaculo carnis huius absolutam. Quo dicto disparuit: Post annum vero decimum in monasterium Niualense ignem fuisse exortum asserunt, vbi sancta Gertrudis præfuit. Et in tantum flamma vehemens erupit, vt nullus illuc concurrentium spem haberet ad liberandum de incendio monasterium. Ancillæ quoque Christi quæ ibi congregatæ fuerant, ad vicina loca confugerunt foras murum. Tunc vir vnus cui commendata fuit cura regendi monasterium, repente eleuans oculos vidit sanctam Gertrudem in summitate refectorii stãtem, quæ cum velamine quo operta erat iactabat de domo flammã. Et miro modo subito monasteriu liberatũ est de incendio. Omnes autẽ qui ob remẽdiũ animæ & etiã corporis ad sepulchrum virginis confluentes. cũ amore Dei auxilium quærebant, sani & incolumes redibant. Plurimi etiam vinculis constructi, eam in necessitate sua deprecabantur, & statim confractis & dissolutis vinculis liberabantur.

* al. Ninalensis.

S. Gertrudis apparet Modesta Abbatissa Trenirensi.

Ignem extinguit S. Gertrudis.

Ab Erchanoaldo in coniugem adoptatur sed abscondit sese ne fiat eius vxor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

S. Gertrudẽ relatam esse in Sanctorũ numerũ ex Honorij Papæ tertij decreto habet Bar. in notis ad martyrologium Romanum 17. Martij.

Quædam religiosa matrona nomine Adelsa ad monasterium venit, & de virtutibus sanctæ Gertrudis dubitans, cum vna Dei famula ibi manente contentionem habuit. In die autem festo sanctæ Gertrudis comedentibus cum gratiarum actione sororibus, prędictæ matronæ filius paruulus, quem delicate diligebat, huc illucque iocando discurrens, in fontem cecidit, & tamdiu quousque sorores, de mensa surgerent ibi iacuit. Vna autem de sororibus superuenit, & matronæ filium in fontem cecidisse ac mortuum esse retulit. Tunc illa quæ tantum de virtutibus sanctæ Gertrudis cum matrona contenderat exclamauit. Hoc tu feciſti sancta Gertrudis, quia mater eius nolebat credere virtutibus tuis, sed & obsecro te per Dominum vt eũ resuscitare digneris. Tulit ergo infantem, & iuxta lectum sanctæ Gertrudis posuit, qui miro modo subito cunctis aspicientibus surrexit.

Sigebertus in Chronicis. Anno Constantini 22. obijt sanctus Eligius Nouiomensis Episcopus.

Anno 25. Theodorus archiepiscopus, & Andrianus Abbas à Vitaliano Papa in Angliam diriguntur.

Anno sequenti Constans Imperator, qui & Constantinus omnibus suis perosus, Syracusis à suis in balneo occisus est.

De nece Constantis, & imperio filij eius Constantini.

Cap. CXVIII.

Constans Imp. in Italiã trãsijt: Lege Bibliothecarium in Vitaliano. & Diac. lib 5. de gestis Lõgobard. c. 4.

Hugo vbi supra. Hic enim multos orthodoxorum verberibus & exilijs condemnauit, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescere vellent, propter quod cum apud Bizantium pene omnibus esset exosus, ad Italiam nauigauit, volens illam à potestate Longobardorum eruere, & ibi manere. Egressus igitur de regia vrbe venit Athenas, ibique mare transiens Beneuentanorum fines inuasit, sed exercitum eius Grimoaldus eiusdem prouinciæ dux fortiter attriuit. Igitur cernens Augustus quod nihil contra Longobardos proficeret, Romam pertexit. Cui sexto ab vrbe milliario Vitalianus papa reuerẽter occurrit, & eum ad beati Petri limina cũ magna populi perduxit frequentia. Quo cum peruenisset obtulit sancto Petro pallium optimum auro textum. Et cu in vrbe iam per 11. dies resedisset, magna tactus cupiditate varia ornamentorũ genera ex ære & marmore, quibus vrbs decorabatur, in Tiberim vexit, vt ea Constantinopolim ferret. Inter quę basilicam sanctæ Dei genitricis, & martyrum omnium, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, æreis tegulis discooperuit. Quibus patratis statuit remeare retrorsum.

Igitur à Roma digressus ad Siciliam nauigauit; quo cum quodam die secretius in balneo lauaretur, à suis interficitur. Post cuius decessum milites assumẽtes Metẽtium quendam Armenium sibi creauerunt Imperatorem. Sed non post multos dies Constantinus Constantis Augusti defuncti filius, cum multo ibidem veniens nauigio, & imperialem purpuram sumpsit, & Metentium cum interfectoribus patris sui morte pessima condemnauit. Hic fuit vir fide catholicus & modestus: sapienti quoque vsus consilio cum Arabibus, qui Damascum inhabitabant, & cum Bulgaribus pacem firmissimam fixit. Restaurauit etiam ecclesias, quæ fuerant dirutæ à temporibus Heraclij proaui sui. Insurrexit præterea contra Monothelitas, satagens eorum opiniones subuertere, vnde & sanctam sextam vniuersalem Synodum Constantinopolim congregauit 289. episcoporũ, quæ in vno Domino nostro Iesu Christo duas naturas inesse comprobat & ostendit.

Constantis Mors.

Sexta Synodus vniuersalis.

Sigebertus in Chronicis. Cæpit autem Constantinus imperare anno domini 670. Mundi vero 4524. Et imperauit annis 17.

Huius anno primo Grimoaldus Rex Longobardorum cum 9. die post phlebotomum accepto arcu colũbam percutere nisus esset, vena brachij eius dirupta est, & supponentibus ei medicis venenata medicamẽta defunctus est, ac Pertharith filius Ariperth Regis diuinitus à peregrinatione reuocatur, & à Longobardis in regnum reuocatus, regnat annis 18.

Hoc tempore claruit secundus Præiectus Aruernensis ciuis & episcopus, qui etiam martyrizatus est ab ipsius primoribus, in vltionem Hectoris Massilienſium patricij, ab Hilderico Rege Francorum perempti propter iniustitias Aruernensi ecclesiæ ab eo illatas.

De sancto Præiecto Aruernensi episcopo & martyre.

Cap. CXIX.

Ex gestis eius. Hic Præiectus cum adhuc esset in vtero matris, vidit mater eius in somnis, quod per latus eius egrederetur filius sanguine rubricatus; quod cum cuidã Dei seruo mater dixisset, dixit ei quod puer ille palmam martyrij obtineret. Natus ergo puer in Auerna ciuitate litteris imbuitur, & quia gratiosus erat in omnibus, archidiacono vrbis nutriendus committitur. Omnibus itaq; virtutib. intẽtus dũ die quadã ad eũ multi pauperes aduenissent, & eleemosynas postularent, per famulũ suũ nouit, quod plusquã duos denarios non haberet. Cumque iussisset afferri sacculum, & Dominum inuocasset tanta protinus ibi inuenta est pecunia, quanta præ foribus stabat caterua pauperum.

Vide Surium tom. 1.

Die quodam Paschæ cum ipse ad mensam in solario cum multis alijs resideret, tres inter eos aderant, qui à carnib. abstinebãt, quos cũ alij deriderẽt, secũdus Præiectus eos admonuit, vt quos venerari debeãt irridendo nõ increparet. Sed cũ illi nõ se corrigerent, subito pauimẽtũ solarij cũ irrisoribus cecidit, tãtumq; Præiectus cũ abstinẽtibus residẽs ad mensã remansit. Cũ igitur Felix episcopus ciuitatis obijsset, & clerus, & populus Præiectũ eligeret, quidã Archidiaconus vrbis episcopatũ vsurpauit per pręmiũ, sed nõ vixit vltra terminũ 40. dierũ. Cũ ergo aliũ virũ inclytũ eligere voluissẽt, ille electioni pro posse renitẽs, cõsiliũ dedit & monuit, vt Præiectũ in cathedra sublimarent. Electus ergo Præiectus, & sanctitate & gratia pollebat in omnibus. Quodã itaque tẽpore cũ Regẽ Frãciæ adire vellet, trãsiuit per quãdã Abbatiã vbi secũdus Amerinus Abbas grauiter ægrotabat, quẽ mox oratione sanauit; deinde Regem adiens, quod voluit impetrauit. Cũ ergo rediret Amerinus Abbas secutus est eũ, vt sicut inuicẽ diligebãt, ita simul martyriũ cõsũmarẽt. Dũ ergo in quodã loco simul orarẽt, repẽte super eos proceres vrbis persequẽtes irruerũt, & sanctũ Amerinũ decollãtes, cũ secundũ Præiectũ se occidisse putarent, ad socios redire cæperunt, quos sanctus Præiectus, de loco in quo orabat vocauit dicens: Ecce ego quẽ quæritis, facite quod optatis. Tunc vnus eũ gladio percussit in pectore, qui cũ adhuc viueret, & pro occisore suo Dominũ exoraret, ille gladio caput eius percussit cerebrũque eiecit. Quidã vero ex his, qui morti eius cõsenserant, de prope stãtes, viderunt tres stellas subito supra domũ illã splendentes, in qua sancti illi cum vno satellitum occisi iacebant. Radebertus autẽ qui sanctum Præiectum occidit, non multo post viuus cõsumptus à vermibus expirauit. Alius vero dũ die quadã venaretur, de equo corruẽs, fracto dextro brachio cæterorum mẽbrorum debilitatẽ incurrit. Qui cum nulla posset medicina curari, ad se reuersus ad sãctum Præiectũ se cum vxore contulit, & veniã postulans, de oleo lampadis frequentius se perunxit. Sicque cito curatus quoddam vas argenteum 10. marcharum sancto martyri præsentauit. Quod cum cæteri cognouerunt, similiter pænitentes, multam auri & argenti copiam obtulerunt.

Pœna eorum qui carnibus abstinẽtes derident.

Amerini & Præiecti martyrium.

Sigebertus in Chronicis. Eodem tempore in territorio Cameracẽsi, virgo Dei Maxelẽdis pro voto virginitatis Harduinum amatorem suum fugiens, ab eo martyrizatur, qui mox excæcatus, post triennium ab ea illuminatur.

Hoc quoque tempore quidam in Britannia à morte resurgens, multa quæ vidit de locis pœnarum & purgatorij ignis loco enarrauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De mortuo in Anglia suscitato, & eius visione.

Cap. CXX.

Beda lib. 5. Hist. cap. 13. Erat hic Paterfamilias in regione Nordanymbrorum, quæ vocatur, Iucuniugum, qui primo noctis tempore defunctus diluculo reuixit, & obseruantes se in fugam conuertit, vxor eius quamuis nimis pauida remansit. Cui ille: Noli timere. Surrexi à morte qua tenebar, & permissum est mihi iterum apud homines viuere, sed multum aliter viuendum est mihi à modo quam prius. Statimque surgens abijt ad oratorium villæ, & ad diem vsque orauit. Et tunc diuisit substãtiam suam in tres partes, è quibus vnam coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam vero statim pauperibus erogauit. Non multo post ad monasterium Mailros peruenit, quod Tuido flumine circumcingitur, & accepta tonsura secretam mansionem ab Abbate suscepit, & ibi vsque ad mortem in mirabili conuersatione permansit.

Quomodo in prouincia Nordanymbrorum à mortuis resurgens multa & tremenda & desideranda quæ viderat, narrauit.

Narrauit autem hoc. Quidam lucidus aspectu & clarus veste me ducebat. Incedebamus taciti contra Solis ortum solstitialem, deuenimus autem ad vallem latissimam, longissimam, profundissimam, quæ erat à læua nostra, & habebat vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, aliud autem feruenti grandine & frigore nimis horrendum, vtrumque plenum animabus, quæ vicissim hinc inde iactabantur. cum impetu. Nam cum vnum sufferre non possent in aliud transiliebant; & cogitabam intra me quod infernus esset. Ductor autem meus cogitationi meæ respondens, non, inquit, vt putas hic est infernus. Et cum progrederemur, vidi loca tenebris ita densis repleta, vt nihil omnino viderem præter speciem & vestem ductoris mei. Et ecce crebri flammarum globi ascendentes de puteo & rursus decidentes in eundem. Et statim ductor meus disparuit, & me solum reliquit: Erant autem fastigia flammaru plena spiritibus hominum instar fauillarum cum fumo ascendentium, & relabentium, & fætor incomparabilis cum illis ebulliebat. Interea turba dæmonum cachinnans & insultans, quinque animas hominum educebat in tenebras. E quibus vnus erat attõsus vt clericus, quidã laicus, quædã fœmina, & descenderũt cũ eis in mediũ baratri ardẽtis. Quidã autẽ spiritus de abysso illo ascendentes afflantes ignem putridum oculis & naribus & ore sorpicibus igneis quos portabant minitabantur comprehendere me, & tamen tangere me non potuerunt; & ecce quasi fulgur stellæ micantis inter tenebras post me apparuit; hic erat ductor meus, qui mox eos fugauit, qui conuersus ad dextram cœpit me ducere ad ortum Solis brumalem, & mox in lucem serenam eductus, vidi murum per maximum, cuius longitudinis & altitudinis quasi nullus terminus videbatur, in quo etiam nulla ianua vel ascensus vel fenestra videbatur, & statim nescio quo ordine fuimus in summo, & erat ibi subtus cãpus latissimus & lætissimus, flosculis vernantibus & odore suauissimo plenus, & luce clariore Sole meridiano, in quo agmina albatorum plurima & sedes multæ lætantium. Et cum me inter illos duceret, cogitabam hoc esse regnum cælorum. Et respondit ille: Non est hoc regnũ cælorum vt putas. Et procedẽs inde aspicio multo maiorẽ luminis gratiam, & vocem cantantium suauissimam audio, & odorem sentio permagnificum.

De expositione ipsius visionis, & propalatione.

Cap. CXXI.

Et cum me intraturum sperarem, mox ductor meus gressum retorsit via qua veneram, & nobis reuertentibus, ait: Vallis quam aspexisti locus est in quo examinãtur & castigantur animæ differentium confiteri & emendare scelera sua, vsque ad mortem. Qui & tuc pœnitentes & cõfitentes, de corpore exeunt, qui tamẽ omnes per pœnitentiã Dei in diem iudicij ad regnũ cælorũ peruenient. Multos autem ante diem iudicij liberant eleemosynæ, ieiunia, & orationes viuentiũ & præcipue celebratio missarum. Puteus autem quem vidisti est os, gehennæ, in quem qui semel inciderit nunquam liberabitur. Locus autem floridus est ipse in quo recipiũtur animæ exeuntium à corpore cum bonis operibus, non tamen tantę perfectionis, vt statim mereantur in cœlorum regnum intrare. Qui omnes in die iudicij illud intrabunt. Quicumque autem in verbo, cogitatione & opere perfecti sunt, mox vt exeunt de corpore ad regnũ illud peruenient. Ad cuius vicinia patet ille locus in quo sonum cantilenę dulcis, & odorem suauissimũ hausisti. Ego autem ad tempus à te abscessi, vt quod de te fieri deberet agnoscerẽ. Et cũ detestaret iterũ viuere in corpore, subito me viuere inter vos nescio quo ordine vidi.

Hæc narrabat ille non passim omnibus, sed illis tãtũ qui vel æterna tormẽta timent, vel gaudia æterna cõcupiscũt. In vicinia cellæ illius habitabat quidã monachus, & presbyter sanctus nomine Henigils, qui nunc vsq; in Hiberniæ insula est solitarius, vltimam ætatem pane cibario & aqua sustentans, per quem cognita facta sunt quæ ille viderat. Rex etiam Adiulfridus vir vndecunque doctissimus, illum studiose audiebat. Qui & ipse tandem in monasterio supradicto monachus factus est, cuius monasterij tempore illo Abbas erat vir sanctus, & presbyter Hedilualdus, qui nunc episcopus est Lindisfarnẽsis. Dicebatur autẽ frater ille qui hoc viderat Drithelme qui sæpissime in flumine proximo se immergebat ad restringendum calorem corporis, ita vt etiã crustæ glacierum circa eum de veste sua defluerent. Nã vestimenta humida & algida de flumine nunquam deponebat, donec de suo corpore caleficerent & siccarentur. Cui cum diceretur, quare tantam asperitatem frigoris pateretur, respondit: *Frigidiora vidi ego.* Et cum diceretur ei, quare tantam austeritatem continentiæ teneret, respondebat: *Austeriora ego vidi.*

De translatione corporum sancti Benedicti & Scholasticæ sororis eius.

Cap. CXXII.

Vgo vbi supra. Per idem tempus Minimolus Abbas Floriacensis diuina reuelatione præmonitus; misit vnum de Monachis suis Aygulfum nomine ad montem Cassinum, vt inde sibi deferret sanctissimi corpus Benedicti; nam cœnobium quod ibidem quondam sanctus construxerat Benedictus, à perfidis Longobardis erat deuastatum & in solitudinem redactum, ibi tamen ipsius sancti Benedicti corpus cum corpore sororis suæ Scholasticæ vno sepulchro tenebatur in loculo.

De translatione SS. Benedicti & Scholasticæ in gallias, cuius meminit Diac. lib. 6. Lõgobard. cap. primo planiorem historiam edidit Theodoricus Teutonicus, aliique permulti.

Contigit etiam vt ex Cenomanica vrbe quidam eo tempore ad memoratum locum proficisceretur pro deferendo sanctæ Scholasticæ corpusculo, qui postquam ad Floriacum deuenerunt beato semper adhæserunt Aygulfo, donec ad sancti peruenerunt limina Petri. Quò dum peruenissent, mox beatus Aygulfus eorum consortium deseruit, montemque Cassinum solus expetijt, vbi etiam pernoctare decreuit. Et ecce intempestæ noctis silentio ipsum sancti patris Benedicti sepulchrum ita cælitus vidit illustrari, ac si densis lampadibus circunfunderetur: nocte vero transacta splendor ille disparuit. Tunc stupefactus Aygulfus eo reuerenter accessit, & effracto à latere sepulchro illud exinaniuit, & quicquid ibi repperit in vnius sportulæ sinu recondidit, quam ad hoc præparauerat. Quibus patratis, dum ad propria remearet Aygulfus socios suos offendit in itinere, & cum eis ad Floriacum remeauit monasteriũ. Sed antequã illuc pertingeret, deuenit in locũ quem Nouũ vicũ appellauit, qui milliario vno à supradicto distat monasterio. Ibique prædictus Abbas Minimolus cũ frequenti populi turba eis reuerẽter occurrit, cũ digna reuerentia assumens sportulã, extraxitque ex ea

ipsa sactatissima ossa, quæ ibi iacebant confuse concluſa ſecernens minora à maioribus. Quod cum factum fuiſſet, ecce duorum cadauera defunctorum efferebantur ad ſepeliendum, quorum vnum maſculini, & alterum erat ſexus fœminini. Placuit ergo hæc applicari. Mira res: Nam cum ſuper maſculini corpus maiora fuiſſent oſſa ſuperpoſita, cõtinuo per Benedicti meritum eſt mortuo reddita vita. Tunc etiam placuit minora oſſa poni ſuper cadauer mortuæ puellæ. Quod cũ fuiſſet factum, reuixit puella continuo.

Corpus B. Scholaſtica requieſcit Cenomãnis.

Claruit ergo germanos eſſe meritis, qui ſimul allati fuerant. Aderat huic ſpectaculo non minima populi multitudo. Aſtabant quoque ciues Cenomannici, qui corpus ſanctæ virginis, ideo Dei diſpenſatione meruerunt impetrare, ne duo magna luminaria vno clauderentur in loculo, cum ſingulis ſingula poſſent ſufficere locis. Igitur viri Cenomannicam remeantes ad vrbem, corpus beatæ Scholaſticæ ſecum pertulerunt. Fabricata eſt etiam iuxta mœnia eiuſdem ciuitatis in eius nomine eccleſia noua, vbi reuerenter eſt illatum atque tumulatum. Deinde creſcente quotidie miraculorum copia, plures eo ſanctæ deuotionis fœminæ ſunt aggregatæ ſub regulari diſciplina. Interea vero venerabilis pater Mimmolus cæpit animo voluere quonam in loco corpus ſanctiſſimi digne reconderet Benedicti; & cum quadam nocte ſub nudo cælo dominum precaretur, vt hoc ſibi cælitus monſtraretur, ecce ſubito lux emiſſa de cælo ſicut fulgor ei apparuit, & locum vbi poni deberet manifeſtiſſime denotauit. Locus autem ipſe vbi illud tranſtulit, ſanctæ Dei genitricis erat oraculum.

De quibuſdam euentibus illius temporis.

Cap. CXXIII.

An.Ch.673. *Igebertus in Chronicis.* Anno Conſtantini tertio Amatus epiſcopus Senonenſis à Rege Theodorico graui & irreuocabili diu exilio tribulatur.

Anno ſequenti Iris apparuit in cælo menſe Martio, & tremuit omnis caro, ita vt omnes dicerent, quod conſummatio eſſet.

Anno Conſtantini quinto Theodorus in Anglia Synodo habita, conſtituit multa eccleſiæ vtilia.

Hic Theodorus ſcripſit librum pœnitentialem mirabili & cauta diſcretione diſtinguẽs modum ſingularum culparum.

Anno Conſtantini ſeptimo Hildericus Rex leuitate morum ſuorum accendit in ſe odia Francorum. Sanctus Leodegarius Auguſtudinenſis epiſcopus ab eo in Luxouio retruditur. In Italia tantæ pluuiæ &· tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, vt etiam homines, & peculia fulgure interirent. Et niſi per letanias quas quotidie faciebant, Dominus eſſet propiciatus, non potuiſſent homines tritutare, vel in horreis frumenta recondere, in tantum vt ex ipſis pluuijs denuo legumina renaſcerentur, & ad maturitatem deuenirent.

Anno ſequenti, Donus Eccleſiæ Romanæ 86. præſidet. Ab Auguſto per tres menſes ſtella radij cælos penetrans, à parte orientis à gallicantu vſque in mane apparebat, & maxima mortalitas à parte orientis eſt ſubſecuta.

Anno ſequenti Callinicus, Architectus ab Eliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignemque marinum adinuenit, quo vſi Romani naues Saracenorum exuſſerunt, & vna cum animabus prorſus incenderunt, & ita victoria ſunt potiti.

An.Ch.679. Anno ſequenti Agatho Romanæ Eccleſiæ 77. præſidet, inter Romanos, & Saracenos in 30. annos pax eſt confirmata, vt Saraceni Romanis auri libras tria millia & viros captiuos quinquaginta, & equos nobiles quinquaginta annuatim ſoluerent. Bodilo Francus, quem Hildericus ligatum ad ſtipitem cædi præceperat. Hildericum in venatione exceptum cum Blithilde vxore eius prægnante interfecit, & Theodoricus regno reſtituitur.

Gens Bulgarorum, quæ & ipſa à Scythia egrediens, paſſim debacchabatur per Thraciã Bathaia duce graſſatur, quibus Conſtantini Imperatoris occurrens exercitus ab eis turpiter fugatus grauiter eſt attritus, & adeo per Romanam rẽpublicam eorum inualuit excurſus, vt Imperator cum eis facta pace, annua pacta eis præbere ſit coactus.

Abhinc igitur regnum Bulgarorum annotãdum eſt, quorum Rex Bathaias erat, huic annotantur anni viginti. Poſt hunc regnauit Therbellis, cui anni viginti ſex. Poſt hunc Cormeſius, cui anni triginta tres. Poſt hunc Thelezas, cui anni duo. Poſt hunc Sabinus, cui annus vnus. Poſt hunc Paganus 7. Thelerigus octo. Cardanius vigintinouem, Chrunnus 13. in quo finitur huius regni narratio.

Anno decimoquarto in Anglia claret Ediltrudis Regina, quæ tribus nupta viris virgo permanſit. Cuius mortuæ corpus poſt 11. ſepulturæ ſuæ annos incorruptum eſt inuentum. *An.Ch.683.*

Anno decimoſexto, Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recepit, eiuſque conſilio Synodum epiſcoporum coegit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroini Epiſcopatu priuat, aliquos etiam eorum irreuocabili exilio damnat. Sub tam procelloſo domeſticæ perſecutionis tumultu ſanctus iam Lambertus à Traiectenſi amotus epiſcopatu, in cœnobio ſtabulans monaſticæ quietis expetit portum, ibique per ſeptem annos habitauit.

Sanctus Leodegarius diu ab Ebroino tormentatus, poſt famem & carceris ſqualorem, poſt oculorum euulſionem, poſt plantarum cõſciſionem, poſt linguæ & labiorum exſciſionem, conſummauit tandem martyrium per capitis abſciſionem.

De ſancto Leodegario Auguſtudunenſi epiſcopo.

Cap. CXXIV.

Ex geſtis eius. Hic Leodegarius quondam fuit à nobiliſſimis & religioſis parentibus Regi Clothario commendatus, & à Didone auunculo ſuo Pictauenſi epiſcopo eruditus, & archidiaconus conſtitutus; qui tanta omnium virtutum gratia præfulgebat, quod nobilitatem generis maiore morum nobilitate decorans, etiam quandam Abbatiam monachorum ad preces epiſcopi ſtrennuiſſime gubernabat. Poſt hæc decedente Clothario, & ſuccedente ei filio eius Clothario iuniore, quia ſenſus eius regendo regno minus ſufficere videbatur, ab ipſo Rege & proceribus multiſque epiſcopis coactus eſt, vt propter conſilium & prouidẽtiam regni in palatio moraretur. Ibi autem tantam ſecundum Deum de pietate ſollicitudinem habuit, vt Eduenſi eccleſiæ mereretur in Pontificem promoueri. Poſt decem vero annos epiſcopatus ſui decedente Clothario iuniore, vir ſanctus negocijs grauibus oneratus, voluntate Dei & venerabilium principum, qui cum ipſo Præſule rem agebant, Childericum fratrem Regis Clotharij adoleſcentem valde idoneum fecit in Regem, ſed Ebroinus Theodoricum ipſius Childerici germanum præficere nitebatur, non propter regni commodum, ſed quia de poteſtate deiectus omnibus odioſus, iram Regis & Principum verebatur. A ſua itaque ſpe fruſtratus, metu mortis à Rege petijt, vt relicto ſæculo in monaſterio permaneret. Quo concedente & fratrem ſuum Thedoricum, ne contra regnum aliquid moliretur in liberali cuſtodia detinente, in tanta pace fuit reſpublica, vt tota Francia ſanctitati epiſcopi & regali induſtriæ congauderet. Verum poſt annum diabolo aduerſitatis turbinem concitante, malignis ſuggerentibus, de magno amore contra virum in magnum odium Rex deprauatus, iam ita eum latenti odio infeſtabat, quod opportunitatem & modum mortis eius attentius inquire-

S. Leodegarius puer litteris admonetur.

Leodegarius fit epiſcopus.

Childericus eligitur Francorum Rex.

Ebroinus efficitur monachus.

bat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bat. Sed episcopus blande ferens, & omnes inimicos suos, vt amicos amplectens, egit cum Rege vt diem Paschæ in vrbe cui præerat celebraret. Et ecce ipsa die nunciatum est ei, quod Rex illa nocte quicquid de morte eius tractauerat, perficere decreuisset. At ille nihil trepidans, sed ipsa die cum Rege in missa communicans, exemplo Domini persecutorem sic fugit, quod in Luxouiensi monasterio Deo seruiens, etiam Ebroino, qui ibi in habitu monachali latitabat, tota charitate seruiuit.

Quidam ferunt inter regem & Leodegariũ discordiam.

Nec mora Rege mortuo, cum Theodoricus regnaret gaudentes ciues Eduæ episcopum suum adeunt cum multis lachrymis eum rogantes, vt ad ecclesiam suam tamdiu destitutam rediret. Compulsus igitur suorum ciuium desiderio, & Abbatis imperio ad sedem suam cum honore rediit. Et statim apostatans Ebroinus, & à Rege Senescalli dignitatem adeptus, qui prius omnibus malus fuerat, postea peior fuit, toto studio beatum Leodegarium occidere cupiebat. Missis ergo militibus, vt eum de vrbe abstraherent; comperiens hoc vir Dei, populum vbi tunc prædicabat monuit ne timerent. Et statim de vrbe in ornatu Pontificali progressus, & flentium processione circundatus à militibus captus est. Et quia nondum iussi erant illum occidere, oculis eruti vsque ad iussum apostatæ in quadam Abbatia est retrusus.

Redit ad suũ episcopatum

Ebroinus se multis sceleribus obstringit.

De martyrio eiusdem.

Cap. CXXV.

Post biennium vero sanctus Leodegarius cum fratre suo Gairino, quem Ebroinus cum multis alijs exilianerat, in palatium Regis adductus, cum ad irrisiones Ebroini verba temperantiæ & iustitiæ responderet, perfidus ille iussit Gairinum lapidibus obrui, sanctumque episcopum tota die nudis pedibus per quendam fluuium super acutissimos lapides decurrentem deduci, & audiens, quod vir sanctus Deum in tanto cruciatu laudaret, præscisa ei lingua cum labijs tradidit eũ cuidam custodi vt eum nouis supplicijs reseruaret. At ille nolens eum indecenter tractare, in quodã monasterio sanctimonialium eum reposuit, & ibi paululum cõmoratus, diuinitus plenum officium loquendi, & prædicandi recepit. Interea Rex Theodoricus cum Ebroino concilium conuocauit, in quo Dei iudicio, illi qui manum in episcopum mittere præsumpserunt, hoc præmium acceperunt, quod vnus eorum exiliatus, & tandẽ decollatus est, alter vero cui Ebroinus propter hoc pontificatum dederat, conuictus sceleris, & coram omnibus flagellatus laqueo se suspendit.

S. Leodegarius Ebroini iussu capitur & luminibus orbatur

Post hæc Leodegarius accersiri iubetur, & ne inter episcopos appareret, extra concilium detinetur, sed cũ ibi de futuris interrogatus veraciter responderet, prædixit de seipso & de Ebroino, quando & quomodo vterque vitam istam finiret. Tunc Ebroinus videns eum de suo martyrio & de illius æterno supplicio gloriari, confusus, de concilio exijt, & cuidam militi episcopum interim seruare præcepit. Quem dum miles ad domum suam (quæ longe erat) duceret, sitienti episcopo, quidam comitantium potum dedit, & statim lux immensa in modum coronę caput eius circundedit; quam cũ multi de cœlo veniſſe viderunt, quid hoc esset ab ipso episcopo quæsierunt: at ille se in gratiarum actione prosternens, ductores suos, qui præ stupore semiuiui corruerant post orationem incolumes eleuauit, & vt religiose se deinceps haberent, obtinuit. Audiens hæc Ebroinus missis quatuor spiculatoribus eum decollari præcepit. Eductum ergo de custodia, cum ad abdita saltuum deduxissent. Non est, inquit, opus fratres non diutius fatigari, sed hic implete vestri desiderium transmissoris. Ad hoc illorum tres diuinitus emendati, cum prostrati veniam præcarentur, quartus ei conuicians, & sanctum post orationem decollans, stans corpus impulsu pedis ad terram deiecit, sed post modicum ipse furens, & à dæmone arreptus & in ignem proiectus, vitam, vt meruerat terminauit.

Magna lux cælitus descendit in S Leodegariũ.

Quatuor equites mittuntur ad trucidandum virum Dei.

Post biennium à passione sancti audiens Ebroinus illum multis miraculis declarari, cruciatus inuidia militem illuc misit, qui sibi referret certitudinem huius rei. Sed miles inuidus & superbus tumbam sancti pede percutiens, cum dixisset, moriatur, qui mortuum miracula posse facere credit, mox arreptus à dæmone, & subito moriens morte propria sanctum amplius commendauit. His auditis ipsius apostata fremens & tabescens inuidia, dum famam sancti extinguere præoptaret, eisdem diebus sicut sanctus in concilio prædixerat gladio occisus est. Sublato denique corpore dum ad monasterium vnde Abbas fuerat deferretur, tot & tantis in via miraculis claruit, vt nullus omnino cum fide accederet, qui non statim ab omni molestia curaretur.

Multa miracula ad sepulchrum eius.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato sanctus Hilianus Scotus Vuirziburgensis episcopus claret. Benedictus Romanæ Ecclesiæ 79. claret. *An. Ch. 685.*

De Sancto Vigilio Antisiodorensi episcopo, & de quadam pestilentia.

Cap. CXXVI.

Ex gestis eius. Huius Benedicti temporibus sanctus Vigilius genere nobilis & sanctitate præclarus, in Antisiodorensi episcopatu sedit annis 26.

Hic ecclesiam beatæ Mariæ extra muros Antisiodorenses de proprio ædificauit, & in ea conuentum monachorum constituit. Ibidem etiam hospitale pauperum quod Domus Dei dicitur, collocauit, & possessionibus infinitis ecclesiam cumulauit. Hic autem propter sanctitatem suam inimicis iustitiæ odiosus, & à Vuaracone Senescallo Regis Francię in Scotia sylua propè Compendium occisus est. Qui Vuaracho successerat in eodem Principatu Ebroino, qui scilicet sanctum Leodegarium occidit. Cum autem sanctus Vigilius de Compendio ad propriam veheretur vrbem, delatus est per vrbem Senonicam. Cumque transiret ante quandam domum, in qua rei vinctis catenis tenebantur, subito ruptis catenis de carcere exierunt, & beati Vigilij exequias celebrantes, & catenas suas ad ecclesiam beatæ Mariæ, quam ipse construxerat, deferentes, se & posteros suos in perpetuum beato Vigilio commiserunt.

Luna & Solis eclypsim pestis grandis secuta est Hac habet Diaconus li. 6. Longobar. cap. 6.

Hugo vbi supra. Hac tempestate Luna eclipsim passa est per indictionem octauam, Solque defecit hora diei quasi decima 5. Non. Maij. Et eodem anno subsecuta est grauissima pestis tribus mensibus, Iulio scilicet, Augusto, & Septembri: fuitque Romæ mortalitas magna. Hæc quoque pestilentia Ticinum adeo depopulata est, vt ciuibus per iuga montium fugientibus intra præfatam vrbem herbæ nascerentur atque fruteta. Tunc etiam visibiliter multis duo apparuerunt Angeli, bonus & malignus pergentes per ciuitatem, quorum malignus Angelus venabulum manu ferebat, qui quotiens de venabulo illo ostium cuiusque domus boni Angeli iussu percussisset, tot de eadem domo sequenti die hominum cadauera trahebantur. Sed quibusdam viris in eadem vrbe per reueletionem dictum est, quod nõ prius pestis ipsa quiesceret, quam in basilica beati Petri Apostoli, quæ *Ad vincula* dicitur, sancti Sebastiani martyris altare construeretur. Factumque est ita. Nam delatis ab vrbe Romana beati Sebastiani martyris reliquijs, mox vt in iam dicta basilica constitutum est ipsius altare, pestis illa quieuit.

Floruit etiam per idem tempus Cuthbertus venerabilis Archiepiscopus ecclesiæ Lindisfardensis, qui nunc Londensis dicitur, cuius corpus post annos 11. effossum, cum veste qua tegebatur inuentum est incorruptum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De imperio Iustiniani secundi, & de Sergio Papa:

Cap. CXXVII.

Iustinianus Imperator. An Ch. 687. Mũdi 4541.

MOrtuo denique apud vrbem regiam Constantino orthodoxo Augusto filius eius Iustinianus succedens imperauit annis decem. Hic cum esset quasi annorum. 16. temeritate vsus pueruli, pacem, quam pater eius cum Abimelech Arabum Principe fixerat, soluit, pacem cum Bulgarib. nexam perturbans, & ea quæ à patre suo ordinaliter fuerunt facta. Remouit etiam à mari Mardaitarum, ideſt, Piratarum exercitum, quo imperium eius ab impetu Arabum tuebatur; quibus repressis, pace & quiete est potitus Arabum principatus vsque in præsentem diem. Et ex tunc liberius barbari Romam depopulare cæperunt. Constituit præterea Stephanum Persam Saccellarium suum virum crudelem & pessimum, qui plures Reipublicæ Principes grauiter affligebat, quique etiam matrem eiusdem Augusti Anastasiam, absente eo, præsumpsit habenis more pueri flagellare, quæ res maximè fecit eum exosum cunctis Principibus & domesticis suis.

Sigebertus in Chronicis. Sumpsit autem Iustinianus imperium anno Domini. 687. mundi scilicet 4541.

Huius anno 2. Sergius Romanæ ecclesiæ præsidet 8 1.

Helinandus lib. 23. ca. 127. Hic Sergius in sacrario sancti Petri inuenit capsam argenteam in loco obscurissimo multæ annositatis, ita vt argentea non appareret Deo sibi reuelante, in qua sigillum erat expressum, & in sigillo plumarium holosericum superpositum, quod & Stauraci dicitur. Quo ablato, inuenit *Crucem* diuersis lapidibus preciosis perornatam, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis ineffabilem portionem ligni Dominici inuenit interius repositam: quod lignum in die *Exaltationis sanctæ Crucis* adoratur & osculatur ab omni populo. Hic constituit, vt hora confractionis Dominici corporis agnus Dei à clero & populo decantetur. Corpus primi Leonis Papæ diuina reuelatione ttanspositi.

Sigebertus in chronicis Anno Iustiniani quarto, sanctus Audeonus Rothomagensis episcopus, sanctus Amatus, & Theodorus Anglorum Archiepiscopus obierunt.

Author. Huic sancto Audoeno successit sanctus Ausbertus, cuius vitam supra posuimus.

De sancto Leufredo Abbate.

Cap. CXXVIII.

EX *gestis eius.* Huius autem sancti Ausberti temporibus claruit sanctus Leufredus, qui pago Ebroicensi exortus, parentibus Christianis nobilibus, vanam mundi gloriam despiciens, ab adolescentia nude Christum pauper secutus est. Cumque propè Ebroicas, in quadam cellula moraretur, Desiderius Ebroicensis episcopus audita eius fama; quia plures ab ipso lumine veritatis accensi vitam Apostolicam sectarẽtur, zelo superatus inuidiæ, quod in dioceſi talia agere præsumpsisset; quadam die conscenso equo, assumptis officialibus suis, ad cellam viri Dei perrexit, eumque iniuria verborum exacerbauit. Sed cum ad hæc immobilis permaneret episcopus, magis exagitatus furore iussit eum in equum leuari; cum apud se vir Dei decreuisset, ne vnquam equum ascenderet. Cum igitur episcopus eum ad ciuitatem perduceret, vt illic in eum quæcunque vellet liberius exerceret, subito equus cui vir Dei insidebat in terram concidit, & omnia viscera eius dirupta sunt. Mirantibus cunctis episcopus ad genua sancti prouolutus veniam postulauit; & ille placide omnem iniuriam remisit. Pontifex autem cum summo honore eum ad cellulam suam redire fecit: vbi postea multis annis & verbo fidei & miraculis claruit, cætumque monachorum diutina pace rexit, quos ipse Domino exemplis & monitis salutaribus acquisiuit. Horum vnus nomine Galeandus aliquando tanta dæmonis malitia percussus est, vt subito animam exhalare se crederet. Quo vir Dei percepto, oratione fusa pro eo, benedixit ei, præcipiens, vt ieiunijs deuotus esset: post hoc baculum quem manibus gestabat tradidit ei dicens: Constans esto fili, non morieris modo: statimque sanatus est.

Episcopus viro Dei cõtumeliam faciens à Deo monetur.

Eius miracula.

Alio tempore noctu cum ignis flamma casu validissime per omnia monasterij habitacula cremando peruolaret, repente vir Dei manus ad cœlum leuauit, omnipotentem inuocans, vt ipse flammarum vires confringeret, qui fornacem Nabuchodonosor aduersus tres pueros nihil valere fecit. Oratione completa tanto imperio impetum ignis coercuit, vt nihil vlterius contingere posset: sed tota violentia ventorum in vnum conglobata, quasi inundatione imbrium in semetipso emarcuit. Tandem vitam in pace finiens ad dominum migrauit.

Daniel 3.

Colitur 21. Iunij.

Sigebertus in chronicis. Anno Iustiniani 5. Theodericus Rex Francorum, cum Berthario & Pipino congressus vincitur; Bertharius à suis perimitur, Theodericus Rex à Pipino capitur. Pipinus sibi Neustriam subiugat, & sub Theoderico solus toti Regno principando statum rerum meliorat. Sanctum quoque Lambertum, in Traiectensi præsulatu relocat. Sanctus Remaelus obijt.

An. Ch. 691.

Anno 6. Vuillebrordus cum sociis duodecim, veniẽs ab Anglia sanctitate claret in Gallia.

Sanctus Vuandregisilus, qui & Vuando Ansegisi maioris domus ex Vualchiso fratre nepos hoc tẽpore claruit, qui cœnobia Fiscannum, & Fontinellam Deo construxerat.

De sancto Vuandregisilo Abbate.

Cap. CXXIX.

EX *gestis eius.* Hic sanctus Vuandregisilus in Verdunensi regione ortus est nobilibus & religiosis parentibns, cuius pater fuit Vualchisus Pipini Francorum Principis filius. Hic in adolescentia sub Rege Dagoberto militaribus gestis & aulicis disciplinis nobiliter educatus, crescentibus sanctæ vitæ moribus, ab eodem palatij Comes est constitutus. Qui cum pietatis studio susceptum officium exercebat, mente semper cælestia tractans, liber ad arguendum, humilis ad obediendum, in fide firmus, in bonis operibus promptus, in sermone verissimus, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in charitate præclarus. Denique parentum hortatu, licet inuitus, quandam puellam nobilissimam sibi despondit: sed castas nuptias celebrans, ei virginitatem seruare suasit, & illa consensit, factusque est ex vtraque parte saluberrimus castitatis consensus. Nam & ille clericatus habitum sumpsit, & illam velo piæ religionis opertam sanctimonialium monasterio tradidit. Verum cum adhuc in habitu laico degens iter carperet, suorum stipatus obsequijs, quibusdam barbaris iniuriose in eum irruentibus, ipse orationem pro gladio sumpsit, statimque ita stetit immobilis prauorum turba, vt propius accedere non valeret, Christi scilicet virtute retenta. Denique relictis ad monasticam se vitam transtulit, & primum in loco qui dicitur, Monsfalconis, cum sancto viro Balthfrido habitauit. At præfatus Rex nitebatur ei consulatu suorum molestiam inferre, pro eo quod sine permissu eius habitu mutato se religioni monasticæ mancipasset. A quo accersiri iussus, cum ad ædes regias properaret, ante palatij fores offendit subito quendam pauperculum cum vehiculo, quod ei sola domus, erat luto demersum. Cumque omnes miserum præterirent, aut etiã aliqui comprimerent, vir sanctus de equo cui insidebat cum grauitate descendit, & pauperi manum porrigens eum de luto simul cum plaustro leuauit. Ex templo cœlitus niueo indutus amictu Angelus affuit, qui & vestem illius diligenter emundans, candidiorem, quam ante fuerat, reddidit. Post hæc Domino famulum suum protegente,

S. Vuandregisilus educatur apud Regem Dagobertum in rebus militaribus.

Cum sponsa nobilissima seruat corporis integritatem.

Precibus sistit tumultuantes.

Viuit in monasterio.

Angelico ministerio eius vestes mundantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tegente, præcepit Rex, vt ei nemo inquietus existeret, sed propositi sui obseruantiam nullo resistente seruaret, sicque securus ad habitationis delectæ locum redijt.

Iterum de conuersatione & miraculis eiusdem.

Cap. CXXX.

Extruit monasterium & in eo moratur.

SEd non multo post occasione quadam loco relicto, in Elisgangium territorium migrauit, vbi & monasterium in possessione propria construxit. Vbi etiam si diuinis vacantem laudibus somnus comprimeret, nudis pedibus & simplici veste contentus, super humum stans flexis poplitibus orabat. Quod cernens diabolus plurimas ei inquietudines, & visibiliter & per soporem sæpius ingerebat, ita vt in effigies bestiarum volucrum vel serpentium se illudendo transformaret, & eius aspectibus se terribilem præsentaret. At ille per *sanctæ Crucis vexillum*, & rigoris abstinentiam, & iugem orationem viriliter eius conatus irritabat.

Infestatur à dæmone Arma eius contra dæmones.

Cum autem quadam nocte vltra solitum dormiuisset, affuit hostis, & illudens ait: Vigilantior te extiti hac nocte. At ille: Non dubito, inquit, ad ruinam aliorum, & cumulum damnationis tuæ, peruigilem te vbique fore: sed domabitur caro quæ ad hanc me impulit torporis inertiam. Exurgēs igitur à desidia somni, cum esset hyemis asperitas, sub diuo in medio niuium & glacierum flens, & longa suspiria trahens, Domino deuotissime psallebat: sed & ita ieiuniis incumbebat, vt in tota hebdomada excepta prima & quinta sabbati escam minime sumeret. Denique in visu admonitus, vt occidentalia Galliæ loca reuiseret Rothomagum peruenit: quem sanctus Andoenus reuerenter suscepit, & licet nimis reluctantem subdiaconum, deinde leuitam ordinauit. Post hæc etiam in Sacerdotem per beatum Audomarum Taruennæ Pontificem fecit consecrari. Sed dum vir sanctus districtiorem vitam ducere cupiens, eremi secreta plurimum ambiret, cōtigit vt largiente Ortinoaldo præfecto immodicam soli partem acciperet, quo Fontinellæ cœnobium cum nepote suo Godone, vt rudis habitator construeret. Itaque & monachos constituit in cellulis, qui diuinis insisterent seruitijs. Ibi cum alimenta penitus deessent, cellerarius ei hoc patefecit, & ille in Deo confidere persuasit. Itaque monuit diuina pietas Bathildem Reginam per visum, vt famulo Christi in eremo consistenti necessaria ministraret. Quæ expergefacta, onerata vehicula seruo Dei direxit: & ille Deo gratias egit.

Mira eius media.

90. ætatis annum præclarè excedens ita virilis extabat, vt in labore manuū præire iuuenes videretur. Profecto notum est, illum crebro prædixisse ventura.

De transitu eius & miraculis sequentibus.

Cap. CXXXI.

Vidit apertū cælum sub mortem.

TAndem in vltimo senio constitutus Domino crebro supplicabat, vt eum de hac valle plorationis eriperet, & suis conspectibus apparere faceret. Qui preces eius exaudiēs, ægritudinē ei immisit, & tribus diebus totidēque noctibus in excessu mentis rapto ianuā cœli apertam monstrauit: at hostis inuidus horam remunerationis eius instare conspiciens cruentus astans pauores ei multiformes ingerere nitebatur, quem in tali agone constitutum audierunt circunstantes fratres dicentem se fonte lauacri tinctum, dæmonemque se impedientem diuinitus fugatum. Denique signo Crucis se muniens

Signo crucis se munit dū excedit è vita.

11. Calen. Aug. spiritum cœlo reddidit, & eadem hora suauissima cantilena cælestis à quodam discipulorum eius audita fuit.

Vid. Baron. ad an. 673.

Interfuit autem eius transitui sanctus Audoenus, sepultusque fuit in Ecclesia sancti Pauli annis 40. Sanctus vero præsul Ausberus annis 11. sanctus vero Pontifex Vulfrannius annis ferme 9. qui postmodum anno scilicet Domini 684. translati sunt inde in ecclesiam beati Petri. Tunc apertis eorum tumulis cum hymnorum laudibus ineffabilis ex eis odor fragrantiæ prodiit. Ita vero integri ab omni corruptione cum vestimentis, quibus induti fuerant sunt reperti, quasi eodem die fuissent traditi sepulturæ. Dies ergo translationis sacræ constituta est pridie Calen. April.

Miracula eius post mortem.

Post obitum quoque sanctus Vuandregisilus multis miraculis claruit. Nam cum quædam mulier in festiuitate eius in pago Caletensi, villa Campana vicinis prohibentibus textrinum opus ageret, & corde tumido increpationes eorum pro nihilo duceret, siquidem ea die terræ, illius populi ecclesiam adeunt, & diuinis laudibus vacant illico manus eius, qua tramam ausu temerario per telam ducebat obriguit, tramaque medio palmæ inhæsit, ita vt articulorum vngues in medio palmæ figerentur, & auelli nullatenus possent. Hac sancti virtute correpta perrexit, & cum aspexisset basilicam, in qua sancti membra requiescunt eiusque pia suffragia deposceret, ab eius manu trama cecidit.

Cum autem Rex Carolus Germaniam, & Saxonum gentilium terram bellando domaret, quidam monasterij Fontinellæ miles nomine Sigemandus, dum cum cæteris militibus eorundem gentilium opes vastaret, ab eisdem comprehensus est. Cumque duceretur ad locum quo decollandus erat, & patroni sui sancti Vuandregisili crebro suffragia deposceret, quidam nomine Abbo ex ipso Saxonum populo diligenter exquirere cæpit, cur tam creberrime Vuandregisilum nominaret. Cui ille respondit: quia in veritate eius famulus sum, & credo me interuentu eius sanctitatis à periculo præsentis liberari discriminis. At ille: Hac, inquit, nocte ipsa Vuandregisilus mihi astitit; monens, vt nihil tibi mali inferrem, sed cum pace te potius ad tuos redire permitterem, quod si aliter facerem, contra meam patrarem salutem; idcirco illæsum te abire permitto. Absolutum igitur à vinculis & vestibus indutum, armisque munitum, ad castra remisit Christianorum. Ipse quoque Abbo Saxonici generis Regi postea obses datus, & ad Fontinellam perductus credens *in nomine Trinitatis sanctæ* baptizatus est.

Construit Fontanellense monasterium.

De fine Imperij Iustiniani.

Cap. CXXXII.

Sigebertus in chronicis. Anno Iustiniani 7. Eualdus albus, & Eualdus niger presbyteri venientes ab Anglia martyrizantur in Gallia, & iussu Pipini sepeliuntur in Agripinensi Colonia.

Anno 8. Pipinus Rabbodum ducem Frisonum bello vincit, & Vuillebrordum genti illud prædicandum dirigit, Chiliani Vuirziburgensis episcopi discipulus Arnual. Adamanus Abbas, Adelmus & Vuifridus episcopi clarent in Gallia.

Ann 0.9. Iustinianus Imperator sanctam sextam synodum infirmare nititur, & Sergium Papam in hoc sibi resistente ecclesiam deturbare frustra molitur. Defectio Solis facta est hora diei 3. ita vt quædam stellę claræ parerent. *An. Ch. 693.*

Anno decimo Leo Patricius Iustinianum regno priuat, eumque naso, & lingua truncatum in exilio relegat.

Hugo vbi supra. Insurrexit ergo aduersus eum Leontius patricius, conspirante secum Callinico Patriarcha, & carceribus reseratis, solutisque multis retrusis, quia 6. vel 8. annis in vinculis fuerant, quorum plures milites erant cum eis, exiuit in forum; moxque Iustinianum naribus amputatis, apud Cersonam exilio relegauit, deinde præfatorum armis munitus virorum augustalem arripuit dignitatem.

Sigebertus in chronicis Eodem anno Beda venerabilis presbyter, & Monachus clarens in Anglia, 30. ætatis annum agit, & reliquum tempus vitæ legendo, tractando, & exponendo sacram scripturam vtiliter exegit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Beda venerabili presbytero, & ſcriptis eius.

Cap. CXXXIII.

Scripta Beda

G*Villelmus Malmesburienſis*. Hic in extremo natus orbis angulo doctrina ſua omnes terras perſtrinxit. Anno vitę ſuæ 18. diaconus factus eſt, 30. Presbyter, ex quouſque ad 59. aut docere aut ſcribere non deſtitit, 36. volumina edidit, quæ in 78. libros diuiſit. Ferunt eũ Romam iuiſſe, vt libros ſuos, vel eccleſiaſticæ doctrinæ conuenire præſens aſſereret, vel ſi reſultarent, Apoſtolico nutu corrigeret. Eum tamen Romæ fuiſſe ſolide nõ affirmo, ſed tamen ipſum inuitatum illuc haud dubie pronuncio à Papa Sergio. Extat enim eius epiſtola ad Abbatem Etelfridum, in qua inter cætera ſcriptum eſt ſic: Hortamur Deo dilectam religioſitatis tuæ bonitatem, vt quia exortis quibuſdam eccleſiaſticarum cauſarum non ſine examinatione longius innoteſcendis, opus nobis ſunt ad conferendum arte literaturæ imbuti, ſicut decet Deo deuotum auxiliatorem ſanctæ matris eccleſiæ vniuerſalis, obedientem deuotionem huic noſtræ adhortationi non deſiſtas acommodare: ſed abſque aliqua remoratione religioſum famulum Dei Bedam venerabilis monaſterij tui Presbyterum. ad limina Apoſtolorum Principum dominorum meorum Petri & Pauli, amatorum tuorum, & protectorum ad noſtræ mediocritatis conſpectum non moreris dirigere. Quem fauente Domino ſanctis tuis precibus non diffidas proſpere ad te redire, peracta præmiſſorum capitulorum cum auxilio Dei deſiderata ſolennitate, erit enim (vt credimus) cunctis credentibus profuturum, quicquid eccleſiæ generali claruerit per eius præſentiam impartitum.

Sergius Papa Eedam Romam ad ſe reuocat.

Ita tam celebris erat vt in quæſtionibus enodandis indigeret eo ſublimitas Romana. Incurioſæ fuit, ſed dulcis eloquentiæ.

Author. Scripſit autem Beda ea, quę ſubiecta ſunt.

Super *Geneſim* lib. 1.
De tabernaculo Moyſi lib. 3.
Super Samuelem lib. 4.
De templo Salomonis lib. 1.
Super Eſdram, & Neemiam lib. 3.
Super Tobiam li. 1.
Super pſalmos lib. 1.
Super parabolas Salomonis lib. 5.
Super Cantica Canticorum lib. 5.
Super Marcum lib. 4.
Super Lucam lib.
Super epiſtolas Canonicas lib. 7.
Super actus Apoſtolorum li. 1.
Super Apocalapſim lib.
De quæſtionibus libri Regum ad Nocelinum li. 1.
De locis Sanctis li. 1.

Scripſit etiam de temporibus, & de Luna, & multa alia.

De imperio Leonis Patricy.

Cap. CXXXIV.

S*Igebertus in chronicis*. Leo igitur Patricius ſumpſit imperium anno domini 697. mundi, ſcilicet 4551. Et imperauit annis 2.

Huius anno primo Vuillibrordus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum gentibus Friſonum epiſcopus conſecratus, ex dono Pipini Principis ſedem epiſcopalem Vultaburch dicto, qui nunc Vultraiectum dicitur à nomine gentis Vultarum, & à Traiecto compoſitum, quaſi Vultarum oppidum. Nam Traiectũ lingua gallica oppidum dicitur.

Apud Vuirziburg caſtrũ Oſtrofranciæ ſactus Chilianus cum diſcipulis ſuis Colomanno, & Tolmanno clam martyrizatur, & à Geilana vxore Gozberti, Principis Vuirzibugenſium, qui timebat ſeparari à viro ſuo, arguente eum Chilano, quod eam vxorem quondam fratris eius, etiam ipſe vxorem haberet. Quorum mors cũ diu omnes lateret, Geilana, & percuſſoribus Martyrum à dæmonio arreptis eorum confeſſione diuulgata eſt.

Anno ſequenti ſanctus Vrſmarus per interuentum Hildulphi principis Lobienſe cenobium à Pipino Principe regendum ſuſcepit.

Sinodus Aquileiæ facta quintam vniuerſalem ſynodũ à Iuſtiniano Imperatore, & Vigilio Papa Conſtantinopoli celebratam ſuſcipere diffidit, quam Sergius Papa ſalubriter redarguit, & ad concordiam reducit.

Sancta Berga mater Pipini ad dominum tranſiit.

Hugo vbi ſupra lib. 23. cap. 134. Porro Arabes Aphricã infeſtabant, contra quos direxit Leoncius Imperator Ioannem patricium cum exercitu copioſo. Qui cum Carthaginem peruenisſet Arabes in fugam conuertit, & ibidem hyemauit. Deinde vero ad Imperatorem regreſſus eſt, volens maiorem ab eo depoſcere exercitum, ſed exercitus, qui in Aphrica remanſerat, abſente Ioanne patricio, elegit quendam Abſimarum, quem & vocauit Tiberium, & creauit illum Imperatorem. Abſimarus autem exercitu ſumpto, qui ſecum erat nauigauit ad vrbem, & ſine mora introiuit in ea per murum Blachernam, & apprehendens Leoncium exilio relegauit.

Sigebertus in chronicis. Eodem anno ſanctus Lambertus Pipinum Principem increpare auſus, quod pellicem Alpaidem Plectrudæ legitimæ vxori ſuæ ſuperduxerit à Dodone fratre ipſius Alaidis Leodij martyrizatur, & Traiecti tumulatur, eique ſanctus Hucbertus epiſcopus ſubrogatur.

De paſſione ſancti Lamberti Traiectenſis epiſcopi, & de ſancto Cuthberto.

Cap. CXXXV.

E*X geſtis eius*. Hic Lambertus ex parentibus nobilibus, & diuitibus natus, & apprime literis eruditus, ita pro ſanctitate ſua ab omnibus amabatur, vt Traiectenſi eccleſię poſt Theodardum magiſtrum ſuum promoueri in epiſcopum mereretur. Cum autem Childericus Rex, qui eum promouerat, & ſecum habens præ omnibus epiſcopis & optimatibus diligebat ab impijs occiſus fuiſſet, inuidentes ei maligni ſine cauſa deponentes eum, honore debito priuauerunt, & Pharamundum in eius cathedra ſtatuerunt. Lambertus vero cum duobus pueris quandam Abbatiam ingreſſus, & ibi per ſeptem annos optime conuerſatus, quadam nocte ſurgens ad orationem, in pauimento per ignorantiam ſonum fecit. Quo audito, Abbas neſciens, quis hoc feciſſet, ait: Quiſquis hunc ſonum fecit, ſtatim ambulet ad *Crucem*. Tunc ſanctus Lambertus illico nudis pedibus in cilicio, de lecto exiliens ad *Crucem* cucurrit; ibique tãdiu ſub niue & glacie fixus ſtetit, donec fratribus poſt matutinas ſe calefacientibus Abbas eum eſſe cognouit. Et audiens à quodam fratrum, quod ille iuxta *Crucem* diſcalciatus perſiſteret, reminiſcens præcepit fratribus, vt illuc properantes proſtrati coram eo humiliter peterent, vt rediret. Ille vero eorum precibus obediens regreſſus eſt & ab Abbate, & monachis cum ſumma humilitate ſuſceptus, petentibus veniam non ſolum clementer indulſit, ſed etiam de bona patientiæ eius ſublimiter prædicauit.

S. Lambertus in monaſterio Stabulenſi exulat.

Poſt 7. autem annos Pharamundus expulſus eſt, & ſanctus Lambertus ad preces omnium iubente Pipino Rege ad ſedem propriam cum honore eſt reductus. Cũ autem ſicut & ante omni ſanctitate polleret, & multos etiam gentilium verbo & exemplo conuerteret, inſurgentes in eum duo maligni eum & ſuos grauiter infeſtare cæperunt; ſed amici pontificis licet multis iniuriis iam oppreſſi, eos vt meruerant occiderunt. Sed Dodo conſanguineus eorum, qui occiſi fuerant domeſticus Pipini Regis audita nece ſuorum in ſanctum voluit vindicare Lambertum. Et cum armato exercitu Leodiũ

S. Lambertus redit ad propriam ſedem.

intrans

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

intrans,domum epiſcopi ſic obſedit, quod puer domus foris veniens viro Dei, qui tota nocte in oratione vigilauerat,obſeſſam domum ab hoſtibus nunciauit. At ipſe fidens in Domino vt eos expugnaret mucronem arripuit,ſed ſtatim ad ſe rediens,gladium de manu proiecit melius iudicans,vt perſiſtens moriendo ,vinceret, quam vt ſacratas manus de impiorum ſanguine macularet. Hoc ei cogitante multi per parietes lanceis fixis ingreſſi ſunt, ſed duo nepotes epiſcopi eos arreptis fuſtibus verberantes refugere compulerunt. Tunc vir Dei ſuos admonuit, vt peccata ſua confiterentur, & pro eorum pœnitentia incendium patienter ſufferrent, quod hoſtes eis & domui minabantur. Sic ergo in domino confortati ,ſanctum Lambertum, vt oraret ſicut cæperat,rogauerunt. Et mox in oratione cum lachrymis *in modum Crucis* proſtratum,irruentes impij directo iaculo paremerunt,& ſic eis deſcendentibus pauci ex eius famulis euadentes,corpus eius occulto nauigio ad pontificalem eccleſiam perduxerunt,ibique cum magna totius ciuitatis triſtitia completis officiis in ſepulchro propter hoſtes velociter poſuerunt.

Confeſſio peccatorum.

Colitur 17. Septembris.

Helinandus. Eo tempore,dicit Beda, ſanctum Cuthbertum poſt obitum ſuum incorruptum fuiſſe,hoc modo loquens in libro de temporibus: Reuerendiſſimus Eccleſiæ Lindiſpharnenſis in Britannia ex anachorita Antiſtes Cuthbertus totam ab infantia vſque ad ſenium vitam miraculorum ſignis inclytam duxit, cuius corpus humatum pos annos 11.incorruptum, quaſi eadem hora defunctum, ſimul cum veſte qua tegebatur inuentum eſt. Quod in libro de vita & virtutibus eius, proſa nuper,& hexametris verſibus ante aliquot annos ipſi ſignauimus.

De imperio Abſimari qui & Tiberius,& interitu eius.

Cap. CXXXVI.

Sigebertus in chronicis. Abſimarus igitur qui & Tiberius Leone ſcilicet ab imperio pulſo,eique naſo abſciſo, & in cuſtodia retruſo,imperauit annis 7.

Cæpit autem anno domini 699.mundi vero,4553.

Huius anno primo Dodo interfector ſancti Lamberti peſſimo languore cruciatur,à vermibus conſumitur, & ob intolerantiam fœtoris in Moſam fluuiũ demergitur,omneſque huius culpę complices infra annum diuinitus puniuntur:percuſſor vero ſancti martyris fratri ſuo congreſſus alter ab altero perimitur.

Vide Diac. & alios.

Hugo vbi ſupra. Porro imperante Abſimaro, Iuſtinianus degens in Cherſona,cæpit manifeſte populo,quod eſſet iterum ſuum reſumpturus imperium , prædicare. Qua de re loci accolæ Auguſti zelo permoti, propter opinionem huiuſmodi parabant eum quaſi regis inſidiatorem interficere, vel comprehenſum ad eum dirigere;ſed cum hoc idem Iuſtinianus ſenſiſſet, fugit, & Turcorum principi Cangano ſe præſentauit. Canganus autem eum cum honore ſuſcepit; & tradidit ei vxorem ſororem ſuam. Inde etiam nauigauit ad Trebellum Bulgarię Regem,cui & ipſe auxilium tulit, & ſuo eum Imperio reſtituit.

Sigebertus in chronicis. Iuſtinianus igitur auxilio Trebellis Bulgarorum Regis imperium recepit; Leonemque & Tiberium vſurpatores Imperij in medio Circi iugulat, Callinicum patriarcham excæcatum exiliat, & tantam in aduerſarios vltionem exercet,vt quoties à naſo ſibi exſciſo defluentem rheumatis guttam detergeret,pene toties aliquem ex his qui contra eum conſpirauerunt,iugulari præciperet.

De iterato Imperio Iuſtiniani,& eius nece.

Cap. CXXXVII.

Iuſtinianus Im. An. Ch. 706 Mundi 4560.

Reſumpſit igitur Iuſtinianus imperium anno domini 706.mundi ſcilicet 4560. & imperauit annis Hic pacem cum Bulgaribus factam ſoluit anno imperij ſui 3. eiſque congreſſus vix euaſit.

Anno ſequenti Childeberto monarchiam Regni Franchorum tenente, Archangelus Michael apparens Autberto Abrincatenſi epiſcopo,monuit ſemel & iterum,vt in loco maris,qui propter eminentiam ſui *Tumba* vocatur,fundaret eccleſiam in memoriam ſui, volens talem venerationem exhiberi ſibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano Interim taurus à latrone furtim captus in loco illo religatur. Vnde epiſcopus tertio admonitus,vt in eo loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & ſicut eum terram pedibus protriuiſſe videret,ſic eccleſiæ ambitum duceret, eccleſiam in honore ſancti Archangeli conſtituit. Et ex eo tempore,ſicut in monte Gargano,ita & in illo loco, qui modo dicitur *in periculo maris* veneratio Archangeli frequentari cœpit. *An. Ch. 709*

Adrianus Abbas Anglorum obiit.

Anno ſequenti Iuſtinianus Imperator fidem orthodoxam amplexus,Conſtantinum Papam ad ſe Conſtantinopoli inuitat,eumque venientem & redeuntem gloria Apoſtolica digna honorat. Sanctus Huchertus cælitus admonitus,corpus ſancti Lamberti à Traiecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert,ſedemque epiſcopalem in eandem vrbem transfert. *Anno 710.*

Anno ſequenti ſancta Oda vxor Boggis Ducis Aquitanniorum ſanctitate claret in Gallia , quæ eccleſias Dei ſua ditauit munificentia,& moriens in Leodicenſi quieuit parrochia.

Hugo vbi ſupra. Porro Iuſtinianus ſtatuit Cerſonam, vbi exiliatus degerat,euertere,& colligens omnes naues quas habere potuit ſcilicet dromones,tyeres, ſcaphas, chimeres,lyntres, vſque ad Chelandria eo deſtinauit, præcipiens omnes inhabitantes ibi interfici, à minore vſque ad maximum:quo cum peruenisſent Mauricius Patritius, & Helias Spatharius ſecundum Imperatoris iuſſionem omnes interfecerunt,exceptis infantibus. Tudunum vero ciuitatis principem cum alijs 40. principibus ad Imperatorem miſerunt,& alios ſeptem eiuſdem vrbis primores igni in verubus ligneis applicantes aſſauerunt. Deinde Iuſtinianus miſit iterum alium exercitum menſe Octobri præcipiens ,vt omnes pueri,qui reſeruati fuerant traderentur morti:ſed ille exercitus pene totus in pelagus eſt dimerſus , & perierunt ibi hominum 73. millia. Quibus Iuſtinianus agnitis furens adhuc magna crudelitate, miſit iterum alium exercitum iubens arari & edipauimentum illidi totam ciuitatem. Quod audientes homines illius prouinciæ aſſumpſerunt Philippicum, qui illic exulabat, & Imperatorem creauerunt. Deinde Philippicus Conſtantinopolim veniens,Iuſtinianum Auguſtum,& Tiberium filium eius pariter interfecit.

De imperio Philippici,& eius exoculatione.

Cap. CXXXVIII.

Sigebertus in chronicis. Philippicus igitur qui & Bardanius,Iuſtinianum Imperatorem iugulauit,& poſt eũ annis .regnauit.

Cæpit autem anno domini.713.mundi.ſcilicet 4567

Huius anno primo Grimoaldus maior domus Leodii ante altare ſancti Lamberti orans à Raingario ſatellite Rabbodi ducis Friſonum perimitur, & Theodoaldus filius Dragonis,ab auo ſuo Pipino maior domus ſtatuitur. Sanctus Vrſmarus epiſcopus,& Abbas Lobienſis cœnobij obijt:eique ſanctus Herminus ſuccedit.

Anno ſequenti Gregorius Romanæ Eccleſiæ 87. præſidet. Hic conſtituit, vt tempore quadrageſimæ 5. feria ieiunium,& celebritas miſſarum fieret in eccleſia, quod non fiebat antea. Petronax ciuis Brixianus diuino inſtinctu, & Gregorij Papæ animatus hortatu cœnobium ſancti Benedicti apud caſtrum Caſſinum nobiliter reædificauit,& ſub regimine ſuo multos ad regulariter ſeruiendum Deo congregauit, expletis 110. annis ex quo à Longobardis deſolatum fuit. *An. Ch. 714.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pipinus Princeps obiit, & filium suum ex Alpaide Carolum Tutidem siue Martellum cognomento Principatus sui hæredem reliquit.

Hugo vbi supra. Porro Philippicus cum esset hæreticus Constantinopolim episcopum exilio relegauit, & posuit in eadem sede quendam sui sensus pseudomonachum nomine Ioannem. Ipse etiam Philippicus Romæ Constantino Papæ literas praui dogmatis destinauit, quas vir sanctus consilio Romani populi respuit, & præcepit ne eius nomen in chartis poneretur, aut percussura solidorum reciperetur, aut ad missarum solennia recitaretur. Et dum imperasset Philippicus vno anno, & dimidio, insurrexit contra eum Anastasius, qui illum oculis priuauit, & ab imperiali dignitate deponens eius sibi vendicauit Imperium.

De Imperio Anastasij secundi, & vita sancti Aegidij.

Cap. CXXXIX.

Sigebertus in chronicis. Arthenius igitur qui & Anastasius Philippicum priuans imperio, & oculis imperauit annis 2.

Cæpit autem anno domini. 715. mundi scilicet 4569.

Huius anno 1. Sanctus Aegidius veniens a Grecia sanctitate claruit in Prouincia.

Ex gestis eius. Hic Aegidius ex regio genere Atheniẽsium & Christianis parentibus natus, literas in infantia didicit. Quadam die dum ad ecclesiam pergeret cuidam ægro in platea iacenti, & eleemosinam postu lanti tunicam suam tribuit, qua indutus æger mox sanctitatem recepit. Post hæc defunctis parentibus totum patrimonium suum erogans, & multa miracula faciens timens humani fauoris periculum, solus ad littus maris relictis omnibus clam deuenit, & videns à longe nautas in pelago naufragantes, sancta oratione tempestatem sedauit & applicantibus ad se nautis, auditoque quod Romam tenderet, gratias eius meritis reddiderunt, & quod etiam eum sponte, & gratis secum veherent, promiserunt. Cũ autem apud Arelatem venisset, & biennio cum sancto Cæsario archiepiscopo permansisset, eremum cupiens, clam discessit, & cũ sancto Verodimio eremita diu fuit. Vbi dum vterque miraculis coruscaret, timens ne forte ex miraculorum frequentia socii sui reuerentiæ displiceret, relicto eo interiorem eremum penetrauit, & ibi triennio solis herbarum radicibus. & lacte vixit, vbi dum Regis armigeri venarentur, ceruam, quę lacte suo Aegidium nutriebat videntes eam, discopulatis canibus insequuntur, à quibus cum vehementius vrgeretur, ad pedes Aegidij quasi ad refugium cucurrit, & mox canibus ad suos redeuntibus nox superueniens inaniter fatigatos domum redire etiam secundo coegit. Quod Rex audiens & episcopus, cum multitudine venatorum & canum die 3. in saltum properauit, visam ceruam instantius insequentes vsque ad locum vbi Aegidius morabatur, & directa à quodam contra ceruam sagitta, Aegidius pro eo orans grauissimo vulneratur. Factaque cultris, & mucronibus via, Rex, & episcopus videntes monachum ætate & canicie veneranda, & ceruam ad pedes eius iacentem, viso etiam cruore de corpore eius manante, nimis ambo conterriti, interrogabant, quis, & vnde esset. & cur in tanto eremo habitaret, quisve eum tam grauiter vulnerasset? Quibus cum ad singula respõdisset, & oblata sibi immensa munera pro adhibenda sibi cura nec respicere voluisset, sciens virtutem in infirmitate perfici, rogauit Deum, ne quandiu viueret redderetur pristinæ sanitati.

S. Aegidium cerua nutrit in eremo.

2. Cor. 12.

Adhuc de actibus eiusdem Abbatis sancti.

Cap. CXL.

Post hæc frequentatione Regis & precibus assiduis victus cænobium ibi fecit, & regimen ipsius cænobij monachorum suorum & Regis instantia, licet plurimum renitendo, suscepit. Huius ergo famam Rex Carolus audiens, & ab eo visitari desiderans impetrato eius aduentu, ab eo reuerenter est exceptus: eumque interloquendo Rex rogauit, vt pro se dignanter oraret, quia quoddam facinus fecerat, quod nulli vnquam nec ipsi sancto confiteri audebat.

Quod hic legitur de beato Aegidio, legitur etiam de S. Theodolo episcopo Sedunensi in cuius hymno cantatur: Fusa prece Theodoli mudatur culpa Caroli.

Sequenti itaque dominica dum sanctus Aegidius celebrans pro Rege oraret, apparuit ei Angelus Domini super altare, schedulam tenens, in qua scriptum erat per ordinem, & regis peccatum, & Aegidii precibus iam dimissum, si tamen eius pæniteret, & ab eo cessaret. Adiunctum quoque erat in fine, quod quisquis sanctum Aegidium pro quocunque commisso inuocaret, si tantum ab illo desisteret, remissum sibi à Deo esse procul dubio crederet. Oblata ergo Regi schedula, rex agnito peccato suo, procidens veniam petiit: Et Aegidius cum honore rediens apud Nemosensem vrbem filium Principis, qui tunc obierat, suscitauit. Post aliquantum tempus prænuncians monasterium suum non longe post ab hostib. euertendum Romam cum paucis adiit, & cum priuilegio ecclesiæ suæ duo ostia cypressina, in quibus sculptæ erant imagines Apostolorum à Papa impetrans dimittens ea in Tyberim diuino regimini commendauit. Reuersusque ad monasterium peractis negotiis inuenit ea in portu, & gratias agens Deo, qui ea inter tot & tanta pericula gubernauit, in liminibus ecclesiæ suæ ad memoriam posterorum erexit, & sic tandem sicut prædixerat claris virtutibus in pace quieuit.

Annotatio.

In hanc vitam extat censura Ioannis Hesselij his verbis: vita S. Aegidij Abbatis non placet, habetur enim in ea, quod Angelo reuelante regi Francorum ad preces Aegidij dimissum sit facinus magnum, quod nulli ausus fuerat confiteri, si tamen deinceps ab illo desisteret. Adiunctumque fuisse in fine quod quilibet S. Aegidium pro quolibet commisso inuocaret, si tamen ab illius perpetratione cessaret, dimissum sibi esse à Domino proculdubio crederet. Hæc sunt contraria fidei catholicæ, quæ ex scripturis & solidis doctoribus docet extrema necessitatis sine confessione & sacerdotis absolutione nulli baptizato crimen post baptismum remitti.

De sanctis episcopis Cæsario Arelatensi, & Albino Andegauensi.

Cap. CXLI.

Avthor. Sanctus autem Cæsarius Arelatensis quem ex supradictis hoc tempore fuisse perspicuum est 10. homelias morales & vtiles ad monachos edidisse reperitur, de quibus sententias notabiles alibi excerpsi.

Ex gestis sancti Albini. Eodem tempore floruit sanctus Albinus Andegauensis episcopus. Hic Veneticæ regionis oceani Britãnici confinis indigena non exiguis parentibus oriundus à iuuentute sua tanto fidei feruore flagrauit, vt parentes pro Christo sponte relinqueret, & velut hostes animæ carnales affectus effugeret, vt totum affectum in cœlesti patre plantaret. Mox in Obiallacensi monasterio se subdidit humiliter; eratque ad obediendum paratus, ad vitia calcanda maturus, ita vt in ipso iuuenili tyrocinio iã senectutis esset exemplũ. Denique cum adhuc puerulus per pagum in Abbatis sui proficiscceretur obsequium, applicauit apud quendam locum, vbi tanta detonuit violentia tempestatis tantumque pluuialis imber effudit, vt ipsam domum nec sua tecta defenderent. Cum ergo pro magnitudine pluuiæ casa pro campo constaret, madefactis omnibus, qui eodem loco tenebantur hospitio, solum beatum Albinum tunc imber tangere expauit, quia vbi flammã fidei sensit ne iniuriã faceret, se gutta detorsit. De hinc cœlestibus donis cum ętate crescentibus cum esse annorum 35. monasterij rector & pius pastor eligitur, ad vitia eradicanda solicitus, & ad inserenda bona cœlestia circunspectus: sicque in Abbatiæ officio per 25. annos congregationẽ sibi commissam fœliciter gubernauit. Et quia tanti me-

Vide Hugonem cap. 139. & 144.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Creatus epiſcopus Andegauenſis.

riti fama non latuit Andegaua ciuitate paſtore ſuo tunc nudata, ab omni populo licet humiliter renitens ad pōtificatum eligitur, qui honorem debiti ſacerdotij cōſecutus, ſe miſericordem in eleemoſynis pauperum, in defenſione ciuium, in viſitatione languentium, in redemptione captiuorum præbuit.

De Miraculis Sancti Albini.

CAP. CXLII.

Reuocat mortuum ad vitam.

HIc adoleſcentem defunctum audiens à parentibus deplorari, occurrens, vt mortuum viuum erigeret, ſe in oratione proſternit, & incumbens diutius orauit, & dū palleſceret iacēs ſacerdos in puluere, animę vinacitas rubeſcebat in corpore, donec pulſato cœlo patefacto tartaro, iuuenis reuocaretur à funere, ſacerdos à præce.

Illuminat ea cum.

Deinde cum Aſiacum monaſterium paterna ſolicitudine viſitaſſet, quidam vt ei ſuccurreret, iam fide illuminata cœcus exclamabat, cui *ſanctæ Crucis medicamentū* imponens, tā fuit illi lumen cito recipere, quam quæſiſſe.

Occurrente eo Regi Childeberto Pariſijs, nunciatur pontifici, Regem venationis cauſa de ciuitate in craſtinū eſſe diſceſſurum, mandatque ſe dignum duceret expectandum. Sed quia beatum Albinum corporalis infirmitas præpediuit, ad eius præſentiā prædictus Rex occurrere maturauit, qui donec per illam viam, quæ ad ſacerdotem ducebat inceſſit, fœliciter properauit. Cum vero in quoddam triuiū peruenisſet, volēs alibi deuiare, equus eius ac ſi metallum fuſile fuiſſet, mouere greſſum non potuit. Suſpicans Rex culpā equi magis eſſe quā cauſæ, alterum ſibi fecit ſterni, quē dum per ipſum iter ingredi cōpelleret, ac ſi muro impediente retētus, ire non valuit. Intelligēs ergo Rex nihil profeciſſe mutaſſe vehiculum niſi mutaſſet occurſum, deflectēs in viam quæ ad ſacerdotē ducebat, ea cæpit aquus alacritate diſcurrere, ac ſi ereptus de fouea, campi mollis planiciem recepiſſet.

Corpus extinctum loco moueri non poteſt.

Cum ad ciuitatem Venetum, vel Veneticam ipſe vir Apoſtolicus acceſſiſſet, vno de obſequentibus adoleſcentulo, quem pro morum qualitate peculiarius diligebat in loco defuncto atque ſepulto, poſt annū eius corpuſculum inde ſublatum ad propria reuocabat. Tunc remorante eo cauſa vtilitatis, voluerunt ſeruientes prius corpus mouere, quam ſacerdos occurreret: ſed tanto pondere fit grauatum, vt antea potuiſſent gigātea membra prenſare, quam pueruli corpus proferre, donec Antiſtes rediens ſoluit oratione, quod illi conglobati non poterant mouere.

Precibus ad Deum fuſis aperit carcerem.

Cum autem in ciuitate Andegaua turris portę cohærens damnatis eſſet carcer effecta, pretereunte beato Albino, fiebat inſolentia de vocibus incluſorum. Tunc ad iudicem precator accedit, rogans, vt eos pietatis cauſa de cuſtodia relaxaret. Quod cum ille aure ſurda differret: mox pontifex ad Deum ſe fida petitione conuertens tam familiares voces ingeſſit, vt in loco quo orationem ſanctus Albinus effudit miræ magnitudinis ſaxeus quadrus exiliens, portæ aditum faceret carceratis, quia ante eius precem ſoliditatem ſuam lapis ſeruare non potuit. Hinc egreſſi quaſi de ſepulchro viuentes in baſilica ſancti Maurilionis Domino Albino gratias referentes, ſe ad veſtigia eius proſtrauerunt, eo quod ſuſpectos de funere redire fecerat ad ſalutem.

De cæteris miraculis eius ante obitum & poſt.

CAP. CXLIII.

Signo crucis pellit dæmonem.

ITem dum quædam mulier arrepta maligno ſpiritu, ſe beatiſſimo viro Albino vociferans & eiulans præſentaret, mox aduerſarius ipſe ſupra eius oculum ſe in ſimilitudinem veſicæ ſanguineę collegit. Tunc Pontifex faciens *ſignum crucis* increpauit malignum dicens: Inimice, oculum quem non dediſti nec potes auferre. Mox de collectione veſicæ, in phlebetomiæ ſimilitudinem ſubtiliter ſanguis erupit, quo fluente, ſine læſione immundus hoſtis euanuit, & puella incolumis imperante *ſigno Crucis* euaſit.

Sed & hoc magnanimitatis exemplum in eo, quod pro Dei negocio apud eum non fuerit vlla Regum potentumque perſonalis acceptio, ſiquidem martyr effici cupiebat, ſi non defuiſſet dextera percuſſoris.

De tranſlatione ſacri eius corporis.

Poſt eius obitum, cum ſanctus Germanus epiſcopus & populus membra eius in nouam baſilicam tranſponenda deuote ferrent, & propter cellulæ angustiam in qua conditus fuerat non daretur ſacri corporis extrahendi licentia, cunctis hæſitantibus & incertis quid agerent, repente nutu diuino diſciſſo pariete, qui erat ad pedes eius à parte orientali tres lapides decidunt, ſcilicet dato ſigno, per qualem locum ſe iuberet educi poſſe.

Tres paralytici ſanātur ad eius ſepulchrum, & duo cæci.

Interea facto aditu dum concentus pſallentium corpus ſanctum ad ſepulchrum proſequitur, à loco quo eſt eductum, palam tres paralytici iam diu deſperati, redditi ſunt ſanitati, & duo cæci ſunt illuminati.

Hic itaque ſanctus virtutum floribus adornatus 20. annis, & menſibus 6. pontificalem apicem gubernans, & 80. ætatis annum fæliciter explens, Cal. Martij, migrauit ad Dominum.

De breui Imperio Theodoſij tertij.

CAP. CXLIV.

Hugo vbi ſupra. Anaſtaſius Imperator cum eſſet vir catholicus literas Conſtantino Papæ per Scholaſticum patritium hexarchum Italiæ deſtinauit, quibus ſe fautorem catholicæ fidei, & ſancti ſexti conſilij prædicatorem eſſe declarauit. Denique claſſem in Alexandriam contra Saracenos direxit, cuius exercitus ad aliud verſus conſilium, ab itinere medio Conſtantinopolitanam vrbem regreſſus, Theodoſium virum Orthodoxum inquirens, Imperatorem elegit, & coactum regali ſolio ſublimauit. Theodoſius vero Anaſtaſium apud vrbem Nicenam graui prælio ſuperauit,

Sigebertus in chronicis. Igitur Theodoſius Anaſtaſium de imperio deponens, eumque preſbyterum ordinans, imperauit anno vno.

Cæpit anno domini 717. Mundi ſcilicet 4571. Qui cum fuiſſet iners & idiota, & publicorum negociorum exactor, vi compulſus eſt ab exercitu Imperium aſſumere.

Egberth veniens de Hibernia, ſanctitate & doctrina claret in Anglia.

Sanctus Germanus à Gyzico transfertur ad epiſcopatum Conſtantinopolitanum.

Hugo vbi ſupra. Denique aduerſus Imperatorem Theodoſium, inſurrexit Leo quidam vir potentiſſimus, qui quidem eum ab imperiali vertice depoſuit, ſed indemnatum abire permiſit. Ipſe vero poſtmodum clericus factus, reſiduum vitæ transegit in pace.

Sigebertus in chronicis. Eodem anno Gregorius Papa Bonifacium à Britannia venientem epiſcopum conſecrat, & per eum in Germania verbum Dei prædicat.

Romę inundatio aquarum nimis calamitoſa facta eſt, ſed Gregorius Papa crebris letanijs Deum precante 9. poſt dies eſt repreſſa.

De Imperio Leonis tertij, & ſancto Vulfranno Senonenſi.

CAP. CXLV.

LEo itaque poſt Theodoſium ſumpſit imperium anno Domini 718. Mundi ſcilicet 4572. & imperauit annis 24. Huius anno primo Rabbodus Dux Friſonum prædicatione Vulfranni epiſcopi ad hoc adductus, vt baptizaretur, cum vnum pedem in lauacro intinxiſſet, alterum pedem retrahens interrogauit, vbinam plures ſuorum maiorum eſſent in Inferno an in Paradiſo: & audiens plures eſſe in Inferno intinctum pedem extrahens, ſatius eſt, inquit, vt plures, quam pauciores ſequar & ita ludificatus eſt à dæmone promittente, quod tertia die abhinc incomparabilia bona ei daret, ipſa tertia die ſubita & æterna morte perijt.

Conſule Baronium in annalibus.

Ex geſtis eius. Hic Vulfrannus Senonenſis epiſcopus ex territorio Vaſtenenſi fuit, cuius pater Vulbertus in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aula Regis Dagoberti, & filij eius Ludouici militauit, ſucceſſit Lamberto in epiſcopatu Senonenſi. Hic in viſu admonitus eſt, vt genti Friſonũ verbũ Dei prædicaret quod vt facetet, iuit tunc ad monaſterium Fontanellam cuius tũc pater erat beatus Ausbertus Rothomagenſis Epiſcopus, de quo monaſterio cooperatores ſecũ aſſũpſit ad prædicandum, qui dũ nauigarent Friſiam, & eſſent in medio mari, quod adiacet regioni Morinorũ, affuit hora vt miſſam cãtaret ſanctus Vulfrannus, naui manente immobili poſitis anchoris. Dumque ventũ eſſet ad locũ vbi miniſter offerre debebat patenã præſuli, præſul extenſa manu eam expectabat. Sed dum miniſter eam abluere vellet, mari eciderat proſtratuſque præſulis veniam precabatur, qui mittens eum ad locum vbi ciderat, orãdo effecit, vt patena ab imo maris reuecta manui miniſtri cohæreret.

S. Vulfrannus miſſam in mari cantat.

Poſt hæc filius Rabbodi ducis à B. Vulfranno baptizatus, in albis poſitus expirauit. Mos autem apud Friſones, vt quemcunque ſors contingeret, offerretur dæmonibus immoladus. Adhoc electus eſt ſorte quidam puer Ouo nomine, quem cum ſanctus Vulfrãnus expetiſſet. Reſpondit Dux: Si tuus Chriſtus de morte hunc eripuit ſit tuus. Appenſus autem eſt in patibulo. Orante autem ſancto Vulfranno, dirupta ſunt vincula, quæ guttur eius ſtringebant, & illæſus corruit in terram, qui tentus à ſancto ſurrexit incolumis. Qui baptizatus, & poſtea Regislando Rothomagenſi epiſcopo preſbyter ordinatus multos codices tranſcripſit monaſterio Fontanellæ.

Poſt hæc Rabbodus Dux cum deberet baptizari, vt ſupra dictum eſt, pedem retraxit, & cum eſſet in multa dubitatione miſit ad beatum Vuillibrordum illius gentis epiſcopum, conſulens ſi deberet baptizari. Cui ille reſpondit: Quomodo mihi credet, qui ſancto fratri noſtro Vulfranno non credit? Ego, inquit, hac nocte vidi eum catena ignea ligatum, vnde conſtat eum iam æternã damnationẽ ſubijſſe. Cũq; iret ad domũ principis nũciatur eũ iam eſſe mortuum, & ſtatim remeauit ad ſua.

De ſeditione Rabbodi Friſonum Ducis.

Cap. CXLVI.

Rabbodus non Radboduslegitur vnde nequa Tentonis Rabbonet dicitur.

QVomodo autem Rabbodus ille deceptus fuerit à diabolo prædictus Ouo narrabat dicens, quia apparuiſſet in Angelum trãfiguratus caput opertum diademate aureo cũ gemmis, & veſte cũ auro texta, in quem cum Rathbodus intenderet, dixit ad eum diabolus. Virorũ fortiſſime, quis te ira ſeduxit, vt à cultura Deorum velis recedere? noli hoc facere, ſed mane in his quę didiciſti, & venies ad domos aureas quas tibi æternaliter in proximo ſum daturus. Cras ergo accerſi Vulfrannum doctorem Chriſtianorum, & ab eo quære quænã ſit illa mãſio æternæ claritatis quã tibi pollicetur. Quam cum demonſtrare nequiuerit, vtriuſque partis mittantur legati, & ego ero Dux itineris, & demonſtrabo illis domũ auream & manſionem pulcherrimã, quam tibi promitto. Euigilans Rabbodus, narrauit cuncta ſancto Vulfrãno. Qui dixit: Illuſorem diabolum ſibi velle illudere. Reſpondit Dux ſe futurum Chriſtianum, ſi illa pulchra manſio non demonſtraretur ſibi à Deo ſuo. Mittitur ergo ſtatim quidã Friſo ex parte Ducis, & quidam diaconus ex parte ſancti Vulfranni, qui cum paululum ab oppido proceſſiſſent, obuium habuerunt quendã itineris comitẽ, qui dixit eis, Properate cito, nam monſtrabo vobis pulcherrimã manſionem Rabbodo duci præparatam. Illi autẽ pergentes viam latiſſimam & loca ignota, viderunt quãdam viam diuerſorũ generibus marmorum polito opere decoratam. Videruntque à longe domum quaſi auream, & peruenerunt ad plateam, quæ ante domũ erat, quaſi auro & gemmis ſtrata. Intranteſque in domum, viderunt domum eſſe miræ pulchritudinis & incredibilis ſplẽdoris, & in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris, ait illis: Hæc eſt manſio præparata Rabbodo duci. Ad hæc diaconus obſtupeſcens ait: Si à Deo facta ſunt iſta, perpetuo maneant, ſi à diabolo cito diſpereant. Et cum ſignaret ſe *ſigno ſanctæ crucis*, ductor ille tranſijt in diabolum, & domus aurea in lutum. Remanſitque diaconus, & Friſo in medio locorum paluſtrium qui pleni erant longiſſimis virgultis inuſtis, triduoque immenſi itineris conficientes iter, reuerſi ſunt ad oppidum, & ducẽ mortuum inuenerunt, narraueruntque quæ viderent ſancto Vulfranno. Friſo autem baptizatus eſt, qui dicebatur Ingomatus, vel Cuningus, qui & ſecutus eſt ſanctũ Vulfrannum ad monaſterium Fontanellæ, fuit apud Friſones ſanctus Vulfrannus per annos 5. & poſtea reuerſus eſt ad Fontanellam monaſterium, vbi & monaſticũ aſſumpſit habitum, ordinato epiſcopo in vrbe Senonica Gerico venerando. Ipſe vero ſanctus apud Fontanellam pluribus annis ſine lecto fuit, cilicio tectus ſub cuculla nunquam diuitibus honoris vel timoris gratia ſi qua deliquiſſent reticebat, ſed aſpera inuectione eos corripiebat. Miſſam cãtabat non elata in altum voce, ſed profuſis lachrymis ex imo pectore.

Signo crucis diabolica præſtigia euaneſcunt.

Obijt apud Fontanellam 13. Cal. April. anno domini 720. ſepultus eſt iuxta beatum Vuandregiſilum.

De miraculoſa ſtrage Saracenorum apud Conſtantinopolim, & de Gradali.

Cap. CXLVII.

Sigebertus in chronicis. Anno Leonis ſecundo Conſtantinopolitani inſtantia orandi & conſtantia præliandi fortiter reſiſtunt Saracenis. Saraceni fame, frigore, bello, peſtilentia ſine numero pereunt.

Author. Fertur autem eos miraculosè hoc modo periſſe. Apud Conſtantinopolim in monaſterio ſanctę Dei genitricis iuxta palatium, in mari prope ſanctam Sophiã erat imago beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella ſanctus Lucas, cum adhuc viueret sãcta Maria. Hæc imago vocatur Odigitria, i deſt, deductrix: quia duobus cæcis apparuit ſancta Maria, & deduxit eos ad ſuam eccleſiam, & illuminauit eos. Cum iſta imagine faciunt proceſſionem omni die Martis per totam ciuitatem. Cum ergo vt ſupra dictum eſt, obſeſſa eſſet ciuitas, & ciues ieiunarent, & orarent ſimul & pugnarent, quidam ciuis admonuit afferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: *Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberaſti, libera nos modo de inimicis filij tui, & ſi vis vt imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos.* Et cum hæc dixiſſet, ille ſecreto imaginem tenuit ſub vndas, & ſtatim procella ſurrexit, & omnes naues Saracenorum, aut merſit aut fregit.

De Saracenis admirabilis victoria vid. Diacon. & Bedam in lib. de temporibus Blond. lib. 10.

Helinandus. Hoc tempore in Britannia cuidam eremitæ monſtrata eſt mirabilis quædam viſio per Angelum, de ſancto Ioſeph decurione nobili, qui corpus Domini depoſuit de Cruce, & de catino illo vel paropſide, in quo Dominus cænauit cum diſcipulis ſuis, de quo ab eodẽ eremita deſcripta eſt hiſtoria, quę dicitur *de Gradali*. Gradalis autẽ vel Gradale gallice dicitur ſcutella lata, & aliquantulum profunda in qua precioſæ dapes cum ſuo iure diuitibus ſolent apponi, gradatim vnus morſellus poſt alium in diuerſis ordinibus, & dicitur vulgari nomine Graal, quia grata & acceptabilis eſt, in ea comedenti: tum propter continens, quia forte argentea eſt, vel de alia precioſa materia, tum propter contentũ, ideſt ordinem multiplicẽ dapum precioſarum. Hanc hiſtoriam latine ſcriptam inuenire non potui, ſed tantũ Gallice ſcripta habetur à quibuſdam proceribus, nec facile, vt aiunt, inueniri poteſt.

Ioſeph ab Arimathia cuidam Eremita oſtenſus.

Sigebertus in chronicis. Anno ſecũdo Leonis Conſtantinus filius eiuſdem Imperatoris, dum baptizatur à Patriarcha Germano, cacans in ſacro lauacro magnum dat præſagium, quod futurus eſſet eccleſiæ Dei ſcandalum. *An. Ch. 719.*

De confuſione, & ſubiectione Viſigothorum, & de quibuſdam alijs.

Cap. CXLVIII.

ANno Leonis 3. Saraceni ab obſidione Conſtantinopolim confuſi deſiſtunt, ipſis cum nauibus ſuis

partim

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

partim marino igne consumptis partim demersis, partim igneæ grandinis tempestate vastatis, & ex tanta copia nauium vix 5. residuis potentia Dei cunctis innotuit populis, intra ciuitatem vero 300. millia hominum pestilentia perierunt.

Haumar persequens Christianos, multos eorum Christi martyres fecit. Saraceni ex Aphryca duce Abdirama filio Muhauiæ Amirei in Hispaniam trāsfretant eamque sibi vendicant. Ita regnum Vuisigothorum, & Sueuorum est destructum, & redactum sub Saracenis annis plus minus 346. euolutis, ex quo à Sciuithia expulsi sunt ab Hunnis, ex quo vero cedentibus Vuandalis & deuictis sueuis cæperunt regnare in Hispanijs annis circiter 256. euolutis.

Regnum vero tertiæ partis Hispaniarum, quod dicitur Gallicien sium, quod nec tunc Vuisigothi, nec postea Saraceni potuerunt subigere, adhuc viget incolume, & Dei protegente fide manet inexpugnabile.

Post beatum Vulfrannum Ecclesiæ Senonensi præfuit Guericus vir sanctitate & doctrina præfulgidus multisque miraculis glorioſus. Cui successit sanctus Ebbo eiusdem Guerici nepos. Hic cum parentibus olim orbatus esset, eique castrum Tornodorum hæreditario iure competeret, Senonis latenter fugit: ibique in monasterio sancti Petri viui diu Christo sub Abbatis imperio militauit. Cuius loci postmodum Abbas factus, & inde ad pontificatum promotus, tam signis effulsit, quam meritis.

An. Ch. 721. Anno Leonis 4. Luitprandus Longobardorum Rex audiens quod Saraceni depopulata Sardinia, illa etiam loca fædassent, vbi ossa beati Augustini ob vastationem barbarorum olim ab Hippone translata & recondita fuerant, legatos suos illuc direxit, qui dato auro multo preciosas illas reliquias secum deuexerunt, & ad vrbem Genuensem regressi sunt, vbi præfatus Rex occurrens cum gaudio, corpus almificum deuote adorauit, & reuerenter excepit, visis nimirum miraculis ad declarandum sancti meritum ibi patratis. Sanè Rex & sui inde progressi cum preciosissimo illo thesauro iuerunt ad quandam villam in Tordonensi diœcesi sitam, verumtamen cum inde corpus sanctissimum tollere voluissent ita stetit immobile, vt nulla vis, nulla posset illud ars humana mouere. Quod videns Rex, votum vouit, quod si beatus confessor ex illo loco se tolli permitteret, & trāsduci Papiam villam cum omnibus appendicijs suis concederet seruientibus ipsius perpetuo possidendam. Voto facto atque firmato, corpus sanctissimum inæstimabili facilitate sustollitur, & Ticinum vsque transuectum clero pariter ac populo concurrente honorifice, & gaudenter excipitur, & in basilica beati Petri, quam præfatus Rex constituens, *Cælum aureum* dixerat, dignissime collocatur. Quod autem in prædicta ecclesia corporis eius preciosus thesaurus reconditus sit, stupendo, & euidenti miraculo eluceſcit. Siquidem in crypta ecclesiæ in qua iacet, puteus est, qui aliquot annis in die festi superundans, totam cryptam supereffluxit, in signum, quia sic aqua illa sordes diluit, sicut sordes hæreseos ab Ecclesia affluens eius doctrina detersit.

Translatio S. Augustini.

Anno Leonis 5. Leo Imperator sæpe & multum laborauit, vt Gregorius Papa perimeretur: sed frustra, Italis & Longobardis pro defendendo Papa instanter Imperatori resistentibus. In Campania Italiæ frumentum combustum & hordeum, & legumina qua si pluuia de cœlo ceciderunt.

Anno eiusdem 6. Carolus Saxones debellat. Rigobertus episcopus Remensis à Carolo suo in baptismate filio ab episcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti, vrbem Remensem præ timore Raginfredi aperire noluit. Eucherius quoque Aurelianensis episcopus pro simili causa episcopatu priuatus, & apud Sarcinium vicum Hasbaniæ exulatus in cœnobio sancti Trudonis in sanctitate est consummatus.

Adhuc de quibusdam euentibus illius temporis.

Cap. CXLIX.

ANno eiusdem 7. Iudæus quidam malesicus promittens Gizid eum 40. annis principaturum, suadet, vt in toto regno suo Dei & sanctorum imagines deponi edicat. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proponit, ipse tamen mox obit, post quem Eluelith principatur Saracenis annis 20.

Anno eiusdem 8. Leo Imperator à quodam Beser refuga fidei seductus, contra imagines Christi, & sanctorum eius bellum inducit, easque vbique deponi, & incendi edicit, pro quo errore eum Gregorius Papa scriptis, multum quidem, sed in vanum redarguit. Anno Leonis 9. mortuo Chilperico, Theodoricus à Carolo Martello subrogatur in regno, regnauitque annis 15. Sub hoc tempore idem Carolus bellicosissimus Princeps, armis subiugat saxones, deuincensque Lanfridum Alemannorum Ducem, Alemanniam sibi efficit vectigalem, Sueuos quoque & Baioarios debellat, & Eudonem Ducē Aquitaniæ bello victū fugat, & Aquitaniam grauiter deuastat. Eudo vero dux videns se Carolo inferiorē, per omnia Saracenos contra eū inuitat ab Hispania. Eudo quoque Carolo reconciliatus, castra Saracenorū dirupit & reliquias eorum contriuit. Nec multo post idē Eudo rebellat. Sed Carolus rebellantē in Gasconia debellat, eumque Principatu & vita priuat. Cum filijs quoque eius * Vuaifero & Vualdo dimicat, eosque deuincit, & Aquitaniam sibi subdit, Lugdunum etiam aliasque ciuitates capit, Burgundiamque subigit.

Caroli Martelli res præclare gestæ.

* *Alias* Gaifero.

Cum ergo multitudo hostium, & assiduitas bellorum incumberet, res ecclesiasticas ideſt decimas suis militibus concessit habendas, pro qua re anima ipsius postmodum in supplicijs inferni à sancto Eucherio Aurelianensi episcopo visa est detineri.

Sigebertus in chronicis. Anno eiusdē 10. Cōstantinopolitani contra Leonē Imperatorē pro depositione imaginū Dei tumultuantur, aliqui etiam pro hoc martyrizantur.

Anno eiusdem vndecimo Gregorius Papa, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam & Italiam & Hesperiam totam ab eius iure discedere facit, & vectigalia interdicit.

Anno eiusdem 12. sanctus Germanus Leoni Imperatori pro impietate sua auersus, à sede episcopali est deiectus. Sanctus Eckberth Anglorum presbyter obijt.

Anno eiusdem 13. Saraceni cum omnibus famulis suis, quasi in Gallijs habitaturi Garumnam transeunt, omnia deuastant; ecclesiasque Dei cremant. Quibus Carolus Dei auxilio fretus, bello occurrit & ex eis 375. millia cum Rege suo Abdirama peremit, & mille 500. seruorum amisit. Eudo quoque Carolo reconciliatus castra Saracenorum irrupit & reliquias eorum contriuit.

Anno eiusdem 14. Gregorius Romanæ ecclesiæ 88. præsidet. Qui & ipse & Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum in vectigalia Hesperiæ ab eo auertit. Hic instituit post primam commemorationem sanctorū in canone missæ à Sacerdote ita dicēdum: *Et eorum quorū solennitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur domine Deus noster toto orbe terrarum.* Quā institutionē in oratorio Romę tabulis lapideis cōscribi fecit.

In Anglia Beda venerabilis presbyter, & monachus sanctitate, & scientia clarus obijt.

De transitu Bedæ presbyteri, & de quibusdam alijs.

Cap. CL.

Gvilelmus Malmesburiensis. Post Ofricum regnauit 7. Abida Cedulfus literarum peritus, cui Beda obtulit Anglorum historiam ab eo elimandam.

Huius anno 4. obijt Beda, anno incarnationis dominicæ 733. ætatis suæ 70. Continuis 7. hebdomadibus ante mortē stomachi indignatione cibos nauseans, & angusto suspirio halitum producens, literalium tamen studiorum operam nō reiecit, sed totis his diebus præter debitum psalmodiæ pensum ibi intendebat, euangeliumque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ioannis his diebus Anglica lingua interpretatus eſt. Diſcipulis autem dicebat: Diſcite filioli, dum vobiſcum ſum. Feria tertia ante Aſcenſionem modicus tumor in pedibus apparuit, tunc accita congregatione, inunctus communicatus, oſculoque cunctis libato futuram ſui memoriam à ſingulis imploranit. Nonnullis etiã ob familiarem amicitiam xeniola, quæ in ſecretis habebat largitus eſt. Die Aſcenſionis contra oratoriũ, quo orare conſueuerat, ſubiecto cilicio decumbens, illibato ſenſu & hilari vultu dicebat: *O Rex gloriæ Domine virtutum, &c.* vſque ad finẽ antiphonæ. Qua finita ſpiritũ efflauit, ſubſequente tam ſuaui odore, vt omnes qui aſtabant in Paradiſo eſſe ſe dicerent. Humatus eſt in eodẽ monaſterio ſed modo cũ B. Cuthberto Dunelmi ſitus dicitur.

Epitaphium eius eſt hoc.

Presbyter hic Beda requieſcit carne ſepultus.
Dona Chriſte animam in cœlis gaudere per æuum.
Daque Sophiæ illum inebriari fonte, cui iam
Suſpirauit ouans intento ſemper amore.

Sigebertus in chronicis. Anno Leonis 15. Conſtantinus filius eiuſdem Leonis Irenen filiam Caiam auarorum Regis vxorem ducit. Quæ baptizata viro apoſtatante rectam fidem tenuit.

Anno eiuſdẽ 16. Gregorius Papa Sinod. 903. epiſcoporum Romæ congregat, & venerationem ſanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali ſententia anathematizat.

Anno eiuſdem 18. Obijt ſanctus Hucbertus.

Abhinc Regnum Anglorum annotare ſuperſedeo: quia hiſtorias maiorum, quas ſequar non habeo.

Anno eiuſdẽ 20. ſanctus Erminus epiſcopus, & Abbas Lobienſis cænobij obijt.

Ex chronicis. Non multo poſt Theodericus Rex Francorum moritur, poſt quem Regnat Hildricus annis 10. vir inutilis ac remiſſus, nihilque de tota Regni potentia poſſidens præter ipſum Regis nomen ac præclarum victum, quem ei aulæ Regiæ miniſtrabat Præfectus. Rex Saracenorum inuadit Arelatem vaſtatque prouinciam. Cui Carolus occurrens Auenionem capit, Narbonam obſidet, Magalouem, & Nemanſum deuictis Saracenis deſtruit, & obſides de ciuitatibus prædictis, in Franciam ducit. Carolus Princeps victorioſiſſimus, pacato & dilatato Regno Francorum obijt, corpuſque eius in eccleſia ſancti Dionyſij ſepultum eſt. In cuius ſepulchro poſt aliquot annos non corpus, ſed ingens ſerpens inuentus eſt. Vuaifero duce Aquitaniæ Narbonam deprædante, Princeps Gothorum Pipino Nemanſum, & Magalonem & Biterrim tradit. Francique Narbonam diu obſeſſam à Gothis recipiunt peremptis Saracenis, & Vuaifero, qui eos ducebat fugato, facta tamen pactione cum Francis, vt illic Gothi viuerent moribus ac legibus patriæ.

De Imperio Conſtantini filij Leonis, & eius nequitia.

Cap. CLI.

Sigebertus in chronicis. Anno 24. Leone mortuo Conſtantinus eius filius ei ſucceſſit.

Cæpit autem anno Domini 742. mundi 4596. & imperauit annis 35.

Hugo vbi ſupra. Hic Conſtantinus Imperij paterni, & impietatis pariter ſucceſſor, legumque à patribus traditarum perſecutor, omni vitæ ſuæ tempore magicis maleficijs, & etiam cruentis ſacrificijs & luxurijs operam dedit. Et multi clerici aut monachi, & religioſi laici ſub ipſo pro recta periclitati ſunt fide. Habebat etiam ſibi conſentientem in omnib propter amorem principatus terreni, memoratum Anaſtaſium Conſtantinopoleos falſi nominis Patriarcham. Vnde diuinitus indignatio venit in ciues eiuſdem vrbis, admonens impium Imperatorem, vt ſe cohiberet ab inſania qua flagrabat, ſed ille vt quondam Pharao inemendatus permanſit. Venit quippe peſtilens mors incipiens à Sicilia, & à Calabria in regiam vrbem, & ita eam deuaſtauit, vt etiam in ipſa plures domus integræ clauderentur, eo quod non eſſet qui eas inhabitaret. Ferebantur etiam in plauſtris ad ſepeliendum cadauera mortuorum. Sed & Anaſtaſius paſſione nimia fatigatus, qua ſtercus ventris euomeret, vt merebatur miſerabiliter mortuus eſt. Et ſucceſſit ei quidam hæreticus monachus nomine Conſtantinus.

Constantinus hæreticus vid. Diac. li. 22.

Sigebertus in chronicis. Anno Conſtantini primo, Zacharias Romanæ eccleſiæ 89. præſidet. Hic quia Rempublicam à Longobardis pertur batam inuenit, ſtatim beneuolentia ſua bene omnia compoſuit, & cum Longobardis in 20. annos pacem firmauit. Hic libros Dialogorum Gregorij de Latino in Græcum vertit. Sanctus Bonifacius Archiepiſcopus Maguntiæ, cænobium Fuldenſe in Baconia ſylua fundauit.

Ex chronicis. Hoc cænobium in partibus Germaniæ præ cæteris nobile eſt ac præclarum, & eius Abbas honori magno habetur in curia Imperatoris Auſtraſiorum, qui etiam mille milites Imperatori debet.

Sigebertus in chronicis. Anno eiuſdem tertio cinis de cœlo cecidit.

Anno eiuſdem 4. Petrus Damaſcenus epiſcopus, & Petrus Maiumenus in Syria martyrizantur à Saracenis Aquenſi vrbe à Saracenis deſolata, corpus Marię Magdalenæ à Girardo comite Burgundiæ ad cænobium Viciliacum à ſe conſtructum transfertur. Quamquam aliqui ſcribant, quod hoc apud Epheſum quieſcat, nullum ſuper ſe tegmen habens.

Author. Huius beatæ peccatricis peregrinationem & vitam, & obitum ſuperius breuiter poſui.

De tranſlatione corporis ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Cap. CLII.

POrro quando de vrbe Aquenſi tranſlatum eſt corpus ſanctum, inuentum eſt in ſepulchro ſuo ex omni parte integerrimum, cute etiam integerrima ſuperductum manibus pectori impoſitis ex more iacens extenſum. Quam ſcilicet ſacram glebam frater Badilo Viceliacenſis cænobij, qui ad hoc ipſum ab Abbate Eudone & Girardo comite illud directus erat, vt ſi quod inuenire pignus poſſet, reuertens ad illos deferret. Integerrimum, vt dictum eſt, repperit, & odor ineffabilis ſuauitatis inde efferbuit. Cui ſcilicet Badiloni nocte ſequenti viſum eſt ſe aſpicere quandam religioſiſſimam candidiſſimis veſtibus indutam, ſatis accurate à capite circumamictã dicentẽ ſibi: Ne formides, quoniã eundũ eſt nobis vna tecũ ad locum à Deo prædeſtinatũ. Mane ergo facto, ſecreto ſuos conuocauit, & corpus ſacrum pannis inuoluens mundiſſimis vehiculo impoſuit, pergentes autem cum ad milliarium præfati cænobij peruenirent, cæpit ſacrum corpus tanto pondere deprimi, vt quamlibet plurimi accederent nullatenus inde ferre valerent, donec fratres audito eorum aduentu, & impedimento itineris, cum thuribulis, & crucibus accenſiſque cereis in albis occurrerunt, cunctique ſeſe humi proſtrauerunt omnipotentiam Dei & ipſam amiciſſimam Ieſu Chriſti Mariam attentius obſecrantes, vt glebam ſui corporis à loco illo ad monaſterium deferri permitteret. Itaque ab oratione ſurgentes, tanta agilitate perrexerunt, vt magis ipſi portari, quam aliquid portare viderentur. Sicque cum exultatione ſumma melodijs monachorum reſonantibus tinnuliſque ſignorum perſtrepentibus intromiſerunt corpus in eccleſiam ſanctæ Dei genitricis, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, honore à principio conſecratã atque ibi honorifice, vt decebat repoſuerunt 14. Calendas April. Quo in loco ex tunc Domino cooperante, diuerſis ſignorum virtutibus claruit.

De quibuſdam eius miraculis.

Cap. CLIII.

APud Auernenſem vrbem miles quidam in prælio captus, & vinculis Boiarum conſtrictus, ita vt quorſum ſe omnino verteret nequiret, eum ſponſorem

pro

pro se sufficientem non haberet attentius sanctam Mariam Magdalenam exorauit, vt sicut eam Christus à vinculo suorum peccaminum absoluit, sic eius interuentu illum à vinculis ferreis quibus tenebatur astrictus absolueret. Quod dũ sæpius ageret, quadã die dũ nomen Mariæ Magdalenæ recitãdo reuolueret, subito à vinculis est liberatus. Quod comperiens is qui eum cæperat, abire permisit, & ille nudis gressibus Viceliacum pergens pro liberatione sua grates redditurus compedes secum tulit.

Similiter apud castrum Nautonis, plebeius quidam crudeliter catenatus, brachijs, & cruribus astrictus ob exactionem cupidæ intentionis tota deuotione spondebat se votum beatæ Mariæ Magdalenæ fieri, si eius obtentu mereretur ab his cruciatibus liberari. Qui nocte quadam vidit speciosam quandam ante se stare, quæ sibi leui nutu intimabat, vt surgeret. Cumque ille videretur respondere: Non valeo, expergefactus à vinculis solutum se repperit. Moxque ferreos nexus assũmens liberatrici suæ detulit.

Fuit Græcorum opinio quod corpus B. Magdalena quieſceret Epheſi vide cedrenum in in comp. hiſt. in Leone Imp. zonar l. 3. Annaliũ

Nobis quoque dum superius digesta scribere conaremur, eadẽ Christi amatrix apparuit. Nauis in Ligeris flummibus viris, & mulieribus onusta insurgente vento, & vndis impellentibus aquis impleta cæpit periclitari & ad ima demergi. Tunc omnes, qui in naui erant subitæ mortis timore perterriti, spem precis, vel alicuius diuini voti sponsionem omnino perdiderunt. Iamque naui submersa, & cęteris qui aderant vndis inuolutis, subito morituræ mulieri cuidam in mentem diuino instinctu venit, vt voce, qua poterat inclamaret. *O sancta Maria Magdalena, à Christo dilecta, per illas lachrymas, quas eius pedibus infudisti te deprecor, vt ab hoc periculo mortis intercessione tua valeam liberari.* Erat autem mulier pregnans pignore filij, quem etiam deuouit si euaderet Domino dari, & si masculus esset Viceliaci monachũ fieri. Statimque generosæ speciei mulier ei apparuit, quæ manu extensa mentum eius arripiens, leui natatu ad ripã fluminis duxit. Sicque cæteris pereuntibus sola liberata natum puerum, poposcit baptizari, eumque Deo, & beatæ Mariæ Magdalenę, vt mente conceperat, obtulit.

Vir quidam cæcus ad prædictum monasterium veniens cum ductor eius diceret se iam videre ecclesiam ad quam tendebant, exclamauit dicens? *O Sancta Maria Magdalena, si quando contigerit, Domino miserante, me videre toralem ecclesiæ tuæ.* Illico aperti sunt oculi eius, & quod optabat, milliario adhuc interiacente, consecutus est.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. CLIIII.

Ex chronicis. Anno Constantini V. Carolomannus frater Pipini Regis diuino timore compunctus, post aliquot annos Principatus sui Romam adijt. Ibique à Zacharia Papa in monachum attonsus, in montem Soractim migrauit, vbi ædificato cænobio in honore sancti Syluestri religiosè studuit conuersari. Sed cum multi Francorum nobiles Romam venientes ipsum salutandi gratia visitarent, videretque quod ocium quo maxime delectabatur ob visitantium frequentiam interrumpere cogeretur, locum illum deserens montem Cassinum expetijt, vbi & aliquanto tempore laudabili vita emicuit.

An. Ch. 746. *Sigebert. in chronicis.* Athalongus presbyter per illatam sibi cæcitatem admonitus quærere corpora sanctorum Chiliani sociorumque eius, inuentis sanctorum corporibus visum recepit, eaque re sanctus Bonifacius Maguntiæ episcopus ab Athalongo ad se relata, Castrum Vuirziburg ad honorem Chiliani martyris, qui ad prædicandum ibi à Papa Cononę episcopus ordinatus fuerat, ibique mortis, & quietis locum à Deo acceperat, episcopalis sedis dignitate insigniri decreuit, & primum ibi episcopum sanctum Burchardum ordinauit.

Anno 7. in Calabria & Sicilia fit pestilentia & mortalitas hominum nimia. In vestibus hominum & in velis ecclesiarum apparent cruciculæ, quasi oleo designatæ.

Anno 8. Rachis Longobardorum Rex dum rupto fœdere Romam inquietare nititur, à Zacharia Papa non solum à malo reprimitur, sed etiam eius instinctu cum vxore & filijs Romam veniens monachus efficitur. Cui Haistulphus frater eius substitutus regnauit annis 7.

Anno 9. Hildricus Rex Francorum in monachum tonsuratur.

Ex chronicis. Pipinus enim Francorum Princeps, legatos misit ad Zachariam Papam, consulens quis potius Rex esse vel dici deberet: qui magnos pro Regni pace labores sustineret, an qui ocio deditus solo nomine regio contentus esset. Cui Papa remandauit illum debere appellari Regem, qui augeret rempublicam. Qua responsione Franci animati Hildrico Rege in monasterio retruso, & monachali tegmine palliato Pipinum Regem constituunt, anno scilicet Domini 750. In hoc itaque progenies Clodouei defecit à Regno, succedente Pipino, cuius insignis posteritas per multa post tempora Regnum Francorum obtinuit, & adhuc in Austrasiorum Imperatoribus enitescit.

Huius quoque Frater Remigius Rothomagensis archiepiscopus multa laude celebris est habitus.

Sigebertus in chronicis. Pipinus ergo Princeps auctoritate Apostolica & Francorum electione à sancto Bonifacio Maguntiæ Archiepiscopo in Regem vngitur & cõsecratur, & regnat annis 18. post annos circiter octuaginta octo postquam maiores domus cæperunt principari super Reges Francorum. Anno Pipinus Rex contra Saxones pugnat. Idẽ Pipinus Rex Galliarum ecclesias cantibus Romanæ auctoritatis suo studio meliorauit. *An. Ch. 751.*

Qualiter apud Floriacum impedita est diuinitus relatio corporis Sancti Benedicti.

Cap. CLV.

Hvgo vbi supra. Interea vero monachi cænobij Cassinensis auctore Carolomanno Romam venerunt, rogantes Zachariam Papam, vt literas Pipino Regi Francorum dirigeret, quatenus corpus beati Benedicti quod Floriacenses monachi furtim sibi vendicauerant suo restituat loco. Quibus Papa annuens per eundem Carolomannum episcopus Franciæ scripsit, vt corpus ad tumulũ suum referretur. Quod vt fratribus innotuit Floriacensibus, triduũ ieiuniũ celebrantes, his verbis B. Benedictũ orabãt ante eius sepulchrũ: O vnica spes nostra post Deum, ne derelinquas nos orphanos, qui huc non nostris meritis, sed pro multarũ animarũ salute venisti: Crederes super pauimentũ pluere præ nimia lachrymarum inundatione, & cum iam in his singultibus & lachrymis totũ expẽdissent triduũ, ecce memorati episcopi adsunt mãdata Regis implere cupiẽtes moxque reserari sibi fores ecclesiæ iubẽt. Tũc templũ S. Marię ingressi, antequã ad S. Benedicti appropinquassent tumulũ, in desolationem & formidinem sunt conuersi, & tanta cæcitate percussi, vt nec inuicẽ se recognoscere quirẽt. Cum autẽ se diuina vltione cæcatos esse sensissẽt, cæperũt errabũdi per ecclesiã pergere, quo ad restes campanarũ impegissent, quas vi magna cæperunt trahere. Non enim aliter poterant his, qui foris remanserant infortunũ suum notificare. Quo exciti sono fratres, de iam dicta Apostoli Petri processerunt ecclesia, existimantes triste spectaculum se visuros. Explorandi gratia quidam ex eis iuerunt, & mox per ecclesiam illos errare deprehendentes egressi sunt dicentes: *Quia pius pater Benedictus exaudiuit nos, & suscepit lachrymas nostras, venite & videte magnalia Dei.* Cumque pariter introissent, inuenerunt eos cæcos clamantes & dicentes: *Væ nobis, quia sancti patris Benedicti requiem temerare venimus, & ideo cæcitatem incurrimus. Vos autem serui Dei mitius agite nobiscum, & nolite nobis secundum præsumptionem nostrã reddere talionem, sed orate pro nobis Deum, vt aperiat oculos nostros, nosque vobis promittimus, nunquam talia præsumpturos.* Ad hæc verba fratres solo tenus fusi orabant

Episcopi qui sancti Benedicti corpus transferre venerant occæcantur.

attentius,vt diuina pietas eis lumen reddere dignaretur, & cum orarent,aperti sunt oculi eorum. Reuersique ad Regem, narrauerunt quæ fuerant passi, addentes quod non deberet Gallia tam sanctis ossibus viduari.

Qualiter Stephanus Papa Pipini Regis auxilium expetyt contra Longobardos.

Cap. CLVI.

Sigebertus in chronicis. Anno Constantini 11. Haistulpho Longobardorum Rege contra Romanos adeo exardescente vt tributum exigeret ab vniuscuiusque capite,Stephanus Papa ad expetendum Pipini Regis auxilium cogitur in Franciam venire. Cui in veniendo in vna noctium apparuit magnum signum in cœlo, globusscilicet igneus à parte australi,declinans à Galliæ finibus in partes Longobardorum. Mittitur etiam Carolomannus monachus ab Haystulpho ad fratrem suum Pipinum Regem, ad perturbandum apostolicam petitionem.

Ex chronicis. Porro Pipinus Rex vbi præfatum Papam venientem audiuit, per spacium trium milliarium de equo suo descendens cum humilitate magis vice stratoris terræ prostratus,vna cum coniuge sua & filijs eum vsque ad palatium suum deduxit. Ibique dum intra oratorium pariter considerent, lachrymabiliter ipsum Papa deprecatus est, vt per pacis fœdera causam B.Petri ac Reipublicæ Romanorum disponeret. Qui iureiurando mandatis eius omnibus totis se nisibus obedire promisit, quod & fecit. Porro idem Papa dum apud Regem moraretur grauiter ægrotãs,in cœnobio S.Dionysij per visionem mirabilem sanitati redditur. Vnde & ibidem altare in honorem Sanctorum Petri,& Pauli ab ipso consecratur.

Per idem quoque tempus ædificatum est cœnobium in Caturiensi territorio, ipso Domino monasterium mirabiliter consecrante,præsentibus Papa Stephano, ac Rege Pipino.

Sigebertus in chronicis. Pipinus à Stephano Papa cum filijs suis Carolomanno & Carolo in Regem vngitur,& per eum generatio eorum in hereditatem regalis successionis in perpetuum benedicitur, & omnis alienigena ab eius euasione Apostolico anathemate interdicitur.

Anselmus etiam vir illustris cuius soror erat vxor Haistulphi Regis,transfert corpus S.Sylvestri Papæ ad cœnobium Nonantulam à se fundatum.

Anno 12. Pipinus Rex Italiam aggreditur, exercitus Haistulphi à Francis vincitur. Haistulphus pacem facere cum Romanis ad nutum Francorum compellitur. Carolomannus monachus ossa S.Benedicti Abbatis ab ecclesia Floracensi vbi olim translata fuerant tollere nititur,vt ea ad castrum Cassinum referret, sed miraculis, vt prædictum est à Deo ostensis, & Francis obsistentibus,ab incœpto prohibetur.

Hoc tempore terræmotus terribilis factus est,quo vrbes aliæ quidem ex toto, aliæ ex parte subuersæ sunt, aliæ autem à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis integræ & saluæ plusquam 6. milliaria transmigrauerunt. In Mesopotamia etiam terra dirupta est vsque ad duo milliaria, aliaque terra minus alba & arenosa de profundo ascendit. Et ex ea animal mulinum ascendit incontaminatum, humana voce loquens, pronuncians incursionem gentis ab eremo aduersus Arabes.

Anno 13. Carolomannus monachus Viennæ moritur.

De sancto Bonifacio Maguntino,& epistola eius ad Regem Anglorum.

Cap. CLVII.

Sanctus Bonifacius Maguntiæ archiepiscopus, cum socijs suis in Frisia ab inimicis fidei Martyrizatur, & in Tulda cœnobio quod ipse in Toringia fundauerat,honorifice tumulatur.

Helmandus. Hic Bonifacius natione Anglus huiusmodi epistolam scripsit Ethobaldo Regi Anglorum.

Domino charissimo Ethobaldo Bonifacius Archiepiscopus, legatus germanicus Romanæ ecclesiæ perpetuam in Christo charitatis salutem. *Epistola S. Bonifacij ad Ethobaldum Anglorum regem.*

Audiuimus quod eleemosynis intentus,furta & rapinam prohibes & pacem diligis, & defensor pauperum & viduarum es,& inde Deo gratias agimus. Qui vero legitimum matrimonium spernis,si pro castitate faceres esset laudabile, sed quia in luxuria & adulterio & cum sanctimonialibus volutaris,est vituperabile & damnabile. Quapropter fili charissime pœnitere & memorare, quam turpe sit, vt tu qui dono Dei dominaris, ad iniuriam eius sis libidinis seruus. Audiuimus præterea,quod optimates penes omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas vxores deserant,& adulteras & sanctimoniales constuprent. Quod cum sit ab honestate peregrinum doceat vos alienæ gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo,vel maritata sub coniuge fuerit adulterata,manu propria strangulatam cremant, & super fossam sepultæ corruptorem suspendunt,aut cingulotenus vestibus abscisis,flagellant eam castæ matronæ, & cultellis pungunt, & de villa in villam missæ occurrunt nouæ flagellantes donec interimant. Vuinidi quoque (quod est fœdissimum genus hominum) hunc habent morem,vt marito mortuo mulier se in rogum cremari pariter arsura præcipitet. *Mulieres castitatem prodentes quam acerbe in Germania punirentur.* Si ergo gentes Deum ignorantes zelum castimoniæ habent,quid tibi conuenit, fili charissime,qui Christianus es,& Rex? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo,de quorum animabus rationem redditurus es. Recogita quæso,quam terribilem vindictam Deus in anteriores Reges exercuerit,eius culpæ quam in te arguimus conscios. Nam Celredum prædecessorem tuum, stupratorem sanctimonialium, & ecclesiasticorum priuilegiorum fractorem splendide cum suis comitibus epulantem,spiritus arripuit malignus,& sine confessione & viatico,cum diabolo sermocinanti, & legem Dei detestanti, animam extorsit. *Reges Angliæ libidinibus seruientes male perüit.* Hosredum quoque Regem Deirorum, & Berniciorum earundem culparum reum ita effrenum egit,vt regnum & iuuenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Obtestamur, & obsecratus te,vt recorderis,quam fugitiua sit præsens vita, & delectatio spurcæ carnis, per quam æterni cruciatus emuntur, & quam ignominiosum sit, vt breuis vitæ huius mala exempla in perpetuum posteris relinquas.

Author. Ex his perpendi potest beati viri prudentia & libertas spiritus in peccata Regum & Principum publice arguendo,per quam cum præsentis vitæ sanctimonia ad coronam, & gloriam martyrij fœliciter peruenit. Huic Bonifacio successit Lullus, de quo loquitur vita sancti Goaris,& hi versus. *S. Lullus colitur 16. Octobris de quo tom. 5. Surius.*

Antistes Lullus,quo non est sanctior vllus,
Pollens diuina tribuente Deo medicina,
Occurrit morbis,vt totus prædicat orbis.

De tyrannide Constantini contra ecclesiam & alijs quibusdam.

Cap. CLVIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Imperij sui 14. Constantinus synodum episcoporum trecentorumtriginta Constantinopoli congregat. In qua edicto promulgato, de imaginibus Dei & sanctorum eius deponendis,ecclesiam Dei nimis scandalizat, & contra orthodoxos tyrannizat. Haistulphus Rex rupto pacis federe Romam obsidet,& Pipinus Italiam repetens eũ Papiæ inclusum obsidet,& inuitum ad fœdus pacis repetendũ compellit & sancto Petro quæcunque erant sui iuris restitui fecit. *An. Ch. 755.*

Fulra-

Fulradus Abbas ſancti Dionyſij Pariẽſis, corpus ſancti Viri martyris à Roma Pariſios tranſtulit.

Ex chronicis. Per hos dies Pipinus fortiter Saxonum munitiones irrumpit, & poſt multam ſtragem eos ſub tributo redigit. Deinde Auerniacum pagum depopulando premit, & multa caſtella ipſamque vrbem capit, & Blandinum vrbis comitem cum multis adducit. Bituricas etiam vrbem capit, & captam munit. Agenum, & Petragoricas, & Engoliſſmam vrbes Aquitaniæ deuaſtauit, multamque partem Aquitaniæ ſibi ſubiugauit.

Anno Conſtantini 15. caput Ioannis Baptiſtæ, in Aquitaniam diuina voluntate allatum eſt ſub Rege Pipino, & honorifice ſuſceptum, at poſtmodum in eiſdem finibus eccleſia nobili conſtructa eum digno honore repoſitum. Per harum enim ſanctarum reliquiarum virtutes plures tunc amici Regis Pipini, qui in bello fuerant occiſi, ſubito rediuiui reſederunt.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque 15. Haiſtulfus Rex Longobardorum iudicio Dei percuſſus moritur, poſt quem Deſiderius, qui erat dux in partibus Tuſciæ regnat annis 19.

Anno 17. Vualpertus Abbas in Italia, & Chrodegandus Metenſium epiſcopus, Pipini Regis ex Landrada ſorore nepos, clarent in Gallia, qui Gorzian cœnobium fundauit in Metenſi parrochia. Corpus ſanctæ Petronellæ virginis Petri Apoſtoli filiæ, Romæ à Paulo Papa tranſponitur. In cuius mamoreo ſarcophago ipſius Apoſtoli Petri manu ſculptum legebatur. *Aureæ Petronellæ dilectiſsimæ filiæ.*

An. Ch. 759 Anno 18. Habdallas perſequitur Eccleſiam Dei.

Anno Conſtantini 21. Turci à Caſpijs portis erumpentes Armeniam infeſtant. In quorum patria cum antiquo tempore peſtilentia fuiſſet, ſuaſu chriſtianorum *in modum Crucis* ſe totonderunt. Et quia per hoc ſignum ſalus patriæ reddita eſt, hunc tondendi ritum tenuerunt.

Anno 22. Paganus Bulgaribus dominatur. Gelu magnum ſit à Kalendis Octobris vſque ab Februarium.

Gelu inauditum ac prodigioſum.

Ex chronicis. Hinc pelagus Ponti vſque ad centum milliaria præ glaciei rigore fuit in duriciam lapidis verſum, habens triginta & vnum cubitos à ſuperficie in profundum. Nix quoque per viginti cubitos illud cooperuit, ita vt inde mare confirmaretur, ac pedibus calcaretur. Intra menſem verò Februarium, per virtutem Dei gelu cõſciſum eſt in diuerſas ſpecies ad inſtar montium.

Sigebertus in chronicis. Stellæ ſubito viſæ de cœlo cecidiſſe, ita omnes terruerunt, vt putarent finem mundi imminere.

Anno 23. Chrodegangus epiſcopus, corpora martyrum Gorgonij, Naboris, & Nazarij, à Roma ad Galliam tranſtulit, & Gorgonium quidem in Gorzia, Naborem in Hilliriaco, Nazarium autem repoſuit in cœnobio Lorisham, quod Cantuhir comes illuſtris à ſe fundatum, Metenſi eccleſiæ priori anno tradiderat.

Anno 24. idem Chrodegandus Metenſium epiſcopus obijt.

De ſancto Gangulpho martyre.

CAP. CLIX.

S. Gangulphus emit fontem iſque diuinitus alio transfertur.

EX geſtis eius. Eo tempore ſanctus Gangulphus in Burgundia claruit. Hic fontem quendam emit in Gallia, & eum oriri fecit in Burgundia. Cuius venditor dum emptorem irrideret, repente fontem ſuum vidit ſiccatum. Cum ergo quadam die iuxta fontem illum in horto ſuo ſuo mirabiliter orientem ſederet idem Gangulphus cum vxore ſua adultera, cœpit illam arguere de adulterij ſui infamia. Quod crimen, cum illa vehementer negaret, facillimam ei purgationem oppoſuit, dicens: Si vis vt credam te ſub hac infamia falſo laborare, denuda brachium tuum, & affer mihi lapillum de fundo fonticuli hoc, ſi illæſum brachium retraxeris, credam quòd innocens ſis. Quod illa audiens, ſecure brachium immerſit fonti, & ſtatim combuſtum velut ab igne retraxit. Tunc ſanctus ad illam: Ecce, inquit, apparet veritas flagitij tui. Habe ergo tua, & mane per te, vel cum tuo adultero, nam ſocia mea vltra non eris. Et data ei dimidia parte ſubſtantiæ ſuæ manſit per ſe. Non multo poſt dormiens in domo ſua occiſus eſt à quodam clerico, qui cum vxore ſua adulterare ſolebat. Cuius corpus cum in feretro in ſepulturam portaretur, multi infirmi de tactu ſanati ſunt. Dum hoc illius vxori referretur ab ancilla ſua, ſcilicet Dominum ſuum tanquam martyrem ſanctum miracula facere, irridens illa & ſubſannans ait: Ita, inquit, Gangulphus miracula factitat, vt anus meus cantat. Moxque anus ſuus turpes ſonos & numeroſos, vellet nollet, cœpit emittere. Quod ei poſtea contigit omni vita ſua in ſexta feria, vt quoties in eadem feria, in qua vir eius martyr effectus eſt aliquod verbum ab ore proferret, toties ab ano turpem ſonum ederet. Quod audiens Rex Pipinus, ad maiorem gloriam martyris Gangulphi experiri dignatus eſt.

Diuinitus proditur con. iux adultera.

Diſcedit ab adultera vxore.

Fiunt multa miracula.

Vltio diuina in adulterã vxorem.

De crucifixione imaginis Chriſti, cuius miraculis conuerſi ſunt Iudæi.

CAP. CLX.

Iudæi in Chriſti imaginem debacchantur.

TEmpore quoque Conſtantini Imperatoris, & Irenæ vxoris eius, in Syria ciuitate Berytho, quæ ſubiacet Antiochiæ, Iudæi imaginem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti inuenientes in domo cuiuſdam Iudæi, relictam à quodam chriſtiano, qui ibi manſerat, eam iniuriosè depoſuerunt, & omnia opprobria, quæ Iudæi Ieſu Chriſto intulerunt, eius imagini inferebant, illudentes ei, in faciem conſpuentes, criminoſe conuiciantes, eamque percutientes, manus & pedes eius clauis configentes, acetum & fel ei porrigentes. Tandem latere eius aperto, exiuit de eo ſanguis, & aqua. Quod illi ſuppoſita ampulla ſuſcipientes, ad experimentum vtrum fuerint vera miracula, quæ Ieſum feciſſe audierant, omnes infirmos in Sinagoga ſua collectos hoc ſanguine aſpergebant, & à quocunque languore detinebantur omnes ſanabantur. Vnde tandem Iudæi compuncti, ad Deodatum ciuitatis epiſcopum omnes cucurrerunt, eique re enarrata, imaginem cum ſanguine ei dederunt. Quibus baptizatis epiſcopus ſanguinem per ampullas diuiſim longe lateque dirigens, prædicabat magnalia Dei, obteſtatus omnes, vt ſingulis annis quinto Idus Nouembris celebretur Paſſio Dominicæ imaginis.

Anno vigeſimoquinto, Conſtantinus Imperator, & Abdallas Amiras pari veſania in orthodoxos deſœuiunt, multoſque eorum pro Chriſto perimunt. Conſtantinus inſuper ægre ferens gloriam ſanctorum miraculis coruſcantium, etiam lipſana eorum vbique iubet effodi, & iactari in profundum.

ANNOTATIO.

Hiſtoriam huius imaginis ſcripſit D. Athanaſius qua habetur in operibus ipſius & apud Aloyſium Lippomanum; & citatur legiturque in ſeptima ſynodo ſub nomine D. Athanaſij. Quare neceſſe eſt hanc hiſtoriam longo ante tempore & ſub imperatoribus nondum chriſtianis acciditſſe: hanc porro imaginem ſuis manibus Nicodemum compoſuiſſe & Gamalieli D. Pauli præceptori quaſi hæreditario iure reliquiſſe. qui poſtea eam Iacobo fratri domini, & Simoni tradiderit Idem D. Athanaſius tradit cap. 4 ex quo habes à tempore Chriſti imagines in eccleſia fuiſſe.

De quibuſdam geſtis Pipini Regis, & de morte eius.

CAP. CLXI.

EOdem anno in præſentia Pipini Regis Francorum inter Græcos & Romanos celebratur ſynodus de ſancta Trinitate & ſanctorum imaginibus, Pipinus autem Rex Remiſtanium fratrem Eudonis, patruum ſcilicet Vuaiferi, qui à Vuaifero ad ſe, & à ſe ad Vuaiferum

transfugerat, captum in bello à suis suspendit in patibulo. Rex *verò Saracenorum, Amirmonum*, ab Hispania missis legatis,& muneribus datis,& acceptis, optat gratiam Pipini Regis, & amicitiam.

Anno 16. Pipinus multo exterminio Aquitaniam atterit, Sautonas capit, ibique Vuaiferi matrem sorores & neptes captas secum adducit. Romæ Paulo Papa mortuo, Constantinus quidam subito ordinatur sacerdos ex laico, & tyrannica ambitione Papatu inuaso ecclesiæ Dei magno fuit scandalo. Contra hunc Philippus à quibusdam Romanorum Papa constituitur,& non multo post deponitur. *Consule Baronium.*

Anno 24. longa contentio inter Pipinum Regem Francorum,& Vuaiferum finitur, quia Vuaiferus à suis malorum pertæsis, in gratiam Pipini perimitur, & non multo post Pipinus moritur.

Ex chronicis. Iste Pipinus,vt dictum est,ex regalis aulæ præfecto in Regem promotus,in ecclesia sancti Dionysij cum multa fuit honorificentia tumulatus,fœlix victoriarum successibus Regumque Francorum eximius. Huius filius extitit Carolus ex Berta filia Heraclij Cæsaris. Vnde in ipso genus Græcorum, & Romanorum, ac Germanorum concurrit. Vnde merito ad ipsum postea translatum est Imperium.

An. Ch. 768. *Sigebertus in chronicis.* Hic ergo Carolus Pipini filius, qui pro fœlicitatis magnitudine agnominatus est magnus, compartito cum fratre suo Carolomanno Regno regnat post eum annis 47. Et Carolus quidem Nouiomi regiam accepit coronam, Carolomannus verò in vrbe Suessonica.

De duobus pueris consimilibus Amico, & Amelio.

Cap. CLXII.

Ex gestis eorum. Tẽporibus Pipini Regis Francorum orti sunt duo pueri,miro modo sibi consimiles,vnus ex comite Aruernensi, alius ex milite quodam Bericano. Qui cum à parentibus baptismi causa Romam deferrentur, in Luca ciuitate se inuicem inuenerunt, & societate inter se firmata Romam ingressi sunt. Tantaque inter paruulos erat societas & voluntas, vt vnus sine alio nollet cibum sumere, nec in alio cubiculo requiescere. Oblati igitur sancto Papæ Deusdedit, ab eo sunt baptizati. Qui filio comitis imposuit nomen Amelius, & filio militis Amicus. Multique Romanorum militum eos cum gaudio de fonte sacro susceperunt. Post hæc ipse Papa duos scyphos ligneos pari amplitudine compositos auro & gemmis dedit eis dicens: Accipite hoc donum,quod vobis in æternum sit testimonium,quod ego vos in basilica sancti Saluatoris baptizaui. Quibus gratuito acceptis, ad propria sunt reuersi. Adultum vero Bericanum filium scilicet. Amicum, quasi alterum Salomonem Deus magna sapientia decorauit. Quem cum esset annorum 30. pater eius senex languore correptus, vir nobilis & sanctus prænonuit Christi militiam exercere, fidem Dominis seruare, socijs & amicis auxilium ferre, misericordiæ opera exercere, & præter hoc societatem filij comitis Aruernensis & amicitiam obliuioni nullatenus tradere. Finitisque verbis ad Deum migrauit. Cui filius honorem sepulturæ decẽter exhibuit. Mox autem maligni homines iuueni cœperunt inuidere, eique dolos & insidias latenter parare. At ille omnes amabat, & iniurias patienter tolerabat. Adeo tamen contra eum iniquitas impiorum creuit, quòd eum de paternæ hæreditatis castro cum tota familia eius expulit. Qui assumptis decem seruis suis,ait: Festinemus ad curiã comitis Amelij,mihi societate & amicitia iuncti, forsitan nos bonis suis ditabit. Sin autem ibimus ad Hildegardem Caroli Regis Francorum vxorem, quæ consulere semper electis consueuit. Euntes ergo ad curiam comitis peruenerunt,sed ipsum non inuenerunt,perrexerat enim Bericum visitare ipsum amicum suum,cuius patrem audierat esse defunctum. Quem non inueniens, tristis discessit, seque non rediturum ad patriam nisi prius eũ inueniret,proposuit. Sed & ipse Amicus comitẽ cum suis quærere non cessauit, donec apud quendam nobilem virum hospitatus est, qui audito infortunio, quod eis acciderat, sponte filiam suam ei in coniugium tradidit. *Pia patris ad filium monita.* *Amicus & Amelius sese inuice quærunt.*

Qualiter se inuicem quærentes inuenerunt, & ad curiam Caroli conuenerunt.

Cap. CLXIII.

Post autem annum & dimidium ibi transactum, Amicus Parisios festinauit cum seruis suis,vt quæreret comitem Amelium, & ipse iam per biennium quæsierat Amicum. Qui cum appropinquasset,Parisios, inueniens quendam peregrinum,interrogauit si vidisset Amicum militem Bericanum à patria expulsum. Qui cum responderet, se nunquam eum vidisse, comes abstractam tunicam dedit ei rogans, vt oraret pro eo ad Dominum, quatenus labori suo quem biennio patiebatur, finem imponeret. Peregrinus ergo iter faciens circa vesperam inuenit Amicum. Qui requisiuit ab eo vtrum audisset aliquid de Amelio Aruernensis comitis filio. Qui respondit: Quid me peregrinum deludis? Nonne tu es Amelius qui hodie à me quæsisti, si vidissem Amicum Bericanum, & hanc tunicam mihi dedisti? Nunc autem nescio cur vestimenta tua socios, equos, & arma mutasti. Cui Amicus. Non sum ego Amelius, sed Amicus, qui non cesso eum quærere. Cumque & ab eo peregrinus rogatus, vt oraret pro eo,accepisse denarios in eleemosynam dixit ei: Festina miles Parisios, ibi spero inuenies quem quęris. Festinans ergo Amicus,inuenit eum extra Parisios, iuxta Sequanam in prato florido cum militibus suis comedentem. Qui cum vidissent Bericanos armatos venientes cito surrexerunt, & arreptis armis obuiam cucurrerunt. Amicus quoque suorum animos ad pugnam animauit putans illos esse Parisianos milites, qui eos aggredi vellent. Laxatis igitur frenis vtrique concurrunt, hastas erigunt,enses euaginant,ita vt nullum ex istis euadere crederes ingruentis periculum mortis. Sed Deus, qui cuncta disponit, insontem vtranque partem sistere fecit. Tunc Amicus ait: Vnde estis milites fortissimi, qui Amicũ exulem cũ suis socijs interficere vultis? Ad hanc vocem Amelius pallidus obstupuit, & Amicum agnouit. Mox illis descendentibus inuicem stringuntur amplexibus, oscula sumunt,& de tam improuisa lætitia Deo gratias reddunt, fidem inter se spondent,& ad curiam Caroli simul venerunt. Factusque est Amicus thesaurarius Regis, & Amelius dapifer. Cerneres iuuenes moderatos, sapientes,pulcherrimos pares, vno cultu,& eodem vultu, ab omnibus dilectos & honoratos. *Se mutuo diuinitus agnoscunt.*

Qualiter Amicus Amelium a crimine liberauit eique filiam Regis tradidit.

Cap. CLXIIII.

Transacto itaque triennio dixit Amicus Amelio: Vxorem meam videre desidero, & quam citius potero redibo. Tu vero manens in curia Regis,caue tibi ab eius filia,maximeque a nequissimi comitis Harderici Fallaci amicitia, Quo verbis eius annuente discessit. Amelius vero super Regis filiam oculos iniecit, & eam quamcitius potuit oppressit. Interea delator Hardericus, qui iniquitate gaudebat,& omni probitati inuidebat Amelium sic alloquitur: Nescis charissime comes Amicum Regis thesaurum furatum esse,& ideo fugisse? Nunc ergo inimicum fœdus amicitiæ, & fidem meam super sanctorum reliquias accipe. Quo facto Amelius ei secreta sua non timuit fideliter pandere. *Amici ad Amelium monita.*

Dum ergo die quadam ante Regem staret,vt aquam illi manibus præberet,Hardericus ait: Noli Rex aquam accipere de manu scelerati, qui magis dignus est

morte,

morte, quam honore, quia florem virginitatis abſtulit filiæ tuæ. Ad hoc Amelius tremens cecidit, & ſtupidus non reſpondit. Rex autem benignus eum leuauit. & ait: Ne timeas Ameli. Surge, & viriliter ab hac infamia te defende. Qui ſurgens ait: Noli Rex iuſtiſſime verbis mendacibus Harderici delatoris credere, ſed ſpacium conſilij mihi concede, vt coram te de infamia duellum cum eo faciam, & eum de mendacio aſtante curia conuincam. Quod cum annuiſſet Rex, Amelij cauſam Hildegardis Regina tuendam ſuſcepit. Qui dum conſilium quæreret, Amicum ad Regis curiam redeuntem inuenit. Cui proſtratus ad pedes ait: O vnica ſalutis meæ ſpes, heu fidem male ſeruaui, quia crimen de filia Regis incurri, & ante conſpectum eius cum falſo Harderico duellum ſtatui. Qui cum eundem dure increpaſſet ait: Commutemus veſtimenta, & equos, & vade ad domum meam, & cum proditore comite bellum Deo iuuante pro te faciam. Sed caue ne tangas vxorem meam. Cumque flentes diſceſſiſſent, abijt Amicus ad curiam Regis ſub ſpecie Amelij, & Amelius ad domum ſocij ſub ſpecie Amici.

At vxor Amici, vt vidit Amelium credens ſuum eſſe virum, amplexum & oſculum ei præbere voluit. At ille reſpondit: Recede à me, quia inſtat mihi tempus flendi, & non gaudendi. In nocte autem cum eundem intraſſent lectum enſem inter ſe & ipſam poſuit. Vide, inquit, ne mihi appropinquaueris, quia ſtatim hoc enſe morieris. Sic reliquas duxerunt noctes, donec Amicus redijt. Interea Amicus indutus ſocij veſtimentis ad Regem ingrediens ſe contra Hardericum pro infamia pugnaturum obtulit. Cui Rex ait: Noli timere comes, quia ſi victor fueris, eandem filiam meam Belixendam pro vxore tibi tradam.

Mane ergo hora prima Hardericus & Amicus armati exeunt in campum, aſtante Rege, & tota Pariſiana gente. Tunc Amicus conſcientiæ ſuæ timens, Hardericum ſic alloquitur: O comes nimis ſtultum conſilium accepiſti, quod mortem meam tam ardenter appetis, & te mortis periculo tam imprudenter committis. Sed ſi falſum crimẽ, quod mihi imponis velles reuellere, & duellum exitiale remittere ſemper meam amicitiam & ſeruitium poſſes habere. Ad hæc ille furibundus reſpondit ſe de amicitia eius, & ſeruitio non curare, ſed & caput eius auferre velle. Iurat igitur eum filiam Regis oppreſſiſſe, iurat & Amicus Bardericum mentitum eſſe. Certãtibus illis victus eſt Hardericus, & amputauit Amicus caput eius. Cui Rex vnicam filiam ab infamia liberatam in vxorem tradens, quandam iuxta morem ciuitatem ad habitandum eis dedit. Qua ſuſcepta gaudens Amicus ad domum ſuam vbi erat Amelius feſtinauit, eique dicit: Ecce de Harderico traditore te vindicaui, & filiam regis deſponſaui. Quam reuerſus recepit, & in præfata ciuitate cum ea habitauit.

Amici de Harderico Victoria.

Qualiter Amicus lepra percuſſus, & abiectus ab Amelio ſuſceptus eſt.

Cap. CLXV.

AMicum verò cum vxore ſua manentem percuſſit Deus morbo lepræ, ita vt de lecto non poſſet ſurgere. Quem cum vxor eius Obias nomine, ſic eum exoſum haberet, vt eum multotiens ſuffocare vellet, vocatis ille duobus ſeruis ſuis ait: Tollite me de manibus vxoris meæ, ſcyphumque meum latenter accipite, & ad Bericanum caſtrum me portate. Quod cum feciſſent, turba obuia quæſiuit, quis eſſet infirmus, quem illuc deferrent. Iſte eſt, inquiunt, Amicus Dominus noſter lepra percuſſus, qui ad vos venit, rogans, vt ei miſereamini. Mox illi impij ſeruos verberauerunt, & ipſum Amicum de curru proiecerunt, minantes eis mortem ſi amplius hoc verbum repeterent. Tunc Amicus in fletum prorumpens ait: Pijſſime Deus, aut mortem mihi tribue, aut mihi miſero miſericordiæ ſubſidium porrige. Poſt hæc Romam ſe perduci fecit, vbi Papa Conſtantinus ei occurrit cum multis Romanis militibus, qui eum de baptiſmi fonte ſuſceperãt, & magna humanitatis auxilia ſibique ſuiſque ſufficienter præbuerunt.

Poſt triennium vero, fames tam gratis orta eſt in ciuitate, vt etiam à ſe pater filium expelleret. Tunc ſeruis ſuis vrgẽtibus inde receſſit, & ad domum comitis Amelij perduci ſe fecit. Ante cuius curiam cum tabellas more talium infirmorum tangeret, comes audiens dixit cuidam ſeruo ſuo. Panem, & carnem accipe, & Romanum ſcyphum optimo imple vino, & defer illi infirmo. Miniſter, vt iuſſum implenit, reuerſus dixit: Per fidem meam Domine, niſi ſcyphum tuum tenerem illum eſſe crederem, quem habet infirmus, quia ambo videntur vnius eſſe pulchritudinis, & magnitudinis. Tunc comes infirmum ad ſe perduci fecit, & interrogauit, vnde eſſet, vel qualiter ſcyphum talem acquiſiſſet. Qui reſpondit, ſe Bericano caſtro oriundum fuiſſe, & Romæ à Papa Deus dedit ſcyphum, & baptiſmum accepiſſe. Statim ergo comes illum eſſe ſocium ſuum cognouit, qui eum à morte retraxerat, & filiam regis in vxorem ei tradiderat. Proiecit ergo ſe ſuper illum, clamans, & flens, eumque oſculans, & amplexans, vxor quoque eius currens ſolutis crinibus ſuper eum multas lachrymas fudit, memorans qualiter Hardericum delatorem fortiter expugnauit. Denique introduxerũt eum in domum, & in lecto precioſo cum collocauerunt, eique bona ſua omnia communicauerunt.

Vt Amicus à lepra ſit curatus.

Qualiter eum Amelius ſanguine filiorum ſuorum aſpergens curauit.

Cap. CLXVI.

QVadã nocte viſus eſt Angelus Domini Raphael eum vocare, eique præcipere, vt diceret Amelio comiti quatenus duos filios eius interficeret, ipſumque ſanguine illorum ablueret, & ſic ſanitatem reciperet. Quod cum ille cum magno tremore comiti retuliſſet, primo quidem comes grauiter accepit, memor autem beneficiorum eius, qui ſe pro eo coram rege obtulerat periculo mortis, accepto mucrone ad lectum filiorum dormientium perrexit, & iucumbens ſuper eos amariſſime fleuit, dicens: Quis audiuit filios patrem ſponte interfeciſſe? Heu filij mei amodo non ero vobis pater, ſed cruentus laniator. Et ſtillantibus ſuper eos lachrymis excitati ſunt, faciemque patris reſpicientes, ridere cœperunt. Quibus ætatem trium annorum iam habentibus dixit: Riſus veſter proh dolor in luctum conuertetur, quia ſanguis veſter innocens nunc ab impio patre effundetur. His dictis eos decollauit, eorumque cadauera cum capitibus in lectulo cooperta quaſi dormirent repoſuit. Sanguine verò quem collegerat ſocium aſperſit dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui fidem hominibus ſeruare præcepiſti, & leproſum verbo tuo ſanaſti, hunc ſocium meum digneris mundare, pro cuius amore ſanguinem filiorum meorum non timui fundere. Statim ergo mundatus eſt, & à comite veſtimentis ſuis optimis eſt eſt indutus. Dum autem ad eccleſiam currerent, vt ibi Deo gratias redderent. Mox tintinabula, Deo volente, perſonare cœperunt; quod vt populus audiuit, vndique admirando cucurrit, comitiſſa verò cum vtroſque pariter incedere videret, cœpit quærere quis eorum maritus eius eſſet. Indumenta, inquit, amborum cognoſco, ſed quis eorum ſit comes penitus ignoro. Cui comes ait, ego ſum Amelius; & iſte eſt ſocius meus Amicus, qui factus eſt ſanus. Veruntamen crebra comes ſuſpiria trahebat, & mortem filiorum mente reuoluebat. Cumque comitiſſa iuberet afferri pueros, vt congratularentur eis, comes ait: Dimitte eos placide ſomno requieſcere. Poſt hæc ſolus thalamum intrauit, vt ſuper eos fleret, & inuenit eos in lectulo ludentes. Circa quorum colla cicatrices ad modum fili rubei vſque ad mortem eorum apparuerunt. Et ſuſcipiens eos comes in vlnis ſuis, deportauit eos ad gremium vxoris ſuæ, & ait: Gaude conjux, quia filij tui viuunt quos occidi Angeli iuſſione, &

eorum

eorum Amicus mundatus est sanguine. Extunc ergo comes,& comitissa, vsque ad exitum vitæ seruando castitatem, Dei seruitio insistebant deuote. Amici verò coniux iniqua arrepta est à dæmone, & cadens per præcipitium expirauit. Amicus itaque mouit ad Bericanos exercitum, & tamdiu obsedit eos, donec se victos reddiderunt. Quos ipse benigne suscepit,& omnem offensionis culpam eis condonauit, Deo vlterius in timore seruiens pacifice cum eis habitauit.

De Stephano Papa, & tyrannide Constantini.

Cap. CLXVII.

Sigebertus in chronicis. Anno Constantini 27. Constantino pro pseudo Papa per zelum fidelium ab ecclesia deturbato, oculisque priuato Stephanus Romanę ecclesiæ 92. præsidet. Hic tam ab Italia, quã à Gallia episcoporum synodum Romæ congregat, in qua omnia à Constantino ordinata reordinat, præter baptismum,& chrysma, decernente synodo, vt episcopi ab illo cõsecrati ad gradum quem ante hanc consecrationem habebãt, *An.Ch.768.* rediren̄t;& si digni iudicarentur, electi iterum consecrarentur, sed ad altiorem gradum vel ordinem nunquam ascenderent. Laici verò ab illo in diaconos, vel presbyteros ordinati, omnino degradarentur,& in religioso habitu perseuerarẽt. Venerationem etiam sanctarum imaginũ confirmat, earumque profanatores anathematizat. Constituit etiam vt omni die dominico ad Missam, *Gloria in excelsis Deo* cantaretur.

Anno 28. Desiderius Rex Longobardorum sub obtentu orandi Romam ingressus aliquos nobilium Romanorum captos excæcauit.

Anno 29. Cõstantinus Imperator omnino à Deo auersus, virum sanctum Stephanum per 40. annos inclusum, etiam gentibus reuerendum, amara morte martyrizauit, omnes etiam sibi subiectos iurare cogit super S. Crucis lignum, ne aliquam Dei sanctorumque eius imaginem *Impia persecutio Constantini Imperatoris.* venerarentur. Eos quoque qui Dei genitricem inuocabant, & eos etiam qui vigilias Deo agebant, eos qui ecclesijs assueti religiose viuebant, etiam qui à iuramentis & immundicijs abstinebãt, eos qui reliquias sanctorum penes se habebant, hos & huiusmodi damnans patrimonijs priuauit,& omnibus modis cruciauit. Qui reuerentiores erant eorum barbis cera & pice illitis, eos comburebat. Monachos, vt vxores; monachas, vt viros ducerent cogebat; quod etiam multi vitantes martyrium meruerunt; nec sub alicuius gentilis persecutione, plures quam sub hoc martyrizati sunt.

Ex chronicis. Carolomannus Rex frater regis Caroli magni cum biennio regnasset obijt; & pars regni eius partibus Caroli se vniuit, sicque Carolus regni monarchiam tenuit.

Sigebertus in chronicis. Anno 30. Hunaldus Dux Aquitaniæ Romam quasi ibi perseueraturus venit, qui ad Longobardos fugiens apostatauit, ibique non multo post lapidibus obrutus, male perijt. Constantinus Imperator contra Bulgares nauali prælio pugnaturus, nauibus suis fere duobus millibus impetu Aquilonis contritis, totum pene exercitum amisit.

De Adriano Papa, & quibusdam gestis Caroli.

Cap. CLXVIII.

An.Ch.772. Anno 31. Adrianus Papa Romanæ ecclesiæ 93. præsidet. Hic ad reprimendam rabiem hæreticorum imagines Dei sanctorumque execrantium, nimis laborauit; & libro aduersus eos edito, multis scripturarum inductionibus roborato, eorum errores infirmauit, fidemque rectam solidauit. Hic in offertorijs,& offertoriorum versibus, quod geminatum est, geminauit.

Carolus Rex ad Saxonicum bellum animum intendit, Heresburch castrum Saxonum capit, Hormensul fanum dest. uit, ibiq; siti laborante exercitu, subito in torrente largissimæ aquæ effusæ sunt diuino nutu; votique compos Carolus obsides accepit à Saxonibus.

Anno 32. Adrianus Papa ad tuendas res ecclesiæ Carolum Romam accersiuit. Quo pergens Papiam obsi- *An.Ch 773.* det, ibique relicto exercitu Romam peruenit, sanctam Resurrectionem Christi ibi peregit. Postea rediens, Papiam cæpit, iterumque Romam redijt, synodum constituit cum Adriano Papa, alijsque 153. religiosis episcopis, & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniuersa synodo dedit ei ius eligendi Pontificẽ,& ordinandi sedem Apostolicam, dignitatemque patriciatus. Insuper archiepiscopos, & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit,& vt nisi à Rege laudetur,& inuestiatur episcopus à nemine consecretur, omnesque huic decreto rebelles anathematizauit,& nisi resipiscerent, bona eorum publicari præcepit.

De Victoria Caroli de Longobardis, & nece sanctorum Amici, & Amelij.

Cap. CLXIX.

Ex gestis eorum. Hic itaque Adrianus Papa (vt prælibatum est) legatos suos ob ecclesiæ Romanæ defensionem misit ad Carolum Regem Francorum, quia valde affligebatur à Desiderio Rege Longobardorum. Mox idem Carolus Rex mitissimus atque christianissimus, misit eidem Desiderio nuncios suos, deprecans vt ciuitates & reliqua, quæ beato Petro abstulerat, pacifice redderet, promittens ei etiam dari 14. millia solidorum auri. Sed cum neque precibus neque muneribus eius ferocitatem flectere valeret, congregauit regni sui multitudinem, Ducum, Principum,& aliorum fortissimorum militum, nec non episcoporum & abbatum. Inter quos fuit venerabilis Albinus Angedauensis episcopus, cuius vita & meritum. Iam in sæculo floruerat. Cumque Rex ad Clusas propinquasset, & volens pacifice beati Petri iustitias recipere,& sic ad propria redire; nullatenus Desiderij mentem malignam posset inflectere; qui cum exercitu suo ad resistendum fortiter in ipsis Clusis assistebat, quas fabricis macerijs curiose munire fecerat; Deus eius iniquam proteruiam conspiciens, dum vellent alia die Franci ad propria reuerti, misit terrorem validamq; trepidationem in cor eius, omniumque Longobardorum, ita vt eadem nocte proprijs dimissis tẽtorijs, & supellectili, fugam omnes arriperent, nemine persequente. Quod cernens Carolus cum exercitu persecutus est eos: in quo erant comes Amelius & Amicus, qui propria quidem officia in curia regis agebant,& tamen operibus Christi quotidie studebant, ieiunando, orando, eleemosynas faciendo. Postea verò Desiderio cum paruo exercitu suo in Campania resistente maxime exercitui Francorum, Anglorum, Teutonicorum, & aliarum gentium, quæ in Italiam intrauerant, facto congressu in loco, qui dicebatur tunc pulchra syluula, quia delectabilis erat, mortua est ibi non parua multitudo vtriusque exercitus Caroli, scilicet & Desiderij; & ob hanc interfectionem locus ille vsque hodie mortalis, vel mortaria nuncupatur. Ibi etiam interfectus est gener Regis comes Amelius,& socius eius. Quos enim Deus vnanimi çõcordia & discretione in vita coniunxit, in morte quoque separare noluit. Desiderius autem suis velociter Papiam obfugit, & Carolus eum persequens ciuitatem ex omni parte vallauit. Moxque reginam Hildegardem cum filijs ad se adduci fecit. Hortante igitur beato Albino cum cæteris episcopis,& Abbatibus, vt Ecclesia ibi fabricari, & interfectorum corpora sepeliri iuberentur, fabricatæ sunt ibi duæ ecclesiæ, vna iussu Regis, quæ dedicata est in honore beati Eusebij Vercellensis, altera iussu Reginæ in honore beati Petri.

Ex chronicis. Cum autem per 6. menses Rex vrbem obsedisset, magnum habens desiderium visendi Apostolorum limina relicto exercitu Romam profectus est. Vbi dum in sabbatho sancto ad beatum Petrum appropinquasset, fere vno milliario pedestris festinauit, omnesque

gradus

Hæc quæ dicta & scripta sunt de Amico & Amelio vtrū sit vera historia, an fictio edita ad ostendēdum potentem vigorem amicitiæ dubitari potest.

gradus ecclesiæ sigillatim osculās ad Adrianum Papam, qui scilicet sub atrio super gradus assistebat iuxta fores ecclesiæ pervenit. Illic ergo celebrata solemnitate Paschali, concessit ciuitates ac territoria beato Petro, sicut in eadem monstratur donatione. Rex autem quia generum suum multum dilexerat, & socium eius Amicum, misit Mediolanum, & iussit afferri duas arcas lapideas. In quarum vna conditus est Amelius apud ecclesiam beati Petri, in alia verò Amicus apud ecclesiam beati Eusebij. Reliqua verò corpora hic & illic sunt sepulta. Mane autem facto diuina dispositione est inuētum corpus Amelij cum sarcophago, iuxta sarcophagum Amici in ecclesia regali. Interim exercitus Caroli in obsidione ciuitatis laborauit donec post 10. menses obsidionis, multis iam obtessorum languoribus, & clade deficientibus Dei nutu Rex Carolus Desiderium cum suis comprehendit, & eorum regnum suæ potestati subiugauit; ipsum Desiderium & eius coniugem secum in Franciam duxit.

Passi sunt Christi milites Amelius, & Amicus, sub præfato Desiderio 4. Idus Octobris.

Adhuc de gestis eiusdem Regis Caroli.

Cap. CLXX.

Sigebertus in chronicis. Anno Constantini 33. Saxones rupto pacis fœdere, Francorum fines premunt igne & cœde: sed tamen ecclesiam in Fritislar non queunt incendere; quam sanctus Bonifacius benedixit, eamque nunquam cremandam prædixit.

Ex chronicis. Hæc cum audisset Carolus, Saxoniam repetens, tripartito exercitu concurrit Saxonibus, & ei victoria prouenit in omnibus.

Sigebertus in chronicis. Carolus Rex offensus dissonantia ecclesiastici cantus, inter Romanos & Gallos, & iudicans iustius esse de puro fonte, quàm de turbato riuo bibere, duos clericos Romam misit, vt authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent. Et primo per hos Metensis ecclesia, & per illā omnis Gallia ad Romani cantus auctoritatem est reuocata. Quicquid autem per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit. Regno verò Lōgobardorū destructo totam Italiam sub iure regni Francorum redegit. Taliter Longobardi victi regnare destiterunt, post annos 204. ex quo in Italia regnare cœperunt.

Regnum Lōgobardorum finit.

An. Ch. 776. Anno 35. Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus gloria Dei super ecclesiam apparuit omnibus, duobus scilicet scutis sanguineo colore flammātibus, quosdam motus, vt in bello per aera dantibus. Carolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impellit, vt se & patriam ei dedant, & datis obsidibus se christianos futuros spondeant.

Ex chronicis. Denique victoria de Longobardis adepta, totaque Italia subiugata, Carolus Romam redijt, synodum cum Adriano Papa constituit, alijsque 153. religiosis episcopis, & Abbatibus. In qua, & Adrianus Papa cum vniuersa synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque patriciatus. Insuper archiepiscopos, & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à Rege laudetur, & inuestiatur episcopus à nemine consecretur. Omnesque huic decreto rebelles anathematizauit, & nisi resipiscerent bona eorum publicari præcepit.

Quomodo ius eligendi Romanum pontificem sit Carolo collatum.

De interitu Constantini, & Imperio Leonis quarti.

Cap. CLXXI.

Constantinus autem Imperator plaga pessimi incendij diuinitus percutitur, & clamans adhuc viuus: *Igni sum inextinguibili traditus*, miserabiliter moritur.

Sigebertus in chronicis. Leo igitur Constantini filius cæpit imperium anno Domini 777. mundi scilicet 4631. & imperauit annis 5.

Chronographus. Huius anno j. quibusdam rebellionem in Italiam meditantibus, Italiam repetit Rex potens Carolus, vrbem Forum Iulij capit, & ducem eius Rotgandum rebellionis incentorem decollari præcipit, capta quoque Taruisio vrbe, cæteris maiestate sui nominis terrorem incussit.

Sigebertus in chronicis. Eodē anno Vuintichindus Dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, vt ingenuitatem suam & omnia sua perdant, si vnquam à fidelitate Christi & Regis desistant.

Res à Carolo gesta in Hispania & Italia.

Anno 2. Carolus Rex in Hispania Cesarauguſtam vastando delet, Pampilonam obsidet, eiusque captæ muris destructis; Vascones duosque Saracenorum regulos sibi subijcit, aliasque vrbes in deditionem accipit.

Anno 4. Carolus Rex Albiam fluuium transgreditur, ibique in eius gratiam Bardogauenses, & Norduitæ baptizantur.

Obijt sanctus Sturnius primus Abbas Fuldensis.

Anno 5. Mady Amiras, multos vtriusque sexus pro Christo martyrizat. Carolus Rex orationis causa Romam vadit, ibique filij eius vnguntur in reges, Pipinus super Italiam, Ludouicus super Aquitaniam. Leo Imperator cum insaniret cupiditate circa pretiosos lapides, adamauit magnam ecclesiæ coronam, & accipiens portauit eam, & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus est.

Leonis Imp. mors horrenda.

De Imperio Irenæ vxoris, & euentibus illius temporis.

Cap. CLXXII.

Post quem vxor eius Irene cum filio eius Constantino imperauit annis 10.

Cœpit autem Anno Domini 782. mundi scilicet 4636.

Huius anno primo Constantinopoli quidam laminam auream inuenit, & in eam virum iacentem cum hac scriptura: *Christus nascetur ex virgine Maria, & credo in eum. sub Constantino, & Irenæ Imperatoribus; ô Sol iterum me videbis.*

Saxones rebellant, & à Carolo bello victi, seditiosos vsque ad quatuor millia 500. ei tradunt, & obsides ei tribuunt.

Anno 5. *signum Crucis* in vestibus hominum apparebat. *An. Ch. 786.*

Anno 6. bellum inter Francos & Auares oritur. Sanguis de cœlo in terram profluxit.

Anno 7. Tassillo Dux Baioariæ contra Regem Carolum reus maiestati adiudicatur. Vnde à Carolo attōsus, cum filio eius Theodone in monasterio relegatur. In Italiam inter Græcos & Romanos pugnatur, & in omnibus Carolus suis protteniſſe victoriam lætatur. Instantia Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani, & Adriani Papæ secundò apud Nicæam vniuersalis synodus 350. episcoporum cōgregatur. In qua fides catholica in præsentia Irenæ, & filij eius Constantini cunctorum subscriptione roboratur, & hæresis execrantium imagines Dei in perpetuum abdicatur.

Coniuratio valida facta est ab Austrasijs contra Carolum Regem authore Harderico. Qua detecta multi aut membris truncantur, aut exiliantur.

Anno 8. Carolus Coloniæ super Rhenum pontes duos constituit & munit, & Sclauiam ingressus eam subigit. Adelgisus filius Desiderij Regis, qui victo patre suo ad Græcos confugerat, animatus auxilio Græcorum ad Italiam venit, ad repetendum regnum, aut ad inferendam vltionem. Qui inito bello cum Francis, tentus ab eis amara morte peremptus est. *An. 789.*

Anno 9. Carolus Rex honestati ecclesiasticæ omnino intentus, legendi & psallendi disciplinam correxit. Perpendens etenim iterum Gallos à Romanis in cantando discrepare, Metenses verò sola naturæ leuitate paulum quid dissonare, per cātores rursus ab Adriano Papa *An. Ch. 790.*

Roma

Roma directos, dissonantiam cãtus correxit. Circa pauperes etiam solicitus, non solum in regno suo, verum & trans Maria, in Ægypto, Syria, & Aphrica, præcipue in Hierosolymis, liberalitate elemosynarum, christianis pauperibus solatiabatur. Trãsmarinorum Regum amicitias, ob hoc expetens, maxime vt christianis sub eis degentibus esset releuatio.

De Alcuino, qui & Albinus.

CAP. CLXXIII.

Alcuinus claret in Gallia.

ALcuinus de Britannia oriundus, magister delitiosus Regis Caroli, scientia literarum hoc tempore præpollet in Gallia. Cuius præcipue magisterio ipse Rex omnes artes didicit liberales. Hic multa scripsit, inter quæ eminent libri de Sancta Trinitate, scripti ad ipsum Regem. Hic etiam iussu ipsius Regis diuinam correxit historiam.

Helinandus. Hic Alcuinus à Regibus Anglis pro pace missus ad Carolum ad eo fotus est hospitio, & apud eum resedit, vir vndequaque doctissimus. Qui Carolum instituit in dialectica, & Rhetorica, & præcipue in Astronomia. Hic omnium Anglorum post B. Adelinum, & Bedam doctissimus fuit, & pluribus libris ingenij periculum fecit, prælatus est à Carolo monasterio B. Martini Turonensis.

Ex chronicis. Adhuc enim erant in ecclesia illa monachi, vbi corpus eius requiescit. Qui vt refert S. Odo Abbas viuebant deliciose nimis, & induebantur vestibus sericis, eorumque calciamenta erant auri coloris. In cuius ecclesiæ dormitorio ingressi sunt Angeli duo, vnus iudicem extendebat, & alter monachum quem ostenderat, ille percutiebat. Vnus autem qui vigilans hoc videbat, euasit, Angelum enim adiurauit dicẽs: Adiuro te per nomen omnipotentis ne me percutias. Hoc itaque monasterium post hoc, vt dictum est, donante Carolo suscepit regendum Alcuinus, scientia vitaque præclarus, quia sapientiæ studium de Roma Parisios transtulit, quod illuc quondam à Græcia translatum fuerat à Romanis. Fueruntque Parisijs fundatores huius studij quatuor monachi Bedæ discipuli Rabanus, & Alcuinus, Claudius, & Ioannes Scotus.

In chronicis autem Metropolis Arelatensis, ita legitur: Omnipotens rerum dispositor ordinatorque regnorum & temporum, cum illius admirandæ statuæ pedes ferreos, vel testeos cõminuisset in Romanis, alterius non minus admirabilis statuæ caput aureum per illustrem Carolum erexit in Francia. Qui cum occiduis partibus solus regere cœpisset, & studia literarum vbique essent in oblitione, ideoque veræ deitatis cultura teperet, contigit duos Scotos monachos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire, viros, & in sacris & in sæcularibus scripturis eruditos. Qui quotidie cum nihil ostenderent venale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare cœperunt. Si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis est apud nos. Tamdiu clamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus ad aures Regis Caroli semper amatoris sapientiæ sunt perlata. Qui celeriter illos ad præsentiam suam euocatos interrogauit, si vere sapientiam haberent, vt ipse compararet. Sapientiam, inquiũt, & habemus, & in nomine Domini eam quærentibus dare parati sumus. Qui cum quæsisset ab illis, quid pro ipsa peterent, responderunt: Loca tantum oportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus ista peregrinatio transiri non potest, alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto, ingenti gaudio repletus, primum quidem apud se vtrumque paruo tempore tenuit, postea verò cum ad expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine Clementem in Gallia Parisijs, scilicet residere fecit; cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos satis multos commẽdauit, & eis prout necessarium habuerunt victualia ministrari præcepit, habitaculis oportunis ad meditandum deputati. Alterum verò in Italiam direxit, cui, & monasterium S. Augustini iuxta Ticenensem vrbem delegauit, vt illuc si voluissent ad discendum congregari possent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quod gratanter sapientes, ac religiosos viros susciperet Carolus, conscensa naui venit ad eum cum socijs in omnibus scripturis exercitatus; vtpote doctissimi Bedæ discipulus. Quem Rex vsque ad finem vitæ iugiter secum retinuit, nisi cum ad ingruentia bella processit. Deditque, & illi Abbatiam S. Martini, vt quando ipse absens esset, illic requiesceret, & ad se confluentes doceret. Cuius in tantum doctrina fructificauit, vt Franci antiquis Romanis & Athenienſibus æquarentur.

Alcuinus venit in Galliam.

Viri ex Hibernia eruditissimi veniũt in Galliam.

De scriptis eius.

CAP. CLXXIIII.

Helinandus. Alcuinus in epistola ad Ethelardũ episcopum antecessorem Cuthberti & Lamberti successorem, ait inter cætera; vt cum Romam vadens Carolum Magnum Imperatorem nepotem illius Caroli de quo Bonifacius locutus est, visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus, & pompaticis vestibus indutos, quia non solent Francorum clerici nisi religiosis vestibus amiciri.

Author. Scripsit Alcuinus, qui & Albinus de S. Trinitate, li. 3.

Scripsit & ad discipulos suos dialogorum li. 1.
Sententiarum, li. 1.
Super Genesim ad literam li. 1.
Super Cantica Canticorum li. 1.
Epistolarum ad Hebr. li. 1.
Super Ecclesiastem li. 1.
Super Ioannem li. 7.
Ad Eulaliam virginem de ratione animæ li. 1.
Ad Fredegisum dialogum de Trinitate lib. 1.

Scripta Alcuini.

De his autem hæc pauca, quæ sequuntur inferere libuit. In libro siquidem ad Carolum tertio ex quo, Responsoria & Antiphonæ de Trinitate videntur esse sumpta loquitur ita.

Alcuinus in libro de Trinitate. Adesto Deus vnus omnipotens, pater, & filius & spiritus sanctus doce fidem, excita spẽ, infunde charitatem. Velle mihi adiacet, sed hoc non à me, sed à te, mundum, & terras relinquere, & cœlũ petere, sed imbecilla pluma est velle sine subsidio tuo. Da fidei pennas, vt volet sursum ad te, hanc fidem in te, per te, de te, confiteor te, vnum in substantia, Trinitatem in personis confiteor. Te semper idem esse, viuere, & intelligere confiteor. Genitor, genitus, regenerans, ô beata Trinitas, fons, flumen, irrigatio, ô B. Trinitas, inuisibilis, visibilis, inuisibiliter, inuisibilis visibiliter. O beata Trinitas, à quo, per quem, in quo omnia. O beata Trinitas, vita viuens, vita à viuente, viuificatio viuentium. O beata Trinitas. Verax pater, veritas filius, veritas Spiritus sanctus, Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil. Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. Te inuocamus, te adoramus, te laudamus. Exaudi, exaudi, exaudi. Spes nostra, salus nostra, honor noster, libera nos, salua nos, iustifica nos, ô beata Trinitas, ô beata, & benedicta, & glorioſa Trinitas. O vera summa, sempiterna vnitas. Miserere, miserere, miserere, nobis. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sæcula sempiterna, ô beata Trinitas.

Flores Alcuini.

Idem ad Eulaliam virginem in fine epistolæ. Te homo laudet alme creator, pectore, mente, pacis amore, non modo parua pars, quia mundi est, sed tibi sancte solus imago magna creator mentis in arce pectore puro, dum pie viuit. O Deus & lux, laus tua semper pectora & ora cõpleat, vt te semper amemus sanctus vbique.

Idem super Ecclesiastem.

Alcuinus ingrediens patrum sacra prata priorum,
Carperet vt flores per pia rura sacros.

Cronographus. Eo tempore fundatum est sub Iterio Abbate Cormaricense cœnobium, quod à Beati Martini Turonensis ecclesia tam exordium habuit, quam subsequens incrementum.

De

De imperio Constantini filij Leonis, & euentibus illius temporis.

Cap. CLXXV.

Sigebertus in chronicis. Anno Imperij Irene, & constantini X. idem Constantinus matrem suam Irenem imperio priuat, solus annis 7 imperat.

Cœpit anno Domini 792. mundi scilicet 4646.

Eo tempore Carolus Rex Francorum regnum Auarorum terra marique impetit, eisque in sola fuga spem euadendi relinquit.

Bellum aduersus Auaros quos Bauaros esse dicit Aemil.

Anno imperij sui, primo Constātinus cōgressus Cardamo Bulgari turpiter victus dehonestatur. Cardamus sublato omni apparatu regio ditatur. Pipinus Caroli Regis ex concubina filius, gibbo deformis, a quibusdam Francorum primoribus promissione illectus contra patrem coniurauit. Vnde conuictus tonsuratur, & in Prumia cenobio retrusus, vsque ad finem vitæ Deo militauit. Complices vero coniurationis alij exiliantur, pauci perimuntur.

Anno 2. Feliciana hæresis condemnatur, & in præsentia Adriani Papæ ab ipso Felice auctore abdicatur. Hęc hæresis asserebat filium Dei in diuina natura verū Deū esse, in humana vero natura nuncupatiuum. Iterum in diuina natura eum esse verum filium Dei, in humana vero adoptiuum, vnam personam Dei & hominis diuidens in duas personas scilicet veri filij, & adoptiui. Saxones in fide Dei, & fidelitate Regis vacillant.

Anno 3. Constantinus Imperator multos Principum sibi suspectos oculis priuat. Carolus Rex non solum patria lingua sed etiam peregrinis linguis eruditur, barbara & antiquissima carmina quibus veterum Regū bella, & actus canebantur scripsit, & memoriæ mandauit. Inchoauit etiam Grammaticam patrio sermone, mensibus anni iuxta propriam, idest, teutonicam linguam vocabula imposuit, ventos etiam 12. proprijs nominibus appellauit, cum ante quatuor tamen cardinales venti nominarent.

Caroli erga cultum diuinum studium.

Anno 4. Saxones virtute Caroli conterriti reddunt se Christi & Regis fidelitati. Carolus Rex christianam religionem sancte & piè colens, ecclesias Dei omnimodis honorabat & ornabat sacris vasis & vestibus, edicens vt ne ianitoribus quidem liceret cōmuni habitu in ecclesia ministrare. Extruxit etiam Aquisgrani basilicam plurimæ pulchritudinis, ad cuius structuram à Roma & Rauenna columnas, & marmora deuchi fecit.

Anno 5. Leo Romanæ Ecclesiæ 93. præsidet. Qui mox clauem confessionis S. Petri cum vexillo Romanæ vrbis Carolo Regi mittit.

Ex chronicis Thudun Princeps Auarorum se & patriam suam Carolo dedit, & baptismi gratiam præcepit.

Sigebertus Anno 6. Henricus Dux Foroiulianorum expoliato in Pannonia Auarorum Principe Irrigo, inestimabilem thesaurum eius misit Regi Carolo.

De iterato Imperio Irene & incidentibus eiusdem temporis.

Cap. CLXXVI.

Anno septimo, Irene Imperatrix super erepto sibi Imperio fœmineo dolore abusa Constantinum filiūm suum oculis & imperio priuat, & sola annis 3. imperat.

Ex Chronicis Eodem anno Solis orbita obscurata est, ita vt in mari naues oberrarēt, & dicerent homines, quia propter excæcationem Imperatoris hoc factum est.

Anno Irene 1. Leonem Papam celebritatem Litaniæ maioris agentem Romani capiunt, & linguam ei oculosque euellunt. Cui voce & visu reddito diuinitus, iterum oculos & linguam eruunt radicitus, relinquentes eum semiuiuum in sanguine suo reuolutum. Cumque ab ipsis carnificibus in monasterio S. Erasmi in custodia teneretur, rursus loquendi, ac videndi officium diuinitus ei reformatur, & tandem de manu eorum erutus, ad Carolum Regem fugit quantocius.

Sigebertus in chronicis. Anno Irene 2. Carolus Rex Leonem Papam in sede Romana recollocat. Ipse quoque Romam properat, causas examinat, reos legaliter damnat, & omnes Romanorum motus sedat. Geroldus Dux Baioariæ in Pannonia Auaribus congressus perimitur. De quo in visione Vuetini legitur, quod inter martyres sit annumeratus.

In mense Iulio contra naturam aspera & gelu concreta, bis fuit pruina, sed nihil fructibus nocuit. *An. Ch. 801*

Anno 3. Romani qui ab Imperatore Constantinopolitano iam diu animo desciuerant, nunc accepta occasionis oportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Cōstantino filio suo, eis imperabat, vno omnium consensu Carolo Regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant Cæsarem & Augustum appellant. Pipinum vero filium eius Regem Italiæ ordinatum collaudant.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER VIGESIMVSQVARTVS.

De Imperio Caroli magni, & forma eius ac Robore.

CAP. I.

Sigebertus in chronicis. Carolus igitur magnus cum iam super Francos annis regnasset 33. primus Francorum imperauit Romanis annis 13.

Cœpit autem anno Domini 801. Mũdi vero 4656. diuiso à Constantinopoli Imperio Romano euolutis annis circiter 468. Ex quo Byzantium Thraciæ ciuitas à primo Constantino ampliata, & in regiam vrbem est exaltata, & translata in illam omnis Romanæ dignitatis gloria, in sedem Romani Imperij fuit dedicata, & noua Roma appellata.

Prosopographia Caroli magi.

Turpinus Rhemensis Archiepiscopus. Erat hic Carolus corpore decorus, sed visu ferus statura eius 8. pedum suorum scilicet qui erant longissimi, renibus erat amplissimus, ventre congruus, brachiis, & cruribus grossus Miles doctissimus & acerrimus, & omnibus artubus fortissimus. Facies eius in longitudine habebat palmum & dimidium, barba vnum pedem, nasus circiter dimidium, frons erat vnius pedis, oculi leonini scintilantes vt carbunculi, supercilia dimidij palmi. Quemcunque iratus apertis oculis aspexisset, statim territus erat. Cingulum quo cingebatur 8. pedibus extendebatur, præter illud quod pendebat. Parum panis comedebat, sed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anserem vnum, aut spatulam porcinam, aut pauonem, aut gruem aut leporem integrum edebat. Modicum vinum & aqua dilutum sobrie bibebat.

Caroli magni robur.

Tantæ fortitudinis erat, quod militem armatum super equum sedentem à vertice capitis vsque ad bases simul cum equo vno ictu propria spatha secabat. Quatuor ferraturas equorum simul manibus facile extendebat, militem armatum rectum stantem super palmam suam à terra vsque ad caput suum sola manu velociter eleuabat. Erat enim donis largissimus, in iudiciis certissimus, in locutione luculentus.

Chronographus. Mater eius domina Bertha in magno apud eum honore consenuit, liberos quoque suos ita censuit instituendos, vt tam filij, quam filię primo liberalibus studiis (quibus, & ipse operam dabat) erudirentur, tum etiam filios cum primum ætas patiebatur more Francorum equitare, & armis atque venationibus exerceri fecit, filias vero lanificio assuescere, coloque ac fuso (ne per ocium torpescerent) operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Cumque semper studia literarum amasset, tentabat & ipsemet scribere, tabulasque ferebat, vt cum vacuum tempus esset, manum literis assignandis assuesceret. In palatio suo Aquisgrani basilicam plurimæ pulchritudinis in honore beatę Mariæ Virginis extruxit, quam etiam diuitiis & honoribus præcipuè sublimauit. Regnum quoque Francorum cum post patrem suum Pipinum iam forte quidem & magnum suscepisset, ita notabiliter ampliauit ac dilatauit, vt ei duplum adiiceret.

Templum Aquisgrani à Carolo B. Virgini erectum vid. can. lib. 5. de Virg. Ma. cap. 10.

ANNOTATIO.

Anno post Christum natum 801. Leo 3. Pontif. max: Pop. Rom. scito clerique rogatu; cum imperij Romani maiestas, barbaris sibi omnia vendicantibus obsolescceret, nec in famina Irene Constantinopoli rerum potente quamuis alta indolis multum præsidij esse videretur; Carolum Pipini filium Francorum & Longobardorum regem, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Imperatorem, auito occidenti imperandi more restituto, primus appellauit inunctumque consecrauit: subsecutaque mox fuit S. P. Q. R. acclamatio, Carolo magno Imperatori. Augusto, Cæsari, piissimo & pacifico, à Deo creato vita & victoria. Notent interim, & vlciscantur Imperatores & principes christiani atrocem iniuriam, sibi maioribusque suis à Centuriatoribus factam qui centuria 8, cap. 10 attribuunt imperij creationem siue translationem præcipuis Antichristi operibus. vide Genebrardum.

De studijs ac moribus eiusdem.

CAP. II.

Hvgo libro sexto. Hic Carolus in discenda grammatica Petrum Pisanum habuit adiutorem, & in cæteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum. Religionem denique christianam summa pietate semper excoluit, & ecclesiam mane & vespere, nec non & nocturnis horis & sacrificij tempore impigre frequentauit. Circa pauperes quoque liberalitate maxima præditus erat, vt qui non solum in suo regno illis subuenire verumetiam in transmarinas regiones in Syriam, & Ægyptum, & Aphricam, & Hierosolymas, & Alexandriã,

atque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

atque Carthaginem pecunias multas mittere satagebat Ob hoc etiam maxime tranſmarinorum Regum amicitias expetebat, vt ſub eiſdem Regibus Chriſtianis refrigerium aliquod proueniret. Fuit autem amplo corpore ac robuſto, ſtatura eminente, & apice capitis rotundo canicie reuerenda, facie læta voce clara, valetudine proſpera: Denique conuiuabatur rariſſime, cœnaque quotidiana, quaternis tamen ferculis præbebatur, præter aſſam carnem, quam venatores verubus inferre ſolebant, qua ille libentius quam vllo alio cibo veſcebatur.

*Acroma eſt id quod auditur, ſeu ſermo aut diſputatio quæ alio docente ab alio percipitur.

Inter cænandum aut aliquod †acroama aut lectorem audiebat, legebantur ei hiſtoriæ, antiquorum res geſtæ Delectabatur etiam libris S. Auguſtini, præcipueque his qui de ciuitate Dei prætitulati ſunt. Vini vero & omnis potus adeo parcus erat in bibendo, vt ſemper ad cænam raro pluſquam ter biberet. Æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens, ac ſemel bibens, depoſitis veſtibus ac calciamentis velut noctu ſolitus erat, duabus aut tribus horis quieſcere, noctibus ſic dormiebat, vt ſomnum quater, vel quinquies non ſolum expergiſcendo, ſed etiam ſurgendo interruimperet.

Sigebertus in chronicis. Igitur anno primo Imperij ſui Carolus per omne imperium ſuum legatos ad faciendum iudicium & iuſtitiam dirigit, & legis capitula 23 inſtituit.

Chronographus. Idem quoque Carolus per vniuerſum mundum ad indagandum nomina, & actus, & obitus ſanctorū nuncios miſit, quæ per Vſuardū monachum in vnum volumen compilari fecit. Hieronymus enim ac Beda, & Florus hoc fecerant ante, ſed non integre. Hic autem diebus ſingulis annotauit ea. Inuentum eſt autem; quod diebus occurrebant plus quam 30. feſta, ideoque ſtatutum eſt, vt diceretur, *& aliorum plurimorum ſanctorum, &c.*

Cum Aaron quoque Rege perſarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt hic gratiam eius, omnium qui erant in toto terrarum orbe Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolumque illum honore ac magnificentia ſibi colendum iudicaret.

Helinandus 45. lib. Amira qui & Aaron Rex Perſarum elephantem quem ſolum habebat Carolo miſit, cuius elephantis nomen erat Abulabat, & præter eum munera multa.

Imperatore apud Spoletum exiſtente pridie Calen. Maij hora noctis ſecunda terræmotus maximus factus eſt, qui totam concuſſit Italiam, quo motu tectum baſilicæ beati Pauli Apoſtoli magna ex parte cum ſuis trabibus decidit, & in quibuſdam locis vrbes & montes corruerunt.

Terræmotus ingens & grauis peſtilentia.

Eodem anno quædam loca circa Rhenum in Germania, & in Gallia tremuerunt. Peſtilentia propter mollitiem hyberni temporis facta eſt. Legati Caroli ab Aaron Amira venientes inter cætera munera, etiam corpora ſanctorum Cypriani martyris Carthaginenſi epiſcopi, & Sperati primi Scillicitanorum, & caput Pantaleonis martyris in Franciam afferunt, ſed non dicitur vbi poſita ſunt. Patriarcha Hyeroſolymitanus pro benedictione claues dominici ſepulchri & loci Caluariæ, & claues ciuitatis & montis cum vexillo Carolo miſit.

De Conſtantinopolitanis Imperatoribus.

Cap. III.

Irene ab Imperio deturbatur & Nicephorus Conſtantinopolitanum arripit imperium.

Sigebertus in chronicis. In ipſo anno quo Carolus aſſumpſit Romanum Imperium Irene Imperatrix à Nicephoro imperio depoſita exilio relegatur, & ibi moritur. Ipſe autem Conſtantinopoli imperauit annis 8. quo tandem à Bulgaribus cum multis ordinis ſenatorij peremptо, Stauracius eius filius imperauit anno vno quo depoſito, Michael annis 2. Leo 8. Michael 9. Theophilus 15. Michael & Theodora annis 11. deinde Michael ſolus 13. quo à Baſilico interfecto idem Baſilicus annis 17. imperauit. Poſt hunc filius eius Leo annis 18. deinde Conſtantinus filius eius cum patruo ſuo Alexandro ſcilicet eius Leonis fratre imperauit anno 1. Alexandro autem mortuo Conſtantinus imperauit annis 39. Poſt hæc Stephanus & Conſtantinus ægre ferentes iuſſa patris ſui Imperatoris ſeueritate à iuuenili leuitate ſe coerceri, diſpoſitis in palatio inſidijs patrem de palatii ſolio deponunt, & tonſo ei, vt moris eſt, capite, ad vicinam Inſulam in qua cœnobitæ philoſophabantur, tranſmittunt. Nec multo poſt cum ad conuiuium ex condicto conſediſſent, & de prioratu ſedendi ſe conſultu decertarent, dato ſigno à viris Conſtantini filii Leonis Imperatoris ambo fratres ſolio deturbantur, & tonſis capitibus ad idem monaſterium, quo patrem tranſmiſerant, etiam ipſi ad philoſophandum cum monachis tranſmittuntur. Ita euacuato palatio abuſiuis Imperatoribus, ipſe Conſtantinus & Romanus filius eius imperauit annis 16. Quo defuncto Nicephorus imperauit annis 10. Hic timens à filiis ſuis imperio expelli, quia ſenex erat, eos eunuchizari volebat, quorum mater Ioanni ſuaſit, vt eum occideret & imperaret, ſicque factum eſt, & imperauit annis ſex. Exinde de Conſtantinopolitano imperio tacetur, ſcilicet ab anno Domini 977.

Filij patrem ab imperio deijciunt & in cœnobium includunt qui à patre viciſſim deijciuntur & in monaſterium detruduntur vide Zonoram.

Chronographus. Carolus autem indignantibus contra ſe Conſtantinopolitanis Imperatoribus propter inuidiam Imperatorij nominis ſibi impoſiti à Romanis magna illos patientia & magnanimitate tulit, & quia ſuſpectam eius potentiam habebant, crebris eos ſibi legationibus firmiſſimo fœdere conciliabat.

Carolus cū Gracis Imperatoribus pacem facit.

Qualiter Carolus iuxta diuinam reuelationem liberauit terram ſanctam.

Cap. IV.

Franci ſub Carolo terrā ſanctam adeunt ſi verum eſt

Helinandus. Legitur quod eo tempore quo Carolo datum eſt Romanum imperium, Patriarcha Hieroſolymitanus de ciuitate expulſus à Paganis venit Cōſtantinopolim ad Imperatorem Conſtantinum, & filium eius Leonem, & cum eo Ioannes Neapolitanus ſacerdos, & Dauid Hieroſolymitanus archipresbyter, quos ille ad Carolum miſit cum epiſtola Ioannis patriarchæ manu ipſius Conſtantini ſcripta, & cum duobus præfatis fuerunt alij duo legati Hebræi, Iſaac & Samuel. In cuius epiſtolæ vltima parte ſcriptum erat.

Quadam nocte in extaſi factus vidi ante lectum meū quendam iuuenem ſtantem, qui me blande meum vocans paululum tetigit, & ait. Conſtantine rogaſti diuinum auxilium ad hanc rem. Ecce accipe Carolum magnum Regem Galliæ, ecce in domino propugnatorē, & oſtendit mihi quendam militē armatū & ocreatū & loricatū, ſcutum rubeum habentem, enſe præcinctum cuius manubrium erat purpureum, haſta altiſſima, cuius cuſpis ſæpe flammas emittebat, & in manu tenebat caſſidem auream, & ipſe ſenex prolixa barba, vultu decorus ſtatura procerus, cuius oculi fulgebant tanquam ſtellæ, & canis caput albeſcebat. Age iam Auguſte, qui iuſsionibus Dei refugit obedire minime poterit culpam enadere. Emanuel gemma Ieſu.

In Domino gaude, memor eius fungere laude,
Iuſtitiæ zona, lumbos caput atque corona.
Perpete ſubcingat Chriſtus honoreque ſtringat.
Nihil opus eſt fictо domini quo iuſſio dictо.
Ergo tene ſundum Domini præcepta ſecundum.

Hic ipſe Conſtantinus ſepties expulerat paganos ab Hieroſolymis, ſed tamen præualuerant. Hi legati Regē Pariſijs inuenerunt, & ei epiſtolas tradiderunt. Quibus perlectis Rex lachrymari cœpit pro ſepulchro Domini.

Has epiſtolas iuſsit Rex exponere Turpinū Archiepiſcopum coram omni populo. Quibus auditis omnes proficiſci Regem precabantur. Quo audito mox Rex edictū propoſuit, vt omnes qui poſſent arma ferre, irent

secum contra paganos,& qui non erant, ipsi & filij eorum serui quatuor nummorum essent. Itaque maiorem exercitum,quam ante habuisset congregauit, & profecti sunt. Cum venissent autem Hierosolymam in nemus quoddam,quod vix duorum dierum spacio solet transiri, in quo erant grifones,vrsi,leones, & tigres , & aliæ feræ diuersæ: Carolus putans se illud transire vno die, ingressus est cum exercitu. Adueniente nocte,& exercitu errante præcepit Carolus castrametari. Transacto autem noctis silentio Rex in lecto suo accubans inchoauit Psalmos . Et cum diceret hunc versum : *Deduc me Domine in semita mandatorum tuorum,quia ipsam volui,* ecce euidentius vox ad aures eius cuiusdam alitis prope lectum eius clamantis audita est. Quam , qui aderant audientes experrecti sunt. Rex autem Psalmos continuauit vsque ad illum locum: *Educ de custodia animam meam, &c.* Quod cum diceret ales iterum clamauit: *France, quid dicis,France quid dicis?* Hanc alitem prosecutus est Rex paruula semita , donec recognouerunt callem, quem die præterito amiserant. Peregrini dicunt , quod ab illo tempore cœperunt audiri alites sic loquentes in illa terra. Fugatis paganis , & recuperata terra petiuit Rex licentiam repatriandi ab Imperatore Constantinopolitano,& Hierosolymitano patriarcha . Quem per vnum diem retinuit Imperator apud Constantinopolim,& interim fecit parari ante portam ciuitatis animalia diuersi generis,& coloris & aurum & gemmas. Carolus autem ne inurbanus videretur si nihil acciperet quæsiuit consilium à proceribus suis quid facere deberet. Qui responderunt à nullo debere eum aliquod munus accipere pro labore quem pro solius Dei amore susceperat. Qui laudans consilium , iussit omnibus suis vt omnes res appositas nec respicere dignarentur.

Psal .118.

Psal.114.

De Caroli expeditione Hierosolymã versus Frãci scriptores nihil tradunt prater Turpinum Remensem archiepiscopũ & ex exteris Erphordiensem cap.69. vide Genebrardum.

De sacris reliquijs,quas inde Aquisgranum detulit.

Cap. V.

TAndem adiuratus & coactus aliquod munus pro amore Dei accipere ,petiuit de reliquijs passionis Dominicæ. Inito autem consilio indictum est ieiunium triduanum omnibus nostris , & duodecim personis Græcis,quæ electæ sunt ad hoc sanctuarium diuidendum. Tertia die Carolus peccata sua confessus Ebroino archiepiscopo. Deinde vtrique cleri Psalmos cum Litania inchoant. Cum autem Daniel Neapolitanus antistes aperuisset thecam in qua erat spinea corona, tantus odor exijt inde , vt omnes putarent se in paradiso esse. Tunc Carolus.prostratus in pauimentum plenus fide orauit Dominum , vt propter gloriam nominis sui miracula suæ passionis & Resurrectionis renouaret. Et cum orasset statim ros cœlitus veniens lignum infudit,& inebriauit,& flores emittere fecit;tantaque lux cum odore affuit, vt omnes sua vestimenta cœlestia esse putarent. Cum Daniel aduncа forcipe robur ipsius ligni secari inciperet , tunc magis ac magis florere cœpit. Tunc Carolus in arboreo pallio, quod ad hoc præparauerat suscepit de floribus , & impleuit vuantum suum dextrum . Dehinc alium vuantum ad suscipiendas spinas præparans tradidit illum cum floribus Ebroino Archiepiscopo . Cumque vtriusque oculi præ lachrimis impediti essent, ille putans se accepisse,& ille dedisse,vterque vuantum dereliquit, qui fere vnius horæ spacio pependit in aere. Cumque alterum vuantum Rex spinis implesset , & illud episcopo tradere voluisset , vidit illum primum pendere in aere. Post hæc flores de vuanto eiicere cuperet conuersi sunt in manna , & hoc manna modo est apud Sanctum Dionysium . Quod à multis putatur esse de illo manna antiquo , quod pluit Dominus in deserto. Omnes ægri, qui ibi aderant, ad odorem florum sani facti sunt. His itaque gestis ecce turba infinita ecclesiam violenter intrans clamare cœpit . Vere hodie est Resurrectionis dies, nam odor de floribus exiens totam ciuitatem impleuerat , & 300. & vnum ægros sanauerat.

Quidam æger ibi erat 23. annos , & tres menses habens in infirmitate sua cœcus, surdus,& mutus. Hic in extractione spineæ coronæ visum recepit , in sectione audicum,in emissione florum loquelam.

Post hæc præfatus Daniel dominicum clauum manibus eleuatis Regi tribuit . Qui cum de alabastro in quo absconditus erat extraheretur,sanatus est puer quidam,sinistram manum,& totum latus sinistrum ab vtero matris habensaridum, & cucurrit ad ecclesiam dicens , quod circa horam nonam lecto iacens quasi in extasi positus videre sibi visus est quendam canutum fabrum aduncа forcipe extrahere ex sinistra manu sua, & sinistro pede similiter arido clauum, & à latere lanceam.

Data sunt præterea Regi Carolo frustum Crucis dominicæ, & Domini sudarium,& camisia Beatæ Mariæ; & fascia, qua puerum Iesum in cunabulis cinxit, & brachium sancti senis Symeonis. Quæ omnia recondit in sacco de bubalino tergore facto,& ad collum suum suspendit ad instar perę. Veniensautem ad castrum nomine Ligmedo,puerum mortuum per tactum reliquiarum suscitauit,& 50.ægri promiscui sexus ibi curati sũt. Ibi sedit Carolus sex mensibus , & vno die. Veniente autem eo Aquisgranum sanati sunt cœci innumeri, febricitantes innumeri,dæmoniosi 12. leprosi 8. paralytici 15. claudi 14. manci 30. gibbosi 52. caduci 65. gutturnosi plures,& ex vicinis locis,quamplures. Denique indixit per totum orbem, vt idibus Iunij venirent Aquisgranum videre reliquias quas de Hierusalem & de Cõstantinopoli aduexerat;prius peccata sua confitentes, & statutum est ibi,vt semper quarta feria ieiuniorum quatuor temporum in mense Iunio fieret indictio ista reliquiarum. In hoc Concilio fuit Leo Papa, & Turpinus Archiepiscopus, Achilleus Alexandrinus episcopus, & Theophilus Anthiochenus,& alii plurimi episcopi , & Abbates. Ibi etiam suscitatus est mortuus.

Qualiter inuitatus à sancto Iacobo liberauit Hispaniam.

Cap. VI.

Actorum 12 Carolus Galicianam D. Iacobi adem inuisit ditatque amplissimis prædijs & donarijs Vid.Sabell. Enn.8.lib.8. Porro sunt qui scribũt Galiciam nunquam à Saracenis fuisse occupatam.

TVrpinus *Archiepiscopus in chronicis.* Carolus postquã multa regna aquisierat proposuit quiescere à prælijs,statimque intuitus est in cœlo viam quandam stellarum incipientem à mari Frisiæ, & tendentem inter Teutoniam & Italiam,inter Galliam & Aquitaniam,& recte transeuntem per Gasconiam,& Baslam, & Nauarram,& Hispaniamvsque ad Galliciam, in qua B. Iacobi corpus tunc latebat incognitum . Hanc viam per singulas noctes aspiciebat Carolus , & cogitabat quid significaret . Cui hoc cogitanti vir quidam optimæ & pulcherrimæ formæ vltra,& quam fas est dici, nocte in extasi apparuit dicens: Quid agis fili mi ? Cui Carolus: Quis es Domine? Ego sum ait Apostolus Iacobus alumnus Christi,filius Zebedei,frater Ioannis Euangelistæ,quem dominus supra mare Galileæ ad prædicandum populis sua ineffabili gratia eligere dignatus est, quem Herodes Rex gladio peremit , cuius corpus in Galicia,quæ à Saracenis turpiter adhuc opprimitur incognitum requiescit. Vnde miror cur terram meam nõdum liberasti,qui tot & tantas vrbes acquisisti . Quapropter tibi notifico , quia sicut Dominus potentiorem omnium Regum terrenorum te fecit, sic ad præparandum iter meum,& liberandam terram meam de manibus Moabitarum,te inter omnes, vt tibi coronam æternæ retributionis exinde præpararet,elegit. Via stellarum quam in cælo vidisti significat, quod tu cum magno exercitu ad pugnandum gentem paganorum perfidam, & liberandum iter meum , & ad visitandum sarcophagum meum ab his oris vsque ad Galiciam iturus es, & post te omnes populi à tempore præsenti vsque ad finẽ sæculi. Taliter apparuit Apostolus Carolo tribus vicibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Poſt hæc perrexit Carolus illuc cum magno exercitu. Cumque obſideret Pampilonam tribus menſibus, & eam capere non poſſet propter muros inexpugnabiles, orauit ſanctum Iacobum, vt propter honorem ſui nominis daret ei capere ciuitatem. Tunc muri funditus corruerunt. Qui de Saracenis baptizari voluerunt reſeruati ſunt ad vitam, qui noluerunt, occiſi ſunt. His auditis mirabilibus omnes vrbes ſe dediderunt, & facta eſt tota terra ſub tributo. Deinde viſitato tuto ſarcophago venit ad Petronium, & infixit ei ibi in mari lanceam ſuã agens Deo gratias, & ſancto Iacobo, qui eum hucuſque perduxit. Poſtea iuit per totam Hiſpaniam à mari vſque ad mare. In Galitia tunc acquiſiuit 13. vrbes inter quas Compoſtella tunc erat parua. In Hiſpania ſunt vrbes 26. inter quas eſt Oſca de qua fuit Vincentius, in qua ſolebant eſſe turres 90. In Petroiſſa fit argentum optimum. In ciuitate Accinctina iacet ſanctus Torquatus, qui fuit beati Iacobi cliens, ad cuius ſepulchrum arbor oliuæ diuinitus florens maturis fructibus onuſtatur per vnumquemque annum in eius ſolemnitate, ſcilicet idus Maij.

Tota terra Hiſpanorum tunc Carolo ſubiecta eſt terra ſcilicet Landaluſ, terra Perdorum, terra Caſtellanorum, terra Maurorum, tellus Nauarrorum, tellus Portugallorum, tellus Saracenorum, tellus Alanorum, tellus Biſcaiorum, tellus Buſculorum, tellus Parargorum. Harum vrbium quaſdam cœpit ſine pugna Carolus, quaſdam cum bello magno, & arte maxima. Lucernam vrbem, quæ eſt in valle viridi nequiuit capere, donec ad vltimum nouiſſime autem obſedit eam quatuor menſibus, & facta prece Deo, & ſancto Iacobo ceciderunt muri eius, & eſt deſerta vſque in hodiernum diem; quidam enim gurges atri amnis in medio eius ſurrexit, in quo nigri piſces habentur.

Hæ ſunt vrbes quas Carolus maledixit, propter hoc quod graui labore eas acquiſiuit, & id circo ſine habitatore permanent vſque in hodiernum diem, Lucerna, Ventoſa, Caparta, Adania.

De idolis, quæ ſubuertit, & eccleſijs quas ædificauit.

Cap. VII.

OMnia idola & ſimulachra, quæ tunc in Hiſpania inuenit penitus deſtruxit præter Idolum quod eſt in terra Landaluſ, quod vocatur *Salancadis*, ideſt Deus *Cadis* etenim proprie dicitur locus ille, *Salan* Arabice interpretatur Deus. Tradunt autem Saraceni, quod idolum iſtud Machomet dum viueret ſuo nomine fabricauit, & quandam legionem dæmonum arte magica in eo ſigillauit. Quæ legio tam fortiter illud Idolum obtinet, quod à nullo vnquam frangi potuit. Cumque aliquis chriſtianus ad illud appropinquat ſtatim periclitatur, ſed cum aliquis Saracenus cauſa adorandi vel deprecandi Machomet accedit, recedit incolumis. Si forte ſuper illud auis quælibet ſe depoſuerit, illico moritur. Eſt autem lapis antiquus in margine maris opere Saraceni co optime ſculptus, ſupra terram ſitus deorſum, latus, & quadratus, deſurſum ſtrictus, & tantæ altitudinis quãtum ſolet volare coruus in ſublime; ſuper quem eleuata eſt imago illa de aurichalco optimo in effigie hominis fuſa, ſupra pedes ſuos ſtans, erectam faciem habens verſus meridiem, & clauem ingentem quandam in manu dextra tenens. Quæ ſcilicet clauis, (vt Saraceni aiunt) de manu eius cadit anno, quo Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hiſpaniam chriſtianis legibus in nouiſſimis temporibus ſubiugabit, moxque vt Saraceni clauẽ viderint lapſam, gazis ſuis in terra repoſitis omnes fugiẽt

Spolia & theſauros in Hungaria repertos per epiſcopatus & monaſteria longiſſime diſtribuit, multis eccleſijs ædificatis, Saxonia Cranthaij li 2. cap. Auent lib 4. Annal. non igitur ex ſpolijs Hiſpanicis, ſed ex opibus Hungaricis eccleſias Carolus locupletauit.

Exauro, quod Reges & principes dedere Carolo eccleſiam beati Iacobi tunc per 3. annos in illis oris commorans augmentauit, Antiſtitem & canonicos ſecundũ regulam ſancti Iſidori ibi inſtituit, eamque tintinnabulis, & palleis, & libris decenter ornauit, De reſiduo auro & argento immenſo quod de Hiſpania attulit, fecit has eccleſias, beatæ Mariæ Virginis Aquiſgrani, beati Iacobi in eadem villa. Item beati Iacobi apud vrbẽ Biterenſem. Item beati Iacobi apud Toloſam, Item beati Iacobi in Gaſconia, inter vrbem Axam & ſanctum Iohannem Sordue via Iacobita. Item beati Iacobi apud Pariſios inter Seuanam, & montem martyrum. Et præter has Abbatias innumeras per totum mundum.

De reditu Caroli in Hiſpaniam.

Cap. VIII.

Alia in Hiſpaniam Caroli expeditio.

Vrpinus in Hiſtoria Caroli. Reuerſo Carolo in Galliam quidam Rex paganus Aphricanus collectis de exercitibus Hiſpaniam acquiſiuit, eiectis & interfectis cuſtodibus oppidorum & vrbium quos Carolus reliquerat. Quibus auditis Carolus collectis magnis exercitibus in Hiſpaniam reuerſus eſt, & erat Dux exercituum Milo de Angleris pater Rolandi. Cum autem apud Baionam vrbem Baſclorum exercitus Caroli hoſpitatus eſſet; quidam miles Romaricus nomine ægrotus & morti proximus accepta pœnitentia & euchariſtia, cuidam conſanguineo ſuo præcepit, vt equum quem habebat venderet, & precium clericis & egenis daret. Quo mortuo ipſe conſanguineus equum centum ſolidis vendidit, & præcium cibis & potibus & veſtibus velociter expendit. Tranſactis autem 30. diebus apparuit ei mortuus nocte in extaſi dicens: Quoniam res meas pro redemptione animæ meæ eleemoſynam tibi ad dandum commendaui, ſcias Deum omnia crimina mea mihi dimiſiſſe, ſed quia iniuſte eleemoſynam meam retinuiſti ſcias me per 30. dies in pœnis tartareis fuiſſe, te autem in eodem loco infernali vnde egreſſus ſum die craſtina ponendum, & me in paradiſum futurum. Quibus dictis diſparuit. Tremefactus ille euigilauit, & cum eadem die narraret ſociis ſomnium ſuum, ita ſubito factus eſt clamor in aere, velut leonum, luporum, & vrſorum. Et ecce ſubito ille raptus eſt à dæmonibus in locum diuino iudicio ſibi deſtinatum. Quæſitus à ſociis vix 12. die ſupra quendam montem altiſſimum mortuus iacens toto corpore colliſo inuentus eſt, qui mons quatuor diebus diſtabat à loco in quo captus fuerat, ibi dæmones eum proiecerant tribus leucis in altum ſupra mare.

De prælijs ra Aygolandum.

Pugna eiuſdem contra Aygolandum.

Cap. IX.

POſt hæc Aygolandns mandauit Carolo bellum ſecundum velle ſuum, vel 20. contra 20, vel 40. contra 40. vel 100. contra 100. vel mille contra mille, vel duos contra duos, vel vnum contra vnum. Miſſi ſunt ergo 100. milites à Carolo contra 100. & interfecti ſunt Saraceni. Deinde mittuntur alij 100. ab Aygolando contra 100. qui omnes interfecti ſunt. Deinde miſit Aygolandus 200. contra 200. qui ſtatim occiſi ſunt. Deinde miſit duo millia, quorum quidam occiſi ſunt, alii fugati; Tertia die iecit Aygolandus ſortes ſuas, & cognouit detrimentum Caroli, & mandauit ei, vt in ſequenti die ſi vellet plenarium bellum faceret, quod ab vtroque conceſſum eſt. Tunc aſtiterunt quidam chriſtiani, qui ſero ante diem belli arma ſua bellica ſtudioſiſſime præparantes haſtas ſuas erectas infixerunt in terra ante caſtra iuxta fluuium in pratis, qui dicitur Ceia, in quo loco poſtea beatorum martyrum Facundi & Primitiui baſilica ingens & optima, iuſſu & auxilio Caroli conſtructa eſt, & magna villa & pinguiſſima. Iſtas haſtas ſummo mane corticibus & frondibus decoratas inuenerunt hi, ſcilicet qui in acie proxima martyrii palmam adepturi erant in Dei fide, & admodum mirantes abſciderunt eas prope terram, & radices quæ remanſerunt in terra in modum perticarum, ex ſe poſtea magna genera uerunt arbuſta, quæ adhuc in illo loco apparent. Erant enim illorum multæ haſtæ de lignis fraxineis. Mira res magnumque gaudium animabus, & in-

& ingens corporibus detrimentū. Quid plura? Die craſtina occiſi ſunt 40 millia Chriſtianorum, & Dux Milo Rolandi pater, & equus Caroli peremptus. Tunc Carolus ſtans ſuper pedes cum duobus millibus chriſtianorum peditum euaginauit ſpatham ſuam nomine Gaudioſam & trucidauit multos Saracenos per medium. Adueſperaſcente autem die conuerſi ſunt Saraceni & chriſtiani in caſtra. Altera die venerunt Carolo quatuor Marquiſij in auxilium de locis Italiæ cum quatuor millibus bellatorum virorum. Quod vt Aygolandus agnouit in fugam verſus eſt. Et tunc Carolus cum ſuis exercitibus remeauit in Galliam.

Cronographus. Anno Imperij Caroli III. Auares, qui & Huni longo contra Francos bello perdomiti adeo ſua fortitudine potentiaque ſunt diminuti, vt qui alios vltro lateſcere ſolebant, iam nec ab alijs tueri ſe valerent. Nam omnis eorum in hoc bello nobilitas & gloria periit, & quicquid pecuniæ ac theſauri per tot ſæcula terrarum orbem vincendo ſibi congeſſerant, nunc totum Francorum victoriæ ceſſit, nulloque vnquam bello tam multa ſpoliorum quantitate Francia ditata fuit.

Eodem anno Luna ter obſcurata eſt, & Sol ſemel, acieſque miræ magnitudinis viſæ ſunt in aere.

Sigebertus in chronicis. Anno Imperij ſui 6. Carolus Imperator per manum Pauli Diaconi ſui decerpens optima quæque de ſcriptis catholicorum patrum reperit & lectiones vnicuique feſtiuitati conuenientes per circulum anni in eccleſia legendas compilari fecit.

De quibuſdam incidentibus illius temporis.

Cap. X.

Thiomith *Helinandus.* Eo tempore* Cumeid Amireus miſſus ab Aaron ad excidendam Lyciam, cum veniſſet Miram miſus arcam ſancti Nicholai conterere, pro ea contriuit aliam, & pro temeritate præſumpta totam amiſit claſſem tempeſtate ineuitabili proſequente.

Pridie Calendis Februarij, Luna decimaſeptima, facta eſt eclypſis Solis in medio die ſtante vtroqua ſydere in vigeſimaquinta parte Aquarij. Item quarto Calendas fuit eclypſis Lunæ, & apparuerunt acies in eadem noct emiræ magnitudinis, & Sol ſtetit in 1. parte Piſcium, & Luna in 11 parte Virginis. Nam & ſtella Mercurii, 16 Calendas Aprilis viſa eſt in Sole quaſi parua macula nigra tamen, paululum ſuperius medio centro eiuſdem ſyderis, quæ à nobis per 8. dies conſpicitur. ſed quando primum intrauit vel exiit nubibus impedientibus annotari non potuit.

Item 11. Calend. Septembris Lunæ fuit eclypſis hora noctis 3. Sole in 5. parte Virginis exiſtente, Luna in quinta parte Piſcium. Sicque ab anni ſuperioris Septembri, vſque ad Septembrem præſentis, Luna ter obſcurata eſt, & ſol ſemel.

Legatus Regis Perſarum nomine Abdella detulit Imperatori Carolo munera, papilonem, & tentoria atrii varij coloris miræ magnitudinis, & pulchritudinis. Erant enim omnia biſſina tam tentoria, quam funes diuerſis tincta coloribus. Et præterea pallia multa ſerica precioſa, & odores aromatum & vnguenta, & balſamum, & inſuper horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compoſitum in quo 12. horarum curſus ad clepſidram vertebantur cum totidem æreis pillulis, qui ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiuſdem numeri equitibus qui per 12. feneſtras completis horis exibant, & in pulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ prius apertæ erant, claudebant. Et alia multa erant in horologio illo. Fuerunt etiã inter munera duo candelabra ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis.

De tranſlatione corporis Sancti Bartholomæi apoſtoli.

Cap. XI.

Author. Anno ſequenti, qui fuit ab incarnatione Domini 808. legitur facta tranſlatio S. Bartholomæi Apoſtoli de inſula Lipera in Beneuentium. Superuenientes enim Saraceni prædictam inſulam depopulati ſunt, & rumpentes ſepulchrum Apoſtoli diſperſerunt oſſa eius. Mox illis deſcendentibus idem Apoſtolus Bartholomæus per viſionem apparuit cuidam monacho Græco, qui fuerat illius eccleſiæ cuſtos dicens: Surge collige oſſa mea, quæ diſperſa ſunt. Cui ille reſpondit. Quare oſſa tua colligere, aut aliquem honorem tibi impendere debeamus, cum tu permiſeris nos, & populum iſtum deleri à paganis. At ille ait: Per longa annorum curricula meis precibus, nunc vſque ſecurus conſtitit, ſed multiplicata ſunt mala illius nimis, pro eo iam obtinere non potui. Tu ſurge fac vt dixi. Quomodo, inquit, ea inuenire potero, quia vbi diſperſa ſunt neſcio. Ait autem Apoſtolus: Nocte vade ad colligendum ea, & quæ videris reſplendere vt ignem hæc leua, quia vere ipſa ſunt oſſa mea. Qui ſtatim iuſſa complens recondidit ea diligenter in loculo, & abiit, relicto ibi ſocio ſuo. Cumque pro exquirendis Saracenis illuc Longobardorum irent nauigia, nutu Dei inuentum ibi monachum, & ſanctum Apoſtoli corpus tulerunt, & abierunt. Superuenientes autem Saraceni circundederunt nauem illam in qua ſanctum Apoſtoli corpus ducebatur, ita vt ſpes euadendi non eſſet. Tunc ſubito factæ ſunt denſiſſimæ tenebræ ante Saracenorum naues, ita neſcirent quo pergerent, ſicque liberata eſt nauis illa. Exeuntes autem ad terram ingenti cum honore Beneuentum duxerunt ſanctum corpus, & in altario recondiderunt anno ab incarnatione Domini 809. die 25, mẽſis octobris.

Quomodo poſtea iſtud Sancti Bartholomæi corpus Romam delatum fuerit, refert Blondus lib. 3. dec. 2.

Qualiter Carolus exercitum Aygolandi exploruit, eumque fugauit.

Cap. XII.

Turpinus vbi ſupra Porro Aygolandus congregauit gentes innumeras, Saracenos, Mauros, Moabitas, Æthyopes, Pardos, Aphricanos, Perſas, Regem Arabum, Regem Alexandriæ, Regem Bugiæ, Regem Agarbiæ, Regem Barbariæ, Regem Malcloh, Regem Maioricę, Reges Mequæ, Regem Sibiliæ, Regem Cordubæ, & venit vſque ad vrbem Gaſconicam Agennum, & cæpit eam, & mandauit Carolo vt veniret ad ſe pacifice cum parua militum turma, promittens ei 11. equos oneratos auro & argento, & cæteris gazis ſi ſuo imperio ſubiaceret. Hoc antem dicebat, quia eum agnoſcere volebat, vt poſtea in bello poſſet eum occidere. Quod animaduertens Carolus venit cum duobus tantum millibus fortium, vſque ad quatuor milliaria prope vrbem Agenni, & dimiſit eos occulte ibi. Et venit cum 40. tantũ militibus vſque ad montem, qui eſt prope vrbem vnde poteſt ciuitas videri, ibique dimiſit illos. Et mutatis veſtibus ſuis optimis ſine lancea, clypeo retro dorſum tranſuerſo (ſicut mos eſt nunciis in tempore belli) cum vno ſolo milite venit ad vrbem, qui ducti ſunt ad Aygolandum ad quem cum veniſſent dixerunt. Carolus miſit nos ad te, venit vt imperaſti cum 40. militibus, & vult tibi militare, & effici tuus. Veni ergo ad eum cum 40. de tuis pacifice ſi vis illi dare, quod pollicitus es. Qui reſpondit vt redirent ad Carolum, & expectarent eum. Tunc Carolus cognouit eum, & exploruit vrbem Agenni, in qua parte eſſet facilior ad capiendum. Et vidit Reges, qui erant in ea, & redijt ad 40. milites, & poſtea cum illis ad ſua duo millia. Aygolandus autem cito ſecutus eſt eos cum 7. millibus militum, ſed illi animaduertentes fugerunt. Carolus vero rediit in Galliam, & coadunatis exercitibus reuerſus eſt

Caroli contra Aygolandum geſta.

ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Carolus Agennum capit.

ad vrbem Agennum, & obsedit eam 6. mensibus. Septimo vero mense aptatis circa vrbem artificijs & castellis ligneis Aygolandus cum Regibus & maioribus suis per latrinas, & foramina latenter exiuit. Et sic fluuium Garumnam, qui fluit iuxta vrbem transmeantes euaserunt. In crastinum Carolus cum magno triumpho vrbem intrauit, & 10. millia Saracenorum peremit, reliqui per Garumnam fugerunt. Aygolandus autem venit ad Sanctonas quem Carolus insecutus mandauit ei vt redderet vrbem, qui noluit sed exiuit contra eum in prælium, tali conditione, vt eius esset vrbs, qui vinceret. Sero ante diem belli inter castrum Talaburgum, & vrbem iuxta fluuium nomine Carantham infixerunt quidam Christiani hastas suas ante castra in terra, crastina autem die hastas suas corticibus & frondibus decoratas inuenerũt; hi scilicet qui in bello morituri, & martyres futuri erant pro fide Christi occumbendo: Qui tanto miraculo gauisi, abscisis hastis suis de terra insimul adunati, primi se in bello ferunt, & multos occidunt, sed tandem martyrio coronantur numero quatuor millia, & etiam equus Caroli occisus est: ibi postea fugientes occisi sunt à Carolo, Rex Algarbiæ, & Rex Bugiæ.

De reditu Caroli in Galliam, & de principibus eiusdem.

Cap. XIII.

AYgolandus autem fugiens venit vsque ad Papilonam, & mandauit Carolo, vt ibi expectaret eum causa præliandi. Quo audito Carolus redijt in Galliam, & præcepit per totam Galliam vt omnes serui, qui sub malis consuetudinibus clericorum tenebantur soluta proprij capitis seruitute, & venditione deposita cum omni progenie sua præsenti & futura permanerent liberi, omnes etiam quos ergastulis captos repperit absoluit, & quos pauperes inuenit ditauit, nudos vestiuit maleuolos pacificauit, exhæredatos proprijs honoribus releuauit, omnes armis doctos, & scutiferos milites fecit, & quos etiam ab amore suo iuste separauerat, compunctus ad amicitiam reuocauit. Tunc coadunatis 124. millibus bellatorum, præter armigeros & pedites, quorum non erat numerus, profectus est in Hispaniam contra Aygolandum. Et hæc sunt nomina principum eius.

Exercitus Caroli Magni.

Ego Turpinus Archiepiscopus Rhemensis, qui dignis monitis populum fidelem armabam, & Saracenos proprijs manibus & armis sæpe expugnabam, & Rolandus comes Cenomanensis nepos Caroli filius Bertæ sororis eius, & Milonis Ducis cum quatuor millibus bellatorum. Oliuerus comes Gebennensis filius Raineri comitis cum tribus millibus bellatorum. Arastagnus Rex Britannorum cum sex millibus (alius tamen Rex tunc erat in Britannia) Engelerius Dux Aquitaniæ vrbis, quam Cæsar Augustus primum in illis horis fecit, cui scilicet vrbi Bituricas, & Lemonicas, & Pictauim, & Sanctonas, & Engolismam cum prouincijs subiecit. Vnde tota illa patria Aquitania vocata est. Hæc autem ciuitas post Engeleri obitum in vastitatem versa est, quia omnes ciues eius in Ronciualle occisi sunt, nec alios colonos habuit amplius. Gayferus Rex Burdegalensis, Gundebaldus Rex Frisiæ, Oellus comes Nãnatensis. Arnaldus de Bellanda, qui Aygolandum postea occidit in bello, Naamam Dux Baioariæ, Odgerus Daciæ Rex, Lampertus Princeps Bituricensis, Sanson Dux Burgundiæ, Cõstantinus præfectus Romanus, Garinus Dux Lotharingiæ, exercitus Caroli totam terram longitudine & latitudine cooperiebat duabus dietis, spacio 12. milliariorum in longitudine audiebatur sonitus & fremitus illorum.

Nomina principum Caroli Magni.

De colloquio inter Carolum, & Aygolandum, & de nece Aygolandi.

Cap. XIV.

CArolus didicerat linguam Saracenicam cum esset iuuenis apud Toletum. Veniens ergo Aygolandus ad colloquium cum Carolo datis treugis inierunt pactum, quod illi quorum milites vincerentur meliorem legem victorum sequerentur. Mittuntur ergo sub hoc pacto 20. milites Christiani contra 20. Saracenos, & interfecti sunt Saraceni: Deinde 40. contra 40. & iterum victi sunt Saraceni. Deinde centum contra centum, & fugerunt Christiani. Item 200. contra 200. & interfecti sunt omnes Saraceni. Item millia contra millia, & occiduntur omnes Saraceni. Tunc Aygolandus affirmans legem Christianorum esse meliorẽ, statuit vt in crastinum baptizaretur. In crastino circa tertiam data treuga eundi & redeundi venit Aygolandus vt baptizaretur, & vidit Carolum ad mensam sedẽtem, & inspexit ordines sedentiu, inter quos erant quidam in militari habitu, quidam in canonicali, quidã in monachali, & interrogauit de vno quoque ordine. Videns autem quadã parte 12. pauperes in miserrimo habitu ad terram sedentes sine mensa & linteaminibus, paruo cibo & potu vtentes, quæsiuit, qui essent. Cui Carolus? *Hæc est gens Dei nuncy Domini nostri Iesu Christi quos sub numero 12. Apostolorum quotidie pascimus.* Ad hæc Aygolandus: Male Domino suo seruit, qui sic nũcios Domini sui recipit. Qui circa te resident fœlices sunt, & fœliciter comedunt & bibunt & induuntur, & nuncij Dei tui fame & frigore pereunt, & longe à te turpiter sunt proiecti. Magnam verecundiam facit Deo suo, qui famulis eius ita seruit; legem tuam, quam dicebas esse bonam, nunc ostendisti falsam. Et accepta licentia scãdalizatus redijt ad suos, & baptizari renuens mandauit ei bellum in crastinum. Tunc intelligens Carolus quare noluerit baptizari, omnes pauperes quos in exercitu inuenit diligenter procurauit optime indui, & cibum & potum honorifice illis ex more tribui. In crastina die fuit cædes paganorum occiso Aygolando, quod Christiani vsque ad talos in sanguine natabant. Quicunque autem in vrbe inuenti sunt Pampilona interfecti sunt. Rex Sibiliæ, & Rex Cordubæ cum paucis fugerunt. Quidam vero Christiani cupiditate ducti reuersi sunt, vt tollerent spolia occisorum, & cum redirent onusti auro & argento à Rege Sibiliæ, & à Rege Cordubæ, qui latebant in insidijs interfecti sunt omnes vsque ad mille. In crastinum princeps Nauarrorum nomine Furre mandauit bellum Carolo. Carolus autem rogauit Deum vt ostenderet sibi eos, qui morituri essent in bello. Et ecce crastina die armatis omnibus apparuit rubeum signum crucis Dominicæ in humeris morituroru retro super loricas. Quod vt vidit Carolus retrusit eos in oratorio suo ne perimerentur in bello. Peracto autem bello, & perempto Furre cum tribus millibus, rediens Carolus ad oratorium repperit eos quos incluserat exanimatos.

Pugna Caroli cum Aygolando.

Promisit Aygolandus baptizari sed promissum nõ seruauit.

Aygolandus quare baptizari renuerit.

Aygolandi mors.

De Feracuto gigante, & conflictu Rolandi contra eum.

Cap. XV.

POst hæc nunciatum est Carolo, quod apud Mageiam erat gigas quidam nomine Feracutus de genere Goliath quem Amiraldus Babyloniæ miserat cum 20. millibus Turcorum ad Carolum debellandum. Hic lanceam aut sagittam non formidabat, virtutem 40. fortium possidebat. Mox Carolus Mageiam adijt, egressus gigas ab vrbe petiit singulare certamen; mittitur contra eum Ogerius Dacus, quem mox vt solum in campo aspexit iuit suauiter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iuxta illum,& illico cum eum armis ſuis brachio dextro fuit amplexatus portauit leuiter quaſi ouem cunctis videntibus in oppidum.Erat autem ſtatura eius 12. cubitorum,facies eius longa quaſi vnius cubiti, naſus vnius palmi, & brachia & crura eius quatuor cubitorum, & digiti trium palmorum.Poſt hæc miſſus eſt contra eum Renaldus de Albaſpina,& portauit eum ſolo brachio in carcerem oppidi. Poſt hæc duo ſimul mittuntur Conſtantinus Romanus Rex, & Oellus comes, & portauit eos in carcerem ſimul, vnum ad dexteram & alterum ad leuam.Poſt hęc mittuntur bini alii, & illos ſimiliter miſit in carcerem. Poſt hæc Carolus neminem eſt auſus mittere.Rolandus autem princeps exercitus vix impetrata à Rege licentia, qui adhuc iuuenis erat, iuit contra eum, quem gigas ſtatim rapuit ſola manu dextera ſicut priores,& miſit eum ante ſe ſuper equum ſuum. Cumque illum portaret verſus oppidum, Rolandus collectis viribus in Domino confiſus, arripuit eum per mentum,& euertit eum fortiter retro ſuper equum,& ceciderunt ambo ſimul ad terram de equo, ſtatimque ambo pariter eleuantur de terra, & aſcenderunt equos.Mox Rolandus euaginata ſpatha,quæ Duranda dicebatur,gigantem putans occidere equum eius vno ſolo ictu trucidauit per medium. Cumque gigas ſtans pedes eleuaſſet & ſpatham ſuam vt percuteret,feſtinans Rolandus percuſſit eum in brachio, quo tenebat ſpatham, & nihil eum læſit,ſed tamen ſpatham ei excuſſit,tunc Feracutus amiſſo gladio putans eum percutere pugno ſolo percuſſit equum eius in fronte, qui ſtatim corruens mortuus eſt.Dehinc ambo ſine gladiis, & pedites vſque ad nonam pugnis,& lapidibus pugnauerunt.Die autem adueſperaſcente impetrauit gigas à Rolando treugas vſque in craſtinum, & depoſuerunt inter ſe, vt craſtina die bellum ſine equis & lanceis conuenirent, & ſic vterque ad hoſpitium ſuum reuerſus eſt.

Singulare certamen Rolandi cū Feracuto.

De iterato conflictu & nece Feracuti.

Cap. XVI.

ALtera die ſummo diluculo redierunt: Feracutus tamē attulit gladiū,ſed nihil ei valuit, quia Rolādus ſecum baculum quendam retortum & longū attulit,cū quo tota die iſtū percuſſit,ſed minime læſit. Percuſſit etiā eum magnis & rotundis lapidibus, qui in cāpo abundanter erant vſque ad meridiem, & lędere non potuit. Tunc impetratis treugis à Rolando gigas ſomno prægrauatus dormire cæpit. Rolandus vero vir alacer & nobilis animo tulit lapidem, & ſuppoſuit capiti eius, vt libentius dormiret. Feracutus itaque poſtquam ſomno refectus eſt euigilauit,& ſedit iuxta eum Rolandus, & cæpit eum interrogare quomodo tam fortis eſſet, quod gladium vel baculum, vel lapidem non formidaret. Ad quem ille, vulnerari, inquit, non poſſum niſi per vmbilicum. Quo audito Rolandus tacuit, & quaſi non intellexiſſet aurem auertit. Tunc cæpit eum gigas interrogare de lege chriſtiana, & cum optime per omnia reſpondiſſet Rolandus,ait gigas:Tali pacto tecū pugnabo:qnod ſi vera eſt hæc fides quam aſſeris,ęgo victus ſim,& ſi falſa,tu victus ſis, & ſit genti victi iugiter opprobriū,victoris autem laus & honor in æternū.Fiat, inquit,Rolandus.Tūc vterque paratur ad pugnā & Rolandus illū aggreditur.Gigas autem iecit ictum de ſpatha ſua ſuper Rolandum,ſed Rolādus ſaltans ad læuam excepit ictum in baculo ſuo: quo abſciſo irruit in eum gigas, & arripiens eum leuiter inclinauit ad terram.Tūc Rolandus inuocato in auxilium Chriſto Domino filio Dei & beatę Virginis Mariæ, Deo donante erexit ſe paululum, & reuoluit eum ſubter ſe, & miſit manum ad mucronem eius, & punxit eum parum in vmbilico, & euaſit ab eo. Tunc ille excelſa voce cæpit inuocare Machomet dicēs:Machomet ſuccurre mihi Deus meꝰ, quia iā morior.Ad hāc vocem occurrentes Saraceni,rapiunt eū portantes manibus verſus oppidum,Rolandus autem iam ad ſuos incolumis redierat. Tunc chriſtiani vna cum Saracenis qui Feracutum ferebant ingenti impetu ingrediuntur vrbem; Sicque perempto gigante vrbs & caſtrum capitur, & pugnatores de carcere eripiuntur.

Qualiter Carolus Cordubam cæpit,& totam Hiſpaniam eccleſiæ Beati Iacobi ſubiecit.

Cap. XVII.

POſt hæc iuit Carolus Cordubam, vbi eum ad pugnam expectabant Rex Sibiliæ, & Rex Cordubæ. Cumque iubente Carolo appropinquaret prima turba militum noſtrorum contra primam paganorum; venerunt ante ſingulos equos eorum ſinguli pedites habentes laruas barbatas & cornutas ſimiles dæmonibus, tenentes ſinguli ſingularia tympana, quæ manibus fortiter percutiebant. Quorum ſonitus mox vt equi noſtrorum audierunt, & terribiles eorum ſimilitudines viderunt, exterriti fugam cæperunt, & retineri nullo modo valebant. Mane facto Carolus præcepit vt omnium equorum capita linteis & pannis velarentur & aures obturarentur. Sicque procedentes ad pugnam occiderunt eos vſque ad meridiem: ſed non vſque ad internecionem. Nam omnes Saraceni coadunati erant circa plauſtrum quod octo boues trahebāt, ſuper quod vexillum eorum leuatum erat, Moſque ille erat, quod nemo de bello fugiebat, quandiu ſignum erectum videret. Quod cum Carolus agnouiſſet: ingreſſus eſt in medias acies vſque ad vexillum;quod ſpatha ſua abſcidit, & mox illi fugerunt, quorum octo millia cęſa ſunt. In craſtinū Altumaior Cordubæ reddidit vrbem Carolo tali pacto, quod ipſe baptizaretur, & vrbem pro illo teneret. Tunc Carolus diuiſit terras Hiſpaniæ pugnatoribus ſuis, vt ſupra dictum eſt; & nemo poſtea in Hiſpania auſus eſt illum impugnare.

Carolus Cordubā venit.

Poſt hæc Carolus dimiſſis maioribus ſuis exercitibus in Hiſpania, iuit ad ſanctum Iacobum, & quos in illa patria chriſtianos repperit ædificauit, Apoſtatas autem aut peremit, aut in exilium in Galliam miſit, & conſtituit per ciuitates epiſcopos & preſbyteros, & fecit conſilium in vrbe Compoſtella & inſtituit amore ſancti Iacobi, vt omnes Pręſules, Principes, & Reges Chriſtiani Hiſpani & Galeciani epiſcopo ſancti Iacobi obedirent. In illo concilio ego Turpinus cum ix. epiſcopis eccleſiam beati Iacobi, & altare rogatu Caroli Kalen. Iulij dedicaui, & ſubiugauit Rex eidem eccleſiæ totam terram Hiſpaniæ & Galeciæ, & dedit ei in dotem: præcipiens vt vnuſquiſque poſſeſſor vniuſcuiuſque domus Hiſpaniæ totius & Galeciæ iiii. nummos annuatim ex debito darent, & ab omni ſeruitute liberi eſſent. Et conſtituit in die illa, vt eccleſia illa vocaretur ſedes apoſtolica, & virgæ epiſcopales & regales coronæ per manus eiuſdem epiſcopi vrbis ad honorem ſancti Iacobi præbebantur, ſicut per beatum Ioannem fratrem eius factum erat in Aſia apud Epheſum. Epheſus eſt ad dexteram,Compoſtella ad ſiniſtram,& ita expleta eſt eorum petitio in Euangelio: & hæ tres ſunt principales ſedes in orbe Romana, Galetiana, et Ephesina: ſicut Petrus & Iacobus & Ioannes prę omnibus alijs Apoſtolis à Domino inſtituti: & ad ſecreta eius vocati ſunt.

De proditione Ganelonis in bello Roncinallis.

Cap. XVIII.

ERant tunc apud Cæſarauguſtam ii. Reges Saraceni Marſerius & Beligandus frater eius miſſi ab Amiraldo Babylonis de Perſide ad Hiſpaniam, qui Caroli imperio ſubiacebant, & ei ſeruiebant in charitate & fide ficta. His mādauit Carolus per Ganelonē,vt

aut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aut baptismum susciperent, aut tributum ei redderent. Qui miserunt ei xxx. equos oneratos auro & argento cæterisque gazis Hispanicis, & cccc. equos oneratos vino dulcissimo & puro pugnatoribus ad potandum, & mille formosas Saracenas. Ganeloni autẽ xx. equos oneratos auro & argento & palleis fraudulenter obtulerunt, vt pugnatores Caroli in manus illorum traderet. Qui pecuniam accepit, & concessit, & firmauit cum eis pactum proditionis. Maiores pugnatores vinum solummodo acceperunt, mulieres nullatenus, sed minores subtulerunt. Tunc consilio Ganelonis Carolus transijt portus Cisereos, & fecit vltimam custodiam de charissimis suis principibus Rolando & Oliuero cum maioribus pugnatoribus in Ronciualle cum 20. millibus aliorum Christianorum, tunc Marsirius & Beligandus cum l. millibus Saracenorum summo mane exierunt de nemoribus, & collibus vbi consilio Ganelonis 2. diebus & 2. noctibus latuerant, & fecerunt duas turmas vnam de 20. millibus, & alteram de 30. Prima 20. millium cæpit primum percutere nostros qui conuersi cæciderunt eos de mane vsque ad tertiam, & nec vnus quidem ex 20. millibus euasit. Statim vero illos tanta cæde fatigatos inuaserunt alia 30. millia, & percusserunt nostros à maiore vsque ad minorem, quod ideo eis contigit, quia præcedentibus noctibus vino saracenico ebrij plures eorum cum mulieribus paganis, & Christianis etiam quas secum multi de Gallia adduxerant fornicati fuerant. Ibi ergo omnes pugnatores interfecti sunt præter Rolandum & Balduinum, & Thedoricum. Turpinus autem, & Ganelo cum rege erant.

De nece Marsirij Regis, & transitu Rolandi Principis.

Cap. XIX.

PEracto illo bello cum rediret Rolandus inuenit quendam Saracenum atro in nemore latentem, quẽ ligauit fortiter ad arborem, & ascendit in montem quẽdam vt exploraret illos, & vidit quia nulli erant, & redijt retro ad viam Ronciuallis, & insonuit tuba eburnea, ad cuius vocem redierunt ad eum ex Christianis circiter c. & redijt ad Saracenum quem ligauerat, quem cum soluisset extracto gladio minatus est ei mortem nisi ostenderet ei Marsirium. Hunc ergo duxit secum vsque ad agmina paganorum, qui ostendit ei à longe Marsirium cum equo rufo, & clypeo rotundo. Tunc Rolandus illo dimisso resumptis viribus animatus ad bellum Dei irruit super eos, & vidit ibi quendam inter alios statura maiorem, quem vno ictu secuit per medium cum equo suo, ita quod vna pars equi, & militis cecidit ad dexteram, & altera ad sinistram. Qnod Saraceni videntes illico fugerunt, dimittentes Marsirium in campo cum paucis, quem fugientem Rolandus inter alios consecutus prostrauit. Ibi c. socij Rolandi interfecti sunt. Rolandus autem 4. lanceis grossis, & lapidibus grauiter percussus euasit. Beligandus autem frater Marsirij cum suis recessit ab illis regionibus. Theodoricus autem & Balduinus inter nemora latitabant. Carolus autem cum suis exercitibus iam mõtem transierat, & quod factum fuerat ignorabat. Rolandus valde fessus, & de nece sociorũ valde dolens, venit vsque ad pedem portuum Ciseræ, & ibi sub arbore quadam iuxta lapidem marmoreum, qui ibi erectus erat super Ronciuallem in prato optimo equo desilijt. Habebat autem adhuc spatham suam Durandam, quæ interpretatur durus ictus, quia prius deficiet brachium, quam spatha, & erat pulcherrimo opere, incomparabilis acumine, & nimia resplendens claritate, capulo eburneo & candido, cruce aurea, superficie deaurata, pomo beryllino nomine Dei Alpha, & ω insculpta, hanc cum euaginasset, & lachrymosis vocibus eam deplorasset volens eam frangere percussit trino ictu lapidem, sed lapidem à summo vsque deorsum diuiso sanam eam eduxit. Deinde tuba sua fortiter insonuit, quod flatu oris eius tuba per medium scissa est, & venæ colli eius, & nerui rupti fuisse feruntur. Cuius vox vsque ad aures Caroli angelico ductu peruenit per 8. milliaria distantis à Rolando. Illico Ganelo volentem Regem redire dissuasit dicens cum buccinare causa venandi. Cum ergo Rolandus super herbam prati iaceret, superuenit Balduinus frater eius. Cui ille innuit vt ei aquam præberet, quia valde sitiebat; quam cum ille quæreret & non inueniret, videns eum morti proximum ascendit equum eius, & iuit post Carolum. Mox aduenit Theodoricus, & valde super eum lugens innuit ei vt confessione se muniret. Acceperat autem eodem die Rolandus eucharistiam, & delictorum suorum confessionem fecerat antequam ad bellum iret, quia iste mos erat semper pugnaturis inter nos vt prius confiterentur, & communicarent. Rolandus ergo inter cætera verba dulcissimæ suæ confessionis, tenens pellem & carnem suam circa mammillas & cor dicebat ter: *Et in carne ista videbo Deũ saluatorem meũ.* Et mittens manus suas super oculos suos similiter tribus vicibus ait: *Et oculi isti conspecturi sunt.* Sicque tradidit spiritum dicens: *Iam Christo donante intueor, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se.* Et orationem fudit pro omnibus, qui mortui erant in bello; Obijtque 16. Calend. Iulij.

Rolandus Marsirium interficit.

De exequijs Rolandi, & vltione mortis eius, & Oliueri.

Cap. XX.

EOdem die dũ ego Turpinus cantarem missam pro defunctis coram Rege in valle Caroli, raptus in extasi audiui, choros in cælestibus cantantes, ignorans, quid hoc esset. Cumque illi ad alta transirent, ecce turma cæterorum militum quasi de raptu rediens prædamque ferens ante me transiuit. Quibus dixi; Quid fertis? Nos, inquiunt, Marsirium portamus ad inferna, tubicinem vestrum cum multis Michael fert ad supernа. Hanc visionem dum post missam referrem Carolo, ecce Balduinus super equum Rolãdi, qui narrauit omnia, & qualiter Rolãdum reliquerat. Mox omnibus exclamantibus, & retro redeuntibus prior Carolus Rolandum exanimatum inuenit iacentem euersum, brachijs super pectus in modum crucis positis, & super eũ ruens irrugit clamore magno, & ibi illa nocte tentoria sua fixit, & corpus eius myrrha, & aloe, & balsamo cõdiuit, & exequias magnas precibus & luminaribus, & ignibus pro memoria accẽsis tota illa nocte cũcti peregerunt. In crastinum summo diluculo perrexerunt ad alios fratres nostros occisos, & inuẽtus est ibi Oliuerus iacens euersus in effigie crucis extensus 4. palis in terra fixis cũ quatuor retortis fortiter nexus, & à collo vsque ad vngues pedum, & manuum cultellis acutissimis excoriatus iaculis, & sagittis, & lanceis, & spathis perforatus, & magnis ictibus baculorum attritus, tunc flẽtibus omnibus iurauit Rex per Regem omnipotentem, quod non cessaret post paganos currere quousque illos inueniret. Mox eo post illos currente cum sua tantum militia Sol stetit immobilis, & prolongata est dies illa spacio trium dierum, & inuenit eos iuxta fluuium Ebra iuxta Cæsar augustam iacentes & comedentes, & irruens super eos interfecit quatuor millia, & rediit ad Ronciuallem. Tunc cæpit Rex inquirere si verum esset, quod dicebatur Ganelonem traditionem feciſſe, quem accusauit Theodoricus, contra quem posuit Rex Pina bellum pro Ganelone, quem statim congrediens peremit Theodoricus. Mox Rex iussit Ganelonem quatuor equis fortissimis alligari, & super eos sedere quatuor sessores agitantes contra quatuor plagas cœli, & sic decerptus periit.

Glade Roncisualensi nihil est nostris hominibus celebrius quam cum dubia fidei vt à Turpino hic exponitur ipse D Antonius esse testatur ex Aemyl. eam visum est exponere cui Vasæus aliqua ex parte consentit.

Turpini de Rolando visum.

De sepultura militum apud Ronciuallem interfectorum.

CAP. XXI.

ERant autem tunc temporis duo cæmeteria sacrosancta præcipua, vnum apud Arelatem in Aysis cãpis, aliud apud Burdegalam, quæ Dominus consecrarat per manus 7. sanctorum Antistitum Maximini Aquensis, Throphimi Arelatensis, Pauli Narbonensis, Saturnini Tolensis, Frontonis Petragoricensis, Martialis Lemouicensis, Eutropij Sanctonensis, in quibus maxima pars mortuorum in bello sepulta est. Beatum vero Rolandum super duas mulas Catheto aureo vehi fecit Carolus palleis tectum vsque Blauium, & in ecclesia Beati Romani, quam ipse olim ædificauerat, canonicosque regulares intromiserat, sepeliuit: mucronẽque ipsius ad caput, & tubam eburneam ad pedes, ad honorem Christi, & probitatis eius suspendit. Hanc tamen tubam alius postea apud Burdegalam in ecclesiam Beati Seuerini indigne transtulit. Apud Belinum sepulti sunt Oliuerus, & Gundeboldus Rex Frisiæ, & Togerus Rex Daciæ, & Arastagnus Rex Britanniæ, & Garinus Dux Lotharingiæ. Et alii multi apud Burdegalam sepulti sunt. Gayferus Rex Burdegalæ, Engelerius Dux Aquitanniæ, Lambertus Rex Bituricæ, Galerus Raynaldus cum aliis quinque millibus. Pro istorum animabus dedit Carolus in eleemosynam vncias argenti 11. millia, & totidem talenta auri, & vestes, & cibaria egenis, & totam terram circa basilicam Sancti Romani Blauiensis spacio 7. milliariorum, & totũ oppidum Blauiense cum omnibus sibi pertinentibus, & etiam mare, quod sub eo est vsibus eiusdem ecclesiæ in †Alodio amore Rolandi dedit, & in die passionis eorũ annuatim 30. pauperes cibis refici, & vestibus indui eisdem canonicis præcepit, & totidem missas cantari pro his. & pro omnibus qui in Hispania mortui erant.

Apud Arelatem sepulti sunt, Escultus Comes Linguonensis, Salomon, & Sanson Dux Burgundionensis, Arnaldus de Bellanda, & Albericus de Burgundio, & Raaman Dux Baioariæ, & alii quinque proceres cum decem millibus aliorum. Constantinus autem præfectus delatus est Romam per mare cum aliis multis Romanis, & Apulis, pro quorum animabus dedit Carolus in eleemosynam vncias argenti duodecim miliia, & totidem auri talenta egenis apud Arelatem.

†Vocant hoc ius Franci Alodium, nẽ pe quod liberum & extra mancipum, seruitutem, que dominicam positũ. Greg. Gir. lib 6 Syntag. cap. 1.

Qualiter Carolus post victorias Beato Dionysio gratias egit, eique totam Galliam subegit.

CAP. XXII.

POst hęc congregatum est concilium apud Sanctum Dionysium, vt ibi ageret Carolus gratias Deo, & Sancto Dionysio de subiugata gente pagana, & omnem Franciam dedit eidem ecclesiæ in prædio, sicut antea Beatus Apostolus Paulus & Clemens Papa ei dederant & præcepit vt omnes Reges Franciæ & episcopi præsentes, & futuri pastori illius ecclesiæ subiecti essent, & obedientes in Christo. Nec Reges sine eius consilio coronati nec episcopi ordinati, nec apud Romam recepti essent aut damnati. Et post plurima dona præcepit vt eidem ecclesiæ vnusquisque possessor vniuscuiusque domus totius Galliæ quatuor nummos annuatim ad ędificandam ecclesiam daret; & omnes seruos qui libenter hos nummos darent, manumisit. Tunc stetit Carolus iuxta corpus Beati Dionisii, & orauit vt pro illis intercederet ad Dominum, qui in Hispania mortui erant, & pro salute eorum, qui libenter nummos dabant.

Eodem nocte proxima Carolo dormienti apparuit ei Sanctus Dionysius, eumque excitauit dicens: Illis qui tua monitione, & exemplo tuo animati in bello Saracenorũ mortui, & morituri sunt, omniũ delictorũ suorũ impetraui veniam, & illis qui ad ædificandam Ecclesiam meam nummos dant & daturi sunt, grauioris vulneris sui medicinam. His à Rege in crastinum relatis, populi deuotissime nummos offerebant, & qui libentius reddebant, Francus Sancti Dionysij vocabatur vbique, & erat liber ab omni seruitute Rege præcipiẽte. Inde mos surrexit vt Gallia Francia vocaretur, quia Francus liber dicitur, & merito, quia super omnes gentes alias, illis decus & dominatio debetur. Tunc Rex Aquisgranũ perrexit, & ibi ædificauit, quæ superius dicta sunt.

De Reuelatione corporis Sancti Saluij Martyris, & gestis eius.

CAP. XXIII.

EO tempore Sancti Saluij corpus inuentum est, qui paulo ante à Vuinigardo martyrizatus est. Hic tẽporibus Chilperici Regis ciuitatis Ambianensium cathedra residens multis pollebat virtutibus, ita vt cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, Deo fauente, redderet. Per idem tẽpus præfatus Rex in Ariani dogma declinans scripsit indiculum vt Sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur, vnde & sancto Saluio recenseri iubet, deprecans vt sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens ita respuit, vt si chartam in qua hæc scripta tenebantur attingere potuisset in frusta discerperet. Denique Caroli tẽporibus quidam aduenieus in partes Hannonienſis fisci, qui vocatur Valentianas cæpit ibi prædicare. Quadam vero die celebrauit missam in ecclesia Sancti Martini die resurrectionis dominicę, vbi & populum instruxit, & post missam inuitauit eum ad prandium Genardus quidam, qui fiscum prouidebat sub Domino suo Abbone. Habebat autem sanctus Saluius ministetium ecclesiasticum aureum, vestimenta ex auro & gẽmis ornata, cingulum aureum gemmis & margaritis intextum. Quæ omnia vbique ferebat secum coram omnibus. Hęc autem concupiuit Vuinegardus filius Genardi homo leuis, & proteruus, omniaque fecit ei auferri, & de calice & patena iussit sibi fabricari sellam, & virum Dei misit in carcerem, & misit seruũ vt interficeret eum in carcere & discipulum eius. Et factum est ita. Seruus tamẽ hoc nõ ausus est facere, donec sãctus ei præcepit. Fuerunt autem hi duo sancti nati de territorio Aruernorum. Corpus vtriusque iussit Vuinegardus latenter apportari ad armentum gregis sui, & ibi fossa humo in medio abscondi. Erat autem in eodem armento taurus maximus, qui semper prohibebat cætera animalia ne locum illum attingerent in quo sanctorum corpora posita erant, sed abigebat illa cornibus suis. Erat autem corpus sancti Saluii primo positum in fossa, & corpus discipuli eius super illud iactatum in modũ crucis. Si autem forte contigisset vt aliquæ sordes ibi cecidissent, non cessabat taurus per totam noctem donec pedibus suis locum mundasset. Quædam autem fœmina nocte custodiens, & gyrans domum suam in villa Breuitico vidit immensum fulgorem in loco illo, vbi armentum erat, & cucurrit ad ostium, & vidit duas lampades accensas totum locum illuminantes, velut in meridie, & conuocauit vicinos, vt miraculum viderent. Factum est hoc vna nocte & altera & relata est res ad sacerdotes.

Chilpericus rex Arianus

Fiscus id est ditio.

Sacra sancti Saluij supellex pretiosa.

De translatione eiusdem sacri corporis & miraculis circa illud ostensis.

CAP. XXIV.

EOdem tempore reuelatum est Regi Carolo per Angelum vt mitteret Valentianas & diligenter requireret vbi sanctus Saluius cum discipulo suo requieſceret. Quod ei dictum est per tres noctes continuas. Inuentique sunt prodente eos Genardo, & adductus est Genardus & Vuinegardus filius, & Vuinegarius seruus qui illos interfecerat, & iussit Rex Vuinegardo & Genardo amputari virilia & oculos erui. Vuinegario autem seruo oculos tantum erui; & impositas sũt corpora sanctorum super plaustra vt adducerentur ad

Carolus de interfectoribus S. Saluij sumit supplicium.

eccle-

ecclesiam sancti Vedasti,& non potuerunt moueri adducta multitudiue boum, & relinquentes in plaustro duos boues tantum permiserunt illos ire quo vellent & cum summa festinatione perduxerunt illa duo boues ad ecclesiam sancti Martini,idest,qua sanctus Saluius orare consueuerat iuxta Valentianas,& ibi posita sunt. Et dedit Carolus sancto Saluio tertiam partem illius fisci.

Eo tempore venerunt duæ sorores cuiusdam ducis Francorum ad Regem Carolum conquerentes de fratre suo, quod hæreditatem suam eis auferret. Conuentus super hoc à Rege respondit se nihil eis auferre. Rex autem fecit eum iurare super corpus sancti Saluii quod nihil sororibus suis deberet ex his quæ petebant. Qui cum iurasset lætus statim medius crepuit, & per secretum alui stercora proruperunt,& exiuit sanguis ex oculis eius & auribus,& ore & naribus, & post duas horas vitam finiuit.

Genardus quoque cæcatus quicquid habebat sancto Saluio dedit,Vuinegardus autem filius eius cum venisset ad Ecclesiam in qua sanctus quiescebat, & oraret sibi dari veniam,commota est tota ecclesia.Qui tremefactus & conuersus in fugam, venit ad monasterium sancti Amandi,& ibi permansit lugens & pœnitens omnibus diebus vitæ suæ,Genardus quoque pater eius amissis corporalibus oculis spiritales recepit, residens in domo sua & pœnitentiam agens. Vuinegarius autem seruus venit ad sanctum Saluium,& prostratus ante corpus eius cum multo imbre lachrymarum recepit lumen in vno oculo,& vsque ad diem mortis suæ pauit greges in seruitio sancti Saluii.

De transitu Caroli magni & eius exequijs.

CAP. XXV.

Sigebertus in chronicis. Anno imperii sui 13. Carolus Imperator gloriosus,regno & imperio suo pacato & dilatato,statu quoque ecclesiæ sanctæ religiose ordinato moritur,& sepelitur Aquisgrani anno ætatis suæ 72. Qui pro magnitudine operum agnominatus est MAGNVS.Cuius vitam Einardus descripsit.

Aug. li.6. Habuit præterea tres filios,videlicet Carolum, Pipinum,& Ludouicum.Habuit & tres filias Retrudem,Bertham,& Gistam.Habuit & duas alias filias de Fastrada vxore sua.Cum autem Carolus finem vitæ suæ cerneret imminere,Ludouico filio suo,quem Aquitaniæ Regem dudum ordinauerat, coronam imperialem dereliquit.

Turpinus vbi supra. Eram apud Viennam in ecclesia ante altare orans, & cum raptus in extasim psalmum, *Deus in adiutorium* cantarem,vidi tetrorum spirituum agmina infinita præterire,& tendere versus Lotharingiam: quos omnes quidã similis Aethyopi insequebatur lento gradu. Cui dixi:Quo tẽditis? Aquisgranum, inquit, ad mortẽ Caroli, vt eius spiritũ ad tartara rapiamus. Tunc ego,adiuro te per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt peracto itinere ad me redeas. Tũc modicum morati vix expleto psalmo ad me redierunt eodem ordine. Et dixi nouissimo cui primum locutus fueram. Quid egistis? Galicianus,inquit,sine capite tot, & tantos lapides, & ligna innumera basilicarum suarum in sua statera suspendit,quod magis appenderunt bona eius,quam mala, & idcirco animã eius nobis abstulit.Et his dictis euanuit

Visum Turpini.

Obiit autem 3.Calend.Februarii, & sepultus est Aquisgrani in ecclesia rotunda Beatæ Mariæ Virginis.Ab ipso enim tempore quo ab Hispania discessit, vsque ad diem mortis suæ assidue ægrotauit, & pro salute præfatorum in Hispania mortuorum die anniuersaria eorum semper 12.millia vncias argenti,& totidem talenta auri, & vestes & cibaria pauperibus erogauit idest 16. Calen. Iulii.& totidẽ psalteria & missas & vigilias cantari fecit.

In hoc exemplo datur intelligi, quod qui ecclesiam ædificat,regnum Dei sibi prꝑparat.

Chronographus. Sepultus est igitur Aquisgrani formosissima toto Romanorum orbe capella honorificentissime Carolus, supra cuius tumulum extructus est arcus deauratus. Interfuerunt ibi Leo Papa cum Principibus Romanis, & Archiepiscopi & episcopi multi. Duces etiam & comites & Abbates alijque innumeri; corpus defuncti vestib. imperialibus quasi festiue induentes, auream capiti coronam imposuerunt; deinde super auream cathedrã quasi iudicem viuentem sedere fecerũt, ac super eius genua textum quatuor Euangelistarum aureis literis scriptum collocauerunt, ita quod manus dextra textum, sinistra vero sceptrum tenebat aureum. Catenulam quoque auream diademati coniunxerunt, & cathedræ super quam sedebat, ne caput defuncti decideret, affixerunt. Sed & scutum aureum quod ei Romani fecerant, ante faciem eius statuerunt,& arcum lapideum in quo sepultus erat preciosis replentes aromatibus monumentum strenue sigillantes clauserunt.

De Imperio Ludouici Pij, & actibus eius.

CAP. XXVI.

Ludouicus Pius Imp. an. Ch. 815. mũd. 4669.

Hugo lib.1. Ludouicus igitur Pius Caroli Magni Imperatoris filius, post patris obitum Romanum obtinẽs Imperiũm Anno Dominicę Incarnationis 815. Mundi, scilicet 4669. imperauit annis ferme 27.

Cronographus. Eodem anno præsidet Papa Stephanus 7. mensibus,qui mox Gallias veniens honorifice à Ludouico Imperatore est susceptus. Hic Pontifex pius captiuos multos per Franciam redemit, ac proprijs sedibus restituit. Post sex menses Romam reuersus extremum diem clausit. eique in Apostolica sede Paschalis successit.

Bernardus Rex Italiæ filius Pipini, nepos Imperatoris Ludouici conspirationis factæ contra eundem Imperatorem accusatur, ac reus maiestatis adiudicatus, primo quidem regno & oculis, dehinc etiam vita priuatur.

Vid. Abbatẽ Vrsper. Sigeb. Blondum lib 2. dec. 2. Naucl. 28. & Aemyl. Cultus in vestitu clericorum qualis esse debeat.

Hugo vbi supra. Hic quidem Ludouicus Imperator fuit vir clementissimæ naturæ; vnde cum iuxta suorum lenitatem morum rempublicam disponeret, tulit finem multis aduersitatibus plenum, quia tam à liberis, quam à regni proceribus crudeliter impugnatus fuit. Semper tamen præceptorum Domini feruentissimus executor, & legis sanctæ strennuissimus propagator. Congregatis nempe episcopis & nobilissimis viris fecit componi & ordinari librum canonicam normam continentem. Ipsius denique tempore cæperunt deponi ab episcopis & clericis balthei gemmeis cultibus honorati, & cingula auro compta, & exquisitæ vestes, & alia sæcularia pariter ornamenta. Adiecit præterea quædam secularibus legibus capitula perneceſſaria. Genuit etiam serenissimus Imperator filios tres ex Ermegarde prima vxore sua scilicet Lotharium, Pipinum, atque Ludouicum,& ex sua vxore secunda nomine Iudith genuit Carolum Regem Francorum. Porro Lotharius Imperatoris primogenitus dum esset à patre benignissimo super Italiã constitutus, Romam venit, & die Paschæ in ecclesia Beati Petri à Paschali Papa coronam cum nomine Augusti suscepit.

Sigebertus. Anno Ludouici 6. Aquisgrani generali conuentu habito per dispositionem Ludouici Imperatoris episcoporumque & Abbatum aliqua capitula ad vsus regularium monachorum addita sunt,& multa sãctarum scripturarum compilatione facta clericorum, & clericalium sanctimonialium regulæ constitutæ sunt. *An. Ch. 821.*

Anno eiusdem 7. Paschalis Papa corpus sanctæ Ceciliæ virginis ipsa reuelante inuenit aureis velatum indumentis, sanguine ipsius adhuc infusis, & ipsam, & corpora Sanctorum Valeriani sponsi eius, & Tyburtij, & Maximi, Vrbani quoque Papæ in ecclesiam à se eis ædificatam transposuit.

De

De quibuſdam incidentibus illius temporis.

Cap. XXVII.

ANno eiuſdem 8. in Thurigia ceſpis longitudine pedum, 50. & latitudine 14. altitudine ſeſquipedale ſine manibus de terra prę ſciſus, & ſubleuatus eſt, & vltra pedes 25. tranſlatus eſt, In Saxonia tellus in modum aggeris limite vnius leugæ intumuit.

Anno 9. eleuatio Sancti Vrſinari confeſſoris Lobiẽſis celebratur. Lothario à patre in Italiam directo, & à Paſchali Papa conſecrato, Romæ quidam nobilium perimuntur pro eo, quod proniores eſſe iuſto viderentur ad fidelitatem Lotharij Imperatoris. Quod crimen cum etiam in ipſum Paſchalem Papam intorqueretur, Papa ſe apud Imperatores excuſat, & de hoc crimine coram populo, & legatis Imperatoris, Romæ cum magno epiſcoporum numero ſe iureiurando expurgat.

Terræ motus factus eſt, multæ villæ & domus cæleſti igne cremantur; homines & animalia ictu fulminum exanimantur, fruges grandine vaſtantur, cum ipſa grandine veri lapides immenſi ponderis cadunt, & hæc prodigia grandis hominum mortalitas ſubſecuta eſt.

Puella miraculum. In territorio Tullẽſi villa Commerciaco puella duodẽnis poſt ſacram cõmunionem in Paſcha ſuſceptam à ſacerdote, primum per 10. menſes pane, deinde omni cibo & potu per triennium abſtinuit, & poſt, ad communem vitam hominum rediit.

Anno 10. Eugenius Romanæ Eccleſiæ 97. præſidet. Corpora Sanctorum Seueri Rauennatis epiſcopi, & vxoris eius Vincentiæ, & filiæ Innocentiæ ab Othgario Archiepiſcopo Maguntiam tranſlata ſunt. In Gallia ante ſolſtitium æſtiuale, aere in tempeſtatem repente cõuerſo, ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cuius longitudo pedes 15. latitudo vi. craſſitudo duos pedes habebat. Legati Michaelis Imperatoris inter cætera munera detulerunt Ludouico Imperatori libros Dionyſii Atiopagitæ ab ipſo conſcriptos de Hierarchia ideſt ſacro principatu, petente ipſo Ludouico de Græco in latinum trãſlatos. Qui libri Pariſios in ipſo ſacri martyris feſto miſſi ſunt, & cum gaudio ſuſcepti. Quod gaudium virtus Sancti Martyris auxit 19. ægrotis in ipſa nocte ibi curatis.

Vualcandus Leodicenſis Epiſcopus corpus Sancti Hugberti transfert à Leodio ad Andagium monaſterium.

De Rabano, & ſcriptis eius, & Strabo diſcipulo eius.

Cap. XXVIII

Vid. Trith. & Sixtum Senenſem lib. 4. Bibliothe. RAbanum Sophiſta, & ſui temporis Poetarum nulli ſecundus, fit Abbas Fuldenſis, qui multa de ſcripturis ſanctis diſſeruit, qui etiam librum de laude ſanctæ crucis figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poemate compoſuit, & Sergio Papæ ſancto Petro offerendum miſit.

Item tractatus in libro ſapientiæ, & in Eccleſiaſtico ad Othgarium Archiepiſcopum edidit. Hic tandem ex Abbate Fulgenſi Maguntiæ Archiepiſcopus ordinatus eſt, vbi celebrata ſynodo iuſſu Ludouici Regis multa eccleſiæ vtilia decreuit.

Author. Scripſit ergo de laude crucis libros 2.
De inſtitutione clericorum li. 1.
Super Geneſim li. 4.
Super Exodum li. 4.
Super numerum li. 1.
Super Regum lib. 3.
Super Paralipomenon lib. 4.
Super Iudith lib. 7.
Super Heſter lib. 1.
Super librum ſapientiæ libr. 3.
Super Eccleſiaſticum lib. 10.
Super Hieremiam lib. 1.
Super libros Machabæorum lib. 3.
Super Mattheum lib. 8.
Super actus Apoſtolorum li. 1.

Scripſit & præter hæc de naturis rerũ, & plura alia.

Huius diſcipulus fuit Strabus, qui eo dictãte plurima excepit, & ſuper quoſdam libros Pentateuchi commẽtariola quædam edidit. Liber Rabani de laude crucis partim metricus eſt, partim proſaicus. De quo paucos flores qui ſequuntur excerpſi, & ſigillatim poſui, primo metricos, deinde proſaicos.

Dicta eius metrica de laude Crucis.

Cap. XXIX.

Rabanus de laude Crucis.

O Crux quę ſummi es voti dedicata trophæo.
O crux tu Chriſti es caro benedicta triumpho.
O crux tu excelſo toto dominaris Olympo.
O crux dux miſero latoque redemptio mundo,
Te Patriarcharum laudabilis actio ſignat.
Plebſque Prophetarum diuino famine tuſa,
Agmen Apoſtolicum pandit tua rite trophæa
Martyrum & ipſe chorus effuſo iure cruore.
En arx alma crucis en fabrica Sancta ſalutis,
En thronus hic Regis hæc conciliatio mundi.
Signa crucis Chriſti Seraphin cœleſtia monſtrant
Diſtenſiſque alis brachia tenſa notant.
Forma ſacrata crucis venerando fulget amictu,
Magnus veſtis honor, latus loquor hoc nationi.
Crux ſacra tuque æterni Regis victoria Chriſti
Eſt orbi toti Domini quoque paſsio vita.
In cruce lex Domini decoratur luce choruſca,
Gentes & linguæ ſociantur laude ſacrata.
Crux æterna Dei laus viuis in arce polorum.
Crux ſuperis placita, crux huic es nautaque mundo,
Rabanum memet clemens rogo Chriſte tuere
O pie iudicio.

Dicta eius proſaica de eodem.

Cap. XXX.

Effectus paſſionis Domini noſtri. IDem in eodem lib. 1. *proſaice*. Paſſio Chriſti cœlum ſuſtentat, mundum regit, tartarum perfodit; in ea cõfirmantur Angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici. Inde timor ductus fideles liberat à pœna, triſtitia ſalubris pœnitentes à peccatis mundat, concupiſcentia boni fructus virtutum germinat, gaudium vitę ſpe confidentes lætificat. Hanc auctor omnium ſibi machinam præuidit, & conſtrui voluit, vt in ipſa omnino reſtauraret & coadunaret omnia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

O vere bona, & ſancta crux Chriſti, quis te rite totã enarrare poteſt, aut condigne laudare, quæ cœleſtium arcanorum pia es reuelatrix, myſteriorum Dei ſacra cõſeruatrix, ſacramentorum Chriſti idonea diſpenſatrix? In te Angeli gaudia ſua accumulata conſpiciunt. In te homines iura ſalutis ſuæ cognoſcũt. In te inferi iuſtam retributionem fraudis ſui imperij percipiunt. Præterita renouas, præſentia illuſtras, futura præmonſtras. Perdita requiris, inuenta cuſtodis, lapſa reſtituis, & in viam pacis dirigis. Tu æterni Regis es victoria, cœleſtis militiæ lætitia, terrigenarum quoque potentia. Tu peccatorum remiſſio, pietatis exhibitio meritorum augmentatio. Tu infirmorum remedium, laborantium auxilium, laſſorum refrigerium. Tu cura ægrotos medicans, tu gaudium mæſtos conſolans, tu ſanitas dolentes lætificans, tu ſtatus recte credentium, tu firmitas bene operantium, tu beatitudo rite perſeuerantium, & quicquid digne de redemptione mũdi poteſt cogitari, quicquid lingua rite loqui ad laudem tuam decẽtiſſime poteſt adaptari, quia quicquid in te laudatur, crucifixo in te Chriſto Regi deputatur. Tibi Domine Ieſu Chriſte *Quicquid in cruce laudatur crucifixo deputatur.*

humiles

humiles preces offero, & oris vota persoluo, quod mihi peccatori inspirare dignatus es, honorem sanctæ crucis tuæ quantulumcumque decantare, & communem omnium nostrum salutem cõseruis meis prædicare, nec me ab incæpto retardauit propriorum conscientia delictorum, sed magis mihi fiduciam tribuit, quod in carmine celebrarem, in quo peccati regnum destruxisti, & toti mundo veniam omnium delictorum dedisti.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXI.

Crux magis imperialis thronus quã seruile tormentum vocanda est.

IN *secundo libro.* Salue crux Dei veneranda, quæ sapientia, lumen, & doctrix es orbis terrarum, quæ & vera laus, & amica virtutum virtus, & clara Philosophia apud cœlicolas terrigenasque indesinẽter viges, quam magis decet imperialem vocari thronum, quam seruile tormentum; quia Imperator & Rex noster Christus regnum sibi in te, & potestatem in cœlo, & in terra cõquisiuit; hostes superauit, & mundum Deo reconciliauit. O Christiani populi vexillum & framea, qua cum hoste fortimur bellum, te obsecro vt tua virtute meum pectus infirmum benedicas, vt dignis laudibus æterni Regis in te triumphum valeam decantare, quo scilicet cœlestia simul & terrena vno fœdere coniungas, pactum confirmes, & mortis vincula dissoluas. Quadriga virtutum cardinalium quatuor cornibus sanctæ crucis decenter aptata ostendit sacram seriem specierum ex ipsa procedentem in triumpho victoriæ Regis Christi consecratam, & pro eius passione proficuam esse toti orbi ad impetrandum fructum pietatis, & adipiscendam æternam beatitudinem. Virtus enim est animæ habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum nobilitas, & vitæ moderatio, quæ cuncta, ô sancta crux, religiosis hominibus tradis, & cuncta simul beneplacita Deo, & salubria depromis; arbor odoris suauissimi, & expansione pulchrarum frondium latissima, hortus deliciarum incomparabilis affluens vbertate largissima, floribus, virtutum, & foliis verborum iocundissima. Grãdis consolatio est fidelibus species Sanctæ crucis, & materiam tribuit laudis & bonitatem nos facit scire creatoris. Crux Christi via est iustorum, ascensus ad cœlum, rota de infimis ad superiora nos trahens, dux & ianua regni. Huius pars erecta diuinum transuersa fraternum commendat amorem, cuius amoris integritatem Christus nobis ostendit, ac suo exemplo nos instruxit, qui delectam animam suam in cruce moriens pro amicis suis posuit, & nos idem facere docuit.

Oratio eiusdem Rabani ad Dominum.

Cap. XXXII.

HVnc amorem, ô Deus, semper laudabilis tu pone in me, & timor noxius atque carnalis affectus procul recedant, vt gloria Sanctæ crucis aucta, & multiplicata mecum in vera professione & digna laude in æternum perseueret, ipsaque mihi carmine, & amore permaneat venerabilis, semper ore meo laus & exultatio in corde sempiterna. Vos igitur precor cælestes Angelorum plebes, animasque iustorum, qui in cõspectu maiestatis diuinæ veraciter exultatis, vt sicut sine cessatione *Alleluia*, & *Amen* Deo Christo in æternum cantatis, ita quoque nostram sortem precibus adiuuare studeatis, quatenus beatitudinem veram quam tenetis iam perfecte, tandem & nos aliquando per Christi gratiam mereamur accipere. Te quoque Domine Iesu Christe quando aduenieris iudicare viuos & mortuos, & apparebit signum tuum in cœlo, plangentque se super te omnes tribus terræ, intuentes in eum quem pupugerunt: Obsecro vt tunc à flammis vltricibus Sancta crux me eripiat, atque ab ira agni defendat. Interim quoque quamdiu sum in hoc corpusculo dirige me in semita recta, & fide catholica, sustenta spe firma, & refice dilectione tua, vt sis mihi refrigerium in via quam desidero habere, requies in patria sine vlla differentia, omnia promissa tua verissima credo esse, iudicia tua rectissima pertimesco, dona tua dilectissima expecto.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. XXXIII.

SIgebertus *in chronicis.* Anno 11. Ludouici Hatioldus Rex Danorum cum vxore & filijs, & sua parte Danorum Maguntiæ baptizatur, & ab Imperatore muneribus, & parte Frisiæ in beneficium sibi data honoratur. Hilduinus Abbas Sancti Dionysii sacrique palatij Archicapellanus Romã mittens, à Papa Eugenio corpus Sancti Sebastiani accepit, & Suessionis in basilica Sancti Medardi collocauit, vbi dum adhuc inhumatum in loco in quo allatum est iaceret, tanta signorum & virtutum gratia in nomine eiusdem martyris emicuit, vt à nullo mortalium vel enumerari vel enarrari possint, quorum quædam tanti stuporis esse dicuntur vt humanam fidem excedant, nisi certum esset Deũ pro quo idem martyr passus est, omnia facere posse.

An. Ch. 826. Anno 12. corpora Sancti Marcellini & Petri martyrum de Roma sublata, & in Franciam translata sunt, & multis signis clarificata. Corpus etiam Gregorii Papæ ad vrbem Suessionis translatum esse dicitur.

An. Ch. 827. Anno 13. Rabanus Abbas tractatus in lib. Sapientiæ, & in Ecclesiastico ad Othgarium Archiepiscopũ edidit. Amularius librum de officiis ecclesiasticis ad Imperatorem Ludouicum scribit. Angelomus etiam ad eundem Imperatorem tractatus in libros Regu edidit. Ansegisus Abbas Lobiensis edita Imperatoris Caroli magni & Ludouici filij eius ad ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digessit. Idem edicta ecrundẽ ad mundanam legem pertinentia in duobus æque libellis digessit.

Ano 14. eiusdem in Vuasconia annona de cœlo pluit frumento similis, sed grana breuiora habens. Corpora sanctorum Valentini & Genesij in Augiam monasterium translata sunt.

Adhuc De eodem.

Cap. XXXIV.

An. Ch. 829. ANno 15. cõtra Ludouicu Imperatorẽ cõmotio & simultas filiorum eius, & optimatum exoritur.

Anno 17. Ludouicus Imperator aduersãtes sibi quosdã exauctorauit, alios exiliauit, alios bonis priuauit, ac per hoc filios & optimates suos magis contra se exacerbauit.

Anno eiusdem 18. Imperator vxorem suam Iudith quasi causam malorum abdicauit.

Anno 19. Ludouicus Imperator à suis desertus ac proditus atque in potestatẽ filiorũ redactus, Episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendã pœnitentiam inclusus est. Sol, & Luna per eclipsim deficiunt.

Anno 20. Ludouicus Imperator relaxatus, arma & Imperium & vxorem accepit, ac filium Lotharium in Italiam redire coegit.

Anno 21. monente Gregorio Papa, & omnibus episcopis assentientibus Ludouicus Imperator statuit vt in Gallia & Germania festiuitas omniũ Sanctorũ in Calẽdis Nouẽbris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacij Papæ celebrabãt. Hoc tempore reliquiæ Viti martyris à Parisiis ad Corbeiam Saxoniæ transferũtur. Vnde ipsi Franci sunt testati, quod ab illo tẽpore gloria Francorum ad Saxones translata sit.

Ebbo Remorum Archiepiscopus deponitur, aliique multi, qui cũ eo in deiectionem Ludouici Imperatoris conspirauerant, damnantur & exiliantur.

Cronographus. Anno 23. Normanni Gallias grauiter impe-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

impetunt, & à Frisonibus tributũ accipiunt. Normanni quidem origine Dani fuerunt,& lingua Barbara, Normanni quasi septẽtrionales homines dicti sunt,eo quod prima ab illa mundi parte venerunt.

Sigebertus in chronicis. Anno 25. Ludouicus Imperator filio suo Lothario sub fide ad se venienti reconciliatur, eique dignitatem Imperij; & regni tribuit coronã. Cometes in signo arietis apparet, & per aliquot dies plurimi instar stellarum igniculi per cœlum discurrere videntur.

De Imperio Lotharij & euentibus illius temporis.

Cap. XXXV.

IGitur Anno 26. Imperij sui Ludouicus moritur, & Lotharius solus imperium vsurpans imperat annis 15.

Lotharius Imp. an. Ch. 841. Mund. 4695.

Cæpit autẽ anno Domini 841. Mundi scilicet 4695. Cuius anno primo Carolus,& Ludouicus filii Imperatoris dolentes se à fratre suo Lothario debita regni parte priuari, contra eum insurgere parant.

Anno eiusdem secundo, Cometes in signo Aquarij apparuit. Tribus fratribus de perditione regni discordãtibus conseritur inter eos pugna in pago Antisiodorensi apud villam Fontanedum & tanta cædes vtrinque facta est, vt nulla ætas meminerit tantam stragem hominum fuisse factam in gentem Francorum, & ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, vt iam nec suos terminos ab extraneis tueri possent victoria tamen Ludouico & Carolo peruenit.

His temporibus floruit Theodulphus Abbas Floriacensis postmodum episcopus Aurelianensis, de quo refertur,quod illos versus quos in die palmarum singulis annis ecclesiæ Galliarum decantare in vsu habent, ipse composuerit, scilicet: *Gloria laus, & honor tibi, &c.* quos cum ipse Ludouico Imperatori secus domũ in qua exul detinebatur apud Andegauim transeunte decantaret, audiens Imperator, & misertus illius, iussit eum absolui.

Francia regni diuisio. Vid. Baron. ad annum Domini 844.

Anno 4. Sergius Romanæ ecclesiæ præsidet centesimus. Ad cuius electionem confirmandam Ludouicus filius Imperatoris Lotharii à patre missus.ab eodem Papa in Regem Longobardorum vnctus est. Mauri Beneuentum occupãt. Descripto in tres partes regno fratres ad vrbem Galliæ Virdunum conueniunt, & inter se pacificantur, & datis & acceptis inuicem sacramentis quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas reuertuntur. Carolus accepit, occidentalia regna à Britãnico Oceano vsque ad Mosam fluuium. In qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remansit. Ludouico orientalia regna cesserunt omnis scilicet Germania vsque ad Rheni fluenta, & aliquæ trans Rhenũ ciuitates cum pagis adiacentibus propter vini copiam. Lotharius, qui maior natu erat, & Imperator appellabatur omnia Italiæ regna tenuit cum ipsa Roma,nec non & prouinciã, & mediam partem Franciæ inter Scaldẽ,& Rhenũ quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia.

Post factam ergo diuisionem Carolus regnat in Francia annis 34. Ludouicus frater eius annis 33. in Germania.

Cronographus. Hic Ludouicus 14. Duces Bohemorũ cum suis baptizari fecit. Porro regnũ Caroli fratris eius cognomento Calui Normanni grauiter impetunt,& vsque Parisios nauigio veniũt;cum Frisonibus tribus prœliis confligunt,& in duobus primis victores existunt.

Eo tempore Sanctus Radulphus Bituricensis archiepiscopus moritur,cuius festum est 7. Calend. Iulii,& in cœnobio Beati Sulpicij iacet.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXVI.

Sigebertus in Chronicis. Anno 7. Leo * quintus Romanæ ecclesiæ centesimusprimus præsidet. Hic decreuit vt dum missarum Solennia celebrantur nullus ex laicis in presbyterio stare aut sedere vel ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs,quæ ad ministrationem sacri officij constituta est. Decreuit etiam vt octauæ Assumptionis S. Mariæ in ecclesia Romana celebrentur, quod ante non fiebat.

* *Hunc alij vocant Leonem quartum.*

Anno 8. Rabanus Abbas Fuldensis ordinatus Moguntiæ Archiepiscopus celebrata synodo Moguntiæ iussũ Ludouici Regis multa ecclesiæ vtilia decreuit. Quædam pseudo prophetillà dicens instare diem iudicii Mogũtiam solicitabat, ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret, quæ ab Archiepiscopo correpta confessa est se per suggestionem cuiusdam presbyteri quæstus causa hoc fecisse.

Anno 9. Sancta Helena Imperatrix à suo filio Constantino magno primo huius nominis Imperatore Romæ in ecclesia Sanctorum Marcellini,& Petri Martyrũ in mausoleo purpureo sepulta, ad Frãciam à Theogiso monacho trãsfertur; & in dioceſi Remẽsi magna Francorum veneratione excolitur.

Anno eiusdem 11. reliquiæ Sancti Hermetis martyris per Lotharium Imperatorem in Gallias mittuntur, & apud Indam monasterium honorifice conduntur.

Fames valida Germaniam attriuit, ita vt pater filium suum deuorare voluerit. Quo tẽpore, Rabanus, Archiepiscopus multam pauperibus benenolentiam exhibuit.

Anno eiusdem 12. Carolus Rex Frãcorum filios fratris sui Pipini regis, Pipinum, & Carolum regnum inquietantes capit, & in monachos attonsos in monasterium trudit.

Denarius D. Petri in Anglia.

Cronographus. Hoc tempore Rex Anglorum Adulphus qui primo totius Angliæ monarchiã obtinuit. Romam perrexit,& coram Leone Papa Sancto Petro tributum, quod vsque hodie in Anglia soluitur, scilicet de vnaquaque domo nummum argenteum per annum obtulit.

Eo quoque tempore Burdegalis, & Petragoricus & Sanctonensis, & Lemouicensis,& Turonensis,& Aurelianẽsis ciuitates à Northmãnis paganis captæ sunt,qui ex Dacia quidem,vt dictum est,eruperunt, sed conuersi tandem in Galliæ maritimæ parte, quæ dicitur ab eis Normannia,resederunt.

Sigebertus. Anno 13. Northmanni per mare Britãnicũ ostia Ligeris ingressi vrbem Nanetum inuadunt, Episcopum Sabbato Sancto Paschæ baptismum consecrãtem trucidant, clerum & populum perimunt. Inde Andegauos,deinde Turonos occupant, & vt tempe sta omnia diruunt. Templum etiam Sancti Martini incendunt.

Anno eiusdem 14. Hincmarus Remorum Archiepiscopus in Francia claret,qui viram Sancti scripsit Remigij.

Anno eiusdem 15. terræmotus, aeris insolita commotio, turbines, grandines,tempestates, fulmina multa multimodis incommoda hominibus inferunt. Quidam etiam homo igne cœlesti consumptus est, veste illęsa manente.

De Imperio Ludouici secundi, & euentibus illius temporis.

Cap. XXXVII.

LOtharius Imperator partito inter filios regno abrenunciat sæculo, & in Prumia monasterio habitu monachali susceptο, non multo post dormiuit in Domino.

Crono-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cronographus. De huius tamen anima inter Angelos & dæmones altercatio fuit facta. Angeli siquidem animam monachi; dæmones Imperatoris quærebant. Sed orantibus fratribus fugati sunt dæmones, qui corpus distrahebant.

Sigebertus in chronicis. Ludouicus filiꝰ eius olim à Sergio Papa in Regē vnctus, Anno Domini 856. Mūdi vero 4710. imperauit annis 21. Lotharius vero frater eius Lotharingiam tenuit.

Anno Ludouici primo Maginradꝰ eremita martyrizatur. Rabanus egregie vitæ & scientiæ Archiepiscopus obiit.

Vide melius narrantem Bare. ad an. 858.

Anno eiusdē 2. Nicolaus Romanę ecclesiæ 103. præsidet, cuius ordinationē Ludouicus Imperator sua præsentia roborauit. Coloniæ orta tēpestate populo in basilicā Sancti Petri cōfugiente, subito fulmen instar ignei diaconis basilicā scidit ac penetrauit, & tres homines diuersis quidē locis, sed vno ictu in mortē deiecit. Alios etiam 6. eodem impetu semiuiuos reliquit.

An. Ch. 858.

Anno 3. Franci super crudelitate Caroli Regis sui apud Ludouicū fratrē eius expostulant, & eū ad regnādū super se cōtra Carolū inuitant. Quod ille incōsulte aggressus turpiter alienis excessit finibus. In parochia Moguntina malignus spiritus euidens nequitiæ suæ dedit indiciū. Nā primo lapides iaciendo, & parietes domorū quasi malleis pulsando, inde manifeste loquendo, furta etiā prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat. Deinde animos omniū cōtra vnum hominē cōmouit, quasi propter eius peccata cæteri alia paterētur: cuius fruges in vnū coaceruatas incendit, qui vbicūque intrasset, statim domus illa exurebatur, vt iam ei nisi in agris locus manendi nullus esset. Propter hoc presbyteris litanias agētibus, & aquā benedictā spargētibus inimicus lapides iaciendo multis cruentatis, tandē aliquandiu quieuit: presbyteris recedentibus inimicus flebiliter vlulans tandē presbyterum quendā nominatim exprimens, se quando aqua benedicta spargebatur, sub cappa quasi familiaris sui latuisse professus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse, sic per triennium institit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXVIII.

ANno eiusdem 5. Numeneus Rex Britonum dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei assistere sibi Sanctum Maurilionem Andegauēsis vrbis olim episcopum, à quo in capite baculo percussus iram Dei morte persensit.

Lotharij cū vxore diuortium.

Anno eiusdem 8. Hugbertus Abbas, & Dux, frater Teitbergæ Reginæ pro repudio sororis suæ contra Lotharium insurgit. Gunthatius, & Teitgandus Archiepiscopi Romæ à Papa Nicolao pro adulterio Lotharii Regis examinati, & cum suis synodalibus gestis, quæ præferebant, & suo etiam ore conuicti fatisset episcopatu & gradibus sacris exordinati, anathematizati sunt, eis tamen laicalis communio concessa est.

Anno eiusdē 9. excommunicata pellice Vualdrada à legato Apostolico, videns Lotharius Rex etiā sibi excō municationem intentari, Teitbergam vxorem suam recepit, sed non multum id profuit, quia non multopost repudiata vxore pellicem recepit, nec vltra vllo correctionis modo ab ea separari potuit.

Anno eiusdem decimo corpora sanctorum Eusebij & Pontiani martyrum, dono Nicolai Papæ ad Gallias translata, & in monasteriis voto religiosorū Sācto Petro collatis honorifice tumulantur. Rex Bulgarorū ad Christianismum cum sua gente cōuersus missis ad eū à sede Apostolica sacri ordinis ministris, acceptis etiā à Rege Ludouico subsidiis adeo in fide solidatur, vt non multopost filio maiore in regnū ordinato, ipse abrenuncians sæculo monachus factus sit, sed cū filius eius inueniliter agens ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo & cultu regio resumpto filium persequi cæpit, & oculis eius effossis eū in carcerem trusit, & filio iuniore in regnum locato, sacrum habitum recepit, & in eo vsque ad finem vitæ perseuerauit.

Item De eodem.

Cap. XXXIX.

An. Ch. 867.

ANno 12. Saracenis Beneuentanam regionem incursantibus, Ludouicus Imperator viriliter occurrit. Ad cuius auxiliū frater eius Lotharius properans, multa quidē prælia cū eo strenue gessit, sed exercitu suo propter intemperiem aeris morbis & morsibus aranearum nimis grauato, cum multo suorum dispendio redijt.

Saracenis instat Ludouicus Imperator.

Anno eiusdem 13. Michael Græcorū Imperator sensu dimiuutus, adeo mente excedebat, vt familiares suos iuberet occidi, quos tamen ad se rediens sibi præsentari exigebat.

Anno 14. Basilius quem Michael Imperator pauperē ex familia vnius Abbatis sibi asciuerat, & cubicularium factum ad tantos honores prouexerat, vt alter ab Imperatore appellaretur, sæpe ab Imperatore per insaniā occidi iussus, timens ne tali occasione occideretur, elegit ipse magis Imperatorem occidere quam ab eo interfici, & imperauit annis 17.

Corpus Sancti Mauri, qui fuit discipulus Sancti Benedicti apportatū à Glandifolio in Burgūdiam propter timorem Northmannorum transfertur ad Fossatense cænobium, quod construxit Sanctus Babolenus beati Columbani discipulus.

Anno 15. Lotharius Rex Romam ad Adrianū Papam se excusatum vadit. A quo dum pro comprobatione innocentiæ suæ ad examinationem corporis & sanguinis Domini tam ipse quam optimates regni inuitati fuisset, & ipse, & omnes, qui corpus Domini nostri cū eo temere accipere præsumpserunt infra ipsum annum perierūt, ipso statim in redeundo placentiæ defuncto.

Anno 16. Coloniæ celebrata synodo ad dedicationē ecclesiæ à tribus Lotharingiæ Metropolitanis, Luitperto Magūtino, Berthulpho Treuerēsi, Vuilleberto Colonienſi, cum ab eis maior ecclesia, quæ est Sancti Petri deberet dedicari, præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium & conquerentium se à possessis diu sedibus debere expelli.

De Elfredo Rege Anglorum, & victoria eius ex Danis.

Cap. XL.

Helinandus. Anno Ludouici 17. obiit Etheldredus Rex Etherenulphi filius, post quem regnauit Elfredus filius Etherenulphi iunior, qui olim à Papa Leone 5. vnctionem regiam, & coronam susceperat. Hic regnauit annis 28. & mensibus 6. Nouem continuis annis cum hostibus pugnauit. Hic cum quadā die in Adelingia inclusus solus domi esset, sociis per oram fluminis dispersis ad piscandum, corpus curis ægrum sopori dedit, & ecce Sanctus Cuthbertus Lindefarnēsis quō- *De regibus Anglia.*
dam episcopus sic dormientem alloquitur: Ego sum Cuthbertus, si audisti, misit me Dominus vt tibi prospera nunciem. Anglia iam dudum peccatorum suorū pœnas luit, modo tandem indigenarum sanctorum immeriti à Domino respecta est, tu miserabiliter regno extorris, post paucum tempus in solito glorioſe reponeris. Et hoc tibi signum: Venient hodie piscatores tui magnam multitudinem piscium corbibus euehentes, quod mirum est, cum gelante aqua fluminis nil tale speretur, sed & tempus frigidum omnem artem piscantium eludit. Tunc fortunæ secundæ tuæ compos, memento liberatoris tui, & eius nuncij. Hoc idem visum est per somnium matri suæ. Experrecti ambo somnia sua referebant, & ecce piscatores aduenient cum magna piscium copia. Non multo post

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anglia miro commento artis ioculatoriæ eluditur.

ergastulum exire ausus in quo à Danis tenebatur magnę astutiæ periculum fecit. Regis enim Danorum intrauit tentoria sub specie mimi, vnius tamen sibi fidelissimi fruens conscientia, ibi tanquam artis inculatoriæ professor etiam in secretiora triclinij admissus, omnia arcana oculis & auribus percepit, pluresque dies ibi moratus Adelingiã redijt exponẽsque socijs omnia, irruit repẽte super barbaros ociosos, quorũ plurimis occisis reliqui cum Rege suo dederunt obsides, quod Christiani fierent, & ab Anglia discederent, quod & factum est, Rex eorum Gudrum, quem nostri Gurundum vocant cum 30. proceribus, & omni pene populo baptizatur & in filium ab Elfredo Rege susceptus est. Cæteri ex Danis, qui Christiani esse noluerunt cum Hastingo mare transfretarunt.

Sigebertus in Chronicis. Anno prænotato Carolum Regem Francorum domestica calamitas in filijs suis afflixit. Siquidem Carolomannum in clericatu vsque ad diaconatus officium prouectum ipse pater cæpit, & excæcauit, pro eo quòd ad apostasiam conuersus, & omni generi nocendi regnum perturbãs, alter quidem Iulianus effectus erat. Porro alter filius eius Carolus dum inconsulte voluisset experiri expertam cuiusdam Albuini militis fortitudinem, & soli solus congressus fuisset, ab eodem Albuino ignorante quis esset, peremptus est.

Regia Francorum clade filiorum regiorum affligitur.

Cronographus. Sub hoc tempore Danorum gens Angliam plurimum desæuiens perturbauit. Regem quoque piissimum & christianissimum illius Eadmundum capitali sententia nequiter condemnauit. Huius Sancti caput abscisum, quod mirabile fuit lupus sæuus illæsũ seruauit & in silua deferens diligẽtissime inter anteriorum pedum amplexus collocauit. Quod cum postmodum à pluribus quęreretur, vocem huiusmodi fertur emisisse, *here, here, here*, quod interpretatũ sonat *hic, hic, hic*. Postmodum huius regis manifestato martyrio, plebs Anglorum læta accurrit, vbi plurima miracula perpetrasunt.

Basilius Ludouico munera mittit.

Sigebertus in chronicis. Basilius Imperator Græcorum inter cætera munera mittit Ludouico Regi germanorum .crystallum miræ magnitudinis auro gemmisque ornatum cum parte non modica Sanctæ Crucis.

Anno sequenti eiusdẽ Ioãnes Romanæ ecclesiæ 105. præsidet. Ad hũc Ioãnes Romanæ ecclesiæ diaconus vitã primi Gregorij Papæ scribit in quatuor libellis laudabiliter editam. Carolus iunior Ludouici Germanorũ Regis filius à dæmonio grauiter in præsentia patris, & optimatum eius vexatur, & in ipsa vexatione confitetur hoc ideo sibi contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur.

De pestibus illius temporis, & quibusdam alijs.

Cap. XLI.

ANno sequenti in Italia Brixiæ tribus diebus, & tribus noctibus sanguis de cælo pluisse narratur, locustæ Galliam depopulantur innumerabiles, cæteris locustis maiores, sæna alarum remigia, sex pedes, duos dentes lapide duriores habẽtes, vt castrorum acies turmatim volantes, duces cũ paucis itinere vnius diei præmittentes ad metenda loca venturæ multitudini, circa horam nonam ad locum præuisum venientes, ibique Solis ortum expectantes, per spacium vnius diei aerem velabant, ipsum Solis radium obnubilantes, ore lato extenso intestina omnia viridia in herbis & arboribus vastabant, spacium diurni itineris quatuor aut quinque milliaribus extendentes. Hoc miserabili spectaculo vsque ad mare Britannicum peruenientes, tandẽ flatu vẽtorũ in profũdũ maris demersæ sunt, sed æstu oceani ad littus reiectæ, putredine sua aere corrupto multos perire fecerũt. Secuta fames valida multos consũpsit inedia, vt pene tertia pars hominum consumpta sit in Gallia.

Anno sequenti hyems solito asperior fuit, & prolixior nix, & gelu à Calen. Nouembris vsque ad vernale æquinoctium. Ludouico Regi Germanorum apparuit in sõnis genitor suus olim Imperator adiurans eum per nomẽ Sãctæ Trinitatis, vt cũ eriperet à tormẽtis quibus tenebatur, vt tandẽ requiẽ ęternã habere mereretur. Ob hoc ad diuersa monasteria eleemosynis destinatis, obnixe filius succurrebat patri. Vnde dabatur intelligi, quòd licet Idẽ Imperator multa Deo & hominib⁹ placita fecisset, plura tamẽ Deo cõtraria in regno suo fieri cõsensit in quibus grauiora videbantur, quod hæresi Nicolaitarum non restitit, & monita Gabrielis Archangeli 12. capitulis comprehensa, quæ Emarchus ei legenda & obseruanda obtulit, seruare non studuit.

Lotharius Imperator mortuus filio apparet.

Northmanni vrbẽ Andegauis quasi in ea habitaturi cũ suis omnibus occupant. Ad quã expugnãdã Carolus ascito Salomone Britonũ Rege multis diebus eã obsedit. Sed cũ Northmãni ad desperationẽ adducti fuissẽt, Rex inuito exercitu pecunia ab eis accepta egressũ eis annuit, eisque hoc pacto peiora faciendi locũ dedit.

Carolus Andegauis Northmannos expellit.

De Imperio Caroli Calui, & scriptis Ioannis Scoti.

Cap. XLII.

ANno imperii sui 21. Ludouicus Imperator moritur, & patruus eius Carolus Rex Francorũ Romã pergit, & Ioanne Papa & Romanis per munera sibi cõciliatis Imperator creatur, Anno Domini 877. Mundi vero 4751. & imperauit annis duobus, sed ei statim à Ludouico fratre suo bellum paratur, quod se inconsulto solus imperium fratruelis vsurpauerit.

Cometes solito rutilantior apparuit: subita & nimia aquarũ inundãtia facta est in Iunio ita vt in Saxonia villa quadam longe à torrentibus & fluminibus remota in momento cum hominibus & bestiis, & arboribus, & ædificiis, cũ ecclesia & altari penitus absorpta sit, vt nullum habitationis permanserit vestigium.

Britones Rege suo Salomone mortuo, pro contentione regnandi intestino inter se bello collidũtur, sicque inuiti cessant à Galliæ exterminio.

Ex chronicis. Anno imperii Caroli 1. Ludouicus Rex Germanorũ frater eius obiit relinquens tres filios scilicet iuniorẽ Ludouicũ, & Carolũ, qui nõ multo post imperauit, & Carolũ magnũ patrẽ Arnulphi Imperatoris.

Porro Carolus de morte fratris sui gauisus iniustitiã quã cõtra fratrẽ cõceperat contra filios fratris perficere paratus, cũ 50. millibus hominũ, & eo amplius regnũ eorũ aggressus, Coloniã vsq; peruenit, Ludouici filiis aliàs occupatis. Ludouicus autẽ iunior missa legatione ad patruũ rogabat ea, quæ pacis sunt. Qui cum impetrare non posset eũ bello viriliter excepit ipsumq; victũ cũ nimio exercitus damno ac dedecore multo fugere compulit.

Temporibus huius Caroli Calui Comitatus Flandrensis exordium sumpsit. Non enim Flandria tũc erat tanti nominis & opulentiæ sicut nunc cernitur, sed à Regis Francorum forestariis regebatur, quorum Lidericus, & Ingerlanus, & Audacer sub Pipino & Carolo magno, & Ludouico rectores Flandriæ fuerunt, nec tamen Comites vocati sunt. Balduinus autem filius Audraciri rapuit Iudith filiam Caroli Calui, propter quod ab omni ecclesia consensu episcoporum excommunicatus est ex præcepto Caroli. Deinde ex episcoporum, & optimatum suorum consilio reconciliatus Carolus Balduino & Iudith, dedit eis Flandriam in Comitatum perpetuo possidendam ipsis, & hæredibus suis.

Helinandus lib. 46. Hoc tempore claruit Ioannes Scotus vir perspicacis ingenii, & mellitæ facundiæ, qui dudũ concrepantibus vndique bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Caluum trãsierat. Cuius rogatu Hierarchiam Dionysii Ariopagitæ de Græco in Latinũ verbum è verbo transtulit. Composuit etiam librum quẽ de naturæ diuisione titulauit, propter quæstiones soluendas bene vtilem, si tamen ei in aliquibus ignoscatur, in quibus à Latinorum tramite deuiauit dum in Græcos acriter oculos intendit. Hic succedentibus annis munificentia Elfredi allectus venit in Angliam, &

Ioannes Scotus vir Doctissimus sed hæreticus & Berengarianæ hæreseos primus author.

apud

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

apud monasterium Malmesberiense à pueris quos docebat graphis, vt fertur perforatus, & martyr æstimatus est. Huius epithaphium hoc fuit.

Clauditur in tumulo Sanctus sophista Ioannes,
Qui ditatus erat, iam vincus dogmate miro:
Martyrio tandem Christi consecutus regnum
Qui meruit, sancti regnant per secula cuncti.

Scabri sunt hi versus, & moderni temporis lima carentes.

Author. Hic Ioannes Scotus Philosophus vt dicit Lanfrancus in fide desipuit. Vnde liber eius de eucharistia lectus est, & damnatus in synodo Vercellensi celebrata sub Papa Leone 9. Eodem anno quo se Lanfrancus ab errore Beringarij purgauit. Idem etiam Ioannes super Hierarchiam Dionysij commentauit.

De gestis Caroli Calui.

Cap. XLIII.

Sigebertus in Chronicis. Carolus Caluus Imperator post adeptum imperium vltra se elatus, consuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias & insolitos habitus affectabat, & talari dalmatica indutus, & desuper baltheo accinctus pendente vsque ad pedes, capite vero inuoluto velamine serico, & diademate super imposito procedebat. Et cum esset lepore timidior, & hostes fugere, quam fugare paratior, fratrem suum Ludouicũ lacessebat, minatas tantas copias se conducturum vt ab equis flumine exhausto ipse per aridum alueum Germaniæ regnum intraret. Huic Heiricus monachus vitã Germani Antisiodorensis episcopi heroico metro in 6. libellis luculenter exaratam obtulit.

Helinandus vbi supra. Carolus iste Caluus monasterium S. Cornelij apud Compendium fundauit, & perfecit. Hoc castrum cogitauerat ipse facere ad instar Cõstantinopolis, & de nomine suo illud appellauit Carolopolim. Hic indictum diem quem Carolus magnus apud Aquilam capellam suam instituerat Aquisgrani, instituit apud villam S. Dionysii. Et quia in ecclesia S. Dionysii multa rapuerat, quæ alij dederant, spineam coronã Domini, & vnum de clauis, & de ligno crucis, & alia quædam ibi attulit. Sudarium autem apud Compendiũ reliquit, & hoc instituit ipse tẽpore Nicolai Papæ. Antequam autem reliquiæ istæ ostenderentur populo, tãta fames solebat esse in Francia vt Asinos, & caballos comederent, quæ per domini misericordiam postea cessauit. Sigebertus dicit hũc Carolũ in reditu à Roma mortuum fuisse Mantuæ. Alibi legi ego quod Romã pergẽs obiit in itinere, & sepultus est apud Lugdunũ in monasterio Antonay. Post multũ tẽporis apparuit ipse in visu noctis cuidam monacho sancti Dionysij nomine Ethẽgario, & in eadem nocte cuidam clerico sancti Quintini Viromadensis Alfoni nomine, dicẽs vtrique se esse Carolum Cattum, & ex Dei iussu eis apparuisse, vt diceret eis, quod Deo & Sãcto Dionysio displicebat, quod corpus eius non esset sepultum in ecclesia Sancti Dionysii, cui tanta munera pro Dei honore cõtulerat. Irent ergo & dicerent Ludouico filio suo, & proceribus regni vt corpus eius illuc deferrent. Sic ergo relatus est tempore Vualterii Abbatis Sancti Dionysii, & sepultus est in Ecclesia sancti Dionysii ante altare Sanctæ Trinitatis.

Ex chronicis. Iste Carolus in diuersis per Frãciam locis ecclesias Sanctorum aut ædificauit aut restaurauit. Apud Compendium Sanctorum Cornelii & Cypriani reliquias attulit. In quarũ aduentu responsorium; *Cives Apostolorum*, quod vsque nunc cantat ecclesia composuit.

Sigebertus in chronicis. Anno Caroli Calui primo ingruente in Germania pecorum pestilentia, dum canes vndique collecti cadaueribus incumberẽt, ita disparuerunt, vt nec mortui reperirentur.

Compendiũ à suo nomine vult Carolus Carolopolim nominare.

De imperio Caroli Iunioris.

Cap. XLIV.

ANno sequenti Carolus Imperator Romam secundo profectus, Bosoni germano vxoris suæ neptem suam, filiam Ludouici Imperatoris vxorem dedit, & data ei prouincia, in Regem eum coronauit, vt etiam Regibus imperare videretur. Qui audiens fratrueles suos Carolomannum, & Carolum contra se exercitum adducere, pauore solutus reditum parat, & inter redeundum à quodam Sedechia Iudæo male potionatus, Mãtuæ moritur. *An. Ch. 878.*

Filius eius Ludouicus, cognomine Balbus secundus, post diuisionem regnat in Francia annis duobus. Iunior vero Carolus filius Ludouici, Germanorum Regis Imperium adeptus est, annuentibus sibi quibusdam nobilium Romanorum; Ioanne autem Papa satagente Imperium transferre ad Ludouicum Balbum filium recentis defuncti Caroli Imperatoris.

Cæpit autem anno domini 879. Mundi vero 4733. & imperauit annis 12. secundum Chronicam.

Anno Caroli iunioris primo, Ioannes Papa iniuriatus à Romanis, ita vt etiam in custodia teneretur, pro eo quod Carolo non fauebat, in Franciam veniens cum Rege Ludouico Balbo, pene annum moratus est. *Ioannes 8. Pontifex in galliam venit.*

Northmannorum plusquam 5. millia à Frãcis in Gallia cæsa sunt.

Hoc tempore clarebat Milo monachus sancti Amãdi, qui vitam sancti Amandi metrice composuit, & librum de sobrietate ad Carolum Caluum scripsit. Sub hoc Milone adolescebat etiã nepos eius Hubaldus, qui in septem liberalium artiũ peritia clarus, egregie præter cætera in musica claruit, & de multis sanctis cãtus dulci & regulari modulatione composuit.

De vastatione Galliæ per Hastingum & Rollonem.

Cap. XLV.

Helinandus. Hastingus fugatus ab Anglia ab Elfredo Rege, vt supradictum est, cum suis tranfretauit, & Parisios, & Turonos, & multas alias vrbes, quæ super Sequanam & Ligerim sitę sunt, ciuibus euacuans, vsque ad extremum mare grassatus est.

Odo Cluniacensis Abbas. Hic Hastingus vastatis superioribus partibus Galliæ, obsedit Turonum. Cuius cum crebro murus pulsaretur arietę, curritur ad corpus sancti Martini, & defertur istud ad locum debiliorem, mortuum prõ viuis defensorem facientes. Mox fugerunt Dani, quos Turonici persecuti sunt vsque ad sextum lapidem. Ibi ædificata est Ecclesia sancti Martini in loco illo vbi sanctum corpus substiterat. Ibidem erant maceriarum ruinæ antiquarum, vbi dicebatur aula fuisse Valentiniani, in qua sedens non dignatus est assurgere Martino, donec affiante incendio inuitus surrexit. *Hastingus Rex Danorũ Galliã depopulatur.*

Post tria lustra fugæ Hastingi, venit ab eisdem finibus Rollo, qui victis Britonibus, & Flãdrensibus, & vrbibus eorũ, & oppidis succensis venit Cenomannũ, & obsedit eã. Et misit præsides exercitus sui ad Turonum, sed tunc Dei prouidentia Carus & Ligeris fluuij à Deo inundauerant, vt ad Turonum accedere non possent.

Porro maius monasterium non longe à Turonis funditus euersum est. Centum ibi, & 16. monachi gladio percussi, Abbas & alij 24. in cauernis latitantes euaserunt, qui ad hoc reseruati sunt, vt patroni sui corpus prosequerentur. Abbas tamen Hebernus de latebris abstractus, nullis tormentis cogi potuit, vel thesauros ecclesiæ prodere, vel Monachos latitantes. Horum nemo residuus fuit, quem non Martinus ecclesiæ regimini præficeret. Tunc Abbas, & illi 24. recedentibus Danis, à canonicis sancti Martini cum reuerentia susceptí sunt, & adducti ad vrbem, & ibi aliti. *Rollo Northmannus grauiter in Gallia sæuit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hic fiunt postea Christianus.

Transactis iex mensibus Rollo Cenomanū cæpit. Tunc transmissum est corpus sancti Martini Aurelianum, cuius custodes fuerunt. Hebernus Abbas cum 24. Monachis illis, & duodecim canonicis, & duodecim burgensibus noui castri, qui illis in omnibus necessarijs prouidebant. Postea peruenerunt ad sanctum Benedictum. Deinde audientes, quod Rollo iam Aurelianum peruenisset, perrexerunt Cableiam, postea vero Antisiodorum, vbi innumera miracula facta sunt in ecclesia sancti Germani.

Corpus S. Martini portatur Aurelianum & Antisiodorū.

Guillelmus Malmesburiensis. Cumque aduentantes pro remediorum gratia plurima conferrent, orta est lis & contentio inter Turonicos, & Antisiodorēses pro partitione pecuniæ, ad quam litem soluendam ponitur leprosus inter duorum sanctorum corpora, arcetur tota nocte humana custodia. Lucescente aurora apparuit pars illa leprosi, quæ proxima fuerat Martino tota curata, altera adhuc remanente leprosa. Regyratur corpus, & obuertūt Martino latus morbidum. Altero mane repertus est totus curatus, cedente germano honori hospitis sui.

De studijs & actibus Elfredi Regis, & fuga Rollonis.

Cap. XLVI.

EO tempore Dani per annos tredecim Gallias infestarunt, donec tandem ab Arnulpho Imperatore & Britannis multis prælijs victi in Angliam refugerunt. In quo spacio Elfredus totam insulam, præter id quod Dani habebant, sibi subdiderat. Qui Londoniam caput regni Merciorum dedit cuidam primario cum filia sua Agelreda, ex qua idem primarius nomine Egelfredus tulit liberos Echelmundam, & Eduuardum, qui post se regnauit. Hic Elfredus iam duodennis expers omnis literaturæ erat, sed tunc à matre benigno ludo inuitatus, vt pro munere quod in manibus tenebat susciperet, si cito addisceret; ioco literas ingressus auiditate siticulosa combibit. Hos libros in Anglicam linguam conuertit; Orosium, Pastorale Gregorij, gesta Anglorum Bedæ, Boetium de consolatione. Tempus diurnum ita diuidebat: octo horas impendebat in scribendo, & orando, & legendo, octo in cura corporis, octo in expediendis regni negociis. Erat propter hęc in capella sua candela vigintiquatuor partium, & per modum combustionis candelæ Rex de singulis officiis admonebatur. Dimidiam portionem omnium censuum suorum iuste dumtaxat acquisitorum, monasteriis delegauit. Cunctos præterea redditus in duas diuisit partes, & prima rursus in tres, quarum vnam dedit ministris suis curialibus, secundam operatoribus, quos iugiter in nouarum ædium constructionibus mirabili & ignoto Anglis habebat modo, tertiam aduenis. Secunda pars reddituum ita diuisa est, vt prima daretur pauperibus regionis suæ, secunda monasteriis, tertia scholasticis, quarta transmarinis ecclesiis. Semper in sinu portabat libellum, in quo continebatur diurnus cursus psalmorum, vt quando vacaret, arriperet & percurreret. Filiam Echelsiundam dedit vxorem Balduino comitis Flandriæ, ex qua ipse habuit Arnulphū, de quo sunt Flandriæ comites; & Adulphum, qui suscepit à patre Bononiæ comitatum.

Elfredus quo modo literas didicerit.

Elfredus reddidit suos vt distribueris.

Sepultus est Vuindonię monasterio suo, ad cuius officinas construendas sufficiens terræ spacium ab episcopo & Canonicis nundinatus, ad vnum quemque pedem marcam pondere publico pensitauit. Rollo autem iste de quo supradictum est nobilis quidem, sed per vetustatem abscleta prosapia Noricorum editus regis præcepto patria pulsus, multos quos vel æs alienum, vel conscientia scelerum exagitabat, magnis spebus solicitatos secum adduxit, pyraticam aggressus, Carnoti adhæsit. Cuius ciues nec armis nec muris confisi beatæ Mariæ supparum idest, camisiam adorant, quam Carolus Caluus à Constantinopoli cum aliis reliquiis adueni fecerat. Hanc camisiam in modum vexilli super propugnacula custodum trita pectoribus ventis exponunt. Hostes visam cæperunt ridere, & in eam sagittas dirigere. Quorum oculis mox obtenebratis, nec antecedere nec retro tendere valebant. Quod videntes oppidani, multa eorum se cæde satiarunt. Euasit tamen Rollo, quem suę fidei Deus reseruauit, nec multopost Rothomagum, & confines vrbes obtinuit.

Camisia Beatæ virginis Carnutos tuetur.

De quibusdam alijs incidentibus illius temporis.

Cap. XLVII.

Sigebertus in Chronicis. Anno Caroli iunioris ii. Sol hora diei 9. ita obscuratus est, vt stellæ in cœlo apparerent. Rex Francorum Ludouicus Balbus moritur, vxorem suam ex se grauidam relinquens. De regno eius Francis varie sentientibus, aliis illud filiis Ludouici Balbi ex concubina deberi iudicantibus; aliis Bosoni prouinciæ regulo ad illud iniuste inuadendū assentientib. aliis vero Regno Germaniæ illud sociare volētib. Nascitur interim ex legitima vxore Ludouici Balbi filius, qui ex nomine aui Carolus nominatus est. Filii tamen Ludouici Balbi ex concubina, Ludouicus, & Carolomannus dicti. Interim regnum Francorum inter se diuidentes regnant annis quinque, & Bosonem semper persecuti sunt.

Ludouicus Rex Francorū moritur.

Ex chronicis. Carolus igitur fratre suo Carolomanno defuncto, & non multo post altero fratre Ludouico immatura morte percepto de inimicis triumphans, Germaniæ regnum obtinuit. Postquam vero duobus annis imperauit Romæ à Ioanne Papa, Imperator benedicitur, & imperauit 10. annis. Sicque duobus annis prius Imperium rexit, & postea 10. imperauit.

Carolus tandem imperio potitur.

Sigebertus. In sylua Franciæ Carbonoria plusquam 9. millia Northmannorum à Francis cæduntur.

Anno 4. Northmanni, adiunctis sibi Danis Frāciam, & Lotharingiā peruagātes, Ambianis, Attrebatis, Corbiam, Cameracum, Taruēnam fines Morinorum, Menapiorum, Brathacensium, omnemque circa Scaldum flumen terram, monasteria sanctorum Vualarici & Richarii, ferro, & igne deuastant. Inde Vual fluuiū ingressi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt.

Eodē anno Godefridus & Sigefridus Reges Northmannorum, cum inæstimabili multitudine iuxta Mosam in loco Haslon consedentes Leodium, Traiectum, Tungaris, Coloniam Agripinam, Bunnam cum adiacētibus castellis comburunt. Aquisgrani in palatio equos stabulantes, oppidum & palatium incendunt. Prętcrea in monasteria stabulantes in Almundarium, Nidam, Prumiam sacri ordinis in vtroque sexu ministri, vbi poterant opportunius latebant, & sanctorum corpora & pignora locis tutioribus abscondebant. Ad hæc mala Hug filius Lotharii ex Vualdrada pellice in Lotharingia; & Boso supradictus in Burgundia tyrannizabant.

Northmāni grauiter gallias infestāt.

Anno 6. Carolus Imperator & Gallis, & Germanis ad auxiliandum regno vocatis Northmannos obsedit, cum quo Godefridus Rex facto fædere vt sibi Frisia prouincia, & Gisila filia Lotharii regis vxor daretur, baptizatus est, & ab Imperatore de sacro fonte susceptus. Sigefrido quoque Rege nimis munerato eos à regno suo recedere fecit. Qui mox Franciam repetentes post multas incursiones à Carolomanno Rege Francorum 12. millia argenti probati pro tributo exigunt, & sic in duodecim annis pacem promittentes, mare repetunt.

Confer Baronium tom. 2. ad an. 226.

Hoc tempore Rodulphus quidam corpus sancti Calixti Papæ, & martyris à Romana vrbe in Franciam transfert, qui scilicet Calixtus ieiunium quatuor temporum celebrari instituit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adhuc de eodem.

Cap. XLVIII

ANno 7. Carolomanno Rege Francorum mortuo, cuius Frater Ludouicus tam priori anno obierat; Northmanni Franciam repetunt, dicentes se cum Rege Francorum tantum, non cum Francis pacis pepigisse pactum. Hinc compulsi Franci Carolum Imperatorem ad auxilium sibi inuitantes Franciam ei subiiciunt. Qui contra Northmannos apud Louanium castrametatos, semel & bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regnauit ergo Carolus etiam in Francia annis quinque.

Martinus, his Onuph est Marinus.

Anno 8. Martinus Romanæ ecclesiæ 106. præsidet. Hug. filius Lothari Regis ex Vualdraga pellice, paternum Lotharingię regnum, rebellando assequi sperans Godefrido Regi Northmannorum, cui soror sua Gisila nupserat, medicate affectati regni promissa, persuadet vt ab Imperatore imperiales*fiscos ad libitum suum sibi addi peteret, per hoc vtrinque Imperatorem circumuenire putans: Nam si daret, Northmanni hostes regni in visceribus regni immitterentur; si negaret iustam rebellandi causam habere viderentur. Ad hoc tractandum iussu Imperatoris Henrico Duce, & Godefrido in Batuam ex condicto conuenientibus, inter agendum Godefridus cum suis perimitur. Nec multo post etiã Hug ab Henrico excæcatur, & nouissime in monachum Prumiæ attondetur.

**Sunt bona principis quæ cum dignitate vel potestate ei accedunt vid. Petrum Gregor in Syntag. Iuris lib. 31. ca. 31.*

Apud Constantinopolim Basilio Imperatore mortuo, Leo filius eius imperat annis xviij.

Galliæ pars Northmannis ad inhabitationẽ concessa.

Anno 9. Northmanni à Louanio exeuntes, Parisios obsident contra quos Henricus dux exercitum ducens, dum incaute equitat in foueam quam Northmanni factam quisquiliis operuerant, lapsus trucidatur.

Hug Dux & Abbas miræ potestatis, & prudentiæ moritur.

Anno 10. Caroli innioris ipse Carolus Imperator cum Northmannos nequiret expellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant, quæ pars Franciæ à Northmannis Northmannia denominata est.

De visione tormentorum ostensa Carolo.

Cap. XLIX.

Willielmus Malmesburiensis. Caroli fertur visio in nomine Dei summi Regis Regum: Ego Carolus Imperator Dei dono Rex Germanorum, & patricius Romanorum, atque Imperator Francorum sacra nocte diei dominicæ, post celebratum nocturnarum horarum diuinum officium, dum irem repausare, & vellem somnum capere. Venit vox ad me terribiliter dicens: Carole exiet à te modo spiritus tuus in hora non modica, statimque fui raptus in spiritu, & qui me sustulit erat candidissimus, tenens in manu sua glomerem lineum, clarissimum iubar luminis emittentem, sicut solent cometæ facere quando apparent. Cæpitque illum dissoluere, & dixit ad me: Accipe filum glomeris micantis, & liga, & noda firmiter in pollice tuæ manus dexteræ, quia per illum duceris in labiryntheas infernorum pœnas. Hoc dicto præcessit me velociter distorquens filum luciflui glomeris, duxitque me in profundissimas valles igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus, pice & sulphure plumbo, & cera, & adipe. Ibi inueni pontifices patris mei & auunculorum meorum, quos cum pauens interrogarem cur tam grauia paterentur tormenta, responderunt: Fuimus episcopi patris tui, & auunculorum tuorum, & dum debuimus illos & populum illorum de pace & concordia admonere, seminauimus discordias, & fuimus incentores malorum, ideo nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, & nos, & alii homicidiorum & rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi & satellites venient, qui similiter amant nunc talia facere. Et dum hoc tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dæmones aduolantes, eum vncinis igneis polebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, & ad se attrahere. Sed reuerberantibus radiis illius glomeris non valebant illum attingere. Deinde post tergum meum currentes voluerunt me aduncare, & in ipsos putheos sulphureos præcipitare, sed doctor meus qui portabat glomerem, iactauit super scapulas meas filum glomeris, & duplicauit illum, & traxit me post se fortiter, sicque ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes & flumina feruentia, & omnia metallorum genera bullientia, vbi repperi innumeras animas hominum, & principum patris mei, & fratrũ meorum, & præcipitatas alias vsque ad capillos, alias vsque ad mentum, alias vsque ad vmbilicum; & clamauerunt ad me eiulando; Dum viximus amauimus tecum & cum patre tuo, & cum fratribus tuis, & cum auunculis tuis facere prælia, & homicidia & rapinas pro cupiditate terrena ideo in ista bullienta flumina, & metallorum diuersa genera torquemur. Et cum ad hæc timidus attenderem, audiui retro me animas clamare. *Potentes potenter tormenta patiuntur.* Et respexi & vidi super ripas fluminis bulientis fornaces piceas & sulphureas, plenas magnis draconibus & scorpionibus & serpentibus diuersi generis. Vbi etiam vidi aliquos patris mei principes, & fratrum meorum, & auunculorum meorum dicentes mihi: Heu nobis Carole, vides quam grauia habemus tormenta propter nostram malitiam, & superbiã & mala consilia, quæ Regibus nostris, & tibi dedimus propter cupiditatem, Cumque dolendo congemiscerem, accurrerunt ad me dracones apertis faucibus plenis igne, sulphure, & pice volentes me inglutire. At ductor meus triplicauit filum super me, à cuius claritatis radiis superata sunt ora eorum ignea, & pertraxit me validius, & descendimus in vnam vallem, quæ erat ex vna parte tenebrosa, & ardens velut clibanus ignis, ex altera vero parte tam amænissima & splendidissima, vt nul la ratione dicere valeam. Verti me contra tenebrosam & flamiuomam partem vidique ibi aliquos Reges de genere meo in magnis suppliciis, & tunc nimis angustiatus, putaui me statim in illis suppliciis demergendum, à gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem conflammabant generibus ignium. Et valde tremens glomeris filo illuminante oculos meos, vidi è latere vallis pauliſper albescere fumum, ibique duos fontes fluere. Vnus erat nimium calidus, alter vero clarus & tepidus, & erant ibi duo dolia.

Militum præda anhelantium tormenta.

Sap. 6.

Qualiter patrem suum vidit in tormentis, & auunculum in deliciis.

Cap. L.

CVmque illic irem, filo glomeris regente gressus meos, intentus super vnum dolium, vbi erat feruẽs aqua, vidi ibi patrem meum Ludouicum stare vsque ad fœmora. Et dum essem nimis dolore aggrauatus, & angore percussus, dixit: Domine meus Carole noli timere, Scio, quia reuertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuũ, & permisit te Deus huc venire, vt videres propter quæ peccata ego & omnes quos vidisti, talia toleramus supplicia. Vno enim die sum in isto feruentis dolij balneo, & altero die transmittor in alio illo suauissimo aquæ dolio, & hoc fit precibus sancti Petri, & sancti Remigii, cuius patrociniis hactenus genus nostrum regale regnauit. Sed si mihi subueneris cito tu, & mei episcopi, & abbates, & omnis ordo ecclesiasticus, missis, & oblationibus, orationibus & psalmodiis, vigiliis, & eleemosynis velociter liberabor de isto aquæ feruentis dolio. Nam frater meus Lotharius, & eius filius Ludouicus, sancti Petri, sanctique Remigii precibus iam exempti sunt de istis pœnis, & iam deducti in Paradisi gaudia. Dixitque ad me; Carole respice sinistrorsum. Respexi, & vidi duo

S Petrus & & Remigius regni Francia protectores.

Episcopi bellorũ incẽtores quæ patiuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dolia bullientia altissima. Ista, inquit, tibi sunt præparata, nisi te emendaueris, & pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis. Tunc cœpi grauiter horrere. Cernens autem me ductor meus in tanto pauore constitutum dixit ad me. Sequere me ad dexteram luculentissime vallis paradisi. Et cum graderemur, contemplatus sum in ingenti claritate sedere Lotharium auunculum meum, cum gloriosus Regib. super lapide topazio miræ magnitudinis, coronatum diademate precioso, & iuxta eũ Ludouicum filium eius similiter coronatum. Videnſque me comiter accersiuit blanda voce dicens, Carole successor meus nunc tertius in Imperio Romanorum veni ad me. Scio, quia per pœnalem locum venisti, vbi est pater tuus, frater meus in thermis sibi destinatis positus, sed per misericordiam Dei citissime de illis pœnis liberabitur, sicut & nos liberati sumus meritis sancti Petri, & precibus sancti Remigij, quibus Deus magnũ apostolatum dedit super reges, & super gentes Francorum, qui nisi quisquiliis propaginis nostræ suffragati fuerint, iam desineret genealogia nostra regnare, & imperare. Vnde scio quoniã tolletur citius potestas imperii de manu tua, & postea paruissimo viues tempore. Tunc conuersus contra me Ludouicus eius filius dixit mihi, Imperiũ, quod hactenus tenuisti, iure hæreditario debet suscipere Ludouicus filius filiæ meæ. Et hoc dicto visum est mihi affore in præsentia Ludouicum infantulum. Tunc intuens eum Lotharius dixit mihi. Talis videtur esse infans, qualis ille puer fuit, quem statuit dominus in medio discipulorum, & dixit: *Talium enim est regnum cælorum. Dico vobis, quod Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cælis.* Tu vero redde illi potestatem imperii per filum glomeris, quod in manu tenes. Disnodans ergo filum de pollice dexterę meæ, donabam illi Monarchiam omnem Imperij per filum glomeris. Statimque ipsum glomer fulgidum sicut iubar solis coadunatum est totum in manu eius. Sicque post hoc factum mirabile reuersus est spiritus meus in corpus meum valde fessus & conterritus.

De fine Imperij Caroli, & Imperio Arnulphi.

Cap. LI.

Arnulphus Imp.

Sigebertus in chronicis. Post hanc visionem, vix duobus annis superuixit Carolus. Itaque Carolus Imperator zelatus vxorem suam, pro eo quod plus iusto familiariter ageret cum Luithuardo Vercellensi episcopo, protestatur in concione nunquam se cum ea coisse. Illa vero virginem se esse gloriata, accepto repudio monasterium petiit. Tandem Imperij sui anno 12. Carolus corpore, & anima deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, & Arnulphus filius Carolomanni Regis fratruelis eius in regnum sublimatur,

Anno scilicet domini 891. Mundi vero 4745. & regnauit annis 12. Hic Arnulphus patruo suo Carolo, ex Imperatore etiam necessarijs egenti fiscos in Alemania delegauit. Qui sequenti anno obiit. Romanum Imperium, & Francorum regnum misere discerpitur. In Italia nempe Berengarius, & Vuido de Regno contendũt. Franci vero neglecto Carolo filio Ludouici Balbi puero vix decenni Regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti Ducis, quem à Morthmannis occisum supradiximus. Rodulphus autem corona sibi ſimposita, Rex Burgundionum statuitur, quod regnum multo tempore durauit.

De patientia & bonis actibus regis Elfredi.

Cap. LII.

Willielmus. Elfredus autem, de quo supradictum est, fuit vir literatissimus semper valitudinis aduersæ, & semper aut fisco, aut aliquo internorum morborum agitatus; quem tamen à Domino precibus exegisse aiunt, vt minus illecebras amplecteretur mundanas. Centurias & decurias instituit, & tantam pacem patriæ infudit, vt etiam per publicos aggeres, vbi semitæ per quadriuium funduntur, armillas aureas iuberet suspendi, quæ viatorum auiditatem riderent, dum non essent, qui raperent. Romam & ad sanctum Thomam in India multa munera misit. Legatus ob hoc missus est Sigelinus Scireburnensis episcopus, qui penetrans Indiam. multas gemmas & plurima aromata inde retulit, & partem ligni dominici missam Regi à Papa * Marino, monasterium vnum construxit in Adelingia vbi olim captiuus latuerat, ibique Ioannem Abbatem instituit ex antiqua Saxonia oriundum. Alterum in Vuindonia, quod dicitur nouum monasterium, vbi Gerbaldum Abbatem constituit, qui se vocante, & Archiepiscopo mittente cognitus quod seipsum olim, vt ferunt, Romæ humaniter benigno confouerat hospitio causa euocationis fuit, vt literaturæ studium pene iam tunc in Anglia sepultum, suscitaret sua industria. Item Sceftoniense monasterium & sanctimonialibus impleuit, vbi & Abbatissam constituit filiam suam Elseginam. Habebat autem ex sancto de Vuiasserionem, quendam nobiliter eruditum, quem Scireburnæ fecit Episcopum. Hic sensum librorum Boetij de consolatione planioribus verbis enodauit, quos Rex ipse in Anglicam linguam conuertit. Euocauit ex Mercia Vuintoniorum Episcopum Vuefridum, qui iussu Regis, dialogorum libros in Anglicum conuertit. Post hunc regnauit Eduardus cuius soror, vel mater Echelfreda expecta primi partus difficultate perpetuo à viro abstinuit, protestãs non conuenire Regis filię vt tanto periculo se cõmitteret. Eduardus regnauit annis 23. & dedit filiam suam Edithã Carolo Regi Francorum filio Ludouici Balbi. Filias suas primo instituit literis eruditi, mox colo, & fuso & acu exerceri, Filios quoque suos primo literis fecit imbui, deinde regni gubernacula addiscere.

**al. Martino*

Literatura studium tota Anglia sepultum

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. LIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Imperij Arnulphi primo Northmanni Parisios expugnare non valentes Burgundiam aggreditur, & Senonis vrbem oppugnant. Deinde à Senonis Parisios repetunt, & inde repulsi per Macronam fluuium Trecas vrbem incendunt, & vsque ad Virdunum, & Tullum vrbes cunctas depopulantur.

Anno eiusdẽ 3. sãctus Vualdricus in Baioaria nascitur.

Anno quinto Sephanus Romanæ Ecclesiæ 110. præsidet. Northmanni Lotharingiam repentes, circa Leodium cum Christianis pugnant, & vincunt. Sunderoldus Maguntiæ Archiepiscopus, à Northmannis Vuormatiæ martyrizatur. Arnulphus Rex audita cæde suorum à Baiora contra Northmannos pugnaturus properat cum valido exercitu, quos super fluuium, qui Tilia dicitur pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem reuersus nuncium ferret. Northmannorum residui transuadata Mosa Ribuariam, & Arduenam vastando peruagantes trans mare recedunt.

Northmanni rursus debacchantur.

Ex chronicis. Porro idem Northmanni alio tempore cum Carnotum obsedissent, à Ricardo Duce Burgundiæ, ac Roberto Comite exterriti, & in fugam conuersi sunt, ostensa beatæ Dei genitricis camisia, quam à Bizantia Carolus Caluus detulit.

Sigebertus in chronicis. Claruit hoc tempore Remigius Antisiodorensis in exponendis scripturis diuinis, & humanis studiosus. Hoc tempore claruit in Burgundia Berno ex Comite Abbas Gigniacensis cœnobii à se fundati, qui etiam ex dono auæ comitissæ construxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacensem.

Anno 6. eiusdem Carolus Rex Hundum Regem Northmannorum baptizari fecit, eumque de sacro fonte suscepit. *An. Ch. 895*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex chronicis. Tunc igitur ira Dei erga Franciam versa est in misericordiam. Northmanni siquidem & Dani qui Regnum Francorum per annos 40. & amplius penè ad nihilum redegerant, ita per Ricardum Burgundiæ Ducem, & Robertum Parisiensem Comitem Odonis, quondam Regis fratrem sunt deuicti, vt & ipsi Dei misericordiam implorarent, vt efficerentur Christiani. Erantque duces Northmannorum tempore illo duo cognati, Rollo scilicet ac Gillo. Consilio igitur accepto Carolus Rex cum optimatibus suis Gillam filiam suam & totam Neustriam dedit Rolloni, accepta sponsione baptismi recipiendi. Suscepit autem Rollonem de fonte Comes Parisiensis Robertus & vocatus est secundum nomen illius. Et hic fuit primus Dux Northmannorum, genuitque Guillelmum; Guillelmus autem Richardum secundum, & iste Ricardus, Ricardum tertiũ, eiusque fratrem Robertum, qui Apuliam, & Siciliam, & Calabriam acquisiuit, ac Venetos, & Alexium Imperatorem Græcorum deuicit. Hic est Robertus Guiscardus pater Guillelmi Nothi, qui Haroldum Regem Anglorum in bello interfecit. Hi sunt Duces Northmannorum & Reges Anglorum, qui ex Rollonis genere prodieruut, Gelloni vero eius cognato, Rex Carolus montem Blesensem tradidit in quo castrum ædificans habitauit acceptaque vxore nobili genuit Thebaldum Vetulum. Theobaldus Odonem Campanien sem ex filia Chunradi Imperatoris genuit, qui dictus est Campanensis, eo quod in Campania natus fuit. Odo genuit Odonem: Odo Theobaldum, & Stephanum: Stephanus autem Thebaldum Comitem, hæc est genealogia Blesensium comitum ex progenie Gillonis Northmãni descendentium.

Gillo comes Blesensis & eius soboles.

De conuersione Rollonis, & relatione corporis sancti Martini.

Cap. LIIII.

Willelmus. Carolus gener Eduuardi Regis Angliæ, Rollonem acersiuit, & Christianum fieri fecit, & Northmanniam dedit ei, cum filia sua Gilla, quæ esset vas pacis, ita vt ipse Rollo teneret Northmanniã de Rege Francorum sicut de Domino suo. Tunc adstantibus consulentibus, vt pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus regis aduolui, apprehensum pedem eius ad os stans attraxit. Quo resupinato secutus est risus Northmannorum Francis reprehendentibus, excusat Rollo factum allegans talem sue prouincie morem. Dedit etiam idem Carolus eidem Rolloni Northmannicum comitatum, & Britanniam quæ sunt appendices Northmanniæ.

Translatio S. Martini.

Odo Abbas Cluniacensis. Rollone ad fidem conuerso, relatum est corpus sancti Martini ab Antisiodoro Turonum. In cuius reditu quicunque qualicumque incõmodo detenti, etiam non rogantes, etiam non volentes sunt sanati. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quę fiebant, communicato consilio, aptatis baculis sub ascellas repere magis quam fugere tentabant, fugientesque inuiti sanati sunt. Quod ipsi postea confessi sunt non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parrochiæ suæ tempore brunali omnia fruteta vestita sunt foliis, & floribus, & tam cerei quam lampades accendebantur igne diuinitus misso maximè in duabus basilicis in eius nomine consecratis in maiori monasterio, & ecclesia noui castri, in qua nunc vsque seruatur, & dextera læuaque in omnibus ecclesiis campanæ diuinitus pulsabantur, nemine tangente. Factum est hoc anno à transuectione eius 31. Idus Decembris, & synodali auctoritate decretum est, vt hoc festum celebre ageretur ab Adalardo Archiepiscopo Turonnensi, & prouincialibus suis Raymone Aurelianensi, fratre Adalardi, Mainoldo Cenomanensi, Lupo Andegauensi, & suffraganeis totius prouinciæ episcopis.

De bonis initijs sancti Odonis Cluniacensis.

Cap. LV.

Sigebertus in chronicis. Anno Arnulphi viij. Odo musicus ex clerico Turonensi monachatum profitetur sub Bernone Abbate.

Ex chronicis. Hic vtique fuit miræ sanctitatis, incomparabilis in monastica disciplina feruoris, ac penè suo sæculo eiusque feruore & industria, monachorum illius temporis tepor, versus est in ardorem, & in fidei ac religionis deuotionem. Valde quippe per ipsum ac sub ipso refloruit monastica deuotio iam exsiccata, & beati Benedicti laudabilis institutio plurimum in diuersis cænobiis reuixit, & conualuit reparata. Hic etiam antiphonas, & hymnos de beato Martino dictauit, & vitam beati Gerardi descripsit. Hicà præfato Remigio Antisiodorensi in musica & dialectica apprimè eruditus est.

Vide Ioannẽ monachum Italum in sua historia.

Ex gestis eius. Hic cum adhuc apud Turonicam habitaret, rogatus à fratribus, vt moralia beati Gregorij Papæ sub vno eius volumine coarctaret, professus est se hoc facere non posse, addens etiam si facultas agendi sibi adesset, non debere tamen hoc agere, ne tanti viri laborem immutare, vel aliquid demere videretur. Illis in petitione persistentibus, quadam nocte dum intra ecclesiam beati Martini consuetæ orationi insisteret, subito ei somnus obrepsit. Viditque in visu sanctorum chorum desursum venientem in eandem ecclesiam descendere, & post omnes beatum Gregorium Papam vltra omnes, qui præcesserant vultu & moribus splendidum, & ornatum. Mox illo veniente omnes surgunt, & flexis ceruicibus benedictionem petunt. Qui non inter eos vsque deorsum descendit, sed super ambonem ecclesiæ subsistit, & beatum Odonem in terra prostratum vocauit dicens. Surge frater Odo, noli timere. Qui cum surrexisset, vidit quasi more scriptoris super auriculam eius pennam habentem productu arcuminatam, & in summo fissam. Quam sumens beatus Gregorius, eamque et tradens ait: Age securus, & perfice opus tibi iniunctum, & quem composueris librum non delebitur, & meus stabit in æternum. Et continuo euigilans intellexit protinus, quod viderat. Deinde sumens volumen illud magnum diligenter perlegit & saniorem partem quam præuidit sub vno volumine composuit. Sicque murmurationem eorum compescuit.

De moralibus B. Gregorij.

Quidam vero frater Adhegrinus nomine quærens monasterii secretioris locum, quo posset requiescere deuenit in fines Burgundiæ, vbi erat monasterium à Bernone Abbate constructum, à quo ibidem officiosissime susceptus, ibi aliquandiu more hospitis commoratus est, vt mores habitantium cognoscere posset. Illic seruabantur instituta patris Eutichii. Quod ille innuens quamtocius nunciare curauit patri Odoni. At ille sumptis secum centum voluminibus librorum, mox ad illud monasterium demigrauit. Illic ergo frater Adhegrinus in vna cellula se coarctans permittente Bernone Abbate mansit in ea per triennium. Patri vero Odoni, quia vir scholasticus erat tricenarius laborioſum scholæ imposuerunt magisterium.

Adhegrinus miles vna cum S. Odone monasterium Bernonis petiuit.

De electione Formosi Portuensis in Papatum & dissensione propter ipsum.

Cap. LVI.

Sigebertus in chronicis. Anno Arnulphi 10. Formosus Portuensis episcopus Romanæ ecclesiæ 111. præsidet contra voluntatem quorundam Romanorum, qui Sergium diaconum Romanæ ecclesiæ facere voluerant, sed non prævaluerant. Hic Formosus cum aliquãdo in sinistram suspicionem venisset Iohanni viij. Papæ timore eiu fugiens episcopatum Portuensem reliquit. Et quia reuocatus à Papa redire noluit. anathemati-

Vide Baron. & alios Pontificia historia scriptores.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

zatus est. Tandem ad satisfaciendum Papæ in Galliã veniens vsque ad laicalem habitum degradatus est, iurans se non amplius Romam intraturum, nec episcopatum suæ vrbis repetiturum, confirmans etiam propria manus scripto se in laicali communione perseueraturum. Post à Marino successore Ioannis in episcopatu contra datum sacramentum restitutus, non solum Romam intrauit, sed etiam Romanæ ecclesiæ papatum suscepit, propter quod cum multo scandalo multa per multos annos quæstio & controuersia agitata est in ecclesia. Aliis eius & ab eo ordinatorum consecrationem irritã esse debere præiudicantibus: aliis contra qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem & fidem eorum, qui ordinati fuerant, omnes consecrationes eius ratas esse debere saniori consilio iudicantibus, præsertim cum ipse Formosus à Marino Papa absolutus fuerit à sacramẽti periurio. Ab hoc Formoso Arnulphus Rex inuitatus Romam venit, sed non admissus, Romam Leonianam obsedit. Lepusculo forte versus vrbem fugiente, & exercitu cũ nimio clamore sequente, Romani timentes se de muro proiiciunt, & hostibus per factos aceruos murorum ascendendi locum faciũt. Sic capta Roma, illos, qui Papam iniuriauerãt decollari fecit, & à Papa in Imperatorẽ benedicitur.

De fine Arnulphi Imperatoris.

Cap. LVII.

Consule Baronium tom 10. an. 897.

ANno sequenti Guido Rex Arnulphum Imperatorem se vsquequaque persequentem non ferens quippe qui nec vrbes nec castra munita natura resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, Imperator vxorẽ eius obsedit, quæ iam rebus suis diffidens per vnum familiarem Imperatoris, multa pecunia corruptum ei poculum mortiferum dedit. Quo hausto, per triduum excitari non potuit, apertis oculis nil loqui aut sentire valens. Quæ res eum repedare coegit, eumque recedentẽ Guido persecutus, percussus ab eo, obiit.

Anno sequenti Bonifacius Romanæ ecclesiæ 112. præsidet. Arnulphus Imperator longa ægritudine dissolutus, vel vt quidam ferunt, afflictus à minutis vermibus, quos pediculos vocant, adeo in corpore eius scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent, moritur.

Legatur Baronius ad an. 900.

Eodem anno Stephanus Romanæ ecclesiæ 113. præsidet mensibus 4. Hic primum à Formoso Papa, episcopus Anagninæ ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & ordinationes eius omnes irritas debere esse decernit, & alia horribilia dictu in eum fecit. Legitur etiam quod ipse, & non Sergius, corpus Formosi à sepulchro in concilio prostratum, & papali veste exutũ laicali induit, & abscisis duobus digitis dexteræ manus eius in Tiberim præcipitari fecit. Post hunc Romanus præsidet 114.

De Imperio Ludouici tertij, & Papatu Sergij.

Cap. LVIII.

Ludouicus Imp. Anno Ch. 903. Mundi 4757.

MOrtuo itaque Arnulpho Imperatore, successit Ludouicus filius eius, anno Domini 903. mundi 4757. & regnauit annis 10.

Huius anno primo Theodorus Papa Romanæ ecclesiæ 115. præsidet. Hic contta Stephanum Papam sentiẽs reconciliauit ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim intus Romæ, & non foris exordinauerat, nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His reconciliatis Theodorus Papa libros abrenunciationis reddidit, & igni concremari præcepit.

Ioannes Romanę ecclesiæ 116. præsidet. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, synodum 74. episcoporum, præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Rege apud Rauẽnam statuit, & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem formosi fecerat.

Eodem anno Francone Leodicensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam, & passionem sancti Lamberti martyris ad Herimanum Archiepiscopum Vrbanius edidit; cantum quoque nocturnum de eodem martyre, & cantum de sancta Trinitate, & de inuentione sancti Stephani Protomartyris dulci & regulari modulatione composuit.

Anno secundo Benedictus Romanæ ecclesiæ 117. præsidet.

Anno tertio Leo Romanæ ecclesiæ, 118. præsidet. Hũc post 30. dies ordinationis suæ Christophorus præsbyter suus capiens, & in carcerem trudens per iuuasionem Romanæ Ecclesiæ 119. præsidet.

Anno quinto Sergius Romanę ecclesiæ 120. præsidet Iste etiam Sergius diaconus propter Formosum à Papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus est factus, ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christophorum inuasorem capiens, & in carcerem trudens latenter Romam ingressus, Papatum inuasit, & Romanos minis & terroribus pepulit, vt omnes Formosi ordinationes irratas haberent, & in vltionem suæ repulsę (quod dictu nephas est) Formosum sepulchro extractum in sede Pontificatus sacerdotaliter inductum decollari præcepit, & insuper tribus digitis abscisis in Tyberim iactari fecit, & omnes quos ille ordinauerat iniustè exordinauit, & iniustius reordinauit. Quem à piscatoribus inuẽtum, & in basilica Apostolorum principis loculo deportatum, quædam sanctorum imagines adorasse, & venerabiliter salutasse visæ sunt palam omnibus.

Contrarium vide supra vide Baronium Alphõsum & alios pontificia historia scriptores.

Anno 8. Adelbertus quidam de principibus Austrasiorum per septennium Ludouico Regi rebellis, dolo Hatonis Maguntini Archiepiscopi ad Regem deductus decollatur.

Regino Abbas Prumiensis, chronicam suam à natiuitate domini inchoatam vsque ad hunc annum perduxit.

Anno 10. Ludouicus Rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in Italia insolentiam, & multorum malorum ingruentiam non meruit Imperialem benedictonem.

De imperio Chunradi primi, & initio ordinis Cluniacensis & institutoribus eius.

Cap. LIX.

HVic succedens Chunradus anno domini 913 Mundi vero 4767. Regnauit annis 7. qui & ipse caruit benedictione Imperiali.

Eodem anno ordo Cluniacensis incæpit. Nam Berno Abbas moriturus Odonem olim musicum constituit Abbatem Cluniacensis cœnobij, ea conditione vt ecclesia Cluniacensis solueret annuatim ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum.

Ex gestis sancti Odonis. In eo vt supradictum est monasterio à Bernone Abbate constructo seruabantur instituta sancti patris Eutychij, qui fuit temporibus Imperatoris Ludouici magni, vir charus Regi, omnibusque amabilis. Nam cum esset laicus, & peregrinis studiis eruditus, deserens ea vnde superbire solet humana fragilitas, totum se patrum regulis, & institutionibus dedit. Ex quibus etiam diuersas consuetudines sumpsit, vnoque volumine colligauit, nec multo post monachus effectus est, & in tanto amore apud Regem habitus, vt intra palatium suum monasterium ei construeret. Decurso autem vitæ studio circunstantibus fratribus subito spiritum emisit. Et cum ab eius discipulis exequię pararentur viuus rediit. Illisque attonitis, & admirantibus ait: *Deo gratias.* Sciatis quia in his quadraginta annis vnum tantum diem non memini me cibum sumpsisse nisi prius fleuissem. Hodie autem sublato mærore consolatus est me Deus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. Hæc dicens perpetuo requie-

uit

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uit Ipſe fuit inſtitutor cõſuetudinũ,quæ in monaſteriis hactenus ſernãtur. Tãdẽ Abbas Berno exitiali languore decũbens,vicinos epiſcopos accerſiuit, & ab ordine ſe deponens,ſtebili voce clamabat ſe reum & indignum tali monaſterio præfuiſſe. Tunc manibus fratrum, pater Odo captus coram Abbate ſuo vi eſt adductus, proclamantibus omnibus vt ordinaretur, & cum nec ſic vellet cedere, & locum paſtoris ſubire, ſuperatus eſt tandem epiſcoporum excommunicatione.

De miraculo ſancti patris Odonis.

CAP. LX.

Conſtantiſſima ſilentij monaſtici obſeruãtia. lib. 2. vitæ cap. 8.

QVadam nocte cum Paſtores equorum obdormiſſent,& frater quidam nomine Godhefridus pernigil orationi inſiſteret,fur affuit,raptumque equum aſcendit,& fugit. Prædictus vero frater maluit equũ perdere,quam ſilentium rumpere. Abiit autem, & tactu vnum ex paſtoribus ſuſcitauit,eique quod contigerat ſino reſpondit. Peracta itaque nocte,factoque mane viderunt eminus furem vno in loco affixum ſuper equum ſedere,quem apprehendentes vinctum patri Odoni miſerunt,ſtatimque ei quinque ſolidos argenteos dari præcepit,dicens iniuſtum eſſe eum abſque digna mercede dimittere,eo quod per totius noctis ſpacium multum ſuſtinuiſſet laborem. Tempore quo ſæuiſſima gens Northmannorum,Pictauorum, & Turnorum fines vaſtabant:duo fratres ex eadem congregatione Turonos mittebantur. Qui dum iter caperent,& in quendam locum gratia quieſcendi diuertiſſent, ab eiſdem Northmannis nocte capti ſunt;& capere quidem eos ac ligare manus eorum,deinde minari potuerunt,ſed eorum ſilentium corrumpere nequiuerunt. Mane autem cum ad locum conſtitutum applicuiſſent,fratres,vt erant ligati, ſe paululum ab eis ſequeſtrantes in terra ſe proſtrauerunt, vt peracto pſalmorum curſu ſilentio finem imponerent. Nondum vero oratione completa, venit pars reliqua Northmannorum,multa præda capta. Quorum dux cernens fratres in terra iacere,audito, quod illi nullo modo poſſent eos loqui facere, barbarica immanitate turgidus,inclinato velut ad feriendum conto, irruit ſuper eos metum mortis eis incutiens, cæteris quoque barbarico ritu manibus plauſam dantibus. At illi vt erant animo conſtantes,in corpore permanſerunt immobiles,quod fiebat iure,& obſeruantia ſanctæ regulæ ſub qua & mori cupiebant,& viuere. Sed omnipotentis manus eorum exhilaratum ſpectaculum conuertit in luctum. Mox enim vt ille barbarus ad eos appropinquauit,equus phaleratus cui inſidebat in obliquum reſiluit ſeſſoremque eius in terram ſtrauit,& collifit;quam colliſionem ſtatim febris læthalis ſecuta eſt. Conticuerunt omnes,& verſi in ſtuporem,cæperunt quærere inter ſe, quid ex eis deberent facere. Tandem reperto conſilio dignum eſſe cenſuerunt,vt pro vita ſui ducis,vnus ex eis cæderetur. Deinde cęperunt ſorte quærere quem ex eis deberent interimere. Sed ſuper virtutum viros, & ſorte Chriſti connumeratos, nullo modo diabolica cadere poterat ſors,ita vt illi obſtupeſcerent,dicentes eos vltra homines eſſe,ſuper quos ſors eorum non potuiſſet cadere, Tunc manus eorum velociter diſſoluerunt,& pro vita ſui pacis obnixius eos per interpretem rogare cęperunt.

Duo fratres mori quam ſilentium frãgere maluerunt.

S. Odo naucm aquis ſene obrutã ſeruat.

Quodam tempore dum alueum Rhodani cum nauigio cum pluribus tranſiret,& vnus equus alium calce percutere vellet ictum ferientis tabula nauis excepit, ecſcilicet loco ex quo fuerat ramus cum dolaretur exciſus,mox vt euulſus fuit vertex,tanta per idem foramen inundatio aquæ ingreſſa eſt, vt ſubito nauis vſque ad ſuperficiem repleretur,ſic tamen plena Deo gubernante vſque ad aliam ripam peruenit, & vſque adeo pater Odo intro ſtetit,quo omnes fuerunt egreſſi. Ad vltimũ cum fuiſſet egreſſus nauis abiit in profundum.

Adhuc de eodem.

CAP. LXI.

SVb eodem tempore,orationis gratia Romam peruenit,& dum in patriam rediret,inter alpes ob niuis immenſitatem iter eius præoccupatum & ſeptum eſt. Cumque præterire vellent locum illum deterrimũ ac periculoſum,ſubito equus ſuper quem ſedebat tetendit pedem in obliquum, & ambo ſimul mergebantur in præcipitium. Tunc pater Odo relictis habenis ambas manus dum caderet ad cælum erexit, & mox ramũ arboris inter brachia ſua repperit, atque in eo tamdiu ſe ſuſpendit,donec eius clamoribus, qui præceſſerant rediſſent,& eum ſuſcepiſſent. Ramus autem iſte amplius viſus non fuit,quia nec arbor vnquam illic videtur, nec naſcitur,& equus vltra nuſquam comparuit.

Quodam die dum iuxta prædonum fines iter haberet,quidam inſigniſſimus latro iuuenis intuens vultus eius affabilitatem,illico compunctus eſt corde, pedibus eius aduolutus, vt ſibi miſereretur humiliter precabatur. At ille,vade,inquit,& prius mores tuos corrige, & poſtea monaſticam vitam appete. Cumque ille inſtaret, præcepit ei,vt ad monaſterium eum præcederet. Quod & factum eſt. Factus ergo monachus cellerario ad obediendum ſubditus eſt. Et cum idiota eſſet,vtrumque ei impoſuerunt ſcilicet obedientiæ iugum, & ſtudium literarum,quod ita deuote peragebat, vt vnam manum obedientiæ porrigeret, altera vero die tota pſalterium ferret. Cum autem in extremo vitę laboraret, vocauit pium patrem,ſingularem ſupplicans locutionem. Cui cum veniam peteret interrogauit eum, ſi in aliquo poſt monachatum exceſſiſſet. At ille: Nudo cuidam te ignorante mea culpa tunicam noſtram tribui, & funem filis contextum de cellario abſtuli. Quem cum interrogaſſet, quid ex eo feciſſet. Refrenando,inquit, ingluuiem,quã dudum male contraxi,ventrem meum ex eo circumligaui. Tunc ſtupefactus pater cum eam à viſceribus eius ſoluere vellet,cutis quæ ei ad adhæſerat, vna cum fune ſecuta eſt. Poſt hæc adiecit, & ait. Hac nocte pater in cælis per viſionem electus ſum. Et obuiauit mihi glorioſiſſimæ perſonæ mulier,quæ ait: Cognoſcisne me? At ego. Nequaquam Domina? Et illa: Ego ſum inquit, *Mater miſericordiæ*. Cui ego: Quid iubes, vt faciam Domina? At illa reſpondit. Poſt triduum venies huc tali hora. Quod & factum eſt. Nam tertia die,hora qua dixerat defunctus eſt. Quo tempore dum eſſet apud ſanctum Paulum Romæ rogauit eum Abbas Balduinus,vt librum quem de vita B. Martini Gallus & poſtumianus more dialogi compoſuerunt,ei corrigeret,& gloſſulis elucidaret. Cuius voluntati ſtatim aſſenſum præbuit, & emendandi operam dedit. Accerſito fratre Otezario. Interim dum horæ veſpertinæ ſignum pulſaretur, ſtatim,ſecundum regulam relictis quæ in manibus tenebant,eccleſiam ingreſſi ſunt. Codicem vero apertum vbi ſederant,reliquerunt,& orationibus occupati obliti ſunt eum. Locus autem ille ita poſitus erat,vt aqua quæ ipſius tecto labitur,& ex tribus alijs tectis vna conuerſione collecta,more torrentis vno in loco illo decideret ibi vſque mane patulus liber permanſit, & tot inundationes aquarum in circuitu eius ceciderũt,quod margo libri fuit vndique lota,ſcriptura vero permanſit intacta Facto mane apertus eſt coram fratribus liber. Cumque attoniti miraretur,ait prouidus pater: Quid admiramini fratres? ſciatis, quod beati Martini vitam,aqua tangere timuit. Sicque ea quæ propter eum Deus fecit in laudem Martini conuertit.

Imber codicem D. Martini vitam continentem non attingit.

De cæteris euentibus ſub Imperio Cunradi.

CAP. LXII.

SIgebertus in chronicis. Anno Chunradi ii. ipſum Chunradum potentiores regni principes rebellionem meditati

ditati tam ſapientia,quā fortitudine ipſius Regis ad eius gratiam reducuntur:Solus Arnaldus de Baioaria cum vxore & filiis ad Vngaros fugiens vſque ad mortem regis ibi permanſit.

Anno eiuſdem 4.Saracem à Fraxineto & Gareliano monte exeuntes Calabriam,& Apuleam, Beneuentum, Romamque occupant,& grauiſſime Italiā premebant.

Anno eiuſdem 6.Romanus Græcorum Imperator, filios ſuos Stephanum & Conſtantinum cum domino ſuo Conſtantino Imperatore imperare conſtituit, ipſo Conſtantino Imperatore opere manuum ſuarum picturam ſcilicet pulchre exercendo, ſibi victum quærente.

Hatonem Maguntinum epiſcopum,cuius dolo olim Adelbertus pericrat,Rex Chunradus ſolicitauit, etiam contra Henricum Saxonum Ducem propter potētiam ipſius ſibi ſuſpectam.Ad quod cum iam torquem aureā epiſcopus fabricaſſet,quæ collo ducis ſecum conuiuantis inijceretur,dolo prodito fruſtratus eſt,& poſt triduū morbo & languore: vel vt alij dicunt,fulminis ictu,interijt,complices etiam conſilij à Duce, patria eliminati ſunt.Miſſo autem exercitu à Rege contra Henricum, tāta cæde Saxones debachati ſunt in eos,vt à mimis declamaretur,vbi nam eſſet tantus infernus ille,qui tantam cæſorum multitudinem capere poſſet.

Anno ſequēti Chunradus Rex moriens coram principibus regni,Regem deſignat Henricum filium Othonis Saxonum Ducis.

De Imperio Henrici primi.

Cap. LXIII.

COepit igitur Henricus anno domini 910. Mundi vero 4774.& imperauit annis 18.

Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ ſanctus Vuicbertus,qui Gemmelacenſe cænobium fundauit;qui diuitijs,nobilitate,& potentia clarus, cingulum militiæ mundanæ deponēs,cingulo ſanctæ religionis in monaſtico habitu ſe accinxit.

Zyptineus Dux Bohemiæ ad Chriſti fidem conuerſus iuſte & glorioſe in Bohemia principauit. Et poſt eum* Vuatizlaus filius eius,iuſtitia,& ſanctitate præclarus,cui frater ſuus Boleſlaus nimis aduerſabatur.

**alias Vencenſlaui.*

Anno 3.Hungaris Franciam Alſaciam,Alamanniam, Saxoniamque depopulantibus,Henricus Rex iuxta vrbem Mereſburch congreſſus,vouens Deo pro adipiſcenda victoria, ſe hęreſim ſymoniacam de regno ſuo eradicaturum,ineſtimabili cæde eos vſque ad internecionem penè deleuit.Rex Henricus quoſcunque fures aut latrones aut ſiccarios manu fortes, & bellis aptos eſſe videbat,indulta eis venia agros & arma dabat,& legionem ex illis faciens ad debellandos barbaros exponebat,edicens omnino vt ciuibus parcerent tantūmodo

Henricus Hungaros ſuperat. Blon.lib. 2. dec.2.

Carolus Rex Francorum,cum auxilio Lotharingēſium iuxta vrbem Sueſſionum pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis,qui contra ſe regnum Francorum inuadebat,eum cum multis peremit, & ſe & Franciam Henrico regi ſubmittit,eique in pignus perpetui fœderis,& amoris mittit manum precioſi martyris Dioniſij Pariſienſis, auro gemmiſque incluſam.

An.Ch.924

Anno ſequenti ſanguis Domini Crucifixi venit in Augiam,forte ille ſanguis,qui de imagine domini fluxit, cum ſecundo Dominus in imagine ſua à Iudæis priora pateretur.

Aphricani,qui per munitionem Galleriani montis, totam Italiam laniabant per militiam Ioannis Papæ,& per auxilium Romani Grecorum Imperatoris conſerta cum eis pugna,ita atteruntur, vt nec vnus quidem ſuperfuerit,qui non aut trucidaretur,aut caperetur, multis teſtantibus,Petrum & Paulum Apoſtolos in illo bello fuiſſe viſos ad auxilium chriſtianorum.

Anno ſequenti Rex Henricus pacem cum Hungaris in 9.annos firmat. Carolus Rex Francorum à Comite Heriberto captus in cuſtodiam Peronæ truditur ob necem Roberti Ducis ab eo perempti.

Carolus qui vocabatur Simplex,in cuſtodia moritur. vid Aemil. lib.2.

*Ex chronicis.*Hic enim Heribertus ſororem dicti Roberti acceperat in vxorem,& ideo verbis doloſis Carolum decepit,vt in hoſpitium diuerteretur apud Peronam,ſicque dolo eum captum retinuit in carcere,vbi tādem exul,& martyr occubuit.Porro vxor eius ad patrē ſuum Regem Anglorum fugit cum filio ſuo paruulo nomine Ludouico.Poſt Carolum vero Rodulphus Ricardi Ducis Burgundiæ filius, electus eſt in Regem à Francis,& in Francia regnauit 13.annis.

Ioannes Papa captus à Guidonis militibus,& in cuſtodiam miſſus peſſime ſtrangulatus eſt,poſito ceruicali ſuper os eius.

*Sigebertus in chronicis.*Rodulphus Rex Burgundionum ab Italienſibus ad regnandum contra Berengarium inuitatus,conſerta cum Berengario pugna,eoque victo & expulſo Regnum Italiæ tribus annis tenuit.

De Ethelſtano Rege Anglię,& victoria eius.

Cap. LXIV.

Willelmus Malmeſburienſis. Hoc anno poſt Eduardum,qui regnauit annis 23.regnauit filius eius Ethelſtanus annis 16.Hic vt ferunt ex concubina natus eſt,vix in tota Anglia fuit vllum vetuſtum monaſteriū, quod non vel ędificijs,vel ornamentis, vel libris, vel prædiis decorauerit.Recentia monaſteria faciebat quaſi ex profeſſo; vetuſta quaſi aliud agens, artificis benignitate inſigniebat. Sitrico Regi Nordanymbrorum dedit in vxorem vnam ex ſororibus ſuis. Quo poſt annum mortuo,prouinciam illam ſibi ſubegit. Vuidualiū Regem Vualenſium,& Conſtantinum Regem Scotorum ex ſuis regnis expulit. Quos tamen poſtea miſeratione commotus in antiquum ſtatum ſubregnare permiſit. Poſtremum illi bellum fuit cum Adulano filio Sitrici. Qui timens Regem ſibi occurrentem cum exercitu mimum ſe ſimulauit, & aſſumpta in manu cithara ad tentorium Regis Ethelſtani venit cantitans præ foribus, vnde facile admiſſus eſt, cantandoque inter pſallendum omnia oculis ſcrutabatur.Poſt conuiuium abire iuſſus precium cantus accepit, quod apportare dedignans ſub ſe in terra defodit. Notatum eſt hoc à quodam, qui illi olim militauerat,& confeſtim Ethelſtano dictum, qui hominem incuſans, quod hoſtem præ oculis poſitum non prodiſſet, hoc reſponſum accepit.Idem ſacramentum,quod tibi nuper,ô Rex,feci,quondam Adulano feceram.Sed amoue hinc centorium vſque dum partes relictæ veniant mane, vt inimicum petulanter exultantem modeſta cunctatione frangas. Adulanus ergo nocte veniens, epiſcopum quendam veſpere, qui ad exercitum venerat cum omni familia occidit, vltraque progreſſus Regem imparatum offendit, qui hoſtes nihil tale auſuros putauerat.Rex ergo ſtratis excuſſus, cum ſuos ad bellum acueret, gladius eius fortuito e vagina cecidit. Inclamatoque Deo, & ſancto Adelino, qui erat eius ex antiqua ſtirpe conſanguineus, reducta ad vaginam manu,inuenit enſem, qui hodie pro miraculo ſeruatur in theſauro Regum, & eſt vna parte ſectilis, nec vnquam auri, vel argenti receptibilis. Hoc Dei dono fretus tota die vſque ad veſperam indefeſſus fugauit Adulanum cum exercitu. Cecidit ibi Rex Scotorum Conſtantinus perfidæ animoſitatis, & viuacis ſenectæ homo, aliique Reges 5. & Comites 12. & omnis penè turba barbarorum. ſed pro fide Chriſti ſuſcipienda, conſeruati ſunt pauci, qui remanſerunt.

Conſtantinus hic huius nomine tertij rex Scotorum fuit 75.de quo Leſleus lib.5.de rebus Scoticis

Militare ſacramentum quantum miles fecerit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ANNOTATIO.

Constantinus post tantam suorum cladem, in summa rerum penè omnium desperatione, siue cælestis vitæ studio incensus, siue humanæ vitæ odio inflammatus, regno se abdicauit, vitaque monastica reliquum ætatis suæ tempus in cœnobio D. Andreæ consecrauit. Lestanus lib. 5. de rebus Scoticis.

De dominatione eius, & muneribus sibi transmissis.

CAP. LXV.

NOrthualensium idest, Aquilonarium Britonum Reguli, vectigalis nomine annuatim ei soluebant auri li. 20. argenti 300. boues 25. & quotlibet canes venaticos, & aues venaticas. Vrbem Excestram Cornualensibus abstulit, quã turribus & muro muniuit ex quadratis lapidibus. Aroldus Rex quidam Noricorum misit ei nauem aurea rostra habentem, & velum purpureum densa testudine auratorum clypeorum intrinsecus circumagitatam. Hũc Ethelstanum patre defuncto voluerunt æmuli in vrbe Vuindonia cæcare; quorum princeps erat Elfredus quidam, qui deprehensus missus est Romam, vt ibi se coram Apostolico Ioanne iureiurando defenderet. Qui cum iurasset ante altare sancti Petri, cecidit, & manibus famulorum ad Anglorum scholam deportatus, tertia nocte mortuus est. Misit ad eundẽ Ethelstanum Rabodus præpositus Sansonis Archiepiscopi ossa sancti Senatoris, & sancti Paterni, & sancti Scubilionis, qui fuit magister eiusdem sancti Paterni, & vna die, & eadem hora cum codẽ Paterno migrauit ad Dominũ. Isti sancti tunc de Britannia minori, & de Northmannia translati ad tutiora loca fuerant. Sed & aliæ tũc multæ reliquiæ Northmannis Gallias infestantibus, similiter translatæ facilè nemini patebant.

Tributa regi Ethelstano soluta ab alijs Regulis Anglia.

Ethelstanus quomodo natus.

Hic Ethelstanus de concubina natus dicitur fuisse hoc modo: Erat in quadam villa Opilionis filia pulcherrima, hæc per nocturnam visionem vidit lunam de suo ventre splendere, & totam Angliam suo lumine illustrare. Quod cum illa sodalibus retulisset, & illæ hoc idem villicæ, quæ filios regis nutriebat enarrassent, illa eam assumpsit, & loco filiæ habuit. Quam postea adamauit in domo eius Edvuardus Regis Elfredi filius ex qua genuit Ethelstanum. Ad hunc Ethelstanum misit Henricus Chunradi filius Rex Theutonicorum & Imperator Romanorum sororem eius Othoni filio suo expostulans; Alteram eius sororem habuit Ludouicus Aquitanorum Princeps de genere magni Caroli superstes.

De cæteris euentibus illius temporis.

CAP. LXVI.

SIgebertus *in chronicis*. Anno Henrici VII. Simeon Bulgar, qui ex Philosopho monachus, ex monacho miles factus, dominatur Bulgaribus; Græcos grauiter attriuit, sed Romanus Græcorum Imperator eius insaniam facto fœdere mitigauit.

Anno eiusdem 9. Raherius Lobiensis monachus vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui in Lotharingia episcopatum Leodicensium olim ambierat, in Italiam ad Hugonem Regem profectus, Veronæ episcopus ab Hugone constituitur, Hilduino Mediolani Archiepiscopo ordinato. Item postmodum à Rege Hugone episcopatu pulsus, quia Baioarijs fauerat, Papiæ exiliatur, vbi & librum de suis ærumnis luculente edidit.

Scripsit ei multa alia legentibus vtilia.

An. Ch. 929. Anno 10. lanceam mirandi operis, ex clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur Primi & magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam Rodulpho Regi Burgundionum, & Italiæ, à Samsone comite, Rex Henricus, precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rodulpho comite extorquet, & hanc ad insigne & tutamen imperij posteris reliquit.

Anno 15. Otho filius Regis Henrici, vxorem ducit filiam Eathmundi Regis Anglorum.

Anno 16. in Genuensi vrbe fons sanguinis largissime effluxit, portendens forte vrbis ipsius imminentem ruinam, quæ eodem anno ab Aphricanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis ciuibus, exceptis paruulis, & mulieribus, capitis & occisis, etiam thesauris suis est euacuata. *An. Ch. 934.*

Anno 17. Inger Rex Russorum sciens exercitus Græcorum esse ductos contra Saracenos, & ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Cõstantinopolim, cum mille & amplius nauibus venit, adeo de victoria iam securus, vt Græcos non occidi, sed capi præciperet. Quibus Imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, circumcirca, Græco igne iniecto penè omnes cum nauibus exussit, paucis euadentibus, omnesque captiuos decollari iussit.

Anno 18. prodigia apparuere, Sol sereno cœlo obscuratur, per fenestras vero domorum radios quasi sanguineos emittebat. Hominis cuiusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pene ad integrum ei dormienti restituta est, cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco coniunctionis notabatur. Henricus Rex moritur, qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductiui mercenarij alter alteri succedentes Imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepisset. Post quem Otho filius eius ex Mathilda filia Theodorici Regis Saxonum imperauit. Mons vero vbi Henricus Rex sepultus est, postea flammas in multis locis euomebat. *An. Ch. 937.*

Obijt quoque Dominus Odo primus Abbas Cluniacensis, succedit ei Ademarus.

De extremis miraculis Sancti Odonis.

CAP. LXVII.

EX *gestis eius*. Hic Sanctus Odo, cum discipulos suos regularibus disciplinis instrueret, multorum monachorum miserabilem excessum narrauit, vt in eis motus iuueniles comprimeret. His, inquit, diebus duo fratres rapidissima rapti sunt morte, non in vno loco, nec in vno die. Veniens vnus ex eis in domum cuiusdam suæ sororis vehementissime se esurire dixit, & refectionem petijt. Cui protinus illa pisces abundanter se habere respondit, vt comederet quales & qua hora vellet. Ille quasi indignatus pisces se fastidire respondit, nec iam eos se posse videre dixit. Tunc armum cuiusdam animalis sibi assari præcepit, sed non ferens assandi moram, portiunculam inscidit, & in prunas proiecit. Deinde vinum afferri sibi iussit, & carnis morsum auide sumpsit. At hoc quod sumpsit, gulam non transijt, nec reijcere potuit, sed vitam cum cibo perdidit.

Horrenda mors duorũ monachorũ carnes edere volentium.

Alius frater veniens ad domum cuiusdam parentis sui statim ad comedendum quæsiuit. Cui cum respondissent, quia necdum hora edendi venit, cum indignatione adiecit: Heu tota nocte equitando post iniunctam mihi obedientiam laboraui, & nunc me ieiunare cogitis? Afferte ergo mihi si quid habetis. Cui cum dicerent pisces se habere, indignatus cæpit huc & illuc oculorum intuitus circumferre. Ibat autem circa pedes eius gallinarum grex, tunc quasi furens baculum arripuit & eam quæ ei placuit percussit, ac furibundo ore dixit: Hæc est hodie mihi piscis. Qui autem circumstabant cum quodam rubore dicebant: Licet tibi carnem comedere pater? At ille volatile, inquit, non est caro. Volatilia enim & pisces vnam habent originem. Apposita est ergo coram eo gallina, quã occiderat iam assata ex qua offam abstulit & momordit, quem morsum nec euomere potuit, nec glutire, sed eum vita priuauit. Pugnos tamen & ceruicatas pro mercede

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

suæ improbitatis in opprobrium antequam moreretur assumpsit.

Etiam licita absque venia facere non licet.

Quidam frater ex prædicti patris Odonis congregatione illicito tẽpore sibi phleubotomiæ curationem adhibuit. Super quo facto commotus est eius animus, quia quamuis eum necessitas coegisset, tamen absque eius licentia hoc præsumere non debuit. Mox vena per quam sanguis effluxerat dirupta, & quousque animam redderet à quocunque medicamine non fuit restricta.

In monasterio sancti Heliæ, de quo Gregorius in dialogo loquitur, constituit pater Odo, vnum de fratribus suis præpositum, nomine Theodoardum, sed quia durum est, in mente veteri noua meditari, monachi qui ibi reperti sunt, ab esu carnis non potuerunt abstrahi. Quod videns ille, cæpit ex finitimis regionibus pisces emere, vt vel sic voluntati eorum satisfaceret. Ex qua re penitus equi quos ei dimiserat pater Odo defecerant huc illucque discurrentes. Hanc ergo eorum improbitatem suumque laborem prædictus frater patri Odoni crebrius innotescere studuit. Quo à Domino petente vallis ipsa cui monasterium præeminet atque interiacet, non multum procul iunctis monticulis inuicem se clausit, & consuetum torrẽtis, qui per eam defluebat aditum interdixit. Dehinc multitudinem aquarum collecta lacum ex se perduxit, & laborem fratri abstulit, quia pisces illi emere vltra necesse non fuit.

Huius natalis celebratur 13. Calen. Decembris, cuius vitam frater Ioannes scripsit.

De successore eius Adamaro & Maiolo.

Cap. LXVIII.

Ex gestis eius. Porro sancto Odoni, vt dictum est, successit Adamarus, siue Heimardus sinceritatis, & innocentiæ filius. Hic in augmentatione prædiorum, & acquisitione commodi temporalis fuit studiosus, & in obseruantia regulari deuotus, amissionem luminis temporalis, & quicquid sibi aduersitatis accidere potuit, absque omni murmure & indignatione patientissime tulit.

Vita beati Maioli.

Hius tempore beatus Maiolus Matisconensis Archidiaconus, nobilibus parentibus ab infantia nobilitatis titulo decoratus, ad morem & obseruantiam monastici ordinis est conuersus, & sexto, vt ferunt, anno suæ conuersionis è sæculo ab ipso Heimardo Abbate iam tota corporis valitudine destituto, & oculorum lumine priuato, habito fratrum consilio in locum Abbatis, licet multum reuitẽs est subrogatus. Erat autem incessu grauis, voce sublimis, ore facundus, vultu Angelicus, in motu vel actũ corporis honestus. Erat fide firmus, spe certus, gemma charitate refertus, sapiẽtia clarus, fortitudine robustus. Erat ei honestas in actione, sobrietas in cõsuetudine, humilitas in prosperitate, patientia in aduersitate. Mansuetis erat affabilis, superbis terribilis, parcus cum decuit, diffusus vt debuit. Non diuersus in habitu, non confusus in actu, quantum ad hominem vnus semper & idem deuotus imitator sanctorum, & intentus auditor eorum. Ita placere studuit hominibus, vt Deo non displiceret. Quam perspicue autem huius eiusque discipulorum existat in benedictione memoria, respondeant monasteria ab ipsis, alia funditus constructa, alia de corruptione cum incremẽto virtutum ad meliorem statum reducta. Multi quoque fidelium, vt testatur fidelissima relatio diuersis infirmitatibus constricti, etiam de vita desperantes, ab eo visitati per gratiam Dei sanati sunt, & multi oculorum caligine detersa, per meritum eius clarius videre cæperunt. Multi, vt ferunt, à veneno serpentum, à morsibus luporum & canum, ab incursionibus & illusionibus dæmonum, per dominicæ Crucis vexillum dextera eius manu impressum receperunt salutare remedium. Multi quoque in periculis fluminum ab ictibus fulgurum, & cæteris incommodis per eum liberati sunt. Aliquando candelæ vel cubicularij negligentia, vel occasione aliqua in noctibus ante lectum eius extinctæ, vt testati sunt qui affuerunt, diuinitus sunt lumine restituti. Aliquando cum in monasterio sancti Dionysij esset, & nocte vt sui moris erat eiusdem martyris librum de cælesti principatu legeret, graui somno superueniente candela de manu eius super paginam libri defluxit, & tunc mirabile quoddam & insolitum accidit. Ignis enim naturæ suæ officium prosequens, linum consumpsit & ceram, paginam vero dimisit illæsam.

Obijt hic sanctus plenus dierum, & sanctitate 5. idus Maij, feria sexta post celebrationem solennitatis dominicæ ascensionis. Ad cuius sepulchrum multi sanantur infirmi, paralytici eriguntur & claudi. Ibi cæci, & dæmonibus obsessi curantur. Et nescio cuius generis igne terribiliter, & miserabiliter adusti liberantur.

De Imperio Othonis primi, & nece Regis Edmundi.

Cap. LXIX.

Sigebertus in chronicis. Igitur post Henricum imperauit Otho primus, qui cæpit anno domini 938. Mundi vero 4792. & imperauit annis 36.

Huius anno primo Princeps Bohemiæ Vencenslaus vir sanctus à fratre suo Boleslao occiditur ambitione præripiendi principatum seducto: eius in vltionem Rex Otho bellum Boleslao interdixit, & lõga inter eos concertatio per 14. annos pertractata est.

Ex chronicis. Hoc etiam anno Rex Francorum apud Antisiodorum moritur; cuius corpus in ecclesiæ sanctæ Columbæ Senonis tumulatur. Post eius mortem Franci coacto in vnum concilio Guillelmum Senonensem Archiepiscopum in Angliam miserant ad Edinam, quondam Reginam Francorum, vt filium suum Ludouicum remitteret ad regnũ paternum. Quẽ obsidibus, & sacramentis adhibitus Ludouicũ prædictus Antistes accepit, & in Frãciam adduxit. Qui apud Laudunum vrbem vnctus, & coronatus est in Regem, & regnauit annis 19.

Sigebertus in chronicis. Anno sequenti Italiam vexabat hæresis Antropomorfitarum, idest corpoream formam Deum habere dicentium, contra quam Racherius Veronensium episcopus, & verbis & scriptis reclamabat.

Anno sequenti Rex Otho Boleslaum bello superauit, ac Boleslaus pro victoria securos circunueniẽs, Principem militiæ Regis cum multis trucidauit. Rex vero Bohemiam deuastauit.

Guilelmus Malmesburiensis. Hoc anno * Edmũdus Adelstani frater annorum 10. annis sex regnauit, & dimidio. Hic Glasconiensem ecclesiam magnis prædijs & honorib. ditauit, & confirmauit donationem suam per priuilegium aureis literis scriptum, in libro euangeliorum eleganter cõposito, quod eidẽ ecclesiæ dedit. Hic Edmundus latronẽ quẽdã nomine Leof eliminauerat. Qui post sex annos regressus die sancti Augustini Cantuariensis episcopi inopinus, apud Protheleterium inter conuiuas assedit, quia scilicet tunc solebant Angli festiuè conuiuari ob memoriam prædicationis sancti Augustini. Hic latro tunc forte iuxta ducem recumbebat, quem Rex ipse partibus de cæna dignatus fuerat. Qui cum à Rege solo recognitus fuisset, cæteris in vina spumantibus, Rex ira accensus prædoni capillos inuoluit, & ad terram elidit. Qui latenter siccam de vagina eductam in pectus Regis infixit. Qui mox exanimatus est, latro vero concurrentibus satellitibus membratim discerptus est, nonnullos prius saucians. Præuiderat Regis finem beatus Dunstanus tunc Glasconiensis Abdas dæmonis ante se saltantis gesticulationibus, & plausibus edoctus scurrilibus, qui mox equum conscendens, & ad curiam properans in medio itinere rei gestæ nuncium accepit; sepultus est in Glasconiensi ecclesia, data in inferias villa, in qua occubuit.

* *al.* Edimundus rex Anglia.

Ex chronicis. His diebus contra Regem Ludouicum rebellabant Francorum proceres, ac super omnes Hugo magnus Parisiensis comes, qui fuit filius Roberti tyranni à Carolo Rege in bello Suessonico perẽpti. Ludouicus itaque Rex à ducibus suis circumuentus, à Northmãnis

capitur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

capitur, & consilio Hugonis Banchinum missus publicæ custodiæ traditur. Carolomannus vero maior filius Northmãnis adductus Rothomagi moritur. Hoc audiens Imperator Otho, cum 27. legionibus ad liberandum Ludouicum Franciam aggreditur, eiusque metu Ludouicus à custodia relaxatur.

Ludouicus Francorum rex ab Othone liberatur Æmil. lib. 3.

De cæteris euentibus illius temporis.

CAP. LXX.

Sigebertus in chronicis. Porro contra Othonem Imperatorem rebellauit Euerardus comes palatij, & Gilbertus Dux Lotharingiæ, qui Gerbergam sororem ipsius Imperatoris habebat vxorem. Hi itaque duo Henricum fratrem Imperatoris obsessum capiunt: eumque fallacia sua ab Imperatoris fidelitate seiunctim fictioni suæ applicarent, suggerentes ei Regnum magis competere illi, in patris regno nato, quàm Othoni ante Regnum nato.

Euerardus & Gilbertus contra Imperatorem insurgunt.

Anno Othonis 5. Gilbertus, & Euerardus cum præfato Henrico iuxta Rhenum contra Imperatorem bellum parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione facta interim Imperatore in alio Rheni littore ante clauos domini lanceæ suæ infixos, in oratione prostrato, victi dederunc terga Henrico in brachio insanabiliter vulneratio.

Eodem anno orta dissensione inter principes de varietate legis, vtrum deberent auis superstitibus filij filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire; ex Regis Othonis, omniumque principum sententia cognitio veritatis commissa est gladiatorio iudicio cessitque victoria his, qui dicebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare.

Otho rex Brisagam obsidet.

Anno sequẽti Rex Otho obsedit Brisagam oppidum Alsaciæ, quod Ludouicus Rex per milites Euerardi, & Gilberti tenebat, in qua obsidione suasu Friderici Maguntini episcopi, qui animo iam ab Imperatore defecerat, multi ab Imperatore defecerunt, eaque re alijs territis, solus Rex interritus manet. Interim fideles Regis Vdo videlicet, & Chunradus frater Hermanni Sueuorum Ducis Euerardum, & Gilbertum prædando Regno secure intentos, iuxta Rhenum inopinate aggressi accerrimè debellant, Euerardo gladijs perempto. Gilberto autem Rheni vndis submerso, cæterorum vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuncio infideles Regis corde franguntur, & Ludouicus ab Alsacia discedit, & Rex & fideles cum ipso gratulantur.

Eodem anno Ademarus Cluniacensis Abbas substituit sibi Abbatem Maiolum.

Gulielmus Dux Northmannorum occiditur.

Guillelmus Malmesburiensis. Hoc anno Guillelmus filius Rollonis Dux Northmannorum dolo in Francia occisus est, ab Alzone cognomento Curto, clauis ad eius cingulum inuẽta est, feræ familiaris scrinij, in quo inuenta sunt indumenta monachalia, quæ semper inter bella meditabatur se gestaturum apud Gimegrum. Quem locum à tempore Hastingi desertũ ipse fruticosis sentibus purgauerat. Et ad hunc statum, qui modo est euexerat.

Huius filius fuit Richardus.

Adhuc de eodem.

CAP. LXXI.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis 7. Stephanus & Constantinus Imperatores filij Romani Imperatoris, vt videlicet superius prælibatum est ægreferentes se iusta patris sui seueritate à iuuenili leuitate coerceri, dispositis in palatio insidijs ignorante altero Constantino Leonis Imperatoris filio, patrem de palatij solio deponunt, & tonso ei, vt moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua Cenobitæ philosophabantur transmittunt.

Sol horribilem eclypsim passus est, feria sexta, hora diei tertia; quo die in Hispania Abdamaram Rex Saracenorum à Radamiro Christianissimo Rege Gallicię in bello superatus est.

Abdaram à rege Rade miro vincitur.

In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit protendens famem quæ secuta est. Rex Otho corpus Innocentij martyris in vrbem Magdaburg transfert.

Anno sequenti Otho Imperator totã Lotharingiam sibi subiugiuit, resistente sibi solo Metensium episcopo Adelberone fratre Ducis Friderici.

Stephanus & Constantinus videntes post patris sui depulsionem Constantinum filium Leonis Imperatoris ab omnibus sibi præferri, & se iam in secũdis vix haberi, Cum deliberarent hoc quod de patre fecerant, etiam de Constantino facere, publicato eorũ consilio per diabolicum incentorẽ huius cõsilij, cum ad conuiuium ex condicto conseditsent, & de prioratu sedendi inter se cõsulto decertarent, dato signo à viris Constantini ambo fratres solio deturbẽtur, & tõsis capitibus ad idem monasteriũ ad quod patrẽ transmiserant, & ipsi ad philosophandum cũ monachis transmittuntur. Ita euacuato palatio abusiuis Imperatoribus, ipse Constantinus, & Romanus filius eius ex filia Romani Imperatoris imperant annis 16.

Constãtinus imperium Græcorum recuperat.

Anno sequenti Henricus frater Imperatoris in vrbe Merseburg à fratre obsessus proiectis armis ad pedes eius procidens, & misericordiam eius implorans in custodiam includitur. Fridericus etiam Archiepiscopus Maguntia à ciuibus excluditur.

Guillelmus Malmesburiensis. Hoc anno regnauit Edredus tertius ex filijs Eduardi, annis 9. & dimidio. Cuius ægrotantis audito nũcio beatus Dunstanus cum illuc equum acceleraret, vocem desuper sonantem audiuit, modo Rex Edredus obdormiuit in domino.

De origine sancti Dunstani, & bonis eius initijs.

CAP. LXXII.

Festum Purificationis B. Mariæ. Luca 2.

Ex gestis eius. Hic Dunstanus ex Angliæ partibus oriundus parẽtibus & genere & fide nobilibus maternis autem sinubus sacro puerperio intumescentibus accidit, eam cum viro & multitudine populi confluente ad ecclesiam beatæ virginis Mariæ in Glasconia die purificationis eius aduenisse, accensisque lampadibus missarum solenniis interesse. Iamque qualiter puerum Iesum in templo inducerent recitari cæperat. Tũc repente maiestas Domini apparuit, quæ omniũ luminaria extinxit, & totam domũ caligine obtexit. Cumque omnes nimio pauore starent sensu hærentes, & alternis obtutibus stuporem indicarent, extemplo lux cælitus emissa in tẽplo resplẽduit, & cereum quem puerpera manu tenebat accẽdit. Sicut autem populus de amisso lumine mirabatur, sic nunc maiori admiratione simul, & exultatione mẽtis interna detinetur, illuc itaque ab omnibus lumen perrectum est, & hinc omnibus lumen receptũ. Infans autem natus cum iam loqui inciperet, ad hanc ecclesiam cum oblationibus delatus est. Ibiq; illis oratione pernoctantibus apparuit vir æthereos habens vultus, dicens locum non multo post sublimandum, puerũ ibi Deo relinquendum, & beatum per sæcula prædicandum. Cum autem in tenello corpore accerrimo lãguore fatigaretur, & iam in limine mors adesse putaretur, nocte intempesta cœlestis eum medicina reuisit, quam ei per Angelicũ ministerium Christus exhibuit. Confestim de lectulo doloris surgens ad templum Deo gratias acturus cucurrit; his qui eius ægrotantis curã gerebant stupefactis, lentoque pede vestigia eius sequentibus, & finẽ rei explorantibus. Necdum medium itineris confecerat, & cum malignis spiritibus latrantium canum multitudine stipatus occurrit, viamque eunti intercludere cõtendit, qui præ timore perterritus Christum puer exclamauit, eiusque præsidio vallatus virgam arripuit, quam in faciem obsistentis simulacri vibrans, ipsum cum omni comitatu in fugam compulit. Denique ad portam templi veniens, sed eam obseratam inueniens, scalam cui inniti solebant, qui superiora templi sartiebant ignoranter, & quasi per excessum mentis ascendit. Inde ad alteram partem tecti,

Mirantes.

Visio Parentum.

Diuinitus sanatur.

Profligat dæmones.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qua nullus erat deſcenſus progrediens angelicis manibus ad ſolum, ſcilicet intra templum deponitur; ibi facta luce inuentus eſt leui ſopore offuſus. Rogatus autem vt tam mirabilis euentus modum exponeret, non eſſe hoc in ſua conſcientia reſpondit. Sed hi qui explorandi gratia eum ſecuti fuerant de omnibus, quæ vſque ad extrema templi faſtigia contigerant, claro & probato ſermone teſtificati ſunt. Cætera vero quoniam & illos & puerum latuerunt ſola Dei potentia mirabiliter perpetrata fuiſſe clarueruntStudebat iuuenis ſeruare pudicitiam, fugere laſciuiam, principium bene agendi, Deum ſemper habere, finem vero eidem commendare. Moribus quoque bonis acceſſit ad ſtudium ſacræ lectionis vt cum varijs artibus magnificè polleret, illam tamen quæ muſicis inſtrumentis exercetur, ſpeciali quadam affectione vendicabat. Denique à patruo ſuo Athelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo Regi Ethelſtano familiari conteſtatione commendatus, & ab eo gratiſſime in palatio ſuſceptus, in cunctis ſapienter ſe agebat, nunc quidem ſurgens ad orandum Deum, nunc ſedens ad iudicandas cauſas hominum. Et cum videret Regem curis ſæcularibus fatigatum, in cythara, vel in aliquo muſico inſtrumento pſallebat. Sicque tam Regis quàm principum corda exhilarabat.

Vide rem miram.

In aulam regis Anglia adducitur & ibi religioſe verſatur.

De miraculo citharæ eius, & monachatus ſuſceptione.

Cap. LXXIII.

TVnc matronæ cuiuſdam frequenti rogatu compellatus, vt ei ſtolam ſacerdotalem artificioſè prępingeret, quam poſt ad diuinos cultus aurifactoria imitatione figuraret. Aſſumpta cithara ad domum illius tendit, citharam in pariete ſuſpendit, & opus ad quod venerat diligenter inſtituit. Cumque manum operi; cor autem & labia Deo præpararet, apparuit in domo gloria domini; cithara, quæ parieti affixa abſque vllo mouentis hominis impulſu, huius antiphonæ melodiam diſcretiſſima modulatione perſonuit: *Gaudent in cælis animæ ſanctorum, &c.* Tunc puellæ obſtrepentes exiliunt, mater familias omniſque domus clientela vociferans eum pluſquam expedit ſcire, diabolus quoque inuidiæ ſtimulis quoſdam inflammat, qui confecto mendacio opinionem iuuenis apud Regem lædant, afferentes illum malis artibus imbutum, nec quicquam diuino auxilio, ſed plura dæmonum operari præſtigio. Qui aduertens faciem Regis non eſſe erga eum ſicut prius, palatio diſcedere parat, malens eum deſerere, quàm ab eo deſeri. Quo comperto eius æmuli inſidijs iter obſidunt, illum equo deijciunt, ſupplicijs affligunt, tandem vinculis irretitum in ciſternam, quæ iuxta erat depellunt, donec à quibuſdam hominibus inueniunt, quorum pietate ad vicum fouendus transfertur. Hoc ergo principium certaminis eſſe intellexit, ad quod illum nuper diuinus cytharedus præmonuit. Profectus inde Elphegum cognatum ſuum Vuentanæ eccleſiæ Pontificem adijt, à quo frequenter rogatus, vt monachatum indueret, quatenus qui angelicæ conuerſationis initia haberet perſeuerantiam in habitu demonſtraret. Reſpondit excellentioris eſſe gratiæ, qui in ſæculo conſenuerit, & tamen quæ digna ſunt monacho fecerit eo, qui ſe monaſterio dedit, nec quicquam aliud præterquam quod ſibi ſtatutum eſt poſt hoc facere potuit: alterum, inquit, neceſſitatis, alterum eſt libertatis. Ad hoc Epiſcopus ait: Omnibus cōmunis neceſſitas eſt, vt qui ignem gehennæ voluerit effugere, ignem concupiſcentiæ ſtudeat extinguere, qui non multum extinguitur ſi fomenta eius humanis ſenſibus non ſubtrahuntur. Ad hoc, quod in mundo præcipuè appetitur libertas hominis eſt, hac enim omiſſa cætera nequeunt poſſideri. Vt ergo Deo des, quod maximè diligis, illa deſinas habere. Cumque huiuſmodi verbis quotidie epiſcopus inſiſteret, illum in ambiguo poſitum grauiſſima febris inuaſit, atque ad deſperationem vitę perduxit. Tandem ex inſperato reconualeſcens hic ait: Legibus voluptatis renuncio, virginem me virginis filius hucuſq; ſeruauit, virginem me Regina virginum habebit. Mox accito epiſcopo poſtulat ſibi indilatæ religionis benedictionem dari. Tūc epiſcopus lætitia perfuſus monachali eum & ſacerdotali gratia promouit, eccleſiæ beatæ Virginis Mariæ attitulans, cui eum ab initio parentum ſuorum ſponſio dicauit. Cumque eum contra diaboli inſidias inſtruxiſſet, dimiſit eum pergentem ad generationis ſuæ principium, ibi in eccleſia præfatæ Virginis manſitabat operās ea quæ piæ norma religionis exigebat. Cui etiam adhærentem cellam (ſiue alias ſpecum) proprijs laboribus ædificauit, quæ non tam humani habitaculi quàm formam gerebat ſepulchri. Vt enim ego, qui vidi æſtimo, longitudo eius non amplius quinque pedum, latitudo vero duos, & ſemis pedes habet. Porro altitudo ſtaturā hominis exprimit, ſiquis in defoſſa terra conſtiterit, aliter enim neque ſtantis ad pectus porrigitur, medium oſtioli feneſtellam aperit per quam lumen operanti irradiauit.

Votum perpetuæ virginitatis Deo nuncupat.

In arctiſſima degit cellula.

De incenſione dæmonis, & viſione ſtelliferi.

Cap. LXXIIII.

VErum diabolus quem ante habitare non finebat in palatio, nunc quoque depellere nititur tugurio. Fallax ergo fallacem hominis adeptus imaginē ſub obſcuro veſpere cellam adoleſcētis petit, & immiſſo capite feneſtræ incumbit cernens illum fabrili opere occupatum, poſtulat ſibi quippiam operis fabricari. Cuius ille calliditatem non aduertens, operi quod poſtulabatur animum intendit. Interim cœpit hoſtis verba peruerſa cōpoſitione facere, mulierum nomina inſerere, luxurias commemorare, deinde religionem oſtendere, & denuo eadem repetere. Tunc Athleta Chriſti quis eſſet intelligens, tenacula quibus ferrum tenebat cœpit fortiter ignire, & ſubpreſſis labijs inuocare Chriſto. Deinde sācto furore actus, celeriter ea candētia de igne rapit larualem faciem includit, & totis viribus renitens monſtrum introrſus trahit. Iamque ſtando vires ſumebat, cum is qui tenebatur auulſo pariete tenentis ſe manibus aufugerat, tales immani rugitu fremens vlulatus: O quid fecit calluus iſte, tenui namque ſed formoſa cæſarie erat, & ideo de eo talia clamitabat. Mane autem congregata eſt ad eum propinqui populi multitudo, ſciſcitās, quis ille clamor fuiſſet, qui tanta eos vehementia dormientes terruiſſet. Dæmonis ait furor ille fuit. Caute vos ab illo agite, quia ſi vocem irati ferre non potuiſtis, ſocietatem dānati quo pacto ſuſtinebitis? Poſt hæc ieiunio & oratione contra hoſtem pugnans, cum pudicitia corporis tantam obtinuit munditiam cordis, vt vix eum latere poſſet, quicquid ſiniſter ſpiritus molitus fuiſſet, famaque eius totam regionem percurrit, quæ ad viſendum eum omnium corda accendit.

Patitur obtrectatores.

Ab æmulis multa patitur.

Inſignis eius pudicitia.

Mulier quædam Elſgina nomine, diues & nobilis ad eum veniens cum ex ore eius verbum audiſſet, adeo dulcedine vitæ ęternæ delectata eſt, vt vlterius nec domum repetere neque loco diſcedere, ſed cum eo mori & viuere diligeret. Hic circa veuerationem beatæ Mariæ virginis valde feruens erat, & in tātum apud eam eius merita valuerunt, vt ſi quando neceſſitate coacta quippiam poſtularet, vix aliqua morula intercedente ab ea ſuſciperet. Quæ cum infirma moreretur, vir ſanctus dum eccleſiæ oſtium pſallendo præteriret, erectis ad cœlum oculis vidit ſpiritum ſanctum in columbæ ſpecie deſcēdentem, cuius corpus omni candore nitidius, alarum vero remigia ſcintillantis ignis ſplendorem per aera ſpargebant, quem ille penetrale illud morientis matronæ ſubintrantem conſpiciens illuc concite venit. Videt domum diuino ſplendore fulgentem, audit fœminam intra ſepta veli oppanſi gratias agentem, miratur colloquium & dicendi finem patienter expectat. Deinde leuato velo ſubintrans illius ſtelliferi nomen interrogat. Illa autem modeſte ſubridens ait: Tu ſtelliferum antequam huc venires vidiſti, & nunc cui locuta ſum interrogas. Ipſe eſt qui ad oſtium eccleſiæ tibi apparuit,

Elſgina religioſa famina optime ab eo inſtituitur

Egregie tractat damonem ipſi ludere volentem.

Pia matrona certa de hora mortis ſacramentis munitur.

& me

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& me de imminente morte territam consolans visitauit. Tibi autem singulari amico gratias refero, quia tuis semper admonitionibus instructa, & orationibus adiuta, ecce ad Deum vado. Cumque corpus, & sanguinem Christi suscepisset animam pariter tradidit Christo.

Qualiter factus est Abbas Glasconiensis, & præcognouit mortem Regis.

CAP. LXXV.

Extruit monasterium Glasconia Dunstanus eiusq; abbas fit.

DEfuncto autem Rege Ethelstano, frater eius Edmundus imperij monarchiam suscepit, à quo Dũstanus accepta potestate super regiam mansionem quæ Glasconia vocabatur, cœpit angustioris ecclesiæ fundamenta iacere, officinasque construere secundum exemplar olim sibi ostensum ab Angelo, ipsam metiente fabricam, magnumque monachorum gregem ibidem cõgregare. Quibus ipse primus Abbas effectus ad tantam iustitiæ perfectionem eos adduxit, vt ad omnes circumquaque ecclesias ex eisdẽ Põtifices eligi & Abbates assumi non cessarent. Cum autem vir Dei precibus regijs deuictus, Bathoniensem ecclesiam inuisere perrexisset, ibi dum solitarius oratet repente ad superna raptus, animam cuiusdam discipuli à se nobiliter apud Glasconiam educati, innumera Angelorum frequentia stipatam, immensoque lumine perfusam ad cœlum prouehi conspexit, & mox eam in manus diuinæ pietatis commendans; dominus quoque loci ad commendandum inuitauit. Regressus autem vt Regem cupidissimum sibi loquendi adiret, diabolum scurræ simillimum coram equitantibus deprehendit saltantem, & quasi de futuro aliquo lucro gloriantem. Cuius præsentiam dum coexistenti populo indicasset, formamque omnium conspectibus horribilem ex imperio denudasset, requisitus postea quid eiusdem monstri, petulans lætitia portenderet, mortem Regis regnique mutationem proximam esse nunciauit, cui mox prophetiæ rerum veritas respondit. Nam infra septem dies occiso Rege successit in regnum iure fratris, vir egregius Edredus pius, & iustus, proinde Dunstanus quasi Rex & Regis Imperator est effectus.

Damon ei apparet petulãter exultans.

Edmundi regis cades.

Qualiter idem factus est Vuintonensis episcopus.

CAP. LXXVI.

ELfego autem Vuintano episcopo ad vitam spiritalis sæculi dispositio, Rex Dunstanum aggrediens rogat, vt ecclesiam pastorali solatio destitutam ipse pastor suscipiat; sed videns se ei persuadere non posse, reginæ matri Edginæ, quæ illi valde dilecta erat verbum imposuit suadelæ. Quod cum ei suaderet, & ille penitus recusaret, illa rationibus adhuc insistente motus aliquantisper certissimum inquit habeto me in diebus filij tui pontificali infula non esse sublimandum. Inde fluctuantes animos gerens cubiculo se dedit, ibique secum multa voluenti somnus obrepsit. Et ecce adsunt Christi Apostoli Petrus, & Paulus, & Andreas, à quibus gloriosissime salutatus, Andream hilari vultu aspicit cõiuentem, & verbis Angelicis audit præcinentem: *Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum &c.* Tunc à beato Petro iussus læuam extendere modicum ferulæ crepitantis ictum excepit. Hoc ab illo audiens: *Hæc tibi sit & pœna abiecti, & signum vlterius non abijciendi Pontificatus.* Ad cuius virgulæ tactum euigilãs gratias egit Deo, à quo se ita conspexit honoratum. Cumque Regi hoc quod viderat enarrasset, signo diuinæ prænunciationis est glorificatus, & insuper ipsius interpretatione Regis Pontifex Cantuariæ futurus, designatus. Rex autem læthali morbo postea correptus ad eum accersiendum misit nuncios, vt esset confessionis eius auditor, & fidelis apud Deum intercessor. Qui contristatus ad animam, cum ad palatium velociter tenderet, & membra affecta iciunijs infatigabiliter fatigaret, non patiente Deo illum

Sanctus Dũstanus recusat episcopatum.

Matth. 11. Visio S. Dũstani.

Rex prudenter eã visionem interpretatur.

vlterius affligi, vox de cœlo lapsa insonuit: Ecce Rex Edredus obdormiuit in domino, cuius vocis emissione equus cui insidebat percussus interijt. Tremuerunt comites, fragorem quidem tonantis audientes, sed quis intonaret non intelligentes: quibus ipse rem aperiẽs commendat animam Regis defuncti in manu Regis æterni. Ingressusque palatium sepeliendi persoluit officium. Post hunc surrexit Eduuinus filius Regis Edmundi iuuenis insipiens, nulla regnandi gratia pollens, sed quasi alter Roboam spretis senioribus puerorum consilia sectans, libidine quoque incessanter exarsit. His vir sanctus grauiter offensus, frequenter eum & acriter cœpit increpare, & ille increpantem ridere, multaque mala illi comminari. Qui vbi industriam suam nil prævalere vidit, ab eius colloquio penitus abstinere decreuit. Illo ergo relicto monasterio se recepit. Illo in loco turris erat, quam necdum vlla in cacumine tectura claudebat. Cumque populus trabem totius operis sustentatricem summis muris applicare contenderet, repente ruptis funibus ruere cœpit, clamante omni populo Dunstanum, vocibus iteratis aduolat ocior sanctus, *signum crucis* è regione machinæ depingit. Necdum manus sancta digitos contraxerat, cum trabes, nec vinculis astricta, nec machinis leuata reuehi videbatur ad locum de quo ruere cœperat.

Edredi regis falicem obitum diuinitus cognoscit.

Edroini regis infaustum imperium.

Qualiter insidias diaboli contra se superauit.

CAP. LXXVII.

Vide insignẽ miraculum, & vim S. Crucis.

HVic gloriæ inuidens diabolus in speciem vrsi translatus hiante rictu orantem aggreditur, iectisque vngulis, pastoralem virgam quam manu tenebat, complectitur, & ad se trahere conatur. At ille spiritu Dei roboratus retractum ad se baculum in sublime erigit, ac fugientem belluam cædens non prius destitit quam flagellum in tergo illius tribus partibus comminutum apparuit. Victus in se diabolus, in alijs victorem suum vincere quærit. Nam præfato Rege eodem quo consecratus fuerat die in turpes concubitus publice deuoluto, ac per hoc omni senatorio ordini offenso communi omnium voto Dunstanus compellatur. Qui pergẽs repertum cum adultera Regem mechali thoro violenter abstraxit, & ante summum Pontificem Odonem Cantuariensem adduxit. Itaque pellicis animum diabolus instigat, Regis iram pellex exaltat, & ambo Dunstano exilium intentant. Cumque venissent Glasconiam, & vrgente Regis edicto proscriptus fuisset inter lachrymas monachorum sub eius manu nutritorum, inter lamenta amicorum, inter gemitus pauperum à se recreatorum, audita est in atrio templi vox plaudentis diaboli quasi inuenculæ cachinnantis, quem sanctus seuera frõte suspiciens. Nihil, ait, super exilio meo gratuleris, quia plus est quod me redeunte doleas, quam quicquid me exultãte lætari valeas. Hoc dicto malignus abscessit, nec sic cessauit mulieris furentis insania, quin omnibus, qui virum Dei exulantẽ hospitio fouissent perscrutatis, proscriptis, damnatis, ipsiusque oculis eruendis ministros transmitteret. At clementia Christi respiciens Anglorum populum tanto pastore destitutum, suscitauit corda eorum contra Regem impium, coactique in turbam ipsum cum adultera fugitantem armis prosecuti sunt, & ipsam quidem comprehensam subneruauerunt, ipsum quoque per diuersa loca deuiantem vltra flumen Thamisium compulerunt, fratremque illius Edgarum Regem statuerunt. Qui celebrato regni concilio adnihilatis omnibus, quæ à fratre eius iniquis legibus, decreta fuerant, omnia quoque ab eo violenter ablata restituit, & virum Dei. s. Abbatem Dunstanum in magna gloria de exilio reuocauit. Deniq; mortuo impijssimo Rege Eduuio & in sortem dæmonum translato, Dunstanus nesciẽs quid de eo actum esset, in Ecclesia cui præerat Dei, fidis meditationibus inseruiebat, & ecce sub eius aspectu tartarea cohors exultando quasi chorum ducebat, perscrutatus sanctus causam lætitiæ, audit Regem obijsse,

Dunstanus verberat diabolum.

S. Dunstanus proscribitur. Compescit dæmonis petulantiam.

Edgari regis encomia.

S. Dũstanus reuocatur in Angliam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

animamque illius statim tradendam gehennæ, sed prius hoc ex diuino imperio Dunstano nunciandum. Qui pietate motus soloque prostratus vbertim flens, non prius ab orãdo Deo quiescit, quousque Regis spiritum liberatum agnoscit. Breui autem morula peracta redit tristis legio infernalis in hos clamores erumpens: O hominem fidei alienũ, & nostris semper beneficijs ingratum, ad vlciscendas iniurias tuas venimus, & ecce aduersis increpationibus tuis confusi redimus. Cumque ille depromendæ veritatis præceptum dæmonibus indiceret, agnoscit animam Regis Angelica virtute illis sublatam esse, eamque in sorte pœnitentium cedere. Tunc exultans in domino, furores illorum tali ratiocinatione compescuit: Si peccauit, inquit, homo iste, in Christum peccauit & in me. Quod ergo Christus, & ego dignati sumus indulgere, vos qua temeritate audetis improbe reprehendere. Qua sententia tetri spiritus quasi pertica sagitta percussi, muscarum à vento raptarum modo dissiliunt.

Precibus ipsius liberatur anima defũcti regis Edreini.

Qualiter factus est Cantuariensis Archiepiscopis.

CAP. LXXVIII.

POst obitum vero sancti Odonis Cantuariensis Archiepiscopi Rex Edgarus Dunstanum precibus fatigatum, tandemque sui & omnium episcoporum importunitate superatum, primæ metropolis Anglorum scilicet Cantuariæ primatem ac Patriarcham instituit, quem statim ob robur auctoritatis Apostolicæ Romam profectum Papa Ioannes videre promeruit, eumque Pontificalibus decoratum quasi columnam lucis ad illuminandam terram genti Anglorum transmisit. Cumque die aduentus sui primo sacris altaribus assisteret, & populo Dei panem viuificum distribuendo porrigeret, repente contecta nube domo columba olim à Ioanne in Iordane visa apparuit; quæ quousque sacrificium consumptum fuisset super illum mansit. Diabolus vero ecclesiæ gaudia turbare volens accendit animum Regis in amorem Deo sacratæ virginis, vt quia Dunstanum deijcere non posset, eum quem maxime diligebat deijceret. Perpetratoque peccato & ad publicam populi audientiam prolato, Dunstanus dolore affectus mox illum redarguendum velut alterum Dauid, alter Nathan intrepidus adijt. Cui assurgens Rex cum manum extenderet vt eum ad regium thronum deduceret, ille manum dare renuens, oculos ad illum cum indignatione torsit & ait: Tu Pontificis manum audes contingere, qui virginem deitatis arrhatam munere non timuisti præripere? Nolo esse amicus, cui Christus fuerit inimicus. Territus verborum eius tonitruo Rex pedibus eius extẽplo prosternitur, scelus flebiliter fatetur, veniam humiliter precatur. Quod vt vidit Pontifex expauit, perfusumque lachrymis Regem, lachrymis & ipse madens à terra leuauit. Deinde cum magnitudinẽ peccati per amplificationem exposuisset, paratum illud ad omnem satisfactionem reddidisset, septennem ei pœnitentiam indixit, vt in toto hoc spacio coronam regni non gestaret, ieiunium in hebdomada biduale transigeret, pauperibus thesauros large dispergeret. Super hoc sacrandis Deo virginibus monasterium Flensconię fundaret, vt qui vnam pro peccato Deo abstulisset, plures ei per sectam aggregaret. Aliaque plura ei iniungit, nihilque fuit quod minus, vel segnius Rex impleret, quam à rectore vitæ suæ præceptum fuisset. Septimo autem anno cum pœnitentiæ tempus exactum fuisset, sacer præsul accitis omnibus imperij Anglorum Principibus, Episcopis, Abbatibus coram populi multitudine Regi coronam imposuit cũctis lætantibus, & Deum in Dunstano laudantibus, puerum quoque ex peccatrice progenitum sacro fonte regeneratum leuauit, & aptato illi nomine Eduardo in filium sibi adoptauit.

Fit Archiepiscopus Cãtuariensis.

Columba celitus veniens sacrificantis capiti insidet

Vir sanctus grauiter castigat regis libidinem.

Vide septennem pœnitentiam tanti regis.

De constantia eius, & quibusdam miraculis eiusdem.

CAP. LXXIX.

EO tempore quidam comes duxerat cognatã suam, qui correptus à Dunstano parere noluit, vt eam relinqueret. Excommunicatus ille adijt Regem conquerens, de Dunstano. Rex mãdauit Archiepiscopo vt eum absolueret; Qui noluit, sed eum grauius excommunicauit. Ille Romam cum multis muneribus misit. Apostolicus mandauit Dunstano vt eum absolueret. Absit hoc, inquit, vt causa alicuius mortalis hominis contemnem legem Dei mei. Quod videns comes pœnituit, & vxorem suam repudiauit, nudisque pedibus laneis indutus, virgasque in manu gerens cecidit ad pedes Dunstani generale concilium celebrantis, & tunc primo absolutus est.

Vide notabile exemplum publica pœnitentia.

Quodam tempore capti sunt tres fabricatores falsæ monetæ, qui mox adiudicati sunt ad sustinendam pœnam tali crimine promulgatam per Angliam id est ad manuum abscisionem. Quod Dunstanum non latuit. Die ergo Pentecostes celebraturus missam percunctatus est vtrum lex impleta esset. Responsum est propter reuerẽtiam diei festi dilatam esse pœnam vsque in diem alterum. Nequaquam inquit. Ego hodie ad altare non accedam, donec debitam sustinuerint pœnam. Nam negocium ad me respicit, ipsi enim viri in potestate eius erant. Dixit & pro eis, qui manus perdituri erant multum plorans, ostendit ex qua affectione hoc dixerit, quibus punitis ascendit ad altare lota facie dicens: Nunc confido, quod sacrificium de manu mea suscipiet omnipotens. In qua missa dum diceret, *Ecclesiam tuam quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris*; niuea columba super eum & multis videntibus descendit, & alis expansis super caput eius sic mansit in silentio vsque quo sacrificium impleretur. Quo completo diuertit super tumbam Odonis præfati Archiepiscopi, alis suis eam complexans, & rostro deosculãs. Vnde Dunstanus quotiens postea ante sepulchrum eius transiuit semper genua flexit, & eum postea appellauit Odonem Sodonem id est bonum Odonem. Dum autem digrederetur ab altari, ministri pro signo quod acciderat in diuersa euntibus, non fuit qui casulam illius susciperet, quæ pependit in aere, nec terram tetigit, ne seruum Dei à sua intentione turbaret.

Nota seueritatem Sancti viri in eos qui monetã adulierant.

Dedicabat aliquando ecclesiam cuiusdam nobilis, vbi cum aqua deficeret ad ministerium, & ille nobilis turbaretur; vir Dei percussit baculo terram præmissa prece, & fons erupit, qui vsque hodie manans nomen eius celebre facit.

Excitat fontem precibus à terra.

Aliam quandam ecclesiam dedicabat, quam cum inspiceret non esse conuersam versus orientem, humero suo parum suppressit, & mox fertur ad orientem eam conuertisse.

Quadam nocte, dum dormiret, per visum raptus est in superna, & videre sibi visus est matrem suam cuidam potentissimo Regi in coniugio copulatam, sub immensa confluentium magnatorum lætitia, resonantibus vndique hymnis, & laudibus in gloriam illius Regis, & diuersis organis concrepantibus. Quibus dum ipse magnifice delectatus intenderet, accessit ad eum quidam iuuenis candidissimo tectus amictu dicens: Quare omnibus alijs gaudentibus, & cantantibus, tu solus taces in nuptijs matris tuæ. Qui respondit se nescire quid in laudem tanti Regis cantaret. Cui ille: Vis, inquit, institui quid contare debeas? Respondit cupio. Et ille: Canta. *O rex gentium dominator omnium propter sedem maiestatis tuæ da nobis indulgentiam Rex Christe peccatorum, alleluia.* Quam sæpius ille cantans, & repetens miro modo delectabatur. Expergefactus statim illam antiphonam iussit scribi.

Visio eius cælestis.

Antiphonã discit diuinitus.

De

De vltione diuina in eius aduersarios ostensa.

Cap. LXXX.

INterea clericalis ordo in quibusdam locis tanta confusione agebatur, vt non solum à vita sæcularium excellentius nihil haberet, verum etiam improbis actibus longe inferior iaceret. Qua de re pastores ecclesiarum turbati, Dunstanum vt proprium primatem adeunt, res male gestas exponunt. At ille in homines nefandos auctoritatis suæ protulit sententiam, aut canonice esse viuendum, aut ecclesijs exeundum. Ex quo factum est, vt plurium ecclesiarum clerici dum contemnerent, proposita conditione corrigi auctoritate Pontificis sunt expulsi. Qui cum eum iniuriæ accusarent, virtutis amatores se esse fatētes. Dunstanus coacto cōsilio Vuintoniam venit, ibique ex sententia totius concilij de aduersarijs victoriam cæpit. Cumque ex iure sibi nihil superesse conspicerent, vsi regio auxilio & Principum ad preces se vertunt, quibus episcopum flagitant, vt intromissæ personæ de ecclesijs expellantur, expulsæ restituantur. Dubitante autem viro Dei, nihilque ad rogata respondente, ecce dominici corporis forma vexillo crucis infixa & in editiore domus parte locata, humanos exprimens modos, omnium voces compescuit dicens: Absit hoc vt fiat: Ad quam vocem Rex & omnes maiores natu perterriti, clamore pariter & Dei laude aream compleuerunt. Et his quidem aduersarijs viuentibus cessatum est à contentionibus, donec per successionem prior discordia renouata est. Tunc abeuntes, & iniquitatis suæ defensorem quendam Scotorum Pontificem ingeniosum & loquacem assumentes, ad hominem Dei tendunt turgenti spiritu scandalum proponunt, at ille qui lōgo senio & Ecclesię laboribus effractus iam præter orationem omnia postposuerat, hoc responsionis iaculum in hostes vibrat. Quoniam, inquit tanto tempore elapso calumniæ causam non prætendistis, nunc autem senescentem me & taciturnitati operam dantem antiquis querelis deseruire compellitis, fateor vincere vos volo, causam ecclesiæ suæ Christo iudici committo. Quod dixit irati Dei censura firmauit, mox etenim domus concussa est, cænaculum sub pedibus solutum, hostes solo præcipitati, ac ruentium trabium pondere oppressi. Vbi vero cum suis sanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ suffusio fiebat.

Hanc Vuintonienſem ſynodum potius ſub Edwuardo celebratam eſſe putat Baron. an. 975.

Vide panam incontinentium canonicorum.

De prophetia eius contra domum regiam & transitu eiusdem.

Cap. LXXXI.

REx autem Edgarus immatura morte præreptus Edvuardum filium suum & regni, & morum hæredem reliquit. In cuius electione dum quidam Palatini Principes acquiescere nollent, Dunstanus *arrepto crucis vexillo*, quod ex more ante se ferebatur in medio constitit, Edvuardum illis ostendit, elegit, sacrauit, patrisque ac magistri affectum quoad vixit ei impendit. Sed illo post triennium nouercali fraude occiso, Ethelredus quem eius fratrem fama loquebatur regnum obtinuit. Quæ res quamuis infesta esset Dunstano, non tamen consilium fuit resistere, eo quod Regis filius, & proximus tunc hæres videretur esse. Attamen in die consecrationis suæ post impositam sibi coronam, fertur Dunstanus hoc illi prædixisse: Quoniam conspirasti ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit ignominiosa mater tua, non deficiet gladius de domo tua, de semine tuo interficiens quousque regnum tuum in alienam gentem transferatur.

Idem sanctus beatam Dei genitricem videre meruit, & mellifluas eius voces audire, quibus socias virgines ad collaudandum Deum hortabatur concinens illud carmen Sedulij.

Cantemus domino ô sociæ &c.

Ethelredum coronat, & prophetat an. 979.

Anno autem Verbi incarnati 12. minus à millesimo Patriarchatus sui 33. natiuitatis autem circiter 70. cum iam esset omnium virtutum charismate plenus, & videndi Deum desiderio fatigatus, post multam populorum exhortationem, & futurorum prænunciationem inter gratiarum actionis verba, ex omnibus animi medullis effusa vidit illos, qui se ad cæleste conuiuium iam ante biduum inuitauerant bonos Angelos assistentes, & cæleste sibi obsequium præparantes, quorum penitentia anima illius gratulata, de habitaculo sanctissimi corporis est egressa, & in gaudium domini sui cum honore ingressa.

An. Ch. 988. migrat ad Dominum.

De quibusdam euentibus sub imperio Othonis.

Cap. LXXXII.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis 12. Taxis Rex Hungarorum in Italiam veniens decem modios nummorum à Berengario pro redditu accepit.

Anno eiusdem 16. mortuo Vuicfrido Colonienſium Archiepiscopo suscepit Archiepiscopatum vir gloriosus Bruno frater Othonis imperatoris, qui qualis quantusve fuerit apud Deum & homines lector ediscat in vita ipsius quam Rogerus luculenter scripsit. Huius studio translata sunt à Roma Coloniam corpora sanctorum Elisij, Patrocli, Priuati, Gregorij, cum baculo sancti Petri.

Anno eiusdem 18. Ludouico Rege Francorum mortuo Lotharius filius eius ex Gerberga sorore imperatoris regnauit annis 31.

Ex chronicis. Ludouicus Remis in ecclesia sancti Remigij sepelitur, & sub Lothario filio eius Rege. Hugo magnus Francorum dux efficitur, nec multo post idem Hugo moritur, & in Ecclesia sancti Dionysij tumulatur cui successerunt filij eius Hugo, & Otho, & Henricus, quorum Hugo ducatum Francorum in loco patris est sortitus.

Guilielmus in chronicis. Hoc anno regnare incepit, Edvuisius filius Edmundi superioris Regis adolescens petulans, vt supradictum est, & libidinosus. Qui Dunstano corripiente se, omnes monachos in tota Anglia exiliauit, & calamitatibus affecit. Ipsum quoque Dunstanum in Flandriam expulit. Malmesberiense cænobium plusquam 270. annis inhabitatum à monachis, stabulum clericorum fecit. Tunc beati Adelini corpus tot annis abditum à clericis, de terra leuatum, & in scrinio locatum est, cui dedit Rex prædium ampliſſimum. In cætera vero cænobia nimis inhumanus fuit, tum propter ætatis lubricum, tum propter pellicis consilium, regnauit annis 4.

Sigebertus in chronicis. Anno 19. Ioannes Romanæ ecclesiæ 131. præsidet.

In Italia lapis miræ magnitudinis, tonitrui tempestate turbulenta de cælo iactus ingens miraculum videntibus præbuit. Templa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt, vtriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interierunt, & plura horrenda dictu portenta monstrata sunt.

Grauis tempeſtas.

Anno 22. prodigiosa res multos terret, & à vitijs coercet, notis crucis in veste plurimorum apparentibus, quorundam autem vestibus quasi lepra sordentibus.

De Edgaro Rege, & viris illustribus Angliæ.

Cap. LXXXIII.

Guilielmus in chronicis. Hoc anno regnare incæpit. Edgarus filius Edmundi frater Eduini iuuenculus annorum 16. quo nascente Dunstanus fertur audisse vocem Angelicam dicentem: *Pax Angliæ quamdiu puer iste regnauerit, & Dunstanus vesper vixerit.* Regnauit autem annis 16. Nullum fere annum regnauit, quo non nouum monasterium fundauerit. Regem Scotorum Cinadium, Cambrorum Macolinum, Archipiratam Mas-

Hic rex Scotorum Leunethus 3. à Leſleo dicitur l. 5 de rebus Scoticis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

censium, omnesque Reges Vualensium numero 5. ad curiam coactos perpetuo sacramento sibi obligauit, quos apud vrbem Legionum sibi occurrentes in pompam triumphi per fluuium deduxit vna naui impositos, in cuius prora sedebat ipse, & illi remigabant. Fama eius exciti venerunt eum videre Saxones, & Flandrenses, & Dani, à quibus didicerunt tunc temporis Angli inconditam animi ferocitatem ideſt à Saxonibus, & à Flandrensibus eneruem corporum mollitiem, à Danis potationem.

Mores parui in Angliam à quibus inuecti.

Florebat tunc in Anglia Dunstanus prius Abbas Glasconiæ, post episcopus Vuintoniæ, mox Archiepiscopus Cantuariæ, multæ in sæculo potentiæ, magnæque apud Deum gratiæ. Post Regem Elfredum excitator mirificus, artium liberalium & locorum regalium reparator magnificus. Qui vt potationem cõpatriotarum refrænaret, clauos aureos vel argenteos iussit vasis affigi, vt dum metam suam quisque cognosceret non plus subseruiente verecundia vel ipse appeteret, vel alium appetere cogeret. Huius discipulus fuit Athelvuoldus ex monacho Glasconiensi, Abbas Abbendoniensis, & post episcopus factus Vuintonensis. Qui tot & tanta fecit episcopus vrbis vnius quot & quanta vix posse facere videretur Rex Angliæ totius. Hic clericos expulit de Vuintonia, & posuit pro eis monachos.

Floruit etiam tunc temporis Oswaldus nepos Odonis Archiepiscopi, qui ante Dunstanum fuerat ex monacho Floriacensi Vuingorniæ episcopus, & post Eboracensis Archiepiscopus. Qui monasterium Rameſiæ in quodam palustri loco ædificauit, clericos ex Vuingornia expulit, & posuit pro eis monachos regulares.

De visione eiusdem Edgari super statu futuro regni.

Cap. LXXXIV.

IDem Edgarus Rex Angliæ dum quadam die in venatione esset fessus, somnoque resolutus, iacebat sub malo siluatica, tunc ecce canis feram insequitur, fœmina vero prægnans venatica, & iuxta pedes illius accubans dormitantem excitauit. Nam ipsa tacente catuli aluo inclusi multiformes & sonoros latratus edidere. Attonitus Rex oculos ad cacumen arboris intendit & vidit poma vnum & alterum delapsa in fluuium, quorum collisione bullis aquatilibus intra se crispantibus voce articulata insonuit sic: Vuelhiste i. bene est tibi. Non multo post vndarum cum voluminibus vrgentibus vrceolus super aquam apparuit, & post vrceolum vrceus exundans aquam, nam alter prior vacuus erat. Et quamuis crebro gurgitis impulsu maior minorem vrgeret, vt scilicet aquas suas in illum funderet, nunquam tamen obtinere potuit, quin vrceolus vacuus recederet. Iterumque quasi superbo gestu victorem victus impeteret. Regressus Rex post hanc visionem domum anxius patefecit omnia matri suæ, cui tanquam sanctæ fœminę Deus solebat multa reuelare, hæc dicebatur Elfiga, quæ tam pia & dulcis erat, vt etiam reos quos iudicium palam damnauerat occulte redimeret. Quamlibet pretiosam vestem conspecto pauperi statim dabat, corpore speciosissima, & artificio manuum prudentissima, & omnibus operibus bonis intenta. Postero igitur mane dixit filio suo: Latratus catulorum quem matre quiescente dedere significant, quod post obitum tuum quiescentibus illis, qui modo valent & viuunt, nondum nati nebulones contra Dei ecclesiam latrabunt. Quod autem vnum pomum secutum est alterum, ita vt ex collisione secundi in primum videretur vox sonuisse VVel histe. Hoc innuit, quod ex te qui ad instar arboris magnæ totam inumbras Angliam, duo procedent filij, fautores secundi extinguent primum. Tunc diuersæ partis incentores dicent pueris vtriusque VVel histe, quia mortuus regnabit in cœlo, vnius in sæculo. Quod autem vrceus maior minorem implere non poterat, significat quod gentes Aquilonares, quæ numerosiores sunt quam Angli, Angliam post mortem tuam impetent, & quamuis crebro compatriotarum aduentu ruinas suas impleant, nunquam tamen hunc angulum mundi poterunt implere, sed Angli nostri cum maxime victi videbuntur, eas repellent.

De iustitia & sanctitate eiusdem.

Cap. LXXXV.

HIc Edgarus Rex, ita in sanctitate sua seuerus fuit, quod ibi nullus fuit priuatus latro, nullus popularis prædo, nisi qui mallet propriæ vitæ dispendio in fortunas alienas grassari. Quinetiam omnis generis feras sanguinis auidas ex regno exterminare cogitauit. Vuidualo Regi Vualentium indixit, vt sibi aliquot annis tributum 30. luporũ solueret. Quod cum ille tribus annis feciſſet, quarto destitit, nullum se vlterius posse inuenire professus est. Gracillimi corporis fuit, & virtutis immensæ, ita vt vltro ad congrediendum lacesseret, quemcumque audacem hoc maxime timens ne in tali colludio timeretur. Omni æstate post Pascha naues per omnia littora coadunari præcipiebat ad occidentalem insulæ partem cum orientali classe, & illa remensa cum occidentali ad borealem. Inde cum boreali ad Orientalem remigare consuetus, vt exploraret ne quid piratæ turbarent. Hyeme & vere per omnes prouincias equitabat iudicia potentiorum exquirens, ne ius violarent.

Venit aliquando cum adolescens esset in monasterium, quod situm est Vuintoniæ, vbi quædam puella de nobilibus Anglorum orta, inter sanctimoniales in communi habitu nutriebatur, quam videns & concupiscens misit pro illa, quæ timens pudori suo, raptum velum à quadam sanctimoniali capiti suo imposuit, & sic ad Regem iuit, quam videns ille: Quam subito, inquit, sanctimonialis effecta es, & ablato velo renitenti vim intulit. Hoc sciens Dunstanus contristatus, valde venit ad regem. Cui venienti cum Rex occurreret, & eum vt solebat per manum ducere vellet, Dunstanus turbato vultu manum suam retraxit, & eum ad pœnitentiam commouit, vt supradictum est. *Regis Edgari intemperantia.*

Quodam tempore Rex venatum perrexerat, & Dunstanum qui tunc forte secum erat missam rogauit differre donec rediret. Appropinquante hora tertia, vir Dei sacris indutus vestibus, Regemque expectat cubitis innixus altari & lachrymis deditus. Tunc subito sopore leuiter pressus, rapitur in cœlum & immixtus Angelis audiuit eos sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere. *Kirieleyson, Christeleyson, Kirieleyson.* Quorum cantum retinens ad se reuersus est, & interrogat si Rex aduenisset. Respondetur non. Iterum ergo erat & iterum in cœlum raptus audit ibi altisona voce dici. *Ite missa est.* Cumque respondetur, *Deo gratias*, accurrunt clerici Regis Regem adesse dicentes, quibus ille respondit, quod iam missam audierat, nec aliam eo die auditurus, vel celebraturus erat. Interrogatus quare, visionem aperit, & sumpto ex hoc sermone, prohibuit Regi ne vlterius in die dominica venatum pergeret. *Kirieleyson* quod in cęlo audierat clericos docuit, & in multis locis hodie per Angliam cantatur.

De obitu sancti Vuicberti & dissensione cleri Romani.

Cap. LXXXVI.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis 25. sanctus Vuicbertus fundator Gemelacensis cœnobij apud Gorgiam, vbi Deo militabat, propter amorem ibi feruentis sanctæ religionis in Christo dormiuit. Corpus eius relatum est ad cœnobium Gemelacense. *An. Ch. 962.*

Anno sequenti collecto à tota Italia episcoporum concilio Ioannes Papa de nefarijs causis infamatus, qui tertio euocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præiudicato, Leo adhuc laicus electione omnium & consensu Imperatoris Papa *Non de isto Ioanne 13. sed de duodecimo ista narrantur & expenditur apud Baronium an. 963.*

substi-

subſtituitur. Sic Leo præſidens Apoſtolicæ ſedi, fecit ordinationes,& ea quæ erant Apoſtolica. Nec longum, Romani alterata fide apud Imperatorem Papam recipiunt Ioannem. Ille Synodo collecta Leonem depoſuit & eius geſta caſſauit. Statutum quoque eſt publico omnium iudicio ſynodum à Leone habitam nec nominandam Synodum, ſed proſtibulum fauens adulterijs. Quicumque ergo eo ordinante erant damnati,iuſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in charta hæc continente verba: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit*. Et ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, ſi quos habuerant non à Leone ordinati. Si qui autem digni iudicantur non accepta prius conſecratione ordinantur: Indicto illis eodem decreto, quo & damnatis à Conſtantino Neophito. Romani igitur à Ioanne Papa pecunia illecti Imperatorem cum paucis Romæ morantem ſubito aggreſſi, ita ab exercitu Imperatoris ſunt attriti,vt niſi ab Imperatore & à Papa Leone milites Imperatoris à cæde reuocarentur, vſque ad internecionem Romani delerentur. Quibus per Leonem Imperatori reconciliatis,poſt abſceſſum Imperatoris Leo Papa inſidias ſibi parari ſentiens ad Imperatorem fugit. Ioannes ex Papa ſe cum vxore cuiuſdam oblectans à diabolo in tempore percutitur,ac ſine viatico dominico moritur. Romani vero contra iuramentum quod Imperatori fecerant,ſe nunquam electuros Papam ſine eius & filij eius Othonis conſenſu. Papam Benedictum ſibi ſtatuerunt. Qui Romanæ eccleſiæ 132. præſidet. Imperator autẽ Roma obſeſſa Romanos cæde & fame adeo afflixit, vt Leonem Papam ſe retenturos promitterent. Sic Benedictus reiectus non ſolum papatu,ſed etiam ſacerdotio à Leone exordinatur.

Ex chronicis. Hic etiam in carcere ſtrangulatus eſt ab Othone Imperatore. Ipſe autem Imperator anno imperij ſui 28. Pẽthecoſtem Aquiſgranis celebrauit,concurrentibus illic à Francia ſororibus ſuis,Regina ſcilicet Francorum Geberga matre Lotharij Regis, & Caroli ducis,& Hatvuide vxore Hugonis Pariſiorum comitis, ibique omnis illa regalis proſapia tanto ad inuicem congratulationis iubilo affecta eſt, vt in omni eorum vita vix aliquid gaudij & lætitiæ huic æquiparari poſſet.

Sigebertus in chronicis. Poſt Benedictum igitur Leo Romanæ Eccleſiæ 133. præſidet.

De initio & profectu eccleſiæ ſancti Quintini & quibuſdam alijs.

Cap. LXXXVII.

HOc tempore eccleſia ſancti Quintini martyris, quæ eſt in inſula ſuper fluuium Phomene ſita, & cænobium monachorum paucorum facta eſt. Procedente vero tempore creſcente numero fratrum & aucta poſſeſſione reddituum,eſſe Abbatia cæpit, in quo loco adhuc duo putei extant: In vno quorum caput ipſius martyris,in alio corpus Angelo reuelante inuẽtum fuerat,à venerabili matrona Romana nomine Euſebia,quæ pro munere eiuſdem officij lumen oculorum, quo antea priuata fuerat,per eundem martyrem recepit. Et hęc inuentio anno à paſſione ipſius martyris 55. euenit, qui paſſus eſt martyrium, anno ab incarnatione Domini 332. Sed poſtquam præfata mulier religioſa ſancti martyris corpus inuenit,atque in ſuperiori loco præeminẽtis oppidi, quod antiquitus Auguſta Viromandorum vocabatur, collocauit.

Labentibus multis annorum curriculis, ſepulchrum eiuſdem martyris vbinam haberetur cunctis erat incertum. Denique ſancto Eligio Nouiomenſi eccleſiæ Pontificante, facta inquiſitione de eiuſdem martyris corpore, ſub præſentia ipſius epiſcopi inuentus eſt loculus in profundo terræ defoſſus, in quo precioſus ille theſaurus ſeruabatur. Et hæc ſecunda inuentio ſub ſancto Eligio facta eſt, anno ab incarnatione domini 657. non abſque diuinæ virtutis magno miraculo: nam cum beatus epiſcopus nocturno tempore multis luminaribus accenſis, quæſitum loculum inueniret, & foſſorio quod manu tenebat perforaret tanta ſubito odoris ſuauiſſimi fragrantia, tantaque ſupernæ lucis claritas circumquaque emanauit, vt & præſentes odore mirifico replerentur, & abſentes ortum diei adueniſſe ſuſpicarentur. Adelberone autem Metenſium epiſcopo mortuo,Deodericus cõſobrinus Othonis Imperatoris epiſcopus ſubrogatur. Hic vt legitur inſpiciens primas literas nominum omnium Metẽſium epiſcoporum quas Angelus Domini dicitur dediſſe ſancto Clementi primo Metenſium epiſcopo, & notans,alias argento,alias viliori metallo pro metallorum qualitate eſſe annotatas. Cum videret etiam literam ſui nominis argento eſſe prænotatam, dixiſſe ſe fertur in Epiſcopatu tanta bona fore facturum vt ipſa nominis ſui litera merito deberet auro denotari. Cuius bonæ intentionis initium oſtenditur in cænobio ſancti martyris,& leuitę Vincentij,fundato in ipſius vrbis inſula.

Hoc tempore Danis, qui Chriſtum Ieſum & idola ſimul colebant,cum Pompone clerico in conuiuio altercantibus ſuper cultura Dei & Deorum, Danis aſſerentibus Ieſum Chriſtum eſſe quidem Deum,Deos vero maiores,& antiquiores eſſe illo, Pompone vero ecõtra affirmante Ieſum Chriſtum verum Deum ſolum, Deumque eſſe vnum in ſubſtantia, trinum in perſonis. Rex Dannorum Araldus condixit clerico,vt fidem propoſitam à ſe probaret teſtimonio veritatis. Quod annuente clerico,ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur. Quod cum clericus vſque ad palatium dominicum tuliſſet abſque vlla læſione,Rex penitus abiecta Idolatria ſe ſuoſque ad colendum verum Deum ſolum conuertit. Clericus vero ad epiſcopatum promotus eſt.

Hoc tempore Bulgaribus dominabantur filij Symeonis Petrus, & Bayanus, quorum Bayanus in arte magica adeo valebat,vt quotiens vellet, lupus vel quælibet fera fieri videretur.

De ſacris reliquijs quas ſanctus Theodoricus Metis attulit.

Cap. LXXXVIII.

ANno Othonis 32. quidam comes Othonis Imperatoris ei familiaris Romæ ante oculos omnium à diabolo arreptus,ita vt ſeipſum dentibus diſcerperet,inſſu Imperatoris ad Papam Ioannem adductus, vt cathena ſancti Petri collo eius circundaretur: dum à fallacibus clericis ſemel & bis alia cathena furenti adhiberetur,nec quicquam remedij inde proueniret, vbi nil virtutis inerat: tandẽ vera cathena ſancti Petri allata & collo furentis circumdata, diabolus ſpumans, & multum clamans abſceſſit. Qua cathena Theodoricus Metenſis epiſcopus arrepta, cum diceret ſe eam niſi manu abſciſa non dimiſſurum, tandem Imperator ſedato litigio à Papa Ioanne obtinuit, vt annulum huius cathenæ exactum epiſcopus mereretur.

Plurima Sanctorum reliquiæ in Galliam deportata.

Anno 33. Theodoricus Metenſium epiſcopus Imperatori ſanguine, dilectione,ac familiaritate cætetis deuinctior, dum in Italica expeditione per triennium ſub eo militaret, multa corpora & pignora ſanctorum de diuerſis Italiæ locis quocunque modo potuit collegit. Primum à Marſia ſanctum Elpidium confeſſorem, cuius ſocium Euthycium epiſcopum ipſe Imperator iam ſuſtulerat. Ab Amiternis Eutychetem martyrem cum reliquijs Maronis,& Victorini ac ſociorum eius. A Fulginis, Felicianum epiſcopum & martyrem. A Perusio. Aſclepiodorum martyrem. A Spoleto Serenum martyrem,cum Gregorio Spoletano martyre. A Corduno Pignora Vincentij martyris & leuitæ ab Hiſpania olim à duobus monachis Capuam, à Capua vero illuc deportata. A Menania alterum Vincentium epiſcopum & martyrem. A Vincentia Leontium epiſcopum & martyrem. A Florentia Mineatem martyrem. Ab vrbe

Tudertina

Tudertina Fortunatum episcopum & confessorem. A Corphinio luciam Syracusanam virginem & martyrem à Faroaldo duce Spoletanorum olim à Syracusis illuc translatam. A Sabinis partes corporum Prothi, & Hiacynthi martyrum. Hæc omnia cum parte cathenæ sancti Petri Apostoli, cum capillis eiusdem & sanguine sancti Stephani Prothomartyris, & parte craticulæ sancti Laurentij martyris à Papa Ioanne sibi donata cum multis alijs sanctorum pignoribus præsul Theodoricus in Galliam hoc anno transtulit, & in Ecclesia sancti Vincentij martyris à se in insula vrbis constructa locauit.

Monasteriũ S. Vincentij multis reliquijs sanctorũ ditatum.

Anno eiusdem 36. Dominus Romanæ ecclesiæ 136. præsidet. Otho senior Imperator obijt, cuius vitam Vindichildus monachus descripsit, qui etiam historiam Saxonum vsque ad hunc annum conscripsit.

Otho secundus imperat annis 10.

De imperio Othonis secundi, & sancto Edvuardo Rege.

Cap. LXXXIX.

ANno huius Othonis primo scilicet ab incarnatione domini 974. Mundi vero 4828. Ratherius, de quo dictum est, hoc monostichum.

Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul,
Apud Lobias moritur.

Anno secundo Benedictus Romanæ Ecclesiæ 138. præsidet. Maiolus Abbas Cluniacensis sanctitate & religione claret.

Author. Huius conuersionem & vitam ac finem iam superius anticipando posuimus.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato gelu magnum fit à Cal. Nouembris vsque ad æquinoctium vernale.

Guilielmus in chronicis. Edgarus Rex moritur, & sepelitur Glasconiæ, post quem regnauit Edvardus filius eius tribus annis, & dimidio. Tunc visa est Cometes apud vicum regium qui vocatur Calua. Clerici quondamab ecclesijs suis expulsi noua prælia suscitarunt: quorum vnus Elferius omnia pene monasteria quæ Reuerendissimus Ethnoldus constructa euertit. Conuentum est primo apud Vuintoniam, vbi imago Domini, vt supradiximus aperte contra clericos locuta est. Non sedatis illis, conuentum est iterum apud Caluam, vbi solarium vt dictum est, corruit. Absens erat Rex propter ætatem, sed considebant in cænaculo totius Angliæ Senatores cum quibus repente totum solarium cum axibus, & trabibus cecidit, omnibusque ad terram elisis solus Dunstanus super vnam trabem quæ superstes erat euasit, & reliqui vel mortui sunt vel perpetuo languerunt. Omnes Angli tunc & deinceps in sententiã Dunstani relictis clericis transierunt. Idẽ Dunstanus Edvuardum Regem fecerat contra volũtatem optimatum nouercæ, quę puerulum necdum septem annorum Regem nolebat facere, vt ipsa pro ipso regnaret: vnde irata, redeunte de venatione Edvuardo, dispersis hac & illac socijs cum sitiret valde, poculum porrexit, & bibentem satelles sica transfodit. Ibi ostensa sunt lumina de cælo & claudus gressum, mutus verbum, cæcus visum recuperauit. Cumque illuc Elfreda Regina veniisset, equus eius ibidem stans nullis stimulis moueri potuit. Tunc Elferius ille clericus, qui monasteria destruxerat sacro corpore de ignobili loco leuato regales inferias apud Sceftoniam soluit, sed post annum vermibus, quos pediculos dicimus, consumptus est. Elfreda Regina dure pœnituit, cilicio ad carnem induta & solo dormiens sine ceruicali, mulier pulchra & casta sed insolens, cuius insolentia in Edvuardum longam patriæ acquisiuit seruitutem. Est autem apũd Sceftoniam monasterium fœminarum Deo deuotarum.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis 3. obijt sanctus Vdalricus Ausburgensis episcopus, cuius vita qualis fuerit mox miraculorum gloria patefecit.

Anno quarto sanctus Guicteheht Pragensis episcopus cognomẽto Adelbertus, sanctitate & doctrina apud Vuinidos claret, qui apud Brutios martyrizatus multis miraculis glorificatur.

De vastatione Franciæ per Othonem, & Ethelredo rege.

Cap. XC.

ANno 5. Pacato vndique regno, cum Otho Imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Frãcorum subito ad inuadendam Lotharingiam contendit, & cedente imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, Rex post multam vastationem repatriauit, quem cum inæstimabili exercitu Imperator persecutus, condicto die scilicet Cal. Octobris Frãciam intrauit, quam vsque ad Cal. Decembris peruagatus fines Remensium, Laudunensium, Suessionum, & Parisiensium diuersa cæde vastauit, ecclesijs tantum Dei omni immunitate concessa. In redeundo tamen circa Axonam fluuium partem impedimentorum emisit. De his quidam recluſus prædixit, quod omnes huius mali incentores ante septennium morerentur.

Anno 6. igneæ acies visæ sunt in cælo per totam noctem 5. Cal. Nouembris.

Guilielmus in chronicis. Hoc anno regnare incæpit Ethelredus filius Edgari & Elfredæ, qui regnauit annis 26. hic pusillus cum baptizaretur circunstantibus episcopis in sacro fonte cacauit, & sacramenta interpolauit. Vnde Dunstanus turbatus, per Deum, inquit, ignauus homo erit iste. Hic decennis cum fratrem suum necatum audiret conclamari, fletu suo furentem matrem adeo commouit, vt quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocentem cæderet, nec prius desisteret, quam pene exanimem, & ipsa lachrymis infunderet, quapropter tota sua vita candelas exhorruit, vt nunque ante se pateretur inferri lumen earum. Huius coronandi capiti cum beatus Dunstanus diadema imponeret ait coram omnibus, quia per mortem fratris tui aspirasti ad regnum, propterea audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Non delebitur peccatum ignominiosæ matris tuæ & peccatum virorum, qui interfuerunt consilio eius nequam, nisi multo sanguine miserorum prouincialium, & venient super gentem Anglorum mala, qualia non est passa vsque ad tempus istud.

Sigebertus in chronicis. Anno 7. corpora sanctorum Laudoaldi, Adriani, Amantij, & aliorum, à Vuentresshono Hasbaniæ vico transferuntur Gandauum cum multa miraculorum gloria.

De bello Othonis contra Græcos, & morte eiusdem.

Cap. XCI.

ANno 8. Otho Imperator Apuliam & Calabriam Italiæ prouincias ad ius regni Græcorum appendentes transferre ad imperium Romanum conatur, maxime propter affinitatem quam per vxorẽ suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat. *An. Ch. 981.*

Anno 9. Greci infensi quod Imperator Otho prouincias Græcorum inuaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio, Imperator in Calabria bello congrediuntur, in quo bello omnes Romanorum copiæ vsque ad internecionem pene delectæ sunt. Imperator natandonitens euadere à nautis ignorantibus eum capitur, & à quodam eorum, qui erat negociator Sclauorum erat agnitus, nec proditus, per illum re delata ad imperatricem & Theodericum Metensium episcopum, qui in ciuitate Rosan rei euentum præstolabantur difficiliter per Sclauum & episcopum liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus. Imperator ascenso equo vix euasit. Omnibus pro infortunio reipublice animo consternatis, sola Imperatrix fœminea & Greca leuitate insultabat eis, quod ab exercitu

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſuæ nationis victi eſſent Romani, ac per hoc cœpit primanibus exoſa haberi.

Ex Chronicis. Hoc tempore Rex Anglorum Edvuardus à nouerca ſuo, vt ferunt, occiſus dolo, martyrij palmam accipere promeruit à Domino.

Otho Imperator & Lotharius Rex conuenientes ſuper quendam fluuium paciſcuntur, datis ſacramentis adinuicem, & Lotharius abiurat Lotharingiam.

Sub eodem Othone Ioannes Papa moritur in carcere. Circa idem tempus ſanctus Adelbertus prædicata Hungaria & Bohemia, Pruſciam ingreditur, & martyrio coronatur.

Sigebertus in chronicis. Anno 10. Otho Imperator tædio & angore animi deficiens Romæ moritur, & de Imperatore ſubſtituendo inter primates diſſentitur. Alijs filio ipſius Othonis Imperium deberi certantibus, alijs odio Imperatricis à filio eius imperium transferre volentibus ab Henricum ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. Hic Henricus ipſum Othonem puerum faſtidioſe raptum in cuſtodia tenet, ſed Principes, de manu Henrici extorquentes in regno ſublimant & regnauit annis 19.

De imperio Othonis tertij, & vita ſancti Mederici Abbatis.

Cap. XCII.

Ex geſtis eius. Anno domini 984. qui fuit primus anuus Othonis tertij ſecundum Chronicam, Mundi vero 4838. leuatum eſt Pariſijs corpus ſancti Mederici Abbatis, ipſo die depoſitionis eius ſcilicet 4. Cal. Sept. Hic Eduæ ciuitatis pago ortus, nobilis genere, cum 13. annos ætatis impleſſet, inuitis parentibus ad monaſterũ eiuſdẽ ciuitatis abijt, & ingreſſus tantę abſtinentiæ fuit, vt in hebdomada non niſi bis edulij quicquam caperet, quod non niſi pane hordeaceo vel quod vilius reperire poterat, & aquę modico fiebat, corpus vero cilicio aſperrimo occulte tegebat, & deſuper alijs fratribus in veſtibus ſimilis erat. Tandem mortuo Abbati ſucceſſit, vbi non honorem, ſed onus ſe accepiſſe conſiderans, omnibus ſibi commiſſis verus pater apparere ſtuduit.

Tranſlatio S. Mederici Abbatis.

Ipſo tempore cum quidam monachus eiuſdem loci libidinis æſtu grauiter vreretur, & hoc pio patri indicaſſet, ille tunicam qua induebatur, illi ad induendum direxit, qua induta illico dæmon incentor ipſius mali fugiendo delituit, vocibus magnis proclamans: Sancte Mederice cur me incendis tuis precibus, vaſculum quod diu poſſederam abſtuliſti, & me inextinguibili incendio mancipaſti? Tunc ſanctus diuina voce eum increpauit, & ille abſceſſit, & monachus poſtmodum in tanta ſanctitate permanſit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur.

Vita & miracula S Mederici.

Alius quoque prædicti patris diſcipulus, ita erat diabolica illuſione ſubactus, vt quandocunque operi diuino inſiſtere deberet ſtatim vt oratio conſueta finienda eſſet antequam genua flecteret, ab eccleſia exiret. Qua de cauſa frequenter admonitus non tamen eſt correptus. Tunc ſanctus panem accepit, & benedicens eulogijs fratri tribuit, & ab eo mox inimicum excluſit. Cumque de diuerſis regionibus audita eius fama ad eum properarent, deſertum locum expetijt, & ſub ſtatu diu deſiderato ſeſe concluſit, ita vt quicquid cibo ſumendum eſſet proprijs manibus elaboraret. Fratres vero de abſceſſu eius triſtes effecti, per vaſtam eremum longe lateque eum perquirunt, & tandem inuentum cum reducere non poſſent epiſcopum adeunt, qui cum eis pergens ſanctum in eremo repperit, & excommunicationis vinculo eum alligans ad monaſterium perduxit, vbi multa poſtmodum ſanctitate floruit, & multas infirmitates curauit. Tandem orationis cauſa Pariſios proficiſci voluit, in quo etiam itinere multa per eum Deus miracula fecit. Denique Pariſios veniens in cellula, quæ ſub nomine Petri Apoſtoli fuerat cõſecrata 2. annis, & 9. menſibus Dei militauit, ac demum vocatis diſcipulis ſuis obitus ſui diem indicauit, in qua & expletis omnibus, valedicens eis inter verba orationis ad Deum migrauit 3. Cal. Septembris.

De tranſlatione Regni Francorum ad Hugonem Capbet.

Cap. XCIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis 4. Ludouico Rege Francorum mortuo Francis regnum transferre volentibus ad ducem Carolum fratrem Lotharij Regis patrem ſcilicet ipſius Ludouici, dum ille rem ad conſilium defert, regnum Francorum vſurpat Hugo filius Hugonis Pariſienſis ex Havuide ſorore primi Othonis Imperatoris, & regnauit annis 9.

Author. Guillelmus dicit hunc Hugonem duxiſſe vxorem filiam Edvuardi Regis Anglorum, ſororem Ethelſtani Regis, qui longe ante hoc tempus regnauit, tempore videlicet Henrici Regis Teutonicorum patris Othonis primi. Qui Otho primus duxit vxorem vnam ſororẽ eiuſdẽ Ethelſtani, alterã vero Ludouicus Aquitanorũ Princeps, tertiam quæ pulcherrima erat duxit Hugo iſte: miſitque patri pro ea munera ampliſſima, aromata, & gemmas precioſas, & præcipue Smaragdos, equos curſarios plurimos cum phaleris, & vas quoddam ex onichino ita celatum, vt in eo & fluctuare ſegetes, & gemmare vites, & hominum moueri imagines viderentur, & ita lucidum & politum, vt vice ſpeculi imagines intuentium redderet. Enſem quoque Conſtantini magni in quo literis aureis nomen antiqui poſſeſſoris legebatur. In capulo quoque ſuper craſſas auri laminas clauus ferreus affixus erat, vnus ex quatuor qui dominico corpori fuerãt affixi. Lanceam quoque Caroli magni quam Imperator inuictiſſimus contra Saracenos exercitum ducens, quotiens in hoſtes vibrauit, victor redijt, ferebaturque eadem eſſe, quæ dominico lateri manu militis impacta paradiſum mortalibus aperuit. Vexillum quoque beatiſſimi martyris Mauricij Principis Thebeæ legionis, quo idem Rex Carolus in bello Hiſpano quoſlibet conſerto inimicorum cuneos dirumpere & fugare cõſueuerat. Diadema quoque ex auro multo gemmis precioſis, quarum ſplendor oculos intuentium reuerberabat. Particulam quoque ſanctæ crucis chryſtallo incluſam, ita vt per ipſum chryſtallum poſſit diſcerni color, & quantitas ligni. Portiunculam quoque ſpineæ coronæ eodem modo incluſam. Princeps huius legationis fuit Adulphus filius Balduini Comitis Flandriæ ex filia regis Edvuardi, Ethelmuda ſorore Ethelſtani ipſius ex patre.

Regis Edvuardi ad Hugonem munera.

Sigebertus. Anno Othonis tertij 5. Carolus Dux regnum Francorum ex paterna & auita ſucceſſione ſibi debitum cõtra Hugonem nepotem ſuum repetit, eumque bello perurgens vrbem Laudunum capit, Hugo Carolum in Lauduno obſidet, ſed ſecundo obſidionis menſe obſeſſi puſilientes, caſtra obſidentium incenderunt, & Rex plurimis peremptis vix fuga euaſit.

Carolus dux Lotharingiæ Francorum regno inhiat, Æmil. lib. 3.

ANNOTATIO.

Mortuo Ludouico rege Francorum ſine hærede regnum per Hugonem Capetum tranſit ad nouam & tertiam progeniem ſcilicet comitum Pariſienſium, nec tamen penitus deficit genus Carlingorum, nam Hugo capetus per muliebrem ſexum à Carolo magno deſcendebat. Habuit enim Havuidam matrem, filiam Henrici Imperatoris ex Mathilde filia Ludouici tertij iunioris Imperatoris quem diximus fuiſſe vltimum Imperatorem ex familia Caroli Magni. Vide Chronicam Francorum & Geneb.

De tranſitu ſancti Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi.

Cap. XCIV.

Vilielmus in chronicis. Hoc anno mortuus eſt ſanctus Dunſtanus, cuius vitam deſcripſit Osbertus Cãtuariæ cantor, nulli noſtro tempore ſtylo ſecundus in muſica omnium primus.

Vide Speculum Exemplorum tit. Aſcenſio Chriſti exẽplo 1.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Visio iucundissima S. Dunstano oblata.

Author. Hic Osbertus de morte eiusdem sancti sic scribit: Instabat, inquit, dies Ascensionis dominicæ, & peractis vigilijs remansit in oratione solus in Ecclesia Dunstanus, & vidit, & ecce innumera candidatorum multitudo coronas aureas in capitibus gestantium inæstimabili fulgore micãtium per ecclesiæ ianuam irrumpens, ante ipsum conglobata constitit, vna voce eum salutans hoc modo: *Salue Dunstane noster, salue.* Mandat tibi quem pie desideras filius Dei quatenus si paratus es venias, & diem hanc ad cuius gaudium suspiras nobiscum celebres. Ad quod ille imperterritus manens scisciatus est qui essent,? Cherubin ac Seraphin inquiunt sumus, & responde quid velis. Tunc respondit ille: Hodie dies solennissimus est, & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere & ostendere illi quomodo ad hoc gaudium possit peruenire, propter quod & multi conuenerunt, nec debeo illos decipere, & ideo hodie venire non possum. Qui dixerunt. Eia paratus esto, vt die sabbati præsto sis hinc nobiscum Romam venire, & coram summo Pontifice, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, æternaliter canere.* Annuit ille, & illi recedunt. Lecto igitur die ad missam euangelio, locutus est ad plebem qualiter nunquam locutus fuerat, & reuersus ad altare celebrauit mysteria. Vbi autē ventū est ad benedictionē super populū, iterum ab altari prædicaturus regreditur, ita vt nō hominē sed Angelū loqui putarent. Iterum ad altare reuertitur, & data benedictione iterum ad populum redit cunctis stupentibus, & mox vt ad loquendum os aperuit, tanta claritate vultus eius resplenduit, vt nemo in eum intendere posset, obitumque suum illis instare prædixit promittens se illis nunquam defuturum, & tunc ad mensam Domini regressus est.

Populum veritatem corporis Christi his concionibus edocet.

Eadem die cum à mensa sumpto cibo surrexisset oratorium petijt, & designauit locum in quo se voluit sepeliri, mox languor eum inuasit. Sexta feria lecto decubuit, omnesque aduentantes ad sequenda Christi vestigia incitabat. Sabbato iterum communicatus est, & cum horam suam expectaret, subito cum lecto in quo iacebat vsque ad superiora leuatus est, & trabibus obsistentibus ad terram leniter demissus. Quo dimisso dum quasi ad quiescentem qui aufugerunt reuerterentur, iterum vsque ad trabes, cum lecto suo raptus est vt prius & iterum leniter demissus. Hoc vsque tertio factum est. Tunc ait ad circunstantes: Vos videtis quo vocor. Si vultis mecum venire ite via qua incessi, Deus qui me vocat ipse dirigat corda & corpora vestra ad suam voluntatem in pace. Et responso ab omnibus, *Amen* transijt.

Cum lecto in quo decūbebat sursum tollitur.

Migrat ad Christum an. 988.

De miraculis eiusdem post obitum.

Cap. XCV.

Paralyticus curatur.

PResbyter quidam inter suos nobilis paralyticus factus est, ad corpus sancti delatus, sensitque quendam manū per totum corpus suum ducentem & membra sua resolidantem. Sanatus igitur grande conuiuium celebrabat exultantibus conuiuis, & Dunstanum laudantibus, tumens ille ait: Nunquid me inter pauperes numeratis? Etsi Dunstanus non esset sanatus fuissem. Quo dicto statim pristino morbo correptus est, & cum miserabiliter clamaret, emisit spiritum.

Vide panam indigne de S. Dunstano loquentis.

Teutonicus quidam ab episcopo suo excommunicatus fuerat pro crimine voluptatis, & arrogantiæ, & & per 7. annos sathanæ traditus, sensu perdito toto corpore tremebat, qui tandem ad sepulchrum Dunstani pertractus in nocte Purificationis beatæ Mariæ quando responsorium *Videte miraculum*, inchoabatur, dæmonem suum cum multo cruore euomuit.

Quædam virgo à natiuitate cæca erat iuxta tumbam sancti ad vigilias festiuitatis sancti Audoeni 11. Cal. Septembris, quæ dum cantaretur responsorium, *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes*, illuminata est.

Quidam puer claudus ab vtero à matre sua illuc delatus est, qui cum sua matre orante pomum teneret, subito pomum illud rotari cæpit vsque ad tumulum sancti, quod ille perdere nolens statim post illud sanus cucurrit.

Moris erat in eodem monasterio pueros omnes in schola verberari ante quintum diem natalis Domini, non pro culpis eorum, sed ex vsu tantum. Rogati sunt magistri, vt condonarent illum diem, qui noluerunt, sed omnes ad virgas se præparauerunt. Ea nocte astitit in visu vni puerorum Dunstanus dicens: Cur tantum pauidi estis ô pueri? Quia inquit, domine furor magistrorum sedari nequit. Ne timeatis ait ego eum sedabo. Ego sum Dunstanus pater huius monasterij: Hoc tibi erit signum quia liberabo vos. Vade & dic custodibus ecclesiæ, vt auferant ab Ecclesia corpus filij Aroldi, quem gentilem odibilis quorundam adulatio iuxta me ausu temerario sepeliuit. Quod si cito non fecerint, tota hæc ecclesia graue damnum sustinebit. Iam aurora illucescebat hora pueris tremenda, & magistri stabant armati corrigijs nodatis, expectantes pueros ante se transituros. Et ecce subito omnes magistri obdormierūt, & pueros per medium transeuntes non fuit qui tangeret. Adolescens autem detulit mandatum custodibus, qui contempserunt, postea à quibusdam monachis Dunstanus à loco discedere visus est, à quibus dum detineretur, & cur recederet quæreretur, respondit se fætorem paganæ carnis, & quorundam illuc viuētium iniquitates ferre non posse, quę res, inquit, si emendata non fuerit, tota hæc ciuitas, & hæc ecclesia luet. Non multo post ciuitas combusta est, & tota ecclesia cum suis officinis, excepto dormitorio & refectorio cum claustris, quæ ibi appendebant.

Adhuc de eodem.

Cap. XCVI.

Vide speculum Exemplorum tit. Apostata.

QVidam Archidiaconus Londoniæ conuersus est in eodem monasterio literarum scientissimus, & cæpit religiose conuersari. Post annum quo monachus factus est secretarij officio functus est, & cæpit paulatim à religione tepescere, dum maiori libertate cæteris potiretur. Tandem fugam parabat cum quodam iuuene sibi cōscio, tamē adhuc animo fluctuabat de hoc quod facturus erat. Statuit autem apud se, se non discessurum à monasterio sine licentia sancti Dunstani. Venit itaque ad tumbam eius quærelam faciens de illis, & suam benedictionem petens, vt iter suum prosequeretur dicens se ipsius futurum quocumque pergeret. Venienſque post chorum inuenit monachum quendam reuerendissimum virgam tenentem, & ei innixum stantem & se inuidis oculis intuentem. Quo viso expauit, & ab eo diuertere voluit, qui virga oppositа ait: Quo vadis? Innuit ille non esse loquendū: At ille: Si loquar nihil ad te, Dic quo vadis? Quo, inquit, mea interest? At sanctus Nihil est. Reuertere ad sepulchrum, vbi modo fuisti, & mutata voluntate intentius ora. Reuersus ille orauit sicut prius orauerat. Rediēs obuium habuit quem prius in eodem loco. Qui quo tenderet requisiuit? Cui ille. Quid hoc ad te? Multum, inquit: quod, & si te non correxeris in proximo experieris. Nunc ergo redi iterum & muta mentem, muta precem. Cumque ille transire conaretur potius, quam redire, ille vibrata contra eum virga redire illum coegit. Qui rediens multum pauidus orauit tertio eundem sermonem, & rediens non inuenit eum quem prius inueuerat. Putansque se bene orasse, properanit ad ostium claustri, vbi offendit, quem prius offenderat, turbato vultu contra se stantem & interrogantem quo pergeret. Qui respondit: Quis es tu qui me tanta auctoritate constringis? Ait: quæris quis? Audi. Ego sum Dunstanus possessor & Archiepiscopus huius loci, amator illorum, & adiutor qui vere sunt filij huius ecclesiæ. Et tu quomodo suffragium meum quæris, qui me & locum istum vis deserere? Mea licentia hinc nunquam exibis, sed velis, nolis, hic remanebis, hic morieris, & quia me audire contēpsisti, ecce in pęna tua probabis, quod non bene fecisti. Et leuans virgam percussit

Vide num. Sancti ignorāt res mortalium.

Percutit S. Dunstanus monachum fugere volentem.

eum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eum tertio acriter,& in terram prostrauit, & disparuit. Ille iacens illic inuentus est,& portatus,in infirmitorium, & cæpit quotidie augmentari infirmitas, nec poterat dignosci qualis esset. Ille autem reuelare nolebat, tandem positus est super cilicium & cæpit litania pro eo dici. Cumque diceretur bis: *Sancte Dunstane ora pro eo.* Rogauit se poni super lectum dicens,se modo non moriturum. Et accersito Henrico Priore confessus est ei omnia,& quod mori non poterat antequam hoc confessus fuisset, & accepta pœnitentia & benedictione à Priore reddidit spiritum.

En quid cõferat inuocatio Sanctorum.

Casula,sancti Dunstani in qua cantare solebat erat apud Londoniã sine vllo auri apparatu. Matrona quædã Londoniensis grauiter infirmata credebat se deinceps nunquam sanandam. Cui vt putabatur mox morituræ sanctus Dunstanus apparuit, scisitans vtrum vellet conualescere. Qua respondente se maxime velle; ait Tolle aurifrigium quod est in arca tua, & pone illud in casula quæ est apud Vuestmonasterium,& conualesces. Et factum est ita. Et quod mirabile fuit aurifrigium illud nec minus,nec maius est inuentum, quam casulæ ornatus exigebat.

De quibusdem incidentibus illius temporis.

CAP. XCVII.

Sigebertus in chronicis. Anno Othonis tertij 6. inundatio aquarum frequens ac diuturna vltra solitum: æstas postea feruentissima pluribusque pernicioſa fuit: vnde & fruges minoratæ sunt. Carolus dux montem acutum expugnat,Suessionis vsque vastando peracceedit. Remos inde aggreditur, ad Laudunum cum multa præda reuertitur. Siccitas magna vernalis fuit. Vnde & satio primitiua impedita,& fames ingens secuta est. Nix nimia decidit,imber postea continuus, vt autumnalem sationem omnimodo denegaret.

Varij rerum euentus an. 989.

Fertur annonam pluisse de cœlo in Asbanio. Alii etiam piscículos paruos,de cœlo pluisse ferebant.

Anno 7. Carolus Dux Remos occupat, Archiepiscopum quem Hugo Rex præfecerat,& quosdam primates capit,& Lauduno relegat.

Anno 8. Carolus Dux moritur. Otho filius eius succedit ei in ducatu Lotharienſium.

Concilium Remense cõtra Arnulphum.

Anno 9, Remis Synodo totius Franciæ congregata, Arnulphus nepos Caroli Ducis quem ipse Carolus episcopum Remis substituerat;omnium iudicio exordinatus,damnatur,& Adelgarius presbyter qui vrbem prodidit,& portas Carolo aperuit, insolubiliter excommunicatur. Gilbertus vero substituitur episcopus,sed quibusdam causam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulphum sine scientia & auctoritate Papæ Romani, Gilbertus depositus ad Othonem Imperatorem se contulit,quem Imperator receptum primo eum Rauennæ Archiepiscopum,& postea constituit Papã Romanum. Vnde est illud eius monosticon.

Scandit ab R. Gilbertus ad R. post Papa vigens R.

De Gilberto Papa,& primis eius studijs in Nigromantia.

CAP. XCVIII.

Hic Gilbertus à Sigeberto vocatur Gerbertus.

Villelmus in chronicis. Hic Gilbertus ex Gallia natus monachus à puero apud Floriacum adoleuit. Demum adolescens clausstrum exiens perrexit Hispaniam,quæ olim à Romanis possessa tempore Honorij Imperatoris in ius Gothorum cesserat,Gothi autem vsque ad tempora Gregorij Papæ Arriani fuerant. Sed tunc per Leandrum Hispanienſem episcopum catholici facti sunt,& per Recharedum Regem fratrem Herminigildi, quem pater nocte paschali pro confessione fidei interfecit. Leandro autem succeſſit Isidorus, vir sanctus & doctus cuius corpus nostra ætate Adefonsus Gallitiæ Rex transtulit Toletum ad pondus auro cõparatum. Saraceni autem qui Gothos subiugauerant,ipsi quoque à Carolo magno victi, Gallitiam & Lusitaniam maximas Hispaniæ prouincias amiserunt. Possident autem vsque hodie superiores regiones; & sicut Christiani Toletum,ita ipsi Hispalim, quam sibi Liam vulgariter vocant;caput regni habent diuinationibus,& incantationibus more gentis intenti. Ad hos veniens Gilbertus vicit scientia; Ptolomeum in astrolabio, Alexandrum in astrorum interstitio, Fitminum in fato. Ibi didicit.& cantus auium & volatus mysterium,& tenues ex inferno excire figuras. Quadruuium quoque ita ebibit vt illas in Galliam reuocaret iam dudum absoletas, qui Abachum primus à Saracenis capiens regulas dedit,quæ vix intelliguntur à sudantibus Abacistis. Hospitabatur apud quendam philosophum, quem primò multis expensis,deinde multis promissis demeruit. Hic philosophus vnum habebat codicem totius artis conscium,quem nullo modo Gilbertus extorquere poterat à magistro. Tandem illum nocte furatus est, auxiliãte filia philosophi, cum qua familiaritatem assiduitate parauerat,sub ceruicali positum: & cum furto aufugit Philosophus somno excitatus iudicio stellarum prosecutus est fugientem. Profugus autem eadem scientia periculum comperiens sub ponte lignea qui proximus erat se occultauit pendulus inter pontem & aquam pontem amplectens,vt nec terram nec aquam tangeret, & ita quærentem elusit. Venies autem ad mare per incantationes,diabolo accersito,perpetuum illi paciscitur homagium,si se ab illo qui denuo insequebatur defensatũ vltra pelagus eueheret. Et factum est. Veniens Galliam publicas scholas professus est,habens conphilosophos, & studiorum socios,Constantium abbatem monasterij sancti Maximini,quod est iuxta Aurelianis, ad quem edidit regulam de Abacho ad Adibolbum episcopum vt dicunt Viriziburgensem,qui fecit epistolam ad eundem Gilbertũ de quæstione diametri super Macrobiũ. Habuit autẽ discipulos prædicandæ indolis, & nobilis prosapiæ,Robertum filium Hugonis Caphet,& Othonem filium Othonis imperatoris. Robertus postea Rex Frãcię fecit eũ Archiepiscopũ Remẽsem,vbi ipse Gilbertus fecit arte mechanica horologiũ,& organa Idraulica, vbi mirum in modum per aquæ calefactæ violentiam implet vẽtus emergẽs cõcauitatẽ barbati,& per multiforatiles tractus æreæ fistulæ modulatos clamores emittũt.

Historiam Gilberti magi, vide apud Martinum Cisterciẽſé, & additiones Galfridi in chronicũ Sigeberti. Hunc, (si fuit Siluester secũdus) liberat Onuph. in Plati. à magia.

De thesauris subterraneis,quos frustra quæsiuit.

CAP. XCIX.

VRgebat etiam ipse Gilbertus fortunas suas fautore diabolo,vt nihil quod semel excogitasset imperfectum relinqueret. Thesauros olim à gentilibus defossos arte necromantica inuentos cupiditatibus suis applicabat. Erat iuxta Romam in campo martio statua ærea vel ferrea nescio dexterę manus indicem digitũ extentum habens,& scriptum in capite, *hit percute*, quod superioris æui homines ita intelligendum rati sunt,vt ibi thesaurum inuenire deberent;& ideo eam multis securibus lani auerant. Gilbertus autem Sole meridiano notans quo protenderetur vmbra digiti, ibi palum fixit. Superueniente autem nocte solius cubicularii laternam portantis comitatu eo contendit;ibi terra solitis artibus denisens latum patefecit ingressum. Viderunt ibi ingentem aulam regiam,aureos parietes,aurea lacunaria, omnia aurea,milites aureos tesseris aureis ludentes, Regem aureum cum Regina aurea discumbentem, apposita obsonia,astantes ministros pateras multi põderis,& precij,in quibus materiam superabat opus. In interiori autẽ parte domus carbunculus lapis in primis nobilis,& rarus inuẽtus tenebras noctis fugabat,in cõtrario angulo stãbat puer tenens arcum extento neruo & sagitta immissa est. Continuo autem vt quis manum ad contingendum aliquid aptare videbantur omnes ille imagines prosilire & impetum facere in præsumptorem. Quo timore pressus Gilbertus nihil tetigit. Cubicula-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rius autem putans in tanta præda paruum furtum facere, cultellum arripuit mirabilis operis & pretij. Moxque omnibus imaginibus cum fremitu exurgentibus puer arcum tenens ſagittam iecit in carbunculum & tenebras induxit. Et niſi monitu Gilberti cultellum reponere acceleraſſet, graues pœnas ambo dediſſent. Sicque nihil lucrantes ductu lanternæ regreſſi ſunt.

De cæteris, qui talia quærentes interierunt, vel à dæmonibus illuſi ſunt.

CAP. C.

IPſe Ioſephus auctor eſt, Salomonem cum patre multos Theſauros defodiſſe, in loculis modo mechanico in terra. Quorum tria millia auri talenta Hircanus leuauit de ſepulchro Dauid, vt obſidionis iniuriam leuaret, & xenodochia conſtrueret, Vnde patet eundem Hircanum prophetia & fortitudine clarum, vt teſtatur Ioſephus, huius commenti ignarum non fuiſſe. Herodes autem magis præſumptione quam conſilio idem aggredi voluit multos ex ſatellitibus igne ex interiori parte prodeunte amiſit.

Quidam quoque monachus, de Barcinona natus filius cuiuſdam pauperis, cum adhuc ſeptem eſſet annorum venit in Italiam quærens panem, adultus autem multa illius terræ miracula inſpexit, inter quæ montem perforatum vltra quem accolæ dicebant theſauros Octauiani reconditos, ferebantque multos periiſſe quærendo illos per ſubterraneos anfractus. Hic autem adoleſcens ſtudio videndi & prædandi 12. comites habuit, qui ſecum pergerent portantes ingens glomus fili ſequentes ingenium Dedali, qui Theſeum de labyrintho per filum eduxit. Igitur paxillum in ingreſſu fixerunt principio fili ad eum ligato, accenſiſque lanternis intro perrexerunt, & per vnumquodque milliarium paxillum fixerunt. Veſpertiliones autem de cauernis egredientes oculos & ora infeſtabant. Semita erat arcta, & à leua præcipitium, & ſubter labens fluuius. Viderunt tramitem plenum cadaueribus eorum, qui theſauros ibi quærendo perierant. Tandem ad greſſum vlteriorem peruenientes viderunt ſtagnum placidum & pontem æreum & vltra pontem videbantur miræ magnitudinis equi aurei cum ſeſſoribus aureis, & cætera quæ de Gilberto dicta ſunt. Vnus ex eis dum pontem tranſire parat, mox pontis pede depreſſo, alter eleuatus produxit ruſticum æreum cum æreo malleo, quo ille vndas verberans, in obnubilauit aera, vt diem cælumque ſubtegeret; retracto pede pax fuit. Tentatum eſt idem à pluribus, idemque expertum, deſperantes ſolo viſu libabant aurum. Tunc per veſtigia glomeris egreſſi, pateram argenteam reppererunt, quam inter ſe partiti ſunt. Poſtero autem die collato conſilio, magiſtrum quendam adierunt, qui dicebatur nomen Domini ineffabile ſcire, quem multo precio redemptum, ieiunum, & confeſſum duxerunt ſecum, qui duxit illos prius ad fontem de quo hauſta aqua in phiala argentea tacens literis figurabat: donec illi oculis intellexerunt, quod fari nequibant. Tunc ad montem fiducialiter acceſſerunt, ſed exitum vlteriorem puto à dæmonibus obſeratum inuenerunt. Inuidentibus ſcilicet nomini Domini, cuius tanta virtus eſſe dicitur, vt nulla ei magia, nulla matheſis obſiſtere poſſit.

Author. Quomodo ergo obſtiterunt hac vice dæmones, vt exitum eis prius patefactum clauderent. Vnde magis credibile eſt, non nomen Domini, ſed nomen dæmonis ab eodem magiſtro in aqua, fuiſſe ſcriptum, ſicut legitur de Zambri mago, & Iudæo in artibus beati Silueſtri Papæ, qui prolatione nominis, quod illud nomen Domini dicebat eſſe ineffabile, & ſe illud tali modo didiciſſe, taurum ferocem interfecerat. Vnde præfatus Guillelmus in narratione ſua ſubiungit. Audiens hoc quidam Iudæus Necromanticus ait ad adoleſcentem qui hoc totum fecerat factitari. Videbis quantum poſſit ars mea. Qui incunctanter montem introiens non multo poſt regreſſus eſt, multa afferens ad indicium ſui tranſitus, quæ ille vltra mõtem notauerat, inter quæ & puluerem locupletiſſimum, quod quicquid contigerat in aurum vertebat, non quod ita pro vero eſſet, ſed quia ita videretur quoadusque aqua dilueretur. Nihil enim quod per Negromanciam fit poteſt in aqua fallere intuentem quod poſtea probabimus Fertur quoque præfatus Gilbertus fudiſſe ſibi caput ſtatuę certa inſpectatione ſiderum, cum videlicet omnes planetæ exordia curſus ſui meditarentur.

De imagine à qua Gilbertus reſponſum accepit mortis ſuæ.

CAP. CI.

POrro imaginarii, qui imagines faciunt, quas in poſſeſſionem præſidentium ſpirituum mittunt, vt ab eis de rebus dubijs doceantur. Hi vero ſunt Idolatræ, vt Gilbertus iſte & Socrates, qui familiari dæmone vtebantur. Statua vero quæ fit ab horoſcopis, vt facilius decipiat, præcipit ſe in loco mundo ſeruari & ſolum Deum quando aliquid quæritur precibus & muneribus inuocari; fertur quod caput ſtatuæ quod horoſcopi fundunt ſibi, non niſi interrogatum loquitur. Sed verum vel affirmatiuè vel negatiuè pronunciat. Verbi gratia. Dicebat Gilbertus. *Ero Apoſtolicus.* Reſpondebat caput: *Etiam* Moriar antequam cantem miſſam in Hieruſalem. *Non.* Quo illum ambiguo deceptum ferunt vt nihil excogitaret pœnitentiæ blandiens ſibi de longo tempore vitæ. Eſt autem Eccleſia Romæ dicta Hieruſalem ideſt viſio pacis, quia quicumque illuc confugerit cuiuſque criminis reus, ſubſidium inuenit. Hanc eãdem ferunt fuiſſe aſylum Romuli ibi cantat miſſam Papa tribus diebus in anno, quibus intitulatur ſtatio ad ſanctam Hieruſalem. Cum ergo vno illorum dierum Gilbertus ad miſſam ſe pararet inualitudinis incommodo ictus ingemuit, qua creſcente decubuit, & conſulta ſtatua deceptionem ſuam & mortem cognouit. Aduocatis igitur Cardinalibus diu facinora ſua coram eis deplorauit, quibus ſtupentibus, & nihil referre valentibus, inſæuiens ille minutatim ſe dilaniari & membratim ſe foras proiici iuſſit. Habeat, inquiens, membrorum officium, qui eorum quæſiuit dominium: nunquam enim animus meus illud amault ſacramentum imo ſacrilegium.

Hiſtoria hæc valde dubia & vix digna eſt vt ei fides adhibeatur,

De ſancto Odilone Cluniacenſi, & bonis eius iuitys.

CAP. CII.

ANno Othonis tertij 10. in Burgundia Odilo ex clerico Bernacenſi monachatu profeſſus, Cluniaci fit Abbas poſt Maiolum per annos 56. miro religionis feruore ſpectabilis.

Petrus Damianus in geſtis S. Odilonis. Hugo Cluniacenſis Abbas hoc mihi laboris iniunxit, vt vitam beati Odilonis prædeceſſoris ſui ſuccincte perſtringerem, & inde vtiliora quæque breui compendio deflorarem. Cuius ego compulſus imperio non luculenti venuſtate aucupabor eloquij, ſed meræ veritati deſeruire tẽtabo. Ipſa quippe ſanctorũ per ſe vita fideliter enarrata ſic tutilat, vt ſpendorẽ accurati ſermonis, ad illuſtranda corda fideliũ non requirat. Huc accedit quia ruſticitas ſermonis inculti ſuſpicionem conſueuit purgare mendacij. Nam qui vix ſufficit vt elimatũ ſaltem deprimat eloquium quomodo nouit fabricare figmentũ? Hic itaque ſanctus Auerniæ ex equeſtri genere oriundus, dũ adhuc infans eſſet, tanto repente omnium fere membrorum languore conſtrictus eſt, vt incendendi prorſus facultatẽ amitteret. Accidit autẽ vt nutrix ante ianuã cuiuſdã baſilicæ Dei genitricis eum relinqueret, & ipſa ſuis intẽta cõpendiis per diuerſa procul abiret. Puer igitur ſine cuſtode ſe relictum conſpiciens, diuino quodã prouocatus inſtinctu, tentare cæpit ſi valuas eccleſiæ quolibet niſu poſſet attingere. Itaque manibus & pedibus repens, vix

Brenacum eſt oppidum in Auernia vulgo Brede dictum vnde fuit oriundus S. Odilo.

illuc

illuc peruenit, paulatimque progressus intrauit. Iamque sæpe concepta valentiori palam altaris arripuit, & sic erigere se quibus conatibus poterat cœpit. Tandem diuinæ virtutis auxilium sensit, & omni languore depositò factus incolumis ad referendum Deo gratias intuentiũ animos prouocauit. Dum autem adolesceret, prius apud sanctum Iulianum martyrem factus est clericus, deinde sub beato Maiolo Cluniacensis monachus; vbi dum quietus ac simplex humiliter in sancta conuersatione persisteret, & in ipso exordio quædam perfectionis norma eluceret, vix euolutis quatuor annis beatus Maiolus in Domino requieuit, sed ipsum prius beatum scilicet Odilonem concurrentibus in eum votis omnium fratrum in pastorali cura sibi substituit. Huius cor tam indeficiens flamma diuini amoris excoxit, quod cum ab offerendis quotidie salutaribus hostiis tot curarum, tot ingruentium negociorum sollicitudo cohibere non potuit. Vnde cum in lecto mortis decumberet Adraldo discipulo suo præcepit, vt ex calcularis abbaci supputatione colligeret, quæ posset esse summa missarum quas celebrauit per spacium 56. annorum quibus monasterium rexit.

Curatur diuinitus.

Apud S. Iulianum in oppido Bernacensi fit clericus.

In erogandis eleemosynis ita largus fuit, vt nonnulli dum eum omnia dispergentem conspicerent non dispensatorem sed prodigum iudicarent. Tempore famis, exhaustis iam in pauperum vsus erarijs, etiam plurima sacrarii vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit. Coronæ quoque quam sibi Henricus Imperator ob sui memoriam destinauerat non pepercit. Corpus suum non modo duris attenuare ieiunijs, & asperrimis edomare ciliciis consueuerat, sed & quibusdam ferreis nexibus coarctabat. In percipiendis autem ita se moderabatur eduliis vt apposita quæque contingens, ac naturali duntaxat necessitati dispensatiue subueniens, & vanitatem superstitionis effugeret, & sobrietatis continẽtiam reseruaret. In promulgandis porro iudiciis, ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta merentibus humanitate compatiens, vt nequaquam districtum patris imperium, sed potius maternum exhiberet affectum vnde se reprehẽdentibus huiusmodi verbis solebat eleganter alludere. Etiã inquit, si damnandus sim, malo tamen de misericordia, quam de duritia, vel crudelitate damnari. Inter cæteros autem sanctos circa beatam Dei genitricem ardentissima deuotione flagrauit.

Largitas eleemosynarũ

De miraculis per eum diuinitus ostensis.

Cap. CIII.

S. Odilo miraculis clarus.

DEnique qui clarus erat in probitate morum claruit etiam in ostensione signorum.

Cum esset in quadam iuris sui villa, quæ Besontacum dicitur, puerum quendam forma venustum, sed à natiuitate cæcum intueus, eique pie compatiens eum ad se vocauit, signum ei *salutiferæ crucis* in fronte depinxit, & confestim visum quem natura negauerat puer accepit.

Psal 101.

Aliquando in capite ieiunij surgentibus à mensa fratribus, Abbas sanctus pugillum cinere latenter impleuit, & appositò pane discubuit. *Cumque cinerem tanquam panem manducaret*, innuit fratri vt clam sibi aquam deferret, quo facto dum aqua labiis adhibetur, austeritas vini sentitur. Reprimit ergo manum, abigit poculum, & ministro imperat vt aquam sibi afferat. Ad quod minister obstupuit, & vinum se de mensa referre qui aquam propinauerat admiratus expauit. Sed ecce dum aqua potanda repetitur, vinum rursus in poculo reperitur. Iam itaque vir sanctus, quod Deum sibi misericorditer indulgere conspexit, cum gratiarum actione percipere non recusauit.

Aqua bit mutatur in vinum.

Præterea cum esset in vrbe Ticinensi, quidam velamen mensæ eius furtiue subripuit, quod in foro venale proposuit. Sed sic ei dispositio cælestis obstitit, quod sãcta distrahi prẽda non potuit. Ter igitur quod subduxerat inter nundinarum merces exposita sed cum emptoribus de precio conuenire non valuit. Interea sceleris auctorem vltio diuina corripuit, & manus, quæ sacrilegium perpetrauerat, ac pedes quibus auctor aufugerat arefaciens; intolerabili dolore constrinxit. Mox itaque languore compulsus ad ecclesiam beati Maioli manibus alienis aduehitur, & mantile sublatum ad commissi reatus indicium coram cunctis appenditur, & Dei clementia ab omni populo, qui huius famæ rumore confluxerat imploratur. Sicque beati Maioli meritis, & fratrum sibi seruientium precibus incolumis factus, velamen reddidit alienum, & recepit semetipsum. Probauit ergo quo prœmio dignus esset, qui beatum Odilonem offenderet.

Fur rem ablatam S. Odiloni distrahere non potuit.

Idem vir sanctus aliquando quia causa dictabat, Ticinum festinanter transire cupiebat, sed intumescentibus aquis etiam naulgium deerat. Protinus ergo confisus in Domino vnum è famulis *in nomine Christi* se se præcedere per alueum fluminis imperat. Quo præeunte vir sanctus cum omni commeantium turba subsequitur: & sic omnes in vlteriorem aluei crepidinem absque vllo offendiculo transponuntur. Quod dum nonnulli, qui aderant mirarentur, velut æmuli præcedentium, cæperunt attentare meatum, sed mox vt adorsi sunt extremos citerioris ripæ fluctus attingere, nisi sese sub celeritate repressissent, profluẽtis aquæ mersi voragine proculdubio naufragium pertulissent. Vnus autem ex his, qui aderant, vt miraculum visum obstupuit, hominem Dei, vt apud se hospitari dignaretur humiliter rogauit. Quo facto intempestę noctis silentio ventus vehementior irruit, & lucernam, quæ in dormientium cubiculo dependebat extinxit. Quod cernens cubicularius ait: *Deus omnipotens, qui lumen es verum pro amore serui tui Odilonis ab hac domo tenebras remoue, eamque tuæ gratiæ luce perfunde.* Confestim ergo chorusce lucis splendor emicuit, & totam domum superni splendoris claritas illustrauit. Si hoc igitur agebat Odilo, tunc sopore depressus, quid putas nunc apud Deum potest, carnalis sarcinæ corruptione solutus?

Transit Flumen illæsus cum suis.

Domus celitus illustratur.

Adhuc de eodem.

Cap. CIV.

IDẽ sanctus dũ ad monasterium sancti martyris Marcelli festinaret, venit ad flumen, quod fluctibus exundantibus inhorruerat, confisus in Domino primum, qui vada pertentaret dixerit, & ipse mox cum comitibus suis obsequens illæsus pertransiuit. Illudque mirabile fuit, quod cum cæteris aqua pertingeret vsque ad fæmora, vito Dei nec corrigia quidem pedis aquarum est inundatione perfusa.

Idem apud monasterium beati Martini, quod ad publicam stratam dicitur hospitio receptus, cum ad eum ex more multi monachorum confluerent, quæsiuit vtrũ aliquid esset vnde fratres refici valerent; responsum est ei, quod cæterorum quidem alimentorum quantitas esset, piscium autem penè nihil, quod tantam hominũ multitudinem peruenire. At ille in nomine illius qui quinque millia hominũ ex pane modico, & pisce geminopauit, apponi iussit. Esca vero in manibus comedẽtiũ creuit adeo vt satiatis omnibus plurima superesset de piscibus.

Pisces multiplicantur.

Huic simile est, quod cum Romę esset, & in monte Auentino apud monasterium Dei genitricis hospitium haberet, contigit, vt tale vinum deesset, quod ei saporis habilitate congrueret. Allatum igitur alio vino plenum vasculum, modicum ante se posuit, sibique & Abbati qui iuxta se discumbebat expendit. Cumque iam à mẽsa surgendum refectio cõpleta dictaret, blãde subridens: Non, inquit, fratres mei plenè circa vos officiũ charitatis exhibui, qui vinum, quod mihi sapuit, vobiscum participare neglexi. Arripiens ergo chaitum infudit merum, & singulis singulum dedit. Res mira cum fratres essent fere 12. & eis bibẽtibus potus copia non defecit, & eorũ completo numero nihil omnino superfuit.

Dum autem rediret ad propria, quidam iuxta Taurinensem vrbem nimium febris patiebatur ardorem. Hic

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

furtiue à ministris aquam, qua vir Dei manus abluebat, accepit, fideliter bibit, & sic absque mora prorsus conualuit. Iamque Iouini montis prærupta conscendẽs obuios habuit pauperes præ lassitudine difficilis viæ potum æstuanti desiderio flagitantes. Pius itaque pater sui negligens, & aliis in necessitate compatiens iussit, vt quicquid vini haberetur in vasculis suis, absque vlla reseruationis industria, vel potius diffidentia daretur egenis. Paulo post naturæ necessitate cogente cum omnes discumberent, vt cibum caperent, ecce vtres qui studio pię compassionis fuerant exhausti vino, Deo scilicet debito persoluente reperiuntur repleti: *fœneratur enim Deo, qui miseretur pauperi.*

Febrem pellit aqua qua vir sãctus se abluit.

Vtres vacui inueniuntur pleni vino.

Imperator Henricus ad mensam discumbens vasculum holouitreum pretiosum, Alexandrini operis arte compositum cum pigmentis tritis sibi allatum, sancto viro misit xeniũ. Porro sicut humanæ curiositatis mos est, cæperunt monachi vas sub admirationis intuitu cõtrectare, & de manu in manum solerter inspiciendo trãsponere. Tum ecce de manibus incautè se tenentium labitur, & continuo frangitur. Quod vir sanctus grauiter ferens ne ministri, qui vasculum reliquerãt indignationem Augusti sustinerent metuens, mox cum fratribus ecclesiam intrat, & ne hi, qui à culpa immunes erãt iram Regis incurrant diuinam clementiam implorat. Deinde fractum vas sibi afferri iubet, manibus contrectat, oculis vndique subtiliter conspicit, & ecce nulla in eo prorsus fracturæ vestigia deprehendit. Tunc fratres cum austeritate redarguit, cur vas conquereretur effractum, quod omnino permansérat illibatum. Qui de tã euidenti miraculo stupefacti, corripientis austeritatem libenter accipiunt, & *Deo gratias* referunt.

Vas magni pretij confractum suis precibus integrat

Qualiter idem pater memoriam defunctorum instituit, & Benedictum Papam à supplicijs liberauit.

Cap. CV.

QVidam religiosus reuértens à Hierosolymis, dum mare transiret, eumque cum alijs multis ventorum horror impelleret, applicuerunt ad insulam quandam vel rupem, vbi quidam sanctus manebat inclusus. Ille ergo aliquandiu tranquillitatem maris expectans, dũ cum illo incluso frequenter colloquium haberet, requisitus insuper vtrum cœnobium, quod Cluniaculum dicitur, & Odilonem eius Abbatem nosset; optime se nosse perhibuit. Quo scisitante, cur hoc ab eo seruus Dei inquireret. Sunt, inquit, vicina loca nobis, ex quibus grauissima flammarum euomuntur incendia, in quibus etiam locis animæ reproborum diuersa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum semper exaggeranda supplicia sunt innumerabiles dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renouant, & eos ad rediuiua supplicia indesinenter instaurant. Quos tamen ego frequenter audiui querulis lamentationibus eiulantes: quod orationibus & eleemosynis quorundam frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera quoque permaximã de Cluniacensi cœtu, & eorum Abbate quærimoniam faciunt, quia quam sæpe per eos sui iuris vernaculos perdunt. Quamobrem te per Dei nomen obtestor, vt sanctis fratribus illis, hæc quæ tibi dixi fideliter referas, & nostra quoque parte denuncies, vt orationibus & eleemosynis magis ac magis insistant, præsertim huius intentionis intuitu, vt de manibus dæmonum eos, qui ab illis cruciantur educant. Ille ergo regressus in patriã cum hæc Abbati Odiloni, & fratribus retulisset; idem pater Odilo per omnia monasteria sua generale decretum constituit, vt sicut die 1. Nouemb. omnium sanctorum solennitas agitur, ita sequenti die in psalmis & eleemosynis, & præcipuè Missarum solenniis, omnium in Christo conquiescẽtium memoria celebretur.

Benedictus Papa dum viueret, hunc sanctum virum affectuosè & Apostolorum limina frequentati necessarios sumptus sæpe ministrauit. Qui cum decessisset Ioãni Portuensi episcopo, & aliis duobus per speciem nocturnæ visionis apparuit, eisque quia in pœnalibus tenebris constitutus esset, indicauit, hoc insuper addens, quia beati Odilonis meritis eum superna censura liberare decreuerit à tormentis. Protinus idem Ioannes episcopus Papiam venit, & per monachos cœnobii B. Maioli omnem sancto viro Odiloni seriem visionis exponit. Qui mox psalmodias & orationes ab omnibus in monasterio Cluniacensi fieri, eleemosynas largiri, & sacrificium Deo mysterii salutaris offerri pro illo præcepit. Per omnia quoque monasteria sui regiminis, eius sanctionis edicta mandauit. Cumque fratres instantissima deuotione hoc facerent, Edelbertus monachus, qui hoc obedientiæ fungebatur officio scilicet vt inopes aleret, & necessaria ministraret, per soporem vidit quendam pulchrũ ac serenum aspectu magno candidatorum agmine constipatum ingredi claustrum, qui capitulum vbi pater Odilo cum fratribus residebat, intrauit; & ad eius genua caput humiliter flexit, eique gratias egit. Cumque frater ille scilicet Edelbertus inquireret, quisnam ille esset, responsum est illi, ipsum esse Benedictum Papam, qui idcirco viro Dei gratias ageret, quia pijs eius sanctorumque fratrum precibus, & tartareum cruciatum euasisset, & cum beatis ciuibus quieturus supernæ Hierusalem ingressum meruisset.

Loca panarum in Cicilia. Horum meminit Sigebertus Ioan. Parisiensis Bernard. Guid. & alij de ijsdẽ idem Petrus Damianus epis. 9 lib. 1 vbi vesuuiũ montem, loca illa vocat intelligit autem author per hæc loca purgatorij panas.

Loquitur de Benedicto 8. Pontifice.

De transitu eiusdem Abbatis sancti.

Cap. CVI.

VIr itaque sanctus Odilo dispensationis geminæ moderator insignis, & in spirituali studio coram diuinis obtutibus fulsit, & in terreni laboris industria non mediocriter claruit. Cum vero iam extremum tẽpus ageret per quinquennium ferè grauissimo labore cruciatus est. Cumque monasteria sua circumiens admonitionis causa visitare cæpisset. Siluiniacum deuenit, ibique circa festum dominicæ circumcisionis se è sæculo migraturum prędixit. Porro cum iam in angonis angustia constitutus esset, diabolum astare conspexit, eumque per nomen tremendi iudicis, vt abscederet terribiliter increpauit.

Prædicit obitum suum.

Anno igitur incarnationis Domini 1048. ætatis etiã suæ 87. ordinationis vero 56. nocte, quæ Circumcisionis Domini solemnia præcedebat, Eucharistiam percepit, sicque beatum spiritum Deo reddidit.

Moritur S. Odilo.

Eadem nocte frater quidã simplex & innocens Gregorius exequiarum funebrium lassitudine prægrauatus, in eadem cella, in qua sanctus obierat, proprium stratũ petiit & dormire tentauit. Sed necdum plene dormiens, B. Odilonem sibi astantem vidit. Qui requisitus ab eo quid ageret, bene se habere, & in præsentia Christi esse respondit, sed in ipsa hora obitus sui figuram quandam trucem ac terribilem teterrimæ suæ visionis horrorem incutere tentantem se vidisse, sed Christi confortante virtute non se potuit infestatione nocere. Proxima quoque 40. succedente sanctæ memoriæ Lauretius† Amalfitanus Archiepiscopus potens in literis, & vita laudabilis Romæ constitutus obdormuit in Domino: cuius cadauer cum in ecclesia delatum fuisset, Albero quidam honestus clericus in angulo eiusdem ecclesiæ lassa membra sopori dedit. Tunc vir sanctus ei apparuit; qui requisitus ab eo quando illuc, & cur aduenisset; ait: Ad charissimi olim amici nostri domini Laurentii Pontificis exequias veni, quibus expletis antequam recederé te videre volui. His dictis species loquentis euanuit. Ad eius quoque tumulum adhuc rutilant noua signa virtutum.

Apparet cuidam post mortem.

†Almafitana sedes est in regno Neapolitano, vulgo Amalfitta vt habet Quercetanus.

Author. Idem sanctus Abbas scilicet Odilo sermones quosdam festiuos, qui à monachis ordinis sui frequentantur eleganter composuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris viris illustribus eiusdem temporis.

Cap. CVII.

Sigebertus in chronicis. Florebant & hoc tempore in scientia literarum in Lotharingia Herigerus Abbas Lobiensis, Adelboldus episcopus Vltraiectensis In Francia Fulbertus episcopus Carnotensis, Abbo Abbas Floriacensis, qui super calculum Victorii commentatus est.

Hugone Rege Francorum mortuo Robertus filius eius regnauit annis 34.

Guillelmus in chronicis. Iste Rex Robertus fuit in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus. Denique & pulcherrimam fecit sequentiam: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, & responsorium istud: *O Iudæa Hierusalem.*

Author. Sed, & hoc fertur fecisse. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus libera me.* Et cum quadam die esset Romæ in vigilia apostolorum Petri, & Pauli obtulit scedulam quandam super altare, putantibus omnibus illum magnum aliquid obtulisse, reppererunt illum nihil aliud super altare posuisse nisi scedulam in qua scriptum erat responsorium istud cum versu suo: Cornelius centurio, quod ipse Rex cum cantu suo composuerat.

Anno 997. Anno Othonis 14. Heribertus ordinatus Colonienſiũ episcopus multa sanctitate claret.

Clarebat etiam hoc tempore inter Gallos Anfridus, qui cum fuisset Comes Bratuspantium non minus iustitia quam potentia sæculi famosus, deposito militiæ cingulo tonsuratus in clericum, eo prouectus est, vt ordinaretur episcopus Vltraiectensis Ecclesię.

Anno 15. Ioannes Romanæ ecclesiæ 154. præsidet, post quem Gilbertus, de quo iam dictum est, qui & Siluester, 154. qui, & ipse inter claros scientia literarum egregie claruit (Quidam transito Siluestro isto, Agapitũ Papam hoc in loco ponunt). Quod non ocioſe factum esse dicitur, quia is Siluester non per ostium intrasse creditur, quippe, qui à quibusdam etiam necromantiæ arguitur. De morte quoque eius non recte tractatur, à diabolo enim percussus obiisse dicitur, quam rem nos in medio relinquimus, à numero enim Paparum videtur excluſus.

Anno Othonis 17. scilicet Iesu Christi millesimo, secundum computationem Dionysij multa prodigia visa sunt. Terræmotus factus est permaximus, cometes apparuit 19. kal. Ianuarij, circa horam nonam aperto cælo quasi facula ardens cum longo tractu, fulguris instar, illabitur terris, & cum tanto splendore, vt non modo qui in agris erant, sed in tectis etiam irrupto fulmine ferirentur, qua cæli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente cum cæruleis pedibus.

Annus Christi millesimus.

De quadam victoria Othonis, & morte eiusdem.

Cap. CVIII.

Anno 18. Otho Imperator Romę crescentem Patriciũ bello aggreditur, sed victus Crescens, & ex fuga retractus capitur, vilique iumento auersæ impositus circunducitur, & paulatim membris truncatus, ad vltimum ante vrbem suspenditur.

Tumultus in vrbe excitatur. Anno 19. Otho Imperator degẽs Romæ, dũ cũ Romanis se remissius egit, tractans qualiter iura regni & ecclesiæ ad antiquum statum reformaret; Romani per hoc ad contemptum eius adducti subito contra eum conspirant, & aliquot militum eius petemptis, eum in palatio obsident. Vnde per industriam Henrici Ducis Baioariæ, & Hugonis Marchionis Italiæ simulato pacto vix ex tractus à Roma discedit cum Siluestro Papa, & quia vxor Crescentis Imperatorem spe regnandi ad amorem sui pellexerat, dolens de eius discessu venenum misit ei, quo ille consumptus inter meandum in Italia moritur. Milites transalpini corpus Imperatoris defuncti cum insignibus imperij ad Galliam referentes crebris Italorum incursibus lacessiti armis sibi viam parant. Sed cum iam res in tuto esse putaretur, Dux Baioariæ Henricus iniuriato Heriberto Colonienſiũ Archiepiscopo, à cuius ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit, quasi iure hæreditario sibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis Imperatoris.

Otho tertius hausto veneno moritur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

De imperio Henrici secundi, & bonis initijs sancti Elphegi.

CAP. I.

Henricus 2. Imp. An. Ch. 1003. Mũd. 4857.

HEnricus igitur dux conciliatis sibi animis quorundam principum regni vngitur in Regem è Vuiligiso Maguntino Archiepiscopo, & imperauit annis 21.

Cæpit autem imperare Henricus anno Domini 1003. Mũdi 4857. Hic potentiores regni viros bella sibi concitare volentes, celeriter deuicit, & Reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Vuinidi, tributarios sibi facit.

Ex gestis sancti Elphegi. Hoc tempore floruit sanctus Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, qui quondam splendidissimis natalibus ortus, literali scientia imbuẽdus traditus, lectis & perlectis, quæ saluti sufficientia videbantur, totum philosophiæ studium conuertit ad diligendum Deum. Cumque arctioris vitæ semitam arripere vellet, peruenit ad locum, qui Batonia dicitur, ibique habitaculum construxit, & inclusum se mirabili rigore strinxit. Nec mora, nobiles quique ad consiliũ spirituale eius perquirendum cõfluunt, pluresque sub eius disciplina vitam simul & habitũ imitaturi accedunt. Vbi autem amplissima mansione perfecta sobrietatis legem discipulis indixit, & moderari carnales appetitus edocuit; ipse in angustissimam domunculam se contulit delegato præposito, qui ei victualia ferret, summorum tamẽ negociorum causæ ad illum deferebantur.

Monasticum viuendi institutum arripit S. Elphegus.

De discipulo eius qui furtim edebat à dæmonibus rapto.

CAP. II.

PLerique autem discipulorum eius monita spernẽtes, professionis immemores, nihilque communẽ vitam habentes, mediis noctibus consueuerant furtiuos tibos edere, ebrietati operam dare, lasciuire, & prorsus inhonesta quantum latens sinebat audacia perpetrare. Sed ita Dei illum, qui in hoc scelere capitalis erat, horrendo subitoque iudicio inuoluens occidit. Nocte vero, quæ diei sepulturæ illius successerat. Elphego sacras de more excubias celebrante, & se Domino sacrificium offerente contigit infra ambitum monasterij validas voces audiri quasi vim inferentium, vel illatam sustinentiam, vir Dei ignorans, quid esset, cõcite ad monasterium tendit; attonitisque auribus sonum captans verba discernit, domum irrupit. Et ecce is, qui nuper obierat, misere afflictus solo iacebat. Super quem horrendi aspectus homines stabant, qui taureis neruis & ignitis serpentibus eum flagellabant; illoque præ doloris angustia vlulante, hoc illi improperabant: *Nec tu Deo nec nos tibi.* Eademque sæpius repetentes è loco captiuũ extrahunt. Tunc sanctus recedens, quod reliquum erat noctis flens insomne duxit. Orto autem Sole discipulos insimul compulit, & quæ manifestante Deo viderat retulit, videns alios psallere, alios flere, omnes trepidare. At hi quos mortui scelus sodales habuerat, medii prosiliunt, errorem fatentur, praue gesta postulant vlcisci, ne diuinæ vltioni remanerent obnoxij. Requisiti autem vbi conueniendi & conuiuandi locum habuissent, illum ei locum designant, quo defuncti animam spiritus nequam cruciauerant. Sic pius Deu propter optima viri merita, dum vnius scelus noluit latere, omnia mala voluit detegere, & dum vni voluit parcere, omnium morbos voluit sanare.

Vltio diuina in monachũ improbum.

Qualiter idem sanctus factus est Vuintonensis episcopus.

CAP. III.

INterea mortuo Vuintano episcopo sanctus Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, qui vniuersis vrbibus in Anglia constitutis, nec non, & in alijs regionibus Anglorum regno suppositis, primus præsidebat, comperto, quòd de Vuintano Pontifice eligendo magna partium dissensio fieret, metuens hoc scandalo plurimorum & fieri animarum detrimẽto orauit Dominũ, vt dignaretur ostendere, quis regendæ ecclesiæ deberet idoneus pastor succedere. Cumque monachi, & clerici litem, & ille precem multiplicaret; ecce affuit Andreas Apostolus tali oraculo vsus: Quid charissime contristaris, & tam lugubres quæstus lachrymando effaris? Surge, & Elphego Abbati manum impo-

An. 984. Ethelwoldus episcopus moritur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

impone, eumque deſolatæ eccleſiæ ſacerdotem conſtitue: Nec te prohibeat aliquorum potentia, quia non ab homine ſed à Deo hæc proceſſit ſententia. Tunc lætiſſimus Pontifex effectus palatinis auribus hæc expoſuit, factoque conuentu omnes in ſententiam tranſierũt clamantes id ſe velle, quod Deus vellet, quodque Pontifex deliberaret. Fact⁹ ergo Põtifex Elphegus tã ſtrenue ſe in cunctis agebat, vt nemo dubitaret, quin is cordi eius moderator ſederet, cuius electione promotus fuiſſet. Ita ſe omnium moribus condonauit, vt & omnibus charus eſſet, & nemo (quod rarum eſt inter homines) eius gloriæ inuideret. Cumque ſummæ miſericordiæ ac beneficentiæ in omnes eſſet; in ſe crudelis, & impius apparebat: nam hiberno tempore cum terra glaciali frigore rigeret, & profundus cæteros ſomnus occuparet, ipſe clam de ſtratu conſueuit ſurgere, & extraneum locum petens ibi nudis pedibus ac ſimplici veſte indutus, in oratione pernoctare. Tetam cum veluti pranſurus intraret, tam vacuus fere à menſa ſurrexit, quam vacuus acceſſit: ita vt nec ediſſet, necnon ediſſe à conſidentibus redargui poſſet. Omnibus pauperibus ita ſubuenit, vt nec parochialium quempiam publice mendicare, nec extranei loci pauperem vacuum abire permitteret: horrendum nefas reputans, ſi quod natura commune inſtituit, hoc ſibi homo priuatum vſurpare velit. Vbi autem illa defeciſſent, quæ ex iure eccleſiæ miniſterio pauperũ competere poſſent, theſauros eccleſiæ, quos multiplices parauerat iuſſit diſtribui, docẽs ad hæc ornatiſſima quẽque eccleſias poſſidere, vt tẽpore fælicitatis ſint honeſtati, tempore vero neceſsitaris ſint vtilitati. Præfatus igitur defenſor Iuſtitiæ Dunſtanus accepto rumore, quo beatus Elphegus in populo prædicabat, excelſas Deo laudes referens, eius miſericordiam poſtulauit, vt eũ Patriarchatus ſui hæredem poſt obitum ſuum, quem præſciuerat, relinqueret. Cui ſtatim quod poſtulat promittitur, quamuis non ſtatim, ſed tempore decurſo adimpleretur. Nam quinquennio, quo ſimul vixerant Pontifices, Dunſtanus, & Elphegus ſuperato, Dunſtano autẽ in gaudio domini ſui ingreſſo, tres ſibi poſt illum ex ordine ſucceſſerunt.

Vita aſperitas.

Nota S. viri mirabilem maciem.

Liberalitas eius in pauperes.

Qualiter factus Archiepiſcopus patientem ſe & liberalem exhibuit

Cap. IV.

An. 1006. fit Archiepiſcopus Cantuarienſis.

ANno igitur incarnatæ diuinitatis 1006. Elphegus de Vuintonia Cantuariam tranſlatus ibique Archiepiſcopus leuatus, poſt paucos dies vrbem Romam adire inſtituit. Iamque Auſoniam ingreſſus cum in quodam oppido ex itinere feſſus quieſceret, oppidani hominem incognitum habentes, auaritiæ ſuæ conſulentes domum irrumpunt, res diripiunt, ipſumque omni ſuppellectili priuatum, verbis & verberibus exire compellunt. At ille contumelias ſuas leuiter ferens ſuorum vero mediocriter dolens, via qua venit redire cæpit, necdũ ab oppido longe ſeceſſerat, & ecce horrẽdæ voces mænia corripiunt, quæ cinerem ædificiis, & ciuibus minantur iacturam, excitatus ergo populus ab igne ſtrata reliquit, & præceps ad omnia diſcurrit. Cumque multa iã flamma populata fuiſſet, nec euadendi incendij ſpes aliqua ciuibus ineſſet ſaniori ſenſu effecti, qui virum perturbauerant, ne forte ignis eis ad vindictam deſæuiret animo pertractant; exeuntes hominem requirunt, iuuenerunt, adorant, plorant; ille vero vt ſemper pietatis animum tenerrimum habens: Redeamus, inquit, vt ignẽ eminus videamus. Stans ergo ignem intuetur, lachrymas diſtillat, Deum cõpellit, protinus in aere ignis ſuſpenditur, & per innumeras domos traiectus extra mænia inuenitur. Tunc omne vulgus cæpit per portas effluere, & ſancto munera offerre. Quibus ille ait: Sint veſtra vobis, nobis autem ſufficiant noſtra. Veruntamẽ ſi quod offenſa promeruit laxari vultis, neminem deinceps è domibus veſtris perturbetis, quin potius omnes ſuſcipere, & ſuſceptis, quæ oſti iȷs ſunt impendere curetis. Sic fatus ſua recepit, turbamque redire præcepit.

Tantæ autem fuit liberalitatis, & miſericordiæ, vt cũ nihil ſupereſſet iam quod de ſuo largiri proximis poſſet, hoc ipſum quod erat dare non metueret, malens hinc moriendo deeſſe, quam proximis ſuis viuendo nõ prodeſſe. Itaque cum piratæ peſſimum genus prædonũ cum duce Turcillo Danorũ Principe portus maris oberrarent; & per omnem Angliam gens illa ſpargitur, & quicquid obſtaret cum cæde, cum incẽdio comminuit. Deſerta igitur ab incolis terra ad vrbes vicinas confugitur, iacuitque terra prædonũ furori obnoxia nullo cultore beata. Nã Rex Anglorum Etheredus imbellis, quia imbecillis monachũ potius quã militẽ actione prætẽdebat. In tãto rerũ diſcrimine Elphegus hoſtes adibat, verbum vitæ eis prædicabat, captiuos dato precio redimebat, & eos, quos fames opprimebat, alebat; tantumque placendi hoſtib. diuina gratia ei conceſſit, vt non ſolum captiuos à temporalib. verum etiam captiuatores ab æterna ſeruitute liberaret, dum fidei expertes ad fidem reuocaret.

An. 1010. Dani vaſtãt Angliã, impletaque sũt qua prædicta fuere à S. Dunſtano.

De conſtantia eius in perſecutione Danorum, & Anglorum.

Cap. V.

PArs tamen eorum non modica, infidelitatis errore detenta, ſociorum ſaluti inuidebat auctoremque ſalutis eorum interficere cogitabat, metuens ne ſublatis his, quibus auxiliariis bellare ſolebant minorem nocendi licentiam, vel reſiſtendi potentiam haberet. Sed dum infidelium paucitatem ad iniuſtam hominis iuſti necem propter fidelium copiam diabolus non poſſet impellere, aliam patrandi ſceleris viam aggreditur. Nam Edricus totius regni præfectus, cuius fratrem nobilitas Cantuariorum eo quod ei in præſentia Regis gratuito maledixiſſet, & bona quorundam inuaſiſſet aggreſſum interfecerat, & ædes eius ſuccenderat, vltionem ſanguinis eius à Rege poſtulat: At Rex poſtulata denegat, iure fratrem peremptum pronuncians, qui tantam nobilitatem regali palatio impetere præſumpſiſſet. Præfectus colore mutatur, palatium egreditur, iunctiſque ſecum decem millibus viris armatis fratrem vlciſci conatur: ſed dum reſiſtentibus aduerſarijs conatus ſuos parum proceſſiſſe conſpiceret, elatus in iram Danorum conciliabula expetit, & auxilia perquirit, regnum poſt victoriam æqua ſorte diuidendum promittit, ſe orientalibus Anglis principari, illis vero Aquilono potiri. Quid plura? Dextras dant, & accipiunt, ſacramenta exignnt & porrigunt, hoſtes Pontifici: præfectus nobilitati, omnes Cantuarii necem intentant. Cuius rei fama ciuitate vehementer permota, mox vniuerſa nobilitas, quæ in legis violatorem vindictam exercuerat, lachrymabili queſtu Pontificem circundat; orat, vt vrbem exeat, & vitæ ſuæ omnium inter vitas excellentius conſulat. At ille: Alia, inquit, mihi gradiendum via puto, dũ præterito mecum labores reputatis, æternam Dei retributionem cogito: nec enim ſceleratorum maleficia commiſimus, vt hinc mortis ſupplicia timere debeamus; an forte illud in crimine illorum eſt, quod eorum dilectos à pagano errore retraximus, & ad veri Dei cultũ attraximus? An ibi offendimus cũ captiuos libertati reſtituimus, & quos reſtituere non potuimus in captiuitate pauimus? Sed vtinam pro tali offenſa tot in me mortis deſçuiant vulnera, quot in me membrorum varietates formauit natura. Cæterũ mercenarius eſſe potero ſi videns oues meas à lupis deuorari, incipiam fugam meditari, proinde quibus inſpirauit Deus, vt bona malaque perpeti velint, hic quæ nobis præparata ſunt patienter expectent.

Dani ei mortẽ moliũtur inferre.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter animauit populum ad patientiam de ferocitate hostium.

Cap. VI.

TVnc quibusdam ad alia loca se transferentibus, alijs placandi gratia ad Danos accedentibus, Elphegus conuocatis pauperibus populi sui hortabantur eos bono animo esse, Deū præ oculis habere, nihil præter eum formidare, exemplum humilitatis & patientiæ Christi sumere, qui cum esset omnium Dominus, non solum de inimicis vlcisci se noluit, sed & sæuientem Petri amorem ab vltione prohibuit; proponebat eis constantiam martyrum, & victorias eorum. His illos sermonibus institutos ad quæcumque tormenta persecutor impelleret, reddidit paratissimos. Deinde episcopali benedictione super eos effusa, pacisque cōmunione in osculo sancto libata, dum diuini epuli omnes participes effecissēt, se illos sibi vtrosque omnium protectori Deo commendauit. Vrbe autem ab hostibus circumuallata ciues pro muris consistentes resistendi audaciam non tam ostendebant, quam simulabant.

Ioan. 18.

Iam vero exhausto quicquid ad vsum vitæ parauerant, missus est à Pontifice qui Dano suggereret, vt ab incæpto desisteret, & iudicium Dei timeret, fieri enim plerumque vt pater filium baculo percutiat, & ipsum baculum in ignem proijciat. Sed Angli, qui ad impietatem procliuiores erant eo ferociores instabant vineas agere, murum arietibus ferire, igneas faces iacere. Inde feralis per contiguas domus ignis cōceptus per omnia loca dilatando spargitur. Tunc miseranda inter ciues cunctatio vtrum desertis propugnaculis ad domos proprias conuolarent, an eis neglectis munitioni incumberent. Vicit dulcis vliorum recordatio, tuendæ familiæ innata compassio. Currunt furore præcipites, rapiunt è medijs ignibus coniuges, & charos liberos hostili statim gladio trucidandos. Sed illis ad cineres ædificiorum attentius occupatis, effracta vrbe exercitus ingreditur. Alij ferro iugulantur, alij flammis consumuntur, plures vero super muros præcipites dantur. Matronæ nobiliores dum thesauros quos nō habēt prodere coguntur, capillis per plateas distractæ ad vltimum flammis iectæ moriuntur, paruuli à matrū vberibus euulsi, aut lanceis excipiūtur, aut superato plaustro minutatim conteruntur.

Anno 1011. Dani obsident Cātuariam vid. Rogerium in priori Annalium parte Bar. an. 1011.

Cantuaria succenditur.

Qualiter pro Rege se opposuit, & in hostes etiam liberalis fuit.

Cap. VII.

POntifex autem non ferens tantam suorum depopulationem, ad locum cadauēribus plenum currit, inter densissimos hostiū cuneos se ingerit clamans: Parcite, parcite, si viros vos esse cognoscitis, innocentem ętatem persequi desinite. Non est ista victoria, qua lactantium perimitur infantia, en me qui vt Christianum populum augerem multo vos milite spoliaui. En quia vestra crimina semper libero ore damnaui, qui captiuos paui, redemi. Si gratis malos esse delectat, in me præcipuè vestra ira desæuiat, quem tot modis vos offendisse constat. Protinus ergo innumeris manibus Athleta Dei capitur, & intercepto gutture vox præpeditur, palmæ vinculis innectuntur, genæ vnguibus dissecātur, pugnis & calcibus latera tunduntur. Inter hæc seruus Dei muto similis impiorum manibus ad atrium templi impulsus iubetur flagitij noui spectator assistere: vt mortem ante mortem videret, nullumque mortis genus existeret, quod cum siue patientem, siue suis condolentem præteriret. Accedunt igitur, & cupas super inuicē positas inflammant, vt tectum inde comburant. Iamque plumbum ab igne resolutum cæpit introrsus defluere, cum sācta monachorum plebs caput pallio cooperta lachrymis faciem rigata egreditur, datura pro saluatore, quod ille pro omnibus dignatus est impendere: ad quam ferro excipiendam trux carnifex occurrens miserabili cæde deuastat.

Elphegus à Danis crudeliter vexatur.

Igitur ex omni numero qui ad octo millia hominum protendebantur, quatuor solis, monasticæ professionis, & 900. inferioris ordinis viros remansisse accipimus. Quos verberibus acriter exaratos, aut pecuniaria redēptione dignos iudicauerunt, aut seruilibus operibus mancipando secum adduxerunt. Iam populo cæso, & vrbe flammata, templo violato, perscrutato, spoliato, dum sanctus toto corpore vinctus ad portam septētrionis trahitur: ecce hi quos ex ruina superfuisse dixi, pedes trabibus inserti sub militari custodia tenebantur. Qui viso Pontifice, & quod contra eum agebatur, eleuatis in cælum manibus cum rugitu exclamant; Dum tantæ crudelitatis inspectorem fore postulantes. Pontifex autem subsistens, vt fractos eorum animos oratione firmaret, repente ab impellentibus se graui per humeros vulnere sauciatur, adeo vt profluente sanguinis vnda, humerus à corpore diuisus appareret. Exhorrent facinus compediti, exhorrent etiam Dani. Ducitur sanctus ad carcerem, quem fœdebat horror tenebrarum, angustia parietum, importunitas ranarum: ibi eum septem mensibus seruauerunt, rati illum ecclesiæ patrimonia spoliaturum & pro sui liberatione eis daturum. Interea incępit ira Dei in homicidam populum adeo desæuire, vt paruo tempore duobus eorum milibus per diros internorum cruciatus prostratis, cætera quoque multitudo simili morbo percussa, simile experiretur exitium. Tandem omnes ad eum currunt, eius supplicationem ad Deum petunt. Tunc eorum manibus ad publicum honorifice delatus, & in sella gestatoria positus ait: Et si vestra insatiabilis crudelitas nullū sibi promerendæ veniæ locum relinquat, nostri tamen interest officij, non tam, quod vos pati conueniat, quam quod vos agere deceat intueri. Inuocato ergo mundi auctore Christo, datoque eis pane à se benedicto omnes de se exitiali, clade liberauit.

Miserabiles strages Cantuariorum

Pane bene dicto sanat Danos.

De Martyrio eiusdem.

Cap. VIII.

LEgant itaque principes 4. qui Pontifice adito, primo quidem, pro impenso beneficio gratias agant, deinde conditionem proponant, vt si velit vita, & libertate potiri 60. argenti talenta persoluat, singulis talentis quinquaginta librarum pondere appensis. Quibus ille sic respondisse fertur: Si ad explendam cupiditatem vestram existimatis me ecclesiasticas possessiones spoliaturum fallimini, quia Christiani non est Christianorum carnes Paganis dentibus cōterendas dare. Ego autem id faciam si, quod paupertas ad vitam parauerat vestris moribus abutendum tradam. Quod si beatus Laurentius quos acceperat thesauros laudabiliter occuluit, ego quos accepi crudeliter exquiram, crudelius prodā. Et si ille, quę non habebat, egentibus contulit, ego quæ habent eis diripiam. Hostes furibundi cæperunt clamorem dentium stridore, attollere, fuitque miserabilis rerum conditio, vt qua die omnia mundi elementa de resurrectione Domini lætabahtur, ea beatus inauditis tormentorū quæstionibus puniretur. Sed ille propter spē quam habebat in Deo, omnibus his malis quasi epulis delectabatur. Aggreditur eū diabolus in specie Angeli, mentitur se de supernis sedibus destinatum, vt illum ad communem gentis salutem de squallore carceris educat. His ille sermonibus delibutus carcerem egreditur, illum sequens præuium itineris, pluribus autem aquarū alluuionibus obscura nocte transuadatis, is qui se ore luciferum aiebat repente disparuit. Elphegus autem ad locū certaminis ab Angelo reuocatus cum prope esset, vt antrum terrificum intraret comprehensus à carnificū turba plagis magnis afficitur, & cerebro violato semianimis ergastulo includitur, vbi accenso foco, & quicquid fumum fœtidissimum generaret, vel gemitum nutriret, per singulas horas diei iniecto ianuas claudunt,

Reddunt mala pro bonis.

Nota fallaciam diaboli Rursus dirè affligitur.

Rursus dirè affligitur.

relicto

relicto illo intrinsecus.

Sancti eum unusant,

Illuscescente sabbato cæpit hortifica domus cælestis gratiæ participium suscipere æternæ vitæ, odoramenta spirare, hymnos mellifluis sanctorum vocibus modulatos personare; quos sanctus intuitus Dunstanum quondam Archiepiscopum vultu ac veste gloriosum conspicit assistentem, protensisque ad illum manibus dicentem: Ad te miles Christi venimus nostro honorandum obsequio, missi ab eo, qui tibi victoriam dedit, & coronam pręparauit in cælo. En ciues Hierusalem, quorum post mortem collega fueris si patienter ea quę desunt passionum suppleueris. Inter hæc laxantur nodi vinculorum, stringuntur hiantia vulnera, & absoluta ad integrum omni corporis plaga, Elphegus psallens cum psallentibus exultans incedit. Custodes pauefacti parietibus incumbunt, præsentem Dei virtutem cernere volentes, sed eadem citius dicto percussi resiliũt. Tãdem Elphegus iumento impositus, ad consilium furoris cum ingenti planctu fidelium ducitur, lapidatur, & martyr efficitur, cuius sanguine stillante lignum aridũ mox reuixit, cuius corpus pro tanto miraculo permiserunt Dani reportari Londoniam, vbi sepultum est, & post 10. annos incorruptum repertum, vsque ad hoc tempus durat, & recens sanguinis & corporis illibata integritas.

Sanantur omnes plagæ eius.

An. Ch. 1012. migrat ad dominum martyr.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

CAP. IX.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 2. Gerardus Cameracensis episcopus, & Adelboldus Vltraiectensis episcopus magni in ecclesia, & in palatio habentur.

Anno 3. cometes horribili specie flammas huc illucque iactans in australi parte visus est. Mortuo Othone duce ducatus Lotharingię datur comiti Godefrido filio Godefridi Ardenensis. Chilpericus librum de ratione computi hoc anno scripsit, vt apparet ex argumento, ad inueniẽdos annos domini per indictiones. Si vis, inquit, scire quot sint anni incarnati Christi 66. ordines indictionum, qui fluxerunt ab eius incarnatione multiplica per 15. & fiunt nongenti nonaginta; his adde 12. quia tertia indictione natus est Christus. Adde etiam indictionem præsentis anni ideſt, tertiam, & ecce habes hoc anno annos Christi 1005.

Anno 4. fames, & mortalitas tam grauiter per totum pene orbem inualuit, vt sepelientium tædio vigui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis,

Anno 7. eclipsis Solis facta est diei hora secũda. Gẽs Hungarorum hactenus idolatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuertitur per Gislam sororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi ad hoc sua instantia Regem adduxit, vt se, & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret; qui in baptismo Stephanus est vocatus, cuius merita per Hunguriam multa miraculorum gloria commendat.

Anno 9. in Lotharingia iuxta montem Castri locum fonticulus aquæ multis saluberrimis in sanguinem conuersus est. Quod probauit mulier, quæ faciem suam ex huius fontis aqua lotam ostendit multis sanguinolentam.

Anno 10. Benedictus Romanæ ecclesiæ 148. præsidet.

De vltione Dei super ducentes choreas in cæmeterio.

CAP. X.

Willelmus in chronicis. Hoc anno contigit in quadã villa Saxoniæ vbi erat ecclesia Magni Martyris, tale quid in vigilia natalis domini. Robertus presbyter primam missam de nocte inchoauerat, at in cæmeterio Othbertus quidam cum 18. sodalibus viris 15. & feminis tribus choreas ducens, & cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebant, vt ipse verba eorum inter sacra missarum solennia inuitus resonaret. Ille mandauit eis, vt tacerent. Quo neglecto imprecatus est dicens: Placeat Deo, & sancto Magno, vt ita cantantes permaneatis vsque ad annum. Verba pondus habuerunt, filius presbyteri Ioannes sororem suam cãtantem per brachium arripuit, & statim illud à corpore auulsit, sed gutta sanguinis inde non exiuit. Illa vero toto anno cum cæteris permansit choreas ducens & cantitans; pluuia non cecidit super eos, non frigus, non calor, non fames, non sitis, non lassitudo eos affecit. Indumenta, vel calciamenta nõ sunt attrita, sed quasi vecordes cantabant. Primo vsque ad genua, deinde vsque ad femora terræ demersi sunt, fabrica tecti aliquãdo super eos nutu Dei erigebatur, vt pluuias arceret.

Euoluto anno Heribertus Colonienſis Episcopus eos absoluit à nodo, quo manus eorum ligabantur, & ante altare sancti Magni reconciliauit. Filia Presbyteri cum alijs duobus continuo exanimata est: cæteri continuis tribus noctibus dormierunt, aliqui postea obierunt, & miraculis, vt fertur coruscarunt, quia valde pænituerunt. Cæteri pænam suam membrorum tremore prodiderunt, hoc ita scriptum reliquit Othbertus ipse, qui fuit vnus ex eis. In cuius scripti fine sic scriptum est. *Date sunt nobis litteræ à domino Pelegrino beati Horcberti* successore Anno domini 1003.

De cæteris euentibus illius temporis.

CAP. XI.

HOc tempore sanctus Guictheht, qui, & Adalbertus Pragensis episcopus apud Brucios martyrizatur. Comitatus Beluacensis datur Rogero Episcopo. Dux Godefridus comitatum Mõtensem depopulatur, quem Raginerius cum patruo suo Lamberto Louaniẽsi insecutus apud Florinas pugnam conseruit, vbi plusquam 400. viri occisi sunt, & ipse Lambertus occubuit, vbi res mira contigit.

Cum Lambertus spem victotiæ iam haberet (habebat quippe phylacterium à collo vsque ad pectus pendens sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat) Instante ei termino vitæ phylacterium illud à collo eius exiliens super tumulum campi exiliuit, & mox comes antea inuictus perimitur. Quidam militum phylacteriũ accipiens in caliga abscondit, sed coxa eius, & crure intumescente rem prodidit, & phylacterium Domino suo Hetheloni fratri ducis dedit.

Symeon Siracusis Siciliæ oriundus, & postea monachus in monte Syna hoc tempore clarebat; qui hierosolymam veniens longam pro Christo peregrinationem susceptit, & cum Pomponæ Treuerorum Archiepiscopo ad Gallias veniens Treueris in altitudine turris inclusus est, ibique post multas hominum persecutiones, post multas dæmonum tentationes beato fine quieuit: cuius merita frequens miraculorum gloria declarauit.

Anno Henrici 15. cometes solito mirabilior in modũ trabis maximæ per 4. menses apparuit.

Hæc fusius narrantur in chronico Cameracensi ad Gerardũ vrbis episcopũ scripto.

Anno 16. in Frisonia Deoderico Comite filio Arnulphi Gandauensis debellante Frisones in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus dux ad eum debellandũ ab Imperatore mittitur, & conserto prælio voce (nescitur vnde) emissa: *Fugite, fugite*, cunctis fugientibus à paucis Frisonibus petimuntur, dux vero capitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Heriberto Colonienſi, & alio Propheta, qui in eadem præfuit eccleſia.

Cap. XII.

ANno 19. Hēricus Imperator Coloniæ natale Domini celebrans Heribertum Archiepiſcopum à ſe iniuriosè tractatum humili ſatisfactione placat, cui reconciliatus Archiepiſcopus prædixit ſe propediem moriturum, & non multo poſt mortuus magnis cæpit clarere virtutibus, Pelegrimus ei in epiſcopatu ſuccedit.

Guillelmus in chronicis. Colonia prius dicta eſt Agrippina ab Agrippa genero Auguſti. Poſtea à Traiano, qui Imperio allectus Colonias ciuiū Romanorū eo deduxit Colonia. In hac fuit quidam epiſcopus clarus religione, ſed turpis corpore, qui fuit factus epiſcopus hoc modo: Imperator dominica quinquageſimæ venatū pergēs ſolus ad areā ſiluę peruenit, comitib⁹ hac illacq; diſperſis. Ibi habebat eccleſiam, presbyter ille agreſtis deformis valde, & quaſi portentum naturę. Imperator ſe militem mentitus ſuppliciter miſſam rogat. Ille confeſtim ſeparat. Imperator interim cogitabat quare Deus à quo formoſa cuncta procedunt, tam deformem hominem cōficere ſacramenta ſua ſineret. Ventum eſt ad illum verſum tractus. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus.* In quibus verbis cum diſcordaret puer presbyteri, ſacerdos concitatiori voce reſpondit, quaſi Imperatori cogitanti: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Quo dicto repercuſſus Imperator, & propheticum virum æſtimans, inuitum fecit eum epiſcopum.

Vide Ioan. de col.

Huius hoc factum fuit. Erat in monaſterio ſanctimonialium eiuſdem vrbis, quædam virgo, quæ ſpecie & dulci ad omnes ſermone, amatores ſuos incendebat, quorum vnus diues & generoſus eam abduxit, & loco iuſtæ coniugis habuit. Mādat epiſcopus, vt mulier monaſterio reſtituatur, & fit. Iterum abſente Pontifice repetitur, excommunicatur raptor, ita vt nullus ciuium cum eo conuiuari, aut colloqui auderet. Tunc excommunicatus in prædia ruris ſui abiit. Veniente autem epiſcopo ad exitum vitæ conuenerunt patriotæ orantes pro excommunicato, quibus ille reſpondit. Si miſer ille maledictam illam mulierem deſeruerit, ſit abſolutus, ſi autem perſtiterit ſequenti anno hac eadem die, & eadem hora, qua ego decedam, ſit ante Dominum rationem reddere paratus. Videbitis autē me quando ſignū ad ſextam inſonuerit ſpiritum efflare. ſic omnia impleta ſunt vtroque ſic moriente. Anno enim ſequente eadem die, & eadem hora, quam prædixerat excommunicatus ille cum amica ſua ictus, & exanimatus eſt.

De religioſo duce Normanniæ Richardo.

Cap. XIII.

IDem *Gulielmus.* Eo tempore Ethelredus Danos fugiens venit Normanniam ad Richardum fratrem vxoris ſuæ Emmæ filium Richardi ducis, qui cænobium Fiſcanenſe, quod pater inchoauerat perfecit. Hic noctibus cuſtodias famulorum fallens, ad matutinas monachorum ibat, genua flectens in oratione vſque ad lucem.

Quadam nocte ſic faciens, oſtium monaſterij inuenit obſecratum, qui excuſſo violenter peſſulo ſoporem ſacriſtæ turbauit. Qui ſurgens à ſomno, & videns eum plebeio amictu veſtitum in capillos inuolat, & multos illi colaphos infregit. Ille incredibili patientia, nec reſponſum dedit.

Poſtero die in capitulo querelam depoſuit, & monachum illum ad vicum Argennas ſibi præcepit occurrere, minitans ſe ſic vindicare, quod tota de hoc Gallia loqueretur. Die dicto monachus à iudicibus adiudicatus eſt, quem ille mox abſoluit; & vicum eundem, qui optimi vini ferax ex officio ſacriſtę addixit, pronuncians eum optimum eſſe monachum, qui bene cuſtodiens munus iniunctum, nec etiam iratus fregit ſilentium. Iſte Richardus poſt 28. annos ducatus ſui mortuus eſt. Iuſſitque ſe ſepeliri ante oſtium eccleſiæ, vt ab omnibus conculcaretur, & ſuper ſe plueret, quem poſtea Gulielmus Abbas tulit inde, & ante altare locauit.

Huius frater Robertus Archiepiſcopus Rothomagi fuit, qui honore abuſus multa flagitia commiſit, ſed poſtea in ſenium vergens multis eleemoſynis quædam deleuit. Richardus iſte filium habuit ſui nominis, qui fuit dux anno vno, qui dicitur fuiſſe inuenenatus à fratre ſuo Roberto, vnde ipſe Robertus poſt 8. annos Hieroſolymam perrexit, qui domum reuertens apud Nicheam vrbem Bithyniæ veneno interceptus eſt. Huic Roberto ſucceſſit Vuilhelmus puer.

Quātus vir fuit hic Durandus vide apud Baronium an. 1035 & in chronicis Leodicenſibus.

Anno quoque prænotato Durandus fit Leodicenſiū epiſcopus, qui quaſi fabula in theatro mundi fuit, quod vir ex humillimo & pauperrimo ſeruilis conditionis genere dominis ſuis carnalib. dominabatur.

Anno 20. Aquiſgrani conuentu generali & ſynodali per aliquot dies celebrato tanta ſiccitas & intemperies aeris excanduit, vt multi præ nimio ardore deficerent. Multa etiam animalia ſubito interirent; pauimento & marmoreis columnis tanto ſudore madentibus, vt aqua eſſe reſperſa crederentur à neſcientibus.

Anno 21. in Gallia Beluacenſi vrbe inclytus Rogerus deceſſit epiſcopus, qui inter alia beneficia dedit eccleſiæ S. Petri cui præſidebat Alliacū in Northmānia, & Mōtiacū in Vermandēſi patria, comitatum quoque eiuſdē vrbis ab Oddone Campanienſi comite impetrauit, dato ei pro commercio caſtro Syncerrio in Bituricēſi territorio ſito, quod ſibi patrimonii iure competebat.

De Imperio Conradi ſecundi, & viris illuſtribus illius temporis.

Cap. XIV.

HEnricus Imp. hoc anno, conſulentibus ſibi principibus ſuper ſubſtitutione Regni, deſignans Cōradum virum regii generis & egregiæ libertatis, quippe qui nunquam ſe ſubmiſerat alicuius ſeruituti, moritur. Huius vitam Adelboldus epiſcopus Vltraiectenſis ſcripſit.

Conradus 2. imp. an. Ch. 1025. Mūd. 4879.

Cono vero dux cum ad imperium aſpirare vellet, repudiatur inſtinctu Arbonis Maguntini Archiepiſcopi, & aliquorum regni primatum. Et Conradus ad imperium anno Domini 1025. Mūdi vero 4879. ſublimatur & imperauit annis 15.

Florebat hoc tempore eccleſiaſtica religio per Abbates nominabiles; in Francia quidem, & in Burgundia per Odilonem Cluniacenſem pietate inſignē, per Guillelmum Diuionenſem ſeueritate reuerendū. In Lotharingia per Richardū Virdunēſem, pia grauitate & graui pietate diſcretū, per Popponē Stabulēſē, per Helyā Colonienſem, per Olbertū & Stephanum Leodicēſes, per Bernonem Augienſem. Claruit hoc tempore in Italia Guido Aretinus multi inter muſicos nominis, in hoc etiā Philoſophis præferendus, quod ignotos cantus etiā pueri facilius diſcant per eius regulam, quam per vocē magiſtri, aut per vſum alicuius inſtrumenti: dum ſex literis vel ſyllabis modulatim appoſitis, ad ſex voces, quas ſolas regulariter muſica recipit, hiſque vocibus per flexuras digitorum lęuæ manus diſtinctis, per integrum diapaſon ſe oculis & auribus ingerunt intentæ & remiſſæ eleuationes, vel depoſitiones earundem, modulantes.

Viri illuſtres claruerunt hoc tempore.

Anno imperij ſui 5. Cōradus imperator rebellātibus Sclauis ad eos debellādos proficiſcitur, & eodem anno ſimiliter contra Hungaros rebellantes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Cuntone Rege Angliæ, & Fulberto Carnotensi.

Cap. XV.

G*Villelmus in chronicis*. Cunto vero Rex Angliæ Romam profectus nauigio in Angliam redijt, & mox Malcolinum Regem Scotorum rebellãtem subegit. Erat tunc in Anglia vir sapientissimus Egeuoldus episcopus Cantuariæ, secundus post Liningum, post Elphegum martyrem tertius ex decano assumptus in episcopum, qui sanctum Elphegum à Londonia reuexit Cantuariam. Qui de Roma rediens apud Papiam brachium S. Augustini Doctoris magni c. talentis argenti, & talento auri comparatum apud Cãtuariam misit. Huius etiam monitu Rex Cunto ad transmarinas ecclesias pecunias misit, & maxime ad ecclesiam Carnotensem, vbi tunc florebat Fulbertus episcopus sanctitate, & prophetia nominatissimus, qui fundamenta ecclesiæ sanctæ Dei genitricis iecit, & eadem perfecit mito lapideo tabulatu. Qui etiam ab eadem Dei genitrice in infirmitate sua visitatus fuisse dicitur, & de eius sanctissimo lacte recreatus. Hic enim multo amore & fælicissimo, in honorem B. Virginis Dei genitricis exarsit, quod ostendunt cantus de ea, quos ille edidit cælestia vota sonantes. Inter cætera eius opuscula extat epistolarum volumen. In quarum vna gratias agit Cuntoni, quod largitatis suæ viscera in expensis ecclesiæ Carnotensis effuderit. Huius Cuntonis anno 15. mortuus est Robertus Rex Francorum, Hugonis filius, vir eleemosynis deditus, adeo vt diebus festis cum exueret se, vel indueret vestibus regijs, si non aliud ad manum haberet, ipsas vestes pauperibus distribueret, nisi ex industria vestuarij egenos importune petentes arcerent.

Annotatio.

Inter Ethelredum regem & Cuntonem (vel vt ali vocant Chanutum) interscribitur à Chronologis Anglis S. Edmundus martyr, qui regnauit annum Christi 1016. *Chanutus vero regnauit anno Christi* 1018. *cui successit Haroldus circa annum Christi* 1040. *Post quem Eduuardus anno Christi* 1043.

De Concilio Triburiensi, & quibusdam statutis episcopalibus.

Cap. XVI.

An. Ch. 1020. *Baronius vult obijsse an.* 1033.

S*Igebertus in chroniis*. Anno Conradi VI. Roberto Rege Frãcorum mortuo Henricus filius eius regnat in Francia annis 30. Hoc tempore iussu Conradi Imperatoris, regali & synodali conuentu habito apud Triburias, inter cætera episcopi hoc capitulum decernere voluerunt, vt si quando ieiunium primi mensis veniret infra hebdomadam, qua caput ieiunij in quarta feria constat amborũ ieiuniorum celebritas vnius officij expletione compleretur; sed Gerardus Cameracẽsis, & pauci cum eo huic multorum decreto contradicentes, obtinuerunt, vt ieiunium primi mensis in altera hebdomada, in qua habetur officium celebretur, secundum antiquam consuetudinem.

An. Ch. 1032.

Anno 8. istiusmodi decretum à Frãciæ episcopis datum est seruari subiectis sibi populis.

Vnus eorum dixit cælitus sibi delatas esse literas, quæ pacem monerent renouandam in terra, quam rem mãdauit cæteris, & hæc tradenda dedit populis: arma quisquam non ferret, direpta nõ repeteret, sui sanguinis, vel cuiuslibet proximi vltor minime existens, percussoribus cogeretur indulgere ieiuniũ in pane & aqua omni sexta feria seruarent, & in sabbatho à carne & liquamine abstinerent, soloque contenti hoc ieiunio omnium peccatorum remissionem, nullam sibi scirent aliam adijciendam pænitentiam, & hoc se seruare sacramento firmarent, quod qui nollet Christianitate priuaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia, quã plura dedere mãdata, quæ oneri visa sunt replicare. Hanc mandatorum nouitatem cum multi cupidi nouarum rerum libentius iusto amplecterentur. Gerardus Cameracensis episcopus, qui solus Lotharensium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat, dicẽs genus hominum ab initio trifariam esse diuisum, in oratoribus, pugnatoribus, & agricultoribus. Et vnum duorum, & duos vnius egere auxilio. Ideo debere arma ferre, & rapinas reddi per auctoritatem legis, & gratiæ, vltorem percussi, vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundũ euangelium ei reconciliari. Ieiunium in 6. vel in 7. feria, nec omnibus vnum esse imponendum, quia non est vna omnibus possibilitas, nec omnes hoc vno ieiunio contentos esse, quia nõ est vna omnium pœnitendi qualitas hoc sacramento firmare; vel sacramenti violationem periurio augere, non esse vtile his contradicentes excommunicari, infirmis visitationem, mortuis sepulturam negari esse detestabile; sufficere authentica patrum decreta, & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum.

Sigebertus in chronicis. Anno 12. Henricus rex Conradi filius vxorem ducit filiam regis Anglorum.

De cæteris euentibus sub imperio Conradi, & de morte eius.

Cap. XVII.

G*Villelmus in chronicis*. Hardemictus Rex sororem suam Gunhildem Cuntonis ex anima filiam Hẽrico Cõradi filio commisit, quæ ad nauem ducta est stipãtibus omnibus Angliæ proceribus, & in expẽsis multa conferentibus, quæ ad sponsum proueniens multo tempore cum eo fuit. Tandem adulterij accusata puerulum quendam sturni sui alumnum, quem secũ ex Anglia duxerat contra dilatorem giganteę molis hominem ad monomachiam opposuit, cæteris clientibus matris timore refugientibus sub certo duello insimulator per miraculum Dei succiso poplite eneruatus est. Gunhildis autem post victoriam viro suo repudium dedit, & nec minis, nec blanditijs cum eo manere vlterius consensit, sed sanctimonialis habitum sumens in seruitio Dei permansit.

Sigebertus in chronicis. Hoc tempore in Apulia erat tunc quædam statua marmorea circa caput suum habẽs circulum æreum in quo erat scriptum: Kal. Maij oriente Sole habebo caput aureum, quod quidam Saracenus à Roberto Vuiscardo Duce Normannorũ captus, quid protenderet intelligens, 3. Kal. Maij oriente Sole diligenter notato termino vmbræ illius statuæ infinitum thesaurum, effossa ibidem humo, repperit, quẽ pro sua redemptione eidem Duci obtulit.

Anno 15. in mense Aprilis 8. idus visa est in cælo inter australem & orientalem plagã ignea trabs miræ magnitudinis, quæ currens super Solem iam ad occasum vergentem visa est in terrã cadere, cuius vestigia diu videri poterant.

Conradus Imperator Italiam adiit, vt rebellionẽ meditantes debellaret. Et quia omnes Longobardi coniurauerant, vt non paterentur quemlibet Dominum, qui aliud, quam ipsi vellent, contra se ageret, quosdam episcopos in vincula coniecit, & quia episcopus Mediolanensis fuga lapsus est Imperator suburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecostes cum Imperator in parua ecclesia secus vrbẽ coronaretur ad missam, tam grauia fuerunt tonitrua, & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero episcopus qui missam celebrabat, & secretarius Imperatoris cum aliis tribus dixerunt se inter missarum solennia vidisse sanctum Ambrosium Imperatori indignando comminantem. Tunc Imperator ab Italia discessit.

Seaff. ait obijsse Traiecti ad Rhenum scilicet quod hodie Vltraiectum dicitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pridie idus Maij eclipsis Solis fuit, & pridie nonas Iunij Imperator obiit.

De Imperio Henrici, & actibus eius.

CAP. XVIII.

POst quem filius eius Henricus imperauit annis 17.

Cæpit autem anno Domini 1040. Mundi vero 4894.

Helinandus. Hic Henricus Vindelicos subegit populos Sueuis conterminos, qui Vindelici, vt ait Guilelmus, vsque hodie fortunam adorant, cuius Idolum in loco nominatissimo ponentes, cornu dextræ illius apponunt plenum potu illo, quod ex aqua & melle confectum, græco vocabulo Hidromely vocant. Idem feciſſe Egyptios & omnes pene Orientales populos affirmat sanctus Hieronymus super Isaiã. Vnde vltimo die Nouembris mensis sedentes in communi, præguſtant, & si cornu plenum inuenerint magno strepitu applaudunt; quod eis scilicet in futuro anno pleno cornu copia respondura sit in omnibus; si contra contingant, gemunt. Hos populos Henricus tributarios fecit, ita vt omnibus solennitatibus, quibus coronabatur, quatuor Reges eorum lebetem quo carnes condiebantur in humeris suis duobus vectibus per annulos quatuor inductis ad coquinam vectitarent. Idem Henricus iucundus & hilaris erat. Habebat sororem sanctimonialem, quæ dum hyeme quadam, quæ niuibus & pruinis inhorruerat, vno in loco diu detineretur, clericus quidam ferialis familiarior iusto puellæ, crebras in cubiculo eius protelabat vigilias, & quoniam difficile est crimen non prodere vultum aduertit hoc aliquis, & iam rem vulgo ventilante solus Imperator non credebat.

Quadam nocte dum diutius simul dormirent vsque in mane, ecce nix totam terram operuerat. Tunc clericus qui se deprehendendum in niue per vestigia timebat persuasit amicæ, vt dorso illius impositus angustias illas euaderet, quæ à tergo leuans amasium extra curiã extulit, & forte tunc Imperator mictum surrexerat, & vidit eos per feneſtram. Postea euenit occasio, vt episcopatum vacantem daret clerico ita ei insusurrans: Accipe episcopatum hunc, & vide ne vlterius inequites mulierem. Similiter dans Abbatiam germanæ, esto, ait, Abbatissa, & vltra non patieris clericum equitem. Confusi illi à flagitio destiterunt.

Clericus meretricula amore irretitus quid fecerit.

Idem Imperator habebat clericum satis literatum, & bonæ vocis, sed vilem meretriculam amantem ardentius, cum qua nocte quadam solẽni voluptatus, mane ad missam Imperatoris astabat. Imperator dissimulata scientia mandat ei, vt se ad euangeliũ legendum pararet, quod scilicet eius melodia delectaretur, erat autẽ diaconus. Abnuit ille, vt male sibi conscius; vrget Imperator, vt probaret eius constantiam. Ad extremum parere renuentem iubet à patria exulare, quam sententiam amplexus continuo receſſit, mittitur post eum, qui iam compilatis omnibus, & in sarcinulas compositis iter maturauerat. Violenter ergo retractus ante Imperatorem sistitur, qui lætum subridens, probe, inquit, feciſti, & ego gratulor probitati tuæ, quod timorem Dei pluripenderis, quam patriam, plus iram Dei, quam meam. Quapropter habeto episcopatum, qui primus in imperio vacauerit, tantum indecenti amori renuncies.

Adhuc de eodem.

CAP. XIX.

IDem Henricus celebrabat Pentecostem apud Maguntiam, paulo ante missam cum sedilia pararentur in ecclesia, ortum est iurgium inter cubicularios archiepiscopi, & Abbatis Fuldensis cænobij, vtrorũ Dominus iuxta Imperatorem sederet. Nam Fuldense cænobium est in Saxonia sancti Galli corpore insigne, & prædiis ditatũ permagnificis; cuius loci Abbas 60. millia armatorum præbet in hostem Imperatori, & habet ex antiquo priuilegium, vt in magnis festiuitatibus ad dexteram eius sedeat. Itaque ventum est ad pugnam, furoreque per ecclesiam grassante, pauimentũ sanguine inundauit, sed statim episcopis conuolantibus pace inter reliquos dissidentes statuta, templum purgatum, & missa festiuis clamoribus est acta. Sequentia autem cantata, & vltimo eius versu dicto: *Hunc diem glorioſum feciſti*, vox ab aere lapsa est. *Hunc diem bellicoſum ego feci.* Rigentibus omnibus præ timore Imperator diligenter intendens lætitiam inimici. Tu, inquit, omnis malitiæ inuẽtor simul & incentor diem bellicosum, & arrogantibus luctuosum feciſti; sed nos per Dei gratiam, qui illum glorioſum fecit, pauperibus gratioſum reddemus, & mox reincepta sequentia solenni ploratu Spiritussancti gratiam inuocabant. Intelligens illum aduentasse illis implorantibus. Illis cantantibus omnibus simul pectora tundentibos acta missa egenis per præcones conclamatis, omnes dapes quæ sibi, & curialibus parabantur in vsus eorum exhausit, ipse obsonia apponens, ipse iuxta disciplinam ministrorũ de longe cõsistens, ipse superflua ciborum abstergens.

Idem Henricus tempore Conradi patris sui à quodã clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludentes aquam iaculantur, pactus ei episcopatum cum foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigre dedit, non multo post aspero morbo correptus decubuit, & morbo crescente triduo exanimis, & mutus iacuit. Episcopi præsentes triduano ieiunio indicto pro vita eius domino supplicabant. Conualescens accitum episcopum quem pro fistula fecerat, concilii sententia deposuit, confessus se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse, flammam in se per fistulam iaculantes, flammam dico adeo pertinacem, vt noster ignis respectu illius iocus putetur. Interim vero iuuenem semiustulatũ aduentasse ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis plenum aqua. Cuius visione & laticis aspersione extinctos ardores euaserat. Hic erat beatus Laurentius martyr glorioſus, cuius ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginari fecerat, & præter alia munera calice aureo eandem ecclesiam honorauerat. Eundem Henricum aliquando inimicos fugitantem, cerua quædam vltra inuadibilem fluuium euexit.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 3. Guatho ex clero sancti Lamberti vir sapientiæ, & scientiæ, & feruore religionis insignis fit Leodicensis episcopus.

De Sancto Eduardo Rege Angliæ, & eius prophetia.

CAP. XX.

Eduoardus Angliæ rex sanctitate clarus.

G*Villelmus in chronicis.* Hoc anno regere incæpit Eduoardus Ethelredi filius, qui regnauit annis fere 24. Hic adeo mansuetus fuit, vt nec viles homines verbo lædere posset, & tamẽ erat eius apud domesticos reuerentia vehemens, apud exteros metus ingens. Nam fouebat eius simplicitatem Deus, vt posset timeri, qui nesciret irasci. Die sancto Paschæ apud Londoniam magna pompa coronatus est ab Ediſio archiepiscopo. Egitham filiam Goduini duxit in vxorem, in quam penè omnes liberales artes cõfluxerant quæ viuo & mortuo marito probri suspicione non caruit, sed moriens tẽpore Guillelmi, vltro iureiurãdo de integritate satisfecit, Rex eam ita tractauit, vt nec thoro amoueret, nec virili more cognosceret. Goduinus iste aliquando sedens ad mẽsam iuxta Regem orto sermone de Elfredo fratre Regis. Tu, inquit, ô Rex ad omnem memoriam fratris tui rugato, vt video, vultu me aspicis: sed non patiatur Deus, vt istam offam transglutiam si sui conscius alicuius rei, quæ spectaret ad eius periculum, vel tuum incommodum. Hoc dicto offa, quam in os miserat, suffocatus, oculos inuertit ad mortem. Indeab

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ipso filio eius Aroldo, qui Regi astabat sub mensa abstractus est. Hic Goduinus habuit prius vxorem sororem Cuntonis, ex qua puerum genuit, qui dum equo puerili iactantia superbiret, ab eodem portatus in Thamesem fluuium suffocatus interijt. Mater quoque eius ictu fulminis exanimata est. Hæc dicebatur agmina mãcipiorum in Angliam coempta, Danemarchiam solere mittere maxime puellas pulchras. Iste Rex Eduardus miraculis, & prophetiæ spiritu claruit, pauperibus hospitibusque maxime transmarinis benignus, & munificus.

Die sancto Paschæ sedens ad mensam apud Vuestmonasterium diademate coronatus, & optimatum turma vallatus, cæteris auidius comedentibus auocato à terrenis animo diuinum quoddam speculatus effusus est in risum, remotis mensis tres optimates eum prosecuti scisciantur cur riserit, cunctatus multum diuque, respondit: Septem dormientes in monte Celio requiescunt & iam septingentis annis in dextero iacentes latere, tunc in ipsa hora risus mei latus inuerterunt sinistrum, futurumque est vt 74. annis ita iaceant. Dirum nimirum miseris mortalibus omen. Nam in his 74. annis omnia ventura sunt, quæ Dominus circa finem mundi prædixit ventura, gentem scilicet contra gentem surrecturam, regnum aduersus regnum, & terræmotus, & pestilentiam, & famem & terrores de cœlo, Gentilium in Christianos bella, Christianorum in eosdem victorias, & alia mirantibus inculcans, septem dormientium passionem, & habitudines singulorum, quod nulla docet litera, ita eis disseruit, ac si quotidie cum eis victitaret. Erant autem tres optimates, qui eum scisciabantur Aroldus, & Abbas vnus, & episcopus vnus. His auditis comes Aroldus misit ad inquirendam veritatem militem vnum, Abbas monachum, episcopus clericum ad imperatorem Constantinopolitanum, adiectis Regis sui literis, & muneribus, quos ille secum benigne habitos ad Episcopum Ephesi destinauit, epistola, quam sacram vocant, comitaute, vt ostenderentur legatis Regis Angliæ, septem dormientium corpora. Factumque est secundum prophetiam Regis Edvuardi. Nam Græci omnes tunc iurabant se accepisse à patribus illos septem super dextrum latus quiescere, sed post introitum Anglorum in speluncam super sinistrum eos inuenisse. Nec mora, omnia illa secuta sunt, quę prædixerat. Agareni, & Arabes & Turci Syriam, & Siliciam & minorem Asiã, & maioris Asiæ multas vrbes inter quas Ephesum & Hierosolymam depopulati sunt, septem annis postea proximis tres Papæ, idest, Victor, Stephanus & Nicolaus mortui sunt.

Math. 24.

De Benedicto Papa maiore, & minore.

Cap. XXI.

Lege de hist. Baron.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 6. Benedictus qui symoniacè Papatum Romanum inuaserat, cum esset rudis literarum, alterum ad vices ecclesiastici officij exequendas secum Papam, Sylvestrum scilicet, consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superdicitur Gregorius, qui solus vices duorum impleret.

Benedictus Papa post mortem visus vide Pet. Dam. ep. 5. cap. 5.

Author. Iste Benedictus IX (vt ait Petrus Damianus) nepos fuit superioris Petri Octaui. Et dictus est Benedictus minor respectu illius maioris, de quo maiore Benedicto idē Petrus Damianus refert: Episcopus, inquit, quidam Capuanus, vt vidit Benedictum maiorem Papam nigro quasi corporaliter equo insidentem: Heus, inquit, nonne tu es Papa Benedictus, quem iam defunctum nouimus? Ego sum, inquit, infælix ipse. Quomodo, inquit, est tibi pater? Grauiter, inquit, torqueor, sed de Dei misericordia non despero, si mihi adiutoriũ præbeatur. Sed perge quæso ad fratrē meum Ioannem, qui nunc sedem Apostolicam occupat, eique de mea parte dices, vt illam summã quæ potissime in tali theca reposita est, pro me in pauperes distribuat, sicque me redimendũ esse quandocũque cũ hoc miseratio diuina decreuerit cognoscat. Nã cætera, quę pro me indigentibus tradita sunt nihil mihi penitus profuerunt, quia de rapinis & iniustitijs acquisita sũt. His auditis episcopus Romã impiger abijt, & Ioanni Papæ fratris verba narrauit, & episcopatũ mox deseruit, & monachatũ induit. Eiusdem vero Benedicti nepos, qui post eum tertius, Ioanni vero Secundus in Papatu successit vt Vmbertus Archiepiscopus mihi narrauit) apparuit cuidã iuxta molendinũ equo insidenti, & iter agenti. Apparuit autē in specie monstruosi animalis, cuius cauda & aures asini erãt, cætera vrsi. Cũq; ille fugam iniret tremefactus, clamauit mõstrum illud: Noli, ô vir, expauescere, scito me hominem fuisse sicut tu es, sed quia bestialiter vixi, post mortem præferre bestiæ speciem merui. Ad quem ille: Quisnam fuisti? Ego ait ille solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicam sedem indignus obtinui. Ad quem ille: Quid habes retributionis? Nunc, inquit, vsque ad diem iudicij per dumosa atque squalentia, & sulphurea loca & fætida & bullientia rapior & protrahor, post extremũ vero iudicium, corpus meum, & animam simul irremediabilis cruciatus, & irreuocabilis olla gehennalis barathri glutiet, ita vt mihi nulla in posterum spes recuperationis restet. Post hæc verba disparuit: Fuerat autem ab ipso Pontificatus primordio vsque ad finem vitæ in cæno luxuriæ conuersatus, & ideo ab auribus asini in caudam desinebat. Duxerat autem per totum vitam carnalem, ideo per cætera vrsus erat. O quam illi melius fuisset, vt episcopatum deseruisset. Post hunc Benedictum sedit Sylvester tertius, vt supra dictum est diebus 55. Post quem Gregorius VI. ante dictus Gratianus magnæ sanctitatis, & religionis vir.

De Gregorio Papa huius nominis sexto, & actibus eius.

Cap. XXII.

Pontifex leniter prædones in viam reuocare nititur.

Villelmus in chronicis. Is itaque Apostolatus Romani statum per incuriam antecessorum diminutum inuenit, vt præter pauca oppida vrbi vicina, & oblationes fidelium nihil haberet, quo se sustentaret. Ciuitates & possessiones in longinquo positæ, quæ ad ius ecclesiæ pertinebant à prædonibus ablatæ erant. Tramites publici & strata viarum per totam Italiam à Latronibus stipabantur, ita vt nullus peregrinus nisi cum maiori manu impune transiret. Cessatum est ab omni Prouincia Romã iter aggredi. In ipsa vrbe in medio foro vagabantur sicarij. Apostolorum ecclesiam aliquis videre cupiens in sicarios incidens nullo modo sine substantiæ vel salutis damno domum reuertebatur. Super ipsa sanctorum Apostolorum martyrum corpora, super sacra altaria gladij nudabantur. Oblationes accedentium vix dum appositæ de manibus arripiebantur. Arreptæ in commessationes & scortorum abusiones consumebantur. Tantis malis Gregorius leniter, vt Pontificem decet, decurrere cæpit, amore plusquam terrore, verbis plusquam verberibus agens. Mandat vrbanis, vt à peregrinorum infestatione cessent, & à rapina sacrorum. Alterum enim est contra naturam, vt ille, qui communi vescitur aere, non communi fruatur pace, & Christianus inter Christianos libere progredi debet, cũ omnes sint ex vno famulitio, & omnes vnius sanguinis coniuncti coagulo, redemptique precio. Alterum vero contra præcepta Dei, qui præcepit, vt qui altari deseruiant de altari viuant, domum Dei esse debere domum orationis non speluncam latronum, non gladiatorum conuenticulum. Permitterent oblationes fidelium transire in vsus sacerdotum, vel in expensas pauperum, se & aliquo modo prouisurũ illis quos egestas ad rapinas compellebat, quos autem cupiditas exagitabat ipsi sibi pro timore Dei, & sæculi honestate modum ponerent. Inuasoresque Ecclesiastici patrimonij & mandatis & epistolis inuitauit, vt aut indebita redderent,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aut se iure illa tenere, idest, Senatu Romano probarent. Si neutrum facerent, Ecclesiæ mẽbra se nõ esse cognoscerent. Talia frequeter concionatus, aut nihil aut parum profecit. Tunc excommunicauit omnes, qui aut talia agerent, aut agentibus conuiuio, aut colloquio participarent. Illi autem excommunicati cæperunt contra furere minis, aures territare, muros vrbis armis circumsonare, adeo vt penè Papam occiderent. Tunc Papa ferro abscisionis vtendum iudicans, arma & equos vndecunque conquisiuit, milites & equites adornauit, ac primum ecclesiam beati Petri præoccupans, raptores oblationum, vel extinxit vel effugauit. Occisis itaque sibi resistentibus prædia & oppida multo tempore amissa in antiquum ius restituit. Quirites interea rapto viuere assueti sanguinarium illum vocabant, & indignum, qui Deo offerret, tot cædium conscius. Ipsi etiam Cardinales hoc dicebant, adeo vt cum ille valitudine, qua defunctus est, decumberet, consilio prius inter se habito auderent eum admonere, ne se in ecclesia Sancti Petri cum cæteris Apostolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fædasset.

Responsio eius ad Cardinales ipsum quasi homicidam arguentes.

Cap. XXIII.

Oratio Papæ ad Cardinales habita.

TVnc ille recollecto spiritu toruisque luminibus minax hanc orationem habuit. Si in vobis, vel scintillula humanæ rationis, vel scientia diuinæ auctoritatis esset, tam precipiti persuasioni non conueniretis Pontificem vestrum, qui quandiu vixi, & patrimonium meum in vestra commoda effudi, & famam pro vestra liberatione neglexi. Et si alij, hæc quæ prætenditis attexerant, par erat, eis vos obsistere, opiniones stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui quæso tresaurizaui, forsitan mihi? An thesauros antecessorum meorum habebam, qui cuiuslibet auaritiæ sufficerent? Quibus libertatem, quibus salutem restitui, referetis quidem mihi, Adorabar à populo, & libere, quæ volebam actitabam, applaudebatur mihi totis orationibus, acclamabatur mihi in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plausus abstulit mihi vestræ tenuitatis contuitus. Ad vos flexi animum, & seuerius agendum existimaui, fortunarũ vestrarum titulos prædo impius abliguriebat, vos inopem vitam diuino pane agebatis, illi de oblationibus vestris preciosa sibi serica mercabãtur, vos populari & dissoluto amictu oculos mouebatis meos. Itaque cum hæc nequirem pati bellum alijs indixi, vt damno ciuium emerẽ gloriam clericorum, sed vt modo experior in ingratos collata beneficia perdidi. Quod alij per angulos mussitant, vos in publico euomitis, & libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem patrẽ filij de sepultura sua excogitant, cõmunem mortalium domũ mihi negabitis. Non arcetur ab introitu ecclesiæ meretricula, nõ vsurarius, non latro, & vos Papam ingredi prohibetis? Quid refert, an mortuus, an viuus sacrarium introeat, nisi quod viuus multis adhuc tentatus illecebris, vt nec in ecclesia à macula sit immunis. Ibi sæpe peccandi reperiens materiam, vbi venerat diluere culpam. Mortuus peccare nescit, immo nequit supremo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries est, vt hunc à domo Dei excludat, cui peccandi desit, & voluntas & facultas. Quapropter filij tam præruptę audaciæ per misericordiam agite, stulte enim & amare locuti estis.

Rationabilis eius defensio ad eosdem.

Cap. XXIV.

G *Villelmus in chronicis.* Sed ne sola me vinci auctoritate putetis, & rationem accipite. Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debent examinari, vt eo vergat sancti iudicium, vnde processit faciẽdi conciliũ. Vt enim veritas dicit? *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Matth. 6. Crebro miserabilis interpellauit egenus, vt eius leuarem inopiam, ego futurorum insçius non abnui, sed diuersis monetis onustum dimisi. Discedens ille latronem offendit, qui videns eum nummos portantem, claua quam ferebat percussum occidit. Nunquid inde iudicandus sum, quia peregrino dederam, vnde caũsam mortis incurrit? In legibus ecclesiasticis, & forensibus idem factum diuerso respectũ, & punitur, & laudatur. Animaduerritur in latrone, quod hominem occiderit, in occulto probatur in milite, quod hostẽ foderit in bello. Itaque homicidium in isto laudabile, in illo vituperabile. Laudatus est olim prędecessor noster Adrianus primus prædicandæ memoriæ, quod inuestituras ecclesiarum Carolo magno concesserit, ita vt nullus electus consecraretur ab episcopo, nisi prius à Rege insigniretur baculo & annulo. Erat animus Caroli inuictus aduersus auaritiam, nec facile tunc inuenisset aditum aliquis, nisi intrasset per ostium. Præterea per tot terrarum interstitia nequibat requiri sedes apostolica, vt vnicuique electo assensum suum accommodaret, dum esset prope Rex, qui nihil per auaritiam disponeret. Nunc omnia Regum palatia luxus & ambitus occupauit. Quare merito sponsa Christi libertatem suam asseuerat, ne illam tyrannus ambitioso vsurpatori prostituat, laudaturque in nostri sæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt principibus. Certe non est Episcopi officium, vt ipse iubeat committi prælium. Cæterum spectat ad munus episcopi, si naufragium innocentiæ videat, & manu & lingua occurrat. Ezechiel Sacerdotes accusat, quod non steterint ex aduerso, nec se opposuerunt murum, vel clypeum pro domo Israel. Ezech. 13. Duæ sunt personæ in ecclesia ad resecanda vitia constitutæ. Vna, quæ exacuat eloquium, altera, quæ portet gladium. Ego & vos mihi testes estis, non neglexi partes meas, quoad speraui proficere armaui linguam. Illum cuius interest agere rem gladio certificaui nuncio. Occupatum se rescripsit bello Vindelicorum, rogans, vt meis laboribus & suis expensis non grauarer latronum conciliabula deturbare: Si renuissem, quam excusationem Deo offerrem, cum Imperator suas in me refudisset partes? viderem cædem ciuium, damnum peregrinorum, & dormitarem? *Quisquis pascit latroni occidit innocentem.*

Responsio ad obiecta.

Cap. XXV.

SEd obijcitur non esse Sacerdotis, vt se cæde cuiuscunque cõmaculet, verum est, sed non se inquinat, qui sontem premens insontem liberat, immo vere *beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore:* Psal. 105. Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi. Phinees, & Mathathias, qui in delinquentes manu sua vlti sunt, alter amplexus venereos pugione confodit: alter Idolis immolantẽ immolato cruori commiscuit. Zacharias sacerdos thurificantẽ Regem expulit, & proculdubio non dubitasset occidere, nisi Deus illum acceleraſſet cædere. Num. 25. 1. Macha 2. 2. Paralip. 26. Præuenit episcopalem manũ plaga diuina, vt illius cadauer depasceretur lepra, cuius animus vsurpasset illicita. Deturbatur Regis deuotio, & nõ deturbabitur latronis cupido? Parum est quod excuso, etiã laudandũ est, quod feci. Contuli enim beneficium, quibus video intulisse exitium, pænam minui dũ mortem acceleraui. *Sceleratus enim quanto plus vixerit, tanto plus peccabit, nisi forte sit aliquis, quem Deus exemplo singulari respexerit.* Mors in communi bona est omnibus, per eam iustus reponitur in cęlestibus, iniustus ferias ponit sceleribus, malus per eã dat flagitijs terminũ, bonus pertẽdit ad brauiũ, sanctus propinquat ad palmã, peccator spectat ad veniã, quia figit

flagitijs

flagitijs metam. Gratiæ mihi habendæ sunt illorum vitæ, qui tantis miserijs exempti sunt meo munere.

Hæc habui quæ pro me dicerem, vt vestras assertiones euacuarem, sed quoniam, & meæ, & vestræ ratiocinationes falli possunt, committamus omnia diuino examini. Corpus meum antecessorum more compositum ante ianuas ecclesię sistite, ianuas seris, & repagulis damnentur. Si Deus voluerit vt ingrediar, opplaudatis miraculo: Sin minus, faciatis de cadauere meo quicquid vobis placuerit. Sic factum est. Mox enim, vt corpus eius ante portas ecclesiæ seris obclusas positum est, turbo ingens diuinitus emissus, repagulorum obstacula dirupit, & valuas vehementi impetu patefactas ad parietem, cum magno fragore impulsit.

De muliere malefica à dæmonibus rapta.

CAP. XXVI.

Vide speculum Exemplorum: tit. Augurium.

EOdem tempore mulier apud Berbeliam Angliæ villam auguratrix & Malèfica, cum quadam die conuiuaretur, Cornicula quam habebat in delicijs vocalius solito nescio quid cornicata est; quo audito, dominæ cultellus de manu excidit simul & vultus expalluit; ingemiscens diutissime ait: Hodie ad vltimum sulcum peruenit aratrum meum, hodie audiam, & accipiam grande incommodum. Adhuc ea loquente, venit ad eam nuncius dicens: Hodie mortuus est filius tuus, & tota familia subita morte interijt. Quo audito continuo dolore saucia decubuit, vocatique præcepit superstites liberos monachum, & monacham, quibus singultiendo ait: Ego miserabili quodam fato meo, dæmonicis actibus semper inseruiui; ego vitiorum omnium sentina, & illecebrarum magistra fui, & sperabam tantum in religione vestra, à meipsa desperaui. Nunc ergo, quia scio me dæmones habituram exactores in pœna, quos habui suasores in culpa; rogo vos per materna viscera, vt mea tentetis alleuiare tormenta; nam de anima sententiam damnationis, non reuocabitis. Corpus ergo meum insuite in corio ceruino, & includite in lapideo sarcophago, & operculum ferro & plumbo constringite, & lapidem ipsum tribus magnis cathenis circundate. Si tribus noctibus ita secure iacuero, quarta die infodietis me in humo, quamquam verear ne terra nolit me recipere pro maleficijs meis. Psalmicines 50. sint 3. noctibus, & missæ cantentur pro me tot diebus.

Incantationibus dedita famina ab ecclesia in qua defuncta iacebat, à dæmonibus extracta & equo infernali imposita cum clamore ad inferos trahitur.

Factum est, vt præceperat, & nihil valuit, primis duabus noctibus cum chori clericorum psalmos canerent circa corpus, singuli dæmones ostium ecclesiæ immani obice clausum leui negotio confringentes, duas extremas cathenas diruperant; media, quæ operosius elaborata erat illibata duranit. Tertia nocte circa gallicantum strepitu aduenięcium hostium omne monasterij visum est à fundamēto moueri. Vnus autem cæteris vultu terribilior, & statura celsior, ianuas maiori vi concussas in fragmento deiecit, & arroganti gestu accessit ad sarcophagum, inclamatoque nomine, vt surgeret imperauit; qua respondente nequeo pro vinculis. Solueris, inquit, & malo tuo, statimque cathenam, quæ cæterorū ferociam eluserat nullo conamine, vt stupam dirupit, operculumque tumbæ pede depulit, & apprehēsa manu palam omnibus ab ecclesia extraxit ad fores, vbi paratus erat equus niger superbe hinniens, vncis ferreis per totum protuberantibus, super quos misera illa imposita ab oculis intuentium cum toto sodalitio disparuit. Audiebantur tamen clamores per quatuor fere milliaria miserabiles supetias orantis.

Hucusque Guillelmus in chronicis.

De cæteris euentibus illius temporis.

CAP. XXVII.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 7. Romæ vno cōtra duos, & duobus contra vnum de papatu contendentibus, Rex Henricus cōtra eos, Romam vadit, & eis canonica & Imperiali censura depositis, Suidigerus Babembergensis episcopus, qui & Clemens Romanæ Ecclesiæ 146. præsidet; & ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedicitur, iurantibus Romanis se sine consensu eius nunquam Papam electuros. Deoderico Metēsium episcopo mortuo, successit Adelbero fratruelis eius vir magnæ prudentię, & sanctitatis. Ecclesia sanctæ Gertrudis Niuigellensis, quæ ante aliquot annos post negligentiam & incuriam effusi sanguinis dominici concremata fuerat, in nouam reædificata benedicitur præsente Imperatore Henrico.

Vide Baronium ann. 1046.

Anno 8. Damasus Ecclesiæ Romanæ 147. præsidet.

Nix tanta in occidente cecidit, vt siluas frāgeret. Franco scholasticus Leodicensium & scientia literarum & morum probitate claret, qui ad Herimannum Archiepiscopum scripsit librum de quadratura circuli, de qua re Aristoteles ait: Circuli quadratura si est scibile, scientia nondum est, illud autem scibile est.

Anno 9. Bruno Leucorum Episcopus, qui vocatur Leo Romanæ Ecclesiæ 148. præsidet. Hic cum ad capessendam sedem Apostolicam Romam tenderet, audiuit voces Angelorum canentium: *Dicit dominus, ego cogito cogitationes pacis, & nō afflictionis.* Hic de multis sanctis cantus composuit, & multa fecit, & scripsit vtilia Ecclesiæ. Hic cum in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum totum diligenter in lectulo suo collocauit. Quem cum referato ostio non inuenisset pauperem, se Christum suscepisse obstupuit.

Ponit Baronii. ann. seq Onuph. & Cyacon. est 154.

Viri religiosi & illustres sanctitate in Christo dormiunt.

Odilo Abbas Cluniacensis cui Hugo succedit, Poppo Stabulensis, Guatho episcopus Legiensis, Olbertus sanctæ memoriæ Abbas Gemelacensis.

Anno 11. Leo Papa dum Northmannos à Romanorum terminis deturbare satagit, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipse capitur, sed tamen relaxari noluit, nisi etiam suis relaxatis. Bardo Maguntiæ episcopus obijt, cuius sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit. Sanctus Tietbaldus inter nobiles Francorum non infimus hoc tempore claruit: qui mundo & semetipso abnegato, secutus Christū quieuit, qui quàm accepte seruierit Deo, post mortem eius miraculorum prodidit magnitudo. Ossa eius in Gallias translata, multam multis locis meruerunt venerationem.

De sancto Tietbaldo eremita.

CAP. XXVIII.

Vita S. Tietbaldi.

EX *gestis eius.* Temporibus Hērici Cæsaris, & Henrici regis Francorum Gallia fructum honoris, & honestatis dedit, Tietbaldum religionis incitamentum, vitij repagulum, castro Pruinisio ortum. Hic magnarum dominus facultatum occulto & laudabili furto seipsum sæculo nequam subripuit, & eremiticam vitam expetens, pro Christo paupertimus vixit. Manusque eius in laboribus seruierunt, multisque virtutibus, & miraculis claruit.

Quadam die cum duobus socijs eo itinerante cum fatigati itinere, & afflicti fame & siti deficerent in via, ipse comites aliquantulum præcessit, & panem in via à Deo sibi præparatum inuenit. Vnde in Christo confortatus, primum gratias egit, deinde panem sumit, ex adipe frumenti ad vescendū suauem, socios vt residerent (præsens enim erat riuulus placidissimus) manus lauarēt, pane reficerentur inuitauit, Perquirentibus illis tanquam desperantibus quo pane vescerentur. Hoc, inquit, & panem qui sub veste latebat, ostendit. Illi supra modū attoniti; deinde ad se reuersi angelicam administrationem fuisse intellexerunt. Cumque Mediolanenses audita eius fama ad locum eius sicut ex diuersis partibus confluebant accessissent, primò eos verbo Dei spiritualiter refecit; deinde illis corporalem refectionem sumentibus, diacono nomine Dionysio præcepit potum ministrare. At ille mandato eius non parebat, quia vnde propinaret

vinum hospitibus non habebat. Ipse enim nocte præcedente, vasculum vbi vinum fuerat, totum cum sitiret, euerterat, & vnde alijs ministraretur non dimiserat. Qui bis & ter admonitus per improbitatẽ sancti patris præcepto eius obediens ad vas accessit, & quod vacuum ex toto reliquerat, ex toto plenum inuenit. Ad quod incaute accedens vino cum impetu saliente gremium totum perfudit. Tanto miraculo stupefactus, cum timore hospitibus ministrauit, vnde peregrini plene refecti sunt, & fratres de reliquo per tres hebdomadas vixerunt. His & multis alijs virtutibus clarus, migrauit ad dominum, Imperante Henrico filio Henrici in Italia, regnante autem Philippo in Gallia.

Quædam mulier in brachio suo non quidem pro reatu aliquo, sed sponte circulum gestans ferreum, peruenit ad eius sepulchrum, vbi cum peruigilaret & ad cãdelam quæ casu ex candelabro ceciderat erigendam vinctum brachium extendisset, circulus ferreus cõfractus est, magnoque tumultu crepitans longius à brachio dissiluit.

Huius festum celebratur pridie kal. Iulij.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 12. Balduinus Flandrensis inuaso Hagionensium comitatu contra Imperatorem rebellat.

Guillelmus in chronicis. Eo tempore erant duæ aniculæ in strata qua Romam itur, vno in tugurio commorãtes, vno imbutæ maleficio, quæ hospitem siquando solus superueniebat, in equum aut asinum aut suem mutabant; de quibus iam supradictum est.

De iuuene qui statuam Veneris annulo desponsauit.

Cap. XXIX.

Romæ per idem tempus erat iuuenis quidam locuples & nobilis, qui vxorem nouiter duxerat, & sodalibus suis conuiuium frequens parauerat. Post cibum itur in campum, vt luderent; rex conuiuij ludo signifer pilam poposcit. Interim annulum sponsalitium digito extento statuæ Veneris æreæ, quæ proximo astabat composuit. Et cum pene omnes solum impeterent, suspiriosus extis incalescentibus, primus se à lusu remouit. Reposcensque annulum inuenit statuæ digitũ vsque ad volam curuatum, diuque ibi luctatus, nec annulum eruere potuit, nec digitum frangere, tacituque discedẽs rem celauit sodalibus. Nocte intempesta cum famulo rediens digitum inuenit extentũ & annulum surreptum, dissimulato damno, ad nuptã redijt. Cumque se in lecto iuxta eam collocasset, sensit quiddã nebulosum & densum inter se, & illam volutari, quod sentiri quidem sed videri non poterat, hoc obstaculo ab amplexu prohibetur. Audiuit & vocem, mecum concube, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus cuius digito imposuisti annulum, illum nec reddam. Territus ille tanto prodigio nihil referre, vel ausus est, vel potuit; insomnem duxit noctem illam multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, vt quacunque hora cum sponsa concubere vellet, illud idem sentiret, & audiret. Erat sane alias valens, & domi aptus & militiæ. Tandem querelis vxoris commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio Palumbo cuidam presbytero suburbano rem pandunt, is erat Nigromanticus & potens in maleficijs. Illectus ergo promissis multis compositam epistolã dedit iuueni dicens: Vade illa hora ad compitum, vbi quatuor viæ conueniũt, & stans tacite cõsidera. Transiẽt ibi figuræ hominum vtriusque sexus, omnisque ętatis & gradus & conditionis equites & pedites, quidam læti, quidam tristes. Quicquid audieris non loquaris. Sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens, huic tacitus epistolam tradens legendam, statim fiet quod postulas. Sic factum est. Inter ceteros transeuntes vidit ibi mulierem ornatu meretricio, mulam inequitantem, crine soluto per humeros iactato, vitta aurea superne cõstricto, auream virgam gerentem in manibus, qua mulam regebat, præ tenuitate vestium pene nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Vltimus dominus turbæ terribiles in iuuenẽ oculos acuens, ab axe superbo smaragdis, & vnionibus composito causas viæ ab eo requirit, nihil ille cõtra, sed protenta manu ei porrigit epistolam. Dæmon notum sigillum non ausus contemnere legit scripturam. Moxque brachijs in cœlum elatis Deus, inquit, omnipotens quãdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri. Nec mora satellites à latere suo mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiuersata, vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Palumbus autem vbi dæmonis clamorem ad Deum audiuit, de se intellexit sibi præsignari finem dierum. Quocirca omnibus membris vltro truncatis miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia.

De Berengario hæretico, & eius pœnitentia.

Cap. XXX.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato Gallicana turbatur ecclesia per Berengarium Turonẽsem, qui asserebat Eucharistiam quam sumimus in altari, non esse reuera corpus Christi & sanguinem, sed figuram corporis & sanguinis. Contra quem multa à multis, & verbis & scriptis disputatum est. Inter quos dominus Guido Abbas de cruce sancti Leofredi contra eum de corpore & sanguine domini elegantem edidit librum.

Guillelm. in chronicis. Leo Papa Vercellis contra eum celebrauit concilium, sed post Leonis obitum, Hildebrandus cum esset Archidiaconus Turonis, mox Papa Romæ, adunatis concilijs eum compulit ad sui dogmatis anathema. Respondent ei Lanfrancus Archiepiscopus, sed præcipue & fortiter Guitmundus prius monachus de sancto Leofredo Northmanniæ, postea episcopus Auersanus Apuliæ nostri temporis eloquentissimus. Berengarius autem in fine ita resipuit, vt sine retractatione à quibusdam sanctus habeatur plenus elemosynis & humilitate, magnarum possessionum Dominus dispertiendo, non famulus abscondendo, & adorando, nullam fœminam conspectui suo patiebatur admitti. Berengarius tamen quamuis se correxerit eos quos deprauauerat, conuertere nequiuit. Adeo pessimum est alios exemplo, vel verbo à bono infirmare, quia fortasse peccatum te grauabit alienum cum deletum fuerit tuum. Quod episcopum Carnotensem Fulbertũ prædixisse aiunt. Nam cum eum in extremis positũ multi visitarent, & ædiũ capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculis longe rimatus, Berengarium nisu quo potuit expellendum censuit, protestatus immanem Dæmonem prope eum consistere, multosque ad eũ sequendum blandiente manu & illicite corrumpere. Sed & ipse Berengarius die Epiphaniorum moriens recordatus, quot miseros quondam adolescens primo sui erroris calore secta sua infecisset, producto gemitu. Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus Iesus Christus propter pœnitentiam, vt spero ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.

Ecclesia Gallicana per Berengariũ valde turbata est.

Fulbertus Carnotensis in Berengario quid viderit.

De corporibus sanctorum Angliæ incorruptis & de sancto Chenelino martyre.

Cap. XXXI.

Hoc anno corpus Edgari regis Glasconiæ sepultum inuenit Abbas Adilpardus incorruptum. Et quia locellus quem parauerat magnitudine corporis angustior erat, regales exuuias ferro ausus est temerare, vnde continuo sanguis vndatim emanauit. Tunc regium corpus in scrinio, quod ipse Ecclesiæ contulerat super altare locatum est cum capite S. Appollinaris martyris & reliquijs S. Vincentij martyris, quas ille magno pretio emerat, Abbatem vero temeratorem sacri corporis mox animus reliquit, nec multo post de ecclesia egressum mors inuenit. Sanatus est ibi furiosus, & cæcus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nuſquam gentium vt opinor reperies tot ſanctorum poſt mortem illibata corpora vt in Anglia quæ futuræ incorruptionis ſpeciem prætendunt. Quod ideo diuinitus factum exiſtimo, vt natio penè extra orbem poſita, in ſpem reſurrectionis animetur, ex conſideratione tot corporum quæ incorruptibilia perdurant. Hæc autem ſunt; ſancta Ethelreda & Vuiburga virgines, Rex Edmundus; Archiepiſcopus Elphegus, Cuthbertus antiquus pater, omnes inuiolatis cute & carne flexibilibus articulis vitali quodam tepore ſpeciem dormientium meditantes.

Renelphus Rex Merciorum filium ſeptennem Chenelmum Quandridæ ſororis fidei alendum commiſerat. Illa falſo ſibi regnum præſagiens infantulum tollendum è medio ſatelliti quí alumnus erat, mandauit; qui puerum venatum ducens inter fruteta obtruncauit. Quod celatũ in Anglia ſtatim Romæ diuinitus innotuit. Nam membrana ſuper altare ſancti Petri ſuperne delapſa, elementis Anglicis ſcripta columba deferente, & necem & ſepultum per ordinem prodidit, quæ à quodam Anglo interpretata eſt, & mox epiſtola Papæ Regibus Angliæ compatriotam martyrem indicauit, vnde frequenti cultu corpus innocentis ſolenniter leuatum eſt. Cumque deferretur Vuincelcombam clericorum cantu & laico plauſu, excitata Quandrida patricidalis fæmina è feneſtra cænaculi in quo ſtabat, caput extulit, & forte pſalterium habens præ manibus continuatione lectionis peruenerat ad pſalmum: *Deus laudem meam ne tacueris.* Quem à fine neſcio quo præſtigio retrogarde dicens nitebatur cantantium lætitiam infirmare. Tunc verò vi diuina oculi veneficæ à cauis orbibus euulſi, cruore repolluerunt verſum illum: *Hoc corpus eorum qui detrahunt mihi apud dominum.* Extant vſque hodie cruoris ſigna immanitatem mulieris, & vltionem Dei ſpirantia.

Pſal. 107. *Colitur* 17. *Iulij.*

De Regibus Oſualdo, & Edmundo, & de ſancta Etheldrita.

CAP. XXXII.

IN Seleſienſi cœnobio peſtis exorta multos interemit, indictum eſt triduanum ieiunium. Secunda ieiunij die, puero eàdem valitudine decumbenti apparuerunt Apoſtoli Petrus & Paulus dicẽtes, non eum debere metuere mortem, quæ & lãguoris eſt exitus, & vitæ perennis introitus. Cæterum neminem de illo monaſterio hac peſtilentia moriturum. Quod Deus præclari regis Oſuualdi conceſſerat meritis; pro compatriotis eadem die ſupplicantis. Hunc enim eſſe diem quo idem Rex à perfidis occiſus aulam cœli intrauit. Quæſitus eſt dies mortis eius, & ita inuentus. Ex tunc inter martyres annumeratus eſt. Duces Danorũ Hinguar, & Vbba orientalium Anglorum depopulabantur prouinciam. Quorũ primus Regem Edmundum non reſiſtentẽ, ſed proiectis armis ſolo proſtratum, & orantem poſt aliquãta tormenta decapitauit. Caput à littore inter dumeta proiectum eſt. Quod dum ciues quærerent, audierunt vocem capitis omnes ad ſe inuitãtis; quod lupus lacertis circumplexus cuſtodiebat, qui & baiulos poſt tergum vſque ad tumulum ſecutus eſt neminem lædens, & à nemine læſus. Super corpus eius primo erecta eſt capella lignea. Quam cum fures expoliare vellẽt inuiſibilibus loris ipſis conatibus irretiuit. Caput eius reliquo corpori compaginatum ſignum martyrij coccinea cicatrice pretendit. Eiuſdem ſancti crines & vngues ſenſim pullulant, quos Oſuuen quædam ſancta mulier quotannis tondere & reſecare conſueuerat ſacrą veneratione poſteris profuturos. Huius ſancti corpus cum ſibi minaciter oſtendi præciperet Leoſtanus adoleſcens fama, vt dicebat, incertum oculorum fide explorare deſiderans; mox vt vidit amens effectus, & poſt modicum vermibus ſcaturiens mortuus eſt. Etheldrita, vt Beda auctor eſt, duobus viris nupta virgo permanſit. Pater eius fuit Anna Rex orientalium Anglorum; habuit quoque alias duas filias Etelburgam, & Sexburgam. Quarum prima in monaſterio Galliæ, quod dicitur Brigis ſanctimonialis primum, poſt Abbatiſſa, fuit ſemper incorrupta, ante mortem, & poſt mortem, ſicut & ſoror ſua. Altera autem Excomberto Regi Cantuariorum vxor data eſt, ex qua genuit filias duas Encongotam, de qua Beda multa ſcripſit, & Hermenildam, quæ Vuilfio Regi Merciorum data eſt in coniugem; ex qua habuit, filiam Vueburgam virginem, mater apud Belinum, poſt matrem Seburgam Abbatiſſa fuit. Filia apud ciuitatem Legionum pauſat, quæ maxime orationes fœminarum, & puerorum exaudire creditur.

De quibuſdam alijs ſacris virginibus in Anglia.

CAP. XXXIII.

FRater Rulferij Mẽruardus ex Ermenburga filia Erműredi fratris Excomberti habuit filias ſanctas Mildritam & Milburgam. Quarum prima in cœnobio ſancti Auguſtini Cantuariæ, altera apud Vueneloc requieſcit; cuius mauſeolum quodam tempore fractum multum odorem velut balſami effudit. Eduuardus ſenior ex vxore Edelſpira habuit filias multas. Quarum vna Edburga, dum vix adhuc trima eſſet ſic à patre probata eſt.

Poſuerat ille in triclinio diuerſarum profeſſionum ornamenta, hinc calicem & euangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula allata eſt à nutrice, & genibus parentis aſſedit, iuſſàque vtrum vellet eligeret, toruo aſpectu ſæcularia deſpiciens, prompte manibus reptans euangelia & calicem puellari innocentia adorauit. Exclamat cætus aſſidentium futuræ ſanctitatis auſpicium, exoſculatus in puella pater ipſe arctioribus oſculis eam dignatus: Vade, inquit, quo te vocat diuinitas. Itaque ſanctimonialium habitum induta, in vrbe Vuintoniæ ſanctitate multa emicuit, ita vt ſingularum ſociarum ſaccos furtim nocte ſubriperet, & diligenter lotos & inunctos lectis earum rurſus apponeret.

Edgari Regis filia Egitha virgo ſancta in Vuiltunenſi cœnobio iacet.

Beatus Dunſtanus dum conſecraret baſilicam ſancti Dionyſij, quam ille in amore martyris ædificauerat, vidit iſtam inuenculam pollicem dextrum frequẽter protendere, & ſignum crucis fronti ſuo imprimere, quo ſigno delectatus epiſcopus ait ad eam: *Nunquam putreſcat hic digitus*, continuoque inter miſſarum ſolennia flere cæpit, requiſituſque cauſſam, ait: Cito hæc florida roſa marceſcet, cito auis dilecta Deo auolabit. Sic factum eſt. Mortua eſt illa die prædicta poſt 6. ſ. ab illa die ſeptimanas cum eſſet annorum 23.

Non multo poſt idem Dunſtanus vidit per ſomnium ſanctum Dionyſium eandem virginem manu tenẽtem, & ex oraculo diuino conſtanter iubentem, vt à famulis honorificetur in terris ſicut à ſponſo domino honorabatur in cœlis. Hæc etiam in profeſſione ſanctimonialis auratis veſtibus vtebatur, vnde palam increpata eſt à ſancto Ethelvuoldo epiſcopo. Quæ reſpondit: Verax & ineffabile iudicium Dei, ſola mortalium operitur conſcientia. Nam & in ſordibus luctuoſis poteſt eſſe iactantia. Quapropter puto quod tam incorrupta mens poteſt eſſe ſub iſtius veſtibus, quam ſub tuis diſciſſis pellibus. Huius corpus virgineum cum leuaretur altius, inuentum eſt totum in cineres ſolutum præter pollicem dextrum, & aluum, & aluo ſubiecta. Vnde diſputantibus nonnullis, vni ex his, qui viderant dormienti virgo ipſa aſtitit dicens: Non mirum ſi partes illæ corporis mei putruerunt: non vſus habet mortua corpora ſic defluere, & ipſa vtpote puella membris illis peccaui, ſed iuſte venter corruptus non eſt, quem libido non tetigit, immunis fuit & crapula & carnali copula.

Colitur 16. *Septembris.*

De cæteris sanctis illius temporis.

CAP. XXXIIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 13. Leo Papa Gerardum Leucorum supra se quintū episcopum sanctitate vitæ mirabilem synodo habita per apostolicam auctoritatem decreuit in numero sanctorum confessorum in ecclesia solemniter habendum.

Anno sequenti Leo Papa moritur, qui cuius meriti apud Deum fuerit cunctis patuit cum multis ad sepulchrum eius Romæ miraculis ostensis Deus eum clarificauit.

Guillelmus in chronicis. Eo tempore corpus Pallantis filij Euandri Romæ integrum repertum est cum hoc epithaphio.

Filius Euandri Pallas quem lancea Turni.
Militis occidit more suo iacet hic.

Pallantis sepulchrum inuentum vid. Martinum Crantzium & Naucler.

Quos versus non tunc factos crediderim, quamuis carminis literas latinas inuenissent, sed vel ab Ennio vel ab aliquo alio Poeta antiquo. Ea quidem natura est conditorum corporum, quod carne tabescente cutis exterior neruos, nerui ossa continent. Hiatus vulneris, quod in medio pectoris Turnus fecerat quatuor pedibus & semis mensuratus est. Ardens lucerna ad caput inuenta est, quam cum nullo aspergine liquoris aut flatus violentia extinguere valerent, quidam solertioris ingenij stylo subtus flammam foramen fecit, & mox introducto aëre ignis euanuit. Corpus muro applicatum vastitate sui magnitudinem mænium vicit, sed procedentibus diebus stillicidijs rorulentis infusum communem mortalium corruptionem agnouit, cute soluta neruisque fluentibus.

Sigebertus in chronicis. Anno 17. Victor Papa in Gallias veniens glorioſe ab imperatore suscipitur, & eo præsente non multo post Imperator Henricus morit & post eum filius eius Henricus imperauit annis 50.

De initio imperij Henrici quarti.

CAP. XXXV.

ANno Henrici primo qui fuit, scilicet ab incarnatione domini 1057. Ab initio vero mundi 4911. Coloniæ generali conuentu habito Baldeuuinus & Godefridus mediante Papa Victore ad gratiam Regis, & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur.

Anno 3. Fridericus filius Gothilonis ducis ex clerico sancti Lamberti 7. leuita Romanæ ecclesiæ, quia exosus erat Imperatori Henrico, pro odio fratris sui Godefridi Regis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses monachus, & postea Abbas factus, alteratus nomine Stephani Romanæ Ecclesiæ 157. præsidet.

Paderbrunna ciuitas combusta.

Paderbrunna Germaniæ ciuitas combusta est cum maiori ecclesia. In monasterio aute monachorum Scotus quidam monachus Paternus nomine multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium sæpe prædixerat propter propositum reclusionis exire nolens se comburi passus est.

Author. Hoc, *sic refert Petrus Damianus.*

In quadam vrbe Teutonica erat quidam seruus Dei iuxta monasterium in cellula, cui reuelatum est, quia nisi populus per pœnitentiam Deum cito placaret, infra 30. dies tota ciuitas periret. Promulgata est visio, noluerunt conuerti. Ille autem pretiosa quæque monasterij iussit auferri, vt salua essent. Tandem à 7. vrbis regionibus ignis subito exoritur, peruenitque vsque ad cellam viri Dei cumque rogaretur exire, noluit; sed omnia iudicio Dei committens combustus est, cum sua cellula.

Sigebertus in chronicis. Anno item 3. Henrici. Benedictus Romanæ Ecclesiæ 158. præsidet. In pago Brachatensi iuxta Tornatū multitudines Colubrorum altrinsecus congregatæ prodigioso prælio inter se concurrūt, & multis vtriusque partis occisis victa pars fugiens in cauo arboris se abscondit. Altera pars vincentium more insequens cum sibilo circunstrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes crematæ sunt.

Colubri inter se pugnantes.

Anno 4. Henricus Rex Francorum obijt.

Helinandus. Non multo post cometes longos & flammeos crines permane ducens apparuit, de qua quidam monachus Malsberiæ Elmerus nomine: Venisti, inquit, venisti multis martyribus lugende, dudum est, quod te vidi, sed nunc multo terribiliorem te intueor patriæ huius excidium minantem. Is erat literis bene imbutus, quo maturus, qui immanem audaciam in prima iuuentute conatus fuerat, nam pennas manibus eius & pedibus nescio qua arte innexuit, vt Dedali more volaret; fabulam pro vero amplexus, collectaque è summo turris aura, spacio stadij vnius & plus volauit. Sed venti & turbinis violentia simul, & temerarij facti conscientiæ tremulus cecidit. Post hoc perpetuo debilis crura effractus. Ipse vero ferebat causam fuisse ruinæ suæ quod caudam suam in posteriori parte oblitus fuerat aptare.

Sigebertus in chronicis. Post Henricum regnauit filius Philippus in Francia annis 49. Eo tempore Marianus cronographus claruit, qui à Scotia in Gallias veniens Coloniæ factus monachus primo apud Fuldam, postea apud Maguntiam reclusus est.

De Lanfranco Cantuariensi, & bonis eius initijs.

CAP. XXXVI.

HOc tempore claruit Lanfrancus prior monasterij Beccensis; ad cuius eximiam doctrinam de Burgundia conuolauit Anselmus vir postea multa virtute & scientia adornatus, & ei in prioratu successit sub viro egregio Herluino Abbate primo qui ipsum monasteriū Beccense de proprio fundauit suo.

Vide Trithemium in lib. de scriptoribus ecclesiasticis.

Ex gestis eius. Hic Lanfrancus Papia ciuitate Italiæ oriundus, omni scientia sæculari perfecte imbutus, Alpes transgressus in Northmanniam venit, & in Ambricacensi ciuitate aliquandiu docuit. Deinde mortalium auram captare vanitatem esse considerans, consilium salutis arripuit, & statuit vt omnia propter eum relinqueret, qui omnia fecit. Cumque ire vellet Rothomagum vespere in silua vltra fluuium Rillam incidit in latrones, qui cuncta quæ habebat tollentes, ligatis à tergo manibus, & caputio cappæ ante oculos eius admoto abduxerunt eum per deuia, & inter condensa saltus fruteta dimiserunt. Talibus angustijs comprehensus, nescius quid ageret, infortunium suum lamentabatur. Tandem nocturno silentio in se reuersus, & ad Deum conuersus ait: *Domine Deus tantum tempus in discendo expendi, & corpus animumque in studijs literarum attriui, & adhuc quomodo debeam orare & laudare non didici, libera me de hac tribulatione, & ego sic vitam corrigere & instituere curabo, vt tibi seruire valeam & sciam.* Surgente aurora audiuit viatores iter carpentes, & cæpit ab eis vociferando auxilium petere; qui accedentes, & eum soluentes reduxerunt ad viam. Rogauit autem vt vilius & pauperibus cœnobium, quod in regione noscerent sibi de monstrarent. Nolebat enim adire locum vbi literati essent, qui eum honori & reuerentiæ haberent. Igitur de consilio eorum Beccum adijt, vbi venerabilis Abbas Herluinus eiusdem cœnobij fundator, ac nuper ex grandæuo milite in clericum promotus eum cum gaudio suscepit. Qui monachus effectus in discendis officijs curam maximam impendebat, vt sciret laudes Deo persoluere sicut vouerat. Sic per tres annos vixit solitarius gaudens, quòd nesciebatur, fere ab omnibus ignotus, omnium vilitate & extremitate in cœnobio contentus, & vt fertur lectionem nolebat in ecclesia legere, nisi prius cantor eam audisset.

Oratio Lanfranci ad Deum.

Quadam etiam die dum ad mensam legeret, quidam inter legendum dixit sicut dicere debuit, quod præsi-

denti

denti non placuerit, & aliter dicere iussit, velut si dixisset DOCENTE media producta vt est, iubet causa breuiari. Non enim Prior ille literatus erat, sed sapiens, & sciens magis obedientiam Christo deberi, quam Donato, dimisit quod bene pronunciauerat, & dixit, quod nō recte videbatur dicere. Cum autem rumor & fama viri longe lateque percrebruisset, clerici accurrunt illo de licentia Abbatis sui scholam tenente. Laici quoque potentes & nobiles multa pro eius amore idem ecclesię contulerunt.

In Archiepiscopatu quid fecerit.

De gestis ipsius post Archiepiscopatum susceptum.

CAP. XXXVII.

HIc post ex Abbate Cadomensi factus Cantuariēsis archiepiscopus, multa bona in ecclesijs Angliæ fecit. Quadam die dum missam celebraret, & ventum esset ad horam, qua corpus domini manibus accepit, diaconus qui sibi ministrat à dæmone peruasus, arripuit eum manibus per scapulas. Venerabilis autem Antistes in nullo turbatus reflexa manu dextera per capillos eum tenuit, & ante pedes suos adduxit. Percelebrata autem missa, in domum infirmorum illum perduci iussit, vbi per aliquot dies in insania permansit. Dicebat autem de quibusdam eiusdem loci fratribus quædam nefanda. Tunc nominauerunt quendam dicentes, quod de eo non haberet quid diceret. At ille cæpit affirmare, quod nunquam auderet in præsentiam suam venire. Quod cum frater audiret, timuit ne aliquid sibi perperam gestum improperaret. Tunc sapientes fratres consilium ei dederunt, vt cum Archiepiscopo loquens puram confessionem faceret, & sic fiducialiter cum eius absolutione & benedictione ad dæmoniacū iret. Quod cum fecisset, dicebant dæmoniaco qui aderant. Ecce adest cui minabaris, dic siquid de eo nosti. At ille in eum toruo oculo respectans ait cachinnans. Pro hoc malo omni, quis te sic rebulliuit, & candidauit. Nihilque amplius dixit, vnde datur intelligi, quod virtus confessionis & absolutionis aufert diabolo memoriam peccati aut certe potestatem accusandi. Post aliquot autem dies Deo miserante, & Lanfranco cum fratrum orationibus adiuuante liberatus est ab illa peste. Cum autem ipsi Lanfranco relatum esset, quod Abbas Anselmus nocte post matutinas lectum suum veniens annulum in eo aureum inuenisset, referenti sibi respondit: Certissime scias illum post me futurum Archiepiscopum, & ita factum est. Ad hunc Lanfrancum misit Berengarius Turonēsis literas, qui asserebat Eucharistiam quam in altari sumimus non esse reuera corpus & sanguinem Christi. Harum portitor cū non inuenisset eum in Normannia quibusdam clericis eas tradidit, vnde de ipso Lanfranco orta est suspicio, quasi faueret, quæ à Berengario dicerentur. Igitur cum eas à quodam Remensi clerico Romam perlatas recitator legeret, Leone Papa synodo præsidente, intellectum, quod Ioannem Scotum Berengarius extolleret, Paschasium vero damnaret, & communi de Eucharistia fidei aduersa sentiret, promulgata est, in eo damnationis sententia priuans eum communione ecclesiæ. Et ipse Lanfrancus ex præcepto Papę coram omnibus fidem suam exposuit, prauique rumoris à se maculam extersit. Deinde contra eundem Berengarium scripsit in modum dialogi de corpore, & sanguine domini, ostendens ibi non esse figuram tantum, sed etiam veritatem corporis, & sanguinis.

Virtus confessionis quāta.

De muliere Gemella, & quibusdam alijs.

CAP. XXXVIII.

Gvilielmus in chronicis. Eo tempore in confinio Northmanniæ & Britanniæ portentum visum est in vna, vel potius duabus mulieribus. Duo erant capita & quatuor brachia, cætera gemina omnia vsque ad vmbilicum, inferius singula omnia, ridebat, comedebat, loquebatur, vna flebat, eiulabat, altera, tacebat, ore gemino manducabatur, sed vno meatu dirigebatur, vna defuncta superuixit altera pane triennio, mortuam portans donec, & pondere molis, & nidore cadaueris defecit. Putatum est à quibusdam, & literis traditum, quod hæ mulierēs Angliam & Normanniam significarent, quæ diuisæ licet fuerint, tamen sub domino sunt vnitæ. Hæ quicquid pecuniarum auidis faucibus sorbuerant, in vnam lacunam, defluit, quæ est, vel principum auaritia, vel circumpositarum gentium ferocia. Mortuam & pene exhaustam Northmanniam ingēs pecunijs sustentat Anglia, donec & ipsa fortassis exactorum violentia succumbat.

Sigebertus. in chronicis. Anno Henrici 7. Alexander Lucensis episcopus Romanæ ecclesiæ 160. præsidet, contra quem Cadelo Parmensis episcopus Papa tum ambiens magno scandalo ecclesiæ fuit, quia longa inter eos concertatio etiam vsque ad homicidia prorupit.

Multi fideles ab Arabibus trucidātur. Anno Ch. 1066.

Anno 9. multi vsque ad 7000. orandi voto Hierosolymam petentes ab Arabicis in parasceue in quodam castello obsessi sunt, & tot occisi aut vulnerati, vt de 7. & eo amplius millibus vix duo millia reuersi sunt.

Anno 10. Cometes apparuit tota Paschali hebdomada. Haruuich Nordanybrorum Rex cum mille pene nauibus, venit in Angliam regnaturus, & in vrbe Eboraca plusquam mille laicos, & centum presbyteros de Anglis occidit, cui Araldus Rex Anglorum cum 7. legionibus superueniens eum cum multis occidit.

De Guilielmo comite Northmanniæ, & eius origine.

CAP. XXXIX.

INterim Guilielmus Comes Northmannorum cum Francis in Angliam intrat, & conserto cum Anglis prælio Araldum cum multis millibus peremit, & regnauit in Anglia annis 30.

De Guilelmo Nothosen Bastardo qui conquestor est cognominatus vide Æmil. l. 3. Polyd. virg. Lesl. l. 6. de rebus Scoticis & alij plures. an. Ch. 1066.

Guilielmus in chronicis. De isto Guilielmo hęc narrari possunt, quæ sunt inertibus incitamento promptis, & alacribus exemplo, præsentibus vsui, iucunditati sequētibus. Robertus alter filius Richaldi secundi, mulieris in choreis saltantis speciem conspicatus non abstinuit, quin eam sibi nocte coniungeret, quam deinceps vnice dilexit, & aliquandiu loco iustæ coniugis habuit, puer ex ea editus dictus est Guilielmus nomine abaui, cuius magnitudinem futuram mater somnio præuidit, quæ intestina sua per totam Northmanniam & Angliam extendi vidit, & dilatari. Ipso quoque tempore, quo idem puer natus humum primo attigit, ambas manus iunco, quo pauimenti puluis cauebatur, impleuit stricte, quod corripuerat compugnans obstetrix, fausto omine acclamauit eum Regem futurum. Hic septennis erat, quando pater eius Hierosolymitanum iter aggressus est. Gilbertus Comes tutor pueri constitutus est, concilio apud Fiscanum proceribus indicto. Tutela tutoris Regi Francorum Henrico assignatur, in nomen & fidem pueri ibi iubente patte ab omnibus iuratur. Qui mox vt vt adoleuit à Rege Francorum militiæ insignia accepit. Duxitque vxorem Mathildem filiam Balduini Comitis Flandriæ annis 30. Comes fuit. Hic Northmanniæ monasterium sancti Stephani ædificauit Cadoui magnificeque ditauit, vbi Lanfrancum Abbatem instituit, qui postea fuit Archiepiscopus Cantuariensis vir antiquus scientia & religione comparandus: alterum monasterium Hastingis sancti Martini fecit. Cum adhuc pene puer esset, patruum suum Malgerium ab Archiepiscopatu Rothomagensi remouit.

De duobus Archiepiscopis Rothomagensibus Malgerio & Maurilio.

CAP. XL.

IS erat literatus satis, sed pro conscientia natalium professionis oblitus, venationibus & auium certa-

tionibus iuſto ſæpius intendens, & gazas eccleſiaſticas conuiuijs profuſioribus inſumens. Cuius rei fama crebreſcente tota vita ſua vſu pallij caruit. Quod negaret ſedes Apoſtolica honoris huius priuilegium ei, qui ſacrum negligebat officium. Vnde crebro conuentus expoſtulante nepote ſuo aduerſus eum,& eo nihilominus irreuerentius agente, cogente vltima neceſſitate degradatus eſt. Ferunt quidam depoſitionis arcanam cauſam fuiſſe, quod idem Malgerius nepotem ſuum cum vxore Mathilde excommunicauerat,quia conſanguinei iuncti erant. Et ideo nepotem excogitaſſe occaſiones depoſitionis in perſecutorem flagitiorum ſuorum pro cuius ſceleris expiatione idem Guillelmus ædificauit poſtea monaſterium ſancti Stephani Cadoui, & monaſteriū ſanctæ Trinitatis. Malgerio ſucceſſit Maurilius Fiſcamenſis monachus multis plenus virtutibus, & maxime abſtinentia. Idem ad extrema deuentens, vitali priuatus anhelitu fere dimidia die iacuit defunctus. Tandem cum pararetur in Eccleſiam ferri, reſumpta anima,ad circumſtantes ait: Vltima paſtoris veſtri verba ſuſcipite: Naturaliter mortuus fui,ſed vt vobis nunciarem,quæ vidi,reductus ſum,nec diu ſubſiſtam, quia dormire in domino delectat. Ductores mei veſtibus ornati, & vultibus ad omnem elegantiam erant. Nihil delectabilius eorum ſermone nitido. Gaudens cum eis ibam,vt videbatur mihi,verſus orientem. Promittebatur mihi ſedes paradiſi,nō multo poſt intrāda. In momento præterita Europa, ingreſſi Aſyā, venimus Hieroſolymā, ibi ſanctis adoratis Iordanem pertendimus. Citerioris ripę accolæ ductorum meorum mixti conturbernio lætiorem cætum fecere. Ego ſtudio viſendi vlteriora tranſitum maturabam. Tunc comites noſtri Dominum præcepiſſe referunt, vt ante dæmonum viſionem terrificaret, quatenus veniales culpæ quas confeſſione non dilueram, pauore illo horrendarum formatum purgarentur. Adhuc eis loquentibus, aſtitit,ex aduerſo tanta vis dæmonum haſtilia acuta vibrantium & ignes efflantium,vt ager ferreus, & aer flammeus videretur,ita horrore concuſſus ſum, vt nec in cælo, nec in terra tutum mihi refugium æſtimarem, ita meticuloſus ego dum quo euadam dubito, vt hæc dicens ſaluti veſtræ niſi negligatis conſulerem,recipi halitum confeſtim effuſurus, Dixit,& pæne cum verbo ſpiritum emiſit. Corpus eius in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepultum, miraculo vt aiunt,diuino tribus diebus altius ſuper terram eleuatum eſt.

Malgerius deponitur.

Maurilius vir ſanctus.

Qualiter præfatus Guillelmus regnum acquiſiuit.

CAP. XLI.

ALexander vero Papa audita cauſa Guillelmi, vexillum ei in omne regnum Anglię miſit. Conuētum eſt apud ſanctum Vualericum expectaturque aura multis diebus ad transfretandum,qua tardante nimis, & populo Guillelmi murmurante, iuſſit corpus ſancti Vualerici foras efferri, pro vento poſtulando. Mox proſper ventus carbaſa impleuit, & Haſtingas appulerunt. In eggreſſu nauis pede lapſus,audiuit acclamari ſibi à proximo milite: TENES ANGLIAM COMES REX FVTVRVS.

Aroldus reuertens à bello quo Regem Noricorum vicerat, miſit exploratores, qui intra caſtra deprehenſi, iuſſi ſunt à Vuillelmo circunduci per tentoria, & mox large paſti ad dominum ſuum incolumes remitti. Redeuntes nunciauerunt Ducis magnificam confidentiam & pæne addunt omnes in exercitu illo preſbyteros videri,quia ſcilicet totam faciem cum vtroque labio raſam haberent. Angli enim ſuperius labrum pilis inceſſanter fructificantibus,intōſum dimittunt. Guillelmus monachum legatum miſit tria ferentē, vt ſcilicet Aroldus vel regno ſecundum conditiones diſcederet,vel ſub eo regnaret,vel certe ſpectante vtroque exercitu gladio rem ventilaret. Aroldus legatum,nec reſponſo dignatur,turbide abegit. Illam noctem, vt accepimus Angli totam in cantibus,& inſomnem duxerunt. Northmanni autem tota nocte confeſſioni peccatorum vacantes, mane Dominico corpore commuuicabant. Comes arma popoſcit, & caſu loricam inuerſam induit miniſtris tumultuantibus, quem caſum riſu corrigens, vertetur, inquit,comitatus meus in regnum. Tunc cantilena de Rolando inchoata, prælium commiſſum eſt. Pugnatum eſt vtrinque acriter, follātum quoddam præruptum. Angli fugientes noto ſibi compendio inuaſerant, vbi tot Northmannos conculcauere, vt tumulo cadauerum planiciem campi æquarent. Aroldus à longe ictu ſagittę percuſſus in cerebro occubuit. Iacentis femur vnus militum gladio proſcindens, ignominiæ notatus eſt à Guillelmo & militia pulſus. Idem Guillelmus eadem die diſcurrendo, pugnando, hortando, tres equos fortiſſimos ſub ſe confoſſos amiſit. Suſurrabant ei cuſtodes corporis,vt ſe à periculo ſubtraheret, ſed perſiſtens vſque in noctem, nihil ſanguinis ex eius corpore tractum eſt, quamuis iaculis multis impeteretur. Corpus Aroldi matri repetenti ſine pretio remiſit, licet illa multa per legatos obtulerit. Die natalis Domini coronatus eſt, ab Alredo Eboracenſi Archiepiſcopo, nolens hoc munus accipere à Stigando Cantuarienſi, quia nec legitime factus erat Archiepiſcopus. Vexillum regium Romam miſit ad Papam,quod erat in hominis pugnantis figura,auro & lapidibus arte ſumptuoſa contextum, vrbem Oxoniam rebellantem ſubegit,leui negocio parte muri vltro cadente,& ingreſſum illi dante, quam ille audacius aſſilierat, proteſtans homines irreuerentes deijciendos Dei auxilio, quia vnus eorum ſupra murum ſtans nudato inguine auram ſonitu inferioris partis turbauerat in contemptum Northmannorum. Poſt Aroldū vero Harfagra frater Aleini Imperatori Conſtantinopolitano militauit. Cuius iuſſu pro ſtupro illuſtris fæminæ leoni obiectus eſt,qui belluam nudo lacertorum niſu ſuffocauit.

Anglorū & Northmannorū diuerſa ad prælium præparationes.

Guilielmus Nothus Anglia coronatur Rex.

ANNOTATIO.

Cum Vincentius ſileat,quo iure hic Gulielmus Anglia regnum caperit,id hoc loco annotare opera pretium duxi. Edwardus Anglia Rex qui propter vitæ merita in numerum ſanctorum eſt relatus à Suenone Danorum rege regno pulſus in Normanniam ſeſe recepit. Mortuo vero Suenone Hunnuto que eius filio, Ardehuntus ipſius ex patre Mater ſucceſſit. Qui cum Edwardum ſanctum virum,à Northmannia in ſocietatem vocatum,in Societatem regni aſciuiſſet, obijt. Edwardus à diuturno exilio ad regnum profectus, tranquillam eius reliquam vitam transegit, & quod apud Northmannos duces, cultus educatuſque fuiſſet, nec liberos ſuſtuliſſet beneficiorum ac cognationis & conſuetudinis memor, Guliel-mum Nothum regem hæredemque nuncupauit,in eiuſque verba proceres gentis iureiurando adegit Æmyl. l. 3. caterum Guilielmus Nothus non ignarus quam Romanus Pontifex in regnum Anglia haberet potestatem eo quod videlicet illius ſit vectigale, illud non prius adire voluit, quam ab eo eius adeundi acciperet facultatem. Pontifex autem Alexander vexillum ei in omne Anglia regnum miſit.

De quibuſdam incidentibus illius temporis.

CAP. XLII.

ANno Henrici 11. obijt ſanctus Tietbaldus in Vincentia vrbe Venetiæ incluſus. Cuono qui & Cōradus primicerius Colonienſis ab Imperatore Henrico ad ſuſcipiendum Archiepiſcopatum Treuerorum miſſus, capitur à Comite Treuerorum Deoderico,& ſatellitibus eius, in ſiluā ductus de rupe tertio præcipitatur, & adhuc illæſus gladio tranſuerberatur. Corpus quoque eius folijs ſiluæ obtegitur, quod à ruſtico: inuentum ad villam defertur, & ſepelitur. Inde à Deoderico Virdunenſium epiſcopo transportatum ad Tolegaium monaſterium multis ſtatim miraculis à Deo glorificatur.

His temporibus Beluacenſi ciuitate ſua deſtituta antiſtite, Guido decanus cuſtoſque eccleſiæ ſancti Quintini Virdunenſis, & archidiaconus Laudunenſis conſtituitur Beluacenſium epiſcopus,& à Geruaſio Remenſi metropolitano conſecratur. Qui grauiter ferens carere ſe præſentia Quintini martyris, in honore eius, & me-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

moria ædificauit ecclesiam, haud longe à mœnibus Bolloacæ vrbis. Romæ duobus de papatu contendentibus Mantuæ synodus colligitur, & mediante Annone Colonienſe Archiepiſcopo Alexander ſe iureiuraudo de ſimonia expurgans, in ſede Apoſtolica ſubrogatur, Cadelo, vt ſimoniacus repudiatur.

An. Christi 1068. Anno 12. Deodericus Comes Treuerorum de martyrizato Conone apud eum & homines reus exiliatus ab Imperatore, & accepta peregrinatione eundi, quid de eo & de omnibus qui in comitatu eius pergebant actum ſit adhuc neſcitur. Hinc Francis, hinc Scotis Angliam incurſantibus, Angli fame conſumuntur, multi eorum humanis carnibus veſcuntur.

De quibuſdam miraculis ſancti Dunſtani Cantuariacenſis.

Cap. XLIII.

ANno 15. Treueris in eccleſia ſancti Paulini confeſſoris in crypta ſubterrena inuenitur corpus eiuſdem ſancti Paulini, quod olim à Phrygia vbi exulauerat reportatum, ibi à Felice epiſcopo cathenis ferreis fuerat ſuſpenſum, & multa iuxta eum corpora ſanctorum ad dexteram ſcilicet eius Palmatius conſul & patricius Treuerorum: Ad ſiniſtram Tirſus vnus de principibus Thebeæ legionis, qui cum multis Thebæorum in hac vrbe à Rictiouaro martyrizatus eſt: ad caput 7. Senatores vrbis, Maxentius, Conſtantius. Creſcentius, Iuſtinus, & tres fratres, Leander, Alexander, Sother. Ad pedes Hormiſda, Papirius, Conſtans, Iouianus. Et cum multi ibi iacerent, horum tantum modo nomina, & tempus & dies paſſionis aureæ literæ in pariete ſcriptæ ſignabant, eoſque omnes ſub Rictiouaro paſſos fuiſſe docebant.

Vide Barronium in notis ad martyrologium 31. Aug.

Anno 17. duobus fratribus Ruſſorum regibus de regno contendentibus alter eorum à conſortio regni pulſus, interpellat Henricum Imperatorem ſe & regnum Ruſſorum ei ſubmittens ſi eius auxilio regno reſtitueretur: ſed id fruſtra fuit quia grauiſſima in imperio Romano orta diſſentio mouebat magis ſua tueri, quam aliena acquirere. Saxones enim multis & magnis iniurijs & iniuſtitijs ab Imperatore affecti contra eum rebellant, ad quos debellandos Imperator inſtanter intendit.

Alexander Papa Romam venienti Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi dignanter aſſurrexit, profeſſus ſe illud inſigne reuerentiæ detuliſſe, non honori Archiepiſcopi, ſed amori magiſtri. Ad huius Lanfranci miſſam quidam iuuenis monachus legerat euangelium, qui cum patenam Pontifici poſt *Pater noſter* offerret, vidit coram ſe quoſdam vultus teterrimos malignorum ſpirituum, ad quorum aſpectus perterritus Pontificem inter manus ſacra tenentem, vtriſque brachijs ſtrictim amplectitur horribiliter clamans & dicens: *Chriſtus vincit. Chriſtus imperat, Chriſtus regnat.* Conterriti ſunt omnes qui aderant & portatus eſt ille à militibus poſt miſſam in cameram Pontificis. Conuenitur in capitulo, adducitur ille dæmone plenus fortiter ligatus. Sermonem facit Lanfrancus de illo, & iubet communiter pro eo orationem fieri. Mox, vt videbatur, ſanus effectus eſt, & pro agendis gratijs ad ſepulchrum ſancti Dunſtani preſentatus. Cumque Completorium cantaretur, ſubito ille raptus de ſtallo ſuo cucurrit ad priorem Henricum, quem ille ſtatim apprehendens duxit in dormitorium, & noctem inſomnem ante illum duxit, media nocte exclamans omnes inquietauit. Ductus eſt ad ſepulchrum S. Dunſtani plurimum renitens, vbi cum veniſſet furere cæpit, & in Dunſtanum & in Chriſtum infinitas blaſphemias vſque ad diem euomuit. Mane refertur in domum infirmorum, vbi per multos dies cruciatus eſt. Quicunque autem ad eum accedebant, ſi crimen aliquod habebant de quo nondum confeſſi erant, publice detegebat, & dicebat illos in pœnis perpetuis ſibi ſociandos. Vnde nonnulli erubeſcentes pure confeſſi ſunt, qui cum illi iterum ſe præſentarent, quærebant qui eſſent, & vnde veniſſent, & quomodo tam ſubito loci eſſent, & ſuam ſocietatem amiſiſſent. Poſt hæc cùm poſitus eſſet in medio ſanctarum reliquiarum, exiliens cum lecto, in quo iacebat, volebat fugere ſanctos. Cumque illuc retineretur dæmon per ventrem eius tanquam cattus paruulus currebat, nunc verſus os nunc verſus inferiora quærens exitum. Cumque fratres reficerentur, frater qui relictus erat ad cuſtodiendum eum multum deuotus erga ſanctum Dunſtanum, confiſus de Dei adiutorio accepit crucem quam ſanctus Dunſtanus ſolebat facere portari ante ſe more Archiepiſcopi, & poſuit eam ſuper demoniacum clamans cum lachrymis: *Sancte Dunſtane ſuccurre.* Mox dæmon exijt. Tunc æger leuatis oculis in cælum, & perfuſus lachrymis ait: Gratias agó tibi ſancte pater Dunſtane, & tibi frater dulciſſime, quia tuis meritis, ſanctiſſime Domine, & tua charitatiua prece, frater chariſſime liberatus ſum ab hoſte. Poſt hæc Baiocatenſis epiſcopus qui erat Comes Cantiæ, mouit quaſdam calumnias aduerſus Lanfrancum ſuper terras & cõſuetudines Eccleſiæ Cantuarienſis. Cumque adeſſet dies placiti Lanfrancus ſolicite inuocauit ſanctum Dunſtanum. Ea nocte aſtitit ei ſanctus in viſu dicens, Lanfrance ne turberis, ego tibi adero, & ſi illos non viceris, ſcias me non eſſe qui tecum loquor. Sic factum eſt. Lanfranco in craſtinum omnia quæ ſibi obijciebantur adnihilante cunctis ſtupentibus.

Damon non fert Sanctorũ reliquias.

S. Dunſtanus quomodo in lite Lanfranco aſtiterit.

De Archidiacono Hildebranno qui factus eſt Papa Gregorius.

Cap. XLIV.

Sigebertus in chronicis. Anno quoque prænotato Hildebrandus archidiaconus Romanorum, qui & Gregorius Romanæ eccleſiæ 161. præſidet.

Guillelmus in chronicis. Hic Hildebrandus vt audiui à quodã qui hoc audierat referre Abbatem Cluniacenſem Hugonem cogitationes aliorũ prophetico mentis intuitu nunciabat, quem ideo Papa Alexander cancellarium Apoſtolicorum præfecerat, pró cuius officij intuitu Hildebrandus tanquam cancellarius circumibat prouincias, vt perperam acta corrigeret. Die quadam cum equitaret cum turba obſequentium, Abbas Hugo in extremo agmine cum ſuis monachis proſequebatur viſoque eminus tanto viri honore cæpit cogitare in animo vnde eſſet tantus honor homuncioni exilis ſtaturæ, deſpicabilis parentelæ, procul dubio hoc ei ex ſuperbia accidere, quod tot obambulatores haberet, vix hoc mente verſarat, tunc Archidiaconus reflexo equo, & calcaribus incitato à longe clamans, & Abbatem adnutãs. Tu, inquit, male cogitaſti, non mihi hanc gloriam, ſi gloria dici poteſt, quæ cito trãſit, vel imputo, vel ab alijs imputari volo, ſed beatis Apoſtolis, quorum priuilegio mihi exhibetur. Erubeſcens Abbas hoc ſolum reſpondit: Quæſo Domine quomodo noſti cogitatum meum? Ab ore, inquit tuo quaſi per fiſtulas ad aures meas deductus eſt.

Gregorius ſeptimus cogitationes hominum nouerat.

Item eccleſiam aliquando ſimul ingreſſi Abbas & Archidiaconus vt orarent continuatis & iunctis lateribus proſtrati diutius orauerunt. Tunc reſpexit Archidiaconus Abbatem turbulento rictu infrendens, Abbas foras egreſſus cauſam commotionis inquiſiuit. Cui ille: Si me amare vis, caue ne vlterius hac me iniuria expungas. Dominus enim meus Ieſus *Speciosus præ filijs hominum* poſtulationibus meis viſibiliter aſtabat, intendens dictis, & ſerenis fauens oculis, ſed orationis tuæ abiectus violentia, me deſeruit, ad te conuerſus. Puto eſſe genus iniuriæ amico eripere auctorem ſalutis ſuæ. Præterea noueris mortalitatem hominis, & huic loco imminere excidium. Vidi enim Angelum Dei aſtantem ſuper altare euaginato gladio, & iam prouinciã iſtam ſpiſſus & nebuloſus aer circumuolat. Fugiamus ergo quantocius. His dictis introeuntes in diuerſorium ad curam corporis aſſedere, continuoque dapibus appoſitis exortus eſt

Gregorius orans Chriſtum præſentem ſibi intuitus eſt.

in domo

in domo luctus pluribus ex familia ſubito extinctis, qua peſte per vicinas ædes graſſante, mox aſcenſis mulis diffugerunt.

Idem Archidiaconus in Gallia conſederat in concilio vice Papæ, vbi plures epiſcopi per ſymoniam facti, quorum vnus huius criminis inſimulatus nullis teſtibus argui, nullis argumentis poterat confutari, ita dicendi arte callebat. Tunc Archidiaconus: Ceſſet humanum eloquium, producatur diuinum oraculum. Certum eſt, quod epiſcopalis gratia donum Spiritusſancti eſt, & quiſquis epiſcopatum mercatur, donum Spiritusſancti comparari poſſe pecunia opinatur. Coram nobis ergo qui iudicio Spiritusſancti congregati ſumus dicat iſte: *Gloria patri & filio & Spiritui ſancto* quod ſi expreſſe, & ſine titubantia dixerit, conſtabit apud me non eſſe illum ſimoniacum, accepit ille libens conditionem nihil minus ratus, quam hoc diceret certe, *Gloria patri & filio* ſic integre protulit, ſed in hoc, & Spiritui ſancto hæſit, ſuſcitato cunctorum ſtrepitu, nullo conatu, vel tunc vel deinceps tota vita ſua Spiritumſanctum nominare potuit. Hunc abiectum de epiſcopatu Abbas prædictus pro teſtimonio miraculi ſæpe ſecum duxit.

Simonia tūc erat quando beneficia eccleſiaſtica à laicis recipiebantur.

Hic autem Papa Gregorius excommunicauit omnes electos, qui inueſtituram eccleſiarum de manu laici acceperunt.

ANNOTATIO.

Hic pontifex vere maximus eccleſiaſtica libertatis aſſertor & propugnator, acerrimus omnibus fuit, Lonis gratiſſimus, & ab optimis quibuſque laudatus ſcriptoribus, quamuis inuidi ei nonnulla crimina impegerint, quæ omnino falſa fuiſſe alij redarguunt, vide Sanderum l. de viſib. Monarch. Geneb. in chronicis Onuph. in Plat. & plures alios.

De ſynodo eius in qua Symoniacos damnauit.

CAP. XLV.

Calumniam Sigeberti nimis addicti Hérico quarto Bar. refellit an. 1074. ſec. 36. & ſequentibus

Sigebertus in chronicis. Anno quoque 18. Gregorius Papa celebrata ſynodo ſymoniacos anathematizauit, vxoratos ſacerdotes à diuino officio remouit, & laicis miſſam eorum audire interdixit, nouo exemplo, & vt multis viſum eſt, inconſiderato præiudicio, qui contra ſanctorum patrum ſententiam, qui ſcripſerunt, quod ſacramenta, quæ in eccleſia fiunt, baptiſmus ſcilicet Chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, Spiritu ſancto latenter operante, eorundem ſacramentorum effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos intra Dei eccleſiam diſpenſentur. Inde quia Spiritusſanctus myſtice illa viuificat, nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificantur, nec peccatis malorū attenuantur, Vnde hic eſt qui baptizat, & ex qua re tam graue oritur ſcandalum, vt nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia grauiori ſciſmate ſciſſa ſit, his pro iuſtitia, illis contra iuſtitiam agentibus, alijs à ſymonia non declinantibus, alijs notam auaritiæ honeſto nomine prætexentibus, dum hoc quod ſe gratis iactant ſub charitatis nomine vendunt. Et vt de Montanis dicit Euſebius, ſub nomine oblationis artificioſius munera accipiunt. Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam cauſa queſtus ac iactantiæ ſimulantibus multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus. Ad hoc, hac importunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubiectione excutientibus laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chryſmate vtentes. In extremo vitæ viaticum dominicum & viſitatum eccleſiæ obſequium ſepulturæ à preſbyteris coniugatis accipere paruipendunt, decimas preſbyteris deputatas igni cremunt, & vt in vno cætera perpēdas, laici corpus Domini à preſbyteris coniugatis conſecratum ſæpe pedibus conculcauerunt, & ſanguinem domini voluntarie effuderunt, & multa alia contra ius & fas geſta in eccleſia ſunt. Et hac occaſione multi pſeudomagiſtri exurgentes in eccleſia prophanis nouitatibus plebem ab eccleſiaſtica diſciplina auertunt.

Sane nullatenus conuenit vt ibi reuerenter agitur vbi pertinaciter aperta & impudenti libidine fatentes Dei & Sanctorum prohibitionē cōtemnunt.

Anno 20. Gregorius Papa totus in Henricum Imperatorem inuehitur, & quoſcunque poteſt ab eo verbis & ſcriptis auertit. Animum autem matris ipſius Agnetis ab eo alienat. Gelu magnum, & glacies validiſſima fuit à Kal. Nouemb. vſque in medio menſis Aprilis.

an. Chriſti 1076. Vide Baron. an. Chr. 1075.

De ſancto Stephano Grandimontenſis ordinis inſtitutore.

CAP. XLVI.

EX geſtis eius. Anno domini 1076. cæpit ordo Grandimontenſis ſub patre Stephano. Hic filius Stephani nobiliſſimi viri de Auerniæ partibus à patre ſuo in pueritia ductus eſt Beneuentum, vbi à ſancto Milone Archiepiſcopo 12. annis educatus regulam bene viuendi didicit. Denique diſcedens peragratis multis eremis, & de Canonicorum & monachorum & eremitarum vita, quæ imitāda ſunt memoriæ commendans in Aquitaniam prope Lamonicas ad montem prope nemoroſum, qui Muretum dicitur, Chriſto duce peruenit, vbi fontes reperit, & rupes, terram deſertam, & inuiam, quæ tota ſilueſtris & ſterilis, hominibus inſueta, & feris aſſueta, nouo hoſpiti ſuo potum frigidiſſimum & domum ventis expoſitam offerens, afflictionem corporis & requiem mentis manifeſtis indicijs promittebat. Tunc gaudens Stephanus ibi Deo ſe ſeruituram omni tempore ſpopondit, & cum quodam annulo quem de omni ſubſtantia mundi tantum habebat ſemetipſum caſtiſſimum virginem deſponſauit dicens: *Ego Stephanus abrenuntio diabolo, & omnibus pompis eius, & offero me ac reddo Deo patri & filio & Spiritui ſancto*, ſcribenſque profeſſionem ſuam poſuit ſuper caput ſuum, fundens quoque orationem ad Chriſtum Ieſum Dominum, & ad matrē eius virginem facto de virgulis paruo tugurio. Anno ab incarnatione domini 1076. 30. annum agens ætatis habitare cæpit eremum in ieiunijs & vigilijs & orationibus continuis ſeruiens Deo.

Profeſſio S. Stephani.

De auſteritate vitæ eiuſdem.

CAP. XLVII.

CIbus eius panis & aqua interdum farinulæ ſiliginеæ parua ſorbitiuncula, quæ cæteris minus ſapida neceſſitati vtcunque ſeruit non voluptati. Incedebat quoque armatus lorica ferrea contra carnis inſidias, & mentis laſciuiam quouſque toto corpore exſiccato plenam de ſeipſo obtinuit victoriam. Indumenta quibus ſuper loricam induebatur nullo tempore augebantur, ſed hieme & æſtate ad repellendum frigus & cauma ſuper erant æqualia, & eadem. Stratus in quo poſt nimiam carnis ſuæ fatigationem ad quieſcendum ſe modicum conferebat, adeo durus erat & quieti contrarius, quod in eo dormiens vexari poterat non foueri. Erat enim ex tabulis ligneis inſtar ſepulchri in terra cōſertis omni ſtramento omnique lectiſternio carens, præter illā tunicā ferream quam ſuper ad nudam carnem geſtabat, viliſſimum etiam habitū quo deſuper indutus erat. Sic eo abſente ſtratus eius nudus erat, & vacuus, eo præſente talibus culcitris & linteolis erat ornatus. Præter horas canonicas & regularia debita, genuflexiones innumerabiles terrā deoſculando, & cum fronte naſoque percutiēdo humiliter faciebat. Itaque eorū aſſiduitate manibus ac genibus in modum cameli callos contraxerat, & naſum in obliquū curuauerat. Pſalmodiam & orationes ac diuinæ contemplationis gratiam intantum amabat, quod horum dulcedine intentus, frequenter biduo à corporali edulio vacabat. Et quia *non potuit lucerna accēſa latere ſub modio*, longe lateque diuulgata eſt ſanctitatis eius opinio, multique ad eum veniebant, & monita ſalutis audiebant, paucique ſe ei ſociabant, cæteris auſteritatem conuerſationis ſuæ reformidantibus. Veruntamen diſtrictionis ſuæ regulam ipſe nemini imponebat, ſed ſibi quidem aſper, alijs pius ac longe moderatior

Mirabilis B. Stephani rigor, & abſtinentia

Plurimi ad eius ſanctam viuendi regulam confluunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

deratior erat. Ac poſtquam diſponente Deo diſcipulorum eius numerus creuit, inſimul non quaſi vnus ex illis factus eſt, ſed minor omnibus illis. Nam illis ad mẽſam ſedentibus & veſcentibus, ille humiliter reſidebat paſſiones ſanctorum & vitas patrum, vel aliam ædificantem ſcripturam legendo, de ſalute eorum ſollicitus ipſos prudenter inſtruebat, & orationibus ſuis iuuabat, quæ tantæ virtutis apud Deum erant, vt ab ipſis dæmonum faucibus & prauis machinationibus homines captos liberare poſſet.

De miraculis eiuſdem.

CAP. XLVIII.

NAm cum miles quidam generoſus immenſi criminis reus, cum inter alios, qui ad eum viſitandi gratia venerant, aſſiſteret, ait: Obſecro te ſerue Dei noli pro me Deum deprecari, nam, quoddam peccatum in tãtum diligo, quod nullatenus illud vel odire, vel relinquere volo. Quod ſi pro me rogaueris, ne hoc mihi cõtingat timeo, tuis orationibus alijs auxiliare, mihi vero minime. His dictis receſſit lætus, & vir ſanctus remanſit triſtis & anxius. Ingreſſuſque capitulum fratres congregat, ſed præ lachrymarum impetu vix loquens, tandem eos hortatur, vt pro ſtultiſſimo milite Deum cum eo deprecentur. Nec mora peccator redijt, & de ſtultitia veniam poſtulans iniquitati ſuæ corde & ore renunciauit.

Homo quidam diues, victualia, quę fidelis populus viro ſancto in eremo commoranti charitate mittebat, ferre conſueuerat, ſed quia longe ab eius cella manebat in itinere ſibi hoſpitium prouiderat, in quo vadens & rediens hoſpitaretur. Cuius hoſpitij Dominus, quia diuitias illum habere cognouit, ſuadente diabolo duobus eum latronibus tradidit, qui vt ad redemptionem illum cogerent in ſpeluncis & cauernis terræ cum eo latitabant, ligatum eum tenentes, & captum. Poſt aliquot dies nunciatum eſt Dei ſeruo, quod ille familiaris ſuus in via, qua ad eum veniebat ab ignotis furtim fuerat captus hominibus, & quo neſciebatur abductus. Tunc fratribus ſuper hoc conquerentibus & dolentibus ait. Cur eſtis anxij? Scio cui manifeſtum eſt de homine vbi ſit, & quomodo ſe habeat. Nudatis igitur pedibus eamus in oratorium, & beatæ, virginis matris domini in cuius obſequio captus eſt, imploremus auxilium. Quod cum feciſſent, ecce craſtina die diluculo proditor hoſpes cum duobus latronibus, & homine quem cæperant ad cellæ ianuam pulſantes aſtiterunt. Homo vero qui captus fuerat & ligatus, ſolutus & liber fures autem & traditor vinculis erant religati. Quod frater oſtiarius videns, & gaudens ſolito more patri diſcipulos inſtruenti manifeſtauit, & ille gaudium mentis vultu diſſimulans, verbum minime quod inceperat prætermiſit, dans fratribus exemplum, vt non in miraculis, ſed in ſolo Deo gloriarentur. Deinceps completo ſermone fures, & proditorem à vinculis quibus erant ligati ſoluit, Deoque & beatæ virgini gratias agens tutos ac liberos abire permiſit.

Miri odoris fragrantiam cum eo loquentes, & aſtantes circa eum ex eo procedere ſentiebant, vtpote in quo ſuauitatis auctor requieſcebat, & in quo virginitas ac mentis & corporis humilitas eminebat, Excellentiſſimi quoque cardinales Gregorius & Petrus inter quos poſtmodum de Papatu ſchiſma fuit, cum in Galliam miſſi in partibus Lemonicinæ legatione ſua fungerentur, ad hunc virum Dei pariter conuenerunt, & viuendi formam hanc à quo didiciſſet, & cur in loco tam ſterili maneret diligenter inquirentes, verbaque prudentiæ & humilitatis eius admirantes lætabundi receperunt.

De tranſitu eiuſdem.

CAP. XLIX.

OCtauo autem die ab eorum receſſu, nullo tamen adhuc dolore vexatus, ab exteriori colloquio cæpit vacare, ſeque totum doctrinæ diſcipulorum, & orationi conferre, ſciens per ſpiritum ſanctum obitum ſuũ propinquare. Cum autem eos ardentiſſime commoneret, illi aſtanter vnanimiter dixerunt: Sanctiſſime pater, quandiu tecum fuimus, nobis pro amore tuo neceſſaria præbuit Deus, ſed poſt mortem tuam quomodo viuere poterimus? Ad hoc ille in fide firmiſſimus reſpondit: Deum ſolum vobis relinquo, cuius ſunt vniuerſa. Cuius etiam amore cuncta pariter, & voſmetipſos reliquiſtis? ſi amando paupertatem ei conſtanter adhæſeritis, ipſe prouidentia qua gubernat omnia vobis largietur, quod nouerit expedire. Si vero, quod abſit, amando temporalia, ab eius amore receſſeritis, nolo vobis vnde ad ipſum impugnandum paſcamini relinquere. Tandem eius membra læthalis dolor inuaſit, & poſt ſacram inunctionem, & viatici receptionem ad dominum migrauit in ordine diaconatus 80. ætatis ſuæ anno, feria 6. Idus Feb. dicens: *In manus tuas domine commendo ſpiritum meum.* Mox vero monachi de Ambaizaro cũ capellano eiuſdem viri & populi multitudine pulſauerunt ad ianuam cum mœmore dicentes, & clamantes: Boni viri nolite nobis celare mortẽ domini Stephani. Ianitor autem volens eos à ſepultura remouere, vt fratres exequias ſine tumultu deuotiſſime celebrarẽt, quaſi conſolando dicit eis, Dicitis quia mortuus eſt, immo melius ſolito credimus ei eſſe. Cui ſacerdos qui cũ cęteris venerat ait: Domine, ſcimus quod mortuus eſt, in vico enim noſtro puer quidam modo in extremis poſitus ab heri & nudiustertius loquelam amiſerat, qui cum à matre ſua exitum præſtolante ſeruaretur, ſubito in hæc verba prorupit: Video, inquit, ſcalam lucidiſſimã, cuius altera extremitas tangit cęlũ altera Muretum, & Angeli multi deſcendunt per eam, vt animam domini Stephani perducant ad gloriam. Quod mater eius audiens egreſſa domum me & monachos hos vocauit, & in domum ſuam duxit. Ad cuius intimationem cum à puero quid diceret requireremus, idipſum ab ore illius audiuimus. Et addidit: Hoc erit vobis iudicium, quod veritatem dico, quod iam moriar, nec vltra vobiſcum loquar, ſed aſcendam cum ſanctiſſimo patre & angelorum multitudine. Quibus dictis expirauit: O Fęlix viſio, quis enim congruentius virgini teſtimonium debuit perhibere, quam virgo.

Eodem quoque die apud Turonum & Verzeliacum deceſſus illius diuulgatus eſt, quæ duo loca à Mureto adeo remota ſunt, quod niſi miraculoſe id fieret, nequaquam fieri poſſet.

Sequenti vero nocte cuidam canonico familiari ſuo per viſum apparuit habitu roſeo decoratus. Nec mirum ſi roſeo, quia martyr Chriſti extiterat, dum in hoc ſæculo vixerat.

De tranſlatione corporis, eius & miraculis ſequentibus.

CAP. L.

PIo igitur patre orbati fratres, vnum de conuentu ſuo Petrum ſcilicet Lemonicenſem in Priorem ſibi elegerunt, Deo & hominibus amabilem, ſub cuius regimine cũ fratres proficerent, monachi ſancti Auguſtini locum Mureti, in quo Deo ſeruiebant cæperunt calũniari, ſed qui potius auferenti tunicam & pallium volebant dimittere, quã vnde ad litigandi conſuetudinem traherentur, habere locum aliũ perquirebant, vbi caput religionis ſuæ conſtituerent. Nulloque idoneo reperto, tandem conſiliũ inierunt, vt prior humiliter, & deuote miſsã celebraret, & cũ fratribus vniuerſis Deo ſupplicaret, vt quod poſtulabãt indicare nõ differret. Quod cum

faceret

faceret & Agnus Dei ter cantatum fuisset,vox cælestis audita est dicens: IN GRANDIMONTE, IN GRANDIMONTE, IN GRANDIMONTE, quam prior,& nonnulli de fratribus audierunt, Finita igitur missa,pergentes ad locũ sibi reuelatum, satis Mureto vicinum,ecclesiam & domos fecerunt ad habitandum. Quibus vtcunque vili schemate peractis, redierunt Muretum, & accipientes sanctum corpus in Grandimontem transtulerunt.Pauciſque scientibus subtus presbyterium ante altare recondiderunt,

Illuc quidam miles paralyticus deportatus,vt in orationibus fratrum reciperetur, ante altare delatus, postquam super lapidem sepulchri pedes suos tenuit, libere exclamans ait: Sinite me, quia modo factus sum sanus, in hoc loco in quo pedes teneo, & dico vobis, quia iacet hic aliquis sanctus tumulatus, pro cuius meritis & amore sanitatem mihi contulit Deus. Cumque prior eum increparet, & vehementer ne hoc diceret prohiberet,ille validius præ gaudio clamabat,hic sanus factus sum.

Quidam etiam eius discipulus, qui lumen amiserat prostratus, & orans ante sepulchrum eius visum recepit. Pannus in quo sacræ reliquiæ inuolutæ fuerant,semel ac iterum proiectus in ignem, comburi non potuit, quæ miracula Prior intuens timuit sibi, & alijs quietem minui,& interne suauitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ,locum ad quem venerant, miraculorum causa frequentarent. Et veniens ad sepulchrum ita locutus est: Serue Dei, tu ostendisti nobis paupertatis viam, & toto conamine docuisti nos incedere per eam. Nunc vero de arcta via ad latam & spacioſam tuis nos vis miraculis reuocare, & qui prædicasti solitudinem, nunc in solitudine foros ac nundinas vis congregare. Non curiositate ducimur, vt miracula videre velimus, sanctitati tuæ satis credimus. Caue igitur ne de cætero ea miracula facias,quæ tuam extollant sanctitatem,& nostram destituant humilitatem. Non sic tuæ prouideas laudi, vt nostræ sis immemor salutis. Quod si aliter feceris, tibi dicimus, & per obedientiam quam tibi promisimus constãter asserimus, quod ossa tua hinc extrahemus,& in fluuium spargemus.

De discordia inter Imperatorem Henricum & Hildebrandum Papam.

CAP. LI.

Vide Baron. an. 1076. qui multo melius & distinctius hac refert. Luc. 29.

ANno imperij sui 21. Henricus Imperator congregato Vuormatiæ concilio 24. episcoporum, & multorum primatum regni, iubet omnia decreta & facta Hildebrandi Papæ irrita esse debere, ibique omnes præter paucos Hildebrandum abiurant,eumque papatu abdicandum esse iudicant. Hildebrandus econtra Imperatorem excommunicat, sub hoc obtentu, vt primates regni quasi iusta ex causa excommunicato Regi contradicant.

Dominica palmarum circa horam sextam,sereno cælo stella apparuit principibus Saxonum, qui in dedicationem imperatoris erãt,relaxatis per eos,quibus commissi erant, Saxones rebellant instinctu Hildebrandi Papæ. Ipse Papa occurrens Imperatori in Longobardia sub falsa eum pace absoluit.Omnes enim qui prius Hildebrandum abiurauerant,periurium periurio cumulantes imperatorem abiurant, & Rodulphum Ducem Burgundionum super se Regem statuerunt. Corona ei à Papa missa cui erat inscriptum.

Petra dedit Petro,Petrus diadema Rodulpho.

Hunc Sigifridus Archiepiscopus Maguntiæ in Regem benedixit, & facta à Maguntinis seditione contra eos.Rodulphus cum Archiepiscopo aufugit.Hildebrandus Papa omnes aduersantes Imperatori absoluit ab infidelitate & periurio. Imperator alpium aditibus contra se munitis,vbique omniũ eorũ insidijs frustratis per Aquileiã venit Ratisponã, & Rodulphũ adortus eũ fugere copulit,& iterata expeditione Sueuiã depopulatur.

Anno 22. Henricus Imperator Sueuiam peruagatus castella frangit,omnia depopulando,inimicis suis formidinem, amicis dedit fortitudinem,& multos qui ex desperatione rerum defecerant ad se trahit. Herimannus episcopus Hildebrando Papæ ad animam cõfederatus, ac per hoc imperatori rebellis, Metensi vrbe pellitur.

Ab hoc tempore cæpit reflorere in ecclesia sancti Quintini Beluacensis caconicus ordo primum ab Apostolis, postea à beato Augustino episcopo regulariter institutus sub magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesiæ præposito postea Carnotensium episcopo.

De Apologia Petri Damiani super episcopatu dimisso.

CAP. LII.

HElinandus. Hoc tempore Petrus Damianus scripsit ad Papam Hildebrandum, reddens rationem quare episcopatum dimiserit. Erat enim vir religione & sapientia nominatissimus, qui quædam ibi narrat, quæ in hoc loco excerpenda decreui. Quia,inquit refutaui ecclesiasticum regimen centum annorum pœnitentia mihi iuncta est, secundum remedia regulæ monasticæ, forte de talibus remedijs loquitur hic de quibus ibi dicit. Dominicus,inquit, lorica ferrea vestitus erat ad carnem,duobusque ferreis circulis cinctus in corpore, & duobus per armos brachiorum. Hic armata scopis vtraque manu 12. psalteria vestibus exutus totam noctem ducens peruigilem, tamen die altera persoluit, & de 13.vsque ad *Beati quorum crucſamst* Huius viri exemplo mos inoleuit in nostris partibus, vt non solum viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam relicta Eechaldi, mulier magni generis, & magnæ dignitatis retulit mihi se per præfixam huius disciplinæ regulam centum annorum pœnitentiam peregisse, tribus disciplinarum millibus pro vno anno computatis. Talis igitur annorum centum pœnitentia iuncta est, quia episcopatum dimiserat amore religionis, cum esset valde idoneus ecclesiæ regimini. Sed ipse rationem reddens multos sanctorum ante se hoc idem dicit fecisse. Valerius inquit Hipponensis Augustinum sibi successorem constituit. Lucidus Citoclensis imminente obitu ad cænobium conuolauit. Cui, vt ait Gregorius in registro, beatus Andreas apparuit, & horam obitus nunciauit. Adelbertus Betuensis episcopus monachum induens, martyrij palmam inuenire promeruit. Item quidam sanctus pœnitens episcopatu dimisso, tandem ab Angelo visitatur,& iubetur ad episcopatum redire, sed noluit, donec admonente eodem Angelo Beatus Remigius celeriter aduenit, qui ei hoc imperauit,& tunc primo obediuit, & infra, Melius est pondus abijcere, quam cum detrimento Domini, cuius ego seruus sum,tractis ceruicibus interire. Vnde scriptum est: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens exegissem vtique,quod meum est cum vsura.* *Luc. 29.*

Idem,inquit Hieronymus,deposuisses ad altare,quod ferre non poteras. Dum enim tu ignarus negociator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. Nonne apud quosdam episcopos regales epulę quotidie, apparatus quotidie. conuiuium nuptiale? & vnde refrigerare debuerant indigentes recreantur milites,& ad eorum mensam delitijs affluentibus alieni ructant, cum illi quorum est tota substantia, exclusi foris famis inopia contabescant. Et quod diabolicam videtur æquare malitiã, prædijs in malitiam profligatis, omnique possessione terrarum. Insuper & decimę,& plebes adduntur in beneficium sæcularibus, quæ liberalitas pessima, & egentibus adimit vnde viuant, & diocesanos vt decimas non persoluant. Illos occidens in corpore, istos in anima.

Florentinæ ciuitatis Episcopus Ludoscacorum præfuit, quem ego increpans adhuc episcopus iniunxi ei,vt percurreret tria psalteria,ac 12.pauperum pedes lauaret, & eos reficeret, & singulis singulos daret denarios, vt manibus aboleret,quod manibus polluerat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Narratio eiusdem de quibusdam casibus mirabilibus.

Cap. LIII.

HVius tẽporis facti sũt quidã casus mirabiles, quos idem Petrus Damianus sparsim in suis libris narrat, quos hic inserere dignum duxi.

Dux Venetiæ Constantinopolitanæ vrbis habebat vxorem, quæ tam tenere & delicate viuebat, & tam artificiosa voluptate se mulcebat, vt se communibus ãtiquis dedignaretur abluere, sed eius serui de rore cæli vndique collecto laboriosum ei balneum præparabant, cibos suos non tangebat, sed ab eunuchis eius alimenta quæque minutius cõscindebantur in frustula, quæ mox illa fuscinulis quibusdam aureis,& bibenti ori suo liguriens adhibebat. Cubiculu eius tot aromatibus & thymiamatibus redolebat; vt etiam dictu fœtidum sit, & auditu incredibile,sed dum adhuc viueret,vibrato super eam iudicij mucrone, corpus eius omne computruit,vt totum cubiculum intolerabili fœtore compleret, nullusque eam ferre potuit; non cosmeta, non seruulus,vix vna sola ancilla, non sine specierum redolentium auxilio in eius seruitio remansit, quæ tamen raptim accedens, cursim recedebat.Diutius hoc languore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diẽ clausit extremum. Huic potest illud aptari, *quantum se exaltauit, & in delicijs fuit, tantum datum est illi tormenti & luctus. Et rursus potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruatio.*

Sophia fuit duorum Marchionum Vgozonis soror, & Rameri filia. Hæc dum sana esset,& incolumis petiit Abbatem S. Christophori, vt sibi sepulturam in eodem monasterio pararet, quo renitente, & illam delirare dicente illa tamen licet difficile impetrauit. Factum est ergo sepulchrum eius in claustro monachorum. Quod illa mox vt ingressa conspexit, nescio quo Dei iudicio ægritudinem incurrit, & paulo post abortiit, & obiit,& ibidem sepulta est. Cuius tumulus cum esset gipsens, & arte cementariorum studiosissime communitus,tantam tamen illuuiem per cõtinuum circiter annum exhalauit, vt fratres in tota illa medietate claustri remorari nõ sineret. Omnis enim caro quanto tenerius & mollius educatur, tanto deterius in putredinem vertitur.

Quidam monachus dum frixuras quasdam in refectorium deferret in vasculo, pruriente gula mox vnam in os proiiciens furtiue comedit. Moxque eum tantus libidinis ardor inuasit, vt quod nunquam ante fecerat, nullaque ratione se comprimeret, donec proprijs manibus semen eiiceret, & sic post buccellam introiuit in eum sathanas.

Adhuc ex eodem.

Cap. LIV.

IN monasterio sancti Vincentij, non procul à monasterio, quod dicitur Petra pertusa cõstituto, regulare constitueramus edictum, vt in quadragesima per triduum non nisi modicum panis cum aqua os sumerent, nulla verba proferrent, nec lectionum nec orationum in audientia nudis pedibus incederẽt,expleto psalterio mutua se scoparum castigatione quotidie purgarent. Hanc regulam quidam frater edendo violauit, qui peritus erat scribendi,notandi,tornandi,fabricandi, Augur, chœnobates, medicus,magus,omnia nouerat. Media Quadragesima ille crassus & nitidus & obesus repẽte infirmatus est. Andieram autem illum pro peccatis suis à missarum celebratione sequestratum. Super qua re eum admonui, sed hoc negauit. Secũda die corpus dominicum sedens in lecto anxius à me flagitabat. Cumque Abbas eum super hoc corriperet, qui præsens nobiscum astabat, pro eo scilicet quod nulla signa mortis in eo apparerent, ille nihilominus perstitit,& iam sacerdote cũ sacramẽto astante,applicũs ad se vnũ de fratribus,nescio quod graue peccatũ ei insusurrauit in aurẽ,qui attonitus,& nesciẽs,quã ei pœnitentiã iniungeret; tandẽ 15,annos pœnitẽtiæ ei iniũxit. Moxque vt ille corpus dominicũ suscepit, animã cum felle simul euomuit, quod fel vsque ad sepulturam fluere non cessauit.

Cofessio peccatorum auricularis.

In præfato monasterio statutum erat,& per trienniũ iam seruatũ,vt horis canonicis beatæ Mariæ semper virginis officia dicerẽtur,de quo cæpit murmurare monachus quidã nomine Gazo, reprobæ vitæ, sed dicacis & accuratæ facundiæ,& obtinuit per quæstiones, vt horæ beatæ virginis amplius non dicerentur. Mox innumeræ aduersitates aduersus idem monasteriũ exortæ sunt, deprecationes,rapinæ, conflagrationes,seruorum,& familiarũ eiusdem loci trucidatio. Itur ad Imperatorẽ Teutonicum,sed frustra. Venitur ad me, dico eis hoc accidisse,quia matrem pacis à se proiecerant,& mox in terram prostrati nuntii dicunt se nunquam de cætero laudes beatæ virginis omissuros.Sic in breui postea pacem recuperauerunt.

Item ex eodem.

Cap. LV.

DVo viri ex primoribus Fauentinæ ciuitatis eiusdẽ cuidã diacono simul apparuere per visũ, qui sericis casulis in modum sacerdotum talotenus videbãtur induti, percunctante,illo, & dicente vtrum vos, qui in illa vita estis iugiter Deum benedicitis. Responderunt: Nos qui apud inferos æterno igne cruciamur,nunquam benedicimus dominum.

Ducis Salernitani mors horrenda.

Quidã presbyter Salernitanus cũ quadam die prospexisset de mõte Vesuuio flammas erumpere,protinus ait: Proculdubio aliquis sceleratus diues in proximo moriturus est,& in infernum descensurus. Est enim talis cõsuetudo in illis partibus, vt imminẽte morte diuitis reprobi,mõs ille flãmas euomat piceas,& sulphureas. His dictis superueniẽte proxima nocte, dũ idẽ princeps cum meretrice securus concũberet,expirauit. Quẽ illa,vt postea referebat,quid cõtigisset ignorãs diutius pertulit,& vix tandem à se non hominem sed cadauer proiecit.

Quidã presbyter Neapolitanus volens certius, quod non licebat addiscere, illuc vbi gehennale baratrũ ferueutius eructabat,propinquare præsumpsit,post missaru solemnia infulatus quasi armatus procedens, sed dum vltra quã solebãt homines,temerari° scrutator accessit, redire non valens postmodum non comparuit.

Alius presbyter matrem suam Beneuenti ægrotantẽ reliquit, qui dum perduceret dominum suum per fines Neapolis exũdantibus flammis intendens, audiuit clamorem quem matris suæ esse cognouit. Notauit horã, & tunc comperit matrem suam obijsse.

Quidam clericus cum pellice sua per quinquennium luxurians, incensa vrbe fortuito incendio simul in vna domo combustus inuentus est.

Quidam presbyter conuersionem promittens, & differens, in paruo fluuiolo de equo cecidit, & submersus est.

Ex eodem.

Cap. LVI.

IOannes Comiculensis episcopus porcum viduæ abstulit. Ploræuit illa, non est exaudita; qui dum comederet percussus est in gutture, quod vulnus dum vixit à medicis curari non potuit. Tunc ergo conuersus est ad religionem, quam multo ante promiserat, & implere volebat, diu tamen postea in conuersione vixit tanta laboraris gutturis molestia, vt cum magna difficultate alimenta perciperet, & ad geminam refectionem statim sibi succedentium discumberet, vixque in tanto spacio sumeret vnde stomachum recrearet.

Fur porci quid pertulerit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vir quidam diues Harduinus certa deuotione mihi spoponderat, quod si non posset ante, saltem expleto decennio transiret ad religionem in monasterio beati Vincentij, quod in Vrbinati solo situm est. Expleto termino tergiuersari cæpit, & abbas eiusdem monasterij votis eiusdem fauebat & dissuadebat conuerti, cuius nimirum pernecessariis sustentabatur auxilijs. Interea languore correptus cõfessus & pauperibus & ecclesiis multa largiens, quasi cunctis bene dispositis securus, assistẽtes sibi cognatos, & affines sub hac attestatione cõstrinxit: Obsecro vos, inquit, per charitatem, quæ Deus est, vt nemo me huic mortali vitę reddi deposcat, ne me imperatum quod absit improuisa mors reperiat. Mortuus est ergo, & aliquanto tempore post mortem suam abbati illi apparuit nocte per visũ; videbat & ecce in spacioſa cãpi planitie imperator, vel quælibet excelsa potestascũ totius regni copioso cõueniebat exercitu. Cũque ille stupefactus huc illucque oculos deduceret, ecce Harduinus à quibusdã custodibus celeriter ducebatur. Heus, inquit, abbas siste gradum parumper. Mihi non loqueris Harduine? Eya frater quid tibi est, lætaris an pateris. In pæna es an in gloria? Tunc ille tristis ac flebilis, quid, inquit, me interrogas de gloria, qui iugibus pænis afficior. Ad quem abbas: Quid ergo tibi fecit beatus Vincentius. At ille: Sanctus, inquit, Vincentius diu me fecit sperare colloquium, sed quia dudum fatigatus obtinere non merui, spem hanc iam omnino fruſtratus amisi, sic plane promissionibus frustrabatur ab eo, quem similiter promittendo frustrauerat.

Securus in morte nemo esse debet.

Ex eodem.

Cap. LVII.

IN monasterio quodam, quod beatus Gregorius intra Romanæ vrbis mænia condidit, quidam puer à parentibus oblatus est, qui cum adolescceret ad sæculũ redijt, & vxorem duxit. Cumque iuuenis factus esset, diuino iudicio percussus in gutture cæpit ægrotare, vsque ad mortem, tandem se petijt ad monasterium reportari, ibique pænitudinem de suis prauitatibus & habitum monachi recepit. Cumque vxor eius cum nonnullis ante lectum assisteret iacenti, cæpit ille gemens & vlulans in ordinata voce garrire. Cumque increparetur quare non quiescceret. Nonne, inquit, videtis beatum Andream Apostolum, & sanctum Gregorium acerrimis me suis verberibus flagellantes. Postea paululum quiescens respirabat, & dicebat: Modo verberauerunt me, quia monasterium dimisi, & vxorem accepi. Et iterum post fletus & rugitus dicebat quiescens. Modo verberauerunt me, quia pauperibus mendicantibus maximeque Scotigenis non modo nil dedi, sed etiã eos, quod pessimum est, frequenter irritaui. Rursusque modo castigatus sum, quia sex nummos à quadam vidua paupercula mutuo accepi, & reddere nolui. Quot passus illa fecit in laborando dum veniret illos à me requirere, tot modo ictus ab amborum sanctorum manibus pertuli, dum me pariter verberarent. Vt sciatis autem, inquit, quia non mentior, hora sexta de hoc sæculo migraturus sum; erat tunc 6. feria. Nocte vero qua dominicus dies illucescebat in ramis palmarum, de lecto cunctis mirantibus exiliens, scapulare, & cilicium, quę iuxta se erant repente corripuit, & mox ecclesiam beati Andreę attonitus & festinus intrauit, vbi strato cõpositus his qui aderãt fratribus ait: Ecce sãctorũ verberibus flagellatus ita purificatus de corpore egredior, sicut de fonte baptismatis nudus exiui. Igitur intra sacra missarum solemnia, dominica passione vix perlecta, hora qua prædixerat obijt. Nudato eius corpore ad lauandum, inuentæ sunt in eo vibices & stigmata plagarum.

In eodem monasterio crypta est, & in eadem fons vnde beatus Gregorius bibebat, & cubile lapideum in quo in æstate quiescebat. Quam aliquando cryptam prægnans canicula ingressa est, vt in ea parturiret, quæ mox vt præfato cubiculo appropinquauit moriens corruit.

Adhuc ex eodem.

Cap. LVIII.

DEsiderius Cassinensis Abbas narrauit mihi: Seruus, inquit, Dei Neapolitanæ regionis in præruptа rupe iuxta viam publicam solitarius habitabat, qui dum nocturno tempore psalleret, & fenestram cellulæ horarum explorator aperiret, vidit multos Aethiopes iter capere, & longo tractu onustos fæno sarcinatios cõminare. Cumque eos inquireret, qui essent, & cuius rei gratia hæc iumentorum pabula vectarent. Maligni spiritus, inquiunt, sumus. Hæc autem paramus non pabula pecoribus alendis, sed fomenta potius ignium hominibus cõburendis: præstolamur enim in proximo principem Capuæ, qui iam decumbit, & Ioannem magistrum militum Neapolitanæ ciuitatis, qui adhuc viuit incolumis. Illico vir Dei Ioannem festinus adijt, quæ viderat, & audierat narrauit.

Per idem tempus Otho secundus contra Saracenos ibat Calabriam. His auditis Ioannes ait: Modo necesse habeo Imperatori occurrere, & de statu terræ huius diligenter tractare. Post eius abscessum spondeo, quia sæculum deseram, & monachus fiam. Vt ante probaret vtrum verum esset, quod ille narrabat, nuncium direxit ad Capuam, qui Pandulphum iam mortuum inuenit. Ipse quoque magister militum Ioannes, antequam Imperator ad illas partes attingeret, vix diebus 15. superuiuens mortuus est.

Martinus, qui in Camaldulensi eremo cõmorabatur, vir multarum virtutum, & præcipue in gratia lachrymarum narrauit: Monachus erat maritimi territorii in cænobio, quod dicitur ad pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus. Cui cum magna & longa pænitentia fuisset iuncta, ille à quodam familiari suo auxilium petijt ad comportandum pondus pœnitentiæ. Quod onus ille deuote suscipiens, præcepit eum securum manere de tanta parte persoluenda. Qui sic obligatus non multo post mortuus est. Erat autem vitæ inter fratres irreprehensibilis, & opinionis honestę. Nõ multis post diebus pænitenti monacho in somnis apparuit, qui inquisitus quomodo se haberet. Male, inquit, & dure, sed propter te. Nam liber à propriis, quia tuis me vinculis innodaui, & alienam cautionem non persolui, flagellis duris atteror, sed quæso te vt vigiles pro te, & liberes me. Vade itaque & deprecare cõuentum, vt quod spopondi persoluant, & me eruant. Quod cum factum esset, ille rursus præfato monacho apparuit vultu festiuo & sereno dicens, se per orationes fratrum à pœnis erutum, & sanctis coniunctum.

Monachus qui pœnitentias pro alio susceptas nõ impleuerat, post mortem torquetur.

Item ex eodem.

Cap. LIX.

IN partibus Galliarum inter Abbatem, & quendam sæculi potentem orta est magna contentio de possessione, ita vt vtriusque partis fautores post lõga iurgia ad arma condixerint. Potẽs ille sæcularis turmis armatorum stipatus campum pręliaturus ingreditur. Abbas autem cunctis, qui pro se dimicare venerant suum prohibuit comitatũ. Solos monachos suos equis imposuit, capita cucullis operire præcepit, & sic armatus ad locũ certaminis venit, protin⁹ aduersarij tãto horrore percussi sũt, vt mox equis desilirent, arma proijcerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiã flagitarent. Si obiiciatur Leonẽ Papã bellũ gessisse. Respõdeo, non ideo Petrum factũ esse Apostolorũ Principẽ, quia negauit, nec Dauid ideo Prophetã, quia mechatus est. Mala vel bona non de meritis habentiũ, sed de propriis qualitatibus debent æstimari. Gregorius multas rapinas, & violẽtias à

Abbas quidã quomodo quendam principem superarit.

Longo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Longobardis passus est, Ambrosius ab Arrianis; vterque pro sola patria dimicauit. Dusinus episcopus in capite ieiunij feria 4. fecit sibi, & militibus sumptuosum conuiuium, & balneum præparari, cuius vultum repēte paralysis corripuit & faciem, & os, cum tali morbo diu postea vixit.

Item ex eodem.

Cap. LX.

QVidam alienam suem furatus est. Erat autem vir iste hospitalis valde. Interea adest Iesus in effigie pauperis, & tanquam prolixo crine rogabat tonsorem, ille protinus reuerenter assurgens assumptis forcipibus eum tondere cæpit, quod dum faceret, repperit in occipitio eius duos oculos latitātes. Expauit ille, & inquisiuit, quid hoc esset, Cui ille: Ego, inquit, Iesus vocor, qui vndique cuncta contemplor, & isti sunt oculi quibus vidi suem quam in cauea concluſisti, moxque disparuit.

Quidam episcopus valde sitiens vinum sibi afferri præcepit. Cumque pincerna totum quod erat in vasculo exhausisset in poculum, & episcopo detulisset, ecce pauper importunus illud sibi dari popoſcit, dicens; quia si statim nō biberet, protinus expiraret; præcepit episcopus illud pauperi dari. Cumque amplius sitiret episcopus, quam ante, iussit iterum in vas vinarium inspici si forte aliquid supereſſet, & repertum est plenum.

Abbas quidam iussit emi vnam prædam, empta est vna 20. nummis Papiensibus cocta & apposita, & ecce pauper ad ianuam id maxime sibi dari postulat, quod Abbati appositum erat. Mittit ei Abbas integrum adhuc piscem. Illico pauper cum parobside plena pisce in sublime se extulit, & cælum cunctis videntibus penetrauit. Ecce probatio, quod illud quod in sinu pauperis occultamus, in cælum reponimus.

Episcopus quidam vnam prædā præparari iussit. Cūque missam cantaret illecebroso gustu eiusdem piscis tentatus est affectus. Erubuit ille expletaque missa pauperi piscem dari iussit.

Paterfamilias qui nūmum dedit viginti solidos accipit.

Quidam paterfamilias vnum solum nummum habebat in loculo ad emendum aliquid, quod cum pane comederet. Interim pauper aduenit, & misericordiam postulauit, dat ei nummum illum. Redit domum, panis, qui solebat apponitur, & ecce vir quidam ignotus & quem nunquam ante viderat festinus, & anxius 20. solidos deinde in linteo ligatos in manu eius posuit, dicens ei à Domino suo missos, & tanquam qui expectaretur, mox recessit.

Item ex eodem.

Cap. LXI.

QVidam nobilis genere, sed degener motibus, duxit consanguineam suam in Clauoniaco regno, excommunicatus ab episcopo pio contempsit. Ad diuinæ vero indignationis contigit iudicium, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canes proiecti à canibus non tangerentur, Non multo post ille in cubiculo dormiens fulminatus est.

Cumque apud Parmensem vrbem studerem in vigilia Sāctorum Martyrum Geruasij & Prothasij, vir quidam maturius surrexit, & boues suos in remotiora pascua duxit. Cuius conuicinus quidam ingressus domum, & febricitare se simulans lectum vxoris eius intrauit, cūque dentibus strideret & tremeret, illa velut febricitanti marito compatiens illū amplexa est, & lodice contexit, quā ille violans continuo recessit, nec multo post maritus redit, stratum repetit, cui vxor exprobrans ait: Optime poteris hodie ecclesiā sanctorū ingredi martyrum, quæ tibi contigua est cum cæteris Christianis. Cumque ille attonitus inquireret, quid loqueretur, & rem totam per ordinē coguouisset, cognoscētes vterque se esse delusos valde consternati sunt. Tandem resumpto spiritu & omni rubore postposito, cōuenerunt cum cæteris ad nocturnū officiū, & querelā corā omnibus deposuerūt, & vindictā de tāto scelere à Domino popoſcerūt, vt latentē adulterum notum faceret. Mox adulter dæmone plenus, & seipsum lacerās intrauit ecclesiā, modo in altū volans, modo grauissimo impetu in ima se præcipitans, modo ad parietē caput elidens, modo in pauimentum insaniendo se prosternens tandem infœlicem animam coram populo exhalauit.

Adhuc ex eodem.

Cap. LXII.

FErtur in regione Puteolorum in Apulia, inter aquas nigras fœtidas saxosū esse promōtoriū, & scrupeū. Et quibus aquis consueto more teterrimæ vidētur auiculæ repēte cōsurgere, & à vespertina sabbati hora vsq; ad ortū secundæ feriæ humanis aspectibus apparere, & velut solutæ à vinculis libere spaciari, alas extēdere, plumas depectere. Nec vnquā vidētur vesci, nec quolibet aucupis ingenio possunt capi. In matutino secūdæ feriæ ingens coruus ad instar vulturis eas persequitur, & post illas crocitat, quæ protinus aquis se immergūt, nec vlterius apparēt, donec ad vesperā sequētis sabbati. Has vero nōnulli perhibēt esse animas hominū gehēnæ deputatas; sed Dominico die cū adiacētib⁹ noctib⁹ pro gloria resurrectionis dominicæ refrigerio potiri. Cui celebri assertioni Prudentius in hymno consensit dicens.

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum sub stygе feriæ.
Illa nocte sacra, qua redyt Deus.
Stagnis ad superos ex Acheronticis.

Sed Desiderius Cassinensis Abbas rem sic se habere funditus abnegat.

Vmbertus tamē Archiepiscopus præsēte Desiderio retulit se hoc audisse ab accolis Appuliæ.

Idē Vmbertus retulit, quod in monasterio S. Siluestri in territorio Vrbinati quidā monachus obijt, & ab incipiente gallicinii nocturnalis articulo, vsque ad secūdam diei horā cadauer exanime fratribus circūquaque psallētibus iacuit. Cūq; ad missā pro eo, *Agnus Dei*, diceretur, ecce subito mortuus surrexit. Cumque attoniti fratres propius accessissent, vt ab ore illius verba audirent, ille maledicta, & cotumelias in Deū cæpit euomere, & crucē oblatam ei vt oscularetur conspuere, & intemeratam Dei genitricem ignominiosis opprobrijs lacerare, & dicebat: Qua re pro me psallitis, vel sacrificia offertis? Ego in ipsa flāma tartari sui, ibique magister meus, & dominus lucifer coronā suam æreā inextinguibili sēper ardore candentē in capite posuit, eiusdēque metalli clamyde qua induebatur me vestiuit. Erat autē clamys tam lōga, vt talotenus flueret tā feruēter ignita vt guttas emittere videretur. Cumque fratres eū vt pœnitentiā ageret admonerent, ille anathematizabat, & omnia redemptoris nostri ore sacrilego cōdēnabat mysteria. Tunc monachi toto corde pro illo orātes, exutis vestibus se verberātes, & pugnis pectora tundentes, omnibus quibus valebant precum generibus insudabāt. Et ecce desperatus ille ad se redit, Saluatoris omnipotentiam laudat, sathanę ludificationes abrenunciat crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem quia post abrenunciationē sęculi in fornicationē inciderat, quod eatenus celauerat, laudansque & benedicēs Deū, vsque in diē alteram vixit, & in sancta confessione migrauit.

Item ex eodem.

Cap. LXIII.

HIldebrandus mihi retulit, quod in Teutonia erat quidam comes bonæ opinionis, & vitæ innocentis, secundum opinionem hominum, qui ante decennīū defunctus fuerat. Post cuius obitū quidā vir religiosus

per spiritum ad inferiora descendens, vidit eundem comitem in supremo gradu cuiusdam scalæ, quæ scala inter stridentes & crepitantes flammas videbatur erecta ad suscipiendos homines, qui ex eadem comitum genealogia descenderent; surgebat autem scala illa de immenso barathro. Hoc autem ordine succedentium series texebatur, quod qui nouus adueniebat semper primum gradum tenebat scalæ, & qui nouior repertus erat ad inferiorem proximum descendebat. Cumque vir qui hoc aspiciebat requireret, quare ille comes sui temporis qui tam iuste vixerat illic torqueretur; audiuit, propter quandam possessionem Metensis ecclesiæ, quā Beato Stephano proauus eius abstulerat; cui iste iam decimus in hæreditate successerat.

In partibus Babyloniæ habebat possessionem sedes Apostolica vnde tantum balsami redditum annuatim capiebat, quod sufficeret illuminandæ lampadi ante altare Sancti Petri appensæ, & semper ardenti. Hanc possessionem accepta pecunia Papa distraxit, & canonem aromatis quem accipere solebat amisit. Aliquanto post cum idem Papa ante sanctum altare quasi deuotus astaret, orans ecce grandæuus, & terribilis senex, in cuius etiam facie barbisium videbatur, elato brachio colaphū illi vehementer incussit, & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Deum, moxque disparuit. Protinus ille corruit, & paulo post obijt.

Puerulus quidam quinquennis Hubaldi filius nobilissimi viri qui mecum degebat in eremo, in meo monasterio factus fuerat monachus. Hic cum in stratu suo quieuisset vespere, mane in pistrino clausis vtrinque ianuis inuentus est, qui requisitus dicebat, se à quibusdam hominibus ad magnum conuiuium deductum, vbi omnes epularum deliciæ videbantur, ibique eum manducare fecerūt. Dicebat etiam, quod eum vsque ad castellum quod supereminet monasterio deferentes, super ipsum tintinnabulum, quod iuxta in excelso dependet, deposuerunt.

Adhuc ex eodem.

Cap. LXIV.

IN Bononię partibus duo quidam amici, & compatres in conuiuio discumbebant, in quibus allatus est gallus, quem alter eorum in frusta dissecuit, tritumque piper cum liquamine superfudit. Quo facto alter ait: Profecto compater sic explicuisti gallum hunc, vt ipse Petrus etiamsi velit reintegrare non possit. Cui mox intulit alter. Plane non modo si Beatus Petrus, sed & si ipse Christus pręciperet gallus hic in perpetuo nō resurgeret. Ad hanc vocem repente gallus viuus, & plumis coopertus exiliuit, alas percussit, & cecinit, plumas excussit, totumque liquamen super eos, qui vescebantur aspersit. Illico sacrilegi blasphemi in aspersione piperis lepra percussi sunt, quæ plaga lepræ etiam in posteros eorum hæreditaria permansit vsque ad obitum, vnde in famulatum subacti sunt Bononiēsis ecclesiæ, quæ Beati Petri insignitur vocabulo.

Quidam institutores Venetiæ cum applicuissent, viderunt leonem spiris draconis non procul à littore inuolutum trahi violenter à dracone in speluncam. Pandotes autem, qui repente huic spectaculo conuenerant audacter draconem inuadunt, & perimunt, & leonem liberant, qui non ingratus per aliquot dies quibus illic Pandotes morati sunt quotidie pellem vnam animalis à se capti aduexit.

Quidam agricola diluculo valde mane surrexit, & videns draconem enormis magnitudinis, lignum putauit, & super eum sedit, quem mox bestia deglutiuit.

Leo sacerdotē vnum inuadit & arripit.

Quidam cum ab Hierosolyma redirent, & defessi secus viam nocte quiescerent, leo terribilis dormientibus superuenit, cæterosque præteriens solum presbyterum inuasit, cęteriisque leonibus prædam aduexit, quem mox deuorauerunt sociis audientibus mugientem.

Quidam cum conuicaneo suo ad ligna cædenda pergebat, & ecce serpens trabalis magnitudinis duobus attollens colla capitibus in eos impetum fecit. Vnus autē eorum, qui tenebat securim vnum caput eius abscidit, & mox ei securis ad terram cecidit, quem serpens iratus mox altero capite mordicus apprehendit, & spiris suis cum inuoluens in speluncam suam tulit, qui dum traheretur clamabat ad socium vt eum defenderet, vel ei securim quam tenebat in manibus daret, qui timens noluit, sed fugit: & idcirco à sacerdotibus tanquā reus mortis exilium subire coactus est.

Rusticus qui socium quem potuit à morte non eripuit reus mortis censitur.

Hucusque de Petro Damiano, & dictis eius.

De cæteris gestis illius temporis.

Cap. LXV.

SIgebertus *in chronicis*. Anno Imperij sui 23. Henricus Imperator in Penthecoste conuentu habito Magūtiæ decreuit Hildebrandum à Papatu esse deponēdum, & Longobardiam petens Guicbertum Rauennæ episcopnm pro Hildebrando Papam designat.

Consule Baronium an. 1080.

Anno 24. Hildebrandus Papa quasi diuinitus reuelatum sibi prędixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum. Et verum quidem prædixit, sed fefellit eum de falso Rege coniectura secundum suum velle super Hērico Rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus graui bello congreditur, & in cōgressu falsus Rex Rodulphus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur. Maguntia magnum terræmotum persensit Calen. Decembris.

Rodulphus ab Henrico Imperatore superatur.

Claret in Anglia Lanfrancus doctrina & probitate conspicuus, ex Abbate Cadomensi ordinatus Cantuarię Archiepiscopus.

An. Ch. 1080.

Eo tēpore florebat in Northmannia Anselmus Beccensis monasterij Abbas eximius, & pro sua sanctitate & sapientia plurimum nominatus.

Hoc etiā tēpore in cœnobio Sācti Medardi pollebat signis & virtutibus vir beatissimus Arnulphus, qui pro miro sanctitatis feruore propositū reclusionis eligēs, & arcta nimis abstinentia se affligens, prophetiæ gratiā diuinitus accepit, & ex recluso Abbas eiusdem monasterij factus, ad ipsam reclusionem, pro contemptu mundi, & desiderio internæ quietis postmodum redijt. Suessonico autem Pōtifice defuncto, electus est ad Archiepiscopatum, & iussu Papæ Gregorij à sedis Apostolicæ legato Hugone Lugdunensi Archiepiscopo in Præsulem est consecratus.

De constructione ecclesiæ Maldenburgensis, & eius miraculis.

Cap. LXVI.

ANno 25. Regis Dagoberti tempore, sanctus Præsul Vrsmarus in Flandrensi prouincia prædicans sub honore Sancti Petri Apostoli, ipso sibi reuelante, ecclesiam Maldenburgensem ædificauit & consecrauit, quam Deus multis miraculis vsquequaque glorificauit. Inter quæ illud tam mirabile, quam inauditum amplius extitit, quod hoc anno Dominicæ nocte natalis contigit campanariū præfatæ ecclesiæ vehementi vento flante à suis locis auulsum, & ad terram penitus fuit inuersatum; ita in aere pendens, & ruinam sui minitans, vt semper casurum, & cuncta vicinia cōfracturū cerneretur. Et cū per sex dies, & noctes id tractaretur à populo, qualiter hinc inde extractis machinis sursum erigeretur, & vtrumque suo loco relocaretur, pridie Calend. Ianuarij circa noctis medium aduenies virtus diuina totam ecclesiam intus, & foris impleuit luce ignea, & campanarium ad terram reclinatum, totum insimul erexit ac firmissime locis suis relocauit, & campanas ibi pendentes mox sonare compulit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Eadem die cæci & claudi, surdi & paralytici celerimam in eodem loco adepti sunt medelam, nec solum illo die, sed prolixiori tempore diuinæ virtutis tanta permansit copia, vt de longe & de prope confluentibus ægrotis parata cælitus præstaretur medicina.

Magnus terræmotus cum graui terræ mugitu factus est 6. Calen. Aprilis prima noctis hora, protendēs forte imminens malum, quod in toto orbe insonuit, & vnde terra dolet, & doluit. Henricus enim Imperator ad debellandum Papam Hildebrandum Italiam petijt, contra quem Papa vrbibus, & castellis munitis se ad rebellandum accingit eumque Romam hostiliter adeūtem non recepit. Henricus autem Imperator expugnatis vrbibus & castellis quæ contra se pro Hildebrando erant Romam Leonianam obsidet.

Henricus Romam obsidet & capit.

De Anselmo Cantuariensi, & bonis eius initijs.

Cap. LXVII.

Magnū habet in litteris processum.

EX gestis eius. Præfatus Anselmus ex confinio Longobardiæ & Burgundię oriundus, literis traditus didicit, & in breui plurimum profecit. Necdum 20. annum attigerat, cum iam qualiter secundum Deum vitam instituere posset melius mente tractabat. Expleto autem aliquo tempore patriam egressus, cum in transcensu montis cuiusdam fatigatus corpore deficeret, vires suas niuem mandendo reparare tentabat; neque enim aliud quo vesceretur præsto erat, quod minister eius aduertens doluit, & an forte, quid edendum in sacculo eorum haberetur diligenter inuestigare cæpit. Et mox contra spem in eo nitidissimum panem repperit, quo ille refectus recreatus est, & viæ incolumis redonatus. Exactis itaque tribus annis partim in Burgundia, partim in Francia, Northmanniam vadit. Et cum famā magistri Lāfranci vsquequaque percrebresceret, & nobilissimo clericorum ad eum de cunctis mundi partibus ageret, Beccum venit, & eius magisterio se subdidit. Cumque propter studia corpus, & inedia, & frigore fatigaret, venit ei in mentem, quod si monachus fieret, acriora quam patiebatur, eum pati non oporteret, nec tunc laboris sui meritum perderet, quod nunc nesciebat vtrum sibi maneret. Hoc ergo mente concepto, ita secum tractabat; Ecce monachus fiam, sed vbi. Si Cluniaci, districtio ordinis, & Becci supereminens Lanfranci prudentia. me aut nulli prodesse, aut nihil valere comprobabit. Itaque in tali loco perficiam, quod dispono, in quo & scire meum possim ostendere, & multis prodesse. Nondum enim, vt ipsemet referre solebat, in eo vigebat mundi contemptus, sed postmodum in se reuersus: quid, inquit, esse me monachum hoc est velle, scilicet alijs præponi, præ alijs honorari, & magnificari, Non. Illic igitur depositā contumacia monachus deueni, vbi sicut æquum est propter Deum cunctis postponaris, cunctis abiectior habearis. Et quidem Becci nullius ponderis ero, quando quidem ille ibi est, qui præminentis sapientiæ luce conspicuus cunctis sufficiēs cūctis est honorabilis, & acceptus. Ille ergo monachus factus, sic religioni per omnia seruiebat vt quisquis religiose in tota congregatione viuere volebat, in eius vita satis, quod imitaretur, inueniret. Lanfranco autem in Cadomensis cænobii regimine assumpto, ipse prioris officio functus est.

Tepescis adolescentis feruor diuin aridot mundus.

De miraculis eiusdem.

Cap. LXVIII.

COntingit autem quādam nocte, vt antenocturnas vigilias in lecto iacens secum rimari conaretur, quomodo prophetæ præterita simul & futura quasi præsentia olim agnouerunt, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerunt. Et cum in his totus esset, & hoc noscere desideraret, defixis oculorum suorum radiis vidit per medias maceries oratorii & dormitorii monachos, quorum hoc officium erat pro apparatu matutinarum altaria, & alia loca ecclesiæ circumeuntes, luminaria accendentes, & vnum eorum sumpta chorda cimbalum pulsantem. Ad cuius sonitum conuentum fratrum de lecto surgentem mirabatur de re, quæ acciderat. Concepit ergo apud se Deo esse leuissimum prophetis in spiritum ventura monstrare, cum sibi concesserit, quæ fiebant per tot obstacula corporeis oculis posse videre.

Quidam iuuenum in conuentu hoc apud se proposuerat, nulla vnquam occasione manum suam membris suis genitalibus admoueri. Cui proposito inuidens diabolus tātum in eisdem membris dolorem & angustiam fecit eum sentire, vt nullo modo se iuuenis posset ferre. Sentiebatur enim caro ipsa tanti esse ponderis, ac si plumbi grauissima moles in illa penderet parte corporis. Cumque anxietatem iam dissimulare non posset, requisitus ab Anselmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus ergo, vt modum ægritudinis admota manu probaret, verecundatus recusauit, timens ne propositum violaret. Tunc Anselmus assumpto secū grandæuo fratre & religioso, iuuenem languidum in secretiorem locum ducit, vt modum infirmitatis illius agnituras, & auxilium pro possibilitate laturus. Quid amplius? Caro sanissima reperitur. Euestigio quippe omnis illa diabolica vexatio cadit, nec fatigat vlterius iuuenem quem simplex Anselmi aspectus à tanta clade fecit immunem.

Damonis in iuuene castissimo illusio.

Adhuc de eodem.

Cap. LXIX.

QVidam quoque ex antiquioribus fratribus qui veteri odio plurimum infestus erat Anselmo, nec poterat vllatenus super eum respicere simplici oculo, infirmitate pressus ad extrema est perductus. Cumque fratres meridie in lectis ex more quiescerent, ipse in domo infirmorum iacens, cæpit miserandas voces emittere, & quasi quorundam horrendorum aspectus subterfugere gestiret; & pallens & tremens vultum suum delitescendo hinc inde commutare. Territi fratres, qui aderant, quid haberet quærebant. At ille: Geminos immanes lupos inter brachia sua me tenere compressum, & guttur meum impressis dentibus iamiam suffocare videtis, & quid mihi sit quæritis? Quo audito vnus ex eis ad Anselmum, qui in claustro emendandis libris intendebat, concitus perrexit, & ei extra claustrum educto, quid circa infirmum fratrem ageretur patefecit. Tunc ille in secretiorem locum solus secedēs, post modicum domum in qua iacebat infirmus ingrediens leuata manu *signum crucis* edidit dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ad quod factū statim æger cōquieuit, & exhilarato vultu intimo cordis affectu Deo gratias agere cæpit dicēs, quod Anselmo ostiu ingrediēte, & extēsa manu *signum Sanctæ crucis* edete, vidit ex ore eius flammā ignis ad modū lāceæ procedentē, quæ in lupos iaculata eos deterruit, & celeri fuga dilapsos procul abegit. Tūc Anselmus fratrē de salute animæ secretius alloquens, ad pœnitētiā & cōfessionē eius cor inclinauit: Paterna dehinc auctoritate absolutū dixit: Hora qua fratres ad nonā surgerēt præsenti vita decessurū. Quod & factū est.

Frater S. Anselmo infestus in summo versatur periculo.

Eum S. Anselmus liberat.

Riculphus eiusdē cænobij secretarius quadā nocte, dū horā qua fratres ad vigilias excitaret per claustrū iens, obseruaret, Anselmū quē ea hora sopori potius æstimabat, quā orationi occupatū, in capitulo vidit in oratione stantē, ingenti splendentis flāmæ globo circuncinctum.

Orans splendore cinctus videtur.

Quadā die cum esset in via, occurenti sibi quodā monacho Becci, quid cōsilij sibi de hospitio ferret interrogauit. Qui respōdit: Habemus quidē nō longe hospitiū, sed nō est quod nobis & fratribus apponatur præter panē, & caseū. At ille subridēs ait: Ne timeas vir bone, sed cito præcede, & misso reti in vicinū ānē statim inuenies piscē, qui sufficiet nobis omnibus. Ille mādato accepto præuolās nūciat piscatori, qui ridendū potius, quā attē-

Præuidetrē futurum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tandum quod dicebat, fore pronuncians; tandem tamen à fratre coactus, contra ſpem rete iecit, & illico trutam inſolitæ magnitudinis cum alio quodam piſciculo cępit.

Non ſine miraculo piſcis capitur Prædicit futura.

Alia vice quidam vir eum per terram ſuam tranſeuntem ad prandium detinuit, ſed cum de penuria piſcium quæreretur; quid ei, & monachis eius apponeret, niſi vilia quædam non habens, alludens dicit ei Anſelmus. En ſturio vnus tibi defertur, & animus tuus de deliciarum inopia quæritur. Et ita factum eſt.

Qualiter Abbatem quendam de correctionis auſteritate redarguit.

Cap. LXX.

Colloquium eius cũ quodã Abbate, vt pueri ſint in canobijs tractandi.

CVm autem Abbas quidam, qui admodum religioſus habebatur, ſecum de his quæ monaſticæ religionis erãt loqueretur, & inter alia de pueris in claſtro nutritis verba conferret, adiecit: Quid obſecro fiet de iſtis? Non ceſſamus die ac nocte eos verberantes, & ſemper fiunt deteriores, hebetes enim ſunt, & beſtiales: Ad quem iratus Anſelmus, ait: Quam bene nutrimentum veſtrum expendiſtis, qui de hominibus beſtias nutriuiſtis? Dic mihi quæſo Abba, ſi plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam ex omni parte concluderes, vt ramos ſuos nullatenus extendere poſſet, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis, incuruis ramis, & perplexis. Certe hæc facitis de pueris veſtris. Plantati ſunt per oblationem in horto eccleſiæ, vt creſcant & fructificent Deo. Vos autem in tantum eos terroribus, minis, & verberibus vndique coarctatis, vt nulla eis penitus liceat libertate potiri: vnde fit, vt quia nihil amoris pietatis, dulcedinis circa ſe in vobis ſentiunt, nec illi alicuius boni in vobis poſtea fidem habeant, ſed omnia veſtra ex odio & inuidia contra ſe procedere credant. Contingetque modo miſerabili, vt ſicut deinceps corpore creſcunt, ſic in eis odium, & ſuſpicio omnis mali creſcat, ſemper proni, & incurui ad vitia. Cumque ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum niſi depreſſis ſupercilicijs oculove obliquo, valent intueri.

Elegans ſimilitudo.

De promotione eius ad Archiepiſcopum, & ſcriptis eius.

Cap. LXXI.

Annulũ aureum repperit in lecto ſuo.

DIe quadam cum ad lectum ſuum in dormitorio diuerteret, annulum aureum in eo inſperatus inuenit, qui in opere eccleſiæ expenſus eſt, & res ita remanſit. Poſtmodum vero cum ad Pontificatum aſſumptus eſſet, quidam hoc ipſum per annulum illum, iam tunc quodam præſagio præſignatum aſſeruerant.

Author. Scripſit autem Anſelmus Proſologion ideſt alloquium de Deo, quod opus quidam inſipiens refellere geſtiens, quoddam ſcriptum contra illud compoſuit, quod cum ſibi à quodam amico ſuo tranſmiſſum Anſelmus conſideraſſet, ſuam ad hoc edidit reſponſionem in libello vno.

Scripſit & monologion ideſt ſoliloquium de Sancta Trinitate lib. 1.

De veritate lib. 1.

De concordia liberi arbitrij, & præſcientiæ diuinæ atque prædeſtinationis, necnon, & gratiæ li. 1.

De caſu diaboli, li. 1.

De peccato originali, li. 1.

De incarnatione verbi, li. 1.

De ſacramento altaris, li. 1.

De azymo, li. 1.

Cur Deus homo, li. 1.

Meditationum vel orationum, li. 1.

De grammatico, li. 1.

Extat, & parabolarum ſiue prouerbiorum Anſelmi, lib. 1.

Super Cantica Canticorum, li. 1.

Epiſtolarum quoque eius ad diuerſas perſonas, li. 1.

De his quoque omnibus ea quæ ſequuntur breuiter excerpſi.

Exhortatio eius ad ſecretum contemplationis.

Cap. LXXII.

ANſelmus in proſologion. Eia nunc homuncio abſconde te modicum à tumultuoſis cogitationibus tuis. Abiice nunc oneroſas curas curas. Exclude omnia prętęr Deum, & quę te iuuent ad quęrendum Deum, & clauſo oſtio quære eum. Eia ergo tu domine Deus meus doce cor meum, vbi & quomodo te quærat, vbi & quomodo te inueniat. Domine ſi hic nõ es, vbi quæram te abſentem. Si autem vbique es, cur non video te præſentem? Sed certè *inhabitas lucem inacceſsibilem.* Et vbi eſt lux inacceſſibilis, aut quomodo accedam ad lucem inacceſſibilem? Quid faciet ſeruus tuus anxius amore tui, & longe proiectus à facie tua? Inuenire te cupit, & neſcit locum tuum, quærere te affectat, & ignorat vultum tuum. Tu me feciſti, & omnia mea bona tu mihi contuliſti, & nondum noui te: denique ad te vidẽdum factus ſum. O miſera ſors hominis cum hoc perdidit ad quod factus eſt. O durus, & dirus caſus ille. Heu quid perdidit, & quid inuenit. Quid abſceſſit, & quid remanſit: perdidit beatitudinem ad quam factus eſt, & inuenit miſeriam propter quam factus non eſt. Abſceſſit ſine quo nihil fœlix eſt, & remanſit quod per ſe non niſi miſerum eſt. Manducabat tunc homo panẽ Angelorum quem nunc eſurit: manducat nunc panem dolorum, quem tunc neſciuit. Heu publicus luctus hominum, vniuerſalis planctus filiorum Adæ. Ille ructabat ſaturitate, nos ſuſpiramus eſurie. Ille abũdabat, nos mendicamus. Ille fœliciter tenebat, & miſere deſeruit: nos infœliciter egemus, & miſerabiliter deſideramus, & heu vacui remanemus. Cur non nobis cuſtodiuit cũ facile poſſet, quo tam grauiter careremus? Graue damnum, grauis dolor, graue totum. Sed heu me miſerum, vnum de alijs miſeris filij Euæ elongatis à Deo, quid incæpi, quid effeci. Tendebam in Deum, & offendi in meipſum. Requiem quærebam in ſecreto in me, *& tribulationem & dolorem inueni in vicinis meis.* Volebam ridere à gaudio mentis meę, & cogor rugire à gemitu cordis mei. Sperabantur lætitiæ, & ecce vnde denſentur ſuſpiria. Et ô tu domine vſquequo, *vſquequo Domine obliuiſceris nos, vſquequo auertis faciem tuam à nobis?* Reſtitue te nobis, vt bene ſit nobis, ſine quo tã male eſt nobis, miſerere labores & conatus noſtros ad te, qui nihil valeamus ſine te. Inuitas nos, adiuua nos, obſecro Domine ne deſperem ſuſpirando, ſed reſpirem ſperando. Amaricatum eſt cor meũ ſua deſolatione, indulcora illud tua cõſolatione. Eſuriens incæpi quærere te, ne deſinã ieiunus de te. Famelicus acceſſi, ne recedam impaſtus. Pauper veni ad diuitem, miſer ad miſericordẽ, ne recedã vacuus & contemptus. Et ſi antequã comedam ſuſpiro, da vel poſt ſuſpiria, quod comedam. Doce me quærere te, & oſtende te quærenti, quia nec quærere te poſſum, ni tu doceas, nec inuenire, niſi tu oſtendas, quæram te deſiderando, amem inueniendo. Fateor Domine gratias ago, quia creaſti in me hanc imaginem tuam, vt tui memor te cogitem & amem, ſed ſic eſt abolita attritione vitiorum, ſic etiam obfuſcata fumo peccatorum, vt non poſſit facere ad quod facta eſt, niſi tu renoues, & reformes eam.

1. Tim. 6. Excitatio mentis ad contemplandũ Deum.

Pſal. 33.

Pſal. 6.

Pſal. 12.

Iob. 3.

Inquiſitio diuinæ potentiæ, miſericordiæ, & iuſtitiæ.

Cap. LXXIII.

COntentor Domine penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum, ſed deſidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit, & amat cor meum; neque enim

quęro

Deus cognoſci non poteſt niſi per fidem.

quæro intelligere vt credam, ſed credo vt intelligam. Nam & hoc credo, quia niſi credidero non intelligam. Ergo Domine qui das fidei intellectum, da mihi vt quãtum ſcis expedire intelligam, quia es ſicut credimus, & hoc es quod credimus. Et quidem te credimus eſſe aliquid quo nihil maius poſſit cogitari. Sed & omnipotẽs quomodo es ſi omnia non potes? Vel ſi non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere verũ eſſe falſum, vt quod eſt non eſſe factum, & plura ſimilia, quomodo potes omnia? An hoc poſſe non eſt potentia, ſed impotentia? Nam quod hoc poteſt, qui ſibi non expedit, & quod non debet poteſt, quod quanto magis poteſt, tanto magis aduerſitas, & peruerſitas poſſunt in illum, & ipſe minus contra eos. Qui ergo ſic poteſt, non potentia poteſt, ſed impotentia. Ergo Domine Deus indè verius es omnipotens, qui nihil potes per impotentiam, & nihil potes contra te. Sed & miſericors ſimul, & impaſſibilis quomodo es? Nam ſi es impaſſibilis non compateris, ſi non compateris, ſi non eſt tibi miſerum cor, ex compaſſione ſcilicet miſeri, quod eſt eſſe miſericordem. Domine miſericors es ſecundum nos, quia miſeros ſaluas, & peccatoribus parcis, & non ſecundum te quia non compateris. Non eſt enim tibi cor miſerum ex compaſſione miſeri. Miſericors es, non quia tu ſentis affectum, ſed nos effectum. Verum malis quomodo tu parcis, ſi totus, & ſumme iuſtus es. Sed & cum punis malos iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit. Et cũ parcis malis iuſtũ eſt, quia bonitati tuæ cõdecens eſt. Parcẽdo igitur malis iuſtus es. Sic itaque ſine repugnantia, & iuſte punis, & iuſte parcis. Quicquid ante es, non per aliud es, quam per teipſum. Tu es ipſa vita, qua viuis: & ſapientia, qua ſapis: & bonitas ipſa, qua bonis, & malis bonus es; & ita de ſimilibus. An inueniſti anima mea, quod quærebas? Quærebas Deum, & inueniſti eum eſſe, quoddam ſummum omnium quo nihil melius cogitari poteſt.

Deus eſt vita qua viuit.

Inquiſitio bonitatis, veritatis, æternitatis.

Cap. LXXIV.

Quomodo videtur & non videtur Deus.

DOmine Deus meus formator, & reformator meus, dic deſideranti animæ meæ. Quid aliud es, quam quod vidit, vt pure videat, quod deſiderat. Intendit enim vt plus videat, & nihil videt vltra hoc quod vidit, niſi tenebras; immo non videt tenebras, quæ nullæ ſunt in te, ſed videt ſe non plus poſſe videre propter tenebras ſuas. Cur hoc domine, cur hoc? Tenebratur oculus eius infirmitate ſua, aut reuerberabatur fulgore tuo? Sed certe & in ſe tenebratur, & à te reuerberatur vtique & obſcuratur ſua breuitate, & obruitur tua immenſitate: vere & contrahitur anguſtia ſua, & vincitur amplitudine tua. Quanta namque eſt lux illa de qua micat omne verum, quod rationali menti lucet? Quam ampla eſt illa veritas in qua eſt omne, quod verum eſt, & extra quam non, niſi nihil, & falſum eſt? Quam immenſa eſt, quæ vno intuitu videt omnia quæcumque facta ſunt? Quid puritatis, quid ſimplicitatis, quid certitudinis, & ſplendoris ibi eſt? Certe pluſquam à creatura valeat intelligi. Ergo Domine ſi ſolum es quo maius cogitari nequit. Si es quiddam maius, quam cogitari poſſit, vere Domine hæc eſt lux inacceſſabilis in qua habitas: ideo hanc non video, quia mihi nimia eſt. Et cum addit, quod video per illam video, nimis fulget, non capit illam, nec ſuffert oculus animæ meæ diu ita intendere. in illam reuerberabatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immenſitate, confunditur capacitate. O ſumma & inacceſſibilis lux, ô tota & beata veritas, quã longe es à me, qui tam prope tibi ſum, quam remota es à cõſpectu meo: qui ſic præſens ſum conſpectui tuo? Vbique es tota præſens, & non video. In te moueor, & in te ſum, & ad te non poſſum accedere; intra me, & circa me es, & non te ſentio. Adhuc lates Domine animam meam in luce, & beatitudine tua, & idcirco verſatur adhuc in tenebris, & miſeria ſua. Sperabat iam ſatietatem, & ecce obruitur iterum egeſtate. Affectabam iã comedere, & ecce magis eſurio. Conabar aſſurgere ad lucem Dei, & recidi in tenebras meas. Quæſiui vultum tuum, *vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Releua me de me ad te, munda, ſana, acue, illumina oculos mẽtis meæ vt intueatur te. Recolligat vires ſuas anima mea, & toto intellectu intendat iterum in te domine. Tu ergo imples, & complecteris omnia, tu es ante, & vltra omnia, & quidem ante omnia es, quia antequam fierent tu es. Vltra vero omnia quomodo es? An quia illa cogitari poſſunt habere finem, tu vero nequaquam? Nam ſic illa quidem haberent finem quodam modo tu vero nullo modo. Tu ſolus Domine es, quod es, & tu es, qui es. Tu tibi omnino ſufficiens, nullo indigens quo omnia indigent vt ſint, & vt bene ſint. Hoc bonum es tu Deus pater. Hoc eſt verbum tuum ideſt filius tuus. Etenim non poteſt aliud, quam quod es, aut aliquod malus vel minus te eſſe in verbo quo teipſum dicis, quoniam verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu verax. Et idcirco eſt ipſa veritas ſicut tu, non alia, quam tu: & ſic es tu ſimplex vt de te non poſſit naſci aliud niſi quod tu es. Hoc ipſum eſt amor vnus, & communis tibi, & filio tuo, ideſt Spiritus Sanctus ab vtroque procedens. Nam idem amor non eſt impar tibi aut filio tuo, quia tamen amas te, & illum, & ille te, & ſeipſum, quantus es tu, & ille. Nec eſt aliud à te, & ab illo, quod diſpar non eſt tibi & illi, nec de ſumma ſimplicitate poteſt procedere aliud, quam quod eſt de quo procedit. Porro hoc eſt illud vnum neceſſarium in quo eſt omne bonum, immo, quod eſt omne bonum, & vnũ, & totum, & ſummum bonum.

Quod ſolus ſit, quod eſt & qui eſt.

Pſal. 26.

Luc. 10.

Inquiſitio ſummi boni in quo ſunt omnia bona.

Cap. LXXV.

EXcita tunc anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quale, & quantum ſit illud bonum. Si ergo ſingula bona delectabilia ſunt, cogita intente, quàm delectabile ſit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualẽ in rebus creatis ſumus experti, ſed tãto differentem quãto differt creator à creatura. O qui hoc dono fruetur, quid illi erit, & quid illi nõ erit? Certe quicquid volet erit, & quicquid nolet non erit. Cur ergo per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum in quo ſunt omnia bona. Quid enim amas caro mea, anima mea, quid deſideras? Ibi eſt, ibi eſt, quicquid amatis, quicquid deſideratis. Si delectat pulchritudo, *fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorũ.* Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obſiſtere poſſit, erunt *ſimiles Angelis Dei.* Si longa, & ſalubris vita, ibi eſt ſana æternitas, & æterna ſanitas. Si ſatietas, *ſatiabuntur cum apparuerit gloria Domini.* Si ebrietas, *inebriabuntur ab vbertate domus Dei.* Si melodia ibi Angelorum chori concinnunt. Si ſapientia, ipſa Dei ſapientia oſtendet eis ſeipſam. Si amicitia, diligẽt Deum pluſquam ſeipſos, & inuicem tanquam ſeipſos, & Deus illos plus, quam illi ſeipſos, quia illi illum, & ſe & inuicem per illum, & ille ſe, & illos per ſeipſum. Si poteſtas, omnipotentes erunt ſuæ voluntatis vt & Deus ſuæ. Nam ſicut poterit Deus, quod volet per ſeipſum, ita poterunt illi, quod volent per illum. Si honor, & diuitiæ; *Deus ſeruos ſuos bonos, & fideles ſupra multa conſtituit, hæredes* quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si vera ſecuritas, certi erunt nunquam, & nullatenus iſta vel potius iſtud bonum ſibi defuturum.

Math. 25.

Pſal. 36.

Pſal. 16.

Math. 25. Rom. 8.

Inquiſitio pleni gaudij, quod de illo bono habebitur.

Cap. LXXVI.

GAudium verò quale, & quantum eſt vbi tale, & tantum bonum eſt? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immo obrutum ærumnis quãtum gauderes ſi omnibus his abundares? Interroga inti-

Act. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ma tua si capere possunt gaudium tuum de tanta beatitudine sua, sed certe si quis alius quem omnino sicut teipsum diliges, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipso. Si autem duo vel tres non multo plures idipsum haberent, tantum de singulis, quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. In illa ergo perfectissima charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, vbi nullus minus diliget alium, quam seipsum, non aliter gaudebit quisquis pro singulis alijs, quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum quomodo capax erit tot, & tantorum gaudiorum, & vtique quia quantum quisque diligit aliquem, tanto de bono eius gaudet, sicut in illa perfecta fœlicitate vnusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam se, & omnes alios secum, ita etiam plus gaudebit sine existimatione de fœlicitate Dei, quam de sua, & omnium aliorum secum. Deus meus, & dominus meus, spes mea, & gaudiũ cordis mei, dic animæ meæ, si hoc est gaudium de quo nobis dicis per filium tuum, *petite & accipietis, vt gaudiũ*
Matth. 7. *vestrum sit plenum.* Inueni namque quoddam gaudium plenum. & plusquam plenum. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium; sed gaudium illud, *nec oculus vidit,*
Isa. 64. *nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.*
1. Cor. 2. Nec ergo dixi aut cogitaui Domine quantum gaudebunt illi beati tui, vtique tantum gaudebunt quantum amabunt, tantum amabunt quantum cognoscent. Ore Deus cognoscam te, amem te, vt gaudeam de te. Proficiat hic in me notitia tui, & ibi fiat plena, crescat amor tuus, & ibi sit plenus vt hic gaudium meum sit in spe magnum, & ibi sit in te plenum. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum, sermocinetur os meum. Esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, *donec intrem in gaudium Domini.*

Deploratio miseriæ presentis & futuræ.

Cap. LXXVII.

Idem in libro orationum, siue meditationum. Terret me vita mea, namque diligenter discussa apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas fere tota vita mea, & si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectũ, aut aliquo modo corruptum, vt possit aut non placare aut displicere Deo. Certa tota aut in peccato est & dãnabilis, aut infructuosa, & contemptibilis. Sed quid separo infructuosam à damnabili, vtique si est infructuosa, est damnabilis. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum*
Matth. 3. *excidetur, & in ignem mittetur. Tædet animam meã vitæ meæ.*
Iob. 10. viuere erubesco, mori pertimesco. Quid ergo restat ô peccator, nisi vt in tota vita tua plores totam vitam tuã, vt ipsa tota se plorat totam? Sed & in hoc quoque est miserabiliter miserabilis. quia non tantum dolet quantum se nescit, sed sic secura torpet, velut qui patietur ignoret. Quid dormitas anima tepida; & digna euomi? Arbor digna securi, & igne, digna succidi, & accendi. Qui sunt fructus tui? vtique spinæ pungentes, & amara peccata, quæ vtinam te pœnitendo pungerent, & confringerent, sic amarescerent, vt euanescerent. O lignum aridum, & inutile, & æternis ignibus dignum. Quid respondebis in illa die cum exigetur à te vsque ad ictum oculi omne tempus videndi tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum? Tunc quippe condẽnabitur quicquid fuerit inuentum in te operis, vel ociosi sermonis, vel silentii, vsque ad minimam cogitationem etiã quoad vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ quot peccata proruent ibi ex improuiso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides. Quot, quæ nõ mala esse putas, quot quæ nunc bona esse credis, nudata facie apparebunt tibi nigerrima peccata tunc, cum iam pœnitentia non recipietur, cum emendatio non promittetur. Væ mirabilis duricia, ad quam confringendam leues sunt tam graues mallei. O insensibilis torpor, ad quem concitandum sunt obtusi tam graues aculei. Proh læthalis sopor ad quem excitandum raucum est tam terrificum tonitruum. Si enim dixero quicquid potero excogitare, nondum ad id, quod res est potero peruenire. Adde terrorem super terrorem, vlulatum super vlulatum. Nam ille te iudicabit ad cuius contumeliam spectat quicquid inobediens Deo vel præuaricator peccat, qui nunc patientissimus, tunc districtissimus. Væ væ ira Dei ne irruas super me, non est, quod te possit tolerare in toto me. O angustiæ, hic erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia, subtus patens horridum chaos inferni desuper iratus Iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Iustus vix saluabitur; Peccator sic deprehensus in quam partem se premet constrictus: Vbi parebo, quomodo latebo, latere erit impossibile, apparere intolerabile. Illud desiderabo, & nusquam erit, istud execrabor, & vbique erit. Quis me eruet de manibus Dei? vnde mihi consilium, vnde salus? Quis est qui *dicitur magni consilij Angelus*? Ipse est Iesus, idem est Iudex, *Isa. 11. sec. Septuaginta*
inter cuius manus tremo. Respira ô peccator, respira ne desperes, spera in eo, quem times, affuge ad eum à quo aufugisti. Inuoca importune, quem superbe prouocasti. Iesu, Iesu Christe, propter hoc nomen tuum fac mihi hoc secundum nomen tuum, obliuiscere superbũ prouocantem, respice miserum inuocantem. Nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & beatæ spei. Ergo Iesu, propter nomen tuum esto mihi Iesus, qui me creasti tua bonitate, ne pereat opus tuum mea iniquitate. Recognosce benignissime, quod tuum est, & abstergo, quod est alienum, Iesu, Iesu miserere, dũ tempus est miserendi, ne damnes tempore iudicandi. Quę namque vtilitas tibi in sanguine meo, si descendero in æternam corruptionem? *Neque enim mortui laudabunt te domine, neque qui descendunt in infernum.* Si me ad- *Psal. 113.*
miseris intra latissimum sinum tuæ misericordiæ, non erit angustior propter me domine. Admitte ergo ô desiderantissime Iesu, admitte me intra numerum electorum tuorum, vt cum illis te laudem, te perfruar, & glorier in te inter omnes, qui diligunt nomen tuum.

Inuocatio filij Dei, & memoria passionis eius.

Cap. LXXVIII.

Idem in oratione ad Dominum Iesum. Domine Iesu Christe redemptio mea, misericordia mea, salus mea, te laudo, tibi gratias ago, quamuis valde impares tuis beneficijs, quamuis multum expertes dignæ deuotionis, sed sicut potest conari tibi per soluit anima mea. Spes cordis mei, virtus animæ meæ, auxiliũ infirmitatis meæ, compleat tua benignitas potentissima, quod conatur mea trepidissima imbecillitas, vita mea, finis intentionis meæ. Et si nondum merui te tantum quantum debitor sum amare, vtique saltem desidero te tantum quãtum debeo amare. Si bonum est domine, quod inspiras, immo quia bonum est, vt quod te velim amare, da quod me facis velle, da vt quantum iubes tantum merear te amare. Laudes & gratias tibi ago pro desiderio, quod inspirasti, laudes & preces offero, ne sit mihi donum tuũ infructuosum, quod tua sponte dedisti. Conuerte misericordissime meum teporem in feruentissimum tui amorem. Ad hoc clementissime, tendit hæc oratio mea, hæc meditatio, & memoria beneficiorum tuorum, vt accedat in me amorem tuum. Tua me domine bonitas creauit, tua misericordia creatum ab originali peccato mundauit, tua patientia post illam emundationem baptismi in aliis peccatorum sordibus volutatum hactenus tolerauit, nutriuit, expectauit. Domine Deus creator meus, & nutritor meus, esto adiutor meus. Te esurio, te sitio, te desidero, ad te suspiro, te cõcupisco. Et sicut pupillus benignissimi patris orbatus præsentia, quantum queo memor passionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum tuorum, memor crucis, memor etiam vulnerum tuorum, exilii mei ærumnas de-

fleo

fleo, spero tui aduentus solam consolationem, ardeo tui vultus gloriosam contemplationem. Heu mihi, qui videre non potui Dominum Angelorum humiliatum ad conuersationem hominum, vt homines exaltet ad conuersationem Angelorum, cum Deus offensus spō-te moriebatur, vt peccator viueret. Cur ô anima mea te præsentem non transfixit gladius doloris acutissimi, cū ferre non posses lancea vulnerari latus tui Saluatoris, cum videre nequires violari clauis manus, & pedes tui plasmatoris? Cur non es inebriata lachrymarum amaritudine fellis? Cur non es compassa castissimæ virgini dignissimæ matri eius benignissime dominæ tuæ.

Domina mea misericordissima, quos fontes dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes vnicum filium tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter dilacerari. Quibus singultibus æstimabo purissimum pectus vexatum esse cum tu audires, *Mulier ecce filius tuus*; *Ioan. 19.* Et discipulus? *Ecce mater tua.* Vtinam cum fœlice Ioseph Dominum meum de Cruce deposuissem, aromatibus condidissem, in sepulchro collocassem, vel saltem prosecutus essem, vt tanto funeri non deesset aliquid obsequij mei. Vtinam cum beatis mulieribus chorusca vi- *Cant. 5.* sione Angelorum essem territus, & audissem nuncium *Psal. 72.* dominicæ Resurrectionis, nuncium meæ consolationis, *Psal. 76.* nuncium tam expectatum, nuncium tam desideratum. Benignissime suauissime, quando restaurabis mihi, quia non vidi illam tuæ carnis incorruptionem, quia nō sum deosculatus loca vulnerum, fixuras clauorum. Non enim capit in me dolor meus quamdiu peregrinus sum à Domino meo. Vbi vel quando eum inueniam, quem rogabo, quis nunciabit dilecto, quia amore langueo. *Psal. 72.* *Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Renuit consolari anima mea*, nisi de te dulcedo mea. *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid voluit super terram?* Te volo, te spero, te quæro, *tibi dixit cor meū* *Psal. 26.* *quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Amator hominum benignissime, *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Mi aduocate *Psal. 9.* tutissime miserere orphani derelicti. *Sitiuit in te anima* *Psal. 26.* *mea, quam multipliciter tibi caro mea.* O si quando videbo *Psal. 36.* gaudium meum, quod desidero, ô *si satiabor cum appa-* *Psal. 16.* *ruerit gloria tua.* Si potabis me torrente voluptatis tuæ, quam sitio. Sint mihi domine *interim lachrymæ meæ panes die, ac nocte*, donec dicatur mihi ecce dominus tuus. Donec audiam anima, ecce sponsus tuus. Pasce me interim singultibus meis, pota me interim fletibus meis, refocilla me doloribus meis. Veniet interea fortasse redemptor meus, quia bonus est, nec tardabit, quia pius est.

Innocatio matris virginis simul, & filij.

Cap. LXXIX.

IDem *in oratione ad sanctam Mariam.* Sancta, & inter sanctos post Deum singulariter sancta Maria mater admirabilis virginitatis, virgo amabilis fœcunditatis, quæ filium altissimi genuisti, quæ perdito humano generi saluatorem peperisti. O mater salutis! O templum pietatis & misericordiæ, tibi se conatur præsentare miserabilis anima mea, morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum scissa; visceribus flagitiorum putrida. Tibi nititur quantum moribunda valet supplicare, vt potentibus tuis meritis, & piis tuis digneris precibus eam sanare. Sic etenim pia domina alienata est à se immanitate stuporis, vt vix sensum habeat enormis languoris: sic sordibus & fœtore fœdatur, vt timeat ne ab ipsa miseri-cors vultus tuus auertatur: sic tabescit desperando respectus tui conuersionem, vt etiam omnes obtumescant ad orationem. Heu pudor sordentis iniquitatis in præsentia intuentis sanctitatis. Heu confusio immundæ cō-scientiæ in conspectu fulgentis munditiæ. O tu benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate. Anhelat moribundus spiritus meus ad tantæ benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti nitoris conspectum. Horreo Domina parere tibi in immundiciis & horroribus meis, ne tu horreas me pro eis; & non possum, væ mihi, videri sine eis. Eadem enim peccata mea ô Domina cognosci à te cupiunt propter curationem. Parere tibi fugiunt propter execrationem, non sanantur sine confessione, nec producuntur sine confusione. Si celantur sunt insanabilia, si videntur sunt detestabilia, vrunt me dolore, terrent me timore. O tu illa pie potens, & potenter pia Maria, de qua fons est ortus misericordiæ, ne contineas precor tam veram misericordiam, vbi tam veram agnoscis miseriam. Sana ergo clementissima infirmitatem, & delebis, quæ te offendit fœditatem. Auferbenignissima langu orem, & non senties qnem horres fœtorem. Sana animam serui tui peccatoris *per virtutem benedicti fructus ventris tui*, qui sedet in dextera omnipotentis Patris sui. Nunquid tu Domina mea mater spei meæ, nunquid obliuisceris tu odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam fœliciter diuulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius hominis venit perditum sponte saluare, & Mater. Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare ad pœnitentiam peccantem, & Mater Dei non contemnet precantem in pœnitentia? Sed & si pariter ambo offensi estis, nōne, & ambo clemētes estis? Fugiat ergo reus irā iusti Dei ad piā Matrē misericordis Dei, refugiat reus offēsæ Matris ad piū filium benignæ Matris. Ingerat se reus vtriusque inter vtrūque, iniiciat se inter piū filiū, & piā Matrē Pie Domine parce seruo Matris tuæ, pia Domina parce seruo filij tui. Qui me iniicio inter duas tam immēsas pietates, nō incidā inter duas tā potentes seueritates. Bone fili, bona Mater, non sit mihi frustra, quod confiteor de vobis hanc veritatem, non erubescam, quod spero in vobis hanc pietatem. Dic mundi iudex cui parcis, dic mundi reconciliatrix quem reconciliabis. Si tu Domine damnas, & tu Domina auerteris hōmunculum bona vestra cum amore, mala sua cum mœrore confitentem.

Iterum innocatio vtriusque.

Cap. LXXX.

DEus qui factus est filius fœminæ propter misericordiam: Fœmina, quę facta est Mater Dei propter misericordiam, vel miseremini miseri, tu parcendo, tu interueniendo, vel ostendite ad quos tutius fugiam misericordiores, & monstrate in quibus certius confidā potentiores. Si enim æstimo, quia est tam magna mea iniquitas, & tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta mea satisfactio, vt nec merear delictorum veniam, nec salutis gratiam. Hoc est ipsum, quod supplico, vt in quo merita mea mihi videtis nō sufficere in eo misericordię vestr æ non dedignentur deficere. Domina Mater per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum quid laudis tibi retribuemus? Magne Domine tu noster maior frater, magna Domina tu nostra melior Mater. Docere cor meum, qua reuerentia debeat vos cogitare. Vestro continuo amore langueat cor meum, liquefiat anima mea, deficiat caro mea. Vtinam sic viscera animæ meæ dulci feruore vestræ dilectonis exardescant, vt viscera carnis meæ exarescant. Domine fili Domine meæ, Domina mater Domini mei, si ego non sum dignus, qui sic debeam vestro amore beatificari, certe vos non estis indigni, qui sic immo plus debeatis amari. Ergo benignissimi ne sic denegetis mihi petenti id quo me confiteor indignum, vt auferatur vobis id quo certe vos non potestis negare dignos. Date itaque piissimi, date obsecro supplicanti animæ meæ, non propter meritum meum, sed propter meritum vestrum. Date illi quanto digni estis amorem vestrum. Date, inquam, mihi quo sum dignus vt reddatur vobis quo estis digni. Si enim non vultis dare vt habeam, quod desidero, saltem nolite negare vt reddam vobis, quod debeo. Forsan præsumendo loquor

quor, sed bonitas vestra facit me audacem. Loquar ergo ad Dominum meum adhuc, & dominam meam cum sim puluis & cinis. Domine & Domina nonne melius est cum vos gratis donatis petenti, quod ipse non meretur, quam cum vobis subtrahitur, quod vobis iuste debetur. Illud quippe est prædicandæ misericordiæ, istud nefandæ iniustitiæ. Impendite ergo piissimi gratiam, vt recipiatis debitum. Facite vos mihi misericordiam vestrã, quæ mihi expedit, & vos decet, ne faciã ego vobis iniustitiã meã, quæ nulli expedit & nullum decet. Estote vos mihi misericordes, quod obsecro, ne sim vobis iniustus, quod execror. Date animæ meæ amorẽ vestri, quem ipsa non iniuste petit, & vos iuste exigitis, ne ipsa boni vestris sit ingrata, quod ipsa iniuste horret, & vos non iniuste punitis. Ecce enim peto, quod vt fiat vere est in voluntate vestra. Cur ergo propter peccata mea non fiet cum sit & in vestra potestate? Amator, & misereator hominum tu potuisti reos tuos, & vsque ad mortem amare, & poteris te roganti amorem tui Matrisque tuæ negare? Veneretur igitur vos sicut digni estis mens mea amet vos sicut æquum est cor meum. Diligat vos sicut sibi expedit anima mea, sicut debet, seruiat vobis caro mea, & in hoc consumetur vita mea, vt in æternum psallat tota substantia mea. *Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.*

Planctus proprij lapsus, & pœnæ futuræ.

Cap. LXXXI.

Amarissime deflet se in carnis peccata corruisse.

IDem de deploratione virginitatis amissæ. Reduc ad cor anima mea ærumnosa enorme delictum, & produc de corde immanem rugitum. Tu inquam, quæ quondã candidata cœlesti lauacro, dotata Spiritusancto in Christiana professione iurata virgo fuisti desponsata. Heu memoria perditæ iucunditatis, cur superaggrauas pressuram pessundantis infœlicitatis? Quam misera sors flagitiosi hominis, cui & bonum, & malum pariter sunt in tormentum. Torquet enim me mala conscientia, & cruciatus eius in quibus me timeo arsurum. Torquet me bonæ conscientiæ, & præmiorum eius memoria, quæ scio me perdidisse, nec amplius recuperaturum. Væ miserum perdere, dolendum perdere, id perdere irrecuperabiliter, quod seruari debet interminabiliter. O virginitas iam non dilecta mea, sed perdita mea. Iam non iucunda mea, sed desperata mea, quo deuenisti, in quam fœtido in quam amaro cœno me dereliquisti? Hinc est damnum inconsolabile, hinc tormentum intolerabile. Tu namque anima mea perfida Deo, periura Dei, adultera Christi, libenter de sublimitate virginitatis miserabiliter es diuersa in barathrum fornicationis. Tu illa olim desponsata Regi cœlorum ardenter facta es scortum tortoris tartarorum. O miserrima, & plusquam miserrima commutatio. Heu de quam sublimi cecidisti, in quam profundum corruisti, væ quam benignum contempsisti, quam maligno te coniunxisti. Quid fecisti o mentis amentia, amens spurcitia, spurca nequitia? Quid fecisti in cœno dereliquisti castum amorem tuum & internum secuta es odiosum corruptorem tuum, & in barathro parasti non thalamum, sed prostibulum tuum. Præcipitare miser homuncio in tenebrosum profundũ immoderatæ mestitiæ, qui sponte præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ, obruere infœlix mole doloris terribilis, qui corruisti libens in cœnum infernalis fœtoris, volutare in amaritudinis, qui delectatus es in volutabro turpitudinis. Terror horribilis, dolor terribilis, mæror inconsolabilis, aggregate vos super me irruite, obruite, perturbate, obuoluite, possidete, iustum est, iustum est. Impudenti audacia contempsi vos, & potenti delectatione prouocaui vos, immo Deum, non vos. Et nunc pœnitentia miserabili desidero vos, torquete reum, vindicate Deum. Præsentiat fornicator infernalia tormenta, quæ meruit; prægustet, præparauit, assuescat, quod est passurus. Voluere, & reuoluere in eũdem turbinem amaritudinum, qui totiens reuolutus es in eandem voraginem libidinum. Consolatio, securitas, lætitia, nolo vos, renuo vos, nisi peccati venia reduxerit vos. Procul estote ante mortem, si forte indulgentia reuocet vos mihi vel post mortem. Sit continua pœnitentia amara comes ætatis meæ, sit acutus dolor, insatiabilis tortor vitæ meæ. Si enim nõ sum dignus oculos ad cœlum leuare, certe non sum indignus eos vel plorando cæcare. Si timet exhiberi anima mea ante conspectum Dei sui, iustum est vt habeat ante cõspectum suum tormenta sceleris sui. Cogitet igitur, & recogitet cor meũ, quid fecit, quid meruit. Descendat, inquam descendat, *ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*; mea mens intendat, & contempletur, videat, & conturbetur. Quid est Deus, quid est, quod animaduerto in terra miseriæ, & tenebrarum. Heu confusio vlulatuum, tumultus dentibus stridentium, inordinata multitudo gemituum. Væ, væ, quot, & quot, & quot. Væ, væ, ignis sulphureus, flãma tartarea, caliginosa volumina, quam terrifico rugitu video vos rotari, vermes in igne viuente, quæ mira auiditas rodendi sic vos accendit, quos ille ignis igneos nõ incendit. Dæmones coardentes, frementes ardore, frendentes furore. Hæccine sunt magne Deus, quæ parata sunt fornicatoribus, & cõtemptoribus tuis. Anima mea expaueſce, mens mea defice, cor meum scindere. Quo me tradis Deus meus, si feci vt essem reus tuus, nunquid potui facere vt non essem creatus tuus? Si mihi castitatem meam ademi, nunquid tibi misericordiam tuam peremi? Domine, Domine, si ego amisi vnde me damnare potes, tu ne dimisisti vnde saluare soles? Noli Domine, noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. Ne memineris iræ aduersus reum, sed memor esto miserationis aduersus miserum. Verum est quia conscientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem, sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem.

Iob. 10.

Consideratio æterni supplicij.

De quibusdam incidentibus sub Imperio Henrici.

Cap. LXXXII.

An. Ch. 1084.

SIgebertus *in chronicis*. Anno Henrici 27. condicto inter Imperatorem, & Papam die ad causam inter eos discernendam, cum pax dissimulante Papa inter eos non conueniret, Romani, & multi Italiæ episcopi à Papa desistunt, qui fugiens ad Northmannos se contulit. Anno vigesimooctauo, Romani Imperatorem Henricum recipiunt in vrbe, & eorum iudicio Hildebrandus papatu abdicatur, & Guicbertus Rauennę Archiepiscopus in sedem Apostolicam inthronizatus, Clemens nominatur.

Vide melius apud Baronii anno 1084.

Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia literis aprime eruditus, Remensis ecclesiæ canonicus, & scholarum magister, relicto sæculo æremum Carthusię fundat, propositumque monasticæ conuersationis satis arduum instituit. Huius sancti propositi cooperator existens beatæ memoriæ Hugo Grannopolitanus episcopus, qui ab eodem Brunone habitum monasticum sumpsit, cunctisque ibi habitantibus insigne exemplum præbuit.

Anno 29. Hildebrandus Papa, qui & Gregorius 7. apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum inuenitur. Volumus vos scire, qui ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius nunc in extremis positus ad se vocauit vnum de 12. Cardinalibus, quem præ cęteris diligebat, & confessus Deo, & Sancto Petro, & toti ecclesiæ se valde peccasse in pastoroli cura, quæ ei ad regendum erat commissa, quod & suadente diabolo contra humanũ genus odium & iram concitasse, postea vero sententiam quę in orbe terrarum effusa est pro augmento Christianitatis cæpisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad imperatorem, & ad totam ecclesiam suam, vt optaret ei indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & iam cito induebat Angelicam vestem & dimisit ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano viuis & defun-

Ioannes de col vera hæc esse non credit, quia Salerni manens appropinquante vocationis sua tempore dixisse fertur Dilexi iustitiam & odiui iniquitatem propterea morior in exilio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

defunctis clericis & laicis,& iussit suos abire de domo Deoderici; & amicos Imperatoris ascendere.

Ex chronicis. Post hunc Desiderius Cassinensis Abbas in Papam eligitur,& Victor vocatur,sed mox disenteria dissoluitur,& non multo post moritur. Fertur autem opinio,quod veneno extinctus sit ad primam missam in calice misso.

Anno 30. nimia aquarum inundatio multis in locis damno & periculo fuit. Nam & in Italia tanta diluuies fuit,vt rupes liquefactæ plures villas ruina sua destruerent. Domesticæ aues,pauones,gallinæ, & anseres à domibus se extrahentes omnes fiunt siluaticæ.

Author. August. in lib. 3. de Ciui. Dei simile portẽtum narrat contigisse dicens,antequam se aduersus Romam sociale Bellum latinum commoueret, omnia animalia humanis vsibus subdita,canes,asini,equi boues,& quæcumque alia pecora sub hominum dominio erant, subito efferata,& domesticæ lenitatis oblita relictis tectis libera vagabantur, & omnium non solum alienorum verumetiam dominorum aduersabantur accessum, nec sine exitio vel periculo audentis,si quis de proximo vrgeret,quanti mali signum fuit,si signum fuit, quod tam malum fuit etiam si hoc signum non fuit.

De translatione Sancti Nicolai,& eius miraculis.

Cap. LXXXIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Constantini 31. Venetianis meditantibus auferre corpus Sancti Nicolai à Mirea Lyciæ Turcis desolata,præoccupauerunt eos ciues Varenses numero 47. ab Antiochia Mireã venientes,quia quatuor tamen monachis ibi inuentis extorserunt sibi ostendi tumbam Sancti,qua fracta ossa Sancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt.& Varim cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio anno 745 à depositione sancti Nicolai.

Translatio corporis beati N. colai quæ fuit facta an. 745.

Author. Huius translationem scripsit Ioannes Archidiaconus Barinæ ecclesiæ,iubente Vrsione Barensis, & Camisinæ ecclesiæ Archiepiscopo. Missus est tunc temporis quidam ex palatinis magnatibus ab Imperatore suo cui parebat terra Mireorum. Hic veniens orauit Sãctum Nicolaum vt ei aliquam suam particulam dignaretur ostendere,quam osculari valeret. Minister ergo ecclesiæ cum penniculo extraxit aliquid de liquore vnæ,dens vnus est extractus quem in aurea pixide magnates ille abscondit,& super altare, quod erat ibi posuit,paululum post aspiciens vidit de pixide oleum manare, & inuoluit eam pallio putans sic posse stare oleum,sed tantomagis manauit. Desperauit igitur, quod non posset habere in occulto,quod sibi Dominus manifestauerat. Cui Sanctus Nicolaus in visione apparuit dicens: Ecce postulationi tuæ satisfeci,sed nunc ferre non poteris,quia non permitto vel minimam particulam à membris alijs separari. In crastino dentem vbi posuerat non inuenit. Igitur Barenses cum tribus nauibus Antiochiam insulam adierunt. Deinde ad insulas Magestras venerunt. Deinde ad locũ Macriportus sancti Georgij, qui ab Arinis portibus 5. milliaribus distat. Primo positum est corpus Sancti Nicolai à transferentibus in Ecclesia Sãcti Benedicti,vbi primo die plusquã 30. infirmi sanati sunt.

Miracula eiusdem sãcti.

Homo quidam de Anthonitanis partibus curuato corpore, manuũ & pedum carens officiis osculans capsellam sanatus est.

Sacerdos de cauerno territorio guttam patiens in spina veniens Barum ad Sanctum; ex quo venit ad locũ vnde Barum primo potest aspici,cæpit paulatim erigi, peruenitque totus sanus.

Parentes adduxerunt puerum dæmoniacum ab Amalpha,qui sanatus est in loco supradicto. Vnde vbi Barum primo videtur,ibi crux erat posita ab his qui sanati erant.

Sanati sunt de quodam castello infantula vna toto corpore debilis,& puerulus qui nullum in stomacho poterat retinere edulium.

Quidam pauperculus Adarachio vxorem suam omnibus membris debilem præter linguam sanam reduxit.

Sanata est mulier de Dalmacia leprosa; ancillula Sepontini cuiusdam dorso incuruato. Sanata est mulier fœtu & lacte carens.

Sanatus est puerulus cuiusdam de Macerensibus, qui nunquam gressus poterat mouere naturales.

Sanatus est quidam pauper Tarenti manens, pedibus non valens incedere,& vix potens sedere, dicente ad eũ in somnis quadam imagine: Quare non vadis Barum? Quomodo,inquit,possum. Vade inquit,quia potes. Et surrexit sanus.

Miles quidam perdiderat res aliquas, suspicans autem hoc feciisse quendam, tibiam eius sicca percussit ictu ancipiti,in quo vulnere vermes innati carnem rodebant vlceroſam, qui veniens ad sanctum sanatus est.

De Galliacis Alpinatibus sanatæ sunt duæ mulieres, vna cæca,& altera dæmoniaca: quæ autem fuerat cæca obtulit sancto oculos argenteos cũ lapidibus preciosis,

De cæteris euentibus illius temporis.

Cap. LXXXIV.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici 31. sanctus Arnulphus ex Abbate sancti Medardi postmodum etiã ad Pontificatum ciuitatis Suessionicę promotus,pro pacis reintegratione inter Flandrenses Flandriam venit,& in vico nomine Adenburch ecclesiam sancti Petri, iam diuinis miraculis illustratam,cænobium monachorum fecit,ordinem regularis vitæ instituit,tandemque in eodem monasterio,& finem vitæ,& sepulturam secundũ quod ipse prædixerat accepit. Pisces in aquis moriuntur.

Ex chronicis. Hoc tempore in Hispania Rex Galliciæ Amphul fortiter Saracenos debellat, & Toletum vrbẽ eorum maximam,per aliquot annos obsessam, tandem expugnat,& cultum Christianitatis in ea dilatat.

Sigebertus in chronicis Anno 32. Odo ex monacho Cluniacensi episcopus Hostiensis contra Imperatorem, & Guicbertum 163. fit Papa,& Vrbanus nominatur. Hinc in Ecclesia scandala,& in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet,dum regnum & sacerdotiũ dissentit,dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem aut ex causæ,aut ex personæ præiudicio contemnit. Dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu,quam ex iustitiæ respectu abutitur, auctoritas illius, qui dedit potestatem ligandi & soluendi omnino despicitur. Nimirum,vt pace omnium bonorum dixerim,hæc sola nouitas,ne dicam hæresis,necdum in mundo emersérat, vt sacerdotes eius,qui dicit Regi apostata, & qui regnare facit hipocritam propter peccata populi,doceant populum,quod malis Regibus nullam debeãt subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerant, nullam tamen debeant fidelitatem,nec periuri dicantur,qui contra Regem senserint, immo qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit à noxa iniustitiæ periurii absoluitur.

Anno 33. annus pestilens fuit maxime in occidentali parte Lotharingiæ,vbi multis sacro igne interiori consumente computrescentes,exesis membris instar carbonum nigrescentibus, vel miserabiliter moriuntur, vel manibus & pedibus putrefactis truncati,miseræ vitæ reseruantur,multi vero neruorum contractione distorti tormentantur.

Anno 34. Metis corpus sancti Clementis primi episcopi ab Apostolis illic ordinati inuentum leuatur.

Anno 36. Dominus Iuo Sancti Quintini Beluacensis præpo-

Hæc Sigeberti quarimonia grauans legitimos pontifices fauore schismaticorum quã iniqua sit, patet ex tota historia Gregor. 7. apud Baronĩ. Non enim hoc docuerunt sacerdotes, sed quod apostolica auctoritate possint reges ob crimina gradu suo deiici, & ita qui subeãt ab eorum obedientia vinculo liberari, vide epist. Gregorij 7. ad Metensem episcopum apud Baron. an. 1082.

sis præpositus à Papa Vrbano consecratus, fit episcopus Carnotensis.

Author. Hic inter alia laudabilia, quæ fecit, decreta Apostolica abbreuiando compilauit, & ordinauit. Quod quidem prius Isidorus, vt supradiximus, in vnum maximum volumen redegerat, nec sine magno sumptu transcribi poterat, nec ipsa decreta ordinate secundum materias continebat, sed secundum ordinem temporum quibus data fuerant per successiones Romanorum Pontificum. Hic autem, & ipsa decreta Apostolicorum vt dicitur, abbreuiauit, & per capitula distinxit, & multas Sanctorum Doctorum sententias ad eadem capitula pertinentes pariter interseruit. Hic liber decretorum Iuonis apud nos pluribus locis reperitur, qui quoniam ipse quoque non paruæ quantitatis, non est facile portatilis. Hugo Cathalamensis ex eodem volumine abbreuiato libellum portatilem legitur composuisse, qui & ipse apud nos est, & summa decretorum Iuonis appellatur. Porro librum istum decretorum, qui nunc vbique in vsu habetur compilauit Gratianus, vt fertur, monachus, sed quo tempore ignoro, nisi quod post Iuonē vt æstimo.

De Rege Angliæ Guillelmo.

Cap. LXXXV.

Guillelmus Angliæ rex dictus Rufus rex sceleratus.

Helinandus. Anno Domini 1091. Guillelmus Rex Anglorum vir singularis censuræ, & seueritatis obiit, cui filius eius Guillelmus successit adhuc imperante Henrico, Hunc Guillelmum filium regis Guillelmi Lanfrancus Archiepiscopus nutriuit, & militem fecit, & die Sanctorum Cosmæ & Damiani in Regem coronauit. Hic ita, erat liberalis, quod prodigus, ita magnanimus, quod superbus; ita seuerus, quod sæuus; parum Deum reuerebatur, homines nihil, cum Deus timendus sit omni tempore, homo pro tempore. Vestiū suarum precium in immensum extolli volebat, dedignans si quid alleuiasset.

Quodam mane cum calciaretur nouas caligas, quæ, sciuit à cubiculario quanti constarent. Cumque ille respondisset, tres solidos; indignabundus & fremens; Fili, ait, meretricis, ex quo habet Rex caligas tam exilis precii: vade, & affer mihi emptas marcha vna argenti. Iuit ille, & multo viliores afferens, quam præceperat, emptas mentitus est. Atqui, inquit Rex, istæ regiæ maiestati conueniunt. Itaque ex eo cubicularius precium vestimentorum eius pro voluntate numerabat. Multa proinde suis vtilitatibus nundinans. tandem exhaustus expensis, ad rapinas conuertit animum, adiuuante eum in hoc scelere Ranulpho clerico ex infimo genere hominum, lingua & calliditate prouecto ad summum, quo auctore sacri ecclesiarum honores mortuis pastoribus venum locati sunt. Nam audita morte cuiuslibet episcopi vel Abbatis, confestim clericus Regis eo mittebatur, qui omnia inuenta scripto exciperet, omnesque in posterum redditus fisco regio inferret, substituebaturque in loco defuncti quilibet non pro morum, sed pro nummorum experimento. Sequebatur curiam effeminatorum manus, & ganearum greges, vt recte à quodā sapiente dictum sit: *Curia Regis Angliæ non est maiestatis diuersorium, sed exoletorum prostibulum.*

De actibus eius nequissimis.

Cap. LXXXVI.

AD dedecus illius temporis pertinet, quod Anselmus Archiepiscopus ista corrigere conatus, sed societate suffraganeorum destitutus sponte discessit, nequitiæ temporis cedens. Qui cum iamque nauigaturus in portu ventos expectaret, iussu Regis vt prædo publicus expilatus est, Mauricis omnibus, & Bulgis in medium prolatis, & exquisitis. Iudæos quos pater eius à Rothomago Londoniam transtulerat, cum in quadam solennitate eum adirent, munera offerentes, ausus est animare ad conflictum contra christianos, permultū delira pronuncians, quia si vicissent in eorum sectam trāsiret. Magno ergo timore episcoporum, & clericorum res acta est pia sollicitudine fidei christianæ timentium. De quo certamine Iudæi nihil præter confusionem retulerunt, quamuis multotiens iactitarint se non ratione, sed factione superatos. Roberrus frater eius cum aggredi vellet iter Hierosolymitanum Northmanniam ei inuadiatus est pro pecunia decem millium marcharum. Quapropter importabilis pensionis edictum per totam Angliam cucurrit. Cumque episcopi & Abbates frequenter Regem adirent, de hoc querimoniam facientes, respondit ille: Nunquid non habetis scrinia auro, & argento composita, ossibus mortuorum plena? Igitur capsas sanctorum nudare coacti sunt, crucifixos despoliare, calices conflare, non in vsum pauperum, sed in fiscum regium. Venationes quas primo indulserat adeo prohibuit, vt capitale esset ceruum prendidisse. Propter hæc, & huiusmodi sæpe à ducibus contra eum coniuratum est. Guillelmus de Ou proditionis apud Regē accusatus, delatoremque ad duellum prouocans exceleratus, & extesticulatus est. Hęc delatio plures innocentes inuoluit, quorum vnus fuit Guillelmus de Alderia, homo decorus, & compater Regis, qui patibulo affligi iussus, Osmundo episcopo Salesberiæ confessus, & per omnes ecclesias oppidi flagellatus, dispersis ad inopes vestibus ad suspendium nudus ibat delicatam carnem frequentius super lapides genuflexionibus cruentans; episcopo & populo sequente ad locū supplicii ait: Sic deus adiuuet animam meam, & à malis liberet sicut de re qua accusor immunis sum. Audita discordia, quæ erat inter Vrbanum Papam, & Guicbertum Rauennatem tributum Romanæ sedi negauit, pronior tamen in Guicberti gratiam, quæ fuit prima causa dissidii inter eum & Anselmum.

De pestilentiis, quæ tempore eius acciderunt.

Cap. LXXXVII.

Terræ motus ingens in Anglia.

SEcundo anno regni eius ingens terræmotus 3. Idus Augusti totam Angliam exterruit horrendo miraculo, vt ædificia omnia eminus resilirent, & mox pristino modo residerent. Secuta est inopia omnium fructuū tarda maturitas frugum, vt vix ad festum Andreæ messes recondirentur. Quarto eius anno fuit tumultus fulgurum, motus vrbium.

Idus Octobris, apud Ibericeltumbam ictus de cœlo emissus turris latus tanta vi impulit vt debilitata materia in confinio tecti ingens foramen ad humanæ crassitudinis modum efficeret. Quo ingressus trabem maximam in fragmina per totam deiecit ecclesiam, & crucifixi caput cum dextera tibia, & imaginem Sanctæ Marię deiecit. Secutus est fœtor intolerabilis. Tandē monachi fœlici ausu irrumpentes, benedictæ aquæ aspergine inimici præstigias effugarunt. Fuit quoque discordia ventorum inter se dissidentium ab Euro Austro veniens 16. Calend. Nouembris, quæ Londoniæ plusquam 300. domos effregit. Collidebantur ecclesiæ cum domibus, maceriæ cum parietibus. Idem furor ventorum tectum ecclesiæ sanctę Mariæ, quæ Adarcus dicitur pariter sublegauit, & duos ibi homines obruit. Ferebanturque tigna cum trabibus, per inane mirantibus, qui longe timentibus, qui prope stabant quatuor tigna sex, & 20. pedes longa, tanta vi pariter in humum impacta sunt vt vix quatuor pedes extarent notabili visu; quomodo duriciem stratæ publicæ perruperint, eo ibi in ordine posita quo in tecto ab artifice fuerunt collocata. Quæ ob impedimentum transeuntium de planicie terræ desecta sunt, quod aliter erui nequirent.

Mirus vētus

Quinto eius anno eadem violentia fulminis apud Salesberiam tectum turris ecclesiæ omnino disiecit, multumque

tumque macerie labefactauit;quinto die postquam eã dedicauerat Osmundus præclaræ memoriæ episcopus. Sexto Guillelmi Regis anno tantũ fuit in Anglia diluuium ex abundantia imbrium,quantum nullus meminerat. Mox accedente hyeme fluuij ita sunt congelati vt essent peruii equis,& quadrigis,& plaustris. Gelu resoluto ex impetu glacialium crustarum pontes effracti sunt.

Septimo anno Regis Guillelmi propter tributa,quæ Rex in Northmannia positus edixerat,agricultura defecit,qua deficiente secuta est fames : qua crescente successit mortalitas hominum adeo crebra, vt deesset morituris cura,mortuis sepultura.

De Fulcone Comite Andegauensi.

CAP. LXXXVIII.

Willelmus. Fulco fuit antiquus Comes Andegauorum,qui senex Hierosolymam adiit: ibi à duobus seruis sacramento coactis,vt quod iuberet facerent,per publicum tractus est nudus ad sepulchrum Domini, Turcis inspectantibus, alter restem ligneum collo eius intorserat, alter flagris terga expoliati vrgebat . Inter hæc ille clamabat: *Accipe Domine miserum Fulconem perturum tuum,fugitiuum tuum.* Domum tamen contra desiderium suum placide regressus. Post aliquot annos filium habuit Gaufridum cognomento Marcellum,quod cognomen sibi vsurpauerat,quia videbatur omnes sibi obsistentes fœlicitate quadam contundere. Nam Dominum suum comitem Pictauensem aperto Marte cæpit, ferreisque vinculis innodatum ad ignobilis pacis conditiones coegit,vt Burdegala ciuitate & finibus eius cederet & de cæteris terris annuum vectigal pẽsitaret:qui captus pro ferri iniuria,& ciborum inopia post triduum defunctus est. Cuius nouercam Marcellus duxit,fratres in tutelam suscipiens. Mox Theobaldi comitis Blesensis ingressus limites,vrbem Turonicam obsedit & ipsũ in eadem:qui captus,& ergastulo reclusus, vrbem sibi omnibusque suis in perpetuum hæredibus abiurauit. Iste Gaufridus moriens Gaufrido fororis suæ filio comitatum dedit,qui simplex fuit,& imbellis . Huius frater Fulco ducatum corripuit qui cognominatus est Rechin,quia germani simplicitati crebro infrendens,ad vltimum honore spoliatum perpetua tenuit in custodia. Hic Fulco habuit vxorem , quæ relicto eo, Philippo nupsit Regi Francorum,qui amore eius ita captus est, vt illa sibi in omnibus imperaret,cũm ipse omnibus aliis imperare cuperet. Denique omnium digitis se notari,& ab omni orbe christiano se excommunicari prõpter eius libidinem aliquantis annis passus est . Filii huius Fulconis fuerunt Gelfridus, Marcellus , & Fulco; primus insidiis suorum necatus est.

De clerico cui socius suus damnatus apparuit.

CAP. LXXXIX.

Willelmus in chronicis. Erant eo tempore in Nanetis ciuitate duo clerici nondum patientibus annis Presbyteri,literis affatim instructi, inter se multum amici. Hi pactum inierunt inter se, vt vter eorum prior moreretur alteri vel vigilanti vel dormienti appareret infra 30. dies. Data acceptaque corporali fide, non multum post vnus obiit. Trigesimo die alteri astitit, & illi vigilanti,& nescio quid operis molienti,mortuus vultu exangui & pallido. Qui prior viuum compellens . Agnoscis me,inquit?agnosco ait ille, & miror quid tamdiu moratus fueris. Ille primus moram excusans tandẽ ait venio,& aduentus meus si volueris tibi fiet commodus,mihi omnino infructuosus. Nã sẽpiternis deputatus sum suppliciis. Ego,ait,alter,iuuabo te precibus,ieiuniis, & elemosynis multis. At ille respondit. Sine pœnitentia sunt iudicia Dei in inferno.

Duorũ clericorum pactum mirabile.

Dum votat astra polus, dum pulsat litora pontus,

pro criminibus meis puniar. Si totus mundus mihi remedia exquireret,æterna tamen & innumera pœnarum genera patiar. Et vt aliquam ex meis rationabilibus pœnis agnoscas. *En vna,* (protenditque manum sanioso vlcere stillantem) Videturne ait tibi leuis ? Cum ille leuem sibi referret videri,ipse mortuus curuatis in volam digitis tres guttas defluentis tabis super eum iaculatus est. Quarum duæ tempora? tertia frontem contingentes,cutem sicut ignito iaculo penetrauerunt, foramen nucis capax efficientes , illo magnam pœnam esse doloris clamore protestante. Hoc,inquit mortuus , erit tibi quamdiu vixeris , & pœnarum mearum graue documentum , & nisi neglexeris , saluti tuæ singulare monimentum . Vade ergo dum licet,muta habitum simul & animũ,& esto monachus Redonis apud Sanctũ Melanium. Cumque viuus ad hoc respondere nollet, mortuus eum oculi vigore perstringens. Si dubitas, inquit,conuerti miser lege literas istas. Et hæc dicens manum protendit tetricis nõtis inscriptam, in quibus Sathanas,& omne inferorum satellitum multitudo omni ecclesiastico cœtui gratias de tartaro emittebant, quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus deesset,tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere prædicationis incuria; quantum nunquam viderant retroacta sęcula. His dictis,loquentis aspectus disparuit,& audiens viuus omnia vendens & dans pauperibus Sanctum Melanium adiit,& monachus ibi factus optime conuersatus est.

De muliere Laudunensi,quæ ab igne euasit.

CAP. XC.

Sigebertus in chronicis. Anno Domini 1094. Pontificãte in vrbe Laudunensi Helinando , mulier quædam in proximo manẽs habebat generũ iuuenili specie decorũ; quem multa diligentia pro amore filiæ suæ accurabat. vnde & orta turpis suspicio de muliere , & genero suo inter vicinos homines quod valde eam turbauit. Quæ impatienter ferens famã huiusmodi opprobrio turbari, iniuriæ suæ causam in eum retorsit, & clandestina machinatione,vt occideretur à duobus pueris procurauit. Postmodum vero ad pœnitentiam facti homicidii conuersa,cuidam Presbytero per confessionem peccatum suũ reuelauit,sed elapso aliquanti temporis spacio,presbyter idem cum ea litigans,malum quod fecerat in faciem ei exprobrauit. Quo audito parentes hominis occisi properantes nunciauerunt Vicedomino Laudunẽsi. Iubente Vicedomino vocata mulier venit , & qualiter hominem occidisset,nequaquam celauit. Iudicatum est ergo eam ignibus debere concremari;sed prius ducta ad ecclesiam B. Dei genitricis Mariæ, peccatum suũ corã Deo & hominibus ex ordine narrauit; & sic meritis & precibus sanctissimæ Virginis matris Mariæ,seipsam fideliter commendauit. Deinde missa in ignem, incendiũ nullatenus sensit,sed diuina protegente gratia consumpto igne,ipsa illæsa permãsit. Quod factum cognati hominis occisi nõ diuinæ virtuti ascribentes, sed fragilem potius lignorum materiam credentes,iterum accendunt ignẽ circa eam fortioribus lignis,sed nihil profecerunt. Iterato enim miraculo seruauit eam Deus incolumem ab exustione ignis,ad laudem sui nominis , suæque genitricis gloriam & honorem. Egressa igitur ex incendio non solum carne, sed etiam veste & crine illæsa ad ecclesiam S. Dei genitricis omni populo applaudente ducta est. Post laudes Deo redditas volente Deo , paucis diebus transactis,transiit ab hoc sœculo.

Anno sequenti Helinandus bonæ memoriæ Laudunensis Episcopus obiit,Ingelrannus succedit . Fames diu cõcepta validissime ingrauatur,& fit calamitosus annus,multis fame laborãtibus & pauperibus per furta & incẽdia ditiores grauiter vexantibus. Cũ valido ventorũ turbine etiam terræmotus factus est media nocte 4. idus Septembris in multa terrarum parte. Pridie nonas Aprilis,circa diluculum stellæ per plures simul de cœlo in ter-

An. Christ. 1094

An. Christ. 1095.

in terram cecidisse visæ sunt: Inter quas vnam maximā labi in terram, cum quidam in Francia stuperet, & notato loco vbi visa est labi aquam ibi fudisset, fumum cū feruoris sono inde exire magis stupuit. In comitatu Namurcensi panem subcinericium quasi sanguine infectū vidimus. Vrbanus per Burgundiam & Franciam habitis Concilijs Hildebrandi decreta renouat, & confirmat per Philippum Regem Francorum; qui viuente vxore sua, superduxerat alterius viuentis vxorem, excommunicat.

Hoc anno sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus.

De Concilio Claremontensi, & statutis eius.

Cap. XCI.

Decreta concilij Claremontensis.

Guillelmus in chronicis. Hoc anno primo, anno Domini 1095. Vrbanus Papa venit in Galliam, & celebrauit Concilium apud Claremontem. In quo inter cætera statutum est, vt episcopi, vel Abbates, vel aliqui de clero aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu Principum, vel quorundam laicorum non accipiant: & vt clerici in duabus ciuitatibus, vel ecclesiis præbendas non habeant: vt nemo sit simul Abbas & episcopus, vt ecclesiastica dignitas à nullo ematur, aut vendatur. vt nullus cuiuslibet sacri ordinis carnali commercio vtatur: vt ei auferantur ecclesiasticæ dignitates, qui scienter à se, vel à parentibus suis emptas habuerunt. Vt eis ignoscatur, qui hoc ignorauerunt à canonibus prohibitum. Vt nemo laicorum à capite ieiunij, nemo clericorum à 50. vsque in Pascha carnes comedat. Vt in Sabbato Paschæ non nisi post nonam officium celebretur. Vt ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ & à Quadragesima vsque ad octauas Pentecostes, & à quarta feria occidente Sole omni tempore, vsque ad secundam feriam oriente Sole treuga Dei custodiatur: Vt qui episcopū cæpit omnino exlex habeatur: Vt qui sacri ordinis viros vel eorū famulos cœperit anathema sit: Vt qui episcoporū, vel clericorū moriētiū bona cę-presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, & cui nataliū perit anathema sit Vt nemo in episcopum eligatur nisi dignitas suffragatur, nisi maxima necessitate, & licentia Papæ. Vt filii presbyterorum, vel concubinarum ad presbyteratum non promoueantur, nisi prius religiosam vitam transierint: Vt qui ad ecclesiam, vel crucem confugerit, data membrorum impunitate iustitiæ tradatur, vel innocens liberetur. Vt vnaquaque ecclesia decimas suas habeat, nec ad alteram transeant. Vt laicus nec decimas vendat, nec retineat. Vt pro sepultura mortuorum precium non exigatur.

Ex chronicis. Ibique statutum est, vt horæ de B. Maria virgine dicantur, & eius officium diebus Sabbatorum solenniter celebretur.

Guillelmus in chronicis. In eodem Concilio excommunicauit Papa Philippum Regem Francorum, & omnes qui eum, vel Regem, vel Dominum suum vocarent & ei obedirent. Similiter, & illam maledictam coniugem eius, & qui eam Reginam, vel dominam vocauerint, donec ad emendationem venerint, vt alter ab altero discedat. Similiter Guicbertum Rauennatem, qui se Papam appellat, & Henricum Imperatorem, qui eum manu tenet, & cæteros, qui eis consentiunt.

Post hæc sermonem habuit ad populum exhortans eos ad crucem sumendam, inter cætera dicens, vt Salomon ait; *Nihil timidius peccato, nequitia nihil laboriosius*. Nunc à nobis pax laborum, atque metus finis precio meliore petuntur. An nescitis, quoniam viuere hominibus calamitas, mori fœlicitas est? Mors enim accelerat bonis patriam, malis resecat malitiam.

ANNOTATIO.

Ex his Pontificibus qui à Gregorio sexto ecclesiæ præfuerunt colligere facile potes quam vtile sit, imo vero necessarium Pontificum maximorum aliorumque à Principibus laicis non pendere electionem neque confirmationem: nam postquam hi summi pontifices iniuriam quam toti ecclesiæ imo vero Christo ipsi facerent, perpenderunt, & vel electionem vel confirmationem suam principum laicorum authoritate fieri neglexerunt, statim noua quædam ecclesiæ facies apparuit, & pro intrusis quibusdam Pontificibus, nulla fere commendatione, & laude dignis Pontifices, omnibus virtutibus heroicis exornatos ecclesia habere capit. Qualis fuit Gregorius 6 Leo 9. Gregorius 7 Victor 3. & denique Vrbanus iste secundus qui præter multa alia præclara gesta fuit sacræ militiæ primus incentor, & expeditionis Hierosolymitanæ promulgator.

De innumerabilibus populis in occidente cruce signatis.

Cap. XCII.

Sacrorum militum in tuda ot feruor vide Tucherium Carnotensē in sacra illā expeditione Balduini capellanum & Elon. li. 3. dec. 2. Nauclc Gen. 37.

Sigebertus in chronicis. Anno Domini 1096. Occidentales populi dolentes loca S. Hierosolymorū à gentibus prophanari, & Turcos etiam terminos Christianorum iam multa ex parte inuasisse, innumerabiles vna inspiratione moti, & multis signis sibi ostensis, alii ab aliis animati duces, Comites. potentes, nobiles, & ignobiles, diuites, pauperes, liberi, & serui, episcopi, clerici, monachi, senes, & iuuenes, pueri, & puellæ, omnes vno animo nullum vllo angariante, vndique concurrunt ab Hispania à Prouincia, ab Aquitania, à Britannia, à Scotia, ab Anglia, à Northmannia, à Francia, à Lotharingia, Burgundia, & Germania, à Longobardia, ab Appulia, & alijs regnis, virtute & signo S. Crucis signati & armati, vltum ire parant, iniurias Dei in hostes Christiani nominis. Et quanto quisque hactenus ad exercendam mundi malitiam erat pronior, tanto nunc ad exercendam vltro Dei militiam fit promptior, firmissima pace interim vbique composita. Et primo Iudæos in vrbib⁹ in quibus erāt aggressi, eos ad credendum in Christum compellunt. Credere nolentes bonis priuatis trucidant, vrbibus eliminant. Aliqui Iudæorum zelo tenendæ patriæ legis ducti se mutuo trucidant. Alii ad tempus se credere simulantes, post ad Iudaismum reuoluuntur. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres eius Eustachius, & Baldouinus, Anselmus de Ribomonte, Balduinus Comes Montensis. Robertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Northmannorum, Raymundus Comes S. Ægidii, Boiamundus Dux Appuliæ, & Tancredus nepos eius. Horum omnium curam apostolica auctoritate suscepit vir eximius Haymarus Podiēsis episcopus, eisque consilio & doctrina vsque ad captam Antiochiam plurimum proficuus fuit. Etiam huius viæ incitator Petrus quidam eremita fuit, qui vsque ad captam Hierusalem in multis vtilis cum exercitu Dei perseuerauit.

Guillelmus in chronicis. Nunquam tot gentes in vnam coire sententiam, opinionem hominum vincebat numerus, quamuis æstimaretur sexagies 100. millium qui omnes Hierosolymam pergebant.

De cæteris euentibus illius temporis.

Cap. XCIII.

Sigebertus in chronicis. Anno Domini 1097. Imperij Henrici 41. cometes in occidente apparuit, tota prima hebdomada Octobris. Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, & sterilitas frugum terræ sequitur. *An. Ch. 1097.*

Exercitus Dei aggressus terminos paganorū viriliter

agit

agit primumque eis fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis 9. Calen. Martij, vbi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis bellum fuit apud Nicæam 3. nonas Martii, in quo etiam pagani victi sunt. Capta ergo Nicea, capta Laodicia, cum essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos 12. nummis venderetur.

Lanfranco Cantuariæ Archiepiscopo defuncto, Anselmus Abbas Beccensis pro sua sanctitate & doctrina, non solum in Northmannia, sed etiam in Anglia iam celeberrimus succedit in præsulatu. Qui licet à Rege Guillelmo, & principibus terræ totiusque Angliæ, & conuentu ecclesię honorifice susceptus fuisset, multas tamen molestias, & tribulationes postmodum sub ipso Rege passus est pro statu ecclesię corrigendo. Nam Reges Angliæ hanc iniustam legem iam diu tenuerant, vt electos ecclesiæ præsules ipsi per virgam pastoralē ecclesiis inuestirent.

An. Christi 1098. Anno sequenti Conradus Vltraiectensis episcopus feria quarta Paschæ post missam à se celebratam, à quodam suorum perimitur in domo sua.

Multis in locis 5. Calen. Octobris, cœlum quasi ardere visum est nocturno tempore, & secuta est grauis animalium pestilentia, & segetes nimio imbre, & ærugine corruptæ sunt.

De monachis Molismensibus, qui ad eremum Cisterty conuolauerunt.

Cap. XCIV.

HOc igitur anno ab Incarnatione Domini 1098. venerabilis Hugonis Lugdunensis ecclesiæ Archiepiscopi sedis apostolicæ tunc Legati, & religiosi viri Vualterii Cabilonensis episcopi, necnon & clarissimi Principis Odonis Burgundiæ ducis freti consilio, & auctoritate roborati, inuentam eremum in Abbatiam cōstruere cæperūt, præfecto Abbate Roberto ab illius diœcesis episcopo videlicet Cabilonensi suscipiente curam virgamque pastoralem, cæterisque sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem. At vero post non multum temporis factum est, vt idem Abbas Robertus requirentibus eum monachis molis mensibus Papę Vrbani secundi iussu cum Vualtheri Cabilonensis episcopi licentia, & assensu Molysmum reduceretur, & Albericus vir religiosus & sanctus in ipsius loco substitueretur. Hoc sane inter vtramque ecclesiam iequestre pacis gratiam retento, vt Apostolica auctoritate confirmato, vt ex eo iam tempore neutra illarum vtriuslibet monachum ad habitandum sine commendatione regulari susciperent. Quo facto nouum monasterium, noui patris sollicitudine & industria in breui non mediocriter Deo cooperante in sancta religione, ac conuersatione profecit, opinione claruit, rebus necessariis creuit.

Cistertiensē ordinem quis primus inchoauerit non satis apud scriptores constat vide Surij in vita Roberti 29. Aprilis.

Guillelmus in chronicis. Tempore Guillelmi secundi Regis Angliæ cæpit religio Cisterciensis. Pertinet autē ad gloriam Angliæ, quod talem virum genuit, qui huius religionis & auctor fuit, & mediator. Is fuit Ardingus nomine à puero Cireburnæ monachus, postea pannos illos perosus, Scotiam, mox Franciam contendit, vbi aliquot annis studuit. Deinde Romam cum clerico consorte profectus est; qui eundo, & redeundo quotidie totum spalterium cantitabant. Deinde Burgundiam regressus est in Molismo nouo, & magno monasterio se totondit. Ibi cum ei quædam proponerentur obseruanda, quæ non erant de regula, cœpit rationem eorum inquirere, & tamdiu de quibusdam superfluis cum vno & alio disputauit, vt Abbatem ipsum, & alios 17. in suam sententiā induceret. Igitur Cistertium venere locum prius salinosum, & ibi iteterunt suffragio Archiepiscopi Vienensis, qui postea Apostolicus factus est. Abbas tādem, qui cum eis venerat à suis monachis requisitus ad eos rediit quasi coactus, sed volens, omnes, qui cū eo venerant de Molismo, cum illo regressi sunt, præter octo, qui sibi Abbatem constituerunt Albericum quēdā de suis, priorem vero Ardingum, qui & Stephanus dictus est.

De constructione Abbatiæ, & initio ordinis.

Cap. XCV.

EOdem anno ordo Cistercienſis incœpit. In episcopatu siquidem Lingonensi situm noscitur esse cœnobium nomine Molismum fama celeberrimum, religione conspicuum. Hoc à sui exordio magnis sub breui tempore diuina clementia suæ gratiæ muneribus illustrauit, viris illustribus nobilitauit, nec minus amplum possessionibus, quam clarum virtutibus reddidit. Cæterum quia possessionibus virtutibusque non solet esse societas, hoc quidē ex illa sancta congregatione viri nimirum sapientes altius intelligentes elegerunt, potius studijs cælestibus occupari, quam terrenis implicari negocijs. Vnde & mox virtutum amatores de paupertate fœcunda virorum cœperunt cogitare, simulque aduertentes ibidem, & si sancte honesteque viueretur minus tamen pro sui desiderio atque proposito, ipsam quam professi fuerant regulam obseruari, loquuntur alterutrum, quod singulos mouet, pariterque inter se tractāt, qualiter illum versiculum adimpleant: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia.* Quid plura? Viginti, & vnus monachi vna cum patre ipsius monasterij beatæ videlicet memoriæ Roberto egressi communi consilio, communi perficere nituntur assensu, quod vno spiritu conceperunt. Igitur post multos labores, ac nimias difficultates, quas *omnes in Christo pie viuere volentes pati necesse est.* Tandem desiderio potiti Cistertium deuenerunt locum scilicet tunc horroris, & vastæ solitudinis. Sed milites Christi loci asperitatem ab arcto proposito, quod iam animo acceperant, non diffidere iudicantes, vt vere sibi diuinitus præparatum tam gratum habuere locum, quā charum propositum.

Psal. 65.

2. Tim. 3.

Molismenses monachi se conferunt Cistertium.

De causa itineris Transmarini, & signis præcedentibus.

Cap. XCVI.

TVrci vero iam 40. annis Bithinniam possederant, quæ est pars minoris Asiæ, quam Romanam dicunt. Huius Dominus erat tunc Solimanus. Abiectis autem arcubus continuis tribus diebus fugerunt Turci. Soldanus autem apud Persas est, qui apud Romanos augustus totius orientis rector. Quorum, & Persarum imperium ideo, vt æstimo, tandiu durat, quia gens illa parum bellicosa, & viuacis sanguinis inops, semel acceptum dedisce nescit seruitium ignorans, vt ait Lucanus; ideo datos ne quisquam seruiat enses.

Hoc anno, qui fuit annus 10. Guillelmi Regis Anglię secundi apparuit cometes Calē. Octobris 15. diebus, maiorē crinē mittens ad Orientē minorem versus Euroaustrum. Apparuerunt & aliæ stellæ quasi iacula inter se emittentes.

Eodem anno Anselmus lux Angliæ tenebras erroneorum fugiens, Romam iuit. Baldricus ex Burgalensi Abbate Dolensium Archiepiscopus, qui scripsit Historiam Hierosolymitanam dicit, quod Turci, qui Hierosolymis erant, sepulchrum Domini paulo sinebant honorificentius seruari, non quia multum de religione christiana curabant. Sed quoniam taliter vtilitatibus & cupiditatibus suis satisfaciebant per oblationes aduentantium, qui imperium suum iam vsque ad Antiochiam dilatauerant. Dicit etiam quod episcopus Podiensis nomine Haymarus primus omnium in ipso Cōcilio Claremōtēsi licentiam ab Vrbano Papa accepit eundi Hierosolymā. Dicit etiā quod anno Domini 1095. ptidie nonarū Aprilis feria 4. Luna 25. visus est ab innumeris inspectoribus in Gallijs tātus stellarū discursus, vt grādo nisi lucerēt pro densitate putarentur, quas quidam opinati sunt cecidisse, quidā motū eorū, motū chri-

christianitatis interpretati sunt. Anno enim subsequente, & synodus Aruernis habita est, & via inchoata. Porro ante hanc synodum generale concilium celebrauerat idem Vrbanus Papa apud Placentiam.

De itinere transmarino, & primo congressu contra Turcas.

Cap. XCVII.

EXcessit autem medicina modum, quia plusquã debuit in quibusdam voluntas eundi Hierosolymam subrepsit. Nam & multi eremitæ, & recluſi, & monachi domicilijs suis nõ satis sapiẽter relictis, ire viã perrexerũt. Quidam tamen orationis gratia ab Abbatibus suis accepta licentia profecti sunt. Plures autem fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebeia Crucem sibi diuinitus innatam iactitando ostendebant, quod & idem quædam de mulierculis præsumpserunt; quod omnino falsum esse deprehensum est. Alij vero ferrum calidum instar Crucis sibi adhibuerunt, vel peste iactantiæ, vel bonæ voluntatis ostentatione. Boamundum vero Roberti Guiscardi filium Rogeri Ducis fratrem, secutus est Tancredus nepos suus, & Richardus de principatu. In duobus primis præliis præualuerunt Turci contra gentem sine Rege, & sine duce, primo apud castellum Exorogarga, quod omnibus incolis vacuum christiani intrauerant omnibus copiis refertum, quod vtrum timore an industria incolæ reliquissent incertum est. Fons & puteus, quo castellum sustentabatur extra erat, quo christianis ablato Ramaldus quidam quem sibi ducem fecerant cum Turcis conciliatus est, vt fratres suos illis proderet si posset, & trãsfugit ad eos. Multi ibi apostatæ facti sunt alij, vel sagittati ad signum, vel venundanti, vel captiui abducti. Hãc primam persecutionem passi sunt Christiani 3. Calen. Octob. Audientes autem Turci, quod Petrus eremita, & Gualterus sine cognomento in ciuitate cui nomen Cinitor prope Nicenam essent, ierunt contra eos, & accurrentes obuiauerunt Gualtero, quem cum multis peremerunt. Petrus vero iam Constantinopolim redierat, quantum illi acquiescere gens litigiosa nolebat. Turci autem castellum Cinitor obsederunt & cæperũt, & christianos ibi inuentos, vel occiderunt vel captiuauerunt, & hoc iterum passi sunt christiani mense Octobri.

De transitu exercitus Dei per loca Græciæ.

Cap. XCVIII.

DVm hæc agerentur Godefridus cum patribus suis Baldouino, & Eustachio, & Baldouinus de monte cum turmis suis per Hungariam commeantes, Constãtinopolim appropinquabant, Podiensis episcopus, & Comes Raymundus per Sclauariam gradiebantur. Hugo magnus, & Comes Flandrensis Robertus, & alius Robertus Comes Northmannorum cum suis Romam prætereuntes in Appuliam deuenerunt. Audiens Boamundus famam aduentus eorum singulorum probitatibus signisque perscrutatis pallium optimum sibi præcepit afferri. Quod per particulas consciſum Crucem vnicuique suorum distribuit, suamque sibi retinuit. Imperator Constantinopolitanus Alexius malum exercitui Dei machinabatur. Ventum est Castoriam, vbi natale Domini celebrauerunt. Inde in Palagoniam castrum munitissimum hæreticorum, omnibus bonis refertum. Quo radicitus dirupto venerũt ad flumem Bardorum, vbi Tancredus cum suis satellites Imperatoris fugauit, quosdam peremit, quosdam vinctos Boamundo præsentauit. Hoc bellum factum est feria 4. in capite ieiunij. Hinc ventum est ad Serram ciuitatem, vbi sufficiens habuere mercatum. Ibi Boamundus cum duobus corpalatiis amicitias iniit. Inde ventum est ad ciuitatem Rusam feria 4. ante cænam Domini. Venerũt Niceam pridie nonas Maij obsessaque est ciuitas per 7. hebdomadas, & tres dies, & tãdem capta est, & à christianis Imperatori Alexio reddita, qui Turcas, qui ab ea ad se refugerant in pace susceperant. Inde ad quẽdam peruenit pontem exercitus Dei, tertia die Turcas innumeros offenderunt Saracenos, Angulanos, Persas 360000. & Arabes innumeros occiderunt, cæsaque sunt ibi barbarorum multa millia. Cecidit igitur Guillelmus Marchisus Frater Tancredi, & Gaufridus de monte scabioso, & multi alii Turci iactitant se de Francorum stirpe genitos, & eorum proauos à christianitate descendisse, nullosque naturaliter militare debere nisi se & Francos, factum est hoc prælium Calen. Iulii. Inuentum est in eorum tentoriis auri & argenti plurimum, equi, boues, & cameli, mulę, veruecces, & copiosa suppellex. Solimanus autem Solimani senioris filius de Nicæa fugiens inuenit Arabum 10000. quibus fugam persuasit, & venientes ad ciuitates, & castella in quibus morabantur Surriani christiani dicebant eis. Subdole condeuicimus Francos, & sic intra portas eorum recipiebantur. Ingressi autem domos eorum, & ecclesias deprædabantur, & auferebant eis omnia concupiscibilia, & filios, & filias. His auditis christiani eos insequentes venerunt Ieonium, inde ad ciuitatem Herachiam, quæ Turcis abiectis illis se reddidit.

Qualiter Antiochia capta est à christianis, & post à Turcis obsessa.

Cap. XCIX.

MAior autem exercitus cum magna difficultate venit in vallem Antiochiæ, quæ est Syriæ metropolis.

Guillelmus in chronicis. Hæc post Romam, & Constantinopolim, & Alexandriam 4. in loco cunctis per orbem ciuitatibus prælata est. Fluuius ibi est, qui modo Farnus, olim Oros dictus est 12. ab vrbe milliario pelago influens fluentis rapacibus, & ipso impetu frigidioribus salubris auræ temperiem ciuitati medetur, commeatum nauium oppidanis inuehens, perseuerantiam obsidentium quandolibet tempore detidet. Est præterea ciuitas mœnibus tuta, montibus ardua. Ecclesia B. Petri. & Ecclesia B. Mariæ quamdiu Turci ibi fuerunt illibatæ mãserunt.

Bardricus. Hanc primo obsedit Boamundus 12. Calẽ. Nouemb. 4. feria, à tribus portis. Erant enim iam de ciuitate Armenij multi, & Surriani Christiani quidẽ, sed Turcis obnoxij, qui fugã simulãtes audacter exibãt in castra mendicantes, & castrorũ explorantes consilia in vrbem reportabant, quod multum nocuit christianis. Ibi in castris tanta fames facta est, quod asselliq nus vendebatur 8. putatis, qui valent denariorum 120. solidos. Guillelmus Carpentarius, & Petrus eremita latenter aufugerunt. Quos inuentos Tancredus apprehendit, & inhoneste conuitiatos, & coactos redire compulit. Erat in obsessa Antiochia quidam admiratus Turcorum nomine Pirrus, qui fœdus amicitiæ per fideles internuncios cũ Boamũdo inierat, fama eius allectus. Hic Boamundo filium suũ misit obsidem, & reddidit ei tres turres, quas tenebat, & sic capta est ciuitas. Cassianus autẽ dominus Turcorum inter fugientes delituit, cuius caput Armenij abstulerunt, & Boamundo detulerũt. Corberannus autem Princeps eorum, qui ad auxilium Antiochiæ confluerat accepta licentia sæuiendi in christianos à Calipha suæ gentis apostolico, innumeras gentes sibi coagulauerat. Inter quos & Admiratus Hierosolymitanorum, & Rex Damascenorum. His Antiochiã appropinquantibus obuiauit Sẽsadolus Cassiani filius, qui dedit Corberanno municipium fortissimũ, quod vrbi imminebat. Quo facto Corberannus ciuitatẽ obsedit, ad quem venit ibi mater eius centenaria, & Auguratrix, & sortilega prædicẽs ei, quod si pugnaret cũ christianis superandus esset ab illis, & metu Saracenorũ aufuge-

runt

runt de exercitu christianorum funibus demissi per murum, Guillelmus de Grentamensiuil, & Ablericus frater eius, Guido Trusellus, & Lambertus pauper perpetuo opprobrio appellati deinceps fames in ciuitate prævaluit.

De Inuentione lanceæ Saluatoris.

CAP. C.

CVidam vero sacerdoti apparuit Dominus cum beatissima genitrice sua, & Petro Apostolo Cruce super caput resplendente exprobrans beneficia, quæ christianis contulerat, & ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium. Cumque minaretur se vindicaturum de illis, & mala sua illis redditurum, Mater misericordiæ, & B. Petrus ceciderũt ad pedes eius supplicantes ne pro paucorum culpis cunctis irasceretur qui precibus eorum acquiescens dixit presbytero: Vade, & dic populo meo, Lupanar, & prostibulum, & omnem à vobis remouete abusum, & infra 5. dies, si reuersi fueritis ad me, reuertar ad vos, & oportunum vobis prouidebo auxilium. Et interim quotidie cantetur. *Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Contere fortitudinem illorum Domine, & disperge illos, vt cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector noster Domine.* Machab. Cuidam autem peregrino Petro nomine apparuit S. Andreas Apostolus demonstrans ei locum in ecclesia B. Petri, in quo inuenienda erat lancea Saluatoris. Non multopost ignis de cœlo cadere visus est in castra Turcorum de nocte. Panis pastimatius, & permodicus Bizanceo vendebatur. Equinæ carnes, & asininę pro imperialibus computabantur deliciis. Gallina 15. solidis, ouum pro duobus solidis. Nux vel glans vno appreciabatur denario. Hanc passionem continuam toleraũerunt diebus 36. Stephanus interim Comes Blesensis propter infirmitatem secesserat apud Alexandriam, quæ non longe abest ab Antiochia conualescendi gratia, cuius aduentum omnes expectabant, quia vir consilii erat. Qui vt audiuit Turcas ciuitatem conualasse, latenter montana conscendit, & festinanter clãdestinus discessit, putans suos defecisse, vel in breui defecturos fore. Et perueniens ad Imperatorem, qui cũ magna multitudine Græcorum, & Gallorum in auxilium nostrorum veniebat, persuasit ei, vt reuerteretur. Hanc offensam, & hanc infamiam Stephanus idem tactus postea contritione cordis, & confusione rediens à patria in Hierusalem hiauit, & sic omnibus satisfecit. XIII. homines laborioſi, & strenui foderunt à mane vsque ad vesperam, & inuenerunt lanceam Domini nimis alte infossam.

Defuga turcarum & descriptione vrbis Antiochiæ.

CAP. CI.

CVm autem christiani exirent de ciuitate ad pugnã contra Corberannom, quædam dulcis pluuiola tãquam roscida stilla cecidit super eos, equos, & equites ita lætificans, vt equi hinnirent, & equitum animi exhilarescerent. Erat enim pluuia illa tam subtilis, & modica, vt magis sentiri potuit, quam videri, velut quædã guttulæ rorantes. Non multopost ab ipsis montibus exire visus est exercitus innumerabilis, equis albis insistentes, & in manibus vexilla candida prę ferentes. Cuius agminis Duces erant S. Gregorius, & S. Demetrius, & S. Mercurius ille scilicet qui Iulianum apostatam interfecit. Victi ergo Turci fugerunt. Ibi capti sunt equi multi, & iumenta, oues, & boues, & gazæ innumerę, & in ciuitatem reductæ. Factum est hoc prælium 3. Calen. Iulii. Intra ciuitatem Antiochiam sunt quatuor montanæ satis altæ; in quarum vna sublimiori, castellũ est, quod omni prominet ciuitati. Deorsum ciuitas est decenter ædificata, & duplici muro circundata. Murus interior amplus, & altus, & quadris. lapidibus compactus, in quo turres 290. formosis mœniis venustatæ, & defensæ propugnaculis, Murus exterior non est tantæ celsitudiuis, sed tamen admirandæ venustatis sustinet in se 340. ecclesias, Patriarcham habet cuius patriarchatui subiiciuntur 150. & tres episcopi. Ab Oriente quatuor clauditur montanis, ab Occidente ciuitatis muros præterfluit fluuius Pharphar. Octoginta & quinque Reges eam constituendo sublimauerunt, ac nobilitauerunt; quorum maximus, & primus Antiochus, à quo denominata est. Hanc christiani per 8. menses, & diem vnum obsederant, & cœperant. Postea in ipsa ciuitate iam capta gentiles obsessos eos tenuerunt per tres hebdomadas, in qua obsidione tantus confluxit gentilium exercitus, vt nullus copiosiorem meminerit se vidisse, vel audisse. Requieuerunt christiani in ea 5. mensibus, & 9. diebus. Post hæc ventum est ad Marram ciuitatem opulentam, quæ capta est hora vespertina die Sabbati 3. Idus Septembris. Morati sunt Franci in ea per mensem integrum, & sex dies. Ibi mortuus est Ordensis episcopus. Ibi passi sunt christiani famem validam, vt Turcorum carnes comederent.

Descriptio vrbis Antiochia.

Qualiter capta est Hierusalem à Christianis.

CAP. CII.

SIgebertus in chronicis. Anno domini 1099. Christianis Turcas fortiter debellantibus, eorumque vrbes, & castella sibi bellando vendicantibus, ibi contigit apud quoddam munitissimum castrum nomine Arcas eis Hierusalem octo mansionibus situm; multos eorum petire. Cum quibus, & Anselmus de Ribodimonte lapide percussus in capite occubuit. Hoc solummodo post acceptum vulnus ter verbum repetens. *O Deus adiuua me.* Erat autem vir prudentissimus, & exercitui satis vtilis, atque erga beatum Quintinum adeo deuotus, vt singulis annis solennitatem eiusdem martyris die suo clericis vndique congtegatis coram se celebrari faceret, eisque post peractum officium copiosam refectionis mensam pararet. Exercitus autem Dei omnino monitu in interiora profectus larga Dei manu refocillatus est, quia ciues & castellani illius regionis legatos cum multis muneribus ad eos mittebant, parati etiam oppida, vel vrbes eis tradere, à quibus Christiani securitate accepta, & indicto vrbibus tributo, interemptis etiam multis eorum, qui se subtraxerant ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem peruenerunt Hierusalem, Eaque obsessa cum laborarent pro victu, & maximè pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circumibant yrbem VIII. ergo talis humiliationis die obsidionis autem 39. capta est Hierusalem Idibus Iulij, in 6. feria, & in templo Salomonis, & in porticu eius Christiani cum paganis, quinto bello conserto, tanta in eos cæde debacchati sunt, vt in sanguine occisorum equitarent vsque ad genua equorum. Cumque ordinatum esset, qui Hierusalem deberent retinere; iam principibus de repatriando agentibus, ecce Rex Saracenorum ad debellandos eos, venit Ascaloniam cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum, quibus cum occurrisset exercitus Domini in quo non pluspuam 5. millia equitũ; & 15. millia peditum erant, Deo per seruis suis ad se reclamantibus pugnante, & nube eos ab æstu solis defendente, Saraceni solo impetu christianorũ territi, omnes proiectis armis fugerunt, & in hoc 6. bello 4. Calẽd. Augusti facto, cæsa sunt 100. millia Paganorum. In porta vero Ascaloniæ suffocati sunt ad duo millia. At vero, qui in mari perierũt, & qui inter spineta siluarũ cõsumpti sunt numerus nescitur. Duce autem Godefrido electo ad principandum in Hierusalem, cæteri principes repatriant. Capta est Hierusalem, post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Heraclio Imperatore secunda vice capta possessa est à Saracenis.

De deſcriptione eiuſdem vrbis, & Godefrido illic in Regem electo.

CAP. CIII.

G*Villelmus in chronicis.* Mons Syon intra vrbē Hieruſalem receptus pro arce eminet. Ibi templum Domini, & templum, quod dicunt Salomonis, quibus incertum auctoribus ædificata, Turcorum celebri colebantur frequentia. In templo Domini collocatum erat ſepulchrū Machomet. Ibi celebri opere compacta eccleſia S. Sepulchri, capax ædificata à Cōſtantino Magno nullam vnquam ab inimicis fidei tulit iniuriā. Metu & cognitione ignis cæleſtis, qui quotannis in vigilia Paſchæ lampadibus repente ſerenus infulget. Quod miraculum, quando cœperit, vel ſi ante tempora paganorum fuerit nullius hiſtoriæ relatione cognoſcitur. Legitur in libro Bernardi monachi, quod abhinc annis 251. anno ſcilicet Domini 970. Idem Hieroſolymam profectus ignem illum viderit, hoſpitatuſque fuerit in xenodochio, quod ibi Carolus Magnus conſtrui iuſſit, vbi & bibliothecam ingentis expenſæ compegit. Tantamque Ægypti, & per id locorum commemorat pacē chriſtianos ſub dominio Saracenorum habuiſſe, vt ſi alicui vianti in mediis forte triuiis iumentum, quo neceſſaria deueheret moreretur, aut deficeret; ille relictis ſarcinis ad proximam vrbem expeditus pro auxilio pergèret, omniaque quæ reliquerat intacta reperturus. Quinto die Iulij capta eſt Hieruſalem, partem ligni dominici quidam Cyrus auita ſucceſſione domi cuſtoditam reddidit. Ibi Dux Godefridus electus eſt in Regem, filius Euſtathij Comitis Bolonienſis, qui per maternū genus ad magni Caroli ſpectabat lineam; mater eius Ida. Godefridus autem idem filius Imperatori Henrico militauit contra ipſum Hildebrandum, & in oppugnādo Romam, partem muri, quæ ſibi obtigerat primus irrupit, poſtea præ nimio labore, & nimia ſiti vinum nimium hauriens, febrem quartanam nactus eſt. Audita autem fama viæ Hieroſolymitanæ, illuc ſe iturum vouit, ſi Deus redderet ei ſanitatem. Quo voto emiſſo, mox vires eius penitus refloruerunt. In Anthiocena obſidione Turcum quendam ſingularem pugnam poſcentem, medium à lateribus gladio Lotharingio diſſecuit, cuius defecta medietate iam in armis palpitante reliquum tulit equus, cui inſiderat, adeo firme Turcus ille militando, ſeu tyrocinando inſederat equo ſuo. Idem Godefridus alterum congreſſum vibrato in caput enſe à vertice vſque ad inguina diſcidit, & ex eodem ictu ſellam & ſpinam equi penitus diſcidit. In eadem obſidione militem quendam ſuum pabulatum progreſſum à leone inuaſum, & clipeo ſe defendentem tandem occiſum adeo indoluit, vt venabulo feram transfoderit; quæ ſaucia & dolore acrius ſæuiens in eum irruit, ita quod ex ferro, quod extabat ex vulnere tibiam eius ſauciauit, qui mox gladio beſtiam euiſcerauit.

De interitu impij Regis Guillelmi, & de ſignis præcedentibus.

CAP. CIIII.

H*Elinandus* Anno Domini 1100. qui fuit annus vltimus vitæ Regis Guillelmi Angliæ viſibiliter diabolus apparuit hominibus in ſaltibus, & deuiis tranſeuntes allocutus. Præterea in pago Beruieſarę in villa Anfredæ continuis 15. diebus fons ſanguinem tam vbertim manauit, vt vicinum vadum inficeret. Anſelmus autem Cātuariæ epiſcopus cum quo omnis pariter religio exulauit, venit hoc anno Marcenniacum. Cumque ibi loqueretur cum Hugone Abbate Cluniacenſi, reſpondit Abbas proxima nocte Regem Guillelmum ante Deum ductum, & adiudicatum damnationi.

Idem Rex pridie, quam periret, vidit per quietem ſe fleubotomiæ ictu ſanguinem emittere, radiumque cruoris in cœlum vſque protendi, ita vt lucem obnubilaret, & diem interpolaret. Eadem nocte monachus quidam tranſmarinus vidit per ſomnium, quod idem Rex in eccleſiam quandam intrauerat ſuperbe, & inſolenter, (vt ſolebat) circunſtantes deſpiciens. Tunc crucifixum mordicus apprehendens brachia illi corroſit, crura pene truncauit Crucifixum diu toleraſſe, ſed tandem Regem ita pede depuliſſe, vt ſupinus caderet, Ex cuius iacentis ore tanta flamma effuſa eſt, vt fumeorum voluminum orbes etiam ſydera lamberent. Hoc ſomnium cum ei quidam retuliſſet. Reſpondit monachus, eſt & cauſa nummorum, monachaliter ſomniat, Date ei 100. ſolidos. Eadem die percuſſus eſt in ſaltu eius ſagita, quam iecerat Galtherus Turianus miles quidam de Francia, qui ceruum volebat percutere, qui prope Regem ſtabat. Obiit anno Domini 1100. regni ſui 13.4. nonas Auguſti. Nullum ſuo tempore conuentum eccleſiaſticum fieri permiſit, ſacros honores ſui iuris eſſe dictitabat. Eo die quo mortuus eſt, tres epiſcopatus, & 12. Abbatias vacantes in manu ſua tenebat.

Ex chronicis. Anno prænotato Godefridus Dux Lotharienſium, & princeps Hieroſolymitanorū obiit, eique Balduinus frater eius in principatu ſuccedit.

De Balduino Rege Hieroſolymitano.

CAP. CV.

S*Igebertus in chronicis.* Rex vero Balduinus coronatus eſt apud Bethleem, anno Domini 1101. vix tunc erant in tota militia chriſtianorum 400. milites, & tot pedites, qui Hieruſalem, & Ramulam, & Capham, & Ioppen cuſtodirent. Illo anno ſacratus ignis in vigilia Paſchæ tardauit, vſque in mane Reſurrectionis dominicæ. Accenſa autem diuinitus vna lāpade ſepulchri per omnem eccleſiam cæteræ lampades diuinitus accenſæ ſūt. Poſtea cœpit Balduuinus Cæſaream Paleſtinæ, ibi captus eſt. Admiratus vrbis, & epiſcopus eorum. Ibi Turcus in collo pugno chriſtiani percuſſus Bizanteos euomuit. Mares enim intra gingiuas, fœminæ intra pudenda Bizanteos abſconderant. Subegit idem Rex poſtea Tyberiadem, Sidonem, Accaronem, & cunctas vrbes maritimas. Boamundus autem inſidiis cuiuſdam Admirandi Turcorum captus, & detentus, ſed per gratiā Dei liberatus argenteos compedes quibus illigatus fuerat Anthiochiam ſecum detulit. Non multopoſt Gallias venit offerens cathenas S. Leonardo. Vxorem duxit filiam Regis Francorum pro ſuſpicatione noxiæ potionis cultellum habebat paratum, qui antè ora comedentis infixus ſudore prodebat manubrij, ſi aliquid tecto illatū eſſet veneficij. Poſt hunc Tancredus nepos ſuus prę-fuit Antiochiæ, cui ſucceſſit Rogerius filius Richardi. An. Chri. 1101.

De clerico per quandam viſionem ad ordinem Ciſtercienſium conuerſo.

CAP. CVI.

ANno Domini 1104. Quidam clericus de Vendopera cum ſtuderet in ſcholis apud Lugdunum vidit in viſione noctis quandam vallem ſub quodam monte, ſuper quam ciuitas quædam pulcherrima ſita erat, cuius aſpectus nimium delectabat intuentes, ita vt quiſquis eam videret, de aſpectu illius ſatiari non poſſet, & modis omnibus laboraret quomodo ad illam peruenire valeret. Interea vidit fluuium quendam ſub pede montis, immo circa pedem currentem, quem dum circuiret quærens artem quomodo illum tranſmearet, vidit ſuper ripam fluminis 12. pauperes, ſiue 14. lauantes in flumine tunicas ſuas, inter quos erat quidam veſte candidiſſima indutus, multum alijs diſſimilis, qui adiuuabat illos in tunicarum

ſuarum

ſuarum ablutione, qui poſtquam adiuuerat vnum, ibat adiuuare alium. Tunc clericus qui hoc videbat, acceſſit ad illum, qui cæteros adiuuabat, & dixit. Quæ gens eſtis vos? Qui ait: Iſti pauperes homines ſunt pœnitentiam agentes, & ſe à peccatis ſuis lauantes, & ego filius Dei Ieſus Chriſtus ſine cuius auxilio, nec iſti, nec illi poſſunt benefacere. Ciuitas hæc pulchra, quam vides paradiſus eſt, vbi ego maneo, & quando quiſque tunicam ſuam lauerit, ideſt, pœnitentiam peregerit, in illam intrabit. Tu ipſe ſatis diu quæſiſti viam qua itur ad illã, ſed nulla alia via, quam iſta ducit ad eam. His dictis clericus à ſomno euigilauit, & mirari cæpit de viſione. Cumque non multopoſt rediſſet à ſchola in patriam ſuam, narrauit epiſcopo Cabilonenſi, cui familiaris erat, viſionem hanc. Qua audita epiſcopus ſuaſit ei, vt ſæculum relinqueret, & religionem intraret, commendans ei ſuper omnes ordines, nouellum illum ordinem Ciſtercienſem. Ille venit Ciſtercium, & inuenit locum incultum & deſertum, & fratres inter beſtias conuerſantes. Ad portam vero monaſterij, quæ de vimine facta erat pendebat malleus ferreus, cuius ſonitu ad portam protarius appellabatur ab intrare volẽtibus, hoc ſonitu portarius vocatus venit ad eum foras, & inclinans ſalutauit eum. Quem clericus intuens ſtatim recognouit ſe eundem vidiſſe inter eos, qui tunicas ſuas in flumine lauabant. Rogauitque eum, vt adduceret ad ſe Abbatem, Abbas igitur & totus conuentus venit ad eum, & recognouit clericus omnes ſe vidiſſe tunicas ſuas in flumine lauantes, ſtatimque cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum lachrymis, vt ſuſciperetur, qui ſuſceptus non multo poſt factus eſt prior.

De clade Fuldenſi, & Vulſtano Vuigornienſi epiſcopo.

Cap. CVII.

Villelmus in chronicis. Eo tempore in cœnobio Fuldenſi exitialis lues graſſata prius Abbatem corripuit, mox multos monachorũ extinxit, ſuperſtites primo ſibi quiſque timere, orationes & eleemoſynas largiores facere; ſed proceſſu temporis, vt eſt natura omnium pedetentim metu dempto omittere cœperunt, præſertim celleratius, qui palam clamitabat non poſſe penum tot expenſis ſufficere, ſperaſſe ſemper ſe aliquod alleuiamentum pro tot elationibus funerum nihil vltra ſpei eſſe, ſi quod viui nequiſſent mortui conſumerent. Ita quod cum quadam nocte propter neceſſaria diu ſoporem diſtuliſſet. Tandem elaqueatis morarum nexibus in dormitorium pergebat, & ecce vidit in capitulo Abbatem & omnes, qui obierant illo anno, eo quo deceſſerant ordine ſedere. Tremens & effugere geſtiens retractus eſt increpitus, & more monaſtico flagellatus, audiuit verba Abbatis in hanc ſententiam. Stultum eſt de morte alterius emolumento inhiare, cum ſors cuiuſque ſub eodem pendeat fato, impium eſſe cum monachus omnem vitam ſuam in eccleſiæ conſumpſit obſequio, vt careat ſaltem vnius anni poſt mortem ſtipendio. Scito non te citiſſime obiturum, ſed quicquid pro te fiet ad aliorum quibus abſtuliſti referetur commodũ, modo & alios corrige exemplo quos corripuiſti verbo. Abijt ille, & nihil ſe vanum vidiſſe recentibus plagis, quam morte proxima demonſtrauit.

Ea tempeſtate Vulſtanus Vuigornienſis epiſcopus cũ de parua literarum ſcientia pulſatus, foras concilium exiſſet, vt ſtrictiori concilio reſponſum vomeret ſuum, remoto animo à tumultibus ait ad ſocios: Credite mihi, dum cantauimus horam ſextam: ſocijs autem referentibus, vt prius propter quod venerant expedirent, quia ſatis ſuperque ſufficeret cantibus tempus; Regem, & proceres, ſi hoc audierint riſui ſe habere opinaturos, ait: Credite mihi, prius faciemus Dei ſeruitium, & poſt agitabimus omnium litigium. Hora igitur cantata, & nulla tergiuerſatione excogitata, nullo commentato ſplẽdore viri, confeſtim aulam intrare perrexit, ſuis eum retinere tentantibus perſuaderi non potuit, quin potius illis cauſæ ſuæ timentibus pro certo, ait, nouerit is me viſibiliter hic videre beatos Archiepiſcopos Dunſtanum Cantuarienſem & Oſualdum Eboracenſem, qui hodie ſuis me precibus tuentes, falſiloquorum acumen hebetabunt. Itaque data benedictione monacho minimæ facundiæ viro ſed northmannicæ linguæ ſciolo rem perorans obtinuit.

De Hildeberto epiſcopo Cenomanenſi, & ſcriptis eius.

Cap. CVIII.

Helinandus. Florebat hoc tẽpore Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus Berengarij Turonẽſis diſcipulus, verſificator, & dictator egregius, qui epitaphiũ eiuſdem Berẽgarij magnifice ſcripſit in verſibus 52. qui de Roma compoſuit hoc diſticon.

Vrbs fœlix ſi vel dominus vrbs ſtulta careret.
Vel dominis eſſe turpe carere fide.

Author. Idem Hildebertus tribulationes & vincula pro Chriſto ſuſtinuit. Nam vt ipſe refert in quadam epiſtola generali ad omnes eccleſiæ filios cũ in turre Cenomanenſi comes Rotrocus in vinculis teneretur, ad eũ metu mortis trepidum epiſcopus. Ipſe vocatus acceſſit, cui confeſſus comes domui ſuæ diſpoſuit, teſtamentum fecit, & eccleſiæ diſtribuit, quod vt illibatum permaneret ab epiſcopo precibus impetrauit, quatenus matrem eius adiret, & de teſtamento teſtimonium perhiberet, inhibens ne quis illud minuere præſumeret, ne quis anihilare tentaret. Pergentem igitur epiſcopum mater Comitis in pace ſuſcepit, teſtamento applauſit, gratias agens, quod grãtia Comitis acceſſiſſet. Eadẽ die initum eſt aduerſus eum conſilium, & in craſtinum iniectæ ſunt manus in eum. Sicque contumelioſe captus eſt, & in cuſtodia publica poſitus, diuiſerunt etiam ſibi veſtimenta eius, equis iam inter eos diſtributis, qui gratis ad facinus diſcurrebant. Erat tunc in caſtello, quo hæc facta ſunt venerandus Carnotenſis epiſcopus, qui in ſpiritu contrito Hubertum ſcilicet illorum ſceleratorum Principem primo quidem blandiens conuenit, ſed beſtia rationem non admiſit. Dehinc illum ſacrilegij libere arguit, & poſtremo tradidit eum Sathanæ in carnis interitum anathematis vinculo, quo debuit alligatum, Religioſi quoque Abbates, & Anachoritæ cõſummati nominis ad eum conueniunt, ſed eum vt lapidem durum inuenerunt, & in his omnibus non eſt auerſus furor eius. Hic quidem prius fuit Cœnomanenſis epiſcopus, deinde Turonenſis Archiepiſcopus. Iam ergo præfatus epiſcopus in vinculis poſitus nonnullas epiſtolas ſcripſit, ſed & quoſdam verſus elegantes de exilio ſuo compoſuit. Librum quoque pulchrum de tædio huius vitæ, querimoniam ſuiipſius de ſeipſo ad ſeipſum, partim metrice, partim proſaicè continentem, & orationem pulcherrimam de ſancta Trinitate, & verſus quoſdam de Euchariſtia. Ex quibus hæc pauca hic inſerere volui.

Verſus eiuſdem de exilio ſuo.

Cap. CIX.

Nuper eram locuples multiſque beatus amicis,
Et riſere diu propria fata mihi.
Sæpe mihi dixi, quid ſunt tam proſpera rerum.
Quid ſibi vult tantus tam citus aggер opum?
Heu mihi, nulla fides, nulla eſt conſtantia rebus,
Res ipſæ quid ſint mobilitate docent.
Res hominum atque homines leuis aura verſat in horas,
Et venit à ſummo ſumma ruina gradu.
Cuncta ſub ancipiti pendent mortalia caſu.
Et ſpondent propria mobilitate fugam.
Quicquid habes hodie, cras te, fortaſſet relinquet.
Aut modo dum loqueris deſinit eſſe tuum.
Has ludit fortuna vices Regeſque ſuperbos:

Aut ſeruos humiles non ſinit eſſe diu.
Illa doloſa comes ſola leuitate fidelis,
Non impune fauet, aut ſine fine premit:
Illa mihi quondam vultu blandita ſereno,
Fortuna varietas. *Mutauit vultus nubila facta ſuos.*
Acceſsit damnis nouus ille grauiſque tyrannus.
Quo Cænomannorum Conſule ius periit:
Cuius auos pudet ſceleratum genuiſſe patronum.
Fortunæque parem mobilitate dolis.
Ille pudor patriæ me non impune tuentem,
Iuſtitiæ leges expulit à patria.
Inde ratem ſcando, vitam committo procellis:
Vela tument gemina cimba iuuatur ope,
In fragilem pinum totus prope congerit iras
Mundus, & eſt hoſtis quicquid obeſſe poteſt.
Ecce rapax turba tollens ad ſydera fluctus
Impulit ad litus iam ſine puppe ratem.
Sic miſer infœlix quaſſa rate, rebus ademptis,
Euaſi ventos, æquora, ſaxa, Iouem.
Ecce quid eſt hominis, quid iure vocare paternum.
Humana miſeria deſcriptio. *Quà miſer ille ſibi plaudere dote poteſt.*
Hoc eſt hic hominis ſemper cum tempore labi,
Et ſemper quadam conditione mori.
Eſt hominis nudum naſci nudumque reuerti
Ad matrem, nec opes tollere poſſe ſuas.
Eſt hominis putrere ſolo ſaniemque fateri:
Et miſeris gradibus in cinerem redigi,
Iſtius es hæres homo proprietatis, & illum
Certius his dominum præmia nulla manent.
Res, & opes præſtantur, & huic famulantur ad horam,
Et locuples mane, veſpere pauper erit,
Nemo poteſt rebus ius aſsignare manendi,
Quæ nutus hominis non didicere ſequi.
Res omnes nutu Dei aguntur. *Ius illis Deus aſcripſit ſtatuitque teneri:*
Legibus, & nutu ſtare, velire ſuo.
Ille ſimul ſemelque ſolus præuidit, & egit:
Cuncta, nec illa aliter videt agitque aliter.
Vt vidit facienda facit, regit abſque labore.
Diſtinguit formis tempore ſine loco.
Creſcendi ſtadium rebus metitur, & illas.
Decreuit, verſat legibus ipſe manens.
Ipſe manens dum cuncta mouet, mortalibus ægris.
Conſulit, & quo ſit ſpes ſtatuenda docet.
Ille potens, mitis tenor, & concordia rerum.
Quicquid velit in me deierat eius ero.

De miſeria animæ degentis in corpore.

Idem in querimonia ſua ad ſeipſum de ſeipſo loquitur anima.

Cap. CX.

Anguſte fragiliſque domus iamiamque ruentis,
Hoſpita ſeruili conditione premor.
Triſte iugum cernice gero grauibuſque cathenis
Prohdolor! ad mortem non moritura, trahor:
Heu mihi, quam docilis falli, quam prompta ſubire
Turpia, quam velox ad mea damna fui.
Hoſpitium ſponſus mira fabricauerat arte,
Quo ſuſcepta breui tempore caſta fui.
Canis blanditia. *Nam mihi verſutus, ſed origine clarus adulter*
Illuſit, famula ſubreſerante fores.
Muſitat, obloquitur, præſentibus imperat vti
Delicijs, opibus, nomine lætat heram.
His peruerſa modis cœptum peruertit honeſtum.
Et miſeram, quo vult imperioſa trahit:
Hoſpitij lex iſta mei eſt, his exul ad horam
Obligor, hoc fœdus ſoluet amara dies.
Egrediar, ſed neſcio quo, ſed neſcio, quando.
Et ſortaße dies iſte ſupremus erit.
Eſt igitur ponenda domus quo libera triſti,
Carcere, perpetuo iure carere queam.
Heu quam turpe nefas, quam reprimendum,
Quam diſcors animæ quamque nefandum,
Mundi cura mouens pectoris æſtum.
Inſeſtare docet ius & honeſtum.
Res abiecta nimis parque pudori.
Virtus eſt oneri, crimen honori.
Virtus vilis apex dos ſine fructu.
Tu venale bonum valde oneroſa,
Tu tantum ſuperis, ambitioſa,
Deponi facilis, dura reſumi.
Vaneſcis veluti virgula fumi.
Non eſt cui placeas ſimplice voto.
Qui læſam doleat teſte remoto.
Qui te gratis amet, vel tueatur:
Qui patrocinium polliceatur.
Laus ſublimis opes, crimen egeſtas,
Præpollet facinus ſordet honeſtas.
Ha nunc innocuis iura minantur.
An ſi flagitio ſceptra lucrantur.
Ha, quam ſollicito quiſque labore:
Occurrat medico carnis amore.
De morbis animæ nulla querela
Egram quam ſequitur tarda medela.
Multa duces laſsi pro libertate tulere:
Exilio ſobolem gladio caput expoſuere.
Fœlices ſi triſte iugum ſic excuteretur,
Nec miſeros quicquam miſerabilius ſequeretur.
Sed graue ſeruitium male libera colla premebat,
Et dominos centum ſua crimina quiſque ferebat.
Viuere ſi vera ſub libertate placeret.
Non homini, ſed peccato ſeruire puderet,
Illud enim tranſit, & ſaltem morte leuatur,
Hoc eſt æternum, nec finem fine lucratur:

Dicta eiuſdem de ſeptem actibus animæ.

Cap. CXI.

Vis animæ ſeptem proprios ſibi vendicat actus.
Viuificat, ſentit, varias amplectitur artes
Corrigit exteſſus, virtutibus inſtat in ipſam.
Dirigit intuitam deitatem, gaudet in illa,
Seminibus quoque primus ineſt, animalia bruta,
Participant alium, duo noſtræ proprietatis.
Tres ſunt, & ſuperum, ſuperi tamen anteferuntur.
Ex actu primo vegetantur corpora, creſcunt.
Prouenit inde vigor, nexus, completio, motus,
Et ſtatus, & ſpecies, & conuenientia quædam,
Ex alio tangit, videt, audit, guſtat, odorat.
Odit, amat, petit apta ſibi, contraria vitat.
Soluitur in ſomnos, in ſomnis mente vagatur.
Præteriti meminit, venturis inſtat, agitque.
Plurima, quæ ſenſu quippe & ratione geruntur.
Tertius ingenuas aliaſque perambulat artes.
Quæque, vel ingenium, vel diſciplina miniſtrat,
Colligit, & vario profectu mentibus hæret.
Quartus ab illicitis reuocat, reſideſque reatus. *Quid ex odio vitiorū.*
Abiurare docet, ex tunc agnoſcere ſeſe,
Incipit, inque nouum niti, ac tranſire decorem,
Diſcimus ex quinto naturæ lege teneri.
Res inconceſſas virtutis amore cauere,
Conceſſas aliquot etiam ſine teſte carere.
Sextus in aſpectum Solis luciſque ſupernæ.
Penè parem ſuperis animam rapit immaculatam.
Septimus aſtringit ſtabilique ſubarrat amore.
Collateratque Deo quam dotem iam ſpeculetur.
Quos thalamos, quis cultus & quæ feſta ſerenent,
Quis dicat ſpecioſa veni dixere beatæ,
Maioreſque animæ nec eas tamen aut ea virtus,
Aut ea lingua fuit, quibus hic aperire liceret.
Excedit ſenſus meritumque recondita merces.

Primus itaque noſter actus eſt viuificatio, ſecūdus sēſus, tertius ars, quartus correctio, quintus virtus, ſextus contemplatio, ſeptimus quies.

Hos actus ſi carnis deſideriis impediri negas, profecto, vel penitus infra hominem defeciſti, vel ſupra hominem profeciſti, qui ſolus tam libere beatus es, vt eam concupiſcentiam neſcias; quæ aduerſus præfatos a-

ctus, & innumero militat exercitu, & diuerſo triumphat affectu. Nec enim in omnes animas par ei licentia eſt. Ipſi quoque actus, nec eodem tempore omnes, nec omnes eadem infeſtantur moleſtia. Alij quippe in ortu, quaſi ſeges in gramine præfocantur. Alii iam profecti, velut in ſpicis grana, quæ feruor nimius exurit inaneſcunt. Eſt etiam, quod illos intrinſecus impugnet, quod illos extrinſecus euacuat.

De vita corporis, & eius appetitu, vel tædio.

Cap. CXII.

EOrum primus quanto carni gratior eſt, tanto à carnis inquietudine ſecurior. Caro enim viuificationis officium amat, tantamque cum eo pacem pepegit, vt ſi quid ei contrarium nouerit, & implacabili odio abhorreat, & curioſa ſollicitudine auerſetur. Hinc eſt, quod illi quoque, qui cum paulo clamant; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, mortem tamen formidant, quia caro hæc animæ lætatur officio, Chriſtus mori venerat, & tamen dicebat: *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte.* Idem cũ remotus à diſcipulis prolixius oraret, vſque ad ſudorem ſanguinis anxietate turbatus eſt paſſionis. In cuius verbis nihil aliud intelligendum eſt, quam quædam conuiuificatio carnis, quæ ſic inerat ei lege naturæ, vt tamen bonum non impediret obedientiæ. Quæ cum ita ſint, tantum tamen amorem tamque germanum fœdus, pleruque ſuperuenientes irrumpũt moleſtię, quibus excitata caro ad viuificationis odium ſpreta ſollicitat ad cõſenſum, quia ſicut illecebrarum deſiderio, ſic & pernicioſe commouetur anxietate ſollicitudinum: quibus dũ vexatrix illarum deliciarum diu ſubeſſe diuque fatigari formidat. Paulatim incipit tædere vitæ, placetque viuificationis gratiam adiurare. Cuius obſequia permixtis incommodis amareſcunt. Naſcitur inde turpis, ac ridiculoſus mortis appetitus, nequam ſcilicet progenies, & quæ more vipereo ſuos plerumque ſuffocat, & extinguit genitores. Nonnullos etenim tua quoque tempora habuere, quos vel in aquas, vel ad laqueum egit dolor amiſſæ pecuniæ. Nam de veteribus quod loquar, quorũ mortes ſimili prouocatas inſania, veridicis aſſertionibus nequaquam Poetæ tacuerunt. Non recolis idem te atteſtatum cum affectatæ mortis originem ſuppoſitis decantares verſiculis.

Cum placeat carni, quod vinificatur, ametque,
Hoc animæ obſequium, tamen euenit, vt diuturnis
Fracta malis vitam faſtidiat, abdicet annos.
Malit obire ſemel, quam ſæpius atque ſupremã
Morte rapi, quam tot pereuntibus eſſe ſuperſtes.
Sed licet his inſtet non eſt homicida voluntas,
Donec declinat faueatque vxoribus illi,
Spiritus hoc ſtimulis, & blanda lite ſubacto.
Gignitur exceſſus, quia dum caro clamat, eamque
Spiritus exaudit, conſenſu culpa creatur.
Inque creando nefas caro fit vir, ſpiritus vxor.

De Myſterio hoſtiæ ſacrę.

Cap. CXIII.

IDem de corpore, & ſanguine Domini.
Tollimur è medio fatis ingentibus omnes.
Et trahimur quo nos vita peracta vocat:
Hi nunquam, hi ſemper, alij plectuntur ad horam.
Purgatiſque datur tranſitus ad requiem.
Hanc illis altare ſacrum, vel criminis expers
Vita vel obſequijs emptus amicus emit.
Perfectos, valdeque malos nil vota ſuorum,
Nil impenſa precum, nil holocauſta iuuant.
Nam nec iuſtus eget, nec peſſimus iſta meretur.
In medio eſt, veniam cui ſacra menſa parat.
Ipſa tamen viuos à vitæ calle vagantes,
Vt redeant ſaltem ſero iuuare ſolet:
Inde fit, vt quoties ſacris accedimus aris,
Particulis cædat hoſtia fracta tribus.
Pars iniuncta mero pro viuis orat opuſque
Sanguinis, & carnis expiat illa caro,
Pro bene defunctis quorum purgamine viuunt
Hoc interuentu non eget, alter eget.
Offerimus tibi Chriſte duas, ſed propter eoſdem,
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro ſanctis, pars eſt pro ſanctificandis.
Illa refert grates, ſupplicat illa Deo.
Hoſtia pro iuſtis laus eſt pro iuſtificandis.
Mentio, pro reliquis cauſſam agit, alterius
Fit cibus hic, ex pane caro, Deus ex elemento.
Myſterio ſimplex, vtilitate triplex,
Ipſe calix tumulum denotat, ara Crucem.
Vtque fides adſit terrorque recedat, & horror:
Fit cibus ipſa caro, panis imago manet.

De confeſſione ſanctæ Trinitatis.

Cap. CXIV.

IDem in oratione ad ſanctam Trinitatem.
Alpha, & ω magne Deus.
Hely, Hely Deus meus,
Cuius virtus totum poſſe
Cuius ſenſus totum noſſe,
Cuius eſſe ſummum bonum,
Cuius opus quicquid bonum;
Super cuncta, ſubter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta.
Subter cuncta, nec ſubſtratus,
Super cuncta, nec elatus.
Intra cuncta, nec incluſus,
Extra cuncta, nec excluſus,
Super totus præſidendo,
Subter totus ſuſtinendo,
Extra totus complectendo.
Intra totus in complendo.
Intra nuſquam coarctaris,
Extra nuſquam dilataris,
Subter nullo fatigaris,
Super nullo ſuſtentaris.
Mundum mouens non moueris.
Locum tenens non teneris.
Tempus mutans non mutaris,
Vaga firmans non vagaris.
Vis extrema, vel neceſſe,
Non alternat tuum eſſe.
Heri noſtrum cras, & pridem,
Semper tibi nunc & idem.
Totum Deus hodiernum:
Indiuiſum ſempiternum.
In hoc totum præuidiſti
Totum ſimul perfeciſti.
Ad exemplar ſummæ mentis,
Formam præſtans elementis,
Nate patri coæqualis,
Patri conſubſtantialis.
Patris ſplendor, & figura,
Factor factus creatura.
Carnem noſtram induiſti,
Carnem noſtram ſuſcepiſti.
Sempiternus temporalis,
Moriturus immortalis.
Verus homo, verus Deus,
Impermixtus homo Deus.
Non conuerſus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem
Hic aſſumptus eſt in Deum,
Nec conſumptus propter Deum.
Patri compar deitate,
Minor carnis veritate.
Deus Pater tantum Dei,
Virgo Mater, ſed & Dei.
In tam noua ligatura,

ad Deum patrem qua ſumpta ſunt ex primo confeſſ. cap. 3. & 4.

Ad Filium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sic vtraque stat natura.
Vt conseruet quicquid erat,
Facta quiddam, quod non erat,
Noster iste mediator,
Iste noster legislator.
Circumcisus, baptizatus,
Crucifixus tumulatus.
Obdormiuit, & descendit,
Resurrexit, & ascendit.
Sic ad cœlos eleuatus,
Iudicabit iudicatus.
Paracletus increatus,
Ad Deum Spiritum sanctum. *Neque factus, neque natus.*
Patri consors genitorque
Sic procedit ab vtroque,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate.
Quanti illi tantus iste,
Quales illi talis iste,
Ex quo illi extunc iste,
Quantum illi tantum iste.
Pater alter, sed gignendo,
Natus alter, sed nascendo.
Flamen ab his procedendo,
Tres, & vnum subsistendo.
Quisque trium plenus Deus.
Non tamen Dij, sed Deus.
In hoc Deo, Deo vero
Tres, & vnum asseuero.
* *id est essentia.* *Dans* vsiæ vnitatem,*
Et personis Trinitatem.
In sanctissima Trinitate tres personæ & vna Deitas. *In personis nulla prior*
Nulla minor nulla maior.
Vnaquæque semper ipsa,
Sic est constans atque fixa,
Vt nec in se varietur,
Nec in vllam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa,
Non hic error siue noxa.
Sicut dico, sic & credo,
Nec in prauam partem cedo.
Inde veni bone Deus,
Ne desperem quamuis reus.
Reus mortis non despero,
Sed in morte vitam quæro.
Quo te placem nil prætendo,
Nisi fidem quam defendo.
Fidem videns hac imploro,
Leua fasc m, qua laboro.
Per hoc sacrum cathaplasma
Conualescat ægrum plasma

Si promulgas, quod meretur.
Sed hoc anno dimittatur
Stercoretur, fodiatur.
Quod si necdum respondebit,
Flens hæc loquor tunc ardebit,
Vetus hostis in me furit,
Aquis mersat, flammis vrit.
Inde languens, & afflictus,
Tibi sols sum relictus.
Vt hic hostis euanescat,
Vt infirmus conualescat.
Tu virtutem ieiunandi
Pes infirmo, des orandi.
Per hæc duo Christo teste
Liberaborab hac peste.
Ab hac peste solue mentem,
Fac deuotum pœnitentem.
Da timorem, quo proiecto,
De salute nil coniecto.
Da Spem, Fidem, Charitatem,
Da discretam pietatem.
Da contemptum, terrenorum,
Appetitum supernorum.
Totum Deus in te spero,
Deus ex te totum quæro.
Tu laus mea meum bonum,
Mea cuncta tuum donum.
Tu solamen in labore,
Medicamen in dolore.
Tu in luctu mea lyra,
Tu lenimen es in ira.
Tu in arcto liberator,
Tu in lapsu releuator,
Metum præstans in prouectu,
Spem conseruas in defectu.
Si quis lædit tu rependis,
Si minatur tu defendis.
Quod est anceps tu dissolues,
Quod tegendum tu inuoluis.
Tu intrare me non sinas.
Infernales officinas,
Vbi mœror, vbi metus,
Vbi fœtor, vbi fletus,
Vbi probra deteguntur,
Vbi rei confunduntur.
Vbi tortor semper cædens,
Vbi vermis semper edens.
Vbi totum hoc perenne,
Quia perpes mors gehennæ.
Me receptet Syon illa,
Syon Dauid vrbs tranquilla.
Cuius faber actor lucis,
Cuius portæ lignum Crucis.
Cuius claues lingua Petri
Cuius ciues semper leti.
Cuius muris lapis viuus,
Cuius custos Rex festiuus.
In hac vrbe lux solennis,
Ver æternum pax perennis.
In hac odor implens cœlos,
In hac festum semper melos.
Non est ibi corruptela.
Non defectus non querela.
Non minuti, non deformes,
Omnes Christo sunt conformes.
Vrbs cœlestis, vrbs beata
Supra petram collocata.
Vrbs in portu satis tuto,
De longinquo te saluto.
Te saluto, te suspiro,
Te affecto, te requiro.
Quantum tui gratulentur,
Quam festiue conuiuentur.
Quis affectus eos stringat
Aut quæ gemma muros pingat.

Oratio eius ad Christum Dominum.

Cap. CXV.

Extra portam iam delatum,
Iam fœtentem tumulatum,
Vita ligat, lapis vrget
Sed si iubes hic resurget.
Ioan. 11. *Iube, lapis reuoluetur,*
Iube, vita disrumpetur.
Exiturus, nescit moras,
Postquam clamas, exi foras.
In hoc salo mea ratis
Infestatur à pyratis.
Hinc assultus, inde fluctus,
Matth. 14. Luc. 14. *Hinc, & inde mors, & luctus.*
Sed tu bone nauta veni,
Preme ventos mare leni.
Fac abscedant hi piratæ.
Duc ad portum salua rate.
Infœcunda mea sicus,
Cuius ramus, ramus siccus.
Inscidetur, incendetur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quis chalcedon, quis hiacynthus,
Norunt illi, qui ſunt intus.
In plateis huius vrbis,
Sociatus pijs turbis.
Cum Moyſe, & Helia,
Pium cantent Alleluia.
Amen.

De quibuſdam prodigijs, & morte Imperatoris Henrici.

Cap. CXVI.

An.Ch. 1105. ANno Imperij Henrici 49. ſcilicet ab Incarnatione Domini 1105. Vigilia Natalis Domini terræmotus factus eſt magnus in Hieroſolymis. Hieroſolymitæ innumerabilem Paganorum multitudinem glorioſa victoria conterunt. Filius Henrici Imperatoris à patre auerſus, quoſcunque poteſt ab eo auertit, & ſub obtentu meliorandæ Reipublicæ, & reſtaurandæ eccleſiæ in eum inſurgit. Duo orbes in modum Solis forma, & lumine quotidiano Soli ſimiles apparuerunt, omniũ colorum ſpecie radiantes ad inſtar arcus cœleſtis.

Anno 50. nonas Februarij, ſtella per diem viſa eſt in cœlo ab hora tertia, vſque ad horam nonam, quaſi cubito diſtans à Sole. Henricus filius Imperatoris contra ius naturæ, & fas legum in patrem inſurgens, quam indigne eum tractauerit, declarat epiſtola ex ore ipſius patris ſcripta ad Philippum Regem Francorum. Pridie idus Februari apud Barum Italiæ ſtellæ viſæ ſunt in cœlo per diem, nunc quaſi inter ſe concurrentes, nũc quaſi in terram cadentes.

Toto pene menſe Februario Cometes apparuit. Imperatore Henrico morante Leodij, filius eius Aquiſgrani venit, & volens venire Leodium contra patrem ſuum, quinta feria Dominicæ cœnæ præmiſit ſuos præoccupare pontem apud Moſam, ne quis venienti ſibi obſtaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filij à ponte repelluntur, alijs eorum captis, alijs in Moſam demerſis, alijs occiſis. Inter quos etiam Bruno comes occiſus eſt. Sic filius contra patrem veniens redijt inglorius. Colonienſibus fidem Imperatori ſeruantibus; at eorum Archiepiſcopo filium Imperatoris contra patrem ſuum animante, Colonia obſeſſa oppugnatur, ſed non expugnatur.

De Moribus eiuſdem, & aduerſario eius à muribus deuorato.

Cap. CXVII.

Villelmus in chronicis. Interim Henricus Imperator Leodij moritur. Hic Henricus Hildebrandi inimicus ore facundus fuit, acer ingenio, eleemoſynis largus. Sexagies & bis acie collata dimicauit, plures inimicorum eius vitam miſero exitu finiere. Quidam ex aduerſariis eius homo potens, & factioſus dum reſupinata ceruice in conuiuio reſideret, repente à muribus circũuallatus eſt, vt nuſquam poſſet effugere. Tãtus erat numerus beſtiolarum, vt in qualibet ampla prouincia tot eſſe non putaretur, fuſtibus & ſubſelliis diu expulſi fugari non potuerunt. Nullum vero nocere tentabant niſi illum ſolum, quem dentibus & terribili quodã occentu perſequebantur. Iſte autem à famulis vltra iactum ſagittæ in pelagus prouectus eſt, ſed fruſtra, nam continuo tanta vis murum inundauit, vt mare paleis conſtratum iurares. Et cum tabulata nauis corroderent, & naufragium tritum aqua per rimulas ingrediẽs minaretur, fagum tritum aqua per rimulas ingrediẽs minaretur, famuli puppem ad litus retorquent. Miſer ergo ille in terram expoſitus, mox totus dilaceratus, horrendam murium ſaniem expleuit. Sed hoc ideo mirum minus iudico, quia certum eſt, in Aſiaticis regionibus ſi leopardus aliquem mordicus attigerit, confeſtim murium copiam aduentare, vt vulneratum commingant, immundumque vrinæ diluuium comitari hominis exitium. Si vero ſedulitate ardentium intra nouem dies vitata fuerit pernicies, aduocari medicorum induſtriam, & profecto valituram. Conſpicatus eſt relator meus quẽdam eiuſmodi ſaucium cum deſperaret in terra ob ſalutem in altum iactatis anchoris proceſſiſſe; nec mora pluſquam mille mures vidiſſe corticibus malorum quorũ medullas exederant incluſos mirabili dictu, ſed obſtrepentibus nautis dimerſo. Nihil enim ille parens rerum creaturarum deſtituit ingenio, nihil noxium ſine remedio.

Qualiter punitur æmulus Henrici quarti.

De conuerſione Petri Alphonſi quondam Iudæi, & editione libelli ſui.

Cap. CXVIII.

EO tempore Petrus Alphonſus quondam Iudæus, & Moyſes appellatus, iudaiſmum reliquit, & ad fidem Chriſti conuerſus libellum elegantem ſatis edidit, in quo contra Iudæos, & contra Saracenos egregie diſputauit, ſed in primis modum ſuæ conuerſionis expoſuit, dicens.

Petrus Alphonſus. Omnipotens ſuo me Spiritu inſpirauit, & ad rectam ſemitam direxit, tenuem prius oculorum remouens albuginem, & poſt graue animi corrupti velamen. Tunc nobis prophetiarum clauſtra patuerunt, & eorum arcana reuelata ſunt, vnde perpendimus, & quod eſt intelligendum, & quod inde credẽdum. Cũ itaque perueniſſem ad tam excelſum huius fidei gradũ, inſtinctu diuinæ miſerationis exui pallium falſitatis, & nudatus ſum tunica iniquitatis, & baptizatus ſum in æde Oſtienſis ciuitatis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, manibus glorioſi Stephani eiuſdem vrbis epiſcopi, anno 1106. à Natiuitate Domini die Natalis Apoſtolorum Petri, & Pauli. Vnde & ob venerationem atque memoriam eius diei, & Apoſtoli nomen, quod eſt, Petrus, mihi impoſui.

Fuit autem pater meus ſpiritualis Alphonſus Imperator Hiſpaniæ glorioſus, qui me de ſacro fonte ſuſcepit, & ob hoc eius nomen præfato nomini meo apponens mihi nomen impoſui, Petrus Alphonſus. Cũque innotuiſſet Iudæis, qui me antea nouerant, & peritum in libris prophetarum dictiſque doctorum probauerãt, quod legem chriſtianorum accepiſſem, & vnus ex illis eſſem, arbitrati sũt quidã me nõ hoc feciſſe, niſi quia verecundiam omnẽ abieceram, quod & Deũ, & legẽ contempſerã. Alii vero dicebant, quod hoc feciſsẽ, eo quod prophetarum, & legis verba non recte intellexiſſem. Alii hoc ipſum vanæ gloriæ imputabant, & hoc me feciſſe calumniabantur ad ſæculi honorem, eo quod chriſtianorum gentem, cæteris omnibus ſuperiorem eſſe cõſpicerem. Nunc ergo librum compoſui, vbi omnes, & meã cognoſcant intentionem, & audiant rationem, in quo videlicet omnium aliarum gentium crudelitatis deſtructionem propoſui. Poſtea vero chriſtianam legem omnibus præſtantiorem legem eſſe concluſi. Ad vltimum etiam omnes cuiuſlibet chriſtianæ legis aduerſarii obiectiones poſui, poſitaſque pro meo ſapere cum ratione & auctoritate deſtruxi. Librum autem totũ diſtinxi per dialogum, vt animus lectoris promptior fiat ad intelligendum. In tutãdis etiam chriſtianorum rationibus nomen, quod modo chriſtianus habeo, ſcilicet Petri poſui, in rationibus antem aduerſarii confutandis nomẽ, quod ante baptiſmum habueram, ſcilicet Moyſi.

Iudæi Petri Alphonſi cõuerſionem quã malignè ſunt interpretati.

De errore Iudæorum circa legis intellectum.

Cap. CXIX.

REuera concedo nunc Moyſen filium Amram verum Prophetam Iſraelitici populi miſſum fuiſſe à Deo, ac vere, & quicquid ex Dei nomine prophetauit fideliter enunciaſſe; omnes quoque poſt Moyſem Prophetas pro eius lege confirmanda veniſſe. Nam & eadem lex à noſtris quondam, quibus fidem adhibemus doctoribus eſt tranſlata, & apud nos habetur ſcripta, & nunc quidem recto ſenſu prout debeo completam eius fidẽ conſeruo ac per rectiſſimas eiuſdem ſemitas recto greſſu procedo. Video autem Iudæos legis cultores ſolũ eius ſuperficiẽ attendere, literamque nõ ſpiritualiter,

ſed

sed carnaliter exponere, & ideo ab eius recta intentione alienos existere, maximoque decepti sunt errore in eius explanatione. Non reminisceris,ô Moyses, doctorum vestrorum,qui doctrinam vestram,vbi tota lex vestra secūdum vos innititur,scripserunt, qnomodo Deū corpus, & formam asseuerant, eiusque ineffabili maiestati talia applicant, quę & nefas est credere, & absurdū audire; quoniam nec vlla constant ratione,quin etiā de ipso tales protulerunt sententias, quæ non aliud nisi verba videntur iocantium in scholis puerorum; vel nētium in plateis mulierum. Iterum secūdum intellectus nostri capacitatem dum legem explanatis,vos eo modo quo fieri nequit captiuitatem euasuros speratis. Iterum adeo inusitatum vobis fieri speratis miraculum in captiuitatis euasione vt vestros Deus mortuos suscitet, qui terras denuo sicut prius incipiant inhabitare. Præterea vos existentes in captiuitate de omnibus legis vestræ præceptis etiam secundum explanationem vestram nihil nisi minimum quod cōtueor agere. Idipsum autem, quod agitis Deo placere,& acceptabile esse creditis. De hoc autem, quod prætermittis eum nequaquam vos culpaturum esse confiditis,quod euidenter obtinet maximum locum erroris.

Thalmudica Deū corporeū fingunt.

De errore eorum circa deitatis simplicitatem.

Cap. CXX.

Iudæorū de Deo stulta opinio.

Ecce doctores vestri in prima parte doctrinæ vestræ cui vocabulum est, Benedictiones, dixerūt Deū caput,& brachia habere, & in cesarie pixidem corrigia ligatam gestare,ipsiusque corrigiæ nodū à postera capitis parte sub cerebro firmatū. Intra pixidē vero quatuor esse chartas continentes laudes Iudæorū. In summo autem sinistri brachij gestare aliam pixidem, simili modo corrigia ligatā,ibique chartā esse,laudes omnes, quæ in quatuor prędictis scriptæ dicuntur continentem. Et de pixide quidē quā gestat in cesarie, ac de nodo corrigiæ sibi attrahūt auctoritatē ab eo loco,vbi Dominus ait ad Moysen;*videbis posteriora mea, facies mea nō videbitur.* Tūc enim Moyses,vt aiunt,videbat nodum corrigiæ,nodum autem ipsius necessarium est alicuius pixidis esse. De illa vero quā gestat in brachio proferūt auctoritatē ab Isaia dicēte:*Iurauit Dominus in dextera sua,& in brachio forti suo.* Per brachiū enim fortitudinis sinistrā intelligi volūt, in qua virtus illa pixidis continetur. Et ego quidē reminiscor illū me perlegisse locū,sed auctoritas illa nullum eis confert patrocinium. Cū enim lex perhibet Deū Moysi dixisse posteriora sua se visurum,& quia Deum mentiri non posset constat, ita postea licet scriptura tacente nō dubitamus factum,nusquā tamē lex innuit,quod Moyses in eius posterioribus aliquid viderit. Qualiter igitur eū ibi nodum corrigiæ,quod sine risu vix dici potest dicitis vidisse. Iterum cū per posteriora non solum ceruix, sed etiā quęlibet pars corporis cōueniēter intelligi possit,hoc quod vos eū vidisse ceruicē asseritis non ratione, vel legis auctoritate, sed sola voluntate probatis. Et vt Deū ceruicē (quod sane sapiēti nefas, & videtur,& est) habere concedā. Fieri tamen potuit, vt Moyses nihil in eo præter ceruicē viderit. Aut si quid aliud fingamus eū vidisse, potuit videre pileū siue nodū corrigiæ scilicet in eius corona,quā vos dicitis Angelū mitraton capiti Dei singulis diebus imponere. Vt autē vtar etiā ratione naturæ,vos Deū caput & brachia totamque corporis formam contenditis habere. Quod si est,igitur Deū longitudinis, & latitudinis,altitudinis, dimensionibus cōstare necesse est. Si vero tribus his, & altitudinis dimēsionibus clauditur, corporeis partibus terminatur, quod euidenter inconueniens esse probatur. De corrigia vero quam eum in capite habere dicitis, duo nunc propono vobis. Illa namque corrigia aut est de ipso, aut aliunde. Si est de ipso, iam Deus diuisus est à se. Si vero aliunde, aut creator, aut creatura est. Si creator est, ergo duo sunt creatores. Si creatura est, iam quædā creatura maior est quadam parte creatoris, quod inconueniens est.

Exod.13.

Isaia 2.

Deus non est corporeus

Corrigiarum vanitas redarguitur.

Præterea quęro à vobis vtrū hoc,quod cū in brachio,vel in capite gestare dicitis,aliqua gestet necessitate, aut sine necessitate. Si necessitate iam creator creatura indiget,quod inconueniens est. Si vero sine necessitate,ergo Deus aliquid superfluum gestat in se,quod aliud inconueniens est.

De erroribus ipsorum circa ipsius immensitatem diuinitatis.

Cap. CXXI.

Præterea vestri doctores aiūt in libro doctrinarum, quod Deus est in occidente tantum, auctoritate scilicet Esdræ hoc confirmantes dicentis: *Exercitus cœli supplicat tibi*, sic illud exponentes: Cum omnes stellæ in occidentē decidunt, tunc exercitus cœli supplicat Deo, & quoniam hæc stellarum supplicatio fit in occidente, idcirco Deum in occidente asserunt esse. Hæc inquam, est illorum sententia,qui quanquā à cognitione Dei sūt alieni, si mundi saltem figuram agnoscerent, nunquam de Deo tam indigna sentirent. Nos enim orientem non dicimus, nisi locum illum, vbi stellæ prius apparerent, nec occidentem, nisi vbi aspectui nostro disparent. Igitur in quocunque loco vis consistere, & ab eo rectam lineam ad orientis partem dirigere, quæ cum ad locum peruenerit vltra quem visum nequis tendere, locum illum orientem tibi esse cognosce. Eodem modo si ab eo in quo consistis lineam rectam in occidentem erexeris, cum ad talem locum, qui visui tuo terminū ponat perueneris,ipsum quoque constitue locum occidentis. Itaque nec locus orientis, nec locus occidentis idem est omnibus, nec eadem hora, ortus vel occasus est nobis cum cæteris gentibus; sed secundum varietatem locorum in longitudine variatur.

2. *Esd.* 9.

Iudæi Deū tantum in occidente esse contendunt.

Iterum vestri doctores, in 3. doctrinæ libro Deum asserunt esse in loco sex partibus terminato,affirmantes hoc Danielis testimonio, qui ait: *Cum egrederet ecce Princeps Græcorum ingressus.* Ex hoc enim concipiunt, quod in tali loco sit Deus, vbi introitus sit & exitus. Quod si ita est, patet ergo quod in loco consistat sex partibus terminato. Si vero terminato circunscribitur loco, tunc aliquis locus vacuus est à Deo, quod si est, quomodo scit, quod in alio sit, vbi ipse non est loco, aut quomodo operatur in eo. Sed dicitis, quod talem sapientiam & voluntatem habere potest, vt per sapientiam norit, & per voluntatem operetur, quod alibi est. Volo ergo, vt mihi respondeatis vtrum illa sapientia & voluntas in eo sint, & semper cum illo. An extra illum,& sic quandoque sine ipso. Nam si dicatis, quod non extra illum sint, sed in eo, de his idem proueniet quod de ipso, quia non in omni erūt loco. Quomodo ergo sciri poterit aut operari, quod alibi sit. Si vero dicat eas extra illum esse, & omnē locum implere; tunc ab illo sunt diuisæ. Sciunt enim aliquid quod nescit ille,& operantur per se, quod non operatur ipse. Ipse enim sunt creatrices,& mundus Deo indiget. Sed dicitis, potest quidem in eo esse,& in omnem locum sciendo & operando emicare; sicut Sol cum in vno consistat loco, radios tantum vsquequaque calefaciendo diffundit, & illuminando. Si ita est, sequitur ergo, quod illa sapientia, & voluntas non vbique consistant æqualiter. Quicquid enim diffunditur hoc modo non eandem vim habet in vltimo, quam in sui principio, quod minime conuenit Deo.

Hæc fatuitas pulchre redarguitur.

De hoc,quod fingunt Deum infirmum quotidie irasci, & flentem orare pro eorum captiuitate.

Cap. CXXII.

Quoniam autem Deo terminū imponere audetis. Vtinam vel simplum credideretis, & non ei accidentia corporis ascriberetis. Nam dicitis quidem eum

semel

semel irasci diebus singulis, afferentes in medium testimonium, quod dicitis: *Fortis irascitur quotidie.* Prima etiam hora diei eum irasci asseritis. Huius iræ causam esse dicentes, quod in illa hora, Reges iniquitatis exurgentes sibi diadema imponunt, vt Solem adorent. Videtis nunc, quam absurdus sit ille sermo, & quam fatui, qui hoc protulerunt, cum iræ discretionem ignorent, & quam si noscent non hoc de illo sentirent. Ira enim est, cum audito aliquo, quod displicet verbo, fel colera rubea feruet, & super hepar diffunditur, & sanguini commiscetur. Inde siquidē homo calescit, & inde facie pallescit. Hoc autem nulli conuenit rei, nisi quæ ex quatuor elementis componitur; Deus autem talibus non subiacet liniamentis. Non minus etiam illud abhorrendum est, quod dicunt eum tali re irasci, de qua se non possit vlcisci, quod si posset ira profecto eius quiesceret. Aiunt præterea, quod ipsius horæ, qua irascitur punctum nemo nouerit vnquam nisi Balaam filius Beor, in quo scilicet nobisipsis cōtrarij estis, cum ex vna parte Moyses vocet eum Ariolum, vos etiam iniquum vocetis, ex altera vero parte illum de Deo esse prudentiorem moyse significetis, quia punctum nouerit horæ, quod Moysen latuit. Nec hoc sufficit eis de Deo dicere, sed ipsum etiam quotidie semel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lachrymas in magnum mare dicunt decidere, & has illum fulgorem affirmant esse, qui tempore nocturno de stellis videtur cadere. Hæc aut ratio Deum ex quatuor elementis ostendit compositum esse. Non enim fiunt lachrymæ nisi ex humiditatis abundantia descendentis à capite. Si autem est ita, ergo elementa sunt Dei materia. Omnis autem materia prior est, ac simplicior forma. Ergo, & ista priora Deo sunt, & simpliciora: quod vtique nefas est credere. Itaque si Deus talis est, vt & dicitis, cum nec cibo, nec potu fruatur, & quotidie duas ex se lachrymas emittat, necesse est illum decrescere, nisi forte de aquis, quæ super cælos sunt iugiter bibat.

Iudæi Deum quotidie semel irasci somniant.

Quid ira.

Ira pulcherrima descriptio.

Num. 22.

Iudæi Deum plorare dicunt.

Lachryma vnde fiant.

Denique ex verbis eorũ intueor ipsos ignorare, quid ille sit fulgor, sed fumosus quidam vapor nimium siccus qui de terra consurgit. Vnde & loca nubium transit perueniens ad locum, vbi non est calor multus, quoniam à motu firmamenti est remotus. Quo cum peruenerit, & in vno loco multus coierit, ipsius loci calore paulatim crematur, & crematus euanescit. Et hoc esse dicimus, quod per aerem discursitare videmus. Fletus quoque ipsius, quem indigne Deo ascribunt, Iudæorum captiuitatem causam esse dicunt.

Scintilla de stellis cadentes quid sint.

Iudæorum stulta de Deo optimo maximo opinio.

Quinetiam propter dolorem ipsum ter in die quasi leonem rugire asserunt, & ob hoc cœlum pulsare pedibus more calcantium in torcular ferunt. More quoque columbæ quendam susurri sonitum dare, & aliquando caput mouere, ac dolentis voce dicere, Heu mihi, heu mihi, vt quid domum meam in desertum redigi, templumque meum cremaui, & filios meos in gentes transtuli. Heu patri, qui filios suos transtulit, heu filijs qui translati sunt de mensa patris sui.

Dicunt etiam, quod quidam doctorum vestrorum in quodam loco ruinoso hanc audierit vocem. Aiunt, præterea, quod tanquam periens inuicem pedes collidat, & more dolētis manibus plaudat, & quia quotidie orat, vt misericordia eius in populo suo sit super iram eius.

Sugillatio præfati erroris.

Cap. CXXIII.

Impie de Deo Iudæi loquũtur.

VErum si Deus, vt aiunt, orat, quem quæso adorat. Aut eius propter quod adorat est potens, aut impotens. Si est impotens frustra se adorat. Si vero potens, aut vult, aut non vult id pro quo adorat. Si non vult pro nihilo orat. Si autem vult, tunc orare non est necesse, ex quo potest & vult. Hæc ergo sententia omnino aliena est à cognitione diuina. Si etiam verum est Deum, vt aiunt pro nobis plorare, vt leonem rugire, cœlum pedibus pulsare, more columbæ gemere, caput mouere, ac dolentem clamare ipsum, præterea præ dolore pedes collidere, manibus plaudere, & quotidie, vt vestri misereatur orare, quid vestram ne liberemini captiuitatem impedit, an à vobis an ab ipso hæc mora procedit. Si enim ab ipso dicitis, ipsum, ad complendam voluntatem suam minus esse potentem ostenditis, cum aliquid volentem complere, nec valentem, cum plorare more pueri asseritis. Si autem nunc impotens est, dicite vtrum in futurum potestatem habiturus sit an non. Si nunquam habiturus est, igitur & vester, & illius dolor fine carebit. Vestraque oratio & spes nulla est, si vero habiturus est certo tempore, restat vobis dicere quid sit quod prohibeat eum modo habere, videlicet vtrum hoc imputetis annorum eius paucitati, membrorum debilitati, an obstaculo cuiuslibet rei à qua nequeat defendi, quod nefas est de Deo credere. Legimus enim in scripturis sacris, quibus vos fidem nobiscum adhibetis, Deum antiquis temporibus maiora miracula feciſſe, quam si vos de captiuitate liberaret. Inter quæ & Ægyptum decem plagis percutiens inde vos manu valida eduxit, & postmodum etiam de captiuitate Babylonis liberauit. Non ergo dicere potestis, quod potens non fuerit etiam diebus antiquis. Si autem eo volente vos liberare, vos eius voluntari pertinaciter obsistitis, vt quia ille vos in captiuitatem coniecit, vos econtrario pluſquam ipse velit in illa perduretis, debet vtique voluntati vestræ satisfacere, & non seipsum assidue tanto mærore deprimere. Sed dicitis Deum captiuitatis vestræ terminum præfixisse, & donec illud quod constituit, & iurauit, & firmauit, tempus adueniat, vllo modo vos liberari posse. At in hoc verbo inscientiam Deo ascribitis, cum tale quid eum statuisse dicitis atque iurasse quod postea pæniteat eum firmasse. Cuius rei signum esse ostenditur quod tot modis pro vobis iugiter affligitur. Quod si præscisset, non antea constituisset. Insipiens ergo secùndum vos fuit, quod etiam cum apud vos constet, ei vtique indulgere debetis, non eum præcibus inquietare assiduis. Quanto enim eum vt vos de captiuitate eripiat frequentius oratis, tantomagis eius dolorem innouatis. Debet ergo quisquam huiusmodi credere doctoribus, & fidem eorum accommodare tractatibus.

Iudæi scripturas sacras nobiscum legunt Exod. 7. 8.

Quod corporalia dicuntur de Deo in scriptura, non proprie sed tropice.

Cap. CXXIIII.

SEd dicit mihi aliquis: Cum illi dicta sua Prophetarum auctoritate confirment, cur tam grauiter in eos inueheris, & in Prophetas nihil dicas? An nescis Prophetas dixisse, caput & oculos, & nares, & manus, & brachia, & vniuersa corporis liniamenta Deum habere? Dixerunt etiam illum singulis diebus irasci, & vt leonem rugire, & alia multa huiusmodi. Cui ego respōdeo, quod obscura sunt Prophetarum dicta, nec omnibus satis aperta. Propter hoc eum in eis talia inuenimus, quæ secundum literam accipientes à tramite rationis exorbitent, allegorice illa interpretamur, vt ad rectitudinis semitam reducamus. Necessitas enim cogit hoc nos agere, quoniam aliter nō potest ratio literæ stare. Vestri autem doctores nequaquam Deum vt oportuit cognouerunt, ideo dicta Prophetarum superficie tenus exponentes in eis errauerũt. Si autem vis scire quod quædam verba scripturarum allegorice nos oportet intelligere, eo quod ad literam expolita non possunt stare, vide quid liber Numeri dicat de filijs Chore: *Aperiens, inquit, terra os suum deuorauit illos.* Nunquid terra habet os? Item in libro Iudicum ait, Gaal ad Zebul: *Ecce populus, de vmbilico terræ descendit.* Nunquid terra vmbilicum habet? Dauid quoque ait: *Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.* Et iterum: *Flumina plaudent manu &c.* Nunquid campi gaudere, flumina manus habere, vel montes possunt exultare? Salomon quoque ait: *Aues cæli portabunt vocem tuam &c.* Nunquid vel auis verbum dicere:

Scriptura non semper literalem patitur sensum.

Num. 16.

Iudic. 9.

Psal. 95.

Psal. 97.

Eccles. 10.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vel habens pennas aliquid poteſt annunciare? Habacuc etiam propheta dicit: *Lapis de pariete clamabit, &c.* Nunquid vel lapis clamare, vel lignum poteſt reſpondere? Denique corporea quæ Deo aſcribitis, non niſi corporeæ ſubſtantiæ, & rei congruũt imaginariæ, Deum huiuſmodi eſſe, indecens eſt credere. Conuenit ergo quæ de illo tanquam corpore dicunt ſcripturę, non literaliter ſed allegorice, vel tropice exponere. Nam ſi Deum imaginẽ aut ſimilitudinẽ vllam habere dicimus multis prophetarũ auctoritatibus cõtraimus. Verbi gratia Moyſes ait filijs Iſrael: *Cuſtodite ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt Dominus in Oreb de medio ignis, ne forte decepti facietis vobis ſculpturam &c.* Cumque prohibuiſſet eis ne Deum compoſitis corporalibus aſſimilarent, veritus etiam ne forte corporibus eum ſimplicibus conformarent, adiunxit: *ne forte eleuatis ad cœlum oculis videns Solem & lunam & omnia cœli aſtra errore deceptus adores ea &c.* Ne reputes Moyſen hoc populo iubentem metuiſſe, ne prædictorum corporum figuras vel imagines adorent, cum iam creaturas eſſe non dubitarent. Sed hoc potius timuit, ne Deum imaginem alicuius horum habere crederent, & ideo pro illo huiuſmodi factas ſimilitudines adorarent. Eſaias quoque Propheta ait: *Cui ſimilem feciſti Deum, aut quam imaginẽ ponetis ei.* Et iterum: *Cui aſſimilaſtis & comparaſtis me & feciſtis ſimilem?* Dauid etiam verba Deum non eſſe localem comprobant; vt per hoc conſequenter eum non eſſe corporeum innuant. Ait enim: *quo ibo à ſpiritu tuo &c.* Salomon etiam idem ſentiens ait: *Si cælum enim & cæli cælorum capere te non poſſunt &c.* Et Hieremias: *Nunquid non cælum & terram ego impleo dicit Dominus?* Ecce liquido patet, quod ſi ſcripturas dominum corpus, & omnia corporis membra dicentes habere, quarum auctoritates volumus hoc probare ſuperficie tenus exponamus, omnibus ſupradictis teſtimonijs contraimus.

Habac. 2.

Imagines Iudæis quare prohibita.

Deut. 4.

Iſaia. 40.

Pſal. 138.

2. Paralip. 2.

Hier. 23.

Rationes de Deo propheticæ.

Cap. CXXV.

NVnc in magno palatio rationis, accubituri ſoliam eius, quibuſdam ſententiarum floribus ſternamus, vt poſtea delectabilius in eo ratiocinaturi ſedeamus. Ille ſententiæ vobis erunt quidam gradus ad comprobandum quod Deus ſit, & ad cognoſcendum quid ſit. Prius enim debemus probare Deum eſſe, & poſt oſtendere nihil ei ſimile eſſe. Quædam namque pars hominum & Deum eſſe negant, & mundum ab æterno & ſine creatore fuiſſe affirmant. Quæ nos neceſſitas cogit, vt etiam rationibus Philoſophicis prius Deum eſſe mõſtremus, qui mundum creauit. Si enim mundum cum omnibus quæ in eo ſunt creatum eſſe oſtendam, tunc Deum eius creatorem neceſſario eſſe concludam. Cumque mundi creatorem eſſe probauerimus, conſequenter ipſum habere nullam ſimilitudinem ratione oſtendemus. Itaque fere in hoc omnes Philoſophi conſentiũt quod perfecta ſapiẽtia principium eſt omniũ rerũ, lumẽ præclarum, ſubſtantia ſubſtantiarum, argumentum rerum vniuerſarum. Poſt hanc eſt anima, poſtea vero materia. Quæ ſcilicet duo ſimplicia ſunt, & omniũ creaturarum prima, totiuſque rei cõpoſitæ origo & cauſa. De quibus gradatim factũ eſt firmamentum, cum omnium quas poſſidet varietate imaginum atque formarũ. Nam firmamentum quidem cum omnibus quæ continet, eſt reuera compoſitum, licet eorum reſpectu quæ circulo lunari ſubiacent dicatur ſimplum: Sic enim eſt in rebus omnibus, vt aliud reſpectu illius, de quo factum eſt dicatur compoſitum, reſpectu vero eius quod de illo fit ſimplum. Et quia omnis materia eo quod de illa factum eſt, ſimplicior eſt, nec in ſe ſui compoſiti formam vel imaginem habet, patet firmamenti materiam nullam in ſe corpoream formam habere, & ideo omnino ſimplam eſſe. Quod ſi dicamus aliquid in ea compoſitum eſſe, aliam quoque materiam neceſſe eſt eſſe de qua compoſitum ſit, quæ & illa ſimplicior ſit. Sed & illam dicentes compoſitam, aliam quoque fatebimur ſimpliciorem habere materiam, & ſic in infinitum procedemus. Quod vt vitemus, neceſſe eſt vt illam materiam ſcilicet firmamenti ſimplam eſſe fateamur. Et quoniã materia ipſa, varias in ſe quas vnquam habuerat, nouiter in ſe formas ſuſcepit, conſtat quod eas non ex ſe ſed alterius rei adiũctione, quæ & potẽtior & ſimplicior ſit, habuit, quæ ſcilicet in ſe diuerſas formas, & imagines fecit, maxime cũ nulla ſibi neceſſitas eſſet, vt tales in ea fierẽt formæ vel imagines. Hoc magis ex animæ deſiderio factum eſt, quæ tali reivoluerit commiſceri, cui nunquam fuerat cõmixta vt in ea ſua pateret potentia, Hæc igitur poſtquam illi rei commixta eſt pariter & conglutinata, ex noua commixtione nouis eſt materia formis informata. Quoniam ergo firmamentum cum omnibus, quæ poſſidet ſecundum Philoſophos compoſitum eſſe non dubitatur, neceſſe eſt, vt principium habere credatur. Etenim compoſitum omne neceſſe eſt compoſitorem habere, quia nec aliquid poteſt ſe ipſum creare. Creatorem ergo mundi qui Deus eſt, eſſe neceſſe eſt. Quem ſcilicet nec creatum eſſe nec nouatum, ſed æternum neceſſario credere conuenit. Alioquin creatorum vel nouatorum numerus ſine carebit. Nec compoſitum ſed ſimplicem oportet eum intelligi, quia omnis compoſitio motus eſt & actus ſimplicis rei. Præterea quod primum eſt, principium habere non poteſt, omnis autem compoſitio principium aliquid habet. Itaque neque corporeus eſt, quia corporeum omne compoſitum eſt. Iterum neque nobilis eſt, quia omne quod mouetur partibus conſtat, & omne tale compoſitum eſt. Rurſus, nec variatur nec corrumpitur, quia vtrumque mortalium eſt, primum autem omnium immobile. Item nec creſcit per ſe nec augetur aliunde: nam omne quod vel crementũ recipit vel augmentum proculdubio eſt cõpoſitum. Itẽ nec decreſcere probatur, quia quod decreſcit corrumpitur. Rurſum nullius creaturæ in aliquo ſimilitudinem habet, quia ſimilitudo qualitatis eſt. Ipſe vero nulli ſubiacet qualitati, ergo nec ſimilitudini. Præterea duorum aliquorum ſimilitudo vnum parificat alij, ei vero nihil poteſt in aliquo parificari. Denique cum materia quæ creata eſt, nullam habeat in ſe formam vel imaginem, multominus ipſius naturæ creator Deus, qui ſimplicioris, ac ſubtilioris eſt naturæ, vllam putandus eſt habere ſimilitudinem.

Materia eſt formarum omnium expers.

Deus eſt cõpetitor ac creator.

De mundi creatione.

Cap. CXXVI.

ECce rationibus Philoſophicis his qui non credunt ſcripturis probauimus Deum omnium eſſe factorem, nullamque habere creaturæ vllius ſimilitudinem. Porro iuxta eoſdem Philoſophos ex coniunctione vniuerſalis animæ cũ materia gradatim facta ſunt omnia. Dicunt enim quod quando materiæ anima coniuncta & conglutinata fuit, primo omnium formarũ eſt & cõpoſitum maius firmamentũ, in quo nulla ſunt ſydera, & quod omnes circulos moueri facit. Poſt illud vero formatus eſt ſignifer circulus, in quo 12. emicant ſigna. Tertio loco factus eſt ſyderum circulus, quæ ſemper ſitum ſuum ſeruantia in locis ſuis perdurant fixa. Quarto loco Saturni factus eſt circulus. Quinto Iouis eſt orbis locatus. Sextum porro locum Martis ſibi vendicat enſis. Septimo Solis circulus lucet. Octauum Veneris globus poſſidet. Nonum Mercurius ſortitus eſt. Dat Lunæ partes decimus locus inferiores. His vero circulis omnibus completis, ac cæteris quæ ſunt in eis, tunc cœpit motus iſte rotundus, qui dicitur ſimplex ac perfectus, & motus ille in materia calorem, qui effuſus eſt, per eam genuit, ipſaque eum recepit, & inde facta ſunt 4. elementa, videlicet, Ignis, & Aer, Terra, & Aqua. Quia vero motu & virtute qualibet ab aliquo præcedente quãto proximiora ſunt illa ad quæ prodeũt, his à quibus procedunt, tanto maiorẽ inde vim & fortitudinem accipiunt, calor ille qui de motu firmamenti proceſſit in locis vicinioribus multo plus incaluit, factuſque eſt ignis calidæ naturæ videlicet ac ſiccæ.

Quomodo omnia gradatim facta ſunt.

Quatuor elementorum origo.

Ignis.

Quia

Quia vero paulisper calor ille longius à firmamento recessit, vim suam modice iam amittens, aliquantulum tepuit, ac debilior fuit, sed etiam sese ac illacque commouit, vnde facta est aeris natura calida, videlicet & humida. Omnis enim calor quamdiu fortissimus existit, desiccat & comburit. Ex quo vero tepescit, mollescere ac liquefieri facit. Quoniam autem adhuc longius à firmamento recessit, radice quasi procul existente vigorem amisit. Ideoque natura profluxit frigida, factaque est liquida & ponderosa videlicet aqua. Et quia longius adhuc quam erat à firmamento recessit ipsa frigiditatis natura, propter nimiam remotionem fortior, ac spissior congelatur, & durior extitit, factaque est frigida & sicca, & ipsa est terra.

Aer.

Aqua.

Terra.

De formatione rerum per interualla sex dierum.

Cap. CXXVII.

COmpleta igitur hoc modo elementorum creatura, mouit eam natura, & vis firmamenti ad faciendam voluntatem & iussionem Dei. Cumque vis firmamenti sic adinuicem mouisset cuncta, commixta sunt inter se pariter & coniuncta, & ipsa eorum commixtione genita sunt alia minora corpora scilicet inanimata. Inanimata videlicet vt lapides & metalla, cæteraque quæ continentur in terra, nec crescunt, vt argentum viuum, & sulphur, & alia. Animata vero vt arbores, & herbæ. Animalia quoque & irrationabilia, vt bruta, & rationale scilicet homo qui factus est post omnia. hæc autem omnia licet diuersa ita diuina restringit potentia, vt in illo penitus repugnantia sibi videantur aut dissona. Sed & vnumquodque inferius respectu superioris simplum, respectu vero inferioris dicitur compositum. Humanum autem corpus, quod omnibus inferius, quia sub eo nihil est in ordine rerum, non immerito dicitur compositum, factusque est homo ex simplici omnino id est anima & corpore omnino composito. Dicunt autem Philosophi, quod rationalis anima procedit de vniuersali. Iudæi vero omnes animas in principio mundi simul asserunt esse creatas, & in vno loco repositas, & quousque incorporentur omnes, non esse venturum diem Iudicij. Ex quo autem incorporabuntur, statim prouenire finem mũdi. Porro Christiani quotidie nouas astruunt animas procreari, formatisque nouis corporibus infundi. Quicquid autem de anima quisque credit, proculdubio qui rationem dedit, animam fecit, & omnium causa existit. Ipse igitur hominem perfudit, & illustrauit celsitudinis sapientia, per quam & cognosceret, & discerneret omnia. Facta est itaque species hominis inter species animalium vtique melior, & elegantior, & in omnibus præstantior. Vnde & iuste vocatur *Microcosmus* id est minor mundus.

Homo post omnia creatus est.

Homo quare dicatur minor mundus.

Sed hic infidelium oritur quæstio: Cum Deus, inquiunt vt dicitis omnipotens sit, cur hæc omnia quæ creauit non in vno sed in tot dierum spacio paulisper operando compleuit.

Quibus ego respondeo: Quod ratio non patitur, vt quoniam vna creatura tardius est creata quam alia. Ideo summus earũ creator minus potens credatur. Non enim hoc ex eius impotentia fuit, sed quia illarum altera mollior, altera durior in forma suscipienda fuit. Verbi gratia: Si ferrum & æs, plumbum & stannum, picem & ceram simul accipias, & massam ex omnibus istis commixtam eodem momento in ignem mittas nunquid omnia vno eodemque temporis ictu liquefient? Non vtique sed prius cera, postea pix, deinde stannum, deinceps plumbum, postmodum æs, ad vltimum vero ferrum. Nunquid hoc imputas ignis virtuti, an eorum variæ debilitati? Nam vtique virtutem ignis eandem erga omnia cuncti norunt. Sed ea que molliora sunt citius, quæ vero duriora tardius liquefiunt. Sic ergo & in creaturis mundi, non alia de causa tot dierum transiuit mora, nisi quia quædam earum tardiores fuerunt in suscipienda forma.

Sex dierum operatio non arguit Dei impotẽtiam.

De quibusdam fabulis libri Thalmuth, id est, doctrinæ Iudæorum.

Cap. CXXVIII.

SEd doctores vestri dum nobis in quibusdam pertinaciter obsistère nituntur, ipsi etiam sibimet contrarij inueniuntur. Dicunt enim quod Deus, quando firmamentum constituit, penitus illud perficere non valens, quoddam magni foraminis spacium in septemtrionali parte reliquit, vt siquis aliquando exurgens æqualem se ei opponeret, responderet ei dicens: Si tu sicut ego Deus es, locum illum, quem ego reliqui apertum, claude si potes. Hoc autem quam patens sit mendacium omnibus est manifestum. Septentrionalis etenim poli aciem altissimam semper super nos, ne vnquam occultari conspicimus, ipsumque totum integrum perfectũque videmus.

Rabbini Iudæorum admodum stulta docent.

Aliud quoque ridiculosum dicunt valde scilicet filijs Iacob patrem suum portantibus ad sepulchrum, filios Esau patrem suum similiter ad sepulchrum deferentes, cum magno comitatu eis occurrisse, vt cum vtrique magnus esset exercitus, singulæque partes, sibi vellent sepulchrũ, vendicare, Dan, aiunt, montẽ ascendisse, tantæque magnitudinis lapidẽ præscidisse, quanta multitudo totius exercitus Esau esse posset. Ipsamque molem capiti suo impositam attulisse vt super hostium cuneum illam proijciens omnes vno ictu prosterneret. Cumque adueniens iam ambos cuneos concordes inuenisset, molem quam attulerat in mare proiecit, cuius magnitudine aqua maris terminos suos excedens duas ciuitates sui effusione subuertit. Et ipsæ sunt quas longo tempore post Pharao Rex Ægypti filios Israel ædificare præcepit. Nonne quęso risu summo digna tibi videtur adinuentio hæc? Cum enim filij Iacob adhuc tantummodo 12. essent, viri Esau de tribu sua iam quadringenti existebant. Nunc ergo numero filiorum Israel crescente quanto maior existimari potest filiorum Esau numerus fuisse? Tantam enim oportuit eorum multitudinem existere; vt & filijs Iacob & toti Ægyptiorum genti, quæ cum Ioseph venerat obsisteret. Nunc itaque discerne quid horum dignus sit admiratione scilicet vel vbi tantum inuenerit montem, vel quo monte tantæ magnitudinis molem, vel quomodo in capite tanti ponderis potuerit gestare molem vel lapidem, vt tam magnam prosternere posset cohortem.

Ridiculosum Iudæorum figmentum.

Libet adhuc aliud innotescendo ridiculum, maiorem ostendere fatuitatem ipsorum. Aiunt enim quod Moyses propter legem suscipiendam in cælum ascenderit, & ibi cum Angelis taliter altercatus sit. Dicebant enim, inquiunt, Angeli ad eum. Legem hanc ferre tibi minime sinimus, quam nobis pluspuam filijs Israel necessariam esse scimus. Ad hoc Moyses insolita visione perterritus nihil respondere præsumpsit, sed Domino se confortante, & vt secure responderet præcipiente, Angelis ait Cum lex ista regendorum corporum contineat præcepta, non satis considero cur vobis, qui spiritualis tantum creatura estis, sit necessaria. Ad hoc non habentes, quid dicerent Angeli, conticuerunt victi. De Moysi ergo victoria ferunt Deum risisse, & valde lætatum fuisse, & ita Moysen post triumphum cum lege alacrem descendisse. Quid quæso fatuitatis, in hac lasciuia continetur? Quomodo enim Moyses corporis mole depressus altitudinem cæli potuit ascendere, aut quomodo Deo legem dare volente Angeli prohibere? Quid iterum stolidius est, quam dicere Deum vno vincente, & alio victo exultare, aut puerili modo ridere? Item si Angeli, vt dicitis, legis illius retinendæ tam auidi erant, cur non eam à Deo quæsierant? Vel quid proderat eis, contentionibus deseruire? Poterant enim legem ipsam etiam cum Iudæis obseruare, nec erat ratio cur eam Moysi deberent inhibere.

Iudæorum fatuitas pulchre describitur.

De quibusdam alijs fabulis eiusdem.

Cap. CXXIX.

DIxerunt præterea quod Chore dum eremum cum Moyse & filijs Israel præteribat, trecentos camelos onustos habebat, nihil aliud ferentes, nisi solas thesauri eiusdem claues, quæ videlicet de vaccarum corijs omnes factæ erant, vt leuius ferri possent. Nunc ergo si placet computemus, & vtrum hoc stare possit videamus. Demns libræ 7. claues ad minus, & quod camelus ad minus sexcentas tolerit libras supponamus, eruntque claues tria millia sexcentæ, quas vnus ferebat camelus. Fientque claues trecẽtorum camelorum mille & octoginta millia. Sed cum quælibet clauis ad minus, sit vnius arcę, quot sunt claues proculdubio totidem erunt & arcæ. Dentur itaque cuilibet camelo duæ arcæ, & erunt cameli ferentes arcas 54000. Sed & iuxta diuitum quibus maior est cura de custodiendis diuitijs consuetudinem oportuit ad minus, duos camelos vnum habere custodem, quĩ cum summa diligentia thesauros obseruaret, vix etiam dormitaret. Sicque camelorum custodes inueniuntur ducenti & 40. millia Scriptura vero attestante didicimus, quod exercitus Chore per domos & cognationes & familias suas non erant nisi octo millia 610.

Non minus his omnibus cuilibet præstat ridiculum aliud, quod ipsi memorant factum. Dicunt enim Angelum mortis cuidam viro nomine Iosue filio Leui doctori apparuisse, eique dixisse: Ad hoc venisse me noueris, vt animam tuam suscipiam, & moriaris. Nequaquam ille inquit faciam quod hortaris, nisi prius mihi paradisum ostenderis. Susceptum igitur Angelus in alis suis duxit ad locum vnde videret paradisum. Quem ille vt vidit de alis Angeli dilapsus in paradisum se cadere permisit. Angelus ergo deceptum se esse dolens, irato vultu nimis. Egredere, inquit, vt moriaris. Nequaquam ait ille egrediar. Cumque secundo ac tertio Angelus idipsum cum magno clamore repeteret, & ille verba eius negligeret, commotus nimium Angelus, ad Deum pergens quærimoniam fecit rei huius. Deus autem eum rogauit redire, vt hominem illum de paradiso egredi præciperet ex Dei nomine Itaque veniens Angelus ad Paradisum ait: Deus, vt egrediaris præcepit. Iurauit ille & ait: Per Deum nunquam egrediar. Angelus ad Deum redijt, & dixit: Iureiurando se nunquam egressurum inde firmauit. Dans itaque iudicium Deus respondit: Omnia volumina vitæ & actuum eius reuolue, ac diligenter vide, siquando eum iurasse ac peierasse inueneris, nunc quoque mihi sibi iurasse valebit. Si vero nunquam periurum fuisse probaueris, hac vice nequaquã timebit. Itaque illius vitę volumina omnia discutiens, studiose nunquam inuenit eum peierasse. Dimisit ergo illum victns, qui vt dicitis vsque hodie permanet incolumis atque viuus.

Aliud Iudæorum ridiculum.

Considerate nunc quæso quam risu dignissima notari possint in hoc sermunculo. Quid enim plus miremur, an fatuitatem Angeli qui callidam hominis artem non prius agnouit, an hominem, qui audito per Angelum Dei præcepto, contra ipsum præceptum iurare ausus fuit? An dicemus impotentiam Dei fuisse, quod non nisi per mendacium illum de paradiso potuisset expellere. An ipsius Dei ascribemus ignorantiæ, quod aliter scire non potuit vtrum periurus fuisset, nisi eius vitæ librum reuolui iuberet. Plane hæc omnia fatuitate sunt plenissima.

Iterum de cæteris eiusdem.

Cap. CXXX.

NEc minus supradictis stupendum illud mostrum, quod Og Rex Basan videns ingentem filiorum Israel exercitum, videlicet sexcenta millia & quatuor millia, & quingentos viros, à 30. annis, & supra exceptis mulieribus & paruulis, qui supputari non poterant, molem inauditæ magnitudinis capiti suo imposuit. Et cum eo totam expeditionem prosternere voluit, sed vpupa, videlicet auis minima, eidem moli supersedit, eamque tamdiu rostro suo contudit, donec foramine magno iuxta quantitatem capitis eius peracto, moles caput transiliens in humeris eiusdem subsedit. Capite autem sano & incolumi corpore toto fortassis adhuc eam à collo subleuasset, nisi ad adauctorum subito dentium quantitas impediisset. Mox enim vt lapis in collum eius descendit, ita repente sibi dentes adaucti sunt, quod iam cum eam voluit subleuare non potuit. Quod intuens Moyles (cuius corpus 10. habuisse cubitos asseritis, & eius virgulæ totidem ascribitis) se super terram in modum salientis 10. cubitos erexit, vt eum in aliquo corporis loco percuteret cum virga. Si ergo compares cubitos 10. quibus est à terra eleuatus & 10. eius corporis cubitos & alios 10. quos virga eius habebat in altũ porrecta, à terra vsque ad virgæ summitatem inuenies cubitos 30. & tamen vt dicitis virgæ summitas, qua eum percutere voluit, nequaquam vlterius attingere potuit, quam ad nodum illum quo sura pedi iungitur, qui vulgo cauilla vocatur, in quo videlicet loco cum eum percussit, ille continuo cadens expirauit. A planta ergo pedis ipsius Og quam in terra fixam tenebat, vsque ad nodum in quo percussus est 30. cubitos habebat. Ab illo igitur loco vsque ad summum non minor, quam octingentorum cubitorum erat, solumque caput facile 10. cubitis constare poterat. Vnde patenter liquet, qudd auis illa secundum hoc, molem ipsam 10. cubitis, perforauit. In quo facto quot sunt miranda, quidve potius mirer cum considero, stupeo. Vbi enim vel tantum lapidem potuit inuenire, vel qualiter potuit tantum pondus portare. Aut quomodo auis tam paruula, tantum, tam durum, tamque spissum corpus scilicet saxeum valuit penetrare! Quove pacto dentes tam subito potuerit giganti crescere aut qua ratione tam immensæ & inauditæ magnitudinis credendus est fuisse, præsertim cum lex dicat, lectum illius ferreum non nisi 9. cubitos habuisse, quove pacto tantus homo tam facili vulnere corruisset. Quod si omnia quæ vestri doctores his similia conscripserunt hic poneremus, multos sicut & ipsi libros nugarum fabulis impleremus. Pauca vero hic inseruimus, vt eorum vel sapientiam vel fatuitatem cunctis patescere faceremus.

Num. 20. De Og rege Basan insignis fabula.

Quod causa vltimæ captiuitatis non fuit eadem quæ prioris.

Cap. CXXXI.

NVnc quæ captiuitatis vestræ causa fuerit, videre prius debemus, vt sic etiam euadendi modum melius intimemus. Nam & sapiens medicus infirmitatem prius inspicit, vt qua sit opus medicina scire possit. Prioris quidem captiuitatis scilicet Babylonicæ causa, quæ non durauit nisi per annos 70. fuerunt idolatria, vsura, falsa testimonia, homicidia, adulteria, & plurima, quæ longum est enumerare, peccata, quæ tunc in tantum creuerant, vt à Domino audiret Propheta. *Circumite vias Hierusalem & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propicius ero eis.* Iterum alius Propheta: *Quæsiui de eis virum, qui interponeret septem & staret oppositus contra me propterea ne dissiparem eam, & non inueni.* Hanc vero rationem extremæ captiuitatis, (quæ iam durauit annis plusquam mille) nulla vos Iudæi poteritis auctoritate firmare, quia trecentis annis, ante subuersionem Hierusalem nullus in Israel Propheta fuit, qui hoc prædixerit, vel scripserit. Aiunt quoque doctores vestri, quod ædificato templo, Deus in manus eorum peccati principem tradidit, cur ligatis manibus pedibusque oculum vnum euulsit, & ab illa die non habuit potestatem decipere populum in homicidio, idolatria, & consanguinearum turpitudine reuelanda. Non igitur omnia quæ fue-

Hier. 6.

Ezec. 22.

rant

rant prioris ſecundæ quoque cauſa fuere captiuitatis. Dicunt etiam quod templo ſtante, multi erant homines bonæ vitæ, qui Prophetę debuerant eſſe, ſi tẽpus fuiſſet prophetiæ. Multi quoque præter vsũ, vel naturę ſolita faciebant noua miracula. Verbi gratia, dicunt de Ioanna filio Zachaim, quod tantæ ſanctitatis fuerit, vt cum in cathedra ſederet, ad legendum libros ſuos. Deus ad oſtendendũ meritorum eius virtutem, omnes aues ſuper eum volitãtes cõcremari, & in terrã ruere fecerit. Aiunt etiam de Anania filio Doſa, quod vox quotidie de monte Oreb ſanctitati eius huiuſmodi teſtimoniũ afferebat dicens: Propter bonitatẽ Ananiæ filij Doſa totum mundum guberno, cui tamen parum quid ſatis, de ipſo ſufficit mundo. De Achiba quoque ſcriptum habetis in libro, quia quodcumque poſtulaſſet impetrabat à Domino. Hi & alij ſimiles erant in populo maiores ac iudices, qui in moribus agere bona impetrabrant, & quorum monitis cæteri libenter obtemperabant. Quorum ſi vel vnus in tempore prioris captiuitatis extitiſſet, nequaquam vt ſupra dixiſſe Dominum per Hieremiam oſtendimus, captiuitas facta fuiſſet. Quodque magis mirandum eſt his diebus, quibus meliores eorum pollentes extiterunt, deſtructo templo Iudei captiuati ſunt.

Captiuitatis Iudæorum tam diuturnæ cauſa qua fuerit.

Quod vltima fuit grauior & diuturnior quam prior.

CAP. CXXXII.

IN prima denique captiuitate cum aliorum more captiuorum in Babylonem ducti fuerunt, nullam ibi pœnam præter ſeruitutem ſuſtinuerunt. Agros enim colebant, vineaſque plantabant, domos ædificabant, & cum vxoribus ac filijs ſecure viuebant. In ſecunda vero tot & tanta eis opprobria hoſtes intulerunt, quibus ſimilia vel æqualia nec viſa nec audita ſunt. Occiſi quidem ſunt & cremati, & captiuorum more venditi. Adeo increuit venditio illa donec pro vno argenteo captiui darentur 30. Nec tamen inueniebantur emptores, ſicut ante prędixerat Moyſes: *Venderis inimicis tuis in ſeruos, & ancillas, & non erit qui emat.* Naues etiam illis impletæ ſine vllo remige vel gubernaculo vagari per pelagus ſunt dimiſſæ. Præterea poſtquam in hanc captiuitatem deiecti fuiſtis, intolerabilia vobis dabantur mandata, videlicet ne legem veſtram legeretis, nec filios iam veſtros doceretis, & ſiquis hoc faciens inueniretur aut cremabatur, aut pectinibus ferreis acutiſſimis pectebatur, ſimiliter ſi ſabbatum vel paſcha celebrãs inueniebatur, acerrime puniebatur. Multum quoque tranſijt temporis, quo nemo niſi in occulto filium ſuum circumcidere audebat, & circumcidens inuentus quis, pœnas grauiſſimas tolerabat Edictum præterea duriſſimum vobis promulgatum eſt, vt ſiquis veſtrum puellam virginem duceret, prius ad prouinciæ principem eam adduceret, vt ille cum ea dormiret, & ſic illa demum ad Iudæum rediens nuberet. Qua de re adeo contriti eſtis, vt nemo veſtrum deſponſare virginem vellet. Sic per omnium ſucceſſiones temporum diuerſa vobis indicebantur mandata malorum, vt ipſorum quoque veſtrorum teſtimonijs probatur librorum. Et ecce iam in captiuitate pluſquam mille annos impleſtis, & adhuc quanto durare debeat tempore, nullo ſcripto certum habetis. Iuſtitia quidem forenſis exigit, vt punitis, aut mortuis his, qui facinus aliquod commiſere, ſequaces eorum à captiuitate liberi debeant eſſe. Sic enim habetur ſcriptum, & in lege, quod exploratores terræ promiſſionis cum Dei voluntati rebelles voluerunt reſiſtere 40. annis morati ſunt in ſolitudine, & in hoc ſpacio omnes præuaricatores illi obiere, quibus tali morte punitis, eorum filij, quia paterno erant inſontes crimine terram illam patribus promiſſam introiere. In tranſmigratione quoque Babylonis, annis 70. demorati ſunt, donec defunctis omnibus quorum peccatis captiuitas facta fuerat, eorum filij de iugo liberati ſunt. In hac autem captiuitate, quæ à Tito facta eſt, iam innumerabiles tranſierunt generationes, nec adhuc finem habet. *Quod* enim dicitur, *quia filij non portabunt iniquitates patrum:* ſic intelligitur, videlicet, ſi filij non fecerint iniquitates illorum. Nam & alibi dicunt filij patrum ſcelera portare, ſcilicet quando imitatores ſunt iniquitatis paternæ, domino ad Moyſen dicente: *Ego ſum Dominus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filijs.* Omnes ergo ſequacium generationes idcirco in captiuitate patrum detinentur, quod illorum in quantum poſſunt opera exequuntur: quod ſi patrum opera dimitterent, etiam de captiuitate exirent. Itaque ô Iudæi, maiores veſtri peccauerunt in filium Dei, dicentes eum magum, & de ſcorto natum fuiſſe, totamque gentem veſtram in errorem induxerũt, Hæc & his ſimilia proteſtati ſunt, donec totam plebem, ſuæ prauæ voluntatis efficientes conſortem virum iuſtum ad iniuſtum valde iudicium adduxerunt, crucifixerunt, & occiderunt. Tanti ergo reatus magnitudo, tam longinquæ captiuitatis extitit cauſa & origo. Dumque vos in paterna manſeritis tam voluntate quam fide, tamdiu proculdubio manebitis in eadem tribulatione damnationis.

Deut 28. Iudæi triginta pro vno argenteo vẽdebantur.

Iudæorum plaga in vltima captiuitate.

Num. 13. & 14.

Hier. 23. & 29.

Ezechiel. 18.

Exod. 20. Peccata Patrũ Iudæi imitantur.

Iudæorum odium in Chriſtum.

De portentis, quæ præceſſerunt vltimam captiuitatem, & de tolerantia Dei erga Iudæos.

CAP. CXXXIII.

NOſſe quippe debetis, quia poſt Chriſti mortem expletis annis 40. Hieruſalem à Tito fuit deſtructa. Hieruſalem 40. annis antequam deſtrueretur, ſicut etiam doctrinæ veſtræ libri teſtantur, in eadem ſigna viſa ſunt & portenta liquido indicantia, quod hæc templi & vrbis deſtructio eſſet futura. Aiunt enim quod annis 40. priuſquam ſubuerteretur, nequaquam more ſolito albeſcebat lana, quę hedi cornibus annectebatur. Candela quoque candelabri quæ ad occidentem reſpiciebat ante conſuetum tempus extinguebatur. Sed & valuæ templi nullo tangente, cum magno ſtrepitu ſponte reſerabantur. Quas vt quidam doctorum veſtrorum nomine Ioannes filius Zachiam ſic aperiri frequenter vidiſſet, tandem valde commotus clamauit: Quieſcite. Et adiecit: Templum, templum, profecto cognoui, quia nouiſſima tua concrematio te poſſidebit, ſicut propheta prædixit: *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuos.* Cum igitur hæc prodigia 40. annis ante deſtructionem fuerint viſa, & anno 40. à morte Chriſti ciuitas à Tyto fuerit deſtructa, liquido concluditur, quod hæc ſigna à tempore mortis Chriſti ſint facta. Sed & hoc cum alijs doctoribus veſtris Ioannes intellexit, quod ipſa Chriſti mors captiuitatis veſtræ cauſa extitit. Nec tamen hanc ſed maleuolentiam hominum & inuidiam ſcilicet tantæ cupiditatis cauſam eſſe dixerunt, & veram ipſius cauſam tacuerunt. Inuidia quippe Iudæorum & malitia mortis Chriſti cauſa fuit, mors autem Chriſti cauſa captiuitatis extitit.

Sed fortaſſis aliquis veſtrum dicet. Si hominem illum talem vt dicis ſcilicet filium Dei fuiſſe conſtaret, eiuſque mors tribulationis veſtræ cauſa fuiſſet, nullus ex vobis viuere dignus eſſet. Tale quippe peccatum maius eſt, quam negare Deum. Non immerito ſcelus hoc maius fuit, eo quod in eremo cõmiſerunt, quando ſcilicet pro Deo vitulum aureũ adorauerũt. Tunc vero legimus Deum voluiſſe populum Iſrael omnino delere, niſi Moyſes iram eius auertiſſet multo fletu, ac ieiunio, & oratione. Itaque niſi Moyſi oratio interueniſſet, nullus ex toto populo ſupereſſet. Cum igitur hoc aliud facinus præſumpſiſſet, quod quantitatem excedit criminum, ſcilicet occidere Dei filium, nec vllus eſſet, qui pro eis interueniret, nullus eorum viuere debuiſſet. Nunc autem & viuere nos Deus permittit, & quotidie quantum amet oſtendit, cum nobis in conſpectu inimicorum gratiam præſtat, opibuſque nos locupletat, & honoribus exaltat, ſicut per os Moyſi promiſerat dicens: *Attamen cum eſſent in terra hoſtili, non eos penitus abieci &c.*

Prodigia deuaſtationis Hieruſalem.

Zach. 11.

Leu. 26.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quibus ego conſtanter reſpondeo. Nequaquam, ô Iudæi reliquias viuere patitur Deus de populo veſtro, quod ſibi cõplaceat in eo, ſed ideo tantum, vt vniuerſis gentibus ſeruiatis, & omniũ oculis improperium & fabula, & maledictio ſitis, ſicut legiſlator promiſit vobis dicens: *Deut. 18.* *Eris in prouerbium, & fabulam omnibus populis, ad quos dominus te introduxerit &c.* Quod ſi tempore ipſo quo peccatum illud à vobis commiſſum eſt totam Iudaicam progeniem funditus deleuiſſet, multis temporum curriculis tranſactis culpa iam abolitione vel obliuione deleta, nulli mortalium cognita eſſet. *Iudaicam gentẽ quare Deus nõ deleuit.*

Eſt & alia cauſa, propter quam Deus noluit, vt tota periret gens Iudaica. Videbat enim quoſdam ex illo genere quandoque ad ſalutem credituros in ſe. Et ideo propter illos noluit omnino ſtirpem eorum diſperdere, iuxta illud Eſaiæ: *Eſai. 65.* *Quomodo ſe inueniatur granum in botro & dicatur. Ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt, ſic faciam propter ſeruos meos* vt non diſperdam totum. Teſtimonium autem diuinæ circa vos pietatis, quod Movſi promiſſum de libro legis protuliſtis, patet, quod non ad præſentem, ſed præteritam Babylonis captiuitatem reſpiciat, quia de illa quandoque vos educturus erat. Nam ibidem ſi pauliſper ſuperiora conſideres, eundem Moyſen *Leu. 26.* præmiſiſſe inuenies. *Tunc placebunt terræ ſabbata, ſcilicet cunctis diebus ſolitudinis ſuæ &c.* Quod eis in Babylonem ductis Eſdras completum eſſe cõprobat in libro temporum dicens, quod *2. Paral. 36.* *terra cunctis diebus deſolationis egit ſabbatum.*

Quibus teſtimonijs probari poſſit, quod eius cauſa paſſio Chriſti fuerit.

Cap. CXXXIV.

QVod autem euidentius teſtimonium quæritis, vos propter Dei mortem hanc ſubijſſe captiuitatem, quam illud quod apud vos ſcriptum legitis, quia videlicet in ipſo captiuitatis exordio quidam terræ veſtræ Princeps 10. de melioribus totius Iſraelitici populi captos, in carcerem miſit ſciſcitans, vt quid iuſtum vendidiſſent, lex enim, inquit, diſcernit, vt mortis ſententia *Exod. 21.* mulctetur quicumque Iudæum vendiderit. Et vos igitur ſecundum iudicium legis mori debetis, dicto decreto vario dat corpora letho. Non enim omnes vna coercuit pœna, ſed ſingulis, ſingula ſunt genera mortis propoſita. Alium videlicet ignis cremauit. Alter vero ferrei pectinis vnguibus laceratus expirauit. Alium mors quæuis diuerſa conſumpſit, quemadmodum doctrinæ veſtræ liber expoſuit. Doctores autem veſtri huius iuſti pro quo illi ſunt ita puniti nomen mutantes, in hoc facto conticuerunt prorſus, de Chriſto dicentes, quod Princeps ille iuſtum nominans Io- *Gen. 37.* ſeph filium Iacob quem in Ægyptum fratres, vendiderant intellexit, eiuſque ſanguinem ab illis exigens, propter illum talibus illos ſupplicijs affecit. Sed abſurdum rationi videtur, vt id ab eis exigeret, quod ad minus mille quingentis annis antea factum eſſet, maxime cum tempore quo venundatus eſt Ioſeph nulla lex eſſet, qua eos Princeps ille mortis reos conuincere poſſet. Quod ſi vultis, vt etiam de Prophetis auctoritatem in medium deferam, qua captiuitatem hanc propter hominem, ipſumque neceſſario Chriſtum eſſe oſten- *Eſaia 24.* dam. Ecce profero Eſaiam: *A finibus*, inquit, *terræ laudes audiuimus, & gloriam iuſti.* Hæc verba iuſti huius laudes, vbique terrarum oſtendunt fuiſſe. Nec alterius hominis iuſti laudes tantas, vnquam fuiſſe audiuimus, vt peruenirent vſque ad fines terræ. Cui ſcilicet iuſto, quia tribulationes, quas ſine cauſa paſſurus erat Propheta prouidebat, his verbis compatiens dicebat: *Eſa. ibid.* *Væ mihi præuaricantes præuaricati ſunt &c.* Præuidens enim quas Prophetis eius aduentum prænunciantibus tribulationes illaturi eſſent ait: *Præuaricantes præuaricati ſunt.* Intuitus autem quia nec membris contenti ipſum, ideſt caput eſſent occiſuri, præuaricationis nomen ingeminans ſubiecit, *& præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt.* Qua vero pœna pro huiuſmodi peccato plectendi eſſent dictante Spiritu præſciens, ait illico ſubiungens. *Fortitudo, & fouea & laqueus ſuper te qui habitator es terræ.* Inter cætera quoque de eadem gente ait: *Grauabit eam iniquitas ſua & corruet, & non adyciet, vt reſurgat*, vbi videlicet vobis certum euadendi captiuitatem terminum funditus dempſit.

Quod Iudæi male intelligunt articulum de reſurrectione mortuorum.

Cap. CXXXV.

QVod autem poſt captiuitatis euaſionem inuſitatum vobis miraculum creditis fieri ſcilicet mortuos, qui terras denuo inhabitent à Deo reſuſcitari, errorem iudico credere, quod nulla poteſtis auctoritate probare. Nam ſi vultis huic inniti ſcripturæ teſtimonio, *ego occidam, & ego viuere faciam.* Hoc Deus ad oſtendendam omnipotentiam ſuam dixit, non quod ipſe mortuos veſtros ſuſcitaturus ſit. Ipſum quidem mortuos ſuſcitare poſſe non nego, quoniam omnes homines in die iudicij ab eo reſuſcitandos, & confiteor, & credo. Sed quod adijcitis illos ſcilicet terras inhabitaturos eſſe nõ credo. Nullus enim prophetarũ, qui fuerũt ante Chriſtum hoc prædixit eſſe futurum. Sed doctores veſtri hunc errorem adinuenere, vt gens Iudæorum in ſua perſiſteret infidelitate. Nam quod ait Eſaias: *Viuent* *Eſa. 26.* *mortui tui nequaquam*, oſtendit mortuos veſtros ad inhabitandam terram reſuſcitari. Si enim quod ibi dicitur diligenter attendimus, nec reſurrectionem mortuorum ibi patenter ſignatam inuenimus. Alioquin ſibimet propheta videbitur eſſe contrarius, cum dixerit paulo ſuperius, *morientes non viuant* gigantes non reſurgant. Quod igitur & ab vſu naturæ diſſentit, & ſenſui prophetæ contrarietatem ingerit, nequaquam debet expoui cum aliter ſano ſenſu poſſit intelligi. Verumtamen illud verbum Prophetæ duobus modis poſſumus accipere ſcilicet vel de iudicij extremi ſuſcitatione hoc dixerit, vel vt reſurrectionis vocabulo captiuitatis euaſionem ſignauerit. Hic autem poſterior ſenſus magis ad literam pertinere videtur, cum paulo ſuperius Propheta ſuæ gentis captiuitatem defleuerit, ſtatimque diuinæ promiſſionis, ac pietatis ſolatium intulerit dicens: *Mortui tui viuent, interfecti mei reſurgent.* Nec hanc viſionem quolibet incerto tempore, ſed poſt modicum tempus euenturam inſinuat dicens: *Vade populе meus intra cubicula tua &c.* quæ videlicet verba congruenter ad captiuitatem intelliguntur relata. Cæterum in Ezechiele legitur, quod cum ipſe plures mortuos diuina virtute ſuſcitaſſet, de futuris etiã his verbis vaticinatus eſt: *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce* *Ezech. 37.* *ego aperiam tumulos veſtros &c. Et veſtri* quidẽ doctores nituntur aſſerere, quod non per ſomnum ſed vigilantes eos fecerit exurgere, vt quia hoc magnum appareat verum eſſe omnes illos, de tribu Effraim perhibent fuiſſe, quos in egreſſione populi de Ægypto dicunt in regione Philiſthæorum obijſſe. Hæc autem ſuſcitatio ſignum fuit, vt aiunt futuræ reſurrectionis, vt quemadmodum omnes illi per eum ſunt ſuſcitati ſic & reliqui omnes, quandoque credantur ſuſcitandi.

Expoſitio ſuper hoc in prophetia Ezechielis.

Cap. CXXXVI.

SEd veram illis, ac perfectam reſurrectionem nequaquam reddidit. Spiritus enim qui à quatuor ventis iubetur venire nequaquam eſt rationalis anima, ſed ſpiritus ille qui ex quatuor elementorum ſit coniunctione. Eſt enim corpus leuiſſimum ac ſubtiliſſimum, quod *Spiritus & anima differentia.* in hominis corde ex 4. clementis (vt dictum eſt) efficitur, & ex eo loco in omnes venas ſpargitur, ipſique corpori tribuit vitam & actum, & arterijs pulſum aſſiduum naturalem hominis faciens motum. Anima vero rationalis nequaquam ex elementorum prodit copula, ſed eſt

ſubſi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſubſiſtens ſubſtātia. Si enim naſceretur ex illorum coniunctione, deficiente corporis robore deberet animæ virtus deficere. Et incipiente corporei vigoris diſſolutione, pariter diſſolueretur virtus animæ. Quod ſi concedatur corrupto corpore, anima quoque corrumpi concluditur. Nunc autem è contrario accidere oculorum fide probatur. Frequenter enim contigit, vt quātomagis corpus debilitatur, & morti appropiat, tanto magis anima conualeat, veluti quoque multis ſolet accidere, vt quāto quis morti proximior eſt, tanto perſpicaciori viget mentis acumine, pluſque ſolito recordetur atque prouideat, & in ipſo momento quo melius anima viget, homo intereat. Inuenimus autem præterea ſenes pleroſque, cum iam nulla ſit in eis corporea fortitudo, tunc pollere magis eorum animas conſilio & omni ſapientia.

Ego quidem in libris philoſophorum legi, quod cum placuit rerum creatori animantium omnium atque virentium procreare corpora, quatuor in vnum cōmiſcuit elementa, & eorum qualitates contrarias temperauit. Sicque ex illa cōmixtione prædicta corpora procreauit. Ex qualitatum vero temperatione, quatuor prouenerūt virtutes naturæ ſcilicet appetitiua, retentiua, degeriua, & expulſiua. Corporibus autē huiuſmodi procreatis, omnibus quidē adhæſit vegetabilis anima, ſuaq; in eis exercuit officia ſcilicet creſcendo, nutriendo, & generando. Subtilioribus, vero beſtialis iuncta eſt anima, vt in eis ſua exhibere poſſet officia præſtādo ſcilicet, ſenſum & motum de loco ad locum. Quod autē ex eis ſubtiliſſimum, fuit atque leuiſſimum ac temperatiſſimum, & ad ſuſcipiendam rationem aptiſſimum, illi ſeſe rationalis anima ſociauit, ibique libenter ſua officia exhibuit ſcilicet meditando, memorando, diſcernendo & huiuſmodi. Sicque ergo iuxta Dei diſpoſitionem illæ tres animæ conuenerunt omnes in homine. In animantibus vero tantum duæ. Tertia vero ſola in herbis, & arboribus, quæ paſcūtur de tellure. Spiritum ergo quem Ezechiel à quatuor mundi partibus ex Dei iuſſu venire præcepit, ſpiritum corporalem intelligi debere cognoſco. Et de mortuis quos ſuſcitauit, quod animam rationalem receperint, (licet ſic à multis credatur) nullam auctoritatem reperio. Ipſam tamen quocunque modo facta fuerit reſurrectionem ſignum fuiſſe futuræ reſurrectionis, & dico & credo; & quod Deus ſcilicet veſtros mortuos, quandoque ſit reſuſcitaturus, quemadmodum Propheta ibidē oſtendit dicens; *& ſcietis, quia ego Dominus, cum aperuero ſepulchra veſtra &c.* Quod enim ſubiungit: *Et requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram*; ſic accipi poteſt vt animam in corpore requieſcere ſignificet, quod non immerito terræ nomine, de qua ſumptum eſt, appellatur, ſicut ſcriptura teſtatur: *Formauit*, inquit, *Deus hominem de limo terræ &c.*

Rationalis anima officia.

Ezech. 37.

Gen. 2.

Improbatio præfati erroris.

Cap. CXXXVII.

QVoniam ergo explanatio veſtra de mortuis veſtris ſuſcitandis, ac terras inhabitaturis, tam ſcripturæ quam rationi inuenitur eſſe contraria, æquitatis iudicio eſt repellenda. Quod enim ſcripturæ contraria ſit, patet auctoritate Dauid, qui de mortuis ait: *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*, & iterum; *ſpiritus pertranſibit in illo &c.* Iob etiam idem ſentiens ait: *Memento, quia ventus eſt vita mea, & non reuertetur oculus meus, &c.* Et iterum: *Vadam & non reuertar ad terram tenebroſam.* Salomon etiam his conſona ſentit dicens, *Viuentes ſciunt ſe eſſe morituros.* Mortui vero nihil noūerunt amplius, nec habent partem in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur.

Pſal. 48.

Iob 7.

Iob 10.

Eccle. 9.

Quod autem etiam à ratione veſtra expoſitio diſſentiat, multis argumentis conſtat. Creditis enim ſicut dixerunt doctores veſtri, quod cum adueniente puncto veſtræ reſurrectionis Adā quoque & Seth & Mathuſalem, Abrahā, Iſaac, & Iacob, & Aaron, cæterique patriarchæ, & prophetæ, & omnes iuſti, qui ante aduētum eius obierunt, pariter ſint cum eis reſurrecturi, & omnia officia humani generis acturi, priſtinoſque ritus rerum colentes terras denuo ſint habitaturi; & Aarō ac filij eius à Moyſe ſacerdotalibus veſtimentis induendi, ſacrificium vt olim oblaturi. Quiſnam rogo tunc Maximus Pontifex erit? Erunt ne ſimul omnes vno tempore ſcilicet Aaron, Eleazar, Phinees cęteriq; qui per ſucceſſiones olim fuere ſummi pontifices. Si enim dixeritis Aaron viuōte cæteros ſummo ſacerdotio fungi non poſſe, quid ergo proderit eis reſurrectio? Plus enim ad dedecus & incommodum quam ad decus, & commodum erit eis reſurgere; meliuſque illis eſſet in morte permanere, quam ærumnoſam vitam ducere. Si vero in ſummo ſacerdotij ordine conceſſeritis omnes æquales futuros eſſe, iam honorem ſuum cuique adimis, quia nullus inter quam plures æquales excellentem poteſt honorem habere.

Hoc argumētum aque impugnat confuſam & nullo ordine diſtinctam hereticorum eccleſiam ac illā phantaſticā Iudæorum reſurrectionem. In hoc enim hereticorum conuentus, cum illa Iudæorum ficta ſocietate conuenit, quod ſicut illa multos ſummos pontifices in illa imaginaria reſurrectione futuros credunt: ita & hæretici verbi miniſtros eadem plane authoritate poteſtateque præditos inter ſe aſtruūt. Sacerdos ſūmus vnus erat in lege, & templum vnum. Deut. 12. Ezech. 37. Vnctus. Iudæi poſt reſurrectionem ſuam vxores ſuas concepturas & paritueras credunt.

Præterea multis Pontificibus multa neceſſaria ſunt & templa. Ex hoc igitur & aliud inconueniens ſequitur ſcilicet deſtructio legis; *ne pluſquam vnum exiſtat templum prohibentis.* Præterea nunquid plures reges, aut vnum habituri eſtis? Vnum vtique putatis iuxta Prophetiā Ezechielis: *Vnum*, inquit, *paſtorem omnes habebunt.* Nam ſi plures forent concordes eſſe non poſſent, regnique pacem deſtruerent. Sed quiſnā erit Rex ille? Vnctus, inquiunt, in cuius aduentu captiuitatem euaſuri ſumus, noſtrique mortui ſuſcitandi, noſtri merito debēt habere moderamen imperij. Bene quidem, ô Iudæi quod dicitis eſſe poſſet, ſi vnctus ille Deus & eſſet. Si vero, vt creditis, homo tantum futurus ſit. Quid tunc de Abraham, Iſaac, & Iacob, & Moyſe cæteriſque prophetis erit? Nonne cum iſti tales ac tanti viri huius vncti fuerint viri ſubiecti, melius eis fuiſſet nequaquam reſuſcitari.

Leuit. 20.

Cæterum hoc habet etiam fides veſtra, vt quemadmodum cætera humanitatis officia, ſic & generandi habituri ſint naturam, à Deo, vt mulierem quotidie concepturam, quotidie credatis parituram. Quod vix vtique humanæ aures poſſunt audire. Nam ſi hoc eſſet profecto nec eos terra caperet, & ſi duplo maior eſſet, aut pōtus etiam terra fieret, adeo loci coarctarentur anguſtia, quod non haberent, quæ colere poſſent arua; immo ſemper inter eos eſſent pro terræ anguſtia certamen & rixa. Si autem idem omnes reſuſcitandi ſunt qui mortui fuerunt, nunquid redibit quiſque vir ad vxorem ſuam quam habuit? an aliam nouam habebit? Dicitur ſane quod quiſque ſuam habebit, & hoc ipſum lætitiæ conſummatio erit, illa ergo quæ poſt tres, aut plures maritos eſt mortua in reſurrectione, quem ex his eſt habitura? Nam ſi primum habituram reſponderitis, lex Moyſi deſtrueretur dicentis; quia poſt ſecundū non debeat redire ad primum. Si vero alium, quam primum reſponderitis etiam in hoc eſt deſtructio legis eadem. Ea enim lege iubente primo viro viuente, nec eam repudiante, non poterit cuique nubere.

Iterum ſugillatio eiuſdem.

Cap. CXXXVIII.

SEd ecce cum tot fuerint ſuſcitati, totque poſt eos nati, nunquid mortales erunt aut immortales permanebunt? profecto hoc habet fides veſtra, quia comedendi aut bibendi atque generādi, & naturam & vſum ſunt habituri, & poſt mille annorum tranſacta curricula, in perpetuæ beatitudinis regnum ſine morte aliqua transferendi. Verum ſi eos immortales fore dicitis, ad priſtinum inconueniens reditis. Nam infra mille annos in tantum multitudo propagabitur eorum, vt nullatenus intra terræ concludi valeant ambitum; multo igitur minus ad incolēdos agros illis ſupererit ſpacium. Denique cum homo comederit ac biberit, ac generandi vſum habuerit, neceſſe eſt, vt ex quatuor elementis compoſitus ſit; quicquid autem taliter compoſitum eſt, id etiam corrumpi neceſſe eſt. Illos ergo cum taliter compoſiti fuerint, corruptioni ac morti ſubiacere neceſſitas concludit.

Reſurrectio quam Iudæi futurā credunt qualis erit.

Rurſum ſi maximam illam multitudinē immortalem forte aſſeritis, cū eos ſuperius ſine intermiſſione genera-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

turos eſſe dixeritis, etiamſi ad modum lapidis ſibiinuicem ſupponerentur, nullatenus in terræ ſpacio duplicato concluderentur. Si vero morituros illos eſſe concedatis, volo vt an illa reſurrectio ſit eis ad pœnam, an ad coronam dicatis? Ad honorem, inquiunt, erit, & ad gloriam, vt ſcilicet vncti gloriam & regnũ conſpiciant, perfectamque corporis & cordis habeant lętitiam.

Vncti cernere præſentiam eiuſque regno exultare Iudæi beatitudinem aſſerunt.

Nunc ergo de ſtatu interim bonorum defunctorum donec reſurgant audire volo, quid ſentiatis, vtrum ſcilicet in pœnis, an in quiete permaneant; & dicitis quod eos quietis beatitudine cum Deo perfrui certiſſimũ eſt. Ex quo ſequitur, quod reſurrectio illa ad pœnam eis potius quam ad coronam futura eſt. Cum enim nunc æternæ vitæ munere glorientur, cur iterum in corporum ergaſtulis retrudentur, niſi vt fame, ac ſiti, vigilijs, varijſque & innumeris denuo cruciatibus agitentur. Quin etiam ſecundum prædictam ſententiam ſecundæ mortis timorem ſuſtinebunt, & pœnam. Denique quid facient & parentes eorum in morte ipſorum? melius foret illis non reſurgere, quàm dolorem tantum ex mortibus filiorum ſuſtinere. Sed forte dicitis, quòd boni defuncti, etſi nunc interim quiete & in delitijs viuunt de quibus ad corporum anguſtias rediturí ſunt, tanta eis exultatio erit, vncti præſentiam cernere, & eius regno exultare Hieroſolymis, vt olim habitare in templo, ritu veteri ſacrificare, vt & corporum pœna ſit eis nulla, & quam nunc habent requies habeatur poſtea pro minima. Verum hoc à veritatis exorbitat ſemita. Nullus enim mundi præſentis honor vel gloria, æternæ vitæ delitijs & quieti comparatione aliqua conuenit, quia nec vno momento, quiſquam huius mundi delitijs vti ſine labore & pœna poterit. Illius autem beatæ vitæ gloria nulla intercedente moleſtia permanet perpes atque continua, præcipue cum & doctores veſtri teſtẽtur omnem mundi huius honorem & gloriam idem eſſe ad illius vitæ delicias, quod eſt vnum ad 40. Patet inſuper cuilibet niſi totius rationis ſit expers incomparabiliter magis eſſe gaudium cernere Deum quam talem qualem vos dicitis; vnctum videlicet hominem terrenum. Videtis ergo ſi perpenditis, quod vobis vndique rationis ac diffugij ſemita clauſa ſit, vt nullatenus eo modo quo dicitis reſurrectio mortuorum fieri poſſit.

De euacuatione cultus Iudæorum.

Cap. CXXXIX.

Legem Iudaiam non obſeruant.

QVod autem vos dixi de mandatis legis minimum quid obſeruare, nec auctoritatis, nec rationis cum liquido pateat, indiget probatione. Nam nec agni victimam prout olim mane ac veſperè immolatis: nec ſabbatorum neomeniarum holocauſta celebratis: nec panis & vini, & olei libamina ponitis; nec panes in menſa proponitis, nec luminaria nec thimiamata præparatis. *Num 28. Pſal. 80.* Sacerdotum ordinationes variaſque veſtimentorum mutationes, miniſtrorum quoque per ſingulas hebdomadas, viciſſitudines ac multimodas in ſumendis cibis varietates ſecundum legis præcepta non ſeruatis; leges quoque primitiarum, ac decimarum, & immunditiarum, atque munditiarum neglexiſtis. *Exod. 25.* Cætera quam plurima in lege præcepta ſunt, quæ iamdudum à vobis omnino prætermiſſa ſunt. *Exod. 30.*

Sed dicitis, de legis præceptis, quæ minime obſeruamus, nequaquam redarguendi ſumus, cum & à patria noſtra exules ſumus, temploque ac legitimis Sacerdotibus careamus. Nam quia delinquimus in cõſpectu eius, aduerſus nos iratus eiecit nos, de terra vbi non poſſumus eius implere præcepta. Itaque impoſſibilitas noſtra non erit inculpanda, donec adueniat tempus quo ad terram habitationis noſtræ redeamus, & tunc ea quæ iuſſit nobis Dominus opere complebimus, eique ſacrificium noſtrum acceptabile erit quemadmodum Propheta dicit. *Malach. 3.* *Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.*

Certe ſi ſacrificia veſtra Deo eſſent accepta, nequaquam ita vos eieciſſet de terra, vt quæ vos iuſſerat facere minime poſſetis implere. Illud autem quod profertis Malachiæ teſtimonium nihil ad noſtrum attinet propoſitum. Nam ſi præcędentem ac ſequentem hiſtoriam diſcuſſeritis, de ſacrificijs templi quod Eſdræ temporibus ædificatum eſt, hoc eſſe dictum inuenietis. *3. Eſdra 8.* *Abominatus itaque* Deus opera veſtra & victimas, & cantica, expulit vos de templo ſuo & terra, ſicut apertiſſime verbis huiuſmodi inſinuat Eſaias Prophęta: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarũ dixit Dominus plenus ſum &c.* *Iſai. 1.* Quod etiam Hieremias confirmat dicens: *Vt quid mihi thus de Saba affertis &c. Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placent mihi.* *Hier. 6.* De hoc & Amos Propheta in perſona Domini ait: *Odi & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum &c.* *Amos 5.* Et iterum Malachias: *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Et pſalmus: *Sacrificium & oblationem noluiſti &c.* *Malach. 1.* Per Oſeæ quoque Dominus ait: *Ceſſare faciam omne gaudium, ſolennitates eius, ſabbata eius &c.* & multa alia ſimilia.

Hæc ſunt maiora & præcipua legis veſtræ præcepta, quæ ſicut prophetalis auctoritas, & præſentium temporum iudicat ætas, Deus nequaquam vult ſuſcipere de manu veſtra; orationes quoque quas loco ſacrificiorum domino funditis ad eius aures nequaquam aſcendunt, vt exaudiantur, ſicut etiam doctores veſtri teſtantur, Deum ſcilicet ab illo quo templum deſtructũ eſt tempore, preces veſtras non ſuſcepiſſe. Et Eſaias; *cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis &c.* *Eſaiæ 1.* Præterea vos omnes per legem Moyſi permanetis immundi. Nullus enim in vobis eſt qui mortui contactu non ſit pollutus, quæ ſcilicet macula niſi conſperſione cineris vaccæ rufæ non deletur, quam cum ad præſens habere non poteſtis, & ab immunditia liberari neſcitis. Mulieres etiam veſtræ creduntur omnes fluxu pollutæ, cum priſtini deſinierint ſacerdotes, quorum erat iudicio derelictum inter menſtruum & ſanguinis fluxũ polluta diſcernere. Filij quoque veſtri de pollutione nati, & omnes cibi veſtri legis probantur iudicio polluti: cum ergo tota gens veſtra probetur polluta, cibi omnes immundi, & orationes eorum nequaquam ad aures perueniunt Dei, nec opera placeãt ei; quomodo quæſo poſſunt vllatenus eſſe ſecuri, quod vel malorum finem ſint habituri, vel apud Deum vllius ſint præcij. Olim quidem præcepta legalia, quæ Moyſes acceperat à Deo, ſanctos patres digne ſeruaſſe non denego; ſed poſtquam Chriſtus aduenit, qui Prophetarum arcana reuelauit, legiſque ſublato velamine, ſpiritualem qui latebat ſenſum, aperuit; extũc legalia debuerunt inſtituta ſeruari, non ſecundũ literam occidentem, ſed ſecundum ſpiritum viuificantem: quoniam ipſe qui legem dederat, melius eam quam illi qui auditores fuerant intelligebat. Quod quia neglexerunt facere, Deus antiquas obſeruationes renuit ſuſcipere. Ipſi gratias ago, quia me de illorum liberauit errore.

Sacrificia idæorum Deus execratur. *Orationes Iudæorum Deus non exaudit.* *Luc. 24.* *2. Cor. 3.*

Expoſitio legis Saracenorum.

Cap. CXL.

SEd forte dicit aliquis, hactenus Iudaicæ gentis fidem quam inanis exiſtat, eorumque obſequium quam irrationabile ſit ac Deo ingratum, vel cur ab eadem fide receſſeris oſtendiſti, & euidentiſſimis probatiſque rationibus, in quanto hactenus errore permanſeris edidiſti. Verum paternam fidem relinquens cur Chriſtianorum fidem delegiſti, & non potius Saracenorum, cum quibus ſemper conuerſatus, atque nutritus es; linguam intelligis, libros legiſti. Lex ſiquidem illa probatur eſſe larga, de præſentis vitæ delicijs multa continens mandata, pariterque ſui cultoribus gaudia repromittit ineffabilia. In qua etiam apparet, quod Deus illos multum dilexit, quia multis eos præceptis onerare noluit, ſed pepercit; cuius ſignum exiſtit, quod quinquies in die tantum eos orare præcepit. Quoniam etiam ſemper antequam orant, vt perfectam mundiciam habeant

Saraceni quinquies in die orant.

præpu-

Saracenorũ ceremonia.

præputium, manus, brachia, os, nares, aures, oculos, capillos decentiſſime, & ad vltimum pedes lauant. Hoc facto publica voce præconantur, vnum confitentes Deum, qui nullum vel ſimilem habeat, aut æqualem, eiuſque prophetam eſſe Machometum. Menſem integrum in anno ieiunant, & ieiunantes nocturno tempore comedunt, diurno abſtinent. Semel autem per ſingulos annos propter ſolam recognitionem ad domum

Orandi modus apud Mecham.

Dei quæ eſt in Mecha videndam iubentur ire, & ibi adorare, eamque inconſutilibus tegumentis circumire, atque lapides per media femora retro prolapidando iacere. Hanc domum dicunt Adam cum de paradiſo exulaſſet Domino extruxiſſe, & in omnibus filijs eius donec Abraham venit locum orationis fuiſſe. Abraham vero Dei ſeruus eam roborauit, & inſtaurauit, & in ea Domino vota vouit, & ſacrificia obtulit, quam etiam filio ſuo Iſmaheli poſt mortem reliquit, eique & omnibus filijs eius per multa annorum curricula, donec Machometus natus eſt, orandi Domus permanſit. Quo nato Deus eandem ſibi cunctiſque generationibus ſuis hæreditariam, vt ipſi perhibent, promiſit. Aduerſarios præterea Dei, & eorum prophetas prædari iubentur, & captiuare, & interficere, & omnibus modis perſequi atque delere; niſi reſipiſcere, & ad eorum fidem conuerti voluerint, aut indictum ſeruitutis cenſum perſoluerint. Abſoluta etiam caro eſt omnis illis præter porci carnem & ſanguinem, vel morticinum ad veſcendum. Reſpuunt etiam quicquid in alicuius rei niſi Dei nomine fuerit conſecratum. Licet præter hæc illis eodem tempore quatuor legitimas vxores habere, & repudiata qualibet, aliam ſemper accipere. Ita tamen vt quaternarium non tranſeat numerum. In repudio quoque hoc obſeruatur, vt ei vſque tertio quamlibet repudiare, & eam rurſus liceat recipere. Empticias vero atque captiuas, quaſcunque voluerint habere licitum erit, & eaſdem vendendi denuoque emendi liberam poteſtatem habebit, ſic tamen vt poſtquam ſemel grauidam fecerit,

Saraceni quot vxores habere poſſunt.

nequaquam alterius eam iugo ſeruitutis aſtringere poſſit. Conceditur inſuper de propria cognatione vxores

Saracenorũ ritus peſſimi ac naturæ repugnantes.

habere, vt ſanguinis proles accreſcat, & fortius inter eos amicitiæ vinculum vigeat. De poſſeſſionibus repetendis, iudicia talia ſunt inter eos qualia & apud Hebræos, vt ſcilicet petitor teſtibus comprobet. Teſtes autem nullos, niſi valde probatas perſonas accipiunt, & quibus, ſine iuramẽto credere poſſint. In quibuſdam alijs etiam Moſaicæ legis morem cuſtodiunt, vt qui hominis ſanguinem fuderit eadem pœna plectatur, vt quiſquis in adulterio deprehenſus fuerit, cum adultera pariter lapidetur. Qui autem cum alia qualibet fornicatus fuerit,

Gen. 9. Leui. 20.

80. flagella ſuſtineat; pro tertia manum, pro quarta pedem amittat. Et qui cuilibet homini membrum abſtulerit, digno precio redimat,

De præmio eius obſeruatorum, & pœna contemptorum ſecundum Machometum.

Cap. CXLI.

HÆc vniuerſa præcepta idcirco à Deo ſunt propoſita, ne ſi nimis larga quælibet faciendi eſſet licentia, totius generis fieret cito ruina: A vino ſemper abſtinere iubentur, quoniam fomes & ſeminarium omnis peccati eſſe probatur. Hæc ſunt præcipua mandata

Leges Machomet.

legis, quia morari longum eſſet in ſingulis. Promiſit itaque Deus ſibi & Machomet fideli prophetæ credentibus, illiuſque legis mandata complentibus paradiſum, ideſt hortum delicatum, præterfluentibus aquis irriguum, in quo ſedes perpetuas habentes arborum vmbra protegentur, nec calore nec frigore affligentur, omniumque fructuum & omnium ciborum veſcentur generibus, quicquid appetitus, cuique ſuggeret coram ſe confeſtim inueniet. Sericis induentur veſtibus omnium colorum. In delitijs accubabunt, & angeli pincernarum miniſterio inter eos erunt cum vaſis aureis & argenteis, vinum offerentes atque dicentes. Comedite & bibite in omni lætitia, quia quod Deus vobis promiſit ecce compleuit. Iungentur virginibus, quas nec humanus, nec dæmoniacus violauit contactus. Hiacincti & coralli ſplendore forma præſtantioribus hæc bona dabuntur credentibus. Non credentibus autem Deo & Machometo eius Prophetæ erit infernalis pœna ſine fine. Quantiſcunque vero peccatis colligatus quiſque fuerit, ſi ad diem mortis ſuæ Deo & Machometo eius prophetæ crediderit, ipſo interueniente ſaluus erit. Hæc & alia quamplurima cum tu à puero nouiſſes ſcripta, & ab omni Saracenorum gente maxima celebratione habita, cur tu Chriſtianam & non potius Saracenicam religionem es ſectatus, & præſenti vitæ melius, & futura pariter fælicitate fruiturus.

Deſcriptio vitæ Machometi.

Cap. CXLII.

QVamuis, inquam, orationis tuæ contextus plurimum decoris habebat & dulcedinis apud eos, qui ſummum bonum putant eſſe in delicijs, de me tamen id ſperare te mirum eſt, vt ad hoc perſuadendum inſtiteris, in quo me nullatenus falli poſſe credideris. Certum eſt enim mihi nec incompertum quis Machomet fuerit, quomodo callida ſimulatione prophetam ſe conſinxerit, & ad machinandum quis eius conſiliarius extiterit.

Machomet ſe prophetam falſo conſinxit.

Hic etenim videlicet Machomet vtroque orbatus parente, ſub tutela auunculi ſui Panephi annos agebat pueritiæ. Idolorum tunc temporis cultui cum vniuerſa gente Arabum inſeruiens, quemadmodum in Alcorano ſuo teſtatur, Deum ſibi dixiſſe referens. Orphanus fuiſti, & te in errore ſuſcepi, teque direxi, pauperem & locupletaui. Poſt aliquantulum vero ſpacium annorum mercenarius apud quandam nobiliſſimam viduam nomine Chadigiam, ita in breui dominæ ſuæ animum obtinuit, vt iure coniugij rebus omnibus rerumque pariter dominatu potiretur. Cuius opibus, de pauperrimo ditiſſimus effectus, in tantam mentis ſuperbiam prorupit, vt regnum Arabum ſibi ſperandum polliceretur, niſi ſuos timeret contribules, quia videlicet pro Rege eum non tenerent, cum ſibi & æquales fuiſſent & maiores. Viam tamen excogitans, qua id poſſet efficere voluit ſe Prophetam confingere. Ea videlicet facetia fretus eloquentiæ, quam apud diuerſas nationes, dum negociationi deſudaret, ingenij ſuſceperat leuitate. Cæterum tunc temporis maior pars Arabum milites erant & agricolæ, ipſique fere & omnes idolatræ præter quoſdam, qui ſecundum Samaritanos legem Moyſi tenebant cum hæreticis alijs Chriſtianis, qui Neſtoriani erant & Iacobitæ. Iacobitæ namque ſunt hæretici à quodam Iacobo dicti, circunciſionem prædicantes, Chriſtumque non Deum ſed hominem tantummodo iuſtum de Spiritu ſancto conceptum, ac de virgine natum, non tamen crucifixum neque mortuum credentes.

Machomet ortus & peſſima vita.

Iacobita hæretici qui ſint.

Fuit etiam illo tempore in regione Antiochiæ quidam Archidiaconus amicus Machomet & Iacobita. Vnde ad concilium vocatus eſt & damnatus, cuius damnationis pudore contriſtatus, de regione aufugit, & ad Machomet deuenit. Huius ergo conſilio Machomet vſus fuit, & quod cogitabat, ſed per ſe adimplere nõ poterat, ad effectum perduxit. Fuerunt quoque ex illis Arabiæ quos diximus hæreticis duo Iudæi, Abdias, & Cabalahabar dicti, qui & ipſi Machometo ſe adhibuerunt, & ad complendam eius ſtultitiam auxilium præbuerunt. Et hi tres Machometi legem quiſque ſecundum hæreſim ſuam contemperauerunt, eique talia ex patte Dei dicere monſtrauerunt, quæ & hæreti Iudæi, & hæretici Chriſtiani, qui erant in Arabia vera eſſe crediderunt, qui vero ſponte credere noluerunt; vi tamen & gladij timore crediderunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod non fuit verus propheta sed falsus.

Cap. CXLIII.

ET eius quidem nec aliam prophetiam nec vlla miracula scimus; sicut Moysen,& Iosue, Samuelem, & Heliseum multa fecisse miracula legimus,sed nonne, inquis, Prophetam eum animal brutum, videlicet bos, nuncupauit? Nonne luna per vtramque manicam ingressa,de sinu progrediens reintegrata, prophetam eum mirificum designauit? Nunquid ad hoc innotescendum manu illius demulsa ouis affluente mammilla haustum omni populo præbuit lactis? Mirum etiam fuit, quod ficum arborem, vt ad se veniret vocauit, & arbor quidē ad eū venit,ipseque de fructu comedit, sed & brachium ouis, quod inuenenatum in scutella sibi appositum fuit, cum eo locutum est & dixit: Non me comedas,quia inuenenatus sum. Cur ergo nulla probabilitate demonstratum esse prophetam hunc dixeris,quem tantis denotatum miraculis frequenter audieris? At, inquam, ista sunt friuola,nec secūdum omnium vestrorum iudicium fide digna, maxime cum ipse Machomet in Alcorano suo nihil tale retulerit, sed potius quicquid in Alcorano de illo scriptum non fuerat,omnino verum credi prohibuit. De omnibus inquit prophetis multi multa mentiti sunt. Quod ne etiam de me cōtingat,illud solum de me verum teneatur, quod Alcorani huius auctoritate probatur. Qui etiam cur miracula non faceret ostendere volens, loquentem ad se Dominum introducit dicens: Ideo te facere miracula non permitto, ne te sicut alijs prophetis in miraculis contradicatur,timeo. Ipso igitur teste nullum signum monstratur fecisse. Porro iudicia veri Prophetæ sunt probitas vitæ,exhibitio miraculorū, veritas dictorum,vitæ bonitas. In Machometo violentia fuit, qua se prophetam Dei prædicari faciebat, furto & rapacitate gaudens, igneque libidinis adeo feruens, vt etiam alienum thorum adulterio fædare tanquàm Domino iubente non erubesceret, sicut legitur de Zanab vxore Seth, Dominus ait tibi, Seth, vxorē tibi dimittere præcipit. Quam dimissam ipse continuo sibi copulauit. Cuius etiam prophetia quàm nulla sit euidentius Iasæ vxoris eius turpitudo patefecit, cum eam in adulterio multorum testimonio deprehēsam, non esse deprehensam (eo quòd nollet eam dimittere) falso Gabrielis nūcio confirmauit. De cuius vitij potentia,scilicet libidinis Deum laudasse legitur: eo quod in eo quadragies super humanum modum abundaret. Sibi quoque congratulans eo quod suauis odor speciositasque mulierum, Deo dante,plurimum eum oblectaret. De bellis autem quæ, Domino iubente, ac victoriam promittente se commisisse fatebatur. Dentes econtra sibi in bello faciesque collisa,multa quoque cædes suorum fuga veritatem testantur. Quia si Angelus Dei, vt dicunt, eum custodiret, minime acciderent ei sicut de Helya & Helyseo legimus,quos ab inimicis suis semper eripuit Angelus Domini: Si etiam propheta verus esset prælia commissurus, mala sibi euentura præsciret.

Miracula falsa Machometi.

3. *Reg.*19. 4. *Reg.*6.

Disputatio contra legem ipsius.

Cap. CXLIIII.

QVod ergo dixisti me libros Saracenorum legisse linguam scire, ac semper inter eos fore nutritum, non idcirco conuenit vt assequar legem illorum. Quam si per singula mandata discurrimus, vtrum rationis fundamentum habeat, inuenire poterimus. Quod enim quinquies Machometum in die orandum precipere dicis, ideo vtique fecit, quia doctorum suorum consilio mediatricem inter Iudæorum & Christianorum legem suam effici voluit, non probitate sui, neque adiutorio Dei. Iudæi namque secundum legem in die orant ter, Christiani vero septies. Sed iste terminum inter vtrumque posuit,scilicet nec ter nec septies, sed quinquies. Quod autem priusquam orant, illos manus & brachia, cæteraque corporis membra laudat abluere, nequaquam ad orationem cognoscitur pertinere. Nam ad orationem quidem mundari pertinet intrinsecus,non extrinsecus. Munditia vero de membrorum ablutione pertinebat ad stellæ Veneris cultores, qui eam orare volentes ad modum fœminæ se aptabant, ora oculosque tingentes. Quia vero puncto stellæ Veneris Machometus Rex affectus fuit,ideo hoc præcepit per mensem; iterum vt ais,præcepit illos ieiunare quo restringāt vitia carnis, quod est initium pœnitentiæ. Sed dic quæso mihi: Quid prodest per diem ieiunare, & nocte ter vel quater comedere, boniſque carnibus & optimis cibis frui, ac mulieribus vti? Hæc quippe carnem non debilitant,sed potius corroborant.

Veri Prophetæ indicia quæ sint.

Machometi libido.

Orant Iudæi ter in die, Christiani vero septies.

Cultorum stella.

Veneris ceremonia.

Quod autem semel in anno dicis eos ad domum Dei, quæ est in Mecha propter recognitionem ire, ibique orare quam dicunt fuisse Adæ & Abrahæ, non hoc ex auctoritate aliqua sumunt, sed quasi commentum aliquod fingunt. Antequam enim legem prædicasset Machometus, idolis plena erat illa domus. Et ego quidem nunc aperte monstrabo qualis illa domus extiterit, & quod ibi secretum fuerit, & cur illuc Machometus iret & quæ in lege inueniuntur iussit facere. Duo filij Loth Amon & Moab hanc domum honorabant, ibique duo idola colebant, Vnū scilicet ex albo lapide nomine Mercurium, alterum ex nigro Chamos appellatum, & illud quidem ex nigro lapide in honore Saturni, alterum ex albo in honore Martis ædificatum, bis in anno ad hæc adoranda cultores scilicet eorum ascendebant. Ad Martem quidem quādo Sol primum gradum intrat Arietis, quoniam Aries honor est Martis. In cuius discessione prout mos erat lapides iaciebantur. Ad Saturnum vero quando Sol primum gradum Libræ intrat, quia Libra honor Saturni erat. Sicque nudi tōsisque capitibus thurificant. Arabes quoque cum Amon & Moab Idola hęc adorabant, quæ vsque hodie gentes in India celebrant. Machometus autem post longum tempus veniens, pristinam consuetudinem auferre nequiuit, sed quasi quodammodo more mutato incōsutilibus tegumentis coopertos domum circuire permisit. Sed ne videretur præcipere Idolis sacrificare simulachrum Saturni cōstruxit in pariete in angulo domus, & ne facies appareret, dorsum tantum eius erat positum exterius. Alterum vero scilicet Martis idolum quod erat vndique sculptū, subtus terram misit,& lapidem supraposuit. Hominibus autem qui ad orandum ibi conueniunt lapides istos osculari præcepit,& humiliatis,tōsisque capitibus inter crura lapides retroiactare, qui etiam humiliantes dorsa denudabant,quod est signum legis pristinæ,& ad effugandum dæmones se dicunt hoc modo lapides iacere. Et ego quidem in libris eorum scriptum vidi, quia Domar quidem ex decem socijs Machometi more solito lapides deosculans sic exorsus est: Vobis, inquit, lapidibus dico, quòd nec adiuuare nec nocere potestis scio, sed quia hoc fecit Machometus morem exequor illius. Iam nunc ad incæptum redeamus.

Mecha Idolis plena.

Adhuc de eodem, & de fallacia eiusdem.

Cap. CXLV.

QVia Dei aduersarios Machometus prædari, captiuare iussit & interficere,donec credere vellent,aut censum persoluere, non ex Dei operibus, vel præceptis hoc habet,sed hoc cupiditate præcepit,vt inimicos suos destrueret. Hoc autem fieri non debet, immo siquis aliquem velit conuertere,non per violentiam,sed diligēter ac dulciter hoc debet facere, sicut ipse Machometus in suo testatur Alcorano sub persona Domini dicens sibiipsi scilicet Machometo. Si Dominus Deus tuus vellet, totius sæculi gētium vniuersitas crederet,cur ergo cogis eos credere,cum nullus credat nisi Dei voluntate? Et in alio loco: Qui crediderit,pro semetipso fecerit. Iterū in eodē: Dominus,inquit,Deus tuus si vellet,sub vna lege

Machometi auaritia.

Ad fidem nemo cogendus

cunctos

cunctos ſine diſcordia poneret. Fingit iterum alibi tanquam Dominus loquatur ſibi. Non, inquit, in lege violentia debet eſſe. Qui voluerit ſponte ſua crediderit. Et alibi: Non altercetis cum alterius legis gentibus niſi verbis mollibus. Cur ergo prædari & captiuare ac cogere gentes ad credendum iuſſit, & hæc omnia ſemitas Dei eſſe aſſerit? Denique cur me tu credere iubes legem quæ ſecum diſſidet; & nobis quidem abſolute eſt omnis caro ad veſcendum, in vna tantum ſcilicet porci carne diſcordamus à ritu eorum. Hoc autem fecit Machometus, vt in eo à lege ſua nos Chriſtiani differremus.

Leui. 18.

Quod itaque de vxoribus dixiſti licitum quatuor accipere, ac repudiata qualibet aliam ducere, hoc nulla præcipitur ratione. Neque enim niſi cauſa filios generandi præceptum eſt vxorem accipere,

Machomet luxurioſiſſimus fuit.

Quod autem empticias, & captiuas quaſlibet poſſunt habere, hoc quidem eſt adulterium, quia multotiens emit pater ſtupratam à filio, & econtra filius, vel frater à patre corruptam, vel à fratre. Sed hoc ideo ſtatuit Machometus, quia fœminas valde diligebat, ac pernimium luxurioſus erat. Et ſicut ipſemet profeſſus eſt, vis luxuriæ 40. hominum in eo manebat; maxime quoque quia & Arabes valde luxurioſi erant, eorum voluntati ſatisfecit vt crederem.

Quod autem propria cognatione vxores illum habere dixeris, mos tunc temporis erat vt amicitiæ vinculum vigeret in eis. De iudicijs autem vnde ſupra dixiſtis in quibuſdam ſane diſſentiunt, quod & Machometus fecit, vt aliquantulum lex ſua diuerſa eſſet à lege Moyſi. A vino ideo ſemper abſtinere iubentur Saraceni, ne forte ſocij ex ebrietate patefacerent ruinam populi. Quæ autem de paradiſo prædicaſti prætermittenda ſunt, quia ratione comprobari non poſſunt. Anima quippe ſeparata à corpore & quatuor elementis à ſe inuicem ſeparatis, non vtetur homo his rebus ſæcularibus eo modo quo prius. Homines autem tempore Machometi ſine ſcriptura, ſine lege, totiuſque boni præter militiam & aratrum inſcij, luxuriam appeteptes, gulæque dediti, ſecundum voluntatem ſuam poterant ab eo ſuaderi. Si enim aliter faceret non eos ad legem ſuam impelleret. At vero poſt mortem illius omnes diſcedere voluerunt à lege ipſius. Ipſe namque dixerat corpus ſuum tertia die deferendum eſſe ad cœlum. Vt autem illum mendacem cognouerunt, & cadauer fœtere viderunt, inhumato corpore maxima pars eorum diſceſſerunt. Alius vero quidam ex illius 10. ſocijs. Habitarij filius poſt mortem ipſius regnum eſt adeptus, qui blande prædicauit, & callide gentes ad credendum admonuit, eoſque non bene Machometi ſermonem intelligere dixit. Machometus, inquit, non ait, quod ante ſepulturam illius videntibus hominibus ad cœlum ſubleuaretur, ſed quod poſt ſepulturam corporis neſcientibus cunctis hominibus ab Angelis in cœlum deferretur. Vnde quia non ſtatim eum ſepelierunt, idcirco fœtere incœpit, vt ſtatim ſepeliretur. Hac igitur cauſa gentem in errore priſtino parumper detinuit. Quomodo igitur huic mendaci crederem me hortaris, cum in omnibus eum fallacem inueneris? Omnipotentis Dei deprecor pietatem, vt me ab errore illius eruat, & Chriſti quam cœpi legem implere perficiat. Amen.

Deceptio Machometi & mendacia.

(:) (:) (:) (:)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER VIGESIMVSSEXTVS.

De imperio Henrici quinti, & charta charitatis.

CAP. I.

Henricus 5. Imperator. An. mundi 4968. Chris. 1107.

IGEBERTVS *in chronicis.* Henrico Imperatore mortuo succeſſit filius eius Henricus, anno domini. 1107. mundi vero 4968. & imperauit annis 20. Dux autem Hẽricus, qui ab Imperatore ad filiũ eius transiens, eum contra patrem ſuum animauerat, & à filio ad patrem rediens partes filij debellarat, mortuo Imperatore ſe vt reum maieſtatis filio regis reddidit, & ab eo captus, cuſtodiæ traditus eſt, de qua tamen cuſtodia ipſe per induſtriam ſuam euaſit; ſed ducatus eius datus eſt Godefrido Comiti Louanienſium.

Charta Charitatis à Ciſtercienſibus condita.

Sigebertus in chronicis. Anno Henrici primo facta eſt charta charitatis à Stephano Abbate Ciſtercienſi, & 20. Abbatibus, auctoritate ſigilli Apoſtolici confirmata. Ab illo ergo tempore reiecerunt ab ordine floccos, & pelliceas, ſtramina, & caputia & fæmoralia, & pectinea, & coopertoria, & ſtramenta lectorum, ac diuerſa ciborum in refectorio fercula, & ſagimen & omnia quæ puritati regulæ aduerſabantur. Abdicauerunt etiam eccleſias, altaria, oblationes, & decimas & ſepulturas aliorum hominum, & furnos, & molendina, & villas, & ruſticos, quia nec in vita ſancti Benedicti, nec in eius regula legebant eundem ſanctum huiuſmodi poſſediſſe, nec fæminas monaſterium eius intraſſe, nec mortuas ibidem ſepultas fuiſſe; excepta ſorore ſua ſancta Scholaſtica. Dicentes beatum Benedictum præcepiſſe vt monachus à ſæcularibus actibus ſe faciat alienum. Decimas quoque dicebant à ſanctis patribus in quatuor portiones diſtributas. Vnam ſcilicet epiſcopo, alteram preſbytero, vel clerico, tertiam hoſpitibus ad illam eccleſiam venientibus, ſeu viduis, & infirmis, ſeu pauperibus alium victum non habentibus; quartam reſtaurationi eccleſię. Et quia in hoc computo perſonam monachi qui terras ſuas poſſidet, vnde & per ſe & pecora ſua laborando viuant non reperiebant: idcirco hoc veluti aliarum ius iniuſte ſibi vſurpare detrectabant.

De moribus Abbatis Stephani Ciſtercienſis.

CAP. II.

ERat enim dictus Abbas religionis, paupertatis, & diſciplinæ regularis ardentiſſimus amator, & fideliſſimus æmulator, etiam antequam Abbas fieret.

Helinandus lib. 47. Memini me audiſſe magiſtrum Petrum cantorem Pariſienſem virum iuſtiſſimum atque doctiſſimum referentem de Abbate iuſto Stephano Ciſtercienſi quod cum ei quadam die nunciatum eſſet à ſuo cellerario nihil haberi in monaſterio, vnde vel vna die illa fratrum paupertas ſuſtentari poſſet; reſpondit: Sternite vobis duos aſinos; Qui cum ſtrati fuiſſent, fecit ſecum aſcendere conuerſum ſuum, & iuſſit ei vt in quodam vico panem mendicaret oſtiatim ad opus fratrum, & ipſe ſimiliter in alio faceret. Et poſtquam ſic feciſſent, ad vnum locum quem ei deſignauerat, conuenirent. Factum eſt ita, & in loco prædicto ſibi iam redeuntes obuiabant, cum ecce Abbas videt ſacculum conuerſi multo pleniorem quam ſuum, ſubridendo ait: Vbi mendicaſti, vt video vos in craſſiore palea collegiſti, quam ego; vbi obſecro collegiſti? Quis vobis plus donauit? Reſpondit conuerſus, preſbyter ille quem vos optime noſtis ſacculum meum fere impleuit ſolus totum. Quod audiens Abbas, & ingemuit, & ait: Væ vobis, quare ibi aliquid accepiſtis. Neſciebatis, quod Preſbyter ille ibi ſymoniace ordinatus, & quicquid accepit eſt lepra & rapina. Viuit Dominus, quod de omni quod dedit vobis nihil omnino guſtabimus. Abſit enim vt peccatum illius comedamus, & nobis incorporemus. Conuocatiſque paſtoribus ouium quæ non longe erant, totum conuerſi ſacculum in ſinus eorum euacuauit.

De ſancto Hugone Abbate Cluniacenſi.

CAP. III.

Vide Hugonem monachum eius æqualem. Gilonem, & Reinaldum Abbatem Viceliacenſem.

Sigebertus in chronicis. Eo tempore obijt ſanctus Hugo Cluniacenſis Abbas, cui ſucceſſit Pontius.

Ex geſtis eius. Hic Hugo Auguſtodunenſis indigena fuit nobili genere, patre Dalmatio conſulari viro bellicis rebus intento. Huius mater grauida cum partu grauiter laboraret, quendam ſacerdotem religioſum pro ſui liberatione & naſcituri in ſalute miſſam celebrare exorauit;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

exorauit; qui dum missarum solennia attentius peroraret, & in contemplatione suspensus super sesemet sustolleret, vidisse fertur in calicem, cui ardentius incumbebat, speciem infantilem supra humanum modum mirifice radiantem. Digna prorsus visio, & vera præsaga futuri in calice apparuit nondum nâtus, qui ab adolescentia *calicem salutaris accipiens*, passionis imitator dominicæ, euangelica verba vertit in opera, & vsque in senectam nomen domini inuocauit. In pupillaribus annis constitutus (non vt illa ætas assolet) lasciuiæ fræna laxauit, nec itineris luxu emollitus nugales ineptias, sectatus est, sed secundum quod scriptum est de Iacob innocenter habitabat domi. Dehinc Cluniacensem adiens beato Odiloni se tradidit. Mutansque vitam cum tunica, habitum sacræ religionis deuotissime suscepit. Consequenter de rubigine mundana in camino disciplinæ ad purum excoctus, subito calore longum tporē plurimorum superauit. Post hęc factus prior; etiā beato Odilone defuncto Abbare in regimine successit, licet cum lachrymis renitens, Bonus vtique scientia, melior conscientia, optimus temperantia, forma Angelicus, moribus compositus, naturali incessu conspicuus, sermone non affectato suauis, & alijs huiusmodi charismatibus spectabilis.

S. Hugonis morum maturitas & virtutes in iuuentute.

Henricus secundus imperator S. Hugonē dilexit.

Illo in tempore Henricus secundus Imperator regni apicem strenuissime gubernabat. Cuius patet Augustus insignia quæ Romę gestauit in regni adeptione Cluniaco delegauit. Quapropter dilectionem Cluniaci, quasi ius hæreditarium medullitus retinens floridum patrem colligare sibi arctius decreuit. Itaque sanctum Hugonē pubescenti ætate vernantem, venire ad se inuitauit, inuitatum glorioſissime excepit, & vt filium suum Henricum tertium de sacro fonte leuaret, gratanter obtinuit. Tunc etiam Pascha celebrauit paschalis Agni filius vna cum Imperatore, Angelica Cluniacensium seniorū stipatus caterua in Agrippina colonia. Nec multo post vix ab Augusto laxatus Cluniacum rediit muneribus comitatus, & gratia.

Henricum tertium anno 1051. natum de sacro fonte suscepit vide Baron.

Cuius etiam gratia Stephanum Papam non fugit, qui cum in ciuitate Florentiæ valitudine constrictus decūberet, aduenientę sancto Hugone inimicum recedere, exeunte eodem accedere circunstātibus protestatus est. Quare ne infæderabilis infestationib. hostis vrgeretur, sedulitatem ipsius iugiter exorabat. Cuius præsentia insidiator cōfundebatur; iāque malignos incursus lachrymæ patris lōge remouerant, cum vir Apostolicus in sinu præsidentis animam exhalauit. Cuius manibus digne compositus traditus est sepulturæ. Sed & reuerēdissimo Hildebrādo mutato nomine, & gradu postmodū Gregorio nuncupato, manifestissime claruit, quod multum gratiæ specialis pater Hugo obtineret. Hic sane nōdum papali apice insignitus positus in Cluniacensi capitulo ipsum mundi iudicē perhibuit se vidisse S. Hugoni collateralem, qui sedens à dextris regularem disciplinā fauore prosequebatur. Hic Papa factus, blande tyrannum eum vocitare solebat, quantum sæuis Leonem mitibus agnum acceperat, haud illius ignarum.

De gratia eius apud Romanos Pontifices.

Hildebrādus qui & Gregorius 7. Cluniacum venies quā viderit.

Parcere subiectis, & debellare superbos,

Tempore S. Leonis Papæ noni Remis translatum est corpus S. Remigij. Præfuit tantæ translationi Apostolicus, ac generale concilium præcipuè contra symoniacos celebrauit. Interfuit pater Hugo fide armatus, ipsumque ingens illustrium virorum sequebatur agmen, at tanta erat peruersorum multitudo, vt boni vix auderent reprehendere. Et si ausi fuissent facilius eruperet reclamatio male viuentium, quam vox libera eorum, qui sanius sentiebant. Mox exhortationem synodicam iussu Domini Papæ, & persuasione cuiusdam nominatissimi viri S. Constantii Remensis Canonici, & aliorū laudabiliter egit, & probabiliter cōfutauit tergiuersatores, qui contra verum pro mendacio stare consueuerant.

Leo 9. præfuit ecclesiæ an. Ch. 1049.

De gratia eius apud Regem Aldefonsum & Spiritu prophetiæ.

CAP. IV.

ALdefonsus quoque Rex Hispaniarum patrem sāctum plus omnibus excolens votis ardentibus eū vt videre mereretur impetrauit, primo quia à captione fratris sui Sancij precibus S. Hugonis emersit. Deinde quia coniunctione patris sui Fredelandi, & Cluniacensium compaginare fortius disponebat, alioquin B. Petro inobediens beneficijsque ingratus constitueretur. Is, enim cum arctissima teneretur custodia, & Cluniacenses pro eo orationi incumberent, per episcopū quēdam beatus Petrus sibi innotuit, qualiter instantia precum S. Hugonis & suorū pulsatus, in breui ipsum propriæ potestati reconsignaret, & ad sceptrum vsque proueheret. Nec mora clauiger cæli Sancio regnum vsurpanti terribiliter noctu apparens mortem intentauit nisi fratrem mox dimitteret. Surrexit ocyus extutbatus tyrannus, & eo à vinculis emancipato cubitum rediit. Ita factum est, vt Rex liberatus duplicato censu paterno intercessoribus suis ducentas auri vncias annuatim destinaret, diemque liberationis recoli nostris relinqueret. Multa ad vsus pauperum S. Hugo conferens quasi viles sarcinulas reputans, direptionem illarum sæpe protulit non iratus, qui etiam præceptorum talem habuit mensuram, ne autem nimia remissio, aut seueritas excedens videretur. Spiritu quoque prophetiæ discernere in nouiciis solebat, qui essent frumenti stabilitate solidandi, & qui tanquam paleæ spiritu maligno ventilandi.

S. Hugo Aldefonsum alias Hildephonsum regem à matre captiuum liberat precibus suis, Vide Baro. 1074.

Quodam tempore dum esset apud Martinia cum adiuncto sibi præclaro Anselmo Cantuariæ archiepiscopo, qui propter iustitiam ab archiepiscopatu semotus, iucundabatur eius solatio, diuina reuelatione commonitus mortem Guillelmi Regis Angliæ momentaneam prænunciauit. Et vt prædixerat accidit. Nam dum ille per saltus fugaces ceruos sagittare gestiret; sagittā subito in corde suscepit, qua miles cerum impetebat.

Anselmus Cantuariæ episcopus.

Gulielmi Regis Angliæ mors.

Alio tempore cum dormiret idem pater vidit per sōnium sub capite suo cubare serpentiū multitudinem & ferarum: subito capitale executiens, & exquirens suppositā, inuenit librum Maronis forte ibi collocatū: mox abiecto codice sæculari in pace quieuit. Cognouitque modum materiæ libri visioni congruere, quem obscænitatibus, & Gentilium ritib. plenum, indignum erat cubiculo sancti substerni.

De Virgilij libro visio.

Adhuc de miraculis eius, & spiritu prophetiæ.

CAP. V.

QVidam frater nomine Durannus de Bredon, prius idiota apparens, postea Mosyacensis Abbas non incongruus, dehinc ad Tolosanum episcopatum sapiētiæ prærogatiua promotus, inter operarios agriculturæ Dei, merito sollicitudinis & industriæ claruit. Hic circunspectus per cætera, verba risum mouentia sæpe incautus proferebat. Qua de re venerandus pater multotiens eum increpans, nec satis proficiens, de futuro interminans, propheticè sic commonuit: Certe frater charissime, nisi ludicra verba monacho prorsus interdicta viuens dimiseris, enormiter apparebis. Quod sane vaticinium eo migrante constat fuisse completum. Nam Signino cuidam capellano patris spumoso ore apparens postulauit flebiliter eius iuuamen, cui noluit obedire dū viueret. Hoc vbi Domino Abbati Signinus retulit, præcepit, vt fratres vna hebdomada pro defuncto taciturnitatem proprii oris cōtinuarēt. Ad hoc 7. fratribus electis cæteris obedientibus, vnus eorum voti contēptor silētium interrupit. Rursus pōtifex eidem denuo reuelatus est, valde cōquestus super illo fratre perfido, qui dū non siluit sanitatē illius interpolauit. Audiēs ista piissim⁹ Hugo præcepit vt fractura silentij, quæ per vnum cōtigerat

Duranno post episcopo Tolosano iocis dedito quid præsagerit.

Episcopi facetijs dediti pœna.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aliorum ſeptem dierum ſilentio ſarciretur. Quo facto anima pōtificis tertio reuelata in ſtatu Apoſtolico ſe exhibens purgatori ſuo memorato ſemperque memorando Hugoni gratias ſuæ integritatis reportauit.

De fratre Stephano, qui ſibiipſi manus intulit, & fratre. Goderanno.

Cap. VI.

ITem in Siluſniaco quidam frater nomine Stephanus hoſtis antiqui ſupplantatus inſidijs, manus ſibi ingerens ad coronam martyrij anticipandam, ſeipſum in quadam ſilua necauit. Erat enim iracundiæ grauis, qua & eius conſpiratione excitatus tentator forte prævaluit. Huius anima ad iudicium rapta accuſatorem prætendentem cultellum necatorium infectum habuit. Miſer ſuæ prodigus animæ exutus cuculla, Apoſtolica interceſſione obtinuit, quatenus ante introitum clauſtri Cluniacenſis tandiu maneret cucullam habens in manibus, donec precibus ſancti Hugonis & fratrum, illam induere mereretur, & ordinem ſuum recipere. Quæ dicimus frater quidam in viſione conſpiciens Domino Abbati nunciauit, tamen non ſtatim vt debuit: Quocirca in tēpore rogationum, quoniam quæ viderat nunciare diſtulerat, verberibus ad propalandum vtile compulſus eſt. Cęteris quippe ad proceſſionem directis ſolus in choro remanſerat vtpote claudus. Apparuit ſanctus Odilo eidem vigilanti viſibili forma cum duobus viris. Et ecce facta oratione ante altare illo vocato capitulum ingreſſus eſt; fratriſque pigritiam increpauit magna aſperitatis vehementia, præcipiens aſſeſſoribus ſuis acerrimam illi inferre diſciplinam. Poſt litanias correptus nūciauit Abbati tam viſionem, quam ſuam afflictionem. Confeſtim pius pater eleemoſynis precibuſque & hoſtijs tamdiu præcepit inſiſtere, quouſque ſpiritus alia viſione cum ſacro habitu apparuit, & corpus cæmeterio non iudicatur indignum.

Contigit aliquando ſanctum Hugonem Euchariſtiā præbuiſſe cuidam leproſo à communione hominum corporaliter ſubtracto, tunc vero communicanti qui tumentibus labijs, & vlceroſo ore corpus domini iniurioſe maſticans portiunculam importuna ſcreatione reiecit ſequēte nimirum nauſea ac ſpuma horribili, Chriſti miles Goderannus, qui aderat Domini ſui ſacramēta indigne cōſpiciens agitari, quod diligebat celeri collegit obſequio. Et ecce vir magnanimus manus vtraſque ſupponens viuificis ſacramentis in ore ſuo proiecit vomitum nauſeantis ægri lætalibus coleris cohærentibus fideliter abſorbens. Qua in re magiſter plus ſtupefactus, in huiuſmodi diſcipuli perfectione attonitus, Laurentii craticulam tolerabiliorem fuiſſe indubitanter aſſeruit. Hic denique Gonderannus ad epiſcopatum Sanctonicum promotus, quo altius conſcendit eo latius refulſit.

Goderanni factum non minus laudabile quam ſtupendum.

De viſione conſolatoria, quam pater Hugo retulit in capitulo. Ex mariali.

Cap. VII.

MOs eſt Cluniacēſis monaſterii cæteris ſolēnitatibus natiuitatem Domini quodam ſingulari affectu deuotius agere, & cantuum melodiis, cereorum accenſionibus quoque longe præſtantius eſt ſpirituali deuotione multaque lachrymarū profuſione cum Angelis ſolenizare. Hac igitur inſtāte feſtiuitate, fratres more ſolito ſe ſuaque omnia præparārūt; venerabilis pater ille Hugo, qui adhuc ſenex ſupererat, capitulū vbi frens cōuenerāt ingreſſus, hæc ad omnes verba protulit: Noueritis fratres benignū Ieſū diſpoſuiſſe veſtris ſolenniis intereſſe. At cōtra hoſtē nequā inuidia laborare, vt aliquas tenebrarū ſuarū nebulas tāto ſplēdore poſſit immiſcere. Frater enim (ait) quidam (ſe vtique dans intelligi) hac nocte vidit matrē miſericordiæ ipſum filiū quē præsēti genuit nocte dulciſſimo gremio continere, eique sāctorū Angelorū multitudinē cū immenſo lumine aſtare. Idē Deus puer exultabat & cordis lætitiā geſtu corporis & plauſu manuū demōſtrabat. Et conuerſus ad matrem aiebat. Cernis Mater noctē natiuitatis meæ, quæ imminet gaudiis illuſtrandā; in qua & Prophetarū oracula & Angelorū præconia renouabūtur, & de meo ex te ortu omnia cęleſtia & terreſtria lętabūtur. Vbi eſt nūc hoſtis mei dānati perfidia? Vbi ei⁹ poteſtas, qua āte hoc ſingulare gaudiū mūdo dānabatur? Quo ille impudēs audito de latibulo ſuo egreſſus elōge ſe præsētabat: & ignominioſe deturpatus cū multo planctu & vlulatu vt admitteretur orabat. Et ſi, ait, in nulla parte eccleſiæ admittor, in aliquo ſaltē reliquarū officinarū loco ſuſcipiar. At filius virginis: Vade, inquit, furcifer, & ne te mea potētia præiudicatū lameteris, tēta quod poteris. At ille ſolut⁹ aditū capituli petiit, & intrare conatus nō potuit. In tātū enim & ſe tumidū, & introitū capituli anguſtū inuenit, vt nullatenus intrare valeret. Vere inflatus ſuperbiæ veteris apoſtemate per humilē aditum nō potuit trāſire. Inde ad dormitoriū fratrū cōgreſſum cōuertit, & phātaſiis ſolitis ſe eos inquietare poſſe cōfidēs, introire tētauit, ſed cadē groſſitudine ſua ab oſtio repulſus receſſit. Poſtremo ad refectoriū nocēdi ſpē cōtulit. Ibi propter aliquantulam corporis curā maiorem ſuſpicabatur mētis incuriā, vbi tot obices diuinorū ex lectione verborum, tot trabes ex deuotione auditorū, tot repagula reperit ex charitate ſibiinuicē ſeruientiū, vt nullo modo vltravalēs procedere cogeretur retrocedere. Sic ab omnib⁹ officinis monaſterii reiectus, à cōſpectu piiſſimi redēptoris, & glorioſæ Virginis Mariæ Matris, cū ea qua dignus eſt cōfuſione peſtifer ille receſſit. Cauti igitur eſtote, ô fratres, & immenſas gratias omnipotenti ac miſericordiſſimo Saluatori agite, quia & nequiſſimum hoſtem à nobis expulit, & ipſe nobiſcum feſtum celebraturus remāſit.

Viſio B. Hugonis. Vide Petrum venerabilem lib. 1. Miracul. cap. 15.

De tranſitu eiuſdem Abbatis.

Cap. VIII.

EX geſtis eius. Paucis autē diebus antequā moreretur beatus Hugo, cuidā ruſticano homini in agro laborāti apparuit ſanctorū viſio, quos præcedebat quædam regalis Domina, cuius dorſū trāſeuntis & faciē videbat. Sanctū agmen illud quidā ſenior ſubſequebatur, qui reſtitit, & ait: cuius eſt, ô agricola, ager iſte quē colis: Qui ait: Beati Petri, & domini Abbatis Cluniacenſis. Et ſenior ad hoc: Meus eſt, inquit, ager, & Abbas, & famul⁹. Tu autem feſtina nūciare veſtro Abbati, vt diſponat domui ſuæ quā nutriuit, quoniā poſt modicū tēpus huius vitæ finē ſortietur. Dic autē ei Petrum Apoſtolum hoc tibi nunciaſſe. Qui vero me præcedunt Dei genitricem ſanctoſque denuncia famulantes. Idē Hugo in articulo mortis poſitus recolēs anniuerſarium Gaufridi Archiepiſcopi, & Guidonis Abbatis obliuioſos admonuit. Tā tenacis erat memoriæ, & tātæ charitatis quod ibi frater. næ ſalutis erat non immemor vbi raro quiſquā reminiſcitur propriæ. In ipſa nocte qua mortu⁹ eſt benedictiones lectionū lectorib. impoſuit. Extremum eius verbum fuit ad circunſtātes, Benedicite. Corpus eius in capitulo à fratrib delatum, prius aqua deinde vino ablutum eſt; ad vltimum modico balſamo, quod ſupererat, in breui vaſculo ternis vicib. totum corpus magnū affluēter perunctum eſt, quod vix ſolum ad lepidum caput ſufficeret, niſi benedictione cœleſti multiplicatum inter manus obſequentium ſuperabundaret.

Moritur Sāctus Abbas Hugo. Fratribus abſolutionem & benedictionē impertitur. Moritur anno 1108. vt auctor eſt Hugo monachus Cluniacenſis in vita S. Hugonis.

De reuelatione gloriæ eius poſt obitum.

Cap. IX.

BEatus autem Dionyſius Areopagita apparuit cuidam fratri apud Nongentum dicens, vt feſtinaret adire Cluniacum vt valedicere poſſet ſancto Hugoni ſtatim deceſſuro. Veni, ego infelix, ſed ſanctum migrantem non ſalutaui. Datum tamen eſt ſpiritui, quod corpori conſtat denegatum. Vidi enim mixtos

De eodem S. Hugone morituro viſio.

morta-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mortalibus superos, & cum monachorũ collegio Matrem Dei, maris stella, clarius coruscare. Cuius præsentia sagittarios quosdam apparentes ita exterruit & fugauit, sicut validus ventus autumnales frondes dejicere consueuit. Inter quos Martinus gemma sacerdotum, & Benedictus Sol Abbatum spiritum sancti Hugonis deducentes inter quandam vineam speciosam & fertilissimam collocarunt, vt ibi iucundaretur, & in modicum mansitaret, vbi ipse sanctus Hugo me aspicientẽ multipliciter inuitabat. Comede, charissime, de candidis racemis, qui nobis superabundant, & fac mecum solenne contubernium. Ego nempe parum hic pausabo, donec quidam tumor subsidat, quem in pedibus puluerulentis de longo circumitu terrarum contraxi: sed è vestigio curatis gressibus, & excusso cinere mundano liber ad potiora transibo. Dic autem successori meo Pontio, vt humilitatis & innocentiæ thesauros custodiat, & necessitates omnium suas reputans misericordię studeat, zelũ monastici ordinis exẽplo mei sapienter disponat. Sic enim viriliter agens à Deo consequetur auxilium, *qui non deserit sperantes in se.*

Alia Abbatis Nouomonasterij.

Eadem quoque nocte, qua pater beatus dormiuit in domino vidit Abbas quidam duos lectos in visione decenter adornatos Angelorum manibus ad astra sustolli, & audiuit voces in sublimi dicentium: Heroas geminos sui correctores, & sæculi stratis auro radiantibus vitæ merito collocabimus, videlicet Cantuariensem Archiepiscopum, & Cluniacensem Abbatem, qui multorum sunt patres filiorum in gloria. Isti quidem duo pene sub vno tempore decesserunt. *Author.* De Abbatibus Cluniacensibus à primo vsque ad hunc Hugonem facti sunt hi versus.

Ordine Berno prius fuit honore beatior Odo.
Surgit ab his sanctus Maiolus forma virorum
Igneus ardentem vix cohibens animum.
Post fuit Arumnis frater Odilo missus ab oris,
Mitior ingenio, qui ferus imperio.
Proximus Hugo venis discretis vsus habenis.
Ordine posterior vtilitate prior.

An Ch. 1109. *Sigebertus in chronicis.* Eo quoque tempore in parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam pullus galinę quadrupes. Obiit Anselmus Cantuarien. archiepiscopus, Philippus quoq; Rex francorum obijt. Post quẽ Ludouicus filius eius regnauit annis 30.

Ex chronicis. Hic Philippus apud Floriacense cœnobiũ tumulatur. Post quẽ Ludouicus Aurelianis à Gilberto Senonensi archiepiscopo in Regem consecratur.

Sigebertus in chronicis. Multi vero sacro igne accensi sunt, membris instar carbonum nigrescentibus.

De reconciliatione inter Imperatorem, & Papam.

Cap. X.

IN mense Iunio cometes apparuit, radios dirigens ad austrum multis coniicientibus hoc signo portẽdi futuram Regis Henrici expeditionem versus Italiã. Igitur Rex Henricus Romam vadit propter sedandam discordiam, quæ erat inter Regnũ, & sacerdotiũ, quæ cæpit à Gregorio Papa vij. qui & Hildebrandus, exagitata à successoribus eius Victore & Vrbano, & præ omnibus à Paschali magno scandalo erat toti mundo. Rex enim vti volẽs auctoritate & cõsuetudine, & auctoralibus priuilegijs Imperatorum, qui à Carolo magno, qui primus de Regibus Francorum imperauit Romanis, iãque per 300. & eo amplius annos imperauerãt sub 63. Apostolicis, & dabant licitè episcopatus, & Abbatias per virgã & annulum, hoc esse suum ius allegabat. Contra hanc maiorum auctoritatem censebant Papę synodali iudicio, nec posse nec debere dari per virgam; vel per annulum episcopatum, vel aliquam ecclesiasticam dignitatem, vel inuestituram à laicali manu. Et quicunque ita episcopatum aut aliam ecclesiastici iuris inuestituram accipiebant, excommunicabantur; propter hanc præcipuè causam Rex Romam tendebat, & si qui Longobardorũ quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos prosternebat.

Refutat Baronius tom. 9. ad annum Ch. 775 qui & consule.

In reconciliatione autem quæ facta est inter Imperatorem, & Papam hoc factum est. Nam cum ipsum Papam cum Episcopis, & Cardinalibus cæperat die Paschæ, Henrico in Imperatorem coronato, post lectum euangelium tradidit ei Papa ante altare beatorum Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum priuilegium de inuestitura episcopatuum, vel abbatiarũ tam per annulum quam per virgam scilicet vt regni eius episcopis, vel abbatibus libere præter violentiam, & symoniam electis, & inuestituram virgæ, & annulli conferat. Post inuestituram vero, canonice consecrationem acciperent ab episcopo ad quem pertinuerit.

Legantur Platina, Onuphrius, Baronius Ciaconius aliique Pontificia historia scriptores.

Confirmatio pacis inter Apostolicũ & Imperatorẽ, dum in celebratione missæ traderet ei corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

Domine Imperator hoc corpus domini, natum ex Maria virgine, passum pro nobis in Cruce, sicut sancta & Apostolica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te.

De tribulationibus, & mirabilibus illius temporis.

Cap. XI.

ANno Henrici 6. Deo peccatis hominum offenso, multa eueniunt, in mõte Castri-loco ecclesia sanctæ Vualdetrudis cum toto penè oppido arsit. Ecclesia sancti Michaelis de periculo maris fulgurata diuinitus arsit, cum ædificiis appendentibus sibi * Gualdericus episcopus Laudunensis ciues ipsius vrbis à sacramento perperam iurantes communicaturos reuocare nisus, à seditiosis ad arma concurrentibus (quod dictu nefas est) gladio confossus interiit feria 5. hebdomadæ Paschalis 7. Calen. Maij.

** alias Vualdericus.*

In litania maiore, tumultuãte etiam impetu confusæ multitudinis, domus episcopi succenditur. Vnde & ipsa mater ecclesia beatæ Mariæ, & ecclesia sancti Ioannis Baptistæ in Abbatia Monialium cum omnibus aliis ecclesiis è vicino appendentibus concremantur. In auctores autem seditionis à Ludouico Rege Francorum, tam seuere vindicatum est, vt tam futuros quam præsentes à simili scelere deterrere possit exemplum.

Helinandus. Huic tribulationi Laudunensium, quædã perturbatio præcesserat, quæ futuræ huius calamitatis seminarium, & radix fuit, & quodammodo prænuncia. Quidam enim Princeps, & nobilis Castellanus Laudunensis nomine Girardus de Charisiaco, dum in eadem sanctæ Dei genitricis ecclesia genibus flexis suppliciter oraret, ab inimicis suis, qui eum alibi aggredi non audebant, dolo circumuentus, & ab oratione surgens, diuersis gladiorum plagis ibidem est interfectus. Cuius sanguine pauimentum ecclesiæ respersum, cum multotiens aqua superfusa non posset ad plenum ablui, plutesque spectaculum videntes non parum super hoc mirarentur. Magister Anselmus tunc temporis Laudunẽsis ecclesiæ decanus vir scientiæ & eloquentiæ fama notissimus, quibusdam secrete colloquens prænunciasse fertur, illam sanguinis effusionem non nisi eiusdem ecclesię concremationem diluendam, quia tantum scelus non aqua sed potius igne esset expiandum, & ita contigit.

Sigebertus in chronicis. Ante hos dies natus ibidem fuerat puer geminus à clune superius duo habens capita, duo vsque ad renes cum suis brachijs habens corpora, qui baptizatus triduo quoque superuixit.

Anno 7. mense Iunio siligines & arbores sacro igne adustæ spem sui fructus mentitæ sunt, & quædam siluæ insuper arefactæ, subsecutaq; est grauis, & diuturna hominum valetudo, cum profluuio ventris & mortalitate.

An. Ch. 1112.

Domnus Sigebertus venerabilis monachus Gemblacensis cœnobij, vir in omni scientia literarum ingeniosus, tẽporum descriptor obijt, suisque grauissimum mærorem absentiæ suæ reliquit.

Sigebertus obijt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De miraculis facta circa feretri ſanctæ Mariæ Laudunenſis.

Cap. XII.

Chronographus. Vualdrico Laudunenſi epiſcopo à ſuæ vrbis ciuibus nequiter peremptо, Hugo Aurelianēſis eccleſiæ Decanus ſubſtituitur. Quo poſt ſeptem menſes mortuo vir illuſtris Bartholomeus ad epiſcopatum Laudunenſis ciuitatis prouehitur. Cuius induſtria, & epiſcopalis eccleſia quæ incenſa fuerat in breui reparata iterum conſecratur, & ciuitatis ac prouinciæ deſolatione ſubleuata in multis locis, in quibus antea nunquam fuerat religionis feruor, & Dei cultus fundatur, & inde in multas ac remotas etiam tranſmarinas regiones propagatur.

Plurima miracula facta ſunt per feretrum B. Mariæ virginis.

Helinandus lib. 40. Electi ſunt ergo 7. canonici Laudunenſis eccleſiæ, & 6. Burgenſes, qui feretrum ſcilicet Marie, & alias capſas reliquiarum per diuerſas circumferent prouincias ad expetendas eleemoſynas fidelium pro reſtauratione eccleſiarum; quæ reliquiæ multis miraculis clarificatæ ſunt. Quæ miracula ſcripſerunt Canonici eccleſiæ Laudunenſis, ex quibus pauca breuiter cauſa ædificationis excerpſimus.

Apud Iſlordunum duo cōtracti ſanati ſunt, quorum calcanei natibus adhærebant; hos pro Dei amore multo iam tempore pauerat in domo ſua Galfridus eiuſdē caſtri dominus.

Apud caſtellum Buſcenti, ſanatus eſt filius domini Caſtelli raptoris peſſimi, puer annorum 25. à natiuitate ſurdus, & mutus. Quo facto pater pueri diſcalciatis pedibus ad eccleſiam cucurrit, & feretro ſanctæ Mariæ 40. ſolidos obtulit: Non enim multam habebat pecuniam, qui etiam feretrum ſanctæ Mariæ, cum cæteris militibus humeris ſuis impoſuit, & illud vſq; ad caſtellum proximū, duobus milliaribus diſtās, nudis pedibus portauit. Quod audientes inimici raptoris illius, & miraculū de filio eius factum, & ipſi nudis pedibus inimicis ſuis obuiā ruunt, & feretrum ab illis pacifice ſuſceptum in caſtellum ſuum deferunt.

De his quæ facta ſunt Turonis.

Cap. XIII.

INde venerunt Turonis. Ibi quædam fœmina quæ de lecto ſurgere nō poterat iam per 8. annos, & nuſquam ire niſi portaretur, ſanata eſt hoc modo: Apparuit ei dormienti *Mater miſericordiæ* prēcipiens, vt ſe ad feretrum ſuum in eccleſia ſancti Mauritij faceret deferri, & portata eſt in vanno, ſuppoſitaque feretro protinus obdormiuit, & ſana ſurrexit.

Ibidem apud ſanctum Martinū ſanatur iuuenis à natiuitate ſurdus & mutus, & ex toto corpore ſudorem emittens, & venis circa aures inflatis, ſanguis vbertim profluxit ex auribus, qui poſtea cum feretro iuit Laudunum.

Poſt hæc venit illud feretrum ad ſanctum Laurentiū de Cala, in feſto eiuſdem martyris. Monachus autem quidam ibi habitans pati non potuit, vt feretrum beatæ virginis ſuper altare ſancti Laurentij poneretur: ſed fecit illud poni ſuper quoddam minus altare in parte eccleſiæ, timens amittere oblationes conſuetas in eodem feſto. Cum vero Turonenſes, qui feretrum obſecuti fuerant referentes miracula quæ viderant, omnes peregrinos ſuperuenientes ad feretrum inuitarent, Monachus ille liuore percuſſus fecit feretrū, & omnes reliquias de eccleſia eijci. Sed præpoſitus caſtelli tētorium, & ſpatioſum, quod ſibi parauerat tradidit deferentibus feretrum, & matronæ plurimas deferentes cortinas idē tentorium decentiſſime ornauerant, & luminaribus copioſis tota nocte ſplēdidum reddiderunt. Præfatus autē monachus ad veſperam epilepſiæ morbo grauiter correptus, coram omni populo in terram cecidit, magnumque timorem vidētibus incuſſit. Campana etiam maior de turre cadens contracta eſt, & turris ipſa in ſuperiori parte ſciſſa crepuit. Monachus ergo ſero pœnitens nudis pedibus coram feretro terræ proſtratus cœleſti Reginæ humiliter ſatisfecit, rogans, vt idem feretrum ſuper maius altare referretur, ſed Laudunenſes noluerunt.

De his quæ facta ſunt Carnuti.

Cap. XIV.

IN natiuitate ſanctæ Mariæ venit idem feretrū Carnutum, cui occurrit venerandus Iuo epiſcopus cum tota proceſſione canonicorum vſque ad vineas. Poſitūque eſt feretrum in maiori eccleſia ſuper altare ſanctæ Mariæ.

Ibi mulier contracta erat iam per 5. annos in domo vbi coquebatur panis epiſcopi. Huic prima noctis hora apparuit in ſomnis beata virgo Maria præcipiens ei, vt quantotius ſurgeret, & ad maiorem eccleſiam iret, feretrumque Laudunenſe quæreret. Protinus euigilans ſana cucurrit ad eccleſiam per plateas cum gaudio vociferans, & clamans, & ingeminans *Domina ſancta Maria*; ſtatim epiſcopus omnia ſigna præcepit ſonari diutius, & ipſemet incæpit: *Te Deum laudamus*. Quod dum cantaretur, altera contracta ſanata intrauit, duoque ſcabellula quibus reptando ſe circumferre ſolebat ſuper altare poſuit. Rurſus ſigna pulſantur, *& Te Deum cantatur* epiſcopo incipiente. Quod antequam finiretur, quidam iuuenis miles, qui in caſtello quodā catēnis religatus captus ſeruabatur, liberatus ex inſperato eccleſiā ingreditur, matreque ſua cum ciuibus occurrentibus ad altare progreditur, genibuſque flexis coram feretro; & dicens ſe per beatam Mariam ereptum, obtulit ſolidos 40. Iterum iubente epiſcopo per omnes eccleſias ſigna pulſantur, & ipſe ter, *Te Deum laudamus* incæpit, multūque ibi præ gaudio ploratum eſt. Igitur ex oblationibus fidelium per Franciam collectis toto autumnali, & hyemali tempore eccleſia ſanctæ Mariæ Laudunenſis ex magna parte conſtructa eſt.

De his quæ facta ſunt in itinere verſus Angliam.

Cap. XV.

SEquenti quadrageſima cum adhuc pars operis maxima ſupereſſet, & pecunia paulatim decreſceret, electi ſunt ex canonicis Laudunenſibus 7. quibus traditū eſt feretrum ſanctæ Mariæ cum alijs pluribus ſanctorū reliquijs, inter quas eminebat forma & dignitate vnum philacterium, in quo ſic ſcriptum legitur.

Spongia, Crux Domini, cum ſyndone, cum facculi.
Me ſacrat atque tui genitrix, & virgo capilli.

Cum his reliquijs profecti ſunt in Angliam, quæ tūc temporis magna diuitiarū pollebat opulentia, pro pace & iuſtitia, quam Rex Henricus in ea faciebat.

Feria ſecunda poſt dominicam, *Iſti ſunt dies* profecti à Lauduno, & eodem anno circa natiuitatem B. Mariæ Laudunum tedierunt: miracula quæ interim cōtigerant, enarrantes.

Apud Nigellam in pago Viromandenſi quidā Ioannes à natiuitate ſurdus, & mutus ſanatus eſt, potatus aqua reliquiarum lotarū toto corpore poſt dormitationē ſub feretro ſudās ſanguine de naribus & auribus, & venis circa collum inflatis vbertim profluēte: qui proſecutus eſt feretrum vſque ad mare.

Circa paraſceuē venerūt Attrebatū. Ibi erat quidam ſenex artifex iam per annos 12. lumine oculorū priuatus. Hic audiēs feretrū ſanctæ Mariæ Laudunēſis allatū eſſe, interrogabat qualitatē & formā feretri. Quā cū cognouiſſet, protinº imo ex pectore, alta trahēs ſuſpiria & vbertim plorans dicebat: Hoc feretrū ego peccator proprijs manibº in iuuētute mea cōpoſui iuſſu domini Helynādi epiſcopi Laudunēſis, in quo idē epiſcopus precioſiſſimas poſuit. Inter quas fuit caput ſancti Vualerici Abbatis, &

caput

caput sancti Montani monachi recluſi, qui natiuitatem sancti Remigij prædixit, & de lacte Cilimæ matris eius lumen recepit sicut prædixerat. O si hanc misericordiã faceres mecum, o pijssima mater misericordiæ, vt instar sancti Montani recepto lumine rursus feretrum tuum, quod composui possim videre. Hoc dicens & plorans rogabat, vt de lotura reliquiarum oculi sui tangerentur. Quo facto de ipsa aqua bibit, & tota nocte coram feretro peruigil in oratione mansit. Mane facto lumen recepit.

Apud sanctum Andomarum, quædam puella manũ habens aridam à natiuitate sanata est.

De his quæ facta sunt in transitu maris.

Cap. XVI.

IN festo sancti Marci Euangelistæ venerunt apud Vuisant. & nautis conuocatis nauem intrauerunt, & cum eis plures negociatores, qui propter lanam emendam in Angliam ibant, & cum feretro securi trãsire sperabant plusquam 300. marchas secum in marsupiis portãtes. Magister nauis dicebatur Codilstanus. Circa matris medium viderunt piratas nauigantes, & in naui eorum lanceas, & gladios, & clipeos coruscantes. Tunc singuli ad alterutrum præ timore peccata sua confessi sunt, & presbyter laico confitebatur. Prædicti negociatores de vita iam desperantes marsupia sua cum tota pecunia feretro obtulerunt, flentes & orantes beatã Mariam, vt eos de piratarum manibus liberaret, & de periculo mortis, & totam eorum pecuniam ad restaurandã suam ecclesiam retineret. Piratis autem appropinquantibus magister nauis exhortatus est Bosonem presbyterũ, vt assumptis Dei genitricis reliquijs, piratis sibi nocendi potestatem interdicat, mox ille phylacterium cum capillis beatę Mariæ assumens cum timore, & deuotione in eminentiorem locum puppis ascendit, ipso magistro nauis vtraque manu ipsum sustentante, manuque contra hostes eleuata ex auctoritate Christi, & Matris eius fortiter adiurans, ne vltra veniant, ne potestatem nocendi habeant, interdicit. Statimque vt *signum Crucis* de eodem phylacterio fecit contra hostes, dicto citius, ventus vehemens & contrarius nauem eorum retro tulit, malus nauis frangitur, pars mali super vnum ex ipsis decidens ipsum exterrebat, & in mare mortuũ præcipitat. Post modicum nauis sana cu feretro, & læta ad portum peruenit. Negociatores liberati sacculos suos quos obtulerunt resumpserunt. Cumque tota Anglia circumita magnos aceruos lanæ emendo suam pecuniã expendissent, & de ipsa lana magnam domum implessent, supra littus maris, quod Doura dicitur, eadem nocte qua in crastinum transire debuerãt, domus illa cum tota lana cremata est.

De his quæ facta sunt Cantuariæ, & Vuintoniæ.

Cap. XVII.

POst hæc venit feretrum Cantuariam, ibi Laudunẽses honorifice suscepti sunt à Guilelmo Archiepiscopo, qui dudum pro videndo & audiendo magistro Anselmo Laudunum petens diebus multis in domo episcopi manserat. Ibique Radulphi filios cancellarij Regis Anglorum docuerat. Ibi ergo matrona quædam ditissima iam per octo dies dolore pariendi fuerat cruciata. Quæ cum misisset maritum suum ad Laudunenses quęrentem, si quis forte illorum aliquid medicinæ nosset, boso presbyter illum admonuit, vt consuleret vxori suæ veracem peccatorum suorum presbytero suo confessionem facere, & de lotarum reliquiarum aqua confidenter bibere. Illa vero quæ iam præ dolore loquelam penitus & memoriam amiserat, protinus ex ipso calore fidei aliquantulum roborata, veniente presbytero peccata sua fideliter confessa est; subiungens eadem nocte sibi in visu quandam speciosissimam dominam de Francia venientem apparuisse, & vt peccata sua veraciter confiteretur præcepisse, sicque eam sanandam promisisse. Igitur statim postquam aquam reliquiarum biberat, partu edito sanata est. Quæ munera & ornamenta multa beatæ Mariæ Virgini obtulit. Nemo autem ibi sanari potuit, nisi de ipso episcopatu, & nisi peccata sua prius confessus; si tamen ætatis idoneæ esset.

Apud Vuintoniam sanatus est, quidam miles pincerna Regis, qui iam per octo annos cæcus fuerat, & alius ditissimus Vualthẽrus nomine, qui iam sex annis lecto decubuerat, & præter hoc fluxu ventris laborabat. Hic tribus clericis, qui ad eum reliquias detulerant tres annulos aureos obtulit, & accurrens ante feretrum tres cyphos argenteos, & multam pecuniam, & alia ornamenta obtulit, quæ cum in platea delata nonnulli viderent, & dicerent eum pauca obtulisse secundum multitudinem diuitiarum suarum (nam ferebatur plusquam tria millia librarum Anglicæ monetæ in thesauris habere.) Respondit se ad præsens nolle amplius dare, donec omnes vsuras, quas à debitoribus suis acceperat redderet, sicut Deo promiserat. Vnde protinus per totam vrbem fecit clamare præcones, vt quicunque ei vsuras dederat veniret, & sua acciperet.

Præter hunc alij 12. publice sanati sunt cæci, claudi, surdi, & muti.

Qualiter apud Christichercam susceptum est feretrum.

Cap. XVIII.

POst hoc venit feretrum ad Christichercam, sic dictam villam, idest, Christi ecclesiam, in octauis Penthecostes, vbi celeberrimus erat negociatorum conuentus.

Ibi erat decanus quidam cum duodecim canonicis, qui noluerunt feretrum suscipere, ne perderẽt oblationes negociatorum, quia ecclesia eorum nondũ perfecta erat. Et quoniam ingens pluuia erat vix tandem decanus concessit, vt feretrum poneretur super minus altare in remota ecclesiæ parte. Et cum videret negociatores fere omnes, qui miracula Vuintoniæ facta audierãt, ire ad feretrum & offerre, iratus præcepit feretrum de ecclesia eijci. Ibi ergo equi Laudunẽsium & vestes pluuia madebant, & præ multitudine negociatorum tota villa hospitium non inueniebant. Tunc matrona quædam illis compatiens rogauit maritum suum vt domum nouam quam ædificauerat, & iam duabus marchis negociatoribus locauerat, Reginæ cœli, quæ de ecclesia eiecta fuerat commodaret, & in ea tam ipsam quam clericos eius in sequenti nocte hospitari permitteret; & interim sibi aliud hospitium quærant. Annuit ille, & clericos iam pene præ pluuia deficientes in domum illã suscepit, vestesque illorum luto perfusas ablui, & siccare fecit, & feretrum beatæ virginis competenti loco detẽtum, cortinis adornato collocauit, & eis deinceps omnẽ hospitalitatẽ exhibuit. Vnus ex negociatoribus tres cãpanas, quas venales habebat, ad domus laquearia suspensas pulsans, socios suos earũ sonitu conuocat, & locũ eminentiorem ascendens, quomodo decanus feretrũ de ecclesiã eiecerat, enarrat; & vt nullus ad ecclesiã eat, sed potius ad officium feretri sanctæ Mariæ diurnum officium audituri conueniant, exhortatur. Postremo cuncti vnanimiter edictum proponunt, vt si quis ad ecclesiam iret, quinque solidis socijs persolueret. Erat autem tunc sabbatum ante octauas Penthecostes.

De miraculis ibidem ostensis.

Cap. XIX.

HOspes ille habebat vnam domum prope oppidum, in quo boues, & pecora seruabantur. Ibique manebat quidã pauper rusticus eiusdẽ pecoribus custo-

diendis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

diendis deputatus, cuius filia puella paruula tortum pedem à natiuitate habebat, ita vt calcaneus in anteriori parte, digiti vero in posteriori parte pedis essent. Hæc bibens de aqua reliquiarum, & pedem suum de aqua aspergens, vigilans coram feretro mane sanata est.

In crastino draco quidam flammiuomus de mari exiens in villam illam aduolauit, & primo ecclesiam, deinde quasdam domos flamma quam ex suis naribus emittebat succendit. Feretrum vero sanctæ Mariæ vix dimidio stadio iam decesserat, post quod cursores super equos aduenerunt. Rogaueruntque Laudunenses, vt ardenti villæ subuenirent, qui humana curiositate tantum prodigium videre sitientes, deputatis feretro idoneis custodibus, velociter super equos ad vicum recurrunt, viderunteque draconem incredibilis longitudinis habentem quinque capita, flammasque sulphureas per nares emittentem, & de loco ad locum volantem, domosque sigillatim succendentem. Ecclesia vero ita concremata est, vt non solum ligna, sed etiam parietes, & maximi lapides, & ipsa altaria in cinerem redacta sunt, vt nullo modo appareret ibi fuisse ecclesia. Decanus autem videns ecclesiam, & domum eius succensam, vestes & supellectilem suam festinanter colligens, & circumligans ad nauem, quæ in proximo maris littore defixa erat, extra deferri fecit. Sed draco, ac si propter hoc solum venisset nauem volatu petens cuncta, quæ in ea erant succendit, & ipsam nauem, incredibile dictu. Domus autem hospitis illius, qui feretrum collegerat incolumis, & illæsa cum omnibus, quæ in ea erant remansit. Et illa etiam procul posita, in qua eius pecora seruabātur. Negociatores etiam illi, qui multam Laudunensibus impenderant beneuolentiam, ita per gratiam Dei seruati sunt, vt de omnibus rebus suis, aut nihil aut parum perderent. Decanus autem ille, qui feretrum de ecclesia ieçerat sera motus pœnitentia, nudis pedibus illud prosecutus est, & coram ipso prostratus.

Itaque Dei iudicia protestatus, indulgentiam postulabat.

De his quæ facta sunt in cæteris Angliæ locis.

Cap. XX.

APud Excestriam honorifice susçepit Laudunenses cum feretro Robertus Archidiaconus, qui diu Lauduni manserat, pro audienda lectione magistri Anselmi. Ibi 16. infirmi curati sunt. Ibi autem contractus de episcopatu Salisberiensi, qui curari non potuit, donec feretrum venit in episcopatum eius. De Salisberia venerunt ad Abbatiam sanctimonialium, quæ dicitur Vuiltonia, vbi ostensa est eius sepultura venerabilis Bedæ Presbyteri, iuxtaquem sepulta est mulier illa versificatrix inclyta. Ibi iacebat quidam iam longo tempore febricitans ad sepulchrum venerabilis Bedæ Presbyteri, quia plures ibidem consueuerant sanari. Ipsa vero nocte in cuius crastinum feretrum Laudunense illuc aduenit, mulier illa versificatrix apparuit infirmo dicens: Nō potes hic modo per Bedam sanari, quoniam beata Dei genitrix ad nos descendit. Quod cum Laudunensibus in crastino retulisset infirmus, & ex aqua lotarum reliquiarum bibisset, illico sanatus est.

Indę venerunt in prouinciam Danaxeriæ, vbi ostēderunt eis indigenæ cathedram & furnum famosi illius Regis (secundum fabulas Britannorum) Arthuri, ibi eos plurimum honorauit, Algardus clericus, qui fuit postea Constantiensis in Normannia episcopus, qui fuerat Lauduni auditor magistri Anselmi; Ibi apud villam, quæ Beronia dicitur puella decennis à natiuitate cæca illuminata est, & iuuenis à natiuitate surdus auditum recepit.

Quidam vero manum habens aridam iurgari cæpit cum vno ex famulis Laudunensium pro Arthuro, & ideo sanari non potuit.

Adhuc de eodem.

Cap. XXI.

APud Totenes sanatus est quidam senex à natiuitate claudus germanus prępositi illius castri. Quo sanato mox frater eius obtulit coram feretro 40. solidos sterlingorum. Et post eum populus infinitus multa addidit. Erant autem ibi tres iuuenes eiusdem territorii, carnis consanguinitate propinqui. Qui videntes tātam pecun am deferri ad feretrum, detrahere cæperunt Laudunensibus, dicentes eos quæstus gratia per magicā artem facere miracula. Quorum vnus alios hortatus est, vt secum irent ad feretrum, simulantes se illud osculari, vt sic de nummis super altare positis ora sua lambendo replerent. Illis autem hoc facere nolentibus, perfidus ille fecit quod dixerat, & de aceruo nummorum quantum potuit ore lambendo rapuit, redienſque ad socios nummos, quos rapuerat ostendit, inuitans eos secum ire ad tabernam; quibus illum sequi nolentibus, miser ille tabernam introiuit, & saciatus exiuit. Cæteri duo ad cōuentum populi redierunt. Ille autem ascenso equo proximam siluam intrauit. Quæ vix dimidio stadio aberat, & reste lignea collo suo circumligata ad vnius arboris ramum se suspendit, equus cui insederat vacuus ad populi conuentum redijt. Quem videntes præfati duo iuuenes equi vestigia perlustrando, & cursim prosequendo ad siluam celeriter peruenerunt, eumque suspensum, & mortuum repererunt, soluenteſque marsupium eius, quod pendebat ad baltheum inuenerūt nummos, quos rapuerat adhuc recenti saliua eius infectos, quos protinus cum magno eiulatu ad feretrum deportantes super altare reposuerunt, terræque prostrati pro anima cognati sui misericordiam Dei genitricis implorantes coram omnibus, facinus quod defunctus perpetrauerat retulerunt. Mirati sunt omnes tam celerem Dei vindictam, & pectora sua tundendo vbertim lachrymas effuderunt.

Hucusque miracula Laudunensis feretri, quæ facta sunt anno Domini 1114. & 1115.

De beato Bernardo Clarevallensi, & bonis eius initijs.

Cap. XXII.

Chronographus. Anno Domini 1114. Henrici quinti 6. Bernardus iuuenis egregius, scientia, moribus, & genere clarus, vir postea magnæ virtutis exemplar futurus Castellione castro Burgundiæ oriundus cum germanis fratribus, & alijs comitibus multis Cistertij habitu religionis induitur, & miro religiositatis feruore conuersatur.

Ex gestis eius. Hic beatus Bernardus anno natiuitatis 22. cum socijs plusquam 30. ingressus est cellam nouitiorum sub Abbate Stephano. Inter quos fuit Hugo Masticonensis, qui Pontiniacense cænobium ædificauit, qui postea factus est Antisiodorensis episcopus. Pater sancti Bernardi dictus est Telselmus Dominus oppidi Fontanorum. Mater eius dicta est Aleth ex castro montis Batri. Hæc 7. liberos habuit 6. mares futuros monachos, & vnam fæminam futuram sanctimonialem. Quos alienis vberibus nutriendos committere nolebat, infundens eis naturam boni materni cū lacte materno, non patiebatur eos delicatiores assuescere cibos. Hæc cum haberet in ordine tertium in vtero Bernardum, somniauit se in vtero habere catellum totum candidum, & in dorso subrufum, & latrantem. Respōsum est, quod infans ille contra inimicos Dei magnos latratus ederet, & mundam vitam duceret, & magnum patiētiæ exēplum præberet. Adultus puer traditus est magistro apud Castellionem, cuius castri ecclesia postmodū per eius operā à cōuersione sęculariū in ordine regulariū canonicorū promota est. In nocte natalis Domini

Parentes eius omnes fratres S. Bernardi monachi fuere & soror monialis.

Adhibetur literis.

apparuit

apparuit ei velut sponsus procedēs è thalamo suo benignus puer Iesus. Prædicta vero Aleth mater eius laborans in extremis,& psallens cum clericis,& dicens litaniam,cum diceret,*Per passionem, & Crucem tuam libera eam domine*,leuata manu signans se spiritum reddidit,ita quod deinceps manum suam deponere non potuit, quā ad se significandam leuauerat.

Repellit puerulas puellulam. Quadam vero nocte instinctu dæmonis iniecta est, in lectum dormientis Abbatis Bernardi puella nuda, quam ille sentiens vertit se in partem alteram, & dormiuit. Illa palpitante & stimulante permansit immobilis,sicque illa ficta & confusa aufugit. Alio tempore sollicitatus est,à quadam hospita sua, quæ se in lectum eius iaciens alliciebat eum ad carnalem eius copulam. Ille autem consilij non inops clamauit:*Latrones,latrones.* Quod illa audiens aufugit,& hoc factum est ter. Cum autem arctius implicaretur amore scientiæ sæcularis,videre sibi visus est matrem suam conquerentem, & dicentem,quod non eum nutrisset ad hanc nugacitatem. Semper pensare post cibum solitus erat quantum cōederat, Annum in cella nouitiorum exegerat cum adhuc putaret in capite ecclesiæ vnam tantum fenestram esse vitream,cum ibi tres essent.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. XXIII.

An. Christ. 1114. *Chronographus.* Hoc tēpore in pago Brachatēsi circa Tornatum nix tanta cecidit 9. Calen. Maij, vt etiam siluas fregerit. Apud Rauennam,& Parmam ciuitates Italiæ in agris,& intra mœnia sanguis pluit,Iunio mense.

Idibus Nouembris in suburbio Antiochiæ noctu terra dehiscens turres multas,& adiacētes domos multas cum habitatoribus absorbuit.

Balduinus Rex Hierusalem Rogero Comite Antiochiæ contra Turcas vadit,sed Rogero cum exercitu suo iuxta quendam fluuium residente, Rex cum suis processit aduentum Turcarum explorare. Turci vero montem quendam occupantes insidias per quatuor loca collocauerant singulis insidiis 4. millibus equitum deputatis,à quibus ex insperato Rex vndique interceptus mille quingentis suorum interfectis miserabili fuga est liberatus.

Turci cœnobium in monte Thabor, situm funditus euertunt, monachos interficiunt, & omnia sibi diripiunt.

Eo quoque tempore scilicet anno domini 1114. in ciuitate Beluacensi à Corione sedis Apostolicæ legato concilium est celebratum. Post Iuonem autem qui vita atque doctrina sua Carnotensem ecclesiam illustrauit, quique inter cætera operā sua illud volumen, quod decreta Iuonis dicunt vtiliter compilauit, Gaufridus vitę merito ac prudentia venerabilis, Carnotensem ecclesiam rexit. Anno domini 1115. Lambertus bonæ memoriæ Attrebatensis episcopus obiit. A tempore sancti Vedasti vsque ad istum Attrebatensis Ecclesia proprio viduata præsule,Cameracensi episcopo erat subiecta.

De fundatione cœnobij Clareuallis, & Abbate Bernardo.

Cap. XXIV.

Clareuallense cœnobium fundatur. *Helinandus lib.* 18. Eodem anno Clareuallis fundatur. Fundatum est cœnobium Clareuallis Anno domini. 115. sub primo Abbate sancto Bernardo, sed & cœnobium Pontiniacense à Masticonensi Hugone, qui postea fuit Antisiodorensis episcopus. Hi duo viri,quinto anno à conuersione sua Abbates facti sunt. Intrauerant enim pariter domum Cistertij anno domini 1111. sicut scribit Guillelmus,Abbate scilicet Theoderico. Et anno à constitutione domus Cistercien sis 15,Quamuis Sigibertus in suis chronicis dicat illos 30. socios intrasse domum Cistertii anno 10. à constitutione eiusdem domus anno scilicet primo Abbatis Stephani. Erat enim beatus Bernardus annorum 22. quando conuersus est,& quando Abbas Clareuallis factus est erat annorum 17. Qui profectus Catalaunum ad suscipiendam benedictionem suam,quia Lingonensis episcopatus tunc vacabat,cum magna susceptus est reuerentia à Cantalaunensi episcopo Guillielmo de Campellis,qui videns iuuenem macilentum,& exesi corporis,toto corpore prostratus,in terram petijt à Capitulo Cistercienſi, vt anno vno sub curā sua esset,& obtinuit. In quo spatio sæpe sagimen crudum comedit pro butyro,& oleum bibit pro aqua à seruitore negligentissimo,& nihil sciente per errorem sibi oblata. Tunc enim sensum gustandi perdiderat quantum ad saporum dignoscentiam præ nimia abstinentia,vt solum aquam frigidam sibi sapere testaretur. Fælix cui solum illud reputatur ad culpam,quod alii præsumere sibi solent ad gloriam. Clareuallis autem non longe à fluuio Alba antiqua fuit spelunca latronum quæ dicebatur *vallis absinthialis*, vel propter amaritudinem incidentium in latrones. Fratres Clareuallenses tunc temporis sæpius pulmentarium ex foliis fagi conficiebant. Panis erat similis illi prophetico ex hordeo,& milo,& vitia.

De quibusdam actibus eiusdem Abbati.

Cap. XXV.

Visio Diui Bernardi. Vidit tunc temporis beatus Bernardus puerum sibi cum diuina claritate astantem, & magna auctoritate sibi præcipientem, vt fiducialiter loqueretur quicquid ei suggeretur in apertione oris sui; quia ipse non esset, qui loqueretur,*sed spiritus patris sui, qui loqueretur in eo.*

Quidam frater quem pro secreta culpa abstinere preceperat à communione, in quadam præcipua solennitate erubescens, quod solus remaneret incommunicatus,iuit cum aliis communicare,quem videns sanctus communionem illi negare noluit; sed tacite precatus est,vt Deus aliquid melius de tanta præsumptione ordinaret. Ille ergo frater sumptum corpus domini nullo modo glutire potuit. Post sextam vero traxit sanctum in partem confitens ei præsumptionem suam. Quem increpans sanctus orando fecit, vt corpus domini sine difficultate glutiret.

Quibusdam militibus euntibus ad torneamentum iussit dari cereuisiam, quam benedixerat ad bibendum, qui statim conuersi sunt: Vualtherus de monte mirabili cum infantulus oblatus esset ei à matre sua ad benedicendum,quia in eius domo hospitatus erat, cum inter loquendum aliquotiens sanctus manum protenderet, multotiens osculatus est manum eius trahens eam ad os suum.

Clericus quidam Nicolaus nomine impetrauit per eum à Domino gratiam lachrymarum.

De Anselmo Laudunensi,& prodigijs illius temporis.

Cap. XXVI.

An. Christ. 1117. *Chronographus.* Anno domini 1117. Anselmus Laudunicæ ciuitatis magister nominatissimus, literarum scientia clarus, vir morum honestate & consilij maturitate venerabilis obiit; qui inter cætera opera in psalterio glossas marginales & interlineares ordinauit.

Hic chronographus fuit Robertus quidam Abbas & extat in fine Sigeberti simul cum insertionibus Galfridi. Anno autem sequenti mense Ianuario 3. nonas ipsius 4. feria in aliquibus locis, sed non vsquequaque, terræmotus accidit,aliàs clementior,aliàs validior,adeo vt quarundam vrbium partes cum ecclesijs subruisse dicantur. Mosa etiam fluuius iuxta Abbatiam quæ dicitur Sustula,quasi pendens in aere fundum suum visus est deseruisse.

Hoc quoque anno Leodium ciuitas multis plagis at-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

trita est: Mense enim Maio. 5. nonas eiusdem, dum in maiori ecclesia vesperas celebrarent, subito tonitruus cum terræmotu omnes ad terram strauit,& fulmen ad lævam templi ingressum non modicas crustas de muro hac illac disiecit:deinde turrim ingrediens multas trabium partes diffidit. Subsecutus est fætor intolerabilis, adeo vt multo aromatum odore vix potuerit expelli.

Item Iunio mense 7.idus ipsius mensis circa horam nonam nubes pluviæ subito rupta à monte,qui dicitur Roberti,subiectam sibi partem ciuitatis penitus oppressam pessundedit,adeo vt multas domos diruerei,& immensam annonam perderet, & matrem duos infantes altrinsecus in brachiis amplexam necaret,& alios 8. homines diuersis in locis opprimeret. Pulsantibus vesperis sabbato,quædam dum caput lauat puero manus rubent sanguine fluido.

A Calen.etiam Iulii circa horam 6. turbo nimis vehemens & obscurus ciuitatem operuit,& nubes ex abrupto scissa,ita omne tectum ecclesiæ maioris deiecit,vt & imbribus pateret,& totum pauimentum perfunderet. Illico fulmen à parte Aquilonis ingrediens, quendam clericum retro altare sanctorum Cosmæ & Damiani, in pulpito legentem,& alterum ante *Crucifixum* orantē, tertium de scriptorio ecclesiæ proximo egredientem in ipso ecclesiæ ingressu extinxit.

Ante fores quoque ecclesiæ quendam laicum extinxit.

vij.Idus Iulij ab hora 3. vsque ad nonam quatuor turbines,à quatuor plagis cæli vrbem circulauerunt:vētus etiam magna vi intonuit,& vrbem multo imbre alluit. Tertio nonas Augusti primo noctis conticinio cum quaque terrarum tonitruus audiretur,& fulgura sæpius micarent,in vrbem Leodium amplius ipse turbo desæuit,ita vt homines è stratis exilientes ecclesias tristi cætu complerent,& tota nocte supplicationibus intenderent. Summo vero auroræ diluculo à parte Orientis ignis cum ingenti flamma circulauit tantus, vt omnes diuinitus cremari extimuerunt. Post hoc magnus turbo erumpens ab Occidente ipsum ignem visus est aliquantulum obscurasse. Iterum autem quasi victor ignis cum flamma recaluit,& iterum turbine reuertente paululum delituit. Tertio etiam ipse ignis recaluit,& tertio nihilominus turbine victus cecidit. Hoc spectaculum à summo mane vsque ad horam tertiam vehementer terruit.

Iterum de prodigijs,& quibusdam euentibus alijs.

Cap. XXVII.

MOnstrum quoddā Namurci natum est, cui perrato vel nunquam visum est,videlicet biceps infantulus,qui hoc vidit,testis est populus: Hic tam sexu duplex, quam cæteris simplex erat compage corporis.

Tertio idus Decembris ad mediam noctem lucentibus stellis cælo sereno 14.luna eclypsim passa est, & contracto orbe multis coloribus,sed maximè sanguineo penè hora integra suffusa est.

13.Calen.Ianuarij prima hora noctis igneæ acies à septentrione in Orientem vergentes in cælo apparuerunt:deinde per totum cælum sparsæ, plurima noctis parte videntibus miraculo & stupori fuerunt.

Paschalis Papa moritur.Succedit Ioannes Romanæ ecclesiæ Cancellarius,& appellatur Gelasius. At Imperator quia electioni non interfuerat, Hispanum quendam nomine Burgūdinū ei superordinauit. Gelasius autem Papa indicto Remis concilio transgrediens Alpes in Gallias venit.

Balduinus secundus Rex Hierusalem obiit. Frater Godefridi ducis Lotharingiorum, & primi Regis Hierosolymitarum,qui Godefridus Princeps nobilissimus cum in Regem constitutus fuisset, nunquam tamen in ea ciuitate,in qua Dominus spinis coronatus est,diadema portare consensit.

Anno domini 1119. Gelasius Papa Cluniaci moritur, & sepelitur.

Guidouiennensis archiepiscopus in Papam eligitur, & Calixtus vocari designatus, Cluniaci benedicitur. Dum autem pro reconciliatione regni, & sacerdotii legatio nunc à Rege ad Papam vadit,& nunc à Papa ad Regem rediit,lux pacis inter eos conturbatur,& Imperator cum sibi fauentibus excommunicatur.

De initio Præmonstratensis ordinis,& patre Northberto.

Cap. XXVIII.

ANno domini 1120.ordo Præmonstratensis incæpit.Cuius scilicet loci & ordinis fundator vir Dei Northbertus extitit.Hic quidem de partibus Lotharingiæ oriundus,genere diuitiis atque facundia etiam ipsis summis principibus familiaris atque notissimus,diuino feruore succensus,postposita sæculari pompa repente ad votum suum diaconus & presbyter simul ordinatus,paupertatis Christi tunica induitur, & verbo prædicationis feruentissime instans,baiulans sibi Crucē, nudum nudus Christum sequitur. Quorundam etiam religiosorum moribus exploratis, arctioris viæ propositum,& tunc temporis inauditam districtionem arripuit & per aliquantulum temporis nudis incedens pedibus, etiam brumali rigore verbum Dei spargens multos ab errore conuertit.Denique Gelasius Papa cum in Gallias venisset,& in prouincia sancti Aegidij causas synodales ageret,ad hunc vir Dei Northbertus nudis, vt erat incedens pedibus accessit, eique animi sui propositum pandens,licentiam & auctoritatem seminandi verbum Dei ab eo accepit. Tandem à Papa Calixto Bartholomæo Laudunensi Episcopo specialiter commendatus,cum ei ecclesia beati Martini à prædicto episcopo offerretur,tum propter vrbis viciniam, tum quia eiusdem ecclesiæ clerici propositi,& vitæ eius austeritatem horrebant æque reliquit,& ab episcopo diuersis eiusdem prouinciæ locis religioni congruentibus sibi ostensis tandem diuinitus in loco Præmonstrati resedit,ibique solitarius religiosam vitam agere cæpit.

Tempore Quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus,ante Pascha cum 3.sociis rediit, & cum his in Præmonstrato loco secundum canonicæ institutionis normam ad tenorem regulæ beati Augustini Deo militare cæpit. Papa vero Calixtus Romam proficiscens ab omni senatu,& populari turba glorioſe suscipitur, & in sede Apostolica confirmatur. Burdinus Pseudo Papa Sutrii positus dum peregrinos Romam euntes, vel redeuntes deprędaretur,tandem vt vilissimus apostata capitur,& in monachum tondetur.

Anno Christi 1120.

Vide vitam huius sancti apud Surium, tom. 3.

De quibusdam circa Præmonstratenses in initio gestis.

Cap. XXIX.

IN Præmonstratensi autem ecclesia cuidam fratri altius de Trinitate ineffabili,quæ Deus est,cogitanti,in matutinis dæmon astitit. Etenim tria gestans capita apparuit,Trinitatem se esse contestās,& ob fidei suæ meritum Trinitatis visione eum esse dignum,affirmans. Sed frater inimici dolum agnoscens,conuiciando ei, à se recedere compulit.

Northberto apud Vincellam verbum Dei prædicāte, & puellam dæmoniacam coram se adductam exorcizante, dæmon irridens,*Cantica Canticorum*, à principio vsque ad finem per os puellæ edidit,& de verbo ad verbum,in Romana,deinde in Teutonica lingua interpretatus est;sed Dei seruo arctius insistente,tandem egressus est. Northberto autem ad quęrendas sanctorum reliquias Coloniam veniente, & suis in dicto ieiunio orationibus instante,vna de numero vndecim milliū Virginum nomen suum, & locum vbi iacebat specialiter designans,in crastino solenniter leuata,& cum aliis san-

ctorum

sanctorum reliquiis ad locum Præmonstratum, est ab eo translata. Sequenti vero die apud sanctum Gereonẽ in oratione pernoctans, mane facto in medio ecclesiæ, vbi nullum apparebat sepulturæ vestigium, effodi præcepit; & corpus sancti Gereonis integrum absque cerebro honorifice, & diligenter collocatum inuenit, sicut & de ipso legebatur, quod pars capitis, & non totum caput abscissum fuit. Quod cum honore & reuerentia à clero, & populo eleuatum est, & inde pars viro Dei donata est. Inde Præmonstratum rediens, & quadraginta iam clericos cum multis laicis secum habens, professionem eos facere secundum Apostolicam institutionem, & canonicam regulam beati Augustini docuit, & ad voluntariam paupertatem, & promptam obedientiam, cæteraque militiæ spiritualis instrumenta eosdem diligenter instituit.

Anno prænotato in ecclesia Vinceliacensi, in vigilia transitus beatæ Mariæ Magdalenæ incertum quo iusto Dei iudicio, innumerabiles promiscui sexus & ætatis atque ordinis in ipso crepusculo noctis atque diei ecclesia subito conflagrante, combusti sunt.

Antisiodorensem ecclesiam hoc tempore regebat Dominus Hugo, sancti Germani prius Abbas, sancti Hugonis Cluniacensis nepos, vir suarum virtutum insignibus memorandus.

Hoc etiam in tempore incæpit ordo militiæ templaris.

An. Christi. 1123. Anno domini 1113. sanctus Geraldus Biturensis episcopus fide, sanctitate, & doctrina, ac miraculis clarus in domino quieuit.

De libello miraculorum sancti Iacobi a Calixto Papa compilato.

Cap. XXX.

ANno domini 1124. obiit bonæ memoriæ Papa Calixtus.

Author. Hic est, vt legitur, Calixtus secundus, qui libellum scripsit de miraculis S. Iacobi, quę sparsim collegerat in vnum volumen compilando, de quo nonnulla ad ædificationem legentium hic inserere curaui.

Calixtus Papa. Cum essem scholaris, & ab infantia beatum Iacobum Apostolum diligens 14. annorum spacio perambulans terras, & prouincias barbaras, quæ descripta inueniebam, paucis & vilibus scedulis diligẽter scribebam, vt in vno volumine comprehendere possem. O mira fortuna, inter prædones cecidi, & raptis omnibus spoliis meis codex mihi tantum remansit. Ergastulis trusus fui, & perdito toto censu meo, mihi tantummodo codex remansit. In profundum aquarum multarum crebro cecidi, proximus morti, & minime codex infectus euasit. Domus, in qua eram cremabatur, & consũptis rebus meis, codex mecum euasit inustus. Cumque studiose cogitarem, vt codex ille pro quo innumeras passus sum anxietates, quem & manibus meis studebam perficere, Deo foret acceptabilis: nocte raptus in extasi, in quadam regia splendida facie vidi iuuenem pulchertimam & splendidum laureatum regaliter, qui in cathedra sedens mihi insidenti pedibus suis ait. Præbe, quas in manu habes chirothecas, cui cum libenter obtulissem, illo thalamum ingrediente, quidam è sociis eius dixit mihi. Iste est filius Regis summi, qui sicut chirothecas de manibus tuis accepit, sic codicem apostolicum placide suscipiet postquam impleueris. Rursum translationis Apostoli sermonem veneranda die mihi ruminanti, & scripturam eius inter manus tenenti, vna cum beato Iacobo in extasi ipse apparuit dicens; Scribe quæ cæpisti, corrige scelera prauorum hospitum manentiũ in itinere Apostoli mei. Nemo igitur hunc librum despiciat, quicquid in eo scriptum est, autenticum est, magnaque auctoritate expressum. Itaque miracula quæ in hoc codice continentur diebus festis eius in refectoriis legantur. Idem de historia Caroli à beato Turpino Remensi Archiepiscopo descripta statuimus.

De miraculis sancti Iacobi Apostoli.

Cap. XXXI.

TEmporibus Adelphunsi Regis in Hispaniæ partibus, viginti viri Christiani, quorum vnus erat sacerdos, à Saracenis capti sunt, & in vrbe Cæsaraugusta carcere tenebroso diuersorum generum nexibus obligati. Qui cum, Deo inspirante, admonente presbytero, beatum Iacobum inuocarent, in obscuro carceris, sic cos alloquens refulsit. Ecce adsum quem vocastis. Tunc ora quæ præ dolore infixa in genibus tenebantur erigentes, ad pedes eius prociderunt, qui suffuso eius virtutis vnguento, eorum vincula confregit, suaque potentia captiuorum manibus conserta de carcere diuinitus erepti ad portas ciuitatis eo duce peruenerunt. Quæ facto Crucis signo, Apostolicæ reuerentiæ egressum vltro ministrauerunt. Illos igitur iam fere Sole illucescente ad quoddam castellum, quod Christianorum tutamine tenebatur perduxit, vbi etiam se ab eis vocari præcipiens, cœlos visibiliter conscendit. Tunc cum magno clamore aduocantes, apertis foribus interius suscepti sunt.

De homine cuius peccatum per orationem D. Iacobi delatum est.

Beda Presbyter. Temporibus beati Theodunri Compostelanensis episcopi quidam graue peccatum commisit, quod vix sacerdoti suo, & episcopo ausus est confiteri. Quo audito episcopus stupefactus pœnitentiam ei dare non audens, hominem illum cum scedula, in qua erat peccatum illud scriptum, ad sanctum Iacobum misit. Qui cum venisset illuc die festi eius, scedulam super altare posuit, flens, & rogans sanctum Iacobum, vt meritis suis deleret illud peccatum. Interea episcopus ad missam celebrandam accessit, & scedulam illam videns cum quęreret, cur, & à quo posita esset, ibi vir ille protinus occurrit, & rei seriem cunctis audrentibus flens uarrauit, literas illas aperiens, & nil ibi scriptum inueniens, peccatum illud dimissum cunctis narrantibus intellexit.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXII.

Hvbertus Sibuntinus. Anno Domini 1080. triginta viri de Lotharingia sanctum Iacobum adeũtes mutuæ seruandam virtutis fidem sibiinuicem promiserunt. Vnus tum inter eos fuit, qui hoc eis non promisit Cum itaque ad vrbem quæ *Porta clausa* dicitur incolumes peruenissent, vnum e sociis ibi ægrotantem propter pactum quod fecerunt per 15. dies vsque ad portam Risereos cum grandi labore tulerunt. Cum ille 15. dietæ ab expeditis, quinque diebus agi posset tunc tandem grauati infirmum reliquerunt. ille tamen solus, qui fidem non promisit, cum eo remansit ad pedem montis sancti Michaelis. Tunc dixit infirmus, vt eum si posset super illum montem ferret. Quem ille libenter detulit, & die declinante ad vesperam infirmus migrauit. Quod videns viuus valde timuit propter imminentem noctis caliginem, & defuncti præsentiam, & gentis barbaræ sæuitatem. Sic ergo omnino destitutus ad orationem se contulit, & statim sanctus Iacobus ei in specie equitis apparens causam fletus inquisiuit. Domine, inquit, quia nox est, & mortuus iste sepeliri non potest. Tunc ille: Trade mihi hunc mortuum, & tu ascende post me super equum. Quo facto, nocte illa ante Solis ortum duodecim dietas peragentes ad montem gaudii, qui est dimidia leuca citra sanctum Iacobum peruenerunt. Ibique sanctus viuum & mortuum, de equo deposuit, iubens viuo, vt canonicos sancti Iacobi ad sepeliendum peregrinum mortuum inuitaret; & peracta peregrinatione cum inueniret socios in vrbe, quæ dicitur Legio, eos de facto pacto corriperet, & diceret eis ex parte sancti Iacobi, quod propter hoc eorum peregrinatio nõ

vale-

valeret. Et his dictis disparuit. Ille autem rediens, cum hoc inuentis sociis nunciasset, valde mirati sunt, & ab episcopo Legionis ciuitatis vt ille consecutus fuerat, super hoc pœnitentiam susceperunt.

Item de eodem.

Cap. XXXIII.

Calixtus Papa. Anno domini 1090. quidam Teutonici sanctum Iacobum adierunt, & in vrbe Tholosa, à quodam Burgẽsi hospitio suscepti sunt, quos nocte inebrians, cyphum argẽteum in mantica eorum posuit, & mane exeuntes, quasi latrones inclamitans reuocauit. At illi dixerunt, vt illum puniret, super quem pecuniam suam inueniret. Illoque discutiens in mantica patris, & filii cyphum suum repperit, & sic eos, & eorum bona rapiens ad iudicium traxit. Cum ergo iudex vnum tantum ex pietate iuberet appendi, & pater pro filio, & filius pro patre vellet mori, tandem filius suspẽditur, & pater tristis, & anxius ad sanctum Iacobum progreditur. Post 36. dies reuertens ad corpus filii adhuc pendentis lamentando diuertit, cumque eum lachrymosis gemitibus inclamaret, ecce filius suspensus eum blande consolari cæpit dicens: Noli pater dilectissime flere sed gaude: quia nunquam fuit mihi ita bene. Nam hucusque sanctus Iacobus me sustentat, & me cælesti dulcedine refocillat; quod pater audiens cucurrit ad vrbem, & conuocati populi viuentem & sanum deponunt & hospitem illorum illico suspenderunt.

Anno domini 1100. Francus, quidam mortalitatem hominum, quæ erat in Francia vitare desiderans cum vxore & filiis sanctum Iacobum adire disposuit, qui cum venisset ad vrbem Pampiloniam, defuncta ibi vxore sua, hospes eius totam illius pecuniam cum iumento quo pueri vectabantur retinuit. Ille tamen sic penitus desolatus pueros suos humeris portans, & manibus trahens iter suum non dimisit. Cui de vrbe exeunti, & dolores tanti infortunii recitanti, vir quidam cum asino in via occurrit, & auditis casibus eius ei asinum suum ad vehendos pueros commodauit. Itaque cũ sic ad intus ad sanctum Iacobum perueniisset, vigilanti in ecclesia, & oranti sanctus Iacobus apparuit, & si se cognosceret inquisiuit; cui neganti, ego sum, inquit, Iacobus Apostolus, qui tibi in Pampilonia meum asinum commodaui, & nunc iterum accommodo reuertenti, & prænuncio tibi hospitem tuum, qui tua iniuste retinuit ruentem de domus suæ solio moriturum, & hospites omnes ei similes bona hospitum detinentes, quæ debent dari pro remediis defunctorum: & his dictis disparuit. Peregrinus rediens cum asino, & pueris hospitem suum sic mortuum sicut Apostolus prænunciauit inuenit. Et cum lætus ad patriam peruenisset, depositis de asino pueris, Asinus ille statim disparuit.

Item de eodem.

Cap. XXXIV.

Anno domini 1101. cum nauta quidam Frisonus nomine, nauim peregrinorum per mare duceret, quidam Saracenus Auctus nomine contra eum ad pugnam venit, volens secum omnes peregrinos in terram Moabitarum captiuos ducere. Cumque duæ rates Saracenorum scilicet, & Christianorum conuenirent, fortiterque debellarent, cecidit Frisonus inter duas naues lorica ferrea, & galea clypeoque indutus in profundum maris, sed cum Dei clementia roboratus, sanctum Iacobum inuocaret, illico sanctus Iacobus in profundo maris ei apparuit, eũque per manũ arripiens incolumem restituit naui. Et protinus cũctis audiẽtibus, ait Saraceno. Nisi hãc Christianorũ nauiculã dimiseris, eorũ potestati te & tuam galeã tradã. Cui ille: O heros inclyte, cur prædam meam auferre moliris, nunquid tu es Deus maris, qui nostræ genti in mari resistis? Cui Apostolus ait: Non ego sum Deus maris, sed famulus Dei maris subueniens periclitantibus ad me clamantibus tam in mari, quàm in terra. Statimque Dei virtute Saracenorum nauis valida tempestate periclitari cæpit, & Christianorum puppis beato Iacobo ducente, ad locum optatum peruenit.

Anno domini 1102. cum quidam Antistes à Hierosolymis iuxta oram nauis sederet, & aperto psalterio psalleret, veniens vnda maris valida illum rapuit, cum quibusdam aliis in mari. Qui cum à naui fere 40. cubitis super vndam fluctuantes iam distarent, & beatum Iacobum innocarent, protinus affuit, & stans super vndas siccis plantis periclitantibus ait: Nolite timere filii mei; statimque vnda maris eius imperio omnes quos male inuaserat in naui, aperto codice etiam adhuc quo legebat Antistes minime infecto, sane restituit; & Apostolus illico disparuit. Ille autem Antistes in honore eius responsorium quoddam cum versu suo edidit.

Item de eodem.

Cap. XXXV.

Anno domini 1104. quidam peregrinus à Hierosolymis rediens super oram nauis sedens cecidit. Cui beatum Iacobum altis vocibus imploranti, quidam socius ipsius clypeum suum ei in mari iecit dicẽs: Glorioſissimus Iacobus cuius auxilium inuocas, auxilietur tibi. At ille clypeo accepto beato Iacobo ducente tribus diebus & noctibus natans, nauis vestigia secutus, ad optatum portum cum aliis incolumis venit, & quemadmodum beatus Iacobus ab hora, qua eum inuocauit ante illum per capitis verticem iugiter manu tenens perrexerat, cunctis enarrauit.

Anno domini 1105, Bernardus quidam in Italia captus cathenis obligatus est, & in profundo cuiusdam turris ab inimicis eiectus. Cui die noctuque continuo imploranti apparuit beatus Iacobus dicens. Veni sequere me, vsque ad Galiciam. Et disruptis cathenis eius disparuit. Illico peregrinus suspensus ad collum Boys, vsque ad turris summitatem sine humano inuamine beati Iacobi auxilio suffultus ascendit, & de sublimitate turris, quæ 40. cubitorum erat, vsque ad solum terræ forinsecus saltum vnum faciens incolumis penitus euasit.

Anno domini 1105. quidam Adlobos miles Ranibertum quendam rusticum suum sancti Iacobi peregrinum iniuste pugno in gena percussit. Qui dum percuteret dicebat: Deus adiuua me, & sancte Iacobe, statimque diuina vltione miles extorto confractoque brachio velut exanimis factus, solo prostratus à presbyteris absolutus veniam petiit ab eo dicens: Raniberte sancti Iacobi peregrine exora Apostolum, in quo confidis pro mea salute. Quod cum feciſſet, miles sanatus est.

Anno domini 1106. instante gula, miles quidam velut vter vento plenus inflatus est, qui cum à nullo medico sanitatis medelam inueniret, confisus in beato Iacobo dixit. Quod si inuenire posset aliquam crusillam, quam à sancto Iacobo peregrini redeuntes afferre solent, & ex ea propriam gulam tangeret, statim remedium haberet, quod & factum est.

De eodem.

Cap. XXXVI.

Anno domini 1107. quidam negociator volens cũ mercibus ad nundinas proficiſci; ad dominum terræ illius ad quam profectus erat, qui forte tunc in villa illa erat, accessit rogans, vt eum secum ad nundinas illas saluum duceret. Quod ille facturum se promisit, & fidem dedit. Sed cum illi profecti essent ille diaboli instinctu commotus, negociatorem & eius res

acci-

accipiens in carcerem trusit, fortiterque constrinxit. Qui cum beatum Iacobum inuocaret, nocte quadam vigilantibus adhuc custodibus ei in carcere apparuit, & imperans, vt surgeret, vsque ad summitatem turris eum perduxit. Quæ se in tantum inclinauit, quod visa est cacumen suum in terram deponere, à qua sine saltu, & læsione descendens, solutus à vinculis abiit; custodes vero illum insequentes iuxta eum venerunt. Et non inuenientes excæcati retro abierunt.

Anno domini 1110. instante bello in Italia milites ex ciuitatibus duabus inter se dissidentibus ad certamen congressi sunt, quorum vna pars ab alia superata fugere cæpit. In qua miles, quidam beati Iacobi limina petere solitus aufugiens, iamque vitæ suæ diffidens, beatum Iacobum inuocauit dicens: O beate Iacobe, si me ab imminenti periculo liberare dignaberis, me, & equum meum, nihil enim habeo precios̃ius, præsentiæ tuæ representabo. Tunc Apostolus inter eum & hostes, qui eum acrius insequendo capere sitiebant, apparuit, & hostibus illum 6. leucis insequentibus clypei sui protectione liberauit, qui ne voti reus existeret se & equum suũ qui viginti solidos medietatis monetæ non valebat Apostolo obtulit.

De puero S. Iacobi precibus & nato & suscitato.

Anno domini 1108. in oris Galliæ vir quidam vxore sterili filium non habens sanctum Iacobum propter hoc adiit, & rediens filium habuit, cui Iacob nomen imponens; cum esset annorum 15. cum ipso & matre adire sãctum Iacobum, & ei eum offerre proposuit. Sed in medio itinere puer ægrotans expirauit, de cuius morte parentes valde dolentes, quasi amentes totum nemus clamoribus repleuerunt. Mater autem sic sanctum Iacobum interpellauit, quod si filium ei non redderet, se viuam cum eo faceret sepeliri. Interea dum puer ad tumulum deferretur, quasi de somno excitatus reuixit. Et qualiter eum sanctus Iacobus, in sinu suo tenuerit, & iussit ei, vt cum parentibus iter ceptum perageret eunctis astantibus enarrauit.

De eodem.

CAP. XXXVII.

Hvbertus Sibuntinus. Tres milites diœcesis Lugdunensis ad sanctum Iacobum pergebant. Quos inneniens quædam muliercula rogauit, vt sui miserti duplarium suum amore sancti Iacobi deportarent. Quod cum vnus eorum fecisset, & vsque ad 12. dietãs à Galicia mulieris sacculum deportasset, quendam infirmum in itinere repperit, à quo rogatus equum suum ei accommodauit Et accipiens burdonem infirmi, & sacculum mulieris, equum suum ferentem infirmum sequebatur: sed feruore Solis, & labore itineris infirmatur, & reminiscens, quod in multis offenderat, amore beati Apostoli infirmitatem suam vsque ad Galitiam æquanimiter tolerabat. Ibique decumbens à suis sociis monitus est, vt more boni Christiani confessus communicari se faceret. At ille bene audiens, sed respondere non valens per triduum mutus fuit, Vnde socios suos de salute corporis & animæ suæ vehementer turbauit. Quarta autem die vigilantibus circa eum & mortem eius expectantibus grauiter suspirans dixit: Gratias ago Deo & sancto Iacobo, quia liberatus sum, & quærentibus quid dixisset. Ex quo, inquit, decubui, volebam facere, quod monebatis: sed cum hoc cogitarem, venerunt ad me subito dæmones ita me constringentes, vt nihil loqui possem, quod pertineret ad salutem. Et vos quidem audiebam, sed respondere non poteram; sed modo huc intrauit sãctus Iacobus ferens in sinistra manu sacculum mulieris, & in dextra baculum pauperis, quos in itinere, sic adiui. Burdonem habebat pro lancea, & sacculum pro parma, idest scuto, & statim quasi iratus veniens, eleuato baculo fugientes dęmones coegit exire. Et ecce beati Iacobi gratia me liberauit, & loquelam mihi reddidit. Facite ergo venire presbyterum: quia diutius in hac vita permanere non possum. Qui cum moram faceret, vnum de sociis admonuit dicens: Amice noli Domino tuo ammodo militare; scias enim, quod veraciter est dãnatus, & mala morte proximo moriturus. Quod postea probauit rei euentus. Sepulto socio cum rediissent, & illi Domino hoc dixissent, ipse se non emendans, pro somnio verba eorum duxit, sed paulopost in bello lancea cuiusdam militis transfossus interiit.

Adhuc de eodem.

CAP. XXXVIII.

PRope ciuitatem Lugdunensem iuuenis quidã pelliparius patre defuncto, matrem suam proprio labore sustentans, singulis annis adire sanctum Iacobum solebat. Cum ergo diu caste vixisset, tandem quadam nocte cum quadam muliere fornicatus est. Mane autem facto, quia prius ad sanctum Iacobum ire proposuerat, cum duobus vicinis, ducens secum asinum ad sanctum ire cæpit Iacobum, qui sibi quendam mendicum in via reperientes gratia societatis, & amore Apostoli secum tulerunt, ei necessaria largientes. Tunc illi iuueni diabolus in specie sancti Iacobi nocte apparuit dicens: Nosti quis sum? Cui neganti. Ego sum, inquit. Iacobus Apostolus, quem singulis annis visitare consuesti. Scias quia multum gaudebam de te, quia valde magnum bonum sperabam in te: sed nuper antequam de domo tua exires cum muliere fornicatus es, nec confessus, nec pænitens hnc venire ausus es, & cum peccato tuo peregre profectus es quasi peregrinatio tua placeret Deo, & mihi. Non debet ita esse, sed quicunque propter me vult peregrinari, prius debet sua per confessionem peccata dicere, & post peregrinando eadem commissa pænitere. Hic dictis dæmon euanuit. Tunc anxiatus iuuenis domum redire, & peccata sua confiteri, & sic iter reincipere disposuit. Sed statim dæmon, vt prius ei apparens cogitationem talem redarguit dicens, quod peccatum istud nullo modo delere posset, nisi sibi genitalia membra secaret, & multo beatiorem, & martyrem fore si se auderet occidere. Quibus dictis, iuuenis simplex, nocte sociis suis dormientibus cultellum exttaxit, & sibi genitalia amputans se eodem cultello per ventrem transfixit. Cum ergo sanguis efflueret, & ille moriens palpitaret, experrecti socii accenso igne morientem inuenerũt. Et timentes crimen homicidii, mane fugientes, ipsum cum egeno relinquunt. Post paululum cum eius fouea pararetur, ecce defunctus propter fluxum sanguĩnis extra ecclesiam positus, reuixit, & in feretro resedit, & statim circunstantes diffugiunt, & ad clamorem eorum omnes alii conuenerunt, & sic ille loqui cæpit & cuncta quæ illi contigerant enarrauit. Et cum prædicta dixisset adiunxit: Cum me, inquit, occidissem dæmones me cæperunt. Et cum me versus Romam ducerent, sanctus Iacobus post nos velociter aduolauit. Cumque pro me, & contra me diutius ad inuicem disceptassent, illo cogente venimus ad quoddam pratum, vbi beata Maria cum vniuersis sanctis ad colloquium residebat. Beatus ergo Iacobus ante eam pro me contra dæmones conqueritur. Et cum illa dæmones increpasset, iussit, vt reuiuerem. Sicque sanctus Iacobus me susc̃epit, & hic cõfestim restituit. Quod cum audissent astantes eum in domo cum gaudio detulerunt. Et statim sanato, sole cicatrices loco vulnerum remanserunt. Post triduũ pergens ipse cum asino, & mendico redeuntibus sociis obuiauit, & vix tandem cognitus stupentibus, quod gestũ fuerat enarrauit. Et post omnes ad patriam perfecta peregrinatione rediens, hoc quod socii prius narrauerant re ipsa confirmauit. Hunc hominem, & omnia signa mortis sanctus Hugo Gluniacensis Abbas cum multis aliis vidit, & pro admiratione, hoc vt reuelatum est sæpius solitum se vidisse asseruit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Item de eodem.

Cap. XXXIX.

ANno domini 1100. Quidam ciuis Barcinonæ vrbis cum ad sanctum Iacobum peruenisset, hoc solum ab ipso petiit, vt deinceps à nullis hostibus detineri posset. Rediens ergo ille ad propria per Ciciliam à Saracenis in mari capitur, & per fora & nundinas in 13. vrbibus paganis venditur, & emitur, & semper cathenæ quibus ligatus fuerat soluebantur 13. venditione circa crura duplicibus cathenis astrictus cum sanctum Iacobum inclamaret, apparuit ei idem Apostolus dicens: quia cùm esses in Ecclesia mea tantum à me petisti liberationem corporis tui, & non animæ salutem, ideo in his periculis lapsus es. Sed quia dominus misertus est tui, misit me ad te, vt etiam nunc eruam te. Et statim Apostolo disparente, ruptis cathenis vir ille solutus per vrbes & castella Saracenorum, quandam partem cathenæ ferens in manibus in testimonium tanti miraculi ad terram suam Saracenis videntibus palam rediit. Cumque aliquis paganus ei obuians eum capere tentabat, mox visa cathena territus fugiebat. Multi etiam vrsi & leones, leopardi & dracones per deserta gradiētem deuorare volebant, sed statim visa cathena, quam Apostolus tetigerat recedebant. Hunc ipsum hominem cathenam in manibus ferentem, & hoc narrantem vidi ego ipse.

Anno domini 1139. vir quidam nomine Brunus de Vizeliaco à sancto Iacobo rediens nummis deficientibus egere cæpit, & non habens vnde saltem nummatam panis emeret, die quadam vsque ad nonam ieiunans, & mendicare erubescens, tristis & anxius valde fuit. Vnde sanctum Iacobum implorans sub quadam arbore solus quieuit. Ibi paululū dormiens somniabat, quod sanctus Iacobus eum pascebat. Euigilans statim panem subcinericium ad caput reperit de quo 15. diebus in die sufficienter edebat, & altera die eundem panem in sacculo integrum inuenit.

Item de eodem.

Cap. XL.

Calixtus Papa. Nuper comes sancti Ægidii Pontius nomine cum fratre suo iuit ad S. Iacobum, quo peruenientes rogauerunt Edilem, vt ante corpus Apostoli permitteret eis vigilare. Consuetudo autem erat, vt post Solis occasum ianuæ eiusdem oratorii claderentur vsque mane. Qui noluit. At illi tristes recesserunt ad hospitia sua, & congregantes omnes peregrinos societatis suæ parauerunt sibi luminaria, quæ tenerent in manibus, & confortati in fide venerunt ad ianuas clausas fere 200. peregrini, & orantes dixerunt alta voce: *Sancte Iacobe, si tibi placet peregrinatio nostra, aperi nobis oratorium tuum.* Nondum verba finierant, & ecce ianuæ cum tanto strepitu apertæ sunt, vt putarent eas in minutias fractas. Rupta sunt autem repagula, & seræ, & cathenæ, quibus obserabantur.

Quidam episcopus de Græcia Stephanus nomine, relicto episcopatu, venit ad sanctum Iacobum in paupere habitu, & ibi facta est ei cellula de iuncis, in qua die noctuque, ieiunijs, vigilijs, & orationibus intendebat. Cumque oraret quadam die, turba rusticorum iuxta cellulam eius Apostolum sic rogare cæpit: *Beate Iacobe bone miles ab instantibus malis nos liberes.* Quod ille audiens increpans eos dixit: O stulti rustici, beatum Iacobum non militem sed piscatorem appellate. Eadem nocte beatus Iacobus apparuit ei in veste candidissima duas claues in manu tenens, arma ferens fulgentissima, vt radii Solis, quem tertio vocans ait: Stephane serue Dei, qui me non militem, sed piscatorem vocari iussisti, ideo taliter tibi appareo, vt scias me Deo militare. Et vt firmius hoc credas, cum his clauibus quas manu teneo portis Columbriæ vrbis apertis, quæ vij annis à Fernādo Rege Christianorum obsidione opprimitur, crastina die hora tertia intromissis Christianis eorum reddam potestati, & ita factum est.

Orrum est aliquando bellum fortissimum inter comitem Fontis Calcarię, & militem suum nomine Guilielmum; qui captus est à comite, & ante eum adductus, quem cum comes decollari iussisset, & miles clamaret: Iacobe Apostole Dei quem Herodes Hierosolymis gladio occidit, adiuua me, & libera me à spiculatoris gladio. Ter ictū immensum nudo collo erectis ad cælū manibus sustinuit, & nil læsus est. Tunc spiculator mucronem fixit in ventrem eius, quem beatus Iacobus sic hebetauit quod nec ictum eius sensit. Tunc comes iussit eum in castro suo recludi. Cui beatum Iacobum inuocanti, mane Apostolus stans apparuit dicens: Ecce adsum quem inuocasti. Tunc impleta est domus tanta suauitate odoris, vt omnes illi, qui ibi erant putauerunt se esse in paradiso propter odorem & lucem, quæ immensa ibi apparuit. Tunc in ipso fulgore beatus Iacobus eduxit eum coram omnibus manu tenens, & perduxit eū vsque ad extremā portā castri, custodibus quasi excæcatis, & apertis ianuis pariter vsque ad vnum milliariū extra muros perrexerūt. Tūc miles amore Apostoli accensus perrexit in Galiciam ad visitandū corpus Apostoli.

De vindicta cælesti in non obseruantes festum sancti Iacobi.

Cap. XLI.

HÆc sunt miracula, quæ olim beati Iacobi festa nō colentibus vltione diuina operante euenerunt.

Inter Hispanos apud Tudelionum die festo sancti Iacobi, triticum rusticus tota die in area excussit, qui adueſperascente die balneum quod iuxta idem castrum miro opere à Saraceno antiquo factum est intrauit. Cūque in eo sederet, statim pellis dorsi eius ab humeris vsque ad crura balnei parietibus adhæsit, cunctisque vidētibus ob transgressionem tanti festi spiritum exhalauit.

Inter Vascones apud Albinetum sancti Iacobi diem plebs colere renuens tota die operabatur, sed diuina vltione totum castrum eius nocte sequenti consumptū est igne, nec fuit qui sciret, ex qua parte progrederetur ignis, sed è cælo dicitur euenisse.

In Episcopatu Bisumptiensi Bernardus de Maiora hac die sancti Iacobi tritici manipulos cum carro tota die vicinis contradicentibus duxit, & ad vesperam eo sic operante tempestuosus ignis ac validus, è cœlo veniēs carrum & manipulos, & boues in cinerem redegit; sed & mulieres quædam, quæ cum illo erant ab aliis superuenientibus in fonte proximo deportatæ sunt, vt ignis calorem euaderent, & vix euaserunt.

Item Harduinus eiusdem villæ miles eodem die plaustrum suum cum manipulis tritici tota die duxit, sed vltio diuina boum oculos excæcauit.

Inter Gothos prouincia Montis-Pessulani, iussu cuiusdam militis Mircorienſis rustica quædam apud villā sancti Damiani, die sancti Iacobi panem subcinericiū fecit & coxit; quo allato ad mensam atque confracto, coram cunctis discumbentibus sanguinolentus apparuit. Et cum magis frangeretur magis ac magis sanguinem reiecit. *A domino factum est illud, &c.*

Hæc de libello Calixti Papæ dicta sufficiant.

De fundatione cœnobij Bonæuallis, & eius Abbate Ioanne.

Cap. XLII.

Helinandus. Calixtus iste ordinem Cistercienſem primus in territorio Viennensi plantauit, in monasterio Bonæuallis, cuius cœnobii primus Abbas fuit Ioannes Lugdunensis, postea pontifex Valentinus, cuius dignitatis futuræ præsagium lætissimum fuit pul-

cherri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cherrima quædam visio, quam idem Ioannes ante conuersionem suam vidit hoc modo.

Gaufridus super Apocalypsim. Cum prima nostri ordinis Cistercienſis iacerẽtur fundamẽta, erat in ecclesia Lugdunensi quidam clericus honestus & honorabilis Ioannes, qui rumore celebri nostri ordinis compunctus, tacitus secum proposuit in nostro se collegio sociandum. Quod propositum post paucos dies subeunte alia cogitatione mutauit, & pro quadam recompensatione talis propositi peregrinationem sancti Iacobi aggressus est. Qua deuote completa rediens, à domesticis gratulabunde susceptus est, & fatigatus ex itinere in cubiculum se recepit, quiescentique mox affuit in visu Deus noster Iesus Christus cum duobus Apostolis beatis Petro & Iacobo. Quorum Petrus in manu librum tenebat, quem præcepit Dominus aperiri, erat autem scriptus aureis literis, continens nomina prædestinatorum. Iussus ergo Apostolus cœpit legere, & cum ibi legeret nomen Ioannis illius. *Tolle*, ait Dominus, *tolle; dele eum, dele, quia meum se futurum promiserat, & resilyt à promisso.* Accedens autem propius beatus Iacobus, & obsecrans dicebat: Domine, meus est peregrinus, ne deleas obsecro nomen eius; cui Dominus. *Meus*, inquit, *non peregrinus, sed ciuis esse debuerat.* Nonne maius est ciuem esse meum, quam tuum peregrinum? Apostolus autem Iacobus persistens in supplicatione. Ne deleas, inquit, Domine pijssime, ne deleas eum obsecro, ego tibi pro eo fideiubeo; faciet, quod proposuerat. Et Dominus ad eum: Quando faciet? Apostolus autem: Infra quindecim dies. Excitatus ad hæc verba Ioannes solo prosternitur, & fideiussori suo cum vberrima lachrymarum effusione gratias egit dicens: Faciam prorsus, Apostole sancte faciam, quod tam misericorditer pro me pollicitus es. Non multo post fletum magnum iterum obdormiuit. Iterumque Dominus cum duobus Apostolis prædictis affuit iussitque iterum librum aperiri, in quo audiuit idem Ioannes beatum Petrum legentem. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Mox Ioannes surgens, & præfixum diem præueniens adimpleuit votum. Hic fuit primus Abbas cœnobij Bonæuallis, & post ecclesiæ Valentinæ Antistes, cuius vita & mors multis meritis, & miraculis claruit. Plane merito Israhelitis improperatur, quòd in Ægyptum corde redierint, quando iste Ioannes, qui à Cistercio corde resiliebat, iussus est deleri de libro vitæ. Simulque considerandum nobis quanta deuotione sanctorum nobis imploranda sint suffragia, qui tam amicabiliter spondent pro nobis, & tam efficaciter intercedunt.

Visio Ioannis clerici Lugdunensis

Nulla peregrinatio religioni compensanda.

Nunquam resiliendum à religionis proposito.

Cant. 1.

Qualiter Northbretus Præmonstratensis factus est Archiepiscopus.

Cap. XLIII.

Chronographus. Calixto Papa defuncto, successit Lambertus, qui & Honorius Ostiensis episcopus; ad quem proficiscens pater Northbertus, & ab eo honorifice susceptus, & quæ flagitabat digne consecutus, Parthenopolis se futurum episcopum diuinitus agnouit, & rediens cum in die Paschæ apud Herbipolim in populi frequentia Missam celebraret, cœca mulier, ipso post sumpta mysteria in oculis eius sufflante, visum recepit. Vnde quidam diuites compuncti se & sua Deo reddiderunt, & ecclesiam ibidem ædificantes, diuino cultui per manum prædicti patris eam mancipauerunt. Inde Præmonstratum rediens in ecclesia beati Martini, quæ sita est in suburbio Lauduni, quendam de suis dominum videlicet Gualterum Abbatem primum consecrari fecit: cuius industria Deo cooperante eadem ecclesia tam in temporalibus, quam in spiritualibus intantũ est in breui multiplicata, vt famam bonæ opinionis, & propagines sanctæ plantationis in exteras ac longinquas iam extenderit regiones; videlicet in Neruiam, in Flandriam, in Angliam, in Vuasconiam, in Gothiam, in Hispaniam, in Burgũdiam. Defuncto autẽ Parthenopolis ciuitatis Archiepiscopo, Northbertus eligitur, & regali prosequẽte

Parthenopolim celebrem Germania ciuitatem Magdeburgum dictam vocat; eo quod Magden Germanice virginẽ & Burg. ciuitatem sonat.

conniuentia ad præfatæ vrbis prouehitur sacerdotium. In Præmonstratensi autem ecclesia successorem sibi Hugonem, qui ab initio paupertatis suæ socius fuerat, ordinari fecit Abbatem. Denique Northbertus Archiepiscopus, vir potens in opere & sermone, multorum monasteriorum fundator, & sanctæ religionis eximius propagator; Innocentij Papæ catholici æquissimus fautor, Petri verò scismatici iustissimus execrator, cum Impeperatore Lothario ab expeditione Italica regressus, in ciuitatem suam. Non multo post infirmitate corripitur, & in ea per spacium quatuor mensium laborans, episcopatu sapienter ac fideliter administrato per annos octo, astantibus fratribus data benedictione moritur. Cum autem de sepultura inter clericos maioris ecclesiæ, & fratres sanctæ Mariæ contentio fieret; res ad Imperatorem delata est, & ex eius præcepto in ecclesia sanctæ Mariæ, cum filijs ac fratribus, quos in Christo genuerat, & Christo educauerat sepultus est, cuius extitit in Christo dormitio 8. idus Iulij.

Fit Patheno-polis episco-pus.

De miraculosa victoria Christianorum ex Saracenis.

Cap. XLIIII.

PRæterea anno Domini 1124. Balduinus Rex Hierosolymorum à Saracenis præuentus capitur. Qua de re mẽte excedẽtes vndiq; versum euocati ad 40000. conglomerantur, vt Christianos à finibus suis exterminent, & apud Ascalon impedimenta sua commendant. Christiani verò in arcto positi, nihil spei nisi Deum habentes, exemplo Niniuitarum vtrique sexui ieiunium indicunt, & pueris etiam lactẽtibus infantibus, vniuerso quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur. Procedunt Christiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æstimati; principes gradiuntur in fronte. s. Patriarcha pro vexillo ferens crucem Christi. Abbas olim Cluniacensis Pontius proferens lanceam transfixam in latere Christi. Episcopus Bethleemites ferens in pixide, lac beatæ Mariæ virginis. Saraceni verò quaque versum effusi ex omni latere in orbem circuncingunt Christianos, ne quis possit euadere. Dum ita in promptu hęrent Christiani, vident Deo auspice sibi splendorem scisso aere super paganos subito cecidisse, sed non prosperum, sed satis nociuum, quamuis hunc ipsi Saraceni non viderint. Illico enim omnium virium robore eneruati passim fugientes cæduntur non solum à viris, sed etiam à pueris, & fœminis. Perierunt in bello septemmillia, submersi sunt in aquis quinque millia. Omnes verò Christiani incolumes reuersi, summum & dulce epinichium reboant Deo in excelsis.

An. Ch. 1124.

Mira Paganorum contritio & cædes.

De cæteris miraculis illius temporis.

Cap. XLV.

ANno Domini 1125. hyems solito acerbior, & agestu niuis sępius decidentis nimis horrida, & importuna fuit. Multi enim pauperes infantes, & mulieres nimietate frigoris defecerunt. In multis viuarijs pisces absorpti sub glacie perierunt. Glacies enim adeo spissa erat & valida, vt vehicula onusta super eum ducerentur, & quasi super solũ equitaretur. In Brachbanto anguillæ innumerabiles propter glaciem à paludibus exeuntes, quod dictu mirum est, in fenilibus latuerunt. Sed ibi etiam præ nimietate frigoris deficientes putruerunt. Mortalitas quoque animalium maxima fuit. Hyemi successit intemperies aeris, nunc niue, nunc pluuia, nunc gelu, alternatim satis noxia vsque in medio Martio. Postea diutino frigore, & pluuia, aerisque inconstantia, vix tandem arbores floruerunt. Maio mense, vix tandem terra herbarum & graminum reuiguit virore. Imber verò singulis mensibus assidue deciduus fata agrorum penè absorpsit: Nam siligo, & auenæ prouentum suum satis sunt ementitæ: multi quoque sacro igne aduruntur.

An. Ch. 1125.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tyrus à Christianis capta & Christi imperio subiecta.

Tyrus Hebræa lingua Sordicta, vrbs Phœnicis maxima, & antiqua in corde maris sita, Sidoniorum colonia, negociatio maris, emporium totius orbis vaticinio prophetarum celebrata, & carminibus Poëtarum inclyta, olim quidē insula, sed à Nabuchodonosor, vel ab Alexandro propter expugnationem multis in breui freto aggeribus comportatis, terræ continēs facta, pridem à Nabuchodonosor expugnata, & partim captiuata, & postea ab Alexandro pœnitus destructa, vsque ad solum & dirupta; sed iuxta Prophetas post 70. annos reædificata, & in antiquum statum restituta, nostris modo temporibus in fine mundi à Christianis terra marique obsessa capitur, & Christi imperio subiugatur.

Adhuc de eodem, & de morte Henrici Imperatoris.

Cap. XLVI.

ANno sequenti hyems fuit asperrima, sex hebdomadis continua, & valde noxia. Fames valida, vbique magna vtriusque sexus multitudine pereunte.

In Albania ignobilis muliercula monstrum bis gemini corporis est enixa auersis vultibus, & corporibus sibi cohærēs, ante quidē, effigies hominis integra, corporisq; membrorum ordine distincta; retro verò facies canis similiter corporis, & membrorū proprietate integra.

In Brachbanto villa Nerisca alia mulier enixa est quatuor masculos in vno partu.

In Gemblacensi parochia, dum paterfamilias Dominica die mixturam segetum præ penuria famis moleret in vsus familiæ, subito iusta Dei indignatione arsit farina cum putoris nigredine, ad exemplum posteris, ne quis præsumat simile.

Henricus Imperator Mathildem Henrici Regis Anglorum filiam accepit vxorem, quam tamen postea dimisit. Ipse autem (vt fertur) à quibusdam nusquam comparuit.

Post hæc ipsa Mathildis Gaufrido comiti Andegauensi nupsit; ex qua Henricum primo ducem Morthmaniæ, post Regem Angliæ procreauit. Alibi vero legitur, quod hic Henricus Leodij Pascha domini celebrauit. Inde Aquis contendens morbo dracunculi, qui sibi erat natiuus molestari cœpit; propter quod & ibi aliquot dies remoratus est. Deinde quasi Pentecosten celebraturus Vltraiectum venit. Et tandem feria 5. in Penthecoste vitam cum regno amisit. Corpus eius eiectis intestinis sale respersum Spiræ relatum est.

De hoc autem Imperatore quædam dicuntur, quæ fabulosa esse didicimus. Fertur namque quod se quasi mortuum finxerit, & occulte suorum præsentiam fugiēs peregrinationem aggressus fuerit, & ad vltimum monachus Cluniaci factus fuerit. Reuera autem, vt dicitur quidam erat valdè similis eidem Imperatori, & viribus corporis plurimum valens, qui monachatum Cluniaci suscipiens, Henricum Imperatorem se esse firmissime asserebat.

Rex Hierusalem Balduinus data redemptione à Saracenis dimittitur.

De magistro Hugone Parisiensi, & scriptis eius.

Cap. XLVII.

Hugo de S. Victore scientia clarus.

EX *chronicis*. Florebat tunc temporis venerabilis Hugo Parisiensis S. Victoris canonicus, religione & scientia literarum clarus, & in 7. liberalium artium peritia nulli sui tempore secundus, qui inter multa quæ vtiliter scripsit etiam librum de sacramentis valde necessarium duobus voluminibus comprehensum edidit. In cuius libri volumine secundo quiddam mirabile intexuit de quodam peregrino, de quo scilicet superius dictum est, quem diabolus in specie S. Iacobi apparens ad hoc seduxit, vt propria manu se interficeret. Cumque eum diabolus secum traheret S. Iacobus superueniens eripuit eum de manu illius, & multa ei ostendens ante iudicium Dei statuit, atque, vt denuo vitæ redderetur obtinuit.

Petente autem Rege Ludouico explanauit Hierarchiam S. Dionysij martyris, multis obscuritatibus plenam.

Author. Scripsit etiam, & idem Hugo, & alia plurima opuscula scilicet Didascolon li. 5.

Hugonis de S. Victore scripta insigniora.

Super Ecclesiastem, homel. 15.
Super lamentationes Hieremiæ li. 1.
Super Hierarchiam Dionysij angelicam, li. 1.
De arca animæ, li. 1.
De virtute orandi, lib. 1.
De institutione nouitiorum, li. 1.
De arca Noë, li. 5.
De anima Christi, li. 1
De perpetua virginitate B. Mariæ, l. 1.
Expositionem super Magnificat, li. 1.
Super. *Tota pulchra es*, li. 1.
De sacramentis, li. 2.

Item notulas super quosdam versus Psalmorum, & alia plura opuscula, de quibus hæc pauca quæ sequuntur excerpsi in hunc modum.

Documentum eius de oratione.

Cap. XLVIII.

Quod ex propria miseria & diuina misericordia consideratione ad orandum Deum incitari debemus.

HVgo *in libro de virtute orandi*. Quo studio & quo affectu à nobis orandus sit Deus ex nostra miseria, simul & eius misericordia considerare possumus. In consideratione misericordiæ nostræ discamus quid nobis necesse sit petere; in consideratione misericordiæ Dei nostri quo desiderio debeamus postulare. Cogitemus quam sit breuis vita nostra: quam via lubrica: quam mors incerta. Cogitemus quod lugentes in hanc vitam intrauimus, cum dolore pertransimus, cum luctu exituri sumus. Vt autem prætermittamus mala ea, quæ omnes communiter homines opprimunt, qualia æstimamus esse secreta pericula singulorum, quorum sibi quique conscij sunt, si cogitare quisque voluerit, quæ ab ineunte ætate mala fecerit, quæ sustinuerit. Quotiens pro amore vitæ eius frustra desudauerit, quotiens in laboriosis conatibus fallaces exitus inuenerit, & post longos discursus requiem necdum vllam adeptus sit, cognoscet quid de hac vita iudicare possit. Cum autem vitæ huius ærumnam considerat, etiam quæ sit patriæ cælestis suauitas atque dulcedo attendat, & perpendat quid inuenerit, quid perpenderit, vt ex vtroque intelligat quantum sibi in hoc exilio lugendum sit. Hinc enim Salomon dicit: *Qui addit scientiam, addit & dolorem, quia quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat & gemit.* Eccl. 1. Postremo supereſt vt in memoria malorum nostrorum etiam misericordiæ Dei recordemur, quia fiducialius in futuro eius miserationes requirimus; si quemadmodum in præterito nostri misertus sit cogitemus, Reuocemus ad memoriam bona quæ tribuit, & quòd in periculis sæpe constitutos clementer eripuit, nec vnquam peccatis nostris quo minus miseretur vinci potuit. Oblitos sui de se admonuit, auersos ad se reuocauit, venientes ad se benigne suscepit, pœnitentibus indulsit, perseuerantes custodiuit. Meditatio namque assidua conscientiam, conscientia compunctionem, compunctio autem deuotionem parit, deuotio vero orationem perficit. Scientia est quādo homo ad cognitionem sui illuminatur. Compunctio est, quando ex cōsideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Deuotio est, pius & humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur. Territus enim magnitudine malorum suorum animus, & diffidens de proprijs viribus, ad Deum se conuertit, & tanto ardentius patrocinium illius expetit, quanto sibi nihil extra Deum relictum esse videt in quo confidere possit. Deuotio igitur est conuersio in Deum pio & humili affectu. Humilis enim est ex conscientia infirmitatis suæ, pius ex consideratione diuinæ clementiæ.

Scientia. Compunctio. Deuotio.

Hæc

Hæc in se tres principales virtutes habet, Fidem, Spem, Charitatem. Neque enim homo per deuotionem se ad Deum conuerteret, nisi & crederet se ab eo saluari posse, & speraret eũ misereri velle. Postremo nisi cum plusquam mala sua diligeret, nequaquam illa fugiens refugium sibi in ipso eligeret. Nihil ergo aliud est oratio quam mentis deuotio, idest conuersio in Deum per pium & humilem affectum, Fide, Spe, & Charitate subnixa. *Quid oratio.*

De ſpecibus orationis.

Cap. XLIX.

TRes sunt species orationis, supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est sine determinatione petitionis humilis, & deuota precatio. Postulatio est determinatæ petitionis certa narratio. Insinuatio est sine petitione per solam narrationem voluntatis facta signatio. *Supplicatio. Postulatio. Insinuatio.*

Tria sunt genera supplicationũ, captatio, exactio, pura oratio. Captatio est, quod fit ante postulationem ad prę-parandum & inclinandum animum auditoris. Quod tribus modis facimus. Primo cum aliquid dicimus, quod personam vel causam nostram commẽdet siue meritum nostrum siue infirmitatem, siue aliud enumerando. Secundus modus est cum aliquid in laudem eius proferimus, quem oramus, per quod apud animum nostrum eum charum & acceptabilem esse significamus, vt nostra charitate vicissim eius dilectionem mereamur. Tertius est cum aliquid dicimus per quod apud animum auditoris causa aduersarij nostri siue persona deprimitur, vt odio potius, quam amore digna videatur. Exactio est post factam postulationem, quando auditorem (ne petitio nostra apud eum in obliuionem veniat) quadam instantia memorem facimus. Hoc genus quam apud homines importunũ videtur, tam apud Deum gratum, atque laudabile est. Pura oratio est, quando ex abundantia deuotionis mens ita accenditur, vt cum se ad Deum postulatura conuertit, præ amoris eius magnitudine etiam petitionis suæ obliuiscatur. Inter hæc tria supplicationum genera infimum locum captatio, medium exactio, supremum & excellentissimũ pura oratio obtinet: quia captatio timorẽ, exactio fiduciam, pura oratio perfectum amorem habet, ita vt pura oratio magis in iubilum conuertatur, & appropinquet Deo, perueniat citius, & efficatius obtineat. Postulatio est determinatæ petitionis incerta narratio. Hæc tribus modis fit, obsecrando, rogando, simpliciter postulando. Obsecratio est, quando vehementior necessitas deuotius precibus insistere cogit. In mediocribus causis rogamus, in minimis simpliciter postulamus. Excellentissimum est obsecrare, medium rogare, minimum simpliciter postulare. Insinuatio est etiam sine petitione per solam narrationem voluntatis facta signatio. Hæc quoque tribus modis fit; timore, fiducia, & contemptu. Timore fit, quando magna est causa, quam agimus, vel persona quam rogamus, sicut istud: *Domine si fuisses hic frater meus nõ fuisset mortuus.* Rogare enim voluit, vt Dominus fratrẽ suũ mortuũ suscitaret, sed quia pro magnitudine causæ, & pro reuerentia personæ extimuit, insinuare potius, quã postulare elegit. Dixit vnde voluntas intelligeretur, & temeritas non reprehenderetur. Fiducia fit quãdo, vel de facilitate causæ, vel de beneuolentia personæ confidimus Et ideo patẽter desiderium nostrum exprimere negligimus, quia nos obtinere posse sola insinuatione speramus, sicut est illud: *Vinum non habent.* Contemptu, quando causa vilis est, vel persona, quæ rogatur humilis, quæ omnino ab oratione diuina excluditur, apud homines autem maxime superbos & potentes maximo studio exercetur. Insinuatio ex fiducia perfectis conuenit, ex timore ineipientibus, ex contemptu malis. *Exactio. Pura oratio. Postulatio. Obsecratio. Insinuatio. Iohn. 11. Fiducia. Ioan. 2.*

De quibuſdam pſalmis, qui non videntur ad orationem pertinere.

Cap. L.

QVosdam mouere solet, quod in orationibus nostris illos etiam nonnunquam psalmos, qui vel petitionis verba non habent, vel ad nostram petitionem non pertinent decantare solemus. *Ecce enim*, inquiunt, *Deum pro indulgentia peccatorum nostrorũ deprecari volumus, quid nobis ad hoc prodest?* Si vel, *quare fremuerunt gentes*, vel *Attendite populi meus*, vel alium huiusmodi decantamus. Sed quisquis supradictas orationis species diligenter perspexerit, qualiter etiam ista in orationibus dicta valeant facile discernit. Dicamus igitur omnes illas scripturas idcirco vtiliter debere & cõuenienter posse inter vota precum nostrarum ab orantibus recitari, vt in nobis affectum piæ deuotionis excitant, & cor nostrum, vel narrando laudem Dei ad eius amorem prouocant, vel nostram commemorando miseriam ante conspectũ eius nos humiliant, vel malitiam aduersariorum nostrorum exaggerando, & vtilem nobis sollicitudinem & fiduciam coram ipso ampliorem præstant. Siue igitur laudem Dei in bonitate & potentia, siue miseriam nostram in infirmitate & culpa nostra, siue malitiam aduersariorum nostrorum in tyrãnide eorum, & astutia ad exercitationem mentis, & augmentum bonæ deuotionis orantes commemoremus, nihil impetum facimus, sed per pium affectum quem in nobis verba excitant vbique orantes sumus. Vnusquisque ergo cum in oratione, vel psalmos, vel alias quascunque scripturas decantat, diligenter cõsideret, cui affectui deseruiant, & ad illum affectum toto nisu cor suum excitet, ad quem id quod loquitur magis pertinere videt, sicque per intelligentiam verborum in maiorẽ deuotionẽ affectũ accẽdet. Certe videmus adulatores qualiter se erga illos à quibus aliquid expetunt, deuotos simulant, & nos precibus nostris præueniamus faciem domini, & vt mereamur obtinere, quod petimus, non simulatam deuotionem, sed veram charitatẽ offeramus. Beatificemus amicos domini nostri, indignemur inimicis eius. Laudemus in eo potentiam, pietatem, sapientiam, æquitatem. Item narremus ei miseriam nostram, confiteamur ei culpã nostram, offeramus ei obedientiam nostram. Dicamus & credamus alium nõ esse per quem possumus eripi, per quem speremus liberari. Item ostendamus ei aduersariorum nostrorum dæmonum, & peruersorum hominum malitiam, crudelitatem, iniquitatem, tyrannidem, quod ei aduersantur, qui nos persequuntur, quod nobis hostes sunt, qui ei contra dicunt, quod odimus, quæ odit, quod diligimus, quæ diligit, malle nos propter eum odia inimicorum eius perpeti, quam contra eum habere pacem eorum. *Psal. 2. Psal. 77.* *Cur orantes legimus interdum ea in quibus nulla petitionis exprimuntur verba.* *Quantum gratus ſit Deo feruens orantis affectus.* *Captanda à Deo beneuolẽtia modus.*

De ſcientia recte viuendi.

Cap. LI.

ITem in libro de institutione nouitiorum. Scientiam recte viuendi & honeste comparare sibi oportet hominem, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione sacrarum scripturarum, partim assidua inspectione operum, ac morum suorum.

Ratione quidem hoc modo. Debet siquidem homo diligenter considerare, quid liceat, & quid non: quid deceat, & quid nõ, in omni actu, & in omni loco, & in omni tempore erga omnem personam. In omni actu, hoc est qualiter sacra & diuina mysteria impleri oporteat: qualiter humana officia, quæ ad vsum pertinent corporis exercere conueniant, vt semper sibi sit parcus, & proximo promptus, & Deo deuotus. Non solum autẽ quid agat, sed etiam in quo loco quid agere debeat consideret, necesse est. Alius est modus se habendi in eo loco, vbi Deus adoratur, alius in eo vbi corpus reficitur, alius in eo qui locutioni deputatus est, alius in eo vbi silentium custoditur, alius deniq; in secreto, alius in publico. *Quibus modis inueniatur recte viuendi scientia.* *Quid in omni actu agendum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et quamuis in nullo loco homo disciplinã deserere debeat, diligentius tamen, & magis sollicite ibi conseruanda est, vbi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodia bonæ imitationis exemplum. In nocte secum debent esse homines, & aut fessa membra somno reficere, aut orationibus, vel meditationibus sanctis in silentio animum exercere. In die verò de secreto suo in vnum coeunt, & ad rursum videndos se, & imitandos ostendunt. Ante cibum sumptum magis hilares nos esse conuenit, ne ipsa nostra abstinentia grauis, & molesta videatur. Post verò magis modestos, & tacitos, ne per gulæ vitium crapula nos inflammasse putetur. Quantum vero decoris addit diebus festis quies vacationis, tãtum ornamenti confert diebus cæteris studium boni operis. Itaque carnales quidem mentes, ne vel in istis in bono opere se exerceant pigritia ligat.

Quid in singulis locis agendum; & quid singulis temporibus.

Qualiter homo se habere debeat ad proximos.

Cap. LII.

Discretio personarum quantum quidem pertinet ad dilectionem secundum meritum, quantum verò ad venerationem secundum ætatem & officium habenda est. Meliores diligere, superiores honorare debemus: quia par est contumacia siue in eo, qui propter inferiorem gradum in homine virtutẽ despicit, siue in eo, qui propter inferiorem vitam gradum superiorem contemnit. Istis ergo honor, illis amor impẽdatur, sic tamen, vt honor istorum sit voluntarius, & illorum amor venerandus. Reuerentia enim sine amore magis seruilis est, & amor sine reuerentia puerilis iudicari debet. Sex denique modis discretionem personarum habẽdam ex his colligimus; tribus secundum dignitatem, & tribus secũdum conuersationem. Secundum dignitatem superioribus obedictiam, timorem, obsequium, & venerationem debemus exhibere; cum æqualibus pacem, & concordiã custodire, inuicem obsequio, beneficio, & honore præuenire. In omni actione & verbo superiorem locum eis tribuere, & si quãdo fortassis in aliquo negocio eos præire cogamur, cum omni humilitate & reuerentia, quæ facienda sunt non præcipere, sed demonstrare. Et si eos præcedere contigerit cum alacritate & deuotione quasi ex necessitate subiecti obedire. Inferioribus semper beneficium & auxilium impendere, nunquam improperare, sine contumelia corripere, sine superbia gubernare, sine crudelitate castigare, cum pietate fouere, venerationem non exigere, societatem atque qualitatem amare. Maioribus per timorem subdi, æqualibus per charitatem obsequi, minoribus per humilitatem coæquari. Præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi. Item secundum conuersationem superioribus quidem in omni loco, & in omni opere, & sermone exhibere studeamus reuerẽtiã; & quicquid egerint, aut vbicunq; fuerint virtutis exemplum imitemur, quodammodo taciti, tamen consortium cooperandi nunquam præsumamus expetere. Negligentes verò & maximè eos quorum opera, vel studia reprehensione digna apparent, tali nos cautela declinare oportet, vt & fugiamus, quod faciunt, & tamen non iudicare præsumamus quod sunt. Cogitemus in eiusmodi nobis neque dari exemplum neque permitti iudicium, quia fortassis hoc in eis ignorantia siue infirmitas excusat, quod si à nobis fieret excusationẽ non haberet. Cum medijs & æqualibus tanta nobis pacis & concordiæ seruandæ diligentia sit, vt in nullo vnquam negocio, quantum in nobis est, fraterna dilectio perturbetur. Studeamus iniuriam eis nunquam aut molestiam inferre, illatam vero propter amorem fraternæ charitatis æquo animo sustinere, nihil contentio se aut arroganter contra eos agere, sed parati semper in omni opere & pertinaciter insistentibus cedere, & laborantibus libenter subuenire. Et quia inter pares nonnunquam peruersa quædam virtutis æmulatio esse solet, *operam nostram neque ingeramus nolentibus, neque petentibus subtrahamus, quia in vtroque liuoris suspicio esse potest.* Si quando autem in aliquo forte negocio laborantibus opem ferre cupimus, tanta hoc humilitate & mansuetudine faciendum est, vt ijsdem ipsis manifestum sit, quod non excellentiam operis, sed consortium quæramus laboris.

Quid erga singulas personas agendum.

Qualiter habere se debeat in seipso.

Cap. LIII.

Cæterum quantum pertinet ad nos summopere nitendum est, nequando vel in labore minus patientes, vel in obedientia præceptorum minus alacres, vel in charitatis operibus exequendis minus inueniamur feruentes. Spiritualis doctrinæ studium non litigantes sed auscultantes requirit, sicut per Moysen dicitur: *Audi Israel & tace.* Et sicut Iacobus admonet dicens: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum & cætera*: quia qui linguam suam à multiloquio compescere non vult, non poterit animum suum diu à furore iracundiæ custodire. Sed dum præ alijs superbe sapientes videri volumus, erubescimus, vel nostram ignorantiam ab alijs argui, vel aliorum sapientiam quasi ad nostram depressionem approbari: sic nonnunquam contra nostram conscientiam; vel nostrum errorem impudenter defendimus, vel alterius veritatem malitiose impugnamus. *Hæc est sapientia huius mundi quam idem Apostolus carnalem vocat & diabolicam, quæ versuta est & maligna*, illas solummodo astutiæ vias exquirens; quibus possit suum errorem tegere, & alienam veritatem quamuis manifestam in opinione stultorum & insipientium hominum deprauare. Sed non talis sapientia, quæ desursum venit, quæ nescit etiam semetipsam contra veritatem diligere, semper parata; vel bonum, quod habet non habentibus humiliter impendere, vel bonum ab habentibus libenter petere, vel malum quod sustinet, cum alijs & coram alijs veraciter accusare. Et ipsa doctrina veritatis tales auditores amat, nec erubescunt magistros habere omnes à quibus discere possint, quod ignorant, qui benedicta omnium libenter approbant, errores vero alienos irrumpere student, vel modeste corripere, vel prudenter dissimulare. Qui denique studium scientiæ morum disciplina exornat, sicut cera nisi prius emollita fuerit, formam non recipit, sic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam virtutis non flectitur, nisi prius per humilitatem ab omni elationis & contradictionis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius aliquando in melius reformari poterit, qui adhuc per elationis vitium & bona aliena oppugnat, & sua mala defendit. In lectione diuina prius debetis quærere, quod mores vestros ad virtutem instruat, quam quod sensum acuat ad subtilitatem, magisque velle informari præceptis scripturarum quam quæstionibus impediri. Cum igitur diuinas scripturas legitis, solerter perpendite quid ibi dictum sit ad excitandum in vobis amorem Dei, quid ad contemptum sæculi, quid ad cauendas insidias inimici, quid discipliram in opere, quid humilitatem in cognitione, quid obedientiam in præceptis, quid patientiam habere in diuersis doceat. Et hanc ipsam sapientiam quam pro virtute libenter despicitis, melius postmodum per virtutem inuenitis. Sæpe opus, quod bona intentione inchoari creditur, tanto citius hominem in deceptionis laqueum præcipitat, quanto de intentionis suæ principio securus finem actionis non obseruat, & imprudens quasi via plana ad foueam currit, quia videt quid faciat, sed quid factum suum sequi debeat non attendit. Propter quod circumspectio homini vbiquè necessaria est, qua sollicite attendat, quid agat, quid agere debeat, si id quod faciendum est faciat, si quantum & qualiter faciendum est faciat, si bono operi malum aliquod non admisceat, si alterius bonum vt suum diligat, si suum vt alterius malum reprehendat, quantum ad bona agenda solito sit alacrior, quantum ad mala vincenda solito constantior,

Quales se debeant exhibere qui per doctrinã proficere volunt.

Deut. 6.

Iacob. 2.

Iacob 3.

Pulchra similitudo.

Quid in sacra scriptura meditãdum.

si in

ſi in aliquo opere ſuo inſidijs inimici ſupplantatus ſit, qualiter demum per iudicium tranſactæ deceptionis futuram illius fraudem caueri poſſit.

De diſciplina membrorum in generali.

CAP. LIIII.

DIſciplina eſt membrorum omnium motus ordinatus, & diſpoſitio decens in omni habitu & actione. Diſciplina eſt compes cupiditatis, malorum deſideriorum carcer, frænum laſciuiæ, elationis iugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis atque illicitos appetitus ſuffocat: ſic enim de incõſtantia mentis naſcitur inordinata motio corporis. Ita quoque dum corpus per diſciplinam ſtringitur, animus ad conſtantiam ſolidatur, & paulatim intrinſecus mens ad quietem componitur, cum per diſciplinæ cuſtodiam mali motus eius foras fluere non ſinuntur. Integritas ergo virtutis eſt, quando per internam mentis cuſtodiam ordinate reguntur membra corporis, ſed qui ſtatum mentis perdit, foras in inconſtantiam motionis defluit. Vnde per Salomonem dicitur. *Homo apoſtata &c.* Liganda ergo ſunt foris per diſciplinam membra corporis, vt intrinſecus ſolidetur ſtatus mentis, quatenus dum vndique exterior cuſtodia interiori mobilitati coercendæ opponitur, tandem mens ad pacem ſtabilem in ſemetipſa colligatur. Omnium namque vitiorum motus diſciplina coercet, & quantum mala deſideria foris coercendo comprimit, tantum per eam bonum deſiderium interius conualeſcit. Paulatimque eadem virtutis forma per conſuetudinem mentis imprimitur, quæ foris per diſciplinam in habitu corporis conſeruatur.

Diſciplina vtilitas mira.

Prou. 6.

De diſciplina ſeruanda in habitu.

CAP. LV.

QVatuor ſunt præcipue in quibus conſeruanda eſt diſciplina. In habitu, in geſtu, in locutione, in menſa ideſt in comeſtione. In habitu quinque modis; in genere, & qualite, in colore, & formatione, & coaptatione veſtimentorum. In genere ſcilicet ne ſint nimis precioſa. In qualitate ne nimis ſint ſubtilia vel mollia. In colore ne nimis nitida, ſiue quolibet alio modo ſupra quam diſciplina & propoſitum religioſæ conuerſationis expetit fucata. In formatione vt ſint decenter & religioſe compoſita, ideſt, ne nimis magna aut dependentia aut fluxa, ne nimis ſtricta ſiue quolibet alio modo ſecundum ſæculi vanitatem decorata. Coaptatio ad modum portandi pertinet. Nam ſunt quidam ſtulti, qui ſtultis placere cupientes quodam artificio veſtimenta ſua circa collum componunt. Alij vero maiori ſcurrilitate ridiculo ſe tranſuertunt. Alij autem, vt pompam de ſe faciant explicant ea, & quantum poſſunt latius diſtendunt. Alij temere corrugata in vnum colligunt, alij contorquentes & complectẽtes inuoluunt, alij toto conamine ſtringentes & findentes ea omnia corporis ſui lineamenta in verecundiſſima quadam turpitudine aſpicientibus numeranda exponunt. Alij iactando & ventilando pannos ſuos leuitatem mentis ſuæ ex ipſa habitus ſui mobilitate oſtendunt. Alij incedentes ſinuoſe firmate terram verrunt, & limbis dependentibus immo retro conſequentibus caudis in ſimilitudinem vulpium veſtigia obducunt, qui vt oſtendant ſe de numero illorum eſſe de quibus dicit Pſalmiſta: *Non ſic impij non ſic, &c.* Quocunque perrexerint quaſi turbo tempeſtatis puluerem concitant, & ipſi filij tenebrarum illud lumen foris oculis hominum ſubtrahunt, quod intus cœcata mente perdiderunt. Tædet me omnia vanitatis concilia numerare, in quibus ſtulti & vecordes mulieribus immo meretricibus ſtudia ſua auferunt, & tanto dedecore, quanta ſuperſtitione cum habitu penè ſexum mutauerunt, ſed gratia Dei omnes qui modo in religione cõſtituti talibus ſtudẽt, & per hoc hominibus placere cupiũt, omnibus hominibus magis viles & contemptibiles fiũt, & è conuerſo, qui hæc propter Deum deſpiciunt, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus honorabiliores, & chariores exiſtunt.

Pſal. 1.

Inuectio contra illos, qui de veſte gloriantur.

CAP. LVI.

EAnt ergo nunc miſeri & ſtulti honeſtatis ignari, eant & comant pannos ſuos, qui non intelligunt quam iuſte in viris religioſam vitam profeſſis, cultus precioſarum veſtium reprehenditur, qui per Apoſtolum Paulum in fœminis prohibetur. *Non*, inquit, *in veſte precioſa, videant quia ille diues, qui in euangelio, purpura & byſſo induitur*, poſtea in tormentis inferni æternaliter cruciandus ſepelitur. Quid autem in purpura, niſi color & precium, quid in byſſo, niſi mollities reprehenditur? Cum ergo carni ſuæ & in purpura decorem, & in byſſo molliciem adhibuiſſe dicitur; proculdubio ſimul ſuperbus & luxurioſus fuiſſe comprobatur. Si igitur ille quia proprijs abaſus, & tantam damnationem meruit, quid putamus iſti faciunt, qui propriam non habentes, alienam eleemoſynam cultui ſuæ elationis impendere non pertimeſcunt? *Væ eis, quia peccata populi comedunt. Væ coronæ ſuperbiæ & floridæ. Væ quia omnis caro fœnum & cætera.* Quid igitur ſuperbis puluis & cinis, fumus euaneſcens, & vapor ad modicum parens? Quid eſt homo niſi putredo, & filius hominis niſi vermis? *Vermis ipſe & vermis hæreditas eius.* Cum enim morietur homo *hæreditabit beſtias & vermes.* Quantumcunque excolatur & ornetur, quid eſt aliud caro quam caro? Quid igitur prodeſt in habitu, qui foris ad tempus adhæret gloriam quærere, & corruptionis putredinem, quæ in nobis eſt, & ſemper permanet non conſiderare? Propterea debent amatores religionis opere demonſtrare, quantum ipſi terrena deſpiciant, nec carnem quæ moritura eſt cultu ſuperſtitioſo excolere, ſed pompæ indumentorum morum ornamenta anteferre. Veſtimenta plus vilia, quam precioſa, plus groſſa, quam ſubtilia, plus aſpera, quam mollia, plus fuſca, quam nitida, plus neglecta, quam accurate compoſita vel apta, amare.

1. Tim. 2. Luc. 18.

Oſee 4. Eſai. 28. Eccl. 10.

Eccl. 10.

De diſciplina in geſtu.

CAP. LVII.

GEſtus eſt modus & figuratio membrorum corporis ad omnem habendi & agendi modum. Hic ſex modis reprehenſibilis inuenitur, ſcilicet ſi eſt aut mollis, aut diſſolutus, aut tardus, aut citatus, aut procax, aut turbidus. Mollis ſignificat laſciuiam, diſſolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus inconſtantiam, procax ſuperbiam, turbidus iracundiam. *Homo*, ait, *apoſtata, &c.* Ex dixit Dominus: *Pro eo quod elenatæ ſunt filiæ Syon, &c.* Nemo igitur deinceps putet parum delinquere eos, qui contra diſciplinam ad turpes motus & inordinatas geſticulationes membra ſua inflectunt, quia nunquam ſcriptura tam ſeuere iſtos exteriores motus corporis in nobis reprehenderet; niſi omnis exterioris hominis inhoneſta figuratio, & motio indecens ab interiori mentis corruptione manaret. Propterea multum eius diſciplina valeret ad coercendos prauos motus animi. Primum ergo diligenter obſeruandum eſt, vt ſingula membra ſuum teneant officium, neque vſurpent alienum: vt ſcilicet id agat vnumquodque membrum ad quod factum eſt, vt neque loquatur manus, neque os audiat, neque oculus linguæ officium aſſumat. Sunt enim quidam, qui niſi patentibus buccis auſcultare neſciunt, & quaſi per os ſenſus ad cor influere debeat, palatum ad verbum loquentis aperiunt. Alij, quodque adhuc peius eſt, in agendo, vel audiendo quaſi canes ſitientes linguam protendunt, & ad ſingulas

Geſtus conſiderationes pulchra.

Prou. 6. Eſa. 3.

actiones, velut molam labia torquendo circunducunt. Alij loquentes digitum extendunt, ſuperciliа erigunt,& oculos in orbem rotantes, aut profunda quadam conſideratione defigentes,cuiuſdam intrinſecus magnificentiæ conatus oſtendunt. Alij caput iactant, comam excutiunt,veſtimenta adaptando componunt,& latera cubitando, pedeſque extendendo ridiculam ſatis oſtentationis formam ſingũt. Alij quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, altera tantum collo detorto voci venienti opponunt. Alij typum neſcio quem figurantes, oculorum inter videndum alium claudunt, alium aperiunt:alij maiori ridiculo cum medietate oris loquuntur. Sunt præterea mille laruæ, mille ſubſannationes & corrugationes narium, mille valgia & contorſiones labiorum, quæ pulchritudinem faciei, & decorem diſciplinæ deformant. Eſt enim facies ſpeculum diſciplinæ, cui tanto maior cuſtodia adhibenda eſt, quanto minus ſiquid in ea peccatum fuerit celari poteſt. Temperanda eſt igitur facies, & modificanda in geſtu ſuo, ita vt nec proterue exaſperetur, nec molliter diſſoluatur, ſed ſemper habeat & rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Alij nauigant brachijs incedentes, & duplici quodam monſtro vno eodem oportet tempore pedibus deorſum in terra ambulant, & lacertis ſurſum in aere volant. Quod eſt quæſo monſtrum hoc, quod ſimul in ſe fingit,& hominis inceſſum, & nauis remigium,& auis volatum. Libet in hoc poëticæ illius ſubſannationis elogium proclamare.

Horatius in arte.

Humano capiti ceruicem pictor equinam.
Iungere ſi velit,& varias inducere plumas.

Adhuc de eodem.

Cap. LVIII.

IDcirco oportet vt ad hanc perturbationem ſedandam cuſtodia diſciplinæ opponatur, quæ vnũquodque membrum ad ſuum officium reſtringat, quatenus dum alterum membrum operatur, alterum autem omnino quietum maneat; aut ſi forte eius opera neceſſaria eſſe cognoſcitur ſuo motu ad cooperandum illi decẽter, & ordinate moueatur, vt nihil confuſe,nihil præpoſterũ in membris corporis agatur Eſt enim quaſi quędam reſpublica corpus humanum, in quo ſingulis membris ſua officia diſtributa ſunt. Dum ergo vnum membrum alterius membri officium inordinate ſibi vẽdicat,quid aliud quam concordiam vniuerſitas perturbat. Dumque aliud ſuo motu alterius motum impedit,certe illi quam natura moderatur diſpoſitioni contradicit.

Prima lex. Prima ergo eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu,vt vnumquodque membrum,in eo ad quod creatum eſt officio, ſe contineat, neque alterius miniſterium ſua admixtione confundat.

Secunda lex. Secunda eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu, vt vnumquodque membrum id, quod facit, eo modo atque mẽſura faciat,quo faciendum eſt; ideſt, nec plus, nec minus, nec aliter quam oportet faciat, quatenus in actu ſuo ſic & dirigatur, & moueatur, vt in nulla vnquam parte temperantiæ limitem, aut formam honeſtatis excedat: hoc eſt (vt in paucis exemplificemus) ridere ſine apertione dentium,videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuũ & intentatione; ſine contortione labiorum,ſine extenſione & iactatione capitis, ſine eleuatione ſuperciliorum. Incedere ſine modulatione greſſuum, ſine ventilatione brachiorum, ſine geſticulatione ſcapularum. Sedere ſine diuaricatione crurum, ſine alterutrum ſuperiectione pedum, ſine extenſione vel agitatione tibiarum,ſine alterna accubitatione laterum. Iacere ſine diſiectione membrorum; & vt tandem de hac parte finem loquendi faciamus, geſtus hominis in omni actu eſſe debet gratioſus ſine mollitie, quietus ſine diſſolutione, grauis ſine tarditate, alacer ſine inquietudine, matutus ſine proteruia, & ſeuerus ſine turbulentia. Mollem geſtum temperat turbidus, & turbidum mollis,diſſolutum procax, procacem diſſolutus, citatus tardum,tardus citatum,quia inter vitia contraria medius limes eſt virtus.

De diſciplina in ſermone.

Cap. LIX.

Quid loquendum. IN locutione quinque res ſunt obſeruandæ, hoc eſt, quid dicatur,cui,quando,vbi,quomodo.Quid,vt videlicet nunquam in ſermonibus diſciplinatis ocioſa adhibeantur. Ocioſa autem ſunt omnia, quæ ſunt aut inhoneſta, aut nociua, aut inutilia. Inutilia ſunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus proſunt. Inhoneſta, quæ vel illius qui loquitur, vel illius cui loquitur, vel illius de quo loquitur, dignitati non conueniunt. Nociua, quæ ſuis ſuaſionibus animos auditorum, ſiue ad errorem,ſiue ad prauitatem inducunt. Hæc tria duobus diſcerni poſſunt ideſt ſecundum qualitatem rerum,de quibus locutio fit; & ſecundum qualitatem perſonarum per quas, vel ad quas, vel de quibus locutio fit. Qualitas perſonarum quatuor modis conſideratur, ſecundum ætatem, quia aliud conuenit locutionibus iuuenum,aliud ſenum. Secundum ſcientiam, quia aliud locutionibus ſapientium, aliud ſimplicium. Secundum officium, quia aliud locutionibus ipſorum qui negocia exteriora tractant;aliud eorum qui ſecretioris vitæ quieti & ſtudio contemplationis inuigilant. Secundum ordinem, quia aliud conuenit locutionibus eorum, qui ſunt prælati, aliud qui ſunt ſubditi. Senes loqui debent de diſcretione bene conſulendi, iuuenes de inſtantia benefacieudi. Sapientes de myſterijs ſcripturarum, ſimplices de exemplis bonorum operum. Hi qui exteriora tractant negocia, de ſolertia acquirendi, hi qui quietam vitam ducunt de diſciplina viuendi, prælati de prouiſione ſubditorum, ſubiecti de obedientia præceptorum. Rurſum de diſcretione loquendi dictum eſt; *cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate,&c.* Sapientes velle docere ſuperbia eſt, & obſtinatos corripere inſipientia: quia iniurioſus eſt proximo, qui meliori non exhibet reuerentiam, & iniurioſus ſibi, qui non emendat, ſed prouocat erga ſe inſipientis veſaniam. Ergo qui cum alio loquitur, primo conſideret vtrum propter ſe an propter alium loquatur. Si propter ſui vtilitatem loquitur, videat, vt ille talis ſit de cuius colloquio vtilitas ei prouenire poſſit; ſi propter illum loquitur, caueat ille, ne talis ſit ille, qui vel ſua exhortatione non indigeat,vel ita in malo obſtinatus, vt exhortatione alterius corrigi ſe non permittat. Facile ergo cui ſit loquendum agnoſcimus, ſi id, quod dicitur, quale ſit, diligenter conſideremus:quia id profecto vnicuique magis dici conuenit, quod ad illud in quo ipſe plus laborat, malum ſanandum conſilio commodiori occurrit. Verbi gratia: Si cœperimus ſuperbis laudare conſtantiam, dum eos ad virtutem hortari credimus, amplius in ſuo officio confirmamus. Exhortemur ergo ad conſtantiam timidos, ad timorem ſuperbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem auaros, ad humanitatem pareos, ad parcitatem guloſos, ad conſilium temerarios, ad feruorem zeli tepidos, ad ſilentium verboſos, ad verbum exhortationis nimis tacitos, ad alacritatem ſegnes, ad manſuetudinem impatientes, ad iuſtitiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam procaces, ad quietem præcipites, ad prudentiam incautos, ad ſollicitudinem obliuioſos, ad modeſtiam inuerecundos, & omnino quicquid dicere volumus, cui dicendum ſit,ex ipſa prius noſtri ſermonis qualitate colligamus.

Qualitas perſonarum attendenda.

Cui loquendum.

Ecel.37.

Adhuc de eodem.

Cap. LX.

Vbi loquendum. SEquitur tertia diſcretio loquendi,vt cum aliquid dicere volumus, prius vbi illud dici conueniat conſideremus. Neque igitur in diuinis & ſacris locis fabulationes

tiones inducere, neque in illis locis, vbi de disciplina est agendum, quæstiones aut contentiones verborum ventilare, neque in illis, vbi de intelligentia diuinarum scripturarom tractandum est, exteriora negocia admiscere debemus, nec ea, quæ sunt pluribus dicenda in occulto edere, nec ea, quę sunt paucis reuelanda in manifesto propalare. Quarta loquendi discretio est, quando quid dicendum sit attendere. Tempus est quando nihil dicendum est, *quia tempus tacendi*: Et quando aliquid dicendum est, quia *tempus loquendi*. Tempus vero quando omnia, nunquam tempus tacendi. Tempus loquendi debet præcedere, quia prius per silentium tempore tacendi discitur, quid postea per verbum tempore loquendi proferatur. Aliquando tacere debemus, propterea quod alter prior loqui cœpit, aliquando propter multiloquium vitandum, aliquando quod hi qui præsentes habentur nequaquā tales sunt ad quos verbū debeamus facere, dū vel reuerētia dignitatis personę intenditur, vel malitia incorrigibilis, atque ideo indigna admonitione existimatur. Sapiens autem æque cauet, vel ne in eo tempore, quando loqui debet per negligentiam fileat, vel ne in omni tempore, quādo loqui decet per licentiam concessam in multiloquium cadat. Qualitas, idest modus loquendi in tribus constat. Vt loquentis gestus sit modestus & humilis, sonus dimissus & suauis, significatio verax & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, vt nec inordinate, nec impudice, nec turbulente inter loquendum membra moueat, neque oculorum nutibus, aut aliqua indecenti conformatione siue transformatione vultus placorem sui sermonis imminuat. Sonus demissus, ne in strepitu, & immoderata clamositate auditores aut terreat aut offendat, sed & cum veritate necesse est, vt sermo loquentis dulcedinem habeat, quia sæpe etiam veritas auditori amara efficitur, si aut sine ratione aut sine dilectione contra eum proferatur.

Prou. 25. Quando tacendum, & quando loquendum.

Quomodo loquendū sit.

De disciplina in cibo.

Cap. LXI.

De disciplina in mensa seruanda, & primo, in habitu & gestu.

IN mensa est duplex custodia disciplinæ, in habitu, & cibo. Disciplina in habitu tribus modis, tacendi, videndi, sese continendi. Taciturnitas inter epulas necessaria est, quoniam lingua, quæ omni tempore prona ad peccatum labitur, periculosius, cum per crapulā inflammata fuerit, ad loquendū relaxatur. Custodia oculorum, quia non decet ibi præcipue, vt impudenter ea, quæ apud alios aguntur, circunlustrando prospiciat, sed vt potius pudice dimissis luminibus, ea tantum, quæ sibi apposita sunt attendat. Custodia quoque continendi sese ibi negligenda non est, quatenus videlicet, neque in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur, sicut quidam faciunt, qui cum ad edendum assederint, inquieta quadam agitatione & cōfusione membrorum intemperantiam animi sui designant, caput excutiunt, brachia erigunt, manus in altum expandunt, & non sine magna turpitudine, quasi totum epulum sint absorturi, ingentes quosdam conatus & gestus indecoros ostendunt. In vno loco sedentes oculis & manibus, quæ prope, & quæ longe omnia circuncurrunt, simul panes comminuunt, vina in calices, & pateras effundunt, discos in gitum circunducunt, & velut Rex super obsessam ciuitatem assultum facturus dubitant, vbi primum expugnationem aggrediantur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscunt. His igitur tribus modis debet quisque inter epulas conseruare disciplinam in semetipso, videlicet, vt & linguam suam à loquacitate restringat, & oculos suos à circunspectione cohibeat, & cætera membra omnia cum modestia, & quiete contineat.

Adhuc de eodem.

Cap. LXII.

De triplici obseruatione disciplinæ in cibo, & primo quid cōedendum.

SEquitur etiam triplex obseruantia disciplinæ in cibo; quid, quantum, quomodo. Quid sumat id est, vt neque nimis preciosa & delicata expetat, nec nimis rara & insolita requirat, nec niniis ac celerate & lautè præparata concupiscat. In primo enim luxus arguitur, in secundo curiositas, in tertio superstitio. Sunt namque quidam quorū fauces satis ridicula infirmitate ægrotāt, qui nisi pinguia & delicata deglutire non possunt, sed quādo eis parci, ac frugales cibi oblati fuerint, statim aut indigestionem stomachi, aut pectoris siccitatem, aut obripilationem capitis, aut siqua sunt talia, aūt excusandas excusationes prætendunt. Alij delitias & luxum ciborum magna constantia aspernantur, sed ab eis iterum non minori aut tolerabiliori petulantia communium ciborum vsus omnino respuitur. Noua quidam & insolita ciborū genera exquirunt, ita vt sæpe propter vnius ventrem hominis per omnes circū pagos turba famulorum discurrat, & vix tandē vel de ignotis ātque desertis mōtibus procul radices euellēdo, vel paniculos de imis gurgitibus profunda scrutatione pisciculos trahēdo, siue intēpestiua de arentibus rubetis arbusta colligendo, vnius appetitus petulantiam compescere queat. Et mihi non satis pandere potest quod vitium istos exagitet, nisi forte, quia per quandam animi insolentiam multos ob id in suo obsequio occupari gaudent, siue quia per tumorem elationis cæteris omnibus quantum cibo dissimiles videri volunt. Alij superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent infinita decoctionum & frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cumino, modo sale cōdita, secundum consuetudinē prægnantium mulierum desiderantes. Hi profecto non solum arguendi, sed etiam deridendi sunt, qui quasi caupones ad omnem clepsedram eliciendi gustus gratia palatum extendunt.

Nimis rara, & nimis exquisite cocta.

Quantum comedēdum.

Sequitur custodia disciplinæ in eo quantum quis sumere debeat, cuius mensura hæc mihi esse videtur, vt neque contra honestatem neque supra necessitatem sit. Non omnis venter idem sapit, sed alius sic, alius vero sic, cui minus sufficit iste priusquam ad turpitudinem edacitatis perueniat, in superfluitate offendit, cui multum opus est in eo sępe honestas commedendi lędit priusquam ad superfluitatem veniatur. Ergo ille cui parum satis est magis superfluitatem caueat. Ille vero cui multo opus est, magis ad honestatem attēdat. Postremo est obseruantia in cibo quomodo quis sumere debeat, hoc est, quam munde, & quam temperate. Quidā inter cōedendum dum scutellas exornare volunt, quadrata ferculorū frusta adipensiue saginā super roratā distillantia mensalibus inuoluūt, aut superinijciunt donec iterum euiscerati interioribus, ea quæ remanserant in pristinū locū reponunt. Alij bibentes medio tenus digitos poculis immergunt. Alij vnctas manus ad vestimenta sua detergentes, rursus ad cibaria tractanda redeunt. Alij nudis articulis cochlearis vice olera sua piscantur, ita vt in eodem iure & manus ablutionem, & venter refectionem quærere videatur. Alij semicorrosas crustas, & præmorsas colliridas cibarijs iterando infigunt, & reliquias dentium suorum offas facturi in poculis dimergunt. Temperantiam manducandi intelligimus in eo, si homo tractim, & non cum nimia festinatione comedat.

Quomodo comedēdum.

De cognitione Dei per creaturas.

Cap. LXIII.

IDem *in libro de inuisibilibus Dei*. Tria sūt inuisibilia, Dei potentia, sapientia, benignitas. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiū decor, benignitatem

Inuisibilia Dei tria sũt.

vtilitas. Immensitas creaturarum constat in multitudine, & magnitudine. Multitudo in similibus in diuersis, in permixtis. Magnitudo est in mole,& spacio. Moles est in massa,& pondere. Spaciũ est in lato & longo, profundo & alto. Decor creaturarum est in situ,& motu,in specie,& qualitate. Situs est in cõpositione,& ordine. Ordo est in proprietate,& tẽpore, & loco. Motus est quadripartitus,localis,naturalis,animalis,rationalis. Localis est ante, & retro, dextrosum & sinistrorsum, sursum & deorsum,& circum. Naturalis est in incremento & decremẽto. Animalis est in sensibus & appetitibus. Rationalis est in factis & consilijs. Species est forma visibilis, quæ oculo discernitur, sicut colores & figuræ corporũ. Qualitas est proprietas interior, quæ cæteris sensibus percipitur, vt melos auditu,dulcor gestu, fragrantia olfactu,lenitas tactu.

Motus quadruplex.

Vtilitas creaturarum in quo consistit.

Vtilitas creaturarum constat in grato & apto, commodo & necessario. Gratum est quod placet, aptum quod conuenit,commodum quod prodest,necessarium est sine quo quid esse non potest. Mundus iste sensibilis quasi quidam liber est scriptus digito Dei,hoc est virtute diuina creatus,& singulæ creaturæ quasi figuræ.

De compositione creaturarum.

CAP. LXIV.

Considerãtio vniuersitatis.

COmpositio duo habere debet,aptitudinem, & firmitatem, hoc est, vt componenda apte & competẽter coeant,& composita firmiter cohæreant. Si vniuersitatis huius machinam intueris, inuenies, quam mirabili ratione & sapientia compositio omnium rerum perfecta sit,& quam apta,quam congrua,quam decora, quam cunctis partibus suis absoluta, in qua non solum concordiam seruant similia, sed ea etiam quæ creante potentia, diuersa atque repugnantia adesse prodierunt: dictante sapientia in vnam quodammodo amicitiam,& & fœderationem conueniunt. Quid repugnantius esse potest aqua & igne? quæ tamen in natura rerum ita Dei contemperauit prudentia, vt non solum adinuicem commune societatis vinculum non dissipent, verum & nascentibus cunctis, vt subsistere possint, vitale nutrimentum subministrent.

Dissimilia quam vite à Deo coagmentata.

Corporis humani compago mirabilis.

Quid de humani corporis compage loquar, cui omnium membrorum iunctũræ tantam adinuicem seruant concordiam, vt nullum omnino inuenire possit membrum,cuius officium alteri non videatur præstare adminiculum? Sic omnis natura se diligit,& miro quodammodo plurium dissimilium, & in vnum redactorum concordia vnam in omnibus harmoniam facit. Apta est ergo & conueniens omnium rerum compositio, sed quomodo est firma quis non videat? Quis non miretur? Ecce cœli, qui ambitu suo concludunt omnia,quomodo solidi sunt,& quasi ex ære fusiles desuper circunquaque expansi? Terra vero in medio pondere suo librata semper immobilis perseuerat, vt cætera in medio fluctuantia, hinc soliditas cœlorum illinc terræ stabilitas in vnum coerceant, & constringant, ne citra legitimos terminos diffusa, concordiam diuersitatis disrumpant.

**Id est viscera seu aquarum meatus.*

Ecce quomodo per viscera telluris intrinsecus dracones aquarum sparsi, & foris per alueos suos ad diuersa loca deducti,intus fatiscentem ne dissoluatur conglutinant,& foris ne fatiscant arentem rigant. Ecce quomodo in humani corporis fabrica iuncturas ossium vincula neruorum ligant,& medullis intus per fistulas tibiarum diffusis,canales etiam venarum, vitalem sanguinem per omne corpus deducunt, ac deinde teneritudinem carnium cutis tegmen inuoluit,vt & rigor ossium intrinsecus corpus sustineat,& pellis munimen foris defendendo custodiat.

De dispositione, vel ordine earum.

CAP. LXV.

Considerantia dispositionis rerum.

POst compositionem sequitur, vt dispositionem rerum qualis sit consideremus. In cælo luminaria & stellas collocauit,vt subiecta omnia illustrarent. In aere ventis & nubibus fecit viam, vt agitationibus suis dispersæ,pluuiam deorsum funderent. In gremio telluris moles aquarum recipi iussit,vt per gurgites suos hinc illincque quo nutus ferret iubentis discurrerẽt. Quasdam regiones ditauit vbertate frugum, quasdam vinearum, alias olerum,alias pecorum,alias potẽtibus herbis, alias gemmis pretiosis, alias animalibus & bestijs monstruosis,alias colotibus varijs, alias diuersarum artiũ studijs, alias metallorum,alias thymiamatum generibus diuersis, vt nulla prorsus regio sit, quæ non aliquid nouum & speciale ab alijs accipere queat. Quæcumque etiam humanis vsibus necessaria sunt in communi hominum frequentia, prouidentia creatoris constituit. Ea vero, quæ non natura propter necessitatem,sed cupiditas expetit propter speciem, in abditis terrarum finibus abscondit, vt quem amor virtutis ab immoderato non castigat appetitu, saltem laboris tædio victus conquiescet.

Nulla est regio quæ non aliquid nouum ab alia accipere possit.

Temporum dispositio.

Quid de dispositione temporum? Ecce post noctem venit dies, vt torpentes otio labor exerceat, post diem sequitur nox, vt fessos ad refocillandum quies excipiat. Iterum quemadmodum vicissitudines dierum & noctium animantia renouant, ita quatuor anni tempora ordine sibi succedentia totius mundi speciem immutant. Primum per teporem veris quadam innouatione mundus nascitur. Deinde per feruorem æstatis quasi in iuuentute roboratur. Post hoc superueniente autumno ad maturitatem conscendit,postremo succedente hyeme ad defectum vergit. Idcirco autẽ semper deficit, vt semper post defectũ renouari possit,quia nisi prius à statu suo deficerent vetera, quasi illis locum occupantibus non valerent exurgere noua.

Quatuor anni tempora proprietates.

Quinque sensus exteriores.

Omnes sensus foris intro veniunt, solus visus deintus foras exit, & eminus posita mira præ cæteris agilitate percipit. Bene ergo quasi speculator quidam eminentiorem locum cunctis obtinuit, vt quæ cæteris sensibus superuentura sunt ante periculum præuidere possit. Post hunc auditus & loco & nobilitate secundus est, deinde olfactus. Gustus autem qui nil sentire potest, nisi id quod tangit, merito velut tardior cæteris sensibus in imo resedit. Tactus specialem sedem non habet, qui ideo vniuersalis est, quia cunctis cooperatur sensibus. Vnde & in digitis pollex, quia tactum significat,coadunatis in vnum digitis,solus omnibus respondet,quia sine tactu nullus sensuum esse potest. Videte etiam quomodo in humano corpore ossa intrinsecus collocata sunt,quatenus robor corpus eorum sustineat. Deinde caro ossa vestit,vt duritia eorum mollita ita tactum excipiat. Ad vltimum pellis carnem induit, vt sua quodammodo tenacitate ab incommodis foris accidentibus corpus muniat. Sic cortes munit arbores, sic rostra & pennę volucres: sic qua animæ pisces.

De motu rerum.

Vide etiam quomodo in motu locali sapientia conditoris appareat. Cogita nunc vnde defluentibus aquis semper indeficiens vena ministratur, vnde motus ventorum educitur, quis infatigabilem astrorum cursum moderatur, quis Solem per hyberna descendere signa præcepit & similia?

De specie & quantitate earum.

CAP. LXVI.

De specie figurisque rerum.

SPecies est forma visibilis,quæ continet duo, figuras & colores. Figuræ autẽ rerum multis modis apparent mirabiles, aliquando ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia raræ,aliquando pulchræ.

Secun-

Secundum magnitudinem figura attenditur, quando res quælibet sui generis modū quantitate excedit. Sic miramur gigantē inter homines, cetū inter pisces, gryphonē inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconē inter serpentes. Vide quid magis mireris, dentes apri vel tineæ, alas griphis vel ciniphis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, aquilam vel formicā, Leonē vel pulicem, tigridē vel testudinem. Ibi miratis magnitudinem, hic paruitatē, corpus paruum magna sapientia conditum. Magna sapientia cui nulla surrepit negligentia. Illis dedit oculos, quos vix comprehendere potest oculus, & in tam exiguis corporibus, sic omnifaria liniamenta naturæ suæ congrua plenissime distribuit, vt nihil videas deesse in minimis eorum omnium quæ natura formauit in magnis. Rursus alia idcirco miramur, quia monstruosa quodāmodo sunt vel ridiculosa, quorum quidem plasmatio quantū ab humana ratione aliena est, tanto leuius humanum animum in admirationem compellere potest. Quare crocodilus manducans inferiorem malā non mouet, & quomodo salamandra in igne illæsa permanet? Quis dedit hericio spinas, & docuit eum, vt se pomis turbine discussis inuoluat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum? Formica hyemis superuenturæ præscia granis horrea sua replet, aranea quoque de visceribus suis laqueos nectit, vt prędam capiat, isti sunt testes sapientiæ Dei.

Miramur parua & magna in eodē genere.

Monstruosa & ridicula miramur.

Est autem adhuc aliud verum, & euidens diuinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus simile sibi procreat, & in tam multis similitudo vna propagata primæ originis formam nō immutat. Hoc quoque mirabile est quod in vno corpore tot construuntur mēbra, tot membrorum formæ, tot loca, tot officia, & cum sint ita diuersa in se, singula inuicem tamen cooperantur omnia.

Argumentū diuinæ sapiētiæ est vnūquodque sibi simile generare.

Post figurā sequitur color. Quid luce pulchrius? Quæ cum colorē in se non habeat, omnium tamen colores rerum ipsa quodammodo illuminando colorat. Sol sicut aurum rutilat, luna pallet quasi electrum, stellarū quædam sicut flāmeo aspectu radiant, quędā luce niuea micant, quædam vero alternatim nunc viridem, nunc roseum, nunc candidum fulgorem demonstrant.

De rerum varijs coloribus.

Quid de gemmis narremus? Ecce tellus redimita floribus, quam iucundum spectaculum præbet, quomodo visum delectat, quomodo effectum prouocat? Videmus rubentes rosas, candida lilia, purpureas violas, in quibus omnibus non solum pulchritudo, sed origo quoque mirabilis est, quomodo scilicet Dei sapientia de terræ puluere talem producit speciem.

De sensibilibus rerum qualitatibus.

Post speciem de qualitate rerum differere debemus. Tā diuersas Deus qualitates rebus indidit, vt ibi omnis hominis sensus sua oblectamenta inueniat. Quot enim oblectamenta oculorum in diuersitate colorum monstrauimus, tot oblectamenta aurium in varietate sonorum inuenimus: inter quæ prima sunt dulcia sermonum commercia, quibus homines adinuicem suas voluntates communicant, præterita narrant, præsentia iudicant, futura nunciant, occulta reuelant: adeo vt si his careat, vita humana bestijs comparabilis videatur. Quid autem concentus auium, quid humanæ vocis melos iocundum? Quid dulces modulos sonorum omnium commemorem? Sic est de olfactu ac cęteris sensibus.

Sermonis vsus.

De sapientia Dei in rerum creatione.

Cap. LXVII.

Homo quare factus.

Deus hominem propter se fecit, non quod ipse homine indigeret, sed vt homini quia melius nil dare potuit, seipsum fruendum daret. Aliam vero creaturam sic fecit, vt & subiecta homini esset per conditionem, & deseruiret ad vtilitatem. Homo ergo quasi in quodam medio collocatus, habet supra se Deum, subter se mundum, & corporo quidem deorsum mundo coniungitur, spiritu autem sursum ad Deum subleuatur. Necesse ergo fuit vt visibilium conditio ita ordinaretur, quatenus homo in eis foris agnoscere, quale esset inuisibile bonum, quod intus quærere deberet, hoc est, vt subtus se videret, quid supra se appeteret. Non ergo decebat, vt rerum visibilium copia aliqua in parte defectum sentiret, quæ ob id maxime instituta est, vt inuestigabilem æternorum bonorum affluentiam nunciaret: hoc est etiam cur Deus illa etiam creare voluit, quæ humanis vsibus necessaria non esse prouidit. Si enim sola necessaria tribueret, bonitas quidem esset, sed diues non esset.

Homo medium quiddam.

Cur Deus creauit non necessaria.

Certe cum homo multa facere desiderat magna facere non potest: quia tanto minus prævalet in singulis, quanto plura sunt per quę intentionis suæ conatus diuidit, Rursus cum ad magnitudinem nititur, à multitudine retardatur: quia multis præstare non sufficit vires, quas ad vnius rei effectū specialiter effundit. Simili modo minor diligentia decori corporis impenditur, quotiēs ad multitudinem solam siue ad magnitudinem perficiendam animus occupatur, sed in opere Dei, nec multitudo magnitudinem, ne magnitudo multitudinem stringit: neque simul, vel multitudo, vel magnitudo pulchritudini officit, neque pulchritudo vtilitatem tollit. Sed sic facta sunt omnia, quasi facta sint singula, vt cum vniuersa aspexeris, singula mireris. Immensitas creaturarum magis ad essentiam, decor vero magis pertinet ad formam, essentia vero absque forma considerata informitas est.

Dissimilitudo inter Deum & hominem operantem.

Quando autem informe est, in hoc quidem quod est, Deo simile est, sed in hoc quod forma caret, à Deo dissidet. Quod ergo formatum est magis Deo simile est, quam illud quod formam non habet. Vnde constat, quod plus euidens simulachrum est decor creaturarum, qui pertinet ad formam, quam immēsitas creaturarum, quæ ad solam spectat essentiam. Item decor creaturarum propter formam naturalem pertinet ad habitum, vtilitas vero ad actum, quia creaturæ in hoc vtiles sunt, quod subiectæ homini seruiunt, & obsequium reddunt. Quod autem ad habitum pertinet magis proprium est, & magis certum, quam id quod pertinet ad actum, quia habitum natura indidit, actum vero institutio adiunxit. Simulachrum ergo decoris immensitatem pariter & vtilitatem in cognitione præcedit: quia in manifestatione est euidentius. In hoc ergo primum vestigium contemplationis ponere debemus.

Quid ad essentiā creaturarum & ad formam pertineat.

De cognitione Dei per motus creaturarum.

Cap. LXVIII.

Decor creaturarū quatuor complectitur.

Decor creaturarum quatuor complectitur, situm, motum, speciem, qualitatem. Sed in his quatuor motum excellentiorem locum habere dubium non est, quia viciniora vitæ sunt mobilia, quam ea quæ moueri non possunt. Motus autē quadripartitus est, sed motus naturalis localem motum superat, quia in naturali motu non solum imago vitæ exprimitur, sed ipsa quodammodo vita inchoatur. Rursus animalis motus tanto naturali præcellit, quāto insensibili id quod sentit. Postremo rationalis cunctis superponitur. Ianua ergo contemplationis homini aperitur, quādo ipse se sua ratione ducente ad seipsum cognoscendum ingreditur.

Ex creaturis creator aeternus cognoscitur.

Si ergo intellectus esse non potest nisi intelligens, restat vt quē non semper intellexisse cognoscimus, non semper fuisse ac per hoc aliquādo cæpisse credamus. Si igitur inuisibile nostrum initium habuit, superest, vt nō de præiacenti materia sed de nihilo factum sit. Quod autem nihil est, esse sibiipsi dare non potest, & idcirco, quicquid initium habuit, dubium non est, quin ab alio esse acceperit. Quod autem à seipso non est, esse alijs dare non potest. Igitur quisquis ille est, qui rebus esse contulit ab alio esse non accepit. Quod inde quoque liquido comprobatur, quia si quicquid est creaturam esse credimus, nullum in rebus finem inuenimus. Nostra ergo nos natura instruit, quod creatorem habemus æternum, cui suum & proprium est,

Creatura hominis quomodo vtiles.

Proprium Dei est in se subsistere.

quod

quod ſubſiſtit, quia ſi ab alio eſſe accepiſſet, prima rerum origo veraciter dici non poſſet, Item, quod à ſemetipſo eſt, non eſſe non poteſt: quicquid enim à ſemetipſo eſt, huic idem eſt eſſe, & id quod eſt. Et conſtat, quod nulla res à ſemetipſa diuidi aut ſeparari poteſt: cui igitur idem eſt eſſe, & id quod eſt, neceſſario ſemper eſt, quia à ſemetipſo ſeparari nihil poteſt. Hanc cognitionem in rationabili motu inuenimus.

Ex quadruplici rerum motu Deus probatur. Vide D. Tho. in 1. Partẽ q. 2. art. 3.

Huic autem cognitioni cæteri quoque motus atteſtantur.

In animali nãque motu ſunt ſenſus & appetitus. Omnis autem naturalis appetitus in rebus explementum inuenit. Conſtat ergo, quia prouidentia præceſſit cuius conſilio hoc tunc cautum eſt, ne quod nunc indigentijs rerum neceſſarium præſidium deſit. qui enim appetitus inſtituit, ipſe appetitibus alimenta pręparauit. Idẽ motus naturalis probat: Sicut enim impoſſibile eſt, vt per ſe aliquid de nihilo fiat, ſic omnino impoſſibile eſt, vt per ſe ſe aliquid augmentum ſuſcipiat, hoc eſt, quod ſibiipſi dare non poteſt initium, ſibiipſi dare non poteſt incrementum. Quicquid enim creſcenti in augmentum venerit, præter id eſſe comprobatur, quod per ſe prius ſolum ſine incremento fuit. Si ergo nil creſcere poteſt niſi addatur ei, quod prius non habuit, patet quod nulla creſcens res per ſe incrementum ſumit, qui ergo creſcentibus dat crementum, ipſe exiſtentibus dedit initium. Idem motus localis probat, quaſdã namque creaturas perpetuo motu agitari cernimus, quaſdam vero ſecundũ tempus moueri videmus, & alias ſic atque alias ſic. Et licet iſtæ diſſimiliter res moueantur, nuſquam tamen ordo rerum confunditur. Vnde non eſt dubium, quin intus ſit diſpoſitio præſidentis, qui vnus certa lege cuncta moderatur.

Deus vnus eſt vide D. Thom. in 1. part. q. 11. ar. 3. & 4.

Vnus inquam, nam diuerſa intus conſilia præſidentium eſſent, ipſi ſe foris rerum curſus abinuicem aliquãdo diuiderent. Nũc autem omnia dum ſic concorditer ad vnum finem currunt, profecto indicant quia vnus eſt fons, & origo vnde procedunt. Sed quia vnum diuerſis modis accipitur, fas non eſt, vt exiſtimemus creatorem rerum aut collectione diuerſorum, aut compoſitione partium, aut ſimilitudine plurium vnum eſſe, cum illud etiam quod in nobis rationale eſt, horum omnium in ſemetipſo nihil poſſit inuenire. Vere autem vnum

Deus quomodo vnus.

eſt, quod eſſentialiter vnum eſt, cui totum eſt vnum eſſe, & ſimplex eſſe, quod eſt, ſed adhuc quædam res inueniuntur, quæ vere vnum ſunt, & tamen ſumme vnum non ſunt, ſicut animæ, quæ vnum ſunt eſſentialiter, ſed vnum non ſunt inuariabiliter: quod autem vere & ſumme vnum eſt, eſſentialiter & inuariabiliter vnum eſt.

Quod Deus mutari non poſſit localiter neque formaliter.

Cap. LXIX.

Deus non mouetur localiter.

TRibus modis fit omnis mutabilitas, loco, forma, & tempore. Localem autem mutationem facile ab eo remouemus, ſi eum vbique eſſe oſtendimus. Quod enim vbique eſt de loco ad locum tranſire non poteſt. Deum autem vbique eſſe multa ſunt indicia. Primum ipſa anima noſtra quam & ratio ſimplicem eſſentiam eſſe non dubitat, & ſenſus per omne quod viuificat corpus diffuſam eſſe probat. Quæcumque enim animati corporis pars læditur vnus eſt animus, vel ſpiritus ad quem ſenſus omnis doloris retorquetur, quod animo non fieret ſi vnus & idem vbique diffuſus non eſſet. Si ergo rationalis ſpiritus hominis cum ſit ſimplex per omne quod regit corpus diffunditur, dignum non eſt, vt ille creator ſpiritus qui omnia regit, & poſſidet, vno aliquo in loco coarctari, & non omnia potius implere credatur. Nam & ipſi rerum motus, qui tam certo, & tam rationabili vbique moderamine currunt, vitam intrinſecus mouentem eſſe oſtendunt.

Deus probatur vbique. vide D. Tho. ibidem q. 8. art. 2. Anima tota in toto, & tota in qualibet par. Vide Tho. in 1. par. q. 76. art. 8.

Nec tamen vllo modo credendum eſt, quod ſicut ſpiritus hominis cum corpore, quod ſenſificat, ita quoque creator ille ſpiritus cum corpore huius ſenſibilis, mundi perſonaliter coniungatur, quia aliter implet mũdum Deus, & aliter anima corpus. Anima implet corpus & continetur, quia circumſcriptibilis eſt. Deus implet mundum ſed mundo non includitur, quia vbique præſens nuſquam comprehẽdi poteſt, Præterea cum diuinæ virtutis effectus nuſquam deeſſe cernimus, cur eãdem Dei virtutem omnibus ineſſe rebus dubitemus. Si autem Dei virtus vbique eſt cum alia non ſit Dei virtus quam Deus, conſtat quia nuſquam Deus deeſt. Neque enim vt homo ad operandum aliena virtute Deus indiget. Quod ſi quis forte querat, quomodo diuina eſſentia quæ ſimplex eſt vbique eſſe poſſit, ſciat, quod aliter ſpiritus ſimplex eſſe dicitur aliter corpus. Corpus enim propter paruitatẽ ſimplex eſſe dicitur, cum autẽ ſpiritus ſimplex eſſe dicitur, non paruitas ſed vnitas ſignatur. Creator igitur & ſimplex eſt, quia vnus eſt, & vbique eſt, quia Deus eſt. Quod igitur in omni loco eſt, mutari localiter non poteſt, ſed neque formaliter. Quicquid enim ſecundum formam muratur, vel ſecundum augmentũ, vel ſecundum diminutionẽ, vel ſecundũ alterationẽ mutatur, ſed horum omnium diuina natura nihil recipit. Non poteſt igitur creſcere, qui ſemetipſo amplius nil recipere poteſt. Neque minui poteſt: quicquid enim ſemetipſo minus fieri poteſt, vere vnum non eſt, quia id quod in ſeparatione ſe diuidit, in coniunctione idem nõ fuit. Deus igitur cui totum vnum eſt eſſe, quod eſt, nullo modo ſemetipſo minor fieri poteſt, neque perfectio poteſt augeri neque vnitas minui.

Differentia inter Deum in mundo vtique diffuſum & animam in corpore poſitam.

Quomodo Deus qui ſimplex eſt vbique eſſe poſſit.

Deus non poteſt ſecundum formã mutari.

Quod Deus alterari non poſſit.

Cap. LXX.

ALteratio corporum fit in tranſpoſitione partium, & viciſſitudine qualitatum: alteratio ſpirituum, per cognitionem, & affectum. Secundum affectum mutantur ſpiritus, vt nunc triſtes, nunc hilares: Secundum cognitionem, vt nunc plus nunc minus ſapientes. Duo vero ſunt præcipue, quæ affectum operantis mutare ſolent, id eſt ſiue quia aliquid in præterito penitendũ fecerit, ſiue quia aliquid inordinatũ proponat de futuro. Sed quia Deus de facto non pæniteat, ſatis euidenter oſtendit immutabilis iſte curſus rerum omnium, qui ſic lege perpetua primæ inſtitutionis modum nõ deſerit. Quod vero nil inordinatum proponat, rationabilis probat euentus, qui in toto naturæ corpore nuſquam ſibi contradicit. Semper igitur immutabilis eſt voluntas Dei, qui nec mutat conſilium de præterito nec propoſitum de futuro. Sic quoque cognitione immutabilis eſſe credendus eſt.

Tribus modis mutabilitati ſubiacet humana cognitio.

Tribus enim modis mutabilitati ſubiacet humana cognitio, per augmẽtum, per diminutionẽ, per viciſſitudinẽ. Per augmentũ, vt quando dicimus, quod neſcimus. Per diminutionẽ, vt quando, quod ſcimus obliuiſcimur. Viciſſitudo autẽ quadripartita eſt, in eſſentia, in forma, in loco, in tempore. In eſſentia viciſſitudinẽ patitur humana cognito, quando nunc hoc nunc illud cogitamus, quia ſimul omnia noſtro ſenſu cõprehendere nõ poſſumus. In forma, vt quãdo idipſum nunc tale, nunc verõ tale attendimus, quia vtrũque ſimul nõ valemus. In loco vt quãdo nunc huc nunc illuc cogitationem ducimus, quia ſimul vbiq; cogitatione eſſe nõ valemus in tẽpore, vt quando nũç pręterita, nũc præſentia, nũc futura cõſineramus, quãdo nunc habitã cognitionẽ intermittimus, nunc intermiſsã iterũ reſumimus. Quomodo viciſſitudinẽ recipere poſſit ſapiẽtia, quæ omnia ſimul, & ſemel ſub vno viſionis radio cõprehendit? Simul, quia omnẽ eſſentiam, omnem formam, omnia loca, omnia témpora. Semel, quia viſionem nec intermiſſam recipit, nec habitam intermittit, ſed quod ſemel eſt, ſemper eſt, & quod totum eſt, ſemper eſt, omnia videt, & de omnibus omnia videt, & ſemper, & vbique videt. Quemadmodũ ſi totum corpus tuum oculus eſſet, nec aliud tibi eſſe,

Cognitio Dei qualis vide D. Tho. in 1. pa. q. 14.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& aliud videre esset, quocunque res se verteret præsens, tibi non esse non posset, & sub vno visionis ictu immobilis permanẽs cõprehenderes quicquid, quaquauersum in conspectu haberes, immo non nisi ante te cerneres quicquid circumquaque positum haberes, res transiret, & visio staret, & quocumque se sua mobilitate verteret stanti nõ nisi præsens esset. Nũc autẽ, quia ex parte vides mutabiliter vides, & cũ res videnti transit, aut videri desinit, aut secum visionẽ mutabiliter trahit. Quod si totus oculus esses, sic mutabiliter non videres. Quicquid igitur ex parte est, mutabile est: & quicquid ex parte non est immutabile est. Deus autem cui idem est esse, viuere, & intelligere, cum per essentiam ex parte non sit, nec per sapientiam ex parte esse poterit, sed sicut immutabilis est eius essentia, ita & eius sapientia.

Deo quomodo omnia præsentia.

Deus omnino immutabilis.

Quod Deus non propter opera sapientiam suam diligit, sed econuerso.

Cap. LXXI.

Deus diligit sapientiam suam non propter opera sed opera ob sapientiam.

HOmines sæpe solent diligere scientiã suã propter opus, nõ opus propter scientiã, sicut scientia agricolandi, texendi, pingẽdi, & cęterę huiusmodi, vbi prorsus peritia iudicatur inutilis, nisi cõsequatur in opere fructus vtilitatis. Absit autẽ, vt credamus, quod Deus sapientiã suam propter opera, quæ per illam fecit diligat, quin potius Deus omnia opera sua non nisi propter illam amat. Propterea enim dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, non in terra aut in cælo non in sole, & in luna, &c. quia, & ista si suo modo placita sunt, tamẽ non nisi in ipso, & per ipsum placere possunt. Tanto enim amplius amore suo digna sunt quanto vicinius ad eius similitudinem accedunt.

Matth. 3. & 17.

Beatitudo quidem nusquam rectius, quam in summo bono collocatus. Deus igitur solus, & proprie, & principaliter beatus est. Beatus autem quomodo esse potest cui idipsum non placet, quod est? Si igitur pater & filius, & amor patris & filij vnum sunt, & vnus Deus sunt: cum in solo Deo vera beatitudo sit, necesse est, vt & quisque amet seipsum, & adinuicem quisque alium. Neque enim beatitudo veraciter dici posset, immo potius summa infælicitas foret, si per contrariam voluntatem se diuiderent, & per eandem naturam abinuicem separari non possent. Sicut igitur natura vnum sunt pater & filius, & amor patris & filij, ita quoque voluntate & amore vnum non esse non possunt. Vno amore se diligunt, quia vnum sunt, nec aliud est, quod quisque amat in altero, quam quod quisque amat in seipso: quia non est aliud quod quisque est, quam quod alter est.

Deus pater & filius & amor patris & filij vnũ sunt.

Quod pater diligit in filio, hoc idem diligit filius in seipso. Et quod amor patris diligit in filio, hoc idem filius diligit in seipso &c. *Hic est*, inquit *filius meus dilectus in quo mihi complacui:* Hoc quod mihi de me placet in ipso est, extra ipsum non est, quia quod ego sum ipse est. Quia enim aliud quam ipse non sum, extra ipsum mihi placere non possum, quicquid mihi placet in ipso, & per ipsum mihi placet. Ipse est enim sapientia per quam feci omnia. In ipso æternaliter disposui quicquid temporaliter feci. Et tanto amplius vnumquodque opus meum diligo, quanto perfectius illud primæ dispositioni concordare video. Nolite putare, quod ipse tantum sit mediator in reconciliatione hominum, quia per ipsum etiam commendabilis & placita fit aspectui meo conditio omnium creaturarum. In ipso examino cũcta opera mea quæ facio, & non amare nequeo, quod intueor simile illi quem amo. Solus ille me offendit, qui ab eius similitudine recedit. Si ergo vultis mihi placere, estote ei similes, ipsum audite. Et si forte ab eius similitudine male agendo discessistis, ipsum imitando redite. In ipso datur præceptum vt persistatis, consilium vt redeatis.

Hic est filius meus dilectus pulchrè exponitur.

Deo patri placent omnia quatenus filio sunt similia.

Qualiter proficere debet vita hominis ex contemplatione.

Cap. LXXII.

QVid autem nobis prodest si in Deo cognoscimus maiestatis celsitudinem, & nullam inde nobis colligimus vtilitatem? Appareat ergo quod ibi fuimus, appareat quid ibi vidimus. Si ibi vidimus potentiam, apportemus lucem diuini timoris, si sapientiam, apportemus lucem veritatis: Si benignitatem apportemus lucem dilectionis. Potentia torpentes ad timorem excitet, sapientia ignorantiæ tenebris cæcatos illuminet. Benignitas frigidos calore charitatis inflammet.

Homo ex contẽplatione debet proficere.

Tres ergo dies sunt inuisibilis lucis, quibus interius spiritalis vitæ cursus distinguitur: Primus timor, secundus veritas, tertius charitas. Primus dies suam habet potentiã, secundus sapientiam, tertius benignitatẽ. Potentia ad patrem, sapientia ad filium, benignitas pertinet ad spiritum sanctum. Bonì dies isti qui nunquam transeunt. De illis propheta ait: *In diebus meis inuocabo.* Istis diebus homines impleri possunt, vbi futuris superuenientibus præsentes non transeunt, vbi numerus cum augetur claritas multiplicatur.

Tres dies lucis.

Psal. 114.

Primum homines sub peccato constituti per legem increpati sunt, & cæperunt Deum timere iudicem, quia cognouerunt iniquitatem. Ipsum ergo timere hoc iam erat cognoscere. Iam dies erat, sed necdum clarus, quia peccati adhuc tenebris caligabat. Venit ergo dies veritatis, dies salutaris qui peccatum destrueret, claritatem prioris diei illuminaret, & timorem non tolleret, sed in melius commutaret, sed necdum plena erat claritas donec adiungeretur veritati charitas. Nam ipsa veritas dicit: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, &c.* Ecce tres dies sunt, Dies timoris, qui manifestat malum. Dies veritatis, qui aufert malum. Dies charitatis, qui restituit bonum. *Nunciato ergo de die in diem salutare eius.* De his dicit Osee: *Viuificauit nos post duos dies &c.* Sicut ergo ipse vt nostram in se & per se salutem operaretur tres dies habere voluit, ita nobis vt nostram in nobis per ipsum salutem operemur tres dies dedit. Ideo enim sexto die mortuus est, septimo die in sepulchro iacuit, octauo die resurrexit, vt simili modo primũ potentia, in die suo per timorem nos à carnalibus desiderijs foris occidat, deinde sapientia in die suo per veritatẽ diuinæ liberationis à peccato nos intus in abscondito contemplationis sepeliat. Postremo benignitas in die suo per desiderium diuini amoris viuificatos exurgere faciat, quia sextus dies ad laborem, septimus ad requiem, octauus pertinet ad resurrectionem.

Hi dies in humano genere completi in nobis compleri debent.

Ioan. 16.

Psal. 93. Osee 6.

Tres dies nostri.

De duplici amore, & spiritualibus mansionibus Arcæ.

Cap. LXXIII.

IDem in libro de Arca Noe primo. Erat vnum & verum bonum hominis plena & perfecta cognitio sui conditoris, sed proiectus à facie Domini factus est vagus per inorditam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam. Cuius voce illud etiam apte subiungitur, *qui me inueniret occidet me*, quia mentem diuino desertam auxilio quæcunque tentatio impetierit, subuertit. Cor ergo hominis, quod prius amore diuino affixum stabile perstitit, & vnum permansit, postquam per terrena desideria diffluere cæpit quasi in tot diuisum est, quot ea sunt, quæ concupiscit. Sicque fit vt mens, quæ verum bonum amare nescit, nunquam valeat esse stabilis, quia desiderij sui finem in his, quæ amplectitur non inueniens, dum semper se desiderio extendit, sequens quod consequi non valet nunquam tequiescit.

Verum hominis bonũ quod.

Gen. 4.

Tẽtatio quacunque mẽtem gratia destitutam subuertit.

Huius mundi amor dulcis in principio esse videtur sed finem habet amarũ. Amor vero Dei ab amaritudine incipit, sed vltima eius dulcedine plena sũt. *Omnis nãque*

Amor Dei & amor mundi quomodo differant.

Ioan. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

homo id eſt carnalis, *primum bonum vinum ponit, ſed ſponſus noſter poſtremo.* Si Deum amare cupimus, primum eum agnoſcere ſatagamus, tanta eſt enim ſpecies pulchritudinis eius, vt qui potuerit eum videre, non poſſit non diligere.

Arca Noe moraliter exponitur.

Tres manſiones in Arca, ſignant tres ordines fidelium qui ſunt in ſancta eccleſia, quorum primi vtuntur mundo, licite tamen. Secundi fugiunt & obliuiſcuntur mundum. Tertij iam obliti ſunt mundum, & hi ſunt propinqui Deo. Quod in ſuperioribus arca contrahitur, in inferioribus dilatatur, hoc ſignat, quod in ſancta eccleſia maior eſt numerus carnalem vitam ducentium, quam ſpiritualium: ita vt ſemper quanto perfectiores tanto ſint pauciores. In ſupremo ad vnius cubiti menſuram arca contrahitur, quia Chriſtus caput eccleſiæ ſuæ qui eſt *ſanctus ſanctorum* per naturam conſimilem inter homines eſt & per virtutem ſingularem ſuper homines eſt.

Secundum illam ſententiam qua intrinſecus altitudinem arcæ diſtinximus in quinque manſiones, hæ ſunt quinque ſtatus, tres præſentis vitæ, & duo futuræ. Primus illorum hominum, qui dicuntur carnales ſecundus illorum qui animales, tertius ſpiritualium, quartus animarum à corpore exutarum, quiutus in anima & corpore reſurgentium, qui ſupremus eſt, & cubito ſupremo contiguus, quia tunc omnium deſideriorum noſtrorum finem ad vnum referimus.

De Arca intellectuali, quæ conſtruitur in corde

Cap. LXXIII.

Anima noſtra quomodo creatori ſimilis.

Idem in libro ſecundo. In hoc quodammodo rationalis anima ſimilitudinem habet creatoris ſui, quia ſicut in mente diuina omnium rerum cauſæ æternaliter ſine mutabilitate & diſtinctione temporali ſubſtiterunt. Ita etiam in mente noſtra præterita, præſentia, & futura per cognitionem ſimul ſubſiſtunt. Si ergo per ſtudium meditationis aſſidue cor noſtrum inhabitare cæperimus, iam quodammodo temporales eſſe deſtitimus, & quaſi mortui mudo facti, intus cum Deo viuimus. Habeamus ergo rectas, & vtiles, & caſtas cogitationes, quia de tali materia fabricabimus Arcam noſtram. Iſta ſunt ligna, quę in aqua miſſa natant, in igne poſita ardent, quia tales cogitationes fluxus carnalium delectationum deorſum non premunt, ſed flamma charitatis incendit.

Bitumẽ charitatem ſignificat.

Poſtea bituminabis Arcam tuam intus & extra. Nullatenus enim in ſecreto conſcientiæ tuæ ſuauiter pauſare poteris, niſi prius malos & extra per manſuetudinem tolerare, & intus didiceris per charitatem non odiſſe. Bitumen calidæ naturæ eſt, & naſcitur de terra fulminata, & charitas procreatur in anima timore diuini iudicij.

De oſtio & feneſtra arca.

Arca diluuij cordis noſtri ſecretum eſt, in quo latere debemus à ſtrepitu huius mundi. Sed quia noſtrę conditionis infirmitas diu nos in ſilentio intimæ contemplationis pauſare non patitur, oſtium ſignat exitum per operationem, ſane exitum qui fit per cogitationem, oſtium deorſum eſt, feneſtra ſurſum, quia actiones ad corpus pertinent, cogitationes ad animam. Hinc eſt, quod per feneſtram aues exierunt, per oſtium homines & beſtiæ. Quod autem per auem anima ſignificetur, & per hominem corpus, habemus in libro Iob vbi dicitur: *Homo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum.* Quoniam ſi nati ſumus in hac vita, vt ſi volumus animam per contemplationem ſublenare, neceſſe ſit corpus per exercitia laboris atterere. Quod vero oſtium in latere poſitum dicitur, hoc ſignat, quod nunquam à ſecreto cordis noſtri ad operationem exire debemus ex propoſito intentionis, ſed ex accidenti occaſione neceſſitatis.

De exitu actionis & cogitationis.

Cap. LXXV.

Actionum noſtrarum duo genera ſunt.

Actiones aliæ ſunt carnales id eſt quæ ad vſum corporis pertinent, aliæ ſpirituales, quæ pertinent ad inſtructionẽ mẽtis, ad vtraſque boni, & mali exeunt.

Quatuor modis per cogitationem eximus.

Quatuor modis eximus per contemplationem. Primus modus eſt quando conſideramus omnem creaturam quid ſit ex ſe, & inuenimus omnia eſſe vanitatem: quia omnis creatura ſicut de nihilo ad eſſe venit, ita etiam quotidiana immutatione indicat, quod quantum in ſe eſt ad nihilum tendit. Secundus quando conſideramus, quid ſit ex dono creatoris, & cernimus in ea diuinæ rationis ſimilitudinem, quia ipſa quæ pro ſua conditione mutabilitati ſubiacent, dum hoc ex beneficio creatoris accipiunt, vt nunquam prorſus eſſe deſinant, quodammodo opus temporale æterni opificis imitatur ſtabilitatem. Tertius quando conſideramus, quomodo vtatur Deus miniſterio creaturarum ad iudicia ſua implenda, ſiue pro ſua miſericordia beneficia largiendo, ſiue pro noſtro merito erogando ſupplicia.

Creatura tũ ex dono creatoris æterna.

In hoc genere comtemplationis odimus omnẽ creaturam tribus vocibus nobis loquentem. Prima vox dicit: *Accipe*, ſecunda dicit, *redde*, tertia dicit, *fuge*. Accipe beneficium, redde debitum, fuge ſupplicium. Prima vox eſt famulantis, ſecunda admonentis, tertia comminantis. Vox famulantis eſt cælum, dicit enim Miniſtro tibi lucem in die vt vigiles, tenebras in nocte vt pauſes. Ego ad obſecrationem tuam gratas temporum viciſſitudines pario, tempore veris & æſtatis feruorem, autumni plenitudinem, & algorem hyemis. Ego alternantibus incrementis dierum & noctium ſpacia ſimili ratione diſſimiliter extendo, vt & varietas tollat faſtidium, & tibi pareat oblectamentum. Aer dicit: Vitalem tibi præbeo flatum, & omne genus auium ad tuum mitto obſequium. Aqua dicit: Potum tibi præbeo, ſordes purgo, arentia rigo, & diuerſorum genera piſcium ad tuum eſum miniſtro. Terra dicit: Ego te porto, ego te nutrio, pane conforto, vino lætifico, omnium generum fructibus oblecto, diuerſis animalibus menſas tuas repleo. Vox comminantis eſt: mundus dicit: Vidè homo quomodo amauit te, qui fecit me propter te. Seruio tibi, quia factus ſum propter te, vel vt tu ſeruias illi qui fecit me & te propter ſe. Si ſentis beneficium, redde debitum. Accipe benignitatem, redde charitatem, hoc tribuit, & hoc exigit Deus.

Omnis creatura tribus vocibus nos alloquitur, ſcilicet, Accipe, Redde, Fuge.

Aeris vox.

Aqua vox

Terra vox.

Vox commonentis mũdi.

Vox comminantis eſt: Ignis dicit à me combureris. Aqua dicit: In me ſubmergeris. Terra dicit: A me abſorberis. Infernus dicit. A me deglutieris, quia omnis creatura ſicut ex conditione ſua homini famulatur, ſic etiam peccatoribus pro malorum meritorum conſcientia comminatur, vt in ſingulis creaturis perpeti timeant, quod ſe meruiſſe cognoſcunt.

Vox comminantis,

Quartus modus eſt, quo quando in eis cogitamus non naturalis infirmitatis ſubſidium, ſed libidinis oblectamentum: Hoc oculo Eua lignum vidit & comedit. *Gen. 3.*

De adaptatione exitus corui, & columbæ.

Cap. LXXVI.

Qui hoc modo per cogitationem exeunt, ſimiles ſunt coruo qui reuerſus non eſt, quia dum foris quod male delectat inueniunt, ad arcam conſciẽtiæ amplius redire nolunt. Reliqua vero cõtemplationum genera in exitu colũbæ figurata ſunt, quę vacua exiit, ſed vacua non redijt, quia foris inuenit, quod intus non habuit. Nec tamen foris amauit, quod intus detulit. *Gen. 7.*

Ramus oliuæ quid ſit.

Ramus oliuæ virentis, bonum mentis affectum demonſtrat, quia ſæpe ſancti quanto magis foris opera diuina aſpiciunt, tanto magis intus in amore conditoris vireſcunt. In primo ergo materia vanitatis inſpecta

in no-

in nobis generat contemptum mundi. In secundo simulachrum cationis laudem Dei. In tertio instrumentum dispensationis timorem & amorem Dei. In quarto cupiditas incentiuum libidinis. Hunc igitur exitum caueamus ne egrediamur temere. Nemo de conscientia sua cõfidat. Dina intus virgo, intus casta, intus columba fuit; sed quia columba fuit seducta non habens cor, egressa foras colorem pariter cum nomine mutauit. Quæ vi opprimitur patet, quia non ideo exit, vt corrumpatur, sed tamen quia temere exiit pudicitiæ suæ damna etiam inuita sustinuit. Quod autem subiungitur: *Conglutinauit eam sibi*, hoc est cadauer inuenit, & amplius ad arcam redire noluit.

Gen. 34.

Tres mansiones in intellectuali arca signant tria genera cogitationum, rectum, vtile, necessarium, sed inter has omnes præcipue vna necessaria idest charitas, quæ nos Deo coniungit; & ideo in supremo arca ad vnum colligitur, vt iam vnum cogitemus, vnum expectemus, vnum desideremus Dominum Iesum Christum. In prima ergo mansione est cognitio, in secunda opus, in tertia virtus, in supremo præmium virtutis Dominus Iesus Christus. Hos gradus habes in psalmo vbi dicitur, *bonitatem, & disciplinam, & scientiam*, si conuertas, scientiam, & disciplinam, & bonitatem doce me domine Iesu Christe.

Tria genera cogitationũ.

Psal. 128.

De seminatione & profectu ardoris sapientiæ.

Cap. LXXVII.

EX *libro tertio.* Per timorem seminatur sapientia, quia *timor Domini principium sapientiæ*, per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per deuotionem germinat. Deuotio est feruor bonæ voluntatis quem mens cohibere non valens, certis manifestat indiciis. Hæc diuiditur in tria, in zelum, & compassionem & beniuolentiam. Zelus est, dum pro amore iustitiæ defensorem vltro se offert animus, calumniam veritatis pati non sustinens. Compassio est, quod miseriis aliorum condolemus. Beneuolentia est, quando prompta voluntate beneficia rogata annuimu. Sexto loco sapientia per compunctionem oritur, propter seipsam vero quærenda est, sapientia nihil enim melius est, & ideo indignus est sapientia, qui aliud per ipsam, quam ipsam obtinere intendit, qui non vt possideat, sed vt venalem prostituat sapientiã quærit. Præterea si Christus est sapientia, qui sapiẽtiã pro humana laude quęrit, similis esse cõuincitur proditori Iudæ, qui Christũ vendidit. Igitur per timorẽ eximus de terra nostra, per gratiã de cognatione nostra, per dolorẽ de domo patris nostri, per fidem & deuotionẽ dominũ sequimur. Ac deinde sexto gradu terra nobis promissa per compunctionem demonstratur. Per timorem relinquimus censum terrenum, per gratiã & dolorem mutamus affectũ, per fidẽ & deuotionem confirmamus animum, per compunctionem inuenimus desiderium. Egressus aute de terra nostra, alia, terra à Domino ostenditur, quando nobis perfecte huic mundo mortuis, quædam iam de futuris gaudiis quasi de longe odorare conceditur. Afflatus enim spiritus cũ insolito gaudio animus hilarescit, & miratur quale ad gustandum esse possit, quod tam mire etiam per odorẽ reficit. Septimo loco per desiderium crescit, sicut cõpũctio incendio comparatur, ita desiderium simile est fumo, qui de incendio nascitur. Postquam autem per ignẽ compunctionis rudigo peccati à mente fuerit consumpta, & ille internus fulgor in corde micare cæperit, confestim animus in quanda contẽplationis speluncam subleuatur, ibique quodãmodo seipso altior effectus, quãdam (vt ita dixerim) lucidam regionem, & terrã nouam eminus prospicit; miratur subter se in imo quo prostratus iacuit, miratur super se in summo quo eleuatus tẽdit. Gaudet se iã tamen euasisse quod doluit, dolet se tamen adhuc abesse ab eo, quod diligit. Conatur igitur, festinat, crescit per desiderium, & quemadmodũ virgula fumi, quanto magis sursum tollitur tanto amplius extenuatur. Ita cælestibus appropinquans, & omnẽ terrenæ concupiscentiæ nebulã euaporans, totus spiritalis efficitur. Tandemque se humanis subducit aspectibus, dũ ad terrena ista & visibilia concupiscenda amplius exire recusans, intus in abscondito faciei domini gloriatur. Octauo loco per charitatem roboratur. Charitas similis est vino, quia quos inebriauerit reddit hilares, audaces, fortes, obliuiosos, quodammodo insensibiles. Nono loco per spẽ virer. Est enim spes quasi memoria quædã inuisibilium gaudiorũ, quæ in corde hominis recõdita calefacit illud intrinsecus, & nõ sinit arescere frigore infidelitatis in hyeme præsentis vitæ. Decimo loco per circũspectionem frondescit, & expandit ramos, In contẽplatiuis in altum surgit, in actiuis in latum se expandit.

Deuotio.

Zelus.

Compassio Beneuolẽtia.

Charitas vino similis.

De illis qui ramos expandunt in altum & non in latum.

Cap. LXXVIII.

SVnt vero nonnulli, qui per quietẽ diuinitus sibi cõcessam primo multũ in cõtẽplatione excrescunt, sed dũ vident alios simpliciores fratres, terrenis actionibus occupari, eos in cõparatione sui despiciũt, & dũ ipsi steriles sũt à bono opere, bona tamẽ opera in alijs nõ pertimescũt iudicare. Necesse enim est, vt in oculis eorũ veniãt aliena facta, qui de suis meritis sentiunt immoderata; Nec fieri posset, vt vitã alienã iudicare præsumerent, nisi prius in se tumuissent. Quæ tamẽ superbia primum se palliat sub specie boni zeli, & persuadet deceptę mẽti non esse perfectũ amatorẽ iustitiæ, qui consensũ præbet culpæ alienæ, cum videatur delicto alieno omnino cõsentire, qui negligit dũ potest delinquentẽ arguere. Huius igitur male prouida mens errore decepta, totam se curiositati dedit, & paulũ crescente morbo, dũ primum errata aliorum immoderata assuescit prosequi postremo ad hoc deducitur, vt quicquid viderit, vel aperte calũniari, vel sinistre interpretari conetur; vt si forte aliquos pro cõmuni vtilitate aliquantulũ sollicitari viderint, hos cupidos vocant, quos prouidos esse prospexerint auaros nominant. Eos autem qui se affabiles & hilares omnibus præbent, vitio adulationis inseruire dicunt. Illos vero qui sæpius tristitiam vultu præferunt, inuidia tabescere credũt. Et quos alacres & deuotos ministrando perspexerint, leues & inquietos esse asserunt. Quos debiles aut graues inuenerint, quasi pigros & inertes accusant, ac strenuos morbo hipocrisis laborare, & eos qui plus necessitati indulgent, luxui deseruire existimãt. Hunc quidem errorem multiplex confusio sequitur. Mala siquidem & pestilens curiositas, quæ secretũ alienum improbe scrutari contendit, sæpe quamuis nihil inueniat, quod iuste reprehendere possit, peruersa tamen suspicari non desistit. Si vero aliquid dignum reprehensione inuenerit, statim tumidam mentem, non ad compassionem, sed ad contemptum trahit. Contemptus autem iram excitat, quia in typo superbiæ inflatus animus intolerabile esse credit, quicquid ab eo sustinet quem despicit. Deinde ira in indignationem crescit, indignatio in contumeliam, contumelia odium parit. Inuidia vero animo tædium gignit, & suffocato gaudio interno in semetipsa conscientia tabescit, fitque sibiipsi grauis animus, & quasi plumbum immobibilis permanens sursum erigi non valet. Et qui prius pennis contemplationis cœlos penetrare consueuerat, nunc graui pressus pondere sub se cadit, perhorrescit tenebras suas, quas intus patitur, & si possibile esset aufugere, vellet semetipsum. Igitur relicta conscientia, foris funditur, terrenis se immiscet actionibus, vt vel occupatus obliuiscì possit malorum suorum. Et quia leuius esse iudicat omne malum, eo ipso quod intus tolerat, iam miser etiam dolores suæ occupationis foris amat. Et quia veram dulcedinẽ longo tædio palatum cordis gustare didicit, carnalis concupiscentiæ acetum sitiens anima cum desiderio bibit. Igitur iste, qui per sapientiam excreuerat de altitudine sua superbiuerit, & ideo bonum est ei vt pręscindatur, & assuescat in latum extendere ramos suos, bonũ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

est ei vt intermisso studio contemplationis ad tempus foras exire compellatur,& exteriora dispensanda suscipiat,vt discat experimento, quam difficile sit per officium exterioribus inseruire,& tamen per desiderium interiora non deserere,& cum se ad curam suscepti regiminis imparem esse agnouerit, tunc sciat, quid de his sensisse debuerat,quos prius in eodem loco positos inconsiderate despiciebat. Discat esse prouidus & circunspectus,& non torpescat præ ocio,vt ante periculum animum firmet,nec solum quid eueniat,sed quid euenire possit attendat.

De exercitio circumspectionis quod est in quatuor.

Cap. LXXIX.

Circumspectionem exercent quatuor,scilicet timor,cura, necessitas, affectus.

MOdi quibus circumspectio exercetur sunt quatuor,timor,cura,necessitas,affectus. Timor est anxietas periclitandi. Cura est sollicitudo euadendi incommodi,aut commodi adipiscendi. Necessitas est opportunitas debitum dandi aut indigentia accipiendi. Affectus est desiderium perfruendi. Timor premit,cura trahit,necessitas ligat,affectus vulnerat. Igitur ira Dei præ timore premit,vanitas mundi curas superfluas immittendo deorsum trahit,infirmitas nostræ conditionis diris nos necessitatibus ligat,inuidia diaboli illicitis desideriis nos inflammando vulnerat, sed in his omnibus Dei seruus exercetur ad præmium, & tunc quoque ei mala subiecta seruiunt, cum eum affligendo probant non subuertunt,quia conflictus vitiorum exercitia sunt virtutum. Et sicut sæpe cadendo discit homo qualiter gressum figere,& caute ambulare debeat:& in conflictu belli,qui frequenter plagatus est, cautius venientem ictum excipit:sic qui à diabolo sæpe decipitur, subtilius postmodum versutias eius deprehendit, & machinationes subuerrit. Et hoc est,quod multos videmus post magna scelera ad virtutum summam conscendere, & tanta virtute omnes diaboli conatus contra se erectos atterere,vt in quo prius se vicisse gaudebat, iam non se spoliasse,sed contra se potius eos armasse videatur. Ex tribus id est timore,necessitate,affectu, nascitur quartum idest cura. Quod enim timemus incidere, sollicite studemus euitare,& quod dolemus adesse sollicite studemus à nobis remouere,& quod desideramus adipisci sollicite studemus obtinere. Et si post affectionē passionis sequitur cura sollicitudinis,& post sequitur conatus in exercitio operationis,& per hoc cautela crescit circūspectionis. Et quia ex vicio nostræ corruptionis magis solliciti sumus pro eo adipiscendo,quod peruerse cupimus,vel eo euitādo,quod superflue formidamus, fit vt cautelā circūspectionis, quā in bonis studiis cōparare negleximus,per mala studia facile acquiramus. Sępe,qui animæ mortem non metuit,mori in carne pertimescit. Pro his euitandis laborant homines,quæ seruis Dei nō solum fugienda non sunt, immo etiam nonnumquam causa fructus eorum agnoscitur appetenda. Similiter sæpe homines pro carnalibus desideriis adimplendis plurimos labores graues,& amaros libenter tolerant, quos pro amore æternæ vitæ,vel ad modicum subire recusāt. Et dum per experimenta rerum multa discunt, quasi ex ipsa occupatione sua prudentiores fiunt. Sed tales aliquando miseratione diuina ab errore suo conuersi in bonis agēdis,tanto cautiores fiunt, quanto in malis perpetrandis prius studiosiores extiterunt. Vnde manifeste ostenditur hoc etiam eis profuisse,quod ad tempus derelicti videbantur,propter quod superius dictū est quatuor esse,quæ exerceant circumspectionem;timorem videlicet,curam,necessitatem,affectum.

De subdiuisione illorum quatuor.

Cap. LXXX.

Timor mūdanus triplex.

TRes sunt timores mundani,vel carnales. Timor vtilitatis,timor pœnæ,timor mortis. Quorum singuli curas suas generant. Necessitas autem duplex est,alia in debito dandi,alia in indigentia accipiendi. Aliter enim dicitur,necesse est tributum dare Cæsari, aliter necesse est dare escas ventri,vterque tamen exactor est, & Cæsar,& venter;vtrumque tributum est,& esca & pecunia; sed si proprie considerare volumus,minus nocet Cæsar tollendo pecuniam,quam venter accipiendo escam. Cęsar semel auferendo pecuniam sollicitudinem tollit,vēter autem sine intermissione exigendo escam nunquam nos sine sollicitudine esse permittit. Cæsar auferendo pecuniam magis nos alleuiat, venter accipiendo escam,& corpus nostrum pariter & animum grauat. Cæsar auferendo pecuniam per paupertatem humiliat,venter accipiendo escam per abundantiam ad vitia nos inflammat. Et vt breuiter concludam,ego per omnia miserabiliorem video eum, qui seruit ventri,quam illum, qui seruit Cæsari.

Necessitas duplex.

Debitores varij.

Necessitas,quæ in debito dandi est,multis modis accipitur. Debent enim prælati subiectis prouidentiam, subiecti Prælatis obedientiam,æquales æqualibus charitatem fraternam,sapientes insipientibus doctrinam,diuites pauperibus alimoniam. Et sicut de cura timoris dictum est,sic etiam singulæ necessitates generant curas suas. Affectus est desiderium perfruendi. Bona desideria sunt spiritalia,mala sunt carnalia. Spirituale desiderium quasi vinum dulce suauiter inebriat. Carnale quasi vinum acidum,& intoxicatum in furorem vertit aut necat;de illo dicitur,*Calix Domini inebrians, quā præclarus est*, De hoc autem,*Fel draconum vinum eorum.*

Affectus & desideria varia.

Psal.22.

De flore,& fructu arboris sapientiæ.

Cap. LXXXI.

Quomodo floreat arbor per disciplinam.

POst hæc arbor sapientiæ per disciplinam floret. In flore tria sunt,species,virtus,odor, quæ omnia per similitudinem in bono opere inuenimus,vbi futuræ tributionis præmium expectatur. Per exemplum fulget, per odorem demulcet,per virtutem fructificat. Fructus boni operis est virtus occulta rectæ intentionis. Proinpe quisquis vacuus à virtute bonum opus in oculis hominum foris exhibet,velut arbor est,quæ sine fructu floret. Per patientiam maturescit. Inchoata virtus non prodest nisi ad finem producatur. Per mortem capitur, vt ad conuiuium Regis æterni transferamur; ibi cibus Dei erimus,quia ei complacebit in nobis, & ipse cibus noster erit,quia nos delectabimur in ipso, vt illud prophetæ compleatur in nobis. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Concludamus ergo summum perfectionis gradum, vt dicamus per contemplationem cibat;de qua Psalmista dicit:*Adimplebis me lætitia,cum vultu tuo*. Ecce arbor sapientię nostræ per 15.gradus vsque ad summum incrementum peruenit.

Quomodo per virtutē fructificat.

Psal.16.

Psal.15.

De ædificatione templi in corde hominis.

Cap. LXXXII.

Vbi & ex quo ædificata domus Dei.

EX *quarto libro.* Locus in quo ædificari oporteat domum Domini,est cor hominis, materia cogitationes mundæ. Nemo se excusęt. Non est necesse maria transire,& ignotas exquirere regiones ad comparandos lapides precioſos, & marmora electa,nec cedros excelsas insciſas de Libano per alta maria nauibus conductibus aduehere, aut numerosa artificum millia congregare, qui & thesauros regum attenuare possent. Nihil horum à te postulatur. In te,& de te fabricabis domum Dei;artificum autem duorum est, Dei videlicet,& hominis. Deus enim qui dignatur cum homine habitare,non dedignatur sibi cum homine habitaculum præparare. Proinde non debet homo imperitiam suam aut infirmitatem considerans desperare,sed eum potius, qui secum operari dignetur attendere. Deus enim est virtus, & sapientia, & non potest aliquis aut cum virtute deficere, aut cum sapientia ignorare maxime

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum idem ipse sit, qui & nobis operatibus bonum cooperatur, & non operantibus vt velimus, & possimus operari bonum largitur.

In ædificatione considerandā.

In omni ædificatione tria sunt præcipue considerāda, ordo, dispositio, & definita dimensio, idest principium habens, & finem, & determinationes. Supereſt igitur nūc, vt inquiramus, qualem oportet esse ordinem, & dispositionem cogitationum nostrarum, vt ex eis construatur domus domini. Nam quia res mundanæ, quas inordinate appetimus infinitæ sunt, cogitationes quoque quas ex ipsarum rerum memoria intrinsecus excipimus finitæ esse possunt. Nam dum per singula momēta aliæ ex aliis exorientes multipliciter prodeunt, nec ipsi nos comprehendere valemus quo ordine vel quomodo ad cor veniunt, aut à corde recedunt, proinde si ordinatas, & stabiles ac quietas cogitationes habere volumus, ab hac immoderata distractione corda nostra cohibere studeamus. Hoc autem fieri poterit, si certas quasdam, & determinatas res nobis præscribamus, in quibus assidue, & intentio cordis nostri versari, & meditatio exerceri possit. Tria enim sunt, idest per infinita distrahi, in eodem semper perfistere, moderate vagari. Quorum vnum habere non possumus, vnum habere non debemus, & idcirco hoc solum supereſt, vt quia adhuc vere corde stabiles esse non possumus, interim saltem ab immoderata distractione corda nostra colligamus, vt dum semper nitimur minus instabiles fieri, semper magis ac magis incipiamus veram stabilitatem imitari. Et vt quod loquimur per exemplum manifestius fiat, in imo ponamus mūdum, in summo Deum, in medio collocemus humanum animum. Deinde consideremu deorsum in mundo isto magnam quandam & horribilem omnium rerum confusionem, & infinitam humanarum mentium distractionem; sursum autem apud Deum perpetuam, & inconcussam stabilitatem. Post hæc imaginemur humanum animum de hoc mundo

Arcæ forma.

sursum ad Deum ascendentem, & ascendendo magis ac magis in vnum se colligentem, & tunc perspicaciter videre poterimus formam arcæ nostræ, quæ in imo lata fuit, & sursum in augustam surrexit, quousque ad mensuram vnius cubiti in cacumine suo peruenirēt.

De reuocatione sponsæ ad sponsum.

CAP. LXXXIII.

Quare in abdito & obscuro loquitur Deus

PRimus homo postquam foris aurem ad suasionem serpentis aperuit, aurem intus ad vocem Dei clausit. Quia ergo auditum intus perdidit, quo Deum loquētem audiat reuocans nos Deus ad se deforis clamat, sed cum loquitur semper quasi occultari volens se subtrahit, vt mentem humanam, & per hoc quod loquitur de se amoueat, & per hoc, quod se occultando fugit ad se trahat. Irritat enim desiderium nostrum vt augeat, quia loquendo amorem suum in nobis excitat, & fugiendo vt sequamur inflammat. Tale est enim cor hominis, vt si quod diligit adipisci non valeat, amplius desiderio inardescat. Sic in Canticis canticorum. *Sponsus*

Cant. 2.

venit, stat post parietem, prospicit per fenestras & cancellos, vt quasi lateat, & non lateat. Mittit manum suam per foramen, tangit sponsam, & sono depresso voce tenui vocat eam, & dicit veni. Illa vt audit sponsum adesse surgit mox, festinat, aperit, brachia ad amplectendum parat, *liquescit anima eius, feruent præcordia eius, exultat, gaudet, tripudiat*, sed ille cum

Cant. 5.

teneri putatur, declinat, & subito quasi de mediis elapsus amplexibus fugit. Quid est hoc? Dum non quæritur quærit, dum non vocatur venit. Dum autem quæritur declinat, & dum vocatur fugit. Si non diligit, quare venit, aut si diligit, quare fugit? Diligit autem, & ideo venit, sed quia hic non diligit, ideo fugit. Hic non diligit, idest in hoc mundo, in hoc exilio, sed vocat nos ad terrā suam, ad patriam suam, quia non decet talis amor patriā istam, imminutio amoris esset vilitas regionis. Iucundus amor amænum quærit locum, ideo commendat nobis terram suam, ideo laudat patriam suam. Ideo dicit, *flores apparuerunt.*

Primi hominis natura ita à Deo ordinata & instituta fuerat, vt anima, quæ corpori præerat, per sensus quidē ministeria corporis foris impleret, sed intus per rationē semper ad creatorem suum intenderet, & nihil foris ageret, quod ex eius dilectione non procederet, & ad eius dilectionem non pertineret, ita vt omnem actum, & charitas imperaret, & ratio disponeret, & sensus impleret, atque perficeret. Sed postquam merito prævaricationis suæ electus est à facie Domini, factus est cæcus per ignorantiam mentis, instabilis per concupiscentiam carnis. Quibus ab illo in omnem posteritatem transfusis vniuersa mala exorta sunt. Proinde post illam primā rerum conditionem, quæ factæ fuerant, vt stantibus subesſent, necesse erat, & alia facere, quæ iacentes exigerent. Quæ tanto primis digniora sunt, quanto magis necessaria, & quanto dignitate præcedunt, tanto prolixiori tempore currunt. Illa enim sex diebus facta sunt, ista ex ætatibus fiunt. Sex diebus facta est rerum conditio, & sex ætatibns perficitur hominum reparatio.

De his, qui in arca non saluantur sed pereunt.

CAP. LXXXIV.

COnsiderare possumus tres species hominū in diluuio sine Arca; sunt infideles quos carnis desideria inuoluunt, qui præter hanc vitam transitoriam aliam esse nesciunt. In diluuio arcam habent, sed in ea non manent, hi qui vitam immutabilem esse venturam credere didicerunt, sed temporalium rerum delectationi animum suum subijciunt. Nam ibi quisque secundum interiorem hominem habitare dicitur, vbi cogitatione conuersatur. Itaque hi qui delectationem cordis, sui in vanitate huius mundi constituunt, quamuis arcam fidei habeant, intus tamen naufragi sunt, vt taceam cæteros mundi amatores. Quot modo literatos cernimus qui Christiani vocari volunt, & cum cæteris fidelibus ecclesiā intrant, & de sacramentis Christi participant, in quorū cordibus sæpius est memoria Saturni, & Iouis, & Herculis, Socratis, & Platonis, & Aristotelis, quā Christi, & sanctorum eius? Nugas poetarum diligunt, & veritatem scripturarum aut negligunt, aut quod peius est, irrident & contēnunt. Ego eis pronuncio, quia in fine eis sociandi sunt, quos nunc in cogitationibus suis per affectum cordis sibi coniungunt. Quid illis prodest habere fidem & nō manere in fide? quid illis prodest nauē integrā habere, & in fluctibus naufragium non dicā pati sed sponte facere? quid prodest veritatem cognoscere & falsitatem diligere? Non sunt tales, qui vere fideles, sunt. Audi qualis vnus eorum fuerit, & tales omnes intellige, *Lex Dei eius in corde ipsius*. Sola ergo nauis fidei mare transit, sola arca diluuium euadit. *Quamdiu caro cupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, omnis homo in hoc diluuio est, sed boni in eo sunt sicut hi, qui in mari portantur à nauibus. Mali vero sicut naufragi; qui inuoluuntur in fluctibus.

Contra viros literatos plus æquo vel poetica, vel philosophia addictos.

Psal. 36. ad Gal. 3.

Intelligamus ergo in nobis esse, quod fugimus, in nobis esse ad quod fugere debemus, concupiscentiam & fidem. Concupiscentia pertinet ad opera conditionis, fides pertinet ad opera restaurationis, quia & illa inordinate amando per concupiscentiam diffluimus, & ista pie credendo per fidem solidamur. Et idcirco diuina monita totiens nobis suadent mundum fugere, nō vtique vt extra cælum & terrā exeamus, sed vt in concupiscētia mundi nō maneamus. Excogitata enim mundi specie, nascitur corde affectus concupiscentiæ. Proinde si concupiscentiam mundi declinare volumus, prius necesse est vt memoriam mundi huius à cogitatione nostra excludamus Nam sicut oculus pascitur ex specie, sic animus ex cogitatione, & turpi quodam commercio impudica mens desiderio suo fruitur, dum quodāmodo intus per cogitationem rem concupitā amplexatur.

Quæ fugere debeamus & quia non.

Mundum fugere quomodo debeamus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sic etiam nonnumquam vt quod frequenter cogitamus ocioſe aliquando concupiſcamus illicite, reuſque facti iudicatur, qui per conſenſum in cogitatione delectatur. *Omnes res & ſine peccato & cum peccato cogitari poſſunt.* Cæterum quantum ad ipſas res pertinet, quia omnis creatura Dei bona eſt, nulla res eſt, quæ cogitari non poſſit ſine peccato. Rurſumque ſi prauos affectus attendimus, nulla res eſt in qua peccare nō poſſumus cogitando. Nam & de malo bene, & de bono male, de immundo munde, & de mundo immunde poſſumus cogitare. Legimus ſanctos viros non ſolum cogitaſſe, ſed & locutos eſſe, & ſcripſiſſe de rebus immundis, quod vtique non feciſſent, ſi cogitationes rerum immundarum animam inquinarent. Nihil intereſt quale ſit illud quod cogitatur, ſed qualis affectus ex ipſa cogitatione generetur: quia cogitatio mentem non polluit, vbi delectatio conſcientiam non corrumpit. Expedit tamen vt obliuiſcamur mundum, ne forte dum frequenter de eo cogitamus, ad eius concupiſcentiam inflectamur.

Quod per opera reſtaurationis vniuntur cogitationes diſtractæ per opera conditionis.

Cap. LXXXV.

Vnde oriantur cogitationum diſtractiones. SAtis vt reor aperte iam demonſtratum eſt, vnde hæc infinita quam patimur cogitationum noſtrarum diſtractio oriatur; à mundo videlicet, & à concupiſcentia eius, hoc eſt, ab operibus conditionis. Rurſumque quid ſit illud per quod colligi poſſunt in vnum cogitationes noſtræ, hoc eſt per opera reſtaurationis. Et quia ordo non eſſe poteſt vbi finis non eſt, ſupereſt vt relictis operibus conditionis, quæramus ordinem cogitationum noſtrarum ibi, vbi finitæ ſunt, hoc eſt in operibus reſtaurationis, hoc enim ſuperius inueſtigare propoſuimus; quiſnam videliter cogitationum noſtrarum ordo eſſe deberet, quatenus ex eis ſpiritualis domus ſapientiæ in nobis ædificari, poſſit. Et quia ex rebus cogitationes veniunt, oportet vt ex ordine rerum ſumatur ordo cogitationum. Deinceps ergo tractare incipiemus de opęribus reſtaurationis relictis operibus cōditionis; de quibus quaſi de quodam ſubterfluente diluuio egreſſi ſumus, & nunc in opera reſtaurationis quaſi in arcam ingredimur.

Quot ſunt opera reſtaurationis. Igitur opera reſtaurationis ſunt omnia, quæ ab initio mundi vſque ad finem ſæculi facta ſunt, vel facienda pro reſtauratione hominum in quibus & res geſtas, & perſonas ipſas per quas, & propter quas, & apud quas geſta ſunt, loca ſimul, & tempora, vbi, & quando geſta ſunt conſiderare oportet. *In operibus reſtaurationis quid cōſiderandum.* In operibus reſtaurationis tribus modis ordo conſideratur, ſecundum locum, ſecundum tempus, ſecundum dignitatem. Secundum locum, vt quid prope, quid longe geſtum ſit. Secundum dignitatem, quid humilius, quid excellentius geſtum ſit. Secundum tempus, quid prius, quid poſterius geſtum ſit. *Quatuor ſcripturæ ſenſus.* Hiſtoria longitudinem arcæ metitur, quia in ſerie rerum geſtarum ordo temporis inuenitur. Allegoria latitudinē, quia in participatione ſacramentorum conſtat collectio populorum fidelium. Tropologia altitudinem arcæ metitur, quia in profectu virtutum creſcit dignitas meritorum. Moraliter prima māſio eſt Fides, ſecunda Spes, tertia Charitas. Vel ſecundū anagogen prima manſio eſt cogitatio recta, ſecunda meditatio prouida, tertia contēplatio clara. Vel ſecundū operationem: prima māſio eſt ſcientia, ſecunda diſciplina, tertia bonitas. Vel ſecundum ſtatus differentes: prima manſio eſt natura, ſecunda lex ſcripta, tertia vero gratia.

De temporibus & quibuſdam arcæ expoſitionibus.

Cap. LXXXVI.

Aetates mūdi ſex. ITem *in libro quinto.* Ab Adam vſque ad diluuium prima ætas ſæculi continens annos mille 656. Secunda ætas à diluuio vſque ad Abraham continens annos 292. Tertia ab Abraham vſque ad Dauid habens annos 942. Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem continens annos 473. Quinta à tranſmigratione vſque ad aduentum Chriſti, habens annos quingentos 85. Sexta ætas nunc agitur nulla annorum ſerie certa, ſed vt ætas decrepita ipſa morte totius ſæculi conſumenda. Sunt & aliæ adhuc differentiæ, quibus altitudo arcæ diſtinguatur Prima manſio coniugati, ſecunda continentes, tertia virgines. Vel ita, prima manſio repentia, ſecunda ambulantia, tertia volantia. Item per ſingulos angulos aſcendentibus à frigore orientis, ideſt à ſuperbia. Prima manſio eſt timor, ſecunda eſt dolor, tertia amor. Aſcendentibus à calore occidentis, ideſt concupiſcentia carnis. Prima manſio eſt patientia, ſecunda miſericordia, tertia compunctio. Aſcendentibus à frigore occidentis id eſt ab ignorantia. Prima manſio eſt cognitio, ſecunda meditatio, tertia contemplatio. Aſcendentibus à calore orientis, ideſt à ſpiritus feruore. Prima manſio eſt Temperantia, ſecunda Prudentia, tertia Fortitudo.

De virtute Charitatis, quàm fortis ſit & chara

Cap. LXXXVII.

Omnes ſancti per charitatem cælum adierūt. IDem *in tractatu de laudibus Charitatis.* Quis ſanctorum à principio mundi extitit, qui non Charitatem nobis aut verbo, aut facto commendauerit? Charitas Abel martyrem fecit, Abraham de terra ſua eduxit; quia & ille per Charitatem innocenter mortem pertulit, & iſte natale ſolum libenter deſeruit: vterque per Charitatem terra cœlum commutauit. Conſideremus quot iam martyres per tormenta ad Regnum Cælorum tranſierint? Qualem ergo in eis vim amoris arſiſſe credimus, quos propter Deum nec ſibi pepercifſe videmus? Conueniamus nunc cor noſtrum, & videamus ſi acquieſcat nobis, omnia quæ mundi ſunt relinquere, non arridere proſperis, non condelectari blandis non congratulari lætis. *Domine imperfectum meum viderunt oculi tui.* Quam *Pſal. 138.* longè ab hac non dicam perfectione, ſed perfectionis inchoatione me video? Et certe hoc parum erat amicis Dei, vt pro amore æternorum iſta ſpernerent, iſta calcarent, ſed abiectis his omnibus alacriter ad votum currētes, nec minis terreri poterant, nec tormentis. Trahebat eos Charitas, & ideo nec trahebat cupiditas, nec deterrebat aduerſitas. Currebant ergo, mundum poſt ſe relinquebant, Deum ante ſe habebant; ſed interpoſita ſunt tormenta, vt interrogarentur, vel quo deſiderio hunc quærerent, vel qua conſtantia hunc deſpexiſſent. Interrogata eſt veritas, probata Charitas, confuſa iniquitas. Accedunt ad pœnas intrepidi, & quantum mentem amor intus vulnerauerat, tantum caro foras vulnera ſua deſpiciebat. O Charitas quomodo illis ſapiebas, quàm dulcis eis fuiſti, quos propter te ſuſtinere coegiſti? Quibus illos ad te vinculis traxiſti, quos mundo & per blandimenta detrahente, & per tormenta repellente. perdere tamen non potuiſti? Cucurrerunt quia tu eos contraxiſti, & tranſierunt quia tu eos iuuiſti, peruenerunt, quia tu eos ſuſcepiſti. Qui inextinguibiliter in præcordijs eorum arſiſti, quia nec probris, nec præmijs, nec pœnis obrui potuiſti. Iſta quaſi quæ- *Cant. 8.* dam flumina inundauerunt, ſed multa flumina, & aquæ multæ Charitatem extinguere non potuerunt. *Charitas quanti æſtimanda.* O Charitas quomodo laudabo te, ſi ſaperem te, appreciarer te. Si ſcirem quantum vales, precium appenderē pro te, ſed forte excedis anguſtias meas, nec inuenire potero precium tuum penes me; dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo, tota domus meæ ſubſtantia te commutabo. Et cum totum dedero, totū quaſi nihil reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes incunditates cordis mei pro te libenter impendam, vt te ſolam poſſidere valeam. Tu ſola mihi charior, tu ſola vtilior, tu ſola ſuauior, tu ſola iucundior amplius delectans, abundantius ſatiās, tutius ſaluans, felicius cōſer-

uans

uans alijs etiam annunciabo de te. Dic mihi ô cor humanum, quid magis eligis, semper gaudere cum hoc sæculo, vel esse semper cum Deo? Quod plus diligis, hoc potius eligis. Audi ergo vt corrigas dilectionem, non differas electionem. Vide quomodo totum tibi est dilectio, ipsa electio, ipsa cursus, ipsa peruentio, & mansio & beatitudo. Dilige ergo Deum, elige, curre, apprehende, posside, fruere. Iam inquis elegi qua via curram, vt perueniam, da socios ne aberrem. *Rectæ sunt viæ Domini, & iusti ambulant in eis.* Iustitia ergo est via, & iusti sunt, qui in via currunt, nulla via iustitia rectior, nulla societas iustorum melior, nulla requies Deo tranquillior, per Charitatem cor dilatatur, corde dilatato via iustitiæ curritur.

Osee.14. Iustitia via ad charitatẽ

Adhuc de eodem & de commendatione eiusdem.

Cap. LXXXVIII.

O Bona Charitas, quid amplius dicam de te? Ducẽ te dixi in via Dei. Quid si te ipsam viam ei dixerim? Adhuc inquit Apostolus: *Excellentiorem viam vobis demonstro* Tu es caput viarum rectarum. Omnes viæ rectæ à te exeunt, & in te recurrunt. Nam præcepta Dei viæ sunt eius, quæ omnia à te pendent, & in te consistunt. Tu es plenitudo iustitiæ, perfectio legis, consummatio virtutis, agnitio veritatis. Via ergo es ô Charitas. Qualis via? Superexcellens, suscipiens, dirigens, & perducens. Cuius via? Via hominis ad Deum, & via Dei ad homines. Tu Deum ad hominem deducis, tu hominem ad Deum dirigis, nec nisi per te ad alterutrum transire possumus. Tu mediatrix es, aduersos concilians, disiunctos socians & dispares quodammodo coæquans, Deum humilians, nos sublimans, illum ad ima trahens, nos ad summa erigens. Sic tamen vt nec abiecta, sed pia sit eius discensio, nec superba, sed gloriosa sit nostra exultatio. Magnam ergo vim habes Charitas. Tu sola Deũ tranere potuisti de Cœlo ad terras. O quàm forte est vinculum tuum, quo & Deus ligari potuit, & homo ligatus vincula iniquitatis disrupit. Nescio si quid maius in laude tua dicere possit, quam vt Deum de cœlo traheres, & hominem de terra ad cælum eleuares. Magna virtus tua, vt per te vsque ad hoc humiliaretur Deus, & vsque ad hoc exaltaretur homo. Cõsidero Deũ ex fœmina natũ, in fantẽ pannis obsitum, vagientẽ in cunis, fugẽtẽ vbera. Respicio postea cõprehensum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, sputis illitum, lanceatum, clauis fixum, felle & aceto potatum, illic indigna, hic dira passum, & tamen cur vel ita dignaretur, vel ita pateretur, si causam quærimus, aliam præter solam Charitatem causam non inuenimus: O charitas, quantum potes, si tãtum inualuisti erga Deum, quanto magis erga homines. Sed fortassis facilius vincis Deum, quàm hominem: quia quo magis beatum eo magis est Deo debitum à te superari. Hoc optime tu noueras, quæ vt facilius vinceres prius illum superabas. Adhuc nos rebelles habuisti, quando illum tibi obedientem de sede paternæ maiestatis vsque ad infima nostræ mortalitatis suscipienda descendere coegisti. Adduxisti illum vinculis tuis alligatum, sagittis tuis vulneratum, vt amplius puderet hominem tibi resistere, cum te videret etiam in Deum triumphasse. Vulnerasti impassibilem, & ligasti insuperabilem, traxisti incommutabilem, æternum fecisti mortalem. Hæc omnia fecisti, vt corda nostra emollires, & insensibiles affectus compũgeres, vt se à corpore suo resoluerent, & facilius ea sagittæ tuæ penetrarent. Nec incassum hoc fecisti: multi enim sic à te superati sunt, multi iam tibi manus dederunt, multi iam in suis præcordiis sagittas tuas infixas portant, & altius adhuc eas infigi desiderant, delectabiliter enim & suauiter vulnerati sunt, & plagas suas se percepisse, nec dolent, nec erubescunt. O charitas quanta est victoria tua? Vnum prius vulnerasti, & per illud omnes postmodum superasti.

1.Cor.12.

Charitas via ad Deũ.

A Charitate omnia præcepta dependent.

Charitas causa est cur Deus fit homo.

Charitas Deũ vincit.

Charitas etiam hominem superauit.

De commendatione laudis eiusdem.

Cap. LXXXIX.

CHaritas laudaui te quantum potui. Nescio enim si forte maius sit de te Deum dicere an Deum te superasse, quod si maius est etiam hoc libenter & fiducialiter de te dicam, Deus Charitas est, nunquid parum est Deum in se manentem habere; tantum est Charitatem possidere. Hoc priuilegium sola Charitas habet, vt Deus discatur & sit. Non enim dicitur Deus humilitas est, aut patientia, quia cum omnis virtus Dei donum sit, nulla præter solam Charitatem hoc habet, vt non solum donum Dei, sed & Deus dici possit. Reliqua igitur gratiarum dona largitur Deus etiam his, quos reprobat, solam autem Charitatem quasi seipsum his tantum quos diligit in præmium seruat. Charitas igitur est fons proprius, de quo non communicat alienus, quia quicunque illam habet non iam alienus est à Deo, *sed ipse in Deo, & Deus in eo manet.* Sic familiaris est Deo Charitas, vt ipse mansionem habere nolit vbi Charitas non fuerit. *Si quis, inquit, diligit me, &c.* Animam in qua Charitas habitat, superbia non inflat, inuidia non deuastat, ita non dissipat tristitia mala non vexat, & auaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, semper munda est, casta est, quieta est, pacifica, benigna, & semper modesta, & in aduersis secura, & in prosperis temperata, mundum contemnens, & Deum diligens, omnium bona amando sua faciens, & sua omnibus libenter impartiens. In quo Charitas Dei est semper cor sursum habet, & desiderium in superna eleuatum. Et si quando ambulat, si quando agit, si quando sedet, si quando quiescit, quicquid egerit coram Deo non recedet, tacens Deum cogitat, & loquens nil præter Deum, & quod ad amorem Dei pertinet, loqui desiderat. Alios ad charitatem exhortando seipsum inflammat. Charitatem omnibus cõmendat. Quam dulcis amor Dei, quam amarus & quam impurus sit amor huius sæculi, non solum voce, sed & opere quoque demonstrat. Deridet huius mundi gloriam, & sollicitudinem arguit. Miratur cæcitatem hominum, qui hoc diligunt, miratur quomodo iam dudum vniuersa hæc caduca omnes non contemnunt. Omnibus æstimat dulce esse, quod sibi sapit, & omnibus placere quod diligit, omnibus manifestum quod cognoscit. Istis indiciis Charitas se prodit. Igitur ô bona Charitas, quid dignum dicam laudibus tuis. Certe post tanta priorum præconia nil de te dicere mea paruitas præsumeret, vbi nunquam de te dici satis potuisset. Illabere igitur nobis ô dulcis, & suauis Charitas, dilata cor nostrum, & expande desiderium, amplifica cordis nostri habitaculũ, vt capere possit hospitem, & mansorẽ Deũ.

Deus Charitas est.

1.Ioan.4.

Ioan.14.

Charitas omnia peccata ex animo pellit.

Charitas Dei sæculi amorẽ pellit.

De meditatione in creaturis, & scripturis, & moribus.

Cap. XC.

IDem *de triplici meditatione.* Meditatio est frequens cogitatio, modum, & causam, & rationem vniuscuiusque rei inuestigans. Modum quid sit, causam quare, rationem quomodo. Tria sunt genera meditationum. In creaturis, in scripturis, in moribus. Primum surgit ex admiratione: secundum ex lectione, tertium ex circunspectione. In primo admiratio quæstionem generat, & quæstio inuestigationem, inuestigatio inuentionem. Admiratio est dispositionis, & quæstio causæ, inuestigatio rationis. In lectione autem sic considerandum: primo lectio ad cognoscendam veritatem materiã ministrat, & meditatio coaptat, oratio subleuat, operatio componit, contemplatio in ipsa exultat. Bona autem quædam sunt necessitatis, quædam voluntatis. Necessitatis sunt, quæ sunt in præcepto, & voto. De cæteris si quid supererogatur redditur, si nihil, non imputatur. Item meditatio in lectione est triplicis considerationis. Secundũ historiam

Meditatio quid sit & quotuplex,

Necessitatis bona quæ sunt in præcepto & in voto.

est, quando eorum quæ facta sunt vel rationem quærimus, vel admiramur suis temporibus, & locis, & modo congruo perfectam, secundum allegoriam meditatio operatur in dispositione præcedentium, futurorum significationem attendens ratione & prouidentiam coaptatam, sicut oportuit ad intelligentiam, & fidei formā fabricandam. In tropologia meditatio operatur, quem fructum dicta afferant, exquirens quid faciendum insinuent, vel quid vitandum, quid ad eruditionem, quid ad exhortationem, quid ad consolationem, quid ad terrorem scripturæ lectio proponat, & quid ad intelligentiam virtutis illuminet, quid nutriat affectionē, quid formam viuendi ad iter virtutis edoceat. Meditatio in moribus est secundum affectus, & cogitationes, & opera. In affectibus considerandum est, vt sint recti, sinceri, hoc est ad id ad quod debent esse. Et quomodo affectus est in eo ad quod rectus, & quomodo debet esse sincerus. In cogitationibus considerandum vt sint mundæ, & ordinatæ: Mundæ sunt quando neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones: Ordinatæ quando rationabiliter, hoc est tēpore suo adueniunt. Tempore enim non suo, etiā bona cogitare sine vitio non est, vt in lectione de oratione, & in oratione de lectione. In operibus considerandum est primum vt bona intentione fiant: itaque intentionem oportet esse rectam per discretionem, & simplicē per benignitatē. Secundo in operibus considerādum est, vt ex recta intētione inchoata, cum perseueranti feruore ad finē perducantur, vt ne perseuerantia torpeat, nec amor tepescat.

Meditatio morum triplex.

Munda cogitationes quæ tempore non suo etiam bona cogitare peccatum est.

Adhuc de meditatione in moribus.

Cap. XCI.

ITem meditatio in moribus duplici consideratione discurrit foris ad famam, intus ad conscientiam; foris quid expediat, & quid doceat: doceat ad exemplum, expediat ad meritum: nobis ad meritum, proximis ad exemplum. Intus ad conscientiam, vt si munda, quæ nec de præterito iuste accusatur, nec de præsenti iniuste delectatur. Itē in moribus, vt omnes motus cordis deprehendat vnde veniant, aut quo tēdant. Motus igitur cordis animalis aliquando manifestam habet originem, aliquando occultam: quæ manifeste bona est, à Deo est: quę autem manifeste mala, siue à diabolo est, siue à carne. Omnes inspirationes, quæ inuisibiliter cordi aduenīunt, ab istis procedunt. Quæ autem dubia sunt in origine probantur à fine. Et quæ mala sunt differunt, quantum quæ à carne sunt frequentius surgunt propter necessitatem, quæ vero à diabolo sæpius propter rationē. Item meditatio morum finem & directionem in omni conuersatione considerat. Finis est ad quod tenditur, directio quo facilius peruenitur. Qui directius pergit, citius peruenit. Sunt enim quædam bona in quibus etiam multum moueri parum est promoueri. Alia compēdioso labore fructum magnum adducunt. Et hæc ergo discernenda sunt, & eligenda magis, quæ magis prosunt. Multi hanc discretionem non habentes, plurimum laborauerunt, & parum profecerunt. Et quantū oculū foris habuerunt tantum ad speciē operis, & non intus ad fructum virtutis. Gaudebant enim magna se facere magis, quam vtilia exercere. Et dilexerunt potius illā in quibus videri possent, quam emendari. Item meditatio in moribus primum considerat, quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto; & ea primum agenda indicat: quæ sic facta habent meritum, vt non facta generent reatum. Post hoc siquid voluntarie superadditur, sic faciendum est, vt debitum non impediatur. Item meditatio morum duo mala in bona actione præcipue cauenda considerat, hoc est afflictionem, & occupationem. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur, per occupationem trāquillitas dissipatur. Afflictio est, quādo pro his quæ non valet per impatientiam vritur. Occupatio quando in his, quæ valet agendis per intēperantiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus suam impossibilitatem patienter sustineat. Ne autem mala occupetur, possibilitatem suam extra mensuram non extendat. Item meditatio morum probat, nec ea quæ non fiunt impatienter appetere, nec ea quæ fiunt insipienter fastidire. Qui enim semper, quod non facit appetit, & quod facit fastidit, nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur. Inchoata enim ante consummationem deserit, & inchoanda ante tempus apprehendit. Propterea bonum est bono suo esse contentum, & præsentia bona superuenientibus augere, non pro futuris abiicere. Leuitatis enim est bonorum commutatio, multumque diuersa currunt via, qui pro nouis vetera abiiciunt, & qui ab inferioribus ad superiora conscendunt. Qui enim mutationem quærit fastidiosus est, sicut qui profectum appetit studiosus.

Meditatio in moribus qualis.

Motus cordis vnde veniant.

De concordia misericordiæ, & iustitiæ in filij Dei incarnatione.

Cap. XCII.

Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, &c. Veritas erat in cælo cum iudice Deo; & Misericordia in terra cum homine iudicando. Vbi enim Misericordia esset, si cum misero non esset. Accepto igitur tempore, assumpta veritate descendit Deus vt rationem poneret cum homine. Quod cum vidisset Misericordia non ignara diuini consilii, perrexit obuiam illi, Deum cupiens mitigare, & placātum adducere. Ibi ergo *Misericordia, & Veritas obuiauerunt sibi*. Veritas affirmauit nequam homines debere merito damnari. Misericordia respondit eos vt boni fierent, spontanea etiam pietate debere vocari. Veritas dixit, quia Deus malis omnino parcere non deberet, Misericordia dixit, si nemini parceret Deus, & nūquam bonos haberet. Veritas dixit se nolle, nec posse tot scelera hominum tolerare. Misericordia respondit gratiam Domini ad indulgendum superabundare. Vidēs Deus tam diuersas sententias ad effectum simul procedere non posse. Ait scriptum est: *Misericordiam, & Veritatem diligit Deus*. Veritas autem vult vt totum imputetur. Misericordia vero vt totum condonetur, quæ simul fieri non possunt. Propterea peccatum hominis, & ex parte propter veritatem puniatur, & propter Misericordiam ex parte dimittatur. Veritas autem intrās cor hominis clamare cæpit, de terra hominem accusans, Misericordia vero non desistebat in cælo orare Dominū, pro homine postulans; homo confessionem ad salutem ore proprio faciebat, & Misericordia precibus suis Dominum ad iustificationem hominū compellebat. Veritas de terra per confessionem hominis oriebatur, & Iustitia de cælo prospiciens per Misericordiam Dei ad terras mittebatur. Quia ergo Misericordia cum Deo pro homine erat, & Iustitia, & veritas à Deo cum homine erat, iam inter Deum & hominem erat Pax pro Iustitia. Tunc ait iustitia ad Pacem. Nunquid satis est optimo mala dimittere, nisi etiam studeat bona conferre? Laxauit peccata per indulgentiam, nunc conferat virtutum dona per gratiam. Respondit Pax, & ait: *Dominus dabit benignitatem, &c.* Confessio criminis est in detestatione mali, confessio laudis in exultatione boni. Confessionē criminis parit timor, confessionem laudis amor.

Psal. 24.

Psal. 60.

Psal. 24.

De mundana consolatione & sequenti desolatione.

Cap. XCIII.

Væ vobis diuitibus, &c. Animæ rationali si vere saperet, præter verum bonum nihil saperet. Nunc autem primum malum eius factum est, vt illo sublato egestatem illius patiatur. Deinde secundum accessit, vt in alio bono consoletur vt illud non requirat. Perdito ergo eo quod intus erat bono, egressa est ad ea quæ foris erant bona aliena, & pactum fecit cum delectationibus sæculi, & regressa induxit eas ad se, vt fornicarentur cum eis intus in abscōdito cordis sui & requiesceret super eas, & non respiceret absen-

tiam

tiam boni sui, quoniam secum habet societatem alienā delectationum huius mundi ingredientium ad ipsam per sensus carnis ipsius, vel cum ipsa egreditur ad illas. Cum autem claudi cæperint portæ istæ sensuum carnalium, non patebit deinceps via transeundi adinuicem. Et tunc separabitur societas vanitatis, & erit mundus foris exclusus ne ingrediatur, & anima intus clausa ne egrediatur. Et veniet anima ad portas oculorum, & clausas inueniet, vt non egrediatur per visum. Deinde diffundet se per aditus sensuum reliquorum, & non erit transitus illius, quoniam repagula mortis perpetuæ inflexibili rigore & immobilibus seris valuas sensuum, & aditus cōmercii antiqui sine fine concludent. Tunc anima misera in hoc tristi discidio solam se inueniet, & conuertens se requirere incipiet illum socium, qui intus est, & excludi non potest, & non poterit habere societatem illius in desolatione sua, quia non requisiuit illum in consolatione sua. Tunc illa infœlix desperatione cadet à se, & dānatione sub se, & aperiet se profundum in obuiam ruenti, & cum illam exceperit continuo claudetur sursum, & aperietur deorsum, vt sine fine cadat, & ad finem non resurgat. Propterea dixit Dominus: *Orate ne fuga vestra hyeme fiat vel sabbato*. Quid enim est hyems nisi torpor mortis, & quid sabbatum nisi post mortem tempus perpetuæ vacationis. Hyems siquidem tollit ambulandi potentiam, sabbatum negat licentiam. Sic & imminentis mortis torpore astrictus homo à correctione præpeditur. Post mortem vero pœnitentia non recipitur. Hic grauatur ne bona opera exerceat, ibi ligatur ne damnationem euadat. Hic correctio grauis, ibi emendatio impossibilis. Propterea bonum est fugere iram venientem, priusquam sentire incipias imminentem. Ne vel voluntas nimis efficax sit sine opere, vel dolor inutilis sine correctione. Cogitet ergo anima in societate alienorum nunc posita, quia non poterit semper permanere cum illis, & eligat interim socium illum, qui cum omnia subtracta fuerint, solus fidem seruat dilectoribus suis.

Matth. 24.

De tribus bonis quibus placatur Deus.

CAP. XCIV.

Mich. 6. Iudicium triplex hominī faciendum.

Iudicare quomodo nos debeamus.

Inter nos & proximum quomodo iudicandum.

INdicabo tibi, ô homo, &c. quia & Deus, qui Trinitas est, non nisi trino sacrificio digne placari potest. Offer ergo iudicium filio, iudici misericordiam, Spiritui sancto charitatem, sollicitudinem paternitati; sic tamen vt non discretione numerorum vnitatem Trinitatis diuidas, sed singulis sua, & simul vni singula exhibeas. Primum enim iudicium faciendum est de teipso, deinde inter te, & proximum tuum, postremo de proximo tuo. In eo iudicio quo iudicas temetipsum, esse debes districtus; in eo quo inter te & proximum tuum iustus; in eo quo proximum pius. Teipsum iudica hoc modo: Considera diligenter, quid facis, & quid non, quid facere debes, & quid non. Postea hæc ad inuicē conferendo perpende, si idem est, quod facis, & quod debes. Quod si ita inueneris gaude, sin autem time. Inter te & proximū hoc modo vide, quid facis proximo, & quid faciat tibi. Si tibi facit bonum, & tu illi malum reddis, malus es. Si tibi malum facit, & tu illi bonum reddis, bonus es. De proximo tuo hoc modo: Vide, quid facit. Si certum bonum est paruum, existima magnum: magnum maius. Si dubium bonum est, verum puta: si certum malum est magnum, paruum: paruum minus iudica. Si dubium malum est bonum puta. Oportet ergo te primum facere iudicium, vt quod recte discernis opere compleas. Deinde diligere misericordiam, vt bonum, quod agis nō ex timore, sed amore facias. Postremo sollicitum incedere, ne vel bonum, quod nondum habes non merearis accipere, vel bonum quod habes amittas. In his tribus Trinitati in te operanti cooperaris per illuminātem sapientiam, & cum lucente rectum discernis per inflāmantē charitatem, & cum ardente misereris. Per prouidam vero paternitatem, & cum tuente temetipsum custodis. Per Trinitatem itaque cooperando trinitati, trinitatis imago efficieris, verum sacrificium teque ipsum Deo offers, cum ad eius similitudinem reformaris.

De morali expositione piscinæ superioris.

CAP. XCV.

De ratione & sensualitate animæ.

HIerusalem est anima, superior piscina est ratio, per quam comprehendit cælestia; inferior sensualitas, per quā affectat terrena. Superior piscina aquæ ductum habet in agro fullonis. Fullo est Christus, qui pannos suos calcat, quia electos suos per tribulationem emundat, vt eos super niuem dealbatos sibi vestimētum faciat. Ciuibus fullonis est ista conuallis lachrymarum præsens, scilicet mundus, in quo ad conculcandum proiecti sumus. Sed dum calcamur, vrimur, & mundamur, quia pressura tribulationis: & charitatem accendit, & culpam abluit. Iste est fullo, qui illa vestimenta fecerat, quæ *candida erant sicut nix, qualia non potest fullo facere super terram*. Iste agrum habet, vbi flores inueniuntur optimi ad colorandos pannos. Ager est Sancta scriptura, vbi pascuntur animalia Dei. In hoc currimus quando legimus: flores colligimus, quando præcepta discimus: pannos colloramus, quando præcepta implendo virtutibus animas nostras decoramus. Patientia est in rosa, & castitas in lilio, charitas in croco, & humilitas in viola, puritas in saphyro. Bene autem per agrum fullonis transit aquę ductus piscinæ superioris, qui est radius contemplationis. Per studium enim diuinæ lectionis aperitur via cordi nostro vsque ad contemplandū lumen diuinitatis, vt illuc quasi de fonte vitæ aquæ spiritualium donorum descendant per radium contemplationis ad irrigandum & implendum finem mentis nostræ. Piscina inferior, hoc est sensualitas habet quinque aquæ ductus, quinque sensus corporis, quos oblectamenta huius mūdi influunt ad replendum appetitum nostræ carnalitatis. Isti quinque porticus sunt, in quibus multitudo languētium iacet. Sed Angelus Domini secundum tempus in piscinam descendit, & mouetur aqua: quia dum diuina aspiratio peccatorem intus tangit, illico terrore iudicij conturbatur carnalis conscientia. Et quicumque post motionem aquæ in piscinam descendit sanus fit, quia diuina gratia præuentus peccator, si vere se ad pœnitentiā humiliat, & conscientiam impuram conueniens, aut acta mala districte diiudicat, de quolibet delicto veniam consequitur. *Congregatis, inquit, aquis piscinæ inferioris*, non enim vitium est aquas piscinæ inferioris bibere, sed congregare, quia licet nobis bonis trāsitorijs vti ad necessitatē, sed nō diligere ad superfluitatē. Si Hierusalē animas dicim⁹, domos Hierusalē corpora. Domos ergo Hierusalē numerare, est cōsiderata hominū multitudine, timere de defectu rerum, computare sumptus corporis, & nō confidere in munificentia largitoris. Vnde & post subiunxit: *Aquas piscinæ veteris collegistis, &c.* Murus exterior est corpus quo anima clauditur. Interior est ira naturalis, virtus animæ, qua vitijs iratscitur, & contra tentamenta munitur. Præter murum, & murum ad colligendas aquas lacum facere, est necessitatis loco cupiditatem admittere.

Isai. 22.

De amore ordinato, & inordinato.

CAP. XCVI.

Ex corde hominis fons amoris erūpit.

VNus fons dilectionis intus saliens, duos riuos infundit. Medium quippe est cor hominis vnde fōs amoris erumpit, & cum per appetitum ad exteriora decurrit cupiditas dicitur. Cum vero desiderium suum ad interiora dirigit charitas: & omnium malorum radix est cupiditas, & omnium bonorum charitas. Amor est delectatio cordis alicuius ad aliquid propter aliquod desiderium in appetēdo, in perfruendo gaudium, per desiderium currens, requiescens per gaudium: hoc bonum,

& hoc malum est tuum cor humanum, quia nec aliunde bonum, nec aliunde malum est, nisi quod bene vel male amas, quod bonum est. Nam omne quod est, bonum est. Nec qui amat, nec quod amat malum est, sed quod male amat. Ordinate ergo charitatem, & malum inde nullum est. Omnipotens Deus, qui nullo indiget rationalem spiritum creauit sola charitate, nulla necessitate, vt eum beatitudinis sui participem faceret. Porro vt ad id aptus esset, fecit in eo dilectionem spiritale palatum, per hanc sanctificans ad gustum dulcedinis internæ, vt ei semper inhærendo ipsum quo beatificanda erat bonum, & ex ipso sugeret, & de eo per desiderium biberet, & ex ipso gaudium possideret. Suge, ô apicula, suge suge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem suauitatē. Immergere, & replere, quia deficere nescit si tu non incipias fastidire. Adhære ergo, & inhære, sume & fruere. Si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. Igitur per amorē sociata est factori suo creatura rationalis, solumque est dilectionis vinculum, quod ligat vtrosque in idipsum, & tanto fœlicius quanto fortius. Propter quod, & vt indiuisa societas, & concordia perfecta vtrobique haberetur, & geminatus est nexus in charitate Dei, & proximi: vt per charitatem Dei omnes adinuicem vnum fierent: vt quod de illo vno, cui omnes inhærebant quisque in semetipso non caperet, plenius atque perfectius per charitatem proximi in altero possideret, & bonum omnium fieret totum singulorū.

Deus creando hominem quid fecerit.

Ordinanda est charitas.

Ordinate ergo charitatem, si desiderium est, amor bene currat, si gaudium bene requiescat. Tria quidē sunt, quæ amari bene aut male possunt. Deus supra nos, proximus iuxta, mundus subtus nos. Ordinate ergo charitatem. Si currat, bene currat. Si requiescit bene requiescat. Desiderium currit, gaudium requiescit. Propter quod gaudium vniforme est, quia semper in vno est. Desiderium autem motus mutabilitatem suscipit, & idcirco non se continet in vno, sed varias species representat. Tria Deus, duo proximus, vnum mundus habebat in cursu desiderij nostri. Et est in desiderio ordinanda charitas: amor namque per desiderium, & de Deo, & cum Deo, & in Deum ordinate currere potest. De Deo currit, quando à Deo accipit, vnde eum diligit. Cum Deo, quando eius voluntati in nullo cōtradicit. In Deū quando in ipso requiescere appetit. Duo sunt proximi, potest enim desiderium de proximo currere, vt de eius salute, & profectu gaudeat. Cum proximo, vt eum in via Dei, & comitem itineris, & socium peruentionis habere concupiscat, sed in proximo non potest, vt in homine spem & fiduciam suam constituat. Vnum est mūdi. De ipso currere, non cum ipso, aut in ipsum. De mūdo enim desiderium currit, quando inspecto foris Dei opere per admirationem & laudem ardentius intus ad ipsum se conuertit. Hæc est enim ordinata charitas, & præter ipsam omne quod agitur est inordinata cupiditas.

In desiderio ordinanda est charitas.

De sapore & nutrimento verbi Dei.

Cap. XCVII.

Psal. 118. Verbum Dei cibus est mētis non ventris.

Quam dulcia faucibus meis, &c. Verba Dei vtique cibus sunt, non ventris, sed mentis; immo ieiunium ventris, & cibus mentis. Cibus corporis tria habet in se. Sapor delectat, nutrimentum sustentat, massa onerat. Sapor ad palatum pertinet, nutrimentum ad naturam, massa ad miseriam. Vnde palatum percipit saporem, & stomachus nutrimentum & massam; alterum ad refectionem, alterum ad grauamen. Nutrimentum vt illud in corpus traiiciat, massam vt illam eiiciat. Sapor quod amodo spiritualis est, & ideo solummodo delectat non grauat. Inde est, quod fames in faucibus saciari nunquam potest, quia ibi nec appetitus mēsuram habet, nec delectatio finem. In stomacho autem sacietatem recipit, & delectatio finem. Nam quia ille nutrimentum, quod sustentat non percipit sine massa, quæ grauat; ne id, quod prodest vltra modum appetere incipiat, ipsa quam simul percipit illum onerando refrænat. Ergo frater cum manducas noli interrogare fauces tuas si satis est. Quod si iudicium illarū sequeris, priusquam illas delectatione repleas, stomachum tuum onere suffocabis. Ventrem potius de mensura edendi consule, & priusquam illum dolere concipias, fauces ab auiditate compesce, hoc tamen de omni cibo corporali intellige. Nam de refectione spiritualis cibi fauces potius, quam venter consulendæ. Habet quippe spiritualis cibus, idest, verbum Dei similiter saporem suum, qui fauces spirituales delectat, nutrimentum, quod spiritualem substantiam pascit, & vegetat, & massam, quæ infirmitatem premit, & grauat. Fauces spirituales dicimus palatum cordis. Sapor Dei est verbi gustus internæ dulcedinis. Anima autem ipsa substantia est spiritualis. Nutrimentum verbi Dei est exercitiū virtutis, massa vero pondus laboris, quia ergo sapor ille internæ dulcedinis sine fastidio sumitur, & quasi de quodam spirituālis cibi gustu fauces cordis delectationem percipiunt, sed saturari non possunt. Quia vero exercitium virtutis quo anima pastitat non sumitur sine pondere laboris, quo caro grauatur, quasi quidā sensualitatis nostræ stomachus dum cibum boni operis exercendo percipit, ne virtutem qua reficitur vltra modum appetat, ipse eum quo premitur labor operis castigat. Non igitur ait: *Dulcia* ventri meo, sed *faucibus*; ac si diceret: Per verbū quidem tuum Domine vēter carnalitatis premitur, sed palatum cordis intus sapore dulcedinis delectatur, quia & si foris infirmitatem grauat labor operis, intus tamen desiderium pascit dulcedo, & gustus suauitatis. Hinc est, quod dilectus ille Ioannes de se perhibet dicēs, *Accepi librum, &c.* Sic & tu frater deuora librum vitæ, verbum Dei auide comede, & noli propterea dulcedinem saporis eius deserere, si aliquid amaritudinis sentis in ventre.

Psal. 118.

Verbum Dei auide comedendum.

Differentia inter verbū Dei & cibū ventris.

De humilitate, qualiter deficit, vel proficit.

Cap. XCVIII.

Dvobus modis diabolus in nobis humilitatem impugnat, per iniuriam videlicet, & per rēuerentiā. Nos vero si culpas nostras & miserias attente inspicere volumus, tunc fortassis, nec indignum iudicabimus, si nobis inferatur iniuria, nec dignū si reuerenria exhibeatur. Mens etenim hominis citius in laude sua decipitur, quia quod libentius accipit, difficilius repellit. Nam dū bona sua nonnunquam foris laudari audit, & se tantummodo testimonio veritatis consensum præbere existimat, non ipsa eam veritas, sed adulatio potius delectat. vt autem prorsus ab elationis vitio innocens esse videatur, maiori adhuc calliditate se palliat. Et postquam id, quod de se dictum est, verum esse consenserit, nec vllo modo sibi tribuere existimet, statim se ad gratiarum actionem vertit. Hoc autem non ad humilitatem ei, sed ad elationis augmentum proficit: quantum tanto iam fiducialius apud se extollitur, quanto manifestius bonū suum non à se, sed à Deo esse cōfitetur, pharisiaca prorsus superbia dicens: *Deus gratias ago tibi.* Et videquomodo vitus pestilentiæ paulatim se diffundit, dum mens in sui admiratione occupata deffigitur, paulatim iam & eū à quo habet obliuisci incipit, & quasi iam sibi sufficiat quod est, mala sua amplius ad memoriam reducere non dignatur. Tunc hostis postquam intus cor mundum videt opprobria foris, & iniurias admouet: quia scit, quod decepta mens tanto iam eas impatientius susceptura sit, quanto in se nihil nisi quod laude dignum est agnoscit.

Luc. 18.

Per tria aduersus illatā cōtumeliam humanitas se defendit.

Tria denique sunt per quæ humanitas aduersus illatam contumeliam se defendit. Primum vt consideremus culpam nostram, qua meruimus vt talia patiamur. Deinde, quia quotiens ad nostram læsionem excitatur proximus, hic quasi non ille, sed in illo iusto iudicio suo ad nostram probationem siue iubēdo siue præmittendo

operetur

operetur Deus. Postremo,quod malum agenti nõ irascendum,sed compatiendum sit,sicut corporaliter infirmanti:quia omnis,qui male agit, non quasi ex virtute agens, sed quasi à virtute deficiens, & velut quadam phrenesis ægritudine laborans, pie tolerandus est. Prima ergo consideratio suadet nobis iustitiam, secunda reuerentiam, tertia misericordiam. Contra reuerentiam autem & laudationem per eandem malorum suorum memoriam hoc modo se defendere humilitas non attendat, neque cogitet vtrum verum sit quod de se dicitur, aut dignum,quod sibi exhibetur,sed statim ne decepta mens per inanem gloriam laudéque qua foris pulsatur,intus suscipiat,ex ipso suo vitio ei opponere curet,vnde potius erubescat, dicens cum psalmista: *Auertantur statim,&c.* Quisquis enim laudatus de virtute consulturus conscientiam addit,ex eo ipso consentire iam conuincitur, quia occasionem approbationis eius non quæreret: nisi eam retinere potius, quam abijcere maluisset.Et ideo fit nonnunquam vt talem iusto iudicio Deus veritatem discernere non permittat,& testimonium conscientiæ iam illi respondeat, non ad id quod quærere se finxit, sed quod inuenire desiderabat.

Psal. 69.

Exhortatio ad prælatos, & iudices.

Cap. XCIX.

Potestas relaxandi peccata cur homini concessa.

Considerate,fratres, dispensationẽ Dei, solus peccatores iustificare potest; vt tamen humanam cõscientiam de sua pietate certam faceret, potestatem relaxandi peccata homini concessit, vt homo ad hominẽ quasi ad consimilem suum familiarius & fiducialius cõueniret,quem & videre posset veniam postulaturus, & accepturus audire. Deus enim orantem videre potest, sed homo Deum indulgentem videre non potest. Idcirco voluit Deus vt homo homini loqueretur,& de sua salute cum illo tractaret, sed ne forte salus ab homine dubia esset, Deus homo factus est, vt nec falleretur iudicando,nec falleret miserando; sed omne iudicium datum est filio diuina potestate in participationem hominum transfusa,vt homo peccata dimitteret,iuxta tamen diuinum iudicium,cum idem ipse homo Deus esset,ipse autem homo Christus sicut particeps factus fuerat naturæ nostræ, ita particeps nos esse voluit honoris sui. Videte ergo, ministerium vestrum iudicate, iudicium suum in finẽ distulit,vt vos prius iudicetis ad correctionem,ne ipse post cum iudicare cæperit, iudicet ad dãnationem,Vos enim non quasi iudices criminum ad percutiendum positi estis, sed quasi iudices morborum ad sanandum. Videte ergo languidum in manibus vestris,quem vobis misericors ille Samaritanus commisit. Cæterum nondum Christus crucifigebatur, & tamen Petrus feruorem suum cohibere nõ potuit,sed percussit seruum Principis sacerdotum,nec multitudinem timẽs, nec potestatem.Igitur videte, quid facitis, Christus in oculis vestris crucifigitur,& vos adhuc gladium in vagina habetis,cum tamen multitudo maior vobiscum sit, quam cum illis. Quid vos in passione Christi fecissetis, qui modo ad percutiendũ pigri estis? Ipse quippe dixit *Quod vni ex minimis, &c.* Igitur in Christo Christus occiditur, & in Christiano tribulatur. Quid ergo facitis, quid pigri, quid timidi estis: Forte quia non statis sicut Phinees,idcirco iram placare non potestis,*vt cesset quassatio*: forte quia discubuistis ad ollas Pharaonis, & sagināmdiligitis? pigrum est vobis surgere ad bellum forte quia lanam diligitis, & lac nõ oues,idcirco pascitis vosmetipsos non oues,& fugitis veniente lupo, quia de auibus non curatis?Saltem si lac ouium comedetis, carnes comedere nolite, si fructum pro custodia ouiũ quæritis, ipsas viuas seruate. Bonus pastor etiam carnem suam ouibus suis edendam dedit, vt eas reficeret,& vos non solum mercenarij precium pro custodia quæritis, sed ipsas etiam oues Lupi facti ad vestram refectionem necatsi.

Matth.25.

De triplici visione, & quadruplici vanitate.

Cap. C.

Tres animæ visiones.

Idem super Ecclesiastem homelia prima. Tres sunt animæ rationalis visiones. Cogitatio, contemplatio, meditatio. Cogitatio est, cum mens notione rei transitoriæ tangitur, cum scilicet ipsa res sua imagine animo subito præsentatur,vel per sensum ingrediens, vel à memoria exurgens. Meditatio est assidua ac sagax retractio cogitationis, aliquid vel inuolutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax, & liber animi contuitus in res perficiendas vsquequaque diffusus, & ita quodammodo id quod meditatio quærit,contemplatio possidet.Contemplationis autem duo sunt genera. Vnum quod primum est, & incipientium in creaturarum consideratione,aliud quod vltimum, & perfectorum est in cõtemplatione creatoris. In prouerbijs Salomonis quasi meditando incessit. In Ecclesiaste ad primum gradum contemplationis ascendit. In Canticis Canticorum ad supremum se transtulit.

Duo genera contemplationis.

Vanitas multiplex.

Idem in 2. Homelia. Vanitas alia est in rebus conditis, alia in operibus humanis, alia in corporibus, alia in mentibus. Prima est mutabilitatis, secunda curiositatis, tertia mortalitatis, quarta iniquitatis. Vanitas mutabilitatis duobus modis in rebus consideratur, siue quia inanes sunt, siue quia transitoriæ sunt. In illo vanæ sunt, quia ostendunt,quod non habent:in isto vanæ sunt,quia non permanent in eo,quod habent.

Vanitas cupiditatis in quo consistat.

Vanitas cupiditatis in tribus constat.In concupiscentia,scilicet oculorum,in cõcupiscentia carnis, in superbia vitæ.In omnibus enim vanitas est,propterea tam vanum est in his,quæ bona videntur spem ponere, quam quæ mala putantur formidare. Quid enim facit concupiscentia oculorum? Fallaces rerum fucos, & lubricos captans aspectus. Oblita sui funditur, ac totam se curiositati dedẽs circumit omnia,si qua forte noua, si qua insolita,si qua mira occurrãt.Ad omnes rerũ motus altera sẽper præceps,temeraria,procax,instabilis,petulans, impatiens,& lubrica; sæpe vana, sæpe exultans, sæpe inani timore trepidans,nullã interius radicem habẽs,sed semper suspecta ad exteriores rerũ pendẽs motus.Certe omnis creatura talis est homini, qualis homo ipse est sibi,vt ab his quæ foris sunt,nec bona mens lædi possit, nec mala iuuari.Igitur hæc omnia,nec ad malum bono, nec ad bonum malo esse possunt, nisi quantum ipse animus, vel ista aspernando proficit, vel deficit peruerse amando aut metuendo vane.Quid prodest carnem mortificare deliciarum luxu,& voluptatum affluentia contra corruptionem tanto hisu defendere; cum nemo sit, qui possit eam corruptione custodire? Nam si superbia vitæ, siue de diuitiis, siue de dignitatibus gloriari velit, quid vanius esse potest? Hæ profecto diuitiæ, hæ dignitates suis possessoribus solum conferunt, vt quo in eis plus alijs accipere videntur,inde plus alijs onerati inueniantur:quos certe pro eisdem acquirendis vel conseruandis plus semper vel labore atterunt vel cura affligũt. Vanitas mortalitatis in duobus constat, in pœna scilicet quæ atterit, & in pœna quæ dissoluit.

Creatura omnis talis est homini qualis est ipse illi.

De casta, & curiosa visibilium contemplatione.

Cap. CI.

Idem in octaua. Nemo visibilium rerum aspectum castis mentibus noxium putet. Opus enim Dei quasi verbum illius est per quod nobis loquitur. Sicut ergo auris instrumentum est ad percipiendum verbum hominis, sic oculus instrumentum est ad percipiendum verbũ creatoris. Propterea congrue in humano corpo-

re, &

re, & oculi ſurſum poſiti ſunt, & aures à latere conſtitutæ, quaſi per hoc nobis ſignificetur, quod noſtra intētio ſecundario dirigi debeat ad proximum, principaliter ad Deum. quare cordi humano totus mundus non ſufficit quia non ſaturatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Ergo ſcientia ſuccumbit, affectus tranſcendit. Tēdit ſe ſciētia quantū poteſt, & totū capere nō poteſt. Amor vero totū haurit, & adhuc ſaturari nō poteſt. Quare hoc? Quia ſciētiæ charitas ſupereminet, noc dicit, *ſufficit cor humanum*, donec ad illū peruenerit, & illū inuenerit, à quo factū eſt vt eſſet, & ad quē factū eſt, vt in illo beatum eſſet. Species rerum viſibilium quaſi venæ tantummodo quędam ſunt, per quas inuiſibilis pulchritudo ſe manifeſtans ad nos vſque emanat. Et ideo cum ita ſenſum noſtrum atque effectum naturaliter prouocant, non quidem deſiderium replent, ſed ad inquirendam conditoris ſpeciem, & eius pulchritudinem concupiſcendam irritant.

Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu.

Item in 10. Cum animus veritatem deſerit, hanc primum repulſus erroris ſui pœnam patitur, vt ipſam quam in ſe, & propter ſe amare voluit veritatem, iam pro vanitate quærere incipiat, & nō tam veritatem, quam nouitatem affectans multa ſcire concupiſcat. Incipit miſer defectus ſui ærumna languens, quaſi quorundam faſtidio de aliis ſemper ad alia appetēda diſcurrere, & priora abijciens quaſi vacua & ſterilia ſperat ſe deſiderij ſui effectum in his, quæ ſuperſunt poſſe obtinere. Sed huius tam impudentis deſiderij, & ſtultæ curioſitatis iuſta ſtatim pœna ſubſequitur, quoniam ibidem delectationē peruerſe quærit, nihil præter dolorem inuenit, & ſpiritus afflictionem, & multitudine pariter diſtrahitur, & profunditate reuerberatur, & tamen aliquando ſcientia tali vanitate quæſita, tantoque labore ex parte quantulacunque inuenta animum ſuperbia inflat, vt dum de boni interioris gloria ad appetitum exterioris labitur, ſemper ad deteriorem vanitatem præcipitetur. Tantoque auidius totam ſe ad carnis voluptatem male dulcem experiendam effundat, quanto magis interius fatigata, & ab inquiſitionis ſuæ intentione repulſa, de inuenienda veritate deſperat. Sed & ibi quoque vanitatem inueniēs requieſcere non ſinitur, quia in carnis voluptate fugiētem delectationem, nec cum præſens eſt detinere poteſt, nec cum prætierit reuocare. Sicque vndique fatigata & diſſipata procella vanitatis ſuæ concutitur, vt per ipſum quo male delectata abijt, ſalubriter tandem afflicta redire compellatur: & ſæpe grauis quædam fit lucta in animo, vt dum ſe infimis delectari pariter & affligi conſiderat, magno deſiderio & amore libertatis dilecta etiam ſi fieri poſſit deſerere concupiſcat.

De occupatione mentis in exterioribus.

Cap. CII.

Eccleſ.1. *Item in* 11. *homelia. Hanc ergo occupationem dedit Deus filijs hominum*, quia enim mēs hominis in illo vno bono ſtare noluit, in quo poterit fæliciter requieſcere, vel ſine diſtractione & occupatione ſummæ veritatis plenitudinem poſſidere, proiecta foras extra ſemetipſam in multiplicitatem rerum viſibilium ſpargitur: & veritatē, quam intus cæcata à fonte haurire non poteſt, quaſi per rimulas quaſdam viſibilium areſcentibus præcordijs ſaltem fugere conatur. Sed dum amplius per exteriora ſpargitur, magis ab interioribus auerſa cæcatur. Vnde bene legitur Cain dixiſſe ad dominum: *Ecce ejcis me, & ero vagus, & profugus*, vagus per inordinatam concupiſcentiam, & profugus per peccatricem conſcientiam. Igitur hanc occupationem quare dedit, vt diſtendatur in ea, vt ſe tendant, & diſtendant, laborent, & deficiant, & reuertantur, & ſanet eos. Si enim in occupatione ſua nō diſtenderentur neque laborarent, dulcis fieret nimis ipſa occupatio, & nollent illā deſerere, neque redire amplius concupiſcerent, vbi veritas eſt. Propterea dedit Deus illis occupationem peſſimam, vt diſtendantur in ea. Agamus pietati huius gratias, quia laborare nos facit in malo noſtro, in auerſione noſtra: quæ ſepiuit ſpinis viā noſtram, vt reuertamur ad ipſum virum, & ſponſum & amicum animæ noſtræ, quia bene erat nobis tunc magis, quam nunc. Hoc autem non intelleximus nos, & putauimus bene eſſe nobis cum male erat. Et ideo aſperſit ipſe amaritudinem, & abſynthiū & fel in poculum dedit ſuper male dulcem, & blandientem ad mortē auerſionem noſtram & occupationem peſſimam. Occupatio enim eſt diſtractio, & illigatio mentium, quæ auertit, & diſſipat, & illaqueat animas ne cogitare prævaleāt ea, quæ ſaluti ſunt, vt diſtendantur in ea. Quid eſt diſtēdantur? Exterius intumeſcant, interius inanes fiant. Nā, quod diſtenditur, foris quidem maius apparet: ſed vnde extrinſecus incrementum accepiſſe cernitur, inde veraciter interius ſoliditatem amiſiſſe comprobatur. dum enim vltra ſe pertingere nititur in quod non eſt in ſemetipſo deficere incipit, & inaneſcere ab eo quod eſt.

Genes.4. *Quare hanc occupationē mentis dedit Deus filijs hominum.*

De iactantia, & vana lætitia.

Cap. CIII.

Eccle.2. *Item in* 12. *Vt ſcirem prudentiam atque doctrinam.* Superius ſe ſapienter contemplatum fuiſſe, & didiciſſe teſtatus eſt. Vnde patet, quod ſuperiora ad rerum naturam deferenda ſunt. Hæc vero, quæ ſubiungit ad mores hominum, præpoſtero quidem ordine vſus eſt, quia prius vita propria corrigenda erat per circunſpectionem morum, ac deinde cæteris, quæ extra propriam naturam fuerunt ſtudium adhibēdum, vt primum interiores cordis oculi mundarentur à vitijs, & poſt aperirentur in cōtemplatione veritatis. Sed elatio, quæ foris magna apparere voluit, primum exteriora quæſiuit, vt prius exterius ſcientiam per viam iactantiæ aperiret. Deinde interiora ſua ſcrutando ad oſtentationem foras proijceret. Vnde recte cum dixiſſet, *Prudentiam ſe quæſiſſe*, pariter adiunxit, *& doctrinam*, quia mens gloriæ, & oſtentationis cupida, nequaquam prudentiam circunſpectionis ad bene videndum, ſed ad docendum habere voluit. Et ideo ſcientiam prudentiæ ſine ſcientia doctrinæ inutilem ſibi, & infructuoſam fore reputauit. Quod autem etiam errores, & ſtultitiam ſcire ſe voluiſſe fatetur, nequaquā ad hoc mala cognoſcere voluit, vt cognita vitaret, ſed vt ſe de malorum cognitione extolleret, alias de opere dānaret. Error vero eſt, cum per ignorantiam malum cōmittitur, ſtultitia, autē cum malum cognitum non vitatur. Igitur & bona pariter & mala ſcire voluit, & cum ſcientia vtrorumque doctrinam ſimul concupiuit, vt totum, quod mens per ſcientiam comprehenderet, per doctrinam ad oſtentationem manifeſtare valeret. *Riſum*, *Eccle.2.* inquit, *reputaui errorem*. Per riſum quodāmodo concepta lætitia foras trahitur, & quod de gaudio intus latuit, ruptis velut modeſtiæ clauſtris, quadam leuitate & incontinentia lubricę mentis propalatur. Spirituale gaudium nequaquam animum ad riſum diſſoluit, ſed ea tantum lætitia, quę à carnis blandimento concipitur, etiam per motum carnis facile aperitur. Nam, qua via primum ad animum ingrediendo inordinatum gaudium clauſtra continentiæ rupit, eadem poſtmodum via qua lapſum eſt, cum introrſum excreſcere cæperit, ſine modeſtia facile erumpit, lubrica mens ſuper peruerſum, quod primū ſine modeſtia concipit, quaſi parturiens poſtmodum ſine pudicitia effundit. Primū ergo decipitur quando blādiētis mudi illecebras intus ad gaudium ſuſcipit, poſtea errat, quando conceptum intus gaudium ad laſciuiam mundi per riſum effundit.

Qualiter ſapientia attingit à fine vſque ad finem fort. & d. o. ſuaniter.

Cap. CIV.

Item in 15. *Tranſiui ad contemplandam ſapientiam erroreſque & ſtultitiam.* Quid eſt error? Neſcire, quod rectum eſt. Quid eſt ſtultitia? Scire & non ſequi quod

rectum

rectum est. Quid est sapientia? Cognoscere, & amare bonum. Si fortiter pertingit sapientia à fine vsque ad finem, ergo non est defectu opificis differens pulchritudo conditionis. Quare ergo non æque pulchra sunt omnia, nisi vt magis pulchra sint simul vniuersa. Nãm si non essent differenter pulchra singula, non essent incomparabiliter pulchra vniuersa: quia si esset vna pulchritudo in singulis, quamlibet excellens illa foret, & cęteris omnibus eminentior, non esset omnis pulchritudo in vniuersis. *Igitur sapientia à fine vsque ad finem fortiter pertingit*, quia sic opera sua vsque ad fundum rerum persequitur; vt etiam defectum inferiorum ad vniuersorum pulchritudinẽ moderetur: vt inde vniuersitas magis pulchra sit, sine quo in vniuersitate, quædam aliorum comparatione, & respectu defectum patientur. Nã hoc ipsum, quod in quibusdam eius operibus pulchris non pulchrum videtur, turpe tamen nõ est vbi est, sed minus in parte pulchritudinis habent, quia hoc in toto pulchrum est ad quod est. Ergo ex eo in toto partium maxima est, quod in partibus differens, & multipliciter variata distinctaque omnifaria pulchritudo est. *Suauiter enim omnia disponit*, quia in tam multis, tamque diuersis rerum generibus singula quæque ad terminum suum promouens, nihil vniuersitatis concordiam pacemque turbare permittit, sed si vnicuique quod suum est tribuit, & dissimiliter currentia ad vnum finem conducat, & vt vnius operationis effectumque alterius non impediat. Malum quidẽ propriam sedem non habet, sed natura peregrinum à suo in alieno moratur, quia non esset vbi esse posset malitia, si non eam in suo pateretur, quæ eam non fecit sapientia. Non enim sapientia malitiam fecit, sed in eo quod fecit malitiam esse permisit, vt collata malitiæ sapientia vinceret, & comparata pulchrior appareret. Cõfert enim se, & commetitur sapientia malitiæ in operibus suis, & vincit eam, *vtique vt attingat à fine vsque ad finem*. Ideo enim malitia ad defectum currens sapientiã non euadit, quia non potest malitia ipsa quod corrumpat inuenire, nisi in his quæ sapientia creauit. Sapientia vero propterea malitiam ad profectum surgens transcendit, quia non potest malitia corrumpere, quod sapientia potuit creare. Currit ergo sapientia, *vt attingat à fine vsque ad finem*, trãscendens malitiam incorruptis bonis, quo malitia non accedit, & consequens malitiam in his, quæ corrupta sunt, quo malitia non præcedit, *tam suauiter* enim omnia, etiam non suauia disponit, vt omnia quæ contra eius voluntatem se erigunt, neque potenter extinguat, vt nihil sint, neque violenter compellat, vt nihil possint; sed esse sinens & posse annuens currentia contra suam voluntatem manifeste permittit, & occulte conducit ad implendam suam voluntatem. Restat nunc maximus ille supremus sapientiæ excursus *à fine vsque ad finem*, qui nullum habet finem sursum sublimis contemplationis, & deorsum profundum damnationis. Ad istos duos fines vniuersorum cursum incipiens, à medio sapientia, hinc inde siue promouendo, siue deserendo, disponens conducit, sursum ascendentibus viam sternens, iustitiam, deorsum descendentibus viam relinquens iniquitatem; quo cum ventum fuerit, sistent vniuersa in finibus suis, & fines sui nunquam habebunt finem. Et tunc quoque ipsa sapientia *pertingit à fine vsque ad finem fortiter*, vt amplius nunquam vel à retributione iustorum deficiat, vel pœna iniquorum desistat. *Disponens omnia suauiter*, hinc ad gaudium, illinc ad supplicium æternum. Sed quæso quæ suauitas in inferis erit? Quia ipsa suauis permanet, quæ disponit, licet illi suaues non sint quos disponit, nec illud suaue sit in quo disponit? Ipsa dispositio suauis est, & si illa suauia non sint, quæ disponit.

Error & stultitia quid.

Quare omnia non æque pulchra.

Sapientia à fine vsque ad finẽ quomodo attingit.

Quomodo sapietia suauiter omnia disponit.

Malum propriam sedem non habet.

Sapientia nõ fecit malitiã.

Quomodo Deus contra voluntatem suam agere permittat.

Finis vniuersorũ duplex vnus sursũ; alter deorsũ.

Suauiter Deus etiam inferni cruciatus disponit.

De quadruplici opere in mundo.

Cap. CV.

Idem in 16. Quatuor sunt opera, quibus omnia temporalia explicantur. Primum opus Dei, secundum naturæ, tertium artificis cum natura, quartum solius artificis sine natura. Opus Dei est essentia rerum de nihilo creare, materiam rerum informem disponere, motũ autem rerum sub certo ordine temperare. Propterea tria hæc ad opus Dei pertinent ideſt essentia rerum, & forma, & ordo. Hæc autem tria (sicut postea auctor ipse attestatur de operibus Dei) stabilia sunt, nec temporis capiunt mutabilitatem, quia & rerum essentiæ hoc quod sunt nunquam esse desinunt, & rerum formæ secundum primam conditoris sui institutionem in suis generibus perpetuam identitatem custodiunt, & motus rerum primi ordinis legem nunquam transcendunt. Neque enim vel essentiæ rerum nihil esse, vel formæ rerum aliter esse, vel ordo rerum dispositioque ab initio mutari potuerunt. Opus itaque Dei est creare, formæ disponere vniuersa. Opus naturæ est semina rerum de occulto sinu per incrementa producere, eademque rursum marcentia cum concidunt per defectum ad occultum sinum vnde prodierunt reuocare. Opus artificis cum natura est, ea quæ oriuntur de terra studio, & industria adiuuare. Opus solius artificis est in subiecta rerum materia operari, vel disiuncta cõponendo, vel coniuncta separando. Tres itaque opifices sunt in hoc mundo, Deus, Natura, & Artifex imitans naturam. Sed hi tres valde dispari potẽtia, id quod ad effectum producunt, efficiunt. Nam Deus in opere suo, nec naturæ opera indiget, nec opificis imitantis naturam. Operatur enim Deus aliquando sine natura, aliquando in natura, aliquando supra naturam. Nam sine natura primum fecit ipsam naturam. Cũ natura facit ea, quæ de natura secundum naturam producit. Supra naturam, quando in natura præter cursum naturæ solitum & posse primum maiori addita potentia aliquid ad effectum perducit. Omne ergo quod Natura facit, Deus facit, sed non omne, quod Deus, Natura etiã facit, qui sine natura naturam facit. Tertio loco sequitur opera artificis imitantis naturam, & ipse quidem aliquando cum Deo operatur sine natura; aliquando cum natura sine Deo, aliquando cum Deo simul & cum natura; aliquando sine Deo pariter & sine naturâ. Cum Deo operatur quando opera iustitiæ operatur. Sine Deo quando opera iniquitatis operatur. Cum natura, quãdo seminibus rerum fœtibus propagandis, quibus natura incrementum subiicit, foris industriam & studium apponit. Sine natura, quando præterea in subiecta materia studium explicat, vt aliquid quodcunque ad effectum promoueat, in quo natura patitur, tamen non operatur, quia materiam operandi præbet, non operantis effectum exercet. Talia sunt omnia opera hominum quæ fiunt super terram. Ex quibus multa mortalis vitæ necessitas cogit, multa suadet cupiditas, multa vanitas operatur.

Quatuor sũt quæ in mũdo fiunt.

Opus Dei quod opera Dei sunt immutabilia.

Opus naturæ quod.

Opus artificis cum natura.

Tres in mũdo opifices.

Artifex variis modis operatur.

De mutabilitate hominis secundum tempora.

Cap. CVI.

Si in obedientia mandati perstitisset homo, non subderetur momentis temporum fixus per contemplationem in soliditate æternorum. Postquam autem cor suum declinauit, vt illud per concupiscẽtiam rebus mutabilibus subiiceret, quasi de cęlo lapsus cæpit deorsum cum his quibus inhærebat defluere, & per lumina mutabilitatis suæ ductus, temporum momenta sentire. Sic ergo tempora venerunt in corde humano, quando multa desideria introierunt in illud, & mutabilitas illic dominari

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

minari cæpit. Et venerunt alia, & alia diſceſſerunt, & facta eſt fluctuatio & inconſtantia magna. Iam enim cũ mundo viſibilis voluebatur, & cęperunt in eo tempora & momẽta diſcurrere, & eſſe anni, & dies, & noctes ſementes, & meſſes, natura ad æternitatem facta ei, quæ temporaliter tranſit praue aſſociata. Neceſſe eſt autem vt homo, qui à carnalibus ad ſpiritualia conuertitur, prius animo ab his quibus per affectum inhæſerat auellatur. Tunc ſiquidem libere ſe ſpiritualibus per amorem conglutinat, cum de terrenis affectis nihil ſupereſt quod eius mentem in deſideria aliena auertat. Itaque tẽpus ſcindendi eſt, vt homo prius mentem à deſideriis terrenis auellat. Poſtea tempus conſuendi, vt animo per amorem ſpiritualem æternis & permanentibus bonis adhærere incipiat. Sic quippe conſumuntur humana, & diuina in vnum, & quæ duo fuerant per naturam, fiant vnum per gratiam. Compunctio ſiquidem ipſa acus eſt, & dilectio filum, & facit viam acus, & perforat vtrunque vt filum vtrunque contineat. Qui vero Deum amat, ſicut in Deo diligit proximum. Sic contra Deum. nec diligere nouit ſeipſum. Tempus igitur eſt dilectionis, & tempus odij, vt qui pro Deo ſtudemus inimicos diligere; cum cauſa Dei læditur, non præſumamus etiam amicos amare. Eſt adhuc alia dilectio, & odium aliud, vt quiſque carnem ſuam, & in his diligat, quę infirmitati ſuſtentandę neceſſaria ſunt, & odiat in his quæ deſideria praua expoſcũt. Sequitur vero poſt mutabilitatem rerum grauis confuſio animorum, quoniam pergunt corda ſuper volumina, & tranſitus tẽporum vt non ſunt in veritate, ſed defluant cum eis, qui vadunt vt tranſeant. Intellectus autem hominis excitatus ſpecie rerum ſurgit, & ſecundum æmulationem veritatis ad interiora conatur ſcrutanda, & habet principium in operibus Dei primæ contemplationis, & non peruenit vſque ad finem operum Dei, vt capiat totum, quod abſconditum eſt. Si enim ad finem peruenire potuiſſet, inueniſſet vtique Deum, quoniam à quo ſunt, ibi finem habent omnia.

Tempus bene diſtribuẽdum eſt.

Qualiter traditus eſt mundus hominum diſputationibus.

CAP. CVII.

PRopterea ſtultam facit Deus ſapientiã mundi, quia poſuit mundum in diſputatione eorum, permanens ipſe occultus, donec deficerent diſputantes, & quærentes inania. Poſt hæc reuelauit ſe Deus & exiuit, vt inueniretur cum gloriari iam non poſſit homo, & quaſi ipſe ſenſu ſuo & ſapiẽtia Deum cognouerit, qui in opere Dei ſcrutando defecerat. Sunt adhuc aliæ quædam diſputationes in deſideriis hominum multiplices nimis & variæ, & ex ipſis ſurgunt multarum ſtudia vanitatum. Omnis homo præfert quod diligit ipſe & trahuntur corda hominum in infinitas ſciſſiones, & laudant partem ſuam ſinguli. Et in his omnibus non inuenit homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Initium nanque operum Dei eſt vſus rerum tẽporalium, finis vero fructus æternorum. Idcirço traditus eſt mundus amatoribus mundi, quia quibus æternorum bonorum dulcedo tollitur, eis carnales datæ sũt delectationes, & mundi gaudia expoſita in deſideriorũ ſuorum malorum diſſipationem. Inuenimus adhuc & alias diſputationes in iudiciis hominum graues ac multiplices. Arripiunt homines vicem Dei violenter, & iudices ſæculi ſe conſtituunt, & diſputant de mundo & de operibus Dei, & de prouidentia eius, & iudiciis quibus mundum vniuerſum diſponit. Reprehendunt Deum, quod noxia facit, & nemo tamen reprehendit, cum læditur inimicus eius, cum ſint ipſi vniuerſi, & inimici Dei, & aduerſarij veritatis. Multa operatur Deus circa hominem ab initio eius vſque ad finem illius, & non inuenit quo fine fiant hæc omnia, donec ipſe finem accipiat Tunc autem intelliget, & tunc inueniet, quæ operatus eſt Deus in eo ab initio ſuo vſque ad finem ſuũ, vel in miſericordia, vel in iudicio. Interim autem latent omnia, & ſæpe Deus malos tolerat & differt; pœnam illorum manifeſtam habet, tamen omnis malitia pœnam habet occultam: & iudicat Deus, & videtur iudicium differre, vel facta hominum non attendere omnino ab his qui non vident, niſi ea, quæ foris. Similiter aliquando probat Deus iuſtos aduerſitatibus, & tribulationibus exercet, & videtur iuſtitia non habere præmiũ apud ipſum, & tamen nunquam caret retributione ſua occulta vel manifeſta. Sed aliquando differtur, vt interrogentur de perſeuerantia ſua conſcientiæ hominum. Hæc eſt ergo afflictio hominum, diſputatio eorum aduerſus Deum, quia in eo, quod iudicijs Dei humiliter ſubdi nolunt, non ſolum eos exterius pœna aduerſitatis & tribulationis moleſtia atterit, ſed multomagis intus furor, & impatientia murmurationis affligit.

Quomodo Deus ſtultã facit ſapientiam huius mundi.

Mundus datus eſt carnalibus.

Homines temere de Dei prouidentia iudicant.

Deus quare malos tolerat.

Deus quare affligit bonos.

Qualiter homo per concupiſcentiam aſſimilatus eſt iumento.

CAP. CVIII.

DVo in homine facta ſunt, vnum terrenum, aliud cæleſte: vnum ſimilitudo iumenti, aliud Dei. Et coniuncta ſunt in homine corpus & anima, duo in vnũ, & datum eſt corpori beneficium ſocietatis, vt participaret de immortalitate animæ ad incorruptionem; & hoc totum ad gloriam animæ factum eſt quia placita erat Deo in veritate & iuſtitia conſiſtens, vt non attereretur veſtimentum eius ſi perſeueraret obedientia illius. Poſtea auertit ſe anima in alienationem amoris, & oblita eſt, quod melius erat ſuum, & intuita eſt foris pulchritudinem alienam, & intendit in fucum pallij ſui, vt ſe oblectaret ibi, & cæpit fornicari ad illecebras corporales, & ſubtracta eſt ab oculis eius dilectio ſpiritualis, & iratus eſt Deus & voluit hominem reuocare intus ad id quod verum erat, vt ſemper non haberet ſuper imagines fucatas intuitus fallaces, & abſtraxit gloriam indumenti eius, vt iret in corruptionem & conſcidit veſtimẽtum eius, vt oſtenderet homini, quia non eſſet in eo gloria eius, vbi ſe beſtijs ſimilem eſſe videret, & cecidit homo, & dilapſum eſt quod erat terrenum corruptibile, & fluere cæpit vt rediret vnde venerat. Factumque eſt, vt probaretur homo ſi meminiſſet boni ſui, & ſi non noſſet requirere illud, dum cogitur ſpeciem vanam relinquere, & exire ab eo cui peruerſe inhæſerat. Propterea vt probaret Deus filios hominum, & oſtenderet eos ſimiles eſſe beſtijs: Idcirco *vnus eſt interitus hominis & iumenti*: ſic & prius homini cum iumentis vna origo erat in corpore quod ſumptum eſt de terra, & vna viuendi cõditio cũ iumẽtis, vt ſimiliter corpus terrenum aleretur de terra, ſed vnus finis cum iumẽtis homini nõ erat, quia factus erat homo, vt nõ moreretur, neque in terram reuerteretur de qua factus eſt. Ita tunc per incorruptionẽ corporis humilis origo tegebatur, & diſſimulatum erat per immortalitatẽ, ne veniret in exprobrationẽ, quia homo ſimilis eſſet beſtiis, neque oſtendere voluit homini Deus vnde eſſet ignobilitas eius, vt eũ ipſius conditione totũ exponeret, ſed veſtiuit eũ pulchritudine immortalitatis, & poſuit ſeorſũ extra genus ſuũ in ſortem alterã. Cũ vero peccaſſet homo Deo, priuauit eũ gloria ſua, & remiſit eum ad originẽ ſuam, vt per id quod ibat agnoſceret vnde venerat. Et ſi qais dicere voluerit, quia homo habet amplius iumento, in eo quod ſpiritus filiorũ Adã vadit ſurſum, vt occidẽte in morte corpore, ſuperſtes in vita remaneat, & ſpiritus iumentorũ deſcendat deorſũ, ideſt pariter cũ morte corporis defluat in corruptionem: quis nouit hoc? Non tamen quia verum nõ eſt hoc, ſed quia occultum eſt, ideo quis nouit hoc? Verum eſt, quod creditur, & ipſa credulitas non dubia ſcientia eſt, firma eſt: Et tamen nemo hominum hoc ſcit, qualiter ſciũtur ea, quæ videntur, quia ideo abſconditum eſt, vt credatur, vt fides meritum habeat & infidelitas locum. Et

Eccl. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fiunt multi infideles, & dicunt. Quis nouit hoc? Et putant certa pro incertis non eſſe relinquenda, & incipiũt præſentia amplecti, & ea quę videntur rapere, vt teneãt, quæ certa ſunt, & ludificantur in incerto, quia tranſeunt & elabuntur, dum teneri putantur, & ſuccedunt quæ certa ſunt quæ putabantur incerta.

De animo in vtraque fortuna peruerſo.

CAP. CIX.

PEtuerſorum animus in vtraque parte correctionis impatiens, nec proſperis excitatur, nec aduerſis caſtigatur. Cum enim dulcia vitæ huius reſpiciunt hærent animo in illis, & dicunt ſatis eſt hoc. Cum vero aduerſa attendunt hæbetantur, & corruunt diffidentia, & optãt magis non eſſe, quam male eſſe, quia non nouerũt viam aliam, per quam effugiant malum eſſe, niſi tranſeant ad non eſſe. Propterea viſis malis, quæ ſub Sole ſunt, continuo voce illorum ſubinfertur, cum dicitur: *Et laudaui magis mortem &c.* Iſta quippe vox illorum eſt, qui verum bonum non nouerunt, nec aliud putant homini ad bonum, vel ad malum eſſe, niſi quod præſens eſt totum. Idcirco in bonis ſupra modum exultant, in malis deſperant, & vt vbi ſpes illorum eſt illic deſperatio conſtat, hoc etiam ad confuſionem omnium accedat, quod ipſe homo caligat ad videndum ſe. Si enim videret homo quid & quare factus ſit, recognoſceret vtique ſuum bonum, & iam non magis fælices diceret, qui nihil ſunt, quam eos qui ſunt aliquid. Deſiderio namque tanti boni aſtrictus animus, licet malis temporalibus afflictus, vitam præſentem faſtidiret, ſpe tamen conſolationis futuræ omnino eſſe magis, quam non eſſe diligeret. Quare ſtulte dicis, *meliorem pugillum cum requie, quam plenam vtramque manum cum labore.* Forſitan conſideras, quando & pugillum habes, & requiem, ſed non attendis quando nec ipſum pugillum habebis, quid tunc facturus ſis, & quam requiẽ tunc ſis habiturus. Ideo nũc comedis pugillum in requie, & placet tibi ocioſitas tua neque curas nũc interim aliũ pugillum, quærere cum labore, quem comedas cum iſte defecerit. Ideo comedis carnes tuas nunc, quia ipſæ vapulabunt, & hoc importunum ſua maceratione poſtmodum exoluent, quod requies inconſulta expenderit.

Eccleſ. 4.

Eccleſ. 4.

Soliloquium hominis cum anima ſua de rectitudine amoris.

CAP. CX.

Hominis & animæ colloquium.

IDem *de arrha animæ.* HOMO. Loquar ſecreto animæ, ſic enim nec mihi timor erit occulta quærere, nec illi pudor vere reſpondere.

Dic mihi quæſo anima mea, quid eſt, quod ſuper omnia diligis? Ego ſcio quod ſine dilectione eſſe nõ potes. Certus ſum ergo, quod aut horum, quæ videntur aliquid amas, aut ſi iam poſtpoſuiſti omnia hæc, aliud habes, quod præ omnibus his diligas.

Res huius mũdi amari non poſſunt.

ANIMA. Sicut amare non poſſum, quod nunquam vidi, ſic de his omnibus quę videntur nihil adhuc amare potui, cum multis iam experimentis didici fallacem eſſe & fugacem amorem huius ſæculi, quem ſemper, vel cũ perit id quod magis elegerã perdere, vel cũ aliud quod magis placeat ſuperuenerit cogor commutare. Sic adhuc deſiderijs incerta fluctuo, dum nec ſine amore eſſe poſſum, nec verum amorem inuenio.

HOMO. Gaudeo ſaltẽ, quod in amore temporalium non figeris, ſed doleo, quod in amore æternorum nondũ requieſcis. Infælicior eſſes, ſi de exilio patriã faceres, nũc vero quia in exilio erras, ad viã reuocanda es. Si temporalia iſta & viſibilia idcirco amari debere exiſtimas, quia illis quẽdam ſui generis decorem ineſſe conſpicaris, cur te ipſam potius non diligis, quæ ſpecie omnium viſibilium decorem vincis.

ANIMA. Oculus cuncta videt, & eo lumine quo reliqua cernimus, ipſam in qua poſitum eſt lumen faciem non videmus. Ego igitur quia ad faciem meam qualis ſit contemplari nequeo, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur affectum dilectionis meæ extendo, præſertim quia amor nunquam ſolitarius eſſe patitur, & in hoc ipſo iam, quodãmodo amor eſſe deſinit, ſi in alterũ puerilitatis conſortem vim dilectionis non diffundit.

Quare non ſe diligat anima.

Amanda nõ ſunt inhoneſta vel vilia.

HOMO. Non eſt ſolitarius cũ quo eſt Deus, nec idcirco vis dilectionis extinguitur, ſi à rebus abiectis ac vilibus appetitus eius cohibeatur. Ille magis iniuriã ſibi facit, qui vel inhoneſta, vel certe ea, quæ amore ſuo digna non ſunt, in ſocietatem dilectionis admittit. Non vis habere anima amorẽ ſolitarium, noli tamẽ habere proſtitutum, quære vnice electum. Amor ignis eſt, & ignis quidem fomentum quærit vt ardeat, ſed caue ne id iniicias quod fumum potius aut fætorem miniſtret. Ea vis amoris eſt, vt talẽ te eſſe neceſſe ſit, quale eſt illud quod amas. Et cui per affectum coniungeris in ipſius ſimilitudinem, in ipſam quodammodo dilectionis ſocietate transformaris.

Qualiter anima poſsit ad verum amorem incitari.

CAP. CXI.

TVam igitur anima pulchritudinem attende, & intelliges qualem debeas pulchritudinem diligere. Quod ſi forte interna illa tua viſio per negligentiã obſcurata eſt, & temetipſum vt decet, & expediuit cõtemplari non ſufficis, cur ſaltem, quid de te exiſtimare debeas ex iudicio alieno non perpendis? Sponſum habes, ſed faciem eius non vidiſti. Ille te vidit, munera miſit, arrham dedit. Si ſpeciem illius videres, non amplius de tua pulchritudine ambigeres. Scires enim quod tã pulcher, tam vnicus in tuo aſpectu captus non eſſet, ſi eum ſingularis decor, & vltra cæteros admirandus non traheret. Quid ergo ages ſi adhuc ſcire nõ potes, qualis ille ſit qui te diligit? Conſidera ſaltem arrham, quam dedit. Nobile donum eius, quia nec magnum decuit, vt parua daret, nec pro paruo ſapiens magna dediſſet. Magnum ergo eſt quod tibi dedit, ſed maius eſt, quod in te diligit. Quid tibi dedit ſpõſus tuus? Reſpice mundum iſtũ. Omnis natura ad hunc finem curſum ſuum dirigit, vt obſequijs tuis, & vtilitati deſeruiat, tuiſque oblectamentis pariter & neceſſitatibus ſecundum affluentiam indeficienter occurrat. Quis illud naturæ præcipit, vt ſic vno de conſenſu tibi ſeruiat? Beneficium accipis, & auctorẽ eius non agnoſcis: donum in manifeſto eſt, largitor occultus? Quicunque ergo ille eſt multum tibi contulit, qui hoc totum, & tantum dedit. Multũ diligendus qui tantum dare potuit & qui tantum dare voluit, multum dilexit. Vide ergo quid agis, cum in hoc mundo amari, & amare concupiſcis. Totus tibi mundus ſubiectus eſt, & tu non dico totum mundum, ſed neſcio quid vix aliquã mundi partem in ſocietatẽ tui amoris admittere nõ aſpernaris? Certe ſi hæc diligis, vt ſubiecta dilige, vt arrhã ſponſi, & munera amici, vt beneficia domini. Sic tamen vt ſemper memineris, quid illis debeas, nec iſta pro illo, nec iſta cum illo, ſed iſta propter illum, & per iſta illũ, & ſuper iſta illum diligas. Caue, ô anima, ne quod abſit, non ſponſa ſed meretrix dicaris. Si munera dantis pluſquam amantis affectum diligis, maiorem charitati eius iniuriam facis, ſi & dona illius accipis, & tamen viciſſitudinem dilectionis nõ rependis, aut ſi potes, dona illius reſpue, vel ſi dona illius reſpuere nõ potes, viciſſitudinẽ dilectionis repẽde. Dilige illum, dilige te propter illum, dilige dona illius propter illum, dilige illum, vt fruaris, illo. Dilige te, quod diligaris ab illo, illum tibi & te illi, dilige dona illius ab illo tibi, quæ data ſunt: hæc pura & caſta dilectio eſt.

De anima pulchritudine.

Deus quid homini contulit.

Diligenda ſunt dona Dei ſed non vt Deus.

Quod licet Deus omnibus viuentibus temporalia communicet, non tamen omnia similiter diligit.

Cap. CXII.

Anima conqueritur quod sola amans sola nō ametur.

Anima. Cogor rationibus tuis illum super omnia diligere, à quo me video omnia in pignus dilectionis accepisse. Ecce ergo ego vnice electum, & vnice dilectum diligo, sed hanc huius dilectionis meæ iniuriam patior, quod solum diligens sola non amor. Nam hanc dilectionis arrham, quam mihi obijcis, non dicam cum bestialibus, sed cum ipsis bestijs communē accepi. Quid enim mihi lux Solis amplius confert, quam reptibilibus & vermibus terræ? Omnia similiter viuunt, spirant, idem pastus, idem potus omnium.

Deus ita diligendus est ac si singulariter omnia dedisset.

Homo. Tria sūt in quibus id quod te mouet inuenias. Discerne, quæ dona à sponso tuo accepisti. Alia enim communiter, alia specialiter, alia singulariter tibi data sunt. Communiter quia omnibus propter te tecum seruiūt. Specialiter, quia multis nec tamē omnibus propter te tecū sunt concessa. Singulariter, quę tibi soli sunt data. Quid igitur? Nunquid igitur & ipse ideo minus te diligit, quia quædam dona sua tecum simul omnibus concessit? Nunquid fæliciorem te fecisset, si tibi soli mundum dedisset? Vbi igitur illa grata, & vtilis societas humanæ conuersationis? Vbi solatia? Vbi oblectamenta quibus nunc frueris? Vide igitur quia in hoc multum tibi contulit, quod hoc ad solamen tuum tecum creauit. Si mundus iste, & hæc tibi, omnia seruiunt, quomodo etiam omnia ad obsequium tuum creata non sunt. Nūquid paterfamilias panem suum solus comedit, poculum suum bibit, vestimentis suis induit, totum tamen non immerito eius datur, quicquid habent hi, qui ei per dilectionem, vel per subiectionem, famulantur. Siue igitur illa quæ tibi seruiunt, siue illa quæ seruientibus necessaria sunt omnia tibi data sunt, omnia tibi obsequia impendunt. Nec te conturbare debet, quod in vsum rerum temporalium eadem bonis & malis est participatio. Nec ideo similiter eos à Deo amari existimes, quia his omnibus tecum similiter communicare vides. Nam sicut non bestiæ propter se, sed propter hominem creatę sunt, ita mali homines non propter se, sed propter bonos viuunt, vt societas illorum bonorum vitam exerceat, quos & fælicitate sua admonent, potiora his & quæ mali communicare non possunt bona quærere, & iniquitate sua cogunt arctius amare virtutem. Postremo, vt dum illos diuina gratia destitutos videt per quælibet abrupta vitiorum ruere discant, quantas pro sua salute debeant Creatori gratias referre. Similiter ergo bonis ac malis ista concedi debuerunt, quia aliter bona potiora sibi seruari non crederent, nisi ista tam malis quam bonis communia esse viderent.

Mali bonorū causa creati sunt.

Quare bono & malis eadem hic sunt bona communia.

Quod multitudo dilectorum non minuit, sed auget fælicitatem singulorum.

Cap. CXIII.

Quare plus debemus diligere Deum, qui bonis sua dona communicauit.

Nvnc restat consideres, vtrumne idcirco de singulari amore sponsi tui gloriari non possis, quod ab eo non sine societate bonorum diligeris. Dixi societatem hominum dono tibi creatoris esse concessum, vt inde solamen viuendi capias, ne quadam solitaria & inerti vita contabescas. Sicut igitur vita malorum tibi est exercitium, sic solamen est vita bonorum, qui certe tales sūt, quos nec fælicitatis tuæ participes, nec amoris tui aspernari debes habere & cōsortes. Nam si vere bonos diligis, quicquid illis beneficij impenditur, inde charitas, quæ in te est, non quasi de alieno, sed quasi de proprio gratulatur. Licet igitur beatum esset isto amore vel solamine perfrui, multo beatius est in ipso cū multorum bonorum congratulatione delectari, quia cum in eos etiam qui comparticipant affectus dilectionis expanditur, charitatis gaudium, & suauitatis ampliatur. Spiritualis namque amor tunc melius cuique fit singularis, quando omnibus est communis, nec participatione plurimum minuitur, cuius fructus vnus & idem totus in singulis reperitur. Nihil enim priuilegio singularis amoris tui societas bonorum præscribit, quia sponsus tuus in omnibus diligit te quos diligit propter te, ac per hoc singulariter diligit te, quia nihil diligit sine te. Non autem timeas animum illius in amorē plurimum quasi per affectum distrahi, & idcirco minorem esse ad singulos, quod partitus quodammodo & diuisus videatur in cunctos. Singulis adest quasi omnibus, quia nec alium, nec maiorem dilectionis affectum singulis impenderet. Si absque cunctorum participatione singulos amaret, ergo omnes vnum vnice diligant, vt omnes ab vno vnice diligantur, quia nec alius præter vnum vnice ab omnibus diligendus est, nec alius prēter vnum vnice omnes diligere potest. Omnes autem in vno se quasi vnum diligant, vt vnius dilectione vnum fiant. Iste amor vnicus est, non tamen priuatus solus, nec tamen solitarius, participatus, nec diuisus. Communis & singularis cunctorum singulis, & singulorum totus, nec participatione decrescens, nec vsu deficiens, nec tempore veterascens, antiquus & nouus affectu, desiderabilis experientia, dulcis fructu, æternus, iucunditate plenus, reficiens, & satians, nec nunquam fastidium generans.

Deus diligit singulos in omnibus.

Amor Dei in omnes bonos quales.

De bonis quæ sponsus dilectis suis communiter contulit.

Cap. CXIIII.

Deus in omnibus & cū omnibus & præ omnibus diligit.

O Anima mea, in hoc quoque prouidit tibi optimus amator tuus, ne mihil esset, in quo singulariter de ipso gloriari possis. In omnibus his dilexit te, quæ vel communiter te cum omnibus, vel specialiter quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum omnibus tursum dilexit te, quibus te participatione doni sui sociauit. Præ his omnibus dilexit te, quibus te singularis gratiæ dono prætulit. In omni creatura dilecta es, cum omnibus bonis dilecta es, nolo vt parum existimes, vel in tantis, vel cum talibus esse dilectam, vbi & bonos socios omnes habeas, malos vero vt quæ cōdita sunt vniuersa subiectos. Primum cogit, quod aliquando nō fueris, & vt esse inciperes, hoc eius dono acceperis, qui vtique si nihil amplius dedisset, pro eo tamen ipso à nobis laudandus & diligendus esset. Nunc autem amplius dedit vt præcellamus, & his quæ non sunt per essentiam, & his quæ inordinata & composita sunt per formam, & quæ inanimata per vitam. Magno debito obligata es anima mea, multum accepisti, & nihil à te habuisti, & pro his omnibus non habes quod retribuas, nisi tantum vt diligas. Nam quod per dilectionem datum est, nec melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest. Nec ideo plus dilexit te, quoniam plus diligendum inuenit in te. Sed quia gratuito plus dilexit te, talem fecit te, vt iam nunc merito plus diligat te post esse, post pulchrum esse. Post viuere datum est sentire, datū est & discernere. Sēsibus foris decorauit, intus sapientia illustrauit. Sensus dans quasi exteriorem ornatum, sapientiam quasi interiorem habitum. Sensus quasi quasdam gemmas fulgentes appendens exterius sapientia quasi naturali pulchritudine faciem vultus tui decorans intus. Talem omnino esse decebat, quæ ad cœlestis Regis thalamum introducenda fuerat. Multum gloriari poteras, & multum custodire debueras, ne tale donum perderes, nec tantum decorem corrumperes, ne eo amisso, vel imminuto amplius misera fieres, quam eo non accepto, vel non perfecto misera fuisses, ne te cum damno amissæ pulchritudinis similis torqueret confusio fœditatis. Sed vide, quid fecisti, dereliquisti sponsum tuum, & cum alienis prostituisti amorem tuum, fœdasti pulchritudinem tuam, disperisti ornamentum tuum, oblita es sponsi tui, & pro tantis beneficijs condignas grates non egisti.

Beneficium creationis.

Anima Deū opificē suum deseruit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vt autem te reuelaret illuc vnde ceciderat, ipſe deſcendere dignatus eſt, pie pati, quod tolerabat. Deſcendit ergo, ſuſcepit, ſuſtinuit, vicit, reſtaurauit. Deſcendit ad mortalem, ſuſcepit mortalitatem, ſuſtinuit paſſionem, vicit mortem, reſtaurauit hominem. Cogita, quantum diligat te, qui tanta dignatus eſt facere propter te. Olim cum non eſſes dilexit te, vt conderet, poſtea cum fœda eſſes, dilexit te, vt pulchram faceret: & vt oſtenderet tibi quantum te diligeret, non niſi moriendo à morte te liberare voluit. Nunc autem tam ſincera charitate te diligit, ac ſi ſemper cum eo perſtitiſſes, nec exprobat tibi reatum, nec improperat beneficium, & ſi deinceps vis cum eo perſeuerare fideliter, ipſumque vt decet amare, ac tuum illi amorem incontaminatum conſeruare volueris, maiora ſe prioribus daturum.

Beneficium redẽptionis.

De his quibus lapſos à miſeria reparauit.

Cap. CXV.

Anima. Nam quod à modo incipio amare culpam meam, ad quam diluendam, dum ille charitate trahitur mortuus eſt pro me innocens, nihil in me, quod amaret inueniens. Quid ergo domine dilexiſti in me, & tantum dilexiſti vt morereris pro me veniſti, pro quo tanta & tam dura ſuſtinere voluiſti. Amplius mihi vilis eſſe non debeo, quæ tantum placui Deo, vt mori eligeret pro me, ne perderet me.

Anima res non vilis.

Homo. Et quid ſi cogitare cœperis quot & quales in comparatione tua abiecti ſunt, qui hanc quæ tibi data eſt gratiam conſequi non potuerunt. Elegit ergo te & prælegit ſponſus tuus, elegit te in omnibus, & aſſumpſit te ex omnibus, & amauit te prę omnibus.

Beneficium electionis.

Anima. Multum fateor collatum eſt mihi, ſed quæſo te, ſi vt aſſeris, ego iam aſſumpta ſum, quid adhuc deferor? quoniam ad amplexus ſponſi, necdum venire poſſum.

Homo. Neſcis quam fœda prius fuiſti, quam polluta, diſciſſa, & diſſipata, & quomodo tam cito in illum caſtitatis thalamum introduci expetis, niſi ſaltem prius cura aliqua & ſtudio exculta repareris, nec te pudebit tunc priſcæ turpitudinis cum nihil turpe, nihil pudore dignum habebis. Nunquid audiſti, quid rex Aſſuerus fecit, quando Vaſthi Reginam propter inſolentiam illius repudiauit? Vide quam multæ electæ ſunt, vt vna eligeretur, illa ſcilicet quæ oculis Regis formoſior, & ornatior videretur. Miniſtri Regis multas elegerunt ad cultum, Rex ipſe vnam elegit ad thalamum. Poſuit te ſponſus tuus in triclinio, vbi mulieres ornantur. Caue ergo ne ad extollendam temetipſam negligens ſis.

Eccleſia triclinium dicitur propter tres ordines fidelium, & iam hoc ad dilectionem pertinere ſcias, quod habet vnde ornare te poſſis, quę vtique ex te nihil habes niſi ab illo acceperis. Primum eſt fons baptiſmi, in quo ſordes præteritorum criminum abluis. Deinde cryſma & oleum, in cuius vnctione Spiritu ſancto liniris, poſtea delibuta, & vnctione lætitiæ perfuſa, ad menſam venis, & percipis ibi alimentum corporis & ſanguinis Chriſti quo interius noxiam illam præteritorum ieiuniorum maciem depellis. Deinde veſtimenta bonorum operum induis. Ad vltimum ſecum aromata virtutum, quarum odor ſuaue ſpirans omnem illum antiquarum ſordium fœtorem fugat. Datur etiam tibi ſpeculum ſacra ſcriptura, vt ibi videas faciem tuam, neque minus neque aliter quam deceat ſe habeat compoſitio ornatus tui. Vide quam pia diſpenſatione tibi vbique concurritur. Non habuiſti, & datum eſt tibi, perdidiſti, & reſtauratur tibi. Nunquid tibi gratia bene operandi nulla data eſt? Si magna opera facis miſericorditer ſublimaris. Si non facis magna opera, fortaſſis ſalubriter humiliaris. Melius nouit ille quod tibi expediat, quam tu. Et ob hoc ſi vis de illo bene ſentire, totum quod ab illo fit, bene fieri intellige. Forte gratiam virtutum non habes, ſed dum vitiorum impulſu concuteris, melius in humilitate ſolidaris. Suauius redolet Deo humilitas infirma, quam virtus elata. Nihil ergo diſpoſitioni illius præiudicare audeas, ſed ſemper cum timore & reuerentia ora eum, vt quemadmodum ipſe nouit, tibi ſubueniat. Si qua adhuc mala in te permanſerunt piè diluat, ſi qua inchoata ſunt bona, benigne perficiat, & ea te qua ipſe voluerit via ad ſe perducat.

Eccleſia triclinium propter tres ordines fidelium.

Quibus ſpecialiter, vel ſingulariter animam inarrhauit.

Cap. CXVI.

Dvlcedo vitæ meæ, & lumen oculorum meorum, *quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuiſti mihi.* vis vt diligam te, & quomodo? tu dediſti mihi domine ſenſum, vt te cognoſcam, & præ cæteris multis de tuis ſecretis reuelata intelligam: alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquiſti, & mihi præ illis lumen ſapientiæ infudiſti. Tu dediſti mihi ſenſum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam diſertam, ſermonem gratum, doctrinam ſuadibilem, efficaciam in opere, gratiam in conuerſatione, profectum in ſtudijs, effectum in incæptis, ſolamen in aduerſis, cautelam in proſperis, & quocunque vertebam me, vbique gloria tua, & miſericordia præceſſit me: & ſæpe cum mihi conſumptus ferebar, ſubito liberaſti me, quando errabam reduxiſti me, quando ignorabam docuiſti me, quando peccabam corripuiſti me, quando contriſtabar conſolatus es me, quãdo deſperabam, confortaſti me, quando cecidi erexiſti me, quando ſteti tenuiſti me, quando iui duxiſti me, quando veni ſuſcepiſti me. Hæc omnia feciſti mihi Domine Deus meus, & multa alia de quibus mihi dulce erit ſemper cogitare, ſemper loqui, ſemper gratias agere vt te laudem & amem. Ecce habes anima mea arrham tuam, & in arrha tua cognoſcis ſponſum tuum, ſerua te illi intactam, ſerua impollutam.

Pſal. 115.

Confeſſio animæ. Beneficia homini peculiaria.

Amor Dei ſingularis.

Anima. Verè fateor, merito amor iſte ſingularis dicitur, qui cum in multos diffundatur, ita tamen vnice ſingulos amplexatur: verè pulchrum & mirificum bonum quod commune eſt omnium, & totum ſingulorum, cũctis præſidens, ſingulos implens, vbique præſens, omnium curam agens, & tamen ſingulis quaſi omnibus prouidens. Sed certè mihi videtur cum eius miſerationes circa me attendo, quod ſi fas eſt dicere quodammodo nihil aliud agat Deus, niſi vt meæ ſaluti prouideat, & ita totum ad cuſtodiam meam occupatum video quaſi omnium oblitus ſit, & mihi ſoli vacare velit, ſemper prę ſentem exhibet, ſemper paratum ſe offert, quocunque vertero non me deſerit, vbicunque fuero non recedit, quicquid egero pariter aſſiſtit.

Quod ſi Deus animam diligit totam fœdam, multomagis iam ex parte mundatam.

Cap. CXVII.

Hoc igitur conſiderans, timore pariter ingenti & pudore confundor, quod illum cui tam vehementer placere cupio, vbique mihi præſentem, & omnia occulta videntem intueor. O quam multa ſunt in me, de quibus coram oculis eius erubeſco, & pro quibus iam magis illi diſplicere timeo quam pro his, quæ in me laudanda ſunt, ſi qua ſunt poſſe placere confido. O maculæ veteres, ô fœdæ & turpes quid tam diu hæretis? Abite & diſcedite, & ne præſumatis amplius oculos dilecti mei offendere. Nolite fallere voſmetipſos, non ſemper mecum ipſo adiuuante manebitis, quamuis adhuc me pigritante exterminari

Deteſtatur anima ſeipſam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non potuiſtis. Prorſus abominor turpitudinem veſtram: iamque deinceps, & ſi poſſem non videri: nollem tamen à vobis inſici, quanto magis nunc quia palam ipſi ſuum, & quia plus certè contriſtatur eius offenſio quam mea etiam turpitudo. Recedite ergo, in vanum mihi adhæretis amplius, quia & mecum manentes meæ non eſtis: alienas à ſorte mea vos iudico, habeo aliud exemplar, cui conformari cupio, & ad illud iugiter reſpicio, ac quantum poſſum magis ſemper ac magis exinde ſimilitudinem traho. Ex quo etiam hoc didici quod vos exterminare debeo, & qualiter hoc faciam iam agnoſco.

HOMO. Dixiſti dilectionem ſingularem pariter & communem eſſe non poſſe, ſed inde comprobata eſt amplius mirabilis, quod demonſtrata eſt communis, & ſingularis. Ad extremũ modo dubitare cæpiſti, an in hac deformitate tua, quam licet inuita pateris, ab illo poſſes dilegi. Sed ſi te tunc diligere dignatus eſt, quando tota turpis, & nihil adhuc decoris habens fuiſti; quantomagis nunc diliget te, quando decorari & priſcam turpitudinem iam deponere cœpiſti; & quamuis quædam adhuc in te videat, quæ ſibi non placeant, diligit tamen hoc ipſum quod tu quoque in temetipſa iam odire cœpiſti, quæ illi diſciplicent. Non enim tam ſtatum quàm propoſitum reſpicit, nec quid ſis, ſed quid velis eſſe attendit. Si tamen in quantum potes, ſatagis: vt quod eſſe non cœpiſti, eſſe mereatis.

Deus non ſtatum quã propoſitum reſpicit.

De viſitationibus ſponſi.

CAP. CXVIII.

Signa præſentia Dei in anima.

ANIMA. Quid eſt illud dulce quod in eius recordatione aliquando me tangere ſolet, & tam vehementer atque ſuauiter afficere, vt iam tota quodammodo à memetipſa abalienari, & neſcio quo abſtrahi incipiam? Exhilaratur conſcientia, in obliuionem venit omnis præteritorum malorum memoria, cor illuminatur, deſideria iucundantur; iamque alibi neſcio vbi me eſſe video, & quaſi quibuſdam amplexibus amoris intus teneo. Et neſcio quid illud ſit, & tamen illud ſemper retinere, & nunquam perdere toto animi niſu laboro. Luctatur quodammodo delectabiliter animus ne recedat, quod ſemper amplecti deſiderat, & quaſi in illo omnium deſideriorum finem inuenerit, ſummè & ineffabiliter exultat, nihil amplius quærens, ſemper ſic eſſe volens. *Nunquid ille eſt dilectus meus?* Quæſo dic mihi vt ſciam ſi ille eſt, vt ſi denuo ad me venerit, obſecrem eum ne recedat, ſed ſemper permaneat.

Cur Deus ſuæ gratia conſolationẽ animo infundat.

HOMO. Verè ille eſt dilectus tuus, qui viſitat te, ſed venit inuiſibilis, venit occultus vt tangat te, non vt videatur à te. Venit non vt totum infundat ſe, ſed vt guſtandum præbeat ſe, non vt impleat deſiderium, ſed vt trahat affectum. Primitias quaſdam porrigit ſuæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ ſocietatis, & hoc eſt quod maximè ad artham deſponſationis tuæ pertineat, quod ille, qui in futuro ſe tibi videndum, & perpetuò poſſidendum dabit; nunc aliquando vt quàm dulcis ſit agnoſcas, ſe tibi ad guſtandum præbet. Simul etiam vt interim de abſentia eius conſoleris, quando eius viſitatione ne deficias inceſſanter reficeris.

Author. Hæc de ſcriptis magiſtri Hugonis ad præſens excepta ſufficiant. Nam de libris eius de ſacramentis, & ex commentarijs ſuper Hierarchiam, & cæteris eius opuſculis plurima cæteris operibus noſtris locis congruis inſeruimus.

Nunc igitur ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

De Imperio Lotharij secundi.

CAP. I.

Lotharius 2. Imp. An. Christi 1127. Mund. 4988.

EX *chronicis*. Defuncto, vt dictum est, Henrico Imperatore; legati apostolicæ sedis; & Archiepiscopi cum episcopis & optimatibus Imperij ex condicto conuenientes Maguntiæ, consultant sibi & toto Romano Imperio de substituendo Rege. Lotharius itaque Dux Saxonum vir sapiens & industrius, & ecclesiastico iuri deuotus, prępotens diuitijs & victorijs, omnium assensu eligitur, & à Friderico archipræsule Colonienſi benedicitur & vngitur omni clero & populo festiuum Epinicheon acclamantibus.

Igitur anno Domini 1127. Mundi scilicet 4988. imperauit Lotharius, qui & Lintherius annis 11.

Anno primo Regni sui contra Bohemos vadens quorundam suorum Principum traditione magnam stragem militum passus est, quingentis videlicet, & 40. occisis. In Syria hoc anno exercitus Dei bis aggressus est Saracenos. In primo prælio de paganis cæciderunt duo millia & quingenti, de Christianis solummodo 15. In secundo autem non incruentam victoriam habuerunt Christiani, sed quamuis plurima pars eorum obruerit tamen auxilio Dei reuigorati absque numero hostes contriuerunt, & vicerunt.

Carolus comes Flandrensium ptoditione quorundam optimatum suorum quibus pro zelo iustitiæ exosus erat, Brugis in ecclesia sancti Donatiani martyris orans interfectus est, sed horrenda animaduersione vindicatus. Proditores enim cum capti fuissent, aut exilio exterminati, aut percussi gladio aut patibulo affixi, aut præcipitio elisi, aut duello connicti, & rotis alligati, vix aliquo euadente omnes perierunt.

De restinctione sacri ignis in Ecclesia beatæ Mariæ Suessionis.

CAP. II.

ANno sequenti scilicet anno domini 1128. multi de pago Suessonico sacro igne accensi, ad ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ in ciuitate Suessorum sitam conuenerunt, ibique diebus paucis misericordiam Dei, & beatæ Virginis succursum præstolantes, sicut plenius refert libellus eorundem miraculorum, salutem ipsius meritis ac precibus consecuti sunt, ita vt intra 15. dies 100. & tres nominati ab hoc igne restinguerentur, & tres puellæ distortæ sanitati redderentur.

Ignis sacer quis morbus.

Hugo Pharsitus. Nam aduersariæ potestati concessum erat percutere multos plaga inuisibili diuersæ ætatis & sexus, ita vt semel succensa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Est autem morbus hic tabificus sub extenta liuenti cute, carnem ab ossibus separans & consumens, ex mora temporis augmenta dolorum & ardoris capiens per singula momenta cogit miseros mori: sed desiderantibus mortem, illa non venit, donec depastis artubus, ignis ille celer & pestifer inuadit membra vitalia. Et quod valde mirum est, ignis hic sine calore validus ad consumendum, tanto frigore, velut glaciali perfundit miserabiles, vt nullis remedijs possint calefieri. Item quod non minus est mirabile ex quo diuina gratia restinctus fuerit, fugato mortali frigore, tantus calor in eisdem partibus ægros peruadit, vt morbus cancri eidem feruori persæpè se sociat, nisi medicamentis occurratur.

Sex diebus mense Septembri in ecclesia beatæ Virginis fuerunt. Ad preces autem populi de alijs ecclesijs, & de maiori ecclesia in eandem ecclesiam concurrentis affuit beata Dei genitrix, trahens secum fortia agmina sanctorum spirituum, ad cuius præsentiam formidaret infernus, & paurent portæ mortis. Cuius aduentus præcursor tam magnus tremor ecclesiam repleuit, vt terræmotum esse factum, aut ecclesiam à fundamentis concussam arbitrantes fugerēt omnes: sed vbi nihil periculi adesse senserūt reuersi, omnem ardorem lāguentium extinctum, & omnem dolorem esse consopitum celerrima sanitate collata inuenerunt. Aiunt à quibusdam ex languentibus ptidie huius beneficij cælitus dari visas esse cęlitus copiosas claritates per fenestras ecclesiæ vitreas

Beata virgo inuisit templum Suessionicum.

illapsas,

illapsas, quasi quædã præconia largitionis subsequentis. Intra 15. dies nominati annotati sunt 100. & tres ab hoc igne restincti. Sed vt plurimi asseuerant, stellas miræ magnitudinis tenebrosam noctis caliginem vltra ecclesiam persequendo effugasse.

De quadam muliere ibi sanata.

CAP. III.

MVlier quædam nomine Gundrada, virum habẽs nomine Theodoricum, commanens in Ripariã vltra Axouam fluuium, qui præterlabitur vrbem Suessionum de villa quæ dicitur Andigutturis inter cæteros venerat ad ecclesiam, cuius faciem ignis ille deturpauerat, & nasum & labium superius, quod naso subiacet vsque ad maxillas & gingiuas, & dentes molares, & extinctus est ignis à facie eius, Sed omni occursanti iam molesta & odiosa fiebat, grauiisque omnibus etiam suis ad videndum. Itaque compulsa est totam faciem præter oculos madenti pãniculo velare. Redit ad ecclesiã beatę Virginis, factaque candela quã offerret, iuit dormitum. Eadem nocte maturius euigilans sensit laxatum fluitare panniculum, quẽ dum restringere sursumque reducere nititur & parũ proficit, coacta est circumiacentiũ implorare auxilium, qui dum morantur somno vel frigore tardi, illa poscit lucernam accendi, & sibi auxilium ferri. Sensitque interim carnem sub digitis, & panniculo pressam inolescere, & nesciebat, quia caro est nasi & labij reformati. Dumque sæpius reducit pannum, sæpius quæ perinde attractat creaturam nouiter plasmatam, clamauit ter magna voce: *Deus & sancta Maria adiuua.* Ad quam vocem excitati & turbàti qui aderant, maturius inferunt lumen, & vident nasum, & labium nouiter formatum.

De puero quodam, & alia muliere.

CAP. IV.

QVidam puer annorum 11. pecorum custos ardens pedibus à matre sua aduectus est, remedioque doloris intra paucos dies accepto, ad domum reuectus est, erat autem de vallibus. Sed dum puer idem nutu diuino non immemor tanti beneficij, desiderio visendæ domus beatæ Virginis flagitaret, & super hoc quotidie molestus matrem perurgeret, & illa pœnitus non acquiesceret. Redeat inquit, in me infirmitas, vt necesse habeam illuc referri, quod & factum est. Relatus igitur à matre illuc ad ingressum processionis matris ecclesiæ excussus à quiete in gratiarum actionibus rupit clamoribus æthera, narrauitque omnibus raptum se fuisse ante Deum, & Dei genitricem pro populo suplicantem vidisse, vt dignaretur Deus hunc morbum à populo auertere, & euertere. Et hanc scintillam, quæ acciderat auferre, hoc & responsum à filio suo benigne accepisse. *Mater tu es maris stella, fiat omnis voluntas tua.* Dumque iterum eadem virgo conquereretur super domo sua, quæ vilis & abiecta præ ceteris erat, audiuit à filio suo quod de trans mare, & de trans Rhenum faceret pecuniam afferri, de qua domus eius ædificaretur, & in omnium oculis intuentium claritate magna & gloria illustraret eam. Populo etiam Suessionensi mala euenire ex parte Dei, prædixit, quia suæ genitricis ecclesiam non reficeret, & quidem multos ex eadem vrbe ignis inuasit, quæ & qualia restent nescimus. Idem puer parum post se moriturum testatus est, & sic euenit, non enim mensem superuixit. Mirum autem valde de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem historiam retexens totam narrationem suam cursim rithmice digerebat. Textum Euangelij & actus Domini sic ordine recensebat, tanquam omnia in libro legeret, & dictata ab alijs pronunciaret. De Ioseph quoque viro beatæ Virginis inter cætera ait: *Qui tenet sceptrum florentis virgæ custos erat glorioſæ puellæ.* Hæc narrabat clausis oculis tanquam lucem transitoriam exosus, laicis & illiteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorantiam eorum pertæsus. Eius mortui corpus tanta gratia perfudit, vt candore & claritate vultus angelicum nescio quid & diuinum signaret.

Apud villam, quæ dicitur Calla in territorio Suessionensi, quæ possessio est matris ecclesiæ beatorum martyrum Geruasij & Prothasij, mulier ob partus difficultatem laborans continuis tribus hebdomadis periclitabatur, persuasaque à conuicinis mulieribus, se nudis pedibus ituram ad sanctam Mariam Suessionis venit, & liberata est, sed ordine stupendo. Nam primum ex vtero suo emisit tres lapides. Primum in magnitudine oui anseris, secundum ferè in magnitudine oui gallinæ, & tertius non minor aliqua nuce erat. His lapidibus effusis statim sequitur partus infantis, qui & gratiam baptismi accepit, & paucos dies superuixit.

Partus mirabilis.

De cæteris euentibus illius temporis.

CAP. V.

CRonographus. Anno prænotato Laudunl in ecclesia sancti Ioannis consilio Regis & Principum monialibus quæ male infames erant, eiectis, & monachis in earum locum substitutis, Drogo religione & facundia venerabilis à Bartholomæo episcopo primus Abbas ordinatur, qui postmodum à Papa Innocẽtio Romæ Hostiensis episcopus Cardinalis consecratur.

Helinandus. Anno sequenti cænobium Vrsicampi fundatur. Post Honorium sedit Romæ innocentius secundus Papa* 69. annis 14. Contra quem per contentionem ordinatus est Petrus Leonis, ad cuius scismatis pestem sedandam, vocatus à Clarevalle sanctus Bernardus multum laborauit, & multum profecit. Hic cum esset aliquando in vrbe Nouiomo in domo Simonis episcopi, adductus est ad eum Herueius de Banguntio puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, & ipsius episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum. Siquidem videbatur sibi tanquam in missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de reuelatione eundem Herueium renunciaturum sæculo, & futurum aliquando deuotum Christi famulum promittebat: quem postea venerabilis Vualerannus primus Abbas Vrsicampi monachum fecit, & angelico functus officio pacem, quam ex ore patris sancti ipse susceperat, communicauit Herueio, qui etiam prædicto Vualeranno in regimine Vrsicampi, successit, & nouissime obitum suum imminentem sanus adhuc & incolumis, eodem Vualeranno sibi per reuelationem annunciante, præsciuit atque prædixit.

* Ita in manuscriptis apud alios vero 171.

De Innocentio secundo, & Antipapa Petro Leonis, & quibusdam alijs.

CAP. VI.

INnocentij fama & vita & scientia digna summo sacerdotio habebatur. Petrus autem Leonis ad hunc honoris apicem ambiens, à finis fautoribus precio corruptis nominatus est Anacletus. Congregauerat sanè opes innumeras tam in exactionibus curiæ quam legationum negociationibus, quas ad expectatas uundinas reseruauerat. Insuper & patrum census ampla congeries eatenus sigillata modo distributa in populum ad ad fas & nefas venalem armauerat plebem. Quibus erogatis, donaria Regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis euulsit altaribus, & cum calices frangere, & crucifixos aureos membratim diuidere ipsi prophani Christiani vel erubescerent, vel timerent, quæsiti sunt Iudæi, qui vasa sacra & imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Conuocato interea apud Stampas concilio, sanctus Bernardus Innocentium suscipi persuasit,

Beata virgo filiũ exorat.

Concilium Stampẽse in Gallia.

Petro

Petro igitur ob parentelæ suæ fortitudinem apud sanctum Petrum comorante, Innocentius Romam egressus in Gallias proficiscitur, & ecclesia Gallicana sibi adhęrente concilium celebratur, in Papam confirmatur, & Petrus ab omnibus Galliæ atque Germaniæ episcopis anathematizatur. Igitur Innocentius Aurelianis honorifice à Ludouico Rege Francorum susceptus est, inde Carnotum deductus est à Gaufrido Carnotensi episcopo magnarum virtutum viro, vbi occurrit ei Hẽricus Rex Anglorum: cænobium apud bellum montem fundatur, sub Abbate primo Alexandro, à viro venerabili Roberto de Candos.

An. Christi 1131. *Chronographus.* Anno domini 1131. Philippus puer filius Ludouici, nuper in Regem Francorum vnctus, dum in ciuitate Parisios equo vehitur, porcus equi pedibus se forte submittens, equum super ipsum dedit præcipitem, & de eius subita & miseranda morte Francis luctum induxit.

Concilium Rhemense. *Helinandus.* Tunc synodus magna Remis celebratur à Papa Innocentio, in qua multis ad honorẽ Dei dispositis. Regem Ludouicum pro Philippo fratre, quem de equo iectum porcus occiderat, viuente adhuc patre, coronauit in Regem. Idem Innocentius monasterium sancti Medardi Suessionis, quod est trans fluuium situm, dedicauit. Affuit inter cæteros mulier de pago Laudunensi, quæ cum alijs monasterium beatæ virginis ingressura processit, sed virtute visibili ab ingressu repulsa est. Tunc nimio pauore cæpit vexari & toto corpore tremere. Confessa vero & absoluta ingressum promeruit.

Chronographus. Ipso anno ecclesia sãcti Medardi Suessionis ab Innocentio Papa consecratur.

De profectu nouellarum religionum eiusdem temporis.

Cap. VII.

His temporibus ordo canonicus Præmonstratensium, & monasticus Cistercienſium quasi duæ oliuæ in conspectu domini, pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant. Eratque circa hæc tempora pulchra ac decora facies ecclesiæ, diuersorum ordinum ac professionum circundata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, hinc inde Cluniacenses monachi, cum etiam diuersi habitus & professionis sanctimoniales & mulieres Deo deuoto in continentia atque paupertate sub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis monasteria fundarent. Cum his etiam monachi Carthusienses, & ipsi paulatim pullulabant, qui prætcæteris continentes, pesti auaritiæ quam plurimos sub religionis habitu laborare & anhelare videntes, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, ac possessionum quem eis prætergredi nullo modo liceat statuerunt, & ipsi singulas singulis cellulas habentes ac raro vel ob Dei cultum vel etiam ob mutuum in charitate solatium conuenientes perfectius mori mũdo, & cæteris tãto diligentius, quanto secretius Deo viuere elegerunt. Ad hoc etiam milites templi Hierosolymitani, fratres quoque de hospitali sub religioso habitu continenter viuentes, vbique se multiplicando diffundebant, & quæ poterant vel de laboribus proprijs, vel de fidelium eleemosynis, ad opus Deo militantium & infirmorum quorumcumque ac pauperum Hierosolymam mittebant. Sed & præsules ecclesiarum ac Principes sęculi promptissime annuebãt, vel etiam sponte offerebant, terras, prata, nemora, & cætera, quæ monasterijs ædificandis necessaria erant. Ecclesia sanctæ Mariæ in episcopio totaque pene ciuitas Nouiomensium incẽdio conflagrauit, iusto vt fertur infortunio, quia summum Pontificem Innocentium verbis irrisorijs multi eorum exhonorauerũt. Clareuallis duo cœnobia vno die producit scilicet Longipontum & Rieuallem, & post paucos menses etiam vacellas.

De sancto Hugone Grandinopolitano, & boni eius initijs.

Cap. VIII.

Anno sequenti scilicet anno Domini M.132. obijt vir sanctus Hugo Grannopolitanus episcopus, cuius religiosam admodum vitam conscripsit Guigo Prior Carthusiæ.

Author. Huius Hugonis mater (vt refert præfatus Guigo) dicere solita erat, quia dum prægnans sui eum ferret visceribus, visum sibi per somnium fuerat elegantem creasse paruulũ, quẽ sistendo Dei aspectibus, sancti in quibus & beatus erat Petrus deferebant in cælum. Hinc factum est eadem annuente vt discendis applicaretur literis. Sperabatur enim nec frustra singularis apud Deum gratiæ futurus & meriti. Congessit enim in illum diuina gratia per plurima virtutum ornamenta, quæ per singulos dispertita plurimos illustres sufficienter facere possent atque perspicuos. Si enim laudatur castitas, quis illo mundior? Si sermonis veritas, quis in loquendo cautior? Si charitas, quis feruentior? Si proximi, quis benignior? Si humilitas, quis deiectior? Si eleemosyna, quis largior? Si oratio, quis deuotior? Si lachrymarũ flumina, in quo effusior? Si contẽplatio in quo sublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si iustitia, quis districtior? Si prudentia, quis circumspectior? Si tẽperantia quis moderatior? Exceptis his quæ clero & plebi per eũ bona peruenerunt eremus Carthusiæ, Calesiensis Abbatia excubiarum, eremus regulariũ Canonicorũ, & apud Miserennum & apud sanctum Georgium, domus, ipso annuente, cæperunt, ipsoque spiritualiter & corporaliter fouente perfecerunt. Hic vt legitur, in solitudine Carthusiæ Deum suæ dignationi construentẽ habitaculum, vidit per somniũ stellasque septẽ sibi præstantes itineris ducatum. Et ecce sanctitatis eius odore tracti ad ipsum veniũt 7. viri, qui omnes vno desiderio succẽsi locũ eremiticæ vitæ congruũ quærebant, & nec dũ repererant. Horum primus fuit magister Bruno vir religione scientiaque famosissimus, alij quatuor literati, duoque laici. Quos sanctus Hugo gratanter suscepit, & voti cõpotes fecit. Ipso namque consulente, iuuante, comitãte Carthusiæ solitudinem intrauẽrunt atque extruxerunt. Sic cæpit ordo Charthusiensis puritate mẽtium, ac theoriæ studio singularis.

Virtutum S. Hugonis catalogus.

De quodam ab igne sacro per beatam Mariam Magdalenam liberatum.

Cap. IX.

Huius Hugonis temporibus videtur accidisse miraculum per beatam Mariam Magdalenam factum, quod in quodam paruo memoriali repperi scriptum in hunc modum.

Vir quidam priuignum habuit, qui dum ei bubulci ferret officium, dies beatæ Mariæ Magdalenæ obuenit, quã idẽ iuuenis nomine Petrus indictione sacerdotali cũ audisset opere forensi inhibitã, vitrico agricultũ imperanti, reuerentiã vetitę solẽnitatis obiecit, sed vitrici iurgantis imperiũ vicit. Itaque boues aratro subiungens, cum ipsius operis atque animalium execratione prosequitur. Cumque cæpta iugeribus maledictis illapidat, inutile sibi exauditur ad votum. Nam boues & vtensilia motis subitaneo tonitru elementis, fulmine absumũtur, & ipse qui hoc fieri exegerat imprecando atrociori supplicio, & diuturniori addicitur. Eadem enim cælestis flamma, quæ bruta ligneaque vorauerat, eius pedi extẽplo subripuit, quem in breui cum reddidisset exesum, tibiam quoque parua dens cruris pariter suprema corripuit, carnes quoque vorans, neruorum duricia tabidis fluoribus latescente ossa retexerat, eademque casu quotidiano vsque ad geniculum hac illac dispersserat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Meritis ac precibus beatæ Mariæ Magdalenæ sanatur conceptor ipsius festi.

Cum igitur pro misera sua habitudine putori & pudori suis esset parentibus, ad quãdam ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ nomine dedicatam, efferri se fecit, vt cuius temerata festiuitas occasio punitionis extiterat, remedij causa rursus existat. Itaque sacer ignis qui partes iam corporis superiores, attigerat, merito illius extinctus est, quæ ad pedes Iesu Christi concupiscentiarum ignem lachrymis extinguere meruerat.

De miraculo per beatam virginem in eodem nomine consummato.

CAP. X.

INterea vnius experientia pietatis, iam iamque maiora præsumens, cum adhuc extremis partibus prorsus esset mutilis comperit quandam Dei genitricis ecclesiam celebribus vbique dici miraculis insignem, quæ habebat & Hipolyti martyris memoriam. Ad hanc cum se deuehi impetrasset, cæpit ibi crebris obsecrationibus interpellare mundi Reginam, vt quod alijs valentioribus impendebat, sibi prorsus imponi non negaret. Miles autem quidam sæpe intuens eum basilicam reptando subire eleemosynæ causa, in domum propriam declinare persuasit, vbi cum aliquandiu resedisset, pedisequæ nescio quid acturæ à camera noctu in domum exteriorem deueniunt, & Petrum crebris planctibus ingemiscentem subaudiunt, quorum gemituum hæc causa fuerat, virgo Maria cum beato Hypolyto in visione stratui eius astiterat, quæ vt iacenti videbatur imperabat, restitue, inquit, eum antiquo vigori. Martyr vero imperanti obsecundans humiliter, crus, tybiam, pedemque quaquauersum olim sparsa diuinitus ad instar futuræ resurrectionis in puncto compacta, recolligens corpori eius quasi surculum arbori cæpit subiungere. In qua insertione tantis torquebatur ardoribus, vt non sine clamoribus subsistendo, crebris quoque rictibus, & membrorum moribus quod pateretur, indicaret. Irruunt igitur ancillæ, & illato adiacentis cubile faro, dum hac illacque dispiciunt, duos habere pedes, & duo crura Petrum reperiunt. Ex quo intuitu tantus eas stupor illico inuasit, vt non se eas esse quæ venerant, sed mutari in alteras æstimarent. Contrectabant tamen & vera membra, quæ tetigerant, sentiebant. Tandem difficillime excitatus, cum aperuisset oculos beatam cum martyre virginem adhuc æstimabat astantes, quibus visibiliter absentatis, interrogatus à fæminis, quis sibi restituisset amissa, rem retulit, multosque in admirationem adduxit.

Qualiter idem homo reclusus diabolum visibiliter expugnauit.

CAP. XI.

ERat autem hic homo oriundus ex Grannopolitano territorio. Qui cum pro tanta gratia sibi impensa, quam Deo redderet vicem cogitaret. Ad hoc tandem animum appulit, vt soli Deo victurus sub reclusione secederet. Itaque dum diuinæ speculationi sic vacaret, inuenit diabolus contra eius immunitatem quid machinarum ingereret. Quadam enim nocte dum sese cubitum deponeret, inopinate ad purum sine illusione species, immo vera effigies mulieris sibi apparet, quæ membra corporis impudenter intendens ad fædos vsus præmissis lenocinijs moliebatur allicere. Porro blandicijs minus agens, hominem terrore, mactabat, & cum neutro posset manibus iectis pellicere vi volebat. Omnibus igitur noctibus se fæmina illa præbebat, & in tantum eum fatigabat, vt mane ad se venientibus visitandi gratia respondere vix valebat, vix id quod perpetrabatur edicere. Cumque multis quod ab eo ferebatur, veniret in scrupulum, accidit illi castro superuenire Munanensem episcopum. Eadem nocte quidam equites cum cereis suis pro reuerentia basilicæ, cui ille appendicẽ habebat cellulam in vestibulo ipsius vigilabãt. Et ecce in ædicula strepitum audientes, ad fenestram venerunt, & in medio conflictum Petri & mulieris attendunt. Quorum ille præsentia roboratior iam iam lassabundus exclamabat stolam ab ecclesia sacerdotalem ocius exhiberi, qua sibi raptim vecta diabolicæ illius pelicis collum implicuit: Ita vt eam pauimento prosterneret, ac pœnitus suffocaret. Hoc in crastinum milites episcopo referunt. Adest episcopus, victoriam stupet, quam per Petrum exercuit Deus. Clientes proprios dirigit, qui recto, retecto, & fune dimisso genuque innexo anum ingentissimam extraxerunt: & sæuis ignibus concremendam ab oppido abduxerunt. Postquam autem eam Petrus suffocauit in cellula, tantus fœtor ipsum, qui sacris illam armis peremerat, & astantes obsedit, vt nemini ambiguum foret cadauer turpissime cuiusdam extitisse, quod diabolus induisset. Huic opinioni hoc etiam præstat argumentum, quod in fenestula latrinarum, per quam illa irruere consueuerat panni scissi ac putridi reperti sunt. Quis enim hos esse putauerit, nisi quos impurissimum illud in obuolutione sua cadauer habuerat.

Conflictus Petri recluſi cũ damone.

De sacris moribus prædicti Hugonis, & obitu eiusdem.

CAP. XII.

Vigo. SAnctus autem Hugo, quamuis multis virtutibus adornatus, & ecclesiæ Dei multum proficuus, semper tamen imperfectionẽ suam cogitans episcopalem sarcinam omnino exuere, & quieti animæ vacare desiderauit, quo desiderio ab initio suę promotionis vsque ad mortem non caruit. Vnde & super hoc legationem ad Papam Honorium misit. Et cum postulata non impetrasset, ipsemet quamquã morbis & senectute grauatus, eundem Papã adijt, rogans & obtestans dari senectuti suæ licẽtiam quiescendi, sed obtinere non potuit. Defuncto autem Honorio & succedente Innocentio, cum Petrus Leonis cognatorum suffultus præsidijs, qui certe tam ipse quam pater eius sancto Hugoni multas olim veneraciones, & obsequia præstiterant, aduersus Innocentium caput erexisset, idem tamen vir sanctus Hugo nec amicitia flexus, nec potentia territus, sed zelo Dei ductus, quamuis morbis, & ætate consumptus perrexit Anicium, vt eundem cum alijs episcopis excommunicaret scismaticum. Innocẽtio autem eiusdem Petri declinanti persecutiones, & Gallias ingresso, occurrit ei sanctus Hugo lachrymis rogans & obsecrans, quod ab antecessore suo petijt, sed nec sic siquidem obtinuit. Credebatur enim quod sola auctoritate & exẽplo plus posset prodesse plebi subiectę debilis & ægrotus, quam quilibet alius licet robustus & sanus. Ab hoc tempore cępit magis in dies deficere, & molestijs concrescentibus morti propinquare. Aderant ei viri religiosi de Carthusia ac de Calesiensi, & excubiarum domibus ad seruiendum, nec vlla prorsus persona sæcularis ad eius admittebatur obsequium. Si quid opus habebat, non à quoque seruientium iubendo tanquam Dominus, sed humiliter rogando propter Deum diuinam remunerationem ei precando poscebat. Ridere autẽ vel ociosis verbis vacare seruitores suos nequaquam sustinebat, sed statim hoc ipsum sæuissima increpatione frænabat, asserens tempora fletibus debita, & ipsa lamentis occupanda, nec cachinnis, & nugarum relationibus terenda. Obijt autem anno domini 1132. ætatis suæ ad minus 80. consecrationis eiusdem ad minus 52. Kal. Aprilis 6. feria ante ramos palmarum.

Petit absolui ab episcopali functione.

Ex chronicis. Eodem anno Lintherius Imperator expeditionem in Italiam parat, cum episcopis & archiepiscopis Innocentium Papam Romam deducens contra Petrum Leonis, qui monasterium sancti Petri munierat, ipsum episcopum in Lateranensi in sede pontificali potenter collocat. Ipsum vero Lintherium Innocentius ibidem consecrat Imperatorem.

An. Christi 1132.

De

De quibusdam euentibus, & scismate Aquitaniæ.

Cap. XIII.

An. Christi 1135.

Chronographus. Anno domini 1135. monasterium de Prato fundatum est. Prima plantatio quam pater Vualerannus ex propria domo protulit. Eodem anno Rex Angliæ Henricus obijt, cui Stephanus ex sorore nepos in regno succedit, sed magna regni parte mutilatus, non post multum temporis totam Northmanniam amittit. Nam filia Regis Hentici Matildis, quæ primo nupserat (vt supradictum est) Henrico Imperatori, postmodum Gaufrido Andegauensi Comiti, ope Ludouici Regis Francorum Northmanniæ ducatum occupat, & in ipsa Anglia magnas ei molestias & calamitates suscitat, quem etiam postea bello cœpit, sed pro Comite fratre suo Roberto eundem relaxauit.

Ventus nimius 3. Kal. Nouembris fuit, qui turres & ædificia multa diruit.

Eodem anno Guilielmus Comes Pictauensis ad sanctum Iacobum proficiscitur, & in sexta feria parasceuæ in ecclesia beati Iacobi moritur, & ante altare sepelitur. Qui moriturus proceres suos, quos secum habebat contestatur, vt filia sua maior Alienordis Ludouico Regi Francorum cum Aquitaniæ ducatu vxor traderetur, quam prædictus Ludouicus apud Burdegalem cum optimatibus regni præsentibus iungit sibi nuptijs solennibus. Cuius pater Ludouicus intra eundem ferè mensem apud Parisios defunctus, in ecclesia beati Dionysij ante corpus illius est sepultus, Kal. Augusti 27. anno regni sui.

Florebat hoc tempore Theobaldus Comes Campaniæ: pater orphanorum, & iudex viduarum, oculus cæcorum, ac pes claudorum, singulariter munificus in pauperibus sustentandis, in extruendis monasterijs, & erga religiosos quosque largitate incomparabilis. Hic genuit Comites Henricum, & Theobaldum, ac Stephanum. Guilielmum quoque archiepiscopum Remensem, filias etiam plurimas habuit, quarum vltimam nomine Adelam Ludouicus Rex post in vxorem accepit, ex qua filium nomine Philippum successorē regni suscepit.

Florebat & Guilielmus Comes Niuernensis vir iustitia & honestate insignis: cuius deuotio mira postmodum emicuit, dum ex potente sæculi Principe factus est in Carthusia humillimus pauper Christi.

Helinandus. Laborabat eo tempore sub scismaticorum oppressione tota Burdegalensis prouincia, & non erat in Aquitania, qui posset resistere Principi cuius animum indurauerat Deus, qui persuadente Gerardo Engolismensi episcopo, & instillante in cor eius semina dissentionis, factus erat schismatis defensor & auctor. Hic Gerardus misit ad Petrum Leonis, vt ei legationem concederet, & ipse ei fidelitate iurata obediret. Insuper & Principem terræ & quoscunque posset ad eius Imperiū inclinaret. Gauisus homo perditionis locum se inuenisse, in quo dilataret malitiam suam, cito annuit & libenter, & misit ad eum Gilonem Tusculanum Cardinalē episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi ei adhæserat. Igitur Gerardus resumptis cornibus, quod ante non fecerat publicè incedebat mitratus. Ab his ergo duobus violenter expellitur à sede sua. Guilielmus episcopus Pictauensis, vir honestus & catholicus, & pro eo alius quidam genere nobilis, sed degener fide intrusus est. Similiter in Lemouicensi ecclesia intruserunt Ranulphum quendam Dorathensem, qui non multo post cadens resupinus de equo in via plana, vno tantum lapide vltore, qui ad hoc ibi relictus erat, infixo capiti eius, & quassato expirauit. Audiens hæc & huiusmodi Gaufridus venerabilis Carnotensis episcopus cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, duxit secum sanctum Bernardum.

Veritimis exturbatis episcopis substituuntur improbi.

De legatione beati Bernardi cum episcopo Carnotensi.

Cap. XIV.

Venerunt ergo Nannetum, ibi sanata est mulier per virum Dei sanctum Bernardum quæ iam per 6. annos ab incubo dæmone fuerat oppressa. Decanus autem ecclesiæ Pictauēsis altare in quo sanctus Bernardus missam cantauerat, confringere ausus est. Post breue tēpus percussus à Deo cum iam animam exhalaret, vidit domū suam plenā dæmonibus, & se à dæmonio iugulari clamitans à circunstantibus postulabat cultellum, quē ad dæmonem extrahendum immergeret gutturi suo, & inter hæc verba expirauit. Archipresbyter vero qui Petri inuasoris Pictauensis ecclesiæ denunciabat synodum corā ipsis quos ad conuentū perfidiæ inuitabat à diabolo correptus est. Sed & in alios multos, qui in schismate illo feruentiores extiterant manus Dei manifestā exercuit vltionem. Tandem principe reconciliato, & episcopis, qui expulsi fuerant in suis sedibus relocatis, Gerardus solus perseuerans in malis, sine confessione & viatico repente in lectulo suo mortuus inuentus est, & enormiter tumidus. Quia nepotibus suis in quadam basilica sepultus est, sed à Gaufrido Carnotensi episcopo inde extractus est, & alibi proiectus. Nepotes quoque eius ab eadem ecclesia eliminati sunt, & omnis progenies & plantatio à radice auulsa per extera regna tanti iudicij circunferens querimonias exulauit.

Terribilis vindicta in decanū schismaticum & alios.

Rex Siciliæ Rogerus solus de principibus Innocentio non obediens, misit ad Petrum Leonis, vt Petrum sibi Pisanum à suo latere delegaret, confidens in eloquentia Petri Pisani, sed Abbas sanctus Bernardus ipsum Petrum Pisanum Papæ Innocentio reconciliauit. Post triduum Petrus Leonis impœnitēs moritur, cadauer eius in latebris sepelitur, & vsque hodie fouea illa catholicis ignoratur.

Petri leonis Antipapæ mors ignominiosa.

De fine temporum Lotharij, & Imperio Conradi tertij.

Cap. XIV.

An. Christi 1137.

Chronographus. Anno domini 1137. siccitas tanta fuit in Francia, quantam nemo qui tunc viueret se vidisse vel ab antecessoribus suis audisse testaretur, ita vt fontes & putei, quidam etiam fluuij siccarentur.

Comes Pictauensis Guilielmus ad sanctum Iacobum in Gallicia orationis causa proficiscitur, & in sexta feria parasceue in ecclesia beati Iacobi moritur, & ante altare sepelitur, qui moriturus proceres suos, quos secum habebat contestatur, vt filia sua maior Alienordis Ludouico iuniori Francorum Regi cum Aquitaneæ ducatu vxor traderetur, quod & factum est.

Helinandus. Eo quoque anno Abbas Alexander, qui eum omni conuentu suo annuente Rege Anglorum Henrico in foresta Delionis venerat, & in eremitorio, quod dicebatur mortuum mare, monasterium suum ædificauerat, ipsam domum suam, scilicet Mortui maris ordini Cisterciensi coniunxit, & Vualerānus Abbas Vrsicampi eam in filiam suscepit, monachosque suos illuc transmisit: nec multo post idem Alexāder Abbatis curā dimisit, cui Adam quondam Prior Vrsicampi successit.

Chronographus. Anno quoque prænotato Lintherius Imperator secundam expeditionem in Italiam fecit.

Post subactam vero infidelitatem Romanæ ecclesiæ Apuliam rediens in patriam suam moritur, & Conradus qui ante ipsum imperium affectauerat, Henrici Imperatoris de sorore nepos, ad regnum prouehitur.

Cepit autem anno domini 1138. Mundi vero 4999. & imperauit annis 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De quibuſdam euentibus illius temporis.

CAP. XVI.

An. Christi 1138. Mun. 4999. HIs temporibus quidam pſeudo. Imperator in partibus Alemaniæ ſurrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in recluſione viuens, egreſſus inde Imperatorem Henricum ſe eſſe mentiendo dixit. Et cum multos ſeducendo ſibi allexiſſet, in tantum vt pro eo etiã graues pugnæ & homicidia fierent, alijs eum recipientibus alijs ſeductorem palam profitentibus, tandem declarata eius falſitate Cluniaci in monachum attonſus eſt.

An. Christi 1139. Anno domini 1139. habitaculum ſeruorum Dei in loco qui dicitur ad Montem Dei conſtruitur. Florebat hoc tempore eccleſia Gallicana per viros religione ac ſapientia illuſtres: Milonem Morinenſem epiſcopum humilitatis virtute præcipuum. Aluiſum Attrebatẽſem liberalitate atque conſilio ac facundia clarum. Godefridum Lingonenſem, Hugonem Antiſiodorenſem. Ioſlenum Sueſſionenſem, Giffridum Carnotenſem, Albericum Bituricenſem Archiepiſcopum, ſcientiaque literarum atque conſilij prudentia clariſſimum. Inter hos & alios multos tunc claros ſcientia viros, Bernardus Clareuallenſis vir opinatiſſimæ religionis eminentiſſimè clarebat, qui multorum miraculorum patrator, & verbi Dei feruentiſſimus, prædicator, atque multorum monaſteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo exhibebat, adeo vt magiſtri ſcholarũ cum magno clericorum comitatu, etiam de longinquis regionibus ad eius optabile magiſterium confluentes, centenario vel etiam ampliori nouitiorum numero domum probationis implerent, & vno die 40. monachi fierent.

Viri in eccleſia Dei præclaris virtutibus fulgentes.

Eodem anno Ioannes de temporibus moritur, qui annis 341. vixerat à tempore Caroli magni cuius armiger fuerat.

An. Christi 1140. Anno domini 1140. cœnobium ſanctæ Mariæ de frigido monte fundatum eſt.

Helinandus. Eo tempore Henricus germanus Ludouici Regis apud Clareuallem monachus effectus eſt, qui non multo poſt ad epiſcopatum Beluacenſem aſſumptus eſt.

Anglia fame & gladio atteritur, principibus illius terræ inter ſe diſcordantibus.

Eo tempore Papa Innocentius apud Aquas ſalinas fundauit monaſterium ſancti Anaſtaſij martyris, cõſtructis ibi cœnobialibus manſionibus, & petijt à Clareualle conuentum & Abbatem, mittitur illuc cum conuentu Bernardus Piſanæ eccleſiæ olim vicedominus.

De Petro Abailardo, & hæreſibus eius.

CAP. XVII.

Idem hæreticus aſſerebat filium Dei non aſſumpſiſſe carnem & in carne mortuum eſſe vt hominẽ liberaret, ſed vt hominem inſtitueret charitatemque ſuam oſtenderet.

EO tempore fuit Petrus Abailardus magiſter inſignis, celeberrimus in opinione ſcientiæ, ſed de fide perfide dogmatizans. Huius ſcripta incendio & ſcriptorem ſilentio condemnauit Innocentius Papa. Capitula in libris eius reprehenſibilia annotauit beatus Bernardus in epiſtola quam ſcripſit ad Innocentium Papam. Libri tamen huius à multis curioſe ſeruantur, quibus aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior, Ego ipſe in eis multa reprehenſibilia inueni. Huius Petri aliquando diſcipulus fuerat Gaufridus Antiſiodorenſis, qui multo tempore notarius fuerat beati Bernardi, hic inter cætera de eodem Petro dicit: Ego aliquando mihi magiſtrum fuiſſe recordor, qui cum pedibus & inteſtinis nihil amplius de agno paſchali, aut ipſe vorans, aut diſcipulis exhibens, & ſe pariter & ſuos modica eius parte fraudabat. Siquidem pretium redemptionis euacuans nihil aliud nobis in ſacrificio paſſionis dominicæ commendabat, niſi virtutis eius exemplum & amoris incentiuum. Quod enim ſcripturę perhibent de prętãte diaboli pretioſo illo ſanguine humanum genus eſſe redemptum in eo ſolo conſtare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum eſt vſque ad mortẽ, pro veritate & iuſtitia certandi, & adhibitum eſt velut quoddam incentiuum amoris, cum ex impenſo amore occaſio data eſt redamandi, quaſi vero, & hæc duo in mortibus prophetarum pro veritate & iuſtitia occiſorum, nobis ante exhibita non ſint. Et quidem magna hęc & vera, ſed non ſola.

Benedictus Deus qui mihi ſimul & vobis magiſtrum dedit, poſtea meliorem per quem prioris redarguit ignorantiam, inſolentiam confutauit. Ille enim tanquã verus Hæbreus auide prorſus vorabat, & vorandũ nobis ſolicite cõmendabat caput agni cũ pedibus & inteſtinis, ſic imitandũ dominũ prædicans patientẽ, & ſic redamãdum amantẽ, vt principalem huius ſacrificij cauſã velut agni caput redemptionem in eo profiteretur, & adoraret humanã. Tria Namq; ſpecialia Chriſtus in ſua paſſione nobis exhibuit, exẽplum virtutis, incentiuũ amoris, redẽptionis ſacramẽtum. Quod tertiũ euacuanti hæretico nihil prodeſſe cætera potuerũt. Sine cauſa enim pro virtute certauit vſque ad mortẽ, nobis patientiæ præbens exemplum, & ſine cauſa exhibuit & commendauit huius immenſæ dilectionis affectum, ſi non recepit olim iam addicta captiuitas copioſæ redemptionis effectum. Gaufridus hæc contra Petrum olim magiſtrum ſuum fortiter & catholicè ſcribit.

De obitu Hugonis Pariſienſis, & libro de clauſtro animæ.

CAP. XVIII.

An. Christi 1140. *Cronographus.* Anno prænotato primo 1140. ab incar. Domini, Hugo Pariſienſis S. Victoris monachus religione, & literarum ſcientia clarus & in 7. liberalium artium peritia nulli ſui temporis ſecundus, obijt, qui inter multa quæ vtiliter ſcripſit etiam librum de ſacramentis valde neceſſarium duobus voluminibus comprehenſum edidit.

Author. Huius Hugonis libros in ſuperiori libro numeraui, eorumque flores excerpſi. Extat etiam liber Hugonis de clauſtro animæ nominæ quidem Hugonis de Folietto intitulatus, qui & ipſe ſancti Petri Corbeiẽſis dicitur fuiſſe monachus, ſed quo tempore ignorans paucos eiuſdem libri floſculos, quia perutilis eſt ad ædificationem legentium breuiter hic inſerui.

Epiſcopi nimiis ſumptuoſas domos conſtruunt.

Ex libro 1. de clauſtro animæ. Epiſcopi noſtri hodie domos non impares eccleſijs magnitudine conſtruunt, pictos delectantur habere thalamos, pauper autẽ ſine veſtibus incedit, & vacuo vẽtre clamat ad oſtium. O mira delectatio! Troianos geſtat paries pictus purpura & auro veſtitos, & Chriſtianis negantur veteres panni. Hectori clipeus datur auro ſplendens, pauperi vero ad ianuam clamitanti non porrigitur panis. Et vt verum fatear ſpoliantur pauperes ſæpe vt veſtiantur lapides & ligna. Monachi ſibi clauſtra faciunt, quibus homo interior ordinate teneretur, ſic agit diſcretus non ad tempus, ſed aſſidue ne tradatur aduerſarijs caſtrum, ne & ipſe capiatur. Iſtius vita mores inſtruit audientium, loqui de eo etiam debilium mentibus præbet affectum. Audire enim bonum diligenter & velle fieri magna pars bonitatis eſt. At diabolus per quoſdam de exercitu ſuo clauſtralibus minatur, vt eos terreat: per alios blanditur, vt decipiat, per aliquos promittit, vt peruertat: per aliquos inſidiatur vt rapiat. Phyſicam docet, de complexionibus loquitur, infirmitates vniuerſas ſi teneatur religio generari prædicat. Sed quare hoc? Non vt mederi velit, ſed vt occidere poſſit. Videt ex ſubtractione ciborum luxuriæ vires minui poſſe. Et ideo non tardari minatur ægritudinem,, timet ocium perire, & ſomnolentiam deſtrui. Et ideo laboris intolerantiam & protenſa vigiliarum ſpacia prætendit. Abſtinentiam & ieiunium damnat, & per iſta naturam carnis deficere aſtruit, & tamen vitium ſuperfluitatis tacet, per quam natura ſuffocatur.

Dæmonis ad religioſos tẽtamenta.

Phyſica pro medicina ſcientia illo ſæculo nomẽ tritum.

De

De quatuor occasionibus peccandi, quæ claustralibus. fugiendæ sunt.

CAP. XIX.

Quatuor rerum diuersitates religiosis fugiendæ.

SVnt autem quatuor diuersitates rerum, quæ claustralibus fugiendæ sunt, maxime renunciantibus huic sæculo, habendæ despectui. Confert enim pulchritudo delectationem, ornatus affectum, locus opportunitatem, diuitiæ effectum. Audiant igitur hoc vt caueant illi qui loculos portant, qui nundinas & fora propter necessitatem fratrum frequentant, qui sæcularium domos & curias perlustrant. Deuitant solarium Bersabeæ, biuium Thamar, thalamum Amon filij Dauid Regis. Deuitent etiam personas infames, hospitia suspecta, munuscula dare & accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in potentia laqueus lateat, in quo cum alio pereant. Pudicus oculus ianitor est cordis. Quicquid indecens nouerit esse, excludit. Impudicus vero quærens quod placet per omnia discurrit, volentes vero intrare patitur, nolentes autem monet & hortatur. Inde scriptura dicit. Oculi prima tela sunt adulteræ.

2. *Reg.* 11. 2. *Reg.* 13.

Pudicus oculus est ianitor cordis.

Gen. 39. *Ioseph pudicitia exemplum.*

Solent homines tribus generibus armorum vti, telis videlicet, hasta, & gladio. Immisit vxor domini sui oculos suos in Ioseph; hæc sunt impudicitiæ tela quibus vulnerantur longe positi, his vero pudicitiam oculorum opposuit. Vibratio hastæ blandientis videlicet adulteræ sermo, huic opponitur cordis mundicia: Venenata enim colloquia non recipit mundi cordis puritas, gladius quo configitur cominus mollis adulteræ tactus; huic restitit per munditiam cordis, respuit enim adulteræ tactum, rupit fimbriã, ne serperet contagium. His ergo modis docet nos Ioseph ne per pulchritudinem mulierum ad delectationem trahamur. Vestiũ vero ornatũ & affectum qui inde subministratur vilis habitus amor exterminat. Nemo enim qui vere habeat proprij habitus contemptum, alieno delectatur ornatu. Sed & loci opportunitatem, ne tentationi sit congrua, claustri assiduitas excludit, qui enim discurrunt per alienas domos, qui societate sæcularium gaudent, qui fori spectacula sequuntur, qui non ad necessitatem communem, sed ad propriam voluntatem sunt parati, qui causas itineris sui non habent, sed fingunt tales sicut sunt faciles ad discurrendum, forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.

Vestium vilitas ad quid prosit.

De securitate claustri, & periculis sæculi.

CAP. XX.

Claustri securitas.

SEcura est igitur claustri assiduitas, quam cura familiaris rei non turbat, quam non solicitant accessus hominum. Ibi inter fratres alterius ad alterum diligens habetur custodia. Ibi prælatorum subiectis discreta prouidet solertia. Ibi disciplina cæteros motus corporis seruire cogit munditiæ, & sic omnis opportunitas, quæ est ad malum per claustri assiduitatem excluditur, paupertate vero voluntaria pecuniæ affectus extirpatur.

Quomodo promittit diabolus vt peruertat.

Contigit quandoque vt qui minis terreri nequeunt, neq; blandimentis acquiescunt, promissis citius flectantur muneribus. Prudentia mundi ipsa est, quæ promittit, vt peruertat, scilicet diuitias & honores: alterum cupiditatis est, alterum superbiæ, promittit, sed nihil dat. Et si aliquando recipiant homines, quod promittit, non datur illud, sed emitur. Raptoribus promittit agricolæ substantiam, oues viduæ, agros pupilli. Fœneratori vicini sui domum, amplitudinem possessionis. Militibus promittit, inter enses lucra, inter telorum grandinẽ, sub spe carceris, & sub mortis periculo. Negociatoribus vltra mare promittit luctum: Ibi naufragij timor, ibi vento commendantur opes, & animę. In vtroque difficilis acquirendi modus. Claustralibus vero vagandi licentiam, quam rigor claustri abstulerat repromittit. Fabulosas autem cõfessiones ociosorum, platearum plausus, fori spectacula, ciborum affluentiam, vestis molliciem, vt cuncta compleam libertatem faciendi, quod placeat.

Quid promittat prudentia mũdi hominibus ipsis.

Vltimo loco de superbia, quæ insidiatur, vt rapiat est agendum. Hæc est, quæ sæculares possidet & retinet, nouiter conuersos vexat, & reuocat: iustos vero tentat & illudit. In sæcularibus apparet, in nouiter conuersis notatur, in religiosis quandoque latet. Elephantis natura talis esse dicitur, vt ossa illius iuncturis careãt, & ideo flectere membra nequeat, sed semper stat. Membra superbiæ inflexibilia sunt, *cum enim superbus loquitur, si imponas silentium ei, non acquiescit.* Si aliquid operatur & contradicis, non cessat, & sic flecti nequeunt actus superbiæ, sed qui sic stat, male stat ad propriam voluntatem, quasi ad arborem latus inclinat superbus, vt quietem recipiat. Quod enim per dispositionem proprię voluntatis agimus, hoc quieto suscipimus animo. Si autem aliter ordinetur pro labore reputabitur. Succidatur ergo arbor propriæ voluntatis vt cadat, & occidatur bestia superbiæ. Sed cauendum nobis est ne cadens opprimat aliquem. Sic igitur nouiter conuersis insidiatur superbia.

Superbia vitium quam latè pateat.

Elephanti comparatur superbia. Prou. 29. Propria voluntas est quasi arbor ad quam inclinat superbia.

Quod vita claustralis & pauperi sit abundans, & mediocri sit sufficiens.

CAP. XXI.

AVdiant sæculares, quos delectatio temporalium retinet, qui religionis abhorrent habitum, quam suauis sit veræ religionis cohabitio. Abundans enim est pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infimis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis seuera, bonis optima. Hęc sunt 9. beneficia religionis.

Quomodo pauperi abũdans sit religio.

Quidam rebus temporalibus egent, sed inuiti, & hæc vocari solet egestas, egent enim rebus, & egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Quidam de sæculo veniunt vt in ecclesia possint honorari, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse potuerunt. Qui si forte ecclesiam in qua paupertas amatur intrauerint, intolerabilem dicunt illius loci consuetudinem, nimiam prælatorum seueritatem prætendunt, aliquem de fratribus opponunt sibi, quem cum nolunt pati dicunt, quod non possunt, calide machinãtes, vt ad ditiorẽ valeant transire ecclesiam, quasi humiliter rogant à vinculo professionis absolui, miscentes blandis aspera. Minantur enim scandalum, si male discesserint, & iurant in alia ecclesia se quietæ mentis posse esse, in sua vero nunquam. Respondent Abbati suo fronte libera, accusant fratres quosdam criminosos, quosdam per ironiam iustos vocant. Quos vero iustos esse negare nõ possunt, inuidentes bono nimium iustos appellant; genus suum erubescunt, proprio nomine nolunt appellari. Amant enim nomina dignitatum, si vocentur Abbates, si Priores, si Præpositi, arridet oculus, hilarescit facies. Et sic nunciat animus quid optet. Huiusmodi pauperibus non promittit Christus regnum, sed infernum.

Pauperes in religione praui.

Optimi pauperes in religione qui.

Sunt alij qui ex paupertate venerunt, quibus si dentur necessaria ex humilitate pũtent esse superflua, ocium diei vnius sacrilegium esse credunt, saturari vilibus cibis arbitrantur vitium, nulli æquales esse, ex debito cunctis seruire æstimant, aliquando bonas vestes habere erubescunt, vt nisi condiret humilitatem discretio vti licitis licitum esse dubitarent. Tales sequuntur Christum pauperem itinere recto, quia pauperes pauperem, humiles humilem sequuntur. His dantur ad necessitatem temporalia, & promittuntur ad æternitatem cælestia.

Mediocri quomodo religio sufficiat.

Mediocri religio sufficere debet, quia necessaria prębet, *dat satis, & dat gratis.* Mediocritas est via media, quæ ducit ad ciuitatem summi Regis. A dexteris vero & sinistris sunt egestas & diuitiæ. In vna angustãtur per egestatem, in alia vero errant per superbiã. In pretiosa enim

veste

veſte ſuperbia: In pannoſitate vero rei alienæ concupiſcentia timetur. Mediocritas vero eſt quaſi menſura qua totius bonitatis ſpacium terminatur.

Quod eadem etiam diuiti ſit tolerabilis.

CAP. XXII.

Matth.11. TOlerabilis diuiti eſt religio. Iugũ enim meũ, inquit, ſuaue eſt. Taurorum ceruices humiliat onus quod trahitur, ſuperbiam carnis, quæ quaſi ex adipe procedit domat. Sed dicet aliquis, vita Chriſti eſt opprobria pati, nihil poſſidere, affligere corpus, mori pro proximo. Sed cui eſt hoc onus leue? Audi autem cui, *Cupio*, inquit, *Philip. 1.* Paulus, *diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Et eſt mira res, hoc abhorrent quotidie ſæculares, & hoc quotidie patiuntur, timent opprobria pati pro Chriſto, pro mundo autem patiuntur opprobria ſempiterna, mori pro Chriſto pertimeſcunt, & pro temporali lucro quotidie moriuntur. Nonne leue eſt mori pro proximo, & eſſe cum Chriſto? *Religio onus leue, Mundi onus importabile.* Spes muneris laborem oneris imminuit, vere onus leue vita Chriſti, quia nec portat multa, nec diu. Religio non acquirit cum cupiditate, non poſſidet cum amore, non dolet ſi amiſerit. Iugum autem diaboli grauat & opprimit, multa enim patitur diuitum ſuperbia. Nouimus diuitum menſas, nouerunt & aliqui noſtram, quia proteruitas acquirit ibidem ſibi locum non ſimplicitas. Quibuſdam datur ibi cibus ſine potu, & econuerſo. Multi etiam ieiuni ſurgunt à menſa, & cum læta vrbanitate quadam famẽ ſuam conſolantur. Menſa vero religionis eſt ordinata, ſufficiens, non ſuperflua. Nullus amittit ibi locũ cũ robore, quia omnia diſponit humilitas. Ieiunant milites, vt aliena rapiant, ſcholares vt ſubtiliores fiant, & nolunt ieiunare vt audiant, *Matth.11.* *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis &c.* Dicit Chriſtus, *reficiam*, & dicit homo, *deficiam.* Cui credam? Credo quia qui potuit hominem facere, poſſit & reficere. Labor diuitum grandis, leuior eſt labor clauſtri, & tamen timetur. *Tutius eſt clauſtrum quam caſtrũ.* Leuius eſt enim pondus tunicæ, quam loricę. Tutius eſt clauſtrum, quam caſtrum. Tutior eſt Abbatis obedientia, quam Regis iuſſio. Hic inter gladios mittit, illa periculum vitat. Laborant multi, ſed non prodeſt eis. Labor clauſtri tolerabilis eſt, quia mediocritas laborem temperat, nec aufert diuiti niſi ſuperflua. Religio quod nocet aufert, quod neceſſe eſt miniſtrat.

Quod larga ſit infirmis.

CAP. XXIII.

Senes mali. LArga *eſt infirmis religio.* Quidam enim infirmantur ex ſenio, alij ex infirmitate ad tempus, alij continuo languore. Sunt autem alij quorum ſenectus eſt garrula, iracunda, plena prouerbijs & fabulis vacans. Et licet oculus eorum cæcutiat, licet manus tremebunda ceſſet ab opere, licet officiũ ſuum pes ignoret, licet totus corpore, & animo curuus incedat; tamen cor & lingua non ſeneſcunt. Hi ſunt qui gloriantur ſe fuiſſe diuites, bella principum ſæcularium, non pacẽ ſanctorum recitant, ad cauſas vocari volunt, quia præterita vouerunt. Tales accuſarent Suſannam ſi velles, & laudarent Iezabel. *Dan.13.*

Senes boni. Sunt & alij, qui cum terram non videant oculis, cælum mente conſiderant, qui licet offendant pedibus, licet toto corpore nutent, non offendunt tamen lingua non nutant animo, tacent noxia, quod inſtruit narrant, hominem interiorem labori ſupponunt, cum non poſſint exteriorem, inſtant orationi, *recogitant omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ. Et ideo renouabitur vt aquilæ iuuentus eorum.* *Pſal.102.* Illorum vero qui membrorum læſionẽ, ſiue moleſtiam corporis, ſiue languorem patiuntur: quidam ægre ferentes conſulunt Medicum, ſi ſtatim non conualeſcant, iraſcuntur, dolorem capitis non patiuntur benigne, & quomodo pro Chriſto capitis abſciſcionem paterentur? Flagellum timent, quomodo flagella ſuſtinerent. Sunt alij qui non ſeruiunt carni, ſed volunt vt ſeruiat caro ſpiritui, qui non quærunt Medicum niſi Chriſtum, clamantes tantum. *Sana me domine & ſanabor.* *Hier.17.* ſoli portant infirmitatem ſuam, quia non inquietant aliquem querimonijs.

Quatuor de quibus infirmi conqueruntur. Quatuor ſunt vnde conqueruntur infirmi, ſcilicet de infirmitate, de medicina, de cibo, de ordine. De infirmitate ideo conqueruntur, quia põdus infirmitatis portant inuiti, alij vero eo quod labori fratrum intereſſe nequeant. De medicina vero, quod non ſubueniatur eis (vt dicunt) fraterna charitate, alij quod diſpendium patiatur eccleſia pro ſalute eorũ. De cibo autem, quod non ſufficienter, vel quomodo, vel quando volunt miniſtretur eis: alij vero quod delicata comedant nihil operantes, quod aliquis eis ſeruiat, & ipſi nulli. De ordine autem conqueruntur, imputantes grauitati ordinis infirmitatis ſuæ cauſam, & ſic quod bene egerunt, male perdunt; quia à conuentu fratrum ſeparari delicatius tractantur. Si autem à lectulo fratrum in choro pſallentium voces audierint, pſalmos illos ruminant, qui clauſtri tædium, benigne ferunt, fælices eſſe putantur, nihil de ordine ſe implere fatentur; ſed (niſi fallor) implẽt totum, infirmitatis clauſtro coarctantur, diſciplinantur anxietatum virgis, ſpinis dolorum ieiunant, vigilant, laborant, quia cibum, ſomnum, & quietem infirmitas negat: & tamen ſi paretur lectulus ſuauior, ſi cogantur ſine caligis dormire, quaſi aliquid criminale fecerint, in huiuſcemodi timent vitam finire. Quomodo eſt infirmis larga religio, vt ſi dentur alijs neceſſaria, infirmis plura & delicatiora quærantur: plura, vt ex multis aliquid placeat; delicatiora, vt cum guſtauerint reficiantur ex aliquo. *Boni infirmi in religione totum officiũ religionis implent.*

Quod delicatis ſit compatiens.

CAP. XXIV.

Delicatorum quatuor ſunt genera. DElicatis *eſt compatiens religio.* Quatuor ſunt delicatorum ſpecies ſcilicet voluntate, vſu, genere, natura. Voluntate delicati ſunt, qui cum craſſioribus cibis vti poſſent, nolunt; ſed exquiſita & diuerſa fercula quærentes reſpondent ventri, & petenti obediunt. Reſpondeo huic & ego, quem ſi clamauerit, non virga, ſed pane compeſco. Mihi ſoli quandoque plura fercula parantur, & multis fratribus vnum datur, multis vnum, & vni plura. Vſu vero, qui cum in ſæculo eſſent ſeruiebãt vẽtri, in eccleſia vero poſiti vſum ſoliti cibi mutare nolunt, infirmitatem corporis timent, & animæ ſuæ conferunt mortem. Impoſſibilitatis ſuę vſum vitæ præcedentis fore cauſam teſtantur, ſed vt dici ſolet: *Malus vſus, abolendus eſt.* Genere delicati ſunt, & filij nobilium, qui ſicut fuerint in ſæculo nobiliores dignitate generis, ita in conuentu fratrum nobiliores ſunt proceſſu boni operis: iactant ſe non eſſe delicatos, humiles ſunt verbo, veſtitu & opere, nec de parentum ſuorum dignitate gloriantur, ſed occultant cauſas ſuperbiæ, ne pes eorum labatur in vitium. Natura vero, quorum complexio talis eſt, vt pondus laboris ieiunijs & vigiliarum ferre non valeant, qui etiam cibos exquiſitos faſtidiunt, qui ſibi ſunt oneri, qui calore ſolis diſſoluti, cito laſſantur, & frigore ſtatim torpeſcunt. Tales etiam quoſdam de populo natura plaſmauit. Omnibus his compatiens eſt religio. *Compaſſio tribus modis fit.* Eſt autem vera, & falſa compaſſio, vtraque tamen tribus modis fieri ſolet ſcilicet ore, corde & opere. Ore fit falſa compaſſio, quando aliquis flebilibus verbis tantum damnum alterius conſolatur. Corde vero quando diues aliquis oppreſſo ægritudine, ſiue etiam egeſtate occurrit, & pietate motus affectũ inclinat, tranſiens autẽ affectu non ſuccurrit egenti. Hæc cõpaſſio ſterilis eſt: concepit, ſed non peperit. De cõceptu enim veræ cõpaſſionis naſci ſolet elee-moſyna, ſed tanquam venefica mulier partum iugulat auaritia, ne prodeat in lucem: illa quæ ore fit tantum adulatoria eſt. Sequitur alia quæ multa tribuit, ſed ideo vt laudetur aut plus recipiat. Sunt etiam qui compatiũtur

ſibi ne

sibi ne interficiant ciuem, alij vero fratri suo; sed quia non habent vnde compassionis opera compleant, prælatis quorũ est prouidere aut impendere necessaria, qualis sit, & quid possit frater ille diligenter intimant, compatiuntur, & magistro ne qui præire debeat, deficiat in via. Vnde quidam vsus inoleuit, vt aliquem de fratribus Abbati suo præponant, cui obediat in agenda sui cura, ne rigor prælationis frangat humanam fragilitatem, & hoc est compassio prudentiæ. Tria sunt per quæ probatur vera compassio scilicet occulta beneficia, paupertas, & mors. Beneficium enim si impendatur occulte, humanæ laudis fauorem extinguit. Quando enim pauperi miseretur aliquis, temporalis remouet spem retributionis; cum proximo mortem pati non renuit, amorem mundi non præponit.

Veram compassionẽ tria indicant.

Quod moderata sit fortioribus religio.

Cap. XXV.

Fortioribus sit moderata religio. Tenendus est in omnibus modus, quod enim excedit modum excedit & vires. Modus æqua lance librat onera fortiorum siue debilium, ne grauentur fortiores, aut debiles sub onere opprimantur. Tres sunt species fortium, scientia, corpore, animo. Scientia fortes sunt, qui licet diligentis affectu animi careant, licet fortitudo corporis non suppetat, ipsi tamen quadam rationabili scientia, qua creatoris sui benignitatem, & suam negligentiam recognoscunt, inclinant animi rigorem, & corpus cogunt seruire suo creatori: & sic discunt bene amare, quia sciunt bene operari. Corpore fortes sunt, quos natura solidauit ad tolerandos labores, quorum quidam quod prosit operari possunt, sed nolunt; alij possunt & volũt, alij vero plus volunt, quam quod pati possunt. Qui corpore fortes debiles autem animo parcunt sibi seipsos amãtes, sectant ocium, vacant fabulis, fures sunt, quia communi necessitati subtrahunt, quod commune fecerant. Mẽtiuntur autem coram Deo, & hominibus, quia quod voluerunt reddere possunt, sed nolunt: decipiũt fratres suos ignorantes quid possint.

Fortium tria genera.

Animo sunt quidã fortes, alij vero fortiores, alij fortissimi. Fortis Tobias, fortior Iob, fortissimus Abraham. Duob⁹ modis probatur fortitudo animi cupiditate scilicet & carnalitate. Tobias commisit, Iob amisit, Abrahã dimisit; hic pecuniam; iste substantiam, ille domum, terram & cognationem. Vnus in spe, alter patienter, alius vero sponte. Primus egenti compatiendo, secũdus persequentem tolerando, tertius iubenti obediendo. Sic non cedunt cupiditati, quæ in tribus consistit scilicet in amore possidendi, in dolore amittendi, in coactione deserendi. Sed simul expellunt tres tria, qtia quisque suum nec cedunt carnalitati. Non enim plus amauit Tobias filium, quam debuit, Iob de morte filiorum non doluit plus, quam necesse fuit: Abraham vero non tantum Ismahelem expulit, sed etiam Isaac ad immolandum Deo obtulit. Fortissimus Abrahã, sed beatus Laurentius fortior fortissimo: Abrahã sua dimisit, Laurẽtius sua dispersit & dedit. Abrahã filium suũ obtulit Deo, Laurentius seipsum pro filio Dei. Hic ignem parat, colligat filiũ: ille ad ignem positus Christum prædicat, efficitur holocaustum domino, vere totum incẽsum intus charitatis igne, exterius flamma tribulationis. Hic quia fit obediens filium recepit incolumem, ille quia perseuerat in tormentis à Dei filio recipitur ad salutem. Sic igitur in tribus his consistit fortitudo totius religionis. Qui enim scit, & vult, & potest bene operari, si modum in hoc teneat semper perfectus est.

Animo fortes.

Tob. 1. Iob. 1. Gen. 12.

Abrahã & Laurentij comparatio.

Quod pœnitentibus sit misericors.

Cap. XXVI.

Pœnitentibus est misericors religio. Tribus modis pœnitet homo, Saul ore, Petrus corde, Dauid corde, & ore simul pœnituit. Tria commisit Dauid erga Vriam, perfidiam, homicidium, & adulterium. Tamẽ quia corde pœnituit, audiuit: *Dimissum est tibi peccatum tuum.* Ter negauit Petrus, & tamen respexit eum dominus. Tribus modis peccauit Saul, per superbiam, per inobedientiã, & per excusationem peccati: superbiæque diaboli, preuaricationis Adæ, excusationis Euæ particeps efficitur. Adam contra patrem, Eua contra filium, diabolus contra spiritum sanctum peccauit. Hi tres sunt qui testimonium dant in cælo aduersus Saul. Pater qui est veritas de mendacij excusatione. Filius qui est patri obediẽs de inobedientia, Spiritussanctus de perseuerantia peccati testimonium profert. Superiori non obediuit Saul, nec pepercit inferiori, sed sibi dum populum sibi subiectum accusat, dum seipsum excusat, dum Samuelis præcepta recusat.

Matth. 26. 2. Reg. 11. & 12.

Gen. 3. Adam in patrem Eua in filium peccauit.

Homo homini tribus modis misereturdismiseretur.

Tribus modis pœnitet homo, & tribus modis miseretur Deus. Peccantem expectat & reuocat dono gratiæ, desperantem consolatur per spem venię, pœnitẽtem roborat ex promissis gloriæ. Miseretur & homo huiusmodi tribus modis. Miseretur Prælatus discipulo, dum peccantem verbis benigne corrigit, desperantem ad spẽ per exempla misericordiæ erigit, & correctum post cõmissa diligit. Nonnulli cum aliquem familiarem habeant si peccat despiciunt, fatentur, quod non diligant eos sicut & prius. Peccauit Petrus, sed Christus eum nõ despexit, sed respexit, & dilexit. Miseretur, & Prælato discipulus dũ irato non resistit magistro, aut peccãti nõ detrahit, vel peruersũ patitur. Iratũ enim Saul fugiebat Dauid purgantẽ in spelunca ventrem cum posset occidere non occidit, peruersumque passus est, quãdiu vixit. Miseretur discipulus discipulo, dum peccanti orando compatitur, aut quando inter se & illum solum corripit aut quando peccanti in se benigne dimittit.

Matth. 26.

4. Reg. 19.

Quod peruersis sit seuera.

Cap. XXVII.

Peruersis est seuera religio. Seruat honestatem seueritas, leuitatem castigat, timetur ab indoctis. Ipsa est decor senum, iuuenum virga. Prælatorum personas ornat, virtutum speciem colorat. Sicut enim rubor mixtus candori, sic seueritas mixta rectitudini: si dulcedine condiatur vultum religionis decorat. Dulcedo prælati trahit ad pœnitentiam peccantem discipulum, seueritas corrigit, rectitudo dat legem delinquenti: Sic nec seueritas leuitatem patitur, nec dulcedo dissolutionem, nec rectitudo lineam iustitiæ transgredi permittit. Ita prælati causam de peruerso, iustum vero prouocat ad iram. Duæ species sunt peruersitatis, apertæ, scilicet & occultæ.

Laus seueritatis.

Sunt quidam adeo peruersi, vt quod ipsi male operãtur aperte defendant, quod autẽ alii benefaciunt, detestãtur & impugnãt: incorrigibiles sunt, hoc solũ quod volunt fore bonum credunt. Obedientiã aut nunquam aut negligenter implent, humiles fratres prouocant, turbant silentium. *Talium figuram gestat Philistæus ille, qui egressus de castris Philistiim prouocabat filios Israel.* Cuius magnitudo & armorum diuersitas moraliter statum peruersorũ, cui magni sunt, apud semetipsos & morum qualitates designant. Peruersi caput casside tegunt, dum peruersæ actionis intentionem laudant. Sinistrum vero latus obũbrant clipeo dum sinistrã praue actionis excusant partem. Ocreas habent in cruribus, quæ est quasi extrema pars corporis, quia vsque ad finem in obstinatione perseuerant. Lorica induuntur, qua totum tegitur corpus, quando totam defendunt actionem. Hæ species armorũ ex ære factæ perhibentur: quicquid agit peruersus nõ humili confessione profitetur, nec ratione veritatis, sed clamoso strepitu sæcularis eloquentiæ defendit, & per exempla reproborum confirmat. Vnde sequitur: *Et armiger eius antecedebat eum.* Hic est quilibet reprobus

Duæ peruersitatis species.

1. Reg. 17. Goliath peruersorum typus.

cuius exempla antecedunt,& ex his sumuntur defensionis arma,hoc est aperta peruersitas. Vnde sequitur: *Stans clamabat aduersus filios Israel.*

Absolon occulta prauitatis signum.

Sunt alij quorum peruersitas est occulta, qui cõsilio suo fratres commouent ad iram,excitant rixas:qui consilio suo consurgere faciunt Absolon contra Dauid, idest filios spirituales contra eorum patres: vtrisque seuera debet esse religio, vt aperte peruersis resistat in faciem & occultorum consilia mutent. Sic Dauid Philistæi frontem lapide comminuit, sic Cusi consiliũ Achitofel destruxit. Frons Philistæi est cognitio peruersitatis. Percutitur ergo Philistæus in fronte, quando peruersio insipientis agnita reuerberatur à sapiẽte. Cusi autem interpretatur silẽtium, Achitofel vero ruina fratris. Destruxit ergo Cusi consilium Achitofel, quia per silẽtium illorum qui sunt quasi ruina fratrum adnihilatur consilium. Hęc duo ad seueritatem, rarus enim sermo concordiam seruat, rigor sermonis corrigit emendanda.

2. Reg. 13. Peruersis religio debet resistere.

Quod bonis optima.

Cap. XXVIII.

Quatuor sũt in religione notanda.

Bonis est optima religio. Bonos facit rerum distributio, meliores mundi renunciatio, optimos vero religionis cohabitatio. Mundus bonis est pessimus,religio autem & malis est optima. Facit enim quandoque de malo bonum, & de bono meliorem, de meliore optimum. Quatuor sunt in religione notanda. Suauis est enim & mitis, quieta secura, nec tamen sic suauis est, vt non sit discreta; nec sic mitis vt patiatur iniusta: nec sic mente quieta, vt bonum non cogitet, nec sic secura, vt dominum non timeat, sed vt pro amore humano ab opere bono non desistat.

Religio assimilatur mulieri castæ.

Assimilatur mulieri castæ, quæ pulchra est in cõtemplatione,sapiens in sui circũspectione. Nobilis est,quia libera est à peccati seruitute,diues hæreditate. Amat luxuriosus speciosam,sed nõ amat castã. Sunt enim quidã qui delicatã ac voluptuosam fore credunt religionẽ expertem laboris, vacãtem ocio, & ideo habitum religionis indiscrete rapiunt. Cum autem ordinem & consuetudines eius aduersantes carni nouerint in modum Pharaonis vxorem suam reddunt Abrahæ expellentes eam, vt liberi remaneant in Aegypto. Abijciunt enim habitum religionis, & in desiderijs carnis suæ perseuerant.

Gen. 12.

De falsis claustralibus & ordinatione claustri.

Cap. XXIX.

Idem in prologo 2. lib. Scio multos esse in maioribus ecclesiis, qui licet multa possideant, in aliis tamen paupertatem amant, possident ea quasi non possidentes, vtuntur quasi non vtentes, exempla paupertatis diligunt & ea quæ de paupertate scripta sunt studiose legunt, legentes seipsos aspiciunt, & sub onere diuitiarũ dolentes gemunt. Hi sunt pauperes spiritu non habitu, nos autem ad oculos pauperes sumus, locum mutauimus non animum, vestem non mentem. Sunt etiam in maioribus ecclesijs aliqui sublimes,oculis inflati superbiæ spiritu,qui pauperes fratres cum superuenierint ex latere respiciunt. Derident eos, detrahunt illis vacantes ocio, ponentes symbolum, quasi canes dente liuido ossa pauperum fratrum corrodentes odientes saccum Hieronymi, tunicam Benedicti, matulam Eulalij, lachrymas Arsenij, nuditatem Apostoli, ollam Helizei.

Ex secundo libro. De ordinatione claustri materialis consideranda nobis quatuor occurrunt, scilicet qui sunt qui teneant ordinem, aut quid teneant, vbi maneant, & vnde viuant; vt plures sint, & boni propositi, vt cohabitandi suppetant ædificia & victui habeant necessaria, si tamen in numero discretio, in proposito deuotio, in ædificiis mediocritas, in rebus possessis frugalitas. Tenenda est discretio in numero fratrum, vt tot simul cohabitent, qui ordinate viuere possint, ne vel excusante paucitate irregulariter viuant, vel præ multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quęrant. Qui enim multos congregant, necesse est, vt eorum victui multa quærant, sed dum quærunt plura,crescit exterior cura, sparguntur per diuersas regiones ecclesiæ beneficia, sparguntur & fratres, soli inter sæculares habitant, nolentes pati fraudem, sed iudicio contendere parati. Qui vero per cellulas duo vel tres, vel etiam quatuor vel quinque simul habitant, claustrali non coarctantur lege, loquuntur quando & cui, & quomodo volunt & religionis opus paucitatis negligentia corrumpitur. Propositi nostri tenenda est institutio, ne vel dissoluti viuamus in delitiis, aut arduitate propositi desistamus à cæpto. Ait enim Ambrosius: *Sunt in nobis, qui habent timorem domini, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere.* Ædificia fratrum extra cohabitationem sæcularium debent constitui, ne silẽtium claustri siue dormitorii quies tumultuantibus populi strepitu conturbetur, nedum lingua tacet, respondeat cor, vel dum corpus quietem recipit animus sit inquietus.

Discretio in numero fratrum tenenda vt neque sint plures neque pauciores.

Ambros. in psal. 118.

De Ædificijs, & possessionibus monasterij.

Cap. XXX.

Ædificia fratrum non superflua sint sed humilia, non voluptuosa, sed honesta. Vtilis est lapis in structura,sed quid prodest in lapide celatura, vtile fuit hoc in cõstructione tẽpli,erat enim forma significationis & exẽpli,legatur Genesis,in libro nõ in pariete. Vestitur Eua in pariete,pauper autẽ iuxta parietẽ nudus accũbat. Datur Adæ tunica pellicea,fratrũ vero multitudo coarctatur hyemali molestia, liceat hoc si cui licitũ fore debeat,illis qui in vrbib⁹ aut in vicis morãtur,ad quos cõfluit populi frequẽtia,vt simplicitas eorũ detineatur delectatione picturæ, qui non delectatur subtilitate scripturæ. Nobis autem qui solitudine delectamur, vtilior est equus aut bos in agro quam in pariete. Hæc satiant oculos in videndo, ibi laborant necessitati subueniendo; agros, vineas, hortos, pecorũ greges,prata,lacus nutriendi piscibus aptos, fratribus habendos concedimus. Hæc enim victui necessaria præbent,non villas, non eatũ redditus,non iura fori,non telonei numos,non transeuntium mercatorũ laboriosos (vt ita dicã)recipiant obolos. Quæ enim iustitia est,vt si vẽdiderit ouẽ vidua iure fore nummum reddere cogatur? Aut si pauper aliquis humeris suis peregrinas merces transferat,transire nõ liceat,nisi pro trãsitu pretiũ reddat. Nõ obtineant iudicis vices, nec more principum militibus dominentur, sed oppressis subueniant,& pauperum fratrũ ministrent obsequijs. Quatuor sũt in rebus possessis obseruanda,scilicet ne licita iniuste acquiram⁹,aut iuste acquisitis illicitè perfruamur,ne multa quamuis licite possideamus, aut illicite licita deesse damus. Multa enim possidere propinquum est cupiditati,& sic quandoque quod nimium diligitur, male defendi solet.

Ædificia religionũ qualia esse debent.

Religionum bona qualia esse debent.

Quatuor in rebus possessis obseruanda.

De cibo claustralium.

Cap. XXXI.

Tria in cibo cõsideranda sunt idest quid,& quãdo, & quantũ comedamus. Nemo nostri propositi abhorreat abstinentiã quæ de omnibus ciborũ generibus solũ carnis excludit vsũ,cætera vero comedit ac benigne subministrat. In his tria sunt obseruanda idest modus, mensura,& numerus. In mensura deber esse æqualitas, non quantitas,sed sufficientia. Vnde beatus Augustinus *Non æqualiter*,inquit,*omnibus ec.* Tunc enim res æqualiter diuiditur,cũ ille qui diuidit,prout cuiq; opus est singulis partitur. In hoc multi multotiẽs decipiũtur,cũ delicatiori alicui vsũ lautioris cibi cõcessũ viderint. *Non est*, inquit

In cibo tria considerãda.

hæc

hæc æqua religio, quæ personas recipit, diuites honorat, & sic vbique quantum possunt fiant diuites laboriosi, fiant pauperes delicati, hi mensuram quærunt voluptatis, non necessitatis.

Quatuor sunt cibi mẽsuræ.

Quatuor dicuntur esse mensuræ. Auaritiæ mensura est nimia parcitas, voluptatis superfluitas, dispensationis benignitas, necessitatis sufficiens æqualitas. Solent mercatores mensuris duabus quandoque vti: Vna qua vendentes sua distribuunt, quæ minor est, altera vero qua ementes aliena recipiunt, sed hæc maior. Sic quidam prælati auaritiæ & voluptatis mensura vtentes, nimiæ parcitatis vasculo subiectis ministrãt. Ipsi autem pleno superfluitatis vtuntur modio, parcitatem prædicant subiectis, sed ipsi voluptatem sequuntur. De numero autem ferculorum certa nobis consideranda est ratio, ne si multis offeras vnum, alicui sit ingratum, aut si numerositatem ferculorum concedas, vitium superfluitatis incurras.

De habitu & labore fratrum, & de prælatis.

Cap. XXXII.

QVatuor autem sunt in habitu religionis notabilia. In vtilitate vana gloria, & simulatio: in preciositate superbia, aut delectatio: in paucitate intolerãtia seu desperatio: in superfluitate vero amor sæculi, non amor palatij, non paradisi.

Psal. 127. *Augustinus Fateor*, inquit, *de veste pretiosa erubesco. Et beatus Hieronymus: Saccus*, inquit, *& ieiunium arma sunt pœnitentiæ, & remedia peccatorum, quia inanis venter & habitus luctuosus ambitiosius Deum deprecantur, & exhortantur. Labores*, inquit, *manuum tuarum quia manducabis &c.* Quid autem erit illis, *qui in labore hominum non sunt &c.? Ipsi non flagellabuntur*, ideſt non cruciabuntur. Quid autem de his dicam, qui vagi & ocioſi vacantes fabulis, & inũdantes agmine verborum fratribus labori manuum statutis horis instantibus subsannantes detrahunt; nunquid *labor labiorum ipsorum operiet eos.* In tribus maximè prælati Christum imitari debent, quia in loco Christi sunt ideſt dignitate, potestate, & officio. Fuit etiam Christus Sacerdos, Rex, & Minister. Dignitati debetur reuerentia, potestati vero obedientia, officio cura. Reuerẽtia & obedientia Prælatis exhibenda est à subiectis, qui cum viderint Prælatos in dignitate humiles in potestate mites, in administratione curę familiaris seruientes, sint ipsi humiles, mites, iniuncta officia benigne suscipiẽtes. Sunt enim quidam qui Prælatorum occupationes accusant, ingressus & egressus eorum damnant, causas ignorant, & si cognouerint, turbant Consilijs se ingerũt cur, quomodo, à quo factum sit quærunt. Sic Maria, quæ in *Luc. 10.* silentio deberet esse, Marthæ detrahit, & quæ verba domini audire cõsueuerat, verbositati seruit. Hæc & falsa Maria conqueritur, quod nõ egrediatur, quod exteriora non ordinet, quod sæcularibus non admisceatur. Tales enim Prælatorum dignitatem non reuerentur, nec potestatem timent, sed claustri statuta turbant.

De duodecim abusionibus claustri & primo de prælato negligentiæ.

Cap. XXXIII.

DVodecim autẽ sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa corrũpitur, ideſt Prælatus negligens, Discipulus inobediẽs, Iuuenis ocioſus, Senex obstinatus, Monachus curialis, Monachus causidicus, Habitus precioſus, Cibus exquisit, Rumor in claustro, Lis in capitulo, Dissolutio in choro, Irreuerẽtia circa altare. *Duodecim abusiua claustri.*

Moremur igitur in singulis, & de singulis pauca disseramus.

Sunt quidam qui sciunt, & possunt, & volũt præesse, quidam qui sciunt, & possunt, sed nolunt, quidã qui nec sciunt nec possunt, sed volunt. Scire, posse, & velle, Charitatis est, vel superbiæ; scire, posse, & nolle humilitatis vel inertiæ. Nec scire, nec posse, & velle cupiditatis & stultitiæ. Nec scire nec posse, nec velle discretionis & prudẽtiæ. Qui enim sciũt & possunt & volũt præesse, si velint prodesse, charitatis est, alioquin superbiæ. Qui vero sciunt & possunt, sed nolunt, humilitatis est, quod renuunt. Inertiæ vero cum sciant, si omnino desistunt. Qui autẽ nec sciunt, nec possunt, & volũt, cupiditatis esse videtur, quod volunt, stultitiæ si velint, quod nec sciũt, nec possunt. Illi siquidẽ qui nec sciũt nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Sũma est enim discretio nolle, quod non pores prouidere, aut quod nescis. Quatuor ex his quæ prædiximus ideſt stultitia, & inertia, cupiditas, & superbia, negligentiam generant, reliqua vero quatuor ideſt prouidẽtia, & discretio, humilitas, & charitas ipsam negligentiã & si nutrita fuerit eliminant. Ad prouidentiã siquidẽ pertinet consiliũ, ad discretionẽ iudiciũ, ad humilitatẽ custodia, ad charitatem diligentia. Consiliũ prouidentiæ separat à bonis mala; iudiciũ discretionis eligit, quæ sunt meliora: humilitatis custodia virtutũ euitat dãnum: diligentia periculum. In his negligentia locũ non habet. Illos vero qui prouidẽtiæ oculos stultitiæ caligine coopertos habẽt, qui ab exercitio boni operis inertes torpẽt, qui per cupiditatẽ voluptuosam distrahãtur, & per superbiã humilibus nõ condescendũt: Illos dico negligentia possidet, & eorum dissoluit actiones, per stultitiam intrat negligẽtia, per inertiam manet, cupiditas desiderio pascitur, per superbiam regnat.

Adhuc de eodem.

Cap. XXXIV.

AVdiat negligens pastor quid sibi & diligenti pastori dicatur. *Bonus*, inquit, *Pastor animam suam* *Ioan. 10.* *ponit pro ouibus suis, mercenarius vero fugit.* Animam suam pro ouibus suis ponit, qui periculosum regiminis ascẽdens locum solus inter mundana pericula, exteriora negotia curans, necessaria quærit, qui inter adulantium ac detrahentium linguas medius incedit, qui pro infirmis laborat, & laborantes pascit, consolatur pusillanimes, & cum superbis increpando contendit. Tales oues agnoscit, dum subditorum mores & actus diligenter attendit, cui per confessionẽ corda, per circumspectionem opera, per experimentum quid ratio manifestat. Oues pastorem sequuntur ad vitã si diligens, ad mortẽ si negligens præcedat, quomodo procedent vita & doctrina, *fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Pastor vnus debet esse in se, & vnus cum grege. Vnus in se vt quod docet verbis, impleat opere, vt per iracundiam nõ mutetur à mansuetudine, non eleuetur prosperis, non frangatur aduersitate, sed idem permaneat patientia perseuerante. Tenet autẽ vnitatem cum grege, quando non diuiditur à subiectis per pretiosiorem habitum, vel per delicatiorem cibum, dum sit vnus per compassionem cum infirmis, per dispensationem cum delicatis, vt cum Apostolo dicere possit, omnibus omnia *factus sum.* Pastor vero negligens *1. Cor. 9.* fugit. Sunt enim quidam prælati qui onera importabilia imponunt, & ea digito mouere nolunt, fugiũt quod præcipiunt, fugiunt cum se subtrahunt, fugiunt cum per alienas domos vagantes discurrunt, fugiunt qui *quæ sua sunt quærunt*; fugiunt qui licet præsentes sint eum negligentias viderint se sub silentio abscondunt, fugiunt qui remoti à conuentu sub ocio viuũt: quia à communi fratrum consilio recedunt, qui praua agunt, & reprehendi nolunt, qui male viuunt, & subiectos bene viuere cogunt, errantes reuocant, sed fortes occidunt, reuocant verbis, occidunt exemplis. Religiosi videri student, quia religiosos sub se habent. Gloriantur de eorum patientia, non de sua, quod operari nolunt imperant, operantur ipsi quod alijs operari licitum esse non putant, subiectos cogunt, & ipsi à nemine cogi volunt. *De prælatis negligentibus*

De discipulo inobedientiæ.

Cap. XXXV.

Inobedientia ex superbia procedit. Discurrit pulcherrime.

INobedientiæ morbus ex superbiæ tumore procedit, sicut sanies ex vulnere. Hoc morbo primus homo languit, qui bestijs terræ propositus fuit, per inobedientiæ vero culpam suppositus etiam nunc muscis & culicibus per posteros seruit. Hic autem tribus modis mederi solet; emplastro scilicet, vnguento & ferro idest exemplo boni operis, verbo commonitionis, disciplina correptionis. Assumit sibi inobedientia, quandoque nomen obedientiæ vt solo nomine glorietur. Imponitur enim nomen obedientiæ præcepto, facto, & loco. Leue est præcipere, sed labor est implere. Locus vero aliquãdo placet, aliquando displicet. Placet quibusdam, non quia abundat fratribus, sed piscibus: placet, quia famulis abundet, & fabulis, & sic fit vt vocetur obedientia, cum non sit. Hanc multi desiderant, vt extra obedientiã esse queant. Multis autem modis hæc obedientia quæri solet scilicet parentum exactione, seu fratrum seductoria exhortatione, vel etiam boni operis simulatoria ostẽtatione, item muneris promissione. *Sic adhuc cum Petro* *Act. 8.* *Act. 5.* *Symon Magus moratur in ecclesia, moratur & Zaphira cum Anania.* Voluit emere Simon gratiam, isti vero negociis incumbunt acquirendæ pecuniæ. Hæc est obedientia cum symonia.

Gen. 3. Est & alia species inobedientiæ, quæ tamen obedientia vocatur, de qua dicitur: *Quia obedisti voci vxoris tuæ &c.* Audiam ergo quid loquatur in me dominus; non quid loquatur diabolus, caro, aut mundus. Vox vxoris, vox carnis scilicet voluptas, vox mundi, vanitas, vox diaboli, iniquitas, vox Dei bonitas. Est autem vox creatoris ad subiectos de prælatis dicens: *Quæ dicunt facite &c.* vbi etiam male operantibus obedire iussit, vt sic ingrediatis & egrediaris cum Dauid sub Saule, & eundem honores licet reprobum cum Samuele, nec bonis tamen obedias in malum, nec peruersis contradicas in bonum.

Matth. 23. *1. Reg. 18.* *1. Reg. 15.*

De iuuene ocioso.

Cap. XXXVI.

De iuuene otioso abusio tertia.

OCium stultitiam, labor scientiam generat. Labor hominis interioris labor scientiæ, labor exterioris exercitium operationis. Scientiæ labor in tria diuiditur. In pueritia labor disciplinæ, in iuuentute exercitij, in senio doctrinæ; vt nescit in pueritia discat, qui didicit in iuuentute ad vsum ducat, quæ ad vsum duxit in senio doceat. Est & alius labor interior scilicet cogitationis, & meditationis, vt ad requiem perueniat contemplationis; vt siquid per obliuionem sub nube dubitationis lateat obscurum, fiat cogitatione liquidum, meditatione liquidius, contemplatione liquidissimum. Cum enim aliquid de cælestibus offert memoria menti prius quasi confusum in cogitatione cernitur, postea vero meditatione discernitur, ad vltimum vero contemplatione dignoscitur. Accenditur ergo consideratione cogitatio, inflammatur discretione meditatio, illuminatur cogitatione contemplatio. Est enim cogitatio in mente quasi fumus in igne; meditatio quasi flamma cum fumo, contemplatio ignis quasi flamma sine fumo. Cum autem mens ad considerandæ cælestia laborat, tunc cogitatio occupatione temporalium impeditur, meditatio conturbatur ocio, contemplatio curiositate reuocatur, & fit quandoque vt mens ociosa voluptate torpescat. Cũ igitur homo interior iacet in lectulo voluptatis dũ somno torpescit inertiæ, & somniis deluditur curiositatis, conuocat & hortatur exteriorem, vt inclinet aurem rumoribus, loquatur vana, mollibus induatur, mane comedat, gallus cænæ terminet lectionem, euntibus dormitum, surgentes ad vigilias obuient fratres, vigilantibus illis dormiant, redeuntibus surgant. Sed melius forsitan esset, si nihil dicerent quam si subtractis syllabis aut dictionibus oscitando psalmos decantarent. Laboret igitur homo interior, & exterior ne dicatur eis: *Quid hic statis tota die ociosi.* Audiant tamen Prælati causam ocij: *Nemo*, inquit, *nos conduxit.* Non enim episcopi, non presbyteri populum, non Abbates, non Priores conuẽtum. Ad hunc laborem diuersi veniunt, & diuersis temporibus mane pueri, meridie iuuenes, vespere senes, mane Maurus, meridie Paulus, vespere Gentianus. Sola tamen iuuentus *portat pondus diei & æstus.* Portat materialiter pondus laboris, & æstum solis, moraliter pondus carneæ fragilitatis, & æstum libidinis. Labore igitur manuum annihilatur pondus tentationum. Iuuenis autẽ in ocio quasi iuuentus sine iugo, qui nondum tenetur obedientiæ vinculo in æqualitate fraternæ societatis, quasi bos lasciuiens discurrit per desideria propriæ voluntatis.

De sene obstinato.

Cap. XXXVII.

De sene obstinato abusio quarta.

INter abusiones sæculi sola malor est senis obstinatio, qui morti proximus mortis aduẽtũ nõ abhorret, qui quasi ad ostiũ huius mũdi positus foris spectat. Nec tamen vitæ præsentis egressũ nec ingressũ futuræ considerat. Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Casus mortem nunciat latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Sed forsitan *funiculus triplex difficile rumpitur*, quo senex ligatur. Dum enim à pueritia in mẽte senis per cogitationem semitam fecerit voluptas, in sermone vanitas, in opere peruersitas, quid aliud agitur nisi quod in consuetudine, quasi in funem hæc tria torquentur. Est autem laqueus in fune, dulcedo temporalis in consuetudine, circundatio funis impedimenta sũt carnis; dulcedine ergo decipimur consuetudine ligamur. *Absalon crinibus inhærens quercui*, duritiam designat cuiuslibet obstinati, crinibus, inhærens suspenditur, quia superfluitatis amore detinetur. Mulus autem cui insederat pertransijt, quia luxuria & dolus cui semper studuerat perijt, sed pœna peccati remansit. Tribus lanceis, idest, auaritia, superbia, & luxuria cor eius perforatur: vnde & vsque hodie aceruus lapidum magnus super eum proiicitur, quia peccatorum siue supplicio-

Eccles. 4. *2. Reg. 18.*

rum multitudine in æternum grauatur, qui per obstinationem vsque in finem cor impœnitẽs gessit. Sunt etiam tres species obstinatorum. Prima scilicet eorum qui ex correctione proficiunt. Secunda eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt. Tertia eorum qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Manasses in carcere positus catenis & compedibus astrictus Deum cognouit, quem prius liber cognoscere noluit. Tales sunt quidam claustrales, qui quamdiu sui iuris sunt, peruerse viuunt, dum vero in claustro quasi in carcere tenentur astricti catenis, obedientiæ, scilicet timoris, fit quandoque vt Deum quem prius despexerant, correcti diligant, & qui fecerant de libertate seruitutem, faciant de necessitate virtutem.

Tres obstinatorũ species. *2 Paral. 33.*

Adhuc de eodem.

Cap. XXXVIII.

NAbal vero designat quosdam doctores, qui ex commonitione subditorum fiunt deteriores, qui pueris Dauid cibum negant, quia pure videre volentibus verbum Dei non propinant. Tonsoribus vero suis conuiuium parant, quia vacantes ocio adulantium confabulationes amant. Accusat Nabal Dauid, & dicit: *Hodie increuerunt &c.* Peruersi siquidem prælati dolent cum vident numerum religiosorum multiplicari, timent cum vident Dauid, idest, bonos subditos, vngi in Regem, & Saul deiici, ne & ipsi priuen-

1. Reg. 25.

priuentur honoribus, & ne loco eorum restituatur aliquis melior, & iudicet Abigail Nabal. Boni siquidem subditi peruersos magistros de negligentia commonent, sed ex commonitione deteriores fieri quandoque solent, & emortuum fit cor Nabal, & factus est quasi lapis, cum morte perpetua induratur in peccatis. Pharao vero qui populum Dei Moysi dimittere promisit, nec tamen dimisit, illos designat, qui vitæ melioris emẽdationem promittunt, nec culpam dimittunt, nec in spiritu columbino contritionem, sed in voce coruina dilationem quærunt; quorum terra diuersis plagis affligitur, nec emolitur, sed ex consuetudine peccandi magis ac magis induratur. Tunc enim Dominus aquas in sanguinem conuertit, cum de rerum causis aliquis carnaliter sentit. Terra vanas producit cum in aliquo garriente dominatur vana loquacitas. Cymomia siquidem, & cinifes sunt importuni mentis impetus & canini mores. Mores pecorum mortem designat cogitationum, quãdo rationabili intellectu carent. *Sic enim homo cõparatur iumentis insipientibus &c.* Sexta plaga est, cum tument vesicę & corrumpuntur viscera. Quod fit dũ interiora mentis tument odio, & ebulliunt ira. Plaga vero grandinis in fructibus, iniquitatem manifestam designat in operibus. Plaga locusta instabilitas est animæ, quæ ore lædit dum detrahit, dat saltus dum ad carnales se extendit affectus. Plaga tenebrarum cæcitatem designat animarum, quæ palpabiles esse comparantur, dum peruersa, quæ mens cogitat opere perpetrantur. Nouissima est mors primogenitorum, dum enim voluntas & intentio corrumpuntur, quasi primogenita Aegyptiorum morte percutiuntur. His igitur plagis affligitur obstinatio senis, qui carnalibus delectatur, loquacitate gaudet, importunis & grauis omnibus more pecorum, pronus ad vitia, iracundia tumens, ad iniurias manifestus, ad omnia mobilis, luce veritatis carens; & ideo seipsum palpans.

Exod. 8. Plaga Aegypti moraliter exponuntur.

Psal. 48.

De monacho curiali, & causidico.

Cap. XXXIX.

Cvm autem dicitur monachus curialis & ex adiuncto designatur aliquid leuitatis. Ordo claustri, & ordo curiæ diuersus est. *Ibi sedes in insidijs cum diuitibus in occultis hic audis, non sedi cum concilio vanitatis &c. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hic lauas inter innocentes manus tuas.* Ibi pauperum res violenter auferuntur, hic à pauperibus sponte offeruntur. Ibi laudatur peccator *in desiderio animæ suæ, hic autem benedicitur iusto.* Contingere enim quandoque solet, vt monachi qui curias frequentant, causas audiant, iudicia perquirant, amant decreta conciliorum, non secreta mysteriorum. Laudari appetunt, quia pro multis loquuntur, sed monachus multum loquens multis displicet. Coniugia copulant illicita, licita quandoque dissoluunt, de incertis iudicant, testantur sæpissime, quod ignorant. Si vero res ad effectum peruenire non valeat, monachus causidicus iter parat; vt quod alibi fieri non potuit, Romæ fiat: Pro principe ergo sæculari alpium frigus caloremque libenter patitur, qui pro magistro spirituali multo leuiora forsitan inuitus pateretur. Oneratus chartulis, auctoritatibus fultus reuertitur, ponit diem causæ, personas inducit, quæ paratæ sunt iurare, quod est, & velit iterum iurent, quod non est. Quid ergo dicam? Nonne magis amat monachus causidicus esse de simul discumbentibus cum Herode, quam in vinculis & carcere teneri cum Ioanne?

Monachus causidicus reprobatur.

De superbia vestium in monacho.

Cap. XL.

At Apostolus: *Non in vestæ pretiosa, &c.* Qui molliciei mulierum pretiosiorem vestem negat, putasne monacho pretiosiorem habitum concedat? Plus amat sponsus sponsæ castitatem, quam speciosam vestem; plus simplicitatem, quam totum crinem. Sic immortalis sponsus plus amat interiorem habitum, quam habitum exteriorem. Molles mollia quærunt, elati pretiosa, delicati speciosa. Exterior enim superfluitas animi annunciat vanitatem. Sit diuersitas inter indumentum palatij, & monasterij, *Qui enim mollibus induuntur in domibus regum sunt.* Sed quid dici debeat de quibusdã nostri ordinis canonicis, & mens & facies erubescunt. Lectuli etenim eorum culcitris fulciuntur plumeis, & lodicibus accurate parantur, quos si forte videres, lectulũ sponsæ, quæ spõsum desideraret forsitan æstimares. Nõ multum differt habitus regularis, & sæcularis. Sed si forte regularem videas, archidiaconum, vel episcopũ te vidisse contendas. Sed forsitan dices: *Delicatis delicata conueniunt.* Ait enim beatus Augustinus. *Si eis qui venerũt ex moribus delicatioribus, &c.* consentimus vt detur delicato quod sufficiat ne deficiat, non quo superbiat. Audi & tu Augustinum: *Non contingat,* inquit, *detestandu peruersitas, &c.* Mentior si non vidi quosdam, qui erigentes ceruicem, noluerunt sociari eis, ad quos foris accedere nõ audebant. Sed egressi de paupere ecclesia circumierunt ditiores, vt ibidem reciperentur. Et qui semper veteres aut viles pannos habere consueuerant, nunc semper nouos aut pretiosos habere contendunt, & qui ante conuersionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi alicubi, ornamenta lectuli secum portant. Timeo autem ne in huiusmodi lectulis videantur somnia vanitatis, ne in eis patiatur animus illusionem carnis; & anima spoliata virtutibus eneruiter delectẽtur. In lectulo Iacob ad caput ponitur lapis, non pluma lenitatis. Inter illos etiam qui tunicis induuntur, voluptas pedem posuit, non quod camisijs induantur, sed quodam delicato panno, qui vulgo Saia vocatur. In ostensione igitur laneæ vestis asperitatem conuersationis ostendunt, sed in delectatione delicati panni suauitatis molliciem quærunt. Vidi & ego (nisi fallor) monachum camisia vestitũ iocantem & dicentẽ: *Carior est stamina, quam camisia*, eratque sanus & petulans, & pingui residens equo, abundans rebus, & curias frequentãs, qui tamen ante conuersionis habitum pedes ire consueuerat, nec semper lineis induebatur.

1. Tim. 2. Habitus pretiosus non decet monachum.

Matth. 11.

De cibo exquisito.

Cap. XLI.

Cvm autem legas deliquisse Ionathã in gustu mellis, Esau in edulio lentis, Sodomitas in saturitate panis, putasne sine periculo esse tot carnium ferculis, tot piscium generib. tot frixurarum diuersitatibus delectari? Nonne sic differt palatium à refectorio, sicut Aegyptus à deserto? Si igitur in deserto sumus, mirandum non est, si ollas carnium suspiramus. Isti autem quare suspirant qui ollas carnium semper habent. *Adhuc,* inquit, *escæ eorum erant in ore ipsorum &c. Esca enim ventri &c.* Occidit enim pingues eorum *quorum Deus venter est.* Deo si quidem ventri templum, coquina, altare, mensa, ministri, coqui. Immolate pecudes, parate carnes, fumus incensorum, odor saporum. In Hierusalem non astruuntur, sed Babyloniæ, quia *quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusione.* Ipse est enim princeps coquorum, qui muros Hierusalẽ destruxit, & fecit vasa templi vasa palatij, & vasa etiam mensæ diuinæ fecit vasa coquinæ. *Qui nutriebantur,* inquit, *in croceis &c.* Crocus in oriente nascitur, colorat, & sapore virtutum reficiuntur, exterius vero boni operis

Cibus exquisitus religiosis prohibitus.

Psal. 77. 1. Cor. 6.

4. Reg. 25.

Thren. 4.

exemplo colorantur, sed hi amplexantur stercora, dum post sobrietatis & continentiæ vitam reuocat eos ventris cura. Et fit quandoque, vt qui in sua domo ante cõuersionem sobrie vixerant, postmodum in monasterio gulosi fiant. Placatur venter Deus Deorum diuersorũ hostiis ferculorum, inclinat aurem rumoribus, excitatur saporum generibus, demulcetur confabulatione, nõ in oratione ocio gaudet, somnolentia delectatur. Per similitudinem ergo Deo venter assimilatur, dum ei tota deuotione per omnia seruitur. Habet itaque monachos, Canonicos, conuersos, qui obnixius seruiunt, eos scilicet qui sub ocio in ecclesia Dei remisse viuunt, qui non quærunt secretas orationes, sed fabulosas ociosorum confessiones. Inter quos non audiuntur singultus, & suspiria compunctæ mentis, sed risus & cachinnationes & ructatus ingurgitantis ventris. Miserabilior inter alias hæc abusio vt delicatius in ecclesia, quã in domo propria vixisse conuincaris, & dicatur de te: *Pauit sterilem, quæ non parit, &c.*

Iob 14.

De rumoribus in claustro.

Cap. XLII.

Affluentiam ciborum comitari solet inũdatio verborum, saturitatem ventris sequitur leuitas operis & vanitas mentis. *Sedit*, inquit, *populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*, dicit, non legere. Sunt enim quidam post diuersa fercula delicati cibi, qui cum in claustro sedeant non lectioni & silentio, sed rumoribus & curiositati vacant: qui locum & tempus loquendi & tacendi nusquam & nunquam seruant, sed instabiles, ocioſi, nunc hos, nunc illos ad colloquium vocant *Pone*, inquit, *custodiam ori meo &c.* ostium, dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omniuo negari videretur, sed ostium ponitur, quod tempore & loco clauditur & aperitur. Est tempus & locus tacendi & loquendi. Aperitur itaque ostium in claustro hora constituta lectioni in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Clauditur iterũ in claustro cõfabulationi, in capitulo excusationi, in ecclesia vanæ modulationi. Hoc ostiũ clauditur sæpe fratribus nouiter cõuersis, tepidis & peruersis: aperitur tamen eisdem quandoque propter necessitatem corporis, vel ad doctrinam ordinis seu ad ædificationem mentis. Potest hoc ostium appellari licentia loquendi; per hoc sæpe introeunt qui ostium mentis frangunt. *Fascinatio etenim nugacitatis &c.* Cauendum tamen est ne hoc *ostium pateat vento venienti à regione deserti, ne domus quatuor angulis concussa subuertatur, & filij Iob oppressi moriantur.* Deserti regio est dæmonum seu peruersorum fratrum à Deo derelicta multitudo, à quibus ventus veniens idest grauis tentatio irruit, quæ à tranquillitate conscientiam subuertit. Domus vero mentis, quæ quatuor angulis, idest Prudentia, Temperãtia, Fortitudine, & Iustitia solidata est, concitatur quandoque vento tentationis, seu turbine verborum quassata turbatur. Septem filij 7. sunt virtutes animi, qui moriuntur, quando à suis contrarijs feriuntur. Obruitur enim sapientia per stultitiam, intellectus per hebetudinem, consilium per præcipitationem, fortitudo per timorem, scientia per ignorantiam, pietas per duritiam, timor Dei per superbiam; sed ab hac ruina puer euadit, qui beato Iob nunciet idest discretio mentis, quæ cum animo agit, vt quod perdere cæperat, pœnitendo conseruet. Hi sunt rumores claustralium, ad quos non pertinent bella principum sæcularium, sed pugnæ tentationum. Delectare ergo charissime, his rumoribus, non exterioribus. Gaudent multi claustralium cum de regibus fabulantur, dum casus militum narrant, dum pro illis loquuntur à quibus ipsi non agnoscuntur, multorum partes defendunt, pro multis irascuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant aut affirmant. Si autem de Regibus sermo est, docet lectio claustri Regum certamina, casus & euentus bellorum, quomodo moriatur Saul, & quis eius mortem nunciauerit Dauid. Audire forsitan vel rumores pacis non belli, concordiæ non discordiæ. *Regina Saba nouit rumores huiusmodi, quæ audita fama Salomonis &c.*

Psal. 140.

Iob 1.

Explicantur loci Iob.

3. Reg. 10.

De lite in capitulo.

Cap. XLIII.

INfirmitati mortalium omnipotens pater benigne prouidens, in ecclesijs instituit tria scilicet medicos, loca, & remedia. Medici sunt prælati, loca capitula, modi pœnitentiæ remedia. Attende igitur in Samaritano prælatum, in stabulo capitulum, in infusione vini & olei, fomentum consolationis & asperitatem correctionis. Hæc est etiam piscina compunctionis, in qua sanatus est infirmus post commotionem veræ confessionis, nec tamen sanabatur nisi vnus. Nisi enim adsit vnitas deest sanitas. Qui igitur amãt litẽ, destituũt vnitatẽ. Intolerabilis igitur hæc est abusio, vt ibi litiges, vbi teipsũ accusare debes, vt ibi augeatur culpa, vbi deleri potest; vt ibi contemnas Christi vicariũ, vbi contẽnis Christũ. Sed forsitan dicet aliquis Religiosum possum pati magistrum, sed cum negligentiam prælatorum considero, obedire contemno; cum video fratres meipso deteriores, accusationes eorũ pati nolo. Cũ dicis fratres teipso deteriores, deterior factus es. Quare cõtemnis magistrũ? *an nescis Christũ coram Pilato iudicatum?* Tulit crucem pro peccatis tuis, non pro suis, & tu virgam renuis? Flagellari non erubuit coram populo, & tu dedignaris spoliati coram magistro? Accusatur & tacet, accusatis & tu liligas? Si in hoc perseueras, in spiritu peccas. Igitur in loco remissionis, inducis litem contradictionis. Hic est locus præ cæteris diabolo odiosus, hic amittit, quod alias acquisiuit. Hic est enim locus spiritui sancto consecratus, officina Spiritussancti in qua filij Dei congregãtur vt ei reconcilientur. Noli esse frater quasi sathan inter filios Dei. Sathan est, qui magistro contradicit, & fratribus aduersatur. De eo quæritur vnde veniat, qui nunquam est stabilis, sed semper instabilitatem vagus amat. Hoc enim solent peruersi fratres facere, officinas, parentum domos, vicinas ecclesias vagando circumire: bene viuentibus intus & exterius molesti fiũt. Scito tamen quod quicquid intus & exterius delinquitur, in capitulo per confessionem relaxatur.

Matth. 26.

Capitulum quis locus. Isa. 14.

Adhuc de eodem.

Cap. XLIV.

NOli quæso esse in capitulo sicut Sathan in cœlo, vel sicut Adam in Paradiso: Iudas cum Christo. Vnus enim desperat, alter excusat, tertius se exaltat. An nescis, Sathan expulsum à capitulo cœli, Adam à capitulo Paradisi, Iudam à capitulo Christi? In primo culpa superbiæ, in secundo inobedientiæ, in tertio auaritiæ. Lucifer non attẽdens dignitatem creationis casurus sedem quæsiuit elationis. Sic quidem claustralium dum generis nobilitate præeminent, dum literarum scientia pollent, dũ propria virtute ad laborandum præualẽt, dũ vocis modulatione placent, dum in qualibet artiũ cæteros fratres præcellunt, elationis sedem petunt: & qui ex dono tanti muneris humiliores esse deberent, contra debiliores & illiteratos superbi tument. Quidam ex data potestate superbiunt, & licet eis alij obediant, ipsi tamẽ obedire prælatis nolunt. Vnde autem processit deiectio in dignitate, vnde malum in Angelo, cum nec præcessisset, nec tunc esset. Altioris est hoc operis & subtilioris. Scio tamen quod si veniret sathan ad capitulum cõfessionis, impetrare posset indulgentiam remissionis. Sed ne desperaret homo, cum audiret Angelũ tantæ dignitatis cecidisse, hominum tantæ potestatis peccasse, discipulũ tantæ familiaritatis apostatasse, ostẽdit nobis Deus

Iob 1.

exempla

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

exempla quorundam, qui peccauerunt nec desperauerunt, sed amici Dei facti sunt. *An ignoras Petri negationem? Thomæ dubitationem? Nonne & post culpam dilexit Mariam?* Amat Christus confitentium humilitatem, non superborum obstinationem, *qui declinant cor*, scilicet *in verba malitiæ*. Solent & quandoque ex nimia simplicitate prælatorum, vel ex peruersitate subditorum in capitulo lites multiplicari, quia vbi deest seueritas disciplinæ, oriuntur rixæ, loquuntur de exterioribus negociis in domo confessionis. Adducunt oues & boues in capitulo, vt vbi debet haberi sermo de animabus, habeatur cura de bobus. Commouentur inter huiusmodi verba simpliciores fratres, turbantur discreti, habent iracundi locum, peruersi tempus loquendi. *Conqueritur Martha, respondet Maria*, quia non est qui respondeat pro ea. Vbi enim nimia simplicitas prælatorum non seruat pacem claustralium vel non increpat culpas ministrantium, ibi nec Martha compescitur, nec Mariæ silentium custoditur. Pulcher ordo recte viuentium, vt in capitulo turbato fratri non respondeat, nisi qui scit, & quod debeat, & quod deceat. In his tribus personis designari potest forma perfectę religionis. In Martha ministrantium, in Maria claustralium, in Christo prælatorum. In capitulo itaque in quo discreti prævalet auctoritas prælati, nemo nisi iussus loquitur, nisi vel proclamet aliquem, vel de ordine quærat, vel culpam suam humiliter confiteatur. In his siquidem seruandis summus est medicus & perfecta medicina, seuerus magister non crudelis, & rationabilis disciplina.

Math.26. Ioan.20. Luc.7.

Luc.10.

De dissolutione in choro.

Cap. XLV.

In choro dissolutio magna est abusio. Abusio in cantu.

IN ecclesia cum ad opus Dei ventum fuerit humilitatis honestas diligentius obseruetur, ne qui in ecclesia ante conspectum Dei conuenimus, ibidem deteriores simus. Sunt enim quidam qui mente vagi attoniti oculis habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, aliud cogitant, in choro sunt corpore, sed in foro mente. Sunt etiam alii voce dissoluti qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tamen gaudent de dono gratiæ, sed alios spernunt tumẽtes elatione; aliud cantant quã libri habeant, fortassis vt placeant populo magis quã Deo. Qui sic cantant non cantant in choro cũ Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Herodiade, vt placeant discumbentibus & Herodi. Delectantur enim altitudine vocis, nemo tamen altius cantat eo, quem Dominus audire consueuit de monte sancto suo. Nemo dulcius quàm cui inclinat Dominus aurem suã. *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamaui, &c.* Esto igitur in valle humilitatis, vt in monte sancto audiri merearis. Si sic cantas vt ab alijs laudem quæras, vocem tuam vẽdis, & facis eam non tuam, sed suam. Caue ne monasterium vertas in theatrum; habes in potestate tua vocem tuam, habeto & animum: frangis vocem, frange & voluntatem: feruas consonantiam vocum, serua & concordiam morum, vt per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, per obedientiam magistro: hæc est concordia morum. Sunt etiam tres species sonorum quæ fiunt pulsu, flatu, & cantu. Ad cytharam pertinet pulsus, ad organum flatus, ad vocem cantus. Assignatur hæc consonantia sonorum concordiæ morum, si feratur ad pulsum cytharæ manuum operatio, ad flatum organi mentis deuotio, ad cantum vocis sermonis exhortatio. Percute igitur chordas cytharæ manu bonæ operationis, vt concordes proximo per exemplum mortificatæ carnis. Imple organum cordis flatu, id est spiritu sanctæ inspirationis, vt reddas Deo dulcem sonum piæ deuotionis: Noli cantare cum Lucifero, seu cum primo homine in Paradiso, sed in templo cum Christo. Cantus diaboli cupiditas, primi hominis voluptas, secundi charitas. In cantu diaboli sunt tres falsæ voces, & in cantu primi hominis tres dissonæ, & discordes. In cantu enim diaboli prima vox est elationis, secunda suggestionis, tertia desperationis. Similiter & in cantu primi hominis, prima est vox delectatio secunda consensus, tertia excusatio. Ex his sex vocibus constat discordiæ cantus. Musica diaboli ab altiori voce cantari cœpit. Inchoauit enim in cælo antiphonam elationis dicens: *Ponam sedem meam ad Aquilonem &c.* Altius igitur inchoauit quã debuit, si enim non excederet regulam subiectionis, cantaret cum alijs Angelis canticum perpetuæ fælicitatis. Descendens vero de cœlo i nchoauit antiphonam suggestionis in paradiso, desperationis in inferno. Differt itaque musica Christi à musica diaboli. Illa enim incipit à voce sublimiori, hæc autem ab humiliori. *Discę, inquit, à me &c.* In musica siquidem Christi sex sunt voces inter se consonæ & concordes. Prima concordiæ vox est humilitas cordis, secunda mortificatio carnis, tertia compassio, quarta consolatio, quinta oratio, sexta deuotio. Nota ergo concordiam morum inter descensus & ascensus virtutum. In his sex vocibus cantatur canticum nouum, canticum charitatis. In his auditur iubilum vnitatis consonum, melos deuotionis, dulcedo contemplationis.

Pſal.3.

Tres sunt species sonorum. Cantus templi moraliter exponitur.

Conceptus pulcher pro concionatoribus.

Isaiæ.14.

Musica Christi à musica diaboli differt. Math.11.

De irreuerentia circa altare.

Cap. XLVI.

VLtimum de 12. abusionibus claustri dicturus accedo, qui me solum inter cæteros in hac parte negligentiorem reperio: qui licet ablutis manibus, lota facie albis vestibus indutus accedam ad altare, tamen peruersus opere, ore pollutus, immundus corde Christi corpus meis non contimesco manibus tractare. Accedo elatus ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem, & tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem, misericors. Accedo seruus ad dominum, non amore, sed timore, non deuotione, sed vsu. Accedo ad Dominum cuius percussi seruum ad patrem, accedo cuius occidi filium. Percussi verbo, occidi exemplo, nec tamen pertimesco Dominum, nec reuereor patrem. Manens in turba fratrum, turbans aliquos, & ab aliquo turbatus, quandoque accedo ad pacificum. Talis ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum turbati fratris. *Bonum est cum Symeone saluatorem puerum portare in manibus, & fructum salutis habere in operibus.* Qui enim portat puerum in manibus ideſt puritatem in operibus, cum orat exauditur, vt in pace dimittatur. Cum offerebantur in templo pueri, offerri solebant in hac purificatione agnus, turtures, aut columbæ. Ego autem quid offeram cum nullum istorum habere queam? Offeram ne porcum de his quos tam diu paui? offeram ne merulam beati Benedicti, quæ totiens & tam importune mihi volitans occurrit? Offeram strutionem quam nutriui post conuersionem? Offeram fortassis porcum immunditiæ pro agno innocentiæ? Merulam voluptatis pro turture castitatis? Struthionem simulationis pro columba simplicitatis? Quid enim Struthio in deserto, nisi simulatio in conuersor? Adhuc mecum habeo siliquas porcorum, quia in gremeo resonant sæculares fabulæ, cibus spirituum immundorum, sæcularia narro, stultos congrego & sicut porci siliquas, sequuntur immundi nugas. Heu quam sæpe occurrit mihi merula tentationis, & tam tardus curro ad vepres & vrticas correctionis. Porto plumam Struthionis in habitu religionis, vt non placeam moribus, sed vestibus. Quasi enim Strutio volatum simulo, sed tamen pedibus terram tango. Volito habitu, tango affectu. *Penna*, inquit, *Struthionis similis est pennæ ericij. Et veniunt ad vos in vestimentis ouium &c.* Exterius enim contegor vellere, intus autem sæuio cupiditate.

Increpatio sui ipsius accedentis ad sacramentum altaris.

Luc.2.

Iob.39. Math.6.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adhuc de eodem.

Cap. XLVII.

COram domino assisto ad altare extensis manibus quasi cruci affixus, crucem simulans, & tamen nō portans, cuius crucem, forsitan latronis? sed vtinam illius cui dictum est. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Tres sunt siquidem cruces: Prima latronis desperantis, secunda vero orantis, tertia Christi. Primus meruit crucem, sed non profuit sibi ad salutem, secundus vero meruit, portauit tamen eam & illi profuit, tertius non meruit, portat tamen sed nobis profuit. Hi in quorum manibus labor est assiduus, oratio in lingua, puritas in mente, portantes aliena peccata quasi sua. Hi sunt qui portant crucem non pro suis, sed pro peccatis alienis. Prima igitur crux diaboli, secunda cuiuslibet iusti, tertia vero Christi. Prima malitiæ, secunda pœnitentiæ, tertia iustitiæ. In vnaquaque sunt quatuor dimensiones. In cruce etenim diaboli est altitudo, qua extollitur super omne quod colitur, profundum desperatio, de qua *peccator tandem in profundum venerit malorum* & latitudo in carnalibus, qui latam & spaciosam vitam sequuntur; longitudo vero pertinacia. In cruce vero iusti, profundum est humilitatis, longitudo assiduitatis laboris, altitudo cōtemplationis, latitudo orationis, quæ non tantum complectitur amicum, sed etiam inimicum. Crux autem Christi habet profundum timoris, altitudinem spei, latitudinem charitatis, longitudinem perseuerantiæ. Primam timeo, secundam quęro tertiam desidero. In prima pœna tantum, in secunda pœna cum venia, in tertia gloria. Oportet ergo præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, vt habeatur deuotio in dominici corporis consecratione. Cum offert Abraham sacrificium Domino, aues indiuisæ remanent, quia spirituales semper vnitatis vinculum tenent. Super corpora vero diuisa volucres descendunt, quia in diuisione carnalium dæmones desiderij sui pastum quærunt. Ego autem non tantum grauor accessu volucrum, sed etiam inquietor importunitate muscarum. In illis timeo rapinam, in his maculam. Tres sunt autem muscæ Aegypti, musca vanitatis inquietat, & maculat sacrificium humilitatis cordis, musca curiositatis sacrificium orationis, musca voluptatis sacrificium mortificatæ carnis.

Luc. 23. Tres sunt cruces orantis: scilicet desperantis & condonantis.

Prouerb. 13

Gen. 13.

Iterum de eodem.

Cap. XLVIII.

ACcedo igitur ad altare vanus, curiosus, voluptati subditus. Sunt & multi alii in sæculo, qui non tā tum vani, curiosi, & voluptuosi, sed etiam *cum ambitione non cum deuotione accedunt ad mensam Christi*, qui etiam nō accederent, nisi se aliquid recepturos sperarent. Accessit ad Iesum Petrus, accessit & Iudas, accesserunt discipuli, accesserunt & milites crucifigentes; accedunt & quotidie ad corpus Christi religiosi, accedunt & peruersi sacerdotes, qui ea, quæ offeruntur ad mēsā Christi, offerūt in mensa diaboli. Ipsa est alea fati, in illa Deum inuocant, in ista periurant. Non enim orationi vacant, sed lusibus exultant. Legem Dei nec sciunt, nec discunt vacātes ocio, commessationibus & ebrietatibus student, terrenis inhiant, terrena sapiunt, assidui in plateis, in ecclesia rari, tardi ad inuestigandam culpam peccatoris, parati ad inquirenda vestigia leporis, velociores ad congregandos canes, quam ad conuocandos pauperes. Libentius porrigunt panem cani, quam pauperi. Plures seruiunt eis ad mensam, ad missam nullus, famulos aut famulas habere secum volunt, sed clericos habere non possunt, quia nolunt. *Hi sunt quorum thalamus ornatior est ecclesia sua, mensa paratior altari, cyphus calice pretiosior, equus carior missali, cappa casula pulchrior, camisia delicatior alba.* Ecce quomodo obscuratum est aurum fuligine peccatorum, mutatus est color optimus decoris & sanctitatis in fœditatem vitiorum. Lapides sanctuarij dispersi sunt in capite omnium platearum, quia dum per vitam mundam & orationem intus esse per contemplationem Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant. Ecce iam pœna nulla est sæcularis vitæ actio, quam sacerdotes Christi non administrent. Nulla mundi negocia, in quibus ministri altaris se non occupent, nulla rerum improbitas, qua monasticus ordo se non implicet. Pæne nulla illecebris vitæ blandicies, qua se castitas sanctimonalium non commaculet. Sanctuarij ergo lapides dispersi sunt in plateis, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur, & non solum in plateis, sed & in capite omnium platearum dispergūtur, quia & vacent per ministerium opetis, & honorari volunt de imagine sanctitatis.

Math. 27.

Thren. 4.

Grauis sacerdotum obiurgatio.

Igitur prælati subditos diligenter custodiant, subditi prelatis benigne obediant, deuoti sint senes, laborioſi iuuenes, sit honestas in habitu, mediocritas in victu, in claustro assidui, ad curiam rari, vt non sint curiales sed claustrales; sint intenti psalmis, non causis; in claustro non sit rumor, sed lectio; in capitulo non lites, sed confessio. Sit in choro seuera simplicitas, circa altare reuerētiæ honestas.

Ex his obseruantiæ mandatis pendet summa totius religionis.

De claustro animæ, & eius lateribus.

Cap. XLIX.

EX *libro tertio*. Animæ claustrum contemplatio dicitur, in cuius si nudum se recipit animus sola cœlestia meditatur, separatur à terrenis, à turba cogitatiōnū, dulces carnes refugit affectus, vagos sensuum motus restringit, in Domino delectatur, legit in libro vitæ, pro silentio pacem tenet, in choro virtutum seruat concordiam morum. Huius claustri ambitus virtutum columnis decoratur, sustentatur patientiæ basibus, ad regulam iustitiæ quadratur, virtutum coadiacentibus officinis munitur. Muro boni operis claustri septa forinsecus ambiuntur, quæ clauso silentij ostio vagæ mentis gressus cohibent; ab hoc enim claustro egressa est Dina. In quatuor virtutibus animi quadratura est claustri, quæ sunt contemptus sui, & contemptus mundi, amor proximi, & amor Dei. Ex his vnum vertitur ad occidentem, aliud ad septentrionem, tertium ad orientem, quartum ad meridiem. Non est igitur quo diuertat animus inter hæc quatuor virtutum munimina constitutus. Non enim ad carnis voluptatem, non ad mundi vanitatem, nō ad odium proximi, non ad contemptum Dei. In his quatuor claustri lateribus quatuor ordines columnarum disponuntur. Ex contemptu sui etenim duodecim columnarum ordo procedit, scilicet humiliatio cordis, & afflictio carnis, sermo humilis, abiectio vestis, cibus tenuis, pondus laboris, amor subiectionis, contemptus honoris, laudem fugere, alterius consilium suo præferre, subditis obedire, de se diffidere. Hæ columnæ secantur, quando scilicet discretionis virtutes à vitiis separantur. Sculpuntur, quando ea quæ mens cogitat manus operatur. Sic *Salomon in templo celaturas prominentes fecisse legitur*. Prominent celaturæ, dum mentis cogitationes exterius apparent in exemplo, & operatione; sed quomodo poliuntur? Quando tribulationis aduersitate feriuntur. Quod politur æquale efficitur, non elatum, leue, non asperum. Æqualitas mentis lineam seruat religionis. Sunt enim quidam qui nunc afflictione carnis macerantur, nunc ad carnis voluptatem reuertuntur, sæpe vigilant aliis dormientibus, sed sæpius dormiunt aliis vigilantibus, nunc humilia, nunc sublimia, nunc blanda, nunc aspera loquuntur: nunc de fratribus, nunc de parentibus gloriantur: nunc nihil nisi ordinis statuta perstrepunt, nunc nil nisi fabulas audire: nunc albas, nunc nigras, nunc medio colore coloratas delectantur habere

Exponuntur omnia quæ ad claustrū pertinent moraliter.

Gen. 34.

De quatuor lateribus claustri.

De quatuor ordinibus columnarum.

3. Reg. 6.

cappas

cappas,nunc vilis placet habitus,nunc mediocris, nunc ſuperfluus? Nunc dant illis olera paſtum, aqua potum, nunc vero exquiſitis ferculis, nunc diuerſis poculis vtuntur;nunc laborant,nunc labor diſplicet, amant ſubeſſe,vt poſſint præeſſe. Hæc eſt inæqualitas columnarum,hæc eſt aſperitas earum. Paulus docet leuitatem cum dicit: *Si fieri poteſt,quod ex vobis eſt. &c.* Aequalitatē vero vbi ait. *Scio humiliari,ſcio abundare &c.* Patientiæ virtus ædificij ſpiritualis ſuſtinet onus. Tres in ſcripturis baſium ſpecies inueniuntur ſcilicet ænea, argentea, & aurea fortitudo in opere,claritas in ſermone, fulgor in mente. Qui in his tribus patientiam ſeruat, quaſi baſis aurea virtutum ſtructuram firmiter portat. Sunt & aliæ tres baſium ſpecies, ſed fragiliores, igne enim lignea comburitur,lapidea gelu frangitur,picta vero nihil portat,ſed ab alio ſuſtentatur; hæc eſt enim patientia ficta.

Rom.12. Philip.4.

De receptaculo hoſpitum.

Cap. L.

INter ædificij ſpiritualis officinas hoſpitum prior domus occurrit,quæ peregrinis patet,mens hoſpitalitatis officio fungitur, cum delinquentium fratrum culpis benigne compatitur. Habet hæc domus miniſtros ſuos qui hoſpitibus ſeruiant. Pulſanti enim peregrino charitas aperit,intrantem hilaritas recipit,receptum affabilitas detinet,eſurientem collatio paſcit, feſſo humilitas ſeruit,hæc reuertenti filio paterfamilias exoluit. Sic & ſpiritualium patrum pietas (quæ quaſi paterno affectu preſidet ſubiectis) delinquentem diſcipulum cum per pœnitentiam redierit longe venientem videt,compatiēdo occurrit indulgendo;amplectitur familiarem ſibi faciendo. Occidit vitulum carnis mortificationem prædicando,chorum ordinat,ſimphoniam tangit,morum cōcordiam & vanitatem edocendo. Inuitat igitur pietas deſperantem,trahit charitas inuitum,iratum miſericordia pacificat,prædicatio inſtruit. Morum concordia facit amicum,proximum humilitas Deo; ſed dum hæc fiunt,timeo ne frater illē qui foris erat ſuperueniat, & dicat: *Pater tot annis ſeruio tibi,&c.* Reuera ille dicitur extra domum eſſe compaſſionis,qui neſcit beneficiū conſolationis;qui tantum nouit increpare, non obſecrare: ſic tamen temperanda eſt miſericordia regentis ne impunita remaneat culpa delinquentis. Sed quandoque ſpiritales patres quoſdam delinquentes recipiunt, quos fratres deſpiciunt, domum compaſſionis intrare dedignantur,& ſic extra moriuntur,& qui fratribus compati debuerant,crudeliores prælatis fiunt. Ouem perditam Chriſtus ad caulas violentiæ manu non reduxit, ſed humeris propriis impoſitam reportauit,ſic & Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente gaudent. Quid igitur chariſſimi;concordant Angelus & creator dum cōuertitur peccator, & frater fratri dedignatur compati, cum pater ſpiritualis miſericorditer non ignoſcit filio delinquenti. Qui iacet non erigitur, niſi qui iacentem erigit inclinetur;tales quandoque eriguntur per amorem,quandoque per timorem. Amor erigit, trahit & ſuſtentant. Timor cogit,erigit,ſed cruciat. Nec tamen nimium parcat amor,nec nimium terreat timor, ſed ſic amorem timor comitetur,vt nec timor odium pariat, neque amor negligentiam patiatur. Hinc per beatum Iob dicitur: *Cum ſederem,quaſi rex &c.*

Luc.15. Luc.15. Iob 29.

De capitulo,& labore manuum.

Cap. LI.

SIcut autem fratrum multitudo, vt errata corrigat, ſtatutis horis ad capitulum confluit,ſic etiam mentis ratio cogitationes diuerſas ad ſecretum cordis quandoque conuocat,vt incorrigibiles eiiciat, corripiat inquietas,negligentes emendet,inſtruat ſimpliciores, mitiget iracundas,& voluptuoſis reſtringat, pigras excitet, cōſoletur puſillanimes,doceat indiſcretos. In hoc ſpirituali capitulo Abbatis locum poſſidet ratio, conſcientia culpas accuſat,ſuperbia reatum defendit,innocentia cōfitetur,humilitas ſeipſam iudicat, arrogantia vero alios iudicare non deſinit; more peruerſorum fratrum vitia præceptis contradicunt,more vero ſimplicium virtutes obediunt, ſeipſas tamen quandoque virtutes inuicem accuſant. Accuſat enim miſericordia iuſtitiam, iuſtitia vero miſericordiam,humilitas honeſtatē, honeſtas humilitatem: cum ſcilicet agit miſericors remiſſius, iuſtus ſeuerius,humilis parcius,honeſtus abundantius;quaſi ad ſuſcipiendam diſciplinam denudātur, quando per confeſſionem vitiorum occulta manifeſtantur. Poſt capitulum ad laborem manuum fratres egredi ſolent,ſic poſt quietem contemplationis egreditur animus ad laborem neceſſitatis. Egreditur à contemplatione cæleſtium ad meditationem ſcripturarum, & ibi præmiorum amore tractus,& pœnarum timore tactus deſcendit ad ſuorum memoriam delictorum, qui dum culpam propriam cognoſcit alienæ citius ignoſcit,& ideo deſcendit ad compaſſionem proximorum,inde vero progreditur ad agendam curam eorum: ſicut cum aliquis egreditur de thalamo in domum,à domo in porticum,à porticu in vicū, à vico in agrum. In contemplatione igitur quies eſt, in cæteris labor. In meditatione ſcripturæ laboramus, timentes ne præmia iuſtorum amittamus, in memoria delictorum ne cum damnatis ſimus,in compaſſione vero proximi labor eſt cordis,in agenda cura eorum labor operationis. In vno monemur,in alio docemur; in tertio monemur,in quarto meremur. Monet enim ſcriptura quid agere debeamus. Exit etiam animus in hortum,vt videat hortulanum Chriſtum, qui plantaſ germina virtutum. Exit & olera rigare, ideſt, fragilitatem carnis lachrymis deplorare; ſed ſicut ſol poſt pluuiam clarior fulget,ſic Chriſtus poſt irrigationem lachrymatum benignior apparet. Egreditur iterum ad ſiculneam vt ſtercoris cophinum mittat;ideſt,vt memoriam peccati fetentem reddat. Intrat,& in vineam, vt circunfodiat eam,vt ſuccidat ſarmenta;ideſt,ſuperfluitatis intrementa,vt quod luxuriat in palmitibus, abundet in fructibus. *Egrediamur*, inquit, *in agrum*. Egreditur animus à contemplatione ad ſui circunſpectionem, à cura ſui ad agendam curam proximi,vt fiat ager virtutum, qui prius erat yeprium & ſpinarū. *Commoremur*, inquit, *in villis id eſt* in illis,qui ſunt villani,ideſt rudes,& tardi ad percipienda documenta curiæ Chriſti. Inordinati enim qui non quærunt ædificationem mentis,ſed repletionem ventris terrenis inhiant;terrena ſapiunt. In his igitur neceſſe eſt, vt faciamus moram,per doctrinam, & per diſciplinam. *Mane ſurgamus ad vineas*,ideſt,non pigri,ſed præcedentes exemplo & operatione.

Virtutes ſeipſas accuſant. *Labor manuum quid ſpiritualiter ſignificet.* *De effectu lachrymarum.* *Cant.7.* *Cant.ibid.* *Ibid.*

De Refectorio.

Cap. LII.

INterior homo in refectorio ſanctæ meditationis potatur vino compunctionis, & diuerſorum exemplorum ſaginatur ferculis. In hoc ergo tres ponuntur menſæ,tres intellectus diuinæ ſcripturæ ſcilicet hiſtorialis,myſticus,& moralis. In prima cibus eſt groſſior, in ſecunda ſubtilior,in tertia dulcior. Prima paſcit miraculis,ſecunda figuris;tertia verbis. Res miraculorum corroborat fidem,impletio ſcripturarum ſpem,doctrina morum charitatem. Ponuntur itaque menſæ, ponuntur & panes. Affert enim Moyſes cōſperſum Apoſtoli hordeaceum,Helias ſubcinericium;hordeum vetus teſtamentum. Per conſperſum deſignatur panis lachrymarū, pet ſubcinerium deſignatur vita peccatorum. Miniſtri apponunt diuerſa genera vini,Stephanus ſcilicet vinum paſſum,Iſaias aqua mixtum. Inebriantur duo Noe, & Loth; Noe requies,Loth vero declinatio interpretatur. Qui quęrunt requiem carnis inebriantur vino aqua mixto, qui vero requiem mentis vino paſſo. Apponit

Refectorium ſpirituale quid. Cibi ſpirituales comedēdi qui. *Cod.12.*

Paulus

Paulus olera, tres pueri ministrant legumina: Paulus infirmis olera propriæ fragilitatis, igne cocta paupertatis assignat. Tres vero pueri per legumina delicatis dant exemplum seruandæ sobrietatis. Sequuntur autem tria generalia fercula carnium: Abel agnum, Abraham arietem, Iosue vaccam apponit. In agno simplicitas cordis, in ariete fortitudo operis, in vacca lac prædicationis. Non sit autem in nobis simplicitas, sine discretione, sed simus sicut illi, qui vt nubes volant, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Ne sit nubes sine pluuia, serpens sine prudentia, Columba sine simplicitate, sed careat columba felle, serpens veneno, nubes siccitate, vt sit simplicitas iusti sine amaritudine; prudentia sine malignitate; doctrina sine vanitate. Post carnium fercula tres piscium diuersitates apponuntur, scilicet pisces de mari, de flumine, de stagno. Pisces de mari, sæculares, de flumine doctores, de stagno claustrales. Tales enim apponantur, qui squammas, & pennulas habeant, ideſt, asperitatem rectæ conuersationis, & alas contemplationis. Piscis de mari Cornelius fuit, de flumine Paulus, de stagno Maurus. Apponat igitur Petrus ad mensam Cornelium, Ananias Paulum, Benedictus Maurum. Cũ enim leguntur opera Cornelii conuersio Pauli, vita Mauri, quid aliud agitur, quàm eorum exemplis animus saginatur? Huiusmodi igitur pisces sunt comedendi, ideſt vita & moribus imitandi. Imitandus est ergo Cornelius fide & opere sæcularibus. Paulus vita & doctrina doctoribus, Maurus humilitate & obedientia claustralibus. Affert & Moyses diuersorum ferculorum species, *mel scilicet de petra oleumque de saxo durissimo*. Petra erat Christus ante passionem propter patientiæ firmitatem, saxum vero durissimum postea propter immortalitatem. Per mel ergo designatur melliflua doctrina Christi. Effusio olei est remissio peccatorum per gratiã Spiritus sancti. Si habes igitur apud te vas mundum, *accipe mel de petra*. Ait enim, *Discite à me, quia mitis sum, &c.* Ecce mel humilitatis, cum dulcedine mansuetudinis: sicut mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuersitatibus specierum, sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum: Per butyrum vero de armento signatur in Patriarchis & Prophetis doctrinæ spiritualis pinguedo. Per lac de ouibus innocentia cordis in simplicibus. Vnde & propheta ait: *Et pauit eos in innocentia, &c.* ad cor pertinet innocentia ad corpus operum mũditia, hoc lacte debemus pasci; hac lana vestiri. In adipe vero agnorum, & arietum designatur in prælatis dilectio fratrum. Hi enim dicuntur filij Basan, ideſt, filii pinguedinis, in quo demonstratur dulcedo charitatis. Per hircos cum medulla tritici pœnitẽtes imitantes passionem Christi. *Sanguis vero vuæ meracissimæ*, sanguis est Christi, nulla peccatorum fece turbatus. Qui igitur vsque ad effusionem sanguinis peruersis resistũt, quoniã pro nobis Saluator bibit pro calice calicem bibentes reddunt. Vnde propheta: *Quid retribuam domino &c.* Sunt & alij cibi Aegyptij summopere vitandi, quia noxij. Allia scilicet, cæpe & porri, hæc filii Israel in deserto cum ollis carnium suspirabant, quæ tamen comesta grauiter inflant, ventositatem generant, cerebrum turbant, oculos grauant, lachrymas prouocant. Aegyptiæ carnes sunt mundanæ delectationes, in quibus infirmitates animæ latent, quia postea per effectus, & operationes exteriores appareant, inflat enim elatio, ventositatem generat verborum inundatio, turbat cerebrum iracundia, oculos cordis grauat inertia. Vt igitur sanus viuas, noxia deuitans salubria sumas.

Rom 14. Dan. 1. Math. 10. Act. 10 Act. 9. Deut. 32. Matth. 11. Psal. 77. Deut. 32. Psal. 115. Num. 11. Exod. 17.

De Dormitorio.

Cap. LIII.

Dormitoriũ spirituale quid sit.

POtest mentis tranquillitas animæ dormitorium nũcupari, in qua ponitur lectus conscientiæ, substernitur fœnum carnis, carpitur somnus pacis. Quatuor solent inquietare pacis somnum, vxor, hostis, seruus, & vicinus. Cum igitur diabolus eijcitur, mundus subiicitur, caro affligitur, proximus diligitur, quid aliud agitur, nisi quod pax ex omni parte stabilitur? Vt sic Salomon in circuitu, pacem habet, qui non turbatur memoria præteritorum delictorum, nec inquietatur desiderio futurorum, non frangitur aduersis, non eleuatur prosperis. De falsa pace dicitur: *Pax pax, & non est pax*. Dum enim inter sæculares pacem quærimus, dum discordes ad concordiam reuocamus, æstimant quod pacem inter nos habeamus, dum in vestimentis ouium foras eximus, & intus quasi lupi rapaces gregem simplicium fratrum lacerando dispergimus, pacem simulamus sed non habemus. Cohabitatione siquidem pax vera cognoscitur, quod lingua vel habitu exterius simulatoriè loquuntur. Dicunt enim quandoque lingua & habitus, *pax pax*, si autem quæratur animus, respondet, quod *non sit pax*. Cum autem habitus, cor, & lingua concordant, pacem seruãt, vbi vero lingua dissoluta discurrit, pacẽ soluit. Filij Dan prouidẽtes sibi, sortẽ hæreditatis, designant quosdã de sæculo prouidentes sibi ad habitandum domum cõuersionis. Inueniunt ergo ibi Ephot quandoque ideſt habitum religionis, & cum eo sculptile peruersi operis, & conflatile confabulationis. Cum enim fieri debet conflatile metalli species, circumpositis follibus ponitur in igne: sic euenire solet dum simul in aliquo loco conueniunt ociosi fratres, ponunt in medio metallum ideſt materiam rumorum; aerem folles emittunt & attrahunt, cum rumores audiunt fratres, & debent? Auditur ibi tumultus follium ideſt dissensio impatientium, commouentur cineres, quia cito turbantur leuiores. Cre scit flamma dum succenditur ira, volant scintillæ ideſt verba discordiæ, sic cum *Aaron fecisset vitulum conflatilem à filijs Israel petijt inaures*. Inaures sunt rumores. Ex his igitur procedit vitulus petulantiæ, qui si præcedat aufert nobis rectitudinem viæ. Non enim grauiter incedit, sed ludendo discurrit. Cum igitur aliqui de sæculo ad domum religionis veniunt & hæc inueniunt, domum Michæ se repperisse credunt. Michas interpretatur, *quis est hic*. Dum autem inueniunt Ephot ideſt habitum conuersionis, & conflatile ideſt verba detractionis, exeunt quãdoque & recedũt & admirãtes huiusmodi conuersionẽ, quis est hic dicunt. Multi siquidem istorum societate peiores fiunt, multi vero ab eis descendentes ad meliora transcendunt Iob in puluere, Sanson in gremio mulieris, Petrus in profundo carceris, Paralyticus in grabato iacuisse referuntur. Dormit in puluere, qui gaudet leuitate. Per puluerem enim designatur leuitas, per gremium mulieris voluptas, per profundum carceris ignorantię cæcitas, per grabatum paralytici conturbatio fratris dissoluti. Excutere ergo de puluere, consurge de gremio mulieris, solue vincula colli tui, *tolle grabatum tuum, & ambula*.

3. Reg. 4. Hier. 6. Exod. 32. Iob 7. Iudic. 16. Act 12. Math. 9.

De Oratorio, & modo orandi.

Cap. LIIII.

Oratorium spirituale quid.

DE dormitorio tranquillæ mentis transire debemus ad oratorium pię deuotionis. Cum igitur oramus assistentes coram summi iudicis maiestatem infinuemus miseriam, captemus beneuolentiam, postulemus veniã, vt respiciat miseriam misericordia, beniuolentiam diligentia, veniam gratia. Ad infinuationem miserię pertinet memoria oppressionis, ad captationem beneuolentiæ memoria liberationis, ad postulationem veniæ memoria iustificationis. Tria sunt autem quibus opprimimur, videlicet captiuitas, carcer, & infirmitas. In captiuitate siquidem sunt locus dum in Aegypto fumus, tempus, quamdiu male viximus, pondus laboris, quantitas operis, crudelitas exactoris, pertinacia Pharaonis. De his vero quæ ad carcerem pertinent, dicit Propheta: *Sedentes in tenebris: &c.* Sedent in tenebris, qui morantur in ignorantia propriæ fragilitatis. *Sedent & in vmbra mortis*, ipsa est imago futurę damnationis. Mendici sumus, quia proximorum res quas habere non possumus, desi-

Per tria opprimimur.

Psal. 106.

derio

derio,& affectu animi mendicantes concupiscimus. In hac autem mendicitate ferro ligamur, quia duris & opprimentibus culpis aggrauamur. Ad infirmitatem vero pertinent quatuor, de quibus propheta ait. *Esurientes & sitientes &c.* Esuriunt,& sitiunt infirmitati contraria abominantur & fastidiunt sanitati conuenientia, esuriunt curiositatem, sitiunt voluptatem, abominantur & fastidiunt verbum Dei. In fame igitur & siti generatur desiderij tormentum in fastidio nouimus esse defectum. In se ergo per se deficiunt, ostia sibi non sufficiunt. Ne igitur in seipsis omnino remanentes deficiant, in Deum proficiant. De talibus enim dicitur. *Clamauerunt ad dominum cum tribularentur &c.* Insinuauimus ergo miseriam captemus amodo Dei beneuolentiam. Ipse est enim de quo dicitur: *Eduxit eos de tenebris, &c.* Laudanda est igitur potentia, annuncianda sunt beneficia liberationis, vt captetur beneuolentia liberantis. Ipse enim eduxit nos, reduxit, deduxit & induxit, de carcere ad patriā per viā rectā in ciuitatē habitationis: *ipse eripuit me de inimicis meis* fortissimis. Fortes inimici sunt vitia carnis, fortiores vitia mentis, fortissimi vero sunt diaboli. Hi autem qui me oderant sunt falsi fratres, qui mihi detrahunt. Ab his eripuit me dominus per patientiam vincendo malitiam. Scriptum est enim : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Psal. ibid.

Psal. ibid.

Psal. 17.

Luc. 21.

De reconciliatione pœnitentis.

Cap. LV.

INsinuata est itaque miseria nostra per enumerationem tribulationum, capta etiam beneuolētia per recordationem beneficiorum postulanda est venia de perpetratione peccatorum. Vestigijs igitur pedum pij iudicis obuolutus clamabo,& dicam: *Operi manuum porrige dexteram &c.* Osculabor igitur pedes domini, ne moriar per culpam, erigam me ad osculum manuum, vt bonis operibus viuam, innixis pedū summitatibus, & manibus reptans, extendam me, vt osculum oris sumam. Osculum oris est reconciliatio generis humani factam per incarnationem mediatoris. Ad pedes igitur agnoscitur miseria, ad manum datur venia ad os gratia. Hoc est Mariæ suspirium, iste est labor Marthæ, ille Ioannis amor. Hic plorat Maria, ibi Martha conqueritur, illic Ioannes quiescit. In his tribus possunt denotari tres animi affectus, scilicet confitentium propriam miseriam, agentium pœnitentiam, quærentium gratiam. Affectus cognosces per effectus, *Maria enim lauat pedes Domini* non effundit aquam de vasculo, sed de oculo, non panno tergit, sed crine in quibus mundo placuit, in his Deo seruit. Tria similiter possumus assignare in Martha, sollicita est ne quod agit, fiat pigre, turbatur ne fiat tepide, conqueritur vt adiuuetur, ne fiat tarde. Tales enim debent esse effectus pœnitentium. Nota iterum in Ioanne tria. Carnales (vt aiunt) nuptias deseruit, *supra pectus domini in cœna recubuit*, pendenti in Cruce cum Maria matre eius præsens affuit. Quærit igitur donum gratiæ per effectum munditiæ per exhibitionem præsentiæ, per assiduitatem frequentiæ; munditia siquidem videt Deum præsentia tangit, frequentia cognoscit. Confidunt in his, qui voluptates euaserūt carnis qui in pectore ecclesiæ requiescunt, qui dominicæ passioni quotidie deuoti assistunt. Confidat etiam in his, sed ante alios iuuenum munda societas, qui per omnia placent mundo, & tamen mundum fugientes seruiunt Deo? In hac siquidem ætate flauescunt carnes, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valitudo corporis vires subministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spacium repromittit. Tunc enim viget ratio, tunc est visus acutior, auditus promptior, incessusque rectior, vultus iucundior. Qui igitur in hac ætate se Deo sociant, præmium Ioannis expectant. Tales offerunt hostiam viuentem immaculatā, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, turbantur oculi, & vt cuncta breuiter perstringam ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed (vt ita dicam) porcū spurcatum. Sicut enim porcus in immundiciis, sic senex iacuit in vitijs: & sicut porcus siliquis pascitur, sic & senex fabulis, & rumoribus delectatur. Simul autem quandoque & conuertitur & moritur, & ideo hoc sacrificium caudæ caret officio in hoc vitæ spacio, nisi forte dicas, quod habuerit caudam in capite, idest principium conuersionis in fine. Amant huiusmodi senes hæredes quos derelinquunt quandoque carnaliter, insipienter, eneruiter. Nimis enim carnaliter diligunt, quos adhuc spiritaliter conuerti nolunt. Amant insipienter, quantū hoc quod peruerse acquisierunt, peruersis relinquunt. Eneruiter iterum illos amant, quorum damna & tribulationes non æquanimiter portant.

Luc. 7.

Ioan. 13.

Ioan. 19.

De lectulo contemplationis.

Cap. LVI.

AMauit Ioannes dulciter & fortiter, quia sicut clauus clauo expellitur, ita dulcedine dulcedinem, spiritali carnalem expulit. Amauit sapienter, quia nemo prudentius diligit, quam qui consilio sapientiæ & veritatis seipsum cōmittit. Fortiter amauit, quia *pendēte in cruce Domino dilectus cum dilecto commorari non dubitauit.* Habet itaque mundicia dulcedinis affectionem, præsentia sapientiæ discretionem, frequentia patientiæ compassionem. Caue igitur ne consentias carni blandienti, ne credas mundo decipienti, ne cedas diabolo persequenti; sed oppone vitam Christi falsis promissionibus, quia teipsum Christo credidisti: præpone virtutem persecutionibus, quia crucem Christi non erubuisti. Delectare itaque in pulchritudine munditiæ, in rectitudine iustitiæ, in fortitudine patientiæ. Hic est lectus contemplantiū, hic requiesces, hic dormies. Tria sunt autem quæ huius quietis pacem perturbant, pannorum immunditia idest carnis spurcitia; somnia idest mundana gaudia; lecti duricia idest impatientia. In duro siquidem lectulo iaces, dum tribulationis asperitatem patienter sustinere non vales. Ad abluendos huiusmodi pannos lectuli Maria Magdalena præbuit aquam, eosdem extorsit Martha manibus, vt siccarentur, accendit Ioannes ignem. Conueniunt ergo hæc tria ad faciendum munditiam, videlicet aqua, manus, & ignis, idest mæror, labor, & amor. Aqua siquidem abluit sordes, manus exprimit, ignis desiccat.

Ioan. 19.

Lectulus cōtemplantiū. Tria ad mūditiam conueniunt.

De claustro cælesti, & eius dispositione.

Cap. LVII.

EX *libro 4.* In cælesti Hierusalem claustrum perfectę beatitudinis ponitur, quod quatuor generalibus officinis vndique munitur, vt ores, vt abundes, vt reficiaris, vt quiescere possis. Pax æterna per similitudinem quasi oratorium esse dicitur: quia qui vincula seu carcerem mundi huius euaserunt ad illud confugiunt, vt saluentur. Cellarium vero abundantiæ suauitatis diuinæ sequitur refectorium satietatis æternæ, sed licet in pace sis, licet abundes diuitijs, licet fruaris ad libitum possessis, nihil tamē proderit, nisi quiescas in dormitorio trāquillæ mētis. Nota quod huiusmodi officinæ non discooperiūtur ventorum turbine, non annihilantur vetustate, sed incolumes & integræ permanent sine fine, vt fit pax sine perturbatione, abundantia sine diminutione, satietas sine fastidio, quies sine tædio. Qui igitur ad illud claustrum perfectæ beatitudinis peruenire desiderat, necesse est vt adhuc in domo probationis manens, ordinem prædicti claustri diligenter addiscat. Domus siquidem probationis est vita regularis. In hac domo discimus, quid in futura facere debeamus: hic probamur, vt ibi recipiamur: in hac enim domo habemus Christum magistrum nouiciorum. Claustrum perfectæ beatitudinis in quadro ponitur, vt ex omni parte firmitas æqualitatis in ea te-

Domus probationis est vita regularis.

neatur

De quadratura clausſtri

De ordine clauſtri cæleſtis.

neatur,ne eleuetur proſperis,ne frangatur aduerſis, ne de præteritis doleat,ne de futuris aliquid ſiniſtrum poſſe contingere pertimeſcat. In clauſtro Angeli reſident, vt in eodem æternæ fælicitatis ordines conſeruent,diuinæ lectioni,& ſapientiæ ſtudent. Nec retrahit eos aliqua neceſſitas corporis,nec aliquod impedimentum laboris viriditas pratelli quod eſt in medio cæleſtis clauſtri oculos ſupernorum ciuium recreat,& eos ſemper ſua nouitate confortat. Nihil enim vetuſtum aut tranſitorium erit,ſed ſemper nouitate ſuæ viriditatis abſque dubio permanebit. In medio pratelli ponitur lignum vitæ, vt vita ſit in amænitate. Eſt enim vitæ lignum ſapientia Dei patris,fructus eius ſalutem conſeruat,& vitam præſtat. A quibuſdam quæritur, vtrum ſilentium in cæleſti clauſtro ad horam vel continuum teneatur. Ait enim Ioannes in Apocalypſi. *Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora.* Cœlum eſt anima iuſti,quæ ad æterna ſublimia per ſubleuationem contemplationis ſurgentes ab infimis cogitationum tumultibus premit, & intra ſe Deo quoddam ſilentium facit. Sed quia hæc quies mẽtis in hac vita non poteſt eſſe perfecta,nequaquam hora integra factum in cœlo ſilentium dicitur, ſed quaſi media plena ſeruatur. Cum igitur homo ad illud beatũ ſilentium futuræ beatitudinis peruenerit, quid petat vlterius non habebit. *Tunc enim ſilebit iniquitas, abundabit charitas*, nec quicquam ibi deficiet,vbi vnuſquiſque omnia habentem in ſe habet. Tunc enim *erit Deus omnia in omnibus*, nihilque deeſſe poterit, quando Abbatis more, Dei ſapientia, omnibus omnia prouidebit. Ibi nullus in ſuo ordine deficiet,quoniam in libro diuinæ ſapientiæ, in quo ſcriptus eſt ordo naturæ, vnuſquiſque leget.

Apoc. 8.

De Richardo Pariſienſi & ſcriptis eius.

CAP. LVIII.

Richardus de S. Victore.

CIrca idem tempus floruit magiſter Richardus ſãcti Victoris Pariſienſis canonicus, qui in libris & tractatibus variis multa eccleſiæ ſanctæ vtilia deſcripſit. Inter quos eminent de ſancta Trinitate libri ſeptem: in quibus iudicio meo cunctos qui ante ipſum de hac materia tractatus multiplices ediderunt probabili rationũ inductione ſimul & dulcedine quadam ac venuſtate ſermonis exceſſit.

Libri Richardi de Trinitate quales.

Scripſit nihilominus idem Richardus de contemplatione pulcherrimum librum, de Patriarchis intitulatum.

Alium quoque de myſtico ſomnio Nabuchodonoſor.

De arbore quoque quam idem Nabuchodonoſor vidit librum vnum,& alium de quatuor ventis in mari pugnantibus.

Alium de exterminatione mali,& promotione boni.

Alium iterum de officio eccleſiæ,alium de ſacrificio Abrahæ.

Iſa. 1.

Scripſit & tractatum grandem de illo verbo Iſaiæ: *Omne caput languidum*,& alium de illo verbo: *In die illa nutriet homo vaccam Boum.*

Iſa. ca. 7.

Iſai. ibid.

Tertium vero contra Andream & alios in expoſitione ſacræ ſcripturæ iudaizantes ſuper illo: *Ecce virgo concipiet,& pariet filium,&c.*

Pſal. 18.

Alium autem ad nouicios,de illo verbo pſalmi: *Afferte Domino filij Dei.*

Scripſit etiam librum qui dicitur excerptionum, in quo breuiter continetur diuiſio & materia omnium ſcientiarum,ac ſeries hiſtoriæ precedentium temporum,& quædam morales expoſitiones ſacrarum ſcripturarum.

Hic pauca quidem quæ ex libro de Patriarchis excerpſi ad vtilitatem legentium in hoc loco huic operi in hunc modum inſerere volui.

Moralis eius expoſitio de vxoribus & filijs Iacob.

CAP. LIX.

De gemino totius boni fonte,ratione & effectione.

RIchardus in libro de Patriarchis. Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Quis ſit Beniamin iſte multi nouerunt,alij per ſcientiam,alij per experientiam. Qui per doctrinam audient ſapienter, qui vero per experientiam libenter. Qui enim eum experientiæ magiſterio ſemel noſſe potuit fidenter loquor, ſermo de eo quamuis prolixus illum ſatiare non poterit. Omni ſpiritui rationali data eſt gemina quædam vis à patre luminum ſcilicet ratio qua diſcernamus,affectio,qua diligamus, ratio ad veritatem, affectio ad virtutem. Hæ ſunt duæ ſpiritus rationalis vxores equibus oritur generoſa proles, & regni cæleſtis hæres. Ex ratione oriuntur conſilia recta, ex affectione deſideria ſancta. Eſt itaque Lia affectio diuina inſpiratione inflammata,ad normam iuſtitiæ ſe componens. Rachel vero ratio diuina reuelatione illuminata, in cœleſtis ſapientiæ contemplationem ſe extollens, Rachel enim viſum principium vel ouis,interpretatur. Nam qui de Domino in bonitate ſentit illum qui eſt principiũ omnium oculo fidei cernit,ſed & vt ouis veraciter in ſimplicitate quærit. Omnes fere coniugia Lyæ abhorrent, quia laborioſa,qui tamen in amplexus Rachel multum ſuſpirant,quia iucunda. Sapientiam & multum amare potes,& ipſa carere; Iuſtitiam vero perfecte diligere hoc iam eſt iuſtum eſſe & omnino quanto amplius iuſtitiam dilexeris,tanto iuſtior eris.

Lia quid ſit Rachel quid ſit.

Quomodo imaginatio ſubſeruiat rationi, ſenſualitas affectioni.

Habet autem vtraque ancillam ſuam ſcilicet Lia Zelpham,& Rachel Balam,ideſt affectio ſenſualitatem quæ illam egredientem præcedit, & huc illucque circunducit. Nam quia Lia lippa eſt,& parum videt, illius manuductione ſequi eam non pudet. Ratio vero imaginationem,quia nunquam ad inuiſibilium cognitionem aſſurgeret,niſi ei imaginatio rerum viſibilium formam repræſentaret. Sed quoniam imaginatio quæque viſa vel audita ad memoriam reuocat,eadem iterum & iterum replicare non ceſſat. Et ſæpe cum nulla ei cordis voluntas aſſenſum præbeat ipſam tamen more decrepiti ſenis,vel inueteratæ anus,quaſi narrationem explicat quaſi nullo audiente;merito Bala ideſt inueterata dicitur,quæ inueteratorũ morem imitatur. Zelpha enim interpretatur os hians. Vinum quod ſitit eſt gaudium voluptatis,& quantoplus bibit tanto amplius ſitit. Nam ad ſatiandum ſenſualitatis appetitum totus mundus nõ ſufficit. Vidimus ergo de ambarum obſequio & de vtriuſque vitio. Eſt enim Bala garrula,Zelpha temulenta. Balæ namque loquacitatem,nec ipſa eius Domina Rachel compeſcere poteſt, & Zelphæ ſitim Dominæ ſuæ copia tanta omnino extinguere non poteſt. Itaque filij Iacob ex Lia,ſunt ordinati affectus. Septenaria igitur Liæ proles ſeptem ſunt virtutes. Siquidem nihil aliud eſt virtus,quam animi affectus ordinatus atque moderatus. Ordinatur quidem ad id ad quod debet. Moderatus,vero ideſt tantus quantus eſſe debet. Principales ergo affectus ſeptem ſunt, qui ab vna animi affectione alternatim ſurgunt,ſpes ſcilicet & timor, gaudium & dolor,amor,odium,& pudor. Hi omnes cum ordinati ſunt,tunc tantum inter filios Iacob deputandi ſunt.

Ordinati affectus ſunt filij Lia.

Principales affectus ſunt ſeptem.

De quatuor filijs Liæ ideſt quatuor affectionibus.

CAP. LX.

Quomodo oriatur ordinatus timor.

IGitur prima virtutum proles eſt timor, qũi ſcilicet naſcitur ex conſideratione proprij ſceleris,& potentię iudicantis. Hic Ruben filius viſionis, quodammodo enim cæcus eſt,qui peccare non timet,quia futura mala non præuidet. Non erubeſcit prauitatem ſuam, nec expaueſcit poteſtatem diuinam. Hic primo filio creſcente ſecundus naſcitur: quia timorem magnum neceſſe eſt vt dolor ſequatur.

Quomodo oriatur dolor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quanto enim quis vehementius metuit pœnam quã meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit. Et quia *cor contritum, & humiliatum Deus non despicit.* Hic filius Symeon, ideſt exaudio dicitur. Oratio enim citius exauditur, quæ ex corde contrito, & humiliato profertur, humiliato ſcilicet per timorem, contrito per dolorem. Sed *beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Quæ autem conſolatio pœnitenti poteſt eſſe, niſi vna ſpes veniæ. Hic eſt tertius filius qui Leui, ideſt additus, vel addito vocatur, quia duobus illis prioribus ſuperaddit ur. Quanto enim quis frequentius ac vehementius de ſuo reatu interno dolore afficitur, tanto certior ac ſecurior de indulgentia efficitur. *Secundum multitudinem* inquit *dolorum meorum in corde meo, &c.*

Pſal. 50.

Math. 5.

Pſal. 93.

Quomodo oriatur amor.

Et tunc incipit quædam familiaris inter Deum & animam fieri: eo quod hac ſe ſentiat ab illo ſæpius viſitari, & dicit: *Nunc copulabitur mihi vir meus.* Verum animæ ſponſum Deum ſcilicet tunc nobis veraciter copulamus, cum ei per verum amorem inhæremus, immo vero tunc ſibi nos ille connectit, quando nos quibuſdam internis comercijs ad amorem ſuum accendit, & arctius aſtringit. Itaque ſicut poſt creſcentem timorem neceſſario ſubortus eſt dolor, ſic vtique poſt ſpem natam, & quotidie proficientem naſcitur amor.

Gen. 29.

Quid ſit proprium amoris.

Hic eſt quartus filius, ſcilicet Iudas, ideſt confitens. Illa enim eſt vera confeſſio, quæ ex caſta dilectione cõſurgit. *Semper*, inquit, *laus eſt in ore meo*. Semper quidem laudas, ſi ſemper amas, nam non amares, ſi non approbares. Quid eſt autem approbare niſi laudare? Et etiam ipſa laudatio confeſſio eſt, ſed hæc confeſſio laudis eſt. Confeſſionem quoque criminis Iudas agnoſcit, quia & hæc ad honorem Dei pertinet. Et qui veraciter diligit, libenter facit quicquid honori Dei militare cognouerit. Multum enim commendat bonitatem Dei non ſolum largitas ſua, ſed etiam iniquitas noſtra. Si enim magnum eſt nil promerentibus gratis impendere multa, quale quantumue erit tribuere bona promerentibus mala? O qualis pietas, quam nulla noſtra ſuperare poteſt impietas. Alia enim ſunt quæ miſericorditer ignoſcit, alia quæ affluenter tribuit. Confiteamur ergo illi, & mala noſtra à nobis eſſe, vt piè ignoſcat, & bona noſtra ab ipſo eſſe, vt conſeruet, & augeat. Hoc Iudas inceſſanter excitat, ne ingratus appareat, vel de indulta venia, vel de conceſſa gratia. Ideoque rectè hic filius Iudas vocatur, quia verus amor ſemper confitetur. Ecce primi quatuor filij Liæ, ſcilicet timor pœnæ, dolor pœnitẽtiæ, ſpes veniæ, amor iuſtitiæ. Et poſt hæc deſinit parere, quia ſibi ſufficere poſſe æſtimat, cum ſe vera bona veraciter amare conſiderat.

Pſal. 33.

Bonitatem Dei commẽdat iniquitas noſtra.

Quod Rachel, ideſt, ratio primo ſuſcepit filios ex Bala ideſt, imaginatione.

Cap. LXI.

Prima via contemplationis inuiſibilium eſt per imaginationem.

NAto itaque Iuda, ideſt, bonotum inuiſibilium deſiderio exurgente atque feruente Rachel incipit amore prolis æſtuare, quia incipit velle cognoſcere. Vbi enim amor ibi oculus, & libenter aſpicimus, quæ multum diligimus. Ergo quanto plus creſcit Iudas, ideſt affectus diligendi, tanto amplius in Rachel feruet deſiderium pariendi, ideſt ſtudium cognoſcendi. Sed valde difficile eſt, immo penè impoſſibile mentem carnalem & adhuc in ſtudiis ſpiritualibus rudem, ad inuiſibilium intelligentiam aſſurgere, & in eis contemplationis oculum figere. Quærenti enim inuiſibilia nihil aliud occurrit, niſi qui cogitare conſueuit ſola viſibilia. Melius tamen eſt qualicunque modo illa cogitare, quam obliuioni, vel negligentiæ tradere. Facit ergo quod poteſt, & intuetur ea per imaginationem, quæ necdum videre valet per intelligentiæ puritatem: ſicque Rachel prius habet liberos de ancilla, quam generet de ſeipſa Suadet enim ratio commodius eſſe qualicunque modo vera cogitare bona, & imaginaria quadam ſaltem pulchritudine, ad eorum deſiderium animum attendere, quam in falſis deceptorij à bonis cogitationem figere.

Vide quomodo etiam diuinę ſcripturæ huic ſpeculationi alludant, & humanæ infirmitati condeſcendant. Res enim inuiſibiles per rerum viſibilium formas deſcribunt, & earum memoriam per quarundam concupiſcibilium ſpecierum pulchritudinem mentibus noſtris imprimunt. Hinc eſt quod nunc terram lacte & melle mãantem promittunt, nunc flores, nunc odores nominant, nunc per cantus hominum, nunc per concentus auium cæleſtium gaudiorum harmoniam deſignant. In Apocalypſi enim Ioannis cæleſtis Hieruſalem ornatus per aurum & argentum & gemmas precioſas multipliciter deſcribitur. Et ſcimus, quia nihil talium eſt ibi per ſpeciem, vbi tamen totum eſt per ſimilitudinem In omnibus his habet Bala vnde Dominæ ſuæ ſeruiat, quorum ei memoriam pro voto repræſentat. Nunquam enim imaginatio rationi vtilior eſſe poterit, quam cum ei in tali obſequio deſeruit.

Quomodo diuina ſcriptura ſpeculationi infirmorum alludant.

Apoc 21.

De duplici imaginatione.

Cap. LXII.

SEd ſciendum quod imaginatio alia beſtialis eſt, quãdo ſcilicet per ea quæ paulo ante vidimus vel fecimus abſque vlla vtilitate & deliberatione huc illucque vaga mente diſcurrimus, hoc etiam & beſtia facere poteſt. Alia vero rationalis, quando ſcilicet ex his, quæ per ſenſum corporeum nouimus, aliquid imaginabiliter fingimus. Verbi gratia, aurum & domum vidimus, auream domum nunquam vidimus, auream tamen domum imaginari poſſumus ſi volumus; hoc vtique beſtia facere non poteſt, ſoli rationali creaturæ hoc poſſibile eſt. Huiuſmodi imaginatione ſæpe vtimur, cum quæ ſint futuræ vitæ bona, vel mala diligentius rimamur. Nunquid hic ſola bona? nunquid hic ſola mala? Non, ſed permixta ſimul & bona & mala. Item hic ſicut nec ſola, ſic nec ſumma inuenimus. Ibi vero & ſumma & impermixta bona vel mala eſſe non dubitamus. Quotiens igitur ex multis bonis vel malis, quæ in hac vita ſenſus corporeus experitur, quale ſcilicet vel quantum eſſe poſſit illud futuræ vitæ ſummum bonum ſiue malum colligitur. Et ex horum imaginatione quædam futurorum imago figuratur. Talis vtique imaginatio rationalis eſſe conuincitur, & ad Balam & Rachel pertinere videtur. Ad Balam pertinet in quantum imaginatio eſt, ad Rachel in quantum rationalis. Talis itaque proles, & imaginationis eſt per natiuitatem, & rationis per adoptionem. Ex Bala namque naſcitur, ſed per Rachel moderatur, Neminem autem conturbet, quod & matrem & prolem imaginationem appellem, ſed hoc volo eſſe inter matrem & filium quod eſt inter inſtrumentum & actum, & ſæpe inſtrumentum & eius actionem vno nomine appellamus. Nam illud quod videmus, & illud quo videmus, viſum vocamus.

imaginationum alia rationalis alia beſtialis.

Imaginatio duobus modis accipi poteſt.

De duobus filijs Balæ.

Cap. LXIII.

De gemina ſpeculatione

RAtionalis imaginatio alia eſt per rationem diſpoſita alia intelligentiæ permixta. Illa vtimur quando ſecundum viſibilium rerum cognitam ſpeciem ad inuiſibilium cognitionem aſcendere nitimur, in illa eſt imaginatio non ſine ratione, in iſta intelligentia non abſque imaginatione. Iſti ſunt duo filij Balæ, quorum primogenitus Dan dicitur, poſterior Neptalim nominatur. Ad Dan itaque ſpecialiter pertinet conſideratio futurorum malorum; ad Neptalim ſpeculatio futurorum bonorum. Dan nihil nouit niſi corporalia, ſed ea tamen rimatur, quæ longe ſunt à ſenſu corporeo remota. Neptalim per rerum viſibilium formam ſurgit ad rerum inuiſibilium intelligentiam. Infernalia enim tormenta longe à ſenſu corporeo

Dan primogenitus Balæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

remota non dubitamus,quia vbi vel qualia ſint videre non poſſumus. Sed cum hæc quotiens volumus per miniſterium Dan præ oculis cordis habemus. Nemo enim fidelium cum infernum flammamque gehennæ, tenebras exteriores in ſcripturis legit, hæc figuraliter dicta credit, ſed iſta veraciter, & corporaliter alicubi eſſe non diffidit. Rectè ergo horum conſiderationum ad Dan ſpecialiter iam pertinere diximus, vbi ſola imaginatione opus habemus, quamuis eam in tali negocio non ſine rationis diſpoſitione tractemus, ſed cum rerram lacte, & melle manantem cæleſtis Hieruſalem muros ex lapidibus præcioſis portas ex margaritis, plateas ex auro legerit,quis ſani ſenſus hoc iuxta litteram accipere velit? Vnde ſtatim ad ſpiritalem intelligentiã recurrit,& quid ibi myſticum cõtinetur exquirit. Multa tamen quæ etiam de tormentis malorum ſcripta ſunt myſticè ſunt accipienda,& multa de futuræ vitæ bonis quamuis corporalia deſcribantur ſpiritualiter ſunt intelligenda. Illa autem conſideratio meditanti facilius occurrit quæ in ſola imaginatione conſiſtit. Nam illa quæ cum intelligentia permiſcetur quanto ſubtilior tãto difficilius inuenitur. Vnde eſt,quod Dan prius, Neptalim vero poſterior naſcitur.

Prima ſpeculatio facilius occurrit.

De officio Dan.

Cap. LXIV.

Officium Dan.

HOc autem valde notabile eſt, quod Dan ſecundum præſentium rerum imaginationem veram repreſentat rerum futurarum imaginationem fictam. Neptalim vero ſæpe per deſcriptæ rei imaginationem fictam ſurgit ad intelligentiam veram. Non enim licet de futuris bonis per ſpiritualem intelligentiam aliquid falſum fingere,quamuis abſque culpa ſit tormẽta malorum multo plus aliter quam ſunt per imaginationẽ cernere, Quis enim ea omnino prout ſunt in hac vita contemplari ſufficit, ſed quiſque ea pro arbitrio mentis non qualia ſunt,ſed qualia fingere nouit figurando ea deſcribit. Vnde fortaſſis hic talis filius Dan ideſt iudicium vocatur, quia in tali repræſentatione non experientiæ documentum, ſed ſuæ diſcretionis ſequitur arbitrium. Eſt tamen huius nominis alia ratio, ſancti etenim viri quotiens ſe ſentiunt turpibus cogitationibus pulſari ſolent in ipſo etiam tentationis aditu futurã tormenta ante mentis oculos ponere,& per conſiderationem pœnæ vlciſcuntur,& damnant blandimenta culpæ. Quia ergo per officium Dan illicitas cogitationes deprehendimus,arguimus,damnamus, recte Dan, ideſt, iudicium vocamus. Sed quid hic de turpibus tantum cogitationibus loquimur,quandoquidem vanas & inutiles perfecti viri non leuiter abominantur propter illud: *Væ qui cogitatis inutile*: & illud: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, &c.* Quid queſo fiet de his,quæ ſentimus non ſine quodam illicito affectu, quando Spiritus ſanctus aufert ſe ab his,quæ ſunt ſine intellectu. Multorũ enim eſt ſeipſos reprehendere de peruerſo opere,vel de praua voluntate,pauci vero ſunt,qui ſeipſos diiudicent de inordinata cogitatione. Sed quia perfecti viri hoc faciunt, Iacob præcipit dicens: *Dan iudicabit populum ſuũ.* Si enim Dan populum ſuum diſtricte cuſtodiat, ſi iudicium ſuum diligẽter exerceat,fiet vt in cæteris tribubus raro inueniatur,quod de iure damnari debeat. Mẽs etenim quæ ſtatim in ipſa ſuggeſtionẽ præcidit illecebroſam cogitationem, non facile rapitur in prauam delectationem: ſicut & culpa,quæ prohibetur ante prauum conſenſum nunquam tranſit in actum. Semper inueniet Dã in tribu ſua,quod examinare debeat,& quod iure reprehendat,quamuis in alijs poſſit fieri,vtaliquãdo aliqua earum ſine culpa valeat inueniri. Aliarum namque culpa eſt in voluntate,huius autem ordinatio ſæpe eſt in neceſſitate: nunquam enim malum approbo nunquam malo conſentio, nunquam perficio niſi ipſe voluero. Malum autem per cogitationem occurrere, poteſt etiam inuito: ſed ad Dan pertinet exurgens malum ſtatim in iudicio adducere,diligenter diſcutere, deprehenſum damnare,& deceptoriam cogitationem ex alia conſideratione percutere.

Mich.2.

Gen.49.

De officio Neptalim.

Cap. LXV.

SEd ſicut ad officium Dan ſpectat per repræſentationem pœnæ reprimere exurgentia vitia, ſic ad Neptalim pertinet per conſiderationem præmiorum inflammare deſideria bona. Quod duobus modis facere conſueuit. Vtitur namque aliquando tranſlatione, aliquando comparatione. Comparatione quando ex præſentium bonorum multitudine vel magnitudine colligit illa futuræ vitę gaudia quot vel quanta eſſe poſſunt. Verbi gratia inſpecta ſæpe ſolis claritate cõſiderat quãta futura erit lux illa ſpiritalis,ſi tanta tamque mirabilis eſt lux iſta corporalis. Quanta nãque putas erit illa quæ erit nobis communis cum Angelis,ſi tanta eſt iſta quam habemus communẽ cum beſtijs? Qualis erit lux futura beatorum,ſi talis eſt præſens iſta lux miſerorum? Item multiplicitatem bonorum inuiſibilium conijcit ex multitudine bonorum viſibilium. Quot ſunt enim colores quot odores,quot ſapores,ſi tot delicię corporũ,quot erũt deliciæ ſpirituũ? Trãſlatione quãdoque rerũ viſibiliũ quãlibet deſcriptionẽ trãsfert ad rerum inuiſibiliũ ſignificationẽ. Verbi gratia: Audit in ſcripturis nominari *lucẽ inaccеßibilem*. Quærit ergo quæ ſit lux iſta incorporea,& inuenit,quia eſt ipſa ſapiẽtia. Sicut enim lux illa exterior illuminat oculos corporum,ita illa oculos cordiũ. Liquet ergo,quam recte ſecundum vtramque interpretationem Neptalim dicatur,quia cõparatio, vel cõuerſio interpretatur. Solet namque cognitã quãlibet rerũ viſibilium naturam conuertere ad ſpiritualem intelligentiã Huiuſmodi ergo ſpeculatio, quæ per Neptalim deſignatur,habet aliquid ſingulare valdeque notabile. Eſt enim & promptior in meditatione,affabilior in ſermone. Vnde & per Iacob dicitur. *Neptalim ceruus emiſſus.* Ceruus propter currendi facilitatem, emiſſus propter currendi auiditatem: & recte non aui volanti ſed ceruo currenti comparatur. Nam dum per rerum viſibilium formam,rerum inuiſibilium naturam quærit quoſdam ſaltus dare, non autem ad plenum volatum conualeſcere conſueuit,quia in eo,quod ſe ad ſumma erigit,rerum corporearum ſecum trahens vmbram ima omnino non deſerit. Vultis audire eloquia pulchritudinis,qualia Neptalim formare conſueuit? *Oſculetur me,* inquit, *oſculo oris ſui. Fulcite me floribus ſtipate me malis,quia amore langueo. Fauus diſtillans labia tua, &c.* Sic nouit Neptalim carnalia cũ ſpiritualibus permiſcere,& per corporalia incorporea deſcribere, vt vtraque hominis natura in eius dictis inueniat,vnde ſe mirabiliter reficiat, qui ex incorporea & corporea natura conſtat. Illud autem in eius dictis valde eſt mirabile dignumque admiratione, quod tunc fere ſemper delectabilius blandiuntur,quando iuxta literæ ſenſum *vihil ſonare videntur*. Quale eſt illud? Capilli tui ſicut greges caprarum. *Naſus tuus ſicut turris libani.* Sed forte in huiuſmodi diſtis,hoc eſt, quod tam libenter complectimur quod ex iucunda quadam, vt ita dicam,literæ fatuitate, ad ſpiritalem intelligentiã confugere coarctamur. Hæc ſufficiant de filijs Balæ, reſtat nunc de filijs Zelphæ.

De ſecunda ſpeculatione & eius proprietate.

1.Tim.6.

Gen.49.

Cant.1. Cant.6.

De duobus filijs Zelphæ.

Cap. LXVI.

SI per Zelpham debemus ſenſualitatem accipere, quam virtutis prolem poteſt ipſa gignere; niſi vt diſcat in rebus proſperis temporaliter viuere & in aduerſis patientiam habere? Iſti ſunt Gad & Aſer, rigor abſtinentiæ, & vigor patientiæ. Gad naſcitur prior. Aſer autẽ poſterior,quia prius eſt, vt temperantes ſimus ad bona propria,poſtea etiã vt fortes ſim⁹ ad tolerãda mala a-

De o prim. ſpeculationis.

liena

liena. Hæc est gemina virtutum proles, quam quidem parit Zelpha in dolore, verumtamen ad magnam beatitudinem dominæ suæ. Hinc est quod nato Gad Lia exclamat dicens fœliciter, *& iterum Aser nascente hoc pro beatitudine mea.* Mea, inquit, non sua. Vnde enim sensualitas exterius per carnem atteritur, inde cordis affectio ad puritatis integritatem reparatur.

Gen. 30.

De proprietate abstinentiæ, & patientiæ.

Quanta enim putas pax cordis est, nulla huius mundi oblectamenta concupiscere, nulla eius aduersa formidare? Quid illius gaudium imminuat, qui etiam de illata contumelia, vel qualibet pressura exultat. Duo enim sunt ex quibus constat gaudium beatitudinis carere, scilicet eo quod nolis; & habere, quod velis. Fælicem enim dicimus, qui nil patitur quod nolit, & beatum cui suppetunt, quæ cupit. Isti sunt Gad, & Aser, quorum prior calcat mundanam gloriam, alter propter Deum libenter patitur mundi pressuram. Prius autem semper est, vt ancilla Rachel redigatur sub viri potestate, quam ancilla ipsius Liæ. Si enim imaginationis euagatio, quæ fit per inutiles cogitationes prius non reprimitur, absque dubio sensualitatis appetitus immoderatus minime tẽperatur. Qui igitur vult corporalium voluptatum desideria temperare, prius assuescat carnales delicias nunquam, vel raro cogitare; profecto quanto talia rarius cogitaueris, tanto rarius tantoque tepidius ea desiderabis. Patet nihilominus, quod Gad & Aser nunquam adoptiuos filios Lia faceret, nisi sororis suæ Rachel adoptiuam sobolem assidue cerneret. Quis enim vnquam affectioni cordis persuadere posset mundi huius prospera contemnere, & eius aduersa non formidare, nisi suggerentibus Dan & Neptalim futuræ vitæ tormenta, vel præmia æterna frequenter immo pœnè indesinenter cogeretur aspicere. Nunc autem per assiduam considerationem futurorum malorum facile ei persuadetur contemptus præsentium bonorum, & iterum per iugem contẽplationem æternæ fœlicitatis inflammatur ad voluntariam tolerantiam præsturæ temporalis.

Gaudium beatitudinis in quo consistat.

Sensualitas non temperatur si imaginatio non restringatur.

De Officio Ruben, & Mandragoris.

CAP. LXVII.

TImere autem Deum propter seipsum, homines autem propter Deum, est Ruben nunc intus morari, nunc foris inueniri. Exit ergo tempore messis triticeæ, quando ex imperio obedientiæ exercet se in operibus iustitiæ. Sed quando ad perfectam, putas obedientiã conualescceret, nisi eum Gad & Aser ideſt amor abstinentiæ & patientiæ ad contemptum voluptatis, vel ad tolerantiam tribulationis animasset? Duo enim sunt, quæ solent perfectionem obedientiæ præpedire, ideſt ne cogamur vel amara deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel animus amore abstinentiæ, vel patientiæ perfectæ incaluerit, protinus Ruben ad omnem obedientiam absque vlla contradictione se subdit. Qui enim tam aduersa perpeti, quam in prosperis non delectari apud semetipsum statuit, quæ difficultas eius obedientiam vltetius minuere poterit? Si enim dura & aspera quæque pro Dei amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hæc ex adiuncta obedientia ad maioris meriti gratiam tolero? Recte ergo, post natum Gad & Aser, Ruben exire dicitur, quia timor Domini ex voluntaria abstinentia & patientia ad omnem obedientiam roboratur. Sed quantus qualisque bonæ opinionis odor de ipso circumquaque spargitur, qui nulla molestia, nullaque inopia à studio obedientiæ præpeditur. Hæ sunt Mandragoræ quas Ruben inuenit, quas ab ipso mater eius Lia accipit, quando oblata laus affectum tangit. Tẽperate vero Rachel non Mandragoras, sed Mandragotarum partem petit. Nam valde est difficile, vt animus quamuis renitens ex oblata laude non hilarescat. Abente adhuc viro vix Lia partem concedit, sed in eius aduentu, eius desiderio vberius accensa, nil sibi ex eis vltecius reseruari voluit. Sic mens hominis spiritalis dulcedine tangitur, quicquid prius de humana laude cõcupierat libenter obliuiscitur.

Gen. 30.

Mandragoræ quid significent.

In hunc autem modum Mandragoræ de possessione Liæ vtiliter rediguntur sub Rachel potestate. Nouit enim Rachel, quam Lia Mandragoris melius vti. Nam quicquid affectio cordis vsurpat ad laudem sui, rectius sane ratio retorquet ad gloriam Dei. Mandragoræ nec post natos tot Liæ, nec post geminos liberos Balæ, sed post natiuitatem filiorum Zelphę statim leguntur inuentæ. Ad filios namque Liæ voluptates, ad filios Balæ cognationes, ad filios Zelphæ pertinent actiones. Et quamuis vera laus sit de recta voluntate, eam tamen non laudamus nisi appareat in opere.

Quomodo virtutibus præditis muniatur disciplina cordis & corporis

De quatuor filijs ancillarum, & officio eorum.

CAP. LXVIII.

HOc autem de duarnm filijs istarum ancillarum retinendum, quod ex eorum vigilantia conscientiæ nostræ ciuitas mirè custoditur, multumque protegitur. Primogenitus namque Balę eam componit intrinsecus. Primogenitus enim Zelphæ munit eam extrinsecus. Per Dan reprimuntur mala intus exurgentia, per Gad repelluntur mala exterius exurgentia. Ad Dan pertinet disciplina cogitationum: Ad Gad autem spectat sensuum. Debet itaque Dan euigilare ad discretionis iudicium, Gad dimicare fortiter per abstinentiæ exercitium. Vnius est sedare ciuilem discordiam, alterius repellere hostilem pugnam. Hic vigilat cõtra ciuium perditionem; ille contra ostium incursionem.

Disciplina cordis sine disciplina corporis custodiri non potest.

Disciplina enim corporis sine disciplina cordis inutilis est, disciplina vero cogitationum, sine disciplina sensuum obseruari non potest. Vnde satis constat, quod sine adiutorio Gad, qui contra exteriora euigilat, Dan in componenda ciuium pace intus inaniter laborat: Prius itaque Gad se accingit, quando sensuum dissolutionem per disciplinam restringit: tuncque forti prælio dimicat quando desideria carnalia per carnis mortificationem trucidat. Assistunt, & eis fratres sui non segnes ad auxilia ferenda. Neptalim intus cum Dan, Aser exterius cum Gad. Gad itaque & Aser vigilant contra hostes: Dan, & Neptalim solliciti sunt circa ciues. Dan terret minis, Neptalim fouet promissis. Adiuuat & Aser exterius fratrem suum, latus vnum protegit, ille alterum defendit. Gad certat in dextero, Aser in sinistro. Quantum putas Aser iste abundat in diuitijs spiritualium consolationum; cuius diuitias quælibet aduersitas non tam minuere, quam augere solet. Nam quanto diutius premitur exterius, tanto delectabilius gloriatur interius. Hæ sunt illæ deliciæ, quas tantum sitiunt, non dico pauperes & ignobiles, sed etiam ipsi Reges & Principes. *Aser*, inquit, *pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus. Si enim gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente, quanta tunc solemnitas erit super quolibet iusto pro iustitia libenter moriente.* Vere, Aser pinguis panis dicitur. Quam putas largus esse potest in necessitates pauperum, cui superabundat parare delicias Regum? quantum putas mirantur, quantumve gratulantur in eius constantia, quos viuentes adhuc in valle lacrymarum premit infirmitas sua, si tãtum delectantur in eius operibus illi etiam quos iam absorbuit fælicitas illa æterna.

Commẽdatio perfecta patientiæ.

De ortu Isachar, & eius officio.

CAP. LXIX.

HOstibus itaque fugatis, ciuibusque pacificatis, nil iam obstat vt arbitror, quin illa nostra ciuitas experiatur, quæ sit illa pax Dei quæ exuperat omnem sensum, vel quam sit magna multitudo dulcedinis, *quam abscondit Deus timentibus se.* Est enim manna absconditum, & nisi gustanti; omnino ignotum. Vnde & ei dicitur: Intra in gaudium domini tui. Hic

Quomodo oriatur verũ gaudium.

Psal. 30. Matth. 25.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eſt ille filius Liæ, qui ei quinto loco naſcitur. Eſt enim gaudium (vt ſuperius diximus) vnus de principalibus affectibus. Pro tali enim prole Lia Mandragoras contempſit, vt talem filium habere poſſit. Mens etenim quę in laude hominum delectatur, quid ſit æternum gaudium experiri non meretur. Recte autem poſt natiuitatem Gad & Aſer Lia talem filium genuit, quia niſi per abſtinentiam & patientiam mens humana ad verū gaudium non pertingit. Oportet ergo non ſolum falſam delectationem, ſed etiam vanam perturbationem excludere, qui vult de veritate gaudere. Horum autem vnum abſtinendo ſuperamus, alterum patiendo calcamus. Hic talis filius Iſachar dicatur, quod merces interpretatur. Quid enim aliud tot tantiſque laboribus quærimus? Huius mercedis totiens quaſi quaſdam primitias & arrham accipimus, quotiens ad illud Domini noſtri gaudium internum intramus, & aliqua parte guſtamus. Hanc autem deguſtationem ſcriptura ſancta nunc guſtum, nunc ebrietatem vocat, vt quam ſit parua vel magna oſtendat, parua quidem ad comparationem futuræ plenitudinis magna autem in comparatione cuiuſlibet mundanæ iucunditatis. O dulcedo miranda, modicum quiddam de tanto fælicitatis pelago mentibus inſtillas, mentem tamen quam infundis plene inebrias. *Siue*, inquit, *in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit.* Quomodo putas inebriatus erat, quomodo mundus ei in obliuionem venerat, qui ipſum neſciebat. *Viſitaſti*, inquit, *terram & inebriaſti eam.* Cur non etiam mare? Quia mens, quæ per varia deſideria fluctuat, quam adhuc ſæcularium curarum procella exagitat, illo torrente voluptatis non potatur: quanto minus inebriantur. Mare enim & cætera elementa ſemper in motu ſunt, & ſola terra ſtante, ſtare cætera neſciunt.

Comparatio interioris & exterioris dulcedinis.

1. Cor. 12.

Pſal. 64.

Quid ergo per terram niſi fixam cordis ſtabilitatem debemus accipere? Debet ergo fluctuationem cordis reſtringere, & ad vnius veri gaudii deſiderium cogitationum affectionumque motus colligere, qui ſe cupit illo veræ ſobrietatis poculo inebriandum fore. *Inhabita*, inquit, *terram, & paſceris in diuitijs eius.* Hæc eſt illa terra, quam iſte Iſachar vidit, & concupiuit. Multum ſibi ſubito vulnerat, qui ſe aſinum reputabat. Multum concupiuit terram quam vidit, pro qua ad omnem laborem ſortis perdurauit. Pene autem non plene hanc morientium terram deſeruerat, pene non plene illam viuentium terram apprehenderat, qui inter terminos habitabat, quia viliſſimis, quia pauciſſimis huius vitæ bonis contentus erat. Huius terræ miſeræ extrema tenebat, quia perfrequentes mentis exceſſus perennis vitæ bona præguſtabat, illius beatæ terræ initia tangebat. Satagebat iſtam penitus deſerere non poterat, ambiebat in illam totus intrare, nec valebat. Fecit ergo quod potuit inter terminos habitauit. *Manſueti*, ait, *hæreditabunt terrā & delectabūtur in multitudine pacis.* In illa quidem labor non eſt, ſed ad illam ſine labore peruenire non poteſt. Duo ſunt, terra & requies, duo contra duo. Contra miſeriam mentis tranquillitas, contra concupiſcentiam cordis ſtabilitas. Nullam moleſtiam ſentire eſt bene requieſcere, nullis concupiſcentiæ fluctibus agitari, eſt proculdubio iam in terra morari. In terra enim tali, requies talis. Væ mihi miſero, qui vſque hodie viuo ſuper terram, vagus ſequendo concupiſcentiam, profugus declinando miſeriam, ſemper deeſt quod concupiſcam, vbique inuenio quod fugiam. Et proculdubio terra talis non ſtabilitas cordis, ſed duritia & inſenſibilitas eſt mentis. Sed ſpiritus tuus bonus Domine deducet me in terram rectam, qualem Iſachar vidit & concupiuit, eo ſciliet quod eſſet ibi requies bona, & ipſa terra optima. Eſt enim fructus terræ illius ſublimis, mirabilis, ſingularis. Huius ſiquidem terræ fructibus, mens hominis ſæpius ſatiata & aliquatenus impinguata, mirandam ſubito contra omnia pericula fortitudinem accipit & ad omnium vitiorum odium conualeſcit.

Quid internum gaudiū impedire ſoleat.

Gen. 49. Interna dulcedo mētem humiliat.

De ortu Zabulon, & eius officio.

CAP. LXX.

HInc eſt quod poſt Iſachar Zabulon naſcitur, qui habitaculū fortitudinis interpretatur. Quid enim per Zabulon intelligimus, niſi odium vitiorum, odium bonum, odium ordinatum? Hunc in nobis affectū Propheta ordinare cupiebat cum dixit: *Iraſcimini & nolite peccare.* Quid eſt enim peccando non iraſci, niſi homines vtiliter non ad oculum amando eorum vitijs indignari. Hunc habere ſe filium idem Propheta ſignificabat cum dixit: *Perfecto odio oderam illos, &c.* Et alibi: *Omnem viam iniquam odio habui.* Hic eſt ille egregius Dei miles, qui bella Domini præliari non ceſſat, & quem vſitato vocabulo ſcriptura ſacra *zelum Domini* vel zelum rectitudinis appellat recte ergo poſt Iſachar, qui merces interpretatur, Zabulon, ideſt habitaculum fortitudinis naſcitur, quia poſt deguſtatam æternæ retributionis dulcedinem animus contra tentationum argumenta mirabiliter roboratur, ſuaque ſubito pericula paruipendens, Domini iniurias fortiter vlciſcitur. Hinc eſt quod Moyſes ille mitiſſimus poſt 40. dierum ieiunium ſpiritalium deliciarum refectus ſatietate mirifica, in tantum ſubito zelum contra fabricatores vel cultores Idoli exarſit, & ſtatim adiuncti ſibi qui Domini erant, per medium caſtrorum de porta ad portam percutiēdo tranſiret, & preuaricatorum tria millia in mortem proſterneret. Iſte eſt Zabulon, qui iraſcendo iram Dei placare conſueuit, qui pie ſæuiendo, dum hominum vitia percutit, eis, quaſi nō parcendo melius parcit. Abſque dubio nihil ſic placet Deo nihilque placat Deum, quomodo zelus animarum.

Quomodo oriatur in nobis odium vitiorum.

Pſal 4.

Pſal. 118.

Pſal. 138.

Exod. 32.

O quam multi multas cæterarum virtutum proles ex Dei gratia mente conceperunt & de ſe genuerunt, qui hunc filium habere non potuerunt. Quam multos hodie videmus ſpiritu pauperes, ſpe gaudentes, charitate feruentes, multum abſtinentes, admodum patientes, ad zelum tamen animarum nimis tepidos, multumque torpentes. Alii quoque ad cuſtodiam humilitatis delinquentes increpare non præſumunt; alij ne charitatem fraternam perturbare videantur, peccantes arguere metuunt; ſic & alii aliis, & aliis adhuc modis, quod zelare pro Domino nolunt virtutis hoc eſſe fingunt vel virtutem eſſe credunt. Econtra multi quod agunt in ſpiritum feruoris agere ſe arbitrantur zelo rectitudinis, & quæ veraciter exequuntur non odio hominum exercere ſe putant, ſed ſimulant odio vitiorum. Sed ſeipſos quæſo interrogēt, vtrum in veritate diligant, quos quaſi inſtigante Zabulon tam acerbe caſtigant, forte adhuc quæ ſint ille ſpiritales deliciæ per experientiam ſcire minime poterunt, ad quas eos quos arguunt, vel flagellant, ſuis inuitare flagellis, vel etiam increpationibus videri volunt. Iudam & Iſachar priuſquam Zabulon Liam peperiſſe legimus, quoniam mens, quæ charitatis, & internæ ſuauitatis adhuc expers eſt, rectitudinis normam in ſuo zelo ſeruare non poteſt. Charitas enim docet quomodo tractare oporteat, quos Zabulō caſtigat, ſpiritalium notitia docet, quæ ſit illa ſuauitas ad quam inuitantur, vel etiam compelluntur, quibus exterior iucunditas interdicitur, pro qua ſpe Zabulon vrgente durius arguuntur. Iudas, itaque docere debet modum, Iſachar aurem cauſam correctionis, vt moderante Iuda fiat in ſpiritu lenitatis, & Iſachar ſuggerente fit cauſa vtilitatis.

Quam ſit rarum Zelū animarum habere.

Adhuc de officio Zabulon ideſt veri zelatoris.

CAP. LXXI.

DEbet Zabulon non ſolum delinquentes corripere ſed etiam eos tēpore tribulationis contra perſequētes defēſare, alioquin! verus zelus nō eſt, ſi patior eſt ad feriendū, quā ad protegēdū. Vide ergo quomodo

Quod officium veri Zelatoris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

domus inhabitantes quousque superius protegit & ab omni parte eos cingit, & tamen nisi fortis & firmiter munita sit, habitaculum fortitudinis non erit, sic perfectus zelus debet infirmiores contra aeream potestatem doctrina & oratione protegere, & contra mundana pericula vndique munire, & in vtroque non solum infatigabilis, sed etiam insuperabilis perseuerare, semper esse paratior ad mala ferenda, quam ad inferenda: & amplius vtique dolet cum cogitur eos per culpas percutere, quam cum cogitur pro eorum defensione puniri. Libenter ergo se occurrentibus periculis obiicit, alioquin frustra in littore maris habitat, in statione nauium contra marina mundanæ pressuræ discrimina trepidat, nisi tempestatibus diu fatigatos, & tandem littoribus eiectos blande excipiat, & benigne foueat.

Verus Zelator & contra saeuitiam & cõtra fraudulentiam vigilare debet.

Sidon venatio interpretatur per quam recte deceptionum fraudulentia intelligitur. Satagit ergo Zabulon iste non solum imbecillos quosque erigere contra furorem persequentium, sed quoslibet etiam simplices eripere de laqueo veiantium, lingua scilicet adulantium, lingua detrahentium, seminantium inter fratres discordias, concitantium rixas. Pertingit ergo vsque ad Sidonẽ quotiens præuenit insidiatorum dolosam machinationem, siue malignorum spirituum, siue persidorum hominum. Figit ergo fortitudinis suæ habitaculum è regione maris in confinio Sidonis, vt hinc vigilet contra sæuitiam persequentium, illinc contra fraudulentiam insidiantium. Cogitet ergo qui potest qualis sit hic filius, & quanta sit eius virtus, cuius officio quisque non solum seipsum contra vitia munit, sed etiam alios à peccati laqueis eripere contendit Ignoro an possit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quam vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur, vt de filijs diaboli filj Dei efficiantur. O qualis dos, quanta dignitas talem gratiam à Deo accipere. Non decuit cælestem sponsum sponsæ suæ dotem aliã donare, quam vt per adoptionis gratiam possit multos Deo filios gignere, & de filijs iræ regni cælestis hæredes ascribere. Merito ergo Zabulon nato exclamat Lia: *Dotauit me dominus dote bona.*

Quale sit gaudiũ habere Zelum animarum.

De Ortu Dinæ.

Cap. LXXII.

Quomodo oriatur ordinatus pudor.

Sed nunquid post has virtutum soboles saltem dabitur cuiuis sine peccato viuere, vt saltem post vitiorum odium possit sine vitio esse, immo eos sæpe per quos Deus aliorum errata corrigere disponit: ex magnæ pietatis dispensatione grauiter cadere permittit: vt ex propria culpa discant, quam misericordes in aliorũ correctione esse debeant. Sed quantum putas erubescant, cum se in id vnde alios corripiunt, vel forte in aliquid grauius lapsos conspiciunt: Hinc est, quod post Zabulõ nascitur Dina, quia sæpe nimium zelum interueniente culpa sequitur verecundia, sed ordinata solum peccatum erubescere, est ordinatam verecundiam habere.

Quis vel qualis sit ordinatus pudor.

Sed qui Zabulon nondum gignere meruit, frustra Dinam se posse gignere credit. Disce prius peccatum odisse & tunc illud incipies veraciter erubescere. Ille pudor verus esse cognoscitur, quem viciorum odium præcedit & comitatur alioquin si in peccato deprehenderis & deprehensus pudore infunderis, non te credo erubescere culpam sed infamiam. Habent vtique homines peruersi etiam verecundiam, sed vtinam bonam, vtinam ordinatam. Nam vtique si bonã haberent, peruersi forsitã non essent. Peccatũ etenim si perfecte erubescerẽt, non tã facile committerent. Qualis putas pudor est erubescere paupertatem, & erubescere humilitatem? Illud non pudet eos erubescere, ad quod docendum non puduit cælestem magistrum de cælo descendere. *Discite à me,* inquit, *quia mitis sum, & humilis corde, &c.* At illi econtra magis abominantes, quam sectantes humilitatem, multo amplius erubescunt habere sordidam vestem, quam sordidam mentem. Quod multi hodie sunt, quos magis puderet in oratione feciſſe barbarismum, contra regulam Prisciani, quam protulisse mendacium contra regulam Christi. Sed quid hoc istis loquimur, qui sæpe etiam sua crimina iactant, quandoquidem illi etiam qui spiritales videntur, hunc pudorem haud facile superant? Sæpe in prædicationis officio contingit eos superbire, vnde constat eos contra superbiam subtiliter disserere, & si forte inter loquendum breuem syllabam producerent, magis eos fortassis puderet de vitio orationis, quam de vitio elationis. Non est credendum hanc esse illam verecundiam, quam intelligere debemus per Dinam. Ecce de carnalib. omitto, cum spiritualib. tantum interim sit mihi sermo. Si cogereris coram multitudine nudo corpore transire, nunquid posses non erubescere? Cogita ergo si tantum confunderis, quando immunda cogitatione in mente sordidaris. Cur te iactes amplius Dinam genuisse, & ordinatam verecundiam habere, si minus erubescis pudenda cordis, quam corporis, si magis vereris vultum hominum, quam conspectum Angelorum. Siccine magis est erubescendum, quod Deus fecit bene, quam quod tu male feciſti. Diligenter igitur consideranti, quam sit rarũ, vel quam paucorum humanam verecundiam plene viciſſe, & solam illam quæ ordinata est possidere; Non erit vnde quis admirari debeat, cur talem tam sero prolem Lia pariat.

Quam sit rarũ habere verum pudorem.

Cur post Zabulon orta sit.

Cap. LXXIII.

Matth. 11.

Dina iudicium istud interpretatur. Hoc itaque est illud iudicium quo quisque à propria scientia conuenienter conuincitur, condemnatur, & digna cõfusionis pæna mulctatur, in quo vnus idemque est ille qui iudicat, & ille qui iudicatur, idem ipse qui condemnat, & qui condemnatur. Istud enim demonstrationem signat, & quid aliud hæc adiectio, quam animum audientis in admirationem excitat. Vere iudicium mirabile, in quo quanto quisque seipsum ardentius diligit, tanto in seipsum acrius sæuit: & quo sibi parci vehementius cupit, tanto minus ipse sibi parcit: quia quo amplius suam confusionem formidat, eo acerbius suã quemque confusio vexat. Sed si hæc inter alias virtutes digne annumeratur, cur per fæminineũ & non potius per virilem sexum exprimitur? Sed quis nesciat verecundia, quamlibet honesta, cordis robur quantum emolliat, & quam sæpe fortia opera præpediat; dum animus hominis vltra modum fundi deuitat?

Quid sit proprium pudoris.

De vtilitate verecundiæ.

Est itaque Dina non vir, sed fœmina, non filius, sed filia. Habet enim (vt ex prædictis apparet) Zabulon impetus vastos, & ingentes gerit animos, sed sciũt tam fœminæ, quam viri tumentes animos blandius alloqui, & iratis dulcius blandiri. Valde ergo opportunum videtur, quod post Zabulon Dina nascatur, vt ex sororis lenitate fratris ferocitas temperetur. Multum enim per omnem modum zelãtis animi impetum temperat, cum in seipso inuenit quis vnde erubescat. Sed quia Dina nil virile, nil magnificum molitur, tribum in populo Israel facere non meretur. Sed quamuis pauida sit, vtpote fœmina ad opera fortitudinis, inuenitut tamen prouida & circumspecta ad custodiam honestatis. Et quamuis nesciat placere per fortitudinem, nouit tamen per formæ pulchritudinem. Vnde namque est, quod verecundos homines fere semper cæteris charius amplectimur, nisi quod in eis dum verecundiæ modestiam modestiæque gratiam miramur, Dinæ quodammodo pulchritudine allicimur.

De corruptione eiusdem.

Cap. LXXIV.

Gen. 34.

Hvius rei Sichem ille testis fit, quia ei tam ardenti amore inhæsit, vt mallet omnes mares suos absque mora circuncidere, quam illam non habere. O

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quam multi vsque hodie sunt, qui quod pro Deo facere noluerunt, sæpe pro amore Dinæ efficere non differunt: & pudendorum superflua, quæ pro Deo amputare debuerant, orta confusionis occasione pro euitando verecundiæ detrimemo amputare non tardant, & malunt in amputandis vitæ suæ superfluis circumcisionis molestiã subire, quam impudentes videri, & sine verecundia esse. Sichem quippe interpretatur onus vel labor. Videtis quia quicquid agitur pro lætitia vera totum exercetur pro lætitia vana. Isachar laborat pro requie quã vidit, Sichẽ pro laudis vanitate, quã concupiuit. Recte tamẽ nõ laborioſus, sed labor appellatur, quia per suũ laborẽ ad verã requiem non perducitur. Sichem egredienti Dinæ occurrit, oppressitque, & corrupit. Integritatem ergo quam intus fortassis conseruare potuit, egressa amittit. Nam quoniam vorecundiæ venustas ab omnibus fere commendatur, laudatur, amatur, Dinam egredientem, & intima sua deferentem, & quæ eam humiliare consueuerat infirmitatis memoriam cito obliuiscentem subito hominum laudes excipiunt, & eam dum fauoribus demulcent corrumpunt. Verumtamen tunc corruptionis suæ damna violentia quadam potius, quam voluntate patitur, cum blandienti prauæ delectationi quantum potest reluctatur. Sed quid eam sua intima deserere, & ad exteriora euagari compulit, nisi quod sæpe dum infirma nostra nimis erubescimus; an forte alij easdem infirmitatis in se sentiant mirari incipimus? Et videmus nobis quoddam solatij genus inuenisse, si deprehendamus nos in nostra saltem delectatione vel socios habere. Inde fit vt incipiamus aliorum studia curiosius quærere, nunc vultum, nunc gestum, totiusque corporis habitum frequenter circumspicere, eorum occulta & aliorum reatum libenter addiscere. Dum igitur Dina in alij animarum statum ex signis exterioribus deprehẽdere nititur, quid aliud quàm sua deserens ad videndas mulieres foras egreditur, foriſque vagatur. Et cum secum tacita sępe comparat, quam multas pulchritudinis suæ magnitudine longe antecedat, quid mirum si appetitus eam vanæ gloriæ vehementius pulsat; cuius impetum dum resistendo reppellere non sufficit; quid aliud quam viribus Sichem victa succumbit.

Quomodo verecunda mens per superbiam corrumpitur.

Quomodo verecunda mens à sua rectitudine deijcitur.

De bello fratrum eius contra Sichem.

Cap. LXXV.

QVod Dinæ fratribus merito displicuit, meritoque eos placare non potuit circumcisio, quæ non tam pro Deo, quam pro Dina, non tam pro institutione diuina, quam pro verecundia humana facta fuerat, malũ tamen in eis fuit iuste seueritatis modum excedere. O quanto sanctius erat viros, quamuis non tam pro Deo, quam pro Dina circumcisos ad verum Dei cultum paulatim perducere, quam inopinata, & repentina morte percutere. Qui sunt istiusmodi circumcisi nisi mores nõ bona intentione correcti. Nec tamen in talibus debemus morum honesta destruere, sed intentionem mutare. Errant ergo, vtique errant, qui obiiciunt bona opera quamuis forte inchoata sint intentione mala. Erratuum ergo suorum vltores huiusmodi, quid aliud faciũt quam quod super circumcisos cum Simeon & Leui irruentes, violenter occidunt? Gladius Simeonis exprobratio, gladius Leui exactio est. Solet enim Simeon corruptæ menti exprobrare vehementer malum, quod fecit. Leui vero solet exigere violenter bonum, quod fieri opportuit. His stimulis quorundam mens vehementer accensa sæpe inconsolabiliter plangit ea etiam, quæ nullo modo potest euitare. Ea etiam sæpe inchoare præsumit quæ nullatenus valet consummare. Quid est enim eos arreptis gladiis Dinæ amatores interficere, quam exprobratione ineuitabilium, vel actione impossibilium eo vsque non solum vires corporis, verumetiã vigorem mentis attenuare, vt pro humana saltem verecundia non possit se mens à suis excessibus temperare?

Quomodo oporteat intẽtionem mutare & morum honesta non deserere.

Vnde eis rectè per Iacob dicitur, *Symeon, & Leui fratres, &c.* O quales bellatores, qui dum fortiter egisse videri volunt, pacis suæ socios tam crudeliter quam violenter occidunt. Per Isachar ergo intelligimus gaudium conscientię, per Zabulon odium malitiæ, per Dinam venustatem verecundiæ. Et sunt hi nouissimi tres liberorum Liæ, quos si cum quatuor superioribus annumeramus 7. esse inuenimus. Primo itaque ordinatur timor, deinde dolor, post hos spes & amor. Post hos quatuor ordinãtur lætitia, & ira. Nouissime autem omnium verecundia. Itaque nihil aliud est Iacob huiusmodi liberos ex Lia genuisse, quam animum affectionis suæ motus ordinando dignam virtutum sobolem de se ipso procreasse.

Quomodo debeat corrupta mens flagellari.

De ortu Ioseph, in quo designatur gratia discretionis.

Cap. LXXVI.

AFfectus autem isti tunc veraciter creduntur boni quando sunt non solum ordinati, sed etiam moderati. Sæpe namque cum discretionis moderamen excedunt, virtutis nomen amittunt. Duobus autem modis filius æquitatis mensuram supergreditur, aut quia circa vnum aliquid nimis extenditur, aut quia ad innumera vel etiam inutilia passim dilatatur. Caute ergo circa omnes debet custodiri, vt non solum sint ordinati, sed etiam moderati. Timor enim nimius sæpe cadit in desperationem, dolor nimius in amaritudinem, spes immoderata in præsumptionem, amor superfluus in adulationem, lætitia superuacua in dissolutionem, ira intemperata in furorem. Ita virtutes in vitia vertuntur, si per discretionem non moderantur. Hic est ille Ioseph, qui sero quidem nascitur, sed à patre plus cæteris amatur. Merito ergo illa virtus singulariter diligitur, sine qua nulla conqueritur, nulla consummatur, nulla conseruatur: sed sero vix talẽ filiũ accipere meremur, quia ad discretionis perfectionem non sine magno vsu, non nisi per magna experimenta erudimur. Prius nos oportet in singulis virtutibus exerceri, & quid in vnaquaque possimus experiri, quam possimus de omnibus plenam scientiam percipere, & de singulis sufficienter iudicare. Multa quidẽ de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis iudicio: verumtamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientię magisterio. Post omnes sequi oportet, qui de omnibus iudicare debet. Sic dum longo vsu virtutum disciplina addiscitur, quandoque mens diu exercitata ad plenã morum discretionem perducitur, & quasi de nato Ioseph iure lætatur. Ante huius natiuitatem eius fratres dum adhuc omnia sine discretione agunt, quanto vltra vires suas multa præsumunt, tanto sæpe deterius atque deformius ruunt. Vnde est, sicut iam diximus, quod post eos Dina nascitur, quia frequenter deformem lapsum pudoris confusio comitatur. Patet autem ratio cur ancillarum nulla, nec ipsa quidem Lia, sed Rachel sola potuerit talem filium gignere; siquidem non est sensualitatis, non imaginationis, non denique ipsius affectionis, sed solius est rationis discernere sicut & intelligere.

Affectus ordinati veraciter sunt boni.

Hic est ille Ioseph, qui solus inter fratres tunica talari vestitur, quia sola illa actio ad consummationis talum debitumque finis terminum perducitur, quæ per discretionis prudentiam moderatur. Hic est Ioseph ille somniator, somniorumque interpretator, quia vera discretio in ipso tentationis articulo inter ipsa suggestionum fantasmata imminentium malorum insidias detegit, & de futuris periculis cautos reddit. Accusat autem fratres suos apud patrem crimine pessimo. Vitium, quod Deus singulariter detestatur hipocrisis intelligitur. Hoc per Ioseph detegitur, quando insidians malum per discretionem deprehenditur, & arguitur. Ad officium itaque Ioseph spectat cura & custodia omnium fratrum

Quomodo virtutes in vitia vertuntur.

De discretionis vtilitate vel eius proprietate.

Officium vera discretionis.

suorum

suorum disciplina singulorum ad ipsum dispositio gerendorum, prouidentia futurorum.

De ortu Beniamin, in quo est grátia contemplationis.

Cap. LXXVII.

De gemina proleratione. Sicut autem per Ioseph gratiam discretionis, sic etiã per Beniamin intelligimus gratiam contemplationis, vterque de eadem matre nascitur, quia & Dei cognitio, & sui ex ratione percipitur. Longe post Ioseph Beniamin gignitur, quia animus, qui in sui cognitione diu excitatus pleneque eruditus non est, ad Dei cognitionem non sustollitur, frustraque cordis oculum erigit videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum præcipuum & principale speculum ad videndum Deum animus rationalis est, absque dubio inuenit seipsum ad Dei similitudinem factum. Hoc itaque speculum non desinit verus Ioseph tenere, tergere, & indesinenter inspicere. Tenere, ne deorsum corruens, terræ per amorem inhæreat. Tergere, ne inanium cogitationum puluere sordescat. Inspicere, ne ad ima studia intentionis suæ oculum reflectat. Extersо autem speculo, & diu diligenter inspecto, incipit ei quædam diuini luminis claritas interlucere, & immensus quidam insolitæ visionis radius oculis eius apparere. Hoc lumen oculos eius irradiauerat, qui dicebat: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* *Psal. 4.* Ex hac ergo visione videndi Deum flammam desiderij concipit, & fiduciam sumit.

Beniamin itaque nascente Rachel moritur, quia mẽs ad contemplationem rapta, quantus sit humanæ rationis defectus experitur. Si enim aliqua argumentatione adire potuisset lumen illud diuinum, vtique inaccessibile non fuisset. Denique Apostolus gloriatur ad illud se non quidem isse, sed absque dubio raptũ fuisse. *Scio,* inquit, *hominem huiusmodi raptum vsque ad tertium cœlum.* *2. Cor. 12.* Alia est enim dignitas spiritus humani, alia angelici, & longe alia est excellentia spiritus diuini. Ad primum itaque cælum pertinet cognitio sui, ad tertium contemplatio Dei. Possumus tamen illam quæ in hac vita haberi potest Dei cognitionem tribus gradibus distinguere, & per treſ cælos diuidere. Aliter siquidem Deus videtur per fidem, aliter per rationem, atque aliter per cõtemplationem. Prima visio est infra rationem, secunda secundum rationem, tertia supra rationem. Ad primum itaque & ad secundum cælum homines sanè ascendere possunt, sed ad aliud quod est supra rationem nisi per mentis excessum supra seipsos rapti nunquã pertingunt. Quod autem per Beniamin illud genus, quod est supra rationem intelligere debeamus, ex matris eius morte conicere possumus. *Triplex Dei visio.*

De monte contemplationis, & eius ascensu.

Cap. LXXVIII.

De eminẽtia spiritualium. Magna est altitudo scientiæ semetipsum perfecte agnouisse, mons magnus, & altus, plena cognitio rationalis spiritus omnium mundanarum scientiarum cacumina mons iste transcendit; omnem philosophiam & ab alto despicit. Quid tale Aristoteles, quid Plato, quid tanta philosophorum turba tale inuenire potuit. Vere si seipsos plene cognoscerent, nunquam Idola adorassent. *Hi defecerunt scrutantes scrutinio.*

Quam sit rarũ spirituales theorias in vsum conuertere. Raro valde in hunc montem ascendere, sed multo rarius in eius vertice stare, & ibi moram facere, rarissimum autem ibi habitare, & mente requiescere contingit. Multi in ipsa ascensione defecerũt propter laborem ascendendi, & multi ab eius vertice ocius descenderunt propter laborem standi, sed forte iam ascendisti, nec hoc sufficiat tibi. Disce ibi habitare, & mansionem facere, & qualicunque mentis euagatione abstractus illuc semper redire; absque dubio per multum vsum quandoque verteretur tibi in oblectamentum, in tãtum vt absque vlla laboris difficultate possis ibi assiduus esse, quinimo pæna tibi potius sit alibi, quam ibi moram aliquam agere. Mira iucunditas in hoc monte sine labore morari posse. Petro attestante, qui tanta & tam insolita suauitate allectus exclamat: *Bonum est nos hic esse.* *Matth. 17.* Ascendere & stare est virtutis, inhabitare & requiescere fælicitatis. *Domine quis ascendet, domine quis habit in monte sancto tuo?* *Psal. 23.* *Domine quis habitabit? Domine, quis requiescet in loco sancto tuo?* *Psal. 14.* *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt &c.* *Psal. 42.* Libenter enim sequor veritatẽ, non habeo suspectum talem ducem. Nouit ducere, nescit seducere. Sed quid est veritas? *Ego sum,* inquit, *via, veritas, & vita.* *Ioan. 12.* Christum ergo sequere, si non vis errare.

Quantũ valeat plena cognitio sui. In huius montis cacumine Christus transfiguratur. In ipso Moyses cum Helia videtur, & sine iudice vterque cognoscitur, in ipso vox patris ad filiũ auditur. Vis videre Christum transfiguratum? Vis absque expositore intelligere legem, & prophetiam? Vis audire paterni secreti arcanum? ascende in mõtem ipsum, disce cognoscere teipsum. Quod autem sine tribus discipulis in hũc montem ascendere noluit: nec plus quam tres secum ducere Christus, quæsiuit, forte in hoc docemur, quod sine triplici studio ad huius cognitionis celsitudinẽ non perducimur scilicet operis, meditationis, orationis. Multa enim experimur operando, multa inuenimus inuestigando, multa extorquemus orando. His tribus comitibus sibi adiunctis veritas in nobis proficit, & in alta se attollit, & eousque se per quotidiana incrementa exaltat, donec prædicti montis verticem tangat. O quam multos hodie videmus studiosos in lectione, desidiosos in opere, tepidos in oratione, præsumentes tamen mõtis huius cacumina posse apprehẽdere, sed quando quæso apprehendent, qui Christum ducem non habent? Neque enim ducit eos Christus, qui ascendere nõ vult nisi cum discipulis tribus. Iungant igitur studio lectionis studium operis & orationis, absque dubio sine ingẽti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desidẽrio, ad perfectam scientiæ altitudinem mens non subleuatur. Multi montis huius iam se credunt apprehendisse suprema, cum constet eos eius vix tetigisse extrema.

Qualiter homo scire possit an illuc ascenderit.

Cap. LXXIX.

Quomodo multis conatibus nostris diuina reuelatio occurrat. Sit tibi certum signum quia montis huius verticem minime apprehendisti; si Christum clarificatũ nondum videre meruisti, mox vt te dux tuus Christus collocauerit in summo, apparet tibi in habitu alio, & te coram induitur lumine sicut vestimento. Animaduerte ergo, quia aliam in valle, & aliam vestem Christus habuit in monte. In valle sane habet vestem integram, sed in monte tantum gloriosam. Nescit simplex veritas schismatum scissuras, & idcirco siue in valle siue in monte non induit Christus, nisi vestes integras, sed distingue inter doctrinam & doctrinam, & inuenies vestium differentiam. Docet terrena in valle, & cælestia in monte. Quamdiu ergo adhuc in valle moraris, quamdiu ad alta non ascendis, non docet te Christus nisi de rebus terrenis & infimis. Sed si iam te existimas ascendisse ad cor altum, & Christum videre transfiguratum, quicquid in illo videas, quicquid ab illo audias, non facile ei credas, nisi occurrant ei Moyses & Helias. Scimus, quia *in ore duorum vel trium stat omne testimonium.* *Matth. 18.* Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat scripturarum auctoritas, nec Christum in sua clarificatione recipio, si nõ assistant ei Moyses & Helias, & in valle & in montis ascensione Christum sæpe recipio sine teste, nũquam autem in montis vertice vel sua clarificatione. Si Christus docet me de rebus exterioribus, vel de intimis meis facile recipio, vtpote in his, quæ comprobare possum proprio experimento: verũ vbi ad alta mens ducitur, quando de cælestibus quæstio ventilatur, vbi de profundis rebus agitur, in tãtæ sublimitatis vertice nõ recipio Christũ sine teste. Nec rata esse poterit quælibet verisimilis reuelatio *Omnis veritas sine scriptura suspecta.*

reuelatio ſine atteſtatione Moyſi & Heliæ, ſine ſcripturarum auctoritate. Adhibeat igitur Chriſtus, ſibi duo teſtimonia in transfiguratione ſua, ſi vult vt non ſit mihi ſuſpecta claritatis ſuæ lux, illa tam magna & tam inſolita, pulchrum ſpectaculum valdeque iucundum cum reuelatione veritatis. Hinc procedit manifeſta ratio, & ad cōfirmationem reuelationis illinc occurrit tam aperta, quam figurata locutio. Alioquin *ab altitudine diei timebo*, verens ne forte ſeducar *à dæmonio meridiano*. Vnde enim tot hæreſes, vnde tot errores, niſi quia Spiritus erroris transfigurat ſe in Angelum lucis. Certe vterque ſe transfigurat, Chriſtus ſcilicet & diabolus, ſed Chriſtus lucis ſuæ veritatem confirmat in duobus teſtibus. Apparent itaque Moyſes & Helias cum Domino in hoc monte. Apparent autem in maieſtate non in obſcuritate literæ, ſed in claritate ſpiritalis intelligentiæ.

Pſal.90.

Qualiter illic ad tonitruum vocis diuinæ cadit auditor.

Cap. LXXX.

Quam ſunt incomprehēſibilia quæ habentur ex diuina reuelatione.

ECce quam magna ſunt quæ in hoc monte geruntur, ſed adhuc his maiora ſunt quæ ſequuntur. Hoc enim totum diſcipuli ſtantes aſpiciunt, poſtmodum in faciem cadunt. Ad tonitruum itaque diuinæ vocis auditor cadit, quia ad id quod diuinitus inſpiratur, humani ſenſus capacitas ſuccumbit, & niſi humanæ rationis anguſtias deſerat, ad capiendum diuinæ inſpirationis arcanum intelligentiæ ſinum non dilatat. Ibi itaque auditor cadit, vbi humana ratio deficit; ibi Rachel moritur, vt Beniamin oriatur. Itaque idem (ni fallor) per mortem Rachel & caſum diſcipulorum figuratur, niſi quod trium in tribus diſcipulis ſcilicet ſenſus, memoriæ, & rationis defectus oſtenditur. Ibi enim ſenſus corporeus, ibi exterior memoria, ibique ratio humana intercipitur, vbi mens ſupra ſemetipſam rapta in ſuperna eleuatur. *Hic eſt* inquit, *filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Aliud eſt dicere *complacui*, & aliud complacuit. Certe ſi filius aliud quam pater eſſet, poſſet patri in filio complacere, ſed ipſe pater ſibi in filio complacere non poſſet. Quid eſt dicere complacui, niſi quomodo, placui mihi in meipſo ita placui mihi in filio, an forte eo quod dicit mihi complacui in hoc ſuo beneplacito ſocium ſe habere oſtendit, quia quomodo patri complacet in filio, ſic in filio complacet & ſpiritui ſancto. Vel forte idcirco dicitur complacui, vt inde detur intelligi, quia quomodo pater ſibi complacet in filio, ſic ſibi cōplacet in ſpiritu ſancto. Quid horum rectius dicitur, an potius totum hoc, quia quicquid horum eligitur, vnitatem ſubſtantiæ in diuerſis perſonis aſtruit, ſi recte intelligatur. Aſcendat ergo homo ad cor altum, ſi vult cognoſcere illa, quæ ſunt ſupra ſenſum humanum. Aſcendat per ſemetipſum ſupra ſemetipſum, per cognitionem ſui ad cognitionē Dei. Diſcat prius in Dei imagine quid debeat de Deo cogitare. Montis aſcenſio vt dictum eſt pertinet ad cognitionem ſui; ea quæ ſupra montem geruntur prouehunt ad cognitionem Dei, illud ad Ioſeph, iſta ad Beniamin pertinere dubium non eſt.

Matth.17. Explicatur in quo mihi cōplacuit.

Illa mens diuinas reuelationes pertipit quæ in intimis ſtare conſueuit.

Qualiter homo præparet cor ſuum ad illum aſcenſum.

Cap. LXXXI.

DIſcat ergo diſperſiones Iſraelis congregare, ſtudeat euagationes mentis reſtringere, aſſueſcat intimis ſuis immorari, exteriora omnia obliuiſci, qui ad cœleſtium contemplationem anhelat, qui in diuinorum notitiam ſuſpirat, faciat eccleſiam non ſolum deſideriorum, verumetiam cogitationum, vt diſcat verum bonū ſolum amare, & ipſum ſolum indeſinenter cogitare. *In eccleſijs*, inquit, *benedicite Deo*. In hac namque gemina eccleſia cogitationum, & deſideriorum. In hac gemina vnanimitate ſtudiorum & voluntatum, Beniamin in exceſſum rapitur, & mens diuinitus affata in ſuperna eleuatur. *Ibi*, inquit, *Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu.* Prius tamen eſt cuique vt faciat de cogitationibus, vel deſiderijs ſuis ſinagogam quam eccleſiam. Sinagoga congregatio, eccleſia interpretatur conuocatio. Inſenſibilia & bruta congregari poſſunt, conuocari autē non poſſunt, ſed rationalium concurſus ſpontaneo nutu fit, vt iure conuocatio dici poſſit. Si igitur perſenſeris deſideria tua circa exteriores delectationes affici, & cogitationes tuas in eis iugiter occupari cum magna ſolicitudine compelle intrare, vt ſaltem poſſis ex eis interim ſinagogam facere. Sed cum illa deſideriorum cogitationumque frequentis illius internę dulcedinis deguſtatione adiecta ad nutum rationis ſponte occurrere, & in intimis fixa ſtare didicerit, eccleſiæ vtique nomine vlterius digne cenſeri poterit. In huiuſmodi eccleſijs Bēiamin libenter immoratur, mirabiliter delectatur. Et cum ſeipſum præ gaudio iam capere non poſſit, ſupra ſeipsū ducitur, per exceſſum mentis in ſuperna eleuatur. *Beniamin*, ait, *amantiſſimus domini habebitur.* Scimus, quod in thalamis ſoleant ſponſus & ſponſa ſimul morari amoris obſequijs, in alterutrum occupari, mutuis amplexibus & charitate alterna confoueri. Mirandæ ergo pulchritudinis & formæ ſingularis (ni fallor) prærogatiua pollet illa Beniamin noſtra dilecta, cuius contubernium nunquam faſtidire valet. Dixi, inquit, ſapientiæ ſoror mea es, *& prudentiam vocaui animam meam. Intrans*, inquit, *in domum meam cōquieſcam cum illa &c.* Eius ſiquidem frequens contubernium ſolet ſanè deſiderium non minuere, ſed augere, & amoris incēdium acrius inflammare, mirum ergo non eſt cur iſte Beniamin in tota die quaſi in thalamo commoratur, qui talis ſponſæ dulcedine fruitur, & inter humeros illius requieſcens eius amore iugiter delectatur. Quam putas frequentes mentis exceſſus patitur, quam ſæpe in extaſim raptus ſupra ſeipſum ducitur, dum pulchritudinis eius magnitudine attonitus in eius admiratione ſuſpenditur, & impletur abſque dubio quod de eo legitur, *Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Notandum ſane quomodo ſibi occurrant teſtimonia ſcripturarum. Quod enim Propheta per Rachelis interitū, quod Euangeliſta deſignat per caſum diſcipulorum, hoc pſalmiſta exprimit in Beniamin per mentis exceſſum.

Deut.23. Quam ſit iucundā contemplationis gratiam habere.

Prouerb.7. Sap.8.

Pſal.67.

Pſal.67.

De duobus contemplationis generibus.

Cap. LXXXII.

POſſumus tamen per mortem Rachelis, & per exceſſum Beniamin diuerſa contemplationum genera non inconuenienter intelligere. Conſtat ſiquidem duo contemplationum genera ſupra rationem eſſe, & vtrumque ad Beniamin pertinere. Et primum quidē eſt ſupra rationem, ſed non præter rationem, ſecundum autem, & ſupra rationem & ptæter rationem. Illa ſane ſupra rationem ſunt, ſed præter rationem non ſunt, quę quamuis ratio patitur eſſe, nulla tamen humana ratione inueſtigari, vel conuinci poſſunt. Iſta autem dicimus, & præter rationem & ſupra rationem eſſe, quibus videtur omnis ratio humana contraria. Qualia ſunt ea quæ de Trinitatis vnitate credimus, & multa quæ de corpore Chriſti indubitata fidei auctoritate tenemus. Quod enim in vna & ſimplici eſſentia triplex perſona ſit vel quod vnum idemque corpus eodem in tempore totum in diuerſis locis eſſe poſſit, nulla humana ratio patitur, & huiuſmodi aſſertionibus omnis abſque dubio ratiocinatio reclamare videtur.

Corpus Chriſti totum eodem tempore in diuerſis locis eſſe poteſt.

Hæc ſunt itaque illa duo genera contēplationis, quorum vnum ad mortem Rachel, aliud pertinet ad Beniamin exceſſum. In primo Beniamin interficit matrē, vbi omnem ſupergreditur rationem. In ſecundo autem etiā ſeipſum excedit, vbi in eo quod ex diuina reuela-

tione

tione agnoscit, humanæ intelligentiæ modum transcendit.

Quomodo contemplatio desinat in meditatione.

Quid est autem Beniamin in Ægyptum descendere, nisi ab æternorum contemplatione ad temporalia contemplanda intuitum mentis reuocare, & ab æternitatis luce, quasi de cæli vertice vsque ad mutabilitatis tenebras intelligentiæ radios deponere, & in tanta alternantium rerum confusione, diuinorum iudiciorum ratione perpendere, & ex magna parte penetrare. Et quid est quod Ioseph & Beniamin conueniunt, & oscula iungũt, nisi quod meditatio & contemplatio sæpe inuicem rationis attestatione occurrunt. Nam quantum ad generalem cõsiderationem pertinet, sicut per Beniamin gratia contemplationis, sic per Ioseph intelligi valet gratia meditationis: proprie tamẽ expressius per Beniamin designatur intelligentia pura, per Ioseph vero prudentia vera. Comprehensio rerum inuisibilium pertinet ad intelligentiam puram. Circumspectio vero morũ ad prudentiam veram. Intelligentiam puram dicimus, quæ est sine imaginationis admixtione. Prudentiam autem verã ad differẽtiam eius, quæ dicitur prudentia carnis, secundum quam filii huius sęculi dicuntur prudentiores filiis lucis. Totiens ergo Ioseph super collum Beniamin ruit, quotiens meditatio in contemplationem desinit. Tunc Beniamin fratrem suum super se ruentem excipit, quãdo ex studio meditationis animus in contemplationem surgit. Tunc Beniamin & Ioseph oscula iungunt, quando diuina reuelatio & humana ratiocinatio in vna veritatis attestatione consentiunt. Videsne quomodo diuina scriptura circa vnam eandemque rem significationis modum alternat, vbique tamen aliquid adiungit, vnde sensum suum ex toto latere non sinat. In morte Rachel contemplatio supra rationem ascendit, in introitu Beniamin in Ægyptum contemplatio vsque ad imaginationem descendit: inde osculatione Beniamin & Ioseph diuinæ reuelationi humana ratio applaudit.

De quibusdam incidentibus.

Cap. LXXXIII.

An. Ch. 1143. TEmpore prænotato scilicet imperante Conrado, Ludouicus Rex cœpit Vitriacum castrum Comitis Theobaldi, vbi admoto igne incensa est ecclesia, & in ea mille 300. animæ diuersi sexus, & ætatis combustæ.

Eodem tempore Senonis præsente Ludouico Rege fit Episcoporum & Abbatum religiosorum conuentus contra Petrum Abaelardum, qui scandalizabat ecclesiã prophana quadam nouitate, verborum vel sensuum, & hic ab his interpellatus, cum esset de iustitia respõsurus, veritus, audientiam sedis Apostolicæ appellauit, & sic euadens non multo post Cabilone apud sanctum Marcellum obijt. Innocentius etiam Papa migrauit, cui Guido castellanus Cælestini nomine alteratus successit.

An. Ch. 1144. Anno domini 1144. Et hic completis 5. mensibus, & dimidio Papatus officio decessit, eique Lucius ex Gerardo Cancellario factus Papa successit.

An. Ch. 1145. Eo tẽpore, beato Bernardo Clareuallis mediante, simultas, quæ inter Regem Ludouicum & Comitem Theobaldum incanduerat, sopita est.

Anno domini 1145. Edissa Mesopotamiæ ciuitas, in qua erant Apostolorum Thomæ & Thadæi corpora, & quæ sordibus idolatriæ nunquam polluta fuerat, ex quo primitus ad Christianismum conuersa est, à Turcis obsessa capta est.

Lucius infra annum pontificii sui decessit, & eodem anno fames magna in Francia inualescit. Sanctus Bernardus in Alemania multas virtutes facit, vbi apud vrbẽ Spirensium tantus erat concursus, vt Conradus Rex ne populus eum comprimeret, deposita clamyde eum in proprias vlnas suscipiens, de basilica asportaret. Bernardus Abbas sancti Anastasii eligitur in Papam Romanũ & fit Papa 172. vocaturque Eugenius tertius. Hic de Clareualle fuit monachus, & beati Bernardi discipulus, vir tam honore quã æterna memoria dignus. Cõtra quẽ Romani Iordanem Patriciũ & Senatorẽ erigẽtes, ipsum ab vrbe deturbant. Ipse ergo seditione orta in populo, puluerem pedũ in litigãtes excussit, & relictis eis in Frãciam venit, in cuius comitatu multa signa fecit sanctus Bernardus. Ad hunc Papam scripsit idẽ vir sanctus librũ multæ subtilitatis, & vtilitatis, cuius titulus est: *De consideratione*. Sub Eugenio Papa huius nominis tertio trãslatus est liber Ioannis Damasceni presbyteri, de græco in latinum à Burgundione iudice ciue Pisano, in quo continetur orthodoxæ fidei traditio in quatuor libros diuisa 100. capitulis distincta.

An. Ch. 1146. Anno domini 1146. Rex Francorum Ludouicus captæ vrbis Mesopotamiæ zelo accensus, vel vt alii putant Vitriacensis incẽdii cõscientia cõpunctus, apud Viselia cũ affixo sibi crucis signo cũ regni principibus, & multitudine innumerabili transmarinã peregrinationẽ proponit aggredi. Ecclesia Tornacẽsis, quæ per annos circiter 600. à tẽpore beati Medardi sub episcopo Nouiomensi sine proprio fuit sacerdote, hoc anno cępit proprium episcopum habere, Anselmo scilicet Abbate sancti Vincentij apud Lugdunum ab Eugenio Papa consecrato, & eidem vrbi in episcopum destinato.

Per idem tempus in Alemaniæ partibus admirabilis quędam virgo prouectæ ætatis erat, cui tantam diuina virtus gratiam contulerat, vt cum laica & illiterata esset, mirabiliter tamen rapta frequentius in somnis disceret, non solum quod verbis effunderet, sed etiam quod scribendo latine dictaret, vt dictando catholicæ doctrinę libros conficeret.

Author. Hæc fuit vt æstimo sancta Hildegardis, quæ multa fertur prædixisse de futuris. Ad quã scripsisse dicitur etiã beatus Bernardus Clareuallẽsis. Hæc ad Coloniẽses scribens, de futura clericorum tribulatione dicit, quod clerici gloriã absq; merito volũt habere, & meritũ absque opere. Andeberthus Marchiæ Comes vnici filii morte turbat⁹ terrã suã Regi Hẽrico vendidit. Nã filius eius à quodam milite quem proditiose occiderat, viuus sublatus nusquam comparuit. Vnde territus pater crucẽ accipit, ac Hierusalem vadit vbi & moritur. Cuius terram Gaufridus & Hugo de Lesiniaco se dicentes hæredes repetunt, & tandem eam obtinent.

Cronographus. Guillelmus puer in Anglia crucifigitur à Iudęis in die parasceue in vrbe Norwuico de quo talis visio legitur.

De reuelatione inferni facta Guillelmo puero.

Cap. LXXXIV.

Puer quidã damnatorũ tormenta cernit.

PVer quidam nomine Guillelmus, annorum 15. dormiens vidit virum splendidum dicentem sibi: Sequere me, & cœpit mox vmbram videre & terram à læua, sed & leui visione ductoris sui confortatus est. Dehinc vallem vidit tenebrosam habentem hinc ignem, illinc aquam frigidissimam, vbi animæ de vno in aliud semper transibant. Post hæc deduxit ille senior puerum ad alia tormenta, vbi vidit sedilia infinita ignea, & plebem innumeram eisdem impleri sedilibus, & dæmones monetam flammeam de sacculis proferebant, & in ora singulorum proijciebant, quam illi per voces & guttur emittebant; sed dæmones iterum in ora eorum reingerebant. Postea vidit à dæmonibus carnes, quæ perfecti hominis formam habere videbantur, in caldaria proiici, & sub momento quasi mox nati infantes apparebant. Hæ fuscinulis ignitis à caldariis erectæ statim in priorem ætatem transformari videbantur, & sic sæpius in caldariis retorquebantur. Ductus inde ad alium ignem, vidit innumeros homines in eum proiectos, in singulis iuncturis dissolui, & iterum de flamma erectæ ad loca sua reuersæ sunt iuncturæ. Postea vidit multos super rotas volubiles affigi, viros per virilia, fœminas per membra genitalia, & omnes clamabant, væ væ. Post hæc vidit multos super sedes igneas, quasi fures in campo suspensos capitibus deorsum. Alij frigore morientes, vestes

ſubterpoſitas videbant, ſed tangere non valebant. Alij fame cruciati cibos delectabiles ſubterpoſitos tangere non poterant. Et in quacumque neceſſitate poſitis alijs non ſubuenerant, in eadem conſolationem nullam recipiebant. Poſtea vidit tartarum apertum, qui videbatur in deſcenſu profundior quam ſit lōgitudo viæ à Dorobernia in Londoniam. Iſte hoſtis antiquus ſedebat in medio flammæ in ſex partes diſtentus. Cum autem puer ſtaret iuxta oram putei tremēs, teter ſpiritus, qui ſiniſtro lateri eius ſemper ab egreſſione domus adhærebat, cœpit eum accuſare dicens. Omnia praua huic puero ſemper ſuggeſſi, ea vero quæ puer confeſſus fuerat ante paſcha, nam poſt paſcha hoc accidit, omnino tacebat, tot tamen & tanta crimina illi obiecit, vt ad æternam damnationem ſufficere crederentur. Tūc ad admonitionem ductoris, cum puer *ſigno crucis* ſe muniret, puteus non comparuit. Ductore vero illo recedente, puer diu in tenebris ſtetit tremens.

De viſione Guillelmi pueri à Iudæis crucifixi.

Cap. LXXXV.

Videt beatorum ſedes.

REuertens autem ductor puerum ad lucidum ſplēdorem duxit, & ſtatim apparuit murus infinitæ lōgitudinis & latitudinis, in quo nullus patebat aditus; venientes illuc in momento vltra ſe raptos inuenerunt. In patria illa deſiderabili apparuit domus rotunda, quæ 12.

Apoc. 21. portas habebat, ſicut ſcriptum eſt: *Ab oriente portæ tres, &c.* Hanc ingreſſi tam amplam viderunt, vt quotquot in mundo ſunt ipſius partem decimam implere nō poſſent, ibi multos in magna gloria videbat, ſed alij alijs glorioſiores, tunc vidit decem beatorū cateruas. Veniēs autem ad orientalem portam circa medium oſtii, vidit altare quoddam, circa quod viri ſplendidi ſedebant, qui omnes vni tanquam præſtantiſſimo fabulabantur. Ille coronam auream habebat in capite, 12. crucibus aureis inſignem. Puerum in hac viſione lætantem, alloquitur ductor ſuus: Hic tibi locus erit ſi bene vixeris, ſciaſque hunc eſſe puerum Guillelmum quem Iudæi apud Norvnicum crucifixerunt. Iterum digreſſus ab eo ſtatim redijt, & dixit: Sequere me, quia illuc te reducam, vbi te cæpi iubente Deo. Venies autem, ſi bene laboraueris, ad hanc gloriam. Mox ad corpus licet renitens reuerſus eſt. Hic in 2. feria paulo ante nonam dormire cœpit. In tertia feria circa tertiam in faciem ſe erigens ſignauit ſe, quando ſcilicet tartarum vidit apertum. In 5. feria circa meridiem reuixit.

An. Ch. 1147. Anno domini 1147. Conrado Rege in purificatione beatæ Mariæ apud Francofort conſtituto, Abbas Clareuallis ſecundus Bernardus tam Regi quam cunctis fere Principibus crucis affigit ſignum, & ſocij peregrinationis multiplicantur per numerum. Naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus 2. idus Aprilis, de Tredemunde portu Angliæ eſt cum 200. fere nauibus profectus 4. Cal. Iulij, in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli Vlysbonam applicuit, & eam poſt 4. mēſium obſidionem per multas cædes, per multam macerationem Dei virtute & ſua induſtria capiūt, & cum de ipſis tantum eſſent 13000. hoſtium 2000. & quingenti ſuperantes, ingreſſi cum hymnis eccleſiam dedicantes, epiſcopum ibi & clericos ordinauerunt. Ad corpora ibi occiſorū tres recuperauerunt vsū loquendi. Hoc anno Guillelmus Niuernenſis Comes relicto ſæculi principatu & omni honore calcato, Carthuſiam petit, ibique Deo digne & humillima paupertate conuerſatus, infra annum conuerſionis ſuæ fœlicem terminat curſum vitæ. Conradus Rex menſe Maio cum multitudine innumerabili & incomparabili peregrinationem aggreſſus, tranſito proſpere Boſphoro, dum ad expugnandum Iconium inconſulte diuertit, conſumptis terræ germinibus, & deficientibus victualibus, cum ſuis fame afflictus redit, & perſequentibus Turcis multa milia ſuorum amittit.

De concilio Rhemenſi & Gilberto Porretano.

Cap. LXXXVI.

An. Ch. 1148. Concilium Rhemenſe in Gallia.

ANno domini 1148. Remis concilium à Papa Eugenio celebratur, in quo concilio publice confutauit beatus Bernardus magiſtrum Gilbertum cognomento Porretanum, diſputando cum eo ſingulariter tāquam ſui temporis ſingularis athleta. Hic Gilbertus, erat Pictauorum epiſcopus, in ſacris literis plurimum exercitatus, ſed ſublimiora ſe ſcrutatus ad inſipientiam ſibi. Siquidem de Trinitatis vnitate, & diuinitatis ſimplicitate, non ſimpliciter ſentiens, nec fideliter ſcribens, diſcipulis ſuis panes proponebat abſcōditos, & furtiuas propinabat aquas, nec facile quid ſaperet, immo quantū deſiperet perſonis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum Abaelardum ei dixiſſe ferunt.

Nunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Nouiſſime tamen cum tam ſuper hoc fidelium inualeſceret ſcandalum, creſceret etiam murmur, vocatus ad medium eſt, & librum tradere iuſſus, in quo blaſphemias euomerat, graues quidem, ſed verborum quodam inuolucro circumſeptas. Sanctus ergo Bernardus primo quidem totum quod ille verborum cauillationibus occultare videbatur ſubtilioribus interrogationibus eliciens, deinde tam ſuis ratiocinijs, quam ſanctorum teſtimoniis biduana diſputatione redarguit. Conſiderans autem nonnullos ex his, qui præſidebant, iam quidem animaduertentes blaſphemiam in doctrina, adhuc tamē auertentes iniuriam à perſona, accenſus eſt zelo & domeſticam ſibi Gallicanam ſeorſum conuocat eccleſiā, communi deinceps conſilio à patribus 10. prouinciarū, aliis autem epiſcopis & Abbatibus plurimis dictante viro Dei nouis dogmatibus opponitur ſymbolū nouum. Cui etiam ſubſcribuntur nomina ſingulorum, vt eorum videlicet omnium ſic irreprehenſibilis zelus cæteris innoteſcat. Ita demum Apoſtolico iudicio, & auctoritate vniuerſalis eccleſiæ error ille damnatur. Epiſcopus Gilbertus an eidem damnationi conſentiat interrogatur. Conſentiens, & publice refutans quæ prius ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiā ipſe cōſequitur, maxime quod ab initio captus fuiſſet, ea lege ſe eandem diſputationē ingredi, vt promitteret ſine vlla ſeſe obſtinatione pro eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum libere opinionem ſuam. Horum duorum magiſtrorum Petri videlicet Abaelardi, & Gilberti Porretæ quidam diſcipuli nimium zelantes pro ipſis, beato Bernardo & toti Ciſtercienſi ordini poſtea detrahere cœperunt.

Gilbertus Porretanus ſuū errorem agnoſcit.

De fame & peſtilentijs illius temporis.

Cap. LXXXVII.

An. Ch. 1148.

EOdem anno Franci per deſerta Syriæ dolo & aſtutia Græcorum & crebro aſſultu Turcorum, detrimenta maxima patiuntur, & fame nimia cruciati; quidā equorum, & aſinorum carnibus veſcuntur, ſic cū multo labore & damno multis fame pereuntibus; vix tandem Seleuciam venerunt, & Antiochiam, & Palæſtinam nauibus petierunt. Nam anno præcedenti Rex eorū Ludouicus peregrinationem aggreſſus, cum infinitis & expeditis ſuorum militibus, per Hungariā profectus, tranſito Boſphoro, occurſu Conradi Regis exceptus, & ab Imperatore Græcorum nauibus eius fuerat Hieroſolymam euectus.

Hoc quoque anno Lauduni 4. nonas Iulii factis tonitruis, in monaſterio ſancti Vincentii monachis diuini officii curſum complentibus, duo ex his ſubito fulminis ictu corruentes expiraverunt. Alii quidam tacti vel territi vix conualuerunt. Fulmine etiam altaris linteum vrente, & ſacrarium penetrante, & de magna cruce partem, partem quoque clauſtralis oſtii aſportante, tota domus repletur horrore. In aliis etiā locis hominibus ſeu

hominum

hominum ædificijs, vel animalibus fulmine pereũtibus, malaque solito grauiora Christiani contingere sunt significata. Dicunt etiam Hierosolymis in templo Domini, siue in monte Oliueti fulmen nasse & eius infortunij præsagium fuisse. In territorio Gebennensi lupus quidam, corporis magnitudine & animi ferocitate aliis dissimilis, homines deuorauit, & plusquam 30. animas diuersi sexus & ętatis, vita priuauit. In alijs etiam locis hoc anno lupi similiter noscuntur operati.

Obsessa per triduum Damasco à Francis & Germanis, ac Hierosolymitanis captis iam muris anterioribus, qui hortos ambiebant, cum in breui ciuitas capienda putaretur, dolo vt aiunt Principum Palæstinorum obsidio remouetur. Factaque discessione Rex Francorum & Imperator iterum condicto die ad obsidendam Ascalonem cum suis Ioppe conueniunt; sed Hierosolymitis minime iuxta condictum occurrentibus Imperator Constantinopolim nauibus euehitur. Rogerus Rex Siciliæ exercitum nauale direxit ad fines Aphricę, captaque insigni ciuitate, quæ dicitur Aphrica Suilla, Affax Clipea aliisque castris pluribus, archiepiscopum Aphricæ, qui sub seruitute Romam venerat consecrandus, ad sedem remittit liberũ. Henricus Ludouici Regis Francorum filius contempto mundi schemate pro Christo in Clareualli indutus monachali schemate prouehitur ad episcopatum ciuitatis Beluagicæ. Interim Manuel recepto in deditionem Curfolio, Siculorum naues per suos insequitur & captis nonnullis nauibus ex fuga liberatur, & à Rege Rogero nec non à Papa Eugenio honorifice suscipitur, ac deducitur.

An Ch. 1149.

De raptu animæ Tundali, & eius visione.

Cap. LXXXVIII.

ANno domini 1149. qui fuit annus secundus expeditionis Hierosolymorum, Cõradi Regis Romanorum, & annus quartus Eugenii Papæ, in quo anno ipse Papa de partibus Galliarum Romam reuersus est, in quo etiã anno sanctus Malachias in Clareualle defunctus est, visa est hæc visio.

Hanc etiam Historiã refert Dionysius Carthusianus, in libro de quatuor nouissimis articulo 49. & in lib. de iudicio animæ articulo 21.

Duę sunt Metropoles in Hibernia, Ardiacha septẽtrionalium Hibernensium, Australium Caselensis, de qua ortus fuit vir quidam, Tundalus nomine, nobilis genere, crudelis actione, forma corporis egregius, fortitudine robustus, de salute animæ suæ nihil solicitus; graviter ferebat si quis ei vel breuiter de salute animæ loqueretur. Ecclesiam negligebat, pauperes Christi nec videre volebat, scurris & ioculatoribus pro vana gloria distribuebat quicquid habebat. Hic cum multos haberet amicos & sodales, inter eos habebat vnum, qui cõmilitonis debito, trium equorum debitor erat. Hic cum statutum terminum præstolaret, transacto termino, illũ conuenit, qui cum bene receptus ab eo perẽdinaret tribus noctibus cępit tractare de cæteris rebus. Cui cũ ille responderet, se modo ad manum non habere quod petebat, iratus recedebat; debitor autem illum mitigare cupiens, rogauit eum vt priusquam recederet secum cibum sumeret. Resedit & securi deposita, quam in manu tenebat, cibum cum illo sumere cœpit, statimque percussus inuisibiliter manum quam extenderat replicare non potuit ad os suum, & clamare cœpit terribiliter, suamque securim quam deposuerat vxori socii commẽdauit dicens: Custodi meam securim, quia ego morior, statimque corruit corpus eius exanime ac si nunquam animam habuisset. Adsunt omnia signa mortis accurrit familia, tollitur cibus, exclamant armigeri, plorant hospites, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, mirãtur populi, totaque ciuitas subita boni militis morte turbatur. Ab hora 10. in 4. feria vsque in eandem horam sabbato mortuus sic iacuit. Calor tamen modicus in sinistra parte pectoris diligenter palpantibus sentiebatur, & ideo eum subterrare noluerunt. Post hæc resumpsit spiritũ ex debili flatu quasi per vnius horæ spacium respirare cœpit. Mirantibus omnibus debili intuitu circumspicere cæpit. Interrogatus si vellet communicare, innuit sibi afferri corpus Domini, quod cũ sumpsisset, & vinum bibisset, cæpit in gratiarum actione Deũ laudare & dicere: O Deus maior est minima tua quam iniquitas mea, licet magna sit nimis. *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas & conuersus vivificasti me.* Quod cum dixisset statim sub testamento omnia, quæ habebat dispersit, & dedit pauperibus & se *signo crucis* signati cæpit, & pristinam vitam funditus se relicturum vouit, & cuncta quæ viderat, & passus fuerat narrauit dicens.

Tundalus à corpore exorabitur.

Redit ad corpus.

Psal. 7.

De aspectu dæmonum, & Angeli, qui deduxit eum.

Cap. LXXXIX.

CVm anima mea corpus exueret, & illud mortuum esse cognosceret, reatus sui conscientia cæpit formidare, & quid faceret nesciebat. Timebat quidem sed quid timeret ignorabat, volebat ad corpus redire, sed intrare non poterat. Foras exire se vbique pertimescebat. Igitur flens & plorans, & tremebunda, & quid ageret nescia, in nullo confidens nisi in misericordia Dei, tandem vidit ad se venientem tantam immundorum spirituum multitudinem, vt non solum totam domum, & atrium domus, sed etiam vicos & plateas ciuitatis implerent, & circundantes miseram animam dixerut: *Cantemus huic miserę animæ debitum mortis canticum, quia filia mortis est, & cibus ignis inextinguibilis, amica tenebrarum, & lucis inimica.* Et conuersi ad eam stridebant dentibus in ipsam, & vngulis propriis præ furore nimio genas tetertimas laniabant dicentes: Ecce misera populus, quem elegisti cum quibus arsura intrabis in infernum, nutrix scandali, amatrix discordiæ, quod & nos amamus. Quare non superbis modo? Quare non adulteraris, quare nõ fornicaris? Vbi est vanitas tua, & vana lætitia? vbi risus immoderatus, vbi fortitudo tua qua plurimis insultabas? Quare modo non innuis oculis? non teris pede, nõ digito loqueris, non prauo corde machinaris malum, sicut facere solebas in leuitatibus, & leccacitatibus tuis. Cum hæc & similia dicerent, vidit à longe venientem quàsi stellam lucidissimam, in quam statim infatigabiles fixit intuitus, sperans se aliquod solatium per eam percepturum. Erat autem Angelus eius, qui cum appropinquasset proprio eam salutauit nomine dicens: Aue Tundale, quid agis. Videns autem ille speciosum iuuenem nimis, & audiens se proprio nomine salutatum, præ timore simul, & gaudio sic respondit: Heu Domine pater, *circumdederunt me dolores inferni, præoccupauerunt me laquei mortis.* Cui Angelus: Modo me vocas Dominum, & patrem, quem semper tecum habebas, & nunquam tali nomine dignum me iudicabas. At ille: Domine vbi vnquam te vidi, aut vnquam dulcissimam vocem audiui: Ad quem Angelus. Ego semper te sequebar à natiuitate tua quocumque ibas, & nunquam meis consiliis acquiescere volebas. Et extendens manum in vnum immundorũ spirituum, qui præ cæteris ei maledictis insultabat. Ecce, inquit, ille cuius voluntati & consilio obtẽperabas, sed aderit tibi misericordia Dei, quam tamen non meruisti. Esto ergo secura & lęta, quia patieris pauca de multis, quæ merueras. Sequere me, & quæcumque tibi monstrauero memoriter tene, quia iterum ad corpus reuerteris. Tunc illa vltra modum perterrita relicto corpore suo, supra quod steterat accessit propius. Dæmones hoc audientes, & mala quæ minabantur se non posse inferre audientes, blasphemauerunt, Deum iniustũ esse dicentes, *quia non reddebat sicut promiserat vnicuique secundum opera sua.* Et post hæc in semetipsos insurrexerunt, & plagis quibuscumque poterant se mutuo percutiebant, & nimio fætore cum ingenti tristitia, & indignatione recesserunt. Angelus autem præcedens dixit ad animam: Sequere me. At ille respondit: Heu Domine mi, si præcesseris isti me retro capient, & æternis

Anima à corpore separata quid fecerit.

Angelus custos ei adest.

Psal. 17.

Dæmones de eius liberatione dolent.

ignibus

ignibus tradēt. Ad quam Angelus: Ne timeas quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. *Si Deus pro nobis, quis contra nos. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis & retributionem peccatorum videbis.* His dictis profecti sunt. *Psal. 90.*

De valle horribili, & ponte angusto.

Cap. XC.

Demonstrātur Tundalo inferorum supplicia.

CVmque longius simul pergerent, nullumque præter splendorem Angeli lumen haberent, venerunt ad vallem terribilem & tenebrosam valde, & opertam mortis caligine. Erat autem profunda, & carbonibus ardentibus plena, operculum ferreum habens spissitudinis 6. cubitorum, quod ardore nimio ipsos carbones superabat ardentes. Cuius fætor omnes, quas hucusque passa fuerat anima tribulationes, superabat. Super illam laminam descendebat multitudo miserarum animarū, & illic cremabantur, donec ad modum cremii in sartagine liquescerent, & quod erat grauius per prædictam laminam colabantur, sicut colari solet cera per pānum, & iterum in carbonibus ignis ardentibus renouabantur ad tormentum. Hæc erat pæna patricidarum, fratricidarum, homicidarum vel facto vel consensu. Sed post hanc pœnam, inquit Angelus, ducentur ad maiores. Tu autem quamuis homicida sis, modo tamen istam non patieris. Post hæc venerunt ad montem miræ magnitudinis & horroris, magnæ & vastæ solitudinis qui transeuntibus angustum valde præbebat iter. Ex vna parte illius montis erat ignis putridus sulphureus & tenebrosus, ex altera parte nix glacialis & ventus horribilis. Erat mons ille tortoribus plenus, qui furcas habebāt ferreas ignitas, & tridentes acutissimos, quibus iugulabant animas transire nolentes, & ad pœnas trahebant, & per vices de niue & grandine mittebant eas in ignem, & econuerso. Hæc est, inquit Angelus pœna insidiatorum & perfidorum. Post hæc anima illa præ timore pedetētim angelum sequens, venit ad vallem profundam, & putridam nimis & tenebrosam, cuius profunditatē ipsa quidem anima videre non poterat, sonitum tamen sulphurei fluminis, & vlulatum patientium in eo audiebat. Fumus vero de sulphure & cadaueribus inde surgebat fœtidus, qui superabat omnes pœnas quas prius viderat: ibi erat tabula lōgissima de vno monte in aliū montem porrecta, in modum pontis super vallem extensa, quæ mille passus habebat in longitudine, in latitudine pedem vnum. Quem pontem nemo nisi electus transire poterat. De hoc pōte vidit hæc illa anima multos cadere, & vnum solum presbyterum illæsum pertransire, qui erat peregrinus portans palmam, & indutus sclauinia, & primus ante omnes intrepidus pertransibat: Angelus autem timentem consolans animam dixit: Ne timeas, ab hac siquidem pœna liberaberis, sed aliam patieris. Et præcedens tenuit eam, & vltra pontem duxit illæsam dicens: Hæc est, inquit, vallis horribilis in pœna superborum.

De bestia monstruosa, & terribili.

Cap. XCI.

Descriptio pœnæ patricidarum, & fratricidarū.

PRætereunte autem Angelo profecti sunt per viam tenebrosam & tortuosam, & difficilem valde: & cū multum laborarent in eundo per tenebras, vidit anima à lōge bestiā incredibili magnitudine, & horrore intolerabilem, quæ maior erat omnibus montibus quos prius viderat. Oculi eius quasi colles igniti, os eius valde patās & apertum, videbatur posse capere 9. M. hominum armatorum. Habebat autem in ore suo duos parasitos gigantes versis capitibus valde incompositos, quorum vnus habebat caput sursum ad superiores dentes præfatæ bestiæ, & pedes deorsum ad inferiores, alius vero ecōuerso. Et erant quasi columnę in ore eius, quæ os illud in similitudinem trium portarum diuidebant, flamma inextinguibilis ex ore illo exibat, quæ in tres partes per illas tres portas diuidebatur, & contra ipsam flammam animæ damnandæ intrare cogebantur. Fœtor quoque incomportabilis ex ore ipso exibat, & planctus multitudinis de vētre eius per idem os audiebatur. Intus enim erant multa millia virorum ac mulierum dira tormenta luentium: ante cuius os etiam immundorum spirituum multitudo cogētium animas intrare stabat; eas antequā intrarent multis plagis & verberibus affligentes. Cumque anima Tundali diu aspexisset tam horribile monstrū, nimis exterrita dixit ad Angelum. Domine quare illuc appropinquas. Ad quam Angelus: Iter nostrum aliter explere non possumus: hoc tormentum nō possunt vitare nisi electi. Hæc bestia vocatur Acheron, & deuorat omnes auaros. De hac scriptum est: *Absorbebit fluuiū, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Hi vero, qui in ore eius, & inter dentes apparent contrapositi gigantes sunt, & suis temporibus in secta sua nulli fideles fuerunt. Et cum hæc dixisset Angelus accedēs propius antecedebat animam, & stetit ante bestiā. Anima vero licet nolens sequebatur. Et cum simul starent ante bestiam, Angelus discessit, & anima misera sola remansit. Dęmones autem circundederunt eam vt canes rabidi, & flagellatam traxerunt secum in ventrem bestiæ. Quanta vero ibi passa sit vultus eius, & morum conuersio postea indicauit. Passa ibi est morsus, & ibi lacerationes canum, vrsorum, leonum, serpentium, & animalium aliorum innumerabilium incognitorum, & monstruosorum ferocitatem, & dæmonum ictus, ardorem ignis, asperitatem frigoris, fætorem sulphuris, caliginem oculorum, fluxum lachrymarum ardentium, stridorem dentium, copiam tribulationum. Ibi se misera anima de præteritis accusabat, & præ nimia tristitia, & desperatione genas proprias lacerabat. Et cum se putaret ibi æternaliter damnatam, nescia qua ordine, extra bestiam se esse sentit. Et cum longius à bestia iaceret debilis, aperiens oculos vidit prope illum, qui antecedebat Angelum lucis. Tūc illa gaudens, licet afflicta multum, laudauit Dominum de sua misericordia. Angelus autem Domini tetigit illam, & confortauit eam. *Iob. 40.*

De stagno tempestuoso, & ponte periculoso.

Cap. XCII.

Descriptio pœnæ furum.

EVntes inde longius viderunt stagnū amplum valde & tempestuosum, eius fluctus elati non permittebant cernere cœlum. Ibi erat plurima multitudo bestiarum terribilium mugientium, vt animas deuorarent: per lacum stagni pons multū angustus erat, & longus vsque ad duo milliaria. Latitudo eius erat vnius palmi, lōgior erat & angustior, quam pons superior. Eratque tabula illa plena clauis ferreis acutissimis insertis, qui omnium transeuntium pedes perforabant. Omnesque bestiæ ad illum pontem conueniebant, vt inde cibum sumerent, anima scilicet quæ transire non poterant. Erant autem bestiæ tantæ magnitudinis, vt magnis turribus assimilarentur. De ore ipsarum exibat ignis tam vehemens, vt stagnum ipsum à cernentibus bullire putaretur. Vidit autem ibi animam quandam in ponte valde plorantem, & se multis criminibus accusantem: eratque pondere magno manipulorum frumenti onerata, & hunc pōtem cogebatur transire, & quamuis plantas clauis perforatas nimis doleret, magis tamen timebat in stagnū cadere, & in ora patentia bestiarum intrare. Quærēti Tūdalo quid hoc esset; dixit Angelus: Ista pœna specialiter tibi condigna est, & tui similibus furtum perpetrantibus, vel magnum vel modicum, non tamen eodem modo patiuntur, qui in minimis, & qui in magnis deliquerūt, nisi illud modicum sacrilegium fuerit. Sacrilegij autem reus est, qui vel rem sacratam, vel de loco sacrato aliquid furatur. Maxime vero rei sunt, qui sub habitu religionis delinquunt. Hunc pontem oportet te transire, & vaccam indomitam tecum ducere, & illæsam vltra

pontem

pontẽ mihi reddere: quia vaccam cõpatris tui aliquando furatus es. Ad quem Tundalus: Domine nonne ego illam reddidi? Reddidiſti inquit, ſed quando illam abſcondere non potuiſti. Et ideo non plenum patieris ſupplicium, quia minus eſt malum velle, quam perficere, licet vtrumque malũ ſit ante Deus. Et his dictis oſtendit ei Angelus vaccam indomitã. Tundalus vellet nollet tenuit vaccam, & eam quibuſcunque poterat minis inſtigare conabatur ducere ad pontem. Beſtiæ vero mugientes veniebant, & cibum ſuum de ponte expectabant. Tundalus cæpit iter agere, vacca autem nolebat eum ſequi. Cum ſtaret Tũdalus cadebat vacca, & cum illa ſtabat, cadebat Tundalus. Et ſic verſa vice, modo cadendo, modo ſtanto venerunt vſque ad medium pontis. Cumque illuc veniſſent, viderunt quendam, qui portabat manipulos tritici ſibi venire obuiam, qui rogabat animam Tundali, quæ vaccam ducebat, ne ſibi pontem præoccuparet, & Tundalus ſimiliter illum rogabat, vt iter ſuum eum complere permitteret, quod iam mediũ perfecerat neuter eorum non dico reuerti, ſed nec reſpicere retro poterat. Sicque ſtantes, & plorantes pontem plantarum ſuarum ſanguine cruentabant. Cumque ita diutius ſtarent, neſcientes quo modo vterque alterũ ſe pertrànſiſſe videns mirabãtur. Tundalus autẽ, Angelum ſuum, quẽ retro reliquerat ante ſe ſtantẽ vidit. Qui dixit ei. Bene venias, de vacca amplius non cures, quia nihil amplius ei debes. Cumque Tundalus oſtenderet pedes ſuos, diceretque quod amplius ire non poſſet. Reſpõdit Angelus: Meminiſſe enim debes, quã veloces fuerũt pedes tui ad effundendũ ſanguinẽ, & ideo contritio & infælicitas in vijs tuis. Et tangens eũ ſanauit eũ & ſic proceſſit. Et cũ diceret Tũdalus. *Domine quo imus modo?* Reſpõdit Angelus: Quidã tortor terminus noſtrũ expectat aduentũ, cuius hoſpitium non poſſumus prẽterire, quod hoſpitiũ ſemper eſt plenum hoſpitibus, ſed hoſpes ille adhuc alios hoſpites ad ſupplicium deſiderat inuenire.

De furno flammeo.

Cap. XCIII.

CVmque irent per loca tenebroſa & arida apparuit eis domus aperta maxima, quaſi quidam mons arduus præ nimia magnitudine rotunda, quaſi furnus flãma inde exibat, quæ per mille paſſus animas quas inuenire poterat cõburebat. Quod videns Tundalus dixit ad Angelum: Ecce appropinquamus ad portas mortis, quis me miſerũ liberabit? Cui Angelus: Ab iſta quidem exteriori flamma liberaberis, ſed ipſam domũ vnde procedit intrabis. Et cũ propius accederent, viderunt carnifices cum ſecuribus, & cultris, & biſacutis, & dolabris, & terrebris, & falcibus & forcipibus acutiſſimis, & vangis, & foſſorijs, & cẽteris inſtrumẽtis, quibus animas excoriare vel decollare, vel ſcindere, vel truncare poterant in medio flammarũ ſtantes, & ſub manibus eorũ multitudinẽ animarũ hæc omnia ſuſtinentium. Quod videns Tundalus dixit ad Angelũ: Obſecro domine ſi placet ab hoc ſolo me libera ſupplicio, & cæteris quæ poſt hoc occurrerint, me tradi concedo. Cui Angelus: Hoc eſt maius ſuppliciũ omnibus, quæ hactenus vidiſti, ſed adhuc vnũ videbis maius, intra iſtud ſupplicium quia canes rabidi te expectant. Tundalus autem tremens, & præ anguſtia deficiens rogabat ne intraret, ſed non profecit. Dæmones autem videntes eum ſibi conceſſum circundederũt eum, & magnis conuicijs exprobrantes, cum ſupradictis inſtrumentis in fruſtra diſcerpſerunt. Dominus huius domus dicebatur Priſtinus in qua erat gemitus & triſtitia, fletus & ſtridor dentium, lentus ignis extrinſecus, & intrinſecus vaſtũ incendium. Auiditas cibi inexplebilis ibi erat, nec ſatiari poterat nimietas gulæ, verenda loca doloribus cruciabantur permaximis, pudenda ipſa putredine corrupta videbantur ſcaturire vermibus, & in ipſa verenda virorum ac mulierum nõn ſolum ſæcularium, ſed etiam religioſorum diræ quædam intrabant beſtiæ, ibique anima Tundali ſe iuſte pati talia fatebatur; ſed quando Deo placuit neſcieus quo ordine ſe extra tormenta eſſe cognouit. Sedebat autem in tenebris, & in vmbra mortis, & videns Angelum ſuum dixit: Heu Domine mi, vbi eſt quod audiuimus? *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Reſpondit Angelus: Hæc ſententia multos decipit, Deus tamen licet ſit miſericors, eſt tamen iuſtus, multa vindicat ſed plura condonat. Tu iuſte paſſus es quicquid paſſus es, ſed tunc gratias ages, quando videbis, quę tormenta per miſericordiam Dei euaſeris. Si Deus dimitteret cuncta cur homo iuſtus eſſet? Et ſi ſupplicia non pertimeſceret quare peccare timeret, vel à voluptatibus ſuis ſe auerteret? Et quid opus eſſet vt confeſſi pæniterent, ſi Deum non timerent? Peccatoribus pœnitentiam in corpore agentibus miſericorditer à Deo parcitur, ſed tamen pro ſuis meritis puniuntur. Iuſtis quoque pro ſuis exceſſibus temporale commodum in corpore degentibus iuſte tollitur, ſed bona eis ſine fine manſura miſericorditer cum Angelis reſeruantur. Multa mala opera condonat Deus, nullus tamen opus bonum ab eo irremuneratum relinquitur. Nemo enim liber eſt à peccato, nec etiam infans vnius horæ, multi tamen liberantur à pœna, vt eos non tangat vmbra mortis. Ideo ante iuſti qui pœnas non patiuntur poſt mortem, ad videndum tamen illos ducuntur, vt viſis tormentis à quibus per Dei gratiam liberantur, magis inardeſcant in amorem Dei & in laudem creatoris ſui: ſicut econtrario animæ æternis ſupplicijs dignæ prius ducuntur ad ſanctorum gloriam, vt viſis præmijs, quæ ſponte deſeruerunt magis poſtea doleant. Nullum enim tam graue ſupplicium eſt, quam à Dei & ſanctorum conſortio ſequeſtrari. Ideo ille preſbyter, quem primum pontem ſecure tranſire vidiſti, ductus eſt ad ſupplicium, vt viſis pœnis ardentius laudet illum, qui vocauit eum ad gloriam ſuam. Nam fidelis ſeruus, & prudens inuentus eſt, & ideo accipiet coronam vitæ, quã repromiſit Deus diligẽtibus ſe. Sed quoniam nondum omnia mala vidimus, properemus. *Pſal. 32.*

De beſtia alata, & ſtagno congelato.

Cap. XCIIII.

PRæcedente igitur Angelo, vidit Tundalus beſtiam cęteris quas ante viderat longe diſſimilem, duos pedes, ac duas alas habentem, collum longiſſimum & roſtrum ferreum, & vngulas ferreas de cuius ore flamma inextinguibilis eructabat. Sedet autem hæc beſtia ſuper ſtagnum glacie condenſum, & deuorat animas, quæ in ventre eius per ſupplicia redigebantur ad nihilum, & iterum pariebat eas in ſtagnum glacie congelatum, ibique renouabantur iterum ad tormentum. Impregnabantur vero omnes animæ tam virorum quã mulierum, quæ deſcendebant in ſtagnum, & ita grauide præſtolabantur tempus ad partũ. Intus autem mordebantur in viſceribus more viperino à prole concepta, ſicque vegetabantur miſeræ in vnda frigida mortui maris glacie concreta. Cumque tempus eſſet vt parerent, clamantes replebant inferos vlulatibus, & ſic ſerpentes pariebant. Pariebant autem non ſolum fœminę, ſed etiam viri, & hoc non per membra, quę natura conſtituit tali officio conuenientia, verum per brachia ſimul & pectora, exibantque erumpentes, per cuncta membra beſtiæ, habentes capita ardentia & ferrea, & roſtra acutiſſima, quibus ipſe vnde exibãt corpora dilaniabant. In caudis autẽ ſuis habebant eadem beſtiæ multos aculeos, qui quaſi hami retro retorti ipſas à quibus exibant animas pungebant. Beſtiæ namque ille volentes exire cum caudas ſuas non poſſent ſecum trahere, in ipſa corpora vnde exibant roſtra ſua ardentia & ferrea retorquere non ceſſabant, donec ea vſque ad neruos, & vſque ad oſſa arida conſumerent, & ſic ſimul conclamantes ſtridor glacierum inundantium & vlulatus animarum ſuſtinentium talem pœnam & mugitus

beſtiarum exeuntium ab eis peruenieb ant ad cælum. Erant enim in omnibus diuerſis membris, & digitis diuerſarum beſtiarum capita, quæ ipſa membra mordebãt vſque ad neruos ſcilicet & oſſa. Habebãt etiam linguas viuas in modum aſpidum, quæ totum palatum & etiam arterias conſumebant vſque ad pulmones. Verenda quoque ipſa virorum ac mulierum erant in ſimilitudine ſerpentium, qui inferiores partes ventris lacerabant & ipſa viſcera inde ſtudebant abſtrahere. Tunc ait Angelus: Hæc eſt pœna monachorum, canonicorum, ſanctimonialium, cæterorumque eccleſiaſticorum, qui mentiti Deo per tonſuram & habitum noſcuntur, qui linguas ſuas exacuerunt ſicut ſerpentes, & membra ſua non cohibuerunt ab immundis operibus. Hanc pænam ſuſtinebunt qui immoderata luxuria ſe polluunt, & ideo iſtam ſuſtinere te oportet. His dictis rapuerunt eam dæmones, cum impetu, & dederunt beſtiæ deuorandã. Cum autem poſt prædicta tormenta eſſet in partu viperarum, affuit ei Angelus lucis, & tangens eam ſanauit, & ſe ſequi præcepit. Præter fulgorem autem Angeli nullum lumen habebant, pergebantque per loca terribilia & multo prę cedentibus diriora, via valde anguſta & quaſi de cacumine altiſſimi montis tendente in præcipitium. Quanto autem plus deſcendebat illa anima, tanto minus reditum ad vitam ſperabat.

De valle fabrorum.

Cap. XCV.

Dixit autem Tundalus ad Angelum: Domine quo imus? reſpondit Angelus; Hæc via ducit ad mortem. Et anima. Quid eſt ergo quod ſcriptum eſt. Lata & ſpacioſa eſt via quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam, cum neminem præter nos hic videamus? Reſpondit Angelus: Non de hac via dictum eſt hoc, ſed de impudica & illicita, & ſæculari vita, quæ ducit ad iſtam. Euntes autem longius, & vltra modum laborantes, venerunt in vallem fabrorum, ibique viderunt fabricas, in quibus maximus audiebatur luctus. Tunc ait Angelus: Tortor iſte vocatur Vulcanus, per cuius ingenium corruetũt plurimi, & ab ipſo cruciantur. Domine, inquit, anima, ſi debeo pati eius ſupplicium? Debes ait: Quo dicto præcedebat eam. Illa autem plorans ſequebatur eum: Et ecce tortores cum ignitis forcipibus Angelo ſancto nihil dicente cœperunt illam, & proiecerunt in caminum ignis ardentem, & ſic ſufflantes follibus, ſicut ſolet ferrum in fornace examinari, ita examinabant eam, donec ad nihilum redigerentur animæ quæ ibi patiebantur. Cumque ita liquefierent, vt nihil aliud niſi aqua apparerent, iugulabantur tridentibus ferreis, & poſitæ ſuper incudem patiebantur malleis, donec vicenæ, vel tricenę, vel centenæ in vnam maſſam redigerentur, & tamen quod eſt grauius, nec ſic perirent, deſiderabant enim mortem, & inuenire non poterant. Loquebantur autem tortores ad inuicem dicentes: Nũquid ſufficit? Et alij in alia fabrica reſpondebant. Proijcite nobis, vt videamus, ſi ſufficiat; & proijciebant. Et alij capiebant eas in forcipibus ferreis, antequam terram tangerent, & ſicut primi, ita & ipſi eas ignibus tradebant. Et ita miſeræ modo huc, modo illuc proijciebantur, & vbique comburebantur, donec ſimiliter pelles, carnes, & nerui, & oſſa in fauillam redigerentur & flammam ignis. Poſt multas paſſiones affuit Tundalo aduocatus ſuus, & apprehendens eum de medio fauillę dixit: Quomodo vales, nunquid fuerunt tibi tam dulcia carnis oblectamenta, vt pro eis tot & tanta mala debeas ſuſtinere? Ille penitus reſpondere non poterat, quia poſt tantum ſupplicium non habebat vires ad loquendum. Tunc Angelus ait: Confortare quia *Dominus deducit ad inferos, & reducit.* Quamuis enim magna ſint, quæ huc vſque paſſa eſt, maiora tamẽ ſunt à quibus per Dei miſericordiam liberaberis. Et addidit: Omnes quos ſuperius vidiſti, iudicium Dei expectant, ſed hi qui adhuc ſunt in inferioribus iudicati ſunt. Adhuc enim non peruenisti ad inferos inferiores. Et more ſolito tangens eam & confortans præceſſit.

1. *Reg.* 2.

De puteo infernali.

Cap. XCVI.

Cvmque ſimul pergerent & incedentes ſermocinarentur, ecce ſubitus horror & frigus intollerabile, & fætor intollerabilis, & tenebræ prioribus incomparabiles, tribulatioque & anguſtia animam Tundali inuaſerunt, ita vt omnia fundamenta terrę viderentur ſibi contremiſcere, & Angelo præcedenti compulſa eſt dicere: Heu Domine mi quid eſt, quod præ ſolito ſtare non poſſum? Quo dicto non potuit ſe mouere præ nimia formidine, & ecce Angelus cito diſparuit, & eum amplius videre non potuit, & ſtatim cœpit deſperare. Non eſt enim ſapientia, non eſt ſcientia, nec opus nec ratio apud inferos, quo illa properabat. Audiuit autem clamores & vlulatus miræ multitudinis, & tonitruum tam horribile, vt nec paruitas noſtra potuerit capere, nec lingua eius enarrare. Circumſpiciens ergo ſi quomodo videre poſſet vnde venerant, vidit foſſam quadratam & quadrangulum quaſi ciſternam, qui puteus putridam flammæ, & fumi emittebat columnam, quæ columna extendebatur vſque ad cælos, & in ipſa columna erat multitudo maxima animarum, & dæmonum more fauillarum cum flamma aſcendentium, & ad nihilum redactæ. Iterum cadebant cum dæmonibus in fornacem vſque in profundum. Quo viſo anima Tundali volebat retro ſe retrahere, ſed non valebat pedes à terra leuare, & dum hoc ſæpius tentaret, ſed tamen facere non poſſet, nimio furore repleta in ſemetipſam exarſit, & genas ſuas vnguibus lacerans clamauit: Vę mihi, quare non morior, quæ me cæpit dementia. Audientes dæmones hoc, qui cum flamma accedebant, circumdederunt eam cum inſtrumentis quibus animas ad tormenta rapiebant dicentes: O miſera anima pœnis & cruciatibus digna, vnde huc veniſti? Nil adhuc experta es: adhuc videbis dignum operibus tuis tormentum de quo exire non poteris, nec in eo perire, ſed ſemper in cruciatu viuens, ardebis ſine refrigerio, ſine lumine, ſine conſolatione, ſine auxilio, nullam deinceps miſericordiam ſperare poteris. Appropinquaſti enim vſque ad portas mortis, & infernis inferioribus ſine mora præſentaberis. Qui te hic adduxit ipſe te decepit. Liberet te ſi poteſt de manibus noſtris, non videbis eum amplius. Et adinuicem loquebantur: Quid amplius moramur, trahamus eam & præbeamus eam Lucifero deuorandam: & ſic arma vibrantes minabantur illi mortem æternam. Ipſi autem immundi ſpiritus erant nigri ſicut carbones, oculi eorum vt lampades ignis ardentes, dentes eorum niue candidiores, caudas habebãt vt ſcorpiones, vngues ferreos acutos, alas vt vulturis. Interea affuit Angelus Domini, qui fugatis ſpiritibus tenebrarum conſolatus eſt ream ſuam dicens: Gaude & lętare filia lucis, quia miſericordiam & non iudicium conſequeris. Pœnas quidem magnas videbis, ſed non eas patieris. Veni ergo & oſtendam tibi peſſimum humani generis inimicum, & præcedens ad portas inferi dixit: *Veni, & vide.* Scito tamen quod nullum lumen his, qui huc deputantur, lucet, ſed tu poteris eos videre, & ipſi non videbunt te.

De principe tenebrarum, & ſocijs eius in pœnis.

Cap. XCVII.

Appropinquans autem anima vidit Principem tenebrarum & profundum inferni. Quæ autem & qualia ibi viderit inaudita tormenta, ſi centum capita & in vnoquoque capite centum linguas haberet, enumerare nullo modo poſſet. Ibi viſus eſt Princeps diabolus, qui magnitudine præcellebat omnes beſtias, quas ipſe Tundalus ante viderat, cuius quantitati

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corporis ipsa quæ viderat anima nihil sciebat comparare. Erat illa bestia nigerrima sicut corvus, formam habens humani corporis à pedibus vsque ad caput, excepto quod plurimas habebat manus. Habebat etiam & caudam, habebat etiam non minus mille manibus, habebatque in longitudine, quasi centum cubitos, in grossitudine vero decem. Vnaquæque manus digitos vicenos habebat, & digiti eius habebant in longitudine centenas palmas, in grossitudine vero denas. Habebat vngues lanceis militum grossiores & longiores, & ipsos ferreos in pedibus totidem. Rostrum eius nimis longum & grossum, cauda eius aspertima, & longa ad nocendum animabus aculeis acutissimis præparata. Iacet autem illud horribile, monstrum super cratem ferream suppositis ardentibus prunis, ab innumerabili multitudine dæmonum follibus sufflantium. Circundat autem ipsum tanta multitudo animarum & dæmonum, quod nulli credibile esset, quod mundus tot animas à principio parare posset. Ligatus autem est ille hostis antiquus per singulas membrorum iuncturas catenis ferreis, & æreis ignitis, & valde grossis. Cumque sic versatur in carbonibus, & vndique comburitur nimia exardescens ira, vertit se de vno latere in aliud latus, & omnes manus suas in illam multitudinem animarum extendit, easque repletas animabus constringit. Sicut rusticus sitiens racemos comprimit, vt inde vinum eliciat; in tantum vt nulla sit ibi anima, quæ tali contritione non priuetur capite aut pedibus, vel manibus. Et tũc suspirans sufflat, & spargit animas in diuersas partes gehennæ, & statim eructat puteus ille, de quo prædiximus fætidam atque horribilem flammam. Et cum retrahit anhelitum suum dira illa bestia retrahit ad se omnes animas, quas ante sparserat, & cum fumo & sulphure in os eius cadentes deuorat, sed & quæcunque manus eius effugiunt ne stringantur, illas cum cauda sua percutit, & sic misera bestia percutiens semper percutitur, & tormenta animabus inferens, in tormentis omnibus super omnes cruciatur. Tunc ait Angelus ad animam: Hic est Lucifer Principium creaturarum Dei, qui versabatur in delicijs paradisi. Qui si solutus fuerit, cœlum simul & terram vsque ad inferos cuncta perturbaret. Hi autem qui cum eo sunt partim sunt Angeli tenebrarum partim filij Adæ, & iam iudicati sunt, & multos alios expectant, qui vel Christum negauerunt, vel negantium opera fecerunt. Passi sunt ea quæ vidisti, prius minora tormenta, & postea ducti sunt ad ista, de quibus tormẽtis nullus qui semel ea intrauerit amplius exire poterit. Hic sunt prælati, & Principes mali, de quibus scriptum
Sap. 6. est: *Potentes potenter tormenta patiuntur*, qui scilicet non bene vsi sunt potentia sibi à Deo data. Tunc ait anima ad Angelum: Quare potentia non bonis datur vt bene præsint? Respondit Angelus: Aut subditorum culpæ hoc exigunt, vt bonos rectores non habeant, aut ipsis bonis in hoc parcitur, vt saluti animarum suarum melius prouideant. Hic autem infælix Princeps tenebrarum dictus est, non propter potentiam quam habeat, sed propter primatum, quem tenet in tenebris. Omnes autem aliæ pœnæ quamuis sint maximæ, respectu huius pro nihilo computantur. Ad hæc anima: Certe verũ est. Nam videre tantummodo locũm istum magis me conturbat, & fœtorem eius plus me sustinere grauat quam pati omnia quæ antea patiebar. Vnde rogo si potest fieri, vt hinc me subtrahas cito, & hic me amplius cruciari non permittas. Hic enim video multos cognitos, & sodales, & notos meos, quos mecum in sæculo gaudebam habere socios, quorum hic consortium multum abhorresco. Scito autem pro certo, quod nisi mihi diuina succurrat gratia, meritis meis exigentibus non minus ista patiar quam ipsi. Ad quam Angelus: Veni ô fælix anima, cõuertere in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Non enim hoc patieris, neque amplius (nisi promerueris ista) videbis. Hucusque vidisti inimicorum Dei carcerem, ammodo videbis gloriam amicorum Dei.

De statu mediocrium bonorum & malorum.

Cap. XCVIII.

COnuersa anima sequebatur Angelum præcedentem, & cum non longe pergerent, fætor euanuit, destructisque tenebris lux apparuit. Fugatoque timore securitas redijt, & deposita tristitia anima illa repleta est gaudio & lætitia, ita vt se tam cito mutatam miraretur, & diceret: O Domine quomodo tam cito mutata sum? Cui Angelus: Benedicta sis, ne timueris. *Hæc est enim mu-* Psal. 76. *tatio dexteræ excelsi.* Per aliam autem viam transire debemus in regionem nostrã. Tu ergo benedic Dominum, & sequere me. Euntes autem viderunt murum nimis altum, & intra murum ex illa parte qua venerunt, erat plurima multitudo virorum ac mulierum pluuiam & ventum sustinentium, & erant valde tristes, famem, & sitim sustinentes, lumen tamen habebant, & fætorem nõ sentiebant. Tunc ait Angelus: isti quidem mali fuerunt, sed non valde honeste vixerunt, sed bona temporalia pauperibus non sunt largiti. Et ideo per aliquot annos pãtiẽtur pluuiam, ventum, famem, & sitim, sed post ducentur ad bonam requiem. Euntes paululum venerunt ad portam, quæ vltro aperta est eis, quam cum intrassẽt viderunt campum pulchrum, odoriferum, floribus, plenum, lucidũ, & sãtis amœnum, in quo multæ animæ erãt vtriusque sexus, exultantes, & nox ibi nunquam fuit, neque sol illic vnquam occidit, & est ibi fons aquæ viuę. Tunc ait: Hic habitant boni, sed non valde, qui de cruciatibus erecti nondum merentur sanctorum consortio coniungi. Fons iste vocatur viuens, sed qui ex hac aqua gustauerit viuet in ęternum, nec sitiet vltra. Et procedentes paululum viderunt laicos, sibi notos, inter quos erant Concober & Donatus Reges. Quibus visis ait anima ad Angelum: Domine quid est hoc? Isti duo viri erant in vita sua nimis crudeles, & inter se inuicem multum inimici, quo ergo merito huc venerunt? Respondit Angelus: De hac inimicitia ante mortem pœnituerunt. Concober autem diu languit, & votum vouit, quod si vixisset monachus fieret. Donatus autem per multos annos in vinculis religatus omnia quæcunque habuit dedit pauperibus, & ideo iustitia eius manet in sæculum sæculi, & tu etiam narrabis viuentibus omnia hæc.

De statu Cormarci Regis.

Cap. XCIX.

CVm autem modicum procederent, viderunt domum mirabiliter ornatam, cuius paries & omnis structura ex auro & argento erant, & ex omnium lapidum precioſorum generibus, sed fenestræ ibi non erant nec ostium, & tamen omnes qui intrare volebant intrabant. Erat autem intus tam splendida, acsi non dico vnus Sol, sed quasi ibi multi splenderent Soles. Eratque nimis ampla & rotunda, & nullis columnis fulta, & totum etiam eius vestibulum auro & lapidibus preciosis erat stratum. Circumspiciens autem Tundalus, vidit vnum sedile aureum, cum gemmis & serico & omnibus ornamentis ornatum, & Regem Cormarcum in ipso throno sedere, vestitum mirabilibus vestimentis, & preciosissimis supra omne precium terrenum. Et cum staret admirans, venerunt plurimi in domum illam cum muneribus ad Regem, & offerebant singuli cum gaudio munera sua. Et dum staret Tundalus diutius, ante Dominum suum Regem Cormarcum, erat enim Dominus suus in sæculo, veneruntque multi sacerdotes, & leuitæ solenniter induti, sicut ad Missã cantandam cũ sericis casulis, & alijs ornamentis valde preciosis, & ornabatur vndique domus illa regia mirabili atque præciosissimo ornamẽto. Ponebant enim cyphos & calices aureos & argenteos & pixides eburneas super paxillos & tabulas, & sic domus illa ornabatur, vt si maior

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gloria in regno Dei non esset, ista posse sufficere videretur. Omnes ergo illi qui ministrabant ante Regem venientes, & genua flectentes dicebant (*Labores manuũ tuarum quia manducabis.* *Psal. 127.* Tunc Tundalus, ait ad Angelũ. Miror Domine de tot ministris, inter quos nec vnũ de familia sua recognosco. Ad hoc Angelus: Non sunt illi de familia sua, sed pauperes Christi & peregrini quibus Rex bona sua largiebatur, & ideo per manus eorum retribuitur ei merces æterna. Tunc ait Tũdalus: Domine, passusne est Dominus meus aliqua tormenta post mortem? Passus est, inquit, & adhuc quotidie patitur, & adhuc patietur. Expecta ergo paululum & videbis. Et cum paululum expectasset obscurata est domus, & omnes habitatores, eius illico consternati sunt. Et Rex contristatus exiluit cum fletu. Quem cum Tundalus sequeretur, vidit hanc multitudinem quam ante intus viderat expansis in cælum manibus Deum deuotissime deprecantem & dicentem: *Domine Deus omnipotens, sicut vis, & sicut scis miserere serui tui.* Et respiciens vidit Regem in igne vsque ad vmbilicum, & ab vmbilico sursum cilicio indutum. Hanc pœnam, inquit Angelus, quotidie patitur per tres horas & per horas 20. & vnam requiescit. Et hoc ideo, quia legitimi coniugij maculauit sacramentum, & ideo patitur ignem vsque ad vmbilicum. Cilicium vero portat, quia iussit interfici comitem iuxta sanctum Patricium, & præuaricatus est iusiurãdum. Exceptis his duobus cuncta ei crimina dimissa sunt.

Sed iam ascendamus.

De visione gloriæ sanctorum.

CAP. C.

ET cum paululum processissent, viderunt murum nimis altum & nimis præclarum. Erat autem argenteus totus splendidus, & valde decorus. Et cum nulla porta ibi appareret, Tundalus tamen nesciens quomodo intrauit, & circumspiciens vidit choros sanctorum exultantium & dicentium: *Gloria tibi Deus pater, gloria tibi Deus fili Dei, gloria tibi Deus Spiritus sancte.* Erant autem viri & fœminæ vestiti candidis vestimentis, & preciosissimis sine macula & ruga iucundi & hilares semper gaudentes, & sanctam Trinitatem laudantes. Candor autem vestimẽtorum, sicut nix recens erat percussa Solis radio, voces vero consonantes, quasi musicum melos reddebant sonos. Claritas autem, iucunditas, amœnitas, hilaritas, pulchritudo, honestas, sanitas, æternitas, vnanimitas, omnibus erat æqualis, & charitas. Odor illius cãpi, vbi erant isti superabat omnia aromata, & odoramẽta. Tunc Tundalo ait Angelus: Hæc sunt gaudia coniugatorum, qui fidem coniugij seruauerunt, & familias suas in timore Dei bene & iuste rexerunt, & bona sua pauperibus, & ecclesijs Christi communicauerunt, qui *Matth. 25.* in iudicio audituri sunt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Tundalus autem multum rogabat, vt ibi remaneret, sed non obtinuit. Post hæc profecti sunt. Videbatur autem eis nullus labor in ambulando, & quocumque pertransibat inclinatis capitibus & lętis vultibus, cum ingẽti gaudio occurrebãt, & eã proprio nomine salutabãt, & Deũ qui eam liberauerat glorificabant dicentes: *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, qui secundum misericordiam tuam ab inferni cruciatibus, animam istam eripere dignatus es, & sanctorum tuorum consortio sociare.* Cum autem sic plurimas turbas pertransissent, apparuit alius murus tam altus vt primus sed de auro purissimo & præclarissimo, ita vt magis delectaretur quæcumque vidisset anima in solo nitore metalli, quam in omni gloria quam ante viderat. Cumque simili modo intrassent illum vt primum, apparuerunt illis plurima sedilia de auro & gemmis, & vniuersis lapidum preciosorum generibus constructa, & preciosissimis ornamentis cooperta, in quibus sedebant seniores viri, & fœmine vestiti sericis, & stolis candidis & varijs, & vniuersis ornatibus, qualia nec ante viderat, nec cogitare poterat. Et erat facies vniuscuiusque splendida sicut Sol splendens in meridie, & capillos habebant auro simillimos, & coronas aureas ijsdem gemmis ornatas. Sed & lectoria posita erant coram eis aurea, quibus superpositi erant libri aureis literis scripti, & cantabant Domino *alleluia*, cum nouo cantico & tam dulci melodia, vt cunctorum præteritorum obliuisceretur anima quæ semel audiret, voces eorum. Tunc ait Angelus ad Tundalum: Isti sunt sancti qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas & continentes, qui de sæculari vita ad Dei seruitium conuersi sunt, & qui semetipsos cum vitijs & concupiscentijs crucifigẽtes sobrie & iuste & pie vixerunt.

Adhuc de eodem.

CAP. CI.

CVm autem Tundalus curiosius circunspiceret, vidit quasi castrum & papiliones plurimas purpura & bysso, auro & argento, & serico mira varietate confectas, in quibus chordas & organa, tympana & cytharas cum organistris & cymbalis canentes. Cætera quoque omnium musicorum genera suauissimis sonis audiuit concinentes, & quæsiuit quæ hæc essent. Cui Angelus: Ista est religiosorum requies monachorum & conuersorum, Canonicorum & Sanctimonialium, qui promissam obedientiam his qui præsunt hilariter & deuote impendunt, & qui magis gaudent subesse quam prœesse, qui voluntatem propriam relinquunt, & alienæ obtemperant. Qui dum sunt in corpore cælestia sapiunt, qui refrænant linguas suas non solum à malis, sed etiam à bonis propter taciturnitatis amorẽ. Tunc ait Tundalus: Domine si tibi placet, volo propius accedere, & eos, qui intus sunt videre. Placet, inquit, vt videas eos & audias, sed non intrabis ad eos. Isti quoque fruuntur præsentia sanctæ Trinitatis, & qui semel ad eos intrauerit, omnium immemor præteritorum vlterius non disiungitur à consortio sanctorum, nisi forte virgo fuerit, & coniungi mereatur choris Angelorum. Et accedentes propius viderunt vtriusque sexus animas, quarum splẽdor, & odor delectabilis quæ assimilabantur Angelis, & sonis suauissimis omnium gloriam quam ante viderant superabat, omnia instrumenta nemine tangente sonos reddebant: sed hanc omnem dulcedinem superabant voces ipsorum spirituum, quibus nullus labor erat in exultatione vocum, nec labia videbantur moueri, nec manus ad instrumenta musica leuare curabant & tamen ad libitum cuiusque melos reddebant. Firmamentum quod erat super capita eorum multum splendebat, de quo cathenæ pendebant auri purissimi, virgulis argenteis intermixtæ, pulcherrima varietate contextæ, de quibus cyphæ, & phialæ, & tintinnabula, & cymbala, & lilia & spherulæ pendebãt aureæ. Inter quas multitudo maxima versabatur Angelorum volantium, & aureas alas habentium, qui leui volatu inter catenas volantes, suauissimum atque etiam dulcissimum audientibus reddebant sonum. Cum ergo Tundalus nimis delectatus, vellet ibi stare, dixit ei Angelus: *Respice.* Et respiciens vidit vnam arborem maximam & latissimam frondibus viridissimam floribusque pulcherrimam, omniumque generibus fructuumque & frugum fertilissimam. In cuius frondibus aues multum diuersorum colorum & diuersarum vocum generibus cantantes, & organizantes morabantur, sub cuius ramis lilia & rosæ & cunctarum herbarum speciesumque odoriferarum genera oriebantur. Et sub eadem arbore viri multi & fœminæ in cellis aureis, & eburneis semper benedicentes & laudantes Dominum pro vniuersis beneficijs & donis suis. Et habebat vnusquisque coronam auream in capite suo mirabiliter ornatam, & sceptrum aureum in manu sua. Et erant vestiti

talibus

talibus vestimentis, quibus ante visi monachi. Tunc ait Angelus ad Tundalum: Hæc arbor typus est sanctæ Ecclesiæ. Hi qui sub ea sunt constructores, & defensores sunt ecclesiarum, qui pro beneficijs quæ sanctis ecclesijs largiti sunt, fraternitatem ipsorum consecuti sunt, quia per illorum commonitionem sæcularem habitum reliquerunt & religiose vixerunt.

Item de eodem.

Cap. CII.

CVmque profecti fuissent, viderunt murum altitudine, pulchritudine, & splendore cæteris dissimilem. Erat namque ex omnibus lapidum preciosorum generibus constructus, ac varijs coloribus, metallis interpositis, ita vt habere videretur aurum pro cemento. Lapides eius, erant Chrystallus, Chrysolithus, Beryllus, Iaspis, Hiacynthus, Smaragdus, Saphyrus, & Onychinus, Topazius, & Sardius, Crisoprasus, & Amethistus, Turcatus, atque Granatus. His, & similibus splendebat murus valde, & mentes intuentium multum in se prouocabat. Accedentes igitur murum viderunt, procul dubio *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Viderunt ibi nouem ordines Angelorum & beatorum spirituum cum illis immixtorum, & audierunt ibi verba ineffabilia, quæ non potest homo, nec licet homini loqui. Dixit Angelus ad animam Tundali: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* En patet quanta sit amænitas, iocunditas, dignitas, sublimitas, interesse choris Angelorum & omnium sanctorum, & quod omne præcellit gaudium, eum, qui panis est Angelorum, & vita omnium, sentire clementem & pium. Ab illo autem loco in quo tunc stabant, non solum omnem quam ante viderant gloriam, verum & prædicta supplicia videbant. Et quod magis mirandum est, ipsum orbem terrarum quasi sub vno Solis radio videbant, sicut scriptum est: *Cernent terram de longe, &c.* Non enim potest quicquam creaturæ visum obtundere, cui semel cõcessum est omnium creatorem videre, & miro modo cum starent in eodem loco, in quo scilicet prius steterant, non se vertentes in aliquam partem, cunctosque tamen ex eodem loco ante & retro, positos videbant. Non solum autem visus, verumetiam omnium rerum scientia dabatur insolita, ita vt non esset ibi opus interrogare amplius aliqua, sed omnia sciebat ibi Tundalus aperte & integre quæcunque volebat.

1.Cor.2.

Psal.44.

Isaiæ 33.

De quatuor episcopis, quos ibi Tundalus cognouit.

Cap. CIII.

CVm autem ita esset ibi Tundalus, affuit ei sanctus Ruadanus confessor, cum magna lætitia salutans eum, & amplectens intimæ charitatis visceribus ait: *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Ego sum Ruadanus patronus tuus, cui iure debitor es sepulturæ. Et cum hoc dixisset, stetit nihil amplius dicens: Tundalus autem respiciens, vidit sanctum Patricium Hibernensium Ardinachæ, & Malachiam, qui Cœlestino successit, qui Romam veniens tempore Innocentij Papæ legatus & Archiepiscopus ab illo est constitutus, qui omnia quæ habere poterat sanctis & pauperibus diuidebat. Hic constructor extitit 44. cœnobiorum, monachorum, canonicorum, sanctimonialium, quibus omnia necessaria prouidebat, & nihil omnino sibi retinebat. Ibique vidit Christianum Lugdunensem episcopum fratrem prædicti Malachiæ vterinum miræ continentiæ virum, & voluntariæ paupertatis amatorem, & Neemiam Cluanensis ciuitatis Antistitem virum simplicem atque modestum, sapientia quoque & castitate præ cæteris fulgentem. Hos quatuor cognouit episcopos, eratque iuxta eos vnum sedile mirabiliter ornatum, in quo nemo sedebat. Et dixit Tundalus: Cuius est istud sedile, & quare sic vacat? Respondit sanctus Malachias: Cuiusdam de fratribus nostris, qui nondum migrauit à corpore hic sedebit eum migrauerit.

Psal.120.

De reditu animæ eius ad corpus.

Cap. CIIII.

CVm autem in his omnibus anima Tundali valde delectaretur, affuit Angelus Domini, qui eam antecedebat, & blande eam alloquens ait: Vidisti hæc omnia? Et illa: Video Domine. Obsecro sine me hic esse. Cui Angelus. Debes ad corpus tuum redire, & omnia quæ vidisti ad vtilitatem proximorum memoriter retinere. Quo audito, anima tristis & flens respondit. Domine, inquit, quid tanti mali egi, vt relicta tanta gloria ad corpus redeam? Ad quam Angelus: Hanc non merentur intrare nisi virgines, qui corpora sua ab omni immundo tactu, & corda sua ab omni immundo affectu custodiunt, & aduri magis pro tanta gloria quam coinquinari aliqua turpi concupiscentia volunt: quod scilicet tu noluisti facere, & verbis meis credere, & ideo non poteris hic manere. Reuertere ergo ad corpus tuum & abstine ab his, quæ ante faciebas. Consilium meum & auxilium tibi non deerit, sed præsentialiter atque fideliter tibi manebit. Et cum hæc dixisset Angelus, conuersa anima statim sensit se mole corporis esse grauatam, nullum interuallum nec vllum temporis intercessit momentum, sed in vno eodemque temporis puncto, in cœlis loquebatur ad Angelum, & in terris se sensit inducere corpus suum. Tunc ipsa debilis corporales aperuit oculos, & suspirans nihilque dicens respexit clericos circunstantes, & sumpsit corpus Domini cum gratiarum actione, & omnia quæ habuit dispersit & dedit pauperibus, *& signum sanctæ crucis* vestimentis suis quibus vestiebatur superaffigi iussit. Cunctaque quæ viderat & retinere poterat nobis postmodum recitauit, bonam vitam nos ducere monuit, verbumque Dei quod ante nescierat cum magna deuotione & vtilitate ac humilitate & scientia prædicabat. Nos autem quia vitam eius imitari non possumus, hæc saltem ad vtilitatem legentium scribere studuimus.

Author. Hæc autem visio & huic similes apud doctores nostros calumniam patiuntur, nullum penitus locum vel statum animarum esse ponentes medium inter purgatorium, & Paradisum, quamuis beatus Bernardus in quodam sermone de omnibus sanctis contrarium innuere videatur.

Vide D. Antoninum parte 2. sua histor. tit 17. cap. 4.

De sancto Malachia Archiepiscopo.

Cap. CV.

POrro sancti Malachiæ vitam, qui anno prædictæ reuelationis dictus est obijsse, beatus Bernardus Clareuallensis descripsit, de qua hic pauca inserui in hunc modum.

Bernardus. Semper quidem operæ precium fuit, illustres sanctorum describere vitas, vt sint in speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terrã. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem viuunt, multosque ex his qui viuentes mortui sunt ad veram prouocant vitam & reuocant. Verum nunc maxime hoc requirit raritas sanctitatis nostra plane ætas inops virorum. Quem enim mihi ostendas, vel de illorum numero qui videntur dari in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quam flammantem. *Et si lumen quod in te est,* inquit, *tenebræ sunt, quantæ sunt tenebræ* (nisi tu illos forte quod nõ credo lucere dixeris,) qui quæsitum æstimant pietatem, qui *in hæreditate Domini non quæ Domini, sed magis, quæ sua sunt quæritant.* Quid dico *quæ sua sunt,* perfectus sit, & sanctus

Matth. 6.

Philip. 2.

Luc. 3.

etiam sua quærens, suaque retinens, sr ab alienis cor manusque contineat; meminerit tamen quod qui sibi vsque huc forte peruenisse videtur, eundem exigi sanctitatis gradum etiam ab ethnico, an non milites suis iubentur contenti fore stipendijs, vt ipsi salui fiant? Magnum vero ecclesiæ Doctori si sit, sicut vnus militum aut certe quod ad illorum improperium Propheta loquitur: *Sicut populus, ita & sacerdos*, item das mihi contentum in necessarijs, contemptum superfluorum. Lex est tamen prefixa ab Apostolis Apostolorum successoribus, *vestitum & victum habentes*, inquiunt, *his contenti simus*. Vbi forma hæc? in libris cernimus, eam, sed non in viris. Habes vero de iusto; *quia lex Dei eius in corde ipsius*, & non in codice, nec perfectionis is gradus, perfectis enim carere & necessarijs paratus est. At gratis istud, vtinam superfluis ponatur modus, vtinam non cupiamus in infinitum. Optimus hodie est, qui nō est nimis malus. Vnde quoniam à terra deficit sanctus, videor mihi non superuacue ex his, qui empti sunt de terra, reuocare ad medium episcopum Malachiam virum vere secundum, & nostrorum quidem temporum singularis sapientiæ, qui lucerna erat ardens & lucens, nec tamen extincta est, sed submota.

Isaiæ 24.

1. Tim. 6.

De bonis eius initijs.

Cap. CVI.

Ortus & patria S. Malachiæ.

HIc ortus est in Hibernia de populo barbaro, ibi educatus, ibique literas edoctus est. Cæterum de natali barbarie nihil traxit, non magis, quam de sale materno pisces maris. Parentes tamen illius fuerunt genere & potentia magni, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. At mater tam mente quam sanguine generosior satagebat, in ipso initio notas facere paruulo vias vitæ. Itaque agebat senem moribus annis puer, expers lasciuiæ puerilis. Erat autem homo in ciuitate Ardinacha in qua alitus est Malachias, vir sanctus & austeræ admodum vitæ. Qui cellam habens iuxta ecclesiam, seruiebat ieiunijs & orationibus & obsecrationibus die ac nocte. Ad hunc se contulit Malachias, ab eo vitæ formam accepturus. Seditque & ipse solitarius. Sed intra paucos dies habuit imitatores nō paucos exemplo sui prouocatos. Tandem ordinatus est sacerdos, annos natus quasi 20. &. v. Cui etiam episcopus vices suas commisit, seminare semen sanctum in gente non sancta, & dare rudi populo & sine lege viuēti legem vitæ & disciplinæ. Suscepit ille mandatum cum omni alacritate, sicut erat spiritu feruens, nec talentis incubans, sed inhians lucris. Denique cum esset ei studium & zelus maximus circa cultum diuinorum & venerationem sacramentorum, ne forte de his aliquid constitueret vel doceret secus, quam ritus haberet vniuersalis ecclesiæ subijt eius animum adire episcopum Malchum, qui se plenius de omnibus informaret. Hic erat senex plenus dierum, & sapientiæ atque virtutum, qui de habitu monachali VVintonienſi monasterio assumptus est in episcopum in Lesinor ciuitate. Ibique tanta ei desuper data est gratia, vt non solum vita & doctrina, sed & signis etiam clareret. Nam puerum mente captum ex his scilicet quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione sanauit, surdoque auditum restituit. In quo idem mirabile quiddā confessus est, quod cum Sanctus vtrique auriculæ hinc inde digitos immisisset, duas quasi porcellas ex ipso exire senserit. Pro his huiusmodi fama crebrescēte, nomen grande adeptus est, ita vt ad eum Scoti, Hibernique confluerent, & tanquam vnus omnium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergo Malachias perueniens benignè à senè est susceptus, & annis aliquot cum eo mansit, vt per hanc temporis moram de pectore veterano sapientiam hauriret.

S. Malachias adiungit se cuidam viro sanctissimo.

Malachias presbyter ordinatur.

In Sacramē. torum administratione nihil præter morem vniuersalis ecclesia faciendum.

Malchi episcopi duo miracula.

De sorore sua mortua per eum Deo reconciliata.

Cap. CVII.

Soror defuncta apparet Sancto Malachiæ.

MOrtua autem sorore sua, non prætereundam de ea vidit visionem. Huius siquidem Sanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto etiam zelo, vt se deuouerit non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta solutum est votum, & cæpit videre in spiritu, quam in carne noluit. Quadam nocte audiuit per somnium vocem sibi dicentis, sororē eius stare foris in atrio, & ecce per totos 30. dies nihil gustasse. Qui euigilans, & cito intellexit, cuius escæ inedia marceret, & diligenter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, & ex quo pro ea panem & vinum non obtulisset. Tunc ille, qui sororis animam nō oderat, sed peccatum; beneficentiam quam intermiserat rursum adoritur. Neque frustra. Non multo enim post visa est ei peruenisse ad limen ecclesiæ, necdum tamen posse intrare, apparere etiam in pulla veste. Cumque ille perseueraret curans ne qua die solita stipe frustraretur. Secundo vidit eam in veste subcandida ad missam quidem intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertio tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida. Vides igitur lector quantum valeat deprecatio insti assidua. *Vere Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris cœlestibus exhibuisse portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur? Hanc vim Iesu bone, tu qui pateris, facis validus, & pius ad saluandum, faciēs misericordiam & potentiam in brachio tuo, & in sacramento tuo, seruans sanctis qui in terra sunt vsque ad consummationem. Hoc plane sacramentum est potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cœlis reuertentes de terra.

Obserua quid conseruant defunctis missa & preces.

Matth. 11.

Nota enchariſtia vim.

De monasterio ab eo constructo, & quibusdam eius miraculis.

Cap. CVIII.

Benchor insigne monasterium restauratur.

VIr diues & potens, qui locum Benchor, & possessiones eius tenebat, inspiratus à Deo confestim in manus Malachiæ omnia sua dedit, & se quoque & is auunculis eius; sed Malachiæ spiritus, quàm carnis propinquitas pluris fuit, ipsum quoque locum Benchor tradidit ei Princeps, vt ædificaret ibi monasterium, vel potius reędificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput: nec modo in præfatas, sed in exteras etiam regiones quasi inundatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt. Ex quibus ad has nostras Gallicanas partes Sanctus Columbanus ascendens Luxouiense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt enim tam magnam fuisse, vt succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solennia diuinorum, ita vt nec momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sunt Benchorensis monasterij gloria. Hoc olim destructum à Piratis ob insigne dignitatis antiquæ Malachias veluti quandam replantaturus paradisum amplexus est. Et quia multa Sanctorum corpora dormirent ibi. Nam vt taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, fuerut nongenti simul vna die à Piratis occisi. Erat quidem ingens illius loci possessio, sed Malachias solo contentus loco Sancto totas possessiones & terras alteri cōcessit. Ipse vero decem circiter secum fratribus assumptis, veniens ad locum cæpit ædificare, vbi die quadam cum in securi ipse secaret, casu ex operarijs vnus illo vibrante in aëra securim, locum incaute occupauit, in quo ictus destinabatur, & cecidit super spinam dorsi eius, tanto vtique impetu ac sonitu, quanto conatu impingere valuit. Corruit ille & accurrere omnes putantes aut per-

Nongēti monachi vno die interfecti à piratis.

Ingens miraculum.

cussum

cussum ad mortem, aut mortuum. Et tunica quidem scissa est à summo vsque deorsum, homo autem illæsus inuentus est tam modice, & summatim, vt vix in superficie vestigium appareret. Stabat enim homo incolumis quem securis prostrauerat intuentibus & stupentibus, qui circunstabant, vnde & facti alacriores, & promptiores exinde ad opus inuenti sunt. Porro oratorium intra paucos dies consummatum est, in quo Deo seruitur, sicut olim simili deuotione, sed non pari numero.

Vide malignitatem Sathanæ.

Eo tempore & loco quidam infirmabatur, cui assistens diabolus, & aperte loquens suggerebat, ne vnquam crederet monitis Malachiæ, sed si intraret ad se, cultello eum peteret & occideret. Quo agnito, illi qui ministrabant ipsi infirmo prodente, verbum proferunt ad Malachiam præmunientes. At ille solita arma orationis arripiens impauidus hostem aggressus, & infirmitatem fugat & dæmonem.

S Malachias curat dissenteriam.

Clericum nomine Michaelem dissenteria laborantem & desperantem, mittens ei aliquid de mensa sua eodem loco sanauit. Secundo ipsum eundem grauissima infirmitate correptum, & corpore pariter curauit & mente, illico enim adhæsit Deo, & seruo eius Malachiæ.

De actibus eius in episcopatu suscepto.

Cap. CIX.

Creatur episcopus Conereten sis.

VAcabat tunc episcopalis sedes in vna ciuitatum, & iam diu vacarat, Malachia nolente assentire quem elegerant. Persistentibus tamen illis tandem cessit accedente ad vim faciendam mandato magistri sui, necnon & Metropolitani. Tricesimo igitur ferme anno ætatis suæ consecratus episcopus Conereth introducitur. Cumque cæpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nunquam adhuc tales expertus fuerat, in quantacumque barbarie nusquam repererat sic proteruos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad legem barbaros, ceruicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam Christiani nomine, re Pagani. Non decimas dare, non primitias, non legitima inire coniugia, non facere confessiones, nec pœnitentias, nec qui peteret, nec qui daret penitus inueniri, sed nec in ecclesijs aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid igitur faceret athleta Domini? aut cedendum turpiter, aut periculose certandum. Sed qui se pastorem, & non mercenarium agnoscebat, elegit magis stare, quam fugere, paratus dare animam suam pro ouibus suis si oportuerit. Et quamquam omnes lupi, & oues nullæ, stetit in medio luporum pastor intrepidus omnimodis argumentosus, quomodo faceret oues de lupis. Monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere, nunc leniter conuenire, prout cuique videbat expedisse. In quibus dum minus per hoc profecisset, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quotiens noctes totas peruigiles duxit extendens manus in oratione, & cum venire ad ecclesiam nollent, per vicos & plateas occurrebat inuitis, & circumiens ciuitatem perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed & foris rura nihilominus, & oppida sæpius percurrebat cum Sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui nunquam deerant lateri eius, ibat & erogabat vel ingratis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, in hoc virum se Apostolicum probans. Iesu bone quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus à filijs sceleratis, quantaque sustinuit ab ipsis quibus & pro quibus loquebatur bona tibi. Blasphematus obsecrabat, iniuriatus opponebat scutum patientiæ, & vincebat in bono malum. Itaque *dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum est veritatem.* Cessit duricia, quieuit barbaries, recipiuntur vbique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ vero reijciuntur. Reædificantur basilicæ, ordinatur clerus, in illis sacramentorum rite solemnia celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conueniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum. Postremo sic mutata in melius omnia, vt hodie illi genti conueniat, quod Dominus per Prophetam dicit: *Qui ante, non populus meus, nunc autem populus meus.* Osee 2.

Verum se declarat pastorem inter subditos pessimos.

Psal. 119. Romanas leges & ecclesiasticas consuetudines apud illos introducit.

De archiepiscopatu quem inuitus suscepit.

Cap. CX.

Celsus archiepiscopus rogat sibi substitui S. Malachiam inepiscopatu.

COntigit autem archiepiscopum Celsum infirmari qui & Malachiam in diaconum, presbyterum & Episcopum ordinauit, & cognoscens quod morereretur fecit quasi testamentum vt Malachias sibi deberet succedere, eo quod nullus se de prima dignior videretur. Verum mos pessimus moleuerat quorundam diabolica ambitione potentum, sedem Sanctam obtinendam in hæreditaria successione. Nec enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu & familia sua. Nec parum processerat execranda successio; decursis iam in hac malitia quasi generationibus 15. & eousque firmauerat sibi ius prauum, immo omni morte puniendam iniuriam generatio enim mala & adultera, vt & si interdum multi defecissent clerici de sanguine illo, sed episcopi nunquam. Denique iam 8. extiterant ante Celsum viri vxorati & absque ordinibus, literati tamen. Inde tota illa per vniuersam Hiberniam (de qua multa superius diximus) dissolutio ecclesiasticæ disciplinæ censuræ eneruatio, religionis euacuatio. Pro his ergo Celsus vehementer dolens, curauit omnino successorem habere Malachiam, eo quod per ipsum consideret posse explantari male radicatam successionem, qui charus esset omnibus, & quem omnes æmularentur, & Dominus erat cum eo, nec frustratus est à spe sua. Nam mortuo illo, substituus est Malachias, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de semine nequam, qui occuparet locum Mauricius nomine. Is per quinquennium fretus potentia sæculari incubauit ecclesiæ non episcopus, sed tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam conuenerant. Denique suadebant eum subire onus, iuxta constitutionem Celsi: sed ille, qui omne sublime haud secus, quam suum præcipitium declinabat, bonam sibi videbatur nactus occasionem excusandi, quod per id temporis introitus eius pacificus esse non posset. Dicebat igitur non suum interesse fundi humanum sanguinem occasione sui, postremo iunctum se alteri sponsæ quam dimittere non liceret. Verum illis econtra instantibus & clamantibus, quia à Domino sermo est egressus, sed & tota auctoritate iubentibus subire onus, & in cantantibus anathema. Ad mortem, inquit, ducitis me, sed obedio spe martyrij, hac tamen conditione, vt si iuxta fidem nostram res in melius cedat, & vendicet sibi Deus hæreditatem suam à diripientibus eam: tunc demum omnibus consummatis, & ecclesia pacem habente liceat redire ad priorem sponsam meam & amicam, de qua rapior per potestatem, & pro me illic alium substituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit. Nota lector virtutem viri & animi puritatem, nec honorem affectantis, nec formidantis mortem pro Christi nomine. Spondentibus illis demum acquieuit voluntati eorum, vel potius Dei, à quo sibi iam olim præostensum recordabatur, quod de se modo dolebat fieri. Nempe iam ægrotante Celso apparuit Malachiæ, & quidem longe posito, & nescienti mulier proceræ staturæ, & reuerendi vultus, percunctanti quænam esset, responsum est esse vxorem Celsi. Quæ ei tradens virgam pastoralem, quam manu tenebat disparuit. Paucis decursis diebus Celsus moriens, misit baculum suum Malachiæ tanquam sibi successuro: quem vt vidit agnouit ipsum esse quem viderat.

Cogitur à principibus & episcopis prouincia acceptare eam.

Nota de authoritate archiepiscopi Hiberniæ.

S. Malachias archiepiscopus sed recusat.

Vide insignē beati viri virtutem & animi puritatem.

Visio Malachiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De vltione cœlesti in eius aduersarios.

Cap. CXI.

HVius præcipuè recordatio visionis terruit Malachiam, vt si quod diu satis dissimulasset vltra renueret, diuinæ iam resistere videretur voluntati. Verumtamen ciuitatem non intrauit quamdiu ille incubator vixit, ne hac occasione contingeret morti quemquam ex his, quibus vitam magis ministraturus veniebat. Ita per biennium. (Nam id temporis superuixit ille agens extra vrbem) strennue in vniuersa prouincia opus episcopale exercuit. Illo igitur celeri morte facto de medio rursum Nigellus quidam immo vere nigerrimus sedem præripuit, & in hoc animæ suæ Mauricius adhuc viuens prouiderat, vt hunc haberet hæredem, in quo qui damnandus exibat, operibus addicere damnationis persisteret. Erat enim vt ipse ex damnata progenie cognatus Mauricij. Cæterum Rex & Episcopi & fideles terræ nihilominus conuenerunt, vt introducerent Malachiam. Et ecce concilium malignantium ex aduerso, quidam de filijs Belial promptus ad malitiam, potens iniquitate, sciens locum vbi pariter conuenire decreuissent, multis aggregatis sibi latenter vicinum occupat collem eminentẽ è regione, vnde illis tractantibus alia, repentino impetu super incautos irruerent, & interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Episcopo trucidare, vt non esset qui vindicaret sanguinem iustum. Res innotuit Malachiæ, & intrans ecclesiam, erat enim prope, & eleuatis manibus orauit ad Dominum. Et ecce nubes & caligo, sed & tenebrosa aqua in nubibus aeris, diem vertunt in noctem, Fulgura quoque & tonitrua, & horribilis spiritus procellarum diem vltimum minitantur, ruituramque ecclesiam intentant ad omnia mortem. Et vt scias lector, quod oratio Malachiæ concusserit elementa, solos intercipit tẽpestas, qui quærebant animam eius, solos turbo tenebrosus inuoluit, qui parauerant opera tenebrarum. Denique ipse, qui Princeps exciterat tanti mali fulmine percussus interijt cum tribus alijs, & fuerunt consortes morti, qui fuerunt participes sceleris. Quorum sequenti die inuenta sunt corpora semiusta & putrida hærentia ramis arboreis, vbi quemque spiritus eleuans alisisset. Alij quoque tres semiuiui inuenti sunt. Cæterique omnes circumquaque dispersi.

Nigellus quidam archiepiscopatum iure hæreditario sibi vindicat.

Ad preces S. Malachiæ vide quid consecutum sit.

De ingressu eius in vrbem, & Nigello schismatico.

Cap. CXII.

ANno ætatis suæ 38. pauper Malachias pulso incubatore intrauit Ardinacham Pontifex & Metropolitanus totius Hiberniæ, Rege vero cæterisque, qui induxerant eum ad propria remeantibus, ipse remanet in manu Dei, & remanent illi foris pugnæ, intus timores. Nam ecce viperea soboles frendens, & vociferans se exhęredari, tota se intus & foris suscitat aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Porro Nigellus videns sibi fugam imminere, tulit secum insignia quædam sedis illius, textũ scilicet Euãgeliorum, qui fuit Beati Patricij, baculumque auro contextum, & gemmis preciosissimis adornatum, quem nominant *baculum Iesu*, eo quod ipse Dominus vt fert opinio, eum manibus suis tenuerit atq; formauerit. Et hæc sunt summæ dignitatis & venerationis in gente illa. Ibat homo gyrouagus, vt alter sathanas circumibat terram, & perambulabat eam, insignia sacra circumferens, quæ vbique ostentans, vbique eorum gratia receptabatur. Fuit vero concilium schismaticum insequi, eo quod seduceret multos ex insignibus quæ ferebat, suadens omnibus episcopum esse debere, & sic sollicitans plebes aduersus Malachiam, & ecclesiæ vnitatem. Et fecit sic, & sine difficultate, & ita in breui vniuersas sepiuit vias eius per gratiam sibi à Deo datam, & quã habebat ad omnes vt malignus ille coactus sit dare manus, reddere insignia, & quiescere de reliquo in omni subiectione.

Malachias fit totius Hibernia metropolitanus.

Quidam ei necem moliuntur.

Item de vindicta Dei in eius detractores.

Cap. CXIII.

NEc modo malefactores, sed & detractores Malachiæ corripuit Deus. Verbi gratia: Quidam habens gratiam Principum & potentum, etiam ipsius Regis, eo quod esset adulator & garrulus, & potens in lingua fouebat per omnia aduersarijs Malachiæ, & procaciter tuebatur partem eorum. Sancto vero & præsenti resistebat in faciem, & detrahebat absenti, irreuerenter occurrẽs ei in omni loco, maximeque vbi celebrioribus illum sciret interesse conuentibus, sed cito digna linguæ procacis mercede donatus est. Intumuit & computruit lingua maledica vermibus ex ea scatentibus & diffluentibus toto ore blasphemo. Quos per 6. ferme dies incessanter vomens, tandem cum illis miseram expedit vitam.

Vltio cælestis in sancti viri obtrectatorem.

Loquente coram aliquando Malachia, & populum exhortante, mulier quædam infælix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis, non deferens honorem sacerdoti & spiritui qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & spiritum impium habens in naribus, blasphemias & contumelias euomebat in Sanctum dicens eum hypocritam, & inuasorẽ alienæ hæreditatis, sed & calumici ei illius improperans. At ille nihil respõdit ei: Sicut erat verecundus & mitis, sed Dominus respondit pro eo. Versa est igitur illa in insaniam Domino vindicante, & crebris vocibus clamitans se suffocari à Malachia. Morte demum horrenda luit peccatum blasphemiæ, dicentibus, qui de semine Chanaam sunt: *Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo.* Tandem memor propositi sui Malachias, constituit pro se Gelasium virum bonum, & dignum tali honore, conniuente clero & populo, quin potius sustinentibus propter pactum. Nam alias durum visum est omnino. Quo consecrato Regibus ac Principibus attẽtius commendato, ipse clarus miraculis ac triumphis ad suam parrochiam redijt.

Item infaminam maledicam.

4. Reg. 2.

De Spiritu eius prophetico, & transitu per Clayauallem.

Cap. CXIV.

CVm autem egressus aliquando de Scotia peruenisset Eboracum, sacerdos quidam Sycarus nomine intuitus eum agnouit, nec enim eius faciem viderat ante, sed cum haberet spiritum prophetiæ, reuelatum fuit ei iampridem de illo. Hic est, inquit, de quo dixerã, quia de Hibernia sanctus veniet Pontifex, qui scit cogitationes hominum. Sic non potuit latere lucerna sub modio, prodente tamẽ per Sycarium Spiritu sancto, qui illũ accenderat. Nã & multa secreta deesse suo suorũq; dicta sunt ei à Sycaro, quę ita esse fuisse omnia recognouit. Sed & socijs Malachiæ percunctantibus de suo reditu, respondit: Sycarus incunctãter (quod post rei probauit euentus) paucos videlicet admodum de numero illo cum episcopo redituros. Illi audito hoc suspicati sunt mortem, sed aliter Deus adimpleuit. Nempe rediens ab vrbe quibusdam apud nos, quibusdam & in alijs locis ad discendam conuersationis formam relictis iuxta verbum Sycari cum paucis admodum repatriauit. In ipsa vrbe Eboracensi, accessit ad eum vir nobilis secundũ sęculũ, Vvillelius nomine, qui aduertens episcopũ multos habere socios & equos paucos. Nã præter ministros & clericos alios quinque cum eo erant presbyteri, & equi non nisi tres, obtulit ei suum quo ipse vehebatur, hoc solum dolere se inquiens, quod esse truncinus dure portans. Et addidit: Libentius enim dedissem si melior esset sed si dignamini, ducite qualemcumque vobiscum. Et ego ait Episcopus libentius accipio, quo prædicas vtliorem, quia non potest mihi esse vile, quicquid tam

Sycarus presbyter propheta.

Equus ex incommodo fit commodissimus S. Malachiæ.

preciosa

preciosa voluntas obtulerit. Et conuersus ad suos: Hunc inquit, sternite mihi, quia commodus satis, & sufficiens erit in longum. Quo facto ascendit. Et primo quidem durum vt erat sentiens postmodum mira muratione valde commodum sibi, & suauiter ambulantem inuenit, vt ne caderet super terram de sermone quem dixerat vsque ad 9. annum, quo mortuus est ipse non defecit ei, factus optimus, & preciosissimus palefridus. Quodque euidentius miraculum cernentibus fecit; de subnigro cæpit albescere, & non multo post vix inueniebatur albior, & pulchrior illo. Ipse etiam diuertent Claramuallem vir sanctus visis fratribus compunctus, & illi non mediocre ædificati in præsentia & sermone eius; & acceptans locum, & nos atque in intimis visceribus colligens valedixit nobis, & abijt. Qui transalpinas cum venisset Iporiam ciuitatem Italiæ hospitis sui paruulum suum, qui male habens erat moriturus continuo sanauit. Erat tunc temporis in sede Apostolica fælicis memoriæ secundus Innocentius Papa, qui eum suscepit benigne & humane. A quo cum multis lachrymis implorabat eius permissu licere sibi viuere, & mori in Clareualle, sed non obtinuit. Reuertens autem per Claramuallem, secundam largitus est nobis benedictionem, & alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere. Hos inquit, interim, pro me oro, vt retineatis, qui à vobis discant, quod nos postmodum doceant: Et dimissis quatuor à latere suo abijt. Qui probati, & digni inuenti monachi facti sunt.

Nota miraculum.

Venit in claramvallem.

Sanat puerum moribundum.

S. Malachiæ Romā venisse tradit Baronius.

De miraculis eiusdem.

Cap. CXV.

PRofectus autem à nobis prospere peruenit Scotiam, & inuenit Dauid Regem, qui adhuc hodie superest in quodam castello suo, cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingressus honorifice à Rege susceptus est, & humiliter exoratus, vt sanaret filiū suū. Qui aquam benedixit, & aspersit iuuenem, & intuens in eū ait: Confide fili, non morieris ac vice, Dixit hoc, & sequenti die dictum secuta est sanitas, sanitatem lętitia patris, clamor & strepitus totius familiæ exultantis. Transeunti per villam nomine Crugeldum, occurrit puella muta. Orante autem illo solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Dehinc villam ingrediens, quam nominant ecclesiam Sancti Michaelis, oblatam sibi mulierem freneticam, & vinctam funibus, corā omni populo curauit. Perueniens autem ad portum Lapasperi, transitum ibi per aliquot dies præstolabatur, sed mora minime transijt ociosa. Construit interim de virgis in septem textis oratorium, ipso iubente ipsoque operante pariter. Consummatumque circundedit vallo atque interiacens spacium benedixit in cæmeterium. Sane merito benedicentis miracula satis declarant, quę vsque hodie ibi actitari feruntur. Inde est quod de finitimis locis infirmos, & male habentes illuc portare cōsueuerunt, & sanantur multi. Mulier totis dissoluta mēbris plaustro vecta illuc, pedibus suis remeauit domum, vna duntaxat nocte non frustra in Sancto loco præstolata misericordiam Domini. Alia quædam ibidem pernocta. bat in oratione, qua forte reperiens solam homo barbarus accensus libidine & sui minime compos irruit rabiosus in eam. Conuersa illa, & tremefacta suscipiens aduertit hominem plenum diabolico spiritu. Et heus tu, inquit, miser, quid agis, considera vbi es? Reuertere hęc sancta, defer Deo, defer seruo eius Malachiæ, parce & tibiipsi. Non autem destitit ille furijs agitatus iniquis, & ecce, quod horribile dictu est, venenatum & tumidum animal, quod bufonem vocant, visum est reptans exire de inter femora mulieris. Quid plura? Etiā tremefactus resilit homo, & datis saltibus festinus oratorio exilit. Ille confusus abscessit, & illa intacta remāsit, magno quidem Dei miraculo, & merito Malachiæ. Et pulchre operi fœdo, & abominando fœdum interuenit, & abominabile monstrum. Non prorsus aliter decuit extingui bestialem libidmem, quam per frig dissimum vermem. Nec aliter temerarium frænari ausum, frustrari conatum, quam per vilem inutilemque bestiolam.

Aqua benedicta sanat filium regis Scotia.

Sanat mutam.

De mirabili, & singulari eius vita.

Cap. CXVI.

QVis autem cuncta facta per eum enumeret, quamquam libētius fateor imitandis immorer, quam admirandis. Et meo quidem iudicio primum & maximum miraculum, quod dedit, ipse erat, id est vita eius. Quis vnquam etiāsi curiosus obseruauerit in eo deprehendit ociosū nō dico verbum, sed eius nec nutum. Quis manū pedemve mouentem frustra, immo quid non ædificans in eius incessu, aspectu, habitu, vult. Denique vultus hilaritatē, nec fuscauit mæror nec leuigauit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis perfectionis forma, per omnia serius, sed non austerus, remissus interdum, dissolutus autē nunquam, negligens nihil, & si pro tēpore multa dissimilans, quietus sæpe, sed minime aliquando ociosus. A die primo conuersionis suæ vsque ad extremum vitæ suę sine proprio vixit. Non seruos, non ancillas, non villas, non vitulos, non denique quicquā reddituum Ecclesiasticorum sæcularium, vel in ipso habuit episcopatu. Mensæ episcopali nihil prorsus constitutum vel assignatum vnde episcopus viueret, nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pene incessanter circumiens parrochias omnes, Euangelio seruiens, & de Euangelio viuens, sicut constituit ei Dominus. Porro si interdum requiescere oporteret, in locis Sanctis hoc faciebat, quia ipse per Hiberniam prædicauit vniuersam. Apud quos vero moram facere libuisset, illorum se moribus & obseruantijs conformauit. Denique cum exiret ad prædicandum cum peditibus pedes, & ipse ibat episcopus scilicet & legatus. Forma enim Apostolica hæc, & inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in alijs. Illi dominantur in clero, iste dum esset liber ex omnibus omnium se seruum fecit. Illi autem non Euangelizantes manducant, aut Euangelizant vt mādūcēt, Malachias vero imitās Paulū ve Euāgelizet manducat. Illi fastū & questum æstimant pietatē, Malachias hæreditate vēdicat sibi opus, & on°. Illi fœlices se credunt, si dilatauerint terminos suos, Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolea replent vnde onerāt mensas, Malachias colligit in deserta, & solitudines vnde impleat cęlos. Illi cū accipiūt decimas, & primitias, & oblationes, insuper & de Cęsaris beneficio thelonia & tributa, & alios redditus infinitos, solliciti sunt nihilominus, quid manducent atque bibant, Malachias nihil habens horum, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illi à pauperibus exigunt, quod dent diuitibus, ille sollicitat diuites pro pauperibus sustentandis. Illi alta palatia eligunt, turres ac mœnia ad cœlos leuant, Malachias nō habens vbi caput reclinet, opus faciet Euāgelistæ. Illi equos ascendunt cū turba hominū gratis manducātium panem, & non suū, Malachias septus Sanctorum fratrum collegio pedes circumit, portās panes Angelorum quibus satiat animas esurientes. Illi plebes nec agnoscunt quidem, iste erudit. Illi potentes, & tyrannos honorant, iste punit, O virum Apostolicum quem tot & talia nobilitant signo Apostolatus sui. Quid ergo mirum si mira est operatus, sic & mirabilis ipse, immo vere non ipse, sed Deus in ipso. Alioquin tu es Deus, inquit, qui facis mirabilia.

Primum & maximum miraculum vita ipsius.

Insignis eius paupertas voluntaria.

Eximia humilitas.

Vinit secundum formā Apostolorū.

Item de miraculis eiusdem.

Cap. CXVII.

IN regione Hiberniæ iacebat infirmus in domo vtique dæmonum maleficio. Nam quādam nocte audiuit eos dicentes loquente altero ad alterum: Vide ne miser iste hypocrita illius fratris stratū stramenve cōtingat, & sic effugiat manus nostras. Cognouit homo, quod

Mala-

Malachiam loquerentur, quẽ non multo ante in eadem domo meminerat pernoctaſſe, & erat adhuc ſtramen in loco. Sumptaque fiducia, quo potuit conatu, cæpit repere debilis corpore, ſed fide fortis. Et ecce in aere clamor & vociferatio. Prohibe, eũ, prohibe retine e ũ, retine, amittimus enim prędam. At ille manibus, & genibus nitẽs, & peruenies aſcẽdit lectulũ, volutatur in ſtramine, audit vlulatũ plangentium: Heu, heu, ipſi noſipſos prodidimus, decepti ſumus: Euaſit. Et hoc dicto citius receſſit ab eo dæmonum terror & horror quem patiebatur, & omnis pariter ægritudo.

Nota mirabilem gratiam Dei in ſanctis eius.

Item tranſeunte Malachia aliquando per Liguriam oblatus eſt ei infans habens dæmonium, qui ſanus & incolumis eſt relatus.

In regione eadem ligatam funibus freneticam ſolui iuſſit, & in aqua quam benedixit lauari, lota quoque eſt, & ab infirmitate ſua ſanata eſt. Alteram quoque in Saballo regione Vlidiæ membra propria dentibus laniantem, orando & tangendo totaliter eam curauit. Exiens iterum de quadam eccleſia obuium hominem habuit cum vxore ſua, quæ non poterat loqui. Rogatuſque vt eius miſereatur, ſtat in porta populo circunſtante, & data benedictione ſuper eam iubet dominicam dicere orationem. Dixit illa, & populus benedixit Dominum ſuper his mirabilibus factis.

Mutus moribundus loquitur, confitetur, & ſumit euchariſtiam.

In ciuitate cui nomen Oenthreh decumbens in lectulo quidam iam per dies 12. priuatus linguæ officio, ad iuſſionem viſitantis ſe ſancti loquelam recuperat, Euchariſtiam ſumit & ita munitus extremum in bona confeſſione efflauit ſpiritum. Intrauit ad eum quidã de nobilibus habens ei aliquid dicere, qui inter loquendum fide plenus tres iuncos piè furatus de lectulo, ſcilicet quo ille ſedebat tulit ſecum, & multa Deus de furto pietatis eſt operatus fide illius, & Præſulis ſanctitate. Sedebat iterum in campo cum Comite Vlidiæ aliqua tractans, & multitudo copioſa circa eos. Venit mulier grauida, & vere grauis, indicat enim ſe contra omnes naturæ leges retinere partum, iam pro certo 15. menſibus, & diebus 20. Compaſſus Malachias orauit & mulier peperit

Adhuc de eodem.

Cap. CXVIII.

Ecce quanta ſit viro Dei cura de eccleſijs ſibi commiſſis.

Ciuitas Hibernia nomine Corcagia vacabat epiſcopo. Tractatum eſt autem de electione, diſſenſere partes, quibuſque vt aſſolet Præſulem volentibus conſtituere ſuum non Dei, venit illuc Malachias audita diſſenſione, conuocato clero, & populo, etiam corda & vota diſcordantium vnire curauit. Et perſuaſis illis totum negocium debere credi cui potiſſimum ſollicitudo incumberet eccleſiarum Hiberniæ, mox nominat eis non quempiam de nobilibus terræ, ſed quendam pauperem alienigenam, quem ſciret ſanctum & doctũ. Quæritur ille, nunciatur lecto decumbere, ita vt per ſe non poſſet de lecto exire. Et Malachias. Surgat, inquit, in nomine Domini ego præcipio. Obedientia eum ſaluum faciet. Quid faceret ille? Parere volebat, ſed imparatum ſe ſentiebat. Quod & ſi poſſet epiſcopari reformidabat. Itaque cum volũtate obediendi pugnante gemino hoſte, ſcilicet pondere languoris, & metu oneris, vicit illa tamẽ data ſibi in adiutorium ſpe ſalutis, itaque conatur, mouet ſeſe, tentat vires, inuenit ſe ſolito fortiorem. Creſcit pariter fides cum viribus, & demum expeditus & alacer peruenit ad Malachiam ſine hominis adiutorio. Qui aſſumens eum miſit in cathedram clero & populo collaudante.

Sanat morbidum & conſtituit epiſcopum.

Cuiuſdam nobilis viri vxor eum infirmaretur, ad mortem rogatus Malachias vt deſcenderet priuſquam moreretur infirmam vncturus oleo, deſcendit, & intrauit ad eam. Quo viſo exultat illa ſpe ſalutis animata. Et cum pararet eam vngere, viſum eſt omnibus differendũ potius vſque mane. Erat enim veſpera. Acquieuit ergo eis Sanctus. Et cũ receſſiſſet, ſubito clamor factus eſt & planctus, eo quod mortua eſſet. Auditoque tumultu Malachias accurrit, & conſternatus eſt animo ſibi ſoli imputans, quod fraudata gratia ſacramenti obierit. Et eleuatis manibus in cœlum confitens ſuum peccatum conteſtatus eſt in audientia omniũ nullam ſe recepturum conſolationem, niſi quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam tota nocte laborabat in gemitu ſuo, & cum fletu ſuos etiam vigilare, & orare præcepit, itaque illi in pſalmis, ille in lachrimis noctem duxere peruigilem. Mane autem facto exaudiuit Dominus ſanctum ſuum: Nam aperuit oculos, quæ mortua fuerat, & erigens ſe ſalutauit eum, & conuerſus eſt luctus in gaudium.

Nota quantum doleat tantus vir quod ſine extrema vnctione obierit famina.

Iterum de eodem.

Cap. CXIX.

Fvit item mulier cui ſpiritus iracundiæ & furoris in tantum dominabatur, vt non ſolum vicini & cognati fugerent conſortium eius, ſed & filij quoque ipſi vix ſuſtinerent habitare cum ea. Clamor & rancor, & tempeſtas valida vbicumque fuiſſet audax, & ardens, & præceps, metuenda lingua, & manu importabilis & inuiſa; dolentes filij, tum pro illa, tum pro ſeipſis trahũt illam ad præſentiam Malachiæ lachrymabilem cum fletu deponentes querimoniam. Vir autem ſanctus aduocatam fecit peccata ſua confiteri, & iniungens pœnitentiam; oranſque ſuper eam vt Deus omnipotens daret ei Spiritum manſuetudinis: *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne vltra iraſcatur iubet.* Sequitur quoque tanta manſuetudo, vt pateat omnibus non eſſe aliud, quam admirabilem mutationem dexteræ excelſi. Fertur adhuc hodie viuere, & tantæ eſſe patiẽtiæ & lenitatis, vt quæ omnes exaſperare ſolebat, nullis modo exaſperari damnis, affectionibus, aut contumelijs queat. Ego iſtud ſuperiori ſuſcitatæ miraculo mortuæ cenſeo pręferendum, quod exterior quidem ibi, hic vero interior reuixerit homo.

Nota de cõfeſſione & ſatisfactione præſtantiſſimum miraculum.

Vir ſecundum ſæculum honorabilis, ſecundũ Deum timoratus veniens ad Malachiam, conqueſtus eſt ei ſuper ſterilitate animæ ſuæ, ſupplicans vt obtineret ei ab omnipotente Deo gratiam lachrymarum. Et ſubridens Malachias, quod gratum haberet in homine ſæculari deſiderium ſpirituale, ſuam maxillam maxillæ illius quaſi blandiendo coniungens. Fiat, inquit, tibi ſicut petiſti. Tantos exinde, & penè continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud ſcripturæ ei poſſe aptari videretur. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, &c.*

Vere mirabilis Deus in ſanctis ſuis.

Cant. 4.

De oratorio lapideo quod ædificauit, & pœna maledici eius.

Cap. CXX.

IS cui Benchorenſis monaſterij ceſſerunt poſſeſſiones ingratus beneficio extũc deinceps inſolentiſſime ſe sẽper habuit aduerſus eũ, & ſuos, in omnibus infeſtus eis, vbique inſidians detrahenſque actibus eius, at non impune hoc. Erat autem illi vnicus filius, qui imitator patris audens aliquid, & ipſe in Malachiam eodem anno mortuus eſt. Nam viſum eſt Malachiæ debere conſtrui in Benchor oratorium lapideum inſtar illorum, quæ in alijs regionibus conſtructa conſpexerat. Et cum iacere incæpiſſet fundamenta, indigenæ quidam admirati ſunt quod in terra illa necdum huiuſmodi inuenirentur ædificia. At ille præſumptuoſus non modo miratus, ſed indignatus. Cæpitque nunc ſecreto detrahere, nunc palam blaſphemare, leuitatem notare, nouitatem horrere, ſumptus exaggerare. Itaque cum pluribus quos ſuadere valuit, ad locũ deſcendit, & ait: Bone vir, quid tibi viſum eſt veſtris hanc inducere regionibus nouitatem. Scoti ſumus, non Galli. Quænã leuitas eſt hęc? Quid opus erat opere tam ſuperfluo, tãque ſuperbo? Vnde tibi pauperi,

Vltio Dei in Malachiæ obtrectatores.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& inopi sumptus ad perficiendum? Vincit vires, superat facultates. Cessa igitur cessa, desine ab hac vesania, alioquin hoc non sustinebimus. Ad quem vir Sanctus tota libertate vtens. Miser, inquit, opus, quod inchoatum vides, & inuides sine dubio perficietur, perfectumque videbunt multi. Tu vero, quia non vis non videbis, & quod non vis, morieris. Pater autem audito, quod de filio vir Sanctus prędixisset, sciens verbum eius viuum, & efficax esse. Interfecit, inquit, filium meum. Et instigante diabolo tanto furore exarsit in illum, vt coram duce, & maioribus Vlidiæ mendacij argueret hominem veracissimum, & conuitiū intulit, simiā eum appellans. Et Malachias quidem doctus, non reddens maledictum pro maledicto obmutuit, & non aperuit os suum. Sed eadem die, Domino vindicante, domum reuersus est, homo luit linguæ effrenis temeritatem, ipso vltore quo instigatore laxarat. Arreptum enim in ignem proijcit dæmon, sed mox manibus assistentium abstractus est, adustus tamen corporis parte, & captus est mente. Et dū insaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum spumantia ora torquentē, horrendis vocibus & motibus torrentem omnia, ac toto corpore agitatum vix posse teneri à pluribus, & orans pro inimico vir totius perfectionis exauditus est, sed ex parte. Nam illico Sancto orante ille aperuit oculos, & sensum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini malus, qui eum colaphizaret. Credimus autem eum adhuc viuere, quem certis temporibus ferunt lunaticum esse. Et quidem non erat Malachiæ, non dico vnde perficeret, sed vnde faceret quicquam. Inuenit autem Dei famulus in Dei marsupio, quod suo quidem defuit merito. Quid enim iustius vt cui pro Deo nō erat proprium, cum Deo iniret consortium, & marsupium vnum esset amborum. Fideli denique homini totus mundus diuitiarum est, & quid ille nisi quoddam marsupium Dei. Denique ait: *Meus est*, inquit, *orbis terræ, & plenitudo eius*. Nec dubium Dei opus esse, quod Deo reuelante Malachias præuidit. Contulerat primum cum fratribus de opere illo, & multi præ inopia minus libenter assentiebant. Inde anxius dubiusque quid ageret, cæpit inter orandum vehementer inquirere, quęnam foret voluntas Dei. Et die quadam de via regrediens, cum iam loco appropiaret prospexit eminus, & ecce oratorium apparuit magnum lapideum, & pulchrum valde & intuens diligenter situm, formam, & compositionem, cum fiducia arripuit opus, prius quidem indicata visione senioribus fratribus, paucis tamen. Sane totum quod attente notauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obseruauit, vt peracto tempore factum viso simillimum appareret.

Prædicit obtrectatori quod moriatur.

Vir sanctus ad conuitiū nil respōdet.

Diabolus ei maledicentē inuadit.

Psal. 49.

Extruit egregium oratorium S. Malachias.

Iterum de miraculis eiusdem.

Cap. CXXI.

Cvm autem sacramenta offerret, & appropiaret ei diaconus facturus aliquid pro officio suo, intuitus eum sacerdos ingemuit, quod sensisset penes illum latere, quod non conueniret. Peracto sacrificio secreto percunctatus de sua conscientia, confessus est, & non negauit illusum sibi per somnium nocte ipsa. Cui iniungens pœnitentiam. Non debueras, inquit, hodie ministrasse, sed verecunde te subtrahere à sacris, & deferre tantis tamque diuinis mysterijs, vt hac humilitate purgatus dignius exinde ministrares.

Item alia vice sacrificante illo, & orante hora sacrificij, ea quidem sanctitate & puritate cordis, qua ipse solitus erat, astante diacono visa est columba intrare per fenestram in claritate magna. Ea Sacerdos profunditur totus, ea subobscurior basilica tota refulget. Columba vero aliquandiu circumuolitans tandem residet super crucem ante faciem Sacerdotis. Obstupit diaconus & pauens tum pro luminis, tū pro volucris nouitate, quod illa sit rara auis in terra, cæcidit super faciem suam, & vix palpitās sese erigere ausus est, vel quando officij sui necessitas postulauit. Post missam conuentus à Malachia seorsum sub periculo vitæ iubetur nullatenus secretum prodere, quod vidisset, quoad viueret ipse.

Videret admirandam sub missa sacrificio.

Aliquādo cum in Ardinacha esset cum quodam coepiscopo suo, de nocte surgens cæpit memorias sanctorum, quæ in cæmeterio Sancti Patricij multæ sunt ordo lustrare: & ecce subito vnum de altaribus ardere cōspiciunt. Ambo enim viderant visionem hanc magnam, & ambo mirati sunt. Et Malachias intelligens signum esse magni meriti illius, scilicet vel illorum quorum sub altari illo corpora requiescerent, currens & se medijs flammis immergens, expansis brachijs sacram amplexatus est aram, quid ibi fecerit, quidue senserit, nemo est qui sciat: sed quod amplius solito cœlesti igne succēsus ex illo igne exierit, fratrum qui cum eo erant tunc reor neminem esse, qui nesciat. Hæc dicta sint pauca quidem de pluribus, sed multa pro tempore. Non enim signorum tempora hæc secundum illud. *Signa nostra non vidimus. iam non est propheta, &c.* Vnde satis apparet Malachias meus quantus in meritis fuit, qui tam multis insignis extitit, etiam in charitate tanta.

Psal. 73.

Qualiter locum & diem sepulturæ suæ prælegit & illuc peruenit.

Cap. CXXII.

Percunctatus aliquando quodam in loco, si optiō detur, extremum malit agere diem. De hoc siquidē fratres quærebant inter se quem sibi quisque diligeret, cunctatur & non respondit. Instantibus illis: Si hinc migro, innuit, nusquam libentius quam vnde vna cum nostro Apostolo resurgere possim, Dicebat autem Sāctus Patricius. Si peregrinari oportet, & ita permittit Deus Claramuallē delegi. Requisitus itē de tēpore. Diē solēnē omnium sanctorum respondit. Sicut audiuimus sic vidimus, de loco pariter, & de die ægre satis ferebat Hiberniam vsque adhuc pallio caruisse, vtpote æmulator sacramentorum. Et recordatus sibi à Papa Innocētio fuisse promissum, nactus occasionem, quod Papa Eugenius præsideret, & tunc in Franciam appropiasset, præsumebat de tali vīro apud illū se nullam impetrandi difficultatē sustinere. Igitur arripuit iter, prosequuntur eum, qui conuenerant fratres vsque ad littus, non multum tamen, nimirū ipso prohibente. Ad quē vnus illorū Catholicus nomine, flebili voce & vultu, heu tu abis, inquit, & in quāta pœna quotidiana vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei. His verbis & lachrymis filij paterna viscera concussa sunt, & amplexatus est eum blandiendo. Impressoque pectori signo crucis: Certus sis, inquit, te eiusmodi nil passurum donec ego redeam. Erat autem Epilepticus, & cadebat frequenter, ita vt interdum non semel pateretur, sed & sæpius in die. Hic iam per 6. annos horrido morbo laborabat, sed ad verbū Malachiæ perfectè conualuit. In ipso autem ascensu nauis ascendunt duo ex his, qui illi familiarius adhærebant, accedentes & petentes aliquid ab eo, quibus ipse spopondit. At illi: Volumus, inquiunt, nobis certo promitti te incolumem in Hiberniam reuerti. Tunc ille de promisso pœnituit, tristis tamen annuit, & nauem ascendit. Cumque iam fere medium iter æquoreum peregissent, subito contrarius ventus nauem repellit, & reducit in terram Hiberniæ. Descendens de naui in ipso portu, in sua quadam ecclesia pernoctauit, & lætus gratias egit diuinæ consilio prouidentiæ, quo factum est, vt iam fecerit satis pro sua promissione. Mane vero intrans nauem, ipso die prospero cursu transfretauit, & venit in Scotiam, multaque Deo placita ibi operatus, pertrāsijt eam, & peruenit in Angliam. Oportuit autem eum transire Claramuallem, vt summum sequeretur Pontificem, qui à nobis susceptus est tanquam verus Lucifer ab occidente veniens, visitans nos oriens ex alto.

S. Patricius Hiberniæ Apostolus

S. Malachias in Frāciam venit.

Curat facillime Epilepticum.

Vide quantū agat Deus curā suorum seruorum.

S. Malachias venit Clarevallem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De fœlici transitu eiusdem.

CAP. CXXIII.

Dies solemnis S. Luca. DIe solenni Beati Lucæ Euangelistæ Missa in conuentu deuote celebrata, febre correptus lecto decubuit; videns discurrere fratres dandi auidos vel accipiendi, omnes solliciti erant circa frequens ministerium medicamenta perquirere, fomenta adhibere, sæpius ad gustandum vrgere. Ad quos ille: Sine causa hoc, inquit, sed charitate vestri facio, quidquid iniungitis. Oportet hoc anno Malachiam exire de corpore. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia non fraudabor reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo, qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petij; terminum, quem æque volui non negabit. Denique inungitur, & sumpto viatico fratrum se orationibus & fratres Deo commendans ad lectum reuertitur. Iacebat enim in solario, nec sustinuit vt conuentus ascenderet ad se, sed ipse ad eos descendit, & tamen mortem in ianuis esse dicebat. Quis hunc crederet moriturum, non vultus pallidior, non macilentior esse videbatur. Non rugata quoque frons, non reconditi oculi, neque nares extenuati, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum & gracile, non curui humeri, nõ caro exinanita in corpore reliquo. Hic erat decor corporis, & hæc gloria vultus eius, quæ non euacuatur, ac ne in morte videres hominem quidem securum à morte, & necdum mortuum iam certum de vita, & quodammodo loqui. Iam non dicam, *forsan tenebræ conculcabunt me quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis.* Et quidem omnium oculi in eum fixi erant. Nemo tamen qui quando exiuit aduertere potuisset, eo quod eadem in morte viuacitas vultus ac serenitas, eademque & in vita permaneret, non est mutatus, sed ipse mutauit omnes mirũ in modum, luctus & gemitus omniũ subito conquieſcit. Mutatur in gaudio mæror, planctum cãtus excludit, vincit fides, triumphat affectus. Et reuera quid rationis habet immoderatius plãgere Malachiam, quasi non sit preciosa mors eius, quasi non sit portus mortis, & porta vitæ. Malachias amicus noster dormit, & ego lugeã? luctus iste se vsu non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talem somnum in quo *hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Quid horum videtur fletum inducere? Ego ne fleam illum, qui fletũ euasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui, & ego eũ plãgam? Cupio mihi hoc, nõ illud inuideo. Interim parãtur exequiæ, offertur pro eo sacrificium, consummantur etiam ex more omnia cum summa deuotione & alacritate. Stabat eminus puer cui emortuum pendebat à latere brachium, magis impedimento illi, quam vsui. Quo comperto innui vt accederet, & apprehendi aridam manum, & applicui ad manum episcopi, & viuificauit eam. Nempe viuebat in mortuo gratia sanitatum. Et manus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Heliseus. Puer ille de londe venerat, & manum quam pendentem attulerat sanam in patriam reportauit. Iamque omnibus ritè peractis in ipso oratorio Sanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo sibi bene complacuit Malachias traditur sepulturæ Anno Domini millesimo 148. 4. Nonas Nouembris.

Psal. 126.

En offerunt pro eo sacrificium.

Miraculum defuncti.

An. Christi 1148.

De Sancto Petro Tarentasiensi episcopo.

CAP. CXXIV.

H*Elinandus.* Eo tempore florebat multa miraculorũ gratia Petrus Tarentasiensis episcopus, cuius virtutum fama cum ad ciuitatem Lausennam peruenisset, tres viri ibi in carcere clausi custodibus suis ante ostium carceris obseratum ludentibus, flentes & lugentes cæperunt nomen eius suppliciter, & fideliter inuocare. Adest continuo Pontifex inuocatus, soluit compeditos, manum porrigit, aperit ostium, iubet vt exeuntes sequantur se. Sic manifestus apparens illis, & à nullis alijs visus extrahit eos, & deducit. Cumque nulla foret oportunitas diuertendi, sequentes primum ducem suum desuper tabulas quibus custodes ludebant inter illos medios, pertransibant. Nec mirum si videri præsentes ab hostibus ipsi non poterant, qui sic videre sibi videbantur absentem. Nec ab eis Pontifex ante disparuit, quam euasisse pericula, & ad locum sese cognoscere peruenisse securum. Vnde etiam voto se obligantes non gustare cibum donec ad sui præsentiam liberatoris accederent, & noua & mira Dei magnalia prædicantes, & annunciantes.

Pacis componendæ quãfuerit studiosus.

Implacabiles inimicitias, & odia inueterata frequenter extinxit, & grauia admodum bella compescuit, desperatas recõciliationes inter maximos etiam Principes, Domino cooperante, & sermonem eius confirmante sequentibus signis effecit. Inter Principem suum Comitem Hibertum, & Hildephonsum Comitẽ Tolosanum in regione Granopolitana eo tempore dominantem, nõ sine multis incendijs & homicidijs guerram diutius agitatam, multo labore sedauit. Cuius occasione negocij ad Henricum Regem Anglorum vehementur desideratus accessit. In quo itinere miraculum singulare diuina virtus per eum perfecit apud Sanctum Symphorianum, quod est castrum Lugdunensis ecclesiæ paucis ab vrbe leucis distans.

Henrici Angliæ regis erga eum reuerentia.

De quadam miserabili muliere ab eo curata.

CAP. CXXV.

IBique erat vir fidelis Petrus de Fraxineto notus, & honoratus, qui cum ad hospitium suum aliquando quasi vim faciendo pertraxit. Huic filia iuuencula erat miserabili incommoditate laborans. Egerat enim quædam mulier maleficia per nequiciam inuidiæ socrus inducta, vt languore tabesceret desperato, nec viri sui præsentiam, nec aspectum etiam vllatenus toleraret. Affectione autem muliebri genitrix persuasa, vt sathanas sathanam eijceret, famosum quendam maleficum accersiuit. Affuit, explorauit, agnouit & iuuenculam asserens inferratam, terit arborum cortices, & poculum verbis, & herbis infectum propinat. Mordet etiam proprijs dentibus brachium miseræ mulieris in duobus scilicet locis, circa frontem scilicet brachij, ita vt vtraque morsura superior scilicet & inferior distaret à fronte brachij quasi vno palmo. Res noua, res mira, ab illo quidem lãguore conualuit, sed interdũ velut ex corde sentiẽs acus procedere, cruciabatur atrociter donec per superiorem morsuram brachij, quã nulla cicatrix, sicut nec inferiorẽ obduxerat, acus duceret vis occulta. Pluresiam in hũc modũ per temporũ interualla quasi 30. acus prodierant, quædam vt vulgo dicitur excapsatæ, quędã admittendis idonea filis foramina præferentes. Exhibetur igitur viro sancto à patre filia, cuius ei lugubrem explicat tragediam: & ecce mox eadem iuuencula sentiens acũ gemebunda deplorat: ad quam accedens vnus de fratribus laicis viro Dei seruiens cruentum extraxit, annis plurimis ad testimonium rei seruandum. Oratque sanctus, & locum vulneris tangens in virtute fidei pollicetur, nec ferrum, nec calybem vltra processurum, factumque est ita, sed mutata materia malitia nondum penitus extincta per alteram brachij inferiorem morsuram, quam vir sanctus non tetigerat, quia necdum inde aliquid exierat: cæperunt sudes lignei paruuli, quos vulgo brocas vocant, ex quercino robore vel fraxineo pro ferreis acubus egredi, grossiores spinis & parũ longiores. Nec tamẽ vnius omnes longitudinis vel grossitudinis sicut nec acus fuerãt. Septẽdecim nãq; infra annũ, & paucos menses ex vulnere ligna prodierãt. Afuit deinde reuerẽdus antistes Petrus, cui diuinitus seruabatur tãti miraculi plenitudo. Offertur mulier missarũ solẽnia celebranti, sicut præceperat vespere præcedẽti. Eadẽ hora, decimumoctauũ, ex carne mulieris lignum egreditur quod sub oculis omnium Capellanus extraxit:

Res valde mira

Sanatur mulier diu miserrime afflicta.

Confi-

Confitentem itaque mulierem absoluit Præsul, & sacram extrahens eucharistiam ab omni deinceps cuiuscunque materiei progressu iubet ipsam esse securam. Sicque ab omnibus præstigiis liberata adhæsit viro suo, liberosque procreauit, virtutem Sancti viri postea multis annis prædicauit, quam in seipsa meruit experiri.

De Cæteris euentibus illius temporis.

Cap. CXXVI.

An. Ch. 1149. Chronographus. Anno Domini millesimo 149. eclypsis Lunæ fuit, vndecimo Calendas Aprilis circa horam nonam noctis, sabbatho ante ramos palmarum, & ventorum intemperies secuta est per quatuor continuos dies. In quarta feria autem ventus maximus, & nimia fuit pluuiarum inundatio, qua die in territorio Neomorum iuxta Gandauum sacerdos missa celebrata fulmine ictus occubuit. Et in territorio Remensi quidam clericus tempestate periit. Tonitrua, fulgura, grandines, tempestates, diuersa hoc anno intulerunt hominibus incommoda. Ludouicus Rex Francorum á Palæstina nauigans, vt in patriam rediret Græcorum naues incurrit. Cumque ab eis Imperatori Curfolium obsidenti præsentandus deducitur, Georgius Dux nauium Regis Siciliæ eos aggreditur. Siquidem vastatis exploratisque Græcorum prouinciis vsque ad ipsam vrbem Regiam Constantinopolim accedens sagittas aureas in palatium Imperatoris fecerat, & incensis suburbanis de fructu hortorum Regis violenter tulerat: vnde rediens naues Græcorum incurrit, quibus captis Ludouicum Regem eripuit, sed captos Regis obtentu dimittis.

An. Ch. 1150. Anno sequenti Bartholomæus Laudunensis Episcopus 38. anno sui Episcopatus, contempto mundi schemate Fusinaci induitur monachali schemate. Qui cum sederet aliquando cum aliis monachis ad collationem aspexit quendam monachum tardius atque lentius aliis aduenientem, nigrumque paruulum iuxta eum gradientem, atque per cuculliam eum tenentem. Quod cum Abbati retulisset, didicit ab eo, quod monachus ille valde negligens esset.

Habitis per Franciam conuentibus conniuente etiam Papa Eugenio vt Abbas Clareuallis Hierosolymam ad alios prouocandos mitteretur, grandis iterum sermo de profectione transmarina celebratur, sed per Cistercienses monachos totum istud cassatur.

Adhuc de eodem.

Cap. CXXVII.

An. Ch. 1151. Anno sequenti obierunt episcopi moribus & scientia clari. Hugo Antisiodorensis & Ioscelinus Suessionensis. Hic Hugo fuit Abbas Pontiniaci primus, vir moribus & scientia clarus, ac in sacra religione strenuus. Et licet iuxta propositum ordinis sui esset miræ patientiæ, in Ecclesiæ tamen hostes districtus executor. In nocte quidem electionem suam præcedente, vidit in somnis, quod mater sua sibi esset copulanda nuptiali fœdere, qui cuni in ecclesia Senonensi propter suspensiones Henrici metropolitani consecrationis locum non haberet, à domino Gaufrido Carnotensi consecratus est. Huic successit Alanus Riparorum Abbas primus.

Hoc etiam anno illustres religione ac prudentia obeunt viri Sugerus Abbas Sancti Dionysij, Ramaldus Cistercij, Odo Sancti Remigij, sed & Gifridus Comes Andegauorum post simultates habitas cum Rege Ludouico facta pace, obiit infra mensis vnius spacium. Obiit etiam nobilis & religiosus Princeps, & pauperum pater Comes Theobaldus. Multi quoque nobiles hoc anno moriuntur.

Hanc optimorum virorum migrationem forte significauit, quod in pago Suessionico eodem anno accidit. Cum enim hyemali gelu terra vehementer induruisset, cespis plurimæ longitudinis & latitudinis de terra subito auulsus, longe ad alium locum est translatus.

Anno sequenti Regina Hierosolymorum iusto familiarius ad inimicos Dei se habente, filius eius Balduinus Rex contra eam insurgit, & obsessis captisque eius munitionibus in vrbem Sanctam intrare ab ipsa secundo etiam prohibitus, tandem violenter ingreditur, eaque in arce obsidens, facta pace Neapolim ei dimittit, reliquam partem regni sibi retinet. *An. Ch. 1152.*

Massamuti quos quidam Moabitas dicunt, post vsurpatum Mauritaniæ regnum Regemque patibulo affixum, etiam Regem Bulgæ occidentes regnum eius inuadunt, ipsam Siciliam, Apuliam, Romam quoque se inuadere minantur.

Rex Francorum Ludouicus zelotipiæ spiritu inflammatus, iurata consanguinitate vxorem suam repudiat. Quam quia contra eius voluntatem Henricus Dux Northmanniæ, videlicet filius Gaufridi Andegauensis & Mathildis prædictæ ducit, magna inter eos simultas excandescit. Hac quippe occasione ducatum Aquitannię amisit. Rex autem æmulus illius eum obtinuit.

De Vxoribus Regis Ludouici, & morte Conradi tertij.

Cap. CXXVIII.

Author. Hæc fuit prima vxor Regis Ludouici Alionardis filia senioris Comitis Pictauensis. De qua præfatus Rex suscepit duas: Ahelidem, & Mariam. Cũque cum eadem vxore sua perrexisset vltra mare, audiuit, eam, vt fertur, à Sabaldino munera suscepisse. Vnde post reditum suum in Franciam non solum ob causam prædictam, sed etiam ob ipsius mulieris incontinentiam voluit eam repudiare: vt enim dicit, Helinandus quia non tanquam Regina se gerebat, sed fere tanquam meretrix. Quod intelligens illa ab eo declinauit, & ad præfatum Northmanniæ Ducem Henricum se transtulit, qui eam, vt dictum est, in vxorem duxit. Propter quod inter ipsum & Regem discordia fuit, sed postea Rex ipsum ad pacem recepit. Qui scilicet Dux Henricus in breui mortuo Rege Stephano Angliam intrauit, & integritate regni potitus, pacem antiquam reformauit. Hic ergo Henricus senior Rex Angliæ 4. filios suscepit ex prædicta Regina scilicet Alionarde, Henricum videlicet, & Richardum, & Ioannem, qui tres ibi regnauerunt successiue: Gaufridum quoque Comitem Britaniæ. Insuper, & quatuor filias, quarum vna data est Vxor Regi Castellæ, vnde orta est Blancha Regina Franciæ. Altera vero Constantinopolitano Imperatori. Tertia quoque Saxoniæ Duci vnde natus est Otho, qui postmodum factus est Imperator. Quarta veto Tolosano Comiti, vnde ortus est Raimundus, cuius filiam postmodum accepit Alphõsus Comes Pictauensis frater Ludouici regis. Porro supradictus Ludouicus secundam vxorem, videlicet Imperatoris Hispaniæ filiam, fœminam accepit, sed illa non multis annis interiectis obiit. Deinde Rex idem habito colloquio cum Theobaldo Comite Blesensi accepit Adelam sororem illius in vxorem, sed bonæ memoriæ Theobaldi filiam de genere Caroli, vt dicitur descendentem, filiam vero suam Aelidem dicto Theobaldo iuniori dedit in vxorem. Igitur ex Ludouico, & Ahela Philippus nostri temporis rex futurus ortus est, & Theobaldus ex Aelide filium suscepit Ludouicum, ac filias Margaritam, & Elisabeth, ex quibus scilicet Ludouicus in comitatu patris succedẽs vxorẽ Catherinã accepit vnã Comitis Clari mõtis, cui comitatus

Ludouicus rex vxorem ob consanguinitatem repudiat. Amel. & Tyr. lib. 17. ca. 8.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

idem hæreditario iure obuenit. Qui ex ea relicto hærede Thebaldo nomine, perrexit Conſtantinopolim cum Balduino Flandrenſi Comite, & ibi deceſſit. Porro filio eius Thebaldo lepra infecto, ac ſine hærede defuncto, ſucceſſit in comitatu Bleſenſi Margarita eiuſdem amica, & in Comitatu Carnotenſi ſoror eiuſdem Margaritæ Elizabeth. His enim duabus ſororibus nulla priùs erat hæreditas paterna, ſed Margarita gratis fuit accepta in coniugium, primo ab Hugone de Oſiaco prope Cameracum. Poſt cuius obitum nupſit Othoni Burgundiæ fratri, ſcilicet Imperatoris Henrici. Quo defuncto, tertio nupſit Domino de Auernis Gualtero, qui ſuſceptam ex ea filiam dedit in vxorem Hugoni filio Hugonis Comitis Sancti Pauli, ex qua ortus eſt filius, qui ſucceſſit in comitatu Bleſenſi. Eliſabeth autem altera filia à patre ſuo Theobaldo data eſt primo coniunx Domino de Ambaſia, qui ex ea filiam nomine Mathildem, genuit, quę in comitatu Carnotenſi matri ſucceſſit. Illo quoque mortuo nupſit Elizabeth Ioanni de Monte mirabili, quæ ſine hærede diſceſſit. Vnde, & Monſmirabilis Matthæo fratri eius iure propinquitatis obuenit. Maria vero altera Ludouici Regis filia data eſt vxor Comiti Campaniæ Henrico, habuitque duos filios ex eo, ſcilicet Henricum, & Theobaldum. Horum Henricus cui iure primogenituræ poſt deceſſum patris obuenerat comitatus Campaniæ, cum adhuc eſſet ſine vxore, comitatu in cuſtodia fratris ſui Theobaldi relicto, perrexit in terram tranſmarinam cùm Rege Franciæ, Philippo Rege in Franciam reuertente, Regina Cypri, virum habebat, qui ſimplex homo erat, nec bellicoſus videbatur nomine Gaufridum de Cholon. Hunc Barones à Regina ſeparauerunt, eamque Marſicio de Monte Serrato in conlugium tradiderunt. Quem & terræ acquiſitæ cuſtodem ſtatuerunt, nec multo poſt Arſaciage ipſum in Achon inedia interfecerunt. Tunc præfatam Reginam Henrico comiti Campanię in vxorem tradiderunt, quem & eidem terræ ſimiliter præfecerunt.

Eugenius autem Papa cum Romanis pace facta vrbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitus commoratur. Conradus vero Teutonicorum Rex obijt, qui cum 15. annis regnauerit, benedictionem tamen imperialem non habuit, cui Fridericus dux nepos eius ſucceſſit.

(:) (:) (:) (:)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

De commendatione Beati Bernardi Clarevallensis Abbatis.

CAP. I.

An. Ch. 1153. M. 5014.

ANno Imperij Friderici primo, qui fuit ab incarnatione Domini millesimo. 153. a mundi vero initio 5014. obijt Papa Eugenius iustitiæ cultor, & pietatis amator eximius. Cuius choruscant merita in ipsa vrbe, cui scilicet insignitus præfuit, miraculis plurimis illustrata. Huic autem succesit Anastasius.

Venerãdę quoque memoriæ Abbas Clareuallis Bernardus post claros actus, & multarum animarum lucra, post multa fũdata monasteria, & plura miraculorũ signa exhibita, beato fine quieuit. Ex cuius discipulis cũ plures ad episcopatum vel archiepiscopatum vel etiam papatũ promoti fuerunt, ipse tamen nũquam episcopus vel archiepiscopus esse voluit, licet electus atque inuitatus, & multotiens, & multis in locis. Sepultus est autem ante altare beatissimæ Virginis Mariæ, ipsoq; in tumulo eius pectori supposita est capsula reliquias continens Beati Thadæi, quas eodem anno sibi missas à Hietosolyma iussit ipso corpori suo supponi.

Ex gestis eius. Hic cum adhuc puerulus graui capitis dolore vexaretur decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam cũ ille appropinquantem sentiret cum suis carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueuerat, cum indignatione magna exclamans, à se repulit, & abiecit: Nec defuit misericordia diuina bono zelo sancti pueri, sed continuo sensit virtutem, & in ipso impetu spiritus surgens ab omni dolore liberatum se esse cognouit. Neque illud tacendum, quod ab ipsis iam puerilibus annis si quos habere potebat nummos clandestinas faciens eleemosynas, & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, immo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. Obsidebant autem benignum iuuenis animum sodalium dissimiles mores, & amicitiæ procellosæ similem sibi efficere gestientes; cui præcipue inuidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum ac variis occursibus calcaneo eius insidiabatur. Cum enim aliquando curiosius aspiciẽdo, defixos in quandam oculos aliquandiu tenuisset, continuo ad se reuersus, & de seipso erubescens apud semetipsum in seipso vltro seuerissimus exarsit. Stagno quidem gelidarum aquarum, quod in proximo erat collo tenus insiliens tamdiu inibi permansit; donec pene exãguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit.

Author. Huius sancti vita, & miracula quinque libris digesta sunt à Domino Guillelmo sermone luculento, de quibus nonnulla superius posui.

De Opusculis eiusdem.

CAP. II.

SCripsit autem Beatus Bernardus ea quæ subiecta sunt.

De contemptu mundi ad clericos li. 1.
Meditationum lib. 1.
Exhortatorium de passione & resurrectione Domini libr. 1.
De diligendo Deum libr. 1.
De gradu humilitatis & superbiæ lib. 1,
De gratia, & libero arbitrio lib. 1.
Ad Abbatem Columbensem de præcepto, & dispensatione lib. 1.
Ad Cistercienses, & Cluniacenses monachos apologeticum libr. 1.
Ad Hugonem de Sancto Victore lib. 1.
Ad Innocentium Papam contra hæreses Petri Abaelardi lib. 1.
Ad Eugenium Papam de consideratione lib. 5.
Ad militem templi de laude militiæ nouę lib. 1.
Super psalmum. *Qui habitat*: homelias 18.
Super Cantica Canticorum; homelias 83.
Super missus est Gabriel: homelias 4.
Super Magnificat tractatum 1.
Epistolas breues ad diuersos 265.
Sermones autem pene innumerabiles: de quibus videlicet, ea quæ subiecta sunt excerpsi.

De exhortatione eius ad contemptum mundi.

CAP. III.

BErnardus in libro de contemptu mundi. Ecce, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus.* Bene Petre, & optime, & non ad insipientiam tibi. *Nam & mundus transit, & concupiscentia eius,* & relinquere magis expedit, quā relinqui. Item *quia exultauit vt gigas ad currendam viam,* & currentem sequi non poteras oneratus, sed nec inutilis commutatio pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. Omnia sane non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet. Et hæc fugiendarum diuitiarum causa est præcipua, quia aut vix aut nunquam sine amore valeant possideri. Limosum siquidem, & glutinosum cor humanum facile omnibus, quæ frequētat adhæret. Age ergo, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memēto; immo maxime & principaliter abnega teipsum, si desideras sequi eum, qui propter te exinaniuit semetipsum. Depone illa quinque iuga boum, quia cum illis venire non poteris. Sed & si nouissime veneris & pulsaneris, respondebitur tibi deintus, quod non sit cura Deo de bobus, & asinis.

Matth.19. Luc.14. Matth.25. 1.Cor.9. Quare diuitiæ sunt relinquendæ.

Quis enim dubitet hominem iumentis esse comparatum, qui sibi iuga emit iumentorum? Hic quidem etiā iumentis stolidior esse conuincitur, quod iugo necessitatis eorum ipse se sponte subiecit. Et quod illis est natura, huic culpa, dum tanquam sine ratione degens, & ipse sub corporeis similiter sēsibus incuruatur. Sed quid eum iuga subisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis mirandę, hoc extremę clementiæ est: *dignus est enim operarius mercede sua.* Vt autem mercedem pro opere tribuat inauditum est. *Omnibus,* inquit, *meretricibus dantur mercedes, &c.* In eo ergo dedisti, & nō accepisti, factum est in te contrarium. Plane, & in eo, qui iuga emit contrarium fit. Quid enim iuga emit, & iuga boum, cui iugum Christi suaue gratis offertur? Cuius etiam his, qui tulerint copiosa remuneratio est.

Matth.10. Luc.10. 1.Tim.5.

Sine iugo quidem non potes esse homo, nimirum qui ad laborem natus es. Sed graue iugum super omnes filios Adæ, vtique qui sequuntur eum. Super illos autem qui Christum, leue est & suaue. Cæterum, quale est hoc ipsum eligere potius quinque quam vnum? Quis enim potest seruire quinque Dominis, nedum tyrannis, sed prædonibus. Siquidem oculus ipsam animam deprædatur, & dues si interdum diuersa imperant, forsitan & aduersa, dum, scilicet, vnusquisque communem gestit præripere seruum, *& trahit sua quemque voluptas.* Vide excusationem hominis, qui ideo Christum non sequitur, & à nuptijs excusat se, quia iuga boum emerit quinque.

Ezech.16. Iob.5. Eccle.40. Matth.11. Thren.3.

Quod auaritia & cætera mala procedunt ex voluntate.

CAP. IV.

QVid si illorum laborem & dolorem consideres, & iuga numeres, qui varijs vitijs seruiunt morū magis, quam sensibus corporum. Inuenies enim homines, qui multomagis in labore hominum non sunt, sed longe aliena ab homine flagella sustinent, ementes nō modò quinque, sed plusquam 55. Non plane iuga iumentorum, sed dæmonum contendunt ambitio & elatio cordis: altera nidum, altera foueam parat; altera volare iubet, altera repere, cum neutrum profecto sit hominis. Auaritia quoque & appetitus laudis sibi inuicem aduersantur, & quod hæc congregat ista dispergit; nec minus contraria sunt, quæ simulatio & pusillanimitas suggerunt. Impudentiæ, impatientiæque clamoribus: & vtraque labor & dolor, & afflictio quoque spiritus sunt. Hęc autem omnia ex vna radice pullulant propriæ voluntatis. Huius enim sanguisugæ sunt duæ insatiabiles filiæ. Siquidem, nec animus vanitate, nec corpus aliquando satiatur voluptate: fuge sanguisugam, & omnia reliquisti. Hæc enim omnia trahit ad se. Pone hanc, & iugum tam importabile, quam multiplex abiecisti. Non est ad illam crudelis Dominus, non tyrannus impius, & inhumanus sic vrgens seruulum, & non parcens fatigatum instigat, amplius subditum premit durius, nullum mihi onus importabile, nulla grauior sarcina, factus sum in talentum plumbeum, & resedit iniquitas super illud. Sed audiam vocem solatij, quam loquitur Angelus magni consilij. *Venite,* inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis &c.* Fælices sane qui sūt exonerati, & Christum sequuntur expediti. Quid tu camele gibbū, quid tu pecuniose loculos proditoris tollis? *Non sic impie, non sic* ingredieris, arctissimum enim foramen acus huiusmodi sarcinas impure non admittit.

Diuersa vitia hominem impugnant.

Propria voluntas radix omnium vitiorum.

Zach.5. Matth.11.

Matth.19.

De excusatione falsa auarorum & maxime clericorum.

CAP. V.

SEd forte aliqui se excusent, & dicant: Si terrenarum diuitiarum culpabilis esset possessio, nunquam Abraham, Isaac, & Iacob tantam diuitiis gratiam obtinuissent à Domino. Quid respondebimus nouis imitatoribus Sanctorum veterum. Super altare Domini certe vitulos imponent: arietes & hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit, sed hoc, inquiunt, statutum vltra non habent, vbi veritas reuelata est. Quid si ipsas quoque Sanctorum diuitias temporales, vmbram futurorū fuisse dixerimus. In figura siquidem omnia eis contigisse legimus. Neque id dicimus tanquam saluari quis vel hoc tempore nequeat, diuitias possidendo. Habent Euangelia perfectionis consilium, & infirmitatis remedium. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: hæc perfectio est. Populo autem infirmo dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Hinc est, quod dotatas, & ditatas videmus ecclesias à potentibus & diuitibus sæculi. Sed heu ipsa eorum prouidentia data est in occasionem carnis, & qui sibi pariter atque aliis in cœlo tabernacula æterna parte debuerant, in terra coniungunt domum ad domum, & agrum agro. Quis rapuit ab ore Apostolorum temporis huius fiduciæ verbum. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Ecce vt populus, sic sacerdos. Similiter volunt diuites fieri, similiter amicis egerent & ipsi, vt in aliena tabernacula reciperentur, vt pote propria non habentes. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum &c.*

Consilia euangelica cōsinent perfectionem.

Matth.6. Luc.16.

Matth.19. Isai.24.

Matth.5.

De singulari, & monstruosa vita clericorum.

CAP. VI.

HAbent singula hominum genera laboris aliquid & voluptatis, sed aduertere licet & mirari, quemadmodum clerici id miro inter hæc artificio discernentes, & ab inuicē sequestrantes totum quod delectat eligunt & amplectuntur: quod molestū est fugiunt & declinant. Cū militibus nāque superbiæ fastus amplam familiam, & nobiles apparatus equorū faleras, accipitres, aleas & similia quæque frequentant. Aliqui forte & dependentes à collo rubricatas muriū pelles, ornatos thalamos, balnea, & omnē molliciem, atque gloriā vestium à mulieribus mutuantur. At vero caute omnino loricæ pondus, & insomnes in castris noctes in certaque discrimina præliorū, muliebrē quoq; verecūdiā, & disciplinā, aut quid aliud sexº ille habere laboris cernitur, declinat. Sudāt agricolę, putāt & fodiūt vinitores, & qui inter hęc torpent ocio. Accedente fructuū tēpore, & innouari sibi

Singula hominū genera & laboris & voluptatis aliquid habent.

horrea

horrea iubent, & promptuaria eorum plena cum illis, vtinam non præ illis: viuunt tritico, *bibunt vuæ sanguinẽ meracissimum*. Herbas viribus, peregrinum mutuantur vina saporem, & additur oleum camino: impinguantur, dilatantur ex adipe frumenti. Negociatores circumeunt mare, & aridam, in labore corporis & vitæ periculo, perituras sibi diuitias congregantes. Hi vero dulces interea capiunt somnos, ne dicam in stratis suis lasciuiunt. Erit tamen inuenire in die festo, graues vasis aureis & argenteis ministrorum dextras, refertas varijs opibus manticas, perticas oneratas, & in scriniis tam multipliciter loculos, vt si mensas adhibueris nummularios putes. Quid fabros, cementarios, cæteroſque huiusmodi operarios necesse est numerare: Victum sibi multo labore quærunt. Illi madent delicijs, copijs affluunt ocioſi.

Horat. lib. 1. Epis. epis. 3.

An non merito Poeta tales subsannet,
Ne cum forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

Cumque resurgere cæperint homines vnusquisque in ordine suo, vbi putas generatio ista locabitur. Si ad milites forte diuerterint exufflabunt eos, quod minime se cum labores, & pericula tulerint: Sic agricolæ, sic negociatores, & cæteri singuli à finibus suis eos similiter arcebunt, vtpote qui in labore hominum non fuerunt. Quid igitur restat, nisi vt quos omnis ordo repellit pariter & accusat, eum fortiantur loeum *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Iob. 10.

De cupiditate presbyterorum, & fornicatione & simonia.

Cap. VII.

Ioan. 21. PEtro dictum est tertio, *amas me*, nec pasce, nec mulge, nec tonde, nisi semel additum est. Superet ergo gradum ministri, qui Dominicum gregem pascere, quã tondere satagit. Pascere autem exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis, & hoc ob mandatum Christi, *vt nemo hunc sibi sumat honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquam Aaron. Qui enim non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Atque vtinam vel quæratur iam inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Nemo tamen indignetur nobis, nondum enim nunc reuelamus occulta dedecoris, nec parietem fodimus; vt abominatio maior appareat. Nõdum de fornicatione aliquam fecimus mentionem, quãuis & hæc in multipliciter regnet, qui puritatis auctori, impuro corde & corpore ministrantes, nõ verentur stare ante Angelum Domini, qui secet eos medios & dispergat. Sed omnino audent agni immaculati sacras cõtingere carnes, & intingere in sanguine saluatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes proh dolor meretricias contrectárunt. Sic altária circuire, sic frequentare psalmos, cum & huiusmodi lux execrabilis, & oratio sit in peccatum. Sed nec eorum recensemus sacrilegia, qui diligunt munera, sequuntur retributionem, vendunt sacramenta, iüstitiam produnt. Quorum guttura necdum traxit ad laqueum, necdum præfocauit fauces, verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Videmus hęc omnia, sed quodammodo non videntes: quibus quippe, neĉ flagellum est, nec ille comedens zelus.

Heb 5. Ioan. 10. 1. Cor. 4.

Dan. 13.

Psal. 108.

Matth. 26.

De ambitione cleri, & introitione in patrimonium Christi.

Cap. VIII.

1. Cor. 11. VIdete vocationem vestram fratres, scilicet quis vos vocauerit in honorem cleri. Conuenire volo conscientias singulorum, & secundum præceptũ Domini ad cor ipsum loqui. Huic paruulo necdum forsitan nato, ecclesiastica iam beneficia prouida parentum solicitudo parauit. Hunc nos inquies, *illi vel illi trademus episcopo, apud quem habemus* gratiam, vel forsitan cui seruiuimus, vt ditemur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra diuidatur hæreditas. Illũ Præpositus aut Decanus vt sibi succederet, plusquam materno educauit affectu, in delitiis enutriens & delictis; ille dignus Archidiaconatu, vtpote filius Principis, magis autem si sit episcopi consobrinus: in quo nimirum est tota episcopata progenies.

Isai 40.

Alius vndique circumit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit manibus, & pedibus repens, si quomodo tãdem se ingerere queat in patrimonium crucifixi & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inueniuntur exposita. Nimirũ peregre profectus est, sed in pleniluuio forte vt sua districte repetat rediturus. Quis ea intentione gradus ecclesiasticos, & ministeria quærat, immo quæri nemo; quã quærere ipse debuerat, vt sine curis sæculi, in sanctimonia cordis, & corporis illuminandus accedat ad dominum, & suam pariter & proximorum operetur salutẽ, orationis studio deditus, & verbo prædicationis. Nam si eos quærit eo intuitu vel tenet, vt hinc vita necessaria habeat, euangelizatur vt manducet, & peruerso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quam certe dignius est, ampliusque consentaneum rationi, vt pro carnali victu carnalia magis opera & negocia exerceret, nec fieret inuersor rerum aut inhonoraret ministerium spirituale. Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærũt, quippe minori facile satis obtinenda periculo, honorati cedere volunt, placere student hominibus, delectari; superbire, huic sæculo conformari. Ipsi, inquit, regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.

Reprehenditur parentes qui filijs beneficia procurant.

Aduersus eos qui ecclesia beneficia iniuste ambiant.

Osee. 8.

De auaritia eorum, & abusu temporalium.

Cap. IX.

VÆ, væ in domo Dei horrendum videmus. Quis nisi idolatras ministrantes, *quorum Deus venter est?* Nunquid non auaritia est Idolorum seruitus? Vtinam saperes miser, & intelligeres cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ pariter cumulari. Væ væ tibi clerice, mors in olla, mors etiam in olla carnium. Mors in huiusmodi delicijs est non modo, quia secus introitum. delectionis posita est, sed ob id maxime, quia populi cõstat esse peccata, quæ comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis te habere putas cantando, vt animis tibi prouenire videntur. Sed bonum erat magis fodere vel etiam mẽditare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Venient, venient, ante tribunal Christi. Audietur populorum querela grauis, accusatio dura, quorum scilicet vixere stipendijs, nec diluere peccata, quibus facti sunt cæci duces, & fraudulenti mediatores. De altari, ait, viuant, non superbiant, non luxurientur, non ditentur, non de bonis ecclesiæ sibi ampla palatia fabricent, mutantes quadrata rotundis, nec loculos inde congregent, nec in vanitate, nec in superfluitate dispergant. Non extollant de facultatibus ecclesiæ consanguineos suos aut neptes; ne filias dixerim nuptijs tradant. Res enim pauperum non pauperibus dare par sacrilegij crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt ecclesiarum & sacrilega eis crudelitate subripitur, quicquid sibi ministri, & dispensatores non vtique Domini vel possessores vltra victum & vestitum accipiunt. Nec enim ordinauit Deus his, qui Euangelio seruiunt de Euangelio quærere delitias vel ornatus, sed viuere vt videlicet sint contenti. alimenta corporis, non gulæ irritamenta, aut incitamenta libidinis, & quibus tegantur non quibus ornentur accipere. Triplex igitur funiculus, qui difficile rumpitur, miserum in perniciem trahit, qui impure intrat, indigne ministrat, & fructu abutitur temporali.

Philip. 3.

4. Reg. 4.

Osee. 4. Bona ecclesia quibus vsibus nõ sunt impẽdenda.

De bonis ecclesia vltra victum & vestitũ aliquid sumere sacrilegium est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſuperbia eorum, & falſa ſecuritate.

CAP. X.

1. Tim. 6. Eccl. 4. QVid enim ſi in hoc mundo floret, & proſperatur in via ſua. Areſcet velociter, & cito decidet flos fœni, ſcilicet & vapor ad modicum parens, parcitur virgæ quando inuenitur iniquitas eis ad odium. Cumque frontoſa impudentia cor obduxit, non vt paueat, nec contremiſcat, deſperatio eſt. Propter quid enim irritauit impius Deum, & exacerbauit Dominum peccator? Non propter fornicationes, inceſtus, aut ſacrilegia; nihil enim horum memorat Propheta, ſed quia dixit in corde ſuo, non requiret. Hoc enim dicere eſt requiſiturum non expaueſcere. Huic autem impietati ſecũdum multitudinem iræ ſuæ miſeretur Deus; dum nec quęrit, nec arguit, nec flagellat, nec vindicat. *Miſereamur*, ait, *impio*, procul fiat à me miſeratio tam crudelis, qua non diſcat homo facere iuſtitiam, & obdormiſcat miſer dicens: *Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat, ducat in bonis dies ſuos, & in punctο ad infernum deſcendit.* In terra, inquit, Sanctorum inique geſſit; ideſt, in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quæ Sanctorum vſibus fuerunt aſſignatæ, ſcilicet in domo Dei, quam decet ſanctitudo. In clero quippe tanquam in cœlo iniqua gerit, quia cœleſte tenet officium, & tanquam angelus aut eligitur aut reprobatur. Inuenta autẽ in Angelis prauitas, vt grauius iudicetur neceſſe eſt & inexorabilius, quam humana. Age ergo, quoniam iudicium duriſſimum in his, qui præſunt fiet. Aſcendat ſuperbia tua, ſemper ſequere Regem tuum. Omne ſublime videant oculi tui, feſtina multiplicare prębendas. Inde ad archidiaconatum euola, deinde ad epiſcopatum aſpira, nec ibi requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra vt altiori gradu grauior ſit caſus. Neque enim ſic paulatim decides, ſed tãquam fulgur impetu vehementi quaſi alter ſathanas ſubito in profundum deiicieris.

Pſal. 9. Iſaiæ. 26. Pſal. 9. Iob. 21. Iſa 26. Tria clericis perniciem adferunt. Clerici peccantes quare grauius punirentur.

Quod eis in futuro ſuccedet luctus pro gaudio.

CAP. XI.

Pſal. 72. IN *labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideo tenuit eos ſuperbia*, ſcilicet diaboli peccatum & iniquitas, hæc eſt, quæ diſciplinam non recipit, curari renuit; vlcus peſſimum quod nec ſummis digitis patitur attrectari. Quid miſeri tanto opere flagellum declinatis? Mutatis non effugitis pœnitentiam. Nam malum impunitum eſſe non poteſt. *Et quidem in hac die, quæ ad pacem vobis, ſed ſi cognouiſſetis, & vos, &c. Tollite*, inquit, *iugum meum ſuper vos*. Sine iugo eſſe non poſſumus. Homo enim ad laborem naſcitur, ſed graue iugum ſuper filios Adam, vtique qui ſequuntur eum. Nam ſuper eos, qui Chriſtum ſequuntur ſuaue eſt. *In ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris pane tuo*. Nunquid in eo ſententiam laboris omnes excepimus in quo ſine exceptione omnes peccauimus? Forte enim aliqui dicant. Quid peccamus, noſtra licite poſſidemus, à rapinis & furtis abſtinemus? Ego ſane diuitem illum, de quo Dominus in Euangelio narrat, in nullo horum audio accuſari. *Induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.* Si crudelitatis arguitur, quod habẽs ſubſtantiam mundi huius, & videns fratrem ſuum egere *clauſit viſcera ſua ab eo*, quando hæc diuiti deeſt, quantos videtis, & ipſi Lazaros eſurientes, nudos, ægrotos, & plus de iumentis veſtris, quam de eorum miſerijs cogitatis? Sed ad tremendum Abrahæ, immo Dei Abrahæ iudicium veniamus. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, &c.* Hæccine eſt tota cauſa cruciatuum, quod in hoc ſæculo bona recepit: Ipſa plane. Neque enim ad hoc nos de paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eieciſſe videtur, vt alterum hic Paradiſum ſibi adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi ipſe laborem refugit non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum. Quid reſpondebit ei, qui inſtituit eum vt laboret: *Nunc vero hic conſolatur, tu vero cruciaris.* Quid dicemus ad hæc: Si talis eſt finis, & tale iudicium, *vt extrema gaudij luctus occupet*: nonne pręferenda ſunt in hoc ſæculo mala bonis.

Luc. 21. Matth. 11. Iob 5. Eccl. 40. Gen. 3. Luc. 16. 1. Ioan. 3. Luc. ibid. Ibid. Prou. 14.

De inſatiabilitate peccantium.

CAP. XII.

COeterum non eſt cõcupiſcentiæ modum ponere, neque amator pecuniæ dicet aliquando ſufficit, neque etiam libidinoſus ſatiabitur voluptate. Sic & crudelis quiſque ſemper ſanguinem ſitit; & ambitioſus, aut humanæ laudis cupidus acceptis dignitatum titulis ſeu fauoribus, malum exinde remedium capit, ſed deſiderio æſtuat ampliori. Minus autem inuenit requiem, qui ſibi placere cupit, & putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit. Vidi & ego aliquando quinque viros, & quid niſi frenęticos arbitrarer. Primus ſiquidem buccis tumentibus marinam maſticabat arenam. Secundus ſulphureo aſtans lacui exhalantem teterrimum, & fœtidiſſimũ geſtiebat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans vehementer accenſæ, micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens leuioris auræ ſpiritum aperto ore attrahebat. Et ſi quo minus influere videretur flabello ſibi vẽtum faciebat, ac ſi totum ſperaret aerem deglutire. Quintus ſeorſum poſitos ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus, & maxime, proprias enim carnes incredibili ſtudio fugere laborabat, nunc manum, nunc brachium ori imponens. Miſeratus homines cauſamque miſeriæ ſciſcitatus à ſingulis, vnam omnibus reperio validiſſimam vtique famem. Tunc macilentiſſimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis, & dicentis. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Quid proſunt hæc vobis inquio: Non ſunt naturales cibi, famem magis prouocant hæc, quam extinguunt. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis cęteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei quicquid Deo minus eſt non implebit. Inde eſt quod naturali deſiderio omnes quidem ſummum bonum appetere probantur, nullam niſi eo adepto requiem habituri. Sed errant miſeri viam non inuenientes, & vt ſcriptum eſt: *In circuitu impy ambulabunt*, dum minora bona quærentes illud ſemper deſiderant, quod necdum ſibi vicinius videntur adepti, vnuſquiſque quod valet trahit in partem, nec aliquando poterit, hic circuitus peragrari. Vis peruenire, incipe trãſire. In circuitu ſiquidem ambulas, & quod prope erat cordi tuo, terga vertens declinas. Hinc eſt, quod vociferantur ad te: *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere &c.* Anfractuoſa vita eſt & inambulabilis, facilius peruenies ſpretis omnibus, quam adeptis.

Concupiſcẽtia non licet modum ponere. Quinque genera nominũ furioſorum. Pſal. 101. Anima rationalis Dei capax cæteris omnibus occupari poteſt, ſatiari non poteſt. Pſal. 11.

De illis qui reformidant aggredi viam perfectionis.

CAP. XIII.

ECce, inquit, *nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quantos mundi ſapientia maledicta ſupplantat, & conceptum in eis extinguit ſpiritum, quem Dominus voluit vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu de libera: magnum eſt quod proponis, experire quid poſſis, amicos conſule. Hæc eſt ſapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, ſalutis inimica, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ Deo ſolet vomitum prouocare: cum à Deo verbum eſſe non dubites, quid opus eſt deliberatione. Vocat magni conſilij Angelus, & quid aliena cõſilia præſtolaris: Quis fidelior illo, vel ſapientior. Deduc me Domine, & deducat fortior eſto, & inualeſce, vt ab ore putei gehennæ eripiar, &

Matth. 19. Vana argumenta quæ mundani homines tyronibus religionis proponunt.

inducias

inducias petam, & cunctabor exire ſi forte interim fiat aliquid. Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto iam latere, & iam ſanie defluente diu deliberandum eſt an excutiam illum. Magnum eſt, quod offerunt, ſed eo vtique libentius & feſtinantius ſuſcipiendum obuiis manibus, & cum feruore & hilaritate. Probet autem ſeipſum, qui de propria virtute præſumit, nam diuina quidem omnino probata eſt. Amicos conſulat, qui non legit: *Inimici hominis domeſtici eius.* *Matth.10.* Quid frequentat Euangelium, qui Euangelio non obedit? *Sine*, inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos.*

De brauio ſequentium Chriſtum per viam prædictam.

Cap. XIV.

Matth. 19. Sequitur. *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius hominis, &c.* Quæ eſt hæc noua regeneratio. Tertia generatio non illa ſcilicet quæ fit ex ſanguinibus, & voluntate viri; nec illa, quę fit ex aqua, & Spiritu ſancto, ſed corporis futura reformatio. Homo nimirum ex anima & corpore conſtans totus ſimul cecidit, per peccatum in mortem, ſed totus ſimul reſurgere non poteſt: dignumque eſt, vt ea portio quæ videtur potior repararetur prior. Hæc eſt anima. Prior ergo reficiatur quæ prior corruit, præſertim eo quod ab eius culpa corporis pœna prodierit. Vnde prius vtique peccata mundi non moleſtias tollere carnis Saluator venit, quod in ſeipſo manifeſtius docuit pœnis omnibus corpus exponens, animam autem immunem prorſus à peccato cuſtodiens. *Chriſtus venit prius tollere peccata mundi quã carnis moleſtias.* Non ſic hodie, non ſic filij hominum, ſed animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt dantes operam eius valitudini, immo etiam voluptati, De ſchola Hipocratis & Epicuri didicerunt hæc. Tempus hoc animabus, non corporibus eſt aſſignatum, dies ſalutis vtique non voluptatis. At nemo, inquiunt, carnem ſuam odio habuit. Verum eſt, ſed zelum habens abſque ſcientia, dum prodeſſe feſtinat inuenitur obeſſe. Cum enim iudicium carnis ex anima pendeat, nihil carni poteſt vtilius, quam ſalus animæ prouideri, vt videlicet in tempore ſit reſpectus illius, & ſocia paſſionis, fœlicitatis quoque conſortium mereatur. Vnde Apoſtolus: *Philip.3.* *Saluatorem* inquit *expectamus, &c.* Requieſce in hac ſpe caro miſera, qui propter animam venit, pro te quoque venturus eſt. *In regeneratione* inquit *cum ſederit filius hominis &c.* *Math.19.* Fœlix regeneratio, quando renaſcitur ad ſeſſionem miſer homo natus ad laborẽ. Corpus enim Reſurrectionis iam non moritur, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec nullus dolor, quoniam priora tranſierunt. Fœlices lachrymæ, quas benigna manus conditoris abſterget. Et beati oculi, qui in talibus liquefieri potius elegerunt, quam eleuari in ſuperbiam, quam omne ſublime videre, quam auaritiæ petulantiæ famulari. Sedebit igitur corpus immortalitatis & impaſſibilitatis gemina quadam fœlicitate dotatum, liberum ab omni neceſſitate, & ab omni concupiſcentia alienum immune ab omni corruptione, plenum gratia, configuratum denique claritati Chriſti. Sedebit & anima ſicut nil metuens, ſic nec cupiens vltra. Cœterum in regeneratione corporum ſedebit in ſede maieſtatis, qui pro animarum regeneratione ſtetit in ignominioſo ſupplicio crucis. *Corpus glorioſum quale.*

De aſcenſu ad regnum, & tempore quod ad hoc homini eſt conceſſum.

Cap. XV.

Scala vero, qua ad Deum aſcendimus tres habet gradus, ſcilicet ſobrie viuere quo ad nos, iuſte quo ad proximum, pie quo ad Deum. Latera ſcalæ ſunt vilitas, & aſperitas, innixa baſibus, ideſt duobus lignis Crucis, deſuper etiam capitellis coercenda ſcilicet ſpe ſuper næ gloriæ, & voluptatis æternæ. Quis vero ſæcularis honor excogitari poteſt, qui non prorſus in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? Non vnius ſiquidem ciuitatis, aut populi, ſeu regionis vnius, ſed vniuerſitatis iudices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolum ipſos homines, ſed ipſos Angelos iudicabunt, qui parentes ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exufflantes, imperium Chriſti vniuerſis præferunt titulis dignitatum. Infœlix prorſus ambitio, quæ ambire magna non nouit, quærens de modico creſcere, de maximo autem minui. Amant enim primas cathedras, quæ ſicut groſſi ficuum velociter ſunt caſuræ. Hęc enim eſt perfectorum gloria ſingularis, inter ipſos etiam eminere fideles, & cæteris quoque ſaluandis præeminere auctoritate iudiciariæ poteſtatis. Magna quidem promiſſio diuina, ſed longa nimium dilatio; & moleſta expectatio terrenam deſerere ſortem & nondum obtinere cœleſtem. *Breues dies hominis ſunt.* Sed eſto tibi multa annorũ curricula reſtant, adoleſcens es, vſque ad ſenectutem victurus & ſenium. Quid neceſſe habes amittere tempora tanta, perdere lucra tanta? Nihil tempore precioſius, ſed heu hodie nihil vilius æſtimatur. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo ſibi non reditura momenta periiſſe cauſatur. Sede, computa, quid diebus ſingulis acquirere valeas certus apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum, & ſicut non capillum de corpore, ſic ne de tempore momentum periturum. *Tempore nil pretioſius.*

De ſtultitia cupidorum, qui nolunt relinquere ſimpla pro centuplis.

Cap. XVI.

Sequitur: *Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, &c.* *Math.19.* Quid inſaniæ eſt, quod cunctantur homines relinquere ſimpla pro centuplis; vbi eſt cupidus, vbi ambitioſus? Quid ad fidele negocium, & nundinas quæſtuoſiſſimas auaritia intepuit, & obdormiuit in terra? Cui id Iudæo negares o homo, cui ſacrilego dare, quod habes cunctareris pro centuplo? Sed execrabilis tibi eſt manus domini, vt ab eo commutationem accipere non acquieſcas. An non fictus in præcepto labor, onus leue, ſuaue iugum, crux inuicta, vbi ſcilicet Chriſtus morte mulctatur, cruce turpatur. Quis ſuorum delicias ſiue gloriam ſuſtinere queat, nedum quærere audeat? Sicut exercitij ſpiritalis & curæ cordis indicium eſt euidens contemptus exteriorum, ſic eorum ſolicitudo ſignum eſt certum mentis incultæ. *De ſtercore bouum lapidatus eſt piger* qui Chriſtum lucrifacere negligens corde vacuo, & deſerto foras cogitur euagare. Væ væ miſero, dum ſtercoratur, ornari putatur. Bos erat Paulus, qui omnia hæc arbitrabatur vt ſtercora, vt ſanę mentis ampliorem credat non eſſe in virtutibus, quam in vitiis delectationem. Neque enim carni vel mundo, vel diabolo, ſed Chriſto ſeruire regnare eſt. *In via*, inquit *mandatorum tuorũ delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.* Quid erit in patria, ſi tanta eſt delectationis copia in via? Nam & Apoſtolus, non ſpe ſolum, ſed etiam in tribulationibus docuit delectari, *Et omnis* inquit, *qui reliquerit domum, aut agrum, &c.* Ipſe enim hic loquitur, qui dicit alibi. *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* *Eccle.22.* *Philip.3.* *Pſal.118.* *Math.19.* *Luc.11.*

De illis qui relinquunt poſſeſſiones, ſed non proprias voluntates.

Cap. XVII.

Sed audiui, ait homo, qui perditionis ſuæ occaſionem quęrit & vt vulgo dicitur feſtucam querit vnde eruat ſibi oculum. Audiui, inquit, de illis, qui reliquerant omnia, & ad vomitum ſunt reuerſi; quomodo iſti acceperunt centuplum? Sunt quidem loculi, ſed non ſolum pecuniæ, ſed etiam propriæ voluntatis. Scrutetur prouide vias ſuas & ſtudia ſua, qui promiſſam centupli gratiam ſibi deeſſe cauſatur. Nec dubium, quin inueniat

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

angulū & diuersoriū reclinatoriūque non filij hominis, sed aut foueam vulpis, aut volucris nidum. Magis autē obsecro relinquat omnia, nihil sibi retineat, ne modicum fermenti totam massam corrumpat, & solum sequatur Christum iactans cogitatum suum in eo enutriendus ab eo, & centuplum sine dubio recepturus. Nemo ergo cum se viderit non omnia reliquisse, centuplū non accepisse miretur. Præciosa siquidem diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam

Calumnia eorum qui dicunt centuplum non accepisse a-postatas: & responsio.

Infœlix tu Esau, qui dixisti: *Nunquid vnam tantum benedictionem habes pater?* Quanto melius diceres cum propheta: *Vnam petij à domino hanc requiram.* Indignus enim cœlesti benedictione conuincitur, qui eam dubio quærit affectu, duplici intentione, aliud sibi refugium parans si non eam forte obtinere contingat. *Maior est* (inquit Cain) *iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Quid ergo? Renuat consolari anima tua, si veniam non meretur: hoc solum cogita, & deplora. *Sed omnis*, inquit, *qui inuenerit me, occidet me.* Graue damnum, grauis iactura, si corpus perimatur, quandoquidem anima perijt. Sic enim se occidendum causabatur infœlix tanquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi, quod factū est. Consolationem miseram obtinuit, quam quæsiuit, & oblitus est illius pro qua maximè supplicare debuerat. Sic & Saul postquam peccauit, Amalech Rege seruato, primo quidem Samueli visus est pro indulgentia supplicare. Sed eo tamen in sententia persistente tunc, inquit, *honora me coram omni populo.* Sic vsque hodie dilectissimi cuius ad alias delectationes consolationis mens inhiat, & non pœnitus renuit in caducis, & transitoriis consolari, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis, quam si digna deuotione & pleno affectu peteret, quæreret, pulsaret, sine dubio acciperet.

Gen. 23.

Psal. 26.

Gen. 4.

1. Reg. 15.

Quod prædictum centuplum nemo scit nisi qui accipit.

Cap. XVIII.

Apoc. 2.

FOrte adhuc sæcularis, quispiam dicit: Ostende mihi centuplum, quod promittis. At inquam: Nūquid homini ostendenti potius crederes, quam veritati promittenti? Deficis scrutans scrutinio, nisi credideris non intelliges. Manna absconditum est, nemo scit, nisi qui accipit. An non omnia possidet cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritusancto, qui Christum habet in pectore? *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te & memoriã abundantiæ suauitatis tuæ.* Hoc ergo centuplum est adoptio filiorum, libertas, & ptimitiæ spiritus, delitiæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod est intra nos, non vtique esca, vel potus; sed iustitia, & pax & gaudium in Spiritusancto, non in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hæc est virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti Crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc gratia deuotionis, & etiam victio docens de omnibus, quam inexpertus ignorat, quia nemo scit, nisi qui accipit. His itaque præueniat vos Deus benedictionibus dulcedinis, ad solatium vtique & remedium præsentis laboris, ne deficiamus in via, vt de præsentium exhibitione munerum firma sit expectatio futurorum.

Psal. 30.

Centuplum quod promisit Christus quid sit.

De Meditatione hominis circa se.

Cap. XIX.

IDem *in libro meditationum.* Multi multa sciunt, & semetipsos nesciunt, alios inspiciunt, & seipsos deserunt: Deum quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad superiora ascendam, adhærendo sic veritati per cognitionem. Nam ab illa defluendo per amorem amando scilicet vanitatem pro illa homo vanitati similis factus est. Et quid vanius, quam diligere vanitatem? Et quid iniquius, quã contemnere veritatem? Itaque appetitus vanitatis est contemptus veritatis, & contemptus veritatis causa est nostræ cæcitatis. Vnde quia non probauerunt iniqui Deum habere in notitiam, tradidit illos in reprobum sensum. Quanto autem in cognitione mei proficio, tãto ad cognationem Dei accedo.

Rom. 1.

Secundum interiorem hominem tria in memoria mea inuenio, per quæ Deum recolo, conspicio, & concupisco; sunt autem hæc tria memoria, intelligentia, voluntas siue amor. Per memoriam reminiscor, per intellectum intueor, per voluntatem amplector. Cum Dei reminiscor in memoria mea eum inuenio, & eo delector. Intelligentia intueor quid sit Deus in seipso, quid in Angelis, quid in sanctis, quid in creaturis, quid in hominibus. In seipso est incomprehensibilis, quia principium, & finis. Ex me intelligo quam incomprehensibilis sit, quando me intelligere non possum quem ipse fecit. In Angelis est desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere. In sanctis est delectabilis, quia in eo assidue fœlices lætantur. In creaturis est admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat. In hominibus est amabilis, quia eorum Deus est, & ipse in eis hãbitat tanquam in templo suo. Diligere eum vere debemus, quoniam ipse prior dilexit nos, & ad imaginem & similitudinem suam nos fecit, quod nulli aliæ creaturæ donare voluit. Oportet itaque id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire.

Tria sunt in nobis memoria intellectus & voluntas.

Deus qualis est in rebus omnibus. Ioan. 4. Gen. 1.

Representemus ergo in nobis imaginem eius in appetitu pacis, virtutis, & veritatis, & in amore charitatis. Teneamus eum in memoria, portemus in conscientia, & vbique præsentem veneremur. Beata siquidem anima est, apud quam Deus requiem inuenit. Beata, quæ dicere potest. *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Negare siquidem ei requiem non poterit. Cur ergo nos deserimus, & in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos esse velimus apud Deum.

Eccl. 24.

De Consideratione propriæ miseriæ præsentis & futuræ.

Cap. XX.

SEcundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quam natū. Miseri miserum in huius lucis miseriam induxerunt. Ad illos vero festino qui morte corporis exierunt. Cum eorum sepulchra respicio, non inuenio in eis nisi cinerem & vermem, fœtorem & horrorem. Quod ego sum, illi fuerunt, & quod ipsi sunt ego ero. Plorans & vlulans traditus sum huius mundi exilio, & ecce morior plenus iniquitatibus & abominationibus, iamiamque præsentabor ante districtum iudicem de operibus meis rationem redditurus. Væ mihi misero cum venerit illa iudicii dies, & aperti fuerint libri in quibus omnes mei conatus, & cogitationes recitabuntur præsente Domino. Tunc demisso capite præ confusione conscientiæ stabo coram Domino trepidus & anxius, cum de me dicetur: *Ecce homo, & opera eius.* Quadam vero vi diuina fiet, vt vnusquisque opera sua bona vel mala, tunc in memoriam reducat, & mentis intuitu mira celeritate cernat, vt accuset vel excuset scientia conscientiam atque omnes ita simul & singuli iudicentur.

De miseria hominis & examinatione extremi iudicij.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum.
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quæ enim nunc confiteri erubescimus, tunc manifestabuntur omnibus. Et quicquid istic dissimulando palpamus totum illic vindex flamma comburet.

Ignis vbique ferox ruptis pugnabit habenis.

Quantoque diutius nos expectat Deus vt emendemus, tanto districtius iudicabit si neglexerimus.

De dignitate animæ.

O anima insignita Dei imagine, decorata eius similidine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, particeps ra-

tionis

tionis; Quid tibi de carne? si diligenter consideres, quid per os & nares cæteroſque meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Si singulas eius miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, pruriens cõcupiscentijs, occupata passionibus, polluta illusionibus, plenam omni confusione, & ignominia inuenies. Attende homo quid fueris, quid es, quid eris.

Fama, fœtor populi, seruor iuuenilis, opesque
Surripuere tibi noscere quid sit homo.

Nihil enim aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, & cibus vermium.

Post hominem vermis, post vermem, fœtor & horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

De superna beatitudine, & quis ad eam possit ascendere.

Cap. XXI.

Psal. 83. CIuitas cœlestis, mansio secura, patria totum continens quod delectat, populus sine murmure: *quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ibi.

Pax, pietas, bonitas, lux, virtus, splendor, honestas.
Gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perhennis.
Gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis.

Quæ ergo nos angit vesania vitiorum, sitire absinthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & nõ magis conuolare ad Angelorum societatem, sanctorum splendorem, Regis potentis honorem, supernæ gloriæ decorem? Sed ad hæc omnia, quis idoneus? Profecto verus pœnitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis seruus. Verus pœnitens semper in dolore de præteritis, & in labore de futuris cauendis; sic plangit commissa, ne committat plangenda. Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, vt possit dicere, *paratum cor meum deus. &c.* Amabilis socius omnibus est officiosus, & nulli onerosus Domini seruus, proximi socius, mundi Dominus. Fidelis seruus in contemplatione Dei, & custodia sui. Sed tu intelliges ad te custodiendum nunquam sufficere posse tuam industriam, adhibe tamen omnem diligentiam, & implora diuinam clementiam, atque angelicam exora tutelam. Iesum Christum sicut signaculum super cor tuum pone. Cum enim Christus cordis ostium custodit, & est ostiarius, vt per illum ingrediantur & egrediantur omnes familiæ cordis, consequenter adsunt millia milium Angelorum ad foras exteriorum sensuum excubantium, nec alienigena audet irrumpere terribiles illas acies propter ostiarij reuerentiam & Angelorum custodiam.

Quis ad gaudiũ beatorum idoneus. *Psal. 106.*

De discussione vitæ propriæ, & pura oratione.

Cap. XXII.

Quomodo homo debet se examinare. INtegritatis tuæ curiosius explorator vitam tuã quotidiana discussione examina. Attende diligenter quãtum proficis, vel quantum deficis, qualis sis in moribus, qualis in affectibus. Stude cognoscere te, quia multo melior est & laudabilior, si teipsum cognoueris, quam si te neglecto cognoscas cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium.

Quomodo debet esse attentus psalmodia. Cum ad orandum vel psallendum ecclesiam intraueris, fluctuantium cogitationum tumultum exterius relinque, curam exteriorum pœnitus obliuiscere, vt Deo possis vacare. Fieri enim non potest vt cum Deo aliquãdo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende illi, qui intendit tibi. Audi illum loquentem tibi, vt exaudiat te loquentem sibi. Ita fiet, vt diuinis laudibus soluendis debita reuerentia, & solicitudine assistas, si singula verba diligenter attendat, non quod ego ista faciam dico, sed quod facere vellem, & non feciſſe pœnitet, & non facere piget. O quam fœlix esses, si semper spiritualibus oculis intueri posses, quomodo *præueniunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Videres proculdubio, qua cura quoue tripudio, intersunt cantantibus, assistunt orantibus, adsunt meditantibus, supersunt, quiescentibus, prouidentibus & procurantibus prosunt. Diligunt enim conciues suos, eisque congaudent, confortant, instruunt, protegunt, prouidentque in omnibus. Ipsi enim desiderãt aduentum nostrum, quoniam de nobis expectant ciuitatis suæ ruinas restaurari, diligenter quærunt, & libenter audiunt bona de nobis, solicite discurrunt medij inter nos & Deum, nostros gemitus ad eum fidelissime deportãtes, non dedignantur esse socij nostri, quia iam facti sunt ministri. Exultare eos fecimus, quando ad pœnitentiam conuersi sumus. Festinemus ergo quantum de nobis est eorum adimplere lætitiam. Væ tibi, qui reuerti desideras ad vomitum, redire ad lutum, putasne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuari vis gaudio.

Psal. 67.

Angelorum erga homines sollicitudines.

Quod vbique bonæ orationi insistendum sit, & charitati studendum.

Cap. XXIII.

Orandum est semper & in omni loco. VBicumque fueris, intra temetipsum ora; si longe fueris ab oratorio, noli quærere locum, quantum ipse locus es. Sicut autem nullum momentum est, quo homo non fruatur Dei bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum non habeat præsentem in memoria. Noli vilipendere orationem tuam, quam ille ad quem oras non vilipendit. Sed antequam egrediatur de ore tuo, scribi eam iubet in libro suo. Et vnum ex duobus indubitanter sperare debemus, quantũ dabit nobis quod petimus, aut quod nouit esse vtilius. Cogita ergo de Deo quicquid melius potes, & de te quicquid deterius potes. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse; vaca ergo, & vbicunque fueris tuus esto. Noli te rebus tradere, sed cõmendare; quocunque loco consistis, aliquid salutare in animo tuo versa; animum colligens tecum habita, & in latitudine cordis tui deambulans ibi cœnaculum grande stratum Christo exhibe.

Accusat se quod orationi parum vacet.

Nihil aliud me docet scriptura, nisi religionem amare, & veritatem seruare, & charitatem habere. Ego autẽ miser & miserabilis citius curro ad lectionem, quam ad orationem, libentius volo legere, quam Missas audire. Expectat me aliquis volens de sua necessitate loqui: ego vero librum accipio, quem ille, vel ille habere vellet, & legendo in eo amitto charitatis fructum, pietatis affectum, compunctionis fletum, missarum vtilitatem, cœlestium contemplationem. Nihil tamen in hac vita dulcius sumitur, nihil auidius sentitur, nihil sic mentem ab amore mundi separat, & contra tentationes roborat, quam gratia contemplationis.

De impuritate confessionis & orationis.

Cap. XXIV.

MIserere mei Deus, quoniam ibi plus pecco, vbi peccata mea emendare debeo. In monasterio sæpe dum oro, non attẽdo quid dico. Idcirco magnam iniuriam Deo facio, cum illum precor, vt orationem meam exaudiat, quam ego qui fundo non audio. Precor, vt mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo: sed quod deterius est immunda & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem eius conspectibus ingero. Nihil est in me corde meo fugacius, quod quotiens me deserit, & per prauas cogitationes defluit, totiens Deum offendit. Confessionem diuisi, vt diuersis sacerdotibus diuersa manifestarem, & ita venia carui ad quam per partes venire putani. Execranda namque fictio est diuidere peccatum, & superficie tenus radere, nec intrinsecus eradicare. Heu in me est quicquid mihi nocere potest, & ego ipse mihi sarcina sum. Optaui vt Deus peccata mea nes-

ciret

ciret, aut punire nollet, vel non poſſet, & ita volui Deum eſſe inſipientem & iniuſtum. & impotentem, quod ſi eſſet, Deus non eſſet. Sæpe ad ſacrum miniſterium vocẽ meam fregi, vt dulcius cantarem, magiſque delectabar in vocis modulatione, quam in cordis compunctione. Deus vero non quærit vocis leuitatem, ſed cordis puritatem. Nam dum cantor mulcet populum, Deus irritatur. Finxi me non eſſe quod eram, dixi me velle quód nolebam, aliud ore dicebam, & aliud mente voluebam, & ita ſub ouina pelle vulpinam cõſciẽtiã abſcondebam. Vulpina ſiquidem conſcientia eſt tepida conuerſatio, ficta confeſſio, obedientia ſine deuotione, oratio ſine intentione, lectio ſine ædificatione, ſermo ſine circunſpectione. Magnam porto coronam & veſtem rotundam, regulam ieiuniorum ſeruo, & ſtatutis horis pſallo, ſed cor meum longe eſt à Deo meo. Exteriorem ſuperficiẽ intuens, ſalua mihi omnia arbitror, totus pergens in ea, quæ foris ſunt, oblitus interiorum meorum, ſicut aqua effuſus ſum.

De miſeriis, & periculis huius vitæ mortalis.

Cap. XXV.

Quomodo ſe debet vnuſquiſque conſiderare.

SI me non inſpicio, meipſum neſcio. Si autem inſpicio, tolerare me non potero; tanta in me confuſione digna inuenio; quanto ſæpius, & ſubtilius me diſcutio, tanto plures abominationes in angulis cordis mei reperio. Porro diabolus, quem non video, & ideo non poſſum ſatis cauere ab eo, laqueos mihi abſcondit, viſcum ponit ſcilicet amorem poſſeſſionis, affectum cognationis, cupiditatem honoris, voluptatem carnis, quibus ſcilicet anima inuiſcatur, vt pennis contemplationis per plateas ſupreme Syon volare non poſſit. Heu mihi, quia vndique tela volant; quocunque me vertam nulla ſecuritas, & quæ mulcent, & quæ contriſtant, omnia timeo, & eſuries, & refectio, & ſomnus, & vigiliæ, & labor, & quies militant contra me. Magis autem illud malum timeo, quod facio in abſcondito, quam quod in aperto. Malum autem quod nullus videt nemo reprehendit, & vbi non timetur reprehenſor, ibi ſecurius accedit tentator.

De inimicis hominis.

Caro hominis vnde ſit, & quid pariat.

Caro mea de luto eſt, & ideo lutoſas & voluptuoſas cogitationes de ea habeo; vanas & curioſas de mundo, amaras & malicioſas à diabolo; qui multum confidit in adiutorio carnis, quia magis nocet domeſticus hoſtis. Illa vero ad ſubuerſionem noſtram fœdus cum eò iniit, vtpote de peccato nata, in peccato nutrita. Murmurat aſſidue, impatiens eſt diſciplinæ. Hac vtitur tortuoſus ſerpens, cui nullum eſt aliud deſiderium, nullum negociũ, nullum ſtudium, niſi animas perdere: & caro quæ data eſt nobis in adiutorium, fit nobis in ruinam, & in ſcandalum. Da itaque operam internæ lectioni, vt legas & intelligas temetipſum, & vt legas & diligas Deum, vt vincas mundum, & omnem inimicum, quatenus labor tuus conuertatur in requiem, luctus in gaudium, & poſt tenebras huius vitæ videas ortum ſurgentis auroræ.

Meditatio Aduentus Chriſti ad paſſionem.

Cap. XXVI.

IDEM IN EXHORTATORIO DE PASSIONE DOMINI. *Noli timere filia* Sion, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Veni Domine Ieſu, *vem deſiderate cunctis gentibus, quia dormitauit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orire Sol amabilis, vt exeat homo ad opus ſuum, &c.* Noli timere filia Sion, quia timor oculum turbat, hilaris pupilla lucide ſpeculatur. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, qualis ipſe eſt, talem te eſſe vult. Manſuete iugum eius porta, vt & ipſe ſedeat ſuper te. Venit enim tibi, & tu non vadis ei obuiam? Egredere de terra tua, egredere de ciuitate, quia vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, &c. egredere cum pueris Hebræis, qui tranſeunt ſimpliciter in occurſum Domini. Nihil in te reſideat quod in occurſum Ieſu non prodeat, quia nec vna angula in Ægypto Pharaoni relinquenda eſt. Manus, & cor, & linguæ concinnant *Oſanna in excelſis.* Et nunc Domine paſſionis tuæ dies vrgere nos deberent magis quam præpoſiti Pharaonis, quoniam in operibus tuis iuſtitia eſt, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Nos autem dormitamus, te pro nobis orante, quia oculi noſtri tempore noſtro grauati ſunt. Suſcita nos, vt vigilemus & oremus. Vtinam gutta ſanguinis qui de agone tuo ſudat vſque ad terram noſtram decurrat, & aperiat terra os ſuum, & bibat illũ, & clamet ad te, & tecum ad patrem melius, quam ſanguis Abel. Quis autem eſt iſte Domine, qui tecum vna hora vigilet: etiam in cælo non eſt factum ſilentium niſi quaſi media hora, quanto minus in terra vna hora vigilabimus tecum? Quotiens, & quotiens redis ad nos, & inuenis nos dormientes? & nunc benigne ſuſcitas nos, & iterum abis ſecundo, & tertio, eundem ſermonem dicens. Statim autem vt receſſeris iterum ſomnus occupat nos, nec vigilare poſſumus, niſi quamdiu nobiſcum es & ſuſcitas nos. Euigila tandem euigila miſerabilis anima, & ſi non amore, ſaltem timore. Cogita ſaltem cruciatum, quem iam paſſura es in morte. Nulla Crux durior eſt quam mors, ad quam quotidie tu feſtinas, & nõ attendis. Vide quomodo te mors crucifigit, corpus rigeſcit, crura diſtenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, ceruix langueſcit, labia ſpumant, oculi ſtupeſcunt, facies exudat, vultus horreſcit, & velut teſta palleſcit. Iſta crux monet te, neſcio vtrum in lectulo molli an in Cruce rigida ſuauius moriatur. Nunquid Crux dolorem citius abſcidit? Quæ videmus & ſentimus leuia ſunt ad ea, quæ intus anima iam præguſtat. Nã ſenſus, quam cito recedit, animam ſua mors ſemper comitatur.

Meditatio Paſsionis eiuſdem.

Cap. XXVII.

DVm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea. Si vita noſtra proficeret rota ſanctæ ſcripturæ nobiſcum pariter ambularet. Sed quia per paludes & ſaxa pedibus euntes offendimus, vix rotæ nos ſequuntur, paſſio Domini celebratur, & nos voluptati operam damus. Clamat nobis de Cruce: *O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem veſtrum. Dolor meus imago veſtri doloris eſt, quod attenditis in corpore meo, attendite, videte ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro, tranſitis à vobis ad me, retrãſite à me in vos & videte. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos: videtur ille dolor quem tranſitis, & non attenditis, magis eſſet flendus, quam dolor meus. Hæc nobis de Cruce tua clamas, ô bone Ieſu, & ſi non verbis, tamen ipſa refeciſti mihi de corpore tuo ſpeculum animæ meæ. In domo ergo Principis Sacerdotum velata facie colaphizatur Chriſtus. Quod enim Chriſtus in publico, ego patior in occulto, & quod ille foris à miniſtris Cayphæ, ego intus à nequitijs Sathanæ. Clamidem ei coccineam, hoc eſt veſtimentum tinctum ſanguine circundant, cum propter crudelem vitæ ſuæ ſanguinolentiam à pleriſque honoratur, & circundatur. Vnde & plectentes coronam de ſpinis ponunt ſuper caput eius, cum de rapina pauperũ ſpineas ei diuitias coaceruantes, caput eius ad regnum elationis efferunt. Aue Rex Iudeorum, Quid ſuperbis terra & cinis, quid veſte nitida gloriaris? Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis. Hæc tua veſtis eſt, illuſerunt tibi, qui clamyde coccinea circundederunt. Sic Antiochus, & Dominici Natalis hoſtis Hærodes alienis veſtibus depoſitis in ſuis vermibus expiratunt.

Marc. 11.

Thren. 1.

De ſuſceptione dextri latronis.

CAP. XXVIII.

REdi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam: vide vbi, & quomodo te requiſiuit, & inuenitur nouus Adam. Quis enim latro ille, niſi Adam fuit, immo non latro, ſed martyr, & confeſſor. Neceſſitatem enim conuertit in voluntatem, & pœnam commutauit in gloriã, & Crucẽ in triũphũ. Tu Petrus in cruce fuiſti, & Petrus in domo Cayphæ latro. Latro fuit, quando latebat ante cõfeſſionẽ, iuſtus autẽ poſt orationem. Quid enim orauit: *Memẽto mei Domine, dũ veneris in regnũ tuum.* Luc. 23. O magna fides, orat pro futuris, non pro præſentibus. Non vult de Cruce deponi, ſed in Regno Chriſti reponi. O cor contritum, & humiliatum, quid minus vel humilius potuit orare, quam vt vel ſui memor eſſet? Memento mei, mei inquam indigni, peccatum meum contra me eſt, confundor oculos meos ad te leuare. Malum coram te feci, cum me tibi celare volui. Latro ſum animæ meæ. Homicidium, quod feci volui occultare, ſed malum coram te feci, memento mei. Miſerere mei ſecundam magnam miſericordiam tuam. Video enim in te magnam, & tuam, hoc eſt, competentem miſericordiam, quæ te mihi ad mei conſimilem condeſcendere fecit miſeriam. Ego quidem digna recipio factis, tu autem quid feciſti? Video te mihi in pœnã ſimilem, quem in actu video tam diſſimilem. Non potuiſti me longius ſequi. A ſummo cœlo egreſſus de vtero virginis ſpecioſus forma proceſſiſti, & mecum pendes in ligno. Quis huc te adduxit? Sola miſericordia. Secundum hanc miſericordiam tuam miſerere mei Deus. Sed in quo te cognoſcam miſereri. In hoc quia imaginem meam in te video ſimilem, & hanc eandem mecum miſeriam pati. Quid ergo reſtat niſi, vt ſperem? Ergo memento mei, vadis ad regnum tuum, impleſti negotium tuum. Ad hoc veniſti, vt me reducas tecum. Tecum ire concupiſco, & per hoc amariſſimam mortem pati non contremiſco. Quo ergo contremiſcerem, vbi te mecum eſſe viderem? *Etiamſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 22. Aut quomodo erubeſcerem, quod te dominum cœli portare viderem. Qui enim portat Crucem tuam, portat gloriam tuam, & qui gloriam tuam portat, portat te. Portantem autem te, tu portas ſuper humerum tuum. Humerus tuus altus eſt, fortis eſt, pertingit vſque ad patris conſeſſum, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Illuc reducas ouem centeſimam, illuc deduces ouem Ioſeph. Vade iam ſecura ouis Ioſeph, Chriſtus te portat ſuper humerum ſuum. Fortis eſt humerus eius noli timere, altus eſt noli ad ima reſpicere, *quia nemo mittens manum ſuam ad aratrum, &c.* Luc. 9.

De cruce non timenda, ſed amplectenda.

CAP. XXIX.

GRaue iugum *ſuper filios Adam.* Si eſſem filius noui Adã, leue iugum portarem. Quid eſt onus graue? Talentum plumbi. Et quid eſt onus leue? Crux Chriſti. Mira res: Nihil formidoloſius homini, quam Crucem pati. Sed quare timent crucem homines? Quia latrones ſunt. Crux æqua lance iudicat, & remunerat, hinc nocẽtes, illinc innocentes. Ideoque impiis formidoloſa, piis autem ſuper omnia ligna paradiſi gratioſa. Nunquid enim Chriſtus Crucem timuit, nunquid Petrus, nunquid Andreas. immo & adoptauit. *Exultauit enim vt Gigas ad currendam viam. Et deſiderio,* inquit, *deſideraui hoc paſcha mãducare vobiſcum &c. Meus,* inquit, *cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei, & voluntas patris mei eſt, vt calicem eius bibam.* Eccl. 40. Pſal. 18. In Cruce ergo Paſcha manducauit, quia aſcendit in palmam, & collegit fructus eius. *Cum exaltatus,* inquit, *fuero à terra, omnia traham ad me.* Quæ omnia? cœlum, terram, & inferos. Traxit ad ſe patrem, quia clamor eius intoiuit in aures eius, & contremuit terra, & petræ ſciſſę ſunt, & monumenta aperta ſunt, quia vocem filij Dei audierunt. Sic mediator Dei & hominum medius inter cœlum & terram Paſcha manducabt, & fructus arboris vndique colligebat, quos in corpus ſuum traijciebat, quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio Paradiſi. Reſtricta enim erat framea, quæ viam intercluſerat: Quis ergo amplius Crucem timeat? Vere, qui Crucem timet ipſe ſibi teſtis eſt, quod adhuc latro eſt. In Cruce pendet omnis fructus vitæ, quia ipſe eſt arbor vitæ in medio Paradiſi. Ipſa eſt mæſtorum conſolatio, eſurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circuire poſſum Domine cœlum, & terram, mare, & aridã, & nuſquam te inueniam, niſi tantum in Cruce. Ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides eſt. Cuius latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo ſpes, profundum timor. In hac Cruce anima ſuſpenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpitur. In hac domino ſuo adhærens dulciter decantat. *Suſceptor meus es tu, gloria mea, & exaltans caput meum.* Nullus ergo te quærit, nullus inuenit niſi crucifixus.

De apertione lateris Chriſti, quod factum eſt oſtium Paradiſi.

CAP. XXX.

APeri nobis Domine oſtium lateris tui, quod eſt in arca tua, vt introducas nos cum mundis animalibus ſeptena, & ſeptena. Tu es enim verus Noe, quẽ ſolum inuenit Deus pater iuſtum coram ſe. Tu cognoſcis oues tuas, & illæ te, quia ſunt animalia munda ſeptena, & ſeptena, qui ſeptiformi gratia, & operibus lucis ſabbatum ex ſabbato adepti, iam digni ſunt octauæ conſcribi, qui numerus tantum in arca ſaluatus eſt. Introducẽt nos ad te per oſtium lateris tui, quod eſt fides eccleſiæ, & claude oſtium à foris, donec pertranſeat iniquitas. Et ceſſante diluuio iterum nobis aperias oſtium non iam fidei, ſed ſpei: oſtium contra oſtium, quod in montis ædificio Prophetæ monſtratum eſt. Iterum tamen & feneſtram habes in arca, per quam dilectus mittit manum ſuam, & columbam ſuam excitat. Surge, inquiens, amica mea, ſponſa mea, columba mea, & veni, & cum euolat poſt te, vt apprehendat te, tu effugis, & aſcendis ſuper Cherubin, & volas ſuper pennas ventorum, vt non inueniat pes columbæ tuæ ſolidum quid de te, vbi requieſcat, niſi iterum ad arcam tuam reuertatur, & manu apprehenſam iterum in ſua manſiuncula reponas. Tutius eſt in porta fidei interim præſtolari & quieſcere, quam te nimis & fruſtra inſequendo in aquas diluuij intranſmeabiles decidere & ſubmergi. Da mihi portionem in terra viuentium, in ſepultura peregrinorũ, in agro Aceldemach, qui in precio magno ſanguinis tui emptus eſt. Ibi enim ſepulti ſunt omnes patres noſtri, qui ſuper terram hanc aduenæ fuerunt & peregrini. Ibi Abraham nec ſine precio ſanguinis Chriſti gratis ſe per ſeipſum ſaluandum credidit, nec bonum ſibi æſtimauit eſſe ſi in fœtentibus mundi ſepulchris habitaret. Sed vbi? In ſpelunca duplici, vbi ſpes bonorum operum & amor contemplatiue requieſcit.

De Myſterio ſepulturæ eius, & aſcenſionis.

CAP. XXXI.

IN lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Lectulus tuus Ieſu Chriſte ſepultura tua eſt, in qua ſabbato requieuiſti ab omni opere, quod patraſti. Eſt autem monumentum tuum in horto nouum, & in petra exciſum, quia amica tua fidelis anima ortus concluſus eſt, & quotidie renouatur in agnitione tua, & ſolidatur in petra amoris tui, conſepeliens ſeipſam tibi in interiore ſecreto cubiculi tui. Ibi te ambiunt fortes doctiſſimi, non ſolum carnis illecebras, ſed etiam poteſtates aereas no-

cturnoque timores abigere. Duplex spiritus, duplo clamat, pater mi creator, pater mi reformator, currus Israel & auriga eius, portas Regis sustines, & gubernas. Ecce sublatus es, amplius te non videbit tuus Heliseus. Remāsit tamen ei pallium tuū in memoriam tui, vt præsentia absentiæ tuæ dolorem semper eius, & augendo leniat, & leniendo augeat. Hoc sacramentum nominis tui, quod sumimus in tui commemorationem donec venias pallium tuum est, caro tua, quia vestitus ad nos processisti, & latuisti quidem perfidis, sed fidelibus tuis teipsum ostendisti sicut & vsque hodie sub hoc pallio abscondita est maxima fortitudo tua. O fortissime Samson, quā dilectionem non diligenti te, ad vltimum non celasti, vt inimicam verteres in amicam. In tantum amasti mulierem non amantem, sed persequentem te, vt propter amorem eius sapientia tua stulteſceret, & fortitudo tua infirmaretur, sed quod stultum est Dei sapiētius factum est hominibus.

De viatico corporis Christi, quo suos ad vitam transduxit.

Cap. XXXII.

TRadere nunc etiam nobiscum Domine, ne desolemur, & tristemur in via hac qua ambulamus. Quæ est autem nubes, quæ præcedit veros Israelitas, nisi sanctissimum & verissimum corpus tuū, quod in altari sumimus, in quo nobis velatur altitudo Dei immēsitas maiestatis tuæ. Cuius, & calorem & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem superaret desuper, & tutā subtus viam præmonstraret. Hanc nubem totus exercitus tuus exequitur, domine Rex Sabaoth. Qui autem non sequitur eam in tenebris est, & in tenebris ambulat & nescit quo vadat. Relucet enim de hac nube semita, quæ ducit ad vitam, semita humilitatis & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ. Et quicquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium reuelare dignatus es. Relucet nobis ex hac luce legis & prophetiæ gloria quoniam Moyses & Helias tecum apparuerunt in monte, sed nubes lucida obumbrauit eos. Nec ipsi enim sicut & nos sine tua protectione saluari potuissent. Columna vero ignis per noctem Spiritussanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cœcitatis nostræ caliginem illuminat, & sursum erigit nos, vt sapiamus ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nubes ergo per diem, & columna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æstum nobis temperat, & spiritussancti lux tenebras mentis nostræ illustrat.

Oratio ad ipsum vt de fluminibus Ægypti nos educat.

Cap. XXXIII.

SIbila Domine huic miseræ immundæ peccatrici animæ meæ, vt spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam, vt vadam ad excelsam & montuosam promissionis terram, quæ de superioribus tuis irrigatur, & de cœlo pluuiam expectat, non sicut terra Ægypti, quā fluuius de terra ebulliens totam cooperit. Non est enim mons oppositus, non est aliquod obstaculum concupiscentiis Ægypti, sed sicut de terrena mente ebulliunt super deiectam animæ superficiem sine mora decurrunt Habet autem septem ostia fluuius Ægyptius, quæ de vno capite idest de Superbia deriuantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muscæ nascuntur, immunditiæ semper amatrices. Nec istam despicit superabundantia gratiæ, sed sibilat & vocat eam de extremo fluminum, & iungit quæ erat in terra Assur. Apis virgo est, sed quamdiu est in terra Assur, hoc est elationis mel non potest operari. Sola repromissionis terra lactē, & melle fluit. Sibilante ergo gratia musca, & apis conueniunt, & simul requiescunt in torrentibus vallium. In illis & apis de superbię, & musca de luxuriæ sordibus emundantur. Torrentes vallium disciplinæ sunt humilitatis. Torrentes quare? Quia, siquis mæror, siquagrauitas est in corrigendis vitiis cito prætereunt. *Vnde mulier cum parit tristitiam habet, &c.* Nam labor vertitur in amorem, & tædium in desiderium, & amaritudo in dulcedinem, sicque de torrentibus vallium proficiunt ad cauernas petrarum Petræ firmissimi atque fortissimi in fide patres sunt, in quorum passionibus veluti suis exemplaribus musca & apis quasi columbæ nidificantes requiescunt. Vnde non cessat manus eorum, non cessat pes, se in omnibus frutetis bonorum operum iugiter exercitare, sic demum ad contemplationis foramina perueniunt; hæc sunt opera tua domine Iesu, quia sunt bona valde. *Ioan. 16.*

Exemplum in Magdalena, quam de prædictis fluminibus eduxit.

Cap. XXXIV.

SIc Marię Magdalenæ sibilasti de qua non vnum, sed septem Ægypti flumina eiecisti. Intrauit inter epulas discumbentium, cucurrit ad pedes Iesu, effundebat super eos torrentes lachrymarum. Tu vero vbi affectus vehemētior incanduit, & velut carbo imbre lachrimarum respersus, fortius exarsit. Videres ab illa sacratis vestigijs crebra & insatiabilia oscula infigi; videres effusæ vnctionis suauitate totam domum impleri. Quid igitur illa nisi in torrentibus vallium requiescebat, de qua tot & tanti gratiæ torrentes effluebant. Vnde etiam dimissis ei peccatis multis, quia multum dilexerat, iam sicut columba, quæ lacte est lota, residebat ad pedes Iesu iuxta fluenta plenissima, cum quidem soror eius Martha satageret circa frequens ministerium. Quid memorem de sepulturæ officio, quod præuenit de pedibus ascendens ad vnctionem capitis, cum in eam fremeret illud auaritiæ sepulchrum fœtens odorem pietatis ferre non sustinens. Non potuit amor tantus Christo etiam moriente mori fugientibus & latentibus viris, hoc est, Apostolis, mulier imperterrita stabat ad monumentum plorans. Non habebat viuum, & tota super mortuum ardebat, quo plus de manibus & oculis auferabatur, eo ardētius animus insequebatur. Si fieri posset pro redimendo corpore sepulchrum lachrymis impleſſet. *Conuersa retrorsum vidit Iesum stantem, & nesciebat, quia Iesus est.* O pium, ô delectabile pietatis spectaculum: ipse qui quæritur, & quide sideratur, & occultat se, & manifestat, occultat se, vt ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inueniatur, inuentus cum solicitudine teneatur, & tentus non dimittatur, donec ipse in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac enim arte *sapientia ludit in orbe terrarum, & delicię eius esse cum filijs hominum. Data est tibi Domine Iesu omnis potestas in cælo, & in terra.* Tu es quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui virginaliter editus, humilitate & charitate tua omnem perforas duritiam, vno impetu spiritus tui octingentos interficiens principes malitiæ. *Ioan. 20.* *Prou. 8.* *Math. 28.*

De modo & causa diligendi Deum.

Cap. XXXV.

IDem in libro de diligendo Deum. Vultis audire à me quomodo diligendus sit Deus? Et ego causa diligendi Deum, Deus est. Modus, sine modo diligere. Ob duplicem siquidem causam dixerim Deum esse diligendum propter seipsum, siue quia nihil iustius, siue quia nihil diligi potest fructuosius. Duplicem quidem parit sensum cum quæritur de Deo; cur diligendus sit. Dubitari namque potest, quo suo merito, an quo nostro sit commodo diligendus. Ergo si meritum Dei quæratur, illud est precipuum, quia ipse prior dilexit nos. Dignus plane, vt redametur præsertim si aduersatur, quis, quos, quantumve amauit. Dilexit ergo Deus & gratis inimicos. Sed quan-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum? *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum daret.* Et paulus: *qui proprio ait filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ipse quoque filius pro se ait: *Maiorem* inquit *charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis &c.* Si meruit iustus ab impiis, summus ab infimis omnipotens ab infirmis amari. Sed dicit aliquis: Ita quidem ab hominibus, sed non ita ab Angelis verum est, quia necesse non fuit. Cæterum, qui hominibus subuenit in tali necessitate, seruauit Angelos à tali necessitate. Et qui omnes diligendo dedit ne tales remanerent, dedit Angelis, ne tales fierent. Quibus hæc palam sunt, palam arbitror esse, & cur diligendus sit, hoc est vnde diligi mereatur.

Psal. 15. Ioan. 3. Rom. 8. Ioan. 15.

Qualiter ipse diligi meretur, etiam apud infideles.

Cap. XXXVI.

QVod si infideles hæc latent, Deo tamen in promptu est ingratos confundere innumeris beneficiis suis, humano siquidem & vsui præstitis, & sensui manifestis. Nempe quis alius administrat cibum vescenti, cernenti lucem, spiranti flammam? Quærat autem homo eminentiora bona sua in ea parte sui, qua præeminet ibi scilicet in anima, quæ sunt dignitas, scientia, virtus. Dignitatem in homine liberum dico arbitrium, in quo ei datum est cæteris animantibus non solum præeminere, sed etiam præsidere. Scientiam vero, qua eandem in se dignitatem agnoscat, non à se tamen esse. Porro virtutem, qua subinde, & à quo est inquirat non segniter, & teneat fortiter cum inuenerit. Itaque geminum vnum quodque horum trium apparet. Dignitas ergo sine scientia non prodest. Illa vero etiam obest si virtus defuerit; habere etenim quod habere te nescias, quam gloriam habet? Porro noscere, quod habeas, sed quia à te non habeas ignorare; habet gloriam, sed non apud Deum. Apud se autem glorianti dicit Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Qui gloriatur,* ait, *in Domino glorietur* hoc est in veritate. Veritas quippe Dominus est. Vtrumque ergo necesse est, vt scias, quid sis, & quod à teipso non sis, ne videlicet aut omnino non glorieris, aut inaniter glorieris. Denique *si non cognoueris,* inquit, *te, egredere.* Cum dignitate enim scientia opus est & virtute, quæ vtriusque fructus est, per quam ille inquiritur & tenetur, qui omnium auctor & dator, merito glorietur de omnibus. Alioquin sciens, & non faciens digna, multis vapulabit. Quis item vel impius putet alium eius quæ in anima splendet humanæ dignitatis auctorem præter illum, qui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quis alium scientiæ largitorem existimet, nisi ipsum, *qui docet hominem scientiam?* Quis rursus munus sibi aliunde virtutis, aut putet datum, aut impetret dandum, quam *de manu Domini virtutum.* Meretur ergo amari, propter se ipsum Deus etiam ab infideli, qui si nesciat Christum, scit tamen seipsum, proinde inexcusabilis est omnis homo etiam infidelis, si non diligit Deum toto corde, tota anima, & tota virtute sua. Clamat quippe ei, virtus innata, & cognata rationi iustitia, quia ex se tota illum diligere debeat, cui totum se debere non ignorat.

1. Cor. 4. 1. Cor. 11. Cant. 1. Gen. 5. Psal. 93.

Quod multamagis fideles tenentur eum diligere.

Cap. XXXVII.

FAcile proinde plus diligunt, qui se amplius dilectos intellexerunt. *Quibus autem minus donatum est, minus diligunt.* Iudæus siue Pagauus, nequaquam talibus aculeis excitatur amoris, qualis ecclesia experitur, quæ ait. *Vulnerata charitate ego sum.* Et rursum: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cernit regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, cernit vnicum patris Crucem sibi baiulantem, cernit cæsum & consputum Deum maiestatis, cernit auctorem vitæ & gloriæ clauis confixum, percussum lancea, opprobriis saturatum; tandem dilectam animam ponentem, pro amicis suis. Cernit hoc, & suam ipsius magis animam gladius amoris transuerberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc sunt quippe mala punica, quæ in hortum introducta dulcius sponsa carpit ex ligno vitæ, & cœlesti pane proprium mutuata saporem, colorem à sanguine Christi, videt deinde mortem mortuam, & mortis auctorem triumphatum. Videt de inferis ad terras, de terris ad superos *captiuam duci captiuitatem, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur. Itaque generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritu eius,* sed magis sperans in incerto diuitiarum, verbumque modo Crucis dedignatur audire, ac memoriam passionis eius ducit oneroſam, qualiter illius pondus in præsentia sustinebit? *Ite,* inquiet, *maledicti &c.* Super quem ceciderit lapis iste conteretur. At vero *generatio rectorum benedicetur.* Non potestis, ô miseri seruire Mammonæ simul, & gloriari in Cruce Domini nostri Iesu Christi, & sperare in pecuniæ thesauris. Post aurum abire, & gustare quoniam suauis est Dominus. Proinde quoniam suauem in memoria non sentitis, asperum proculdubio in præsentia sentietis. Cæterum fidelis anima & suspirat præsentiam inhianter, & in memoria requiescit suauiter, & donec idonea sit, reuelata facie videre faciem Dei & gloriam speculari in Crucis ignominia gloriatur.

Ibid. Philip. 2. Psal. 77. Math. 25. Psal. 111.

Quod consideratio passionis eius debet esse fomes dilectionis.

Cap. XXXVIII.

QVid namque facit aliud considerata tanta & tam indebita miseratio, tam gratuita ita vt sit probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam inuicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo? Quid, inquam, hęc omnia faciant diligenter considerata, nisi vt considerantis animũ ab omni pœnitus prauo vendicatum amore, ad se miserabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque præse contemnere quæque nisi in contemptu horum appeti non possunt, nimirum proinde vnguentorum in odore horum spõsa curtit alacriter, amat ardenter, & parum sibi amare, sic amata videtur, cum se totam in amorem perstrinxerit. Nec immerito. Quid enim magnum tanto, & tanti recompensatur amori? Si puluis exiguus totũ se ad readamandum collegerit, quem illa nimirum Maiestas in amore præueniens tota in opus salutis eius intensa conspicitur. *Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret.* Denique si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & pro facto hoc modo. Non enim facilius refectus, quam factus. Siquidem de omni, quod factum est, *dixit, & facta sunt.* In me autem reficiendo, & dixit multa, & gessit etiam mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed etiam indigna. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid autem domino retribuã pro se? Nam & si me millies rependere possem, quid ego sum ad Deum? Vide ergo quomodo, immo quam sine modo à nobis Deus amari meruerit, qui vt paucis, (vt dictum est) repetam, prior ipse dilexit nos tantus, & tantum gratis tantillos, & tales. Denique cum dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immensum, quia infinitus est Deus, quisnam quæso debeat esse nostri amoris finis, vel modus. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Et meum quicquid amabile, & optabile dici potest. Diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem iusto, sed plane pro posse meo. *Imperfectum meum viderunt oculi tui. Sed tamen in libro tuo omnes scribentur,* qui quod possunt faciunt & si quod debent non possunt.

Ioan. 3. Psal. 17. Psal. 138. Psal. 115.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quo fructu debeamus ipsum diligere.

Cap. XXXIX.

NVnc quo nostro commodo diligendus sit videamus. Non enim sine præmio Deus diligitur, & absque intuitu præmij sit diligendus, vacua namque vera charitas esse non potest. Hæc tamen mercenaria est, quia non quærit, quæ sua sunt. Affectus est, non contractus, sponte afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est, habere præmium, sed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Verus amor præmium non requirit, sed meretur, præmium sane necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseueranti redditur. Extremæ dementiæ est ea semper appetere, quæ nunquam non dico satient, sed nec appetitum temperent: dum quicquid talium habueris nihilominus, non habita concupiscas, semperque animus non minus anxiè cupiat quæ desunt; quam quæ adsunt læte possideat. Quis enim obtineat vniuersa? Sic directo tramite voluntas peruersa contendit ad optimum, festinat ad id, vnde impleri possit, immo his aufractibus ludit secum vanitas, mentitur iniquitas sibi. Si illud apprehendere vis, quo apprehenso nihil amplius velis, quid tentare opus est? Curris per deuia, & longe ante moreris, quam hoc circumito peruenies ad optatum; hoc ergo in circuitu impii ambulant naturaliter appetentes vnde finiant appetitum, & insipientes vnde finiri appropinquent, rerum magis specie, quam auctore delectati prius vniuersa percurrere, & de singulis cupiunt experiri, quam ad vniuersitatis Dominum curent peruenire; & quidem peruenirent si quandoque voti compotes effici possent, vt omnia scilicet præter vnum principium omnium vnus aliquis obtineret. Ea namque cupiditatis suæ lege, qua in rebus cæteris non habita, præhabitis esurire, etiam pro non habitis habita fastidire solebat; mox omnibus, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt obtentis, & contemptis, tandem ad ipsum proculdubio curreret, qui solus deesset omnia Deus. Porro ibi quiesceret, quia sicut citra nulla quies reuocat, sic vltra iam nulla inquietudo sollicitat. Diceret pro certo
Psal. 72. *mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, &c. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Sic ergo ad id, quod optimum est, quiuis cupidus peruenire, si ante, quod citra cupit assequi posset. Verum, quoniam id omnino impossibile perstruit, & vita breuior, & virtus infirmior, & consors innumerosior longo itinere & casso labore desudat, iustus autem nõ ita. Audiens quippe vituperationem multorum commorantium in circuitu,
Isa 26. Regiam viam eligit, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. *Nam semita iusti recta est, &c.* Verbũ abbreuiatum & abbreuians eligit non cupere quæcumque viderit, sed vendere omnia, quæ habet &c. Verum est itaque, quod dixi causa diligendi Deum, Deus est. Nam & efficiens, & finalis. Eius enim amor nostrum, & præparat & remunerat. Bonus es Domine animæ, quærenti te. Quid ergo inuenient? Sed hoc mirum est, quod nemo quærere te valet, nisi qui prius inuenerit.

De quatuor gradibus amoris.

Cap. XL.

ESt autem amor carnalis, quando ante omnia diligit homo seipsum propter seipsum. Nondum quippe sapit nisi seipsum, quia prius quod animale est, deinde quod spirituale. Nec præcepto indicitur, sed naturæ inseritur. Nemo enim carnem suam odio habuit, sed huiusmodi hominem Deus tribulationibus exercet. Alto salubrique consilio, vt cum homo defecerit, & Deus subuenerit. Carnalis homo, qui prę-
ter se neminem diligere nouerat, etiam Deum saltem propter seipsum amare incipiat. Ex occasione autem frequentium necessitatum Deum necesse est crebris interpellationibus ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari, quoniam suauis est Dominus. Ita fit vt ad diligendum Deum pure plus iam ipsius alliciat gustata suauitas, quam vrgeat nostra necessitas. Sicque exemplo Samaritanorum dicentium mulieri: *Iam non propter tuam loquelam credimus, &c.* Et nos car-
Ioan. 4. nem nostram alloquentes merito dicamus. Iam non propter tuam necessitatem Deum diligimus. Ipse enim gustauimus, & scimus, quoniam suauis est Dominus. Sic amat, qui dicit: *Confitemini domino quoniam bonus &c.* Qui enim Domino confitetur, non quoniam sibi bonus
Psal. 117. est, sicut ille de quo dicitur: *Confitebitur tibi cum bene feceris ei,* *Psal. 48.* sed quoniam bonus est; hic vere diligit Deum propter Deum, & non propter seipsum.

Iste est tertius amoris gradus. Fælix, qui meruit vsque ad quartum pertingere, quatenus, nec seipsum homo diligat nisi propter Deum, vt amore diuino ebriatus animus oblitus sui, factusque sibiipsi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum, & adhærens Deo vnus cum eo spiritus fiat, & dicat; *Defecit caro mea, & cor meum,* *Psal. 72.* *&c.* Siquidem ex mortalibus quispiam ad illud raptim interdum, & ad momentum admittitur, subito diei malitia perturbat, corpus mortis aggrauat, necessitas carnis sollicitat. Heu redire in se, recidere in sua compellitur, & miserabiliter exclamare: *Domine vim patior, &c. Infælix ego homo, &c.* Oportet autem nos in hunc affectum
Isa. 38. *Rom. 7.* quandoque transire, & quomodo Deus omnia voluit esse propter semetipsum, sic nos quoque nec nosipsos, nec aliquid aliud fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, idest ob solam ipsius voluntatem non nostram voluptatem. Quod & quotidie postulamus in oratione cum dicimus: *fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in* *Math. 6.* *terra, &c.* O amor sanctus & castus, ô dulcis, & suauis affectio. O pura & defecata voluntatis intentio, eo certe purior & defecatior, quo in ea de proprio nil iam admixtum relinquitur; eo suauior & dulcior, quo totum diuinum est, quod sentitur, sic affici deificari est. Quomodo enim stilla aquæ modica multo infusa vino desicere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & calorem. Et quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit propria forma exutum: & quomodo Solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur, sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei pœnitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo Deus omnia in omnibus erit si in homine de homine quicquam supererit? Tunc itaque facile summum gradum obtinebit, cum in gaudium Domini sui promptissime & auidissime festinantem nulla iam carnis illecebra retardabit, nulla molestia conturbabit.

Qualiter ad summum gradum sancti proficiunt.

Cap. XLI.

PVtamusne sanctos Martyres hanc vel ex parte assecutos in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna prorsus vis amoris illas animas introrsum rapuerat, quæ ita corpora sua foris exponere & tormenta contemnere valuerunt. At profecto doloris acerrimi sensus non potuit nisi turbare serenum, & si non perturbare. Quid autem iam solutis corporibus si quod non negatur sua corpora recipere desiderant & sperant, liquet eas necdum à seipsis pœnitus immutatas. Quibus constat necdum pœnitus deesse de proprio, quo vel modice reflectatur intentio. Itaque ante reparationem corporum non erit ille defectus animorum, qui perfectus & summus est ipsorum status, ne carnis iam consortium spiritus non requireret, & sine illa consummaretur. Valet itaque animæ diligenti

Deum

Deum corpus suum infirmum, valet mortuum, valet resuscitatum. Primo quidem ad fructum pœnitentiæ, secundo ad requiem, postremo ad consummationem. Merito ergo fine illo, non vult perfici, quod in omni statu persentit in bonum subseruire sibi.

Denique hoc conuiuium triplex celebrat sapientia, laborantes cibans, quiescentes potans, regnantes inebrians. Vnde dicit in Canticis: *Comedite amici &c.* Comedite hic ante mortem in carne mortali cũ labore quod glutiendum est masticantes, & bibite post mortem in vita spirituali suauissima quadam facilitate, quod percipitur celantes tamquam post panem doloris vinum amoris plenius haurire permissi, non tamen purum. Sed quomodo sub nomine Sponsæ in Canticis dicitur? *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vino enim diuini amoris miscet etiam tunc dulcedinẽ naturalis affectionis, qua resumere corpus suum ipsumque glorificatum desiderat. Æstuat ergo iam tunc sanctæ charitatis potata vino, sed nondum vsque ad ebrietatem, quia temperat interim ardorem illum lactis huius permixtio. Ebrietas namque solet mẽtes euertere, & immemores sui reddere. At nõ sui oblita est ex toto, quæ adhuc de proprio corpore cogitat suscitando. Sed tandem, inquit, *inebriamini* in vita immortali mira plenitudine exuberantes. Merito charissimi, quia charitate inebriati, merito inebriati, quia ad agni nuptias introducti.

Cant. 5.

Cant. 5.

De humilitate, & gradibus eius.

Cap. XLII.

IDem *in libro de gradibus humilitatis*. Humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione sibiipsi vilescit. Hæc autem conuenit his, qui ascensionis gradibus in corde suo dispositis de virtute in virtutem, ideſt de gradu in gradum proficiunt, donec ad cultum humilitatis perueniant. In quo velut in Sion id est, in speculationis culmine positi veritatem prospiciunt. *Etenim benedictionem* inquit *dabit legislator &c. Dulcis enim & rectus Dominus legem dabit*; viam humilitatis per qua m redeant ad cognitionem veritatis; dat occasionem recuperandæ salutis, quia dulcis est, non tamen absque disciplina legis, quia rectus est. Dulcis quia perire non patitur, rectus quia punire non obliuiscitur. Hanc itaque legem, qua redimitur ad veritatem, B. Benedictus per 12. gradus disponit vt sicut per decem præcepta legis, & geminam circuncisionem in quo duodenarius impletur numerus ad Christum venitur. Ita his 12. gradibus ascensis veritas apprehendatur. Illud quoque quod in scala illa, quæ in typo humilitatis Iacob monstrata est Dominus innixus apparuit, quid nobis aliud innuit nisi quod in culmine humilitatis constituitur cognitio veritatis? Dominus quippe de summitate scalæ *prospiciebat super filios hominum, vt videret si sit intelligens, &c.* An non requirentibus se clamat dicens: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Et illud: Venite, inquit. Quo? Ad me veritatem. Quo fructu, *& ego reficiam vos.* Sed quæ est refectio, quam veritas promittit, an forte ipsa est charitas? Vere dulcis & suauis cibus est charitas, quia fessos alleuat, debiles corroborat, mœstos lætificat. Iugum denique veritatis facit suaue, & onus leue. Bonus cibus charitas, quæ media in ferculo Salomonis describitur, quia eius suauitas, nec insipientibus præsto est prohibente timore, nec perfectis satis est pro abundanti contemplationis dulcedine. Hi adhuc à noxijs carnalium delectationum humoribus timoris amarissima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur. Illi iam auulsi à lacte epulari, ab introitu ecclesiæ glorioſius delectantur solis medijs ideſt proficientibus, ita iam melleas quasdam sordidijs ideſt proficientibus, ita iam melleas quasdam sordibitiunculas charitatis expertis, vt illis interim pro sui teneritudine contenti sunt.

Primus ergo cibus humiliatis est purgatorius cum amaritudine. Secundus charitatis consolatorius in dulcedine. Tertius contemplationis solidus cum fortitudine. Bona itaque via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generatione sapientiæ participantur.

Psal. 93. Psal. 24.

Gen. 28.

Psal 93. Eccl. 24. Matth. 11.

De gradibus inquirendi veritatem, & primo de Misericordia.

Cap. XLIII.

DIxi prout potui, quo fructu humilitatis gradus ascendere debeant, dicam vt potero quo ordine ad propositum brauium veritatis perducant. Sed quia ipsa quoque veritatis agnitio in tribus gradibus consistit, ipsos si possum breuiter distinguo, quatenus ex hoc clarius innotescat ad quem terminum veritatis duodecim gradus humilitatis pertingat. Inquirimus namque veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis nosmetipsos diiudicando. In proximis eorum malis compatiendo. In sui natura, mundo corde contemplando. Obserua sicut numerum, ita & ordinem. Primo te doceat veritas ipsa, quare prius in proximis, quam in sua debeat inquiri natura. Postea accipias, cur eam prius in te, quam in proximis quærere debeas. In numero siquidem beatitudinum, quas suo sermone distinguit, prius misericordes, quam mundicordes posuit. Misericordes quippe cito in proximis veritatem apprehendunt, dum suos affectus in illos extendunt, dum sic per charitatem se illis reformant, vt illorum bona vel mala sentiant tanquam propria. Cum infirmis infirmantur, cum scandalizatis vruntur, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus consueuerunt. Charitate fraterna cordis acie mundata, veritatem delectantur in sui contemplari natura, & pro eius amore male tolerant aliena. Qui vero fratribus se non consociant, sed econtrario, aut flentibus insultant, aut gaudentibus derogant, dum quod in illis est, in se non sentiunt, quia similes affectu non sunt veritatem in proximis qualiter deprehendere possunt, Bene namque conuenit illis illud vulgare prouerbium: *Nescit sanus, quod sentiat æger, aut plenus quid patiatur ieiunus.* Et æger ægro, & ieiunus ieiuno quanto promptius tanto familiarius compatiuntur. Sic etiim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris, verius misero corde sentitur, sed vt ob alienã miseriam, cor miserum habeas oportet, vt eam prius cognoscas, vt proximi mentem in tua iuuenias, & ex te noueris qualiter illi subuenias, exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret: miser fieri, vt misereri disceret, non quod ante misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno vsque in æternum, sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Caue ergo ne forte malum proximi considerans, & tuũ non attendens mouearis non ad miserationem, sed ad indignationem, non ad adiuuandum, sed ad iudicandum non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris.

Math. 5.

Prouerbium

Heb. 5.

De Mansuetudine.

Cap. XLIV.

POrro sicut prius misericordes quam mundicordes, sic prius mites quam misericordes pronunciat. Apostolus etiam aperte ostendit prius veritatem inquirendam esse in nobis, quam in proximis. Considerans, inquiens, teipsum, hoc est, quam facilis ad tentandum, quam pronus ad peccandum, quatenus ex tui consideratione miteſcas, sicque ad succurrendum alijs in spiritu lenitatis accedas. Alioquin si monentem non audis discipulum, arguentem time magistrum. *Hipocrita*, inquit, *ejce prius trabem de oculo tuo &c.* Trabes in oculo grandis, & excelsa superbia in mente est, amor scilicet propriæ excellentiæ. Amor vero sicut & odium veritatis iudicium nescit. Vnde & legibus humanis statutum est in causis ecclesiasticis quam secularibus

Math. 7.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſpeciales amicos cauſantium non debere admitti ad iudicium, ne fallant vel fallantur amore ſuorum. Quam ſi culpam amici tuo iudicio abſcondit amor illius aut minuit; quantomagis amor tui contra te iudicium fallit: fruſtra vero ſibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur. Qui vt liberius peccent libenter ignorant, vel infirmantur. Nunquid & primi Martyris lapidatores, quoniam aures ſuas continuerunt per ignorantiam excuſabiles erunt? Cognoſcetur certe Dominus iudicia faciens, qui nunc ignoratur miſericordiam quærens.

De aſcenſu contemplationis per gradus humilitatis.

CAP. XLV.

DOmine non veniat mihi pes ſuperbiæ, quia ibi expulſi ſunt nec potuerunt ſtare. O quam ſalubrius ad tactum Angeli neruus fœmoris Iacob emarcuit, quã Angeli ſuperbientis mens intumuit, euanuit, ruit. Vtinam & meum neruum Angelus tangat, & marceſcat, ſi forte ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non poſſum niſi deficere: nam ſufficit mihi gratia tua, cum defecerit virtus mea. Pedem profecto gratiæ fortitet figens & neruum qui infirmus eſt leuiter trahens, ſecurus aſcendam per ſcalam humilitatis, donec veritati adhærens, ad altitudinem tranſeam charitatis. Tunc pſallam cum gratiarum actione, & dicam: *Statuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.* Sic arcta via cautius ſtrictim ingreditur, ſic miro modo ad veritatẽ licet pigrius tamen firmius claudicando acceditur. Væ mihi, quia de illam deſcendi; niſi prius leniter & inaniter deſcendiſſem in aſcendendo tamdiu tam grauiter non laboraſſem. Sed quid dico deſcendi, nam fortaſſe certius cecidi dixerim, niſi forte, quia ſicut nemo repente fit ſummus, ita nemo repente fit peſſimus, ſed paulatim deſcendit. Cum ergo via deſcenſionis ſit, & aſcenſionis, & via ad bonum, & via ad malum. Caue malam, elige bonam. Si per te non
Pſal.118. potes, ora cum Propheta, & dic; *Viam iniquitatis amoue à me.* Quomodo? *Et de lege tua miſerere mei.* Illa ſcilicet le-
Pſal. 49. ge, quam dediſti delinquentibus in via, ideſt *derelinquentibus veritatem*. De quibus ego vnus propter hoc viam veritatis elegi, qua ſcilicet aſcendam humiliatus vnde
Pſal.118. ſuperbiendo deſcendi. Aſcendam, inquam, & pſallam dicens *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me*. Duas videtur vias Dauid propoſuiſſe, ſed vnam nouerit eſſe. Ipſam tamen ad diuerſa, & diuerſis nominibus appellatam, aut iniquitatis propter deſcendentes, aut veritatis propter aſcendentes: vt videlicet ſi ad veritatem redire cupis, non neceſſe ſit viam quærere nouam, quam non nouiſti, ſed notam, qua deſcendiſti; quatenus receptis greſſibus tua ipſe veſtigia ſequens, per eoſdem gradus humilitatis aſcendas, per quos ſuperbiendo deſcenderas, vt qui duodecimus fuerat ſuperbiæ deſcendenti, primus humilitatis ſit aſcendenti, vndecimus inueniatur ſecundus decimus, tertius: nonus, quartus: octauus, quintus: ſeptimus, ſextus: ſextus, ſeptimus: quintus, octauus: quartus, nonus: tertius, decimus: ſecundus, vndecimus: primus, duodecimus. Numeratis ergo ſuperbiæ gradibus in te inuentis in me recognitis, iam non laboras in quærẽdo viam humilitatis.

De primo gradu ſuperbiæ, & ſecundo.

CAP. XLVI.

PRimus itaque ſuperbię gradus eſt *Curioſitas*, quam talibus indiciis deprehendes: Si videris monachum vbicunque ſtat, ambulat, ſedet, oculis vagari caput erectum, & aures portare ſuſpenſas, è motibus exterioris hominis, interiorem immutatum eſſe cognoſcas. Vir quippe peruerſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex inſolenti corporis motu reeens animæ morbus deprehenditur, quam dum à ſui circumſpectione torpeſcit incuria ſui, curioſam in alios facit. Qui enim *Cant.1.* ſeipſum ignorat foras mittitur, vt hædos paſcat. Et vere ſi te, ô homo, vigilanter attendas, mirum eſt ſi ad aliud vnquam intendas. Quo à te curioſe recedis? Cui te cõmittis? Vt quid audes oculos leuare ad cœlum, qui peccaſti in cœlum? Terram intuere, vt cognoſcas teipſum, ſta in te, ne cadas à te, ſi ambulas in magnis & mirabilibus ſuper te. Iure autem in gradibus ſuperbiæ primum *curioſitas* vendicat ſibi locum, quæ etiam inuenta eſt initium eſſe omnis peccati: ſed niſi hæc citius cohibeatur, in leuitatem, quæ ſecundus gradus eſt, iam cito dilabitur. Monachus enim qui ſui negligens alios curioſe circumſpicit, dum quoſdam ſuſpicit ſuperiores, quoſdam deſpicit inferiores. In aliis quidem videt quod inuidet, in aliis quod irridet. Inde fit vt mobilitate oculorum leuigatus animus nulla vtique ſui cura aggrauatus, modo per ſuperbiam ad alta ſe erigat, modo per inuidiam in ima demergat. In altero nequam, in altero vanus, in vtroque ſuperbus.

De tertio, & quarto gradu.

CAP. XLVII.

TErtius gradus eſt *inepta lætitia*. Monachus enim dũ per curioſitatem ad animi leuitatem peruenit, impatiens ſuæ humiliationis ad conſilium falſę conſolationis fugit. Ex illa itaque parte, qua ſua ſibi vilitas aliena excellentia monſtratur, reſtringit curioſitatem, vt totum ſe transferat in contrariam partem: quatenus in quo ipſe videtur præcellere curioſius vacet, in quo alter præcellit ſemper diſſimulet, vt dum vitat, quod triſte putatur, lætitia continuetur, putes ſi illum attendas, aut ſui oblitũ aut à culpis ablutum. Nunquam enim vel raro audies eum gementem, vel videbis lachrymantem, ſed in ſignis ſcurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in inceſſu, pronus ad iocum, facilis, ac promptus in riſu. Sicut enim veſica collecta turgida vento, punctoque forata exiguo, ſi ſtringitur crepitat cum detumeſcit, ac ventus egrediẽs non paſſim effuſus, ſed ſtrictim emiſſus crebros quoſdam ſonitus reddit, ſic monachus, vbi vanis ſcurrilibuſque cogitationibus cor ſuum impleuerit, propter diſciplinam ſilentij, non inueniens ventus vanitatis, qua plenius egrediatur, inter anguſtias faucium per cachinnos excutitur. Sępe etiam vultum pudibundus abſcondit, labia claudit, dentes ſtringit, ridet tamen nolens, cachinnat tamen inuitus. Cumque os ſuum etiam pugnis obſtruxerit, per narres adhuc ſternutare auditur. At poſtquam vanitas creſcere, & veſica groſſeſcere cœperit, neceſſe eſt, vt ampliori foramine laxato ſinu ventoſitas eructetur, alioquin rumperetur. Sic monachus inepta redundante lætitia, dum riſu, vel ſignis eam aperire non ſufficit, in Heliæ verba prorumpit. *En venter meus quaſi* *Iob.32.* *muſtum abſque ſpiraculo &c.* Aut ergo loquetur, aut rumpetur. Coarctat enim eum ſpiritus veteri ſui. Eſurit & ſitit adiutores, quibus ſuas iactet vanitates, inuenta enim occaſione loquendi, ſi ſermo de literis exoritur, vetera præferuntur & noua, volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa, præuenit interrogantem, non quærenti reſpondet, ipſe quærit, ipſe ſoluit, & verba collocutionis imperfecta præſcindit. Cum autem pulſato ſigno neceſſe eſt interrumpi colloquium ad horam longam, breue quæritur interuallum. Quærit licentiam, vt ad fabulas reuertatur poſt horam, non vt quempiam ædificet, ſed vt ſcientiam iactet, non curat te docere, vel à te doceri, quod ipſe neſcit, ſed vt ſcire ſciatur, quod ſcit. De patientia, de humilitate, de cæteris virtutibus pleniſſime, ſed vaniſſime diſputat, vt tu ſcilicet ſi audieris dicas, quod *ex abundantia cordis os loquitur*. Et quia bonus *Luc.6.* homo, de bono theſauro ſuo profert bonum, ſic ad *Math.12.* lubrica ſermo conuertitur. In his quanto aſſuetior tanto loquacior inuenitur, dicas ſi audias, os eius rium eſſe vanitati, fluuium ſcurrilitatis, ita vt ſeue-

rus

ros quosque & graues animos in leuitatem concitet risus,& vt totum in breui colligam, in multiloquio nota iactantiam. In hoc enim habes quartum gradum.

De quinto,& sexto gradu,item de septimo & octauo.

CAP. XLVIII.

QVintus vero sequitur gradus *singularitas*. Turpe est enim ei qui se supra cæteros iactat,si non plus cæteris aliquid agat,per quod vltra appareat,vt dicere valeat. *Non sum sicut cæteri hominum*. Non tamen meliot esse studet sed videri,nõ melius viuere,sed videri viuere gestit. Plus enim sibi blanditur de vno ieiunio,quod cæteris prandentibus facit,quam si cum cæteris septem dies ieiunauerit. Commodior sibi videtur vna oratiuncula peculiaris,quam tota psalmodia vnius noctis. Inter prãdendum crebro solet oculos iactare per mensas, vt si quem minus comedere viderit,victum se doleat, & incipiat idipsum sibi crudeliter subtrahere, quod necessarium victui præuiderat indulgendum,plus metuens gloriæ detrimentum,quam famis cruciatum. Ad omnia denique sua strenuus,ad communia vero piger; vigilat in lecto,dormit in choro. Cumque aliis psallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, post vigilias aliis in claustro quiescẽtibus solus in oratorio remanet. Cum autem ex his,quæ singulariter sed inaniter agit,apud simpliciores eius opinio exercuerit,dum miserum beatificant ipsum in errorem inducunt. Luc.18.

Credit namque quod audit,& quid intendat,non attendunt. Obliuiscitur intentionem dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus credit sibi,quam aliis de se solo,plus aliis quam sibi;& quicquid de se laudatum nouerit non ignorantiæ aut beneuolentiæ laudatoris,sed suis meritis arroganter ascribit. Vnde post singularitatem sextum sibi gradum iure *arrogantiæ* vendicauit,post hãc *presũptio* inuenitur,in qua septimus gradus constituitur.

Qui enim alios se præcellere putat, quomodo non plus de se,quam de aliis præsumat? Primus in conuentibus residet,in consiliis primus respondet : non vocatus accedit,non missus se intromittit,reordinat ordinata,reficit facta,quicquid ipse non fecerit aut ordinauerit,non recte factum,nec pulchre æstimat ordinatum. Iudicantes iudicat,iudicaturis præiudicat. Si cum tempus aduenerit non promouetur ad prioratum, Abbatem suũ aut inuidum iudicat,aut deceptum. Si autem ei aliqua mediocris obedientia iniungatur,indignatur,aspernatur,arbitrans se non esse minoribus occupandum, qui se ad maiora sentit idoneum. Sed quomodo talis culpam suã confitebitur,qui nec esse putat,nec putari culpabilis esse patitur? Propterea cum culpa ei imputatur, crescit, non amputatur. Si ergo eum argutus fuerit declinare cor eius,videris in verba malitiæ, in octauum gradum, qui dicitur *defensio peccatorum* noueris corruisse. Multis vero modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit,qui se excusat non feci,aut si feci,bene feci : si male, non multum male,aut si multum male, non mala intentione. Si autem de illa sicut Adam vel Eua conuincitur, alia suasione excusare se nititur.

De nono & decimo gradu.

CAP. XLIX.

SEd qui procaciter etiam aperta defendit, quando occultas & malas cogitationes Abbati humiliter reuelabit. Ex hoc ergo sequitur nonus gradus,idest,*simulata confessio*,& vtique multo periculosior est fallax hac superba confessio,quam etiam obstinata defensio. Nonnulli si quidem cum de apertioribus arguuntur,scientes quod si se defenderent, non sibi crederetur, subtilius inueniunt argumentum defensionis verba respondentes dolosæ confessionis. Est quippe, *qui nequiter se humiliat*, &c. vultus demittitur,corpus prosternitur, aliquas sibi lachrymulas extorquent si possunt, verba gemitibus, vocem suspirijs interrumpunt, Non solum obiecta non excusant,sed etiam culpam exaggerant,vt dum incredibile aliquid culpæ suæ, ore ipsorum additum auditur, etiam illud discredatur,quod ratum putabatur, & ex eo quod esse falsum non dubitas,dum confitentur in dubium veniat,quod quasi certum tenebatur. Dumque affirmant;quod credi nolunt, culpam confitendo defendunt,& operiendo tegunt,vt magis ex humilitate quam ex veritate confiteri putet,qui audiat, aptans illud scripturæ *Iustus in principio accusator est sui*. Glorioſa res humilitas,qua ipsa quoque superbia palliare se appetit,ne vilescat,sed hæc cito tergiuersatio à Prælato deprehenditur,si ad hanc superbam humilitatem non leuiter flectitur,quo magis dissimulet culpam,vel etiam differat pœnam. *Vasa enim figuli probat fornax,& tribulatio vere pœnitentis discernit*: Nam qui veraciter pœnitet,laborem pœnitentiæ non abhorret: Sed quicquid sibi pro culpa quã odit,iniungitur,tacita conscientia amplectitur. Cuius vero simulata confessio est, vana vel leui contumelia aut exigua pœna interrogatus, iam humilitatem simulare, iam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, fendit, irascitur,& in nouum superbiæ gradum corruisse probatur. Tandem notatur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, eoque vehementius omnes indignantur, quo falsum esse conspiciunt quicquid de eo prius opinabantur. Tunc opus est Prælato,vt eo minus illi parcẽdum putet,quo omnes offenderet, si vni parceret. Hic nisi eum miseratio superna respiciat, vt quod talibus valde difficile est vniuersorum iudiciis tacitus acquiescat,frontosus mox & impudens factus, tanto deterius, quanto desperatius in decimum gradum idest in *rebellionem* corruit, quique prius latenter arrogans fratres contempserat. iam patenter inobediens etiam magistrũ contemnit. Sic autem duodecim gradus in tres tantummodo colligi possunt,vt in sex primis contemptus fratrum, in quatuor sequentibus contemptus magistri, in duobus qui restant, consumetur contemptus Dei. Prou.18. Eccl.17.

De vndecimo,& duodecimo gradu.

CAP. L.

POtest vndecimus gradus, dici ipsa libertas peccandi per quam monachus cum iam nec magistrum videt quem timeat,nec fratres quos reuereatur, tanto securius,quanto liberius sua delectatur pro his, à quibus in monasterio,tam pudore,quam timore prohibeatur. Experta autem voluptas libenter repetitur,repetita blanditur. Si consuetudo ligat,in qua duodecimus constituitur gradus,iam indifferenter libitis pro licitis vtitur. Iam ab illicitis cogitandis,patrandis,inuestigandis animus, manus,vel pedes non prohibentur. Sed quicquid in cor, in buccam,ad manum venerit,machinatur, garrit, operatur maleuolus,vaniloquus, facinorosus. Quemadmodum denique ascensis his omnibus gradibus, corde iam alacri & absque labore pro bona consuetudine iustus currit ad vitam : Sic descensis impijs eisdem pro malo vsu,non se ratione gubernans, non timoris fræno retentans intrepidus festinat ad mortem. Medij sunt,qui fatigantur & angustiantur; qui nunc metu cruciantur gehennæ,nunc pristina retardati consuetudine descendendo laborant. Supremus tantum & infimus currunt absque impedimento & absque labore, ad mortem hic,ad vitam ille festinat, alter alacrior, alter procliuior. Illum alacrem charitas, hunc procliuem cupiditas facit,in illo denique perfecta charitas foras mittit timorem, in isto consummata iniquitas. Illi veritas, huic cæcitas dat securitatem. Potest ergo duodecimus gradus appellari *consuetudo peccandi*, qua Dei metus amittitur, contemptus incurritur. Pro tali iam,inquit, Ioannes,non dico vt quis oret. Sed nunquid dicis, ô Apostole, vt quis 1.Ioan.5.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

desperet? Immo gemat, qui illum amat; non præsumat orare, nec desistat plorare. Audi credentem, sperantem, non tamen orantem. *Domine*, inquit, *si fuisses hic. &c.* Disce, & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionem. *Vinum*, inquit, *non habent*. Quam breuiter, quam reuerenter suggessit, vnde pia sollicita fuit, conceptamque preeis fiduciam verecundiæ suppressit. Denique, quod nostris meritis deest, verecundia fortasse supplebit. Petri post grauem lapsum lachrymam quidem video, sed precem non audio, nec tamen de indulgentia dubito. *Vinum* inquit *non habent*: quid modestius, quid fidelius? Absit autem à nobis, vt etiam pro illis, pro quibus palam nō præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus; cum Paulus eos quoque lugeret, quos sine pœnitentia mortuos sciret. Etenim si à communibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab affectibus omnino excludi non possunt. Viderint tamen in quanto periculo sint pro quibus ecclesia palam orare non audeat, quæ fideliter etiam pro Iudæis, & pro hæreticis, & pro gentilibus orat. Cum enim in parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen fit mentio de excommunicatis.

Ioan. 11.

Ioan. 11.

2. Cor. 12.

De tenore & obligatione monachorum.

Cap. LI.

IN *libro de præcepto & dispensatione*. Crebris epistolis & nunciis cogitis me, aut propriam prodere imperitiam, aut officium charitatis; at ego malens sine illa quæ inflat, quam absque illa quæ ædificat inueniri, victus sū tandem precibus vestris. Fidei proinde vestræ non meo fidens ingenio abyssum ingredior quæstionum, nescio (Deus scit) qua emersurus: Præsto charitas erit vtinam ita & veritas. Quæritis nempe? Illa regularis distinctio quomodo & quatenus sit pensanda profitentibus eam; vtrum videlicet cuncta quæ continet, putanda sint esse præcepta, consequenter & damnosa transgredienti: an consilia tantum vel monita, & ob hoc nullius vel non magni sit ponderis ipsorum professio, nullius aut non grauis culpæ ipsorum præuaricatio. An certe quædam deputanda sint imperijs, quædam pro consilijs reputandā: quo partim ea liceat, partim non liceat omnino prætergredi. Et si hoc vltimum detur distingui à me, tunc deinde certos ac proprie cuiusque partis limites flagitatis ne cui forte per varias sui sensus opiniones licentius vagandi detur occasio: sicque liquare culicem, & camelum glutire contingat, si nesciat quantum curæ, vel operæ suis quibusque debeat obseruantiis.

Quærit vtrū monastica regula instituta præcepta sint an consilia tantum.

Patrum cōstitutiones omnibus vt salutaria quadammonita proponuntur. sed professo sunt vice præceptorum.

Itaque vt sentio ego, regula S. Benedicti omni homini proponitur, non imponitur. Prodest si deuote suscipitur & tenetur, non tamen obest si non suscipitur, quod autē in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis. Voluntarium merito dixerim, non necessarium Attamen hoc, quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit & promiserit deinceps tenendum, profecto in necessarium sibiipse conuertit, nec liberum habet iam dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Cæterum fælix, (vt quidam Sanctorum ait) necessitas, quæ in melius cogit. Omnia proinde S. Benedicti instituta, exceptis sane nonnullis de spiritualibus, verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum quam Deum constat instituisse, & ob hoc pœnitus non esse mutanda, non profitentibus in præcepta, præuaricantibus quidem monita tantum seu consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata, cum tamen profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiant. Ista sane hæc necessaria dixerim, vt ex eis minime præiudicetur necessariis rationalibusque dispensationibus.

1. Cor 4.

Sed non omnibus in huiusmodi creditaest dispensatio nisi his duntaxat, qui cum Apostolis dicere possunt. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c.* Nouit autem fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam ibi tantum vsurpare dispensationem vnde bonam possit habere recompensationem. *Propterea hic quæritur inter dispensatores, vt si quis inueniatur;* & eadem fortasse fidelitas à subditis exigitur in obtemperando, quæ à præpositis in dispensando. Constat igitur ex his, quæ dicta sunt vestram illam diuisionem integram esse & sufficientem, si modo personę distinguantur & tempora. Omnis namque regularis institutio, quantum ad corporales obseruantias pertinet, subiectis ante professionem voluntaria, post promissionē necessaria est. Prælatis vero partim voluntaria, scilicet quæ ab homine sunt inuenta, partim necessaria, & quæ diuinitus instituta, verbi gratia, de charitate, humilitate, mansuetudine.

De triplici necessitate præceptorum.

Cap. LII.

FOrtassis autem hæc diuisio tunc congrua ac lucu-lenta magis apparebit; Si eius membrum, quod dictum est necessariam rursum in hæc tria subdiuidatur stabile, inuiolabile, incommutabile.

Stabile est, quod non cuilibet hominum mutare fas est, sed solum dispensatoribus mysteriorum Dei idest præpositis, vt sunt regulæ sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, necnon, & authentici Canones, & si qua sunt alia ecclesiastica dignæ auctoritatis instituta, quæ quoniam à sanctis tradita sunt, sancita stabilitet perseuerant, nec omnino cuiuis subiectorum ea aliquo modo mutare conceditur: Quoniam tamen ab omnibus instituta sunt etiam per homines loco & officio illis canonica electione succedentes, licite interdum pro causis, personis locis, & temporibus dispensantur. Ideo autem taliter & à talibus mutationem accipere possunt, quia non naturaliter, nec per se bona sunt.

Cū sanctorum patrum regula efficiant vt expeditius curramus viam mandatorū Dei nō sunt violanda nisi vel vrgente necessitate vel charitate inuitante.

Porro instituta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret, sed quia ita magis expediret, nec plane ad aliud, quam ad lucrum, vel custodiam charitatis. Quamdiu ergo charitati militant immobiliter fixa sunt, mutarique nec ab ipsis præpositis sine offensa possunt. Si autem contraria charitati aliquando visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, nonne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerint, pro charitate quoque, vbi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? Iniquum enim esset si statuta pro sola charitate contra charitatem tenerentur; Tenent ergo fixam immobilitatem, quæ ex stabili necessario sunt etiam apud prælatos, sed quatenus charitati deseruiunt. Nunquid hoc ergo ego solus sentio vel primus dico? Ait & Papa Gelasius: Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant Sanctorum decreta Patrum, Leo quoque Papa ait: Vbi, inquit necessitas nō est nullo modo violentur Sanctorum Patrum instituta, & infert, vbi ergo necessitas fuerit ad vtilitatem ecclesiæ; qui potestatem habet ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.

Diuina lex solius Dei authoritate mutari potest.

Necessarium autem inuiolabile illud intelligo, quod non ab homine traditum est, sed diuinitus promulgatū, vbi nisi à Deo qui tradidit, mutari omnino nō patitur: vt non occides, non mœchaberis, & reliqua illus tabulæ legis scita. Quæ & si nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, Deus tamen horum, quod voluit, quando voluit soluit, siue cum Hebræis Ægyptios spoliari, siue cum Prophetam cum muliere fornicaria præcepit misceri. Sanson quoque seipsum, vna cum hostibus opprimens interfecit. Quod vtique factum si defendatur non fuisse peccatum, priuatū indubitanter credēdus est habuisse consilium & si de scriptura non habemus.

Exod. 3. Osee. 1. Iud. 16.

Necessarium vero incommutabile illud volo accipi, quod ita diuina & æterna ratione firmatum constat, vt nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus

tenus mutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis Domini in mõte habiti spiritualis traditio, & quicquid de illa dilectione & mansuetudine cęterisque virtutibus tam in nouo, quam in veteri testamẽto spiritualiter obseruandum traditur. Hæc enim eo immobiliter, quo naturaliter bona omni tempore, omni personæ, morte contempta, custodita salutem operantur. Prima ergo necessitatem sua cuique facit in promittendo voluntas, secunda præcipientis auctoritas, tertia præcepti dignitas. Quod igitur nulli hominum fas est nisi solum mutare Prælatos, vix mutabile, quod Deo licere constat pæne immutabile, quod autem ne ipsi quidem pænitus immutabile nominetur.

Quæ naturaliter & necessario immutabilia sunt ea ne Deus quidẽ mutare potest.

Quod quædam regulæ præcepta subsunt nõn voluntati Prælati, sed discretioni.

Cap. LIII.

MAgna igitur ex parte regularis traditio ideſt illa eius pars, quæ in corporalibus constat obseruantijs, subest eius, quæ præest, & si non voluntati, certe discretioni. Neque enim Abbas supra regulã est, cui semel & ipse spontanea se submisit professione. Et si quod negandum non est, charitas Dei regulæ S. Benedicti præponitur, iure super fratrum sane transgressiones non super patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & vitiorum vltor. Hinc est, quod idem legislator in his, quæ Abbati dispensanda reliquit, caute nusquam, vt nemini voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut prouidentiam, aut aliquid huiusmodi ponit, volens fidum dispensatorem in dispensando sequi rationis iudicium non voluntatis suæ placitum. Vt enim pro voluntate sua Abbas aliquid mutet, me ibi legisse non recolo, quin immo in omnibus, inquit, omnes magistram sequantur regulam. Ergo nemo voluntatem suam, nec ab ea inquit temere deuietur à quoquam, ergo nec ab ipso Abbate. Videtis quantum necessitati tribuitur; voluntati subtrahatur. Quid etiam? Nonne regularis ipsa professio, qua se minor spõte subdit maiori æque alligat, & priorem? Communis equidem pacti pari reor vtrumque necessitate teneri, fierique duos per vnius sponsionem alterutrum debitores: Vnum fidelis cura, alterum humilis obediẽtiæ. Quid igitur iam voluntati relinquitur, vbi, & prælatus debiti necessitate tenetur?

Abbas quoque regulæ legibus tenetur.

De meta voti obedientiæ.

Cap. LIV.

SEd & de hoc item non parum prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur spondet obedientiam non omnimodam, sed secundum regulam determinate sancti Benedicti; non ergo secundum voluntatẽ præpositi. Proinde si professo secundum illam regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tẽtauerit, quod non sit secundum regulam, quęnam quæso in hac re mihi necessitas imminet obsequendi, solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi. Oportet ergo eum qui præest non fræna laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, & sic imperia sua moderare.

Neque vltra professionis metam extẽdenda est lex obedientiæ neque intra eam arctanda.

Videtis ergo iam obedientiæ limites. Si enim modus obeditionis est tenor professionis; nec se vltrà valet extendere potestas imperantis, profecto citra & vltra & contra limites obedientię censentur, ex his virtus eadem circumcluditur. Ergo prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltra debet extendi, vel citra contrahi. Nil me Prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat, sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Necessitas quippe non habet legem, & ob hoc excusat dispensationem. Voluntas vero quia sola meretur retributionẽ, etiam sola non immerito gradum vsurpat altiorem. Alioquin & absque necessitate voti remissio, non dispensatio sed præuaricatio est; & restrictio contra voluntatẽ murmur est non profectus. Ponant ergo prępositi metam obedientiæ subiectorum ex votis labiorum suorũ, & non suorum desideriorum, monentes eos non cogentes ad celsiora, condescendentes eis cum necesse fuerit ad remissiora, non cadentes cum ipsis.

Quod imperfecta est obedientia, quæ voti finibus cohibetur.

Cap. LV.

CEterum subiectus huiuscemodi obediẽtiam, quæ voti finibus cohibetur, noscat imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec angustijs professionis contenta, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur spontanea vigori liberalis, alacrisque animi modũ non considerans, in infinitam libertatem extenditur. De hac Petrus ait: *Castificantes* inquit *cor vestrum in obedientia charitatis*, pulchre per hoc eam sequestrans ab illa inerti & seruili obedientia. Nec prompta charitati, sed obnoxia necessitati. Hęc enim iusti illius cui lex posita non est propria est, non quod ille vel ille perfectus debeat viuere sine lege. Sed quia non est sub lege, quippe minime contentus est voto suæ professionis, quam superat animi deuotione. Quanquam nec istam regulam ipsa tacuerit vbi monet si fratri impossibilia iniunguntur, vt confideris de adiutorio Dei obediat ex charitate. Ibi quoque interius tertius humilitatis gradus describitur, vt in omni obedientia monachus se subdat maiori. Non ergo vult nos obediendo mensuræ professionis esse cõtentos, nec de pacto sumere modum, sed transire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus. Est sane obedientiæ limes secundum tempus ipsa temporis extremitas, vt sit terminus obedientiæ qui & vitæ, quia *Christus factus est obediens vsque ad mortem.*

1. Pet. 1.

De duplici inobedientia, & impari iubentium auctoritate.

Cap. LVI.

INterest sane qua causa, quo affectu, qua intentione, quo præcipiente, in quove præcepto malum inobedientiæ committatur. Mandatum Dei est, *non occides.* Fac ergo duos homicidas, & vnum quidem spoliandi cupiditate, alterum vero necessitate se defendendi. An non hic satis euidenter inter lepram, & lepram, causa separat, faciens vtique disparem valde culpam vnius, & eiusdem transgressionis? Nil deinde incestius obscenius ve quam illas filias Loth, paternum vsurpare concubitum, & tamen quis non videat, quantum euacuauerit, aut attenuauerit turpis nefandique flagitij reatum pietas intentionis & intentio pietatis. Iam vero de illo, qui præcipit, & idem de eo, quod præcipitur huiuscemodi aduertenda erit secundum rationem distinctio, vt cuius inter præceptores reuerentior nobis imminebat auctoritas, grauior eius formidetur offensio, ac etiã maioris cuiusque mandati transgressio, damnabilior æstimetur. Porro maiora minoraque mandata dixerim, quæ mágis minusve velle constiterit ipsum qui præcipit, siue hominem siue Deum. Est (verbi gratia) Dei mandatum, *Non furaberis*, & est mandatum: *Omni petenti da*; sed non de furando maius. Quis enim nesciat minus peccare, qui non tribuit sua, quam qui non sua furatur. Sed in mandatis hominum rata æqualitas inuenitur, cum pro variis necessitatibus, vel vtilitatibus agendorum iniungentium affectio varietur. Quodque putauerint rectius vel commodius hoc amplius cupiant, & exigant obseruari. Tam ergo qualitas præceptorum quam auctoritas prępcipientium, & obedientiæ præfigit metam, & inobedientiæ terminat culpam. Bonus quidem obe-

Gen. 19.

Act. 5.

Mar. 10. Luc. 6.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dientiæ gradus est, si iuxta magistri nostri sententiā propter metum gehennæ seu propter sanctam professionē, quam professus est quispiam obedierit, melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista autem est charitatis. Illum autem dixerim optimum obediētiæ gradum cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur. Et ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis, tam in obseruando fideliter iussa, quàm in cauendo prohibita. Nouit verus humilisque obediens, & minima non contemnere & maxima curare. Quæ maxima sunt, intimo quodam deuoti sincerique animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest suis quodam modo factis, respō-
Psal. 118. deat cum Propheta: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Vbique enim & culpabilis neglectus & contemptus damnabilis est. Differunt autem, quia neglectus, quidem languor inertiæ est, contemptus vero superbiæ tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est. Neglectus autem in fixis grauior, tolerabilior in mandatis & mobilibus. Discretio enim est in mandatis cosequenter & in culpis.

Quod pœnitus obediendum sit prælato quando non præcipit contrarium Deo.

Cap. LVII.

Siue autem Deus, siue homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit pari profectu consequendum est, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod si contigerit illa Petri sententia tenenda
Act. 5. est: *Obedire* inquit *oportet Deo magis, quam hominibus.* Si autem doleret homo se contemptum, consoletur eum illud Samuel: *Si peccauerit vir &c.* Si autē in Deum pec-
1. Reg. 2. cauerit etiam si subaudiatur propter hominem, *quis orabit*, inquit, *pro eo.* Neuter equidē. Nā & à quo offenditur, & ob quem offenditur, æque vtriusque oratio execrāda discernitur apud ipsū scilicet qui offēditur, hoc est apud Deū. Talis ergo requirēdus est ad exorandū, qui sit idoneus ad placādum. Porro culpam siqua est quod homo offenditur cum ei nō obeditur, aut multū extenuat causa melior, aut pœnitus adnihilat. Quapropter cum dici-
1. Reg. 1. tur: *Si peccauerit vir in virum*, subaudiendum est propter Deum. Nullatenus enim læsio cuiusque proximi, nedum prælati excusetur à culpa, si solus defuerit in causa Deus. Alioquin Paulo contradicit qui ait: *Si enim*
1. Cor. 8. inquit *in fratrem peccatis, in Christum peccatis. Nolite*, ait,
Matth. 18. Dominus *contemnere vnum ex illis pusillis, &c.* Aliter nāque accipienda sunt scandala pusillorum, & aliter Pharisæorum. Illorum quippe scandalum de ignorantia: Istorum autem de malitia descendit. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt, isti quia oderunt. Quod si tantopere cauenda sint scandala paruulorum, quanto amplius Prælatorum, quos sibi Deus æquare quodammodo in vtraque parte dignatus, sibimet imputet illorum irreuerentiam & contemptum spiritualiter conteſtās eis
Luc. 10. dicēs: *Qui vos audit me audit &c.* Quamobrem quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certū displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est quam si præcipiat Deus. Quid enim interest vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suum beneplacitum Deus? Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubijs præcipienda, & in præcipiendo fallere possunt. Sed deinde qui hoc refert tua qui conscius non es; præser-
Mal. 2. tim cum teneas de scripturis, *quia labia sacerdotis custodiūt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.* Requirunt dixerim legem, non quam vel authentica illa scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit. De huiusmodi quippe vt præceptor est expectandus, nec prohibitor auscultandus, sed quod ita latere aut obscurum esse cognoscitur vt in dubium venire possit, vtrum nam Deus sic, an aliter forte velit. Si non de labijs custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur à quo denique diuina potius consilia requirentur, quam ab illo cui credita est dispensatio mysteriorū Dei. Ipsum proinde quem pro Deo habemus tanquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum audire debemus.

Responsio ad illos, qui obedientiæ professionem accusant:

Cap. LVIII.

Svmentes vero materiam siue occasionem arguendi, asseritis, si hoc constiterit vt iussa quælibet hominū vel instituta diuinæ auctoritatispōdere æstimanda sunt, hominem sub homine aut vix aut nequaquam posse saluari, cui in tanto populo mandatorum, quæ Prælati etiam per incuriam sæpe præcipiunt interdum non præuaricari, aut difficile admodum aut omnino impossibile esse videatur. Et quidem non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni sed cum ipsa corde imperfecto præsumitur. Porro imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorumstudiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & male suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec vnquam obedire libenter, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit. Aut cum non aliter licere seu expedire monstrauerit, aut aperta ratio vel indubitata auctoritas. Delicata satis, immo nimis molesta est huiusmodi obedientia: non plane hæc illa est quæ ex regula traditur obedientia sine mora. Disputare profecto hoc est in affectu cordis, non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modo premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est, quia non potest portare caro infirma quod solus spiritus promptus experitur iugum esse suaue & onus leue Christi, quippe iugum & onus est, & omnino importabile nisi æque Christi spiritui. His itaque si dicatis legem regulæ subintrasse vt abundaret delictum, verum dicitis. Cæterum hæc culpa nō est datæ legis, aut dantis legem, sed improuide profitentis, & impiè præuaricantis. Mandatum quidem sanctum & *Rom. 7.* iustum, sed tu teneris esse carnalem venundatum sub peccato. Hoc autem præuidisse debueras quo turris huius enangelicæ non prius iaceres fundamenta, quam sedens computares si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc quid restat, nisi vt aut correptus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusoribus: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* *Luc. 4.*

Sed forsan dicitis: Ergo ne ita perfectus, quispiam inuenitur cui non vel minimum aliquid interdum surripiatur de tam multis ac minutis; quæ passim vel à negligentibus præpositis imperantur? Minimè. Sed non continuo vt aliquid præterimus perimus, præsertim cū nos consoletur scriptura. *Si quis peccauerit* inquiens *aduo-* *1. Ioan. 1.* *catum habemus &c.* Qui & si pro transgressoribus, nō tamen pro contemptoribus legitur supplicasse. Verum illi quomodo perire possunt pro quibus saluator rogat ne pereant. Itaque & ipsa euangelica præcepta multum inter se discrepant, & merito obseruationis, & trāsgressionis periculo. Nam sicut non omnia vnius esse constat, vel necessitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis, sic nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniuntur. Nonne denique veritas in Euangelio sub nominibus trabis, & festucæ graues leuesque discernit inobedientiæ culpas? Nonne ipsa disputante immo diffiniente gradatim nobis distinguitur, quæ cui reatui pœna debeatur, dū alium iudicio, alium consilio, alium & gehenna reum esse protestatur? Nulla ergo consequendi necessitas cogit, vt si magistris diuina detur in suis præceptis auctoritas, nullum ideo iam monacho leue aut veniale peccatum inuenire posse putetur, & quod eius vniuersæ actioni crimen insidietur inobedientiæ? Non enim qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, & nolle obedire. Legimus, & in Euangelio, maxima minimaque mandata, & mandatorum transgressiones *Matth. 5.*

vniuersas

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vniuersas dicemus, æqualiter maximas.

Quod ipsa regula habet transgressionum remedia.

CAP. LIX.

FRustra proinde vt videtis, aut terremini, aut terrere conamini de ipsius obedientiæ promissione, quæ fit ex professione quasi non oporteat illum promittere, quã constet, nec integre posse teneri, nec sine crimine præteriri. Et enim si omnis inobedientia inexcusabiliter sit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, nisi quẽ remedium pœnitentiæ non sanat. Nulla est læthaliter criminalis, nisi quæ contemptum superbiæ non euitat. Magna igitur securitas filiis obedientiæ, & reuera pax hominibus bonę volũtatis, quando in omni inobediẽtia sola dãnatur impœnitentia, quam nescit qui diligit Deũ. Sola incriminatur superbia, quam facile cauet qui timet gehennam. Bene prorsus non potest esse conscius sibi, qui se non implere confidit, quod debere se credit. Creditis itaque, vt verborum nostrorum sensum breuiter colligam, quod ad integrum mandata Dei obseruari vix valeant, Abbatis non valeant, cum veritas ipsa testetur: *Matth. 5.* *Ne vnũ quidem iota præteriũ iri.* Cæterũ qui ita sẽtit, mihi videtur, vt vestra pace dixerim, nondũ gustasse quam suauis est Dominus, sub iugo legis gemere adhuc nõdũ respirare sub gratia. Suaue Christi iugũ nequaquã esse expertũ, ideo certissime adhuc infirmari per carnẽ, quia spiritus non adiuuat eius infirmitatem. Si autẽ non impossibile quidem, sed tamẽ difficile esse sentitis, magistros non contemnere, & ideo murmuratis aduersus obedientiæ legem, affirmantes periculosum esse promittere quod tam laboriosum est obseruare. Ad hoc ego *Matth. 19.* respondeo immo non ego sed Dominus: *Qui potest capere capiat.* inquit. Hinc quippé est quod paulo superius dixi, quia antequam ædificium inchoares prouidisse debueras, vnde perficeres. Nunc autem, vt ait quidam, aut non tentasses, aut perficeres. Partienda est proinde nobis in duo vniuersa hæc regularis obseruatio; in præcepta videlicet, & remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur innocentia post peccatum. Sic vtraque ista complectitur nostra professio, vt professus quisque cum in aliquo forte mandatorum regularium deliquerit, si ad remedium æque regulare cõfugerit; & si conuincitur transgressor mandati, non tamen præuaricator pacti. Solum itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum, qui & præceptum contempserit & remedium. Regulares namque terminos, & si sæpe deliquerit, non euadit, qui censuræ, quæ regula est, disciplinam non subterfugit; pars siquidem regulæ est regularis correctio, & in ea reperiuntur obedientiæ præcepta, & inobedientiæ remedia, vt nec peccando à regula recedatur.

Vtrum omni præcepto quantum obedientia valeat, tantum inobedientia grauet.

CAP. LX.

Soluit quæstionem de obedientia merito ac inobedientia demerito.

QVærentibus item de obedientię pondere seu discrimine inobedientiæ, incidit à latere vobis, & de merito vtriusque quærendum. Vtrum videlicet in quibus præceptis quantum obedientia valet, tantum grauet inobedientia. Vt verbi gratia, vel Abraham de immolando filio, vel ille nescio quis, de filio itidem furni incẽdiis exponendo, tantum diuinæ indignationis & vltionis merito incurrissent si non obediissent, quantum laudis & gratiæ receperunt pro eo quod obedierunt. Quod vobis quidem videtur & durum & necessarium, sed non est ita. Cum vero constat nonnulla, nec fieri sine gloria, & posse nõ fieri sine culpa. Ideoque si fiant digna esse præmiis; non tamen supplicijs si non fiant: Nam & non tãgere mulierem meriti est non mediocris, & nullius delicti propriam amplecti coniugem. Istius enim modi sunt quæcumque illi Euangelico capitulo congrue conueniri possunt. *Qui potest capere capiat.* Et rursus quædam per contrarium, neglecta quidem offensam contrahunt, sed impletà gloriam non merentur, & damnant contemptorem & auctorem non glorificant. Talia sunt quæcũque diuinitus lege publica imponuntur hominibus, sine quibus nec saluari queunt. Hinc est illud in Euangelio: *Luc. 6.* *Si diligitis vos, qui vos diligunt, &c.* *Luc. 7.* Denique & vniuersaliter, *cum feceritis omnia quæ præcepta sunt, &c.* Ac si dicat: Si solis contenti estis præceptis & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionis vos consiliis & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito glorioſi. Euasistis pœnam sed nõ acquisistis coronam. Quænam igitur necessitas cogit parere vos in singulis, quæ iniuncta fuerint, & formidare vltionem de transgressione, & de obseruantia remunerationem. Ea propter in talibus generalibus hæc regula teneatur, vt in difficilioribus quidem agendis obeditio gratior, quam grauior præuaricatio iudicetur: & in facilioribus minusque onerosis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur.

De stabilitate loci & transitu ad alium.

CAP. LXI.

IAm videamus quatenus tenenda sit ipsa quæ in professione firmari solet loci stabilitas. Præscribit sane stabilitatis pactum omni deinceps remisso discensui, contentioso discessui, vago & curioso discursui, totius denique inconstantiæ leuitati, non tamen his, quæ in professionis serie sequuntur, morum videlicet conuersioni, & obedientiæ secundum regulam. Nam si hæc ibidem pro improbitate & irreligiositate cohabitantium obtineri forte nequieuerant, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad alium locum, vbi non impediatur *reddere vota sua Deo quæ distinxerunt labia sua.* *Psal. 17.* Et quidem *cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris.* *Psal. 63.* Sane de religiosis, ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, ne arctioris quidem desiderio vitæ, sine licentia sui senioris egredietur. Egressus tamen si melius inuenerit & elegerit, meo nihilominus iam consilio non egredietur, ad inferius scilicet bonum quod reliquerat, & pro meliori contempserat, si non tamen loci prioris vicinia reuocetur, quia deuoto monasterio nec retineri quis regulariter potest, nec recipi sine consensu Abbatis sui. Si ergo vult aliquis verbi gratia, de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium se stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem, si me consulit non consulo, nisi id Abbatis sui vsurparit assensu. Quamobrem? Primo propter scandalum ipsorum quos deserit, deinde quia certa pro dubiis relinquere tuum non est. Forsan enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo leuitatem, quia id sæpe quod facile volumus antequam probemus, experti iam nolumus, vno prope momento idipsum cupientes, & respuẽtes tam leuiter quam irrationabiliter. Quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vagi & instabiles mutant experimento iudicium, immo sine iudicio fluctuantes & tumultuantes, tot de se consilia præsumunt quot loca reuisunt, semper quod non habent cupientes, & quod habent in ipsis fastidientes.

Exhortatio Eugenij Papæ ne totum se occupationibus dedat.

CAP. LXII.

IDem ad Eugenium Papam de consideratione lib. 1. Nescio quomodo vult & quomodo non vult exire, læta quidem sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, maiestas scilicet atque amor. Nempe vrget ille, inhibet illa, sed interuenit dignatio tua, qua hoc ipsum non præcipis, sed petis, cum præcipere magis te deceat. Cæterum amor Dominum nescit, agnoscit filium, & in filiis per se satis subiectus est. Obse-

Matth. 19.

quitur

quitur iponte, gratis obtemperat, libere reueretur. Amaui pauperem, amabo & pauperum patrem & diuitum. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te, nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse.

Vnde iam ergo incipiã libet ab occupationibus tuis, quia in his maxime condoleo tibi, si tamen doles & tu, alioquin non condoleo. Doleo tamen & maxime sciens absolute longius absistere membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem periculosius laborare; sic se tuæ res habent. Absit: hæc est pars illius, qui datus est in reprobum sensum. Ab his sane cupio tibi pacem, non cum his. Nil tam fixum animo quod neglectu & tempore non absolescat, vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eo insanabile quo insensibile fit. Denique dolor continuus, & acerbus diuturnus esse non patitur; nam si aliunde non extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid enim non inuertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid non vsui cedet? Primum tibi importabile videbitur aliquid, quod processu temporis si assuescas iudicabis non adeo graue, paulo post & leue senties: paulo post & delectabit: ita paulatim in cordis duritiam itur, hinc prorsus hinc tibi timui, & timeo semper, ne dilato remedio dolorem non sustineas periculo te irreuocabiliter desperatus immergas. Vereor, inquam, ne in medijs occupationibus (quoniam multæ sunt) dum diffidis finẽ, frontem dures, teipsum quodammodo sensu priues iusti vtilisque doloris; malto prudentius te de illis subtrahas, vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipsis, & certe paulatim duci quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Ne pergas quærere quid illud sit. Si non expauisti tuum est hoc. Solum enim est cor durum quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonẽ. Quid est cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis nec cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia inuidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina; præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est cui præteritorum præter solas iniurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non parit, futurorum nulla nisi forte ad vlciscendum prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cũcta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet nec hominem reueretur. En quo trahere te habent occupationes hæ maledictæ, si tamen pergis, vt cæpisti, dare ita te totum illis, nihil tui tibi relinquens.

Prauos mores docet facile abire in consuetudinem.

Quid maxime sit prælatis pertimescendum.

Cor durum quid sit.

Correctio eiusdem de continuo causarum auditu.

Cap. LXIII.

Execratur litigantes.

QVæso ego te, quale est illud mane vsque ad vesperam litigare aut litigantes audire, & quasi nõ sufficeret diei malitia sua, non sunt libere noctes. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. Magna virtus patientiæ, sed non hanc tibi ad ista optauerim, interdum patientem esse probabilius. Tu ne approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: *Libenter sufferti insipientes, cum sitis ipsi sapientes*, nisi fallor, ironia erat & non laus, non bona patientia, vt possis esse liber, seruum te promittere fieri, nolo dissimules seruitutem in quam certe in dies dũ nescis redigeris. Hebetati cordis est indicium, propriam non sentire continuam vexationem. *Vexatio dat intellectum auditui.* Ait quidam: Verum est sed si nimia non fuerit: Nam si sit non plane intellectum dat sed contemptum. Denique impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. Expergiscere ergo & pessimæ seruitutis iugum non tantum caue sed etiam horre. An non ideo iugum, quia non vni seruis, sed omnibus. Nec mihi opponas, nunc Apostoli vocem qua ait: *Cum essem liber ex omnibus, seruum omnium me feci.* Longe est istud à te. Nunquid hac ille seruitute hominibus inseruiebat in acquisitione turpis quæstus: Nunquid ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, auari, symoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi, & quæque istiusmodi monstra hominum, vt ipsius Apostolica auctoritate, vel obtinerent honores ecclesiasticos, vel etiam retinerent: Ergo seruum te fecit homo, homo, cui viuere Christus est, & mori lucrum, vt scilicet plures lucrifaceret Christo, non vt lucra augeret auaritiæ. Audias post ipsum dicentem: *Precio* inquit *empti estis, nolite fieri serui hominum.*

Iustiniani leges non Christi pontificum tractare nefas est.

Quid seruilius indigniusque præsertim summo Pontifici, quam non dico omni die sed pene omni hora insudare talibus rebus, & pro talibus: Deinde quando oramus, quando docemus populos, quando ædificamus ecclesiam, quando meditamur in lege: Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini. Iustene etiam istud? Tu videris. *Nam certe lex Domini immaculata conuertens animas.* Hæ autem non tam leges, quam lites sunt, & cauillationes subuertentes iudicium. Tu ergo Pastor & episcopus animarum, qua mẽte obsecro iustines coram te semper silere illam, garrire autem istam: Fallor si non mouet tibi scrupulum peruersitas hæc, putò quod interdum compellat clamare ad Dominum cum Propheta: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* An & te audes liberũ profiteri sub tam graui mole inconuenientiæ huius, & cui fas non sit ceruicem subducere. Nam si potes & nõ vis, multo magis seruus es huius ipsius tam peruersæ voluntatis tuæ. Nam & si coacta seruitus miserabilior: sed affectata miserior est.

Psal. 118.

Psal. 118.

Quod onus illud in alios sit partiendum, & interdum considerationi vacandum.

Cap. LXIV.

ET quid vis me facere, inquis: Vt tibi ab his occupationibus parcas. Impossibile fortassis esse respõdebis, faciliusque te cathedræ valedicere posse. Recte enim hoc, si rumpere & non magis interrumpere ista hortarer. Aliud ergo quid arguam, quid ve suadeam? Si quod viuis & sapis totum das actioni, considerationi autem nihil: laudo te, in hoc non laudo: certa nec ipsi actioni expedit consideratione non præueniri: si totus vis omnium esse, instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem sed si plena sit. Quomodo autem plena te excluso. Et tu homo es: ergo colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest si vniuersos lucreris, te vnum perdens. Quamobrẽ cum te omnes habeant, & tu esto cum habentibus vnũs. Sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi. Clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te. De fonte publico bibunt pectore suo, & tu seorsum sitiens stabis. Si maledictas est qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se pænitus reddit expertem. Memento proinde non dico sæpe sed vel interdum reddere teipsum tibi. Vtere tu quoque te inter multos, aut certe post multos. Audi Paulum Apostolũ quid de huiusmodi sentiat. *Ad ignominiam* inquit, *vobis dico contemptibiliores, qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Itaque secundum Apostolum indigne tibi vsurpas tu Apostolicus officium vile, gradum cõtemptibilium, vnde & dicebat episcopus episcopum instituẽs. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus* quid ni cõtemnant iudicare de terrenis possessiunculis homiñum, qui in cælestibus & Angelos iudicabunt. In criminibus ergo non in possessionibus potestas vestra. Propter illam siquidẽ & non propter hanc accepistis claues regni cælorum, præuaricatores vtique exclusuri non possessores. Habent hæc infima & terrena iudices suos reges, & principes terræ, quid fines alienos inuaditis? Quid falcẽ vestrã in alienã messem extenditis? non quia indigni vos,

Matth. 16.

1. Cor. 9.

1. Cor. 7.

1. Cor. 6.

2. Tim. 2.

Isa. 28. *Prou.* 18.

2. Cor. 11.

sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique aliud incidenter excurrere in ista causa qualibet vrgente, aliud vltro incumbere. Nunc autem quoniam dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse, nec totum te nec semper actioni dare, sed consideratione aliquid tui cordis & corporis sequestrare, quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit peragendo quodāmodo & præordinando quæ agenda sunt. Necessarium sane ne forte quæ præuisa & præmeditata poterant esse proficuo præcipitata magis periculo fiant.

De vtilitate considerationis.

CAP. LXV.

ET primum quidem ipsum fontem suum ideſt mentem de quo oritur, purificat consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Postremo diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quę confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa corrigit, secreta rimatur, vera inuestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quę agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente, resideat aut incorrectū aut correctione egeſs. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ.

Ibi etiām aduertere tibi est suauissimum quendā cōcentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera sicut hoc loco vides fortitudinis matrem esse prudētiam, nec fortitudinem, sed temeritatem quēlibet esse ausum quem non parturiuit sapiētia. Hæc item est quæ inter voluptates & necessitates media quasi quædam arbitra sedens, vtrinque certis limitibus disterminat fines: Istis assignans & præbens, quod satis est, illis quod minus est demens; & sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam debent temperantiam. Nam intemperantem ipsa consideratio censet, tam eum qui necessarijs pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis. Vnde mihi videtur non omnino absurde diffinire temperantiam, qui hanc nec præcedere necessitatē nec excedere dicat. Iam de iustitia quæ vna ex quatuor est, nonne constat consideratione mentem præueniri, vt
Tob.4. se formet in ea. Si enim necesse est prius cogitet, vt ex se normam ducat iustitiæ, nec factura vtique alteri quod sibi fieri nolit, nec quod sibi fieri velit, alteri negatura. Intuere nunc mecum etiam harum pulchram cōnexionem & ipsam cohærentiam. Nam ipsi iustitiæ, vt iusta
Eccl.7. sit temperantia modum imponit. *Noli nimium esse iustus* ait Sapiens. Quid quod etiam ipsa sapientia hoc temperantiæ frænum non respuit dicente Paulo: *Non plus sapere*
Rom.12. *Matth.6.* *quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Sed & econtrario, quod temperantiæ necessaria iustitia sit, ostendit Dominus in Euangelio, arguens illorum temperantiam qui abstinebant, vt viderentur hominibus ieiunantes. erat in cibo temperantia, sed non iustitia in anima, quia non Deo placere sed hominibus intendebant. Quomodo rursum vel illa vel ista sine fortitudine, cum constet fortitudinis esse mediocris, cohibere velle & nolle suū inter angustias parum & nimis, vt sit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, solo, constante sibi æquali vndique sui, vtpote ex omni parte pariter circunciso, qui solum constat esse virtutis. Itaque institia modum quęrit, prudentia inuenit, vendicat fortitudo, temperantia possidet. Non mihi est hoc loco propositum de ipsis virtutibus disputare, sed hoc dixerim hortās ad vacandum considerationi, cuius beneficio & hęc similia aduertuntur. Cui tam pio tanquam vtili ocio nullam in vita operam dare, vitam perdere est. Quid tamen est si te philosophiæ huic totum repente deuoueris, prædecessores tui non ita consueuerunt, eris molestus quam pluribus, quasi quia patrum vestigiis deuiares. Nempe id videbis agere in suggillationem eorum, sed & notaberis vulgari prouerbio, qui hoc facit quod nullus miratur. Quamquam si de bonis, & nō de nouis sumamus exempla, non defuere Romani Pontifices, qui sibi ocia inter maxima negocia inuenirent.

Qualiter audiendæ sunt & detidendæ causæ.

CAP. LXVI.

SEd esto alius inoleuit mos, dies alij sunt, & alij hominum mores, tempora periculosa non instant, sed iam extant, fraus & circumuentio & violentia præualuere super terram. Calumniatores multi, defensor rarus, agitētur ergo causæ sicut oportet. Nā is modus, qui frequētatur est execrabilis plane & qui non dico ecclesiam, sed forum dedecet. Mirorque quemadmodum religiosæ aures tuę audire sustinēt huiusmodi disputationes aduocatorum, & pugnas etiam verborum, quæ magis ad subuersionem quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Corrige prauum morem, præcide singulas vaniloquas & labiosa claude. Hi sunt qui docuerūt linguas *Hier.4.* suas loqui mendacium, diserti aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt vt faciant malum, eloquētes vt impugnent verum. Hi sunt qui instruunt à quibus fuerant instruendi, astruunt non comperta, sed sua. Struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt veritatis simplicitatem, obstruunt iudicii vias, nihil ita absque labore manifestam facit veritatē, vt breuis & pura narratio. Ergo quas ad te necesse erit intrare causas, neque omnes necesse erit diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas, frustratoriasque & venatorias præcidere dilationes. Causæ viduæ intrent ad te, & causa pauperis, & eius qui non habet, quod det aliis. Alias multas po- *2.Tim.5.*
teris committere terminandas, quam plures ne dignas audientia iudicare. Quid enim opus est admittere illos quorum peccata manifesta sunt precedentia ad iudiciū? Tanta enim est impudentia nōnullorum, vt eum manifestæ ambitionis prurigine scateat tota facies causæ eorum, non erubescunt audientiam flagitare, publicātes semetipsos ad multoru conscientias, in quo vel suo solius satis poterant confundi iudicio. Nō fuit qui rescinderet attritas frontes, & ideo plures factæ sunt & magis induruerunt. Sed & nescio quomodo vitiosus conscientias vitiosorum non refugit; vbi omnes sordent vnius minime fætor sentitur. Quis enim verbi causa vnquam auarus auarum, luxuriosus luxuriosum erubuit? Plena enim est ambitiosis ecclesia, non est iā quod horreat studiis, & mollitionibus ambitionis non plus, quā spelunca latronis in spoliis viatorum.

Si Christi discipulus es, ignoscat zelus tuus, exurgat auctoritas tua aduersus impudētiam hanc & generalem pestem. Intuere magistrum, non parat aures vt audiat, sed flagellum quo feriat. Verba nec facit nec re- *Ioan.12.*
cipit, nec enim sedes iudicans, sed insequitur puniens; causam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, fecissent domum negociationis; ideo & tu fac similiter.

De pactibus considerationis, & primo de consideratione sui, quid sit & quis.

CAP. LXVII.

QVatuor vt occurrūt tibi cōsideranda reor. Te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sūt. A te tua cōsideratio inchoet, ne frustra extēdaris in alia te neglecto. In acquisitione enim salutis tuæ nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Et hæc tui consideratio in tria diuiditur scilicet vt cōsideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in natura, verbi gratia homo, quis in persona scilicet Papa, qualis in moribus. Consideranti igitur tibi quod homo sis, ideſt animal rationale mortale: is tibi exinde occurrit fructus, vt & mortale quod in te est, rationale humiliet, & rursum rationale mortale confortet. Deinde quis sis, & de quo sis factus aduertendum. Quid enim erubescas

minimus

minimus inueniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitisse; blanditur cathedra, spelunca est. Inde namque superintendis sonans tibi episcopi nomine non Dominum sed officium: Quomodo autem libet gloriari, vbi ociari non licet? Non enim locus est ocio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium ecclesiarum. Quid enim aliud tibi dimisit sanctus Apostolus? *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do.* Nunquid dominationem? Audi ipsum dicētem: *Non quasi dominantes* ait *in clero, sed forma facti gregis.* Et ne hoc dictum sola humilitate putes, non etiam in veritate vox Domini est in Euangelio. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Planum est: Apostolis interdicitur dominatus. Tu ergo tibi vsurpare audes, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum? Plane & ab alterutro prohiberis, si vtrumque. Domabis quidem lupos, sed ouibus non dominaberis. Pascendas vtique non premendas suscepisti. Preciosissimus fundus est humilitas, in quo ædificium spiritale constructum, crescit in templum sanctum in Domino.

Act. 3. 1. Pet. 5. Luc. 22.

Tertio considerandum est tibi qualis sis. Simia enim in tecto, rex fatuus in solio sedens; & nunc audi canticum meum, minus quidem suaue, sed salutare. Monstruosa res est gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima, lingua magniloqua & manus ociosa, sermo multus & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis. Ingens auctoritas & nutans instabilitas. Admoue speculum, fædus se in eo vultus agnoscat, tu tuum gaude dissimilem inueniri. Inspice tamen & tu ne forte & si sit vnde merito placeas tibi etiam in quo debeas displicere non desit. Rara vox, nihil mihi conscius sum, cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant. Quāobrem noueris te vt inter angustias, quæ nō desūt fruaris conscientiæ bono. Magis autem vt scias, quid desit tibi, cuinam non desit, omnia illi desunt qui nihil sibi deesse putat, nunquid quia summus Pōtifex ideo summus. Vel quomodo proficis, si iam sufficis tibi.

Monstruosa res est gradus summus & animus infimus. 1. Cor. 4.

De consideratione sui quid fuit & quid nunc sit.

Cap. LXVIII.

Consideranti autem tibi quis sis: nihilominus considerandum quid prius eras, immo quid nunc es. Vt quid enim desinis intueri, quod non desisti esse? Adhuc enim es, quod eras scilicet homo, nec minus hoc es, quam quod post factus es forte & magis. Denique illud natus es, hoc mutuatus. Nō illud reiectum est sed istud adiectum. Considera igitur maxime quod maxime es, scilicet hominem quod & natus es, nec modo quid natus, sed & qualis. Tolle proinde nunc hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta, dirumpe velamen filiorum zelantium ignominiam, nō plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris huius, & male coloratæ nitorem gloriæ, vt nude nudum consideres, quia nudus egressus de vtero matris tuæ. Nunquid infulatus, nūquid micans gemmis aut floridus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? Si cuncta hæc veluti nubes quasdam matutinas velociter trāseuntes dissipes, & exsules à facie considerationis tuæ, occurret tibi, ô homo, nudus, & pauper, & miser, miserabilis, homo quoque dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod homo sit, natus ad laborem, & non ad honorem. *Homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu, breui viuens tempore, & ob hoc cum metu, repletur multis miserijs*, & ob hoc cum fletu, salubris copula, vt cogitans se summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerē non fuisse sed esse. Hæc te consideratio tenet in te, nec à te auolare sinit, *non ambulare in magnis neque in mirabilibus super te.* In te consisto, non infra deijci sinas, non attolli supra, non euadere in longius, non extendi in latius. Tene medium si non vis perdere modum. Locus medius tutus est, medium sedes modi, & modus virtus. Omnem extra modum māsionem sapiens exilium reputat. Propter hoc non est illi habitare in longo quod vltra modum sit, sed nec in lato quod extra sit, nec in alto quo iupra sit, nec in imo quo infra sit. Denique & longitudo exterminium habere solet, & dilatatio scissuram, & altitudo ruinam, & profundum absorptionem. Longum dico cum sibi homo longiorem promittit vitam. Latum cum in superfluas animus distenditur curas. Altum cum de se plus presumit. Profundum cum se plus deiicit. Qui igitur longa sibi metitur tempora, ingreditur iter exterminij, & in prēsenti se exultans per obliuionem, in alia per inanem solitudinem migrans sæcula & non pro futura, immo nec futura. Similiter animi immoderata extentio attenuationem facit: & extenuatio nimia scissionem, multisque laceretur curis necesse est. Iam vero alta præsumptio, quid nisi præcipitatio ruinosa est. Et quid pusillanimitatis deiectio, nisi desperata quædam absorptio? In hac fortis non deiicietur, prudens longioris vitæ non abducetur incerto, modestus moderabitur, curas temperabit à superfluis, non deerit necessariis. Porro iustus altiora de se non præsumit, sed dicet: *Si iustus fuero non leuabo caput.* Neque ergo plus vero tibi tribuas, nec plus iusto parcas.

Iob. 10.

De consideratione sui qualis sit.

Cap. LXIX.

Vigilanter discerne qualis ex te, & qualis sis dono Dei, & non sit in spiritu tuo dolus. Erit autem hoc fideliter partiens tua tibi, & quæ sunt Dei Deo sine fraude resignes. Considerando qualis sis etiam qualis fueris recogitandum tibi est. Cōferenda sunt posteriora prioribus, profeceris ne in virtute, in sapientia, in suauitate morum. An ab his forte quod absit defeceris patientior sis, an impatientior, insolentior, an humilior, exorabilior, an difficilior. Latus tibi patet campus in hoc genere considerandi. Oportet vt innotescat zelus tuus, clementia tua, discretio, moderatrix vtriusque. Solent enim discretionis oculo caligante alterutrum sibi præripere, loca terminos occupare. Porro caliginis duæ sunt causæ, ira & mollior affectus. Is iudicii censuram eneruat, illa præcipitat. Turbatus enim præ ira oculus clementer nil intuetur, suffusus fluxa quadam & muliebri mollicie rectum non videt. Non eris innocens si vel punias, cui parcendum est, aut parcas ei qui puniendus est. In tribulationibus quoque qualem te inueneris nolo dissimules, si constantem in tuis, condolentem in alienis gaude. Magnus, qui incidens in aduersa non excidit, vel parum à sapientia, nec minor cui præsens fælicitas si arrisit, non irrisit; quamquam facilius inueneris, qui sapientiam retinuerit contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderit. Quamquam vero sapiens recte hortetur sapientiam scribi in ocio, cauendum est tamen, & in ocio ocium. Fugienda est enim ociositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter sæculares nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen si incidant ferendæ fortassis, referendæ vero nunquam. Consecrasti os tuum Euangelio, talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodiunt scientiam &c.* nō vtique nugas, vel fabulas; verbum scurrile non sufficit peregrinari ab ore, sed ab aure procul relegandum est. Fæde ad cachinnos moueris, fædius moues. Porro detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facile dixerim. Non parui autem peccati te reum existimes, si facies peccatorum in iudicio sumis, & nō potius causas discutis meritorum. Est & aliud vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes quos noui ex his, qui cathedras ascendunt, sedebis me iudice solitarius, quia singulariter leuasti te supra te, scilicet facilitas credulitatis, hinc pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.

Eccle. 38. Malach. 2. Thren. 3.

Nunc ad ea quæ sub te sunt consideratio intendenda est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De consideratione circa subditos, & de compescendis appellationibus.

Cap. LXX.

Luc.16. *Sapientibus & insipientibus debitores.* Ipsum nomen debitoris, memento potius seruienti congruere, quam dominanti. Nec tantum fidelibus, sed & infidelibus interest, proinde tuam dare operam, vt increduli conuertantur ad fidem, conuersi non auertantur, auersi reuertantur, peruersi ordinentur ad rectitudinem, subuersi ad veritatem reuocentur, subuersores inuictis rationibus conuincantur. Hi sunt hæretici canes ad scissionem, vulpes ad fraudem. Vestri qui terram Austri tam sæpe visitant, hi sciunt, eunt, & redeunt per medium eorum. Sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audiuimus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset. O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places? An non limina Apostolorum plus iã ambitio quam deuotio terit? An non vocibus eius vestrum tota die resultat palatium. Appellatur ad te de toto mũdo in testimonium singularis primatus tui, & vtinam tã fructuose quam necessariè. Vtinam cum oppressus clamat, sentiat oppressor & non superbiat impius, vnde incenditur pauper. Impune enim transire, inique appellantem iniquarum appellationum est fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam iustitiæ inopia non coegit, non vt graues, sed si graueris licet appellare à sententia. Ante sententiam omnino nisi ob manifestum grauamen improbè præsumitur appellatio. Qui ergo non grauatus appellat, liquet, quia aut grauare intendit, aut tempus redimere. Non est autem appellatio suffugium, sed refugium. At vero antidotum versum est in venenum.

Mar.21. *Nõ est hæc mutatio dextræ excelsi.* Zelatus est Dominus domum orationis, factam speluncam latronum. Tu minister eius dissimulas miserorum refugium, datum arma iniquitati.

De exemptione ecclesiarum.

Cap. LXXI.

Audi murmur & querimonias ecclesiarum, truncari se clamant ac demembrari. Subtrahuntur ei Abbates episcopis, episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis vel primatibus. Facitis hoc quia potestis, sed vtrum & debeatis quæstio est. Spiritalis homo qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine iudicetur, omne opus suum terna consideratione præueniet, scilicet an liceat, an deceat, an expediat. Quid autem tam indignũ tibi quam voluntate pro lege vti. Quid tam bestiale quam non iudicio agi sed appetitu. Quid iterum tam indecens tibi quam vt totum tenens non sis contentus toto, nisi minutias quasdam & exiguas portiones ipsius tibi creditæ vniuersitatis, quasi non sunt tuæ satagas adhuc facere tuas. Nolo prætendas mihi fructum emãcipationis huius: Nullus est enim; nisi quod episcopi inde insolentiores, & monachi dissolutiores fiant, quin etiam pauperiores. Licentius enim peccant cum non sit qui arguat, licentius spoliantur cum non sit qui defendat. Sin autem extollitur qui subtrahitur, & cui subtrahitur irridetur. Qui subtrahit quomodo innocens est; sed is qui murmurat secundum animam mortuus est. Qui instigat, quomodo viuit, quomodo non reus mortis amborum & suæ pariter, qui gladium dedit, vnde ambo morerentur. Hoc est quod dicitur ad Achab qui rerũ summam tenebat, vt vnam vineam affectauit. *Occidisti insuper & possedisti.* Huic congruit parabola Nathan de homine qui centum oues habẽs vnam quæ pauperis erat concupiuit. Adde quod qui audiunt scãdalizantur, detrahunt, blasphemant. Hinc etiam inter ecclesias inimicitiæ graues. Non facile adducor licitum consentire quod tot illicita parturit. Tu ne licitum sentias ecclesias suis mutilare membris? *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit*, pluraliter enim dicit potestatibus. Non enim tua sola potestas à Domino est, sunt & mediocres, sunt & inferiores. Et quomodo quos Deus coniunxit non sunt separandi, sic nec quos subiunxit cõparandi. Monstrum facis si manu digitum submouens facis dependere de capite superiorem manui brachio collateralem. Corpus siquidem Christi Paulus capiti conuenientissime aptans totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam subministrationis. Nec vilem reputes hanc formam quia in terris est, exemplar enim habet è cælo. Neque enim potest filius facere quicquam nisi *quod viderit patrem facientem.* *Vide*, inquit, *vt omnia facias secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Quod si dicat episcopus nolo esse sub Archiepiscopo; vel Abbas, nolo esse sub episcopo, hoc non est è cælo, nisi forte Angelorum quempiam audisti dicentem: Nolo sub Archangelis esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse nisi Deo. Quin, inquis, prohibes dispensare, sed non dissipare. Vbi necessitas vrget excusabilis est dispensatio, vbi vtilitas prouocat laudabilis. Vtilitas dico non propria sed communis. Nam cum nihil horum, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

1.Cor.12.

Ioan.5.

De neglecta obseruantia canonum.

Cap. LXXII.

Ipsa denique vestra Apostolica mandata atque instituta passim neglecta iacent. Nonne os tuum (iam quart⁹ annus est) in Rhemẽsi Cõcilio hæc capitula promulgauit? Præcipimus dixisti vt tam episcopi quam clerici, neque in superfluitate seu varietate inhonesta vestiũ diuersicolorum, aut fissura vestium, neque in tonsura intuentium offendant aspectum, quorum forma & exemplum esse debent. Item vt nullus in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus, vel presbyter ordinetur. Prohibemus, ne adolescentibus, vel infra sacros ordines cõstitutis prædicti concedantur honores; verba tua hæc. Quis ea tenet vel tenuit? Falleris si teneri putas. Si non putas ipse peccasti, aut statuens quæ non tenerentur, aut quod non tenentur dissimulans. Leua oculos tuos & vide, si non æque vt prius pellicula discolor sacrum ordinem discoloret, si non æque vt prius fissura enormis pene inguina nudet. Solent dicere: Nunquid de vestibus cura est Deo & non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult quod clerici aliud esse & aliud videri, volunt, habitu milites, questu clerici, actu neutrum exhibeht. Neque enim pugnant, vt milites, nec vt clerici euangelizant. Cuius ordinis sunt, cum vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt. At si summe sapiens Deus, nihil inordinatum reliquit, vereor non alibi ordinandos, *quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Nunc inferendi quæ circa te sunt.

De consideratione populi Romani qui circa eum erat.

Cap. LXXIII.

Clerum illum ordinatissimũ esse decet, à quo præcipue in omnem ecclesiam cleri forma processit. Quid de populo loquar Romano? Quid tam notum sæculi quam proteruia Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta. Gens immitis, & intractabilis subdi nescia, nisi cum non valet resistere. En plaga tibi incumbit cura hæc. Noli diffidere etiam si incurabilis sit. Ad curam enim exigeris non curationem. *Curam*, inquit, *illius habe.* Verum dixit quidam.

Luc.10.

Non est in medio semper releuetur vt eger.

Plus omnibus laboraui ait Apostolus, non dicit, plus omnibus profui. *Vnusquisque*, inquit, *propriam* merce-

3.Reg.21.

Rom.13. *Matth.19.*

1. Cor. 15. *mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem non ſecundum prouentum.* Ita quæſo fac tu quod tuum eſt, nam Deus quod ſuum eſt ſatis abſque tua ſollicitudine curabit. *Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.* Securus labor quem nullus euacuare defectus poteſt. Scio vbi habitas. Increduli & ſubuerſores ſunt tecum Romani, impii in Deum, temerarii in ſancta, ſeditioſi in inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amãtes nemo amat. Superioribus infideles, inferioribus importabiles, inuerecundi ad petendum, ad negãdum fructuoſi, ingrati cum acceperint, grandia loquuntur, cum operentur exigua, blandiſſimi adulatores, mordaciſſimi detractores virum circumſpectum & amicũ propriæ conſcientiæ calumniãtur hypocritam. Porro quietis amatorem, & ſibi interdum vacantem inutilem dicunt. Talia tamen tu paſtor vtilis conſiderato, quomodo ſi fieri poſſit conuertas eos, ne ipſi ſubuertant te. Petrus cuius ſedem tenes neſcitur aliquando proceſſiſſe vel gemmis ornatus, vel ſericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Abſque his tamen ſatis credidit

Ioan. 21. poſſe impleri ſalutare mandarum. *Si diligis me paſce oues meas.* In his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino. Cõſulo toleranda pro tempore, non pro debito affectanda. Ad ea potius te incito quorum te ſcio debitorem. *Opus*

Ioan. 18. inquam *fac Euangeliſtæ* & Paſtoris nomen impleſti. Dracones inquis, me mones paſcere & ſcorpiones non oues. Propter hoc inquam magis aggredere eos, ſed verbo nõ ferro. Quid enim denuo vſurgare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es reponere in vaginam? Qui tamen gladius ſcilicet materialis tuus eſt, etiam ipſe tuo nutu & ſi non tua manu euaginãdus. Alioquin niſi ad te pertineret ali-

Luc. 22. quo modo dicẽtibus Apoſtolis: *Ecce gladij duo hic*, nõ reſpondiſſet Dominus ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo gladius eccleſiæ eſt, ſed vnus pro eccleſia, alter & ab eccleſia exercendus. Hic ſacerdotis, ille militis manu. Inſta ergo opportune, importune, clama ne ceſſes. Si dura fronte ſunt, indura & tu econtra tuam. Nihil tam durũ

Exech. 3. quod duriori non cedat. *Dedi*, inquit, *frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

De conſideratione laterum ſuorum, ideſt cardinalium.

Cap. LXXIV.

VEniam ad collaterales tuos qui tibi intimi ſunt. Quamobrem ſi boni ſunt tibi potiſſimum, ſi mali æque plus tibi. Ne te dixeris ſanum, dolẽtem latera ideſt ne bonum dixeris malis innitẽtem. Aut ſi bonus ſis, quẽ fructũ afferre poteſt bonitas tui ſolius. Sed nec tibi tua bonitas, vndique obſeſſa malis, ſicut nec ſanitas vicino ſerpente. Siue autẽ leuent, ſiue grauent cui potius imputandum eſt quã tibi, qui tales aut elegiſti aut admiſiſti? Sed nec poteſtatẽ habent, niſi quam tu eis tribueris, vel permiſeris. Tibi ergo imputa quicquid patieris ab eo qui ſine te nihil poteſt facere. Igitur non inconſiderate eligẽdi ſiue colligendi ſunt in opus miniſterii huius. Tuũ eſt vndecunque eos euocare exemplo Moyſi, non iuuenes, ſed ſenes, non tam ætate quam moribus. An nõ de toto orbe eligẽdi ſunt, orbem iudicaturi? Sane huic negocio non ſe ingerat rogans, conſilio non prece agendũ eſt. Sunt enim quæ neceſſario à nobis rogãtium aut extorquet importunitas, aut neceſſitas meretur. An iſtud in his, quæ noſtra ſunt, vbi autẽ non licet mihi facere quod volo, quis locus roganti, cum pro quo rogaris ſuſpectus tibi ſit. Qui autem ipſe rogat pro ſe iam iudicatus eſt. Clericum curiam frequentantem qui non ſit de curia ad id genus ambientium pertinere noris. Adulantem & ad cuiuſque placitum loquentem vnum de rogantibus, puta etiam ſi nihil rogauerit. Viri callidi & doloſi proprium eſſe ſolet tunc prætendere humilitatem cum

Eccl. 19. aliquid obtinere nititur. *Hic eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.* Quantos quos ſupplices admiſiſtis, poſtmodum ſuſtinuiſtis graues, rebelles, contumaces. Verboſum adoleſcentem & ſtudentem eloquentiæ, cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud quam iuſtitiæ hoſpitem reputes.

Quales ad hoc officium aſſumi debeant.

Cap. LXXV.

VIros probatos oportet eligi, non probandos. Nos in monaſteriis ſpe meliorãdi omnes recipimus. At curia bonos facilius recipere quã facere conſueuit. Tracta ante factum, quia poſt factum retractatio eſt. Itaque non volentes neque currentes aſſume, ſed cũctantes ſe, renunciantes etiam coge. In talibus requieſcet ſpiritus tuus, qui ſcilicet non ſunt attritæ frontis, ſed verecundi & timorati, præter Deum tamen nihil timeãt, nihil ſpetent niſi à Deo. Qui etiam aduentantium nõ manus attendant, ſed neceſſitates, qui ſtent viriliter pro afflictis, & iudicẽt in æquitate pro manſuetis terræ; qui ſunt cõpoſiti ad mores parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubiecti ad diſciplinã, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpoſitionem, concordes ad pacem. In iudicio recti, in conſilio prouidi, in iubẽdo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquẽdo modeſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in zelo ſobrii, in miſericordia non remiſſi, in ocio non ocioſi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ rei non cupidi, ſui non prodigi, vbique & in omnibus circumſpecti; qui legatione etiam pro Chriſto poſſunt fungi quotiens opus erit, nec iuſſi renuant, nec non iuſſi affectent. Qui miſſi poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequãtur. Qui quæſtum legationem non æſtiment, nec requirunt datũ ſed fructum. Qui regibus exhibeant Ioannem, Ægyptiis *Philip. 4.* Moyſen, fornicantibus Phinees, Heliam Idolatris, Heliſeum auaris, Petrum mentientibus, Paulũ blaſphemãtibus. Matthæum negociantibus. Qui vulgus, non ſpernant ſed doceant, diuites non palpent ſed terreant, pauperes non grauent ſed foueant, minas principum nõ paueant, ſed contemnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant, eccleſias nõ ſpolient ſed emẽdent. Marſupia non exhauriant ſed corda reſiciant & crimina corrigant. Famæ prouideant ſuæ, nec inuideant alienæ. De omni re plus orationi fidant, quam induſtriæ ſuæ vel labori. Quorum ingreſſus pacificus ſit, modeſtus exitus. Quorum ſermo ædificatio ſit, vita iuſta, præſentia grata, memoria in benedictione. Qui redeant ad te fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati ſimul & gloriantes, non quod curioſa ſiue preciosa quęque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem regnis, legẽ barbaris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem ſectatorem bonorum opetum. Non ſit qui poſſit dicere legato: Ditaui Abraham, ſed cum Samuele concionetur ad omnes; *loquimini de me* *1. Reg. 12.* *coram Domino & Chriſto eius, &c.* Et nunc reduc oculos mi Eugeni ad eum qui nunc eſt curiæ ſiue eccleſiæ ſtatum & ſtudia Prælatorum, eorum præſertim qui ſunt in circuitu tuo. Sed de his hactenus, *ego palpaui non fodi parietem, tibi licet fodere & videre &c.*

De diſpoſitione rei familiaris.

Cap. LXXVI.

ISrael quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius. Vacuum prorſus à ſollicitudine rerum minimarum & vilium oportet eſſe animum, tam magnis, & tam multis rebus intentum. Oportet ingenium rectum, cautum, vigilem, firmum, amplum eſſe; procurandus eſt qui pro te molat: pro te inquam non tecum. Quædam enim per temetipſum facies, quædã per te & alios ſimul, quędam per alios abſque te. Sub quo ſcilicet vltimo genere agẽda domus tuæ locãda cẽſuerim. Per aliũ igitur illa facies, cui tria neceſſaria sũt ſcilicet vt ſit fidelis, ne fraudet, prudẽs, ne fraudetur: tertiũ eſt auctoritas, qua poſſit diſponere quęq; prout ſcit & vult. Hoc eſt vt ſi cõſtituatur ſuper familiã, poſſit mutare miniſtros, trãsferre

Baruch. 3.

mini-

ministeria ad quos, & quando voluerit, & nullum patiatur contradictorem, præsit omnibus, vt omnibus prosit, & de omnibus clandestinas & susurratas delationes non recipias aduersus eum. Et hanc velim tibi generalē constituas regulam, vt omnem qui palam veretur dicere quod in aure locutus est suspectum habeas. Quod si te iudicante dicendum coram ille noluerit, delatorem iudices non accusatorem. Itaque vnus omnibus facienda iniungat, omnes vni respondeant, tu illi habeas fidem, vacans tibi & ecclesiæ Dei, si quominus, aut fidelis inueniatur, aut prudens fideli potius committendum. E duobus enim hoc tutius, quamquam & si minus fidelis reperitur sustinere potius consulo quam te immergere labi rintho huic. Memento Saluatorem Iudam œconomum habuisse. Quid Episcopo turpius, quam incumbere suppellectili & substantiolæ suæ, sciscitari de singulis, morderi suspitionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta, de minutis & quadrātis exigere rationem? Non ita ille Ægyptius, cunctis Ioseph creditis ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens, quia homo sine fide fidem tamen habuit seruo alienigenæ. Mira res. Episcopi habent ad manum quibus animas credant, & quibus suas committant facultatulas, non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores, qui magnam de minimis, paruam vel nullam de maximis, curam gerant. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continuo dominici gregis detrimenta nescimus. De precio escarum & numero panum, quotidiana cum ministris discussio est. Raro admodum cum presbyteris collatio celebratur de peccatis populorum. Cadit asina & est qui subleuet eam, perit anima & non est qui reputet. Quæso transitoria illa quæ stare tibi non queunt fac vt à te transeant, non per te. Riuus, qua fluit cauat terram, sic discursus temporalium conscientiam rodit.

Detractoribus nō temere credendū est.

Non cōuenit episcopo rei suæ familiaris cura.

De dispositione familiæ propriæ.

Cap. LXXVII.

NOlo autem vt vitia domus tuæ vltimus scias. Quapropter vt dixi alius temporalia dispenset nō tu. Omnimode enim studeas auertere à te concursum horum. Plurima nescias, multa dissimules, nonnulla obliuiscaris. De disciplina vero tu prouide, illud nemini credas, si insolentior coram te vel sermo insonuerit vel habitus apparuerit, manus tua sit super huiusmodi, impunitas ausum parit, ausus autem excessum. Domum episcopi decet sanctitudo, facerdotis domestici aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt in vultu, habitu, incessu eorum qui circa te sunt. Nihil impudicum vel indecens residere patiaris. Discant à te coepiscopi tui comatulos pueros, & comptos adolescentes secum non habere, certe inter mitratos discurre calamistratos non decet. Noli faciem tuam hilarem ad eos ostendere. nec tamen austeritatem suadeo tibi, sed grauitatem. Illa infirmiores fugat, hæc leuiores reprimit. Illa si adsit odibilem; hæc si desit contemptibilem reddit. Igitur nec seuerius nec dissolutius: Quid hac mediocritate gratius, vt nec de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contemptui. In palatio Papam, domi te patrem familias exhibeto. Ament te domestici tui, si non facito vt timeant te. Vtilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludit. Igitur vbique frænanda est lingua præceps, maxime autem in conuiuio, ille conuenientior habitus, si actu quidem seuerus sis, vultu serenus, verbo serius. Cepellani tui qui iugiter tecum diuinis intersunt obsequiis non sint sine honore, seruiatur eis ab omnibus tanquā tibi necessaria de manu tua accipiant, & his contenti sint; tu autem vide ne egeant super hoc quod forte ab aduentantibus petere deprehendens, iudica Giezitam optimus canon qui proiicit auaritiam ex calumnia ideſt non tantum à conscientia.

Ecclī. 7.

Iam considera quæ supra te sunt.

De consideratione eorum quæ super te sunt & diuinorum.

Cap. LXXVIII.

LIbri superiores, & si de consideratione inscribantur, res tamen non tantum considerandas, sed etiam agendas docent. Quæ autem supra te sunt, non actu indigent, sed tantum inspectu. Totiensque peregrinatur consideratio, quotiens ab illis rebus ad ista deflectitur inferiora & visibilia, siue intuenda ad notitiam, siue appetenda ad vsum, siue pro officio disponenda vel excitanda, si tamen versatur in his, vt per hoc illa requirat, haud procul exulat. Sic enim considerare repatriare est. Sublimior autem iste præsentium ac dignior est vsus rerum, cū scilicet inuisibilia Dei per ea *quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Hac scala ciues non egent, sed exules. Licet autem quæ supra sunt non verbo doceantur, sed spiritu reuelentur, tamen quod sermo non explicat, consideratio quærat; oratio expetat, vita mereatur, puritas assequatur. Tribus autem modis, quasi totidem viis inuestiganda sunt scilicet opinione, fide, & intellectu. Intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio verisimilitudini. Habent prima duo certam veritatem, sed fides clausam & inuolutam, intellectus nudam & manifestam, opinio autem certi nil habens, verum per verisimilia quærit potiusque apprehendit. Omnino autem in his cauenda est confusio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque est fidei opinio in quæstionem reuocet. Et sciendum quod opinio si habet assertionem temeraria est, fides si habet hæsitationē infirma est. Intellectus, si signata fidei irrumpere nitatur, effractor reputatur, & scrutator maiestatis, fides igitur ambiguum non habet. Ecce affectus nostri iacent mole corporea prægrauati & luto hærentibus desideriis sola interim arida & tenuis consideratio præuolat, & tamen ea tantillo quod iam datur libet exclamare, *Domine dilexi decorem domus tuæ*. Quid si totam se anima colligat & reductis affectibus è cunctis locis, quibus captiui tementur, timendo quæ non oportet, amando quæ nō decet, dolendo vane, gaudendo vanius, cum his inhiat tota voluntate & libertate, volatum pulset impetu spiritus, & in pinguedine gratiæ illabatur? Nonne cum cæperit circumire illas lucidas mansiones, & sinum illum Abrahæ curiosius perscrutari, & sub altari martyrum reuisere animas in patria stolā secundam patientissime expectātes, multo magis tūc instabit loquēs cum Propheta. *Vnam petiji à domino hanc requiram &c.*

Psal. 25.

Psal. 26.

De Trino & vno Deo.

Cap. LXXIX.

DEus Trinus, & vnus est. Quomodo autem plutalitas sit in hac vnitate & ipsa in pluralitate, scrutari temeritas est, credere pietas, nosse vita æterna. Vt autem huius singularis vnitatis eminentia euidentior fiat, multa vna consideratio percurrat. Est autem vnitas collectiua, vt cum lapides multi aceruum vnum faciunt: & est constitutiua cum multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum totum: & est coniugatiua qua vir & mulier sunt vna caro: & est natiua, qua anima & caro vnus nascitur homo: & est potestatiua, qua homo virtutis non instabilis non dissimilis, sed vnus sibimet nititur inueniri: & est consentanea cū per charitatē multorum hominū est cor vnum & anima vna: & est votiua, cū homo votis omnibus Deo adhærens vnus spiritus est. Et est dignatiua qua limus noster à Dei verbo in vnam assumptus est personam. Inter hæc omnia quæ recte vnū dicuntur arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ sunt vna substantia. Secundo loco est illa qua econuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt, quæcunque vero alia dici vna possunt summæ illius vnitatis

Nouem modi quibus vnum dicitur.

imitatione non comparatione vna appellantur. Bonus eſt itaque Dominus animæ quærenti illum. Quid ergo Deus? quod ad vniuerſum ſpectat finis, quod ad delectationem ſalus, quod ad ſe, ipſe nouit.

Qualiter Deus ſit pœna peruerſorum.

Cap. LXXX.

QVid eſt Deus? Non minus peruerſorum pœna, quã gloria humilium: Eſt enim rationabilis, quædam æquitatis directio, inconuertibilis atque indeclinabilis, quippe attingẽs vbique cui illiſa omnis prauitas conturbetur neceſſe eſt. Væ oppoſitis voluntatibus, quæ ſuper conantur impingere, & fruſtra ſolam ſuæ auerſionis referentes pœnam. Quid enim tam pœnale quã ſemper velle quod nunquam erit, & ſemper nolle quod nũquam non erit, nunquam obtinebit, quod vult, & quod non vult in æternum ſuſtinebit? Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noſter, qui & cum peruerſo peruertitur. Eſt etiam turpium pœna Deus, quia lux eſt. *Omnis enim qui male agit odit lucem*, non tamen lucem declinare poterit; quia lucet vbique etiam in tenebris, ſed tenebræ eam non comprehendunt. Proinde reprobi in iudicio videbuntur vt confundantur, & non videbunt ne conſolentur, nec modo à luce videbuntur, ſed in luce, & hoc ab omni vidente, vt pro multitudine intuentium ſit confuſio multa. At nullus de tãta numeroſitate ſpectãtiũ moleſtior oculus ſuo cuiuſque? Nõ eſt aſpectus, ſiue in cælo ſiue in terra quam tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, & minus poſſit. Hic eſt vermis, qui nõ moritur memoria præteritorum. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem, horreo incidere in manus mortis viuentis, vitæ morientis. Hęc eſt ſecunda mors, qua ſemper occidit, nunquam peroccidit. *Qui enim dicent montibus, cadite ſuper nos &c.* Quid niſi mortem mortis beneficio finire, vel euadere volunt? Conſtat autem animam immortalem eſſe, durante autem anima, durabit & memoria. Sed qualis? fœda flagitiis, horrida facinoribus. Hæc enim licet tranſeant à manu, remanent in mente, & ſi facere in tempore fuit, feciſſe ſempiternum eſt. Hoc eſt quod dicitur. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Dominus locutus eſt cui omne aduerſum eſſe etiam ſibi aduerſari neceſſe eſt, vt ſit ſera querela. *O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi.* O Eugeni ita eſt. Non poteſt Deo eſſe contrarium, quid & ſibimet cohærere, ſed omnis qui arguitur à Deo arguetur & à ſeipſo. Non eſt ſane iam quod tunc aut veritatem diſſimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet, abrupta membris corporis in ſe collecta. Quo enim volat ſopitis concluſiſque mortis ſenſibus per quos vtique curioſius exire, & à ſe ire ſolebat in eam quæ præterit huius mundi figuram, vides turpibus nihil deeſſe ad cõfuſionem cum producentur in ſpectaculum Deo, Angelis, hominibus, ſibiipſis? O quam male locati erunt, vtique oppoſiti torrenti huic directæ æquitatis, huic lumini propalatæ veritatis expoſiti. Nonne hoc eſt perpetuo tundi atque confundi? *Duplici*, inquit, *contritione contere eos.*

Luc. 23.

Pſal. 49.

Iob. 7.

Hier. 17.

Qualiter idem ſit gloria electorum.

Cap. LXXXI.

QVid eſt Deus? Longitudo latitudo, ſublimitas, & profundum. Longitudo propter æternitatem interminabilem; latitudo propter charitatem immenſurabilem; ſublimitas propter maieſtatem inattingibilem, profundum propter ſapientiam inſcrutabilem. Hæc Sãcti ſecundum Apoſtolum cõprehendunt. Eſto & tu ſanctus, vt poſſis cõprehendere cũ omnibus ſanctis. Sanctũ vero facit duplex affectio, ſancta ſcilicet, timor Domini sãctus, & ſanctus amor. His perfecte affecta anima velut quibuſdam brachijs ſuis cõprehenditur, & amplectitur, ſtringit & tenet, & dicit. *Tenui eum nec dimittam &c.* Et timor quidem ſublimi & profundo, amor lõgo latoque reſpõdet. Quid enim tam timendum, quam poteſtas cui non potes reſiſtere, quam ſapientia cui abſcõdi non potes? Quid iterum tam amabile, quam ipſe amor quo amas, & amaris? Amabiliorem tamen iũcta æternitas facit quæ non excidit, ſed foras mittit timorem. Ama igitur perſeueranter, & habes longitudinem, dilata amorẽ, & habes latitudinem. Hæc igitur quatuor habes apud te ſi ſtopes, ſi paues, ſi ferues, ſi ſuſtines. Stupenda plane ſublimitas maieſtatis, pauenda abyſſus iudiciorum, feruorem exigit charitas, perſeuerantiam ſuſtinendi æternitas. Æternitatis enim quandam imaginem perſeuerantia præfert. Denique ſola eſt cui æternitas redditur. Et nunc aduerte in his quatuor, quatuor ſpecies contẽplationis. Prima & maxima eſt admiratio maieſtatis, quæ requirit cor purgatum, vt à vitiis liberum facile ad ſuperna ſe leuet. Interdum quoque vel per aliquas morulas ſtupore, & extaſi ſuſpenſum teneat admirantem; hæc comprehendit ſublime Dei. Secunda inſpectio iudiciorum Dei quæ ſunt abyſſus multa. Quo ſane pauido aſpectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad ſapientiam, humilitatem ſeruat. Virtutum ſiquidem fundamentum eſt humilitas, quæ ſi nutet, virtutum aggregatio, non niſi ruina eſt: hæc profundum comprehendit. Tertia recordatio beneficiorum, quæ ne dimittat ingratũ ſollicitat memorantem ad amorem benefactoris. De talib. dicitur: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt &c.* Eructatio enim gratiarum actio eſt; hęc comprehendit latitudinem. Quarta meditatio promiſſorum, quæ ea quæ retro ſunt obliuiſcens in ſola expectatione requieſcit. Quę cum ſit meditatio ęternitatis, quę enim promittuntur ęterna ſunt, longanimitatem alit, & perſeuerantiæ dat vigorẽ, hæc eſt, quæ comprehendit longitudinẽ. Quærendus adhuc fuerat, qui nec ſatis inuẽtus eſt, nec quæri nimis poteſt: Adorando forte, quam diſputando dignius quæritur, & facilius inuenitur.

Pſal. 144.

De certitudine fidei.

Cap. LXXXII.

IDem ad Innocentium Papam contra hæreſes Petri Abaelardi. Habemus in Francia nouum de veteri magiſtro theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte dialectica luſit, & nunc in ſcripturis ſanctis inſanit, qui noua ſemper inquirit, & quæ nõ inuenit fingit. Hic in primo theologiæ, vel potius ſtultilogię ſuæ limine fidem definit æſtimationem, ſed abſit vt putemus in fide noſtra aliquid, vt is putat, dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum quod in ea eſt certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis diuinitus perſuaſum, ſtabilitum, & conſecratum partu Virginis, ſanguine redemptoris, gloria reſurgentis. *Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis.* Clamat Apoſtolus: *Scio cui credidi, & certus ſum*, & tu mihi ſubſibilas, Fides eſt æſtimatio? Tu mihi ambiguũ gartis, quo nihil eſt certius. Sed & Auguſtinus aliter. *Fides*, ait, *non coniectando, vel opinando habetur in corde in quo eſt ab eo cuius eſt, ſed certa ſcientia accelamante conſcientia.* Cæterum *fides*, ait, Apoſtolus, *eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, non inanium fantaſia coniecturarum*. Academicorum ſunt iſtæ æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire autem nihil.

2. Tim. 1.

De vita epiſcopi & clerici.

Cap. LXXXIII.

IDem ad epiſcopum Senonenſem. Si tentatio eſt cuiuſcunque hominis vita ſuper terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui neceſſe eſt omnium ferre tentationes. Si ego latens in cauerna & ſub modio non quidem lucens ſed fumigans, ventorum tamen impetus nec ſic declinare ſufficio, ſed continuis tentationum variiſque impulſibus fatigatus, inſtar

vento

vento agitatæ arundinis, hac illacque circumferor. Quid potius supra montem, positusque supra candelabrum? Solus mihi seruandus; solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio; solus oneri atque periculo, ita vt propriæ gulæ & ventri, & oculo scandalizari frequenter iratsci oportet. Quibus ergo molestiis angitur, quibus lacessitur iniurijs? Cui etiam si propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ in timore. Omnes iuxta præceptum Domini diligantur etiam inimici, sed & ad consilium soli eligantur prudentes & benevoli. In omnibus etiam exemplo Apostoli, *honorificate*, inquit *ministerium vestrum*, ministerium dico non dominum, honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificijs, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, bonisque operibus. Despiciant Sacerdotes Domini textricum siue etiam pellificum, & non propriis operibus gloriari. Horreant & murium rubricatas pelliculas (quas gulas vocant) manibus circumdare sacratis, & sacrantibus tremenda mysteria respuant, & apponere pectori quod decentius ornat gemma sapientiæ pudeat, & collo circumtexere, quod honestius atque suauius Christi iugo submittitur. Non Christi stigmata sunt hæc, quæ isti martyrum exemplo circumferunt in opere suo, muliebria potius esse noscuntur insignia, cogitantium quæ mundi sunt, quomodo placeant viris. Curritur in clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad curas ecclesiasticas tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos qui proprios iam humeros cupitæ sarcinæ submiserunt, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident, sed fauoribus amplius prouocantur quos illis inuident. O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia, cum primos honorum gradus in ecclesia meruerint, vel vitæ merito vel pecuniæ, siue etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogatiua: non ideo corda quiescunt duplici semper æstuantia desiderio, quo vti magis ac magis, & in plura dilatentur, & ad celsiora sublimentur.

Invectio contra Abbates, qui procurant exemptiones.

Cap. LXXXIV.

NOn vos fælices quia præestis, sed si non prodestis infælices putate. Vt autem secure præesse possitis subesse & vos sicut debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subiectionis prælatione reddit indignum. Sapientis consilium est, *quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Miror autem quosdam in nostro ordine monasteriorum Abbates, hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod peius est, habitu atque tonsura, tam superbe sapere, vt cum nec vnum quidem verbulum de suis imperiis subditos suos prætergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant episco. Spoliant ecclesias vt emancipentur, redimunt se ne obediant. Non ita Christus. Ille siquidem dedit vitam ne perderet obedientiam, qua isti vt careant totum fere suum suorumque victum expendunt. Quid hoc est præsumptionis ô monachi, neque enim quia prælati monachi ideo non monachi. Nempe monachum facit professio, prælatum necessitas. Vt autem non præiudicet necessitas professioni, accedat non succedat prælatio monachatui. At non propter me, inquit, facio, sed quæro ecclesiæ libertatem. O libertas omni seruitute seruilior, patienter ab huiusmodi libertate abstineam, quæ me pessime addicat seruituti superbiæ. Plus timeo dentes lupi, quam virgam pastoris. Certus sum enim ego monachus, & monachorũ qualiscunque Abbas, si me quandoque Pontificis excutere iugum tentauero, quod sathanæ mox tyrannidi meipsum subiicio. Illa quippe cruenta bestia, quæ circumit quærens quem deuoret, aduertens elongatam custodiam, heu mox insilit in præsumptorem, merito enim non cunctatur superbo præsidere, quia se iure regem gloriatur super omne filios superbiæ. Quis dabit mihi centum in mei custodia deputari pastores. Stupenda insania. Non cunctor animarum turbas mihi custodiendas colligere, & vnum super propriam grauior custodem habere, & quidem subiecti me de reddenda pro se ratione sollicitant. Qui autem præsunt mihi ipsi potius peruigilant, tãquam pro me rationem reddituri. Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac precio Apostolicis adeptis priuilegijs per ipsa sibi vendicant insignia pontificalia, vtentes & ipsi more Pontificum scilicet mitra, annulo, atque sandalijs. Sane si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio. Si ministerium solis liqueat congruere Pontificibus, profecto esse desiderant, quod videri gestiunt, meritoque illis esse subiecti nequeunt, quibus iam ipso se desiderio comparant. Quid si & nomen eis conferre priuilegiorum posset auctoritas, quanto putas auro redimerent, vt appellarentur Pontifices. Quo ista, ô monachi, vbi timor mẽtis, vbi rubor frontis. Quis vnquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut exemplo reliquit. Duodecim enim humilitatis gradus magister noster edisserit, in quo quæso illorum docetur aut continetur, vt hoc fastu delectari, Monachus has quærere debeat dignitates? Labor & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam; vestri autem oculi omne sublime vident, vestri omne forum circumeunt pedes, vestræ linguæ in omnibus audiuntur cõciliis, vestræ manus omne alienum diripiunt patrimonium.

De superfluo ornatu episcoporum.

Cap. LXXXV.

NOn etiam veste, inquit, *preciosa*. Clamatur hoc specialiter ad fœminas, vt erubescat in seipso episcopus deprehendi, quod in fragiliori quoque sexu audierit reprehendi. Denique non quippiam ecclesiasticum, sed illud tantum gentilicum ingerat quis.

Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum.

Quam tolerabilius cernitur in sancto, quam in fræno. Hoc me etiam tacente, & si non curia Regum, tamen penuria pauperum clamat, sileat licet fama, sed non fames, fama quidem silet. Nam quomodo mũdus peccatum arguet, à quo potius laudatur peccator in defideriis scilicet, & iniquus benedicetur. Clamant veto nudi, clamant famelici, & dicunt.

Dicite Pontifices in fræno, quid facit aurum.

vel argentum: Nunquid aurum à fræno frigus repellit aut esuriem? Nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis. Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, & nos enim fratres vestri, plasmatio Dei, & redempti sanguine Christi. Videte quale sit de fraterna portione oculos vestros pascere, vita nostra cedit vobis in superfluas copias, nostris detrahitur necessitatibus, quicquid vestris accedit vanitatibus. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis erura nuda tegere caligulis. Annuli, catenulæ, & clauatæ corrigiæ, multaque talia tam specioſa coloribus, quam preciosa ponderibus multorum dependent ceruicibus, fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis. Hucusque accedat quod hæc omnia nec negociationis studio nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec iure hæreditario possidetis, nisi forte, & vos in corde vestro dixeritis: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*. Et hæc pauperes modo quidem tantum corã Deo cui loquũtur corda, nõ emmaudent aperte causari aduersum vos, quibus interim necesse habent pro sua vita supplicare. Cæterũ in futuro *Psal. 82.*

Sap. 5. *ſtabunt omnes in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt*, ſtante pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum.

De officio epiſcopi & promotione puerorum.

Cap. LXXXVI.

IN omnibus actis & dictis ſuis nihil quærat epiſcopus ſuum ſed tantum honorem Dei, vel ſalutem proximorum. Hoc enim agens implebit non ſolum officium Pontificis, ſed etiam etimologiam nominis; pontem vtique ſeipſum faciens inter Deum & proximum. Fidelis autem Pontifex, qui bona quælibet per manus ſuas tranſeuntia, ſiue diuina beneficia ad homines, ſiue vota ad Deum columbino intuens oculo, nihil ſibi retentat ex omnibus, nec populi requirit datum, ſed lucrum nec gloriam Dei vſurpat ſibi. Fidelis autem ſibimet cuſtos, qui oleum fauoris ſine fraude ſibi reſeruat, ne in aduentu ſponſi lampas conſcientiæ vacua extinguatur. Nec enim tutum arbitratur labijs hominū gloriam ſuam committere, arce vtique ſine claue, & ſine ſera. Non tutum plane ſed ſtultum ibi theſaurum tuum recondere, vnde reſumere non valeas cum volueris. Si ponis in os meum, iam non in tua, ſed in mea poteſtate eſt, tamen vtique pro libito meo, vel laudare te poſſum, vel tibi derogare, ſanum vas & inconcuſſum conſcientia, & ſecretis ſaluandis idoneum. Scholares pueri & impuberes adoleſcentuli, ob ſanguinis dignitatem promouentur ad eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim, quod virgas euaſerunt, quam quod principatum meruerunt. Nec tantum illis blanditur adeptum, quam ademptum magiſterium. Et hoc quidem in initio, proceſſu autem temporis paulatim inſoleſcentes, docti ſunt in breui vēdicare altaria, ſubditorum euacuare marſupia, magiſtris nimirum in hac diſciplina vtentes idoneis ambitione, ſcilicet & auaritia.

Inuectio contra Ciſtercienſes qui Cluniacenſes aſpernabantur.

Cap. LXXXVII.

IDem in *Apologetico ad Gulielmum Abbatem*. Quomodo ſilenter audire poſsū veſtrā huiuſmodi de nobis querimoniā, qua ſcilicet miſerrimi hominū in pannis, & ſemicinctijs, de cauernis, vt ille ait, dicimur iudicare mundum, & de vmbra noſtræ ignobilitatis mundi luminarib. inſultare. Itane ſub veſtimentis ouium, non quidem lupi rapaces ſed pulices mordaces, immo tineæ demolientes bonorum vitam, quia palam non audemus, in occulto corrodimus, nec ſaltem clamorem inuectionis ſed ſuſurrum detractionis emittimus. Si hoc ita eſt, vt quid
Pſal. 43. ſine cauſa *mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis?* Si ita, inquam, phariſaica iactantia cæteros homines, & quod eſt ſuperbius nobis meliores deſpicimus, quid nobis prodeſt in noſtro victu tanta parcitas & aſperitas, in veſtitu notabilis illa vilitas & diuerſitas in opere manuum quotidiana deſudatio, in ieiuniis & vigiliis, iugis exercitatio, totius denique vitæ noſtræ ſingularis quædam atque auſterior conuerſatio, niſi forte
Matth. 6. opera noſtra facimus, vt videantur ab hominibus. Nōne ſi in hac vita tántum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, ſi de Chriſti ſeruitio temporalem tantummodo quærimus gloriam. Miſer ego homuncio, qui in tanto labore, & induſtria ſtudeo non eſſe, vel potius videri, non ſicut cęteri hominū, minus tamen accepturus, immo grauius puniendus, quā quilibet hominum. Siccine ergo non inueniebatur nobis via (vt ita dicam) vtcunque tolerabilior ad infernū? Si ita neceſſe fuit vt de illa adiſtum deſcenderemus, cur ſaltem illam quam multi incedunt viam ſæcularem latam quæ ducit ad mortem non eligimus, quatenus de gaudio & luctu, ad luctum tranſiremus. Væ portantibus Crucem, non ſicut Saluator ſuam, ſed ſicut ille Cireneus aliam. Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis. Quid enim facit ſuperbia ſub pannis humilitatis Ieſu? Nunquid non habet, quo ſe palliet humana malitia, niſi vnde inuoluta eſt Saluatoris infantia? & quomodo intra præſepium domini ſimulatrix arrogantia ſe coarctat, ac pro vagitibus innocētiæ malum inibi detractionis immurmurat? An nō illi ſuperbiſſimi de palmo quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multo tutius operti ſunt iniquitate & impietate ſua, quā nos iactemus ſub ſanctitate aliena? Quis enim magis impius, aut profitens impietatem aut mentiens ſanctitatem, nōne is, qui etiam mendacium addens geminat impietatem? Quis vnquam me aduerſus ordinem illum, vel coram audiuit diſputantem, vel clam ſuſurrantem? Quem vnquam vel clam vel palam aut ab illo ordine diſſuadere, aut ad noſtrum, vt veniret perſuadere tentaui? An potius nonnullos cupientes venire repreſſi, & venientes pulſantes repuli? An forte, quia iuxta aliū ordinem conuerſari videor, propterea hic ſuſpectus habeor. Sed eadem ratione vos derogatis noſtro quicunque aliter viuitis. Non ſum tam hebes, vt non cognoſcam tunicam Ioſeph. Notiſſima quippe eſt, quia polymita eſt, ideſt, pulcherrima varietate diſtincta. Omnes ergo pariter occurramus in vnam tunicam, & ex omnibus conſtet vna, ex omnibus, inquam, vna. Cur ergo, inquis, ordinem illum non tenes ſi ſic laudas? Audi: Diuerſis morbis diuerſa conueniunt medicamenta. Vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt ne illorum priuet fructu, quorum inſtituta non ſequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi caute age, poteſt namque fieri, quod tu fruſtra laboraueris. Vt autem ego fruſtra diligam bonū, quod operaris, fieri omnino non poteſt. O quanta fiducia charitatis? Alius operatur non amans, & alius amat nihil operans. Ille quidem opus ſuum perdit, illius vero charitas nunquam excidit.

Item contra eoſdem de temerario iudicio, & detractione.

Cap. LXXXVIII.

VT de operibus ſæpe incerta, & ob hoc periculoſa ſententia fertur, cum multotiens minus iuſtitiæ habeant qui magis operantur. Vnde nunc mihi conueniendi ſunt quidam de ordine noſtro, qui contra illam ſententiam: *Nolite ante tempus iudicare*, aliis ordinibus de- 1. Cor. 14.
rogare dicuntur. Quod profecto, ſi qui tamen huiuſmodi ſunt, nec noſtri, nec cuiuſpiam eſſe ordinis verius dixerim. Quippe, & ſi ordinate viuentes, ſuperbe tamen loquentes, ciues ſe faciunt Babylonis, ideſt, confuſionis, immo filios tenebrarum, ipſiuſque gehennæ vbi nullus ordo. Vobis, inquam fratres, qui etiam poſt auditām illam Domini de Phariſæo & Publicano ſententiā Ioan. 10.
vel parabolam de veſtra iuſtitia præſumentes, cæteros aſpernamini. Primo quid ad vos de alienis ſeruis. Suo enim Domino aut ſtant aut cadunt. Quis vos conſtituit iudices ſuper eos? Deinde ſi ita (vt dicitur) de ordine veſtro præſumitis, qualis ordo eſt, vt antequam quiſque de ſuo oculo trabem eiiciat, in fratrum oculis tam curioſe feſtucas perquiratis? Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? Audite & diſcite ordinem, qui contra ordinem aliis ordinib. derogatis: *Hipocrita*, inquit, Matth. 7.
eiice primum trabem de oculo tuo. An non grandis, & groſſa trabes eſt ſuperbia, qua te putas aliquid eſſe cum nihil ſis: Inſaniſſime tibi tanquam ſanus exultas, & aliis vaniſſime trabem portans de feſtucis inſultas? Si pro nulla vel minima habes audi Apoſtolum. *Neque maledici*, ait, 1. Cor. 6.
regnum Dei poſſidebunt. Audi & Deum, *arguam te*, inquit, Pſal. 49.
& ſtatuam contra faciem tuam. Quod quia detractori loquitur certum eſt ex præcedentibus, & quidem iuſte ad ſe retorquendus, & ſe compellendus eſt intueri, qui auertens faciem ſuam à ſe, aliena potius mala quam ſua ſolet curioſius perſcrutari.

Reſpon-

Reponsiones ad eorum obiecta.

Cap. LXXXIX.

AT inquiunt. Quomodo regulam tenent, qui pelliciis vtuntur, sani carnibus seu carnium pinguedine vescuntur, tria vel quatuor pulmenta vna die, quod regula prohibet, admittũt; opus manuum quod iubet nõ faciunt. Multa denique pro libitu suo, vel mutant, vel augent, vel minuant. Recte de corporalibus vtique obseruantijs fratribus calumniam struitis, & quæ maiora sunt regulæ spiritalia scilicet instituta relinquitis. Camelumque glutientes culicem liquatis. Magna abusio, maxima cura est, vt corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Tunicati & elati abhorremus pelliceas, tanquam melior non sit pellibus inuoluta humilitas, quam tunicata superbia, præsertim cum Deus tunicas pelliceas primis hominibus fecerit, & Ioannes in eremo zona pellicea lumbos accinxit, & ipse tunicarum institutor Benedictus in solitudine non tunicis, sed pellibus sese induerit. Repleti deinde ventrem faba, mentem superbia, cibos damnamus saginatos, quasi non melius sit exiguo sagimine ad vsum vesci, quam ventoso legumine vsque ad ructum exaturari; præcipuè cum Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus, & de ligno non de carne Adam damnatus, & Ionathas ex gustu mellis non carnis morti adiudicatus. Econtra vero Helias innoxie carnem comederit, Abraham carnibus Angelos gratissime pauerit, & de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit. Sed & sanius est modico vino vti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari propter auiditatem. Quia & Paulus Timotheo modico vino vtendum consulit. Et dominus etiam ipse ex eo bibit, ita vt potator vini ipse est appellatus. Apostolis quoque bibendum dedit. Insuper & ex eo sacramentum sui sanguinis condidit, cum econtrario aquam ad nuptias bibi passus non sit. Dauid quoque aquam quam desiderauerat potare timuerit, virique illi Gedeonis, qui præ auiditate toto corpore prostrato de flumine biberunt, digni ire ad bellum non fuerunt. Iam vero de labore manuum quid dicam, cum & Martha laborans increpata, & Maria quiescens laudata sit. Et Paulus aperte dicat, labor corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia. Optimus labor, de quo propheta dicebat: *Laborauí in gemitu meo, &c.* Et alibi: *Memor fui dici, & delectatus sum, & exercitatus sũ.* Ac ne corporale intelligas exercitium, *& defecit*, inquit *spiritus meus.* Vnde non corpus sed spiritus fatigatur, spiritualis proculdubio labor intelligitur.

Gen. 2. Math 3.

Heb. 12. Gen. 3. 1. Reg 14. 2. Reg. 17. Gen. 18. Exod. 29. 1 Tim 5. Math. 11. Ioan 2. Math. 26. Ioan. 2. Num. 10. 2. Reg. 23. Iud. 7. Psal 6. Psal. 76.

Iterum excusatio Cluniacensium contrà superbi am detrahentium.

Cap. XC.

QVid ergo inquis? Siccine illa spiritualia persuades, vt etiam hæc quæ habemus ex regula corporalia damnes? Nequaquam: sed illa oportet agere, & ista non omittere. Alioquin cum aut ista omitti necesse est aut illa, ista potius omittenda sunt quam illa, de quibus Apostolus ait: *Æmulamini charismata meliora.* Detrahendo, inquam fratribus, in quo temetipsum extollis perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem, quæ sunt proculbio charismata meliora. Tu tuum corpus multũ, & nimis laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificatas membra tua, quæ sunt super terram bene facis. Sed quid si ille quem similiter non laborantem diiudicas, modicum quidem habeat de hac re, quæ ad modicum vtilis est corporali videlicet exercitatione, amplius autem quam tu de illa, quæ ad omnia valet, idest pietate, quis vero melior humilior an fatigatior? Quod si regulam, ab omnibus, qui eam professi sunt sic ad literam tenendam censes, vt nullam omnino dispensationem admitti patiaris, audacter dico, nec tu eam nec ille tenetis. Sin vero concedis aliqua posse putari dispensatoria, proculdubio & tu illam tenes, & ille, quanquam dissimiliter. Nam tu quidem districtius, at ille fortassis discretius. Neque hæc dico, quod hæc exteriora negligenda sint, cum potius spiritualia, quanquam meliora, nisi per ista aut vix aut nullatenus acquirantur, aut obtineantur, sicut scriptum est: *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Sicut nec Iacob nisi prius cognita Lia desideratos amplexus Rachel meruit obtinere. Vnde rursus in psalmo: *Sumite psalmum & date tympanum.* Quod est dicere: Sumite spiritualia, sed prius date corporalia. Optimus autem ille, qui discrete & congrue, & hæc operatur & illa.

1. Cor. 12.

1. Cor. 15. Psal. 80.

Reprehensio Cluniacensium de intemperantia & dissolutione.

Cap. XCI.

IAm quidem nostros partes de quibus conquesti estis, quod ordini vero detraherent, satis quantum potui stylo corripui, & me quoque ab huiusmodi falsa suspicatione purgaui, vt debui. Sed quoniam dum nostris minime parco, nonnullis de vestris nimium, in quibus non decet videor assentire; pauca quæ & vobis displicere cognoui, & omnibus bonis esse vitanda non dubito: necessarium reor subiungere, quæ quidem & si fieri videntur in ordine, absit tamen vt sint de ordine. Nullus quippe ordo quempiam recipit inordinatum, vnde non aduersus ordinem, sed pro ordine disputare putandus ero, si nõ ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant quia ordinem non diligunt, cuius vtique corruptionem & vitia damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: *Melius est vt scandalum oriatur, quam veritas relinquatur.* Miror etenim vnde inter Monachos tanta intemperantia in cibis & potationibus in vestimentis & lectisterniis, & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit, quatenus vbi hoc studiosius, voluptuosius atque effusius fuerit, ibi ordo melius teneri dicatur, ibique maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentiũ tristitia putatur, ecõtra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucdũitas, mollicies vestimentorum & equorum fastus, honestas lectorum superfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrũ impẽdimus, charitas appellatur. Ista enim charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima inguletur. Sub hac tamen abusione iam fere vbique sic pro ordine tenentur fere iam ita ab omnibus sine querela atque irreprehensibiliter obseruantur quamquam dissimiliter. Nonnulli quippe his omnibus vtuntur, tanquam non vtantur. Et ideo cum nulla offensa aut minima aliquanti quippe hæc agunt ex simplicitati, aliquãti ex charitate, aliquanti ex necessitate. Quidam namque simpliciter ita tenent, quoniam eis ita præcipitur, parati aliter agere si aliter præciperetur. Quidam autem ne discordes ab eis viuant cum quibus habitant, sectantes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alij vero quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hoc vtique tanquam pro ordine libera voce defendunt, & quotiens isti aliqua ita prout ratio dictat restringere, vel mutare incipiunt, illi mox tota eis auctoritate resistunt.

De excessu eorum in cibis & potibus.

Cap. XCII.

QVis in principio cum ordo cæpit monasticus ad tantam crederet Monachos inertiam deuenire? O

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extitere monachi? Si quidem illi cum se inuicem per tempus ex charitate reuiserent, tantam ab inuicem auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum ieiunis ventribus non mentibus transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inseruiebatur. Hæc summa discretio cum amplius sumebat, quæ maior erat. *Nobis autem conuenientibus in vnum, iam non est dominicam cænam manducare.* Panem quoque cælestem nemo est, qui tribuat. Nihil de scripturis, nihil de salute animarum sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascũtur rumoribus quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus à quibus abstinetur, grandium piscium corpora duplicantur. Tantaque à curatione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis condimentis paulatim dissuescit cognita, & ad succos extraneos velut adhuc ieiunum renouatur in desideria. Venter quidem oneratur dum nescit, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras vt eas natura creauit epulas fastidimus, dum alia aliis multifariæ permiscentur, & spretis naturalibus quos Deus indidit rebus quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus, transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit quot modis (vt taceam cætera) sola oua versantur & vexantur; quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur? Et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc sparsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, vt non minus aspectu quam gustu delectetur, vt cum iam stomachus crebris ructibus impletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus alliciantur. Infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur. Iam vero de aquæ potu quid dicam, quando nec vllo quidem pacto vinum aquatum admittitur. Omnes nimirum ex quo Monachi sumus infirmos stomachos habemus, & tam necessarium Apostoli de vtendo vino consilium merito non negligimus, modico tamen quod ille præmisit nescio cur prætermisso, & vtinam vel solo cum & purum est contenti essemus. Quale est autem illud quod nonnulla monasteria obseruare dicuntur, in magnis videlicet festis vina delibuta melle pigmentorum respersa pulueribus in conuentu bibere. Nunquid & hoc dicemus fieri propter infirmitatem stomachi? Ego vero ad nihil aliud valere video, nisi vel vt amplius bibatur, vel delectabilius. Sed cum venæ fuerint vino ingurgitate tota in capite palpitantes, sic surgenti à mẽsa quid aliud libet nisi dormire? Si autem ad vigilias indigestum surgere cogis, non cantum, sed planctum potius extorquebis. Cum vero ad lectum deuenero requisitus incommodum plango, non crapulæ peccatum, sed quod manducare non queo.

1. Cor. 11.

Contra illos qui contra regulam comedunt carnes.

Cap. XCIII.

Ridiculum vero est, si tamen verum est, quod relatum mihi à pluribus reticendum esse non arbitror. Aiunt enim incolumes ac validos iuuenes conuentum solere deserere; in domo se infirmorum, qui infirmi non sunt collocare, carnium esu qui vix ægrotis duntaxat & omnimode debilibus ex regulæ districtione pro virium reparatione conceditur, non quidem corporis infirmantis ruinas reficere pro incommodo, sed carnis luxuriantis curam perficere in desiderio. Rogo, quæ est hæc securitas inter frendentium vndique hostium fulgurantes hastas, & circumuolantia spicula tanquam finito bello, & triumphato aduersario proiicere arma, & aut prandis incumbere, vel incubare longioribus, aut nudũ molli volutari in lectulo? Quid igitur hoc ignauiæ ô boni milites? socijs in sanguine & cæde versantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? Aliis inquam die ac nocte cura peruigili festinantibus redimere tempus, quonias dies mali sunt, vos econtrario, & longas noctes dormiendo consumitis, & dies fabulando ducitis ociosos? Delicata nimis medicina est, prius alligari, quam vulnerari, emplastrumque adhibere, vbi censura non est. Ad discernendum deinde inter sanos & male habentes baculos in manibus gestare iubentur ægrotantes plane necessario, vt quem scilicet pallor in vultu maciesque non indicat, baculus sustenstans mentiatur inualitudinem. Ridendas an ludendas dixerim huiusmodi ineptias? Sic Macharius vixit? sic Basilius docuit? sic Antonius instituit? sic patres in Aegypto conuersati sunt? sic denique sancti, Odo, Maiolus Odilo, Hugo, quos se vtique sui ordinis principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt aut teneri censuerunt? Sed hi omnes si sancti, immo quia sancti fuerunt, à sancto Apostolo non dissenserunt, qui nimirũ ita loquitur: *Habentes* inquit *victum, & vestitum, his contentissimus.* Nobis autem est pro victu satietas, nec vestitum appetitus, sed ornatum.

1. Tim. 6.

De curioso ac precioso vestitu monachorum.

Cap. XCIV.

Quæritur tantum ad induendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur. Non quod repellat frigus; sed quod superbire compellat. Non denique iuxta regulam quod vilius comparari potest, sed quod venustius immo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcunque monachum, cur adhuc viuo, nostrum videre ad id deuenisse ordinem. Ordinem: sed qui primus fuit in ecclesia, immo à quo cæpit ecclesia, quo etiam in terra nullus similior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ est in cælis Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem. Cuius Apostoli institutores, cuius hi quos Paulus tam sæpe sanctos appellat inchoatores extiterunt. *Diuidebatur* enim, vt scriptum est, *singulis prout cuique opus erat*: non quod quisque pueriliter gestare poterat. Sane vbi tantum, quod opus erat accipiebatur, ibi proculdubio nihil ociosum admittebatur, quanto magis nihil superbum. Putasne Galabrunum, vel Isembrunum cuiquam quærebatur ad induendum, cuiquam mula ducentorum solidorum parabatur ad equitandum? Non illic arbitror valde curatum esse de precio, de colore, de cultu vestimentorum, vbi tam indefessa erat concordia morum, animorum cohærentia, profectusque virtutũ. *Multitudinis*, inquit *credentium erat cor vnum, & anima vna.* Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? Fusi sumus exterius, & de regno Dei, quod intra nos est relictis veris, & perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, & insanijs falsis, ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus Ecce enim ipse habitus noster, qui humilitatis esse solebat insigne à monachis nostri temporis in signum restatur superbiæ. Miles autem & monachus ex eodem panno partiuntur, sibi cuculam & clamidem, quiuis de sęculo quantumlibet honoratus, etiam nostra non horrebit indumenta, si sua sibi modo præparata fuerint & aptata. Cæterum, inquis, in habitu non est religio, sed in corde. Bene. At tu, quãdo cucullam empturus es, lustras vrbes, fora circumis, percurris nundinas, domos scrutaris negociatorum, cunctam euertis singulorum suppellectilem, ingentes explicas cumulos pannorum, attrectas digitis; admoues oculos, Solis apponis radiis, quicquid grossum, quicquid pallidum occurrerit respuis. Si quid autem sui nitore ac puritate placuerit, illud mox quantolibet

Act. 4.

Act. 4.

Luc. 17.

tolibet precio ſatagis retinere. Rogo ergo te, ex corde facis hæc an ſimpliciter? Cum denique contra regulam, non quod vilius occurrerit, ſed ſtudioſiſſime quæris, quod quia rarius inuenitur, ideo precioſius emitur. Ignorans facis hæc an ex induſtria? Ex cordis theſauro, ſine dubio procedit, quicquid foris apparet vitioſum. Vanum cor vanitatis totam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt. Mollia indumenta animi molliciem indicant. Non enim tanto curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus.

De ſuperfluis abbatum expenſis & pompis.

CAP. XCV.

Eccl. 5. MIror autem, cum regula dicat, ad magiſtrum reſpicere, quicquid à diſcipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, ſanguinem in peccato morientium de manibus Prælatorum requirendum eſſe minetur, quomodo Abbates noſtri talia fieri patiantur; niſi forte, quia ſi audeam dicere nemo fidenter id reprehendit, in quo ſe eſſe reprehenſibilem confidit. Siquidem humanitatis eſt, omnium in quo ſibi quiſque indulget, aliis non vehementer iraſci dicam, dicam, præſumptuoſus dicat, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? Quomodo ſal terræ infatuatum eſt? Quorum nobis vita, via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt duces cæcorum. Quod enim vt cætera taceam, ſpecimen humilitatis, & cum pompa tanta, & equita tu incedere tantis hominum crinitorum ſtipari obſequiis, quatenus duobus epiſcopis vnius Abbatis ſufficiat multitudo; mentior, ſi non vidi Abbatem 40. equos, & eo amplius in ſuo comitatu ducere. Dicas ſi videas tranſeuntes non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum, non rectores animarum, ſed Principes prouinciarum. Tum denique geſtari iubentur mappulæ, cyphi, bacini, candelabra, & manticæ, ſuſſarcinatæ, non ſtramentis, ſed ornamentis lectorum. Denique vix quatuor leucis, à ſua quiſpiam domo recedit, niſi cum tota ſuppellectili tanquam vel ad exercitum ſit iturus, vel tranſiturus per deſertum, vbi non valeant inueniri neceſſaria. An non poſſet eodem vaſculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi. An non poſſet ardens lucere lucerna, niſi in tuo, quod portas candelabro & hoc aureo, vel argenteo. An non poſſet dormiri, niſi ſuper varium ſtratum, aut ſub ſilueſtri coopertorio? An non vnus aliquis miniſter poſſet, & iumentum ligare, & ad menſam ſeruire, & lectulum præparare? Nunc ergo tantæ multitudini ſeruorum & iumentorum cur vel ad ſolatium mali nobiſcum neceſſaria non ferimus, quatenus hoſpites non grauemus? Sed hæc parua ſunt. Veniam ad maiora, ſed ideo viſa minora, quia vſitatoria.

De ſuperfluis picturis, & ornatu parietum.

CAP. XCVI.

OMitto oratoriorũ immenſas altitudines, immoderatas longitudines, ſuperuacuas latitudines, ſumtuoſas depolitiones, curioſas depictiones. Quæ dum in ſe orantium retorquent aſpectum impediunt & affectũ, & mihi quodammodo repræſentant antiquum Iudæorum ritum. Sed eſto fiant hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo, monachus monachos, quod in gentilibus gentilis arguebat.

Perſius Satyr. *Dicite* (ait ille) *Pontifices in ſancto, quid facit aurum.*

Ego autem dico. Dicite pauperes. Non enim attendo verſum, ſed ſenſum. Dicite, inquam, pauperes, ſi tamen pauperes, in ſancto, quid faciat aurum? Et quidem alia eſt cauſa epiſcoporum, alia monachorum. Scimus namque quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cum ſint, carnalis populi deuotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero, qui iam de populo exiuimus, qui mundi quæque precioſa pro Chriſto reliquimus, qui omnia pulchre lucentia, canore mulcentia, ſuaue olentia, dulce ſapientia tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati ſumus, vt ſtercora, vt Chriſtum, lucrifaciamus. Quorum quæſo deuotionem in his exercitare intendimus, quem inquam ex his fructum requirimus? Stultorum admirationem an ſupplicum oblationem? An quoniam commixti ſumus inter gentes, forte didicimus opera eorum, & ſeruimus ſculptilibus eorum? Et vt aperte loquar: An hoc tantum facit auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, & non requirimus fructum, ſed datũ. Tali quadam arte ſpargitur æs, vt multiplicetur, expenditur, vt augeatur, & effuſio copiam parit: ipſo quippe viſu ſumptuoſarum, ſed & mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad orandum. Sic opes opibus hauriantur, ſic pecunia pecuniam trahit, quia neſcio quo pacto, vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro textis reliquiis ſaginantur oculi, & oculi aperiuntur, oſtenditur pulchérrima forma ſancti, vel ſanctæ alicuius, & eo creditur ſanctior, quo coloratior. Currunt homines ad oſculandum, inuitantur ad donandum, & magis mirãtur pulchra, quam venerantur ſacra, ponuntur deinde in Eccleſia gemmatæ non coronæ, ſed rotæ lapidibus circumſeptæ. Cernimus, & pro candelabris arbores quaſdam erectas multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas. Quid putas in omnibus his quæritur, pœnitentiũ compunctio an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum. Fulget eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſeruitur oculis diuitum. Inueniunt curioſi quo delectentur, & non inueniunt miſeri pauperes Chriſti quo ſuſtentur.

Adhuc de picturis pauimentorum & clauſtrorum.

CAP. XCVII.

AT quid ſaltem ſanctorum imagines non venerentur, quibus vtique hoc ipſum, quod pedibus conculcatur nitet pauimentum, ſæpe ſpuitur in os Angeli, ſæpe alicuius ſanctorum facies calcibus tunditur tranſeuntium. Et ſi non ſacris imaginibus, cur vel non parcitur pulchris coloribus? Cur decoras, quod mox fœdandum eſt? Cur depingis, quod neceſſe eſt conculcari, niſi forte, & hic aduerſus memoratum Poetæ iam verſiculum verſus propheticus ille reſpondeatur: *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* *Pſal. 25.* Aſſentio, patiamur hæc fieri, & in Eccleſia, quia & ſi noxia ſunt vanis, & auaris, non tamen ſimplicibus & deuotis. Cæterum in clauſtris coram legentibus fratribus quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira deformis formoſitas ac formoſa deformitas, quid immundæ ſimiæ, quid fieri leones, quid mõſtruoſi centauri, quid ſemihomines, quid maculoſę trigrides, quid milites pugnantes, quid venatores tubicinantes. Videas ſub vno capite multa corpora, & ſuper vno corpore multa capita. Cernitur hinc inde in quadrupede cauda ſerpẽtis, illinc in piſce caput quadrupedis. Ibique beſtia præfert equum capram trahens retro dimidiam, hinc cornutum animal equum geſtat poſterius. Tam multa denique tamque mira diuerſarum formarum apparet vbique varietas, vt magis libeat legere in marmoribus, quam in codicibus, totamque diem occupare ſingula iſta mirando, quam in lege Dei meditando. Pro Deo ſi non pudet ineptiarum cur non piget expenſarum.

De

De fine ſermonis & exhortatione vtriuſque partis.

CAP. XCVIII.

MVlta quidem & alia ſuggerebat addenda longa materia, ſed vtiliora ſunt pauca in pace, quam multa cum ſcandalo. Enimuero vitia carpens, ſcio me offendere vitioſos, poteſt tamen fieri volente Deo aliquibus, quos me timeo exaſperaſſe potius placiturum eſſe, ſi deſinant eſſe vitioſi, ſi videlicet diſtrictiores deſinant eſſe detractores, & remiſſiorés amputent ſuperfluitates, ſic quiſque bonū teneat, quod tenet vt alius alium tenentē nō indicet. Si quis bonus eſt, nō inuideat melioribus qui ſibi videtur agere melius, bonū nō ſpernat alterius. Si qui etiam diſtrictius viuere poſſunt, eos qui nō poſſunt, nec aſpernentur nec æmulentur: qui autem non poſſunt, eos qui poſſunt, ſic mirentur, vt temere eos non imitentur. Sicut enim non licet, his qui maius forte aliquid voluerunt, ad id quod minus eſt deſcendere, vt ne apoſtatentur; ſic npn omnibus expedit de bonis minoribus ad maiora tranſire ne præcipitentur. Scio, quippe nonnullos de aliis congregationibus & inſtitutionibus ad ordinem noſtrum peruolaſſe, pulſaſſe, intraſſe. Qui hoc quidem agendo, & ſuis ſcandala reliquerunt, & nobis nihilominus attulerunt, dum quantum illos ſua temeraria diſceſſione, tantum nos turbarunt ſua miſera conuerſatione. Et quoniam ſuperbe ſpreuerunt, quod tenebant & temere præſumpſerunt, quod non valebant, digno Deus exitu eorum tandem patefecit ignauiam. Quia & impudenter deſeruerunt quod arripuerant, & turpiter redierunt ad id quod leuiter deſeruerant. Cum enim clauſtra noſtra ſui potius ordinis impatientia, quā deſiderio noſtri expetierint, oſtendunt quod ſunt, dum à vobis ad nos, à nobis ad vos inſtabili leuitate peruolantes, & nobis & vobis, & omnibus bonis ſcandalum faciunt. Quamquam ergo nonnullos eorum nouerimus, qui fortiter Deo auctore cæperunt, & ipſo protectore fortius perſeuerant, ſecurius eſt tamen, vt perſeueremus in bono quod cæpimus, quam quod incipiamus, vbi nō perſeueremus. De hoc autem pariter omnes ſtudeamus quod ſecundum Apoſtoli conſilium *omnia opera veſtra in charitate fiant*. Hæc eſt enim noſtra de noſtro, & de veſtro ordine ſententia. Quæ in veſtris laudabilia ſunt laudo & prædico, & ſiqua repræhēſibilia sūt; vt emēdentur vobis, & alijs amicis meis ſuadere ſoleo. Hæc non eſt detractio, ſed attractio, quod vt nobis à vobis ſemper fiat omnino precor.

1. Cor. 16.

Exhortatio Carthuſienſium ad patientiam & humilitatem.

CAP. XCIX.

IDem *ad Carthuſienſes*. Fratribus de monte Dei orientale lumen, & antiquum illum in Ægypto religionis feruorē veſtra ſufficientia & altiſſima paupertas iā multorum confundit cupiditatem. Qui cum manifeſtum lumen veritatis obnubilare nequeūt, de ſolo nouitatis nomine cauillantur. Vetere ipſi & in veteri mente noua neſcientes meditari, vtres veteres non capientes nouum vinum, quod ſi eis infunderetur irrumperentur. Sileant ergo, qui in tenebris de luce iudicantes vos arguunt nouitatis, ex abundantia malæ voluntatis ipſi potius arguēdi veritatis & vanitatis. Sed quoniam, & laudatores & detractores ſemper eſtis habituri, ſicut & Dominus laudatores præterite, & quod bonum in vobis amant, hoc in eis amate, detractores diſſimulate, & pro eis orate, & obliti, quę retro ſunt prætergreſſis ſcandalis, quæ iuxta iter vobis à dextris & à ſiniſtris poſita ſunt in anteriora vos extendite. Non eſt veſtum circa communia præcepta langüere, nec attendere ſolum quid præcipiat Deus ſed quid velit probantes, quæ ſit voluntas bona, beneplacens, & perfecta. Altorum enim eſt Deo ſeruire, veſtrum aut adhærere. Aliorum etiam eſt Deum credere, amare, & reuereri; veſtrum intelligere, ſapere, frui. Abſit tamen à conſcientiæ veſtræ eſtimatione, & ab ore veſtro omnis altitudo: quoniam altum ſapere mors eſt. Caue ſerue Dei ne quos imitari non vis, damnare videaris. Qui enim perfectē examinando ſemetipſum intelligit, ſuo peccato nullius peccatum par eſſe exiſtimat, quod nemo ſicut ſuum intelligi. Nolo ergo, vt vſquam arbitreris Solem communem lucere niſi in cella tua, vſquam operari gratiam Dei niſi in conſcientia tua. An ſolitariorum Deus tantum, immo & omnium. *Miſeretur enim omnium Deus, & nihil odit eorum, quæ fecit*. Malo te cogitare vbique ſerenum eſſe, niſi apud te, & peius de te quam de aliquo eſtimare.

Sap. 11.

Exhortatio eorundem ad pietatem & ſolitudinis amorem.

CAP. C.

EXerce autem teipſum ad pietatem, &c. *quam qui non habet in vano accepit animam ſuam* ideſt fruſtra viuit, vel omnino non viuit, dum viuit ea vita propter quam, vt in ea viueret accepit animam ſuam. Pietas enim hæc eſt, iugis Dei memoria, continua actionis intentio ad eius intelligentiam, & indefeſſa affectio in eius amorem, vt nulla Dei ſeruum vnquam inueniat, non dico dies, ſed hora niſi vel in exercitij labore, ac etiam proficiendi ſtudio, vel in experiendi dulcedine, ac fruendi gaudio. Hanc qui non habet in conſcientia, non exhibet in vita, non exercet in cella, non ſolitarius, ſed ſolus dicendus eſt, nec cella ei cella, ſed recluſio, & carcer. Vere enim ſolus eſt cum quo Deus non eſt. Vere recluſus eſt, qui in Deo liber non eſt. Cella vero nunquam debet eſſe recluſio neceſſitatis, ſed domicilium pacis, oſtium clauſum, non latebræ, ſed ſecretum. Cum quo enim Deus eſt, nunquam minus eſt ſolus, quam cum ſolus eſt, tunc enim libere fruitur gaudio ſuo, tunc ipſe ſuus eſt, ad fruendum ſcilicet Deo in ſe, & ſe in Deo. Tunc in luce veritatis vltro ſibi patet pura conſcientia, libereque ſe infundit affectata de Deo memoria, & vel illuminatur intellectus, & bono ſuo fruitur affectus, vel libere ſeipſum de fletu humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc ſecundum propoſiti veſtri formam habitantes in cœlis potiuſquam in cellis, excluſo à vobis toto ſœculo, totos vos incluſiſtis cum Deo. Cella ſiquidem & cœli habitatio cognatæ ſunt, & à celando vtrumque nomen habere videtur, ſanctique Angeli æque in vtroque delectantur. Cum enim in cella cœleſtia, ideſt vacare, & frui Deo iugiter actitantur, cœlum cellæ, & ſacramenti ſimilitudine, & pietatis affectu, ac etiam ſimilis operis effectu proximū efficitur. Nec etiam iam oranti ſpiritui, vel à corpore exeunti, à cella in cœlum longa via vel difficilis inuenitur. A cella enim in cœlum frequenter aſcenditur, vix aut nunquam à cella in infernum deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta: *Deſcendant in infernum viuentes*, ne deſcendant morientes. Hoc enim modo cellarum incolæ illuc ſæpe deſcendunt. Nam ſicut aſſidue contemplando cœleſtia gaudia reuiſere amant, vt hæc ardentius appetant, ſic & inferni dolores, vt horreant & refugiant. Et hoc eſt quod inimicis ſuis imprecantur orantes, *vt deſcendant in infernum viuentes*; moriens autem vix aut nunquam aliquis in infernum à cella deſcendit, quia vix vnquam aliquis niſi in cœlo prædeſtinatus vſque ad mortem in ea perſiſtit. Filium enim gratiæ fructum ventris ſui, cella fouet ac nutrit, amplectitur, & ad perfectionem plenam perducens, Dei colloquio dignum efficit. Alienum autem vel ſuppoſitum abdicat à ſe citius, & proiicit. Proijcit inquam quaſi abortiuum, euomit tanquam inutilem ac noxium cibum. Nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis officina pietatis, venitque ei pes ſuperbiæ, & mouet eum manus peccatoris, & expulſus fugit, ſicut Cain à facie domini miſet, & tremebundus expoſitus vitijs, & Dæmonibus, vel ſi aliquandiu durauerit in ea, non virtutis conſtantia, ſed pertinaci miſeria. Sic ei cella eſt quaſi carcer, aut ſicut viuenti ſepultura.

1. Tim. 4.

Pſal. 54.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De triplici gradu quo peruenitur ad perfectionem.

CAP. CI.

Pſal. 55. SIcut ergo dicit Propheta: *Si conuerteris conuertere*, id eſt, perfectæ conuerſionis culmen apprehende. Nulli enim in eodem ſtatu diu eſſe conceditur. Sermo enim Dei ſemper aut proficiendum eſt aut deficiendum, aut ſurſum nititur, aut in inferiora vrgetur. Ab omnibus autem vobis perfectio licet, non vniformis exigitur. Si ergo incipis, incipe perfecte, & ſi iam aliquid perfectionis attigiſti, teipſum in temetipſo metire, & dic cum Apoſtolo: Philip. 3. *Non quod iam apprehenderim, aut perfectus ſim, ſequor autem &c.* Et addidit: *Quotquot ergo perfecti ſumus hoc ſapiamus.* In quo aperte declarat, quia perfecta eorum quæ retro ſunt obliuio, & perfecta in anteriora extenſio, ipſa eſt hominis in hac vita perfectio. Et huius perfectionis profectio ibi erit, vbi perfecta erit brauij ſupernæ vocationis apprehenſio. Hoc autem modo, ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic cella à cella in conuerſatione incipientium ſcilicet & perficiẽtium, ac perfectorum. Cum quo autem eſt Deus nunquam minus eſt ſolus, quam cum ſolus eſt. Sunt enim quidam animales, qui per ſe nec ratione aguntur, nec affectu trahuntur, & tamen vel auctoritate permoti, vel doctrina commoti, vel exemplo prouocati, approbant bonum vbi inueniunt, & quaſi cæci, ſed ad manum tracti ſequuntur. Sunt alii rationales, qui per rationis iudicium, & naturalis ſcientiæ diſcretionem habent & cognitionem boni, & appetitum, ſed nõdum habent effectum. Sunt alii ſpirituales ideſt perfecti, qui ſpiritu Dei aguntur, & ſapientiæ affectu trahuntur ab bonum, &c. Primus enim ſtatus circa corpus ſe habet, ſecundus aut circa animum ſe exercet, tertius vero niſi in Deo requiem non habet. Horum ſinguli, ſicut habent certam proficiendi rationem, ſic & certam in genere ſuo perfectionis ſuæ menſuram. Initium enim boni in conuerſatione animali perfecta obedientia eſt: Profectus, ſubigere corpus ſuum & in ſeruitutem redigere: perfectio vero, vſus boni conſuetudinem in delectationem vertiſſe. Initium autem rationalis eſt intelligere, quæ in doctrina fidei apponuntur, profectus talia præparare, qualia apponuntur, perfectio cum in affectum mentis, tranſit iudicium rationis. Perfectio vero rationalis eſt initium ſpiritualis, profectus eius reuelata facie gloriam Dei ſpeculari: perfectio autem in eandem imaginem transformari à claritate ſcilicet in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.

De primo gradu, qui eſt ſimplicitas nouitiorum.

CAP. CII.

VT ergo primum gradum proſequamur à principio animalitas eſt vitæ motus ſenſibus corporis ſeruiens cum ſcientia, quaſi extra ſe per ſenſus circa delectorum delectationes corporum affecta, eorum fruitione paſcit vel nutrit ſenſualitatem ſuam: ſeu cum intra ſe regrediens, & corpora quibus forti glutino amoris & conſuetudinis adhæſit, in locum incorporeæ naturæ ſecum ferre non prævalens, eorum illuc ſecum imagines contrahit, & amicabiliter ibi cum eis conuerſatur. Quibus aſſuefacta cum ad cogitanda ſpiritualia vel diuina ſe erigit nil aliud æſtimare vel cogitare poteſt niſi quale extra ſentit, vel intus contraxit. Hæc auerſa à Deo ſtultitia fit, cum nimis intra ſemetipſam remiſſa fuerit, & tã bruta, vt etiam vel regi non poſſit. Cum autem extra ſe per ſuperbiam arrepta fuerit fit prudentia carnis, & ipſa ſibi ſapientia eſſe videtur, cum ſtultitia ſit. Porro ad Deũ conuerſa fit ſancta ſimplicitas ideſt, eadem ſemper circa idem voluntas, ſcilicet ad Deum perfecte conuerſa, vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in ſæculo. Vel ſimplicitas eſt in conuerſatione vera humilitas, ſcilicet conſcientiam virtutis magis, quam famam amplectens, dum non refugit vir ſimplex in hoc ſæculo videri ſtultus, vt ſit ſapiens in Deo; vel ſimplicitas ſola eſt ad Deum voluntas ſcilicet nondum illuminata, vt ſit charitas, nondum ratione formata vt ſit amoris iucunditas. Habens ergo in ſeipſa ſimplicitas initium aliquod creaturæ Dei, voluntatem ſcilicet bonam, quaſi futuri boni hominis informem materiam, in primordio ſuæ conuerſionis offert eam auctori ſuo formandam in ſenſu, & ſpiritu humili, iam timore Dei incipiente omnem virtutum plenitudinem operari, dũ per iuſtitiam defert maiori, per prudentiam non credit ſe ſibi, per temperantiam refugit diſcernere, per fortitudinem totum ſe ſubdit obedientiæ non diſcernendæ ſed adimplendę. Perfecta igitur obedientia maximè in incipiente eſt indiſcreta, hoc eſt non diſcernere, quid vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantum niti vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiori præcipitur. Lignum enim ſcientiæ boni & mali in Paradiſo, ideſt in conuerſatione religionis, cenſura eſt diſcretionis, penes patrem ſpiritualem, qui iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur: ipſius eſt diſcernere, aliorum obedire. Animalem diſcretum, nouicium prudentem, incipientem ſapientem, in cella conſiſtere diu poſſe impoſſibile eſt; fiat ſtultus, vt ſit ſapiens, & hæc eius ſit omnis diſcretio, hæc eius omnis ſapientia, vt ei in hac parte nulla ſit. Si callet ingenio, ſi viget arte, ſi præeminet intellectu, inſtrumenta ſunt hæc tam vitiorum quam virtutum. Ingenium corpus adaptet, ars naturam informet, intellectus non elatum faciat animum, ſed docilem.

De inſtructione nouitiorum.

CAP. CIII.

DOcendus autem eſt nouicius ſic habere corpus ſuum ſicut ægrum commendatum, cui etiã multa volenti inutilia ſunt neganda, vtilia vero etiam nolenti ingerenda, ſic de Deo agere, quaſi non de ſuo, ſed eius à quo precio magno empti ſumus, *vt glorificemus & portemus eum in corpore noſtro.* 1. Cor. 6. Durius quidem tractandum eſt ne inſoleſcat, ſic tamen vt ſeruire ſufficiat, quoniam ad ſeruiendum ſpiritui datum eſt, nec ſic habendum eſt tanquam propter illud viuamus, ſed tanquam ſine quo viuere non poſſumus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quandocunque volumus poſſumus abrumpere, ſed legitimam eius reſolutionem patienter expectare nos oportet, & interim quæ legitimi ſunt fœderis obſeruare. Sic ergo nobis cum eo eſt conueniendum, quaſi non diu nobis cum eo ſit commorandum, ſicque vt ſi aliter euenerit non vrgeamur ad exeũdum. Præmuniendus eſt, etiam aſſidue contra tentationes acrius in ſolitarium nouicium deſęuientes. Nam hominem Deo ſeruientem gratis non ceſſant ſollicitare vitia, mercede oblatæ delectationis, Diabolo ſuggerente, carne concupiſcente, ſęculo concupiſcenda ingerente. Sed illæ tentationes facile vincuntur, & facile illis à ratione occurritur, quæ vel ſuſpectę ſunt, vel prima facie male innoteſcunt; Quæ vero ſub ſpecie boni ſe ingerunt, & difficilius diſcernuntur & periculoſius admittuntur. Omniũ autem & tentationum & malarum cogitationum, & inutilium ſentina eſt iners ocium. Nunquam igitur ocioſus ſit Dei ſeruus, quamuis ad Deum ſit feriatus. Ocioſum non eſt vacare Deo, immo negocium negociorum hoc eſt, quod quicunque in cella non agit fideliter & feruenter: quicquid agat quod propter ipſum non agit ociatur; vbi pro vitando ocio ocioſa ſectari ridiculũ eſt. Ocioſum autem eſt, quod nullam habet vtilitatem vel vtilitatis intentionem. Nec hoc tantum eſt agendũ, vt cum aliqua delectatione, vel ſine grandi nauſea ocij dies tranſigatur, ſed vt etiam de peracta dieta ſemper ad profectum mentis aliquid in conſcientiæ theſaurum cõgregetur.

De

De bonis occupationibus fratrum.

CAP. CIV.

QVæris quid agas, in quo te occupes? Primum quidem extra quotidianum orationum sacrificium, vel lectionis studium, quotidianę conscientiæ discussioni, emendationi, compositioni, pars sua diei neganda nō est. Deinde operandum est aliquid manibus, quod iniungitur, non tam quod animum delectando ad horam detineat, quam quod spiritualibus studiis dilectionem confirmet & nutriat, in quo remittatur ad horam animus non relaxetur, vnde se facile animus mox vt sibi ad seipsum redeundum visum fuerit, expediat absque controuersia inhærentis voluntatis, absque contagio cōtractæ delectationis, vel etiam memoriæ imaginantis. Nemo siquidem ad conscientiam redire amat, post actionem, qui ad agendum ab ea non proficiscitur, & qui redit ad conscientiam, si nondum vicit concupiscentiam suam, inuenit ibi de ipsa concupiscentia, vel suaues delectationes, vel graues corrosiones, & inde multiplicat cogitationes. Qui vero iam eam vicit, quandiu tamen veri boni maior concupiscentia vel delectatio mentem eius non obtinuerit, cum exosa quadam voluptate gestorum, visorum, auditorum, patitur imaginationes. Vnde vtrobique lumbi implentur illusionibus delectationum, & ad cogitandum spiritualia vel diuina, lumen oculorum non est secum, cum & qui pugnat contra concupiscentias, vbi molestias patitur, quas nondum perfecte vincere præualet affectiones, & qui iam ad libertatem aspirat, excutere à se non potest imaginationes noxias, vel occupationes ociosas, quæ exinde etiam tempore psalmodiæ & orationis cæterorumque exercitiorum spiritualium in corde serui Dei, passim oriuntur, fitque mirabilis animæ diuisio spiritu & ratione voluntatem cordis & intentionem, corporisque promptum obsequium sibi defendent; animali vero improbitati affectum sibi præripiente, & intellectum, mente sine fructu remanente. Hinc & infirmioribus annis vitia passim curiositatis ebulliunt. Hinc inordinatas & inimicas proposito delectationes quærunt, & in communium constitutionum via regia furtiua propriæ voluntatis diuerticula solitorum fastidium, præsumptio nouitatum, quæ pruritum quidem ac tædium ægri animi quasi confricando videntur ad horam lenire, sed calefaciunt amplius & accendunt. Hinc quotidie fiunt occupationes nouæ, lectiones diuersæ, non ad ædificādum animum, sed ad fallendum tardanti diei tædium, vt cum damnauerit solitarius omnia vetera ac solita, & defecerint noua non restet nisi odium cellæ, & fuga matura, propter quod pia simplicitas & in professione religionis nouus homo qui non habet, vel rationem ducentem, vel affectum trahētem vel discretionem moderantem; in qua dum nititur in semetipsum tanquam à figulo lutum, lege quadam mandatorum qua si manibus alienis faciendus & formandus in omni patientia, & in rota volubili obedientiæ, & in igne probationis suæ plasmatoris sui voluntati & arbitrio subdendus habilitatur.

De exercitijs eorum.

CAP. CV.

PORro sicut viro datum est adiutorium sibi simile ex ipsius hominis substantia, sic etiam in adiutorium spiritualis studij necessaria sunt corporis exercitia, non tamen in hoc semper conuenire videntur omnia, sed ea quæ cum spiritualibus propriorem similitudinem habere videntur, sicut ad ædificationem spiritualem meditari quod scribatur, vel scribere quod legatur. Exteriora enim exercitia & opera sicut sensus distrahunt, sic etiam sæpe spiritum exhauriunt, nisi cum grauiori opere rurali fit magna contritio corporis vsque ad contritionem & humiliationem cordis, & fatigationis suæ pressuræ vehementioris exprimunt affectum deuotionis. Quod & in labore ieiuniorum & vigiliarum & huiusmodi fieri manifestum est. Serius tamen animus ad omnem laborem se comparat, nec in eo dissoluitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, semper habens præ oculis non tam quod agit, quam quod agendo intendit. Coguntur enim in vnum sensus à disciplina bonæ voluntatis, nec eis lasciuire vacat à pondere laboris & subacti, & humilitati in obsequium spiritus docentur ei conformari, & in participatione laboris, & expectatione laboris, & expectatione consolationis. Ex inordinata enim natura per peccatum ad Deum fuerit conuersa, recuperat cito pro modo timoris & amoris, quem habet ad Deum quęcunque perdidit auersa, & vbi cæpit spiritus reformari ad imaginem conditoris sui mox reflorescens, caro ex voluntate sua incipit conformari reformato spiritui, nam & contra sensum suum incipit eam delectare quicquid delectat spiritum, insuper & multiplici defectu suo ex pœna peccati multipliciter sitiens ad Deū, nonnunquā etiā cōtendit præcedere rectorē suum. Delectationes enim non perdimus, sed ipsas mutamus. Facillimū quippe & delectabile esset adiuncto amoris Dei condimento, secundum naturam viuere si nos insania nostra permitteret. Qua sanata statim naturalibus arridet natura. Eodem modo & de labore, rusticus duros habet neruos, fortes lacertos, exercitatio enim hoc fecit sine eum torpere molliscit. Voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat. Audiat hoc animalis homo, qui iam cæpit corpus suum subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea quæ sunt Dei, ad exuendam carnis suæ dominantem consuetudinem se accingat, consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formans contra affectum donec plenam accipere mereatur delectationem contra delectationem, vt tantum delectet eum membris sui corporis seruire iustitiæ, quantum prius immunditiæ: hæc est enim perfectio hominis animalis in suo statu, vel nouicitii incipientis.

De stabilitate in cella.

CAP. CVI.

OMnium vero bonorum officina cella est, & stabilis perseuerantia in ea. In ea enim cuicunque cum paupertate sua bene conuenit dies est, & quicunque bonam voluntatem habuerit secum, habet quicquid ei ad bene viuendum opus est, quamuis bonæ voluntati non semper credi expedit, sed frænanda est & regenda maxime in incipiente. Regat sanctæ obedientiæ regula bonam voluntatem, illa vero corpus: doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari. Quod in proficiente bonæ compositionis initium est, & certum bonæ spei argumentum; impossibile est enim hominem fideliter figere in vno animum suum, qui non prius alicui loco perseueranter affixerit corpus suū. Nā qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur; sic est sicut qui fugit vmbram corporis sui, seipsum fugit. seipsum circumfert, locum mutat, & non animum eundem vbique se inuenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas, sicut lædere solet ęgrū, qui circumferendo concutitur, sed remedia crebro mutata nocent, naturam turbant, ægrum disterminant. Nam & qui aliquo tendit, si vnam & rectam tenuerit viam cito peruenit quo tendit, & itineris & laboris facit finem. Si vero multas aggreditur vias errat, nec laboris aliquando finem facit, *quia error non habet finem.* Si ergo ad sanitatem festinas, vide vt nil, vel modicum de temetipso agere præsumas, medico scilicet inconsulto, à quo si operam medicantis expectas, necesse est, vlcus tuū semper ei detegere nō erubescas. Erubesce ergo sed tamē reuela totū, nec abscondas. Sunt enim qui cōfitendo sicut fabulā enarrant peccatorum suorum historiam, ægritudines animæ suæ sine confusione dinumerant

merant,& pænè ſine pænitentia, & ſine affectu doloris, qui vero non dolet,quanto ſanitati propinquior videtur tanto ab ea ſit remotior.

Quod habitans in cella trina gaudet cuſtodia.

Cap. CVII.

NEc vero tibi horrori ſit tua ſolitudo, & vt totus in cella habites tres tibi deputati ſunt cuſtodes, Deus ſcilicet, conſcientia,& ſpiritualis pater; Deo debes pietatem,cui totum te impendas : conſcientiæ tuæ honorem coram qua peccare erubeſcas, patri ſpirituali obedientiam charitatis,ad quem de omnibus recurras. Inſuper,vt gratum me habeas,addam tibi, & quartum & quamdiu paruulus es,& donec plenius addiſcas diuinam cogitare præſentiam pedagogum tibi procurabo. Elige tibi tu ipſe conſilio meo hominem cuius vitæ exemplar ſic cordi tuo inſederit,reuerentia inhæſerit, vt quotiens eius recordatus fueris ad reuerentiam cogitati aſſurgas,& teipſum ordines & componas,qui cogitatus ac ſi præſens ſit,in affectu charitatis emendet in te omnia emendanda,& nullum tamen patiatur damnum ſecreti ſui ſolitudo tua.Hic præſens adſit quandocunque volueris occurrat ſæpe,& cum volueris increpationes eius deſcribet tibi,cogitata ſancta eius ſeueritas,conſolationes pietas,& exemplum ſanctæ vitæ ſinceritas. Nam omnes etiam cogitationes tuas cum ab eo videri cogitabis,ac ſi videat,ac ſi arguat,emendare cogeris. Sic ſecundum præceptum Apoſtoli ſóllicite temetipſum cuſtodi.& vt temetipſum ſẽper aſpicias ab omnibus oculos auerte.Egregium inſtrumentum corporis oculus, ſi ſicut cætera,ſic etiam videre poſſet ſeipſum.Quod cum interiori oculo ſit conceſſum,ſi ad exterioris exemplum ſeipſum negligens vacat circa aliena, etiam cum multum vult non ſufficit redire ad ſeipſum.Tibi ergo vaca multa tu ipſe tibi ſollicitudinis es materia. Exclude etiam ab oculis exterioribus,quod conſueuiſti videre;ab interioribus,quod amare,quia nil tam facile recrudeſcit quam amor,maxime in tenerioribus & recentioribus animis.

De cella interiori,& exteriori.

Cap. CVIII.

AVdi etiam nonnunquam ſapere, & æmulari chariſmata meliora, & tu ipſe tibi eſto ædificationis parabola.Alia cella tua exterior, alia interior. Exterior eſt domus in qua habitat anima tua cum corpore tuo. Interior eſt conſcientia tua,quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum Deus cum ſpiritu tuo; oſtium clauſuræ exterioris ſignum eſt oſtij circunſtantiæ interioris,vt ſicut ſenſus corporis per exteriorem clauſuram foris vagari non permittuntur, ſic etiam interiores ſenſus ad ſuum ſemper interius cohibeantur. Dilige ergo interiorem cellam tuam,dilige & exteriorem,& vnicuique ſuum impende cultum. Tegat te exterior & non abſcondat,non vt pecces occultus, ſed vt tutius viuas. Non enim ſcis ô rudis incola,quid cellæ debeas, ſi non cogitas quomodo in ea non ſolummodo curaris à vitijs tuis,ſed etiam non habes rixari cum alienis. Neſcis etiã quem conſcientiæ tuæ debeas honorem, quicunque in ea experiris gratiam ſpiritusſancti,& internæ ſuauitatis dulcedinem.Da ergo vtrique cellæ honorem ſuum, & tu tibi in ea vendica primatum tuum. Diſce in ea tu tibi præeſſe,vitam ordinare,mores componere,temetipſum vindicare,ſæpe etiam & condemnare, nec impunitum dimittere.Sedeat iudicans iuſtitia,ſtet rea, & ſemetipsũ accuſans conſcientia.Nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit.Mane præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem,& venturæ diei tu tibi indicito canonem.Veſpere præteritæ diei exige rationem,& ſuperuenientis noctis facindictionem, ſicque diſtricto nequaquam aliquando tibi laſciuire vacabit.

De temporibus,& modo orandi.

Cap. CIX.

SIngulis horis ſecundum communis inſtituti canonem ſua diſtribue exercitia,cui ſpiritualia ſpiritualiã, cui corporalia corporalia. In quibus ſic exoluat omne debitum ſpiritus Deo,corpus ſpiritui,vt ſiquid fuerit intermiſſum,ſiquid neglectum,ſiquid imperfectum, ſuo modo,ſuo loco,ſuo tempore, non habeat impunitum, vel etiam irrecompenſatum.In quibus extra illas horas de quibus dicit Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* *Pſal.118.* Matutinum ac veſpertinum ſacrificium ac mediæ noctis maxime eſt obſeruandum.Non enim fruſtra, vt ait Propheta;*Mane aſtabo tibi & videbo,* ſed quia tunc à curis exterioribus adhuc ſumus ieiuni,*& eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*,quia tunc ab huiuſmodi impedimentis iam quodammodo inuenimur digeſti. Qui etiam media nocte ſurgimus ad confitendum nomini Domini.Tunc enim menti vel ſpiritui aggregandi ſunt fructus ſui,vt exinde, vel in abundantia benedictionis Dei in quietem noctis relaxemur,vel ſurgentibus nobis ad laudes Dei omnis exinde tenor noſtri operis, in ipſis laudibus Dei formetur ac viuificetur.Idcirco in prẽueniendis nocturnis vigilijs non expedit multitudine pſalmorum obruere intellectum & exhaurire ſpiritum vel extinguere,ſed quamdiu ſobrius inuenitur pietate affi-ciendus eſt,& ſuo itinere dirigendus ad Dominum,donec dilatato corde incipiat currere. Scit etiam quicunque habet ſenſum Chriſti,quantum Chriſtianæ pietati expediat aliqua diei hora paſſionis ipſius ac redemptionis, attentius colligere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientia,& recondendum fideliter in memoria, quod eſt ſpiritualiter manducare corpus Domini & bibere eius ſanguinem. Siquidem ſanctæ huius ac reuerendę commemorationis myſterium ſuo modo,ſuo loco, ſuo tempore,celebrare licet paucis hominibus quibus hoc creditum eſt miniſterium,rem vero miniſterij, in omni tempore, & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum eſt, hoc eſt debitæ pietatis affectu agere,& tractare,& ſumere ſibi in ſalutem, omnibus in proptu eſt,quibus dicitur:*Vos autem genus electum, regale ſacerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis,vt virtutes annuncietis eius,qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* *1.Pet.2.*

De ſacra lectione,& modo legendi.

Cap. CX.

DEinde etiam certis horis,certæ lectioni vacandum eſt. Fortuita enim & varia lectio & quaſi caſu reperta non ędificat,ſed reddit animum inſtabilem, & leuiter admiſſa leuius recedit à memoria. Sed certis ingenijs immorandum eſt,& aſſuefaciendus animus eſt. Quo enim ſpiritu ſcripturæ factæ ſunt,eo ſpiritu legi deſiderant,ipſo etiam & intelligendæ ſunt. Nunquam ingrediẽris in ſenſum Pauli, donec vſu bonę intentionis in lectione eius, & ſtudio aſſiduæ meditationis ſpiritum eius inbiberis.Nunquam intelliges Dauid, donec ipſa experientia ipſos pſalmorum affectus indueris,ſicque de reliquis. Et in omni ſcriptura tantum diſtat ſtudium à lectione, quantum amicitia ab hoſpitio, ſocialiſque affectio à fortuita ſalutatione. Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimitendum eſt, quod fidelius digeratur,& ſurſum reuocatum crebrius ruminetur, quod propoſito conueniat', quod intentioni proficiat,quod detineat

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

detineat animum, vt aliena cogitare non libeat. Hauriendus est sępe dilectionis serie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat, nec tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat. Intentioni enim seruit lectio. Si vero in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit ei cooperantur in bonum, & captinatur sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem intellectum in obsequium Christi. Si vero in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semeipsum, nihilque tam sanctum ac pium inuenit in scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum
1. Cor. 11. seu per prauum intellectum non applicet, vel suæ malitiæ vel vanitati. In omnibus enim scripturis initium sapientiæ debet esse timor domini.

De labore corporali.

Cap. CXI.

A Spiritualibus vero exercitiis in corporalia nunquam longe vel in totum recedatur, sed facile ad ea posse redire animus assuescat, & cum illis se mutuat, istis semper inhæreat. Non enim vir propter mulierem, sed mulier propter virum, nec spiritualia propter carnalia, sed carnalia propter spiritualia. Corporalia vero nunc exercitia dicimus, quæ manuali opere corporaliter exercentur. Nam sunt & alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, ieiunia, & alia huiusmodi, quæ spiritualia non impediunt sed adiuuant, si cum ratione & discretione fiant. Quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, vt vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritualia impediantur, qui sic est corpori tulit boni operis effectum, & spiritui affectum, & proximo exemplum, & honorem Deo sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Non quod secundum Apostolum non videatur humanum, etiam hoc, & non deceat, & non debeat, & iustum non sit caput aliquando dolere in seruitio Dei, quod olim sæpe vsque ad dolorem laborauit in vanitate sæculi esuriri ventrẽ vsque ad rugitum, quod sæpe aliquando suppletum est vsque ad vomitum; sed modus in omnibus est habendus. Affligendum aliquando corpus est, sed non conterendum. Non solum autem, sed & omnem vitam nostram, quamuis hominibus occultam exhibere Deo debemus sanctam, & honestam omnem conuersationem nostram, sanctis Angelis conspicabilem agere & delectabilem. Grata Deo res est & honesta, & sanctorum amica Angelorum. Propter quod etiam iubet Apostolus velari mulieres propter Angelos qui cum proculdubio tam die, quam nocte nobiscum sit in cellis nostris nos custodientes, & studiis nostris cõgaudentes, & cooperantes, placet etiam eis si nullo homine vidente omnia nostra honeste fiant.

De cibo & somno.

Cap. CXII.

1. Cor. 14. S Iue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud agitis omnia in nomine domini facite pie, sancte, religiose, ac honeste. Si manducas, mensam tuam per se satis sobriam, sobrietas tua perornet. Et cum manducas nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante mens omnino non suam negligat, sed de memoria suauitatis domini, vel scripturarum aliquid quod eam pascat meditando, vel saltem memorando secum ruminet & digerat, sed & ipsa necessitas non sæculariter, non carnaliter expleatur, sed sicut decet monachum, sicut conuenit seruo Dei. Nam etiam ad sanitatem corporis cibus quanto honestius, & ordinatius ingeritur, tanto facilius & salubrius digeritur. Obseruandus est ergo sumendi modus & tempus cibi & qualitas, & quantitas fugiendaque superflua & adulterina condimenta. Sufficit obsecro, vt comestibiles fiant cibi vestri, non etiam concupiscibiles. Sufficit enim & concupiscentiæ malitia sua, quæ cum vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcumque delectationis, si cæpit accipere irritamenta ab eis, qui perpetuum susceperе bellum aduersus eius oblectamenta, fient duo contra vnum & periclitatur continentia. Deinde sicut de cibo dictum est, sic etiam de somno. Caue ergo inquantum potes serue Dei, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati, nõ reparatio sed extinctio spiritus tui. Suspecta enim res est somnus, & ex magna parte ebrietati similis. Exceptis, enim vitiis, quibus in dormiente cum corpore dormitat pariter & ratio, non est qui contradicat, quantum ad debitum continui profectus, nil temporis tam deperit de vita nostra, quam quod somno deputatur. Iturus ergo ad somnum, semper aliquid defer tecum in memoria vel cogitatione in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare iuuet, quod etiam vigilantem te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi *nox sicut dies illuminabitur*, & nox illuminatio tua erit *Psal. 138.* in delitiis tuis. Et surgens, facilis & agilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti. Sobrium enim cibum sobriumque somnum sequitur sobrius sensus & ratio. Carnalis vero ille & brutus, & sicut dicitur letheus abominandus est, de quo non est facile sensus & corporis & mentis euocare, & quasi seruos domus Patrisfamilias, ad opera necessaria spiritui suscitare & remittere.

De susceptione fratrum, & ambitiosa ædificatione cellarum.

Cap. CXIII.

EX duobus hominum generibus cellarum habitatio supplenda est, vel de simplicibus, qui & sensu & voluntate ad sequendam religiosam prudentiam feruẽtes apparuerunt & habiles; vel de prudentibus quos religiosæ & sanctæ simplicitatis esse constiterit æmulatores. Stulta vero superbia, vel superba stultitia à tabernaculis iustorum procul sit semper, propria enim est ciuitas refugij simplicitati, cohabitatio religionis, nisi sit talis, quæ nolit humiliari, vel tam bruta, vt non possit regi, vel tractari. Bona tamen voluntas, & si multum sit bruta, non est deserenda, salutari consilio ad laboriosam & actuosam vitam transmittenda. Superba autem quantumuis prudens sibi videatur dimittenda sibi est, & abigenda. Admittantur ergo animales & humiles, & pauperes spiritu ad cohabitationem cellarum. Sed vt fiant ipsi rationales ac spirituales, non vt propter eos ipsi, qui hoc iam esse meruerunt conuertantur retro & efficiantur animales, suscipiantur in omni beneuolentia charitatis, portentur in omni patientia benignitatis. Sed qui eis compatiuntur nec conformentur, nec sic quærant horum profectum, vel propter eos cogantur incurrere propositum religione rigoris defectum. Inde enim subintrant iam de ære alieno sumptuosa, & quantum pudor finit ambitiosa cellarum ædificatio, vt abiecta sancta rusticate (sicut Salomon dicit) ab *Eccl. 7.* altissimo creata, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates; in quibus tantum compassum est animalibus, vt penè omnes in hoc affecti sumus animales. Dimissam enim nobis à patribus iure hæreditario formam paupertatis in speciem sanctæ simplicitatis, verum decorem domus Dei alienantes à nobis & à cellis nostris per manus artificum exquisitorum, cellas non tam eremiticas, quã aromaticas ædificamus nobis, singulas in titulo 100. solidorum, concupiscentias oculorũ nostrorũ de eleemosynis pauperũ. Amputa Domine opprobriũ 100. solidorum à cellis pauperum tuorũ. Cur nõ potius 100. denariorũ? Cur nõ potius nõnullorum? Cur nõ potius gratis filij gratiipsi sibi ædificant.

Obsecro in huius peregrinatione seculi, in hac militia super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, vt pote cito inde euocandi & migraturi in patriam. Credite enim fratres, quia pulchritudines istæ, & forenses honestates cito virile propositum enervant, & masculinum animum effæminant. Nam & si ipso sæpe vsu sopiuntur earum delectationes: & si sunt aliqui, qui vtuntur huiusmodi, quasi non vtentes, tamen contemptu melius, quam vsu extirpantur & vincuntur huiusmodi affectiones. Conferunt etiam non modicum interioribus nostris exteriora nostra ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito suo modo respondentia, pauperior enim cultus in alijs circa amorem paupertatis afficit conscientiam. Sed & intentum interioribus suis animũ magis decent inculta omnia & neglecta exteriora, quibus animus ipse dum sæpius alibi conuersari dignoscitur, seque alibi magis occupatam intentio sancta denunciat, & efficaciter bonæ conscientiæ conciliat interiora, cui omnia exteriora voluisse renunciat.

De exemplo paupertatis sanctorum patrum.

Cap. CXIV.

PAtres nostri in Ægypto & Thebaida huius sanctæ vitæ ardentissimi æmulatores in solitudinibus degentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, ipsi cellas fabricabant, in quibus tecti tantummodo & circumsepti à turbine, & pluuia tutabantur. In quibus eremitæ frugalitatis delicijs affluentes locupletabant multos ipsi egentes. Ipsi enim quos quo nomine dignius appellem, nescio, homines cælestes, an Angelos degentes in terris, sed conuersationem habentes in cœlis: laborabant manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant, esurientes ipsi. Quid ad hæc nos dicemus non animales, sed animalia terrena adhærentes terræ, & sensibus carnis nostræ in sensu carnis ambulantes, ex alienis manibus pendentes? Quamuis consolatur nos in hoc ipso aliquatenus ille, qui cum dives esset, pauper pro nobis factus est. Nam ipse etiam à fidelibus pasci voluit, nonnunquam etiam & ab infidelibus, sed vt fideles faceret vitæ necessaria accipere non recusauit. 2. Cor. 8. Quod & si non conceditur liberius hoc ipsum ipso Domino præcipiente, & ordinante Euangelium annunciantibus, ex Apostolorum tamen auctoritate non negatur etiam euãgelicę viuentibus, sicut sanctis illis pauperibus, qui tunc erant in Hierusalem. Ignosce Domine, ignosce, excusamus, tergiuersamur, sed non est qui se abscondat à lumine veritatis tuæ, quod sicut illuminat conuersos, sic etiam ferit aduersos. Psal. 138. *Non est etiam occultatum à te os nostrum, quod fecisti in occulto* hominum. Nos autem nobisipsis facimus illud occultum, quia vix est aliquis; qui in eis, quæ ad te sunt, experiri velit quid possit & quod promptissime potest quandoque secundũ carnem vel sæculum, siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit: sed & si fallimus homines insçios non laboramus, quia vel non possumus, vel non posse nobis videmur, vel à consuetudine ocij & deliciarum nostrarum nos non posse efficimus. Adoremus ergo semper & ploremus, & procidamus coram te, qui fecisti nos. Magnã hanc iacturam professionis nostræ suppleat pietas, ac deuotio conscientię humilis. Psal. 41. *Sint nobis lachrymę nostræ panes die ac nocte, quamdiu dicitur animæ nostræ, vbi est Deus tuus,* hoc est quamdiu peregrinatur à Domino Deo suo & à lumine vultus eius. Vnum quidem erat necessarium sed qui nec in vno figimur, nec in multis exercemur in quo ordine computabimur. Vtinam cum illo de quo Rom. 4. Apostolus dicit ei, *qui non operatur: credenti autem in eum, qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam secundũ propositum gratiæ Dei.* Vtinam cum peccatrice illa cui multum est dimissum, quoniam multum dilexit. Nam & in diligendo te Deus, retributio magna est diligenti conscientiæ ipsa dilectio tua, deinde vero vita æterna. Sicque fratres obsecro non excusemus nos, sed accusemus, & confitemur, & qui magni nominis vmbram & personale quoddam ngmentum perfectionis apud homines induimus, apud Deum conscientiæ nostræ cognoscentes paupertatem, non vsquequaque à veritate recedamus, & veritas liberabit nos.

De informatione nouicij & amore Christi.

Cap. CXV.

DEinde docendus est etiam animalis incipiens, & Christi tyrunculus Deo appropinquare, vt & Dens appropinquet ei. Non solum enim faciendus est homo & formandus, sed & viuificandus. Primo enim formauit Deus hominem, deinde inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Formatio enim hominis institutio est moralis, vita eius, amor Dei est. Hunc fides concipit, spes parturit, ipse se, in charitate format & viuificat. Amor enim Dei vel amor Deus, Spiritussanctus amor hominis est, & spiritui se infundens afficit eum sibi, & amans semetipsum de homine Deus vnum secum efficit & spiritum eius, & amorem eius. Sicut enim non habet corpus vnde viuat nisi de spiritu suo: sic affectus hominis, qui amor dicitur non viuit, hoc est, non amat Deum, nisi de spiritusancto. Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum lectio lactat, meditatio pascit, oratio confortat, & illuminat. Animali vero & nouo in Christo homini ad exercitanda eius interiora melius & tutius, proponuntur legenda & meditanda redemptoris nostri exteriora; ad ostendendum in eis exemplum humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus intimæ pietatis, & de scripturis sanctis & sanctorum tractatibus Patrum moralia quæque & planiora. Proponenda etiam ei sunt gesta vel passiones sanctorum vbi nec laborandum ei sit in planitie historiali, & semper aliquid occurrat, quod nouicij animum excitet ad amorem Dei, & contemptum sui. Porro aliæ historiæ delectant quidem cum leguntur, sed non ædificant: quin potius mentem inficiunt, & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quęque vel noxia de memoria scaturire faciunt. Lectionis, quippe modum similis meditatio sequi solet. Difficilium etiam lectio scripturarum fatigat, & non reficit teneriorem animum, frangit intentionem, hebetat sensum. Docendus est etiam in sua oratione sursum cor suum leuare, spiritualiter orare: à corporibus vel corporum imaginibus cum Deum cogitat, quam longe potest recedere. Admonendus est quanta potest puritate cordis intendere in eum qui sacrificium orationis suę offert; seipsum attendere qui offert, intelligere quid offert. Huiusmodi tamen homini oranti vel meditanti, melius ac tutius (sicut iam dictum est) proponitur imago dominicæ humanitatis, natiuitatis, passionis, Resurrectionis: vt infirmus animus, qui non nouit cogitare nisi corpora, & corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui etiam iuxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippe in forma meditatoris, in quo sicut legitur in Iob. *Visitans homo speciem suam non peccet*, hoc est, humanam speciem in Deo cogitando, à vero non vsquequaque recedat. Et dum per fidem Deum ab homine non diuidit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat, in quo pauperibus spiritu, & simplicioribus filij Dei, tanto primo solet esse affectus dulcior, quanto naturæ humanæ propinquior. Gen. 2. Iob. 5.

De perfecto amore Dei & modis orandi.

Cap. CXVI.

POstmodum vero fide migrante in affectum, amplexantes in medio cordis sui, dulcis amoris amplexu

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iesum Christum totum hominem propter hominem assumptum, totum Deum apud assumentem Deum, incipiunt eum iam non secundum carnem cognoscere, quamuis eum nec secundum Deum plene possint cogitare; & sanctificando eum in cordibus suis offerre ei amanti vota sua, quæ distinxerunt labia sua; obsecrationes, orationes, postulationes, pro tempore, pro causa cōgruentes. Postulatio est, quam primam posuimus circa obtinenda temporalia & necessaria aliqua vitæ huius, in qua Deus postulantis quidem approbans bonam voluntatem, facit tamen quod melius ipse iudicat, & dat libenter sequi bene postulantem. Obsecratio vero in exercitiis spiritualibus anxia ad Deum instantia, in quibus ante gratiam succurrentem, qui apponit scientiam, non apponit nisi dolorem. Oratio vero est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet. Porro gratiarumactio est in intellectu, & cognitione gratiæ Dei bonæ voluntatis, indeficiens ad Deum, & irreflexa intentio, etiam si aliquando, vel non sit, vel torpeat, siue actio exterior, siue interior affectio. Hæc est enim de qua dicit Apostolus: *Velle* inquit *adiacet mihi, perficere aut bonum non inuenio*, ac si dicat: Semper quidē velle adest, sed aliquando iacet, hoc est, inefficax est, quia perficere bonum opus quæro, sed non inuenio; hæc est charitas, quæ nunquam deficit, ipsa est enim sine intermissione oratio, seu gratiarum actio, de qua dicit Apostolus: *Sine intermißione orate, & gratias agentes semper Deo.* Est enim iugis quædam bonitas mentis & bene compositi animi, & ad patrem Deum in filijs Dei bonitatis quædam similitudo, orans pro omnibus semper, & gratias agens in omnibus tot modis in oratione, vel gratiarum actione in Deum se iugiter refundens, quot in suis vel necessitatibus, vel consolationibus in proximi etiam vel compassionibus, vel congratulationibus causales in hoc materias inuenit pius affectus. Hęc autem tota iugiter in gratiarum actionibus est, quia qui sic est, semper in gaudio Spiritussancti est. In postulationibus ergo pie ac fideliter est orandum, sed non illis pertinaciter inhærendum, quia non nos scimus: sed pater noster, qui est in cœlis, quid in temporalibus istis necesse sit nobis. Obsecrationibus vero insistendum est, sed in omni humilitate & patientia, quia non afferunt fructus nisi in patientia.

Rom. 7.

1. Thes 5.

De variis modis obtinendi orationis affectum.

Cap. CXVII.

NOnnunquam enim cum celerius gratia non subuenit obsecranti, cœlum æneum & terra sua ferrea fit: & cum relicta sibi humani cordis duritia ad votum exaudiri non meretur. Anxietas desiderantis negari sibi æstimat, quicquid differtur. Cumque sicut illa Chananea præteriri se ac despici ingemiscit, quasi immundiciam carnis præterita sibi peccata sua imputari, vel improperari imaginatur. Nonnunquam vero non sine labore petens accipit, quærens inuenit & pulsanti aperitur, & consolationes ac suauitates orationis, inuenire tandem aliquando meretur labor ipsius obsecrationis. Nonnunquam etiam puræ orationis affectus, & bona illa affectionis suauitas non inuenitur, sed quasi inuenit, cum non petentem, non quærentem, non pulsantem, & quasi nescientem gratia præuenit, & tanquam genus seruorum suscipitur in mensa filiorum, cum rudis adhuc & insipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro præmio reddi solet meritis perfectorum. Quod cum fit agitur vel vt in iudicium suum non liceat scire negligenti quid negligat, vel vt prouocatio charitatis amorem in eo gratiæ, vltro se offerentis accendat. In quo, proh dolor, plurimi falluntur, quia cum pascuntur pane filiorum iam se filios esse arbitrantur, & deficientes vnde proficere debebant, ex visitante gratia euanescunt à conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse cum nihil sint, & de bonis non emendantur, sed indurantur; pascuntur enim à patre Deo aliquando de præciosiore gratiæ substantia serui, vt affectent esse filij. Ipsi vero gratia Dei abutentes efficiuntur inimici. Vt enim abutantur etiam scripturis sanctis in peccatis, vel in cōcupiscentiis suis redeuntes ad eas post orationem dicunt sibi illud vxoris Manuæ: *Si Dominus voluißet nos occidere non suscepißet sacrificium de manibus nostris.* Iud. 13.

Math. 15.

De humilitate perfectorum, & profectu incipientium.

Cap. CXVIII.

PErfecti autem quique & spirituales cum ad firmamentum & robur virtutis suæ per virtutem obedientiæ & subiectionis se premunt semper, ac deijciunt in id scilicet quod incipientium est, vnde infra descendit, inde supra se ascendunt, & humiliando se magis proficiunt propter fructus solitudinis, non arbitrantes esse negligendam conscientiam, vsum vitæ socialis, & dulcedinem fraternæ charitatis. Ideo spiritualis etiam corpore suo spiritualiter vtens, seruitutē eius, quā habet animalis per vim coactam, rationabilis per consuetudinem subactam accipere meretur, quasi naturaliter affectā. Vbi enim illi obedientiā necessitatis, ipse habet eam charitatis. Vbi illi virtutes, ipse habet sibi versas in mores. Illi vero sursū nitentes ad ea, quæ perfectorum sunt nō elationis præsūptionē, sed amoris pietate. In paupertate spiritus sui non repelluntur vt elati, sed suscipiuntur, vt deuoti, & aliquando hoc merentur experiri, quo spirituales frui, & sēper affectant imitari eorum vitam actiuam, ad quorum ambiunt consolationem cōtemplatiuam. Sicque in vno spiritu licet non vno gressu gradientes, æque proficiunt, & spirituales in humili, & incipientes in sublimi. Et hæc sunt cellarum bene ordinatarum, sancta commercia, studia veneranda, mutuo in silentio, sibi colloqui, in absentia abinuicem ad inuicem se magis frui, proficere de inuicem, & cum se non vident ad inuicem, in alio videre, quid imitandum est; in seipso non nisi, quod flendum est. Ego vero, sicut Prophetia dicit, vir videns paupertatem meam cum alienas diuitias computo in memetipso erubesco, & suspiro, quia quod tracto in alieno, mallem in proprio. De duobus quippe malis tolerabilius est, quod amas non videre, quam videre, & non habere, quamuis non sic de bonis Domini. Bona enim Domini videre amare est, amare vero habere est. Ideo nitamur quātum possumus, vt videamus, videndo intelligamus, intelligendo amemus, vt amando habeamus. *Domine super hoc ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Thren. 3. Psal. 3.

De studio sapientiæ ac virtutis.

Cap. CXIX.

DE animali vero statu transeuntes ad rationalem, vt de rationali transeamus ad spiritualem tractando, & vtinam proficiendo. Primo scire debemus, quia sapientia, sicut in libro nominis eius legitur, præoccupat eos, qui se concupiscunt & occurrit eis sicut in proficiendo, sic & in meditando, & in tractando. Adiuuat enim Deus vultu suo se intuentem, mouet & promouet, & attrahit species summi boni se contemplantem. Ratiocinatio quærit, ratio inuenit. Hoc exerceri semper amat in eo quod vtile & honestum est, exercitio proficiens, desidia vero in semetipsa marcescēs. Nullum vero dignius & vtilius exercitium est homini eam habenti, quam in eo quod melius habet, & in quo cæteris animalibus & cæteris partibus suis præeminet, quæ est ipsa mens vel animus cui cætera pars hominis regenda

subdita est,nec ei dignus est aliquid ad quęrendum, nec dulcius ad inueniendum,nec vtilius ad habendum,quam quod solum ipsam mentem supereminet, qui est solus Deus. Nec longe est ab vno quoque nostrum, quia in ipso viuimus, per fidem mouemur,& promouemur per spem,figimur per amorem. Ab ipso enim ad ipsum conditus est rationalis animus, vt ad ipsum sit conuersio eius,vt ipse sit bonum eius. Hic autem ex illo bono,bonus ad imaginem, & similitudinem eius conditus est, hoc est quamdiu hic viuitur,quam propius potest accedat ad eum similitudine,à quo sola receditur dissimilitudine,vt sit hic sanctus,sicut ille sanctus est, in futuro futurus beatus,sicut ille beatus est. Hæc studia scrutantur virtutum non tam flores,quam radices, non vt luceant,sed vt sint,non vt sciantur,sed vt habeantur. Vitiorum vero plus in semetipsis metuunt appetitum,quã ab aliis impetum. Sic enim magno aliquando labore & studio perseuerante virtutes trahuntur in affectum, & mentem bonam. Sic vitia leuissima remissionis & licẽtiæ oportunitate transeunt in consperſionem, & quasi naturalia efficiuntur, sed nullum vitium naturale est omnis autem virtus homini naturalis est. Consuetudo tamen vel voluntatis corruptæ,vel inoletæ negligentiæ plurima sæpe vitia quasi naturalia in neglecta conscientia solet efficere,omnisque vitii frustra siccatur riuus, si fons non fuerit obturatus. Quid enim est virtus? Filia rationis,sed magis gratiæ: vis enim quædam est ex natura. Vt autem virtus sit,habet ex gratia. Vis enim est ex iudicio approbantis rationis, virtus autem ex appetitu illuminatæ voluntatis. Virtus enim est voluntarius in bonum assensus. Virtus est æqualitas quędam vitæ per omnia congruens rationi. Virtus est ad iudicium rationis, vsus liberæ voluntatis.

De custodia bonæ voluntatis per obedientiam,& consensum veritatis.

Cap. CXX.

BOna enim voluntas origo est in animo omniũ bonorum,& omnium mater virtutum, sicut econtrario mala voluntas omnium malorum & vitiorum. Ideoque custos animæ suæ valde sollicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ,vt prudenter intelligat & discernat,quid in totum velit,vel volendum sit sibi: sicut est amor Dei,quid propter illud;sicut est amor proximi. Vt enim in illo tuta sit omnis indiscretio: in hoc semper secundum obedientię regulas cauta semper & prudens debet esse discretio. In dilectione quippe Dei non alia ratio,non alia discretio est,nisi vt sicut ille cum dilexisset suos,in finem dilexit eos. Sic si fieri potest in infinitum diligamus eum. Sed cum nullum finem, vel terminum habeat deuotio amantis, tamen terminos suos & fines,& regulas debet habere actio operantis,vbi ne erret aliquando nimia voluntas,necesse est semper adsit mediante obedientia custodiens veritas. Nihil enim in bonum hominis in Deum proficientis tam sibi conuenit, quam voluntas & veritas. Hæc enim duo sunt, quæ sicut Dominus dicit,*si consenserint in vnum quodcunque petierint,fiet eis à patre meo.* Si duo hæc in vnum perfecte consenserint,omnem in se continent virtutum plenitudinem sine aliquo vitio intercurrente, omnia possunt in homine languente,omnia habent & possident in homine nihil habente,dant,mutuant,conferunt,prosunt in homine secum quiescente. Gloria & diuitiæ in conscięntia beati viri illius ex fructibus bonę voluntatis eius. Foris vero non ex vno latere sicut scutum huius mundi, sed vndique eum circundat scutum veritatis Dei. Hilarem eum & iucundum intus semper efficit bona voluntas: in exteriore vero actione serium & grauem, tutũ ac securum reddit veritas. Ideoque supergressus humana ille homo semper in sereno est: sicut de aere illo homines ferunt,qui super globum lunæ est.

Math. 18.

Iterum de regimine,& custodia voluntatis.

Cap. CXXI.

VOluntas enim naturalis quidam animi appetitus est. Alia ad Deum,& circa interiora sua: alia circa corpus,& exteriora corporalia. Hæc cum sursum tendit sicut ignis ad locum suum,hoc est cum sociatur veritati & mouetur ad altiora amor est. Cum vt promoueatur lactatur à gratia dilectio est. Cum apprehendit, cum tenet,cum fruitur charitas est,Deus est,vnitas spiritus est *Deus enim charitas est.* In his,autem cum consummauerit homo,tunc incipit,quia nulla horum in hac vita plena perfectio est. Cum verò declinat in ea quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est. Cum in curiositatem sæculi, concupiscentia oculorum est. Cum in ambitionem glorię vel honoris superbia vitæ est. Quamdiu tamen in huiusmodi vtilitati seu necessitati naturæ seruit, natura est,vel appetitus eius. Cum vero in superflua se exponit vel noxia,vitium est naturæ vel suiipsius. Voluntati enim in huiusmodi cito satis est, vitiis vero eius nil vnquam satis est. Hæc in spiritualibus & in eis quæ ad Deum sunt,cum vult quod potest laudanda est, cũ vult quod non potest,& plusquam potest regenda est, cum non vult quod potest excitanda & prouocanda est. Sæpe enim vel negligentia vel priuato amore nostri erramus in nobis; Bona ergo custos voluntatis est obedientia,siue imperij illa sit,siue consilij,siue subiectionis,siue solius charitatis. Purius enim ac dulcius secundum Apostolum Petrum ad pares seu etiam ad minores suos filij obedientiæ castificant corda sua inobedientia ipsius charitatis, quam ad maiores suos subigantur per obedientiam necessitatis. In illa enim sola, vel præcipit vel consulit, & obedit charitas: Hic autem pœnam vel timet,vel minatur imperiosa necessitas: & in illa obedienti sæpe debetur maior gloria, in ista vero inobedienti maior semper intentatur pœna. Ergo in homine sursum cor habente propter exteriora sua regenda,moderanda, cõponenda, palam omnibus est, quã necessaria sit voluntati custodia sua, amplius autem propter interiora sua.

1. Ioan. 4.

1. Pet. 5.

Quam voluntatem sequitur impetus cogitationis.

Cap. CXXII.

ANimo namque sæpe seipsum vel Deum cogitanti voluntas in omni cogitatione princeps est, & necessario principium voluntatis sequitnr omnis tenor cogitationis. At cogitationes sine intellectu ipsæ sunt vanæ illę & ociosæ non repente perimentes,sed sensim & paulatim corrumpentes,occupantes,ipsius necessaria impedientes,& animum inficientes: non tam cogitationes, quam simulachra quædam cogitationum, seu etiam ipsæ recordationes vltro & multipliciter de memoria scaturientes,in quibus passio quædam voluntatis potius esse videtur quam actio,cum nulla sit in eis cogitantis intentio,cum quod sponte ebullit de memoria formandum se offert intellectui non curanti. Et quicquid agitur potius videtur agi in somnio dormientis, quam in acie cogitantis. Vbi tamen &.si repellere à se Spiritum sanctum non est in voto cogitantis, fit tamen ex culpa negligentis, vt spiritus disciplinæ merito se auferat à cogitationibus indisciplinatis. Vbi secundo serio de rebus serijs bene cogitatur,voluntas libero arbitrio de memoria eius euocat,quodcunque opus habet, & intellectum formantem memorię adhibet,formatúque quicquid illud est intellectus adhibet aciei cogitantis, & sic peragitur negocium cogitationis. Cum vero de eis, quæ de Deo, vel ad Deum sunt cogitatur, & voluntas eo perficitur,vt amor fiat,continuo per viam amoris infundit se Spiritus sanctus, qui est spiritus vi-

te,& omnia viuificat. Adiuuant ſeu in oratione, ſeu in meditatione,ſeu in tractatu infirmitatem ipſius cogitantis,& continuo memoria efficitur ſapientia,cum ſuauiter ei ſapiunt bona Domini,& quod ex eis cogitādum eſt,formandum in affectu adhibet intellectui. Intellectus vero cogitantis efficitur contemplatio amantis, & formans illud in quaſdam ſpiritualis vel diuinæ ſuauitatis experientias afficit ex eis aciem cogitantis: illa vero efficitur gaudium fruentis. Et tunc de Deo bene cogitatur ſecundum humanum modum,ſi tamen cogitatio dicenda eſt,vbi nil colligitur,nil cogitur,ſed tantummodo in memoria abundantiæ ſuauitatis Dei exultatur, iubilatur,& vere ſentitur de domino in bonitate ab eo,quæ in ſimplicitate cordis quæſiuit illum. Sed modus hic cogitandi de Deo non eſt in arbitrio cogitantis, ſed eſt in gratia donantis ſcilicet cum Spiritusſanctus quibus vult hoc inſpirat. Sed hoc hominis eſt iugiter præparare cor, voluntatē expiando ab affectionibus alienis,rationē vel intellectum à ſollicitudinibus;memoriam ab ocioſis vel negocioſis nonnunquā & à neceſſariis occupationibus, vt in die bona Domini quaſi ſymbolum faciant in gaudium cogitantis ſcilicet voluntas exhibendo in gaudiū Domini puram affectionem, memoria materiam fidelem,intellectus experientiæ ſuauitatem. Sic ergo voluntas neglecta facit cogitationes ocioſas & indiguas Deo. Corrupta vero peruerſas,quæ ſeparant à Deo,recta neceſſarias ad vſum vitæ huius,pia efficaces ad fructus ſpiritus & ad fruendum Deo.

De examinatione voluntatis in Deum tendentis.

Cap. CXXIII.

VT in omni genere cogitationis omnia quæcunque cogitanti occurrunt conformantur intentioni voluntatis,agente in eis miſericordia & iudicio Dei, & iuſtus iuſtificetur adhuc,& qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc. Ideoque homini Deo volenti vel amanti ſuus ſemper conſolandus eſt animus, examinanda conſcientia quid ſit,quod in totum vult, & propter quod vult,quicquid aliud vult,vel propter quod odit quicquid contra illud caro concupiſcit. Incidētes enim quaſi extrinſecus & decedentes,& præteruolitantes voluntates,nequaquam inter voluntates,ſed penè inter ocioſas deputandæ ſunt cogitationes. Nam & ſi aliquando fiunt vſque ad delectationem animi, cito tamen ſe inde excutit animus compos ſui. Quod autem in totum vult primo conſiderandum eſt,quod illud ſit, quod ſic velit. deinde quantum velit,& quomodo velit. Si quod in totum vult Deus eſt,diſcutiendum eſt ei Deum quantum & quomodo velit,vtrum vſque in contemptum ſuiipſius,omniumque,quæ ſunt vel eſſe poſſunt,& hoc non tantum ex iudicio rationis,ſed etiam ex affectu mentis. Magna enim voluntas ad Deum amor eſt, vnitas vero Spiritus cum Deo homini ſurſum cor habenti proficientis in Deum,voluntatis eſt perfectio. Cum iam non ſolummodo vult,quod Deus vult,ſed ſic eſt non tantum affectus,ſed & in affectu perfectus, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult. Velle autem quod vult Deus hoc iam Deo ſimile eſſe eſt, & hæc hominis perfectio eſt ſimilitudo ipſius Dei. Perfectum autem nullum eſſe delinquere eſt. Et ideo huic perfectioni nutrienda eſt ſemper voluntas,amor præparandus,voluntas cohibenda,ne in aliena diſſipetur;amor ſeruandus,ne inquinetur Propter hoc enim ſolum & creati ſumus,& viuimus, vt Deo ſimiles ſimus.

De illuminatione mentis ad contemplationem.

Cap. CXXIV.

NVnc quidem,vt legitur,abſcondit lucem ſicut lumen clauſum in manibus,& præcepit ei, vt rurſum oriatur. Dilectio enim Dei viciſſim lumen vultus Dei oſtenditur,ſicut lumen clauſum in manibus patet, & latet ad arbitrium tenentis,vt per hoc quaſi in tranſ. curſu,vel tranſpuncto videre permittitur. Exardeſcat animus ad plenam poſſeſſionem luminis eterni, & hæreditatem plenæ viſionis Dei. Cui vt innoteſcat aliquatenus id quod Dei deeſt nonunquam quaſi pertranſiens gratia perſtringit ſenſum amantis, & eripit eum ſibi & capit in diem pro modulo ſuo ad momentum, id ipſum oſtendens ei videndum ſicuti eſt. Interim etiam & ipſum efficit in idipſum ſit ſuo modo ſicuti illud eſt, vbi cum didicerit,quid interſit inter mundum & immundū redditur ſibi,& remittitur ad mundandum cor ad viſionem,ad adaptandum animum ad ſimilitudinem,vt ſi aliquando rurſum admittatur ſit purior adhuc ad videndum,& ſtabilior ad fruendum. Nuſquā enim ſe melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quam in lumine Dei ideſt in ſpeculo diuinæ viſionis, vbi in die, qui eſt plus videns,quid ſibi deeſt emendat in dies ſimilitudine,quicquid deliquit diſſimilitudine,ſimilitudine ei appropinquans,à quo longe factus eſt per diſſimilitudinem. Et ſic expreſſiorem viſionem expreſſior ſemper ſimilitudo comitatur. Impoſſibile quippe eſt videri ſummum bonum,& non amari,necnon tantum amari, quantum datum fuerit videri,quouſque amor proficiat in aliqua ſimilitudine amoris illius, qui Deum ſimilem fecit homini per humiliationem humanæ conditionis,vt hominem ſimilem Deo conſtituat per glorificationem diuinæ participationis,& tunc dulce eſt homini cohumiliari ſummæ maieſtati,compauperari filio Dei diuinæ ſapientiæ conformari. Hoc ſentienti in ſeipſo,quod in Chriſto Ieſu Domino noſtro, & hoc potiſſimum amantem rapit in amabilem,quod ipſe in ſemetipſo eſt quicquid in eo amabile eſt,qui eſt totum,quod eſt. Cui bono amore ipſius boni ſic ſe intendit pius affectus, vt non ſe inde ſe reuocet,donec vnum,vel vnus cum eo ſpiritus fuerit effectus. Quod cum in eo fideliter perfectum,iam ſolo mortalitatis huius velo diuiditur, ac differtur à ſanctis ſanctorum,à ſumma illa beatitudine ſuper cæleſtium. Qua tamen cum iam in fide & ſpe eius, quem amat fruitur in conſcientia, iam quod ſupereſt tolerabiliori præſtolatur patientia. Et hæc eſt deſtinatio ſolitarij certaminis,hic finis,hoc præmium, requies laborum,conſolatio dolorum:& ipſa eſt perfectio & vera hominis ſapientia,omnes amplectens in ſe & continens virtutes non aliunde collectas,ſed naturaliter inſitas ſibi,ad ſimilitudinem illam Dei:dum habitus bonæ voluntatis in bonam mentem conſolidatus & affectus eſt, vt ex ardentiſſima boni incommutabilis adhæſione,nullatenus iam videatur poſſe mutari ab eo qui eſt. Cum enim fit circa hominem Dei aſſumptio illa domini, & ſancti Iſrael Regis noſtri,ſapiens & pius animus per illuminantem & adiuuantem gratiam,in contemplatione ſummi boni,ſpeculatur etiam regulas incommutabilis veritatis inquantum ad eas pertingere meretur intellectu amoris. & exinde format ſibi modum conuerſationis cuiuſdam cœleſtis,& formam ſanctitatis. Speculatur enim ſummam veritatem,& quæ ex ea vera ſunt ſummum bonum,& quæ ex eo bona ſunt ſummam eſſentiam,& quę ex ea ſunt illi veritati,illi charitati, illi æternitati ſe conformans,in iſtis ſe ordinans, ex quo ſcilicet concipiuntur & oriuntur virtutes ſanctæ, atque imago ipſius omnipotentis Dei reformatur in homine.

De præparatione cordis ad Dei viſionem.

Cap. CXXV.

ET quidem de nonnullis quæ ad Deum ſpectant,fas & poſſibile eſt homini rationem habenti aliquando cogitare,& diſquirere, ſicut de dulcedine bonitatis eius,de potentia virtutis, & de alijs huiuſmodi. Ipſum vero idipſum quod eſt, id quod eſt cogitari omnino non poteſt,niſi quantum ad hoc ſenſu illuminati amoris attingi poteſt, in quo eſſe noſtrum

non

non moritur, intellectus non errat, amor non offenditur. Qui ſemper quæritur, vt dulcius inueniatur, dulciſſime inuenitur, vt dulcius quæratur. Hoc ergo ineffabile cum non niſi ineffabiliter videatur, qui ipſum vult videre, cor mundet, quia nulla corporis ſimilitudine dormienti, nulla corporea ſpecie vigilanti, nulla rationis indagine, niſi mundo corde humiliter amantis poteſt videri vel apprehendi. Hæc eſt enim facies Dei, quam nemo poteſt videre, & mundo viuere. Hæc eſt ſpecies cui contemplandæ ſuſpirat omnis qui affectat diligere Dominum Deum ſuum in toto corde, ad quod etiam non deſinit excitare proximum ſuum, ſi diliget eum ſicut ſeipſum. Ad quod cum aliquando admittitur in ipſo lumine veritatis, indubitanter videt præpenientem gratiam, & cum inde repellitur, in ipſa mente ſua intelligit puritati eius non conuenire immundiciam ſuam, & ſi amat flere dulce habet, & non ſine multo gemitu cogitur redire in conſcientiam ſuam. Ad quod cogitandum omnino impares ſumus, ſed ignoſcit quem amamus, & de quo nos non poſſe dicere vel cogitare confitemur, & tamen vt dicamus, vt cogitemus amore eius, vel amore amoris eius prouocamur & trahimur. Cogitantis ergo eſt in omnibus humiliare ſemetipſum & glorificare in ſeipſo Dominum Deum ſuũ in contemplatione Dei vileſcere ſibi, in amore creatoris ſubiici omni creaturæ humanæ. *Præ omnibus autem nõ* Eſai. 24. *plus ſapere, quam oportet, ſed ad ſobrietatem*, bona ſua non ponere in ore hominum, ſed celare in cella, & recõdere in conſcientia, vt hunc quaſi titulum, & in fonte conſcientiæ, & in fronte cellæ ſemper habeat: *Secretum meũ mihi, ſecretum meum mihi. Amen.*

De certa victoria eorum, qui pro Deo militant.

Cap. CXXVI.

Idem de laude nouæ militiæ ad milites templi. Nouum militiæ genus ortum nuper auditur in terris & inexpertum omnibus ſæculis, qua gemino pariter conflictu atque infatigabiliter decertatur, tum aduerſus carnem & ſanguinem, tum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Quid autem vel viuens, vel moriens metuat, *cui* Philip. 1. *viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Gaude fortis Athleta, ſi viuis & vincis in Domino. Sed magis exulta, & gloriare ſi morieris, & iungeris in Domino. Si beati qui in Domino moriũtur, multo magis qui pro Domino moriuntur. O vita ſecura, vbi pura cõſcientia! O vere ſancta & tuta militia, atque à duplici illo periculo prorſus libera, quo id hominum genus ſolet frequenter in militia ſæculi periclitari, vbi Chriſtus non eſt cauſa militandi! Quotiens namque congrederis, qui militas militia ſæculari, timendum omnino ne aut occidas hoſtem quidem in corpore, te vero in anima, aut forte tu occidaris ab illo, & in corpore ſimul & in anima. Ex cordis nempe affectu, non belli euentu penſatur, vel periculum vel victoria chriſtiani. Si bona pugnantis cauſa fuerit, pugnæ exitus malus eſſe non poterit. Sicut nec bonus iudicabitur finis, vbi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit. Si in voluntate ſuperandi, vel vindicandi hominem occidis, homicida viuis. Eſt autem qui nec vlciſcendi zelo nec vincendi typo, ſed tantum euadendi remedio interficit hominem; ſed nec hanc bonam dixerim victoriam, cum de duobus malis, in corpore quam in anima mori leuius ſit. Non autem quia corpus occiditur, & anima moritur, *ſed* Ezech. 18. *anima quæ peccauerit ipſa morietur.* Quis igitur finis fructusve ſeculariſ huius non dico militiæ, ſed maliciæ, ſi & occiſor læthaliter peccat, & occiſus æternaliter perit?

De comparatione militum ſecularium ad milites Chriſti.

Cap. CXXVII.

QVis, ô hic milites, tam ſtupendus error, ac furor tantis ſumptibus & laboribus militare, ſtipendiis vero nullis niſi aut mortis aut criminis? Operitis equos ſericis, & pendulos neſcio quos panniculos loricis ſuperinduitis, depingitis haſtas, clypeos & ſellas; fræna & calcaria auro, & argento circumornatis, & cum tanta pompa pudendo furore, & impudenti ſtupore ad mortem properatis. Militaria ſunt hæc inſignia, an muliebria potius ornamenta? Nunquid forte hoſtilis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, ſerica penetrare non poterit? Denique ipſi ſæpius certiuſque experimini, tria eſſe præcipue neceſſaria prælianti, vt ſcilicet ſtrenuus induſtriuſque miles, & circunſpectus ſit ad ſe ſeruandum, & expeditus ad diſcurrendum, & promptus ad feriendum. Vos per contrarium in oculorum grauamen, ritu fœmineo comam nutritis, longis ac profuſis camiſiis, propria vobis veſtimenta obuoluitis, delicatas ac teneras manus amplis & circunfluentibus manicis ſepelitis, nec aliud inter vos bella mouet, liteſque ſuſcitat, niſi aut irrationalis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus aut terrenæ qualiſcunque poſſeſſionis cupiditas. Talibus certe ex cauſis, neque occidere, neque occumbere tutum eſt. At vero milites Chriſti ſecuri præliantur prælia, Domini ſui nequaquam metuentes, aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſua nece periculum, quandoquidem mors pro Chriſto, vel ferenda ſit, vel inferenda. Miles, inquam, Chriſti ſecurus interimit, ſecurior interiit, ſibi præſtat cum interit, Chriſto cum interimit, nec cum male factorem occidit homicida, ſed (vt ita dixerim) malicida, & plane vindex, & chriſtianorum defenſor reputatur. In morte enim pagani chriſtianus gloriatur, quia Chriſtus glorificatur. Non quidem vel pagani necandi eſſent, ſi quomodo aliter poſſent à nimia infeſtatione vel oppreſſione fidelium cohiberi. Nunc autem melius eſt vt occidantur, quam certe relinquatur, *virga peccatorum ſuper* Pſal. 57. *ſortem iuſtorum, ne forte extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* Quid enim? ſi percutere in gladio omnino fas non eſt chriſtiano, cur igitur præco ſaluatoris contentos fore ſtipendijs ſuis militibus indixit, & nõ potius eis omnem militiam interdixit? Proinde diſſipentur gentes, quæ bella volunt, & abſcindantur qui vos conturbant. Exeratur gladius vterque fidelium in ceruices inimicorum ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe *aduerſus ſcientiam Dei* quę eſt fides chriſtianorum, *nequando* Matth. 23. *dicant gentes, vbi eſt Deus eorum.* Hier. 11.

De vita militum templi.

Cap. CXXVIII.

NVnc ad confuſionem militum non plane Deo, ſed diabolo militantium, dicamus breuiter vitam & mores equitum Chriſti, quo palam fiat quantum ab inuicem differant militia Dei ſcilicet & militia ſæculi. Viuunt enim in communi ſub vnius obedientia abſque vxoribus & liberis, & abſque omni proprio, nullo autem tempore aut ocioſi ſedent, aut curioſe alicubi vagantur, ſed ſemper dum non procedunt ne gratis panem comedant armorum ſeu veſtimentorum vel ſciſſa reſartiunt, vel vetuſta reficiunt, vel inordinata cõponunt. Et quęcunque poſtremo facienda magiſtri ipſorum voluntas, & communis indicit neceſſitas, perſona inter eos minime accipitur melior, non nobiliori defertur. Verbum inſolens, opus inutile, viſus immoderatus, murmur vel tenue, ſiue ſuſurrum nequa-

quam ibi deprehenditur, inemendatum relinquitur. Schacos, & aleas deteſtãtur, abhorrent venationem, nec ludicra illa auium rapina, vt aſſolet, delectantur. Mimos & magos, & fabulatores, ſcurrileſque cantilenas, atque ludorum ſpectacula tanquam vanitates & inſanias falſas reſpuunt, & abominantur. Capillos tondent, ſcientes iuxta Apoſtolum ignominiam eſſe viro ſi comam nutrit. *1.Cor.11.* Nunquam compti, raro loti, magis autem neglecto crine hiſpidi, puluere fœdi, lorica & caumate fuſci. Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro ſe muniunt, quatenus armati & non ornati hoſtibus metum incutiant, non auaritiam prouocent, Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos, pugnam quippe non pompam, victoriam, ſed non vanam gloriam cogitantes, & ſtudentes magis eſſe formidini, quam admirationi. At vbi ventum fuerit ad certamen priſtina leuitate depoſita, tanquam ſi dicerent: *Pſa.138.* Nonne, *qui oderunt te domine oderam*, *&c.* In aduerſarios irruunt hoſtes vel vt oues eos reputantes, quia non de ſuis viribus præſumere nouerunt, ſed de virtute Dei Sabaoth victori ſperare, cui facile eſſe confidunt iuxta Machabei ſententiam; *1.Machab. 3.* concludi multos in manus paucorum, quia non multitudine exercitus eſt victoria belli, ſed de cœlo fiducia eſt: ita miro & ſingulari quodam modo cernuntur, & agnis mitiores, & leonibus ferociores, quibus nec deeſt monachi manſuetudo, nec militis fortitudo. De qua re, quid dicendum eſt, *niſi quia à Domino factum eſt iſtud &c.* *Pſal.117.* Tales enim ſibi elegit Deus & collegit à finibus terræ miniſtros, de fortibus Iſrael, qui veri lectulum Salomonis, ideſt, ſepulchrum vigilanter fideliterque cuſtodiant, omnes tenentes gladios in manibus, &c. Vita enim Chriſti viuendi mihi regula fuit, mors à morte redemptio; vita quidem laborioſa, ſed mors precioſa, vtraque vero admodum neceſſaria. Quid enim Chriſti prodeſſe poterat ſiue mors nequiter viuenti, ſiue vita damnabiliter morienti. Nunc autem, quia vtrunque pariter nobis neceſſarium erat, ſcilicet & pie viuere, & ſecure mori, & viuendo viuere docuit, & mortem moriendo ſecuram reddidit. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* *Rom.10.* Quiſquis igitur verbum in ore habet, & in corde non habet, aut doloſus eſt aut vanus. Qui vero in corde, & non in ore, aut ſuperbus eſt aut timidus.

Author. Hæc autem ad præſens de dictis ſiue de floribus beati Bernardi Abbatis Clareuallis ſufficiant.

(:) (:) (:) (:)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER VIGESIMVSNONVS.

De Imperio Friderici primi, & magistro Petro Lombardo, & magistro Petro Comestore.

Cap. I.

Fridericus Imp. An. Ch. 1153. Mundi 5014.

IN Chronicis. Anno Domini (sicut dictum est) 1153. mũdi vero 514. Fridericus imperat nepos Conradi prædecessoris eius. Imperauit autem annis 37.

Huius temporibus Rex Ludouicus Francorum regnabat pater Regis Philippi, sub quo scilicet Ludouico floruit magister Petrus Lombardus Parisiensis episcopus.

Author. Hic librum sententiarum, qui nunc in scholis Theologiæ publice legitur, laboriosum certe opus, ex multorum sanctorum Patrum dictis viriliter compilauit, sed & maiores glossas psalterij, & epistolarũ Pauli similiter ex multorum dictis collegit, & ordinauit. Nam cum esset inter Franciæ magistros opinatissimus, glossaturam epistolarum & psalterij ab Anselmo per glossulas interlineares marginalesque distinctam, & post à Gilberto continuatiue productam latius & apertius explicuit, multaque de dictis sanctorum addidit.

Idem etiam quosdam sermones vtiles composuit.

Circa idem tempus æstimo floruisse magistrum Petrum Comestorem, qui Scholasticam historiam cõposuit, scilicet historiam sacræ scripturæ breuiter & viriliter prosequens, & difficultates in plerisque locis prudenter exponens. Insuper & quædam incidentia ex historiis Iosephi Iudæi & quorundam gentilium locis cõgruis inserens. Nonnulla etiam alia opuscula edidit, & hos sequentes versus in laudem beatæ virginis eleganter composuit.

Si fieri posset, quod arenæ puluis, & vndæ,
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Siluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minime depromere possent,
Quæ sis, vel quanta virgo Regina Maria.
Quæ tua sit pietas, nec litera, nec dabit ætas.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. II.

CHronographus. Anno igitur Imperii Friderici primi Rex Francorum Ludouicus cum minimo exercitu Normanniæ fines aggressus, castrum Vernon in deditionem recepit. Iterum Dux Normanniæ in Anglia contra Regem Stephanum fortiter agens, tandem cum eo pacem facit: Ita vt viuente Rege post eum secundus in Anglia mortuo succedat.

Ciues Metenses cum vicinis militibus congrediuntur, vincuntur, & pereunt ex eis plusquam duo millia.

Rex Hierosolymorum regni integritate potitus Ascalonem Palęstinæ caput post longam obsidionem, non sine graui damno, & multa suorum profligatione tandem cœpit. Fertur autem, quia cum plures ex militibus templi qui ciuitatem se posse capere putabant ingressi, moxque trucidati à paganis fuissent, cæteri obsessores ante Crucem Domini se prostrauerunt, & diuinum adiutorium cum multis supplicationibus implorauerunt, & mox exaudiri meruerunt. Nam Ciuitatenses diuina virtute exterriti, cum se non posse vltra resistere sensissent, vrbem christianis tradiderunt cum suis abire permissi.

Vir autem religiosus Vualterus Laudunensis episcopus, multarum fundator Abbatiarum migrauit ad dominum, & Præmonstrati sepelitur, vbi quondam pro Christo paupertatis habitum sumpsit: cui succedit Galtherus Laudunensis decanus.

In Burgundia etiam eodem tempore fit terræmotus ter in nocte vna, multaque ruunt ædificia. *An. Ch. 1154.*

Anno autem sequenti Rex Francorum Ludouicus Henricum Ducem Normanniæ ad pacem recepit, qui in breui Rege Stephano mortuo Angliam intrat, & regni integritate potitus, pacem antiquam reformat.

Eodem anno Princeps vtilis ac strenuus & actibus clarus, Rex Siciliæ Rogerus, post insignes de Saracenis victorias, atque terras occupatas obijt; nec inferiorem semper Guillelmum regni ac victoriarum successorem reliquit.

Robertus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Robertus autem de Botua vir omni plenus nequitia, nepotum ſuorum caſtra ingreſſus, doloſe tyrannidem exercet in terra. Qui ſpiritu zelotipiæ ſuccenſus, quendam hominem ſuum ſatis fidelem cum alio viro & alia muliere intra domunculam iubet cõburendos includi; illi vero inſtar antiquorum trium puerorum domo ardente, & flamma ſuper capita eorum in modum lucidæ nubis volitante illæſi permanſerunt. Quos foras egreſſos, cũ perſequeretur iniquus ille miniſter, cui Dominus ſuus hoc facinus iniunxerat, & euaginato gladio vnum ex eis ferire voluiſſet, repente quædam inuiſibilis perſona retro eum per comam capitis apprehendit, & cum equo cui inſedebat in terrã præcipitem dedit. Vnde & mox ad S. Iacobum ſe iturum eſſe ſpopondit. Sed & illi quos propria conſeruauit innocentia gratiam Dei non in vacuum recipientes vitam ſuam in melius mutauerunt.

Obijt Papa Anaſtaſius, & epiſcopus Albanenſis Nicolaus Anglicus Papa ſit & vocatur Adrianus.

Luna paſſa eſt eclypſim 11. Calen. Iulij in poſterioribus partibus Geminorum.

Hoc etiam anno Ludouicus Rex Francorum filiam Imperatoris Hiſpanię, fœminam moribus præcipuã, accepit Aurelianus in vxorem. Ibique nuptiis quaſi ſolemniter celebratis ab Hugone Senonenſi archiepiſcopo vncta eſt in Reginam.

De Adriano Papa, & Theobaldo Cantuarienſi.

Cap. III.

Helinandus. Huic Adriano Papę familiaris fuit Ioãnes Salesberienſis, & ipſe Anglicus natione, qui de eodem Adriano talia refert: Audiui Adrianum Papã dicentem, quod Romano Pontifice nemo miſerabilior eſt, conditione eius nulla miſerior. Fatebatur enim in eadem ſede tantas miſerias ſe inueniſſe, vt facta collatione præſentium, tota præterita amaritudo iucunditas & fœlicitas fuerit. Spinoſam enim dicebat cathedram Romani Pontificis in tantum acutiſſimis vſquequaque conſertam aculeis, tantæque molis, vt robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam & phrygiam clara merito videri, quoniam ignea ſunt, neque nunquam à natali Angliæ malle exiſſe, aut in clauſtro Beati Ruffi apud Valentinam perpetuo latuiſſe, quam tantas intraſſe anguſtias, niſi, quia diuinæ diſpenſationi reluctari non auderet. Hoc etiam ſæpiſſime mihi adiecit, quod cum de gradu in gradum à clauſtrali clerico per omnia officia in ſummum Pontificem aſcendiſſet, nihil vnquam fælicitatis aut trãquillæ quietis vitæ priori adiectum eſt ab aſcenſu, & (vt verbis eius vtar) In incude, inquit, & maleo ſemper dilatauit me dominus. Sed nunc oneri quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet ſupponat dexteram, quoniam mihi importabile eſt. Nõne miſericordia dignus eſt, qui pro tanta pugnat miſeria? Hic ditiſſimus qui electus eſt, ſequenti die pauper erit, & infinitis fere creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad ſummum Pontificium, & non ſine fraterno ſanguine ad illud etiã aſcendere, & Romulo ſuccedere in paricidijs, non Petro in ouibus paſcendis. Bene ergo dicitur, non tam nuncupatiue, quam etiam ſubſtantiue, *ſummus Pontifex ſeruus ſeruorum.* Seruiat enim ſeruis auaritiæ ideſt Romanis neceſſe eſt, adeo vt niſi ſeruierit fiat aut expontifex, aut exromanus.

Expontifex is dicitur qui ex gradu pontificis eſt dejectus.

Florebat hoc tempore Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus de Beccenſi monaſterio aſſumptus, vir per omnia laudabilis & magnificus, & tam in ſæcularibus, quam in eccleſiaſticis negociis expertiſſimus.

Thomas Archidiaconus Cãtuarienſis per induſtriam Archiepiſcopi Theobaldi factus eſt Regis Hẽrici Cancellarius.

An. Ch. 1156. Anno domini M. 156. ſignum crucis apparuit in Luna.

Albericus miles Beluacenſis pro fide Chriſti paſſus eſt martyrium.

In partibus Saxoniæ ſanctimonialis Eliſabeth mirabiles viſiones vidit. Inter quas etiam Angelus familiaris ei librum qui dicitur viarium Dei annunciauit, etiam diem tranſlationis ſacroſancti corporis beatiſſimæ virginis in cælum demonſtrauit, ſicut in loco congruo ſuperius narratum eſt.

Fridericus autem Imperator Mediolanum fere per 7. annos obſedit ac deſtruxit.

Anno autem ſequenti tres Lunæ viſæ ſunt, & in media ſignum crucis. *An. Ch.* 1157.

Anno autem ſequenti filia Ludouici Regis Francorum datur filio Henrici Regis Anglorum, vt pax inter eos firmaretur. *An. Ch.* 1158.

Anno ſequenti nonis Septembris, tres Soles viſi ſunt in parte occidentali, ſed duobus paulatim deficientibus, Sol diei qui medius erat remanſit vſque ad occaſum. *An. Ch.* 1159.

Eodem anno ſcilicet M. 159. ab incarnatione domini Adrianus Papa obiit. Eo quoque mortuo, facta eſt in eccleſia Romana maxima turbatio. Cardinales enim abinuicem diuiſi duos elegerunt ſibi Pontifices, Rolandum ſcilicet Cancellarium qui Alexander Papa dictus eſt, & Octauianum, graui ſciſmate Eccleſiam Dei diſrumpentes, vnde proceres diuerſarum regionum turbati ſunt, quidam vni, quidam vero alteri adhæſerunt. Imperator ſiquidem Romanus cum ſuis epiſcopis Octauiano, qui à ſibi fauentibus Papa Victor acclamatus eſt, ceſſit. Rex vero Francorũm Ludouicus & Rex Angliæ Henricus cum ſuis Alexandrum in patrem & dominum ſuſceperunt.

Anno ſequenti fit eclypſis Lunæ, & moritur Regina Francię vxor Regis Ludouici, filia imperatoris Hiſpaniæ, fęmina vitæ laudabilis, & actibus clara, moribuſque perornata. Rex vero ducit in vxorem Adelam Comitis Theobaldi filiam, quam poſtea prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus vnxit in reginam Pariſiis. *An. Ch.* 1160.

Huius etiam temporis ſunt miracula beatæ Marię de rupe amatoris.

Miracula beatæ Mariæ de rupe amatoris.

Cap. IV.

Ex mariali. Adoleſcens quidam ciuis Lugduni Galliæ per Rhodanum remigabat naui vino referta, eccleſiæ beatæ Mariæ de Rochemador confrater. Hic videns inſtare periculum, & nec arte nec viribus procellis irruentibus reſiſtendum, intentionem ſuam conuertit ad orandum. Cumque beatam virginem Mariam multis precibus rogaret: ecce nauis non modico fragore facto ſub vndis latuit, & quantum quater baliſta iaci poteſt, inferius euecta profundum fluminis tenuit. Inde pietate miſericordiſſimæ dominæ ad ſuperbiores auras reiecta, ſine læſione hominum, ſine damno rerum venalium, ſine quantalibet vini effuſione cum omni ficcitate apparuerunt oia. In argumentum miraculi, tam ille quam alius, qui cum eo diſcrimẽ huius mortis ſubierat, pellicea & pallia monſtrantes in quibus nihil animaduertebatur extitiſſe madidi, laudabant omnium Reginam & dominam.

Mulier quædam de Gothorum partibus ſuſcepto virili ſemine 30. menſibus grauida quotidie fætũ non enixa parturiebat. Hæc vnica parentum ſuorum extiterat, propter quam confratres de Rochemador nimio mærore macerabantur aſſidue, iam quaſi mortuam lugentes filiam. Cum enim quæuis mulier certo tempore pariens in foribus habeat mortem, quid doloris illam putemus paſſam tanto tempore parturientem. Sane parentes eius miſericordem Dei matrem Mariam ad miſericordiam mouere nitebantur, ſcientes, quod oratio deuota cælos penetrat. Aperto itaque cælitus vmbilico contra naturam puer diu mortuus, & iam putridus fruſtratim extractus eſt.

In Bertholdi curia Gerberta cum quinque filijs habitabat, quorum iunior ſuper caput in calato portans panem venalem tempore nouarum frugum, nondũ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

matura meſſe, quẽdam ſibi notum procul à villa in medio ſatorum habuit obuium multiplici crimine irretitũ. Hic doloſe cernens iuuenem, cui familiaris extiterat, ipſum minus cautum blanditis ſeductum cultellum extorſit, & humi violenter proſtratum iugulauit, pelliculã tantũ à poſteriori remanente illæſa. At ille moriens virginem virginum voluebat in corde, quam voce promere nõ poterat. Diſcedente autẽ homicida nequam, cũ ſpolijs adhuc palpitantis. Ecce Maria, vt Domina quædã cũ mirifico decore circumamicta varietate moriẽti aſtitit, caputque à trunco ſeiunctum demulcendo, & propria manu ſignando, materno affectu tangens, in loco priori reſtituit, & ſtillicidium ſanguinis ſubſtitit. Itaque ab itinerantibus inuentus eſt, & cum lamento ſuorum ad domũ relatus, vulneraque reſutus in breui ſanatus eſt. Veruntamẽ ad huius facti memoriã vox eius rauca permãſit, & cicatrices in gutture quoad vixit. Malignus autem ſpiritus cui corpore & ſpiritu prophanus homicida ſeruierat, præ ſceleribus vitam redditurus, eum in villam clam reduxit. Qui cum lenonibus pernoctãs, & cum aleatoribus ludens, operam dabat vanitati. Quod præſcripti matri iuuenis in ſpiritu reuelatum eſt, qua nunciante filiis deliramenta putabant. Surgentes tamẽ eum tenuerunt, & Regi reddiderunt. Qui iuſſit eum ſuſpendi. Iuuenis ergo viuificatrici ſuæ gratias redditurus, ad eccleſiam de Rochemador venit, cicatrices eius protulit, & omnibus rem innotuit.

Item alia de eodem.

Cap. V.

TEmpore belli Regis Arragonẽſis, & comitis Tholoſani, Raimundus quidã presbyter ad alimẽtum mõtis Peſſulanenſium per mare frumentum ducere conabatur. Permiſſu vero Dei cœlo nube tecto, vẽtus cum tẽpeſtate obtortus, intentabat naufragium, nec vllum imminebat ſubterfugium. Orãtibus autẽ illis, & manus ad alta tendentibus, ſtellæ maris Dominæ de Rochemador ſingultibus & clamoribus pariter miſericordiam & auxilium implorabant. Nec mora nauis è pedibus eorũ elapſa maris interiora tenuit. Ipſi quoque ſibi adhærentes im modũ globi in mediis perſtiterunt vndis. Tunc quidem fluctuãtes meatus naturales, ne ſubintraret vnda tenuis pro poſſe ſtringebant, ora non relaxabant, eo quod viuẽtes, & collotenus & altius texerat eos fluctus. Et ecce Maria virgo celebris, & per omnia laudabilis, nauem ab imo reductam ſub pedibus eorum reſtituit, plenã tamẽ aqua, atque ad litus tranquille, & ſine regimine etiã perduxit. Veruntamen priuſquã portum tenerent, nimio frigore rigidi, totiſque artubus immobiles orauerunt vt calefierent, & exaudiri ſunt. Nam amplius quam igne materiali, calore ſpiritus ſancti interius & exterius ignei facti ſunt & roborati.

Miles quidam Petagoricenſis pagi Hieroſolymam peregrinus adiit, cæteraque ſanctorum limina viſitauit. Tandẽ ad Eccleſiã beatę Mariæ de Rochemador, quæ à vicinitate ſua parum diſtabat venit. Videſque tot imagines cereas & cætera, quæ nõ viderat in valle Ioſaphat in Aſſumptionis eccleſia, nec in alijs etiam quamplurimis, & honoratis locis beatæ virgini dedicatis, non eis fidem adhibuit, nec à peregrinis allata, ſed fraudulenter à domeſticis impoſita aſſeruit. Redienſque ad propria his argumentis falſificare nitebatur quod de baſilica illa generaliter ac veraciter dicebatur. Inde factum eſt, vt ad vindictam malorum, laudem vero bonorũ totis plecteretur artubus, fieretque contractũs. Tunc ad ſe reuerſus, cum diu amplius quam duobus menſibus de ægritudine mulctatus eſſet, pœnitentia ductus, quod in ſanctam baſilicam blaſphemiam protuliſſet, veniam precabatur, & quòd eccleſia de Rochemador per Mariam matrem Domini virtutibus decorata eſſet, ac ſublimata publice fatebatur. In hac autem confeſſione ac deuotione ſolidatis neruis compage membrorum reformata, ſurrexit ſanus & fortis.

De nouicio Ciſtercienſi tentato à ſathana.

Cap. VI.

HElinandus. Fuit in Anglia eo tempore vir quidam magnarum virium corporis, & propter illas vires magni nominis. Hic poſt multa reprehenſus à ſua conſcientia peccata, propoſuit ire Hieroſolymã, vt ibi vires ſuas expenderet in ſeruitio Dei, iuxta illud; *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam &c.* Et de hoc voto conſuluit Abbatem quendam Ciſtercienſis ordinis, qui perſuaſit ei, vt crucem religionis acciperet, & ad cæleſtem Hieroſolymã properaret. Et fecit ſic. Et cæpit eſſe valde feruens in religione, poſtea vero tẽtatus à Sathana mutauit propoſitum, & propoſuit ſe corporaliter iturum Hieruſalẽ, ſicut prius vouerat. Sed quia tunc Abbas præſens non erat, diſtulit receſſionem contra ſuam voluntatem vſque in diem craſtinum. Eadem enim nocte cum de neceſſarijs ad lectum rediret, vidit ſuper quandam trabem dormitorii dæmonem ſedentem in ſpecie Simiæ. Et cœpit cogitare, quod diabolus eſſet, quia in illo ordine tales beſtiæ non nutriuntur, diabolus autem ſentiens ſe cognitum deſiliit de trabe ſuper illum, & verberauit eũ tam fortiter, quod ſanguis de naribus eius, & ore exibat. Et hoc facto euanuit. Illo autẽ clamante fratres excitati ſunt, & videntes illum nouicium tã grauiter læſum portauerunt in infirmatorium. Qui iacuit exſenſis tribus diebus in lecto ſuo, & videbatur magis mortuus, quam viuus. Apertiſque oculis nihil videbat. Qui cum ita iaceret, apparuit ei ſanctus Benedictus dicens: *Benedicite*, Et ille: *Dominus.* Quæſiuitque dicens: Quis es Domine? *Ego ſum*, inquit *frater Benedictus, ſequere me.*

De viſionibus quibus per beatam virginem confortatus eſt.

Cap. VII.

ET ſecutus eſt eum in ſpiritu. Et cœperunt aſcendere ſublimes gradus, & erãt in ſingulis gradibus duo dæmones, qui intentabant aſcẽdentes, & in ſingulis gradibus percutiebant illum nouicium. Qui defatigatus ab ictibus dæmonum vix iam ſequi poterat ductorem ſuum. Reſpiciens autem poſt ſe ſanctus Benedictus poſuit manum ſuam ſuper caput nouicii, & cõfortauit eũ. Poſt illos gradus aſcenſos vidit nouicius locum magnæ claritatis, & viriditatis in regione puri ætheris, & vidit ibi capellam in aere pendentem tam paruam, ita, vt admiraretur ad quid tam parua capella facta erat. Ad quẽ ſanctus Benedictus: Noli mirari opera Dei, qui ſolus ſcit rationem operum ſuorum. Intrans autem ſanctus Benedictus iuſſit nouicium ſtare poſt oſtium, ibi enim erat quidam candidatorum grex ſedentium in circuitu interioris capellæ, & ſedebat inter eos mater miſericordiæ reſplendens ſicut Sol inter ſtellas, ad quam accedens ſanctus Benedictus, ait, *Benedicite.* At illa. *Dominus.* Domina, inquit, ecce nouicius quem adduci iuſſiſtis. Et illa: *Facite illum coram me venire.* Qui cum acceſſiſſet, dixit ad eum Domina. Vis morari in domo mea mecum, ad ſeruiendum mihi, ſicut promiſiſti? Ait: Etiam Domina. Ergo, inquit, iura mihi ſuper illud altare, & voue, quod mihi ſemper ſeruies & opera facies Domini & cuſtodies. Qui cum iuraſſet, dixit Domina noſtra ad ſanctũ Benedictum. Reducite eum vnde adduxiſtis. Tunc ſanctus Benedictus poſuit eum poſt hoſtium dicens: Aſpice diligenter & retine firmiter, quod viſurus es, quia vtile erit tibi hoc vidiſſe. Tunc ſanctus Benedictus accepit peluim, & linteo præcinxit ſe, & dedit peluem Dominæ noſtræ. Et illa cæpit lauare pedes omnium ibi ſedentium per ordinem. Et ſanctus Benedictus poſt eam extergebat flexis genibus. Factoque illo mandato ſanctus Benedictus reduxit nouicium per loca florida & delectabilia, & ſuauiter redolentia. Et ecce

multitudo

multitudo Monachorum & nouiciorum occurrerunt eis. Ex quibus quidam pulchras coronas habebant in capitibus suis, alii nōdū eas habebant in capitibus sed cū fiducia eas expectabāt. Inter quos erat quidam Monachus, qui per signum petijt à sancto Benedicto licentiam loquendi cum illo nouicio, & accepit. Qua accepta dixit ad nouicium. Frater Gunteline, ego fui Monachus de domo tua, precor vt dicas Abbati meo, & tuo ex parte mei, quod frater Matthæus quondam Monachus suus mandat ei, vt se corrigat, sollicitiusque se habeat, quam huc vsque habuit ad custodiendum ordinem suū; hisque intersignis credat; quod cum ego migraram de corpore vidi quandam coronam descendentem de cælo, quam putaui meam fore, sed data est cuidam Monacho, qui ante mortuus est. Pro qua re contristatus fui inuidens bono fratris mei. De qua re eidem Abbati cōfessionem feci, & pœnitui. Teipsum etiam admoneo, vt in proposito tuo permaneas humilis & obediens, & honoresfugiens, & tuam propriam voluntatem nunquam facere delecteris, & semper Deum timeas.

De visione Paradisi.

Cap. VIII.

POst hæc verba sanctus Benedictus iussit sancto Raphaeli vt duceret nouicium quo ducendus erat. Tūc sanctus Raphael duxit eum in Paradisum. Et cum appropinquarent, vidit nouicius ciuitatem quandam ex auro, cuius porta immensæ pulchritudinis erat. Quam cum miratur, Angelus misit eum intra portam, & vidit intra Paradisum herbas, & arbores pulcherrimas, & aues cantantes. Sub vna arbore erat fons limpidissimus, cuius riui per mediam ciuitatem fluebant. Cumque nouicius vellet pausare iuxta fontem, duxit eum Angelus ad aliam arborem mirę altitudinis & pulchritudinis, super quam erat homo pulcherrimus, & prægrandis staturæ quasi gigas, vestitus veste diuersorum colorum à pedibus vsque ad pectus. Hic est, inquit, Angelus pater humani generis protoplastus Adam per sanguinem Iesu Christi filij Dei redemptus. Vestimentum autem eius est vestis illa gloriæ, qua spoliauerat eum humani generis inimicus, per transgressionem diuini mandati. Ab Abel enim filio suo primo iusto cœpit ipse recuperare vestem suam per bona opera filiorum suorum & filiarum, quando vero totus vestitus erit, sanctorum erit numerus consummatus, & finem habebit sæculum.

De visione inferni.

Cap. IX.

POst hæc venerunt Angelus & nouicius ad regionē vmbræ mortis, & terram tenebrosam. Et vidit nouicius quasi facies horribiles, & putauit quod ibi esset infernus. Sed Angelus dixit, Non est. Ille autem currens, sunt inquit camini infernales, per quos fumus & flamma ignis æterni exeunt. Post hæc vident hominem in ardente cathedra sedentem, ante quem stabant quasi pulchræ fœminæ, quæ tenebant cereos ardentes quos impingebant in faciem eius, & in os, & retrahebant similiter ardentes per eius interanea, & semper hanc pœnam patiebatur. Hic homo, ait Angelus, amicus fuit carni suæ, & inimicus animæ suæ, gulosus, & etiam luxuriosus. Cathedra enim signat, quod potens fuit in malitia, amauit mulieres, & ideo maligni spiritus in tali specie torquent eum. Post hæc vident hominem quem nigerrimi spiritus excoriabant viuum, & fricabant cum sale, & super craticulam eum assabant. Hic, inquit Angelus, potens fuit & crudelis in subditos. Post hæc vident hominem super equum ardentem clipeum igneum gerentem, & super collum equi sui Capram tenentem, & ad caudam equi sui trahebat habitum Monachi. Hic, inquit Angelus, pauper homo fuit, semper de rapina viuens. Capram rapuit vnam à quadam paupere fœmina, circa finem vitę suæ voluit fieri Monachus non vere pœnitendo, sed vt ignominiam suam parumper tegeret. Nam si viueret, cogitabat se redditurum ad priorem vitam, & ideo trahit habitum religionis, sicut rem quam paruam æstimabat. Capra enim & clypeus tormenta sunt damnationis suæ. Post hęc vident diuersas personas religiosas, monachorum, monialium, episcoporum, presbyterorum, & clericorum, quorum quidam ridebant & cachinnabant, alij conuiciabantur, alij studebant gulæ satiandæ, alij libidini explendæ. Non quod istæ voluptates post mortem sint, sed ad maiorem confusionem, & cruciationem similitudines peccatorum præteritorum in ipsis suis cruciatibus repræsentant, dæmonibus ad hæc eos cogentibus. Qui etiam postea eos percutiebant fustibus per media capita vsque ad excussionem cerebrorum, & eiectionem oculorum, & hoc incessabiliter. Post hæc Angelus Raphael duxit nouiciū vsque ad profundum inferni, vbi vidit rotam horribilē igneam, & hominē extentum desuper, & dum rota volueretur, quædam vox dixit ad nouiciū territum. Vides rem terribilem, sed adhuc terribiliorem videbis. Et ecce rota rapido cursu descendit vsque in profundum inferni, & tam magnum pulsum fecit in cadendo, vt totus mundus cecidisse videretur, cælum, terra, mare; & dum rota caderet, omnes animæ captiuæ, quæ ibi erant, omnesque dæmones pulsabant illum hominem, & maledicebant ei, & excommunicabant eum. Hic erat Iudas traditor.

De reditu animæ illius ad corpus.

Cap. X.

ET dum inde redirent, Angelus Raphael scilicet & nouicius, apparuit eis Angelus, qui gubernabat solem in humani generis seruitutem. Post hæc Angelus Raphael dixit ad nouicium: Oportet te redire ad corpus tuum. Visionem istam nulli narres nisi Abbati tuo, & in confessione. Tunc nouicius reuixit, qui tribus diebus iacuerat mortuus, & cœpit oscitare, & gemitus & plāctus dare. Et oblitus præceptum Angeli, cœpit statim narrare quæ viderat, dicens circunstantibus, & quærentibus quid vidisset. Vidi infernum, vidi paradisum. Et cum hæc diceret, ecce sanctus Benedictus venit cū baculo ante eum, & percussit os infirmi inobedientis. Infirmus autem opponens manum ictui, percussus est grauiter in digito. Et quęrens causam percussionis, audiuit à sancto Benedicto. Quia inobediens fuisti, & si læsus es in carne scito, quia magis læsus es in anima. Et quia peccasti loquēdo, loquelā perdes 9. diebus, & iniūcta ei pœnitētia disparuit. Per illos autem 9. dies grauiter infirmatus est, & manus eius intumuit. Post 9. dies sanus factus est, & dixit Abbati suo soli que viderat. Abbas vero, qui præceptum tacendi non acceperat, ad ædificationem audientium & legentium visionem reuelauit.

De fratre Christiano eremita Gastinensi.

Cap. XI.

HElinandus. Eo tempore quidam Cenomanensis nomine Christianus inuenis conuersus est in eremitorium quoddam in archiepiscopatu Turonēsi, quod dicitur Gastinetum, vbi dum fortiter tentaretur à carne sua affligebat se, in quadragesima ieiunabat, abstinens se ab omni potu præter vnū diem in septimana. In hyeme stabat vestitus in aqua frigida vsque ad collum disciplinam sibimet dabat vsquequo virgæ dirumperentur. Quod cum quadam die hoc faceret, & se cecidisset vsque ad sanguinem, audiuit vocem à parte occidentis dicentem: Nil prodest tibi quod facis. Iste Deus quem inclamas non dabit tibi, quod petis, sed

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

conuertere ad me, & auxiliabor tibi. Quod ille audiens intellexit vocem eſſe inimici. Et cum oraſſet Deum, vt auxiliaretur ſibi contra tentationes, propoſuit aggredi peregrinationem ad diuerſos ſanctos, vt ita finiret vitam ſuam in peregrinando, & cum diu hoc cogitaſſet, accepto baculo egreſſus eſt nudis pedibus, & cum veniſſet ante quandam Eccleſiam flexis genibus rogauit Deum, vt daret ei bonum conſilium. Vix ab oratione ſurrexerat, & ecce ſenſit fætorem magnum, per quod intellexit diabolum prope aſtare, qui ei ſuggerebat relinquere habitum religionis & locum ſuum, & gratias agens Domino de tali ſigno rèuerſus eſt ad fratres ſuos.

Hic aliquando in feſto ſancti Stephani dormiebat ad matutinas. Et cum legeretur illa lectio vbi legitur: *Et lapidabant Stephanum* expergefactus ad hoc verbum, reprehendit ſe de ſomnolentia dicens: Væ mihi, qui ſic dormio ad obſequium Dei. Iſte ſanctus non dormiebat, quando lapidabatur, & pro perſecutoribus orabat, & ego miſer debueram rogare iſtum ſanctum martyrẽ, vt oraret pro me. Et poſt hæc cæpit intẽtiſſime vigilare, & rogare ſanctũ Stephanum vt oraret pro ſe. In craſtino cũ eſſet in refectorio, antequã aliquid guſtaret, venit vox ad eũ dicens: Tu intendis ad terrenas eſcas, & non cogitas de glorioſo prothomartyre, qui orat pro te. Tunc aperti ſunt oculi eius, & leuans oculos in cælum vidit martyrem orantem pro ſe, ſicut vox ei dixerat. Quod cum vidiſſet, ſtatim ſurrexit, & petijt locum ſecretum in quo oraret, & dixit: Sancte Stephane, quas tibi gratias agam de hoc tanto beneficio tuo, nihil habeo proprium, quod tibi dem, ſed tamen hoc do tibi, quod ammodo pro amore tuo non induar lineis, ſed laneis tantum, quod & fecit. Hic dum poſtea moneret cæteros, vt in bono propoſito perſiſterent, narrabat dicens: Eram aliquando in Gaſtineto iacens in lecto pleno paleis in ſolario quodã & cum vellẽ repauſare ſentiebã neſcio quid, quod ſe mouebat ſub renibus meis. Dixi quoque hoc magiſtro meo, ſed illa motio non quieuit. Quadam autem die inſpirante mihi Domino cepi euertere paleam lecti mei. Et euerſa palea cum nihil inuenirem, leuaui vnum de aſſeribus ſolarij, ſub quo inueni vnũ pedulem, & in eodem magnam maſſam denariorũ, quos cũ inueniſſem, relictis illis cucurri ad magiſtrum noſtrum, & confeſſus ſum quid inueniſſem. Ille iuſſit mihi, vt afferrem illos ad ſe. Quod cum feciſſem, omnes iuſſit congregari fratres, qui omnes excommunicauerunt illum, qui hoc fecerat. Quod cum audiſſet carpẽtarius quidam dixit ſe hoc feciſſe, & petijt veniam humiliter correctionem promittens. Magiſter autem indulſit ei, & iniunxit ei pœnitentiam, ſed denarios male acquiſitos retinere noluit, immo diuiſit eos pauperibus & egenis.

De tranſitu eius ad ordinem Ciſtercienſem.

CAP. XII.

POſt hæc idem frater Chriſtianus audiens famam de ordine Ciſtercienſi, cæpit admonere ſocios ſuos, vt ad illum tranſirent. At illi noluerunt, ſe ſtatuerunt inter ſe, vt qui vellent de ipſis ad ordinem Ciſtercienſem tranſire, tranſirent. Et eundem Chriſtianum miſerunt ad Abbatiam de eleemoſyna, cum quo iuit prior ſuus cum vno ſocio. Poſt annum quoque probationis expletum, ſpiritus maligni ſæpe apparebant eidem Chriſtiano in viſione noctis, minantes ei, quod expellerent illum de domo illa, & in vanum illum laborare dicebant, quia non duraret in ordine illo. At ille recurrebat ad orationem. Et dum hoc bellum haberet, cũ dæmonibus, quadã die facta eſt ad eũ quædam vox à capite lecti ſui dicẽs: Memor eſto huius verſiculi de pſalterio. *Deus in nomine tuo ſaluũ me fac, & in virtute tua iudica me.* Quod audiens ille retinuit, & ad omnes tentationes Diaboli ſemper poſtea de illo verſiculo tamquã clypeo ſe muniuit. Cum autẽ Dæmones viderũt eum habere fiduciã in iſto verſu dicebãt: Stulte hoc nos re docuimus, hoc volumus vt dicas. Tunc ille in dubio poſitus, vtrum hoc dicere deberet, an non, quia ſimplex erat & illiteratus, quæſiuit à clericis quid hæc vox ſignificaret. A quibus cum audiſſet hoc eſſe principium cuiuſdam pſalmi, totum illum pſalmum per gratiam Dei didicit, & in hac pugna diu fuit contra dæmones.

Pſal. 53.

Quadam nocte dũ fratres in hyeme poſt vigilias ſederent, & legerent ad lumen in capitulo, ille remanſit in clauſtro orans. Et cum oraret dixit ad eum vox de cælo. Illi boni homines quos vides in capitulo, ſunt martyres Dei.

Eodem anno vidit idem Chriſtianus omnem conuẽtum circundari à dæmonibus, qui tantæ multitudinis erant, vt tegere viderentur quicquid erat inter terram & cælũ. Quod cũ ille videret & diceret: Domine Deus quid hoc poteſt eſſe, & quis poterit euadere pericula iſta? Audiuit vocẽ dicentẽ ſibi: *Qui humilitatem habere potuerit, ab omnibus his laqueis liberabitur.* Non multo poſt venit quædam claritas de cælo ab Oriente, quam cum præſentirent maligni ſpiritus euanuerunt, & illi glorioſi ſpiritus qui erant in illo lumine appropinquauerunt, & illũ locum vbi erant illi ſancti homines ſolari claritate repleuerunt, & in eadẽ claritate apparuit Regina Angelorũ. Quam cũ ille aſpiceret, & diceret intra ſe. Deus bone quo vadit Domina noſtra, aduocata noſtra, ſaluatrix mundi. Reſpõdit ei eadem Domina. Venio ſuccurrere huic loco, qui meo indiget auxilio: Venio auxiliari huic pauperi Abbatiæ, & aliorum pauperum locis, qui confidunt in me.

Ex chronicis. Anno Domini M.161. corpora triũ Regum, ſiue Magorum, qui Dominum in cunabulis adorauerunt, olim ab Imperatore Conſtantinopolim translata, & à ſancto Euſtorgio Mediolanũ miraculoſe tranſuecta. Inde poſtquam Fridericus Imperator illam vrbẽ deſtruxit, Rainaldus Colonienſis archiepiſcopus à Mediolano Coloniam tranſtulit. Alexander Papa in Galliã venit, & à Regibus Francorum & Anglorum honorifice ſuſceptus eſt. Eodem anno Henricus Rex Anglorum & Dux Aquitaniæ venit contra Toloſam, ſed Rex Ludouicus intrauerat ad deffendendum eam, vnde nolens Henricus Rex obſidere Dominum ſuum receſſit à loco. *An. Chriſti 1161.*

Anno Domini M.clxij. deſtructa vrbe Mediolanenſi Archiepiſcopus Colonienſis ſanctos tres Magos apud Coloniam tranſtulit, & anno ſequenti Alexander Papa in Gallias venit. *An. Chriſti 1162.*

De ortu Philippi Regis Francorum ex patre Ludouico.

CAP. XIII.

EX *hiſtoria Frãcorum.* Anno Domini M.clxiii. Philippus Ludouici Regis Francorum filius naſcitur. Anno ſcilicet Regni patris ſui 27. Cum enim idem pius Rex numeroſam ſiliarum ſobolem de tribus vxoribus ſuſcepiſſet, & hæredem maſculum regni ſucceſſorem habere non poſſet, tandem cum Adela vxore ſua & omni clero & populo totius Regni ad orationes & eleemoſynas conuerſus, filium à Deo petijt, & obtinuit. De quo etiam antequam natus eſſet talem viſionem in ſomnis vidit, videlicet quod Philippus filius ſuus aureũ calicem in manu ſua plenum humano ſanguine tenebat, de quo propinabat omnibus ſuis Principibus, & omnes in eo bibebant. *An. Chriſti 1163.*

Eo tẽpore Tarantaſienſis Archiepiſcopus venit apud Caluum montem, qui eſt in confinio Franciæ & Normanniæ pro pace ſcilicet reformanda inter Regem Ludouicum, & Regem Henricum, vbi multas virtutes per eam operatus eſt Dominus in præſentia duorum Regũ, & Henrici iunioris Regis Angliæ, & Philippi comitis Flandrenſis. In capite ieiunij impoſuit cineres benedictos in capite Regis Angliæ apud mortuum mare.

De aduentu sancti Thomæ Cantuariensis in Franciam ad Papam Alexandrum.

Cap. XIIII.

An. Christi 1163. EOdem anno sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus exul ab Anglia aufugit in Franciam. Anno siquidem Domini. M.clxiij. in episcopum consecratus. In quo scilicet anno Alexander Papa in Gallias venit,& Turonense concilium celebrauit. Porro idem Papa venit Senonis in festo sancti Hieronymi, ac per annum & dimidium mansit ibi in Ecclesia sancti Stephani; altare sanctorum Petri & Pauli consecrauit, & ecclesiam sanctæ Columbæ dedicauit. Porro anno Do-

An. Christi 1164. mini. M.clxiiij. sanctus Thomas primo apud Pontiniacum exulauit, & post apud sanctam Columbam in sumptibus regijs. *Ex gestis sancti Thomæ.* Venit ergo Senonis ad Papam Alexandrum afferens secum consuetudines Regis Angliæ scriptas, propter quas exulabat, easque tenens in manibus chartam explicatam & expansam ante pedes eius posuit dicens: Ecce sancte Pater sacræ immo sacrilegæ consuetudines Regis Angliæ canonibus & decretis & etiam ipsorum terrenorum Principum legibus aduersæ, pro quibus exilium sustinere cogimur, vt eas sanctæ paternitati vestræ ostenderemus, & consilium super his haberemus huc aduenimus: iubeat igitur si placet sanctitas vestra eas legi & audiri. Quisquis enim eas audierit, mirum est, si non tinneant ambæ aures eius, audientes à christianis contra legem christianitatis agi, & damnatis sanctorum patrum venerandis institutis, nouas & inauditas tyrannorum veterum præsumptas abusiones in ecclesia introduci.

Hæc cum flexis genibus dixisset,iubente Papa surrexit,stetitque in medio circunstante eum turba clericorū suorum. Cumque ad pręceptum Domini Papæ consuetudines illæ legerentur,& qui legebat primum pronunciasset capitulum, cœpit venerandus Antistes contra propositum capitulum mirabiliter differere,& Regis in hoc intentionem plenius elucidare & detegere, ostendens & conuincens ex decretis & legibus, in quibus, & in quantis quod pronunciatum fuerat sanctorū Patrum canonibus obuiaret, quantumque discrimen ecclesiæ Dei immineret, si Rex quod intendebat obtineret. Similiterq; ad singula capitula Domino Papa eum libenter audiente,& assertiones eius per singula diligenter notante. Cardinales tamē qui accepta à Rege pecunia, partem eius fouebant, multam vexationem beato viro in sua causa præstiterūt,præcipue Guillelmus Papiēsis,qui Regi erat amicitior & familiarior. Hic enim beatū virū modis omnibus impedire satagens, ad singula insurgebat,seque ei obijciebat, multa proponens & multa inquirens, quæ vir venerabilis velut fila aranearum sine difficultate & hæsitatione, vel soluebat vel conuincebat. Putabat enim idem Guillelmus quòd Archiepiscopus oratione vteretur aliena & non propria, & si posset eum à tramite sui sermonis deflectere, continuo eum ludibrio & confusioni habendum. Sed & ipse sanctus intelligens Guillelmum sibi ex directo obniti, aliquotiens eum reciproco sermonis excursu,ita suis intricauit & illaqueauit obiectionibus, vt omnibus in manifestum fieret quòd non solum proprijs vteretur viribus, & disertione, verum quod insuperabilis esset ingenij & eloquentiæ.

Cardinales aliquot S. Thomæ aduersantur.

Qualiter à Domino Papa monachalem habitum impetrauit.

Cap. XV.

CVmque tam in expositione causæ suæ, quam in contentione cum aduersarijs magna pars diei consumpta fuisset, erant enim 16. capitula consuetudinum illarum ad quæ stando responderat, admirans tandem Dominus Papa eius sapientiam vocauit eum ad se, & iubebat eum sedere iuxta se, & dixit: Bene veneris frater charissime. Cumque congaudens eum bene venisse sæpius repetisset, gratias agere ei cæpit, quod tantum onus tamq; arduum negocium suscepisset, & quod ecclesiam Dei tam periculosis temporibus contra tyrannorum insultus tueri præsumpsisset. Ipse quoque venerandus antistes cum debito honore & reuerentia Domino Papæ multiplices gratias retulit, quod eum tanto honore dignatus fuerit honorari. Túc Dominus Papa consuetudines illas perpetuo damnauit, & obseruatores atque exactores earū ęterno anathemati subdidit. Vir ergo Domini aliquanto tēpore in curia demoratur, tandē cum licentia & consilio Domini Papæ Pontiniacū se contulit,ibique ferme per biennū stetit. Ibi inter cætera sanctæ æmulationis studia etiam monachalem habitum concupiuit,& accepit. Misso autem ad Dominum Papam tunc Senonis commorantem secretius nūcio,habitum religionis sibi ab eo fieri,benedici, & trāsmitti postulauit & impetrauit, Domino Papa ita inter cætera rescribente: Misimus tibi frater dilecte habitum non qualē voluimus,sed qualē habuimus. Cognoscens igitur Rex Anglorum in quanto honore venerandus Pontifex à Domino Papa susceptus esset, & quod in Pontiniaco locū sibi mansionis elegisset, cū iā in ipsum desęuire non posset, in suos inaudito crudelitatis genere debachatus est. Præcepitq; vt vbicūque aliquis de cognatione eius vir aut mulier inueniri potuisset,exhæredatus & spoliatus bonis proprijs à regno polleretur, exacto prius ab eo sacramento, quod Pontiniacum contristandi Archiepiscopi gratia proficisceretur,& se ei præsentarent. Tunc expulsi sunt senes,& iuuenes ad cognationem eius pertinentes, sed & mulieres cum pueris lactentibus, & quædam etiam grauidæ.

Ex chronicis. Anno prænotato scilicet ab incarnatione domini M. 16ς. Alexander Papa prænominatus scilicet huius nominis tertius, reuersus Romam cum honore recipitur. Guicardus Abbas Pontiniaci secundus in Lugdunensem Archiepiscopum est assumptus. *An. Christi 1165.*

Anno sequenti completi sunt ab aduentu Anglorum in Britanniam maiorem anni 830.à baptismate vero eorum 634. ab introitu Northmannorum 100. *An. Christi 1166.*

De rabie luporum in pago Ruthenensi.

Cap. XVI.

HOc anno in Ruthenensi pago quędam tempestas graui flagello castigauit populum Dei. Nam lupi feroces ab vberibus matrum paruulos rapiebant, & diris morsibus deuorabant. Mulier autem quędam nomine Stephana de Treuere, cuius frater tam pernicioſa clade iam succubuerat,matre brachium à corpore pueri euulsum duntaxat retinente, vigilia Assumptionis beatę Mariæ hortum intrauit,vt spicas colligeret. Nebulosū quippe tēpus erat. Et ecce duo lupi cum tanto strepitu, vt putarentur equites aduenisse accurrerunt, quorum vnus illam per guttur, alius subleuatis ab vmbilico vestibus diuersis & læthalibus vulneribus vulneratā, non villæ recto tramite quo frequenter fugari solebant à canibus,sed trans muros duos & sepes tres, velut ouem proijcientes ad siluam pertraxerunt. Silua vero per dimidium milliare distabat ab oppido. Mulier autem adhuc spirans spiritum exhalatura supremum, in virtute Spiritussancti, & benignitati virginis Mariæ feris præcepit ferocibus ne corpus suum vlterius lacerarent, & ne etiam diutius in eam grassarentur inhibuit. Mox ab eius laceratione desistunt,corpus exangue à superueniētium infestatione ferarum diligenter conseruantes. Interea cū canibus requirebatur, & sequenti die cum detecta sub algore noctis pernoctasset inuēta, ad villā relata est. Adeo erat lacerata, quod vix in ea cognosci poterat forma humana. De lacerato corpore vermes, & sanies ebuliebāt, aspectuq; terribilis existebat, etiā sanguine propinquis, qui etiā in breui eā immisericorditer

repule-

repulerunt, plectrũ linguæ non mouebatur ad aliquod verbum formandum,& victualia ori infusa per foramina gutturis & pectoris exibant, incorporato tenus vel modico sapore, neruorum contractione, & membrorum læsióne genua pectori adhærebant, & vulnera de quibus non modica caro detracta fuerat cute superduci non poterant. Hanc igitur parentes sui impositam vehiculo nocte ad remotam villam detulerunt, quæ dimissa præ foribus monstrum ab intuentibus putabatur, & ne diutius apud eos moraretur, ligatam asino quasi truncum, proculduci fecerunt. Descendens autem asinus quoddam montis præcipicium bibiturus de torrente, qui rapidus decurrebat,in valle caput deposuit, mulierque quæ laxe vincta fuerat in aquam lapsa est,sed beata Maria non passa est eam mergi, immo eam super vndã euectã fluminis in ripa cõstituit. Abstracta autẽ de flumine in horreo cuiusdam nobilis, cuius cor Dominus tetigerit ab hominum sequestrata consortio solitaria iacebat, quia præ fætore eius & vulnerum immanitate grauabantur intuitus assistentium & olfactus. Miles autem curam eius agens vulneribus vinum & oleum infundi iubebat. Mulier interim cura medentium, & adminiculo ciborum reformabatur, sed modice. Et semper genitricem Dei in mente ruminabat,per eam sanari se sperans, signisque & nutibus, & quibus poterat verbulis ad Rochemador se ferri precabatur. Ad quam ecclesiam miseratione multorum delata est. Vbi cum incuruata sursum respicere non posset, persistens in oratione & cordis contritione exaudiri meruit & sanari & totaliter liberari.

Ea tempestate Henricus Beluacensis episcopus in Archiepiscopum Remensem translatus est.

An. Christi 1167. Anno domini M. 167. Fridericus Imperator dum Romam obsidet, omnisque pæne illius exercitus peste perijt,& cum paucis ad propria mæstus redit. Amalricus Abbas prius Caroli loci,deinde Siluanectensis episcopus obijt. Anno autem sequenti pestilentia moriuntur omnes penè peregrini nostri Hierosolymitani.

An. Christi 1168.

De Henrico iuniore Rege Angliæ & magno terræmotu.

Cap. XVII.

An. Christi. 1169. Anno domini M. 169. Henricus Rex Angliæ maiorem filium suum Henricum generum Ludouici Regis Francorum in odium sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis fecit consecrari in Regem à Rogero Eboracensi Archiepiscopo,quod ad solum Cantuariensem Archiepiscopum pertinebat. Eodem anno Hugone Archiepiscopo Senonensi defuncto,succedit ei Guillelmus Theobaldi Comitis filius Carnotensis electus, sed nondum episcopus consecratus, quem Senonis consecrauit venerabilis Mauritius Parisiensis episcopus.

Eodem tempore in partibus orientis, & in terra promissionis, exigentibus peccatis hominum terræmotus multas vrbes,& ecclesias,oppida,& villas subruit,& innumera populorum millia hians terra deglutiuit,& ædificiorum casu morituros operuit. Inter cæteros,qui tam repentino cadebant excidio, Hermannus quidam genere Viennensis educatus Antiochiæ cum esset in castro Cursario,quod est de iure Patriarchatus Antiocheni in ecclesia beati Petri,cum videret coruscationes,fulgura & tonitrua,& quod hiatus terræ ex his dũtaxat,qui erant in ecclesia plusquam.c.& 40. viuos deglutisset,ipsius quoque collotenus ne iam delapsus,pijssimam matrem domini apud Rochemador patrocinantem inuocauit,& preces suas exaudiendas continuo sensit. Nam cum circunquaque morientes rugirent, & ad inferiora terræ ruerent,hic licet coarctaretur à terra; & pænè suffocaretur, auxilio Reginæ virginum à terra extractus euasit vinus.

In natali autem Apostolorum Petri,& Pauli circa horam 6.contigit hoc opus horrendum.

Eodem anno in Sicilia vrbs Catania ante horam primã terræmotu subuertitur,& episcopus & clerus Abbas de Mileto cũ 40. Monachis,& omnis populus circiter 15.millia morte pereunt repentina. Plura etiã castella in Sicilia hora ipsa cũ innumerabili populo concussa sunt.

Eo tempore Anselmus ex priore Cartusiæ Blesensis episcopus floruit,qui mortuus visũ est corpus suũ gracilibus strinxisse funiculis,& quatuor cerei capiti eius appositi celitus sunt accensi. Terræmotus vero in partibus Transmarinis fit, & inenumerabilis populus Christianorũ & Paganorum perit. Vrbes multæ subuertuntur, & magna pars Antiochiæ Hierusalemque valde contremit, sed non perit.

Henricus Rex Angliæ sanctum Thomam ab exilio reuocat,& sicut Domino Papæ,& Ludouico Regi Frãcorum promiserat pacem cum eo facturus,missam cantari fecit pro fidelibus,sciens quod ad illã pax non daretur quam ab Archiepiscopo sumere volebat. Itaque anno domini M. 173. Kal. Ianuarij, feria 3. fiunt tonitrua horribilia cum fulminibus.

Eodem die anno sequenti S. Thomas martyrizatur. Anno autẽ sequenti ab Alexandro Papa canonizatur.

De vita sancti Thomæ Cantuariensis.

Cap. XVIII.

Ex gestis eius. Sic sanctus Thomas in iuuentute sua valde fuit in omnibus gratiosus. Sed cum vidisset in curia Regis Angliæ multa geri, quæ pietati & castitati contraria erant, curiam dimisit, & Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo se commisit,& contra Barones Anglorum in multis ecclesiæ aduersantes fideliter dimicans multotiens Romam adijt, & omnia negotia semper fideliter ac fæliciter expediuit, vnde & Archiepiscopus Cantuariensis eum Archidiaconum fecit. Cum autem idem Archiepiscopus cerneret, quod Rex Angliæ satis noxius ecclesiæ decessisset, & quod Henricus in regnum adhuc nimis iuuenis successisset, timens ne ex impetu suæ iuuentutis, & prauorum hominum consilijs,ecclesiam grauius fatigaret, fecit beatum Thomam Cancellarium Regis vt honestate & prudentia sua malignorum hominum sæuitiam temperaret. Qui in tantum Regi placuit, quod post decessum Archiepiscopi eum eidem ecclesiæ præficere procurauit. Sed ille attendens mores Regis,& procerum, & efficacem malitiam detractorum sedem illam plenam magis oneris, quam honoris quantum potuit recusauit. Sed tandem vrgente Rege, & quodam etiam Romæ Cardinali hoc consensit. Statim autem vt consecratus est mirabiliter se mutauit. Nam lectioni semper intendens cilicio & ieiunijs carnem suam intolerabiliter crucians, ita sanctitatem suam subtiliter occultabat,quod sub honestate vestium, & apparatu vtensilium, & gratiositate vultus, populo per omnia concordabat. In secretiori autem cellula 13. pauperum pedes quotidie curuatis genibus abluebat, & post plenã refectionem singulis quatuor argenteos tribuebat. Quod si forte aliquando per se facere non poterat, hoc diligentissime fieri per vicarium faciebat. Sed videns diabolus sanctum virum plurimum ecclesiæ profuturum,inuidit & alium quendam Archiepiscopum & multos alios qui ecclesiam defendere tenebantur, ad pernitiem eius excitauit. Cum enim Rex & consiliarij sui sanctum Thomam ad voluntatem suam in detrimentum ecclesiæ promissis, & blanditijs reflectere conarentur ille omnino restitit. Vnde iram Regis & Principum eius contra se rigor iustitiæ prouocauit. Cumque post innumeras vexationes, & iniurias ad quendam locum barones, & episcopi conuenissent, exigebat Rex instanter, vt consuetudines quas Reges Angliæ habere solebant, in Ecclesia firmissime tenerentur. Quod sanctus Thomas & episcopi attendentes, & videntes vtrobique periculum videlicet,quod vrgebat scilicet fidei salutisq; discrimẽ, aut guerrã contra ecclesiã intolerabilem, illud negotium si possent libentius distulissent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sed vrgēte necessitate ex magnorum virorum deceptus consilijs beatus Thomas, verbo tenus petitionem fieri consensit,& sic ipse & episcopi quamuis cum dispendio causæ periculum mortis euasere. Sed B. Thomas in hac liberatione corporum mortem metuens animarum se ipsum in pœnitentia grauius cruciauit, & ab altaris officio se suspendit, donec confessus & pœnitens à Papa meruit relaxari. Sed nec sic Regis ira quieuit, immo minis & terroribus exigebat, vt consuetudines quas contra ecclesiam inducere nitebatur,archiepiscoporum & episcoporum literis firmarentur.

D. Thomam regi assensū præbuisse valde panitet.

Qualiter in causa sua contra Regem Angliæ obtinuit.

Cap. XIX.

AT beatus Thomas intrepide se opponens, cum multis damnis, iniurijs & cōtumelijs vergetur aduersus episcopos ne eum iniuste condemnarent, vt vel sic Regi blandirentur Apostolicam sedem appellauit. Sed cum nec sic quiescerent proceres, vir sanctus crucem quam manu tenebat, in altum erigens à curia discessit, conclamantibus impijs post eum. Capite furem, suspendite proditorem. Cumque in hospitium recessisset, duo magni proceres & fideles nocte ad eum veniunt lachrymantes,& sub iuramento dicentes,quod mors eius à multis proceribus coniurata esset. Ille autem magis timens ecclesiæ, quam sibi, nocte fugit, & diebus latens, noctibusque ambulans, die 17. ad portum venit, & in parua nauicula à duobus sacerdotibus transuectus est in Flandriam. Quem Papa Alexander tunc Senonis manens honorifice suscepit, & in Pontiniacensi monasterio, vt prædictum est, commendauit eum.

Sic nostro sæculo Caluinistæ Anglicatholicos anglos qui hūc egregiū pontificem amulantes profanis se eorum opponunt conatibus vel eis contra fidem catholicam non consentiunt, proditores vocāt. Vide Apologiam catholicorum Anglia.

Rex vero Angliæ episcopos,& proceres mittens Romam vt legati venirent, qui negocium Regis contra Archiepiscopum diffinirent, repulsus est. Vnde ipse iratus iussit ecclesiam, & omnia bona Archiepiscopi & suorum etiam confiscari, & omnes omnino qui ad eum pertinebant, exilio condemnari. Ille vero apud Pontiniacum commanens,ieiunijs & orationibus se affligens, iugiter orabat pro Ecclesia,pro Rege,& pro regno Anglorum. Sed à Rege per Abbates Cistercienſis ordinis exire compulsus, ad Regem Franciæ Ludouicum se contulit,qui eum reuerenter excipiens,donec pax fieret ei benigne necessaria ministrauit. Misertus itaque desolationem Anglicanæ ecclesiæ, Senonensis archiepiscopus, Romam adiens impetrauit, vt Rex cum toto regno suo excommunicaretur, nisi pax Cantuarienſi ecclesiæ redderetur. Pace ergo reddita 7. exilij sui anno sanctus Thomas reuersus honorifice susceptus est. Cum autem dominus Papa querelam sancti Thomæ audisset contra quendam episcopum, & contra alios fauentes Regi episcopos ab officijs omnes suspendit. Vnde Rex vehementer iratus sanctum Thomam iterū damnis & iniurijs adeo fatigauit, quod quasi proditorē ecclesiæ suæ septa exire prohibuit.

De martyrio eiusdem.

Cap. XX.

TAndem cum nec blanditijs flecteretur, quin semper iura ecclesiæ suæ tueretur, ecce milites Regis armati adueniunt & vbi esset archiepiscopus inter clericos, & monachos qui in ecclesia cum ipso erant, vociferādo requirunt. Quibus mox sanctus Thomas ex gradibus cancelli respondit,Ecce ego,quid vultis,Respondit vnus militum: Volumus,vt modo moriaris,quia vltra viuere non potes. Et ille: Ego pro Deo mori paratus sum, & pro assertione iustitiæ, & ecclesiæ libertate: sed si caput meum quæritis ex parte Dei omnipotentis & sub anathemate prohibeo, ne cuiquam præter me noceatis. Libenter quidem moriar, dummodo morte mea pacem & libertatem ecclesia consequatur. Deo itaque & sanctæ Mariæ,& sanctis huius ecclesiæ patronis,& beato Dionysio commendo meipsum,& ecclesię causam. Et his dictis eductis carnificum gladijs inclinato capite decollatur. Et quod dictu horribile est, defuncti cerebrum per pauimentum cum cruore & ossibus dispergitur. Cum autem ex more ad sepeliendum pontificalibus vestiretur, inuenerunt corpus eius cilicio inuolutum, pediculis & vermibus referto, ipsaque femoralia vsque ad poplites cilicina. Sed cum in his non quiesceret furor impiorum dicentium corpus proditoris non debere inter sanctos pontifices sepeliri, sed proijciendum in paludem, vel in patibulo suspendendum, timentes viri sancti sæuitiam malignorum, qui corpus rapere vel proijcere veniebant,sepelierunt illud ante altare sancti Ioannis Baptistę in quodam sepulchro marmoreo,vbi miraculis celeberrimis illustratur.

De Roberto præposito de area,& quibusdam alijs.

Cap. XXI.

ANno domini M. 172. Robertus præpositus de area duos episcopatus regebat; Attrebatensem scilicet & Tornacensem, filius fabri cuiusdam rustici Carnotensis. Qui vt aiunt familiari dæmone vtebatur, per quem ad tantos honores deuenerat. *An. Christi 1172.*

Anno sequenti acies igneæ apparuerunt in cœlo de nocte 3. idus Februarij, Henricus Regis Angli filius contra patrem vastat Normanniam, multiq; moriūtur.

Anno sequenti ciuitas Rothomagi obsessa est à Ludouico Rege Francorum,& Henrico nouo Rege Anglorum,& Philippo comite Flandrensi.

Eodem anno sanctus Thomas Cantuarienſis 30. die postquam in Angliam est reuersus, ab impijs Henrici Regis ministris hora vespertina est occisus,in ipsa etiam ecclesia Cantuarienſi non longe ab altari sepultus,sicq; glorioso martyrio factus est sacrificium vespertinum. Cuius meritum apud Deum tam causa iustissima,quam innumera contestantur miracula.

Eodem anno Noradinus Rex Turcarum obijt, & Saladinus genere humilis consilio, & armis strenuus regnū occupat. Exhæredat enim filios Noradin,Ægyptum aggreditur, Babylonem & Charcam regni caput peruadit,Regem quem alij Mulenem vocant, alij Capham,perimit, omnem regiam stirpem exterminat, ac Regnum Syriæ,& Ægypti sub vna redigit potestate.

Mense autem Nouembri, fit inundatio aquarum maxima,& anno sequenti fames vehementissima.

Eodem etiam anno obijt sanctus Petrus Tarataſiensis Archiepiscopus.

Florebat eodem tempore magister Petrus Commestor primus Parisiensium magistrorum, de quo scilicet iam superius dictum est.

Anno domini M. 175. Præpositus de area Aribaldus occiditur, procurante, vt aiunt, necem eius Iacobo de Anesius inclyto milite. Non multo post immo etiam eodem anno mortuus est Henricus Remensis Archiepiscopus. Fuerat autem inter eos inuidia magna de potentatu,quia ille dominatur Flandriæ, & iste Franciæ,& ambo in breui extincti sunt. Itaque Guillelmus Senonensis Archiepiscopus fit Archiepiscopus remensis, & succedit Guido Senonis anno Domini M.176. *An. Christi 1175.* *An. Christi 1176.*

Eodem anno facta est eclypsis Solis, hora 6. Idus Septembris.

Eodem autem anno beatus Thomas Cantuarienſis canonizatus est à Papa Alexandro. Florebat autem his tēporibus Anselmus Beluacēsis episcopus. Ad cuius tēplū lāpades accēsæ sūt diuinitus, excepta vna cui ministrabat vsurarius quidā pabulū olei, & illa non potuit accendi. Petrus etiā Comestor celebris habetur in Frācia. De quo scilicet iā dictū est supra,vir vtique facūdissimus,& diuinis scripturis excellenter instructus. Florebat & Mauritius Parisiēsis episcopus,qui ob industriā,& literaturam de infimo statu magnæ paupertatis ad Pontificalis dignitatis apicē est euectus. Nam & cum esset

iumor pauper & mendicus, eleemosynam postulatam accipere noluit hoc pacto vt nunquam foret episcopus. Hic inter opera sua præclara à fundamentis construxit ecclesiam cui præerat. Benedictus adolescens refert à Deo sibi fore reuelatum, vt potestatem construat super Rhodanum. Et cum ab audientibus derideretur multū post ipsi derisores pontem inchoant sumptuosissimum.

An. Christi 1177. Anno sequēti Fridericus Imperator abiurat schisma, quod per 16. annos durauerat, & publice satisfacit, & cū Alexandro Papa pacem cōponit. Sicque depulso schismate vnitas reformatur ecclesiæ, cum autem legatur Ecclesia Romana multis schismatibus fuisse discissa, isto tamen nullum aut vehementius incanduit, aut diutius perseuerauit.

An. Christi 1178. Anno autem sequenti Alexander Papa Romæ celebrauit concilium, vbi ex diuersis terræ partibus factus est innumerabilis conuentus tam episcoporum quam etiā Abbatum.

Eodem vero anno innumerabiles pagani vincuntur Hierosolymis à paucis Christianis, Porro eodem annō scilicet ab incarnatione domini M. 178. quo magnum illud schisma inter Imperatorem Fridericum, & Papam Alexandrum est sopitum, sancta Hildegardis de tempore muliebri prophetauit in hunc modum: Anno, inquit, post incarnationem Christi M. 100. Apostolorum doctrina & ardens iustitia, quam in spiritualibus, & Christianis constituerat Deus tardare, & in hæsitationem verti cæpit, sed hoc muliebre tempus non tandiu durabat quantum vsque huc perstitit.

De bonis initijs Regni Philippi Francorum Regis.

Cap. XXII.

An. Christi 1179. EX *gestis Francorum.* Anno domini M.179. Philippus Ludouici Regis Francorum filius die omnium sanctorum Remis consecratur in Regem à Guillelmo auunculo suo de archiepiscopatu Senonensis, in archiepiscopum Remensem translato, astante Rege Angliæ Henrico ex vna parte coronam super caput Regis Frāciæ ex debita subiectione humiliter portante, cum ipse Philippus esset annorum 14. adhuc viuente patre, iam circiter septuagenario, qui regnauerat plusquam annis 40. Sed ægritudine paralysis, quæ gressum ei prorsus negauerat prægrauato. Hic Philippus optima initia habuit, & sicut Deum timebat ac reuerebatur, id etiam ab omnibus in curia sua manentibus obseruari firmiter præcepit. Quodque mirabilius est iuramenta, quæ ab aleatoribus frequenter in curijs vel tabernis enormia fieri solent, in tantum abhorruit, quod quando fortuito miles, vel alius quilibet ludens eo præsente iurabat, statim illum in flumine, vel in lacu aliquo proijci faciebat, & tale edictum firmissime seruari iussit in posterum.

Philippus Rex Francorum coronatur.

Anno præfato Philippi Alexander Papa concilium Lateranense celebrauit. Ipso autem anno primo regni sui, bella contra eum cæperunt insurgere, & ipse cum esset ætate puer, non tamen pueriliter, sed viriliter ac strenue in omnibus agere cepit. Nam primo quidem Hebo de Carantonio in pago Bituricensi cæpit tyrannidem in Ecclesias Dei exercere, & grauibus exactionibus clericos ibidem Deo seruientes opprimere. Quorū conquestione Rex audita cum manu valida terram ipsius vastauit, prædasque duxit, & in tantum ipsius audaciam repressit, quod necessitate compulsus ad pedes ipsius procidens ab eo veniam impetrauit, sub iuramento promittens, quod iuxta beneplacitum eius ecclesijs Dei satisfaceret, & de cætero se ab huiusmodi temperaret.

Rhilippus Rex pro ecclesiarum libertate pugnat.

Similiter eodem anno contra filios iniquitatis Imbertum de Bello loco, & Comitem Cabilonensem contra regias immunitates ecclesias Dei grauare præsumentes, collecto exercitu terras eorum intrauit, ipsorumque superbiam atque tyrannidem cōfringens, ablata ecclesijs in integrum restitui fecit: Et quoniam hæc duo prima bella pro defensione ecclesiarū, & cleri libertate strenue gessit, postmodum in fraude circumeuntiū affuit illi dominus.

Ortis etenim simultatibus id est fictis odijs inter Principes regni quidam eorum facta conspiratione cōtra Regem, terras eius vastare cœperunt. Qui furore succensus cum infinito exercitu intra paucos dies illos omnes fugauit, ac potenter persequens, ad omnem voluntatem suam faciendam coegit.

Anno autem sequenti ipsa die Ascensionis Domini idem Philippus secundo sibi diadema imposuit, & tunc vxor eius Elisabeth apud sanctum Dionysium à Guidone Senonensi Archiepiscopo iniuncta fuit filia scilicet Balduini illustris Comitis Haenensis, neptis Philippi Flandrensium Comitis, qui ea die, vt moris est, ensem ante Regem honorifice portauit.

Eodem anno Ludouicus Rex pijssimus Philippi pater in vrbe Parisiensi obijt, & in ecclesia sanctæ Mariæ de sacro portu quæ dicitur Barbeel, sepultus est, quam ipse fundauit, super cuius corpus vxor eius Adela construi fecit sepulchrum miro artificio compositū ex auro & argento, & lapidibus, & ære, ac gemmis subtilissime decoratum. Anno etiam eodem Ioannes Episcopus Carnotensis obijt, qui socius sancti Thomę Cantuariēsis vitam ipsius scripsit, luna adhuc prima circa horam sextam apparet in festo sancti Thomæ sidere perlucido eam comitante, nec multo etiam ab ea distante.

Guido Archiepiscopus eo quod Iudæis Christianos obsequi patitur, exiliatur, & paulo post reuocatur.

De sancta muliere Alpaide.

Cap. XXIII.

EO tempore claruit opinio sanctæ Alpaidis de Eudoto. Nec mirum si celebris in qua nimirum effulsit miraculum eminens ac præclarum. Nempe illi diuinitus collatum est annis multis in corpore degere, & corporalis cibi subsidio non egere. Hæc quidem genere infima, officioque bubulca, graui admodum atque diutino post est flagello attrita, adeo vt propter effluētē de toto corpore saniē, suis quoque fieret in horrorē. Sed qui contemptibilia mundi elegit, & infima, post longa patientiæ probamenta respexit humilitatem ancillæ suæ, & quo magis eam in camino tribulationum excoxit, eo digniorem effecit, corpus reintegrans, spirituali alimento sustentans. Ita vero sui facta est impotens, vt non nisi ab altero moueri queat. Iacens continue resupina preter caput, & dexteram membris cæteris sui vigore officij destitutis. Cumque nullum facile cibum posset traijcere, ad traijciendum tamen viaticum naturalem meatum habebat libere præparatum. Sic autem in corpore facta est perrexilis, & marcida, quippe intestinis præ longa introrsus inedia euacuatis. Attamen ita venusta & corpulenta quidem in vultu cernebatur, ac si delitiarum copia frueretur. Frequenter autem rapiebatur in excelsis, & Angelo duce freta, hunc pænarum loca, nunc beatorum percurrebat gaudia. Ad se vero rediens, quid, & cui proferret librabat caute, spiritu nimirum interius docente, quid & qualiter silere debeat, quidve proferre. In solennitatibus vero domini vel gloriosæ matris eius datum est illi plurimum sursum rapi, mundumque & omnia quæ in mundo sunt libero mentis intuitu comtemplari.

1. Cor. 1. Luc. 1.

Cumque post vnum vel plures dies de altissima illa quiete regrederetur, velut de quadam amplissima luminis regione in tenebris traijci, velut molam quandam suæ mentis oculis, sicut ipsam referentem audiuimus, superponi videretur. Referebat quoque quia dum in illo raptu esset, vniuersaliter mundum in modum pilæ forma circuli circumscriptum aspiceret. Solem à terra maiorem, terram velut ouum in medio pendulam, & aquis vndique circuncinctam. Res vero rerumque rationes, & causas tam infinitas esse, tamque abditas, vt tātominus vnusquisq; capiat, quāto curiosius inuestigat, plurimumque in spiritu videbat absentia, plerumque

præuidebat & futura. Illud autem eo specialius quo rarius admirandum, fœminam scilicet editam & educatam rure, ruralique operi assuetam, tanto dono sapientiæ insignitam, tam prudentem in consilijs, tam circũspectam verbis. Etenim prudẽter eloquebatur, tam discrete consulebat, tam salubriter adhortabatur, vt luce clarius esset, ipsum *qui docet hominem scientiam*, in ea delegisse sedem, & in ea facere mansionem. *Psal.* 93.

De hostia sacra, quam Rex Philippus in specie carnis vidit, & de quibusdam alijs.

CAP. XXIIII.

An. Christi 1181. ANno domini M.181. apud Aurelianum die dominica circa festum beati Laurentij presbyter celebrans parauerat duas hostias propter viaticum, & processerat vsque ad orationem dominicam, videt illam quam manibus tenet, rubeo colore suffusam, & sanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque super altare in tribus locis transponit, vt in singulis, quantum ipsa continet tantumdem sanguine purpurauit. Populus occurrit, miratur sacerdos, illam sumit quam ipse parauerat reponendam. Rex autem Philippus, qui non longe est accurrit, & vidit hostiam in forma carnis viuidæ, & super corporale sanguinis guttas, siue etiam notas, cum transponeretur hostia ad modum hostię circulatas. Post modicũ apud Castrũ Carolã eadẽ hostia partim carnis, partim panis speciẽ repræsẽtat: in festo scilicet omnium sanctorũ dum priori celebrante, quod volente ipsam tripartire frangi non potest, sed integra manens per mediũ est replicata, & mox pars vna formam carnis induit; pars reliqua in pristina forma manet. Simile etiam quid accidit apud Soronam oppidum, aliud autem simile in territorio Vindocinensi. Apud Attrebatum quoque accidit simile. Hæc autem acciderunt propter hæresim in Vasconia pullulantem. Dux enim Saxoniæ iurat Imperatori se Saxoniam non intraturum, nisi prius exulauerit per septennium.

Ex chronicis. Anno sequenti Alexander Papa obijt, & Vbaldus Hostiẽsis, qui Lucius appellatur, succedit Philippus comes Flandrensis, Odo Dux Burgundiæ, Guillelmus Archiepiscopus Remensis, & fratres eius conspirant in Regem. Rex autem per Brabancones terram comitis Stephani vastat, & comes Flandriæ terram regis. Henricus vero Rex Angliæ cum filio fert opem Regi. Illis autem mediantibus cõponitur inter partes Ægidius de tornellis, procurat negocia regni frater Roberti Clementis, qui fuerat tutor Regis prouidus, & fidelis. Horum frater Garmundus Abbas Pontiniaci eligitur in episcopum Antisiodorensem, sed quædam personæ ecclesiæ contradicunt. Garmundus autẽ & socij vtriusque partis penè omnes in Romano itinere moriuntur. Manuel Imperator Constantinopolis dum vixit latinos dilexit, latinamque vxorem duxit, & filio suo filia Regis Francorum datur vxor. Eo mortuo Andronicus se intrudit & se facit tutorem Imperatoris iuuenculi, eiusque instructu Græci irruunt in Latinos. Andronicus palatium inuadit, porcus incenditur, & vrbs miserabiliter peioratur. *Conspiratio contra Philippum regẽ.*

An Christi 1183. Anno domini M. 183. Aruerniæ proceres in pacis fœdera coniurant, Barbantiones vincunt, & eis circiter tria millia nullum suorum amittentes perimunt. Andronicus Imperatorem exterminat, & imperium vsurpat. Henricus, & Richardus fratres in Anglia discordant, & patri Richardi partem fouente. Post paucos dies Henricus moritur.

Lucius Papa ex vrbe perturbatur, multique ex suis excęcantur. Mitrati super asinos auersis vultibus ponuntur, & quia iurauerant se Papæ, taliter se repræsentant. Ipse autem Papa Veronam peruenit.

Saladinus Hierosolymam adijt, loca plurima profligat, repulsus abscedit. Philippus Rex Francorum Iudæos de regno suo expellit.

De vltione eiusdem in Iudæos, ex historia Francorum.

CAP. XXV.

Iudæi Francia expelluntur. AVdierat nempe multotiens idem Rex à pueris, qui cum ipso in palatio nutriti fuerant, quod Iudæi qui Parisijs manebant singulis annis Christianum vnum in opprobrium Christianæ religionis, quasi pro sacrificio in cryptis & fossis subterraneis latenter in die cœnæ, vel in illa sacra hebdomada iugulabant. Et in huiusmodi nequitia perseuerantes deprehensi multotiens, & igne combusti fuerant. Nam & sanctus Richardus cuius corpus in Ecclesia sancti Innocenti Parisijs in capellis requiescit, à Iudæis sic interfectus, & eruci affixus, fœliciter per martyrium migrauit ad dominũ, vbi etiam per eius intercessiones operante Deo multa miracula facta fuisse referuntur. Venerabilis ergo Rex Philippus, quod viuente patre diu mente clausum gestauerat, & ob patris reuerentiam perficere formidauerat, in ipso sui regni initio, zelo Dei inflãmatus, aggressus est. Nam ad ipsius mandatum capti sunt Iudæi per totam Franciam in synagogis suis in sabbato, & primo quidem expoliati sunt vestibus & auro & argento. Eo siquidem tempore multitudo maxima Iudæorum Parisijs habitabat, qui de diuersis orbis partibus ob pacis diuturnitatem illuc conuenerant. Audierãt enim strenuitatem Regum Francorum contra inimicos, & pietatem in subditos. Illuc ergo diu conuersati in tantum erant ditati, quod fere medietatem vrbis sibi vendicauerant. Sed & contra Dei & ecclesiæ decretum Christianos in domibus suis seruos Christianos & ancillas habebant, qui etiam cum eis iudaizabant. Ciues quoque milites rusticos de suburbijs & oppidis, & villis supra modum vsuris grauabant, & quosdam etiam in domibus suis iuramento constrictos quasi captiuos in carcere detinebant. Sed & vasa sacra pro instanti ecclesiarum necessitate sibi nomine vadij suppositа, tam viliter tractabãt, quod eorum infantes in calicibus offas in vino factas comedebant, & cum eis bibebant. Itaque timentibus illis, ne domus eorum ab officialibus Regis scrutarentur, quidam ex eis crucem auream, & euangeliorum codicem auro & gemmis deornatum, cum alis vasis in sacco reposuit, & in profundam foueam, vbi ventrem purgare solebat, pro dolor, vilissime proiecit, quæ omnia paulo post domino reuelante sunt inuenta. *Contra Dei decretũ ideo hoc esse vitur vt Iudæo Christiana seruiat, eo quod filio ancilla filius libera seruire non debet Genesis 21.*

Dato itaque edicto à Rege, vt omnes Iudæi de regno eius exirent, quidam ad fidem Christi cõuersi sunt, quibus intuitu Christianæ religionis omnes possessiones suas integre concessit. Alij vero Barones & prælatos ecclesiæ donis & promissis allicere cæperunt, vt per eorum suggestionem & infinitam pecunię promissionem, animum Regis à proposito reuocarent. Sed Rex nec precibus, nec promissionibus rerum temporaliũ emolliri potuit. Illis ergo ejectis, eorumque possessionibus immobilibus ad fiscũ Regis deuolutis, Rex omnes eorum synagogas quas scholas vocabant mundari iussit, & eas contra voluntatem omnium Principum, ecclesias Deo dedicari, ibique altaria consecrari fecit, vt vbi prius Christus more Iudæorum blasphemabatur, ibidem à clero, & populo laudaretur. Acta enim sunt hęc an. D. M.183. ætatis eiusdem Philippi 17. Regni vero 3. An. Christi 1183.

De vltione eiusdem in Cotarellos.

CAP. XXVI.

EOdem anno in prouincia Bituricensi 7. millia Cotarellorum & eo amplius interfecti sunt ab illius terrę incolis in vnum cõtra inimicos Dei confœderatis: isti enim terram Regis vastando prædas ducebant, homines captos secum vilissime trahebant, & cum vxoribus captorum, proh nefas, ipsis videntibus, dormiebant. Sed, & ecclesias incendebant, sacerdotes, & viros religiosos captos secum ducentes, & in ipsis tormentis irrisorie cantores eos vocantes insultabant dicentes:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In sacerdotes maxime debacchantur sicut hodie hæretici faciunt.

Cantate nobis cantores, cantate, & confestim eis alapas dabant, vel cum grossis virgis eos cædebant. Quidam itaque sic flagellati, beatas animas domino reddiderunt: alij longa carceris custodia semimortui, data pro redēptione pecunia, ad propria redierunt. Denique peccatis hominum exigentibus, idem Cotarelli ecclesias spoliabant, & corpus Domini de vasis aureis vel argenteis, in quibus pro infirmorum necessitate reseruabatur extrahentes, pro dolor, & in terram viliter proijcientes, pedibus conculcabant. De corporalibus vero concubinæ eorum pepla capitibus suis componebant. Calices vero secum irreuerenter portabant, & malleis vel lapidibus confringentes distrahebant. Hæc videntes incolæ prouinciæ illius, domino suo Regi Philippo per litteras intimauerunt, acceptoque ab eo exercitu insultum in hostes vnanimiter fecerūt, & omnibus interfectis à minimo vsque ad maximum, de præda illorum multi ditati sunt.

Eodem anno idem Rex Parisius à leprosis extra vrbem manentibus, nundinas sibi ac suis successoribus emit, & intra vrbem in foro, quod Campellis dicitur, transferri fecit, nemus quoque Vicenarum optimo muro fecit circumcingi. Quod audiens Henricus Anglorū Rex, feras per totam Normanniam & Aquitaniam colligi fecit. Quas in nauem positas, & ingenioſe coopertas per fluuium Sequanæ longo scilicet aquarum ductu præfato Regi domino suo Parisios transmisit, qui eas in prædictum nemus includi fecit. Nec multo post idem inclytus iuuenis Henricus obijt.

Eodem tempore multi hæretici in Flandria combusti sunt ab Archiepiscopo Remensi Guillelmo, & Comite Flandrensium illustri Philippo.

De pace inter Regem Arragonensem, & Comitem sancti Ægidij miraculosè facta.

Cap. XXVII.

Rex Arragonum & comes S. Ægidij quomodo in gratiā redierint.

ERat autem dissentio, quæ magna fuerat ex longo videlicet tempore inter ipsum Regem Arragonensium, & Comitem sancti Ægydij Raimundum, quæ cum nulla ratione pacificari posset, cuidam pauperi Durando nomine, Deus apparuisse fertur in vrbe Aniciensi, quæ nunc Podium dicitur, eique tradidisse schedulam, in qua erat imago beatæ Matiæ virginis in throno sedentis, tenens in manibus pueri Iesu imaginem, & in circuitu impressam huiusmodi similitudinem: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* Quod audientes Principes cum vniuersis populis apud Anitium cōuenerunt in Assumptione beatæ virginis. Tunc illius vrbis episcopus cum clero & populo pauperem illum carpentarium in edito ponentes intentissimè audierunt, eo quod mandatum domini de pace reformanda inter eos audacter referente, & schedulam cum imagine beatæ virginis, pro signo omnibus ostendente vocem cum lachrymis eleuantes, mente promptissima se pacem seruaturos, sub iuramento promiserunt. In signum autem seruandæ pacis prædictum sigillum beatæ virginis in stanno impressum, ac pectori suppositum cū capuceis lineis albis ad modum scapularis alborum monachorum factis semper portauerunt, & quod mirabile est, omnes huiusmodi capucium cum signo portantes in tantum securi erant, quod siquis fratrem alterius aliquo casu interfecisset, & frater superstes fratricidam cū signo iam dicto occurrentem videret, statim morte fratris obliuioni data in osculo pacis illum cum lachrymis recipiebat, & in propriam domum inducens, victui necessaria ministrabat.

De sancto Petro Clareuallensi, & bonis eius initijs, atque operibus.

Cap. XXVIII.

Petri monoculi visum.

FForebat hoc tempore Petrus Monoculus Abbas Clareuallensis, qui sublimitatem generis sui semper quanta potuit dissimulatione celauit Gigniaci vero nouicius factus est. In cibo enim nil vnquam facile præter commune sumpsit, de ipso communi multum, & sæpe sibi subducens, cucullam tantum habebat & tunicam. In hyeme præter solitum etiam vnam cucullam & tunicam habebat, Botis nunquam vsus est, nec etiam pedulibus nisi simplicibus. Vigilijs autē & iugiter & pertinaciter interfuit, vilis volebat videri, non humilis prædicari. Gratiás singulares nec habuit, nec habere quæsiuit, nec politum eloquium, venustatem personæ industriam in negocijs sæcularibus, fauorabilem largitatem bona intima possidebat. In exterioribus se obscurum esse gaudebat. Nec sic obscurus, & vilis erat, vt ipse putabat. Sed apud recte iudicantes multum venerabilis & mirabilis erat. Nocte igitur quadam antequam veniret Gigniacum, vidit in visu noctis, quod aulam ingrederetur pulcherrimam, in qua sedes erat posita, & supra sedem sedens quædam domina vultus admodum reuerendi. Ingredienti autem in aulam occurrebant canes nigri & horribiles, qui impetu facto in eum lacerare eū volebant. Sed domina illa magna & venerabilis canes auctoritate sua magnifice fugauit, & Petrum ad se vocatum blandis sermonibus, & dulci demulcēs alloquio, securum esse iussit. Erat enim semper in eodem statu, à quo cum quidam Abbas familiaris eius quæreret quomodo ita idem semper esse posset, respōdit: Cum essem nouicius quasi quidam spiritus sensibiliter visus est mihi me intrare, & tunc vsque nunc spiritus ille, vis illa vel affectio, mihi quodammodo dominatur, regit me, & deducit velut ouem Ioseph, sparsum per exteriora frequēter introrsum colligit, alijs volentem intendere orationi cogit, ea quæ oculis ingeruntur aut auribus obstrepunt, facit aliquotiens non sentire, sicut dicit beatus Gregorius, quem perfectæ æternæ vitæ charitas absorbuit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit.

Petrus semper in eodē statu.

Item de eodem.

Cap. XXIX.

Psal. 17.

CVm adhuc nouus esset in ordine, aliquando vigilijs intererat, alijsque psallentibus ipse stans in choro dormiebat, sensitque quasi tactum alicuius, qui pulsans eum suauiter excitauit, putauitque Priorē esse. Et euigilans, apertis oculis neminem vidit. Cumque hoc ei sæpe contigisset, & sæpius excitatus excitatorem non videret, intellexit diuinam esse virtutem, & ægrè ferebat, quod se ei offerebat & se non ostendebat. Quadam igitur nocte dum solitum excitatorem sensisset, oculos citius aperuit, & intentus vidit sibi astare iuuenē splendidum, & quasi aureos habentem capillos, qui statim ab illo discedens per medium chorum ibat morose, & manifeste incedens postquam ita diu apparuerat disparuit. Media nocte dominica cum fratres psallebant, & ipse cum illis, tunc dolor capitis eum inuasit tam vehemens, scilicet vt chorum egredi cogeret. Et cum se propter hoc moueret, audiuit vocem dicentem sibi: *Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero*: Hac igitur voce confortatus remansit, & post modicum iterum inualescente dolore iterum egredi disponebat, & iterum insonuit vox præmissa, totaque ipsa nocte, & sequenti dominica vsque ad finem conuentualis missæ non cessauit conflictus ille doloris, & confortatio vocis. Cumque in ordine suo accessisset ad cornu altaris, & communionem acciperet, in ipsa inclinatione visum est ei, quod lapis magni ponderis de capite suo corrueret. Et protinus se erigens, & sanctam eucharistiam sumens, ab omni illo dolore sanatus est. Quidam autem religiosus ei familiaris, tentatus aliquando de nostræ fidei ratione, quęsiuit ab eo in confessione sua, si aliquando talem tentationem sensisset. Qui ait: Non inficior me tali plerumque cogitatione pulsatum, sed multiplex experimentum fidei omnem meam talem infirmitatem fugauit. Quæsiuit ille quod esset experimentum illud.

Dolorem capitis quo modo superauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Multum, inquic, de Deo sensi, & aliquando tale aliquid, quod cum sentire desijt, grauius tuli, quam si in clibanum ardentem proijceret.

Qualiter factus est Abbas Vallisregis, & post Gigniaci, & quid ibi egerit.

Cap. XXX.

FActus est autem prior Gigniaci, deinde Abbas Vallisregis, quam electionem talis visio præcessit. Videbatur Abbati qui tunc præerat Gigniaco candelabrum ardens & lucens ante altare maius positum, subito per maiorem vitream exire. Post modicum electus est. Quidam autem de mercenarijs vallisregis mercedem à cellerario exigens habere non poterat, cellerario asserente de iure ei reddendam non esse. Cumque mercenarius ad Abbatem hoc referre vellet, qui tunc ægrotabat, non poterat, quia celerarius eum intrare non sinebat. Furens igitur ille ad vnam de grangijs finitimis accessit ferens prunas ardentes in cacabo vt eam incenderet. Hæc eo cogitante, ecce affuit Abbas, & quid agere vellet inquisiuit. Expauit viso Abbate stupore vehementi, & totum propositum causamque propositi confessus est. Cui Abbas, ne facias, inquit, hoc. Cras ad me in infirmitorium veni, & mercedem tibi iubebo restitui. Fecitque ille vt sibi fuerat imperatum. Emissoque homine cum spe certa mercedis habendæ, dixit Abbas seruienti sibi fratri Nicolao. Vere frater si nos de domino cogitaremus, Deus cogitaret de nobis, conijciens ille eum aliquid magnum audisse, insecutus est hominem abeuntem, & prudenter ac ingeniose polliciens se celare consilium, & accelerare negocium rei gestæ narrationem extorsit. Vocatus enim ibat ad electionem Abbatis Gigniacensis. Orabat autem mente dominum, vt sibi inspiraret ad cuius electionem aspirare deberet. Hæc eo cogitante & orante, audiuit vocem dicentem sibi: Cum ad locum illum veneris, quod requiris agnosces, iam locum illum attingebat, & voti compos nondum erat. Orante illo attentius, vox iterum: Interroga monachum illum, qui tecum vadit. Ipse enim tibi dicet quis futurus sit Abbas. Accersito statim Roberto dixit ei Abbas: Pergimus Gigniacum, & credo, quod ex me plurimum pendebit electio. Vos qui fratrũ mores cognoscitis, dicite mihi quem digniorem hoc officio iudicatis. At ille incunctanter ait: Nullum vobis ait, digniorem iudico, nullum inquit, alium nominabo. Ventum est Gigniacum, & vnanimi consensu omnium absque vlla contradictione electus est in Abbatem. Porro antequam eligeretur, quidam frater religiosus nomine Nicolaus, cui diu functus est officio cantoris, precabatur iugiter dominum, vt eis idoneum prouideret Abbatẽ. Cui quodam tempore Dominum deprecanti quædam vox manifeste sic ait: Nicolae habebis Abbatem, & ille ostendet tibi quid te oporteat facere. Ostensurus enim erat omnibus verę religionis & sancti feruoris exemplum. Henricus Comes Campaniæ precatus est aliquando seruum Dei, vt pro se Dominum precaretur. Celebrauit autem ille missam intercessurus pro eo. Expleto enim mysterio cum ille ducturus extremam collectam ad suos se conuertisset ministros, apparuit ei Comes absens *signum crucis* habens in veste.

Qualiter factus est Abbas Clareuallis, & quid ibi egerit.

Cap. XXXI.

ORabat aliquando sanctus in quadam ecclesia, & oranti astiterunt sanctus Malachias, & sanctus Bernardus. Qui conuersus ad ipsos orationem & intentionem direxit. Cui vnus eorum dixit: Tu eris Abbas Clareuallis, quo dicto disparuerunt. Et ille territus remansit, quia hoc nunquam fieri voluisset. Non multo post Abbas Gerardus Clareuallis Gigniacam venit, vbi tunc erat Hugo de Basochijs qui grauiter in ordine deliquerat, cuius offensam præfatus Gerardus regulari seueritate vendicauerat. Et erat ille Hugo cum fratribus ægris corpore, mente iacens infirmus. Et cum disponeret Abbatem occidere, sedebat in vestibulo domus infirmorum frater quidam religiosus Haymo nomine, natione Remensis. Tunc vidit ille Haymo duas personas horribiles introire in infirmitorium. Abbas autem Gerardus nocte illa vigilijs interfuit. Et dum iret propter necessitatem in dormitorium, Hugo, in insidijs positus, ferro ad facinus præparato, illum lethaliter vulnerauit. Qui vixit vsque in diem sequentem. Circa vesperum positis coram ipso fratribus dixit: *Dirige me Domine in veritate tua &c.* & hoc dicto obdormiuit in domino. Tunc factus est Abbas Henricus quidam vir potens in opere & sermone, qui post modicũ in episcopum cardinalem assumptus est. Petrus autem ad electionem citatus aufugit, qui tamen absens electus est. In eodem itinere cum Monachi Clareuallenses deferrent corpus Abbatis Gerardi apud Clareuallem, & venissent cum corpore apud Cathalanum, & Petrus tristis deducetet corpus. Idem Gerardus apparuit Petro Abbati Gigniaci dicens. Noli contristari de morte mea, quia cum domino nostro Iesu Christo sum. Cum veneris ad Clarauallem facies obsequium meum, & sepelies me. Cum ergo idem Petrus rogatus ab alijs Abbatibus, vt cantaret missam pro defuncto, & cum esset in canone missæ apparuerunt ei sanctus Bernardus & Malachias, vnus ex vna parte altaris, & alius ex alia dicentes: Noli dubitare, quod Abbas Gerardus sit socius Angelorum & gloria æterna. *Gerardus Abbas ab Hugone trucidatur.* *Psal. 14.*

Iterum de quibusdam gestis ac dictis, & de morte ipsius.

Cap. XXXII.

PApa Romanus audita eius fama, vocauit eum, & peccata sua ei confessus est, & sacram eucharistiam de manu eius suscepit, & etiam habitum Cisterciensis ordinis suscepisset si vir Dei permisisset, sed sumptus necessarios dedit ei ad faciendam illius ordinis vnam Abbatiam. In quadam Gallicana Ecclesia orta est dissensio inter clericos de electione Pontificis, & præsens erat Cardinalis Romanus, compromiserunt in eum clerici, quod è duobus quos illi nominauerant, illum eligerent quem nominaret, Cardinalis autem virum sanctum consuluit, quis de duobus illi melior videretur. Qui respondit: In duobus falsis denarijs melior inueniri non potest.

Cum adhuc esset in valle Regis, Abbas ex violentia morbi capitis alter è duobus oculis eius totus liquefactus effluxit. & factus est Monoculus. Qui postea iocãdo dicere solebat, vnum se de inimicis suis euasisse, & se plus à residuo, quam à perdito formidare. Dixit ei aliquando quidam religiosus familiaris equitans iuxta eum: Præcedamus eos qui nos præcedunt, vt procellam huius pulueris euadamus. Qui respõdit: Si præcedamus erunt ipsi in sorte qua sumus, & pœna reuersura est in caput ista suum.

Quodam messionis tempore exiuit cum fratribus ad laborem. Dum quoque Monachi pausarent in silentio, vidit Abbas tres mulieres pulcherrimas venientes per fratres. Quarum vna cæteris mirabiliter præcellebat. Tunc Abbas iuit obuiam illis, & ait, certe multum audaces estis, quæ sic inter nos venistis. Nonne bene scitis, quod mulier non debet venire inter fratres scilicet de ordine nostro? Tunc illa præclarior cæteris ait: Ego, inquit, bene debeo venire inter meos. Ego enim sum Mater Domini nostri Iesu Christi Maria, quæ venio visitare messores meos, & ista est Maria Magdalena, & ista est Maria Ægyptiaca. Quo audito Abbas cecidit ad pedes eius. Quam cum vellet amplecti, illa euanuit. Eo mortuo, quidam frater vnum de dentibus eius pro reliquijs extrahere cogitauit, putans se hoc facile facturum, *Beata virgo ei apparet.*

quia

quia mortuus os apertum habebat, cumque se ad hoc faciendum præpararet, os ita clausum, & obstructum repperit, vt propositum impleri non posset.

De Hugone Abbate Boneuallis.

Cap. XXXIII.

Ex gestis eius. Eo tempore multa sanctitatis gratia florebat Hugo venerabilis Abbas Boneuallis, qui iuuenis relinquens sæculum conuersus est in domo Cisterciensis ordinis & cæpit valde religiose conuersari. Post hæc tentatus valde, cogitabat ad sęculum redire. Hęc igitur cogitans intrauit templum, & orauit lachrymis & flexis genibus tetendit manus ad cœlum, & vidit super altare matrem misericordię vestitam lumine sicut vestimento. Et visum est ei, quod videret Iesum filium eius iuxta eā, & quomodo annūciatus fuerat ab Angelo, & de virgine natus, & pastoribus nūciatus, & quomodo circūcisus, & à Iudæis captus, & flagellatus, & illusus, & crucifixus, & quomodo resurrexit tertia die, & post 40. ascendit in cælū. Cū hæc omnia videret, dixit ei domina nostra: *Viriliter age, & confortetur cor tuū in domino*, & certus esto te ammodo talibus tētationibus non pulsandū. Post hæc cæpit nimijs abstinentijs se affligere, ita vt penè sensum & memoriam perdere videretur. Interea sanctus Bernardus, qui tunc adhuc viuebat venit ad eum per Dei prouidentiam, & iussit eum mitti in infirmitorium, & vt ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur priusquam cæteris infirmis, quatenus postea haberet generalem licentiam loquendi vbi vellet, & ita per Dei misericordiam in breui conualuit. Tunc cœpit in eo religio multa feruescere, nec multo post Abbas factus est Boneuallis.

Sub hoc sancto viro factus est quidam iuuenis nouicius valde feruens in suis principijs, qui postea tentatus valde cogitauit ad sæculum redire, & hanc cogitationem confessus est Abbati, qui cępit ei suadere vt remaneret, sed nihil profecit. Tunc Abbas ait, *fili miserere animæ tuæ placens Deo, ne perdas gloriam tibi paratam*. Ego enim spondeo tibi, & fideiussorem sponsionis huius meipsum statuo, quod si tu remanseris, sanctorum Angelorum æternus socius eris. Ad hæc verba confortatus ille in domino perstitit, & optime postea conuersatus est. Qui duobus annis antequam moreretur grauissima infirmitate laborauit. Ad quem confortandum missus est sanctus Iob cum maxima claritate qua totum infirmitorium repletum est. Ego, inquit, sum Iob, quem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis misit ad consolandum te: sicut ego in tali infirmitate patiens fui, sic & tu, & ideo mecum florebis in gloria mea, & cras eris mecum, & metes quod seminasti, quod & factum est. Nō multo post apparuit Abbati suo in gloria magna reddens ei gratias, quod per eius admonitionem in ordine perstiterat.

Sub eodē viro sancto facti sunt nouitij clericus vnus, & miles vnus perfidus, & dolosus, qui in eodem anno duo castella tradiderat & destruxerat. Huic autem militi dormienti videbatur in visu noctis, quod in puteum caderet tam profundum, vt tres dies consumeret cadendo donec ad profundum perueniret. Quod cum Abbati sancto retulisset, illē interpretatus est puteum abyssi infernalis in quo casurus erat si ordinem relinqueret. Et ideo monebat illum, vt remaneret. At ille noluit, sed recessit, & cum recessisset tertia die ab inimicis suis interfectus est, clericus autem similiter victus, confessus est Abbati tentationem suam, quē consolans Abbas promisit ei, quod si remaneret, Regina mundi pro anima eius veniret, & duceret eum in requiē suam, quod & factum est: nam pridie quam moreretur apparuit ei domina nostra dicens, se venire propter eum & quod in crastina futurus esset in requie æterna, & ita contigit.

Psal. 26.

S. Bernardus qua ratione Hugonem curauerit.

Monachus qua parte in proposito cōfirmatur.

Eccl. 30.

Ad eum cōsolandū Iob mittitur.

Iterum de gestis eius contra dæmones.

Cap. XXXIV.

In annunciatione beatæ Mariæ virginis, cum idem Abbas excitaret fratres in choro ad vigilias, vidit diabolum in medio choro stantem, in forma horribili, ita vt ipse Abbas præ timore caderet. Qui leuatus à fratribus, signauit se & redit ad sedem suam: In crastino narrauit Abbas in capitulo, quid vidisset, & dixit aliquem de fratribus esse in criminali peccato, propter quem diabolus venerat. Quo audito omnes timuerunt, sed qui reus erat celauit conscientiam suam. In altero crastino iterum dixit Abbas, adhuc diabolum esse inter illos, & tunc fratres confessi sunt, & acceperunt singuli disciplinam precantes Dominum, vt rei conscientiam reuelaret Abbati. Quod & factum est. Tunc Abbas reum traxit in partem, & dixit ei peccatum suum, quo audito ille cecidit ad pedes eius, rogans veniam sibi dari, & pœnitentiam secundum voluntatem Abbatis sibi iniungi. Quo facto diabolus vltra non comparuit. In quadam villa Boneuallis, Abbas quidam genere nobilis, sed moribus degener, dignis ex causis ab hoc sancto viro depositus est, & alius dignior in loco eius substitutus. Cumque post hoc factum sanctus Hugo decederet, quidam garrulus familiaris depositi cæpit ei detrahere, & publice dicere, quod propter inuidiam magis quam propter iustitiam eum deposuerat. Quo audito sanctus Hugo, manibus extensis in cælum, rogauit Deum vt manifestaret se pura & recta intentione hoc fecisse, & mox ille garrulus insaniens cæpit discurrere per totam curtem Abbatiæ, & comedere stercora pecorum, quæ ibi erant, quo viso misertus eius vir sanctus orauit pro eo & sanatus est.

Damon apparet ob peccatum alicuius fratris non confessū.

Peccatorum secreta confessio.

De his, quæ gessit circa morientes.

Cap. XXXV.

In domo Boneuallis erat quidam monachus feruens qui cum esset debilis corpore, semper tamen tenebat conuentum. Tandem incidit in paralysim, & diu languit in infirmitorio. Ibi erat etiam magister nouitiorum, Ioannes nomine, infirmus vsque ad mortem. Cui seruiebat quidam frater nomine Benedictus: ad quem Ioannes ait: Frater Benedicte audis, quæ ego audio? cui ille: Nihil audio, quid audis tu? Ego inquit audio voces Angelorum psallentium tanquam vocem citharedorum multorum, qui veniunt pro anima nostri paralytici, & ego cras eum sequar. Sed festina pulsare tabulam, quia anima eius multum festinat egredi, tunc frater Benedictus iuit considerare qualiter ille paralyticus se haberet, & vidit eum iam grosse anhelantem. Cucurrit ergo pulsare tabulam, & antequam fratres omnes essent congregati, migrauit ille paralyticus. In crastino vero Ioannes quidam famulus Cellerarij Boneuallis infirmatus est, vsque ad mortem, & confessus est peccata sua Monacho confessori pauperum, & dixit ille quoddam peccatum, quod Monachus ille timuit recipere, & iniunxit illi infirmo, vt hoc confiteretur Abbati, quod ille concessit, si viueret. Abbas autem tunc præsens non erat, sed in via. Interim vero famulus ille mortuus est, Abbas autem cum rediisset de via post completorium, & sederet in lecto, volens se discalciare, vidit illum mortuum ascendentem gradus dormitorij, qui veniens ante illum, cecidit ad pedes eius veniam petens, rogans humiliter, vt confessionem suam audiret, dicens se missum ad eum propter hoc. Et confessus est cum tanta lachrymarum abundantia, quod etiam Abbas motus est ad lachrymas, & plorauerūt ambo in tantum, vt manica cucullæ Abbatis valde humectaretur. Post absolutionem mortuus rogat humiliter Abbatem, vt oraret

Mortuus ad confitendum Abbati redit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pro se, quia ipse in magnis tormentis erat. Et dum Abbas vellet tactu probare vtrum in corpore esset, an in spiritu mortuus euanuit. In Crastino autem Abbas quęsiuit à confessore pauperum, si mortuus ille tale crimen cõfessus fuisset, qui respondit. Etiam, & quomodo illud nostis? Ab ore, inquit, eius audiui.

Quidam iuuenis Monachus in eadem domo nuper decesserat, cuius mater postea viso Abbate cæpit anxie flere de filio suo, quam ille consolans ait: Noli flere, certa esto quod filius tuus in magna gloria est, & scio qualiter vixerit, & quam sancte, quo audito mater eius recepit consolationem. Non multum post cum idem Abbas oraret, apparuit ei Monachus ille in vultu clarissimo, & salutauit eum, quem Abbas recognoscens ait: Quomodo est tibi fili mi? qui respondit. Bene domine sicut vos videtis.

De his quæ gessit circa viuentes.

Cap. XXXVI.

QVidam conuersus de alia domo propter culpam suam missus fuit Bonamuallem, vbi infirmatus est vsque ad mortem. Abbas autem visitans eum rogauit eum, vt secure confiteretur peccatum suum de quo infirmabatur, quod ille nunquam confiteri voluerat, nec etiam Abbati proprio. Ille autem negauit totum, & petijt sibi dari corpus domini. Abbas autem Hugo suadebat ei, vt non præsumeret corpus domini sumere nisi bene confessus fuisset. At ille dicens se bene esse confessum, instituit vt ei afferretur corpus domini, quod cum presbyter attulisset, & in os eius posuisset, ille statim clamare cæpit. Quid faciam miser, quid faciam? Tunc presbyter abstulit ab eo corpus domini, quod super linguam tenebat, & mox ille expirauit.

Conuersus peccatũ suũ confiteri nolens male perijt.

Item Abbas aliquando infirmatus intrauit in infirmitorium, & vidit columbam niue candidiorem super humerum monachi infirmati, quam cum idem monachus vellet apprehendere, illa volans venit ad Abbatem, & intrauit in sinum eius, & postea exiuit per aperturam tunicæ Abbatis, & fixit rostrum suum in aure eiusdem Abbatis, dicens ei verbis humanis: *In nomine patris & filij, & spiritus sancti para te, para te, mandat tibi beatus Bernardus, vt vadas facere pacem inter Papam, & Imperatorem Alemaniæ, qui sancti admonitione susceptа, pacem inter eos postea perfecit.*

De dissentione & pace inter Regem Francorum, & Comitem Flandrensium.

Cap. XXXVII.

ANno domini 1184. orta est dissensio inter Philippum Regem Francorum, & Philippum Flandrensium Comitem pro terra, quę Viromandia dicitur. Hanc enim præfatus Comes multo tempore Ludouico Rege viuente, cum pace & quiete licet iniuste possederat, & adhuc pertinaciter retinere volebat. Ob hoc Rex exercitum versus vrbem Ambianum collegit, cuius multitudinem & robur Comes cum populo suo videns atque timens, fugæ præsidium quæsiuit. Habitoque cum suis consilio principem militiæ Regis Theobaldum Blesensium Comitem, Francię Senascallum, ac Gulielmum Remensium Archiepiscopũ ipsius Regis auunculos per inter nuncios vocauit, ipsisq; mediãtibus Regi totam Viromandiã restituit. Castrum tamen sancti Quintini, atque Peronam tantum ad vitam suam sibi dimitti petijt, & obtinuit. Referebant autem boni viri Ambianenses canonici, quod dum Rex iuxta castrum, quod Bonas dicitur, moram faceret, tam homines quam equi totius exercitus, insuper & equi trahentes bigas per campos messes conculcauerunt. Insuper, & maximam partem cum fasciculis pro pabulo colligentes equis ad comedendum dederunt, ita quod nihil penè virens super terram remansit. Erat enim tempus, quando messis in spica est, & flores producit. Verum succedente tempore Deo operante miraculose contra omnium opinionem ita plene, & abundanter messis restituta est, vt post granorum excussionem, & areæ ventilationem, centuplum æstimatum inuenirent, non tantum de spicis conculcatis, sed etiam de his quæ cum fasciculis sectæ, & equis ad comedendum fuerant datæ. In loco autem vbi exercitus Flandriæ collectus fuerat, ita virentia omnia sunt desiccata, quod etiam herba super terram in ipso anno non est ibidem reperta.

De succursu terræ sanctæ missо à Philippo Rege.

Cap. XXXVIII.

EOdem anno Patriarcha Hierosolymitanus, & prior hospitalis transmarini, & magister templi, venerunt ad Regem Philippum portantes claues vrbis, & sepulchri domini, rogantes, vt terræ sanctæ præstare dignaretur succursum. Intrauerant enim Saraceni Christianorum terras, & multos etiam ex eis interfecerant, pluresque captiuos secum duxerant, multos etiam ex fratribus hospitalis & templi militibus occiderant. Interim etiam magistro templi defuncto, duo superstites Parisios venerunt, & ab episcopo Mauritio cum clero & populo honorifice suscepti sunt. Rex etiam omnibus alijs negocijs omissis, eos in osculo pacis recepit, præpositis terræ suæ diligenter præcipiens, vt vbicunque per terram suam irent, de redditibus suis eisdem necessaria ministrarent. Cognita quoque causa qua venerant, conuocato generali consilio, prælatis omnibus ecclesiarum, auctoritate regia mandauit, vt per frequentes prædicationes subditos admonerent, quatenus pro fidei Christianæ defensione contra crucis inimicos Hierosolymam peterent. Ipse quoque de concilio Principum illuc transmisit strenuos milites cum multitudine peditum armatorum, de proprijs redditibus sufficientes ministrans sumptus. Post aliquot dies dum Rex Parisios in aula deambularet, venit ad Palatij fenestras, vnde sequanam inspicere posset, sentiensque, & ferre non sustinens fætorem intolerabilem, quem rhedæ per vrbem transeuntes lutum resoluendo procreauerant, arduum opus excogitauit, quod omnes sui prædecessores ex nimia grauitate, & operis impensa aggredi non præsumpserant. Conuocatis enim Burgensibus ac præposito, vicos omnes ac vias totius vrbis præcepit duris ac fortibus lapidibus sterni. Ad hoc quidem nitens, vt nomen antiquum auferret ciuitati, Lutetiam enim à luti fœtore prius eam nominauerunt, sed gentiles quondam nomen huius propter fætorem abhorrentes à Paride Alexandro filio Priami Regis Troyę Parisios vocauerunt.

Vnde Lutetia dicta.

De quibusdam incidentibus eiusdem temporis.

Cap. XXXIX.

ANno domini M. 185. in media quadragesima factus est terræmotus in Gothia, & in sequenti mense Aprilis eclypsis lunæ particularis.

An. Christi 1185.

Eo tempore Guillélmus Abbas ecclesiam beati Dionysij tepide regebat, quod Rex grauiter ferens, aliam illi ecclesię rectorem prouidere satagebat. Quadam ergo die dum Rex per villam beati Dionysij trãsiret, & in Abbatiã descẽdisset, hoc audito territus est Abbas, petebat enim tũc ab eo Rex mille marcas argenti. Cõuocatis fratribus in capitulum seipsum deposuit. Dataque Rex eligendi licentia; statim Hugonem eiusdem ecclesiæ priorem vnanimiter ab omnibus electum, in ipso capitulo confirmauit; tali tamen conditione, regiaque prohibitione adiecta, vt in illa nouitate promotionis suę nulli de parentela, vel curiæ regis clerico, vel laico munus aliquod daret vel promitteret, ipse itaque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hugo ad benedictionem suam celebrandam meldensem, & Siluanectensem episcopos, conuocauit, qui duo ex antiqua Romanæ Ecclesiæ institutione tenentur Ecclesiæ beati Dionysij in consecratione altarium, seu in ordinatione monachorum vicissim subuenire, & præcipue Meldensis.

Dum hæc in Francia gerebantur, nuncij missi sunt à Bele Rege Vngatiæ, Pannoniæ Cromatiæ, Anaritiæ, Dalmaciæ, & Ramnæ ad Regem Philippum, vt daret ei sororem suam Margaritam in vxorem, quondam scilicet Angliæ Reginam, Henrici iunioris defuncti relictam, sub quo beatus Thomas Cantuariensis passus est, cuius petitioni Rex benigne acquieuit, nec non & nuncijs dona regalia tribuit.

De Abbate Ioachim.

Cap. XL.

EO tempore Abbas Ioachim de Calabriæ partibus venit ad Vrbanum Papam, morantem apud Veronam, de quo scilicet Ioachim fertur, quod cum prius non multum ab homine doctore didicisset, donum intelligentiæ diuinitus accepit, adeo vt facunde, & discrete quaslibet scripturarum difficultates & obscuritates enodaret. Dicebat itaque mysteria quædam Apocalypsis hactenus latuisse, sed nunc in spiritu suum prophetiæ claresceret, sicut ex opusculo quod scripsit legentibus liquerit. Dicit enim, quia sicut scripturæ veteris testamenti 5. ætatum sæculi ab Adam vsque ad Christum decursarum historias continent, sic liber Apocalypsis ætatis sextæ à Christo scilicet inchoatę decursum exponit. Ipsamque ætatem sextam in sex ætatulas dispartitam, easque singulas singulis huius libri periodis satis congrue designatas. Dicit quoque hæc reuelata fuisse in fine ætatulæ quintæ atque in proximo succedere sextam, in qua scilicet tribulationes varias, multipliceſque pressuras perhibet emersuras, sicut in apertione sigilli, & in sexta libri periodo vbi de ruina Babylonis agitur, patenter ostenditur.

Id vero in libello eius præ cæteris notabile ac suspectū habet, quod mundi diffinit terminum, & infra duas generationes, quæ iuxta ipsum annos faciūt 60. arbitratur implendum. Fertur itaque multa scripsisse librosque suos domino Papæ corrigendos obtulisse. Nam & in quibusdam errasse dicitur, & tamen ei multa de futuris reserata fuisse referuntur. Vnde & postea duobus regibus Franciæ scilicet & Angliæ in itinere trāsmarino apud Massanam vrbem Siciliæ hyemantibus, idem Abbas vocatus dixit nōdum liberationis Hierusalem adesse tempus, super his autem quæ scripsit de futuris temporibus nos rerum incertarum præsagium relinquere conuenit iudicio posteriorum.

An. Christi 1186. Anno domini M.186. obijt Parisijs Godefridus Comes Britanniæ tertius, filius Henrici Regis Anglorum, & in ecclesia beatæ virginis ante altare annuente Rege Philippo sepultus est honorifice.

Eodem anno Philippus Rex liberat Virgiacense castrum à longa obsidione Ducis burgundię pluresque viderunt & pluries formam ignis in modū domus igneæ per cœlum discurrere. Henricus Friderici filius à patre præficitur Italiæ, & vxorem duxit Constantiam filiam Rogeri regis Siciliæ. Inter ipsū & Papā simultas oritur, ita vt Papæ apud Veronam moranti, aliquo progrediēdi facultas denegetur, & itinerantibus iniuriæ plures inferantur. Philippi Regis soror in Hungariam ducitur Regi Vngariæ desponsanda.

Vrbanus huius nominis tertius Papa fit, & Petrus Abbas Clareuallis obijt.

Anno sequenti Saladinus totum sibi subijcit orientem, à quo etiam capta est Hierusalem. Eodem anno 8. Kal. April. fuit eclypsis Lunæ pæne vniuersalis. *An. Christi 1187.*

De mendacio Astrologorum, & vanitate Histrionum.

Cap. XLI.

EOdem anno Astrologi orientales & occidentales scilicet Iudæi & Saraceni, & etiam Christiani miserunt literas per diuersas mundi partes, prædicentes, & absque dubio afferentes in Septembri futuram validorum ventorum tempestatem ac terræmotum, & mortalitatem hominum, seditiones etiam, & discordias, regnorum mutationes, & alia multa comminantes in hunc modum. Sed aliter fore, quam diuinando prædixerant, manifeste probauit euentus subsequens rerum. *Astrologi illudere hominibus volūt.*

Cum autem in curijs Regum vel principum frequēs histrionum turba conuenire solebat, vt ab eis aurum & argentum, & equos seu vestes, quas sępe Principes mutare solent, verba ioculatoria varijs adulationibus plena proferendo ab eis extorqueant, videns Rex Philippus hæc esse vana, & animæ saluti contraria, mente promptissima Deo promisit, quod omnes vestes suas, quam diu viueret intuitu Dei pauperibus erogaret, malens nudum Christum in pauperibus vestire, quam adulatoribus vestes dando peccatum incurrere, quoniam histrionibus dare, est dæmonibus immolare. Hoc si quotidie Principes attenderent, nequaquam tot lecatores per mundum discurrerent. Vidimus autem Principes quosdam vestes diu excogitatas, & varijs florum picturationibus artificiosissime elaboratas, vix euolutis 7. diebus, proh dolor, histrionibus scilicet diaboli ministris ad primam vocem dedisse pro quibus forsan 20. aut 30. vel 40. marcas argenti impenderant, de quo nimirum precio tot inde pauperes per totum annum victui necessaria percipere potuissent. *Histriones aula sua exegit Philippus.*

De dissentione inter Regem Franciæ & Angliæ & de castri Radulphi obsidione.

Cap. XLII.

EOdem anno orta est dissentio inter Regem Philippum, & Regem Anglię Henricum. Philippus enim à Richardo eius filio Comite Pictauensi pro eodem comitatu homagium petebat, quod ille à patre instructus de die in diem dissimulabat facere. Petebat etiam ab ipso Rege Angliæ Gisortium, & alia castra adiacentia, quæ pater suus Ludouicus filię suæ Margaritæ pro dote tradiderat, quando eam Henrico Regi filio maioris Henrici matrimoniō copulauerat. Ea tamen conditione, vt si prolem ex ea non susciperet, post ipsius Henrici mortem, ad Regem Franciæ dos rediret. Super his quęstionibus frequēter à Rege Philippo Rex Angliæ citatus fuerat, sed fictas semper proponendo dilationes, eius curię iudicio stare in dies protelabat. Itaque Philippus infinito exercitu collecto in pago Bituricensi Aquitaniæ fines ingressus, castrum Isoldunum, & Gratiacum, & alias quāplures munitiones cæpit, & terram vsque ad castrū Radulphi depopulauit. Tunc Rex Henricus & Comes Richardus exercitum contra Frācos adduxerunt, eosque ab obsidione castelli Radulphi amouere conati sunt; sed cum Rex Philippus acies bellatorum contra eos ordinari fecisset, timentes illi solitā Francorum audaciam, viros religiosos, cum legatis Romanæ ecclesiæ, qui etiam pro pace reformanda tunc venerāt, ad regē Philippum miserunt, qui ex parte illorum præstita cautione firmarēt, quod ipsi de tota querela, secundū iudiciū curiæ Regis Franciæ plene satisfacerēt, & sic datis inducijs ad propria redierunt. Verum dum ibidem Rex in obsidione moram faceret, Comes Richardus multitudinem Cotarellorum illuc pro succursu transmiserat. Quibus ante beatæ Mariæ virginis Ecclesiam in platea cum tesseris ludentibus, vnus ex eis verba blasphemiæ prorupit in beatam virginem

& in Deum, quia denarios quos male acquisierat male etiam perdebat. Deinde furibundus eleuatis oculis, imaginem beatæ virginis in porticu toruo vultu respiciens, iterumque blasphemias in eam congeminans, lapidem coram omnibus in ipsam imaginem proiecit, & brachium imaginis pueri Iesu, quam illa tenebat in manibus, fractum in terram deiecit, de qua fractura sanguis abundanter in terram fluxit, vt multi qui in obsidione fuerant retulerunt; multique de illo colligentes à varijs morbis curati sunt. Brachium autem sanguinolentum Ioannes, qui dictus est, Sineterra, filius Regis Angliæ iunior pro reliquijs secum cum honore portauit, & infælix ille Cotarellus à dæmone quo prius agebatur eodem die arreptus, miserrime vitam finiuit. Monachi vero ipsam imaginem inter ipsam ecclesiam cum laudibus intulerunt, vbi ad honorem Christi & matris eius, multa miracula postea facta sunt.

Miraculum.

De amissione sanctæ crucis.

Cap. XLIII.

INterim autem dum hæc agerentur venerunt ad Philippum Regem nuncij transmarini, cum gemitu referentes, quod Saladinus Rex Syriæ, & Ægypti terras Christianorum inuaserat, multosque de fratribus hospitalis & templi militibus cum episcopis, & Baronibus illius terræ, & multa Christianorum millia trucidauerat, & crucem quoque sanctam & regem Hierusalem, necnon & ipsam vrbem sanctam ad extremum cæperat, ac præter Tyrum, & Tripolim, & Antiochiam, & quædam castra fortissima, quæ nunquam habere potuit, totamque terram promissionis subiugauerat. Cumque enim ad colloquium Guidonis Tripolitani Comitis conuenissent magistri templi, & hospitalis non procul à Nazareth; Turci dolo Comitis superueniunt, & nostri quidem primo vincunt, postea vincuntur, multique occiduntur, & multi capiuntut. Ioannes denique miles Turcis mane nostris nondum armatis irruentibus, cõsulit, vt in illum cuneum vbi Saladini vexillum altius eminet irrumpatur. Placet consilium vniuersis, excepto præfato Comiti, de cuius consilio montana occupabantur. Nostri enim æstu ac splẽdore solis grauantur, at cælorum imbribus opprimuntur, & obruuntur. Comes Tripolis arma proijcit, & cum suis ad castrum Saphetum fugit, nostrique miserabiliter atteruntur. Aconensis præsul lęthaliter vulneratus crucem Domini tradit alteri, & ille Regi. Rex autem capitur, & sancta crux asportatur. Sed & quotquot Templarij & Hospitalarij cum captiuis inueniuntur protinus decollantur. Porro Guido Rex & magister templi in monimentum victoriæ reseruantur, sic exigentibus meritis suis, in manus gentium nostri sunt traditi ac gentibus subiugati. Nimis enim in luxus varios, & clerus & populus effluxerat, totaque terra illa facinoribus, & flagitijs sordescebat, sed & qui religionis habitum præferebant regularis moderantiæ turpiter fines excesserant. Rarus in monasterio, rarus in sæculo, quem non vel auaritię, vel luxuriæ morbus inficeret. Rainaldus autem Princeps, quia alia vice à Turcis captus, ac per annos 16. tentus, & redemptus multa pecunia, nunc tenebat Ebron, & regionem quæ est, trans mare mortuum, vbi est mons regalis, & vrbs Petracensis, quæ dicitur Erath. Turcorum inimicus ante Saladinum adducitur, & ab ipso mucrone proprio decollatur. Saladinus ergo habito celebri tropheo de nostris ad pontem Tyberiadis redit, ibique manubias diuidi, & in Damascum meliora deferri præcipit. De hinc Achon, quæ & Ptolomais, obsidet, ac post biduũ in deditionem recipit. Manentibus ac recedentibus cõductus datur, quia Saladinus nullum grauari permittebat volentem degere sub tributo, nec vnquam iuramentum violabat, & vix alicui quod rogabatur negabat. Denique Turci alias vrbes castraque recipiunt per vim autem nullum. Comite Tripolis Tripolim redeunte mandat ei Saladinus vt pacta quæ sibi iurauerat, ciues suos iurare faciat. Comes ciuibus iubet vt iurent. At illi nolunt, nisi iuramenti formam prius audiant. Instante autem comite petunt inducias vsque mane; mane autem facto, diuinitus extinctus inuenitur, apparuitque stigma circuncisionis quod recenter susceperat, quia Turci & Saraceni ex paterna traditione filios circuncidunt. Quorundam etiam clientum suorum confessione detectum est, quod vrbem Turcis tradere decreuerat, habens penes se sigillum Saladini, quod mox faceret propalari. Ab ipso autẽ anno domini M. 187. quo crux domini capta est, infantes, qui postea nati sunt non nisi 20. vel 22. dentes habent cum antea 30. vel 33. habere solent.

Comes Tripolitanus nostros prodit.

Hierosolyma cur in potestatẽ Saladini venerit.

Tripolitanus comes suos in verba Saladini compellens iurare moritur.

An. Christi 1187. crux domini capta.

De ortu Ludouici filij Philippi, & captione Hierusalem.

Cap. XLIV.

ANno eodem 4. die Septembris capitur Aschalon à Turcis. Ipsaque die fit eclypsis solis particularis in 18. gradu Virginis, & durauit duabus horis; apparuerunt que stellæ per per diem, vt in nocte. In crastino natus est Ludouicus Philippi regis Francorum ex Regina Elisabeth filius. De cuius ortu Parisijs tantum gaudium fuit, vt per 7. dies singulis noctibus cum faculis accensis ac cereis, totius vrbis populus in Dei laudibus exultaret. Latrunculi autem Syriæ quos Turcomagnos vocant, Laodiciam vrbem impetunt, & deuastant. Raimundus Princeps Antiochenus, cum eis congressus, multos suorum perdit, & ipsi Antiochiam infestant, ac regionem quæ Nerci mons, vel Nigromontana dicitur amænissimam prædantur. Illosque ad propria redeuntes, nostri de diuersis locis glomerati, congressi cum eis debellant, multos perimunt, pauci fuga euadunt, præda excutitur, capti viriliter liberantur, Saladinus autem Aschalone recepta munitaque, Hierusalem properat, vt illam obsideat. Arbitratur enim de facili cessuros fore, qui videbant & alios iam cessisse, sibique paucissimos adesse, qui defendere non valerent. Hierusalem enim à parte occidentali per 10. dies continuos passa insultus, ciuesque viriliter se defendunt. Obsidet autem eam à parte aquilonari, & muros destruit machinis, qui non cessant, sed se reddunt Saladino ita quod ab eo, qui decem annos excesserat, 10. aureos, & 5. à mulieribus accipiat. Et ab illis qui infra decennium continentur duos. Idibus Octobris die scilicet obsidionis 14. feria 6. Hierusalem capitur, & mox Saladinus facit comminui campanas, & metallum eis restitui, quorum erant campanæ. In ipsis autem basilicis iumenta stabulauerunt, & sordes quaslibet ibi perpetrauerunt. Ecclesiam vero sancti sepulchri auro multo redimunt Syriani. Templo autem domini miram venerationem exhibent Turci, quod iuxta ritus suos consueuerant antiquitus venerari. Saladinus antequam intret lauari facit parietes aqua rosacia, & multa millia pauperum absoluit à precio prætaxato. Infirmis de fisco proprio per aliquantulum tempus iubet necessaria ministrari. Heraclius itaque Patriarcha, cleruſque vniuersus, & de monasterijs diuersorum ordinum professores, turbaque cuiuslibet ætatis, & sexus innumera de Hierusalem recesserunt. His qui supra muros in cellis recluſi abstinentiæ & ordini vacabant, iussum est vt abirent. Vniuersis pænè latinis vrbem relinquentibus, Syriani, & sectarum homines diuersarum vtpote Georgiani Iacobitæ, Græci, Armenij, remanserunt ibidem sub Turcarum dominio constituti. Audita deditione multa quoque loca, quæ vix ab homine capi possent, si defensores haberent, in deditionem recepta sunt. Captaque est Hierusalẽ post annos 188. ex quo à Turcis exuta fuit & tantumdem fere temporis possessa à nostris,

Saladinus multas vrbes & tandẽ Hierosolymã occupat.

Nostri Latini vrbe iãcta pelluntur.

quantum

quantum prius & à Turcis, pontificante tunc Papa Vrbano, & nunc etiam Vrbano. Qui cum rem tã flebilem audiſſet nimis indoluit, & ex animi dolore langueſcens poſt breue deceſſit, atque in vrbe Ferraria, quà nuper aduenerat de Verona, tumulatus extitit. Cui ſucceſſit Gregorius 8. vir ſcientia literarum facundiaque clarus, ſed & puritate vitæ & integritate animi præclarior ſuique vehemens caſtigator. In primis igitur ad ſubuentionem Hieruſalem totis inhiat animis, & ad concitandos Principes populoſque per occidentis prouincias tam legatos quam literas deſtinat. Et qui cladem orientalem exponant, & pœnitentiarum abſolutionem profecturis Hieruſalem promittant, ſed prohdolot, in ſuo mox exortu flos decorus exaruit, quia poſt duos menſes apud Piſam moriens, ibidem ſepultus fuit. Cui Clemens tertius ſucceſſit, creſcebat enim vbique rumor lamentabilis de tranſmarinis partibus, & ingemiſcebat mundus. Plerique de correctione vitæ attentius cogitabant, plureſque ſigno crucis accepto ire Hieruſalem proponebant.

De crucis ſignatione duorum Regum, & aliorum multorum.

Cap. XLV.

Noua in terram ſanctã expeditio decernitur.

Die autem 13. Ianuarij, ſcilicet in feſto ſancti Hilarij factum eſt colloquium inter Reges Philippum ſcilicet & Henricum, inter Tyriam, & Giſortium pro ſedando inter ſe diſcidio; vbi Archiepiſcopo Tyrenſi adhortante, contra omnium opinionem ſignum Crucis acceperunt, inſtinctu ſancti ſpiritus, pro liberatione vrbis ſanctæ Hieruſalem, & sãcti ſepulchri dominici; multi etiã alij cum eis; Archiepiſcopi quoque, ſcilicet Rothomagenſis, Cantuarienſis. Epiſcopi vero Beluacenſis, Carnotenſis; Comites, quoque Pictauenſis, Flandrenſis, Carnotenſis, Bleſenſis, Barrenſis, Sueſſionenſis, Niuernenſis, Dux etiam Burgundiæ, & Rotroudus Comes Campaniæ: Comites quoque Drocorum Clarimontis, ac Bellimontis, ac plures alij magni viri zelo Dei accenſi. In cuius facti monimentum duo Reges in eodem loco Crucem ligneam erexerunt, ibique fundantes eccleſiam fœdus inter ſe perpetuo inierunt. Ipsũ vero locum agrum ſanctum vocaueruht, eo quod ibidem ſacris Crucibus inſigniti ſunt.

An. Chriſti 1188. Concilium Pariſienſe contra Turcas.

Anno itaque domini 1188. menſe Martio Pariſiis generale concilium celebratum eſt ab ipſo Rege Philippo, in quo ſancta Cruce ſignata eſt innumerabilis militum ac peditum multitudo. Ob hanc enim inſtantem neceſſitatem cu aſſenſu epiſcoporum & Baronum terræ ſuæ conſtituit Rex, & prælati & clerici conuentualium eccleſiarum, & milites etiam Cruce ſignati, quod de debitis ſuis reddendis tam Iudæis, quam Chriſtianis à creditoribus biennio reſpectum haberent, & omnes Crucem non habentes quicunque eſſent ad minus illo anno de omnibus mobilibus ac redditibus ſuis decimas darent, exceptis illis, qui erãt Ciſtercienſis ordinis & Carthuſienſis, & Fontis Ebrardi, & etiam leproſis. Et iſtæ decimæ Saladinæ dictæ ſunt.

Eodẽ anno ſecunda die Februarij, fuit eclypſis Lunæ vniuerſalis hora noctis 4. & durauit per tres horas.

Item 4. Idus Februarij paulo ante auroram ſereniſſima nocte viſa eſt Luna vſque ad terras in momẽto deſcendere, & facta morula, quaſi reſumptis viribus iterum vſque ad locum vnde deſcenderat paulatim aſcendere.

Hoc anno Fridericus quoque Imperator Crucem accepit. Saladinus frequenter Tyrum infeſtat, ſed cũ damno ſuorum ſæpe confuſus recedit. In vigilia ſanctę Mariæ Magdalenæ Antiſiodorum conflagratur, & in craſtino dictæ feſtiuitatis vrbs Trecenſis comburitur. Hoc etiam anno, Beluacum & Carnotum miſerabiliter incenduntur.

De ruptione fœderis inter Reges per Comitem Richardum.

Cap. XLVI.

Graue inter Philippum & Richardũ diſſidium.

Eodem anno Richardus Comes Pictauenſis rupto fœdere, quod ipſe & pater ſuus cum Rege Philippo inierant, terram Comitis Toloſani, quam à Rege Francorum tenebat intrauit, & Moſacum aliaque caſtella ad eum pertinentia cæpit. Quod cum idem Comes Raimundus Regi Philippo per nuncios intimaſſet, ille collecta multitudine armatorum, ſubito terras eorum intrauit, & Caſtrum Radulfi Buſenſacumque & Argentonum cæpit, quartum etiam quod Leuroſium vocatur obſedit, vbi dum in obſidione breuem morulam faceret: accidit, vt torrens ante caſtrum, in quo pluuiis inũdantibus ſolebat aqua inueniri ſufficienter, æſtatis feruore nimio ſiccatus eſſet. Cumque Rex & totus exercitus eius aquarum penuria multum affligeretur, ſubito de terræ viſceribus aqua miraculoſe in tantum excreuit, & ſine pluuia, vt vſque ad cingulos equorum attingeret, & totus refocillaretur exercitus eorumque animalia. Tandiu autem durauit, quamdiu Rex ibidem in obſidione fuit. Poſt paucos dies caſtrum cæpit, & Ludouico conſanguineo ſuo filio Comitis Theobaldi dono dedit. Ipſo vero recedente, aquæ quoque ad priorem locum reuerſæ ſunt, nec poſtea comparuerunt. Egreſſus inde Rex venit, & obſedit montem Tricardum, quem cum labore cæpit, & turrim euertit. Deinde Paluellum, & Monteſorium, & Caſtelletum cæpit, & rupẽ Vuillebaldi, & quicquid iuris Angliæ Rex in tota habebat Auernia ſibi ſubiugauit. Quo viſo Rex Angliæ per Marchiam Normanniæ verſus Giſortium exercitum ſuum reduxit, per quam ſcilicet Marchiam tranſiens caſtrum Droconorum incendit, multaſque villas campeſtres deſtruxit. Rex autem Philippus inſecutus eſt eum, & in ipſo tranſitu cæpit Vindocium. Perſecutus eſt autem Regem vſque ad caſtrum, quod dicitur Thron, de quo ipſum cum filio ſuo Richardo turpiter eiecit, totumque vicum combuſſit. Superueniente autem hyeme, datis inducijs, vterque à bello quieuit.

De diſceſſione eiuſdem Comitis à patre, & qualiter capta eſt vrbs Turonis.

Cap. XLVII.

INterim Comes Richardus à patre ſuo petiit vxorẽ, quæ debebatur ſibi, ſororem ſcilicet Regis Philippi, quæ tradita ei fuerat à patre ſuo Ludouico ad cuſtodiẽdum, & cum ea petiit etiam regnum. Sic enim fuerat in pactis, quod quicunque de filiis Regis Angliæ eam haberet in coniugium, poſt mortem ipſius Regis haberet & Regnum. Hoc ergo Richardus de iure ſibi competere dicebat, quia poſt Henricum fratrem ſuum primogenitus erat. Quod cum Rex ſollicitus nimis hoc facere nollet, iratus Comes à patre recedens ad Regẽ Francorum ſe tranſtulit, & ei homagium faciens fœdus ſub iuramento firmauit.

Richardus Anglus in patrem armatus.

Anno domini 1189. Philippus Rex exercitum apud Vegentum duxit, & firmitatem Bernardi cum aliis quatuor firmiſſimis caſtellis cæpit, vrbẽque Cenomãnis, de qua Henricum Regẽ Angliæ cum 700. militibus armatis turpiter fugauit, & perſecutus eſt eum vſque Chinoniũ, Cenomanniſque reuerſus turrim fortiſſimã ac bene munitam muro per minartos quos ſemper ſecũ ducebat ſuffuſo laborioſe cæpit. Deinde verſus vrbem Turonis exercitum duxit, vbi ſuper Ligerim fixis tẽtoriis ipſe ſolus aquas fluminis cu lancea tentans, quod auditũ à ſæculo nõ fuit vadum inuenit. Poſitiſque ſignis à dextris, & à ſiniſtris, vt inter illa totus poſt eum exercitus tranſuadaret primus ante omnes tranſiuit. Videns aute exercitus aquarum diminutionem ſubito miraculoſe factam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

statim collectis tentorijs omnes per vadum secuti sunt Regem. Omnibus autem transmissis, aquæ reuersæ sunt ad statum priorem. Quod videntes Turonenses timuerunt Regem. Rex autem dum immunita ciuitatis circumquaque consideraret, Ribaldi eius qui primos impetus in expugnandis munitionibus facere consueuerāt, ipso cernente, per muros cum scalis ascendentes, vrbem ex improuiso cæperunt. Tunc Rex cum exercitu totam vrbem recepit, ibique custodes posuit.

De obitu regis Henrici, & initio Richardi, & quibusdam alijs.

Cap. XLVIII.

Nota obiter tandem Deū D. Thomæ eadem vlciſci.

VOlutis autem 12. diebus, obijt apud Chinonem Rex Henricus dolore nimio, vt aiunt, absorptus, eo quod se videret à Rege Franciæ sic oppressum, & à suo quoque filio, qui ad eundem Regem confugerat derelictum, qui in omnibus satis prospere egit vsque ad tempora Philippi Regis, quem dominus, quasi frænum in ore eius posuit pro vindicando sanguine beati Thomæ martyris. Sepultus est autem apud fontem Ebrardi in abbatia monialium multis à se redditibus & muneribus ampliatum. Et successit filius eius Richardus Comes Pictauensium. Ad cuius primum ingressum apud Gisortium eodem an. o totum castrum flagrauit incendio. Sequenti autem die in ingressu ipsius castelli, pons ligneus sub pedibus eius fractus est, omnibus socijs eius libere transeuntibus, ita quod ipse cum equo suo cecidit in fossatum. Post paucos dies pax, quæ inter Reges Philippum, & Henricum scilicet fuerat interlocuta, per Richardum & Philippum est consummata. Cui etiam tunc Philippus vrbem Turonis & Cenomannis reddidit pro pacis bono. Et etiam castellum Radulphi cum toto udo suo. Qua de causa Richardus Philippo fœudum Crasiaci totum perpetuo quitauit, & omnia fœuda, quæ habebat in Auernia.

Eodem anno obijt vxor Philippi Elisabeth Regina, & in ecclesia beatæ virginis Parisiis est sepulta. Rauennatensis & Pisanus Archiepiscopi cum multo populo, & Fridericus Imperator cum filio suo duce Sueuiæ transmarinum iter arripiunt.

Anno ergo prænotato fuit ingens peregrinorum motio ac de diuersis partibus per mare per terras partes adeunt transmarinas. Præfati vero Archipræsules cū magno agmine de Italia transfretātes appulsi Tyrum, Tyrensibus fiunt non modicum adiumentum. Imperator etiam imperii sui fines egreditur cum multitudine infinita rerum omnium affluenter instructa. De Phrisia, & de Dacia naues 50. fœderatæ pariter eandem peregrinationem arripiunt. De Flandria quoque 37. rates cum apparatu grandi secutæ sunt. Sed & de Francia & de Campania pergunt Hierusalem illustres viri, tituliſque militiæ glorioſi. Cumque multa millia nostrorum apud Tyrum existerent Achon petunt, & obsident. Et ecce Saladinus cum multis milibus accurrit, vt obsessis succurrat, & obsessores impetat. Cumque nostri hostium assultus assiduos ferre non possent, valla & aggeres in gyro castrorum extruunt, & sic tutiores existunt; post hęc pugnam acerrimam cum hostibus conferunt, multique nostrorum occumbunt. Multis itaque diebus in Ptolomaidis obsidione morantes multas patiuntur calamitates, vel per incursus hostium, vel per aeris inclementiam, vel per victualium indigentiam, siquidem & à facie & à tergo hostilis imminebat obsidio, & aeris intemperies tanta fuit, & inundatio pluuiarum, vt pro nimia humectatione corrupta cibaria deperirent, & innumeris etiam morbo dyssenterico laborantes obirēt. Miranda proinde ac perpetuo memorāda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita non defecit, sed permansit infracta. Rege Siciliæ mortuo sine hærede Siculi faciunt Regem Tancredum, & Henricus Imperatoris filius se dicit hæredem esse ratione vxoris suæ, videlicet sororis dicti Regis, & etiam ex pacto promissionis: sicque mors illius Regis inestimabile detrimentum intulit omnibus.

Fridericus Imperator sacra arma induit.

Gulielmi secundi Siciliæ regis mors.

De ordinatione Regni Philippi, & testamento eius.

Cap. XLIX.

ANno Domini M. 190. Rex Philippus iter transmarinum arripere cupiens, Parisiis conuocatis amicis & familiaribus testamentum condidit, & Adelæ matri suæ, & Guillelmo Remensi Archiepiscopo auunculo suo pro tutela & custodia totum regnum Francorum cum filio suo Ludouico commendauit. Ipsius autē regni ordinationem fecit statuens, vt balliui sui per singulas terras positi in balliuis suis singulis mensibus assistentiam vna die tenerent, in quo omnes qui clamorem facerent, ius suū per eos sine dilatione reciperent. Guillelmus etiam Archiepiscopus, & Adela Regina nihilominus vnum diem Parisiis singulis quatuor mensibus statuerunt, in quo clamores hominum regni audirent; ibique eos ad honorem Dei & vtilitatem regni terminarent. Prohibuit etiam vniuersis Prælatis & hominibus suis, ne quamdiu esset in seruitio Dei taleam vel exactionem darent. Et si eum mori contingeret, ne similiter hoc facerent, donec Ludouicus filius eius ad ætatem veniret, in qua per Dei gratiam regnum regere posset. Quod si aliquis eidem filio guerram mouere vellet, & sui etiam redditus non ei sufficerent, homines ipsius, & de corporibus suis, & de peculiis auxilium ei facerent. Præpositis insuper & balliuis suis prohibuit ne aliquem hominem, vel eius peculium caperent, quamdiu bonos fideiussores dare vellet, & de iustitia in curia Regis prosequenda nisi pro homicidio, vel mulcta, vel raptu, vel proditione. Præterea præcepit, vt omnes redditus eius, & obuentiones, & seruitia Parisiis afferrentur per tria tēpora scilicet ad festum sancti Remigii, ad Purificationē, ad Ascensionem. Et si eum in via mori contingeret Regina & Archiepiscopus, & Episcopus parisiensis cum aliis tribus viris thesaurum suum in duas partes diuiderent. De quarum vna pro arbitrio suo ad reparandas ecclesias per * guerras ipsius destructas distribuerent, & illis qui per talia nimis depauperati essent. Residuum autem eiusdem partis pro anima sua, & antecessorum suorum darent, quibus vellent, & quos magis egere crederent. Aliam vero mediam partem ad opus filii sui Ludouici custodirent. Sed & ciuibus Parisiensibus præcepit vt vrbs Parisius, quam multum diligebat, optimo muro, cum canerlis & portis diligenter clauderetur, quod & factum est in breui spacio; sed & hoc idem in aliis vrbibus, & castellis per totum regnum mandauit fieri.

Taleas tributa vulgo dicimus.

Constitutiones Philippi sacram militiam suscipientes.

* *ideſt Bella.*

De transfretatione duorum regum vsque ad Achon.

Cap. L.

SIc igitur ordinato regno, peraque & baculo peregrinationis insignibus acceptis in ecclesia, scilicet beati Dionysii ab Archiepiscopo Guillelmo, Viceliacū perrexit: ibique Baronibus dimissis vsque ad ianuā venit, vbi naues & victui necessaria parari fecit, Rex autem Richardus apud Messanā cum suis mare intrauit, processeruntque duo Reges cum agmine infinito, & apparatu incredibili, ac proceres fere vniuersi. Inter quos fuerunt Odo Dux Burgundię, Philippus Comes Flandriæ, Henricus Campaniæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus sacri Cæsaris, sed & Archiepiscopi episcopique quam plurimi, & qui alicuius in militia habebantur nominis, diuerso quidem tempore, sed eodem anno iter arripiunt peregrinationis. Tantamque aliquando motionem populorum fuisse nulla meminit ætas, nullaque refert historia. Diuersos itaque portus adeunt, naues ascendunt. Cum autem venisset Rex Philippus apud Massanam vrbem honorifice receptus est in palatio

Regis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Regis Tancreti, qui & de victualibus suis abundanter ei donauit. Illic itaque natale Domini celebrauit,& militibus terræ suæ , qui res suas orta in mari tempestate perdiderant, multa & magna dona tribuit, Rex autem Angliæ cum eum Rex Philippus quasi hominem suum compelleret, vt sicut iurauerat cum eo mare transiret, in passagio Martij noluit, sed vsque ad Augustum deferri. Sororem quoque Philippi, quam de iuramento tenebatur vxorem ducere, recusauit. Rex ergo Philippus prosperis ventis applicuit Achon in vigilia Paschæ,vbi cum multis lachrymis & gaudio quasi Angelus domini receptus est ab his, qui scilicet longo tempore federant in eius obsidione. Fixisque tentorijs & fabricata domo, tam prope muros vrbis, vt vsque ad eam, & vltra frequenter hostes quarellos & sagittas emitterent. Absente siquidem Rege Angliæ noluit * assilire. Condixerant enim,quod non nisi pariter assilirent, sed erectis petrariis suis,& mangonellis, & alijs ingenijs ante aduentum eius tantum de muris eius fregerat, quod ad eam capiendam non nisi assultus deerat , Rex autem Angliæ per mare cum suis veniens,cum transiret per insulam Cypri , inuenit quendam pseudo Imperatorem eidem insulæ dominantem, ipsamque cum Imperatore suo & eius filia cæpit, omnesque thesauros ipsius asportauit. Insula vero de suis hominibus munita proficiscēs obuiam habuit nauem vnam Saladini, quæ veniebat in succursum Achon ciuitati miro modo munita. In qua erant infinitæ phialę plenæ igne Græco, & balistæ 250. & arcuum, & armorum copia maxima. Erantque ibi bellatores fortissimi, qui omnes à Rege Angliæ & suis sunt interfecti, & nauis confracta periit. Aliam quoque nauem eiusdem apud Tyrum cæperunt Franci,in qua erat armorum copia, quæ similiter veniebat ad succursū Achon. Rex autem Angliæ cum venisset Achon,& omnium esset voluntas,vt assultus fieret , suos ire non permisit, sed & Pisanos cū quibus iuratus erat assilire prohibuit,& ob hoc Rex Philippus suos à iuramento quod de exercitu regendo fecerat absoluit.

* *idest expugnationē tentare.*

De morte Friderici in itinere Transmarino, & successione Henrici.

Cap. LI.

EOdem anno Fridericus Imperator cum filio suo & vniuerso exercitu veniens in partes transmarinas obiit inter Niceam Bityniæ vrbem,& Antiochiam,non minimam christianis relinquens mæstitiam. Hic nempe miles strenuissimus Soldanum Iconij,qui ei promissum hon soluit,persecutus est,castra eius diripuit, & Turcas miserabiles in angustiis inuentos debellauit. Denique fluuium transiens equo cecidit , & vix extractus paulo post obiit. Moriens autem totum exercitum suum filio suo Duci Bohemiæ reliquit. Qui cum paucis de terra Turcarum euadens,cum illis Accium venit , vbi & ipse breuiter naturali lege vitam finiuit . Friderico autem succesſit filius eius Henricus strenuus in agendis, acer in hostes, & cum omnibus accedentibus ad eum largus & mirificus. Sumpsit autem imperium anno ab incarnatione Domini 1190.ab initio vero mundi 505. & imperauit annis 7.

Henricus Sextus Imp. an. Christi 1190. Mund. 5051.

Anno sequenti obiit Clemens Papa 3. cui succesſit Cælestinus natione Romanus. Hic die Paschæ cōsecratus in Papam , in crastino præfatum Henricum consecrat Imperatorem.

Eodem anno Mēse Iunio ac Iulio tanta intemperies aeris ex nimietate pluuiarum facta est,vt segetes in cāpis priusquam colligi possent,in spicis ac folliculis suis germinarent,porro 23.die Iunij Regibus existentibus in obsidione Accij fuit Eclypsis Solis in 7.gradu Cancri & durauit per 4.horas.

In sequenti autem Mense 10. Calendas Augusti,Ludouicus filius Philippi Regis grauissime Parisijs vsque ad vitæ desperationem ægrotauit; quem totus conuentus Sancti Dionysij clauum & coronam Domini secū ferens cum processione cleri & populi nudis pedibus incedens, & preces Domino cum lachrymis fundens, visitauit. Cui Mauritius episcopus cum multitudine cleri,& populi pari forma vsque ad Sanctum Lazarum occurrit , & illis se coniungens ad palatium Regis venit, ibique facto sermone ad populū,& oratione fusa, puer sacris reliquijs in modum crucis attactus à periculo liberatus est ; sed & ipsa die serenitas & temperies aeris multo tempore amissa restituta est.

Ludouicus Filius Regis Francorum à morbo liberatur.

Eodem anno Leodiensis episcopus à facie Imperatoris fugiens , dum apud Guillelmum Remensem Archiepiscopum moraretur, ab eiusdem Henrici legatis in dolo est interfectus, quia contra eius voluntatem canonice fuerat electus,& consecratus.

Eodem anno Comes Theobaldus Franciæ Senescallus, & Comes Clarimontis , & Comes Particensis , & Dux Burgundiæ,Philippus quoque Comes Flandriæ in obsidione Accii mortui sunt . Et quia Comes Flandriæ alium non habebat hæredem , terra eius ad Balduinum nepotem suum filium Comitis Hannonensis deuoluta est, qui postmodum Imperator Constantinopolitanus factus est.

Episcopi Leodiensis mors.

De deditione vrbis Achon, & reditu Regis Philippi.

Cap. LII.

PORro Rex Richardus in assultibus Achon operabatur remissius. Rex autem Philippus ad destructionē murorum bene laborabat, vrbemque intantū impugnauit, quod custodes Saladini,qui erant ibi scilicet Sunathosium, & Carathosium Satrapas eius cum ingenti armorum copia sub certa pactione ad deditionem ciuitatis coegit. Promiserunt enim iuramento suæ legis astricti tantum corporibus suis saluis dimissis, quod verā domini crucem,quā Saladinus habebat, & omnes captiuos Christianos quos in tota terra suā inuenire possent Regibus Franciæ & Angliæ restituerent. Achon igitur 3.Idus Iulii recepta est à nostris post decursum fere biēnium ex quo obsideri cæperat. Quo audito super hostes irruit timor ac tremor,& Ascalonem ac cætera castella, quæ de manu nostrorum rapuerant, diruunt, vacuaque dimittunt. Igitur tota vrbe reddita, Christiani cum Dei laudibus intrauerunt, & victualia quæ ibi inuenta sunt inter se diuiserunt Reges quoque captiuos omnes æqua lance inter se diuidentes in sortem acceperunt. Rex autem Francorum partem suam Duci Burgundiæ cum multa summa auri & argenti & victualium copia delegauit, eique omnes exercitus suos commisit. Morbus etenim tunc grauissimus eum vexabat. Insuper & Regem Anglię valde suspectum habebat,quia gloriæ illius inuidēs ab omni auxilio opportuno se subtrahebat; nucios quoque frequenter clā ad Saladinū mittebat, & ab eo mutua dona accipiebat. Timens itaque dolum eius, sed magis(vt aiunt) quidam terræ Flandriarum cupiditate ductus contra cupiditatem omnium ferē procerum Francorum à terra sancta recessit, & in Apuliam transuectus illic aliquātulū conualuit. Inde visitās Apostolorū limina, benedictionē à Cælestino Papa accepit, & sic in Franciā rediit. Sed priusquā à terra Sancta recederet, Richardo Regi iuramēto firmauit,quod infra 50. dies postquā in Frāciā reuersus esset, illius terræ nō noceret,Rex autē Richard⁹ trans marē remanēs, captiuos suos qui saluis corporibus se sub prædicta pactione reddiderūt,ad id quod promiserāt copellauit,vt scilicet crucē dominicā, & captiuos Christianos sine dilatione restitueret. Quod quia nō potuerūt ad effectū perducere, Rex irat⁹ 5.millia ex eis, & ampli⁹ decollari fecit retētis maioribus,& ditioribus, à quibus pro redēptione innumerā pecunię sūmā accipiēs,liberos eos abire permisit. Insulā autē Cypri quā in trāsitu suo cæperat pro 25.millibus marcharū argenti tēplariis venalē tradidit,& postmodū eis ablatam, Guidoni quōdam Hierosolymitano Regi iterum vendidit . Ciuitatem Ascalonem multo auri precio paganis petentibus funditus euertit.

Capitur vrbs Achon.

Richardus Philippo suspectus.

Richardus Rex captiuos trucidat.

De Iudæis apud Braiam combustis, & de Sancto Guillelmo presbytero, & falso rumore Arsacidarum ad Regem Philippum.

CAP. LIII.

PHilippus autem Rex in Franciam reuersus, dum esset apud Sanctum Germanum in Laya audita cuiusdam Christiani morte ignominiosa ab ipsis Iudæis perpetrata, Christianæ religioni compatiens, familiaribus suis ignorantibus quo iret, subito iter arripuit apud Braiam velocissime veniens, positis in portis ipsius castri custodibus, comprehensisque Iudæis 80. & amplius comburi fecit. Comitissa etenim ipsius castri muneribus eorum corrupta, tradiderat eis quendam Christianum, cui falso imponebant furtum & homicidium, hunc igitur antiquo odio commoti, manibus à tergo ligatis, spinis coronatum per totam villam fustigantes duxerunt, & postea patibulo suspenderunt.

Prodigia in cælo visa.

Eodem anno pridie Idus Martij apud Nogentum in partico, militum acies ex aere descendentium in terra visæ sunt, ibique facta inter se mirabili pugna subito euanuerunt. Porro 20. die Nouembris fuit eclypsis Lunæ duabus horis.

In anno sequenti 6. Idus Maij apud Pontizaram Guillelmus sacerdos nomine Anglicus, vir charitatiuus sanctitate vitæ pollens ac moribus, & officii sui prosecutor vigilantissimus, migrauit ad Dominum in processione rogationum. Ad cuius sepulchrum tempore mortis eius, operante Deo multa miracula facta sunt, cæci illuminati, claudi curati, aliique multi à diuersis morbis sanati. Vnde & fama tanti viri per orbem diffusa, de diuersis partibus causa peregrinationis ad locum illum multos fecit venire.

Eodem anno Regi Philippo de transmarinis partibus literæ sunt allatæ, quod ad ipsum interficiendum per suggestionem Richardi Regis Angliæ mittebantur Arsacidæ. Interfecerant enim eo tempore Marchisiũ Regis consanguineum vltra mare, qui terram sanctam antequam illuc reges venirent, mira regebat strenuitate. Hinc Rex Philippus cum multis diebus sollicitus permaneret, tandem habito consilio misit nuncios ad Vetulum Arsacidarum regem, vt per ipsum rei veritatem cognosceret, interim tamen instituit corporis sui custodes, claues æneas semper in manibus portãtes, ac per totã noctem alternati circa eum vigilãtes, reuersis autem nunciis per literas Vetuli Arsacidæ rumores falsos esse cognouit, & sic à falsa suspicione quieuit.

De reditu Regis Richardi in Angliam, & electione Henrici in Regem Hierusalem.

CAP. LIV.

Richardus Rex in reditu multa aduersa patitur.

REx autem Richardus ad terram suam redire disponẽs Henrico nepoti suo iuueni Campaniæ Comiti exercitum suum tradidit, totamque terram transmarinam quam tunc Christiani tenebant ei dimisit, & ingressus mare naufragium patiens cum paucis euasit. Quidam autem Comes Marmardus de Gorre, populusque regionis illius, audito quod in terra erat, ipsum insecuti sunt, eoque in fugam verso, milites octo de suis cæperunt. Sed & cum transiret per episcopatum Salaburgensem, Fridericus quidam 7. milites de suis cæpit. Eundemque Lupoldus Austriæ Dux obseruata strata, & positis vbique custodibus inuentum in domo despecta captiuauit, & omnibus bonis spoliatum Henrico Imperatori tradidit; à quo iniuste fere per annum & dimidiũ detentus, multisque expensis & variis exactionibus grauatus, tandem datis 200. millibus marcharum argenti pro redemptione, per mare in Angliam transuectus est. Timebat enim transire per terram Francorum, quia valde Regem habebat offensum. Præfatus autem Henricus vtriusque Regis nepos ex parte sororis, videns terrã Sanctam desolatam, pietate motus, maluit ibi in labore cum suis remanere, & si locus se offerret animam suam pro Christo ponere, quam ad terram suam cum rubore redire. Quod videntes milites templi, & hospitalis, & peregrini, qui ibi erant scilicet e us in Domino constantiam, ipsũ in Regem vrbis sanctæ vnanimiter elegerunt, & filiam Hierosolymitani Regis ei dederunt.

Henricus Campaniæ comes Rex Hierosolymorum designatur.

Anno domini 1193. Rex Philippus exercitu collecto cœpit Gisortiũ, & paulopost totum Vulcasinũ Northmannicum, quod Rex Angliæ iniuste possidebat.

Eo autem tempore Saladinus obiit apud Damascum. Cum autem sciret sibi mortem imminere, signiferum suum vocauit dicens: Tu qui soles ferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis meæ scilicet panniculum vilem per totam Damascum super lanceam clamitando. Ecce Rex orientis moriens nõ fert secum nisi hoc pallium vile, & sic mortuus est. Huic enim successerũt duo filij sui, Saphadinus super Syriam, & Meralucus super Ægyptum. Verumtamen inter eosdem, & Saphadinum. qui fuerat Saladini frater, de regno diutius concertatum est.

Eodem anno in festo Beati Dionysij, quidam puerulus subito mortuus ad ecclesiam eiusdem martyris à parentibus deportatus, & ante corpora sanctorum super altare positus, meritis eorum coram vniuerso populo resuscitatus est.

Quidam puerulus resuscitatur.

De secundo coniugio Philippi Regis, & quibusdam euentibus illius temporis.

CAP. LV.

IIsdem temporibus misit Rex Philippus Stephanum Nouiomensem episcopum ad Canutũ Regem Danorum, vt vnam de sororibus suis ei mitteret, quam ille acciperet in coniugium. Quod ille gratanter accipiens Vigeburgem ei tradidit puellam sanctam & bonis moribus ornatam. Hãc Rex apud Atrebatum in legitimam vxorẽ duxit, & in Reginam coronari fecit: sed mox instigante diabolo Rex ipse, vt dicitur, à quibusdam maleficiis per sorciarias impeditus, vxorem tandiu cupitam exosam habere cæpit, nec multopost consanguinitatis linea per Carolum Flandrensium comitem ab episcopis & Baronibus computata, matrimonium separari fecit. Regina tamen ad Danos redire nolens, in locis Galliæ religiosis manere decreuit, malens coniugalem continentiam perpetuo seruare, quam alij iuncta, prima matrimonij fœdera maculare. Sed quoniam huiusmodi cõiugium dicebatur iniuste dissolutum, Papa Cælestinus ad conquestionem Danorum misit duos legatos in Frãciam, Meliorem scilicet presbyterum cardinalem, & Censium Subdiaconum. Qui Parisiis conuocato concilio de reformando coniugio tractauerunt, sed pelli suæ timentes, ac tepidius agentes nihil ad profectum duxerunt.

Sorciariæ sunt mulieres maleficæ quæ dæmonibus deuouerunt se.

Eodem anno 4. Idus Nouembris fuit eclypsis Lunæ vniuersalis, & durauit duabus horis. In Mense autem Februario Rex Philippus intrauit Northmanniam, & cæpit vrbem Ebroicam, & Nouumburgum, & Vallemruolij, & alias plures munitiones. Rothomagum quoque obsedit, sed nihil ibi se proficere videns, iratus combustis petrarijs, & mangonellis suis, & aliis ingeniis recessit.

An. Christi 1194.

Anno Domini 1194. Michael Decanus Parisiensis in Patriarcham Hierosolymitanum est electus, vir in regẽdis scolis Parisiis, & in largiẽdis eleemosinis, & aliis pluribus bonis floridus, sed Domino aliter ordinante post 15. dies à clero Senonensi iterum est electus, ibique in Archiepiscopum est consecratus. Carnotum autem populosa ciuitas exustione subita exarsit. Illoque incendio insignis ecclesia Beatæ Virginis cum toto clausstro conflagrauit & corruit, vbi reliquiarum & hominum multitudo necnon & ornamentorum congeries immensa deperiit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De guerra duorum Regum ad inuicem, & de tempestate mirabili.

Cap. LVI.

Philippus Northmanniã vastat.

PHilippus autem Rex iterum Normanniam ingressus Vernolium obsedit, & parte murorum destructa, audiens nuncium, quod à Northmannis vrbs Ebroica, quam tenebat munitam, capta esset, iratus ab obsidione recessit, & fugatis Normannis ipsam vrbem funditus euertit, necnon & ipsas Dei ecclesias in spiritu vehementi contriuit.

Eodem anno Guillelmus Lencestriæ Comes vir fortis & magnanimus à Rege Philippo captus est, & Stampis in carcere positus. Iterum Rex Angliæ Lochias cæpit, & canonicos Sancti Martini Turonẽsis eiciens, rebus suis spoliauit. Quo audito Rex Philippus versa vice omnes ecclesias terræ suæ pertinentes, ac episcopatus vel Abbatias terræ illius cæpit, & quorundã prauorum hominum instinctu monachos & clericos ibidem Deo famulantes eiecit eorumque redditus in vsus proprios transtulit. Itaque Philippus & Richardus Reges à pristina simultate non quiescunt, sed implacabili odio se inuicem persequuntur, & maxime in regionum suarum finibus, multas grauesque direptiones ac frequentes incursus faciunt.

Horrenda in Gallia prodigia.

Eodem anno in pago Beluacensi inter Clarummontem, & Compendium tantæ pluuiæ cum tonitruis & fulminibus & tempestatibus factę sunt, quantas nulla memorat hominum antiquitas. Lapides enim ad quantitates ouorum quadranguli mixtim de cœlo cum pluuia cadentes, arbores & fructiferas vineas & segetes penitus destruxerunt. Villæ quoque in pluribus locis à fulminibus destructæ & combustæ sunt. Corui etiam, quam plures cum huiusmodi tempestate nisi sunt in aere, de loco ad locum volantes, & cum rostris suis viuos carbones portantes, ac domos incendentes, sed & vtriusque sexus homines ictu fulminum interierunt, & alia multa horrenda ea die monstrata sunt. Ipsa etiam die in episcopatu Laudunensi castrum quoddam, scilicet Caluum montem audiuimus à fulminibus destructum.

Eodem anno Imperator totam Apuliam, & Calabriam, & Siciliam, quę iure hæreditario ex parte vxoris eum contingebant, imperio suo subiugauit, Raimunduque Tolosæ Comes obiit, cui filius eius eiusdem nominis successit, Regisque consanguineus Francorum ex Constantia Sorore Ludouici Regis. Aerisque insolita commotio facta est; turbines & tempestates & grãdines, vineas & messes destruxerunt. Vndè in sequenti anno fames valida insecuta est.

De alternatione treugæ, & guerræ inter duos Reges.

Cap. LVII.

An. Christi 1195.

ANno Domini 1195. redditæ sunt treugæ à Rege Angliæ, & guerra denuo incæpta. Tunc Rex Philippus vallem Ruollii, quam munitam tenebat, funditus euertit, & post paucos dies sororem suam, quam Rex Anglię Richardus emiserat Comiti de Pontino in vxorem dedit.

Bellum Anglicum recrudescit.

Eodem tempore Rex Moabitarum cum multitudine infinita Hispaniam intrauit, & terras Christianorum vastauit. Cui Hildefonsus Rex Castellæ cum exercitu occurrit, & pugna commissa victus ab eis cum paucis euasit. In quo bello plusquam 5000. Christianorum cæsa fuisse dicuntur.

Eodem anno Sacerdos quidam Fulco nomine cæpit in Galliis prædicare, multosque ad vsurarum restitutionem adducere. Cum autem Rex Philippus exercitum in pago Bituricensi iuxta Isoldunum collegisset, & Rex Angliæ cum exercitu suo in oppositam partem staret, & vterque exercitus ad pugnandum armis accingeretur, operante Deo contra omnium opinionem ita factum est, quod Rex Angliæ depositis armis, cum paucis ad Regem Francorum venit, ibique coram omnibus pro ducatu Normanniæ & comitatu Pictauensium, & Andegauensium homagiũ ei fecit, & de pace seruanda deinceps vterque Rex iuramentum ibi præstitit.

Anno Domini 1196. in Martio subita & nimia aquarum & fluminum inũdatio facta pluribus in locis villas destruxit, & homines habitantes in eis extinxit, pontes etiam fluminis Sequanę confregit. *An. Christi 1196.*

Eodem anno Philippus Rex duxit vxorem Mariam nomine, filiam ducis Morauiæ & Bohemiæ Marchionisque Histriæ.

Qualiter Rex Philippus cæpit Gisortium, & de morte Mauritij episcopi.

Cap. LVIII.

POst breue tempus Rex Richardus postposito iuramento castrum Milionis in pago Bituricensi dolo cæpit, & funditus euertit. Ob hoc Rex Philippus collecto exercitu * Albammalliam obsedit. Vbi dum moram facerent, Rex Angliæ castellum Nouẽcort data pecunia militibus ipsum custodientibus recepit. Rex autem Philippus prædictum castrum erectis petrariis, & aliis ingeniis per septem hebdomadas, & amplius impugnauit, donec fracta turri & muris, interiores bellatores ad deditionem coegit. Cumque castrum solo tenus destruxisset, Nouemcort obsidens in breui cæpit, & Comiti Roberto custodiendum tradidit. * *al. Dammalliam.*

Eodem anno venerandæ memoriæ Mauricius Parisiensis episcopus pater pauperum & orphanorum fœliciter migrauit ad Dominum. Hic inter innumera bona, quæ fecit, quatuor Abbatias fundauit, & de propriis sumptibus dotauit, scilicet Heriuallem, Heremitias, Heredam, & Giph. Et quia de resurrectione corporũ multi tempore suo dubitabant, quam firmissime credidit, moriens rotulum scribi mãdauit scripturam huiusmodi continentem. *Credo quod redemptor meus viuit, &c.* Hunc igitur in extremis agens super pectus suum præcepit extensum poni vt ab omnibus ad eius sepulturam conuenientibus posset legi. Huic successit Odo natione Saliacensis, frater Henrici Archiepiscopi Bituricensis, moribus & vita longe à suo prædecessore dissimilis.

Anno Domini, millesimo 197. Balduinus Comes Flandrensis, qui in anno præcedenti Philippo Regi homagium apud Compendium fecerat, ab eius fidelitate manifeste recedens, Richardo Regi Angliæ confœderatus est, ipsum etiam Regem Francorum, & terram eius grauiter persecutus est. Similiter & Reginaldꝰ filius Comitis Domini Martini cui & maxima dilectione Comitissam Boloniæ cu comitatu suo dederat Rex in vxorem. *An. Christi 1197.*

De morte Imperatoris Henrici, & exaltatione Othonis, & prædicatione magistri Fulconis cum socijs eius.

Cap. LIX.

EOdẽ anno, scilicet ab incarnatione Domini 1197. ab initio vero mundi quinto millesimo 58. Romanorum Imperator Henricus obiit, qui per tyrannidem suam Siciliam sibi subiugauerat, multosque magnos & nobiles viros ibidem peremerat; contra religionem quoque Christianam archiepiscopos, & episcopos trucidauerat, & contra Romanam ecclesiam semper tyrannidem exercuerat. Qua de causa Innocentius tertius, qui eodem anno in papatu Cælestino successit in promotione Philippi fratris ipsius Henrici aduersarius fuit, & omnes eius fautores excommunicauit. Othoni vero Duci Saxoniæ, viriliter adhæsit, & eum Aquisgrani in Regem Germaniæ coronari fecit. Interea Vngariæ Regina Philippi Regis Francię soror, cum post

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Margarita Hungariæ regina & Henricus cāpanus Ptolomai demoriuntur.

mortem viri sui multo apparatu partes trāsmarinas peteret, iamque Ptolomaidem appulisset, paulopost defuncta est. Sed & in eadem vrbe iisdem diebus supradictus Comes Trecensis Henricus nepos eius, qui Rex in terra sancta fuerat constitutus, dum superiori cænaculo palatij sui fenestræ cuidam imitendo se applicaret, miserabili præcipitio collisus expirat. Cuius mater nomine Maria atque soror Philippi Regis Francorum ex parte patris, & etiam soror Richardi Regis Angliæ ex parte matris erat, & comitatum Campaniæ satis strenue viriliterque regebat, cum de filij morte ac sororis suæ Reginæ Hungariæ nuncium accepisset, nimis indoluit, & non multo post obijt; eiusque filius indolis egregiæ Theobaldus nomine, in comitatu succedit.

Petrus Parisiensis moritur.

Eodem anno Petrus cantor Parisiensis tā vita, quam doctrina conspicuus obiit, amator pietatis atque iustitiæ, apud cænobium Longi-pontis in magna deuotione sanctaque confessione migrauit à corpore.

Eodem anno scilicet à principio prædicationis prædicti Fulconis anno 3. Dominus multa miracula per eum operari cæpit, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis quoque gressum restituit.

An. Christ. 1198.

Anno Domini 1198. Fulco alium sacerdotem nomine Petrum Roisiaco ad officium sibi prædicationis sociauit, virum literatum & bonum, qui multos à peccatis luxuriæ, & vsuræ reuocauit. Meretrices quoque publicas ad coniugalem continentiam quasdam prouocauit, quædam vero coniugiū respuentes, & soli Deo seruire cupientes, sumpto religionis habitu, in noua Abbatia Sancti Antonii prope Parisios collocatæ sunt, quæ causa illarum eo tempore fundata fuit; aliæ vero diuersis peregrinationibus & laboribus se exposuerunt nudis pedibus incedentes. Præter hos etiam Herluinus monachus Sancti Dyonisij sacris literis eruditus, in cismarina Britannia prædicauit, per quem innumera Britonū multitudo crucem Domini assumpsit. Subitoque non expectatis aliis peregrinis mari transito, apud Achon eodem monacho ductore peruenerunt, sed ibi rectorem non habentes in multas partes diuisi, nihil ad profectum duxerunt.

De quibusdam euentibus admirandis, & pugna duorum Regum.

Cap. LX.

Miracula multa patrantur.

Hoc autem anno multæ nouitates apparuerunt. Apud Rosetum in Bria, in sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum est in sanguinem, & panis in carnem.

In Vermendesio quidam miles, qui mortuus fuerat, reuixit, multaque futura multis prædixit, & postea etiā sine cibo & potu longo tempore vixit.

In Gallia circa festum Ioannis Baptistæ ros in nocte de cælo cadens, mellitas spicas segetum infecit, ita vt multi eas in ore ponentes odorem mellis aperte sentirent. Mense autem Iulio orta est tempestas valida, tantæque magnitudinis lapides de cœlo ceciderunt, quod à Trebaco vsque ad monasterium Chale, & circa loca adiacentia segetes & vineas & nemora penitus destruxerunt.

Philippus Rex Iudæos reducit.

Eodem anno mense Iulio Rex Philippus contra omnium opinionem, ipsiusque Regis edictum Iudæos Parisios reduxit, & ecclesias Dei grauiter persecutus est, nec multo post, scilicet mense Septembri, pœna secuta est. Rex autem Angliæ Richardus cum mille quingentis de militibus armatis, & Cotarellis, ac peditibus innumeris Vulcasinum circa Gisortium vastauit, Corcellas destruxit, pluresque villas campestres incendens prędas eorum abduxit. Rex autē Philippus cum ad Gisortium transire cuperet, sed ei facilis transitus non pateret, cum quingentis militibus tantum per medias acies hostium furibundus irrumpens, & contra hostes viriliter pugnans Dei gratia sanus euasit, & vsque ad Gisortium venit; multis tamen ex militibus suis captis, aliisque fugatis. Ibi enim capti sunt viri nominati Alanus de Rusiaco, Matthæus de Marliaco, Guillelmus iuuenis de Melleto, Philippus de Nautolio, & plures alij. Sicque Rex Angliæ cum triumpho recessit ac prædas diuisit. Rex autem Philippus Normanniam ingressus, eam vsque ad Nouumburgum, & vsque ad Bellum montem Rogerij vastauit, & statim exercitum, vt quibusdam visum est, minus caute dimisit. Quo audito Rex Angliæ cum Cotarellis suis quibus præerat Mercadius de Vulcasino, & de pago Beluacensi prædas magnas duxit, & ipsius vrbis episcopum Philippum nomine, virum in armis strenuum, Philippi Regis consanguineum, & Guillelmum de Melleto acriter insequentes, vt ab eo prædas excuterent, positis insidijs cæpit, longoque tempore carceri mancipauit, Comes autem Flandriæ eo tēpore Sanctum Audomarum cæpit.

Rex Anglia Cotarellis hæreticis vtitur.

De Philippo Imperatore, & Petro Capuensi legato, & morte Regis Angliæ Richardi.

Cap. LXI.

Philippus autem Dux Sueuiæ frater Henrici quondam Imperatoris maximam partem obtinuit, cōtra quem Otho Dux Saxoniæ stetit habens coadiutorem Regem Angliæ Richardum, auunculum suum, Comitemque Flandrensem, & Archiepiscopum Colonien-sem. Rex autem Francorum Philippus, dicto Philippo Regi Alemanniæ, Ducique Sueuiæ confœderatus est, sperans per eum Comitem Flandriæ sibi subiicere, ac Regi Angliæ facilius posse resistere. Inter hæc Innocētius Papa tertius misit in Franciam Legatum, Petrum Capuensem Diaconum Cardinalem ad reformandam inter duos Reges pacem. Qui pacem siquidem reformare non potuit, sed fide duorum Regum interposita quinquennes treugas ab ipsis accepit, quas tamē per obsides impediente Richardo confirmare non potuit.

An. Christi 1199.

Anno Domini 1199. Richardus Rex Angliæ iuxta Lemonicas grauiter vulneratus occubuit, obsederat enim quoddam castrum propter quendam militem ibi manentem, qui thesaurum inuenerat, quem Richardus ambicioſe sibi reddi à Vice-comite Lemonicensi petebat, ad quem miles ille confugerat. Dum ergo Rex castrum illud fortiter impugnaret, balistarius quidam ex improuiso quarellum transmittens, vulnus ei læthale inflixit, & post paucos dies mortuus apud fontē Ebrardi sepultus quieuit. Cui frater eius Ioannes, qui sine terra dicebatur, in Regno successit. Porro Rex Francorum statu rerum in melius mutato, Ebroicam vrbem cæpit, totamque Normanniam vsque Cenomannis vastauit. Arthurus autem adhuc puer Comes Britanniæ nepos Regis Angliæ, cum manu valida veniēs, Andegauēsium Comitatum cæpit, & apud Cænomannis Regi Francorum occurrens homagiū fecit. Alienordis quoque quōdam Regina Angliæ apud Turonenses eidem Regi fecit homagium pro comitatu Pictauensium, qui ei iure hæreditario contingebat.

Anno quoque prænotato Franci cum Venetis Constantinopolim capiūt, & Balduinum Comitem Flādriæ, Imperatorem cōstituunt. Inter hæc Philippus Namurci Comes frater Comitis Flandrensis captus est à Roberto de Bellesio, & Eustachio de Noua-uilla iuxta castrū Leucium cum 12. militibus Regi Philippo traditus cum Petro de Duaco clerico, qui multa mala Regi fuerat machinatus. Electus autem Cameracensis captus fuerat ab Hugone de Hanlecort, pro quo supradictus Petrus Romanæ ecclesiæ legatus totam Franciam sub interdicto posuit. Sed post tres menses habito Rex saniori consilio eundem Petrum ecclesiæ liberum reddidit.

De

De sancto Guillelmo Bituricensi Archiepiscopo.

Cap. LXII.

EOdem anno Henricus Bituricensis Archiepiscopus obiit, cui Guillelmus Abbas Caroli-loci post eum in episcopatu successit.

Ex gestis quæ extant in rubra valle & quæ in compendium redacta habet homus to. 1.

Ex gestis eius. Hic Sanctus genere nobilis à pueritia quidem in Parisiensi & Suessionensi canonicus, ecclesia dum in robur virile maturior excreuisset, molestias sæculi ferre non valens, ruptis earum compedibus ad Grãdimontensem eremum conuolauit. Ibique sinceritate mentis, & conscientiæ puritate aliquamdiu vixit, sed in eodem ordine turbatione suborta, mentis suæ tranquillitati timens, ad Cisterciensem ordinem in Pontiniacensi monasterio se transtulit, ibique professus, & proficiens in virtutibus officium prioratus suscepit. Postmodum ex Abbate Fontis Ioannis ad Carolocense monasterium translatus, ibi per electionem officium Abbatis suscepit: vbique enim subditos in mansuetudine pertractauit, & virtutum exempla propagauit. Tandem licet inuitus in ecclesia Bituricensi pontificali honore sublimatus, oneri succubuit non honori. Suscepit autem prius ordinis obseruantiam non mutauit, humilitatem pristinam & habitum retinuit. Et licet Archiepiscopales ciborum delicias inueniret, vsum tamen sobrietatis antiquæ non deseruit; meditationi & orationi libenter intentus, de animarum cura sibi commissa solicitus, cõfessiones enim earum in multa leuitate suscipiens spiritus confouebat. Prædicationi per se vel per alium sedulus insistebat, cui Dominus etiam illam meritorum gratiam addidit vt viuens miraculis choruscaret. Nam presbyter quidã Girardus nomine, qui vsum sinistræ manus ita omnino amiserat, vt celebrare non posset, ad eum accessit, qui manum eius palpans dixit, vt peccata sua confiteretur & melius se haberet. Post tertium igitur diem ita plene conualuit, quod tertia die celebrauit.

Quidam etiam puer cerebro turbato, & oculis tremorem capitis patiens, cum vehementer angeretur, ad beatum virum à parentibus deducitur. Qui dolori eius compatiens, puero manum imposuit, super caput eius blande palpauit, & tremor omnino cessauit. Erat autem hic sanctus fere semper hilaris & iucundus, quod quibusdam etiam displicebat austeris. Et cum se in huiusmodi socialem & amabilem exhiberet, vitium detractionis quod in locutionis cursu surripere consuenit, viris etiam studiose sibi cauentibus summa intentione vitabat. Ita quod cum occasio detractionis incideret, aut verba detractatoria mutãdo materiam incidebat, aut si verba detrahentis persisterent pænitus absorbebat, nolens pollui audiendo, quæ vix, aut nunquam eum polluere consueuerant in loquendo. Tãdem assumpta Cruce, volens ad fines Albigensium contra hæreticos proficisci, cum itineri necessaria præpararet, infirmitate correptus 5. idus Ianuarij obiit, ac sepultus in Bituricensi ecclesia miraculis statim choruscari cœpit. Quem Honorius Papa III. inquisitione de vita eius & miraculis facta, canonizauit.

Fit archiepiscopus Bituricensis.

De Petro Gorbolicensi, & interdicto Franciæ, & repudiatione Vigeburgis Reginæ.

Cap. LXIII.

EOdem anno quo præfatus Guillelmus ad Archiepiscopatum promotus est, Michael Senonensis Archiepiscopus, vir bonus & Deo plenus ad Dominum migrauit. Cui Petrus de Gorbolio quondam Innocentij Papæ didascalus successit, per cuius manũ & auctoritatem primo Cameracensem sedẽ, deinde Senonensem obtinere meruit. Nec multo post eodem anno apud Diuionem à Præfato Petro Cardinali omnium episcoporum, Abbatum, & Priorum totius regni conuocatum est Concilium. Sed quia regnum Francorum sub interdicto ponere nitebatur, à nunciis Regis ad Romanam sedem est appellatum. Ipse tamen Cardinalis appellationi non deferens, sententiam coram omnibus protulit sed vsque ad 20. dies post Natale non esse publicandam præcepit. Extunc tota terra regni Francorum interdicto subiacuit. Quo audito Rex iratus, quoniam Episcopi sui interdicto faciendo consenserant, ipsos à proprijs sedibus perturbauit, canonicos eorum vel clericos de terra sua eijciens, eorum bona confiscauit. Presbyteros etiam parrochiales eiecit, & per omnia eorum bona diripuit, ad cumulum etiam mali totius Vigeburgem vxorem eius sanctam omniumque suorum solatio destitutam apud Stampas in castro suo recluſit. Sed & milites olim sua libertate gaudentes, & etiam homines ipsorum cruciauit, & tertiam partem omnium bonorum suorum eis abstulit. A Burgẽsibus suis etiam intolerabiles talleas & exactiones extorsit.

Concilium Diuionense contra Philippum regẽ ob repudiatam Vigeburgam celebratum.

Philippi regis inclemẽtia.

Qualiter barones Franciæ properantes ad terram Sanctam, Constantinopolim applicuerunt.

Cap. LXIV.

MOrtuo Rege Angliæ Richardo, Barones quidam Francorum, videlicet Balduinus Comes Flandrensis, Ludouicus Comes Blesensis, Stephanus Particensis Marchisius de Monteferrato, & alij quamplures magni viri ac strenui bellatores pro liberatione terræ sanctæ Crucem acceperunt, & apud Constantinopolim factum memorabile peregerunt. Et vt rei gestæ plenius seriem pandamus, à superiori exordium capimus. Temporibus enim Ludouici Francorum Regis, Emanuel vir sanctissimus & omni magnificentia præclarus apud Cõstantinopolim imperauit. Cuius filio Alexio præfato, Ludouici filia Agnes nomine data fuit in vxorem. Hunc Alexium post patris sui mortem Andronicus Patruus suus regnandi cupiditate illectus, in mari proiectum extinxit, & 7. annis circiter imperauit. Tandem Corezas ex insperato superueniens, ipsum Andronicum in compitis viarum apud Constantinopolim ad stipitem ligatum, quasi signum ad sagittam, propter immensa flagitia sua sagittari fecit, & post eum impetauit. Hic fratrem Alexium in armis strenuum sed iniquum habebat, cui totam potestatem imperij tanquam fratri charissimo tradiderat præter coronam, & ipsius imperij dignitatem. Qui tandem ambitionis inuidia permotus, potentioribus imperij per donaria magna ascitis ipsum fratrem, ac Dominum suum crudeliter excæcauit, sibique nomen Imperatoris vsurpare præsumpsit, excæcati quoque filium incarcerari præcepit. Sed ille Dei nutu de squalore carceris elapsus, à Græciæ finibus ad sororem suam, & Philippum Regem Germanię sororium suum in Alemaniam proficiscens cuidam ex Francis in Italia occurrit. Cumque Franci Venetias decurrissent, competentes nuncios ideth puer destinauit, qui eis patris, & filij lachrimabiliter causam proponerent, promittens etiã se eis daturum 33. millia marcharum argẽti, quibus Venetis tenebantur, necnon & pecuniam, quam pro naulo dederant, si ei succursum præberent, & quod ipse puer cum virtute imperij sui ad liberationem terræ sanctæ cum illis veniret, ac de fisco suo etiam sufficientia exercitui necessaria ministraret. Ecclesiam quoque Constantinopolitanam Ecclesiæ Romanæ subderet & vniret. Vocato igitur puero & iuramento ab eodem recepto, quod promissa nunciorum impleret, statim ventis & mari se comiserunt, & nauigantes Constantinopolim applicuerunt.

Galli & Veneti in sacro bello sociantur.

Imp. Constantinop. ecclesiam Constantinopolitanam se Romanæ ecclesiæ subditurum pollicetur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter vrbs capta est à Francis & Venetis, & Balduinus Imperator est electus.

Cap. LXV.

GRæci autem qui de foris inuenti sunt Francorum audaciam, & firmam in Domino constantiam intuentes, intra vrbis mænia se receperunt. Cumque per 7 dies terra & mari Franci vrbem fortiter obsedissent, & frequenti varioque conflictu victoriam obtinerent, octaua die Imperator egrediens cum sexaginta millibus equitum & infinita multitudine peditum armatorum, ad dimicandum contra Francos acies ordinauit, Franci vero, licet Græcorum respectu paucissimi, cum lætitia tamen congressum expectabant, quia secure de victoria confidebant. Quorum ille proditor, ac tyrannus constãtiam attendens, statim cum suis fugiens intra muros illico se recepit, multis cominationibus, quod in crastinum pugnaret asseuerans, sed nocte sequenti clam aufugit. Porro sequenti die Franci vrbem viriliter impugnauerunt, & cum scalis per muros ascendentes infra muros inter Grecos se audacter præcipitauerunt, ac de illis non minimam stragem fecerunt. Audiens autem Dux venetiarum, quod Francos multitudo Græcorum concluserat eosque morti & exitio dabat cum Venetis, & stolo suo viriliter ad succurrendum venit. Inter quos ipse Dux, licet senex & debilis corpore fortis tamen & fremens animo primus galeatus Francis pugnantibus se adiunxit. Vnde & Francis assumptis viribus ad pugnãdum acerrime recalescentibus, impio proditore cum hæreticis suis paruulos nostros rebaptizantibus fugato ciuitas capitur, pater adolescentis è carcere liberatus, statim in palatio dominatur. Puer autem ipse tam in ecclesia maiori, quam in palatio imperiali solenniter diademate coronatur. Qui adepto imperio sine mora cuncta, quæ promiserat Francis impleuit. Dux quoque Venetiarum, & Veneti sui iurauerant Francis se nauigium exhibituros, & stolum seruaturos, promittentes etiam si Deus illis benefaceret, quod ipsi sperabant, se nunquam ab eis recessuros, nisi ad plenum subiugatis hostibus Iesu Christi. Ad quam promissionem Imperatoris munificentia sunt inducti, quibus 100. millia marcharum argenti exoluit, pro obsequijs hactenus Francis exhibitis, & postea exhibendis. Mortuo denique puero Imperatore in bello, de consilio Ducis Venetiæ cæterorumque principum, cum assensu cleri & populi Balduinus Comes Flandrensis in Imperatorem est electus, & Comes de Alentone postmodum. Ecclesia quoque orientalis, tunc ab Imperatore isto principibus suis annuentibus, Romanæ ecclesiæ tamquam capiti membrũ subdita est & vnita.

Græci latinos adorantur sed cum ipsorum ignominia se recipiunt.

De pace inter duos Reges, & nuptijs Ludouici, & legato Octauiano & reconciliatione Vigeburgis.

Cap. LXVI.

An. Chri. 1200. ANno Domini 1200. in Ascensione Domini reformata est pax inter duos Reges Francorum, scilicet & Anglorum, inter Vernonem, & insulam Andeliaci. In sequenti vero feria secunda Ludouicus Regis Francorum vnigenitus, Blancam Hildefonsi Regis Castelli filiam, & Regis Angliæ neptem duxit in vxorem, pro quo matrimonio Rex Angliæ Ioannes omnes munitiones, & vrbes, & castra, totamque terram, quam Rex Frãcorum cœperat, præfato Ludouico & hæredibus suis **ideſt reuuit* *quitauit. Totam etiam terram cismarinam post decessum suum, si ipsum sine hærede mori legitime contingeret, eidem concessit.

Pax inter Francorum & Anglorũ reges.

An. Chri. 1201. Anno Domini 1201. Octauianus Hostiensis, & Ioannes Velitrensis episcopus, vt Legatus in Franciam venit, cuius admonitione Rex vxorem suam Vigeburgem in qualemcumque gratiam recepit, & superinductam à se ad tempus separauit. Tunc conuocatum est concilium Suessionis ab ipso Octauiano, & Ioanne Legato, cui Rex Philippus interfuit cum episcopis, & Principibus suis, vbi per quindecim dies tractatum est de Vigeburgis Reginæ matrimonio confirmando vel separando. Post multas vero, & varias iurisperitorum disputationes Rex longa mora tædio affectus, cum Vigeburge vxore sua mane ipsis insalutatis recessit, mandans ei per nuncios, quod vxorem suam sicut suam secum ducebat, nec ab ea separari tunc volebat. Quo audito solutum est Concilium stupescentibus Cardinalibus & episcopis, qui conuenerant ad faciendum diuortium. Et Ioannes quidem cum erubescentia recessit. Octauianus autem in Francia remansit.

Rex superinductam relinquens, veram vxorem recipit.

Eodem anno Theobaldus Comes 25. annorum ætatis obiit. Et quia masculum hæredem non habuit, Rex Philippus terram suam sub tutela & custodia recepit. Vnicam enim tantum filiam habebat, sed postea natus est ei filius posthumus, quoniam vxor eius prægnans remanserat.

Eodem anno Ioannes Angliæ Rex in Franciam venit, quem Rex Philippus valde Parisijs honorifice suscepit, eique munera prętiosa multa & varia dedit.

De filijs Philippi Regis ex Maria superinducta, & iterata discordia inter Reges.

Cap. LXVII.

TVnc etiam antequam Octauianus Romam rediret Maria à Rege Philippo superinducta defuncta est. De qua idem Rex filium nomine Philippum & filiam vnam susceperat, quia 5. annis contra legem, & Dei decretum eam tenuerat. Illa vero mortua Innocentius Papa ad petitionem Philippi Regis infantes prædictos legitimos hæredes esse mandauit, & postea literis suis confirmauit. Quod factum eo tempore pluribus displicuit.

Eodem anno Rex Philippus inter Vernonem, & insulam Andeliaci cum Rege Angliæ colloquium habuit, submouens eum tanquam hominem suum ligium, vt pro comitatu Pictauensi, & Andegauensi, & pro ducatu Aquitaniæ post 15. dies à Pascha veniret Parisios super his, quę aduersum eum proponeret, aduersus eum responsurus. Qui quoniam ad diem præfixum nec in propria persona venit, nec responsalem sufficientem mittere voluit, habito Rex Philippus consilio Normanniam ingressus municiunculam, quam Batouant vocant, funditus euertit, deinde Arguellam, & mortuum mare. Tãdem Gornacum cœpit, totamque terram, quam Hugo de Gornaco tenebat sibi subiecit. Ibique Arthurum militem fecit, tradens ei comitatum Britaniæ, qui ei competebat iure hæreditario, adiiciens comitatum Pictauensium & Andegauensium, quos sibi acquireret iure armorum. Sed & 200. milites in auxilium magnamque pecuniæ summam ei tradidit, & sic eum perpetuo in hominem ligium accepit. Qui cum ab eo recessit, Rex Angliæ ei superueniens ex improuiso ipsum cum Hugone Bruno, & Gaufrido de Laudunaco, & postea Vicecomitem Lemonicensem cœpit, qui tamen tres erant ipsius Regis Angliæ ligij homines. Sed quoniam Hugoni Bruno, qui erat Vicecomes Thoarcensis, vxorem suam videlicet filiam Comitis Angolismensis abstulerat, ab eius fidelitate recesserant, & Regi Francorum sub iuramento datis etiam obsidibus confœderati fuerant. Vt autem hyems superuenit, vterque Rex sine pace & treuga marchiis munitis à bello cessauit.

Bellum Anglicum recrudescit.

Hunc Arthurum ante hoc bellum mortuũ scribit Aemil.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De munitionibus aptis à Rege Philippo in Aquitania & Normannia.

Cap. LXVIII.

ANno domini 1102. Rex Philippus cum exercitu Aquitaniam intrauit,& adiunctis sibi in auxilium Pictanensibus,ac Britonibus munitiones multas cœpit. Tunc etiam Comes Alenconius ei confœderatus terrã suam eidem custodiendam tradidit. Reuersusque Rex in Normanniam,Conchas,& insulam Andeliaci,& Vallemruolii cœpit. Inter hæc Innocentius Papa misit Abbatem de Hammarij ad Regem Francorum & Regem Anglię pro reformanda inter eos pace. Qui adiuncto sibi Abbate Triumfontium, vtrique Regi auctoritate Apostolica præceperunt,vt conuocatis episcopis,& Principibus regni,salua vtriusque iustitia,pacem faceret, & Abbatias cæterasque ecclesias pergentes eorum destructas in statum pristinum reformarent. Audito Rex Philippus huiusmodi mandato,causam ad summi Pontificis examen per appellationem inter positam reuocauit. Deinde collecto exercitu Radipontem obsedit,erectisque turribus ligneis in circuitu fortiter impugnauit,& accepit. Post hęc castrum fortissimum Gaillardum à Rege Richardo in excelsa rupe super Sequanam ædificatum obsedit. In qua scilicet obsidione sex mensibus,& amplius moram fecit, ipsumque tandem eum magna pugna cœpit.

Innocentius tertius pacem inter reges componere nititur.

Anno prænotato Fulco presbiter de Melliaco moritur,multique per eum cruce signati post multos labores Venetiam veniunt,sed transitus impeditur,multique obeunt,& multi redeunt,reliquique sua expendunt.

Omnia nostra in oriente ruunt.

Die 30. Maij terræmotus tribus ante Ascensionem Domini diebus,& vox terribilis auditur,magnaque pars vrbis Achonensis cum palatio Regis corruit, & populus multus perit. Tyrus pæne omnino vertitur. Archa oppidum munitissimum ad solum vsque diruitur, Tripolis maxima pars ruit,& plebs plurima suffocatur,Antarados autem illæsa seruatur. In qua B. Petrus Apostolus primam basilicam beatæ Dei genitricis construxisse dicitur. De hinc terræ sequitur sterilitas, & hominum mortalitas. Guillelmus Remensis Archiepiscopus apud Laudunum moritur intestatus;nec multopost etiã Retrochus nepos eius Cathalanensis episcopus negligens in Sacerdotis officio decedit fere simili modo.

Hæc ante bella præcedentia euenisse tradit Aemylius vt ante dictum est.

Ioannes autem Rex Angliæ Arthurum Britanię Comitem filium maioris fratris sui Gaufridi apud Mirabellum capit,cæterisque per obsides liberatis,ipsum, vt fertur,latenter perimit. Super quo à baronibus apud Regem Franciæ accusatus,cuius vasallus erat, cum comparere nollet,post multas citationes per iudicium pium exhæredatus est.

De imperfectione Dauid Indiæ Regis a Tartaris.

Cap. LXIX.

ANno Domini 1202,secundum quosdam, Tartari post occisionem Domini sui exierunt in populorum destructionem. Hi etenim post adhuc in terra sua videlicet Tartaria quæ affinis est Indiæ, residentes contra Regem Dauid Dominum suum videlicet presbyteri Ioannis quondam dominatoris & Imperatoris Indiæ filium conspirauerunt, eumque dolose machinando,interfecerunt. Antea siquidem ab antiquo Tartaria Indiæ Regi fuerat subiecta,eique pacifice & quiete debita,vsque ad tempus illud,exoluerat tributa. Cumque prædictus Rex ab eis tributum solitum expeteret,præcipiens insuper vt in armis, vel in angaria aliqua deseruirent,illi super aggrauationem manus Domini sui conquerentes,inierunt plures consilium,vtrum ei simpliciter obedirent,an ei prout possent obuiarent. Tandem vnus eorum nomine Ingischam, qui sagacior, & antiquior videbatur dedit consilium,vt mandato Regis contradicerent,& omnes vnanimiter in eu exurgerẽt eũque ac suos quos inuenire possent occiderent.

Vretius Tãguischam.

Ad executionem autem inquit,tanti facti oportet, vt omnes in vnum & vnanimiter congregemur,& vnus de quinque;qui super alios quatuor ex omnibus quinariis eligatur,qui quaternio nuncupetur,eiusque præcepto in omnibus obediatur ab illis, & qui non obedierit occidatur. Similiter etiam super 9. fit 10. & super 19. 20. sic vsque ad mille,& etiam vsque ad milies millia. Denique vsque ad infinitum ascendendo, tandem vnus omnes super excellens tanquam Dominus,& Chaam idest Rex vel Imperator habeatur,cui omnes vsque ad mortem per omnia obedire teneantur. Omnes autem consilium hoc concorditer approbantes ipsum in Dominum sibi cum successoribus suis elegerunt, eisque prædictam obedientiam in perpetuum se seruaturos promi serunt,& vsque hodie seruauerunt.

Tartari dominũ presbyteri Ioãnis excutiunt.

Hic igitur electus,altera die conuocatis omnibus, in montem altum ascendit,eosque exhortans ait. Scitis, quod vsque nunc tria in vobis peccata semper inundauerunt,videlicet mendacium, furtum, & adulterium. Nunc ergo ne vindicante Deo in executione hũius facti vel alias in posterum impediamur,de cætero nos omnes à prædictis abstinere ipsi promittamus, ita quod si quis in aliquo eorum prolapsus inueniatur, sine vlla misericordia occidatur. Quod cum omnes se obseruaturos in perpetuum promisissent,licet iam iniquitas mentita sit sibi,præcepit omnes illos armis paratos congregari,eosque in duabus aciebus diuisos vna die à duabus partibus æqualiter à medio terræ distantibus,terram Domini sui Dauid ingredi,ac velociter eam percurrentes nulli parcere sexui,vel ætati. Illi ergo causa seruitutis excutiendæ,triumphique obtinendi,quam plurimum armati de terra sua exeuntes,arcubus & sagittis,clauis,fustibus, & tanquam armis suis potioribus sunt præmuniti,quorum maxima pars erant pedites,minor in bobus equitantes, minima vero in asinis,& iumentis,ac pullis equorum cõsidentes,Domini sui terram simul à duabus partibus inuaserunt,eamque totaliter infusione sanguinis intinxerunt. Rex autem Dauid aduentum eorum audiens improuise,nec vllatenus valens resistere,cum ab vna parte exercitus effugere vellet,ab altera præ uentus est & oppressus,tandemque cum tota familia sua præter vnicam filiam membratim detruncatus,quam videlicet superstitem prædictus Cingischam sibi vxorem accepit, & de ea vt dicitur filios generauit.

Chaã Tartarorum dominus à suis extorquet obedientiam.

Rex Dauid à suis Tartaris occiditur.

De Rabbanta monacho Nestoriano.

Cap. LXX.

RAbbanta vero monachus Christianus, sed tamen Nestorianus;quia viuente Dauid Rege fuit ei familiaris,& fortasse quandoque cõsiliarius, post mortem ipsius Dauid à filia eius vxore Cingischam tandem est euocatus,& eidem occasione antiquæ patris sui amicitiæ,& quia Christianus erat consiliarius ac pænitentiarius eius factus est. Tartarisque familiaris est effectus,ipso tamen duntaxat viuente, & Cingiscam permittente. At illa mortua,factus est idem monachus Tartaris extraneus,& ab eis elongatus. Ipse autem Rabbanta tum mediante Regis Dauid filia,tu etiam mediante curiæ frequentia,multa de consilijs,& factis Tartarorum nouerat,multaque diuinando eisdem reuelabat. Propter quæ nimirum ad tempus ab ipsis est magnus arbitratus, & ab illis,qui curiam Cingischã, & Baronum eius frequentabant sanctus est reputatus. Postea vero in Armeniam maiorem transiit,ibique in Tauris ciuitate per aliquod tempus latuit. Sed sicut postea diligenti inquisitione per fratres Prædicatores, qui de mandato Papæ ad Tartaros ibant, & ad ipsum etiam Rabbantam literas deportabant,ac per viros religiosos & alios fide dignos inuentum est,quod mercator erat & vsurarius, & hæreticus,fideique catholicæ & orthodoxæ inimicus, licet etiam eam confiteretur ore tenus;latebras tamen liben-

Apostata monachi mors horrenda.

ter

ter quærebat,nec vnquam comedens ab aliquo de fratribus se videri permittebat. Talis semper vixit, talisque moriens qualis vixerat,sicut credere dignum & iustum est,ad infernum descendit.

De exteriori qualitate Tartarorum.

Cap. LXXI.

Tartarorū statura & effigies ac mores.

SVnt autem Tartari homines turpissimi,quam plures parui,oculos habent grossos & prominentes multū, coopertos palpebris;ita quod valde parua est apertura in eis,latas habent facies,latasque habent frontes,nasosque perlatos. Sunt autem imberbes,exceptо quod in superiori labio,& in mento raros habent pilos & quasi volatiles. Graciles sunt in cingulo generaliter omnes,exceptis paucis,omnesque fere sunt staturæ mediocris,rasuram faciunt prope verticis summitatem, quæ descendit inferius per tempora ab aure vsque ad aurem, sedetque rasura illa super caput eorum ad ferri equini modum. Raduntur iterum à parte posteriori,& longos habent capillos ac tricas retrò iuxta aures. Talem etiam rasuram habent omnes illi qui cum eis sunt,vt Armenij & Saraceni,& alij. Sed facies hominum eorum dissimiles sunt faciebus Tartarorum.

Studia eorūdem.

Ipsi porro Tartari leues & agiles sunt, quam plures ac bene equitantes: A pueritia quippe discunt equitare, currendo post armenta equorum & aliorum animaliū. Cum maiores effecti sunt,cum patribus suis in bellis quasi continuis equitant,nullusque eorum pedes vadit, sed omnes etiam minimi* gartiones equis,aut bobus insident,quia breuissimas tibias habent. Incomposito itaque gradu incedunt,& pedites ire diu nequeunt. Mulieres eorum turpissimæ sunt,& equitant sicut & viri. Equos autem habent qui non ferrantur,nec hordeo vtuntur,multumque sunt disciplinabiles ac magni laboris,& castrati sunt,& nares fixas habent. Præterea Tartari modo interrogatiuo clamoroso loquuntur, gutture rabido & horribili. Cantantes mugiunt vt tauri, vel vlulant vt Lupi, voces inarticulatas in cantando proferunt,& hanc cantilenam: *Alai alai*,communiter ac frequentissime canunt. Turpissime bibentes caput quatiūt & quod bibunt velut equi in gutture traijciunt. In tentorijs semper habitant,& non in villis,vel vrbibus. Pastores enim pecorum rurales sunt, ac gregibus ouium, & capratum armentisque boum, & camelorum, & equorum superabundant. In hyeme manere consueuerunt in planicie,in æstate vero pascuarum vbertatem sectantur in montibus. In luctationibus & in sagittationibus delectantur,tanquam in suis potissimis gaudimonijs & exercitationibus. Christianis autem debiliores sunt corporibus;venatores quidem mirabiles sunt & ordinati,ac ferrati ad venandum pergunt, ita quod animalia venaticia fugando coram se ducunt. Denique cōcludendo ea quasi de seipsis choream vnam faciunt, & tunc sagittando vndique interficiunt & capiunt. Vilissime comedunt, panem non habent, nec curant,mensalibus non vtuntur,nec manutergijs, eduntque manibus illotis.

**id est pueri*

De cultu ac ritu religionis eorum.

Cap. LXXII.

VNum quidem Deum Tartari credunt,ipsum quoque omnium esse tam visibilium quam inuisibilium factorem,& tam bonorum in hoc mundo, quam pœnarum esse datorem,nec tamen orationibus vel laudibus,vel aliquo ritu ipsum colūt. Nihilominus etiā habent Idola quædam de filtro ad imaginem hominis facta,quæ ponunt ex vtraque ostij tentorij parte,& quiddam de filtro in modum vberum fœminæ subtus illa eaque credunt pecorum suorum custodes esse, ac beneficium pullorum & lactis eis præstare. Alia vero de pannericis faciunt,illaque multum honorant;quidam ea ponunt in pulchro curru cooperta ante ostium tentorij. Et quicunque in curru illo aliquid furatur,sine vlla miseratione occiditur, Cū autē idola huiusmodi facere volunt omnes maiores Dominæ, quæ sunt in statione conueniunt,eaque cum reuerentia faciunt. Deinde ouem interficiunt,eamque manducant, & ossa eius igne comburunt. Cum etiam aliquis puer infirmatur, prædicto modo faciunt Idolum, & ligant super eius lectum. Duces quoque millenarij ac centenarij semper habent hircum in medio suæ stationis,& Idolis prædictis offerunt primū lac omnis iumenti ac pecoris. Sed & quando primo bibere vel comedere incipiunt,primitus eis de cibarijs suis,vel de potu offerunt. Cumque bestiam aliquam interficiunt,offerunt cor eius idolo, quod est in curru,in aliquo cipho,& vsque in mane dimittunt,tunc quoque de præsentia Idoli auferunt illud,ac decoquunt & illud manducant. Primo etiam Imperatori factum Idolum ante stationem honorifice ponunt, cui multa munera offerunt,sed & equos ei solent offerre,quos nullus audet vsque ad mortem ascendere. Alia quoque animalia eidem offerunt, quæ occidunt ad manducandum,& nullum ex ossibus eorum confringunt, sed igne comburunt. Huic etiam Idolo ad meridiem tanquā Deo inclinant,& aliquos nobiles inclinare faciunt,qui se ipsis reddiderunt. Vnde Michaelem magnum Ducē Tusciæ occiderunt,cum nollet se imagini Cingischam inclinare. Solem etiam ac lunam,& ignem, & aquam, & terram venerantur & adorant,primicias eis potus,ac ciborum offerentes,mane scilicet potissime antequam comedant vel bibant.

De legibus ac statutis eorum.

Cap. LXXIII.

STatutum est autem inter Tartaros,& a Cingischam primo eorum Domino confirmatum, vt quicunque in superbiam erectus, auctoritate propria sine principum electione,voluerit Imperator esse, occidatur sine vlla miseratione. Propter hoc & vnus de principibus nomine Ciungam nepos ipsius Cingischam occisus est, ante electionem ipsius,quia regnare volebat non electus. Aliud quoque statutum habent,quod omnem terram sibi debeant subiugare,nec cum aliqua gente pacē habere nisi subdatur eis,quousque veniat tempus ipsorum interfectionis. Annis 80. debent pugnare,& 18. tantummodo regnare,post hoc vt ipsi dicunt ab alia natione debent vinci,vt vaticinatum est eis, nesciunt tamen quæ illa sit. Et qui euadere poterunt, vt dicunt, legem illam tenere debent,quam tenent illi,qui bello eos deuincent.

Tartari variis vaticinationibus dediti.

Ipsi namque Tartari diuinationibus,augurijs, aruspicijs,veneficijs,& incantationibus multum intendunt, & cum illis à dæmonibus respondeatur, Deum sibi loqui credunt. Est etiam statutum Cingischam illius primi, quod per millenarios,centenarios,ac decanos eorum exercitus debet ordinari. Porro edictum generale Chaam est,vt vbicunque capiantur à Tartaris, vel à seruis eorumdem mulieres,quantæcunque sint ab ipsis teneantur,eisque pro sua voluntate abutantur,easdem in seruitutem sibi perpetuam,si voluerint reseruantes. De equis quoque tale est edictum Chaam generale. Quicunque Tartarus equum rapere potuerit,vndecunque & vbicunque inuenerit,& cuiuscunque sit, ipse verus possessor illius habeatur,dum tamen Tartari non sit. Porro de viatoribus tale est edictum generale ipsius. Quicunque,inquit,Tartarus seu Tartari seruus, aliquem in via inuenerit,dum tamen non sit mercator, habens bullam Tartaricam,ille inuentoris,vel accipientis eum, sit seruus perpetuus & habeatur,& si sit Tartari seruus donec à Domino suo repetatur. Sunt autem duo genera Tartarorum diuersa quidem habentia idiomata, sed vnicam legem ac ritum,sicut Franci,& Teutonici.

De

De superbia eorum & impietate.

CAP. LXXIV.

TAntæ vero impietatis,& arrogantię sunt, vt Dominum suum Chaam filium Dei adpellent, & ipsum loco Dei super terram venerantes adorent, dicentes factoque ostendentes illud in eis esse impletũ. *Cœlum cœli Domino.* Nam & ipse Chaam se filium Dei appellat,& in litteris suis sub hoc nomine mandat omnibus;eiusque subditi videlicet Tartari de mandato ipsius Principes suos Baiothonoy , & Bato violenter ab omnibus nuncijs ad ipsos venientibus faciunt adorari cum triplici genuum flexione,triplici quoque capitum suorum in terram allisione.

Psal.113.

Superbia & stultitia Tartarorum

Denique supra modum gloriantes, & ad totius mundi dominium in breui se venturos præsumentes,ita adeo desipiunt;vt maiorem Domino suo Chaam neminem in mundo fore credant,vel etiam coram se nominari Papam vel alium maiorem sustineant. Omnes homines, qui in mundo sunt veluti pecudes reputant,seque solos hominibus præferentes,Papam & omnes Christianos canes appellant,ipsos etiam idolatras esse affirmant,quia ligna,& lapides idest,quia signum Crucis in ligno,& lapidibus impressum,vel insculptum adorant.

Superstitio.

Somnia vero obseruant, & maleficis artibus intendunt. Habentque Magos secum,vel diuinos per quos à dæmonibus in idolis habitantibus,sibi responsa dari petunt,Deumque sibi,vt dictum est,loqui credunt, quem scilicet Deum Ithogo nominant , sed ipsum Comanichaam appellant,quem mirabiliter reuerentur ac timent eique multas oblationes & primicias ciborum & potuũ offerunt,ac secundum eius responsum vniuersa faciunt. Solem patrem esse Lunæ eo quod lumen à sole recipiat dicunt;omniaque per ignem purificari credunt. Dies ac menses,maximeque lunationes & annos, & tempora obseruant. Nullius diei vel temporis abstinentia inter illos seruatur,nullaque dies cæteris dignior vel celebrior reputatur.

Inhumanitas.

Ad cæterorum hominum societatem incommunicabiles & inamicabiles sunt,vt etiam colloquium cum eis habere dedignentur , & in ludis & vbicunque præferri volunt. Vnde cum in eorum exercitu duo Christiani Georgiani ab ipsis inuitati,cum duobus Tartaris luctarentur causa ludi , & duo Tartari absque vlla læsione corporum,& à Georgianis ad terram essent submissi,alij Tartari de eorum prostratione supra modum indignati frementes in Georgianos illos irruerunt , ita quod eorum vnicuique brachium vnum extorquendo confregerunt.

De ipsorum cupiditate & auaritia.

CAP. LXXV.

TAnta vero in eis cupiditas exardescit, vt cum aliquid quod sibi placeat vident,statim aut nimia importunitate extorqueant, aut violenter auferant ab illo cuius est,velit nolit. Pecunias suas committunt ad vsuram,ita quod accipiunt de decem denariis vnum ad vsuram per mensem,post primum iterum decennarium de quolibet decennario decimato per vsuram iterũ accipiunt vnum denarium. Itaque miles quidam in Georgia de quingentis his perperis à Tartaris acceptis per annos 5.retentis,coactus fuit eis 7.millia reddere pro vsuris. Quædam etiam Domina Tartarica pro 50. ouibus, quas cuidam commiserat, & ille per 7.annos tenuerat, petiit ab illo pro vsuris illarum ouium hyperpera 7. millia,quæ omnia ille coactus est exoluere pro vsura. Præterea super tributarios suos aggrauant onus exactionis, vt in terra Anagh magni videlicet cuiusdam terrę Baronis,primo si quidem Chaam suum habet tributum ad minus 15.dragmas,seu asperos,qui bene valet 30.stirlingos. Secundo Dominus specialis. Tertio Dominus prouincialis. Quarto nuncij solennes. Quinto frequentes, qui fiunt eis enceniorum præsentationes. Post hoc etiam nuncij superuenientes cum equorum angarijs quibus prouidentur in expensis. Præterea de quolibet rustico laborante accipiunt asperos tres , ac de quolibet boue tres,& de sex pecoribus 3.& munera quidam bene accipiunt,& non sequuntur retributiones, quia pro nullo data alicui aliquid retribuunt,vel etiam gratis reddunt, quin potius quæcunque quandocunque illis dantur, ea sibi deberi tanquam omnium Dominis arbitrantur. Itaque *manus eorum semper ad accipiendum est porrecta, sed ad dandum collecta.* Dumque infinitis abundent gregibus pecorum & armentorum, multumque in eis nutriendis & multiplicandis delectentur , quia gaudium onagrorum pascua gregum,præ nimia tenacitate auariciæ,vix aut nunquam animal comedunt sanum aut viuũ, sed quando mortuum est statimve moriturum vel mutilatum,aut aliqua molestia consimili afflictum. Denique cum abundent tabernacula ipsorum,manum egeno & pauperi non porrigunt, hoc tamen solum laudabile, quo ad quid habent , quod vbicunque in prandio vel cœna aliquis superuenerit, libenter illud quo vescuntur ei commmunicant, ac volentem secum comedere non excludunt.

Delectantur gregibus.

De effrenatione eorum & luxuria.

CAP. LXXVI.

SIc autem in malitia sua effrænati sunt, vt nullatenus se debere,vel posse refrænari putent à destructione, quam cœperunt. Exemplumque tale de seipsis non verentur ponere. Nos,inquiunt,sumus quasi sagitta de manu sagittantis emissa,quæ nunquam desistit donec obstaculum eam repellens,& confringens eam inueniat. Super multitudine quoque gentis suæ gloriantes nullam gentem eis resistere innuunt, per hoc exemplum, quod in medio proponunt. Nos sumus,aiunt, vt fluuius magnus aquarum multarum,qui præ profunditate sua nimia transuadari nequit. Cuius impetus inundans absorbet quæcunque inuenit,licet à paruo fonte oriatur,& à pluribus riuulis deriuetur. Cæterum etiã minimi garciones eorum accipiunt & rapiunt mulieres per ciuitates eis subiectas,scilicet Georgiæ, Turquiæ, Persidis. Armeniæ maioris,& minoris,exceptis etiam illis , quæ prouidentur à communitatibus ipsis . Idem quoque Garciones ipsorum ac nuncij , quoscunque equitantes ibidem inuenerint,si equitaturis indigent, faciunt illos de equis descendere,ac ducunt eos vbi voluerint. Oculos incontinentes pænitus habent Tartari,plenos incessabilis delicti,omnibus pecudibus se indifferenter commiscent,sicut & Saraceni,nam in illis semper viguit Sodomiæ peccatum,& in Tartaris est etiam diffusum. Præterea vxores sibi Tartari accipiunt quotquot volunt, & sustentare possunt,nullusque consanguinitatis, vel affinitatis gradus in eis obseruatur. Nam vxor Tartari cum mortua fuerit,ille omnes sorores eius vel filias earum si sibi placeat sigillatim vel simul in xores accipit. Personæ tres tantum ab eorum excluduntur matrimonio, scilicet mater, & filia, & soror. Omnes enim personas alias sibi, vel vxoribus quas habent, vel habuerunt aliter attinentes sibi, libere accipiunt vxores. Cumque Tartarus vxorem accepit, non reputat eam vxorem suam donec ab ipso conceperit & peperit. Vnde si sterilis sit,ipse si vult eam dimittit. Item maritus dotem pro vxore non recipit donec illa ei puerum peperit. Similiter nec mulier à patre, vel à matre donec ipsa peperit.

Garciones minimi idest pedissequi & assecla.

Tartarorum connubia.

Hyperpera monete genus.

De

De crudelitate ipſorum & fallacia.

CAP. LXXVII.

CRudeles adeo ſunt, vt nec ſenem reuereantur, nec puerorum miſereantur. Effuſio ſanguinis apud eos tanquam effuſio aquæ reputatur, humanorumque corporum proſtratio tanquam ſtercorum coaceruatio cõputatur; nec ſolum in vnam gentem, ſed etiam in Chriſtianorum, & omnium aliorum hominum exardeſcunt extinctionem. Carnes humanas deuorant vt leones, tam tam aſſas igni, quam elixas, & hoc quandoque cauſa neceſſitatis, quandoque cauſa delectationis; quandoque cauſa tumoris, & horroris incutiendi populis hoc audituris. Itaque in occiſione hominum exultantes glóriantur, & in multitudine occiſorum, anima eorum mirabiliter delectatur. Itaque de rupibus homines præcipitant alios cola ponendo ſuper lapides excerebrant, aliiſque lapidibus ipſum terendo collum occidunt. Intrantes domos homines etiam timore mortis abſconditos infixos cultello in corde occidunt, & ſanguine eorum adhuc è vulneribus effluenti ſedent & comedunt ac bibunt dicentes, iterumque percutientes. Ecce modo iacetis hic vos inimici noſtri. Multa quoque in eis eſt doloſitas fallaciaque & mendacitas, vnde cum ante munitionem aliquam obſidentes longo tempore ſtant, blande loquuntur obſeſſis, multaque illis promittunt, vt ſe in manus eorum tradant. Et ſiquidem illi ſe reddiderint eis dicunt illis. Exite ad nos, vt ſecundum morem noſtrum numeremus vos, cumque ad eos exeunt, quos comperiunt eſſe artifices ſibi reſeruant, alios autem omnes præter illos quos ſibi pro ſeruis retinere volunt, cum lapidibus ſuper lapides excerebrant. In bellis etiam quoſcunque capiũt occidunt, niſi forte aliquos reſeruare velint, vt illos in ſeruitute ſemper teneant. Occidendos autem per centenarios diuidunt, vt cum bipenni ab eis interficiantur, ipſi vero diuidunt hos per captiuos, & vnicuique ſeruo ad interficiendum dant decem, vel plures vel pauciores, ſecundum quod maioribus placet. Denique ſi aliquid promiſerint illis, qui ſe reddiderunt nihil obſeruant, ſed quaſcunque poſſunt occaſiones contra eos & quærunt, & opponunt. Hoc itaque ſemper in eis oportet attendere, quod ſæpius fraudulentia doloque magis pugnant quam fortitudine.

De victu eorum.

CAP. LXXVIII.

POrro in victu ſunt homines immundiſſimi atque ſpurciſſimi, neque etiam menſalibus nec manutergijs vtuntur, nec panem habent vel curant, ſed quidam ipſum etiam comedere dedignantur. Olera quoque vel legumina non habent, nec aliquid aliud, quam carnes vt comedant. De quibus etiam tam paucas manducant; quod aliæ nationes vix inde viuere poſſunt. Porro omne carnium genus præterquam mutæ, quia non gignit, comedunt, & hoc turpiſſime rapaciterque tangentes pinguia, digitos ſuos lambunt, & ocreis ſuis tergunt. Solent tamen maiores aliquos habere panniculos cum quibus ad vltimum tergunt, manus commeſturi non lauant, nec poſtea ſcutellas. Et ſi aliquando eas brodio carnium abluunt iterum loturam cum carnibus in olla reponunt, aliter etiam non lauant ollas vel coclearia, vel alia huiuſmodi vaſa. In carnibus autem equinis plus delectantur quam in alijs. Ratos etiam, & canes edunt, & cattos libentiſſime comedunt, vinum libentiſſime bibunt quando habere poſſunt, lacte iumentino, quod ipſi Camous vocant, quotidie ſicut & homines cæteri vino forti ſe inebriant. Cumque Calendas vel feſtiuitates menſium ſuorum celebrant, cantui vel potius vlulatui atque potationibus vacant. Et quandiu potationes huiuſmodi durant nulli negocio intendunt, nullumque nuncium expediunt. Quod & fratres ordinis prædicatorum, qui ad illos à Papa miſſi ſunt in eodem exercitu commorantes, per ſex dies continuos probauerunt. Carnes autem humanas deuorant vt leones, aſſas igni & elixas comedentes. Cumque capiunt aliquem ſibi contrarium, & inimicum valde conueniunt in vnum locum comeſturi eum in vltionem rebellionis ſibi factæ, ſanguinem eius auide ſugentes velut ſanguiſugæ infernales. Denique cum eis victualia deficerent in obſidione, ſcilicet cuiuſdam vrbis Cimorum, de decem hominibus accipiebatur vnus ad manducandum. Pediculos etiam comedunt, vxor viri & amicus amici de capite vel aliunde illos extrahentes, atque dicentes, vtinam ſic poſſum facere de inimicis Domini mei hic aſtantis. Apud ipſos eſt peccatum magnum ſi aliquid de cibo vel potu perire permittunt; ideoque oſſa niſi prius extrahatur medulla dari canibus nõ permittunt.

De habitu illorum.

CAP. LXXIX.

HAbitus autem eorum communis & ſolennis eſt talis. Capillos habent omnes cuiuſcunque coloris ſunt, qui non ſunt profundi in ſe, ſed quaſi laicorum mitræ ſuper capita iaceat plani. In poſteriori vero parte extentam habent caudam ad vnius palmæ longitudinẽ, & latitudine tantumdem, & etiam in cauda dilatantur aliquantulum in maiorem. Oræ capellorum ipſorum in anteriori parte, & in lateribus habent quandam reflexionem extra ad craſſitudinem digiti, ſed non in parte poſteriori. Duæ quoque ligaturę in eiſdem oris ſupra aures inſutę ſunt, quibus ſub mento colligatis capellum inhærere capiti faciunt, ac ne à vento vel aliquo alio euellatur infigunt vel imprimunt. Super has quoque ligaturas duæ ſunt ligulæ paruæ volatiles, ad decorẽ ſiue potius ad terrorem. Huiuſmodi ergo forma capellorum eſt Tartaris omnibuſque quotquot ſunt cum eis. Habitus autem Tartaricus quoque totum corpus eorum ſuperinduitur exceptis brachiis, in pluribus eſt nigri coloris, in latere ſiniſtro antequam induatur diuiſus eſt, & apertus ab vmbilico, & ſupra in anteriori parte æqualiter à latere in latus ſe extendens, & inferius vltra genua non deſcendens. In parte poſteriori deſcendit plus aliquantulum, quam in anteriori, non extenſus vltra coſtas vel dilatatus, ac vſquẽ ad humeros retro ſupra extenſus, duabus ligulis latitudinis trium digitorum inſutis ſuper humeros parti poſteriori, & inferius recte deſcendentibus, partique anteriori per vmbilicum à latere in latus ſe æqualiter extendentes inſuuntur. Ab ipſo autem indumento, nec brachia, nec latera, nec pectus, neque aliqua anterior pars ab vmbilico, & ſupra exceptis duabus ligulis, ſunt cooperta quãdam etiã ipſorum ſupra diſpoſitionẽ prædictam in duobus lateribus habent fiſſuram. Hæc eſt forma ſpecialis indumenti, quo à cæteris hominibus diſcernuntur Tartari.

Armati autem ſunt coriis, ſuperpoſitis laminis ferreis coniunctis, laminiſque vel corio brachia cooperiunt ſuperius, ſed non inferius. Cum autem ſagittas arcutarij iaciunt dextrum brachium à tota armatura exuunt, factoque tractu reinduunt, hac vtuntur tantummodo barones ac pugnatorum Duces eorumque ſigniferi, & Coneſtabuli. Vnde non creditur decima pars ipſorum eam habere, aut ipſam deferre. Capellos habẽt de corio multiplicato ad modum patellulæ, gladioſque paruos vt Saraceni longitudinis vnius brachij, & vnius inſciſionis ſeu ceſuræ: cultellis neſciunt pugnare, nec portant illos aperte. Non vtuntur ſcutis, pauciſſimi quoque vtuntur lanceis, cum autem vtuntur eis à latere percutiunt, ex ipſis autem vinculo in ſummitate lãceæ ligato, & in brachio ipſam portant. Quidam autem vncos habent in fine lancearum. Super omnia vero innituntur arcubus & ſagittis, & curſui æquorum.

Capelli id eſt pilens.

Arma ipſorum.

Brodium id eſt ius.

Qualiter in pugna se habent.

CAP. LXXX.

IN bellis enim astutissimi sunt, quia iam per 80. annos, & amplius cum cæteris gentibus, vt dicitur dimicauerunt. Licet enim superius dictum sit, quod in anno Domini 1202. iuxta quosdã de terra sua egressi sunt. Quidam tamen dicunt, quod citius exierunt, & fortassis ante illum exitum vltimum multis iam annis pugnauerant, in quibus & Domini sui terram, & alias propinquas regiones vastauerunt; ita quod à terra sua non ex toto recesserant. Cum autem ad bellum ire volunt cursores præmittunt, qui se cum nihil præter filtra sua deferunt. Et hi quidem nihil rapiunt, domos non comburunt, bestias non occidunt, sed homines tantum vulnerant, aut perimunt si possunt, vel saltem in fugam mittunt. Nihilominus autem principes exercitus ex omni parte mittunt prædones, & post hoc ad inueniendum homines ac iumenta mittunt alios, qui valde sunt ad quærendum sagaces: cum autem vident hostes, vadunt ad eos, & vnusquisque iacit tres sagittas vel quatuor contra sibi oppositos, & si superare non possunt eos, regrediuntur ad suos. Hoc autem in fraudem faciunt vt aduersarii sequantur illos ad loca quibus insidias posuerũt. Tunc enim illos circumdant & vulnerant & occidunt. Porro si magnum contra se exercitum vident, aliquando per vnam dietam vel duas ab eo diuertunt, aliãque terræ partem inuadunt, & homines interficiunt, terramque vastantes destruunt. At si nec hoc quidẽ facere possunt ad 10. vel 12. dietas retrocedunt. Aliquando etiam in loco tuto morantur, donec aduersariorum exercitus superetur, & tunc furtim veniunt, subitoque totam terram depopulantes irruunt. Denique sicut dictum est supra, non tam viribus pugnant, quam dolo, & fallacia. Cum itaque volunt ad pugnam accedere acies ordinant, ducesque vel principes bellum non intrant, sed à longe cõtrastant. Iuxta se vero pueros & mulieres in equis habent, & aliquando etiam super equos ponunt imagines hominum vt credatur esse multitudo magna bellantium, cõtra faciem hostium vnam aciem captiuorum suorum transmittunt, & alias fortiorũ hominum acies ad dextram & ad sinistram mittunt, vt aduersarij illas non videant: sicque illos circundant, & in medium colligunt. Ex omni parte pugnare incipiunt, si forte aduersarii fortiter pugnant, & faciunt eis viam vt fugiant, moxque vbi fugientes abinuicem separati sunt, insequuntur illos, pluresque tunc in fuga quam in bello possunt occidi. Itaque nunquam libenter congrediuntur si aliud possunt, sed homines equosque sagittantes vulnerant, & occidunt. Cumque tam homines quam equi debilitati fuht sagittis tunc facile congrediuntur cum eis.

Tartari regiones quomodo inuadunt.

Qualiter regiones inuadere solent.

CAP. LXXXI.

CVm autem inuadere pergunt aliquam regionem, in vnum ordinem procedentes ante faciem suam occupant terræ latitudinem, & situm in quo positus est vnusquisque tenet, nec ad dextram vel sinistram diuertere partem audet. Itaque regionem illam ingressuri & accepturi, omnes de nocte ad montes circumadiacentes ascendunt. Et mane facto cursarios ad planiciem, de quibus supradictum est, præmittunt. Illi vero de planicie cursarios euitare nitentes fugiun ad montes vbi se saluare posse credunt, statimque occiduntur à Tartaris ibidem latentibus, & ad ipsos descendentibus. Itaque qui volunt regiones suas ab illorum inuasione seruare, debẽt contra illos homines ad pugnam, priusquam ipsi per terram incipiant diffundi mittere. Postquam enim spargi per aliquam terram incipiunt, nullus iam congrue de terra illa potest alteri auxilium præbere, quaniam ipsi cateruatim homines quærunt & occidunt, & sic quidem se in castris includunt Tartari; tria vel quatuor millia hominum aut plures circa munitionem, qui eam obsideant ponunt, ibique nihilominus per terram ad hominum occisionem se diffundunt.

Tartari qui ex se munitionibus includunt nihil faciũt.

Talibus enim, qui se munitionibus includunt, porcos suos incarceratos esse dicunt, magisque de talibus quam de aliis securi sunt & gaudent, quia iam illos esse suos asserunt. Cum autem inimicis ad pugnam occurrunt, primis currentibus terminos vltra quos non gradiũtur ponunt. Similiter faciunt etiam secundis, & tertijs, & omnibus aliis. Iterumque quando refugiunt, termini sunt eis positi vltra quos nullatenus fugiãt. Cum enim aduersariorum fortitudinem se prævalere posse non credunt, ante illos fugiunt, & quasi se ab illis fugari faciũt. Cumque illi armati Tartaros inermes diu insecuti fuerint, ac præ grauitate armorum, & viæ longitudine lassati iam non amplius sequi potuerint, tunc Tartari super equos recentes ascendentes, se super illos conuertunt, & in eos & capiendo, & occidendo insiliunt. Aliquando etiam fugiendo cedunt eis, vt eis locum inter ipsos intrantibus faciant, ipsique se dispergunt & dilatant; vt ita dispersi ad sibilum vel clamorem vnius in vnum congregati hostes vndique circumcingant & conterant. In omnibus autem terris quas destruunt Tartari semper sequitur fames.

Qualiter munitiones obsident.

CAP. LXXXII.

PORro cum aliquam munitionem obsident, vndique illam ne quis ingredi vel egredi possit circundant, fortissimeque machinis & sagittis impugnant. Nec die vel nocte à prælio cessant, vt illi qui sunt in munitione non quiescant. Ipsi tamen Tartari vicissim quiescunt, quia ne nimis fatigentur acies diuidunt; ita quod vna succedit alteri in pugnam. Proijciunt etiam ignem græcum, & pinguedinem hominum super eos quos occidũt, ipsam liquefactam super domes proijciunt, & vbicunque super illam pinguedinem venit ignis ardet velut inextinguibilis. Extingui tamen potest vini aut ceruisiæ super effusione. Et si super carnem ceciderit, extinguitur manus confricatione. Cum autem hoc modo vi prævalere non possunt introitum munitionis vel fontes aut etiã fluuium obstruunt, vel fluuium diriuãdo illam submergunt, alioquin munitionem suffodiũt, & armati sub terra ingrediuntur. Vnaque pars cum hominibus intra munitionem pugnat, altera vero pars ignem apponit vt cõburatur: si vero nec sic prævalent, ante munitionem sedent, suamque munitionem contra illam faciunt ne grauentur ab illis fortasse iaculis aut sagittis; & aliquando stant ante munitionem per multa tempora scilicet per 12. annos & amplius, sicut vidit frater Ioannes de Planocarpi in Alania. Porro quandoque cum obsidentes castrum vel vrbem habitantibus in ea se prævalere nõ posse vident, non longe ab illa fugiunt, & aliquantulum latitant. Cumque obsessi eos longe recessisse, vel etiam omnino à finibus illis abscessisse credunt, tunc quasi securi munitionem aperiunt, at illi statim in eos irruunt, vrbẽque vel castrum accipiunt. Ciuitatem enim centũ portarum in Persi de, quæ vocatur Sapaham, non sua virtute, sed aquarum inundatione, quas illuc diriuari fecerunt acceperunt. Sic quoque multas terras plus fraudulentia vel ingenio, quam viribus acceperunt.

Ignis græcus quomodo extingui possit.

Ciuitas centum portarũ in Persida.

Qualiter erga captos vel deditos se habent.

CAP. LXXXIII.

VT autem superius iam dictum est, blande loquũtur obsessis, multaque fallacitet, vt in eorum manus se tradant, promittunt eis. Cum illi se reddiderint vel capti fuerint, omnes occidunt exceptis artificibus, quos ad opera sua reseruãt, vel si quos alios retinere pro

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

seruis acceptant. Nobilibus & honestis hominibus nuquam parcunt, & si forte aliquo casu reseruant ex illis, nec prece, nec precio vlterius de captiuitate exire permittunt. Occidendos autem vt dictum est supra, per centenarios diuidunt. Cumque homines de obsesso castro, tanquam sibi repugnantes occiderunt, in signum victoriæ ac gloriæ certitudinisque numeri occisorū habendæ atque ad terrorem cæteris hominibus incutiendum, vnum ex illis, quasi millenarium, in aliquem locum excelsum & eminentem erigunt, capite subuerso, pedibus erectis, alijs hominibus occisis iacentibus in terra prostratis. Itaque cum cæpissent, vt dictum est Driabaldin ciuitatem in Perside ad suæ crudelitatis ostensionem, & audituris incutiendum timorem, omnibus habitatoribus illius decapitatis, aures rebellium sibi iam mortuorum abscideruntsduosque summarios oneratos auribus in aceto positis ad Chaam transmiserunt. Denique cum nullis hominibus pacem faciunt, nisi eis subiiciantur sicut antiquum Cingischam apud eos præceptū habetur.

Conditiones quas victores subditis proponunt.

Hæc sunt autem, quæ ab illis petunt, qui eis se subiiciunt, videlicet vt cum eis contra omnem hominem in exercitu vadant, vt & de omnibus tam de hominibus, quam de alijs rebus decimam illis reddant. Vidit etiam frater Ioānes de Planocarpi supradictus scilicet de ordine fratrū minorū quendam in Ruscia Saracennm ex parte Chaam missum, qui de decem pueris vnum petebat, secumque ducebat: similiter etiam ducebat viros, qui vxoribus carebant, & mulieres quæ viros non habebant: Præcipiebat nihilominus vt vnusquisque, quantūcunque etiam paruus puer diei vnius, vel quantumcumque pauper siue mendicus, pro tributo solueret vnā pellem vrsi albi vel nigri, & vnum castorem nigrum vel aliquid tale, quod tantundem valeret. Principes autem eis subiecti cum ad illos veniunt habentur vt aliæ viles personæ, nec vllum ab eis honorem recipiunt: oportet etiā vt eis munera magna præsentent, præcipueque ducibus & vxoribus eorum, & officialibus millenarijs ac centenarijs: quinetiam non solum ipsi, sed eorum quoque serui valde importune petunt ab eis; & à nuncijs quando mittuntur ad ipsos. Aliquibus inueniunt occasiones vt eos occidant, & aliquos veneno vel potionibus perimūt, vt ipsi soli in terra dominium habeant. Itaque quos sub tyrannide sua redigunt confringunt & atterunt, terribilibus oculis intuentes, ac dentibus infrementes in eos, scilicet quos subiugare non possunt.

De Sclauis eorum.

Cap. LXXXIV.

TVrcas, & Solimanos, & etiam Tartaros seruos suos & Christianos ad se de diuersis locis adductos, quos in bellis sibi mediante gladio acquisierunt, sclauos suos faciunt. Quos & nudos & in penuria victus extrema pene spiritus exhalantes verberant etiam & affligunt prout volunt. Eosdem etiam sine causa si eis placet, occidunt. Ritus autem Christianos, & quaslibet sectas, & quorumlibet hominum cultus, secure ac libere obseruari permittunt inter se, & vbicumque etiam dominantur, nec curant de quorumlibet hominum consuetudinibus, dummodo sicut ipsi præcipiunt in omnibus eisdem seruiatur. Itaque Machometi lex in eorum exercitu à Saracenis quotidie quinquies palam omnibus audientibus proclamatur, & etiam per omnes ciuitates in quibus ipsi Saraceni habitant, & qui eorum dominio subiugantur. Ipsi quoque Saraceni in exercitu eorum & in omnibus eorum ciuitatibus ad perfidiam suam nefandam exhortantur, & attrahunt homines ac peruertunt, vt errorem eorum sequantur. Sunt etiā mulieres plurimæ inter eos captiuæ: nam præter artifices operū quos sibi vtiles æstimant, & ideo de ciuitatibus captis illos in perpetuam seruitutem sibi reseruant; mulieres quoque iuuenculas virgines aut coniugatas captas sibi focarias faciunt, easque in nuditate, & extrema famis penuria seruire cogunt. Hominum quoque decimas, vt dictum est accipiunt, & ipsos in seruitutem redigunt. Decem enim pueros computant, & vnum accipiunt, & de puellis idem faciunt. Quos omnes ducunt in terram suam, & in seruitutem tenēt perpetuam. Quidam etiam viuentes vnum de sclauis suis eligunt, vt in tumulo ipsorum viuus ponatur cum eis, quando in morte sepeliendi sunt. Denique a deo subiectis suis odiosi sunt, vt etiam multi qui cum eis in exercitu sunt, si haberent fiduciam, quod nostri non eos occiderent, ex omni parte contra illos pugnarent, sicut ipsimet fratri Ioanni supradicto dixerunt.

De mulieribus eorum.

Cap. LXXXV.

TArtareæ autem mulieres turpissimæ sunt. Vxoratæ quidem omnes super capita sua deferunt canistrum longitudinis vnius pedis ac fere dimidii vndique rotundum, & in parte superiori latiorem; coopertum, & ornatum vndique serico vel samita, atque margaritis, & monilibus circundatum, oculis panonum infixis desuper ad decorem. Habent etiam frena phalerata, & inargentata, & inaurata, atque in pectoralibus campanulas infixas magnum emittentes sonitum ad gloriam earum & decorem. Palafredos equitant magnos & pingues, habentque cambucas de corio diuersis coloribus depictas cum auro multo inserto ex vtroque equi latere dependentes. Virgines autem & non vxoratæ de facili discerni non possunt à viris, quoniam in omnibus maximeque in habitu ac gestu vniformes sunt illis. Vxores autem magnorum baronum omnes indutæ sunt samitis vel purpuris deauratis, sicut & mariti earum. Communiter autem aliæ mulieres boqueranno stricto sub cingulo multis plicis sumptuosis operato, & insuto omnes vestiuntur, quod ante in se totum vnum continum postquam indutum est in sinistro latere cum quatuor vel quinque nodulis clauditur vel firmatur. Habent etiam alia indumenta de panno laneo albo communiter omnes Tartari, quo se induunt desuper in tempore pluuiali, vel etiam hyemali. Et viri quidem earum, exceptis sagittis, omnino nihil operantur, sed exercentes se ad sagittandū veniunt, & inter se luctantur. De gregibus etiam aliquātulum habent curam. Equos valde custodiunt, immo etiam rerum omnium maximi conseruatores sunt. Porro mulieres opera diuersa faciunt operantes scilicet pellicia, vestes, calceos, ocreas, & omnia quæ decoria sunt. Currus etiam ducunt & reparant, camelos onerant, & aliquæ sicut & viri sagittant; femoralibus etiam omnes vtuntur sicut & viri. Sunt etiam aliæ velocissimæ, & in omnibus operibus suis strenuæ. Virgines & omnes mulieres cum equitant, pharetras & arcus portrāt. In equis quoque sicut & viri agiliter currunt, & vtrique multum in equitando laborare possunt.

Palafredi sunt asturcones.

Opera virorum ac mulierum.

De morte ac sepultura eorum.

Cap. LXXXVI.

CVm aliquis eorum ad mortem infirmatur, hasta vna in eius statione erigitur, & circa illa filtrum nigrum circunuoluitur; extunc nullus audet intrare terminos stationis illius. Cumque fuerit mortuus, si de minoribus est, occulte in campis sepelitur cum vno tentorio suo, sedendo in medio eius ponunteque mensam ante illum, & alueolum carnibus plenum, & lactis iumentini ciphum, sepelitur etiam cum eo iumentum vnum cum pullo, & equus cum sella & freno. Alium autem comedunt, & cum stramine corium eius implentes, super duo ligna vel quatuor in alto ponunt, quæ omnia faciunt pro mortuo vt habeat tentorium, & etiam iumentum in alio mundo: de quo scilicet iumento lac habere possit, & equos sibi multiplicare,

Opinio Tartarorum de mortuis.

in

in quibus tunc possit equitare. Ossa que illius equi, quẽ comedunt pro anima eius comburunt, vnde conueniunt mulieres ad ossa comburenda pro animabus ipsorum mortuorum.

Si vero diues & magnus homo fuerit, Tartarus qui moritur cum habitu preciosissimo sepelitur, ac remotius ab omnibus in abscondito loco ne habitu suo spolietur. Amici quoque ipsius equum eius, à capite incipientes vsque ad caudam excoriant, & corrigiam inde latitudinis paruæ primo, secundum longitudinem illam extendunt, deinde totam equi pellem extrahentes palea implent, & in memoriale mortui habendum, contum per equi fundamentum vsque ad collum figunt, ipsumque hinc & inde supra duas furcas eleuatum suspendunt. Porro carnes equi quasi animæ illius suffragio vt dictum est, comedunt, & planctum super mortuo quidam per 30. dies, quidam plus, quidam minus faciunt. Magni quoque barones, vt dictum est, antequam moriantur, vnum sibi de sclauis suis eligunt, signo quodam suo signantes, quando moriuntur, viuum poni secum in tumulo suo faciunt.

Christiani inter Tartaros nonnulli sunt pessimi.

Sunt & alij Tartari quidam inter alios Christiani quidem, sed pessimi, quorum filij cum patres suos senescere vidẽt ac tædio senectutis aggrauari, dant eis comedere pinguia quædam, vt caudas arietum & huiusmodi, quibus oppressi de facili valeant suffocari. Cumque sic mortui fuerint, corpora eorum comburunt, ac puluerem eorum colligentes quasi preciosum quidam custodiũt. Indeque quotidie quando comedunt, cibaria sua ex hoc puluere spargunt.

De nationibus, quas Tartari post necem domini sui subiugarunt.

Cap. LXXXVII.

Rege itaque Dauid cũ omnibus suis necato vt prędictum est à Tartaris, Cingiscam cæterique Tartari de perpetratis supra modum gloriantes flagitiis in tantam amentiæ exarserunt superbiam, vt instigante diabolo conciperent animo sicut Domini sui terram, ita totum paulatim mundum suo subiugare dominio. Animati namque super obtenta victoria de Indis Deo permittente, Regisque Dauid, & populi suis exigentibus peccatis, iuuenibus fortibus ac bellicosis viris secum retentis, & in seruitutem suam redactis, circumadiacentes regiones cæperunt paulatim inuadere & expugnare, tandemque suo dominio pænitus subiugare: sicque qui à principio pauperes & abiecti sclaui & tributarij erant terram Regis Indiæ inuaserunt, super ordinante Dei iudicio, multorumque populorum peccatis exigentibus, in auro, argento, & possessionibus animalium ac multitudine seruientium diuites facti, ac fere super omnia colla orientalium nationum Domini effecti sunt; siquidem nulli hominum cedentes à Tartaria fere vsque ad ortum Solis, & ab ortu Solis vsque ad mare Mediterraneũ dilatati sunt, & innumerabilia regna suo dominio subiecerunt. In omnibus autem terris, quæ ab eis destruuntur, statim fames valida sequitur, sicut postea per exempla manifestabitur. Plurimis itaque terris in seruitutem eorum redactis, quidam viriliter restiterunt eis, videlicet India magna, & quædam magna pars Scitarum, & gens Russorum. Quandam enim eorum ciuitatem Tartari obsederunt, sed eis prævalere non potuerunt. Et reuera Tartari non parum timidi sunt erga illos, qui eis fortiter resistunt, nec vnquam insiliunt in homines constantes, seque viriliter defendentes, atque repugnantes sed virtus eorum est contra fugientes. Itaque super omnes populos timent Francos. Sic enim ipsi, & omnes transmarini, large sumpto vocabulo, nominant omnes Christianos. Vnde Fratres Prædicatores à Papa missi ad eos, cum venissent in exercitum eorum, timuerunt ipsi Tartari valde, dicebantque per exercitum, quod Franci veniebant, qui sequentes Fratres in media Turchia erant. Denique vbicumque potestatem habent, Francos insolidis, idest stipendiis recipi prohibent. Quantum vero odiunt Tartaros Saraceni, & Georgiani, & Armeni, cæterique populi, qui eis tributarie seruiunt, nulli dubiũ est, Fratribusque prædictis ipsimet eorum afflictione & miseria constricti retulerunt.

Tartari sũt timidi.

Qualiter Coraſminos destruentes fugauerunt.

Cap. LXXXVIII.

ITaque post victoriam de Indis, vt prędictum est, erigentes ceruicem superbiæ, ac de totius mundi subiectione præsumentes, ad Cerasminos transmiserunt primos nuncios, tanquam ad sibi propinquiores, arroganter eis mandantes quatenus Cingiscam, & eius exercitui humiliter obedirent, eique seruitium perpetuum cum tributo impenderent. At vero Corasmini super mandatione sibi facta, quamplurimum indignati, prædictos nũcios omnes fecerunt interfici. Tartari ergo super illorum occisione supra modum indignati & turbati, & congregata multitudine magna Tartarorum, eorumque qui eis voluntarij vel inuiti se coniunxerant, terram Corasminorum inuaserunt, quotquot inuenire potuerunt ex eis gladio prosternentes, omnesque alios tanquam exules & profugos de finibus illis penitus effugantes. Itaque Corasmini persecutionem eorum declinantes fugerunt & in fines se Persidis, maximeque in ciuitatem Georgiæ Triphelin effuderunt; vbi & 7. milla hominum occiderunt. Postmodum vero cum in fines illos Tartari superuenerunt, iterum Corasmini fugientes ad tempus in terra Soldani Turchiæ latuerunt. Postea vero à Soldano Babiloniæ Domino Ægypti inuitati, atque conducti, in Regnum Hierosolymitanum venientes, & Christianos debellantes, ante Gazam ciuitatem magnam Francorũ multitudinem Domino permittente prostrauerunt, & gloriosum Domini nostri sepulchrum destruxerunt, atque intra, & extra sanctam ciuitatem Christianos quam plurimos occiderunt. Quod factum est anno Domini 1244. sicut infra dicetur in loco suo. Qui scilicet Corasmini, postquam Deo permittente, tantum facinus & impietatem commiserunt, tandem ipso Domino disponente iam fere omnes ad nihilum redacti sunt.

Coraſmini à Tartaris fugati in Georgiam irruunt.

De destructione Persarum.

Cap. LXXXIX.

VBi autem Tartari Persidem inuaserunt, ciuitatem in ea centum portarum, quę vocatur Sapaham, acceperunt non quidem virtute sua, sed aquarum inundatione, quas illuc diriuari fecerunt. Porro ad suæ crudelitatis ostensionem, & ad incutiendum audituris timorem cum accepissent quandam in ea ciuitatem fortem Driabaldim vocatam in Pedemontium Caspiorum habitatoribus inuitis illis omnibus decapitatis, aures rebellium sibi iam mortuorum absciderunt, duosque summarios eisdem auribus in aceto positis oneratos ad Chaam transmiserunt.

Intra montes Caſpios Iudæos inclusos esse fabulosum apparet.

Quia vero de montibus Caspijs hic facta est mentio, hic vnum quod in dubiũ mihi venit inserere volo. Cum enim dicant historiæ nostræ scolasticę, quod Alexander magnus Rex Macedonum oratione impetrauit à Domino reclusionem Iudęorum inter montes Caspios, ipsosque circa finem mundi prædicent exituros, Fratres nostri scilicet ordinis Prædicatorum in Georgia ciuitate Tripheli, quæ prope montes Caspios est, per 7. annos commorati sunt, diligenter à Georgianis & à Persis, & etiam à Iudæis de inclusione illa inquisierunt, & dicunt omnes etiam Iudæi, quod nihil penitus inde sciunt, nec vnquam istud in suis historijs inuenerunt. Hoc autem scriptum habent tãtũmodo, quod Alexander ille quosdam homines immundos & horribiles prope montes Caspios habitantes: qui alios homines & etiã se inuicem comedebant intra montes illos habitare coegit, & etiam ibi portas extrui fecit, quæ

videlicet adhuc portæ Alexandri dictæ ſunt. Vnamque illarum Tartari confregerunt. Cæterum de recluſione hominum in montibus illis nihil aliud reperitur veritatis in illis locis.

Qualiter Alexius Conſtantinopolitanum imperium recuperauit per Francos, Rex Philippus Normanniam & Pictauiam ſubiugauit.

CAP. XC.

ANno autem gratiæ 1203. peregrini fœdere miro cum Venetis poſt multas impeditiones Iadarram vrbem Regis Hungariæ obſident, capiunt, & deuaſtant. Indeque Conſtantinopolim feſtinanter nauigant. Alelexius quem Andronicus excæcari præceperat, per nuncios mittit ad Francos, quod ſi ei ſuccurrant eos à debitis 30. millium marcharum erga venetos liberet, præciaque nauium ſoluet; necnon & orientalem eccleſiam Papæ ſubijciet ac terræ Sanctæ mirabiliter ſubueniet. An. Chri. 1203. Itaque apud Iadarram vocatus præſtat ſuper his iuramentum. Franci cum Venetis Conſtantinopolim applicant, & turrim quæ Galathas dicitur expugnant, cathenam viriliter diſſoluentes, grauemque victualium penuriam patiuntur. Incubator imperij ſecũ habens 30. millia equitum & pedites innumerabiles cum noſtris congreditur, qui non erant vltra 2. millia parati ad pugnam. Itaque partibus vicinis quantum poteſt arcus iacere tyrannus diuinitus pauefactus intra mœnia ſe recluſit, eaque nocte cum vxore ac liberis cum paucis fugit, porro Græci conueniunt & ſine mora Alexium eligunt: Mane autem facto portæ aperiuntur, Græcique inermes ſuum quærunt electum, caput patris *Thurſac quondam Imperatoris exhibetur, & ſtatim Alexius coronatur. Ipſeque & pater eius rogat noſtros, vt ſecum tota hyeme proxima morentur; precia denique nauium debita Venetorum ſoluuntur, & 200. millia marcharum noſtris à Venetis conferuntur, pacta de obedientia Romanæ eccleſiæ, & de ſuccurſu terræ Sanctæ innouantur, & confirmantur. Græci autem referunt, quod in principio quidem noſtros ſpreuerunt ob paucitatem, & in congreſſu viderunt gentem niueam viriliter ſuccurrentem.

*Hic & choreani, alias Iſachius vocabatur.

Eodem anno Rex Philippus Normanniam iterum intrauit. Paleſiam caſtrum fortiſſimum & Donnofrontem, & Cadonium cæpit, totamque terram circumpoſitam vſque ad montem Sancti Michaelis ſuæ dominationi ſubiecit. Denique Normanni petentes ab eo veniam, omnes vrbes quas cuſtodiebant ei tradiderunt ſcilicet Cõſtantiam Baiocas, Lexonium, Abrincas, cum caſtris & ſuburbanis. Nam Ebroicas iam cæperat, nihilque de tota Normannia remanebat præter Rothomagum & Vernolium, & Archas. Cum itaque Rothomagum obſediſſet, videntes Normanni, quod nec ipſi ſe defendere poterant, nec à Rege Angliæ ſuccurſum habere, vrbem cum duobus prædictis caſtellis ei tradiderunt ſine contradictione. Quam ſcilicet vrbem cum tota Normannia nullus prædeceſſorum eius per 315. annos habuerat à tempore ſcilicet Caroli ſimplicis cui Rollodanus cum ſuis paganis ſuperueniens ipſam iure armorum abſtulerat. Poſtea Rex cum exercitu Aquitaneam ingreſſus vrbem Pictauis cum omni terra circumpoſita recepit, & hyeme ſuperueniente contra Lothas, & Chinonum obſidione poſita in Franchiam rediit.

In anno vero ſequenti vtrumque caſtrum potenter impugnando cæpit, & apud Chinon Vicecomitem Lemonicenſem captiuum liberauit.

De Morculpho Imperatore, & ignominioſo eius fine.

CAP. XCI.

EOdem anno ſcilicet ab incarnatione Domini 1204. Alexius Imperator noſtros rogat vt ſint extra vrbem ob diſcordias vitandas. Itaque noſtri acquieſcũt, & ex diuerſo vrbis interiacente portu caſtra ſibi conſtruunt. Imperator claſſem incendere parat, quæ ipſum ad coronam adduxerat. At eius pars ſuccumbit in omnibus. Itaque Græci exoſum eum habentes, Imperatorem ſibi creant alium; mittit ad noſtros Morculphum ſibi familiarem, qui iurat ex parte Imperatoris ſe traditurum eis palacium *Plachernam quaſi pactionis obſidem. Accedit Marchio vt recipiat illud, ipſique Marchioni illuditur; Morculphus reuelat Græcis ſecretum de reddendo palacio, & in odium Alexij ſtatim attollitur Imperator. Qui mox in Dominum dormientem manum mittens eum incarcerat, & Nicholaum, qui apud ſanctam Sophiam imperiales infulas nuper vſurpauerat captum incarcerat. Thurſac Alexii Pater moritur, clerus & populus in noſtram pernicicm machinantur. Itaque noſtri terra frequenter marique impetuntur, ſed Dei virtute proteguntur.

*In manuſcriptis legitur Blachnã

Alexius in carcerem cõijcitur & dux Marculphus alias Murzulphus imperator eligitur.

Quadam itaque die ad quærendum victualia egrediuntur ex noſtris circiter mille, quibus occurrit Imperator cum graui multitudine moxque fugit, & arma vexillumque cum Iconia Sanctæ Dei genitricis, quam ante ſe faciebat deferri proiecit. Vna enim nocte naues ſuas 15. accendit, & velis expanſis in noſtras mittit. At cum multo noſtrorum labore naues eorum indemnes fiunt Domino protegente. Imperator quoque cum noſtris colloquium petit, ſed Dux Venetiæ reſpondet ſe loqui nolle cum proprij domini detentore. Sequenti autem nocte Dominum ſuum necat, vitam eius terminatam ſimulans laqueo quem ipſe confinxerat. Noſtri porro inſultum faciunt, ſed prævalentibus Græcis machinas ſuas perdunt. Porro duabus nauibus colligatis, quæ appellabantur Paradiſus, & Peregrina, primæ illarum ſcalæ muros attingunt. Itaque irrumpentibus noſtris vrbs populoſa capitur à paucis Græcis in palacia fugientibus noſtri de aſſultu deliberant. Imperator nocte fugit, & mane Græci Conſtantinum Imperatorem nominant. Noſtri vero pedites arma capiunt, Græci fugiunt, palacia vacua deſeruntur, ac de ſpoliis eorum noſtri diuites efficiuntur, Comes Flandrenſis Balduinus eligitur, & Imperator conſecratur. Morculphus captus excęcatur, & de loco eminentiſſimo præcipitatur ac per vrbem tractus decerpitur.

*Balduinum comitem vnanimiter Imperatorem elegerunt.

Eodem anno Petrus Rex Arragonum Comes Barcinonię, & Dominus Montis Peſſulani, regnum ſuũ obtulit Innocentio Papæ illudque ſibi ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum pro remedio animę ſuę, ac progenitorum ſuorum conſtituit cenſuale, vt annuatim de camera ipſius Regis 250. Miſſemutinæ Apoſtolicæ ſedi reddantur & ipſe ac ſucceſſores eius eidem ſpecialiter fideles, & obnoxii teneantur.

De Balduino, & Henrico Imperatoribus Conſtantinopolitanis & quibuſdam Francorum, & Alemanorum geſtis.

CAP. XCII.

ANno Domini 1205. Rex Blancorum, & Rex Burgarorum cum Cumanis & Græcis, ac Turcis congreſſi cum noſtris vincunt eos, maioribus peremptis: nã Imperator Andropolim à Conſtantinopoli diſtantem 5. dietis obſederat, & prouocati ab hoſtibus noſtri dum incaute incedunt, Imperator rapitur, ac plurimi perimũtur. An. Chris. 1205.

Eodem anno tempeſtas per loca plurima profligat ſegetes & vineas. Rex Philippus in pignus charitatis eccleſiæ Beati Dyoniſij multas reliquias precioſiſſimas quas Imperator Balduinus de capella, quæ dicitur Os Leonis acceperat, contulit, eaſque Henrico Abbati manu propria tradidit, quas conuentus cum proceſſione, & laudibus & nudis pedibus occurrens ſuſcepit.

Anno ſequenti pridie Calen. Martij fuit eclypſis Solis particularis hora 5. diei. In ſequẽti vero menſe Adela Regis Philippi mater apud Pariſios obiit, & in Burgũdia ſepulta eſt apud Põtiniacũ iuxta patrem ſuũ Theobaldũ Comitem Creſcentium atque Bleſenſium, qui prædictum vt dicitur monaſterium fundauit. Rex autẽ Philippus An. Chris. 1206.

pus Pictauus,& Laudunum, & Mirabellum ac cætera quæ illic habebat muniuit,& Rex Angliæ Ioannes Andegauis cæpit,totãque terrã destruxit. Porro Vicecomes Thoarcẽsis recedẽs à fidelitate Regis Francorum confœderatus est Regi Anglorum. Quo audito Rex Philippus in Pictauiam rediit,& Rege Anglorum apud Thoaccum existente terram Vicecomitis destruxit. Tandem datis treugis, Rex Ioannes exhaustis loculis rediit in Angliam,& Rex Philippus in Franciam,

Otho cum Philippo Duce Sueuiæ de imperio contendit, & deficientibus à se partibus intra Coloniam consistit,nam sola Colonia ei fauet, eamque Philippus obsidet. Ciues egrediuntur sed repelluntur, & Othone fugato Colonia capitur. Henricus Balduini frater Constantinopolis Imperator efficitur.

Eodem anno mense Decembris tanta fluminum innundatio facta est,quanta nunquam ab hominibus illius temporis visa,vel à prædecessoribus audita est. Itaque Parisiis Sequana tres arcus parui pontis fregit, & quamplures domos ibidem euertit, infinitaque damna in multis locis intulit.

De legatione xij Abbatum contra Albigenses & de Sancto Didaco Episcopo.

Cap. XCIII.

An.Chri. 1207. SEquenti scilicet anno ab incarnatione Domini 1207. Cistercienſis ordinis Abbates,& alij quidam à Domino Papa mittuntur ad Prouinciam ad hæresim extirpandam. Ibi pauci fideles tunc inueniuntur,ac de infidelibus quorum non erat numerus, pauciſſimi conuertuntur.

De Albigensibus hæreticis Innocentij tertij decreto debellatis vid. Aemil.li.6.

Author. De hac autem legatione in gestis Beati Dominici ordinis Prædicatorum magistri,& patroni sic legitur. Missi sunt tempore ab Innocentio Papa 12. Abbates Cistercienſis ordinis cum vno Apostolicæ sedis Legato in terram Albigensium,vt fidem catholicam prædicantes,hæretica venena pro viribus expulsarent. Qui conuocato archiepiscoporum & episcoporum,aliorumque in partibus illis Ecclesiæ prælatorum concilio,conquirebant inter se quonam modo commodius id cuius gratia venerant executioni mandarent. Illis autem super hac deliberatione sollicitis,venerabilis Didacus Oxonienſis episcopus superuenit,cum honore autem suscipitur,consulitur,& fides eius consiliis adhibetur. Hoc autem fuit eius spiritu diuino suggerente consilium, vt abiecta pompa superflui apparatus,quam equidem satis incongrue, qui ad Christum pauperem prædicandum aduenerant, in expensis ac equitatibus ac vestibus & varia suppellectili præferebant. veramque atque euangelicam in se prætenderant paupertatem:& fidem Christi non verbis tantum & labiis personarent,sed rebus & moribus demonstrarent,atque hoc modo animas,quas hæretici falsa virtute ac pietatis imagine deludebant,ipsi vero sanctitatis ac religionis exhibitione possent ad fidei veritatem reuocare. Fauentque omnes eius consilio,& iuxta verbum eius se facere pollicentur. Ipse vèro primis dictis suis facta compensans, cæpit facere quod alijs suadebat,statimque misit suos Oxoniam cum equitaturis,& supellectili,& diuerso quem secum tulerat apparatu. Retinuit tamen sibi paucos ex clericis,& fratrem Dominicum, scilicet suæ Oxononienſis ecclesiæ superiorem; qui extunc iam cæpit frater Dominicus,& non superior appellari,remissisque ad loca sua temporalium sarcinis cęperunt singuli euangelicam paupertatem amplecti,pedites discurrere ac strenue fidẽ Christi verbo & opere prædicare, habentes super se quasi totius negocii Ducem Episcopum Oxonienſem. Quod videntes,ac inuidentes hæretici,cæperũt ex aduerso opportunius prædicare. Petrus itaque de Castronouo Domini Papę Legatus,à Comite Tolosano,quem propter hæreticorum deffensionem excõmunicauerat,occiditur, ideoque terra eius expugnanda Regi Francorum à Papa exponitur.

De origine ac studijs Beati Dominici.

Cap. XCIV.

Ex gestis eius. Ipse autem Dominicus pauloante nominatus, ex Hispaniæ villa Callaroga Oxonienſis diœcesis extitit oriundus. Cuius mater antequam ipsum conciperet,vidit in somnis se gestare catulum accensam faculam baiulantem in ore, qui egressus ex ore totum mundum videbatur accendere; & vtique verbum eius vt facula arsit,quia in spiritu Heliæ venit. Nato igitur ex piis parentibus & religiosè viuentibus, in illa puerili ætate sua cor ei senile iam inerat, & sensus veneranda canicies tenella sub facie latitabat. Cum enim esset adhuc puerulus nondum à nutricis diligentia segregatus, deprehensus est sępe lectum dimittere, quasi iam carnis delicias abhorreret, & eligebat potius ad terram accumbere. Cuidam autem matronæ nobili, quæ de fonte baptismi eum leuauerat visus est per somnium idem puer Dominicus quasi stellam habens in fronte,quę totam terram suo lumine perlustrabat. Quo vtique Deo monstrante futurorum præscio dabatur intelligi, quod in lucem gentium dandus erat. Post hæc ob liberalium artium doctrinam missus Palentiam vbi tunc generale studiũ florebat, cæpit puer sanctæ indolis eruditioni diligenter intendere. Et vt animum suum plenius ad sapientiam transferret,cogitauit carnem suam à vino abstrahere,vnde & per decennium vinum non bibit, & in liberalium artium eruditione supra multos coætaneos profecit. Post hæc ad Theologiæ studium se contulit totum, & diuinis eloquijs vehementer inhiare cæpit, quorum melle ac dulcedine delectatus hausit auide quod postea effudit abunde.

Visio matris eius.

Studijs operam dedit adhuc iuuenis.

Qualiter habitum regularem susceperit,& hospitem suum ab hæresi conuertit.

Cap. XCV.

Commiseratio erga pauperes. FAme autem perualida in Hispanijs ingruente,seruus Dei manens adhuc Palentiæ, cum videret egenorũ miserias, & consolatorem neminem anxio compatiens affectu venditis libris, quos admodum necessarios sibi habebat, & omni suppellectili precium acceptum disperfit,& pauperibus dedit. Quo exemplo multos quoque diuites,& magistros ad opera misericordie prouocauit. Cumque honestatis eius late patens præconium Oxonienſis Didaci episcopi attigisset auditum,accersitum eum,fecit in ecclesia sua regularem Canonicum. Qui statim inter Canonicos velut singulare iubar emicuit,& de virtute in virtutem mira celeritate progrediens omnium aspectum in se prouocauit. Erat enim in oratione assiduus,charitate præcipuus, compassione anxius,& sibi subditis humilitate subiectus. Specialem gratiam contulerat ei Deus scilicet flendi pro peccatoribus,pro miseris, & afflictis, pereuntium animarum zelo succensus,nec minus desiderio cœlestis habitationis affectus,crebro in orationibus pernoctabat. Sæpe autem,& inter orationes rugiebat à gemitu cordis sui, nec continere se poterat, quin vox plangentis euidenter eminus audiretur. Frequenter autem & aures diuinæ clementiæ hac speciali petitione pulsabat, quatenus cordi eius illam charitatem dignaretur infundere, qua proximorum posset efficacius salutem procurare, exemplo eius videlicet, qui se totum nostram obtulit in salutem. Sane librum, qui collationes patrum inscribitur,studioſe legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber ille de cordis puritate, de vitijs, & de omni perfectione virtutum. Porro prefatús Didacus episcopus, Aldefonsi Regis Castellæ rogatu,ad Marchias pergens vt eius filio Ferdinando cuiusdam puellæ nobilis conciliaret connubia, seruum Dei diuinitus ecclesiæ suæ

Didaci Oxonienſis episcopi de hæreticorum cõuersione cõsilium.

Fit canonicus regularis S. Dominicus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

superiorem secum duxit. Et cum Toloſam peruenissent, eadem nocte Sanctus Dominicus hoſpitem ſuum hæreticum tam affabili perſuaſione deiiciens, quam rationum connexione deuincens, ad fidem catholicam Deo cooperante conuertit. Poſt hæc idem Epiſcopus curiam Romanam adiens ac ſummo Pontifici propoſitum ſuum exponens, videlicet aſſerens, ſui fore voti Romanorum conuerſioni curam impendere, ceſſionem petiit, ſed impetrare non valuit.

Qualiter eius libellus ignem ter exiuit illæſus.

Cap. XCVI.

POrro cum in partibus Albigenſium, vt ſuperius dictum eſt, idem epiſcopus eiuſque ſocii pedites diſcurrendo fidem Chriſti verbo & opere ſtrenue prædicarẽt atq; inter catholicos & hæreticos ibidẽ frequẽter diſputationum conflictus fieret. Ad quas vtriuſque ſexus multitudo populi confluebat, factum eſt vt apud Fanum Iouis celebris indiceretur diſputatio ſub rudicibus deputatis, quibus ab vtraque parte ſcripto præſentari deberet ipſa aſſertio fidei quam docebat. Qua propter ſcriptis diuerſis ſuper hoc à catholicis diligenter libellis, & in commune redactis, ac mutua collatione inter ſe diſcuſſis, libellus quem ſcripſerat Beatus Dominicus communiter & commendatur præ cæteris, & decernitur præſentandus. Statuto itaque die, & multitudine populi circumſtante libelli vtriuſque partis in medium proferuntur. Verum iudicibus inter ſe diſcrepantibus hęc fuit tandem communis eorum ſententia, vt vtroſque libellos flammis inijcerent, & quem ab igne contingeret non comburi, ille veram fidem proculdubio teneret. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus. Accenſus eſt in publicum magnus ignis, libelli proijciuntur in medium, libellus partis hæreticæ ſtatim comburitur, libellus vero ſerui Dei Dominici non ſolum non lædi-

Liber viri Dei non poteſt igne cõburi.

tur, verum etiam ab igne foras proſilit in longinquum. Secundoque iniectus, ac tertio æque prodiit incombuſtus, vt ſic diuina potentia quod olim in tribus pueris geſtum cognouimus, in vno eodemque prorſus libelli ab igne conſeruati ſtupendo prodigio, & orthodoxæ fidei veritatem, & ſui comprobaret auctoris ſanctitatem.

De Sancto Franciſco, & eius conuerſationis primordio.

Cap. XCVII.

EX geſtis eius. Eodemque tempore Beatus Franciſcus ordinis fratrum minorum inſtitutor, vitæ ſanctitate floruit, qui nimirum ſub Innocentio Papa curſum ſuum in Domino cæpit, ac ſub eiuſdem ſucceſſore Honorio fœliciter conſummauit. Hic quondam in vallis Spoletanæ finibus ciuitate Aſſiſſio negociator fuit officio, diues terrenis opibus, & mundi vanitatibus indecenter nutritus, ſuis nutritoribus inſolentior effectus. Itaque cordis inquieti laſciuiam iocis, & luſibus geſtis, & habitu verbis impudicis, & cantibus oſtentabat, & quia prodigus erat ac per inanem ſuorum diſſipationem humanus & affabilis videbatur, multorum ſibi cohærentium caudam inquam poſt ſe trahebat, ſic vſque ad annum ætatis ſue fere 25. in via perditionis inceſſit, donec ad exemplum peccatoribus in gratiam reſpirandis mutatio dextræ excelſi apparuit. Et primo quidem à Domino languoribus attritus cogebatur ſolitis diſſimilia cogitare, cæpitque quicquid in deſiderio prius habuerat ſtatim faſtidire, ſed & talium amatores ſtultiſſimos reputare, ſed arridentibus iterum proſperis, cæpit adhuc ſibi maiora prioribus de ſæculi vanitatibus promittere, diuitiarum cupidus & gloriæ. Cumque negociationis cauſa pararet in Apuliam pergere, oſtenſum eſt ei per viſionẽ domus ſua militaribus apparatibus plena; quæ venalium eſſe conſueuerat pannorum cumulis occupata, ſtupentique aduentu rei inſolitum reſponſum eſt, hæc omnia fore ſua militumque ſuorum. Euigilans autem quamuis huiuſmodi viſionem propoſito ſuo videret applaudere, ſubito tamen mirabiliter cępit ab eodem propoſito tepeſcere, ita vt nouæ militiæ dux futurus, & ex ipſa ſui mutatione perpenderet dictam viſionem longe aliud, quam ediderat importare. Ex tunc igitur cæpit mores priſtinos ad plenum mutare, & à publica negociatione tumultuoſe ſe ſubtrahens, euangelicum negotiatorem efficere. Quendam enim ſibi familiarem ad loca ſecretiora ſæpius euocabat, eoque de foris expectante, & quid ageret ignorante quandam cryptam intrabat, ibique cum lachrymis cœleſtem exorabat patrem vt viam eius dirigens, ſuam ei plenius oſtenderet voluntatem; ſicque in oratione perſiſtens, & grauiter ſe affligens, tandem pro voto meruit exaudiri, cęlicoque infallibiliter iudicio, quid ageret edoceri. Itaque lætus exurgens aſſumptis ſecum pannis venalibus preciosis, ad Fulgineũ ciuitatẽ perrexit, quibus cum equo cui inſederat venditis, onuſtus pecunia repedauit, quam pauperum vſibus & aliarum neceſſitatum piis obſequiis mancipare diſpoſuit, & apud quendam pauperem presbyterum moram fecit. Interim pater eius poſt longam inquiſitionem de eo, quid actum eſſet, cum audiſſet qualiter in præfato loco miſere degendo deliteſceret, turbatus ad locum cucurrit, ſed ille ne videretur à patre ſe cuidam cauęæ immerſit, in qua quaſi per menſem integrum latitans, vno, qui forſitam locum ſolus ſciebat, obſequium ei impendente, diuinam clementiam in ieiunijs & fletu implorare non deſiit.

Terrena omnia incipiũt ei vileſcere.

De patientia eiuſdem & nuditate, & humilitate.

Cap. XCVIII.

PRoinde ſic exoranti effuſa eſt in tenebris mira quædam inexperta lætitia, qua intantum animatus eſt, vt & in publicum prodiret, & quia ſegniter latuerit ſeipſum grauiter argueret. Videntes autem noti eius, eum à ſtatu priſtino alteratum, & maciei ſqualore confectum, non id ſupernæ gratię ſed dementiæ potius imputabant, & inſultantes ei luto ac lapidibus impetebant. At ille nulla fractus iniuria, cunctos ſurda aure tranſibat & illi à quo deſuper confortabatur gratias agebat. Pater vero audiens & accurrens, plus etiam cęteris omnibus in eum inſanire cæpit, & inhoneſte pertractum, primo quidem contumeliis & verberibus crudeliter affecit, deinde vinctum in carcerem retruſit. At vero mater eius pietate commota, patre abſente latenter vincula rupit, filiumque ſolutum liberum abire permiſit: quod vt pater domum rediens agnouit, iratus vxorem contumeliis laceſſiuit, & poſt ad filium effrænatus cucurrit. Cui ille ſe liber & intrepidus offerens, iam eius furiæ nõ cedebat, ſed adhuc maiora pro Chriſto pati gratanter ſe velle clamabat. Videns igitur pater inflexibilem eius cõſtantiam, demum ad pecuniam conuertitur extorquendam, quam ibi à Sancto viro tanquam vilem pulueremin feneſtram proiectam inuenit & ſubſtulit. Iam erga filium ſuum mitius agere cæpit, quia fitis auaritiæ pauliſper extincta, furorem ipſius animi temperauit. Poſt hæc illum ad epiſcopum loci, vt omnes facultates ſuas in manibus eius reſignaret perduxit. Qui promptus & hilaris ad hoc ipſum ſe offerens, omnia indumenta ſua, nec femoralibus quidem retentis, deponens ea reſtituit, ſicque nudus omnino quem iam nil terrenum à diuino contuitu niſi ſolus carnis paries ſeparabat; in mundo ſe exulem deſignauit, & in cruce nudato ſe confirmauit: epiſcopus vero faciem eius admirans intra brachia ſua collectum pallio quo induebatur obtexit. Poſt hęc humilis ſui contemptor, etiam ſe ab omnibus contemni cõſpiciens, ad leproſos ſe cõtulit, quibus deuotiſſime ſeruiẽs, etiam eorum vlcera humiliter lauit, ſaniemque detergere non abhorruit. Antea tamen cum adhuc eſſet in peccatis huiuſmodi videre non poterat, ſed eos intantũ

Multis iniurijs afficitur à ciuibus ſuis.

Itẽ à patre. Pro nihilo ducit vincula & carceres & verbera.

Aſſiſium ſitum eſt in Vmbria parte quam vocant vallem Spoletanam vt habet Raph. Volater lib. 6. Geogra.

Denudatur à patre, veſtitur ab epiſcopo.

deſpex-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

despexerat, quod non solum eos è vicino, sed etiam eorum domos è longinquo prospiciens, manibus nares obturare consueuerat. Denique trium ecclesiarum opere consummato, habitum adhuc eremiticum tūc tēporis habuit, baculumque manu gestans, pedibus calciatis, & corrigia cinctus incessit. Audiens autem die quadam in missa ea quæ Christus in Euangelio missis ad prædicandum discipulis loquitur, ne scilicet aurum vel argentum possideant, ne peram in via, vel sacculum, vel virgam vel panem portent, ne calciamenta vel duas tunicas habeant. Et hæc eadem intelligens plenius à presbytero, gaudio repletus ait: Hoc est, inquit, quod quæro, & totis præcordiis concupisco. Duplicibus ergo sine mora depositis, ex hoc iam calciamentis, virga, sacculoque, & pera non vtens, tunicam contemptibilem plurimum & incultam fecit, reiectaque corrigia funiculo eam cinxit, & pœnitentiæ verba simpliciter in publicum proponere cœpit. Sed & sicut ipse testatus est, quod huiusmodi salutationem Domino reuelante didicerat, vt diceret: Dominus det tibi pacem in omni prædicatione sua, pacem annuncians populum in sermonis exordio salutabat.

Seruit leprosis officiosissime.

Matth. 10.

Admirabile studiū paupertatis.

De multiplicatione fratrum minorum, ac regula, & prædicatione eorum.

Cap. XCIX.

Multos ad dominum conuertit.

CEperuntque viri quidam eius exemplo ad pœnitētiam animari, & ei, relictis omnibus, hābitu vitaque coniūgi. Iamque sex fratrum societate gaudebat, & inter minores vt minimus se gerebat in omnibus. Quadam enim die cum ex more se orationi dedisset, & de beneficiis sibi impensis Deo gratias agens, annosque male transactos in amaritudine animæ suæ recogitans, Domino tremebundus assisteret, cœpit passim eius mēti mera quædam suauitas & lætitia superinfundi, intantum scilicet vt à seipso deficeret, donec remissionis omnium culparum suarum certitudinem acciperet. Plura quoque de futuris arcana contemplatus est. Denique octonario numero fratrum completo, sex illorum binos in diuersas regiones ad pacem cum pœnitentia nunciandam mittens, plura eis de regno Dei & de mundi suique contemptu dulciter proposuit. Ipse quoque in aliam mundi partem, vno secum retento secessit. Cumque multo post vidēdi eos desiderio teneretur, orans Dominum, exauditur, ita vt in breui omnes improuise & mirabiliter in vnum congregarentur, beneficiaque diuinitus sibi impensa referentes gaudio patris congratulabātur. Cernens igitur accrescere numerum fratrum, breui regulam sermone conscripsit, interpositis in ea sacri Euangelii verbis, ad cuius perfectionem quantum potuit anhelauit. Desiderans autem, quæ scripserat, à summo Pontifice confirmari xj. quos habuit fratres secum assumpsit, & cum illis ipse duodecimus Romam perrexit. Quibus Papa Innocentius de regula confirmanda dans consensum, & de pœnitentia prædicanda mandatum, cum gaudio illos dimisit, eisque adhuc ampliora multiplicatis, in posterum compromisit. Vir itaque Sanctus per ciuitates & villas circumiens prædicabat constantissime pœnitentiam. Mirabantur enim viri literati eius, quem homo non docuerat, verborum virtutem vidētes, ad ipsum nobiles & ignobiles turmatim confluere eique soleter intendere. Qui etiam tres ordines instituit, quorum primum ipse tenuit, scilicet Fratrum minorum; secundus fuit pauperum dominarum ac virginum; tertius vero pœnitentium. Tantumque in seipso rigorem iustitię exercuit, quod si aliquando vt assolet tentatio carnis surriperet, hyemali tempore in locum glacie vel niuibus plenum vsque ad illiciti motus abscessum se mergeret.

Mittit fratres suos ad prædicandu post regulam eius à pontifice approbatam.

De quibusdam incidentibus illius temporis.

Cap. C.

ANno prænotato scilicet ab incarnatione Domini 1207. Philippus Rex Francorum, Aquitaniam ingressus, terram Vicecomitis Toracensis vastauit, Parthenatum cœpit, & alias quam plures circumpositas munitiones euertit. Quasdam vero munitas sub custodia Marescalli sui, & Guillelmi de Rupibus dereliquit.

Hugo Antisiodorensis episcopus in Ecclesia Lateranensi tumulatur vir nobilis & magnificus, in vtroque iure peritus, persecutor hæreticorum præcipuus, qui etiam inter alia relatu digna, per Comitem Petrum ab vrbe Iudæos eliminari fecit, eorumque synagogam eliminata spurcitia in honorem Dei & sanctorum confessorum scilicet Nicolai ac Renoberti basilicam consecrauit. Post quem eligitur in Episcopum Guillelmus, & ipse genere nobilis ac literatura bonisque moribus adornatus, & quia Rex episcopalia confiscari præceperat, electus per legatos restitutionem petit nec impetrat. Itaque consecratus adit personaliter Regem, & cū multis laboribus ac sumptibus perpetuam regalium obtinet libertatem.

Magister Reuerius supprior Cantuarienſis in Archiepiscopum electus vadit Romam, sed Rege volente aliū intrudere, Papa in archiepiscopum cōsecrat magistrum Stephanum de Languetonis, Sancti Crisogoni presbyterum Cardinalem. Regem autem excommunicat, propter monachorum eliminationem ac rerum ecclesiasticarum confiscationem, & interdicto subiicit Angliam. In vigilia Sancti Nicolai audiuntur tonitrua, & plurima fulminibus incenduntur ædificia, sequiturque aquarum inundatio mirabilis & damnosa.

Eodem anno Satellia ciuitas munitissima capitur à paganis cum maximo nostrorum damno.

De Nece Philippi Imperatoris, & legatione Gualonis.

Cap. CI.

SEquenti autem anno quidam Comes Palatinus, qui lingua eorum Landagrana vocabatur, ideſt Comes palatii, Philippum Imperatorem interfecit. Cuius vxor filia * Thursaci Imperatoris Græcorum præ dolore moritur. Et Otho filius Ducis Saxoniæ per industriam & autoritatem Innocētii Papæ imperium obtinere nititur. Petrus de castro nouo monachus à Papa Legatus, Comitem Tolosanum excommunicat, & Comes ei apud villam Sancti Ægidii satisfactionem de commissis pollicens vocat, nec tamen vult satisfacere, sed mortem ei comminatur publice. Itaque Legato recedenti, duo seruientes comitis se adiungunt, & in eodem hospicio patiter hospitati sunt. Mane Petrus celebrat & dū ad flumen veniunt, vnus è duobus ipsum lācea ferit posterius inter costas, qui percussorem respexit ac verbum istud sæpius repetiit, Deus tibi dimittat, & ego dimitto. Post modicum vero vitam finiuit.

An. Christi 1208.

* *Isachij.*

Odo etiam Episcopus Parisiensis obiit, & Petrus thesaurarius Turonensis moribus potius quam literis eruditus ei successit. Guillelmus quoque Bituricensis Archiepiscopus, genere ac virtutibus adornatus, parās iter contra Albigenses in Christo dormit.

Eodem anno misit Innocētius Papa Legatum in Frāciam Gualonem Sanctæ Marię in porticu diaconum Cardinalem iurisperitum, bonis moribus ornatum & Ecclesiarum visitatorem diligentissimum, Philippo Regi, & omnibus regni sui principibus mandans & præcipiens, vt cum exercitu magno tanquam viri catholici terram Tolosanam & Albigensium, & Narbonensium, aliasque adiacentes inuaderent, atque omnes hæreticos qui eas occupauerant delerent. Et si forte in via vel in bello contra illos morerentur, ab ipso Papa de omnibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

peccatis à die natiuitatis ſuæ contractis, de quibus confeſſi eſſent abſoluebantur.

Guillelmus de Rupibus & Mareſcallius Franciæ, ſub quorum cuſtodia Rex Philippus quaſdam munitiones vt ſupradictum eſt, reliquerat in Pictauia, collectis fere 200. militibus Vicecomitem Toarcenſem, & Sauaricum de malo leone, qui cum manu valida terras Regis intrauerant, prædaſque ducebant, ex improuiſo ſuperuenientes confecerunt, in qua ſcilicet confectura milites 40. Pictauenſes, & eo amplius captos Regi Philippo Pariſios miſerunt.

De diſſenſione inter epiſcopum Aurelianenſem, & Antiſiodorenſem à Rege Philippo.

Cap. CII.

Anno Domini 1209. Vihellus de Mediana vir nobilis ac ſtrenuus nunciauit Regi Philippo quoddam caſtrum eſſe firmatum in ſeptemtrionali latere minoris Britanniæ ſuper mare excelſa rupe, cui nomen Guarplie; de quo facilis patebat tranſitus in Angliam. Quod videlicet caſtrum armis & hominibus, & victualibus ac machinis munietant. Ibique Anglicos inimicos regni recipiebant, & circumiacentem regionē ſiue prouinciam damnificabant. Rex itaque Philippus ob hoc apud Medontam exercitum congregauit, & caſtrum vi captum atque fidelibus ſuis munitum dicto Vihello tradidit. Verum cum ad præfatum exercitum barones & epiſcopi vocati conueniſſent, & ad mandatum Regis homines ſuos more debito in expeditionem illam miſiſſent Aurelianenſis & Antiſiodorenſis epiſcopi cum militibus ſuis ad propria ſunt reuerſi, dicentes ſe niſi quando Rex ipſe perſonaliter proficiſceretur in exercitu, vel mittere vel ire non teneri: Cumque generali cōſuetudine contra ipſos faciente nullo ad id ſe tueri priuilegio poſſent, nec tamen ad petitionem Regis hoc emendare vellent, Rex eorum regalia confiſcauit, ea ſcilicet tantummodo temporalia, quæ ab ipſo feudaliter tenebant, decimas autem & alia ſpiritualia eis in pace dimittens, ipſi vero terra Regis, & hominibus interdictis, ad Romanam curiam miſerunt, & in perſonis propriis acceſſerunt. Sed Innocentio Papa nolente iura, ſcilicet regni, & conſuetudines infringere; tandem emenda facta Regi ſoluta, poſt duos annos cuncta quæ à rege confiſcata fuerant recepere:

Eodem anno Ioannes Brenenſis Comes in Regem Hieroſolymitanum eligitur, & filia Conradi quondam Regis ducta in vxorem apud Tyrum ſolenniter coronatur.

De Peregrinatione noſtrorum contra terram Albigenſium, & obitu Sancti Didaci epiſcopi, & de Sancto Dominico.

Cap. CIII.

Eodem anno cruce ſignati omnes contra Albigēſes iter arripiunt, eiſque Comes adiungitur Toloſanus, quem abſoluerat Papa per Legatum. Itaque Bitturis capitur, omneſque pariter trucidātur, ita quod 17. millia hominum ferro & incendio pereunt, Carcaſona obſidetur, & Rogerus fortitudinem noſtrorum videns, fecit pactum, vt liceat ſuis recedere quo volūt ſine rebus. Illis recedentibus diligentiſſime cuſtoditur Rogerus. *Simon comes Montiforris egregius fidei catholicæ propugnator.* Simon autem Dominus Montifortis, toti regioni habitæ & habendæ pariter præficitur. Porro Albigenſes videntes receſſiſſe Principes multa mala noſtris irrogant. Quendam namque Abbatem Ciſtercienſis ordinis, & eius conuerſum occidunt; Monachum quoque vulneratum æſtimantes mortuum deſerunt. Girardus de Pippio cuidam Capellano promittit, quod ipſum & ſex milites, &.l. ſeruientes ſecure deducet vſque ad noſtros, ipſaque nocte recipit eos ad menſam ſuam, & poſtea ſpoliat & incarcerat vniuerſos; eductis vero militibus ignem & ligna paleaſque miniſtri Girardi ponunt in carcere blaſphemantes matrem miſericordiæ. At vero Capellanus ac ſeruientes triduo ſuſtinent incēdium, nec tamen vtuntur. Porro duo ex militibus cæteris prę eminentes, fidem catholicam abnegare nolentes, propriis pollicibus exoculant, aureſque radicitus amputāt, & nares cūm labio ſuperiori obtruncant, quorum vnus præ dolore moritur, alter poſtea viuus inuenitur. Comes Fuſſenſis vnico filio ſuo obſide derelicto redit ad vomitum, & noſtros multipliciter inquietat.

Ex geſtis S. Dominici. Interea dum ſeruus Dei Didacus Oxonienſis epiſcopus vt ſupradictum eſt, in terra illa prædicaret, tantā in eō lux diuinæ gratiæ radiabat, vt amorem ſibi omnium raperet, & ipſos quoque aduerſarios gratiæ vi quadam honeſtatis alliceret, vt ab illis etiā amaretur. Exacto tandem ibi fideī prædicatione biēnio, præfatus epiſcopus, ne forte negligētiæ poſſet redargui circa ſibi cōmiſſam eccleſiā Oxonienſem in Hiſpaniam redire decreuit. Relictis ergo ibidē quibuſdam ex ſociis Fratrē quidem Dominicū eis in ſpiritualiū cura, quendā vero Guillelmum Clareti dictum, in tēporalium adminiſtratione præfecit, ita tamen vt ad Fratrem Dominicū referret omnium quæ ageret rationem. Cumque multo labore Oxoniā peruenisſet, pedes trāſiens per caſtellam, ad extremum vitæ ſuæ perductus eſt.

Fertur etiam poſt obitum claruiſſe miraculis.

De conſtanti prædicatione, & charitate ſancti Dominici.

Cap. CIV.

Avdito igitur tranſitu Oxonienſis Epiſcopi, cæteri qui in partibus Toloſanis gratia prædicandi remanſerāt, ad propria ſunt reuerſi. Solus autē frater Dominicus cū paucis adhærentibus in prædicationis indefeſſa continuatione permanſit. Cæpit interea de mādato Domini Papę Innocētij crux cōtra Albigenſes in Frācia prædicari, vt infructuoſos palmites quos verbi Dei gladius putare non poterat, ipſos priuſquā vineam Domini Sabaoth demolirētur, ad libitū materialis gladius penit⁹ amputaret. Manſit autem tunc temporis Beatus Dominicus vſque ab obitum conſtanter annuncians Dei verbum. Nec Apoſtolorum quidem fraudatus eſt gloria, qua dignus eſt habitus pro nomine Ieſu cōtumeliā pati. Irridebant ſiquidē & multipliciter ſubſannabāt hæretici virum ſanctum conſpuentes, & lutu & huiuſmodi vilia in eū proiicientes. Cum autem aliquando pertranſiſſet locum in quo ſcilicet ſibi ſuſpicabatur inſidias, non ſolū intrepidus, verumetiam cantans & alacer incedebat. Audientes autem poſt hæc hæretici admirantes eius conſtantiam inconcuſſam, dixerunt ei: *Nunquid tu non mortis horrore concuteris? Quid acturus eras ſi nos comprehendiſſemus te.* At ille: Rogarē vos, inquit, ne mihi breui compendio mortem inferretis, ſed paulatim membra ſingula mutilantes corpus permitteretis ſic cruentum in ſuo ſanguine volutari. Ad hæc enim verba veritatis aduerſarii ſtupefacti deſtiterunt vltra inſidiari ei, cum ſæuientes in eū potius ſeruire ſibi, & perſequentes obſequi viderentur; ipſe vero animas Chriſto lucrari quas poterat, totis viribus & zelo feruentiſſimo ſatagebat, charitatis quoque perfectione nō vacuus, pro ſalute proximorum animam ſuam ponere promptus erat. Exhortatus enim aliquādo quendā dolis impietatis hæreticæ circumuentum, vt ad matris eccleſiæ rediret ſinum, eum didiciſſet eum tēporalium egeſtate cōpulſum, ab infidelium ſocietate non poſſe diſcedere. Nam ipſi victum ei quē aliunde habere non poterat miniſtrabant, deliberauit Dei famulus ſeipſum venundari, atque ſui precio redimere proximū, Redemptoris omniū imitatus exemplum. Quod & feciſſet niſi Deus, qui dives eſt in omnibus aliunde prouidiſſet, quo miſerabilis illius hominis releuaretur egeſtas. Simile quidem prius feciſſe dignoſcitur, cum adhuc in patria ſua moraretur. Quædam enim mulier conqueſta eſt ei fratrem ſuum apud Saracenos detineri captiuum, at ille vt erat plenus ſpiritu pietatis, intimo compaſſionis *S. Dominicus diu pugnat cum hæreticis.* *Nota inſignē animi fortitudinem.*

affectu

affectu ſaucius, vendendum ſe obtulit pro redemptione captiui, ſed non permiſit hoc Dominus, qui eum ſibi ad vberiores fructus iuſtitiæ animarum, quam plurium conuerſionem ſeruabat.

De Sancta eius hipocryſi.

Cap. CV.

EO tempore ſciens Dei famulus ſæcularium corda exemplis potius moueri quam verbis, ideoque quã plurimos ſubdola hæreticorum ſuperſtitione illectos pertrahi ad errorem, excogitauit exemplis exempla retundere, & veris virtutibus ſophiſticas expugnare, Quaſdam enim nobiles Dominas incredulorum familiares adiit, & apud eas hoſpitio receptus eſt, & per totam quadrageſimam ibi manſit. Igitur vt & ipſe eas oſtenſione ſanctitatis alliceret, tanta ſeipſum cum ſocietate ſua cæpit auſteritate afficere, quantam ſine auxilio diuinæ gratiæ ſuſtinere nequaquam infirmitas humana potuiſſet. *Mira Beati Dominici abſtinentia & rigor.* Etenim cum ſibi cibi more ſolito præparati ab ipſis hoſpitibus afferrentur. Nos, inquit, huiuſcemodi nunc alimentis non vtimur. Panem nobis tantum & aquã frigidam exhibete. Ieiunauit ergo vir ſanctus cum ſocio ſuo in pane & aqua quotidie per totam quadrageſimam vſque ad paſcha, ita vt mirarentur familiares hæreticorum, & dicerent: *Vere iſti boni homines ſunt.* Stratus quoque cum ſibi pararetur ad quieſcendum idoneus: Non, inquit, in hac mollicie, ſed ſuper tabulas quieſcemus. Stratis itaque ſibi nudis tabulis accubuerunt quotidie nudo dormientes in ligno, exemplo eius qui ſomnum mortis ſuſcepit in crucis patibulo. Somnus autem eorũ breuis erat. Surgebant enim quam citius & anticipabant vigilias orationibus inſiſtẽtes. Allocutus eſt Beatus Dominicus aliquas ex dominabus illis, rogauit vt ſibi & ſocio cilicia quærerent, addiditque nemo ſciat; ſeruetur ſecretum Hæc autem faciebat vir ſpiritu Dei plenus, non vt ſibi fauorem laudis humanæ acquireret, ſed vt mẽtes infidelium ad amorẽ catholicæ religionis alliceret. Hinc nonnunquam pater ille ſanctos admonebat fratres ſuos, vt cum apud ſeculares eſſent, ad proximorum ædificationem aliquam oſtenderent in ſeipſis virtutis apparentiam in abſtinentiis & vigiliis, verborum quoque ac geſtuum diſciplina & ſic eos quadam Sancta hipocryſi ad fidei reuerentiam, & virtutis amorem perpenſius inuitarent. Vnde, & Apoſtolus ſumptus recuſabat accipere, ne quod offendiculum præſtaret Euãgelio Chriſti. Virtutes etiam ſuas & labores, necnon & Dei reuelationes enumerat vt plures lucri faciat. Igitur ſeruus Dei Dominicus apud Deum & homines gratia proficiebat & fama. Hæreticos vero torquebat inuidia, prædicatoſii pro viribus inſiſtebat. Habebat vero ad ſui & ſuorũ ſuſtentationem eccleſiam Fani Iouis, & quædam alia; caſtrum etiã inſigne, quod dicitur Caſſanuel ſibi à Comite Mõtifortis collatum, cuius Comitis erga eum feruebat deuotio, & ſpecialis dilectio. De omnibus vero, quæ habebat Beatus Dominicus, quicquid ſibi ſuiſque ſociis ſubtrahere poterat, dominabus monaſterii de Priuiliano impartiri ſtudebat. Manſit autem in eiſdem partibus quaſi ſolus annis fere 10. à tranſitu videlicet beatæ memoriæ Didaci Oxonienſis epiſcopi, vſque ad illud tempus, quo Lateranenſe concilium celebratum eſt.

De coronatione Othonis quarti Imperatoris, & eius depoſitione.

Cap. CVI.

An. Chriſti 1209. Mūdi 5030. EX *Chronicis*. Anno prænotato ſcilicet ab incarnatione Domini 1209. mundi verò 5070. Innocentius Papa contra voluntatem Philippi Regis Francorum, & contradicentibus pro maxima parte Romanis, multis ex magnatibus imperii diſſentientibus, Othonem Imperatorem coronauit; cuius pater ſcilicet Dux Saxoniæ de crimine læſæ maieſtatis ab Imperatore Friderico cõuictus, & vniuerſo baronum Imperii iudicio condemnatus, atque à Ducatu fuerat in perpetuum deiectus. In ipſa vero coronatione Papa iuſiurandum exegit ab eo de patrimonio, & iure Beati Petri indemniter ipſi & eccleſiæ Romanæ in pace dimittendo, & contra quoſlibet defendendo. Quo facto venit contra iuramentum ipſo die, propter hoc ipſum, & propter quaſdã expẽſas quas ab Imperatore Romani ex debito petebant, & propter quaſdam iniurias quas eis Teutonici ingabãt, orta diſcordia, Romani cum eis conflixerunt, multique de Teutonicis occiſi ſunt. Plurimum etiam eos damnificauerunt, ita vt eum de damnis ſibi reſarciendis Imperator cum Romanis poſtmodum ageret, in illo bello ſe millia, & centum equos amiſiſſe præter homines & alia affirmauit. Rediens autem inde ſicut dudum animo conceperat, caſtra & munitiones occupauit, quæ ſcilicet iuris B. Petri erant, Racofonum montem Flaſconis, ac pene totam Romaniam. Inde tranſiens in Apuliam, oppugnauit terram Friderici Filii Imperatoris Henrici, cæpitque multas vrbes, atq; caſtella in regno Apuliæ, quod totum eſt de feudo Beati Petri. Miſſis igitur hinc inde nunciis cum Imperator ea quæ occupauerat reſignare nullatenus vellet, quin etiam à ſuis quos in caſtris poſuerat ſpoliari Romipetas faceret, Papa in eum, communicato fratrum conſilio, excommunicationis ſententiam promulgauit. Deinde cum ſic reſpicere non vellet, ſed magis eccleſię res occuparet, ac Romipetarum iter impediret, omnes ſubditos eius à fidelitate ipſius abſoluit Papa, ſub anathematis interminatione prohibẽs ne quis eum Imperatorem haberet aut nominaret. Sicque receſſerunt ab eo Landgrauius Turingiæ, & Archiepiſcopus Maguntinus ac Treuerenſis, Dux Auſtriæ, & Rex Bohemiæ, multique alij tam ſæculares, quam eccleſiaſticæ perſonæ.

Otho 4. Imperator ab Innocentio coronatur.

Tumultus Romæ exoritur.

Otho ab Innocentio excommunicatur & imperio priuatur.

Anno Domini 1210. noſtri Mineibiam obſident & capiunt, daturque optio, vt qui voluerit hæreſim abiurare liber recedat. Ibique circiter 186. inuenti ſunt, qui potius comburi quam abiurare hæreſim elegerũt. Termæ caſtrum fortiſſimum obſidetur, ibique peregrinum ramalia ferentem ad implendum foſſata, quidam baliſta ſuper ſignũ crucis, quod in pectore gerebat ſpiculo ferit, & ſpiculum tanquã ſi ſuper lapidem ceciderit reſilit. Itaque peregrinus corruit, ſed conſurgens nullã veſtis aut corporis læſionem percepit. Obſeſſi vero longa obſidione fatigati, dum nocte fugiunt ab excubiis intercepti, quotquot reperiuntur gladiis obtrũcantur. Guillelmus de Pipionibus tres ſacerdotes, & quinquaginta Catholicos incendit, qui poſt triduũ inuſti reperti ſunt.

An. Chriſti 1210.

Pariſiis de hæreſi 14. homines quorum etiam aliqui ſacerdotes erant, conuincuntur, ex quibus 10. incendio traduntur; & quatuor includuntur.

De Amalrico hæreſiarcha & ſequacibus eius combuſtis.

Cap. CVII.

IAm in diebus illis florebat ſtudium literarum Pariſiis, illucque vndique de toto orbe ſcholaribus confluentibus, non ſolum propter loci amænitatem, & bonorum omnium affluentiam, ſed etiam propter libertatem ac ſpecialem prærogatiuam, quam ſcilicet impendebat eis Rex Philippus, & ante ipſum pater eius. Illic ſacra facultate ſtudebat quidam Amalricus de territorio Carnotenſi villa, quæ dicitur Bena otiundus, ſemperque ſuum habuit & in artibus liberalibus, & in ſacra pagina diſcendi atque docendi modum, opinionem priuatam, ac iudicium ab aliis ſeparatum. Hic auſus conſtãter affirmare, quod quilibet tenetur credere ſe eſſe mẽbrum Chriſti, & hoc vnum eſſe de articulis fidei, ſine quo non poteſt homo ſaluari. Omnibus autem catholicis in hoc ei contradicentibus, ad ſummum Pontificẽ coactus acceſſit. Qui audita eius propoſitione, & vniuerſitatis ſcholarium contradictione, contra ipſum ſententiauit. Reuerſus ergo Pariſiis compellitur ore confiteri, quod contrarium ſentitet prædictæ opinioni. Ideo, inquam, ore, quia nunquam diſceſſit corde. Itaque

Amalriti errores.

Ingeniũ prorum hæreticorum. Hoc idem proteſtantes ſeuerant dum fide ſua ſpeciali ſe ſaluos iam eſſe prædicant.

tædio

tædio & indignatione affectus vt dicitur ægrotauit, ac lecto decumbens in breui decessit. Post cuius mortem eius venenosa doctrina quidam infecti surrexerunt, qui plusquam oportet sapientes ad exufflandum Christum, & noui testamenti sacramenta, nouos & inauditos errores & adinuentiones diabolicas confinxerunt. Inter cætera vero impudenter asserere conabantur, quod patris potestas duranit, quamdiu viguit lex Mosaica, & quia scriptum est: *Nouis superuenientibus abijcietis vetera.* Postquam enim Christus venit absoluta sunt omnia veteris testamenti sacramenta, & viguit noua lex vsque ad illud tempus, videlicet quo prædicabant talia. Illo ergo tempore dicebant noui testamenti sacramenta finem habere, & Spiritus sancti tempus incepisse. Ideoque cõfessionem, baptismum, eucharistiam, & alia etiam sine quibus non est salus, locum de cætero non habere, sed vnumquemque per gratiam Spiritus sancti tantum interius, sine aliquo exteriori actu inspiratam, saluari posse. Charitatis quoque virtutem sic ampliabant vt id quod aliter peccatum esset si fieret, in charitate iam non esse peccatum dicerent. Vnde & stupra & adulteria cæteraque corporis voluptates in charitatis nomine committebant, mulieribusque cũ quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebãt, impunitatem peccati promittebant; Deum, scilicet tantummodo bonum, & non iustum prædicantes. Huiusmodi enim fama cum ad Petrũ Parisiensẽ episcopum, & fratrẽ Guerinũ Regis Philippi consiliariũ occulte peruenisset, miserunt clã magistrum Radulphum de Namurcio clericũ, qui huiusmodi sectæ viros diligenter inquireret. Hic ad singulos astute accedebat, & de eorum secta se esse fingebat, illique secreta sua reuelabant. Itaque plures huiuscemodi sectæ sacerdotes, & clerici, & laici vtriusque sexus directi, & capti Parisios sunt adducti. Ibidem ergo congregato concilio conuicti & condemnati, atque ab ordinib. suis degradati, & curiæ traditi sæculari iussu Regis extra portam in Campellis cremati sunt. Mulieribus autem ac simplicibus qui per maiores corrupti sunt ac decepti, pepercerunt. Hæresiarcha vero Amalricus licet iam fuisset (vt putabatur) in pace ecclesiæ sepultus, quia tamen plene constitit sectam illam ab ipso habuisse originem, ab vniuerso concilio condemnatus est & excommunicatus, ac de sacro cæmeterio eiectus, eius cinis & ossa per sterquilinia sunt dispersa ac eiecta.

Leu 26. Sectatorum Amalrici errores quorundã sunt communes cũ hæreticis nostris, alij vero minimi.

Hæretici apud Parisios cremantur.

De domino Helinando monacho, scriptis eius.

Cap. CVIII.

Avthor. His temporibus in territorio Beluacẽsi fuit Helinandus monachus Frigidimontis vir religiosus, & facundia disertus, qui & illos versus de morte in vulgari nostro, qui publice leguntur tam eleganter & vtiliter, vt luce clarius patet, composuit; & etiam chronicam diligenter ab initio mundi vsque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est & dispersum, vt nusquam totum reperiatur.

Fertur enim quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ domino Garino Siluanectẽsi episcopo; quosdam eiusdẽ operis quaterniones accommodauerit; sicque siue per obliuionem, siue per negligentiam, siue alia de causa penitus amiserit.

De hoc tamẽ opere prout inuenire potui, in hoc quoque nostro opere multa per diuersa loca inserui. Hic autem etiam quædam eiusdem operis notabilia, quæ nusquam sunt superius posita inserere volui, & etiã de quibusdam alijs eius scriptis, vnde flores excerpsi.

Scripsit enim, vt legitur, epistolam, cuius titulus est, *De reparatione lapsi*, missam scilicet ad Galterum clericũ, qui fuerat nouicius in ordine Cisterciensi, & canonicus in ordine Præmonstratensi, & tandem quasi liberum se à voto existimans, eo quod minime fuisset professus, rediens ad sęcularem vitam duxit vxorem nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinãdus à Guillelmo scilicet frater eiusdem Galteri socio, & conclaustrali ipsius Helinandi, scripsit epistolam ad eundem Galterum sub eiusdem Guillelmi persona, ita vt ipsius esse videatur.

Scripsit etiam idẽ Helinandus sermones aliquos peroptimos. Hæc sunt autem quæ de præfatis eius opusculis excerpsi, & in vnum hic apposui.

Helinandus in chronicis lib. 8. Errores Philosophorum de ingressu animarum ad corpora, & regressu à corporibus, & de locis inferorũ latius exposui, vt melius intellecti facilius caueãtur. Itaque de oraculo Apollinis, de quo Macrobius errorem suum nititur confirmare, scilicet è cœlo descendit, Gnothosolitos, sermonem in conuentu fratrum edidisse me memini in hunc modum. Legitur in lib. Iob. 5. cap. *Visitans speciem tuam non peccabis, sermo opportunus est optimus.* Quid est sermo opportunus? Sermo opportunus est tempori, & loco accommodatus, & personæ, iuxta illud Sap. *Nihil tam cognitum sapientiæ quã locis, & temporibus sermones aptare.* Tempus de quo loquimur tempus visitationis est. Locus in quo congregamur ad hoc institutus est. Personæ ad quas loquimur visitatores sunt & visitandi. O tu quisquis es visitator aliorũ si temetipsum prius visitaueris, postea visitando proximum, non peccabis, nam in teipso poteris legere quomodo aliorum debeas errata iudicare. Et reuera quid iustius, quid conuenientius, quam vt spiritales medici, qui spiritualiter infirmantes visitant prius seipsos visitare studeant, & statu suo interiore digitos discretionis interrogent, venasque pulsatiles affectionum pulsent, ne forte contingat illis nondum visitatis, & iam visitantibus, idest, nondum correctis, & iam alijs corripientibus audire hoc prouerbium ab infirmis submurmurantibus? *Medice cura teipsum.*

Macrob. lib. 1. in som. Scip. cap. 9.

Iob. 5.

Prou. 25.

Luc. 4.

De illo Apollinis oraculo Gnothosolitos ideſt nosce teipsum.

Cap. CIX.

Olim apud Delphos scriptum fuisse legitur in vetustissimo tripode Apollinis famosissimum illud oraculum datum consulenti, quomodo ad beatitudinem perueniret Gnothosolitos ideſt. *Nosce teipsum.* Huius autem sententiæ non est credendum Apollinem fuisse auctorem, vel inuentorem, sed potius furem. Furatus est enim eam de præsenti loco. Idem est enim. *Noscere seipsum*, quod speciem suam visitare. Aut certe de illo loco Cantici Canticorum, *nisi cognoueris te o pulchra inter mulieres, egredere, & abi, &c.* Hanc autem sententiam, vel potius hoc furtum Apollinis. Satyricus noster Iuuenalis diuinam & cælestem sentẽtiam appellat, propter summã vtilitatem quæ in illa continetur. Ait enim.

Apollo furatius est hanc sententiam. Iob. 5. Cant. 1. Iuuenal. Satyr. 11.

Illum ego iuue,
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Athlas
Omnibus in Lybiæ sit montibus, hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca.
Sacculus è cælo descendit, Gnotis elicon.

Quod est dicere, stulta scientia est, & insipiens sapiẽtia superuacua noscere, necessariis ignoratis. Quid enim prodest homini scire metiri mũdum, & nescire seipsum, Absque hac scientia nihil mortalibus est vtile, nihil hominib. salutare. Hæc in primis necessaria est, & si sola sit sufficit. Docet enim hominẽ timere Deũm, cauere peccatum, diligere proximum, & terrena despicere, & amare cælestia. Dico enim mendacissimum spiritũ hoc respondisse non docendi studio, sed fallendi animo. Sic enim putauit se persuadere posse hominibus vt crederent se ortos ex Deorum genere, quos fuisse homines audiebant, vt ita prouocaret illos ad contentionem mutuam, & ambitionem honoris, dominandique libidinem sub velamine libertatis. Denique sapientes Græciæ de hoc oraculo consulti à regibus nihil aliud respondebant nisi quod homini cognoscẽdum erat se esse de genere Deorum. Hinc & Macrobius super somnum Scipionis animas dicit de cælo lapsas in corpora, & hanc esse animæ

Noscere seipsum homini vtilissimum.

Philosophi hoc dictum male interpretati sunt.

perfectam

perfectam sapientiam dum corpore vtitur, si vnde orta sit recognoscat. Sic enim putat eam virtutes ipsas conscientia nobilitatis induere, quibus post corpus euecta eo vnde descenderat reportetur. Sed hæc expositio omnem peccandi licentiam vulgo suggerebat, secundum ciuilem Theologiam, quando illos videbantur imitari, quorum infinita flagitia & facinora repræsentari in theatris audiebant.

Cæterum dæmones plerumque proferunt veritatem, & bene consulunt hominibus non sponte, sed inuiti necessitate coacti, videlicet aptantibus superioribus sanctorum scilicet vel Angelorum, vel Dei; sicut legimus de illo dæmone in dæmoniaco habitante, quem beata Brigida interrogauit dicẽs: Dic mihi verbũ domini. Cui dæmõ per obsessum cõtinuo respondit, audiẽte populo. *Brigida time Deum, & timeberis ab omnibus. Ama Deum, & amaberis ab omnibus.* Nunquid diabolus timoris & amoris Dei potest fieri voluntarius prædicator, sed coactus hæc dicebat, & inuitus. Similiter quotiens in euangeliis & sanctorum legendis legitur diabolum aliquod verbũ protulisse salutis, coactus hoc fecisse credendũ est. Nec solum in scripturis sanctis, sed etiam in historijs gẽtium leguntur talia. Sic ergo credendum est Apollinem respondisse, non sponte, sed inuite, quod sciebat hominibus futurum vtile, aut certe spõte protulisse dictum ambiguum, quod non putabant in bonam partem ideſt in argumentum humilitatis accipiendum.

Dæmones proferunt veritatem non sponte sed inuiti

De cognitione exterioris hominis.

Cap. CX.

Sed etiam videamus vtilitatem sermonis prophetici, & vere diuini, & nõ Delphici. *Visitans* inquit *speciem tuam non peccabis.* Duplex est enim hominis species, quia duplex est ipse homo iuxta testimonium Apostoli dicẽtis: *Et si is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diẽ.* Exterior enim homo corpus, interior vero animus est. In exteriori autem specie quatuor visitanda sunt, ideſt, frequentius meditanda; vilitas scilicet materiæ, dignitas formæ, pænalitas vitæ, necessitas ruinæ. De prima est illud: *Formauit Deus hominẽ de limo terræ*, De secunda illud:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram.
Os homini sublime dedit, cœlumque videre.
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

De tertia, *homo ad laborem nascitur, &c.* De quarta, *puluis es, & in puluerem reuerteris*, Hinc est illud distichum.

Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Quæ latius explicat satiricus Persius dicens,

Discite ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur ordo,
Quis datus aut metæ, quam mollis flexus & vndæ.

Hæc autem cõsideratio quadripartitum parit fructũ, vtilitatem sui, & desiderium cælestis regni, charitatem proximi, timorem iudicij.

Primum de vtilitate materiæ procedit, secundum de dignitate formæ, tertium de pænalitate vitę, quartum de necessitate ruinæ. *Homo siquidem natus de mulere; breui viuens tẽpore, repletur multis miserijs,* & corporis scilicet, & animæ. Idcirco oculos ad cœlũ erectos habemus, vt contẽpta terra cœlum desideremus, & vt Deum præ omnibus diligamus, qui nos in tam eleganti forma cõposuit, & inter cætera etiam animalia sic humanam speciem nobilitauit. Idcirco Plato egit naturæ gratias, quod homo natus esset.

Erant aliquando fratres simul in auditorio colloquẽtes: cumque quidam ad socios diceret se nihil aspicere, vnde non ędificaretur, quidam satis promptus ad loquẽdum respondit: Quid tibi confert obsecro ædificationis visio bufonis? Et ille statim inquit, certe multum; quia cum nihil meruissem, quare me Deus magis formaret hominem quam bufonem. Quotiens enim bufonem video hoc beneficium Dei gratuitum ad mentem refero, & ei gratias ago quod mihi nihil merito tam execrabilem formam non tribuit, sed speciem pulcherrimam & figuram regiam mihi dedit: deinde & hoc mihi confert bufonis visio, quod quotiens video eum formam tam horridum, natura tam sæuum, gressu tam pigrũ, veneno tam noxium, homini tam inimicum, valde formido, ne assimilatus illi in moribus, pectore & ventre repens aliquando, quod auertat à me Deus, tradar huiusmodi pessimis vermibus deuorandus, non his terrenis qui cito conteruntur, sed his terribilibus in gehenna, & de gehenna viuentibus, qui nunquam moriuntur. Hoc igitur sapientissimo fratris responso confusus obiurgator obticuit. Sola igitur hũmanæ formæ dignitas, vt cætera in hominem diuina beneficia taceantur, magna est in nobis diuinæ dilectionis occasio, pænalitas autem vitæ quæ omnibus communis est, magnam causam continet charitatis fraternæ. Nam vt disertissime ait quidam, cum calamitas sit querela & fœlicitas sit superbia, nisi mutuo miseri essemus olim alius alij esset fastidio. Stultissimus autem est, cui mortis necessitas timorem iudicij non infert: cum scriptum sit, *statutum est hominibus semel mori*, post hoc autem iudicium.

Iob. 5.

2. Cor. 4.

Gen. 2. Ouid Meta. primo. Iob. 5. Gen. 3. Bernard. Med. cap. 3.

Iob. 13.

Plato egit naturæ gratias quod homo natus esset.

Bufonis contemplatio quid prosit.

Forma humana dignitas.

Diuina dilectionis occasio.

Hæc de exteriori specie dicta sunt; nunc de interiori videamus.

Heb. 9.

De cognitione interioris hominis quantum ad speciem naturalem.

Cap. CXI.

Interioris autem hominis species duplex est, naturalis scilicet & arbitraria. Naturalis generalis est omnium: arbitraria propria singulorum. Naturalis attenditur secundũ cõditionem, arbitraria secundum voluntatẽ. In naturali quatuor attẽdẽda sunt, quod anima rationalis est: quod immortalis. quod inuisibilis: quod illocalis. Prima consideratio hominẽ prohibet à luxuria, secũda ab auaritia, tertia à iactantia, quarta ab inuidia, & à qualibet fratris iniuria. Inter omnia monstra huius mũdi nihil mihi videtur esse monstruosius, quã quod in quibusdam humanis corporibus, brutos videmus animos & affectus præcellere bestiales. Aristoteles enim & Salustius homines gulæ & libidini deditos, nõ inter homines, sed inter animalia censent numerãdos. Quid hic dicunt homines Christiani nomine, & vita iumẽtini, quæ in suo stercore computrescunt? Rationis autem triplex. officium est, discernere, reprobare, eligere. Discernere inter contraria, reprobare peiora, eligere meliora. Primũ officium naturaliter habent dæmones, secundo & tertio priuantur, non naturaliter quidem, sed voluntarie. Ideo dęmonibus non hominibus connumerandi sunt, qui scientes eligentes mala & respuentes bona, illo se prophetice pallio maledictionis obuoluunt: *Væ qui dicunt malum bonum, & econuerso &c.*

Duplex hominis species interior.

Quatuor considerandæ sunt in hominis interioris natura.

Aristot. lib. 3. Ethic. Salust. in cat.

Isai. 5.

Secunda consideratio vt supra diximus, nos abstinere oportet ab auaritia. Nihil enim longius à ratione, quam hominem qui animo immortalis est eodem animo mortalia immortaliter cõcupiscere, cum omnino necesse sit concupita in proximo à concupiscente relinqui.

Immortalis animus ab auaritia auocat.

Tertia enim consideratio persuadere nobis debet, fugiendum esse iactantiam & omnem elationem & laudis amorem. Nam quod animus noster inuisibilis est, magno argumento nobis est, omnia recte facta vel dicta nobis inuisibiliter, quantum in nobis est, & in abscondito esse facienda, vel dicenda: *vt pater noster qui vidit in abscondito, reddat nobis.* Alioquin grandis reuera abusio est, & fere magicis adæquanda vestigiis, auctorem absconditum & inuisibilem in suis recte factis vel dictis per iactantiæ vitium ad humanos oculos foras expompari. Huic vitio efficacissimum & celerrimum remedium est, si mens nostra frequentius visitet mala sua quam bona.

Matth. 6. Iactantia quomodo fugienda.

Quarta vero visitatio ideſt cõsideratio interioris hominis scilicet quomodo anima illocaliter totum corpus vegetet, seque singulis illius partibus totam donat, nul-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iam a sentiendi munere relinquens expertem, nōne mirabilis quædam est ad fraternam incitatiō & persuasio charitatem? Sic enim Apostolus pulcherrimo demonstrauit exemplo, omne corpus quantælibet congregationis vno & eodem spiritu debere vegetari cum dixit: 1.Cor.12. *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia &c.* Quid hic debent detractores & inuidi: qui omnem fratris honorem, suam inhonoratiōnem reputant, suæ demptum existimantes gloriæ quicquid cesserit alienæ; cū potiūs econtrario existimare debuerant suæ gloriæ additum, Num.11. quicquid alienæ cessisset? *Quid*, inquit, *Moyses æmularis pro me?* Quis det vt omnes prophetent? O infælicissimos omnium mortalium, qui de sua proximorum prosperantur miseria, & quibus sola fratrum prosperitas aduersatur; hic est ille oculus nequam: & vt Æsopo vel Aniano credas. Videbis qui sibi alterum oculum velit erui, dum proximus eius priuetur vtroque.

De cognitione eiusdem hominis quātum ad speciem arbitrariam.

Cap. CXII.

Species hominis arbitraria in quo consistat. Hæc de naturali specie interioris hominis diximus, nunc de alia quam vocabimus arbitrariam, videamus. Hæc siquidem species in hominis arbitrio constituitur, idcirco & arbitraria nuncupatur, quia scilicet vt superius dictum est, secundum arbitrij voluntātem attenditur. Itaque pulchritudo huius consistit in duobus, videlicet, in volendo, quod Deum velle scimus, & in nolendo, quod ipsum nolle non dubitamus: nam vt ait quidā sanctus, voluntas Dei regula est, ad quam vtique voluntatem, nostrā corrigere ac dirigere debemus. De- *Volūtas Dei regula est.* nique pulchritudo animæ sanctitas est, sanctitas autem est affectio sancta: & in sancto proposito constans ac firma. Hæc autē est gemina, videlicet odiū sanctū & amor *Pulchritudo animæ in quo consistat.* sanctus: odium mali, & desiderium boni. Et malum quidē nihil est nisi peccatum, & peccati occasio; bonū vero nil est, nisi Deus & Dei imitatio. Prima itaque duo semper fugiēda sunt. secunda vero amplectenda: in his enim duabus affectionibus consistit cordis mūditia. Vnde di- *Cant.1.& 4.* citur: *Oculi tui*, inquit, *columbarum*. Colūba siquidē auis est valde timorosa, & nimis amorosa. Hinc est illud Poetæ.

Timidissima turba columbæ:

Columbæ oculi quid significent. Duo igitur oculi columbarum nihil aliud sunt, quam sanctus timor, & sanctus amor. Hæc de illo sermone nostra excerpta sufficiant, ad probandum quod Apollinis oraculum male à Macrobio & alijs quibusdam Philosophis sit intellectum.

De septem similitudinibus animæ ad Deum, & primo de tribus primis.

Cap. CXIII.

Homo quomodo cognosci potest. De hoc eodem oraculo epistolam quandā olim ad Droginem Nouiomensem Canonicum scripsisse me memini, cuius partem in hoc loco inserere curaui. Cognitio hominis in eisdem consistit, in quibus & cōpositio. Cōpositio autem in duobus, vel potius ex duobus, ex anima scilicet & corpore. Cognitio vero animæ habetur ex suo exemplari, ad cuius imaginē & similitudinē facta est. Vt ergo conuincamus Apollinē fallacem, *Deus prius cognosci potest quam anima.* prius est cognoscendus Deus quam homo. Naturaliter enim prius est idea, quam idos, sigillum, quam sigillatū: exemplar quam opus. Deus spiritus est & anima similiter, Deus simplex est & anima, Deus immortalis est & anima. Inuisibilis est Deus, inuisibilis & anima, Deus vnus est in substantia & trinus in personis. Anima est vna in essentia & trina in potentiis, Deus substantialiter totus est vbique: anima non quidem vbique, sed in corpore suo per singulas partes tota diffunditur. Postremo Deus rationalis est vel potius ratio, anima similiter est *D.Thom.1. par. quæst. 76.art.8.* rationalis. Ecce habens septem similitudines animæ ad Deum, quarum primæ sex etiam brutorum animabus conueniunt: non enim spiritus brutorum, sicut quidam mentiuntur, corporeus est quāuis ñt mortalis, sed incorporeus. Sola autē septima similitudo animæ appropriatur humanæ, omni quidem, sed non soli.

Fructus quos ex sui cognitione anima potest elicere. Verūtamen primarum proprietatum cognitio multum ei vtilitatis affert: per hoc enim quod anima humana cognoscit se esse spiritum, cognoscere potest & aliam vitā spirituū à vita carnis separatam: per hoc etiā cognocere potest, se magis secundum spiritum quā secundum carnem debere ambulare iuxta illud, *spiritu ambulate &c.* *Gal 5.* In hoc autē quod simplex est, demōstratur ei quod simpliciter ambulare debet, & omnē fugere simulationem. per hoc quod immortalis est, cognoscere potest mortalia fugienda sibi gaudia & immortalia semper appetenda: & eadem ratione mortalia non debere supplicia metui sed immortalia.

De quatuor vltimis.

Cap. CXIV.

PEr hoc autē, quod inuisibilis est, cognoscere potest, quod omne bonum quod agit in hoc sæculo, quantum in se est, debet facere in abscondito: per hoc quod vna est in substantia, scire debet quoniam ei semper retinenda est vna & eadem innocentiæ & iustitiæ forma: *quia stultus vt luna mutatur.* Per hoc autem quod trina est *Eccl.27.* in potentiis, innuitur ei, vt singularem non appetat potestatem: sed & alius altior intellectus in hoc ternario demonstratur. Ternarius enim primus numerus est habens ligaturam. Nā binarius qui sine medio est, sine vinculo est, & ideo diuisionem significat. Ternarius autem quia medium habet, concordiæ & coniunctionis est signum. Est enim primus imparium numerorum, & primus totus impar, vnde quasi totus concordia est. Nam quælibet eius pars inter duas reliquas media est. Quare non immerito signat indiuiduam Trinitatis substantiam & operationē inseparabilē, & indissolubilē charitatem. Et quoniā omnis numer⁹ impar vinculo quodā meditationis ligatus est, per imparē numerum pacē & cōcordiam puto significasse Vatem Mantuanum, cum dixit.

Ternarij numeri significatio.

Numero Deus impare gaudet,

Quod idem est ac si diceret. Deus pacem diligit ac dilectionem, quia ipse pax ac dilectio est. Igitur anima per tres suas potentias sibi tam firmiter, tam naturaliter cohærentes, admonetur, omnem diuisionem & schisma fugere, & seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Per *Ephes.4.* hoc autem quod membris omnibus se totam ex æquo cōmunicat, admonetur homo omni suo proximo ideſt omni homini debitum humanitatis obsequium pro suis viribus cōmunicare debere, iuxta illud: *Omni petēti te tri-* *Luc.7.* *bue.* Postremo vero rationalis est anima sicut & Deus, nisi quod Deus nō tā rationalis dicendus est, quam etiā ipsa ratio. Vnde Seneca: *Deus*, inquit, *totus est ratio.* Per hanc autē similitudinē admonetur homo nō appetenda fugere, vel fugienda non appetere, sed inter vtraque rationis oculo discernere, & de discretis meliora eligere. Inutiliter enim procedit discretio inter bonū & malum, vel bonum & melius, vel malum & peius: nisi melioris electio, & peioris reprobatio subsequatur. Sic & inutiliter voluntas eligit quod prius eligendum ratio nō probauit. Electionem autem sine discretione habent iumēta, & discretionem sine electione habent dæmonia. Hoc *Num.22.* est enim in infernum descendere viuentem ideſt peccare scientem, hoc est apertis oculis cadere, sicut Balaam cadebat, & ille qui dicebat, video meliora proboque, deteriora sequor. Denique sicut in Trinitate quæ Deus est *Ira & appetitus sine ratione nihil fugere vel appetere debeat.* duæ personæ procedunt ab vna: sic in Trinitate potentiarum animæ irascibilitas & concupiscibilitas semper ex ratione debent procedere, vt nihil fugiat illa, nihil appetat ista, nisi quod ratio fugiendum vel appetendū dictauerit: nam sine ratione nihil aliud est ista vel illa quā furor & insania. Igitur quod est chamus asino, frænum equo, auriga currui, domitor leoni, hoc est ratio iræ & amori, proinde necesse est ferri vtrumque in præcipitium, nisi vtrique præbeat ratio ducatum. Et hæc ad præsens

dicta

dicta sunt de cognitione interioris hominis: nunc de exteriori videamus.

De cognitione humani corporis.

CAP. CXV.

CORporis humani cognitio in duobus est, in materia scilicet & forma. Complectionẽ autẽ medicis relinquo. Materia enim de luto vel de ceno est, de cælo vera forma. Vnde quidam ait: *De celo ista possideo. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Formato igitur homine iussit illius formam in cælo respicere, vt sciret formatorem suum in cælo habitare. Ex his autem duobus trahit homo necessitatem duplicem, de forma vt sanctus sit, de materia vt humilis. Licet autem forma humana inter omnes formas animalium ab ipsa mundi creatione semper excelluerit, tamẽ ex incarnatione verbi, & forma hominis à Deo assumpti, longe maiorem dignitatis excellentiam acquisiuit. Neque enim frustra istam charitatem qua dilexit nos Deus nimiam appellauit Apostolus, sed pro certo intellexit, quod tantum beneficium sicut nulla mundanæ iustitiæ magnitudo promereri poterat; sic nulla æstimare põderatio vel æstimatio ponderare. Melius enim æstimat deuotio nostra quã ratiocinatio; gratiarum actio, quam disputatio. Faciliusque comparat illud paupertas spiritus, quam quilibet diuitiarum aceruus.

2. Mach. 7. Gen. 2.

Ex consideratione corporis quem fructum habere homo potest. Ephes. 2.

Ante incarnationẽ homo similis erat Deo forma interiori: sed post etiã exteriori.

Ante incarnationem verbi similis erat Deo sola hominis forma interior, sed ab incarnatione verbi facta est forma Dei, ipsa quoque hominis forma exterior. Igitur ad omnẽ Serpentis suggestionem cogitare debemus huius formæ duplicis vnicam dignitatem & mox pudebit nos vel turpe aliquid cogitasse. Dignior est enim forma vtraque, vt tam turpi bestiæ conformetur. Sane vero de vtraque dici potest immo etiam dici debet verbum illud egregium.

Non faciat ad mores tam bona forma malos.

Alioquin quid passurum putas supplicij, qui dehonestauerit formam Dei?

Tria in humano corpore considerãda

Potest autem humani corporis cognitio alia colligi ratione. Tria quippe in humano corpore considerãda sunt, origo sordida, vita misera, mors necessaria id est ex necessitate contingens. Homo enim noster exterior de immundo semine conceptus est, ad laborẽ natus, velit nolit moriturus. Clamabat nobis certissima mors, & hora mortis incertissima. Mortem semper ad omnium põdere oculos & ideo semper habendã ab omnibus præ oculis, semperque meditandam sicut scriptum est in Ecclesiastico: *Memorare nouissima tua &c.* In huius autem meditatione Plato & Pythagoras, & Basilius noster Christianorum philosophus sapientiam posuerunt.

Eccl. 7.

Adhuc de miseria eiusdem.

CAP. CXVI.

Hominis definitio quatenus corpore constat.

AD hęc enim tria potest illa referri diffinitio hominis à quodam sapiente responsa quærenti, quid est homo? *Vile*, inquit, *sperma, vas stercorum, esca vermium*, vile sperma fuit in conceptu, vas stercorum est in reliquo vitæ cursu, esca vermium est in occasu. Ego autẽ dico, quod non solũ post mortem, sed etiam ante mortem esca vermium est omnis homo. Quamuis enim vestem mutet & remutet, non tamen omnimodis carere potest morsibus tinearum vel pulicum, aut huiusmodi. Quid autem profuit Neroni quod nullam vestem bis induit, aut Hilarioni quid obfuit quod cilicium non mutauit? Locus iste fabulam exposcit, audi ergo fabulam, non fabulam, sed rem gestam de tuo Helinãdo. Philippus episcopus Beluacensis apud nos aliquando hospitatus est, nõ vt, quidã denorationis causa, sed deuotionis. Iã enim ordinis nostri cõmunis hospitalitas plures inuenit, qui eã deuorẽt, quã singularis sanctitas qui eã honorẽt. Præcepit autẽ mihi præfatus episcopus, vt eũ facerẽ missam matutinalẽ audire. Ad quẽ cum die crastina prima iam cantata venissem; inueni eũ adhuc dormiẽtem, & nemo vel de familia vel de suis familiaribus eũ excitare præsumebat. Ego autẽ accessi propius, & excitaui eum quasi iocãdo dicens. Iam diu est quod passeres surrexerunt ad benedicendũ Domino, & adhuc nostri põtifices stertũt in cubili suo? Ad quã vocem expergefactus ille & confusus, indignatus aduersum me quod tam libere eũ arguissem. Substomachans ait, vade hinc miser & interfice pediculos tuos. Ego autem motum illius conuertens in iocum, continue respondi. Vide tu Pater ne interficiant te vermes tui, ego enim iam vermes meos interfeci. Scito ergo hanc esse differentiam inter vermes diuitum & vermes pauperũ, quod vermes diuitũ diuites occidunt, vermes autẽ pauperũ à pauperibus occidũtur. Lege Machabeorũ & Iosephi, & actuũ Apostorũ historias, & inuenies reges potentissimos Antiochum & Hærodem Agrippam à vermibus consumptos. Qua ratione simul & auctoritate oppressus, ille statim obmutuit.

2. Mac. 9. Act. 12. Ioseph. l. 17 Antiquit cap. 9.

Adhuc de cognitione hominis & animabus post mortem apparentibus.

CAP. CXVII.

SEd & de cognitione hominis hæc ad præsens dicta sufficiãt, quę tibi frater ideo descripsi, ne putares veram cognitionem hominis haberi posse ex subdola spiritus immundi sententia, sed de sola Spiritussancti doctrina salutari. Si autem de eadem cognitione perfectiorem tractatũ cupis agnoscere, lege moralia Beati Gregorij de ipso Sancti Spiritus ore profusa teste Petro Diacono qui colũbam vidit ad aurem Beati Gregorij verba quæ scriberet suggerentem. Lege quoque pulcherrimum librum Beati Bernardi de consideratione ad Eugenĩũ Papã, ex cuius nobilissimo stylo & sententijs fere pluſquã humanis poteris agnoscere non solũ quid sit homo; sed etiã quid sit Deus, poterisque intelligere auctorem huius libri sapientiorem fuisse ipso Apolline, eloquentioré Demosthene, subtiliorem Aristotele, moraliorem Socrate, discretiorem Platone. Hæc dicta sunt pro eo quod Macrobius ad probandum animas è cælo lapsas inducit auctoritatẽ responsi Delphici Gnotholitos. Et hanc esse hominis agnitionẽ sui dicit. Si exordia prima respexerit vt conscientia nobilis suæ originis virtutes induat, quibus eo vnde descenderat reascendat. Eodẽ loco accipiẽda est Virgilij auctoritas de Heroibus quos apud inferos relegauit, quos dicit nosse solem suum & sua sydera, qui etiam res leuiores, quas viui exercuerant, eos post mortem exercere testatur, dicens:

Quę gratia currũm;
Armorumque fit vius, quæ cura nitentes,
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Æneid. 6.

Hæc autem falsitas opinionis vel opinio falsitatis, inde nisi fallor, sumpsit initiũ, quod animæ defunctorum suorũ peccatorum pœnas lugentes multis apparere solent in eo habitu in quo prius vixerant, id est rustici in rusticano, milites in militari, sicut vulgus asserere solet, de familia Hellequini, de qua Henricus Aurelianensis episcopus nostri Beluacensis Episcopi frater referre solebat rem valde mirabilem, quam ipse audierat ab illo qui viderat scilicet Ioanne Aurelianensis ecclesiæ canonico. Dicebat enim Ioannes iste loquens de hac re ad præfatum episcopum.

Exemplum ad hæc de familia Hellequini.

CAP. CXVIII.

BVrchardus Archidiaconus cognomento de Pisaco iturus erat Romã. Rogauit autem me, vt quendam clericum Natalem nomine domus meæ œconomum ei sociũ darem, quia Tantalus erat in rei familiaris custodia, bonus dispensator & prudens & fidelis, quod rarissime in dispẽsatoribus inuenitur. Volebat ergo idem Burcardus hunc habere sociũ itineris sui, non tam ideo quod eum diligeret, quam quia pecuniæ suæ vt auarissimus valde timeret. Ego autem tam nobili personæ & archidiacono meo non potui negare. Præcepi ergo

Tria quippe in humano corpore considerãda sunt, origo sordida, vita misera, mors necessaria id est ex necessitate contingens.

Homo ante mortem est esca vermiũ.

De Philippo Beluacensi episcopo.

De Burchardo quodam archidiacono.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Natali clerico, vt cum eo iret, & ei tanquā mihi in omnibus obediret, quod ille inuitus annuit, timens mores Burcardi, cuius auaritiam non ignorabat. Inieramus autem ego & Natalis fœdus quoddam secretissimū, quod vter ex duobus nobis prius moreretur intra 30. dies si posset ad socium suum rediret, nihil ei in apparitione suà terroris incutiens, sed blande illum commonefaciens & de statu suo certificans. Cum autem iā prope Romam essent, accidit quadam die vt præfatus Burcardus cum Natali clerico rationē poneret de quotidianis expensis & de magna summa minutatim singulos nummos & obulos exigeret, quo & in quos vsus abissent. Natalis autem qui tā minutas rationes reddere mihi non consueuerat, quippe cui ego tanquā mihi credebam, iratus aduersus virum nobilē sordissimæ prouidentiæ, cū in reddenda ratione deficeret, se (quod auditu quoque horrendum est) dæmonibus cōmendauit. Eodem autem die cum quandam aquam transuadarent, idem Burcardus & Natalis: idem Natalis submersus est. Sequenti vero nocte proxima cum in lecto meo quiescerem vigilans & coram me lumen fulgeret in lampade, quia semper nocte consueui tenebras horrescere, ecce Natalis clericus meus ante me astitit, cappa indutus pluuiali, sicut mihi videbatur pulcherrima, coloris plumbei. Ego autē nihil omnino territus, & eum optime recognoscēs, cæpi quasi gratulans de tam maturo eius reditu transalpino ad eum dicere. Natalis bene veneritis. Nunquid iam redit Archidiaconus? Non inquit Domine, sed ego solus redij iuxta constitutum, mortuus enim sum. Nolite ergo timere, ego nullum timorem vobis inferam. Sed precor vt succurratis mihi, ego enim in magnis tormētis sum. Cur inquā? satis enim honeste vixistis apud me Domine, inquit, verum est. Bene quidem mihi esset, nisi hodie subita præuentus ira me dæmonibus cōmendassem. Rogo autem vos vt quoscunq; potueritis moneatis vt hoc nunquam faciant. Qui enim se commendat dęmonibus, dat eis potestatem super se, sicut & ego miserrimus feci, vnde potestatem habuerunt vt me statim submergerent, & propter hoc solum torqueor. Nam bene confessus eram de omnibus peccatis meis, & in nullum recideram. Tunc ego quomodo tam pulchram cappam habetis, si in tormentis estis? Domine, inquit, hæc cappa, quæ tam pulchra vobis videtur, ponderosior & grauior est mihi quā turris Parmensis, si mihi superposita esset. Pulchritudo autem ista spes est veniæ quam habeo propter confessionem, quam feci; si tamen mihi succurratur. Cui ego. Certe, inquam, ego vobis succurram quātumcunque potero, sed obsecro vt dicatis mihi si vos estis deputatus in illa militia quam dicunt Helliquini. Et ille: non Domine: Illa militia iam non vadit, sed nuper ire desijt, quia pœnitentiam suam peregit. Corrupte autem dictus est à vulgo Hellequinus pro Karlequinus. Fuit enim Karolus quintus, qui peccatorum suorum longam egit pœnitentiam, & nuper tandē per intercessionē beati Dionysij liberatus est: sed rogo vos vt misereamini mei, & hoc dicens cū fletu euanuit.

Natalis quidam clericus mortuus apparet.

In eos qui se dæmonibus deuouent.

Iterum aliud exemplum ad idem.

Cap. CXIX.

De Hellebādo qui in nemore spectra equorum & hominum vidit.

Hæc idcirco dixi, vt per hoc eluceſcat vnde sumpsit exordiū Virgilianus error de animabus defunctorū, quos Heroas appellat, dicens eos habere eandem curam equorū & curruum & armorum post mortem, quā habuerant dū viuebant. De qua re certissimū referebat exemplū patruus meus. Hellebādus Henrici quōdā Remēsis Archiepiscopi cubicularius. Dicebat enim: Dominus meus Archiepiscopus mittebat me apud Attrebatum, dū autem circa meridiē apud quoddā nemus appropinquassemus, ego & famulus meus qui me præcedebat, celerius equitās vt mihi pararet hospitiū, audiuit ille tumultum magnū in nemore quasi multiplices & varios equorū fremitus, armorū sonitus, & velut voces multitudinis impetu proruētis in bellum. Expauefactus ergo ipse & equus eius cōtinuo reuersus est ad me. A quo cū quærerē quare reuerteretur, respōdit. Equus meus nō fuste nec calcaribus etiā cogi potest vt procedat. Et ego etiā ipse adeo territus sū, vt omnino procedere non audeā. Mira enim vidi & audiui. Nemus enim istud defunctorū animabus & dæmonibus plenum est. Audiui autē illos clamare & dicere: *Iā habemus Præpositū de area, in proximo autē habebimus Archiepiscopum Remensem.* Ad quod ego respōdi. Signū crucis nostris frontibus imprimamus, & securi procedamus. Cū ergo processissē & ad nemus peruenissem, iā vmbræ processerant, & tamen voces quasdam cōfusas audiui, & fragores armorum & equorū fremitus, sed nec vmbras videre nec voces intelligere potui. Cum autē redissemus iam Archiepiscopū inuenimus in extremis, nec post has voces 15. diebus superuixit, vnde conijcitur eū ab illis spiritibus raptum, à quibus auditū fuerat rapiendum. Hinc apparet quales equi sint illi, super quos aliquando defunctorum animæ videtur equitare. Sunt enim Dæmones se in equos trāsformantes, quorū sessores sunt animę miserrimę peccatis oneratæ, tanquā armis quibusdā & clypeis onustatæ (Sed re vera propriis sceleribus in formis talibus onustatæ) iuxta illud propheticū: *Discenderunt in infernū cum armis suis*, id est cum mēbris suis quæ fecerunt arma iniquitatis peccato nolentes ea facere arma iustitiæ Deo. Certum est autē equum animal esse superbum & contumax, contentionis & belli cupidum, feruentem ad coitum, & in libidine præpotētē. Dæmones igitur in equos transformari, significant sessores suos se huiusmodi sceleribus oblectasse.

Signo crucis se illi muniunt.

Equi sunt dæmones & equites animæ.

Ezech. 32.

Adhuc de eodem.

Cap. CXX.

Talis equus erat ille quem mōstrauit Carbonarius comiti cuidā Niuernensi. Erat enim Carbonarius iste vir pauper in sęculo, sed diues in Deo, religiosus & timēs Deum. Ob quod etiā familiaris erat præfato comiti. Hic nocte quadā cū vigilaret & custodiret fossam suam Carbonificam incensam actiter: ecce quædam fœmina nuda currens apparuit, & post eam eques quidam equo nigro insidens euaginato gladio velociter equitās vt fugientem apprehenderet mulierem, quæ dum fugiēs fossam circumiret, comprehensa est ab eo, & perfossa gladio, & facta est quasi mortua. Quam ille proiecit in ignem & exustā rursus extraxit: & posuit ante se super equum & abijt: hæc autē visio pluribus noctibus ostēsa est illi. Cum ergo quadam die se huiusmodi visione tā frequenti, nimis anxius cogitaret, sic cogitabundus & tristis obuiauit comiti. Miratus comes traxit eū in partē & secrete requisiuit ab eo quid haberet, dicens: *Si quis tibi fecit iniuriā vel molestiā aliquam intulit, ne celaueris à me, ego enim te bene vindicabo.* Si in egestate es, ego tibi subueniam: Qui respondit: Nihil necesse habeo, de nullo conqueror, sed hæc & hæc totiens vidi, & vtinam vos vidissetis. Certe, inquit comes eius, tecum vadā, & videbo visionē hanc magnam. Igitur comes confessus omnia peccata sua, mutat habitū & assumit secum carbonariū, abijtque cum eo solus in siluā. Et cum vigilarent, circa mediam noctem audiūt quendā buccinantem fortiter, & signauit se per totum. Et ecce misera mulier illa accurrens nuda sicut prius cæpit fugiens fossam circūire, quam eques ille insequens & comprehendens, gladio peremit & in ignem proiecit. Et iterum resumpsit, qua super equū ante se posita cū fugere vellet, comes adiuuauit eum in nomine Domini vt staret & diceret ei quis esset, & cur hoc faceret. Tūc ille subsistens ait: Ego sum vester ille miles, & hęc est illa mulier nobilis vxor illius militis, quē pro amore meo interfecit, vt licentius ac frequētius meo cōcubitu frueretur. Et in hoc peccato ambo mortui sumus, nisi quod heu sero in hac ipsa morte pęnituimus. Nūc autē tale tormētū patitur, quod singulis noctibus à me interficitur & cōburitur. Tantū enim dolorē patitur in ictu gladij, quo eā ferio, quantum nullus

Hoc exemplum desūptum ex Vincentio habetur in Speculo magno exempl. tit. Adulterium exemplo 3.

De quodam carbonario & equo qui ei apparuit.

vnquam

vnquam in morte ſua paſſus eſt, & multo maiorem in combuſtione. Ad hæc comes: Quis eſt ille equus ſuper quem ſedetis? diabolus, inquit, quidam eſt, qui nos ineffabili vexatione torquet. Poſſetne vobis, ait, aliquis ſuccurrere? Poſſet, inquit, ſi vos feceritis in cũctis cõgregationibus quę vobis ſubiectę sũt orare pro nobis, & à preſbyteris celebrare miſſas, & pſalmos à clericis decantari.

Ibidem tit. Bona iniuſte acquiſita. Exem. 2. Mathiſconẽſis comes à dæmone raptus.

Talis erat equus ſuper quẽ aſcendit infælix ille Mathiſconenſis, de quo refert Petrus Abbas Cluniacenſis in libro miraculorum, quod cum quadam die ſolenni ille Mathiſcone in proprio palatio reſideret, multis militibus diuerſi ordinis cõſtipatus; repente ignotus homo inſidens equo per oſtium palatij ingreſſus, cunctis vidẽtibus & admirantibus vſque ad ipsũ peruenit, dicens ſe velle ei colloqui, imperans ei vt ſurgeret & ſe ſequeretur qui inuiſibili potentiæ non valens reſiſtere ſurrexit, & vſque ad oſtiũ domus proceſſit, vbi equum paratũ inuenit, quẽ iuſſus ſtatim aſcendit, cuius habenas ille accipiẽs qui propter illum venerat, velociſſimo curſu per aera cũctis videntibus ferre cæpit. Ille autẽ miſerabiliter clamans: Succurrite ciues, ſuccurrite, totã ciuitatẽ commouit. Omnes autem currentẽ eum per aera conſpexerunt quamdiu naturali oculorum acie potuerunt, ſicque tandem ſubtractus viſibus hominum, factus eſt æternus ſocius dæmonum.

De conſtituendo rege & primo de moribus eius.

Cap. CXXI.

1. Reg. 8. Deut. 17. Explicat hic 17 cap. Deuteronom.

CVm, inquit, *conſtitues regem*, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrũ tuorum. Quæritur cur Deo diſplicuerit populus, quãdo ſub Samuele Regẽ ſibi deſiderauerat fieri, cũ hoc inueniatur permiſſum? Ad quod dicendum eſt, quod ideo diſplicuit, quia non præcepit vt hoc fieret, ſed deſiderãtibus permiſit hoc facere. *Deut. ibid.* *Cumque fuerit conſtitutus non multiplicabit ſibi equos*, quorũ numeroſitate ſit ſubditis oneroſus. Equos multiplicare eſt plures quã neceſſitas exigat, vanæ gloriæ cauſa, vel errore alterius congregare. Multo minus ergo licet ei multiplicare canes, aut volucres rapaces, aut beſtias truces, aut quælibet portenta naturæ.

De hiſtrionibus autẽ & mimis, ſcurris, & lenonibus, & meretricibus, & huiuſmodi prodigijs hominũ, quę princeps potius exterminare quam fouere debet, non erat in lege mentio facienda.

Deut. 17. *Sequitur. Nec reducet populũ in Ægyptum*, id eſt inferiores non corrumpat exemplo, quia componitur ordinatio orbis.

Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus.
Humanos edicta valent, vt vita regentis
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Sequitur. Nec habebit vxores plurimas, quæ alliciant animã eius. Cum in alijs plures vxores eſſe vnius licitũ fuerat, vt in Abraham Iſaac & Iacob gratia propagãdæ prolis, & fidelem populum dilatandi in regibus perpetuo obtinet, vt in vna vnius ſit. Multo minus igitur licet eum vel fornicari vel adulterari, vel quælibet ſtupra cõmittere. Quomodo autem hæc crimina puniet in alijs ſubiectus eiſdem.

Deut. ibid. *Sequitur. Nec habebit auri & argenti immenſi põdera.* Quid ergo hic dicunt, qui Domino prohibente, aurũ & argentum ſibi theſaurizant, quæſtum ex calumnia facientes, & quærentes abundantiam ſingulatem de multorum inopia, & de rapinis diuitias, beatitudinem de calamitate. Non enim habebit diuitias, quas nomine poſſidet alieno, & ſibi priuata erunt fiſcalia, quæ publica confitetur. Non eſt autem mirum, ſi Regi non licet habere priuata fiſcalia, cum nec ipſe ſuus ſit, ſed ſubditorum.

De ſtudio eius vel ſapientia.

Cap. CXXII.

Deut. ibid. POſtquam autem, inquit, *ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine.* Igitur princeps iuris nõ debet eſſe ignarus, licet multis priuilegijs gaudeat, nec prætextu militiæ legem Domini præmittitur ignorare. Sed & princeps Chriſtianiſſimus legibus ſuis indicit, nec dedignetur princeps ſacros canones imitari. Inutilis enim eſt omnis conſtitutio principis, ſi non eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ conformis.

Deut. ibid. *Sequitur. Et habebit ſecũ, legetq; illud omnibus diebus vitę ſuæ.* Neceſſaria eſt ergo principi peritia literarum, cui quotidie legẽ Domini legere præcipitur. Qua enim die legẽ non legerit, nõ ei dies vitæ eſt, ſed dies mortis. Hinc eſt quod in literis, quas rex Romanorum miſiſſe legitur ad regẽ Francorum, hortans eũ vt liberos ſuos liberalibus diſciplinis inſtrui faceret. Adiecitque inter cætera, *Rex illiteratus eſt quaſi aſinus coronatus.* Quod ſi forte illiteratus eſt, certe literatorũ cõſilijs eum regi neceſſe eſt. Hinc eſt quod exemplar legis ſacerdotibus leuiticæ tribus iubetur aſſumere, id eſt, à catholicis viris & litteratis. Plato enim & Boetius teſtis eſt, *reſpublicas fore beatas*, dixit, *ſi eas aut ſapientes regerent, aut earum rectores ſapientiæ ſtuderent.* *Prou. 8.* Sapientia enim ipſa dicit. *Per me reges regnant, & conditores legũ iuſta decernũt.* Gentiles enim ſapientiã quaſi Deum Deorum colebant, ſine cuius Dei nutu nihil faciendũ credebant. Vnde & antiqui philoſophi imaginẽ ſapientiæ præ foribus omniũ templorũ pingi cũ hac circunſcriptione cenſuerunt. *Vſus me genuit, peperit memoria, ſophiam me vocant graij, vos ſapientiã*, & hæc iterum ſcribi iuſſerunt. *Ego odi homines ignauo opera, & philoſopha ſciẽtia.* Eſt autem ſapientia rerum diuinarum & humanarum princeps & gerendorum emittendorumque ſcientia, huic autem inſiſtere, philoſophari eſt.

De humilitate eius ac pietate.

Cap. CXXIII.

Deut. 17. S*Equitur. Non eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos*, quod præcipue neceſſariũ eſt ſæpius replicat. Nunquã enim humilitas ſatis videtur cõmendata principibus, quia difficillimũ eſt vt gradus honoris non pariat tumorem in animo ipſius præſidentis. Tarquinium enim à regno ſuperbia deiecit. In iure autem Romano cautũ eſt, vt qui ius reddit, ſe facilẽ in adeundo præbeat, contemni tamen non patiatur. Principes ſicut medici nunquã vti debent grauibus remedijs, niſi cum leuium beneficio deſiderata ſanitas deſperatur. Vnde Lucius: *Principem ſenem moribus eſſe oportet.* Et qui moderatiora conſilia ſequatur, & vicem gerere medicorum, qui morbos curant, nunc exinanitione in repletis, nunc refectione in vacuis. Et dolorem etiam ſedant nunc cauterio, nũc fomentis. Si enim citharedi alijque fidicines multa diligentia procurent quomodo oberrantis corde compeſcant vitium, & alijs concordem reddant, quanta ſolicitudine oportet principem moderari, vt ſubditos reddat quaſi vnanimes *& vnius moris habitantes in domo.* *Pſal. 67.* Certũ eſt autem quod tutius eſt chordas remitti amplius, quã intentius protendi, remiſſartum namque intenſio artificis opera conualeſcit. Quæ autẽ ſemel rupta eſt, nullo artificio reparatur. Sit piger ad pœnam princeps ad præmia velox, & doleat quotiens cogitur eſſe ferox, quorum alterum iuſtitiæ eſt, alterumque pietatis de quibus Salomon ait. *Miſericordia & veritas non te deſerant.* Circunda eas gutturi tuo & deſcribe eas in tabulas cordis tui, & inuenies gratiã & diſciplinam bonam corã Deo & hominibus. Gratia namque debetur miſericordiæ, diſciplina vero iuſtitię. Qui ſine prima eſt, omnibus odibilis eſt, qui vero ſine ſecũda omnibus contẽptibilis, Plutarchus enim librum ſcripſit de magiſtratuũ moderatione. Plato inquit, *cũ ſubditos opprimunt magiſtratus; prõinde eſt enim ac ſi caput corporis intumeſcat, vt à membris aut omnino, aut ſine ingenti moleſtia ferri non poſsit.*

Idem cum in ſubditos poteſtas ſæuit, idem eſt ac ſi pupillum tutor perſequatur, vel eum ſuo mucrone ingules qui tibi ad defenſionem ſuam gladium dedit. Vnde Claudianus.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere ſola Deos æquat clementia nobis.
Tu licet extremos late dominare per Indos.
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Si metuis, si prauæ cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iura tenebis
Cum poteris Rex esse tui, proclivior vsus
In peiora datur, suadetque licentia luxum.
Illecebris affrena fauet, tunc viuere caste
Asperius, cum prompta venis, tunc durius ire
Consulitur, cum pœna patet, sed comprime motus.
Nec tibi quid liceat, sed quid feciße decebit
Occurrat, mentemque domet, respectus honesti.

De ipsius æquitate.

Cap. CXXIV.

Deut. 17. S*Equitur. Neque declinet in partem dexteram, siue in sinistrā:* Declinare in dexteram est non Dei gratiæ, sed sibi retribuere velle quod rectū est. Vel declinare in dexterā vel in sinistram est peccare propter eorum fælicitatem quæ fugiuntur. Vel etiam ad dexteram declinare, est virtutibus ipsis vehementer insistere, & in virtutis operibus, quę in modo consistit modum excedere. Vnde Iuuenalis.

Insani sapiens nomen feret æquus iniqui,
Vltra quam satis est virtutem si petat ipsam.

Et Philosophus. *Caue quod nimium est, quia si hæc ipsa cautela modestiam deserit, eo ipso à tramite virtutis recedit.* Omnis autem vehementia saluti inimica est, & excessus omnis in culpa, bonarūq; rerū cōsuetudo nimia, pessima
Eccles. 6. est. Vnde Salomon: *Noli esse nimis iustus.* Quid ergo nimium prodest si regina virtutum nimietate sui obest? Nimia quoque humilitas maxima pars superbiæ est.

Item ad sinistrā declinat, qui in subditorū culpis puniēdis nimis pronus est ad vindictā. Ad dexterā vero qui māsuetudini nimis indulget. Iterū *non declinet in dexterā vel sinistram partē.* Æquitas enim cui iudex obsequiū debet, amoris dexterā vel odij sinistram nescit. Iuste enim exequi est nec durius æquo nec remissius in assertione vel executione iustitiæ, nihil aliud quam iustitiam quærere. Munera tamen curiales licenter accipiant, dūmodo non extorqueant impudenter. Pudorē abijcit qui rogat, bis etiam emit. Ad rei nāque vel spei pretium verecundiā vendit, munus vero iniustæ petitionis notam non habet, quod deuotio liberalitatis obtulit, non improbitas deprecantis extorsit. Ita tamen vt iniquorum munera non acceptat, ne aut ingratus sit, si eos non foueat accepto munere, aut si fouerit iniustus habeatur. Ratio enim habenda est & causæ & personæ, vt nec à turpi, nec turpiter accipiatur. Nam plerumque à manu, à causa, à tempore, à loco, vel modo splendent munera vel sordescūt.

De præmio regalis iustitiæ in ipso & in hærede.

Cap. CXXV.

Deut. 17. S*Equitur. Vt longo tempore regnet ipse & filius eius super Israel.* De virtute namque parentum sæpe protenditur successio filiorum, & succedentium fœlicitas ex
Psal. 36. descendentium iniquitate præsciditur, iuxta illud: *Iniusti autē disperibūt, simul reliquiæ impiorum interibunt.* Item regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias & diuersos dolos. Iniustitia (vt Stoicis placet) est mentis habitus, qui à regione morum exterminat æquitatem. Iustitia est non nocere, & ex humanitatis officio nocentes prohibere. Nocere est iniuria nocentes non impedire iniustitia. Contumelia est quando tumorem mentis in læsione alterius manifesta operis sequela comitatur. Dolus (vt Acquilius diffinit) est cum aliud agitur, & aliud simulatur. Malus quando fit in intentione nocendi, & quasi in insidijs nocet. Dolus igitur quia ex timore est, aduersatur fortitudini, contumelia vero prudentiæ, quæ dicit sibiipsi, *vt quid superbis terra & cinis &c.* Iniuriam temperantia non admittit, nolens inferre alij, quod sibi nollet ab alio irrogari. Iniustitiam iustitia excludit, faciens alij quod vellet sibi fieri
Eccl. 10. bene & honeste. Quod autem addit *diuersos*, puto ad omnia communiter referendum, non solum ad vitiorum diuersas species, sed etiam ad diuersas personas, & ad omnes modos, quibus à quocunque hęc vitiia committuntur. Princeps enim tenetur pro omnibus, & omnium etiam auctor videtur esse: quia cum omnia possit corrigere, eorum merito particeps est, quæ noluit, cum potuit emendare. Cum enim potestas publica sit, omnium vires exhaurit, & ne in se deficiat, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Sicut autem potentes tormenta potenter patiuntur, si à iustitia deflexerint, sic & iustitiæ præmijs fruentur abundantius, si recte exercuerint potentatum: & tantam in futuro præ subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licentia præcesserunt. Vnde dicitur: *Potuit enim transgredi & non est transgressus &c.* Eccles. 31. Ad iustitiam namque reputatur principibus etiam cum tēperant ab iniurijs, & facultas delinquendi est eis materia meritorum. Declinare autem à malo in eis magnum est, etiam si magna bona non faciunt, dum tamen subditos indulgentia sua non perimant. Patri ergo succedit filius, si patris iustitiam imitatur. Charitatis autem ordo minime setuatur, cum amorē qui patriæ & parentibus pręcipue debetur, pater transfundit in filios, & filialis affectus paterni pectoris cellam solus exhaurit. At hodie vitia liberorum saluti reipublicæ præferuntur, licet salutem populi liberis omnibus oporteat anteferri. In libro enim Regum latenter Saul arguitur, quod in voto sancto de diurno ieiunio pepercit Ionathæ contra ipsius religionis votum, cuius præuaricatione populi corruerant; & Hely etiam licet in se sanctus esset, quia filijs pepercit perijt. Vt autem de cæteris taceam, quantum rempublicam dilexit Deus pater, qui propter eam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

De quatuor principi necessarijs & corpore reipublicæ.

Cap. CXXVI.

QVatuor autem principibus inculcare Plutarchus nititur, scilicet reuerentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium, & potestatum affectum, & protectionē subditorū. Nam qualis debeat esse princeps, eleganter descripsit in libro pulcherrimo, qui inscribitur, institutio Traiani, cuius principium superius in loco suo posuimus. Deniq; tu, ait, quid vis rectissime geres, si non recesseris à teipso, si primo te composueris ad virtutem, recte procedent vniuersa. Politicæ enim constitutionis maiores tibi vires excluſi, cui si obtemperas, Plutarchū viuendi habes auctorē. Alioquin præsentem epistolam testem inuoco, quia in perniciem imperij non pergis auctore Plutarcho. Sequuntur postea politicæ constitutionis capitula. Est itaq; respublica (vt Plutarcho placet) corpus quoddā, quod diuini muneris beneficio animatur, & nutu summæ æquitatis agitur, & regitur quodā moderamine rationis. Quę enim ad religionē pertinent, vicē animæ obtinēt. Princeps caput est huius corporis vni subiectus Deo, & his qui vices Dei agunt in terris. Cordis autē locum senatus obtinet. Oculorum, aurium, & linguæ officia sibi vendicant iudices, & præsides Prouinciarū. Officiales & milites manibus coaptantur. Qui semper assistunt principi, lateribus assimilātur. Quæstores & Commentarienses non illi qui carceribus præsunt, sed comites rerum priuatarum ventris & intestinorū ferunt imaginē. Pedes agricolæ sunt. Ex his ergo quatuor illa sunt, quæ Plutarchus principibus inculcare conatur, reuerentiam Dei scilicet & cætera supradicta.

De reuerentia Dei, & cultu sui.

Cap. CXXVII.

MIro autē modo Deus intelligentiā sui sic infundit, vt subtrahat, sic subtrahit vt infūdat. In multis enim multipliciter lucet. Est autē à maiestate mirabilis,

à sa-

à ſapientia venerabilis, amabilis à bonitate. Et hic eſt funiculus triplex inter creatorem ſcilicet & creaturam, qui facile non rumpitur, ſed vt timeatur, honoretur, & diligatur. Colitur autem Deus dupliciter, affectu mentis, & exhibitione corporis, Reuerentia quæ corporaliter exhibetur, aut in perſonis conſiſtit, aut in rebus. In perſonis, aut à natura aut ab officio, aut à moribus aut à cõditione, aut à fortuna. Natura vt parentes, cognati, & affines. Officiũ eſt debitũ exequendi, quæ vnicuique ex inſtitutis aut moribus agẽda ſunt, quorũ agendorũ alia ad publicũ, alia ad ſuum cuiuſque pertinent ſtatum. Nã officiorum quædam publica, quædam dicuntur priuata. Priuata enim tot ſunt, quot ſunt perſonæ. Publica aut à diuino, aut ab humano iure deſcendunt. Publico officio tanta debetur reuerentia, quanta eſt eminentia cuiuſlibet magiſtratus. Mos eſt mentis habitus, ex quo ſingulorum operum aſſiduitas manat. Hic virtutes & vitia æque complectitur. Vnde bonos & malos mores dicimus moratos ſiue morigeros à bono, morоſos à malo nominamus. Conditio eſt ſtatus perſonæ fortuitus, quo aut in aduerſis, aut in proſperis degitur. In his autem qui diuina iura miniſtrant Deus præ cæteris aut honoratur, aut ſpernitur, cum illorum honorem & contemptum proprium reputet, dicens: *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos recipit, me recipit.* Reuerentia quæ in rebus conſiſtit, aut vt in corporalibus eſt, vt ædibus & locis ſacris aut ſacrificijs. Aut in ſpiritualibus, vt ſunt iura quæ ſacris rebus competunt, quæ temerare ſacrilegium eſt morte expiandum. Rerum autem ſacrarum immunitates conuellere, inſurgere in Deum eſt. Cultus ſui maxime in temperantia conſiſtit. Marcum Catonem eodem vino quo remiges contentum fuiſſe tradunt. Caius Curius Sabinorum victor nolens agros ſuos ex ſenatus conſultu ampliari, gregalium portione contentus fuit, malum ciuem dicens eſſe, cui non ſatis eſſet id quod cæteris ciuibus.

Luc. 10.

De officialium diſciplina.

Cap. CXXVIII.

SEquitur de poteſtate & officialium diſciplina, nihil iniquo diuitis conſiliario pernicioſius. Vnde in prouerbijs: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Eſt igitur prouidendũ poteſtati, ne conſiliarij indigeant, neue aliena immoderatius concupiſcant. *Nihil eſt ſcelerius, quam amare pecuniam, &c.*

Prou. 4.

Non ſolum in corde id eſt in conſiliario, ſed etiam in vẽtre & inteſtinis reipublicæ id eſt quæſtoribus & Cõmentarienſibus, hęc ratio ſeruanda eſt. In lateribus quoque id eſt illis qui sẽper principi aſſiſtunt. Nam à conuictu mores mutantur. *Et qui tangit picem, inquinabitur ab ea,* vitaque conſpecta vel contacta liuorem ducit ab vna. Ita quidẽ Legati apoſtolicæ ſedis in prouincijs debacchantur, ac ſi ad Eccleſiam flagellandum egreſſus ſit Sathanas à facie Domini, acceptores perſonarũ, & quaſi quidã bonorum mallei. Vnde Iuuenalis: *Omne animi vitiũ tanto conſpectius in ſe Crimen habet, quãto maior qui peccat habetur.* Epiſcoporũ nomen & officiũ venerabile eſſet, ſi tanta impleretur ſolicitudine, quanta interdũ appetitur ambitione & diligerentur vt patres, timerentur vt Domini, colerẽtur vt ſancti, ſi exactionibus parcerẽt, & proijcerent ex animo, quicquid prouenit ex calumnia, nec omnẽ quęſtum pietatem putarent. In domibus prælatorũ & principum omnia hodie venalia ſunt: fruſtra apud curiales de teſtimonio cõſciẽtiæ, de venuſtate morũ, de torrente eloquentiæ niſi pretio interueniente confidis.

Eccl. 13.

Ipſe licet venias muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Egregium ac veriſſimus diſcurſus hodie in plurimis locis me vidente obſeruatus

Ego enim credo me vidiſſe oſtiarios cerbero duriores. Apud inferos tamẽ cerberus (vt aiunt) vnus eſt. Sed quot ſunt diuerticula curiarum, tot cerberi. Tota enim familia aut mordet, aut latrat. Vetus prouerbium eſt: *Vacuæ manus temeraria petitio eſt.* Apud aduocatos quoq; & ipſum ſilẽtiũ venale eſt. Hoc fortaſſis à Demoſthene acceperunt, qui cũ Ariſtodimum auctorẽ fabularum interrogaſſet, quantum mercedis, vt ageret accepiſſet, & reſpondiſſet, talentum: at ego, ait Demoſthenes, plus accepi vt tacerem. Cauſidicorum lingua damnifica eſt, niſi eam vt dici ſolet fũnibus argenteis vincias. *Nihil* autem, vt ait Seneca, *venali miſericordia turpius.* Iniuſtum prorſus eſt miſericordiam vendere ſiue iuſtitiã. In lege vero ſcriptũ eſt: *Iuſte quod iuſtum eſt, exequeris.* Lege quoque Iulia *repetendarum* tenetur, qui cũ haberet aliquam poteſtatem, ob iudicandum vel denunciandam, pecuniã acceperit, quo magis aut minus quid ex officio faceret. Hæc verba legis ſunt. Itemque omnes cognitores aut iudices à pecunijs & patrocinijs manus abſtineant. Neque enim alienum iurgium ſuam putent prædam. Plebiſcito etiam continetur, ne quis præſidium, munus, donumue caperet, niſi eſculentum poculumve, & id quidem inter dies proximos porrigatur, ſed nec exennia producenda ſunt ad munerum qualitatem. De talium muneribus ait epiſtola Seueri Imperatoris. Vetus prouerbium eſt, nec omnia, nec ſemper, nec ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt à nemine accipere, paſſim viliſſimum, per omnia auariſſimum.

Deut. 16.

De publicis exactoribus, & eorum violentia.

Cap. CXXIX.

EGregie autem de talibus ait Laurentius Mediolanenſis epiſcopus, vbi publicos exactores deſcribit: Publicanus, inquit, eſt caput rapinæ, lex violentię, prædo ſine pudore, medicus exterminij, immanior furibus, Nam fur timens delinquit, hic autem confidenter. Fur laqueos legis timet, hic quicquid fecerit, legem vocat. Quis eo iniquior, qui verbis iuſtitiæ iuſtitiã damnat, & armis innocẽtiæ ſpoliat, vulnerat, occidit innocẽtes? Lege vtique legẽ perimit, & dũ alios vrget ad legem, ex lege deijcit. Publicanorũ autem à maximo vſque ad minimũ cætus concuſſioni potius quam iuſtitiæ vacat: & ita in populũ debachantur, vt quod reliquit vnus, alij nõ morẽtur auferre, tanquã ad hoc cõſtituti ſint, vt reſiduũ locuſtæ comedat brucus. Officialis Cæſaris niſi in omnibus acquieueris, Cęſari cõtradicis. Et quicquid dictet niſi ſit ſic, & niſi ſic ſtet, eſt in perſonã Regis, contraque coronam, quicquid dixerit ita obtinet, ac ſi inueniatur in actis; & cum alias habita moderatione inculpatæ tutelæ vim vi repellere liceat, concutientibus officialibus, ſpoliantibus, torquentibus mutire non licet. Hæc autẽ omnia in principẽ redundant. Singuli quippe tenentur ad ſingula, principi vero onera incũbunt vniuerſa. Principes autem legis nexibus dicitur abſolutus, non quia ei iniqua liceat, ſed quia is eſſe debet, qui non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ æquitatẽ colat. Nam in negocijs publicis nil ei velle licet, niſi quod lex aut æquitas perſuadet, aut ratio communis vtilitatis inducit.

De Æquitate iudicij.

Cap. CXXX.

AEquitas autem iuris vt periti aſſerunt, eſt rerum conuenientia, quæ cũcta coæquiparat ratione, & in paribus cauſis paria iura deſiderat. Lex vero eius interpres eſt. Quicquid autem equum eſt, ita demum iuſtum eſt, ſi eſt voluntarium. In nulla re hodie tantum offendunt huius ſæculi poteſtates ſicut in iudicijs, non attendentes quod ſcriptum eſt. *In quo iudicio iudicaueritis, de vobis iudicabitur.* Et illud quod ſupra poſuimus. *Iuſte quod iuſtum eſt exequeris,* id eſt ſine acceptione perſonarum vel munerum, mox vt tibi liquebit de cauſa, iuſtam de vtraque parte feres ſententiam. Nam dum cauſa anceps eſt, protelanda eſt ſententia, quia feſtinata iudicia pariunt pœnitentiã. Si ergo in iudicando periculũ vitari nõ poteſt, nihil eſt vtilius quam differri. Si autem alterutrius litigantiũ periclitatur vtilitas, & rei difficultas morã non exigit, iniquiſſimum eſt iudiciũ protelari. Ipſo autem iure cautum eſt, vt ſacrorum Euangeliorum

Matth. 7. Deut 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

scripturæ terribiles ante sedem iudicis deponantur, ibique ab initio initium vsque ad finem permaneant, nec amoueantur nisi sententia recitata, quo totius consistorij latitudo Dei ipsius repleta præsentia omnibus ad sacrosanctas scripturas metū incutiat, & reuerentiā, & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Vt autem dicitur in libro codicis secundo, procliuiora sunt iura ad defendēdum, quam ad impugnandum, faciliusque ad exceptionem, quam ad actionem trahunt. Vnde cum non omnes ad accusationem admittuntur, omnes ad defensionem admittuntur, nisi aliquis absens damnandus est.

De militum electione & eorum officio.

CAP. CXXXI.

VIdimus de membris cæteris reipublicæ, nunc de militibus videamus, qui manus appellantur. Nullus est vt ait Vegecius Renatus, quem oporteat vel plura vel meliora scire, quam principem. Christianus princeps milites magis à fide & moribus quā à viribus debet eligere. Nostri autem milites hodie sic ad bella quasi ad nuptias dealbati procedunt. In castris sermo illis est de conuiuijs, in conuiuio de armis. Non sunt quæ faciunt militem tam corporalem quam spiritualē, electio & sacramentum, longa pax militem incuriosius legit. Lucio Flacco, & Gaio Varrone consulibus, milites primo iureiurando facti sunt. Antea enim sacramento tantummodo à tribunis rogabantur. Conceptio sacramenti teste Vegecio hęc est: Iurāt milites per Deum & Christum eius, & Spiritum sanctum, & per maiestatem principis, quæ secundum Deum humano generi diligenda est & colenda, se strenue facturos omnia quæ præceperit princeps, nunquam deserturos militiam, vel mortem recusaturos pro republica, cuius sunt conscripti militiæ. Cato militem non dicit, nisi eum qui sacramento ad militiam iam consecratus est. Miles igitur sicut laboris, ita & honoris nomen est. Nemo enim sibi honorem sumat, nisi qui vocatur à Domino; qui non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium prouocat, quem propria temeritate vsurpat. Vsus autem ordinatæ militiæ est tueri ecclesiam, impugnare perfidiam, & sacerdotium venerari, pauperum propulsare iniurias, pacare prouinciam, pro fratribus (vt sacramenti docet conceptio) fundere sanguinem. Miror autem quomodo princeps illis habet fidem, quos videt Deo suo, cui vt cætera taceam, & sacramento militiæ alligati sunt, fidem debitam non seruare: nequaquam fidem seruabit secundam, qui primam irritam facit. Denique consecratio militis hæc est, consuetudo solennis est, vt ea die qua quis militari cingulo decoratur, ecclesiam solenniter adeat, gladioque super altari posito & oblato quasi celebri professione facta, seipsum altaris obsequio deuoueat, & gladij scilicet officij sui iugem Deo spondeat famulatum. Eis ergo pro ecclesia plurimum, contra ecclesiam licet nihil: aut enim plus, aut non minus in sua professione faciunt, quam episcopi, & Abbates, qui chedulam offerunt. In quibusdam etiam locis moris est militem in crastinum consecrandum, totam noctem præcedentem peruigilem in orationibus ducere, & nec iacendi nec sedendi habere licentiam, nisi forte repentinæ infirmitatis necessitas coegerit, sed tota nocte stantem orare.

Iuramentū exigendum à militibus.

Quod obedire debent principi, sed magis Deo

CAP. CXXXII.

PRimum hominum Deo debetur, cuius est homo creatione & redemptione. Secundum autem homini, saluo tamen dominio Dei, qui ab omnibus hominibus suis exigit innocentiam. Cum periculo ergo innocentiæ nemo cuiquam debet fidem, nec Abbati monachus, nec patri filius, nec Domino seruus, nec marito vxor. Est igitur principis prouidere in primis, ne miles suus perdat innocentiam pro defensione reipublicæ, sine qua respublica salua esse non potest. Solus enim ille princeps est bonus, est & iudex incorruptus, cuius sententia ex contemplatione assidua imago est æquitatis. Est enim publicæ æquitatis vindex & æquitatis seruus, & in eo personam publicam gerit, quod omnium iniurias & damna corrigit, & omnia crimina media æquitate punit, cuius officium est illis, qui nimirum possunt plurimum prodesse, & qui nocere desiderant, plurimum aduersari. Vnde & in sacra scriptura columbæ gladius appellatur, quia sine felle rixatur, sine iracundia ferit; & cum dimicat, amaritudinem nullam recipit. Nam (vt ait Cicero orator egregius). Sicut lex persequitur culpas sine odio personarum, ita princeps facere debet. Dauid vir sanguinum dictus est, non propter bella (vt ait Augustinus) sed propter Vriam. Nam nec Samuel nec Helias nec Phinees vir sanguinum appellatus est, cum quilibet eorum sanguinem fuderit. Pulchre autem secundum Stoicos lictor dicitur quasi legis ictor quia ad eius spectat officium ferire, quem lex iudicat feriendum. Vnde & antiquitus illi cuius manu iudex innocens nocentem punit, cum reo gladius immineret, dicebatur, obtempera legis arbitrio vel legem imple, vt vel sic mansuetudo verborum puniendi rei tristitiam mitigaret. Cum ergo milites sint manus corporis publicæ potestatis illius principis manus sanguine plenæ sunt, cuius officiales & milites vel innocentium sanguinem fundunt, vel innocentes opprimunt. Huius ergo principis oratio nunquam exaudienda est, eleemosyna Deo nunquam acceptanda.

Vnde nomē Lictoris.

De mutuo affectu principis, & subditorum.

CAP. CXXXIII.

VLtimum eorum quæ Plutarchus habere iubet principem, est amor subditorum. Codrus enim Athenienſium Rex pro victoria populi sui seipsum morti tradidit. Nam mutato regis habitu sarmenta colligens, castra hostium ingressus, à milite quem facile in iurgio percusserat, interfectus est. Vnde & illud poeticum.

Et iurgia Codri.

Decios duces Romanorum se pro suis exercitibus morti deuouisse percelebre est. Iulius enim Cęsar dicere solitus erat. *Dux qui non laborat vt militibus charus sit, militem nescit amare, nescit humilitatem ducis in exercitu, & aduersus hostem debere esse.* Idem enim pistorem in vincula coniecit, quia sibi meliorem panem, quam cæteris militibus in mēsa superposuerat. Alexander militem suum Macedonem senio confectum nimio frigore obstupefactum, ipse in sublimi & propinqua igni sede sedens, cum animaduertisset statim descendit, & in suis manibus corpus frigore duplicatum in suam imposuit sedē. Plato cum vidisset Dionysium tyrannum Siciliæ corporis sui circumseptum custodibus: *Quod tantum malum*, inquit, *fecisti, vt à tam multis custodibus necesse habeas custodiri?* Principem enim sic oportet vincere obsequijs omnium affectus, vt quisque subditus pro eo periculis imminentibus caput opponat. Sic etiam vrgente natura pro capite cætera se solent membra opponere. Vnde Claudianus.

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,
Quam tutatur amor non extorquebis amari.
Hæc alterna fides, hæc simplex gratia donat.

Hucusque dictum sit de institutione regum & principum, qualiter se habere debeant vel domi, vel militiæ, non solum secundum leges diuinas, sed etiam humanas, quæ eatenus valent, quatenus à diuinis non discrepent. Alioquin falsum est quod in lege scriptum est: *Quod principi placet, legis habet vigorem.* Nullas enim leges credunt quædā ciuilibus præferendas, sed has Anacharsis seta telis aranei comparauit, quæ muscas & culices detinent, & volatilia grandiora transmittunt.

Planctus amici lapsi à statu monachali.

Cap. CXXXIV.

OB lamentationes & væh de carmine nihil ad te. Carmen enim illis debetur, quibus bonum est confiteri Domino & psallere nomini Domini altissimi. Carmen illis debetur, quorum in cordibus cantatur
Psal. 136. domino, psallitur spiritu, mente iubilatur, & quorum operatio Christo cytharizat, organizat cogitatio, psalterizat oratio, deuotio lirizat. Nihil enim tibi & carmini. Non est enim tibi cantare canticum Domini in terra aliena. Nihil tibi & aue, qui non mutas nomen Euæ: nihil tibi & salue, qui non saluas commendata dum mandata non seruas, dum te non paras ad iudicium, non comparas auxilium aduocati tui Christi, sed saluatori tuo crucem reparas secundam, mortisque tibi præparas secundę cruciatum. Nihil tibi & vale, qui non viuis nisi male, qui valere non affectas dum detractas pœnitere. Tu ergo anima mea fratri meo expectāti & reexpectāt modicū in sæculo, nimiū in peccato, manda remanda lamentationes & væh. Perlustrata namque cum omni sollicitudine materiæ præsentis tota multitudine, nil inuenire potui, quod mitterem pro carmine, sed plenus amaritudine, plenus anxietudine, quod scripsi, scripsi. Salus à non sano missa nugatoria est, missa vero inuita superflua. Denique quid prodest alicui salus vlla destinata, cui nulla salus grata? Planè frustra salutatur, à quo
Hier 9. salus non optatur. Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lachrymarum vt copiosè lugeam dignum mei fratris interitum? Iustus es Domine etiamsi disputem tecum. Veruntamen etiam iustè loquar ad te, non tanquam tecum disputans, sed tanquam tecum computans: quæ mecum supputo, & fratri meo imputo. Adhuc enim frater meus mendicat siliquas porco-
Luc. 15. rum in regione illa, in qua fames oritur nec moritur, vbi egestas incipit nec desinit, nec recordatur infelix quanti non solum filij, sed & mercennarij in domo patris sui abundent panibus. Ipse vero nec dolore conuincitur, nec rubore confunditur, quod & fame pereat, & siti torreat, & labore fatigetur, & seruitute premátur. O quam facili transiti hæc omnia transiret, duobus tamen passibus à tam graui exilio resiliret, quorum primo reuerteretur ad se, ad te vero pater, altero conuerteretur. Iussisti autem mihi, vt non solum eum, sed & quemlibet proximum meum diligam quantum meipsum. Sed quis mihi proximior fratre meo? Nusquam ego totus adsum vbi abest frater meus. Dimidium enim est animæ meę Nonne Domine tu iubes diligi in tota anima Quomodo ergo tota anima mea te diliget, nisi vtraque eius medietas te diligat? Non enim bene diligeris ad medietatem. Vt ergo te totus diligam, fac oro vt te diligat & frater meus. Si vis vt sequar te, sequatur te obsecro & frater meus: neq; enim dimidius sequi te potero. Vt me totum saluum facias, saluum fac & fratrem meum, qui totum hominem saluum fecisti in sabbato. Quippe nil facis ad medietatem, sed quicquid facis perficis. Alioquin non diceretur de operibus tuis quod *vniuersa essent valde bona*. Et in Deuteronomio. *Dei perfecta sunt opera &c.*
Gen. 1. Deut. 32.

Reprehensio eiusdem.

Cap. CXXXV.

OB lamentationes & væh. Lamentatio de præsenti est, carmen & væh de futuro. Væ tibi proposui vt ab eo fugeres, lamentationes præposui vt ad eas confugeres. Carmen vero nec posui, vt remota omnis lætæ rei memoria, nulli transitorio decori cor tuum apponeres, sed quamdiu tę super flumina Babylonis sedere cognosceres, fleres, plorares, gemeres & in eius salicibus organa suspenderes, & te totum pœnitus medullitus exponeres dolori. Nulla tibi, nulla de carmine mentio fiet, donec illud impleas præceptum: Exite de Babylone, fugite à Chaldęis, sed iam loquar ad te. Ipsa lamentatio scilicet quæ hactenus locuta est pro te, *quomodo cecidisti lucifer, qui mane oriebaris*, qui iubilabas Domino cum matutinis astris, quando in cætu nouiciorum, in fletu monachorum, in metu conuersorum, in conspectu Angelorum psallebas altissimo. Quomodo attractiua illa cauda draconis cum sua tertia parte stellarum te etiam secum traxit, cui Deus dederat lucem sapientiæ, splendorem scientiæ, iubar intellectus, vt cum stellis stantibus luceres, si velles in perpetuas æternitates. Non parco tibi, frater amantissime, vt mihi & tibi parcat Deus. Cecidisti: nunquid qui cecidit non resurget? *Septies in die cadit iustus & resurgit*, id est quotiescunque cadit totiens resurgit. Tu qui cadis tota die, recidis quotidie, cur non resurgis vel vno die?
Isaiæ 14.
Prou. 24.

Quod vitium ipsius labentis fuit, non ordinis à quo cecidit.

Cap. CXXXVI.

QVid autem ordinem nostrum accusas intolerabilis duritiæ? profecto non ordinis, sed accusantis est vitium: neque enim ordo ita durus est, vt sit in accessibilis aut importabilis, aut contra naturam. Alioquin nec ordo esset, sed tu fluidus es & eneruis. Præterea quid magis secundum naturam quam ordinate viuere? at nulla vita ordinatior quam nostra. Ibi enim omnia in numero & pondere & mensura disponuntur. Ibi cibus & quies & somnus ad sufficientiam naturalem indulgentur. Ieiunia vero, labores & vigiliæ à nemine supra vires extorquentur, sed omnia mensurate fiunt. Simplici enim victu & vestitu vita sustentatur, natura fouetur, conseruatur sanitas. Denique quid naturalius, quid sanius illo cibi & potus genere, ad cuius appetitum sola natura & coquus est & medicus? Quis pane triticeo & leguminibus bene coctis famem non expellat?

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.

Anima saturata calcabit fauum, anima vero esuriens & amarum pro dulci habebit. Probabile est ait Seneca, quod natura desiderat ad superuacua sudatur.

Taceo quod ad conseruandam sanitatem nihil efficacius, quam cibi & potus identitas conseruata. Varia enim fercula variarum sunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & omnis humorum repugnantia repugnat sanitati. Vnde elegantissime & prudentissime respondit quidam de nostris adolescentibus Beluacensi episcopo eum interroganti, vnde contingeret quod sanior & pulchrior esset in claustro quam solebat esse in sæculo, quia inquit, vniformiter viuo & decenter. De quorum primo habeo vt sanus sim, de secundo vt pulcher sim: In sæculo enim viuebam tam deformiter, quam multiformiter, de quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis, de secundo ægritudo. Perrexitque episcopus quærere dicēs: quid ergo comedisti hodie? Satis, inquit, Quid heri? Similiter satis, non quæro inquit de quantitate sed de qualitate, quid comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit comedi pisa & olera, hodie olera & pisa, cras autem comedam pisa cum oleribus, post cras olera cum pisis: vide ergo quam pulchro circumitu eandem sententiam circumduxit, vt varijs modis ostenderet eadem se semper vti dieta, quę præstat corpori sanitatem & pulchriudinem.
Vide speculū Magnum Exemplorū tit Abstinētia exemp. 7.

Inductio Exemplorum ad ordinem tolerandum.

Cap. CXXXVII.

EXplosa igitur est omnis difficultatis accusatio, quā contra ordinem induxisti, & impossibilitatis excusatio, quam pro parte adduxisti. Neque enim ordo tam difficilis est vt infirmos nos recipiat, cum & illis satisfaciat & accurate & deliquate: neque tu tam infirmus aut debilis es, vt ad illum portandum nequaquam sufficias,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum ego non deficiam; te & infirmior & debilior. Et vt de me taceam, quantos tibi possum ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc ordinem, quem appellas durissimum & difficillimum se transtulerunt, nec tamen adhuc ab eo resilierunt, quamuis & ætate iuniores te sint, & natura teneriores, & debiliores viribus? Et vt de tot millibus vnum excipiam, vnum tibi excipio, qui certe solus sufficit ad omnium exemplum. Ipse quidem spectaculum factus est, & Angelis & hominibus leuitate miraculi, qui prius eis spectaculum fuerat miraculo leuitatis, dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non amphicircus, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat. Nosti Helinandum si quis non nouit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem quam auis ad volandum, circumiens terram & perambulans eam, quærens, quem deuoraret, aut adulando; aut obiurgando. Ecce in claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solum quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodo ergo non potes quos ipse potest, cuius mutatio dextræ excelsi, quantum stuporem intulit sæculo pudoremque diabolo, tantum ipsi Domino contulit honorem, neque etenim ipse tam leuis fuerat, quam ipsa leuitas. Vnde & tanta leuitas tam leuiter mutata, apud pluresque nihil aliud putatur quã leuitas. Hinc est quod iam quinquennis eius conuersatio vix facit alicui fidem de futuro, nimirum, quantum in seipso experimentum dedit inconstantiæ, tantum perseueraturæ constantiæ nunc debilitat argumentum. Erubesce igitur miserrime te saltem non sequi istum præcedentem, iuniorem, infirmiorem, debiliorem, delicatiorem. Quis enim attendens vnde iste surrexerit, surgere non possit?

Iob. 5.

Vita, mores & conuersio Helinandi.

Quod iste ordo sit portabilis omnibus infirmis & fortibus.

Cap. CXXXVIII.

ITaque surge & *noli declinare in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*, attribuens naturæ quod est mentis impuræ, necessitati, quod est voluntatis, difficiliorem faciens ordinem quam sit, te molliorem quam esse debeas, infirmiorem quam esse possis. Nemo enim tantam infirmitatem potest incurrere vt rigor ordinis ei de misericordia condescendens, & de charitate compatiens congruam solacij non suppetet medicinam. Si ieiunare præ infirmitate non potest, manducare non solum permittetur, sed etiam cogetur: si laborare non sufficit, quies ei non deficit. Si vigilijs grauatur, somno recreatur. Infirmus est, noli refugere. Non portabis ordinem sed ordo te. Fallunt autem plerique & non tam fallunt quam falluntur, pusillanimitate animi dicentes, se non posse, quod possent si tentarent, sed ante iudicant quam discutiant. Et ideo in lumine primo deficiunt, & ante tubam tremor accupat artus. Solent autem huiusmodi pusillanimes dicere, *Hodie ieiunaui, & iam caput doleo*: si ergo cras ieiunauero, necesse est vt aut freneticus fiam, aut lithargicus, aut melancolicus, aut epilenticus, aut maniacus, aut dæmoniacus. Plane non sequitur. Debile principium melior sequetur fortuna. Multæ res intentatæ difficiles habent aditus, vsus autem faciles. Dicit ergo infirmus noster, Hodie ieiunaui, & ideo caput iam doleo. Mentiris planè, immo quia non ieiunasti nisi vno tantum die. Non enim ideo caput doles, quia vel semel ieiunasti, sed quia ieiunare non consueuisti. Denique quid scis an ex ieiunio hoc tibi accidit. Heri forte tale quid immoderate comedisti vel bibisti, quod naturaliter caput aggrauat. Non ergo omnia aut ad preceptorum difficultatem, aut virium impossibilitatem referenda sunt.

Psal. 140.

Admonitio lapsi vt resurgat.

Cap. CXXXIX.

SVrge igitur frater, non enim impossibile est surgere, quamuis sit difficile, tam difficile quã facile est cadere. Facilius est, ait Arist. destruere quam astruere.

Facilis (ait Poeta) *descensus auerni,*
Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
Hoc opus hic labor est &c. non dixit hoc impossibile est, sed *hoc* inquit *opus, hoc labor est.*

Id est possibile est, & si difficile sit, possibile est, si adhibeatur opus, præbeantur opera, labor adhibeatur. Festina igitur vt resurgas, nam si resurgere etiam hodie difficile, cras erit difficilius.

Qui non etiam hodie cras minus aptus erit.

Omne autem tempus quod morte adijcitur, additur & casui. Quanto iacebis diutius, tanto cades profundius. Ipsum nanque iacere est. Cadere fateor humanum est, sed resurgere nihilominus humanum est, iuxta illud: *Nunquid qui cecidit non resurget?* ideſt nonne qui potuit cadere potest resurgere, non resurgere ergo nullo modo humanum esse dicendum est, sed diabolicum, cuius tota vita ruina est. Notanda igitur in hoc loco quadripartita varietas. Quatuor enim sunt scilicet stare, cadere, surgere, non resurgere. Horum duo media hominis sũt. Homo enim cadit & surgit, & iterum recidit & iterum resurgit; stare vero absque casu solius Angeli est, non resurgere vero solius diaboli est. Qui ergo stat & non cadit, Angelus est: qui vero cadit & surgit, homo est, qui autem cadit, & post casum non surgit, non quia non potest, sed quia non vult, profecto diabolus est, etiam si homo sit. Vnde & de tali homine dictum est, *Et vnus ex vobis diabolus est.* Vnde & dicitur ad homines: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, vbi planè diabolica remouetur, quæ scilicet triplex est, supra se, infra se, & cõtra se. Supra se tentatur quis, quando effertur vltra se. Infra se tentatur quis, quando viuere appetit inferius, & sordidius & vilius quam naturæ suæ dignitas exposcit. Tentatio contra se est, quando aliquis scienter peccat etiam ad mortem, & tamen postea non pænitet, aut desperans, aut minus sperans, aut nec sperans, nec desperans sed incredulus ad sperandum, & ad timendum, id est nec misericordiam credens profuturam, nec damnationem obfuturam, quia neutram credit futuram. Sed omne iudicium putat defuturum, dicens cum Epicuro. Nihil post mortem, & mors ipsa nihil. Quatuor enim tuæ calamitatis gradus superius enumeraueram: te scilicet non stetisse, cecidisse, iacere, non resurgere. Quod non stetisti leuitatis fuit, quod cecidisti infirmitatis, quod iaces voluptatis est, quod non resurgis consuetudinis. Leuitas impellit, infirmitas prosternit, perimit voluptas; sepelit consuetudo. Primo fuisti arundo vento agitata, secundo folium cadens ab arbore, tertio factus es paralyticus grabato assutus. Nam quæ est differentia inter mortuum & semper iacentem? quarto, Lazarus in sepulchro quatriduanus fætens obuolutus linteis tumulatus. Arundo fuisti, quando ad leuissimum serpentis sibilum te inclinasti. Folium fuisti, quando spiritu habente potestatem, ascendente super te locum tuum dimisisti. Paralysis autem est dissolutio, nihilque magis hominem dissoluit quam voluptas. His tribus gradibus scilicet leuitati, infirmitati, voluptati consuetudinem adiungens, te fecisti quatriduanum. Tumulatus es & oppressus obstinatione. Hæc est enim tumba quæ supponitur cadaueribus animarum mortuorum.

Hier. 8.

Ioan. 6.

1. Cor. 10

De consideratione quæ ad pœnitentiam proueat.

Cap. CXL.

VAlde ergo timeo ne nimium speres, cum tamen non habeas plures rationes nimiũ sperandi, quam desperandi. Nam sicut maledictus Cayn qui desperauit,

uic,ita maledictus omnis qui peccat in spe. Sed Christiani Dei misericordiam frequentius experti, quàm eius iram,id est vindictam,cuius modo non est tempus, facilios inclinatur animus in hanc dexteram quàm in illam sinistram, quasi Deus plus habeat misericordiæ, quàm iustitiæ; cum ipse sit vtraque,id est misericordia & iustitia,nec possit esse maior seipso. Si ergo cogitas Deũ esse multũ misericordem, cogitat eum & tantũ esse iustum, iuxta illud: *Misericordiam & iudiciũ cantabo tibi domine,&c.* *Psal. 100.* Hæc cogitatio pariet tibi timorem, qui est initium sapientiæ,clauis iustitiæ, qui sola clauis reserat animarum sepulchra. Ipse enim est Angelus qui reuoluit lapidẽ ab ostio monumenti,cuius aspectus sicut fulgur,& vestimẽta eius sicut nix. Aspectus timoris est cogitare & intelligere terribilia; hæc sunt maxime quatuor, quæ semper ponenda sunt ante oculos mentis nostrę. Iudicis veritas, iudicis seueritas, tormentorum æternitas, & enormitas peccatorum. Hæc quatuor sollicite cõsiderata faciunt animũ considerantis sicut fulgur, id est, ardentẽ & rubentẽ,hoc est dolentem & prudentẽ. Iterum ista quatuor sollicite considerata faciunt, vt vestimenta considerantis sint sicut nix: quia cum peccator attente considerat quid meretur, si non pæniteat, statim induit saccum pœnitentiæ rigentẽ algore continentię,& renitentẽ candore castitatis,quæ scilicet candor & rigor sut duæ niuis proprietates. Non enim dixit, & vestimenta eius sicut lana alba,aut sicut lac,sed sicut nix inquit,profecto significare volens, quia si pœnitentia amara est & constringens & rigida,candida tamen est, & citò resoluitur,quia breuis est quanticumque sit temporis.

De mala consuetudine abolenda.

Cap. CXLI.

CLamat tibi Iesus voce magna. *Lazare veni foras,* *Ioan. 11.* exeundũ enim tibi est adhuc ligato. Quilibet enim sic sepultus ad confessionem,cõsuetudinem etiã secum affert, sed non obstinationem. Alioquin nec ad confessionem veniret. Quomodo ergo te soluemus ab his vinculis? Recurrendum est enim ad consuetudinis originem,quæ primo eradicãda est,vt extirpata pœnitus eius radice,rami eius non repullulent. Ait enim Aug. in libro confes. *Ex peruersa voluntate fit libido,& dum seruitur libidini,fit consuetudo,& dum consuetudini non resistitur, fit tunc necessitas,quæ sunt quasi quædam ansulæ sibimet innexæ cathenam facientes,vnde peccator constringitur.* De hac cathena vel de hoc funiculo dicitur apud Isaiam: *Væ qui trahitis* *Isai. 5.* *iniquitatem in funiculis* vanitatis, idest,peccatum peccato additis,quasi filum filo ad faciendum funem. Hic est funiculus triplex,qui difficile rumpitur. Prima tortio huius funiculi fit ex illis duobus filis scilicet peruersa voluntate & libidine. Secunda ex libidine & consuetudine. Et est in hoc funiculo triplex libido bis tortum filum. Tertia vero fit ex consuetudine & necessitate. Quid est peruersa voluntas? Peruersus animi motus ad appetendum aliquid prẽter Deum propter seipsum, & ex hoc peruerso motu iam ex pœna peccati meretur,vt illud sibi libeat id est placeat ad quod appetendũ se peruerse mouit,& ita sequitur libido secundũ peccatũ, & pœna primi. Libido nanque dicitur à libendo, id est,placendo. At quæcunq; nobis placent,blanda quadã sui violẽtia vsum sui facile nobis extorquent. Nam quæ libẽter facimus,si possumus facimus & frequenter, immo si possemus nunquã non faceremus. Sic ergo ex libidine est consuetudo,quia qui hunc cibum comedunt, adhuc esurient. Nunquã enim porcorum siliquis venter humanus poterit expleri. Quare vero ex consuetudine nascatur necessitas manifestũ est,quia videlicet consuetudo est altera natura. O violentia consuetudinis,quãta est tua potẽtia,quæ de libertate facis seruitutẽ,de morbo eõplexionem,de voluntate necessitatẽ,de casualibus naturalia,de cotingentibus impossibilia? Vis ergo enodare hũc funiculũ tam subtiliter quã velociter: Recurre ergo ad primũ nodũ,qui fit ex pernersa voluntate & libidine,& securus esto,quod isto dissoluto dissoluentur alij qui sequuntur, quia *cessante causa,necesse est cessare effectũ.* Nempe hic consistit tota vis huius funiculi. In alijs quidem nouissimus nodus primo soluendus est, & nouissime primus,hic autẽ econtrario. Auertantur igitur a sensibus corporeis res ipsos sensus allicientes, & facile auertetur ab animo peruersa affectio; quæ si auersa fuerit,statim libido auersa erit. Vnde Seneca. Id agendum est,inquit,vt irritamẽta vitiorũ quam longissime profugiamus. Quis enim iuxta prostibulum viuat continenter? Quis tabernæ proximus viuat abstinenter? Quis inter forensia iurgia silenter? immo quis in sæculo viuat sapienter? Qui enim socius est stulto, efficitur ei similis. *Qui picem tetigerit nonne inquinabitur ab ea?* Qui flammæ *Eccles. 13.* se ingesserit, nunquid non inflammabitur?

De fomentis libidini subtrahendis,& primo de ocio, segnicie,somno,carne,fœmina.

Cap. CXLII.

VIs ergo extinguere libidinem? pone inimicitias inter te & mulierem; sufficiat tibi deceptam à serpente,te hactenus decepisse. Noli dare sanguisugæ sanguinem ad sugendum, sed auelle eam à cute,velit nolit etiam semiplenam. Vis extinguere libidinem? amoue ligna ab igne, & si stridet incendium. Quæ sunt,inquis, ligna quę non sunt struenda in ignem huius hominis rixosi? Innumerabilia enim sunt, pauca tamen ex eis in quibus & cætera possis recognoscere dinumerabo. Ista sunt ergo. *Gen. 3.*

Ocia,segnicies,somnus,caro,fœmina,vinum, *Prosperitas,ludus,carmina,forma,puer.* *Fomenta libidinis.*

De primo habes.

Ocia corpus alunt,animus quoque pascitur illis.

Et Lucanus,

Varium dant ocia mentem.

Et quidam de nostris. In desiderijs est omnis ociosus. Et regula illa Benedicti ait: *Ociositas inimica est animæ.* Et quidam de patribus. *Nunquam inueniat te diabolus ociosum.* *Prou. 13.*

De secunda habes.

Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter.
In promptu causa est, desidiosus erat.

De tertio est illud apud Catonis Ethicam.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.
Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat.
Denique illa duo prima semper istud tertium comitantur. Nemo enim potest esse somnolentus, quin sit & ociosus & desidiosus.

De quarto ait Apostolus, *Bonum est non manducare carnem,& caro non prodest quicquam.* *Rom. 14.*

De quinto quia infinita sunt exempla, sufficiat ponere solam mulieris etymologiam. Mulier,inquit Varro, dicitur à mollitie quasi mollier. Istud mollier intelligendum est dupliciter, id est actiue & passiue, tanquam si diceretur mollibilis, id est facilis ad molliendum,vt & cito molliat & cito molliatur. Nolo autem te ignorare quod malleus similiter dicitur à molliendo,eo quod ferrum molliat; *Ferreas mentes* ait Hieronymus *ipsa libido domat.* Et Claudianus, *Mulieris etymologia.*

Ferrea lasciuis mollescunt corda sagittis.

Vides ergo quomodo conueniant rationes etymologiarum cum rationibus naturarum. Quid non mollit malleus? Quem non mollit mulier? igitur mulier est malleus. Vere ipsa est malleus vniuersæ terræ,per quem diabolus & mollit & malleat vniuersum mundũ. Quomodo non cauisti tibi ab hoc malleo? Nonne ille est malleus qui tibi massam corporis vsque ad plumbeas exterminauit laminas, immo etiam qui assidue cudendo super te suam de te fecit incudem? Si ergo vis fugere ab hoc malleo,exi de fornace ferrea Babylonis,nisi forte quod absit huius tam magni & tam grauis mallei tusiones assiduas non formidas, qui contra proprietates *Mulier est malleus.*

aliorum

aliorum malleorum nihil glutinare potest, solidare nihil nouit, sed cuncta confringit, & omnia comminuit, dissoluit vniuersa. Redi ergo redi ad crucem Domini baiulandam, & noli partem tuam ponere cum Pilato, qui malleator interpretatur.

De vino & prosperitate.

CAP. CXLIII.

TRanseamus autem ad cętera vitiorum irritamenta de vino quod posui post fœminam est illud vinũ, in quo est luxuria. Et Poeta.

Ephes. 5. *Et venus in vinis, ignis in igne fuit.* Vnde eleganter ait Hieronymus. Vinum in adolescentia bibere est oleum addere camino, & gladium veneno.

Hieronym. epist. 22. ad Eust.

De prosperitate legis apud Ouidium.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Non facile est æqua commoda mente capi. Vnde Augustinus de Salomone. Secundæ res quæ sapientiam animos fatigant, plus obfuerunt Salomoni, quam profuit ipsa sapientia, etiam tunc laudabilis, etiam nunc longe lateque memorabilis. Et ipse Salomon in prouerbijs ait: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Vnde Iuuenalis.

Prou. 1.

Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles.

Sicut autem prosperitas attrahit ad peccatum, sic plerumque aduersitas retrahit à peccato. Vnde Gregorius: Aliquando nos mundus retrahit à Deo, nunc tantis aduersitatibus plenus est, vt nos mittat ad Deum. *Ecce enim Dominus* sicut promiserat per prophetam, *sepiuit vias tuas spinis, vt semitas tuas non inuenires & post amatores tuos non curreres*, quomodo ergo non dicis? vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia mihi bene erat, tunc melius quam nunc. Quare non conuenis diabolum de conuentione quam tecum inijt, & de fœdere quod tecum percussit, & proponis ei hanc disiunctam, aut mihi da diuitias & voluptates, quas mihi pepegisti te daturum, si tibi seruirem; aut ibo ad talem Dominum qui mihi eas dabit & non solum ad satietatem, sed etiam ad cumulum. O quam conuenientissime hæc ei proponeres. Ista enim promittit non solum tibi, sed cuilibet eius dominio submittere se volenti, iuxta illud: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Ecce qui cadens adorasti, & adorans eum cecidisti. Aliter enim non adoratur nisi cadendo, cui non seruitur nisi peccando. At quod tibi promiserat non dedit, mentitus est enim. Quid putabas eum posse verum dicere? nonne ipse mendax est, & ab initio in veritate non stetit? Quomodo huius Domini fœdifragi exactoris sæuissimi intollerabilem toleras seruitutem? Miror tamen vehementer vnde suppetant seruitutis expensa,

Osee. 2.

Matth. 4. Damon adoratur cadẽdo in peccatum.

Ioan. 8.

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem,
Non habes vnde tuum pascis furibunde furorem.

Considero enim quod ex quo huic domino seruire cępisti, nunquam tibi prospere cessit omnis prosperitas, successit aduersitas, accessit calamitas, infelicitas quoque modum excessit. Nunc collige breuiter, quam infęlix ei seruias,

Pauper, egenus, inops, pallens, exanguis, inanis.
Ære, cibo, requie, frigore, pœne, fame.

O onerosa seruitus, ô amara subiectio, seruire scilicet & egere, famulari & tribulari, humiliari & conculcari. Deus bone, quid amarius, quid onerosius, paupertate plena peccatis, & peccatis plenis pauperies? Audi ergo consilium meum. Falle illum qui te fefellit, mentire ei qui tibi mentitus est. Define ei seruire, qui non solum sicut promiserat tibi non seruit, sed etiam contra te sæuit.

Diabolo mẽtiendum.

Sic urs deludatur arte.

De ludo & carmine, & forma, & puero.

CAP. CXLIV.

SEquitur de ludo, in quo nomine intelligo omnem iocum, est autem omnis iocus fomes libidinis. Vnde & Venus dicitur iocosa, de qua sic ludit ille suus familiaris:

Non solet in mœstos illa venire choros.

Post ludum enim posui carmina, in quo nomine omne melos musicum comprehendo, siue fiat instrumento, siue humana voce. Vnde Isaias: *Cythara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis.* Quomodo enim opus Domini idest veritatis, respiciatur à quibus tot opera vanitatis, non solum aspiciuntur, sed etiam exercentur. Et Ouidius!

Isaiæ 5.

Multis pro forma vox sua blanda fuit.

Aiunt Physici. Nihil potentius ad eneruandum animum, quam lenocinium melodiæ. Vnde & quidam dæmones illa capiuntur, sicut dicitur de Saule arreptitio, & Dauid citharista, quod videlicet ille melius habebat quando iste psallebat: & Apollini delphico inuenti sunt ludi musici, & ille optimus musicus & theologus, & poeta & citharista Orpheus, suam libidinem citharizando prosecutus est vsque ad infernum. In huius iterum rei argumentum accipe quod difficile inuenitur aliquis leuis vocis, & grauis vitæ. Quippe cum vocis leuitas cãtum desiderat, at vitæ grauitas planctum. Vidi infinitos tam viros quam fœminas tãto peioris vitæ, quanto melioris vocis. Sed vt nostris parcam temporibus. Nero producatur in medium, de quo refert Suetonius in libro de vita Cæsarum, quod adeo delectabatur in cantando, vt nec repentino motu terræ ante cantare desisteret, quam inchoata finiret. Refert etiam eum multotiens supinum iaceret solere, & pectori suo laminam plumbeam superponere causa videlicet vocis conseruandæ, & abstinere à pomis & à cibis officientibus & nunquã aliquem aduocare nisi aut per alium, aut voce submissa. Vnde dictum est illud apud Iuuenalem. *Vox blanda & nequam digitos habet.* Ecce inuenimus hominem vocis blandissimæ & vitæ pessimæ, & quoniam exemplorum superabundat copia, pergamus ad alia.

1. Reg. 16.

Vix inuenitur aliquis leuis vocis & grauis vitæ.

Nero musicæ deditus vir pessimus.

Sequitur de forma quam semper duo pericula comitãtur. Et illa eademque vocem blandam, id superbia & lasciuia. Vnde Ouidius in libro Fastorum.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Et Iuuenalis:

Rara est concordia forma
Atque pudicitia,

Et iterum Ouidius.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Nec damno dona naturæ, sed curiositatem & vanitatem, quas indiuiduas & quasi etiam naturales secum ducunt comites.

Sequitur de puero, quem etiam peccati fomitem appellaui, scilicet ea consideratione qua & mulierẽ. Quantum enim periculi sexus affert in muliere, tantum ætas in puero. De illa sic ait Varro.

Mulier quasi mollier.

De isto ait Naso.

Puero, inquit, est ætas mollis.

De illa Virgilius

Varium & mutabile semper fœmina,

De isto Horacius.

Cereus in vitium flecti.

Periculosa enim est ætas pueri, periculosiorque societas, periculosissima vero familiaritas. Vnde legitur in vitis patrum non habendam esse familiaritatem cum fœmina & puero, vbi additur, vel hęretico. Hæc ergo omnia sunt irritamenta vitiorum, hęc sunt incitamenta voluptatis, tormenta castitatis. Hoc oleo, hac pice, hac stupa, ac napta, his malleolis, his sarmentis incenditur fornax Babylonis. Vis ergo fugere voluptatis incendium, fuge omne hoc genus fomitis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quòd ab his omnibus refugium ſit vita clauſtralis.

CAP. CXLV.

Totus mundus laqueis peccati plenus.

SEd quo fugies à facie iſtorum? Totum circumſpice mundum, vbique diabolus hamum peccati aliquo fomite delectationis ineſcat. Fugiendus eſt ergo mundus, vt eius concupiſcentiæ fugiantur. Alioquin ſi in mundo remanere volueris, nec abſciſſis manibus, nec truncatis pedibus, nec offenſis oculis, eo quod ſcandalizauerint te, ſcandalo non carebis. Relinquitur enim aliquid & auribus & naribus quod eas ſcandalizet, & per eas animum. Igitur quandoquidem nec ſine membris officialibus poſſumus viuere, nec illis ſcandalizantibus bene viuere, neceſſario quærendus eſt locus non tam corporibus, quàm moribus ſalubris, vbi corporeum ſenſuum non carentes officijs, illorum ſcandalis careamus. Et quis locus ad hoc idoneus niſi clauſtrum; vbi pax includitur, honeſtas clauditur, excluditur voluptas, ſecluditur libido? De quo loco ſcriptum eſt: *Melius eſt ſedere in angulo domus, quàm cum muliere litigioſa.* Angulus eſt cōcors cohabitatio clauſtralium, in quam ipſi clauſtrales de diuerſis hominum generibus tanquam de diuerſis parietibus concurrentes, & habitantes in domo vnius moris & vnitatis, ſeruantes vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, fœlici diſcunt experientia, *quam bonum & quam iucundum ſit habitare fratres in vnum.* Mulier enim litigioſa, vel omnis ad literam mulier eſt, vel ipſa caro, vel vita muliebris, vel ſocietas cum amatoribus mollis & muliebris vitæ. Quodlibet enim iſtorum ſemper rixam mouet viris ſpiritualibus. O quàm conuenienter rixandis vt dicitur appellata eſt illa captiua mulercula, quæ te captiuum trahit? Ipſa enim eſt diabolus, qui dicitur rixoaldus, qui ſemper rixam alit. Nam & hoc nomen legitur eſſe proprium cuiuſdam dæmonis.

Clauſtrum eſt locus tutus.

Prou. 21.

Pſal. 133.

Rixoaldus nomen dæmonis.

Fuge ergo frater dilectiſſime, fuge rixam quam tibi mouet rixoaldus iſte per illam rixandam, & redi ad clauſtrum tuum locum pacis & quietis, amatorem ſilentij; rixæque perſecutorem. Redi frater, redi à mundano circuitu, in quo impij ambulant, quem ſemper *leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: ad clauſtralem tetragonum, vbi mirabiliter fabricante prudentia, columnæ iuſtitiæ ſuper baſes fortitudinis, cemento temperantiæ firmiſſime ſolidatæ, ſpei epiſtillia infatigabiliter ſuſtinentes, & per interualla diſcretionis ſeriatim diſpoſitæ charitatis latera. l. latitudinem in humilitatis angulos ſcilicet anguſtias lineariter conſummantes, & ab eiſdem incipientes vitæ ordinatiſſimæ pulcherrimam ſtabiliut quadraturam; arridente in medio tetragoni ad cumulum decoris prato diuinarum ſcripturarum medicinalibus & immarceſſibilibus iucundarum ſẽtentiarũ floſculis pleniſſime referto. Redi ergo frater, redi de fornace ferrea ad clauſtri refrigerium, vt in loco amæniſſimo, ſub Domino humaniſſimo, Ieſu Chriſto piiſſimo, voluptuoſe tranſigas præſentis huius miſeriæ calamitatem.

1. Pet. 5.

Reuocat fratrem ſuũ ad religionem.

Quòd poſt votum vitæ clauſtralis nulla iam patet alia.

CAP. CXLVI.

SEd dicis, nunquid non eſt alla vita, quæ ducit ad Deum qua n clauſtralis? Eſt planè, ſed non tibi. Antequam enim hanc elegiſſes, plures tibi aliæ patebant. Quando autem de pluribus hanc vitam tibi elegiſti, de omnibus vnam feciſti. Quid ergo inquis? Nunquid ſoli clauſtrales ſaluantur, aut omnes pereunt ſæculares? Sanè neutrum. Sed iſti ſoli facile ſaluantur, illi omnes difficile. Cur hoc niſi quia tutior eſt ab incendio, remotus ab igne quàm proximus igni. Frater non tibi perſuadeat maleſuada cogitatio, te quod voluiſti non debere reddere, quia videlicet non ſub ſancto Benedicto probationis annum perfeciſti, nec ſub ſancto Auguſtino ſaltem dimidiaſti dies tuos, ſed dixiſti *in dimidio dierum tuorum vadam ad portas inferi*. Interroga conſcientiam tuam. Neſcis cum quo mercatore contractum iniſti, cum eo ſcilicet qui neſcit fallere, quia iuſtiſſimus eſt, cuius non eſt poſſe falli, quia ſapientiſſimus eſt. Cui nemo poteſt reſiſtere, quia fortiſſimus eſt. Quem nemo poteſt corrumpere, quia optimus eſt. A quo nemo poteſt fugere, quia vbique eſt. Prius enim contraxeras cum diabolo, quando ei à teipſo venundatus eras ſub peccato. Tunc vero contraxiſti cum Domino miro modo diſtrahens ei quod ante diſtractionem ſuum erat, & tuum poſt futurum. Nemo autem ſuus etit id eſt ſui iuris, donec ei ſe vendiderit, à quo iam redemptus eſt. Vis ſcire qualis fuerit ille contractus inter te & Dominum? Diſtraxiſti teipſum Domino, ſubtrahens te ſæculo, retrahens te à peccato, abſtrahens te ab inferno, extrahens te à luto, contrahens te in clauſtro. Trahens poſt te diabolum, attrahens ad te Dominum, & ab ipſo poſtea ad cœlum pertrahendus. Porro in huius diſtractionis, id eſt, venditionis pretium æternam beatitudinem tibi Dominus confirmauit, hac conditione ſcilicet, vt ei perſeuerares. An modicum tibi videbatur pretium quod eras accepturus? *Sed non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quare ergo frater contractum iſtum tibi ſaluberrimum, vtiliſſimum, & iucundiſſimum fide non perſequeris? Quod ſi negare volueris, teſtes contra te velis, nolis, erunt, quicunque capitulo illo tunc affuerunt.

Iſai. 38.

Rom. 8.

De differentia voti ſolennis & ſimplicis.

CAP. CXLVII.

NOn nego me, inquis, hoc modo vouiſſe, ſed nunquid vouiſſe taliter eſt vouiſſe ſolenniter & non magis ſimpliciter? Nullo modo. Si enim diſtinguitur inter vota ſimplicia, & ſolennia, votum illud ſimpliciter fit, quod vel fit in ſilentio, quando ſcilicet deliberatio ſuis finibus contenta eſt, ideſt, non prorumpit foras in vocem, vel ſi prorumpit nullo præſente, vel paucis præſentibus, & hoc extra eccleſiam & habitu priſtino nondum mutato. Tale votum dicitur ſimpliciter factum, vel ſimpliciter prolatum, vel ſimplex ſolum. Illud autem dicitur ſolenne, quod fit coram multis. Vel ſi coram paucis, ſed grauibus perſonis, & in eccleſia, vel in manus preſbyteri etiam extra eccleſiam, vel ſuper reliquias. Vel (vt breuius dicam) duo ſunt quæ faciunt maxime votum ſolenne. Loci ſanctitas, & perſonæ auctoritas. Auctoritatem appello hic ordinis dignitatem. Solenniter autem vouetur in omni eccleſia, etiam ſine preſbyteto, ſi tantummodo adſunt aliqui, quorum teſtimonio vacillare non permittat ſexus aut infirmitas, aut ætas, aut infamia. Solenniter autem vouetur coram omni preſbytero, etiam extra omnem eccleſiam. Tu autem vouiſti coram multis & grauibus perſonis, id eſt conuentu copioſiſſimo & religioſiſſimo, & coram etiam Abbate & eccleſia, quia in capitulo. Neque enim capitulum non eſt pars eccleſiæ, aut quod in capitulo, fit in eccleſia non fit, cum in toto corpore eccleſiæ præter illum vbi altare conſtituitur, nullus locus ſit ſanctior capitulo, nullus reuerentia dignior, nullus diabolo remotior, nullus Deo proximior. Ibi enim perdit diabolus quicquid alibi lucratur. Ibi Deo reſtaurat obedientia quicquid alibi illi ſubtraxit vel negligentia vel contemptus. Vides igitur quod quęcunque cooperantur ad votum ſolenne, n illo voto concurrunt, quod feciſti nouicius in ordine Ciſtercienſium. Nondum enim venio ad illud votum, quod feciſti in ordine Præmonſtratenſium.

Differentia inter votum ſolemne & ſimplex.

In quo conſiſtit ſolemnitas voti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quòd tempore beati Benedicti non mutabant habitum ſæcularem nouicij.

Cap. CXLVIII.

TEmpore autem beati Benedicti alia conſuetudo erat recipiendi & probandi nouicios, quàm modo. Tunc enim nouicij nec mutabant habitum proprium, nec tonſuram monachi accipiebant, donec monachi fiebant, quod adhuc præcipitur in canonibus. Vnde miror qua fronte noſtri temporis Abbates hanc conſuetudinem auſi fuerint immutare. Sed arbitror quod ad terrorem incutiendum, & pudorem: magis enim verecundatur aliquis reuerti ad ſæculum ſæculari habitu cum crine depoſito, quàm ſi nullum iſtorum reliquiſſet.

Quod autem nouicij non mutabant habitum ſuum tempore beati benedicti, antequam deberent fieri monachi, probo ex textu illius regulæ. In illo enim capitulo, quod ſic intitulatur de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum, ſic in fine legitur: *Mox exuatur in oratorio rebus propriis, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus monaſterij.* Et ſubſequenter. *Illa vero veſtimenta quibus exutus eſt, reponantur in veſtiario, vel ſi quando ſuadente diabolo conſenſerit vt egrediatur de monaſterio, quod abſit, tunc exutus rebus monaſterij proijciatur.* Libere ergo tunc poterat dici nouicio: *Liber diſcede*, quando nec mutato habitu priſtino, nec tonſura ſuſcepta nullo voto tenebatur apud eccleſiam, ſed tantum apud Deum. Quod enim ibi dictum eſt, *liber diſcede*, ſubaudiendum eſt quantum ad nos, quantum autem ad Deum liber non diſcedebat. Plures autem ſcandalizat clauſtralis refuga ex dimiſſione habitus, quàm ex fractione perfectionis. Frangendo enim profeſſionem illos ſolos ſcandalizat, quibus ſe profeſſione coniunxerat. Dimittendo vero habitum, illos omnes ſcandalizat, à quibus ſe diſiunxerat eius ſuſceptione; totum ergo ſæculum.

Quid tibi nunc animi frater plus nomine quàm re, quid tibi nunc animi? Si enim conſolatio abſcondita eſt ab oculis Chriſti, quia inter fratres infernus diuiſurus eſt, quanto magis abſcondenda eſt ab oculis ipſorum fratrum, ne forte inter eos non diuidat? *Obſecro ego te, frater dilectiſſime, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos oriens ex alto, vt collabores mecum, ne infernus diuidat inter nos. Cur enim nati ex vno carnali vtero, & ex vno ſpirituali renati; vno inferno diuidamur? Vel etiam vt melius dicam, ne diuidat inter nos & Chriſtum, quia eius pretioſo ſanguine redempti ſumus.* Luc. 1.

Expliciunt flores Helinandi monachi viri boni, religioſi, honeſti, & ſancti, ac vita præcipui.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER TRIGESIMVS.

De Imperio Friderici Imperatoris secundi & de expulsione Othonis Imperatoris.

CAP. I.

Fridericus Imperator.

In historia Francorum. Othone igitur vt superius dictum est, auctoritate Innocentij Papæ, qui eũ creauerat, reprobato, & imperij collati potestatẽ priuato, Barones Alemanniæ Philippi regis Frãcorũ consilio mediante, Fridericum Hẽrici quõdam imperatoris filium elegerũt vnanimiter in imperatorem, rogantes Papam, vt eius confirmaret electionem. Qui licet satis vellet, quia tamen ecclesia Romana semper grauitatem & maturitatẽ in nouis rebus obseruare consueuit, dissimulabat: & quia progeniem illam non amabat.

An. Christi 1211. Mund. 5072.

Idem itaque Fridericus imperator huius nominis secundus, cæpit anno domini 1211. Mundi vero 5072. videlicet post tres annos, à morte Philippi, & imperauit annis 34. Sicque de consilio regis Francorum à baronibus vocatus Romam venit, & à Romanis honorifice susceptus fuit. Inde discedens per mare venit Genuam, & ibi quoque cum gaudio maximo & honore susceptus est, adiuuantibus bonifacio marchione Mõtisferati, & ciuibus Papiensibus, & Cremonensibus, & omnibus fere Lombardiæ ciuitatibus. Trãsiens quoque alpes intrauit Alemanniam & venit Constantiam. Cuius aduentũ sciens Otho, sequebatur eum cum 200. militibus, iamque præmiserat famulos & equos suos, in eandem vrbem ipsa die venturus. Itaque cum iam ab vrbe per tres leucas distaret, Otho cum suis viriliter repulsus est. Dicunt tamen quod si Fridericus per tres horas moram fecisset, Alemãniam nunquam intrasset. Otho ergo à Constantiensibus sic repulsus, accessit Brisac, à quo etiã quia Teutonici ciues illius oppidi cõtumeliis & iniuriis afficiebant, eorumque filias & vxores violabant, non minore dedecore quam à Constantiensibus est propulsus. Fridericus autem ab his ipsis tanquam ab alijs imperij Baronibus est receptus.

Eodem anno celebratum est colloquium apud vallẽ coloris, mediãte Metẽsi episcopo, inter Fridericũ imperatorẽ & Philippum regẽ Francorum. Cui tamẽnõ interfuit ipse rex, sed Ludouicus filius eius cum regni magnatibus. Percusserunt autẽ inter se fœdus amicitię perpetuum sicut fuerat inter prædecessores eorum.

Eodem anno Rex Philippus totũ Parisios in circuitu circunsepsit. Et licet de iure scripto propter publicum regni commodum in alieno fundo posset erigere muros atq; fossata, ipse tamẽ iuri præferens æquitatem, ea quæ per hoc incurrebant homines, de proprio fisco compensabat damna.

De Memmellini regis & albigensium destructione.

CAP. II.

Memmellinus rex Saracenorum à Christianis vincitur.

REx autem quidam Saracenus nomine Memmellinus, idest, rex regum, axercitu collecto paganorũ infinito, fines Hispaniæ aggressus, & in superbia magna contra Christianos loquens, obtulit eis bellum. Qui pugnantes contra eum, in fide & nomine Christi vicerunt illum: vbi fuerũt viri fortes de regno Francorũ, & miles probatissimus rex Arragonum. Qui etiam in signum victoriæ, Romam misit lanceã & vexillum Mẽmellini, & adhuc in ecclesia beati Petri posita est in loco eminenti.

Eodẽ anno Lauallum à nostris obsidetur, & innumera multitudo nostrorũ iuxta castrum quod dicitur Monsgradum trucidatur. Globum autẽ igneum super eorum corpora cælitus descendere multi tunc viderunt. Episcopi vero & Abbates conueniunt & cimiterio dedicato sepeliũt corpora mortuorum. Capiturque Laualluũ. Obsidetur autem Pennes Agenois castrum inexpugnabile, & post longã obsidionem custodes castri salui rebus & corporibus castrũ reddunt. Milites 74. in castro reperti, suspendio perimuntur. Rogus extruitur, datur optio, & multi malunt comburi, quam deserere prauam sectam. Cohortantes enim se mutuo, continuo rogum intrant. Domina castri grauida, quæ de fratre vel filio se concepisse dicit, in puteum proijcitur, & aceruus lapidũ super eam protinus cumulatur. Apud Lemonicas quædã matrona nobilis moritur & sudario inuoluta reseruatur. Et dũ exequiæ præparantur, resurgens de morte, dicit beata Magdalenam sibi labia tetigisse, & se statim spiritum resumpsisse. In festo vero eiusdẽ festina venit Vezeliacum cum sudario, & multis testibus suæ mortis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De receſſu Reginaldi comitis Boloniæ à regno Franciæ.

Cap. III.

An.Chriſti 1212. ANno Domini 1212. Reginaldus de domino Martino, comes Boloniæ, diruit quandam fortaliciam, quam Philippus Beluacenſis epiſcopus cognatus regis, in pago Beluacenſi erexerat, pro eo quod videbatur damna facere terræ comitiſſę Clarimontis, quæ cognata ipſius erat. Ob hoc idem epiſcopus, quandam aliam diruit munitiunculam, in foreſta de Halmes, à dicto comite de nouo fundatam; vnde orta eſt diſcordia inter ipſum comitem ex vna parte, & præfatum epiſcopum ac nepotes eius filios Roberti comitis Drocarum ex altera. Eratque comes ipſe Boloniæ regi ſuſpectus nõ propter hanc guerram tantum, ſed quia caſtrum inexpugnabile Mortorium dictum in cõfinio Britanniæ minoris & Neuſtriæ hominibus armatis & victualib⁹ munierat. Et inſuper etiam quia nuncios ſuos in regni præiudicium ad Othonem imperatorem ad Ioãnem regem (vt dicebatur) mittebat. Petiit ergo ab eo rex, vt ei munitiones ſuas traderet, quas cum ei contra ius & cõſuetudinem patriæ denegaſſet, congregato exercitu, rex ad prædictum caſtrũ acceſſit, ipſumque præter ſpem infra triduum expugnans, quarto die per vim cæpit, & eo fidelibus ſuis munito, inde aciẽs in Boloniæ partes direxit. Videns autem comes fortitudinem regis cui reſiſtere non poterat, totum Boloniæ comitatum omniaque caſtella Ludouico regis filio diuiſit, à quo totum illud feudaliter tenebat. Rex veto iam totum comitatũ Mortonij & Domini Martini, & Albermarne, & inſulam bonam & Domini frontem, omniaque illis appendẽtia occupauerat, quæ omnia idẽ comes tã dono, quam Regis potentia poſſederat: ſic ergo comes à toto regno recedens, ad comitem Barri cognatum ſuum acceſſit, & apud eum manſit.

De moribus eiuſdem comitis, eius fœdere cum Rege Angliæ.

Cap. IV.

IN eo quidem comite nonnulla erant laudabilia, ſed plura etiam laudi contraria; nam eccleſias deprimẽs fere ſemper excommunicatus erat: viduas & orpnanos depauperabat, ſed & vicinos ſuos nobiles, odio perſequens, eorum municipia deſtruebat, accepta quidem à rege Philippo licentia, qui eum olim multum diligebat. Et licet vxorẽ haberet nobiliſſimã, cuius gratia Boloniæ comitatum obtinebat, & cuius filiæ Regis Philippi, filio nupta erat, ſpretis tamen eius amplexibus cũ aliis mulieribus ſcortans, etiam concubinam publice circunducebat. Cum autem excommunicatus eſſet, ad excõmunicatos ſe tranſtulit, & confœderatus eſt imperatori Othoni, ac Ioanni Anglorum regi. Hos enim Papa excõmunicauerat, Othonem quidem, quia beati Petri patrimonium occupabat, Ioannem vero quia Stephanum opinionis ſanctæ virum Cantuarienſium archiepiſcopũ ab ipſo Papa conſecratum ad ſedem ſuam accedere non ſinebat. Quinetiam omnes epiſcopos à regno ſuo eiecerat, omneſque res eccleſiarum & beneficia monachorũ fiſco applicuerat, atque in vſus proprios iam per trienniũ conuertebat. Idem autẽ Archipræſul & alii epiſcopi in regno Frãcorũ exulabãt, à Rege Philippo liberaliter recepti. Idem autẽ comes ante cõfœderationem prædictam per nuncios petebat abſolute reſtitutionem terræ ſuæ, ſed rex offerebat ei tantummodo ſub conditione, videlicet ſi ſtare vellet indicio regalis aulæ.

Cur Ioannes rex Angliæ excõmunicatus.

Anno prænotato Niuernis cathedralis eccleſia conflagratur. Raimundus comes Toloſanus hæreticus iudicatur, & ſuper hoc condemnatur.

De præparatione itineris Philippi regis in Angliam, & de cruciſignatione puerorum.

Cap. V.

EOdem anno Rex Philippus concilium Sueſſionis conuocauit, cui cum regni proceribus etiam Brabantię Dux interfuit, eique Rex ibidem filiam ſuam iuuenculam nomine Mariam Philippi comitis, Namurciæ relictam deſponſauit. Ibidem quoque de transfretando in Angliam tractatum fuit. Placuitque baronibus ſermo, & ſpoponderunt quod perſonaliter transfretarẽt cum rege Philippo. Cauſa vero quæ regẽ ipſum ad transfretandum in Angliã mouebat, hæc erat, vt epiſcopos in regno ſuo exulantes eccleſiis ſuis reſtitueret, ibique diuinum officium quod iam per ſeptennium in tota Anglia ceſſauerat, renouari faceret, & vt regẽ ipſum Ioannem, qui nepotẽ ſuum Arthurum occiderat, qui & plurimos paruulos obſides ſuſpenderat, & innumera flagicia perpetrauerat, vel pœnæ condignæ ſubiiceret, vel à regno prorſus expellens ſecundum interpretationẽ agnominis ſui ſine terra efficeret. Soluſque Ferrandus comes Flandrenſis ſuum regi Philippo negauit auxilium, niſi prius ei duo caſtella redderet, quæ Ludouicus filius eius tenebat, ſcilicet Ariam & ſanctum Audomarum. Rex autem obtulit ei Excambium ad æſtimationẽ iuſtã eorundem caſtrorum. At Ferrandus hac compenſatione non accepta receſſit, quia iam regi Ioanni mediante comite Bolonienſi confœderatus erat, vt tunc primo apparuit. An.Chriſti 1212. *Cauſa cur Philippus rex Francorum tranſfretare voluit in Angliam.*

Anno quoque prænotato parui pueri vſque ad 20. circiter millia, vt æſtimatũ eſt, cruce ſignati ſunt, ac per legiones ad diuerſos maris portus, videlicet Maſſiliam & Brunduſium peruenientes, inanes & vacui redierũt. Ferebatur autem quod Vetulus de monte qui Arſacidas à pueritia nutrire conſueuerat, duos clericos Ciſmarinos in carcere detinuerat, nec vnquam eos dimittere voluit, donec ab eis vt regni Franciæ pueros ſibi adducerent, firmam promiſſionem accepit. Ab his ergo æſtimabantur prędicti pueri quibuſdam falſis rumoribus viſionum, atque promiſſionibus ad ſe cruce ſignatos illecti. *Arſacidæ alias aſſaſſini dicuntur.*

Eodẽ anno fit ventus maximus, & anno ſequenti magnus fit terræ motus. Mimos quoque à curia ſua fugat rex Philippus, dans exemplum aliis principibus.

De reconciliatione Vigeburgis Reginæ, & itinere Philippi regis vſque in Flandriam.

Cap. VI.

ANno Domini 1213. nauigio ad eundum in Angliã iam peracto. Rex Philippus Vigeburgem vxorem ſuam, à qua iam per annos 16. & amplius diſceſſerat, in gratiam recepit, ex quo Francorum populus plurimum exultauit. Venit itaque rex cum exercitu ſuo Boloniam, & ibi per dies aliquot naues hominesque ſuos hinc & inde venientes expectans, tranſiuit vſque Grauelingas villam opulentam in finibus Flandriæ ſupra mare ſitam, ad quam tota claſſis eius ſecuta eſt eum. Ibi ex condicto Ferrandus expectatus nec venit, nec in aliquo ſatisfecit, licet ad eius petitionẽ ille dies ad ſatisfaciendum de omnibus retroactis eidem aſſignatus à rege fuerit. Itaque communicato Baronum conſilio, qui de omni prouincia regni cõuenerant, rex dimiſſo propoſito eũdi in Angliam, diuertit in Flandriam, cæpitque Caſellum & Iprã, & totam terram vſque Brugas, claſſiſque ſua per mare ſecuta eſt eum vſque ad portum prope Brugas nomine Dam. Facta etiam voluntate ſua de Brugis profectus eſt Gandauum, relictis ibi paucis militibus & ſatellitibus ad cuſtodiam nauium: propoſitum enim eius erat acquiſito Gandauo transfretare in Angliam. Dum autem eſſet in obſidione Gandaui, venerunt de Anglia Reginaldus Boloniæ comes, & Guillelmus comes Salesbrienſis, An Chriſti 1213. *Multas Ferrandi comitis Flandriæ vrbes capiunt Franci.*

qui

qui cognominatus est Longaspata, Hugo de bonis, & alij multi, quibus etiam Ferrandus eorum præsciens aduentũ cum Sanguinis & Bloetinis atque Flandrensibus occurrit. Sicque subito irruentes occupauerunt naues, quæ per littora erãt dispersæ, quia portus licet miræ amplitudinis esset, non poterat omnes capere, cum essent numero 1700. Omnes igitur extra portum inuentàs adduxerunt, & in crastino portum ac villam obsederunt. Quo audito Rex obsidione Gandaui dimissa, reuersus ad obsessos obsidionem soluit, & illos vsque ad naues fugauit, multisque occisis & submersis vsque ad duo fere millia. Plures quoque probos ac strenuos captos adduxit, sicque cum victoria Dam reuertens residuas naues victualibus & alijs rebus euacuari præcepit, igneque immisso ipsas & villam ac totam in circuitu regionem incendio consumpsit, receptis obsidibus de Gandauo, Ipra, Brugig, Insula, Duaco, in Franciam redijt. Porro Gandaui, Ipræ, Brugæ obsides pro 30. millibus marcis argenti pacem reddidit. Insulam vero propter malitiam habitantium in ea funditus euertit. Castellum semidirutum reliquit, Duacum in sua manu retinuit. Interim autem dum hæc agerentur, Rex Ioannes metuens ne cum clero componeret, nũcios ad Papam misit. Qui Pandulphum subdiaconum suum in Angliam mittens pacem inter regem & clerum vt potuit reformauit. Quæ quidem cõpositio quantum ad restitutionẽ possessionum ecclesiæ & cleri valuit; sed quantum ad ablatorum restitutionem nullatenus est seruata, licet ipse iuramento ad vtraque se astrinxerit.

Francorum classis ab Anglis diripitur.

De bello Papiensium & Cremonensium contra Mediolanenses.

Cap. VII.

An. Christi 1213. EOdem anno factum est bellum in Cremonensi territorio. Cum enim anno præcedenti secundo ciues Papienses perducerent Fridericum electum Romanorum vsque Cremonam; Mediolanitæ positis insidiis pugnauerunt cum eis iuxta Budã vrbem, à Friderico magno imperatore auo istius 53. iam annis elapsis fundatam; non tamen in præsentia Friderici ausi sunt eos aggredi, sed ipso apud Cremonam relicto, cum iam inde redirent prosilierunt illi de latibulis, & eos ex improuiso sunt adorti. Vnde tam ipsi quam Cremonenses contra Mediolanitas odium immortale conceperunt, sed vindictam caute distulerunt. At Mediolanitæ, qui semper immortali odio totum genus Friderici olim persecuti sunt, olim siquidem eos in bellis conficiens Papianis auxiliantibus, omnes eorum turres cõplanauerat, nõ expectauerunt sibi bellum inferri, sed exercitu congregato fines Cremonensium aggressi sunt. Sed & Cremonenses eductis copiis multo minoribus, iuramento firmauerunt, quod si congressus fieret, nullus eorum prædæ vel homagio capiendo vacaret, sed agmine conserto & indissoluto cuneos hostium penetrarent. Cum autem esset dies Penthecostes, supplicauerunt Cremonenses, vt propter diem sanctum differretur pugna saltem vsque in crastinum. Quod cum illi negarent, Papiani cum eis congressi sunt, & breuiter de illis triumpharunt. Nec multo post, Mediolanitæ recollectis viribus fines papianorum intrauerunt; qui eductis copiis eos aggressi sunt. Et licet Mediolanitæ ad retardandum eorum impetum ignem domibus & castris imposuissent, ipsi tamen per medios ignes cum furore transeuntes, eos ab obsidione fugauerunt; multos ex eis interficientes, multosque capientes. Sic ergo Mediolanitæ bis eodẽ anno victi sunt, domino variarum hæresum crimen in eis vindicante; & fauorem illicitum, quem ipsi contra Dei voluntatem Othoni deposito impendebant.

Rex Ioannes totam Angliam dedit summo Pontifici. Eodem anno qui fuit regni Ioannis Regis Angliæ 13. idem Ioannes spontanee de communi consilio Baronum suorum obtulit & libere concessit Deo & Apostolis eius Petro & Paulo, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac Domino Papæ Innocentio 3. eiusque successoribus totum regnum Angliæ, totumque regnum Hibernię cum omni iure ac pertinentiis suis pro remissione peccatorũ suorum, ac totius generis sui viuorum ac defunctorum. Et fecit ac iurauit homagium pro dictis regnis Deo ac Apostolis prædictis & Innocentio Papæ 3. vt ea de cætero tãquam feudarius reciperet ac teneret ab ipso Papa eiusque successoribus. Ad cuius indicium statuit vt de propriis redditibus prædictorum regnorum pro omni seruitio ac cõsuetudine, saluo per omnia denario beati Petri, ecclesia Romana mille marcas percipiat annuatim, videlicet in festo sancti Michaelis quingẽtas; & in Pascha quingentas. Septuagentas scilicet pro regno Angliæ, ac trecentas pro regno Hiberniæ, saluis sibi & hæredibus suis iustitiis & libertatibus atque regalibus suis.

Annotatio.

Hoc item Blondus habet dec. 2. lib. 6. de quo etiam sic scribit Polyd. Virgilius lib. 15. hist. Ang. Ioannes Rex Angliæ ob sacerdotes ab ecclesijs vi prohibitos aut expulsos à Pontifice Romano excommunicatus, non ante absoluitur, quam diadema capiti ademptum Pandulpho sedis Apostolicæ legato tradidisset, nũquam id aut hæredes, nisi à Pontifice accepturi Romano. Addit Nauclerus: Neque id quidem nouum, cum longe ante hoc Adulphus primus monarcha & Anglorum Rex idem regnum Leoni 4. Romanaque ecclesiæ vectigale fecerit. Post quem Henricus rex ob necem S. Thomæ Cantuariensis idem regnum pro se & suis successoribus à sede Apostolica in feudum recognouit.

De transitu Ioannis regis Angliæ in Andegauiam, & Gaufrido episcopo Siluanectensi, & Gaufrido episcopo Meldensi.

Cap. VIII.

An Christi 1213. ANno eodem Ioannes rex Angliæ in Aquitaniam transfretauit, ac Rupelle applicuit: nec multo post reconciliatus est comiti Marchiæ & Gaufrido de Laudiniano, aliisque proceribus Aquitanicis, qui prius fauebant regi Francorum Philippo, quorũ fretus auxilio transiens in Andegauiam occupauit Andegauim, & castrũ quod Bellum Forte dicitur, & quædam alia occupauit. Missi quoque cursores eius cum turba militum, collegerunt prædã trans Ligerim iuxta Nannetum. Ad quos repellendos incaute cũ paucis militans Robertus comitis Drocarum primogenitus, captus est ab eis cum 14. militibus. Petrus autem eiusdem comitis filius filiam Guidonis de Toharco sororẽ vterinã Arthuri ex parte matris suæ ducissæ Britanniæ in vxorem duxerat, & cum eadẽ à rege Philippo totũ Britanniæ minoris ducatũ acceperat. Hic Ludouico ipsius regis filio præstabat auxiliũ, confinia protegens ac defensans. Alionordis autẽ soror eiusdẽ Arthuri primogenita Gaufridi quõdam eiusdẽ prouinciæ ducis primogeniti, fratris Ioãnis regis Angliæ ab ipso Ioanne capta in Anglia tenebatur incarcerata. Nolebat siquidem illam alicui matrimonio iungi, timens per eam amittere iura regni.

Episcopus Siluanectensis cedit episcopatui. Itemque Meldensis. Eodem anno Gaufridus Siluanectensis episcopus, tam ætate quam corpulentiæ põdere, insufficientẽ se sentiẽs oneri, quod iã per annos 30. portauerat, impetrata quidẽ à Papa licentia, renunciauit episcopatui, seque trãstulit ad monasterium Caroli loci. Cui successit frater Garinus hospitalis Hierosolymitani professus, qui regis Philippi consiliarius specialis effectus, quasi secundus à rege fideliter negocia regni tractabat. Ecclesiarum quoque necessitates tãquam vir ad plenum litteratus, omni studio procurans, earum libertates ac priuilegia inuiolata seruabat. Sed & Gaufridus vir sanctissimus Meldensis episcopus, similiter episcopatui renunciauit, & in monasterio sancti Victoris Parisiensis, diuinæ contẽplationi se arctius mancipauit. Qui etiam inter alia sanctitatis opera, quibus viriliter insistebat, abstinentiam inauditam obseruans, singulis annis in quadragesima & in aduentu Domini tertiu in septimana cibum, potũ vero nũquam sumere consueuerat. In alijs autem temporibus, & tam amara insipidaque comedebat & bibebat, vt vix ab aliis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gustarentur hominibus. Huic quoque successit Guillelmus cantor Parisiensis. Sicque fuerunt eodem tempore tres vterini fratres episcopi, filijque Galterij quõdam Franciæ Camerarij, scilicet Stephanus Nouiomensis, Petrus Parisiensis, Guillelmus Meldensis.

De bello nostrorum contra Albigenses, & nece Regis Arragonum.

Cap. IX.

An. Christi 1213. Comitis de Monteforti res gesta.

HOc eodem anno, mense Septembri commissum est mirabile prælium in terra Albigensium. Quinquennio namque iam elapso, cum viri venerabiles archiepiscopi Petrus Senonensis, & Robertus Rothomagensis, episcopi vero Robertus batocensis, & Reginaldus Carnotensis, & alij plures, sed & Odo Burgundiæ dux, ac Henricus comes Niuernensis, & alii multi Barones & infiniti populi de regno Francorum cruce signati in partes illas ad debellandum heresim nuptias detestantem, & carnem comedi prohibentem, aliaque fidei contraria asserentem, accincti fortitudine deuenissent, vrbemque Biturim opulentissimam cæpissent 70. millibus hominum & amplius in ea trucidatis, ac funditus euertissent, inde quoque ad vrbem Carcassonam accedentes, eam in breui debellassent, repatriare volentes, inuocata Spiritussancti gratia, de communi assensu Simonem Montisfortis comitem elegerunt, vt christianorum præesset exercitui totique terræ illi. Qui priuatum commodum vtilitati publicæ postponens, vrbes & etiam castella debellauit, hæreticos & eorum fautores interire sæua morte coegit, & multa Dei prælia gessit, multasque victorias non sine diuino miraculo consecutus est. Ad vltimum vero Rex Arragonum, & comes sancti Ægidij, comes etiam Defdes, & alii infiniti obsederunt eum in castro quod vocatur Murellum. Qui cũ non haberet secum nisi 200. & 60. milites, & circiter quingentos equites satellites & peregrinos, pedites vero septingentos inermes, audita missa, inuocata Spiritussancti gratia de castro exeuntes pugnauerũt cum eis, & inaudito fere miraculo 17. millia de exercitu percussserunt, ipsumque regem Arragonum occiderunt. Porro de omni numero suo non nisi 8. peregrinos illo die perdiderunt. Hunc itaque Simonem in partibus illis propter virtutem eius admirabilem populus Comitem fortem vocabat. Qui cum esset in bellis strenuissimus, quotidie tamen missam &-omnes horas canonicas audiebat.

Comes de Monteforti quotidie missã audiebat.

De sancta Maria de Oegnies, & magistro Iacobo de Vitriaco.

Cap. X.

An. Christi 1213.

Author. Anno etiam prænotato scilicet ab incarnatione Domini 1213. sanctæ & admirabilis vitæ sãcta Maria de Oegnies in episcopatu Leodiensi obiit, cuius vitam magister Iacobus de Vitriaco diligenter conscripsit.

Iacobus de Vitriaco quis fuit.

Hic etenim Iacobus ante fuerat in villa prope Parisios, quę dicitur Argẽtoliũ presbyter parochialis, postea vero sæcularem vitam relinquens, in monasterio de Oegnies factus est canonicus regularis. Cuius itidem parochiæ cura cum ei commissa esset, eidem Mariæ in eadem parrochia cõuersanti propter vitæ ipsius sanctitatẽ valde familiaris effectus est. Cui etiam illa spiritualem (vt fertur) gratiam orationibus suis impetrauit. Vnde & ipse crucẽ contra Albigenses in Frãcia prædicans, eloquentiæ suauitate atque dulcedine multos atque innumerabiles ad signũ crucis accipiẽdũ prouocauit. Postea vero factus est episcopus Aconẽsis, & inde trãslatus auctoritate Apostolica factus est episcopus Tusculanus sedis Apostolicæ cardinalis. Tandẽ ex vita præsẽti migrãs, fecit corpus suum apud Oegnies deferri, & in eadẽ ecclesia, in qua illa quondã eius dilecta sepulta fuerat, sepeliri. Hic etiam volumen vnum aliud confecit, in quo multa de naturis rerũ & prẽcipue de mirabilibus quæ in transmarinis partibus reperiuntur inseruit. Sed & cum vitã prędictæ Mariæ de sanctis mulieribus, quæ tẽpore suo in partibus Leodiẽsiũ abũdabant, multa bona scripsit, & earum detractores acriter reprehẽdit, ac venerabili Tolosano Episcopo Fulconi loquens ita dicit.

Iacobus de Vitriaco huius vitæ author.

De sanctis mulieribus, quæ tunc abundabant in partibus Leody.

Cap. XI.

Iacobus de Vitriaco. Pater sancte, pastor Tolosane, nosti quia cum venires ad partes nostras te narrante audiui, quod reliquerας Ægyptum in partibus tuis, & transiens per desertum, terram promissionis in Leodij partibus inuenisti. Cum enim in partibus tuis multos de partibus nostris cruce signatos contra hæreticos fide feruentes, in tribulatione miram patientiam habentes, in operibus misericordiæ abundantes cognouisses, immo sic mihi dixisti quasdam mulieres magis pro vno veniali lugentes, quam homines in partibus tuis pro mille mortalibus mirareris; veniẽs ad partes nostras sicut audisti, sic vidisti, immo & plusquam audisti. Vidisti enim & gauisus es in hortis liliorum Domini, multas sanctarum virginum cateruas in diuersis locis, quæ spretis pro Christo carnalibus illecebris, & contemptis pro amore regni cælestis huius mundi diuitiis, in paupertate & humilitate sponso cælesti adhærentes, labore manuum tenuem victum quærebant. Licet enim parentes earum diuitiis multis abundarent, ipsæ tamen oblitiscẽtes populum suum & domum patris sui, malebãt angustias paupertatis sustinere, quam male acquisitis diuitiis abundare, vel inter pompososos sæculares cum periculo remanere. Vidisti & gauisus es, sanctas & Deo seruientes matronas quanto zelo iuuencularum pudicitiã conseruarent, & eas in honesto proposito, vt solum cælestem desiderarẽt spõsum, salutaribus monitis instruerent. Ipsæ etiam viduæ in ieiuniis & orationibus, in vigiliis & laboribus manuum, in lachrymis & obsecrationibus Domino seruientes, sicut maritis suis prius placere nitebantur in carne, ita, immo amplius sponso cælesti placere studebant in spiritu, frequenterque ad memoriã reuocantes illud Apostoli: *Vidua quæ in deliciys viuit mortua est*, & quod sanctæ viduæ, quæ sanctorum necessitatibus communicant, quæ pedes pauperum lauant, quæ hospitalitatem sectantur, quæ operibus misericordiæ insistunt, fructum sexagesimum promerentur. Vidisti & gauisus es, sanctas etiam mulieres in matrimonio Deo deuote seruientes, filios suos in timore Domini erudiẽtes, honestas nuptias & thorum immaculatũ custodientes, ad tempus orationi vacãtes & post in idipsum cum timore Dei reuertentes, ne tentarentur à Sathana. Multæ tamen ex cõsensu maritorum à licitis amplexibus abstinentes, cælibẽ & ferè angelicam vitam ducentes, tãto maiore corona dignæ sunt, quanto in igne concupiscentiæ non arserunt.

Multæ Sãctæ Virgines.

Sancta matrona vidua.

Heb. 13. 1. Tim. 5.

Sanctæ mulieres.

De illis qui detrahant eis.

Cap. XII.

VIdisti & miratus es, immo etiã valde contristatus, quosdam etiã impudicos & totius religionis inimicos homines, prædictarum mulierum religionẽ malitiose infamantes, & canina rabie contra mores sibi cõtrarios oblatrantes, & cum non haberent amplius quid facerent, noua nomina contra eas fingebant; sicut Iudæi Christum Samaritanum, Christianos vero Galilæos appellabant. Nec mirum: Ægyptij enim abominantur oues, & homines tenebrosi & malitiosi innocẽtium simplicitatem derident, inter potus & epulas, inter ebrietates & crapulas vitam abstinentium lacerantes. Vnde cũ quidã sanctus adhuc de sancti Bernardi monachis, in

Ioan. 8.

abbatia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

abbatia quæ dicitur Alna Domino militaret & ex simplicitate dubitaret cuiusmodi essent mulieres & homines, qui quibusdam nouis nominibus à malitiosis appellarentur, huiusmodi in oratione responsum accepit à Spiritusancto: Inuenientur in fide stabiles, & in opere efficaces. Ex tunc senex ille tanta dilectione illis adhæsit, quod non poterat sustinere quod aliquis coram se malum diceret de eis. Ipsæ autem mirabili patientia opprobria sustinuerunt & persecutiones, frequẽter ad memoriam reducentes illud euãgelicum: *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Et iterum: *Non est seruus maior Domino suo. Si me*, inquit, *persecuti sunt, etiam & vos persequentur.*

Ioan. 15.
Ibidem.
Matth. 7.

De probatione sanctitatis earum.

CAP. XIII.

SEd quoniam scriptum est, *à fructibus eorum cognoscetis eos*, quam vere Deo adhæserint in vastatione Leodiensis ciuitatis satis coopertum est. Quæ enim ad ecclesias confugere non poterant in fluuium se proijciebant, magis sic eligentes mori quam damnum castitatis vel virginitatis incurrere. Quædam etiam in stercoratias sentinas prosilientes, malebant extingui fętore, quã spoliari virginitate vel castitate. Itaque clemens sponsus sponsis suis dignatus est prouidere, quod in tanta multitudine non est inuenta aliqua, quæ mortem corporis vel detrimentum incurreret castitatis. Cum autem vna sanctarum mulierum periculose laboraret in flumine, duo ex hostibus cum nauicula ad eam venientes in nauim eam traxerunt, vt ei turpiter commiscerentur. Sed quid esset casta inter lenones, agna inter lupos, columba inter accipitres, maluit iterum fluuio submergi, quam corrumpi, à nauique prosiliit in vndas. Dumque nauis ex impetu salientis mergeretur, simul illi duo mersi perierunt. Illa vero per gratiam Dei sine damno corporis & animæ obsequente fluuio ad ripam peruenit. Mirandisque plus miranda succedunt, cum diuturna & intolerabilis fames per triẽnium in regno Franciæ & in magna imperij parte adeo inualuisset, vt homines passim per villas & agros fame morerentur, illi etiam qui prius diuites fuerant, publice mendicare & fame perire cogerentur: non est inuenta in tanta multitudine sanctarum mulierum in toto Leodiensi episcopatu, licet omnia pro Christo reliquissent, aliqua quæ vel fame moreretur vel publice mendicare cogeretur.

Ioan. 15.

Insigne miraculum.

Virgines paupertatem professa in summa rerum penuria nõ egent.

De quibusdam singularibus personis, quibus data est gratia specialis.

CAP. XIV.

SEd iam ad personas singulares, & singularia miracula descendamus. Testem enim inuoco sanctitatem tuam, oculis enim vidisti mirabilem Dei operationem, & in diuersis personis diuisiones gratiarum. Aliquis enim à Domino, te certissime probante, tantã gratiam accepit, vt peccata hominum, quæ per veram confessionem tecta non erant, in multis personis percipere. Et dum multis peccata oblita nunciaret, multos ad confessionem inuitans causa salutis eorum post Deum extitit. Aliquas etiam vidisti mulieres tam speciali & mirabili amoris in Deum affectione resolutas, vt pro desiderio languerent, nec à lecto per multos annos nisi raro surgere possent, nullam aliam causam infirmitatis habentes nisi illam, cuius desiderio animæ earum liquefactæ cum Domino suauiter quiescentes, quanto spiritu confortabantur, tanto corpore infirmabantur; clamantes corde, licet præ verecundia ore dissimularent. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Alicuius etiam mirabiliter & sensibiliter dum anima præ amoris magnitudine liquefieret, genæ corporales attenuatę resoluebantur. Multis etiam ex fauo spiritualis dulcedinis in corde redundabat mellis sapor sensibiliter in ore dulces lachrymas eliciens, & mentem in deuotione conseruans. Quædam etiam tantam gratiam lachrymarum perceperant, vt quotiens Deus erat in corde per cogitationem lachrymarum, riuulus fluebat ab oculis per deuotionem, ita vt lachrymarum vestigia in genis ex consuetudine fluendi apparerent, quæ tamen caput non euacuabant, scilicet quadam plenitudine mẽtem refouebant, spiritum suaui vnctione dulcorabant, corpus etiam mirabiliter recreabant, & tanto fluminis impetu, totam Dei ciuitatem lætificabant.

Mulieres tãcta reuelant peccata occulta non confessa.

Cant. 2. Alia Christi amore languebant.

Item de eodem.

CAP. XV.

ALiæ vero extra se tanta spiritus ebrietate capiebantur, quod in ipso beato silentio fere per totum diem quiescentes dum erat Rex in acubitu suo, nõ erat eis vox neque sensus ad aliqua exteriora. Pax enim Dei ita exuperabat & sepeliebat sensus earum, quod ad nullum clamorem euigilare poterant, nullam pænitus corporalem læsionem, etiam si vehementer pungerentur sentirent. Aliquam enim vidi quæ fere 30. annis tãto zelo à sponso suo in claustro custodiebatur, quod extra claustrum nullus ei posset esse egressus, etiamsi mille homines eã per manus trahere niterentur, multotiens enim exire conabatur, quibusdã etiam eam trahentibus sed frustra, quia citius rumperetur. Vidi aliam quæ dum extra se frequenter quandoque 20. vicibus in die raperetur, quæ etiam præsente plusque septies vt credo rapta est, in quocunque vero inueniebatur statu, in eo donec reuerteretur immobilis permanebat. Nec tamen quantumcunque inclinaretur familiari causa, spiritu sustentante cadebat. Manus eius quandoque in aere dependebant immobiles, secundum dispositionem in qua inuẽta fuerat. Quæ dum ad se reuerteretur, tanto gaudio replebatur, quod reliquiis cogitationis diem festum agentibus, gaudium interius plausu corporali cogebatur ostendere, sicut Dauid coram arca saliendo, iuxta illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

Raptus eiusdem.

Mira Virginis extasis & raptus.

Psal. 75.

Quædam vero in perceptione illius panis, qui de cælo descendit, non solum refectionem in corde, sed & dulcem super mel & fauum, sensibilemque consolationem percipiebat in ore, dum carnes veri agni à faucibus cordis quas replebant vsque ad fauces corporis mirabili sapore redundabant. Quædam autem tanto desiderio post odorem tanti sacramenti currebant, quod nullo modo diu carere eo sustinebant, nullamque consolationem vel requiem suscipientes, sed pœnitus languore deficientes, nisi de suauitate cibi illius animæ earum frequenter vegetarentur.

2. Reg. 6. Psal 83. Ioan. 6.

Eucharistiæ vis mirabilis.

Erubescant hæretici infideles, qui sibi huius suauitatẽ nec fide nec corde percipiunt. Noui autem quandam inter sanctas mulieres, quę dum vehementer veri agni carnibus refici desideraret, ipse verus agnus non diutius eam languere sustinens, seipsum illi obtulit, & sic refecta conualuit.

Vidi etiam aliam circa quam tam mirabiliter operatus est Dominus, quod cum diu mortua iacuisset, antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima ad corpus reuertente reuixit, & à Domino obtinuit vt in hoc sæculo viuens in corpore purgatorium sustineret. Vnde longo tempore ita miserabiliter à Domino afflicta est, vt quandoque se volutaret in igne, quandoque in hyeme in aqua glaciali diu moraretur, quandoque etiam sepulchra mortuorum intrare cogebatur. Tãdem in tanta pace peracta pænitentia vixit, & tantam à Domino gratiam promeruit, vt multotiens rapta in spiritu, animas defunctorum vsque ad purgatorium vel per purgatorium sine aliqua sui læsione vsque ad superna regna conduceret.

Hæc est Christina mirabilis cuius vitam scripsit Thomas Cantipratensis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De origine & infantia prædictæ sanctæ Mariæ de Oegnies.

Cap. XVI.

De pueritia & Patria Mariæ.

FVit etiam in episcopatu Leodij in villa quæ dicitur Niuella iuuencula quædam vita & nomine gratiosa Maria, quæ etiam mediocribus orta parentibus licet diuitiis & multis bonis temporalibus abundaret, nunquam tamen eius animũ bona transitoria ab annis puerilibus allexerunt. Ita enim vere ex vtero proiecta est in Domino, quod nunquam vel raro sicut mos est puellarum cum ludentibus miscuit se. Frequenter vero adhuc in pueritia ante lectum nocte genua flectebat, & quasdam orationes quas didicerat quasi primitias vitæ Domino offerebat. Adeo ab infantia cum ea creuit miseratio & pietas, & quasi naturali affectione religionem diligebat, quod cũ Cisterciensis ordinis ante domũ patris sui fratres aliquando pertransirent, ipsa suspiciens & admirans religionis habitum, furtiue eos sequebatur, & cum non haberet amplius quid faceret, pedes suos conuersorum vel monachorum passibus præ desiderio infigebat. Cum autem parentes eius more sæcularium vestibus eam delicatis & cultis ornare voluissent, ipsa contristata respuebat. Fælicibus igitur eius actibus inuidentes, cum esset quasi annorum 12. eam iuueni cuidã matrimonio coniunxerunt. Tunc vero à parentibus remota in tantum feruoris excessum accẽsa est, tantaque pugna corpus suum castigabat, & in seruitutẽ redigebat, quod frequenter cum magna parte noctis propriis manibus laborasset, post laborem diutissime orabat. Residuum vero noctis quotiens ei licebat supra furtiuos asseres, quos in extremitate lectuli absconderat, cum modico somno transibat. Et quia potestatem proprij corporis aperte non habebat, chordam asperrimam qua vehemẽter stringebatur sub camisia clam portabat. Nec hoc dixerim vt excessum commendem, sed vt feruorem ostẽdam. In his autem & multis alijs quæ priuilegio gratiæ operata est, attẽdat lector discretus, quod paucorum priuilegia non faciunt legem communem. Quod igitur quosdam sanctos ex familiari consilio Spiritussancti fecisse legimus, admiremur potius quam imitemur.

De eius coniugio.

Pietas puerilis

Qualiter maritus eius per ipsam ad amorem castitatis conuersus est.

Cap. XVII.

De mariti eius conuersione, & vt omnibus renuncientes caste vixerint.

CVm autem multo tempore cum marito suo Ioanne nomine in matrimonio sic vixisset, respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, exaudiuitque lachrymas supplicantis. Nam quam prius nabuit vxorem inspiratus est Ioannes, vt Mariam haberet commendatam, casto castam Dominus commẽdauit ancillam, vt in solatio haberet custodem, & vt liberius Deo seruiret, fidelem ei reliquit prouisorem. Quanto autẽ affectu carnali ab ea diuisus est, tanto magis matrimonio spirituali nexus, ei per dilectionem coniunctus est. Vnde & ancillæ suæ postea Dominus in visione apparens promisit, vt socium suum quasi reparato matrimonio ei redderet in cælis, qui castitatis amore à carnali commercio se abstraxerat in terris, quibus dedit Dominus in domo sua & in muris suis locum & nomen melius à filiis & filiabus, dum beato martyrij genere in igne non ardentes se se pro Domino pœnitus abiicientes, leprosis quibusdam iuxta Niuellam in loco qui dicitur Vuillembroch pro Domino aliquo tempore seruierunt. Videbant hoc dæmones & inuidebant, videbant sęculares & consanguinei, & dentibus contra eos frendebant: & quos prius venerabantur diuites, postea contemnebant & irridebant pauperes.

De gratia lachrymarum eius.

Cap. XVIII.

Thren. 3.

BOnus es Domine sperantibus in te, verus es expectantibus te. Ancilla tua regnum mundi & omnem ornatum eius propter amorem tuum contempsit, tu vero centuplum reddidisti in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam. Primitię vero dilectionis eius crux tua & passio tua fuit. Dum enim quadam die præuenta & visitata à te beneficia quæ tu in carne humano generi clemens exhibuisti consideraret, tantam compunctionis gratiam, tantamque lachrymarum copiam torculari tuæ crucis expressam in passione tua adinuenit, quod vestigia eius per ecclesiam lachrymæ, desuper pauimentum copiosæ defluentes ostendebant. Vnde lógo tempore post hanc eius visitationem, nec crucis imaginem intueri, nec etiam loqui, nec alios loquẽtes audire poterat de passione Christi, quin ex defectu cordis in extasim labe·tur, vnde vt dolorem aliquando temperaret & fluuium lachrymarum cohiberet, relicta humanitate ad Christi diuinitatem & maiestatem animum attollebat, vt in eius impassibilitate reperiret cõsolationem. Sed vnde fluminis impetũ restringere conabatur, inde mirabiliter maior lachrymarum impetus oriebatur. Nam cum attenderet quantus fuit qui tam vilia & obiecta pro nobis sustinuit, rursus dolor renouabatur, nouisque lachrymis anima eius dulci compunctione innouabatur.

De compunctione & lachrymis eius ex consideratione passionis Christi.

Qualiter cuidam sacerdoti obtinuit copiam lachrymarum.

Cap. XIX.

QVadam autem die ante parasceuem cum iam imminente Christi passione maiori lachrymarũ imbre cum suspirijs & singultibus se cum Domino mactare inchoasset, quidam de sacerdotibus ecclesię vt oraret cum silentio, & lachrymas cohiberet, quasi blande increpando hortabatur. Illa vero sicut verecunda semper erat, omnibus columbina simplicitate obedire satagebat, impossibilitatis suæ conscia, egressa ab ecclesiæ in loco secreto ab omnibus remoto totaliter abscondit. Impetrauitque à Domino cum lachrymis, vt prædicto sacerdoti ostenderet quod non est in homine lachrymarum impetum retinere, quia flante spiritu vehementi fluunt aquæ. Cum igitur sacerdos ille die eodem missã celebrare, aperuit Dominus & nõ fuit qui clauderet, & misit aquas & subuerterunt terram. Tãto enim lachrymarũ diluuio submersus est spiritus eius, quod fere suffocatus est, quantocumque impetum reprimere conabatur, tanto magis lachrymarum imbre non solum ipse, sed etiam liber & altaris linteamina rigabantur. Quid ergo ageret ille improuidus illeque ancillæ Christi increpator, per experientiã didicit cũ rubore, quod pri⁹ per humilitatẽ & cõpassionem cognoscere noluit. Et post singultus multos, multa inordinate & cũ interruptione pronuncians, à naufragio vix euasit. Et qui vidit & cognouit, testimoniũ perhibuit. Tunc vero longo tẽpore post contemplationem ancilla Christi reuertens, miro modo ac si præsens affuisset, quæcunque acciderunt sacerdoti improperando retulit. Nunc, inquit per experiẽtiam dediciſtis quod non est in homine impetum spiritus austro flante retinere. Dum vero compatientis affectu post longa ieiunia, post multas vigilias, post tãtas lachrymarum inundationes, quærerem vtrum exinanito, vt fieri solet, capite aliquam sentiret læsionem vel dolorem. Hæ, inquit, lachrymę sunt refectio mea, hæ sunt mihi panes die ac nocte, quia caput non affligunt, sed mentem pascunt, nullo dolore torquent, sed animã quadam serenitate exhilarant, dum scilicet per violentiam non extorquentur, sed sponte à Deo propinantur.

Psal. 143. Nota efficaciam precum eius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De eius confeſſione & auſteritate pœnitentiæ.

CAP. XX.

IAm vero de eius confeſſione poſt compunctionem breuiter videamus, Deum teſtem inuoco, nunquam in tota eius vita ſeu conuerſatione vel vnum percipere potui mortale peccatum, licet ſic à modicis & venialibus ſibi caueret, quod plerumque dies 15. nec vnam inordinatam cogitationem in corde ſuo poſſet reperiri. *Etiam minimas culpas cū multo dolore cōfitetur.* Et quoniam bonarum mentium eſt ſibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt, ſacerdotum pedibus frequenter aduoluta quædam cum lachrymis accuſando ſe confitebatur, in quibus riſu vix abſtinere valebamus, veluti verba quædam puerilia, quæ in pueritia ſua ſe ocioſe dixiſſe recolendo dolebat, licet plerumque ex immenſo cordis eius gaudio dum ſeipſam vix poſſet capere cum modico exceſſit exhilarata facie, exteriori geſtu corporis, cordis iubilum oſtendere cogeretur; vel in riſum modeſtum ex cordis ſerenitate exeundo, vel aliquem ex amicis ſuis aduenientibus cum modico & pudico & puro amplexu affluentia benignitatis excipiendo, vel ſacerdotis alicuius manus ſeu pedes ex intenſa deuotione oſculando. Dum aliquando ad memoriam reduceret, quia poſt quandam quam habuit ægritudinem grauiſſimam carnibus & vino modico tempote quaſi ex neceſſitate vti coacta eſt, ex quadam præteritæ delectationis abominatione ſeſe affligendo requiem non habuit in ſpiritu ſuo, donec præteritas qualeſcunque delicias carnis ſuæ cruciatu mirabiliter recompenſaret. Feruore enim ſpiritus quaſi inebriata, præ dulcedine etenim agni paſchalis carnes ſuas faſtidiens, fruſta non modica cum cultello reſecauit, qui præ verecundia, in terram abſcōdit. Et quia nimio amoris incendio inflammata erat, carnis dolorem ſuperauit, vnum de Seraphin in hoc mentis exceſſu, ſibi aſtantem aſpexit. Loca vero vulnerum cū corpus eius in morte lauarent mulieres, inuenerunt & admiratæ ſunt. Qui autem ex eius confeſſione prædicta cognouerant, quid eſſet intellexerunt.

De eius pœnitentia & ſatisfactione

De Ieiunio & refectione illius.

CAP. XXI.

TAnta autem ieiunandi gratia Chriſti ancilla præcellebat; quod diebus illis quibus ad recreationem corpuſculi eam ad cœnam tanquam ad medicinam accedere oportebat, ſemel & modicum in die in æſtate enim ad veſperam, in hieme vero in prima hora noctis panem nigrum & aſperrimum, de quo vix canes comedere poterant, longo tempore comedit; ita quod præ nimia aſperitate & duritia fauces eius interius lacerabantur, & ex vulneribus ſanguis eliciebatur, quem ſanguinis Chriſti memoria dulcem ſibi reddebat. Quadam enim die dum corpus reficeret comedendo, vidit hoſtem antiquum inuidia tabeſcentem. Et cum non haberet amplius quid faceret, inſultabat ei dicens: *Ecce ô gulоſa, nimis ſimples te.* Ipſa vero inimici verſutias & fraudes cognoſcens, qui libenter quam timoratam ſciebat, perturbaret, vt nimia abſtinentia deficeret, tanto amplius eum deridendo manducare conabatur, quanto ſerpens venenoſus magis inde torquebatur. Ieiunauit autem tribus annis continue in pane & aqua à feſto ſanctæ Crucis vſque ad Paſcha, nullum tamen inde valetudinis corporis ſeu operis manuum ſuſtinebat detrimentum. Cum autem in cellula ſua infra eccleſiam in veſpere vel nocte corpuſculum pane modico & aqua ſola reficeret, à principio benedictionis vſque ad gratiarū actionem, in fine quoſdam ex ſanctis Angelis ſobriæ cenæ aſſiſtentes coram ea quaſi per lucidam ſcalam aſcendebant & deſcendebant. Ex quorum præſentia tantam habebat conſolationem, tantamque ſpiritus exultationem, quod omnem ſaporis ſuauitatem ſpiritualis refectio ſuperabat.

Semel tantum in die comedit.

Eius cibus.

Eludit Sathanæ ludibria.

Diuinis afficitur conſolationibus.

Iterum de eodem.

CAP. XXII.

SAnctus autem euangeliſta Ioannes quem etiam miro diligebat affectu, dum ipſa cibum caperet, ad mēſam aliquando eius veniebat. In cuius præſentia ex affectu deuotionis appetitus sēſibilis ita euacuabatur, quod modicum cibū vix capere poterat. In fortitudine autem cibi huius plerumque diebus 8. quandoque vero 11. ſcilicet ab aſcenſione Domini vſque ad aduentum ſpiritusſancti, nihil manducans ieiunabat; & miro modo nec caput aliquantulum dolebat, nec propter hoc laborem manuum dimittebat. Non enim minus potens laboris in vltimo die ieiunij quam in primo erat. Nec ſi vellet his diebus comedere poſſet, donec ſenſualitas quæ à ſpiritu quaſi abſorpta fuerat, ad ſeipſam rediret. Quamdiu enim anima ſpirituali quadam refectione copioſe exuberans, ita plena erat, quod nullam ſibi corporalem refectionem eam recipere permittebat. Aliquando enim in ſuaui & beato ſilentio 55. diebus cum Domino ſuauiter requieſcens, nullo corporali vſa eſt cibo, nullumque verbum per dies aliquot pœnitus proferre poterat, niſi illud ſolummodo, *volo corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti*; quo recepto, in ſilentio ſuo ſingulis diebus cum Domino permanebat. Tandem poſt quinque hebdomadas ad ſe reuertens aperuit os ſuum, & mirantibus circunſtantibus locuta eſt, cibumque corporalem recepit. Poſt hæc vero longo tempore ei accidit, quod odores carnium, vel frixuræ alicuius, aut vini nullo modo poterat ſuſtinere niſi quando poſt corpus Chriſti vinum ſumebat in ablutione. Tunc ſine aliquo grauamine & odorem ſuſtinebat & ſaporem.

S. Ioannes Euangeliſta comedenti adeſt.

Vide ſtupendam abſtinentiam & mentis exceſſum

De orationibus eius.

CAP. XXIII.

QVanto autem corpus ieiunijs macerabat, tanto ſpiritus liberior in orationibus pingueſcebat. Sine intermiſſione enim orabat: vel corde tacito clamando ad Deum, vel oris officio cordis exprimendo affectum. Et dum operaretur manibus, *dum manum ſuam mitteret ad fortia, & digiti eius apprehenderent fuſum*, pſalterium ante ſe poſitum habebat, ex quo pſalmos Deo ſuauiter eructabat, quibus quaſi quibuſdam clauis cor ſuum ne ocioſe vagaretur, Domino copulabat. Cum enim pro aliquo Deum ſpiritualiter deprecaretur, mirabili quadam experientia Dominus ei in ſpiritu reſpondebat. Exeleuatione enim ſpiritus eius vel depreſſione, vtrum exaudiretur an non plerumque deprehendebat. Aliquando enim pro defuncti cuiuſdam anima preces Domino offerebat, & dictum eſt ei: Ne effundas pro eo orationem, quia reprobatus eſt à Deo, vulnere enim lethali transfixus miſerabiliter mortuus fuit in torneamento, & æternis incendiis mancipatus. Cum autem quadam die eſſet in cella ſua iuxta eccleſiam apud Oegnies, vidit multitudinem manuum ante ſe quaſi ſupplicantium: tunc illa ad eccleſiam quaſi ad tabernaculum vt Dominum conſuleret recurrens, rogauit Dominum, vt eam quid huiuſmodi manus vellent certificaret. Cui reſponſum eſt à Domino, quod defunctorum animę, quæ torquentur in purgatorio, orationum ſuarum poſtularent ſuffragia: quibus quaſi pretioſo vnguento dolores eorum mulcebantur. Ipſa enim præ dulcedine contemplationis ſolitas orationes quandoque intermittebat, quādoque etiam nec os aperire valebat, nec de alio quam de Deo cogitare poterat.

Perpetuum eius precandi ſtudium.

Viſio eius.

Iterum de eodem.

Cap. XXIV.

Nudis pedibus hyberno tempore visitat ecclesiam beatæ Mariæ.

VOlebat autem causa peregrinationis & orationis ferè singulis annis ecclesiam beatæ Mariæ de Oegnies visitare, vbi magnam de Virgine beatam recipiebat consolationem. Cum autem die illo pœnitus nihil manducaret, & tota nocte in ecclesia vigilaret: sequenti autem die dum reuerteretur, cibum vsque ad vesperam non caperet, viam tamen sine aliqua difficultate Angelis sanctis eam à dextris & à sinistris sustentantibus peragebat. Dum vero aliquando in eadem via vehemens pluuia in nubibus immineret, nec haberet vestes pluuiales, quibus inundationem aquarum susciperet: tunc ipsa suspiciens vidit quasi quasdam stellas sibi obsequendo pluuiam retinentes, & sic tempore pluuioso pœnitus intacta remeauit. Per diem autem & noctem millies & centies, flectendo genua Beatam Virginem salutabat: & hoc mirabile & inauditum deuotionis officium per dies 40. continuabat. Primo sine intermissione in spiritu vehementi sexcentis, vicibus genua flectebat. Secundo totum psalterium super pedes stando legens, per singulos psalmos flexis genibus Beatæ Virgini salutationem angelicam offerebat. Tertio vero austro flante vehementius trecentis vicibus per singulas flexiones virga disciplinali se percutiendo, Deo & Beatæ virgini prolixo martyrio seipsam immolabat. Tribus autem vltimis percussionibus ad condimentum aliarum sanguinem copiosum eliciebat. Tandem vero quinquagesies flexis simpliciter genibus sacrificium cõsummabat, Hoc autem non humana virtute, sed angelico præsidio eam sustentante & subleuante peragebat. Virtutem orationum eius quanta esset experti sunt sępe non solum homines ad succursum, sed etiam dæmones ad cruciatum, quos adeo perurgebat, & quasi quibusdã funibus pertrahebat, quod ad eum precum suarum coacti, incendio venire compellebantur, quandoque in eam dentibus frendentes, quandoque vlulantes & de ea conquerentes. aliquando etiam supplicantes. Dum enim aliquis ex eius familiaribus aliqua tentatione vexaretur non cessabat sancta Christi & pretiosa margarita spiritu compassionis commota, donec orationum suarum pondere auctor nequitiæ obrueretur, & de manu fortiorum eius pauper & inops eriperetur.

Vide precum instantiam ratam & admirandã.

Corporis castigatio dura.

Magna eius in dæmones potestas.

De his quæ circa eam in nocte gerebantur.

Cap. XXV.

QVandoque vero cum post vigilias multas & orationes in suo lectulo quiesceret, sub varijs speciebus apparebat ei diabolus super eam frendens & eam maledicens. Malo tuo (aiebat impius) requiescas, nobiscum in inferno quietem habeas. Non minus enim quiete tua torqueor, quam labore tuo tuisque orationibus crucior. Illa vero subridens, *facto crucis signo* eum recedere compellebat. Grauem & intolerabilem temporis ocioſi iacturam, fortis illa prudensque mulier reputabat, vnde & summo studio sibi cauebat, ne vnquam diei vel noctis horam quantum ei licebat, ociosam præteriret. Noctibus enim raro dormiebat, sciens quod somnus nõ ad meritum, sed ad recreationem humanæ infirmitatis nobis à Domino misericorditer relictus est. Virtus enim abstinentiæ corpus attenuando deficcans, & ignis amoris interius ardens, omnem ab ea somnolentiam expellebant. Dulces etiam Angelorum spirituum cantus, cum quibus noctes sæpe ducebat insomnes, omnem somnũ ab oculis eius sine aliqua corporis molestia relegabat. Tempus tamen somni sui non pœnitus sine fructu præteribat. Nam corde vigilante dormiens, Christumque cui vigilando inhæserat, in corde retinens nil nisi Christum somniabat. Vbi enim amor, ibi oculos, *vbi vero thesaurus eius, ibi & cor eius.* Non erat in eius arbitrio vel libera voluntate plerumque, vel in cella quiescere, vel in Ecclesia remanere. Familiari enim Angelo, sibique ad custodiam deputato velut abbati proprio obedire oportebat. Qui quandoque dum nimis afflicta esset vigiliis, vt quiesceret admonebat. Cum autem paululum quieuisset, ad ecclesiam excitando eam reducebat.

Tempus non sinit otiosè labi.

Math. 6.

De habitu eius, ac opere, & silentio.

Cap. XXVI.

QVæ Christum intrinsecus induerat, de ornatu exteriori non curabat. Vestibus enim mediocribus vtebatur, linea camisia iuxta carnem non vtebatur, sed sacco cilicino aspero, qui lingua publica nuncupatur stamina; tunicam laneam albam cum eiusdem coloris simplici pallio absque pellium coniunctione vel aliqua fœderatura pro indumento habebat. Harum vestium simplicitate contenta, quæ intrinsecus ardebat, nullum frigus etiam metuebat exterius, nec etiam igne materiali, quo frigus in hieme repelleret indigebat: sed miro modo cum hyems asperior glaciali frigore aquas constringeret, sicut ipsa in spiritu feruebat, sic exterius in corpore maxime dum orabat calescebat, adeo scilicet vt sudore eius aromatico aliquando eius vestimenta suauiter redolerent. Tantam autem virtutem operandi ei Dominus contulerat, quod socias suas longo post se interuallo relinquens, ferè se & aliam fructu manuum suarum labore sustentare valeret. In tantum autem turbam & strepitum fugiebat, quietem & silentium diligebat, quod aliquo tempore à festo sanctę crucis vsque ad Pascha fere nullum verbum proferendo silentium tenuit. Cuiusmodi silentium adeo Dominus acceptauit. quod Spiritu sancto reuelante propter hoc super omnia, quod absque purgatorio euolaret ad cælum à Domino obtinuit. Ex quo patet quantum sit loquacitatis vitium, cum Deo tam gratum sit silentium. Tandem adeo exuberante spiritu eius tota absorpta est sensualitas, quod iam nisi cibũ quæ non perit, Christo eam totam occupante operari non potuit, vnde quasi emerita & ab omni manuum labore libera, Domino de cetero tantum vacauit.

Vtitur cilicio.

Not a rem miram.

De labore eius manuario.

Silentium quantum Deo gratum.

Qualiter in eius facie gratia resplendebat.

Cap. XXVII.

INteriorem autem mentis eius compositionem, gestus exterior, extrinsecarumque partium compositio ostendebat, cordis eius gaudium vultus serenitas latere non sinebat. Miro autem moderamine cordis gratuitatem, vultus hilaritatem mentisque iucunditatem verecundæ faciei simplicitatem aliquatenus temperabat, vultuque in terra demisso, tardo maturoque gressu humiliter in omnibus incedebat. Adeo autem ex plenitudine cordis eius in facie illius Spiritussancti gratia resultabat, quod multi ex solo eius aspectu spiritualiter refecti, ad deuotionem & lachrymas prouocabantur, & in vultu eius quasi in libro vnctionem Spiritussancti legentes, virtutem ex ea procedere cognoscebant. Accidit autem quadam die, vt vir quidam benignus & personarum religiosarum familiaris & amicus Guido nomine quondam Cameracensis ecclesiæ cantor causa visitandi eam, à sua via diuerteret. Quidam autem ex socijs eius, qui nondum forte per experientiam cognouerat quantum piis mentibus bonorum visitatio familiaritasque conferat, deuoti viri prædicti pium laborem quasi deridens ait: Pro Deo Domine cantor quid quæritis, quare viam vestram frustra deseritis? Nunquid muscas volatiles siue papiliones cum pueris sequi & apprehendere vultis? Ille autem vt mitis erat & patiens, iter propositum propter hoc non reliquit, sed Christi ancillam, ex cuius potentia non modicam alia vice perceperat consolationem, deuotus adiit. Dum autem illi loqueretur, socius eius tædio affectus in expectando venit ad ipsum cantorem admoniturus eum vt festinaret. Cumque forte in vultum

Mira gratia in vultu eius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ancillæ Christi oculos figeret, subito & mirabiliter mutatus animo in tantam lachrymarum copiam resolutus est, quod vix longo tempore post à loco & ab eius præsentia potuit amoueri. Tunc cantor licet ille præ verecundia latere vellet, attendens & cognoscens rei euentum, gaudens & socium suum versa vice irridens, ait: Eamus, quid hic stamus? Forte papiliones fugare vultis? Ille vero post multa suspiria & lachrymas vix tandem inde auelli potuit, dicens: Ignosce mihi, quia quid prius dicerem pænitus ignorabam, nunc igitur in hac sancta muliere virtutem Dei per experientiam percepi.

Quidam solo aspectu eius compunguntur.

De infirmitate eius & aliorum per ipsam curata.

Cap. XXVIII.

Cvm autem quodam tempore corpusculum eius feruorem spiritus iam amplius sustinere non posset, decidit in ægritudinem magnam. Adeo enim pius pater filiam suam quam diligebat disciplinæ flagello subdidit, quod membra corporis eius mirabiliter torquebantur. Nam quasi in circulum brachia præ dolore agitabantur, & manibus pectus tundere cogebatur. Cum autem ad tempus paululum quiesceret vis infirmitatis, tunc reuersa ad se, cum magno gaudio Domino gratias agebat, qui flagellat omnem filium quem recipit. Postquam autem tanquam aurum in fornace hac infirmitate electam suam probauit Dominus, excocta ad plenum & elimata, tantam postea in ieiunijs & aliis laboribus à Domino fortitudinem obtinuit, quod tertiam partem laboris eius etiam fortes homines vix valerent sustinere. Aliquando tamen cum aliquis ex amicis suis aliquo grauamine laboraret, vel alicui tentationi succumberet, tunc ipsa cum infirmantibus infirmata est, & cum scandalizatis vehementi dolore vrebatur. Et tunc plerumque morbum prædictum in aliquo membrorum suorum particulariter sentiebat. Statim autem nodo & mirabili curationis genere vocato aliquo sacerdote, cum digito *crucis signum* super locum infirmitatis sacerdos faceret, quasi *virtutem sanctæ crucis expauescens* infirmitas ad locum alium fugiebat. Facto vero iterum atque iterum *crucis signaculo*, vagus morbus ac profugus, expectare pōdus crucis diutius non audebat, sed tandem mirabili & inaudito veneration is genere, à corpore ancillæ *crucifixi virtute* discedebat. Intuens enim oculo fidei in serpentē æneum, à serpentini morbi morsibus liberata; *Deo & sanctæ crucis multiplices* referebat gratias.

Magnas à Domino vires accepit.

Virtus sanctæ crucis

Num. 21.

De timore illius casto, & amore paupertatis.

Cap. XXIX.

Erat autem ei timor castus in corde, tanquam fascia pectoralis quæ cogitationes in corde constringeret in ore tanquam frænum quod linguam reprimeret, in opere stimulus ne pigritia torperet, in omnibus regula, nè modum excederet. Timor enim iste tanquā scopa purgabat cor à duplicitate, os à falsitate, opera vero ab omni vanitate. Nunquam enim verbum sæculare ab ore eius memini me audiuisse. Vix autem vnicam clausulam loquendo diceret, quin Christum quasi condimentum interseret frequenter. Adeo enim timor Domini sanctus mentem eius occupauerat; quod cum esset apud Vuillembroch iuxta Niuellam tantum herbas quæ non seminantur; & alia etiam sponte nascentia frequenter colligi faciebat: vt inde sibi pulmentum faceret, ne forte captum à bestia ideſt eleemosynas quas domibus leprosorum raptores & fæneratores dare solent, manducaret. Tantum autem ex spiritu timoris amorem conceperat paupertatis, quod etiam necessaria vix retinere volebat. Vnde quadam die fugere proposuit, vt inter ignotos ignota & despecta ostiatim mendicaret. Assumpto igitur secum sacculo in quo eleemosynas reponeret, & cypho paruo vnde aquam biberet, vel forte pulmentum si daretur ei, dum mendicaret, reciperet, veteribus pannis induta, vix multis amicorum suorum lachrymis tandem potuit retineri. Fecit ergo quod potuit. In tanto autem postea amore paupertatis permansit, vt aliquando mappam supra quam panem ponebat, vel linteamina secaret, partem sibi retinendo, partem pauperibus erogando. Non solum autem ex spiritu timoris diuitias contemnebat, sed paupertate spiritus in oculis suis modica erat. Ex abundanti autem humilitate quantum in ipsa erat semper latere appetebat. Vnde cum ex cordis iubilo & plenitudine gratiæ intra se occultari non posset, quandoque ad vicina rura vel dumeta fugiebat, vt humanos deuitans oculos secretum sibi & Deo in arca puræ conscientiæ reseruaret. Quandoque tamen precibus amicorum compulsa, vel à Domino ad aliquem specialiter missa, vel affectu compassionis vt consolaretur pusillanimes, incitata ex multis quæ sentiebat, pauca cum humilitate & verecundia referebat. Quot enim familiariū suorum in periculis præmuniuit? Quoties occultos malignorum spirituum laqueos amicis suis detexit? Quotiēs pusillanimes & in fide vacillantes diuinę reuelationis miraculis corroborauit? Aliquo enim tempore dū quęreremus vtrum de laudibus humanis seu reuelationibus diuinis aliquam saltem titillationem vanæ gloriæ sentiret, respectu, inquit, veræ gloriæ quam desidero nil est, vel refutari potest omnis humana gloriatio. Ita omnem mundanam gloriam, omnemque humanæ laudis vanitatem præ dulcedine æternorum bonorum non solum nō admittebat, sed cum quadam cordis abominatione respuebat, Christi enim dulcedo totam eius mentem adeo vendicauerat, quod nil nisi Christus ei sapiebat.

Quam nihil de se sentiret.

De pietate eius exemplum.

Cap. XXX.

Non solum autem per spirituum timoris ab omni specie mala sibi cauebat, sed etiam spiritu pietatis ad omne bonum prona erat. Satagebat igitur pro posse suo omnia misericordiæ opera ex abundanti pietate adimplere, & super omnia infirmis assistere, & defunctorum obitui seu sepulturæ interesse cōsueuerat, vbi multa de arcanis cælestibus Domino reuelante frequentissime percepit. Quadam autem die cum quædam soror fratrum de Oegnies in extremis laboraret, illa cum esset in cellula sua, percepit multitudinem rugientium dæmonum circa lectum sororis infirmæ. Cumque iam pro ea fieret commendatio, quam putabant esse mortuam, tūc illa mansuetæ grauitatis & maturæ verecundiæ quasi oblita ad lectum ęgrotantis cucurrit, & immundis spiritibus se opponens, non solum eos precibus oppugnabat, sed etiam pallio suo tanquam muscas abigebat. Cum vero impij illi terribiliter resisterent, & tanquam suam sororis animam vendicare vellent, tunc illa amplius ferrè non sustinens clamabat Christum suum, sanguinem Christi, quem pro animabus suis effudit, mortemque crucifixi incessanter inuocabat. Cum autem rugientes illi præparati ad escam multis calumnijs animam illam impeterent, ipsa tandem à Spiritu sancto fiduciam concipiens (*nam vbi est spiritus Domini ibi libertas*) respondit: Domine pro hac anima fide-iubeo, licet enim peccauerit, peccata tamen sua confessa est. Quod si forte aliquid per negligentiam suam vel ignorantiam in ea remansit, licet loqui non possit, adhuc tamen contritionis tempus ei reliquisti. Fratres enim tantum vocem eius & gestus contra dæmones percipiebant, & Domino pro anima sororis suæ deuotas orationes effundebant. Tandem victis & confusis dæmonibus, & sanctis Angelis aduenientibus, illa Deo laudes reddens, ad se reuersa quieuit, resumptoque pallio quod in pugna proiecerat ad cellulam suam cum verecundia fugiens clauso ostio latuit. Non multum post tempus in festo apostolorū Petri & Pauli, cum pro anima deuotæ supplicaret, & de statu eius pro qua fideiusserat sollicita esset, ostendit ei beatus Petrus animam illam in pœnis purgatorij vehementer afflictam. Reuelauit autem ei beatus Petrus & pœnas & pœ-

Valde studiosa est operum misericordiæ.

2. Cor. 3.

Vide insignē charitatem.

Studium Paupertatis.

narum

Pœna cuiusdam in purgatorio positi.

narum caulas. Vehementer enim calore torquebatur, eo quod mundum & voluptates sæculi nimis ardenter amasset, & maxime quia filios suos, propriamque familiam nimis negligenter correxisset. Siti præterea miserabiliter anxiebatur, eo quod in vita sua nimis vacasset potationibus. Nuditatis etiam, eo quod superflua fuisset in vestibus, maximum sustinebat incommodum. Tunc pia Christi ancilla sicut tota pietatis visceribus affluebat, maxime circa illos qui in purgatorio torquebantur, non solum suis orationibus contenta est, sed multa etiam illi ab alijs orationum & missarum suffragia acquisiuit.

Iterum exemplum de eodem.

Cap. XXXI.

Visio huius Maria.

ALia enim vice cum religiosa quædam vidua quæ diu in sancta viduitate Deo seruierat, & filias suas in sancta virginitate sponso cælesti integras custodiebat, in extremis apud Vuillembroch iuxta Niuellam laboraret, vidit Beatam Virginem viduæ assistentem; quæ quasi quodam flabello euentando eam, feruorem caloris quo torquebatur misericorditer temperabat. Cum autem eius anima de corpore iam egredi vellet, turba dæmonum insidiantium nulla orationum instantia discedere voluit, donec clauiger æthereus *cum vexillo crucifixi* confusos illos eiecit. Cum autem vidua illa iam defuncta esset, vidit ancilla Christi Beatam Virginem cũ multitudine cælestium puellarum psallentium, Deumque laudantium quasi in duos choros diuisarum. Cum autem sacerdos more debito exequias defunctæ persolueret, tunc summus sacerdos cum sanctorum multitudine officium, vt videbatur ei complebat, & mirabiliter ecclesiæ militanti ecclesia triumphans respondebat. Cum autem sepulturæ corpus traditũ esset, vidit Christi ancilla animam eius, quæ nondum in hoc sæculo plenè purgata fuerat, in purgatorio, quod ei deerat, consummare. Nam maritus eius mercator fuerat, & quædam more mercatorum per fraudem acquisierat. Quosdam etiam de familia ducis Lotaniæ in hospicio receperat, qui de iniuste acquisitis multa in domo sua expendebant. Et quia de huiusmodi nondum perfecte restitutionem fecerat, dicebat se adhuc in purgatorio detineri. Quod cũ nunciatum est filiæ suę virgini deotæ Margaritæ de Vuillembroch, & eius sororibus, multas ei orationes acquisierunt, & pro posse restitutionem fecerunt. Vnde non multum post anima viduæ vitro purior, niue candidior, sole splendidior apparuit ancillæ Christi, cum iam ad æternas epulas gaudens, & gratias agens ascendere vellet inuitata, & quasi librum vitæ vt videbatur in manibus tenens summi magistri facta scholaris legebat.

Peccatum non dimittitur nisi ablatum restituatur.

Iterum de eodem.

Cap. XXXII.

Ioannis Duniatensis viri sanctissimi obitus.

CVm autem sanctus quidam & beatus senex, qui à pueritia sua in innocentia & virginitate perseuerauerat, iam morti propinquus scilicet Ioannes Duniacensis cognomine Hortulanus, qui omnia pro Christo reliquerat, & exemplo suo & admonitionibus sanctis multas animas Domino acquisierat, ipsa eum præsens ei infirmitate assisteret, vidit multitudinem angelorum seni assistentem & gaudentem. Sensit autem mirabilem suauitatis odorem: vnde præ gaudii immensitate non poterat se continere. Valde enim eum diligebat, & quasi pro patre eum habebat. Et tunc reuelatum est ei à Spiritusancto, quod senex ille qui tantam potentiam dum vixerat in carne fecerat, tot etiam pro Christo opprobria & persecutiones patienter sustinuerat, tam iuste & timorate vixerat, tot etiam animas Christo lucratus fuerat, absque omni purgatorij molestia liber ad Dominum euolaret. Vnde ipsa quotiens ad sepulchrum eius, quod est apud Oegnies per transibat, semper humiliter inclinabat. Postea vero cum ipsa, in extrema infirmitate laboraret, anima sancti senis cum quodam alio amico suo defuncto, scilicet fratre Ricardo de Menezar capella causa visitationis & consolationis spiritualiter missa est ei à Domino. Ipsa autem Christi ancilla valde compatiẽs erat, & super infirmos pia gestans viscera, circa quos aliquando noctes ducebat insomnes. Cum autem mater fratrum de Oegnies grauissima & longa infirmitate laboraret, & ipsa aliquando vt consolaretur eam, ei assisteret, illa vtpote anus ferè centenaria, & morti iam propinqua, grauissimum habebat anhelitum. Cum autem sancta mulier quadam nocte eius anhelitum sine magno dolore cordis ferre non posset, ipsa assistens ei prope quasi per violentiam à se extorquebat vt maneret. Cumque iam amplius ferre non valens ferè deficeret, respexit Dominus humilitatem ancillæ sue, & ei saporem quasi vini aromatici in os eius immisit, odoremque suauissimum quasi thuris accensi cum sapore illo ferè per tres dies sensit. Itaque nullius cibi sapor prædictum saporem aromaticum poterat expellere. Multis autem ægrotantibus non solum eius præsentia Dominus consolationem & patientiam conferebat, sed frequẽter corporalem sanitatem eius meritis Dominus reddebat.

Maria huius erga agrotos humanitas.

Iterum de eodem.

Cap. XXXIII.

SEd cur immoramur circa modica, cum adhuc restent magna & mirabilia? Licet enim pium sit corporum morbis subuenire, longo tamen & incomparabiliter maius est animarum sanitati curam impendere. Nullum enim sacrificium magis placet Deo quam zelus animarum. Ipsa autem semper læta, semper hilaris, semper in cordis iubilo permanebat, nisi quando periculum vel lapsus animarum mentem eius perturbauit. In hoc solo, vt eius pace loquar, modum non habebat, lugebat anxia, dolebat desolata, cibum non capiebat, somnum ab oculis suis abigebat, more parturientis plerunque clamabat. Quanto putas vulnerata est dolore, quãdo cateruatim ruerent rugientes, & dentibus frendentes dæmones super sanctarum virginum congregatione in villula quæ dicitur Manni; vbi Deo deuote seruiebant? Ad vltimum vero, quando tanquam voti compotes impios & inuidos dæmones præ gaudio videret tripudiare pro sanctarum mulierum eiectione, tunc ipsa clamans & eiulans vix seipsam præ dolore poterat sustinere. Alia die vidit maximum iniquorum spirituum exercitum, qui quasi post prælium eruentati cum superbo & pomposo strepitu de vastatione ciuitatis Leodiensis reuertebantur, & adhuc maiora mala elato vultu comminabantur. Nec multo post venerunt nuncij apud Oegnies, qui ciuitatẽ Leodiensem destructam esse nunciauerunt, & ecclesias spoliatas, mulieres vi oppressas, ciues interfectos, vniuersaque ciuitatis bona hostes rapuisse referebant. Tunc forte apud Oegnies, præsens erat vir sanctus honestæ cõuersationis, & bonæ etiam apud malos opinionis, totiusque episcopatus lucerna, doctor & pater spiritualis, magister scilicet Ioannnes de Niuella, qui cum rumores pessimos percepisset, mente consternatus incomparabiliter doluit, & maxime de sanctis virginibus, quas ipse per prædicationem & exemplum Domino acquisierat, ne forte vi oppressæ fuissent, sicut quidam mentiebantur paterna sollicitudine dubitabat. Non enim multum de temporalium amissione doluit, qui semper temporalia tanquam stercora reputauit, sed de ecclesiarum violatione & animarum destructione. Ancilla vero Christi auditis rumoribus imperturbata permanebat absque etiam timore sanctis Angelis eam confortantibus, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis nunciantibus. Magnam vero pacem & quietem circa domum dè Oegnies sentiebat quasi in spiritu certificata, & de pace suorum, & de incorruptione prædictarum sanctarum virginum. Verumtamen videbatur ei quod terra tremeret, & quasi conquereretur quod pasceret homines, qui creatori suo tam immani scelere se opponerent.

Leodi vastatio.

Ioannes Niuellanus vir integerrimus.

Mire cruciatur periculis animarum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eodem.

CAP. XXXIV.

ACcidit autem aliquando quod quidam Cisterciẽsis monachus tantum zelum innocentiæ & puritatis licet non secundum scientiam haberet, quod quasi ad statum primi parentis ex feruore spiritus peruenire nitebatur. Cumque diu labore plurimo se casso sese affligendo in abstinentia & vigiliis, in orationibus & lachrymis primum statum recuperare non valeret innocentiæ, primo cecidit in tædium & accidiam. Volebat enim cibaria sumere, sed nullam sensibilem delectationẽ dum manducaret sentire. Studebat autẽ primo sensualitatis motus non solum reprimere, sed pœnitus extinguere. Studebat etiam sine aliquo veniali vitam suam in perfecta puritate custodire. Cum autem dæmonio meridiano instigante aspiraret ad impossibile, nec ad id ad quod tendebat, posset aliquo modo quantumcunque laborando peruenire, tandem in foueam desperationis præ tristitia lapsus est, adeo quod in statu corruptionis, in quo erat, se nullo modo salutem adipisci speraret: vt pote qui venialia quibus in hac vita carere non possumus, mortalia reputabat. Vnde nec corpus Christi aliquando etiam in diebus illis, quibus institutum est in ordine volebat recipere. Cùm autem morbum eius animæ quidam pius & omnium bonorum amicus abbas cognouisset, ad ancillam Christi monachum fecit adduci. Cumque illa pro monacho lachrymosis suspiriis Domino supplicaret, mirum in modum dum ante missæ introitũ monachus confiteor diceret, & alia instantius pro eo preces funderet, quasi nigri lapilli ad singula verba confessionis ex ore monachi cadere videbantur. Tunc illa percipiens in hoc visu quod obstinatio desperationis & nigredo tristitiæ & doloris monachum reliquisset, Domino gratias retulit, qui non vult mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant. Monachus vero post missam quasi de longinqua regione ad se reuersus, corpus Christi recepit, & sumpta salutari medicina perfecte conualuit.

Monachi cuiusdam periculosa tentatio. Sub specie boni misere fallitur ille.

Precibus suis Christi ancilla eum liberat.

Ezec. 18.

De spiritu scientiæ & discretionis quem habuit.

CAP. XXXV.

QVoniam autem fugiendo mala per spiritum timoris, & faciendo bona per spiritum pietatis, necessaria est cautela & circumspectio discretionis, pater luminum, cuius vnctio docet nos de omnibus, spiritu scientiæ filiam suam illuminauit, vt scilicet sciret quod & quemadmodum esset agendum vel vitandum, & omne sacrificium suum sale condiret. Mala enim sunt vicina bonis, & plerumque dum vitamus vnum vitium lábimur in contrarium. Aliquando autem cum dulcius & suauius, quasi vnus spiritus facta cum Deo amoris glutino ei adhæreret, audito extraneorum aduentu, ne forte aliquem scandalizaret, à suaui illa contemplationis iucunditate amplexibus sponsi sui vim sibimet inferens, spiritum suum cum tanto labore euellebat, quod quandoque quasi ruptis visceribus sanguinem purum in magna quantitate euomebat vel conspuebat; malens hoc affligi martyrio, quam fratrum, & maxime peregrinorũ pacem turbare. Quando tamen cum Spiritusancto reuelante aliquorum licet adhuc longe existentium prænouisset aduentum, ad rura vel ad propinqua nemora fugiens, vix per totum diem poteramus reperire latitantem. Quandoque propter aliquorum indigentiun vtilitatem; nullo nisi Spiritusancto incitante cogebatur sõnum suum disrumpere. Vade, aiebat, quia non curiose sed causa necessitatis expectat te aliquis. Licet autem quantum ad proximos non solum bonos, sed etiam discolos mira discretione pacem custodiret, sibi tamen soli valde indiscreta seipsam nimis abiiciens, & supra modũ affligens nobis aliquando videbatur. Ipsa tamen circa se tanto discretior erat, quanto nihil de se nisi à Spiritu sancto familiariter edocta, aliquid facere præsumebat. Non enim vnum diem sine cibi refectione præterire auderet, nisi se absorpta sensualitate supra se raptim certissime cognosceret. Aliquando tamen vt pacem coassistentium conseruaret, in tali statu aliquid capere tentauit, & nihil pœnitus capere potuit, sed præ dolore fere detecit. Vnde tantam postea prærogatiuam libertatis obtinuit, quod nemo iam audebat discutere cur ita facis. Cumque aliquanto tempore in hebdomada cibum sumeret, quia 6. feria manducabat, die dominica nihil pœnitus manducãdo. Similiter 5. feria à cibis pœnitus abstinebat. Cumque nobis potius rationabile videretur, quod 6. feria quę dies est pœnitentiæ non manducaret, quinta autem feria vel die Dominica cibum sumeret, quia 6. feria dies penitentiæ & mortis Domini est, respondit mihi ipsa aliquãdo, ad sensibilia non sine labore descendo, dum gaudium contemplationis interrumpo, cibum scilicet corporalem capiendo. Quinta autem feria quæ est dies Spiritussancti, & die Dominica propter gaudium resurrectionis spirituali refectioni contenta, æternisque epulis satiata, totum diem festiuum ago, dum nullo refectionis sensibilis vsu, oportet me ad inferiora descendere. Quo audito os vlterius contra ipsam non aperiens, silui.

Vita eius in plerisque humanã excessit rationem.

Iterum exemplum de eodem.

CAP. XXXVI.

ACcidit aliquando, quod causa visitandi aliquos sibi familiares, cum maneret apud Oegnies iussset apud Vuillembroch, in reditu suo per medium Niuellæ transiens, reduxit post hæc ad memoriam peccata & abominationes, quæ in villa illa faciunt frequenter sæculares, tantamque indignationem concepit in corde suo, quod præ dolore cæpit clamare. Quæsitoque cultello ab ancilla sua cum extra villam esset, voluit cutem à pedibus suis resecare, eo quod loca trãsierat, in quibus creatorem suum miseri homines tot iniuriis prouocant, totque flagitijs exasperant. Cumque non solum in mente, sed quod mirabilius est, sensibiliter doleret in pedibus, in quibus loca prædicta calcauerat, vix tãdem cum multotiens pedes ad terram collisisset potuit quiescere. Adeo autem prædicatores & fideles pastores animarum diligebat, quod pedes eorum post prędicationis laborẽ mira affectione constringens, etiam ipsis inuitis vel diu osculari oportebat, vel præ nimia anxietate cum se subtraherent clamabat. Multis autem lachrymosis suspiriis multisque orationibus & ieiunijs à Domino instantissime postulando obtinuit, vt meritum & officium prædicationis quod in se exercere non poterat, in aliqua alia persona Dominus ei recompensaret, & vt sibi Dominus pro magno munere vnum prædicatorem daret. Quo dato, licet per eum Dominus tanquam per instrumentum verba prædicationis emitteret, sanctæ mulieris precibus cor eius præparabat, virtutem corporis in laborem conferebat, verba ministrabat, gressus dirigebat, gratiam & fructum in auditoribus meritis ancillæ suæ præbebat. Nam pro ipso singulis diebus, dum esset in labore prædicandi Domino & beatæ virgini dicendo, aue Maria, centies supplicabat, sicut prædicante Hilario Martinus orabat.

Erga sacras conciones quomodo affecta fuerit.

Iterum de eodem.

CAP. XXXVII.

ALiquando etiam cum esset in villa quadam, quæ dicitur Nitre iuxta Niuellam, & præsente ipsa puer quidam ad ostium Ecclesiæ catechizaretur, vidit immundum spiritum à parulo cum magna confusione recedentem. Et cum ipsa puerum de sacro fonte leuaret aperti sunt oculi eius, viditque spiritum sanctum in animam pueri descendentem, sanctorumque angelorum

Nota de Baptismo.

Erga hospites & peregrinos aduenientes eius benignitas.

Mirus in eã horror peccati.

circa

circa renatum infantem multitudinem. Frequenter autem dum sacerdos leuaret hostiam inter manus sacerdotis videbat pueri pulchri speciem, & cælestium spirituum cum lumine nō modico exercitum magnum descendentem. Quando vero post confectionem sacramēta sacerdos sumeret, ipsa videbat in spiritu Dominum in anima sacerdotis remanentem & eam mirabili claritate illustrantem. Vel si indigne sumeret videbat quod Domino cum indignatione recedente, anima miseri vacua & tenebrosa remaneret. Licet autem in ecclesia spiritus non esset, se in cellula velatis ex more oculis velo candido oraret, cum Christus in prolatione verborum sacrorum in altari descendebat, tunc ipsa mirabiliter immutata aduentum eius sentiebat. Quando vero vnctionis extremæ ipsa præsente infirmi sacramenta susciperent, ipsa cum sanctorum multitudine Christum præsentem sentiebat, qui infirmum misericorditer roborabat, dæmones expellebat, animam purgabat, & se quasi in lumine per totum corpus infirmis, dum diuersa eius membra vngerentur, transfundebat.

Item de Eucharistia.

Item de extrema vnctione,

De spiritu fortitudinis qui in ea fuit.

Cap. XXXVIII.

ET quoniam parum prodest per spiritum timoris mala vitare, per spiritum pietatis bona agere, per spiritum scientię in omnibus discretionem habere, nisi per fortitudinem malis imminentibus resistamus, bona per patientiam conseruemus, per constantiam vsque in finem perseueremus, per longanimitatem vitæ æternæ præmium expectemus pater eius apertis thesauris suis quarto lapide pretioso, scilicet, fortitudine suam filiam exornauit, & contra omnia aduersa præmuniuit, vt nec aduersitatis impulsu frangeretur, nec prosperitatis blandimento eleuaretur. Aliquando autem cum præ dolore paralysis clamaret & pectus suum tundere cogeretur, quidam eius familiaris ei compatiens in loco quodam latebat, & pro ipsa Domino supplicabat. Tunc ipsa piis deuoti hominis supplicationibus infirmitatem suam in aliquo minui sentiens, vade, inquit ancillæ suæ, & dic homini illi vt cesset orare pro me, nam orationum eius medicina, disciplinæ meę, dum melius habeo, incurro detrimentum.

Non vult sibi minui paralysis dolorem.

Cum autem vexaretur aliquo grauamine, quidam ex amicis eius occulte in corde dolebat de eius vexatione; tunc illa cordis illius secreta Domino reuelante cognoscēs misit ancillam suam ad illum dicens. Dic illi ne amplius doleat pro me. Plus enim grauabatur aliorum doloribus, quam suis infirmitatibus. Non solum autem per spiritum fortitudinis habebat potentiam resistendi aduersis, sed etiam omnibus carnalibus illecebris abstinēdi. Adeo quidem corpus suum iuuencula illa tympanistria quasi inter duo crucis ligna extendendo desiccauerat, quod nunquam per plures annos primos etiam libidinis motus contra se exurgere senserat. Ex quo tantam fiduciam etiam in homines habebat, quod omnes sibi similes ex abundantia innocentiæ & pura simplicitate æstimabat. Vnde cum quidam familiaris eius amicus ex nimio spiritualis affectionis excessu, manum eius aliquādo stringeret, licet casto animo nil culpæ cogitaret, sensit tamen tanquam homo ex illa nimia vicinitate primos motus sibi insurgere. Cumque illa prorsus hoc ignoraret, audiuit voce ab excelso, scilicet: *Noli me tangere*, nec tamen intellexit quid significaret. Deus enim mitis & nostris infirmitatibus compatiens, noluit illum coram sancta muliere verecundia confundere, volebat autem tanquam zelotes amicæ suæ castitatem custodire, & illum propter imminentia pericula castigare. Vnde cum illa diceret ei: Audiui nunc quandam vocem, sed quid significet, prorsus ignoro, scilicet, *noli me tangere*. Ille autem quid esset intelligens, & sibi de cætero diligentius cauit, & Domino qui eius infirmitatem detegere noluit, gratias agens recessit.

Ab illecebris carnis quàtū abstinuerit.

De spiritu consilij quem habuit.

Cap. XXXIX.

PEr spiritum autem consilij nihil præcipitanter, nihil inordinate agens, sed omnia diligenter & prouide, & cum deliberatione faciens, licet familiari Spiritus Sancti consilio interius vteretur, licet diuinis scripturis sufficienter instrueretur, præ nimia tamen humilitatis abūdantia ne sapiens in oculis suis videretur, aliorum consiliis propriæ voluntati abrenunciando, seipsam libenter & deuote subijcere non dedignabatur. Multi tamen de familiaribus amicis eius, qui diuinam eius prudentiam frequenter experti erant, sine eius consilio nihil magnū facere audebant. Quod enim humana ratione scire non poterat, præmissa oratione diuinitus inspirata sciebat. Vnde cum quidam amicus eius, qui mediocritate sua contentus, tanto securius, quanto ab oculis hominum abstractus, & à pompa sæculari remotus, Deo in humilitate seruiret, à quodam nobili inquireretur, vt magister eius esset ei equos & vestes, & alia multa bona copiose prouideret, mulierem sanctam consuluit quid sibi agendum esset. Illa vero sicut nihil vnquam de se præsumebat, oratione præmissa, postquam ab arcanis diuinorum consiliorum thalamis reuersa est, respondit. Vidi vobis in hoc facto nigrum equum præparari, qui versus infernum hinniebat, & dęmonum exercitus applaudebat. Manete igitur secundum meum consilium in vocatione, qua vocati estis à Domino, ne per ambitionem, vel sæculi pompam detis occasionem diabolo.

A nobilium seruitio abstinendum.

Iterum de eodem.

Cap. XL.

CVm vero verbum Dei licet indignus laicis & simplicibus prædicare inciperem, & necdum exercitium seu consuetudinem faciendi sermonem ad populum haberem, semper mihi metuens ne sermone imperfecto deficerem, multa mihi vndecunque colligebam. Multis vero congregatis quicquid in mente habebam in medium proferre volebam. Totum enim spiritum suum profert stultus, sapiens vero reseruat in posterum. Cumque tanta prodigalitate memetipsum confunderem ad me post sermonem reuertens quasi quoddam mentis tædium in eo quod inordinate & incomposite multa mihi dixisse videbar, incurrebam. Cumque huiusmodi tristitia aliquando Christi ancilla me depressum aspiceret, ego præ verecundia causam reuelare recusabam, & quod miserabilius erat, cum aliquis tanquam bene & subtiliter dixisse me libenter auscultantem, sicut mos est, post sermonem commendaret in hoc aliquam consolationem recipiebā. Erubesco turpitudinem meam publicare, sed laudem sanctæ mulieris non ausus sum abscondere. Quoniam cum aliquando prædictæ tristitiæ nubilo me confusum & tanquam confusibilem operarium ad se vocaret, triplex vulnus tentationum, quibus in abscondito sauciatus eram, mihi mirabiliter aperuit. Vidi, inquit, quasi similitudinem hominis nebulosi superfluitate capillorum cooperti. Quædā autem meretrix subornata quasi quibusdam radiis splendida eum blande intuendo circumibat. Facto autem pluries circulo vnum de radijs suis versus eum projiciens partem tenebrarum effugabat. Ad hanc autem ejus parabolam triplici morbo me laborantem statim certissime deprehendi, capillata enim superfluitas mihi tristiciam generabat: meretrix vero subornata, ideſt, elatio radijs adulationis mirabile mihi solatium conferebat.

Obserua modestiam authoris.

Visio Maria qua author medicinā facit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De spiritu intellectus eius.

Cap. XLI.

His igitur ornata monilibus filia Hierusalem, his prædictis Spiritussancti donis illustrata, corde purificato per spiritum intellectus in cælestibus conuersabatur. Relegatis enim à se formis sensibilibus, vniformes & inuariabiles super cælestium species quanto summo simplici & inuariabili maiestati magis accedebat, tanto in eius animo purius resultabat. Cumque subtilis & attenuatus spiritus eius incendio pij amoris concrematus, tanquam virgula fumi ex aromatibus super cęlestia penetraret, & quasi per quosdam gradus in religione viuorum perambulans, per vicos & plateas quærebat quem diligebat; nunc sanctarum virginum lilijs delectata, nūc sanctorum martyrum rosis odoriferis recreata, aliquando à sanctorum Apostolorum senatu venerabiliter recepta, quandoque cætibus Angelorum sociata, cum per omnes gradus ascendisset, cum per omnia Paradisi loca animo lætanti perambulasset; paululum cum omnia pertransisset, inueniebat quem ardenter eius anima desiderabat, ibi demum perfecte quiescebat. Cum autem librū vitæ vicinius inspiceret, multa per spiritum intellectus in eo percipiebat; quæ tandē ad se reuersa prophetico spiritu prænunciabat. Vnde tribus annis antequam homines signarentur contra hęreticos prouinciales, dixit, quod viderit cruces super hominum multitudinem de cælo copioso descendentes. Cum autem sancti Christi martyres qui zelo crucifixi Christi à longinquis partibus vt Christi dedecus vindicarent, deuenissent ad locum qui dicitur *mons gaudy*, ibidem ab inimicis Christi interfecti sūt; Ipsaque licet per tanta terrarum spacia remota esset, vidit sanctos Angelos congratulantes, & interfectorum animas absque aliquo purgatorio ad superna gaudia deferentes. Vnde tantum huius peregrinationis recepit ardorem, quod retineri non posset si sine proximorū scandalo aliquo modo pergere valeret. Cumque quasi ridendo quæreremus ab ea quicquid illic si peruenisset faceret, saltem aiebat illa, dominum meum honoratem, nomen eius confitendo, illic scilicet, vbi impij abnegauerūt eum blasphemando.

Eius diuturna contemplationes rerum diuinarum.

In spiritu procul vidit eadem christianorum.

Iterum de eodem exemplo.

Cap. XLII.

Cvm quidam familiaris noster & amicus domus nostræ apud Oegnies moreretur, vidit illa multitudinē dæmonū quasi rugientium, præparatorū ad escā. Cumque ipsa dæmones increparet, & vt recederent à Christi ministerio, qui crucis vexillo munitus erat præciperet illis, multa ei crimina malitiose imponebant, & quod in veritate nō processisset, obiiciebant. Cūque illa domino pro infirmo supplicaret, vidit quandam crucem lucidam super ipsum descendētē, eumque vndique protegentem. Et licet homo ille morte præuentus peregrinationē suā non perfecisset, magna pars purgatorij eidē cruce signato dimissa est, eo quod voluntatē haberet, & nō stetit per eū, sicut sanctæ mulieri Dominus reuelauit.

Visio eius.

In nocte autē tertiæ feriæ, quæ est ante caput ieiunij, quando scilicet solent homines commessationibus vacare, vidit aliquos dæmones à quadam muliere religiosa tristes & confusos reuertentes, qui quidē eam grauitet tentationibus impugnauerant; sed domino succurrēte nequaquam præualuerant. Cum autē post hoc à muliere quæreret quomodo ei fuerat. Ego inquit illa, vehementer fui grauata, sed illa hora per Dei gratiam fui liberata, & cognouit quod illo tempore vidit dæmones confusos recessisse. Quidam autem Sacerdos aliquando præsente ea missam celebrabat & quia pro Sacerdote illo frequenter Deo supplicauerat, proposuit ille cū non haberet maius aliquid quod ei tribueret, ne ingratus videretur, quod pro illa missam istam celebraret. Cumque Sacerdos missam finisset, ait illa Sacerdoti, Missa ista mea fuit, hodie enim filiū patri pro me obtulistis. Cūque ille miraretur & quæreret, quomodo hoc cognouisset, nam solus Deus nouit cogitationes hominum. Ego, inquit illa, vidi columbam pulchertimam super caput vestrū in altari descendentem, quæ quasi volitando alas suas ad me extēdebat, & cognoui in spiritu, quod spiritussanctos missam illam ad me transferebat. Cum autem Sacerdotes missas digne & deuote celebrarent, videbat sanctos Angelos gaudentes, & Sacerdotibus cum magna hilaritate cooperantes, & eosdem Sacerdotes vultu benigno intuebantur, eosque deuotissime venerabantur. Væ igitur Sacerdotibus miseris, Iudæ proditoris sociis, qui Christum quantum in se est iterum crucifigunt, & sanguinem testamenti pollutū ducunt, qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore venenato, corde impuro, dum ad reuerendum sacramentum irreuerenter accedunt, Angelos sanctos assistentes offendunt, & de salutari medicina sibi mortem miserabiliter acquirunt.

Nouit occultas cogitationes.

Timeant hae impuri sacerdotes.

De spiritu sapientiæ eiusdem.

Cap. XLIII.

Mellifluo sapientiæ dono cor eius medullitus afficiebatur, verba dulcorabantur, & omnia eius opera suauitate spiritualis vnctionis impinguabātur. Mitis corde, dulcis ore, suauis opere, ebria charitate. Aliquādo cum in lecto suo per tres dies iacuisset, & cū sponso suauiter quieuisset, præ nimiæ iucunditatis dulcedine dies illi adeo furtiue labebantur, quod vix per vnum momētum sibi iacuisse videbatur. Mirabili affectionum varietate Deum aliquando esuriebat: quandoque vero eū sitiebat, quantoque enim Dominum plus sentiebat, tanto magis desiderium crescebat. Anxiebatur, clamabat vt remaneret; supplicabat ei vt non recederet, quasi inter brachia amplexando stringebat, atque vt se amplius ei ostenderet cum lachrymis obsecrabat. Aliquando autē per tres dies vel plures vt sibi videbatur, eundem quasi paruulum inter vbera commorantem stringebat, & sese vt non videretur ab aliis occultabat. Aliquādo enim cū eo tanquā cū puero osculando ludebat. Aliquando tanquā agnum mansuetum iuxtà gremiū: quandoque quasi colūba ad solatium filiæ suæ pius filius virginis se ostendebat. Quandoque quasi aries stellam lucidam habēs in fronte circuiens ecclesiam, fideles suos vt ei videbatur visitabat. In diuersis autē solemnitatibus Deus quasi cōfiguratus solemnitati suæ se ei ostendebat. Nam in Natiuitate apparebat ei quasi puer vbera matris virginis lactans, vel in cunabulis vagiens, & tunc ad eum afficiebatur tanquā ad paruulum secundum ostensiones varias, habens varias affectiones, & ita singulis annis renouabantur festiuitates. In festo autem Purificationis videbat beatam virginem filium suum in templo offerentem, & Symeonem inter vlnas recipientem. Et in hac visione non minus exultabat præ gaudio, quam si præsens fuisset, quando hoc accidit in templo. In hac autem festiuitate cum cereus eius diu extinctus fuisset in processione, subito lumen claritatis clarissimum Deo accendente recepit. In passione autem Dominus ei aliquando in cruce apparebat sed raro, quia vix sustinere poterat.

Mira consolationes domini.

Iterum de eodem.

Cap. XLIV.

Cvm autem appropinquaret aliqua magna solemnitas, quandoque 8. diebus ante gaudiū sentiebat. Et ita secundū anni totius cursum varijs modis mutabatur & mirabiliter afficiebatur. Quādo autē alicuius sancti dies festus imminebat, sanctus ille festū suum ei nunciabat. In die enim suo ad eā veniens cum sociorū cęlestium multitudine eam visitabat, ita quod cum sancto illo per totum diem spiritus eius cū gaudio quiesceret. Ex familiari autem & frequenti collocutione sanctorū

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sicut aliquis vnum de vicinis nostris ab alio scit distinguere, ita vnum sanctum vel Angelũ ab alio distinguebat. Quandoque etiam sanctus aliquis in partibus istis prorsus incognitus, festum suum quod in remotis partibus fiebat, vt in eius solemnitate gauderet ei nunciabat. Nullo quoque nunciante distinguebat palato cordis dies festos à non festis, eo quod dulcius ei sapiebant dies solemnes, quam simplices. Celebrabat enim dies festos in animo scriptos & impressos in corde suo tanquam in martyrologio. Vnde cum esset aliquando in ecclesia sanctæ Gertrudis in villa, quæ dicitur Laulos, & quoddam festum sanctæ virginis Gertrudis in crastino esse deberet, & Sacerdos eiusdem villæ festum illud non aduerteret, ipsa in animo suo sentiens solemnitatem imminere, non iam se poterat continere. Cumque Sacerdos non compareret vel alius qui campanas sicut fieri solet in festorum dierum vesperis præcedentibus pulsaret, ipsa de loco suo surrexit, & campanas prout potuit pulsare cæpit. Quo audito sacerdos admirans, & ad ecclesiam currens, cur, inquit, tanquam sit festum pulsatis, cum nõ habeamus in consuetudine, cùm non sit festum hac hora pulsare. Tunc ista verecundia & pauida ait. Ignoscite mihi, inquit, Domine. magnum enim festum, sed nescio cuius est in hac nocte. Iã enim hãc ecclesiã sentio gaudio esse repletã. Túc Sacerdos aperto Calendario reperit, quod in die crastina deberet esse festũ sãctæ Gertrudis,

Magna familiaritas cum cæli ciuibus.

Ferias imminentes sentit intra se.

Iterum exempla de eodem.

Cap. XLV.

TOt autem & tantas habebat consolationes à Domino, quod licet nullis exterioribus sicut fit quãdoque ad recreationem intenta esset, semper in vno loco absque alicuius consortio sine accidia vel tædio sedere posset. Aliquãdo enim dum esset in cellula sua, audiuit vocem dulcissimam Domini dicentis: *Hæc est filia mea dilecta, in quam plurimum delector.* Quando autem extra se rapiebatur, videbatur ei quod caput suum teneret super genua Christi glorificati. Aliquando etiam nunciante aliquo Angelorum salutabatur ab aliquo supernorum ciuium cum oraret ante altare sancti Nicolai; aliquando videbatur ei quod de reliquiis eius lac flueret. Videbat autem ab imagine Crucifixi aliquandò quosdã radios exeuntes & ad eam pertingentes, & quasi vsque ad cor eius penetrantes. In quibus omnibus valde delectabatur, & miro modo spiritus eius in talibus confortabatur. Apparuit ei aliquando beatus Bernardus Cisterciensis ordinis pater & lucerna, quasi alatus, & alas suas circa eam expandebat. Cumque ipsa diu cum eo in cãcello sedisset ecclesiæ, & illa etiam cuiusmodi essent hæ alæ quereret, respondit, quod ipse velut aquila sublimi volatu subtilia & sublimia diuinæ scripturæ attigerat, & multa de arcanis cœlestibus ei Dominus reserauerat. Cum autem ipsa in magna veneratione & speciali amore diligeret sanctum Ioannem Euangelistam, accidit quod Sacerdoti cuidam cum magnis lachrymis & gemitibus veniale modicum confiteretur. Cumque Sacerdos ille quæreret, cur ita lachrymis afflueret, nequeo, inquit, lacrymas reprimere. Videbat enim aquilam quãdam super pectus suum, quæ quasi in frontem figebat rostrum in eius pectore, & magnis clamoribus aera replebat, & intellexit in spiritu, quod lachrymas eius & gemitum Beatus Ioannes deferebat Domino. Aliquando etiam vidit quendam Sacerdotem cũ lachrymis deuote celebrantem, visumque est ei, quod columba quædam super humerum sacerdotis descenderet, & quod fons clarissimus de eius humero scaturiret. Aliquãdo autem virginis filium quasi puerum cum maxima claritate circa pixidem, in qua corpus Christi reponitur· videbat. Cumque quæreremus cuiusmodi esset claritas; respondit. Quod quantum lumen Solis lumen candelæ excedit, tantum vel amplius claritas illa claritatem Solis excedebat.

Multas diuinitus consolationes percipit.

Sanctus Bernardus ei apparet.

Adhuc de eodem.

Cap. XLVI.

QVando autem aliquæ reliquiæ ad ecclesiam nostrã deferebantur, ipsa in spiritu præsentiebat, reliquiarum aduentum, & tota nocte cum sanctis reliquiis exultabat, Christumque gaudentem & alias reliquias quasi cum exultatione & veneratione nouas reliquias suscipiẽtes videbat. Vtrum autem essent veræ reliquiæ eius spiritus mirabiliter percipiebat. De modica quidem cruce quæ est in ecclesia de Oegnies, in qua de ligno sanctæ crucis habetur, luminosum valde quasi claritatis cælestis radium exire videbat.

Quidam autem familiaris noster & domus nostrę amicus inter alias reliquias quas habebat repperit os cuiusdam sancti sine literis. Cuius autem essent reliquiæ ignorabat. Cumque ad eã vt certificaretur attulisset reliquias, ipsa in spiritu virtutẽ reliquiarũ percepit. Cumque oraret vt Deus cuius essent sibi ostenderet, apparuit ei quidam sanctus magni meriti & præclarus. Interrogabat autem eum sancta mulier, tu quis es? Ille vero se nõ nominauit, sed quatuor literas ante mentis eius oculos descripsit. Cũque illa literas memoriter retineret, sed quid significarent nesciret, vocato ad se clerico literas ei dixit scilicet a.i.o.l. & quid significarent quæsiuit. Ille vero colliterans & subiũgẽs quod A,i,o,l, significarent, respondit. Tunc illa manifeste cognouit quod beati Aigolphi, qui apud Priminũ in magno honore habetur essent prædictę reliquię. Cũ autem præ desiderio æternæ fruitionis, præ amore diuinæ visionis, pro dilatione optatæ beatitudinis æternæ in hoc exilio langueret, vnicum tamen & summum ei erat remedium & singulare solatiũ manna panis cælestis donec veniret ad terrã promissionis. Iã enim in hoc sæculo per experiẽtiã didicerat quod ait Dominus in euangelio: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat*, inquit, *carnem meã, & bibit sanguinẽ meũ habet vitã eternã.* Nec erat ei durus hic sermo sicut Iudęis sed suauis. Quippe quæ omnem delectationem & omnem saporis suauitatem in eius perceptione interius in animo & etiam in ore eius mellifluo sentiebat. Cumque amplius sanguinem viuificum sitiendo facere non poterat, aliquando post missarum solemnia, vt saltem calicẽ nudum super altare diu posset inspicere exigebat.

Ioan. 6.

De transitu eius à loco Vuillembroch apud Oegnies.

Cap. XLVII.

CVnque multo tempore iam apud sæpe dictum locũ, qui Vuillẽbroch nuncupatur, seipsam Domino immolasset, ex vicinitate proximæ villæ, quæ Niuella dicitur frequentiam hominũ ad eã ex deuotione concurrentium, quæ soli Deo vacare cupiebat, non iam sustinere poterat. Cumque multotiẽs multisque precibus Domino supplicasset, vt locum proposito suo idoneum, & personas quæ desiderio suo secundum Deum humiliter condescenderent, ancillę suæ prouideret, ostensus est ei locus in spiritu de Oegnies, quem nunquam prius viderat, de quo etiam ex nouitate & paupertate domus vix inter homines aliqua mentio tunc erat; tunc illa duce Domino ad locum sibi destinatum iter arripiens, cũ adhuc aliquanto spacio remota esset, beatus Nicolaus eiusdem loci Patronus cũ magna exultatione ei obuiam venit, eãque ad ecclesiam suam deduxit. Eoque quo venit die fratres de Oegnies magnũ festum faciebant de eius translatione. Cum autem primo ad locum illum venisset, miro modo & loci dispositionẽ & fratres eiusdẽ domus sicut ei Deus prius ostẽderat agnouit, & quod festũ sancti Nicolai esset percepit, & quod in eodem loco diem extremũ clauderet prædixit. Locum etiam in ecclesia vbi defuncta sepulchrum habere deberet mihi

In spiritu vidit locum ipsi incognitum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Futura quedã prædicit.

postea secreto ostendit,quod rei postea exitus comprobauit.Postquam autem de terra & de cognatione sua exiuit,Domino scilicet præcipiente,postquam sub vmbra illius quem desiderauerat sedit,tanto suauius, quanto secretius,quanta illi Dominus bona in loco illo fecit. Quotiens copiosius solito sanctorum Angelorum solatio eam visitauit , quotiens cum matre Domini familiares collocutiones habuit , quotiens præsentialiter ipse Dominus ei apparuit, non mente concipere nedum sermone explicare queam . Cum autem annus vltimus, quem Dominus illi promiserat immineret,quem etiam ipsa præ gaudio cælare non poterat(nam sex annis ante magistro Guidoni de Niuella eum prædixerat) suspirabat,clamabat, quasi dilationis impatiens dum Dominum amplexaretur.Nolo, inquit Domine, vt sine me recedas, non hic amplius morari desidero,ire domum volo.Et mirum in modum dum sic extra se rapta vehementi desiderio anxiaretur ex cordis plenitudine ferè totà discumpi videbatur in corpore. Cumque ad se reuerteretur super pedes suos post longo tempore stare non poterat.Ex feruore autem spiritus dũ extra se clamans traheretur,quasi ignea in vultu videbatur.Et quod mirabilius est,dum esset in illo mentis excessũ,irreuerberatis oculorum radiis rotam Solis materialis valebat intueri.

Qualiter obitum suum magistro Iacobo prædixit , & exultationibus vocis præuenit.

Cap. XLVIII.

Prædicit obitum suũ.

IN anno autem in quo transijt ad Dominum, cum ego ex officio mihi à legato Domini Papæ iniũcto ad prædicandũ & signandum,quos dominus inspiraret,cõtra hæreticos me præparare,dixit mihi dissolutionem sui corporis imminere.Et quia quando reuerterer nesciebã, testamentũ suum facere festinabat,relinquens mini corrigiam qua cincta erat,& sudarium lineum cum quo lachrymas extergebat,& quædam alia modica auro & argento mihi chariora.Cum autem immineret & appropinquaret tempus ægritudinis optatæ à festo annunciationis beatæ virginis vsque ad festum beati Ioannis Baptistæ,triũ mensium spatio non enim nisi vndecies & in modica quantitate cibum corporalẽ sumpsit : gaudens semper,& diem nuptialem cum exultatione expectans. Iam enim tempus promissum prope erat , quod multis lachrymis præuenerat,multis gemitibus & suspiriis postulauerat.Et ecce factus est repente de cælo sonus , & vox turturis audita est in Ecclesia nostra . Incepit enim alta voce & clara cantare,nec cessauit spatio trium dierũ & noctiũ, Deum laudare,& gratias agere dulcissimam cantilenam de Deo,de sanctis Angelis,de beata virgine, & de sanctis aliis,de amicis suis , de diuinis scripturis rithmice & dulci modulatione cõtexere.Vnus autẽ de Seraphin(vt videbatur sibi)alas suas supra pectus eius expandebat.Quo ministrante & dulciter assistente inspirabatur ei carmen absque omni difficultate.Vocem exultationis & consonantiam modulationis tantum homines audiebant . Clausis enim ostiis & omnibus exclusis Prior noster & ancilla sanctæ mulieris in ipsa ecclesia remanserant.Et hi multa de arcanis cælestibus quæ illa dicebat intelligere non poterant.Quædam autem intellexerunt,sed pauca proh dolor retinere potuerunt. Dicebat autem inter multa alia quod à lumine sanctæ trinitatis sancti Angeli intelligentiam haberent , à lumine corporis Christi glorificati,in sanctis animabus fructum haberent & exultationem, beatam etiam virginem iam in corpore glorificatam constanter asserebat , & quod corpora sanctorum qui in passione Christi surrexerunt, nunquam postea in puluerem reuersa sunt. Dixit etiam & inde valde gauisa est,quod spiritussanctus in proximo ecclesiã visitaret & copiosius solito per vniuersam ecclesiã operatores sanctos ad fructũ animarum mitteret , & mundum ex maxima parte illuminaret.Dixit etiam cum de beato Stephano prothomartyre caneret,quem rosariũ Paradisi appellabat,quod dũ oraret in morte , dominus sanctum Paulum dedit ei in munere. Cumque beatus Paulus martyrio cõsecratus spiritum in morte emitteret,beatus Stephanus præsens fuit,& beati Pauli spiritum Domino obtulit,dicens.*Hoc magnũ & singulare munus mihi dedisti,& ego cum fructu multiplici illud reddo tibi.*

De vltima eius ægritudine,& qualiter in ea se habuit.

Cap. XLIX.

De cantu eius antè ægritudinem.

Videre admirandã in famina.

ELapsis autem tribus iubilationis diebus,lectũ suum in ecclesia coram altari fecit præparari,& ad se reuersa coram fratribus dixit: Præcesserunt lamentationes dum lugerem pro peccatis,præcessit carmen dum exultarem & iubilarem pro æternis: Ecce nunc sequitur væ infirmitatis & mortis,nunquam enim de cætero manducabo. In hac infirmitate grauiter exterius laborabat, sed suauiter interius quiescebat.Sancti enim qui frequẽter ei in statu sanitatis astiterant,frequentius in infirmitate eam visitabant.Christus enim frequenter ei apparens,& quasi vultu compatientis eam respiciens,& Mater eiusdem Christi ei ferè semper assistens, quasi insensibilem ei reddebant infirmitatis dolorem.Angeli etiam sancti assistebant ei,& deuote ministrabant. Vnde cum quadam nocte sitiret,& iam per se surgere vel incedere præ nima debilitate non posset,duobus sanctis Angelis eam sustinentibus,& ad locum ducentibus vbi reposita erat aqua & reducentibus bibit,& ad lectum suum absque alio labore rediit.Cum vero , beata virgine prẽmonente,extremam reciperet vnctionem,omnes præsentialiter affuerũt apostoli.Beatus autem Petrus ei claues ostendebat,& quod cęli ianuã ei aperiret , promittebat; Christus autem signũ sanctæ crucis victoriæ suæ vexillũ pedibus eius affixit.Cum quẽ in diuersis partibus vngeretur,in susceptione sacramenti, operationem spiritussancti cum maxima mẽtis illuminatione sentiebat.Quidam autẽ de amicis & notis eius,qui dudũ mortui erant, ad consolationem missi sunt ad eam.Quidam etiam petiturus auxilium ab ancilla Christi in infirmitate illa apparuit ei,qui maximo cruciatu in Purgatorio torquebatur.Cũ autẽ causa visitandi eam sanctus Tolosanæ sedis Episcopus aliquando deuenisset, maximam ex episcopi præsentia consolationẽ & corporis fortitudinem ad tempus recepit.Beata autẽ virgo eam quasi in aere contra sanctum Episcopum (vt sibi videbatur)leuauit. Cũque idem episcopus in eadem ecclesia altari beatæ virginis consecrato missarum solemnia celebraret, vidit in perceptione sacramenti quasi columbã candidam, quæ sancto episcopo in ore ponebat eucharistiam, maximãque claritatem in eum interius transfundentem, & eius animam illustrantem,Domino ostendente,cognouit.Cũ autem in infirmitate nihil pęnitus manducare posset,nec etiam panis modici odorem sustinere valeret , de facili tamen corpus Christi sumebat . Quod statim quasi liquescens in animam eius transiens, non solum animum confortabat,sed & corporalem infirmitatem absq; mora alleuiabat.Accidit autem in sua infirmitate, dum corpus Christi reciperet,quod facies eius quasi quibusdam radijs luminis resplenderet.Cumque tentaremus aliquãdo vtrum eucharistiam non consecratam posset sumere, statim odorem panis abhorruit.Cum vero modica pars dentes eius attigisset,cæpit clamare,conspuere, & quasi pectus eius tumperetur anhelare , & singultus cum ingenti anxietate mittere.Cũque præ dolore diu clamasset,& multotiens os eius aqua abluisset,transacta magna parte noctis vix potuit quiescere.

In grauissima ægritudine mire diuinitus visitatur.

Diebus(vt ait Iacobus de vitriaco) quinquaginta tribus nil comedit.

Iterum de eodem.

Cap. L.

SEmper autem quantumcumque debilis esset, quantumcumque euacuato & exinanito corpore, vtpote quæ 53.diebus nihil penitus ante mortem manducauit, tamẽ lumen Solis sustinuit,& nunquam contra claritatẽ lucis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lucis oculos clauſit:& quod mirabilius eſt,cum iuxta & quaſi ad aures eius in eccleſia alta voce cantaremus,dum campanas diu & fortiter pulſaremus.Cum etiam quoddam altare vt conſecraretur ab epiſcopo Tholoſano cũ multis cæmentarijs percutientibus cum malleis & martellis iuxta eam erigeremus, nunquam aliquo tumultu grauari poterat,quem ad Deum & ad eius eccleſiã pertinere ſciebat.Nam & ipſa cum ei compateremur, aſſerebat,quia ſonus ille caput eius non lædebat nec cerebrum percutiebat,ſed ſtatim eum in anima cum magna ſuauitate recipiebat. Quædam autem alicui noſtrũ dixit,quæ poſt mortem eius debebant accidere , ſicut ſpiritu ſancto reuelante & promittente cognouit. Quæ ita propter ſcandalum infirmorum ſubiunximus, quod vt cum euenerint de facili ex ſcriptura poſſint perpendi. Interim vero ſermones ſignauimus & librum clauſimus quia forte tranſibunt plurimi,& multiplex erit ſcientia. *Videt Maria locum ſibi in cælis præparatum.* Cum autem appropinquaret hora eius, oſtendit Dominus filiæ ſuæ portionem hæreditatis eius inter fratres,viditque locum in cæleſtibus ſibi à Domino præparatum, vidit & gauiſa eſt Quinta autem feria ante diem tranſitus eius,cũ eſſemus preſentes,& aſſiſteremus ei in veſpere,nobis loqui non voluit,nec oculos ſuos ad nos cõuertit,ſed fixis immobiliter in cælum oculis (iacebat enim extra cellulam ſub aere) cepitque eius vultus quaſi quadam ſerenitate clareſcere.Tũc ipſa diutiſſime quaſi præ gaudio ſubridens,cæpit neſcio quid ſubmiſſa voce cantare.Non enim iam poterat vocem exaltare. Cũ autem magis appropinquaſſem,& diligẽtius auſcultaſſem, non niſi modicum de cantilena eius potui intelligere, hoc ſcilicet:Quod pulcher es Rex noſter Domine.Cũque diu in tanto permanſiſſet gaudio,cantando,ridendo, & manibus aliquando plaudendo,tandem ad ſe reuerſa quaſi de nouo ad ſenſum infirmitatis , quam prius non ſentiebat,cæpit modicum gemere. Cumque ab ea quid vidiſſet quæreremus,non niſi modicum voluit vel potuit nobis loqui.*Mirabilia*,inquit,*dicerem ſi auderem*. Die vero dominico apparuit ei Sathan quaſi inſidiando calcaneo eius,& multum eam vexauit.Nam aliquantulum cæpit pauere, & etiam à circũſtantibus auxilium petere. *Migratura à vita infeſtus eſt Sathan, ſed ab ea viriliter profligatur.* Ipſa vero in Domino fiduciã reſumens,& caput draconis fortiter conterens,& ſe ſigno crucis muniens , *vade*,inquit,*retro ſamies & turpitudo*. Quo recedente cæpit iterum cantare Alleluia,& Domino gratias agere.

De fœlici eius tranſitu.

Cap. LI.

Felicißime migrat ad dominum. Circa illam horam,qua Dominus emiſit ſpiritum in cruce ſcilicet circa horam nonam,ipſa quoque ad Dominum migrauit,nunquam vultus hilaritatem vel exultantis faciem aliquo mortis dolore mutans . Nec memini quod etiam in ſanitate maiorem vultus habuerit ſerenitatem,maioremque alacritatis prętenderit ſpeciem. *Corpus eius mire ieiunijs exeſum & attenuatum.* Cum autem in morte lauaretur eius ſacrum corpuſculum,inuẽta eſt ita attenuata & ieiuniis infirmitateque confecta,quod dorſi eius ſpina ventri eius contigua erat,& quaſi ſub tenui panno lineo ſub ventris eius pellicula oſſa dorſi eius apparebant. Poſt mortem etiã quos dilexerat in vita non deſeruit,ſed ad aliquos rediens;ſãctas etiam & probatæ vitæ mulieres frequẽtet alloquẽs, amicos ſuos & docuit in agendis,& prẽmuniuit in periculis etiam ſecretis ſignis omnem dubitationem à cordibus eorum remouens. Aliquibus etiam amicorũ ſuorum precibus ſuis impetrauit à Domino & ſapientiæ ſplendorem & charitatis feruorem.Vnde quidam ſanctus Ciſtercienſis monachus vidit in ſomnis poſt tranſitum Chriſti ancillæ,quod calix aureus ab ore eius exibat,quo quibuſdam amicis ſuis potum dabat.Retulit etiã mihi quidam alius quod in ſomnis vidiſſet corpus eius quaſi in ſplendiſſimũ lapidem pretioſum permutatũ.

Anno itaque(vt dictum eſt) incarnati verbi M. 213. kal.Iulij ſcilicet in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ circa horam nonam,die dominica illa pretioſa Chriſti margarita 36.ætatis ſuæ anno ad regni æterni delata eſt palatium. *Moritur anno 1213.*

De victoria Ludouici iuuenis in Pictauia.

Cap. LII.

Anno Domini M.ccxiiij.Ioannis Rex Angliæ vrbem Andegauenſem quam occupauerat,muro ex vtraque parte vſque Medianem circumuallare cæpit, etiam arridente fortuna cum in breui ſupradicta municipia obtinuiſſet.Aquitanorum & Pictauorum auxilio ſe poſſe de facili reſiduum terræ recuperare præſumens caſtrum,quod rupes Monachi dicitur à Guillelmo de rupibus Andegauis Seneſcallo ob tuitionem itineris de nouo ædificatum obſedit.Erectis itaque petrariis & cæteris machinis bellicis,cæpit caſtrum fortiter expugnare & obſeſſi non minus ſtrenue ſe defendere.Tunc Ludouicus Regis Philippi primo genitus patre ſuo per confinia Flandriæ & Normandiæ cum militibus diuerſa municipia viciſſim viſitante,& ab hoſtium incurſibus defenſante congregatum exercitum mouit de Chinone,vt prædictis obſeſſis ſuccurreret. Cumque per vnam iam dieram tantum à loco exercitus diſtaret,Rex Ioannes eius aduentum in craſtino futurum non ſuſtinens, omnibus petrarijs,mangonellis,papilionibus,cæteriſque belli vtẽſilibus dimiſſis ac prędæ expoſitis receſſit.Ludouicus autem vrbem quam muris circumſeperat recuperauit & omnes eius muros deſtruxit.Hanc autem victoriam Ludouici modico tempore interiecto ſecuta eſt victoria Regis Philippi. In qua infra menſis vnius ſpacium filius in Pictauia de Rege Angliæ , pater in Flandria de Othone Imperatore & Flandrẽſibus bello quidem difficili ſed victorioſo,ſummi Regis protecti dextra triumpharunt. *Ioannes rex Anglia Ludouicum regis filium fugat.*

De introitu Philippi Regis in Flandriam,& præparatione belli Flandrenſis.

Cap. LIII.

Ipſo igitur anno ſcilicet, ab incarnatione domini M. ccxiiij.Ioanne Rege Angl æ(vt dictum eſt)in partibus Andegauiæ debacchante, Otho Imperator electus ab ipſo Ioanne pecunia mediante , congregauit exercitum in comitatu Hannoniæ , in oppido Valentianæ in terra Ferrandi Comitis.Fueruntque cum eo miſſi à Rege Ioanne ad ſtipendia ſua ſcilicet Comites Boloniæ, & Salesberiæ & Flandriæ, Dux quoque Brabantiæ, cuius filiam idem Otho duxerat in vxorem,& multi alii proceres & Comites de Alemania, Hannonia , Brabantia, Flandria.Rex autem Philippus, cuius militiæ maiorem partem habebat filius eius in Pictauia congregatũ mouit exercitum in craſtino beatæ Mariæ Magdalenæ de Perona,terramque comitis Ferrandi intrauit . Et tranſiens per ea omnia incendio vaſtando ac depredando vſque ad vrbem Tornacum peruenit,quam Flandrenſes quidem anno præterito fraudulenter cæperant & multum damnificauerant;ſed idem Rex ſine mora miſſo exercitu cum fratre Guarino & Comite ſancti Pauli eam occupauerat . Otho vero cum exercitu ſuo venit ad caſtrum quod dicitur Morethania,diſtans à Tornaco per ſex milliaria.Et Rex quidem eos inuadere propoſuerat, ſed diſſuaſerunt Barones,quia non niſi arctus & difficilis aditus ad illos patebat.Receſſit autem Rex de Tornaco vt iret ad inſulam caſtrum,& Otho cum exercitu ſuo ſequebatur eum.Vicecomes autem Meleduni cum quibuſdam equitibus diuertit ab exercitu Regis verſus partes illas vnde veniebat Othonis exercitus , quẽ percutus eſt Guarinus Siluanectenſis electus.Hi ad quendã locũ eminentẽ peruenerunt,vnde prępărãtes acies & ad pugnam diſpoſitas manifeſte videre potuerũt.Quod cũ electus reuerſus nũciaſſet Regi quod hoſtes ſcilicet venirent ad bellũ parati,& vel pugnandũ neceſſario,vel cũ pudore & dãno recedẽdũ,conſulti Barones à Rege non multũ ſuadebant eſſe pugnandũ,ſed potius procedendũ. *Otho Imperator dictus contra Philippum regẽ exercitum congregat.*

De

De ordinatione acierum in vtroque exercitu.

CAP. LIV.

VEnerunt autē ad pontē Bouinū, qui est inter Cesonam & Sanguineū, quem cum maior exercitus iā transisset, & Rex citra pontem exarmatus, armis siquidem aliquantulum & itinere fatigatus, sub vmbra cuiusdam fraxini iuxta quandam ecclesiam beati Petri modice quieti vacaret: ecce nuncij missi ab illis qui stabant in postrema acie cum clamore accurrentes referunt, hostes aduentare, ac postremis aciebus iam ferè confligere, ac Vicecomitem & arcubalistarios & equites leuis armaturæ cum satellitibus vix furorem & audaciam eorum posse diutius retardare. Quo audito Rex ecclesiam ingreditur, & breuiter orans iterum egressus armis induitur, alacrique vultu equum iusilit, ac si ad nuptias vocaretur. Deinceps vbique per campos ad arma clamatur, clangunt tubæ, cohortes quæ iam pontem transierāt reuertuntur. Vexillum quoque beati Dionysij quod omnes in bello debebat præcedere, reuocatur. Nec satis prope reuertens non expectatur, immo Rex cursu rapidò redit, & in fronte belli se ponit. Quem videntes hostes preter spem suam sic retrogradum quasi stupore quodam & horrore percussi, diuerterunt ad dexteram partem itineris quo gradiebantur, & protendentes se in eminentiori parte steterunt à parte septentrionali, solemque qui die illo feruentius incaluerat ante oculos semper habentes. Rex autem alas suas è regione contra illos extendit stans à parte australi cum exercitu suo per spacia campi non parua breuiter protenso, Solem habēs in humeris. Ita steterunt hinc inde vtræque acies æquali dimensione protensæ, modico campi spatio à se inuicem distantes. In medio autem huius dispositionis erat Rex Philippus in prima fronte, cui lateraliter adhærebant Guillelmus Barrensis flos militum. Bartholomæus de Roia vir antiquus & sapiens, Galterus iuuenis vir probus & prudens. Petrus Maleuicinus, Girardus Scropha, Stephanus de longo campo, Guillermus de Garlāda, Henricus Comes Barri iuuenis, qui patri suo Regis consobrino nuper defuncto successerat, & alij etiā plures viri virtute spectabiles, & in armis exercitati. Ideoq; tunc ad ipsius Regis custodiam specialiter deputati. Ab oppositā eius parte stabat Otho agminis concertissimi, qui sibi pro vexillo erexerat aquilam deauratā super draconem pendentem in pertica erecta in quadriga.

Rex Francia se contra Othonem ad prælium parat.

De exhortatione Francorum ad pugnam, & oratione præmissa.

CAP. LV.

REx autem antequam congrederetur, hac breui & humili oratione suos milites alloquitur: Otho, inquit, cum suis à Domino Papa excommunicatus est, quia hostes & destructores ecclesiæ sunt, & pecunia quæ illis in stipendia ministratur, de lachrymis pauperum & ecclesiarum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communione pacis sanctæ ecclesiæ fruentes, quamuis peccatores, tamen ecclesiæ Dei consentimus & cleri pro posse nostro libertates defendimus. Vnde de Dei misericordia fiducialiter debemus præsumere, quia nobis licet peccatoribus dabit de suis & nostris hostibus triumphare. His igitur dictis milites à Rege benedictionem petierunt, & statim insonantibus tubis insultum viriliter in hostes fecerunt. In ipsa enim hora Capellanus, qui hæc scripsit, & quidam clericus non procul à Rege stabant retro ipsum. Qui audito clangore tubarum, alta voce cecinerunt hunc psalmum: *Benedictus Dominus deus meus, qui docet manus meas ad prælium &c.* Deinde, *Exurgat Deus, in virtute tua &c.* Omnes vsque in finem prout potuerunt propter irrumpentes lachrymas & singultus admixtos coram Deo deuote recolentes & libertatem qua ecclesia Dei gauderet in Francia per Philippum Regem, & e contra dedecus & opprobria quæ patere-

Oratio Philippi se ad prælium præparantis, vbi ostenditur quanta sit excommunicationis virtus.

tur per Othonem, & per Regem Angliæ Ioannē: quodque muneribus hostes illi prouocati contra Dominum suum in regno suo pugnare præsumebant.

De primo congressu militum.

CAP. LVI.

PRimus tamen congressus pugnæ non ibi fuit vbi erat Rex, quia antequam congrederetur contra Ferrandum & suos, iam in dextro cornu confligabatur, Rege forsitan ignorante. Prima quidem frons pugnatorum directe protensa erat, & campi spacium 40. passibus occupabat. Erat enim ibi Siluanectensis electus, non quidem vt pugnaret, sed vt armatos ad honorem Dei & regni ac salutis propriæ defensionem animaret, qui etiam quos formidolosos ac tepidos nouerat retro posuit. Quos autem feruentes & probos in vna & prima acie collocauit, ac directe per campum extendi fecit. Cāpus enim, ait, amplus est, non decet vt vnus miles faciat sibi scutum de alio milite, sed sic stent, vt omnes quasi na fronte valeatis pugnare. His dictis præmisit ad inchoandum bellum probissimos 150. satellites non minus sine equis, quam in equis pugnantes, vt milites egregij qui erant in prima fronte motos aliquantulum & turbatos inuenirent hostes. Indignati autem Flandrenses, qui erant ad pugnam feruentissimi, se non à militibus sed à satellitibus primo inuadi, de loco in quo stabant nequaquam se mouentes, sed eos ibidem expectantes alacriter receperunt, & equos eorum ferè omnium interfecerunt, ipsosque multis vulneribus affecerunt nullum tamen præter duos læthaliter vulnerauerunt. Hos autem secutus est Galterus sancti Pauli Comes, licet quibusdam suspectus esset tanquam hostibus aliquando fauisset. Vnde & dixit electo se bonum proditorem futurum die illo. Hic itaque cum electis suis militibus mira velocitate quasi aquila volans in columbas, medium hostium perforans transit multos feriens, & à multis percussus equos & homines indifferenter occidens, nullumque capiens, & ita per aliam partem reuersus est, hostium multitudinem quasi in sinu quodam intercludens, prosequitur eum nō minori audacia Comes Bellimontis, Mathæus de monte Morentij cum suis, & Dux Burgundiæ, factaque est pugna mirabilis ex vtraque parte, quæ cum feruentissime trium horarum spacio iam durasset, tandem totum belli pondus in Ferrandum cum suis versum est. Itaque multis confossus vulneribus, & in terram prostratus, ac ferè diuturnitate pugnandi exanimatus, Hugoni de Marois & Ioanni fratri eius se reddidit, & cum plurimis ex eius militibus captiuus ductus est. Cæterique omnes qui in eadem parte campi pugnabant, aut interfecti sunt aut capti, aut fuga turpi Francis insequentibus saluati.

De aduentu Communiarum, & de pugna contra Regem Philippum.

CAP. LVII.

INterea legiones Communiarum veniunt, & quantocius ad aciem Regis, vbi scilicet signum regale videbant, vexillum inquam floribus lilij distinctum, quod tunc ferebat Gualo miles fortissimus, sed non diues, de monte Gigniaco, specialiter Communiæ Corbeij Ambiani, Beluaci, Compendii, Attrebati, cuneos militum penetrauerūt, & ante Regem se posuerunt. At illi qui erant in acie Othonis audacissimi, & bellicosi viri ipsos in cōtinenti repulerunt, eisque paulatim dissipatis ferè vsque ad Regem peruenerunt. Quo viso milites prænominati, qui erant in acie Regis præcesserunt, seque Othoni ac suis furore Teutonico solum Regem quærentibus opposuerunt. Nam & Imperator ille & Ferrandus & Comes Boloniæ, sicut postmodū à captiuis didicimus, iuramēto firmauerūt, quod omnibus alijs neglectis ad aciē Regis Philippi procederēt, nec retorquerēt habenas, donec ad eū peruenientes ipsū occiderēt. Quo facto de reli-

quo exercitu facillime ſe poſſe triumphare ſperabant. Propter hoc Otho cum acie ſua non niſi contra Regem & eius aciem pugnauit. Ferrandus quoque voluit & incæpit, ſed no potuit ad ipſum peruenire, quoniam à Campanenſibus via eius interclusa fuit. Comes etiam Boloniæ ad Regem in ipſo pugnæ initio peruenit ſed cum prope iam eſſet, dominũ ſuum (vt arbitror) reueritus ab ipſo declinauit, & cum Roberto Drocarum Comite, qui non procul à Rege aſtabat, congreſſum habuit. Sed & Petrus Antiſiodori Comes cognatus Regis viriliter pro Rege pugnabat. Philippus tamen eius filius vxoris Ferrandi cognatus ex parte matris ex oppoſito contra Regem ſtabat. Adeo enim illi hoſtes Regis excæcati erant, quod multi eorum licet haberent ex ipſius parte fratres priuignos, vitricos, & cognatos, nihilominus tamen ſpreta reuerentia Domini ſæcularis, & abiecto Dei timore, bello iniuſto eos quos reuereri ac diligere ſaltem naturali iure tenebantur, laceſſere præſumebant. Itaque ſupradictis militibus virtute mirabili furorem Teutonicorum contra Regem impedientibus, pedites ipſum regem circumuallauerunt, & vncinis ac lanceis gracilibus in terram ab equo depoſuerunt. Pauci vero milites qui cum eo remanſerant, cæteris (vt dictum eſt) præcedentibus, & contra Othonis aciem dimicantibus, & ſupradictus Gaulo, qui in vexillo ſæpius inclinato vocabat auxilium, ſpecialiter quoque Petrus Triſtannides, qui ſponte ab equo deſcendens, ſe pro Rege ictibus exponebat, eoſdem pedites proſtrauerũt, diſſipauerunt, & occiderunt. Sed & ipſe Rex ſæpe citius à terra ſurrexit, & inopinata leuitate rurſus equum aſcendit.

De conflictu belli & fuga Othonis.

Cap. LVIII.

ERgo pugnatur ab vtraque parte virtute mirabili, & cadunt multi, ibique ante oculos Regis occiditur miles probus Stephanus de longo campo, cultello in capite per ocularium galeæ recepto: habebant enim hoſtes cultellos mirabiles, & hactenus inauditos, quibus pro gladiis vtebantur, longos ſcilicet graciles traiacumines, quolibet acumine à cuſpide vſque ad manubrium indifferenter ſecantes. Francorum tamen virtus indefeſſa prævalet, repulſaque tota Othonis acie peruenerunt ad eum. Itaque Petrus Maleuicinus ipſum per frenum apprehendit. Sed cum eum à turba qua conſertus erat extrahere non poſſet, Girardus Scropha cultellum in eius pectus impegit, ac propter armorum eius denſitatem ipſum lædere non valens, ictum reiterauit, & huic ſecundo ictui caput equi quod erat erectum & arduum obuiauit. Igitur cultellus mira fortitudine impulſus tetendit in cerebrum equi per oculũ receptus. Equus itaque lethaliter vulneratus ſe gyrauit, & verſus illam partem aquila cum carro dimiſſiis ac prædæ expoſitis tergum vertens à campo receſſit. Quo viſo Rex ait ſuis: Hodie faciem eius amplius non videbitis. Cum igitur paululum proceſſiſſet equus labitur, & ſtatim alius recens adducitur. In quem cum aſcendiſſet, fugæ velociter ſe cõmiſit, eo quod Francorum virtutem vlterius ſuſtinere non poſſet. Nam & Barrenſis eum per collum tenuerat, ſed equi velocitate ſuorumque militum denſitate præreptus ei fuerat. Qui etiam dum eorum Dominus fugeret, adeo fortiter præliabantur, vt ipſum Barreſem in terram proſternerent, qui plus quam cæteri præceſſerat, eo quod illi Regem cuſtodirent. Cum igitur equo ſuo occiſo pedes eſſet, & circumuallatus ab hoſtibus ſe more ſuo mira virtute defenderet, ipſe tamen vnicus à multitudine captus vel occiſus fuiſſet, niſi Thomas de ſancto Valerio, cum equitatu ſuo ſuperueniſſet, qui eũ de manibus inimicorum liberauit. Itaque reuuiſcente prælio dũ Imperator fugeret, duo Comites eius ex parte cum aliis viris fortiſſimis, quos ipſe ſpecialiter elegerat, vt eſſent prope eum in bello contra Francos pugnauerunt; tamen Franci prævaluerunt. Denique duo præfati Comites ſcilicet Herardus de hoſte-male miles fortiſſimus, & Gerardus de Anderodes capiuntur. Carrus decerpitur, draco frangitur, aquila alis euulſis, & confractis, ad Regem Philippum defertur. Othone autem inter primos fugiẽte, & Dux Louaniæ, & Dux de Lambroch, & Hugo de Boues, & alij per turmas ſe mandauerant fugæ turpi.

Othonis graue periculũ.

Falſiſſima Philippi de Othone Anglis, & Flãdrenſibus victoria.

De comite Boloniæ qualiter captus ſit.

Cap. LIX.

POrro Comes Boloniæ ab initio belli inceſſanter pugnabat, nec ab aliquo ſuperari poterat. Feceratq; ſibi quaſi munitionem quandam arte mirabili, de ſatellitibus armatis & confertiſſimis duplici ſerie in modum rotæ, ad inſtar caſtri obſeſſi, vnde patebat aditus quidam quaſi porta qua recipiebatur quoties, vel ſpiritum volebat reſumere, vel ab hoſtibus vrgebatur. Verumtamen antea multum diſſiuaſerat pugnam, probitatem Francorum ſciens & audaciam. Vnde & Imperator ac ſui, proditorem eum reputabant. Et niſi prælio conſenſiſſet, ipſum vinculis mancipaſſent. Denique cum pugna præmanibus haberetur, ipſe Hugoni de Boues dixiſſe fertur. Ecce pugna, quam tu ſuadebas, ego diſſuadebam. Tu quaſi formidoloſus fugies, ego vero ſub periculo capitis mei pugnabo, & vel captus vel interfectus remanebo. His dictis ad locum pugnæ ſibi deſtinatum acceſſit, omnibuſque cæteris ſibi diutius ac fortius pugnauit. Itaque cæteris, vt dictum eſt, fugientibus, ipſe tamen adhuc pugnans à ſex militibus euelli à campo non poterat, donec ſatelles quidam, Petrus ſcilicet de tinella, qui probiſſimus equo ſuo ab hoſtibus occiſo pedes pugnabat, ad ipſum acceſſit, & eleuata equi tectura mucronem vſque ad capulum in eiuſdem equi ventrem infixit. Lapſo igitur equo, Comes ſupinus iacuit, dexterum fæmur habẽs ſuper equi collo, vnde vix extrahi potuit. Superuenerunt autem Hugo & Gualterus de Fontibus, & Ioannes de Robereto. Qui dum inter ſe contenderent, cui eorum captio Comitis aſcriberetur; ſuperuenit Ioannes de Nigella cum ſuis militibus, qui corpore quidem procerus & formæ venuſtiſſimę miles erat, ſed his animi virtus in eo non reſpondebat. Vnde & in illo prælio nondum die tota cum aliquo conflixerat. Rixabatur tamen cum alijs qui Comitem illic detinebant, volens ex eius detentione laudis ſibi aliquid vendicare, & quidem prævaluiſſet, niſi frater Gualteri electus ſuperueniſſet, quem agnoſcens Comes dedit ſe illi, rogans, vt ſoli vitæ illius faceret miſereri, Cogitur itaque Comes de terra ſurgere, ſed cum vidiſſet non procul Arnulphum de Audenarda militem probiſſimum cum aliquot militibus ad eius auxilium properantem, in terra ſponte prolapſus adiutorium expectans, finxit ſe pedibus non poſſe ſtare; ſed qui aſtabant, ictus plurimos ingeminantes compuletunt eum in runcinum aſcẽdere, ipſe quoque Arnulphus & qui cum eo erant capiuntur.

Comitis Boloniæ acies.

Qualiter Rex Philippus victor cum gaudio rediit.

Cap. LX.

OMnibus itaque ferè equitibus aut fuga de campo electis, aut captis aut interfectis ſtabant adhuc ibi ſatellites pedites fortiſſimi, Brachantiones & alii, quos pars aduerſa quaſi vallum ante ſe poſuerant numero ſeptingenti. Quos videns Rex, Thomam de ſancto Valerio virum nobilem ac virtuoſum & aliquantulum litteratum contra illos miſit. Qui licet iam armis aliquantulum pugnando fatigatus eſſet, habens ſecum de terra ſua l. equites, & duo millia pedites, cum magno furore in illos irruit, omneſque trucidauit. Et mirum dictu, cum poſt victoriam ſuorum numerum recenſuit, non niſi vnum ſolum de toto numero deeſſe inuenit. Qui etiam ſtatim quęſitus inter occiſos, & inuentus atque in caſtra delatus, infra paucos dies vulneribus per medicos ſanatis incolumis eſt effectus. Dato itaq; ſigno, Francorum acies reuocantur, ad caſtra cum gaudio reuertũtur. Mira

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vero Regis Philippi clementia, eodem enim veſpere cū adducti coram eo fuiſſent proceres capti, quinque videlicet Comites, & 25. alij nobiles vexillorum inſignibus gaudentes, licet omnes de regno ſuo, qui in eius mortē coaſpirauerant, tanquam rei læſæ maieſtatis ſecundum leges capitibus complectendi eſſent; ille tamen vt mitis & pius vitam condonauit omnibus. Et ſi enim feruebat in eo contra rebelles ſeueritas, maior etiam vigebat in eodem clementiā in ſubiectos, cuius intentio ſemper erat,

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Omnes tamen ergaſtulis mancipauit, quibus in cathenatis & quadrigis impoſitis Pariſios direxit.

Qualiter Comitem Boloniæ de ingratitudine redarguit.

Cap. LXI.

CVm autem eſſet Bapalmis, intimatum eſt ei, quod Comes Bolonienſis poſt prælium miſerat nūcium ad Othonem, ſuggerens ei, vt Gandauum accederet, & & vires recolligens auxilio Gandauorum & aliorū bellum renouaret. Quo audito, ſiue viridico auctore ſiue non, Rex admodum perturbatus aſcendit in turrim, vbi duo maiores Comites erant, Ferrandus ſcilicet & Reginaldus. Itaque Reginaldo improperauit, quod cū homo ſuus legitimus eſſet, nouum eum militem ac de paupere diuitem fecerat, ipſe vero pro bonis mala retribuens, vna cum Comite Alberico patre ſuo ad Henricum quondam Angliæ Regem in regni perniciem ſe tranſtulerat. Poſtea quoque reſipiſcens, in magnam ipſius amicitiam receptus fuerat, & præter comitatum Domini Martini, qui Alberico patri ſuo in ſeruitio Regis Angliæ defuncto ad eum hēreditario iure deuolutus erat, comitatum ei Boloniæ addiderat. Ipſe quoque poſtmodum culpæ culpam adiiciēs, ad Regem Angliæ Richardum tranſiens, quamdiu vixerat, ei ſemper contra ipſum adhæſerat. Sed & Richardo defuncto eum interim in amicitiam ſuam receperat, & cum duobus prædictis comitatibus tres etiam alios ſcilicet Morennij, Albemarnæ & Vuarennarum eidem adiecerat. His omnibus beneficijs obliuioni traditis, contra ipſum ſuum Dominum Regem vniuerſam Angliam, Teutoniam, Flandriam, Hannoniam, Brabantiam ſine cauſa commouerat. Naues etiam eius apud eundem portum anno præterito cum alijs diripuerat. Sed & nuper cum reliquis contra ipſum corporaliter pugnauerat. Poſt pugnam quoque vitam ei miſericorditer cōdonatam miſſis nuncijs ad Othonem, & alios qui de bello euaſerant, ad bellum eos iterum incitare curauerat. Hæc omnia, inquit, mihi feciſti, vitam tamen me admittente non perdes, ſed donec hæc omnia lueris, ergaſtulum non euades.

De captiuitate eiuſdem comitis, & Ferrandi, & aliorum.

Cap. LXII.

HIs dictis fecit eum Perona adduci, ibique in turrim fortiſſimam includi, & cautiſſime cuſtodiri, ligatum compedibus mira ſubtilitate perplexis, ac ferè indiſſolubilibus. Ferrandum quoque Pariſios deuectum arcta cuſtodia mancipauit, in turre noua extra muros incluſum. Porro cęteri captiui in duobus caſtelletis Pariſiis poſiti ſunt, in vtriſque pontis capitibus, & in diuerſis per diuerſa loca munitionibus. In his autem quæ dicta ſunt, iuſtum Dei iudicium patet, quia conuentus prauorum quæ in exterminium bonorum temere diſponunt, ſemper in contrarium vertit ad vindictam ſcicet malefactorum, laudem vero bonotum: Ecce enim non ſolum iſti, qui in hoc bello confecti ſunt cōtra Regem conſpirauerunt, ſed etiam donis ac promiſſis illecti, Comes Herueus Niuernenſis, & omnes proceres trans Ligerim & Cenomanniæ & Andegauiæ & Neuſtriæ, excepto tantum Guillelmo de rupibus Seneſcallo Andegauiæ, Nihello de Mediana & Vicecomite ſanctæ Suſannæ, & alijs quampaucis iam Regi Angliæ ſuum fauorem ſpoponderant, ſed propter metū Regis quouſque certi eſſent quis eſſet pugnæ futuræ exitus, ſua vota tegebant. Iamque quaſi de victoria præſumentes, vniuerſum regnum diuiſerant, Viromandiam ſcilicet cum Perona Comiti Reginaldo, Pariſios autem Ferrando, & aliis alia oppida Othone diſtributore temere partientes. Deo igitur ordinante iuſtiſſime, ſicut eſt factum, vt Ferrandus, & Reginaldus id quod pro honore ſuo petierant vel putabant, pro ſuæ confuſionis ignominia haberent. Quis autem vel verbo vel ſcripto valeat explicare, quæ in eorum aduentu facta ſunt, cantica dulciſona clericorum, tripudia populorum, pulſationes claſſicorum, ornatus Eccleſiarum, vicos & domos & vias cortinis & pannis ſericis intectas, flores & ramos arborum virides vbique ſtratos, omnes etiam cuiuſque generis ſexus & ætatis homines ad tanti triumphi ſpectacula concurrentes, ruſticos & meſſores intermiſſis operibus, falcibus, raſtris, & ribulis in collo ſuſpenſis cateruatim ad vias ruentes cernere cupientes Ferrandum in vinculis, quem nuper formidabant in armis. Nec ei verecundabantur illudere ruſtici, pueri, & vetulæ, nacta occaſione à nominis æquiuocatione. Nam & caſu mirabili duo equi Ferrādi, ideſt eius coloris, qui hoc nomē equis imponit ipſum in lectica vehebant. Vnde & ei improperabant, quod ſic ferratus vt erat recalcitrare non poterat, qui prius impinguatus, dilatatus, recalcitrauerat, & in Dominum ſuum calcaneum eleuauerat. Hæc per omnia loca facta ſunt, quouſque Pariſios peruenerunt. Pariſiani vero ſeu Pariſienſes clerici & laici cum hymnis & canticis obuiam Regi proceſſerunt. Nec ſolum dies, ſed etiam noctes in lætitia tranſegerunt; ſeptem enim diebus continuis noctibus innumeroſis luminibus vtebantur, ita vt nox ſicut dies illuminare videretur.

De malitia Regis Ioannis Angliæ, & inconſtantia Pictauenſium, & treuga data.

Cap. LXIII.

COmes vero Salesberiæ Regis Angliæ frater ipſo die pugnæ traditus eſt à Rege Philippo Comiti Roberto: vt ipſe Rex Angliæ filium eiuſdem Roberti, quem captum tenebat, vt ſupradictum eſt, commutaret pro illo. Sed ille tanquam naturæ contrarius carnem ſuam & ſanguinem ſemper odio habens, noluit extraneum quem tenebat captiuum commutare pro fratre ſuo. Poſt paucos dies Pictauenſes tantæ fama victoriæ perterriti, miſſis legationibus, regi Philippo elaborabant reconciliari. Rex autem eorum perfidiam multotiens expertus, eorumque fauorem ſciens, Domino ſuo fore ſemper oneroſum, & nunquam fructuoſum, non acquieuit, ſed collecto exercitu in Pictauiam, vbi Rex Ioannes erat acceſſit. Cumque Laudunum peruenisſet, Vicecomes Thoarcii qui potentiſſimus erat in terra illa, legatos ad eum pro pace vel ſaltem pro induciis ſupplicantes miſit. Qui mediante Petro cognato ſuo Ducē minoris Britanniæ, cuius vxor eiuſdem Vicecomitis neptis erat, in amicitiā ſuam eum ſine difficultate recepit. Sed & ipſe Rex Anglorum cum 17. milliaribus ab illo loco diſtaret, & non haberet quo fugeret, nec in apertum vt pugnaret, procedere auderet, miſſo Ranulpho Comite Lenceſtriæ cū Roberto Legato Domini Papæ, & aliis de induciis tractare cæpit. Et Rex Philippus quinquennies inducias ei ſolita benignitate conceſſit, ſicque Pariſios rediit.

Comes Saleſberiæ captus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Concilio Innocentij, & reprobatione dogmatum Ioachim & Amalrici.

Cap. LXIV.

An. Christi 1215. Ioachim Abbas damnatur & Petrus Lombardus defendit.

EX *Chronicis.* Anno Domini 1215. Innocentius Papa generale concilium, quod Lateranense dicitur Romæ celebrauit, in quo peruersam Ioachim & Amalrici doctrinam condemnauit dicens; Damnamus & reprobamus libellum seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra magistram Petrum Lombardum de vnitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum & insanum: pro eo quod in suis dixerit sententijs; quoniam quædam summa Rex est Pater & filius & Spiritussanctus, & ista non est generans, neque genita, neque procedens. Vnde asserit quod illæ non tam Trinitatem quam quaternitatẽ astruebat in Deo, videlicet tres personas & illam cõmunem essẽtiam quasi quartã, manifeste protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater & filius & Spiritussanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamuis concedat quod Pater & filius & Spiritussanctus sit vna essentia, vna substantia, vna natura. Verum huiusmodi vnitatem non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines populus vnus, & multi fideles sunt vna ecclesia, iuxta illud: *Act. 4.* *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et qui adhæret Dominò, vnus Spiritus est cum illo. Et qui plantat & qui rigat, vnum sunt.* Et omnes vnũm corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum. *Populus meus & populus tuus vnum sunt.* Ad hanc autem suam sententiam astruendam illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in euangelio: *Volo pater, vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus, vt sint Deo confirmati in vnum.* *Ioan. 17.* Non enim (vt ait) fideles Christi sunt vnum, ideſt quædam vna res, quæ communis sit omnibus, sed & suo modo sunt vnum ideſt vna ecclesia propter catholicę fidei vnitatem, & tandem vnum regnum propter vnionem indissolubilis charitatis.

Nos autem sacro approbante concilio credimus & confitemur cum Petro, quod vna res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & filius & Spiritussanctus, tres simul personæ ac singillatim quælibet earundem & ideo in Deo solummodo Trinitas est non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, ideſt essentia seu natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quam aliud inueniri non potest: & ista res non est generans, nec genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, & filius qui gignitur, & Spiritussanctus qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura.

Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus confitetur. In nullo tamen propter hoc Florentino monasterio, cuius ipse Ioachim institutor extitit, volumus erogari, quoniam & regularis est institutio & obseruantia salutaris, maxime cum idem Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit apostolicæ sedis iudicio approbanda seu etiam corrigenda, dictans epistolam cui manu propria conscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ disponente Domino, mater est & magistra cunctorum fidelium.

Reprobamus etiam & condemnamus peruersissimũ dogma impij Amalrici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tantum hæretica censenda sit, sed etiam nephanda.

Qualiter beatus Dominicus ordinem suum petijt ab Innocentio Papa confirmari.

Cap. LXV.

Roma concilium generale Lateranense.

EX *gestis eius.* Ad hoc autem concilium proficiscente Fulcone Tolosano episcopo, adiunctus est ei vir sanctus Dei Dominicus, qui ab eodẽ episcopo propter suæ meritum sanctitatis tenero dudum fouebatur affectu. Cum quo etiam summum Pontificem Innocentiũ adiit, atque ordinem qui prædicatorũ diceretur & esset, confirmari sibi suisque sequacibus postulauit. At iste ad postulationem huiusmodi visus est aliquãtulum primitus se difficilem exhibere, quod tamen sine nutu diuino factum non est, vt nimirum ex reuelatione sequenti Vicarius Iesu Christi cognosceret, quam necessarium esset vniuersali cui præsidebat Ecclesię id ad quod vir Dei Dominicus inspiratus diuinitus aspirabat. Sic enim à plerisque fide dignis compertum est. Quædam nocte idem summus Pontifex Deo sibi reuelante videbat in somnis, quod Lateranensis ecclesia quasi suis compagibus resoluta grauem subito minaretur ruinam. Quod cum tremens simul ac mærens aspiceret, ex aduerso vir Dei Dominicus occurrebat, humerisque suppositis totam illam fabricam casuram sustentabat. Cuius visionis & nouitatem admirans, & significationem prudenter intelligens, sine vllo dilationis obstaculo viri Dei & commendauit propositum, & petitionẽ hilariter acceptauit, hortans eum vt ad fratres suos rediens, & diligenter deliberans, cum eisdem pari voto regulam sibi aliquã approbatam eligerent, super quam inchoandi ordinis promotionem firmarent. Et sic deinde ad ipsum veniens cõfirmationem ad libitum reportaret. Quod sapienter sanè nec sine Spiritusancto suggerente cõsiderauit vir sapiens, sciens nimirum validiora esse ædificia, quæ fundamẽtis ex antiquo suppositis innitũtur, viasque antiquas & regias nouis semitis tutiores, dicẽte Domino per prophetam, *State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* *Hier. 6.*

Visio Innocentij tertij de religione S. Dominici.

Qualiter idem ordo confirmatus est à Papa Honorio.

Cap. LXVI.

EGressus igitur post celebrationem concili vir Dei Dominicus verbum summi Pontificis fratribus patefecit. Erant autẽ fratres numero circiter 16. Qui mox inuocato Spiritusancto regulam sancti Augustini Doctoris & prædicatoris egregij, ipsi pariter re & nomine prædicatores futuri vnanimiter elegerunt, quasdã quidã arctioris vitæ consuetudines, quas sibi per formã constitutionũ obseruandas statuerunt, insuper assumentes; in quo pater prouidus circa ordinis sui componenda primordia præcedentium patrum non dedignatus vestigia, sic mediũ tenuit, vt eis qui nascerentur & exurgerent filijs, & in quo starent, modus debitæ perfectionis adesset, & quo possent accedere per profectũ cõtinuum non deesset; non ignorans quod scriptum est. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectũ diem.* *Prou. 4.* Et hoc satis cõsulte nedum se statim in altum supra modum extenderet, succedentes in posterum retrocedere potius quam procedere cogerentur, sicque merito contra illos euangelicum illud improperium diceretur: *Iste homo cæpit ædificare & non potuit consummare.* *Luc. 14.* Quapropter ne prædicationis, cui summopere debebantur intendere, impenderetur officium, proposuerunt ex tunc terrenas possessiones & redditus prorsus abiicere, quod postmodum in primo capitulo generali Bononiæ celebrato affectu pariter & effectu per constitutionẽ immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum.

An. Christi 1216. Anno itaque Domini 1216. confirmatus est fratrum prædicatorum ordo. Siquidẽ Innocentio Papa de medio per mortem sublato, Honorius huius nominis tertius Apostolicæ sedis honorem accepit. Ad quem accedens

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſeruus Dei Dominicus ſui ordinis confirmationem, ſicut prædeceſſor eius promiſerat impetrauit.

De diſperſione fratrum ad prædicandum per mundum.

Cap. LXVII.

Viſio Beati Dominici.

CVm autem idem vir Dei Romæ eſſet, & in Baſilica beati Petri in conſpectu Dei orationem ſuam pro cōſeruatione & dilatatione ordinis, quem per ipſum dextra eius propagabat effunderet, facta manu Domini ſuper eum glorioſos principes Petrum & Paulum ad ſe ſubito viſione quadam imaginaria venientes aſpexit. Quorum primus videlicet Petrus baculum, Paulus vero librum ſibi tradere videbantur, addebantque dicentes: *Vade & prædica quoniam à Deo ad hoc miniſterium es electus.* Moxque in momēto temporis videbatur ei, quod filios ſuos per totum mundum diſperſos aſpiceret, incedentes binos & binos, & verbū Domini populis prædicantes. Quapropter Toloſam rediens, vbi iam fratres in eccleſia ſancti Romani, quam eis ſupradictus Fulco Toloſanus epiſcopus contulerat, clauſtrum conſtruxerant & manebant. Conuocatis omnibus dixit, hoc ſuum eſſe propoſitum, vt fratres omnes licet paucos per diuerſas mundi diſpergeret regiones, ſciens quia ſemina diſperſa fructificant, & congeſta putreſcunt. Voluit etiā vt ſibi quendam per electionem præficerēt, penes quem ſuper omnes, ſub ipſo tamen regendi & corrigendi auctoritas reſideret. Hoc autem faciebat vir ſanctus diſponens adire terram Saracenorum, & eis verbum Domini prædicare, propter quod etiam barbam aliquanto tempore nutriebat. Electus eſt igitur frater Matthæus & Abbatis nomine nuncupatus, poſt quem in eodē ordine nec alius ſurrexit Abbas nec exurget. Placuit nāque poſtmodum fratribus, vt qui toti præeſſet ordini non Abbas, ſed magiſter ordinis diceretur, cæteri vero inferiores prælati Priores & Supperiores communi ſcilicet religioſorum vocabulo cenſerentur. Intuocato igitur Spiritu ſancto diſperſit fidelis diſpenſator & prudens ſeruus Dei Dominicus ſuos fratres & quoſdam quidem in Hiſpaniam, quoſdam vero Pariſios, alios autem Bononiam deſtinauit. Illi autem profecti ſalutarem vbique diſſeminauerunt ſcientiam, magnas quidem ſuſtinentes anguſtias paupertatis, & virtus Dei erat ad multiplicandum eos. Ipſe vero Romam Domino ducente profectus eſt.

Monaſteriū Dominicanorū Toloſæ extruitur.

Fratres ad diuerſa loca amandat.

Primus idēque poſtremus Abbas apud Dominicanos.

De viſionibus quibuſdam oſtenſis ſuper ſtatu ordinis.

Cap. LXVIII.

SAcerdos autem quidam videns aliquando beatum Dominicum cum ſuis fratribus prædicationi tam feruenter inſiſtere, terreniſque poſtpoſitis, ſpiritualib. curam dare, ad eorum vitam pia æmulatione ſuſpirans, deliberauit prorſus relictis omnibus eorum adhærere veſtigijs, dummodo noui teſtamenti librum haberet, quem ſibi ad prædicādum neceſſarium æſtimabat. Hæc autem eo cogitante, ecce quidam iuuenis venale teſtamentum ſub veſte baiulans affuit, quod ſtatim ſacerdos cum magno gaudio emit. Verum teſtamento habito irrepſit ei tentatio, hæſitareque cæpit, an illud exequi quod mente conceperat expediret. Cum ergo in corde ipſius variæ cogitationes excreſcerent: viſum eſt ei in eodem libro quem emerat non quidem quaſi ſortilegiorum deteſtandis vtens præſtigijs, ſed pia quadam intentione prouidentiæ ſe ſummę committendo diuinum flagitare reſpōſum. Fuſa itaque ad Deum prece impreſſaque ſuper librum extertus cruce, in nomine Domini librum aperuit, & oculos ad capitulum quod primo ſe obtulit in ipſa libri apertione coniecit. Occurrit autem ei mox illud quod in actibus apoſtolorum beato Petro per ſpiritum dictum eſt. Surge, deſcende & vade cum eis nihil dubitans, quia ego miſi illos. Statim igitur tanquam diuino certificatus oraculo, relictis omnibus ſecutus eſt eos. Accidit etiam quodam alio tempore, vt quidā Apoſtolicæ ſedis Legatus, epiſcopus videlicet Portuenſis, Conradus nomine, vir religioſus de ordine Ciſtercienſis Bononiæ aduenisſet, hic ad domum fratrum prædicatorum veniens, debito cum honore ſuſceptus eſt. Quædam autem hæſitatio de hoc ordine quare ſcilicet & ad quid eſſet inceptus menti eius cæpit irrepere, Reſidens igitur in eccleſia fratrum librum aliquem petijt; oblatuſque eſt ei liber miſſalis, quem facto ſigno crucis aperiēs in ſuperiori primi folij ſicut in animo ſuo deſtinauerat parte legit, *laudare, benedicere, & prædicare.* Quo tanquam cælitus emiſſo reſponſo, ſtatim exhilaratus, omnem à ſe dubietatis ſcrupulum iam certus abiecit, ſeſeque fratribus & totaliter obtulit, & deuotiſſime commendauit.

De magiſtro Reginaldo Aurelianenſi qualiter Cardinali propoſitum ſuum aperuit.

Cap. LXIX.

Reginaldi Aurelianenſis decani propoſitum.

EOdem tempore vir quidam venerabilis, magiſter Reginaldus ſancti Aniani Aurelianēſis decanus, peritus ſcientia, virtute conſpicuus, & opinione præclarus, qui etiam Pariſios in iure canonico rexerat annis quinque, Romam vna cum Aurelianenſi epiſcopo mare trāſiturus aduenerat. Huius autem viri cor tali Deus inſpiratione tetigerat, vt relictis omnibus, prædicationis officio ſe totaliter māciparet. Quonam autem modo quod mente conceperat, ad effectum perduceret, necdum aduerterat, quia nec adhuc recens ordinis prædicatorum inſtitutio fuerat manifeſta. Cum autem à quodam Cardinali, cui ſub quodam familiari colloquio huiuſmodi votum expreſſerat, iam nouum ordinem iuxta deſiderij ſui propoſitum inſtitutum, eiuſdemque ordinis inſtitutorem & patrem videlicet ſeruum Dei Dominicum in eadem vrbe prædicationis inſiſtentem officio didiciſſet. Accerſito eo eiuſque mira collocutionis dulcedine vehementer affectus, nec minus aſpectu ſuæ ſanctitatis attractus mentis ſuę propoſito reuelato, ex tunc ipſius ordinis deliberauit ingreſſum. Nec mora graui febrium infirmitate corripitur. Dumque languor fortius inualeſcens medicinæ remedia natura prorſus deficiente nequaquam admitteret, excluſerat pænitus mors in ianuis ſpē ſalutis. At vir Dei Dominicus expectatæ ſobolis intempeſtiua dona non ſuſtinens, totum ſe ad orationem contulit, aures diuinæ clementiæ Reginæque miſericordiæ beatæ Mariæ, cui tanquam ſpeciali patronæ curam ordinis totam commiſerat, importunis clamoribus cordis interpellans, ne ſe tam ſubito nondum nati, ſed quodammodo concepti filij conſolatione priuaret. Tantoque importunius inſiſtebat, vt vel ſaltem eum modico tempore ſibi concedere dignaretur, quanto tertius ipſum futurum vas electionis & gratiæ nullatenus dubitabat.

Qualiter idem ſuum propoſitum per beatam virginem adimpleuit.

Cap. LXX.

Reginaldo inſigni viro apparet beatiſſima Maria.

EO igitur in orationibus perſiſtente, ecce ſubito Reginam miſericordiæ duabus admodum ſpecioſis comitatam puellis Reginaldus vigilans & mortem expectans ad ſe viſibiliter venientem aſpexit blādaque facie dicentem ſibi: *Pete à me quod vis, & dabo tibi.* Expauescenti autem ad tam venerādæ viſitationis occurſum, deliberantique quid peteret, vna ex his quæ Reginā comitabatur puellis ſuggeſſit ei ne quid peteret, niſi quod Regina miſericordiæ dignaretur conferre, ſeque totum eius committeret voluntati. Quod cum factum eſſet, illa manum extendens, ægrotantis oculos aures & nares, os quoque & manus, teneſque & pedes ſalutari quam ſecum attulerat vnctione perunxit, formulas verborum proprias ad ſingulas vnctiones ſubinferens, quorū verborum

borum ea duntaxat comperta sunt, quæ ad renum pedumque protulit vnctionem. Ad renes quidē ait: *Stringantur renes tui cingulo castitatis.* Ad pedes autem: *Vngo pedes tuos in præparationem euangely pacis.* Tunc ei habitum prædicatorum ostendens inquit ei: *Iste est habitus ordinis tui.* Statimque & illa ab ægrotantis oculis speciem suæ visionis subtraxit, & ægrotans languore pænitus propulsato cōualuit; nimirum vtpote, quem mater eius perunxerat, qui nouit vnctiones condere sanitatis. Hoc autem totum quod erga præfatum Reginaldum pænitētialiter gestum est, seruum Dei Dominicum in oratione præsentialiter positum Deo sibi reuelante non latuit. Mane namque ad eum veniens, & sanum repperit, & ab eodē pariter totius seriem visionis audiuit. Huius etiā tam stupendi miraculi vir quidam religiosus de ordine Hospitalariorum testis extitit, qui die tertia eiusdem visionis seriem eidem Reginaldo præsente quoque viro Dei Dominico, iterato exhibitam ipse similis ibidē expensis propriis oculis Deo sibi concedente, & vidit & stupuit. Illa autem cęlestis vnctio ita corpus ipsius magistri Reginaldi nō solum ab æstu febrium, verum etiā ab ardore cōcupiscentiæ temperauit, quod sicut ipse postmodum est confessus, nec primus in eo motus libidinis de cætero pullulauit. Hanc visionem hoc insigne miraculum multis fratribus maxime post illius trāsitum seruus Dei Dominicus publicauit. Recepta igitur totaliter sanitate, Deo se & ordini totaliter obtulit, votoque potitus, tandem Bononiam adijt, prædicationi tā feruenter insistens, vt quasi alter surrexisse videretur Helias. Et ex tūc maxime ad prædicationem eius cæpit numerus fratrum excrescere, & ordo fortius promoueri.

Eum sanitati restituit.

Omnem in eo libidinem extinguit.

De duobus mortuis, quos beatus Dominicus oratione suscitauit.

Cap. LXXI.

Die quadam Dominus *Stephanus de fossa noua* venerabilis Cardinalis ad Sanctum Sixtum, vbi tunc tēporis vir Dei Dominicus cum suis fratribus morabatur accesserat, cuius nepos adolescēs quidam dum cursus vagus ferretur, precipiti equo tandem in foueā præcipitato collapsus, collisus grauiter plangentium manibus ferebatur exanimis. Ad hoc frater Tancredus vir probatus, satis famosus in ordine ad virum Dei Dominicum confidenter accedēs, quid, inquit, agis pater? Casus iste virtutis tuæ experimentum expectat, nostra res agitur. Eya ergo precare Dominum & compassionem tuam fiduciamque in Domino probet effectus, manifestet prodigium. Tunc ille fratris tam viuis animatus sermonibus, quā virtute desuper infusa de futuro signo quasi certus effectus, adolescentis corpus extinctū iā penitus in quandā cameram, quæ nunc est cellariū sanctimonialium ibidem morantium; fecit seorsum ab omnibus introduci, facta oratione, mox mirum in modum adolescentem & viuum reddidit & incolumem præsentauit.

S. Dominicus mortuum reuocat ad vitam.

In eodem loco Architectum quendam conductum à fratribus subscripta quædam ruina desuper resoluta cōtriuit, diuque sub cumulo cadentis maceriæ iacentem extinxit. Concurrunt fratres ad tam dirum casus inopinatum euentum, tristes supra modum effecti; sollicitabat enim eos & defuncti status incerta conditio, & tumultuantis populi cōtra eos ex hoc quod inter ipsos cōtigerat rumor futurus ambiguus, vtpote quorum opinio tāto facilius lædi poterat, quanto minus adhuc apud homines status ordinis notus erat. Sed pius pater vir Dei Dominicus correxerat, fiduciam habens in Domino, desolationem filiorum non sustinens, defuncti corpus de cauerna subductum ad se deferri iussit, orationumque suffragio vitæ simul & sanitati restituit.

Item alium defunctum restituit ad vitam.

De miraculo panum fratribus semel & iterum diuinitus oblatorum.

Cap. LXXII.

Cvm fratres prædicatores adhuc apud locum sancti Sixti morarentūr in vrbe, contigit die quadam, quod procurator panem quem apponeret coram fratribus, non haberet. Missi vero fratres pro eleemosyna, cū domos multas more solito circuissent: sacerdotes quidem & leuitas quam plurimos, sed Samaritanum ratissimum inuenerunt. Vnde factum est, vt panis vix modicum & valde modicum reportarent. Imminente igitur refectionis hora ad seruum Dei Dominicum, qui præsens erat, procurator accessit, defectum exposuit. Ipse vero exultans in spiritu, vultu alacri benedixit Deum, & quasi quadam fiducia infusa sibi desuper cōfortatus, id modicum quod habebatur panis per partes diuidi super mensam mandauit. Erant autem in conuentu tunc temporis fratres circiter 40. Facto itaque signo veniunt ad refectorium, & benedictionem mensæ lætis vocibus prosequuntur. Dumque per ordinē residentes buccellā panis, quam vnusquisque coram se repperit cum gaudio frangerēt, ecce duo iuuenes eiusdem habitus formæque cōsimilis refectorium intrauerunt, palliorum sinus quia collo pendebant plenos panibus, quales ille pistor qui mittebat, nouit conficere deferentes. Quibus in capite vnius mensæ iuxta quem vir Dei Dominicus residēbat, silēter oblatis, ita subitō discesserunt, vt nullus vnquā de cætero vel vnde venisset scire potuerit, vel quo postmodū diuertissent. Alia quoque vice in casu consimili miraculum simile de panibus scilicet diuinitus procuratis, in eadem vrbe meritis eiusdem Dei serui Dominici contigisse compertum est.

Diuinitus panes ministrantur fratribus.

De quibusdam alijs eiusdem miraculis.

Cap. LXXIII.

Frater Iacobus procurator fratrum aliquando infirmitate graui præuentus erat, morboque inualescente quotidie iam ad extremum vitæ natura prorsus succumbente deuenerat. Cumque fratres vnctionis officio iam præmisso circa eum vt egredientem spiritum orādo protegerent tristes essent, non modicum de subtractione fratris sibi tunc temporis tam necessarij, pro eo quod tā notum in vrbe fratrem alium non haberent, benignus pater filiorum admodum cōpassione commotus, seclusis omnibus clausoque ostio super se, super corpus fratris morientis incubuit, mensusque & quasi alter Heliseus per membra singula super eum oratione fusa egtedientē spiritum potenter retinuit, fratribusque conuocatis reparatum fratrem ipsis per manum restituit, suoque officio fratrem incolumem resignauit.

S. Dominicus fratrem moribundum reddit incolumem.

Eodem aliquando in itinere cōstituto facta est subito grauis intemperies aeris, quam magna statim secuta est inūdatio pluuiarum. Cumque densus imber per circuitum terram infunderet, vir Dei Dominicus signo crucis sic ex omni parte circa se omnem illam inundationis eluuiem propulsauit, vt quasi facto papilione de cruce totam terrā prospiceret, decisa imbrium infusione madescere, ne vna gutta ad trium spacia cubitorū vel fimbriam vestimentorum suorum contingeret.

Sæpe etiā contigit vt in via superuenientibus pluuijs sua sociorumque quamplurimum madefierent vestimēta. Cumque post cęnam socij eius remanerēt ad ignem, vt vestes ad exiccandum extenderent, & corpora pariter aliquātulum recrearent, vir Dei Dominicus spiritus sancti igne feruēs more suo statim ecclesiam ad orandum, immo in orationibus potius pernoctandum, sic cum vestibus videlicet madefactis intrabat. Mane vero vestibus aliorum qui ad ignem remanserant existentibus madefactis, vestes eius ita inueniebantur penitus exsiccatæ, ac si in calenti fumo tota nocte positæ perstitissent.

De

De denario pro naulo diuinitus ab eo procurato, & dono linguarum impetrato.

Cap. LXXIV.

NEc illud à viri laude vacare videtur in partibus Toloſanis, quod cum quadam die euangelizando diſcurrens cum multis alijs tranſiſſet nauigio quandam aquam, nauta qui eum tranſuexerat importune denariũ ab eo pro mercede tranſitus exigebat. Cui vir Dei pro exhibito obſequio regnum promittebat cælorum, addens quod ſeruus Chriſti & diſcipulus eius erat, nec aurum & argentum ſecum pæuitus deferebat. At ille promiſſionem eius non ſolum ducens pro nihilo, verumetiam ex hoc potius prouocatus, acrius & importunius inſtans, ac eum per cappam violẽter trahens, *aut cappam*, inquit, *dimittes, aut denarium mihi ſolues*. Tunc vir Dei erectis in cœlum oculis, paululũ intra ſemetipſum orans, moxque in terram proſpiciens: & denarium diuino, nec dubium, procuratum nutu iacentem, *ecce*, inquit, *frater quod poſtulas: tolle, & me liberum in pace dimitte*: Qua in re quid aliud in ſeruo ſuo Dominus oſtendere voluit, niſi quod in ſeipſo exhibuit? Cum videlicet pro ſolutione tributi per miniſterium Petri de ore piſcis ſtaterem procurauit.

Denarius illi diuinitus mittitur.

Contigit aliquando viro Dei iter agente aſſociari ſibi religioſum quendam conuerſationis quidem ſanctitate domeſticum, ſed loquela & lingua penitus alienum. Dolens itaque quod de diuinis verbis vna cum illo mutua collocutione refoueri non poſſet, tandem à Domino, orationum ſuarum inſtantia, vt vnus lingua loqueretur alterius, verbiſque ſic alterutrum varietatis ſeſe per triduum quo videlicet ſimul ituri erant intelligerent, impetrauit.

Impetrat donum linguarum.

De quibuſdam obſeſſis à dæmonibus per eum liberatis.

Cap. LXXV.

IN quadam eccleſia conſtituto accidit ſibi quendam obſeſſum diuerſis dæmonibus præſentari, qui accepta ſtola, eam prius ad collum proprium poſuit, denique eadem collum cinxit dæmoniaci; mandans illis vt de cætero illum hominem non vexarent. Ipſi vero in eiuſdem obſeſſi corpore torqueri ſtatim cæperũt fortiter & clamare. *Permitte nos exire, quare nos hic cruciari compellis?* At ille: *Non dimitto vos*, inquit, *niſi mihi fideiuſſores dederitis, quod huc vltra nequaquam de cætero redeatis*. Quos, inquiũt, illi fideiuſſores poſſumus tibi dare? Et ille: Sanctos martyres quorum corpora in hac eccleſia requieſcunt. Qui dixerunt: Non poſſumus, quia merita noſtra contradicunt. Oportet vos, inquit, dare, alioquin à cruciatu hoc nequaquam liberos vos dimittam. Tunc illi reſponderunt: Ad hoc ſe daturos operam prout poſſent. Interiecto modico interuallo dixerunt: Ecce impetrauimus licet immeriti: quod ſancti martyres fideiuſſeruht. Quod ſignum ait; quod hoc verum ſit datis mihi? Qui dixerunt. Eatis ad capſam, in qua recondita ſunt capita martyrum, & eam inuenietis inuerſam. Quæſitum eſt, & inuentum per omnia ſicut iſti fuerant proteſtati.

Expellit dæmones ab obſeſſis.

Quædam mulier mundo dedita, carnis illecebris vacabat, ſed culpa tandem pœna non caruit. Nam hanc malignus ſpiritus per interualla temporum grauiter vexare cæpit. Erat autem vicina eccleſia, in qua tunc temporis prædicatores fratres Florentiæ morabantur. Quo aduenies vir Dei Dominicus ipſam primitus ad pœnitentiam exhortando perduxit, poſtmodum etiam vexationi ipſius compatiens, ſuis orationibus vt ab ea malignus diſcederet ſpiritus impetrauit, ita vt quæ vix interpolatis diebus quietem modicam habere poterat, vltra annum vexationis ſuæ ſolitæ moleſtiam nõ ſentiret. Verum à vexatione carnis libera, vexari ſe deterius in animo deprehendit, & in medicina corporis ſibi facta inualuit protinus mentis morbus, tanto negligẽtius à Dei ſeruitio cæpit tepeſcere, quanto à carnis illecebra rediuiuis tentationibus fortius trahebatur. Quod vbi viro Dei expoſuit, illeque beneficium præſtitum in ruinæ ſcandalũ verſum vidit, blande eã an reduci vellet ad ſtatum priſtinum requiſiuit. Quæ cum voluntati Dei ſuæque diſcretioni committeret, *rogabo*, inquit, *Dominum filia, vt tibi fiat quod iam ſalui tuæ magis viderit expedire*. Vnde factum eſt, vt non poſt multos dies malignus ſpiritus ſuper corpus ancillæ Chriſti iterato poteſtatem acciperet, quatenus anima ſalua permaneret, & vexatio quæ prius pœna culpæ extitit, poſtmodũ fieret conuerſationis remedium & cumulus meritorum.

De dæmone quem in ſpecie catti ad conuerſionem nouem mulierum oſtendit & fugauit.

Cap. LXXVI.

CVm aliquando apud caſtrum, quod dicitur Phanũ Iouis, in prædicatione quadam fidem probans catholicam, hæreticorum perfidiam multipliciter improbaſſet, poſt prædicationem more ſolito ad orandum in eccleſia remanſit. Et ecce nouem matronæ nobiles, ex eodem caſtro eccleſiam intrantes ad pedes eius prociderunt dicentes: Serue Dei adiuua nos, ſi vera ſunt hæc quæ hodie prędicaſti, iam diu mẽtes noſtras erroris ſpiritus excæcauit. Nam iſtis quos hæreticos tu vocas, nos autem bonos homines appellamus: vſque in hodiernũ diem credidimus, & adhæſimus toto corde: nunc autem in medio fluctuamus: *Serue Dei adiuua nos, & ora dominum Deum tuum, vt notam nobis faciat fidem ſuam, in qua viuamus, moriamur & ſaluemur*. Tunc autem vir Dei ſtans aliquamdiu intra ſeipſum orans, poſt aliquantulum dixit eis: *Conſtantes eſtote, expectate intrepide. Confido in Domino Deo meo, quod ipſe qui neminem vult perire, iam oſtendet vobis quali Domino hactenus adhæſiſtis*. Statimque viderunt in medio ſui cattum vnũ teterrimum proſilire, qui magni canis præferens quantitatem, habebat groſſos oculos & flammantes, linguam longam latamque, atque ſanguinolentam & protractam vſque ad vmbilicum, caudam vero habens curtam ſurſumque protenſam, poſteriorũ turpitudinem quocũquè ſe verteret oſtendebat, de quibus fætor intollerabilis exhalabat. Cumque circa matronas illas ſe per horam aliquam huc illucque vtrique vertiſſet, ad chordam ex qua campana pendebat exiliẽs, & per eam vſque ad ſuperiora conſcendens, tandem per campanile lapſus diſparuit, fæda poſt ſe veſtigia derelinquens. Conuerſus autem ad matronas illas vir Dei Dominicus, & conſulens eas, *ecce*, inquit, *per hoc quod coram oculis, facente Deo, figuratiue cõparuit, poteſtis aduertere qualis eſt ille, cui hactenus ſequentes hæreticos ſeruiſtis*. Illæ vero Deo gratias referentes, ab illa hora ad fidem catholicã perfectiſſime ſunt conuerſæ. Quarum etiam aliquæ apud ſorores de Pruliano religionis habitum aſſumpſerunt. Sic mentes fæmineas, & tanto tempore in errore fundatas, facilius reducere potuit tam terribilis viſio ipſis oculis foris exhibita, quam ſola verborum quantalibet perſuaſio per aures infuſa.

Mira viſio.

Qualiter idem vir ſanctus prophetię ſpiritu clarut.

Cap. LXXVII.

QVanto autem affectu diuinæ gratiæ etiã in ſpiritu prophetiæ vir Dei claruerit, libet per aliqua de multis elicita prodere breuiter. Prædicante aliquanto illo in partibus Toloſanis, contigit, quoſdam hæreticos captos, & per eum conuictos, cum redire nollent ad fidẽ catholicam, tradi iudicio ſæculari. Cumque eſſent incẽdio deputati, aſpiciens inter alios Raymundum quẽdam de groſſi nomine, ac ſi aliquem in eo diuinæ prædeſtinationis radium fuiſſet intuitus, iſtum, inquit, officialibus curiæ reſeruate, nec aliquo modo cum cæteris comburatur. Conuerſuſque ad eum blandequè alloquens, ſcio, inquit, fili mi, ſcio quod adhuc heet tarde bonus homo

Multa ſpiritu prædixit.

eris &

etis & ſanctus. Ille itaque tandem Dei gratia illuſtratus relictis tenebris ad lumen venit, & frater etiam prædicator effectus in eodem ordine vitã ſuam & laudabiliter duxit, & fæliciter conſummauit. Cum autem eſſet in Hiſpania vir Dei, appartuit ei per viſum immaniſſimus quidam draco, qui fratres illos qui ſecum erant abſorbere apertis faucibus videbatur. Intellexit igitur vir Dei ſpiritu plenus graue fratribus tentationis imminere diſcrimen, quibus etiam viſionem illam terribilem propalauit, hortans eos vt tentationibus futuris cõſtanter reſiſterent, à quibus homo nõ niſi ſpontaneus abſorbetur. Breui autem ſpacio temporis interiecto draco iſte, qui paulo ante fratres abſorbebat per viſum, abſorbuit per effectum. Nam omnes qui cum viro Dei Dominico fuerant, exceptis tribus ſcilicet fratre Adam, & duobus cõuerſis, ſuadente diabolo, receſſerunt. Interrogatus autem quidam ex illis à viro Dei an & ipſe vellet abire, abſit, inquit, pater chariſſime, vt relicto capite ſequar pedes. At vero pater ſanctus miſericors erga eos qui receſſerant, non indignatione, ſed compaſſione commotus, continuo ad conſuetum orationis refugium ſe conuertit, & quos monitis retinere non potuit, orationibus reuocauit. Nam paulo poſt omnes ferè ad eum inſtinctu diuinæ gratiæ redierunt. Aliquando etiam & quaſi ſubito facto ſpiritu Dei ſuper eum ad capitulum fratribus conuocatis palam omnibus nunciauit, quatuor fratres ex ipſis in breui, duos videlicet in corpore, duos autem in ſpiritu morituros. Nec multo poſt duo fratres debitũ exoluentes, migrauerunt ad dominũ; duo vero alij ad ſæculum redeuntes, de ordine pænitus receſſerunt.

De tranſitu Ludouici filij Regis in Angliam.

Cap. LXXVIII.

An. Chriſti 1216. EX *hiſtoria Francorum.* Anno prænotato ſcilicet ab incarnatione domini 1216. Rex Angliæ Ioannes moritur: At vero Ludouicus Regis Francorum Philippi filius acceptis obſidibus ab Angliæ Baronibus transfretauerat præfato adhuc Rege viuẽte ac fugiente. Quo mortuo prefatos obſides liberauit; & cõfidẽs de Anglis quos tẽpore Regis eos lethaliter perſequentis ab imminente morte liberauerat, & quorũm iuratoriã cautionẽ habebat, cũ paucis iterum in Angliã redijt, & multos ex Anglicis peruerſos comperit. Qui etiam Thomam Comitem Perticenſem occiderunt, portus munierunt; & Ludouicum intra Londonias quaſi concluſerunt. Itaque anno ſequenti menſe Septembri videſ Ludouicus dolos Angliæ Baronum, & impedimenta portuum, ac perſecutionem totius regni præter Londoniam contra ſeipſum, ſed & intentionem Gualæ Cardinalis apoſtolicæ ſedis Legati, qui totis viribus procurabat impedimẽtũ ipſius atque ſuorũ, timenſque quod ſi Londonias exiret clauderetur reuertẽti. Diffinierat quidẽ cũ Anglis ad pugnã cõgredi, at ipſis deuitantibus pugnã, facta compoſitione redijt in Franciam: qui vtique mirabilem victoriam habuiſſet, ſi debitam fidelitatem inueniſſet.

Francorũ geſta in Anglia vide Aemyl. lib. 6.

Theodori comitis Dyrrachini in noſtro dolus & proditio.

Eodem anno Petrus Comes Antiſiodorenſis & Ioles vxor eius coronantur ad imperium Conſtantinopolis à Papa Honorio in eccleſia ſancti Laurentij extra muros. Cumque receſſiſſent à Roma, & cũ eis Apoſtolicæ ſedis Legatus Cardinalis Ioannes de Colũna, mari tranſmeato Imperatore cum filiabus diuertente per Romam iter ſuum, de Imperatoris mandato ipſe Imperator cũ Cardinali & omni comitatu ſuo capitur à Communio & Dyrachij inuaſore Theodoro.

De Paſſagio generali peregrinorum tranſmarino, & primo de eorum equitatu.

Cap. LXXIX.

EX *hiſtoria captionis Damiatæ.* Anno gratiæ 1217. treuga chriſtianorum & Saracenorum expirante, in primo paſſagio generali poſt concilium Lateranenſe congregatus eſt exercitus Domini in Achon copioſus cum tribus Regibus, ideſt Hieruſalem & Hungariæ & Cypri. affuit Dux Auſtriæ & Bauariæ, magnaque militia regni Teutonici, Archiepiſcopus quoque Nicoſienſis, & alij plures epiſcopi peregrini, & cum eis Dominus Galterus de Auenſis. Itaque Patriarcha Hieroſolymitanus cum magna humilitate cleri & populi tollens reuerenter viuificę crucis lignu, profectus eſt ad Achon in caſtra Domini, quod videlicet lignum poſt terræ ſanctæ perditionem ad hæc tempora fuit reſeruatum. Imminente ſiquidem cõflictu Saracenorum cum Chriſtianis tẽpore Salahadini crux ſecta fuit, cuius pars ad prælium delata ibidem eſt perdita, alia vero pars reſeruata quæ tunc exhibetur. Itaque cum tali vexillo aciebus ordinatis proceſſimus per planum Fabe vſque ad fontem Tubaniæ multum laborantes illo die, & præmiſſis exploratoribus, videntes, ab aduerſarijs puluerem concitari, vtrũm contra nos an fugiendo properarent eramus incerti. Igitur ſequenti die per montes Gelboe, quos habuimus ad dexteram, & paludem ad ſiniſtram; profecti ſumus Beniaſam, vbi caſtra fixerat aduerſarius. Sed metuens tã ordinate procedentis & tam copioſe Dei viuentis exercitus aduentum, tentoria tollens, & fugiens terram vaſtandam Chriſti militibus dereliquit. Vnde Iordanem tranſeuntes in vigilia ſancti Martini corpora lauimus pacifice in eo, & quieuimus per biduum ibidẽ, copiam victualium & pabuli reperiẽtes. Deinde ſuper littus maris Galileæ tres fecimus manſiones, peragrantes loca, in quibus mirabilia ſaluator noſter operari dignatus, corporali pænitentia cum hominibus conuerſatus eſt. Aſpeximus Bethſaidam ciuitatem Andreæ & Petri, tunc ad Theſſalæ modicum redactum demonſtrata ſunt loca, vbi Chriſtus diſcipulos vocauit, ſupra mare ſiccis pedibus ambulauit, turbas pauit in deſerto, montem aſcendit orare, & locus vbi cum diſcipulis poſt reſurrectionem manducauit: & ſic per Capharnaum infirmos noſtros pauperes in iumentis portantes reuerſi ſumus Achon.

Continuatio belli ſacri de qua Blond. dec. 2. lib. 7. Naucl. gen. 41. & Paul. Aemil. lib. 6.

Neſtri fugãt Saracenos.

De ſecundo equitatu.

Cap. LXXX.

IN ſecundo equitatu adiuimus pedẽ mõtis Thabor, primo aquarum inopiam, poſtmodum per defoſſionem copiã inuenientes, deſperabant capitanei noſtri de montis aſcenſu, donec puero Saracenõ nunciante caſtrum fore cõprehenſibile, cõſilium inierunt. Prima vero dominica aduentus Domini, cum legeretur in euangelio: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*, Patriarcha præceſſit cũ ſigno crucis epiſcopis & clero per clinum mõtis orantibus & pſallentibus, & licet præruptus ſit mõs vbique in excelſis & quaſi impoſſibilis ad aſcẽdendum extra ſemitam tritam, milites tamen & ſatellites, equites & pedites viriliter aſcenderunt. Ioãnes quidem Rex Hieruſalem cum militia Domini caſtellanum ſtrauit: & Admiraldum vnum primo impetu. Defenſores autem caſtri qui extra portas ad defendendum montem intrepidi hoſtibus occurrerunt, conuerſi ſunt in ſtuporem. Hic vero incluſis hoſtibus infra caſtrum turpiter Reges Hieruſalem & Cypri, & magiſter hoſpitalis & Barones in partem montis ad deliberandum, quid facerent receſſerunt. Nobilis vero dux Auſtrię huic deliberationi nõ interfuit, quia ex altera parte montis incredulos impugnabat & ad nos qui in ſummitate montis eramus, aſcendere de facili non valebat, nec magiſter templi, quia infirmus remanſit in Achon. Cum vero in deliberatione prædicta morari an recedere expediret per ordinem quæreretur, dixit frater Georgius de mõte acuto magiſter hoſpitalis, quod videbatur ei bonum quatenus pars exercitus ad caſtra cuſtodienda deſcenderet, & pars in loco vbi eramus ad obſidendum caſtrum remaneret, & ordinaretur obſidio: quia videbatur quod caſtrum in breui nobis à Domino redderetur, maxime cum de plano ad muros ſine offendiculo poſſemus accedere,

petrarias

petrarias erigere,& alia facere quæ ad munitionem sunt necessaria capienda,& ipse libẽter cum fratribus remanebat.Econtra vero quidam dicebat & maxime Comes Tripolis Beamundus : quod non erat bonum in nocte illa in monte exercitum Domini morari. In diuisione enim exercitus videbant periculum manifestum . Qua fide autem comes illud consuluerit: & obsidionem impedierit nouit Deus. Ipsa autem dominica descendit de monte exercitus inglorius, & per indultum spacium incredulos animauit. Multi autẽ Templarij & Hospitalarij , & quidam sæculares in secundo montis ascensu, quãdo castrenses vires acceperant vulnerati sunt: & de vulneribus interfecti. Credimus autẽ Christum Deum sibi soli hunc triumphum montis reseruasse . Qui cum paucis discipulis ipsum ascendit,gloriam futuræ resurrectionis ibidẽ demonstrãdo. Porro in primo & in secũdo equitatu maximã multitudinem captiuorũ virorũ & mulierum ac paruulorum Christiani secum duxerunt, ex quibus plures fuerunt in Christi nomine baptizati.

De tertio equitatu.

Cap. LXXXI.

IN tertio equitatu non interfuit Patriarcha cum signo crucis. Interfuerunt autẽ plures episcopi, in quo multa damna sustinuimus, tam per latrunculos quã incommodo hyemis violentis,præsertim in vigilia natalis Domini per viã , vbi multi pauperes & iumenta frigore perierunt,& ipsa sacra nocte,in qua tẽpestatem terrestrẽ ventis & pluuijs commotam sustinuimus grauissimam. In finibus Tyri & Sydonis iuxta Sareptam post huiusmodi intẽperiem exercitus Domini quadrifariam diuisus est, Rex Hungariæ & Rex Cypri Tripolim profecti sunt.Rex Hungariæ in breui tempore commoratus cũ magno damno terræ promissionis recessit. Peregrinos enim & dextrarios,galeas,& iumenta cum armis secum traxit,multum admonitus à Patriarcha ne sic recederet. Tandem excommunicatus est cum sua sequela. Alia pars pigrorum siue timidorum, & eorum qui procumbentes ore pleno abundantiam temporalium biberunt, remansit in Achon. Rex vero Hierusalem & Dux Austriæ cum hospitalarijs sancti Ioannis & episcopis supradictis, & quibusdam alijs castrum in Cæsarea Palestinæ breui tempore vtiliter & constanter firmauerunt, licet hostis aduentus sæpe nunciaretur.In basilica principis Apostolorum festum Purificationis Patriarcha cum sex episcopis solenniter celebrauit.

Rex Hungaria à terra sancta recedit cũ magno nostrorum damno.

De Ædificatione castri peregrinorum.

Cap. LXXXII.

TEmplarij vero cum Domino Gualtero de Amẽsis & paucis auxiliantibus peregrinis & hospitali de domo Teutonicorum, castrum filij Dei, quod olim destructum,nũc castrum peregrinorum appellatur, firmare cæperũt,quod sitũ est in diœcesi Cęsariẽsi inter Caiphã,& Cæsaream.Cuius situs talis est: Promontorium amplum & latum mari imminet, munitum naturaliter, scopulis ad Aquilonem & Occidentem & Austrũ, versus Orientem turris est firma & dudum à templarijs ædificata,& possessa tam guerræ quam treugarum tempore. Turris autem ibidem fuit posita olim propter latrunculos, qui in via stricta peregrinis ascendentibus in Hierusalem & descendẽtibus ab ea insidiabantur,haud procul à mari distans quæ propter viam strictam districtio appellabatur.Toto fere tempore,quo Cæsaricũ castrum firmatum est & consummatum , Templarij ex transuerso promontorij fodientes & laborantes per sex hebdomadas,tandem ad fundamentum primum peruenerunt , vbi murus antiquus spissus & longus apparuit. Inuenta est etiam pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio filii Dei militibus suis ad alleuandos labores & sumptus . Deinde in anteriori parte arenam fodientes & deportantes, alius murus breuior repertus est,& inter murorum planiciem fontes aquæ dulcis ibidem largiter ebulliebant. Lapidũ etiam & cementi.Dominus copiam ministrauit. Duæ turres ædificantur ante frontẽ castri lapidibus quadris & dolatis,tãtę quãtitatis, vt lapis vnus vix à duobus Bubalis in curru trahebatur. Vtraque turris centenos habet pedes in longitudine,74. in latitudine, spissitudo binas includit testudines , altitudo plurimum ascendens celsitudinem promontorii transgreditur,inter duas turres murus nouus & altus cũ propugnaculis cõsummatus est,& miro artificio intrinsecus,equites armati per gradus ascẽdere possunt & descendere.Itẽ murus alius paulo distans à turribus extenditur ab vno latere maris ad aliud,puteum habens aquæ viuæ inclusum promontorium.Ab vtroque latere muro cingitur alto & nouo vsque ad rupes. Oratorium cum palatio & domibus plurimis castrum includit. Huius ædificii prima est vtilitas , quod conuentus templariorum eductus de peccatrice & omni spurcicia plena ciuitate Achon , in huius castri præsidio residebat vsque ad reparationem murorum Hierusalem . Territorium munitionis piscariis,salinis,pascuis,agris,& herbis abũdat , & vineis quoque plantatis & plantandis hortis & pomeriis habitatores delectat.Inter Achon & Hierusalẽ nulla est munitio, quam teneant Saraceni. Vnde de hoc castro nouo plurimum damnificantur increduli & terrore diuino ipsos fugante loca culta deserere coguntur.Sex milliaribus distat à monte Thabor, vnde huius castri cõstructio siue constitutio forte fuit causa destructionis munitionis illius , quia in campo longo & lato qui interiacet montanis castri huius ac montis Thabor, nec arare nec metere securè poterant propter metum habitantium in eo.

Castrum Peregrinorum constructũ.

De exercitatione Colonienſium ad ſignum crucis.

Cap. LXXXIII.

ANno gratiæ 1218. mense Martio applicare cæperunt ad portum Achon Cogones ex prouincia Colonienſi cum aliis paucis. Tamen de Bremensi & Treuerensi prouinciis excitata fuit prouincia Coloniẽsis ad obsequiũ Saluatoris per signa quæ apparuerunt in cælo.Nam in prouincia Colonienſi & Diœcesi Monasterienſi in villa Bedon Frisiæ, mense Maio 6.feria ante Penthecostem,cum prædicaretur crux ibidem , triplex forma crucis apparuit in aere: Vna cãdida versus Aquilonẽ , alia versus meridiem eiusdẽ coloris & schematis, tertia vero medio colore colorata, habens crucis patibulum , & figuram hominis in eo suspensam eleuatis brachiis & extensis cum infixione clauorum in manibus, & pedibus , & capite inclinato. Hęc media fuit inter alias duas,in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice & alio loco in villa Frisiæ seu Theucusen tẽpore prædicationis crucis,apparuit iuxta Solẽ crux cerulei coloris,hanc viderũt plures quam priorẽ. Tertia fuit apparitio in dœcesi Traiectensi in villa Doctum, in qua beatus Bonifacius coronatus fuit martyrio.Vbi in die eiusdem martyris cum multa millia cõueniſſent ad videndam stationem, apparuit crux alba magna , ac si trabs ex aduerso trabis artificialiter compoſita fuisset. Hoc signum vidimus omnes.Mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad Meridiem. Credimus autem duas appatitiones demonstratas à Deo, vt omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur à principio prædicationis crucis. Prouincia Colonienſis magno studio plurimis etiã sumptibus ferè trecentas naues præparauit, quarum quędam remanserunt,quædam in tempestate perierunt. Tunc firmatum fuit concilium in concilio Lateranensi cum Domino Papa Innocentio habitum Romæ de inintromittenda militia Christiana in terram Ægypti.

An. Christi 1218.

Germani ad expeditionẽ sacram excitati.

Tres cruces apparent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De profectione peregrinorum contra Damiatam.

Cap. LXXXIV.

MEnſe igitur Maio poſt Aſcenſionẽ Domini præparatis Cogonibus armatis, galeis, & alijs nauibus oneratis, profecti ſunt de Achon. Ioannes Rex Hieruſalem, Patriarcha cũ Epiſcopis, & Duce Auſtriæ tribus domibus & copioſa multitudine Chriſtianorũ indicta fuit nauigatio apud caſtrum filij Dei, quod peregrinorũ dicitur: ſed flante Borea, Rege Duce, & magiſtris domorũ ad indictũ locum venientibus, exercitus Domini proſperis velis proceſſit; tertio die perueniens ad portum Damiatæ, vbi moratus eſt per biduum antequam ad terrã deſcenderet, ſuos capitaneos expectãdo. Præfati autem Duces quia modicam moram fecerunt in prænominato caſtro, ſubſequi non poterant exercitũ vſque ad ſex dies ab exitu de portu Achon. Multi etiã qui prẽparati non erãt, & morã aliquantulũ fecerãt apud Achon poſt primos nauigantes aut omnino remanſerũt, aut vi ventorum repulſi ſunt in Achon aut per tres vel quatuor hebdomadas iactati per mare moram fecerunt. Cum autem quæſitum eſſet ab hominibus per ordinem quid facere deberent, & quidam ſuaderunt reditum, ex quo capitanei non veniebant; dixit Nichoſienſis Archiepiſcopus, quod bonum eſſet, ſi electo capitaneo aliquo ad terram deſcenderemus capitaneos ibi expectantes. Omnes concordauerunt huic conſilio, & facto capitaneo Comite de Sareponte applicuimus ad portum maris Damiatæ, & hoſtilem terram cæpimus ſine ſanguinis impenſa, antequam Rex & alij Duces qui erant in galeis, ſubſequerentur.

Damiatam noſtri obſident.

Referunt autem quidam, quod cum pauci Saraceni equites excurrerent ad portum, Friſo quidam fixo dextero genu in terra, & ſiniſtra manu circumferens ancillæ dextra ſpiculum vibrabat ferreum: intuitus eſt eum Saracenus exiſtimans eum ludere, ſed ſubito eques cum equo percuſſus corruit in terram, fugientibus alijs abſque omni impedimento, caſtrametati ſunt Chriſtiani inter littus maris, & ripam fluminis Nili, cum admiratione magna ſubſequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc enim mirabile fecit Dominus quod in primo aduentu aqua fluminis coniuncta mari, dulcis hauriebatur: Modico tempore poſt aduentum Chriſtianorum facta fuit Eclypſis Lunę ferè generalis, quam contra Saracenos interpretati ſumus quaſi protendentem eorum defectum, qui ſibi Lunam attribuũt, in incremento & decremento Lunæ ſibi magnam vim imponentes.

De quibuſdam incidentibus illius temporis.

Cap. LXXXV.

EX *chronicis*. Anno prænotato, videlicet, ab incarnatione domini 1218. ſanctus Guilelmus Bituricenſis Archiepiſcopus canonizatur eiuſque ſucceſſor Gerardus moritur. Cui ſuccedit Symon cantor Bituricenſis, nepos Henrici quondam eccleſię archipræſulis. Symõ Comes Montisfortis in obſidione Tholoſana percuſſus lapide interioris petrariæ, in craſtino natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtę moritur, miles magnanimus, catholicus, & honeſtus. Hic eius occaſus beatum Dominicum per viſionis myſterium diuina virtute ſibi reuelante non latuit, ſicut legitur in vita ipſius. Videbat enim in ſomnis viſione quidem imaginaria, ſed intellectu non vacua, quandam arborem quantitate proceram, ramorum expanſione diffuſam, denſarum frondium venuſtate perpulchram, & in ramis eius quieſcentem auium multitudinem copioſam: poſt paululum arbor corruit, & omnis cætus ille volatilium diſperſus aufugit. Intellexit ergo ſtatim vir diuino repletus ſpiritu, Comiti Montisforsis magno videlicet Principi pupillorumque tutori mortis excidium imminere, ſicut & rei poſtmodum probauit euentus.

Simon comes Montisfortis occiditur.

Eo tempore Hugo Dux Burgundiæ fidelis in regnum moritur, & apud Ciſtercium ſepelitur. Gualterus Abbas Pontiniacenſis ſit Epiſcopus Carnotenſis.

Ludouicus filius Regis Francorum contra Albigenſes reſumit crucis ſignum. Idem vero Rex Philippus die Purificationis beatæ Mariæ fecit conſtitutionem generalem de Iudæis ſuis: vt nullus in vadium recipiat ornamentum Eccleſiæ. Item vt nullus tradat alicui religioſo pecuniam niſi de conſenſu capitanei ſui, & cum litteris patentibus prælati & capituli ſui. Item vt nullus Chriſtianorũ vendere compellatur hæreditatẽ, aut redditus ſuos propter debita Iudęorum, immo duæ partes hæreditatis ſiue reddituũ debitoris & pleugij aſſignẽtur Iudæo, ac deinceps non currat debitum, & vt debitum non currat vltra annum à mutuo facto. Item vt in libra non lucretur niſi duos nummos in qualibet ſeptimana, & vt propter hoc non capiatur corpus debitoris, aut animalia, carruca, vel culcitræ, ſeu alia domus vtenſilia.

Ludouicus Regis Francorum filius in hæreticos bellum gerit.

Eoque tempore Petrus Pariſienſis & Gualterus Heduẽſis & Iordanus Lexouienſis, Henricus quoque Comes Niuernenſis: & Gualterus Camerarius Francorum Regis, & Iterius de Thociacho, alijque multi Baronum cũ populo copioſo iter arripiunt tranſmarinum. Rex ſiquidẽ Hungariæ & Dux Auſtriæ anno præcedẽti tranſfretauerunt, & Rege Hungarię repatriante Dux Auſtrię cæterique ad vrbẽ Damiatã tranſierunt. Circa idẽ tempus lacus ſancti Laurentij ſubito erupit, ac per Granopolim & vallem Maurienne in Iſaram & Rhodanum decidens, multa hominum millia ſubmerſit, multaſque terras alluuione deſtruxit.

Francorum in ſacro bello duces.

Apud Lemouicas mulier defuncta & ſudario inuoluta ſurrexit dicens, beatam Mariam Magdanenam, cui ſe peccatrix deuouerat, labia ſibi tetigiſſe ac ſpiritum reddidiſſe, ſeque ſtatim confeſſa Vizeliacum gratias agens perrexit, ibique ſudarium portauit.

De captione Hieruſalem per Corradinum Turquiæ Soldanum.

Cap. LXXXVI.

EX *hiſtoria Damiatę*. Anno Gratiæ 1219. Regina ciuitatis Hieruſalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, deſtructa eſt à Corradino filio Saphadini foris & intus. Muri enim cũ turribus redacti ſunt in aceruos lapidum præter templum Domini & turrim Dauid. De ſepulchro glorioſo deſtruendo conſilium habuerunt Saraceni, & per litteras comminati ſunt, quas ciuibus Damiatæ tranſmiſerunt ad eorum ſolatium. Sed huic temeritati nemo manus apponere præſumpſit propter reuerentiam loci. Sic enim in Alcorano libro legis eorum habent ſcriptum: *Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum credunt de Maria virgine conceptum & natum: quem ſine peccato vixiſſe prophetam, & pluſquam prophetam conteſtantur, cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, mortuos ſuſcitaſſe firmiter aſſerunt.* Verbum & ſpiritũ Dei, & viuum ad cælos aſcendiſſe non diſcredunt. Vnde quando tempore treugarum ſapientes ipſorum Hieroſolymam aſcendebant, codices euangeliorum ſibi poſtulabant exhibere, & oſculabantur, & venerabantur propter munditiam, quam Chriſtus docuit, & maxime propter euangeliũ Lucæ, miſſus eſt Angelus Gabriel, quod litterati inter eos ſæpius repetũt & retractant. Lex autẽ eorum, quã diabolo dictãte miniſterio Sergij monachi & apoſtatę & hęretici Machometus Saracenus didicit, Arabice ſcriptã à gladio cępit, per gladiũ tenetur, & cũ gladio terminabitur. Machometus ille illiteratus fuit, ſicut ipſe proteſtatur in Alcorano ſuo: & quæ prænominatus hæreticus nominauit, dictauit, ipſe promulgauit, & per comminationes obſeruari ſtatuit. Luxorioſus enim fuit & bellicoſus, ideoque de immundicia & vanitate legem ſtatuit, quam carnaliter viuẽtes, in parte voluptatis firmiter obſeruant. Et ſicut legem noſtram veritas

Anno Chriſti 1219.

Hieroſolyma à Corradino capitur.

& mun-

& mundicia muniũt: ita errorũ ipsorũ timor mundanus & humanus, ac voluptas carnalis firmissime custodiunt.

De miseria obsessorum in Damiata.

Cap. LXXXVII.

INterea ciuitas Damiata obsidione longa, ferro, fame, & pestilentia grauiter & vltra quam scribi potest afflicta, in sola pace quam Soldanus ciuibus promisit spem posuit. Durabilis enim non est Ægypti annona, propter molles glebas, in quibus crescit: nisi superius circa partes Babylonis artificiose conseruetur in annos, & sicut audiuimus, coctanum vnum 40. bisantijs vendebatur in ea, & ex angustia famis diuersa morborum genera vexabant eos, & nunc cætera incommoda quæ iustinuerunt, noctibus velut auritia percussi, apertis oculis nil videre dicebantur. Soldanus de die in diẽ vanis promissionibus ipsos à deditione dehortatus, decepit miseros. Postremo portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis veniens ad nos de suis nunciaret, quod dies afflictionis possidebat eos. Si qui vero per posticum vel de muris per funes euadere potuerunt, inflati & famelici ciuium suorum angustias euidenter probabant. Illis etiam qui foris in exercitu Saracenorum non obsiderunt, copio panis & pabuli cæpit decrescere. Nilus quidem qui post festum sancti Ioannis Baptistæ vsque ad exaltationẽ sanctæ crucis solum excrescere & Ægypti planiciem irrigare consueuerat, hoc anno more suo non ascendit ad signũ quod ponere solent Ægyptij. Sed & vt intelleximus magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore. Vnde Soldanus famens timens, & * caristiam in amorem retinendæ Damiatæ, talem pacem cum Corradino fratre suo Christianis obtulit, vt crucem sanctam, quę olim capta fuit in victoria Salahadini cum ciuitate sancta, & omnibus captiuis, qui per regnũ Babyloniæ & Damasci viui reperiri possent, sumptus etiam ad reparandos muros Hierusalem redderet. Insuper regnum Hierosolymorũ totaliter restitueret, præter Cruchum & montẽ regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit quãdiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo in Arabia sita, septem munitiones fortissimas & firmissimas habentia, per quæ negociatores Saracenorum & peregrini ipsorum Mecham tendentes vel ab ea reuertentes transire solent. Et qui hoc potenter tenuerit Hierusalem, cum voluerit grauiter nimis cum agris & vineis lędere poterit. Hanc compositionem acceptandam esse, & vtilem Christianitati & Rex Frãcigenæ, Comes Linceſtriæ cũ capitaneis Teutonicorum pertinaciter censerunt. Tunc autem Legatus Patriarcha cum archiepiscopis, episcopis, Templarijs, & Hospitalarijs, ac omnibus Italiæ capitaneis, multisque alijs prudentibus viris efficaciter tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens ante omnia Damiatam fore capiendam.

Grauis in vrbe fames & in castris Saracenorũ pestilentia.

Id est inopiam frumenti.

Pax Christianis oblata sed non recepta.

De captione Damiatæ absque sanguinis effusione.

Cap. LXXXVIII.

INterea Soldanus magnam multitudinem peditum claudiculo & per loca plaustria misit ad ciuitatem, quorum 240. Christianis dormientibus Lycias fuerunt ingressi dominica nocte post festum omnium sanctorũ. Tandem per clamorem vigilum occisi sunt & capti, quos ad ducentos & plures computauimus, Nonis Nouembris capta est Damiata sine deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione, cum tumultu, vt soli Deo ascribatur victoria. Et cum caperetur ciuitas in oculis Regis Babylonis more solito, non fuit ausus Christi milites ad defensionem paratos perfossatum nostrum aggredi.

Eodem etiam tempore fluuius excreuit vberrimus aquis fossatum implẽs. Ipse autẽ Soldanus confusus castra sua cõbussit & fugit. Itaque Christi milites Damiatã ingressi plateas eius inuenerunt stratas cadaueribus mortuorũ pestilentia & fame deficientiũ. Aurum & argentum multum nimis, pannos sericos negociatorum in abundantia, vestes pretiosas, & ornamentum cum varia suppellectili in superabundantia. Ciuitas hæc præter naturalem situm loci quo muniebatur, triplici erat cincta muro. Turribus latericijs multis & magnis fortissime firmata, clauis & ante murale totius Ægypti inter Rameſſe & campum Taneos sita in terra, vt conijcere possumus Gersen, quia pascuosa erat Damiata in regnis famosa multum in superbia Babylonis, in mari dominatrix, Christianorum spoliatrix, in ascensu persecutorum tuorum per paucas & modicas scalas comprehensa, tunc sub potenti manu Dei humiliata est.

Damiata à nostris capitur.

De ciuium eius strage.

Cap. LXXXIX.

ITaque præter illos qui viui comprehensi sunt mortui promiscui sexus à tempore obsidionis in circuitu computantur ad 3. millia & amplius, quos sine ferro vel ignibus dominus percussit. Ingredientibus nobis occurrit fætor intolerabilis, aspectus miserabilis, mortui viuos interfecerunt, vir & vxor, pater & filius, seruus & dominus se mutuis interfectionibus interemerunt, non solum plateæ mortuis erant plenæ, sed in domibus & in cubilibus & lectis iacebant defuncti infantes ad vbera matrum pendentes inter amplexus morientiũ osculabant. Delicati diuites inter aceruos tritici interierunt fame, deficientibus cibis, quibus erant nutriti, pepones & alia & cæpe & altilia, pisces & volatilia desiderabant frustra. Denique octoginta ferè millia, sicut captiuis referentibus didicimus, à tempore quo perfecta est obsidio, perierunt in ciuitate, exceptis eis quos sanos vel languidos inuenimus quasi tria millia & amplius. Alij mortui sunt post victoriam, alij magno pretio venditi, alij baptizati sunt, & Christo donati. Ciuitas hæc gradatim murata, primũ mutum habebat humilem ad custodiã fossati, secundũ altiorem, tertium eminentiorem secundo, murus medius 28. turres habet principales, binas vel trinas testudines continentes, quæ omnes remanserunt integræ cum muris, præter vnam tantum, quæ crebris ictibus trabuculi templariorum confossa fuit aliquantulum. Adeo autem exercitus noster ad pigritiam resolutus fuit, vt milites ocio dediti, negligerent opus Dei, vulgus ad tabernas & negociationes fraudulentas se conuerterent. Cati duo ad fossatum implendum magnis sumptibus compositi fuerunt, quorum vnus in custodia Regis, alius in custodia Romanorum combustus fuit. Cum adhuc potentes essent in armis custodes ciuitatis, duæ fossæ subterraneæ factæ sunt ad suffodienda fundamenta munitionum, licet labor frustratus fuit post expensas plurimas. Sic Deus sine damno capientium ciuitatem dare integram voluit.

Describitur Damiata capta miserabilis conditio & status.

De spoliorum eius distributione.

Cap. XC.

IN communi iurauimus omnes, vt asportata de ciuitate spolia redderẽtur inter victores diuidenda. Hoc etiam sub anathemate terribili fuit præceptum à Legato sedis Apostolicæ. Veruntamen concupiscentia oculorum plures fures fecit. Suscepimus tamen ad vtilitatẽ Reipublicæ magnã partem deliciarum Ægypti in auro & argento, peclis & pomis ambræ, filis aureis, & filacterijs varijs, pannis sericis pretiosis: quæ distributa sunt per exercitũ Domini, cum annona quæ reperta fuit in ciuitate, Legatus sedis Apostolicæ Damiatã cum appẽdicijs suis & pertinentijs regno Hierosolymitano cõtulit in perpetuũ. Machomaria Damiatæ cõmutata est, & in ecclesiã gloriosæ semper virginis Mariæ in quadrũ posita: tanta ferè latitudo eius quãta longitudo colũnis sustentabatur marmoreis 150. minus vna 7. porticus habens,

Præda omnibus æqualiter diuisa.

Rex Hierusalẽ Damiatæ dominus designatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

habens,& in medio aperturam longam & latam,in qua pyramis ſurſum aſcēderat alta. Quatuor enim in ea principalia fundata ſunt altaria; titulatorium beatæ Mariæ primum,principis Apoſtolorum Petri ſecundum; ſanctæ crucis tertium;ſancti Bartolomęi quartum,in cuius feſto turris fluminis capta fuit. Inuenti ſunt in Damiata trabuculi quatuor cum petrarijs & mangonellis plurimis. Baliſtæ cum torno fortiſſimæ, & omne genus armaturę fortium. Aurum & argentum cum perlis & alijs rebus mobilibus non ſolum inter clericos & milites, ſed etiam inter fatellites & mulieres,& pueros diuidebatur,proportionabiliter turres ciuitatis diſtributæ ſunt inter regna, quorum bellatorum conuenerant ad eius captiones deducta; primo loco ſicut decuit & oportuit vna turris quæ Romanæ fuit aſſignata Eccleſiæ cum porta ipſius quæ olim dicebatur Babylonis,tunc appellata eſt Romana. Alia etiam turris reſeruatur Damiatæ Archiepiſcopo.

Et ſicut olim ciuitas Dei viuentis Hieruſalem ſancta capta fuit nocte, ſic Chriſtiani Damiatam ante diluculum obtinuerūt. Inſtrumentū enim quo turris capta fuit fluminis, Teutonicis cum Friſombus in commune donauerunt. De quo factus eſt pons inter ciuitatem & caſtrum: quod conſtructum eſt ad munimentum ripę ciuitatis contrapoſitæ; duo caſtellula compoſita ſunt ad cuſtodiam pontis de eodem inſtrumento. Inſuper de altis arboribus, ſuper quas ſcala pendebat, ædificata eſt ſpecula ſuper altitudinem caſtri noui ad indicandum portum longe nauigantibus. Pons vetus qui mediante inſula vtramque ripam contingebat,obſidionis tempore multipliciter à Saracenis fuerat attentatus, & à Chriſtianis viriliter defenſus,ſuo functus officio ad alios reſeruatus eſt vſus.

De captione Thannis & opulentia ipſius ac fortitudine.

Cap. XCI.

NOn minori miraculo immo maiori donauit Dominus Chriſtianis Thannis,menſe Nouembri, in feſto ſancti Clementis, qui habet habitaculum ſuum in mari. Nā miſſi in mari exploratores numero quaſi mille viri in nauiculis per paruum flumen qui Thannis nuncupatur,vt de caſſalibus tollerent ſibi victualia, & ſtatum prædicti loci diligenter explorarent. Saraceni qui erant in præſidio caſtri viſis Chriſtianis,putantes totum exercitum venire, ſerratis portis fugerunt. Noſtri vero ſolum Chriſtum ibi capitaneum habentes, erumpentes clauſtra intrauerunt caſtrum; teſtati ſunt nobis redeunte,ſe nunquam in plano fortius caſtrum vidiſſe 7. turres habet firmiſſimas teſtudinatas deſuper per gyrum, duplici foſſa & vtroque muro cingitur,habēs antemurale, lacus ſe diffundit in latum, in circuitum, in tantum vt aditus equitibus hyeme ſit impoſſibilis, æſtate difficilis adeo, vt per noſtrum exercitum obſidione nunquam caperetur. Lacus piſcoſus eſt valde,de cuius piſcarijs Soldano ſoluebātur annuatim quatuor millia marcharum. Auibus inſuper & ſalinis abundat. Caſalia multa per circuitum ſeruiebant ei. Ciuitas ante caſtrum maior Damiata olim famoſa,nunc autem ruinoſa,magnitudinem teſtatur ædificiorum. Hæc eſt Thannis,cuius campi meminit Dauid propheta: *coram patribus eorum fecit mirabilia* &c. Et Eſaias: *Stulti principes Thaneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.* Hæc eſt Thannis, in qua lapidatus aſſeritur Hieremias lapidibus: quos abſconderat ſub muro latericio. Ægyptij vero honorauerunt Prophetam ſepelientes eum iuxta tumulum Regum,memores beneficiorum quæ præſtiterat Ægypto: oratione enim ſua fugauerat beſtias aquarum,quas crocodilos appellant. Alexander autem Macedo veniens ad ſepulchrum, prophetæ, cognoſcens myſterium loci, tranſtulit in Alexandriam, ſepeliuitque eum glorioſe. Crocodillos apud Damiatā inuenimus,& interfecimus. Eſt autem beſtia crudelis, hominem & iumenta deuorans apertis oculis ſolo viſu fouebat oua ſua. Excluſi pulli ſtatim fugiunt parentem ſuum tanquam hoſtem, quos dum capere poteſt, ſtatim glutit & deuorat. Et cum cætera animalia molam inferiorem moueant:illud econtra ſuperiorem mouet. Diſtat Thannis à Damiata itinere vnius diei per mare verſus terram promiſſionis, vt facile ſit de Achon vel Damiata per mare & terram vel fluuium, præſidium ibidem ponere vel victualia tranſmittere. Damna multa intulit Chriſtianis in obſidione Damiatæ,quando naues ad nos accedentes vel à nobis recedentes, vi ventorum delatæ ſunt illuc. Nam ante Thannis littus maris arcuoſum & importuoſum ſinum facit amplum & latum, in quo naues deuolutæ ſine vento multum eis opportuno recedere non valent.

Thannis ciuitas à noſtris tentatur & capitur.

De libro recepto,in quo prædicta eſt Damiatæ vaſtatio,& quædam alia.

Cap. XCII.

ANte captionem Damiatæ liber nobis apparuit arabice ſcriptus,cuius auctor ſe Iudæū vel Chriſtianum vel Saracenum eſſe negat. In eo autem quiſquis ille fuerit prædixit mala, quæ Saladinus populo Chriſtiano crudeliter intulit in deſtructione Tyberiadis, & in victoria,quam de Chriſtianis habuit,quando Regem Hieruſalem & Principes captiuos duxit, ipſamque ſanctam ciuitatem poſſedit, Aſcalonem deſtruxit, & quomodo conabatur Tyrum apprehendere,ſed non profecit,& alia multa quæ peccata illius temporis meruerūt. Prędixit etiam deſtructionem hortorū & palmeti Damiatenæ ciuitatis,quam ſcilicet factum vidimus,quādo librum hunc per interpretes intelleximus. Addidit etiam Damiatam à Chriſtianis,fore capiendā,Saladini nomen non poſuit, ſed per nigros oculos & crocea vexilla ipſum deſignat. Inſuper prędixit quendam Regem Chriſtianum Nubianorum Mecham ciuitatem debere deſtruere, & oſſa Machometi pſeudo Prophetæ diſperſa proijcere & quædam alia quæ nondum euenerunt, ſed ſi completa fuerint ad exaltationem Chriſtianitatis & depreſſionem Agarenorum euenirent. Scimus quoſdam gentiles Ethnicos ſpiritum ſanctum in ore habuiſſe, ſed non in corde, & manifeſte de Chriſto prophetaſſe.

Corradinus reuerſus in Paleſtinam Ceſarienſe caſtrū obſedit,quod erat in cuſtodia Regis, ac breui tempore cæpit illud & deſtruxit,defenſoribus ipſius negligenter agentibus,qui tamen fere omnes euaſerunt, quia liberū introitum & exitum habebant per mare. Demum proceſſit ac caſtrum fili Dei cum toto exercitu ſuo,& conſiderans illud ab omni parte ſagaciter, intellexit quia comprehenſibile non erat. Inſuper Templarios ad omne periculum paratos inuenit, qui caſtrum victualibus & omni armatura fortium ſufficienter munierant.

Eodem tempore Templarij latrones Saracenorum ab Achon repulerūt, viriliter occidendo quoſdam,alios captiuando. Corradinus autem auxilium poſtulabat à Saracenis vt ab ortu ſolis venientes obſiderent Achon, quod efficere non poterant propter inexorabilem diſcordiam Principum terræ ipſorum Chriſtianis plurimum opportunam,quam Caliphus eorum Papa ſepelire laborabat.

De legatione Georgianorum ad noſtros admirantium ſuper captione Damiatæ.

Cap. XCIII.

AD hæc fama diſcurrens per totū orbem, Damiatam à Chriſtianis eſſe cōprehenſam, Georgianorū litteris ad caſtra Catholicorum tranſmitti perſuaſit, in quibus continebatur,quod indignata gens illa vel excitata rubore, Rege eorum conuocante principes decreuit & iurauit ſe obſeſſurum famoſam aliquam ciuitatē, Saracenos allegans ſibi verecundū eſſe, quod Franci de

Georgiani populi ad rē Chriſtianā propagandā noſtrorum exemplo incitantur.

tranſ-

transmarinis partibus & vltimis terræ finibus venientes per mare spacioſum periculis plenum, tam munitam ciuitatem obſidione longa cæpiſſent, niſi & ipſi, quibus erat facilius Perſides impugnare Damaſcum vel alium locum nominatum virtute caperẽt armorum. Sunt Igitur Georgiani cultores Chriſti, ritum habentes Græcorum, Perſis vicini, longo terrarum tractu à terra promiſſionis diſtantes, quorum Dominium modo extenditur vſque ad Caſpios montes, bellicoſi ſunt homines habentes raſuram in capite clerici rotundam, laici quadratam. Mulieres eorum equeſtris ordinis doctæ ſunt ad prælium. Homines iſti quando ordinatis aciebus hoſtes ſunt aggreſſuri, pugillarem cucurbitam repletam vino puro velocius ebibunt, & ſtatim aduerſarios ſuos viriliter inuadunt. Computandum autem eſſe non dubitamus inter beneficia tutoris noſtri Ieſu Chriſti, qui à ſiccarijs perſecutorum maiores noſtros defendit in obſidione Damiatæ. Viſitatum ſiquidem habebant Aſſeſſeni & eorum præceptor vetulus de montanis cultellos emittere contra Chriſtianos ad intercipiendam vitam eorũ, qui negociũ Chriſtianitatis propenſius procurabant. Nam in treugarum tempore filium Tripolitani Comitis adoleſcentem ſpectabilem in Eccleſia beatę virginis apud Tortoſam ante altare procumbentem nequiter interfecerũt. Vnde militia tẽpli non ceſſauit eos perſequi pro tam religioſa violatione, donec humiliarentur vſque ad ſeruitutem tributi: tria namque biſantiorum millia annuatim Templarijs perſoluunt.

Georgiani qui.

Aſſeſſeni noſtros curant necandos.

Eiuſdem obſidionis tempore Rex Armeniæ Leuo defunctus eſt in terra ſua. Mortuus eſt quoque Soldanus Iconij: qui creditur baptizatus fuiſſe, qui tantæ benignitatis erat in Chriſtianos, vt guerram habens cum Saracenis ſolui iuberet Chriſti cultores: quos vinculatos inuenit in munitionibus, quas expugnauit & in optione eorum poſuit vtrum in patriam ſuam redire vellent: an acceptis ab eo ſolidis ſub ipſo potius militare eligerent. Idem Chriſtianos adeo familiares habebat, vt cuſtodes corporis ſui conſtitueret eos, licet pater eius à Laſterogręco fuiſſet interfectus: manu etiam tenuit Miralim filium Saladini exhæreditatum contra filios Saphadini, quãtum Caliphas permittebat Baldac Papa ſuæ gẽtis. Melichaſecaph filius Saphadini multa damna Templarijs intulit, cum eſſent in obſidione Damiatæ. Combuſſit enim oppidum caſtri Alberet, turres munitas deſtruxit, ſed cum rediret in terram ſuam victus eſt à Saracenis.

Soldani Iconij mors.

De captione Saphet, & redditione Damiatæ.

Cap. XCIV.

An. Chriſti 1220. ANno verbi incarnati 1220. Corradinus princeps Damaſci deſtruxit Saphet caſtrũ firmiſſimũ: quod Saladinus flagellum Chriſtianorum per longam obſidionem iuxtantum arctauit, vt defenſores fame deficientes, requiſita licentia magiſtri militiæ templi redderent illud tyranno.

Corradinus Saphet expugnat.

Factum eſt autẽ vertenti anno, quando ſolent Reges ad bella procedere, Ioannes Rex Ieruſalem caſtra fidelium reliquit: multas prætendens cauſas ad excuſationem ſui, & feſtinatum reditum promittens, anteriorum oblitus ad poſteriora ſe conuertit. Aperiente manum Domino, qui portum Damiatæ impleuit vbertate frumenti vini & olei adiuncta peregrinorum & equorũ copia numeroſa: vt ad progrediendũ in negocio nulla locũ habeat excuſatio. Superuenerunt in ſexto paſſagio Mediolanenſis & Cretenſis Archiepiſcopi, Fauenſis & Regenenſis epiſcopi & nuncij Regis Friderici deferentes literas cũ aureis bullis, & aduentum ipſius nunciantes. Aderat enim Epiſcopus Brixienſis & Italica militia copioſa. Legatus autem conſiderans non ſine gratię magno priuilegio diuino munere ſufficienter fuiſſe prouiſum in omnibus, quę requirebat negocij proceſſus, angebatur dolore, quod tempus inutiliter proceſſit, & opportunitas tanta perijt. Vnde cõuocatis maioribus ipſe primo loco, deinde Mediolanenſis Archiepiſcopus & alij ſimiliter epiſcopi ſuadebant progreſſum contra Soldanũ qui caſtra ſua poſuerat ſuper Nilum itinere diei vnius à Damiata. Sed milites habita deliberatione huic exhortationi cõtradixerunt, hanc cauſam maxime prætendentes: quod Rex Hieruſalem aberat pro ſuæ voluntatis arbitrio, nec alius Princeps militaris aderat, cui gens diuerſarum nationum obedire vellet, ad educendum populum Domini, & ſic concordabant ad ocium; ex quo mala multiplicata ſunt in caſtris.

Menſe Iulio ſuperuenit Comes Matthæus de Apulea cum 8. galeis, quarum duas curſarias inſidiãtes Chriſtianis cæpit in via marina. Deinde Damiata cum multis laboribus ſumptuoſis capta, & per annum vel amplius à noſtris poſſeſſa, poſtmodum Pelagio Cardinali & Legato Templarijs & Hoſpitalarijs totoque exercitu Chriſtianorum, excepto Rege Ioanne, qui ob quandam diſcordiã inter ipſum & Legatum motam ab exercitu receſſit à Soldano per infortunium captis, & grauiter afflictis pro redemptione eorum, & omnium Chriſtianorum captiuorum, qui erant ſub poteſtate Soldani reddita eſt paganis.

De Georgianorum deſtructione.

Cap. XCV.

An. Chriſti 1220. EX *hiſtoria Tartarorum.* Anno prænotato ſcilicet ab incarnatione Domini 1220. Tartari Georgiam intrauerunt, eamque vaſtare cæperũt. Quidam vero magnus Baro Georgiæ cum filio & vxore ſua à facie illorũ ad montes Caſpios fugit ſaluationis cauſa. At in via illa tres magni latebant Tartari rapiendorum cauſa ſpoliorũ inuicem confœderati. Cumque per illa confinia vagarentur explorantes ſi poſſent inuenire aliquid, vnus eorum veſtigia militis ac ſuorum in via deprehendit, inſecutus itaque veſtigia Baronẽ illum cum vxore & filio ac rebus viuum apprehendit, & omnes cum rebus ſuis ad ſocios ſuos ſicut inter ſe condixerant, introduxit. Cumque inter ſe de partitione rerum ac perſonarũ ita concordaſſent, vt vnus haberet baronem: alius filium; tertius vxorem: & aurum pro cõmuni venderent: ille qui pro parte ſua puerũ habere debuit, recuſans dixit. Nunquid puer ille, qui quaſi caniculus vnus eſt, pars mea erit? quem nutrire etiam me oportebit? Abſit. Tandem igitur in hoc alijs concordauerunt, quia pater & filius occiderentur & aurum in cõmuni diuideretur vel partiretur, & mulier vẽderetur, quod & factum eſt. Illaque mulier, quæ coram ſe maritum & filium occidi pariter vidit, poſtmodum in Georgia monialis effecta monaſticam vitam duxit.

Tartari populũ Georgicum depopulantur.

Quia vero Tartari in ſignum gloriæ atque victorię & numeri occiſorum certitudinis habendæ, vnum de mille occiſis quaſi millenarium capite ſubuerſo ac pedibus erectis in locum eminentem erigere conſueuerunt, in vaſtatione Tripolis Georgiæ ciuitatis pro habenda certudine de ſuis occiſis 7. homines ibidem pedibus erectis capitibus ſuppoſitis in 7. diuerſis locis ſupereminentibus infixerunt, ſed & parum ante Tartarorum aduentum in eadem ciuitate occiſi fuerant à Coraſminis: vt iam dictum eſt ſupra 7. millia hominum, & poſtquam ibi facta eſt occiſio tanta, ſubſecuta eſt fames inaudita.

Tartari ſignum victoriæ quod erigant.

De Chriſmate Georgianorum & erroribus ipſorum.

Cap. XCVI.

HÆc autem terra videlicet Georgia antiquis temporibus Antiocheno Patriarchatui erat ſubiecta cũ Armenia & Cappadocia ſiue Turquia. Accidit autẽ in Turquia tantã fuiſſe guerrã, quod Georgiani non potuerunt tranſire per Turquiam, in Antiochiã cauſa viſitationis vel confirmationis, & aliorum quæ immediate pertinent ad Patriarchã. Habito igitur inter ſe conſilio, miſerũt nuncios ſuos per mare Cõſtantinopoli, & inde Antiochiã poſtulantes à Patriarcha vt eis vnum catho-

licum id eſt vniuerſalem epiſcopum concederet, qui eis loco Patriarchę exiſteret. Tum Patriarcha miſit eis ampullam chryſmatis, dicens, vt de illo à ſeptimo anno in ſeptimum annum catholicos chryſma paululum ſcilicet miſcendo de ipſo cum oleo nouo conficerent, & ad hoc faciendum omnes epiſcopi conuenirent. Quod & fecerunt vſque nunc: & illud chryſma miſſum ab Antiochia in Georgiam vt dicitur, reſeruatur adhuc. Cum eodem chriſmate miſit Patriarcha litteras cuidam Archiepiſcopo continentes, vt ille quem ipſi communiter eligerent, canonice poteſtatem haberet confirmandi catholicos, & ita factum eſt. Quoniam ergo ſic fecit illis Patriarcha, dederunt illi Georgiani c. caſalia.

Georgiani Patriarchæ Antiochia ſubditi.

Poſt hoc accidit quod Patriarcha Hieroſolytanus depauperatus venit ad Antiochenam Patriarchã, conquerens & oſtendens ei ſuam paupertatem. Tunc Antiochenus dedit eccleſiæ Hieroſolymitanæ & fratribus de ſepulchro c. caſalia: quę ſibi Georgiani dederant antea. Hæc itaque caſalia modo tenet Archidiaconus frater ſepulchri Domini ex parte Hieroſolymitani Patriarchæ & capituli de ſepulchro in Georgiam miſſus. Illaque poſſidens à Tartaris quam plurimum ſicut alij eſt impetitus. Sunt autē in Georgia tam epiſcopatus quam archiepiſcopatus 18. ſed catholicus id eſt vniuerſalis epiſcopus chryſmales coepiſcopos facit, & illis mediantibus chryſma cæteraque ſacramentalia vendit, mulierem ſterilem quia ſterilis eſt à marito mediante pecunia diuidit. Monachi quoque & Abbates Georgiani aperte ſymoniaci ſunt & vſurarij. Itaque cancellaria Georgiæ à monachis emitur, & publicæ poſſidetur.

Patriarcha Hieroſolymitanus in Georgia reditus habet.

De vaſtatione Armeniorum.

Cap. XCVII.

Poſt Georgiam intrauerunt Tartari maiorem Armeniam & vaſtauerunt, ſibique ſubiecerunt. In Armenia eſt ciuitas nobilis, quæ Am vocatur vbi ſunt mille eccleſiæ, ac centies mille familiæ ſeu domus inhabitatæ, quam tartari cæperunt in 12. diebus, & etiam ibi prope eam mons Arath. Ibi requieuit Arca Noe, & in pede montis illius eſt prima ciuitas quam ædificauit ibi Noe, & vocatur hæc ciuitas Laudume, circa illam defluit fluuius Arathoſi, qui fluit per mediū Mongam, vbi ſunt in hyeme tartari, vſque in mare Sarmaticum. Eſt autem mons iſte videlicet Arath excellentiſſimus nec vnquam illuc aſcendiſſe dicitur homo, niſi monachus vnus. Ille ſiquidem quodam deuotionis, vt dicitur, ardore commotus propter arcam Noe quæ ibi requieuit multotiens illuc aſcendere quibus potuit conatibus attentauit. Cumque aliquam montis partem aſcenderat, & membra corporis fatigata quieti dabat, ſemper poſt quietem euigilans in pede montis ſe inueniebat. Tandem vero Dominus eius effectui condeſcendens: eiuſque votum & orationes exaudiens per Angelum ſuum eum monuit, vt ſemel aſcenderet. Ita tamen vt de cætero aſcendere nullatenus attentaret. Tunc ergo ſecurus aſcendit, & poſtea deſcendens inde ſecum ex arca vnū aſſerem detulit. Tunc in montis pede monaſterium ędificauit, in quo eundem aſſerem tanquam pro ſacris reliquijs deuoæ collocauit.

Am ciuitas Armeniæ nobiliſſima.

De erroribus ipſorum.

Cap. XCVIII.

Armeni quidem in ſabbato Paſchæ comedunt oua & caſeum in veſpere. Dicūt enim quod Chriſtus reſurrexit in veſpere ſabbati Paſchę. Item poſt Paſcha comedūt carnes per omnes ſextas ferias quę ſunt ſeptē videlicēt vſque ad Pentecoſtem. Diem natalis Domini neſciunt, nullaque feſta vel vigilias cuſtodiunt, nec quatuor tempora nouerunt. Per totam quadrageſimam, nec celebrant niſi die ſabbati vel dominica, quia dicunt hominem ieiunium frangere quoties celebrat. Propter hanc etiam cauſam in ſextis ferijs non celebrant ne ſcilicet ieiunium frangant. Diebus autem quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non ieiunant. Multa vero faciunt ieiunia in ſeptimana ante 70. quia dicitur ieiunium ſancti Sargij à ſecunda feria vſque ad ſabbatum ieiunare incipiunt, & in ſabbato & in dominica die carnes comedunt. Idem & in hebdomada ſequenti faciūt. In quartis & ſextis ferijs, oleum & piſces non comedunt, nec vinum bibunt, nec etiam per totam quadrageſimam, pluſque illum peccare, qui in 40. comedit piſces vel oleum, aut bibit vinum aſſerunt, quam illos qui ad lupanar vadunt. Porro in ſeptimana ante quinquageſimam ita ſtricte ieiunant, quod in ſecunda feria pænitus abſtinent. In die Martis tamen aliquid ſine oleo & vino manducant, & in die Mercurij iterum ieiunant. In die Iouis comedunt ſemel. In die Veneris omnino nihil. Et in ſabbato comedunt carnes: & hoc quidem ieiunium faciunt maiores. Infantes autem duorum menſium ſacrificio communicant, & quoſlibet indifferenter.

Armenorum ritus.

In ſacrificio aquam non apponunt, in lepore & vrſo & corniculis & huiuſmodi ſicut, Græci Iudaizant, & in calicibus vitreis & ligneis celebrant. Quidam etiam celebrant ſine paramentis & ſacerdotalibus veſtimentis omnino, quidam cum inſula, quidam cum diacono & ſubdiacono. Sed ſi aliquod feſtum in Sabbato vel Dominica eueniat, commemorationem inde faciunt tantum, ſed nullum vt dictum eſt, celebrant feſtum. De purgatorio nihil credūt, ſed ſi vxor alicuius adulterauit, ſtatim epiſcopus dat ei licentiam accipiendi aliam, & accipit. Monachi quoque & Abbates & epiſcopi potationibus vacant etiam pluſquam laici. Sunt etiam Monachi ac presbyteri publici vſurarij & ſymoniaci. Multique illorum ſacerdotes in diuinationibus errant, ex inſpectione granorum & huiuſmodi. Dicuntque quod vxor ſacerdotis eo mortuo non poteſt de cætero maritari. Præterea nullo modo cōcedere volunt, quod Chriſtus duas naturas habuit. Dicunt etiam Georgiani quod in articulis 30. diſcordant à fide catholica ipſi Armeni, tantumque odium inter Georgianos & Armenos exiſtit, quod Georgianus dicit: Si quis noſtrum habeat ſpinam in pede infixam, tranſiens ante Armeniorum eccleſiam debet ſpinam ſuſtinere, nec ſe ad pedem ſuum euellendi cauſa inclinare, ne per hoc videatur ante Armeniorum eccleſiam ab omnibus Chriſtianis vilipendendam inclinare.

Armenorum hæreſes ex Guidone carmelita.

Georgiani & armeni quātum diſſerant.

De quibuſdam ſancti Franciſci documentis & conſcientiæ puritate.

Cap. XCIX.

Cvm autem beatus Franciſcus olim in loco qui dicitur Riuus tortus prope Aſſiſium in domicilio valde ſtricto cum fratribus ſuis moram faceret, accidit vt Romæ coronandus Imperator Otho cum magno illac comitatu & pompa trāſiret, ac vir ſanctus cum ſecus viam maneret, nec ipſe nec aliquis ſuorum ſaltem aſpicere de tugurio voluit, præter vnum ſolum ex ipſis, cui gloriam huiuſmodi modicum duraturam Imperatori conſtanter nunciare præcepit. Rogatus autem à fratribus vt eos orare doceret, ſimpliciter illis huiuſmodi formam tradidit, dicens: Cum orabitis dicite: *pater noſter, & adoramus te domine Ieſu Chriſte ad omnes eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Quod ipſi fratres humiliter exequentes, & verbum ſimplex pro mandato obedientiæ reputantes ſe etiam ad eccleſias quas è longinquo proſpicere poterant inclinabant, & proni in terrā prout inſtructi fuerant adorabant. Ipſe vero prædicatione ſua principaliter monuit vt Romanæ eccleſiæ fides inuiolabiliter obſeruaretur, & ob hoc Dominici ſacramenti quod miniſterio Sacerdotum conficitur, dignitate in ſumma ſacerdotalis ordo reuerentia teneretur. Sed &

Docet fratres orare.

diuinæ

diuinæ legis doctores & omnes ecclesiasticos docebat summopere reuerendos. Erat autem tanta simplicitas fratrum, quòd cum quidam Sacerdos, qui non ignorabatur infamis vni è fratribus diceret: Vide ne sis hypocrita, ipse frater se esse hypocritam crederet, eo quòd sacerdotem mentiri non posse putaret. Cumque dictus frater de hoc grauiter turbaretur, ad sancti patris ignitum eloquium quo frequenter omne nubilum à fratrum cordibus fugabatur, tandem consolationem recepit, qui verbum & intẽtionem sagaciter excusauit. Crebris quoque reuelationibus consolabantur tunc temporis, quas vtique recipere meruerunt ex præsentia tanti patris. Nam cum nocte quadam se a fratribus absentasset, ecce circa mediam noctis horam quibusdam fratribus quiescentibus, quibusdam orantibus currus igneus per ostiolum domus ingredieus huc illucque per domunculam pluries se conuertit, super quem globus non modicus speciem Solis habens, ipsas quoque noctis tenebras sua effugauit claritate. Conuenientibus ergo cunctis & inuicem quid hoc esset cum magno stupore quærentibus, celebri memoria res accidit, quòd videlicet ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt igitur hanc esse animam patris sancti quam ob præcipuam sui puritatem in filiorum solatium ipse sic meruerat tranfiguratam ostendi. Reuersus itaque ad fratres suos, cepit conscientiam illorum subtiliter arcana rimari, quæ & ipsum non latere crebro fuerant experti. Multis namque cordium suorum secreta aperuit.

Multa de profectu ordinis fratribus prædicit.

Qualiter etiam absentia cognoscebat spiritu reuelante.

Cap. C.

ABsentium quoque fratrum multotiens acta cognouit. Alijs quidem in somnis, ne hoc vel hoc facerent prohibens, alijs autem istud aut istud facere præcipiens, multorum etiam qui boni in facie videbantur, mala damnabilia præuidens nunciauit. Sed & eorum qui mali erant, dona gratiarum futura prædixit. Sæpius quoque fratribus suis vir Dei gaudia solatij spiritualis impendit, quibus ipse corpore quidem absens, sed spiritu præsens fuit. Referam breuiter vnum de multis: Namnempore quodam, fratre Ioanne de Florentia capitulum in prouincia celebrante, vbi à beato Francisco minister fuerat constitutus, intererat Christi confessor Antonius, vbi dum dicitur super hac materia: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum* fratribus adunatis verbum exhortationis proponebat.

Huius Antonij a Padua vita est Iunij 13.

Frater quidam Monaldus nomine, Sacerdos vir simplex & virtute præclarus faciem suam ad ostium domus conuertit, vidit que corporeis oculis qualiter beatus Franciscus in aëre subleuatus veluti manibus in cruce protensus apparuit fratribus qui aderant, benedixit, tantumque subito gaudium spiritus singulis & vniuersis est infusum, vt quod ipse sacerdos post de ipsa visione narrauit cunctis mirantibus ipsa faceret experientia fide dignum. Qualiter autem alienorum cordium sæpius occulta pandebat, vnum narrare de pluribus sufficiat. Frater quidam Richerius nomine tam moribus quàm genere nobilis intantum de beati Francisci meritis præsumebat, vt diuinam profecto mereri gratiam crederet: si quis ipsius sancti dono beneuolẽtiæ potiretur, aut si quis illa careret Dei iracundiam mereretur. Cumque ad obtinendum ipsius familiaritatis beneficium vehementius aspiraret, timuit valde, ne quid in ipso vitij vir sanctus occulte forsitan deprehenderet, cuius occasione se ab illius gratia magis elongari contingeret. Igitur huiusmodi timore dictum fratrem grauiter affligente, nec cogitationem suam cuiquàm reuelante, accidit ipsum die quadam solito more turbatum ad cellulam, in qua beatus Franciscus orabat accedere, cuius aduentum simul & animum vir Dei cognouit, & benigne ad se vocato ait sic: Nullus te timor de cætero, nulla te fili conturbet tentatio: quoniam charissimus mihi es & inter præcipue charos speciali te charitate diligo. Securus cum tibi placuerit ad me venias, & à me libere pro tua voluntate recedas. Creuit autem iste, sicut credidit, in gratia Saluatoris.

De abstinentia eius & vera humilitate.

Cap. CI.

SAnctus vero Christi confessor Franciscus omni studio præcauebat, ne summæ sanctæ paupertatis metas transiliens ad superflua quoquomodo diffluere t, & cum rarissime coctis vtens ea cineribus vel aqua frigida commisceret, & de ipsa sufficienter aqua non biberet. Difficillimum enim asserebat necessitati satisfacere; & voluptati non obedire. Sæpius quoque cum pœnitentiam prædicans circumiret, & inuitatus refectionem in domibus sæcularium sumeret, visus quidem comederet carnes ad os manus ducebat, sed tantum propter euangelij verbum quo dicitur, *edentes & bibentes quæ apud illos sunt*, minimum aliquid ex eis petraro degustãs, reliquias in sinu subtili cautela mittebat. Nuda humus dormire coacto tunicula tantum interposita lectus erat, & sæpius sedens non iacens inclinato ad lignum vel lapidem capite dormitabat. Accidit quoque vt infirmatis necessitate de pullo quadam vice manducans, viribus postmodum vtcunque resumptis cuidam fratrum districte præciperet, vt collo ipsius fune ligato eum tanquam latronem per medium ciuitatis Assisij duceret, & præconaria voce clamaret: Ecce videte glutonem qui se gallinarum carnibus impinguauit, quas secreto nobis ignorantibus manducauit. Factum est igitur, vt multi ad tam mirum compuncti spectaculum lachrymabili voce lugerent, seseque miserrimos veluti quotidianis voluptatibus deditos, proclamarent.

Mira eius abst mentia.

Matth. 10.

Præclarum humilitatis exemplum.

Cum vero extolli laudibus humanis audiret, alicui fratrum per obedientiam iniunxit, vt ipsum viriliter à laetere verbis cõtumelioſis afficeret, & aduersus laudantium mendacia, veritatis verba proferret. Quẽ cum frater inuitus rusticũ & mercenarium inutilem appellaret, ille iucundo applausu subrisit, & sic exprobranti respondit, benedicat tibi Dominus fili charissime, quia tu suauissima loqueris, & talia filium Bernardonis decet audire. Cupiens quoque perfecte se vilem ab omnibus reputari, peccata sua non erubuit in prædicatione publica confiteri. Sed & quid si sinistri subriperet leui cogitatione de aliquo idipsum eidem de quo cogitauerat confitens, humiliter veniam postulauit ab illo.

De magnimitate & fiducia eiusdem.

Cap. CII.

ARdentissimo martyrij desiderio feruẽs sexto conuersionis suæ anno ad partes Syriæ voluit proficisci; vt ibidem Saracenis annũciaret euangelium Christi. In nauem autem quæ Anchonam tendebat à nautis expensarum defectum timentibus vix permissus intrauit, in qua maris tempestate subortaiam demum post longos labores ipsis nautis cibaria deerant, dum quædam & si non tanta vt multis quoquomodo sufficerent, sanctus Franciscus Domino sibi prouidente latenter intulerat, quæ tunc ad ipsius meritum tantum sumpsere diuinitus incrementum, vt abundanter vsque ad portum Anchonæ necessitatibus omnium subuenirent. Vt autem ad terram à mari descendit, diuini rursum verbi semina iacere cepit. In ipso martyrij feruor non tepuit, quin Marochium non multo post iter arripiens, tanto ad hoc aliquotiens impetu festinaret, vt peregrinationis suæ comitem præ spiritus ebrietate solus pereurrendo desereret. Et licet quotidiana inter christianos & infideles prælia gererent, ipse tamen in Domino confisus adire Soldanum, nec cum euidenti periculo verebatur. Vnde & multis grauibusque verberibus antequam ve-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

niret afflictus, tandem ipsius Soldani conspectu est potitus. Soldanus vero cum ingenti honore eum suscepit, pluraque sibi pretiosa valde donaria protulit, sancto Dei veluti quasdam immundicias vilipendente. Ipse Soldanus tanquam de miro cunctis dissimili magis obstupuit, & illius eo diligentius verbis intendit. Sed nimirū in his omnibus suum non impleuit desiderium, cum mirabilius in singularis gratiæ prærogatiuam gerendam suorum Dominus insignia stigmatum reseruauit.

Qualiter volucribus prædicauit.

Cap. CIII.

IDem vir columbina simplicitate plenus dum more solito quadam vice per vallem Spoletanam transitum faceret, accidit vt non longe a castello cui nomen Raennamum multitudinem magnam diuersi generis auium conuolasse videret; & quoniam ob præcipuum creatoris amorem miro etiam in omnes creaturas ducebatur affectu, socijs in mari relictis alacriter contra locum vbi stabant adunatæ cucurrit, easque prout ei consuetudinis erat veluti rationis humanæ capaces salutauit. Videns autem quod propter ipsum loco non cederent, admirans vsque ad illas accessit, sed nec tunc vna quidem illarum dum aduenirent abscessit. Repletus itaque magno gaudio vir solicite eas ad audiendum verbū Dei monuit intendere: & his similia simpliciter eis inter aliqua plura proposuit.

Concionatur auibus.

Fratres mei volucres, multum vos memini nostrum laudare & diligere creatorem, qui plumis vos induit, qui pennis vos à terra subuehit, qui vobis inter creaturas volatilibus in puriore mãsiones aëre tribuit, qui nec serentes nec metentes, nec in horrea congregantes absque vestra solicitudine vos enutrit & abundanter in omnibus quæ vobis sunt opportuna prouidit. Ipsæ vero auiculæ rostris apertis, alis collisque protensis suo modo mirabiliter gestientes, sanctum Dei talia proponentem intuebantur, & verbis diligenter intendere videbantur. Ille vero per medium illarum transiens & reuertens tunica eas tangebat vt voluit. Nec illis quidem se prius à loco mouentibus, donec benedictione cum signo crucis & licentia eis data similiter ipse recessit. Tunc cæpit se magnæ negligentiæ incusare eo quod hactenus omiserat auibus prædicare. Igitur ab isto tempore vir Dei, cuius ori semper laus affuit saluatoris, non solum homines vt laudarent, ipse laudans admonuit, sed & aues & bestias & quaslibet alias creaturas fratrum vel sororum nominibus nuncupans, ad omnium conditoris laudem solicitauit & inuitauit.

Aues verba eius silenter audiunt.

Quod auibus & piscibus & bestijs & elementis imperauit.

Cap. CIIII.

SEd & hic qui totum se nutui creatoris subiecerat, non immerito creaturis sibi inferioribus altissimi nomen inuocans imperabat, quarum obedientiam ipsa frequenter cognoscebat. Et vt referam pauca de multis: accidit die quadam apud castrum quod dicitur Albianum, vt cum verbum Dei populo illuc adunato proponere vellet, præ nimio strepitu & multitudine hirundinum nidificantium audiri non posset. Quibus ita garrientibus taliter est locutus: *Sorores meæ hirundines iam tempus est vt loquar, quia vos quidem satis vsque nunc locutæ estis, sed deinceps vsque dum sermo Domini compleatur, loqui omnino cessate.* At istæ veluti rationis capaces continuo tacuerunt, nec ab ipso loco donec consummaretur prædicatio se mouerunt. Quo viso miraculo cuncti qui aderant, Deum glorificabant, & beati viri saltem vestimenta contingere cupiebant. Confugiebant quoque ad illum sępius bestiæ siluestres veluti ad portū tutissimum, acsi ratione ductæ ipsius erga se cognoscerent pietatis affectum. Nam cum moram faceret apud castellum nomine Græcium, quendam lepusculum laqueo captum viuum à quodam fratre vidit adductum. Ad quem pietate magna permotus sic ait vir ille mitissimus. Frater lepuscule veni ad me, quare te sic decipi permisisti? Qui dimissus à fratre statim veluti securus ad virum Dei cucurrit, & in sinu eius domiti animalis more quieuit. Quoties autem à beato viro super terram depositus est vt abiret, totiens ad illum non aliam libertatem quærendo recurrit, donec tandem ad vicinum nemus ipsum à fratribus asportari præcepit.

Aues ei obediunt.

Oblata sibi animalia dimittit libera.

Similiter quadam vice cum in lacu Reatino resideret in naui, piscis quidam non paruus qui vulgo Tencha vocatur, viuus oblatus est ei, quem ipse non manducandum, sed libertati restituendum hilariter ac benigne suspiciens, ipsum piscem fratrem vocauit, oransque & nomen Domini benedicens in aquam reposuit. Persistente autem in oratione & laudibus piscis in aqua ludens à nauicula non recessit, donec ei licentiam beatus Franciscus oratione completa concessit. Igitur non solum sensibilibus bestijs videlicet & auibus imperauit, sed ad illius obsequium in alteram naturam insensibilia etiam Dominus elementa conuertit. Nam cum ipse apud eremum sancti Vrbani quadam vice grauiter ægrotaret, aqua sibi mirabiliter in vinum mutata est. Factum est vt ad gustum istius tam facile sanitatem reciperet, quòd diuinum hoc esse miraculum nullus ambigeret.

Vir pius & pauper piscē reponit in lacum.

Quòd illas creaturas præcipue amabat quæ figuram Christi præferunt vt oues & agnos.

Cap. CV.

TAnta eius mentem diuini amoris dulcedo repleuerat, vt in omnibus opera creatoris miranda considerans, maxime etiam erga cunctas affluere et pietatis teneritudine creaturas. Inter alias tamen istas præcipue diligebat, quas vtputa ouiculas simplicioris & mansuetioris naturæ videbat, quatum etiam in omnibus Christum ob aliquam similitudinem figurari scripturis audierat. Nam tempore quodam per Marchiam Anchonæ cum fratre Paulo, quem ibidem ministrum constituerat transiens quendam hircorum & caprarum vidit in pascuis non modicum gregem & vnicam inter omnes ouiculam depascentem. Ad cuius intuitum grauiter ingemiscens dixit ad fratrem: Nonne vides hanc solam ouiculam inter hircos & capras simpliciter ambulãtem, sicut vtique Dominus noster Iesus Christus innocens mansuetus & humilis inter scribas & pharisęos & sacerdotum Principes ambulauit. Soluamus igitur fili charissime, & educamus illam de medio gregis caprarum. Cumque nihil aliud nisi quàm viles tunicas habentes de oue redimenda soliciti starent; ecce quidam mercator transiens ad hoc se voluntarius obtulit, pretioque soluto ipsam ouem viro sancto reliquit. Qui gaudens secum illam in ciuitatē, quę Auximum dicitur, adduxit; & ad eius loci episcopum hospitandi gratia declinauit. Miranti igitur episcopo quare sic ouiculam deduceret, longam de illo cæpit parabolam retexere, donec & ipse episcopus Deo gratias ageret, non modicum de tanta hominis Dei compunctus simplici puritate. Sequenti vero die per quoddam claustrum dominarum ad sanctum Seuerinum transitum fecit, vbi eisdem Christi famulabus ouiculam commendauit, quam illæ ob sancti reuerentiam deuote suscipientes, diligenter longo tempore nutrierunt, donec tunicam de ipsius lana texentes illam beato viro munus acceptum de fratre ouicula transmiserunt.

Alio quoque tempore per eandem Marchiam prædicto fratre comite transiens, inuenit in itinere quendam virum, qui duos in humeris portabat agnos ad vendendum. Quos vt balantes audiuit, commota sunt ex intimis viscera eius, & accedens benigne eos veluti mater plorantes filios attrectauit. Dixit autem ad virum. Quare fratres meos agniculos sic ligatos & suspensos excrucias? Qui cum respondisset, quod eos ad forum pretij

necessi-

necessitate deferret, quærentique quid de illis postea fieret vir eos mactandos assereret, ait sanctus: Absit vt hoc fiat, quin potius mantellum quo contegor accipe, & fratres meos agnos mihi relinque. Acquieuit voluntarius homo, multo enim maioris pretij erat mantellus, quem sanctus frigore compulsus à quodam fideli mutauerat ipsa die. Igitur acceptis agnis quid de eis ageret solicitus extitit. Tandem cum socio fratre deliberans, gubernandos eidem viro commisit, & ne eos venderet vel lęderet districte præcepit.

Quod Christi nomen in vermibus & in schedulis & maxime pauperibus honorabat.

Cap. CVI.

NOn solum autem huiusmodi bestijs & dignioribus creaturis, sed & alijs vilibus & minimis similiter compassionis affectu adhæsit. Namque de saluatore legitur: *Ego sum vermis & non homo*, vermiculos etiam ne cõtererentur multotiens de via leuabat, sed & apibus ne deficerent forte vinum vel mel in hyeme ministrabat, diligenter enim non tam illarum, quàm & aliarum creaturarum efficaciam attendebat. Et quicquid admirationis, delectamenti, siue cuiuscunque valoris in vita quaque perpendere poterat, id totum in omnium factoris gloriam regebat. Propter hæc omnia fraterno nomine nuncupabat, omnia ad vnius cõditoris laudem continuis ipse in laudibus inuitabat. Ipse vero nomen domini nominans, totus supra hominis intellectum afficiebatur, totus in iubilo, totus alterius sæculi videbatur. Præterea & tantam nomini saluatoris reuerentiã exhibebat quod etiam qualecunque scriptum inueniret inhoneste locatum reuerenter illud recolligens in loco reponebat honesto, ne forsan verba diuina, vel nomina, vel etiam litteræ quibus ista scribuntur, & contemnerentur in isto.

Quanto autem putas erga pauperes compassionis ardore feruebat, qui tanta non solum ad animalia bruta verumetiam ad insensibiles & infirmas affluebat pietatis dulcedine creaturas. Nam hic vere pauperum patriarcha omnino pauperrimus esse desiderans. Et si præter vilem tunicam nihil possessionis appeteret, voluit tamen in hac vnica necessitate parcere ipsi, quoniam & illam pluries indigenti cuiquam promptissime cuperet impartiri. Vestes quoque diuersas à diuitibus in hyeme postulabat, quas istis libentissime dantibus, ita vt nec ad restitutionem teneretur, accipiens ea egenis quos prius habere contingeret obuios in frigore porrigebat. Grauissimum enim erat illi si alicui pauperum verbo vel facto perciperet quicquam molestę fieri. Audiens enim vnum è fratribus tempore quodam pauperi cuidam verbum inuectionis inferre, vide ne forsitan falso simules paupertatem, durius increpatum, fecit coram eodem paupere nudum procedere & pedibus eius deosculatis, humiliter ab ipso veniam postulare. Ait enim: *Qui pauperi maledicit, Christo facit iniuriã cuius nobile signum gerit, qui se voluntarie pauperem in hoc mundo pro nobis fecit.* Ipse quoque etiamsi minimum quid haberet corporalium virium, humeros tamen proprios ad subleuanda suppossuit onera pauperum, quorum etiam pio zelo multa alia faciebat in hunc modum.

De miraculis gestorum eiusdem.

Cap. CVII.

PEr ciuitates & castella longe lateque circumiens tantorum diuina virtute ad pœnitentiã corda commouit, quod & aliquotiens ad religionis habitum vna vice 30. recepit. Confundebatur hæretica prauitas, fides extollebatur catholica, quam non solum sanctus ille vita magnificauit & verbis, sed & plurimis extulit miraculorum prodigijs. Nam & omnem languorem diuini nominis inuocata virtute curauit, magnifice verbo dæmones effugauit, nullaque oranti necessitas aut periculi difficultas obsistere potuit. Panes etiam ad benedicendum illi sæpius offerebant, de quibus ægri gustantes, à diuerso languoris incommodo resurgebãt. Crebro quoque pius pater quasi seminudus a populo derelictus est eo quòd tunicam eius per particulas cum cultellis inciderent, easque deuote contra diuersa pericula pro salutis remedio conseruarent. Ipse autem vir sanctus ea præcipue quæ circa Christum gesta sunt, assidua meditatione reuoluẽs, die Dominicæ natiuitatis instante humilem nascentis in Bethleem Saluatoris infantis paupertatem similitudine qua poterat repræsentare desiderans, ad castellum de Græcio quendam virum religiosum & nobilem nomine Ioannem præmisit, qui ad hoc bouem & asinum cum præsepio contra festi gaudia sibi præparauit. Præparato itaque præsepio fœnum imponitur, adducti itaque bos & asinus ad præsepe collocantur, & sic cum gaudio vigiliæ celebres inchoantur. Fratres quoque laudes debitas Deo exoluebant, sed & cuncti qui aderant nouis letitiæ canticis applaudebat. Stabat autem coram præsepio beatus Franciscus suspirijs præ gaudio plenus indicibili suauitate perfusus. Tandem super ipsum præsepe sacra celebrantur solemnia missarum, & ipse sanctus Dei leuita solemnibus ornamentis indutus euangelium voce sonora pronunciat, ac deinde populo de nato in Bethleem rege paupere melliflua prædicat.

Vide quam celebritate peragit festum natiuitatis Christi.

S Franciscus diaconus euangelium cantat.

Miranda vero talis ibidem cuidam viro virtutis ostensa est visio. Vidit ad præsepe dictum beatum Frãciscum accedere, & quendam qui in illo iacere videbatur exanimis velut à somni sopore puerulum excitare creditur. Itaque non immerito suam dominus Iesus Christus infantiam recolenti in huiusmodi formula non absurde monstratus? Quippe qui in multorum cordibus per obliuionem quasi sopitus & mortuus, veluti per beati Frãciscí doctrinam & exemplum euigilans ad memoriam est reductus. Finitis igitur tantis solemnijs, populus ad propria remeauit. At vero de fœno præsepij conseruato plura diuersimode postmodum ab vtriusque sexus hominibus sunt remota pericula nec non & brutis sanitatis animalibus morbidis collata remedia, præter alia quasi innumera quæ in diuersis ęgritudinum, necessitatum seu periculorum generibus gessit; multos etiam mirifice mortuos resuscitauit, quorum & si de pluribus non simus incerti numeris ad præsens non ponimus, nisi quod 11. esse à viris fide dignis accepimus.

De orationibus eius assiduis & confidentia in Domino.

Cap. CVIII.

AD omnia vero quæ vir beatus intendit & fecit, totum eius refugium oratio crebra fuit. Nam & si ardentissimo zelo proximorum luctis intenderet, studuit tamen summopere ne suiipsius curam in omni experimento perfectionis negligeret. Ad hoc solitaria loca quæsiuit, ad hoc etiam in eremi vastitate resedit, sed & inter homines habitans ad ecclesias domosve desertas solus nocte perrexit. O quantos in huiusmodi loci terrores, quantaque diaboli machinamenta deuicit, cui non solum intus malignus ille pestifera sæpe suggessit, sed & in aliqua horrenda effigie manu ad manum cum illo confixit! Talia, inquam, loca intrepidus vt in oratione sibimet inuigilaret elegit. Ibique prius didicit quę postmodum alios docuit vt non tam verbis quàm virtute spiritus ad eructandum proximis opportuno tempore esset plenus. Nam aliquando dum hæc vel illa dicere cogitaret contigit vt ad prædicandum veniens omnium illorum quæ præcogitabat oblitus omnino quid diceret non haberet. Sed nec tũc quidem defectum suum confiteri coram omnibus erubuit, & sic subito verborum eloquentia affluere cepit. Sic spe tota iugiter in solius domini prouida largitate suspensus de propria pænitus diffidebat industria, eademque mentis constantia multis loquebatur vt paucis, eademque diligentia vni soli prædicauit vt multis. Nullius quoque verebatur personam, quin æquanimiter sapientibus & indoctis, magnisque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

loqueretur & paruis. Nam & cardinalibus coram domino Papa Honorio congregatis constantissime prædicauit, non vtique tam verborum simplicitate mouens ad risum, quàm mirando spiritus feruore compunctionis extorquens suspirium. Igitur vir sanctus qui sibi & proximis vtiliter diuidere tempora nouit, quadam vice relictis ex more sęcularium turbis locum solitudinis petijt, totisque præcordijs desiderabat agnoscere quid agendo sacrificium de se domino magis gratum posset offerre. Cumque huic desiderio quanto diutius, tanto feruentius anhelaret, die quodam in eremitorio quo manebat ad altare deuote accessit, super quod euangeliorum librum cum reuerentia & timore deposuit. Post hæc se humiliter coram altari in oratione prosternens, quanta poterat deuotione clamauit ad dominum vt in prima libri apertione sui de ipso beneplacitum dare dignaretur indicium. Tandem corde contrito ab oratione consurgens se crucis signo munuit, librumque aperuit. Cui cum domini nostri Iesu Christi passio primum occurret, suspicatus est ne casu hoc forsitan accidisset; vnde & rursus librum claudens rursus aperuit. Pluriesque hoc ipsum reiterans idem quod prius vel simile prorsus inuenit. Ad hoc Christi miles non expauit, & qui iam dudum martyr desiderio fuit, etiam tunc sese ad omne quod pro Christo sustinere poterat flagrantius animauit.

Qualiter in eius corpore apparuerunt stigmata passionis dominicæ.

Cap. CIX.

De stigmatibus sacris.

DVobus autem annis ante mortem eius vidit in visione quasi Seraphim vnum in aëre sex alas habentem, cruci manibus extensis pedibusque coniunctis affixum. Alarum vero duas super caput erectas, & duas ad volandum extensas habebat. Porrò duabus totum corpus tegebatur. Obstupuit vehementer vir sanctus ad visum, & alternabatur in ipso timor & gaudium. Delectabat enim eum speciei ipsius mirabilis pulchritudo, deterrebat eum plurimum horrenda crucis affixio, sed & hoc lætificabat quod gratiose se respici videbat ab ipso. Cumque diutius cogitaret quid huiusmodi visio importaret in seipso, vidit tandem miraculum omnibus vt arbitror retroactis sæculis inauditum. Apparebant namque in manibus eius & pedibus quasi fixuræ clauorum, latusque ipsius dextrum velut lancea perforatum. Manuum videlicet interior, & pars pedum superior supereminentia quædam ex ipsa carne veluti clauorum capita protendebat. Manus autem exterius & pedes inferius signa quędam oblonga gerebant, veluti retorta clauorum acumina quæ & carnem inferius similiter reliquam excedebant. In latere vero dextro cicatrice obductum vulnus apparuit, quod & sacrum sanguinem sępius euaporans, tunicam ipsius nec non & aliquotiens femoralia tinxit. Talibus igitur in se vir Dei resultantibus margaritis studuit summopere precioſum istum thesaurum quo spirituali illum dominus prærogatiua ditauerat, ab omnium omnino oculis conseruare reconditum, periculosum enim existimans inclytum apparere in oculis hominum, sed & pro magno non reputans occulta quorumlibet bona non esse his maiora quæ proferuntur in publicum. Ruminabat sæpe illud in ore propheticum: *In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi.* Fratribus quoque circa ipsum non conuersantibus dederat tale signum, vt si quando eum cum extraneis occupatum prędictum versiculum recitare præciperent illum, ne forsitan in verba nociua sibi deflueret, curialiter ab eorum colloquijs expedirent. Itaque vulnus lateris quoadusque vixit in corpore diligenter viro Dei celante solus hoc frater Helias casu vtcumque prospicere meruit.

Psal. 118.

De virtute orationum beati Dominici in animabus conuertendis.

Cap. CX.

EX *gestis eius.* Interea sanctus quoque Dominicus multis floruit miraculorum virtutibus & orationū effectibus, vnde Alacrinus vitæ venerabilis episcopus cum adhuc prior esset monasterij Casamariæ de ordine Cistercienſi & ab Honorio Papa in Teutoniam missus per Bononiam iter faciens ad eundum sanctum Dei virum Dominicum, cum quo magnæ familiaritatis notitiam dudum Romæ contraxerat visitandum accessisset, secretam & cōsolatoriam de diuinis ac cælestis vitæ delicijs cum eo collationem habuit, & ei quadam familiari confidentia exigente materia dixit. Fateor tibi, inquit, quod nullum adhuc expossui, nec tu quamdiu vixero reuelabis quod nunquàm adhuc à Deo in hac vita aliquid petij quod non consequerer iuxta votum. Erat enim tūc Bononiæ magister Conradus Teutonicus, cuius ingressum ad ordinem fratres mirabiliter affectabant. Itaque prior Alacrinus vbi prædictum sancti secretum audiuit vehementer admirans confidenter adiecit: Pete ergo pater vt det tibi magistrum Conradum ad ordinem, cuius fratres introitum tam ardenter flagitare videntur. At ipse. Rem, inquit, frater bene difficilem postulasti. Si tamen volueris in hac nocte orationi mecum insistere, confido in domino quod nos à petitionis nostræ desiderio non fraudabit. Finito itaque completorio fratribus ad quiescendum pergentibus vir Dei Dominicus in ecclesia præsente dicto priore & vidente remansit, & in oratione more solito pernoctauit. Peractis vero matutinarum vigilijs illucescenteque die conuenientibus ad primam fratribus cum cantor incepisset: *Iam lucis orto sidere*, ecce lucis veræ sydus nouum magister Conradus subito veniens & ad pedes beati patris Dominici se prosternens habitum ordinis & instanter petijt & perseueranter accepit.

S. Dominicus quicquid à Domino petijt impetrauit.

Decanus quidam de Francia Romam vadens virum Dei Dominicum apud Mutinam prædicantem inuenit. Ad quem accedens & de salute animæ suæ secum conferens, hæc inter alia sibi dolenter exposuit suumque quasi ineuitabile naufragium esse dixit, quod à carnis lubrico cōtinere non poterat propter quod etiam ab alijs bonis operibus exercendis quasi desperatus abstinebat. Cui vir diuina qua plenus erat confortatus fiducia, vade, inquit, de cętero viriliter age, & de Dei misericordia nō desperes, ego tibi à domino carnis continentiam impetrabo. Sic dixit, & sicut postmodum veraciter claruit, sic euenit. Nam qui fuerat immundus & lubricus, deinceps castus & continens est effectus.

Decano lubrico impetrat continentiam.

De moribus eiusdem præcipuis.

Cap. CXI.

MIra vir Dei Dominicus morum honestate pollebat, miroque in omnibus diuini feruoris impetu ferebatur. Inerat ei firma valde mentis æqualitas, nisi cum ad compassionem & misericordiam turbaretur, & quia cor gaudens exhilarat faciem, cum in eius facie de bonæ conscientię testimonio procedens semper eluceſceret hilaritas, lux tamen vultus eius non cadebat in terram. Denique per hanc omnium sibi facile vendicabat amorem, omnium sine difficultate mox vt eum aspicerent illabebatur affectibus. Tantam autem seruabat in his quæ secundum dominum rationabiliter fieri concepisset mentis constantiam, vt vix aut nunquam semel enunciatum cum digna deliberatione sermonem acquiescęret immutare. Vbicunque enim versaretur siue in via cum socijs, siue in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates & principes vel prælatos semper ædificatorijs effluebat sermonibus & abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi sæculive con-

temptum audientium animos inuitaret. Vix ipsa communis eius locutio à virtutis pondere erat vacua, quia cuius cor in alta sese suspenderat, nequaquam verba illius de ore in cassum cadebant. Vbique enim se verbo & opere euangelicum virum exhibebat, omnes autem homines largo excipiebat charitatis sinu, & cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus sibi proprium vendicabat. Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum quod simplici gradiens via nullum vnquam verbo vel opere duplicitatis vel fictionis prætendebat vestigium. Verus enim erat paupertatis amator, vtẽs vilibus indumentis. In cibo quoque temperatissimus, habens in omnibus liberam sui corporis potestatem. Mundum denique sibi mundique gloriam sic prostrauit, vt cum Petro siccis vestigijs ambulans super mare, nunquam in eo figeret gressum pedis. Proinde electus aliquando in Cyzeranensem episcopum omnino renuit, contestans se prius terram deserere quam electioni alicui de se factæ aliquatenus consentire. Illius nimirum imitatus est exemplum, qui cum eum vt regem facerent turbæ conquirerent in montem fugiens, manifeste quam sit prælationis officium appetendum ostendit. Interrogatus vero aliquo tempore cur non libentius in Tolosana quam in Carcassona diœcesi moraretur, quia in Tolosana, inquit, Diœcesi multos qui me honorant inuenio apud Carcassonam vero omnes econtrario me impugnant.

Qualiter spacium diei impendebat Deo & proximis.

Cap. CXII.

TEmpore diutno cum fratribus saluo quidem in omnibus honestatis tenore nemo communior nocturnis horis vigilijs & orationibus per omnem modum nemo instantior diem impartiebatur proximis, noctem Deo, sciens quoniam in die mandauit dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Sane de suis oculis quasi quendam fontem effecerat lachrymarum, fueruntque *lachrymæ eius panes die ac nocte; die quidem magis,* *Psal. 41.* cum missarum crebra & quotidiana celebrauit solemnia nocte vero cum super omnes infatigabilibus excubaret vigilijs. Frequenter autem cum corpus domini eleuabatur in missa in tantum mentis rapiebatur excessum ac si præsentem ibidem Christum incarnatum videret. Propter quod missam cum cæteris multo tempore non audiuit. Erat enim ei pernoctãdi in ecclesijs consuetudo celeberrima vsque adeo scilicet vt vix aut raro certum ad quiescendũ lectulum videretur habere. Tres autem singulis noctibus recipiebat manu sua propria de quadam cathena ferrea disciplinas, vnam videlicet pro se, alteram pro peccatoribus qui versantur in mundo, tertiam vero pro his qui in purgatorio cruciantur. Orabat ergo noctibus & perseuerabat vigilans, quantum scilicet à fragilitate corporis extorquere potuisset. Et cum tandem lassitudine succedente somni interpellaret necessitas siue ante altare, siue alio quocunque in loco, aut certe super lapidem instar Patriarchæ Iacob capite reclinato quiescens paululum, rursus euigilabat ad spiritus orationis feruorem. *Singulis noctibus carne suam ferreis catenis ter domauit.*

De felici transitu eiusdem.

Cap. CXIII.

APpropinquante peregrinationis termino fineque certaminis sui, apud Bononiam graui cæpit infirmitate languere. Positis autem ex his qui tunc aderant filijs coram eo testamẽtum pacis disposuit. In quo præcipuæ tam ipsis quam cunctis per ordinem circumquaque diffusis salubri quidem admonitione præmissa charitatis, humilitatis, atque paupertatis legitimam successionem legauit. In huius, inquam, triplicis proprietate thesauri summopere vniuersos filios hæredes instituit, per quæ nimirum illius regni quod repromisit Deus diligentibus se, secum fierent cohæredes. Illud vero qua potuit districtione prohibuit, ne quis vnquam in suo ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei & suam imprecans ei qui prædicatorum ordinem quem præcipuæ paupertatis decorat confessio, terrenæ substantiæ veneno respergere laboraret. Denique circũstantibus fratribus, & quasi inconsolabiliter de tanti patris destitutione dolentibus, dulciter consolans eos confidenter adiunxit: Ne vos mea, filij, corporalis turbet discessio nullatenus dubitãtes vos vtiliorem me mortuum habituros quàm viuum: Grandis sane, sed non vana fiducia. Sciebat nimirum cui crediderat, & de reposita sibi corona gloriæ certus erat; qua percepta, tanto fieret ad impetrandum potentior, quanto in potentias domini iam securior introisset.

Proinde ad extremam horam veniens, anno ab incarnatione domini 1221. 8. idus Augusti obdormiuit in domino, istius vocis quę ad Ioannẽ in Apocalypsi de cœlo dudum insonuit, non solum sonum, sed & effectum indubitanter percipiens, *beati mortui qui in domino moriuntur &c.* Interfuit autem exequijs eius venerabilis tunc quidem Hostiensis Episcopus & apostolicæ sedis legatus in Lombardia, postmodum vero papa Gregorius. Corpusque eius sacrosanctum cum digna deuotione per semet ipsum in ecclesiam fratrum sepulturæ mandauit.

De reuelatione glorioſi tranſitus eius facta quibuſdam fratribus.

Cap. CXIIII.

EAdem vero die eaque hora qua beatus pater migrauit à corpore, frater Guala eiusdẽ ordinis tunc prior Brixiæ, postmodum autem eiusdem ciuitatis episcopus cum in loco campanilis fratrum in Brixia paululum se reclinasset, leui quadam somni dulcedine dormitauit viditque reuelatione diuina velut aperturam quandam in cœlo per quam duæ scalæ candidæ submittebantur ad terram. Summitatem quoque vnius scalę manu tenebat Christus dominus, summitatẽ vero scalæ alterius virgo Maria. Per vtrasque autem descendẽtes angeli discurrebant, & ecce in medio scalarum in imo est sedes posita & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat fratri habenti faciem velatam capucio, quemadmodum mos est in ordine fratres mortuos sepelire. Scalas autẽ sursum paulatim trahebãt ex vna parte Christus dominus, & ex altera mater eius donec psallẽtibus angelis ad summum vsque peruenit is qui in sede fuerat collocatus. Receptisque in cœlo scalis, & sede pariter cum sedẽte, ista cœli apertura clausa est, visioque disparuit. Excitatus igitur idem frater à somno, quamuis ex infirmitate præcedenti debilis adhuc esset, confestim Bononiam quo beatum patrem ægrotasse sciebat iter arripiens, comperitque veniens, eundem diem eandemque fuisse horam qua & illa visio sibi cælestis apparuit, & vir Dei Dominicus de mundo transiens, cœli gloriam introiuit. *Visio Fratris Guala.*

Eadem die defunctionis ipsius fratrem Raonem cum fratre Tancredo de vrbe Tibur contigit accessisse. Præueniẽtibus autem ipsis ad hospitium solitum hora quasi sexta de mandato ipsius fratris Tancredi, frater Raon vir præcipuæ sanctitatis ad altare missam celebraturus accessit. A quo etiam præmissa confessione iniunctionem pœnitentiæ accepit, vt dilecti patris quem ęgrotasse Bononiæ nuper audiuerat memor esset. Cum igitur ad istũ locum in quo in missa de viuis fieri mentio consueuit peruenisset, iniunctionemque factam sollicitus ad memoriam reuocasset, subito factus est in excessu mentis, stãsque immobilis in altari raptus in spiritu, vidit virum Dei Dominicum corona quadam laurea coronatum, totumque mirabili splendore splendentem duobus viris reuerendis comitatum, hinc inde extra Bononiam via regia procedentem. In eadem enim visione reuelatione certa sibi datur intelligi: quod vir Dei Dominicus eadẽ hora scilicet vi, sextaque feria migrans à corpore cælestẽ patriam adiisset. Visione autem ista perfecta mox ad se *Alterius Fratris visio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

reuersus sibique redditus, ab eodem loco quo in excessu factus dimiserat, quam incæperat missam profecutus expleuit. Hanc autem visionem ex humilitate quadam, qua proculdubio plenus erat, is qui viderat frater longo tempore tacuit.

De elevatione sacri corporis eius.

Cap. CXV.

POst transitum quoque venerabilis patris, crescentibus indesinenter miraculis cum non posset vlterius beati viri sanctitas occultari, fidelium dignum duxit deuotio, corpus eius prius humili loco repositum ad altiorem debito cum honore transferre, cum apud Bononiã multitudo fratrum conuenerat ad capitulum generale. Erat autem monumẽtum in quo tam pretiosus thesaurus iacebat reconditus, grandi lapide super tectum, durissimoque circunquaque cęmento concluſum, ita vt nec spiramen quidem vel ab interioribus posset procedere, vel ab exterioribus subintrare. Hoc cum fuisset, fracto vix ferreis instrumentis cæmento, sublatoque lapide, patefactum, tanta subito ex ipso erupit suauissimi odoris fragrantia, vt non tam sepulchrum quàm cella videretur aromatũ patuisse. Siquidem omnino decebat vt corpus illud quod diuina conseruante virtute, perpetua virginitate illibatum permanserat, ipsius virginitatis mortuum testimonium perhiberet, dum ad honorem & gloriam conditoris, vnde nullus vnquam exhalauerat fœtor detestatæ libidinis, inde mira suauitas fragraret odoris. Erat autem odor ille tantus tamque mirabilis, vt inusitata suauitate fragrantiæ cuncta planè superaret aromata, nec alicuius re naturalis odori similis videretur. Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis vel capsæ inerat, verumetiam in re circunquaque congesta: ita vt ad longinquas postmodum regiones delata odorem ipsum lõgo tempore retineret, fratrum vero manibus maxime aliquid de reliquijs sacrosanctis tangentibus sic inhæsit, vt quantumcunque essent lotæ vel etiam confricatæ per plures dies conseruatæ fragrantiæ testimonium præsentarent. Multi etiam de populo concurrente ex eodem sacro consperſi puluere sanitatum beneficia receperunt. Interfuerunt autem huic tam venerandæ translationi, exceptis fratribus, venerabiles viri vnus Archiepiscopus scilicet Rauennas, quatuor episcopi scilicet Mutinensis, postmodum vero Sabinensis, & Brixiẽsis, Bononiensis, & quidam alius. Insuper autem & potestas Bononiẽsis cum suis militibus, qui sepulchrum accincti, ne quis videlicet de sactosanctis reliquijs quicquam subriperet circunstabat.

E sepulchro eius proficiscitur suauis odor.

De mortuis per eum in Hungaria suscitatis.

Cap. CXVI.

IAm enim ad aliqua; quæ post hoc diuersis in locis per merita glorioſi confessoris beati Dominici ad exaltationem sui nominis Deus ostendere dignatus est fidelis narratio subsequatur. Et primum quidem ea quæ in Hungaria facta cognouimus stupenda prorsus maxime circa mortuos suscitatos.

In Sinulu regione illius prouinciæ, quidam nobilis cum vxore sua deuotionis causa ad reliquias beati Dominici, quæ in domo fratrum habebantur visitandas accessit, cuius filius quem secum duxerat paruulus, infirmatus ibidem ad extremum vitæ moriendo peruenit, quem pater mærens ad ecclesiam deferens, & coram altari beati Dominici collocans, voce flebili lamentari cæpit & dicere: *Beate Dominice lætus veni ad te, en tristis redeo. Redde mihi quæso filium meum lætitiam cordis mei.* Cumque sic lugens vsque ad noctem perseueranter existeret, circa noctis medium puer reuixit, lac suxit, & per ecclesiam ambulauit.

Plurimi mortui B. Dominici meritis ad vitam resuscitati.

Iuuenis quidam Dominæ Iustinæ Comitissæ mancipium dum in Cris flumine piscationi minus cautus insisteret, in aquam lapsus, suffocatus disparuit. Magno autem spacio temporis interiecto eius corpus in profundo fluminis requisitum mortuum est eductum. At præfata Domina super subtracti famuli nece tam miserabili cõdolens pro resurrectione eius beatum Dominicum inuocauit: promittens se & ad suas reliquias in Sinulu personaliter visitandas nudis pedibus accessuram & resuscitatum mancipium libertati daturam, statimque qui fuerat mortuus in medium videntibus omnibus vitæ redditus prosiluit.

Viri nobilis Ladislai nomine filius paruulus lethali febrium infirmitate decessit, cuius corpusculum pannis inuolutum extra domum fuerat iam delatum, mater vero inter nimiam tristitiam resumens spiritum, accersiri fecit ad se continuo sacerdotem, coram quo emisso voto cum beatum Dominicum deuote inuocasset, quæ plorabat mortuum recepit filium vitæ protinus restitutum.

Vir quidam de villa Leleygotart nomine, orbatus filio Thoma nomine iam defuncto, superueniente nocte solus remanens circa corpus eius plorans & eiulans residebat, beatum Dominicum vt patri filium redderet incessanter votis pariter & vocibus interpellans. Factum est igitur vt circa pullorum cantum qui mortuus fuerat se moueret, & apertis oculis patri dixit: *Quid est pater, quod sic habes faciem madefactam?* Cui ille; Lachrymæ patris tui sunt filij, quia tu mortuus fuerus, & ego solus remanserã omni gaudio destitutus. At ille: Multum, inquit, fleuisti pater, sed beatus Dominicus desolationi tuæ cõpatiens, vt tibi viuus redderet, suis meritis impetrauit.

Adhuc de eodem.

Cap. CXVII.

CRebrescente per totam Hungariam virtutum huiusmodi fama, vir quidam ad omnia infidelis prorsus & incredulus persistebat. Contigit autem eius filium grauiter infirmari, qui & tandem spiritum exhalauit. Quidam autem ex his, qui ad consolandum patrem conuenerat, dixit illi. Crede, beatum Dominicum magni esse meriti apud Deum, & ipsum inuoca toto corde, forsitan qui plerosque mortuos suis meritis suscitauit, tuum etiam filium suscitabit. Tunc ille compunctus corde super prȩterita incredulitate, amare redarguit semetipsum, assumptaque fiducia ab inuocatione beati Dominici per noctem illam gemitibus & precibus non cessauit. Igitur prima hora diei, qui iacebat mortuus manum mouit; & velamen reiecit, quo eius facies inuoluta fuerat ac surrexit. Tandemque pater cum filio suo suscitato in Sinulu properans, quanta sibi fecerit Dominus ad honorem sancti Dominici nunciauit.

Honestus etiam quidam vir nomine Gentius de villa Pinar cum suis parrochianis ad fratres venit filium paruulum secum ferens ac dicens: Hic est filius meus, quem beatus Dominicus iam defunctũ à mortuis suis meritis suscitauit. Nã cum à summo mane vsque post meridiem in domo mea in medio vlulantis familiæ iaceret exanimis, subtraxi me paululum. Et recordatus quòd Deus beato Dominico super mortuos suscitandos tantam gratiam contulisset, sumpta fiducia locum in quo orare consueueram adij, & glorioſum Domini confessorem, vt orbato patri vnicum redderet filium, fusis amarissimis lachrymis inuocaui. Cumque redijssem ad corpus pueri, & me super eius faciem flens & eiulans incuuassem, ecce puer aperuit oculos factus viuus.

De miraculis cæteris ibidem exhibitis.

Cap. CXVIII.

LAnguidus quidam & morti proximus lecto decumbens, qui etiam ad 18. annos lumen amiserat oculorum, cum audisset sacerdotem cum parrochianis suis proficisci velle ad beati Dominici reliquias

visitan-

vitandas, confortatus spiritu voluit, & ipse pariter proficisci. Cum autem eum sacerdos tanquam rem impossibilem præsumētem modis omnibus prohiberet, tandē valetudinem corporis desiderio cordis exasperans tanquam tentans ire de lecto surrexit; tantamque subito sensit sibi infundi virtutem, quod passu concito gradi cæpit: tanto magis ac magis in conualescentia corporis & oculorum illuminatione proficiens: quanto quotidie in itinere procedebat, donec tandem ad locum destinatum perueniens, perfectum recepit vtriusque beneficium sanitatis.

Iuuenis quidam Sandut nomine Corrodiensis præpositi dapifer grauissima quadā infirmitate detentus est, in qua manifestè cōtra se videbat irruere multitudinem dæmonū infinitam, nunc ad suspendium trahentiū eum, nunc diuersis generibus affligentium tormentorum. Ipse vero inter hæc inæstimabili timore depressus, voto simul & voce qua poterat Deo se & beato Dominico cōmēdabat, statimque in forma fratris beatus Dominicus aderat, qui sinu cappæ collecto importunas ab eo dæmonū abigebat molestias, eorumque impetū virtuosa potentia coercebat. Nec mora, simul eundem ab infirmitatis desperato grauamine pœnitus liberauit.

Matrona quædam de villa Pinar votiuam missam ad honorē Beati Dominici disponens facere celebrari, tres candelas ad hoc idoneas præparauit, sed hora debita sacerdotē qui missam celebrare debuit, non inuenit. Quapropter candelas ipsas in vase quodam reposuit, manutergio mundo pariter inuolutas. Cum autem aliquantulum diuertisset, post horam rediens candelas flammis patentibus ardere vidit. Stupefacta igitur foras exiuit, vicinas vndique conuocauit. Concurrunt omnes ad mirandum spectaculum tanquam ibidem trementes pariter & orantes steterunt, donec prędictæ candelæ ipsis videntibus penitus arserunt. Sic autem vsque ad extremum paulatim ardendo consumptæ sunt, quod manutergium vel aliquid quod in vase fuerat non læserunt.

De miraculis eius ostensis in Lombardia.

Cap. CXIX.

IN prouincia Lōbardiæ scholaris quidam Nicolaus nomine degens Bononiæ graui renum ac genuum dolore vexatus à festo sancti Michaelis vsque ad Pēthecostem nec per se iam poterat surgere, nec per domum sine baculo ire, vel alterius sustentationis adminiculo se mouere. Denique inualescēte morbi molestia 15. diebus de lectulo non surrexit, sed & læuum fœmur eius vehementi macie attenuatum emarcuit; intantum quod omnis ab eo secundum medicorum iudicia spes curationis abscessit. Itaque humano destitutus auxilio, Christo Domino & beato Dominico se deuouit, volens etiā in signum deuotionis offerre candelā iuxta modū propriæ quantitatis cæpit filo stupeo, de quo facienda erat cādela corporis sui longitudinem & grossitudinem mēsurare. Cumque se totum mensus esset in longū, caput etiam & collum & pectus, deinde renes & fæmora, & tandem genu filo ambiente cum cinxisset, inuocato ad quamlibet mensurationem nomine Iesu Christi, & beati Dominici, continuo se alleuiatum sentiens exclamauit, ego sum liberatus, & exurgens lachrymabatur præ gaudio, currens ad ecclesiam vbi corpus beati Dominici quiescebat.

Duo pueri a natiuitate muti de Casmaco erant, quorū pater facto voto beatum Dominicum inuocauit. Et statim vtrique datum est expedite locutionis officium, nouumque verbum vetus exoluit silentium.

Quædam mulier Druda nomine oculorum priuata lumine per tres annos & amplius subtracti damna visus sustinuit, nec vllius medicaminis exhibitione iuuari potuit. Hæc inuocato beato Dominico votum fecit, statimque oculorum lumen recepit.

Alia quędam mulier vltra montana vsum digiti annis 20. amissum incurabiliter siquidem arefactus fuerat & contractus, sancti Dominici deuota inuocatione statim recepit.

Præterea quidam nomine Raphonellus in inguine ruptus, intestinis quoque descendentibus in virilia vehementer afflictus, inuocato beato Dominico fuit continuo liberatus.

De his quæ sunt in Sicilia facta.

Cap. CXX.

IN Sicilia quoque ciuitate Augusta deuotæ cuiusdā matronæ filia vitio lapidis longo tempore laborauit. Nullo autē medicinæ consilio suffragante solum sibi superaret remedium inscissuræ, cum igitur dies esset statuta, qua puellam oportebat inscidi, mater timens periculum, filiæ præcedenti die ad ecclesiam beati Dominici perrexit, orationi se cōtulit; suamque filiam Deo & sancto Dominico voto quo potuit commendauit. Sequenti ergo nocte dormienti puellæ beatus Dominicus astitit, in manu eius quo torquebatur lapidem posuit, & abscessit. Quem puella euigilans, & se liberatam inueniens matri dedit: & visionem per ordinem explicauit. Mater vero cum ingenti lætitia lapidem ad fratres attulit, rem quoque gestam coram multis exposuit. Quem fratres in ecclesia coram imagine beati Dominici in futuram memoriam tam stupendi miraculi suspenderunt.

In eadem ciuitate in festo translationis Beati Dominici, cum matronæ quædam quæ in ecclesia fratrem interfuere missarum solemnijs domum redirent, inuenerunt mulierem quandam domus suę sedentem præ foribus & filantem. Quam cum verbis charitatiuis arguerent, quare in festo tanti patris à seruili opere non cessasset, ista protinus indignāti animo & turbata facie dixit eis: vos quę estis bizotæ fratrem eius festa colite sancti, statimque oculi ipsius in tumorem cum pruritu cōuersi sunt, & ex ipsis cæperunt vermes protinus scaturire, ita quod vicina quædam quam ad se perterrita conuocauit 18. vermes eduxit ex eius oculis in instāti. Quapropter contrita spiritu ad Ecclesiam beati Dominici cū eiulatu cucurrit. Ante cuius ianuam se prosternens & peccata sua cuidam fratri confitens, facto voto quod decætero sancto Dei Dominico nunquam detraheret, & festa eius deuotissime cūstodiret, continuo tumor cum pruritu disparuit, & in eius oculis amplius vermes non fuerunt.

Huc accedit quod assertione fratris Nicolai Veronensis de ordine fratrum minorum pet eumdem etiam scripto de mandato compertum est. Nam cum sero cū quodam fratre Iacobino de Mantua beatum Dominicum commendante, ipse eum econtrario verbis stomachantibus despexisset, eodem sero febris eum arripuit, quem & vexauit grauissime tota nocte, ad quem visitādum cum supradictus frater accederet, eique diceret, vide frater ne quia despexisti sanctum Dominicum hoc tibi contigerit: non solum culpam præteritam non agnouit sed indignatus potius verba iterum contumelioſa prorupit. Sequenti vero die cum febris violentia nō cessaret, sed grauius inualesceret in augmentum, hora nona cum vehementius æstuaret, ad se compunctus rediens secum dixit: Vere vereor, quod hoc idcirco mihi acciderit, quod in sanctum Dei blasphemiā protuli. Voueo igitur & sibi quod si me liberauit vsque ad vesperas, nūquam de eo aliquid mali dicam de cætero, sed dicētibus contra dicam. Mirum in modum vix verba finiebat, & ab ipsa febre se sensit continuo liberatum.

Hæc de miraculis beati Dominici tam in vita quam post obitum eius perpetratis ad præsens sufficiant.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De infirmitatibus beati Franciſci, quas paſſus eſt ante mortem.

Cap. CXXI.

EX geſtis eius. Interea beatus Franciſcus annis a conuerſione ſua 18. tranſactis nullam vel modicã carni ſuæ requiem dederat,& quamuis ei multis languoribus effluxiſſent dies præteriti,duobus tamẽ annis qui adhuc vitæ eius erant, reſidui,grauioribus cæpit & magis continuis infirmitatibus perurgeri. In tantum autem ſe ſibi ſubiecerat, tantaque corpus harmonia ſpiritui concordauit, vt etiam carnis repugnantiam vix ſentiret in omnibus quæ ſpiritus agenda dictabat. Intendere proximorum ſaluti corpus emortuum fecit, in aſino per ciuitates & caſtella circumiens.

Cæpit & alijs languoribus infirmitas oculorum ſuperaddi. Tunc frater Helias quem veluti loco patris elegerat, & adhuc viuens gregi ſuo paſtorem præfecerat cõpulit eum & orationibus induxit, vt ſibi mederi permitteret,timens ne forte per incuriam pœnitus oculorũ lumẽ amitteret. Cui humiliter obtẽperans tanquàm patri plura ſuis extunc oculis medicamina patiebatur apponi, quamuis ingraueſcente malo nullius eſſent remedij, tandem Reatam curationis occaſione perductus eſt vbi & domino Papæ Honorio moram tunc tẽporis faciente, honorifice & deuote à curia Romana ſuſceptus eſt. Familiarius tamen ei præ cæteris Dominus Hugolinus tunc Hoſtienſis epiſcopus affuit, cuius ſe cum vniuerſo ordine ſuo tutelæ comiſſerat,eundemque prophetico ſpiritu ductus, apoſtolico honori prouiſum fore prædixerat. Hic igitur erga virum ſanctum mirando dilectionis affectu flagrabat, vt conteſtabatur idem poſtmodum ad apoſtolicam dignitatem prouectus, ſe nunquam in tanta perturbatione fuiſſe, quin omne mentis nubilum in ſolo viri Dei intuitu vel affatu diſcederet, ſubitaque ſuauitatis ſerenitas & iucunditatis dulcedo rediret. Vnde & quotiens eum videbat,& tanquã Chriſti Apoſtolo reuerentiam exhibebat,& vt curam ſui gereret inſtanter admonuit,cui in hoc ſicut in alijs vir sãctus obediuit. Factis igitur cocturis in capite, venis inſciſis,collyriis & emplaſtris adhibitis nihil ad ſanitatem profecit, quin potius malum medicaminibus multiplicatis accreuit. Ipſe vero tot incommoda corporis in omni patientia & gratiarum actione ſuſtinuit, deſpectiſque moleſtiis ad Deum intẽtionem direxit. Et quãuis eſſet ad exteriorꝭ corporis exercitia prorſus inutilis, ſemetipſum tamen adhuc ad triumphos certaminis noui incitauit. Dicebat enim: Incipiamus fratres Deo ſeruire, incipiamus, inquam, & proficiamus quoniam parum hucuſque profecimus. Volebat rurſus ad ſimplicitatis primordia redire. Volebat de nouo leproſis contemptibiliter ſeruire,& ab hominum conuerſatione ad loca remota ſe transferre ab omni quoque ſe cura regiminis cupiebat eximere, eo quod multis de cauſis periculoſum eſſe aſſereret, maxime in hoc tempore prælationis locum tenere, eſſe vero plurimis magis vtile regi quam regere.

De fœlici tranſitu eiuſdem.

Cap. CXXI.

CVmque moram faceret apud Senas quaſi menſes 6. ante obitum ſuum toto corpore grauius quam ſolebat attritus propinquare videbatur ad exitum. Feſtinato itaque de longinquo frater Helias accurrit, eũque paululum reſpirantem ſecum ad cellam de Cortona perduxit. Vbi dum ſtetiſſet per modicum acrius inualeſcente morbo deduci ſe rogauit Aſſiſiũ. Quo poſtquam peruenit, tam atrociter per ſingula membra torqueri cæpit, vt interrogatus an potius martyrium à carnifice ſuſtineret, quã triduanam huiuſmodi paſſionẽ, & ſi pro voluntate diuina ſibi placitã & acceptam, grauiorem tamen quouis martyrio reſponderet. Conuocauit itaq; ad ſe fratres, quos voluit, ſinguloſque prout ſibi dabatur deſuper benedixit. Tandem mortis horam inſtare cognoſcẽs,duos,ad ſe fratres vocauit,quibus de tranſitu eius vicino laudes alacriter Domino decantare præcepit. Ipſe vero prout potuit in hunc pſalmum prorupit: *Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus ſum.* Pſal.141. Porro euangelium ſecundum Ioannẽ ab eo loco vbi incipit: *Ante diem feſtum Paſchæ,* ſibi legi poioan.13. poſcit. Deinde cilicio ſuperponi, cinereq; aſpergi præcepit, & ſic filijs circunſtantibus & lugentibus in Domino fœliciter obdormiuit. Vnus autem ex iſtis ſpecialis eius diſcipulus, vir famæ celebris, cuius nomen ſubticetur, eo quod nolle præconio gloriari dũ viueret, vidit illã glorioſam animam carne ſolutã in ſtellæ grandis & radiantis effigie, vidit, inquam, veluti ſuper aquas multas candida ſubuecta nubecula in cælũ directe conſcendere. Factus eſt itaque concurſus populorum ciuitatis Aſſiſij Deum vna iucũditate laudãtium, eo quod tantum dignaretur iſtis cõmendare depoſitum. Erat autẽ primitus pro tanti patris ſubtractione planctus filiorũ non modicus, qui non multo poſt in lætitiam eſt conuerſus. Videbãt namque nouum illud quod poſt fecerat Dominus ſuper terram, membra eius morbida prius & rigida iam tractabiliter pro agentis ſe voluntate flectentia, & ſacrum videlicet corpus Chriſti ſtigmatibus decoratum, carnem quoque duram prius & liuidam veluti puerili teneritudine iã reſumptã, mirando candore nitentẽ & quaſi carnis glorificatę ſpeciẽ decoris magnitudine prætendẽtem. Glorioſum nunc erat in carne tam cãdidam videre ſimilitudinẽ fixuræ clauorum,immo nigros vt ferrũ clauos ex ipſa carne formatos in medio pedũ & manuum,dextrumque latus ſacro ſanguine rubricatum. Lachrymabãtur itaque filij præ gaudio,& oſculabantur in patre ſignacula ſummi Regis. Tunc perlatũ eſt in ciuitatem corpus ſanctiſſimum, & in loco vbi litteras ipſe puerulus primo didicerat, vbique primitus prædicauerat eſt ſepultus.

De confirmatione trium ordinum per Papam Gregorium.

Cap. CXXIII.

AMbo itaque prædicti patres nouorum ordinũ inſtitutores,videlicet Franciſcus ac Dominicus ſub Innocentio Papa 3. curſum ſuum in Domino inchoauerunt, & ſub eius ſucceſſore Honorio confirmauerũt. Qui ſcilicet Honorius anno pontificatus ſui primo ad petitionẽ beati Dominici cõfirmauit ordinẽ prædicatorum; & anno tertio petente Priore fratribuſque Vallis Scholarium, cõfirmauit etiã conſtitutiones ordinis eorum. Iã enim prædicti fratres Vallis Scholariũ aliquanto tẽpore antea certam viuẽdi formã iuxta beati Auguſtini regulã obſeruãdam elegerant, & de approbatis religionibus quaſdam inſtitutiones aſſumpſerũt,videlicet vt Prior illius domus & ſucceſſores eius omnibus eccleſiis ſui ordinis de more Ciſtercienſium officium viſitationis ſine vlla temporalium exactione impenderent, & tres primitiuæ filiæ ipſius ordinis viſitandi matrem de more Ciſtercienſiũ habeãt facultatem, & quod priores forinſeci ſemel in anno apud eccleſiam præfatam ſtatuto tempore conuenientes celebrent more Ciſtercienſi capitulum generale. Necnon etiam vt ſcapularia fratres deferant laborantes camiſias lineas non habeant, nec in dormitorio culcitras; ſani carnibus non veſcantur, niſi debiles & ægroti. Has ergo inſtitutiones Honorius cõfirmauit,vt in literis eius cõtinetur apud eos. Fertur autem hunc ordinem incepiſſe Guillelmus quidam, qui ſcholaris fuit Pariſienſis, & poſtmodum etiã in Burgũdia rexerat. Tãdem cum quibuſdam ſcholaribus ſuis ad eremum conuolauit, & formam viuendi,vt dictum eſt, paulatim ex diuerſis religionibus ſibi & ſuis elegit. Idem quoque Honorius Papa regulam eremitarum fratrum habitantium in monte Carmeli, quem Helias frequentaſſe legitur approbauit, & eis in remiſſionem pec-

Confirmatio ordinis vallis Scholarium.

Confirmatio ordinis eremitarum.

catorum

catorum obseruãdam tradidit à venerabili Alberto Patriarcha Hierosolymitano editam scilicet vt singuli singulas habeãt cellulas separatas, in quibus, vel iuxta quas die ac nocte in lege Domini meditentur, & in orationibus vigilent, nisi alijs iustis occasionibus occupentur; præter nimis debiles & infirmos carnibus non vescantur, & cætera quæ idẽ pater tradidit eis obseruãda. Post hęc successor Honorij Gregorius eãdem regulam confirmauit, & ne possessiones vel redditus reciperent, districte eis prohibuit.

Post hæc anno domini 1238. propter paganorum insultus compulsi sunt ab illo loco per varias regiones mundi dispergi.

De obitu quorundam virorum illustrium in regne Francorum.

Cap. CXXIV.

An. Christi 1221. *Ex chronicis.* Anno superius in transitu beati Dominici annotato scilicet ab incarnatione Domini 1221. Guillelmus episcopus Niuernensis in ecclesiastico & ciuili iure peritus, vir prouidus atque discretus, tempore maximæ caristiæ quo & obijt, duo millia pauperũ quotidie pascens, qui etiam à Philippo Rege Francorum cũ inæstimabili sumptu perpetuam obtinuerat libertatem regalium Niuernensium, in vigilia Ascensionis migrauit ad Christum.

Manasses autem Aurelianensis episcopus obijt, cui Philippus sancti Guillelmi Bituricensis nepos successit. Porro Guillelmũ episcopũ Antisiodorensem Dominus Papa ecclesiæ Parisiensi præfecit in pastorem.

An. Christi 1222. Annovero sequẽti magister Petrus de Corbolio Senonensis Archiepiscopus vir inæstimabilis litteraturæ ac senectutis bonæ die synodi suę moritur & in ecclesia Senonensi præsenti synodo tumulatur, cui successit magister Galthetus Cornutus.

Guillelmus quoque Parisiensis Episcopus libertatis Ecclesiasticæ mirabilis defensor moritur, & in Abbatia Pontiniacensi sepelitur. Sed & magister Herueus Trecensis episcopus in vtroque iure peritus ætate longæuus obijt, cui magister Robertus ipsius ecclesiæ decanus succedit.

Nec multo post Herueus de Giemis Comes Niuernensis vir magnanimus ecclesiastica iura conseruãs, præcipuus hæreticorum persecutor, hostium superator, fidelis vasallus iustitię cuius etiam magnanimitati inuidebant barones Franciæ, apud sanctum Anianum in Bituria castro suo moritur, ibique in quindena dominicæ apparitionis tumulatur. Porro Abbate Pontiniacensi cum 7. Abbatibus pluribusque monachis & alijs multis veniẽtibus; vt corpus eius secũ portarent, ferè ab inimicis populis lapidantur. Demum tamen idem corpus apud Pontiniacum transfertur.

De aduentu Regis Hierusalem in Franciam, & obitu Regis Philippi.

Cap. CXXV.

EOdem anno Ioãnes Rex Hierusalem ex amissione Damiatæ, & debilitate suorum vltra modũm dolẽs effectus, à partibus transmarinis transfretat cum paucis in Galliam auxilium petiturus. Fridericus Romanorum Imperator signo crucis assumpto, duxit vxorẽ per verba de præsenti vnicã filiã ipsius Regis Hierosolymorum, & hoc iuramento affirmat coram Papa Honorio.

Anno autem sequenti celebrantur nuptię solemniter inter eos.

An. Christi 1223. Philippi Frãcorum regis obitus. Anno Domini 1223. Mense Iulio Philippus Francorum Rex vir potentissimus, qui Othonem imperatorẽ, & quamplures alios in bello Campanili deuicerat nobiles & potentes, Normandiam quoque acquisiuit, & sibi appropriauit Aquitaniã, & maximam partẽ Pictauię sibi subiugauit, qui semper prosperos ad vota habuit successus, ecclesiasticæ libertatis cõseruator præcipuus dormit in Christo, & in ecclesia beati Dionysij sepelitur. Mirabile enim fecit testamẽtum Ioanni Regi Hierusalem; cẽtum millia Parisiensium aureorum in subsidium terræ sanctæ legauit totidem tẽplarijs, totidẽ hospitalarijs dedit, & multa bona relatu digna fecit. Multos in regno comitatus acquisiuit, scilicet Viromãdensẽ, Claremontensem, Bellomontensem, Pontinensem, Alencionensem, Cenomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauensem.

Ludouicus Rex Francorũ coronatur. Eodem anno Ludouicus filius eius eidẽ in regno succedens prima Dominica Augusti scilicet in die Transfigurationis Domini Remis solẽniter coronatur in Regẽ & Blãchia vxor eius in Reginã. In hoc ergo rediit regnũ ad stirpẽ Caroli Imperatoris, de qua originẽ habuit ex parte matris. Tricesimũ septimũ ætatis suæ annum ferè compleuerat Ludouicus quando fuit coronatus, & ipse quoque cũ Imperatore Friderico pacis ac fœderis colloquium apud vallẽ coloris habuit. Comes Cãpaniæ ducit in vxorẽ filiam Guichardi de Belloioco, cognatã germanã Regis Ludouici. Rex reddit Comiti duo castra Mustriolũ fortis Ionã & Brayam super Sequanam, quę pater suus diu tenuerat. Amalricus Comes Mõtisfortis à partibus Albigensiu redit ad patriam propter inopiam victualium, relinquens Carcassonam vrbẽ munitissimam & alia etiam castra, quæ cum labore maximo & sumptu inæstimabili & amissione plurium gentium fuerant acquisita, & per annos 14. à nostris possessa.

Eodem anno Ioannes Rex Hierusalem limina sancti Iacobi adit peregrinaturus, duxit in vxorẽ filiam Regis Galliciæ. Rex autem transfretat in Angliam, vbi plura ei donaria conferuntur.

De reditu Regni Francorum ad stirpem Caroli.

Cap. CXXVI.

FRancis nãq; sicut alias dictum est, origine Troiani, adhuc pagano ritu dediti regnũ suum in Gallia stabilierunt, vt in præsenti cernitur, quæ nunc etiam ab eis Francia nominatur.

Hoc caput non inuenitur in manuscriptis. Anno itaque Domini 484. Childetico eorum Rege mortuo, qui ciuitatẽ Treuerim cæpit, Clodouæus filius eius fortiter regnũ tenuit & ampliauit, quia sancto Remigio baptismi gratiã cũ sibi subiectis percœpit, eiusque progenies vsque ad annum domini 750. fæliciter regnauit; excepto quod per annos fere 88, à tẽpore Clotharij Regis & sanctæ Bathildis Reginæ Regibus à fortitudine solita degenerantibus regni potẽtia disponebatur per maiores domos. Inde factũ est, vt Pipin⁹ qui erat maior domus sub Rege Childerico à Stephano Papa apud ecclesiã sancti Dionysij cũ vxore ac filijs in Regẽ vngeretur, eorumque generatio in hæreditatẽ regalis successionis in perpetuũ benediceretur, & omnis alienigena ab eius inuasione apostolico anathemate interdiceretur. Regnauit igitur eorũ progenies in regno Francorum vsque ad annum Domini 926. Tunc Hugone Capheto Comite Parisiensi, Duce Francorum inuadente regnum trãslatum est de genealogia Carolanensium in progeniẽ Comitũ Parisiẽsium. In gestis autẽ sanctorum Richarij & Vualerici legitur, quod eorũ corpora translata sunt à suis ecclesijs in Ecclesiam sancti Bertini, ibique timore Normãdorum & Danorũ sunt reposita tanquã in loco tutiori. Cũque Normãdi tẽpore Caroli simplicis cõuersi essent ad fidẽ Christi, reportata sũt ad proprias ecclesias. Attamẽ cũ ea Monachi sui repeterẽt, Monachi sãcti Bertini ea per violẽtiã Arnulphi Comitis detinebãt. Tũc sanctus Vualericus Hugoni Parisiẽsi Comiti in sõno apparuit, eique dixit, Vade ad Arnulphũ Comitẽ Flãdrẽsem, & dic ei, quod de sancti Bertini ecclesia remittat in nostras ecclesias corpora nostra, plus enim loca nostra diligimus quã aliena. Requisitus autẽ ab Hugone quis esset, vel quis eius socius. Ego, inquit, vocor Vualericus, socius autẽ me⁹ est Põtinẽsis Richarius. Quod ergo tibi præcipit per me Deus, age festinanter, & ne dissimules.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hugo igitur ad Arnulphum pergens: quæ ſibi mandata fuerant indicat. At ille ſuperbo animo ſanctorū corpora reddere recuſat. Tunc Hugo conſtanti animo dixit ipſi Arnulpho. Vide vt illo die & illo loco corpora ſanctorum honeſte mihi deferas animo ſpontaneo, quod ſi nō feceris ſpontaneus: poſtea inuitus facies. Tunc Arnulphus timore Hugonis & potentia conſtrictus duas thecas auro & argento decorauit, in quibus prædictorum ſanctorum reliquias depoſuit, ac die condicto cum armato & copioſo exercitu ad Moſteriolum, quod eſt caſtrum Regis Francorum, eas Hugoni decenter retulit. Ille vero vnumquemque reſignauit in loco ſuo. Sequēti autem nocte ſanctus Vualericus in ſomnis apparuit Hugoni, & dixit ei, Quoniam egiſti ſtudioſe quæ præcepta ſunt tibi, & nos ad loca noſtra retuliſti: tu in regno Francorū & ſucceſſores tui vſque in ſeptimā generationē regnabitis. In nōnullis tamen libris vbi diximus, *ſeptimam*, inuenitur *ſempiternam*. Poſſumus tamen præciſe ab Hugone vſque ad Ludouicum iſtum inuenire. Nam idem Hugo genuit Robertū, Robertus Hēricum, Henricus autem Philippum, & Philippus Ludouicum Ludouicus autem Groſſus alium Ludouicum, & ille Philippum: qui ex Eliſabeth filia Balduini Comitis Hanienſis iſtum genuit Ludouicum. Nam ille idem Balduinus proceſſit (vt dictum eſt ſupra) de progenie Emengardis filiæ Caroli ſimplicis, vſque ad quem in regni poteſtate perſeuerauit progenies Pipini & Caroli Imperatoris. Cum igitur iſte Ludouicus in regnō ſucceſſerit patri, patet regnum in ipſo reductum ad progeniem Caroli magni. Ex prædicta vero ſanctorum corporum relatione videtur illa regni tranſlatio per Dei voluntatem facta fuiſſe. In geſtis vero Aquitaneorum legitur, quod ideo Caroli progenies reprobata creditur, quia iam Dei gratiam negligens, eccleſiarum potius neglectrix quam erectrix videbatur: ſed hoc Dei iudicio relinquam⁶, qui tempora mutat & transfert regna, ſicut dicit ſcriptura: *Regnum*, inquit, *transfertur à gente in gentem propter iniuſtitias & iniurias & contumelias* & diuerſos dolos, & lites. *Sedes*, inquit, *ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Eccl. 10.

De itinere Regis Ludouici contra Pictauienſes, & de ſimulato Comite Balduino.

Cap. CXXVII.

An. Chriſti 1224. Anno domini 1224. Rex Ludouicus mouet exercitum poſt coronationem ſuam contra Pictauenſes, Turonis in craſtino beati Ioannis Baptiſtæ congregat ſuos: inde procedens cum mille & 200. militibus & pluribus alijs aptis ad pugnandum, obſidet Morziū caſtrū fortiſſimū. Sauaricus de malo leone, qui intus erat videns fortitudinē Regis, facit pactū cum Rege, vt liceat ſibi recedere cum ſuis. Deinde caſtrum Regi redditur, rex inde progreditur ad ſanctum Ioannem Angeliacum. Abbas & Burgenſes ipſius loci obuiant Regi pacifice, villam ei reddunt, fidelitatem prout petitur exhibentes. *Rupellā Rex Ludouicus capit.* Rex inde tendens ad Rupellam obſidet eam, machinæ eriguntur per 9. dies, muros deſtruunt inceſſanter. Sauaricus de malo leone cum 200. militibus, Burgenſes villæ, & quamplurimi ſeruientes viriliter ſe defendunt. Demum conſiderantibus illis qui intus erant, ſe non habituros ab aliqua parte ſuccurſum, & videntes fortitudinem Regis quotidie augmentari, reddunt villam Regi, quibuſdam pactionibus inter Regē & Burgenſes firmatis. Sauaricus per mare cum ſuis recedit. Poſtmodum vero omni conditione ceſſante, Burgenſes communitet ſe dederunt Regi, ſaluis villæ libertatibus, fidelitatem ei legitimam facientes. Lemonicenſes etiam & Petragoricenſes, & omnes Aquitaniæ Principes exceptis Vaſconibus, qui vltra Garonnam erant, fidelitatem Regi promiſerunt.

An Chriſti 1225. Anno Domini 1225. circa Paſcha quidam fingens ſe eſſe Balduinum quondam Comitem Flandriæ, & Imperatorē Conſtātinopolis, venit in Flandriā in habitu peregrino. Multi fauēt ei de Flandria nobiles & ignobiles, eo quod multa inter ſignia dicebat quod eſſet idem Balduinus, reſiſtētes autē viriliter debellabant. Nō multo poſt ſtatuto alloquio inter ipſum & Regē Francorum apud Peronā, requiſitus à Rege quis ornauerat eum in militē, & vbi fecerat homagiū patri ſuo Regi Philippo, & vbi fuerāt nuptiæ celebratæ inter ipſum & vxorē eius, noluit reſpōdere, petens inducias vſque poſt prandium. Tunc aperta eius fraude licētiauit eum Rex à toto regno ſuo. Ipſe autē qui multis pompoſe venerat, cofuſus cū paucis abſceſſit, nō multo poſt vero ab Eberhardo de Caſſeuca in quadam taberna capitur & traditur Flandrenſi Comitiſſæ, quæ diuerſis pœnis ipſum afficiens, ad vltimum patibulo fecit ſuſpendi. *Pſeudo-Balduinus Flandria comitatum occupat ſed poſt eius fraus detegitur.*

De captione Auinionis per Regem Ludouicum.

Cap. CXXVIII.

EOdem anno die mercurij ante Purificationem Ludouicus Rex & quamplurimi Magnates Archiepiſcopi, epiſcopi, & Comites, ac Barones, apud Pariſios per manum Romani Cardinalis & Legati contra Albigenſes accipiunt ſignum crucis.

Conſequenter autē in paſchali tempore anno domini 1226. Rex & omnes cruce ſignati Bituris conueniunt: inde procedunt per Niuernam & Lugdunum ciuitates, apud Auinionem vrbē inexpugnabilem ab eccleſia Romana per 7. annos excommunicationi ſubiectam propter hæreticā prauitatem, Rege autē credēte ſe habiturū pacificū tranſitum, apud Auinionem propter quaſdam præuias pactiones quas habuerat cū eiſdem, portæ claudūntur ciuitatis, & excluditur Rex cum ſuis. Rex miratur & ſpiritu virtutis aſſumpto, villam obſidet ſuo obſidetripartito. In vigilia ſancti Barnabæ Apoſtoli, quæ fuit 4. feria Penthecoſtes machinæ etiguntur, trabuchetapetrariæ, māgonella patum proſunt. Hi qui intus ſunt viriliter ſe defendunt, Rex inæſtimabiles ſumptus facit. Durat obſidio vſque ad feſtū Aſſumptionis beatæ Mariæ, maximaque mortalitas ibi pullulat. De noſtris circa duo millia hominum cœlorum imbribus & lapidū volatu & infirmitate propria moriūtur. Moritur ibi Guido ſācti Pauli percuſſus lapide petrariæ, vir armis ſtrenuus, catholicus, & honeſtus. Moritur etiam ibi epiſcopus Lemonicenſis. Comes Campaniæ redit ad propria ſine licentia Domini Regis vel Legati. Tunc Auinionenſes Regis magnanimi conſtantiam attendentes, qui cū ſuis proceribus iuramento firmarat ſe non receſſurum, donec villa caperetur vel redderetur 200. datis obſidibus de melioribus villæ iurant ſtare mandato eccleſiæ. Tūc de mandato Domini Legati Rege imperāte foſſata implentur, trecentæ domus turrales, quæ in villa erant, & omnes muri circumquaque ſolo diruti coæquantur; villa abſoluitur, Dominus Legatus multas bonas & laudabiles inſtitutiones inducit, magiſter Nicolaus de Corbeya monachus Cluniacenſis in ipſius loci epiſcopum conſecratur. Rex inde amoto exercitu, progreditur per prouinciam, & redduntur ei pacifice ciuitates & caſtra, & fortaliciæ omnes quoque ad leucas 4. à Toloſa. Rex præficit toti illi regioni, Humbertum de Belloioco loco ſui. *Auenio regi Francorum redditur & diruitur.*

De obitu Ludouici Regis. & coronatione filij eius, nominis eiuſdem & tranſitu Papæ Honorij.

Cap. CXXIX.

REge repatriante moriuntur Remenſis Archiepiſcopus & Comes Naumurcēſis, quorum corpora ad loca propria referuntur. Ab illa peſtifera obſidione pauci vel nulli redeunt plane ſani; ac per totam Galliam pullulat plus iuuenum quam ſenum mortalitas generalis. Die Iouis ante feſtum omnium ſanctorum Regem ad propria redeuntem infirmitas mortalis inuadit. Die martis ſequenti apud Montpenſierion labitur in freneſim. Sequenti autem dominica videlicet in octaua

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

An. Christi 1227. Mors Ludouici.

omnium sanctorum, anno Domini 1227. migrat ibidem ad Christum, vir vtique catholicus, mirǽque sanctitatis extitit diebus singulis vitæ suæ, nunquam carnem suam maculauit, præterquam cum vna vxore sibi legitime in matrimonio copulata. Ibi enim completa dicitur fuisse prophetia Merlini, qua dicitur. In monte ventris morietur Leo pacificus. Quo in loco non est auditum ante ipsum aliquem decessisse, corpus eius ad ecclesiam beati Dionysij transfertur, vbi iuxta patrem suum honorifice sepelitur, Ludouicus itaque primogenitus eius, prima dominica aduentus, Remis per manum episcopi Suessionensis vacante sede Remensi coronatur in Regem, qui 14. annum ætatis suæ completurus erat in festo sancti Marci Euangelistæ proximo sequenti. Plures maiorum Baronum Franciæ ad coronationem vocat, sed venire recusant. Præ dolore enim patris, & desolatione regni nō vacant ibi gaudio, sed magis intendunt lachrymis & mœrori. Ferrandus Comes Flandriæ, qui per 12. annos & 6. menses Parisiis in captione Domini Regis detētus fuerat, multa redemptus pecunia liberatur circa Epiphaniam domini. Ipso anno mense sequenti 15. kal. Aprilis Honorius Papa moritur, & in ecclesia beatæ Mariæ maioris sepelitur. Hic Imperatorem Fridericum sibi rebellem, & aduersarium ecclesiæ Romanæ comperiens anathematizauit, atque Barones suos ab eius fidelitate absoluit. Denique Imperator iam antea cruce signatus, durante anathematis sententia mare transiuit. Post mortem vero Honorij Hugolinus Hostiensis episcopus eligitur ad papatum, & alterato nomine Gregorius appellatur.

S. Ludouicus rex Francorum coronatur.

De dissensione Baronum Franciæ a rege Ludouico iuniore.

Cap. CXXX.

Eodem tempore Hugo Marchiæ Comes, & Theobaldus Comes Campaniæ contra nouum Regem suum conspirantes Ludouicum, fœdus ad inuicem inierunt, vnde Comes Britanniæ ex consensu Comitis Campaniæ, qui contra prohibitionē Ludouici Regis defuncti de Albigensium terra redierat, castellum quod sanctum Iacobum de Beueronè nominant, vna cum Belesino sibi quondam ab eodem Ludouico custodia traditum firmabat, & victualibus muniebat. Itaque Rex nouus & iunior comitantibus se Romano Cardinali tunc legato sedis Apostolicæ à Philippo patruo suo Comite Boloniæ, necnon & Roberto Drocensi Comite, cum exercitu multo vsque ad Cartheriam de Carcelo properauit. Quod videns ac timens Campaniæ Comes, à proposito malignō resipuit, & adhærēs Regi Franciæ à Comitum Marchiæ & Britanniæ consortio celeriter resiliuit. Rex itaque duos alios Comites Marchiæ scilicet & Britanniæ regali edicto semel ac bis ad colloquium vocatos, sed venire contemnentes, nē aliquid contra iura videretur agere, tertio quoque suo parlamento mandauit interesse. Tunc illi stultam sui superbiam ac Regis clementiam perpendentes, humiliter ei mandauerunt, quod apud Vindocinum si placeret ei cuncta quæ fore fecerant emendarent, & hoc ipsum opere compleuerit. Nec multo post ijdem Comites cum quibusdam alijs Franciæ Baronibus inuidentes domui regiæ, quod Regina Blancha filij sui Regis ac regni tutelam haberet, memores quoque quod Campaniæ Comes contra prædictorum Comitum voluntatem, & contra fœdus quod cum ipsis inierat Regi adhæsisset, eique nephandissima eorum consilia denudasset, infinitum contra illum collegerunt exercitum. Et intrantes eius terram, castella, villas & vicos & municipia conflagrantes vastauerunt, sicque debacchantes vsque ad Thautsiā perrexerūt, quam obsidentes impugnare cœperunt. Quod videns Campaniæ Comes, misit ad Regem Dominum suum ab ipso petens auxilium. Illisque patentibus Regis literis obedire nolentibus, vt ab obsidione recederēt, rex ipse collecta multitudine armatorum iter arripuit, & contra illos in manu forti properauit. Qui vt eius aduentum agnouerunt, à sede quantotius recesserunt. At Petrus Britanniæ Comes auxilio & consilio Baronum Franciæ fretus, contra Dominum suū Ludouicum insurgens, Henricum Anglicum Regem in auxilium suum cum maxima multitudine Anglorum fecit transfretare, pugnaturus aduersus Regem Franciæ. Vnde Rex Ludouicus zelo iustitiæ diuinitus animatus, eundem Comitem primo debellare disposuit, & collecta militia primo Belesinum expugnauit ac cæpit. Tunc Rex Angliæ cum rubore rediens velociter transfretauit. Anno tamen sequenti dictus Comes cæpit infestare terram Regis Domini sui. Vnde Rex iterum exercitu congregato contra eum vsque ad castrum Adon festinauit, quod & obsidens expugnauit ac cæpit. Inde ad aliud exercitum duxit, & ipsum quoque per deditionem recepit.

Mira rebellio quorundam comitum in Francia.

De conuersione sancti Antonij ad ordinem fratrum minorum.

Cap. CXXXI.

Ex gestis eius. His vero temporibus beatus Antonius de ordine fratrum minorum floruit, quem prædictus Papa Gregorius canonizauit. Hic in Hispania ciuitate Vlisbona oriundus, à pueritia sanctus in baptismo Ferdinandus appellatus; primo quidem in ordine sancti Augustini religionis habitum suscepit. Deinde audito quod quidam fratrum minorum apud Marrochium a prophanis pro Christo cæcati essent, quorum etiam venerandas reliquias vir quidam famosus nomine Petrus inde detulerat, eorumque celebrem passionis ordinem diuulgauerat, subito more elephantis ad prælij ex aspectu sanguinis animatus, desiderio martyrij totus æstuauit. Itaque habitū ordinis totaliter pro Christo defunctorum assumpsit; moxque cum ipsis fratribus minoribus recessit à monasterio suo, prælati sui licentia & si difficulter obtenta. Quidā autē ex canonicis super hoc grauius se dolere præ cæteris indicās, abeunti sic in cordis amaritudine ait: *Vade, vade, quia forsitā sanctus eris.* Cui iste humiliter respondit: *Cum me sanctum audieris, Deum collaudabis.* Venit ergo vbi fratrum congregatio morabatur, qui locus sanctus Antonius dicebatur, iuxta quod nomen Antonium se deinceps appellari rogauit, vt & sic requirentium ipsum sollicitudine pia cautela deluderet, eorumque opportunitates sub ignoto facilius nomine declinaret. Feruens igitur ad martyrum. Quiescere non potuit, donec tandem iuxta promissam sibi licentiā ad terram Saracenorum transiuit. In his tamen desiderium suum non impleuit, de quo Dominus aliud ab humano sensu decreuit. Celebrato autem generali capitulo apud Assisium fratribusque ad loca sua circumquaque diuisis, solus Antonius à nemine petebatur, quia sicut erat ignotus, ita & inutilis videbatur. Nulla ergo de se in litteraturę vel cuiuslibet alterius vtilitatis habita mētione ad fratrem Gratianum, qui tunc Romandiolæ fratribus præerat deuotus accessit, rogans humiliter, vt ipsum à ministro generali peritum colligeret, ac disciplinis regularibus ipsum instrueret, quem iste benigne suscepit, & locum solitudinis requirentem ad eremum montis Pauli transmisit, vbi cellam in cripta semotam à fratribus repperit, in qua solitariam quantum licuit vitam ducens, sacris meditationibus cōtra tētationes spiritum roborans, in diuino se amore firmauit. Ibique nocturnis vigilijs solus in orationibus perstitit, & corpus mira abstinentia macerauit.

De D. Antonio Vlisponēsi quem vulgo de Padua dicunt & ex Franciscano Anonymo quem edidit Surius tomo tertio è chronicis Minorū huius etiam meminit D. Bonauētura in vita S. Francisci cap. 5.

De prædicationis gratia sibi diuinitus collata.

Cap. CXXXII.

Post hæc fratres ad ordines missi ad ciuitatem Forumliuij cōfluxerunt, inter quos & Antonius, nec non & quidā fratres de prædicatoribus affuerunt. Quos

cum minister loci solicitaret, vt aliquis eorum verbum Dei proponeret. Cunctis ad hoc se imperatos asserentibus, minister ab Antonium, de cuius scientia nihil ei cōstabat, in hoc opus compellit, vt scilicet proponat quicquid ei spiritus suggerat. Ad quod ille humiliter se minus idoneum respondit, quippe qui exercitatior habebatur in abluendis coquinæ vtensilibus, & huiusmodi vilitatis officijs, quam in exponēdis diuinorum eloquiorum mysteris. Tandem tamen imperanti contraire non valens, licet inuitus consensit, & primo quidem cum timore Domini simpliciter fari cæpit, sed in progressu sermonis tanta Deus eum mysticarum sententiarū profunditate suspendit, vt omnes qui aderant mirarentur, & vix aut nunquam se audiuisse talia faterentur. Vt autem ad aures Generalis ministri res gesta peruenit, officium ei publicæ prædicationis iniunxit. Itaque doctrinæ poculis mirabiliter affluens, qui iam ante calicem passionis tam auido corde sitierat, nullius magnitudini nec etiam metu mortis pro veritate cedebat. Tantaque grandes personas seueritate corripuit, vt alii plerumque famosi prædicatores hoc audientes, & quosdā pusillanimitatis rubore perfusas manu vel veste frontes tegerent. Quam profunda vero de sacris eloquijs eructare, etiam Dominus Papa testabatur, à quo vir sanctus arca testamenti peculiari nomine vocabatur. Nō solum enim de moribus placido sermone diffiniuit, verū etiam congruentissimis rationibus hæreticorum dogmata confutauit. Quorum etiam plures ad fidem rectam & inter eos etiam quendā hæresiarcham conuertit. Fratribus ad capitulum in prouincia congregatis, idem sanctus de titulo crucis & dulcis Iesu passione prædicauit. Cum beatus pater Franciscus adhuc corporaliter viuens, sed in alia religione longe tunc distans, se filijs in aere præsentauit, & quasi approbando viri Dei sermonem quid audientibus imitādum foret ostenderet, cuiusdam assistentium oculis tanquam brachijs in patibulo crucis protensus apparuit, filijsque qui aderant benedicens, crucis eos signaculo consignauit.

De fælici transitu eiusdem.

Cap. CXXXIII.

VNo autem anno ante transitum suum beatus Antonius ab omni regimine fratrum absoluitur, & generalis ei libertas prædicandi quocumque vellet conceditur. Pergens igitur Paduam pijs etiam studijs animū occupauit, totumque quadragesimæ tempus in prædicationibus, & audiendis confessionibus expendit. Sed fœlicibus eius actibus obuiare volens diabolus quadam nocte cum se post laborem sopori dedisset, eius tam valide guttur strinxit, vt ipsum nisi diuino nutu prohibitus suffocasset, sicut ipse cuidam familiariter retulit, statimque nomen gloriosæ virginis inuocans, oculos ab hoste liber aperuit, totamque vbi iacuit cellulam illustratam superno lumine conspexit. Quod vtique ferre non valens lucis inimicus abscessit. Tanto autem desiderio audiendi eum accensa est vniuersitas populi, vt cunctis ad eum confluentibus quotidianas stationes in ecclesiis oporteret indici. Ibique videret ad pacem mortales inimicitias reformari. Ibi longa captiuitate detentos libertati donari, rapinas & vsuras restitui, pignora reddi, & debita relaxari. Ibi quique consilium pro criminū suorum qualitate requirentes, omnino se stare viri Dei arbitrio promittebant, & se ad hoc ipsum per visionem admonitos plerique dicebant. Sic igitur licet ægrotatione continua & molesta quadam naturali corpulentia premeretur, prædicando tamen & audiendo confessiones, & dando consilia, nullo laboris grauamine flectebatur.

Fructus concionū eius.

Successit in agrum.

Instāte vero messis tempore, videns populum in colligendis frugibus occupandum, & ob hoc à prædicatione cessandum, à ciuitatis tumultu se transtulit, & ad solitarium locum, qui Campus sancti Petri dicitur, pro spiritus recreatione diuertit. Quē vir nobilis Tiso, cuius dominio suberat locus fratrum deuotissime suscepit, & humane ac gratulāter exhibuit. Cui etiā in amæno loco, quē non longe à domo fratrum arboribus consitum habuit, cellam proprijs manibus super nucē ramis à stipite dilatatā construxit, quam spiritualibus cōgruam studijs, suo gratanter Antonius studio mancipauit. Quadā vero die cū hora refectionis descēdisset ad fratres, vehementi subito infirmitate torqueri cæpit, & ne fratres loci pauperes grauarentur, Paduā se duci rogauit. Crescente autē morbo omnino deficere cæpit, factaq; cōfessione & absolutione accepta, hymnum, *O gloriosa Domina* dicere cæpit. Deinde sursum aliquādiu in directum suspexit. Et cum interrogaretur quid cerneret, respondit: *Video Dominum meum.* Afferentibus autē ex more fratribus oleum vnctionis, dixit eis; *Habeo hāc vnctionem intra me.* Vnctionem igitur deuote suscipiens, psalmos pœnitētiales cum fratribus decantauit, & post paululum expirauit feria 3. 13. die 7. Iunij anno domini M. ccxxxj.

B. Antonij Paduani exitus.

De ipsius exequijs.

Cap. CXXXIV.

NEc statim ipsius transitum fratres propalare volebant, eo quod populi multitudinē importune super se irruituram timebant. Sed quod omnino celādum nō fuit, mirabili cunctis hoc ordine innotuit. Adhuc enim omnes præter illos qui affuerant, id quod acciderat ignorabant, cum protinus cateruatim pueri peruiā gradientes clamabant. *Mortuus est pater sanctus, mortuus est sanctus Antonius.* Festinato igitur gressu ne quis raperet corpus, cum armatorum multitudine ciues de capite pontis accurrunt. Venientes & fratres ad sanctæ Mariæ ecclesiam cōmorantes, vbi sepulturam vir sanctus elegerat, corpus sibi dari deposcunt. Quibus præfati ciues ex aduerso stātes ne vel tangant, permittunt; sed armata fortium manu studiose custodiunt, dolumque suspicantes ipsum corpus rapere voluerunt, & vix ad hoc tādem inducti sunt, vt ministri à quo fratrum causa pendebat, præstolarentur aduentum. Media autem nocte clamor impatientis populi factus est magnus modis omnibus videre desiderantis sancti corpus.

Pueri per vrbem mortem eius prædicant.

Accidit autem dictu mirabile, vt impetu facto cellam fratrū per tres quidē vices constingerent, sed stupefacti ac cæcitate percussi ne saltem semel foribus patefactis introire valerent. Pēdente igitur propter absentiā ministri negocio, fratres ob æstiuum calorem corpus in capsa lignea incluserunt, & in foueā missum humo leuiter obduxerūt. Moxque rumor sonat in populū, corpus videlicet esse raptū, statimque furibundi omnes in cellā cum gladijs & fustibus irruentes, nequaquam à cæpto furore quiescunt, donec factum causamque facti curiosius perscrutantes intelligunt. Quibus ita gestis tandem episcopus cum clero, potestas cum magnatibus, cum innumera populi multitudine ordinatis ad cellam processionibus pergunt, corpus à fouea subuehunt, humeroſque adportandum optimates quique subiiciunt. Sic demū cum hymnis & laudibus ad sanctæ Dei genitricis ecclesiam veniunt, vbi ipsum expletis ab episcopo missarum solemniis honorifice sub die transitus sui quinto sepeliunt.

Patauini quantum corpus sancti habere desiderant.

De canonizatione & ipsius miraculis.

Cap. CXXXV.

TEmpestate autem sedata ipsa die miracula coruscare cæperunt, ita vt quacunque infirmitate detenti tumbam eius contingerent, optatam continuo sanitatem reciperent. Qui vero accedere vel adduci præ turba non poterant, sani coram omnibus etiam præ foribus in platea fiebant. Clamat ad hoc concorditer vna vox omnium vt sancti canonizatio vigilanti studio procuretur. Lectis in publicum & approbatis miraculis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Papa manus in cælum protendit,& confessorem Antonium cathalogo sanctorum adscripsit festumque eius, die obitus sui,idest primo idus Iunij solemniter celebrādum instituit. Acta vero sunt hæc anno domini M. ccxxxij. Pontificatus autem Gregorij noni 6. Postremo miracula solemniter sunt(vt dictum est) approbata in quibus vtique 10.& 11.diuersimode contracti reperiuntur erecti,paralytici 5.consolidati,totidemque a gibborum deformitate curati,cæci sex illuminati, triu surdorum aures apertæ,& eiusdem numeri mutorum linguæ solutæ,duo à morbo caduco,totidem à febribus liberati sed & duo mirifice mortui resuscitati.

Canonizatur a n.Ch. 1232.

Quędam vero mulier cadens in aquam,sanctum Antonium inuocauit,cunctisque eam extrahentibus vndique madefactis,ipsa sola prorsus in vestimentis & corpore sicca remansit.

Soror quædam ordinis dominarum pauperum ignē purgatorium grauissime metuens per beatum Antoniū obtinuerat pœnitus in hac vita purgari,quę & durissimis passionibus cruciata rursus cæterarum interuentu per eundem meruit liberari.

Miles quidam à primæua ætate hæreticus ad mēiam sedens,de miraculi sancti viri narrantes audiuit,qui subsannans,cyphum vitreum,quem manu tenebat , in terram ab alto proiecit dicens.Si vitrum hoc Antonius cōseruauerit integrum,hunc vtique credo sanctum . Quo licet ad petram colliso, tamen mirabiliter conseruato mox erroribus abdicatis fide perfecta credere cępit Christo.

Hæreticus miraculo ad fidem conuertitur.

Clericus quidam miraculorum inquisitionem deridens,grauissima passione percutitur.Qui tādem ad beatum Antonium voto facto sanatus,sanctitatis illius professor ipsa in se experientia edoctus efficitur.

De sancta Elisabeth.

Cap. CXXXVI.

EX *chronicis*.His quoque tēporibus sancta Elisabeth in Alemania claruit, quam idem Papa Gregorius canonizauit.

De S.Elizabeth fusè agit huius tom.6.ex Iacobo Mottano.

Ex gestis eius.Hęc filia Regis Hungariæ,vxor fuit Latgrauij Turingiæ ab adolescentia sua studuit religioni, votum suum & actiones in Deum dirigens,tam in rebus ludicris,quam etiam seriosis,Hæc vitiorum extirpatrix, virtutum plantatrix fuit,scala morum,exemplum patiētiæ,speculum innocentiæ.Facta vero nubilis graues persecutiones passa est à proximis, & sponsi sui consiliariis ab eis vtrinque contempta.Sed cum Dominum exoraasset , contra spem omnium ipsum sponsum suum in omnibus habuit tristitiæ consolatorem occultum . Qui etiam cum circa temporalia necessitate suorum principatuum intenderet,in secreto tamen timorem Dei habens,beatæ Elisabeth ad omnia exercenda quæ ad opus Dei spectant liberam concessit facultatem,eam ad salutem animæ promouendo.

Castitatis votum eius.

Denique de manu magistri Corandi de Marpurgis gtiseam tunicam induit,& habitus susceptione castitatis votum solemnizauit.Vixitque in penuria & abstinentia ac humilitate, multa quoque ab hominibus tolerando patienter incommoda,diuinæ contemplationi, orationi & operibus misericordiæ intenta.

Christus ei apparet.

Ipse quoque dulcis Paraclitus Iesus facie ad faciem ei apparens,eam cōfortabat multitudine sanctorum comitatus,sicut sereniſſimus eius vultus ingens gaudium sæpe cum lateret in extasi rapta repræsentabat, & ipsa etiam quibusdam religiosis postea referebat,vnde & aliquando dulciter in eius præsentia ridebat,& in eius abscessu flebat videntibus ancillis eius, sicut eis post modū requisita,& precibus eorum victa referebat.

Quadam die dum more solito oculis & manibus ac corde in cælum suspensis contēplationi intenderet, tam solitaria erat,vt flamma vel scintilla vestiunculas eius attingens læderet enormiter ac deformaret ea non aduertente,donec aliqua ex ancillis rediens,odorem ignis sentiens olfactu extinguēs suffocaret.At ista clamore puellæ correpta,ad se rediens panniculos viles & abiectos manibus proprijs assuens,iacturam prout potuit restauravit:Ab ancilla etiam pauperibus & ignobilibus Domina se vocari nolebat,sed eas ad latus suum sedere , & de scutella sua comedere faciebat,fila trahebat,vasa coquinaria mundabat,hospitale pauperū construxit, & si quod bonum vel delectabile quandoque habuit,ori suo subtrahens,pauperibus in eius hospitio manentibus ministrabat,eosque balneabat,& lectos eorum sternebat, eosque tegebat.Monoculum secum & scabiosum puerulum secum habebat,quem etiam ad requisita naturæ sæpius deportabat.Inter innumera miracula , quæ Dominus per eam ostendit 16.mortuos potenter suscitauit cæcum natum illuminauit,14.kal.Decembris ad Dominum migrauit.In die autem translationis sancti corporis eius,postquam in capsa plumbea fuit repositum, de terra sublatum proximo die prius aperto loculo pro reliquiarum ostensione,repertum est oleū mirifici odoris de corpore eius emanasse,quod hodie etiam inspicientibus patet.Nam guttæ tanquam roris super gramē stāt & distillant,eisque decidentibus vel abstersis aliæ paulatim renascuntur.

Obitus S Elizabeth.

De dissensione scholarium parisiensium,& quibusdam alijs.

Cap. CXXXVII.

ANno domini M.ccxxx.facta est Parisiis inter scolares dissensio,quam mox secuta est eorum ad tēpus multifaria dispersio,alij namque Remis, alij Andegauis,alij vero Aurelianis,alij quoque in Angliam vel in alias mundi prouincias studij causa profecti sunt. *An. Christi. 1230.*

Eodem anno Henricus Angliæ Rex instinctu Petri Britanniæ Comitis vt terrā à prædecessoribus suis possessam & amissam recuperaret,in Britanniam transfretauit;sed in proposito suo nullatenus proficere valens, inanis & vacuus rediit,& eodem anno Rex Ludouicus vrbem Andegauensem & castrum Belesinæ dicto Petro ad vitam concessa recuperauit.

Anno domini M.ccxxxiij.facta est disseſio inter Burgenses, Beluacenses, minoribus insurgentibus contra maiores.Vnde plures ex maioribus occisi sunt. Plurimi vero de minoribus capti,& per diuersa regni loca carceri mancipati,ad vltimum vero multa pecuniæ summa redempti,Namque Milo eiusdem vrbis episcopus tanquam faueret minoribus in hoc facto suspectus habebatur.Rex autem Ludouicus tanquam superior iudex manum vltricem adhibuit,& ob hoc episcopatus pluribus annis sub interdicto fuit.Milo vero præfatus episcopus Romam profitiscēs,in itinere obiit.Sed & eius successor Gaufridus eidem causę contra Regem insistens, dies paucos & malos,idest afflictione plenos in episcopatu peregit,cui succedens Robertus pacem cum Rege composuit,& sic ab interdicto Diœcesim absoluit. *An. Christi. 1233.*

Anno quoque prænotato magnum gelu fuit,ita quod segetes congelatæ fuerunt,vnde & fames magna secuta est in Francia.

Anno domini M.ccxxxiiii. Rex Franciæ Ludouicus accepit vxorem scilicet Margāritam Comitis prouincię filiam circa dominicam Ascensionis,quæ Senonis coronata fuit,& Parisiis venit circa octauas Ascensionis. *An. Christi. 1234.*

Anno sequenti facta est magna fames valde in Francia,maximeque in Aquitania,ita vt homines herbas cāpestres sicut animalia comederent.Valebat enim sextarius bladi centum solidos in Pictauia : Ibidem quoque facta est magna pestilentia,qua multi pauperes,magni & parui sacro igne accendebantur,ita quod ecclesia sancti Maxentii talibus illuc allatis implebatur. *An. Christi. 1235.*

Eodem anno Theobaldus Campaniæ Comes exercitum colligens,aduersus Regem Ludouicum insurgere attentauit.Quod agnoscens Rex,ex aduerso cum exercitu vsque ad riemus Vicenarum properauit.Quo audito Comes ad eum nuncios misit,rogitans vt iram deponens offensam remitteret , & vt in oculis eius gratiam

tiam inueniret, duas eidem villas scilicet Brauim & Mosterobium in Fordiana tradidit in perpetuum quiete possidendas.

An. Christi 1236. Anno sequenti Vetulus Rex Atsacidas misit in Fraciam, præcipiens vt occiderent Regem Ludouicum, sed Deus cor eius immutauit, eique cogitationes pacis & non occisionis immisit. Vnde post primos quamtotius alios nuncios misit, mandans ei vt à primis nuncijs se custodiret. Vnde Rex ex tunc corpus suum diligentius fecit custodiri per homines clauas cupreas assidue deportantes; primos interim nuncios alij sollicite quęsierunt, & inuentos ad Regem Ludouicum adduxerunt. Quibus visis Rex gaudens vtrosque muneribus honorauit; Regi quoque Vetulo regalia, exenia, & dona quāplurima pretiosa in signum pacis & amicitiæ delegauit.

Iordan. obitus. Anno domini M. ccxxxvij. idus Februarij magister Iordanus totius ordinis prædicatorum pastor & rector obijt in mari. Dum enim ad visitanda loca & fratres in terram sanctam iret, inundante maris sæuitia suoque impetu galeam qua cum duobus fratribus & aliis 30. personis erat ad littus propellente, pariter cum illis ab hoc sæculo nequam beneficio mortis ereptus est. Dumque corpora iacerent inhumata, sicut testantur qui de isto naufragio euaserunt, & qui proprijs eos manibus sepulturæ tradiderunt, luminaria de cælo super illos singulis noctibus effulserunt, sed & cruces multæ super illos, & à multis visæ sunt. Ad quod miraculum incolæ loci confluentes tanti odoris fragrantiam hauserunt, vt iuxta testimoniū istorum, qui post visa miracula tres illos sepelierūt, vsq; post 10. dies odor nimius ab ipsorum manibus non recederet, sed & per sepulturæ circuitū eiusdē suauitas odoris latius emanabat, vsquequo fratres de Achon cum barcha venerant, & eos in ecclesiam suam transtulerūt, vbi & dictus pater miraculis ebruscat, multaque multis beneficia præstat.

De itinere transmarino sub ducatu Regis Nauarriæ, & discordia inter Fridericum, & Papam Gregorium.

Cap. CXXXVIII.

EOdem autem tempore, fratres prædicatores & fratres minores ad hoc ipsum officium à Domino Papa vocati; suæ prædicationis exhortatione multos de Francia Barones, milites; ac plebanos clericos; & laicos cruce signantes, in terræ sanctæ subsidium transmittere parauerunt. Qui tamen annuente Gregorio per annos quatuor aut quinque passagium distulerunt: Tunc Comitem Campaniæ qui etiam Rex erat Nauarriæ, ducem itineris habentes, & partim (vt fertur) inter se dissentientes, partimque in conflictu contra Saracenos incaute se agentes, ac prædæ forsitan vel gloriæ propriæ (sicut mos est nostri temporis militibus) auide nimium inhiantes, parum aut nihil profecerunt, quin potius multi coram paganis cęde corruerunt, & multi capti sunt. Illic in bello perijt Comes Barri miles strenuissimus. Porro de carcere liberatus eum rediret obiit Comes Montisfortis Amalricus.

Fridericus Imp. insurgit contra Romanam ecclesiam. His vero temporibus orta iteru inter Papā & Imperatorem discordia; Imperator excōmunicatus, cōtra Romanam ecclesiam acrius insurgens, itinera quoque obsidens Romipetis insidiatur. Ob hoc Iacobus prænestinus episcopus in Franciam Legatus à Domino Papa petendi subsidii causa latenter dirigitur, & peracto negocio reuertēs ab Imperatore capitur. Sed & Dominus Otho Cardinalis iam pridie in Angliam ab ipso Papa missus, eodem tempore rediens, etiam ipse ab Imperatore detinetur. Ipso quoque tempore Dominus Papa concilium episcoporum ad se vocare nititur & iter multi aggressi similiter capiuntur. Ex quibus fuit Petrus de Collemedio archiepiscopus Rothomagensis, Abbates quoque Cluniaci, Cistercii, & Clareuallis.

Gregorius Papa moritur. Denique idē Papa Gregorius multis tribulationibus vndique pressus obiit, qui 14. annis in pontificatu sedit. Et anno domini M. ccxl. migrauit. Tunc Gaufridus Mediolanensis, qui Cardinalis episcopus Sabinensis erat, in Papam eligitur, ac Celestinus huius nominis quartus appellatur. Sed quia senex & infirmus erat, vltra 18. dies ecclesiam non valuit regere, quia morte prohibitus est permanere: Postea dissentientibus inter se paucis, qui à mortis inuasione remanserant Cardinalibus, vacauit sedes Apostolica 20. & duobus mensibus.

Anno quoque prænotato à dominica post Natale domini, vsque ad exaltationem sanctæ crucis fuit siccitas magna, vina quoque tam fortia fuerunt, vt non possent bibi commode sine aqua.

Eo tempore apud Cremonam facta est tepestas maxima, ceciditque lapis grandinis, in quo erat crux & imago Saluatoris expressa. Desuper quoque literis aureis scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Cecidit autem in monasterio sancti Gabrielis, & de aqua inquā liquefactus est inuxerunt monachi cuiusdam fratris oculos cæcutientis, statimque clare vidit.

De tirannide Paperoissole & in Turchos debachatione.

Cap. CXXXIX.

ANno domini 1240. videlicet anno 2. antequā Tartari Turchiam destruxissent; quidam Turquemanus in regno contra Soldanum se extulit, ac per duos menses & fere dimidium debachationem suam exercuit. Hic Paperoissole vocabatur & baiulationem habebat super quatuor casalia. Qui cum die quadam equitaret per campos super iumentum suum pulchrum, quidā rusticus pedester ei occurrit eiulans & clamans, quia lupus rapuerat & in siluam deportauerat eius filium. O, inquit rusticus, audi me homo & adiuua miserum, faciāque te hominem diuitem, vel si malueris Soldanum. Cui Paperoissole audita eius causa; & accepto de promissione iuramento, lupum insecutus ei puerum abstulit & ad patrem reportauit. Rusticus ergo puerum viuū lætanter recipiens, Paperoissole dixit: Elige tibi quod vis de duobus promissis. Ille respondit: Quis es tu qui sic inctinctanter hoc mihi promittis? Ego sum, inquit, qui de nocte vado cum dominabus qui nymphæ vocantur, & sum Dei nuncius, & quicquid dixero tibi eueniet. Tunc ille: Satis ait dies sum, sed fac me Soldanū. Rusticus quoque ait: Vade statim ad parentes tuos, quia magnæ es parentelæ, & congregatis in vnum dic, quod nuncius Dei tibi apparuit dicens: Deum te velle Soldanum esse. Quod cum ille fecisset, incæpit multa circa se casalia inuadere atque destruere, omnibusque cum quibus præliabatur præualere.

Cumque domum quandam Armenorum quasi castellatam obsideret, omnes suos pro posse animauit, vt viriliter pugnarent, nihilque mali timerent, quia nullus ibi moreretur, neque vulneraretur. Hac igitur confidentia castrum affligerunt, & illi de castro 8. de illis se pugnantibus occiderunt, & quam plures alios vulnerauerūt. Alii vero pugnantes scilicet occisorum fratres atque parentes de morte ipsorum dolentes dixerunt: Paperoissole quare sic decepisti nos & nostros? morieris & tu sicut & illi. Ille autem iurabat, quia sic Dei nuncius ei dixerat, diabolus, inquiunt, fuit, qui sic te decepit. Tunc ille subterfugium amentiæ suæ quærens & non inueniēs dicebat: O Deus quid facis an dormis? Loquar, inquit, omnibus astantibus vobis Deo crastina die & dicam ei, cur mihi & vobis tale quid permisit accidere.

De ipsius ac suorum destructione.

Cap. CXL.

CRastina vero die contra prædictos Armenos insultum fecit, ac per medias scapulas perforatus ad mortem abscondi se præcepit, ita quod videri nō posset, quando mortuus esset. Nihilominusque consolatus est suos, dicens quod non propter ipsum à proposito

quod

quod incæperant & desisterent, sed viriliter insisterent, quia victoriam & dominium sic ei Deus manducauerat de omnibus obtinerent. Dixit etiam quod cũ foret mortuus, iret loqui cum Deo super his quæ acciderant rationem quæsiturus. Quendam etiam præ cęteris sibi de genere suo priusquam moreretur constituit, vt præesset loco suo, eique obedirent vt sibi, certi quod Turchiæ dominium obtinerent, si in proposito & opere incæpto permanerent. Ille igitur institutus in opere cæpto perfistebat, & congregata secum iij. M. hominum multitudine, omnes sibi resistentibus occidebat ac destruebat. Denique in terrę vastatione tantam sibi pugnatorum multitudinem congregauerunt, & ita in breui à Thurcis reueriti sunt, quod eis libere Gazariam dum tantum pax esset, de cætero firma inter ipsos dare voluit Soldanus.

Latini seu Franci Paparn Roissole destruunt.

Tunc trecenti Latini siue Franci audientes Turchiæ destructionem per istos fieri, conuenerunt ad locum vbi erant congregati, atque in illos exilientes destruxerunt omnes, Turchis à bello fugientibus nec intrare conflictum audentibus, vnicus tantum Latinus mortuus fuit ibi, plures autem vulnerati. Sic igitur habita de Paperoissole victoria per Latinos præcepit Soldanus 300. millia Soldanorum eis dari, quæ omnia retinuerunt ipsi Turchi. Siquidem etiam admiraldi siue baiuli Turchiæ participant furtis, quæ in ea fieri consueuerunt. Pactum quoque de habenda securitate cum furibus faciunt. Tunc Latini stipendia quæsierunt à baiulis Soldani. Quibusdam vero soluere recusantibus dixit vnus: Iustũ est vt stipendia vobis soluamus, quia nos & capita nostra per vos habemus. Si quidem altera die cum Paperoissole veniret ad castrum nostrum, omnesque recepti essemus in tutiori loco vndecim millia pugnatorum. Ille videntibus oculis nostris venit ad Burgum, & ibi accepit victualia quantum voluit, nec saltem vnus qui contra illos exiret ex nobis fuit. Quoniam ergo vos Frãci deuicistis eos, ante quos comparere non audebamus, iustum est vt stipendia vobis persoluantur. Itaque non exercuit (vt dictum est) Paperoissole tyrannidem suam plusquam per duos menses ac dimidium, & tamen Turci per vices 12. fuerunt vastati per eum, erantque 12. millia lancearum.

De longa Turcorum à Tartaris impugnatione.

Cap. CXLI.

POrro Tartari pluries Turchiæ terram inuaserunt antequam ista contererent ac destruerent. Nam per annos 10. Soldanus cum eis versus fines Qualat habuit guerram, ita tamen quod non omnes Barones Tartarorum, sed vnus tantum vel duo insurgebant. Tandẽ audientes quod Paperoissole tali modo & cum tam paucis quasi cæpisset victoriam de Turcis obtinere, animati quam plurimum ex debilitate Turcorum, in anno sequenti Turchiam integre inuásere.

Mulieres se dedentes Tartaris trucidantur.

Contigit autem in antecedenti anno destructionis eius duo millia mulierum de Arseron iuisse ad balnea, quę per tres leucas ab eadem ciuitate sunt remota. Cum igitur in balneis essent vt exercitum Tartarorum sibi superuenire viderent, nec effugere possent, cogitauerunt vt se Baiothnoi totique suo exercitui perpetuo seruituras offerrent. Venientes igitur ei obuiam in lyris, ac tympanis, & diuersis musicis instrumentis, quæ multæ illarum secum habebant, cantantes coram Baiothnoi se illi suoque exercitui obtulerunt, nec sic tamen eius animi ferocitatem mitigare potuerunt, sed omnes ibi statim præcepit occidi.

Christianus in Turquia mortuus miracula operatur.

Accidit etiam parum ante Turcorum destructionem quod prope Semanzar quidam pauper Christianus peregrinus, Teutonicus à latronibus vulneratus debilis & infirmus mendicans à Turquemannis quærebat sustentationem. Tandem in extremam infirmitatem cecidit, Dominoque spiritum reddens in quodam casali expirauit. Illi vero Turquemanniin quodam fumario sepelierunt eum ac in subsequenti nocte & pluribus noctibus aliis luminaria magna super eum visa sunt, plutaque miracula ibi à Domino sunt ostensa. Multisque admirantibus ac stupentibus Cadrus homo quidam diabolicus nitebatur admirantes compescere, dicens astantibus: Non credatis quod iste fuit Christianus. Erat enim natione Saracenus, sed forsitan à Saracenis deuiauerat, & amodo vt Saracenus viuere proponebat. Ideoque pro illo tanquam pro Saraceno operatur talia Deus.

De nobilitate ac magnitudine Regum Turquiæ.

Cap. CXLII.

ERat quidem illud Turquiæ regnum nobilissimum & opulentissimum, ibique ciuitates fere c. exceptisque castris & villis & casalibus. Ibi quoque Melodeme, quæ fuit (vt dicitur) patria sancti Gregorij omnibus abundans bonis; ibi Labigarme vbi Fridericus quondam Imperator contriuit plusquam 200. millia Turcorum, & tunc acquisiuit Iconium. Sed cum indè Hierusalem pergeret, in fluuium Delsaleph submersus est. Quo audito Turci nocte quadam in Francos insurrexerunt, vt illos occiderent. *Mors primi Friderici.*

Saluastia comitatus est magnus siue regnum, & possidet multitudo circum adiacentium castrorum. Ipsa est ciuitas Sebaste, vbi beatus Basilius eiusdem vrbis episcopus martyrizatus est, & alij 40. similiter martyres. Ibi quoque Finemiglæ regio est, vbi casalia valent ciuitates. Ibi etiam est fluuius siue stagnum spacij trium dierarum Ibique plures regales sedes scilicet 25. quarum vna est Sauastia siue Sebaste: alia vero Satellia, vbi est sinus maris, qui dicitur Gaufra Satelliæ, Item Lancaudaloux vbi est thesaurus Soldani, ac Maledin! ciuitas sancti Georgij. Item Arsaron & Monsalquin & Calath & Rohais, quæ quondam dicitur Rages ciuitas Medorum, & Salamesat, vbi fuisse dicitur vna de crucibus duorum latronum. Ex his etiam est Iconium & aliæ multæ (vsque ad prædictum numerum, ex quibus est vna Nixaria nomine, de qua dicuntur à quibusdam euangelicis tres Reges siue Magi fuisse. Est etiam in eodem regno locus qui dicitur sanctus Braisiamus, vbi est monasterium monachorum 300. cuius munitio siquando impugnatur ab hostibus, fertur seipsam mouere machinasque iacentes in eosdem retorquere. *Tres Magi unde orti.*

De opulentia eiusdem.

Cap. CXLIII.

IBi tanta copia diuitiarum, quod Admiraldus quidam in qualibet hyeme ponebat ad præsepe suum hordeaceum 10. millia arietum, exceptis aliis qui erant in pascuis. Idem quoque 10. millia equorum ad præsepe suum hordeaceum, præter illos qui erant in pascuis & in haracijs. Soldanus autem habebat in terra sua vi. vel secundum quosdam 10. millia argentearias, quarum vnica quotidie decem millia soldanorum valebat, argentearia delebana quotie valet (vt dicitur) tres totas argẽti depurati, quę valent 3. millia soldanos solutis operarijs. Itaque terra Soldani valebat ei quotidie 400. millia hyperperorum, idest 57. millia marcas argenti. Æris autem mineræ sunt ibi tres, mineræ autem ferri plures. Est autem aluminis minera iuxta Saluastiam, quæ valet vnam *argentariam, forum equorum vnguenti & saponis reddit ei annuatim soldanos 120. millia, vinum 200. millia, aqua vero quotidie soldanos mille. *Idest venã argenti.

Sunt etiam ibi ad minus 8. salinariæ. Præterea apud Hacsar inuenitur coctus & aluminis minera. Color etiam

tiam indus ibidem versus Baudath, & copiosus habetur in Turquia. In terra Iconij inuenta fuit Azuris minera, sed superueniente terra est cooperta. Ibi etiam præter lanas onium; habent lanam caprinam optimam, de qua fiunt capelli de Bonet, qui mittuntur in Angliam. Itaque Soldanus Turquiæ bene poterat 50. millia milites vnicuique dando mille bizantios annuatim in reditu stipendiare. Inaduentu baiuli Armeniæ ad ipsum in Gazariam proiecta sunt hyperpera multa eique dimisit ad valorē quingentarum marcarum argenti vasa sua aurea & argentea. Idem quoque Vatachio fecit, cum ad ipsum venit. Dixit etiam quidam Soldani thesaurarius, quod in casalia erant tres domus, quarum vna plena erat hyperperis, duæ autem dragmis. Demique in anno quo contritus fuit Soldanus à Tartaris, ante pugnam dedit 16. millia paria vestimentorum de Samite & de Thabith, sarbois exceptis.

De magnatibus subiectis eius dominio.

Cap. CXLIV.

Principes Regi Turcia subditi.

POrro Rex Armeniæ minoris Soldano Turquiæ in 300. lanceis per 4. menses tenebatur seruire, & insuper etiam facere proclamare legem Machometi semel in anno in sua maiori ciuitate: monetam quoque in terra sua fieri faciebat, cuius medietas Soldani erat. Similiter Dominus de Lambro tenebatur ei in 29. lanceis seruire, eo modo quo Rex, sed admittendum quocunque vellet mitteren. Vatachius quoque in 400. lanceis eidem seruiebat quoties vel quantum volebat. Itē Dominus do Trapesondes 100. ei lanceas dabat, & Soldanus Alapiæ quotiens volebat in mille lanceis eidem seruiebat. Dominus de Melerdin & Dominus de Tantaphe Dominusque Meredin, & Soldanus de Hameta, & ille de Camella, & Soldanus Damasthi, & ille de Monteferraquin & ille de Hamauth tenebantur ei facto homagio ac iuramento mediante ipsum adiuuare secundum omne posse suum contra quoscunque. Itaque Soldanus iste faciebat se proclamari Dominum totius mundi, & quando filius eius fuit natus, clamari fecit quod natus esset Solis filius. Nunquam ibat cum minori societate quam 10. millia hominum.

Turcia Soldanus Pontifici cupit se subijcere.

Cumque adhuc esset in maiori posse suo dixit Domino de Lambro, quod ipse in persona propria volebat ire ad Papam, eique reddere totam terram suam, dum tamen quiete possideret arcem vnam. Et hoc quidem statim fieri voluisset, nisi vel Dominum de Lambro ab Admiraldis interfici timuisset. Itaque Dominus de Lābro consuluit ei ne iret sed potius mitteret. Postea vero eius propositum impeditum, nec ad effectum productū est. Est autem in eius regno fortissimum castrum quod Candelaria dicitur, vbi est thesaurus ipsius, & dicitur quod ibi sunt 16. pithaciæ plenæ auro depurato in ipsis liquato, exceptis lapidibus preciosis & pecunia multa nimis. Hæc autem omnia per Francos acquisiuit etiam à tempore Godefridi de Bullion & episcopi Delpim. Sed postquam à Francis se Soldanus retrahere cæpit nū. quam vt prius veritus fuit.

De Soldano ibidem per Francos constituto.

Cap. CXLV.

SIquidem & Gaiasadinus qui tempore destructionis regni erat Soldanus per Francos in regnum fuit exaltatus. Cum enim Haladinus moriturus esset, dedit eidem filio suo Gaiasadino gladium suum tanquam vero hæredi, cum tamen illegitimus esset, & Haladinus ipse duos filios ex sorore Soldani Babyloniæ legitimos haberet. Habuerat autem Haladinus vnum Admiraldum nomine Sadadinum, qui omnibus Admiraldis præerat, omniumque capita absciderat. Mortuo igitur Haladino venit iste Sadadinus & dixit Gaiasadino: Veni mecum, & ego modo te faciam Soldanum. Tunc apud Conquebac domum quandam Soldani iuxta Gazariam ad leucam erant, vbi scilicet in Gazariam 16. millia corasminorum in solidis Soldani consistebant, & ex se quidem Soldanum facere volebant, sed Francos mirabiliter timebant, qui vsque ad mille tunc ibi erant. Venit ergo Sadadinus & Gaiasadinum accepit, eumque in Gazariam duxit. In illo autem itinere obuiauerunt Latinis siue Francis, qui ad Conquebac ibant causa præceptum audiendi, quibus ait Sadadinus: Ecce Gaiasadinus Dominus vester atque Soldanus, ipsum ergo conducite, & in sede sua statuite, quod & fecerunt in Dodanam, ideſt in domum Soldani eum ducentes, & in eius sede statuētes. Itaque statim audito quod Gaiasadinus esset in sede Soldani, venerunt omnes Admiraldi eidem inclinare ac pedem ipsius osculari. Ipse vero Francos quia in sede eum posuerant, pedem suum osculari non permittebat, sed manum eis porrigebat. Cumque timeret ne Admiraldi se coniungeret matri suæ & fratribus, & occideretur ab eis, cum non esset hæres legitimus, dixit ei Sadadinus: Esto securus quia sic faciam de illis vt te eos timere non oporteat. Fecit igitur eos cum matre occidi ambos. Postea vero idem Sadadinus occidit Soldanos omnes præter tres, voluitque ipse esse Soldanus, & chordam pro Soldano strangulando portauit, cum qua inuentus est atque in malitia sua præuentus à quodam Admiraldo Mergedac nomine, qui fuerat christianus. Huius ergo comperta fidelitate & illius falsitate occisus est Sadadinus, & in eius loco Mergedac substitutus est.

De probitate Francorum contra Tartaros.

Cap. CXLVI.

PRæterea contra Tartaros longo tempore Turcos, vt dictum est, impugnantes Franci tantummodo 300 perrexerunt, & bis eos confregerunt, vnaque die post horam etiam 9. quendam eis montem in quo erant abstulerunt. Contigit in præcedenti anno præfatæ Turquiæ destructionis, vt capti essent duo Franci apud Arsengana Tartaris, quorum vnus vocabatur Guillelmus de Brundusio, alter vero Raymundus Guasco. Cumque tenerentur captiui, quidam Tartarorum qui audierant quod Franci fortes bellatores erant, suggesserunt cæteris maioribus vt illi duo pugnarent inter se, quia modum pugnandi eorum libenter aspicerent, congaudentes eorum interfectioni manibus ipsorum faciendæ. Itaque de communi maiorum assensu factum est: vt inter se pugnarent illi duo Franci equis & armaturis, prout fieri potuit competenter præparatis. Cum autem armarentur & præpararentur inter se sunt collocuti quod siue sic de necessitate ac fine dilatione oportebat eos mori, ideoque quod Tartari sperabant ipsos inuicē facturos de seipsis ipsimet pariter facerent de Tartaris. Hoc itaque communi assensu inter se firmauerunt Dei misericordiam sibi affuturam inuocantes, ac fortassis sic inuicem sibi de peccatis suis confitentes. Præparati ergo ad prælium alter alteri cominus quasi congrediens ac velut in comparem suum insiliens in Tartaros irruerūt, primo quidem lanceis, & postea gladiis eos confodientes ac detruncantes, ita quod 15: ex eis interfecerunt, & alios 30. grauiter vulneratos antequam ab illis interfecti fuissent ibidem reliquerunt. Propter hæc & his consimilia Francos siue Latinos ideſt Christianos præcipue timent Tartari, & similiter etiam Turci. Vnde cum in Arsenga Francus quidam Placentinus occidisset quendam Turcum, hac de causa Marescallus exercitus capi & suspendi iussit eundem Placētinum. Quo audito Frāci omnes in vnum conuenerunt & firmauerunt inter se,

Duorum Francorum facinus memoratu dignum.

quod

quod si suspenderetur Francus, omnes irruerent in mortem Turcorum. Hoc cum audissent Turci, nihil amplius agere sunt ausi. Erant tamen tunc ibi 60. millia Turci, Franci vero 700. Alias quoque cum totidem vtrobique congregati essent Turci voluerunt imponere Francis vt castrum quod dicitur Semesac munirent. Vnde Franci tunc etiam contra illos insurgere volebant, quia se tam viles reputabant.

De destructione quarundam Turchiæ ciuitatum.

Cap. CXLVII.

An.Christ. 1242. ANno itaque Domini M.ccxlij. Tartari omnes primam Turchiæ ciuitatem inuaserunt, eamque destruxerunt. Siquidem, antea vt dictum est, supra per 20. annos regnum illud impugnauerunt, ita tamen quod vnus eorum Baro vel duo tantummodo contra illud insurgebant. Omnes autem Arseron simul per 20. dies obsederunt. Est autem Arseron, vt dicitur; terra Hus, in qua quondam beatus Iob dicitur habitasse & in ea regnasse. Cumque ciuitatis huius habitatores à Tartaris obsessi, succursum à Domino suo Soldano prout erat necesse non haberent, nec aduersus Tartarorum multitudinem prevalere possent. Cogitauerunt inter se Tartaris reddere ciuitatem eo pacto vt nulli eorum aliquam læsionem vel mortem inferrent, sed vt seruos suos & sclauos tenerent illos atque saluarent. Ad hoc autem offerendum & firmandum miserunt eis Saana, idest ciuitatis Baliuum. Itaque Tartari petitioni eorum annuerunt, & secundum modum suum iurantes omnia petita se firmiter seruaturos promiserunt. Intrantes autem vrbem statim confœderationem præfatam ruperunt, omnesque ciuitatis habitatores occiderunt. Sic quoque fraudulentam pacem & confœderationem habitatoribus Arsengæ ciuitatis fecerunt, & post introitum in eam omnes similiter occiderunt. Habitatores autem Sanastæ non occiderunt, quoniam illis obuiam claues ciuitatis eis offerentes exierunt, totam tamen ciuitatem deprædati sunt, & iuuenes ac iuuenculas & quamplures alias mulieres rapientes secum eduxerunt. Quæ tamen omnia prius se nullatenus facturos esse promiserant atque iurauerunt.

Cæsarea Cappadociæ à Tartaris capta. Cum autem Gazariam quæ alio nomine dicitur Cæsarea Cappadociæ obsiderẽt duo Franci qui erant in vrbis illius præsidio dixerunt, quod si plures Francos secum habuissent, semper à Tartaris in illo præsidio se defendissent nec vllas eorum machinas vel impugnationes timuissent. At vero miseri Turci quia viles & effœminati sunt, vltro se illis reddiderunt. Venientes igitur Tartari ante dictam vrbem petierunt tantummodo sibi omnia animalia ciuitatis reddi, & iuramentum fidelitatis sibi præstari. Tunc itaque Turci quasi iam secuti de illorum promissione exierunt ad illos causa fidelitatis confirmandæ. Illorum autem qui exierunt Tartari centum millia, vel potius secundum quosdam ccc. millia interfecerunt. Cumque iam essent intra vrbem quã cæperant audientes dici quod Rex Armeniæ minoris veniebat in succursum Cæsareæ, cum tamen paucos & quasi nullos contra Tartarorum multitudinem posset habere debellatores. De noctetamen fugerunt quæcũque lucrati fuerant exportantes, postea tamen redierunt cum eundem Regem venturum non audierunt.

De itinere Ludouici Regis in Pictauiam contra Comitem Marchiæ & Regem Angliæ.

Cap. CXLVIII.

An. Chris. 1241. EX *historia Francorum.* Anno quoque prænotato Rex Ludouicus contra Hugonem Marchiæ Comitem in Pictauiam perrexit, qui scilicet Comes contra eundem Regem rebellis erat, & Henricum Angliæ Regem, ac Richardum fratrem eius in auxilium habebat. Et hi duo vxores habebãt filias Comitis prouinciæ, sorores scilicet Reginæ Franciæ. Prædictus autem Hugo habebat vxorem ipsius Regis Angliæ matrem. Anno quidem præcedenti Rex Ludouicus multam sui regni militiam apud Salminum conuocans Adefonsum fratrem suum ibidem nouum militem fecit, cui antea filiæ Comitis Tolosani nomine Ioannæ coniugaliter sociato, terram Auerniæ, Bictauiæ, terramque Albigensium possidendas concessit. Quibus peractis ab Hugone Comite Marchiæ vt eidem fratri suo scilicet Adefonso Comiti Pictauensi prout debebat homagiũ facere petijt. Sed iste nullatenus se facturum asseruit. Vnde Rex huius præsumptionis ac superbiæ non immemor, anno sequenti exercitum regni congregauit, & eum infinita multitudine bellatorum terram illius introiuit, & primo castrum quod Mosterolium in Gastina dicitur obsidem in breui subiugauit. Postmodum ad turrim Berugiæ se conuertens, eamque capiens ipsam cum appendicijs suis dirui penitus fecit. Post hæc & castrum Frontonaium Gaufridi de Lisequio, qui erat in auxilium Comitis Marchiæ fortiter expugnauit, ipsumque cito potenter sibi subiecit. Similiter & aliud castrum eiusdem Gaufridi fortissimum, quod appellatur Nouentum, in expugnatione Frontenati balistarius quidam quarellum ad turrim iaciens, Adefonsum Comitem Pictauensem in pede grauiter vulnerauit. Quo viso Rex castrum acrius impugnari iussit, eoque capto defensores eius, scilicet filium Marchiæ Comitis illegitimum 41. milites cum 80. seruientibus & alijs quampluribus Rex partim Parisios, partim alibi per diuersa loca misit ac diligenter custodiri præcepit. Postea autem Rex castrum Guidonis de rupe forti quod appellatur Bauilaribus sibi fortiter subiecit; ipsumque sicut & Frontenarium dirui fecit. Interea Marchię comitissa seruientes donis & promissionibus illectos ad curiam Regis Ludouici cum veneno, vt ipsum & fratres impocionarent misit. Quos idem Rex deprehensos, atrocissimo carceri mancipari iussit. Itaque postquam castra quædam Pictauiæ dirui, quędam vero guarnisionibus suis muniri fecit, cum esset in quodam marisco pontes eleuari faciens vlterius versus Regem Angliæ qui in vrbe Xantonensi latitabat transire voluit. Quod quia propter importunitatem transitus absque dispendio implere non valuit, versus Calleburgum castrum Gaufridi de Ranconio rediit, ibique tentoria super aquæ ripam fixit. In altera voce ripa stabat Rex Angliæ cum fratre suo Richardo & Hugone comite Marchiæ ac Symone de Monte forti, cæterisque militibus & balistarijs ac multitudine grandi. Qui scilicet Rex Angliæ postquam exercitum Francorum deprehendit, licet ad bellum paratos, tamen per tractum duarum balistarum & amplius cum suis militibus se retraxit. Tandem bellum commiserunt durum & asperum non sine magna strage Anglicorum. Denique Rex & Comes Marchię noctu de vrbe Xanctonensi recesserunt, castrumque vacuum reliquerunt. Tunc in mane ciues ad Regem Ludouicum accesserunt, eique claues reddiderunt. Nec prætereundum est quod in prędicto conflictu Anglici stupefacti ad Vicecomitem castri Eraudi, qui satis prope ibi se habuit cum haberet arma Richardi Comitis armis similia confugiebant perterriti, seque dicentes esse de parte illa, cogniti sunt ac retenti. Post hæc Reginaldus de pontibus potentia Regis perterritus venit, & fecit homagium Comiti Pictauensi publice coram Regis Baronibus.

Eodem quoque die Hugo miles Comitis Marchiæ primogenitus ad Regem venit sub hac forma cum ipso de pace tractaturus, videlicet quod terra tot quam idem Rex super patrem suum acquisierat, Comiti Pictauensi remaneret, & de residua Comes Marchiæ cum

filijs

ſilijs ſuis voluntati Regis omnimode ſtaret, ita tamen vt idem Comes caſtrum Achardicum cum duobus alijs Regi traderet. In quibus Rex expenſas dicti Comitis guarniſionem ſuam haberet. In craſtino Comes Marchiæ cum vxore ſua prædicta completurus venit, & genuflexo cum lachrymis ac ſuſpirijs coram Rege veniam de offenſa petitam obtinuit. Rex vero eandem pacem quam idem Comes ſecum fecit, homagia quæ ipſius fuerant ſcilicet homagium Reginaldi de Pontibus & Gaufridi de Rauconio, & Comitis Augi & Gaufridi de Liſegnio retinuit ſibi.

De vaſtatione Hungariæ & Poloniæ per Batho ducem Tartarorum.

CAP. CXLIX.

An. Chriſ. 1242. EX *hiſtoria Francorum.* Anno quoque Domini circiter M.ccxlij. Tartari vaſtauerunt Poloniam & Hungariam cum principe ſuo nomine Batho, Poſt deſtructionem quippe Coraſminorum, Rex Tartarorum Cingiſcam eundem Batho Ducem cum exercitu in partibus Aquilonis miſerat, vbi ſuper mare Ponticum Ruſſiam, Gazariam, Sugdaniam, Guelriam, Ziquiam, Alaniam Poloniam, cæteraque regna quæ omnibus computatis erant 30. & vtramque Comanam acquiſiuerat. Denique Hungariam etiam pro magna parte deſtruxit, & vſque ad fines Teutonię proſiliuit. Cum autem Hungariam ingreſſurus dæmonibus immolaret conſulens eos vtrum illuc tranſire auderet, ei à dæmone in idolo habitante reſponſum eſt: Vade ſecure, quia mittam tres ſpiritus ante faciem tuam, à facie quorum aduerſarij tui non poterunt tibi reſiſtere, quod & ita factum eſt. Spiritus enim illi fuerunt ſpiritus diſcordiæ, ſpiritus incredulitatis, & ſpiritus timoris. Hi ſunt tres ſpiritus immundi in modum ranarum, vt legitur in Apocalypſi. Si quidem & ex ipſis Tartaris qui Poloniam & Hungariam inuaſerunt, plures ibidem interfecti fuerunt. Et ſi quidem Hungari non fugiſſent ſed viriliter reſtitiſſent Tartari confuſi de finibus eorum exiuiſſent. Omnes quippe tantum timorem habebant quod fugere vnanimiter attentabant. At ipſe Batho Dux eorum euaginato gladio in faciem eis reſtitit & dixit. Nolite fugere, quia ſi fugitis nullus euadet à morte. Et ſi quidem mori debemus omnes, vt inſimul moriamur; nam profecto futurum eſt vt prædixit Rex noſter Cingiſcam quod interfici debeamus, & ſic nunc tempus eſt ſuſtineamus. Sic igitur animati remanſerunt, & Hungariam in parte deſtruxerunt.

Tartari Hungariam ingrediuntur

Apocali. 16.

Religioſi Tartaris reſiſtunt.

Porro fratres ordinis Ciſtercienſis in quodam monaſterio ſuo Hungariæ cum quibus erant fratres prædicatores fratreſque minores eiſdem reſtiterunt viriliter pluſquam per ſex menſes, nullamque impugnationem eorum metuentes, In Tartaris quippe vigor & fortitudo deficit cum eis aliquis viriliter reſiſtit. Tanta vero poſt illam debachationem fames inualuiſſe dicitur in Hũgaria, vt homines viui comederent mortuorum corpora, canes etiam & catos edebant, & quicquid tale inuenire poterant.

De vaſtatione regni Turcorum.

CAP. CL.

An. Chriſ. 1243. DEnique anno domini M. ccxliij. Tartari Turcos contriuerunt, & vſque ad Sanaſte terram vaſtauerunt, & etiam vſque ad ciuitatem regiam Iconium & vltra curſores ſuos tranſmiſerunt. Cum agreſſuri eſſent Turcos in planicie iuxta Arſar, Boiothnoi præmiſit fratrem ſuum cum 40. millibus bellatorum, videlicet de quolibet decantatu exercitus extractis tribus qui fecerũt 40. millium numerum. Et ſi quidem exercitus iſte victus fuiſſet Boiothnoi cum altera ſecum multitudine illos inſecutus fuiſſet, nec mirum ſi ſuccubuerint Turci, quia Soldanus ebrius fuerat in nocte præcedenti & adhuc vino æſtuabat quando primi bellatores fuerunt deuicti. Sed nec in vnum erat exercitus eius, & circa nonam fuit congreſſus. Ipſe quoque Soldanus cum vxore ſua & puero per tres leucas à primis congredientibus erat remotus. Sciendum quoque quod Georgiani & Armeni ſcilicet Anaham Papa & Saniſcham cui Turci antea Carim combuſſerunt, victoriam prælij Tartaris contra illos contulerũt. Cumque Turcis contriti Soldanus ipſe fugiſſet, ac tentoria præ timore reliquiſſet, Tartari tamen timentes aliquos in eiſdem tentoriis latere non auſi ſunt intrare illa, ſed ab hora 9. per totam noctem ac per vnum diem integrum permanſerunt ab ipſis intacta, circumibant enim & ſtabant ante, nec vſque ad noctem poſt prædictum diem ſubſequẽtem auſi ſunt ea inuadere. Habebat autem Soldanus 40. millia bigarum oneratarum loricis exceptis ſcalis argenteis & vaſis ad bibendum mirę magnitudinis, quæ omnia fugiens Tartaros, amiſit, relinquens ibi. Et omnia vt creditur, ipſi habuerunt Turci; habebat etiam circiter tria millia ſummariorum ſuppellectilibus ſuis oneratorum camelosque 300. bizantijs aureis ſpiſſis & latis ad palmæ latitudinem onuſtos, quorum vnũ quodque valebat 100. bizantios. Habebat & 300. Soldanus ſummarios oneratos, quorum quilibet portabat 40. millia ſoldanorum. Erant etiam ibi tres ſcalæ in quarum vna erant 6. gradus in alia quatuor, in tertia tres. Erantque duæ primæ argenteæ, vt dicitur, tertia verò aurea. Porro vas argenteum videlicet concha quędam, in qua fundebatur vinum, de quo bibebat cum ſuis Soldanus erat magnitudinis duorum modiorum vel amplius. Vaſa quoque aurea & argentea diuerſimode fabricata ibi erant in multitudine tanta quod implebatur ex eis domus vna. Fertur autem quod theſaurus Imperatoris Manuelis in Turquia perditus fuit, ac remanſit ibi; fuerunt mille currus argento & auro onerati. Præterea Soldanus Babilonis apud Catheperte 10. millia hominum perdidit cum ſpoliis eorum, maximumoue theſaurum, & hæc omnia remanſerunt in Turquia. Fuit etiam ruſticus quidam in Turquia qui Soldano 17. millia groſſorum animalium vt camelorum & ſimilium obtulit, ipſumque Soldanũ hæredem ſuum fecit, cæterum valorem Turquiæ nemo, vt dicitur, poſſet ſufficienter æſtimare. Itaque dicebatur Soldanus habere 40. millia lanceas in exercitu ſuo quarum ferra ſiue cuſpides erant ex auro.

De Coterino, qui poſtea ſe voluit erigere in Soldanum.

CAP. CLI.

POſt Turquiæ vero deſtructionem ſic à Tartaris factam, quidam Turquomanus ex magna Turquiæ parentela, quem vocabant Coterinum de conſilio quorundam Admiraldorum eleuare ſe voluit in Soldanum, & vt haberet acceſſum ad id, ad quod inſtigatus & monitus fuerat, matrem ſuam affligens atque percutiens increpabat, eo quod publicè diceret confitendo cuius hominis filius eſſet, & quis eum genũiſſet. Itaque tandem illa ſicut à filio fuerat edocta, coram omnibus qui ex induſtria congregati fuerant in locum vnum ad teſtificandum quod audirent, dicebat. Fili ſcito quia genuit te pater iſtius Soldani. Quo dicto Coterinus exclamabat, omnibuſque dicebat: Auditis quid mater mea dixit, vos omnes ſuper hoc inuoco, vt mihi teſtes ſitis. Hac itaque doloſitate inuenta ſe in populo exaltauit & dixit, Soldanus frater meus iners ac muliebris eſt, nec dignus terram tenere, quoniam à Tartaris victus eſt: propter hoc itaque volo Soldanus eſſe, tanquã præpotens hæres terræ; ſic igitur dominandi occaſionem inuenit, & 300. caſalia vbi habitabant chriſtiani circa Iconium deſtruxit. Illique de Iconio iam ordi-

nauerunt Iconium eireddere infra tres dies niſi citius captus fuiſſet. Verum cum intraturus eſſet Caudelous illud videlicet nobile caſtrum, vbi erat Soldani theſaurus, ibique tanquam Dominus eſſet recipiendus per induſtriam & procurationem Domini de Lambro aſtute captus eſt atque ſuſpenſus & etiam frater eius. Erant autem iam cum eo bene vigeſimo mille homines, eiuſque debachatio durauit per tres menſes. Denique Turci poſtquam à Tartaris fuerunt vaſtati eiſque ſubiecti, adeo illorum iugo depreſſi ſunt ac debilitati, vt licet adhuc in numero ſint multi, tamen quaſi nulli ſunt in vigore belli. Vnde & à multis creditur, quòd ſi Rex Franciæ Ludouicus mare tranſiens recto tramite veniſſet in Turquiam, libere & abſque vlla contradictione reddidiſſent ei terram; nam & Ægypti terra quam primo aggreſſus eſt valde eſt periculoſa, ſicut dicetur infra.

De initio Pontificatus Innocentij quarti, & de quibuſdam incidentibus illius temporis.

Cap. CLII.

An. Chriſti 1243. *Ex chronicis.* Anno prænotato ſcilicet ab incarnatione Domini M. ccxliij. poſt biennem ſedis Romanæ vacationem electus eſt in Papam, Cardinalis Synebaldus, & mutato nomine, vocatus eſt Innocentius Papa huius nominis quartus. Hic non multo poſt electionem ſuam ſedes Cardinalium plures ex longo tempore vacuas perſonis quibuſdam nominatis ex diuerſis mundi partibus euocatis in breui temporis ſpacio reimpleuit, & eccleſiam Romanam à tempore Papæ Gregorij, multis vt fertur debitis obligatam, per induſtriam ſuam exonerauit.

Eodem anno natus eſt Ludouicus filiorum dicti Ludouici Regis Franciæ primogenitus, & anno ſequenti natus eſt ſecundus filius nomine Philippus.

Eodem anno Papa Innocentius fecit Cardinales magiſtrum Odonem de caſtro Radulphi Cancellarium Pariſienſem, fratrem Hugonem de ſancto Theodorio priorem ordinis prædicatorum prouincialem Franciæ, & ipſe Papa in Franciam venit apud Lugdunum circa feſtum ſancti Andreæ. Porro circa feſtum ſanctæ Luciæ Ludouico Regem Francorum apud Pontiſaram ęgrotante & in lecto decumbente, ſic anima eius abrepta eſt à corporis ſenſibus, vt à multis exiſtimaretur eſſe mortuus. Vt autem ab illa extaſi ad ſeipſum redijt, crucem protinus tranſmarinam inſtanter petijt, & accepit.

Eodem anno factus eſt Ægidius Cornutus poſt magiſtrum Galterum fratrem ſuum Archiepiſcopus Senonenſis, & Odo Abbas ſancti Dionyſij factus eſt Archiepiſcopus Rothomagenſis. Iuellus quoque prius archiepiſcopus Turonenſis factus eſt Archiepiſcopus Remenſis.

Acta ſunt hæc anno imperij Friderici ſecundi trigeſimoquarto.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS
BELVACENSIS,
LIBER TRIGESIMVSPRIMVS.

De condemnatione Friderici Imperatoris, & prædicatione crucis.

CAP. I.

An. Christi 1245.

AVTHOR. Denique eodem Imperatore, scilicet Friderico pertinaciter in malitia persistente, ac cõtra Romanam ecclesiam ierius insurgente, Papa Innocentius anno domini M.ccxlv. generale concilium apud Lugdunũ circa festum Apostolorum Petri & Pauli contra ipsum Imperatorem conuocauit, eumque ibidem tanquàm scismaticum & hostem ecclesiæ condemnauit.

Fridericus declaratur ecclesiæ hostis.

Tunc etiam prædicata est crux transmarina & prædictus Odo Tusculanus episcopus Cardinalis à latere Domini Papæ missus est Legatus in Franciam pro eadem cruce prædicanda. Anno siquidem præcedenti, quo videlicet Rex Francię Ludouicus ab extasi rediens crucem accepit, Corasmini sicut iam superius dictum est, à Soldano Babyloniæ Domino Ægypti, inuitati atque conducti, in regnum Hierosolymitanum venientes & christianos debellantes, ante Gazam ciuitatem magnam Francorum multitudinem Domino permittente prostrauerunt, & glorioſum Domini nostri Iesu Christi sepulchrum destruxerant, atque intra & extra sanctam ciuitatem christianos quàm plurimos occiderant. Itaque præfatus Odo Legatus, multos de regno Franciæ Prælatos & Barones exhortatione sua cum adiutoribus suis ad venerabile signum crucis accipiendum animauit, & ad transfretandum cum Rege in terræ sanctæ succursum eorum animos præparauit. Tunc quoque nihilominus circa fines Hannoniæ vel Alemaniæ prædicabatur crux hominibus auctoritate Domini Papæ, vt irent contra Conradum Friderici filium, in auxilium Lantgrauij Thuringiæ, qui de nouo cum assensu & fauore summi Pontificis electus erat in Regem Alemaniæ.

Destructio sepulchri Domini.

De prima missione fratrum prædicatorum & minorum ad Tartaros.

CAP. II.

Hunc Anselmum alij Anselinum nominant.

HOc etiam tempore misit idem Papa fratrem Anselmum de ordine prædicatorum cum tribus alijs fratribus auctoritate qua fungebatur de diuersis ordinis sui conuentibus sibi associatis cum literis Apostolicis ad exercitum Tartarorum, in quibus hortabatur eos, vt ab hominũ strage desisterent, & fidei veritatem reciperent. Et ego quidem ab vno fratrum prædicatorum, videlicet à fratre Simone de sancto Quintino, iam ab illo itinere regresso, gesta Tartarorum accepi, illa duntaxat, qua superius per diuersa loca iuxta congruentiam temporum huic operi inserui. Siquidem & eo tempore quidam frater ordinis minorum, videlicet frater Ioannes de Plano carpio, cum quibusdam alijs missus ad Tartaros fuit, qui etiam vt ipse testatur per annum & quatuor menses & amplius cum eis mansit, & inter eos ambulauit. A summo namque Pontifice mandatum, vt omnia quæ apud eos erant, diligenter scrutaretur acceperat, tam ipse quàm frater Benedictus Polonus eiusdem ordinis, qui suæ tribulationis particeps & socius erat. Et hic ergo frater Ioannes de his quæ apud Tartaros vel oculis proprijs vidit, vel à christianis fidedignis, qui inter illos captiui erant audiuit, libellum historialem conscripsit, qui & ipse ad manus nostras peruenit. De quo etiam hic quasi per epilogum inserere libet aliqua, videlicet ad supplementum eorum, quæ desunt in prędicta fratris Simonis historia.

De situ & qualitate terræ Tartarorum.

CAP. III.

Ioannes de Plancarpio. Est in partibus Orientis terra, quæ Mongal siue Tartaria dicitur, in ea scilicet parte sita, in qua Oriens Aquiloni coniungi creditur. Ab Oriente quidem habet terram Leitaorum & etiam Solangorum, à Meridie vero terram Saracenorum. Inter Orientem & Meridiem terram Hunnorum & ab Occidente prouinciam Naimanorum, ab Aquilone vero circundatur Oceano. In parte aliqua nimium est montuosa, & in aliqua campestris, sed tota fere admixta glarea pluri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

plurimum arenoſa; nec eſt in centeſima parte fructuoſa; nec enim poteſt fructum portare, niſi aquis fluuialibus irrigetur, quæ ibi ſunt rariſſimæ. Vnde nec villæ nec aliquæ ciuitates ibidem reperiuntur, excepta vna, quæ Tracurim appellatur, & ſatis bona eſſe dicitur. Nos quidem illam non vidimus, ſed ad dimidiam die tam prope fuimus, cum apud Syram Ordan (quæ curia maior Imperatoris eorum eſt) eſſemus. Licet autem alijs infructifera ſit illa terra, tamen alendis pecoribus eſt apta. In aliqua eius parte ſunt aliquæ ſiluæ modicæ, alia vero ſine lignis eſt omnino. Itaque tam Imperator quam Principes, & omnes alij ſedent, & cibaria ſua decoquunt ad focum, de boum & equorum ſtercoribus factum. Ipſe quoque aer inordinatus eſt ibidem mirabiliter. In media ſiquidem æſtate, ibi tonitrua magna & fulgura fiunt ex quibus plurimi occiduntur homines, & eodem quoque tempore cadunt ibidem maximæ niues. Sunt & ibi ventorum frigidiſſimorum tam maximæ tempeſtates, quòd aliquando vix equitare poſſent homines. Vnde cum ante Ordan eſſemus; ſic enim apud eos ſtationes Imperatoris & principum appellantur, præuenti magnitudine in terra proſtrati iacebamus, & videre propter puluetis magnitudinem minime proteramus. Nunquam ibi pluit in hyeme, ſed frequenter in eſtate, & tam modicum vt vix poſſit aliquando puluerem & radices graminum madefacere. Ibi quoque maxima grando cadit ſæpe. Vnde cum Imperator electus in ſede regni debuit poni, nobis in curia tunc exiſtentibus tanta cecidit grando, quòd ex ſubita reſolutione pluſquàm 160. homines in eadem curia fuerunt ſubmerſi. Rex etiam & habitacula plura fuerunt deducta. Ibi etiam eſt in æſtate ſubito calor magnus, & repente maximum frigus.

Aeris temperies qualis.

De forma & habitu & victu eorum.

Cap. IIII.

COngalorum autem ſiue Tartarorum forma ab omnibus alijs hominibus eſt remota. Inter oculos enim & inter genas lati ſunt plus cæteris, genæ quoque ſatis prominent à maxillis, naſum habent planum & modicum. Oculos etiam paruos & palpebras vſque ad ſupercilia eleuatas, ac ſuper verticem in modum clericorum coronas, ex vtraque parte frontis tondendo pluſquàm in medio crines longos faciunt, reliquos autem ſicut mulieres creſcere permittunt, de quibus duas chordas faciunt, & vnamquamque poſt aurem ligant; pedes quoque modicos habent, veſtes tam virorum quàm mulierum vno miro modo formatas portant de burccaranno vel purpura vel baldaquino, pellicium habet pilos exterius, ſed apertum eſt à poſterioribus; habet tamen caudulam vnam vſque ad genua retro. Veſtes ſuas non lauant nec lauari permittunt, & maxime à tempore quo tonitrua incipiunt vſquequo deſinat illud tempus. Stationes habent rotundas in modum tentorij de virgulis & baculis ſubtilibus præparatas. Supra vero in medio rotundam habent feneſtram vnde ingrediatur lumen, & fumus exire poſſit; quia ſemper in medio faciunt ignem, parietes autem & tecta filtro ſunt operta, oſtia quoque de filtro ſunt facta. Harum quædam ſubito ſoluuntur & reparantur, & ſuper ſummarios deferuntur; quædam vero diſſolui non poſſunt, ſed in curribus portantur. Et quocumque ſiue ab bellum ſiue alio vadunt, ſemper illas ſecum deferunt. In animalibus valde diuites ſunt, vt in camelis; & bobus, capris, & ouibus. Iumenta & equos habent in tanta multitudine, quantam non credimus totum mundi reſiduum habere. Porcos autem & alias beſtias non habent. Imperator & Duces ac alij Magnates, in auro & argento ac ſerico & gemmis abundant. Cibi eorum ſunt omnia, quæ mandi poſſunt. Vidimus eos etiam pediculos manducare; lac bibunt animalium, & in maxima quantitate ſi habent, iumentinum. Porrò in hyeme, quia niſi diuites ſint, lac iumentinum non habent, milium cum aqua decoquunt, quod tam tenue faciunt, vt illud bibere valeant, vnde quilibet eorum cyphum bibit vnum vel duos in mane, & quandoque nihil amplius manducant in die. In ſero autem vnicuique datur de carnibus modicum, & bibunt ex eis brodium. Porrò in æſtate quando ſatis habent de lacte iumentino, carnes comedunt raro, niſi forte donetur eiſdem, aut venatione beſtiam aliquam cæperint vel auem.

Deſcriptio corporis Tartarorum.

De cibis eorum.

De moribus eorum bonis & malis.

Cap. V.

HAbent autem mores quoſdam quidem commendabiles, & quoſdam deteſtabiles. Magis quippe ſunt obedientes Dominis ſuis, quam aliqui, qui in mundo ſunt homines, ſiue religioſi, ſiue ſæculares; nam eos maxime reuerentur, nec illis de facili mentiuntur verbis factiſue, vel raro vel nunquam adinuicem contendunt; bellaque vel rixæ, vulnera vel homicidia nunquam inter eos contingunt. Prædones etiam ac fures rerum magnarum ibi nequaquam inueniuntur, ideoque ſtationes & currus eorum vbi theſauros habent, ſeris & vectibus non firmantur. Si aliquas beſtia perdita fuerit, quicunque inuenit eam vel dimittit, vel ad illos qui ad hoc poſiti ſunt eam ducit. Apud quos iſte, cuius eſt beſtia illam requirit, & abſque vlla difficultate recipit. Vnus alium ſatis honorat, & familiaritatem ac cibaria, quamuis apud eos ſint pauca liberaliter ſatis communicat. Satis etiam ſunt ſufficientes, nec cum ieiunauerint vno die vel duobus, omnino ſine cibo videntur impatientes, ſed cantant & ludunt, ac ſi bene comediſſent. In equitando multum ſuſtinent frigus, calorem quoque nimium patiuntur. Inter eos quaſi nulla placita ſunt & quamuis multum inebrientur, tamen in ebrietate ſua nunquam contendunt. Nullus alium ſpernit, ſed iuuat & promouet quantum congrue poteſt. Caſtæ ſunt eorum mulieres, nec aliquid inter eos auditur de ipſarum impudicitia. Quędam tamen ex eis verba turpia ſatis habent & impudica. Porrò erga cæteros homines, idem Tartari ſuperbiſſimi ſunt, omneſque nobiles & ignobiles, quaſi pro nihilo reputantes deſpiciunt. Vnde vidimus in curia Imperatoris magnum Ruſciæ Ducem, & filium regis Georgianorum, ac Soldanos multos & magnos nullum honorem debitum recipere apud eos. Quin etiam Tartari eiſdem aſſignati quantumcunque viles eſſent, illos antecedebant, ſemperque primum locum & ſummum tenebant, immo etiam ſæpe oportebat illos poſt eorum poſteriora ſedere. Pręterea iracundi ſunt & indignantis naturæ; multum erga cęteros homines & vltra modum erga eoſdem mendaces. In principio quidem blãdi ſunt, ſed poſtmodum vt ſcorpiones pungunt. Subdoli enim & fraudulenti ſunt, & omnes homines ſi poſſunt aſtutia circumueniunt. Quicquid mali volunt eis facere miro modo occultant, vt ſibi non poſſint prouidere, vel contra eorum aſtutias remedium inuenire. Immundi quoque ſunt in cibo & potu ſũmẽdis & in cęteris factis ſuis; ebrietas apud illos eſt honorabilis. Cumque multum aliquis biberit, ibidem reijcit nec ideo ceſſat, quando iterum bibat. Ad petendum maximi ſunt exactores, tenaciſſimi retentores, parciſſimi donatores, aliorum hominum occiſio, apud illos eſt pro nihilo.

De legibus & conſuetudinibus eorum.

Cap. VI.

HOc autem habent in lege ſiue in conſuetudine, vt occidant viros & mulieres, ſi quando inueniantur in adulterio manifeſte. Similiter etiam virginem, ſi fornicata fuerit cum aliquo, occidunt eam cum eo. Prætereа ſi aliquis in præda vel furto manifeſto inuenitur, ſine vlla miſeratione occiditur. Item ſi quis denudauit conſilia, maxime quando volunt ad bellum procedere, dantur ei ſuper poſteriora c. plagæ, quanto maiores vnus

ruſticus cum magno baculo poteſt dare. Similiter cum aliquis de minoribus offendit in aliquo non eis à maioribus ſuis parcitur, ſed verberibus grauiter affligitur. Matrimonio autem generaliter coniunguntur, omnibus etiam propinquis carne, excepta matre ac filia, ſorore ex eadem matre. Nam ſororem tantum ex patre, & vxorem quoque patris poſt eius mortem ſolent ducere, vxorem etiam fratris, alius frater iunior poſt eius mortem vel alius de parentela tenetur ducere. Vnde dum adhuc eſſemus in terra, Dux quidam Ruſciæ Andreas nomine apud Baty, quòd equos Tartarorum de terra educeret, & alios venderet accuſatus eſt, quod licet non eſſet probatum, occiſus eſt. Hoc audiens iunior frater, & vxor occiſi, pariter venerunt ad præfatum Ducem ſupplicare volentes, ne terra auferretur eiſdem. At ille puero præcepit, vt fratris defuncti duceret vxorem, mulieri quoque vt illum in virum duceret ſecundum Tartarorum conſuetudinem. Quæ reſpondit ſe prius occidi velle, quam ſic contra legem facere. At ille nihilominus eam illi tradidit, quamuis ambo renuerent quantum poſſent. Itaque ducentes eos in lectum, clamantem puerum & plorantem ſuper illam poſuerunt, ipſoque commiſceri pariter coegerunt. Denique prius mortem maritorum vxores Tartarorum non de facili ſolent ad ſecunda coniugia tranſire, niſi forte quis velit ſororiam vel nouercam ſuam ducere. Nulla vero differentia eſt apud eos inter filium vxoris & concubinæ; ſed dat pater quod vult vnicuique. Itaque ſi ſunt etiam ex Ducum genere, ita fit Dux filius concubinæ, ſicut filius vxoris legitimæ. Vnde cum Rex Georgiæ duos filios nuper vnũ ſcilicet Melich legitimum, alterum verum Dauid ex adulterio natum haberet, morienſque terræ partem adulterę filio reliquiſſet Melich, cui etiam ex parte matris regnum obuenerat, quia per fœminas tenebatur, perrexit ad Imperatorem Tartarorum, eo quòd & Dauid iter arripuerat ad illum. Ambobus igitur ad curiam venientibus, datiſque maximis muneribus petebat adulteræ filius, vt fieret ei iuſtitia ſecundum modum Tartarorum. Dataque eſt ſententia contra Melich, vt Dauid qui maior erat natu ſubeſſet, ac terram à patre ſibi conceſſam quiete & pacifice poſſideret. Cumque Tartarorum vnus habet vxorum multitudinem, vnaquæque per ſe ſuam habet familiam & ſtationem. Et vna die Tartarus comedit, & bibit & dormit cum vna, altero die cum alia; vna tamen inter cæteras maior habetur cum qua frequentius quàm cum alijs commoratur. Et licet, vt dictum eſt, ſint multæ, nunquam tamen de facili contendunt inter ſe.

De ſuperſticioſis traditionibus eorum.

Cap. VII.

QVibuſdam vero traditionibus indifferentia quædam peccata eſſe dicunt, quas vel ipſi vel anteceſſores ipſorum confinxerunt. Vnum eſt, cultellum in ignem figere, vel quocunque modo ignem cultello tangere, vel etiam de caldaria cum cultello carnes extrahere, vel cum ſecuri iuxta ignem inſcidere: credũt quód ſic auferri debeat caput igni. Aliud eſt appodiare ſe ad flagellum quo percutitur equus, ipſi enim non vtuntur calcaribus. Item flagello ſagittas tangere, iuuenes aues capere vel occidere, cum fræno equum percutere, os cum oſſe alio frangere. Itemque lac, vel aliquem potum aut cibum ſuper terram effundere; in ſtatione mingere. Quod ſi voluntarie facit occiditur, ſi autem aliter, oportet quòd pecuniam multã incantatori ſoluat, à quo purificetur. Qui etiam faciat vt ſtatio cum omnibus quæ in ipſa ſunt intra duos ignes tranſeat; antequàm ſic purificetur, nullus audet intrare, nec aliquid de illa exportare. Præterea ſi alicui morſellus imponitur, quem deglutire non poſſit, & illum de ore ſuo eijcit, foramen ſub ſtatione fit per quod extrahitur, ac ſine vlla miſeratione occiditur. Iterum ſiquis calcat ſuper limen ſtationis Ducis alicuius interficitur. Multa etiam habent his ſimilia quæ reputant peccata: at homines occidere, aliorum terram inuadere, ac res illorum diripere, & contra Dei præcepta vel prohibitiones facere, nullum apud eos eſt peccatum.

De vita æterna & damnatione perpetua nihil ſciunt. Credunt tamen quòd poſt mortem in alio ſæculo viuant, gregeſque multiplicent, comedant & bibant, & cætera faciant quæ hic a viuentibus fiunt. In principio lunationis vel in plenilunio incipiunt quicquid noui agere volunt, ipſamque Lunam Imperatorem magnum appellant, eamque deprecantes genua flectunt. Omnes qui morantur in ſtationibus ſuis, oportet per ignem purificari. Quę ſcilicet purificatio fit hoc modo. Duos quidem ignes faciunt, & duas haſtas iuxta eos, vnamque chordam in ſummitate haſtarum ponunt: ligantque ſuper chordam illam quaſdam de buccaranno ſciſſiones, ſub qua ſcilicet chorda & ligaturis, inter illos ignes tranſeunt homines ac beſtiæ & ſtationes. Sunt etiam duæ mulieres vna hinc, & alia inde aquam proijcientes, ac quędam carmina recitantes. Cæterum ſi aliquis à fulgure occiditur, oportet prædicto modo per ignes tranſire omnes iſtos, qui in iſtis ſtationibus morantur; ſtatio ſiquidem ac lectus, & currus, filtra, & veſtes, & quicquid talium habent à nullo tanguntur, ſed ab hominibus tanquam immũda reſpuuntur. Et vt breuiter dicam: omnia purificari credunt per ignem, vnde quando veniunt ad eos nuncij vel Principes aut qualeſcunq; perſonæ, oportet ipſos & munera ſua per duos ignes, vt purificentur tranſire, ne forte veneficia fecerint, aut venenum ſeu aliquid mali attulerint.

De initio Imperij ſiue principatus eorum.

Cap. VIII.

TErra quidem illa orientalis, de qua dictum eſt ſupra, quæ Mongal nominatur, quatuor quondam habuiſſe populos memoratur; vnus Iekamongal, ideſt, magni Mongali vocabantur, ſecundus Sumongal, ideſt aquatici Mongal, qui ſeipſos appellabant Tartaros à quodam fluuio per eorum terram currente, qui Tartar nominatur; tertius appellatur Merkit, quartus vero Metrit. Omnes vnam perſonarum formam, & vnam linguam habebant hi populi, quamuis inter ſe per Principes ac prouincias eſſent diuiſi. In terra Iekamongal quidam fuit qui vocabatur Chungis. Iſte cœpit robuſtus venator eſſe, didicit enim homines furari, & prædam capere, ad alias terras ibat, & quoſcunque poterat capiebat, ſibique aſſociabat. Homines quoque ſuæ gentis inclinauit ad ſe, qui tanquam ducem ſequebantur ipſum ad male agendum. Cæpit autem pugnare cum Sumongal ſiue cum Tartaris, & Ducem eorum interfecit, multoque bello ſibi Tartaros omnes ſubiecit, & in ſeruitutẽ redegit. Poſt hæc cum iſtis omnibus contra Merkitas iuxta terram poſitus Tartarorum pugnauit, quos etiam bello ſibi ſubiecit. Inde procedens contra Metritas pugnam exercuit, & illos etiam obtinuit. Audientes Naimani, quòd Chungis taliter eleuatus eſſet, indignati ſunt. Ipſi enim habuerant Imperatorem ſtrenuum valde, cui dabant tributum cunctæ nationes prædictæ. Qui cum eſſet mortuus, filij eius ſucceſſerunt loco ipſius, ſed quia iuuenes ac ſtulti erãt, populum tenere neſciebant, ſed adinuicem diuiſi ac ſciſſi erant: vnde Chungis prædicto modo iam exaltato, nihilominus in terras prædictas faciebant inſultum, & habitatores occidebãt, ac diripiebant prædam eorum. Quod audiens Chungis, omnes ſibi ſubiectos congregauit. Naimani etiam Charakithay ex aduerſo ſimiliter in quandam vallem ſtrictam conuenerunt, & commiſſum eſt prælium, in quo Naimani & Charakithay à Mongalis deuicti ſunt. Qui etiam pro maiori parte occiſi fuerunt, & alij qui euadere non potuerunt in ſeruitutem redacti ſunt. Interea prædictorũ Charakithaorum Occhodaycham filius Chingiſcam, poſt quam Imperator fuit poſitus, quandam ciuitatem ædificauit, quã Chanil appellauit. Prope quam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad meridiem eſt quoddam deſertum magnum, in quo pro certo ſiluestres homines habitare dicuntur, qui nullatenus loquuntur nec iuncturas in cruribus habent, & ſi quando cadunt, per ſe ſurgere non valent. Sed tamen diſcretionẽ tantam habent, quod filtra de lana camelorum quibus veſtiuntur, faciunt, & contra ventum ponunt. Et ſi quando Tartari pergentes ad eos vulnerant eos ſagittis, gramina in vulneribus ponunt, & fortiter ante ipſos fugiunt.

De mutua victoria ipſorum & Chythaorum.

CAP. IX.

MOngali in terram ſuam reuertentes, ſe contra Chithaos ad prælium parauerunt, & caſtra mouentes, eorum terram intrauerunt. Quod audiẽs eorum Imperator ſcilicet Chythaorum, venit cũ exercitu ſuo contra illos, & commiſſum eſt prælium durum, in quo Mongali ſunt deuicti, omneſque nobiles eorũ qui erant in exercitu præter ſeptem occiſi ſunt. Vnde cum illis volentibus aliquam impuguare regionem, minatur aliquis ſtragem, adhuc reſpondent: Olim etiam occiſi non niſi ſeptem remanſimus, & tamen modo creuimus in multitudinem magnam, ideoque non terremur de talibus. Chungis autem & alij qui remanſerunt in terram ſuam fugerunt. Cumque quieuiſſet aliquantulũ præparauit ſe rurſus ad prælium, & proceſſit contra terram Huyrorũ. Illi ſunt homines Chriſtiani de ſecta Neſtorianorum. Et hos etiam Mongali deuicerunt, eorumque litteram acceperunt; prius enim ſcripturam non habebant, nunc autem eandem Mongalorum litteram appellant.

Huyri ſunt Chriſtiani ſed Neſtoriani.

Idem cõtra terram Sauphur & contra terram Caraitarum & contra terram Vidirath proceſſit, quas omnes bello deuicit. Inde in terram ſuam redijt, & aliquantulum quieuit. Deinde conuocatis omnibus hominibus ſuis contra Cythaos pariter proceſſerunt: diuque contra illos pugnantes, magnam partem terræ illorum vicerunt, eorumque Imperatorem in ciuitatem ſuam maiorem concluſerunt: quam & tam longo tempore obſederunt, quod exercitui expenſæ omnino defecerunt. Cumque iam quid manducarent penitus non haberent, præcepit Chingiſcam ſuis, vt de decem hominibus vnum ad mãducandum darent. Illi vero de ciuitate machinis & ſagittis viriliter contra iſtos pugnabant, & cum deficerent lapides, argentum & maxime liquefactum proijciebant. Ciuitas ſiquidem illa multis erat diuitijs plena, cumque diu Mongali pugnaſſent, & eam bello vincere non poſſent, vnam magnam ſub terra viã ab exercitu vſque ad medium ciuitatis fecerunt, & proſilientes in medium eius contra ciues pugnauerunt. Illi quoque qui extra remanſerant, eodem modo contra iſtos pugnabant. Denique conſcidentes portas ciuitatis intrauerunt, & Imperatorem cum pluribus occidentes, vrbem poſſederunt, aurumque & argentum & omnes eius diuitias abſtulerunt. Et cum illi terræ ſuos homines præfeciſſent, in terram propriam reuerſi ſunt.

Cythai victi à Mongalis id eſt Tartaris.

Tunc primum Imperatore Cythaorum deuicto factus eſt Chingiſcam Imperator. Quandam tamen partem illius terræ, quia poſita erat in mari nullatenus deuicerunt vſque hodie. Sunt autem Cythai homines pagani habentes literam ſpecialem, & etiam vt dicitur veteris & noui Teſtamenti ſcripturam. Habent etiã vitas patrum, & eremitas, & domos in quibus orãt tẽporibus ſuis ad modum eccleſiarum factas. Quoſdam etiam ſanctos habere ſe dicunt, & vnum Deum colunt, Chriſtum Ieſum Dominum venerantur, & credunt vitam æternam, ſed non baptizantur. Scripturam noſtram honorant ac reuerentur, Chriſtianos diligunt, & eleemoſynas plures faciunt, homineſque benigni ſatis & humani videntur. Barbam non habent, & in diſpoſitione faciei cum Mongalis in parte concordant. Meliores artifices in mundo non inueniuntur, in omnibus operibus in quibus homines exercentur. Terra eorum eſt opulenta nimis in frumento & vino, auro & ſerico, ac rebus cæteris.

Cythai quales populi ſunt.

De pugna ipſorum contra Indiam minorem & maiorem.

CAP. X.

CVm autem Mongali cum Imperatore ſuo Chingiſcam, poſt præfatam victoriam aliquantulum quieuiſſent, exercitus ſuos diuiſerunt. Imperator ſiquidem vnum de filijs ſuis nomine Toſcul, quem etiã Can, ideſt Imperatorem appellabant cũm exercitu contra Romanos miſit, quos iſte multo bello deuicit, & poſtmodum in terram ſuam redijt. Alium vero filium cum exercitu ſuo contra Indos miſit, qui & minorem Indiam ſubiecit, Hi ſunt nigri Saraceni, qui Æthiopes ſunt vocati. Hic autem exercitus ad pugnam contra Chriſtianos qui ſunt in India maiori proceſſit. Quod audiens Rex illius terræ qui vulgo preſbyter Ioannes appellatur, contra illos venit exercitu congregato. Et faciens imagines cupreas hominum, vnamquanque poſuit in ſella ſuper equum. Poſuit & vlterius ignem, hominem cum folle ſuper equum poſt imaginẽ. Itaque cum multis equis & imaginibus taliter præparatis ad pugnã contra Mongalos ſiue Tartaros proceſſerunt, & cum ad locum prælij peruenirent, equos iſtos vnum iuxta alium premiſerunt. Viri autẽ qui erant retro, neſcio quid ſuper ignem, qui erat intra imagines poſuerunt, & cum follibus fortiter ſufflauerunt: vnde factum eſt vt ex græco igne homines, & equi comburerentur, & etiam aer ex fumo denigraretur. Tuncque ſuper Tartaros ſagittas iecerunt Indi, ex quibus multi vulnerati fuerunt & interfecti. Sicque eiecerunt illos cum magna confuſione de ſuis finibus, nec vnquam quod ad ipſos vltra redierint audiuimus.

Indi vincũt Tartaros.

Qualiter ab hominibus caninis repulſi Burithabethinos vicerunt.

CAP. XI.

CVm autem per deſerta redirent, in quandam terrã venerunt, in qua ſicut nobis apud Imperatoris curiam per clericos Ruthenos & alios qui diu fuerant inter ipſos, firmiter aſſerendo referebatur, monſtra quædam imaginem fœmineam habentia reppererunt. Quas cum per multos interpretes interrogaſſent vbi viri terrę illius eſſent? reſponderunt quod in illa terra quæcumque fœminæ naſcebantur, habebant formam humanam, maſculi vero ſpeciem caninam. Dumque moram in terra illa protraherent, canes in alia fluuij parte conuenerunt. Et cum eſſet hyems aſperrima, omnes ſe in aquam proiecerunt. Poſt hęc in continenti ſponte in puluerem voluebantur, ſicque puluis admixtus aquæ ſuper eos congelabatur. Et vt ita pluries fecerunt, glacie ſuper eos depreſſata cum impetu magno contra Tartaros ad pugnam conuenerunt. At vero cum illi ſagittas ſuper eos iactabant, ac ſi ſuper lapides ſagittaſſent, retro ſagittæ redibant. Alia quoque arma eorum in nullo eos lædere poterant. Ipſi vero canes inſultum in Tartaros facientes, morſibus vulnerauerunt, multos & occiderunt, ſicque illos de ſuis finibus eiecerunt. Vnde adhuc inter illos eſt prouerbium de hoc facto quod dicunt adinuicem ridendo: Pater meus vel frater meus à canibus fuit occiſus. Mulieres autem illorum quas cæperant ad terram ſuam duxerunt, & vſque ad diem mortis eorum ibidem fuerunt. Dum autem exercitus ille Mongalorum rediret, venit ad terram Burithabeth, cuius habitatores pagani ſunt, & hos Tartari bello vicerunt. Hi conſuetudinem habẽt mirabilem, immo potius miſerabilem cum enim alicuius pater humanæ naturæ ſoluit debitum, congregat omnem parentelam & comedunt eum. Hi pilos in barba non habent, immo ferrũ quoddam in manibus ſicut vidimus portãt, cum quo ſemper barbam ſi forte crinis aliquis in ea creſcit depilant. Mul-

Homines caninã formam habẽtes contra Tartaros pugnant.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum etiam deformes ſunt. Inde vero iſte Tartarorum exercitus in terram ſuam eſt reuerſus.

Qualiter à montibus Caſpijs & ab hominibus ſubterraneis repulſi ſunt.

Cap. XII.

CHingiſcam etiam illo tempore quo dimiſit alios exercitus contra orientem per terram Kergis cum expeditione perrexit, quos tamen nunc bello non vicit, & vt nobis dicebatur, ibidem vſque ad montes Caſpios peruenit. At illi montes in ea parte ad quam applicuerunt, de lapide adamantino ſunt, ideoque ſagittas & arma ferrea illorum ad ſe traxerunt. Homines autem inter Caſpios montes concluſi clamorem exercitus, vt creditur, audientes, montem frangere cæperunt, & cum alio tempore poſt 10. annos redirent Tartari montē confractum inuenerunt. Cumque ad illos accedere attentaſſent minime potuerunt, quia nubes quædā erat poſita ante ipſos vltra quam ire nullatenus poterant. Omnino quippe viſum amittebant, ſtatim vt ad illam perueniebant. Iſti autem ex aduerſo credentes quod Tartari ad illos accedere formidarent, inſultum contra eos fecerunt, ſed ſtatim vt peruenerunt ad nubē propter cauſam prædictā procedere non potuerunt. At vero antequam ad montes prędictos peruenirent Tartari, pluſquam per menſem per vaſtam ſolitudinem tranſierunt, & inde procedentes adhuc contra Orientem pluſquam per menſem per magnum deſertum perrexerunt. Itaque peruenerunt ad quandam terram in qua vias quidem tritas videbant, ſed neminem inuenire poterant. Tandem quærentes vnum hominem cum vxore ſua reppererunt, quos in præſentia Chingiſcam adduxerunt. Qui cum interrogaret illos vbi homines illius terræ eſſent? reſponderunt, quod in terra ſub montibus habitarent. Tunc Chingiſcam ſancta retenta vxore, miſit ad eum virum mandans illis, vt venirent ad ipſius mandatum. Qui pergens ad illos omnia narrauit, quę Chingiſcam eis mandauit. Illi vero reſpondentes dixerunt, quod die tali venirent ad ipſum, vt facerent eius mandatū, ac ipſi medio tempore per vias occultas ſub terra ſe congregantes, ad pugnam contra illos venerunt, & ſubito ſuper eos irruentes plurimos occiderūt. Solis quoque ſonitus in ortu ſuo ſuſtinere non poterant immo tempore quo oriebatur opportebat eos vnam aurem ad terram ponere, & ſuperiorem fortiter obturare, ne ſonum illum terribilem audirent, nec ſic tamen cauere poterant, quando hac de cauſa plurimi ex eis interirent. Vidēs ergo Chingiſcam & ſui quod nihil proficerent, ſed potius homines ſuos perderent, fugerunt, ac terram illam exierunt. Illum tamen virum cum vxore ſua ſecum deduxerunt qui etiam vſque ad mortem in terra eorum fuerunt. Interrogati vero cur in regione ſua ſub terra ſoleant habitare, dixerunt quod ibi quodā tempore anni cum oritur Sol tantus fit ſonitus, vt homines nulla ratione valeant ſuſtinere. Quin etiam tunc in organis & tympanis cæteriſque muſicis inſtrumentis percutere ſolent, vt ſonitum illum non audiant.

De ſtatutis Chingiſcam & morte ipſius & filijs ac ducibus.

Cap. XIII.

CVm autem de terra illa reuerteretur Chingiſcam, defecerunt eis victualia, famemque patiebantur maximam. Tunc interiora vnius beſtię recentia caſu inuenerunt, quæ accipientes depoſitis tantum ſtercoribus decoxerunt, quod coram Chingiſcam deportata pariter comederunt. Ideoque ſtatuit Chingiſcam, vt nec ſanguis, nec interiora nec aliquid de beſtia, quæ manducari poteſt, proijciatur exceptis ſtercoribus. Inde ergo in terram propriam reuerſus eſt, ibique leges & ſtatuta edidit, quæ Tartari inuiolabiliter obſeruant, de quibus ſcilicet iam alias ſuperius dictum eſt. Poſt hæc ab ictu tonitrui occiſus eſt. Habuit autem 4. filios, Occoday vocabatur primus; Choſuctan ſecundus, Chiaday tertius quarti nomen ignoramus. Ab his 4. deſcenderunt omnes Duces Mongalorum, Primus filiorum Occoday eſt Cuinæ, qui nunc eſt Imperator. Huius fratres Coethen & Chirenem. Ex filijs autem Choſucan, ſunt Baty, Ordu, Sibam, Bora, Baty. Poſt Imperatorem omnibus ditior eſt ac potentior, Ordu vero ducum omniū ſenior. Filij Chiaday ſunt Hurin & Cadan. Filij autem alterius filij Chingiſcam cuius ignoramus nomen, ſunt Mengu & Bithat & alij plures. Huius Mengu mater Seroctan eſt Domina magna inter Tartaros, excepta Imperatoris matre plus nominata, omnibuſque potentior excepto Baty. Hæc autem ſunt nomina ducum Ordu qui fuit in Polonia & Hungaria. Baty quoque & Hurin & Cadem, & Siban & Duyget, qui omnes fuerunt in Hungaria. Sed & Chirpodam, qui adhuc eſt vltra mare, contra quoſdam Soldanos Saracenorum, & alios habitatores terræ trāſmarinæ. Alij vero remanſerunt in terra ſcilicet Mengu, Sirenen, Hubilai, Sinocur, Caragay, Sibedey, Bora, Berca, Corenſa. Alij quoque duces plures eorum ſunt, quorum nomina nobis ignota ſunt.

De poteſtate Imperatoris & ducum eius.

Cap. XIV.

POrro Imperator eorum ſcilicet Tartarorum ſuper omnes habet mirabile dominium. Nullus enim audet in aliqua morari parte, niſi vbi aſſignauerit ipſe. Et ipſe quidem aſſignat ducibus vbi maneant. Duces autem loca millenarijs aſſignant, millenarij vero centenarijs, & centenarij decanis. Quicquid autem eis præcipitur quocunque tempore, quocunque loco, ſiue ad bellum, ſiue ad mortem, vel vbicunque ſine vlla obediunt contradictione. Nam & ſi petit alicuius filiam virginem vel ſororem, mox ei ſine contradictione exponunt eam, immo frequenter colligit virgines ex omnibus Tartarorum finibus, & ſi vult aliquas retinere ſibi retinet, alias vero dat ſuis hominibus. Nuncios etiam quoſcunque & vbicunque tranſmittit, oportet quod dent ei ſine mora equos & expenſas. Similiter vndecūq; veniant ei tributa vel nuncij, oportet equos & currus & expenſas tribui. At vero nuncij qui aliunde veniunt, in magna miſeria, & victus ac veſtitus penuria ſunt. Maximeque quando veniunt ad Principes, & ibi debent moram contrahere, tunc adeo parum datur 10. hominibus quod vix inde poſſunt duo viuere. Inſuper & ſi aliquæ illis iniurię fiunt, minime conqueri facile poſſunt. Multa quoque munera tam à Princibus quam à cæteris ab illis petuntur, quæ ſi non dederint, vilipenduntur, & quaſi pro nihilo reputantur. Hinc & nos magnam partem rerum, quæ nobis pro expenſis à fidelibus erant datæ, de neceſſitate oportuit in muneribus dare. Denique ſic omnia ſunt in manu Imperatoris, quod nemo audet dicere, hoc meum eſt vel illius, ſed omnia ſcilicet res & iumenta ac homines ſunt ipſius. Super hoc etiam emanauit nuper ſtatutum eiuſdem. Idem quoque per omnia dominium habent duces, ſuper ſibi ſubditos homines.

De electione Imperatoris Occoday & legatione ducis Bathy.

Cap. XV.

MOrtuo vt ſupradictum eſt Chingiſcam, conuenerunt Duces, & elegerunt Occoday filium eius Imperatorem. Qui habito conſilio Principum eius diuiſit exercitus. Miſitque Baty qui in ſecundo gradu attingebat ei contra terram, Altiſſodan, & contra terram Biſminiorum qui ſaraceni erant, ſed loquebantur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Comanicum. Qui terrã illorum ingreſſus cum eis pugnauit, eoſque bello ſibi ſubiecit. Quædam autem ciuitas nomine Barchin diu reſtitit eis. Ciues enim in circuitu ciuitatis foueas multas fecerant, propter quas non poterat à Tartaris capi donec illas repleuiſſent. Ciues autẽ vrbis Sarguit hæc audientes exierunt obuiam eis ſponte in manus eorum ſe tradentes. Vnde ciuitas eorum deſtructa non fuit, ſed plures eorum occiderunt, & alios tranſtulerunt, acceptiſque ſpolijs vrbem alijs hominibus repleuerunt, & contra ciuitatẽ Ornam perrexerunt. Hæc erat nimium populoſa & diuitijs copioſa, erant enim ibi plures Chriſtiani, videlicet Gazari ac Ruſheni & Alani, & alij, necnon & Saraceni. Eratque Saracenorum ciuitatis dominium; eſt etiam poſita ſuper quẽdam magnum fluuium, & eſt quaſi portus habens forum maximum. Cumque Tartari non poſſent eos aliter vincere, fluuium qui per vrbem currebat præſciderunt & illam cum rebus & hominibus ſubmerſerunt. Quo facto contra Ruſciam perrexerunt, & magnam ſtragem in ea fecerunt, ciuitates & caſtra deſtruxerunt, & homines occiderunt, Chaoniam Ruſciæ Metropolim diu obſederunt; tandem cæperunt, ac ciues interfecerunt. Vnde quando per illam terram ibamus, innumerabilia capita & oſſa hominum mortuorum iacentia ſuper campum inueniebamus. Fuerat enim vrbs valde magna & populoſa, & nunc quaſi ad nihilum eſt redacta. Vix enim domus ibi remanſerunt ducentę, quarum etiã habitatores tenentur in maxima ſeruitute.

Porro de Ruſcia & de Comania, Tartari contra Hũgaros & Polonos proceſſerunt, ibique plures ex ipſis interfecti fuerunt. Et vt iam ſuperius dictũ eſt, ſi Hungari viriliter reſtitiſſent, Tartari ab eis confuſi receſſiſſent. Inde reuertentes, in terra Morduanorum qui ſunt Pagani venerunt, eoſque bello viceruntt. Inde contra Byleros ideſt cõtra Bulgariam magnã prouecti ſunt, & ipſam omnino deſtruxerunt. Hinc ad aquilonem adhuc contra Baſcareos ideſt Hungariã magnam proceſſerũt, & illos etiã deuicerunt. Hinc amplius ad Aquilonem pergentes ad Paroſſitas venerunt, qui paruos habẽt ſtomachos & os paruum, non manducant, ſed carnes decoquunt, quibus decoctis ſe ſuper ollam ponunt, & fumum recipiunt, de hoc ſolo reficiuntur vel ſi aliquid manducant, hoc valde modicum eſt. Hinc & ad Samogedos venerunt, qui tantum de venationibus viuunt, & tabernacula veſteſque tantum habent de pellibus beſtiarum. Inde ad quandam terram ſuper Oceanum peruenerunt, vbi monſtra quædam inuenerunt, quæ per omnia formam humanam habebant, ſed pedes bouinos & caput quidem humanum, ſed faciem vt canis. Duo verba loquebantur vt homines, tertio latrabant vt canes. Hinc redierunt in Comaniam, & vſque nunc morantur ibi ex eis quidam.

De legatione Cyrpodam ducis.

Cap. XVI.

Eo tempore miſit Occodaichaam Cyrpodam ducem cum exercitu ad meridiem cõtra Chergis, qui & illos bello ſuperauit. Hi homines ſunt pagani, qui pilos in barba non habent, quorum cõſuetudo talis eſt, vt cũ alicuius pater moritur, præ dolore quaſi vnam corrigiam in ſignum lamenti, ab aure vſque aurem de facie ſua leuent. His autem deuictis, Dux Cyrpodam contra Armenos iuit ad meridiem cum ſuis. Qui cum tranſirent per deſerta quædam monſtra inuenerunt, effigiem humanam habentia, quæ non niſi brachium cum manu in medio pectoris, & vnum pedem habebant, & duo cũ vno arcu ſagittabant, adeoque fortiter currebant, quod equi eos ſequi non poterant. Currebant autem ſuper vnum pedem illum ſaltando & cum eſſent fatigati taliter eundo ibant ſuper manum & pedem, ſe tanquam in circulo reuoluendo. Cumque ſic etiam feſſi eſſent, iterum ſecundum priorem modum currebant. Hos Iſidorus Cyclopedes appellat, & ex eis Tartari nonnullos occiderunt. Et ſicut nobis à Ruthenis clericis, in curia dicebatur, qui morantur cum Imperatore prædicto plures ex eis nuncij venerũt in legatione ad curiam Imperatoris ſuperius annotati, vt poſſent habere pacem cum illo. Inde procedentes venerunt in Armeniam, quam bello deuicerunt, & etiam Georgiæ partem. Alia vero pars venit ad mandatum eorum & ſingulis annis dederũt, & adhuc dant ei pro tributo 20. millia hyperperarum. Hinc ad terram Soldani Deurimi potentis & magni proceſſerunt, cum quo etiam pugnantes ipſum deuicerunt. Denique proceſſerunt vlterius debellando ac vincẽdo vſque ad terrã Soldani Halapię, & nunc etiã terram obtinent. Alias quoque terras vltra illas proponentes impugnare, nec poſt ea reuerſi ſunt in terram ſuam vſque hodie. Idemque exercitus contra terram Califebalſas perrexit, quã etiam ſibi ſubdidit, & vt 400. biſantios exceptis baldachinis, cæteriſque muneribus ei quotidie pro tributo darent obtinuit. Sed & quolibet anno nuncios ad Califam, vt ad eos veniat, qui cum tributo munera magna tranſmittens, vt eum ſupportent, rogat. Ipſe autem Imperator Tartarorum munera quidem accipit, & nihilominus vt veniat pro eo mittit.

Qualiter Tartari ſe habent in prælijs.

Cap. XVII.

Ordinauit autẽ Chingiſcam tartaros per decanos ac centenarios & millenarios. Decem quoque millenarijs præpoſuit vnum, cunctoque nihilominus exercitui duos aut tres duces; ita tamen vt ad vnum habeant reſpectũ. Cumque in bello contra aliquos congrediuntur, niſi communiter cedant, omnes qui fugiunt occidũtur. Et ſi vnus aut duo vel plures ex 10. audaciter accedunt ad pugnam, alij vero ex illo denario non ſequuntur, ſimiliter occiduntur. Sed etiam vnus ex 10. vel plures capiuntur, ſocij eorum ſi non eos liberant, ipſi etiã occiduntur. Porro arma debent habere talia duos arcus vel vnum bonum ad minus, tresque pharetras ſagittis plenas, & vnam ſecurim, & funes ad machinas trahendas. Diuites autem habent gladios in fine acutos, ex vna parte tantum incidentes & aliquantulum curuos habẽt & equos armatos, crura etiam tecta, galeas & loricas. Verũ loricas & equorũ cooperturas quidam habẽt de corio ſuper corpus artificioſe duplicato vel etiam triplicato, Galea vero ſuperius eſt de calybe vel de ferro, ſed illud quod in circuitu protegit collum & gulam eſt de corio. Quidam autem de ferro habent omnia ſupradicta in hunc modum formata. Laminas multas tenues ad vnius digiti latitudinem, & palmæ longitudinem faciunt, & in qualibet octo foramina paruula faciẽtes interius tres corrigias ſtrictas & fortes ponunt, ſicque laminas vnam alij quaſi per gradus aſcendendo ſupponunt. Itaque lanimas ad corrigias tenuibus corrigiolis per foramina prædicta immiſſis ligant, & in ſuperiori parte corrigiolam vnam ex vtraque parte duplicatam cum alia corrigiola conſuunt, vt lamine ſimul bene firmiterque cohæreant. Hoc faciũt tam ad cooperturas equorum, quam ad armaturas hominum, adeoque faciunt illa lucere quod in eis poteſt homo faciem ſuam videre. Aliqui vero in collo ferri lanceæ, vncum habent, cum quo de ſella ſi poſſent homines detrahant. Sagittarum eorum ferramenta ſunt acutiſſima, ex vtraque parte quaſi gladius biceps incidentia, ſemperque iuxta pharetram portant limas ad acuendum ſagittas, habent vero ſcuta de viminibus aut de virgulis facta, ſed non credimus quod ea ſoleant portare niſi ad caſtra, & ad cuſtodiam Imperatoris ac principum, & hoc tantum de nocte. In bellis aſtutiſſimi ſunt, quia per annos 42. cum cæteris gentibus dimicarunt. Cum autem ad flumina perueniunt, maiores habent rotundum ac leue corium, in cuius ſummitate per circuitum anſas crebras facientes funem imponunt ac ſtringunt, ita quod in circuitu quaſi ventrem efficiunt, quem veſtibus ac rebus cæteris replent, fortiſſimeque adinuicem comprimunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In medio autem ponunt sellas & alias res duriores; ibi quoque sedent homines; huiusmodi nauem ad equi caudam ligant, & hominem qui equum regat pariter natare faciunt, vel habent aliquando duos remos cum quibus remigant. Equo igitur in aquam impulso omnes alij equi sequuntur illum, & sic transeunt fluuium, pauperior autem quilibet vnam bursam vel saccum de corio bene consutum habet, in quo res suas omnes imponit,& in summitate fortiter ligatum ad equi caudam suspendit,sicque modo prædicto transit.

Qualiter resistendum sit eis.

CAP. XVIII.

NVllam æstimo prouinciam esse, quæ per se possit eis resistere,quia de omni terra potestatis suæ solent homines ad bellum congregare.Et siquidem vicina prouincia non vult eis opem ferre quam impugnant delentes illam cum hominibus quos ex illa capiunt contra aliam pugnant: & istos quidem in acie primos ponunt,& si male pugnant,ipsos occidunt.Itaque si Christiani eis resistere volunt; oportet quod principes ac rectores terrarum in vnum conueniant,ac de communi consilio eis resistant. Habeantque pugnatores arcus fortes & balistas,quas multum timent,sagittasque sufficientes, dolabrum quoque de bono ferro vel securim cum manubrio longo.Ferramenta vero sagittarum more Tartarorum quando sunt calida temperare debent in aqua cum sale mixta, vt fortia sint ad penetrandum illorum arma. Gladios etiam & lanceas cum vncis habent qui volunt, ad detrahendum illos de sella de qua facillime cadunt. Habent & galeas & arma cætera ad protegendum corpus & equum,ab armis & sagittis eorum;& si qui non ita sunt armati, debent more illorum post alios ire & contra ipsos arcubus vel balistis traijcere, & sicut dictum est supra de Tartaris, debent acies suas ordinare, ac legem pugnantibus imponere. Quicumque conuersus fuerit ad prædam ante victoriã,maximã debet pænam subire,talis enim apud illos occiditur absque miseratione; locus ad prælium si fieri possit eligendus est planus,vt vndique possint videre,nec omnes debent in vnum conuenire sed acies multas & diuisas,nec tamen nimis distantes abinuicem facere.Contra illos qui primo veniunt, debent vnam aciem mittere, & alia parata sit ad iuuandum istam oportuno tempore, habent & speculatores ex omni parte qui videant quando veniunt acies cæterę.Nam ideo semper debent aciẽ contra aciem vt ei occurrat mittere, quoniam illi semper nituntur aduersarios in medio concludere. Hoc autem acies caueant, ne si etiam illi fugere videantur, diu post illos currant,ne forte sicut facere solent, ipsos ad paratas insidias trahant,quia plus fraudulentia quam fortitudine pugnant. Et iterum ne fatigentur equi eorum , quia nostri non habent multitudinem equorum. Tartari vero quos equitant die vna non ascendunt tribus diebus vel quatuor postea. Præterea si cedunt Tartari non ideo debent nostri recedere,vel abinuicem separari, quoniam hoc simulando faciunt, vt exercitus diuidatur, & sic ad terræ destructionem libere ingrediantur. Cæterum duces nostri die noctuque facere debent exercitum custodiri , nec iacere spoliati , sed semper ad pugnam parati : quia Tartari quasi dæmones semper vigilant excogitantes artem nocendi. Porro si aliqui Tartarorum in bello de suis equis proijciuntur,statim capiendi sunt, quia quando sunt in terra fortiter sagittant, & equos homineſque vulnerant & occidunt.

De itinere fratris Ioannis vsque ad primam custodiam Tartarorum.

CAP. XIX.

NOs igitur ex mandato sedis Apostolicæ, cum iremus ad orientis nationes elegimus prius ad Tartaros proficisci, quia timebamus ne per illos in proximo,ecclesię Dei periculum immineret.Itaque pergentes ad Regem Bohemorum peruenimus,qui cum nobis esset familiaris, consuluit vt per Poloniam & Ruſciam iter ageremus; habebat enim consanguineos in Polonia quorum auxilio Ruſciam intrare possemus. Datisque litteris & bono conductu fecit, & expensas nobis dari per curias & ciuitates eius quousque ad Ducem Silesiæ Boleslaum nepotem eius veniremus,qui etiam erat nobis familiaris & notus. Hinc & ipse nobis similiter fecit,donec veniremus ad Coradum Ducem Lantiscię, ad quem tunc Dei gratia nobis fauente venerat Dominus Vuasilico Dux Ruſciæ, à quo etiam plenius de facto audiuimus Tartarorum,quia nuncios illuc miserat, qui iam redierant ad ipsum. Audito autem quod oporteret nos illis munera dare , quasdam pelles castrorum & aliorum animalium fecimus emi; de hoc quod datum nobis fuerat in eleemosynam ad subsidium viæ. Quod agnoscentes Dux Conradus & Ducissa Cratonię & episcopus & quidam milites , plures etiam nobis dederunt huiusmodi pelles. Denique Dux Vuasilico à Duce Cratoniæ & episcopo atque Baronibus pro nobis attente rogatus secum nos in terram suam duxit, & vt aliquantulum quiesceremus aliquot diebus nos in expensis suis detinuit. Et cum rogatus à nobis fecisset episcopos suos venire,legimus eis literas Domini Papæ monentis eos ad sanctæ matris ecclesiæ vnitatem redire. Ad idem quoque nosipsi monuimus eos & induximus quantum potuimus, tam ducem quam episcopos & alios.Sed quia dux Daniel frater Vuasiliconis prædicti præsens non erat, quoniam ad Baty prouectus erat non potuerunt eo tempore finaliter respondere. Post hæc Dux Vuasilico transmisit nos vsque in Chiouiam metropolim Ruscię cum seruiente vno.Ibamus tamen in periculo capitis semper propter Lutuanos , qui sæpe faciebant insultum super terram Ruſciæ, & in illis maxime locis per quæ debebamus transire.At per prædictum seruientem eramus securi à Ruthenis, quorum etiam maxima pars occisa vel captiuata erat à Tartaris. Porro in Damilone vsque ad mortem tunc infirmati fuimus, nihilominus tamen in vehiculo per niuem & frigus magnum trahi nos fecimus. Cum ergo Chiouiam peruenimus habuimus de via nostra consilium cum millenario ac cæteris ibidem nobilibus. Qui responderunt nobis quod si duceremus equos illos, quos tunc habebamus ad Tartaros, cum essent magnæ niues, morerentur omnes quia nescirent herbam fodere sub niue , sicut equi faciunt Tartarorum, nec inueniri posset aliquid pro eis ad manducandum , cum Tartari nec stramina nec fænum habeant nec pabulum . Itaque decreuimus eos illic dimittere cum duobus pueris deputatis eorum custodiæ. Ideoque nos oportuit millenario dare munera vt ipsum haberemus propicium ad dandum nobis equos subductitios & conductum. Secundo igitur die post festum Purificationis cæpto itinere,venimus ad villam Canonæ,quæ sub Tartaris erat immediate. Cuius præfectus nobis dedit equos & conductum vsque ad aliam in qua reperimus perfectum Micheam omni malitia plenum . Qui tamen acceptis à nobis muneribus secundum velle suum, duxit nos vsque ad primam custodiam Tartarorum.

Qualiter primo cum socijs suis receptus est à Tartaris.

CAP. XX.

CVm ergo in prima sexta feria post diem cinerum Sole ad occasum tendente hospitaremur, Tartari super nos armati horribiliter irruerũt, quærentes cuiusmodi homines essemus. Cumque respondissemus quod Domini Papę nuncij essemus;quibusdam cibarijs à nobis acceptis,continuo discesserunt.Porro mane facto cũ surgentes aliquantulum processissemus maiores illorum qui erant in custodia nobis occurrerunt, interrogantes cur ad eos veniremus & quod negocium haberemus ?

Quibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quibus reſpondimus: Domini Papæ nuncij ſumus,qui Chriſtianorum pater eſt ac Dominus. Hic nos idcirco tã ad Regem quam ad Principes omneſque Tartaros mittit,quia placet ei quod omnes Chriſtiani Tartarorũ ſint amici,& pacem habeant cum ipſis. Deſiderat inſuper vt apud Deum in cælo ſint magni,& idcirco monet eos tam per nos quã per literas ſuas vt efficiantur Chriſtiani, fidemque recipiant Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia non poſſunt aliter ſaluari. Mandat præterea quod miratur de tanta occiſione hominum, & maxime Chriſtianorum ac potiſſime Hungarorum,Moranorum,Polonorum,qui ſunt ei ſubiecti facta per Tartaros,cum in nullo læſiſſent,aut lædere attentaſſent eos. Et quia Dominus Deus grauiter ſuper hoc eſt offenſus, monet eos vt à talibus de cætero caueant,& de commiſſis pœnitẽtiam agant. Super his etiam rogat, vt ei reſcribant quid facere velint de cætero,& quæ ſit eorum intentio. Quibus auditis & intellectis dixerunt Tartari ſe velle equos nobis ſubductitios vſque ad Corenzam & ducatum præbere. Statimque munera petierunt, & à nobis acceperunt. Equis igitur acceptis de quibus deſcenderant ipſi cum eorum ducatu ad Corenzam arripuimus iter eundi. Ipſi tamen velociter equitantes nunciũ vnum præmiſerunt ad præfatum ducem cum his verbis quæ dixeramus eiſdem. Eſt autem Dux iſte Dominus omnium qui poſiti ſunt in cuſtodia contra omnes occidentis populos ne forte ſubito & improuiſe irruant aliqui ſuper illos. Et iſte dicitur habere ſexingenta millia armatorum hominum ſub ſe.

Qualiter recepti ſunt apud Corenzam.

Cap. XXI.

CVm ergo peruenissemus ad eius curiam, fecit nobis longe à ſe poni ſtationem. Et miſit ad nos Procuratores ſuos, vt quærerent à nobis cum quo ei vellemus inclinare,ideſt,quæ ei munera inclinando vellemus offerre. Quibus reſpondimus quod Dominus Papa non mittebat aliqua muneta, quia non erat certus quod ad illos peruenire poſſemus, & inſuper veneramus per loca valde periculoſa. Verumtamen in quantum de his quæ habemus ex gratia Dei & Domini Papæ ad victum noſtrum ſicut poterimus honorabimus ipſum. Acceptiſque muneribus duxerunt nos ad Ordam ſiue tentorium ipſius & inſtructi fuimus, vt ante oſtium ſtationis, ter cum ſiniſtro genu inclinaremus, & caueremus attẽte,ne pedem ſuper limen oſtij poneremus. Et poſtquam intrauimus,oportuit nos coram duce omnibuſque maioribus, qui ad hoc erant vocati, dicere flexis genibus ea, quæ dixeramus ſuperius. Literas etiam Domini Papæ obtulimus,ſed interpres quem de chiouia dato pretio duxeramus, non erat ſufficiens ad interpretandum, nec aliquis alius habebatur idoneus. Hinc equi nobis dati ſunt,& tres Tartari,qui nos ducerent feſtinanter ad ducem Baty. Ipſe eſt apud eos potentior excepto Imperatore, cui tenentur præ cunctis principibus obedire. Itaque iter arripuimus ſecunda feria poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & equitando quantum equi trottare poterant,quoniam habebamus equos recentes fere ter aut quatuor omni die properabamus de mane vſque ad noctem,immo etiam de nocte ſæpiſſime, nec tamen ante quartam feriam maioris hebdomadæ potuimus ad ipſum peruenire. Ibamus autem per terram Comanorũ, quæ tota eſt plana, & flumina quatuor habet magna. Primum appellatur Neper iuxta quod ex parte Ruſciæ ambulabat Corenza & Monſij,qui maior eſt illo ex altera parte campeſtria. Secundum appellatur Don, ſuper quod ambulat quidam Princeps habens in coniugio ſororem Baty,quæ vocatur Tirbon. Tertium dicitur Volga, quod eſt magnum valde ſuper quod incedit Baty. Quartum nominatur Iaec ſuper quod duo millenarij vadunt; vnus ex parte fluminis vna & alter ex altera. Hi omnes in hyeme ad mare deſcendunt & in æſtate ſuper ripam eorundem fluminum ad montes aſcendunt, hoc eſt mare magnum, de quo brachium ſancti Georgij exit, quod in Conſtinopolim vadit. Hæc autem flumina ſunt piſcibus valde plena & maxime volga. Intrantque mare Greciæ, quod dicitur magnum mare. Super Nepre autem multis diebus iuimus per glaciem, ſuper littora quoque maris Græciæ ſatis periculoſe per glaciem iuimus, in pluribus locis multis diebus; congelatur enim circa littora bene ad tres leucas inferius. Prius autem quam ad Baty peruenireмus, duo ex noſtris Tartatis præceſſerunt ad indicandum ei omnia verba quæ apud Corenzam dixeramus.

Qualiter recepti ſunt apud Baty magnum principum.

Cap. XXII.

POrro cum in finibus terræ Comanorum ad Baty peruenireмus, bene poſiti fuimus per vnam leucam à ſtationibus eius. Cumque duci debuimus ad curiam ipſius dictum fuit nobis, quod inter duos ignes tranſire deberemus. Nos autem hoc nulla ratione facere volebamus. At illi dixerunt nobis: Ite ſecure,quia pro nulla cauſa hoc volumus facere, niſi tantum vt ſi vos aliquod malum cogitatis Domino noſtro, vel portatis venenũ ignis auferat omne malũ. Quibus reſpondimus, quod propter hoc ne de tali re ſuſpectos redderemus nos tranſiremus. Cum igitur ad Ordam peruenisſemus, interrogati à procuratore ipſius Eldegay, cum quo inclinare vellemus;idem quod prius apud Corenzam reſpondimus. Datiſque muneribus & acceptis, auditis etiam itineris cauſis introduxerunt nos in ſtationem Principis. Prius facta inclinatione & audita, de limine non calcando ſicut prius, admonitione. Ingreſſi autem flexis genibus verba noſtra propoſuimus, deinde litteras attulimus,& vt nobis darentur interpretes,ad transferendum eas rogauimus. Qui etiam in die paraſceue dati fuerunt nobis,& eas in litteta Ruthenica,Saracenica,& in Tartarica diligenter cum ipſis trãſtulimus. Hæc interpretatio Baty præſentata fuit, quam & legit & attente notauit. Tandem ad noſtram ſtationem reducti fuimus,ſed nulla cibaria nobis dederunt, niſi ſemel aliquantulum milij in vna ſcutella,ſcilicet in prima nocte quando venimus. Iſte Baty magnifice ſe gerit, habens oſtiarios & omnes officiales ad modum Imperatoris,& ſedet in loco eminenti velut in throno cum vna de vxoribus ſuis. Alij vero tam fratres ſui, & filij quam alij maiores inferius ſedent in medio ſuper bancum, & homines cæteri poſt eos in terra deorſum,ſed viri à dextris & fæminæ à ſiniſtris. Tentoria quoque de panno lineo habet pulchra & magna ſatis, quæ fuerunt Hungariæ Regis. Nec aliquis ad eius tentorium audet accedere præter familiam niſi vocatus, quantumcunque ſit potens & magnus niſi forte ſciatur quod ſit volũtas ipſius. Nos etiam dicta cauſa ſedimus à ſiniſtris, ſic etenim & omnes nuncij faciunt in eundo,ſed in redeundo ab Imperatore,ſemper ponebamur à dextris. In medio ponitur menſa eius prope oſtium ſtationis, ſuper quam apponitur potus in aureis & argenteis vaſis. Nec vnquam bibit Baty, vel aliquis Tartarorum Princeps maxime quando in publico ſunt, niſi cãtetur ei vel cytharizetur, & cum equitat ſemper portatur ſolinũ vel tẽtoriolum ſuper caput eius in haſta,ſicque faciunt cuncti maiores Principes Tartarorum & etiam vxores eorum. Idem vero Baty ſatis eſt hominibus ſuis benignus, valde tamen ab eis timetur, in pugna eſt crudeliſſimus. Sagax eſt multum & aſtutiſſimus in bello quia iam pugnauit tempore longo.

Qualiter recedentes à Byti per terram Comanorum & Changitarum tranſierunt.

Cap. XXIII.

IN die porro Sabbati ſãcti,ad ſtatione fuimus vocati. Et exiuit ad nos procurator Baty prædictus, dicens

ex parte

ex parte ipsius, quod ad Imperatorem. Cuyuc in terram ipsorum iremus retentis quibusdam ex nostris sub hac spe, quod vellent eos remittere ad Dominum Papam, quibus & litteras dedimus de omnibus factis nostris quas deferrent eidem. Sed cũ redissent vsque ad Mouij ducem supradictum, ibi retenti fuerunt vsque ad reditum nostrum. Nos autem in die Paschæ officio dicto, & facta comestione qualicunque cum duobus Tartaris, qui nobis apud Coreuzam fuerant assignati, cum multis lachrymis recessimus nescientes vtrum ad mortem vel vitam pergeremus. Eramus tamen ita infirmi corpore, quod vix poteramus equitare. In tota siquidẽ illa quadragesima fuerat cibus noster milium cum aqua & sale tantum, & in alijs similiter diebus ieiuniorum nec habebamus aliquid ad bibendum, præter niuem in caldario liquefactam. Ibamus autem per Comaniam equitando fortissime, quoniam habebamus equos recentes quinquies aut pluries in die, nisi quando per deserta ibamus, & tunc equos meliores atque fortiores qui possent continuum sustinere laborem accipiebamus. Et hoc ab ineunte quadragesima vsque ad octo dies post Pascha. Hæc terra scilicet Comania ab Aquilone immediate post Rusciam habet Morduinos Byleros, idest magnam Bulgariam, Bastarcos, idest magnam Hungariam; post Bastarcos Parositas, Samœdos, Post Samœdos, illos qui dicũtur habere faciem caninam in Oceani littoribus in desertis. A meridie habet Alanos, Circassos, Gazaros Græciam & Constantinopolim, ac terram Hiberorum, Cathos, Bruthacios, qui dicuntur esse Iudæi caput radentes per totum; terram quoque Cythorum atque Georgianorum, & Armenorum, & Turcorum. Ab occidente autem Hungariam atque Rusciam. Et est Comania terra maxima & longa. Cuius populos scilicet Comanos Tartari occiderunt; quidam tamen à facie eorum fugerunt, & quidam in eorum seruitutem redacti sunt, plurimi autem ex eis qui fugerunt, ad ipsos redierunt. Post hæc intraulmus terram Changitarum quæ magnam habet in pluribus locis penuriam aquarum, in qua etiam homines pauci morantur propter aquæ defectum. Vnde homines Ierozlai Ducis Rusciæ cum ad ipsum in terram Tartarorum perrexerunt, plures eorum in illo deserto præ siti mortui sunt. In hac etiam terra & in Comania multa inuenimus capita & ossa mortuorum hominum super terram iacentia tanquam sterquilinium. Per hanc itaque terram iuimus ab octo diebus post Pascha fere vsque ad Ascensionem dominicam. Huiusque habitatores Pagani erant, & tam ipsi quàm Comani non laborabant, sed tantum de animalibus viuebant, nec domos ædificabant sed in tabernaculis habitabant, istos etiam Tartari deleuerunt, & habitant in terris eorum, illique qui remanserunt redacti sunt in seruitutem ipsorum.

Qualiter ad primã Imperatoris futuri curiã deuenerunt.

Cap. XXIV.

POrro de terra Rangitarum intrauimus terram Biserminorum, qui loquuntur lingua Comanica, sed legem tenent Saracenorum. In hac etiam terra inuenimus vrbes innumeras cũ castris dirutas, villasque multas desertas. Huius Dominus dicebatur Altisoldanus, qui cum tota sua progenie à Tartaris est destructus. Habet autem hęc terra montes maximos, & à meridie quidem habet Hierusalem, & Baldac, totamque Saracenorum terram, atque in finibus illis propinquis morantur duo fratres carnales Tartarorum Duces scilicet Burin & Cadan, filij Chiaaday, qui fuit filius Chingiscã. Ab Aquilone vero terrã habet nigrorũ Chithaorum & Oceanum. In illa vero moratur Siban frater Baty. Per hanc iuimus à festo Ascensionis Dominicæ fere vsque ad octo dies ante festum sancti Ioannis Baptistæ. Deinde ingressi sumus terram nigrorum Chythaorum, in qua Imperator ædificauit domum, vbi etiam vocati fuimus ad bibendum. Et ille qui erat ibidem ex parte Imperatoris fecit maiores ciuitatis, & etiã duos filios eius plaudere coram nobis. Hinc exeuntes quoddam mare paruum inuenimus, in cuius littore quidam existit mons parvus. In quo scilicet monte quoddam foramen esse dicitur, vnde in hyeme tam maximæ tempestates ventorum exeunt, quod homines inde vix & cum magno periculo transire possunt. In æstate vero semper quidem ibi ventorum sonitus auditur, sed de foramine tenuiter egreditur. Per huius maris littora plurimis diebus perreximus, quod quidem licet non multum sit magnum, plures insulas habet, & illud in sinistris dimisimus. In terra vero illa habitat Orda, quem omnium Tartarorum Ducum antiquiorem diximus, & est Orda siue curia patris ipsius, quam inhabitat, & regit vna de vxoribus eius. Cõsuetudo enim est apud Tartaros, quod Principum & maiorum curiæ non delentur, sed semper ordinantur aliquæ mulieres quæ illas regant, eisque donariorum partes sicut Dominis eorũ dari solebat, dantur. Sic tandem ad primam Imperatoris curiam venimus, in qua erat vna de vxoribus ipsius.

Qualiter ad ipsum Cuyuc Imperatorem futurum

Cap. XXV.

AT vero quia nondum Imperatorem videramus, noluerunt vocare nos, nec intromittere ad Ordã ipsius. Sed nobis in tentorio nostro secundum morem Tartarorum valde bene seruire fecerunt, & vt quiesceremus nos ibidem per vnam diem tenuerunt. Inde procedentes in vigilia sanctorum Petri & Pauli terrã Naimanorum intrauimus, qui sunt Pagani. In ipsa vero die Apostolorũ ibidem cecidit magna nix, & habuimus maximũ frigus. Hæc siquidẽ terra montuosa & frigida est supra modum, ibique de planicie reperitur modicum. Istæ quoque duæ nationes prædictę non laborabant, sed sicut & Tartari in tentorijs habitabant, quas & ipsi deleuerant. Per hanc eiam multis diebus perreximus, deinde terram Mongalorum intrauimus, quos Tartaros appellamus. Per has itaque terras vt credimus, tribus septimanis equitando fortiter iuimus, & in die beatæ Mariæ Magdalenæ, ad Cuyuc Imperatorem electum peruenimus. Ideo autem per omnem viam istam valde festinauimus, quia præceptum erat Tartaris nostris, vt cito nos ducerent ad curiã solemnem, iam ex annis plurimis indictam propter ipsius Imperatoris electionẽ. Idcirco de mane surgentes ibamus vsque ad noctẽ sine comestione, & sæpius tam tarde veniebamus, quod non comedebamus in sero, sed quod manducare debebamus in vespere, dabatur nobis in mane. Mutatisque frequentius equis nullatenus parcebatur eis, sed equitabamus velociter ac sine intermissione quantumcunque poterant equi trottare.

Author. Hæc de situ terræ ac de moribus gestisque Tartarorum, & de itinere fratris Ioannis supradicti vsque ad curiam Imperatoris eorum excerpsimus ex eiusdẽ fratris Ioannis libello, ea quę in libro fratris Simonis deerant huic operi adijciendo. De cætero autem ex vtroq; libello inter scalaritet quasdam narrationes prosequendo voluimus ordinate procedere, prout tempori competunt & ordini historiæ.

De exaltatione Raconadij in Soldanum Turquię.

Cap. XXVI.

Frater Simon. Anno superius in missione fratrum ad Tartaros annotato scilicet ab incarnatione Domini M.cc.45. mense Octobri, mortuus est in Satellia Gaiasadinus Turquiæ soldanus, eique successit filius eius adhuc puer nomine Raconadius, hunc genuerat ipse de filia cuiusdam sacerdotis Græci, alterum vero nomine Azadinum de filia, vt dicitur cuiusdam Burgensis Iconij seu Prætorij, tertiũ vero Aladinũ de filia Reginæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Georgiæ genuerat, quam in vxorem habebat. Raconadius erat 11. annorum, Azadinus 7. Et iſte quidem natu minimus Reginæ filius, quo ad ipſos paternæ hæreditatis hæres erat legitimus, ſi quidem & pater eius tertia die poſt natiuitatem ipſius, omnes Admiraldos ſuos eidem puero tanquam legitimo filio & hæredi ſuo iuramentum homagij ſecundum ritum ſuum præſtare iuſſit aliamque monetam à ſua, eiuſdemque filij nomine tunc fieri iuſſit, quæ adhuc etiam in Turquia currit. Sed tunc erat quidã Loſyr nomine Baiulus totius Turquię Perſa natione, qui olim ad Soldanum veniens fuerat notarius Curiæ. Fratrem quoque pauperem habebat, qui ligna vendebat. Deinde paulatim in tantum aſcendit, quod Turquiæ Cancellarius fuit. Hic itaque vnus erat de terrę antiquioribus, & in multis ſagax inuẽtus & expertus. Qui etiam ad Tartaros pro terra ſaluanda perrexerat, eique Soldanus in morte gladium ſuum commiſerat, ita quod ex parte illius totã terram in manu habebat, anhelauit autẽ omnibus modis in vxorem accipere vnam de Domini ſui mortui vxoribus, quod magnum apud Turcos erat opprobrium Domino & ſuis omnibus. Et hoc quidem propoſitum ſuum Salefadino, qui tunc in Turquia poſt ipſum erat potentior, tanquam amico ſuo & familiari reuelauit, quod omnibus modis Salefadino diſplicuit, & ei quantum potuit diſſuaſit. Ille tamen prævalens, tandem Soldani vxorem Raconadij matrem accepit, ipſumque Raconadium tanquam natu maiorem in Soldanũ exaltauit, quorum vtrumq; Salefadino, cæteriſque pluribus Admiraldis valde diſplicuit, tum quia ipſe Loſyr Soldanum illum conſtituendo cum omnibus Admiraldis in hoc ſibi aſſentientibus periurium incurrebat, tũ quia ipſe homo plebeius & alienigena, vxorem Domini ſui accipiendo, magnum ei ſuiſque omnibus Admiraldis dedecus faciebat.

De Loſyr tyranni debacchatione.

Cap. XXVII.

EX his ergo Salefadinus & plures Admiraldi Turquiæ contra Loſyr plurimũ indignati ſunt, ità quod in mortem eius ſexingenti cum ipſo coniurauerunt. At quidam eorum, qui ſimul iurauerant ad ipſum Loſyr acceſſerunt, eique mortem ſuam iuratam manifeſtauerũt, & ſuper iuratione facta veniam ab ipſo poſtulantes eique de cætero ſe pænitus adhæſuros firmiter promittentes. Quoſdam etiam illorum ſexingentorum quos ipſi plus odiebant nominauerunt, ipſique Loſyr occidere ſuaſerunt eos. Vnus autem ex illis aſtutior conſuluit Loſyr vt aliqua die incluſum ſe in camera ſua infirmum fingeret, & cauſa ſuæ viſitationis eos accerſiret, ibique inſidijs poſitus locus aptaretur, in quo occidẽdi omnes includerentur. Quod vbi factum eſt, vna die 15. vel ſecundum aliqs 24. Admiraldi maiores in Turquia latenter occiſi ſunt. Dicunt & latini ſiue Chriſtiani, quod idem Loſyr admiraldos vſque ad 60. occidit, quoſdam etiam alios perſequendo fugauit, & quoſdam in carcere recluſit Marchiſium de Lambro incarcerauit, & Admiralem ad Tartaros vt exilem profugauit, illum quoque qui dederat ei conſilium de admiraldis occidendis cum vxore ac filijs omnibus interfecit. Magis autem ac magis contra Salefadinum vtpote tunc in Turquia potentiorem, & cui magis quam alijs facta ipſius diſplicebant, indignabatur; qui ſcilicet Salefadinus apud Arſengam, tanquam cui terra illa erat commiſſa morabatur cum ergo die quadam Salefadinus. cc. ſecum bellatores haberet, eique 10. millium hominum exercitus Loſyr ſuperueniret, illi qui erant ex parte Loſyr mandauerunt Salefadino ne fugeret, ſed aduentum ipſorum conſtanter expectaret; quia in hora qua inciperent congredi cum ipſo eſſent, qui modo videbãtur eſſe contrarij. Qui verbis eorũ nimis credulus, bellum aggreſſus eſt, ſtatimque à multitudine tanta contritus eſt. Ipſe tamen cum paucis receptus eſt in quodã caſtro fortiſſimo, Gamach vocabulo. Tandẽ vero circundatus & obſeſſus ab exercitu Loſyr à caſtri habitatoribus exire quaſi coactus eſt, dicentibus ſe nolle tueri hominẽ in caſtro Soldani, qui contra Soldanũ eſſet. Interim quoq; nuncios mittebat Loſyr ad ipſum, vt de caſtro ſecurus exiẽs ad ſe veniret, eligens ſibimet quod melius vellet, videlicet aũt exire de terra libere, & quocũque vellet proficiſci, aut de cætero cum beneuolentia ipſius Loſyr in terra Turquię vt prius cõmorari. Cũque nuncij verba portantes, annuẽte Salefadino, ab ipſo Loſyr iuramẽta recepiſſent, omnia quę mandauerat ſe firmiter ſeruaturum, ille fidei eorum ſe cõmittens ibat ad ipſum; Loſyr autẽ præmiſit nũcios in occurſũ eius, dicens nunciis eũ adducentibus: Nolite vlterius ipſum ad me adducere, ſed viſis præſentibus nũcii eũ interficite. Quod & factum eſt. Hic autem Salefadinus Gallicum atque Teutonicum ſciebat, multumque francos ſiue Chriſtianos diligebat. Et ſi aliquamdiu longius vixiſſet, fortaſſis, vt creditur, cito Chriſtianus factus fuiſſet.

De fœderis inter Turcos & Tartaros confirmatione.

Cap. XXVIII.

EOdem autẽ anno quo mortuus eſt Soldanus Turquiæ Gaiaſadinus, eique ſucceſſit filius eius primogenitus Raconadius, ſcilicet ab incarnatione domini M: ccxlv. Tartari cum Turcis fœdus inierunt, & tunc 14. camelos hyperperis oneratos ac 300. ſummarios ſericis & ſcarleta, aliiſque pannis pretioſis onuſtos cum pluribus æquitaturis eorum Regi tranſmiſerunt. Frater autem Soldani medius natu, videlicet Azadinus, ad eundem Regem cauſa confœderationis eſt miſſus. Denique Turci ſub hac formã ſe tributarios ſubdiderunt Tartaris. Quolibet anno reddunt eis M. cc. millia hiperpera, & quingẽtos pãnos ſericos & camelos totidẽ, & arietes 5. millia. Hæc autẽ omnia tenentur ducere & conducere ſalua & integra cum expenſis ſuis vſque ad Mongam. Tantundẽ quoque valẽt exenia & dona, quæ vltra tributum mittuntur quantum ipſum tributum, & amplius etiam vt dicitur. Præterea tenentur Turci per totam Turquiam prouidere nunciis Tartarorum omnino, in equitaturis, & in muneribus, in victualibus eundo, morando, ac redeundo. Itaque notarius Soldani computauit expenſas nunciorum Tartaricorum, quas apud Iconium in duobus annis fecerant, & inuentum eſt quod excepto pane & vino ſexingenta millia hyperpera expenderant. Prædicta vero tributaria confœderatio facta fuit apud Saluaſtiam Marchiſio de Lambro nomine Conſtantini præſente, qui tunc temporis Mareſcallus erat Turquiæ, & etiam baiulus fuerat eiuſdem terrę. Et quandoquidem hoc tributum primo cõmiſſum fuit Tartaris, interfuit ibidem eiuſdem Conſtãtini miles vocabulo Prouincialis, qui multa de illis enarrauit fratribus prædicatoribus, à Domino Papa cum litteris ſuis ad Tartaros tranſmiſſis.

Qualiter Rex minoris Armeniæ Tartaris ſe ſubdidit.

Cap. XXIX.

CIrca idem tempus Conſtans pater & Baiulus Regis Armeniæ, qui vocatur Aitons. filium ſuũ eiuſdem Regni Coneſtabulum ad Tartaros miſit, eorumque tributo ſe ac regnum ſuum ſubiiciens, pacem cum eis compoſuit. Quæ videlicet minor Armenia nomine alio ab antiquo vocatur Cilicia, & inter Turquiam & Syriam eſt ſita. Ibi eſt Tarſis ciuitas Archiepiſcopalis, de qua Paulus Apoſtolus fuiſſe ſe dicit. Ibi quoque eſt Catholicon, ideſt vniuerſalis epiſcopus, ſicut & Georgia, de qua dictum eſt ſuperius. Huius Armenię regnum acquiſierant paucis antea temporibus, duo fratres de maiori Armenia, Leo ſcilicet ac Robinus. Et Robinus quidem maior natu prior in ea regnauit vel potius præfuit; moriturus vero regnum & filiam ſuam, eiuſdem videlicet regni hæredem, fratri ſuo Leoni cõmiſit, eiuſque fidei credidit. At ipſe Leo regnum in ſemetipſum retorſit, quinpotius de Baronia regnum ſibi facere voluit,

nam

nam antea, vt dicitur, Rex ibi non erat, sed Baro, qui Soldano Turquiæ sub tributo seruiebat. Itaque ad petitionem ipsius Leonis auus Domini de Trousot perrexit ad curiam Romanam, & ad Imperatorem Othonem, petens ab ambobus, vt ipsum in legium hominem reciperent. Ecclesia vero sub conditione, saluo scilicet hæredis iure, recepit ipsum in hominem & Otho similiter. Porro Archiepiscopus quidam Teutonicus videlicet Moguntinus attulit eidem Leoni coronam, sub tali conditione, vt omnes pueros infra 12. annos existentes ipse Leo poni faceret ad literas latinas. Tunc ergo Rex Leo dedit ecclesiæ in dotem casale Estelicæ, castrũ Paperon, & alia multa casalia, pluraque alia. Hæc autem omnia iurauerunt Barones se firmiter seruaturos. Factum est autem, hoc anno domini M.ccxlij. Porro idem Leo ter infirmus ter fecit omnes Barones suos Robino nepoti suo iurare, tanquam vero & legitimo Domino suo & iusto hæredi regni Armeniæ. Filiam tamen suam cui regnum relinquere disposuerat, fratri Antiocheni Principis in coniugium dedit, & postea ipsum dolose interfecit. Ipso autem Leone mortuo, quidam Baro eiusdem Armeniæ Constans nomine, filiam eius violenter rapuit, & postmodum eandem inuitam filio suo Hartoni matrimonio copulauit, eique cum illa regnum tradidit. Porro filiam Roibni, quæ regnum hæreditario iure possidere debuit, Philippus miles de monte forti vxorem accepit. Vnde & merito ad illud aspirat, ipsumque vt iustum est, acquisiturum se sperat. Idem etiam Constans diuersis dolis & machinamentis 62. Barones Armeniæ maiores interfecit. Soldani quoque Turquiæ matrem atque sorores, quas idem Soldanus ipsi tanquã suo homini legio ac fideli, vtpote Christiano causa refugij miserat à facie Tartarorum, ipse reuera infidelis & iniquus misit eisdem Tartaris in fauorem ipsorum. Et ille quidem in ipso itinere dicitur obijsse. Itaque Soldanus ipse terram eius intrauit & vrbem Tarsum obsedit. Sed ibidem infirmatus mortuus est, & in vrbe regali Satellia sepultus est.

Qualiter Cuiuch fratres minores susceperit.

Cap. XXX.

Frater Ioannes. Cum autem peruenimus ad Cuiuc fecit nobis dari tentorium & expensas quales Tartaris dare solent nobis, tamen melius quam alijs nuncijs faciebant. Ad ipsum autem vocati non fuimus, eo quod nondum electus erat, nec adhuc de imperio se intromittebat. Interpretatio tamen litterarum Domini Papæ ac verba etiam à nobis dicta à prædicto Baty erant ei mãdata, Cum ergo stetissemus ibi per quinque vel 6. dies, ad matrem suam nos transmittit, vbi adunabatur curia solemnis. Et cum venissemus illuc, tam extensum erat tentorium magnũ de alba purpura præparatum, eratque tam grande nostro iudicio, quod plusquam duo millia hominum poterant esse sub illo. Et in circumitu factum erat ligneum tabulatum varijs imaginibus depictum. Illuc ergo perreximus cum Tartaris nobis ad custodiam assignatis, ibique conuenerant omnes Duces, & vnusquisque cum hominibus suis equitabat in circuitu per planitiem & colles. In prima die vestiti sunt omnes purpuris albis, in secũda vero rubeis, & tunc venit Cuiuc ad tẽtorium illud. Porro tertia die fuerunt omnes in blaueis purpuris & quarta in optimis baldacinis. In illo autem tabulato iuxta tentorium erãt duæ maiores portæ, per quarum vnam solus Imperator debebat intrare, & ad illam nulla erat custodia, quamuis esset aperta, quia per illam nullus audebat ingredi vel exire. Per aliam omnes qui admittebantur intrabant, & ad illam custodes cum gladijs & arcubus & sagittis erant. Itaque si quis tentorio propinquabat vltra terminos qui positi erant, si capiebatur, verberabatur: si fugiebat, sagitta siue ferro sagittabatur. Multique ibi erant qui in frẽnis pectoralibus, sellis & huiusmodi, iudicio nostro auri circiter 10. marcas habebant. Sic duces infra tentorium colloquebantur, & de Imperatoris electione tractabant, vt à nobis creditur. Alius autem vniuersus populus longe extra tabulatum collocabatur & ita ferè vsque ad meridiem morabantur. Tunc incipiebat lac iumentinum bibere, & vsque ad vesperas tantum bibebant, quod erat visu mirabile. Nos autem vocauerunt interius, & dederunt nobis cereuisiam, quia iumentinum lac non bibebamus. Et quidem nobis pro magno fecerunt honorem, sed tantum nos compellebant ad bibendum, quod nullatenus poteramus propter consuetudinem sustinere. Vnde ostendimus eis hoc esse graue nobis, ideoque nos cessauerunt compellere. Foris autem erat Dux Gerozlaus de Susdal Ruciæ, pluresque duces Chitaorum & Solanguorum. Duo quoque filij Regis Georgiæ, nuncij etiam Califi de Balsac, qui erat Soldanus, & plusquã, 10. alij Soldani Saracenorum, vt credimus. Et sicut nobis à procuratoribus dicebatur, erant ibi nunciorum plusquam 4. millia inter illos, qui tributa portabant, & illos qui deferebant munera & illos pro quibus ipsi miserant, illosque qui terrarum erant præfecti. Hi homines simul extra tabulatum ponebantur, eisque simul bibere præbebatur. Nobis autem & Duci Gerozlao fere semper ab eis dabatur superior locus, quando cum eis eramus exterius.

Qualiter in imperium sublimatus fuit.

Cap. XXXI.

ET quidem si bene meminimus ibidem per septimanas circiter 4. fuimus credimusque quod ibi fuit electio celebrata, non tamen ibidem fuit publicata. Propter hoc autem id maxime credebatur, quia semper quando Cuiuc de tentorio exibat eidem cantabatur, & cum virgis speciosis in summitate lanam coccineam habentibus inclinabatur quod alteri ducum nulli fiebat, quousque exterius morabatur. Hæc autem statio siue curia nominatur ab eis siraorda. Hinc exeuntes vnanimiter omnes equitauimus per tres aut quatuor leucas ad alium locum, vbi erat in quadam pulchra planicie iuxta riuum, inter montes aut tentorium, quod apud ipsos appellatur Orda aurea præparatum. Ibi enim Cuiuc debebat poni in sede in die Assumptionis Dominæ nostræ. Sed propter grandinem nimiam, quæ tunc, vt supradictum est, cecidit, res dilata fuit. Eratque tentorium in columnis positum, quæ laminis aureis erant erectæ, & clauis aureis cum alijs lignis fixæ. Porro de Baldachino erat tectum superius, sed alijs erant panni exterius. Fuimus autem ibi vsque ad festum beati Bartholomæi, in quo maxima multitudo conuenit, & contra meridiem versis vultibus stetit. Et quidam ad iactum lapidis longe à cæteris erant semperque orationes faciendo ac genua flectendo contra meridiem longius & longius procedebant. Nos autem vtrum incantationes facerent, aut Genua Deo vel alteri flecterent nescientes, nolebamus facere genuflectiones. Cumque diu ita fecissent, ad tentorium reuersi sunt, & Cuiuc in sede imperiali posuerunt, ducesque coram eo genua flexerunt. Post hæc idem fecit vniuersus populus, exceptis nobis, qui eis subditi non eramus.

De solemnitate qua fuit inthronizatus.

Cap. XXXII.

Frater Simon. Igitur anno domini M. ccxlvj. Cuiue, qui & Gogchaam, idest, Imperator vel Rex, sublimatus est in Tartarorum regno. Omnes siquidem illorum Barones congregati quandam sedem auream in loci supradicti medio posuerũt, supra quam ipsum Gog sedere fecerunt; coram eo gladium posuerunt dicentes: Volumus, & rogamus, atque præcipimus, vt dominetis omnibus nobis. At ille dixit eis, si me vultis super vos regnare, nunquid parati estis vnusquisque quod vobis præcepero facere, quemcumque vocauero venire,

quocunque

Imperatoris Tartarorum creãdi modus.

quocunque voluero mittere pergere, quemcunque occidi præcepero occidere? Reiponderunt: Vtique: Ergo, inquit, oris mei sermo, de cætero gladius meus erit, omnesque communiter ei consenserunt. Post hæc autem filtrum quoddam in terra statuerunt, ipsumque rursus desuper sedere fecerunt dicentes: Vide sursum & agnosce Deum ac respice filtrum in quo sedes deorsum; si bene regnum tuum rexeris, si largus fueris, iustitiamque seruare dilexeris ac Principes tuos vnumquemque secundum dignitatem suam honoraueris, magnificus regnabis, totusque mundus tuæ substernetur dominationi, & quicquid desiderabit cor tuum dabit Deus tibi. Si autem econtrario feceris, miser, & abiectus eris, adeoque pauper, vt nec tibi permittatur filtrum in quo nunc sedes. Hoc dicto idem Barones vxorem Gog cum ipso super filtrum sedere fecerunt: sicque ambos sedentes, à terra sursum in aera leuauerunt, atque Imperatorem & Imperatricem omnium Tartarorum voce publica & clamorosa eosdem protestati sunt. Postea multitudinẽ infinitam auri & argenti & lapides pretiosos ac quæcũque remanserant à Chagadadam, coram Imperatore nouo apportari fecerunt, eique dominium super omnia illa plenarium concesserunt. Ipse vero prout ei placuit vnicuique principum distribuit, sibique residuũ seruari præcepit. Deinde verò bibere cæperunt, & vt moris eorum est, vsque ad vesperas continue potationibus intenderunt. Post hæc autem carnes coctæ in cineribus sine sale venerant, & inter quatuor vel quinque homines vnicum membrum siue frustum ministri dederunt carnes ac brodium cum sale pro salsa, sicque faciebant cunctis diebus, quando celebrabant conuiuia.

De ætate ac moribus, & sigillo ipsius.

Cap. XXXIII.

Tartarorum Imperator habebat clericos christianos.

Frater Ioannes. Hic autem Imperator quando sublimatus est in regnum, videbatur esse circiter 40. vel 45. annorum, mediocris erat staturæ, prudens valde, nimis astutus, multumque serioſus & grauis in moribus. Nec vnquam videbat eum homo de facili ridere, vel aliquam lenitatem facere, sicut dicebant Christiani, qui cum ipso morabantur continue. Dicebant etiam, nobis firmiter asserendo Christiani, qui erant de familia eius, quod deberet fieri Christianus. Cuius signũ erat, quod ip te clericos Christianos tenebat, & expensas eis dabat; habebat etiam semper capellam Christianorum ante maius tentorium suum, vbi cantant clerici publice & aperte, ac pulsant ad horas vt cæteri Christiani secundum mores Græcorum, quantacunque sit ibi multitudo Tartarorum vel etiam aliorum hominum. Hoc tamen non faciunt alij Duces ipsorum. Est autem mos Imperatoris ipsius, vt nunquam ore proprio loquatur cũ extraneo quantumcumque magnus sit, sed audit ac respondet per interpositam personam. Et quandocunque negocium proponunt vel Imperatoris responsionem audiunt, isti qui sub eo sunt quantumcumque sint magni, flexis genibus vsque ad finem verborum persistunt. Nec alicui de consuetudine super aliquo negocio loqui licitum est, postquam ab Imperatore diffinitum est.

Habet autem Imperator prædictus procuratorem & protonotarios atque scriptores, omnesque officiales in negociis tam publicis quam priuatis, exceptis aduocatis. Nam sine litium vel iudiciorum strepitu secundum arbitrium Imperatoris omnia fiunt. Alij quoque Principes Tartarorum de his, quæ ad illos pertinent idẽ faciũt.

Hoc autem nouerint vniuersi, quia nobis tunc existentibus in solenni curia iam ex pluribus annis indicta, idem Cuyue Imperator de nouo electus cum omnibus suis Principibus erexit vexillum contra ecclesiam Dei, ac Romanum imperium, ac contra omnia regna Christianorum & populos occidentis, nisi fortasse, quod absit, facerent ea quæ mandabat Domino Papæ atque potentibus, & omnibus Christianorum populis, videlicet vt ipsi subdantur eis, nam excepta Christianitate, nulla è terra in orbe, quam timeant, & idcirco contrà nos ad pugnam se præparant. Huius siquidem Imperatoris pater scilicet Occoday necatus fuerat veneno, & ob hoc à bellis quieuerant tempore pauco. Intentio autem eorum, vt dictum est supra, est sibi totum subiicere mundum, sicut à Chingiscam habent mandatum. Vnde & ipse Imperator in litteris suis ita scribit: *Dei fortitudo, omniũ hominũ Imperator.* In super perscriptione quoq; sigilli eius hoc est: *Deus in cælo & Cuyue Chaam super terram, Dei fortitudo, omnium hominum Imperatoris sigillum.*

De nominibus eius ac Principibus & exercitibus.

Cap. XXXIV.

Chaam quid significet.

Frater Simon. Et hoc quidem nomen Chan siue Chaã est appellatiuum, idemque sonat quod Rex vel Imperator, siue magnificus, vel magnificatus. Sed hoc Tartari singulariter attribuunt Domino suo, nomen eius proprium reticendo. Ipse quoque gloriatur se esse filium Dei, seque sic ab hominibus appellari. Idem autem sonat Cuyue quod & Gog & fratris eius Magog, siquidẽ per Ezechielem Dominus Gog & Magog aduentum prædicit, eorumque interitum se factum & per eundem promittit. Ipsi quoque Tartari proprie loquendo se vocant Mongali siue Mongol, quod verbum fortasse consonat Mosoth.

Cuyue quid sibi velit.

Hic itaque scilicet Cuyne, Chan siue Cog, Chaam feruens & æstuans in hominum prostrationem, quasi clibanus succensus à coquente, secum habet exercitus quinque suo Domino seruientes, per quos expugnat omnes sibi contrarios ac rebelles. In finibus autem persidis habet principem nomine Bayothnoy, qui totam terram Christianorum & Saracenorum vsque ad mare mediterraneum, & prope Antiochiam & vltra per duas dietas eius Dominio subiugauit: ita quod à capite Persidis vsque ad mare iam ei regna 14. adquisiuit. Est autem Baioth proprium nomen: Noy vero sonat dignitatem: est etiam Dux quidam Tartarorum nomine Corenzam versus Christianos occidentis; qui habet sub se armatorũ sexingenta millia, stans ibi tanquam in custodia, ne super ipsos ac super subsequentes irruant subito Christiani. Porro Baioth Princeps est Tartarorum maximus hominibus quidem suis satis benignus, licet ab eis sit valde reueritus, in pugna vero est crudelissimus. In exercitu quidem Baioth sunt sexcenta millia pugnatorum, videlicet 160. millia Tartarorum, & 450. millia tam Christianorum & aliorum scilicet infidenum; & dicitur habere plures bellatores in septuplo numero, quam Bayothnoy in exercitu suo. Porro Chaam dicitur habere exercitus quinque, quorum omnium nemo de facili potest numerum comprehendere. Fertur autem, Baioth 18. Barones fratres non ex eodem patre, nec ex eadem matre, sed ex diuersis habuisse, quorum vnusquisque 10. millia bellatorum ad minus habebat sub se, sed de omnibus illis nõ intrauerũt nisi duo fratres in regnum Hungariæ. Debebant autem annis 30. procedere in pugnando, sed tũc, vt dictum est, interfectus fuit Imperator eorum veneno, ideoque quieuerunt tempore pauco. Vt autem Imperatorem habuerunt, iterum se ad pugnandum præparauerunt.

Bayoth quis

De admissione fratrum & nunciorum ad Imperatorem.

Cap. XXXV.

Frater Ioannes. In loco igitur illo, vbi positus est Imperator in throno, vocati fuimus coram ipso. Cumque Gingai protonotarius eius nomina nostra scripsisset, illorumque à quibus missi eramus, & ducis Solangorum & aliorum clamauit alta voce, recitans illa coram Imperatore ac ducum vniuersitate. Quo facto flexit vnusquisque nostrum quater genu sinistrum, & monuerunt ne tangeremus limen deorsum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cumque pro cultellis nos diligentissime scrutati fuissent,& nullatenus inuenissent,intrauimus ostium ab orientali parte,quia nullus ab occidente nisi solus Imperator audet intrare;similiter & Dux ab illa parte ingreditur solus,si est tentorium eius;minores autem non multum curant de talibus. Tunc ergo primum in eius præsentia,suam intrauimus stationem, videlicet postquam factus est Imperator ibidem. Omnes quoque nuncij tuc ab eo recepti sunt, sed pauciſſimi tentorium eius intrauerunt. Ibi vero tanta donaria ab ipsis nuncijs fuerunt ei præsentata,quod quasi videbantur infinita, videlicet in samitis ac purpuris & baldachinis ac cingulis sericis cum auro præparatis,pellibus etiam nobilibus, ceterisque muneribus. Quoddam etiam solinum siue tentoriolum,quod super caput Imperatoris portatur fuit eidem præsentatum,quod totum erat cum gemmis præparatum. Quidam vero præfectus vnius prouinciæ adduxit ei camelos multos cum baldachinis tectos, super quos sellæ positæ cum instrumentis quibusdam erant, in quibus homines interius sedere valebant. Equus etiam multos & mulos adducebant eidem phaleratos siue armatos,quosdam quidam de corio & quosdam de ferro. Nos etiam requisiti fuimus an ei munera dare vellemus sed iam facultas non erat, quoniam omnia ferè nostra consumpseramus. Ibidem lōge à stationibus super mōtem erant positi currus plusquam quingenti, qui omnes auro & argento ac sericis vestibus erant pleni. Cunctique inter Imperatorem & Duces diuisi fuerunt singulique duces inter homines suos partes suas vt eis placuit diuiserunt.

De loco diuisionis Imperatoris & matris suæ & morte Gerozlai Ducis Ruſciæ.

Cap. XXXVI.

INde recedentes venimus ad alium locum, vbi tentorium mirabile totum de purpura rufa, quod Chitai dederant erat positum. Illic etiam interius introducti fuimus,& semper cum intrabamus,nobis dabatur ad bibendum cereuisia vel vinum & etiam carnes coctæ si volebamus ad edendum. Eratque solariolum vnum de tabulis alte præparatum, vbi thronus Imperatoris erat positus ex ebore mirabiliter sculptus, in quo etiam erat aurum & lapides pretiosi si bene meminimus, & illuc ascendebatur per gradus, eratque rotundum superius. Banci vero erant positi in circuitu sedis vbi dominæ sedebant à parte sinistra in scamnis, à dextris autem netem nemo sedebat superius. Sed duces sedebant in bācis inferius & hoc in medio. Alij vero sedebant post eos & quolibet die venit dominārum maxima multitudo. Ista vero tria tentoria de quibus supradiximus erant vade magna,aliaque habebant vxores eius de filtro albo satis magna & pulchra. Ibidem Imperator diuisus est à matre sua,quæ iuit in vnam terræ partem, & Imperator in aliam ad iudicia facienda. Capta siquidem erat amica Imperatoris istius quæ veneno interfecerat patrē eius eo tempore quo exercitus eorum in Hungaria fuit, propter quod etiam exercitus eorum, qui erat in partibus illis recessit. De qua cum aliis pluribus factum fuit iudicium,& occisi fuerunt.

Eodem tempore mortuus fuit Hierozlaus dux magnus Soldal,quæ est quædam Ruscię pars Vocatus enim ad matrem Imperatoris quasi pro honore,vt manducaret ac biberet de manu ipsius, incontinenti est ad hospitium reuersus,infirmatusque mortuus est. Post septem dies totumque corpus eius miro modo glaucum effectum est. Dicebaturque ab omnibus quod ibidem vt terram eius libere ac plenariæ possiderent,fuisset impocionatus.

Qualiter tandem fratres ad Imperatorem accedentes litteras dederunt & acceperunt.

Cap. XXXVII.

DEnique Tartari nostri nos ad Imperatorem duxerunt,qui cum audisset per illos nos ad eum venisse,iussit nos ad matrem redire,volebat enim secundo die sicut superius dictum est, contra totam occidentis terram vexillum erigere,quod nos volebat ignorare. Itaque reuersi stetimus paucis diebus, & iterum ad ipsum reuersi sumus,cum quo bene per mensem fuimus in tanta fame & siti,quod vix viuere poteramus:nam expensę quæ nobis pro diebus quatuor dabantur, vix vna sufficiebant,nec inuenire poteramus aliquid ad emendum,quia forum erat nimis remotum,sed Dominus nobis quendam Ruthenum,nomine Cosmam aurifabrum præparauit,qui satis dilectus Imperatori nos in aliquo sustentauit. Et hic nobis ostendit thronum Imperatoris,quem ipse fecerat antequam poneretur in sede, sigillum eiusdem,quod etiam fabricauerat ipse. Post hæc Imperator pro nobis misit,nobisque per Chingay Protonotarium suum dici fecit vt verba nostra & negocia scriberemus eique porrigeremus. Quod & fecimus. Post plures dies iterum nos vocari fecit,& vtrum essent apud dominum Papam qui Ruthenorum vel Saracenorum aut etiam Tartarorū literam intelligerent, interrogauit,Cui respondimus,quod nullam istarum literarum habebamus. Saraceni tamen quod nobis expedire videbatur,quod in Tartarico scriberent,& nobis interpretarentur,nos autem in litera nostra diligenter scriberemus,& tam litteram,quam interpretationem ad Dominum Papam deferremus. Tunc à nobis recesserunt,& ad Imperatorem iuerunt. Porrō in die beati Martini fuimus vocati. Tunc Chadach totius imperij procurator & Chingay & Bala,pluresque scriptores ad nos venerunt, nobisque litteram de verbo ad verbum interpretati fuerunt. Et cum in latina littera scripsissemus, faciebant sibi per singulas orationes interpretari, volentes scire si nos in aliquo verbo erraremus. Cum igitur ambæ litteræ fuissent scriptæ,fecerunt nos semel ac secundo legere,ne forte minus aliquid haberemus,dixerunt nobis,videte quod omnia bene intelligatis, quia non expediret quod non omnia bene intelligeretis. Litteras enim in Saracenico scripserunt,vt aliquis in partibus nostris inueniri posset,qui ea si opus esset legeret.

Qualiter licentiati fuerunt.

Cap. XXXVIII.

VT autem nobis Tartari nostri dixerunt proposuit Imperator nuncios suos nobiscum mittere. Volebat tamen vt credimus quod nos id ab eo peteremus Sed cum vnus de Tartaris nostris,qui senior erat nos ad hoc petendum hortaretur, nobis quidem vt venirent nequaquam bonum videbatur. Ideo respondimus ei, quod non erat nostrum petere,sed si sponte ipse Imperator mitteret eos, libenter eos secure conduceremus Domino adiuuante.

Nobis autem ob plures causas vt venirent,non videbatur expedire. Prima quidem fuit,quia timuimus ne visis dissensionibus aut guerris,quæ fiunt inter nos magis animarentur ad veniendum contra nos. Secunda fuit, quia timebamus illos exploratores terræ fieri. Tertia vero, quia timebamus eos interfici. Gentes enim nostræ arrogantes sunt, & superbæ. Vnde quando seruientes qui stant nobiscum ex rogatu Cardinalis Legati scilicet Alemanniæ in habitu Tartarico ibant ad ipsum,in via fere lapidati sunt à Teutonicis, & coacti sunt deponere habitum illum. Consuetudo autem est Tartarorum, vt cum illis qui nuncios eorum occiderunt,nunquam faciant pacem,nisi sumant de ipsis vltionem. Quarta etiam causa fuit, quia

time

timebamus,ne auferrentur nobis vi. Quinta vero causa erat,quia de aduentu eorum nulla foret vtilitas, cum nullum alium haberent mandatum, vel potestatem nisi quod litteras Imperatoris ad Dominum Papam & ad Principes deferrent. Quas videlicet litteras ipsi nos habebamus.Et malum ex eorum aduentu posse contingere credebamus.Itaque tertia die post hoc scilicet in festo beati Briccii nobis dederunt licentiam,litteram Imperatoris sigillo munitam mittentes nos ad ipsius Imperatoris mātrem.Quæ vnicuique nostrum dedit pelliceum vnum de pellibus vulpinis,quod habebat pilos deforis & purpuram vnam, de quibus Tartari nostri furati sunt ex vnaquaque vnum passum.De illa quoque quæ dabatur seruienti,meliorem medietatem sunt furati. Quod nos quidem non ignorauimus, sed inde verba mouere noluimus.

Qualiter ab illo itinere redierunt.

Cap. XXXIX.

TVnc iter ad reuertendum arripuimus, ac per totam hyemen venimus iacentes in desertis sepius in niue,nisi quantum poteramus nobis cum pede locum facere. Ibi quippe non arbores sed planus campus, & sæpe mane nos inueniebamus totos niue quam ventus pellebat coopertos. Sic venientes vsque ad Ascensionem Domini peruenimus ad Bati, à quo cum inquireremus quid responderet Domino Papæ, dixit se nolle aliud,nisi quod Imperator diligenter scripserat demandare. Datisque nobis de conductu litteris ab eo recessimus, & sabbato infra octauas Penthecostes vsque ad Montij peruenimus,vbi erant socij nostri ac seruientes, qui fuerant retenti,quos ad nos fecimus reduci. Hinc vsque Corenzam peruenimus,cui iterum à nobis donata petenti non dedimus,quia non habebamus. Deditque nobis duos Comanos, qui erant ex Tartarorum plebe vsque ad Chiouiam Rusciæ.Tartarus tamen noster non dimisit nos,donec exiremus vltimam Tartarorum custodiam.Isti vero alii qui nobis à Corenza dati sunt in sex diebus ab vltima custodia vsque ad Chionia nos duxerunt.Venimus autem illuc ante festum beati Ioannis Baptistæ 15.diebus.Porro Chicouiēses aduentū nostrum percipientes occurrunt nobis omnes lætanter. Congratulabantur enim nobis tanquam à morte suscitatis,sic feceruht nobis per totam Rusciam, Poloniam, & Bohemiam, Daniel & Vuasilico frater eius festum nobis magnum fecerunt,& nos contra voluntatem nostram bene per octo dies tenuerunt.Medioque tempore inter se & cum episcopis cæterisque probis viris super his quæ locuti fueramus eisdem in processu nostro ad Tartaros consilium habentes, responderunt nobis communiter dicentes, quod Dominum Papam habere vellent in specialem Dominum,& in patrem; sanctam quoque Romanam ecclesiam in Dominam & magistrā confirmantes etiam omnia quæ prius de hac materia per Abbatem suum transmiserant, & super hoc etiam nobiscum ad Dominum Papam nuncios suos & litteras transmiserunt.

Qualiter fratres Prædicatores apud Bayothnoy Tartarorum Principem admissi fuerunt.

Cap. XL.

Ex libello fratris Simonis. Anno domini 1247. in die translationis beati Dominici primi partis ordinis Prædicatorum frater Anselmus à Domino Papa sicut iam supradictum est missus cum sociis suis peruenit in exercitum Tartarorum.Et hoc in Perside vbi erat exercitus ille sub Bayothnoy Principe.Quod audiens idem Princeps in tentorio suo sedens in vestimento deaurato, suis quoque Baronibus in sericis vestibus pretiosis ac deauratis circunstantibus, misit ad dictos fratres quosdam ex eisdem Baronibus cum suo Aegyp. ideſt principali consiliario & interpretibus. Qui præmisso salutationis eulogio dicunt eis Cuius nuncij estis?Frater autem Anselmus principalis Domini Papæ nuncius, respondit pro omnibus. Ego sum Domini Papæ nuncius, qui apud christianos maior dignitate omni homine reputatur,& ab eisdem illi tanquam patri ac Domino reuerentia exhibetur.In hoc verbo illi quam plurimum indignati dixerunt.Quomodo superbe loquentes dicitis,quod Papa Dominus vester sit maior omni homine. Nunquid scit ille quod Chaam scit Dei filius, & quoniam Bayothnoy & Batho sint Principes eius, sicque nomina eorum diuulgantur & multiplicantur vbique? Quibus frater Anselmus respondit: Quis sit Chaam: quis scitve Bayothnoy vel Batho, Dominus Papa nescit,nec illorum nomina vnquam audiuit. Hoc autem à pluribus audiuit & intellexit,quod gens quædam barbara,quæ dicitur Tartarorum de finibus orientalibus iam dudum exiuit,quæ plures dominio suo regiones subiugauit,nullique parcens,infinitam hominum multitudinem prostrauit. Quod si nomina Chaam suorumque Principum recitari audisset alicuius eorum nomen in literis suis quas afferimus scribere nullatenus omisisset. At vero de tanta hominum strage maxime christiano & dolore cordis tactus,atque compatiens pietatis visceribus de consilio fratrum suorum Cardinalium misit nos ad primum exercitum Tartarorum,quam citius inuenire possemus;exhortans Dominum exercitus omnesque qui ei obediunt,vt ab hominum strage & maxime christianorum facienda in posterum cessent:ac de perpetratis flagitijs vel facinoribus pœniteant sicut tenor literarum ipsius plene manifestat legentibus.Rogamus igitur eum per vos vt literas Domini Papæ recipiat, visoque illarum tenore per suas literas siue per nuncium,vel saltem solo verbo domino Papæ respondeat.

Papa id est Christianorum dominus & ijs omnibus prospicit.

Qualiter ab eis Tartari de mulieribus & de aduentu Francorum quæsierunt.

Cap. XLI.

HIs itaque peroratis Barones prædicti cum interpretibus suis ad Dominum suum reuersi sunt eique verba fratris Anselmi prædicta retulerunt.Post hæc aliquantulo spacio prioribus vestibus mutatis, aliisque de nouo indutis cum interpretibus suis ad fratres redierunt,sicque dixerunt? Hoc vnum quærimus à vobis,vtrum Papa Dominus vester aliquid Domino nostro Bayothnoy mittat,quod ei appottetis. Quibus frater Anselmus respondit,nihil vtique apportamus ei ex parte Domini Papæ,neque enim illi est consuetudo alicui exennia mittere,infideli & ignoto maxime, quin potius fideles eius filij scilicet christiani, & etiam infideles quamplurimi frequenter ei dona mittunt,& exennia offerunt.Tunc iterum illi omnes ad tentoriū Bayothnoy reuersi sunt,& postquam aliquantulum moram alijs indumentis de nouo induti redeuntes fratribus dixerunt: Quomodo potestis præ verecundia ante Dominum nostrum comparere manibus vacuis, porrigendo litteras Domini vestri,quod nullus hominum huc veniens fecit ei.Tunc frater Anselmus respondit: cum vbique & apud christianos maxime, consuetudo approbata obtineat,vt quilibet nuncius literas Domini sui ferens ante illum cui defert,veniat,ipsumque videat: & ei propriis manibus porrigat,si nos ante Dominum vestrū absque muneribus accedere non licet, nec vobis hoc placeat vobis omnibus si placet committemus Domini Papæ literas,Domino vestro Bayothnoy,ex parte ipsius porrigendas.

Tartari de Francorum aduentu interrogant.

In primis autem quæstionibus suis caute, multumque sollicite à fratribus inquirebant,vtrum adhuc in Syriam Franci transfretarent.Audierant enim à mercatoribus suis,vt dicebant,quod multi Francorū in Syriā in breui trāsfretarēt.Ex tunc autē & antea fortassis apud se cogitabat quales pedicas deceptiones eorū pedib⁹ inuol

uendis,in ipso eorum introitu præpararent siue sub simulatione fidei christianæ suscipiendę,siue sub qualibet alia mendacij dolositate,vt ipsos à terrarum suarum introitu Turquiæ scilicet Halapiæ coercerent, seque saltē ad tempus amicos Francorum velle fieri simularent, quos super omnes homines qui sunt in mundo,sicut attestantur Georgiani & Armenij formidant & timent.

Qualiter adorare Bayothony fratres recusarunt.

Cap. XLII.

POst verba prædicta Barones cum interpretibus suis ad Domini sui tentorium redierunt, ibique paululum commorantes rursum vestimẽtis suis de nouo mutatis,ad fratres reuersi dixerunt.Si vultis Domini nostri faciem videre,& ei Domini vestri literas præsentare, oportet vt eum adoretis,tanquam filium Dei regnantem super terram,trina prius ante ipsum facienda genuflectione.Sic enim præcepit nobis Chaam regnans super terram filius Dei:vt Principes suos Bayothnoy & Batho ab omnibus huc aduenientibus faciamus, sicut semetipsum adorari.Quod & vsque nunc fecimus, & in perpetuum firmiter obseruare proponimus.Tunc dubitantibus quibusdam fratribus inter & se cõquerentibus quid sibi Bayothnoy per adorationem intenderet fieri vtrum scilicet idolatriam vel aliud aliquid, frater Guichardus Cremonensis sciens mores & consuetudines Tartarorum,quas à Georgianis didicerat, inter quos etiam in eorum ciuitate Tripolis, in domo fratrum per annos 7.conuersatus fuerat, super hoc illos certificans respondit.De idolatria exhibenda Bayothnoy nullatenus formidetis,quia non hanc sibi petit à vobis fieri,sed in signum subiectionis Domini Papæ totiusque Romanæ ecclesiæ mandato Chaam subijciendæ hanc sibi quã audistis reuerentiam omnibus ad se venientibus nũciis consuetam exhiberi. Omnes itaque fratres circa petitionem huiusmodi deliberantes statuerunt vnanimiter omnes se velle potius decapitari, quam sic adorando genua flectere coram Bayothnoy. Et hoc tum propter honorem vniuersalis ecclesiæ conseruandum, tum propter Georgianorum & Armeniorum, Græcorum atque Persarum,& Turcorum omniumque nationum orientalium scandalum euitandum,ne scilicet per huiusmodi reuerentiam quasi per signum subiectionis atque tributi,quandoque Tartaris impendendi à christianis occasio & materia exultationis,omnibus Ecclesiæ inimicis, per partes orientales diuulgaretur,& ne christianis ab eis captiuitatis atque subiectis,spes suę deliberationis à Domino quandoque superuenturæ per Romanam ecclesiam penitus auferretur:& ne etiam eidem sacro sanctæ ecclesiæ in exhibenda Bayothnoy à Christi fidelibus obedientia,defectu constantię, mortisque timore macula quandoque irrogari vel proponi posse videretur.

Nuncij Pontificis Tartarorũ principem adorare nolũt.

Qualiter Tartaris christianitatem fratres suaserunt.

Cap. XLIII.

POrro frater Anselmus prædictum consilium ac decretum ab omnibus fratribus obseruandum, de cõsensu ipsorum, libere coram omnibus illic astantibus protulit:insuper addidit:ne forte,quod absit,materia dissensionis,& occasio malignandi in responsionibus nostris à Domino vestro,vel etiam abalijs valeat reperiri: quia fortasse superbiam ac rigorem inflexibilem auribus eius,vel aliorum verba nostra videbantur innuere. Hoc etiam per vos significamus ei,quod omnem reuerentiã eidem parati sumus exhibere,quam decet nos Dei sacerdotes ac religiosos viros & nuncios Domini Papæ, salua christianæ religionis dignitate,& obseruata in omnibus ecclesiæ libertate. Illam quoque reuerentiam, quam nostris maioribus ac Regibus & Principibus facere consueuimus,quam etiam docet nos sacra scriptura dicens:*Magnati humilia caput tuum*, parati sumus Domino vestro facere propter bonum pacis, & vnitatis & concordiæ.Illam quoque quam petitis, omnino respuimus tanquam ignominiam religionis christianæ,mortemque quamcumque nobis dominus vester inferre voluerit potius eligimus sustinere Si autem quod Dominus Papa & omnes christiani quamplurimum exoptarent; Dominus vester Bayothnoy vellet christianus fieri,non solum ante ipsum genua flecteremus,verumetiam ante vos omnes parati essemus insuper & plantas pedum ipsius, omniumque vestrum etiam minorum propter Deum humiliter osculari. Quod illi vt audierunt super admonitione ista quamplurimum indignati ac perturbati, cum impetu & furore vehementi fratribus sic responderunt:Monetis vt christiani fiamus nos, simusque canes sicut & vos? Nonne Papa vester est canis, & vos omnes christiani canes estis?Ad hoc frater Anselmus:Nullatenus nisi per prædictorum abnegationes, quæ vera esse supponebant respondere potuit;impeditus videlicet eorum rugitibus ac fremitibus clamorosis atque proteruis. Itaque prædicti Barones cum interpretibus suis, ad tentorium Domini sui redierunt, & sicut responderant fratres,eidem plenarie retulerunt.

Esclef. 4. Principes in fidelesquomodo sint venerandi & quomodo non.

Qualiter illi in sententia mortis in fratres tractauerunt.

Cap. XLIV.

AVdiens itaque Bayothnoy quæ suo Aegip. & Baronibus & interpretibus suis responderant, & indignanter sustinens in eosdem fratres exarsit furore ter ipsos per sententiam diffinitiuam occidi præcipiens innocentem eorum sanguinem effundere non abhorrens, nec omnium gentium consuetudinem approbatam metuens infringere,quæ permittit vbique nuncios progredi & regredi libere ac secure? Quidam vero eius Consiliarij hoc modo dicebant. Non interficiamus omnes illos,sed tantum duos ex illis:ad Papam remittamus alios duos.Alij vero dicebant hoc modo: Excorietur eorum vnus,videlicet principalis Domini Papę nuncius, eiusque pellem impletam palea,per socios suos ad Dominum suum transmittamus.Iterum alij dicebant:Duo tantum ex illis,primo fustigati per totum exercitum occidantur,alij autem duo quoadusque Franci eos subsequentes huc venient reseruentur.Porro etiam alij dicebant hoc modo : Duos ex illis nobiscum ducamus in exercitum,vt ibi multitudinem & potestatem nostram intueantur:& iacentibus machinis hostium nostrorum ante illas ponantur,sicque non à nobis, sed à machinis interfici arbitrentur.At vero Bayothnoy sententia prævalebat,vt capitali sententia plecterentur omnes illi quia contumaces fuerant in prostratione & adoratione facienda sibi.Tandem Deo ordinante, qui dissipat cogitationes malignorum, vna de sex vxoribus Bayothnoy, quæ antiquior erat, & quidam etiam, qui super nuncios ad venientes curam habebant omnibus modis quibus poterant restiterunt sententiæ latæ de nece fratrum.Illa siquidem vxor eius taliter coram eo perorabat, si nuncios illos occideris, omnium qui te tale quid fecisse audierint,odium & horrorem incurres,donaque & exenia quæ tibi à magnis hominibus è diuersis ac longis regionibus transmitti solebant, amittes. Nuncios etiam tuos, quos ad magnos homines mittis,vbique iusto freti iudicio destruent, & occident absque vlla miseratione. Ille quoque qu Nunciorũ aduenientiũ curam habebat,Bayothnoy sic dicebat, nosti si recolis quantum iratus mihi fuerit Chaã super occisionem cuiusdam nuncij,quem interficere mihi præcepisti,cuius cor à visceribus extractum ad incutiendum terrorem aliis nunciis venturis, & omnibus aliis auditurs in equi mei pectorali ver totum exercitum tuum me publice deportari fecisti. Si ergo nuncios illos occidere mihi iusseris,non occidã:sed à te fugiã,& innocentiam meam conseruans festinaboquã citius ad Chaã,&

Tartari de nece fratribus inferenda deliberant.

Quomodo hi fratres à morte fuerunt liberati

de

de morte istorum in plenaria curia tanquam maleficum & homicidam inauditum accusabo te atque conuincã. His ergo persuasionibus Bayothnoy emollitus & confractus cor suum fellitum ac turbulentum, paulatim feruore subtracto sedauit penitus, ac pacificauit.

Qualiter de modo adorandi ad inuicem sunt altercati.

Cap. XLV.

DEnique post moram solito longiorem Barones ad fratres cum interpretibus suis reuersi sunt, Dominique sui furorem ex illorum responsione conceptam caute dissimulantes ipsos taliter allocuti sunt. Ex quo nullatenus Dominum nostrum flexo genu adorare dignamini, quærimus quis sit modus apud vos, secundum quem maiores vestros prout decet illorum dignitatem veneramini. Præterea si vos venire permittimus ante præsentiam Domini nostri quærimus quem honoris ac reuerentiæ modum facietis ei prout decet vos eius dominationem humiliter venerari. Tunc frater Anselmus capucium suum à capite paululum subtrahens, & parũ per caput inclinans sic ait: Hic est modus reuerentiæ, quam nostris maioribus exhibemus, & hanc Baiothnoy Domino vestro, nullamque aliam, vlla constricti violentia exhibere proponimus. Iterum vero quæsierunt illi quis esset modus secundum quem Deum adorãt christiani? At iste respondit: Multis christiani Deum adorant modis, quoniam alii ad terram prostrati, alij genibus in terram defixis, atque aliter alij & alij. Et multi quidem ac diuersi de longe venientes, dominum vestrum adorant venerantes, ipsius tyrannizatione perterriti, eiusque serui facti & sclaui. At verò Dominus Papa & omnes christiani tyrannizationem non metuunt, nec ab eis ex ratione potestis hanc adorationem exigere, nec quod præcepit Chaam illis demandare, qui ei nulla iurisdictione vel dominatione subiecti sunt. Iterum prædictis quæstionibus aliam addiderunt. Cum vos Christiani adoretis ligna & lapides idest ligniš & lapidibus insculptas cruces, quare Bayothnoy adorare dedignamini, quem filius Dei Chaam vt seipsum præcepit adorari? Huic autem quæstioni duplici articulo innodate frater Anselmus sic respondit ex ordine. Ligna & lapides non adorant christiani, sed signum crucis eisdẽ impressum, propter Dominum nostrum Iesum Christum in ea suspensum, qui membris suis tanquam pretiosis eam margaritis ornauit, suoque cruore consecrauit: & in ea salutem nostram acquisiuit. Dominum autem vestrum prædictis rationibus nullatenus possumus adorare, quantalibet nobis proposita cruciatuum passione.

Tartari reuerentiam à Fratribus exhibendam principi postulant.

Quæ nobis obiciunt hæretici, obijciebant & Tartari.

Qualiter ad Chaam ire recusauerunt.

Cap. XLVI.

FInitis huiusmodi verbis dicti Barones ad Dominum suum reuertentes eique fratrum verba referentes. Post aliquantulam iterum moram de mandato eius ad fratres redierunt, dicentes: Dominus noster Bayothnoy mandat vobis, vt vos ire ad Chaam dominatorem ac Regem omnium Tartarorum properetis. Tunc enim ad eũ venientes quis & quantus sit videbitis, quantaque sit eius potentia, quantaque gloria, quæ omnia nunc abscondita sunt ab oculis vestris apertissime cognoscetis. Ipsi vero Chaam literas ex parte Domini vestri Papæ propriis manibus poteritis præsentare, visisque potentia & gloria, diuitijsque Chaam infinitis eidem Domino vestro veraciter poteritis, quæ ibi videritis & audieritis nũciare. At vero frater Anselmus malitiam Bayothnoy percipiens & aduertens, quam etiam prius didicerat plurimus tam christianis quam infidelibus sic respondit Baronibus. Cum Dominus meus (vt alijs dixit) nomen Chaam non audierit, nec me ad ipsum ire præceperit, sed ad primum quem inuenire posset exercitum Tartarorum miserit, ad Chaam ire nolo, nec debeo. Præsentia Domini vestri & exercitus eius, quos hic repperi cõtentus, & infuncti mihi officij executione sufficienter liberatus. Literas itaque Papæ Domino vestro & eius exercitui paratus sum ostendere, si placuerit recipere, ac videre: sin autem ad ipsum remeabo, eique rem gestam per ordinem nunciabo. Rursus illi: Qua fronte, inquiunt vos christiani omnes audetis dicere, quod Papa sit omni homine maior dignitate? Quis enim vnquam audiuit quod Papa vester tot & tanta regna sibi acquisierit, quot & quanta filius Dei Chaam, Deo sibi largiente hoc acquisiuit? Quis vnquam tam longe lateque diffundi audiuit nomen Papæ, sicut & nomen Chaam in orbe terrarum iam diffunditur & dilatatur ac timetur vbique? Iam enim ab ortu Solis vsque ad mare mediterraneum, & vsque ad Ponticum Deo iubente dominatur, & vbique in his terminis nomen eius magnum ac celebre ab omnibus in eis habitantibus timetur & honoratur. Chaã ergo maior est Papa vestro, & omni homine potentia & gloria sibi à Deo datis & acquisitionis dignitate. Ad primam partem huius quæstionis frater Anselmus sic respondit; Dominum Papam omni homine maiorem dicimus dignitate, quia beato Petro eiusque successoribus concessa est à Domino potestas vniuersalis sacrosanctæ matris ecclesiæ; hac eadem illis vsque ad consummationem sæculi perdurante. Denique hanc eis quæstionem fratre Anselmo multis modis & exemplis explanante, illi tanquam brutales homines, nullatenus intelligere valuerunt plenarie. Cæteris autem articulis non potuit respondere, impeditus eorum proternia, & clamorosa instantia magis ac magis eorum vesania erumpente.

Quomodo Papa omni homine maior.

Qualiter domini Papæ litteras in Tartaricum ideoma transferri fecerunt.

Cap. XLVII.

POst hæc dicti Barones reuersi verba fratrum Bayothnoy referentes aliquantulum ibidem morati rursum ad fratres redierunt, dicẽtes; Dominus noster Bayothnoy mandat per nos vobis, vt Domini vestri Papæ literas ab ipso tenendas & inspiciendas nobis omnibus tanquam nuncijs suis fidelibus ac securis committatis. Itaque frater Anselmus non vocatus ad præsentiã Bayothnoy, sed exclusus commisit ei literas, licet contra consuetudinem nunciorum approbatam, hoc faceret insultus. Illi verò regredientes cum literis ad Dominum suum, reuersi sunt post paululum dicentes, vt mediantibus fratribus & alijs interpretibus ibidem astantibus; litteræ Papæ in Persica lingua scriberentur. Deinde Bayothnoy porrectæ iterum de Persico in tartaricum expositæ ab ipso Bayothnoy perlucide & aperte audierentur. Tunc frater Anselmus cum tribus fratribus suis ac suis interpretibus & scriptoribus Bayothnoy, se à multitudine astantium sequestrauit, nulloque illis vmbraculo super astante, literas Domini Papę de verbo ad verbum, mediantibus aliis interpretibus exposuit. Persis siquidem notarijs scribentibus ea quæ audiebant à Turcis & à Græcis interpretibus etiã à fratribus. Itaq; literis trãscriptis ac mediãtibus interpretibus suis in Tartarico Bayothnoy expositis eisque penes se cũ bulla retẽtis idẽ Bayothnoy misit iterum prædictos Barones ad fratres cum quodam magno Scriba & solemni Chaam, qui statim ad ipsum iter arrepturus erat dicentes. Mandat vobis Bayothnoy vt ex vobis eligantur duo: qui vadant ad Chaam statim cum isto seruo suo vsque ad ipsum secure ac fideliter illos perducente. Qui ad illum peruenientes, Domini nostri literas eius præsentiæ porrigent, ipsiusque responsionem, & ea quæ viderint de potentia & gloria Chaam Domino suo referent. Quibus frater Anselmus respondit: Diximus alias quod ex mandato nobis iniuncto ad Chaã ire non tenemur, & ligati quidem possumus ac violenter illuc duci, sed spontanei non ibimus nec ducemur. Inter nos quoq; nolumus diuidi, nec

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in hac legatione commissa nobis ab inuicem separari. Tunc istis recedentibus prædictus scriba rediit, caute verbis dolosis & adulatorijs interpositis, fratrem Anselmum de verborum duritia reprehendens, & si quomodo ipsum ad Bayothnoy adorationem inclinare valeret tentans. Cui frater Anselmus ait: Putabam, inquit, vt à pluribus audieram quod inter Tartaros libenter veritas audiretur, sed vt video iam corruit in plateis eorum, nec ad illud ingreditur, nec ab eis diligitur nec veretur. Duo verba dixi, quod Dominus Papa quo ad christianos dignitate maior sit omni homine & quod nescit quis sit Chaam, quisve Baiothnoy. Quæ plus cæteris verbis meis grauauerunt Bayothnoy, suosque Barones vt aduertere potui. Sed pro libertate fidei ac veritatis hic assisto, hominemque mortalem non timeo. Cumque iam vespere fratres debebant à curia licentiari, scriba prędictus in crastino profecturus, fratres coram se fecit aduocari, legitque coram omnibus literas, quas Chaam Baiothnoy transmiserat per totum orbem demandandas, admonens fratres, vt ea quæ in eisdem literis audirent, memoriter retinerent. Omnia vero prædicta vtrinque proposita fuerunt in die prima.

Qualiter fratres dolis & illusionibus Tartari apud se diutius detinuerunt.

Cap. XLVIII.

EAdem itaque die in sero tenore literarum audito promittentibus illis Baronibus & Scriba quod eisdem fratribus traderetur earum transcripti copia, fratres ad tentorium suum redierunt, ieiuni per milliare magnũ distans à tentorio Bayothnoy. Transactis postea diebus 4. frater Anselmus & frater Guicardus ante tentorium Bayothnoy venientes mediantibus Baronibus & interpretibus suis eidem mandauere, quatenus tenori literarum Domini Papæ sicut idem tenor earum exposcebat, aliquo modo dignaretur respondere, ipsosque fratres ad Papam quamcitius remittendo, secure per terram suam conducere. Quidam vero Barones qui malitiæ, quam aduersus fratres Bayothnoy conceperat assensum præbuerunt, taliter responderunt: Altera die cum ante Domini nostri Bayothnoy curiam venissetis intelleximus ex verbis vestris, ad videndum exercitum Tartarorum veneratis. Cum igitur totus exercitus noster nondum in vnum congregatus sit, ipsum quoque nondum videritis adhuc à curia licentiari, vel ab exercitu nostro nunc exire non potestis. Quibus verbis frater Anselmus sic respõdit. Sicut in prima die super hoc verbo pluries vobis respondimus, nequaquam ad videndum exercitum vestrum principaliter, sed propter Domini Papæ literas ad vos deferendas, earumque responsionem eidem referendam huc venimus. Licet vtique ad nostrum aduentum consequatur videre vos & vestrum exercitum. Tunc Baronibus ad Bayothnoy redeuntibus, & se illi prædicta verba nunciare, statimque responsionem ipsius fratribus referre promittentibus, idem fratres in Solis feruore commorantes, illosque ad se reuersuros, à prima diei hora vsque ad nonam expectantes, tandem ad tentorium suum vacui reuersi sunt, nullamque responsionem audierunt. Sic etiam alias multotiens causa licentiæ obtinendæ curiam frequentantes, à Tartatis sunt illusi: & vt viles garciones responsione illorum indigni, immo etiam velut canes ab eisdem sunt reputati. Itaque sæpius immo quasi quotidie ad curiam accedentes, & à prima vsque ad sextam, ac frequentius vsque ad nonam in ardore Solis, mensibus Iunio, Iulioque nullo eos operculo obumbrante commorãtes; responsionem fieri sibi, licẽtiamque dari petierunt, & sine responsione vel etiam sine collocutione illorum de curia indignantium ad ipsos accedere ac loqui ad tentorium suum ieiuni & famelici redierunt. Sic prædictus Bayothnoy aduersus illos indignatus, & ad excusationem malitiæ suę duritiã responsionum eorum prætendens, illosque ter vt dictum est, occidi præcipiens, per 9. septimanas ipsos in exercitu suo retinuit, tanquam nulla audientia eos dignos vilipendens. Itaque fratres omnes eius malitiam indignationemque patienter & humiliter sufferebant, ac necessitatem in virtutem solerter commutabant.

Qualiter illos Anguthan expectare compulerunt.

Cap. XLIX.

DEnique per 5. septimanas executionem in eos latæ sententię suspendens, tandem litteris eorum factis ad Papam transmittendis nunciis quoque præparatis cum ipsis ad eum destinandis cogitauit eos licentiare videlicet in festo sancti Ioannis Baptistæ. Sed tertia die sequenti eandem licentiam reuocauit, quam eis concessrat, dicens se nolle ipsos ab exercitu suo tunc recedere: quoniam à Domino suo Chaam Dei filio nuncium quendam magnum ac solemnem, Anguthã nomine statim in exercitum suum aduenturum esse audierat; qui etiam ab ipso Chaam, vt plures asserebant, super totam Georgiam imperandi mandatum habebat. Hic etenim Angutha in curia Chaam magnus eiusdem consiliarius erat; sciebatque qualiter ipse Chaam Domino Papę rescripserat, mandatumque nouum ab ipso Chaam per vniuersum orbem transmittendum afferebat, sicut ipsemet Bayothnoy asserebat. Quod videlicet mandatum volebat idem Bayothnoy fratribus intimare ipsum ad Papam transcriptum per eosdem fratres ac nuncios suos transmittere. Idemque Angutha quotidie præstolabatur à Bayothnoy maioribus Baronibus de illo exercitu cum multo iumentini lactis ad potandum apparatu. Ideoque nolebat fratres, licet tamen licentiatos adhuc recedere, donec ad exercitum venisset homo ille, mandatum nouum Chaam allaturus: & forte de morte fratrũ, vt quidam vehementer credebant, quam vsque tunc distulerat, cum ipso diffinitiuum consilium habiturus fratres autem tyrannidi eiusdem Bayothnoy resistere non valentes per tres septimanas & amplius adhuc patienter & humiliter sustinuerunt aduentum Anguthæ de die in die præstolantes, stabantque firmi & immobiles. Panem arctum & aquam breuem pro sustentatione corporali quandoque vix ad sufficientiam habentes; & præ defectu panis vsque ad vesperam quandoque ieiunantes, caprinum & vaccinum lac, & etiam fortasse quandoque iumentinum comedebant, aquam etiam puram frequẽtius bibebant, & quandoque pro magna *pittantia mixtã cum acetoso lacte, nulla de vino facta mentione.

**ideſt obſonio.*

Qualiter post eius aduentum recesserunt.

Cap. L.

POrro frater Anselimus per moram illam, quam illic contrahebat cogitans de facili passagium maris propter ineptitudinem hyemalis temporis futuri se posse amittere; perrexit ad quendam magnum consiliarium curiæ, rogans vt pro fratribus apud Bayothnoy preces interponere vellet, quatenus eis recedendi licentiam cõcederet. Volens etiam temptus redimere; quoniam dies mali erant exenia, quædam eidem consiliario promisit, si ad hoc ipsum adiuuaret. Ille igitur ad Bayothnoy accedens ac bona verba precesque pro fratribus interponens, litteras Papæ transmittendas vt iam fuerat ordinatum de mandato Bayothnoy fieri præcepit, ac nunciis ordinatis qui literas Bayothnoy & Chaam ad Papam transferrent, recedendi licentiam fratribus impetrauit. Porro literis factis: nunciisque in eisdem literis nominatis, & ad iter arripiendum præparatis: ecce in ipsa die qua patiter exituri erant de exercitu, prædictus Angutha superuenit cum auunculo Soldani Halapie & fratre Soldani Mossoal, qui olim Niniue vocabatur. Illi quoque duo Angutha comitantes de Chaam veniebant, cui pro nepotibus suis homagium fecerant, eumque quampluribus donis & exeniis honorauerãt; ac tributarij eiusdẽ effecti fuerant. Igitur & ante

præsentiam Bayothnoy peruenerunt ei dona & exenia quam plurima offerentes: ipsumque cum trina genuum flexione capitumque in terram allisione secundum mandatum Chaam adorantes. Itaque Bayothnoy & omnes eius consiliarij de aduentu Anguthæ & comitum eius super modum exultantes, festum & gaudium secundum morem suum in lactis iumentini potationibus,& in cantibus vel potius vlulatibus eidem fecerunt. Tartaros quoque vicinos cunctis vxoribus ad augmentum solemnitatis conuocantes, negocium fratrum aliorumque nunciorum exercitus postposuerunt. Septem quippe diebus continuis commessationibus ac potationibus & vlulatibus vacauerunt: & in octaua die scilicet sancti Iacobi cum nuncijs ac literis Bayothnoy litterisque Chaam, quas vocant literas Dei ad Papam transmittendis, fratribus libere & absolute recedendi licentiam concesserunt. Fuerunt autem per annum in eorum dominio ad ipsos eundo & cum ipsis morando, & inde reuertendo. Et frater quidem Anselmus in via illa tota moratus est per annos tres ac 7. menses antequam ad Dominum Papam rediret. Frater Alexander & frater Albertus fuerũt cũ eo per annos tres & paũlo minus, frater Symon per duos annos & septimanas sex: frater Guichardus qui assumptus est Tripolis per 5. Menses. Sunt autem vt dicunt ab Aschon vsque ad exercitum illum Tartarorum in persida lix. * dietæ

Fratres discessionem procurant & impetrant.

** ideſt vnius dies.*

De literis quæ à Principe Tartarorum ad Papam missæ sunt.

Cap. LI.

EXemplum autem litteræ, quæ à Bayothnoy ad Dominum Papam missa est, hoc est dispositione diuina ipsius Chaam transmissum, Bayothnoy verbum. Papa ita scias. Tui nuncij venerunt & tuas litteras ad nos detulerunt. Tui nuncij magna verba dixerunt,nescimus vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut à semetipsis dixerunt: & in literis taliter scripseras. Homines multos occiditis,interimitis, & perditis. Præceptũ Dei stabile & statutum eius qui totius faciem orbis continet, ad nos sic est. Quicunque statutum audierint super propriam terram aquam & patrimonium sedeant: & ei qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant. Quicunque autem præceptum & statutum non audierint,sed aliter fecerint, illi deleantur & perdantur. Nũc super hoc istud statutum & præceptum ad vos transmittimus. Si vultis super terram vestram aquam & patrimonium sedere, oportet vt tu Papa in propria persona, ad nos venias, & ad eum qui faciem totius terræ continet accedas,& si tu præceptum Dei stabile & illius qui faciem totius terræ continet non audieris, illud nos nescimus, Deus scit. Oportet vt antequam venias, nuncios præmittas, & nobis significes si venis aut non, si velis nobiscum componere aut inimicus esse, & responsionem præcepti cito ad nos transmittas.

Exemplar literarum Tartaro missarum plenũ insolẽtia barbarica.

Istud præceptum per manus Aybeg & Sargis misimus mense Iulij 20. die lunationis in territorio sitiens castri scripsimus.

De literis ab Imperatore ipsorum ad eundem Principem missis.

Cap. LII.

HOc autem est exemplar literarum Chaam ad Baiothnoy, quas ipsi Tartari vocant literas Dei. Per præceptum Dei viui Chingischam filius Dei dulcis & venerabilis dicit quia Deus excelsus super omnia. Ipse Deus immortalis, & super terrã Chingiscam solus Dominus. Volumus istud ad audientiam omnium in omnem locum peruenire, prouincijs nobis obedientibus, & prouincijs nobis rebellantibus. Oportet igitur te ô Baiothnoy vt excites eos, & notifices eis, quia hoc est mandatum Dei viui & immortalis. Incessanter quoque innotescas eis super hoc petitionem tuam, & innotescas in omni loco hoc meum mandatum, vbicunque nuncius poterit deuenire. Et quicunque contradixerit tibi venabitur, & terra ipsius vastabitur. Et certifico te quod quicunque non audierit hoc meum mandatum, erit surdus;& quicunque viderit hoc meũ mandatum, & non fecerit, erit cæcus; & quicunque fecerit secundum istius meum iudicium cognoscens pacem, & non facit eam, erit claudus. Hæc mea ordinatio perueniat ad notitiam cuiuslibet ignorantis & scientis. Quicunque ergo audierit, & obseruare neglexerit, destruetur, perdetur, & morietur. Manifestes igitur istud ô Baiothnoy. Et quicunque voluerit vtilitatem domus suæ & prosecutus illud fuerit, & voluerit nobis seruire, saluabitur & honorabitur. Et quicunque audire istud contradixerit, secundum voluntatem tuam faciens, eos corripere studeas.

Hæc de Tartarorum gestis, & itinere fratrum prædicatorum atque Minorum ad exercitum eorum ad præsens dicta sufficiant.

De quibusdam miraculis per signum crucis inter Turcos exhibitis.

Cap. LIII.

ANno prænotato scilicet ab incarnatione Domini 1247. mense Iunio accidit miraculum quoddam apud Iconium in loco communi, vbi crux erat sculpta in quodam palatio. Quidam enim ioculator ibidem stabat, & in facie omnium astãtium cum vrso ludebat. Vrsus autem leuato crure super crucem prope ipsum insistente minxit,statimque videntibus omnibus ibidem expirauit. Cumque christiani astantes super id quod acciderat, Deum benedicerent atque laudarent, quidã Saracenus indignatus est valde, quod ibi super miraculo facto Christum attollebant. Ideo accedens in impetu tãquam in contemptũ ipsius crucis & christianorum,cum manu crucem percussit, statimque brachium eius cum tota manu qua illam percusserat totaliter exaruit.

An. Christi 1247.

Iterumque Saracenus quidam alius ebrietati vacans, illamque christianorum admirationem & laudem vilipendens, quasi furiosus à potatione surrexerit, & in cõtemptũ christianitatis super crucem mingere volens, morte subitanea percussus interijt, sicque christianorũ multitudine Deum magnificante super tribus miraculis iam ibidem ostensis, quidam Græcus inspiratione diuina inflammatus, accessit ad Baliuum ciuitatis; rogans vt illum locum immundum & abominabilem ei venderet, in quo ad honorem Dei & sanctæ crucis ecclesiã ædificaret: pro quo etiam si ipsum locum ei concederet, promisit quod 22. millia soldanorum Soldano daret. At vero Balduinus episcopus Turcorum cum audiret, quod sic habere locum illum appeteret, Christianus impediuit quibus modis potuit omnibus.

Author. Eodem anno mortuus est Lãgrauius Turingiæ, qui fauente Papa Innocentio electus fuerat in Regem Alemaniæ, ac consequenter post ipsum electus est in Regem Vuiliquinus comes Holandiæ.

De progenie Soldanorum, & primo de filijs Saladini, & de Calipho.

Cap. LIV.

QVia vero superius multa dicta sunt de terra Turcorum & Ægyptiorum, in quibus habitant Saraceni, quibus & præsunt Soldani, libet hic pauca breuiter inserere de situ terrarum ac ciuitatũ illorum:& prius de potestate Soldanorum. Siquidem Innocentius Papa huius nominis tertius scire volens quæ apud illos sunt, & nomina Satraparum: contra quos ad bellum parabatur exercitus christianorum, scripsit Patriarchæ Hierosolymitano vt inquisita fideliter veritate, sta-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum ei nunciaret prædictorum. Itaque Patriarcha quam citius potuit mandatum executus Apoſtolicum: reſcripſit dicens. Duo fuerunt fratres Saraceni nobiles: nomen primogeniti Salahadinus, & nomẽ alterius Saphadinus. Salahadinus 9. filios genuit, poſtea vitam finiuit. Cui Saphadinus ſuperuixit, omneſque fratrueles ſuos interfici fecit, præter vnum nomine Noradinum Halapiæ Soldanum. Quem manu tenuit Soldanus Iconij contra Saphadinum quãtum permiſit Caliphus eorum. Caliphus enim Papa interpretatur: qui ab omnibus Saracenis reuerentiam habens honoratur. Itaque Baldach eſt caput paganorum ſicut Roma caput noſtrum. Ibi namque reſidet Caliphus, & ibi colitur Machometus & à propinquis, & à remotis. Eſt enim hæc ciuitas Agarenorum peregrinalis, ad quam ſcilicet peregre proficiſcuntur Saraceni de partibus etiam remotis. Qui per deſertum ituri magnum & inuium, fabuloſum & inaquoſum, onerant camelos victualibus per 12. dies ſufficientibus. Aqua vero deficiente, ſed prope terram ſcaturiente, cameli ſitientes & aquam naturaliter ſentientes percutiunt terram pede. Quod videntes Saraceni, mox terram effodiunt, aquam hauriunt, potumque camelis tribuunt. Porro Caliphus equitans cum gẽte ſua, vt Machometum adoraret, ingreditur templum, & inclinatione capitis adorans orat Machometum. Oratione finita priuſquam egrediatur de templo, ſplendide quidem epulatur, & poſt epulas ad palatium coronatus reuertitur. Prædictus itaque Noradinus poſſidet Halapiam cum pertinentijs 200. ciuitatum, & caſtrorum, numerumque villarum infinitum.

De filys Saphadini terrarum poſſeſſoribus.

CAP. LV.

PORro Saphadinus fratruelium occiſor 15. filios habuit, quorum ſeptem terrarum poſſeſſores, alios 8. reddituum perceptores fecit. Melehalinus primogenitus tenuit ac poſſedit Ægyptum totam cẽtum millibus villarum inclytam à parte meridiei ſitam. Secũdus Coradinus poſſedit Damaſcum, & ciuitatem ſanctã Hieruſalem, totamque terram quæ fuit chriſtianorum. In cuius poſſeſſione ſunt abſque villis ciuitates cũ caſtris trecentæ. Hic habebat treugas cum Patriarcha, & vtroque templi & hoſpitalis magiſtro vſque ad paſſagiũ quod fuit anno gratiæ 1217. Tertius Melchiphas poſſedit totam terram, quæ gemella dicitur: & regionem circa ſcilicet abſque villis 301. ciuitates & caſtra. Quartus Meliemodan poſſedit totum regnum Aſyæ cum omnibus pertinentijs, quod bene continet ciuitates & caſtra ſexingenta abſque villis. Quintus Melchiſamephat poſſedit regnum Sarco, vbi occiſus eſt Abel, quod octingentas ciuitates & caſtra præter villas continet. Sextus Meltinoch regnum Baldach cum pertinentijs ſuis poſſedit, vbi Caliphus, ſicut dictum eſt, reſidet. Septimus Salaphas non poſſidet terram vel regnum aliquod, ſed fratres eius terrarum poſſeſſores mittunt ei ſingulis annis ſinguli binos equos bene inſellatos & infrænatos ac mille bizantios ſaracenicos. Semperque iſte Salaphas cum patre ſuo Saphadino vexillifer eius equitat. Et ipſe quidem Saphadinus equitans filios ſuos viſitaturus inuoluit purpurea ſindone caput. Cui procedunt obuiam filij 9. leucis & appropinquantes capitibus ei quater inclinatis oſculantur etiam pedes manuſque patris. Poſtea viciſſitudine mutua, pater quemlibet oſculatur ter, dans cuilibet annulum aureum imagine ſua inſignitum. Omnes iſti terras chriſtianorum, quas poſſidebant voluerunt reddere & eſſe tributarij Patriarchæ, & eccleſiæ Romanæ; vt alias terras poſſiderent pacifice.

De filys eiuſdem Saphadini reddituum perceptoribus, & eius vxoribus.

CAP. LVI.

EX filijs autem eiuſdem Saphadini reddituum perceptoribus duo maiores ſepulchrum Domini cum quinque chriſtianis cuſtodiunt, & oblata percipientes quæ bene, per annum 20. millia bizantios Saracenicos valent, inter ſe diuidunt. Quatuor autem de ſex minoribus filijs cuiuſdam aquæ percipiunt redditus: quæ lichalis nuncupatur ſingulis annis Ægyptus menſe Auguſto rigatur. Valet autem redditus iſte per annum 40. millia bizantiorum ſaracenicorum. Porro duo minores fratres, quia caſti ſunt, quicquid offertur ad pedes Machometi cuſtodiunt, eaque percipientes inter ſe diuidunt. Et hæc valent per annum 30. millia ſaracenicorum Bizantiorum. Habuit autem Saphadinus 15. vxores & ſimiliter eius hæres, quibus vocatis ſimul in palatio cum ſingulis dormit, & ſi qua maſculum peperit videntibus cæteris omnibus, illam cognoſcit. Si qua vero partum non habuerit cum illa per Eunuchum vocata diligentius nocte dieque priuatim dormit. Sic & cum qualibet pro beneplacito ſuo facit; ſi qua vero moriatur ſtatim aliam defunctæ loco ducit. Hic Saphadinus de conſuetudine prædeceſſorum ſuorum decies in anno videri permittit vultum ſuum. Cum autem à Rege vel Principe nuncius ad eum mittitur, nuncius ipſe primo die in aula prima ſui palatij recipitur, vbi ſunt cuſtodes, & 200. Turci bene armati nuncium cuſtodientes. Secunda die veniens interpres ad nũcium quærit ab eo viæ illius cauſam & Soldano interpretatur eam: tertia vero die poteſt nuncius Soldani reſponſum audire.

De ſitu ciuitatum Ægypti rẽgalium, & primo Damiatæ.

CAP. LVII.

IN Ægypto ſunt Alexandria ciuitas portus Saracenorum & Babylon noua ſiue Chairus domina ciuitatum. Damiata quoque totius regni clauis & oſtium. A Babylone noua itur ad Damiatam verſus orientem, quæ diſtat ab ea tribus dietis, & itur ad Alexandriam verſus occidentem, quæ diſtat ſimiliter à Babylone tribus dietis per terram, ſex autem per aquam. Porro vſque ad Damiatam ſeptem dietæ ſunt à monte Sina, & à Damiata vſque ad Thanym eſt dieta vna. Sita eſt autem Damiata inter mare & fluuium Nili, vbi etiam in mare decurrit maior pars eiuſdem fluuij. In Ægypto quidem non pluit niſi raro, ſed quandoque Nilo irrigatur: qui maior eſt Rheno. Valde pinguis eſt huius aqua magiſque terram impinguat quam aliquis fimus vel marla. Diuiditur autem in ſeptem oſtia ſiue brachia: A medio Iulio vſque ad exaltationem ſanctæ crucis excreſcit, & iterum vſque ad Epiphaniam Domini decreſcit. Eoque decreſcente hordeum & bladum ſeminant, & in Martio metunt incolæ. Porro Damiata ſuper eum, vt dictum eſt, ſita, duplici muro & foſſato lato ac bene murato eſt munita. Decoratur etiam 28. altis turribus: minorum autem turrium incertus eſt numerus, in medio Nili ex oppoſito turris Soldani eſt ſita turris fortis & alta à cuius pede ducitur ad turrim Soldani cathena ferrea. Firmaturque ne ſine Soldani licentia, qui eſt Rex Babylonis, aſcendant vel deſcendant naues, omnibus onuſtæ bonis, ibidem appulſæ à Venetia, Anthiochia, Armenia, Græcia, Cypro, cæteriſque portibus & inſulis maris. Indeque percipit Soldanus infinitos redditus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſitu Babylonis & Alexandriæ.

Cap. LVIII.

NOua Babylon & Chairus ſunt ciuitates duæ, intermedia parte tertia vnius leucæ, Chairus ſolo muro firmiſſime munitum inhabitant chriſtiani, Iudæi, & Saraceni, Deumque ſuum colunt, ac leges pro velle ſuo cuſtodiunt. Circa hanc vrbem ſunt pomeria multa & optima, prope eſt arbor balſami, cuius cortex inſciditur tempore maturitatis in fine Maij. Inſciſionibus autem vaſa vitrea ſupponuntur, in quibus guttæ ſtillantes recipiuntur. Atque in eiſdem vaſis per dimidium annum in ſtercore vel ſimo columbino reconduntur, & ita defæcantur. Saraceni vero fontem, cuius aqua rigatur hortus Balſami multum venerantur, & inde ſingulis annis abluuntur. Iterum apud Chairum eſt palma, quæ ſe ad pedes beatæ virginis inclinauit. De cuius dactylis ſumpſit eadem virgo quot voluit: iterumque palma ſe ſurſum erexit. Quod videntes Ægyptij tunc præſentes palmam ſuccideruntꝰ & in mane rurſum erectam repererunt. Vſque hodie vero ſucciſio apparet in ſignũ rei geſtæ, & ab Ægyptijs habetur in magna veneratione. Tres autem fuere Babylones. Prima ſcilicet in qua regnauit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, ſita ſuper Chobar fluuium. Secũda vero in qua regnauit Rex Ægypti Pharao, & ille duæ modo ſunt deſertæ. Tertia eſt quæ prope Chairum vt dictum eſt, ſita eſt, in qua olim fuit regia ſedes; & horrea Ioſeph. Alexandria ciuitas eſt Soldani Babylonis aliquantulum à Nilo diſtans, nec aquam dulcem niſi per meatus ductitios habens. In cuius portu ſita eſt turris; in qua de nocte accenditur ignis, vt videatur portus à nauigantibus, quoniam Ægyptus terra eſt humilis. In hac vrbe ſunt plures eccleſiæ Chriſtianorum, inter quas eſt eccleſia ſancti Marci Euangeliſtæ, capella in qua ſcripſit euangelium ſuum. Ibi & locus paſſionis ac ſepulturæ ipſius, ſed inde furati ſunt Venetiani corpus. Ibi fuit ſedes Patriarchæ: ibique bis in anno pariunt oues & capræ. Piſa & legumina & huiuſmodi à feſto ſancti Martini, colliguntur, vſque ad menſem Martij.

De ſitu Ebron principalis vrbis Paleſtinæ.

Cap. LIX.

EBron eſt principalior ciuitas Palæſtinorum manſio gigantum. In campo ſita eſt, in quo fuit Adam formatus, & tandem mortuus; hæc Saracenorum lingua dicitur Cariatarbe ideſt ciuitas quatuor, eo quod ibi ſepulti fuerũt cum vxoribus ſuis quatuor Patriarchæ ſcilicet Adam, Abraham, Iſaac & Iacob, & hoc in duplici ſpelunca, quia virorum eſt vna, mulierum altera. In valle illa cognouit Adam vxorẽ ſuam, & genuit Seth de cuius ſemine Chriſtus natus eſt. Ab Ebron duo milliaria, campus eſt plenus terra rubea quam incolæ effodientes carę vendunt Ægyptijs vt aromaticas ſpecies. Et quantumcunque ex illa ſumatur anno reuoluto nõ decreuiſſe inuenitur. Iuxta Ebron eſt Mambre ad cuius pedem eſt quercus, ſub qua habitauit Abraham longo tempore, vbi etiam ſecum tres Angelos viſos collegit & vnum adorauit. Quercus iſta creuit & ramos expandit vſque ad tempus Theodoſij Imperatoris: & ex illa eſt moderna in eodem loco incolis cara & medicinalis. Nam ſi quis eam ſiccam portet non infunditur beſtia cui inſidet. Ab Ebron vſque ad 10. milliaria verſus orientem eſt lacus Alſphaltidis, quod & mortuum mare dicitur, quia nihil in eo viuit; quatuor ciuitatibus in eo pro peccato populi ſubmerſis. Segor autẽ quę eſt quinta ciuitas, prece Loth quæ adhuc apparet iuxta mare prædictũ, & nũc Balezona dicitur ideſt caſtrũ palmarum. Supra lacũ illum eſt à parte Arabiæ, vallis Carnaym ſub monte Moab ſuper quẽ Balach filius Sephor duxit Balaã vt malediceret Iſrael. Lacus autem Alſphalti ſeparat Iudæam ab Arabia.

De locis Arabiæ ac Phœniceæ.

Cap. LX.

ARabia tempore filiorum Iſrael erat deſertum ſcilicet inuia & inaquoſa, vbi filij Iſrael manna 40. annis manducauerunt, ac de rupe aquam ſcaturiente potati ſunt. Ibi vallis in qua Moyſes bis rupem percuſſit virga, & fluxerunt duo fontes: quorum riuis rigatur terra illa. In deſerto eſt locus vbi poſt tranſitũ maris rubri Moyſes inuenit 12. fontes & 72. palmas. In Arabia quoque eſt mõs Sina in quo Moyſes ieiunauit 40. diebus & noctibus vt legem acciperet: quam Dominus digito ei ſcripſit in petra. Ibi etiam mons Or, in quo Aaron ſepultus eſt, & Abarym, in quo ſimiliter Moyſes. Ibi & petra Oreb, vbi Rex Hieruſalem Balduinus de Francis primo veniens, regnaturus in Hieruſalem caſtrum ædificauit, quod & montem regalem vocauit. Ibi eſt ſedes Archiepiſcopi Petracenſis. Eſt autem Arabia in gyro ab Idumæa extenſa ad Marchias de Boſra, quæ vulgariter dicitur Boſſeroel. Idumæa eſt quædam terra Damaſcena ſub Syria, quia Damaſcus eſt caput Syriæ. Idumæa continet Phæniceam, in qua caput eſt Tyrus ciuitas Metropolis, Acon, Sidon, & Sarepta & Beritus, & mõs Libani. In qua Tyro ſepultus eſt Origenes. Ante Tyrũ autem eſt petra marmorea: ſuper quam Dominus ſedit, & ſuper eam fundata eſt eccleſia in honore Saluatoris. Porro à Tyro ad octo milliaria ex parte orientis ſupra mare ſita eſt Sarphati, quæ prius dicta eſt Sarepta: & mons Seth in qua Helyas prophęta manſit, & Ionam viduæ filium reſuſcitauit. Hinc ad ſeptem milliaria ciuitas eſt, quæ dicitur Sidon vel Sagitta vnde oriunda fuit Dydo, quę Carthaginem condidit in Africa. A Sidone autem ad ſex milliaria ſita eſt Beritus, ciuitas abũdans quæ vulgariter dicitur Bartuth, in qua imago ſaluatoris eſt depicta, cuius indigenæ Iudæi non poſt multum temporis à Chriſti paſſione latus in contemptum illius apparuerunt lancea, & exiuit ſanguis & aqua. Quibus infirmi plures liniti, ſanitati ſunt reſtituti & Iudæi credentes effecti.

De Damaſco ac Libano & Iordane.

Cap. LXI.

DAmaſcus caput Syriæ ciuitas eſt quam fundauit Elyezer Abrahæ puer in campo: in quo Abel eſt occiſus à fratre. Ad duas vero leucas à Damaſco eſt locus in quo Dominus Ieſus in luce apparuit perſecutori Saulo. In pede Libani montis ſcaturiunt duo riui, qui fluuij ſunt Damaſci. Abana per Libanum & Archadiæ plana fuit, & excipitur à mari vbi beatus Euſtachius vxore ac filiis deſolatus remanſit. Farfar per Syriam prope muros Antiochiæ currit, ſeque mari ad 10. milliaria ab Antiochia fundit. Vbi dicitur porta ſancti Simeonis. Iterum ad pedem Libani ſita eſt ciuitas, quæ dicta eſt Paneas & Cæſaræa Philippi, ſed modo Belynas. Ad Libani quoque pedem oriuntur duo fontes Ior & Dan. Quorum riui ſub montibus Gelboe fluunt: & iterum orti ac ſimul coniuncti Iordanem conſtituunt. In quo ſcilicet fluuio baptizatus eſt Dominus tertio milliario à Hierico. A montibus Gelboe vſque ad lacum Alſphaltidem eſt vallis, quam influit Iordanis, & vocatur vulgariter Gurges: ex vtraque parte à Libano vſque ad deſertum Pharaon cincta montanis. Iordanis diuidit Galilæam & Idumeam terramque Boſræ: quæ ſecũda Metropolis eſt Idumeæ. Iordanis ſignificat deſcenſum, eo quod terram ſubgreditur prope ortum ſuum, vt iterum oriatur ad quoddam planũ quod dicitur Placamẽdam lingua Saracenorum. Placa namque platea latine forum interpretatur, quoniam ibi mercimonia Turcis & Arabicis in æſtate ad paſcua conuenientibus exponuntur. Porro Medan eſt compoſitum: Med ſiquidem lingua Syra quædam aqua interpretatur, Dan vero quidam fluuius

nius dicitur qui per Suythen fluit; in qua scilicet vrbe imago beati Iob in magna reuerentia existit, fluensque versus Galilæam Saracenorum se vertit sub ciuitate Cedar, vt se Ior fluuio infundat qui non longe à Belynas ciuitate distat.

De ciuitatibus & locis Galileæ.

CAP. LXII.

PRope Belynas est lacus, iuxta quem incipit mare Galilæum inter Bethsayda & Capharnaum. De Bethsayda fuerunt Petrus & Andreas, Ioannes & Iacobus, Philippus & Alphæus, & ad quatuor leucas inde ciuitas est Corrozaym, in qua nutriendus dicitur Antichristus. Porro à Corrozaym ad quinque leucas est Cedar nobilis ciuitas. Castrum vero Capharnaum versus dexteram à mari est situm. Ad duas autē leucas ad Capharnaum est collis in decliuo montis, qui scilicet locus mensa dicitur, eo quod ibi pauit Dominus 5. millia hominū ex quinque panibus hordeaceis. Sub eodē vero scilicet loco commestionis, est alius etiam locus, vbi Dominus post resurrectionem apparens discipulis, comedit cum illis partem pisci assi, & fauum mellis. In prædicto mari ambulans ipse super aquas dixit Petro: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Versus sinistram à concauo montis Genezareth surgit ventus, cuius inquilini sentiunt impetus. Ad duas vero leucas à Genezareth est Magdalum castrum, à quo Maria Magdalena dicta est. Et hæc regio dicta est Galilea Saracenorum, vbi habitaueruntr tribus Zabulon & Neptalim, ibique fuerunt 20. ciuitates, quas Salomō dedit amico suo Hiram Regi scilicet Tyri. Ad duas vero leucas à Magdalo fuit Cithareth ciuitas quæ modo est Tyberias. Tyberia dicta vulgariter à Tyberio Imperatore Romano. Hanc Dominus Iesus frequentare solebat, cum adhuc iuuenis esset. Hinc ad quatuor leucas est Bethulia ciuitas. Porro ad decem leucas à Tyberiade, sita est Nazareth Galileæ, & inde ad duas in via quæ ducit ad Acon, sita est Sapharia ciuitas Annæ matris beatæ virginis Mariæ. In Nazareth fons est, cuius aquam puer Iesus exhauriebat, & secum ferebat. Ad quatuor leucas à Nazareth & ad duas à Sapharia ex oriētis parte est Cana vicus Galileæ, ad vnam vero leucam à Nazareth locus est, quem Rebuth vulgariter dicunt, vnde Iudæi Iesum præcipitare voluerunt. Iterum ad quatuor milliaria de Nazareth mons est Thabor, in quo transfigurauit se dominus cōram Petro & Ioanne & Iacobo. Ad duas leucas à Thabor versus orientē est mons Hermon. In conualle mōtis Thabor Melchisedech sacerdos occurrit Abrahę cum pane & vino. Ad duas leucas à Thabor sita est in monte ciuitas Naym, in cuius porta Dominus filium viduæ suscitauit. Superius à Naym est locus qui dicitur Torres vel Cauerna Cyson, in monte vbi consilio Deboræ vir eius Barac vicit Idumæos.

De Iezrael ac ciuitatibus Samariæ.

CAP. LXIII.

AD quinque leucas a Naym sita est ciuitas Iezrael, in qua regnauit impijssima Iezabel. Quæ pro sua proteruitate de palatio suo præcipitata adhuc stat sepulturæ istius columna. Secus Iezrael campus Magedo existit, in quo Ieheu Rex Samariæ nouiter inunctus Regem Iuda Ochoziam vicit. Ad duas autem leucas à Iezrael montes sunt Gelboe: quibus Dauid de casu Saul & Ionathæ dolens, maledixit eosque dānauit perpetua sterilitate. Ad quinque vero leucas à Iesrael incipit Samaria in loco qui dicitur castrū duplex; hinc ad 10. leucas sita est vrbs Sebastæ siue Augusta, in qua inter Heliseum & Abdiam prophetas sepultus fuit Ioannes Baptista. Decollatus quidem est in castro Macheronta secus lacum Asphaltistis, trans flumen Iordanis & inde Sebaste sepultus à discipulis. Cuius corpus postmodum absque capite, digitoque quo saluatorem ostendit, Iulianus Apostata fecit comburi, & caput in Alexādriam, deinde Constantinopolim, & tandem in ciuitatem Patras deferri: digitum vero quæ Dominum ostendit beata Thecla in monte gaudij tulit. Ad quatuor leucas à Sebaste ciuitas Neapolis sita est, prius dicta Sichar & Sychem inter Dan & Bethel. Ibi Emor regnauit, cuius filius Dynam rapuit. In Sychem transportata sunt ossa Ioseph ex Ægypto, ac sepulta iuxta fontem, vbi Ieroboam Rex Israel fabricauit duos vitulos aureos; quos dixit se tulisse de Hierusalem, & posuit vnum in Bethel, & alterum in Dan. Iuxta Neapolim est campus, quem Iacob filio suo Ioseph præter fortem fratrum dedit, in quo est puteus, ad quem Dominus ex itinere fatigatus sedit, & Samaritanæ prædicauit. Ad vnam leucam à Sychem sita est Luza ciuitas, quæ & Bethelin, qua diu habitauit Abraham; ibique filium sacrificare voluit, & ibi dormiens Iacob Angelos vidit. Montis Bethel confinis est mons Galgal versus orientem inter Dan & Sychem oppositus monti Gebal. Ad 20. leucas à Sychem & ad 4. Hierusalem in via, quæ à Neapoli ducit ad montem sancti Samuelis sita fuit Rema ciuitas, vbi fuit Arca testamenti vsque ad aduentum Samuelis & Dauid Regis.

De locis Hierusalem ciuitatis sanctæ.

CAP. LXIV.

PORro ad 20. leucas, à Sychem, & ad 16. milliaria ab Ebron, & ad 13. à Hiericho, & à 7. ab Ascalona & ad 11. à Ioppe sita est ciuitas sancta Hierusalem in medio mundi, metropolis ciuitatum Iudææ. Illic in monte Moria vidit Dauid Angelum interficientem populū, & ira Dei placata emit plateam Ornam Iebusei ad fabricandum templum. Quod scilicet tertio destructum fuit dubium à quo fuerit reædificatum. Quidam dicūt; quod à matre Constantini Helena in honorem sanctæ crucis recuperatæ à Cosdroe Persa alij vero dicūt quod à Iustiniano Imperatore, qui voluit vt à qualibet honoraretur natione. In Hierusalem est lacus, qui probatica piscina dicitur, cuius aqua singulis sabbatis ab Angelo mouebatur. Descendente scilicet ad visitationem ligni Dominicę passionis ibidem absconditi à tempore Salomonis. Et post aquæ motionem sanabatur vnus, quicunque descenderet in eam prius. Iuxta hunc ergo lacum sanauit Dominus in sabbato Paralyticum, sub templo Domini & monte Syon. In valle Iosaphat sub terra fluuius paruus fluit, vbi Dominus cæcum illuminandū misit. In monte Syon pedes discipulorum Dominus lauit; & cænans cum illis nouum testamentum instituit. A cuius parte sinistra in agro peregrinorum, qui est Acheldemach secus viam, quæ ducit Effrata situs est fons Gyon, vbi coronatus est Salomon. Per montem Syon ascendit Dominus in Hierusalem ad passionem & cum venisset Betphage ad montem Oliueti transiuit per vallem Iosaphat in Hierusalem; sub montem Oliueti versus orientem trans torrentem Cedron ad iactum lapidis sudauit Dominus guttas sanguinis. In loco Licostratos ter Dominum Petrus negauit, & loco quæ dicitur Gallicantus amare fleuit; in Caluario crucifixus est Dominus, in loco qui dicitur Golgotha & ad dexteram ab introitu ecclesię sepeliuit eum Ioseph ab Arimathia. Ad caput ipsius ecclesiæ inuenit Helena crucem Domini. In partibus illis est locus, qui dicitur charitas, vbi Iudæi voluerunt Dominum comprehendere, sed timuerunt turbas. Ibi post resurrectionē apparuit Dominus Magdalenæ, in monte Syon apparuit Apostolis absēte Thoma, & alia vice ipso præsente, ipsisque præsidentibus & videntibus in cœlum ascendit 40. post Pascha die. Ascendit, inquam, à monte trium luminum, hoc est Oliueti, in quo scilicet monte beata virgo Dei genitrix obijt, & in valle Iosaphat se pulta est, inde corpus eius in cælum assumptum est. Ante portam Hierusalem, quæ est ad occidentem lapidatus est protho-

martyr

martyr Stephanus & in Syon ſepultus indeque Conſtantinopoli, ac deinde Romam tranſlatus, & iuxta ſanctum Laurentium eſt poſitus. Ante portum Hieruſalẽ, quæ eſt ad auſtrum iuxta lacum eſt cauea quæ dicitur Leonis carnerium: quia tempore Coſdroe ibi Leo repoſuit 12. corpora martyrum.

De cæteris vrbibus ac locis Indiæ.

Cap. LXV.

AD vnam leucam a Hieruſalem ſub monte Oliueti verſus mare mortuum eſt Bethania, vbi Dominus Lazarum quatriduanum ſuſcitauit, & Mariæ Magdalenæ in domo Simonis leproſi peccata remiſit. Ad quatuor leucas à Hieruſalem eſt ciuitas Bethlehem. Ad hanc veniẽs Helena Regina præſepe Domini fecit Romam portari, & in eccleſiam beatæ Marię maioris reponi. In Bethlehem ſepultæ ſunt Paula & Euſtochiũ. Ad vnam leucam à Bethlehem eſt locus, vbi ſepulta eſt Rachel ſecus viam quæ ducit Hieruſalem. Iuxta cuius ſepulchrum fecit Iacob apponi 12. lapides prægrandes in monumentum 12. filiorum Iſrael, quod incolis eſt manifeſtum. Ad 15. leucas à Hieruſalem verſus Ramatha mons eſt, in quo quondam ciuitas Modin erat ſita, quæ fuit Mathathiæ patris Machabæorum ibidem ſepultorum. Ab illo móte ad octo leucas in via quæ ducit Ioppen, ſita eſt Lidda quondam ciuitas, ſed modo caſtrum & dicitur Dioſpolis. Ad 3. leucas à Bethlehem eſt caſtrũ quod dicitur cauea, vnde fuit Amos propheta & ibi ſepultus eſt. Ad quatuor leucas verſus Hieruſalem eſt caſtrum, in quo manſit Zacharias Propheta, quãdo beata virgo poſt annunciationem euangelicam abijt in mõtana. Ad 13. leucas à Hieruſalem eſt Hiericho à cuius ſiniſtro deſertum eſt Quarantenæ, in quo ieiunauit Dominus, & de gula tentatus eſt à diabolo. Ad duas leucas à Quarantena ex oppoſito Galileæ eſt alius mons valde excelſus, in quo iterum de auaritia tentatus eſt Dominus. In ipſo deſerto Quarantenæ fons exiſtit, cuius aquam amaram per appoſitionem ſalis Heliſæus potabilem fecit. Engaddi locus eſt Hierichontinus, in quo fuit quondam vinea balſami cuius plantas Ægyptij tulerunt, & in Ægypto plantauerunt. Ad dimidiam leucam à Babylone noua in quodam horto dimidij manſi; Huius arbor ſimilis vineæ triennij, eiuſque folia videntur eſſe trifolij parui. Hortus autem irrigatur aqua fontis, in quo beata virgo ſolita eſt abluere pannos ſaluatoris, quando in Ægyptum fugit à facie Herodis. Qui ſcilicet hortus ſi à non chriſtianis excolatur, aut perpetua ſterilitate damnatur, aut in pœnam Saracenorum inæſtimabilis vltio infertur; nec alicubi verum inuenitur creſcere balſamum in mundo, niſi tantum in prædicto Ægypti loco. Ad quatuor leucas à Nazareth eſt mons Cayn in cuius pede Lamech ſagittauit Chayn. Ad 9. leucas à monte Cayphas, vel Carmeli ad auſtrũ eſt Cæſarea quondam Metropolis Palæſtinorum, ex qua fuit Cornelius centurio, vel quem baptizauit Petrus, & fecit eiuſdem ciuitatis epiſcopum. Acon ciuitas eſt in angulo ſita, tota patens ab oriẽte ac meridie, totaque mari clauſa ſeptentione & occidente. Ab Acon vſque ad Cayphas contra meridiem ſunt duæ leucæ, & inde vſque ad caſtrum peregrinum quod diſtrictum dicitur quinque, à diſtricto vſque ad Cæſaream ſunt quatuor ampla milliaria, & à Cæſarea vſque ad Ioppen eſt dieta. Porro à Ioppe vſque ad Aſcalonam ſex leucæ. Ibique prope eſt Gaza, cuius portas Sanſon fregit & in montẽ tulit. Aliæ quatuor ſcilicet Ceſaræa, Ioppe, Aſcalona, Gaza Philiſtinorum deſertæ ſunt à Hieruſalem vſque ad montem Sinay ſunt dietæ duodecim.

De Patriarchatu Hieruſalem, & Iconia mirabili beatæ virginis, & de Harſaſinis.

Cap. LXVI.

PAtriarcha Hieroſolymæ quatuor habet archiepiſcopos ſub ſe. In prouincia quidem Palæſtina Cæſarienſem, qui vnum habet epiſcopum ſuffraganeũ ſcilicet Sebaſtenſem: in Galilæa Nazarenum, qui & vnum ſcilicet Tyberiacenſem habet ſuffraganeum. In Phœnicia vero Thirenſem, qui quatuor habet ſuffraganeos ſcilicet Aconenſem, Sidonienſem, Bericenſem, & Belinenſem. Petracenſem quoque in prouincia Moabitarũ qui vnum in monte Sina ſuffraganeum habet Græcum. Patriarchæ vero ſuffraganei ſunt Ebronita, Bethlehemita, & Lyddenus epiſcopi. In eccleſia Dominici ſepulchri ſunt Canonici Priorem habentes, ac viuentes ſecundum regulam beati Auguſtini. In templo etiã Domini ſunt regulares Abbas & Canonici, & ſimiliter in eccleſia montis Oliueti. In monte vero Thabor abbas & Monachi nigri, & in eccleſia ſimiliter de Latina. In Gethſemani quoque quæ eſt vallis Ioſaphat ſunt nigri Monachi. Omnes iſti Abbates atque Priores cum infulis & baculis, & annulis atque ſandalijs Pontificalibus, aſſiſtunt in miniſterio Patriarchæ ſoli obedientes. Sũt & ciuitates, quæ non habent epiſcopos, videlicet Aſcalona ſub epiſcopo Bethlehemitano, Ioppe quoque ſub Canonicis ſepulchri: Neapolis ſub Abbate templi, & Cayphas ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. Neapolis & Tyrus & Acon & Hieruſalem nullo mediante ſpectant ad Regem.

Ad quatuor leucas à Damaſco eſt locus, qui Sardanai dicitur, ſitus in monte vbi eſt eccleſia beatæ virginis Mariæ, in qua sũt virgines moniales 12. & octo Monachi. In hac eccleſia depicta eſt imago in tabula beatæ Dei genitricis opere Conſtantinopolitano, quam Patriarcha tulit Hieruſalem, & cuidam Abbatiſſæ dedit, Abbatiſſa vero ad locum prædictum tranſtulit. De hac imagine manet oleum balſamo ſuauius redolens, quo liniuntur infirmi, & melius habent. Oleum iſtud optimè chriſtianis reſeruatur, & ipſe locus à Saracenis in magna reuerẽtia habetur. Bis in anno ſcilicet Aſſumptione beatæ virginis Mariæ, & natiuitate locum illum incolæ Saracenorum frequẽtant; hęc imago a mammillis ſuperius ſi palpetur, vt carnea ſentitur.

In confinio Antiochiæ, & Damaſco in caſtris munitiſſimis habitant Harſaſini; quorum Dominus eſt vetulus de montanis multum reueritus à Chriſtianis & Saracenis propinquis ac remotis. Quorum Principes indifferenter per nuncios interficere ſolet. Horum nulla eſt lex, niſi quam timor facit; matres, ſorores, filias, & indifferenter omnes cognoſcunt vt vxores. A cunabulis educantur in palatijs, omniaque addiſcunt idiomata, & docentur Dominum ſuum timere ſuper omnia, eique vſque ad mortem in omnibus obedire: vt ſic poſſint ad paradiſi gaudia peruenire. Quiſquis in obedientia moritur, pro Angelo colitur.

Hæc de illo libello Patriarchæ ad Papam ad præſens ſufficiant:

De origine ac pueritia ſancti Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi.

Cap. LXVII.

Author. Anno iterum ſuperius annotato, ſcilicet ab incarnatione Domini 1247. ſanctus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cuius ſacri corporis gleba in Pontiniacenſi monaſterio requieuerat, de terra eſt eleuatus: qui nimirum anno præcedenti auctoritate apoſtolica fuerat canonizatus, & in cathalago ſanctorum deputatus. *An. Chriſti 1247.*

Ex geſtis eius. Hic à Bendoniæ villa originem duxit: In carne florida virginitatis florem illibatum perpetuo

Deus

Deus permansurum edocuit, qui eum supra morem cõmuniter nascentium fœlicibus auspicijs ex suæ matris vtero segregauit. Congressus est enim de cella suæ natiuitatis, ita mundus & immunis a communi corruptionis humanæ contagio, velut si mox in Sindone mundissima nullam contraxisset maculam, continens de contento. Huic igitur in baptismo mater Edmundum tãquam à mundicia nuncupandum censuit; quia cum oraret ad feretrum sancti Edmundi martyris onerata nobili onere, vitalis in eo spiritus primitias primitus deprehendit. Hæc Mabilia vocabatur, pater autem Eduuardus, qui de consensu coniugis sæculo valefecit, & in monasterio de Eynesham sub habitu regulari cursum vitæ fæliciter consummauit. *Vita parentũ S. Edmundi.* Mater quoque virtute nõ inferior cognationi fœmineæ masculinum animum inseruit, & in sæculo non sæculariter viuens, cum animi mollicie, carnis illecebras à se pœnitus amputauit. Cappam clausam deferens vestes reiecit, quas proposito castitatis non conuenire censuit. Vigilias monachorum Abbendoniæ singulis fere noctibus consueuit frequentare, contra carnis conflictus armis militiæ, continentiæ congruis se induit, cilicio videlicet aspero, quo carnis nuda calcaneum tenus contegere consueuit. Addidit & loricam ferream desuper, quam finetenus carni suę portauit indiuiduam, vt indumentum pilosum premente ferro plus pungeret carnem ipsam. Intra loricam vero duæ laminæ ferreæ ad maius erant supplicium, quarum mater moriens duos filios fecit hæredes, Edmundũ scilicet ac Robertum. Ab ipsis ergo pueritiæ primordijs Edmundus tam religiose nutriebatur materna sollicitudine, vt extunc ab ea informaretur ieiunijs, & orationibus etiam adultus insistere. Huic enim mater, vt sextas vltro ferias in pane & aqua ieiunaret, dedit & promisit munuscula vt parsimoniæ salutaris obseruantias in eius animo plantaret arte sancta; Sic innocentiæ fundamẽto superædificauit ardua virtutum palatia, vt crescceret templum sanctum in Domino, ædificatio per spiritum maturius inchoata.

Qualiter eidem puero Parisios misso Christus in forma pueri se ei ostendit.

Cap. LXVIII.

Mittitur Parisios studendi causa. Cvm autem mitteret eum vna cum fratre suo mater Parisios, vt liberalibus imbueretur studijs seu artibus, modicam pecuniæ summam dedit eisdem, dicens illis: Si maternam, vt bonos decet filios, iussionem seruaueritis, confido in Domino, quod in omnibus ipse prouisor munificus erit vobis. Duo quoque dedit eis cilicia, præcipiens vt illis super nudo se vestirent, bis aut ter in hebdomada. Timebat enim ne postquám discretionis annos attingerent, per deuexa vitiorum & abrupta voluptatis incederent. Ideoque rudes in arte bellandi familiariter informauit, & prius exercitans, quam in belli discrimine necessario traherentur, rudimentis intellectualibus sensualitatis studia præuenire curauit. Ipsa etiam Edmundo quem velut sanctitatis eius præscia, cæteris filijs plus dilexit, dum studeret Parisijs, cum indumentis lineis cilicium mittere consueuit. Meritoque prę cæteris eum dilexit; qui nusquam piam matrẽ, pius videlicet filius verbis aut operibus offendit. Ita nãque Deo & piæ matri suæ placere studuit quod omnem à se leuitatem resecans, omnino coreis alijsque ludicris seu spectaculis se subtraxit. *Nota preces eius.* Diebus quoque Dominicis & festiuis iuxta monita matris antequam comederet, psalterium ex integro psallere consueuit.

Et quoniam amantissimus Domini totis visceribus studuit auctorem vitæ diligere, ipse in forma puerili eidem puero se voluit demonstrare. Cum enim pratum quoddam spaciandi causa cœtaneis inuitantibus, consensisset ingredi, ab ipsorum tamen comitatu se celerius separauit, ne conscientiæ suæ puritatem vel nugis puerilibus, vel ociosis sermonibus contingeret maculari. Dum igitur incederet solitarius sacris insistens meditationibus, apparuit ei puer ille candore niueo nitidus, & colore roseo rubicundus, qui velut à summo cœli cardine delapsus subito, sic eum prior allocutus est, officiosissime salutando. *Salue dilecte mi.* Qui cum audisset, vt puer in sermone, ignoti pueri miratus est. *Puer Iesus ei apparet.* Quem cum ille pauefactum & hælicãtem conspiceret, ipsum denuo alloquẽs quæsiuit an ipse sibi vel tenuiter notus esset. Ille simplicitatis columbinæ respondens sermone simplici, nullam, inquit, teneo noticiam tui, nec sum vt æstimo notus tibi. Adiecit puer: Quomodo ita tibi sum incognitus, præsertim cum, & in scholis ad latus tuum sedeam, & tibi quocunque fueris inseparabiliter fuerim sociatus? Deinde subdidit: in faciẽ meã respice, & quod in fronte mea scriptum sit, aduerte sedulus toto corde. Quod cum feciſſet, scriptũ legit in ea literis cælestibus: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Qui statim quod viderat ei retulit, & ab ipso protinus audiuit, hoc est nomen meum, quod tibi memoriale sit in desiderio animæ, & hoc diligenter & articulatim noctibus imprime singulis fronti tuæ. *Cõtra mortem subitaneam remedium ei ostendit.* Per hoc enim poteris contra mortem muniri subitam, & quisquis eadem scriptura munierit modo consimili frontem suam. His dictis, puer ille in quẽ desiderant Angeli prospicere, disparuit, sed in pectore pueri sui, quem visitare dignatus est, non parum dulcedinis reliquit.

Qualiter a matre benedictionem accepit, & animam defuncti portari à dæmonibus vidit.

Cap. LXIX.

Porro matre illius iam morti propinqua cum vix ei supereſſet extremus spiritus, vocatus ad eam venit, benedictionem vltimam percepturus. Qua super eum affectuosissime edita, cum absentiam fratrum ad memoriam reduxisset, exorauit matrem humiliter vt absentes quoque benediceret. *Mater mores ei bene precatur.* Ad quem illa: In te, ait fili omnes fratres tuos benedici noueris, qui per te transfusa in illos benedictione tua, tuæ participes erunt gratiæ & virtutis. Nec enim matrem latuit, quis quantusque futurus esset in posterum, cuius futuræ gloriæ cumulum, quibusdam nouerat prę sagijs præsignatum. Siquidem viderat in somnis nocte quadam eum coronam spineam portantem in capite, quæ vehementer accensa flammam protendebat ad sidera cum fulgore.

Quadam vero die cum versus natale domicilium scilicet Abbendoniam iter ageret cum alio, quem habebat itineris socium; vidit camputn auibus fuligine nigrioribus coopertum. *Visio matris.* Et vterque quidem de maxima miratus est auium multitudine, sed alterum stupor validus inuasit cum tremore. *Visio Edmũdi & socij.* Cui beatus Edmundus. Sta, inquit, à via semotus paululum, & te crucis muni signaculo, ne timeas, quia videbimus quid portendat monstruosa hæc auiũ multitudo. Postmodũ vero videntibus illis aues illæ corpus quoddam nigerrimum, nec hominis, nec vllius animalis effigie distinctum subuexerunt in aera, & ita demum disparuit multitudo auium subito velut vmbra. Quo facto conuersus sanctus ad pauẽtem socium: vis, ait, scire quid significet hoc portentum? Et ille, volo, Cui sanctus: Aues teterrimas quas vidisti, noueris esse dæmones, hominis cuiusdam, qui in villa proxima nuper obijt, animam, ad inferos deportantes. Ipsam animam laruale corpus quod in aera subtulerunt exprimit, quæ ineffigiata visa est, quia conditoris imaginem, ad quam facta fuerat, ipsa dum viueret in corpore, viuendo nequiter deformauit. Qui ad eandem protinus villam venientes, vt de viso certiores efficerentur prodigio, cognouerunt quod homo quidam ipsa qua sanctus prædixerat hora transierat ex hoc mundo.

Qualiter in adolescentia castitati studuit & imaginem beatæ virginis annulo despōsauit.

CAP. LXX.

VBi autem sanctus Edmundus annos adolescentiæ attigit, carnis delicias nō tantummodo fugit, sed etiam exhorruit, Cumque virtus versetur circa difficile & ad virtutum culmina veniatur cum labore, priusquam eius animæ vires attigissent, virtuti contrarium in eisdem sacris parauerat exercitijs, virtutibus locū. Sicq; cani sensus effectus est in annis teneris, quod cum sacrā paginam nec didicisset, tamen ipsam iam docere videbatur maturis moribus & honestis. Eratque talis qui non prius inciperet docere quam facere, sed quod amplius est, prius facere quam audire, & cum singulis in corde virtutibus gratum parasset hospitium, castitatem singulariter habere studuit, sciens quod incorruptio Deo proximum esse facit, vnde carnem suam nulla vnquam polluit immundicia, sed in eo permāsit vsque ad obitum virginitas incorrupta. Nam de consilio cuiusdam sacerdotis perpetuam virginitatem coram beatæ virginis vouens imagine eidem se virgini velut Dominæ commendauit & copulauit perenniter velut sponsæ, atque in signum irrefragabilis fœderis eam annulo suo subarrhauit nouo more. Annulo inquam quem ad hoc fecit, digitum ipsius imaginis insigniuit. Et vt eidē Dominæ amicæ charissimæ iugiter impenderet salutationis obsequium in eodem annulo literaliter insculptum est illud aue angelicū. Ex tunc ergo sicut ipse cōfessus est in obitu, quotiens eiusdē clementissimæ virginis præsidium inuocauit, ipsa in tentatione prouentū, in persecutione solatium, in tribulatione remedium, in dolore gaudium sibi celeriter impetrauit. Vt autem eadem sponsa sua fœderis inter eos initi recordaretur, & sponsum dignaretur agnoscere, qui eam in sua desponsaret imagine in annulo cum quo post mortem more Pontificali sepultus extitit, inuentum fuit insculptum cunctis videntibus atque mirantibus istud *Aue*. At per hoc & in manu Pontificis & in digito imaginis, præcipuum prælucet testimonium, per quod enucleatius apparet omnibus gestę rei veritas & exemplum.

Castitati præcipue studet.

Mater Dei ab eo inuocata quid ei præstiterit.

Qualiter cum diabolus de carnis concupiscentia tentauit.

CAP. LXXI.

AT hostis antiquus quo magis eum vidit in virtute proficere, eo magis agitatus inuidia, pectoris eius pacem studuit perturbare. Vnde quandam puellā hospitæ suæ filiam in eius excitauit excidium, vt impudicos oculos in eū iaciens, eius commouere tentaret animum signis & nutibus ac suspirijs, quasi dicens tacite, *dormi mecum*. Sed cum per talia nil proficeret, apertis cū eo verbis cæpit agere, & multis modis ad amplexus illicitos prouocare. Quam ille vt pestem fugiens sæpe corripuit, sed illa nec sic à virulento proposito quod mente conceperat se retraxit. Illa velut altera Ægyptia, pro illicitis institit: Ille velut alter Ioseph illicita recusauit. Tandem illius opportunitate pertæsus, quid super hoc esset agendum melius mente contulit, & habito secum consilio puellę tempus assignat veniendi ad locum, quo vacare studio consueuit. Illa sperans voti se compotem fieri, assignato tempore audacter venit. Quam ingressam & quibusdam superioribus vestibus ad eius mandatum spoliatam arripuit, virgisque flexibilibus, quas ad hoc aptauerat in dorso peroptime flagellauit, vt sic cui collecta erat in corde stultitia, ipsam disciplinæ dissolueret dura virga. Fugit illa quem dudū fuerat insecuta, & vexatio intellectum dedit, & gratiam apposuit, ita quod ipsa puella vt asseruit huiusmodi tentationem nunquam postea taliter tolerauit. Sicque dum restitit persequenti diabolo, ipse diabolus à puella recessit ocius & ab ipso. Sed dum per apertam eum mali speciem non posset ad carnis illecebras trahere, conatus est per quandam matronam, satis vt videbatur honestam deceptionis suæ laqueis irretire. Hæc velut sub obsequij velamine obtulit ei quædam donaria, vt per hoc eius animum facilius inclinaret ad turpia carnis vota. Quod cum ille muliebris versutiæ non ignarus intelligeret, quæsiuit ab ea an ei de sui conscientia coniugis hæc offerret. Et illa: Latent, inquit, ista coniugem, nec enim scire debet, quod tibi facio amicabiliter hunc honorem. Insipiens enim credidit virum sapientē aquas furtiuas quasi dulciores appetere, quas ille vt Dauid sapiens cum tanto discrimine noluit degustare, vnde ait ad illā, sine viri tui conscientia non recipiam dona tua, sicque mulier verecundata, donaria sua retulit, & ipse ab eius impeditione noxia liber fuit.

Impudicam puellam verberibus sanat.

Matronam quandam impudicam egregie à se repellit.

Qualiter in ætate virili carnem suam arctius castigauit.

CAP. LXXII.

DEcursis annis adolescentię, quia crescentibus cum ætate viribus corporis, creuit inuisibilis pugna militiæ, spiritualibus armis curauit fortius se munire. Vnde non contētus iam cilicijs vti communibus, sicut informatus matris monitis & exemplis consueuerat à puero, adinuenticio cilicij genere, carnem suā non tam domare quam torquere studuit nouo modo, quē modum & antiquioribus sanctis incognitum, & modernis credimus inexpertum. Habebat siquidem cilicium, non ex filis vt fieri solet subtilibus, textoris arte compositū sed ex chordulis artificiose connexis pariter & coniunctis ad instar retis densissimi intricatum, quod in connexione suo denso ordine continebat nodulos tam intolerabiles quā vt ita loquar sine numero numerosos. Erat ab anteriori parte apertum, penitus inconsutile illud cilicium laqueolis ab eius capucio vsque ad fimbrias hinc inde appositis connodatum, quę connodatio cilicij nodos additæ carni impressit arctius, & cruciauit grauius sui corporis artus sacros. Sicque cum seipso bello dimicans intestino, certamen sibi indixit reciprocum, in quo se conterens, & à sese contritus, erexit se supra se, pene suimet oblitus, vt se vinceret, & domestico tormento corpore superato martyr in pace factus, de se triumphum nobilem reportaret. Cui enim Christus erat viuere, ipse vixerat non vt ipse. Nec contentus est hoc tormenti genere, sed quod superaddidit est admiratione dignius, & stupore. Vt enim idem cilicium stringeretur fortius, & continuata punctione, caro magis sustineret supplicium, fune grossiori de pilis equinis triplicato constrinxit illud desuper in hūc modum. Funis ille à scapulis per corpus circunductus vsque ad renes descendebat, multis inuolutis mediantibus & tam stricte ligabatur inferius, quod corpus & prę cipue spinam dorsi curuare vix potuit, vel semetipsum erigere incuruatus: sic in cingulo cilicino semetipsum circundederat, qui non tantum lumbos carnis suę cum legali pontifice succinxerat, sed iusuper circa pectus zona aurea cum Dei filio cinctus erat. Ita diebus contra potestates aereas armato corpore reliquas corporis particulas, quas in aperto non potuit, armauit in occulto, vt in se nil immunitum relinqueret vel inerme. Siquidem manuum & colli nuda, quæ videlicet propter homines diebus cruciare non poterat, noctibus coram Deo cilicio contegebat. Addidit & cilicina femoralia, & caligas cilicinas quibus vtebatur assidue cum lorica quam sibi mater reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus pro duplici martyrio quo se spontanee cruciabat. In aduentu quoque & in quadragesima indumentum quoddam portauit plumbeum, corium quoddam nihilominus durum induens & nodosum. Ad maioris etiam tormenti cumulum pluribus locis astrinxit funibus corpus suum, ne constringeretur funibus peccatorum.

Nouum cilicij genus effingit.

Nota diram corporis castigationem.

Qualiter in regimine artium se habuit.

Cap. LXXIII.

FActus vero magister artium præter morem tunc legẽtium, missam & horas canonicas quotidie priusquam legeret audire consueuit, quæ scilicet religiosa consuetudo suis etiam scholaribus profuit, quos vt secũ audire missas assuescerent, sic induxit. Et vt hoc liberius exequeretur in parochia, qua degebat, fecit capellam construi in honore beatæ Virginis, quam sẽper dilectione coluit speciali. Pius autem humilisque magister cũ vnum de auditoribus suis ægrum, & egentem lecto decumbere didicisset, in domum suam eum portari fecit, & qualibet nocte per quinque circiter hebdomadas ante ipsũ iacuit, eique in vrinali ac cæteris, quæ languentis requirebat necessitas ministrauit. Et quamuis hoc fraternę cõpassionis grauaretur onere, legebat tamen & disputabat continue: Frequenter vrinale de manu decumbentis præ vanitate capitis excidens integrum remanebat ipsius proculdubio meritis, qui ei propter Deum humanitatis obsequium exhibebat.

Construit sacellum in honorẽ matris Dei,

Singularis eius humanitas.

Quidam etiam de scholaribus suis morbum patiens in brachio ostendendum ei censuit quasi sancto. Cui respondit ille: Sua te Deus gratia sanat ac virtute, in crastino scholaris ad magistrum redijt, seque sanitati restitutum asseruit. Ac ipse magister eiusdem morbum in suo brachio excepit, quem patienter tolerans paulo post & ipse curatus fuit.

Die quadam in studio occupatus oblitus est orationem illam, *ô intemerata* dicere, quam in honorem beatæ Virginis, & beati Ioannis Euangelistæ dicere consueuerat diligenter, ac deuote, sequenti nocte beatus ei Ioannes apparuit, & vt ei manum suam extenderet, imperauit. Gerebat siquidem in manu ferulam, qua velut in eum sęuiens minabatur eius percutere palmam. Visumque est ei comminationis magnitudinem, quod si eum percussisset, ex ictu incurrisset mortem. At ille mox clementior factus erectam manum suspensam tenuit; & vt dictam orationem ex tunc dicere non omitteret, familiariter persuasit.

Grata sunt sanctis preces in eorum honorem fusa.

Qualiter ad Theologię studium se transtulit.

Cap. LXXIV.

TRansactis ergo circiter sex annis, quibus in artibus egregie rexerat, cum adhuc socijs suis cursum legeret aritmetica, apparentem sibimet in somnis agnouit matrem suam, atque dicentẽ: Fili quid legis, & quæ sunt illę figuræ, quibus vacas tam studiosè? Quo respondente talia lego, videlicet ostẽsis protractionibus, quę fiunt in ea facultate, mox illa dexteram eius manum arripuit, & in ea tres circulos pinxit, quos his nominibus, Pater, Filius, & Spiritussanctus, per ordinem singulis singulos insigniuit. Et addidit: Fili charissime, talibus figuris & non alijs de cætero intende. Qui voce matris edoctus, sese mox ad Theologiæ studium transtulit, intelligens nimirum, quod sãctæ Trinitatis cognitio Theologiæ consummatio, & origo facultatis existit. Et qui prius dum in artibus regeret, in mane missas audire consueuerat, nunc ad religionis augmẽtum, media nocte matutinas in Ecclesia sancti Mederici Parisijs audiebat. Post matutinas vero in orationibus cum lachrymis, & gemitibus, corã altari beatæ Mariæ Virginis vsque ad diem consueuit persistere, & ita demum nulla quiete corporis interueniente ad scholas cum cęteris conuenire. Et sicut orandi gratia ecclesiam adijt nocte media, sic ipsam adire ob causam consimilẽ hora studuit vespertina. In ecclesia reuerenter & deuote se habuit, & in ea sedere quasi nunquã vel rarissime cõsueuit. Quem cũ boni nominis Archiepiscopus Eboracensis Theologiæ studio didicisset insistere, cogitauit & voluit vnam Bibliam proprijs ei sumptibus prepare. Quod ille audiens renuit, nec voluit eam sibi fieri, vetens ne quod monasterium ex eius scriptura contingeret onerari. Siquidem & ipse psalterium glossatum in duodecim prophetas, & decretales epistolas habebat, quæ omnia vendidit, pretiumque scholaribus egenis Parisijs erogauit. Et mirantibus socijs quod contra morem omnium studentium, codices sibi necessarios distraxerat, vni eorum de hoc ipsum percunctanti, serio sic dicebat: Stulte omnia pro Christo studentes perfectioni debemus vendere, ac pro eius amore pauperibus erogare. Tanta vero auiditate sacras amplectebatur litteras quod in earum studio pene insomnes solebat ducere noctes ipsas.

Confert se ad studium Theologiæ.

Vigilia eius & preces.

Qualiter in Theologia regens auditores ędificauit.

Cap. LXXV.

ITaque tam mirabiliter in breui studendo profecit, quod cito post paucos annos multis cum instantia suadentibus, magistralem cathedram licet inuitus ascendit, quamuis enim duceretur amore veritatis & iustitiæ imparem tamen huic oneri & indignum se credidit hoc honore. Igitur sacræ scripturæ doctor effectus, & tanquam lucerna super candelabrum positus, omnibus proficere studuit ac si omnibus esset natus. Erat enim prædicator egregius, disputator acutissimus, lector pius; & in his omnibus effundebat alijs quod ipse hauserat de fontibus saluatoris. Frequenter multi & magni viri qui ad eum in scholis audiendum cõfluebant, inter legendum à lachrymis se continere non valentes libros claudebant. Mel siquidem & lac sub lingua habebat, ideoq; dulcedinem nõ modicam, discipulorum mẽtibus instillabat. Vnde multi de scholis suis exierũt doctores eximij, vestigia quoque sanctitatis eiusdẽ pro viribus secuti. Nonnulli etiam ecclesiasticis honorati, vel potius onerati beneficijs, exonerantes seipsos religioni se dederunt, eius succẽsi facibus lectionis. Nimirum ignis in altari cordis eius ardens iugiter, alijs ostendebat lucis iter. Hinc & quadam nocte vidit per somnium in scholis suis ignem fieri copiosum, de quo septẽ ardentes extrahebantur faculæ continentes mysterium rei secuturæ. In crastino dũ legeret, intrauit scholas Abbas quidam Cistercienſis ordinis, qui cõpletis lectionibus abduxit secum septem de scholaribus suis, quos ignis septiformis accẽderat charitatis. Vnde spretis tẽporalibus, & mundo valefacientes, viam vitæ fæliciter arripuerunt in monasterio dicti Abbatis monachũ induentes: horum vnus fuit Clareualẽsis Abbas Stephanus Quadam die disputaturus de sãcta trinitate cathedram conscendit, & dum ibi discipulos expectãs quæstionem in animo volueret, in somnum resolutus visionem huiusmodi cernere meruit. Columba de supernis volauit ac se celeriter deferens in ore suo mirificũ corpus Christi quod quasi sacram cõmunionẽ tribuens, in eius ore posuit, & sic ad superiora celerius auolauit. Expergefactus ergo velut humanum excedens ingenium excellentissime disputauit, ac de beata trinitate perspicacissime disseruit. In prædicatione quoq; ei mira gratia inerat, & ignitum eius eloquium, animos auditorum quantumcũque frigidos efficaciter accendebat. Vnde, & Guillelmus comes Salesberiæ, qui Lõgaspata dictus est, cum iam longo tempore nemini confessus esset, ac de sumendo Christi corpore iuxta morem vniuersalis ecclesiæ non curaret, ad eius monita conuersus est.

Effectus prælectionum eius.

Visio eius.

Multi auditores eius vitam monasticã amplectuntur.

Alia visio.

Vis concionum eius.

De affectu quem erga crucem dominicam habuit.

Cap. LXXVI.

CVm autem populo prædicaret crucem dominicã manu propria tenebat assidue, quam frequenter intuens, solebat nunc amarissime flere, nunc honestissime subridere. Flebat quidem vt dicere consueuerat, quod cum plures essent verbi auditores, pauci tamen factores

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Affectus eius erga crucem dominicam.

factores existerent, cum tamen Christi passionem haberent præ oculis, & exempla sanctorum eis innumera non deessent. Ridebat vero cum crucẽ pio conspiceret oculo recolens beneficia, quæ per eam prouenerant toti mundo. Habebat etiam pro consuetudine qualibet die vel nocte Dominicæ passionis insignia meditãdo recolere, & in eis suauissime delectando illis medullitus inhærere. Quadã itaque festiua die multis occupationibus & curis fatigatus cum præuidere non posset lectionem crastinã, sequentem noctẽ in vigilijs expendit fere totã. Vnde circa auroram irrumpente somno eius occurrit memoriæ, quod in nulla illius diei hora meditatus fuisset iuxta morẽ de dominica passione. Timens vero ne grauẽ capitis dolorẽ incurreret, si antequam iret ad ecclesiã & ad scholas non dormiret, elegit potius aliquantũ quiescere, ac solitam contemplationẽ, in spe gratiæ Dei tunc irrumpere. Cum ergo se inclinasset ad lectulũ apparuit ei hostis antiquus terrũ vultum exhibens & horrendũ. Vnde territus dextram leuauit vt signum crucis faceret quam dæmon apprehensam tenuit ne leuaret. Ipse vero cõfisus in Domino quasi ambidexter sinistram erexit vt idem faceret signaculũ, sed diabolus ipsa similiter apprehensa, quasi saccus grauissimus cecidit super eum. Tunc deficientibus sibi viribus corporis orauit in spiritu Dominum vt sua virtute sæuientẽ contereret inimicũ, sicque dæmon ab eo auulsus subito cecidit inter lectum & parietẽ proximum in momento, surgens igitur celeriter, & sic prostratũ cernens dęmonẽ, confortatus in fide ipsum cæpit aggredi velut hostem, eumque per horribile guttur eius arripuit, & illud stringendo fortiter ita dixit: Adiuro te per aspersionem sanguinis Christi, vt mihi non omittas dicere, quid sit illud per quod tibi valeam plus nocere, & te à meis infestationibus coercere. Et diabolus ait, per illud quod nunc nominasti, & sic diabolus victus disparuit, se victum dolẽs ab eo quem suis vincendum viribus æstimauit.

Damonis horrenda visio.

De abstinentia eius, & oratione.

Cap. LXXVII.

Hic sanctus abstinentiam illibatam in omnibus seruauit ab infantia scilicet, vt verbo, cibo, potu, somno, cæterisque mundanis speciebus quantum virtus patitur humana. Solo pane contentus & aqua, sextis per annum feriis abstinuit, & aliquando panem tantum sumens, nullum penitus liquorem gustauit. Vnde nonnũquam fissa videbantur eius labia velut humoris indigẽtia hians terra, pilis quoque fluentibus capitis & barbæ, dicebant hoc physici ex humorum penuria prouenire. Grossis vtens cibarijs, quo cibus, vel potus pretiosior & delicatior erat, eo minus ex eo sumebat. Nolebat vt sibi quis propter se diceret, quid sibi in prandio esset apponendum, immo sepe cibum si coram eo laudaretur, gustare nolebat, eo quod lautũ nouerat. Omni secunda feria & quarta, & in septuagesima semper à carnibus abstinuit, reliquisque diebus, quasi nihil de carnibus vel piscibus degustauit, Nec ob hoc disputare dimisit aut legere, nisi alia præpediretur necessaria ratione.

Initiatus sacerdotio viuit durius

Postquam vero sacerdotij ascendit gradum, ad quẽ inuitus venit, sicut ad præcedentes sacros ordines, ex tunc duras leges quas in carnis suæ præiudicium statuerat, efficere studuit duriores. Rarissime bis in die comedere consueuerat, & hoc cum ad id eum aliorum iucũda societas inuitabat. Denique sibi tantum rigorem indixerat abstinentiæ, quod nonnulli suorum credebant ipsum capitis insaniam, vel etiam mortem incurrere. Orationi quoque sedulus incumbebat, & nuda solo genua figebat. Vnde nonnunquam vi collisionis erumpens sanguis genus respersit alterum; aliud vero quasi semper gibbosum extitit & callosum. Singulis diebus à capite vsque ad pedes membra crucifixi singula adorabat, & in adoratione cuiuslibet: *Adoramus te Christe*, pia voce dicere solebat. Per dies singulos tria cantabat paria horarum, scilicet horas canonicas, de Spiritu sancto, & de matre Domini, cum officio defunctorum. Post primum exurgens somnum mox ad orationem, vel meditationẽ seu lectionem se conferebat, & tam post matutinas, quam ante vigilans sic permanebat. Raro namque post matutinas dormiuit vllo tempore, non minus id obseruans hyeme, quam æstate. Quam si forsan aliquando sopor in eum violentus irrueret, non solebat ad lectum recurrere, sed in orationis loco, vel in sede sua reclinans caput, dormitare potius fatigatis concessit oculis, quam dormire. Lectum quidem habuit satis honeste stratum, nec tamen in lecto iacuit, sed in scabello suppedaneo, nonnunquam in terra ipsa: aliquando autem ad lectulum caput pendulum inclinauit. Aliquotiens vero vt non totum corpus, sed pars media requiesceret sedens solebat somnum capere, & hoc per annos circiter triginta vel amplius creditur obseruasse. Linteamina, cooperiorium, vel etiam culcitram non habuit, sed cappa sua, vel scapulari, seu certe pallio se contexit.

Quo pacto somnum caperit.

De cætera eiusdem conuersatione.

Cap. LXXVIII.

Vestimenta vt sæpius habebat grisea, nec abiecta plurimum, sed nec plurimum pretiosa. Ludis seu spectaculis sæcularibus nunquam se immiscuit, sed omni huiumodi quasi virus quoddam quod per oculos ad animam ingreditur euitauit. Detractores persequebatur, detractionis abhorrens vitium, nec his vnquam vel ad modicum suum accommodauit animum, vel auditum. Beneficium ecclesiasticum, & vnicum tantum, quanquam plura pluries sibi fuissent oblata, nunquam tenere voluit, nisi cum onere residentiæ, quod quotiens lectionibus vacare disposuit, solebat nullius expectato consilio resignare. Tandem vero vt liberius verbum Dei posset absque scandalo & auditorum prædicare grauamine, beneficium vnum recepit, & retinuit quorundam victus instantia atque prece. Suscepit itaque in nobili ecclesia Salesberię cum canonica dignitatem thesaurarij, ad quam inuitauit eum episcopus. Receperunt autem eum Canonici cum reuerentia speciali. Ventilationibus causarum, seu placitis interesse noluit. Et vt à causarũ cognitionibus eximeretur, literas Apostolicas impetrauit. Pecuniam non dico tangere, sed nec videre dignum censuit, nisi eam, quam manu propria pauperibus erogauit. Cellaria vel alias officinas suas dedignabatur ingredi, inconueniens hoc esse iudicans sui nominis honestati. Rerum quoque suarum audire computum sibi credidit inhonestum. Plus expendebat, quam haberet in redditibus, vnde & ære alieno semper extitit obligatus. A seruientibus suis carnis exigebat munditiam, volens semper omnem familiam suam fore mundam, nec vnquam eis in ira molestus fuit, etiam cum delinquerent, nec vllis omnino alijs; quoniam fatagebat sollicitus seruare iugiter pacem cordi. Quod sibi fuit in facultatibus proprium, commune facere studuit, pijs vsibus egenorum. Nullus ab eius ianuis recessit egenus vacuus, sed accipiebat quilibet prout sibi videbatur competere plus vel minus. Nunc panem, nunc bladum, vel certe legumina, quę parari fecerat pauperibus vndecunque cõfluentibus, præcipue famis tempore ministrabat. Libris coram se positis in superiori parte contra faciem habebat Eburneam & venustissimam B. Virginis imaginem in circuitu throni sui redemptionis nostræ mysteria, sculptura mirabili continentem. De codice procedebat lectio, ad Iconiam referebatur oratio. De vtroque influebat ipsius studentis animæ contemplationis extasis & dulcedo. Comestionis & æquitationis tempora, quibus studio nequiuit insistere dicebat se perdita, & inutilia reputare. Tantum reuerentiæ sacræ scripturæ detulit, quod quotiens Bibliam suam aperuit prius eam osculo honorauit. Appetitum inanis gloriæ quæ viris virtutum importunam se multipliciter ingerit, sub quadam simplicitatis cautela & modo mirabili elidere consueuit.

Vestes eius.

Plura beneficia recusauit vnico contentus.

Pecunia cõtemptor insignis.

Preces eius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De prædicatione crucis & miraculis per eum ibidem exhibitis.

Cap. LXXIX.

Gratic prædicat euangelium & crucem.

Sic eius fama fælix Alpes transijt, & quoniam apostolicus cum crucis amatorem esse nouerat, legationem crucis ei cum grandi priuilegio commisit. Potestatẽ quippe dedit illi procurationes ab ecclesijs & Ecclesiarum rectoribus accipere, vt eorũ carnalia meteret, quibus debuit spiritualia seminare. Ipse vero hac potestate nõ vtens gratis euangeliũ posuit, & proprijs stipendijs contra morem militantium militauit, propter quod & Deus in ipso legationis itinere dignatus est cũ innumerosis miraculis honorare. Itaque dum verbum crucis apud villam Lemestre populo proponeret, accessit iuuenis quidam iuuenilibus irreticus oblectamentis, vt sibi vir sanctus manibus suis crucem daret. Quem mulier quædã volens à proposito retrahere, per pallium arripuit, sed non impune, mox enim manus ipsius cõtracta dedit eidem intelligere nõ esse sibi licitum, Christi militem à tam pio proposito reuocare. Quæ vindictam in se sentiens cum flens & eiulans clamores emitteret, vir sanctus diuini verbi baiulus, quæsiuit à circunstantibus quid hoc esset. Cumq; didicisset plenius rei seriem, quęsiuit à muliere, an de manu sua vellet accipere Christi crucem. Quæ ait: *volo*. Et dum vir Dei crucis Christi signaculũ suis imponeret humeris, in ipsa mox impositione, mulier adesse sibi sensit perfecte remedium sanitatis. Similiter apud villam Stradevvey cum iuuenis quidam eo prędicante surrexit, vt crucem sumeret, eius amasia ipsum tenuit, vt à proposito reuocaret: mox vltio digna eam inuasit, & lumen oculorum subito perdidit. Quæ flens & eiulans clamoribus pulsauit aera, vnde ei vna cum beato viro plebs condoluit vniuersa. Et orante pro ea viro Dei recepit lumen perditum, sicque cum gaudio redijt ad propria pro impensa sibi gratia laudans Deum. Alias cum prædicare deberet apud Boclande, vbi Deo famulabantur moniales Cisterciensis ordinis, priusquam venisset ad prædicandum, apparuit quędam monialis defuncta cuidam alij viuenti eum præmonens his verbis: Veniet, inquit, magister Edmundus huc ad prædicandum populo, tu tradas ei filum, vt ex eo cruces faciat, quod repositum inuenies illo loco. Monialis viuens credens defunctæ monitis, filum de loco sustulit, & ad virum Dei, vt cruces inde faceret deportauit, & crucibus multis de filo factis signati sunt quamplurimi, idem tamen filum parum videbatur ab intuentibus id admirantibus minorari.

Pœna feminæ temerariæ.

Eam sanat vir Dei.

Cæca lumen impetrat.

Iterum de quibusdam miraculis illius temporis.

Cap. LXXX.

Cvm apud ciuitatem Vvigorniæ extra ecclesiam ad prædicationem suam confluxisset maxima multitudo populi, cæpit prædicationis primordia, subito nubes horrida diffundi, & pluuiam cum turbine comminari. Videns vir sanctus auditorum animos esse concussos, ad diffugium conuertit se contra impetum turbinis, & extenta manu opposuit ei victoriosissimum signum crucis, & ait: *præcipio tibi maligne Spiritus, cum hac commotione longius abscedere, nec astantem populum, quo minus verbum Dei audiat, audeas impedire.* Quo dicto statim recessit spiritus procellarum, & nubes ludicra obumbrans eos affuit, in circuitu vero eorum pluuia cum tempestate valida distillauit. Sic & pluries, & pluribus in locis, pluuiam vel procellam à loco prædicationis suæ repulit.

Signo crucis auertit pluuiam.

Præterea dum eiusdem legationis officio fungerentur in multa gratia, nocte quadam in sua Biblia studuit cum candela. Et cum fatigatus vigilijs irruenti somno nequiret abstinere, contigit ipso dormiente candelam super libri literam cadere, & diutius sic ardere. Qui euigilans obstupuit, & pro Biblia quam charissimam habuit, suspirauit. Et eleuans candelam exstuflauit famulam quæ super librum remanserat, nulla tamen ignis læsio super Bibliam apparebat.

Præclarum miraculum

Cum similiter alia vice studeret ad lumen vigilijs grauatus, somno succubuit. Et ecce mus intrans in crucibulum, lumen dum huc atque illuc discurreret suffocauit. Et euigilans cum repperisset se sine lumine, suspirans & gemens inclamauit nomen virginis glorioſæ, subitoque lumen in crucibulo repperit, & de reddito sibi cęlitus lumine lætus fuit.

Pellit crucis signo antracem id est, carbunculũ.

Contigit aliquando eum in pede grauari apostemate, quod antracem solent medici nominare. Qui sumpta penna cum qua scribere consueuerat, tres siue quatuor cruces in circuitu, & vnam desuper impingebat; & dum cruces illas depingeret, prædixit, quod morbus ille pessimus expiraret. Quod & factum est; in crastino quippe pes inuentus est sine apostemate, nullo prorsus ipsius vestigio remanente. In eius quoque cilicijs accidit miraculum, quod hic styli officio duximus commendandũ. Quidam cubicularius eius cilicium & fæmoralia cilicina quæ vsu diutino inueterauerant ad comburendum acceperat, quæ ille igni tradidit, sed ea ignis allambens innoxie non vrebat. Siquidem virtutis suæ ignis oblitus, non valebat ipsa conflagrare cilicia, quasi sacrata duceret, quæ vir sanctus tetigerat carne sua. Itaque cubicularius ea proiecit in aquam cum grandi lapide, quibus submersis dixit mẽdaciter se ea ignibus cõcremasse.

Res mira sane.

Qualiter in Archiepiscopum Cantuariensem assumptus est.

Cap. LXXXI.

Talis sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus vacante sede Cantuariæ, electus est in Archiepiscopum canonice, diuina proculdubio voluntate. Itaque solemnes nuncij ad ecclesiam Salesberiæ venientes, cuius scilicet erat Thesaurarius, ipsum inquirunt, sed ibi non inueniũt. De hinc ad villã de Calue pergitur, vbi contẽplationi vacans, & gregis sui regimini reperitur. At ille nullatenus electioni de se factæ cõsentire voluit, sed semetipsum exinaniendo minus idoneum asseruit dicens: *Ego vermis, & non homo*, nõ solũ tanti meriti, nec tantæ literaturæ sum, vt creditis, sed & mundus quoque in hoc deceptus est, & vos erratis. At illi cum precibus in proposito persistentes adeunt episcopum Salesberiæ, qui audita rei serie diffiniuit quod electioni consentiret, eique iniunxit in virtute obedientiæ. Ille tamen fixus mansit in proposito, nec adhuc consentire voluit vllo modo: asserunt illum mortaliter peccaturum, nisi consentiat, eique præcauendũ esse, ne Deum offendat. Talis enim, inquiunt, posset loco tui forte substitui, per quem ecclesia Cantuariensis læsionem non modicã posset pati. Vbi ergo sunt ambitiosi per fas & nefas se vltro ingerentes in vineam Domini concupiscentes honorem sæculi. Ecce ambiciosus se ingerit, & repellitur, Edmundus quæritur, & accedere vix dignatur. Tandem itaque victus eorum precibus, immo magis ratione conuictus assensum præbuit; quem tamen assensum verbis patentibus non expressit. Dixit enim: Nouit ille qui nil ignorat, quod nisi me mortaliter peccare crederem, electioni de me factæ nullatenus consentirem. Hac imperfecta resp̃sione contenti, de eius ore verbũ rapiunt, & ipsum arripiunt, atque ad sanctum altare ducentes eũ in terram cum eo humiliter se prostrauerunt, hymnum *Te Deum laudamus* ingeminãt, concrepant cymbala, & in laudem Creatoris omnes iubilant & exultant.

Psal. 21.

Fit Archiepiscopus Cãtuariensis licet renitens.

Qualiter in statu illo conuersatus est.

Cap. LXXXII.

Pastor igitur in populo Dei factus, in omnibus magis ac magis enituit virtutibus. Superiobus obedientiã exhibebat, & reuerentiam paribus, concordiam & pacem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cem inferioribus cum custodia disciplinam. Humilitas sicut in eius corde primatum tenuit, sic & in omnibus eius operibus prima fuit. Nam calceamenta sua non erubuit aliquando sibi distrahere, quod in primate totius Angliæ humilitatis erat indicium euidens & insigne. Cum vero clerici sui missam mane non audissent aliquo præpediti negocio, quod eo oportuit agi tempore, ipsemet præcedente die missam consueuit eisdẽ personaliter celebrare. Iter vero agens, siquis ei peccata sua vellet confiteri, quãuis pauperrimus, descendens illico cõfitenti audientia præbuit, cõfesso existens affabilis & deuotus. Nec repellebat eũ propter inæqualitatẽ temporis, sed etiam propter vicinitatẽ sui hospitij longiusculę non distantis. Nec induebatur purpura, & bysso, vel veste pretiosa, sicut nonnulli solent Episcopi, tunicam habens albam vel griseam de pretio satis vili. Veruntamen vt frons sua conueniret cæteris, superiores vestes honestas habuit, seu non studio vanitatis. De prædicta vero corporis austeritate nihil sibi minuit, immo de die in diem, vt filius accrescens rigorem fere in omnibus ampliauit. Semper sibi durus & rigidus, alijs compatiẽs & benignus. In altaris officio totus erat in lachrymis, ita se gerẽs quasi exutus esset hominẽ, ac velut in carne dominicam geri cerneret passionem. Reuerendissime tractabat omnia sacramenta ecclesiastica, ita vt mentes intuentium prouocaret ad deuotionem, ipsa contrectatio tam deuota. Sexum quidem fæmineum ob honorem beatæ Mariæ virginis, & suam deuotionem semper honorauit, & religiose coluit. Per hoc autem nec in cogitatione nec aliter semetipsum vel tenuiter maculauit, ostiatim mendicantium nullus ab eius ianuis recessit vacuus, cęterorum quoque dummodo honesti essent, nullus ab hospitij sui liminibus est repulsus. Ægrorũ lares & debilium per suos diligentius scrutabatur & visitabat beneficijs, quorũ nonnullos in victu quotidiano procurabat, & competentibus indumentis; puellas pauperes de suis facultatibus adiuuabat, vt traderentur ad nuptias, & in hoc expendebat pænas pecuniarias, pro delictis aliquibus legitime inflictas. Ab omni munere semper manus suas excutiens, acceptores quoque munerum detestabatur, præcipue in potestate positos, quos ad reddendã iustitiã dicebat gratuitos esse debere, non muneribus inuitatos. Quibus etiam frequenter dicebat prendere & pendere, non differunt nisi in vna littera tantũ, vnde patet quod valde proximus est suspendio qui munera libenter accipit, nisi acceperit ea bono modo. Itaq; multi quidẽ ei placere cupientes offerebant ei plura & pretiosa, sed ille respuebat vniuersa, dicẽs: Nunc inimicus me per dona tentare vult, cum diues sum, & nullius egeo, quia dũ pauper fui, me decipere nõ potuit isto modo: spero autẽ per Dei misericordiam, quod nunquam decipiet me per hanc viam, per dona siquidem quæ nec data, nec accepta sunt secundum Deum. Corrupta est Christianitas hodie, deficietque priusquam hoc aduertant Christiani, nisi se curare studuerint ab hac peste.

Totus proptus ad salutẽ animarum promouendam.

Munera cõtemnit.

Muneribus corrumpitur totus mũdus.

De persecutionibus quas ibidem passus est.

Cap. LXXXIII.

SIc ergo vir sanctus se habuit in cura pastorali quãdiu sibi licuit de pace temporis gratulari. Sed quoniam acceptus erat Deo, necesse fuit vt eum fornax tentationis decoqueret igne suo. Volens enim athleta Dei se totum pro salute animarum & libertatibus ecclesiæ, suorum more prędecessorum exponere, contradictiones multas patiebatur, à regni maioribus, & à Rege. Ipsum Cantuariense Collegium quod ad apicem tantę dignitatis eum vocauerat, eidem in suo proposito proh dolor obuiabat. Cumque familiares eius aduersitates suas plãgerent, ac de suis dolerent iniurijs, voces eorum querulas compescuit, & eos nihilominus redarguit, dicens eis: Sicut cum ægrotanti filio poculum propinatur amarum; dicit mater ad sanitatem ebibe, ita hæc omnia quę nobis offeruntur aduersa ad salutem cupimus epotare. Inundationes maris quasi lac debemus fugere, & cum præcursore Domini in deserto mũdi comedere mel siluestre. In ipsos autem qui eum acrius insequebantur, & in eum atrociores fuerant, summam exercebat misericordiam, quotiẽs veniam postulabant. Eos insuper quos aperte suos sciuit esse persecutores, ad paris passim recepit osculũ, & ad familiaritates alias, vt gratis obsequijs quorumlibet amicorũ prætulisse visus sit graues iniurias sibi factas. Super quo sui solebant eũ arguere, & verbis huiuscemodi præmonere: Domine, hæc remissa mansuetudo vestri animi alijs exemplum prębet, in vos alias insurgendi. Quibus respondit: Sinite, an nescitis quia Dominus noster mortem sibi inferentibus non restitit, sed etiam remittẽs, pro eis etiam suppliciter intercessit? Vtique Deo non homini seruanda est potentia vindicandi. Absit à me, vt erga eos aut trabẽ aut festucã portẽm in oculo, quantocumque me videantur afficere detrimẽto. Certe si oculos capitis mihi eruerent, vel vtrũque truncarent brachium, nullatenus eos minus diligerem, nec minus exhiberem diligentis animum siue vultum. Nullum enim peccatũ volo facere, nec de alienis defectibus mihi dispendium propagare. Libentius nanque vt dicebat in ignem iret ardentissimũ, quam aliquod peccatum committeret ex certa scientia contra Deum. Quia vero debitum pastoris officium quãquam ad ecclesiæ liberationem manus eius contenta esset, exercere non potuit, tactus dolore cordis intrinsecus, & quasi pro aliorum reatibus à se pœnas exigens, semetipsum extra regnum Angliæ relegauit. Hac autem in hoc consideratione ducebatur, quod si totam seueritatem ecclesiasticam expenderet in rebelles, eam forsitan legatus in irritum duceret, & nihilominus Regem aliosque sibi in ira molestos ad deteriora & magis grauia prouocaret. Si vero præsens existens, eorum errata non errata non conaretur corrigere, videretur ea quasi per quandam dissimulationis tolerantiam approbare.

Ob defensionem ecclesiasticæ libertatis multos habet aduersarios.

Quales in suos aduersarios fuerit.

De miraculis per eum ostensis illo tempore.

Cap. LXXXIV.

PEr hos autem dies priusquam natale desereret solũ, plura fecit Deus miracula per eum. Nam quidam diris laborans febribus obnixe petijt vt beatus pater aquam benediceret, quam pro recuperanda sanitate sibi loco antidoti propinaret. Et ita factum est. Sanctus enim antistes aquam benedixit: quæ cum tetigisset ægrotantis viscera, æger conualuit sine mora. Quod cum quidam de suis ei dicerent, eis inhibuit ne ideo superstite reuelarent. Quidam etiam de clericis eius quartanis vexatus per aliquod tempus, die qua debuit eum febris affligere, contigit eum per aulam, cum vir sanctus discumberet, pertransire. Quem cum coram se transire cerneret quæsiuit ab eo, cur cum cæteris non prãderet. Qui ait: Domine diem meã expecto hodie, quo me solet febrilis molestia molestare. Ad quem sanctus ait: Ego signum crucis super morsellum murenæ, quæ est in disco meo faciã, & illum in nomine sanitatis in tuo protinus ore ponam. Si statim comedere volueris, sanaberis. Ille morsellum de manu Domini sui recepit cum gaudio, statimque cũ socijs ad mensam comedit vultu hilari & iucundo. Et sicut ei pius pater prædixerat ab illa die & deinceps eum febris illa nequissima non vexabat.

Alius vir quidam magnus & literatus morbum quẽdam in genu habuit, cuius morbi incommodo grauiter laborauit. Qui vidẽs virum Dei prætereuntem, rogauit vt genu languidũ respiceret, & eum benedictionẽ suam super illud fundere non pigeret. Quod cum fecisset, tamen cum difficultate aliqua, morbus ille curatus delituit sine mora. Quibusdam quoque quædam quæ erant eis ventura innotuit, quæ cum spiritu prophetico prædicasset rei exitus postea comprobauit. Beatus etiam Thomas martyr insignis antequam exiret de Anglia ei in visione apparuit, & ad agendum viriliter monitis eum familiaribus roborauit. Quo viso vir beatus pedem

Aqua benedicta sanat febricitantẽ.

Aliu sanat.

S. Thomas ei apparuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

martyris ducere nitebatur ad oſculum, ſed beatus Thomas ne oſcularetur prohibuit ei, ſubtrahenti pedem ſuū propter quod ille fleuit, & ingemuit. Cui ſanctus Thomas: Cur inquit fles? Et ille; pro eo, ait, quod indignitas mea nō patitur, vt os meum pedes tuos digniſſimos oſculetur. Ad quē martyr: pro hac, inquit, repulſa nolo te flere vel gemere, quoniam tempus approximat, quo me oſculaberis & in ore. In procinctu quoque itineris poſitus vt egrederetur de terra cum viris religioſis ſecreto contulit, eiſque cauſam ſui receſſus ab Anglia reuelauit. Quorum quidam quæſiuit ab eo quo ire diſponeret, & an apud Pontiniacum moram trahere cogitaret. Cui ſanctus: Ad Pontiniacum, inquit, ibimus, & ibi omnia bona ſi Deo placuerit faciemus. Quot vero, & quāta bona apud Pontiniacum fecerit, ipſa bonorum numeroſitas per ſe plenius patefecit.

Recedit ex Anglia.

De tranſitu eius in Galliam, & ipſius morte.

Cap. LXXXV.

IGitur clam & quaſi fugiens egreditur ab Anglia, & mari tranſito ad Pontiniacum peruenit ducente eū Domino recta via. Nouerat enim ibi eſſe commune refugium omnium de regno Angliæ exulantium pro iuſtitia prælatorum. Præſcius quoque futurorum locum iſtum prędeceſſorum ſuorum aſilum ingreditur, & ipſorū veſtigia ſequēs, ſuper hoc quod illuc eā Deus aduexerat, nō modice gratulatur. Ante oculos ſiquidem poſuit qualiter beatus Thomas ibidem ante ſui tempus martyrii cum patientia per ſex annos expectauit brauiū curſus ſui, & quomodo famoſus ille Stephanus de Languetonia cum pluribus ſuis ſuffraganeis ſimiliter per annos plures ſui palmam certaminis, & laboris præſtolatus eſt mihi. De quo loco etiam ſic ait quidam.

Pontiniaci encomium.

Eſt Pontiniacum pons exulis, hortus aſylum.
Hic graditur, ſpaciatur in hoc, requieſcit in illo.

Pontifex ergo Pontiniacum ingreſſus, & cum omni reuerentia ſuſceptus, ibidem lectionibus & orationibus aſſiduis vacabat, propriaque manu ſcribebat, & aliquā-do ad prædicandum populis in vicino poſitis exibat. Tandem cum morbo graui correptus eſſet, ſole feruentius incaleſcēte, viſum eſt ſuis vt ad locum aliqnem, vbi maior eſſet aeris clementia diuertere debuiſſet. Itaque recedens à Pontiniaco, quendam prioratum cui nomen eſt Soiſiacum adijt, & vſque ad obitum ibidem manſit. Dolentibus autem Pontiniacenſibus quod eis ſubtraheretur eius præſentia, pietate motus conſolabatur eos per hæc verba. Reuertar huc in ſequenti feſto beati Edmundi Regis, & martyris, quoniam tunc Sol longius à noſtro digrediens hemiſpherio, adducet nobis frigora temporis hyemalis, quod vtique ſine ſpiritu prophetico non protulit, ſicut euentus ſubſequens comprobauit. Eadem quippe die ad Pontiniacum corpus eius eſt delatum, & ſic impleuit mortuus quod viuus promiſerat, paruo poſt tēpore moriturus. Cum vero iam ſibi cerneret diē imminere nouiſſimū, iuſſit afferri ſibi corpus Domini glorioſum. Extenditque dexteram ad ipſum corpus Domini, & cum ingenti fiducia dixit ei: *Tu es Domine in quem credidi, quem prædicaui, quem veraciter docui, & tu mihi teſtis es quod aliud quam te in terra poſitus non quæſiui, ſicut tu ſcis, quod nihil volo, niſi quod tu vis Domine, ita fiat voluntas tua, quia in tua ſunt omnia voluntate* Mirati ſunt vniuerſi qui aderant ipſum mente putantes excedere, præſertim cum ſe ſic habere quaſi quem præſentem vidit crucifixum conſpiceret & in carne. Poſt perceptionē itaque viatici tota die illa tam iucūdus erat & hilaris, ac ſi eſſet ab omni ęgritudine liber & immunis. Denique accepta extrema vnctione, cum eſſet morti proximus, nullum tamen certum mortis indiciū prætulit, nō gemitus edidit, aut aliqua ſuſpiria, ſed nec querulas voces dedit, nec lecto decubuit ſicut ſolent morientes decumbere, ſed vel ſedit, vel caput ſuper manum ſuam reclinauit, quando voluit repauſare. Tandem vero pretioſam reſolutus eſt in mortem 16. Cal. decembris, die qua vera vita Chriſtus mortem guſtauit pro mortuis.

Corripitur lathali morbo.

Nota ſancti viri in extremis admirandam fiduciam.

De ſepultura ipſius præparatione.

Cap. LXXXVI.

NOcte vero proxima ante tranſitum ipſius de mūdo ad patrem, quidam vir vitæ venerabilis vidit in viſione oraculum quoddam mirabile, quod erat præſagium mortis ſuæ quæ inſtabat & eius gloriæ ſecuturæ, vidit, & ecce pater ſanctus in maiori eccleſia Cantuariæ Pontificali reſidebat in cathedra: qui Pontificalibus ſolemniter indutus, paſtoralem tenebat baculum manu ſua. Quidam quoque ipſius æmuli inſtabant cum ligonibus, vt ipſum ſtallum ſubuerterent, & cum ipſo patre (quem deijcere nitebantur) terrę funditus coæquarent. Et cum iam prope eſſet vt ſanctus Domini cum ſtallo ſuo ad terram debuiſſet corruere, ſubito quaſi diuino nutu capſam beati Elphegi martyris coram eo contigit apparere. In quam ſine læſione aliqua vel diſpendio receptus eſt vir beatus velociter in momento. Beatus autem martyr Elphegus operculum feretri ſui de loco quo veneratur à populo manu ſua detulit, & vt ſæpe memoratum patrem in feretro ſuo quieſcentem contegeret, dictum operculum ipſi feretro coaptauit: & cōtinuo quaſi quoddam nouum ac ſolemne ducens gaudium ſubiunxit. *Statuit ei dominus teſtamentum pacis &c.* Corpus igitur ſerui Dei in feretro ponitur vt ad Pontiniacū, quo ſe ſepeliendum cum ſumma deuotione deuouerat deferatur. Euiſceratur, vt in talibus fieri ſolet interior pars corporis, quæ in eccleſia ſancti Iacobi apud Pruuiū tumulata fulget miraculis, & virtutibus copioſis Reliquū corpus pro more lotum, veſtibus ſacris induitur, & Pontiniacum cū honore ac reuerentia populi maxima defertur. Vna vero nocte in domo Templariorum de coloris habuit hoſpicium, & tūc quod idem vir ſanctus prædixerat extitit adimpletum. Cum enim à Pontiniaco diſcedens per eandem villam iter ageret, iniectis ſuper ipſam domum oculis quæſiuit à ſimul equitantibus cuius eſſet. Cui quidam ait: Domine domus Templariorum eſt. Ad quem ſanctus cum inquit ad Pontiniacū rediero, in eadē domo more hoſpitis pernoctabo. Itaque ſicut prædixerat in die beati Edmundi Regis ad portas Pontiniaci delatū eſt corpus ſanctum, & cū digna reuerentia ſuſceptum. Quod in eccleſia collocantes expectauerunt pro compoſitione tumuli vſque in diem qui erat ab eius obitu ſeptimus, in quo nihil corruptionis apparuit, nullus vt aſſolet odor malus qui grauaret prope poſitos eſt inuentus. Nocte autem illa tota peruigil in oratione manſit eccleſia, & corpus in medio quaſi roſeo colore perfuſum iacebat facie reuelata.

Viſio cuiuſdam.

Prophetia ſancti Edmundi.

De annuli eius virtute, & miraculorum intermiſſione.

Cap. LXXXVII.

QVidam autem monachus Petrus nomine tunc ſacriſta monaſterij, ex officij ſui debito aſtabat illi cominus, irruentium quoſdam repellere, quoſdam ſicut res poſcebat admittere ſollicitus & intentus. Qui vidēs multos accurrere, deuotius aliquid ſi poſſent geſtiētes arripere, alios ornamēta varia offerentes ad tactū, ſecum cæpit tacitus cogitare. Quid eſt quod tanta deuotione fideliū minime prouocaris, vt aliquid de his ſanctis cōſequaris exuuiis, quod ad caſus futuros profuturū reponas, præſertim cū ſacriſtæ fungaris officio, ad quem pertinet cura talis; & accedens quaſi operis quippiā facturus, tentauit annulum de manu eius euellere, & aliū loco ipſius digito ſubrogare. Cumq; leuiter contrectādo nil proficeret, omni quo potuit conatu inſtitit vt annulum amoueret. Sed multum conatus incaſſum procul abſceſſit deprehendi in facto veritus, & deliberans quid agendum rurſus accedit, quamuis ſtupidus & confuſus, ac deuotius acclinatus auribus iacentis

De monache qui ei annulum voluit ſubripere.

corporis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corporis, demissa voce quasi viuentem cæpit alloqui verbis istis: Pater sancte peccaui, quod à te licentiam non petij,& tamen quod tuum est, mihi temere vendicaui: sed quia id ad honorem tuum facere disposui, & ad salutem fidelium,ignosce confitenti & petenti munus annue postulatū. Quo accedente ad manum,statim vbi annulū cōtigit,eū cum summa facilitate non extractum,sed prolapsum potius cū ingenti lætitia secum tulit. Lætus ergo tali omine Abbati singula aperte retulit & distincte. Qui lætatus est de eo quod contigerat, & eo iubēte,annulus inter alia sacra reponitur,ex cuius cōtactu multa infirmis beneficia vsque hodie largiēte Domino concedūtur. Mane autē facto innumera fidelium concurrit multitudo,& diuinis celebratis rite obsequijs corpus eius humatū est à pluribus personis venerabilibus & honestis. Illo enim die tria tantū facta fuere miracula,quia fortasse in quibus plura fierent nec ęgrotus affuit nec ægrota. Sequēti die habito consilio terrā corpori superiaciunt,& fere per octo dies quæ cæperāt fieri miracula,cessauerunt. Super quo plurimū cōtristati sunt fratres qui aderant, & ex qua causa id posset accidere conferebant & ecce quidam frater Hermannus adueniens claram se vidisse visionem asseruit dicens. Vidi, & ecce pater beatus Edmundus mihi iā pluries apparuit, vultū habens hilarem,velut iratus paululum non ostendit. Quē cū reuerenter interpellassem, cur opus bonum non perficeret,quod in miraculis incæperat,ipse defossū se demonstrans quod depressas manus non valeret erigere,respōdebat & adiecit: Quid possum facère sic grauatus? Ecce surgere nequeo,ecce manus ad Deum non valeo attollere, nec pro ægrotis aduentātibus exorare. Omnes ergo hac visione permoti Deo dederūt gloriā, & remouerunt illico quam super eum coniecerant totam terram. Quo facto virtutes miracula faciendi redierunt subito,& glorificabant Deum cum sano languidus, iuuenis cum perfecto.

Visio Hermanni.

De corporis eius eleuatione,& miraculorum multitudine.

CAP. LXXXVIII.

POst tres menses ab eius sepultura conuenerunt fratres vt corpus ipsius sustollerent, & ad superas auras eleuatum,in apertiori loculo collocarent. Remota igitur omni super iniecta materia vidēt admirantes naturæ insolita, videlicet iacere corpus integrum contra mortuæ carnis iura. Accedunt propius Deum glorificātes, & corpus contrectātes manibus proprijs inueniunt eius mēbra flexibilia quæ rigescere solent in defunctis. Quid plura? Aptatur in loculo,& honestius quam antea reconditur,ac denuo cū calice & cęteris pontificalibus sepelitur. Ad cuius inuocationem multa sunt fidelibus præstita beneficia,vita mortuis,languentibus medicina. Nec solum ad sepulchrum eius,verum etiam in diuersis regionibus diuersi generis miracula fiunt ob ipsius meritum,quæ succincte transcurrenda duximus, non singula generum,sed genera singulorum.

Multa miracula ad sepulchrū eius.

Igitur ad maiorem sui meriti declarationem cæci vident,claudi ambulant,detumescunt Hydropici,& surdi audiunt,muti loquuntur,conualescunt morbo paralytico dissoluti,obsessi à dęmonibus liberantur. Aperiuntur carceres, soluntur vincula, curantur epylentici, quartanarij euadunt, & febricantes quamplurimi ope sua. Alij varijs & occultis afflicti doloribus, alij membrorum officio priuati,& effecti velut immobiles,alij laborantes insania capitis,& energumini. Alij morbo fistulæ enormiter deturpati; alij tumore horribili turpiter dehonestati, per eius suffragia sanitatem pristinam sunt adepti. Fons sanguinis in mulieribus restringitur, patiētibus dolor dentium, dolor ipse licet acerrimus, mitigatur. Ab alijs recedunt corporis maculæ, nullo deinceps vestigio remanente. Alij hernioſi,alij gibbosi, & quidam læsi grauiter. Nonnulli vero Calculosi, seu tabefacti pustulis. Alij in puteos vel gurgites aquarum siue fluuios corruentes. Plures etiam ex alto præcipitati competens sibi quique repererunt remedium per suæ merita sanctitatis. Alij apostasiæ laqueis irretiti: alij à serpentibus icti, alij desperati, alii suffocationi proximi, alii ab imminentis mortis discrimine mirabilite erepti,miram sunt prę sulis merito Christi gratiam consecuti. Alii autem à tumore saucium,alii à læsione arteriarum,alii à strictura gutturum lethifera mirifice liberātur ipsius patris meritis, & precibus sine mora. Infantulis vero secus verba materna suffocatis, & in somnis oppressis ab ipsis matribus circa curam eorum negligēter agentibus piissimus pontifex reddidit vitam ab ipsorum puerorum parentibus fiducialiter inuocatus. Alii quoque quamplurimi vita priuati & vere mortui, per eius auxilium ad auras vitales sunt denuo reuocati. Quidā vero in desperationis foueam vere collapsi temporis aduersitate fracti,vel inopia tholestati, dū pii patris eius occurrit memoria, dulce consolationis receperunt antidotum cum medela. Bruta etiam animalia ipsius beneficia sunt experta, aliqui autē duræ ceruicis homines diuinæ potentiæ derogantes, & patris eiusdem meritis repente percussi plangebant sui reatum facinoris & erroris. Et coacti prædicabant quæ in sancto suo Christus operabatur magnalia quæ priusquam vexatio daret eis intellectum,prædicare noluerant sponte sua.

De transitu Ludouici Regis Francorum in Cyprum.

CAP. LXXXIX.

AVthor. Anno Domini 1248. Rex Francorum Ludouicus iter transmarinum arripuit, videlicet in sexta feria post Pentecostem exiens de Parisiis multis eius vrbis processionibus eum vsque ad sanctum Antonium deducentibus. Iuerunt cum eo venerabilis Odo Tusculanus episcopus Apostolicæ sedis Legatus,& duo fratres eiusdē Regis videlicet Robertus Comes Attrebatensis,& Carolus Comes Andegauensis cū vxoribus suis, multisque Franciæ regni Baronibus & episcopis. Alfonsus quoque dicti Regis frater,Comes Pictauēsis, crucē acceperat transmarinā, sed illo anno cum Domina Blancha Regina matre sua remansit ad regni custodiam. Itaque die Martis in crastino sancti Bartholomęi Rex cum suis nauem intrauit,& duobus diebus sequētibus inibi moram faciens,ventum prosperum expectauit. Porro sequenti die veneris à portu recessit,& Duce domino nauigans,tandem die Iouis ante festum sancti Matthæi de nocte in Cypro apud Imocium applicuit. At Comitissa Attrebatensis cum esset pręgnans de portu aquarum mortuarum in Franciam rediit, ibique vsque ad Comitis Pictauensis transitum remansit. Rex autem de consilio Baronum suorum, & Baronum ac terrariorum Cypri, quia naues & galeæ suæ cum balistariis ac gentibus suis nondum aduenerant in Cypro diutius expectauit, & propter instantiam hyemis, & alias causas concurrentes, vsque ad tempus paschale iter suum aduersus Saracenos distulit. Rex quoque Cypri & omnes fere nobiles istius regni, atque prælati crucis signaculum assumpserunt, seque cum Rege Franciæ super Saracenos adueniente præfixo termino profecturos quo eos vellet ducere iurauerunt. Eo tēpore Soldanus Babylonis, qui versus partes Damasci per terram Christianorum venire parauerat, auditis de aduentu Regis Francorum rumoribus iter propositum reuocauit. Erantque inimicitiæ inter prædictum Soldanum,& illum qui fuit Soldanus Damasci,& etiam Halapinos.

Rex sanctus nauigat in Cyprum.

His temporibus obierunt de peregrinis, Robertus episcopus Beluacensis,& comes montis fortis, Comes quoque Vindonicēsis, Guillelmus de mellato, & Guilelmus de Tarris, Dominus & Herchenbaldus de Borbone,& Comes Drocensis,& alii quamplures milites, quorū numerus vsque ad ducentos & quadraginta æstimatur. Sed & Comes Andegauensis quartana in Cypro laborauit. Cum autem inter Archiepiscopum Nichosiensē,& milites etiā regionis esset cōtrouersia, propter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quam omnes fere milites illi erant excommunicati, prędictus Odo Legatus inter partes mediator pacem reformauit, & dictos milites absolui fecit. Archiepiscopus quoque Græcorum in Cypro, qui tanquam scismaticus, & inobediens Archiepiscopo suo Latino iam diu ab Ecclesia sua exultauerat, tunc temporis est reuersus, & tam ipse quam alij Græci qui excommunicati fuerant, ad obedientiam redierunt, & absoluit eos Legatus. Qui etiam coram ipso quasdam hæreses abiurauerunt. Multi etiam Saraceni qui detinebantur in Cypro captiui, baptismum instanter petentes insigniti sunt caractere baptismali,

De legatione Tartarorum ad ipsum.

CAP. XC.

VEnerunt autem circa natale Domini ad Regem Ludouicum missi quidam nuncij à quodam viro magno Erchalthay nomine de gente Tartarorum, qui ei apud Nicosiam commoranti literas eiusdem magnatis præsentarunt. Ibique præsens aderat frater Andreas de Locinmal de ordine fratrum prædicatorum, qui maiorem ex illis nuncijs nomine Dauid nouerat, vtpote quem viderat in exercitu Tartarorum. Literas autem sibi præsentatas in lingua Persica, & literis arabicis in latinum transferri fecit, earumque transcriptum sub sigillo suo clausum matri suæ Reginæ Blanchæ in Franciam misit. Nunciauerunt itaque quod Rex magnus Tartarorum qui dicitur Chaam circa tres annos completos à die Epiphaniæ proximo præterita factus erat per Dei gratiã Christianus, & tam ipse quam alij magnates plurimi: & maxima pars populi, & exercitus eorundem sacrum baptismum susceperant, fidem catholicam profitentes. Dictus etiã Erchalthay iam antea per annos aliquot similiter fidem susceperat Christianam & Baptismũ, & nũc veniebat missus à dicto Rege Chaam cũ maxima multitudine bellatorũ, & erat ipsius intentio fidẽ Christianam promouere ac roborare, & omnium crucẽ adorantium, vtilitatem & liberationem procurare, omnesque aduersarios eiusdem crucis expugnare. Multum vero desiderabat se Regis Francorum esse beneuolũ & amicum. Audierat enim de ipso quod applicare deberet in Cyprum, dicebant etiam ijdem nuncij se credere quod dictus Erchalthai circa proximum pascha ciuitatẽ Baldach obsidere deberet, quam Caliphus inhabitabat, à quo Soldanus Babyloniæ pluries ac specialiter olim in obsidione Damiatę succursum magnum in auxiliũ habuerat. His & alijs tam per nuncios quam per litteras intellectis Rex gauisus; nuncios honorifice susceptos perendinare fecit, eisque liberaliter necessaria ministrari. In die enim natalis Domini cum Rege fuerunt ad missam in ecclesia, & ad prandium in curia. Similiter in Epiphania cum eo ad missam erant, & sicut videbatur bene se habebant ac more Christianorum se gerebant.

Tartarorũ litera ad D. Ludouicum regem Francorum missa.

Exemplar epistolæ Tartarorum ad eundem Ludouicum.

CAP. XCI.

HOc est autem exemplar epistolæ siue literarum, quas misit Ercalthay siue Hercalchay Princeps ille Tartarorum ad Regem Ludouicum; & iubente Rege ipso, translatę sunt in latinum de verbo ad verbũ.

Exemplar epistolæ Ercalthay ad S. Ludouicũ

Per potentiam Dei excelsi missi à Rege terrę Chaam Ercalthay, Regi magno prouinciarũ multarũ, propugnatori strenuo, orbis gladio, Christianitatis victoriæ, religionis apostolicæ defensori, legis euangelicæ filio Regi Francorum.

Augeat Deus dominium suum, & conseruet ei regnum suum annis plurimis: & impleat voluntates suas in lege, & in mundo, nunc & in futurum per veritatem diuinæ potentiæ conductricis hominũ, & omniũ prophetarum & apostolorum: *amẽ*, centum millia salutum & benedictionum.

Et hoc rogo quod recipiat salutationes istas vt sint grandes apud ipsum. Faciat autem Deus vt videã hunc regem magnificum qui applicuit. Creator autem excelsus faciat occursum nostrum in charitate & facere faciat vt congregemur in vnum. Post hanc autem salutationem nouerit quod in hac epistola non est intentio nostra nisi vtilitas Christianitatis, & corroboratio manus Regum Christianorũ Domino concedente. Et peto à Deo, vt det victoriã exercitibus Regũ Christianitatis, & triũphet eos de aduersarijs suis contẽnentibus crucẽ. Ex parte autẽ Regis sublimis, sublimet eum Deus, videlicet de præsentia Cyocaym augeat Deus magnificentiã suam. Venimus cũ potestate & mandato, vt omnes Christiani sint liberi à seruitute, & tributo & angaria, & pedagijs, & consimilibus, & sint in honore & reuerẽtia, & nullus tangat possessiones eorum, & ecclesiæ destructæ reedificentur: & pulsentur tabulę, & non audeat aliquis prohibere, vt orent corde quieto & libenti pro regno vestro. Ista autem hora adhuc venimus pro vtilitate Christianorum & custodia dãte Deo excelso. Misimus autem huc per fidelem nostrũ virum venerabilẽ Sabeddimonstrat Dauid, & per Marcum vt annuncient bonos rumores, & quæ sunt circa nos dicent ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum vt credat eis, & in literis suis. Rex terræ augeatur magnificentia sua: ita præcipit, quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum Græcum, & Armenicum, Nestorinum, & Iacobinum, & omnes qui adorant crucem, omnes enim sunt vnum apud nos. Et sic petimus vt Rex magnificus non diuidat inter ipsos, sed sit eius pietas super omnes Christianos, duretque eius pietas & clementia. Datum in fine Mercharram, & erit bonum concedente Domino excelso.

Inter Christianos nulla debet esse differentia, id est non sint in nobis schismata.

Hucusque exemplar epistolæ quæ missa est Regi Francorum in Cyprum ab Ercalthay Tartarorum principe. Cui consonabant & aliæ quædam litterę, quę paulo ante dicto Regi à Rege Cypri, & Comite Ioppen fuerant præsentatæ. Quarum etiam transcriptum vna cum transcripto literarum Erchalthay, transmisit Odo venerabilis Legatus Innocentio Papæ.

Harum vero literarum exẽplar talia quæ continebãt.

Exemplar epistolæ Conestabularij Armenię ad Regem Cypri de Tartaris.

CAP. XCII.

EXcellenti & potenti viro Regi Cypri, & charissimę sororis suæ Reginæ necnõ & fratri suo; conestabularius Armeniæ salutẽ & dilectionem. Noueritis quod sicut ad iter agendum pro Deo, & vtilitate christianitatis me exposui, sic Christus Iesus vsque ad villam quæ vocatur Santequant me conduxi. Multas quippe terras videntes Indiam retro nos dimisimus, & transiuimus Baudac totamque terram eius duobus arrepti itineris mensibus. Ciuitates plurimas desertas vidi quas vastauerunt Tartari, quarum nemo posset opulentiam vel amplitudinem æstimare. Vidimus enim aliquas magnas villas itinere trium dierum, & plusquam centũ millia aggeres magnos, & mirabiles ossium à Tartaris interfectorum. Nobisque videtur, quod si Deo disponente Tartari qui paganos sic destruxerunt, non aduenissent ad totã terrã eis marinam implendã & acquirẽdã sufficerent. Transiuimus vnum de paradisi fluminibus maximum Gyon appellatum iuxta scripturã, cuius arena durat vndequaque per vnam magnam dietam. De Tartaris vero sciatis quod innumerabiles sunt, nec æstimari ab homine possunt. Optimi sunt Archerij terribilis forma pluriumque facierum, nec vobis possemus describere literaliter ritus eorum. Nunc quidem octo sunt menses, quod de die ac de nocte ambulamus, & nunc dicitur nobis quod sumus ad mediũ terræ nostræ & terræ Chaam maioris Domini Tartarorũ. Intelleximus autẽ pro vero quod iam ex quo mortuus est Chaã

Summa literarum conestabuli Armenię.

pater

pater huius qui nunc est, anni quinque transierunt, sed Barones ac milites Tartarorum, ita se per terras effuderant, quod infra dictos quinque annos, vt dictum Chaam inthronizarent, vix in vnum locum congregari potuerunt. Quidam enim eorum erant in India alij vero in terra de Cathena, alij in Ruscia, & alij in terra de Chascat, & de Caghat. Hæc est terra de qua tres Reges in Bethlehem venerunt Christum adorare, & christiani sunt homines illius terræ. Ego siquidem ipse fui in Ecclesijs eorum, & vidi Iesum Christum depictum; tres quoque Reges, vnum aurum, alium thus, & alium mirrham offerentes. Per illos itaque tres Reges habuerunt illi fidem Christi, ac per illos Chaam & omnes sui modo facti sunt christiani. Vnde & ante portas suas habent ecclesias, pulsant campanas, ac percutiunt tabulas, ita quòd euntes ad Dominum suum Chaam, primo quidem oportet ire ad ecclesiam, & salutare Iesum Christum: post vero ire, & salutare Chaam. Inuenimus etiam multos christianos effusos per terram orientis, & multas ecclesias pulchras: & alias antiquas, quæ vastatæ fuerant à Tartaris. Vnde christiani terræ illius, venerunt in præsentia Chaam istius. Quos iste cum honore magno suscepit, & libertati donauit, & nequis verbo vel facto contristaret eos prohiberi fecit. Et quia peccatis nostris exigentibus non habebat Christus, qui nomen suum prædicaret in illis regionibus, ipsemet pro seipso prædicauit, & nunc prædicat sanctissimis suis virtutibus, ita quód gentes illarum regionum credunt in Christum. In terra vero Indiæ, quam beatus Apostolus Thomas conuertit est quidam Rex Christianus, qui inter alios Reges, vtpote Saracenos erat in anxietate magna positus. Nam vndique faciebant ei resistentiam, seu violentiam, donec Tartari venerunt in terram illam. Et ipse factus est homo illorum, acceptoque exercitu suo & Tartarorum, Saracenos inuasit, tantumque in terra Indiæ acquisiuit, quòd tota orientis terra plena est sclauis Indicis. Horum enim plusquàm quingenta millia vidi, quos Rex dictus cæperat, & mandauerat venundari. Sciatis etiam Dominum Papam misisse nuncium prædicto Chaam, & mandauit ei dicens, vtrum Christianus esset, & cur gentem suam ad orbis conculcationem & necem misisset. Cui respondit Chaam; quòd Deus auis suis & sibi mandasset, vt gentem suam ad interficiendas gentes pessimas mitteret. Super hoc autem quòd mandauerat, vtrum esset christianus respondit, quod hoc sciebat Deus. Et si Papa scire vellet; veniret, & videret, ac sciret.

Christus prædicat per suas virtutes in Tartaria.

Hucusque exemplar epistolæ conestabularij Armeniæ.

De quibusdam relationibus nuncio Erchelthay Principis.

Cap. XCIII.

QVæsiuit autem Rex Francorum à prædictis nuncijs Erchelthay, de ipso, à quo tẽpore baptismum suscepisset, & vbi esset modo. Quæsiuit & de statu Tartarorum, & quæ fuerit causa motiua aduentus eorum, & qua occasione suum, ideſt, ipsius Regis Francorum cognouissent aduentum. Ad quæ illi sic responderunt: A Soldano, inquiunt, Missulæ, quæ scilicet olim vocabatur Niniue missæ fuerunt litteræ quædam ad magnũ Regem Chaam, quas receperat à Soldano Babyloniæ, in quibus Babyloniæ Soldanus mentionem de applicatione & aduentu Regis Francorum faciebat, mendaciter asserendo quòd 60. Regis Francorum naues per violentiam cæperat, & in Ægyptum deduxerat. Per id ostẽdere volens, quòd idem Missulæ Soldanus, & in aduentu Regis Francorum confidere non debebat. Hac igitur occasione ductus Erchelthay audito Regis Francorum aduentu, nuncios misit ad eum, qui denunciarent ei, in hoc esse propositum Tartarorum, vt in æstate proxima obsiderent Caliphum. Rogabantque Regem vt Ægyptum aggrediens impugnaret, ne dictus Caliphus ab Ægyptijs in aliquo adiuuari posset. Dixerunt etiam idem nuncij quòd isti qui nunc appellantur Tartari, exierunt de terra sua transactis quadraginta annis, quæ non habet ciuitates, aut oppida, seu villas, sed abundat in pascuis, & ob hoc incolæ sunt intenti tantum in pecoribus alendis, distarque per quadraginta dietas à terra, quam nunc inhabitat ille Rex magnus Chaam, & in qua posuit sedem suam. Quæ scilicet terra Tartar vocatur, vnde & nunc Tartari nominantur. Dicebant quoque quòd idem Tartari, primo debellauerunt filium Ioannis presbyteri, ipsumque cum exercitu suo peremerunt in ore gladij. Dicebant etiam quòd ille Chaam habet se cum omnes ferè capitaneos populorum cum innumera multitudine equitũ & animalium, & sunt in tentorijs semper, quia nulla ciuitas eos capere posset. Equi vero illorum & animália semper commorantur in pascuis, quia non possunt hordeum & paleam inuenire, quod sufficere posset equis suis. Capitanei vero præmittunt homines; qui sibi regiones subijciant, & ipsi cum Rege magno remanent. In cuius potestate & voluntate est, vt quando moritur quis, regem instituat aliquem de filijs vel nepotibus suis: Dixerunt etiam quòd ille qui nunc agit in sceptris Syocaym nomine, matrem habuit christianam, Regis qui presbyter Ioannes vocatur, filiam. Ad cuius exhortationem & cuiusdam episcopi sanctissimi, qui Malassias vocatur suscepit sacramentum baptismi, & cum eo 18. filij Regum, & plures alij maxime capitanei. Multi adhuc inter illos sunt, qui nondum fidei sacramentum susceperunt. Erchelthay vero qui nuncios miserat, christianus erat iam ex pluribus annis, & non erat de semine regio, sed tamen magnus & potens. Agebat in finibus Persidis à parte orientis. Requisiti vero nuncij de Batho duce, cur sic male recepissent Domini Papæ nuncios? Responderunt quia homo paganus erat, & Saracenos habebat cõsiliarios. Sed iam potestatem tantam vt prius non habebat, quia modo sub Erchelthay potestate constitutus erat. Præterea requisiti de Soldano Moysac, siue Missulæ, quæ quondam Niniue dicta est, an christianus esset. Dixerũt eum fuisse cuiudam christianæ filium, & quòd ex corde christianos diligeret, ac festa illorum obseruaret, nec in aliquo legi Machometi obediret; & credebatur, quòd si tempus & oportunitatem haberet libenter christianus fieret. Dicebant etiam quod summi Pontificis nomen apud Tartaros iam celebre esset, & quòd Erchelthay Domini sui propositum erat, vt in æstate proxima Caliphum impugnaret, & iniuriam Domino Iesu Christo illatam vindicaret.

S. Rex de quibus Tartarorum nũcios interrogauerit.

Summi Pontificis nomen apud Tartaros celebre.

De legatione regis Francorum ad Tartarorum Principes.

Cap. XCIIII.

TAndem habuit Rex Francorum consilium, vt ipsum Regem Tartarorum & ad Erchelthay nuncios suos cum literis & iocalibus mitteret, ita quod aliqui eorum ab Erchelthay ad ipsum Regem Ludouicum directe redirent, & alij ad Regem Chaam vlterius procederent. Significantibus autem Tartarorum nuncijs quod Rex Chaam valde gratum & carum haberet de scarleta tentorium siue capellam. Fecit eam Rex Ludouicus præparari ac fieri speciosam & quosdam pannellos habentes leuem atque subtilem brodaturam. In qua scilicet brodatura tentorio affixa, ea quæ Dominus noster Iesus Christus pro nobis in corpore suo gessit, honestissime satis sunt exarata. Hæc igitur & alia, ad ornamentum capellæ, & cultum diuinum pertinentia misit Rex Ludouicus Regi Chaam ad deuotionem fidei Christianæ in eo excitandam. Insuper etiam de ligno sanctæ crucis misit tam eidem Regi, quàm Erchelthay per nuncios suos cum literis ad vtrumque directis, hortantibus vt eum qui per gratiam suam ad cognitionem sui nominis eos vocauerat, debita veneratione colerent, & in eius amore iugiter permanerent. Sed & Dominus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

S. Rex ad Tartaros legatos mittit.

Odo Legatus eidem Regi magno Chaam & materteræ ſuæ,& Erchelthay ac prælatis eorundem deſtinauit epiſtolam denuncians eis quod ſacroſancta Romanana eccleſia eos libenter vt filios chariſſimos reciperet; audiens gratulabundam conuerſionem eorum ad fidem catholicam, dummodo fidem orthodoxam vellent firmiter tenere, & eam confiteri matrem omnium eccleſiarum, eique præſidentem Ieſu Chriſti vicarium eſſe, & eidem vicario cuncti qui Chriſtiana profeſſione cenſentur merito debeant obedire. Prælatos etiam illorum admonuit ſpecialiter, vt idipſum omnes ſaperent, & in eis ſchiſmata non eſſent, ſed in veritate fidei, ſcilicet in quatuor primis generalibus conſilijs editæ & à ſede Apoſtolica approbatę immobiliter permanerent. Fuerunt autem huius legationis nuncij videlicet à Rege Francorum ad principes Tartarorum deſtinati prædictus frater Andreas cum duobus ſeruientibus Regis, qui parati & inſtructi, paulò ante Purificationem prouecti ſunt, vna cum prædictis Tartarorum nuncijs 8. kal. Februarij à Rege licentiam acceperunt, ac tertia die Nichoſſiam exierunt. Super omnes autem frater Andreas capitaneus & magiſter à Rege conſtitutus, non multo poſt ad eundem Regem litteras miſit quarum tranſcriptum dictus Rex matri ſuæ Blanchæ Reginæ in Franciam vnà cum tranſcripto literarum Erchelthay tranſmiſit.

De diſcordia inter Soldanos Babyloniorum & Halapiorum.

Cap. XCV.

INterea Soldanus Babyloniæ intellecto quod Rex Franciæ hyemaret in Cypro, ſtatim iter arripuit veniendi verſus partes Damaſci, per ciuitatem Hieruſalem tranſitum faciendo; ad hoc intendens modis omnibus & aſpirans vt Halapiæ Soldanum, & alios eidem adhærente ſibi pacificos & confœderatos attraheret, eoſque ſecum in auxilium ſuum adduceret. Ad hoc etiam nuncios ſuos Caliphus Baldacenſis & Senex de monte deſtinauerant, vt illos ad concordiam reuocarent. At Soldanus Halapiæ cognoſcens verſutiam, & malitiam Soldani Babyloniæ, non eſt auſus in ipſo confidere, nec pacem aut compoſitionem cum eo voluit inire. Propter quod idem Soldanus Babyloniæ in iram motus, vrbem Camelæ quæ pertinent ad Soldanum Halapiæ per gentem ſuam obſideri fecit, & ipſe Damaſcum redijt. In qua ſcilicet obſidione dictus Soldanus propter hyemẽ & pluuias & Beduinorum incurſus fertur in hominibus ac rebus & animalibus ſuis multa diſpendia ſuſtinuiſſe. Dum itaque Babylonicus exercitus in obſidione dicta permaneret, Soldanus Halapiæ prœparato exercitu ſuo venit, vt eos ab obſidione remoueret. Ad quem accedens nuncius Caliphi, monuit eum vt cum Soldano Babyloniæ pacem firmaret, proponens ei pericula multa, quæ Saracenis imminebant hoc tempore, eo quod exercitus Chriſtianus ad perdendum gentes atque legem Machometi conueniſſet. Et ſiquidem ipſi Saraceni taliter in ſemetipſos bella conuerterent, hoc illis ad incommodum & confuſionem & Chriſtianis eorum aduerſarijs ad profectum cederet. Cum hęc & alia etiam multa nuncijs Caliphi propoſuiſſet, & de hoc iam pluries cum eodem Soldano tractaſſet, ille nullatenus verbum pacis admittere voluit, dicens quòd quamdiu in eius dominio Babylonij morarentur, ſuper hoc aliquatenus non tractaret, & niſi recederent, die craſtino procul dubio cum eis prælium & conflictum iniret. Videns itaque prædictus nuncius, quod nihil in tractatu pacis proficeret, receſſit, ac feſtinans ad exercitum Babylonicum, imminentis eis belli periculum nunciauit, & ſic eos ab obſidione recedere fecit. Qui cum maxima confuſione in Damaſcum receperunt ſe, vbi tunc morabatur Soldanus Babyloniæ graui detentus infirmitate. Inter hęc autem magiſter militum templi & Mareſcallus hoſpitalis ſcripſerunt Ludouico Regi, quòd Soldanus Babyloniæ cum exercitu magno venerat in partes Gazæ ad conſiliandum ſibi Soldanum Halapiæ & Damaſci. Timebantque ne forte Ioppem vel Cæſaream intenderet obſidere. Poſtea quoque ſcripſit idem magiſter Regi, quòd Admiraldus quidam Soldani Babylomę ad ipſum venerat vt eiuſdem Regis Francorum voluntatem inquireret, eo quòd Dominus ſuus libenter cum ipſo pacem haberet. Quod Regi omnibuſque Baronibus diſplicuit valde, pręſertim cum à quibuſdam diceretur, Soldanum ad requiſitionem eiuſdem magiſtri, prædictum Admiraldum ad ipſum miſiſſe. Itaque Rex incontinenti præfato magiſtro per literas ſuas inhibuit, ne de cætero tales nuncios abſque mandato ſuo ſpeciali reciperet, aut cum eis colloquium habere pręſumeret. Dicebatur enim ab omnibus qui factum Syriæ nouerant, quòd quantumcunque oppreſſi eſſent Syri, nunquam primi faciebant verbum de treugis, ſed tunc primo quando cum inſtãtia magna requiſiti ſuper hoc erant à Turcis, ideoque quòd dictus magiſter, vt dicebatur, prior inde verbum mouerat, ex hoc Chriſtianorum conditio deterior facta fuerat, præſertim quia Turci ex hoc ipſo poterant credere quòd Rex ſe viribus inferiorem exiſtimans quacumque cauſa vel occaſione inuenta feſtinaret ad propriam remeare.

S. Rex nullã pacem cum Soldano Babylonia habere vult vide Æmil.

De quibuſdam euentibus Cypri, dum ibi moram traheret Rex Francorum.

Cap. XCVI.

PRæterea dum idem Rex Frãcorum, in Cypro cum Regina Margaretha vxore ſua moram traheret; Armeniæ quoque Rex intellecto eius aduentu, miſit nuncios ſolemnes quemdam Archiepiſcopum ſcilicet Armenum, & alios domeſticos ſuos cum litteris ſuis & exenijs ſe offerens eius voluntati. Quos ille prout decuit honorabiliter recepit. Cum autem intellexiſſet eſſe diſcordiam inter ipſum & Principem Antiochiæ grauem plurimum, atque damnoſam, quæ iam longo durauerat tempore, propter hæc & alia quædam miſit nuncios proprios ad vtrumque. Poſtea vero procedente tempore, accedentibus ad eum vtriuſque nuncijs inita eſt inter ipſos coram illo treuga, ab inſtanti natiuitate ſancti Ioannis per duos annos duratura. Quia vero Turcomanni paulò ante terram Antiochiæ depopulati fuerant; Patriarcha & Princeps Antiochenus à Rege Francorum auxilium petierunt, eiſque à Rege ſexcenti baliſterij miſſi ſunt. Accidit autem dum eſſet Rex in Cypro cum exercitu Chriſtianorum, vt oriretur diſcordia inter Vicecomitem Caſtriduni & marinarios ſuos inſtigante diabolo. Et ex parte Genuenſium à baliſtariis Vicecomitis interfecti ſunt duo, quorum vnus erat magnus & nobilis homo. Idem quoque Vicecomes (neſcio quo ſpiritu ductus) habito tractatu cum Comite montis fortis, voluit ad partes Aconenſium tranfretare, cum militibus multis. Quod vbi Rex agnouit, ipſi cęteriſque militibus ne hoc facerent inhibuit; quoniam hac occaſione totus poſſet exercitus diſſolui, & Chriſtianitatis negocium impediri. Cumque Vicecomes quomodo, id quod propoſuerat implere vellet, Rex galeas ſuas armari fecit, & dominis nauium ne Vicecomitẽ aut complices ſuos aliquatenus attemptarent facere prohibuit. Tunc idem Vicecomes ad aliud ſe conuertit, & nauem cum omnibus quæ in ea erant accepit, aſſerens quòd ſecundum conuentiones inter ipſum & dominos nauis habitas, tam nauis, quàm ea quæ ibi erant ipſius eſſe debebant. Portò mediante Rege tractatum fuit, vt in duos bonos viros vtraque pars compromitteret, & Rex tertium poneret. Sed quia conſenſum partium obtinere non valuit, ideo dicta diſcordia tunc ſedari non potuit. Tandem ad inſtantiam Regis & Legati, Vicecomes poſt Paſcha nauem quam acceperat Genuenſibus reſtituit. Qui & promiſerunt ſub pœna duarum millium librarum quòd iuri ſtarent in curia Regis Francorum ſuper querelis quæ vertebantur inter ipſos & Vicecomitem antedictũ. Interea vero miſerat Rex apud Acon

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& alia loca maritima ad marinarios & naues atque vasella conducenda. Cumque nuncij hac de causa in Acon die dominica in quinquagesima venissent, nullatenus Genuenses ac Venetos ad hoc flectere potuerunt, vt rationabile pretium in vasis suis ponere vellent.

His diebus instigante diabolo, inter Genuenses ex vna parte,& Pisanos ex altera,seditio grandis exorta fuit, ita quòd vnus consul Genuensis telo percussus interijt. Sed & paulò ante seditio exorta fuerat inibi, inter Venetos & baliuum regni Cypri. Itaque Rex Francorum secũdo misit Patriarcham Hierosolymitanum,ac Suessionensem episcopum & conestabulariũ suum,& quosdam alios in Acon, pro vasis & marinarijs conducendis & pro sedandis seditionibus antedictis. In Cypro quoque fabricari fecit,parua quædam vasella ad terram hostium capiendam necessaria.

His autem diebus capti sunt quidam, qui confessi sunt quod ipse & quidam alij à Soldano Babylonię missi fuerant, vt Regem & maiores exercitus veneni maleficio enecarent.

Qualiter idem Rex Damiatæ portum cepit.

Cap. XCVII.

AD extremum autem venerunt naues, vasaque conducta; venerunt etiam de insulis naues quàm plures,ac multi Barones ac milites & alij peregrini,qui moram in insulis fecerant in hyeme iam transacta. Itaque die sabbati post Ascensionem Domini cum esset iam in naui sua Rex Francorum, congregatis ibidem maioribus exercitus, de ipsorum consilio publicatum fuit per exercitum, quod apud Damiatam vniuersi cum Dei adiutorio dirigerent iter suum. Die siquidem Ascensionis prout ordinatum fuerat ascenderunt nauem, sed vsque ad diem mercurij sequentem adhuc in portu remanserunt, quia tempus opportunum nauigandi non habebant, nec adhuc gentes illorum paratæ totaliter erant. Eadem itaque die velo facto, recessit Rex à portu Nimocij cum nauium & vasellorum copiosa multitudine. At postea per aliquot dies cum difficultate ac ventorum contrarietate procedentes, venerunt prope Paphum ciuitatem Cypri, tantaque fuerat temporis contrarietas, vt oporteret illos prope Nimociũ bis reuerti. Venitque tunc ad eos Princeps Achayæ cum gentibus & vasellis quam pluribus in subsidium illorum ac terræ sanctæ, & cum eo similiter Dux Burgundiæ, qui in partibus Romanis moram traxerat in hyeme. Expectauerunt igitur peregrini apud Nimocium, & congregauerunt ibidem exercitum suum per incommoditatem temporis dispersum. Tandem in festo sanctæ Trinitatis vela ventis dari fecerunt, & habito satis congruo tempore nauigauerunt, ita quod in sequenti die Veneris apparuit eis terra Ægypti, & post paululum ciuitas Damiatæ. Appropinquantes itaque iuxta ciuitatem in porta steterunt,& naues suas anchorauerunt. Eadem die cum viderent portum magna Turcorum equitum ac peditum multitudine munitum & os fluuij quod de prope eminebat ex abundantia galearum armatum, cõsilium habuit Rex cum maioribus de exercito,vt in crastino summo mane exirent in insulam ad terram capiendam in parte illa, videlicet vbi terram similiter illi cæperant,qui in alia obsidione Damiatæ fuerant; ita quod fluuius esset inter ipsos & ciuitatem. In ipso igitur crastino peregrinis intrantibus galeas, cæteraque vasella parua quotquot intrare potuerunt accinctis, vt decuit, & armatis; Rex cum Legato sacrosanctam crucem Domini triumphalem deferentem nudam & apertam,erat in quodam vasello, procedente quoque in alio vasello iuxta ipsos beati Dyonisij martyris vexillo,fratribus Regis ac cæteris Baronibus & balistarijs, ac militibus circumquaque concomitantibus. Deinde processerunt viriliter in nomine Domini versus terram; de Dei quoque misericordia & virtute sanctæ crucis non modicam habentes fiduciam, & insultus plurimos tam sagittarum emissionibus, quàm alijs facientes contra hostiũ ferociam. Cumque vasella ipsa in quibus erant propter nimiam maris planiciem vsque ad siccum attingere non possent Christianus exercitus in nomine Domini relictis vasellis in mare saliendo se misit,& vsque ad siccam terram cum armis suis pedes venit. Saraceni vero, qui littus occupauerant nitentes defendere terram nostris appropinquantibus & exeuntibus de vasellis, sagittas & tela fortiter iaciebant,& cum gladijs feriebant. Sed nostri prævalentes intrauerunt & occupauerunt terram hostibus repulsis, paucis & quasi nullis nostrorum vulneratis aut læsis. Multis vero Saracenorum & equis eorum pluribus lethaliter vulneratis & interfectis. Inter quos etiam de maioribus ipsorum ceciderunt aliqui, videlicet vnus qui erat villæ capitaneus, & alij duo admiraldi. Soldanus autem ibi præsens non erat, sed de nouo è Damasci partibus venerat & tunc erat in loco, qui per vnam dietam à ciuitate prædicta distat, vbi & quadam infirmitate languebat. In ipsa vero die occupauerunt os fluuij galeæ nostræ, & fugerunt galeæ Saracenorum & ascenderunt fluuium. Fixis autem Rex ac peregrini tentorijs suis super littus, pernoctauerunt ibidem,& in crastino videlicet die dominico inibi commorari ordinauerant, vt gentes ipsorum & equi qui scilicet in nanibus adhuc erant illa die descendere ac venire in exercitum possent.

Qualiter ipse Rex vrbem intrauit & occupauit hostibus fugatis & expulsis.

Cap. XCVIII.

HVic autem fælici principio, fæliciora quoque adiecit Dominus noster Iesus Christus populo suo catholico. Nam Saracenis qui erant in ciuitate, diuina virtute perterritis,subito illa nocte populus & in crastino die dominica magnates, & alij omnes ex vrbe dicta exierunt, & in fugam conuersi eam circumquaque posito igne penitus reliquerunt. Quo percepto statim exercitu commoto, multi de nostris currentes intrauerunt vrbem per quendam pontem nauium,quem dimiserant Saraceni satis integrum, nisi quod in ipso erat interruptio vna, quæ statim fuit à nostris gentibus reparata. Rex insuper habita certitudine de promissis, aliquos de suis quos ad hoc duxit eligendos intromisit & per totam ciuitatem guarnisionem suam posuit. Postea recedens à littore in quo erat, eadem die versus pontem ciuitatis se traxit, ibique ante pontem ipsum tentoria sua posuit, vt si necesse esset illis qui erant in vrbe tempestiue succurrere posset. De victualibus autem guarnisionis, licet multa per ignem deperierunt multaque amota,fuerint & subtracta,multa tamen adhuc remanserunt ex eis,quoniam ad longum tempus abundanter ciuitas à Saracenis fuerat munita. Erat quoque ciuitas ipsa tam ob fluminis interpositionem quàm murorum & turrium fortium circuitum fortissima,multumque postquàm alijs capta fuerat roborata. Vnde dicebant multi quòd per vim expugnari non posset vel capi, nisi Deus miraculose per virtutem suam id faceret,quamdiu scilicet intus aliqui essent, qui victualia sufficienter habentes ibi morari vellent. Postea vero mundata ciuitate à quorundam mortuorum scilicet ac bestiarum cadaueribus,& extincto igne; legatus vnà cũ Patriarcha Hierosolymitano, nec non archiepiscopis, & episcopis, qui præsentes erant,& magna etiam parte conuẽtuum, Rex Ludouicus cum pluribus alijs processionaliter nudis pedibus præsente etiam Rege Cypri, pluribusque Baronibus & alijs ciuitatem intrauerunt. Et in primis locum in quo erat Machomeria reconciliauit legatus qui dudum in altera eiusdem vrbis captione beatæ virginis ecclesiæ deputatus fuerat & appropriatus. Deinde redditis inibi de impensis beneficijs gratiarum actionibus altissimo, celebrata est missa solemniter in honore beatissimæ Mariæ virginis à legato. Proposuit etiam

Exercitus Christianus ex Cypro soluit.

Damiata capitur a christianis.

Attende antiquũ vsum sanctæ Crucis & vexillorum sanctorum.

Machomeria id est Machometi fanum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ibidem Rex annuente Domino, constituere prælatos & canonicos debitum assidue famulatum domino reddituros.

Capta est autem ciuitas Damiata anno domini M. ccxlix. post festum sanctæ Trinitatis die octaua. Illic ergo stetit rex per totam æstatem cum exercitu Christiano. Non enim volebant inde recedere vsque ad decrescentiam fluminis, quod tunc sicut dicebatur, terram occupare debebat, quoniam alias in partibus illis per eius crescentiam exercitus Christianus damnum incurrerat.

Eodem anno circa festum Ioannis Baptistæ, Alphõsus comes Pictauensis, frater dicti Ludouici Regis iter transmarinum arripuit, & regina Blancha mater eorum ad custodiam regni sola remansit. Itaque dictus comes cum exercitu magno in crastino sancti Bartholomæi mare apud aquas mortuas intrauit, & die dominico ante festum Apostolorum Simonis & Iudæ apud Damiatam applicuit.

Qualiter apud Massoram aduersus Saracenos processit.

Cap. XCIX.

REx autem Ludouicus & exercitus Christianus deliberato communi consilio tam nauali quam terrestri exercitu præparato 20. die Nouembris de Damiata recesserunt, & aduersus exercitum Saracenorum congregatum & castrametatum in loco qui Massora dicitur processerunt. Et in ipso quidem itinere Saracenorum insultus aliquos sustinuerunt, in quibus ijdem Saraceni assidue suorum detrimentum non modicum receperunt. Intellexerunt etiam in ipso itinere Soldanum Babiloniæ de nouo miseram vitam finisse: qui & ad filium suum tunc in orientis partibus morantem, vt in Ægyptum veniret miserat, & à cunctis maioribus exercitus sui, iuramenta fidelitatis eidem fieri fecerat, relicta totius exercitus ac terræ suæ custodia, cuidam admiraldo nomine Farcadino. Accedẽtes igitur ad locum prædictum die martis ante Natale Domini, primo quidem accessum habere nequiuimus ad Saracenos eosdem propter quendam fluuium inter vtrumque exercitum defluentem, qui scilicet fluuius Thaneos dicitur, & in loco illo à magno flumine deriuatur. Inde inter vtrumque fluuium posuerunt castra nostra, à maiori flumine ad minorem protendentia. Vbi aliquando conflictu habito cum Saracenis, multi ex eis ceciderunt interfecti nostrorum gladijs, maxima quoque illorum multitudine submersa in aquis Nili validis & profundis. At vero quia fluuius Thaneos vadabilis non erat, propter aquarum profunditatem, & riparum altitudinem, cæperunt nostri facere super eum calciatam vt exercitui Christiano pateret transitus per eam. Dum igitur ad hoc multis diebus, cum immensis laboribus & periculis ac sumptibus institerunt, Saraceni econtra totis conatibus resistentes machinis nostrorum quas ibidem erexerant, machinas quamplures opposuerunt, quibus & castella lignea, quæ super passum eundem collocari fecerant, conquassata lapidibus & confracta igne græco totaliter cõbusserunt. Quo facto ferè omni spe frustrata per calciatam illam totaliter transeundi, tandem per quendam Saracenum ab Ægyptiorum exercitu venientem, datum fuit nobis intelligi locum aliquantulum inferius vadabilem esse, quo poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde communicato consilio, die carnisprimi, mane ordinatis aciebus venientes ad locum transierunt fluuium, non tamen sine graui periculo quia profundior ac periculosior erat locus, quam eis fuerat intimatum. Nam & equos illorum ibi natare oportebat, & propter altas & lutosas ripas exitus prædicti fluminis periculosus erat. Itaque transacto fluuio ventum est ad locum, vbi iuxta prædictam calciatam erant machinæ Saracenorum. Habitoque cum Saracenis congressu, nostri qui præcedebant non parcentes sexui vel ætati, multos ex ipsis trucidarunt. Inter quos & capitaneum illorum, & quosdam alios admiraldos ibidem interfecerunt. Deinde vero dispersis acsebus nostris quidam nostrorum per hostium castra discurrentes venerunt vsque ad villam quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladijs occidentes. Sed tandem Saraceni percepto eorum niconsulto processu, resumptis viribus irruerunt in eos, & vndique circumuallantes oppresserunt ipsos. Vbi nostrorum strages non modica Baronum ac militum tam religiosorum quam aliorum facta est. Ibique & Robertus comes Attrebatensis frater Ludouici Regis in manus hostium incidens, temporaliter amissus est. Itaque die illo, Saracenis super nostros vndique irruentibus & imbrem sagittarum emittentibus vsque ad horam circiter nonam, graues illorum sustinuerunt insultus. Tandem deficiente nostris omnino balistariorum subsidio, multisque illorum vulneratis, & equis eorum pro maiori parte sauciatis vel occisis, tamen auxiliante domino campum obtinuerunt suorum viribus recollectis. Ibique iuxta Saracenorum machinas quas acquisierant illa die castra sua posuerunt, vbi & die illo pauci numero cum rege moram fecerunt, facto prius de lignis ponte, per quem possent ad ipsos illi qui erant vltra fluuium transmeare. In crastino vero plures ex illis de mandato regis transeuntes fluuium castrametati sunt iuxta ipsum. Et tunc destructis Saracenorum machinis lycias & pontes nauales fecere, per quos nostri de vno exercitu ad alium libere transire poterant & secure. Sequenti vero die veneris Saraceni congregatis ex omni parte viribus suis cum infinita multitudine ad nostrorum lycias conuenerunt, & tantos atque terribiles insultus, quantos (vt à pluribus dicebatur) nunquam viderant facere Saracenos, ex omni parte Christiani exercitus fecerunt. Quibus tamen nostri restiterunt ordinata copia bellatorum ex omni exercitus parte, & ipsorum impetus repulerunt maxima eorum multitudine nostrorum gladijs occumbente.

Soldani mors.

Nostri flumen transeunt.

Nostri à Saracenis grauiter vexantur.

Qualiter in regressu cum exercitu suo captus fuit.

Cap. C.

POstmodum elapsis aliquot diebus aduentauit apud Massoram Soldani filius de orientis veniens partibus. In cuius aduentu tympanizantes ac lætantes Ægyptij receperunt illum in dominum, & ex hoc augmentata est non modicum fortitudo eorum. Nostris autem postmodum occulto Dei iudicio omnia in contrarium successerunt, ipsorum desiderijs inolente peste diuersarum ægritudinum, & etiam mortalitatis generalis, tam in hominibus quam in equis: ita vt in exercitu vix aliqui essent, qui mortuos suos vel ægrotantes ad mortem non plangerent. Vnde pro magna parte diminutus erat Christianus exercitus atque consumptus. Tantus etiam erat defectus victualium apud illos eo tempore, quod quamplures inedia deficiebant ac fame. Non enim ad exercitum vasella naualia de Damiata transire poterant, impedientibus Saracenorum galeis & vasis piraticis, quæ per terram in prædicto flumine collocauerant; sicque quamplurimis vasis nostris prius ab eis in flumine captis, tandem duas successiuè carauellas cæperunt victualia & alia multa bona ferentes ad exercitum, cæsa multitudine marinariorum & aliorum in totius exercitus detrimentum. Vnde omnino deficiente suffragio victualium & annona equorum cęperunt deficere fere omnes in desolationem ac terrorem non modicum incidentes. His igitur incommodis arctatos ineuitabilis necessitas illos induxit à loco prędicto recedere, & ad partes Damiatæ si Dominus prouidisset redire. At vero dum quinto die Aprilis essent in itinere reuertendi, Saraceni cum infinita multitudine Christianum illum exercitum sunt aggressi. Acciditque permissione diuina fortasse peccatis aliquorum exigentibus, vt prędictus Rex Ludouicus cum duobus fratribus suis qui supererant, videlicet Alfonso Pictauensi & Carolo Andegauensi comitibus, ac cæteris qui cum eis

Multa Christianorũ millia fame & morbo pereunt.

Carauella nauigij genus.

S. Rex capitur.

redibant

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

redibant in manus inimicorum, scilicet Saracenorum inciderent. Itaque per terram nemo penitus euasit, sed omnes capti sunt & carceribus mancipati, non sine magna strage nostrorum, & effusione sanguinis Christiani; maior etiam pars illorum quæ reuertebatur per fluuium similiter fuit capta, vel etiam gladio interfecta, vasellis naualibus vt plurimum similiter dissipatis, in quibus ægrotantium multitudinem dolorosam incendij flamma combussit. Itaque gens ista sceleratissima præter blasphemias quas in contumeliam creatoris proferebant in conspectu populi christiani, crucem quoque flagellis cædentes in eam spuebant, & in opprobrium fidei christianæ viliter pedibus conculcabant.

Qualiter sub certo pacto a Saracenis dimissus fuit.

CAP. CI.

POstea vero per dies aliquot, Soldanus regem Ludouicum de faciendis treugis fecit requiri, petens instanter cum minis & austeritate verborum, vt absque mora sibi faceret Damiatam cum omnibus rebus ibidem inuentis restitui ac resarciri, omnia damna & expensas quas fecerat vsque ad tempus illud, die scilicet quo Damiatam receperant christiani. Tandem post multos tractatus vsque ad decennium inita est treuga sub hac forma videlicet, quòd idem Soldanus regem & omnes captiuos christianos qui capti fuerant à Saracenis, postquam rex in Ægyptum venerat necnon & omnes alios de quibuscunque partibus oriundos, qui capti fuerant à tempore quo Soldanus Hyemel auus eiusdem Soldani olim cum Imperatore treugas inierat, omnes inquam hos de carcere liberaret, ac liberos vbi vellent abire permitteret, & quod terras quas in regno Hierosolymitano in aduentu regis christiani tenebant cum omnibus pertinentijs in pace tenerent. Rex autem tenebatur ei reddere Damiatam & octo millia bizantiorum Saracenicorum pro liberatione captiuorum, & damnis ac expensis prædictis. Insuper etiam liberare Saracenos omnes eo tempore in Ægypto captos à christianis, necnon & illos qui capti fuerant in regno Hierosolymitano à tempore treugarum, quæ factæ sunt olim inter Imperatorem & Soldanum prædictum. Adiectum est etiam quod omnia bona regis mobilia & omnium aliorum quæ apud Damiatam remanerẽt, post eius recessum salua forent, ac sub eiusdem Soldani custodia ac defensione portanda, quandocumque opportunitas haberetur ad terram christianorum. Omnes etiã christiani infirmi, & alij qui pro rebus suis quas illic habebant vendendis in Damiatam moram traherent, similiter tuti essent sine impedimento vel contractione quacunque, recessuri per terram vel mare quando vellent. Et omnibus illis qui per terram vellent recedere, tenebatur idem Soldanus securum conductum vsque ad terram christianorum præstare. At cum huiusmodi treugæ præstitis iuramentis hinc inde fuissent firmatæ iamque Soldanus cum exercitu suo veniret Damiatam pro complendis omnibus quæ firmata essent; accidit iudicio diuino vt quidam Saraceni milites, non sine conniuentia maioris partis exercitus, irruentes in Soldanũ prædictum surgentem in mane de mensa post prandiũ ipsum immaniter vulnenarent, & de suo tentorio exeuntem vt posset fugæ beneficio liberari, videntibus ferè omnibus admiraldis, & aliorum Saracenorum multitudine frustratim gladijs trucidarent. Quo perpetrato statim multi Saracenorum armati, venerunt ad regis tentorium in illo furoris calore, ac si vellent in eum & in alios christianos dæseuire. Sed ipsorum furiam diuina clemencia mitigante requisierunt regem ac suos instanter super firmandis treugis præhabitis, ac festina deliberatione Damiatæ ciuitatis præmissis, tamen quibusdam verborum & comminationum tonitruis. Tandem igitur sicut domino placuit, Rex firmauit treugas cum omnibus admiraldis, quas cum Soldano fecerat antea, & ab omnibus & singulis iuxta legem ipsorum super hoc recepit iuramenta; determinatis quoque certis temporibus, infrà quæ hinc inde captiui liberarentur, & Damiata ciuitas redderetur. In cuius redditione & tunc cum eisdem admiraldis & antea cum Soldano christiani de ea causa, non tamen sine difficultate conuenerant, quia de illa retinenda nulla spes erat, sicut certissime per illos qui de illa venerant ad ipsos intellexerant. Propter quod rex de consilo Baronum potius elegit ac decreuit christianitati fore consultius, se aliosque captiuos per huiusmodi treugas liberare, quam & ciuitatem cum residuo christiani populi existentis in ea taliter amittere; & se aliosque sub tantis periculis in carcere remanere. Itaque statuta die ciuitatem Damiatam admiraldi cæperunt, qua recepta, regem & fratres suos, necnon & alios Barones & milites de regno Franciæ, Hierusalem, & Cypri liberauerunt. Ex tunc ergo spem habuit rex & sui firmam, eo quod illos liberassent, quod de reddendis omnibus alijs Christianis secundum treugarum continentiam iuramenta sua firmiter obseruarent.

Damiata Saracenis redditur.

De infractione treugarum a Saracenis.

CAP. CII.

HIs ergo peractis, ab Ægypti partibus, Rex & alij capti & liberati receſſerunt, ibique certos nuncios ad recipiendos captiuos & ad custodiam rerum quas illic dimiserant (eo quod nauigia non habebant, quæ ad portandum sufficerent) reliquerunt. Postmodum autem in Acon venientes de captiuis rehabendis sollicite cogitantes, remiserunt in Ægyptum & alios solemnes nuncios, atque nauigia ad reducendum captiuos & alias res quas ibi dimiserant, scilicet machinas, arma, tentoria, equos, & alia multa. Sed admiraldi prædicti à nũcijs nostrorum sibi reddi captiuos, & alia suprædicta iuxta formam treugarum cum instantia postulabant. Sicque detinuerunt eos diutius in Babylonia sub spe reddendi omnia quæ repetebant. Tandem post expectationem diutinam, de captiuis omnibus quos reddere tenebantur, qui plus quam duodecim millia esse firmiter asserebantur, inter antiquos & nouos non liberauerunt nuncijs regis, nisi tantummodo 400. de quibus etiã pars quædam exiuit è carcere pecunia mediante. De cæteris autem rebus nihil voluerunt omnino reddere, quin etiam (quod detestabilius est) electos iuuenes de christianis captiuis ducẽdo ad victimã sicut oues oppositis gladijs super eorum ceruicibus à fide catholica quantum in eis erat, compellebant apostatare, ac sceleratissimi Machometi legem clamare. Quorum multi quidem imbecilles atque fragiles, profitendo legem illam detestabilem à fide exhorbitauerunt: cæteri vero vt athletę fortissimi constantissime in proposito fidei persistentes coronas martyrij receperunt. Ad hæc cum Rex Ludouicus post initas treugas, & liberationem suam firmam fiduciam haberet, quod liberatis captiuis terra transmarina quam christiani tenebant vsque ad tempus in treugas diffinitum pacifice permaneret, de reditu suo in Franciam disposuerat, ac de nauigio & alijs passagio necessarijs tractauerat. Sed manifeste videns, quod admiraldi prędicti aperte contra treugas veniebant, sibique & christianitati contra propria iuramẽta illudere non timebant, requisiuit consilia baronum ac militum religiosorum quid sibi esset in euentibus huiusmodi faciendum. Quorum maior pars concorditer asserebat, quod si eos recedere ad præsens contingeret, prędicta terra in amissionis periculo remaneret, maxime cum in statu tam debili tanquam miserabili constituta esset. Captiui quoque Christiani, qui ab infidelibus detinebantur, omni spe liberationis sublata, pro perditis reputarentur. At ex illorum mora possent euehire Christianis ac terræ illorum aliqua bona præsertim cum inter Babylonicos & Soldanum Halapiæ, discordia grauis esset exorta, qui scilicet Soldanus exercitibus suis congregatis Damascum iam cæperat, & quædam castra

Christiani iuuenes aut ad legem Machometi aut ad mortem adiguntur.

Æmil habet 8000. auri pondo.

Fœdus cum Soldano initur.

sub

sub dominio Babyloniæ constituta processerus vt à multis asserebatur, in Ægyptum, ad mortem interfecti Soldani vindicandam, & ad terram illam si posset occupandam. His ergo consideratis rex (licet ei dissuaderetur à multis,) maluit tamen adhuc differre passagium, & morari per aliquod tempus in regno Syriæ, quam Christi negocium sic desperatum, & captiuos prædictos in tantis periculis constitutos relinquere. Alfonsum vero Pictauensem, & Carolum Andegauensem comites, videlicet fratres suos ad Reginam matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos.

Acta enim sunt hæc anno Domini 1250. regni vero Ludouici 24.

De vita & martyrio sancti Petri Mediolanensis.

Cap. CIII.

Vide Thomã Lentino & Ioan. Garzo in lib. 2. de viris illust. ord. Predic.

EO tempore claruit in ordine fratrum prædicatorum, vita & doctrina, & mitaculis beatus Petrus Mediolanensis. Quem & Papa Innocentius huius nominis quartus anno Pontificatus sui decimo canonizauit, & in epistola canonizationis eius, quam per omnes ecclesias promulgari fecit actus eiusdem breuiter in hunc modum descripsit.

Innocentius quartus. Hic beatus Petrus origine Lombardus, in ordine fratrum prædicatorum 30. fere annorum spacio, virtutum caterua fultus, circa fidei maxime defensionem (pro qua totus ardebat) sic prævaluit & profecit, quod contra diros eius hostes intrepida mente, feruentique spiritu continuum certamen exercens, fæliciter illud martyrio consummauit. Sicque firmus in petra fidei. Petrus deinde passionis allisus ad petram Christum digne laureandus ascendit. Ipse siquidem veritatis filius, & bonitatis alumnus, conuersatione conspicuus, fama præclarus, miro præfulsisse nitore, munditiæ virginitatem integre custodisse, nec mẽtis habuisse nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum, firma confessorum suorum assertione monstratur. Et quia seruus delicate nutritus in dominum protriuit, carnem suam assidua cibi & potus parcitate restrinxit, ne vero per otij desidiam hostilibus insidijs pateret, in iustificationibus domini exercebatur assidue, vt eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & à spiritualibus nequitijs tutus esset. Nocturna quippe silentia humanæ deputata quieti, post dormitionem breuem in studijs lectionem decurrebat, & somni tempus vigilijs occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo prædicationibus, vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticum dogma pestiferum validis rationibus confutando, in quibus speciali dono gratiæ noscitur claruisse.

Virginitas ipsius.

Virtutum S. Petri catho-logus.

Deuotione insuper gratus, humilitate lætus, obedientia placidus, benignitate suauis, pietate compatiens, patientiæ constans, charitate præstabilis, in cunctis motum maturitate cõpositus alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Feruens quoque amator, fidei cultor precipuus, propugnator ardentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod quæque ipsius verba & opera redolebant fidei virtutem; cuius dulcedinem lingua eius velut redundans fauus copiose distillans semper illius documenta suauia propinabat. Pro hac, inquam, mortem subire cupiens, hoc principaliter à Domino attentis & crebris supplicationibus postulasse probatur, quod non sineret eum in hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis. Vnde quia meruit tantus athleta specialem palmam de pugna tam strenua reportare ac in cælibem patriam prælignitus seritis roseis introire cum de ciuitate Cumana vbi fratrum sui ordinis ibi commorãtium prior erat. Mediolanum pergeret, pro exequenda inquisitione contra hæreticos, sibi ab apostolica sede commissa, sicut in publica prædicatione prædixerat,

B. Petri de martyrio postulatio.

quidam de ipsorum hæreticorum credentibus prece illorum inductus, & pretio in eum iter salutaris propositi prosequentem funestus insilijt. In agnum vtique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrenis, profanus in sanctum præsumit, insultum exercet, conatam mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens diris in ipsum impressis vulneribus, & sauciato sanguine iusti ense venerandum illum (non diuertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam & cæsoris sustinentem in patientia truces ictus) dimisit (spiritu petẽte superna) in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego percussuras in Christi ministrum geminas inculcante; ille non querula voce murmurans, sed sufferens omnia patienter suum domino spiritum commendabat dicens: *In manus tuas domine commendo spiritum meum &c.* Simbolum etiam cæpit dicere fidei, cuius nec in hoc articulo desijt esse præco prout ipse nefandus qui à fidelibus captus fuit, & quidam frater Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus diebus aliquibus superuixit, postea retulerunt. Sicut enim granum frumenti cadens in terram, & infidelium manibus compressum & mortuum, vberem consurgit in spicam. sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam. *Psal. 30.* *Ioan 12. Cant. 7.*

De ipsius miraculis.

Cap. CIV.

HIc iam in cælo quasi luminare conspicuum, & splendore gloriæ in multorum coruscatione signorum effulget, quia non vult dominus ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto, sed inter lucentia sanctorum candelabra manifestius exaltare, vt in omnibus qui in ecclesiæ domo habitant, proferat clarum lumen. Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pateret. Cuiusdam etenim nobilis filium præ nimio & horribili totius gulæ tumore, nec loqui nec spirare valentem, leuatis ad Deum manibus, & crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente illius cappam, & infirmo supponente loco sanauit.

Miraculis chorusc at.

Contactus cucilli eius sanat agrotum.

Idem quoque nobilis vehementi postmodum torsione granatus corporis, credens & metuens sibi exinde imminere mortis discrimen, cappam ipsam quam extũc conseruauerat, reuerenter fecit afferri. Qua suo apposita pectori, mox vermem quendam duo habentem capita, & pilorum densitate villosum, euomuit, plena liberatione secuta.

Mutus loquitur.

Quidam iuueni muto, immisso digito in os eius, suæ linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ congessit.

Lampades diuinitus accendumtur.

Hæc & alia plura dum viueret dignatus est per eum dominus operari. Post mortem vero ipsius, lampades ad sepulchrum eius venerabile dependentes, pluries per seipsas, absque omni humano studio & ministerio, diuinitus sunt accensæ, quia conueniens nimis erat, vt qui igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis & luminis miraculum appareret.

Demoniaca curantur.

Quidam autem dum velceretur cum alijs, & illius sanctitatem & miracula deprauaret, sumpto quodam sub hac detestatione morsello, quod eum non posset, si circa hęc delinqueret, transglutire, sensit mox ipsum suo gutturi sic hærentem, vt eum inducere vel educere non valeret. At ille pænitens & iam vultus mutato colore, quasi sentiens vicinæ mortis euentum, facto intra se voto, quod linguam de cætero ad talia non laxaret, fuit protinus, illo euomito, liberatus.

Hydropica quædam mulier, ad locum passionis ipsius auxilio Dei perueniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox ipsa recepit.

Obsessas quidem à dæmonibus longo tempore mulieres (mira res) martyr ipse deiectis illis, cum multo sanguinis vomitu de corporibus liberauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Febres expulit, languoreſque curauit plurimos, & diuerſos.

Cuidam ſiniſtræ manus digitum ex morbo fiſtulæ plurium foraminum concauitate defoſſum, mira conſolidatione ſanauit.

Quidam puer ex caſu grauiſsimo ſic oppreſſus, vt motu & ſenſu penitus deſtitutus, tanquam mortuus defleretur, mox appoſita dextera ſuo pectori ſacro eiuſdem martyris cruore contacta, incolumis exſurrexit.

Quędam cuius carnem cancer edax ſedula corroſione vorabat, linitis huiuſmodi terra vulneribus eſt curata.

Alij etiam diuerſis infirmitatibus occupati, qui ſepulchrum ipſius in vehiculis, & alijs ſuſtentaculis adierunt. Exinde poſtmodum plena incolumitate recepta, ſine aliquibus rediere ſubſidijs.

Multi hæretici conuertuntur viſis eius defuncti miraculis.

Ad hæc vero magna hæreticorum & ipſorum credẽtium multitudo, cum tantam fidei aduerterent efficaciam, & ad eam tot certis, & apertis ſignorum indicijs, tanquam quibuſdam clamantibus pręconibus vocarentur, nec poſſent tam valide eorum inſtantiæ nõ patere, ad ipſius lucem fidei de ſui erroris nubilo eit conuerſa. Quid plura? his & quammultis alijs miraculis glorioſis magnificauit dominus ſanctum ſuum, & colendum exhibuit vniuerſis 3. kal. Maij.

De temporibus præſentibus.

CAP. CV.

ECce tempora ſextæ ætatis vſque ad præſentem annum ſummatim perſtringendo deſcripſi, qui eſt annus Chriſtianiſsimi Regis noſtri Ludouici 18. Imperij vero Friderici 33. Pontificatus autem Innocentij quarti 2. Qui eſt porrò ab incarnatione Domini 1244. A creatione vero mundi 5105. Et hoc dumtaxat iuxta minorem numerum, quem in hac tota ſerie ſecuti ſumus. Porrò ſecundum maiorem numerum ex antiqua tranſlatione ſumptum, quem ſupra poſuimus, annus præſens exiſtit ab initio ſæculi, ſextus milleſimus 443.

An. Chriſti 1244. vel ùd. 3105.

EPILOGVS SPECVLI HISTORIALIS: CONTINENS TRACTATVM DE VLTIMIS TEMPORIBVS.

De morte, ac fine rerum.

CAP. CVI.

Felicitas hominis peccato corrupta.

PArens hominum omnium Adam ita plaſmatus fuerat, vt manente illo decederent tempora, nec vitæ terminum, (quẽ mortem à morſu diabolicæ tentationis appellámus) aliquo tempore ſciret. Tranſgreſſione autem Dominici præcepti in eo factum eſt, vt cum legem illico ſenſerit in carne, repugnantem legi mentis ſuæ, in ſudore vultus ſui vita illi agenda fuerit; ex delicijs in ærumnas exulare iuſſus fuerit; Timor & tremor, ſuper eum venerint; peccato obſorduerit: offenſo creatore, offendi poſſe cæperit; poſthabito obedientię merito, brutorum impetum expauerit; expleto deſiderio carnis, corruptiones ſenſerit innocentia exploſa nocere; nec minus noceri poſſe, ſuo periculo didicerit; cum tempore declinauerit; Immortalitatis ſtatu amiſſo corruerit; per incrementa viuendi ad mortem feſtinauerit. Nos quoque, qui ab eo originem trahimus, ad curas, ſolicitudines, & tentationes, tum corporis, tum animi inſuperabiles, ad vltimum denique terribilium mortem alligamur; naturæ ab eo hanc conditionẽ ſortiti, à quo propagationem generis incœpimus. Quid enim eos appello, quos admodũ pręſens vita oblectat? in hac valle miſeriarum, nec aliud inuenimus, quam naturæ imbecillitatem, fortunæ ludibrium, voluntatis mutationem, voluptatũ inquinamenta, tentationũ bellũ aſſiduum.

Varia hominis aruinna.

Cum ingredimur in mundum ab infãtia incipimus, quæ ætas, quicquid videt, ignorat. Inde in pueritiam, in qua nihil ſolidum ſapere poſſumus. Prouehimur ex pueritia in adoleſcentiam, in qua cum ætate & ſanguine, voluptatum incentiua coaleſcunt, progredimur. Ex adoleſcentia ad iuuentam aſcendimus, in qua, ſicut maiora per ætatem audemus, ita maioribus curis implicamur. Ex iuuenta in virilitate confirmamur, in qua grauiora prælia nos diſcerpunt: ambitu, auaricia, liuore, libidinibus, & varijs demum anxietatibus conſumimur. Ex illa in ſenectam deſcendimus: ſed quam continuis, & quantis noſtra ſenectus plena malis? Ex ſenecta in decrepitam decidimus, in qua continuus horror inſtantis mortis nos pulſat & irritat. Aſpiciamus te nudum informẽ inter vagitus, & lachrymas naſcentem, exiguo lacte ſolandũ, tremulum, atque reptantem, opis indigũ alienæ, quem muta paſcunt, & veſtiunt animalia, caduci corporis, animi inquieti, morbis obſeſſum varijs, ſubiectum paſsionibus innumeris; Conſilij inopem, alterna lætitia, & triſtitia fluctuantem; impotentem; appetitus arbitrij cohibere neſcium, quantumve ſibi expediat, quis cibi potuſque modus, ignorantem. Cui alimenta corporis, cæteris animantibus in aperto poſita, multo labore conquirenda ſunt; quem ſomnus inflat, cibus diſtendit, potus præcipitat, vigiliæ extenuãt, fames contrahit, ſitis arefacit; auidum timidumque, faſtidientem poſſeſſa, deplorantem amiſſa & præſentibus ſimul, & præteritis, & futuris anxium; ſuperbientem inter miſerias ſuas; & fragilitatis ſibi conſcium, viliſſimis vermibus imparem; vitæ breuis, ætatis ambiguæ, fati inęuitabilis, ac mille generibus mortis expoſitum. Omitto, quòd ita compacti ſumus, vt ocio tabeſcamus; labore frangamur; crapula opprimamur; inedia extenuemur: & quocunque à medio recedentes, ad aliquod extremum vertamur, diſſoluta temperię, non parum lędimur. Per ſingula momenta temporum, cum cœlo vertimur, & vexamur, fortunæ ludibrio ſumus, quæ ſumma infimis, ima ſummis mutare gaudet. Ita per omnem vitæ curſum anguſtiarum, laborum, eruminarum, inſidiarum plena omnia occurrunt.

Vincuntur charitate.

Si tamen arma charitatis, & ſcutum fidei ſumpſerimus, ſi ad alterius vitę præparationem actiones noſtras inſtituerimus; quantacunque ea ſint, quę occurrunt, ſuperabimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Mors quoque omnium dolorum solutio est : vltra quam mala nostra non exeunt, quę nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam nasceremur, iacuimus; reponit. Mors quidem bene pureque morientibus vita est: Hinc & dissolui cupiunt. (qui bene vixerint,) & esse cum Christo, vt bene actæ vitæ præmium consequantur, lumen æternum. Et profecto mors vitæ, quę neque doloribus, neque metui, neque inuidiæ, neque errumnis illis subiecta est, neque ipsi quoq; morti, quicquam obnoxia. Et si altius aliquanto repetamus, inueniemus mortem nihil aliud esse, quam peccandi finem. Nam cum Adam contra mandatum Dei, in flagitium lapsus esset, ne viuendo culpa reuiuisceret, & in peccato persisteret, eius corpus, è terra factum, terræ Deus reddit: non vt creaturę mortali, quam fecerat ; sed vt peccato, quod creatura ipsa commiserat; finem imponeret.

Finiuntur morte:

Deus igitur, & principium, & finis: Cum is, vult nascimur; cum vult etiam morimur. Et sunt hæc quidem prorsus diuinitatis eius; nihil ad nos pertinentia: Illud vero tantummodo nostro reliquit arbitrio, vt bene rectęque viuendo, bonum naciscęremur finem. Hoc itaque, quod vnum nostrum est, id est, vt in Christo Domino nostro moriamur, summopere adniti debemus. Quod qui faciunt, non planè moriuntur, sed transeunt à corruptione ad incorruptionē; à mortalitate, ad immortalitatem; à perturbationibus ad tranquillitatem. Non absurde fortassis quidam existimarunt, mortem non modo malum non esse, sed summum bonorū omnium. Verum enimuero, quoniam neque euocationis diem, neque horam nobis scire datum est, perquam salutare fuerit, præparatos nos esse, cum Deo sentientes, & mandatis eius obsequentes; nec diem differre tutum est, sed insipienter factum potius existimare. Pleroſque enim vidimus summa corporis incolumitate , viribus integris, nihil tale metuentes, morte repente interceptos. Contra nonnullos, vsque ad medicorum desperationem redactos conualuisse. Cum hæc igitur omnia in Dei tantum potestate sint: nihil nobis reliquum videtur, nisi, vt cum Deo bene sentientes, eius præceptis, vt præmisimus, tum in omni vita, tum in vitæ termino maxime, obediamus. Credimus firme omnes , quod Deus hominem fecit ad imaginem suam: Quid nobis facilius potest accidere, quam dimittere luteum corpus, vitiorum sarcinam, & ad eum euolantes redire, qui nos non dedignatus est ad similitudinem sui facere? Quo spiritus diuino ipsius spiritu repletus , diuinitatis particeps, & felicitatis eius, agat æuum perpetuo inter Angelos, & sanctorum Choros.

Sed morte quę placeat Deo.

De eodem.

MOrte nihil melius, vita nil peius iniqua,
Optima mors hominum, requies ęterna laborum.
Tu seruile iugum domino soluente relaxas,
Vinctorumque graues adimis, ceruice cathenas,
Exiliumque leuas, & carceris hostia frangis;
Eripis indignis, iustis bona partibus æquans:
Atque immota manes, nulla exorabilis arte,
A primo præfixa die; tu cuncta quieto
Ferre iubes animo, promisso fine laborum,
Te sine supplicium vita est, carcerque perennis.

De signis futurę consummationis.

CAP. CVII.

Signa finis mundi.

QVantum vero temporis ad finem sæculi & aduentum iudicis superfit, certum est neminem mortalem esse, qui nouerit; nisi forsitan Dominus alicui speciali gratia reuelauerit. Omnium namque de hac re calculantium digitos quiescere iubet, qui ait : *Non est vestrum nosse tempora, &c.* Iam tamen illius consummationis apparent euidentia quędam signa, dudum à sanctis prophetali spiritu prædicta. Quorum *primum* est, iniquitatis inundatio, ac per hoc fidei, & charitatis euacuatio. *Reliqua* vero sunt, 2. scientiæ multiplicatio, 3. præliorum opinio, 4. euangelij per orbem dissemination, 5. sathanæque solutio, id est, potestatis ipsius à tępore passionis Domini cōhibitæ relaxatio, 6. hereticorum dispersio. *Septimum* quoque iam esse videtur in ianuis, à Romano, scilicet imperio vel obedientia discessio.

Act. 1.

Vt autem ait Chrysostomus; *Medulla huius mundi, sunt homines sancti;* Sicut enim in arbore, quamdiu medulla sana est, semper floret; cum autem consumpta fuerit, tota paulatim marcescit: Ita quamdiu fideles manent, stat iste mundus; cum autem ex mundo defecerint, cadet; sicut egredientibus Israelitis exterminatus est Ægyptus. Sed constat prius, Antichristum venturum & cōtra sanctos pugnaturum. Vnde Methodius martyr, in nouissimo, inquit, sexto milliario sæculi, exibūt filij Ismael, de eremo, & erit aduentus eorum castigatio sine mensura. Tradidit Deus in manus eorum, cūcta regna gentium, propter peccata & scelera eorum. Faciunt enim christiani multa illicita, polluentes semetipsos, quod dictu turpissimum est, propterea tradidit illos Deus, pollutis barbaris in manu Saracenorum. Ecclesiarum thesauri, & ornamenta eorum erūt, & ab eis distribuentur, Ecclesiæ quoque cremabūtur. Ideoque patrem eorum Ismaelem Deus onagrum vocauit. Non enim sunt homines sicut aliæ gentes, sed de eremo venturi, ideſt, hominibus odibiles. Sacerdotes in locis sanctorum interficient, & in Ecclesijs sanctorum mulieribus concumbent, & sacrata Ecclesiarum vestimenta induent ipsi, & vxores eorum. Eritque tribulatio magna super christianos, vt manifestentur, qui in Christo sunt credituri fideliter. Tunc recordabitur Dominus, secundum misericordiam suam, eorum, qui in Christo sunt credituri, & liberabit eos de manu Saracenorum. Surget enim Rex christianorum, & pręliabitur cum eis, & interficiet eos gladio. Et reddet illis Deus in septuplum mala, quæ in alijs gesserunt. Post hæc vero, & alia plura subiungit. Tunc apparebit filius perditionis, qui dicitur Antichristus in Corozaym, nutrietur in Bethsayda, & regnabit Capharnaum.

Prophetia Methodij de fine mundi.

De quibusdam dictis Ioachim, & sanctæ Hildegardis.

CAP. CVIII.

CÆterum Abbas Ioachim in expositione Hieremię, ita scribit: Ab anno Domini 1200. & vltra, suspecta sunt mihi tempora, & momenta, in quo nouo ordine Samuelis exorto, Ophni, & Phinees, Sacerdotes, & Pontifices Dei , à Romanæ Reipu. principe captiuentur; Capiatur arca Ecclesiæ; Hely quoque, id est, summus Pontifex, corruat, & quasi alter Mardocheus sub Aman, in discrimine maneat agitatus. Ipsam autem ruinam Ecclesiæ tales necesse est prædicare ac plangere, quibus, & voluntaria paupertas arrideat, & doctrinæ spiritualis, ac vitæ puritas, in futurę tribulationis aculeis non obsistat.

Persequutio in ecclesiasticos.

Tales ergo Doctores, & tales Prophetæ mittendi sunt, qui non solum inferiores homines, sed etiam ipsos Pontifices, & Prælatos fulgurent, & non palpent. Reuelandi nimirum in proximo sunt Doctores, prædicatoresque fideles, qui & terrena, carnaliaque corda omni plaga percutiant, & elatis, ac tumidis magistris silentium suis studijs ponant. Et licet ordo ille futurus, ad obedientiam sit oriturus, tamen à Prophetis est prænunciatus, & in aulicis viris tertij temporis Ecclesiastici cursus à Deo cognitus, & electus, in vulua spiritualis Ecclesię, ac perfectæ doctrinæ sanctificandus, ac si alius Beniamin, filius non tam doloris in pœna, quam dexteræ, scilicet exultationis in gloria. Tales in proximo pariet generalis Ecclesia iam senescens, tales Rachel plorabit filios, à rege impudenti facie, acsi altero Herode occidendos. Qui propter eam dicti sunt doloris filij, quia contritis eis , spiritualis religio præ

Prædicatores seueri & veraces excitandi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

angustia temporis non poterit consolari. Sed tamen & ipsi dextræ filij dicuntur, quia vnde in eis, & pro eis mater Ecclesia premitur, inde de eis, & cum eis æterna patria iocundatur. Hi sunt fideles in doctrina, spirituales in vita, obedientes in pressura. Formatus est igitur ordo iste, ad instar Hieremiæ in Ecclesia generali, sanctificatus in obseruantia regulari, nequis eum de vitæ merito reprehendat. Puto etiam, quod sicut olim Deus patres elegit senes, secundo Apostolos iuniores, ita, & nunc tertio pueros ad literam eligat, propter eos, quibus vetera viluerunt; ad prædicandum scilicet Euangelium regni, prælatis adulterantibus verbum Dei. Et sicut olim per Moysen, & Iosue, Dominus Cananeos Israelitis subiecit, ac per Paulum, & Barnabam idolatras strauit; sic etiam nunc per duos ordines futuros, in illis præsignatos, gentes incredulas subigat & conuertat. Hucusque Ioachim.

Prædicatores futuri.

Prophetia Hildegardis.

Sed & Anno ab incarnatione Domini 1178. Sancta Hildegardis de tempore muliebri prophetauit, in hunc modum. Anno inquit, post incarnationē Christi 1188. Apostolorum doctrina, & ardens iustitia, quā in Christianis, & spiritualibus constituerat Deus tardare, & in hæsitationem verti cœpit; sed hoc muliebre tempus non tamdiu durabit, quamdiu hucusque perstitit.

De aduentu Antichristi, & eius fallacijs.

Cap. CIX.

Antichristi ortus:

LEgitur autem Antichristus, in Babilonia, de tribu Dan nasciturus, iuxta id, quod ait Iacob pater eius. *Fiat Dan coluber in via*, &c. Vnde & hæc sola tribus, in Apocalipsi subticetur, vbi ex alijs tribubus signati numerantur. Huius aduentus, vt ait Apostolus, erit secundum operationem Sathanæ, quia totum faciet Diabolo, (qui illum possidebit) instigante, atque operāte. Nec tamen ita possidebit eum ex toto, vt vniatur ei sicut humanitati diuinitas in Christo; nec ita vexabit eum, vt careat rationis iudicio, alioquin non imputaretur ei, quicquid ageret, sicut nec furibundo. Comestor quidem dicit, quòd à principio conceptionis illius Diabolus in vterum matris eius descendet, cuius virtute deinceps aletur puer, & nascetur, & adolescet. Sed alij dicunt, & forte verius, quod more cęterorum hominum, à die conceptionis suæ habebit Angelum sui custodem, vsque ad annos discretionis: tunc extolletur supra omne, quod dicitur Deus, & Angelorum præsidio pœnitus eū desertum, occupabit Diabolus. Qui adeo tunc *soluendus* dicitur, quia totam potestatem suam antiquam sibi relaxatam, per illum exercebit, & pro voluntate sua inclinabit eum ad malum, sicut possessor ad libitum suum trahit iumentum.

Aduentus.

A diabolo possessus.

Doctrina Antichristi propria.

Tunc igitur iniquus iste caput omnium iniquorum aperte reuelabitur, qui nūc in membris suis mysterium iniquitatis iam operatur: cumque venerit Hierosolymam, circuncidet, se, dicens Iudæis, se esse Christum ipsis in lege promissum; Christum vero nostrum fuisse deceptorem, & magum: omnes itaque Iudæi credentes, & ei adhærentes, confluent ad ipsum, & reędificabunt templum à Romanis destructum, ibique sedebit, dicens, se esse summum Deum. Veniet quidem, vt ait Apostolus, in omni virtute potestatis humanæ, & opulentiæ, facietque signa, & prodigia; quę dicuntur *mendacia*, vel quia non erunt vera, sed fāta\ſtica; vel quia ad confirmandum mendacium ostensa, ad seducendum videlicet illos, qui charitatem, & veritatem Christi recipere nolūt. Multa deceptis munera largietur, & quos terrore nequiuerit, auaritia subiugabit. Populum Iudaizare, Sabbatumque seruare compellet, vt exteriorē ritum legis reuocet. Diem quoque Dominicum honorari iubebit, quia mori se, ac resurgere simulabit.

De persecutione eius, & interitu ipsius.

Cap. CX.

Legati ab Antichristo missi.

ET sicut Christus Apostolos misit, sic ille per orbē, vt legitur, mittet legatos suos, vbi personaliter accedere non poterit. Hi ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadragintaduobus idest, ecclesiam persequentur tribus annis, & dimidio, quibus regnabit Antichristus. In eo namque breui spacio, totis viribus suis, suorumque legitur sæuiturus, plurimosque partim dolo, & hypocrisi, partim violentia seducturus. Sancti vero tunc tantæ sapientiæ, ac fortitudinis erunt, quòd tanto eius impetu insidijsque vinci non poterunt.

Elia & Enoch prædicatio.

Tunc emittet Dominus Heliam, & Enoch, famulos suos, ad hoc ipsum viuentes in Paradiso Terrestri reseruatos, vt ipsum redarguant, & corda filiorum ad patres conuertant, tandemque mortis debitum tanto tempore dilatum exoluant. Prophetabunt autem diebus 1260. amicti saccis, idest, verbo, & exemplo prædicabunt pœnitentiam tribus annis, & dimidio, sicut, & Christus prædicauit. Ipsum quidem Antichristum coram omni populo arguent, & mendacem, & fallacem ostendent.

Conuersio Iudæorum.

Tunc Iudæi, cognoscentes se fuisse deceptos, in Christum credent, pro ipso mori parati, eruntque, vt dicit Methodius, 144. millia virorum, ex omni tribu Israel pro Christo interfecti. Tunc Antichristus furore repletus, iubebit Sanctos Dei testes, Enoch, scilicet, & Heliam occidi; & iacebunt in plateis Hierusalem, per triduum insepulti, vt quicunque viderint timeant eis conformari. Tunc erit talis tribulatio, qualis nunquam fuit antea, nec post erit.

Mors Antichristi.

Denique iuxta visionem Danielis, veniet Antichristus, vsque ad verticem montis Oliueti, qui dicitur inclitus, & Sanctus, quia ex eo ascendit ad patrem Christus Dominus: ibique seductor ille peribit, vnde Saluator Cœlos ascendit. Cum etenim sederit in eodem loco, in Papilione, & in solio suo, Dominus Iesus Christus, vt ait Ambrosius, ostendet se ei, & interficiet eum spiritu oris sui, idest, virtute præcepti sui. Ipso namque Iesu clamante in aere, morietur Antichristus, per Michaelem, vt dicitur, fulminatus. Maxima quoque pars suorum, vt legitur, à Michaele interficietur. Igitur à tempore, quo iuge sacrificium ablatum fuerit, idest, quo Antichristus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, vsque ad interfectionem eius, Dies 1290. idest, anni tres, & semis complebuntur, tanto enim tempore sanctos persequetur.

De aduentu iudicis, ac signis præambulis.

Cap. CXI.

Tempus inter mortem Antichristi & diem iudicij.

POst mortem Antichristi, non statim veniet ad iudicium Dominus, sed, vt ex libro Danielis intelligitur, electis, qui in illa persecutione titubauerunt, 45. dies ad pœnitentiam concedentur. Quantum vero post venturus sit Dominus penitus ignorabitur. Ministri quidem Antichristi gaudebunt in illis diebus, nubentes, & conuiuia celebrantes, ac ludos diuersi generis exercentes, atque dicentes: Licet præceptor noster mortuus sit, modo tamen habemus pacem, & securitatem. Cumque talia dixerint, superueniet eis interitus grauis, & repentinus.

Signa ante diem iudicij quindecim

Illud quidem extremum iudicium præcedent signa multa, quæ nobis exprimit Euangeliū. In historia quoque scholastica, leguntur signa quindecim dierum, quæ inuenit Hieronymus in annalibus Hebræorum, sed vtrum continui, an interpolati futuri sint, non expressit. *Prima* enim die, eriget se mare 40. cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo, quasi murus. *Secundo* tantum descendet, vt vix videri possit. *Tertio* Marinæ Beluæ apparentes super mare dabunt rugitus, vsque ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cœlum. *Quarto* ardebit mare, & omnes aquæ. *Quinto* herbę, & arbores dabũt rorem sanguineum. *Sexto* ruẽt edificia. *Septimo* petræ adinuicem collidentur. *Octauo* generalis fiet terremotus. *Nono* æquabitur terra. *Decimo* exibunt homines de cauernis, & ibunt velut amentes, nec mutuo poterunt loqui. *Vndecimo* surgent ossa mortuorum, & stabũt super sepulchra sua. *Duodecimo* cadẽt stellę. *Decimotertio* morientur viuentes, vt cum mortuis resurgant. *Quartodecimo* ardebit cœlũ, & terra. *Quintodecimo*, fiet nouum cœlum, & noua terra, & resurgent omnes.

De purgatione mundi, & claritate iudicis aduenientis.

Cap. CXII.

Ignis conflagrationis. VEnturum quidem iudicem ignis præcedet, qui faciem huius mundi comburet, peribuntque cœlum, & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ mutabitur in meliorem: Cælum dico aereum, non æthereum. Tantum enim ascendet ignis præambulus iudicij, quantum ascenderunt aquæ diluuij, scilicet 15. cubitis super cacumina montium, vt hanc mundi partem expurget à peccatis hominũ. Terra igitur, & mare ex aeris crassitudine conflagrabit, & electos quoque, secundum Apostolum, purgabit, in quibus aliquid purgandum extiterit. Vnde, & tandiu durabit, donec omnes purgauerit, purgatis autem nullateñus nocebit. Malis itaque, qui tunc viui reperti fuerint, erit consumptio; bonis vero refrigeratio. Vt enim ait Augustinus: Hoc erit incendium mundi sanctis, quod fuit tribus pueris caminus Babylonis.

Cur dicatur media nocte venturus iudex. Media nocte venturus iudex legitur, non pro hora temporis, vt ait Augustinus, sed pro rei obscuritate, id-est, occultatione. Erit autem iudicis aduentus ad instar fulguris subitus, & coruscus: Vnde Sol, & Luna tunc obscurari leguntur, non suæ lucis diminutione, sed veri luminis comparatione, alioquin legimus, septuplum luminis, quam nunc, plus habiturum in die illa; sed respectu veræ lucis erunt omnia in sui natura tenebrosa.

Locus iudicij. Dominus quidẽ in aere apparebit supra locum vnde ascendit, & erunt coram eo, quasi triumphi vexilla, suæ mortis instrumenta, videlicet Crux, & Claui, & Lãcea. Vnde dicit Chrysostomus, quòd Angeli signum Crucis excelsis humeris portabunt, & regalem nobis aduentum, tanquam vexillo, & pompa regali præcedente, nunciabunt. Nec solum Crucem, sed & vulnera sui corporis, idest cicatrices vulnerum demonstrabit, vt ostendat se vere esse, qui pro nobis Crucifixus fuit.

De generali Resurrectione, & eius ordine.

Cap. CXIII.

Tuba nouissima. SIc igitur purgato mundo, & ad iudicium veniente Domino, emittetur vox illa magna, & manifesta, quæ in Euangelio dicitur *Tuba*: quia, tanquam signum triumphi, victores ad præmium, atque ad diem epuli inuitabit, victos autem deterrebit. Hoc igitur erit aliquod præclarum, & euidens signum, quod dabitur ad mortuos suscitandum, vt omnes resurgant, & veniant ad iudicium. Hæc etiam *vox filij Dei*, & *vox Archangeli* dicitur, quia annuente filio per Angeli ministerium hoc implendum esse non dubitatur. Sic enim in Euangelio dicitur: *Mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos eius, à quatuor partibus terræ.* Et iterum: *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Hæc itaque vox ab omnibus audietur, eiusque virtute mortui resuscitabuntur, boni quidem in gloria immutati, & in multis bene dispositi; Mali vero quantum ad diminutionem membrorum incorrupti, sed prauis, & passibilibus corporum qualitatibus non priuati. Omnes igitur resurgemus boni, & mali in momento, in ictu oculi. Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium caro contrahitur, sed in quemcunque puluerem cineremve resoluatur; in quoslibet halitus, auraſque diffugiat; in quamcunque corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcunque animalium, vel etiam hominum, cibum carnemque mutetur; illi animæ in puncto temporis eam reddet, quæ illam primitus, vt homo viueret, animauit. Resurget autem nõ fantastice, sed vere, quicquid est de veritate humanę naturæ.

Vera & integra caro cuiusque resurget. Et in eo resurget vnũquodque, in quo primitus habuit oportunum suum esse. Vnde costa Adę detracta non resurget in Adam, sed in Eua. Quia formata muliere, perfectior fuit homo, quantum ad conseruationem speciei, quam ante. Eadem etiam ratione manus hominis comesta ab homine alio, resurget in primo. Quia vero corpus humanum perfectissimum est omnium corporum inferiorum, caro bouina, ab homine comesta, & in carnem eius mutata, resurget in ipso comestore, nimirum non in sua specie prima, sicut nec terra, de qua formatus est Adam: sed sub specie carneitatis humanæ. Decisio quoque, quæ fit ex parentibus in humana generatione, non in ipsis resurget, sed in prole: quoniam in ea primo habet opportunum suum esse: nec etiam vnquam fuit, vt dicunt quidam, de substantia carnis parentum actu, sed potestate: Fit enim de superfluitate humiditatis terræ, parata vniri membrorum substantiæ.

Perfecta statura resurgentium. Tunc secundum Apostolum omnes electi de diuersis mundi partibus occurrent sibiinuicem *in virum perfectum*, idest in virilem perfectionem, quasi scilicet in statu ætatis 30. circiter annorum, in qua Christus habuit annorum & corporis plenitudinem. Igitur vnusquisque mensuræ corporis plenitudinem sui recipiet, quam in ætate 30. annorum habuit, etiam si senex obijt, vel quam illa habiturus esset si vsque ad eam peruenisset.

Nihil deerit, aut superfluet resurgentibus. Ita vero modificabitur in vnoquoque materies illa corporis, vt nihil ex eo pereat nihilque superfluat. Sed & siquid alicui defuerit, ille supplebit, qui de nihilo fecit, quod voluit. Et si quid enormiter abundauerit in parte aliqua, per totum spargetur, ita, quod ibi nihil indecorum erit, sed omnia decentia. Nec erit necesse ea, quæ de cadauere dilapsa sunt, ad easdem partes redire corporis, vbi prius fuerunt: Sed sicut statua, quando iterum funditur, quod prius erat de naso, fit de pede, vel econuerso, idem tamen simpliciter, qui prius, & nasus, & pes erit, licet non eadem materia sit, quia non iudicatur identitas, secundum materiam, sed secundum formam. Sane ibi erit etiam sexus diuersitas, *Sexus vterque resurget.* non quidem seruiens vsui, vel libidini, sed nouo decori, & diuinæ laudi. Porro Hermafroditus, in eo sexu resurget, quem ei natura dedisset, si non impedita fuisset. Mortui ergo, qui in Christo interim quiescunt, resurgent primi: non quia ibi sit ordo temporis, sed dignitatis. Resurget autem vnusquisque in suo ordine, scilicet Apostolus, vt Apostolus, Propheta, vt Propheta, & ita de cæteris. Tunc & illi, qui viui reperientur, secundum Apostolum, simul cum illis, qui dormierunt, obuiam in aera Christo rapientur, &, vt dicit, in ipso raptu morientur, statimque resurgent, vt anima de corpore quasi per soporem egressa, eidem in momento reddatur.

De miraculo, & causa Resurrectionis uostrę.

Cap. CXIV.

Resurrectio non est opus naturæ. ANimæ quidem, etiam exutę corporibus, appetunt incorporationem: Vnde & illo appetitu vtcumque retardantur, ne ex toto confluant in summæ maiestatis contemplationem. Sed & corpus naturaliter appetit animam, tanquam perfectionem suam; verum licet in vtroque sit mutuæ coniunctionis desiderium, non tamen possunt à natura iterato coniungi, sed miraculosè tantum. *Primo* quidem, quia non

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

potest fieri regressus à priuatione in habitum, per naturam, ergo nec à morte ad vitam. *Deinde*, quia ipsa Resurrectio subito fienda legitur, natura successiue operatur. *Tertio*, quia coniunctio ipsa indissolubilis erit, & corpus impassibile, quod natura nullatenus potest facere. *Quarto*, quia resurget idem corpus numero, natura vero non facit idem numero, sed specie: Ex similibus namque similia procreat, speciemque per indiuiduorum multiplicationem conseruat. Verumtamen duplex erit in Resurrectione corporum coniunctio, vna scilicet actio, quam miraculosè faciet Deus Angelorum ministerio; alia vero relatio media inter partes coniunctas, & hæc naturalis erit, sicut in cæco illuminato visus habitus fuit miraculosus, & visus actus naturalis. Itaque non oportet dicere, quòd Resurrectio sit naturalis; quoniam illa secunda coniunctio, quæ est relatio, non est resurrectio, sed consequens ad resurrectionem.

Resurrectio Christi causa resurrectionis nostræ.

Dicitur autem resurrectio Christi causa nostræ Resurrectionis fore, quia quodã modo *causa motiua* est liberalitatis patris, vt amore Christi faciat fratres eius resurgere gloriosè. Sicut cum Rex terrenus filium suũ militem facit, eius amore multos alios etiam milites facit: Est etiam *causa motiua*, quantum ad nos, quia mouet nos ad Resurrectionis gloriam bonis operibus acquirendam; est iterum eius *causa formalis*, ideſt exemplaris. Hæc omia, quæ dicta sunt, ante iudicium illud extremum futura sunt.

De Aduentus iudicis illustratione.

Cap. CXV.

Conscientia reproborum in die iudicij reuelabuntur.

OMnibus itaque resurgentibus, & in occursum iudicis properantibus: obuiabit in primis peccatoribus ista, facies delictorum suorum omni tormento amarior: Inde namque conscientiæ remorsio, inde timor, dolor, desperatio, inde etiam inæstimabilis confusio, dum vniuersa multitudo spectãtium leget in eorum pectore, stylo ferreo signatas imagines peccatorum. Tunc enim, secundum Apostolum, cogitationes animam accusabunt, non vtiquę, quę tunc erunt, sed quæ nunc sunt: quia quasdam sui notas, & signacula in corde, velut in cera, relinquent. Hi sunt *libri* singulorum, qui tunc omnes *aperientur*; quia per aduentũ iudicis non solum tenebræ aeris illuminabuntur, sed etiam abscondita cordium manifestabuntur. Et tunc illud Euangelij implebitur, *Nihil opertum, quod non reueletur*, &c. Quadam enim virtute diuina fiet, vt vnicuique opera sua bona, vel mala, cuncta in memoriam reuocentur, ac mentis intuitu mira celeritate cernantur: Vt hominem, vel accuset conscientia, vel excuset; eaque teste, vel damnetur, vel saluetur.

In electis autẽ, vel omnino delebitur memoria pristinæ conuersationis succedentibus æternis bonis; vel potius habebunt priorum malorum memoriam, vtique non ad pœnam, vel gloriæ derogationem, sed ad gratiarum actionem.

Terror omnium in die iudicij.

Tunc itaque reprobi desperantes, & ante faciem iudicis apparere formidantes dicent montibus, operite nos à facie sedentis super thronum. Vt enim ait Chrysostomus super Matthæum, Satius est mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis, ac pietatis plenum, nos tamen auersantem videre; Illosque totius tranquillitatis oculos nequaquam sustinentes nos aspicere. Dicit etiam Hieronymus, quòd Sol, & Luna lumen suum retrahent, & seueritatem iudicis aspicere non valebunt, non quo clementiora sunt Dei iudicio, sed quo omnis creatura in tormentis aliorum de suo iudicio pertimescat. *Virtutes quoque cælorum*, ideſt Angeli tunc moueri dicuntur, non quidem metu damnationis, vel aliqua perturbatione pauoris; sed admiratione quadam eorum, quæ viderint. Vt autem ait Beda, quid patietur virgula deserti, vbi concutietur Cedrus Paradisi?

De sessione iudicis, & assessoribus, ac testibus.

Cap. CXVI.

Locus iudicii in aere.

TVnc igitur electis in aera Domino occurrẽtibus; & reprobis in terra, quam dilexerunt, remanentibus, in Valle Iosaphat, ideſt iudicij, sententiam expectantibus, sedebit Christus in aere, nube sibi ministerium exhibente, sicut factum est in eius Ascensione, sicque faciet iudicium constipatus agminibus, ac virtutibus cœlorum, omni quoque creatura armata ad vltionem inimicorum.

In forma humana iudicabit.

In forma vtique serui Christus iudicabit, in qua coram Pilato iudicatus fuit. Quæ & tunc non habens speciem neque decorem omnibus spectaculum fuit; & tunc in gloria decoris omnibus hominibus apparebit. Cumque, vt ait Augustinus, in forma serui glorificata, viderint eum boni, & mali, *tolletur impius ne videat gloriam Dei*, ideſt, diuinitatis claritatem. Hanc enim soli mundi corde videbunt, quod vita æterna erit eis. Itaque, *pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. quia filius hominis est*: Non quod ipse sit filius ex virtute humanitatis; vel sine patre, & spiritusancto iudicaturus sit; sed quia iudicans in forma hominis gloriosa apparebit cunctis, impijs quidem terribilis, iustis vero mitis: quia malos terrebit, iustos autem illuminabit, & lætificabit.

Sed virtute diuina.

Iudicabit tamen virtute diuinitatis, non humanitatis: & hoc cum patre, & spiritusancto, sicut & corpora susciabit. Quod tamen eius humanitas factura legitur, quia dabit in forma hominis meritum, & causam nostræ Resurrectionis, ideſt, Passionem, & Resurrectionem susciepit, & forte secundum eandem formam vocem dabit, quia mortuos susciabit. Vnde ipse Princeps Angelorum Christus ab Apostolo vocatur Archangelus: vel vt hoc ipsum Archangelus aliquis eius imperio sit facturus.

Assessores Sancti.

Non autem solus Christus, sed & Sancti cum eo iudicabunt nationes, ipso dicente: *Sedebitis, & vos super duodecim sedes*, &c. Nec solum duodecim Apostoli cum eo iudices sedebunt, alioquin Paulus ibi non sederet: sed omnes perfecti, qui relictis omnibus ipsum secuti sunt. Per duodecim namque sedes, perfectio tribunalis accipitur, ideſt vniuersitas iudicantium: & per duodecim tribus vniuersitas iudicandorum.

Quatuor ordines in iudicio.

Eruntque, testante Beato Gregorio, quatuor ordines in iudicio, duo, scilicet electorum, & duo reproborum. Electorum namque quidam non iudicabuntur, sed iudicabunt, & regnabunt, vt perfecti: quidam iudicabuntur, & regnabunt, vt mediocriter boni. Reproborum vero quidam iudicabuntur, & peribunt, vt mali catholici: quidam vero non iudicabuntur, sed peribut, vt increduli, quorum damnatio toti Ecclesiæ nota, ac certa est.

Quadruplex iudicium.

Erit autem ibi iudicium quadruplex. Iudicium primę auctoritatis, quod erit Trinitatis totius: Principalis administrationis, quod erit Christi solius: Assessionis, quod erit perfectorum: & *comparationis*, quod minus malorum, iuxta illud. Regina Austri surget in iudicio. c. g. i. &c. Cum vero perfecti potestate, vel auctoritate iudicaturi leguntur, potestas, vel auctoritas large sumitur, non prima videlicet, sed secunda, quę ex iudicis assessione contrahitur. Vnde, *qui vicerit* inquit, *dabo ei sedem in throno meo*. His enim in throno sedere filij, est exipsius potestate iudicare aderunt.

Testes.

Aderunt etiam cum eo tunc omnes Angeli, scilicet humanorum actuum testes futuri, sub quorum custodia bene, vel male egerunt, vt ait origenes super numerum. Vnusquisque, inquit, Angelorum in extremo iudicio aderit, producens secum illos, quibus præfuit, quos adiuuit, quod instruxit, pro quibus faciem patris semper vidit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De meritorum discussione.

CAP. CXVII.

TVnc separabit iudex bonos à malis, sicut pastor oues ab hædis. Quibus namque comparantur electi, potius quàm agnis, propter spiritualem fœcunditatem; reprobi vero non capris, sed hædis, propter sterilitatem. Tunc (vt ait Gregorius Nazianzenus,) omnia pendebunt in statera iustitiæ, gesta, scilicet, & verba, & cogitationes nostræ. Mala enim, & bona contra se inuicem diuersa lance pendentur, vt pars, quę præponderauerit vincat, & quo vergit opus, illuc irreuocabilis sententia decidat. Tunc iudex improperabit nobis non solum mala, quæ fecimus, & bona, quę per negligentiam omisimus: verumetiam beneficiorum suorum multitudinē, quæ ingratè suscepimus, & quibus abusi fuimus; castigationes, & medelas, atque remedia, quibus adhibitis curati nō sumus. Propter vos, inquiet, cum in forma Dei essem, hanc serui formam accepi: in qua, & triginta tribus annis vobis laboriosè seruiui, salutem vestram operando, prędicando, discurrendo, sustinens in factis meis obseruatores, in dictis contradictores, & murmuratores. In hac quoque pro vobis flagellatus sum, consputus, palmis in faciem cesus, spinis coronatus, morte turpissima condemnatus, crucifixus, aceto potatus, mortuus, lanceatus: Paradisum vobis aperui, regnum meum vobis obtuli. Nec vos coegi, sed libertatem spiritus vobis concessi, humilem solummōdo voluntatem in vobis requisiui, Quid vltra debui vobis facere, & non feci? Dicite mihi peccatores, natura mortales, & passibiles, quid passi estis propter me dominatorem vestrum, qui tanta pro vobis iustus & impassibilis passum sum?

Reprahensio malorum.

Laudatio piorum.

Tunc etiam qualitercunque proferentur illa præconia bonorum. *Esurini & dedistis mihi manducare*. Vbi aduertendum est, quòd in retributione dominus opera misericordiæ potius, quàm opera pœnitentiæ, vel iustitiæ commemorat: vt se pronum ad remunerandum ostendat. Si enim ea, quæ naturalia sunt, ac per hoc facilia, (quia pietas ipsa naturalis ad hoc animū mouet,) tanto premio remunerabit: multo magis ea, quę sunt difficiliora. Iterum, vt ostendat, quòd quicunque saluabitur, magis ex misericordia Dei, quàm ex suis meritis saluabitur: & ei solum, qui misericordiam fecit, misericordia impendetur. Ac si dicat: Vestra quidem merita tanto præmio non sunt condigna, sed quia dignos misericordia vos feciſtis, miserendo videlicet alijs, cōgruum est, vt misericordia respondeat vobis. Similiter vbi mali redarguuntur, sola immisericors auaritia memoratur. Ibi quoque considerandum est, quid mereatur, qui aliena rapit, si damnabitur æternaliter, qui sua non dedit. Iudicium namque sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Quod autem dicuntur responsuri. *Domine, quando vidimus te esurire.* &c. Cum dicant sancti, quòd omnis lingua obmutescet in die iudicij, per hypotesim potest intelligi, scilicet, non quia reuera huiusmodi altercatio futura sit, sed quia, si fieret, iudex rationabiliter hanc eorum desponsionem, vel excusationem compesceret. Vnde dicit Commestor, quòd hęc bonorum, & malorum commemoratio, nihil aliud erit, quàm quòd singuli merita sua cognoscent, quibus saluabuntur, & damnabuntur.

De sententiæ prolatione.

CAP. CXVIII.

Ordo sententia finalis.

DEnique proferetur super vtrosque sententia, scilicet, *Venite benedicti*, & *Ite maledicti*, siue vocali sono, siue alio modo. Hæc etenim, & huiusmodi omnia plurimi magis putant conscientijs, quàm verbis exprimendi. Ibunt igitur reprobi in supplicium æternum, iusti autem in regnum æternum. In disceptando fiet ordo contrarius, quia proprium est boni Dei prius recordari beneficia bonorum, quàm malafacta malorum. Postmodum autem in exitu vtrorumque prius nominat pœnam malorum, vt prius, quæ timoris sunt euitemus mala, postea vero, quæ honoris sunt appetamus bona. Vel quia reprobi damnationem ipsam ex condigno meruerunt, electi vero gloriam illam ex Dei misericordia potius, quàm ex meritis obtinebunt. Quia tamen vniuersæ viæ domini misericordia, & veritas, sicut electos remunerabit supra condignum, sic etiam reprobos puniat citra condignum: æternaliter tamen, licet peccauerint temporaliter, quia (vt dicit Gregorius) Iustum est, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere, vel esse sine peccato. Ideo namque cum sine peccauerunt, quia cum sine vixerunt. Voluissent autē sine fine viuere, vt possent sine fine peccare.

Notādum vero, quòd de reprobis dicitur. *Ibunt hi*, scilicet à facie domini, & omnium sanctorum consortio proiecti, in *supplicium æternum*, scilicet ignis inferni. Ecce duplex pœna reprobis præparata, scilicet excisio, vel separatio à regno & cruciatus in inferno. Hæ sunt securis, & ignis de quibus dicitur in euangelio, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quarum, scilicet pœnarum priorem asserit ibi Chrysostomus omnibus tormentis esse grauiorem: Nam horrendum est, inquit, illud gehennæ suppliciū, & res intollerabilis; Tamen si decem millia gehennas ponat aliquis, nihil tale dicit, quale est, à beatæ illius gloriæ propelli honore, Christo exosum esse.

Duplex pœna reproborum.

His ergo, sicut dicit Gregorius Naziāzenus, qui regno cœlorum, indigni habebuntur, erit etiam, hæc maior omnium pœna, quòd à Deo proijcientur, & pudor atque confusio conscientiæ eorum, cuius finis atque remedium nusquam inuenitur. Item Gregorius magnus, in homelia de virginibus: O inquit, si quis sapere posset in palato cordis, quid habeat admirationis, *Ecce sponsus venit*; porro, quid dulcedinis, *Et quę paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*; Postremo quid amaritudinis. *Et clausa est ianua.* Ianua enim glossa regni aditum intelligit, qui post iudicium nullis patebit. Tunc siquidem apparebit illius seueritas magna, cuius ineffabilis misericordia. Denique sicut dicit glossa in Apocalypsi, *Plangent se super eum omnes tribus terræ*, ideſt omnes terreni: quia non tantum dolebunt de ipso tormento, quàm quòd repelluntur à tali consortio.

Grauitas pœnæ damni.

De igne gehennali.

CAP. CXIX.

Duo ignes finales.

IGnes quidem duos legimus ih fine mundi futuros, vnum *transitorium*, quo mundi huius facies exuretur, electique purgabuntur, & hic præcedet iudiciū, de quo superius iam dictum est: Alium vero *æternum*, quo reprobi ęternaliter punientur, & hoc iudiciū subsequetur. Hic est ignis corporeus subterraneus, ad pœnam thesaurus impijs hominibus ac dęmonibus ab initio præparatus. Qui dupliciter inextinguibilis dicitur actiuè scilicet, & passiuè, quia nec extinguet, nec extinguetur, neque enim fomentis alijs, quàm ipsorum dānatorū corporibus nutrietur. Vnde de reprobo in Iob dicitur, *deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* Cruciatos quoque non extinguet, quoniam ad rediuiua tormento perpetuo seruabuntur: Vnde ibidem sequitur, *Affligetur relictus in taſ.* Vt enim ait Gregorius, Talis erit & mors, & caro, quales non sunt modo, quando scilicet, compago membrorum atque vitaliū ita infirmata est, quòd summum dolorem sustinere non potest. Prima mors animam nolentem pellit à corpore. Secunda vero nolentem tenebit in corpore. Ab vtraque ergo cōmuniter id habetur, vt quod nō vult anima de suo corpore patiatur. Ibi nāque (sicut dicit Cæsarius) ardoribus sēpiternis escas crimina ministrabunt: Illaq; pœnalis exustio, quia culpā iubetur inquirere, substantiā nescit absumere, non enim tā reum persequitur, quàm reatum.

Ignis inextinguibilis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et quia non recipit cauſa remedium, carebit fine ſupplicium. Hoc eſt, quod dicitur in Iob, *Pluet ſuper illum bellum ſuum:* Ibi namque ſic confligit cum ipſa natura vis doloris, vt neutrum alteri cedat; Dolor enim permanet, vt affligat; natura vt ſentiat; & ſic vtrumque nõ deficit, ne pæna deficiat. Illic igitur *vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Horrendo nãque modo ibi reprobis erit dolor cum formidine, flamma cum obſcuritate.

Quare ignis æternus.

Et merito, vt quoniam à creatoris voluntate nequaquam veriti ſunt diſcrepare dum viuerent, in eorum interitum ipſa ſuis qualitatibus etiam elementa non diſcordent: Et quo ſe impugnant, cruciatus augeant; Fitque miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: & mors viuit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Quoniam itaque mors perimit, ſed non extinguit; dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, ſed nequaquam tenebras diſcutit; ordinem ſupplicia non habent, dum non per omnia qualitatem tenent. Quamuis ignis iſte, & ad conſolationem reprobis non luceat, & tamẽ ad aliquid luceat, ſcilicet, vt ad doloris cumulum, qualiter delicta crucientur, oſtendat, ſicut Euangelium de diuite purpurato manifeſtat. Vnde eſt illud, *Vox domini intercidentis flammam ignis.*

Etiam ſpiritus cõburit.

Idem ignis torquebit, non ſolum homines, ſed etiã dæmones. Cur enim non credamus, etiam incorporeos ſpiritus igne corporali poſſe affligi, cum hominũ ſpiritus, & ipſi corporei, poſſint corporalibus membris includi, & tunc etiam poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari.

De machina cruciatoria ex quatuor elementis.

CAP. CXX.

Reuelatio viri pij de machina cruciatoria damnatorũ.

PRæterea, ſicut ex dictis cuiuſdam ſimplicis ac boni viri colligitur, cui nuper de fine mundi quędam reuelata fuiſſe creduntur; in corporibus eorum terrenis, quæ nunc cõtrarijs qualitatibus permixta ſunt, & quodammodo temperata, cunctis bonis qualitatibus ablatis, malæ tantum, & cruciatorię remanebunt, ex quarũ contrarietate abſque temperamento perdurante, dolorem perpetuum ac multiplicem indeſinenter patientur. Cumque nunc interim eorum animæ corporibus exutæ, vſque ad iudicium in igne gehennali crucientur: tũc à ſingulis corpora ſua reſumentur; ipſis quoque cruciandis, noua tormenti machina præparabitur, & è quatuor elementorum contrarijs qualitatibus in vnũ conflabitur, vt per quę peccauerunt, per hęc etiam torqueantur. Dicit enim, quod filius Dei, radius ille ſplẽdoris de patris luce procedens, Angelos, omneſque ſanctos perfundens, veniet ad iudicium, quaſi quodam impetu ſecum trahens totum cœleſte regnum. Sic autem veniens, in primis ſeparabit qualitates duorum elementorum, ignis ſcilicet, & aeris: De *igne* ſeparabit à claritate calorem, ardorem, & ſiccitatem: De *aere* vero à leuitate humiditatem, craſſiciem, & mutabilitatem, ſeu curſum. Ardore autem ignis, & calore cum ſiccitate deſcendentibus cõſumetur, & ardebit orbis totus, ſcilicet terra, & aqua. De qua *terra* à puritate, ſeu quadam ſubtilitate, quæ modo quidem in ea eſt, ſed latet, ſeparabit craſſitudinem, ponderoſitatem, & ſiccitatem, & de *aqua* à perſpicuitate frigiditatẽ, humiditatem, & amaritudinem, vt ſcilicet omnium elementorum bonæ qualitates, electis ad gloriam ſeruiant, prauæ vero, & cruciatoriæ, reprobos ſine fine torqueant. De his enim quædam regio fiet in profundo abyſſi, quæ nomen habebit inferni. Cumque nunc illæ qualitates vnitæ in elementis, inuicem ſe temperent: tunc quando erunt ſeparatæ, ita ſtabunt inſeparabiliter, quòd nulla alteram temperabit. Calor quidem ignis non temperabit frigiditatem aquę, nec econuerſo, nec leuitas aeris grauitatem terrę, nec ſubſtantia aeris ignis claritatem, nec humiditas aquæ terræ ſiccitatem.

Separatio bonarum qualitatum ab elemẽtis.

In prędicta ergo regione, quæ miræ magnitudinis erit, ſicut, & totus mundus elementatus, damnati exiſtentes moriendo viuent, & viuendo ſine fine morientur. Affligentur ſiquidem calore ignis ſine temperamento aquæ, & frigiditate aquæ ſine temperamento ignis; Amaritudine aquæ ſine humiditate aeris, quæ eſt mater corruptionis; & fætore quodam intolerabili ex humore aeris, ſine temperamento amaritudinis aquæ, vel ignis ſiccitate, & arſamento, quodam ſitis, exardore ignis, quæ non poſſet temperari. Item habebunt tenebras palpabiles propter denſitatem aeris, & priuationem claritatis ſolis, & ignis. Item ex curſu ſeu mutabilitate aeris tanta erit tempeſtas ignis, & impetus, quòd quaſi in ictu oculi impellet eos, & quaſi ab oriente in occidentem, & econuerſo. Et ex iſto motu inſurget quidam ſonus terribilis, quaſi tonitruum magnum, quod quidem erit eis pœna ineffabilis, & ipſis ſemper adducet tenebras denſiores tempeſtas aeris. Hæc omnia patientur à creaturis extra ſe, quia *pugnabit orbis terræ contra inſenſatos*, & hoc per infinitos modos, quia quacunque re homo male vtitur contra Deum, illius rei eſſe ſaluabitur in aliquo prædictorum elementorum, & in aliquo illorum ſpecialiter damnatum puniet æternaliter, vt per quæ peccat quis, per hæc, & puniatur.

Modus quo prauæ qualitates affligẽt damnatos.

Infernus intra ipſos dãnatos.

Præter hæc autem habebunt intra ſe quaſi alium infernum ex cõtrarietate qualitatum prædictarum: Quia cum ipſa corpora ſint de terra elementata ex quatuor elemẽtis, aſſumet quilibet corpus ſuum de terra, & purgabuntur elementa ſiue qualitates in ipſo corpore ſicut extra, & ita ſolæ qualitates malæ, & cruciatoriæ remanebunt, nec ſe adinuicem temperabunt. Hæc de dictis iſtius ſimplicis viri breuiter excerpſi, quibus nimirum concordare videntur etiam doctores ſacri. Nam de ignis elemento, verbi gratia, dicit Baſilius in exameron libro ſexto: In retributionibus, inquit, delictorum ratio nos ſecretior docet parciendam eſſe ignis naturam: Cuius lux ad illuminandos deputabitur iuſtos, ardor autem proficiet ad peccatores concremandos. Vnde dicit Pſalmus, *Vox domini intercedentis flammam ignis* &c. In libro quoque ſapientiæ de natura elementari dicitur indefinite, *Creatura tibi factori deſeruiens excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, leuior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Sed, & aliæ damnatorum pœnæ multiplices in ſcripturis leguntur, quarum quædam his tribus verſibus breuiter comprehenduntur.

Nix, nox, vox, lachrymę, ſulphur, laquei, ſitis æſtus.
Malleus & ſtridor, ſpes perdita, vincula, vermes.
Eſſe, carere Deo, carcer, confeſſio, cura, ſcilicet amicorum carnalium.

De interioribus reproborum pœnis.

CAP. CXXI.

Reproborum infructuoſa pœnitentia.

POrro quantum ad animam, erit eis multiplex pœna, ſcilicet Dei obliuio, conſcientiæ remorſio, dolor, timor, deſperatio, odium quoque Dei & ſui, & infructuoſa pœnitentia. Vt autem ait Auguſtinus in Enchiridio: Sicut, nec bonis in cœlo voluntas, ſic nec malis in inferno peccandi facultas eſſe poterit: quibus tamen mala voluntas inerit, ſed illa non erit meritum ſupplicij, cum inde non ſit locus merendi, quin potius ſupplicium mali meriti, quod in hac vita pręceſſit. Habebunt etiam de malis ſuis pœnitentiam, ſed non obtinebunt indulgentiam, quia ſtimulum nulla pœnitus ſequetur correctio voluntatis. Sic enim ab eis culpabitur iniquitas ſua, vt amiſſo pœnitus bonitatis affectu, nullatenus poſſit ab eis diligi, vel deſiderari iuſtitia. Itaque perſeuerantia voluntatis malæ erit eis tantum ad cumulum pœnæ.

Tenebra exteriores dãnatorum.

Denique tenebræ, quibus illic inuoluentur, *exteriores* dicuntur, quia in hac quidem vita nullus adeo malus eſt, vt à luce Dei pœnitus excludatur, ſed nec perdit affectũ beatitudinis, nec amorẽ illũ boni, quẽ habet naturaliter creatura rationalis; Illic autem peccatores tenebras exteriores patientur, quoniã extra lucem Dei

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

proiecti, etiam luce corpora priuabuntur. Hæ quidem tenebræ iam hic incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei secluditur luce: Non autem omnino, vt dictum est; sed tunc pœnitus extra eum erit, qui lucem habitat inaccessibilem, & ob hoc in summa erunt cęcitate. Sane tenebræ exteriores intelligi valent, quædam malignitas voluntatis & odij, quæ tunc in mentibus reproborum excrescent; sed & quædam obliuio Dei: quia tormentorum suorum interiorum, & exteriorum doloribus adeo stupescent, & turbabuntur, vt ab istis ad cogitandum aliquid de Deo vix, & raro, vel nunquam mentem reuocent, sed illuc omnino tendat impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. Et has quidem profundissimas tenebras, (secũdum Augustinum) reprobi perpessuri sunt post iudicium. Nam illud de diuite purpurato, qui eleuans oculos suos vidit Abraham, & mala sua confiteri coactus, ante iudicium legitur factum; At in isto iudicio peccatores in tenebras profundiores eijcientur, vbi nullam Dei lucem videbunt, cui confiteantur.

De glorioſa mundi renouatione.

Cap. CXXII.

Mundus innouandus ſecundum ſpeciem, non ſecundum ſubſtãtiam.

VT autem dicit Augustinus, iudicatis his, qui non sunt inuenti in libro vitæ, & in æternum ignem missis; figura mundi huius ignium mundanorum conflagratione præteribit, sicut facto mundanarum aquarum inundatione diluuio. Ea siquidem conflagratione corruptibilium elementorum qualitates ardendo pœnitus interibunt, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant: atqui ipsa eorum substantia qualitates illas habebit, quę corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt videlicet mundus in melius innouatus apte accommodetur hominibus etiam carne innouatis in melius. Vnde vidit Iohannes sedentem super thronum *à cuius conſpectu fugit cælum, & terra, & mare iam non eſt*; quia peribunt quidem hæc, secundum speciem, sed non secundum substantiam, vt superius dictum est. Ante iudicium namque futura videtur eorum purgatio, postmodum autem eorum innouatio. Per peccatum enim hominis omnia elementa infecta & corrupta sunt, quæ propter ipsum creata fuerunt: vnde eorum purgatio nihil aliud erit, quàm illius infectionis, siue pœnalitatis remotio. Et hoc quidem per ignem fiet, qui iudicis faciem prędcedet. Quoniam & tunc humanum genus in electis ab omni corruptione culpæ ac pœnalitatis purgabitur, ac pœnitus innouabitur. Innouatio vero mundi non fiet per ignem, quoniam sol, & luna, quæ ignis passioni non subiacent innouabuntur. i. meliorabuntur, & corpora sanctorum, secundum Apostolum immutabuntur, quod constat per ignem non fieri.

Purgatio mundi fit per ignem.

Non autem innouatio.

Vt autem dicit Basilius, ignis qui nunc interim vsque ad diem iudicij calidus, & lucidus ostenditur, post illam innouationem mundi diuidetur, ita, scilicet vt superius in regione viuorum, sit tantummodo lux, & inferius in regione malorum sit calor. Itaque inferior illa terræ pars vbi est, infernus in obscuritate sua remanebit, quia superior lux illuc nunquam appropinquabit: non tamen propter hoc etiam illa pars ad ornatum mundi.

Inferni horror pertinet ad ornatum vniuerſi.

Non pertinebit, quoniam vt ait Augustinus, Animæ etiam damnatorum ordine naturali meliores sunt omnibus corporibus. Sicut ergo cœlum sideribus, sic illa pars inferior damnatis ornabitur Angelis, & hominibus. Iterum ad maiorem gloriam, & gratiarum actionem pœnas reproborum electi videbunt, quas per gratiam euaserunt. Prœterea contrariorum oppositione mundi pulchritudo contexitur, sicut scriptum est. *Contra malum bonum &c.* Itaque sicut multiformis pictura, cum colore nigro suo loco bene ordinato, sic vniuersitas rerum, si quis intueri possit, etiam in sinistra parte perfecta, & pulchra est, licet illam per se consideratam sua deformitas deturpet. Hac igitur ratione, sicut superior pars glorioſa, & pulchra erit sua claritate: & sic etiam pars inferior recte sapienterque dispoſita mundum ornabit sua obscuritate.

De Solis, & Lunæ reſtauratione.

Cap. CXXIII.

Solis & luna claritas poſt iudicij diem.

POrro iuxta Isaiam *erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Super quẽ locũ Haymo dicit, quòd determinato illo iudicij examine, omnibusque reprobis in inferno conclusis: quãdo Dominus Iesus cum corpore suo, quod omnes electi sunt, in cœlo se subtulerit, tunc sibi luna splendorem solis mutuabit, Sol vero septempliciter, quàm modo lucebit recepto splendore, quem homine peccante amisit. Dicit etiam Isidorus, quod nec sol, nec luna postea ad occasum sunt vẽtura, sed in loco, in quo creata sunt, sine fine permanebunt, ne scilicet eorum claritate fruantur damnati, qui apud inferos erunt. Vnde dicit Abacuc, *Sol, & luna ſteterunt in habitaculo ſuo* &c. Et alibi dicitur, *Non occidet vltra ſol tuus* &c. Ante diem quidẽ iudicij, iuxta Iohelem, eclipsim patietur: In aduentu vero iudicis obscurari comparatiue dicuntur. In mundi autem innouatione, quando scilicet cœlum nouum, & terra noua fient, eorum claritas augmentabitur. Vnde dicit Isidorus, quòd sol tunc laboris sui mercedem recipiet. Non ergo amplius diei, noctisque vicissitudo, sed vna dies continua, quæ nota est domino. Quod autem dicit Isaias, *non erit tibi amplius ſol ad lucendum* &c. subintelligitur, non ad necessitatem, sed tantum ad decorem.

De glorificatione Sanctorum in dotibus corporum.

Cap. CXXIV.

Dotes corporis glorioſi.

ANimæ vero iustorum, vt ait supradictus vir, in resurrectione leuabunt corpora sua de puritate terræ, quæ induent aquæ claritatem, ignis subtilitatẽ, & aeris leuitatem siue agilitatem. Deinde quasi radius quidam à filio Dei procedens, ea subtrahit, istaque clarificans, prout magis, vel minus glorificabit. Tunc ergo ita, iuxta euangelium, fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, propter quatuor dotes corporis, quę per similitudinem notãtur in proprietatibus solis; Fulget enim radius eius, in quo notatur claritas; Corrumpi etiam, vel coinquinari non potest, in quo impassibilitas; In ortu suo mox transparet vsque in occidentem, in quo agilitas; per vitrum quoque radius eius transit, & calor eius omnia penetrat, in quo subtilitas, hoc est, quod ait Apostolus, *ſeminatur corruptibile*, scilicet in corruptione; surget incorruptum &c. Dicitur autem corpus spirituale, non quia conuertatur in naturam spiritus, sed quia spiritui simile erit incorruptibile, & agile, & etiam subtile, corpora scilicet omnia non glorificata penetrans, alimonia quoque non indigens, sed solo spiritu viuificatum, & sustentatum, & omnino absque vlla repugnantia spiritui obediens. Qui vero motus illic talium corporum futuri sint, definire non audeo, naturæ enim & motus, & status, sicut, & species decens erit, vbi quod non deceat non erit. Sane vbi voluerint spiritus, ibi protinus erit corpus, sine mora temporis, aut impedimento ponderis; habebit tamẽ quoddam pondus suum, secundum quod pondus dicitur impetus rei cuiuslibet tendentis ad locum propriũ: Omnia namque fecit Deus *in numero, pondere, & menſura*, vnde si naturæ suę relinqueretur, ita quod spiritus eam non regeret, ad locum suum naturaliter tenderet, ibique remaneret. Grauitatem quoque suam naturalẽ retinebit, quantum ad exteriora violentiæ resistendum, non quantum ad motum voluntarium impediendum. Cum enim nunc, vt ait Augustinus, tantum valeat natura corporum terrenorum animas deprimere soorsũ,

Corporum glorioſorum motus.

Pondus.

cur

cur non aliquando animæ tearenà corpora valebunt leuare sursum?

Declaratur quatuor dotiũ corporis glorios.

Alij vero dicunt, quòd corporis dotes sunt impassibilitas, gloriositas, spiritualitas, virtuositas, quæ etiam expressius tanguntur in prædictis Apostoli verbis, scilicet seminatur in corruptione &c. *Impassibilitas* est naturalis potentia, qua corpora glorificata erunt potentia resistere omni causæ extrinsecæ læsionis illatiuę. Vnde sub ista comprehenditur immortalitas, incorruptibilitas, inalterabilitas, & omnia huiusmodi. *Gloriositas* enim decor corporis glorificati: sub hac continetur, luciditas, suauitas redolentia, & huiusmodi omnia, quæ pertinent ad sensuum delectationem. *Spiritualitas* est naturalis potentia subsistendi per se, id est, sine alimenti subsidio; Vel, naturalis potentia resistendi omni causæ intrinsecę, læsionis vel molestiæ cuiuslibet illatiuę, vt est fames, sitis, & huiusmodi: sub hac etiam comprehenduntur immortalitas, & inalterabilitas. *Virtuositas* est naturalis potentia agendi in aliud absque contradictione, vel resistentia: Vnde sub ea comprehenditur agilitas, & etiam subtilitas, qua poterit huiusmodi corpus omnia corpora non glorificata penetrare; Ad dignitatem namque dabitur ei penetrare non penetrari, agere non pati; naturalis potentia, nullaque impotentia; nec replebit corporis non glorificati locum, Ideoque recipiet illud secum.

Cur sint quatuor dotes.

Ideo vero sunt quatuor dotes corporis tantum, duæ scilicet de carentia omnis mali, duæ vero de præsentia omnis boni: quia bonum corporis duplex est, vnum scilicet absolutum hoc est gloriositas, aliud respectiuũ hoc est virtuositas; similiter duplex est malum, vnum intrinsecus veniens, & contra hoc est spiritualitas, aliud extrinsecus, & contra hoc est impassibilitas. Erunt igitur duæ de carentia omnis mali, duæ quoque de præsentia omnis boni, in quibus duobus perfecta beatitudo consistit. Habent autem naturale principiũ in corpore cuius sunt, & à gratia perfectionem; verbi gratia, Agilitas est potentia, qua corpus naturaliter ab anima potest agi quocunque voluerit: sed nũc ipsi animæ grauitas corpulentiæ obsistit; tunc autem onere depositio agilitas ibi erit, quia gratia naturam perficit. Quod si quæratur, quid illic possit agilitas, vbi non erit motus, quia nec tempus, sed æternitas, quæ tota simul existit? econtra respondebitur, quod cum ibi futura sit laus vocalis erit vtique motus corporalis: In solo autem Deo erit ista perfecta, & stabilis æternitas, vt non moueatur; in anima quoque stabilis perpetuitas, quoad illam partem, qua Deo immutabiliter adhærebit, eoque perfruetur.

De dotibus animarum.

Cap. CXXV.

Tres dotes animarum.

Dotes animarum sunt tres, scilicet, cognitio, dilectio, fruitio. Ex cognitione procedit dilectio, & ex vtroque fruitio, siue comprehensio. Perfecta namque beatitudo consistit in cognitione summi boni, & motu dilectionis ad ipsum, & ex his duobus completur tertium. Primum est, in rationabili; Secundum in concupiscibili; Tertium in vtraque. Irascibilis vero, quia non immediate mouetur in Deum, sed data est ad remouendum impedimenta, quæ retrahunt nos ab inquisitione summi boni, scilicet ad debellandum mũdum, carnem, diabolum; nõ habebit dotem propriam, sed remunerabitur in confirmatione suarum virtutum, scilicet timoris, humilitatis, fortitudinis, quæ in ea remanebunt. Vnde *timor domini delectabit cor.* &c. itaque fidei succedet cognitio, charitati dilectio. Improprie vero dicitur, quod spei succedet comprehensio, idest, post spem erit comprehensio, quæ forma est, & perfectio aliarum duarum. Est enim fruitio visionis, vt in qua, & dilectionis, vt à qua, & est, & agetur, & perficitur. Tantaque in ea erit delectatio, vt in vocem iubilationis, & laudis necessario prorumpatur. Vnde de his tribus dicit beatus Augustinus: Ipse, inquit finis, erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus, erit profecto, sicut ipsa vita æterna, communis, quando scilicet Deus erit omnia in omnibus. Hæ sunt dotes, quibus sponsa Christi dotabitur, quando in domum sponsi introducetur. Hæc est ecclesia cuius matrimonium initiatum fuit in Patriarchis, & prophetis Christi promissione, consummatum in verbi incarnatione. Angelis autem Christus nec promissus fuit, nec eorum naturam assumpsit: Ideoque ecclesia de Angelis non dicitur ita proprie sponsa, sicut ecclesia de hominibus. Et ob hoc dicitur dotes non habere, licet & ipsa Deo vniatur charitate. Et secundum hoc ecclesia de Angelis, & hominibus collecta dicitur vna sponsa, non solum Christi, sed totius Trinitatis.

Ecclesia Angelorum non est propriè sponsa Christi.

De collatione gloriæ sanctorum hominum, & Angelorum.

Cap. CXXVI.

Gaudia hominum quæ non habent Angeli.

Licet autem, iuxta domini sententiam in euangelio, sancti homines, quantum ad veram beatitudinem, quę proprie consistit in visione Dei, futuri sint æquales Angelis Dei: nihilo minus tum habebunt specialia quædam gaudiola, vel potius gaudiorum incitamenta, quæ non sic habebunt Angeli. *Vnum* videlicet de duplici stola, cum Angeli pro naturæ suæ modo decorentur vna sola. *Aliud* vero, quia videbunt eum in natura sibi communi, videlicet humana, hoc est hominẽ Deũ, cum Angeli nunquam visuri sint Deum Angelum. Vt enim Apostolus scribit, *nusquam Angelos, sed semen Abrahę apprehendit.* Et reuera, sicut dicit beatus Bernardus, *Plenum prorsus omni suauitate videre hominem hominis conditorem.* Vt enim in libro de anima, & spiritu legitur, *Duo sunt in homine sensus interior scilicet & exterior, & vterque domum suam habet in qua reficitur; Sensus interior reficitur in contemplatione diuinitatis, exterior in contemplatione humanitatis. Propter hoc enim Deus homo factus est, vt in se totum hominem beatificaret, & tota conuersio hominis esset ad ipsum, totaque dilectio curreret in ipsum, cum & à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mentis per deitatis contemplationem. Hoc erat totum hominis bonum, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in factore suo pascua inueniret, videlicet, & foris in carne saluatoris, & intus in deitate creatoris. Tertium* erit de hoc, quòd huius vitæ miserias euaserunt, quas Angeli nunquam experti sunt: Et, vt dicit Augustinus in libro confessionum, vbique maius gaudium maiore molestia præceditur; Nam verbi gratia, Post ægritudinem iocundior sanitas efficitur, & post mœrorem lætitia. Hic ergo materia laudis canentibus sanctis, *Benedic anima mea domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius, Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Vnde Bernardus super cantica, homelia 68. *Putas,* inquit, *Deum nostrum totam habiturum glorię suæ laudem, donec veniant, qui in cõspectu Angelorum psallant ei, Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti &c. Hoc autem genus lætitiæ cœli nescirent, nisi per filios ecclesię. Placet cunctis securitas, sed magis ei, qui timuit. Iocunda omnibus lux, sed euadenti de potestate tenebrarum iocundior; transisse enim de morte ad vitam, vitę duplicat gratiam. Pars nostra hæc in cœlesti conuiuio, & seorsum ab ipsis beatis spiritibus. Denique gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod si delitiæ Angelorum lachrymæ meæ, quid delitię. Omne opus eorum laudare Deum, sed deest laudi si desint, qui dicant, Transiuimus per ignem, & aquam &c.*

1. *Duplex stola.*

2. *Hominis Dei visio;*

3. *Euasio miseriarum.*

De Deitatis fruitione.

Cap. CXXVII.

Fruitio omne bonum.

Sicut autem dicit Augustinus in libro de quæstionibus euangeliorum, Omnia dici possunt de ista ineffabili perfruitione veritatis, & tanto magis omnia dici possunt, quanto minus digne aliquid dici potest. Nam

est lux illuminatorum, & requies exterminatorum, & patria residentium, esca indigentium, & corona vincẽtium, & quæcunque bona temporaliter trãseuntia per creaturæ partes error appetit infidelium, veriora inæternum manentia in creatore omnium simul inuentura est pietas filiorum. Et, vt dicit idem Augustinus in lib. de ciu. Dei, Ita Deus erit nobis notus atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis, in singulis nobis, videaturque ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo nouo, & terra noua, atque in omni, quæ tunc fuerit creatura. Videatur, & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritualis corporis oculi facie peruenientè directi. Patebunt, & cogitationes nostræ inuicem nobis. Quanta igitur erit ibi felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum? Vacabitur Dei laudibus, quia erit omnia in omnibus. Nam quid aliud ibi agetur, vbi nulla desidia cessabit, nec vlla indigentia laborabitur, nescio; vnde, *beati qui habitant in domo tua domine in sæcula sæculorum laudabunt te.* Omnia enim membra, & viscera corporis glorificati prò ficient laudibus Dei. Omnes quippe illi, quæ nunc latent armoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinsecus, & extrinsecus per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ, & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudẽm rationabilis pulchritudinis delectatione succendentur. Carebunt autem omnibus malis, ita vt penitus deleantur de eorum sensibus. Ea tamen potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, non solum sua prẽterita, sed etiam damnatorum eorum sempiterna miseria non latebit, alioquin in æternum cantabunt. Quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi ciuitati iocundius. Ibi perficietur, *vacate, & videte, quia suauis est dominus.* Quid nobis nosipsi esse voluimus, quando ab isto cecidimus? Quid enim sine illo fecimus, nisi, quòd in ira eius defecimus? A quo refecti, & maiori gratia perfecti, vacabimus inæternum videtes, quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quãdo erit omnia in omnibus. Præmiũ virtutis erit ipse, qui virtutẽ dedit, eique seipsũ, quo melius, & maius nihil possit esse, promisit; quid enim est aliud, quod per prophetam dicit, *Ero illorum Deus*, nisi, ego ero vnde satientur, ego ero quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & copia, & honor, & pax, & omnia bona. Ibi nosse nostrum non habebit errorẽ, ibi amare nostrum non habebit offensionẽ, ibi esse nostrum non habebit mortem; ipse namque Deus, vt dicit beatus Bernardus, erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memorię continuatio æternitatis.

Deus in omnibus videbitur rebus.

Laus perpetua.

De disparitate sanctorum claritate.

CAP. CXXVIII.

TVnc igitur erit finis, cũ euacuauerit Christus omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Nã modo quidem Angeli Angelis præsunt, dæmones dæmonibus, homines hominibus ad vtilitatem viuentiũ, vel deceptionem. Sed tũc omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit. Prẽferentur quidem ibi alij alijs in gloria, non tamen in regimine sicut nunc, quia non erit necesse. Cessabit timor, regnabit charitas, nec erit inter præsidentes; & subditos vlla dissensio, nec maiorum in minores aliqua oppressio. Præerũt quidem dæmones malis hominibus in inferno, mali enim homines habebunt tortores in pœna, quos hic habuerunt incensores in culpa. Cæterum etiam in Angelis posuit Deus diuersitates officiorum causa hominum scilicet, vt eorum saluti prouideant, & ministrent, vnde, & propria vocabula sortiti sunt, vt Angeli, quia hominibus voluntatem Dei nunciant, virtutes habent, miracula faciunt, & huiusmodi. Hæc enim non sunt nomina naturæ, sed officij. Vnde postquam homines consummati fuerint in gloria, & perfecti, ita vt nulla iam administratione indigeant, tunc cessãbunt etiam in Angelis nomina illa, quibus nunc vocantur pro diuersitate humanæ administrationis.

Disparitas erit felicitatis, non regiminis.

Erunt tamen, & in cœlo, & in inferno diuersæ mansiones, idest diuersæ prẽmiorum, & suppliciorum differentiæ, bonis scilicet & malis. *Stella enim à stella differt in claritate.* Erit autem in dispari claritate par gaudium, quoniam vnus communis est denarius, idest visio Dei, dabitur omnibus, vt sit Deus omnia in omnibus. Vera quidem ibi gloria erit, vbi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur; Verus honor, qui nulli negabitur digno, nullique concedetur indigno. Quod autem ibi futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum, atque gloriarum, non est ambigendum. Atque id etiam beata illa ciuitas magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori nullus inferior inuidebit. Tam nollet vnusquisque esset, quod non accepit, quàm nec in corpore vult esse oculus qui est digitus. Sic itaque habebit domum alius alio minus, vt hoc quoque habeat, nec velit amplius.

Diuersitas mãsionum.

De plena sanctorum felicitate.

CAP. CXXIX.

HÆc est igitur pax supernę ciuitatis, quæ, sicut dicit Augustinus, est ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & inuicem in Deo. Quid plura: hanc certè beatam sanctorum vitam, facilius est consequi, quàm enarrare. Cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, sub antiquis perpetuisque gaudijs semper noua iocunditas, & sine vllo amittendi periculo perfecta felicitas. Constat autem felicitatem esse rerum omnium optãdarum plenitudinem. Illic ergo implebitur, quod voce dominica dicitur, *Mensuram bonam, & confertam, & co.* &c. *Mensura* dicitur, quia secundum qualitatem, & quantitatem meriti præmium dabitur; *Bona*, quia isto præmio nihil melius inuenitur; *Conferta*, idest referta, quia nulla pars animæ, vel corporis nullusque Angelus remanebit, qui repletus nõ sit. *Coagitata*, quia vndique gaudium erit, scilicet intus in conscięntia, supra in Deo, infra in cœlo, & in cæteris creaturis, iuxta vero in sãctis hominibus, & Angelis; *Supereffluens*, quoque, quia supra omne meritum erit, & etiam supra omnem sensum, & desiderium. Vnde scriptum est. Oculus non vidit, nec auris audiuit. &c.

Felicitatis descriptio.

Tunc sanctorum voluntas omnino voluntati creatoris pœnitus inhærebit, & ob hoc à iustitiæ regula deuiare non poterit. Nec ideo liberum arbitrium nõ habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt; Magis quippe tunc liberum erit à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Eo enim potentius erit, quo peccare non poterit.

Impeccabilitatis gaudium.

Ante diem quidem iudicij vident seinuicem boni, & mali, sicut patet in Euangelio de diuite purpurato, & Lazaro. Post iudicium vero reprobis omni luce spirituali, & corporali priuatis, boni videbunt eos tantum modo, & non è conuerso. Sed animæ iustorum, vt ait Gregorius, & si in naturæ suę bonitate misericordiam habent, iam tunc auctori suæ iustitiæ coniunctæ tanta certitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur. Et licet iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident pœnas malorũ quas per gratiam euaserunt. Quia qui Dei claritatem vidẽt, nihil in creatura agitur, quod videre non valeant.

Boni damnatos videbunt: non illi bonos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IMPERATORIS ROMANI ELIGENDI INSTITVTIONEM, AC FORMAM

Necnon Romani imperij in rebus terrenis prę eminentiam, & potestatem summariè ab Auctore descriptam;

Et in principio operis antehac impressam, hic commodius apponendum putauimus.

Vnde potestas Imperialis?

POTESTAS Imperialis, regalisque potentia, non solum vi naturæ introducta est ad publicam vtilitatem: sed etiam per dominum Saluatorem nostrum Iesum Christum Dei filium, (in cuius manu sunt omnia regna mũdi,) & *verbo* comprobata reperitur & *facto*, qui & nasci voluit, cum vniuersus describeretur orbis: & Augusti Cæsaris censum tulit; nec hoc contentus, dari etiam pro se, ac Petro tributum iussit. Interrogatus quoque an Cæsari censum dare liceret, viso nummismate: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cęsari, & quæ sunt Dei Deo*. Hinc beatus Ambrosius. *Si tributum*, inquit, *petit Imperator non negamus, agris ecclesiæ soluant*. Inde Iustinianus Cęsar Imperium sibi à cœlesti maiestate traditũ asserit. Namque sicut in spiritualibus Romano Pontifici singuli Patriarchæ, Primatesque, cæterique Pontifices, & prælati subiecti sunt, (quamuis, & hoc aliquãdo Græci negarint, & adhuc perfidum Hussitarum genus inficietur,) sic & Romano Principi temporales quoslibet liquet esse subiectos.

Modus eligendi Imperatorem.

Positum est igitur sequens notandum, quod in eligendo Imperatore, tanquam firmissimis columnis exprimitur. Cognita enim Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, quò diutius apud Germanos summa potestas remaneret: illeque prę cæteris præesset, qui virtute & dignitate cæteris pręstaret: Gregorius Quintus summus Pontifex sanctionem retulit, (haud abnuente Ottone) de Imperatore eligendo: quam vsque ad tempora nostra seruatam videmus, videlicet, solis Germanis licere Principem deligere: Qui Cæsar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur, si eum Pontifex confirmasset.

Cõfirmatio Imperatoris petitur à summo Pontifice.

Et cum canonum auctoritas Imperatorem in temporalibus eos præcellere dicat, qui ab eo recipiunt temporalia: quis non videt, & populos & Principes omnes ab Imperatore, qui mundi dominus est, recipere temporalia: sibique idcirco debere obedientiam? Nempe quamuis aliqui parere Romano negent Imperio, nemo tamen post Augusti Octauiani monarchiam, tantam vesaniam induit, vt sub alio, quàm sub Romani regis titulo mundi dominum, orbisque principem sese ausus fuerit appellare.

Authoritas Imperij Romani.

CÆTERVM, vt horum sententiam expendamus, qui se tanta fretos asserunt libertate, vt nihil omnino teneantur Imperio, sed quadam se potiri dicunt exemptione: quãuis istorum proteruitati potius armis, quam legibus obuiandum foret, vt quo iure se putãt exemptos eodem se scirent esse subiectos: Libet tamen aliquid in hac re scribere. Cuncti profecto, qui sub iugo se negant Imperij, aut id priuilegio se asserunt assecutos, aut virtute aliqua: Priuilegium autem, aut ex beneficio Imperij suscepisse, aut aliunde, non est opus cõfutatione. Cũ enim Romanũ Imperium à Deo super omnes mortales in tẽporalibus sit erectũ, manifesti iuris est, neminem esse, qui ei possit inferre præiudiciu: Certum est igitur talia priuilegia non valere, quę summam auferunt potestatem. Nascuntur enim ex hoc discordiæ frequentes, fiunt rapinæ multimodæ, committuntur cædes absque numero: cum pace turbata hinc, atque inde bella grassentur, existente nemine, qui maior omnibus iuris ordine, litibus possit imponere modum. Quod si vno sub capite viueremus, si vnam omnes sequeremur obedientiam, si vnum dumtaxat in temporalibus supremum principem recognosceremus: floreret vbique terrarum pax, optima dulcique omnes concordia frueremur. Cuius rei signum manifestum, quod ab initio nascentis mundi, vsque in hoc æuũ, nunquam pacem fuisse legimus vniuersalem; nisi cum ad vnum Cæsarem Augustum in modum cœlestis regni, totus orbis oculos dirigebat. Quod licet ob reuerentiam Christi Redemptoris nostri tunc contigerit, qui nostram humanam formam induit; sufficere tamen debet diuinum illum mundi fabricatorem viam hanc ostendisse pacis habendæ, cũ orbis sub vno principe regeretur. Liquet igitur priuilegia, quæ monarchico regimini obuiant, ex quacunque veniant potestate, non habere vigorem: Eaque non solum per successorem, sed ab ipso quoque, qui concessit esse cassanda: Nec enim tolerare principem decet, quæ ad subuersionem tendunt Imperij.

Vnitas Imperij maximam vtilitatẽ adfert Reipublicæ.

Exemptio alicuius ab Imperio Monarchico nullo priuilegio obtineri potest.

Obiectio.

Sed aiunt aliqui proprijs se virtutibus id priuilegij meruisse, quamuis Imperij non interuenerit auctoritas: dicunt enim se suis armis, suoque sanguine, prouincias vendicasse, quæ vel a Barbaris, vel ab hostibus Christiani nominis occupabantur, nec Romanum recognoscebant Imperium. Quod quam ridiculosum, atque iniustum sit, ex superioribus licet intueri. Semper namque maior est vtilitas publica, quam priuata: nec committendum est, vt potestas aliqua erigatur Imperio similis, (qualis in exemptis esset,) qui nullum superiorem admitteret. Quæ res Monarchicæ dignitatis neruos elidit, schisma sub Imperio facit, & omnem humanæ societatis concordiam dirimit.

Solutio.

Non tamen propterea Regum & aliorum Principum magnam esse potestatem inficiamur, sed esse eas sub Imperio dicimus: eorumque correptionẽ quando tyranni efficiuntur, ad Romanum Principem pertinere. Causas regum asserimus Cæsari remittendas: teneri omnes pro salute communi Imperatori parere: venire ad bellum vocatos, conferre impensas, mittere auxilia, præbere transitum, elargiri commeatum, nihilque fugere, quod Cæsarea Maiestas iniunxerat, vt quam à suis subditis obedientiam exi-

Reges Cæsari obediunt.

gunt,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gunt, eandem suo domino præstent Imperatori.

Stabilitas sac. Romani Imperij.

Translato ad Alemannos Romano Imperio, quo solidiori firmitate subsisteret: fundatum, firmatumque dicitur, supra quatuor columnas, scilicet quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Lantgrauios, quatuor Burggrauios, quatuor Comites, quatuor Barones, quatuor Liberos, quatuor Milites, Ciuitates quatuor, Villas quatuor, & rusticos.

Sanctio Gregorij 5. de electione Imperatoris.

Sanctionem de Imperatoris electione fecit Gregorius Quintus, ad vndecimum, quo obierat, mensem Romæ restitutus; acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem sumpsit. Ottone enim Tertio per successionem non sine difficultate Imperatore creato, idē Pontifex ex eadem gente natus, cognoscens Imperij imbecillitatem, ac fortunę mutabilitatem, vt diutius apud Germanos summa Imperij maiestas remanere posset, Synodo congregata statutum tulit de Imperatore deligendo; solis licere Germanis (qui inde Electores sunt dicti) Principem deligere. Quam sanctionem

Durat ad nostra tempora Sanctio Pontificia.

hucusque per annos supra quadringentos seruatam videmus, vt in futurum non per sanguinis successionem Imperium duceretur, sed per solos Germanos proceres, vnà cum Bohemiæ Rege, Imperator diligeretur: Qui Cæsar tunc & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabitur, Imperator Augustus appelletur. De qua confirmatione plenius habetur, *extra. de elec. cap. venerabilem.*

Nomina electorum.

Sunque hi electores; Moguntinus, Treuerensis, & Coloniesis Archiepiscopi. Et Marchio Brandeburgēsis. Palatinus Comes. Dux Saxoniæ. Rex Bohemiæ.

Eorū officia.

Distincta sunt autem inter eos officia, vt tres primi sint Cancellarij, Germaniæ primus, secundus Galliæ, Italiæ tertius: & Brandeburgensis Marchio Camerarius; Comes Palatinus Dapifer; Dux Saxonum ensis portitor; Rex Bohemiæ pincerna, quem tamen his additum ferunt, ad tollendas electorum discordias. De hoc quidam scribunt. Sunt (autem officiales isti)

Moguntinus, Treuerensis, Colonien sis;
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum.
Inde Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio Præpositus Camerę, pincerna Bohemus.
Hi statuunt regem, seruantque per omnia legem,
Atque creant dominum cunctis per secula summum.

Annus Sanctionis.

Annum in quo hæc sanctio facta est, primum vel (vt alij scribunt) secundum supra millesimum Christianæ salutis fuisse inuenimus.

Formam autem & modum deligendi regem nouū, per septem Principes electores Romani Imperij, & eorum conductum, ac vocationem; quomodo adesse teneantur Francfordiæ in vrbe circa Moganu, quæ & peragenda sunt, ac quo ordine; aurea bulla clarissime edocet, quam Carolus Quartus Romanorum Imperator in solenni dieta Nurembergæ Anno 1356. edidit, Electus deinde Cæsar, & Romanorū Rex appellatus. tum demum Imperator, & Augustus habetur, si eum Romanus Pontifex confirmat. Nostri enim Imperatores cum eliguntur, ante consecrationē & coronationem; Romanorum Reges appellantur, quasi pluris existimandum Imperatorum, quàm Regum nomen. At verò prisci Romani post expulsum Tarquiniū Superbum, ob odium Regum, nomen Regium funditus sustulerunt, Senatus consulto statuentes, ne quem deinceps Regem, in vrbe esse liceret: Cum Imperatores permulti tot annis, re bene, & feliciter aduersus hostes gesta, honoris causa appellarentur. Tres enim gradus maiorum dignitatum apud Romanos (de quorū Principe loquimur,) fuere, Rex, Dictator, Imperator. Ex his suprema omnium potestas Rex fuit; Post Regem vero secundum tenuit dignitatis locum Dictatura; post Dictaturam Imperium tertio gradu consequitur.

Gradus dignitatis apud Romanos.

Iulius autem Cæsar, cum sæpius post partam victoriam, esse Imperator ab exercitu appellatus, non Imperatorum, aut Regum: sed Dictatoris nomen vsurpauit: tantum odium Regis nomen in vrbe contraxerat. Cum autem cuperet Regis nomen, & vereretur populi indignationem, molitus expeditionem in Parthos, atque asserens, in libris Sibillinis contineri, non nisi à Rege Parthos superari posse; se Regem dici procurauit. Quod maturandæ mortis suæ causam præbuit coniuratis.

Est autem Imperium, armorum, exercitumque ad tutandam, augendamque Rempublicam commissa auctoritas. Verum quoniam mos ille Romanorum, abolcuit omnino, Nec solum ex vsu, sed ex memoria quoque Germanorum abijt: Hunc recentiorem per plures ferme annos seruatum antiquum arbitremur. Sequamur à nostris maioribus religiosè instituta, & ad nos vsque traducta quæ consensus Christi fidelium approbauit. Ac deinceps diligentissimis Doctissimorum Historicorum scriptis (quod vnicum est refugium) obtectemur. Nec curiosi, quid cæteri loquantur.

INDEX CAPITVLORVM EPILOGI.

DE morte, & fine rerum. cap. 106. fol. 1323.
De signis futuræ consummationis, capitulo 107. fol. 1324.
De quibusdam dictis Ioachim, & Sanctæ Hildegardis, cap. 108. ibid.
De aduentu Antichristi, & fallacijs eius, cap. 109. fol. 1325.
De persecutionibus eius, & interitu ipsius, cap. 110. ibid.
De aduentu iudicis, & signis præambulis, cap. 111. ibid.
De purgatione mundi, & claritate iudicis aduenientis. cap. 112. fol. 1326.
De generali resurrectione, & eiusdem ordine, cap. 113. ibid.
De miraculo, & causa resurrectionis nostræ, cap. 114. ibid.
De aduentus iudicis illustratione, cap. 115. fol. 1327.
De sessione iudicis assessoribus, ac testibus, cap. 116. ibid.
De meritorum discussione, cap. 117. fol. 1328.
De sententiæ prolatione, cap. 118. ibid.
De igne gehennali, cap. 119. ibid.
De machina cruciatoria ex quatuor elementis, capitulo 120. fol. 1329.
De interioribus reproborum pœnis, cap. 121. ibid.
De gloriosa mundi renouatione, cap. 122. 1330.
De Solis, & Lunæ restauratione, cap. 123. ibid.
De glorificatione Sanctorum in dotibus corporū, cap. 124. ibid.
De dotibus animarum, cap. 125. fol. 1331.
De collatione gloriæ Sanctorum hominum, & Angelorum, cap. 126. ibid.
De deitatis fruitione, cap. 127. ibid.
De dispari Sanctorum claritate, cap. 128. fol. 1332.
De plena Sanctorum felicitate, cap. 129. ibid.
Tractatulus de modo & forma eligendi Imperatorem. fol. 1383.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



INDEX
SINGVLORVM LIBRORVM,
ET CAPITVM, IN QVARTO TOMO
SPECVLI MAIORIS, HISTORIALIS NVNCVPATI,
CONTENTORVM.

In quo primus numerus capita, secundus folia indicant.

INDEX LIBRI PRIMI.

PRIMVS Liber, continet Proœmium, & breuem quendam Primę Partis Epilogum, & deinceps, historiam duorum millium 373. annorum; videlicet, à generatione primi hominis, per successiones Patriarcharum xij. vsque ad mortem Ioseph Ægypti Principis, & inde per annos seruitutis Hebræorum 64. vsque ad ortum Moysi legis latoris. Inter hęc etiam continet diuisiones terrarum, & gentium per linguas, diuersosque mores Barbarorum, ortum idolorum, & originem, lineamque successionis quorundam Regnorum, ac testamenta Patriarcharum. Habet autem Capitula 131

Proœmium, & Epilogus, de vnitate diuina substantiæ, cap. 1 fol. 1
De Trinitate personarum, cap. 2 fol. 2
De communitatibus, & proprietatibus personarum, c. 3. 2
De potentia Dei, & sapientia, cap. 4 fol. 3
De voluntate Dei, & misericordia, & iustitia, cap. 5 3
Quod Deus malorum non sit auctor, sed ordinator, omniumque rerum creator, & gubernator, cap. 6 3
Qualiter sit Deus in rebus, cap. 7 fol. 4
Epilogus de Mundi creatione, cap. 8. ibid.
Epilogus de creatione angelorum, cap. 9 ibid.
De lapsu malorum, & confirmatione bonorum, cap. 10 5
De distinctione nouem ordinum, cap. 11 ibid.
De triplici hierarchia cæleſti, in qua refulget imago supercæleſtis, cap. 12 ibid.
De ministerio Angelorum, cap. 13 fol. 6
De merito, & præmio, & scientia eorum, cap. 14 ibid.
De locutionibus eorum spiritualibus, cap. 15 ibid.
De materia informi huius mundi sensiblis, cap. 16 fol. 7
Epilogus de operibus sex dierum, cap. 17 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 18 ibid.
De opere primæ diei, cap. 19 fol. 8
De opere secundæ diei, cap. 20 ibid.
De primo opere tertiæ diei, & de aquarum congregatione, cap. 21. ibid. De secundo opere eiusdem diei, ideſt, de germinibus terræ, cap. 22 fol. 9
De arboribus, cap. 23 ibid.
De fructibus, & gummis, & succis, cap. 24 ibid.
De opere quarto diei, cap. 25 fol. 10
De opere quintæ diei, & primo de auibus, cap. 26 ibid.
De piscibus, cap. 27 ibid.
De primo opere sextæ diei, ideſt, de animatibus terræ, c. 28 f. 11
De reptilibus, cap. 29 ibid.
De creatione hominis, & requie sabbati, cap. 30 fol. 12
Epilogus de formatione corporis humani, cap. 31 ibid.
De diuisionibus membrorum, cap. 32 ibid.
Epilogus de anima humana, cap. 33 fol. 13
De immortalitate animæ, & imagine Trinitatis in ea, cap. 34 ibid.
De localitate, & qualitate animæ, cap. 35 fol. 14
De vnione eiusdem ad corpus, cap. 36 ibid.
Epilogus de viribus animæ, cap. 37 ibid.
De ratione & sensualitate, cap. 38 fol. 15
De libero arbitrio, cap. 39 ibid.
De syndereſi, cap. 40 fol. 16
De dignitate hominis, & creatione mulieris, cap. 41 ibid.
De primo statu amborum parentum & lapsu in peccatum, c. 42 ib.
De multiplici diuisione peccati, cap. 43 fol. 17
De peccato cordis, oris, & operis, cap. 44 ibid.
De speciebus impietatis, quæ committitur in Deum, c. 45 ibi.
De speciebus flagitij quod in seipsum, cap. 46 fol. 18
De speciebus facinoris, quod in proximum, & de peccato in Spiritum sanctum, cap. 47 ibid.
De sequela peccati, & reparatione lapsi per pœnitentiam & virtutes, cap. 48 ibid.
De Fide, & Spe, cap. 49 fol. 19
De Charitate, cap. 50 ibid.
De quatuor virtutibus Cardinalibus, cap. 51 fol 20
De Septem donis Spiritus sancti, & septem beatitudinibus, c. 52. ib. De diuisione scientiarum, quæ & ipse data sunt homini lapso in remedium, cap. 53 ibid.
De practicis, et mechanicis artibus, cap. 54 fol. 21
De sermocinalibus scientiis, et artibus magicis, cap. 55. f. 22
De exilio primorum parentum, et eorum generatione, c. 56 ib.
De ortu Ecclesiæ ab Abel, cap. 57 ibid.
De generationibus Seth vsque ad Noe, cap. 58 fol. 23
De Noe, et arca diluuij fabricata ab eo, cap. 59 ibid.
De diluuio, et arcu, cap. 60 ibid.
De generationibus Sem vsque ad Heber, cap. 61 fol. 24
De Phaleg, et diuisione linguarum, ac gentium in tribus orbis partibus, cap. 62 fol. 24
De Asia, et eius capite, quod est paradisus, cap. 63 fol. 24
De India, et eius mirabilibus, cap. 64 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De cæteris Asiæ regionibus, cap. 65 fol. 25
Ex eodem Isidoro vsque ad cap. 70 fol. 25. fol. 26
De Prouincijs Asiæ minoris, cap. 70 fol. 26
De Europa, & eius regionibus, cap. 71 fol. 27
De Græcia, & eius Prouincijs, cap. 72 ibid.
Iterum ex eodem Isidoro cap. 73 ibid.
De cæteris prouinciis Europæ, cap. 74 fol. 28
Adhuc ex eodem Isidoro, cap. 75 ibid.
De Aphrica & regionibus illius, cap. 76 fol. 28
De insulis Oceani quo cingitur orbis, cap. 78 fol. 29
De insulis maris magni, scilicet Mediterranei, c. 80 fol. 30
De montibus, cap. 84 fol. 31
De moribus extraneis quarundam gentium, cap. 86 fol. 32
De quibusdam monstruosis gentibus, cap. 92 34
De fabulosis portentis, cap. 94 fol. 35
De transformatis, cap. 95 fol. 35
De ortu Ragau & regni Scytharum, cap. 96 ibid.
De ortu Sarug & regni Ægyptiorum, cap. 97 fol 36
De ortu Nachor & regni Assyriorum, cap. 98 ibid.
De ortu regni Syciniorum, cap. 99 ibid.
De ortu Thare, & fine secundæ ætatis, cap. 100 ibid.
De ortu Abrahæ, de Nino quoq; & Zoroastre, cap. 101 f. 37
De ortu Idolatriæ sub Nino, cap. 102 ibid.
De Ninia filio Nini, & eius matre Semiramide, c. 103 fol. 38
De peregrinatione Abrahæ, & eius prælio, & Melchisedech, cap. 104 ibid.
De signo promissionis implendæ, & causa Circuncisionis institutæ, cap. 105 ibid.
De repromissione, & de culpa, & pœna Sodomorum, c. 106 ib.
De ortu Isaac & tentatione patris in eo, cap. 107 fol. 39
De spelunca duplici, & Cathura ac Rebecca, & eius partu, cap. 108. ibid.
De ortu regni Argiuorũ & primogenitura Iacob, c. 109 f. 40
De peregrinatione Iacob, & filijs eius, & de Phoroneo quoque et Iside, & Api, & Minerua, cap. 110 fol 40
Apologia contra Faustum Patriarcharum reprehensorem, cap. 111 ibid.
Apologia Abrahæ, super concubitu ancillæ, cap. 112 ibid.
Apologia eiusdem de Sara, & Isaac similiter, cap. 113 fol 41
Apologia Iacob super quatuor vxoribus, cap. 114 ibid.
De stropha naturæ, quam inuenit Iacob circa pecora, c. 115 ib.
De reditu eius in patriam, & Agro Sichen, & de Prometheo quoque, & Tricolenio, ac Cerere, cap. 116 fol. 42
De venditione Ioseph, & liberatione, & de carcere, c. 117 ib.
De sublimatione eius, & arrogantia Aseneth, cap. 118 ibid.
Qualiter eam Ioseph de idolatria arguit, cap. 119 fol. 43
De pœnitentia Aseneth, & consolatione angelica, c. 120 ibid.
De mensa, & fauo, quem angelo apposuit, cap. 121 ibid.
De benedictione septem virginum, & coniugio Aseneth, cap. 122 fol. 44
De descensu Israel in Ægyptum, & seductione Dan, & Gad, cap. 123 ibid.
De morte Pharaonis, & Iacob, & Ioseph, cap. 124 ibid.
De testamento Ruben, & Simeon, cap. 125 fol. 45
De testamento Leui, cap. 126 ibid.
De testamento Iudæ, Isachar, & Zabulon, cap. 127 ibid.
De testamento Dan, & Neptalim, & Gad, cap. 127 folio 46
De testamento Aser, Ioseph, & Beniamin, cap. 129 ibid.
De afflictione Hebræorum post mortem Ioseph, cap. 130 ibid.
De api, & serapi, quos colebant Ægyptij, cap. 131 folio 46

INDEX LIBRI SECVNDI.

Secundus liber continet historiam 1031. annorum, scilicet ab ortu Moysi, qui populum Dei de seruitute Ægypti liberauit per tempora duorum eiusdem populi Ducũ, & successione Iudicum xiiij. & Regum totius Israel & Iuda vsq; ad regnum Cyri primi Persarum Regis qui etiam ipse eundem populum de captiuitate Babylonica relaxauit. Huic historię inseritur cultus tabernaculi sub Moyse, templi quoque sub Salomone, & vaticinia Sibyllæ, & alia plurima. Habet àutem capitula 121.

De ortu, & educatione Moysi, cap. 1 47
De vxore eius Aethiopissa, cap. 2 ibid.
De percussione Aegyptii propter quam fugit in Madian, c. 3 fol. 48 De oppressione populi, & missione Moysi, cap. 4 ib.
De plagis Aegypti, & Phase, & exitu populi, cap. 5 ibid.
De spoliatione Aegypti, & annis seruitutis, & sanctificandis primogenitis, cap. 6 fol. 49
De transitu maris Rubri, de manna, & coturnicibus & aqua de petra, c. 7 ib. De lege data in monte Synai, cap. 8 ibid.
De ratione numeri in datione Decalogi, cap. 9 fol. 50
Solutio quorundã dubitabiliũ, circa decem precepta, c. 10 f. 50
De causa, & forma dationis legis moralis, cap. 11 folio 51
De cæremoniis legalibus & iudiciis, cap. 12 ibid.
De præcepto tabernaculi faciendi, & omnium ad ritum pertinentium, cap. 13 ibid.
De schemate tabernaculi, cap. 14 fol. 52
De distinctione inter Sanctuariũ, & Sancta sanctorũ, c. 15 ib.
De tecto tabernaculi, cap. 16 ibid.
De Arca, & propiciatorio, cap. 17 fol 53
De mensa, & candelabro, cap. 18 ibid.
De vtroque altari, cap. 19 fol. 54
De vestibus sacerdotum communibus, cap. 20 ibid.
De Pontificali tunica, & humerali, cap. 21 ibid.
De rationali, cap. 22 fol. 55
De thiara, cap. 23 ibid.
De mysterio vestium, & totius tobernaculi, cap. 24 ibid.
De peccato populi in vitulo, ac precibus Moysi, & constructione tabernaculi, cap. 25 fol. 56
De lege sacrificiorum in generali, cap. 26 ibid.
De holocaustis, cap, 27 ibid.
De sacrificijs spontaneis, cap. 28 fol. 57
De sacrificijs pro peccato sacerdotis, & sinagoga, c. 29 ibid.
De sacrificijs pro peccato Princpis & animæ, cap. 30 ibid.
De igne sacro nutriendo, & de adipe, vel sanguine non edẽdo, c. 31 f. 58 De consecratione tabernaculi, cap. 32 ibid.
De immundicia ciborum legali, cap. 33 ibid.
De purificatione puerperæ, cap. 34 ibid.
De iudicio lepræ, cap. 35 fol. 59
De purificatione emorrhoissę, & menstruatæ, cap. 36 ibid.
De vitula rufa, & hirco à Pompeio, cap. 37 ibi.
De commixtionibus illicitis, cap. 38 ibid.
De præputijs arborum auferendis, & de panibus, ac sanctimonia sacerdotum, & de talione, ca. 39 60
De sabbatismo anni septimi, & quinquagesimi ideſt Jubilei, & de decimatione animalium, ca. 40 ibid.
De numeratione bellatorum populi, & excubijs tabernaculi, c. 41 ib. De separatione Leuitarum, & numero, ac ministerie eorum, ca. 42 fol. 61
De restitutione rei alienę, & iudicio Zelotipiæ & Leuitarum consecratione, ca. 43 ibi.
De tubis argenteis ad conuocandum populum, & de recessu Israel à monte Synai, cap. 44 ibi.
De murmure populi, & prostratione eorum in deserto, & de secundi populi numero, ca. 45 fol. 62
De libaminibus, & ingi sacrificio, ca. 46 ib.
De Sabbato, & Neomenia, & Phase et Penthecoste, c. 47 ibi.
De festis Septembris ca. 48 ibi.
De votis mulierum, & vrbibus Leuitarum, & matrimonio contribulum, ca. 49 fol. 63
De recapitulatione legis, cap. 50 ibid.
De tertia decimatione, cap. 51 ibid.
De benedictionibus populi, & morte Moysi. cap. 52 fol. 64
De ortu regni Cretensium, cap. 53 ibid.
De ortu regni Athenienſium, cap. 54 ib.
De gestis Iosue, cap. 55 ibid.
De temporibus Iudicum, cap. 56 fol. 65
De gestis Othoniel, & de Sangar, & Delbora, cap. 57 ibid.

De

De Gedeone, et Abimelech, et Thola, et Iair, cap. 58 ibid.
De Iepte, et Hercule, cap. 59 fol. 66
De cauſa belli Troiani, cap. 60 ibid.
De Abeſſon, & Abialon, cap. 61 ibid.
De initio belli Troiani, cap. 62 ibid.
De conſummatione eiuſdem, cap. 63 fol. 67
De Diomede, & ſociis eius, vt putabatur, in volucres conuerſis, cap. 64 ibid.
Quid de his, & huiuſmodi ſenſerit Auguſtinus, cap. 65 ibid.
De ortu Regni Latinorum, & Francorum, cap. 66 folio 68
De Sanſone, & Pyrro rege, cap. 67 ibid.
De Hely ſacerdote, cap. 68 ibid.
De Samuele, & Saule, cap. 69 fol. 69
De ortu regni Lacedæmoniorum, & Corinthiorum, & de Chodro rege Athenienſium, cap. 70 ibid.
De geſtis Dauid, cap. 71 ibid.
De hymnologia Dauid, cap. 72 ibid.
De virtutibus eiuſdem, cap. 73 fol. 70
De panitentia eiuſdem, cap. 74 ibid.
Apologia eiuſdem contra Manichæos, cap. 75 ibid.
De Salomone, & fabrica Templi, cap. 76 ibid.
De ornatu interioris domus, & ſuperioris manſionis c. 77 f. 71
De ornatu, & oraculo eiuſdem, cap. 78 ibid.
De porticu, & columnis eius, cap. 79 72
De domunculis & atrio ſacerdotum, cap. 80 ibid.
De cæteris atrys templi, cap. 81 ibid.
De altari, & mari Æneo, & Luteribus, cap. 82 fol. 73
De baſilica, ideſt regia domo, cap. 83 ibid.
De cæteris operibus, & gloria Salomonis, & deſine eius, cap. 84 fol. 74
De Hieroboam, & Abia, & Aza, cap. 85 ibid.
De Ioſaphat rege, & Helia Propheta, cap. 86 fol. 75
De Homero Poeta, cap. 87 ibid.
De Ioram rege, & Heliſeo, & Ochoſia, cap. 88 ibid.
De Athalia, & Ioas, cap. 89 fol. 76
De Lycurgo, & legibus eius, cap. 90 ibid.
De Amaſia, & cur in genealogia Chriſti cum patre, & auo prætermittitur, cap. 91 ibid.
De Ozia, & Iona Propheta, cap. 92 fol. 77
De deſtructione regni Aſſyriorum, & ortu regni Medorum, cap. 93 ibid.
De ortu regni Macedonum, cap. 94 ibid.
De deſtructione domus Iehu, & de Phul rege Aſſur, c. 95. ib.
De ortu regni Lydorum, & Remi, ac Romuli, cap. 96 f. 78
De Ioathan, & prophetis illius temporis, & initio captiuitatis, cap. 97 ibid.
De Achas, & eius impietate, cap. 98 ibid.
De conſummatione captiuitatis Iſrael, cap. 99 fol. 79
De Sibilla Erithrea, & verſibus eius de Chriſto, cap. 100 ib.
De vaticinijs eiuſdem, cap. 101 ibid.
De decem Sibillis, & earum carminibus, cap. 102 fol. 80
De Ezechia, & eius pietate in Deum, cap. 103 ibid.
De Manaſſe, & Numa Pompilio, cap. 104 ibid.
De Gige rege, et Archilogo, et Symonide, cap. 105 ibid.
De morte Iſaiæ Prophetæ, et panitētia Manaſſe, c. 106 f. 81
De Amon rege, et Phaorte, et Phalari tyranno, c. 107 ibid.
De Ioſia, et Hieremia Propheta, cap. 108 fol. 82
De Arione Methineo, cap. 109 ibid.
De Ioſia, et filijs eius, vſque ad Zedechiam, cap. 110 ibid.
De regno Sedechiæ, et conditione vrbis Maſſiliæ, cap. 111 fol. 83
De Milone Crotonienſi, cap. 112 ibid.
De Ezechiele Propheta, cap. 113 ibid.
De deſtructione regni Hieruſalem, et regni Iuda, cap. 114 fol. 84
De fine quartæ ætatis, et Prophetia Ezechielis cap. 115 ibid.
De deſcenſu reliquiarum in Aegyptum, et morte Hieremiæ, cap. 116 ibid.
De exordio quintæ ætatis, et de regibus Babylonis, cap. 117 fol 85
De Tullio Seruio, et morte Ezechielis, cap. 118 ibid.
De ſeptem ſapientibus Græciæ, et primo de Thalete Mileſio, cap. 119 ibid.
De Solone Pytaco, ac cæteris, cap. 120 fol 86
De Daniele Propheta, c. 121 ibid.

INDEX LIBRI TERTII.

Tertius liber continet hiſtoriam 206. annorum, ſcilicet ab initio regni Cyri Regis, Primi Perſarum, qui ſubuerſis duobus Regibus Aſtyage, ſcilicet Rege Medorum & Balthaſare Chaldæorum, Monarchiam tenuit per ſucceſſiones Regum Perſarũ 12. vſque ad 10. annum Ochi, & ortum Alexandri Magni, qui & ipſe, Dario filio Arſami cum Regno Perſarum ſubuerſo, Monarchiam Orienris obtinuit. Hic interſeruntur geſta, & dicta Philoſophorũ præcipueque Pythagoræ Socratis, Diogenis, Democriti, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum plurium. Habet autem Capitula 93.

De initio Regni Cyri apud Perſas, cap. 1 87
De Aeſopo, et fabulis eius moraliter fictis circa calumnioſos, inſidioſos, cupidos, incautos, cap. 2 ibid.
De eiſdē contra glorioſis, ſuperbos, præſumptuoſos cōtemptores, c. 3. p. 88 Itē de eodem contra guloſos, timidos, puſillanimes, arrogantes, cap. 4 ibid.
De eodem contra ſuperbos, pauperes, vel diuites, et etiam contra inuidos, et inſtabiles, cap. 5 89
Item contra inſidioſos, et imprudentes, et libertatis ſuæ venditores, cap. 6 ibid.
Item contra pigros, inuidos, auaros, ignauos, iactantes, et adulatorum fautores, cap. 7 ibid.
Item contra arrogantes, et pigros, et qualiter huiuſmodi fabulis vtendum ſit, cap. 8 p. 90
De Chronica Regni Perſarum, cap. 9 p. 90
Qualiter Cyrus, et Darius obſederunt Babylonem, c. 10 ibid.
Qualiter capta eſt Babylon, cap. 11 ibid.
De nobilitate eiuſdem Vrbis, et de eius ſubuerſione, et Regno Darij, cap. 12 91
Qualiter per Cyrũ relaxata eſt captiuitas Iudęorũ, c. 13. ib.
Quod angeli prouinciales Perſarum, et Græcorum impediebant reditum captiuorum, cap. 14 ibid.
De primo reditu ſub Zorobabel Duce, cap. 15 ibid.
De fundatione altaris, et tẽpli, et intermiſſione operis, c. 16. 92
De Cræſo Rege Lydorũ, et eius regno per Cyrũ deſtructo, c. 17 ib. De Tarquinio Superbo, et Piſiſtrato Tyranno, c. 18 ibi.
De nece Cyri, et ſucceſsione Cambiſis, qui et Nabugoner, cap. 19. p. 93 De hiſtoria Iudith, cap. 20 ibid.
Qualiter excuſatur Iudith à culpa mẽdacij, et ſcãdali, c. 21 ib.
De Hyppia, et Policrate tyrannis, et de Cambiſe, quod obtinuerit Aegyptum, cap. 22 p. 94
De Pythagora Philoſopho, et Crotonienſium prælio, c. 23. ib.
De geſtis Pythagoræ, et eius ſtudijs, et doctrina cap. 24 ibid.
De præceptis, et enigmatibus eiuſdem, cap. 25 p. 95
De diſcipulis eiuſdem, cap. 26 ibid.
De regno duorum Magorum in Perſide, cap. 27 ibid.
De regno Darij filij Itaſpis, cap. 28 p. 96
De familiaritate Zorobabel cum Dario, et ſolutione quæſtionis, cap. 29 ibid.
De conſummatione templi ex præcepto Darii, cap. 30 ibid.
De nece Hyparchi et Hippiæ, et expulſione Tarquinii à regno, et primo conſule Bruto, cap. 31 97
De Democrito, et Heraclito Philoſophis, cap. 32 ibid.
De Anaxagora Philoſopho, et Eſchilo Poeta, cap. 33 ibid.
De ſtrage Perſarum in bello Marathonio, cap. 34 98
De morte Valerii Conſulis, et de Gelone Syracuſano, et Ariſtide Iuſto, cap. 35 ibid
De regno Xerxis filii Darii, cap. 36 ibid.
De bello Xerxis cõtra Græcos, et victoria Spartanorũ, c. 37. ib.
De nauali prælio contra Græcos, et fuga Perſarum, c. 38. 99

INDEX.

De Principatu Themiſtoclis in Gracia, cap. 39 ibid.
De Pindaro, & Sophocle, & Euripide Poetis, cap. 40 ibid.
De nece Xerxis, & regno Artabani, & Artaxerxis, c. 41. 100
De Periele, & Sophocle ducibus Athenienſibus, cap. 42 ibid.
De Eſdra Propheta, & geſtis eius, cap. 43 ibid.
De Empedocle, & Parmenide Philoſophis, cap. 44 folio 101
De Decemuiris Romæ proſcribendis legibus deputatis, & Appio Claudio, cap. 45 ibid.
De Necmia, & readificatione murorũ Hieruſalem, c. 46 ibid.
De lectiane tegis in feſto ſenophegiæ, cap. 47 p. 102
De muri dedicatione, cap. 48 ibid.
De ſpe Reſurrectionis, & gloria cœleſti, quæ reuelata ſunt Eſdræ, cap. 49 ibid.
Querela Eſdræ de afflictione bonorum, & multitudine reproborum, cap. 50 ibid.
Quod in typo mulieris oſtenſa eſt ei deſolatio, & reedificatio vrbis, cap. 51. p. 103. a
Reuelatio eiuſdem de aduentu iudicis, & de x. tribus, c. 52. ib.
De his, quæ ſcripſit ex præcepto Domini, capitu. 53. p. 104.
De Hyppocrate medico, & Gorgia Rhetore, cap. 54 ibid.
De Prothagora Sophiſta, cap. 55 ibid.
De Socrate Philoſopho, & eius ſtudio, ac libris, cap. 56 ibid.
De moribus eiuſdem, cap. 57 p. 105
De dictis eius moralibus, cap. 58 ibid.
De regno alterius Xerxis, & Sogdiani, & Darij Nothi, c. 59 ib. De ortu Platonis, cap. 60 p. 106
De Alcibia Socratico, cap. 61 ibid.
De Eudoxo Aſtrologo, & theatro Heraclea, & Archelao Macedone, & Euripide, cap. 62 ibid.
De Oreſte Macedone, & 30. tyrannis Athenienſibus, c. 63 p. 107 De regno Artaxerxis, qui etiam Aſſuerus, & de aſcenſu Cyri, cap. 64 ibid.
De inuentione Græcarum literarum, cap. 65 ibid.
De morte Socratis, cap. 66 ibid.
De Xenophonte Socratico, cap. 67 p. 108
De Diogene, & ſecta Cynicorum, cap. 68 ibid.
De eodem, & morte ipſius, cap. 69 ibid.
De Speuſippo Platonico, & primo bello Carthaginenſi, c. 70 p. 109 De geſtis Haſdubralis, & Amilcaris, cap. 71 ib.
De Dionyſio Siciliæ tyranno, cap. 72. 73 ibid.
De Platone, & moribus, ac ſtudijs illius, cap. 74 p. 110
Opiniones eius de Deo, cap. 75. 76 ibid.
De libris Platonis, & eius ſententia de immortalitate animæ, cap. 77 p. 111
De appetitu mortis ad deſiderium immortalitatis, c. 78 ibid.
De quibuſdam dictis Platonis, cap. 79 p. 112
De Archita Tarentino, & dictis eius, cap. 80 ibid.
De obſidione Romani Capitolii per Gallos, cap. 81 ibid.
De Ariſtotele, & dictis eius, cap. 82 p. 113
De ſecta Peripateticorum, cuius Auctor ipſe fuit, cap. 83 ibid.
De libris Ariſtotelis, cap. 84 ibid.
Flores eiuſdem morales ex ethicis, vel Guſtus eſt iudicium ſapori, cap. 85. 86. 87. 88 p. 114. 115
Flores eiuſdem de eligendis, cap. 89 ibid.
De peſtilentia Romana, & de morte Artaxerxis, cap. 90 ib.
De regno Ochi, & Demoſthene Oratore, cap. 91. ibid.
De Aeſchine Oratore, cap. 92 p. 116
De Hannone Carthaginenſi, cap. 93 ibid.

INDEX LIBRI QVARTI.

Quartus liber continet hiſtoriam annorum videlicet 16. Quibus Ochus poſt ortum Alexandri Magni regnauit, & 12. quibus idem Alexander poſtea regnauit: donec accepto veneno interiit. Hic autem interſeruntur floſculi quidem Apulei, & Plotini, Mercurij, & Epicuri Philoſophorum, & alia multa. Habet autem 71. capitula.

De origine Alexandri Magni, & fuga Nectanabi in Macedoniam, cap. 1 117
De colloquio ipſius Nectanabi cum Olympiade, cap. 2 ibid.
De conceptione Alexandri Magni, cap. 3 ibid.
De fallacia Nectanabi, erga Philippum Regem, cap. 4 118
De natiuitate Alexandri, cap. 5 ibid.
De obitu Platonis, et diſcipuli eius, cap. 6 ibid.
De Apuleio Platonico, et dictis eius, cap. 7 119
De Plotino Philoſopho, cap. 8 ibid.
Dicta eius de quatuor virtutibus, cap. 9 ibid.
De Mercurio Triſmegiſto, et dictis eius, cap. 10 120
De interitu Nectanabi, et Agato de tyranno, cap. 11 ibid.
De bona indole Alexandri, cap. 12 ibid.
De reconciliatione Olympiadis cum viro ſuo, cap. 13 p. 121
De Xenocrate Philoſopho, cap. 14 ibid.
Qualiter Philippus Græciam ſubiecit, et Nagoſus Iudæam tributariam iterum fecit, cap. 15 ibid.
De Iſocrate, cap. 16 ibid.
De Regno Arſis, vel Arſami, et Darii filii eius, cap. 17 ibid.
De nece Philippi Macedonis, cap. 18 122
De moribus eiuſdẽ, et de Pauſania eius interfectore, c. 19 ibid.
Item de ſcriptis, et geſtis Philippi, cap. 20 ibid.
De inceſtu Minutiæ virginis, et matronarum Romanarum facinore, cap. 21 ibid.
De regno Darii filii Arſami, et Alexandri Macedonis, et moribus eius, cap. 22 123
Qualiter Alexander animos militum ſibi conciliauit, c. 23 ib.
De regionibus quas peragrans ſibi federauit, cap. 24 ibid.
Qualiter ſibi Tyrum repugnantem, deſtruxit, cap. 25 ibid.
De mutuis epiſtolis, Darii, & Alexandri, cap. 26 p. 124
De primo eorundẽ congreſſu, et Alexandri victoria, c. 27 ibid.
Qualiter Thebas deſtruxit, et readificari fecit, cap. 28 ibid.
De ſubiugatione Athenarum, et Demade Philoſopho, c. 29 ib.
De ſecundo congreſſu, cum Dario, cap. 30 125
De luxuria Alexandri, et ſuperbia, cap. 31 ibid.
De hoſtiis quas Alexander in templo Dei obtulit cap. 32 ibid.
Quod Hamonis filium vocariſe iuſſit, cap. 33 p. 126
Quod Alexander cum Dario noluit confœderationem, ſed tantum deditionem, cap. 34 ibid.
Qualiter Alexander internuncium ſe ſimulans cenauit cum Dario, cap. 35 ibid.
De vltimo congreſſu, et victoria Alexandri, cap. 36 ibid.
De perſecutione Darii, cap. 37 127
De morte eiuſdem, et conſumptione pugnatorum in tribus præliis, cap. 38 ibid.
De Anaximene, et Epicuro Philoſophis, cap. 39 ibid.
De ſententia Epicuri circa corporis voluptates, cap. 40 p. 128
De dictis eius moralibus, et eius erroribus, cap. 41 ibid.
De inſolentia Alexandri poſt victoriam, cap. 42 ibid.
De recluſione decem tribuum, cap. 43 ibid.
De vltione necis Darii per Alexandrum, et Alexandriis quas adificauit, cap. 44 p. 129.
De Clitone quem occidit, et poſt penituit, cap. 45 ibid.
De Caliſtene Philoſopho, et eius auditore Lyſimacho, c. 46. ib.
De itinere Alexandri in Indiam, & de natura illius terræ. cap. 47 ibid,
De ingreſſu illius, et legatione Pori Regis ad eum, c. 48 p. 130
Qualiter Alexander Porum bello ſuperauit, cap. 49 ibid.
De gloria exercitus et baſilicę Pori, cap. 50 ibid.
De itinere Alexandri per Oceani littora, cap. 51 p. 131
De Candace Regina, et eius fœdere cum Alexandro: c. 52. ib.
De mirabilibus, quæ vidit Alexander in India, cap. 53. ibid. et cap. 54. ib. et cap. 55 132
Item de eodem, et arboribus Solis, et Lunæ cap. 56 ibid.
De reſponſis arborum ad Alexandrum, cap. 57 ibid.
De cęteris mirabilibus, quę vidit Alexander, cap 58. p. 133 et cap. 59. 60
De iactantia, et ambitione Alexandri, cap. 61 ibid.
De ſuperſtitione eiuſdem, ac liuore, cap. 62 134
De vltimo eius aduentu in Babylonem, cap. 63 ibid.
De veneno ſibi propinato, cap. 64 ibid.
De morte eiuſdem, cap. 65 p. 135
Epilogus de pace Bragmanorum cum Alexandro, c. 66 ibid.
De mutuis epiſtolis Alexandri, et Didimi Regis ſuper eorum Philoſophia, cap. 67 et cap. 68 et 69 70. 71 p. 136

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI V.

Quintus liber continet hiſtoriã 276. annorũ per tempora Ptolomæorum Ægypti Regum, vſq; ad Iulium Cæſarẽ, qui deuicto Pompeio primus Romanorum ſingulare arripuit Imperium. Hic interſeruntur floſculi Thophraſti Philoſophi, & Catonis, & duorum Scipionum Plauti quoque, & Terentij, & Statij Poetarum, & alia multa. Habet autem capitula 117.

De diuiſione Monarchiæ Alexandri quatuor Regna, & de Ptolomæo Soteri Rege Ægypti, cap. 1 137
De Theophraſto Philoſopho, & dictis eius, cap. 2. ibid.
Quod vxor ſapienti ducenda non ſit, cap. 3. & 4 138
De Menandro Poeta Comico, & Philomone, & ortu Regni Aſiæ, cap. 5 ibid.
De victoria Romanorum, & Samnitibus, cap. 6 ibid.
De Papirio Conſule bellicoſo, cap. 7 139
De Fabio Conſule, cap. 8 ibid.
De Marco Curio Conſule, cap. 9 ibid.
De Caſſandro Rege Macedonum, & Olympiadis nece, c. 10 140 *De Polemone Philoſopho, cap. 11.* ibid.
De ortu Regni Syriæ, cap. 12 ibid.
De Seleucho Nicanore, cap. 13 ibid.
De Simone, & Eleazaro Pontificibus, & Pharo Alexandriæ, cap. 14 141
De Regno Ptolomæi Philadelphi, & eius amore contra ſcripturas, cap. 15 ibid.
De ſeptuaginta duobus interpretibus, quos ei petenti miſit Eleazarus, cap. 16 ibid
Qualiter cũ inſtruxerũt, & ei libros ſacros trãſtulerũt, c. 17 ib.
De approbatione tranſlationis, et eiuſdẽ veneratione, c. 18. 142
De ſtudijs, & libris præfati Ptolomei, cap. 19 ibid.
De Brenno Gallorum Duce, qualiter Macedones, & Delphos ſuperauit, cap. 20 ibid.
Qualiter idẽ Brenus cum ſuis per fallaciam Appollinis poſtea ſuccubuit, cap. 21 143
Qualiter apud Macedones Galli corruerunt, cap. 22 ibid.
De quibuſdam prodigijs, & bellis, cap. 23 ibid.
De Archeſila Philoſopho, & Academicorum nouorum errore, cap. 24. ibid. De Cratate Philoſopho, & Stilbone, & Arato aſtrologo, cap. 25 144
De Zenone, & Chryſippo, & Stoicorum Principibus, c. 26 ib.
De Diodoro Socratico, & Carneade Philoſophis, c. 27 ibid.
De ſententijs Stoicorum, veris, & falſis, cap. 28 145
Diſputatio contra Stoicos de beneficijs, cap. 29. & 30 ibid.
De mutatione ſententiæ, vel conſilij, cap. 31 ibid.
De paſſione, & voluptate, cap. 32 146
De virtutibus, & vitijs, cap. 33 ibid.
De Eraſiſtrato medico, & primo bello Cartaginenſi ſub duello Conſule, cap. 34 ibid.
De bello reguli contra Carthaginenſes, cap. 35 147
Item de cæteris Romanorum prælijs contra eoſdem, & de nece reguli, cap. 36 ibid.
De Onia Pontifice, & Antiochoteos, cap. 37 ibid.
De potentia Philadelphi, & Romana clade, cap. 38 ibid.
De regno Ptolomei Euergetis, & Antigono Macedone, cap. 39 148
De prodigijs quæ bellum punicum præceſſerunt, & de ſubuerſione Sagunti, cap. 40 ibid
De regno Philopatoris, & Antiochi magni ſæuicia, c. 41. ibid.
De trina victoria Hannibalis ex Romanis, cap. 42 149
De Marco Marcello, qui Syracuſas capit, & de Archimede Philoſopho, cap. 43 ibid.
De victoria Hannibalis ex Flammio Conſule, cap. 44 ibid.
De bello Cannenſi, cap. 45 ibid.
Quod irruente tempeſtate prohibitus eſt Hannibal Romam capere, cap. 46 150
De Scipione Aphricano, cap. 47 ibid.
Item de Aphricano, cap. 48 ibid.
De Panecio Philoſopho, cap. 49 151
De Valerio Marcello, Fabio Conſulibus, & eorum triumphis, cap. 50 ibid.
De victoria Scipionis ex Aphris, cap. 51 ibid.
Quod Romani victis Carthaginẽſibus pacẽ cõceſſerũt, c. 52. ib.
De morte Philopatoris, & eius concubinario Agatoclo c. 53 ib.
De regno Ptolomei Epiphanis, & de Antiocho magno, cap. 54. 152 *De Plauto poeta comico, & eius dictis, cap. 55.* ibi.
De libertate Græcorum, à Romanis conceſſa, & Iunio Duce, c. 56. ibi. *De duobus fratribus Scipionibus, cap. 57* 153
De Seleuco Philopatore, & Heliodoro, & Tito Liuio, & quibuſdam prælijs Romanorum, cap. 58 ibid.
De fuga, & morte Hannibalis, & de Pruſia cap: 59 ibid.
De victoria Meſſeinorum ex Atheis, & morte Aphricani, & Ptolomei, cap. 60 154
De regno Philometoris, & Statio poeta, & dictis eius, c. 61 ib.
De Antiocho Epiphane, & prophanatione vrbis ſanctæ, & ambitione ſacerdotij, cap. 62. & 63 ibid.
De apparitione Equitum per aera, & morte Menelai, & ſpoliatione Templi, cap. 64 155
De ſecunda repulſione Antiochi, ab obſidione Alexandriæ, & de Baſternarum ſubmerſione, cap. 65 ibid.
De ſubuerſione regni Macedonum per Romanos, & Ennio poeta, cap. 66 ibid.
De impietate Antiochi in Iudæos, & zelo Matthiæ, c. 67 156
De ſeptem Machabæorum martyribus, cap. 68 ibid.
De prælijs Iudæ Machabæi, & turpi morte Antiochi, c. 69 157
De Antiocho Eupatore, & eius prælio cõtra Iudæos, c. 70 ib.
De Demetrio rege, & victoria Iudæ Nichanore, c. 71 158
De Terentio, & eius comediis, cap. 72 ibid.
De Floſculis comediarum eius, cap. 73 ibid.
De regno Iudæorum reſuſcitato, & morte Iudæ. cap. 74 159
De Ionatha Duce, & Pacubio poeta, & Theatro Romana prohibito, & rege Syriæ Alexandro, cap. 75 ibid.
De regno Euergetis ſecundi, & ſacris Cybelæ ſuſceptis à Romanis, cap. 76 160
De præparatione belli punici tertii, & ſitu Carthaginis, c. 77 ib
De ſubuerſione Carthaginis, cap. 78 ibid.
De Demetrio Cretenſi, & morte Alexandri, & Euergetis: cap. 79 161
De Actio Tragediographo, & quibuſdam Romanorum prælijs, cap. 80 ibid.
De Antiocho adoleſcẽte, & dolis Triphonis, & ducatu Symonis, c. 81 ib. *De ſeruili bello Siciliæ, & eius portẽtis, c. 82* ib.
De Attalo rege Aſiæ minoris, & Ariſtonico, cap. 83 162
De prodigiis belli Aruernenſe præcedentibus, cap. 84 ibid.
De Antiocho Demetrii & nece Symonis Pontificis, & ſucceſſione Ioannis Hircani, cap. 85 ibid.
De iterato regno Demetrii, & victoriis Romanorũ ex Gallis, c. 86 163 *De aſtutia Ptolomei, & nece Demetrii, c. 87* ib.
De Antiocho Gripo, cap. 88 ibid.
De regno Ptolomei Phyſconis, cap. 89 164.
De bello Iugurtino, & de filia Lucii Helii fulminata, c. 90 ib.
De regno Ariſtoboli, & morte eius, cap. 91 ibid.
De Alexandro Ianneo, & crudelitate eius, cap. 92 165
De victoria Romanorum ex cymbris duce Mario c. 93 ibid.
De expulſione Fyſconis ab Ægypto per matrẽ Cleopatrã, ca. 94 ib. *De regno Ptolomei, Alexandri, & fine regni Syrii, & Lucretio, & Pomponio, cap. 95* 166
De prodigiis quæ ſociale bellũ Italiæ præceſſerunt, c. 96 ibid.
De bello Põpei cõtra Aſcolon vrbẽ, & cõtra Picẽtes, c. 97 ib.
De bello ciuili, & fuga Marii, cap. 98 ibid.
De regreſſu Marii, & continuatione belli ciuilis, c. 99 167
De Mithridate, & eius bello contra Romanos, ca. 100 ibid.
De aſtutia eius, & tyrannide contra Romanos, cap. 101 ibid.
De iterato regno Fyſconis, & ſcriptoribus illius tẽporis, c. 102 168 *De Sylla victore Mithridatis, & eius morte, c. 103* ibi.
De victoria Luculli ex Mithridate, cap. 104 ibid.
De regno Alexandriæ, cap. 105 169
De Echatone Stoico Philoſopho, & dictis eius, cap. 106 ibid.
De Catone Stoico, & dictis eius, cap. 107 ibid.
De dictis eiuſdem Catonis, cap. 108 169

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De Diogene Babylonio, & discipulo eius Antipatro cap. 111 p. 170.
De morte Mithridatis, & bello Pompei contra Tygranem, cap. 112 p. 171
De regno Aristoboli, & contentione fratris eius Hircani, cap. 113 ibid.
De expulsione Aristoboli, & restitutione fratris eius Hircani, cap. 114 ibid.
De Alexandro, Aristoboli, & Antipatro, c. 115. fol. 172.
De fuga Aristoboli, è carcere, & quibusdam Syriæ præsidibus, & illius temporis scriptoribus, cap. 116 ibid.
De regno Cleopatræ, & initio Romani imperij, cap. 117 ibid.

INDEX LIBRI SEXTI.

Sextus liber continet historiam 61. Annorum, per tempora duorum Imperatorum, scilicet Iulij Cęsaris, qui fuit omnium primus, & Octauiani Augusti, sub quo natus est Dominus. Hic interserũtur flores Philosophorum Tullij Ciceronis, & Valerij Maximi Poetarumque Horatij, & Ouidij. Epilogus quoque de Incarnatione Domini. Habet autem Capitula 129.

De his, quæ Romanam rempublicam rexerunt ante Iulium Cæsarem, cap. 1 173
De bello eius antiquo contra Germanos, cap. 2 ibid.
De bellis eius contra Gallos bellicos, & contra Britannos, cap. 3 174.
De cæteris eiusdem prælijs contra Gallos, cap. 4 ibid.
De dictis moralibus Iulij Celsi, cap. 5 175
De quibusdam dictis Ciceronis, & de libris eiusdem, c. 9 ibid.
Floscul is librorum eius de officijs, cap. 7. 8 176 c. 9. 10. 176. & c. 11. 12. p. 177
Floscul i eiusdem de amicitia, c. 13. 14. 15. 178
Floscul i eiusdem de senectute, c. 16. 17. 176
Floscul i de oratore, c. 18. p. 179
Floscul i de paradoxis, c. 19. ibid.
Floscul i Philippicarum eius, cap. 20. p. 180
Floscul i Rhetoricorum eius, cap. 22. 23. ibid.
Floscul i Tusculanarum eius quæstionum, cap. 24. 25. 26. 27. p. 181
Floscul i eius de legibus de fine, boni, et mali, cap. 28. 183
De cæteris eius libris, cap. 29 184
De orationibus eiusdem, cap. 30. 31 ibid.
De inuectiuis Salustij, & Ciceronis adinuicem, cap. 32 p. 185
Floscul i Salustij de Catilinario, cap. 33 ibid.
Floscul i eiusdem de Iugurtino, cap. 34 ibid.
De fuga, & nece Pompei, cap. 35 ibid.
Qualiter Ptolomeus adolescens Cæsari repugnans perijt, cap. 36. p. 186
De initio imperij Cesaris, cap. 37 ibi.
De vita Iulij Cæsaris, & peritia eiusdem in armis. cap. 38 ibid.
Qualiter se habebat erga subditos, & erga pares, c. 39 ibid.
De nece Aristoboli, & exaltatione Antipatri, cap. 40 p. 187
De præsagijs mortis Cæsaris, cap. 41 ibid.
De nece eiusdem, & exequijs, cap. 42 ibid.
De imperio Octauiani Augusti, & eius pulchritudine, cap. 43 ibid.
De strenuitate, & peritia eius in re militari, c. 44 p. 188
De libertate, & humilitate eiusdem, cap. 45 ibid.
De pietate, & æquitate ipsius in subditos, cap. 46 ibid.
De parsimonia eius in victu, & eloquentia, & ingenio eiusdem, cap. 47 p. 189
De his, quæ in principio imperij eius acciderunt, cap. 48 ibid.
De præfectura Herodis Ascolonite, & uxoribus eius ac filijs, cap. 49 ibid
De restitutione Antigoni in regnum, cap. 50 ibid.
Qualiter Herodes per Antonium creatus est rex Iudeæ, cap. 51 p. 190
De prophetijs in eo ad impletis, cap. 52 ibid.
De nece Antonij, & Cleopotræ, cap. 53 ibid.
De Apologia Herodis apud Augustum, cap. 54 ibid.
De ampliatione regni eius, & ædificijs, quæ extruxit, cap. 55 p. 191
De nece Marianes uxoris suæ, & offensa eius in filios, cap. 56 ibid.
De Marcho Varrone, & laudibus eius, cap. 57 ibid.
Delibris eius, & opinionibus circa diuina, cap. 58 192
De sententijs Varronis moralibus, cap. 59 ibid.
De commendatione Virgilij, & gestis eius, cap. 60 ibid.
De Cornelio Gallo, & Plauto, & Virgilio, cap. 61 193
De dictis, & scriptis eiusdem, cap. 62 ibid.
De flosculis librorum eius, cap. 63 p. 194
De ortu Beatæ Mariæ virginis prænunciato per Angelum, cap. 64 ibid.
De Natiuitate eiusdem, cap. 65 p. 195
De bona indole eiusdem, cap. 66 ibid.
De Horatio poeta, & libris eius, & flosculis poetriæ, cap. 67 ibid.
Floscul i epistolarum eiusdem, cap. 68. p. 196
Floscul i sermonum eius, cap. 69. ibid.
Floscul i carminum eiusdem, cap. 70 197
De triumphis Romanorum, & pacatione orbis sub Augusto, cap. 71 ibid.
De coniugio Beatæ Mariæ Virginis, & Joseph, c. 72. ibid.
De causis desponsationis eiusdem, cap. 73 p. 198
De generatione amborum, cap. 74 ibid.
De morte Catonis, & conceptione præcursoris, c. 75 ibid.
De Angelica salutatione Beatæ Virginis, cap. 76 199
De Conceptioe filij Dei ex Virgine, cap. 77 ibid.
Cur Deus voluit incarnari, & cur solus in Trinitate filius, cap. 78 p. 200
De modo illius vnionis, & vnitate personalitatis, c. 79 ibid.
De prædestinatione Christi hominis, & eius gratiæ ac sapientiæ plenitudine, cap. 80 p. 201
Qualiter secundum vtramque naturam sit caput ecclesiæ, ca. 81 ibid.
Quod etiam cum natura defectus nostros, sed non omnes suscepit, cap. 82 ibid.
Quod ab instanti conceptionis totum sibi meruit, & originale, vel fomitem non habuit, cap. 83 p. 202
Cur tanto tempore distulit incarnari, cap. 84 ibid.
De mutua salutatione Elisabeth, & Mariæ, cap. 85 ibid.
De ortu præcursoris, cap. 86 p. 203
De descriptione orbis, & ortu Saluatoris, cap. 87 ibid.
De Cronica ab initio mundi vsque ad illud tempus cap. 88 ibid.
De duobus animalibus eum in præsepio adorantibus, cap. 89 p. 204
De Circuncisione eiusdem, cap. 90 ibid.
De Stella Magorum duce ac Virginis Purificatione, cap. 91 ibid.
De cultu ac religione Magorum ac cæterorum Orientalium, cap. 92 p. 205
De persecutione Herodis, & nece Innocentium, c. 93 ibid.
De fuga Domini in Aegyptum, & euentibus itineris, c. 94 ib.
De ruina Idolorum Aegypti ad eius ingressum cap. 95 p. 206
De Iuda Galileo, & Sexto Pithagorico Philosopho, c. 96 ib.
De tribus sectis Iudæorum priuatis, cap. 97 ibid.
De nece duorum filiorum Herodis, & eius priori testamento, cap. 98 p. 207
De odio Herodis in Antipatrum, & eius incarceratione, cap. 99 ibid.
De morbo & morte Herodis, & nece Antipatri, cap. 100 p. 208
De successione Archelai, & lite fratrum pro regno, c. 101 ibid.
De quattuor regibus in Iudea, & de simulato Alexandro, & diuisione regni, cap. 102 ibid.
De reditu Domini ab Aegypto, & morte Glasire, & exilio

Arche-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Archelai, cap. 103 p. 209
De inuentione Domini Iheſu in medio Doctorum c. 103 *ibid.*
De primis Iudæa procuratoribus, & morte Auguſti, de Athenodoro quoque Stoico, cap. 104 *ibid.*
De Ouidio Poeta, & ſcriptis eius, cap. 105 p. 210
Floſculi morales Epiſtolarum eius, cap. 106 *ibid.*
Flores libri ſine titulo, cap. 107 p. 211
Flores libri de arte amandi, cap. 111 p. 212
Floſculi de remedio amoris, cap. 114 p. 214
Floſculi libri Metamorphoſeos, cap. 116 p. 215
Floſculi libri Faſtorum, cap. 118 p. 216
Floſculi libri Triſtium, cap. 119 *ibid.*
Floſculi de Ponto, cap. 121 p. 217
De Valerio Maximo, & libri eius, cap. 123 p. 218
De dictis eiuſdem moralibus, c. 124 *ibid. & p.* 219. *& p.* 220

INDEX LIBRI SEPTIMI.

Septimus liber continet Hiſtoriam tantum, 27. Annorum per tempora ſimiliter duorum Imperatorum, videlicet Tiberii, ſub quo Dominus appenſus eſt in Cruce; Et Gaii Caligulę. Cuius, ſcilicet libri maximam partem tenent geſta Domini Ieſu & miracula Beatæ Virginis Matris eius, Mariæ. Habet autem Capitula 126.

De Imperio Tyberij Cæſaris, & bonis eius initijs, c. 1. 221
De guloſitate, & crudelitate eiuſdem, cap. 2 *ibid.*
De forma, & geſtis ac ſtudijs eius, cap. 3 222
De famoſo Paulinæ ludibrio in templo Iſidis, cap. 4. *fol. ibid.*
De Herode Tetrarcha, & procuratore Iudeo Valerio, & poſt de Pilato, cap. 5. *ibid.*
De odio Iudæorum in Pilatum, cap. 6 *ibid.*
De prædicatione Baptiſtæ, & baptiſmo Domini, cap. 7 223
De columba, & voce patris, cap. 8 *ibid.*
De ieiunio, & tentatione Domini, cap. 9 *ibid.*
De prima vocatione diſcipulorum, cap. 10 224
De ordine hiſtoriæ abhinc vſque incarcerationem Iohannis, cap. 11 *ibid.*
De aperta prædicatione, & electione 12. *Apoſtolorum, cap.* 12 225
De ſermone Domini in Monte, cap. 13 *ibid.*
De conuenientia 7. *virtutum cum ſeptem donis, cap.* 14 *ibid.*
De oratione Dominica, cap. 15 226
De adaptione 7. *petitionum ad* 7. *dona, cap.* 16 *ibid.*
De coniunctionibus illic inſertis, & de poſſeſſiuis, cap. 17 *ibid.*
De ordine Hiſtoriæ poſt ſermonem Domini ad quæſtionem Iohannis, cap. 18 227
De quæſtione Iohannis, & teſtimonijs Chriſti de ipſo cap. 19 *ibid.*
De multiplici laude Iohannis Baptiſtæ, cap. 20 *ibid.*
De ordine Hiſtoriæ poſt quæſtionem Iohannis vſque ad eius decollationem, cap. 21 228
De collatione Iohannis Baptiſtæ, cap. 22 *ibid.*
Teſtimonia Ioſephi de Iohanne Baptiſta, & de domino Ieſu, & eius facie corporali, cap. 23 *ibid.*
Hiſtoriæ ſeries poſt Iohannis decollationem vſque ad Domini transfigurationem, cap. 24 229
Ordo hiſtoriæ abhinc vſque ad Scenophegiam, cap. 25 *ibid.*
A ſcenophegia vſque ad Encenia, cap. 26 230
De Encenijs, cap. 27 *ibid.*
De Lazari reſuſcitatione, & Iudæorum contra Ieſum conſpiratione, cap. 28 *ibid.*
De mutuis epiſtolis domini Ieſu, & Abagari regis Ediſſæ, cap. 29 231
De Thadeo Apoſtolo poſt Aſſumptionem Domini ad eundem regem miſſo, cap. 30 *ibid.*
De vltimo aduentu Domini in Hieruſalem, c. 31 *ibid.*
De ſuſceptione eius in ramis palmarum, cap. 32 232
De ſecunda eiectione vendentium & ementium de templo, cap. 33 *ibid.*
De his quæ geſsit in ſecunda feria, cap. 34 234
De geſtis tertiæ feriæ, cap. 35 *ibid.*
De his, quæ geſta ſunt quarta feria. cap. 36 234
De Cæna Domini, & inſtitutione Euchariſtiæ, cap. 37 *ibid.*
De prædictione negationis Petri, & trina oratione domini, cap. 38 235
De ligatione Domini, & eius condemnatione coram Caypha & ſuſpendio Iudæ, cap. 39 *ibid.*
De diſcuſsione cauſæ eius coram Pylato, cap. 40 *ibid.*
De illuſione Herodis, & iudicio Pylati, cap. 41 236
De illuſione militum, & crucifixione Domini, cap. 42 *ibid.*
De ſuſceptione latronis, & commendatione Matris Virginis, cap. 43 *ibid.*
De tenebris vniuerſalibus aeris, & conſummatione Dominicæ Paſsionis, cap. 44 237
De morte Domini, & ſignis in elementis oſtenſis, c. 45 *ibid.*
De vulnere Dominici lateris, & illuminatione percuſſoris, cap. 46 *ibid.*
De martyrio eiuſdem Longini militis, cap. 47 238
De ſepultura Domini, cap. 48 *ibid.*
De triduo mortis eius, cap. 49 *ibid.*
De Aduentu Mulierum ad Sepulchrum, & reſurrectione Domini, cap. 50 239
Qualiter Chriſtus glorificationem ſuam meruit cap. 51 *ibid.*
Quia ſola humilitate Paſsionis, meruit nobis ingreſſum Paradiſi, cap. 52 240
De hora Dominicæ Reſurrectionis, cap. 53 *ibid.*
De diuerſitate aduentus mulierum, & numero Angelorum, cap. 54 241
De argumento Dominicæ Reſurrectionis, & numero apparitionum, cap. 55 *ibid.*
De apparitione facta Ioſeph, & altercatione Iudæorum cum cuſtodibus ſepulchri, cap. 56 *ibid.*
De relatione Ioſeph ſuper liberatione ſua de carcere, cap. 57 242
De illis, qui cum Domino reſurrexerant & de coniuratione Karini, & Leucij, cap. 58 *ibid.*
Relatio eorundem de illuſtratione Inferni in Aduentu Chriſti, cap. 59 243
De deſcenſu Chriſti ad Inferos, cap. 60 *ibid.*
De religatione Sathanæ, & Inferni ſpoliatione, cap. 61 *ibid.*
De occurſu Enoch, & Eliæ, & Latronis dextri in ingreſſu Paradiſi, cap. 62 244
De fine narrationis, & eius deſcriptione, cap. 63 *ibid.*
De Aſcenſione Domini, cap. 64 *ibid.*
De reditu Diſcipulorum in Hieruſalem, & electione Mathiæ, & commendatione Ioſeph, cap. 65 245
De Aduentu Spiritus Sancti, cap. 66 *ibid.*
De prædicatione Petri, & conuerſione 8. *milium Iudæorum, cap.* 67 *ibid.*
De communitate vitæ in primitiua Eccleſia, cap. 68 246
De conſtanti prædicatione, & miraculis Apoſtolorum, & de Gamaliele, cap. 69 *ibid.*
De ſeptem Diaconis ad miniſterium Dei electis, cap. 70 *ibid.*
De lapidatione Stephani, & prima diſperſione Eccleſiæ, cap. 71 247
De geſtis Philippi Diaconi primi, & de Symone Mago, cap. 72 *ibid.*
De tranſitu eiuſdem Philippi caterorumque Diaconorum, cap. 73 248
De Conuerſione Pauli, & initio prædicationis eius, cap. 74 *ibid.*
De hiſtoria Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & qualiter Apoſtolis reuelata eſt, cap. 75 *ibid.*
Qualiter ad eam Apoſtolis congregatis ei filius ſuus apparuit, & animam eius in cælum præmiſit, cap. 76 *ibid.*
De exequys eiuſdem Virginis, & miraculis per eam tunc oſtenſis, cap. 77 249
De ſepultura eius, & aſſumptione corporis in cælum, cap. 78 *ibid.*
Quid de præfata hiſtoria ſentire liceat, cap. 79. 250
De reuelatione ſuper hoc facta ſanctimoniali Eliſabeth, c. 80 *ib.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De miraculis post eius Assumptionem per eam gestis cap. 81 ibid.
De illo qui filium Virginis, pro se fideiussorem Iudæo tradidit, cap. 82 251
De illo pro quo imago Virginis se obiiciens iaculum excepit, cap. 83 ibid.
De Clerico cui Virgo lac infundens linguam restituit, cap. 84 ibid.
De Muliere quam inter maris vndas parietem protexit, cap. 85 252
De Abbatissa prægnante quam Maria ab infamia liberauit, cap. 86 ibid.
De Puero qui Virginis imaginẽ annulo subarrauit, c. 87 253
De illo quem sub aquis protectum ad littus Virgo perduxit, cap. 88 ibid.
De illis quos à tempestate maris eripuit: & puella cuius linguæ vinculum soluit, cap. 89 ibid.
De Imperatrice cuius castitatem à violentia seruorum eripuit, cap. 90 254
De alio casu consimili circa eandem Imperatricem, c. 91 ibid.
De medicina quam ei Beata Virgo innotuit, cap. 92 ibid.
De Muliere, quæ conceptum ex filio puerum interfecit, cap. 93 255
Qualiter eam Dæmon apud regem accusauit, cap. 94 ibid.
Qualiter Beata Virgo Dei genitrix eam ab opprobrio liberauit, cap. 95 256
De vidua paupere quam in exitu suo honorauit, cap. 96 ibid.
De veste quam sancto Bonito præsuli post missam dedit, cap. 97 257
De pauperculo viro quem à plaga Dæmonis liberauit, cap. 98 ibid.
De Iudæa quam à dolore partus liberauit, & de puero quæ panem imagini Christi porrexit, cap. 99 258
De adultera, & eius emula, quas ad pacem conuertit, cap. 100 ibid.
De illo, qui per orationem. O intemerata, &c. Dæmonem fugauit, cap. 101 ibid.
De milite, qui Virgini parcens eam monasterio tradidit, & torneamento occubuit, cap. 102 259
De exequijs eius, & miraculo super eum ostenso, c. 103 ibid.
De pictore, quem imago Beatæ Virginis Mariæ iniecta manu, ne caderet retinuit, & de interitu blasphemi, c. 104 ib.
De iuuene illo, qui abnegato Christo Matrem eius noluit abnegare, cap. 105 260
Qualiter eum Dei Genitrix honorauit, & exaltauit, cap. 106 ibid.
De sene Cisterciensi quem ad amorem ordinis prouocauit, cap. 107 ibid.
De electuario quo fratres pauperes cibauit, & superstitioso denegauit, cap. 108 261
De visionibus vtiliter ostensis monacho cuidam infirmo, cap. 109 ibid.
De imagine, quæ percussa, sanguinem reddidit, & alia quæ à Saracenis frangi non potuit, cap. 110 262
De Iudæo quem Beata Virgo tormentis, & gaudijs ostensis conuertit, cap. 111 ibid.
De fratre Carthusiẽsi quem à Dæmonum insultibus liberauit, cap. 112 ibid.
De quibusdam alijs, cap. 113 263
De visione ostensa sancto Hugoni Cluniacensi in Natali Domini, cap. 114 ibid.
De puero in vigilia Paschæ concepto, quem Dei genitrix ab inferno eripuit, cap. 115 ibid.
De fure suspenso, quem illa sustentauit, & monacho cuius ore post mortem rosa processit, cap. 116 264
De muliere quam à morte suscitauit, donec peccatum suum confiteretur, cap. 117 ibid.
De Subdiacono Toletano, quem iniuste degradatum restituit, cap. 118 265
De solemnizatione Natiuitatis ipsius Virginis, & quarundam imaginum eius miraculis, cap. 119 ibid.
De miraculis eiusdem circa Hildefonsum Toletanum Episcopum Ostensis, cap. 120 266
De dictis eiusdem præsulis in laudem ipsius Virginis, cap. 121 ibid.
De primo aduentu Pauli in Hierusalem, & miraculis Beati Petri, & primitijs gentium, cap. 122 267
De epistola Pilati, Tyberio missa super crucifixione Domini, cap. 123 ibid.
De exilio, & morte Pilati, & eius successore, cap. 124 ibid.
De paupertate, & ambitione Herodis Agrippæ, cap. 125 ibid.
De inuidia mutua Tyberij & Herodis Agrippæ, & de morositate Tyberij, cap. 126 268
De incarceratione ipsius Herodis, & Augurio Bubonis, cap. 127 ibid.
De morte Tyberij, & substitutione Gaij, & sublimatione Herodis, cap. 128 ibid.
De Imperio Gaii, & eius vita ac studiis ac ludis, cap. 129 269
De exilio Herodis Tetrarchæ, & Herodiadis, cap. 130 ibid.
De Philone, & scriptis eius, cap. 131 ibid.
De temeritate Gaii, qua Dei cultum sibi vsurpauit, cap. 132 270
De crudelitate eiusdem, cap. 133 ibid.
De impudicitia eius, & prodigalitate, & rapina, c. 134 ibid.
De statua Gaii, quam in Templo Hierusalem mandauit erigi, cap. 135 ibid.
De nece eiusdem Imperatoris, cap. 136 271

INDEX LIBRI OCTAVI.

Octauus liber continet historiam tantummodo quattuordecim annorum, quibus imperauit Claudius, sed propter consiliũ Hierosolymitanum, in quo legalia reuocata sunt per Petrum, & Iacobum illic inseritur breuis Epilogus, de cessatione legalium, & institutione nouorum gratiæ sacramentorum. Insuper Flosculi morales Iuuenalis, ac Persij Satyricorum, Lucani quoque Poetę, & eius patrui Senecæ. Habet autem Capitula 138.

De promotione Claudij ad Imperium, cap. 1 272
De vita, & moribus, eiusdem, cap. 2 ibid.
Item de eodem, & forma eiusdem, cap. 3 273
De Iacobo Zebedei, & Hermogene mago, cap. 4. ibid.
De conuersione Hermogenis, & Passione Iacobi, cap. 5 ibid.
De discipulis eiusdem Apostoli, & libello translationis eiusdem, cap. 6 274
De continentia eiusdem libelli, cap. 7 ibid.
De carcere Petri, & interitu Herodis, & successione Agrippæ, cap. 8 275
De ordinatione Pauli, & Barnabæ & quare dictus est Paulus, cap. 9 ibid.
De itinere eorum prædicationis causa, donec redierunt Antiochiam, cap. 10 ibid.
De primo Concilio in Hierusalem celebrato, super quæstione legalium, cap. 11 276
De diffinitiua sententia Iacobi super prædicta quæstione, cap. 12 ibid.
De impletione totius legis per Christum, cap. 13 277
Quod ideo legis vmbræ cessauerunt, quia veritas impleta est, cap. 14 ibid.
De impletione cerimonialium, cap. 15 ibid.
De completione Moralium in Euangelio, cap. 16 ibid.
De mutatione veterum sacramentorum in noua, cap. 17 278
De numero sacramentorum nouæ legis, cap. 18 ibid.
De institutione, & potestate baptismi, cap. 19 279
De essentia, & nomine baptismi, cap. 20 ibid.
De forma baptismi, cap. 21 ibid.
De intentione baptizantis, cap. 22 280
De baptismo paruulorum, cap. 23 ibid.

De

De effectu baptiſmi, cap. 24 ibid.
De baptiſmo etiam hæreticorum non iterando, cap. 25 281
De accidentibus ad baptiſmum recte, vel ficte, cap. 26 ibid.
De ſacramento Confirmationis, cap. 27 282
De collatione huius ſacramenti ad baptiſmum, cap. 28 ibid.
De inſtitutione Euchariſtiæ, cap. 29 ibid.
De forma, & re ſacramenti, cap. 30 283
De tranſſubſtantiatione panis, & vini, cap. 31 ibid.
De his, quæ ſupra naturam, vel intellectum fiunt ibi, cap. 32 ibid.
De quorundam intelligentia, quæ dicuntur, vel aguntur in Miſſa, cap. 33 284
Vtrum Euchariſtiæ cibus ſatiet, vel nutriat corpus, cap. 34 ibid.
De indigne ſumentibus, vel tangentibus, cap. 35 ibid.
De cauſis inſtitutionis huius ſacramenti, & quale tunc datum ſit corpus Chriſti, cap. 36 285
De ſacramento Pœnitentiæ, cap. 37 ibid.
De effectu eiuſdem ſacramenti, cap. 38 286
De tribus pœnitentiæ partibus, cap. 39 ibid.
De contritione, cap. 40 ibid.
De confeſſione, cap. 41 287
Quando, & de quibus oporteat confiteri, cap. 42 ibid.
Quibus perſonis confitendum ſit, cap. 43 ibid.
De modo audiendi confeſſiones, & faciendi interrogationes, cap. 44 ibid.
De ſatisfactione, cap. 45 288
De pœnitentia, & operibus non ſatisfactorijs, cap. 46 ibid.
De triplici pœnitentia, cap. 47 289
De numero, & vſu clauium, cap. 48 ibid.
De perſonis habentibus claues, cap. 49 ibid.
De menſura pœnarum communium, cap. 50 290
De quibuſdam maioribus panis in Canone expreſſis, cap. 51 ibid.
De qualitate pœnarum, & claulum, cap. 52 ibid.
De pœna excommunicationis, cap. 53 291
De inflicta à iudice, & à iure, cap. 54 ibid.
De abſolutis ne vinculi excommunicationis, cap. 55 ibid.
De generalibus remiſſionibus, vel indulgentijs, cap. 56. & 57 292
De reditu peccatorum, & purgatione venialium cap. 58 ibid.
De ſacramento Extremæ Vnctionis, cap. 59 293
De ſacramento Ordinis, cap. 60 ibid.
De impedimentis ordinandorum, & primo de crimine, & bigamia, cap. 61 294
Adhuc de impedimento bigamiæ, cap. 62 ibid.
De ſolenniter pœnitentibus, & curialibus non ordinandis, cap. 63 ibid.
De ſeruis, & corpore vitiatis, cap. 64 295
De illegitime natis, & in ægritudine baptizatis, & peregrinis, & ignotis, cap. 65 ibid.
De impedimentis ætatis, & ſexus, cap. 66 ibid.
De ordine, & tempore, & forma conſecrationis, cap. 67 296
De ſacramento Coniugij, cap. 68 ibid.
Quod vnica debet vnius eſſe de iure naturali, cap. 69 297
De ſponſalibus qualiter contrahuntur, cap. 70 ibid.
De caſibus in quibus ſponſalia ſoluuntur, cap. 71 ibid.
De triplici bono coniugij, cap. 72 ibid.
De his, qui contrahere poſſunt, & de effectu coniugij, cap. 73 298
De ſpeciebus coniugij, cap. 74 ibid.
De his, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium ac primo de errore perſonæ, cap. 75 ibid.
De impedimento conditionis, cap. 76 299
De impedimento voti, cap. 77 ibid.
De cognatione carnali, cap. 78 ibid.
De cognatione ſpirituali, cap. 79 300
De cognatione legali, cap. 80 ibid.
De impedimento criminis, cap. 81 301
De diſpari cultu, cap. 82 ibid.
De metu, vel coactione, cap. 83 ibid.
De ligatione, & publica honeſtate, cap. 84 302
De affinitate, cap. 85 ibid.
De impotentia coeundi, cap. 86 ibid.
De his, quæ matrimonium impediant, ſed non dirimunt, cap. 87 303
De diuortio, cap. 88 ibid.
De filijs legittimis, & illegittimis, cap. 89 ibid.
De epiſtola Apoſtolorum & Cronica annorum Petri, & Pauli, cap. 90 304
De hoc, quod Paulus corripuit Petrum, cap. 91 ibid.
De euangelio Petri, quod Marcus conſcripſit, cap. 92 ibid.
De Romanis Pontificibus à Petro vſq; ad Silueſtrum, cap. 93 305
Catalogus cæterorum vſque ad Innocentium Quartum, cap. 94 ibid.
De Agrippa filio Herodis Agrippæ, & diſſenſione Pauli, & Barnabæ, cap. 95 306
De prouincijs à quibus prohibiti ſunt à Spiritu ſancto, & de Helena regina, cap. 96 307
De tranſitu Pauli in Macedoniam, cap. 97 ibid.
De conuerſione Athenienſium, cap. 98 ibid.
De conuerſione Sancti Dionyſij, & libris eius. capit. 99 308
De vltimo aduentu Pauli in Hieruſalem, & de vinculis eius, cap. 100 ibid.
De multiplici calamitate Iudæorum, cap. 101 ibid.
De Seneca, & libris eius ac floſculis de moribus, cap. 102 309
Flores eiuſdem de virtutibus, cap. 103 ibid.
Flores eiuſdem de clementia, cap. 104 ibid.
Flores ipſius de beneficiis, cap. 105 310
Flores eius de remedijs fortuitorum, cap. 106 ibid.
Flores Naturalium quæſtionum eiuſdem, cap. 110 ibid.
Flores Declamationum eius, cap. 112 311
Flores Tragediarum eius, cap. 113. & 114 ibid.
Flores Epiſtolarum eiuſdem, cap. 115 & ſubſequentibus vſque ad cap. 137 ibid.
De poetis illius temporis, & Floſculis Perſij, cap. 137. fol. 320
Flores Iuuenalis, cap. 138 321

INDEX LIBRI NONI.

Nonus liber continet hiſtoriam 15. annorũ, quorum 14. ferè Nero regnauit, qui primus contra Chriſti Eccleſiam adhuc nouellam perſecutionem excitauit. Poſt hũc autem Galba, & Ocho, atque Vitellius, vno circiter imperauerunt anno, nec ſimul quidem, ſed ſucceſſiue. Magnam huius libri partem obtinet diſperſio Chriſti Diſcipulorum, vitęque, & Agones eorum. Sed, & Quintiliani Floſculi morales in eo continentur. Habet autem Cap. 128.

De bonis initiis Neronis, cap. 1 322
Qualiter feſtus Felici ſuccedens Paulum, miſit ad Ceſarem, cap. 2 ibid.
De Iſmahele Pontifice, & Cathalogo Pontificum, cap. 3. 323
De vita Iacobi fratris Domini, & eius paſſione, cap. 4 ibid.
Qualiter Paulus peruenit Romam, & de libera eius cuſtodia, cap. 5 ibid.
De cantibus ac luſibus, & iactantia Neronis, cap. 6 324
De luxuria eius, & prodigalitate, cap. 7 ibid.
De rapinis eius, & crudelitate, cap. 8 ibid.
De Seneca, & libris eius, cap. 9 325
De libertate eius in reprehenſione idolatriæ, cap. 10 ibid.
De 12. perſecutionibus eccleſiæ, quarum prima capit à Nerone, cap. 11 ibid.
De conflictu Petri cum Symone mago, & morte illius, cap. 12 326

Quod

INDEX.

Quod Petrus insidias Albini declinans à Christo monitus redijt, cap. 13 ibid.
Qualiter captus est, & cruci affixus, cap. 14 327
De exequijs eius, & correptione Neronis, cap. 15 ibid.
De Paulo qualiter Patroclo suscitato comprehensus est, cap. 16 ibid.
De constanti eius confessione coram Cæsare, cap. 17. fol. 328
Qualiter ad supplicium pergens doctores suos conuertit, cap. 18 ibid.
Qualiter decollatus est, & Manphora Plantillæ restituta, cap. 19 ibid.
Qualiter post mortem apparuit Plantillæ, & post Cæsari, post ministris, cap. 20 329
De miraculo Pauli in eo, qui voluit se suspendere, cap. 21 ib.
De primatu Rom. Ecclesiæ ratione Petri, & successione Clementis, cap. 22 ibid.
Qualiter idem Clemens adhæsit primo doctrinæ Barnabæ, cap. 23 330
Qualiter postmodum adhæsit Petro, cap. 24 ibid.
Qualiter res virca se gestas narrauit Petro, cap. 25 ibid.
Qualiter Petrus matrem illius mendicantem inuenit, cap. 26 331
Qualiter eandem Clementi innotuit, cap. 27 ibid.
Qualiter Agnita est Ecclesia à Niceta, & Aquila, cap. 28 332
Qualiter Faustinianus eos ad disputandum prouocauit, cap. 29 ibid.
Assertio Nicetæ de prouidentia, cap. 30 333
Responsiones patris ad verba Nicetæ, & Aquilæ, cap. 31 ib.
Verba Clementis, & responsio patris, cap. 32 334
Qualiter omnes se mutuo agnouerunt, cap. 33 ibid.
Quod Petrus noluit Faustinianum statim baptizari, cap. 34 ibid.
De immutatione vultus eius dolo Symonis Magi, cap. 35. 335
Qualiter dolus magi Antiochiæ profecit in gloriam Petri, cap. 36 ibid.
Qualiter Petrus Romæ sibi Clementem substituit, & de regimine docuit, cap. 37 336
De filia eius Petronella, et S. Felicula, cap. 38 ibid.
De S. Marciale Lemoniocensi, cap. 39 ibid.
De quibusdam eius miraculis, & obitu eiusdem cap. 40 337
De S. Sauiniano. & Po. & Altino, cap. 41 ibid.
De S. Clementis Metensi, cap. 42 ibid.
De S. Frontone Petragoricensi, cap. 43 ibid.
Qualiter eum Dominus in deserto visitauit, cap. 44 ibid.
De S. Memio, Cathalanensi, cap. 45 339
De miraculis eiusdem, & bonis operibus, cap. 46 ibid.
De S. Thecla, Pauli discipula, cap. 47 ibid.
Qualiter bestiarum sæuitiam fidem superauit, cap. 48 fol. 340
De quibusdam aliis Pauli discipulis, cap. 49 ibid.
Passio sanctorum Vitalis, & Valeriæ uxoris eius, c. 50 341
De filijs eorum Geruasio, & Prothasio, & de sanctis Nazario, & Celso, cap. 51 ibid.
De constantia sanctorum martyrum Nazarii, & Celsi coram Nerone, cap. 52 ibid.
De passione omnium quattuor prædictorum sanctorum, cap. 53 342
Passio sanctorum Processi, & Martiniani, cap. 54 ibid.
Passio sanctorum Tymothei, & Apollinaris, cap. 55 ibid.
De quibusdam aliis sub Nerone passis, cap. 56 ibid.
De gestis S. Marci Euangelistæ, cap. 57 343
De passione eiusdem, cap. 58 ibid.
De causa, & signis euersionis Hierusalem, cap. 59 ibid.
De Iesu filio Anani, cap. 60 344
De vltima dispersione Apostolorum caterorumque discipulorum, cap. 61. ibi.
De aduentu sancti Thomæ in Andronopolim, cap. 62, ibi.
Qualiter eum cantatrix in conuiuio manifestauit, cap. 63 ib.
De filia regis, & eius sponso quos ad fidem, & castitatem conuertit, cap. 64 345
De Palatio spirituali quod regi Indiæ construxit, cap. 65 ibid.
De aduentu eius in superiorem Indiam vbi pro Christo passus est, cap. 66 ibid.
De gestis sancti Andreæ in Mirmidonia, cap. 67 fol. 346
De his, quæ gesit apud Niceam, & Nichomediam, cap. 68 346
De aduentu eius in Thessalonicam, & certamine in stadio, cap. 69 347
De serpente quem occidit, & 40. mortuis quos suscitauit, cap. 70 ibi.
De his, quæ gesit apud Patras, & Macedoniam, cap. 71. ib.
De Agone eius, cum Egea Proconsule, cap. 72 348
De crucifixione eius, & turpi morte Proconsulis, c. 73 ibi.
De prædicatione sancti Matthæi, & lucta contra magnos, cap. 74 ibi.
De filio regis quem suscitauit, cap. 75 349
De furore regis Hirtaci contra Apostolum, propter Ephigeniam cap. 76 ibi.
De certamine Ephigeniæ cum Hirtaco, & Turpi morte Hirtaci, cap. 77 ibi.
De Apostolis Symone, & Iuda, & Baradach duce, cap. 78 350
De certamine eorum contra Magos, cap. 79 ibi.
De serpentibus Magorum, quorum morsibus iidem afflicti fugerunt, cap. 80 351
De cæteris populorum gestis in Babylonia, cap. 81 ibid.
De passione eorundem, cap. 82 ibid.
De sancto Bartholomæo, & Ascaroth, cap. 83 352
De quibusdam signis, & confessione Dæmonie, cap. 84 ibid.
De fractione Idoli, & effigie Dæmonis, cap. 85 ibid.
De passione Apostoli, & turpi morte hostium, & miraculo lampadis, cap. 86 353
De translatione sancti corporis, & Theodoro eius scriptore, cap. 87 ibid.
De vita sancti Philippi Apostoli, cap. 88 354
De sancto Barnaba, cap. 89 ibid.
De sancto Luca Euangelista, cap. 90 ibid.
De cæteris Apostolorum Discipulis, cap. 91 355
De vita sancta Marthæ, cap 92 ibid.
De vita sancta Mariæ Magdalenæ, cap. 93 ibid.
De dispersione earum cum quibusdam Discipulis, cap. 94 356
Qualiter Maria ducem Marsiliæ conuertit, & ei filium à Domino impetrauit, cap. 95 ibid.
Qualiter idem dux Hierosolymam, & loca sancta visitauit, cap. 96 ibid.
Qualiter in regressu puerum suum miraculose nutritum inuenit, cap. 97 357
Qualiter etiam vxorem defunctam, per Beatam Mariam Magdalenam recuperauit, cap. 98 ibid.
De Dracone quem Martha liganit, & populus occidit cap. 99 358
De austeritate vitæ illius, cap. 100 ibid.
De suscitatione iuuenis, & conuersione aquæ in vinum, c. 101 ibid.
De conuersatione Mariæ Magdalenæ in deserto, cap. 102 359
De transitu eiusdem, & sepulchro, cap. 103 ibid.
De anima eius, quam vidit Martha, cap. 104 ibid.
De fœlici eius transitu, cap. 105 360
De glorioso eiusdem exequijs, cap. 106 ibid.
De loco sepulchri, & comitibus eius, cap. 107 ibid.
De sacerdote Beatæ Mariæ, miracula non credente, cap. 108 361
De clerico desperato, per eam consolato, cap. 109 ibid.
De Britone per eam à naufragio liberato, cap. 110 ibid.
De sancto Maximino Aquensi Episcopo, & socijs eius, cap. 111 362
De sancto Saturnino Tolosano, cap. 112 ibid.
De sancto Iuliano Cenomanensi, cap. 113 ibid.
De obitu eius, & miraculis post obitum, cap. 114 363
De alio Iuliano, pro quo dicitur Oratio Dominica, cap. 115 ibid.
De sancto Hermagora, & eius passione, cap. 116 ibid.
Qualiter cum sancto Fortunato martyrizatus est, cap. 117 ibid.
De his, quæ præcesserunt mortem Neronis, cap. 118 364
De infelici eiusdem morte, cap. 119 ibi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Galba Imperatore, & morte eius, cap. 120 365
De Quintiliano Oratore, & floſculis eius, cap. 121 & ſubſequentibus tribus cap. ibid.
De Ottone Imperatore, & morte eius, cap. 126 367
De Vitellio Imperatore, & eius moribus, cap. 127 ibid.
De crudelitate, & morte eius, cap. 128 368

INDEX LIBRI X.

Decimus liber continet hiſtoriam 93. Annorum, per tempora decem Imperatorũ, ſcilicet ab Imperio Veſpaſiani, ſub quo Iudęi cum Hieruſalem in vltionem mortis Dominicæ ſubuerſi ſunt, vſque ad Seuerum pertinacem. Qui, & ipſe contra Chriſtianos perſecutionem excitauit. Habet autem Capitula 127.

De Imperio Veſpaſiani, & bonis eius initijs, cap. 1 269 ibid.
De Ioſepho, & ſcriptis eius, cap. 2 370
De obſidione, & calamitate Hieruſalem, cap. 3 ibid.
De anaritia Iudæorum, & extrema fame, cap. 4 ibid.
De muliere, qua comedit filium ſuum, cap. 5 371
De deſtructione Templi, & vrbis, cap. 6 ibid.
De paſſione S. Apollinaris, cap. 7 372
De cupiditate Veſpaſiani, & morte eius, cap. 8 ibid.
De Imperio Titi, & morte eius, cap. 9 ibid.
De Domitiano, & bonis eius initijs, cap. 10 373
De crudelitate ipſius, cap 11 ibid.
De ſancto Clemente Papa, & ſcriptis eius, cap. 12
De edicto Domitiani, contra illos de genere Dauid cap. 13 ibid.
De Dolio Ioannis Euangeliſta, & eius exilio, & Apocalipſi, cap. 14 374
De paſſione ſanctorum Nerei, & Achillei, cap. 15 ibid.
De ſancto Dionyſio Ariopagita, & ſociis eius, capitu. 16 ibid.
De martyrio eorundem, cap. 17 ibid.
De Codice paſſionis ſancti Eutropij, cap. 18 375
Qualiter ad fidem Chriſti conuerſus eſt, cap. 19 ibid.
Qualiter ipſe cum patre ſuſcepit Apoſtolos Symonem & Iudam, cap. 20 376
De legatione eius à Beato Petro ſuſcepta, & eius paſſione, cap. 21 ibid.
De vita ſanctorum Sanctini, & Antonini, cap. 22 ibid.
De vita ſancti Iony, cap 23 377
De vita ſancti Cauranni Carnotenſi, cap. 24 ibid.
De ſancto Luciano Beluacenſi, cap. 25 ibid.
De martyrio eius, & exequijs, cap. 26 378
De legatione ſancti Reguli Siluanectanenſi, cap. 27 ibid.
Qualiter ei reuelata eſt paſſio ſanctorum Dionyſij, & ſociorum eius, cap. 28 ibid.
De aduentu eius in Siluanectis, & conuerſione vrbis. cap. 29 379
Qualiter in carcere vinctos miraculo liberauit, cap. 30 ibid.
De conuerſione Præſidis, & ſubuerſione Idolorum per ipſum, cap. 31 ibid.
Qualiter ranis impoſuit ſilentium, & de morte eius, c. 32 380
De ortu ſancti Taurini Ebroicenſi, cap. 33 ibid.
De acceſſu eius apud Ebroicas, & de conuerſione vrbis, cap. 34 ibid.
De ſancto Eugenio Toletano, cap. 35 381
De edicto Domiciani contra Mathematicos, cap. 36 ibid.
De arrogantia eius, & meticuloſitate, & forma, et morte, ca. 37 ibid.
De Imperio Neruæ, et vita ſancti Thimothei Apoſtoli, cap. 38 ibid.
De reuocatione Iohannis ab exilio et ſuſcitatione Druſionum, et de Cratone Philoſopho, cap. 39 382
De duobus, qui relictis omnibus panituerunt, ſed poſtea reſipuerunt, cap. 40 ibid.
De conſcriptione Euangelii Iohannis contra hæreticas, cap. 41 383
De filio eius ſpirituali, quem à latrocinijs reuocauit, cap. 42 ibid.
De ruina Idolorum, et veneno, quod ſine laſione bibit, cap. 43 384
De ſuſcitatione illorum, qui veneno interierant, cap. 44 ibi.
De ſancto Euthice ac ſociis eius, et cæteris huius temporis martyribus, cap. 45 ibid.
De Imperio Traiani, cap. 46 385
De Plutarcho eius præceptore, cap. 47 ibid.
De libro Plutarchi miſſo ad Traianum, cap. 48 ibid.
De tranſitu Iohannis Euangeliſtę, cap. 49 ibid.
De virginitate eius, et de rigoris temperie, cap. 50 386
De crucifixione ſancti Symeonis Epiſcopi, cap. 51 ibid.
De vita ſancti Clementis Papæ, cap. 52 ibid.
De exilio eius, et paſſione, cap. 53 ibid.
De miraculis eius poſt obitum, cap. 54 387
De ſancta Domicilla, et ſociabus illius, cap. 55 ibid.
De ſancto Ignatio Actiocheno, cap. 56 ibid.
De ſcriptis eiuſdem, cap. 57 388
De ſancto Euſtachio, et conuerſione eius, cap. 58 ibid.
De tentationibus, quas Dominus ei miſit, cap. 59 ibid.
Qualiter à militibus agnitus ad Imperatorem redijt, cap. 60 389
Qualiter vxorem, et filios recognouit, cap. 61 ibid.
De ſancto Foca, et eius altercatione cum Aphricano, cap. 62 ibid.
De viſione terribili circa eum, et conſternatione Aphricani, cap. 63 390
De ſupplicio eius, et carcere, cap. 64 ibid.
De vltimo eius agone, cap. 65 ibid.
De Plinio ſecundo, et eius relatione ad Traianum pro Chriſtianis, cap. 66 391
De libris eiuſdem Plinij, cap. 67 ibid.
De ſeditione Iudæorum, et fine Traiani, cap. 68 ibid.
De Imperio Adriani, et ſtudio, et moribus eius, cap. 69 392
De Secundo Philoſopho, et eius pertinaci ſilentio, cap. 70 ibid.
De his, quæ ad interrogata ſcripto reſpondit, c. 71 ibid.
De ſcriptis Quadrati, et Ariſtidis pro Chriſtianis, cap. 72 393
Paſſio ſanctorum Quirini, et Hermetis, cap. 73 ibid.
Paſſio ſanctorum Alexandri Papæ, et Euencij et Theodoli, cap. 74 394
Paſſio ſancti Sixti Papæ, et Peregrini, Antiſiodori, ca. 75 ibid.
Paſſio ſancti Taurini, ſub Licinio Præſide, cap. 76 ibid.
Qualiter idem ſanctus filium illius ſuſcitauit, cap. 77 f. 395
Qualiter eidem ſancto reuelatus eſt obitus proprius, c. 78 ibid.
De prophetia eius, et exitu, et exequiis, cap. 79 ibid.
Paſſio ſanctę Serapiæ virginis, cap. 80 396
Paſſio ſanctæ Sabinæ martyris, cap. 81 ibid,
Paſſio ſancti Euſtachij, cap. 82 ibid.
Paſſio ſanctorum Fauſtini, et Iobite, et Kalocerii, cap. 83 397
De ſancta Sophia, et tribus filiabus eius, cap. 84 ibid.
De paſſione earundem, cap. 85 ibid.
De quadam Sancta Maria Virgine, cap. 86 398
De petra, quæ ſe aperiẽs ei refugium prębuit, cap. 87 ibid.
De conuerſione nouem millium militum, cap. 88 fol. 399
De paſſione eorum cum decimo millenario, cap. 89 ibid.
De quibuſdam operibus Adriani, et morte eius, et quibuſdam aliis, cap. 90 400
De Imperio Antonini Pii, et Pio Papa, et Herma, cap. 91 ibid.
De Tauro Philoſopho, et Galieno Medico, cap. 92 ibid.
De ſanctis Policarpo, et Papia, et ſcriptis eorum ecp. 93 401
De Iuſtino Philoſopho, et ſcriptis eius, et morte Antonini Pii, cap. 94 ib.

De

INDEX.

De Imperio Antonini Veri, & Aurely Commodi, & perſecutione eorum in Chriſtianos, cap. 95 fol. 402
Paſſio ſancti Policarpi, Epiſcopi, cap. 96 ibid.
Paſſio ſanctorum Pionij, Iuſtini, & quorundam aliorum, cap. 97 ibid.
De perſecutione. Lugdonenſis & Vienenſis Eccleſiæ, cap. 97 403
Paſſio ſancti Fotini Epiſcopi, & ſanctorum ſociorum eius, cap. 98 ibid.
Paſſio ſanctorum Alexandri, & Attali, cap. 99 404
Paſsio ſanctorum Pontici, & Blandini, cap. 100 ibid.
De Nimia Seuicia gentilium in Chriſtianos, cap. 101 ibid.
Paſsio ſanctæ Felicitatis cum ſeptem filys, cap. 102 ibid.
Paſsio ſancti Pontiani martyris, cap. 103 405
Paſsio ſancti Flocelli pueri, cap. 104 ibid.
Paſsio ſanctæ Praxedis virginis, cap. 105 ibid.
Paſsio ſanctorum Victoris, & Coronæ, cap. 106 406
Paſsio ſancti Concordij, cap. 107 ibid.
Paſsio ſancti Marcelli martyris, cap. 108 ibid.
Paſsio ſanctorum Valeriani, & quorundam aliorum, cap. 109 407
De lue poſt perſecutionem, & de miraculo pluuiæ in exercitu, cap. 110 ibid.
De Egyſippo, & cæteris illius temporis Doctoribus, cap. 111 ibid.
De morte Aurelii, & Antonini, cap. 112 408
De Imperio Aurelii Commodi, cap. 113 ibid.
De S. Eugenia, & Protho, & Iacincto, cap. 114 ibid.
Quod mutato habitu in monaſterio facta eſt Abbas, cap. 115 409
De accuſatione Melanciæ in eam, cap. 116 ibid.
De purgatione criminis, & pœna accuſatricis, cap. 117 410
De prædicatione ſanctorum Euſebii, Vincentii Peregrini, & Potentiani, cap. 118 ibid.
Paſsio ſancti Iulii Senatoris, cap. 119 ibid.
Paſsio S. Euſebij præfati cum ſociis ſuis, cap. 120 411
Paſsio ſancti Antonini, cap. 121 ibid.
De fine Agonis prædictorum ſanctorum, cap. 122 ibid.
De Victore Papa, & Hiereno Lugdonenſi, cap. 123 412
De fine Commodi, & Imperio Aurelii ac Iuliani, cap. 124 ibid.
De Clemente Alexandrino, ac cæteris illius temporis ſcriptoribus, cap. 127 ibid.

INDEX LIBRI VNDECIMI.

Vndecimus liber, continet hiſtoriam 276. annorum per tempora 16. Imperatorum. ab Imperio, ſcilicet Seueri, vſque ad Imperium Diocletiani, & Maximiani, qui decima perſecutione concitata ſuper omnes in Chriſtianos ſæuierunt. Inter hæc etiam continet paucos flores Origenis, & flores Ciprianj Martyris. Habet autem Cap. 129.

DE imperio Seueri, & Leonide patre Origenis, cap. 1 413
De feruore Origenis à pueritia, cap. 2 ibid.
De paſsione ſancti Philippi, cap. 3 414
De S. Claudia, Eugenia, & Baſilla, cap. 4 ibid.
De hæreſi Paulinianorum, & Natali Confeſſore, cap. 5 ibid.
Paſsio ſanctorum Andeoli, & Victoris Papæ, cap. 6 ibid.
De Quinto Tertuliano, & ſcriptis eius, cap. 7 ibid.
De ſtudio, & promotione Origenis, cap. 8 415
De laude eiuſdem iuxta Heimonem, cap. 9 ibid.
De cauſis errorum eiuſdem, cap. 10 416
De multitudine librorum eius, cap. 11 ibid.
De variis illius erroribus, cap. 12 ibid.
De pœnitentia illius, cap. 13 417
De Apologia eiuſdem, cap. 14 ibid.
Exortatio eius ad clericos, cap. 15 ibid.
De Policrate, & cæteris illius temporis ſcriptoribus cap. 16 418
De morte Seueri, & Imperio Caracallæ, cap. 17 ibid.
De ſancto Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymitano, cap. 18 ibid.
De ſucceſſore eius Alexandro, cap. 19 419
De morte Caracallæ, & Imperio Macrini, & Gabali, cap. 20 ibid.
De Imperio Alexandri, & tranſlatione ſancti Thomæ, cap. 21 ibid.
De ſancta Cecilia, & Tyburtio, ac Valeriano. cap. 22 ibid.
De paſsionibus eorundem, cap. 23 420
Paſsio ſancti Calixti Papæ, & Calepodij præsbyteri, cap. 24 ibid.
Paſsio ſancti Vrbani Papæ cum ſociis ſuis, cap. 25 fol. 421
Paſsio ſancti Cyrici, & Iulitæ matris eius, cap. 26 ibid.
De S. Martina Virgine, & VIII. Martyribus cap. 27 fol. 422
De agone S. Martynæ virginis, cap. 28 ibid.
De fine Agonis eiuſdem, cap. 29 423
De Hyppolito, & Berillo Epiſcopis, & libris eorum, cap. 30 ibid.
De Imperio Maximini, & Seuicia eius in eccleſiam, cap. 31 ibid.
De Imperio Cordiani, & ſcriptis Aphricani, cap. 32 424
De duobus Philippis Imperatoribus, cap. 33 ibid.
De bona indole ſancti Poncii, cap. 34 ibid.
Qualiter per ipſum Imperatores ſunt conuerſi, cap. 35 ibid.
De Imperio Decii, & Fabiano Papa, cap. 36 425
De Dionyſio Alexandrino, & libris eius, cap. 37 ibid.
Relatio eius de martyribus Alexandrinis, cap. 38 ibid.
De his, qui in perſecutione defecerunt, & his qui perſtiterunt, cap. 39 426
De his, qui ſponte ſe obtulerunt, cap. 40 ibid.
De hæreſi Nouicianorum, & de lapſis recipiendis, cap. 41 ibid.
De ſancta Agatha, & eius Agone, cap. 42 ibid.
De paſsionibus eius, cap. 43 427
De conſummatione agonis eius, cap. 44 ibid.
Paſsio ſanctorum 7. dormientium, cap. 45 ibid.
Paſsio ſancti Petri cum ſociis eius, cap. 46 ibid.
De ſancto puero Triphone, cap. 47 428
De paſsione eiuſdem, cap. 48 ibid.
Paſsio ſanctorum Abdon, & Sennæ, cap. 49 ibid.
De conuerſione Secundiani, & variani, & Marcelliani, cap. 50 429
De martyrio eorundem, cap. 51 ibid.
De cæteris paſsis ſub Decio, cap. 52 ibid.
De Imperio Galli, & Voluſiani, & hæreticis non baptizandis, cap. 53. 54. 55 430
De ſancto Papa Cornelio, & ſcriptis eiuſdem, cap. 54 ibid.
De paſsione eiuſdem, cap. 55 ibid.
De Imperio Valeriani, & Galieni, & paſsione ſancti Dionyſij Alexandrini, cap. 56 ibid.
De paſsione ſancti Priſci, Malchi, Alexandri, & Marini, cap. 57 431
De ſancto Aſtirio Senatore, cap. 58 ibid.
De imagine Domini, & cathedra Iacobi, quæ ſunt in Cæſaria, cap. 59 ibid.
De Lucio Papa, & Stephano Papa, cap. 60 432
Paſsio ſancti Fructuoſi Epiſcopi cum ſociis ſuis, cap. 61 ibid.
De ſancto Cypriano Epiſcopo, & martyre, & libris eius, cap. 62 ibid.
De 12. abuſionibus ſeculi, ſecundum ipſum, cap. 63 ibid.
De gratia Dei, & malicia, ſeculi, cap. 64 433
De laude virginitatis, & ſanctimoniæ, cap. 65 ibid.
De inuectiue eiuſdem contra aleatores, cap. 66 434
De modo orandi, c. 67 ibid.

De

De contemptu mortis, cap. 68 435
Detestatio auaritiæ, cap. 69 ibid.
De bono patientiæ, cap. 70 ibid.
De Zelo, & liuore, cap. 71 ibid.
De laude martyrum, cap. 72 436
Inuentio contra blasphemum, & histrionem, cap. 73 ibid.
De sancto Mellone Episcopo, cap. 74 ibid.
Passio sancti Priuati Episcopi, cap. 75 437
Passio S. Basillæ, & Prothi, & Iacinti, cap. 76 ibid.
Passio sanctæ Eugeniæ virginis, cap. 77 ibid.
Passio sancti Pontij martyris, cap. 78 438
Consummatio Agonis eiusdem, cap. 79 ibid.
De Galieno Imperatore, & Gregorio Pontico, & scriptis eius, cap. 80 ibid.
De stagno, quod orando siccauit, cap. 81 439
De cæteris eiusdem miraculis, cap. 82 ibid.
De quibusdam aliis sub præfatis Imperatoribus passis & fine illorum, cap. 83 ibid.
De obitu sancti Dionysii Alexandrini, & ambiguitate Historiæ, cap. 84 440
De crudelitate Decij in sanctos, cap. 85 ibid.
De Paulo Heremita, & itinere Antonij ad eum, cap. 86 ib.
Qualiter inuenit eum Antonius, cap. 87 441
De dormitione Pauli, & scriptura eius, cap. 88 ibid.
Passio S. Pollicronij Episcopi, cap. 89 ibid.
Passio sancti Permenij presbyteri, cap. 90 ibid.
Passio S. Abdon, & Sennę, Olimpiadis, & Maximi, c. 91 442
Passio sancti Sixti Papæ, cap. 92 ibid.
Passio S. Laurentii martyris, cap. 93 ibid.
Miracula eius post mortem, cap. 93 443
Passio S. Hyppoliti cum socijs suis, cap. 95 ibid.
De Imperio Claudij, & Paulo Hereſiarcha, & Pelagia peccatrice, cap. 96 444
De conuersione eius, & pœnitentia, cap. 97 ibid.
De sancto Quirino martyre, cap. 98 445
De sanctis Mario, & Martha cum filiis, & Valentino, & Astiro, cap. 99 ibid.
De passione eorundem sanctorum, cap. 100 ibid.
De sanctis Cæsario, & Iuliano, cap. 101 ibid.
De passione eorundem sanctorum, & quorundam aliorum, cap. 102 446
De Imperio Aureliani, & excõmunicatione Pauli, c. 103 ib.
Passio sanctæ Columbæ virginis, cap. 104 ibid.
Passio S. Sauiniani martyris, cap. 105 447
Modus conuersionis eiusdem, cap. 106 ibid.
De sancta Sauina eius sorore, cap. 107 ibid.
Passio S. Patrocli martyris, cap. 108 448
De sancto Speusippo, & fratribus eius, cap 109 ibid.
De passione eorundem, cap. 110 ibid.
De sancto Benigno presbytero. cap. 111 449
De passione eiusdem, cap. 112 ibid.
Passio sancti Prisci, & Felicis presbyteri, cum sociis suis, cap. 113 450
Passio S. Andochi cum socijs suis, cap. 114 ibid.
Passio S. Simphoriani, & eius miracula, cap. 115 ibid.
De sancto Mammete puero, cap. 116 ibid.
De Agone eius in passione, cap. 117 ibid.
Passio sancti pueri Agapiti, cap. 118 ibid.
De cæteris sub Aureliano passis, 119
De Imperio Taciti, Floriani, Probi, & Karini, c. 120 452
Passio sancti Mauri Monachi, & quorundam aliorum, cap. 121 ibid.
De S. Babillo cum tribus pueris, cap. 122 ibid.
De passione eorundem, cap. 123 453
De S. Crisanto, & eius tentatione, cap. 124 ibid.
Qualiter Dariam de muneribus disputando conuertit, cap. 125 ibid.
Qualiter accusatus est, & punitus, cap. 126 454
De conuersione Claudii Tribuni, & Hilarij, cap. 127 ibi.
De expositione Dariæ in Lupanari, cap. 128 ibid.
De passione amborum, cap. 129 ibi.

INDEX LIBRI XII.

Duodecimus liber, continet historiam tantum viginti annorum, quibus Diocletianus, & Maximianus imperauerũt, & post multas Christianorum persecutiones ambo simul Imperium purpuramque deposuerunt. Habet autem capitula 161

DE Imperio Diocletia. & Maximiani, cap. 1 456
De legione sanctorum Thebæorum, & passione eorum, cap. 2 ibid.
De quibusdam eorum miraculis, cap. 3 457
De passione sanctorum Cassij, & Florentij cum socijs suis, & Gereonis cum sociis suis, cap. 4 ibid.
De generali persecutione ecclesiæ, cap. 5 ibid.
De ducibus sub Diocletiano constitutis, cap. 6 ibid.
Passio sancti Victoris Militis Masilienſis, capitulo 7 fol. 458
De quattuor coronatis, cap. 8 ibid.
De Passione eorum, & quattuor corniculariorum, capitu. 10 ibid.
De sanctis Sebastiano, Marcelliano, & Marco, c. 11 459
Qualiter sanctus Sebastianus eos in tentatione confortauit, cap. 12 ibid.
Sermo eiusdem de contemptu præsentium, cap. 13 fol. 460
De splendore super eum veniente quem vidit Zoe, cap. 14 ibid.
De conuersione Nicostrati Primiscerini & aliorum plurimorum, cap. 15 ibid.
De his, qui optione sibi data martyrium elegerunt, cap. 16 461
Passio sanctorum Zoe Tranquilini, & Nicostrati cum socijs suis, cap. 17 ibid.
Passio sancti Tiburtii martyris, cap. 18 ibid.
Passio sanctorum Castuli, Marcelliani, & Marci, ac Sebastiani, cap. 19 462
Passio sancti Mennæ militis, cap. 20 ibid.
Passio sanctorum Dorothæi, & Gorgonii cum sociis suis, cap. 21 ibid.
De cæteris qui passi sunt Nichomeniæ, & Meletenæ, cap. 22 463
De his, qui passi sunt in Palestina, & Tyro, cap. 23 ibid.
De his, qui passi sunt in Aegypto, cap. 24 ibid.
Passio sancti Phileæ Episcopi cum pluribus cæteris, cap. 25 464
Qualiter idem in vinculis positus gregem suum scripto ad Martyrium animabat, cap. 26 ibid.
De his, quæ passa est ecclesia in Frigia, & Arabia cæterisque prouinciis, cap. 27 ibid.
De sancto Erasmo Antiocheno Episcopo, capitulo 28 folio 465
De fructu prædicationis eius in vrbe lucrida, cap. 29 ibid.
De quibus tormentis illæsus exiuit, cap. 30 466
De felici transitu eiusdem, cap. 31 ibid.
De sancto Bonifacio, & Aglabe, cap. 32 ibid.
De passione sancti Bonifacii, cap. 33 467
De translatione corporis eius apud Beatam Aglaben, cap. 34 ibid.
De sancta Iuliana virgine, & martyre, cap. 35 ibid.
De conflictu eius cum Dæmone, cap. 36 ibid.
Consummatio Agonis eiusdem, cap. 37 468
Passio sanctorum Episcoporum Felicis Tubizacensis & Petri Aulani, cap. 38 ibid.
Passio sanctorum Vincentii, & Oroncii, & Victoris, cap. 39 ibid.
De sancta Lucia vidua, & eius consolatione in carcere, cap. 40 ibid.
De correptione Diocletiani pro ea, cap. 41 469

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De conuerſione Genniminiani per eam, & de Agone Amborum, cap. 42 ibid.
De tranſlatione eorum per Angelum, & eorundem tranſitu, cap. 42 ibid.
Paſsio ſanctorum Coſmæ, & Damiani, cap. 43 470
Miracula eorundem poſt mortem, cap. 44 ibid.
De ſancto Blaſio Epiſcopo Sebaſtæ, cap. 45 ibid.
De paſsione eiuſdem, cap. 46 471
Paſsio ſanctæ Dorotheæ virginis, cap. 47 ibid.
Paſsio ſanctæ Theodoſiæ virginis, cap. 48 ibid.
Paſsio ſanctorum Agricolæ, & Vitalis, cap. 49 472
Paſsio ſanctorum Aſclæ Philomenis, & Apollonij, cap. 50 ibid.
De conuerſione Arriani Præſidis, & eius Paſsione cum alijs quattuor, cap. 51 ibid.
Paſsio ſanctorum Hirenæi Smyrnenſis Epiſcopi, & Domini, cap. 52 473
Paſsio ſancti Ianuarij Epiſcopi, cap. 53 ibid.
Paſsio ſancti Gregorij Spoletani presbyteri, cap. 54 ibid.
Paſsio ſanctorum Marcelli, & Exuperantij Diaconi, cap. 55 474
Paſsio ſancti Sabini Epiſcopi, cap. 56 ibid.
De ſanctis Anaſtaſia, & Criſogono, cap. 57 ibid.
Paſsio eiuſdem ſancti Criſogoni, cap. 58 475
De tribus ſororibus Agapæ, & Chionia, & Hirena, cap. 59 ibid.
De illuſione præſidis propter eas, cap. 60 ibid.
Paſsio duarum ex his, ſcilicet Agapæ, & Chionię, c. 61 476
Paſsio tertię ſororis, ſcilicet Hirenæ, cap. 62 ibid.
De altercatione ſanctæ Anaſtaſiæ, & Probi Præfecti, cap. 63 ibid.
De improbitate Vulpiani in eam, & pœna illius, c. 64 ibid.
Paſsio S. Theodotæ cum tribus filijs, cap. 65 477
Paſsio ſanctæ Anaſtaſiæ màrtyris, cap. 66 ibid.
Paſsio ſanctæ Barbaræ virginis, cap. 67 ibid.
Paſsio ſancti Floriani martyris, cap. 68 478
Paſsio ſanctorum Primi, & Feliciani, cap. 69 ibid.
De ſancto Puero Vito, & eius Pedagogo Modeſto, & Creſcentia nutrice, cap. 70 ibid.
Paſsio ſanctorum trium prædictorum, cap. 71 479
Paſsio ſancti Albani martyris, cap. 72 ibid.
Paſsio S. Donatiani, & Rogatiani, & Pancratij, c. 73 ibid.
De Marcellino, & Petro, & Archennio, cap. 74 ibid.
De Paſsione eorundem ſanctorum, cap. 75 480
Paſsio ſancti Sergy, & Bachi, cap. 76 ibid.
De ſancta Eufemia virgine, cap. 77 ibid.
De Paſsione eiuſdem, cap. 78 ibid.
Paſsio ſancti Firmini Ambienſi, cap. 79 481
Paſsio ſanctorum Felicis, & Adaucti, cap. 80 ibid.
De ſancto Adriano, & eius vxore Natali, cap. 81 ibid.
Qualiter de carcere exiens vocauit eam ad ſuam Paſſionem, cap. 82 482
De Paſſione eiuſdem Adriani, cap. 83 ibid.
De vita, & tranſitu Sanctæ Nataliæ, cap. 84 ibid.
Paſſio S. Simplicij, Fauſtini, & Beatricis, cap. 85 483
De bona indole ſanctæ Chriſtinæ virginis, cap. 86 ibid.
De Agone eius ſub patre Vrbano, cap. 87 ibid.
De Agone eiuſdem ſub iudice Dion, cap. 88 484
De extremo eius Agone ſub Iuliano, cap. 89 ibid.
De ſanctis Cucufato, & Felice, cap. 90 ibid.
De Agone ſancti Cucufati, cap. 91 ibid.
De conſummatione Paſsionis eiuſdem, cap. 92 485
De ſancto Theodoro martyre, cap. 93 ibid.
De fine Agonis eius, cap. 94 ibid.
De ſancto puero Panthaleone, cap. 95 486
De felice eiuſdem Agone, cap. 96 ibid.
Paſsio ſanctæ Luceiæ virginis, & Auceiæ cum alijs, cap. 97 ibid.
Paſsio ſancti Siluani cum ſocijs S. Victorini militis, Marcellini Papæ, cap. 98 487
De ſancto Cyriaco cum ſociis ſuis, & Apropiano martyre, cap. 99 ibid.
Paſsio ſancti Siſinnii, & Saturnini, & aliorum plurium, cap. 100 ibid.
De filia Diocletiani, quàm à Dæmone Cyriacus curauit, cap. 101 ibid.
Paſsio Cyriaci, cum ſociis ſuis, cap. 102 488
Paſsio ſancti Marcelli Papæ, cap. 103 ibid.
De inopinata confeſsione ſancti Geneſij, cap. 104 ibid.
De conſtantia eiuſdem in paſsione, cap. 105 489
De coniugio S. Iuliani, & Baſiliſſæ, cap. 106 ibid.
Qualiter Baſiliſſa ad amorem virginitatis conuerſa eſt, cap. 107 ibid.
De tranſitu ſanctæ Baſiliſſæ cum virginibus ſuis, capitu. 108 ibid.
Paſsio ſanctorum martyrum, quos Iulianus Deo acquiſierat, cap. 109 490
De Agone ſancti Iuliani, & oculo militi reſtituto, cap. 110 ibid.
Qualiter ei Celſus filius præſidis adhæſit, cap. 111 ibid.
Qualiter idem puer reſpondit proſe patri, & matri, cap. 112 ibid.
De conuerſione ſeptem filiorum prioris ciuitatis, capitu. 113 491
De mortuo à Iuliano ſuſcitato, & eius relatione, cap. 114 ibid.
De cupis ſuccenſis à quibus ſancti liberati ſunt, capitu. 115 ibid.
Qualiter Celſus puer matrem ſuam ad Chriſtum conuertit, cap. 116 492
De ruina Idolorum ad prȩces Antonii, & Iuliani, cap. 117 ibid.
Paſsio ſancti Iuliani, & Celſi cum ſociis ſuis, capitulo 118 ibid.
De S. Iuſtina virgine qualiter per Cyprianum tentata eſt à Dæmone, cap. 119 ibid.
De conuerſione Cypriani per verba Dæmonis, capitulo 120 493
De vtriuſque paſsione, ſcilicet Cypriani, & Iuſtinæ, capit. 121 ibid.
De quam miſero ſtatu conuerſus ſit Cyprianus, capitu. 122 ibid.
Paſsio ſanctæ Eulali virginis, cap. 123 494
Paſsio S. Vincentii, & Valerii, cap. 124 ibid.
De conſtanti Agone B. Vincentii, cap. 125 ibid.
De craticula eiuſdem, cap. 127 495
De illuminatione carceris, & de felici eius tranſitu, cap. 128 ibid.
De victoria eiuſdem & iam defuncti, & de ſepultura, cap. 129 ibid.
De quibuſdam aliis ſub Daciano paſſis, cap. 130 496
Paſsio decem, & octo martyrum qui dicuntur, Maſſa Candida, cap. 131 ibid.
Paſsio S. Georgii martyris, cap. 132 ibid.
De conſummatione Agonis eiuſdem, cap. 133 ibid.
Paſsio ſanctæ Fidis virginis, & Capraſii martyris, cap. 134 497
Paſsio ſanctæ Felicis martyris Gerundenſis, cap. 135 ibid.
De conſummatione Agonis eiuſdem, cap. 136 ibid.
De ſancto Quintino martyre cap. 137 498
De conſtantia eiuſdem in paſsione, cap. 138 ibid.
De reuelatione corporis eius, cap. 139 ibid.
De tranſlatione eiuſdem, cap. 140 ibid.
Paſsio S. Gentiani martyris, c. 141 499
Paſsio S. Fuſciani, & Victorici, cap. 142 ibid.
Paſsio S. Macræ virginis, cap. 143 ibid.
De ſancto Puero Iuſto, & eius peregrinatione. capitulo 144 500
De paſsione eiuſdem, cap. 145 ibid.
De tranſlatione capitis eiuſdem, cap. 146 ibid.
Paſsio ſanctorum Criſpini, & Criſpiniani, cap. 147 501
De morte eorum, & ſepultura, cap. 148 ibid.
Paſsio S. Ruffini, & Valerii, cap. 149 ibid.
Paſsio ſancti Demetrii Theſſalonicenſis, capitulo 150 folio 502
De quodam eius miraculo, cap. 151 ibi.
De conuerſione Afræ peccatricis per ſanctum Narciſſum, cap, 152 ibid.
De manifeſtatione Dæmonis, & morte ſancti Narciſsi, cap. 153 503

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Paſsio ſanctæ Afræ ſupra nominatæ, cap. 154 ibid.
Paſsio S. Hilariæ, matris eius, cum tribus puellis, cap. 155 ibid.
Paſsio S. Faustæ virginis, & Eusſaſij, cap. 156 fol 504
De S. Benedicta Virgine, cap. 157 ibid.
De paſsione eiuſdem, cap. 158 ibid.
Paſsio ſancti Maturini martyris, cap. 159 505
De cæteris, qui ſub eiſdem Imperatoribus paſsi ſunt, cap. 160 ibid.
De Nimia ſæuitia eorum, & depoſitione Imperii, cap. 161 ibid.
De diuiſione Imperii inter Conſtantinum, & Galerium, cap. 162 506

INDEX LIBRI XIII.

Tertiuſdecimus liber continet hiſtoriam 31. annorum, quibus Conſtantinus Magnum Imperium tenuit, & anno ſeptimo Imperij pacem eccleſiis reddidit. Continet ergo finem perſecutionis, & initium tranquilitatis, & inter hæc etiam quorundam Agones martyrum, quorum reperire non potui certitudinem temporum continet, & baptiſma Conſtantini, & hiſtoriam Concilii Niceni, & alia multa. Habet autem capitula 102.

DE Imperio Conſtantini, & Licinii, & morte Diocletiani, & Maximi, cap. 1 fol. 507
De ſancta Lucia Virgine, cap. 2 ibid.
De paſsione eiuſdem, cap. 3 ibid.
De Imperio, & flagitiis Maxentii, cap. 4 508
De conflictu ſanctæ Catharinæ, cum eodem tyranno, cap. 5 ibid.
De quinquaginta Oratoribus, quos illa ſuperatos ad cælum præmiſit, cap. 6 509
De tormentis eius, & carcere, cap. 7 ibid.
De martyrio reginæ, & ipſius Catherinæ, cap. 8 ibid.
De crudelitate, & libidine Maximini, & Galerii, c. 9 ibid.
De ſancta Dorothæa, qualiter eum deluſit, cap. 10 ibid.
De flagello Diuino, quod eum ad modicum miteſcere coegit, cap. 11 510
De perſecutione, quam poſtmodum in Chriſtianos iterauit, cap. 12 ibid.
De ſanctis Martyribus, Syluano, Petro, & Luciano Antiocheno, cap. 13 511
De opuſculis eiuſdem Luciani, & Phileæ, cap. 14 ibid.
De ſancto Petro Alexandrino, cap. 15 ibid.
De viſione ſua ſuper Arrio, & de eius martyrio, capitu. 16 ibid.
De ſancto Romano martyre, cap. 17 512
De fine Agonis eius, & Barale Pueri, cap. 18 ibid.
De ſanctis Quirino, & Pamphilo martyribus, cap. 19 ibid.
De impiis edictis Galerii, contra Chriſtianos, cap. 20 ibid.
De vltione diuina in Galerium, & in ſuos, capitulo 21 fol. 513
De pietate Chriſtianorum in Paganos, cap. 22 ibid.
De Euſebio Papa, & diſſonantia hiſtoriarum, capitu. 23 ibid.
De martyribus, quorum tempora ignorantur, & primo de S. Chriſtophoro, cap. 24 514
Paſsio ſanctarum Niceæ, & Aquilinæ, cap. 25 ibid.
Paſsio ſancti Criſtophori martyris, cap. 26 ibid.
Paſsio S. Margaretæ virginis, cap. 27 ibid.
Finis Agonis eiuſdem, cap. 28 515
Paſsio, S. Reginæ virginis, cap. 29 ibid.
Conſummatio Agonis eiuſdem, cap. 30 ibid.
Paſsio ſancti Iuliani, & Ferreoli, cap. 31 516
Miracula eiuſdem ſancti Iuliani, cap. 32 ibid.
Paſsio S. Geneſii Arelatenſi, cap. 33 ibid.
Paſsio ſanctarum Virginum, Iuſtæ, & Ruſinæ, cap. 34 ibid.
Paſsio S. Antonini martyris, cap. 35 517
Paſsio S. Marcianæ virginis, cap. 36 ibid.
Conſummatio Agonis eiuſdem, cap. 37 ibid.
Paſsio S. Martini Pueri, cap. 38 ibid.
De Agone ipſius multiplici, cap. 39 518
De morte eius, & ſupplicio tyranni, cap. 40 ibid.
De cæteris, qui in Martyrologio ſcripti ſunt, cap. 41. & 42 ibid. & fol. 519
De victoria Conſtantini per ſignum Crucis, cap. 43 ibid.
Qualiter idem Imperator honorauit ſignum illud, cap. 44 ibid.
De miſerabili fine Galerii, cap. 45 520
De ſancto Papa Syluestro, cap. 46 ibid.
De pietate Conſtantini in pueros, cap. 47 521
De baptiſmo eius, & pœnitentia, cap. 48 ibid.
De conuerſione Senatorum, & populi, & pio edicto Conſtantini, cap. 49 ibid.
De mutuis epiſtolis Helenæ, & Conſtantini, ſuper legibus Moyſi, & Chriſti, cap. 50 522
De congregatione Concily ſuper hac quæſtione, cap. 51 ibid.
De conflictu, & victoria ſancti Syluestri, cap. 52 ibid.
De dracone per eum ſuperato, cap. 53 523
Epiſtola generalis Conſtantini, de Conuerſione ſua, cap. 54 ibid.
De Exaltatione Romanæ Eccleſiæ, ſuper cæteras, cap. 55. 524
De Imperio, & Imperialibus collatis Beato Syluestro, cap. 56 ibid.
De tranſlatione ſedis Imperialis apud Conſtantinopolim, cap. 57 ibid.
De dilatatione Eccleſiæ ſub Conſtantino, & impietate Licinii, cap. 58 525
Paſsio militum 40. ſub Licinio, cap. 59 ibid.
Paſsio ſancti Theogenis, cap. 60 526
De cæteris ſub eodem paſsis, & de morte eius, capitulo 61 ibid.
De concilio Nicæno propter Arrium conuocato, & de ſtatutis beati Syluestri, cap. 62 527
De libellis epiſcoporum à Conſtantino exuſtis, capitulo 63 ibid.
De philoſopho, quem in conuentu vir ſimplex conuicit, & conuertit, cap. 64 ibid.
De viris ſanctis, qui interfuerunt concilio, & de geſtis ſancti Spiridonis, cap. 65 528
De ſtatutis eiuſdem concilii, & de ſymbolo, cap. 66 ibid.
De ſancto Nicolao, & eius origine, & infantia, capitu. 67 529
De infantia virginum auro per eum redempta, cap. 68 ibid.
De electione eius in Pontificem, cap. 69 ibid.
De naufragantium liberatione, & frumenti multiplicatione, cap. 70 ibid.
De fallacia Diana per eum reuelata, cap. 71 530
De tribus militibus quos neci iam oblatos currens liberauit, cap. 72 ibid.
De tribus principibus Cæſaris, quos abſens à morte eripuit, cap. 73 ibid.
De obitu eius, & de fontibus ex eius tumba profluentibus, cap. 74 531
De Barbaro per imaginem ſancti Nicolai conuerſo, c. 75 ib.
De puero cum vaſe in mari ſubmerſo, & patri reſtituto, cap. 76 ibid.
De fallacia Chriſtiani mercatoris in Iudæum, creditorem, cap. 77 532
De fallaciæ reuelatione, & Iudæi conuerſione, capitulo 78 ibid.
De puero à Deodato per ſanctum Nicolaum obtento, cap. 79 ibid.
De liberatione eiuſdem à Barbari ſeruitute, capitu. 80 fol. 533
De priore Iterio verberato pro hiſtoria ſancti Nicolai cantanda, cap. 81 ibid.
De ſancto Iacobo Sinſibeno epiſcopo, cap. 82 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De ſancto Euorcio, & aduentu eius Aurelianis, capitulo 83 534
De electione eius in epiſcopum, cap. 84 *ibid.*
De igne extincto, & theſauro inuento ab eo cap. 85 *ibid.*
De duobus fratribus eius repertis, & à captiuitate redemptis, cap. 86 535
De fabrica baſilicæ, & miraculo in hoſtiæ benedictione, cap. 87 *ibid.*
De obitu ſancti Euorcij, cap. 88 *ibid.*
De Lactantio, & ſcriptis eius, cap. 89 *ibid.*
De ſancto Euſebio Cæſarienſi, & ſcriptis eius, cap. 90 *ibid.*
De ſancto Antonio, & bonis eius initijs, cap. 91 536
De vita eius heremitica, cap. 92 *ibid.*
De viſionibus ei diuinitus Hoſtenſis, & eius obitu, cap. 93 *ibid,*
De inquiſitione ſanctæ Crucis ab Helena *facta* Hieroſolymis, *cap.* 94 537
De inuentione eiuſdem, ac diuiſione, cap. 95 *ibid.*
De Frumentio, *&* Ediſio *Pueris, in* India *captiuatis, cap.* 96 537
De conuerſione Indorum per Frumentium, & Hiberorum *per quandam captiuam, cap.* 97 *ibid.*
De reuocatione Arrij ab exlio, & eius fallacia capitulo 98 *ibid.*
De ſancto Inuentio confeſſore, cap. 99. 539
De ſancto Florentio confeſſore, cap. 100 *ibid.*
De Parricida per ipſum à ferreis nexibus ſoluto capitu. 101 *ibid.*
De quibuſdam incidentibus, & de criminibus Conſtantini, cap. 102 540

INDEX LIBRI XIV.

Quartuſdecimus liber continet hiſtoriam 41. annorum per tempora quatuor Imperatorum, ſcilicet ab imperio Conſtantij hæretici, & fratrum ſuorum Conſtantini, atque Conſtantis, vſq; ad mortem Valentis Deo odibilis, & Imperium Gratiani. Inter hęc autem continet geſta, & dicta ſanctorum Antonij, & vtriuſque Macharij cæterorumq; patrum Ægypti. Sed & morales quoſdam floſculos ſacrorum Doctorum illius temporis Hilarij, ſcilicet Athanaſi, Effrem, & Baſilij. Gregorij quoque Nazianzeni. Habet autem capitula 100.

DE Imperio Conſtantij, & diſputatione Athanaſij, contra Arrium, *cap.* 1 541
De ignominioſa, morte Arrij, cap. 2 *ibid.*
De bona indole Athanaſii, *& eius promotione, cap.* 3 *ibid.*
De perſecutione Arrianorum in Athanaſium, cap. 4 *fol.* 542
De fuga eius, & exilio, cap. 5 *ibid.*
De ſcriptis eiuſdem, cap. 6 *ibid.*
De ſancto Maximino Treuerenſi, cap. 7 543
De perſecutione ſaporis in catholicos, cap. 8 *ibid.*
De concilio Mediolanenſi, & Arumvienſi, cap. 9 544
De tripartita ſecta Arrianorum, cap. 10 *ibid.*
De Liberij Papæ exilio, & de Felice Papa, cap. 11 *ibid.*
De ſancto Euſebio presbytero, & cæteris martyrizatis ſub Conſtantio, cap. 12 545
De Gallo Cæſare, & militia beati Martini, cap. 13 *ibid.*
De morte Antonij abbatis, & dictis eius, cap. 14. *ibid.*
De Paulo Simplice, cap. 15 546
De Amos Aegyptio, cap. 16 *ibid.*
De duobus Macharijs, & dictis eorum, cap. 17 547
De S. Hilarione, cap. 19 *ibid.*
De quibuſdam eius miraculis, cap. 20 *ibid.*
De fuga eius, & peregrinatione, cap. 21 *ibid.*
De Victorino Afro, & Euſebio Emiſſeno, capitulo 22. *fol.* 549
De S. Hilario Pictauenſi, cap. 23 *ibid.*
De ſcriptis eiuſdem Hilarij, *cap.* 24 550
De morte Conſtantij, & ſucceſſione Iuliani, cap. 25 *ibid.*
De Imperio Iuliani Apoſtatæ, & eius pueritia capitulo 26 *ibid.*
De moribus eius, cap. 27 *ibid.*
De ſuperſtitione illius, & ſæuitia in Chriſtianos, cap. 28 551
De Lucifero hereſiarcha, cap. 29 *ibid.*
De impijs legibus Iuliani, & perſecutione Athanaſii cap. 30 552
De ſepulchro Babille martyris, & Theodori ſuppliciis, cap. 31 *ibid.*
De malis factis ſub Iuliano, *& reliquiis Baptiſtæ capitu.* 32 *ibid.*
De paſſione ſancti Gallicani, cap. 33 553
Paſſio ſancti Ioannis, & Pauli, cap. 34 *ibid.*
De S. Donato Aretino *epiſcopo, cap.* 35 554
De quibuſdam eius miraculis, & tranſitu, cap. 36 *ibid*
De paſsione ſancti Georgiani, & Epimachi, cap. 37 *fol.* 555
De cæteris martyribus eiuſdem temporis, cap. 38 *ibid.*
De via Iuliani in Perſidem, cap. 39 *ibid.*
Paſtio ſancti Quiriaci, & matris eius, & Amon capitu. 40 *ibid.*
De conſummacione martyrii ſancti Ciriaci, capitulo 41 556
De licentia reparandi templum Iudæis conceſſa, capitu. 42 *ibid.*
De mirabili nece Iuliani Imperatoris, *cap.* 43 *ibid.*
De miraculoſa miſſa S. Baſilii, & conuerſione Libani, cap. 44 557
De Adriano pſeudo diſcipulo, & peregrinatione ſancti Hilarionis, cap. 45 *ibid.*
De conſummatione vitæ eiuſdem, 46 558
De Imperio Iouiani, cap. 47 *ibid..*
De Imperio Valentiniani, & Apollinari Laodiceno cap 48 559
De Damaſo Papa, cap. 49 *ibid.*
De Valente Imperatore, cap. 50 *ibid.*
De obitu ſancti Hilarii, & eius miraculis, capitu. 51 *fol.* 560
De S. Euſebio Vercellenſi, cap. 52 *ibid.*
De conſtantia eius, contra Arrianos, cap. 53 *ibid.*
De paſſionibus eius, & obitu, cap. 54 561
De Didimo Alexandrino, *cap.* 55 *ibid.*
De ſtudio, ſcriptis eiuſdem, cap. 56 *ibid.*
De Petro Alexandrino, *& Lucio* Arriano, *cap.* 57 *ibid.*
De exilio duorum Machariorum, cap. 58 562
De ſancto Moyſe Saracenorum epiſcopo, cap. 59 *ibid.*
De Abbate Paſtore, & dictis eius, cap. 60 563
De cæteris Patribus illius temporis, & de prioribus, cap. 61 *ibid.*
De Abbatibus Iſidoro, & Pambo, cap. 62 *ibid,*
De Ammonio, & Heleno, & Appelle, cap. 63 564
De Serapione, Theone, Eulogio, & Dorotheo, capitulo, 64 *ibid.*
De Piammone, & Beniamin, & Marco,, cap. 65 565
De Syluano, & eius diſcipulis cap. 66 *ibid.*
De S. Apollonio, cap. 67 *ibid.*
De eodem, cap. 68 566
De Euagrio, Pallidio, Mela, & Paulo, cap. 69 *ibid.*
De Abbate Or, & ſancto Coprete, cap. 70 *ibid.*
De S. Mucio heremita, cap. 71 567
De miraculis eius, qua narranit ſanctus Copres, capitulo, 72 *ibid.*
De miracnlis Copretis, & Abbate Helia, cap. 73 *ibid.*
De abbate Syro, Paulo, & Eſaia, cap. 74 568
De ſancto Heleno, & eius miraculis, cap. 75 *ibid.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De ſancto Abbate Paſuncio, cap. 76 ibid.
De Tayſe, alias Thayde meretrice conuerſa. cap. 77 fol. 569
De ſancto Baſilio Cæſarienſi epiſcopo, cap. 78 ibid.
De ſeruo, quem à poteſtate diaboli liberauit, cap. 79 fol. 570
De presbytero Anaſtaſio, & eius leproſo, quos Baſilius viſitauit, cap. 80 ibid.
De ſcriptis ſancti Baſilij, & regula eius, cap. 81 ibid.
De laude vitæ ſolitariæ, & communis, cap. 82 571
De hyppocriſi, & veritate vitæ, & obedientiæ, capitulo 83 ibid.
De opere, & pſalmodia, cæteriſque religionis documentis, cap. 84 572
De Gregorio Emiſſeno fratre ſancti Baſilij, & de ſcriptis eius, cap. 85 ibid.
De S. Effrem Syro, cap. 86 ibid.
De libris ſancti Effrem, cap. 87 573
De S. Gregorio Nazianzeno, cap. 88 ibid.
De Pontificatu, & doctrina eius, cap. 89 ibid.
De libris eiuſdem, & fuga cura paſtoralis, capit. 90 folio 574
De apologia eius, ſuper fuga predicta, cap. 91 ibid.
De periculo, & cautela curæ Paſtoralis, capitulo 92 fol. 575
Qualiter debeant Chriſtiani ſolennizare, cap. 93 ibid.
De laude vitæ monaſticæ, cap. 95 ibid.
De S. Ambroſio Mediolanenſi epiſcopo, cap. 96 ibid.
De morte Valentiniani, & ſucceſſoribus eius, cap. 97 576
De impietate Valentis, & Prefecti eius in Chriſtianos, cap. 98 ibid.
De Affrate monacho, & augurio Valentis, capitulo 99 ibid.
De morte Valentis, & fine chronicorum Hieronymi, cap. 577

INDEX LIBRI XV.

Quintuſdecimus liber nullam certi temporis continet hiſtoriam, ſed geſta quorundam Sanctorum Confeſſorum, & Monachorum, quorum inuenire non potui certitudinem temporum, vt Barlaham, & Ioſaphat Sozimæ quoque, & plurium aliorum. Habet autem capitula 100.

DE Rege Auennir, & eius edicto contra Chriſtianos, cap. 1 578
De eius Archiſatrapa facto monacho, qui eum confudit, cap. 2 ibid.
De hortu Ioſaphat, & recluſione eius in palatio, capitulo 3 579
De amico regis quem ipſe in dolo tentauit, cap. 4 ibid.
Qualiter conſilio infirmi iram regis placauit, capitulo 5 ibid.
De duobus monachis martyrizatis, cap. 6 580
Qualiter Ioſaphat à patre obtinuit libertatem procedendi, cap. 7 ibid.
De Leproſo & Cæco, & ſene, & Curuo quos in via vidit, cap. 8 ibid.
De aduentu Barlaam ad eum ſub vmbra negociatoris, cap. 9 581
Narratio eius de rege humili, qui caute reprahenſorem arguit, cap. 10 ibid.
Inſtructio Ioſaphat, de cultu vnius Dei, cap. 11 582
Fabula de Philomena, contra cultores Idolorum inducta, cap. 12 ibid.
Admonitio facta Ioſaphat, de perſeuerantia in fide, cap. 583
Exhortatio ad eundem de vita perfectiori, cap. 14 ibid.
Parabola de vnicorne contra ſæculi amatores, capitulo 15 584
Parabola de tribus amicis contra eoſdem, cap. 16 ibid.
Ad idem de rege, qui locum exilij ſui diuitys præmuniuit, ca. 17 585
Exhortatio ad contemptum diuitiarum, cap. 18 ibid.
Ad idem de illo, qui contempta nobili ſponſa pauperculã duxit, cap. 19 586
Doctrina Barlaam de Deo creatore omnium, & rectore, cap. 20 ibid.
Barlaam Ioſaphat vitam ſuam enarrat, cap. 21 587
Ioſaphat volentem eum ſequi, Barlaam reprimit, cap. 22 ibid.
Zardan duro corde, verba Barlaam audit, cap. 23 588
Cilicium & doctrina finem Ioſaphat à Barlaam accipit, cap. 24 ibid.
Recedente Barlaam, Zardan ſecretum regi aperit, cap. 25 ibid.
De vano conſilio Arachis, & inſectatione Barlaam, cap. 26 589
De Cunio haremitarum, qui ferebant reliquias ſanctorum, cap. 27 ibid.
De ſimulato Barlaam, ideſt Nachor, cap. 28 590
Rex filium quod à Barlaam ſeductus ſit reprehendit, cap. 29 ibid.
Iram patris filius placare nititur, eumque ad rectam viam conuertere, cap. 30 591
Ioſaphat in oratione pernoctat, & fictionem regis per viſionem agnoſcit, cap. 31 ibid.
Nachor in concilium vocatus, conſilio ſuo capitur, & illaqueatur, cap. 32 ibid.
Idem contra propoſitum ſuum vera loquitur de Deo, & de errore Chaldæorum, cap. 33 592
De errore Græcorum & Aegyptiorum, cap. 34 ibid.
De errore Iudæorum, & vera fide Chriſtianorum, cap. 35 593
De fine certaminis, quo Nachor omnes confutauit, cap. 36 ibid.
Ioſaphat eum ducit ſecum, & ſecreto arguens gratias egit, cap. 37 594
Nachor verbis eius compunctus, ad hæremum conuolauit, cap. 38 ibid.
Rege circa cultum Deorum vacillante, Theodas magus accerſitus eſt, cap. 39 ibid.
Huius concilio rex omnes ad ſolemnitatem Deorum conuocat, cap. 40 595
Idem de Ioſaphat per mulieres ſeducendo conſilium dat, cap. 41 ibid.
Ioſaphat ſpiritu fornicationis vexatus oratione ſe armat, cap. 42 596
Puella regia eum de fornicatione multiplici colloquio tentat, cap. 43 ibid.
Ioſaphat vacillanti Dominus felicitatem ſanctorum & pœnas reproborum per viſum demonſtrat, capitulo 44 ibid.
Idem in ſe reuerſus agrotat, & patrem ſe viſitantem ſceleris arguit, cap. 45 597
Ioſaphat contra Theodam verborum certamen iniit, cap. 46 ibid.
Idem eundem de ſtulta ſuorum ſapientia confudit, cap. 47 ibid.
Theodas compunctus hæremum poſt Nachor petiit, cap. 48 598
Rex conſilio Arachis regnum cum filio diuidit, capitulo 49 ibid.
Qualiter Ioſaphat ſe geſſit in poteſtate regni, & qua fecit, cap. 50 ibid.
Qualiter patrem Deus viſitauit, cap. 51 599
Qualiter filius eum inſtruxit, & de ſacro fonte ſuſcepit, cap. 52 ibid.
Qualiter & ipſe pater poſt conuerſionem ſe geſſit, & de morte eius, cap. 53 600
De ſubſtitutione Barachiæ, & fuga Ioſaphat, capitulo 54 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De reditu eius, & confirmatione Barachia in regnum, cap. 55 ibid.
De fuga Ioſaphat in heremum, cap. 56 601
De tentationibus, quas ibi ſuſtinuit, cap. 57 ibid.
De inuentione Barlaham, cap. 58 602
De mutua ſalutatione eorum, & conuictu, cap. 59 ibid.
Qualiter Barlaham obitum ſuum ei nunciauit, cap. 60 ibid.
De dormitione Barlaam, cap. 61 603
De viſione Ioſaphat, qua cæleſtes manſiones ei apparuerunt, cap. 62 ibid.
De obitu eiuſdem, cap. 63 ibid.
De tranſlatione vtriuſque ſacri corporis in Indiam, cap. 64 604
De ſancto Zoſima monacho, cap. 65 ibid.
Qualiter inuenit ſanctam Mariam Aegyptiacam in heremo, cap. 66 ibid.
Quod vidit eam orantem in aere ſublevatam, cap. 67 folio 605
Qualiter illa capit ei narrare curſum vitæ ſuæ, cap. 68 ibid.
Qualiter Beatam Virginem apud filium ſuum fidedictricem pro ſe dedit, cap. 69 606
Qualiter ad heremum pergens ibi pœnitentiam egit, cap. 70 ibid.
Qualiter narrationem finiuit, & ſacramenti communionem petijt, cap. 71 ibid.
Qualiter Zoſimas recedens ad eam cum ſacra communione rediit, cap. 72 607
Quod tertio rediens eam ſepeliuit, cap. 73 ibid.
De S. Marina, & eius falſa accuſatione, cap. 74 ibid.
De pœnis quas propter conſcientiam rei ſuſtinuit, cap. 75 608
De S. Eufroſina, quæ ſexum ſuum ſimiliter inter monachos celauit, cap. 76 ibid.
Qualiter eius pater ab ipſa neſciens conſolationem ſuſcepit, cap. 77 ibid.
Qualiter tandem mortuam eam agnouit, cap. 78 609
Documenta quorundam patrum de modo viuendi, cap. 79 ibid.
De contemptu, vel amore pecuniæ, cap. 80 ibid.
De contemptu carnalis affectus, cap. 81 610
De amore ſolitudinis, cap. 82 ibid.
De luctu, & compunctione, cap. 83 ibid.
De ſilentio, & locutione, cap. 84 611
De abſtinentia, cap. 85 ibid.
De ſimplicitate, & humilitate, cap. 86 612
De pœnitentia, cap. 87 ibid.
De pace fraterna, cap. 88 ibid.
De ſtabilitate, & perſeuerantia, cap. 89 613
De puſillanimitate, & inconſtantia, cap. 90 ibid.
De præſumptione, & iactantia, cap. 91 ibid.
De fugienda inani gloria, cap. 92 614
De ira cauenda, cap. 93 ibid.
De contemptu temerario fratris tentati vel lapſi, cap. 94 ibid.
De ſuſpitione, & detractione, cap. 95 615
De tentationibus Dæmonum, cap. 96 ibid.
De tentatione carnis, cap. 97 ibid.
Adhuc de eodem cap. 98 616
De vtilitate tentationis, cap. 99 ibid.
De remediis contra impetum prauæ cogitationis, cap. 100 617

INDEX LIBRI XVI.

Sextuſdecimus liber continet, primo quidem origines, lineaſque, & ſucceſſiones quorundam Regnorum, quæ à tempore Gratiani in chronicis incipiunt annotari. Deinde verò ſex annorum tantum hiſtoriam texit, quibus Gratianus Imperium tenuit. Sed maiorem partem huius libri continent flores quorundam librorum beati Hieronymi. Habet autem capitula. 97.

De contemporalitate nouem regnorum, & primo de Regno Romanorum, cap. 1 fol. 618
De Regno Perſarum, cap. 2 ibid.
De origine Regni Francorum, cap. 3 619
De cathalogo Regum Francia, cap. 4 ibid.
De Bruto Rege, à quo Britannia dicta eſt, cap. 5 ibid.
De ſucceſſoribus Bruti, & qualiter Saxones Angliam obtinuerunt, cap. 6 620
De cathalogo Regum Britannia, cap. 7 ibid.
De origine Regis Vuandalorum, cap. 8 ibid.
De cathalogo Regum Vuandalorum, cap. 9 621
De regno Vuinilorum, ſiue Longobardorum, cap. 10 ibid.
De origine regni Gothorum, cap. 11 ibid.
De diuiſione eorum in duo regna, ſcilicet Vuiſigothorum, & Oſtrogothorum, cap. 12 ibid.
De cathalogo Regum Vuiſigothorum, cap. 13 622
De cathalogo regum Oſtrogothorum, cap. 14 ibid.
De ortu regni Hunnorum, cap. 15 ibid.
De victoria eorum ex Gothis, & de regibus eorum cap. 16 ibid.
De initio regni Gratiani, & viris illuſtribus illius temporis, cap. 17 623
De vita, & actibus ſancti Hieronymi presbyteri, cap. 18 ibid.
De libris eiuſdem, cap. 19 ibid.
Flores eius, de vita monachi, cap. 20 624
Idem ex eodem cap. 21 625. & 626
Quod à ſenibus ſapientia potius expetenda eſt, quàm eloquentia, cap. 25 ibid.
De vita, & ornatu cleri, cap. 26 627
De eodem cap. 27 627. & 628
Quod ſenectus ſapientia non ſapientia ſenectuti reputanda eſt, cap. 32 629
Quod non iuuat ſacer locus ſi deſit ſpiritus, cap. 33 ibid.
Quod monacho appetenda ſit ſolitudo, cap. 34 ibid.
Qualiter monacho viuendum ſit, cap. 35 ibid.
Quod clericis vitanda ſint mulierum conſortia, cap. 36 630
De ornatu morum epiſcopi, cap. 37 ibid.
De contemptu patriæ, & ſeculi ad monachos, cap. 38 ibid.
Adhuc de eodem cap. 39 631
Contra monachum vagum, & garrulum, cap. 41 ibid.
De cuſtodia virginitatis, cap. 42 632
Exemplum Hieron. de ſeipſo, cap. 43 ibid.
Quod per abſtinentiam nutrienda eſt caſtitas, cap. 44 ibid.
De viduis fictis, & libidinoſis, cap. 45 633
De vita Virginis, cap. 46 ibid.
De laude Virginitatis, cap. 47 ibid.
Adhuc de eodem cap. 48 633
De cautela Virgini ſeruanda, contra ſeculi tentamenta, cap. 49 634
Quod virgini cauenda ſit inanis gloria, cap. 50 ibid.
De quibuſdam monachis diſſolutis, & iterum de moribus virginis, cap. 51 ibid.
Quod libri Poetarum, & Philoſophorum propter ſacros libros ſpernendi ſunt, vel abiiciendi, cap. 52 635
De auaritia fugienda, cap. 53 ibid.
De triplici genere monachorum antiquorum, cap. 54 ibid.
De oratione, & cæteris, quæ debet virgo ſeruare, cap. 55 636
Item de cuſtodia virginitatis, cap. 56 ibid.
De abſtinentia virginum, cap. 57 ibid.
De inſtitutione morum virginis, cap. 58 637
De exercitio virginis, & eius ſocietate, cap. 59 ibid.
De inſtitutione virginis ab infantia, ſub cura parentum, cap. 60 638
Adhuc de eodem cap. 61 638
Reprehenſio virginis conſortium matris ſuæ deuitantis, cap. 62 ibid.
Reprehenſio, & inſtructio virginis lapſæ, cap. 63 fol. 639

De

De custodia vidualis castitatis, cap. 64 ibid.
Adhuc de eodem cap. 65 640
De bono vsu diuitiarum exemplo Nebridij, cap. 66 ibid.
De institutione viduæ, cap. 67 ibid.
Adhuc de eodem cap, 68 641
De morte amici, & institutione monachi, cap. 69 ibid.
De laude sanctæ Marcellæ, viduæ, cap. 70 642
De consolatione fidelium super morte amicorum cap. 71 ibid.
Idem de eodem cap. 72 642
De vita Neopotiani militis, cap. 73 643
De laude virginitatis in comparatione nuptiarum, cap. 74 ibid.
De fugienda amore mulieris, & de peruersitate Iouiniani, cap. 75 ibid.
Quod per abstinentiam carnis libido frenanda sit, cap. 76 644
Assertio perpetuæ virginitatis beatæ Mariæ, cap. 77 ibid.
Subsannatio errorum Vigilantij, cap. 78 645
De bonis pauperibus sustentandis, & de tumultibus fugiendis, cap. 79 ibid.
Inuectio Hieronymi contra æmulos, & detractores suos, cap. 80 646
Iterum de eodem cap. 81 646
De studio sanctarum scripturarum, cap. 83 647
De imperfecta huius vitæ perfectione, cap. 84 ibid.
De imperfecta panitentia, cap. 85 ibid.
De laude sanctarum mulierum Blesillæ, & Asellæ, c. 86 648
De amore scripturæ, & fuga sæculi, cap. 87 ibid.
De significatione munerum Eustochij, & Marcellæ, cap. 88 ibid.
De sancto Firmino Ambianensi Episcopo, cap. 89 649
De sanctis eiusdem Vrbis Episcopis Honorato, & Saluio, cap. 90 ibid.
De inuentione, & translatione corporis sancti Firmini, cap. 91 ibid.
De quibusdam gestis Papæ Damasi, & Hieronymi, cap. 92 650
De actibus monachi captiui, cap. 93 ibid.
De obitu Sancti Basilij, & fide Amphilochij, cap. 94 ibid.
De persecutione Iustinæ Imperatricis, Arrianæ in Ambrosium, cap. 95 651
De synodo Constantinopolitana, & Priscilliano Hæresiarcha, cap. 96 ibid.
De quibusdam miraculis Sancti Ambrosij, cap. 97 652

INDEX LIBRI XVII.

Decimus septimus liber cõtinet Historiam, annorum 11. tantum, quibus imperauit senior Theodosius, & inter hæc Flores quosdam sanctorum Ambrosij, & Ioannis Chrysostomi, sed & Flores Heraclidis ex libro de gestis patrum, qui dicitur Paradisus: Flores quoque metricos Poetarum Claudiani, & Prudentij. Habet autem capitula 107.

DE initio Imperij Theodosij senioris, cap. 1; 653
De impia Iustinæ exilio, & Valentiniana nece, cap. 2 ibid.
Qualiter Theodosius Eugenium Tyrannum vicit, & de Antipapa Vrsino, & Papa Syricio, cap. 3 fol. 654
De vita sancti Iohannis Anachoretæ, cap. 4 ibid.
De quibusdam eius documentis, cap. 5 ibid.
De exemplis eius contra detractores & contra præsumptuosos require, cap. 6 655
Exemplum qualiter tentat Diabolus peccatorem de desperatione, & post victoriam de præsumptione, cap. 7 ibid.
Item exemplum eiusdem contra præsumptuosos, cap. 8 ibid.
De sanctis Abbatissis Sacra & Sincletica, & dictis earum, cap. 9 656
De bona indole S. Martini, cap. 10 ibid.
De persecutionibus quas relicta militia sustinuit, & duobus mortuis quos suscitauit, cap. 11 ibid.
De vita eius Episcopali, & Monastica, cap. 12 657
De miraculis eius, cap. 13 ibid.
Item de eodem cap. 14 ibid.
Adhuc de eodem cap. 15 657
De eiusdem constantia, & æquitate, cap. 16 fol. 658
Quod Dæmonum insidias & præsens, & absens profligiebat, cap. 17 ibid.
Qualiter diabolum sibi purpuratum apparentem repulit, cap. 18 659
Qualiter in incendio tentationem passus est, cap. 19 ibid.
De vita sancti Maurilij Andegauensis, cap. 20 ibid.
De quibusdam eius miraculis, cap. 21 660
Idem de eodem cap. 22 660
De promotione eiusdem ad episcopatum, cap. 23 ibid.
De spontaneo eius exilio, pro puero mortuo sine baptismo, cap. 24 661
Qualiter vsquequaque quæsitus est inuentus, cap. 25 ibid.
Qualiter ad vrbem suam redijt, & prafatum puerum suscitauit, cap. 26 ibid.
De cæteris eius miraculis, cap. 27 662
De inuentione corporum Gerualij, & Prothasij martyrum, cap. 28 ibid.
De vita, & agone sanctæ Agnetis, cap. 29 fol. 663
De morte filij Prefecti, & eius suscitatione, & martyrio Virginis, cap. 30 ibid.
De his, quæ circa sepulchrum illius gesta, & visa sunt, cap. 31 664
De cæteris scriptis sancti Ambrosij, cap. 32 ibid.
Flores eiusdem de moribus Episcopi, ca. 33 ibid.
De modestia, & verecundia, cap. 34 ibid.
De iustitia, & beneficentia, cap. 35 665
De fortitudine, & prudentia, cap. 36 ibid.
De bonitate, & liberalitate, cap. 37 666
De ocio fructuoso, & pietate, cap. 38 ibid.
De fidelitate, & amicitia, cap. 39 667
De iniurijs illatis Ambrosio, & de gestis eiusdem, capit. 41 ibid.
Adhuc de gestis eiusdem. cap. 61 fol. 668
De vita sancti Ioannis Chrysostomi, & libris eius, c. 42 ibid.
Sententiæ eiusdem de hoc, quòd verum hominis bonum nullus auferre potest, diuitiæ verò vanæ sunt, cap. 43 ibid.
Inuectio contra illos, qui Euangelij documenta, & præcepta non seruant, cap. 44 669
De vera cordis compunctione qualiter haberi possit, cap. 45 ibid.
De origine sancti Augustini, & erroribus adolescentiæ eius, cap. 46. 670
De studiis eius, & doctrina seculari, cap. 47 ibid.
De compunctione, & lachrymis eius, cap. 48 671
De studio eius in sacris libris, & eius baptismo, capitulo 49 ibid.
De libris eius, quos ante baptismum suum scripsit, capitul. 50 ibid.
De promotione eius in ecclesia Hipponensi, cap. 51. 672
Qualiter vixit in episcopali dignitate, cap. 52 ibid.
De facinore Theodosij in Thessulonicenses commisso pro quo excommunicatus est ab Ambrosio, cap. 53 ibid.
De compunctione eius, & humili postulatione absolutionis, & de correctione edicti, & absolutione Theodosij, ca. 54. 673
Quod Flacilla Imperatrix intendebat pauperibus sustentandis, ipse verò Theodosius idolis euertendis, cap. 55. ibid.
De subuersione templi Iouis apud Apamiam, cap. 56 674
De subuersione Serapis in Alexandria, cap. 57 ibid.
De flagitiis tyranni sacerdotis in templo dolo commissis, cap. 58 675
De simulacro symiæ, & inundatione Nili contra Paganorum opinionem, cap. 59 ibid.
De dispersione ossium beati Ioannis Baptistæ, & reuelatione capitis eius, cap. 60 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De tranſlatione eiuſdem ab Alexandria in Aquitania, cap. 61 676
De Prudentio Poeta, & quibuſdam actis Hieronymi, cap. 62 ibid.
De geſtis, & dictis ſancti Arſenij Abbatis, cap. 63 ibid.
De Puero nato gemello in caſtello Emaus, & libro Heraclidis de Paradiſo, cap. 64 677
Narratio eiuſdem, de ſancto Iſidoro Alexandrino presbytero, cap. 65 ibid.
De S. Dorotheo Thebano, cap. 66 ibid.
De Didimo Alexandrino, & eius narrationibus, cap. 67 678
De ſanctis viris, Ammone, & Pambo, cap. 68 ibid.
De Ammonio, & Beniamin, cap. 69 ibid.
De Machario Aegyptio, cap. 70 679
De alio Machario Alexandrino, cap. 71 ibid.
Iterum de eodem, cap. 72 fol. 679 & 680
De ſancto Moyſe Aethiope, cap. 73 680
De ſancto Eulogio Scolaſtico, & monacho Alexandrino, & eius Eleſantioſo, cap. 75 681
De ſine vtriuſque, cap. 76 ibid.
De conuerſione Pauli Simplicis, cap. 77 ibid.
De Damoniaco per eius ſanctam ſimplicitatem curato, cap. 78 682
De ſancto Pachomio Scithiotico, cap. 79 ibid.
De quodam S. Stephano, & Valente Præſumptuoſo, cap. 80 ibid.
De ſanctis Helia, & Dorotheo, cap. 81 683
De S. Pachomio Tabanenſi, & eius regula per Angelum dictata, cap. 82 ibid.
De Virgine humili, & abiecta, quam ſanctus Picerius vir probatiſſimus viſitauit, cap. 83 ibid.
De S. Iohanne incluſo, & eius ſpiritu prophetico, cap. 84 684
De S. Serapione, cap. 85 ibid.
De S. Euagrio, cap. 86 685
De ſanctis Effrem à Dolio, & Innocentio, cap. 87 ibid.
De S. Philoronio presbytro, cap. 88 ibid.
De ſanctis mulieribus Euſtochio, & Melania, cap. 89 fol. 686
De ſanctis Elpidio, Siſinnio, Gaddapo, & Helia, cap. 90 ibid.
De ſancta Siluia Virgine, & ſancto Diocle, & Capitone, cap. 91 ibid.
De ſancta Virgine amata, & quadam alia & Melania minore, cap. 92 687
De Virgine apud quam ſanctus Athanaſius Epiſcopus, ſex annis latuit, cap. 93 ibid.
De Virgine Corinthia per iuuenem à lupanari liberata, cap. 94 688
De quodam pijſſimo monacho, & de Virgine lapſa perfecte reconciliata, cap. 95 ibid.
De illa, quæ corruptionis ſuæ crimen in quendam lectorem tranſtulit, cap. 96 ibid.
De S. Nathanaele ſeniore, cap. 97 ibid.
De ſanctitate cuiuſdam fratris cum Heraclide conuerſantis, cap. 98 689
De Ruffino presbytero, & ſcriptis eius, cap. 99 ibid.
De mutuis epiſtolis Hieronymi, & Auguſtini, cap. 100 ibid.
De Claudiano Poeta, & Floſculis eius, cap. 101 fol. 690
De Floſculis Prudentij, cap. 102 ibid.
De Ioanne Damaſceno presbytero, & geſtis eius, cap. 103. 691
De falſo crimine in eo punito, cap. 104 ibid.
De miraculo per Beatam Virginem in eo demonſtrata, cap. 105 ibid.
De nece Valentiniani, & Eugenij tyranni, cap. 106 fol. 692
De religioſitate Theodoſij, & de ſine eiuſdem capitulo 107 ibid.

INDEX LIBRI XVIII.

Decimuſoctauus liber continet Hiſtoriam 23. annorum, quibus imperauit Archadius, & Honorius: Inter hoc autem continet libros Dialogorum Seueri, & Poſtumiani, & Galli, Flores quoque paucos beati Auguſtini. Habet antem Cap. 99.

DE Imperio Archadii, & Honorij, & ſeuitia Gildonis Aphricæ Comitis, cap. 1 693
De interitu Gildonis, & Maſceihelis, & Ruffini præfecti, cap. 2 ibid.
De ordinatione Ioannis Chryſoſtomi, & auſteritate eius cap. 3 694
De miraculo communionis in lapidem conuerſæ, & actibus Ioannis Chryſoſtomi, cap. 4 ibid.
De ſanctis Donato, & Epiphanio epiſcopis, cap. 5 ibid.
De Oroſio, & ſcriptis eius, cap. 6 695
De Tyconio, & libris & regulis eius, cap. 7 ibid.
De Senero, & ſcriptis eius, cap. 8 ibid.
De initio peregrinationis Poſtumiani, cap. 9 fol. 696
Narratio Poſtumiani, & de loco deſerto quem exploraueerat, cap. 10 ibid.
De certamine epiſcoporũ, & monachorum Alexandriæ ſuper libros Origenis, cap. 11 ibid.
De viſitatione beati Hieronymi Bethleem, cap. 12 ibi.
De Puero, poſt victoriam Aſpidis, ab Abbate Verbeto, cap. 13 697
De Anachoreta, quem Leo reuerebatur, cap. 14 ibid.
De alio cui oenanti lupa aſtabat, cap. 15 698
De alio, qui Leenæ Catulos Cæcos illuminauit, & alio cui Ibex, herbu innoxias ex faſciculo elegit, cap. 16 ibi.
De alio hirſuto, & duobus obedientiæ miraculis cap. 17 ibid.
De illo, qui precibus obtinuit, vt à diabolo per quinque menſes vexaretur, cap. 18 699
De bello geſtorum ſancti Martini, & eius vita prærogatiua, cap. 19 ibid.
Qualiter in hoc conuenerunt, vt Gallus narraret de Martino, cap. 20 700
Narratio galli de globo igneo, & quibuſdam eius miraculis, cap. 21 ibid.
De verberibus eidem illatis ob pauonem iumẽtorum, c. 22. ibi.
De tribus mortuis ab eo ſuſcitatis, cap. 23 701
Qualiter Valentianus Martino coactus eſt aſſurgere, cap. 24 ibid.
Qualiter Imperatrix ei in conuiuio miniſtrauit, cap. 25 ibid.
De poteſtate, & intelligentia, quàm etiam circa beſtias habuit, & Exenio, quod à Virgine accepit, cap. 26 702
Quod frequenter occulte viſitabatur à ſanctis Virginibus, Apoſtolis, & Angelis, cap. 27 ibid.
Iterum de miraculis eius, cap. 28 ibid.
Qualiter propter ipſum Auicianus cathenatos laxare coactus eſt diuinitus, cap. 29 703
Adhuc de miraculis eius, cap. 30 fol. 703
Iterum de eodem cap. 31 fol. 703
De obitu eiuſdem, cap 32 704
De viſionibus longe oſtenſis Seuero, & Ambroſio epiſcopis, cap. 33 ibid.
De viſione oſtenſa Seuero Aquitanico, cap. 34 ibid.
De inſtitutione Ludi gladiatorij, & inuectiuis mutuis Hieronymi, ac Ruffini, cap. 35 705
De obitu S. Ambroſij, cap. 36 ibid.
De Paulio Epiſcopo, qualiter pro captiuo ſe ſeruituti Barbabari addixit, cap. 37 706
De liberatione ipſius cum ſuis, & de morte eiuſdem, c. 38 ibid.
De ſancto Felice martyre, cap. 39 ibid.
De ſancto Felice presbytero, & confeſſore, capit. 40 fol. 707
De S. Brictio Thuronenſi, cap. 41 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Innocentio Papa, & Pelagio hereſiarcha, cap. 42 708
De peregrinatione Sancti Alexij, cap. 43 ibid.
Qualiter à ſeruis ſuis eleemoſynam accepit, & in domum patris, tanquam extraneus hoſpitatus eſt, cap. 44 ibid.
De tranſitu eius, & charta in manu eius reperta, cap. 45 ibid.
De planctu, & exequijs eiuſdem, cap. 46 709
De ſancto Abbate Pachomio, cap. 47 ibid.
De ſancta Paula, & eius peregrinatione, cap. 48 fol. 710
De proſapia ipſius, & virtutibus eiuſdem, cap. 49 ibid.
De obitu, & exequys eiuſdem, cap. 50 ibid.
De trino exilio Ioannis Chryſoſtomi, & morte eiuſdem, cap. 51 171
De quibuſdam incidentibus, & obitu Imperatoris Archadij, cap. 52 ibid.
De libris Auguſtini, cap. 53 712
De nominibus librorum eius, qui apud nos reperiuntur, cap. 54 712
De nominibus caterorum, quos videre non potui, cap. 55 713
Flores eius, de laude Dei, & Innocatione, cap. 56 fol. 714
De confeſſione peccati infantiæ eius, cap. 57 ibid.
De confeſſione peccati pueritiæ, cap. 58 715
De peccati adoleſcentia, cap. 59 ibid.
De furto eius in pyris commiſſo, cap. 60 716
De amoribus eius illicitis, cap. 61 ibid.
De ſtudijs eius, & errore Manichæorum, cap. 62 ibid.
Excuſatio Patriarcharum contra blaſphemiam eorum, cap. 63 717
De carnali eius dolore, ſuper amico defuncto, cap. 64 ibid.
Exhortatio animarum, vt ab amore ſenſibilium redeant ad Deum, cap. 65 718
De vano amore laudis, & ſcientiæ ſecularis, cap. 66 ibid.
De confeſſione laudis, & inquiſitione veritatis, cap. 67 ibid.
De ingreſſu eius ad fidem ſacrorum librorum, cap. 68 719
De ſerenatione mentis ad agnitionem veritatis, cap. 69 ibid.
Qualiter in ſe reuerſus agnoſcere cepit veritatem cap. 70 720
Adhuc de eodem cap. 71 720
De certitudine veritatis, & gaudio ſuper penitentia peccatoris, cap. 72 ibid.
De difficultate perfectæ conuerſionis, cap. 73 fol. 721
De compunctione eius, & conatu contra conſuetudinem, cap. 74 ibid.
De ruptione conſuetudinis, & recollectione voluntatis, & amoris multis in vnum, cap. 75 ibid.
De colloquio eius cum matre, ſuper contemplatione veritatis, cap. 76 722
De oratione eius, & duplici confeſſione, cap. 77 ibid.
De primo gradu contemplationis per creaturas ſenſibiles, cap. 78 ibid.
De cæteris gradibus per vires animæ, cap. 79 723
Qualiter Deus, vel beata vita per memoriam reperitur, cap. 80 ibid.
Quod beata vita eſt gaudium de ſola veritate, cap. 81 724
De tentationibus huius vitæ, & primo de carnis concupiſcentia, cap. 82 ibid.
De voluptate, gulæ, cap. 83 ibid.
De illecebris odoratus, & auditus, cap. 84 725
De voluptate oculorum, cap. 85 ibid.
De curioſitate, cap. 86 ibid.
De vano appetitu fauoris, & laudis, cap. 88 fol. 726
De contemplatione vera lucis, & beneficio Incarnationis, cap. 89 ibid.
Quod ad beatitudinem via ſit amor ordinatus, cap. 90 727
Quod virtus nihil aliud ſit, quàm amor Dei ſummus, c. 91 ib.
De bipartita dilectione, cap. 92 728
De rebus fruendis, & vtendis, & de diligendis, cap. 93 ibid.
De ordine dilectionis, cap. 94 729
Quod totius ſcripturæ finis eſt charitas de corde puro, c. 95 ib.
De obſcuritate, & intelligentia ſcripturarum, cap. 96 730
De eloquentia, & ſapientia, cap. 97 ibid.
De labore clauſtralium manuali, cap. 98 ibid.
De illis, qui nolunt operari propter pigritiam, cap. 99 731

INDEX LIBRI XIX.

Decimuſnonus liber, continet hiſtoriam annorum 14. quibus imperauit Honorius cum fratruele ſuo Theodoſio. Inſuper, & Flores librorum Caſſiani, de inſtitutis monachorum, & collationibus patrum. Habet autem Cap. 130

De Imperio Honorij, & Theodoſij, & de S. Deſiderio Lingonenſi, cap. 1 732
De miraculo eiuſdem martyris, cap. 2 ibid.
De S. Antidio Biſuncienſi, cap. 3 733
De bellis Honorii Imperatorii, cap. 4 ibid.
De S. Maximo Taurinenſi, & ſcripturis eius, & hæreſi prædeſtinatorum, cap. 5 ibid.
De Iudæo ficte baptizato, & aliis quibuſdam incidentibus, cap. 6 ibid.
De Inuentione Sancti Stephani, cum ſociis ſuis, cap. 7 734
De miraculis eiuſdem martyris, cap. 8 ibid.
Item de eodem cap. 9. & 10 735
De Bonifacio Papa, & quibuſdam aliis incidentibus c. 11 ib.
De S. Aniano Aurelianenſi, cap. 12 736
Qualiter vrbem ſuam liberauit ab Hunnis, cap. 13 ibid.
De morte Honorii, & collationibus Caſſiani, cap. 14 ibid.
De numero, & materia librorum eiuſdem, cap. 15 fol. 737
De doctrina eiuſdem, de habitu monachorum, cap. 16 ibid.
De modo pſallendi, & orandi, cap. 17 738
Adhuc de oratione, & vigilia, cap. 18 ibid.
De forma recipiendi, & inſtruendi nouitium, cap. 19 ibid.
De diſtrictione obedientiæ, & diſciplina, cap. 20 fol. 739
De diſciplina, & reuerentia in menſa, vbique in omnibus ſeruanda, cap. 21 ibid.
Exempla obedientiæ ſanctorum Ioannis, & Mucii, c. 22 740
De peregrinatisne abbatis Pimiſii cauſa humilitatis, c. 33 ib.
De nouicio, quem in ingreſſu de norma religionis inſtruxit, cap. 24 ibid.
De decem humilitatis indiciis, cap. 25 741
De temperantia gulæ, cap. 26 ibid.
De ieiunio ſpirituali, & quid edendum, & quando, & qualiter abſtinendum, cap. 27 ibid.
De continentia, & caſtitate, cap. 28 742
De auaritia, & proprietate monachi, cap. 29 ibid.
De tribus eiuſdem vitij ſpeciebus, cap. 30 ibid.
De ira pernicioſa, & ſalubri, cap. 31 743
De illis, qui ſuperbia, vel impatientia ſolitudinem requirunt, cap. 32 ibid.
Quod nec etiam contra inſenſibiles creaturas iraſci liceat, cap. 33 744
De triſtitia pernicioſa, & ſalubri, cap. 34 ibid.
De tædio, vel accidia, cap. 35 745
De huius vitij remedio, quod eſt laboris exercitium, c. 36 ibid.
De inani gloria ſpirituali, & occulta, cap. 37 746
De vana gloria carnali, & huius vitij remedio, cap. 38 ibid.
De ſpirituali ſuperbia, qua tentantur perfecti, cap. 39 ibid.
De ſuperbia carnali, & eius indiciis, ac remediis cap. 40 747
Collatio abbatis Moyſi, de puritate cordis, cap. 41 ibid.
De contemplatione diuinitatis, cap. 42 748
De purgatione mentis, à cogitationibus pravis, cap. 43 ib.
De triplici origine cogitationum, cap. 44 ibid.
Exempla, de indiſcreta præſumptione quorundam, c. 45 749
Quod per humlilitatem veram acquiritur diſcretio, cap. 46 ibid.
De diſcreta refectionis corporis moderatione, cap. 47 750
Collatio Pafuncii, de trina ſpecie vocationis, cap. 48 ibid.
Collatio Danielis, de triplici cauſa ſterilitatis menſis, cap. 49 751
De pugna carnis, & ſpiritus eius vtilitatem, cap. 50 ibid.
De perniciosa eius ſecuritate, & tempore, ac ſuperbia, c. 51 752

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Collatio Serapionis de octo principalibus vitiis, capitulo 54 ibid.
De confederatione eorum mutua, siue concatenatione, cap. 55 ibid.
De gula, luxuria, ira, & tristitia, cap. 54 753
De inani gloria, & superbia, cap. 55 ibid.
De conflictu, cum vitiis prædictis, cap. 56 ibid.
Collatio Theodori de Prosperis, & aduersis huius seculi, cap. 57 754
Quod iusti mens inter hæc debet immobilis stare, & semper proficere, cap. 58 ibid.
De castitate Sereni abbatis, & eius responsione super mobilitate mentis, cap. 59 755
Qualiter mens se possit de bono cagitatu stabilire, & diabolo resistere, cap. 60 ibid.
De corporali refectione, & de diuersis sensibus scriptura, cap. 61 ibid.
De lapsu Angelorum, & eorum pugna adinuicem, c. 62. 756
Quod inter dæmones alij alijs dominantur, cap. 63 ibid.
De Angelis personalibus, & differentia dæmonum, cap. 64 ibid.
Qualiter intelligẽdum sit, quod filij Dei ingressi sunt ad filias hominum, cap. 65 757
Collatio Isaac de puritate mentis ad orandum, capitulo 66 ibid.
Qualiter curæ seculares vexant etiam claustrales, cap. 67 ibid.
De speciebus orationis,, & de oratione Dominica, capitu. 68 758
De diuersis speciebus compunctionis, & affectu puræ orationis, cap. 69 ibid.
De diuersis causis Exanditionis, & de secreto orationis, cap. 70 759
Quod secundum qualitatem mentis formatur oratio, cap. 71 ibid.
De formula orationis à sancto Isaac tradita, cap. 72 760
Qualiter mens in oratione vaga possit stabiliri, capitulo 73 ibid.
De sanctis Archebio episcopo, & Cheremone, capitulo 74 ibid.
Collatio Cheremonis de causis vitandi peccatum, capit. 75 761
De timore seruili, & filiali, cap. 76 ibid.
De corpore peccati destruendo per desiderium boni, cap. 77 762
De sex castimoniæ gradibus, cap. 78 ibid.
De causa nocturnæ pollutionis, cap. 79 ibid.
De vera, & perfecta castitate, cap. 80 763
De miraculis Dei circa peccatores conuersos, capitulo 81 ibid.
Qualiter perfectionem castitatis obtinere, quis possit, cap. 82 ibid.
Qualiter Deus à nobis meritu per gratiam suam extorquet, cap. 83 764
Collatio Nestoris, de vita actiua, cap. 84 ibid.
Quod vnusquisque proprio dono vel officio contentus sit, cap. 85 ibid.
De vita theorica, idest speculatiua, cap. 86 fol. 765
De gratia curationum corporis cui præfertur curatio mentis, cap. 87 ibid.
Collatio Ioseph, de diuersis generibus amicitiæ, capitulo 88 766
De quinque gradibus amicitiæ veræ conseruandæ, capit. 89 ibid.
De impatientia, & ficta patientia, cap. 90 767
Iterum de eodem, cap. 91 ibid.
Quod melius sit tolerare, quàm tolerari, nec tamen semper tolerandum, cap. 92 ibid.
Qualiter debeat dari locus iræ, & de ruptione fœderis amicitiæ, cap 93 768
De incauta diffinitione vtrum obliget, cap. 94 ibid.
Quod in huiusmodi recurrendum sit ad intentionem spondentis, cap. 95 ibid.
Quod nostræ diffinitioni, vel sponsioni non est pertinaciter adhærendum si potest in melius commutari, cap. 96 769
Collatio Piamonis de doctrina seniorum humiliter suscipienda, cap. 97 ibid.
De duobus generibus bonorum monachorum, capitul. 98 770
De alijs duobus generibus malorum, cap. 99 ibid.
De humilitate, & patientia conseruanda, cap. 100 ibid.
De inuidia detestanda, cap. 101 771
De Ioanne seniore, cur heremitica vita relicta ad Conobialem transierit, cap. 102 ibid.
De commendatione vtriusque vitæ, cap. 103 ibid.
De vtriusque perfectione, & imperfectione, cap. 104 772
Quod in solitudine non extinguuntur vitiorum affectus, sed reprimuntur effectus, cap. 105 ibid.
De examinatione patientiæ propriæ, cap. 106 ibid.
De examinatione propriæ castitatis, cap. 107 fol. 773
Collatio Pinusçii de perfectione pœnitentiæ, cap. 108 ibid.
De conuersione S. Theone, cap. 109 ibid.
Quod ieiunia, & alia huiusmodi pro loco & tempore seruanda sunt, & moderanda, cap. 110 774
De primitijs, & decimis spiritualiter offerendis, capitulo 111 ibid.
Quod perfectis non est lex imposita, quia communia supergrediuntur præcepta, cap. 112 ibid.
De diuersis causis stimulorum carnis, cap. 113 ibid.
Quod non semper pro carnis pollutione sit abstinendum à sacra communione, cap. 114 775
Quod à culpis venialibus, nemo prater Christum sit immunis, cap. 115 ibid.
De excellentia, & perspicuitate vitæ contemplatiuæ, cap. 116 776
Quod ea quæ imperfectis inculpabilia videntur, perfecti in se grauia reputant, cap. 117 ibid.
Qualiter hoc corpus mortis aggrauat animam, cap. 118 777
Quod propter venialia non oportet quenquam à sacra communione se subtrahere, cap. 119 ibid.
Collatio Abraham de omnimoda solitudine appetenda, cap. 120 ibid.
Quod figendum sit, & corpus in loco, & mens in Deo, cap. 121 778
Quod quædam facta perfectorum non sunt infirmis trahenda in exemplum, cap. 122 ibid.
Quod perfectionem appetenti fugienda sint parentum, & amicorum blandimenta, cap. 123 ibid.
Quod melius sit pauca merita cum securitate acquirere, quam ad maiora lucra cum periculo aspirare, cap. 124 778
De radicibus vitiorum in anima, cap. 125 ibid.
Quod non sit fugienda penitus hominum frequentia, cap. 126 ibid.
De austeritate interdum aliquatenus relaxanda, cap. 127 780
De suauj iugo Christi, & eius exasperatione, cap. 128 ibid.
De centuplo perfectorum in hac vita, cap. 129 ibid.
De persecutionibus adiunctis, & de fine sermonis, capitul. 130 781

INDEX LIBRI XX.

Vigesimus liber continet historiam 68. annorum per tempora quinque Imperatorum, scilicet ab Imperio Theodosii iunioris, vsque ad finem Imperii Zenonis, & inter hæc Flores quorundam catholicorum, scilicet Petri Rauennatis, & Papæ Leonis, & Prosperi quoque, & Fulgentij. Habet autem Cap. 111.

DE Imperio Theodosii iunioris, quo solus imperauit. cap. 1 782
De Imperio eiusdem Theodosii, cum Valentiano, cap. 2 ibid.

De

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De quibusdam euentibus illius temporis, cap. 3 fol. 783
De origine, & priori statu sancti Germani Anthisiodo. cap. 4 ibid.
De ordinatione eiusdem, & obitu sancti Amatoris, cap. 5 ibid.
De vita eiusdem sancti Amatoris episcopi, cap. 6 ibid.
De austeritate vita S. Germani, cap. 7 784
De primo transitu eiusdem in Britanniam, & de sancta Genouefa Virgine, cap. 8 ibid.
De agritudine S. Germani, & eius pugna contra Saxones, cap. 9 ibid.
De secunda profectione eiusdem in Britanniam, & discipulo suscitato, cap. 10 785
De Rege Britanniæ ab eodem expulso, & subulco substituto, cap. 11 ibid.
De S. Cassiano Augustudinensi, qui respondit ei de tumulo, cap. 12 ibid.
De latrone eius diuinitus irrettio, & duobus aureis compensatis, cap. 13 ibid.
De operibus pietatis eius, & asini sui suscitatione, cap. 14 786
De transitu, & exequijs eiusdem, cap. 15 ibid.
De S. Lupo Trecensi, cap. 16 ibid.
De vita S. Mamertini abbatis, cap. 17 787
De S. Mariano monacho, cap. 18 ibid.
Adhuc de miraculis, & transitu eiusdem, cap. 20 ibid.
De Sanctis Episcopis Eucherio Lugdunensi, & Hilario Arelatensi, cap. 21 788
De S. Honorato Arelatensi episcopo, & eius primordijs, cap. 21 ibid.
De vita eius monastica, & Episcopatu eiusdem, cap. 22 ibid.
De sancto Patricio Hibernorum episcopo, cap. 23 ibid.
De baculo Iesu sibi dato, & Purgatorio sibi ostenso, cap. 24 789
De Petronio Bononiensi, & scriptis eius, cap. 25 ibid.
De cateris eiusdem temporis, Doctoribus, & Scriptoribus, cap. 26. ibid.
De quibusdam illius temporis accidentibus, cap. 27 fol. 790
De obitu sancti Augustini Hipponensis episcopi, cap. 28 ibid.
De sancto Leone Papa Sermologo, & de scriptis eius, cap. 29 ibid.
De quibusdam incidentibus illius temporis, & de Merlino, & eius Prophetia, cap. 30 ibid.
De persecutione Vuandalorum in Aphrica, cap. 31 791
De resurrectione prædictorum septem fratrum, & de stupefactione Malchi, cap. 32 ibid.
Qualiter eorum resurrectione diuulgata, rursus obdormierunt, cap. 33 792
De quibusdam euentibus, & obitu Theodosii, & Codice eiusdem, cap. 34 ibid.
De Imperio Marciani, & Concilio Calcedonensi, c. 35 ibid.
De persecutione Hunnorum in Gallia, & expugnatione eorum, cap. 36 793
De sancto Nichasio Remen. & eius sorore Eutropia, cap. 37 ibid.
De martyrio vtriusque, cap. 38 ibid.
De persecutione Hunnorum in Gallia, & de miraculo Trinitatis in vnitate, cap. 39 794
De sancta Virgine Vrsula, cum sociabus, cap. 40 ibid.
Qualiter Romam nauigantes à Papa Cyriaco suscepta sunt, cap. 41 ibid.
Qualiter idem Papa multique alii magnates eius adiuncti sunt, cap. 42 795
De martyrio totius multitudinis prædicta apud Coloniam, cap. 43 ibid.
De quibusdam earum miraculis post transitum, cap. 44 ibid.
De persecutione Hunnorum in Italia, & de morte Attilæ Regis, & sepulchro sancti Seruacii cap. 45 796
De sancta Genouefa Virgine, & eius infantia, & qualiter vrbem Parisius ab Hunnis liberauit, cap. 46 ibid.
De austeritate vitæ eius, & Basilica S. Dionysii quàm edificauit, cap. 47 ibid.
De amabilitate eiusdem, & eius miraculis, cap. 48 797
De quibusdam gestis illius temporis, cap. 49 ibid.
De morte Valentiniani, & Marciani, & Imperio Leonis, cap. 50 ibid
De sancto Simeone Antiocheno, & eius vita monastica, cap. 51 798
De puteo in quo latuit, & columnis in quibus stetit, cap. 52 ibid.
De multis eiusdem miraculis, cap. 53 ibid.
De transitu eius, & exequijs, cap. 54 799
De quibusdam euentibus, & victoria Vterpendragon, cap. 55 ibid.
De institutione Rogationum, & victorijs Arthuri, c. 56 ibid.
De translatione S. Martini, cap. 57 800
De Prospero, & Theodoro, & libris eorum, cap. 58 ibid.
De Floribus, Prosperi metricis, cap. 59 ibid.
De eodem cap. 60. 61. 62. 63 fol. 801. 802
De Flosculis eius Prosaicis, cap. 64 ibid.
Item dicta eius de angelis, & vita aterna, & vita contemplatiua, cap. 65 803
De officio prædicationis, cap. 66 ibid.
De auditu verbi Dei, & modo corripiendi, & contemptu seculi, cap. 67 ibid.
De abstinentia, & suaui iugo Christi, & abijciendo iugo seculi, cap. 68 ibid.
De hipocrisi, & inuidia, de pudicitia quoque, & superbia, cap. 69 804
De inuidia, & vanagloria, cap. 70 ibid.
De timore supplicii, & amore Dei, cap. 71 ibid.
De temperantia, & iustitia, cap. 72 805
De Imperio Zenonis, & eius astutia, cap. 73 ibid.
De Honorico rege Vuandalorum, & Eugenio Carthaginensi episcopo, cap. 74 ibid.
De initio persecutionis Honorici in ecclesiam Aphricanam, cap. 75 806
De crudelitate eiusdem in suos, cap. 76 ibid.
De signis, quæ persecutionem catholicorum præcesserunt, cap. 77 ibid.
De impijs edictis in milites, & episcopos, & sacras virgines, cap. 78 807
De viris ecclesiasticis, & mulieribus, & infantibus in exilium directis, cap. 79 ibid.
De carceribus eorum arctissimis, & teterrimis, cap. 80 ibid.
De mortuis in itinere, & exilii asperitate, cap. 81 808
De citatione reliquorum episcoporum catholicorum ad concilium, cap. 82 ibid.
Fe Felice Ceco, per Beatum Eugenium illuminato, c. 83 ib.
De conuentu episcoporum, ad concilium congregato, c. 84. 809
Expositio fidei catholicæ contra Arrianos, cap. 85 ibid.
De proscriptione catholicorum episcoporum, & expoliatione, cap. 86 ibid.
De iuramento per dolum ab eis, exacto, cap. 87 fol. 810
De martyrio sanctæ Dionysiæ, & suarum, cap. 88 ibid.
Passio S. Maiori, & sanctæ Victoriæ cap. 89 fol. 811
Passio sancti Victoriani Proconsulis, & duorum Germanorum, cap. 90 ibid.
De illis, qui linguis abscisis loquebantur, cap. 91 ibid.
De persecutione, quæ facta est in Carthagine, cap. 92 ibid.
De sancto Murita Diacono, & increpatione Elpidofori, cap. 93 812
De tormentis exulantium, duodecimque infantium à grege separatorum, cap. 94 ibid.
De passione sancti Eugenii Carthaginensis episcopi, c. 95 ib.
De passione S. Abdiner episcopi, & eterorum, c. 96 813
De constantia Liberati, & vxoris eius, cap. 97 ibid.
De angustia famis in Affrica, & interitu Honorici tyranni, cap. 98 ibid.
De Regno Italiæ & cathalogo Regum ipsius, cap. 99 814
De sancto Remigio Remensi archiepiscopo, cap. 100 ibid.
De Gelasio Papa, & scriptis, & statutis eiusdem, c. 101 ibi.
De inuentione Criptæ sancti Michaelis in Gargano monte, cap. 102 815
De inuentione sancti Barnabæ, & viris illustribus illius temporis, capit. 103 ibid.
De origine sancti Fulgentii Ruspensis, & eius monachatu, cap. 104 ibid.
De episcopatu eiusdem, & exilio, capit. 105 816
De iterato eius exilio, & regimine monasterij, cap. 106 ibid.

De

De institutione cleri, & transitu eiusdem Fulgentij, cap,107 ibid.
De libris, & dictis eiusdem,cap.108 ibid.
Exhortatio ipsius ad sanctimoniam vita vidualis, capit.109 817
De commendatione virginitatis, cap.110. ibid.
De quibusdam alijs moralibus, & dictis eiusdem,cap.111 ibid.

INDEX LIBRI XXI.

Vicesimusprimus liber continet historiam 21. annorum, per successionem quinque Imperatorum ab Imperio, scilicet Anastasij, vsque ad Imperium Mauricii. Cui videlicet, historiæ pauca interseruntur dicta moralia quorundam sapientium: Boetij, scilicet Eunodij, Sydonij, Cassidiori, & Aratoris. Habet autem capitul.135.

De Imperio Anastasii,& Symmacho Papa,& Antipapa Laurentio,cap.1. 818
De seditione Romanæ Ecclesiæ, & gestis Symmachi Papæ, cap.2 ibid.
De quibusdam incidentibus illius temporis, cap.3 f.819
De desponsatione Lotildis à Clodoueo rege Francorum, cap.4 ibid.
Qualiter ei Lotildis christianismum suadebat, cap.5 ibid.
De modo conuersionis, & baptismo Clodouei populique Francorum,cap.6. ibid.
De S. Genebaudo Laudunensi, & eius lapsu, & pœnitentia, cap.7. 820
De Dæmoniaco curato à S.Remigio, & de transitu eiusdem, cap.8 ibid.
De S. Veduſto Atrebatensi,cap.9 821
De Episcopatu eius, & transitu, & exequiis, capitul.10 ibid.
De vita S. Leonardi Lemouicensi,cap.11 ibid.
De obitu ipsius, & miraculis sequentibus,cap.12. 822
Qualiter Clodoueus auxilii Dei signis animatus, de Gothis triumphauit,cap.13 ibid.
De Symmacho Patricio, Boetii socero, & dictis eius, cap.14 823
De scriptis Boetii,& quibusdam dictis eius,cap.15 ibid.
Iterum ex dictis eiusdem, cap.16.17,18,19.20.21. fol.823. 824.825
De sancto Seuerino Abbate Agauensi,cap.21, ibid.
De sancto Maxentio abbate Pictauensi,cap.22. ibid.
De Concilio Aurelianensi, quod fuit primum in Francia, cap.23. 826
De S. Melanio Rhodonensi episcopo,cap.24 ibid.
De vita S.Arnulphi martyris,cap.25 ibid.
De martyrio S.Sigismundi Regis,cap.26 827
De Horsmida Papa, & interitu Anastasii Imperatoris,cap. 27 ibid.
De Eunodio Cicinensi episcopo, & dictis eius,cap.28 ibid.
De Imperio Iustini senioris, & de sancta Brigida virginis, cap.29. ibid.
Item de miraculis eiusdem,cap.30 828
Adhuc ex eodem,cap.31,32 ibid.
De Ioanne Papa,& eius legatione ad Imperatorem Constãtinopolitanum,cap.33 829
De filiis Clodouei regis, & strage Thoringorum, capit.34 ibid.
De pugna Hildeberti contra regem Gothorum, pro sorore sua cap.35 830
De crudelitate Lotharii in nepotes suos, cap.36 ibid.
Qualiter idem Lotharius à persecutione fratrum diuinitus est liberatus,cap.37 ibid.
De obsidione Cæsar Augustæ, & morte Hildeberti, & Lotildis,cap.38 ibid.
De S. Vrgore Baiocensi, & mortuo ab eo suscitato, capit.39 831
De cæteris eius miraculis,& obitu eiusdem,cap. 40, ibid.
De sanctis Karilelpho,& Anito abbatibus,cap.41. ibid.
De reuerentia à bestia ei exhibita, & irreuerentia Regis Hildeberti,cap.42. 832
De elatione ipsius, & humiliatione, erga præfatum virum, cap.43. ibid.
De cautela sancti Karilelphi in vitando mulierum aspectu, & de obitu eiusdem, & miraculis sequentibus, cap. 44 ibid.
De transitu sancti Aniti abbatis, & quodam eius miraculo, cap.45 833
De Sydonio Auernensi episcopo, & scriptis eius, cap. 46 ibid.
De flosculis epistolarum eiusdem,cap.47 ibid.
Adhuc ex eodem,cap 48 ibid.
De Cassiodoro Senatore,& Floribus epistolarum eius, cap. 47 834
De Imperio Iustiniani, & Prisciano Grammatico, cæterisque viris illustribus illius temporis,cap.50. ibid.
De Aratore Poeta,& dictis eius,cap.51 ibid.
Adhuc ex eodem,cap.52 835
De S.Gregorio Lingonensi episcopo,cap.53 ibid.
De sancto Benedicto Abbate, & bonis eius initiis, capitul. 54 ibid.
Qualiter se habuit in cura regiminis,cap.55. 836
De Florentio eius æmulo,& monacho superbo,cap.56 ibid.
De monialibus post obitũ absolutis, & monacho terrore draconis ad monasterium reuocato,cap.57 ibid.
De multiplicatione olei, & transitu sancti Benedicti, cap.58 ibid.
De quibusdam incidentibus illius temporis, cap.59. ibid.
De vita S.Clodoaldi presbyteri, cap. 60 837
De S.Agapito Papa,cap.61 ibid.
De cæteris viris illustribus illius temporis,& de S.Medardo Suessionensi,cap.62. ibid.
De S. Germano Parisiensi, cap. 63 838
De promotione eius in episcopatum, & miraculis ipsius, cap. 64 ibid.
De moribus & obitu eiusdem,cap. 65 ibid.
De sanctis episcopis Sabino, Cassio, Fulgentio, & Cerbonio, cap. 66 ibid.
De obitu sancti Benedicti,& legatione sancti Mauri in Galliam, cap. 67 839
De institutione sanctorum Fausti, et Mauri sub beato Benedicto, cap. 68 ibid.
De Theophilo Vicedomino, et Cyrographo, quod dedit diabolo, cap. 69 840
De pœnitentia eiusdem, et Cyrographi restitutione per Beatam Virginem, cap. 70 ibid.
De aduentu S. Mauri in Andegauiam, et de monasterio, quod ædificauit, cap. 71 841
De multiplicatione, et fratrum diminutione, cap. 72 ibid.
De miraculo Benedicti iunioris, et cæteris quibusdam incidentibus, cap. 73 ibid.
De Arthuro rege Britannia, cap. 74 ibid.
De Vigilio Papa, et eius afflictione pro Anthemio Patriarcha, cap. 75 842
De passione sancti Herculani Perusini episcopi, cap. 76 ibid.
De quibusdam euentibus illius temporis. cap. 77 ibid.
De miraculo pueri Iudæi, qui cum Christianis Eucharistiam perceperat, capit. 78 843
De sancta Radegunde Regina, cap. 79 ibid.
Qualiter incarceratos precibus, et miraculo liberauit, vestemque secularem mutauit, capit. 80 ibid.
De sancto Brendano Scoto, et bonis initiis sancti Gregorii cap. 81 ibid.
De sancto Leonardo Torbiginacensi, cap. 82 844
De sancto Lannomaro Carnotensi, et latronibus eius stupefactis, cap. 83 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris eius miraculis, & transitu eiusdem, capitulo 84 ibid.
De monasterio Pictauis à sancta Radegunde constructo, & eius persecutione, cap. 85 845
De mira eius abstinentia, & humilitate, cap. 86 ibid.
Iterum de eodem, cap. 87 ibid.
De laboribus eius, & afflictionibus carnis, capitulo 88 fol. 846
De moribus eiusdem laude dignis, cap. 89 ibid.
De miraculis eius in vita sua ostensis, cap. 90 ibid.
De miraculis eius post obitum, cap. 91 847
De miraculo imaginis à Iudæo transfixæ, & quibusdam aliis, cap. 92 ibid.
De sancto Maclouco, & eius infantia, cap. 93 ibid.
De insula propter eius conseruationem miraculosè factã, cap. 94 ibid.
De psalterio eius, quod in mari missum ad ipsum natauit, cap. 95 848
De igne, quem in gremio tulit, & eius nauigatione, & electione in Episcopum, cap. 96 ibid.
De secunda eius nauigatione, & Gigante quem resuscitauit, & baptizauit, cap. 97 ibid.
De Missa, quam super cætum in mari celebrauit, c. 98 ibid.
De quibusdam eius miraculis, cap. 99 849
Adhuc de eodem, cap. 100 ibid.
De morte Iustiniani, & Imperio Iustini Iunioris, capitulo 101 ibid.
De sancto Columbano Abbate, cap. 102 850
De miraculis eiusdem, cap. 103 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 104 ibid.
De sancto Sansone Dolensi, & eius origine, & magistro eius Elturo, cap. 105 851
De bona indole eiusdem Sansonis, cap. 106 ibid.
De ordinatione ipsius in Diaconum cum miraculo, cap. 107 ibid.
De veneno sibi propinato, cap. 108 852
De itinere ipsius ad patrem suum infirmum, & Diacono propter Theomacham stupefacto. cap. 109 ibid.
De responso eiusdem vetulæ diabolicæ, & sanatione Diaconi, & parentum Sansonis conuersione, cap. 110 ibid.
De reditu eius ad monasterium, & electione ipsius in Abbatem, cap. 111 853
De ordinatione eiusdem in Episcopum, cap. 112 ibi.
De transitu eius in Britanniam Minorem, in monasterio Dolensi, cap. 113 ibid.
De sancto Ethbino eius discipulo, & qualiter dominum per latera tenuit, cap. 114 ibid.
De vita, & miraculis eiusdem, cap. 115 854
De sancto Basolo Reinensi Anachoreta, & eius miraculis, cap. 116 ibid.
De diuisione regni Francorum inter filios Lotharii, & vxoribus eorum, cap. 117 854
De insidiis Fredegundis, contra Galsiundam reginam, cap. 118 ibid
De ortu sancti Amandi Traiecten. Episcopi, & vita eius, cap. 119 ibid.
De peregrinatione eius in Vasconiam, & reditu in Galliam, cap. 120 856
De Sancto Maglorio Dolensi Archiepiscopo, capitulo 121 ibid.
De sancto Paulo Leonensi Episcopo, et bonis eius initiis, cap. 122 ibid.
De miraculis eiusdem, cap. 123 857
De sancto Gregorio Turonensi Archiepiscopo, capitulo 124 ibid.
De miraculis, et scriptis eiusdem, cap. 125 ibid.
De quibusdam euentibus illius temporis, cap. 126 858
De morte Iustini, et Imperio Tyberii, cap. 127 ibid.
De pugna Hilperici regis contra fratrem suum Sigibertum, cap. 128 ibid.
De nece Sigiberti, per insidias Fredegundis, cap. 129 ibid.
De incessu Meronei, et malicia Fredegundis, et eius breui pœnitentia, cap. 130 ibid.
De luxuria eiusdem, et proprii viri nece, cap. 131 859
De Pelagio Papa, et legatione Beati Gregorii in Constantinopol. cap. 132 ibid.
De legatione eiusdem Gregorii in Angliam, cap. 133 ibid.
De reuocatione eiusdem adhuc in itinere constituti, cap. 134 860
De sancto Erminigildo rege, & martyre, cap. 135 ibid.

INDEX LIBRI XXII.

Vicesimussecundus liber, continet historiam 29. annorum, quibus imperauerunt Mauricius, & Focas. Maximam vero partem huius libri continent flores Sancti Gregorij Papæ. Habet autem Cap. 110.

DE Imperio Mauricii, & subuersione partis Antiochiæ, cap. 1 861
De somnio Guntranni regis, & regina Fredegundis, ac Lambrici, cap. 2 ibid.
De pugna Francorum, contra Hildebertum regem Austrasiorum, cap. 3 ibid.
De simulatione Brunichildis, & Theodorici, contra sanctum Columbanum, cap. 4 862
De exilio eiusdem, & damnatis è carcere liberatis per eum, cap. 5 ibid.
De iterato eiusdem exilio, cap. 6 863
De quibusdam miraculis eiusdem, cap. 7 ibid.
De complexione prophetiæ eius super domo Theodorici regis, & obitu ipsius, & quibusdam aliis, cap. 8 ibid.
De peste inguinaria, quæ accidit Romæ, & electione Gregorii Papæ, cap. 9 864
De quibusdam euentibus illius temporis, cap. 10 ibid.
De legatione Augustini in Angliam, & conuersione illius gentis, cap. 11 ibid.
De conuersione Cantuariorum, & regibus Nordanimbrorum, cap. 12 ibid.
De sancto Goare, & falsa eius accusatione apud Archiepiscopum, cap. 13 865
Qualiter aduersariorum suorum famem, & sitim sedauit, cap. 14 ibid.
Qualiter voce pueri peccatum Episcopi coactus publicari fecit, cap. 15 ibid.
Qualiter in Archiepiscopum postulatus, & renuens beneficio mortis euasit, cap. 16 866
De quibusdam euentibus illius temporis, cap. 17 ibid.
De pœna Mauricii iuxta reuelationem Dei sibi panitentialiter inflicta vt euaderet futuram, cap. 18 ibid.
De moribus, & conuersione Beati Gregorii Papæ, capitulo 19 867
De miraculo veri corporis Christi, per eum ostenso, cap. 20 ibid.
De partibus corporalium, quas pro reliquiis misit, & de quibus sanguis exiuit, cap. 21 ibid.
De duobus magis, quos intuitu solo exceecauit, & anima Traiani quam ab Inferis euocauit, cap. 22 fol. 868
De transitu eiusdem, & pœna successoris eius sibi detrahentis, cap. 23 ibid.
De libris ab ipso Beato Gregorio compositis, cap. 24 ibid.
De miraculo circa eum ostenso, dum visionem Ezechielis exponeret, cap. 25 869
De libro moralium amisso, & per miraculum inuento, cap. 26 ibid.
De excerptis prædictorum librorum, & primo de cura regiminis, cap. 27 ibid.
De illis, qui ex diuersis causis recusant officium pastoris, cap. 28 870
Qualiter hoc officium recipiendum sit, & qualiter declinandum, cap. 29 ibid.
De vanis argumentis ambitiosorum, cap. 30 ibid.
Quam eminentis debeat esse vita, qui prælationis officium suscipit, cap. 31 871

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Qualis esse debeat in cogitatione, & in opere, silentio, & sermone in compassione, & contemplatione, cap. 32 ibid.
Qualiter se debeat subiectis aquare, & qualiter præferre, cap. 33 ibid.
Quod erga subiectos seruari debeat amor, & vigor, cap. 34 872
Quod diuersimode admonendi sunt, & aliter Egeni quàm diuites, & læti quàm tristes, cap. 35 ibid.
Quod aliter admonendi sunt subditi, quàm prælati, & serui quàm domini, cap. 36 ibid.
Quod aliter impudentes, quàm verecundi, & inuidi quàm benivoli, cap. 37 ibid.
Quod aliter impuri, quàm simplices, & ægri, quàm incolumes, cap. 38 873
Quod aliter taciti, quàm loquaces, cap. 39 ibid.
Quod aliter mansueti, quàm iracundi, & humiles quàm elati, cap. 40 ibid.
Quod aliter abstinentes, quàm gulosi, cap. 41 ibid.
Quod aliter misericordes, aliter rapaces, & aliter inter vtrunque medy, cap. 42 874
Quod aliter discordes, quàm peccati, & prosperitate fruentes, quàm miseri, cap. 43 ibid.
Quod aliter continentes, quàm coniugati, capitulo 44 fol. 875
Quod aliter admonendi sunt, qui peccata deplangunt, & qui non, cap. 45 ibid.
Quod aliter qui mala sua, & laudant, & quæ econtrario, cap. 46 ibid.
Qualiter illi qui in minimis frequenter excedũt, & qui bona incepta non perficiunt, cap. 47 fol. 876
Qualiter illi qui mala occulte agunt, & bona publice, & quæ econtrario, cap. 48 ibid.
Qualiter vox pradicatoris temperari debet inter vitia contraria, cap. 49 ibid.
De conflictu vitiorum, & virtutum, primo de superbia cum filiabus suis, & horum contrariis, cap. 50 ibid.
De inuidia, & ira cum filiabus suis & virtutibus contrarijs, cap. 51 877
De tristitia cum filiabus suis, & virtutibus contrariis, cap. 52 ibid.
De cupiditate, & gula, & luxuria, & filiabus suis, & virtutibus contrarijs, cap. 53 ibid.
De miraculis sanctorum Petri & Pauli, capitulo 54 fol. 878
Adhuc de corporibus eorum, & cathedra sancti Paula, cap. 55 ibid.
De clane aurea sancti Petri, cap. 56 ibid.
De quibusdam miraculis sancti Andrea Apostoli, cap. 57 879
Adhuc de eodem, cap. 68 ibid.
De sancta simplicitate, & patientia Libertini Fundensis prepositi, cap. 59 ibid.
De hortulano eiusdem monastery, & fure deprehenso, cap. 60 880
De virtutibus sancti Abbatis Equicij, cap. 61 ibi.
De virtutibus sanctorum Constantii, & Marcellini, capitulo 62 ibid.
De virtutibus sancti Bonifacii Episcopi, capitulo 63 fol. 881
De bonis eius initiis ab infantia, & eius abstinentia, cap 64 ibid.
De muliere voluptuosa per sanctum Fortunatum Episcopum à legione Damonum curata, cap. 65 ibid.
De cæteris eiusdem Episcopi virtutibus, capitulo 66 ibid.
De virtutibus sanctorum Martyrij, & Seueri, capitulo, 67 882
De sancto Benedicto Abbate, & eius virtutibus contra Damones, cap. 68 ibid.
De spiritu prophetiæ quo futura, vel absentia nunciabat, cap. 69 883
Qualiter in somno apparens cuidam, quid agendum esset ostendit, cap. 70 ibid.
De quibusdam eius miraculis, cap. 71 ibid.
De sancta Scolastica sorore eius, & visionibus ei ostensis, cap. 72 ibid.
De Iudæo signato, qui Episcopi tentationem à Damonibus didicit, cap. 73 884
De sanctis Episcopis Dacio Mediolanensi, & Sabino Placentino, cap. 74 ibid.
De sancto Isaac Spoletano, cap. 75 ibid.
De quibusdam eius miraculis, cap. 76 ibid.
De sancto Florentio, & Vrso sibi in solatium dato, cap. 77 ibid.
De sancto Martino solitario, cap. 78 886
De sanctis Stephano presbytero, & Mena solitario, cap. 79 ibid.
De miraculis in quibusdam ecclesiis ostensis, capitulo 80. fol. 887
De miraculis in dedicatione cuiusdam ecclesiæ demonstratis, cap. 81 ibid.
De sancto Gregorio, quod sancti Elencherii precibus robur corporis accepit is, & de sancto Maximiano, capitulo 82 ibid.
De viro Dei Sanctolo, & eius transitu, capitulo 83 fol. 888
De vita animæ post obitum, 84 ibid.
Exempla quædam ad hoc probandum, cap. 85 ibid.
De viro Dei Seruulo, et eius transitu, capitulo 86. fol. 869
De paruuli blasphemi interitu, et dura morte quorundam sanctorum, cap. 87 ibid.
De quorundam obitu diuinitus reuelato, cap. 88 ibid.
De igne gehennali, qui iam reprobos exurit, capitulo 89 890
Quod ignem illum etiam in præsenti mortalibus, etiam Deus ad terrorem ostendit, cap. 90 ibid.
De visione cuidam militi ostensa, cap. 91 ibid.
Qualiter misericordibus eleemosyna sua post mortem suffragatur, cap. 92 891
De inquieto Theodoro, qui Draconi traditus pænituit, et Hipocrita monacho, qui à Dracone liberari non valuit, cap. 93 ibid.
De igne Purgatorio, et Pascasio Diacono, capitulo 94 ibid.
De panore, et consolatione sanctorum in obitu suo, cap. 95 892
Quod reprobis sepeliri in occlesia non prodest, sed potius obest, cap. 96 ibid.
Iterum exempla adidem, cap. 97 893
Qualiter hostia salutaris oblatio liberat animas à Purgatorio, cap. 98 ibid.
De monacho proprietario, per eandem Hostiam liberato, cap. 99 ibid.
Qualiter eadem Hostia prosit etiam viuis, et liberet eos à periculisr, cap. 100 894
Qualiter debeant viuere, qui eandem Hostiam volunt sibi prodesse, cap. 101 ibid.
De contemptu mundi, cap. 102 ibid.
De bono hospitalitatis, et eleemosynis, capitulo 103 fol. 895
De initio Imperii Foca, et strage belli Senonensis, capitulo 104 ibid.
De nece Theoberti, et Theoderici regum, capitulo 105. ibid.
De nece Brunichildis, cap. 106 896
De quibusdam incidentibus post obitum Beati Gregorij Papæ, cap. 107 ibid.
De sancto Iohanne Eleemosynario, et eius misericordia, capit. 108 ibid.
De sancta eius conuersatione, et humilitate, capitulo 109 fol. 897
Adhuc de doctrina, et actibus eiusdem, capitulo 110 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI XXIII.

Viceſimuſtertius liber continet Hiſtoriam 189. annorum per ſucceſſionem quattuordecim Imperatorum, ſcilicet Heraclij, Conſtantini, Heraclonæ, Conſtantis, qui etiam Conſtantinus, Conſtantini Tertij. Iuſtiniani Secundi, Leonis Patricij, Tiberij Tertij, & iterum Iuſtiniani, Philippi, Anaſtaſii, Leonis Tertij, Conſtantini Quartî, Leonis Quarti, Hirenę, & Conſtantini Quinti. Inter hoc autem continet multa de geſtis, ac lege Machometi. Habet autem Cap. 176.

De Imperio Heraclij, & quodam miraculo ſancti Ioannis Baptiſtæ, cap. 1 899
De ſancto Deicolo Abbate, & eius peregrinatione, cap. 2. ib.
De iniqua ſententia in eum lata, & interitu Vuerfarij, cap. 3. 900
De birro ſancti Deicoli in radio Solis ſuſpenſo, cap. 4 ibid.
De Apro per eum à venatoribus liberato, & cæteris eius geſtis, cap. 5 ibid.
De ſancto Bauone recluſo, cap. 6 901
De artiſſima eius pœnitentia, & tranſitu eiuſdem, cap. 7 ibi.
De quibuſdum regibus Anglorum, & actibus eorum, cap. 8 ibid.
De ſancto Lupo Senonenſi, & eius exilio, & miraculis, cap. 9 902
Adhuc de miraculis, & obitu eiuſdem, cap. 10 ibid.
De congreſſu Heraclij contra Perſas, & eius victoria, cap. 11 903
De ſuperbia, & interitu Coſdroe, & ſanctæ Crucis exaltatione, cap. 12 ibid.
De Bonifacio Papa, cap. 13 904
De paſſione ſancti Anaſtaſii Monachi cum ſocijs ſuis, cap. 14 ibid.
De ſancta virgine Phara, & fratribus eius, cap. 15 ibid.
De fuga eius, & carcere, quem tulit pro virginitatis amore, cap. 16 ibid.
De ſancto Pharone fratre eius, qualiter factus eſt Meldenſis Epiſcopus, cap. 17 905
De miraculis eius, & tentatione carnali, cap. 18 ibid.
Adhuc de miraculis eius, & obitu, c. 19 ibid.
De ſanctis Abbatibus Euſtaſio, & Attalo, cap. 20 906
De ſancto Vualarico, & bonis eius initiis, cap. 21 ibid.
De peregrinatione eius, & ſpiritu prophetico, cap. 22 907
De vindicta Dei in contemptores eloquiorum eius cap. 23 ibi.
De ſanctitate converſationis eiuſdem, cap. 24 ibid.
De ſancto Hyldeunto Meldenſi Epiſcopo, cap. 25 ibid.
De ſancto Auſtregiſilo Turicenſi Archiepiſcopo, c. 26 908
De ſancto Sulpitio eiuſdem ſucceſſore cap. 27 ibid.
De miraculis eiuſdem S. Sulpicii, cap. 28 ibid.
De tentamentis Dæmonum ab eo ſuperatis, cap. 29 909
De ſancta Salaberga Abbatiſſa, cap. 30 ibid.
De ſancto Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo, & ſcriptis eius, cap. 31 910
Dicta eiuſdem, de tentationibus carnis, cap. 32 ibid.
De humilitate, & patientia cap. 33 ibid.
De bona, & honeſta converſatione, cap. 34 911
De Dagoberto rege Francorum, cap. 35 ibid.
De miraculo dedicationis eccleſiæ ſancti Dionyſij cap. 36. ibid.
De propalatione eiuſdem miraculi, cap. 37 912
De S. Magnobodo Andegauenſi, cap. 38 ibid.
De hæreſi Heraclii & principatu, ac lege Machometi, ca. ibid.
De quibuſdam libellis, in quibus agitur de eius fallaciis, cap. 40 913
De origine ac vita ipſius, cap. 41 ibid.
De furtis & latrociniis eius, cap. 42 ibid.
De crudelitate ipſius, cap. 43 914
De impudicitia eiuſdem, & flagitiis, cap. 44 ibid.
De hoc, quod falſo Propheta dictas ſit, cap. 45 fol. 915
De fabulis ab eo confictis, cap. 46 ibid.
De morte ipſius, cap. 47 ibid.
De inſtabilitate ſectatorum eius, cap. 48 916
Quod lex eius non ſit diuina, cap. 49 ibid.
Qualiter per fallaciam fuit data, cap. 50 ibid.
Qualiter Alcorani liber conceſſus ſit, cap. 51 917
Qualiter eius ſcriptura dilacerata ſit, cap. 52 ibid.
De iterata collatione illius, & diſſipatione, cap. 53 ibid.
Qualiter recollecta, & diſſipata ſit, cap. 54 fol. 918
De vtilitate ſtili eius, & materia, cap. 55 ibid.
De imperitia, & fictione illi adhærentium, cap. 56 ibid.
De nomine Machometi, quod falſo dicatur in Trono ſcriptum, cap. 57 919
De ſuperſtitioſis ieiuniis, et lauacris Saracenorum, cap. 58 ibid.
De circunciſione, et prohibitione carnis porcinæ, et vxoris repudio, cap. 59 ibid.
De peregrinatione ad domum Mecha, cap. 60 ibid.
De hoc, quod in domo illa dicuntur fieri mira, cap. 61 920
De hoc, quod Machometus iubet homines ad ſectam ſuam violenter cogi, cap. 62 ibid.
De vanis promiſſionibus et minis Machometi, cap. 63 921
Expoſitio cultus Saracenici, cap. 64 ibid.
Deſcriptio Paradiſi, iuxta figmenta Machometi, c. 65 ibi.
Adhuc de eodem cap. 66 922
Deſcriptio Inferni, iuxta eundem, cap. 67 ibid.
De triumpho Heraclii ex Saracenis, et de ſanctis illius temporis, cap. 68 ibid.
De S. Aurea virgine, et Abbatiſſa, cap. 69 923
De recluſione eiuſdem, et acerrima pœnitentia, et morte, ca. 70 ibid.
De elevatione corporis eiuſdem, et miraculis, cap. 71 ibi.
De S. Romarico Abbate et bonis eius initiis, cap. 72 924
De miraculis, et tranſitu eiuſdem, cap. 73 ibid.
De S. Georico Metenſium Epiſcopo, cap. 74 ibid.
De vita prædicti Arnulphi, et Epiſcopatu eius, capitulo 75 925
De miraculis, et tranſitu eiuſdem, cap. 76 ibid.
De miraculis eius, cap. 77 ibid.
De tranſlatione corporis eiuſdem, cap. 78 926
De Imperio Conſtantis, et de miraculis ſancti Olivaldi regis, cap. 79 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 80 fol. 927
De S. Furſeo, et primo eius raptu ac reditu, cap. 81 ibi.
De ſecunda viſione eiuſdem, cap. 82 ibid.
De reditu animæ eius ad corpus, et ſequenti converſatione ipſius. cap. 83 928
De geſtis ſancti Martini Papæ, cap. 84 ibid.
De S. Eligio Noviomen. et bonis eius initiis, cap. 85 929
De eleemoſynis eius, et miraculis, et habitu eiuſdem, capit. 86 ibid.
De promotione eius in Epiſcopatum, et miraculis ſequentibus, cap. 87 ibid.
De geſtis eius circa eccleſias, et ſanctorum reliquias cap. 88 ibid.
De tranſlatione corporis ſancti Quintini martyris, capitulo 89 930
De miraculis per eundem martyrem oſtenſis, cap. 90 ibid.
De ſancto Andoeno Rothomagen. & bonis eius initiis, cap. 91 ibid.
De electione eius, & peregrinatione, & reditu, capitulo 92 931
Item de miraculis eiuſdem, cap. 93 ibid.
De Sancto Philiberto Abbate, cap. 94 932
Adhuc de miraculis eiuſdem, cap. 95 ibid.
De Sancto Ricario Pontinenſi, cap. 96 ibid.
De obitu eius, & miraculis ſequentibus, capitulo 97 fol. 933
De ſancto Geremaro Abbate Flaviacenſi capitulo 98. ibid.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De ſancta Angadriſina virgine, cap. 99 ibid.
De ſponſo eius Ausberto poſtea Rohthomagenſi Archiepiſcopo, cap. 100 934
De ſancto Agilo Abbate Resbacen. & bonis eius initiis, cap. 101 ibid.
De miraculis, & promotione ipſius in Abbatem, capitulo 102 ibid.
De hoſpitalitate, & felici tranſitu eiuſdem, cap. 103 935
De ſancto Remaclo cateriſque ſanctis, qui tunc temporis clarebant in Gallijs, cap. 104 ibid.
De ſancto Iudoco, & eius peregrinatione, cap. 105 ibid.
De ſanctitate, & miraculis, & obitu eiuſdem, cap. 106 936
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 107 ibid.
De ſancto Audomaro Taruanenſi Epiſcopo, cap. 108 ibid.
De miraculis eiuſdem poſt obitum, cap. 109 937
De ſancto Bertino Abbate, cap. 110 ibid.
De miraculis eius poſt obitum, cap. 111 ibid.
Adhuc de eodem cap. 112 938
De inſania Clodouei regis, & Epiſtola Martini Papa, cap. 113 ibid.
De ſancto Berchario Remenſi, & ſancto Niuardo Archiepiſcopo, cap. 114 ibid.
De martyrio ſancti Bercharii, & de maioribus domus, cap. 115 939
De ſancta Bathilde regina, cap 116 ibid.
De ſancta Gerdrude virgine Ninigellenſi, cap. 117 ibid.
De nece Conſtantis, & Imperio filii eius Conſtantini, cap. 118 940
De ſancto Praiecto Aruernenſi Epiſcopo, & martyre, cap. 119 ibid.
De mortuo in Anglia ſuſcitato, & eius viſione, capit. 120 941
De expoſitione ipſius viſionis, & propalatione, capitulo 121 ibid.
De tranſlatione corporum ſancti Benedicti, & Scolaſtice ſororis eius, cap. 122 ibid.
De quibuſdam euentibus illius temporis, cap. 123 fol. 942
De ſancto Leodegario Auguſtudinenſi Epiſcopo, cap. 124 ibid.
De martyrio eiuſdem, cap. 125 943
De ſancto Vigilio Antiſiodorenſi Epiſcopo, cap. 126 ibid.
De Imperio Iuſtiniani Secundi, & de Sergio Papa, cap. 127 944
De ſancto Leufredo Abbate, cap. 128 ibid.
De ſancto Vuandregiſilo Abbate, cap. 129 ibid.
Item de conuerſatione, & miraculis eiuſdem, cap. 130 945
De tranſitu eius, & miraculis ſequentibus, cap. 131 ibid.
De fine Imperij Iuſtiniani, cap. 132 ibid.
De Beda venerabili presbytero, & ſcriptis eius capitulo 133 946
De Imperio Leonis Patricij, cap. 134 ibid.
De paſſione ſancti Lamberti Traiectenſis Epiſcopo, & de ſancto Cuthberto, cap. 135 ibid.
De Imperio Abſimari, qui & Tyberius, & interitu eius, cap. 136 947
De iterato Imperio Iuſtiniani, & eius nece, cap. 137 ibid.
De Imperio Philippici, & eius exoculatione, cap. 138 ibid.
De Imperio Anaſtaſii Secundi, & vita ſancti Egidij, cap. 139 948
Adhuc de actibus eiuſdem ſancti Abbatis, cap. 140 ibid.
De ſanctis Epiſcopis Cæſario Arelatenſi, & Albino Andegauenſi, cap. 141 ibid.
De miraculis ſancti Albini, cap. 142 949
De cateris miraculis eius ante obitum, & poſt, capitulo 143 ibid.
De breui Imperio Thodoſij Tertij, cap. 144 ibid.
De Imperio Leonis Tertij, & ſancto Vulfrano Senonenſi, cap. 145 ibid.
De ſeductione Rathbodi Friſonum Ducis, cap. 146 950
De miraculoſa ſtrage Saracenorum, apud Conſtantinop. & de Gradali, cap. 147 950
De confuſione, & ſubiectione Vuiſigothorum, & quibuſdam alijs, cap. 148 ibid.
Adhuc de quibuſdam euentibus illius temporis, cap. 149 951
De tranſitu Bedæ presbyteri, & de quibuſdam aliis, c. 150 ib.
De Imperio Conſtantini filij Leonis, & eius nequitia, cap. 151 952
De tranſlatione corporis ſanctæ Mariæ Magdalenę, cap. 152 ibid.
De quibuſdam eius miraculis, cap. 153 ibid.
De quibuſdam incidentibus huius temporis, cap. 154 953
Qualiter apud Floriacum impedita eſt diuinitus relatio corporis ſancti Benedicti, cap. 155 ibid.
Qualiter Stephanus Papa, Pipini regis auxilium expetiit contra Longobardos cap. 156 954
De ſancto Bonifacio Maguntino, & Epiſtola eius ad regem Anglorum, cap. 157 ibid.
De tyrannide Conſtantini contra eccleſiam, & quibuſdam aliis, cap. 158 ibid.
De Sancto Gengulpho Martyre, cap. 159 955
De crucifixione imaginis Chriſti, cuius miraculis conuerſi ſunt Indi, cap. 160 ibid.
De quibuſdam geſtis Pipini regis, & morte eius, capitulo 161 ibid.
De duobus pueris conſimilibus Lamico, & Amelio, cap. 162 956
Qualiter ſe inuicem quarentes inuenerunt, & ad curiam Caroli conuenerunt, cap. 163 ibid.
Qualiter amicus Amelium à crimine liberauit, eique filiam regis tradidit, cap. 164 ibid.
Qualiter amicus lepra percuſſus, & abiectus ab Amelio ſuſceptus eſt, cap. 165 957
Qualiter eum Amelius ſanguine filiorum ſuorum aſpergens curauit, cap. 166 ibid.
De Stephano Papa, & tyrannide Conſtantini, c. 167 958
De Adriano Papa, & quibuſdam geſtis Caroli, capitulo 168 ibid.
De victoria Caroli de Longobardis, & nece ſanctorum Amici, & Amelii, cap. 169 ibid.
Adhuc de geſtis eiuſdem Caroli regis, cap. 170 959
De interitu Conſtantini, & Imperio Leonis Quarti, c. 171 ib.
De Imperio Hirenæ vxoris eius, & euentibus illius temporis, cap. 172 ibid.
De Alcuino qui, & Albinus, cap. 173 960
De ſcriptis eius, cap. 174 ibid.
De iterato Imperio Hyrenæ, & incidentibus illius temporis, cap. 175 961
De Imperio Conſtantini filii Leonis, & euentibus illius temporis, cap. 176 ibid.

INDEX LIBRI XXIV.

Viceſimuſquartus liber, continet Hiſtoriam 201. annorum per ſucceſſiones tredecim Imperatorum, ſcilicet Caroli Magni, Ludouici Pij, Lotharij Primi, Ludouici Secundi, Caroli Calui, Caroli Iunioris, Arnulphi, Ludouici Tertij, Conradi Primi, Henrici Primi, Ottonis Primi, Ottonis Secundi, Ottonis Tertij, & inter hæc paucos flores Rabani. Habet autem cap. 108.

DE Imperio Caroli Magni, & de forma eius ac robore, cap. 1 962
De ſtudiis, & moribus eiuſdem, cap. 2 ibid.
De Conſtantinopolitanis Imperatoribus, cap. 3 963
Qualiter Carolus, iuxta diuinam reuelationem liberauit Terram Sanctam, cap. 4 ibid.
De ſacris reliquiis, quos idem Aquiſgranum detulit, c. 5 964
Qualiter innitatus à ſancto Iacobo, liberauit Hiſpaniam, cap. 6 ibid.
De Idolis quas ſubuertit, & eccleſiis quas ædificauit, cap. 7 965

De

INDEX.

De reditu Caroli in Hiſpaniam, cap. 8 ibid.
De pugna eiuſdem contra Aigolandum, cap. 9 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 10 966
De tranſlatione corporis S. Bartholomæi Apoſtoli, cap. 11 ibid.
Quali Carolus exercitum Aigolandi explorauit eumque fugauit, cap. 12 ibid.
De reditu Caroli in Galliam, & de principibus eiuſdem, cap. 13 967
De colloquio inter Carolum, & Aigolandum, & de nece Aigolandi, cap. 14 ibid.
De Ferracuto Gigante, & conflictu Rolandi contra eum, c. 15 ibid.
De iterato conflictu, & nece Ferracuti, cap. 16 968
Qualiter Carolus Cordulam capit, & totam Hiſpaniam eccleſiæ ſancti Iacobi ſubiecit, cap. 17 ibid.
De proditione Canelonis in bello Runciuallis, cap. 18 ibid.
De nece Marſirij regis, & tranſitu Rolandi Principis, cap. 19 969
De exequiis Rolandi, & vltione eius, & Olinćti, cap. 20 ibid.
De ſepultura militum apud Runcinallem interfectorum, cap. 21 970
Qualiter poſt victorias Carolus B. Dionyſio gratias egit, eique totam Galliam ſubegit cap. 22 ibid.
De reuelatione corporis ſancti Saluij, cap. 23. ibid.
De tranſlatione eiuſdem ſancti corporis, & miraculis circa illud oſtenſis, cap. 24 ibid.
De tranſitu Caroli Magni, & eius exequiis, cap. 25 971
De Imperio Ludouici Pii, & actibus eius, cap. 26 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 27. fol. 972
De Rabano, & ſcriptis eius, & Strabo diſcipulo eius, cap. 28 ibid.
Dicta eiuſdem Metrica de laude Crucis, cap. 29 ibid.
Dicta eiuſdem Proſaica de eadem, cap. 30 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 31 973
Oratio eiuſdem Rabani ad Dominum, cap. 32 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 33 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 34 ibid.
De Imperio Lotharij, & euentibus illius temporis, cap. 35 974
Adhuc de eodem, cap. 36 ibid.
De Imperio Ludouici Secundi, & euentibus illius temporis, cap. 37 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 38 975
Item de eodem, cap. 39 ibid.
De Elfredo rege Anglorum, & victoria eius ex Dacis, aliàs Danis, cap. 40 ibid.
De peſtibus illius temporis, & quibuſdam aliis, cap. 41. 976
De Imperio Caroli Calui, & ſcriptis Ioannis Scoti, cap. 42 ibid.
De geſtis Caroli Calui, cap. 43 977
De Imperio Caroli Iunioris, cap. 44 ibid.
De vaſtatione Galliæ per Haſtingum, & Rollonem, cap. 45 ibid.
De ſtudiis, & actibus Helfredi regis, & fuga Rollonis cap. 46 978
De quibuſdam alijs incidentibus illius temporis, cap. 47 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 48 979
De viſione tormentorum Oſtenſa Carolo, cap. 49 ibid.
Qualiter patrem ſuum vidit in tormentis, & auunculum ſuum in deliciis, cap. 50 ibid.
De fine Imperij Caroli, & Imperio Arnulphi, cap. 51 980
De patientia, & bonis actibus regis Elfredi, capitulo 52. fol. 981
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 53 ibid.
De cõuerſione Rollonis, & relatione corporis ſancti Martini, cap. 54 981
De bonis initiis ſancti Odonis Cluniacenſis, cap. 55 ibid.
De electione Formoſi Portuenſi in Papatum, & diſſenſione, propter ipſum, cap. 56 ibid.
De fine Arnulphi Imperatoris, cap. 57 982
De Imperio Ludouici Tertii, & Papatu Sergii, capitulo 58 ibid.
De Imperio Conradi Primi & initio ordinis Cluniacenſis, & inſtitutoribus eius, cap. 59 ibid
De miraculis ſancti Patris Odonis, cap. 60 983
Adhuc de eodem, cap. 61 ibid.
De cæteris euentibus ſub Imperio Conradi, cap. 62 ibid.
De initio Imperii Henrici Primi, cap. 63 984
De Echelſtano rege Angliæ, & victoriis eius, capitulo 64 ibid.
De donatione eius, & muneribus ſibi tranſmiſsis, cap. 65 985
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 66 ibid.
De extremis miraculis vitæ ſancti Odonis, cap. 67 ibid.
De ſucceſſoribus eius Adamaro, & Maiolo, cap. 68 fol. 986
De Imperio Ottonis Primi, & nece regis Eadmundi cap. 69 ibid.
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 70 987
Adhuc de eodem cap. 71 ibid.
De origine Beati Dunſtani, & bonis eius initiis, cap. 72 ibid.
De miraculo eius cytharæ, & ſuſceptione monachatus, ca. 73 988
De incenſione Damonis, & viſione ſtelliferi, cap. 74 ibid.
Qualiter factus eſt Abbas Glaſconienſis, & præcognouit mortem regis, cap. 75 989
Qualiter idem factus eſt Vuintonienſis Epiſcopus, cap. 76 ibid.
Qualiter inſidias diaboli contra ſe ſuperauit, cap. 77. ibid.
Qualiter factus eſt Cantuarienſis Archiepiſcopus, cap. 78 990
De conſtantia eius, & quibuſdam miraculis eius, c. 79 ibid.
De vltione diuina in eius aduerſarios oſtenſa, cap. 80 991
De prophetia eius contra domum regiam, & tranſitu eiuſdem, cap. 81 ibid.
De quibuſdam euentibus ſub Imperio Ottonis, cap. 82 ibi.
De Edgaro rege, & viris illuſtribus Angliæ, cap. 83 ibid.
De viſione eiuſdem Edgari ſuper futuro ſtatu regni, cap. 84 992
De ſanctitate, & iuſtitia eiuſdem, cap. 85 ibid.
De obitu ſancti Vuiberti, & diſſenſione cleri Romani, cap. 86. ibid.
De initio, & profectu eccleſiæ ſancti Quintini, & quibuſdam alis, cap. 87 693
De ſacris reliquiis, quas ſanctus Theodericus metis attulit, cap. 88 ibid.
De Imperio Ottonis Secundi, & ſancto Eduuardo rege, cap. 89 994
De vaſtatione Franciæ per Ottonem, & Elcheredo rege, cap. 90 ibid.
De bello Ottonis, contra Græcos, & morte eiuſdem, c. 91 ibid.
De Imperio Ottonis Tertii, & vita ſancti Medrici Abbatis, cap. 92 995
De tranſlatione regni Francorum ad Hugonem Caphet, cap. 93 ibid.
De tranſitu S. Dunſtani Cantuarienſis, cap. 94 ibid.
De miraculis eius poſt obitum, cap. 95 996
Adhuc de eodem cap. 96 ibid.
De quibuſdam euentibus illius temporis, cap. 97 997
De Gerberto Papa, & primis eius ſtudiis in nigromancia, cap. 98 ibi.
De theſauris ſubterraneis, quos fruſtra quæſiuit, cap. 99 ibid.
De cæteris, qui talia quærentes interierunt, vel à Dæmonibus illuſi ſunt, cap. 100 998
De imagine à qua Gerbertus accepit reſponſum mortis ſuæ, cap. 101 ibid.
De ſancto Odilone Cluniacen. & bonis eius initiis, c. 102. ibid.
De miraculis per eum diuinitus oſtenſis, cap. 103 999
Adhuc de eodem cap. 104 ibid.
Qualiter idem pater memoriam defunctorum inſtituit, & Benedictum Papam à ſupplicio liberauit, cap. 105 1000
De tranſitu eiuſdem Abbatis ſancti, cap. 106 ibid.
De cæteris viris illuſtribus eiuſdem temporis, cap. 107 1002
De quadam victoria Ottonis, & mortis eiuſdem, cap. 108 ibi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI XXV.

Viceſimuſquintus liber, continet Hiſtoriam 104. annorum, per ſucceſſiones quattuor Imperatorum, ſcilicet Henrici ſecundi, Conradi Secundi, Henrici Tertii, Henrici Quarti. Et inter hæc narrationes quaſdam Petri Damiani, & flores quoq; nonnullos Anſelmi Cantuarienſis, ac Childeberti Cenomanenſis. Habet autem Capitula 145.

DE Imperio Henrici Secundi, & bonis initijs ſancti Elphegi, cap. 1 1002
De diſcipulo eius, qui furtim edebat à Dæmonibus rapto, cap. 2 ibid.
Qualiter idem ſanctus factus eſt Vuintonienſis, Epiſcopus, cap. 3 ibid.
Qualiter Archiepiſcopus factus patientem ſe, & liberalem exhibuit, cap. 4 1003
De conſtantia eius in perſecutione Danorum, & Anglorum, cap. 5 ibid.
Qualiter animauit populum ad patientiam, & de ferocitate hoſtium, cap. 6 1004
Qualiter pro grege ſe oppoſuit, & in hoſte etiam liberalis fuit, cap. 7 ibid.
De martyrio eiuſdem, cap. 8 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, capit. 9 fol. 1005
De vltione Dei ſuper ducentes choreas in cimiterio, cap. 10 ibid.
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 11 ibid.
De Heriberto Colonienſi, & alio Propheta, qui in eadem præfuit eccleſia, cap. 12 1006
De religioſo duce Normaniæ Ricardo, cap. 13 ibid.
De Imperio Conradi Secundi, & viris illuſtribus illius temporis, cap. 14 ibid.
De Cinitone rege Angliæ, & Fulberto Carnotenſi, cap. 15 1007
De Concilio Triburienſi, & quibuſdam ſtatutis epiſcopalibus, cap. 16 ibid.
De cæteris euentibus ſub Imperio Conradi, & de morte eius, cap. 17 ibid.
De Imperio Henrici Tertii, & actibus eius, cap. 18 1008
De ſancto Eduardo rege Angliæ, & eius prophetia cap. 20 ibid.
De Benedicto Papa minore, & maiore, cap. 21 1009
De Gregorio Papa huius nominis 6. & actibus eius, cap. 22 ibid.
Reſponſio eius ad Cardinales ipſum quaſi homicidam arguentes, cap. 23 1010
Rationabilis eius defenſio ad eoſdem, cap. 24 ibid.
Reſponſio ad obiecta, cap. 25 ibid.
De muliere malefica à Dæmonibus rapta, cap. 26 1011
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 27 ibid.
De ſancto Theobaldo heremita, cap. 28 ibid.
De iuuene, qui ſtatuam Veneris annulo deſponſauit, cap. 29 1012
De Berengario hæretico, & eius pœnitentia, cap. 30 ibid.
De corporibus ſanctorum Anglia incorruptis, & de ſancto Kenelino martyre, cap. 31 ibid.
De regibus martiribus Oſualdo, & Eadmundo, & de ſancta Echeltreda, cap. 32 1013
De quibuſdam alijs virginibus ſacris in Anglia, capitu. 33 ibid.
De cæteris ſanctis illius temporis, cap. 34 1014
De initio Imperii Henrici Quarti, cap. 35 ibid.
De Lanfranco Cantuarienſi, & bonis eius initiis, cap. 36 ibid.
De geſtis eiuſdem poſt Archiepiſcopatum ſuſceptum, cap. 37 1015
De muliere gemella, & quibuſdam aliis, cap. 38 ibid.
De Guihelmo Comite Normanniæ, & eius origine, cap. 39 ibid.
De duobus Archiepiſcopis Rothomagenſibus, Malgerio, & Maurilio, cap. 40 ibid.
Qualiter prefatus Guihelmus Angliæ regnum acquiſiuit, cap. 41 1016
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 42 ibid.
De quibuſdam miraculis ſancti Dunſtani Cantuarien. cap. 43 1017
De Hildebranno Archidiacono, qui factus eſt Papa Gregorius, cap. 44 ibid.
De ſynodo eius in qua ſymoniacos damnauit, capitu. 45 fol. 118
De ſancto Stephano Grandimontenſis ordinis inſtitutore, cap. 46 ibid.
De auſteritate vitæ eiuſdem, cap. 47 ibid.
De miraculis eiuſdem, cap. 48 1019
De tranſitu eiuſdem, cap. 49 ibid.
De tranſlatione corporis eius, & miraculis ſequentibus, cap. 50 ibid.
De diſcordia inter Imperatorem Henricum, & Papam Hyldebrannum, cap. 51 1020
Apologia Petri Damiani ſuper Epiſcopatu dimiſſo, cap. 52 ibid.
Narrationes eiuſdem de quibuſdam caſibus mirabilibus, cap. 53 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. fol. 1021. 1022. 1023. 124
De cæteris geſtis eiuſdem temporis, cap. 65 ibid.
De conſtructione Eccleſiæ Aldeburgenſis, & eius miraculis, cap. 66 ibid.
De Anſelmo Cantuarien. & bonis eius initiis, cap. 67 1025
De miraculis eiuſdem, cap. 68 ibid.
Adhuc de eodem cap. 69 1025
Qualiter Abbatem quendam de correptionis auſteritate redarguit, cap. 70 1026
De promotione eius in archiepiſcopum, & de ſcriptis eiuſdem, cap. 71 ibid.
Exhortatio eius ad ſecretum contemplationis, cap. 72 ibid.
Inquiſitio diuinæ potentiæ miſericordiæ, & iuſtitiæ, cap. 73 ibid.
Inquiſitio veritatis, æternitatis, bonitatis, cap. 74 1027
Inquiſitio ſummi boni in quo ſunt omnia bona cap. 75 ibid.
Inquiſitio pleni gaudii, quod de illo bono habebitur, cap. 76 ibid.
Deploratio miſeriæ præſentis, & futuræ, cap. 77 1028
Inuocatio filii Dei cum memoria paſſionis eius, cap. 78 ibid.
Inuocatio matris Virginis ſimul, et filii, cap. 79 1029
Item inuocatio vtriuſque, cap. 80 ibid.
Planctus proprii lapſus, et pœnæ futuræ, cap. 81 1030
De quibuſdam incidentibus ſub Imperio Henrici, capit. 82 ibid.
De tranſlatione S. Nicolai, et eius miraculis, cap. 83. 1031
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 84 ibid.
De Guillelmo peſtilente rege Anglia, cap. 85 ibid.
De actibus eius nequiſſimis, cap. 86 ibid.
De peſtilentiis, quæ temporibus eius acciderunt, cap. 87 ibid.
De Fulcone Comite Andegauenſi, cap. 88 1033
De clerico cui ſocius ſuus damnatus apparuit, cap. 89 ibid.
De muliere Laudunenſi, quæ ab igne euaſit, cap. 90 ibid.
De Concilio Claremontenſi, et ſtatutis eius, cap. 91 1034
De innumerabilibus populis in Occidente Cruce ſignatis, cap. 92 ibid.
De cæteris euentibus iſtius temporis, cap. 93 ibid.
De Monachis Molernienſibus qui ad heremum Ciſtertii conuolarunt, cap. 94 1035
De conſtructione Abbatiæ, et initio ordinis, cap. 95 ibid.
De cauſa itineris tranſmarini, et ſignis præcedẽtibus. c. 96 ib.
De itinere tranſmarino, et primo congreſſu contra Turcas, cap. 97 1036

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De transitu exercitus Dei per loca Gracia, cap. 98 ibid.
Qualiter Antiochia capta est à Christianis, & postea à Turcis obsessa, cap. 99 ibid.
De inuentione lancea Salnatoris, cap. 100. 1037
De fuga Turcarum, & descriptione vrbis Antiochie, cap. 101 ibid.
Qualiter capta est Hierusalem à christianis, cap. 102 ibid.
De descriptione istius vrbis, & Godefrido ibi in regem electo, cap. 103 1038
De interitu Imperij regis Anglieri, & signis precedentibus, cap. 104 ibid.
De Balduino Hierosolymorum rege, cap. 105 ibid.
De clerico per quandam visionem ad ordinem Cistertiensem conuerso, cap. 106 ibid.
De clade Suldensi & Vulstano episcopo Vuigorniensi, cap. 107 1039
De Hildeberto Episcopo Cenomanensi, & scriptis eius, cap. 108 ibid.
Versus eiusdem de exilio suo, cap. 109 ibid.
De miseria anime degentis in corpore, cap. 110 1040
Dicta eiusdem de septem actibus anime, cap. 111 ibid.
De vita corporis & eius appetitu vel tædio, cap. 112 1041
De mysterio sacræ hostiæ, cap. 113 ibid.
De confessione sanctæ Trinitatis cap. 114 ibid.
Oratio eiusdem ad Christum Dominum, cap. 115 1042
De quibusdam prodigiis & morte Henrici Imperatoris, cap. 116 1043
De moribus eiusdem, & aduersario eius à muribus deuorato, cap. 117 ibid.
De conuersione Belli Alfonsi quondam Iudæi, & editione libelli sui, cap. 118 ibid.
De errore Iudæorum circa legis intellectum, cap. 119 ibid.
De errore eorum circa naturam Dei simplicem, cap. 120. 1044
Item de erroribus eorum circa Diuinitatis immensitatem, cap. 121 ibid.
De hoc, quod fingunt Deum, vt infirmum irasci, & quotidie flentem orare pro ipsorum captiuitate, cap. 122 ibid.
Sugillatio eorundem super prefato errore, cap. 123 1045
Quod corporalia de Deo dicuntur in scriptura non proprie, sed tropice, cap. 124 ibid.
Rationes de Deo prophetice, cap. 125 1046
De creatione mundi, cap. 126 ibid.
De formatione rerum per interualla sex dierum, capitulo 127 1047
De quibusdam fabulis libri Taruth, cap. 128 ibid.
De quibusdam aliis fabulis eiusdem, cap. 129 1048
Item de ceteris eiusdem, cap. 130 ibid.
Quod causa vltima captiuitatis non fuit eadem que prioris, cap. 131 ibid.
Quod vltima fuerit grauior, & diuturnior, quàm prior, cap. 132. 1049
De portentis, que vltimam captiuitatem precesserunt, & de tolerantia Dei erga Iudæos, cap. 133 ibid.
Quibus testimoniis probari possit, quod eius causa Christi passio fuit, cap. 134 1050
Quod Iudei male intelligunt articulum de Resurrectione mortuorum, cap. 135 ibid.
Expositio super hoc in prophetia Ezechielis, capitulo 136 ibid. 1051
Improbatio prefati erroris eorum, cap. 137 ibid.
Item sugillatio de eodem, cap. 138 1052
De vacuatione cultus Iudæorum, cap. 139 ibid.
Expositio legis Saracenorum, cap. 140 1053
De premio eius obseruatorum, & pena contemptorum, secundum Mahumetum, cap. 141 ibid.
De scriptio vita Mahumeti, cap. 142 1054
Quod non fuit verus Propheta, sed falsus, cap. 143 ibid.
Disputatio contra legem ipsius, cap. 144 ibid.
Adhuc de eodem, & de fallacia eiusdem, cap. 145

INDEX LIBRI XXVI.

Viceſimuſſextus liber continet Hiſtoriam tantum viginti annorum, quibus imperauit Henricus Quintus, & inter hęc miracula feretri S. Mariæ Laudunenſis, & miracula S. Iacobi Apoſtoli. Floreſque Hugonis Pariſienſis. S. Victoris Canonici. Habet autem Cap. 118.

De Imperio Henrici Quinti, & charta charitatis, cap. 1 1056
De moribus Abbatis Stephani Ciſtercien. cap. 2 ibid.
De S. Hugone Abbate Cluniacenſi, cap. 3 ibid.
De gratia eius apud Romanos Pontifices, capit. 4 fol. 1057
De miraculis eius, & ſpiritu prophetiæ, cap. 5 ibid.
De fratre Stephano qui ſibi ipſi manus intulit & fratre Moderanno, cap. 6 1058
De viſione conſolatoria, quam pater Henrici retulit in capitula, cap. 7
De tranſitu eiuſdem Abbatis, cap. 8. ibid.
De reuelatione glorię eius poſt obitum, cap. 9. ibid.
De reconciliatione inter Imperatorem, & Papam, cap. 10 1059
De tribulationibus, & mirabilibus illius temporis, capitulo 11 ibid.
De miraculis feretri Sanctæ Mariæ Lugdunenſis, capit. 12 1060
De his, quæ facta ſunt Turonis, cap. 13 ibid.
De his, quæ facta ſunt Carnoti, cap. 14 ibid.
De his, quæ facta ſunt in itinere verſus Angliam, capitul. 15 ibid.
De his, quæ facta ſunt in tranſitu maris, c. 16 1061
De his, quæ facta ſunt Cantuariæ, & Vintoniæ, capit. 17 ibid.
Qualiter apud Chriſti Kercam ſuſceptum eſt feretrum, cap. 18 ibid.
De miraculis ibidem oſtenſis, cap. 19 ibid.
De his, quæ facta ſunt in cæteris Angliæ locis, capitulo 20 1062
Adhuc de eodem cap. 21 ibid.
De Beato Bernardo Clareuallenſi, & bonis eius initiis, cap. 22 ibid.
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 23 fol. 1063
De fundatione canobij Clareuallis, & Abbate Bernardo, cap. 24 ibid.
De quibuſdam actibus eiuſdem Abbatis, cap. 25 ibid.
De Anſelmo Laudunenſi, & Prodigiis illius temporis, cap. 26 ibid.
Item de prodigiis, & quibuſdam aliis euentibus, cap. 27. 1064
De initio Præmonſtratenſis ordinis, & patre Northberto, cap. 28 ibid.
De quibuſdam circa Præmonſtratenſes in initio geſtis, capit. 29 ibid.
De libello miraculorum S. Iacobi à Papa Gelaſio compilato, cap. 30 1063
De miraculis S. Iacobi Apoſtoli, cap. 31 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. fol. 1066. 1067. 1068
De vindicta cæleſti in non ſeruantes feſtum ſancti Iacobi, cap. 41 1068
De fundatione canobij Bonenallis, & eius Abbate Ioanne, cap. 42 ibid.
Qualiter Northbertus Præmonſtratenſis factus eſt Archiepiſcopus, cap. 43 1069
De miraculoſa victoria Chriſtianorum ex Saracenis, cap. 44 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris miraculis illius temporis, cap. 45 ibid.
Adhuc de eodem, & morte Henrici Imperatoris, capit. 46 1070
De magistro Hugone Parisiensi, & scriptis eius, capitu. 47 ibid.
Documentum eius de oratione, cap. 48 ibid.
De speciebus orationis, cap. 49 1071
De quibusdam Psalmis, quæ non videntur ad orationem pertinere, cap. 50 ibid.
De scientia rectè viuendi, cap. 51 ibid.
Qualiter homo se habere debeat ad proximos, cap. 52 1072
Qualiter habere se debeat in seipso, ca. 53 ibid.
De disciplina membrorum in generali, cap. 54 1073
De disciplina seruanda in habitu, cap. 55 ibid.
Inuectio contra illos qui de veste gloriantur, cap. 56 ibid.
De disciplina in gestu, cap. 57 ibid.
Adhuc ex eodem, cap. 58 1074
De disciplina in sermone, cap. 59 ibid.
Adhuc de eodem, cap. 60 ibid.
De disciplina in cibo, cap. 61 1075
Adhuc de eodem, cap. 62 ibid.
De cognitione Dei per creaturas, cap. 63 ibid.
De compositione creaturarum, cap. 64 1076
De dispositione, vel ordine earum, cap. 65 ibid.
De specie, & qualitate earum, cap. 66 ibid.
De sapientia Dei in rerum creatione, cap. 67 1077
De cognitione Dei per motus creaturarum, cap. 68 ibid.
Quod Deus mutari non possit localiter nec formaliter, ca. 69 1078
Quod Deus alterari non possit, cap. 70 ibid.
Quod Deus propter opera sapientiam non diligit, sed econuerso, cap. 71 1079
Qualiter proficere debet vita hominis ex contemplatione, ca. 72 ibid.
De duplici amore, & spiritualibus mansionibus Arcæ, cap. 73 ibid.
De arca intellectuali, quæ constituitur in corde, capitu. 74 1080
De exitu actionis, & cogitationis, cap. 75 ibid.
De adaptatione exitus Corui, & Columbæ, cap. 76 ibid.
De seminatione, & profectu arboris sapientiæ, cap. 73. 1081
De illis, qui ramos expandunt in altum, & non in latum, cap. 78 ibid.
De exercitio circumspectionis, quod est in quatuor, cap. 79 1082
De subdiuisione illorum quatuor, cap. 80 ibid.
De flore, & fructu arboris sapientiæ, cap. 81 ibid.
De ædificatione templi in corde hominis, cap. 82 ibid.
De reuocatione sponsæ ad sponsum, cap. 83 1083
De his, qui in Arca non soluantur sed pereunt, ca. 84. ibid.
Quod per opera restaurationis vniuntur cogitationes distractæ, per opera conditionis, cap. 85 1084
De temporibus, & quibusdam arcæ expositionibus, cap. 86 ibid.
De virtute charitatis, quàm sit fortis, & chara, cap. 87 ibid.
Adhuc de commendatione eiusdem, cap. 88 1085
De consummatione laudis eiusdem, cap. 89 ibid.
De meditatione in scripturis, & creaturis, & moribus, cap. 90 ibid.
Adhuc de meditatione in moribus, cap. 91 1086
De concordia iustitiæ, & misericordiæ in filij Dei incarnatione, cap. 92 ibid.
De mundana consolatione, & sequenti desolatione, cap. 93 ibid.
De tribus bonis quibus placatur Deus, cap. 94 1087
De morali expositione piscinæ superioris, cap. 95 ibid.
De amore ordinato, & inordinato, cap. 96 ibid.
De sapore, & nutrimento verbi Dei, cap. 97 1088
De humilitate qualiter deficit, vel proficit, cap. 98 ibid.
Exhortatio ad indices, & prælatos, cap. 99 1089
De triplici visione, & quadruplici vanitate, cap. 100 ibid.
De casta, & curiosa visibilium contemplatione, cap. 101 ibid.
De occupatione mentis in exterioribus, cap. 102 1090
De iactantia, & vana lætitia, cap. 103 ibid.
Qualiter sapientia attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, cap. 104 ibid.
De quadruplici opere in mundo, cap. 105 1091
De mutabilitate hominis secundum tempora, cap. 106 ibid.
Qualiter traditus est mundus hominum disputationibus, cap. 107 1092
Qualiter homo per concupiscentiam assimilatus est iumento, cap. 108 ibid.
De animo in vtraque fortuna peruerso, cap. 109 1093
Soliquoquium hominis cum anima sua de rectitudine amoris, cap. 110 ibid.
Qualiter anima possit ad verum amorem incitari, cap. 111. ibid.
Quod licet Deum omnibus viuentibus temporalia communicet non tamen omnia similiter dirigit, cap. 112 1094
Quod multitudo dilectorum non minuit, sed auget felicitatem singulorum, cap. 113. ibid.
De bonis, quæ sponsus dilectis suis communiter contulit, capit. 114 ibid.
De his, quibus lapsos à miseria reparauit, cap. 115 1095
De his, quibus specialiter vel singulariter animam inarrauit, cap. 1016 ibid.
Quod si Deus animam diligit totam fœdam, multo magis iam ex parte mandatam, cap. 117 ibid.
De visitationibus sponsi, cap. 118 1096

INDEX LIBRI XXVII.

Viceſimuſſeptimus liber continet Hiſtoriam 26. annorum, per tempora duorum Imperatorum, ſcilicet Lotharij Secundi, Cõradi Tertij. Inter hæc flores Hugonis de Foilleto Cordeienſis Monachi, flores etiam Richardi Pariſienſis, Sancti Victoris Canonici, & viſionem Tundali. Habet autem Capitula 128.

DE Imperio Lothary Secundi, cap. 1. 1097
De reſtinctione ſacri ignis in eccleſia Beatæ Mariæ Sueſſionenſi, cap. 2 ibid.
De muliere quadam quæ ibi ſanata eſt, cap. 3 1098
De puero quodam, & alia muliere, cap. 4 ibid.
De cæteris euentibus illius temporis, cap. 5 ibid.
De Innocentio Secundo, & Antipapa Petro Leonis, & quibuſdam alijs, cap. 6 ibid.
De profectu nouellarum religionum eiuſdem temporis, cap. 7 1099
De S. Hugone Gratianopolitano, & bonis eius initijs, cap. 8 ibid.
De quodam ab igne ſacro, per Beatam Mariam Magdalenam liberato, cap. 9 ibid.
De miraculo per Beatam Virginem in eodem homine conſummato, cap. 10 1100
Qualiter idem homo recluſus Diabolum viſibiliter expugnauit, cap 11 ibid.
De ſacris moribus prædicti Hugonis, & obitu eiuſdem, cap. 12 ibid.
De ſciſmate Aquitaniæ, & alijs quibuſdam, cap. 13 1101
De legatione Beati Bernardi cum epiſcopo Carnotenſi, cap. 14 ibid.
De fine temporum Lotharij, & Imperio Conradi Tertij, cap. 15 ibid.
De quibuſdam euentibus illius temporis, cap. 16 1102
De Petro Abaleardo, & hæreſibus eius, cap. 17 ibid.
De obitu Hugonis Pariſienſis, & libro de clauſtro animæ, cap. 18 ibid.
De quatuor occaſionibus peccandi, quæ clauſtralibus fugiendæ ſunt, cap. 19 1103
De ſecuritate clauſtri, & periculis ſeculi, capitulo vigeſimo. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod vita claustralis, & pauperi sit abundans, & sufficiens mediocri, cap. 21 ibid.
Quod eadem etiam diuiti sit tolerabilis, cap. 22 fol. 1104
Quod larga sit infirmis, cap. 23 ibid.
Quod etiam compatiens sit delicatis, cap. 24 ibid.
Quod moderata sit fortioribus, cap. 25 1105
Quod misericors sit pœnitentibus, cap. 26 ibid.
Quod peruersis sit seuera, cap. 27 ibid.
Quod bonis sit optima, cap. 28 1106
De falsis claustralibus, & ordinatione claustri, capitulo 29 ibid.
De ædificiis, & possessionibus monasterii, cap. 30 ibid.
De cibo claustralium, cap. 31 ibid.
De habitu, & labore fratrum, & de prælatis, cap. 32 1107
De 12. abusionibus claustri, & primo de prælato negligente, cap. 33 ibid.
Adhuc de eodem cap. 34 ibid.
De discipulo inobediente, cap. 35 1108
De iuuene ocioso, cap. 36 ibid.
De sene obstinato, cap. 37 ibid.
Adhuc de eodem cap. 38 ibid.
De Monacho curiali, & Causidico, cap. 39 1109
De habitu pretioso in monacho, cap. 40 ibid.
De cibo exquisito, cap. 41 ibid.
De rumoribus in claustro, cap. 42 1110
De lite in capitulo, cap. 43 ibid.
Adhuc de eodem cap. 44 eodem
De dissolutione in Choro, & irreuerentia circa altare, cap. 45 1111
Adhuc de eodem cap. 47. 48 1112
De claustro animæ, & eius lateribus, cap. 49 ibid.
De receptaculo hospitum, cap. 50 1113
De capitulo, & labore manuum, cap. 51 ibid.
De Refectorio, cap. 52 ibid.
De Dormitorio, cap. 53 1114
De Oratorio, & modo orandi, cap. 54 ibid.
De reconciliatione pœnitentis, cap. 55 1115
De lectulo contemplationis, cap. 56 ibid.
De claustro cœlesti, & eius dispositione, cap. 57 ibid.
De Ricardo Parisiensi, & scriptis eius, cap. 58 ibid.
Moralis eius expositio de uxoribus, & filiis Iacob, capitulo 59 1116
De 4. filijs Lya idest est affectionis, c. 60 ibid.
Quod Rachel, id est ratio primo suscipit filios ex Bala, id est ex imaginatione, cap. 61 1117
De duplici imaginatione, cap. 62 ibid.
De duobus filiis Balæ, cap. 63 ibid.
De officio Dan, cap. 64 1118
De officio Neptalim, cap. 65 ibid.
De duobus filiis Zelphę, cap. 66 ibid.
De officio Ruben, & mandragoris eius, cap. 67 1119
De 4. filiis ancillarum, & officio eorum, cap. 68 ibid.
De ortu Isachar, & eius officio, cap. 69 ibid.
De ortu Zabulon & eius officio, cap. 70 1120
Adhuc de Zabulon, id est veri Zelatoris officio capitulo 71 ibid.
De ortu Dinæ, cap. 72 1121
Cur post Zabulon orta sit, cap. 73 ibid.
De corruptione eiusdem, cap. 74 ibid.
De bello fratrum eiusdem contra Sychem, capitulo 75 fol. 1122
De ortu Ioseph, in quo designatur gratia discretionis, capit. 76 ibid.
De ortu Beniamin, in quo gratia est contemplationis, cap. 77 1123
De monte contemplationis, & eius ascensu, cap. 78 ibid.
Qualiter homo scire possit, an illuc ascendit, cap. 79 ibid.
Qualiter illic ad tonitruum vocis diuinæ, cadit auditor, cap. 80 1124
Qualiter homo præparet cor suum ad illud ascensum, cap. 81 ibid.
De duobus contemplationis generibus, capit. 82 ibid.
De quibusdam incidentibus, cap. 83 1125
De reuelatione Inferni facta Guihelmo, cap. 84 ibid.
De visione Guihelmi pueri à Iudæis Crucifixi, cap. 85 1126
De Concilio Remensi, & Gilberto Porrete, cap. 86 ibid.
De fame, & pestilentiis illius temporis, cap. 87 ibid.
De raptu animæ Tundali, & eius visione, capit. 88 fol. 1127
De aspectu Dæmonum, & Angeli, qui duxit eum, cap. 89 ibid.
De Valle horribili, & Ponte angusto, cap. 90 1128
De bestia monstruosa, & terribili, cap. 91 ibid.
De stagno tempestuoso, & Ponte periculoso, cap. 92 ibid.
De furno flammuomo, cap. 93 1129
De bestia alata, & stagno congelato, cap. 94 ibid.
De Valle fabrorum, cap. 95 1130
De puteo infernali, cap. 96 ibid.
De Principe tenebrarum, & sociis eius in pœnis, cap. 97 ibi.
De statu mediocri bonorum, & malorum, cap. 98 fol. 1131
De statu Cormarchi regis, cap. 99 ibid.
De visione gloriæ Sanctorum, cap. 100 1132
Adhuc de eodem, cap. 101. 102 ibid.
De quattuor episcopis, quos ibi Tundalus cognouit, capitulo 103 1133
De reditu animæ Tundali ad corpus, cap. 104 ibid.
De sancto Malachia Archiepiscopo, cap. 105 ibid.
De bonis eius initiis, cap. 106 1134
De sorore sua mortua, per eum Deo reconciliata, c. 107 ibid.
De Monasterio ab eo constructo, & quibusdam eius miraculis, cap. 108 ibid.
De actionibus eius in episcopatu suscepto, cap. 109 f. 1135
De Archiepiscopatu, quem inuitus suscepit, cap. 110 ibid.
De vltione cœlesti in eius aduersarios, cap. 111 1136
De ingressu eius in vrbem, & de Nigillo schismatico, cap. 112 ibid.
De vindicta Dei in eius detractores, cap. 113 ibid.
De spiritu eius prophetico, & transitu per Clareuallen. cap. 114 ibid.
De miraculis eiusdem, cap. 115 137
De mirabili, ac singulari eius vita, cap. 116 ibid.
Item de miraculis eiusdem, cap. 117 ibid.
Adhuc de eodem cap. 118. 119 fol. 138
De Oratorio lapideo, quod ædificauit, & pœna maledici eius, 120 ibid.
Item de miraculis eiusdem, cap. 121 1139
Qualiter locum, & diem sepulturæ suæ prælegit, & illuc peruenit, cap. 122 ibid.
De felici transitu eiusdem, cap. 123 1140
De S. Petro Tarentasiensi episcopo, cap. 124 ibid.
De quadam miserabili muliere ab eo curata, cap. 125 ibid.
De cæteris euentibus illius temporis, capit. 126 fol. 1141
Adhuc de eodem, cap. 127 ibi.
De uxoribus regis Ludouici, & morte Conradi, cap. 128 ibi.

INDEX LIBRI XXVIII.

Vicesimusoctauus liber, continet nullam Historiam, sed tantum flores quorundam librorum, atque tractatuum Beati Bernardi Abbatis Clareuallensis. Et habet Cap. 128.

De commendatione Beati Bernardi Clareuallen. Abbatis, cap. 1 1143
De opusculis eiusdem, cap. 2 ibid.
Exhortatio eius ad contemptum mundi, capitulo 3 1144
Quod auaritia, & cætera mala procedunt ex voluntate, capitulo 4 ibid.
De excusatione falsa auarorum, & maxime clericorũ, c. 5. ib.
De singulari, & monstruosa vita clericorum, capit. 6. ibid.
De cupiditate presbyterorum, & fornicatione, & simonia, cap. 7 1145
De ambitione cleri, & intrusione in patrimenium, capitulo 8 ibi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De auaritia eorum, & abuſu temporalium, cap. 9 ibid.
De ſuperbia eorum, & falſa ſecuritate, cap. 10 1146
Quod eis in futuro ſuccedet luctus pro gaudio, capitulo 11 ibid.
De inſatiabilitate peccantium, cap. 12 ibid.
De illis, qui reformidant aggredi viam perfectionis, cap. 13 ibid.
De branio ſequentium Chriſtum per viam prædictam, cap. 14 1147
De aſcenſu ad regnum, & tempore, quod ad hoc homini eſt conceſſum, cap. 15 ibid.
De ſtultitia cupidorum, qui nolunt relinquere ſimpla pro centuplum, cap. 16 ibid.
De illis, qui relinquunt poſſeſsiones, ſed non proprias voluntates, cap. 17 ibid.
Quod prædictum centuplum nemo ſcit niſi, qui accipit, cap. 18 1148
De meditatione hominis circa ſe, cap. 19 ibid.
De conſideratione propriæ miſeriæ præſentis, & futuræ, cap. 20 ibid.
De ſuperna beatitudine, & quis ad eam poſsit aſcendere, cap. 21 1149
De diſcuſsione vitæ propriæ, & pura oratione, cap. 22 ibid.
Quod vbique orationi, & bonæ cogitationi inſiſtendum ſit, & charitati ſtudendum, cap. 23 ibid.
De impuritate confeſsionis, & orationis, cap. 24 ibid.
De miſeriis, & periculis huius vitæ mortalis, cap. 25 1150
Meditatio aduentus Chriſti ad Paſsionem, cap. 26 ibid.
Meditatio paſsionis eiuſdem, cap. 27 ibid.
De ſuſceptione dextri latronis, cap. 28 1151
De cruce iam non timenda, ſed amplectenda, cap. 29 ibid.
De apertione lateris Chriſti, quod factum eſt hoſtium Paradiſi, cap. 30 ibid.
De myſterio ſepulturæ eiuſdem, & Aſcenſionis, capitulo 31 ibid.
De viatico corporis eius, quo ſuos ad vitam traduxit, cap. 32 1154
Oratio ad ipſum, vt de fluminibus Aegypti nos educat, cap. 33 ibid.
Exemplum in Magdalena, quam de prædictis fluminibus eduxit, cap. 34 ibid.
De modo, & cauſa diligendi Deum, cap. 35 ibid.
Qualiter ipſe diligi meretur etiam apud infideles, capit. 36 1153
Quod multo magis fideles tenentur eum diligere, cap. 37 ibid.
Quod conſideratio paſsionis eius debeat eſſe fomes dilectionis, cap. 38 ibid.
Quo fructu debeamus ipſum diligere, c. 39 1154
De quattuor gradibus amoris, cap. 40 ibid.
Qualiter ad ſummum gradum ſancti proficiunt, cap. 41. ibi.
De humilitate, & gradibus eius, cap. 42 1155
De gradibus iniquirendi veritatem, & primo de miſericordia, cap. 43 ibid.
De manſuetudine, cap. 44 ibid.
De aſcenſu contemplationis per gradus humilitatis, cap. 45 1156
De primo gradu ſuperbiæ, & ſecundo, cap. 46 ibid.
De tertio, & quarto gradu, cap. 47 ibid.
De quinto, ſexto, & ſeptimo gradu, cap. 48 1157
De octauo, nono, decimo gradu, cap. 49 ibid.
De vndecimo, & duodecimo gradu, cap. 59 ibid.
De tenore, & obligatione regulæ Monachorum, cap. 51. 1158
De triplici neceſsitate præceptorum, cap. 52 ibid.
Quod quædam regulæ præcepta non ſubſunt voluntati prælati, ſed diſcretioni, cap. 53 1159
De meta voti obedientiæ, cap. 54 ibid.
Quod imperfecta eſt obedientia, quæ voti finibus cohibetur, cap. 55 ibid.
De diſpari culpa inobedientiæ, & impari iubentium auctoritate, cap. 56 ibid.
Quod penitus obediendum ſit prælato, quando non præcipit contrarium Deo, cap. 57 1160
Reſponſio ad illos, qui obedientiæ profeſsionem accuſant, cap. 58 ibid.
Quod habet ipſa regula tranſgreſsionum remedia, c. 59. 1161
Vtrum in omni præcepto, quantum obedientia valet, tantum inobedientia grauet, cap. 60 ibid.
De ſtabilitate loci, & tranſitu ad alium, cap. 61 ibid.
Exhortatio Eugenij Papæ, ne totum ſe occupationibus dedat, cap. 62 ibid.
Corruptio eiuſdem, de continuo cauſarum auditu, c. 63. 1162
Quod onus illud in alios ſit partiendum, & interdum conſiderationi vacandum, cap. 64 ibid.
De vtilitate conſiderationis, cap. 65 1163
Qualiter audiendæ ſunt, & decidendæ cauſæ, cap. 66 ibid.
De partibus conſiderationis, & primo de conſideratione ſui quid ſit, & quis, cap. 67 ibid.
De conſideratione ſui quid fuit, & quid ſit nunc, c. 68. 1164
De conſideratione qualis ſit, cap. 69 ibid.
De conſideratione circa ſubditos, & de compeſcendis appellationibus, cap. 70 1165
De exemptione eccleſiarum, cap. 71 ibid.
De neglecta obſeruantia Canonum, cap. 72 ibid.
De conſideratione populi Romani, qui circa eum erat. cap. 73 ibid.
De conſideratione laterum ſuorum, id eſt Cardinalium, cap. 74 1166
Quales ad hoc officium aſſumi debeant, cap. 75 ibid.
De diſpoſitione rei familiaris, cap. 76 ibid.
De diſpoſitione familiæ propriè, cap. 77 1167
De conſideratione eorum, quæ ſupra ſunt, ideſt diuinorum, cap. 78 ibid.
De trino, & vno Deo, cap. 79 ibid.
Qualiter Deus ſit pœna peruerſorum, cap. 80 1168
Qualiter idem ſit gloria electorum, cap. 81 ibid.
De certitudine fidei, cap. 82 ibid.
De vita epiſcopi, & cleri, cap. 83 ibid.
Inuectio contra Abbates, qui procurant exemptiones, cap. 84 1169
De ſuperfluo ornatu epiſcoporum. cap. 85 ibid.
De officio epiſcopi, & promotione puerorum, cap. 86 1170
Inuectio contra Ciſtercienſes, qui Clugniacenſes aſpernabantur, cap. 87 ibid.
Item contra eoſdem de temerario iudicio, & detractione, cap. 88 ibid.
Reſponſiones ad eorum obiecta. cap. 89 1171
Item excuſatio Clugniacenſium contra ſuperbiam detrahentium, cap. 90 ibid.
Reprehenſio Clugniacenſium, de intemperantia, & diſſolutione, cap. 91 ibid.
De exceſſu eorum in cibis, & potibus, cap. 92 ibid.
Contra illos, qui contra regulam comedunt carnes capitulo 93 1172
De curioſo, ac precioſo veſtitu Monachorum, cap. 94 ibid.
De ſuperfluis expenſis Abbatum, & pompis, capitulo 95 1173
De ſuperfluis picturis, & ornatu parietum, cap. 96 ibid.
Adhuc de picturis pauimentorum, & clauſtrorum, cap. 97 ibid.
De fine ſermonis, & exhortatione vtriuſque partis, cap. 98 1174
Exhortatio Carthuſienſium ad humilitatem, & patientiam, cap. 99 ibid.
Exhortatio eorundem ad pietatem, & ſolitudinis amorem, cap. 100 ibid.
De triplici gradu, quo peruenitur ad perfectionem, c. 101. 1175
De primo gradu, qui eſt ſimplicitas Nouitiorum, c. 102. ib.
De inſtructione Nouitiorum, cap. 103 ibid.
De bonis occupationibus Fratrum, cap. 104 1176
De exercitiis eorundem, cap. 105 ibid.
De ſtabilitate in cella, cap. 106 ibid.
Quod habitans in cella trina, gaudet cuſtodia, c. 107. 1177
De cella interiori, & exteriori, cap. 108 ibid.
De temporibus, & modo orandi, cap. 109 ibid.
De ſacra lectione, & modo legendi, cap. 110 ibid.
De labore corporali, cap. 111 1178
De cibo, & ſomno, ca. 112 ibid.
De ſuſceptione Fratrum, & ambitioſa ædificatione cellarum, ca. 113 ibid.
De exemplo paupertatis Sanctorum Patrum, ca. 114. 1179

De

De informatione Nouicij in amore Christi, cap.115 ibid.
De perfecto amore Dei, & modis orandi, cap. 116 ibid.
De varijs modis obtinendi orationis effectum, cap. 117 1180
De humilitate perfectorum, & profectu insipientium, cap. 118 ibid.
De studio sapientiæ, ac virtutis, cap. 119 ibid.
De custodia bonæ voluntatis per obedientiam, & consensum veritatis, cap. 120 1181
Item de regimine, & custodia voluntatis, cap. 121 ibid.
Quod voluntatem sequitur impetus cogitationis, cap 122. ib.
De examinatione voluntatis in Deum tenaentis capit. 123 1182
De illuminatione mentis ad contemplationem, cap. 124. ibi.
De præparatione cordis ad Dei visionem, cap. 125 ibid.
De certa victoria eorum, qui pro Deo militant, c. 126. 1183
De comparatione militum secularium, ad milites Christi, cap. 127 ibid.
De vita militum templi, cap. 128 ibid.

INDEX LIBRI XXIX.

Vicesimusnonus liber continet Historiam 56. annorum, per successiones quattuor Imperatorum, videlicet Friderici Primi, Henrici Sexti, & Philippi Secundi, & Ottonis Quarti. Inter Hæc quoque continet originem ac mores, & actus quosdam Tartarici populi, & paucos flores Opusculorum Helinandi. Habet autem Cap. 148.

DE Imperio Friderici Primi, & Petro Lombardo, & Comestore, cap. 1 1185
De quibusdam incidentibus illius temporis, cap. 2 ibid.
De Adriano Papa, & Theobaldo Cantuariensi cap. 3 1186
Miracula Beatæ Mariæ de rupe Amatoris, cap. 4 ibi.
Item de eodem, cap. 5 fol. 1187
De Nouicio Cystertiensi tentato à Sathana, cap. 6 ibid.
De visionibus quibus per beatam Virginem confortatus est, cap. 7 ibid.
De visione Paradisi, cap. 8 1188
De visione inferni, cap. 9. ibid.
De reditu animæ illius ad corpus, cap. 10 ibid.
De Fratre Christiano heremita Gastinensi, cap. 11 ibid.
De transitu eius ad ordinem Cystercienſium, cap. 12 1189
De ortu Philippi regis Francorum à patre Ludouico & de S. Hildegarde, cap. 13 ibid.
De aduentu S. Thomæ Cantuariensis in Franciam, ad Papam Alexandrum. cap. 14 1190
Qualiter à Papa monachalem habitum impetrauit, cap. 15 ibid.
De rabie luporum in Pago Ruthenensi, cap. 16 ibid.
De Henrico iuniore rege Angliæ, & magno terræmotu, cap. 17 1191
De vita sancti Thomæ Cantuariensis, cap. 18 ibid.
Qualiter in causa sua contra regem Angliæ obtinuit, cap. 19 1192
De martyrio eiusdem, cap. 20 ibid.
De Roberto Præposito de Area, & quibusdam alijs, cap. 21 ibid.
De bonis initijs regni Philippi Francorum regis, cap. 22 1193
De sancta muliere Alpaide, cap. 23 ibid.
De Hostia sacra quam rex Philippus in specie carnis vidit, & quibusdam alijs, cap. 24 1194
De vltione ipsius regis in Iudæos, cap. 25 ibid.
De vltione ipsius regis in Cotarellos, cap. 26. ibid.
De pace inter regem Aragonensium, & Comitem S. Aegidij miraculosè facta, cap. 27. 1195
De sancto Petro Clareuallensi, & bonis eius initijs, atque operibus, cap. 28 ibid.
Item de eodem, c. 29 195
Qualiter factus est Abbas Vallis regis, & post Igniaci, & quid ibi egerit, cap. 30 1196
Qualiter factus est Abbas Clareuallis, & quid ibi egerit, cap. 31. ibid.
Item de quibusdam gestis ac dictis, & morte ipsius, capit. 32. ibid.
De Hugone Abbate Boneuallis, cap. 33 1197
Item de gestis eius contra Dæmones, cap. 34 ibid.
De his, quæ gessit circa morientes, cap. 35 ibid.
De his, quæ gessit circa viuentes, cap. 36 1198
De dissensione, & pace inter regem Francorum, & comitem Flandrensium, cap. 37 ibid.
De succursu Terræ sanctæ misso à Philippo rege, capitul. 38, ibid.
De quibusdam incidentibus illius temporis, cap. 39 ibid.
De Abbate Ioachim, & quibusdam alijs, capitul. 40 fol. 1199
De mendacio astrologorum, & vanitate histrionum, cap. 41 ibid.
De dissensione inter regem Franciæ, & regem Angliæ, & de castri Radulphi obsidione, cap. 42 ibid.
De amissione sanctæ Crucis, cap. 43 1200
De ortu Ludouici filij Philippi, & captione Hierusalem, cap. 44 ibid.
De crucisignatione duorum regum, & aliorum multorum, cap. 45 1201
De corruptione fœderis inter reges per comitem Ricardum, cap. 46 ibid.
De dissensione eiusdem comitis à patre, & captione Thuronis, cap. 47 ibid.
De obitu regis Henrici, & initio Ricardi, & quibusdam alijs, cap. 48 1202
De ordinatione regni Philippi, & testamento eius, c. 49. ibid.
De transfretatione duorum regum ad Achon, cap. 50 ibid.
De morte Friderici Imperatoris in itinere transmarino, & successione Henrici, cap. 51 1203
De deditione vrbis Achon, & reditu Philippi regis, cap. 52 ibid.
De Iudæis apud Braiam combustis, & de sancto Vuilhelmo presbytero, & de falso rumore Arsacidarum ad regem Philippum, cap. 53 1204
De reditu regis Ricardi in Angliam, & electione Henrici in regem Hierusalem, cap. 54 ibid.
De secundo coniugio Philippi regis, & de quibusdam euentibus illius temporis, cap. 55 ibid.
De guerra duorum regum ad inuicem, & de tempestate mirabili, cap. 56 1205
De alternatione guerræ, & treugæ inter duos reges, cap. 57 ibid.
Qualiter rex Philippus capit Gizorcium, & de morte Mauritij episcopi, cap. 58 ibid.
De morte Henrici Imperatoris, & exaltatione Ottonis, & prædicatione magistri Fulconis cum sociis suis, c. 59. ibid.
De quibusdam euentibus emirandis, & pugna duorum regum, cap. 60 1206
De Philippo Imperatore, & Petro Capuensi Legato & morte regis Angliæ Ricardo, cap. 61 ibid.
De sancto Vuilhelmo Bituricensi Archiepiscopo, c. 62. 1207
De Petro Corbolienſi & interdicto Franciæ & repudiatione Vigeburgis reginæ, cap. 63 ibid.
Qualiter Barones Franciæ properantes, ad Terram Sanctam Constantinopolim applicuerunt, cap. 64 ibid.
Qualiter vrbs capta est à Francis, & Venetianis, & Balduinus Imperator electus, cap. 65 1208
De pace inter duos reges, & nuptiis Ludouici, & Legato Octauiano, & reconciliatione Vigeburgis, cap. 66. ibid.
De filiis Philippi regis ex Maria superinducta, & iterata discordia inter reges, c. 67 ibid.
De munitionibus captis à rege Philippo in Aquitannia, & in Normannia cap. 68 1209
De interfectione Dauid regis Indiæ à Tartaris, capitulo 69 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De Rabbanata monacho Neſtorino, cap. 70 ibid.
De exteriori qualitate Tartarorum, cap. 71 1210
De cultu ac ritu religionis eorum, cap. 72 ibid.
De legibus, & ſtatutis eorum, cap. 73 ibid.
De impietate eorum, & ſuperbia, cap. 74 1211
De ipſorum cupiditate & auaritia, cap. 75 ibid.
De effrenatione ipſorum, & luxuria, cap. 76 ibid.
De crudelitate ipſorum, & luxuria, cap. 77 1212
De victu illorum, cap. 78 ibid.
De habitu eorum, cap. 79 ibid.
Qualiter in pugna ſe habent, cap. 80 1213
Qualiter regiones inuadere ſolent, cap. 81 ibid.
Qualiter munitiones obſident, cap. 82 ibid.
Qualiter erga captos, vel deditos ſe habent, cap. 83 ibid.
De ſclauis eorum, cap. 84 1214
De mulieribus eorum, cap. 85 ibid.
De morte ac ſepultura eorum, cap. 86 ibid.
De nationibus, quas Tartari poſt mortem domini ſui ſubiugauerunt, cap. 87 1215
Qualiter Coraſmonis deſtruentes fugauerunt, cap. 88 ibid.
De deſtructione Perſarum, cap. 89 ibid.
Qualiter Alexius Conſtantinopolis, Imperium per Francos recuperauit, & rex Phi. Normanniam, & Pictauiam ſubiugauit, cap. 90 1216
De Mortulpho Imperatore, & ignominioſo eius fine, cap. 91 ibid.
De Balduino, & Henrico Imperatoribus Conſtantin. & quibuſdam Francorum, & Alemannorum geſtis, cap. 92 ibid.
De legatione 12. Abbatum contra Albigenſes, & de ſancto Didaco Epiſcopo, cap. 93 1217
De origine ac ſtudiis ſancti Dominici, cap. 94 ibid.
Qualiter habitum regularem ſuſcepit, & hoſpitem ſuum ab hæreſi conuertit, cap. 95 ibid.
Qualiter eius libellus, ab igne ter illæſus exiuit, c. 96. 1218
De ſancto Franciſco, & eius conuerſionis primordio, cap. 97 ibid.
De patientia eiuſdem, & nuditate, & humilitate, cap. 98 ibid.
De multiplicatione Fratrum Minorum, ac regula, & prædicatione eorum. cap. 99 fol. 1219
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 100 ibid.
De nece Philippi Imperatoris, & legatione Gualonis, cap. 101 ibid.
De diſſenſione Epiſcoporum Aurelianen. & Antiſio. à rege Philippo, cap. 102 1220
De peregrinatione noſtrorum contra Terram Albigem, & obitu ſancti Didaci Epiſcopi, cap. 103 ibid.
De Conſtanti prædicatione, & charitate ſancti Dominici, cap. 104 ibid.
De ſancta ipſius Hippocriſi, cap. 105 1221
De coronatione Ottonis Imperatoris, & eius depoſitione, cap. 106 ibid.
De Amalrico Hæreſiarcha, & ſequacibus eius combuſtis, cap. 107 ibid.
De domino Helinando monacho, & ſcriptis eius, capitulo 108 1222
De illo Apollinis Oraculo Nothis Elithos, id eſt, noſce teipſum, cap. 109 ibid.
De cognitione exterioris hominis, cap. 110 1223
De cognitione interioris hominis, quantum ad ſpeciem naturalem, cap. 111 ibid.
De cognitione eiuſdem, quantum ad ſpeciem arbitrariam, cap. 112 1224
De ſeptem ſimilitudinibus animæ ad Deum, & primo de tribus primis, cap. 113 ibid.
De quatuor vltimis, cap. 114 ibid.
De cognitione humani corporis, cap. 115 1225
Adhuc de miſeria eiuſdem, c. 1116 ibid.
Adhuc de cognitione hominis, & animabus poſt mortem apparentibus, cap. 117 ibid.
Exemplum ad hoc de familia Hellequini, cap. 118 ibid.
Item aliud exemplum ad idem, cap. 119 1226
Adhuc de eodem, cap. 120 ibid.
De conſtituendo rege, & primo de moribus eius, c. 121. 1227
De ſapientia, vel ſtudio eius, cap. 122 ibid.
De humilitate eius, & pietate, cap. 123 ibid.
De ipſius æquitate, cap. 124 1228
De præmio regalis iuſtitiæ in ipſo, & hærede, cap. 125 ibid.
De quatuor principibus neceſſariis, & corporis reipublicæ, cap. 126 ibid.
De reuerentia Dei, & cultu ſui, cap. 127 ibid.
De officialium diſciplina, cap. 128 1229
De publicis exactoribus, & eorum violentia, cap. 129. ibid.
De æquitate iudicij, cap. 130 ibid.
De militum electione, et eorum officio, cap. 131 1230
Quod obedire debeant Principi, ſed magis Deo, cap. 132. ib.
De mutuo affectu Principis, et ſubditorum, cap. 133 ibid.
Planctus amici Lapſi, à ſtatu monachali, cap. 134 1231
Reprehenſio eiuſdem, cap. 135 ibid.
Quod vitium ipſius labentis fuit, non ordinis à quo cecidit, cap. 136 ibid.
Inductio exemplorum ad ordinem tolerandum, cap. 137. ibid.
Quod ipſe ordo ſit portabilis omnibus infirmis, et fortibus, cap. 138 1232
Admonitio Lapſi, vt reſurgat, cap. 139 ibid.
De conſideratione, quæ pœnitentiam prouocat, c. 140. ibid.
De mala conſuetudine abolenda, cap. 141 1233
De fomentis libidini ſubtrahendis et primo de ocio, ſegnitie, ſomno, carne, et famina, cap. 142 ibid.
De vino, et proſperitate, cap. 143 1234
De ludo, et carmine, et forma, et puero, cap. 144 ibid.
Quod ab his omnibus refugium ſit vita clauſtralis, cap. 145 1235
Quod poſt votum vita clauſtralis, nulla iam pateat, alia, cap. 146 ibid.
De differentia voti ſolemnis, et ſimplicis, cap. 147 ibid.
Quod tempore ſancti Benedicti non mutabant habitum ſecularem nouicij, cap. 148 1236

INDEX LIBRI XXX.

Triceſimus liber, continet Hiſtoriam 34. annorum, quibus imperauit Fridericus Secundus. Et habet Cap. 152.

DE Imperio Friderici Secundi, & de expulſione Ottonis Imperatoris, cap. 1 fol. 1237
De Memmilini Regis, et Albigenſium deſtructione, cap. 2. ibid.
De receſſu Reginaldi, Comitis Boloniæ à regno Franciæ, cap. 3 1238
De moribus eiuſdē Comitis, et eius fadere cum Rege Angliæ, cap. 4. ibid.
De præparatione itineris Philippi regis in Angliam, et de crucis ſignatione puerorum, cap. 5 ibid.
De reconciliatione Vigeburgis Reginæ, et itinere Regis Philippi, vſque in Flandriam, cap. 6 ibid.
De bello Papienſium, et Cremonenſium, contra Mediolanen. cap. 7 1239
De tranſitu Ioannis Regis Angliæ in Andegauiam, et Guarrino epiſcopo Syluanectenſi, et Granfrido epiſcopo Meldenſi, cap. 8 ibid.
De bello noſtrorum, contra Albigenſes, et nece regis Aragonum, cap. 9 1240
De ſancta Maria de Oegnies, et Magno Iacobo de Vitriaco, cap. 10 ibid.
De ſanctis mulieribus, quæ tunc abundabant in partibus Leodii, cap. 11 ibid.
De illis, qui detrahebant eis capitulo duodecimo ibid.
De probatione ſanctitatis, capitulo 13 fol. 141
De quibuſdam ſingularibus perſonis, quibus data eſt gratia ſpecialis, cap. 14 ibid.
Iterum de eodem, cap. 15 eodem
De origine, et infantia dictæ Mariæ, capitulo 16 1242

Qua-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Qualiter eiꝰ maritus per ipſam ad amorem caſtitatis conuerſus eſt, cap. 17 ibid.
De gratia lachrymarum eius cap. 18 ibid.
Qualiter ſacerdoti cuidam obtinuit copiam lachrymarum, cap. 19 ibid.
De confeſsione eius, & auſteritate penitentia, capitulo 20 1243
De ieiunio, & refectione illius, cap. 21 ibid.
De orationibus eius, cap. 23 ibid.
Iterum de eodem cap. 24 fol. 1244
De his, quæ circa eam in nocte gerebantur, cap. 25 ibid.
De habitu eius, & opere, & ſilentio, cap. 26 ibid.
Qualiter in eius facie gratia reſplendebat, cap. 27 ibid.
De infirmitate eius curata, & aliorum per ipſam, capitulo 28 1245
De timore illius caſto, & amore paupertatis, cap. 29. ibid.
De pietate eius exemplum, cap. 30 ibid.
Iterum de eodem cap. 31. 32. 33. 34. fol. 1246. 1247
De ſpiritu ſcientiæ, & diſcretionis quem habuit, capitulo 35 ibid. ibid.
Iterum de eodem, cap. 36. 37 ibid.
De ſpiritu fortitudinis, qui in ea fuit, cap. 38 1248
De ſpiritu conſilij quem habuit, cap. 39 ibid.
Iterum de eodem cap. 40 ibid.
De ſpiritu intellectus ipſius, cap. 41 1249
Iterum de eodem cap. 42 ibid.
De ſpiritu ſapientiæ eiuſdem, cap. 43 ibid.
Iterum de eodem cap. 44. 45. 46 fol. 1249. & 1250
De tranſitu eius à loco Vuillembroch apud Oegnies, cap. 47 ibid.
Qualiter obitum ſuum magiſtro Iacobo prædixit, & vocibus exultationis præuenit, cap. 48 fol. 1251
De vltima eius agritudine, & qualiter in ea ſe habuit, cap. 49 ibid.
De felici eiuſdem tranſitu, cap. 51 1252
De victoria Ludouici iuuenis in Pictauia, cap. 52 ibid.
De introitu Philippi Regis in Flandriam, & præparatione belli Flandrenſis, cap. 53. ibid.
De ordinatione aciorum in vtroque exercitu, cap. 54 1253
De exhortatione Francorum ad pugnam, & oratione præmiſſa, cap. 55. ibid.
De primo congreſſu militum, cap. 56 ibid.
De aduentu Communiarum, & de pugna contra Regem Philippum, cap. 57 ibid.
De conflictu belli & fuga Othonis, capitulo quinquageſimo octauo 1234
De Comite Bolonie, qualiter captus ſit, cap. 59 ibid.
Qualiter rex Philippus victor cum gaudio rediit, capitulo 60 ibid.
Qualiter comitem Bolonie de ingratitudine redarguit, cap. 61 1255
De captiuitate eiuſdem comitis, & Ferrandi, & aliorum, cap. 62 ibid.
De malitia Ioannis regis Anglie, & inſtantia Pictonum etiam treuga data, cap. 63 ibid.
De Concilio Innocentij, & reprobatione dogmatum Ioachim & Amalrici, cap. 64 fol. 1256
Qualiter Beatus Dominicus ordinem ſuum petiit ab Innocentio Papa confirmari, cap. 65 ibid,
Qualiter idem ordo confirmatus eſt à Papa Honorio, capitulo 66 ibid.
De diſperſione fratum ad prædicandum per mundum, cap. 67 125
De viſionibus quibuſdam oſtenſis ſuper ſtatu ordinis, cap. 68 ibid.
De magiſtro Reginaldo Aurelianenſi, cap. 69 ibid.
Qualiter idem propoſitum ſuum per Beatam Virginem adimpleuit, cap. 70 ibid.
De duobus mortuis, quos Beatus Dominicus oratione ſuſcitauit, cap. 71 1258
De miraculo panum fratribus ſemel, & iterum diuinitus oblatorum, cap. 72 ibid.
De quibuſdam aliis eiuſdem miraculis, cap. 73 ibid.
De denario pro Naulo diuinitus ab eo procurato, & dono linguarum impetrato, cap. 74. 1259
De quibuſdam obſeſſis à Dæmonibus per eum liberatis, cap. 75 ibid.
De Dæmone, quem in ſpecie Catti ad conuerſionem nonem mulierum oſtendit, & fugauit, cap. 76 ibid.
Qualiter idem ſanctus ſpiritu pio philoſophia claruit, cap. 77 ibid.
De tranſitu Ludouici filii regis Philippi in Angliam, cap. 78 1260
De paſſagio peregrinorum generali tranſmarino, & primo eorum equitatu, cap. 79 ibid.
De ſecundo equitatu, cap. 80 ibid.
De tertio equitatu, cap. 81 fol. 1261
De edificatione caſtri peregrinorum, capitulo octuageſimo ſecundo ibid.
De exercitatione Colonienſium ad ſignum Crucis, capitulo 83 ibid.
De perfectione peregrinorum contra Damiatam, capitulo 84 1262
De quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 85 ibid.
De captione Hieruſalem per Coradinum Turquie Soldanum, cap. 86 ibid.
De miſeria obſeſſorum in Damiata, cap. 87 1263
De captione Damiatæ abſque ſanguinis effuſione, capitulo 88 ibid.
De ciuium eius ſtrage, cap. 89 ibid.
De ſpoliorum eius diſtributione, cap. 90 ibid.
De captione Thanis, & opulentia eius ac fortitudine, cap. 91 1264
De libro Damiatæ reperto in quo prædicta eſt Damiatæ vaſtatio, & quædam alia, cap. 92 ibid.
De legatione Georgianorum ad noſtros admirantium ſuper captione Damiatæ, cap. 93 ibid.
De captione Saphet ac redditione Damiatæ, cap. 94. 1265
De Georgianorum deſtructione, cap. 95 ibid.
De criſmate Georgianorum, & erroribus ipſorum, capitulo 96 ibid.
De vaſtatione Armeniorum, cap. 97 1266
De erroribus ipſorum, cap. 98 ibid.
De quibuſdam ſancti Franciſci documentis, & conſcientiæ illius puritate, cap. 99 ibid.
Qualiter etiam abſentia cognoſcebat ſpiritu reuelante, cap. 100 1267
De abſtinentia eius, & vera humilitate, cap. 101 ibid.
De magnanimitate, & fiducia eiuſdem, cap. 102 ibid.
Qualiter volucribus prædicauit, capitulo centeſimotertio fol. 1268
Quod, & auibus & beſtijs, ac piſcibus, & elementis imperauit, cap. 104 ibid,
Quod illas præcipuè creaturas amabat, quæ figuram Chriſti præferunt, vt oues, & agnos. cap. 105 ibid,
Quod Chriſti nomen etiam in vermibus, & in cedulis, & maxime in pauperibus honorabat, cap. 106 1269
De miraculis geſtorum eiuſdem, cap. 107 ibid.
De orationibus eius aſſiduis, & confidentia in domino, cap. 108 ibid.
Qualier in eius corpore apparuerunt ſtigmata Paſſionis Dominica, cap. 109 1270
De virrute orationum Beati Dominici in animabus conuertendis, cap. 110 ibid.
De moribus eiuſdem præcipuis, cap. 111 ibid.
Qualiter ſpacium diei, & noctis impendebat Deo, & proximis, cap. 112 271
De Felici tranſitu eiuſdem, cap. 113 ibid.
De reuelatione glorioſi tranſitus eius facta quibuſdam fratribus, cap. 114 ibid.
De eleuatione ſacri corporis eius, cap. 115 fol. 1272
De mortuis per eum in Vngaria ſuſcitatis, cap. 116 ibid.
De ceteris eius miraculis, ibidem exhibitis, cap. 117 ibid.
De miraculis eius oſtenſis in Lombardia, cap. 118 1273
De his, quæ facta ſunt in Sicilia, cap. 119 ibid.
De infirmitatibus Beati Franciſci, quas paſſus eſt ante mortem, cap. 120 1274
De felici obitu eiuſdem, cap. 121 ibid.
De confirmatione trium ordinum per Papam Gregorium, c. 122 ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De obitu quorundam virorum illuſtrium, in regno Francorum, cap. 123 1255
De aduentu regis Hieruſalem in Francia, & obitu regis Philippi, cap. 124 ibid.
De reditu regni Francorum ad ſtirpem Caroli, capitulo 125 ibid.
De itinere regis Ludouici, contra Pictauenſes, & ſimulato Comite Balduino, cap. 126 1276
De captione Auinionis, contra regem Ludouicum, cap. 127 ibid.
De obitu Ludouici regis, & coronatione filij eius, eiuſdem nominis, & tranſitu Papæ Honorij, cap. 128 ibid.
De diſſenſione Baronum Franciæ à rege Ludouico iuniore, cap. 129 1277
De conuerſione S. Antonij ad ordinem Fratrum Minorum, cap. 130 ibid.
De prædicationis gratia ſibi diuinitus collata, cap. 131. ibid.
De fœlici tranſitu eiuſdem, cap. 132 1278
De ipſius exequiis, cap. 133 ibid.
De canonizatione ipſius, & miraculis, cap. 134 ibid.
De ſancta Eliſabeth, cap. 135 1279
De diſperſione ſcholarium Pariſienſium, & quibuſdam aliis, cap. 136 ibid.
De itinere tranſmarino ſub ducatu regis Nauarræ, & diſcordia inter Fridericum, & Papam Gregorium, c. 138. 1280
De tyrannide Paperoiſſolæ, & in Turchos debachatione, cap. 139 ibid.
De ipſis, ac ſuorum deſtructione, cap. 140 ibid.
De longa Thurcorum à Tartaris impugnatione, c. 141. 1281
De nobilitate, & magnitudine regni Turquiæ, capitulo 142 ibid.
De opulentia eiuſdem, cap. 143 ibid.
De magnatibus ſubiectis eius dominio, capitulo 144 fol. 1282
De Soldano ibidem conſtituto per Francos, cap. 145 ibid.
De probitate Francorum, contra Tartaros, cap. 146 ibid.
De deſtructione, quarundam Turquiæ ciuitatum, cap. 147 1283
De itinere Ludouici regis in Pictauiam, contra Comitem Marchiæ ac regem Angliæ, cap. 148 ibid.
De vaſtatione Boloniæ, & Hungariæ per Batho Ducem Tartarorum, cap. 149 1284
De vaſtatione regni Thurcorum, cap. 150 ibid.
De Coterino, qui poſtea ſe voluit erigere in Soldanum, cap. 151 ibid.
De initio Pontificatus Innocentij Quarti, & de quibuſdam incidentibus illius temporis, cap. 152 fol. 1285

INDEX LIBRI XXXI.

Triceſimuſprimus liber, continet Hiſtoriam reſidi temporis, poſt condemnationem Friderici, & inter hæc quoque nonnulla de geſtis, & itinere Tartaricæ gentis. Habet autem capitula 128. vna cum additis noſtri temporis.

De condemnatione Friderici Imperatoris, & prædicatione Crucis, cap. 1 1286
De prima miſſione Fratrum Pradicatorum, & Minorum ad Tartaros, cap. 2 ibid.
De ſitu, & qualitate terræ Tartarorum, cap. 3 ibid.
De forma, & habitu, & victu eorum, cap. 4 1287
De moribus eorum bonis, & malis, cap. 5 ibid.
De legibus, & conſuetudinibus eorum, cap. 6 ibid.
De ſuperſtitionibus, & traditionibus eorum, cap. 7 1288
De initio Imperij, ſiue Principatus eorum, cap. 8 ibid.
De mutua victoria ipſorum, & Kitaorum, cap. 9 1289
De pugna ipſorum, contra Indiam Maiorem, & Minorem, cap. 10 ibid.
Qualiter ab hominibus canini repulſi Burithabetinos vicerunt, cap. 11 ibid.
Qualiter à montibus Caſpijs, & ab hominibus ſubterraneis repulſi ſunt, cap. 12 1290
De ſtatutis Chingiſcam, & morte ipſius, & filijs ac ducibus, cap. 13 ibid.
De poteſtate Imperatoris, & Ducum eius, cap. 14 ibid.
De legatione Ducis Batii, & electione Imperatoris Octoday, cap. 15 ibid.
De legatione Cirpodan Ducis, capitulo decimoſexto fol. 1291
Qualiter Tartari ſe habent in præliis, cap. 17 ibid.
Qualiter reſiſtendum ſit eis, cap. 18 1292
De itinere fratris Iohannis, vſque ad primam cuſtodiam Tartarorum, cap. 19 ibid.
Qualiter primo cum ſociis receptus eſt à Tartaris, cap. 20 ibid.
Qualiter recepti ſunt apud correnzam, capitulo 21 fol. 1293
Qualiter recepti ſunt apud Batij magnum Principem, cap. 22 ibid.
Qualiter recedentes à Batiis terram Comanorum, & Kãgitarum tranſierunt, cap. 23 ibid.
Qualiter ad primam Imperatoris futuri curiam deuenerunt, cap. 24 1294
Qualiter ad ipſum Cuyne Imperatorem futurum peruenerunt, cap. 25 ibid.
De exaltatione Rachonadii in Soldanum Turquiæ, cap. 26 ibid. ibid.
De Loſyr Tyranni debachatione, cap. 27 1295
De fœderis inter Turcos & Tartaros confirmatione, cap. 28 ibid.
Qualiter Rex minoris Armeniæ Tartaris ſe ſubdidit, cap. 29 ibid.
Qualiter Cuyne fratres minores ſuſcepit, cap. 30 fol. 1296
Qualiter in Imperium ſublimatus fuit, cap. 31 ibid.
De ſolennitate qua fuit inthroniZatus, cap. 32 ibid.
De ætate, ac moribus, & ſigillo ipſius, capitulo 33 folio 1297
De nominibus eius, ac principibus, & exercitibus cap. 34 ibid.
De amiſſione fratrum, & nunciorum ad Imperatorem, cap. 35 ibid.
De loco diuiſionis Imperatoris, & matris ſuæ, & morte Gerozlai Ducis Ruſciæ cap. 36 1298
Qualiter tandem fratres ad Imperatorem accedentes litteras dederunt, & acceperunt, cap. 37 ibid.
Qualiter licentiati fuerunt, cap. 38 ibid.
Qualiter ab illo itinere redierunt, cap. 39 1299
Qualiter fratres Pradicatores apud Baiothnoy Tartarorum Principem admiſſi fuerunt, cap. 40 ibid.
Qualiter ab eis Tartari de mulieribus, & de aduentu Francorum quæſierunt, cap. 41 ibid.
Qualiter adorare Baiothnoy fratres reſpuerunt, capitulo 42 1300
Qualiter Tartaris Chriſtianitatem fratres ſuaſerunt, cap. 43 ibid.
Qualiter illi de ſententia mortis in fratres tractauerunt, cap. 44 ibid.
Qualiter de modo adorandi adinuicem altercati ſunt, cap. 45 1301
Qualiter ad Chaam ire recuſauerunt, cap. 46 ibid.
Qualiter domini Papæ literas in Tartaricum idioma transferri fecerunt, cap. 47 ibid.
Qualiter fratres dolis, & illuſionibus Tartari apud ſe diutius detinuerunt, cap. 48 1302
Qualiter illos Augustham expectare compulerunt, cap. 49 ibid.
Qualiter poſt eius aduentum receſſerunt, capitulo 50 ibid.
De literis, quæ à Principe Tartarorum ad Papam miſſæ ſunt, cap. 51 1303
De literis ab Imperatore ipſorum ad eundem Principem, miſſis, cap. 52 ibid.
De quibuſdam miraculis per ſignum Crucis inter Turcos exhibi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

exhibitis. cap. 53 ibid.
De progenie Soldanorum, & primo de filiis Saladini. & de Calipho, cap. 54 ibid.
De filiis Saladini terrarum poſſeſſoribus, cap. 55 f. 1304
De filiis eiuſdem reddituum perceptoribus, & eius vxoribus, cap. 56 ibid.
De ſitu ciuitatum Aegypti Regalium, & primo Damiate, cap. 57 ibid.
De ſitu Babylonis, & Alexandriæ, cap. 58 f. 1305
De ſitu Ebron principalis vrbis Palaſtinæ, cap. 59 ibid.
De locis Arabiæ, ac Phœniceæ, cap. 60 ibid.
De Damaſco, & Libano, ac Iordane, cap. 61 ibid.
De ciuitatibus, ac locis Galileæ, cap. 62 1306
De Iezabel, ac ciuitatibus Samariæ, cap. 63 ibid.
De locis Hieruſalem Ciuitatis ſanctæ, cap. 64 ibid.
De cæteris vrbibus, ac locis Iudææ, cap. 65 1307
De Patriarchatu Hieruſalem, & Iconia mirabili Beatæ Mariæ Virginis, & Harſaſſinis, cap. 66 ibid.
De origine, ac pueritia ſancti Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi, cap. 67 ibid.
Qualiter eidem puero Pariſius miſſo Chriſtus in forma pueri ſe ei oſtendit, cap. 68 1308
Qualiter à matre benedictionem accepit, & animam defuncti portari à damonibus vidit, cap. 69 ibid.
Qualiter in adoleſcentia caſtitati ſtuduit, & imaginem Beatæ Virginis anulo deſponſauit, cap. 70 1309
Qualiter eum diabolus de carnis concupiſcentia tentauit, cap. 71 ibid.
Qualiter in ætate virili carnem ſuam artius caſtigauit, cap. 72 ibid.
Qualiter in regimine artium ſe habuit, cap. 73 f. 1310
Qualiter ad Theologiæ ſtudium ſe transtulit, cap. 74 ibid.
Qualiter in Theologia regens auditores adificauit, cap. 75 ibid.
De affectu quem erga Crucem Dominicam habuit, cap. 76 ibid.
De abſtinentia eius, & oratione, cap. 77 1311
De cætera eiuſdem conuerſatione, cap. 78 ibid.
De prædicatione Crucis, et miraculis per eum ibidem exhibitis, ca. 79 1312
Item de quibuſdam eiuſdem miraculis illius temporis, cap. 80 ibid.
Qualiter in Archiepiſcopum Cantuarienſem aſſumptus eſt, cap. 81 ibid.
Qualiter in ſtatu illo conuerſatus eſt, cap. 82 ibid.
De perſecutionibus, quas ibidem paſſus eſt, cap. 83 fol. 1313
De miraculis per eum oſtenſis illo tempore, cap. 84 ibid.
De tranſitu eius in Gallia, & ipſius morte, cap. 85. 1314
De ſepultura eius præparatione, cap. 86 ibid.
De anuli eius virtute, & miraculorum intermiſſione, cap. 87 ibid.
De corporis eius eleuatione, & miraculorum multitudine, cap. 88 1315
De tranſitu Ludouici Regis Francorum in Cyprum, cap. 89 ibid.
De legatione Tartarorum ad ipſum, cap. 90 fol. 1316
Exemplar epiſtolæ Tartarorum ad eundem Ludouicum, cap. 91 ibid.
Exemplar epiſtolæ Coneſtabularii Armeniæ ad regem Cypri de Tartaris, cap. 92 ibid.
De quibuſdam relationibus Nunciorum Erchelthay Principis, cap. 93 1317
De legatione Regis Francorum ad Principes Tartarorum, cap. 94 ibid.
De diſcordia inter Soldanos Babyloniorum, & Alapiorum, cap. 95 1318
De quibuſdam euentibus Cypri, dum ibi moram faceret Rex Francorum, cap. 96 ibid.
Qualiter idem rex Damiate portum capit, cap. 97. f. 1319
Qualiter intrauit vrbem, et occupauit hoſtibus fugatis, & expulſis, cap. 98 ibid.
Qualiter apud Maſſoram, aduerſus Saraceños proceſſit, cap. 99 1320
Qualiter in regreſſu cum exercitu ſuo captus fuit, cap. 100. ib.
Qualiter ſub certo pacto à Saracenis dimiſſus fuit, c. 101. 1321
De infractione treugarum à Saracenis, cap. 102 ibid.
De vita, & martyrio ſancti Petri Mediolan. cap, 103. 1322
De ipſius miraculis, cap. 104 ibid.
De temporibus præſentibus Vincentii Beluacenſis, cap. 105 1323

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX MATERIARVM
ET HISTORIARVM,

QVÆ IN SINGVLIS LIBRORVM CAPITVLIS,
In quarto Tomo Speculi Maioris, Historialis nuncupati, continentur.

ALPHABETICO ORDINE DIGESTVS.

In quo primus numerus Librum, ſecundus Capitulum indicat.

PRÆFATIO.

SEcũdum Auguſtinum lib. 19. de ciuitate Dei ad Marcellinum ca. 13. *Ordo eſt parium, diſpariumque, ſua cuique loca tribuẽs, diſpoſitio.* Ex quibus verbis colligitur, quod illa quæ bene ordinata ſunt, & diſpoſita; facilius in locis ſuis inueniuntur. Et propter hoc, vt quęrenti, facilius occurrat, quæ in SPECVLO HISTORIALI continentur; ſic ordinamus, vt per literas alphabeti, ſecundum numerum Librorum, & Capitulorum, diligens Lector requirat. Et ſi quid in toto libro fuerit, quod ad literam, A, ſiue *de Adam*, ſiue *de alio*, pertineat, ſecundũ ordinem iſtius Tabulæ, ad literam incipientem per A, recurrat; Et ita de aliis literis, quę in alphabeto per ordinem continentur. Et ſi quando non ſtatim occurrat in Capitulorum initiis quod quęritur, non ob hoc deſiſtat Lector à quærendo, quia plerunque ſub vnico Capituli titulo, diuerſæ materiæ, & hiſtorię inuicem non connexę perſtringuntur. Cæterum materiæ huius Speculi magis particularizantur in ſingulorum librorum tabulis propriis. Vnde non credas Lector deeſſe HVIC SPECVLO, quod tabulæ ipſe non præmonſtrant, preſertim cum hac vltima editione, indicem quaſi nouum vtpote copioſiſſimum & decuplo ferme adauctum oculis tuis ſubiicimus; tu amice lector, excipe, vtere, fruere & ora pro me Deum vt mihi, tibique reddar in hoc labore gratus, vale.

De litera A.

ADam primi hominis creatio lib. primo cap. 30
Adam dignitas, & Euæ creatio, lib. V cap. 41
Adam panituit, lib. I cap. 48
Abel occiditur, lib. primo cap. 56
Abidos inſula deſcribitur, lib. primo cap. 80
Abraham naſcitur, lib. primo cap. 101
Abdon, & ſemine martyres, lib. 11. cap. 49
Abſimarus imperat, lib. 23 cap. 136
Achaia regio deſcribitur, lib. primo cap. 73
Actius poeta claret, lib. 6 cap. 80
Adriani Imperium lib. decimo cap. 79
Adriani mors, lib vndecimo cap. 90
Adrianus, & Natalia mart. lib. 13 cap. 81
Adoly Tharſenſia geſta, lib. 7 cap. 87
Aphrica regio deſcribitur, lib. primo cap. 69
Affra, & Narſia martyres, lib. 12 cap. 151
Affrates monachus, lib 13 cap. 99
Agatho martyr, lib. 11 cap. 52
Agappa, & eius ſorores, lib. 12 cap. 59
Agappius, & Secundius martyres, lib. 11 cap. 84
Agapitus martyr, lib. 11 cap. 118
Agapiti Papæ geſta, lib. 21 cap. 61
Agili abbatis geſti, lib. 23 cap. 101
Agnetis vita, lib. 17 cap. 29
Aygolandus impugnat Chriſtianos, lib. 23 cap. 9
Albania regio deſcribitur, lib. I cap. 69
Alexander Macedo concipitur, lib. 4. cap. 4
Alexandri induſtria, lib. 4 cap. 12
Alexander regnat, lib. 4 cap. 22
Alexander venenatur, lib. 4 cap. 64
Alcibiades Socraticus claret, lib. 3 cap. 41
Albanus martyr, lib. 12 cap. 108
Alexander Euentius, & Theodolus, libro decimo capitulo 74
Alexandri Hieroſolymitani doctrina, libro decimoſeptimo cap. 30
Alexandri Mannææ filij Imperium, lib. 11 cap. 21

Alexan-

Et Capitulorum.

Alexandriæ persecutio, libro vndecimo, capitulo trigesimo octauo
Albini Andegauensis gesta, lib. 23 cap. 41
Alchorani Saracenorum conscriptio, libro vegesimotertio cap. 51
Alchuinus Doctor claret, lib. 23 cap. 173
Alexis peregrinatio, lib. 18 cap. 44
Aldeburgensis Ecclesiæ miraculum, lib. 25 cap. 66
Almarici hæretici Politani gesta, lib. 29 cap. 7
Alexij Constantinopolitani gesta, lib. 29 cap. 23
Alpaydis virginis gesta, lib. 29 cap. 23
Ambrosius Mediolanensis, lib. 14 cap. 96
Amomius presbyter, lib. 13 cap. 62
Amos Aegyptus monachus, lib. 14 cap. 16
Ambrosij commendatio, lib. 16 cap. 97
Ambrosii flores, lib. 17 cap. 33
Ambrosij quædam miracula, lib. 18 cap. 40
Ambrosii transitus, lib. 18 cap. 36
Amici, & amelij gesta, lib. 23 cap. 162
Amomis exemplum contra dignitates libro decimoseptimo cap. 69
Amphilochii persuasio contra Arrianos, lib. 16 cap. 94
Anaxagoras philosophus claret, lib. 3 cap. 33
Anaxamander philosophus claret, lib. 2 cap. 119
Anaximenes Orator claret, lib. 4 cap. 39
Angelorum proprietates, lib. 2 cap. 9
Animæ rationalis proprietates lib. 1 cap. 33
Antiochus epiphanes prophanat templum lib. 5 cap. 62
Antigonus Macedo regnat, lib. 5 cap. 39
Antisthenes Socraticus claret, lib. 3 cap. 69
Anuli vsus inuenitur, li. 1 cap. 16
Annunciatio Dominica, lib. 6 cap. 76
Anastasia, & Crisogonus, lib. 12 cap. 7
Anastasiæ agones, lib. 12 cap. 66
Anatholia & Andacamartyres lib. 11 cap. 52
Anadochius martyr, li. 11 cap. 94
Andreas Apostolus, lib. 9 cap. 67
Antonia martyr, lib. 13 cap. 41
Antonij pii Imperium, lib. 10 cap. 91
Eiusdem mors, lib. 10 cap. 94
Antonius martyr, lib. 13 cap. 35
Antonii Veri, & Aurelii Imperium, lib. 10 cap. 45
Eorundem mors, lib. 10 cap. 13
Antonius monachus, lib. 13 cap. 91
Eiusdem mors, & dicta, lib. 14 cap. 14
Anastasius primus imperat, lib. 20 cap. 1
Anastasius secundus imperat, lib. 23 cap. 139
Andoenus cum fratribus suis claret, lib. 23 cap. 19
Andoeni gesta, lib. 23 cap. 91
Angadrisinæ virginis gesta, lib. 23 cap. 99
Anglicorum conuersio, lib. 22 cap. 40
Amani Aurelian. gesta, li. 19 cap. 12
Antiphonæ primo transferuntur ad latinos, lib. 17 cap. 3
Anthidii martyris gesta, lib. 19 cap. 3
Anglia soluit denarium beati Petri, lib. 24 cap. 36
Anglici subiiciunt danos, lib. 24 cap. 40
Anglorum quorundam virtutes, lib. 25 cap. 31
Anselmi Cantuarienſis gesta, li. 25 cap. 67
Anselmus Laudun. claret, lib. 26 cap. 27
Antiochia capitur à Christianis, lib. 25 cap. 99
Antonij fratris minoris gesta, lib. 30 cap. 31
Apis colitur, lib. 1 cap. 131
Apollinityri gesta in fine quarti libri.
Apuleius Platonicus claret, lib. 4 cap. 6
Apulia regio describitur, lib. 1 cap. 74
Apostolorum diuisio, lib. 9 cap. 61
Apollinaris martyr, lib. 10 cap. 7
Appollinaris hæreticus, lib. 14 cap. 48
Apollonius presbyter, lib. 14 cap. 67
Aquila interpres, lib. 10 cap. 90
Aquitaniæ scisura, lib. 37 cap. 14
Arabia regio describitur, lib. 1 cap. 63
Arborum diuersitates, lib. 2 cap. 22
Archaia regio describitur, lib. 1 cap. 73
Archilogus poeta claret, lib. 2 cap. 105
Archimedes philosophus claret, lib. 5 cap. 43
Architas Tarentius, lib. 3 cap. 80
Argiuorum regnum oritur, lib. 2 cap. 109
Ariocinicus super dorsum piscis transfretat, lib. 1 cap. 109
Aristobolus regnat in Iudæa, lib. 5 cap. 91
Aristoteles claret, lib. 3 cap. 82
Armenia regio describitur, lib. 1 cap. 169
Aristarchus Macedo, lib. 9 cap. 91
Arsamius filius Ochi regnat, lib. 4 cap. 17
Argeus martyr, & fratres eius, lib. 13 cap. 61
Ariana hæresis, & Arrij condemnatio, lib. 13 cap. 62
Arrianus martyr, lib. 12 cap. 51
Artaxerses Memion regnat, lib. 3 cap. 64
Archesedes philosophus claret, lib. 5 cap. 24
Articuli fidei distinguuntur, lib. 1 cap. 49
Ardentis hominis curatio, lib. 27 cap. 9
Armenorum destructio, lib. 30 cap 97
Arnulphus imperat, lib. 24 cap. 51
Arator poeta claret, lib. 21 cap. 51
Archadius imperat, lib. 18 cap. 1
Arnulphi martyris gesta, lib. 21 cap. 25
Arnulphi Metensis gesta, lib. 23 cap. 75
Arsenij abbatis gesta, lib. 17 cap. 64
Arthurus regnat in Britannia, lib. 20 cap. 56
Ascensio Domini, lib. 8 cap. 63
Asya maior describitur, lib. 1 cap. 63
Asya minor describitur, lib. 1 cap. 69
Asseuech ab idolis conuertitur, lib. 1 cap. 118
Assyria regio describitur, lib. 2 cap. 65
Assyriorum regnum oritur, lib. 1 cap. 98
Ascla, & socii eius, lib. 12 cap. 50
Asclepiades Antiochenus, lib. 11 cap. 58
Astirius senator, & martyr, lib. 11 cap. 50
Asellæ matronæ commenda, lib. 16 cap. 86
Attributa diuina distinguuntur, lib. 1 cap. 4
Athenienſium regnum oritur, lib. 2 cap. 63
Attali abbatis gesta, lib. 23 cap. 10
Attila rex Hunnorum incipit tyrannidem, lib. 19 cap. 13
Attila Gallias deuastat, lib. 20 cap. 39
Attila moritur turpiter, lib. 21 cap. 41
Augustus Cæsar imperat, lib. 6 cap. 43
Auium diuersitates distinguuntur, lib. 1 cap. 26
Aureliani Imperium, lib. 11 cap. 103
Eiusdem mors, lib. 11 cap. 20
Aurelii Commodi Imperium, lib. 10 cap. 14
Eiusdem mors, lib. 10 cap. 125
Audomari episcopi gesta, lib. 23 cap. 108
Augustinus baptizatur, lib. 17 cap. 46
Augustini transitus, lib. 20 cap. 28
Augustini ossa transferuntur, lib. 23 cap. 148
Auiti abbatis gesta, lib. 21 cap. 41
Aurea virginis gesta, lib. 23 c. 69
Aurelianensis consilium primum in Francia celebratur, lib. 21 c. 23
Austregesili Bituricensis gesta, lib. 23 cap. 23

De litera B.

Babilonia regio describitur, lib. 2 c. 65
Babyllus, & pueri sui, lib. 12 c. 22
Bactrina regio describitur, lib. 2 c. 68
Balthasar Rex occiditur, lib. 4 c. 12
Balduinus vsurpat Flandriam, lib. 21 cap. 27
Batildis regina gesta, lib. 24 c. 6
Bartholomæus Apostolus, lib. 10 c. 83
Bartholomæi corpus transfertur, lib. 25 cap. 9
Barnabę Apostoli inuentio, lib. 21 c. 103
Basilius Doctor, lib. 15 c. 78
Basilla conuersio, lib. 12 c. 4
Eiusdem passio, lib. 12 c. 76
Bauoris recluſi gesta, lib. 24 c. 6
Bragmannorum mores, lib. 6 cap. 65
Beda venerabilis presbyter claret, libro vicesimoseptimo c. 133
Beda moritur, lib. 24 c. 150

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index Librorum

Benedicta martyr, lib. 13 cap. 156
Beniamin ſenex, lib. 15 cap. 65
Benignus martyr, lib. 12 cap. 111
Benedicti Papæ defuncti pœna, lib. 26 cap. 21
Benedicti Abbatis geſta, lib. 24 cap. 54
Benedicti Abbatis quædam virtutes, lib. 23 c. 68
Benedicti, & ſcolaſticæ tranſlatio, li. 24 cap. 22
*Benedicti corpus reportare volentium punitio, li.*24 c. 155
Benedicti iunioris geſta, lib. 22 c. 73
Beniamin Abbatis virtutes, li. 18 c. 56
Berengarij pœnitentia, li. 26 c. 30
Bernardus monachatur, li. 27 c. 23
Bernardi flores, li. 29. *per totum*
*Bercharij Remenſis geſta, lib.*24 c. 115
Bertini Abbatis geſta, li. 24 c. 110
Beſtiarum diuerſitas exprimitur, li. 2 c. 28
Bleſilla commendatio, lib. 17 c. 86
Brendanus in Scotia claret, lib. 22 c. 81
Byas Priencus claret, li. 3 c. 120
*Bizazena regio deſcribitur, li.*2 c. 76
Britannia inſula deſcribitur, li. 2 c. 84
Brigidę virginis geſta, li. 12 29
Braccii epiſcopi geſta, li. 19 c. 41
Britonum regnum, & origo, lib. 17 c. 5
Boetia regio deſcribitur, li. 2 c. 72
Boetius Philoſophus claret, li. 22 c. 15
Bonefacius, & Aglaes martyres, li. 13 c. 31
Bonefacij epiſcopi virtutes, lib. 23 c. 63
Bonefacij Maguntini paſſio, lib. 24 c. 157
Bonæuallis cenobium fundatur, li. 27 c. 43
Bononienſis comitis ſeditio, lib. 31 cap. 3
Boues in aratro primum domantur, li. 3 c. 53
*Bulgarorum origo, li.*24 cap. 123
Burgundionum origo, lib. 20 cap. 11

De litera C.

Canis nutrit puerum, lib. 4 cap. 1
Calixtus Papa, lib. 12 cap. 24
Calixti Papæ corpus tranſfertur, li. 25 c. 47
Calcedonenſis ſynodus celebratur, li. 21 cap. 35
*Claudia mater Eugenia, li.*12 cap. 4
Claudii imperium, li. 9 cap. 1
Eius mors, lib. 9 c. 102
Claudy alterius imperium, lib. 12 c. 96
Claudiani poetæ flores, lib. 18 c. 101
Clarenallis fundatur, li. 27 c. 24
Claremonten. Concilium celebratur, lib. 26 c. 91
*Clauſtrum animæ deſcribitur, li.*28 cap. 18
Camiſiæ Beatæ Virginis miraculum, lib. 25 cap. 46
Canon, & fily ſui, lib. 12 c. 119
Cappadocia regio deſcribitur, li. 2 c. 69
Captiuitas Hieruſalem in Babylone, li. 3 cap. 116
*Captiuitas decem tribuum, li.*3 cap. 99
Captiuitas Hieruſalem in Babylone, li. 3 c. 116
Cappathas inſula deſcribitur, li, 2 cap. 81
*Caracallæ imperium, li.*12 c. 17
Eiuſdem mors, li. 12 cap. 20
Caranus Carnotenſis, lib. 11 cap. 24
Carpophorus, & ſocii ſui, li. 13 cap. 159
Carthuſien. ordo fundatur, li. 26 cap. 82
Etiam, libro 28 cap. 8
Curtes Philoſophus claret, li. 6 cap. 25
*Caſſianus martyr, li.*14 cap. 42
Caſsius, & ſocij ſui, li. 13 cap. 2
Caſsianus Doctor claret, lib. 20 ca. 14
Caſsii epiſcopi geſta, li. 22 cap. 66
Caſsiodorus Doctor claret, li. 22 cap. 49
Caſsinum monaſterium deſtruitur, li. 23 cap. 10
*Caſtri Rodulphi pulchrum miraculum, lib.*30 cap. 43
Cato Stoicus claret, lib. 6 cap. 107
Cathalogus Pontificum legalium, lib. 10 c. 3
Cathalogus Pontificum Romanorum, li. 9 cap. 93
*Cathena Petri Romam transferuntur, lib.*23 cap. 10
Ceos inſula deſcribitur, li. 2 cap. 80
*Cecilia Tiburtius, & Valerianus, lib.*12 cap. 22
Celſus puer, lib. 13 c. 91
Cerna nutrit puerum, lib. 3 cap. 53
*Cerbony epiſcopi geſta, li.*22 cap. 67
Cæſarienſe Concilium, li. cap. 124
Cæſarius, & Iulianus martyres, li. 12 c. 101
Clericorum inſtructio, li. 17 cap. 26
Clementis Papæ conuerſio, & eius itineratio, lib. 10 ca. 23
Eius paſsio, libro ... cap. 52
Clementis Metenſis, lib. 10 cap. 42
Creatio mundi exprimitur, li. 2 cap. 16
Creſcens Pauli diſcipulus, lib. 10 c. 49
Creta inſula deſcribitur, li. 2 c. 80
Cretenſium regnum oritur, li. 3 cap. 53
Cyclades inſulæ deſcribuntur, lib. 2 c. 81
Chilberti Cemonenſis flores, lib. 26 cap. 108
Cyprus inſula deſcribitur, li. 2 cap. 80
Cyprianus, & libri eius, lib. 12 cap. 62
Cyrus Perſes regnat, lib. 3 cap. 1
Cyriacus, & ſocii eius, lib. 12 cap. 99
Cyricus, & Iulita, li. 11 c. 26
Ciſtercium fundatur, lib. 25 c. 94
Ciſtercienſis ſtatus renelatur clerico, li. 25 c. 106
Ciſtercien. nouitij viſio, li. 29 cap. 6
Ciſtercienſes Abbates mittuntur contra Albigenſes, lib. 29 cap. 93
Cryſæ inſulæ deſcribuntur, li. 1 c. 79
Cryſippi populus Stoicus claret, li. 5 c. 26
Criſanta martyr, li. 11 cap. 124
Cryſpinus, & Criſpinianus, lib. 12 cap. 44
Cytherea inſula deſcribitur, li. 2 c. 181
*Codex legum compilatur, li.*20 cap. 33
Colocerus, & Partemius, li. 11 cap. 152
Columba martyr, li. 11 cap. 104
Collationes patrum, li. 19 cap. 41
Columbani Abbatis geſta, li. 21 cap. 102
Columbani eiuſdem perſecutio, li. 21 cap. 4
*Columbanus idem fundat Luxouium canobium, li.*22 c. 22
Commagena regio deſcribitur, li. 1 cap. 63
Compunctio cordis docetur, lib. 17 cap. 45
Concordius martyr, li. 10 cap. 8
Conſtantini Imperium, lib. 12 cap. 61
*Conſtantini victoria per ſignum Crucis, li.*12 cap. 43
Eiuſdem lepra, & baptiſmus, li, 12 c. 47
Honor quem exhibuit eccleſiæ, li. 13 cap. 54
Eiuſdem mors, li 12 c. 98
Conſtantii, & fratrum eius imperium, li. 13 cap. 1
Eiuſdem mors, li. 13 cap. 25
Conſolationes ſuper mortibus amicorum, li. 15 cap. 71
Conſtantinopolitana ſynodus celebratur, li. 15 c. 96
Conſtans qui, & Conſtantinus Secundus imperat, li. 22 cap. 79
Conſtantinus Tertius imperat, li. 22 cap. 118
*Conſtantinus Quartus imperat, li.*22 c. 151
Conſtantinus iſte perſequitur eccleſiam. li. 22 cap. 157
Conſtantinus Quintus imperat, li. 22 c. 75
Confeſsiones Auguſtini, li. 18 cap. 56
Conſolationes ſuper mortibus amicorum, li. 16 c. 71
Conſtantinopolitana ſynodus celebratur, li. 13 c. 96
*Conſtans qui, & Conſtantinus Secundus imperat, libro*23 cap. 79
*Conſtantinus Tertius imperat, li,*23 cap 118
Conſtantinus Quartus imperat. li. 23 cap. 151
*Conſtantinus iſte perſequitur eccleſiam, li.*23 cap. 157
Conſtantinus Quintus imperat, lib. 23 cap. 175
*Conſtauntinopolitani Imperatores numerantur, li.*24 c. 3
Conſtantinopolis capitur à Francis, li. 29 c. 65
Conradus primus imperat, li. 24 cap. 59
Conradus ſecundus imperat, li, 25 cap. 14
Conradus tertius imperat, li. 27 cap. 19
Copres presbyter, li. 14 c. 70
Cornelius Papa, li. 11 cap. 54
Coreizantes miraculosè puniuntur, li. 25 c. 10
*Cornelii Canobium Compendii fundatur, li.*24 cap. 93
Cronica annorum Petri, & Pauli, li. 9 cap. 90

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Crony exemplum de compassione, lib. 17 cap. 75
Cosma, & Damianus, lib. 12 cap. 43
Cucufatus martyr, lib. 12 cap. 90
Crucis inuentio, lib. 13 cap. 95
Crucis apparitio, lib. 13 cap. 44
Crucis exaltatio, li. 23 cap. 12
Cruce signatio occidentalium populorum, lib. 25 cap. 92
Cruce signatorum congressus, lib. 25 cap. 95
Crux sancta rapitur à Saracenis, lib. 29 cap. 43
Crucis blasphematores miraculosè puniuntur, lib. 31 c. 54

De litera D.

Dacij Mediolanensis virtutes, lib. 22 cap. 74
Dagobertur regnat in Francia, lib. 23 cap. 35
Dagobertus moritur, lib. 27 cap. 80
Dalmacia regio describitur, lib. 1 cap. 72
Damon, & Phicias Pythagorici clarent, lib. 3 cap. 26
Damasus Papa, lib. 14 cap. 49
Damiata capitur à Christianis. lib. 29 cap. 88
Damiata secundo rapitur à Francis, lib. 31 cap. 98
Daniel prophetat, lib. 2 cap. 121
Darius regnat, lib. 3 cap 12
Darius filius Hidaspis regnat, lib. 3 cap. 59
Darius filius Arsami regnat, lib. 5 cap. 2
Dauid regnat, lib. 2 cap. 71
Decii imperium, lib. 11 cap. 36
Eius crudelitas, li. 11 cap. 85
Eius mors, lib. vndecimo cap. 53
Delos insula describitur, lib. 1 cap. 81
Deicoli Abbatis gesta, lib. 23 cap. 2
Demades Philosophus claret, lib. 13 cap. 29
Demetrius regnat, lib. 5 cap. 79
Democritus Philosophus claret, lib. 4 cap. 32
Demetrius Thessalonicen. lib. 12 cap. 49
Desiderij martyris gesta, lib. 19 cap. 1
Desperatorum consolatio, lib. 17 cap. 7
Detractorum impugnatio, lib. 17 cap. 80
Diaconi primi eliguntur, lib. 7 cap. 70
Dialogus Gregorij, lib. 23 cap. 59
Dialogus Seueri Sulpicij lib. 18 cap. 8
Didimus Alexandrinus, lib. 14 cap. 55
Didimi Alexandrini virtutes, lib. 17 cap. 67
Diocletiani, & Maximiani Imperium, lib. 12 cap. 1
Dispositio Imperij ab vtroque, lib. 12 cap. 160
Mors vtriusque, lib. 14 cap. 1
Diluuium inundat, libro primo cap. 60
Dioclis Philosophi conuersio amonitio, lib. 17 cap. 91
Dionysius tyrannidem exercet, lib. 3 cap. 72
Dionysii Ariopagitę conuersio, lib. 8 cap. 99
Eiusdem passio, lib. 10 cap. 16
Dionysius Alexandrinus, libro vndecimo cap. 37
Eiusdem obitus, libro vndecimo cap. 83
Dionysia matrona passio lib. 20 cap. 88
Dionysij ecclesia dedicatur à Christo, lib. 23 cap. 36
Dionysij libri par. mittuntur, lib. 24 cap. 93
Diuitiarum vanitas ostenditur, lib. 17 cap. 43
Domitiani Imperium, lib. 10 cap. 10
Eiusdem mors, li. 10 cap. 37
Domicilla, & eius sorores, lib. 10 cap. 55
Dominici Confessoris pueritia, lib. 29 cap. 94
Dominici constantia contra hæreticos, lib. 29 cap. 104
Dominicus instituit ordinem Pradicatorum, lib. 30 cap. 65
Dominici transitus, & virtutes, lib. 30 cap. 110
Dona Spiritus sancti distinguuntur, lib. 1 cap. 52
Donatianus, & Rogarianus, lib. 12 cap. 73
Donatus grammaticus, lib. 14 cap. 92
Donatus episcopus, lib. 14 cap. 35
Donati episcopi gesta, lib. 18 cap. 5
Dorotheus Thebeus, lib. 14 cap. 64
Dorothea martyr, lib. 12 cap. 47
Dorothea alia martyr, lib. 13 cap. 10
Dorotheus Gorgonius, lib. 12 cap. 20
Dorothei Thebani virtutes, lib. 17 cap. 66
Dormientes septem, lib. 11 cap. 45

Duellus triumphat in nauali certamine, lib. 7 cap. 34
Duodecim persecutiones ecclesiæ, lib. 9 cap. 11
Dunstani confessoris gesta, lib. 24 cap. 72
Dunstani transitus, lib. 24 cap. 94
Dunstani quædam virtutes, lib. 25 cap. 44

De litera E.

Eboſus insula describitur, lib. 1 cap. 83
Ebio, & Echerintus hæretici, lib. 10 cap. 41
Edgari regis gesta, lib. 24 cap. 89
Edmundi regis gesta, lib. 24 cap. 89
Eduardi regis passio lib. 21 cap. 60
Eduuardi alterius confessoris gesta, lib. 25 cap. 20
Aegyptus regio describitur, libro primo cap. 68
Aegyptiorum regnum oritur, libro primo cap. 97
Aegypti 10. *plagæ libro secundo* cap. 5
Aegyptii in mare submerguntur, li. 2 cap. 7
Egippi persecutio, lib. 12 cap. 23
Egisippus, & quidam Doctores, lib. 10 cap. 112
Effrem Diaconi gesta, lib. 17 cap. 87
Effrem Syrus Abbas, lib. 14 cap. 86
Aegidij confessoris gesta, lib. 23 cap. 139
Elementorum proprietates, lib. 1 cap. 16
Elfredi regis gesta, li. 24 cap. 46
Elisabeth sanctimonialis claret, lib. 29 cap. 3
Elisabeth alterius gesta, lib. 30 cap. 136
Elutherus Monachus volat, lib. 25 cap. 35
Elphei Cantuarien. gesta, lib. 25 cap. 1
Elcolstani regis gesta, lib. 24 cap. 64
Eleutherius, & socij eius, lib. 22 cap. 159
Eleutherii virtutes, lib. 12 cap. 82
Aegidii Nemonienſis gesta, lib. 23 cap. 85
Elpidii, & discipulorum eius gesta lib. 17 cap. 90
Empedocles Philosophus claret, lib. 3 cap. 44
Eolia insulæ describuntur, lib. 1 cap. 82
Epirus regio describitur, li. 1 cap. 72
Epaphras Pauli discipulus, lib. 9 cap. 49
Ephigenia martyr, li. 9 cap. 77
Episcoporum ornatus describitur, lib. 16 cap. 37
Equicii Abbatis virtutes, li. 22 cap. 61
Eschinus Socraticus claret, lib. 3 cap. 92
Espiridum insula describuntur, lib. 1 cap. 61
Ethion insula describitur, lib. 1 cap. 61
Ethiopia regio describitur, lib. 1 cap. 77
Euangelica historia describitur, lib. 1 cap. 7. & 1.
Euripides poeta claret, lib. 3 cap. 140
Europa regio describitur, lib. 1 cap. 71
Euagrii Abbatis gesta, lib. 12 cap. 86
Eugenius tyrannus occiditur, lib. 17 cap. 106
Eugenii Carthaginenſis gesta, lib. 20 c. 74
Eustasius Abbas claret, lib. 23 cap. 20
Euthiciani hæretici pulchrè reflectuntur, lib. 21 cap. 3
Eutropius presbyter claret, lib. 20 cap. 26
Eunodius clarus habetur, lib. 21 cap. 27
Euagrius, & discipulisui, lib. 14 cap. 99
Eufemia martyr, lib. 12 c. 77
Eufrosina virgo, lib. 15 cap. 77
Eugenia conuersio, libro vndecimo cap. 115
Eiusdem passio, libro duodecimo cap. 77
Eudalia martyr, lib. 12 cap. 23
Eulogius presbyter, lib. 14 cap. 74
Eunomius hæreticus, lib. 14 cap. 10
Euodius martyr, lib. 9 cap. 91
Eusebius, Vincentius, & Peregrinus, lib. 10 cap. 19
Eusebius Papa, & quadam alia dubia, lib. 13 cap. 23
Eusebius Cæsarienſis, lib. 13 cap. 90
Eusebius Romanus martyr, lib. 14 cap. 12
Eusebius Emissenus, lib. 14 cap. 20
Eusebius Vercellenſis, lib. 14 cap. 52
Eustachii conuersio, lib. 10 cap. 58
Eius passio, lib. 10 cap. 82
Eutica Victorinus, & Maro, libro vndecimo capitulo 45
Enticianus Papa, lib. 11 cap. 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index Librorum

Eutropius martyr, li.11 cap.18
Euurtius Aurelianenſis, li.13 cap.83
Euſebii, & Pontiani corpora transferuntur, lib. 21. cap.28

De litera F.

Fabius gerit conſulatum Romanum, li.6. cap. 8
Fabrilis ars inuenitur, li.1 cap. 8
Fabianus Papa, libr. vndecimo. cap.35
Falaris exercet tyrannidem, li.2. cap.107
Fauſta martyr, lib.12 cap.155
Fauſtinus, & Iobita, li.10 cap.83
Flandrenſis comitatus incipit, libr.24 cap.90
Francorum gens oritur, li.2 cap.66
Francia datur Beato Dionyſio, lib.24 cap.22
Francia vaſtatur ab Imperatore. li.24 cap.90
Francorum regnum transfertur, lib.24 cap.93
Francorum regnum rediit ad ſtirpem Caroli, li.30. cap.126
Franciſci confeſſoris conuerſio, li.30 cap.97
Franciſci geſta, & prædicatio, lib.30 cap.99
Franciſci tranſitus, lib.30 cap.122
Felix, & Petrus Epiſcopi, libr.12 cap.37
Felix, & Adauctus, libr.12 cap.80
Felix, & Fortunatus, lib.11 cap.113
Felix martyr Gerundienſis, lib 12 cap.135
Felix Papa, li.14. cap.11
Felicitas Martyr, lib.10 cap.103
Felicis Confeſſoris geſta, li.18 cap.40
Felicis martyris geſta, li.18 cap.39
Feliciana hæreſis condemnatur, li.23 cap.175
Feracuti gigantis geſta, li.24 cap.14
Ferrandus repugnat regi Francia, lib.30 cap.5
Ferrandi captiuatio libr.30 cap.62
Fredegundis reginæ Francorum malitia, libro vigeſimoprimo cap.29
Fida virgo, & Capraſius, libro duodecimo, cap.133
Fidelitatu amicitia commendatur, lib.18 cap.39
Firmius Ambianenſis, li. duodecimo. cap.79
Firmini Confeſſoris geſta, li.16 cap.89
Firmini martyris inuentio, li.26 cap.91
Frigia regio deſcribitur, libro primo. cap.70
Fridericus primus imperat, li.29 cap.1
Fridericus ſecundus imperat, li.30 cap.1
Fridericus idem condemnatur, li.21 cap.1
Foca martyr, libro decimo. c.72
Focas imperat, li.23 c.4
Foroneus pro cauſis inſtituitur, li.2 cap.110
Fortunatæ inſulæ deſcribuntur, li.1 c.79
Fortunatus martyr, libro decimo. cap.99
Fortitudo docetur, li.18 cap.36
Fortunati Epiſcopi virtutes, li.22 cap.65
Fortunatus poeta claret, li.21 ca.126
Fotinus martyr, li. decimo, cap.99
Fotini hæretici condemnatio, lib.13 c.62
Flocellus puer, li. decimo. cap.105
Florianus martyr, l.12 ca.68
Florentii virtutes, li.22 cap.77
Floriacenſe cœnobium fundatur, li.23 cap.104
Fronto Petragorienſis, li.9 c.43
Fulgentii Epiſcopi geſta, li.20 cap.104
Fulbertus Carnotenſis claret, li.25 cap.15
Fuſcianus, & Victoricus, li.12 cap.41
Furſei Hiberni geſta. li.24 cap.81
Frumentius, & Ediſſus, lib.13 cap.96
Fructuoſus, & ſocii ſui, li. vndecimo. cap.61

De litera G.

Gaddis inſula deſcribitur, libro primo, capitulo 78
Galaria regio deſcribitur, li.1 cap.70
Galilea regio deſcribitur, li.1 cap.66
Gallia regio deſcribitur, li. primo. cap.75
Gaili vaſtant Romam, li. tertio. cap.81
Gaibæ imperium, li.9 cap.120
Galerii imperium. li.12 cap.161
Galerii mors, li.13 cap.9
Galerii plaga, & Chriſtianorum pietas, li.13 cap.21
Galerii mors, li. 13 cap.45
Galienus Medicus, li.10 cap.92
Galieni imperium, li. 11 c.80
Eiuſdem mors, li.11 c.83
Galli, & Voluſiani imperium, li.11 c.53
Gallicanus martyr, li.14 c.33
Gradalis hiſtoria deſcribitur, li.23 c.147
Gaius imperat, li.7 c.129
Gratianus imperat, li.16 c.11
Gelaſius Papa claret, li.20 c.101
Gemmarum diuerſitas, li.11 c. 20
Gemellus puer naſcitur, li.17 c.64
Geneſii confeſſor, lib.12. c.104
Geneſius quidam alius, lib.13. c.33
Gentianus martyr, li.12 cap.146
Genebaudi Laudunenſis geſta, lib.21 cap.6
Gengulphi martyris geſta, li.23 c.159
Genouefæ virginis geſta, li.20 c.46
Georgius martyr, li.12 c.131
Georgianarum deſtructio, li.30. c.95
Germania regio deſcribitur, li 1 c.71
Geremari Abbatis geſta, li.23 cap.98
Germani Anthiſiodoren. geſta, li.20 cap.4
Germani Pariſienſis geſta, lib. 21. cap. 63
Gertrudis virginis geſta, li.23 cap.117
Geruaſius, & Prothaſius, li.9 cap 51
Gerberti Papa geſta, lib.24 8
Gregorius Ponticus, lib.11 8
Gregorius Spoletanus, lib.12 c.5
Gregorius Miſenus, li.14 cap.85
Gregorius Nazianzenus, li.14 cap.88
Gregory Lingonenſis geſta, lib.21 cap.53
Gregorii Turonenſis geſta, li.21 cap.124
Gregorius Magnus ſit Cardinalis, lib.21. c.132
Gregorii eiuſdem legatio, lib.21 c.132
Gregorii eiuſdem promotio in Papam, lib.22 c.9
Gregorii eiuſdem geſta, lib.12 c.19
Gregorii libri à combuſtione ſeruantur. lib.22 c.7
Gregorii Papæ Sexti geſta, l.25 c.22
Giges Regnum Litorum adipiſcitur, l.2. c.105
Griſogonus martyr, li.12 cap.57
Gibertus Poretanus claret, li.27 cap.86
Gorgias magiſter Socratis claret, li.4 cap.54
Gorgones Inſulæ deſcribuntur, li.1 cap.79
Goerici Metenſis geſta, li.23 cap.74
Gordiani Imperium, li.11 cap.32
Gordianus, & Epimachus, li.14 cap.37
Gorziæ Cœnobium fundatur, li.23 cap.158
Gothorum regnum deſcribitur, li.16 cap.11
Gloria laus componitur, li.24 cap.35
Guddene martyr, li.13 cap.42
Guilleri Comitis Normanniæ geſta, li.25 cap.85
Guilleri eiuſdem miſerabilis interitus, li.26 cap.104
Guilleri pueri viſio, li.27 cap.84
Guilleri Bituricenſis geſta, li.29 cap.62
Guntranni regis Somnium, li.22 cap.2

De litera H.

Hanibalis bella oriuntur, li.5 cap.11
Hanibal moritur, li.5. cap.59
Hebræi ab Aegyptiis affliguntur, li.1 cap.30
Hebræi ab Aegyptiis liberantur, li.3. cap.6
Henricus Primus imperat, li.24 cap.63
Henricus Secundus imperat, li.25 cap.1
Henricus Tertius imperat, li.25 cap.18
Henricus Quartus imperat, li.25 cap.35
Henricus Quintus imperat, li.26 cap.1
Heli iudicat Iſrael, li.2 cap.68
Heliæ Abbatis virtutes, li.17 cap.81
Heluidii error impugnatur, li.16 cap.97
Helenæ matris Conſtantini conuerſio, libro decimotertio, capit.50

Ipſius

Ipſius peregrinatio pro Cruce,li.13 cap.94
Helenus presbyter,li.14 cap.75
Helii Pertinacis,& Iuliani Imperium,li,10 cap.125
Helias Abbas,li.14 cap.73
Helenę Imperatricis corpus transfertur, li.24 c.36
Helinandus claret,li.30 cap.108
Heraclitus Philoſophus claret,li.3 cap.31
Heraſiſtratus Medicus claret,li.5 cap.34
Herbarum diuerſitas, li.1 cap.22
Herodes Aſcalonita regnat in Iudæa,li.6 cap.49
Herodes Agrippa regnat,li.7 cap.128
Herodes Antipas exilio damnatur,li.7 cap.130
Heraclites ſcribit Paradiſum,li.17 cap.64
Heraclius imperat,li.23 cap.1
Heraclius debellans Coſdroe,li.23 cap.11
Heraclius labitur inhæreſim,li.23 cap.39
Herculani martyris paſſio, li.21 cap.77
Heremitarum quorundam geſta,li.19 cap.14
Herminigildi regis paſſio,li.21 cap.135
Heraſmo Antiocheno,li.12 cap.27
Hæretici non rebaptizandi,li.11 cap.52
Hermagora martyr, li.10 cap.116
Hermes,& liber ſuus,qui dicitur Paſtor,li.10 c.91
Herodis Agrippæ mors, li.8 cap.8
Hero, & ſocii eius, lib.11. cap.52
Heſchilus Tragedus claret, lib.3 cap.33
Heſopi fabulæ recitantur, li.3 cap.2
Hecătaon Stoicus claret,lib.5 cap.106
Hiberia regio deſcribitur,lib.1 ca.69
Hilaria martyr,lib.12 cap.154
Hilarii Pictauen. exilium, li.14 cap.23
Eius tranſitus, lib.14 cap.51
Hilarion Abbas, li.14 cap.19
Hildebranni Papæ geſta,li.25 cap.44
Hildegardis Virginis geſta,li.27 cap.83
Hilarii Arelatenſis geſta,li.20 cap.20
Hildeunti Melden. geſta, lib.23 cap.25
Hyppolitus, & ſocii eius, li.10 cap.95
Hyppolitus, & Berillus Doctores, li.11 ca.29
Hipocras Medicus claret, li.3 ca.62
Hircania regio deſcribitur,li.1 cap.68
Hirenæ imperat, lib.23 cap.172
Hireneus Syrenenſis, li.12 cap.52
Hiſpania regio deſcribitur, li.1 cap.75
Hiſtria regio deſcribitur,li.1 cap.74
Hiſtrionum reprobatio,li.29 cap.41
Homerus poeta claret, lib.2 cap.87
Homo diſtinguitur à cæteris animalibus,li.1. c.30
Honorati Confeſſoris commendatio,li.16 c.90
Honorati Arelatenſis geſta,lib.20 cap.21
Honoricus Rex Chriſtianos perſequitur,li.20 cap.98
Honorius imperat, lib.19 cap.1
Horologium notabile,lib.24 cap.10
Hoſtia videtur ſub ſpecie carnis,lib.29 cap.24
Humani corporis membra diſtinguuntur,li.1. cap.32
Hunnorum origo deſcribitur,lib.16 cap.15
Hugo Scuphat regnat in Francia,libr.24 cap.94
Hugonis Cluniacen.geſta,libr.26 cap.3
Hugonis de ſancto Victore flores,lib.26 cap.43
Hugonis Gratiopolitani geſta.libr.27 cap.8
Hugonis de folieto flores,lib.27 cap.18
Hugonis Boneuallis geſta,lib.29 cap.33
Hungarorum conuerſio,libr.25 ca. 9

De litera I.

Iacob naſcitur, libro primo. cap.108
Iacob peregrinatur,lib.1 cap. 90
Iacob reuertitur in terram ſuam,lib.1 cap.116
Iacob primogenitura,libro primo. cap.109
Iacob deſcendit in Aegyptum,lib.primo. cap.122
Iacobus Zebedęus,lib.8 cap.4
Iacobus frater Domini,li.9 cap.4
Iacobus Niſibenus,li.13 cap.82
Iacobi Apoſtoli miracula,lib.26 cap.31
Iacobus de Vitriaco claret,lib.30 cap.59
Ianuarius Epiſcopus,lib.13 cap.53
Ieroboam peccare fecit Iſrael.lib.2 cap.85
Ieroſolymitanum Concilium,lib.8 cap.11
Ieruſalem obſidio,& euerſio,lib.10 cap.3
Euerſionis eiuſdem ſigna,lib.9 cap.59
Ieruſalem readificatio,lib.10 cap.90
Ieronymus presbyter,lib.16 cap.18
Ieronymi inuectio contra Ruffinum,lib.18 cap.35
Ieruſalem capitur à Chriſtianis,lib.25 cap.102
Ieruſalem capitur à Saracenis,lib.29 cap.44
Ieſus concipitur,lib.6 cap.85
Ieſus filius Anani,lib.9 cap.60
Ignatius Antiochenus,lib.10 cap.56
Innocenty presbyteri ſimplicitas,lib.17 cap.86
Ioannes naſcitur, lib.6 cap.86
Ioannes prædicat, & baptizat,lib.7 cap.7
Ioannes decollatur,lib.7 cap.23
Ioannis Euangeliſtæ exilium,lib.10 cap.14
Ipſius renocatio,lib.10 cap.39
Ipſius Euangelium,lib. 10 cap.41
Ipſius tranſitus, lib.10 cap.49
Ioannes martyr,lib.12 cap.59
Ioannes, & Paulus, lib,14 cap.34
Ioannis Anacoritæ geſta,lib.17 cap.4
Ioannes Caſſianus claret, li.19 cap.14
Ioannis Baptiſtæ caput transfertur,li.17 cap.60
Ioannes Chryſoſtomus claret,li.17 cap.42
Ioannes Chryſoſtomus fit epiſcopus,li.18 cap.3
Ioannes Chryſoſtomus moritur in exilio,li.18 cap.51
Ioannis Damaſceni geſta,li.17 c.103
Ioannis eleemoſynarij geſta,li.22 ca.108
Ioannis incluſi geſta,li.17 ca.84
Ioannes Scotus claret, li.24 cap.42
Iordanus magiſter prædicatorum ſubmergitur, libro trigeſimo. cap.137
Ionius martyr,lib.10 cap.23
Ioſeph venditur, lib.1 cap.117
Ioſeph præficitur Aegypto,lib.1 cap.118
Ioſue regis Iſrael, lib.2 cap.55
Ipocras medicus,lib.3 ca.54
Iouiniani error impugnatur,lib.16 ca.75
Iouiniani Imperium,lib.14 ca.47
Ioſaphat, & Barlaam,lib.15 cap.3.& deinceps.
Ioſephus,& ſcripta eius,lib.10 cap.2
Italica perſecutio,lib.12 cap.26
Italia regio deſcribitur,lib.1 cap.74
Iudæa regio deſcribitur,lib.1 cap.67
Iudæorum regnum oritur,lib.2 cap.69
Iudith hiſtoria exprimitur,lib.3 cap.20
Iudæorum calamitas,lib.7 cap.101
Iudæum fictum aqua baptiſmi refugit,lib.19 cap.6
Iudæus puer in clibanum proijcitur,lib.21 cap.78
Iudæi cruce ſignati viſio,lib.22 cap.72
Iulius Celſus claret,lib.6 cap.5
Iulius Cæſar fugat Pompeium,lib.6 cap.25
Iulij Cæſaris bella,lib.6 cap.2
Iulij Cæſaris ſingulare Imperium,lib.6 cap.37
Julius Cæſar moritur,lib.6 cap.42
Iuliana martyr,lib.12 cap.34
Iulianus Cenomanenſis,lib.9 cap.113
Iulianus pro quo dicitur oratio Dominica,li.9 cap.115
Iulianus Aphricanus,& quidam Philoſophi,li.11 cap.32
Iulianus,& Baſiliſſa,lib.12 cap.106
Iulianus,& Ferreolus,lib.13 cap.31
Iuliani Apoſtatæ Imperium,lib.14 cap.25
Eius impiæ leges, lib.24 cap.30
Eius licentia, quam dedit Judæis, lib.14 cap.42
Ipſius mors, lib.14 cap.43
Iulius Senator, lib.10 cap.120
Iuſta, & Ruffina, lib. 13 cap. 34
Iuſtina, & Cyprianus,li.12 cap.119
Iuſtinus Philoſophus, & ſcripta eius,lib.10 ca.94
De iuſto puero Antiſiodorenſi, li. 12 cap.143
Iuſtus, & Paſtor martyres, lib.12 cap.129

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index Librorum

Iuuenalis poeta, lib. 10 cap. 137
Iuſtitia vera deſcribitur, lib. 17 cap. 95
Iuſtina Arriana perſequitur eccleſiam, lib 16 c. 95
Iuſtina eadem fugatur in exilium, lib. 17 cap. 2
Iuſtinianus primus imperat, lib. 23 cap. 127
Iuſtinus Senior imperat, lib. 21 cap. 29
Iuſtinus Iunior imperat, lib. 21 cap. 101

De litera K.

Kartaginenſium bella oriuntur, lib. 3 cap. 59
Kartaginenſes triumphant de Regulo, lib. 5 cap. 77
Kartago ſubuertitur. lib. 5 cap. 78
Katherina, lib. 13 cap. 5
Karolephi abbatis geſta, lib. 21 cap. 41
Karlomannus ſit monachus, lib. 23 cap. 154
Karolus Marcellus expugnat Saracenos, lib. 23 cap. 149
Karolus Magnus regnat in Francia, lib. 23 c. 161
Karolus idem vocatus à Papa ſubiecit Lombardos, lib. 23 cap. 69
Karolus idem ad Imperium ſublimatur, libro viceſimotertio cap. 173
Karolus Magnus imperat, li. 1 cap. 124
Karolus idem moritur, li. 24 cap. 25
Karolus Caluus imperat, lib. 26 cap. 42
Karolus iunior, lib. 24 cap. 44
Karoli eiuſdem viſio, lib. 24 cap. 49

De litera L.

Lacedæmoniorum regnum oritur, lib. 2 cap. 70
Lactantius, & ſcripta eius, li. 13 cap. 89
Laici excluduntur à loco presbyterij, li. 24 c. 36
Lamperti martyris geſta, lib. 23 c. 135
Lamfranci Cantuarien. geſta, lib. 25 c. 36
Lanificium inuenitur, lib. 1 c. 110
Landelinus fundat eccleſias, lib. 23 cap. 104
Lannomari Carnotenſis geſta, lib. 21 cap. 83
Latinorum regnum oritur, lib. 2 cap. 66
Lateranen. Concilium celebratur, lib. 30 cap. 12
Laurentius Leuita, lib. 11 cap. 93
Laudunen. Feretri miracula, lib. 26 cap. 13
Leges primo dantur Græcia, li. 1 cap. 110
Legalium ceſſatio, lib. 8 cap. 11
Leafredi abbatis geſta, li. 23 cap. 128
Leonides pater Origenis, lib. 11 cap. 1
Leo Papa ſermologus claret, lib. 20 cap. 29
Leo primus imperat, lib. 20 cap. 50
Leo Secundus imperat, lib. 23 cap. 123
Leo tertius imperat, lib. 23 cap. 145
Leo Quartus imperat, lib, 23 cap. 171
Leodegarij confeſſoris geſta, lib. 23 cap. 124
Leonardi Lemouicen. geſta, lib. 21. c. 11
Leodienſis ciuitas plagis atteritur, lib. 26. cap. 16
Leodien mulierum deuotio, lib. 30. cap. 12
Leucadia martyr, lib. 21. cap. 129
Lex Moyſi datur, lib. 2. cap. 8
Libia regio deſcribitur, lib. 1. cap. 76
Libani conuerſio, lib. 14. cap. 44
Liberius Papa hæreticus, lib. 14 cap. 11
Liberalitas commendatur, lib. 17 cap. 37
Libertini ſimplicitas, lib. 22 cap. 59
Lycia regio deſcribitur, lib. 1. cap. 70
Lydia regio deſcribitur, libr. 1 cap. 70
Liddorum regnum oritur, lib. 2 cap. 96
Licurgus dat leges, lib. 2 cap. 90
Linguæ diuiduntur, lib. 1 cap. 62
Lintherius imperat, lib. 27 cap. 1
Locuſtæ impugnant homines, lib. 24 cap. 41
Longinus martyr patitur, lib. 7 cap. 47
Longobardorum origo, lib. 16 cap. 10
Lotharij regis crudelitas, lib. 21 cap. 36
Lotharius imperat, lib. 24 cap. 35
Lucas Euangeliſta, lib. 10 cap. 90
Luceia, & Antea, lib. 12 cap. 97
Lucianus Beluacenſis, lib. 10 cap. 25
Lucianus Doctor, & libri eius, lib. 13 cap. 14
Lucia milua, lib. 12 cap. 39
Lucia virgo, lib. 13 cap. 2
Lucifer hereſiarcha, lib. 14 cap. 29
Lucinij Auguſti poteſtas. lib. 13 cap. 1
Ipſius impietas, lib. 13 cap. 58
Ipſius mors, lib. 13 cap. 61
Lucius Papa, lib. 11 cap. 60
Ludouicus pius imperat, lib. 24 cap. 26
Ludouici eiuſdem filij pugnant adinuicem, lib. 24 cap. 37
Ludouicus Tertius imperat, lib. 24 cap. 56
Ludouicus Balbus regnat in Francia, lib. 24 cap. 37
Ludouicus Tertius pater Philippi regnat, lib. 26 cap. 10
Ludouicus idem transfretat, lib. 16 cap. 83
Ludouicus Quartus filius Philippi regnat, lib. 30 cap. 124
Ludouicus vltimus regnat, lib. 30 cap. 129
Ludouicus idem transfretat, lib. 21 cap. 89
Ludouicus idem capitur, lib. 31 cap. 51
Lugdunenſis, & Viennenſis perſecutio, lib. 10 cap. 118
Lupi Senonenſis geſta, lib. 23 cap. 9
Lupi Cretenſis geſta, lib. 20 cap. 16
Lux Ouienſis cœnobii fundatio, lib. 22 cap. 17

De litera M.

Macedonum regnum oritur. lib. 2 cap. 94
Macedonum regnum deſtruitur, lib. 5 cap. 68
Macedonius hæreticus, lib. 14 cap. 10
Macedonum conuerſio, lib. 10 cap. 97
Macharii duo monachi, li. 14 cap. 17
Macharii vtriuſque geſta, lib. 17 cap. 70
Ipſorum exilium, lib. 14 cap. 58
Mahometi geſta, lib. 23 cap. 39
Machabæorum hiſtoria incipit, lib. 5 cap. 68
Maclouii Britonis geſta, lib. 21 cap. 121
Macra martyr. lib. 12 cap. 143
Macrus & Gabalus, lib. 11 cap. 20
Mamines puer lib. 11 cap. 116
Marcus Curius claret, lib. 5 cap. 9
Marcus Varro claret, lib. 6 cap. 57
Maria concipitur, lib. 6 cap. 64
Maria nubit Ioſeph, lib. 6. cap. 72
Maria moritur, lib. 7 cap. 75
Maria miracula, lib. 7 cap. 81
Marſilia conditur, lib. 2. cap. 111
Marcelliani, & Marcii Agon. lib. 12 cap. 10
Mum paſſio, lib. 12 cap. 17
Marcellinus, & Petrus, lib. 12 cap. 74
Marcellinus Papa, lib. 12 cap. 98
Marcellus martyr, lib. 10 cap. 109
Marcellus Papa, lib. 12 cap. 103
Maguntia impugnatur ſenſibliter à diabolo, lib. 24. cap. 37
Magnobodi Andegauenſis geſta, lib. 23 cap. 33
Magorum corpora transferuntur Coloniam, lib. 29. cap. 12
Magdalena translatio, lib. 23 cap. 152
Maglorii Epiſcopi geſta, lib. 21 cap. 121
Magnobodi Andegauenſis geſta, lib. 23 cap. 38
Maiori, & Sociorum eius paſſio, lib. 20 cap. 89
Maioli, abbatis geſta, lib. 24 cap. 68
Machi captiui geſta, lib. decimoſexto. cap. 93
Malachiæ Epiſcopi geſta, lib. 27 cap. 105
Marcellus, & Exuperatius, lib. 12 cap. 55
Marcus Euangeliſta, libr. 5 cap. 57
Ipſius Euangelium, lib. 8 cap. 92
Marcus, & Martinianus, libr. 13 cap. 42
Marcus monachus ſcriptor, lib. 14 cap. 65
Margarita virgo, libr. decimotertio. cap. 27
Maria quædam virgo, lib. decimo. cap. 50. 86
Marina monachus, libr. decimoquinto. cap. 74
Marinus puer, libr. decimotertio cap. 38
Marii, & ſocii eius, libro vndecimo. cap. 98
Martha, & Magdalena, libr. 9. cap. 92
Martialis Lemouicenſis, libr. 9 cap. 39
Martianus, & Iacobus, libro vndecimo. cap. 52

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Martiana martyr, lib. 13 c. 36
Martina, & ſociæ eius, li. 11 cap. 27
Martini militia, li. 14 c. 13
Mariani monachi geſta, li. 20 c. 18
Mariæ Natiuitatis ſolemnitas reuelatur, li. 7 c. 119
Martianus imperat, li. 20 c. 34
Martini Turonen. geſta, li. 17 c. 10
Martini eiuſdem quædam miracula, li. 18 c. 19
Martini eiuſdem tranſitus, li. 20 c. 56
Martini ſolitarii virtutes, lib. 22 c. 78
Martini Papæ geſta, li. 23 c. 84
Martini eiuſdem epiſtola ad amandum, li. 23 c. 113
Marcellini, & Petri corpora transferuntur, li. 24 c. 1
Margilii, & Maurilii geſta, li. 32 c. 40
Mariæ de Ognies geſta, li. 30 cap. 16
Maſſa Candida martyr, li. 12 cap. 130
Mathæus Enangeliſta, li. 9 cap. 74
Mauritania regio deſcribitur, li. 1 c. 77
Maturinus martyr, li. 12 cap. 158
Maurilij Andegauen. geſta, li. 17 cap. 20
Mauri abbatis geſta, lib. 21 c. 67
Mauritius imperat, li. 22 c. 1
Mauritii punitio pro futuro, li. 22 cap. 18
Mauritius, & ſocii eius, li. 12 cap. 2
Maurus martyr, li. 11 c. 121
Mauri corpus transfertur ad Cœnobium Foſſatum, libro 24 cap. 39
Mauritius epiſcopus Parliſien. claret li. 29 c. 21
Maxentii Imperium, li. 13 c. 4
Mors ipſius, li. 13 cap. 43
Maxilla, & ſocii eius, li. 11 cap. 83
Maximinus Maſſilienſis, li. 9 c. 111
Maximinus Treuerenſis, li. 14 cap. 7
Maximini Imperium, li. 11 c. 31
Maximus Claudius, & ſocii eius, li. 12 c. 159
Maximinus Leuita, li. 13 c. 42
Maxentij abbatis geſta, li. 21 c. 22
Maximus tyrannidem exercet, li. 20 c. 49
Maximus idem occiditur, lib. 17 cap. 1
Maximus Taurinenſis epiſcopus claret, li. 19 cap. 5
Medorum regnum oritur, li. 2 cap. 93
Mediolanen. concilium, li. 14 ca. 9
Medardi geſta, li. 21 cap. 62
Mederici abbatis geſta, li. 24 cap. 92
Mel primum colligitur, lib. 2 cap. 53
Mellonus epiſcopus, lib. vndecimo cap. 62
Melania Meluæ geſta, lib. 17 cap. 89
Melaniæ iunioris geſta, lib. decimoſeptimo cap. 92
Melanij Rodonen. geſta, lib. vigeſimoprimo c. 24
Membra hominis diſtinguuntur, li. primo c. 32
Memmius Catalanen. li. 9 cap. 15
Menna miles, li. duodecimo, cap. 19
Menæ ſolitarii virtutes, li. 22 c. 79
Menſura grani inuenitur, lib. primo cap. 116
Mercurius Trimegiſtus claret, li. 4 cap. 10
Merlinus Vates claret, lib. vigeſimoprimo cap. 30
Meſia regio deſcribitur, lib. primo c. 71
Meſopotamia regio deſcribitur, lib. primo cap. 65
Metalla diſtinguuntur, li. primo c. 21
Metranus martyr, li. 13 ca. 61
Michaelis memoria in monti Gargano, li. 20 c. 102
Michaelis memoria in mari, li. 23 c. 137
Milites primo eliguntur li. 2 c. 103
Milo Cratonienſis claret, li. 2 c. 112
Miſſarum virtus reſpectu Purgatorii, li. 22 c. 98
Modeſtia ſuadetur, li. decimoſeptimo c. 34
Moyſes naſcitur, li. 2 c 1
Moyſes moritur, lib. 2 cap. 52
Moyſes Saracenorum epiſcopus, li. 14 c. 59
Moyſi Aethiopis geſta, li. 22 c. 74
Moyſes Sarracenorum epiſcopus, li. 13 c. 41
Monſtrorum parietas exprimitur, li. 1 c. 87
Monachorum inſtructio, li. 16 c. 20 & c. 38
Monachorum inſtitutiones, li. 19 c. 16
Monachus diſſolutus corripitur, li. 16 c. 51
Morum humanorum contrarietas pönitur, li. 1 cap. 86
Mortuus clericus apparet ſocio, li. 25 c. 89
Mulier formatur, li. 1 c. 41
Mubius Heremita, li. 14 c. 59
Mulierum conſortia diſſuadentur, li. 16 cap. 36
Mulierum amor prohibetur, lib. 16 c. 75
Mulieris maleficis damnatio, li. 25 c. 26
Mulier Gemella apparet, li. 25 c. 28
Mulier in igne non comburitur, li. 25 c. 90
Mures perſequuntur homines, li. 25 c. 117

De litera N.

Nabathea regio deſcribitur, li. 1 c. 68
Narciſſus epiſcopus, li. 11 c. 18
Natiuitas Domini exprimitur, li. 6 c. 87
Natalis confeſſor, li. 11 cap. 5
Nathanaelis ſenioris geſta, li. 17 cap. 97
Nazarius Celſus, li. 9 c. 11
Nazarii, & Celſi inuentio, li. 18 c. 66
Nebridii vita deſcribitur, li. 16 cap. 66
Nectanebi militia, li. 4 cap. 1
Nectanebus incantationibus vincere hoſtes ſolebat. ibidem
Nectanebi interitus, li. 4 cap. 11
Neemias ædificat Hieruſalem, li. 3 cap. 46
Nepotiani mores, li. 16 cap. 73
Nereus, & Achilleus, li. 1 c. 15
Neronis Imperium, li. 9 c. 1
Neronis mores, li. 9 c. 6
Neronis mors, li. 9 c. 119
Nervæ Imperium, li. 10 c. 38
Ipſius mors, li. 10 cap. 45
Neſtor epiſcopus, li. 11 cap. 52
Neſtoriana hæreſis oritur, li. 20 c. 2
Nicolaitarum hæreſis naſcitur, li. 7 cap. 73
Nicenum concilium, li. 13 cap. 42
Niceta, & Aquilina, li. 13 c. 25
Nicolaus epiſcopus, li. 13 cap. 67
Nichomediæ perſecutiones, l. 12 cap. 21
Nichoſtratus, & ſocii eius, li. 12 ca. 14
Nichaſii Remenſis paſſio, li. 20 c. 37
Nicolai tranſlatio, li. 25 c. 83
Noe naſcitur, li. 1 cap. 58
Normannorum bella, & impetus, li. 24 c. 45
Normannorum conuerſio, li. 30 c. 3
Norberti præmonſtratenſis geſta, li. 26 c. 45
Notiones diuinæ deſcribuntur, li. 1 ca. 3
Nouatianorum hæreſis, li. 11 cap. 41
Nouatus Apoſtolorum diſcipulus, li. 9 c. 120
Nouem milia martyres, li. 10 c. 88
Nouiciorum inſtructio, li. 27 cap. 51
Numa Pompilius regnat, lib. 2 c. 104
Numidia regio deſcribitur, lib. 1 cap. 86
Numeriani Imperium, li. 11 c. 120
Eius mors, libro vndecimo cap. 129
Nuntii Papæ mittuntur ad Tartaros, li. 31 cap. 3

De litera O.

Octauianus imperat, li. 6 cap. 43
Ocium fructuoſum deſcribitur, libro 17 cap. 38
Odilonis Abbatis geſta, li. 34 c. 102
Odonis Cluniacen. geſta, li. 24 c. 55
Odonis eiuſdem quædam miracula, li. 24 c. 34
Olimpiadas maxima li. vndecimo c. 52
Oneſimus Pauli diſcipulus, li. 9 cap. 49
Omnium Sanctorum feſtum inſtituitur, li. 22 c. 107
Oratius poeta claret, libro ſexto cap. 67
Orcades Inſulæ deſcribuntur, libro primo cap. 77
Origenis pueritia, libro vndecimo cap. 2
Eius ſtudium, & libri, lib. vndecimo cap. 2
Or Abbas, libro decimoquarto cap. 70
Ortulanus capit furem, lib. 22 cap. 60
Oroſius Doctor claret, libro 18 cap. 6
Oſtrogothorum origo, & regnum. lib. 16 cap. 12

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index Librorum

Osualdi regis miracula, lib. 13 cap. 79
Ottonis Imperium, lib. 9 cap. 26
Otto primus imperat, lib. 24 cap. 69
Otto secundus imperat, lib. 24 cap. 89
Otto tertius imperat, lib. 24 cap. 92
Otto quintus imperat, lib. 29 cap. 106
Ouidius Naso claret, lib. 6 cap. 106

De litera P.

PAchomij solitarij tentatio, lib. 8 cap. 29
Pachomij Abbatis gesta, lib. 18 cap. 47
Pachomius dat regulam monachis, lib. 17 cap. 82
Pafnutius Abbas, lib. 14 cap. 76
Palestina regio describitur lib. 1 cap. 62
Pharus mirabilis construitur, lib. 5 cap. 14
Phare, & Pharonis gesta, lib. 23 cap. 10
Palumbi presbyteri malitia, lib. 25 cap. 29
Palantis corpus mirabile inuenitur, lib. 25 cap. 34
Palestinæ persecutio, lib. 12 cap. 22
Pamphilia regio describitur, lib. 1 cap. 70
Pambus monachus, lib. 14 cap. 62
Pampi Abbatis gesta, lib. 1 cap. 68
Panetius Philosophus claret, lib. 5 cap. 49
Pannonia regio describitur, lib. 1 cap. 74
Pantaleoni puer, lib. 14 cap. 95
Panthena Philosophus, & de quibusdam doctoribus, lib. 10 cap. 125
Panthapolis regio describitur, lib. 1 cap. 67
Paparius Consul claret, lib. 5 cap. 7
Papa Roissoli tyrannidem exercet, lib. 30 cap. 129
Papiensium, & Mediolanensium bellum, lib. 30 cap. 7
Parthia regio describitur, lib. 1 cap. 64
Paradisus Heraclidis, lib. 17 cap. 44
Paradisus Mahometi, lib. 23 cap. 65
Parisiensis dissensio, lib. 30 cap. 137
Passio Christi incipit, lib. 7 cap. 37
Pascasius punitur in balneis, lib. 22 cap. 94
Pastorale Gregorij, lib. 23 cap. 27
Passagium generale describitur, lib. 30 cap. 79
Patroclus martyr, lib. 11 cap. 108
Patrum dicta moralia, lib. 15 cap. 79
Patritij Hiberni gesta, lib. 20 cap. 23
Pauli ludibrium exprimitur, lib. 7 cap. 4
Paulus conuertitur, lib. 7 cap. 74
Paulus visitat Petrum, lib. 7 cap. 122
Pauli cum Barnaba ordinatio, lib. 10 cap. 9
Paulus qualiter Petrum corripuit, lib. 10 cap. 91
Pauli, & Barnabę diuisio, lib. 10 cap. 95
Pauli vinculatio, lib. 10 cap. 51
Pauli appellatio, lib. 9 cap. 2
Pauli aduentus Romæ, lib. 9 cap. 5
Pauli passio, lib. 9 cap. 16. & deinceps.
Paulus Episcopus, lib. 9 cap. 49
Paulus Heremita, lib. 11 cap. 86
Paulus Samosetanus hæreticus, lib. 11 cap. 96
Paulus simplex monachus, lib. 14 cap. 15
Pauli simplicis gesta, lib. 17 cap. 77
Paulæ viduæ gesta, lib. 18 cap. 48
Pauli Leonen. gesta, lib. 21 cap. 122
Paulini Nolani gesta, lib. 18 cap. 37
Planetæ distinguuntur, lib. 1 cap. 25
Plato nascitur, lib. 3 cap. 60
Plato claret, lib. 4 cap. 74
Plato moritur, lib. 4 cap. 6
Plautus poeta claret, lib. 5 cap. 51
Psalterium corrigitur, lib. 16 cap. 92
Praxedis martyr, lib. 10 cap. 106
Peccatum primorum parentum ponitur, lib. 1 cap. 42
Peccata distinguuntur, lib. 1 cap. 47
Pelagia Peccatrix, lib. 11 cap. 96
Pelagii hæresis oritur, lib. 18 cap. 42
Pœnitentiæ partes distinguuntur, lib. 1 cap. 48
Perfectio diuina exprimitur, lib. 1 cap. 1
Pericles Athenienſibus principatur, lib. 1 cap. 3
Parmenides philosophus claret, lib. 3 cap. 44
Persidia regio describitur, lib. 1 cap. 65
Permenius martyr, lib. 11 cap. 90
Persius poeta, lib. 8 cap. 138
Persarum regnum describitur, lib. 16 cap. 52
Petri carcer, & vincula, lib. 8 cap. 8
Petri passio, lib. 8 cap. 12
Petronilla, & Felicula, lib. 9 cap. 38
Petrus, & Paulus quidam martyres, lib. 11 cap. 46
Petrus Alexandrinus, lib. 13 cap. 15
Petrus Alexandrinus, & Lucius Arianus, lib. 14 cap. 57
Petronius Bononiensis claret, lib. 20 cap. 25
Petrus Damianus claret, lib. 25 cap. 52
Petrus Alphonsus conuertitur, lib. 25 cap. 97
Petri Leonis dissensio, lib. 27 cap. 5
Petrus Abachardus claret, lib. 28 cap. 17
Petri Tarentasiensis gesta, lib. 27 cap. 124
Petrus Lombardus claret, lib. 29 cap. 1
Petrus Commestor claret, lib. 29 cap. 1. & 21
Petri recluſi gesta, lib. 27 cap. 11
Petri Monoculi gesta, lib. 29 cap. 28
Petri Mediolanen. passio lib. 32 cap. 103
Præiecti Auernensis gesta, lib. 23 cap. 119
Prædicatio Christi incipit, lib. 7 cap. 12
Præsumptio resumitur per exempla, lib. 17 cap. 6
Prædicatorum ordo fundatur, lib. 30 cap. 65
Præmonstratensis ordo incipit, lib. 26 cap. 28
Piamon pater, lib. 14 cap. 65
Piacon martyr, lib. 12 159
Philemus poeta claret, lib. 5 c. 5
Philippus Macedo moritur, li. 5 c. 18
Philo clarus habetur, lib. 7 cap. 131
Pilatus iudex præficitur, lib. 7 cap. 5
Pilatus in exilio moritur lib 7 cap. 124
Philea episcopus, lib. 12 cap. 25
Philemon, & Apollonius, lib. 12 c. 50
Philippus Apostolus, lib. 9 ca. 88
Philippus pater Eugeniæ, lib. 11 cap. 3
Philippi Imperium, li. 11. cap. 33
Ipsius conuersio, & mors, li. 11 c. 35
Philiberti Abbatis gesta, lib. 23 cap. 94
Philippicus imperat, li. 23 c. 138
Philoronii presbyteri gesta, li. 17 ca. 88
Philippus Rex Francorum nascitur, li. 29 c. 13
Philippus idem regnat, lib. 29 c. 22
Philippus idem cruce signatur, li. 29 c. 45
Philippus idem transferatur, li. 29 cap. 50
Philippus idem triumphat de Imperatore, li. 30 cap. 65
Primogenitura ius consisteb at in sex, lib. 1 cap. 109
Pindarus poeta claret, li. 3 cap. 40
Pionius, & Iustinus, ac socii eorum, li. 10 c. 97
Pior presbyter, lib. 14 cap. 61
Pipinus regnat in Francia, li. 23 cap. 154
Pisistratus tyrannidem exercet, li. 3 cap. 18
Piscium diuersitates distinguuntur, li. 1 cap. 27
Piissimi monachi gesta, li. 17 cap. 95
Pithacus Militenus claret, li. 2 cap. 120
Plinius, & libri eius, li. 10 cap. 66
Primus, & Felicianus, li. 12 cap. 69
Priscus antiquus discipulus, li. 9 cap. 90
Priscus alius, & socii eius, li. 11 cap. 57
Priscus, & Fœlix presbyteri, li. 11 cap. 113
Priseus, & priscillianus, li. 14 cap. 38
Priscillianistarum error damnatur, li. 17 c. 97
Priscianus Grammaticus claret, li. 21 cap. 50
Priuatus episcopus, li. 11 cap. 75
Polemus philosophus conuertitur, li. 5 cap. 11
Policarpi, & Papiæ doctrina, li. 10 cap. 93
Policarpi passio, lib. 10 cap. 96
Policrates, & quidam alii scriptores, li. 11 cap. 16
Policronius martyr, lib. 11 cap. 89
Pompei bellum, lib. 5 cap. 97
Pompeius occiditur, li. 6 cap. 35
Poncanus martyr, li. 10 cap. 104
Ponticus, & Blandina, lib. 10 cap. 101

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pontij pueritia. lib. 11 *cap.* 34
Jpſius paſsio, lib. 11 *cap.* 74
Potentiæ animæ diſtinguuntur, lib. 1 *cap.* 37
Plotinus Platonicus claret, *lib.* 7 *cap.* 8
Proceſſus, & Martinianus, lib. 9 *cap.* 54
Prothi, & Hiacincti conuerſio, *lib.* 10 *cap.* 115
Paſsio eorundem, lib. 11 *cap.* 76
Proſper notarius claret, lib. 20 *cap.* 58
Prophetiſſa falſa deprehenditur, lib. 24 *cap.* 86
Prothagoras ſophiſta claret, *lib.* 3 *cap.* 55
Ptolemæus Philadelphus regnat, *lib.* 5 *cap.* 15
Ptolemæus Sother regnat, *lib.* 5 *cap.* 1
Ptolemæus Euergetes regnat, *lib.* 5 *cap.* 39
Ptolemæus Philopator regnat, *lib.* 5 *cap.* 41
Ptolemæus Epifanes regnat, *lib.* 5 *cap.* 54
Ptolemæus Philometor regnat, *lib.* 5 *cap.* 61
Ptolemæus Euergetes ſecundus regnat, *lib.* 5 *cap.* 86
Ptolemæus Phiſto regnat, *lib.* 4 *cap.* 89
Purgatorium Patritii deſcribitur, lib. 20 *cap.* 24
Purgatorij pœna relaxatur, lib. 22 *cap.* 98
Procella ieiunat tribus annis ab omni cibo, lib. 24 *cap.* 27
Puerorum multitudo cruce ſignatur, lib. 30 *cap.* 5
Prudens Pauli diſcipulus, *lib.* 9 *cap.* 49
Prudentius poeta claret, *lib.* 17 *cap.* 12
Prudentij eiuſdem flores, lib. 17 *cap.* 102

De litera Q.

Quadraginta ſeptem martyres, lib. 9 *cap.* 56
Quadratus, & Ariſtides, lib. 10 *cap.* 72. *cap.* 56
Quatuor coronati, lib. 12 *cap* 8
Quintilianus Orator, lib. 9 *cap.* 121
Quintinus martyr, lib. 12 *cap.* 136
Quiriacus, & ſocii eius, lib. 14 *cap.* 40
Quirinus, & Hermes, lib. 10 *cap.* 73
Quirinus quidam alter, lib. 11 *cap.* 98
Quirinus, & Pamphilus, lib. 13 *cap.* 19
Quirius, & ſocij eius, lib. 13 *cap.* 59
Quinquennius puer damnatur, lib. 22 *cap.* 87
Quintini martyris tranſlatio, lib. 23 *cap.* 89
Quintini martyris Canobium ædificatur, lib. 23 *cap.* 87

De litera R.

Rabanus claret, lib. 24 *cap.* 28
Radegundis reginæ geſta, lib. 21 *cap.* 29
Radegundis vita monaſtica, lib. 21 *cap.* 35
Regina virgo, lib. 13 *cap.* 29
Regulus Siluanectenſis, *lib.* 10 *cap.* 27
Regiſtri Gregorii flores, lib. 22 *cap.* 54
Reliquiæ de terra ſancta apportantur, lib. 24 *cap.* 54
Remus, & Romulus oriuntur, *lib.* 2 *cap.* 96
Remigius Remenſis claret, *lib.* 20 *cap.* 100
Remigius idem moritur, lib. 21 *cap.* 8
Reſurrectio Chriſti deſcribitur, lib. 8 *cap.* 3
Resbatis canobium fundatur, lib. 23 *cap.* 68
Richarii Pontinenſi geſta, lib. 24 *cap.* 96
Richardi Normannorum Ducis geſta, lib. 25 *ca.* 13
Richardus de ſancto Victore claret, *lib.* 27 *cap.* 58
Roboam regnat cum ſucceſſoribus ſuis, lib. 2 *cap.* 85
Rhodus inſula deſcribitur, *lib.* 1 *cap.* 80
Robertus Deuotus regnat in Francia, *lib.* 24 *cap.* 107
Rochemadorum miracula, lib. 29 *cap.* 4
Rodani pons ædificatur, lib. 29 *cap.* 21
Rogationum inſtitutio, lib. 20 *cap.* 56
Rolandi Comitis geſta, lib. 24 *cap.* 15
Rollonis Normanni geſta, *lib.* 24 *cap.* 45
Roma conditur, lib. 2 *cap.* 71
Romanum regnum reſtituitur, lib. 6 *cap.* 1
Romanum regnum interrumpitur, lib. 3 *cap.* 31
Romanorum regni bella formoſa, lib. 5 *cap.* 47
Romanus & ſocii eius, lib. 13 *cap.* 17
Romanus martyr, lib. 13 *cap.* 17
Ruffinus, & Valerius, lib. 12 *cap.* 148
Ruffinus Aquilegienſis claret, *lib.* 20 *cap.* 69
Ruffini inuectio contra Hieronymum, libro decimo octauo cap. 35

De litera S.

Sabini Epiſcopi geſta, lib. 21 *cap.* 66
Sabini Placentini virtutes, *lib.* 22 *cap.* 74
Sabellii hæretici condemnatio, lib. 13 *cap.* 62
Sabina martyr, lib. 10 *cap.* 81
Sabinus epiſcopus, lib. 12 *cap.* 56
Sacramenta vetera, & noua, lib. 10 *cap.* 17
Saguntina ciuitas deſtruitur, lib. 5 *cap.* 40
Salomon regnat, *lib.* 2 *cap.* 76
Saluſtius regnat, *lib.* 6 *cap.* 32
Salaberga abbatiſſa geſta, lib. 23 *cap.* 29
Saladini perſecutio, *lib.* 29 *cap.* 43
Saluii martyris inuentio, lib. 24 *cap.* 23
Sampſon iudicat Iſrael, *lib.* 2 *cap.* 67
Samuel claret, *lib.* 2 *cap.* 69
Sampſon Dolenſis geſta, *lib.* 21 *cap.* 105
Sanctinus, & Antoninus, *lib.* 10 *cap.* 22
Sanctoli virtutes, *lib.* 22 *cap.* 83
Sapientes ſeptem apud Athenas clarent, lib. 2 *cap.* 119
Saporis regis perſecutio in Chriſtianos, lib. 14 *cap.* 8
Sapientia præfertur eloquentiæ lib. 16 *cap.* 25
Sardanapalus occiditur, *lib.* 2 *cap.* 93
Sardii inſula deſcribitur, lib. 1 *cap.* 83
Saræ abbatiſſa geſta, lib. 17 *cap.* 9
Saraceni miraculoſe ſubmerguntur, lib. 23 *cap.* 147
Saracenorum miraculoſa ſubuerſio, lib. 26 *cap.* 45
Saturninus martyr, *lib.* 9 *cap.* 112
Saul regnat, *lib.* 2 *cap.* 69
Sauina virgo, lib. 11 *cap.* 107
Sauinianus eius frater, lib. vndecimo cap. 105
Sauinianus, & Potentianus, lib. 9 *cap.* 41
Sauinus, & Baſilicus, *lib.* 11 *cap.* 83
Statius poeta claret, *lib.* 5 *cap.* 61
Statua notabilis Siciliæ, *lib.* 25 *cap.* 17
Sebaſtiani doctrina, *lib.* 12 *cap.* 10
Jpſius paſsio, lib. 12 *cap.* 18
Sebaſtiani corpus transfertur, *lib.* 24 *cap.* 33
Secundianus, & ſocii eius, *lib.* 11 *cap.* 50
Secundus Philoſophus, & dicta eius, *lib.* 10 *cap.* 70
Solentianum concilium, *lib.* 14 *cap.* 10
Semiramis, regnat, *lib.* 1 *cap.* 103
Senatores primo eliguntur, *lib.* 6 *cap.* 1
Seneca, & libri eius, *lib.* 10 *cap.* 102
Jpſius mors, lib. 9 *cap.* 10
Septuaginta interpretantur, *lib.* 5 *cap.* 1
Septem dormientes reſurgunt, *lib.* 20 *cap.* 31
Sepultura eccleſiaſtica nocet reprobis, *lib.* 22 *cap.* 96
Serapia martyr, *lib.* 10 *cap.* 80
Serapio martyr, *lib. vndecimo cap.* 52
Serapio pater, *lib.* 14 *cap.* 64
Sergius, & Bachus, *lib.* 12 *cap.* 66
Seruandus, & Germanus, *lib.* 13 *cap.* 42
Sergius Papa inuenit crucem, *lib.* 23 *cap.* 117
Seruuli virtutes, *lib.* 22 *cap.* 86
Seueri Imperium, *lib.* 11 *cap.* 1
Jpſius mors, lib. 11 *cap.* 17
Seuerini abbatis geſta, *lib.* 21 *cap.* 21
Seueri Sulpicii dialogus, *lib.* 18 *cap.* 8
Seueri ſacerdotis virtutes, *lib.* 22 *cap.* 67
Speuſippus Philoſophus claret, *lib.* 4 *cap.* 70
Speuſippus, & fratres eius, *lib. vndecimo cap.* 65
Stephanus lapidatur, *lib.* 7 *cap.* 21
Stephani monachi geſta, *lib.* 17 *cap.* 80
Stephani martyris reliquiæ inueniuntur, *lib.* 19 *cap.* 7
Stephani ſacerdotis virtutes, *lib.* 22 *cap.* 79
Stephanus Papa, *lib. vndecimo cap.* 60
Stephani Papæ geſta, *lib.* 23 *cap.* 154
Stephani Ciſtercienſis geſta, *lib.* 26 *cap.* 1
Sueſſionenſis Maria miracula, *lib.* 27 *cap.* 2
Sibilla claret, *lib.* 2 *cap.* 100
Sicilliæ inſula, deſcribitur, *lib.* 1 *cap.* 82

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index Librorum

Sicioniorum regnum oritur, lib. 1 cap. 99
Sidonius Auernenſis claret, lib. 21 cap. 46
Sigiſmundi regis paſſio, lib. 21 cap. 26
Sila ſocius Pauli, lib. 9 cap. 91
Siluanus, & ſocij eius, lib. 12 cap. 98
Siluanus, & Lucianus, lib. 13 cap. 13
Siluanus abbas, lib. 13 cap. 66
Silueſter Papa, lib. 12 cap. 46
Siluiæ virginis geſta, lib. 17 cap. 91
Simoniaca hæreſis naſcitur, lib. 7 cap. 72
Simonides poeta claret, lib. 2 cap. 105
Symachus interpres, lib. 11 cap. 16
Simeon crucifixus, lib. decimo cap. 51
Simon & Iuda Apoſtoli, lib. 9 cap. 78
Simon Magus, lib. 9 cap. 12
Symphorianus martyr, lib. vndecimo cap. 115
Simplicius, Fauſtinus, & beatrix, lib. duodecimo, cap. 85
Simachus Papa in ſeditione creatur, lib. vndecimo, cap. 1
Simachus Patritius claret, lib. 21 cap. 14
Simeonis Antiocheni geſta, lib. 20 cap. 51
Simon Comes, Montisfortis deciditur, lib. 30 cap. 85
Sincletice abbatiſſæ geſta, lib. 17 cap. 9
Siſinnij, & ſociorum eius paſsio, lib. decimooctauo, cap. 36
Scientia diſtinguitur, lib. primo cap. 53
Scipio Aphricanus claret, lib. 5 cap. 47
Scipio Naſica claret, lib. 5 cap. 57
Scytharum regnum, lib. 1 cap. 96
Scythia deſcribitur, lib. 1 cap. 68
Scythia inferior deſcribitur, lib. primo cap. 71
Syria regio deſcribitur, lib. primo cap. 66
Syriæ regnum oritur, lib. 6 cap. 12
Siſinius, & Saturninus, lib. 12 cap. 51
Sixtus Papa, lib. vndecimo cap. 92
Sixtus, & peregrinus, lib. decimo cap. 75
Spirodon, & paſtor, lib. 13 cap. 65
Spiritus mittitur, lib. 7 cap. 66
Socrates naſcitur, lib. 3 cap. 42
Socrates claret, lib. 3 cap. 56
Socrates moritur, lib. 3 cap. 66
Sodoma ſubuertitur, lib. primo cap. 106
Sogdiani regnat, lib. 3 cap. 70
Solon Athenienſis claret, lib. 2 cap. 120
Soldanorum progenies, lib. 31 cap. 54
Solis eclipſis mirabilis, lib. 23 cap. 10
Sororum conſonantia inuenitur, lib. primo cap. 57
Sophocles poeta claret, lib. 3 cap. 40
Sophia, & filiæ eius, lib. 10 cap. 84
Stoicorum actores, & proceres, lib. 5 cap. 27
Sulpicii Bituricenſis geſta, lib. 23 cap. 173
Studium transfertur Pariſius, lib. 23 cap. 73

De litera T.

Tabor virginis geſta, lib. 17 cap. 92
Taciti, Floriani, Probi, & Carini Imperium, libro vndecimo cap. 120
Thays meretrix, lib. 14 cap. 77
Tales Mileſius claret, lib. 2 cap. 109
Tanatos inſula deſcribitur, lib. 1 cap. 78
Taphana inſula deſcribitur, lib. 1 cap. 79
Tartarorum geſta, & mores, lib. 29 cap. 69
Item, lib. 30 cap. 95
Item, lib. 31 cap. 3
Taurini Eboricen. prædicatio, lib. 10 cap. 33
Ipſius paſsio lib. 10 cap. 76
Thaurus Philoſophus, lib. 10 cap. 92
Tracia regio deſcribitur, lib. 1 cap. 71
Tranſmigratio Babylonis, lib. 2 cap. 110
Trans marinorum locorum deſcriptio, lib. 31 cap. 58
Traiani Imperium, lib. 10 cap. 68
Ipſius mors, lib. 10 cap. 68
Tecla Pauli diſcipula, lib. 9 cap. 47
Tempora diſtinguuntur, lib. primo cap. 62
Themiſtocles clarus habetur, lib. 3 cap. 39
Theodocius interpres, lib. vndecimo cap. 16
Theodorus martyr, lib. duodecimo cap. 93
Theodoſia martyr, lib. 12 cap. 48
Theodota, & filiæ eius, lib. duodecimo cap. 65
Theophilus, & ſocii eius, lib. vndecimo cap. 52
Theon abbas, lib. 14 cap. 64
Theodorii inquieti caſtigatio, lib. 22 cap. 92
Theodorus epiſcopus claret, lib. 20 cap. 58
Theodoſius primus imperat, lib. 17 cap. 1
Theodoſius idem peccat, & panitet, lib. 17 cap. 54
Theodoſius ſecundus imperat, lib. 20 cap. 1
Thedoſius tertius imperat, lib. 23 cap. 144
Theonis abbatis geſta, lib. 19 cap. 109
Theopholi geſta, lib. 21 cap. 69
Theobaldi heremitæ geſta, libro 25 cap. 28
Theophraſtus philoſophus claret, lib. 5 cap. 2
Thomas Apoſtolus, lib. 9 cap. 62
Eius corporis tranſlatio, lib. vndecimo cap. 20
Thomæ Cantuarienſis exilium, lib. 29 cap. 14
Thomæ eiuſdem geſta, lib. 29 cap. 18
Terentius claret, lib. 4 cap. 72
Terculinus martyr, lib. duodecimo cap. 17
Terculianus, & ſcripta eius, lib. 11 cap. 8
Terræ diuiduntur, lib. 1 cap. 62
Teſtamenta Patriarcharum, lib. 1 cap. 125
Theſſalia regio deſcribitur, lib. 1 cap. 73
Textilis ars inuenitur, lib. 1 cap. 54
Tiberius imperat, lib. 7 cap. 1
Tibertius martyr, lib. 12 cap. 18
Thiburius imperat, lib 21 cap. 127
Ticonius afer claret, lib. 18 cap. 7
Timotheus appollinaris, lib. 9 cap. 15
Timotheus Pauli diſcipulus, lib. 10 cap. 38
Titlis Pauli diſcipulus lib. 9 cap. 43
Titi Imperium, lib. 10 cap. 9
Titicus diaconus, lib. 9 cap. 91
Trinitas perſonarum in Deo exprimitur, lib. 1. cap. 2
Tripolitana regio deſcribitur, lib. 1 cap. 76
Triphon puer, lib. vndecimo cap. 47
Triburienſe concilium celebratur, lib. 25 cap. 16
Torpes martyr, lib. 9 cap. 56
Troiani belli cauſa exprimitur, lib. 3 cap. 60
Trophinus Pauli diſcipulus, lib. 9 cap. 49
Tullius claret, lib. 6 cap. 6
Tunica Domini inuenitur lib. 22 cap. 10
Tundali Hiberniæ viſio, lib. 28 cap. 88
Turchorum deſcriptio, lib. 30 cap. 142
Turpus epiſcopi geſta, lib. 25 cap. 12

De litera V.

Valerius Maximus claret, lib. 5 cap. 118
Valentini Valentis Imperium, lib. decimoquarto cap. 48
Valentiniani mors, lib. 14 cap. 97
Valentis peruerſitas, lib. 14 cap. 50
Ipſius mors, lib. 14 cap. 50
Valeriani Imperium. lib. vndecimo cap. 56
Valerianus martyr, & quidam alij, lib. 10 cap. 110
Valentis monachi geſta, lib. 17 cap. 80
Vallis ſcholarium ordo fundatur, lib. 30 cap. 133
Vualdarici monachi virtutes, lib. 23 cap. 21
Vuandalorum origo, & regnum, lib. 16 cap. 8
Wandregiſili abbatis geſta, lib. 23 cap. 29
Varro Clarus habetur, lib. 6 cap. 57
Uedaſti Attrebatenſis geſta, lib. 21 cap. 9
Verecundia iuuenibus ſuadetur, lib. 17 cap. 34
Venus à iuuene diſpenſatur, lib. 25 cap. 29
Veſpaſiani promotio, lib. 9 cap. vlt.
Ipſius Imperium, & morbus, li. 10 cap. 1
Eiuſdem mors, li. 10 cap. 8
Victor, & Corona, lib. 10 cap. 108
Victor Papa, & Audeolus, li. vndecimo cap. 6
Victor Maſsilien. lib. 12 cap. 7
Victoria virgo, li. 11 cap. 52
Victorinus, & ſocij eius lib. 11 cap. 121

Victori-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Victorinus rector lib. 14 cap. 22
Victoriani passio, lib. 20 cap. 90
Viduarum instructio, lib. 16 cap. 64
Vigilantii error impugnatur, lib. 16 cap. 88
Vigilii Antisiodorensis gesta, lib. 23 ca. 126
Vigilij Papæ afflictio, li. 21 ca. 75
Vigoris Baiocensis gesta, li. 21 cap. 39
Vincentius, & Oroncius fratres, li. 12 ca. 38
Vincentius, & Ralirius, lib. 12 cap. 124
Vincentius Sabina, & Christiana, li. 12 ca. 129
Virginitas suadetur, li. 16 cap. 42
Virginitas nuptiis præfertur, li. 16 cap. 74
Virginitas Mariæ asseritur, lib. 16 cap. 74
Virgo humilis reuelatione diuina manifestatur li. 18. ca. 83
Virgo occultat Athanasium fugientem, lib. 17 cap. 93
Virgo liberatur à lupanari per iuuenem, lib. 17 cap. 93
Virgo lapsa hereditur, li. 15 cap. 63
Virgo lapsa reconciliatur, lib. 17 cap. 95
Virgo lapsa inculpat innocentem lectorem, lib. 17 ca. 96
Virgilius poeta claret, lib. 6 cap. 62
Virtutes distinguuntur, lib. 1 cap. 48
Vuisigothorum origo, & regnum, lib. 16 cap. 12
Vuibertus claret in Lotaringia, lib. 24 ca. 64
Visio hominis resuscitati, lib. 23 cap. 120
Vuilframij Senonensis gesta, lib. 23 ca. 145
Vitalis, & Valeria. lib. 9 cap. 1.
Vitalis, & Agricola, lib. 12 cap. 49
Vitelly Imperium, lib. 9 cap. 127
Vitus & Modestus, lib. 12 cap. 70
Viuentius, & Samaritanus, lib. 13 cap. 99
Viuardi Remensis gesta, lib. 23 cap. 114
Vndecim milium virginum gesta, lib. 20 cap. 39
Vnitas Trinitatis miraculosè ostenditur, lib. 20 cap. 39
Vterpendragon regnat in Britannia, lib. 20 cap. 49

De litera X.

Xenocrates Platonicus claret, lib. 4 cap. 14
Xenodochia pauperum instituuntur, lib. 5 cap. 80
Xenofon claret, lib. 3 cap. 67
Xerses filius Darij regnat, lib. 3 cap. 36
Xerses secundus regnat, lib. 3 cap. 59
Christus nascitur, lib. 6 cap. 88
Christus baptizatur, lib. 7 cap. 7
Christus prædicat, lib. 7 cap. 12
Christus patitur, lib. 7 cap. 37
Christus resurgit, lib. 7 cap. 53
Christus ascendit, lib. 7 cap. 64
Christina martyr, lib. 13 cap. 86
Christophorus martyr, lib. 13 cap. 24
Christi imago in Cæsarea, lib. 11 cap. 59
Christiani heremitæ gesta, lib. 29 cap. 11
Christi imago tranfixa vestigio sanguinis inuenitur, lib. 21 cap. 92
Christi imago lanceata multum sanguinem fudit, libro 23 cap. 160

De litera *Z*.

Zalericus dat leges, lib. 2 cap. 105
Zeno Philosophus occiditur, lib. secundo, cap. centesimo-septimo
Zeno Stoicus claret, lib. 5 cap. 26
Zeno imperat, lib. 20 cap. 23
Zonæ mundi distinguuntur, lib. 1 cap. 21
Zoroastres inuentor magnæ artis claret, lib. 1 cap. 101
Zorobabel cum socijs in Hierusalem reuertitur, lib. 3 cap. 14
Zosima, & Maria Aegyptiaca, lib. 15 cap. 65

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf